

PROV.
CANT.





6
10
6



CRITICORUM SACRORUM

SIVE

ANNOTATORUM

AD

LIBRUM PSALMORUM, PROVERBIORUM, ECCLESIASTEN

ET

CANTICUM CANTICORUM.

TOMUS TERTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNOTATORES
IN
PSALMOS, PROVERBIA, ECCLESIASTEN,
ET
CANTICUM CANTICORUM.

SUNT,

SEBASTIANUS MUNSTERUS.
FRANCISCUS VATABLUS.
SEBASTIANUS CASTALIO.
ISIDORUS CLARIUS.
RODOLPHUS BAYNUS in Proverbia Salomonis.
LUCAS BRUGENSIS.
JOHANNES DRUSIUS.
* SIXTINUS AMAMA in Pſalmos, Proverbia & Eccleſiaſten.
HUGO GROTIUS.
JOHANNES PRICÆUS in Pſalmos.

ACCESSERUNT

* AUGUSTINI JUSTINIANI Epiſcopi Nebienſis Gloſſemata in Octaplum Pſalterii.
* JOH. DRUSII Scholia in Verſionem Hieronymi Pſalm. priorum LIV.
* - - - - Commentatio in Pſalmos XIX. priores.
} Ad Calcem Pſalmorum.

* - - - - Salomonis Sententiæ juxta ordinem Alphabeti per Locos Communes digeſtæ cum explicatione ejuſdem. } Ad Calcem Proverbior.

LECTOR
BENEVOLE,

Appellandus nobis es, antequam ulterius progrediaris in hoc Tomo evolvendo. Quod enim monendum duxit olim ad Pſalmum X. Auguſtinus Epiſcopus Nebienſis, Numerum Pſalmorum non eſſe eundem apud omnes; idem ab initio vel tribus verbis indicaſſe haud abs re fore putavimus. Quare, ſi forte non ubique numerus Pſalmorum reſponderet, quod inprimis de Pricæo notandum, ſequentem vel præcedentem adeundum eſſe ſcias. Porro ne quis miretur, cur non ſuis locis ſint repoſita Joh. Druſii Scholia in Verſionem Pſalmor. Hieronymi una cum Commentatione ejuſdem, in cauſa fuit præcipue Scriptura lectu difficilis, quæ effecit ut eorum deſcriptio ultra tempus conſtitutum extraheretur. Quod vero ad Notas Auguſtini Juſtiniani Epiſcopi Nebienſis attinet, quia ſero nobis commendatæ, Druſianis commode præfigi poſſe cenſuimus. Omiſſum præterea culpa Typothetarum Cap. XXIII. & XXV. ex Lucæ Brugenſis Notis in Proverbia Salomonis, quod tamen reſtitutum invenies utrumque circa finem Proverbiorum. Hæc impræſentiarum monere voluimus, etiam atque etiam rogantes, ſi quid porro ſecus eſſet admiſſum quam oporteat, ne dedignetur Benignus Lector nobis hoc indicare omnia ſuo tempore emendare paratis. Vale, & ſi æquus es, noſtris conatibus fave.

ANNOTATA
AD LIBRUM
PSALMORUM.

PSALM. I.

MUNSTERUS.

APpellant Hebræi librum Pſalmorum ספר תהלים & ספר תהלות, i. e. LIBER HYMNORUM; ajuntque Spiritum S. illius, ſicut & totius Scripturæ, autorem fuiſſe, atque ob id titulum fecerunt huic & ſequentibus libris כתובים, nempe quòd הם כתובים ברוח קדש. Conſcripſit autem majorem partem hujus libri Regius Propheta David, conſarcinatis in eundem quorundam aliorum ſanctorum virorum Pſalmis & Canticis, quorum nomina tituli ipſi indicant. Porrò Aben-Ezra eſt in hac opinione, כל מזמור שכתוב בראשו לדוד הוא לדוד או לאחד מן המשוררים המתנבאים על דוד על דרך לשלמה אלהים משפטיך למלך תן שגם הוא לאחד מהמשוררים המתנבא על שלמה h. e. *Omnis Pſalmus, in cujus capite ſcriptum eſt*, IPSI DAVID, *eſt Davidis; aut alicujus ex cantoribus prophetantibus de David, juxta formam* Pſalmi, SALOMONI: DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA, *qui etiam alicujus cantoris eſt vaticinantis de Salomone.* Unde qui Cantoribus inſcribuntur, ſunt Cantorum; ut ſunt לבני קרח & לאסף. Non igitur juxta Hebræorum vetuſtorum ſententiam, quorum opinionem iſte Rabbi non approbat, omnis Pſalmus cui eſt præfixus titulus לדוד eſt ipſius David tanquam ſcriptoris, ſed dubium nonnunquam eſt, num David illum conſcripſerit, & cantori in inſtrumentis muſicis ludendum aut ore canendum tradiderit, aut quòd cantor illum de Rege David Spiritûs S. afflatu ediderit: ut ſit לדוד idem quod בעבור דוד. De Pſalmis verò, quibus nullus eſt præſcriptus titulus, dicit idem Aben-Ezra *inter Magiſtros eſſe* מחלוקת גדולה *controverſiam magnam, aliis aliud ſentientibus.* Sunt enim qui putant omnes Pſalmos à David conſcriptos, etiam qui aliorum inſcribuntur nominibus, ut eſt Pſal. 90. qui *Moſi* inſcribitur; & hunc ajunt eſſe Davidis, ſed quem cantandum tradidit filiis Moſi, puta Samueli & filiis ejus. Kimhi verò & Abraham F. Ezræ aliter ſentiunt, ut jam ſuprà indicavimus. Unde dicit D. K. דוד כתב ספרו על ידי עשרה זקנים, h. e. *David conſcripſit librum ſuum per manus decem Seniorum, quorum nomina ſunt, Adam, Malkizedec, Abraham, Aſaph, Heman, Jeduthun, Moſes, & tres filii Corah, nempe Aſer, Elkana & Abiaſeph. Hi*, inquit, *viri ſuos ediderunt Pſalmos; & ſunt à David relati in librum Pſalmorum.* Verùm hîc errare deprehenduntur, quando Pſalmum, *Dixit Dominus Domino meo*, ipſi Malkizædec aſſcribendum contendunt, Chriſto in Euangelio refragante. Quod autem quidam ex noſtris ajunt, Pſalmos ab Ezra Scriba in unum collectos librum atque in hunc redactos ordinem, nihil de hac re invenio apud Hebræorum ſcriptores. Hoc quidem dicunt, librum hunc varia continere genera Pſalmorum. Quidam enim ſunt נצחים *epinicia & triumphi*, quidam ניגונים *concentus*, quidam שירים *cantica*, quidam הללים *laudes*, quidam שכלים *contemplationes*, quidam תהלות *hymni*, quidam תפלות *orationes*, quidam ברכות *benedictiones*, & quidam הודאות *confeſſiones*, vel *gratiarum actiones.*

5. *Non reſurgent impii*] Qui enim perpetuæ morti ſunt addicti, reſurgere non valent, ſed jacebunt preſſi onere peccatorum ſuorum. Quid autem ſit *non reſurgere peccatores in judicio*, explicat Propheta altero hemiſtichio; quando dicit, *peccatores non inveniri in cœtu juſtorum.*

6. *Iter impiorum peribit*] Scelera, inquit, impiorum hominum finem habebunt, quando *Dominus viam juſtorum*, h. e. converſationem optimam, *agnoſcet* & æternâ remunerabit vitâ.

VATABLUS.

LIbrum iſtum LXX. Interpretes Ψαλτήριον denominaverunt, nomine inſtrumenti muſici, ad quod ut & ad alia hi Pſalmi decantabantur. Hebræi verò תהלים ſive ספר תהלות, h. e. *librum Laudum*, appellant. Chriſtus Dominus noſter *Pſalmos*, & *Librum Pſalmorum*, Luc. 20. 42. & 24. 44. Sic & Petrus Act. 1. 20. Ex quibus teſtimonia ſumens Chriſtus Salvator noſter, teſtatur afflatu Spiritûs S. fuiſſe ſcriptos, Matth. 22. 43. & Petrus, Act. 1. 16.

1. *Beatus vir* אשרי האיש] Adjectivum eſt plurale אשרי, ut quidam Hebræorum ſcribunt, quod verbo aut nomini plurali vel ſingulari jungitur pro loco, unde quidam vertunt, *Beatus* [ſive *Felix*] *vir*; aut, *Beata* [ſive *Felicia*] *viro.* Aliis magis placet eſſe ſubſtantivum plurale, ut Latinis *divitiæ*: vertentes *Beatitudo* [ſive *Beatitudines*, aut *Felicitates*] *viri*: vel, *illius viri*; propter ה emphaticum & ſignificativum, quod Hebræi vocant *hajediah*, quo ſignificatur aliquis inſigniter beatus. ¶ *Ambulavit* הלך] Sunt præterita Hebræis, quæ per præſens verti poſſunt, *ambulat*, *ſtat*, *ſedet*: nam frequens eſt apud illos temporum permutatio, præterito utentes pro præſenti, aliquando pro futuro; imperativo pro futuro aut præterito; infinitivo pro omni tempore; & futuro pro præſenti, aut vice præteriti, aut etiam imperativi: quod diligenter obſervandum eſt: nam in his vertendis plurimùm variant Interpretes, maximè in his Pſalmis. ¶ *Impiorum* רשעים] *Improborum.* Significat eos qui indeſinenter & ſine ulla quiete impiè agunt, aut qui malis animi perturbationibus moventur ad malè agendum, *tanquam mare impulſum quod quieſcere non poteſt*, ut de illis ſcribit Jeſaias 57. 20. ¶ *Et in via* ובדרך] *Via* pro *inſtituto & ratione vivendi.* ¶ *Peccatorum* חטאים] *Flagitioſorum.* Non ſunt qui quovis modo peccatores ſunt, ſed qui jam perfrictâ fronte ità peccatis ſeſe addixerunt ut jam nihil eos pudeat; & indè meruerint cognomen *peccatorum*, quales ii erant, qui in hiſtoriis Euangelicis *peccatores* vocantur, qualiſque illa *in civitate peccatrix*; Luc. 7. 37. & Sodomitæ, Gen. 13. 13. & Amalecitæ 1 Sam. 15. 18. ¶ *Non ſtetit* לא עמד] *Non ſtat*, ſive *conſiſtit*: i. e. qui vivendi rationem hominum peccatis deditorum non amplectitur. ¶ *Et in cathedra* ובמושב] *Et in conſeſſu*, vel *ſede.* ¶ *Deriſorum* לצים] *Elatorum*, *ſuperborum.* Vel, *oblocutorum*, ſive *obtrectatorum.* i. e. Qui nullum commercium habet cum iis, qui Divinas Leges ridere ſolent, nec eſt contubernalis eorum. Alii, *revelantium* ſecreta.

2. *Sed in Lege* כי אם בתורת] *Lex* pro ipſa Lege & omnibus S. Scripturæ libris qui ſunt Legis expoſitio. ¶ *Jehova* יהוה] Hoc nomen ſuperſtitioſi Judæi pridem ineffabile fecerunt, legentes אדני, i. e. *Dominus*, ubicunque in Scripturis habetur יהוה: quos Græci & Latini poſtea ſecuti ſunt. Verùm ipſe Dominus, quid hoc nomine intelligi vellet, ſatis expreſſit, cùm rogatus à Moſe nomen, reſpondit, אהיה אשר אהיה, i. e. *Sum qui ſum.* Et mox, *Sic dices filiis Iſraël*, אהיה *miſit me ad vos*, Exod. 3. 14. Quibus verbis apertè ſignificat *Exiſtenti* nomen ſibi eſſe, & quòd

quòd ſolus à ſe, ac ideo ſemper exſiſtat & exſiſtendi virtutem omnibus ſuppeditet. Id verò quàm non exprimat nomen *Dominus* quis non videat? Propterea quidam pro eo vertunt *Exſiſtens.* Alii αὐτοφυὴς, quod nomen Græcis *à ſe & per ſe exſiſtentem* ſignificat. Nonnulli nomen ipſum JEHOVA non mutant; nec ipſe etiam Sanctes in ſuis Annotationibus manu ſcriptis, quas apud me aſſervo: quos & ſecuti ſumus. ¶ *Voluntas ejus* חפצו] *Deſiderium ejus.* Vox Hebræa ſign. *voluntatem*, *propenſum animi affectum*, *voluntatem & delectationem animi in re aliqua*: propterea dicit, *meditatur die ac nocte*, i. e. eam unicè amat. ¶ *Et in lege ejus* ובתורתו] Repetitio frequens Hebræis, pro *& in ea.* ¶ *Meditatur* יהגה] Fut. Heb. pro præſ. Vox Hebræa & ad *cordis cogitationes* & ad *oris garritum* refertur, ut Pſal. 19. 15. והגיון *Et meditatio cordis mei coram te.* Et Pſal. 37. 30. *Os juſti* יהגה *loquetur ſapientiam.* Idem ponitur & Pſal. 35. 28.

3. *Sicut arbor* כעץ] Palmam aut oleam intelligit: utrique enim decerpto fructu folia non decidunt. *Juſtus ut palma florebit*, Pſal. 92. 13. Jer. 17. 8. *Et erit tanquam arbor plantata ſecus aquas, & quæ juxta rivum mittit radices ſuas.* Benedictionem viri qui fidit Jehovæ deſcribit. ¶ *Decidit*, יבול] *Marceſcit*, *inareſcit.* Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Et omne quod*, &c. וכל אשר יעשה יצליח] *Et quicquid facit, proſperos habet ſucceſſus:* fructus edit qui non pereunt. Fut. Heb. pro præt.

4. *Tanquam gluma* כמץ] *Sicut quiſquiliæ*, *pulvis*, *minutum palearum.* Impii prorſus inutiles & omnis fructûs expertes, ut gluma, palea, ſive tegumentum tritici, quibus comparantur Matth. 3. 12. Eſa. 17. 13. *Et perſecutionem patientur ſicut gluma montium à facie venti, & ſicut ſtipula coram turbine.* Et Pſal. 35. 5. *Sint ut gluma ante ventum.*

5. *Stabunt* יקמו] *Conſiſtent*, ſub. *cum juſtis:* i. e. non habebunt locum inter juſtos; ſed ſeparabit eos Deus ab illorum conſortio, cùm mundum judicabit, Matth. 25. 41. *Ite maledicti*, &c. Alii, *reſurgent.* ¶ *Neque peccatores* וחטאים] Repetitio Hebraïca idem bis dicens.

6. *Novit* יודע] *Agnoſcit:* ſive per futurum, *agnoſcet*, i. e. probabit; vel, illorum curam aget: cui contrarium eſt *Peribit*, pro *improbabitur*, vel *damnabitur.* ¶ *Et via impiorum peribit* ודרך רשעים תאבד] Hebraïſmus, pro, Omnia eorum ſtudia & inſtituta in nihilum redigentur: vel, Impii ipſi diſperibunt unà cum vita & actibus ſuis.

CLARIUS.

EXiſtimant plerique non omnes Pſalmos eſſe David, ſed illos ab iis factos quorum nominibus ſunt prænotati, ut *Idithun*, *filiorum Chore*, *Aſaph*, *Emam*, *Etham*, & ſiqui alii ſunt hujus generis tituli. Cæterùm alii has inſcriptiones id ſignificare tantum volunt, quòd his viris, quos B. David elegerat ex tribu Levi in Duces ac Principes chororum, quoſque inſtituerat ut variis organis Deum laudarent, quorum genera apertè poſtremus omnium Pſalmus commemorat; his, inquam, viris, privatim illi Pſalmi qui eorum nomina præferunt canendi, aut certè acceptâ à David materiâ componendi, traditi ſint. Quod etiam manifeſtius eſſe dicunt ex iis quæ in libro Paralipomenæn legimus, *Cecinit*, inquit, *canticum hoc in manu Aſaph.* Quocirca etiam eos qui inſcriptione carent non dubitant illius eſſe, hoc præſertim argumento, quod 94. Pſalmus inſcriptione caret, quem tamen in Epiſtola ad Hebræos Apoſtolus adſcripſit ipſi *David.* Alii ejuſmodi Pſalmos crediderunt ab iis compoſitos quorum proximè nomina in præcedentium Pſalmorum inſcriptionibus expreſſa habentur. Cumque hâc lege Pſalmus qui incipit, *Dominus regnavit: iraſcantur populi*, Moſis eſſe debeat, fiat autem in illo mentio etiam *Samuelis*, qui multò poſt Moſen fuit, confugiunt ad propheticam præcognitionem, quâ & Joſiæ Regis nomen multis antè ſeculis quàm naſceretur prædictum à Propheta legimus 3 Reg. 13. Alii decem fuiſſe volunt hujus libri Pſalmorum autores, vel David conſcripſiſſe librum ſuum per manus decem Seniorum. Verùm cùm *omnis Scriptura*, teſte Apoſtolo, *ſit Divinitus inſpirata*, certum eſt Principem hujus libri autorem eſſe Spiritum Sanctum; ut non multum opus ſit per quos id opus compoſuerit digladiari. Id quoque vulgatum eſt, Ab Eſdra in unum volumen has ſacras Odas collectas & digeſtas eſſe: quanquam ferunt quidam hoc apud Hebræorum ſcripturas non inveniri. Creditæque ſunt fuiſſe quaſi reliquiæ quædam quæ tunc exſtarent. Nam quando mille & quinque unus Salomon compoſuit, dubium non eſt intercidiſſe quamplurimas. Eodem modo creditur à quibuſdam, aliquot à poſterioribus adjectas, maximè religione inſtauratâ per Machabæos: Etenim 74. & 78. & 79. Pſalmos de ea populi calamitate, quam ab Antiocho Judæi pertulerunt, canere, non dubitari. Nam quòd ii *Aſaph* nomine prænotati ſint, non plus valere putant quàm compoſitos ab eo ſacrorum cantorum ordine quorum Aſaph Pater & Princeps fuerit. Conſtat etiam Pſalmos non eſſe juxta rerum quas canunt ordinem digeſtos. Qui enim tertio loco habetur, de ſeditione Abſalom memorat, & 139. de perſecutione Saulis. Sic & alii multi poſteriore loco poſiti res prius geſtas continent, & contrà. De inſcriptionibus quoque Pſalmorum nihilo certiora afferuntur tam ab Hebræis quàm à noſtris. Quæ ex iis hiſtorias ſacras notant, clavium vice hactenus ſunt ad Pſalmos intelligendos; ſed præter apertè indicatas hiſtorias, habent ferè dictiones quaſdam quarum intelligentia ne Hebræis quidem adhuc perveſtigari potuit. Omnium frequentiſſima eſt illa, LAMNAZTACH, quam verterunt, *In finem.* Præter hanc vocem pleræque aliæ in inſcriptionibus identidem recurrunt, æque ancipitis ſignificationis tam Hebræis quàm noſtris: ut ALAMOTH, quam dicunt ſignificare *Abſconditas*, vel *Adoleſcentulas*; NEGINOTH, i. e. *Modulationes*; SCHIAGION, *Ignorantiam*; SCHIGINOTH, *Ignorantias*, vel *Curas*; GITHITH, *Torcular*; SCHOSANNIM, *Lilia*, vel *Roſas*; NECHELOTH, *Hæreditates*; MICHTAM, *Inſignem*; MACHELACH, *Congregationem*, vel *Infirmitatem*; SCHEMINITH, *Octavam*; MASCEL, *Erudientem*, vel *Intelligentiam*; MAÆIOTH, *Gradus.* His alii putant ſignificari modos & genera certa melodiarum, alii inſtrumenta, alii initia carminum, ad quorum modos ſunt Pſalmi cantati, quibus hæc prænotata leguntur. Alii ſingularum etymon excutientes quærunt myſteria. Sed apud illos Hebræos qui & doctrinâ præſtant & certiora ſectantur, omnia propria nomina habentur vel modulationum vel inſtrumentorum muſicorum. Fateamur ergò, quòd & doctiſſimos & vetuſtiſſimos Hebræorum fateri non piguit, has inſcriptiones, ubi nullas notant hiſtorias in S. Bibliis memoratas, à nobis cognoſci non poſſe, propterea quòd inſtitutum ſacrorum cantorum & rationem has modulandi ſacras cantiones penitus ignoramus. Quod ad nomen pertinet, noſtri *Pſalmum* dicunt eſſe ſonum organi, ceſſante voce humanâ; *Canticum*, quando humanâ voce fit modulatio ſine concentu organi; *Canticum Pſalmi*, cùm vox humana concentum ſequitur organi; *Pſalmum cantici*, ubi contrà fit. Hebræorum Doctores differentiæ hujus rationem ignorare ingenue fatentur. De *Selah*, quod etiam *Diapſalma* dicitur, varia feruntur, ut credatur ſignificare vel Mutationem ſententiæ aut cantûs; vel Pauſam ſeu Interjectionem quandam pulſationis, vel Fulgorem atque Illuminationem Divini Spiritûs quæ tunc canentibus apparebat. Sed ex Hebræis eruditiores putant fuiſſe Notam attollendæ vocis, ac propterea Admonitionem cogitationis animi intendendæ.

1. *Beatus vir*] Hebraïſmus habet, *Felicia illi.* Quod verò ſequitur, *in conſilio impiorum* (vel *improborum*) *in via peccatorum*, *in ſede verſutorum* (vel *deriſorum*) ſchema eſt quod Congeries dicitur, dum propè idem ſignificant; vel certè Amplificatio, dum *ſtare* plus videtur quàm *ire*, & *ſedere* plus quàm *ſtare.* Obſervant autem Hebræi omnem hominis vitam *eundo*, *ſtando* & *ſedendo* peragi: nam *jacere* ſub *ſeſſione* comprehenditur. Pulcrè verò hos gradus Propheta poſuit. Nam primùm aliquantùm arrident perverſorum ſtudia, & ad imitationem ſui alliciunt, ſed nondum animo in illis fixo *ſtamus:* quòd ſi non illico pedem referimus, uſu ipſo facta illorum magis placebunt, & *ſtabitur* jam inter illos. Poſtremò eorum etiam inſtituta profitemur, & tanquam earundem rerum magiſtri facti *ſedemus.* Fortaſſe verò non dixit, *Beatus qui non fuerit impius, nec peccator*, ſed *qui non abiit in conſilio impiorum*, &c. ut ſignificaret homines potiſſimùm imitatione evadere peccatores & in ſcelera delabi. Superiores verò illi gradus in rectè factis etiam ſervantur: Ut primùm bonorum conſuetudine delectari, quaſi cum illis *ambulare* incipiamus, antequàm fixâ mente illis adhæreamus; poſt verò progreſſu temporis, intellecto rectè vivendi fructu, tanquam pedem in eorum ſententia defigimus animumque offirmamus; tum demum amorem illius pulcritudinis in aliorum animis inſeri cupientes, tanquam prædicatores & doctores *ſedemus.* ¶ *In cathedra peſtilentiæ*] Pulcrè ſenſum expreſſit Interpres, quod alii verterunt *in ſede verſutorum*, vel *in conſeſſu deriſorum:* nam vere nihil peſtilentius pravis doctoribus.

2. *Sed in lege Domini*] In illis locis ubi nos habemus *Dominum*, in Hebræo eſt nomen illud Dei præcipuum τετραγράμματον, nempe JEHOVAH, quod volunt ſignificare *Ens*, ſive *Exſiſtens.* ¶ *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*] Illud eſt quod præcepit Dominus Deut. 6. *Audi, Iſraël*, inquit Moſes, *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, omnibuſque viribus tuis. Sintque hæc quæ ego hodie tibi præcipio, inſculpta*

cordi

cordi tuo, expones ea filiis tuis; loquériſque de illis dum ſedes domi tuæ, cùm iter facis per viam, cum accubas, cùm ſtas. Alligabis ea manui tuæ ſignum: ſint tibi pro monili inter oculos tuos; inſcribeſque ea poſtibus domûs tuæ & portis tuis.

3. *Et erit tanquam lignum*] Parabola Arboris in Scripturis admodum frequens eſt. In hac enim & bonorum & malorum, & arrogantium & humilium natura exprimi magis perſpicue quam aliis in rebus videtur; ut pluribus locis facile eſt obſervare. Ait ergò Probum virum adhærentem Divinæ Legi & fructus ferre, & ſpeciem ſuam ac gratiam nunquam amittere, haud aliter quàm *arbor juxta aquas plantata*, &c. *proſperè autem omnia ei cedent*, quia, ut ait Apoſtolus, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

4. *Non ſic impii*] Synecdoche eſt, cum brevitatis & argutiæ gratià verbum ſubtrahitur. ¶ *Tanquam pulvis*] Alii verterunt *glumam, quiſquilias, feſtucam*, res nimirum quas facilè diſpellit ventus. Repetitio quidem illa, *non ſic*, & illud, *à facie terræ*, non ſunt in Hebræo: ſed ejuſmodi loca, quæ ſenſum potius adjuvant quàm impediunt, non fuerunt mutanda.

5. *Non reſurgunt impii*] Dictio Hebræa ſignificat *erigere ſeſe.* Qui ergò perpetuæ morti ſunt addicti *reſurgere* non valent, ſed jacebunt preſſi onere peccatorum ſuorum. Quid autem ſit *non reſurgere peccatores in judicio*, explicat Propheta altero hemiſtichio, quando dicit *peccatores non inveniri in cœtu juſtorum.* Alius vertit *non ſtabunt*, ut *ſtare in judicio* ſit pro *vincere judicium*, & *cauſam probare*: unde & Terentius, *Vix ſteti*, inquit, pro, *vix fabulam approbavi.* Huic contrarium eſt *cadere cauſâ.*

6. *Novit Dominus viam juſtorum*] Synecdoche eſt quâ ex eo quod præcedit id quod eſt conſequens intelligitur. *Cognitionem* enim ſolet amor conſequi. *Iter* verò *impiorum peribit*, quoniam ſcelera impiorum hominum finem habebunt, quando *Dominus viam juſtorum*, h. e. converſationem optimam, *agnoſcet* atque æternâ munerabit vitâ.

DRUSIUS.

1. אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ: Th. v. & vi. *τέλειος ὁ νεώτερος ὃς οὐκ ἀπῆλθεν*] Hæc deſcripſi ex ed. Romana: *τέλειος*, i. e. התמים, *ὁ νεώτερος* הנער. Quis credat eos ità legiſſe? ¶ בַּעֲצַת רְשָׁעִים: Th. v. & vi. *ἐν βουλῇ ἀλλοτρίων*, i. e. זרים. Et hic locus mihi ſuſpectus. Verba Euthymii ſunt apud Interpretem, *Vel aliter Conſilium impiorum pro Concilio & Conventu intelligendum, quemadmodum Aq. & Th. interpretati ſunt.* Quæ ſic capienda, non quòd uterque utrumque vocabulum uſurpavit, ſed quòd unus *in concilio*, aliter interpretando dixit *in conventu.* ¶ וּבְמוֹשַׁב לֵצִים: Aq. *καὶ ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν.* Sym. *καὶ ἐν καθέδρᾳ ἐπιθετῶν.* v. & vi. *καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ παρανόμων.* ¶ *Ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν, in cathedra deriſorum*, Hieron. ¶ *Ἐπιθετῶν.* Lex. vet. *Ἐπιθέτης, impoſtor, ſtellionator. Ἐπίθεσις, impoſtura, ſtellionatus.* ¶ לֹא יָשָׁב: Sym. *Οὐ κεκοσμήνηκεν.* v. & vi. *οὐχ εὑρέθη*, i. e. לא נמצא.

3. שָׁתוּל: Aq. *tranſplantatum*] Sic etiam Hieron. i. e. *μεταφυτευόμενον.* Lex. vet. *Μεταφυτεύω δένδρον, tranſplanto.*

5. בַּעֲדַת: Aq. *Ἐν συναγωγῇ.* Th. *ἐν συλλόγῳ.* Sym. *ἐν συνελεύσει*] *Ἐν συναγωγῇ*, i. e. *in congregatione*, vel, ſi placet, *in ſynagoga.* Nam ità vocabant propriè conventus Judæorum, ad quorum religionem Aquilam olim deſciviſſe accepimus. Quapropter *ἀποστάτης* à nonnullis dictus eſt. ¶ *Ἐν συλλόγῳ, in collecta.* Nam *συλλέγω, colligo.* Alibi eſt *ἐν συναγωγῇ* ità olim poſuimus in Frag. Antverpiæ impreſſis. Erat certè Theodotio, ſi verum ſcribit Hieronymus, ex hæreſi Ebionitarum, qui etiam Eccleſias ſuas *Synagogas* appellabant. Epiphanius lib. 1. Adv. hæreſes, quo in loco de Ebionæis agit, *συναγωγὴν δὲ οὗτοι καλοῦσι τὴν ἑαυτῶν ἐκκλησίαν.* Eſt & *σύλλογος, colloquium, collocutio.* ¶ *Ἐν συνελεύσει.* Lex. vet. *Συνέλευσις, conventio.*

AMAMA.

PSalm. *ἀνεπίγραφος.* Apud Athanaſium titulus eſt *μακαρισμός*, Epiſt. ad Marcellinum. Tales Pſ. enumerat ſex. 1. 32. 41. 112. 119. 128.

Kimchi, narrat D. in hoc Pſ. conditionem hominis, quid homini faciendum ſit in hac vita, quæ futura ſit remuneratio juſtorum & pœna improborum. Eſtque hic Pſ. admodum inſignis, ideo inchoat librum Pſalmorum.

אַשְׁרֵי: Opin. tres vel duæ. 1. Ut ſit particula formæ אַשְׁרֵי. Sic Kimchi. 2. Ut ſit nomen abſtractum carens abſ. & ſing. Hæc iterum duplex, 1. Ut ſit pro אָשׁוּר quod eſt R. Sal. & Piſc. ad verbum progreſſus viri, i. e. vir progreſſuum, ſucceſſuum, qui ſucceſſus habet. Atque R. Sal. interponit vocem יְהוֹדָאוֹת videturque *τὸ* אשר accipere pro quòd. Hæ ſunt laudes viri quod non ambulat &c. Ch. שׁוּבֵי 2. Ut ſignif. beatitudines. Locutio qualis, Flagitium hominis, Scelus viri, Vilitates hominum, Pſ. 12. Viriditas herbæ, in quibus eſt Hypall.

Notat Kimchi non reperiri niſi in plur. eò quod non beatificatur homo uno bono, quod ſit in eo vel ſucceſſu qui eveniat ei ſed multis.

הָלַךְ *Ambulavit, ſtetit &c.*] In præteritis. Finem enim reſpicit, quando is demum verè beatus de quo dici poteſt, Ambulavit, Eccl. 18. Ne laudaveris aliquem ante mortem, propter incertos exitus, ſaltem reſp. noſtri. *Dicique beatus.* &c.

At ſtare nihilominus poſſunt. Præſ. *ambulat, ſtat* &c. notatur enim actus continuus.

רְשָׁעִים] Job 38. 13. & 15. רְשָׁעִים irrequieti. Ideo inquit Aben. jungitur cum הָלַךְ. הרשיע turbare, turbulentum reddere, Eſ. 57. Improbi ſunt ut mare propulſum. Et Kimchi ait eſſe ſignif. חֲרָדָה tremoris & commotionis, citatque locum ex Job. Ipſe יַשְׁקִט & quis turbulentabit יַרְשִׁעַ Job. 34. 29.

Antitheſis in hoc Pſ. eſt duplex, juſtorum, injuſtorum. 2. Beatitudinis & miſeriæ. Pios deſcribit primo *κατ' ἄρσιν*, deinde *κατὰ θέσιν.* Sic malum præit. Pſ. Recede à malo & fac bonum. Homo enim ab initio imbibit peccata & aſſueſcit, edit, bibit, ludit, & in his enutritur, & figmentum cordis malum eſt &c. Gen. 5. Ubi verò ad rationis uſum pervenerit, monetur ut hæc linquat.

Via] i. e. מִנְהָג & וּמַעֲשֶׂה, עסקיאורם i. e. vitæ curſus & inſtitutum. Redeat improbus à via ſua perverſa. Ut per viam homo tendit ad rectum locum, ita per opera.

Ambulavit, ſtetit, ſedit] Hoc triplici hominis ſitu deſignatur totius vitæ curſus.

Notandus triplex Climax, 1. ad perſonas. 2. ad modos agendi. 3. ad actiones pertinet.

Perſonæ, *Improbi*, animo; *Peccatores*, vitâ; *Irriſores* in utroque omnibus modis obfirmati. Peccatores qui habitum pecc. contraxerunt, delectantur: peccatum enim ſic allicit hominem ut tandem quietum ſe ſiſtat in peccatorum exercitio, במעשה בדבור ובלב ubi habetis diſt. peccati ab organis ſeu ſedibus, unde & Aug. eſt *factum, dictum vel cogitatum contra Legem.*

Pro לצים Vulg. *peſtilentiæ*, Lxx. *λοιμῶν*, peſtilentum. Melius Aq. *χλευαστῶν*, irriſorum. Sym. *ἐπιθετῶν. Ἐπιθετής*, impoſtor, ſtellionator, *ἐπίθεσις*, ſtellionatus.

Modi, *Conſilium*, animi. *Via, vitæ*; *Conſeſſus* obfirmationis.

Actiones, *Ambulare*, ad certum finem Conſilii, *Stare*, conſilio jam capto, *Sedere* & conquieſcere, obſtinatè. Ut percutere, vulnerare, occidere.

At dicet aliquis ſupervacaneam hanc gradationem, ſublata enim ambulatione tolluntur reliqua. Reſp. monere Davidem à primo gradu abſtinendum, futurum eſſe ut ſi quis viam hanc ingrediatur gradum ſiſtat, & ſi ſemel ſubſtiterit futurum eſſe ut à Sirenibus hujus mundi inebriatus conſideat.

2. *Meditatur & loquitur*] *Cordis* Pſ. 19. 15. Linguæ Pſ. 35. 28. Gutturis 115. 7. Palati Prov. 8. 7.

Proſperabitur] Sic Vulg. Pſ. 37. 7. מַצְלִיחַ דַּרְכּוֹ qui proſperatur in viâ ſua, hic *proſpere cedet.* Bellarm. urget *proſperare faciet*, pro virtute activa liberi Arb. in concurſu cum operibus bonis initio Regenerationis.

5. Nomen יָקֻמוּ] Duplex interp. Reſurgent, ſc. in concilio juſtorum, vel *ſtabunt*, 1 Reg. 14. 4. de Achia. Sic Job 19. Joſ. 7. 12. non poterunt לָקוּם ante hoſtes ſuos. Prior interpr. occaſionem dedit erroris. Obſta. Dan. 12. Luc. 21. 36. ut digni.

GROTIUS.

ODæ iſtæ Davidis dicuntur, quòd is multas veteres collegerit, multas ipſe, pſallendi ſciens, addiderit, aut per homines idoneos addi fecerit. Cæterùm dubitari non debet, quin multa acceſſerint carmina poſteriorum temporum, Eſdrâ addente. Nam quin Pſalmus 137. (Hebraïcos numeros nunc ſequor, non quòd multùm referat, ſed quia ità incepi, & eos ſequitur Hieronymus in verſione ex Hebræo) ſcriptus ſit in exſilio Babylonico, Pſalmus autem 126. & alii quidam in reditu, ſtultum ſit dubitare. Horum autem Pſalmorum inter ſe diſtinctio jam olim non eadem eſt. Exempli cauſâ, primus Pſalmus in multis exemplaribus cum ſecundo cohæſit. Itaque vetera Scholia Græca ad ſecundum habent, *ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ συνημμένοι*, [*in Hebraïco cohærent.*] Et Actor. 13. 33. pro eo quod nos habemus *ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ*, [*in Pſalmo ſecundo*,] multi veteres libri habent *πρώτῳ*, [*primo.*]

1. *Qui non abiit in conſilio impiorum*] Tres hîc gradus deſcribuntur malè viventium, eorum qui incipiunt, eorum qui perſtant, eorum qui planè jam in mala vita acquieſcunt. Præterita autem hæc rectiùs per præſens vertentur: *abit*, *ſtat*, *ſedet*.

In cathedra peſtilentiæ] Aquila optimè, ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν, [*in ſede irriſorum*.] לֵצִים apud Hebræos ſunt *homines arrogantes eouſque ut pios irrideant*.

3. *Et folium ejus non defluet*] Sic in Epigrammate Græco:

Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα πᾶσαι
Ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι.
[*Sic etiam ſtirps ſacra Jovi radicibus omnes
Stant quercus: venti ſicca ferunt folia.*]

4. *Tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ*] Bene verteris, *tanquam acus*. Nam frumentum manet.

5. *Ideo non ſurgent impii in judicio*] Mira hinc inferunt Kimchi & Hebræi. Senſus eſt: futurum ut causâ cadant, ubi vita ipſorum ſine affectu examinabitur. Nam קוּם eſt *ſubſiſtere*, ut Joſuæ 7. 12. Nahum. 1. 6. Eſdræ 9. 15. Uſurpaturque ſæpe in re judiciali, ut ςαθῆναι, [*ſtare*,] Lucæ 21. 36.

6. *Novit Dominus viam juſtorum*] Id eſt, approbat.

Iter impiorum peribit] Id eſt, in exitium eos ducet.

PRICÆUS.

1. QUi *non abiit in conſilio impiorum*] In Græco, ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν h. e. qui peccatoribus non conſenſit. Tobias ſenior 4. 6. μὴ πορευθῇς ταῖς ὁδοῖς τῆς ἀδικίας ubi Vulgatus, *cave ne peccato conſentias*. Geneſ. 49. 6. *Simeon & Levi vaſa iniquitatis, in conſilium eorum non veniat anima mea*. Sirachides 23. 1. *Domine*, &c. *ne derelinquas me in conſilio eorum*: i. e. ne patere me conſentire eorum conſiliis. Et hoc eſt quod Proverb. 1. 15. *non ambulare cum peccatoribus*, *à ſemitis eorum pedem prohibere ſuum*: i. e. (ut ibidem ver. 10.) *cùm lactaverint, non acquieſcere*. Vide & Proverb. 4. 14.

Ibid. *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*] Sic infrà 25. 4. *Non ſedi cum concilio vanitatis*: & 49. 20. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*. *Peſtilentiæ*, Aquilæ heic χλευαστῶν i. e. (ut Jobi 31. 5.) γελοιαστῶν. In Plautina Trinummo ille,

*Iſthoc ego mihi ſemper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me uſquam ubi eſſet damni conciliabulum.*

2. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*] Deus ad Joſuen 1. 8. *Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus*: i. e. aſſiduè. Vide ad 1 Tim. 5. 5. & ad 2 Tim. 1. 3. annotata. Cicero libro de claris Oratoribus, *Ego*, &c. *noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabar*. Plinius lib. 5. epiſt. 8. *Diebus & noctibus cogito*, &c. Idem 2. 3. *Diebus ac noctibus nil aliud agit*, &c.

3. *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*] *Erit*, eſt, *florebit*. Sic infrà 91. 13. *Juſtus ut palma florebit*: i. e. fructum proferet. Ità 39. 17. Sirachidis, *Quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate*. Pro *decurſus* heic in Græco eſt διεξόδους. Ergò hunc ad locum referendum puto Gloſſarii illud, Διέξοδος, *decurſus*.

Ibid. *Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*] Quod dat fructum in tempore ſuo. Vide infrà 51. 10. Vult dicere, Eſt tanquam arbor quæ nil agit niſi ut fructum ſuo tempore producat. Marcus Antoninus 5. 4. Ὅμοιος ἔσω ἀμπέλῳ βότρυν ἐνεγκούσῃ, καὶ μηδὲν ἄλλο ἐπιζητούσῃ, μετὰ τὸ ἅπαξ τὸν ἴδιον καρπὸν ἐνηνοχέναι. Et pòſt, de viro bono, Εὖ ποιήσας, &c. μεταβαίνει ἐφ' ἕτερον, ὡς ἄμπελος ἐπὶ τὸ πάλιν ἘΝ Τῌ ὭΡΑ (*in tempore ſuo*) τὸν βότρυν ἐνεγκοῦσα. Arbores ferunt fructum ſtatis anni temporibus, vir bonus omni tempore exercendæ ejus bonitati apto edit opera juſtitiæ, παντὶ ἔργῳ (ut 1 Tim. 5. 9.) ἀγαθῷ ἐπακολουθεῖ.

Ibid. *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet*] Sic Daniel 4. 9. de arbore, *Folia ejus pulcerrima, & fructus nimius*.

Ibid. *Folium ejus non defluet*] Ut contrà 36. 2. de improbis, *Tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident*. Græci heic, τὸ φύλλον αὐτοῦ οὐκ ἀποῤῥυήσεται· ubi Φύλλον, eſt τιμή, *honor*, ſive *gloria* ejus. Unde è converſo, τιμὴν καταφυλλοροεῖν, dixit Pindarus 12. Olympiac. Vel, *folium ejus non defluet*, expone, ſemper bonis abundabit.

Θάλλουσι δ' ἀγαθοῖσι διαμπερὲς ;———

de viris bonis Heſiodus dixit.

Ibid. *Et quæcunque facit, proſperabuntur*] *Proſperi* (ut Proverb. 14. 15.) *erunt actus, & dirigetur via ejus*. Geneſ. 39. 2. de Joſepho, *Erat vir in cunctis proſperè agens*. Julius Firmicus Matheſ. 5. 12. *Faciet efficaces, multa officia tractantes*, &c. *& quos ſemper in omnibus actibus proſper ſequatur effectus*. Et pòſt, *Efficaces, & qui omnia negotiorum genera proſpero compleant ſemper effectu*.

Ibid. *Et quæcunque facit, proſperabuntur*] Tobias 4. 6. ad filium, Ποιοῦντός σου τὴν ἀλήθειαν εὐοδίαι ἔσονται ἐν τοῖς ἔργοις σου· ut heic in Græco Pſalmi κατευοδωθήσεται. Theognis,

Τῷ δὲ καλῶς ποιοῦντι θεὸς περὶ πάντα τίθησι
Συντυχίην ἀγαθήν. ———

Seneca de viro bono, (cap. 9. De vita beata.) *Quicquid agit, in bonum exibit*.

Ibid. *Proſperabuntur*] In Græco κατευοδωθήσεται. Sic in Gloſſario, Αἰσιοποιηθήσεται, *proſperabitur*.

4. *Non ſic impii, non ſic*] Notant heic Græci Scholiaſtæ poſterius illud οὐχ οὕτως in Hexaplis non inveniri: in Græco tamen 3 Reg. 22. 19. eadem iſta geminatio occurrit.

Ibid. *Tanquam pulvis quem projicit ventus*] In Græco, ὡς ὁ χνοῦς ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος. Sic infrà 35. 5. γενηθήτω ὡς ὁ χνοῦς κατὰ πρόσωπον τοῦ ἀνέμου. Vide & Pſal. 17. 43. Scriptor Sap. 5. 14. Ἐλπὶς ἀσεβοῦς ὡς φερόμενος χνοῦς ὑπ' ἀνέμου ubi χνοῦς non tam *pulverem* quam *acus* ſignificat. Job. 21. 18 ἔσονται ὥσπερ ἄχυρα ὑπ' ἀνέμου. Heſychius, Φορυτὸς, &c. ἄχυρα, καὶ ἀπὸ γῆς ὑπ' ἀνέμου αἰρόμενος χόρτος. Cyprianus, *Quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta contemnunt, inanes paleæ flatu portantur*.

5. *Non reſurgent impii in judicio*] Id eſt, in die judicii. Οὐκ ἀναςήσονται, eſt, ἐν παῤῥησίᾳ (ut juſti Sapient. 5. 1.) οὐ ςήσονται vel *non reſurgent*, nempe ad beatam vitam. Sic 2 Maccab. 7. 14. ad Antiochum ille, σοὶ μὲν ἀνάςασις εἰς ζωὴν οὐκ ἔςαι.

6. *Novit Dominus viam juſtorum*] i. e. Ità novit, ut approbet ac remuneretur eam. Vide Proverb. 2. 7. infrà heic 36. 18.

Ibid. *Et iter impiorum peribit*] i. e. Ad perniciem deducet eos. Εἰς ὄλεθρον (ut huc Pauli verba aptemus) καὶ ἀπώλειαν βυθίσει αὐτούς. Vel *peribit*, nempe Deo id efficiente. Infrà 146. 9. Ὁδὸν ἁμαρτωλῶν ἀφανιεῖ.

IDEM.

3. ERit *tanquam lignum*, &c. *ſecus decurſus aquarum*] Ità Simonem Oniæ filium Sirachides 50. 8. comparat liliis quæ in tranſitu aquæ: ubi Græci ἐξόδους ὕδατος, ut hîc διεξόδους.

Ibid. *Folium ejus non defluet*] Simile Eſai. 58. 11. *Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons cujus non deficient aquæ*. In Græco Pſalmi, οὐκ ἀποῤῥυήσεται. Eò ſpectant Heſychii iſta, Οὐκ ἀποῤῥυήσεται, οὐ κατακνήσεται. Ubi malim aut κατακνίσεται, (*dejicietur*) legi: (Heſychius alibi, Κατακνίσῃ, καταβληθῇ) aut potiùs καταταχήσεται, *marceſcet*, *areſiet*. Non defluet autem folium ejus, quia arbor ipſa juxta aquas poſita. Ezech. 31. 7. *Erat pulcerrimus*, &c. *in dilatatione arbuſtorum ſuorum, erat enim radix illius juxta multas aquas*. Senſus loci eſt, florebit bonâ famâ & fortunis: ex fonte ſemper pleno ſitientes potabit.

4. *Non ſic impii, non ſic*] Exaltantur quidem & impii tanquam cedri; at citò folia iis defluunt, imò ipſi evaneſcunt: *quæretur locus eorum* (infrà 36. 35.) *nec invenietur*.

Ibid. *Sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ*] *In terra*, (ut Jerem. 17. 13) *ſcribentur*: i. e. delebitur nomen eorum tam facilè quàm quæ in pulvere delineantur. Jobus 27. 21. & de impio, *Tollet eum ventus urens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco ſuo*. Nota & in verbis Pſalmiſtæ vocem *projicit*. Heſychius, Ἀπεσποδῆσθαι, ὑπεῤῥῖφθαι, i. e. *projici*.

5. *Neque peccatores in concilio juſtorum*] Quid paleis enim ad triticum? ut loquitur Jeremias.

6. *Novit Dominus viam juſtorum*] Ità Proverb. 4. 27. *Vias quæ à dextra ſunt novit Dominus*, i. e. reſpicit: ut infrà 12. 10. & 29. 7.

PSALM. II.

MUNSTERUS.

HUnc Pſalmum nullus non Chriſtianus poſt Apoſtolos de Chriſto Salvatore humani generis exponendum cenſet, qui tam expreſſam facit mentionem Nativitatis, Paſſionis & Reſurrectionis ejus. Id idem ferè confitentur Jehudei, etiamſi conſtanter de Chriſto noſtro exponendum negent.

2. Prin-

2. *Principes*] R. S. exponit *ſenatores & ſummos conſiliarios.* Hi enim potiſſimùm conſpiraverunt contra Chriſtum. Porrò נוסדו putant eſſe à radice סוד, quod *arcanum conſilium* ſign. Poteſt etiam eſſe ut ſit à radice יסד, quod *fundare* ſign. Immobili enim & immutabili conſilio decreverant perdere Chriſtum Domini.

3. *Funes eorum*] Quod priùs vocavit *vincula*, jam vocat *funes.* Hoc enim plerumque agitur in Pſalmis, ut eadem ſententia bis ponatur, aliis & aliis verbis.

4. *Qui habitat in cœlis deridebit*] Pertinet hoc ad conſolationem Eccleſiæ, quòd Deus non ſolùm videt machinationes impiorum, ſed etiam ridet eos. Eſt tamen Sardonicus riſus, quem ſequitur furor & diſperſio.

6. *Conſtitui Regem*] Verbum נסך ſign. *libare* & *fundere*: & quia Reges oleo perfundebantur cùm Regno præficerentur, utitur hîc Propheta verbo נסך. R. S. tamen exponit pro מלך *regnare*, vel *Principem agere.*

7. *Narrabo*] *Dominus*, inquit, *dixit ad me*, *Filius meus es tu*: & hoc verbum ſæpe replicabo & *narrabo* aliis, *veluti ſtatutum & præceptum* mihi de hac re datum. Unde R. S. hunc locum ſic exponit, חוק קצוב הוא עלי לספר זאת *Statutum decretum eſt ſuper me, ut enarrem illud, nempe quòd Dominus dixerit ad me, Filius meus es tu.* Et hîc autor libri Nizahon more ſuo invehitur atque diſputat contra Chriſtianos in hunc modum, פסוק זה פותרי׳ האמ׳ על התלוי. וי״ל והלא במעשה בראשית כתיב נעשה אדם ופותרי׳ אותו שהאב אמר לבן נחנו נעשה אדם. אם היה אז נולד היום נמצא שהוא נולד פעמים ואם הם אחד א׳ בשנולד. הבן נולד האב בן אין בו פרור. א״כ איזה מהם קורא לחבירו בני ואיזה נקרא אב והלא לא קדם זה לזה אפילו כחוט השערה. על כרחך אתה צריך לומר שהאב היה קודם לבן ימים רבים שהאב היה שרוי רחוי בלא בן. Omitto reliquas blaſphemias quas recutitus ille nebulo hoc loco ſcribit, & tamen prudentiſſimè ſe ſcribere putat, qui ignorat Chriſtum duplicem habere nativitatem, æternam & temporalem, ſecundùm duplicem naturam. Sunt tamen qui putant hîc per Prophetam inſinuari innovationem illam quâ Chriſtus redivivus ex ſepulcro ad immortalem reſurrexit vitam; quando additur, *Poſtula à me*, &c. Et Chriſtus Matthæi ultimo dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo*, &c.

12. *Oſculamini Filium*] Eſt hîc בר idem quod בן, licèt receptius ſit Chaldæis quàm Hebræis, & eſt ſenſus, Amplectimini Filium illum toto cordis affectu, qui vobis Patrem cœleſtem offenſum placare poteſt, &c. Sunt etiam qui בר exponunt pro *munditia.* Aben-Ezra hunc locum ſic exponit, *Servite Domino, & oſculamini Filium qui eſt Meſchias.*

VATABLUS.

1. Congregant ſe turmatim רגשו] *Ad tumultum conveniunt.* Vel, *cum tumultu convolant.* Alii, *turmatim congregantur*, veluti in tumultu fieri ſolet. Alii, *fremunt*, vel *frendent.* Præteritum Heb. pro futuro, ut verſus ſequentis verba quæ futura ſunt. Continet enim hic Pſalmus prophetiam conjurationis Judæorum & Gentium adverſus Chriſtum, ut apparet ex Act. 4 25. Vertuntur autem hæc futura per præſens. ¶ *Meditantur* יהגו] *Loquuntur*, aut *murmurant.* Fut. Heb. pro præt. vel præſenti, i. e. vanos ſermones jactaverunt, cùm ſe memoriam Chriſti aboliuros morte putarunt, qui tertio die poſtea reſurrexit.

2. *Aſtant* יתיצבו] *Aſtabunt*, conſilii ſcilicet captandi causâ. ¶ *Et principes* ורוזנים] *Et Reges.* Vel, *conſiliarii Regum*, i. e. quorum conſilio & prudentia Rex adminiſtrat regnum.

3. *Vincula eorum* את מוסרותימו] Quibus alligantur animalia ad jugum. Vide pro expoſitione hujus loci Jer. 5. 5. Verba ſunt hoſtium Dei & Chriſti, Regum ſcilicet, Principum & Sacerdotum. *Vincula* vocat leges quibus quaſi vinciri ſolent ſubditi & contineri in officio; *funes* verò, ſive *ligamina* imperium. Sumpta Metaphora ab iis qui vincti coguntur facere opus. Legibus eorum, inquiunt, nè pareamus; demuſque operam nè imperent nobis. ¶ *Funes eorum* עבותימו] *Ligamina eorum.*

4. *Habitans in*, &c. יושב בשמים ישחק] Verti poteſt per præſens, *Qui ſedet in cœlis* (vel *domicilium habet in ipſis cœlis*) *deridet.* Verba Davidis: q. d. Quomodo pugnabunt cum eo qui eſt in cœlis? ¶ *Subſannabit eos* ילעג למו] Repetitio ejuſdem ſententiæ, quæ magnam vim habet in S. literis.

5. *Tunc* אז] Cùm ſcilicet tempus id exiget. ¶ *In furore ſuo* באפו] Id eſt iratus: q. d. Increpabit eos vehementiſſimè. ¶ *Terrebit eos* יבהלמו] *Conturbabit eos*, vel *perdet*: i. e. gravi irâ percitus perdet eos.

6. *Conſtitui* נסכתי] *Unxi.* Alii, *regnare feci*, vel per præt. plusquam perfectum, *conſtitueram*, *regnare feceram.* Verba Dei Patris ſedentis pro tribunali, & condemnantis impios qui dederunt operam ut Regnum Chriſti everterent: i. e. Præfeceram Regem meum Meſſiam populo meo Iſraëlitico ut illi nomine meo imperaret; verùm illius Regnum perpetuò oppugnatis, negantes eum eſſe Meſſiam. Quis nunc dicat me immeritò ſumpturum de vobis pœnas? Aut, Sumam igitur de vobis graviſſimas pœnas ob tantum Chriſti mei contemptum. Hæc ſubaudienda ſunt, quòd oratio ſit Dei irati, qui more hominum orationem concidit cùm iratus loquitur. ¶ *Sijon* ציון] Sion eſt populus Jeroſolymitanus: tota præterea terra Chanaän, quæ montoſa eſt. ¶ *Montem ſanctum* הר קדשי] *Sanctum montem* vocat, quod illuc tranſlata eſſet Arca Domini à Davide. Vide 2 Sam. 6. 17. & 1 Par. 16. 1.

7. *Decretum* אל חוק] i. e. Quod Dominus præcepit ut narrarem tanquam decretum & edictum. Tametſi Apoſtoli Chriſtum à Patre creatum eſſe Regem teſtati ſint, hic tamen Chriſtus ſibi ipſe unus vendicat quicquid per eos egit. Variè exponunt hanc *vocem* Interpretes. Alii, *legem*, i. e. quod Dominus tanquam legem vult promulgari. Alii, *ſtatutum*, aut *præceptum*, ſub. *à Patre.* Alii, *in ſtatutum*, aut *legem*: i. e. tam ſolicitè promulgabo ut abeat mihi in conſuetudinem & morem. ¶ *Hodie genui te* היום ילדתיך] Hunc diem interpretatur Paulus Act. 13. 33. diem quo apparuit Chriſtus, & à Patre declaratus eſt Filius. *Genitus* ergò fuiſſe dicitur, non ut Filius Dei eſſe, quoad ſe, inciperet; ſed ut talis pareſieret mundo. Neque hæc *genitura* de mutuo Patris & Filii reſpectu intelligi debet, ſed tantùm ſignificat eum qui fuerat ab initio abſconditus in arcano Patris ſinu, & obſcurè deinde ſub Lege adumbratus, ex quo prodiit cum claris inſignibus, cognitum fuiſſe Dei Filium: ſicuti etiam dicitur Joh. 1. 14. *Conſpeximus gloriam ejus tanquam unigeniti Filii.* Idem Paulus Rom. 1. 4. dicit *Filium Dei declaratum fuiſſe in potentia dum reſurrexit à mortuis*: ideo præcipuè in diem illum competit quod hîc dicitur.

8. *Poſtula à me* שאל ממני] Invitat Filium ſuum Deus ut aliquid ab ipſo petat more Regum & Principum. Etiamſi poſtulaveris imperium ſuper omnes populos, non ſum denegaturus: tamque tui erunt quam fundus hæreditarius germani hæredis.

9. *Conteres eas* תרעם] *Franges eos*: i. e. ſiqui rebellare voluerint, aut parere recuſarint, diſſipabis eorum conſilia & artes ſceptro præduro, nempe Spiritu oris tui: hoc enim ſceptro (de quo Jeſ. 61. 1.) Chriſtus perdit adverſarios. ¶ *Confringes eas* תנפצם] *Diſperges eos.* In plura nempe fruſta confractos.

10. *Prudenter agite* השכילו] *Præſtate vos ſapientes.* Exhortatio Davidis ad Principes nè conſpirent in Chriſtum. Fingit autem ſe eorum tempore vivere qui Chriſtum negaturi erant eſſe Regem.

11. *Servite Jehovæ* עבדו את יהוה] *Colite Jehovam*: i. e. ita colite ut metuatis illum offendere: exſultate præterea quòd vobis talem Regem præfecerit: verùm lætitia veſtra nè ſit effrænis, ſed conjuncta ingenuo metui.

12. *Oſculamini Filium* נשקו בר] i. e. Oſculo manuum teſtamini vos Filium Dei habere pro Rege: amplectimini Filium toto mentis affectu, & ſubditi eſtote illi. Oſculum manuum in Palæſtina argumentum ſubjectionis erat, ut & apud nos. ¶ *Et pereatis via* ותאבדו דרך] Ablativus eſt *via*, i. e. propter viam: h. e. propter veſtrum vivendi modum, &c. Aut verte, *ne via veſtra pereat*, i. e. nè ratio vitæ veſtræ damnetur, ut Pſal. 1. 6. *Via impiorum peribit.* ¶ *Vel paululum* כמעט] *Derepente.* ¶ *Beati*, &c. אשרי וגו׳] Acclamatio: q. d. Beati qui fiduciam ſuam in Chriſto collocant, ſalutem ab eo exſpectantes, quam certò ſunt conſecuturi.

CLARIUS.

Cum Paulus in Actis Apoſtolorum 13. 33. citans illud, *Filius meus es tu*, dixerit id *primo Pſalmo* contineri, unde factum ſit ut poſtea ex uno duo facti ſint Pſalmi, non magnopere laborandum eſt, cùm item Græci & Latini ex Nono & Decimo apud Hebræos unum, ſicut & ex Centeſimo decimo quarto & Centeſimo decimo quinto item unum conflaverint, tum Centeſimum decimum ſextum & Centeſimum quadrageſimum ſeptimum utrumque diviſerint in duos. Hunc autem Pſalmum de Chriſti Servatoris ſalutifero Regno canere, apud neminem orthodoxorum unquam dubitatum eſt, cùm præter Paulum alii quoque diſcipuli eum de Chriſto interpretati ſint. Sed quia pleraque omnia in V. T. ſub figura obtegebantur, hic quoque in David adumbratus eſt Chriſtus: Cujus hîc expreſſa fit mentio Nativitatis, Paſſionis & Reſurrectionis. Id idem ferè confitentur Judæi, etiamſi conſtanter de Chriſto noſtro exponendum negent. Hiſtoria igitur, quatenus pertinet ad David, ea eſt quæ ſcribitur

2 Reg. 5. de Philiſtæis qui contra David, poſteaquam audierant eum in Regem ſuper omnem Iſraëlem unctum, univerſi aſcenderant, idque cùm ille jam Sion, quæ poſtea *ipſius civitas* vocata eſt, expugnaſſet. Contra hos Dominus inſignem David victoriam dedit ſemel atque iterum, Regnumque ei miris incrementis auxit ac roboravit, atque Sion in Regni caput, in qua & Sacrarii ſui ſedem eſſe voluit, evexit: nam eò David, dejectis Philiſtæis, Arcam fœderis tranſtulit. Hæc autem omnia appoſitè ad Chriſtum Regem aptantur.

1. *Quare fremuerunt gentes*] Vel *tumultuata ſunt*. Hebræa dictio ſignificat *turmatim & per tumultum congregari*: quod animadvertens Græcus Interpres reddidit ἐφρύαξαν, quod ſign. autore Heſychio, *concitati ſunt*.

2. *Aſtiterunt Reges*] Qui ſint hi, aperuerunt Apoſtoli ipſi, qui in Actis allegantes hunc locum ſic ſunt interpretati, *Convenerunt enim verè adverſus ſanctum Puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, & Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël.* Quidam Hebræorum interpretatur per *Principes*, *Senatores & Summos Conſiliarios*: at hi potiſſimùm conſpiraverunt contra Chriſtum.

3. *Dirumpamus vincula eorum*] Subaudi, *dicentes*, *Dirumpamus*, &c. Atque hoc illud eſt quod legitur in Euangelio, *Nolumus hunc regnare ſuper nos.*

6. *Ego autem*] Heb. *Ego autem conſtitui Regem meum*: nam frequens eſt Hebræis mutatio perſonarum. Verùm cùm ſententia non diſcrepet, noluimus locum hunc mutare: ſicut & quod infrà ſequitur, *prædicans præceptum ejus*, cùm in Hebræo ſit, *Narrabo decretum*, nempe hoc quod ſequitur, *Dominus dixit ad me*, *Filius meus es tu.* Et mihi videtur factum ut pro *Rege* vel alio titulo *Filium* appellaret, quò nos faciliùs ad cogitationem veri Filii Dei invitaremur. Hoc ipſum eſt quod Dominus Concilio Judæorum reſpondebat, *Ex hoc tempore erit Filius hominis à dextris virtutis Dei.* His enim ſatis apertè decretum Patris de ſe illis narravit, Regemque ab ipſo creatum ſe palàm profeſſus eſt: quod & coram Pilato non tacuit. Sunt qui de æterna Verbi Dei generatione hunc locum intelligant: Paulus tamen in Actis 13. de Regno Mediatoris, quod ut homo adminiſtrat, hunc locum intellexiſſe videtur: ſic enim ait, *Et nos euangelizamus vobis promiſſionem factam Patribus, quòd eam Deus filiis illorum, nempe nobis, præſtitit, reſuſcitato Jeſu. Quemadmodum in primo Pſalmo ſcriptum eſt. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Eodem ſenſu & Epiſt. ad Hebræos locum iſtum accepit, *Chriſtus* inquiens, *non glorificavit ſeipſum, ſed is qui dixit ad eum, Filius meus es tu.* Et quod ſequitur, *Ego hodie genui te*, videtur aptari poſſe ad illud tempus quo in Baptiſmo facta eſt vox Patris, dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus.* Sunt tamen qui referant ad innovationem illam quâ Chriſtus redivivus ex ſepulcro ad immortalem reſurrexit vitam, quando additur, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes*, &c. Chriſtus Matth. 28. dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.*

9. *Reges eos*] Vel *Confringes eos*; nimirum eos qui conſpirantes in Dominum adverſus eum tumultuabantur.

12. *Apprehendite diſciplinam*] Sic & Chaldæa Paraphraſis: nam ait, *Suſcipite doctrinam*; juxta illud, *Tollite jugum meum ſuper vos.* Hebr. *Oſculamini Filium, ne fortè iraſcatur, & pereatis à via.* ¶ *Cùm exarſerit in brevi*] Si vel paulùm exarſerit ira ejus, vel ſignificat eum citius opinione affuturum, ut pœnam de contemptoribus ſuis ſumat. ¶ *Beati omnes qui confidunt in eo*] Epiphonema eſt, adjectum cum affectu, qui in eo notatur, quòd per quandam apoſtrophen velut exclamat.

LUCAS BRUG.

6. **P***Rædicans præceptum ejus*] Sic MSS. noſtra univerſa, uno dempto, legunt, cum impreſſis codicibus & Latinis enarratoribus, Arnobio, Auguſtino, Ruffino, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio, & poſterioribus. MS. noſtrum Goticis literis ſcriptum, Pſalterium Romanum Tornacenſis manuſcripti, & Regius textus legunt, *Prædicans præceptum Domini*, ſuffragantibus Græcis exemplaribus, Tornacenſi, Latinis literis ſcripto, Regio, Nebienſi, Aldino, Chevalloniano, Antverpienſi, Baſileenſi, Argentoratenſi ad Vaticana collato, & Pariſienſi ex S. Victoris codice emendato. Sic & in Hieronymi ac Theodoriti commentariis legitur. Cæterùm conſideratis univerſis illa non hæc noſtræ editionis lectio eſſe videtur. Eſt autem idem lectionis utriuſque ſenſus, exprimente id unâ ad quod ſe refert altera: atque ex Hebræo ad eundem modum lecto utraque profluxiſſe videtur. Dictio namque quæ Hebraïce eſt אל duobus modis legi poteſt; aut eo puncto quod Hebræis dicitur *ſegol*, אֶל, quomodo Biblia Hebræorum punctis inſignita legunt; aut eo quod *ſeri* nuncupatur, אֵל, quomodo ſuperioribus lectionibus ſerviat: atque eâ ratione etiam Hieronymus & Chaldæus Paraph. legerunt. Verterunt namque, *Annunciabo Dei præceptum*: quanquam aliqua Chaldaïcæ Paraphraſeos exemplaria omittant ראלהא, quod eſt *Dei*.

DRUSIUS.

1. לָמָּה רָגְשׁוּ גוֹיִם: Aq. Ἱνατί ἐθορυβήθησαν ἔθνη; S. Εἰς τί ἔθνη κυκᾷ;] Lex. Heſychii, Κυκᾷ, ταράσσει. Dicitur & κυκέω. ¶ וּלְאֻמִּים יֶהְגּוּ־רִיק. A. καὶ φῦλα φθέγξεται κενῶς] Lex. vet. φῦλον, *gens*.

2. יִתְיַצְּבוּ. Sym. Συνίςανται βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ ὕπαρχοι συσκέπτονται ὁμοθυμαδὸν] רוזנים ὕπαρχοι, i. e. *præfecti*, non male.

5. יְבַהֲלֵמוֹ. A. κατασπουδάσει.

6. וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי. A. & V. ed. Καὶ ἐγὼ ἐδιατάξαμην βασιλέα μου. S. Κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου. VI. ed. καιγὼ διέσωσα τὸν βασιλέα μου] Lex. Vet. Διάζεται, *orditur*.

7. אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק יְהוָה: VI. ed. καταγγέλλων εἰς Θεὸν διαθήκην. Th. διαγγέλλων ἰσχυροῦ πρόςαγμα. Scholion. ἀναγγέλλων ἰσχυροῦ ἀκριβασμόν. Videtur eſſe interpretamentum Aquilæ, ſed tamen non affirmo hoc.

9. תְּנַפְּצֵם. A. προσρήξεις αὐτούς.

10. וְעַתָּה מְלָכִים הַשְׂכִּילוּ. A. Καὶ νῦν βασιλεῖς ἐπιςημόνθητε] Verbum factum ex nomine ἐπιςήμων, *ſciens*, *gnarus*, *peritus*.

12. נַשְּׁקוּ־בַר. A. Καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς. Sym. Προσκυνήσατε καθαρῶς. A. *Oſculamini electè*. Sym. *Adorate purè*] Nunc reddunt, *Adorate Filium*. Utraque interpretatio exſtat apud Hieronymum in Apologia contra Ruffinum: Bar, inquit, & Filius *dicitur &* Electus ac Purus. *Quid igitur peccavi ſi verbum ambiguum diverſâ interpretatione converti? & qui in commentariolis, ubi libertas eſt differendi, dixeram*, Adorate Filium, *in ipſo corpore, ne violentus viderer Interpres & Judaïcæ calumniæ locum darem, dixerim*, Adorate pure, *ſive* electe: *quod Aq. quoque & Sym. tranſtulerunt.* Vide præcedentia

AMAMA.

PSalmus eſt διδασκ. & quidem propheticus, & παραινετικός. Prophetat de Regno Chriſti ad verſ. 10. Deinde admonet.

R. David in fine & Aben. in principio ajunt hunc Pſ. à D. D. p. m. exponi de Meſſia.

Sunt qui hunc Pſalmum etiam de Davide exponunt ut typo. Sed melius de ſolo Chriſto. Vide Piſc. Act. 4. & 13. Ebr. 1 Et verba verſus 7. accommodari Davidi non poſſunt: David enim non eſt filius Dei genitus. Ebr. 1. 5. cui unquam Angelorum &c.

R. David ait in emend. libris eſſe Pſ. 2. Vide & Act. 13. 33. At Hier. in primum Pſ. Beda, OEcum. legunt Act. 13. Pſ. primo. Ex ſententia quorundam Ebræorum, qui, teſtibus Hier. & Kimchio, hos Pſ. jungunt, quia incipit ab Aſre & deſinit in Aſre. At materia nimirum differunt. Eſt Davidis Act. 2.

1. *Quare*] interrog. θαυμας. & χλευαςική.

ריק] Hinc ῥακά. Pannoſus. Eò καταπτυςός. Vacuus. Heſych. ῥάκκα, κένος.

2. *Conſultant*] Th. סוד: Conſilium enim eſt fundamentum rei agendæ.

4. *Sed & in cælis*] Tacita antithoſis, in utraque voce.

5. *Tunc loquetur*] Kimchi *perdet fortes ipſorum*. דבר interficere 2 Chr. 22. 10. וַתְּדַבֵּר Athalia omne ſemen regium 2 Reg. 11. 1. תְּאַבֵּד

אֵלִים *Fortes*] Job. 4. 16. 17. Ab elatione ejus timebunt אֵלִים

6. *Regem meum*] quem ego regnare feci. Non qui regnat ſuper me. Vulg. Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.

7. אל חק] Aut אל redundat aut poſitum pro אֵת Jer. 4. 23. *Vidi* את *baaretz & ecce erat Thohu Vabohu* וְאֶל הַשָּׁמַיִם & non erat lux eorum. Certe אֵת pro אל Jer. 10. 2. אֶל־דֶּרֶךְ הַגּוֹיִם אַל־ הִלְמָדוּ Jud. 7. ponitur pro אֵת cum וַיִּרְדְּפוּ אֶל מִדְיָן

Promittit duobus his verſ. ſe fideliter obiturum ſuum munus, Et quidem 1. Propheticum, fideliter agam prophetam & annunciabo vol. Dei de perſona, verſ. ſeq. de Sacerd. & Regno.

Filius meus] non *gratia ſeu adoptione*, ut *Electi*, Joh. 1. 12. nec ut *Angeli* Job. 1. nec ut *Poſteri Seth* Gen. 6. nec ut *Principes & Magiſtr.* Pſ. 82. nec ratione *Creationis* ut Adam, Luc. 3. τοῦ ἐνὼς, τοῦ σὴθ, τοῦ Ἀδὰμ τοῦ θεοῦ. Eo enim reſpectu Deus vocatur Pater Deut. 32. 6. *nonne ipſe eſt pater tuus*; ſed *natura & genera-*

generatione. Ex ſubſtantia mea genitus es, ut ſeq. declarant. Hinc vocatur Unigenitus. Piſc. Dixit mihi, cum baptiz. à Johanne & cum in monte transfiguraretur. Math. 17.

Hodie] Cum te excitavi atque in orbem terrarum induxi prophetam. Act. 3. Heb. 1.

Hodie] Id ipſum Jun. & Trem. referunt ad hiſtoriam glorificationis. Filius, ab æterno genitus eſt, ſed iſta generatio in tempore repræſentata fuit mundo. Cum Chriſtus primogenitus in orbem terrarum introductus eſt. Hebr. 1. Malim, hodie, i. e. ab æterno. Apud Deum non eſt præteritum vel futurum, ſed ipſa æternitas coram ipſo eſt quaſi perpetuum quoddam hodie.

Genui te] Teſtatus ſum me genuiſſe te, viva voce & per opera. Joh. 5.

9. *Confringes*] Aliud confringi aliud diminui. Quod confringitur, de eo aliquid remanet: quod comminuitur & in pulverem redigitur, de eo nihil remanet, id eſt irreparabile. Sic author operis imperfecti ad illud Euang. Qui ceciderit ſuper eum, confringetur, ſuper quem autem ceciderit, comminues ipſum.

Eos] Sc. Reges terræ, vel *eas*, i. e. gentes quæ inſurgent contra te. Apocal. 2. ποιμανεῖς αὐτὰς legerunt Lxx. תְּרֹעֵם. Vulg. ex eâdem lectione, *Reges eos.* Paſcere enim ſæpe pro regnare. Unde & Græcis ποιμένες λαῶν. Kimchius ait תְּרֹעֵם eſſe idem quod תְּשַׁבְּרֵם. תנפצם quoque ſignificationem habet ut שבר אבל עם הַפִּיר. Quando confringitur vas teſtaceum diſperguntur fruſta ejus.

Virga ferrea] i. e. gladio. Mich. 5. 6. *confringent terram Aſſur* בחרב *gladio.*

11. *Cum timore*] Pſ. 100, 2. *Servite Domino* בְּשִׂמְחָה hæc poſſunt conſiſtere. Timor enim ponitur pro reverentia quæ poteſt eſſe cum gaudio. Duplex timor; *Servilis* qui ex metu pœnæ oritur, qui ſemper comitem habet triſtitiam: alter *Filialis*, qui ex reverentia manat, cui optimæ cum lætitia convenit. Quem enim reveremur, ei ſolemus lubentes & gaudentes inſervire.

גילו *cum tremore* ἐν τρόμῳ] Hoc ſatis oſtendit verum id eſſe quod diximus. רעדה enim plus eſt quam יראה & tamen jungitur cum גילו. Quinquies in Script. junguntur ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ. Vide Pſ. 119. lit. ש.

12. *Oſculamini Filium*] Lxx. δράξασθε παιδείας. Vulg. *apprehendite diſciplinam.* Chald. *Suſcipite doctrinam.* נשקו non ſign. niſi oſculari, & ex ſign. nominis נשק armatura, armari Gen. 40. וְעַל פִּיךָ יִשַּׁק כָּל עַמִּי & 1 Chr. 12. 2. נֹשְׁקֵי קֶשֶׁת *armata arcu.* Apprehendere autem non ſign. niſi per quandam Metaphoram, quia oſculaturi ſolemus complecti & apprehendere, & ſic in Hiphil videtur ſumi Jezech. 3. 13. Quem oſculamur ſolemus apprehendere, 2 Sam. 20. 9. *& apprehendit Joab manu dextra Barbam Amaſæ & oſculatus eſt eum.*

Bar autem nuſquam *diſciplinam* ſignificat.

2. Hier. licet in comm. verterat, *adorate filium*, in textu tamen vertit, *adorate purè.* Aq. καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, *oſculamini electe.* Sym. προσκυνήσατε καθαρῶς, *adorate purè.* Atque huc inclinat Kimchi ut בר ſit ex loco 1 Sam. 17. בְּרוּ *eligite vobis virum.* R. Sal. *ſervate vos ipſos in puritate cordis.* קבור.

Bar duo ſign. cum Phatach, i. e. mundus, purus Job. 11. 4. בַּר לֵבָב Pſal. 73. 1. לְבָרֵי לֵבָב 2. Filium, Prov. 31. 2. מַה־בְּרִי וּמֶה־בַּר־בִּטְנִי Apud Dan. & in Chald. paſſim. Puritatem nunquam ſignificat, ac proinde non poteſt verti *purè*: nam adverbialia circumloquuntur Ebræi per abſtracta. Puritas enim בור dicitur. Hoc notavit Aben-Ezra.

3. *Oſculamini filium*] Kimchi dicit ſic exponi poſſe, & citat locum Prov. Aben. dicit reſpondere viri פשט. Kimchi quoque dicit DD. piæ m. expoſuiſſe hunc Pſ. de Gog & Magog & per Meſſiam intelligi Regem Meſſiam. Ipſi Bell. & Genebr. fatentur ſic eſſe in Ebr. atque hoc addunt, ea eſſe ἐμφατικώτερα. Bell. oſtenſurus Judæos non de induſtria corrupiſſe textum hoc ex. adducit. Si voluiſſent corrumpere, inquit, in iſta loca involaſſent, quæ pro Chriſtiana fide & Deitate Meſſiæ faciunt. Atqui tantum abeſt ut id fecerint, ut ex textu Ebr. longe graviora argumenta contra eos depromi poſſunt, quam ex Vulg. Verſ. atque hunc locum adducit, ex quo invictum argumentum, inquit, contra Judæos depromi poteſt, cum ex Vulg. nihil adverſus eos colligi poſſit. Nos id accipimus, atque inde colligimus Vulg. verſionem eſſe corruptam, & quidem in loco pertinenti ad fidem. Si dicent, textum Ebr. eſſe corruptum. Inferam, Ergo locum, qui antea contra ſe nihil faciebat, corruperunt in talem unde invictum argumentum depromi poteſt. Sed volunt conciliare. Non poteſt quis Oſculari filium, niſi quis eum pro Rege agnoſcat; Eum pro Rege agnoſcere nemo poteſt, niſi ejus diſciplinam apprehendat. Reſp. hoc eſſe aliud ex alio per conſeq. elicere, non vere interpretari. Sunt quidem conſectanea, at non ſunt idem. Interpres non debet ſine neceſſitate à verbis recedere. Hic nulla neceſſitas. Imo neceſſitas, verbis adhærendi, teſte Bell. & Genebr. Hic enim dicit Ebræa ad verbum reddita eſſe ἐμφατικώτερα; Ille dicit ex Ebræis invictum argumentum contra Judæos depromi poſſe.

Oſculamini] Vel *adorate.* Nam oſculum erat ſignum ſubjectionis & agnitionis, & cum præſtabatur Regibus mundanis ſpecies adorationis civilis, cum Meſſiæ, eſt adoratio religioſa. Adoro eſt ex ad & os oris.

Quod fuerit adorationis civilis cærimonia, patet ex Gen. 41. 40. 1. Sam. 10. 1. Samuel oſculatur Saulem jam unctum. Aben. adhuc hodie in India ſolent oſculari Reges.

Adoratio religioſa, 1. Reg. 19. 18. *quorum genua &c. & quorum os non oſculatum eſt eum.* Job. 31 26. 27. *Si vidi ſolem cum fulgeret* &c. *& oſculata eſt manus mea os meum.* Reſpicit ad ritum priſcum, quo idololatræ Solem, Lunam alioſque Deos adoraturi, aut fanum aliquod prætereuntes manum ori admovebant atque inclinato capite oſculabantur. Planè ut hodie Galli præſtant ſuam reverentiam quam vocant, *Baiſe le main*, i. e. oſculari manum.

Variè Romani adhibebant oſculum in Religione.

1. Ora Idolorum. Cic. in Verrem lib. 5. ſic 1. Reg. 19. 18.

2. Dextras. Lucretius.

3. Pedes, Apul. *Exoſculatis veſtigiis Deæ ad Lares ſuos diſcedunt.* Atque hinc Papa ſuos pedes offert.

Atque hæc ſimplex oſculorum ratio.

Alia eſt magis ſuperſtitioſa & magis quæſiti cultus. Veriti enim Deos profano ore ſuo tangere, aut eum non poſſent tangere. Vid. qui Solem, Stellas &c. eſſet oſculaturus. Eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim ad os verenter referebant & ſuaviabantur. Huc refer Job. 31. & Vulg. 1. Reg. 19. *omne os quod non adoravit eum oſculans manum.* Sed in Ebr. duæ poſteriores voces redundant, & pro *adoravit* eſt oſculatum eſt. Plin. *In adorando manum ad oſculum referimus.* Minutius in Oct. Apul. in Apol. priore, *Atque hinc adoro.* Hinc in Tacito, *Deos manu & ore venerari.*

GROTIUS.

1. *Quare fremuerunt Gentes?*] Philiſthini, Moabitæ, Sabæi, Damaſceni, Ammonitæ, Idumæi, 2 Sam. 8. & 10. Senſus enim primus & apertus ad Davidem pertinet: myſticus & abſtruſior ad Meſſiam, ut hic agnoſcit David Kimchi, & ad Danielem Saadias Gaon, quomodo ſumſere Apoſtoli.

2. *Adſtiterunt Reges terræ*] Nominati in dicta jam Hiſtoria 2 Samuëlis.

Adverſus Dominum] Nam gentes illæ ab uniûs Dei cultu defecerant, ideoque oderant Judæos.

Et adverſus Chriſtum ejus] Davidem, ſolenniter unctum divino juſſu, 1 Sam. 16. 13. 2 Sam. 2. 4. & 5. 3.

3. *Dirumpamus vincula eorum*] Subintellige *dicentes*: ſunt enim hæc verba illorum Regum ac Populorum. *Eorum*, id eſt, Iſraëlitarum, *vincula & jugum*, id eſt, legem Moſis cum ſuis ritibus.

6. *Prædicans præceptum ejus*] *Narrabo conſtitutionem ipſius.*

7. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*] Optimè vertas, *O fili mi, hodie* (id eſt, hoc tempore) *ego te genui*: novam vitam, regalem ſcilicet, tibi contuli. אתה [*ô tu*] Hebræis ſæpè nihil aliud quàm nota vocativi. Apparet Geneſ. 49. 8. Reges dicuntur *filii Dei*, & qui inter eos excellunt *primogeniti*, Pſalm. 89. 27.

8. *Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam*] In proprietatem ex belli jure. Vide dicta jam capita 2 Sam. & Pſal. 108.

9. *Reges eos in virga ferrea*] In Hebræo, *Conteres eas virgâ ferreâ*: id eſt, gladio.

12. *Oſculamini filium*] בר pro בן Chaldaïcum reperitur & Eſdræ 5. 1. & 2. & in Paraphraſtis Chaldæis ſæpè: interdum & בר. Sic hoc loco ſumſit & Abeneſdra. Aquila, καταφιλήσατε ἐκλεκτόν, [*oſculamini electum.*] Ità enim legendum videtur pro ἐκλεκτῶς, [*eximiè.*] Oſculum ſignum ſubjectionis ſive homagii. Sic Geneſ. 41. 40. ישק [*oſculabitur*] Græci vertunt ὑπακούσεται, [*obediet.*] Hoc eſt quod dicit, Vos alii vicini Reges, interfectorum Regum exemplo territi, in tempore venire ad fœdus obſequioſum.

13. *Beati omnes qui confidunt in eo*] Qui fidei ejus Regis (id eſt meæ) ſe permittunt.

PRICÆUS.

1. *Quare fremuerunt Gentes?*] Latiniùs loqui non potuit hîc Vulgatus Interpres: *fremere* enim eſt eorum qui imperia detre-

detrectant; unde & infrà hic com. 3. *dirumpamus vincula eorum.* De ventis Virgilius loquens,

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt. ——

Ad quem locum Servius, *Aliqui fremunt, intelligunt, imperia recuſant: ut apud Caſſium in Annalibus, Si plebs noſtra fremere imperia cœpiſſet.*

2. *Convenerunt in unum*] *Conſilium fecerunt in unum*; ut infrà 70. 10.

3. *Dirumpamus vincula eorum*] In Gr. δεσμὰς, i. e. ritus, diſciplinam. Hinc Matth. 23. ſenſu ſimili δεσμεύειν.

4. *Qui habitat in cœlis*, &c.] Homerus, & de Jove (i. e. Deo) —— αἰθέρι ναίων· ubi vetus Scholiaſtes, Ὁ τὸν ὑπὲρ τὸν ἀέρα ὄντα αἰθέρα κατοικῶν. Vide infrà 112. 4.

Ibid. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*] *Scit cogitationes hominum, quia vanæ ſunt*, infrà 93. 11. *Accedet homo ad cor altum, & Deus exaltabitur*, infrà 63. 8.

Ibid. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*] LXX. ἐκγελάσεται αὐτὰς· ubi ἐκ intendit: q. d. non riſum tantùm tollet, ſed & cachinnos, Heſychius, Ἐκγελάσομαι ἐκχλευάσαιμι.

Ibid. *Ridebit eos*] Ἀνθρωποπαθῶς dictum: ut & plura in hiſce literis. Horatius,

O magnus poſthac inimicis riſus, &c. ——

Scriptor Sapientiæ, & de Deo, 4. 18. *Illos autem irridebit*: & Proverb. 1. 26. ex ejuſdem perſona, *in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo. Eos* hîc, eſt, vanos eorum conatus. In Satyra Sulpiciæ dicta, Dea Muſa, de Domitiano loquens,

Et comite Ægeriâ ridemus inania cœpta.

5. *Loquetur ad eos in ira ſua*] Calcabit eos (ut Eſai. 63. 3.) in furore ſuo, & conculcabit eos in ira ſua.

9. *Reges eorum in virga ferrea*] Gr. ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Suidas, Οἱ Ἕλληνες σιδηροφοροῦντας τοὺς θεοὺς πλάττουσιν, ὡς τοῖς ὅπλοις ὑποταττομένων τῶν ἀνθρώπων.

Ibid. *Et tanquam vas figuli confringes eos*] In Gr. ὡς σκεῦος κεραμέως συντρίψεις αὐτάς. Eodem planè modo σκεύη κεράμεα συντρίβειν, dixit Plutarchus in Regum apophthegmatis.

10. *Et nunc Reges intelligite*] *Nolite* (ut infrà 74. 6.) *extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui adverſus Deum iniquitatem.*

Ibid. *Erudimini qui judicatis terram*] Sap. 1. 1. *Diligite juſtitiam qui judicatis terram.* In Pſalmo autem *erudimini*, eſt, aliorum exemplo moniti vobis ipſis conſulite.

Ibid. *Intelligite, erudimini qui judicatis terram*] Sic Eſai. 26. 9. Δικαιοσύνην μάθετε οἱ ἐνοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς.

11. *Servite Domino in timore*] Tobiæ 14. 10. *Servite Domino in veritate.*

Ibid. *Et exſultate ei cum tremore*] Tobiæ 13. 6. *Cum timore & tremore confitemini illi.*

12. *Apprehendite diſciplinam*] Gr. δράξασθε παιδείας. Quo ex loco Heſychius, Δράξασθε παιδείας, ἐπιλάβεσθε ἐπιστήμης. Cujus ſenſus item in Græco Proverb. 4. 13. illud, ἐπιλαβοῦ παιδείας. Simile & 1 Tim. 6. 12. τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐπιλαβοῦ.

Ibid. *Apprehendite diſciplinam, nè quando iraſcatur Dominus*]

—— Μετάθεσθε βροτοὶ νῦν, μηδὲ πρὸς ὀργὴν
Παντοίην ἀγάγητε θεὸν μέγαν. ——

Infrà 49. 22. *Intelligite, qui Deum obliviſcimini, nè quando rapiat & non ſit qui eripiat.*

IDEM.

1. QUare fremuerunt Gentes?] LXX. ἐφρύαξαν. Ad hunc locum itaque refero Heſychii illa, Ἐφρύαξαν, ἐκινήθησαν, ἐπήρθησαν, &c. *Quare* hic videtur eſſe *quam ſtulte*: quo ſenſu item capio ἰσοδύναμον illud *propter quid?* Pſal. 9. 34.

Ibid. *Et populi meditati ſunt inania?*] *Cogitaverunt* (ut Pſal. 20. 12.) *conſilia quæ ſtabilire non potuerunt*: *Conceperunt* (ut Eſai. 33. 11.) *ardorem, & ſtipulas pepererunt. Inania*, nempe jugum excutere, infrà com. 4. *Inania cogitare* habemus & 16. 23. Sirachidis.

2. *Principes convenerunt in unum adverſus Dominum*, &c.] Vide omnino Pſal. 82. 6. 7. 8. Lxx. hic, ἐπὶ τὸ αὐτό. In Gloſſario, Ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *ibidem, in idipſum, in unum*, &c.

3. *Dirumpamus vincula eorum*] Locutio liberationem notans, infrà 106. 14. & 115. 7. Jerem. 2. 20.

Ibid. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum*] Jerem. 5. 5. (& de magnatibus populi, ut hic de Regibus) *Et ecce magis hi* (quàm plebs) *ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Ubi & *ſimul* LXX. verterunt ὁμοθυμαδὸν, cui reſpondet hoc in Pſalmi loco, *in unum convenire. Jugum frangere*, pro *rebellare*, dixit & Seneca 1. 1. de Clementia.

4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos*] *Irridere* hîc, eſt quale Luc. 1. 51. ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν διασκορπίζειν, & Pſal. 32. 10. *diſſipare conſilia Gentium, cogitationes Populorum & Principum reprobare.* Scriptor Sapient. 4. 18. *Illos autem Dominus irridebit.* Vide & Pſal. 36. 13.

Ibid. *Et Dominus ſubſannabit eos*] LXX. ἐκμυκτηριεῖ αὐτούς. Illi Deum derident, at ille eos gladio ἀντιμυκτηριεῖ.

6. *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo*, &c.] *Conſtituet me* (ut Jer. 1. 10.) *ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellam & deſtruam, & diſperdam, & diſſipem, & ædificem, & plantem.* Vide Ezech. 34. 23. 24. Filius Pſalmiſtæ noſtri Sapient. 9. 7. *Tu* (Domine) *elegiſti me Regem populo tuo, & Judicem filiorum tuorum.* Seneca ex perſona Principis, 1. 1. de Clementia, *Ego ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum qui in terris Dei vice fungerer.*

7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*] Idem ad Eſaiam Prophetam 51. 16. *Et dicas ad Sion, Populus meus es tu.*

8. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*] Subjugabis eas, & ità tanquam hæreditatem capies. Infrà 110. 7. *Ut det illis hæreditatem Gentium.*

Ibid. *Et poſſeſſionem tuam terminos terræ*] *Dominaberis* (ut infrà 71. 8.) *à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Vide & 58. 14.

9. *Reges eos in virga ferrea*] *Virgam* (ut infrà 109. 2.) *virtutis tuæ emittam, dominaberis in medio inimicorum tuorum. In camo* (ut Pſal. 31. 9.) *& fræno conſtringes maxillas eorum qui ad te non approximant.* Vide & Pſal. 149. 8. Seneca, ex ſupremi Principis perſona, jam citato loco, *Ego vitæ neciſque Gentibus arbiter: qualem quiſque ſortem ſtatumque habeat, in mea manu poſitum eſt*, &c. *Quas nationes funditus exſcindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea juriſdictio eſt.*

Ibid. *Et tanquam vas figuli confringes eas*] Eſt proverbiale; ut apparet vel ex 19. 11. Jeremiæ. Infrà 17. 39. *Confringam eos*, (nempe ut vas figuli) *nec poterunt ſtare.* De Deo Pſal. 109. 5. *Confregit in die iræ ſuæ Reges*: quæ ità ex proximè ibi præcedentibus exponenda, Tu, David, ejus brachio fretus, in die iræ (i. e. in bello) Reges confringes. Simile & jam dicto Pſal. 17. com. 45. ut pulverem ante faciem venti comminuere.

10. *Et nunc, Reges, intelligite*] *Hodie* (ut infrà 94. 8.) *ſi vocem ejus audieritis, nolite corda veſtra obdurare.* In Gr. heic σύνετε· i. e. (ut apud Heſychium hunc locum fortè exponentem) νοήσατε. Aquila heic ἐπιστημώθητε· quod magis congruit ſequenti verbo παιδεύεσθε, quod Vulgato, *erudimini.*

11. *Exſultate ei*, &c.] *Jubilate ei* (ut infrà 46. 2.) *in voce exſultationis. Labiis exſultationis* (ut 62. 6.) *cum laudet os veſtrum.*

12. *Nè quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*] Idem infrà 94. 11. *Juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*: quod hic, *de via juſta* (i. e. juſtorum) *perire.* Suprà 1. 6. *Novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.*

13. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus*] Præciſa fortè locutio, pro, *cùm exarſerit*, (*quod & brevi fortè eventurum eſt*) *ira ejus*, &c.

Ibid. *Beati omnes qui confidunt in eo*] Qui ei accedunt. Senſu oppoſito infrà 31. 9. *qui non approximant ad te.*

PSALM. III.

MUNSTERUS.

HIſtoria fugæ David ſcribitur 2 Sam. 15.

2. De dictione *Sela* diximus Habakuk ultimo.

5. *Ego jacui & dormivi*] Senſus eſt, In maximis periculis ſuaviter quievi, Domino me protegente.

7. *In maxilla*] i. e. Ignominioſâ cæde ſtraviſti adverſarios meos.

VATABLUS.

CAnticum מזמור] *Oda, Carmen*: nam eruditis *Pſalmus* ſignificat *ſonum citharæ.* ¶ *Davidis* לדוד] i. e. Quod cecinit vel ſcripſit David. ¶ *A facie* מפני] i. e. Metu, vel propter.

1. *Quàm*

1. *Quàm multiplicati* מה רבו] *Valde multiplicati: perquam multi facti ſunt.* ¶ *Hoſtes mei* צרי] Tribulatores mei.

2. *Dicunt de anima mea* אמרים לנפשי] i. e. Exiſtimant, aut cogitant de me. Hebraica phraſis eſt: q. d. Non dubito eſſe multos qui apud ſe de me in hunc modum cogitant, Derelictus eſt à Deo: nullum illi auxilium à Deo exſpectandum. ¶ *Selah* סלה] Elevationem & exclamationem ſignificat hæc vox: quæ quoties in Pſalmis ponitur, ſignum eſt excitandæ vocis, & animi maximè intendendi. Etiam olim ſolebant cantores, quoties hæc vox occurrebat, vocem intendere in cantione & harmonia, tanquam in re attentiùs conſideranda. Sed & nos cùm res aliqua exigit auditoris animadverſionem & attentionem, exclamare ſolemus. Hujuſmodi erat hæc exclamatio: acſi ſic exclamet, *O gravem calamitatem meam!*

3. *Clypeus es pro me* מגן בעדי] *Clypeum eſſe alicujus* eſt eum defendere, protegere, & pro eo pugnare. ¶ *Gloria mea* כבודי] i. e. Qui ſoles mihi dare materiam gloriandi apud omnes ob crebra beneficia quæ in me confers. Aut *gloria mea*, qui potes mihi dignitatem priſtinam reſtituere. ¶ *Et exaltans caput meum* ומרים ראשי] Phraſis Hebraïca, *Exaltare caput alicujus*, pro *Triſtem & præ dolore dejectum, reddere lætum.* Luc. 21. 28. *Attollite capita veſtra, quoniam*, &c. Gen. 4. 6. *Utquid concidit vultus tuus?* dicit Dominus ad Cain triſtem.

4. *Et exaudivit me de monte ſancto ſuo* ויענני מהר קדשו] *Et reſpondit mihi. Reſpondere* pro *adnuere* & *exaudire.* Scio, inquit David, quid mihi agendum ſit; implorabo opem Dei: certò autem ſcio quòd me exaudiet. *Clamare ad Deum voce ſuâ* Phraſi Hebraïcâ dictum eſt pro *Opem Dei implorare.* Verti poſſent hæc per futurum, *clamabo & exaudiet*, &c. *De monte ſanctitatis ſuæ*, vel *ſancto ſuo*, i. e. de propitiatorio quod eſt ſuper Arcam fœderis in Sion monte ſancto: pollicitus enim fuerat Deus ſe exauditurum à medio Cherubinorum eos qui illum invocarent cum fiducia. ¶ *Selah* סלה] Exclamationem ſignificat: q. d. *O rem Deo acceptam, cum fiducia ipſum implorare!*

5. *Accubui* שכבתי]. Præterita Hebræis, quæ verti poſſunt per futura, *accubabo & dormiam*, &c. *Et expergiſcar; quia Dominus fulciet me:* q. d. Ego cujus caput tot hoſtes petunt, ubi opem à Deo petivero, committam me quieti, & ſecuriùs dormiam: quia Deo defenſore fido. Somnus ſummam hic tranquillitatem ſignificat. Nam qui anxii ſunt, & malis premuntur, lectum quietis cauſa petere nequeunt, curis ſomnum adimentibus. Quidam vertunt, *Equidem jacebam, ac dormiebam: experrectus autem ſum: quia*, &c.

6. *Timebo* אירא]. Futurum pro præterito ſi præcedentia legas per præteritum. Aut verte, *Non metuam à myriadibus populi qui me circumquaque obſident. Ponere in circuitu alicujus* pro *adverſus aliquem inſtruere aciem* more Hebraïco dictum eſt. *Myriades*, ſive *decem millia*, populum innumerabilem intelligit. Hic ſe David in ſpem erigit. Verti etiam poteſt, *Non timui*, per præteritum, ut dictum eſt.

7. *Surge* קומה] *Exſurge*; ut ſcilicet auditâ tubâ ſtrenuus & promptus miles exſurgere ſolet: erige te in pedes, & accipe arma, collige vires tuas & potentiam: ut *percutias hoſtes meos in maxillam, ità ut dentes eorum confringas*; quibus confractis & comminutis conficere & concidere panem non poterunt, & ità interibunt. Iſtud ſignificat conciſum hoc dicendi genus. ¶ *Percuſſiſti* הכית] Vel per fut. *Exſurge: quia percuties omnes inimicos meos in maxillam*, id eſt, *dentes improborum confringes.*

8. *Salus* הישועה] *Salus* pro *auxilio. Benedictio* autem pro *favore & beneficio:* q. d. Domini intereſt ſervare & liberare populum ab iis quæ illi accidunt: ipſe eſt à quo petendum auxilium: illi ſoli debetur victoria, quòd vicerim filium Abſalom. Vide 2 Sam. 18. 33. Mutatio perſonæ à tertia in ſecundam ad affectum oſtendendum valet, *Tu Deus, populum tuum*, i. e. tibi fidentem, *ſervare, tutari, liberare ſoles, & bonis cumulare.* In fine adjicitur *Sela*: q. d. O excellentiam & exuberantiam bonitatis Dei, qui ipſi fidentibus tam promptus eſt auxiliator!

CLARIUS.

HIſtoria hujus Pſalmi habetur ſecundo Regum à cap. 15. uſque ad 20. In hoc autem Pſalmo, quem tamen peractâ re compoſitum creditur, more ſuo ſe per hypotypoſin introducit ceu in eo periculo conſtitutum, volens ſcilicet ſuo exemplo ad fidendum Domino provocare. Interim memineris & hic & hujuſcemodi locis animum referre ad Chriſtum, cujus typum geſſit David:

2. *Non eſt ſalus ipſi in Deo*] Non ſine emphaſi dictum eſt: nam hic nomen à *virtute & robore* Scriptura Domino tribuit. Hujus ergo favore & ope ac virtute exiſtimabant David deſtitutum. ¶ *Selah*, quod hic poſitum eſt, vel attollendæ vocis nota eſt, vel fortaſſe quædam admiratio, conſiſtente animo & intra ſe cogitante; ac ſi diceret admirabundus, *Tam inveniuntur impudenter ſcelerati.* Pulcrè autem & hic Pſalmus figuram Servatoris præfert. Nam quemadmodum David in perſecutione filii, egreſſus Jeruſalem, in vertice montis Olivarum ad Dominum precem fudit, ſic Dominus Jeſus Chriſtus, cùm totus ferè Iſraël cum Principibus ſuis omnibus contra ipſum conſpiraſſent, & ipſe afflictus in monte Olivarum Deum patrem oravit.

3. *Gloria mea*] Dictio Hebræa, quæ *gloria* vel *decus* verti ſolet, hic & multis aliis locis à quibuſdam Hebræis pro *mente* accipitur, ut ſit ſenſus, *Domine, ſcutum es corpori meo, & ſcutum es menti meæ.* ¶ *Et exaltans caput meum*] Caput dejiciunt qui pudore ſuffunduntur, vel etiam graviùs lugent. Caput verò erigunt qui honorantur & exhilarantur. Sic demiſſo capite ingrediebatur Achab cùm ob cædam Naboth pœnitentiam teſtaretur. Contra alio Pſalmo, *Propterea exaltabit caput.* Et ad Diſcipulos Dominus, *Suſpicite, & attollite capita veſtra.*

4. Poſt illa autem verba, *de monte ſancto ſuo*, *Selah* poſitum eſt, quod, præter ſuperiùs adnotata, poteſt eſſe confirmatio quædam: q. d. *Ità eſt*, aut *certius certo.*

5. *Accubui, & dormivi, & evigilavi*] Securitatem animi & fiduciam erga Deum ſignificat. In maximis, inquit, periculis ſuaviter quievi; & ſecurus à ſomno ſurgebam, Domino me protegente. ¶ *Dominus ſuſcepit me*] Heb. *ſuſtentavit me.* Interim obſerva ut Spiritus S. verbis uſus eſt quæ ad mortem & reſurrectionem Domini aptari poſſent: cujuſmodi morem etiam pluris locis notare poteris.

7. *Tu percuſſiſti*] *Tu percutere ſoles omnium inimicorum meorum maxillas*, & ignominioſe veluti colaphum impingere illis, & *dentes impiorum* malè de me loquentium *confringere.* Per *dentes* belluinam quandam ferociam & truculentiam, à beſtiis immanioribus mutuatâ ſimilitudine, exprimere voluit.

8. *Domini eſt ſalus*] Epiphonema eſt. Et quò ardentiorem adhuc affectum indicaret, ſubitò perſonam mutavit. Deum alloquens ſic, *& ſuper populum tuum benedictio tua.*

DRUSIUS.

3. סֶלָה. Th. Sym. Διάψαλμα. V. ed. διαπαντός. VI. εἰς τέλος. Aq. *ſemper*] Suidas, Διάψαλμα, μέλους ἐναλλαγή, *mutatio cantûs.* Vide Euthymium Præfat. in Pſalmos, & Iſidorum. ¶ Εἰς τέλος, i. e. לנצח. Sic Ebræorum nonnulli exponunt. Improbat id Aben-Ezra, cui placet ut ſit dictio Confirmandi, tanquam ſi dicas *Verè*, aut *Profectò*, vel, *Sic eſt ſanè*: εἰς τέλος, ad verb. *in finem.* Ebræa phraſis eſt, quam priſci illi patres (quod pace eorum dictum ſit) non rectè intellexerunt. ¶ *Semper*; ἀεί. Hier. ep. 138. quæ Marcellæ inſcripta, hanc Aquilæ declarationem præ cæteris probat: nam poſt enumeratas varias ſententias, *Nobis*, inquit, *nihil horum videtur; cùm Aquila, qui verborum Ebraïcorum diligentiſſimus explicator eſt*, SELA, *h. e.* Diapſalma, *quod ex Samech, Lamed, He ſcribitur*, ſemper *tranſtulerit: & inveniamus in Pſalmorum quoque fine* Diapſalma *poſitum.* Cæterùm Hab. 3. סלה. Th. εἰς τέλος, ut hîc VI. Sym. autem εἰς τὸν αἰῶνα. Cur nunc ita vertunt, alibi aliter? Tharg. לעלמין *in ſecula.* Chaldæi perpetuò ſic interpretantur.

4. מהר קדשו. A. ἐξ ὄρους ἡγιασμένου αὐτοῦ. Sym. ἐξ ὄρους ἁγίου ἑαυτοῦ] Hic locus pleniùs legitur apud Hier. neſcio quo in loco, *Et exaudivit me ex monte ſancto ſuo ſemper.* Sed ἡγιασμένου magis ſonat *ſanctificato.*

GROTIUS.

P*Salmus David cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui*] Non quòd hæc dixerit, ſed quòd talia dicere potuerit luctuoſo illo tempore, 2 Sam. 15. 14.

2. *Quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Quàm multi ſunt hoſtes mei?* qui Abſalomum ſequuntur. Vide 2 Samuel. 15. 13.

3. *Dicunt animæ meæ*] Dicunt de me.

In Deo ejus] Hic ſequitur in Hebræo סלה [*Selah*,] nota quæ cantum hîc intendendum ſignificat: quod modò in mœrore, modò in gaudio fit.

5. *De monte ſancto ſuo*] De Sione, ubi tunc Arca.

6. *Ego dormivi*] Dormio ſecurus, Deo fidens.

8. *Tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi*] Saülem primùm, deinde progeniem ipſius, eorumque ſectatores.

PRICÆUS.

3. MUlti dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus] *Deus dereliquit eum, perſequamur, & comprehendamus eum:* ut infrà ex ſimilium perſona 70. 11.

4. *Suſceptor meus es*] In Gr. ἀντιλήπτωρ. Et hunc ſive alium Pſalmorum locum Heſychius idem (ut videtur) reſpiciens, Ἀντιλήπτωρ, ἀντιλαμβανόμενος, ὑπερασπιστής.

6. *Dormivi, & exſurrexi*] Gr. ἐκοιμήθην, ἐξηγέρθην quæ locutio ſecuritatem indicat, ut & Marc. 4. 27. & infrà heic 4. 9. Arrianus 4. 10. in Epictetum, Καθεύδοντα καθεύδειν, ἐγρηγορότα γρηγορέναι, μὴ φοβεῖσθαι μηδὲν, μηδὲ ὑπὲρ μηδενὸς ἀγωνιᾷν.

8. *Dentes peccatorum contrivisti*] Linguam ſuperbam & calumniatricem Vide ad 56. 5. notanda.

9. *Domini eſt ſalus*] Infrà 107. 13. *Vana eſt ſalus hominum.*

IDEM.

3. MUlti dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus] Sic infrà 4. 6. *Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona?*

Ibid. *Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus*] *Confidit* (ut Matth. 27. 43.) *in Deo: liberet nunc, ſi vult eum.* Vide Pſal. 70. 10. 11.

4. *Suſceptor meus es*] Supple ex Pſal. 58. 17. *in die tribulationis.*

Ibid. *Et exaltator capitis mei*] Subaudi ex Pſal. 26. 6. *ſuper inimicos meos.* Vide & 117. 16.

7. *Non timebo millia populi circumdantis me*] Infra 26. 3. *Si conſiſtant adverſus me caſtra, non timebit cor meum.* Seneca de viro conſtante & ſapiente, *Si aſpera & quæcunque tolerata gravia ſunt, auditu que & viſu refugienda, ingruerint; non obruetur etiam eorum cœtu: & qualis ſingulis, talis univerſis obſiſtet:* Cap. 15. In ſapient. non cad injur.

9. *Domini eſt ſalus*] *Salus juſtorum à Domino*, infrà 36. 39. *Vana* (autem) *ſalus hominis*, infrà 59. 13. Prov. 21. 31. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit.* Vide & Pſal. 32. 16, 17.

PSALM. IV.

MUNSTERUS.

VIncenti in melodiis] Eſt מנצח participium à verbo נצח *vicit, victoriam aſſecutus eſt.* Pſalmus igitur iſte cantandus traditus eſt Magiſtro cantorum vel Præfecto muſicorum inſtrumentorum, qui cæteros facilè in arte muſicæ antecelluit. Unde Kimhi, נקרא בעל השיר והניגון מנצח כלומר שהוא חזק על המלאכה ותר עליה.

2. *Filii viri*] Hebræi per איש plerumque intelligunt *virum inſignem aut cordatum*, ſicut per אדם *hominem vulgarem* accipiunt; exponuntque Pſalmum hunc de Abſalom & David fugiente, quem *Dominus ſibi* veluti *pium hominem delegerat.* Monentur autem hoſtes ejus ut *contremiſcant* & caveant ſibi *nè peccent* in Chriſtum Domini: & ſi incidant malæ & ſecretæ cogitationes, has in tempore reprimere ſtudeant, & non permittant prodire in opus.

6. *Multi dicunt, Quis oſtendet nobis bonum?*] Paulò obſcuriora ſunt quàm ut hic brevibus explicari poſſint.

VATABLUS.

VIctori, למנצח] *Præfecto cantorum*; ſub. *commiſſus Pſalmus ut decantaretur.* Sic dicebatur is cui committebantur Pſalmi decantandi, aut ad cujus imperium Pſalmi decantari ſolebant aut pulſari, qui arte muſicâ alios ſuperabat ac vincebat; adeò ut illius artis dux & magiſter meritò eſſet. Unde qui vim vocis Hebraïcæ reddere volet, vertet, *Præfecto citharœdorum peritiſſimo & excellentiſſimo.* ¶ *In Neginoth*, בנגינות] Ad [vel *ſuper*] *Neginoth.* Inſtrumentum erat muſicum. Ad inſtrumenta enim muſica decantatos fuiſſe Pſalmos notum eſt; ſed ſic ut modulatio organorum animum pararit ad percipienda pleniùs verba Sacri carminis. De cantorum & organis modulationum inſtitutione vide 1 Par. 15. 16.

1. *Cum invoco* בקראי] Ad verb. *In clamando me.* i. e. *Dum clamo*, aut *Cum clamavero*, ſive *invocavero.* Aut, *Cum implorem opem tuam.* ¶ *Juſtitia mea*, צדקי] i. e. Juſtificator mi, ſive autor juſtitiæ meæ. Aut potiùs, Deus innocentiæ & integritatis meæ teſtis, qui noſti nullâ me injuriâ affeciſſe filium meum Abſalom, ut in me conſpiraret. Quidam vertunt *vindex juſtitiæ meæ.* Nam ELOHIM *judices* etiam ſignificat. ¶ *Dilatationem feciſti mihi*, הרחבת לי] *Eduxiſti me in latitudinem. Educere in latitudinem*, ſive *latitudinem facere alicui*, pro *è loco arcto & anguſto in locum ſpatioſum educere.* Metaphora ab iis qui redacti ſunt in locum anguſtum ab hoſtibus, ità ut elabi nequeant: q. d. Qui me redactum in ſummas anguſtias aliquando liberaſti & exhilaraſti.

2. *Filii viri* בני איש] Hebræi *filios virorum* vocant Potentes & Principes viros. Alloquitur autem hic Nobiles & Proceres Iſraëlitas qui cum Abſalom conjuraverant: q. d. O vos viri Principes. ¶ Vertetis] Aut ſubaudiendum *conanimi deducere*, aut aliquid tale. Alii vertunt, *quouſque tandem gloria mea in ignominiam?* ſub. *erit apud vos. Gloriam ſuam*, ſive *honores ſuos*, vocat Regnum ſuum à Deo ſibi datum: q. d. Quouſque moliemini adversùm me cædem, ut Regno ignominiosè me ſpolietis? ¶ *Inane* ריק] *Vanitatem Inane, vanitatem, mendacium* vocat rem fallacem, quæ non ſolet ſuccedere pro animi ſententia; frivola conſilia & conatus qui ſpem fallunt: q. d. Quouſque operam dabitis me Regno evertere? quod non conſequimini, Deo mihi conſulente.

3. *Et ſcitote* ודעו] *Scitote autem*, vel *itaque.* Redundat ו. Aut ſubaudiendum, *Reſipiſcite, ô Nobiles Iſraël, & ſcitote.* ¶ *Segregavit* הפלה] *Selegit.* ¶ *Pium* חסיד] *Miſericordem.* Vox Hebræa paſſivè accipitur pro eo in quem miſericordia exercetur. Alii vertunt *probum*, vel *beneficum.* Loquitur autem de ſe David in tertia perſona, Me ſelegit in Regem ſuum quem miſericordiâ ſuâ dignaretur.

4. *Pavete* רגזו] *Contremiſcite, Timete*; ſub. *vobis à Deo, ô Proceres Iſraël.* Si non me timetis, ſaltem Deum timete, qui me Regem conſtituit. Chaldæus P. vertit, *Domate concupiſcentiam veſtram, & iraſcimini*; ſub. *vobis.* In hunc ſenſum adduxiſſe videtur Paulus Epheſ. 4. 26. ¶ *Et nè peccetis* ואל תחטאו] Sub. *diutiùs in me*; i. e. nè perſeveretis in conjuratione veſtra contra me. ¶ *Loquimini* אמרו] *Dicite*: i. e. cogitate, & rem ipſam expendite *apud vos dum jacetis in cubili veſtro*, h. e. noctu; quo tempore vacatis à negotiis gravioribus. ¶ *Et tacete*, ודמו] Imperat. pro fut. *tacebitis*: q. d. Cùm rem accuratiùs expenderitis, deſiſtetis de me impiè loqui, & Iſraëlem adversùm me concitare. ¶ Addidit *Selah*, acſi dicat, O amentiam eorum qui extrema moliuntur in Regem quem Deus conſtituit!

5. *Sacrificia juſtitiæ* זבחי צדק] *Sacrificia* intelligit quæ Lex præcepit offerri pro peccato, ſacrificia legitima: *Juſtitiæ* autem, i. e. quæ animi reſipiſcentiam & mutationem teſtentur: q. d. O conjurati, peccatum veſtrum agnoſcite, & in illius expiationem offerte ſacrificium Deo, & ſperate vos conſecuturos veniam: vel, in ſolo Deo ſperate, non in vobis. Chald. *Domate concupiſcentiam veſtram, & reputabitur vobis in ſacrificia, & ſperate in Deo.*

6. *Quis videre*, &c. מי יראנו טוב] Optandi formula eſt: acſi dicant inimici Davidis, *Utinam optatis potiamur, nempe ut videamus Davidem exſtinctum.* Aut eſt oratio eorum qui Deum non habentes, temporalia ſibi dari poſtulant. ¶ *Eleva ſuper*, &c. נסה עלינו או'] Hebraïſmus, pro *Precor ut nos tuo favore proſequaris.* Verba Davidis. *Habeo*, inquit, *adverſarios multos; alii aliis rebus fidunt: tantùm ego benevolentiam tuam opto, & eâ ſolâ fido: precor igitur ut tuo favore nos proſequaris.* Ut odium vultu declaratur, ſic & favor: quos enim amamus, ſuaviter & hilariter intuemur. *Lumen vultus* vocat vultum lucidum. Fac ut appareat nobis quòd nos diligas, reſpiciendo ad nos.

7. *Dediſti lætitiam*, &c. נתתה שמחה וגו'] q. d. Tantum abeſt ut hoſtibus meis invideam ut illis gratuler *ubertatem frumenti & vini*, i. e. omnium rerum ad vitam neceſſariam copiam. Hoc autem dono tuo habeo, ut eorum felicitate gaudeam, non doleam.

8. *In pace* בשלום] i. e. Spero futurum te duce ut mihi hoſtes ità reconcilientur, ut cum illis, etiamſi undique cingant me, tutò & intrepidè habitare poſſim, imò etiam tranquillè dormire: tu enim ſolus id præſtare potes. ¶ *Solus* לבדד] *Seorſum*; i. e. per me, meo arbitrio, nemine faceſſente mihi negotium. Quidam vertunt futurum in præſens, *ſolus ſecure habitare me facis.*

CASTALIO.

ANtequam ad ſingulorum locorum explicationem veniamus pauca in univerſum præfanda ſunt. Hic liber apud Hebræos vocatur

vocatur *Liber laudationum*, quòd in eo Dei laudes continentur. Græcè poterat *Hymnorum liber* dici: ſed quia pſalluntur, h. e. fidibus canuntur, hæc carmina, & pleraque *Mizmor*, h. e. ψαλμὸς, inſcribuntur, vocavere *Pſalmos*, aut *Pſalterium*: quod nomen Latinis uſitatum nos retinuimus. Titulos alii habent, alii non habent. Qui non habent, hos Davidis eſſe puto. Qui habent, aut habent in Græco tantùm, aut etiam in Hebræo, & in Græco quidem bifariam: nam aut totus titulus Græcus eſt, aut tituli pars; atque illud aliquando in Græco indicatur his verbis, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις, hoc eſt, *titulo carens apud Hebræos*, aliquando non indicatur. Quod autem de Græco dico, idem de Latino dictum volo: nam vulgaris Latina Pſalmorum tranſlatio, meo quidem judicio, ex Græco ducta eſt, non ex Hebræo. Significant autem tituli aut rem geſtam quæ carmini dederit occaſionem, aut autorem, aut argumentum, aut genus carminis, aut muſicum inſtrumentum quo canendum carmen ſit, aut cantorem à quo canendum ſit, aut horum modò plura, modò pauciora. Quod ad res geſtas attinet, eæ patent ex Sacris hiſtoriis. Autorum præcipuus eſt David: ſed ſunt & alii, ut Moſes. Quod ad eos attinet qui inſcribuntur לבני קרח, h. e. *Filiorum Cora*, ſive *Filiis Cora* (eſt enim apud Hebræos ambiguum) eos Davidis eſſe puto, ſed ſcriptos ut à Coranidis (ſic enim nos Corà prognatos nomine patronymico appellamus) canerentur, ideòque *Coranidarum* appellari: ut ſi *puellarum cantionem* dicas, non ſignifices puellas autores eſſe carminis, ſed cantatrices. Sed an idem de Aſapho & Hemane & Jeduthune dicendum ſit, an verò ipſi autores fuerint eorum quæ ipſis aſſcribuntur, ego neſcio. In 2 Par. 29. *laudari* dicitur *Deus verbis Davidis & vatis Aſaphi*, ubi videtur Aſaphus autor eſſe: ſicut & Jeduthun appellatur *vates regius* 2 Par. 35. Quod ad carminum genera muſicâque inſtrumenta attinet, ea hodie adeò ignota ſunt ut nihil facilè aſſirmari poſſit; quod eò minùs in Hebræo mirum eſt, cùm etiam in Gallica lingua exſtent quædam carminum genera quorum nominis ratio reddi vix, aut nè vix quidem, poſſit: quale illud eſt quod vocatur *Balade*. Igitur quæ potui ea ſum interpretatus: alia Hebræa reliqui, ut *Gittith*, ut *Almuth Labben*: quod item feci & in voce *Sela*, quæ in Pſalmis ſæpe occurrit: quæ quidem videtur muſicæ rationis eſſe, ſed hodie ignotæ.

2. *Quouſque meam gloriam in infamiam?*] Scilicet *convertetis*.

6. *Colluſtra nos luce tui vultûs, Jova*] Effice ut intelligantur tua in eos beneficia, qui eis fruges præbeas: id quod equidem gaudeo.

CLARIUS.

Titulus hujus Pſalmi eſt, VINCENTI IN MELODIIS; & videtur traditus eſſe cantandus magiſtro cantorum, vel muſicorum inſtrumentorum, qui cæteros facilè in arte muſica antecelleret. Quorundam autem Hebræorum opinio eſt & hunc Pſalmum de conjuratione Abſalom agere.

1. *Cùm invocabo exaudi me*] Cùm anxiè implorem auxilium tuum, exaudi me, quæſo, Deus, innocentiæ meæ teſtis, qui in anguſtias redacto mihi latiſſimum ſæpe derepente campum aperuiſti, etiam nunc miſerere & votis meis reſponde.

2. *Filii hominum*] Vel *filii viri*, h. e. vos Principes viri. Apoſtrophe eſt, quæ & efficaciam habet & movet attentionem. ¶ *Uſquequo gravi corde*] Sub. *eſtis?* Eſt enim reticentia. Quouſque, inquit, gravi erga me odio laboratis, ut cogitetis ſemper quo me pacto contumeliâ afficiatis? Interpres videtur, ubi vertit *corde*, legiſſe, aut certè in ſuo codice habuiſſe, Beth pro Caph, quæ literæ affinitate figuræ plerumque fallunt: & tunc, ſi puncta deſint, vertendum eſt, *Uſquequo gravi corde?* Nunc legunt Hebræi, *Uſquequo gloria mea in ignominiam?* h. e. quâ tandem fronte me, quem Deus hoc honore dignatus eſt, ſtudebitis contumeliâ afficere? Porrò *diligere vanitatem, & quærere mendacium*, ſignificat, irritos illorum fore conatus. Sic *ficus mendax*, & *arcus mendax* in Scriptura dicitur, quòd ſpem eludat noſtram.

3. *Sanctum ſuum*] Se autem intelligit: h. e, miris modis Deus ſanctum quendam ſibi elegit.

4. *Iraſcimini, & nolite peccare*] Dictio quam Hebræi ferè reddunt *contremiſcite*, vel *expaveſcite*, ſign. *conturbari, commoveri*, vel *metu*, vel *dolore*; vel *indignatione*: hoc certè loco ſign. *commotionem iræ*, quod Græcus Interpres reddidit, & hanc apud Græcos invulgatam verſionem ſecutus eſt Paulus Eph. 4. ubi ſcripſit, *Iraſcimini, & nè peccetis*: videturque quod dixit *iraſcimini*, ſignificaſſe *conſternamini*, dum contra fratres ira ſubit, nequid præter dilectionem in illos agentes peccetis. Sit ergò hic ſenſus, *Date operam ſedulò nè peccetis: ſi enim perpenderitis rem ipſam apud animum veſtrum in lectis veſtris ſoli, deſinetis de me ſiniſtrè loqui.* Heb. *Dicite in corde veſtro ſuper cubili veſtro, & tacete.* Et quod ait, *nè peccetis* poteſt hic accipi ſecundùm morem Scripturæ pro *aberrare*, ut illud Jud. 20. *Jaciebant lapides ad capillum, neque lapides peccare faciebant.*

5. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*] Chald. *Domate concupiſcentiam veſtram, & reputabitur vobis ſicut ſacrificia, & ſperate in Deo.* Sic & Paulus, *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viventem.* Vel ſic, Si quemadmodum externis ſacrificiis ità innocentiâ ſtuderetis placare Deum, tutò illi fidere poſſetis.

6. *Multi dicunt*] Multitudo iſta atque hoſtes mei dicunt, *O ſi videamus* quod nobis *bonum* quærimus, h. e. exſtinctum David, vel alia quævis bona: *tu verò fac luceat nobis*, qui te divitiis & rebus omnibus præferimus, *lumen vultûs tui, ac favor tuus.*

7. *A fructu frumenti*] Conjunge ſic, *Dediſti lætitiam cordi meo*, ex eo quòd *cùm illis frumentum & vinum*, quemadmodum optaverat, *abunde provenerit*, *ego* ſine metu, favore tuo contentus, non minùs feliciter quàm divites illi, *& tacebo, & obdormiſcam.* Hebraïſmus habet, *Plus quàm tempus frumenti*: ut ſit ſenſus, Dediſti lætitiam in corde meo plus quàm cùm in tempore frumenti & vini eorum ipſi ditantur. Et *ego in pace* ac tranquillè ſimul atque eodem tempore *jacebo & dormiam*, h. e. ubi primùm me ſopori dedero mox obdormiſcam: quod ſignum eſt ſecuri animi & minimè ſoliciti, quique *onus omne ſuum*, ſicut alibi admonet faciendum, *projecerit in Deum. Quia tu ſolus*, inquit, *præſtas ut ſecurè habitem.*

DRUSIUS.

לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת מִזְמוֹר לְדָוִד. A. Τῷ νικοποιῷ ἐν ψαλμοῖς μελῴδημα τῷ Δαυίδ. Sym. Ἐπινίκιος διὰ ψαλτηρίων ᾠδὴ τῷ Δαυίδ. Th. Εἰς τὸ νῖκος ἐν ὕμνοις ψαλμὸς τῷ Δαυίδ] Νικοποιῷ. h. e. τὴν νίκην ποιοῦντι. Macarius Ægyptius neſcio ubi τὴν νίκην σοι ποιεῖ dixit pro *facit te vincere*, h. e. ποιεῖ σε νικᾷν. ¶ Ἐπινίκιος ᾠδὴ eſt *oda quæ canitur ob partam victoriam*. Hier. Prooemio in Danielem ait propriè *triumphum* ſive *palmam* ſignificare. Cæterùm apud Baſilium hom. in Pſal. 45. ἐπινίκιον legitur genere neutro. Poſſet exponi *ad canendum ἐπινίκιον*, ut למנצח ſit nomen pro infinitivo. Nec aliud ſanè voluiſſe videntur Ebræi veteres, quos David Grammaticus laudat. præfat. in hunc librum, qui נצוח ponunt inter genera cantionum quibus uſus vir pius in hoc opere. Sunt autem decem numero. 1. נגן, à verbo quod *pulſare* ſignificat, *pulſare*, dico, *inſtrumenta muſica manu aut plectro*; unde נגינות 2. מזמור, ψαλμὸς, *Pſalmus*. 3. הללויה, *Hallelu-ja*. 4. השכל, *Haſchel* ſive *Maſchil*. 5. תהלה, ὕμνος, *Laus*, *Hymnus*. 6. תפלה, *Oratio*. ברכה, εὐλογία, *Benedictio*. נצוח, unde מנצח, ἐπινίκιον. 9. שיר, *Canticum*, ᾠδή. 10. הודאה. ἐξομολόγησις, ἢ εὐχαριστία, *Confeſſio*, ſive *Gratiarum actio*. Sic illi. Nunc ad Symmachum, à quo digreſſi ſumus. Ἐπινίκιον genus eſt cantilenæ quod canebatur victoribus, alio vocabulo καλλίνικος dictum. Dicitur & ὕμνος ἐπινίκιος. Gregorius Nyſſenus Oratione quam ſcripſit De occurſu Domini, ἡμεῖς δὲ τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ τὸν ἐπινίκιον ὕμνον ᾄσωμεν. Eſt etiam ἐπινίκιον *victoriæ præmium*, ut in illo Macarii Ægyptii hom. 43. καὶ τὰ ἐπινίκια καὶ τοὺς στεφάνους λαμβάνουσι ἀπὸ τοῦ βασιλέως. Lex. vet. Ἐπινίκιος, *victorialis*. Ἐπινίκια ἄγω, *triumpho*. ¶ Εἰς τὸ νῖκος. Huic etiam tribuitur νικοποιῷ, ut liquet ex Fragmentis noſtris: vertunt *Victori*. Ità Hier. citat & Euſebius lib. 10. Ἐπιδειξ. Videndus Hier. Prooemio in Danielem. Porrò Hab. 3. 19. in vulgata τοῦ νικῆσαί με.

1. עֲנֵנִי. O. ἐπάκουσόν μου, *exaudi me*.

2. כְבוֹדִי. O. ἔνδοξοί μου, *inclyti mei*. Lex. vet. Ἔνδοξος, *glorioſus, inclytus*.

4. רִגְזוּ. A. κλονεῖσθε. Sym. ὀργίσθητε] Heſychius, Κλονέονται, ταράττονται. Κλονέοντο, ἐθορυβοῦντο, ἐταράσσοντο. Nomen eſt κλόνος, quod idem interpretatur ταραχὴ πολέμου ἢ σεισμός. Ergò κλονεῖσθε, i. e. *conturbamini, commoveamini*: bene ità explicat verbum Ebræum. ¶ וְאַל. Sym. ἀλλὰ μή. ¶ וְדֹמּוּ A. καὶ ἡσυχάσατε, *& quieſcite*.

5. וּבִטְחוּ. καὶ πεποίθατε. Hoc interpretamentum citatur à Chryſoſtomo, incerto autore. Dicit enim, ἐλπίσατε· ἕτερός φησι, πεποίθατε. Videtur Aquilæ eſſe.

6. נְסָה. A. ἔπαρον. Sym. ἐπίσημον ποίησον. Ἔπαρον, *Tolle*, i. e. נשא. ¶ Ἐπίσημον, Lex. vet. Ἐπίσημον, *conſpicuum, notabile*. Ἐπίσημος, *inſignis, nobilis*.

8. לְבָדָד לָבֶטַח תּוֹשִׁיבֵנִי. A. κατ' ἰδίαν εἰς πεποίθησιν καθίσεις με.

GROTIUS.

IN *finem in carminibus*] Illud לכנצח Τῷ νικοποιῷ ἐν ψαλμοῖς [*victori in Pſalmis*] vertit Aquila originum ſectator. Sed Rabbi David Kimchi rectè, ni fallor, ita vocari ait *eum qui in cantu princeps erat.* Sequitur בנגינות, id eſt, *in iis inſtrumentis quæ pulſu ſonant*: nam ſunt alia quæ ſonant flatu.

3. *Filii hominum uſquequo gravi corde?*] Ex Græco: ἕως πότε βαρυκάρδιοι; [*quouſque gravicordes?*] Apparet eos legiſſe in Hebræo כבוך [*aggravatio veſtra.*] Sic & Chaldæus hic. *Aggravare cor ſuum* dicuntur qui pigri ſunt & ignavi ad diſcendum. Senſus qui nunc eſt in Hebræo talis eſt: *Quouſque gloriam meam in dedecus*, ſupple, *vertere laboratis?*

4. *Sanctum ſuum*] Unctum.

5. *Iraſcimini, & ne peccate*] Poteſt verti: *Iraſcimini? at ne peccate.* Dolet vobis quòd ego regno deſtinor? ſed videte nè ex eo dolore Deum offendatis. Ità רגזו [*iraſcimini*] ſcribendum erit, cum punctis indicativi.

Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini] Meliùs: *Cogitate in corde veſtro, in cubili veſtro*, nempe quæ egeritis, *& ſilete.* Id eſt, *pœnitentiam agite*, ut explicat hic Arabs. quod ait *in cubili veſtro* optimè convenit cum iſto præcepto Pythagorico:

> Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι
> Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαςον ἐπελθεῖν·
> Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
> Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα.
> Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηςὰ δὲ, τέρπου.
> [*Ne priùs in dulcem declines lumina ſomnum,*
> *Quàm bene perpendas ter totius acta diei,*
> *Quò prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non,*
> *Lucis ab exortu ſupremam ad veſperis horam:*
> *Triſtitiam curvis impende & gaudia rectis.*]

7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine, dediſti lætitiam cordi meo*] Meliùs ſic: *Si extuleris ſuper nos lumen vultûs tui, Domine* (id eſt, nos benignus aſpexeris) *dabis lætitiam cordi meo.*

8. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt*] Senſus eſt: *Majorem* (ſcilicet lætitiam) *quam eſſe ſolet, ubi frumentum, vinum & oleum ubertim proveniunt.*

9. *In pace in idipſum dormiam*] Eâ ſpe dormiam ſecurè, ut ſuprà 3. 6.

PRICÆUS.

3. FIlii hominum] Sic Homerus Iliad. γ'. κοῦροι Ἀχαιῶν· ubi Scholia, περιφραςικῶς οἱ Ἕλληνες.

Ibid. *Uſque quo gravi corde?*] Ἀνόητοι, (ut Luc. 24.) καὶ βαρεῖς τῇ καρδίᾳ. In Græco heic βαρυκάρδιοι· unde & Heſychius ex hoc Pſalmi loco, Βαρυκάρδιοι, ἀσύνετοι, μωροί.

Ibid. *Uſquequo gravi corde?*] *Uſquequo* (ut infrà 81. 2.) *judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* In Gloſſario, Ἕως πότε, *uſquequo, quouſque.*

5. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus*, &c.] Ità Job. 7. 13.

6. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*] i. e.

> *Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus*
> *Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.*

Sacrificium juſtitiæ itidem infrà 50. 21. habebimus.

7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui*] *Confirmata* eſt (ut 116. 2.) *ſuper nos miſericordia tua.*

IDEM.

1. D*Eus juſtitiæ meæ*] Teſtis & remunerator juſtitiæ meæ: (vide 7. 9.) vel, in quo confiſus inter tot adverſa vias juſtitiæ ſequor.

Ibid. *In tribulatione dilatâſti mihi*] Subaudi, *cor*: vel (ex Pſal. 17. 37.) *greſſus.* Vide & Pſal. 30. 9.

3. *Ut quid diligitis vanitatem*] Ità 81. 2. *Uſquequo judicatis iniquitatem? Vanitatem*, mendacia; vide 5. 10. vel vanam jactantiam; vide 51. 9.

Ibid. *Et quæritis mendacium?*] Poteſt (more Hebræis uſitato) utriuſque membri idem ſenſus eſſe; & *mendacium* hîc quod ſuprà *vanitas.* Si autem ſubſit diſcrimen, *mendacium* hoc loco putem πλάνην, vel ἀπάτην, ſignificare, i. e. fallaciam, errorem ſive vanam perſuaſionem: quo ſenſu ψεῦδος, heic à Lxx. poſitum, occurrit apud alios ſcriptores. Plutarchus in περὶ Δεισιδαιμ. Ὑπολαμβάνει τις τὸν πλοῦτον ἀγαθὸν μέγιςον εἶναι; τοῦτο τὸ ψεῦδος ἰὸν ἔχει, νέμεται τὴν ψυχήν. Infrà hîc 32. 17. ψευδὴς ἵππος εἰς σωτηρίαν· ubi Vulgatus, *fallax equus ad ſalutem.*

4. *Mirificavit Dominus ſanctum ſuum*] Pro ſancto (i. e. uncto) ſuo mirabilia fecit: i. e. faciet. Efficiet dicatis, *A Domino factum eſt iſtud, & mirabile eſt in oculis noſtris*, infrà 117. 23.

5. *Iraſcimini, & nolite peccare*] Ità 1 Cor. 15. 34. Apoſtolus, *Evigilate*, &c. *& nolite peccare*: quem locum ideo adduxi, quia Vir ſummus illud *iraſcimini* interrogativè legendum putat, me nec dum accedente.

Ibid. *Et in cubilibus veſtris compungimini*] Lxx. κατανύγητε. Heſychius ex hoc Pſalmi loco, Κατανύγητε, ἡσυχάσατε, λυπήθητε.

7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui*] Ut infrà 117. 27. *illuxiſti nobis*: vel, *ſignatum* confirmatum eſt.

9, 10. *In pace dormiam*, &c. *Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*] Similia infrà 114. 7. 8. vide. *Singulariter* hic eſt *ſolus*: ità & Pſal. 140. 10.

PSALM. V.

MUNSTERUS.

IN *muſicis concentibus*] R. Haii dicit נחילה *eſſe muſicum inſtrumentum cujus vox ſimilis eſt* לשריקת דבורים *ſuſurrio apum*; puto quòd *lyram* velit ſignificare. Exponitur autem Pſalmus iſte ab Hebræis de David & Doeg atque Ahitophel hoſtibus ejus, quorum prior *vir* fuit *ſanguinum*, adulator & traductor, & poſterior *vir doloſus* & machinans ſeditiones.

8. *Ante faciem meam*] Sic habet Hebraïſmus, & eſt ſenſus, *Fac me ſic ambulare in via tua ut nunquam deflectam oculos meos ab ea.*

9. *In ore ejus*] h. e. In ore cujuslibet eorum. *Intimum*, inquit, *eorum*, & cor ipſum plenum eſt malitiâ, atque ideo *guttur eorum eſt veluti fœtidum ſepulcrum*, unde nihil per os fluere poteſt quàm quod eſt peſſimum.

VATABLUS.

V*Ictori* לכנצח] Vide Pſal. 4. v. 1. ¶ *Nehiloth* הנחילות] Inſigne aliquod inſtrumentum muſicum olim notum, dictum à *ſono apum* quem imitabatur.

1. *Locutionem meam* הגיגי] *Meditationem meam: murmur meum*: q. d. Utinam advertas animum tuum ad tacitum meum eloquium, & oſtendas te inaudiviſſe tacitas meas preces.

2. *Oro* אתפלל] Fut. Heb. pro præſ.

3. *Audies* תשמע] *Audi.* Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Præparabo tibi* orationem, *& ſpeculabor* אערך לך ואצפה] *Præparo tibi* orationem, *& contemplor*: vel, *& exſpecto*; id eſt, ſoleo te manè deprecari, & exſpectare auxilium tuum. Fut. Heb. pro præſ.

4. *Impietatem* רשע] *Impietas*, ſive *iniquitas*, & *malitia*; Metonymia, pro *impiis* & *malis*: aut ſubaudi *vir*, ut ſit, *non es, Deus, cui placeat* vir *impietatis, neque morabitur tecum* vir *mali.* Liberabis me, ô Deus, à Saule & adulatoribus ejus; quia tu non es Deus cui arrideat iniquitas.

5. *Non ſtabunt* לא יתיצבו] *Non conſiſtunt.* Fut. Heb. pro præſ. i. e. non habent apud te locum. Alii, *Non ſtatuent ſe*: aut, *Non apparebunt.* ¶ *Iniquitatem* און] *Vanitatem.*

6. *Sanguinolentum & fraudulentum* דמים ומרמה] Ad verb. *ſanguinum & doli.*

7. *In multitudine miſericordiæ tuæ* ברוב חסדך] Hebraïſmus, pro, *amplâ tuâ bonitate*, ſive *miſericordiâ*, *fretus.* ¶ *Incurvabo me Templo ſancto* אשתחוה אל היכל קדשך] *Adorabo verſus Templum ſanctitatis tuæ*; vel, *ſanctum tuum*: i. e. fixis oculis in tabernaculum fœderis. Solus Pontifex Sanctum Sanctorum ingrediebatur, ut illic oraret: reliqui verò omnes versùs Templum (i. e. oculis fixis in Tabernaculum fœderis) orabant. *Ego*, inquit, cùm *miſericordiâ tuâ* adjutrice reverſus fuero ab exſilio, *adibo domum tuam*, ut antehac ſemper feci: interim autem quòd mihi non liceat te in Templo adorare, converſus ad Tabernaculum fœderis te colam: quod certè *cum tua reverentia* facturus ſum; vel ſervatâ reverentiâ quam omnes tibi debent, impellente me ad id ingenuo *timore* quo timeo mihi à te.

8. *In juſtitia tua* בצדקתך] i. e. Per viam juſtitiæ tuæ, per juſtitiam quam doces & probas. i. e. Da ut vivam cum ſumma innocentia: nè peream inſidiis quas mihi ſtruunt hoſtes mei. Exponi etiam poteſt, *Deduc me pro tua juſtitia*: rogo te per eam juſtitiam

juſtitiam & benignitatem quâ præditus es, ut deducas me; propter eos qui inſidiantur vitæ meæ. ¶ *Dirige* הישר] *Rectam fac:* i. e. Fac ut mihi recta videatur via tua. Vel, Fac me ambulare in via tua, itâ ut non deflectam ab ea.

9. *In ore ejus rectum* בפיהו נכונה] Sing. pro plur. *in ore uniuſcujuſque eorum.* *Rectum* vocat rectitudinem, veritatem, verumque ſermonem. ¶ *Pravitates* הוות] i. e. Cor eorum plenum eſt dolis & fraudibus. ¶ *Sepulcrum* קבר] Sepulcro aperto & cadaveribus pleno ſimile dicit guttur ſuorum adverſariorum: nam ut ſepulcrum apertum exſpectat cadaver quod conficiat & exedat, itâ hoſtes mei ſuâ blandiloquentiâ eò tendunt ut me pellectum ad ſe perdant & ſubvertant, hoc eſt, me à te deficere faciant.

10. *Deſola eos* האשימם] *Perde eos. Errare fac eos.* Chald. *Condemna eos.* ¶ *Cadant* יפלו] *Utinam excidant.* ¶ *Expelle eos* הדיחמו] Vel, *depelle eos*, ſub. *à te.* Metaphora ab iis qui labantes impelluntur. ¶ *Rebellant* מרו] Præt. Heb. pro præſ.

11. *Et lætentur* וישמחו] *Ut lætentur*, &c. *& exſultent in te qui*, &c. ¶ *Et operi eos* ותסך עלימו] *Et operies* [ſive, *operire facies*] *ſuper eos.* Fut. Heb. pro imper. *operi*, vel *protege eos.* ¶ *Et exſultent* ויעלצו]. *Ut exſultent.*

12. *Bonâ voluntate coronabis eum* רצון תעטרנו] *Beneplacito* [vel, *benevolentiâ*] *undique cinges eum:* i. e. benevolentiâ tuâ, *veluti clypeo* inſigni, undique cinges & munies eum.

CASTALIO.

1. V*Erbis meis auſculta, Jova*, &c.] Confer cum Pſalmo 14. & 53.

3. *Manè*] Maturè.

CLARIUS.

QUia præcipuè de *mendacibus & dolo blandientibus inimicis* David hic queritur, videtur hoc Pſalmo precationem memorare quam habuit in exſilio, pulſus patriâ à Saule, cujus furorem Doeg ac alii quidam adulatores ſuis mendaciis falſiſque criminibus incendebant.

3. *Manè exaudies*] Hic verſus legi poteſt & enunciativè & optativè: nam Hebræis futura in utrumque valent, quippe qui nullum voce optativum habeant, optationem vel futuro indicativi vel imperativo exprimentes. *Manè* verò, præter id quòd matutino tempore precibus operam dabat, ſignificat etiam tempeſtivè, & tanquam poſt tenebroſas moleſtias, lucem ſalutarem ac requiem. Quidam ex Hebræis *manè* hoc referunt ad tempus judicii in improbos exercendi; ut illud: *Et dominabuntur eorum juſti manè.* ¶ *Manè aſtabo tibi*] Heb. *Manè ordinabo*, vel *præparabo, ad te*, videlicet orationem meam, *& videbo* me compotem voti factum.

7. *Adorabo ad Templum ſanctum tuum*] Ut enim verè Deum & ex animo colebat, itâ nihil in ſuo exſilio ferebat tam moleſtè quàm ſe à ſocietate religionis excluſum: quod expoſtulatio illa cum Saule indicat quam 1 Reg. 26. habes.

8. *Deduc me in juſtitia*] Dirige me ad normam juſtitiæ tuæ: non habeant unde glorientur qui inſidias parant mihi: fac plana ſit ante oculos meos via quâ itur ad te: hoc enim eſt quod ait, *Dirige in conſpectu meo viam tuam.*

10. *Judica illos, Deus*] h. e. Condemna: nam in Hebræo eſt, *in deſolationem redige.* ¶ *Irritaverunt te*] Poteſt etiam verti, *rebelles fuerunt contrà te.*

12. *Ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum*] Quomodo quis *coronatur ſcuto*? Illud ergò *coronaſti* idem eſt quod *circumdediſti*: quod in alio Pſalmo apertius eſt, ubi dicitur, *ſcuto circumdabit te veritas ejus.* Senſus ergò eſt, *Domine, circumdediſti & protexiſti eum undique bonâ voluntate tuâ & propenſo erga eum affectu, tanquam ſcuto.*

LUCAS BRUG.

9. L*Atina antigrapha plurima cum multis Græcis legunt, *Dirige in conſpectu tuo viam meam*; quomodo & Auguſtinus, Caſſiodorus, Beda, Haymo, & qui in Græcum olim carmen Pſalterium tranſtulit, Apollinaris, legunt. Auguſtinus, *In conſpectu*, inquit, *tuo dirige iter meum*, i. e. *ubi nullus hominum videt, quibus credendum non eſt laudantibus aut vituperantibus: non enim ullo modo poſſunt de aliena conſcientia judicare, in qua iter dirigitur ad Deum.* Apollinaris,

Ἡμετέρην ἴθυνον ἐν' ὄμμασι σοῖσιν ἀταρπόν.

Antiqui autem Latini codices Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, unus Hentenii, tres noſtri (Brug. Lob. Torn.) habent, *Dirige in conſpectu meo viam tuam*; quæ & Græcorum quorundam codicum, Theodorito teſte, lectio eſt, ac nominatim Græci exemplaris Vaticanæ Bibliothecæ, id quod, cùm dignitate tum eruditione & pietate clariſſimus, S. R. E. Cardinalis D. Gulielmus Sirletus in ſuis Variarum lectionum in Pſalmos Annotationibus refert, & noſtra ad Vaticana collatio notat. Eſt etiam Hebraïcorum ac Chaldaïcorum librorum ſcriptura: veterum quoque Tractatorum, Arnobii, Chryſoſtomi & Hieronymi, & Carthuſianorum Brunonis ac Dionyſii, denique ſacrarum virginum Suniæ ac Fretelæ. D. Hieronymus lib. 3. Adversùs Pelagianos, Remigius Antiſſiodorenſis, Thomas Aquinas, & Ludolphus Carthuſianus, utriuſque lectionis meminerunt. Et ſanè videri poſſit lectio iſta, quòd minùs intelligeretur, commutata priori. Arnobii verba ſunt, *Hunc deducet Dominus in ſua juſtitia propter inimicos, ut dirigat in conſpectu ejus viam ſuam. Quare propter inimicos? quia inimici alteram viam oſtendunt quæ ducit ad mortem. Et propter ipſos hic dirigit viam quæ ducit ad vitam.* Chryſoſtomi, *Dirige in conſpectu tuo viam meam* (ſic enim legitur) *h. e. Fac mihi eam claram, apertam, notam, ut ea ſit apud me certa & recta.* Alius autem Interpres dixit, *Complana ante me viam tuam, h. e. redde planam ac facilem.* Hieronymi in commentariis verba ſunt (adjuncti enim his autoribus textus aliter legunt.) *Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam*] h. e. *viam tuam rectam fac propter inimicos meos qui inſidiantur mihi*, &c. *h. e. ne in Scripturis tuis per quas ingredi cupio in Eccleſiam tuam, corruam. Omnis enim qui malè intelligit Scripturas, in via Dei corruit.* Quæ Euthymius Græcus autor in hunc locum ſcripſit, priori lectioni ſuffragantur. *Propter viſibiles*, explanans ait, *atque inviſibiles inimicos meos qui in ſemitis meis ſcandala ſeminant & laqueos tendunt, explana, quæſo, Domine, viam meam ad te; itâ enim Symmachus reddidit.* Sic Euthymius: ſed aliud Symmacho tribuit Hieronymus. Itâ namque in epiſtola quam de Pſalterii emendatione ad Suniam & Fretelam ſcripſit, habet, *Dirige in conſpectu meo viam tuam*] *pro quo in Græco legitur*, κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, dirige in conſpectu tuo viam meam, *quod nec Septuaginta habent, nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotio, ſed ſola κοινὴ editio. Denique & in Hebræo ſcriptum ità reperi*, הישר לפני דרכך, *quod omnes voce ſimili tranſtulerunt*, Dirige in conſpectu meo viam tuam, &c. *Poſtulat autem Propheta ut via Domini, quæ per ſe recta eſt, etiam ſibi recta fiat.* Hactenus Hieronymus. Cæterùm cùm via Domini nobis eſt recta, & via noſtra Deo recta eſt.

DRUSIUS.

אֶל־הַנְּחִילוֹת מִזְמוֹר לְדָוִד. A. Sym. Th. ὑπὲρ τῆς κληρονομίας ψαλμὸς τῷ Δαυίδ] Sic & Lxx. retinent ergò declarationem veterem. Nec abſurdum erit ſi dicamus fuiſſe olim genus cantilenæ aut carminis cujus initium נחילות, quod interpretatur κληρονομοῦσαι, vel, ſi placet, *Hæreditates.* Hoc poſtremum invenies in translatione Hieron.

2. אֶתְפַּלָּל. Οἱ λοιποὶ, εὔχομαι, i. e. *opto, voveo.*

3. וַאֲצַפֶּה * Καὶ σκοπήσω.

4. לֹא יְגֻרְךָ. A. οὐ προσηλυτεύσει σοι] *Commorabitur apud te tanquam proſelytus.* Nam גר *proſelytus, advena:* eleganter.

8. לְמַעַן שׁוֹרְרָי. A. διὰ τοὺς ἐφοδεύοντας. Sym. διὰ τοὺς ἀποθλίβοντάς με] Ἐφοδεύοντας, *obſervatores.* Propriè ità dicuntur *qui murum civitatis aut caſtra obeunt, vigiliaſque perluſtrant.* ¶ Ἀποθλίβοντάς με. i. e. צררי per *S*, Sade. ¶ הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ. A. Κατεύθυνον εἰς πρόσωπόν μου ὁδόν σου. Sym. ὁμάλισον ἔμπροσθέν μου τὴν ὁδόν σου] O. κατεύθυνον, *dirige:* εἰς πρόσωπόν μου, i. e. ἐνώπιόν μου, *coram me:* ὁμάλισον, *plana, complana.* Lex. vet. Ὁμαλὸς, *planus.* Ὁμαλίζω, *plano.* Τὴν ὁδόν σου. Hanc lectionem in quibuſdam exempl. ed. vulgatæ reperiri ſcribit Theodoretus, & in Vaticanis Sirletus. Vide Hieron. epiſt. ad Suniam & Fretellam. Interpres Euthymii, *Explana, quæſo, Domine, viam meam ad te: ità Symmachus reddidit.* Hunc locum adduxi, quia dictis adverſari videtur: ſed non eſt itâ; nam verba illa, *quæſo, Domine, viam meam ad te*; ſunt Euthymii, non Symmachi. Apud Theodoretum, *Symmachus, pro Dirige, Explana, dixit.*

11. וְיַעְלְצוּ. A. γαυριάσουσιν] i. e. *Lætabuntur, exſultabunt.* Lex. vet. Γαυριῶ, *exſulto, geſtio.* Γαυρίαμα, *exſultatio.* Γαῦρος, *lætus, alacer.* Γαύρως, *lætanter.*

12. תַּעְטְרֶנּוּ. A. στεφανώσεις αὐτὸν, *coronabis eum.*

GROTIUS.

I*N finem pro ea quæ hæreditatem conſequitur*] Vox prima למנצח quid ſignificet dictum jam eſt. De altera voce הנחילות nihil

probabilius reperio quàm quod Hebræi complures dixêre נחיל *eſſe bombum quem edunt apes, & ex ejus ſoni ſimilitudine dictum inſtrumentum muſicum.* Etiam Arabibus نحل eſt *apis.*

4. *Manè adſtabo tibi & videbo*] Τοπρωὶ παραςήσομαί σοι καὶ ἐπόψομαι. Nempe ut ſalutatores matutini apud dominos ſolent. Prius illud verbum ערך vertitur in Pſalmis aliquoties ἑτοιμάζειν [*præparare*,] in Ezechiele κοσμεῖν [*ornare.*]

9. *Domine deduc me in juſtitia tua*] Quaſi dicat: *hic verus eſt cultus qui tibi placet.*

Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam] Legit לפנך דרכי [*coram te viam meam*,] ut & Græci: κατεύθυνον ἐνώπιόν σε τὴν ὁδόν με [*dirige coram te viam meam*,] Fac ut eam vitam vivam quæ tibi placet, nè quid habeant inimici mei quod carpant. Simile infrà 27. 11. in noſtro Hebræo eſt, לפני דרכך [*coram me via tua*,] id eſt, *reſpice ad me meaque facta.* Ego illud præferam.

PRICÆUS.

6. N*Eque habitabit juxta te malignus*] Vide infrà 15. 1. & ſequentibus. Scriptor Sapientiæ 1. 4 *Non habitabit* (Sapientia, i. e. ſpiritus Dei) *in corpore ſubdito peccatis.*

8. *Virum ſanguinum*, &c. *abominabitur Deus*] Non dimidiabit dies ſuos: infrà 54. 24.

9. *Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam*] Id eſt, ut Paulus 2. 8. ad Titum ſcribens, ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ἐμοῦ φαῦλον λέγειν. Vide infrà 27. 11.

Ibid. *Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam*] *Propter inimicos meos*, eſt, ut vereantur, nihil habentes malum de me dicere, ut Apoſtolus Tit. 2. 8. locutus.

Vivendum rectè, cùm propter plurima, tumque hâc
Non minimùm causâ eſt, ut linguas nos odientum
Vitemus, nam lingua feri pars ſæva inimici eſt.

10. *Non eſt in ore eorum veritas*] Contrarius Joh. 1. 48. ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔςιν, i. e. ut Apocal. 14. 15. ὃ ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ δόλος οὐχ εὑρέθη. Vide infrà heic com. 11.

11. *Sepulcrum patens eſt guttur eorum*] Περιπατοῦσι ζητοῦντες τίνα καταπίωσιν quem (per calumnias nempe) in barathrum & perniciem demergant. Contrà Jobi 31. 30. *Non dedi ad peccandum guttur meum ut expeterem maledicens animam ejus.*

Ibid. *Linguis ſuis doloſè agebant*] Infrà 108. 3.

IDEM.

4. M*Anè exaudies vocem meam*] Cito: ſic 33. 2. & 45. 6. & 89. 14. & alibi.

6. *Neque habitabit juxta te malignus*] i. e. Cum tali non habitabis. Scriptor Sapientiæ 7. 28. *Neminem diligit Deus niſi eum qui cum ſapientia habitat.* Idem 1. 4. de Sapientia loquens, *Non habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Ibid. *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*] Ad hanc normam ſe componens Pſalmiſta noſter, NON HABITABIT *in medio domûs meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu* OCULORUM MEORUM, 100. 7.

9. *Propter inimicos meos dirige*, &c. *viam meam*] Sic 68. 19. *Propter inimicos meos eripe me.* Vide & 26. 11.

10. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas*] Perpetuis mendaciis & calumniis me onerant.

11. *Linguis ſuis doloſe agebant*] Agunt, idque aſſiduè.

Ibid. *Decidant à cogitationibus ſuis*] Dictum ut apud Terentium illud,

——— *Quanta de ſpe decidi!*

Lxx. hîc διαβελιῶν. Heſychius, Διαβελία, &c. ἐνθήμετα διαλογισμοί legendum διαλογισμὸς, & ἐνθύμησις. Ità in Gloſſario, Ἐνθύμησις, *cogitatio.*

13. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*] Id eſt, bonâ voluntate tuâ ut ſcuto nos proteges. Ità 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus:* pro, veritate ſuâ, ut ſcuto, te circumdabit. Simile & 1 Petri 3. 7. ὡς ἀσθενεςέρῳ σκεύει γυναικείῳ pro γυναικὶ ὡς σκεύει ἀσθενεςέρῳ.

PSALM. VI.

MUNSTERUS.

SUPER OCTAVAM] Putant שמינית hîc eſſe כנור *citharam*, propter octo chordas quas habet. Pſalmum verò ipſum editum putant à David cùm gravi aliquo teneretur morbo, & veluti precandi formam ſibi & aliis infirmis in eo præſcripſit.

4. *Eripe animam meam*] Vel, *Extrahe animam meam*, ſcilicet ab hac cui obnoxius ſum infirmitate.

5. *In fovea*] Repetitio eſt prioris ſenſûs; capiturque hîc שאול pro *ſepulcro.*

6. *Humecto* Hebræi hoc verbum ſic exponunt, *natabilem facio lectum meum.* Et eſt Hyperbole, quâ fletûs magnitudo exprimitur.

7. *Caligavit*] Poteſt hic locus & ſic verti, *Corroſa eſt præ turbatione forma mea.* Eſt enim עששה ab עש *tinea.* Et *oculus* non rarò capitur pro *toto aſpectu alicujus rei.* Internus enim ſæviens morbus & hoſtium indefeſſa perſecutio faciem corporis viri ſancti diſterminaverant & vires exhauſerant, ut jam efflatio exſpectaretur animæ. Sed acceptâ conſolatione Divinâ, veluti ex mortis faucibus erutus, clamat confidenter, *Diſcedite à me operarii iniquitatis*, &c.

VATABLUS.

V*Ictori in Neginoth* למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Super octavam* על השמינית] *Super Seminith.* Octavus ſonus in muſica intentiſſimus eſt. Hic Pſalmus datus fuit præfecto Symphoniacorum, ut ad Neginoth decantaretur intentiſſimâ voce & clariſſimâ. Cùm David gravi aliquo laboraret morbo partem hujus Pſalmi compoſuit, & alteram cùm jam eſſet priſtinæ valetudini reſtitutus.

1. *Corripias me* תיכרני] *Caſtiges me.* Subaudiendum aliquid, quale illud Jer. 10. 24. *Nè forte ad nihilum redigas me.* Peculiare enim eſt iratis & malè habentibus ut ſuos ſermones concidant. Verba Jeremiæ hæc ſunt, *Corripe me, Domine, veruntamen in judicio*, [i. e. ſervato modo & menſurâ] *& non in furore tuo, nè ad nihilum redigas me.*

2. *Debilis ſum* אמלל] Sub. *morbo*: vel, *fractus*, aut *confectus*, aut *imbecillis morbo:* q. d. Fractus ſum morbo; reſtitue mihi vires priſtinas.

3. Conteres me?] Vel, *differes auxilium tuum?* Apoſiopeſis, anxio & exſpectanti auxilium familiaris.

4. *Revertere* שובה] Exiſtimabant hoſtes Davidis Deum receſſiſſe ab eo: propterea dicit, *Revertere ad me*, priſtinæ valetudini me reſtitue.

5. *In morte* במות] i. e. Qui mortui ſunt prædicare te non poſſunt & celebrare laudibus in eccleſia & cœtu ſuperſtitum. ¶ *In ſepulcro* בשאול] *In fovea.* ¶ *Confitebitur tibi* יודה לך] *Celebrabit te?* vel, *quis te laudet*? Repetitio eſt: nam *in morte* & *in ſepulcro* idem ſunt. Optat David ſervari in vita: q. d. Serva me, ut te laudare poſſim inter vivos: nam ſi morior, quis erit tui laudator inter homines, tot impiis laudem tibi ſoli debitam invidentibus?

6. *Laboravi in gemitu meo* יגעתי באנחתי] *Defatigatus ſum ſuſpiriis meis*: vel, *gemendo*, aut *flendo.* ¶ *Natare facio* אשחה] Præt. Heb. pro præſ. i. e. ut videatur illis innatare. Alii, *macero*: ut ſolent quæ aliquandiu in aquis retinentur & emolliuntur. Hæ hyperbolæ oſtendunt acerbitatem morbi Davidis.

7. *Caligavit* עששה] *Contabuit, Putruit, Veluti à tineis corroſus eſt.* Nitorem ſuum amiſit oculus meus; aut, *Facies mea tabida facta eſt*, & ſenium contraxit planeque deformata eſt præ ſumma indignatione quâ indignor hoſtes meos lætari ob morbum meum. Vel, Facies mea ſimilis facta eſt panno à tineis corroſo, aut ſimilis faciei cadaveris, i. e. omnino obſcurata eſt ob, &c. ¶ *Inveteravit* עתקה] *Evanuit, obtenebratus eſt, ſenuit, amotus eſt. Oculum* pro *facie* poſuit. q. d. Facies mea tabida facta eſt, aut ſimilis faciei cadaveris, h. e. obſcurata eſt omnino. ¶ *Inimicos meos* צוררי] Sub. *Anguſtiis afficientes me.*

10. *Pudore afficiuntur & terrentur* יבשו ויבהלו] *Pudore afficiantur & conturbentur*: q. d. Inimici mei, qui toti erant in exſpectatione mortis meæ, pudore ſuffundantur & valde terreantur, qui Regem me diutiùs ſunt habituri quàm putarant. ¶ *Convertantur, pudore afficiantur* in *momento:* vel, *abeuntes pudefiant ſubito.*

CASTALIO.

AD OCTAVAM] Scilicet *chordam.*

CLARIUS.

CReditur ab Hebræis correptum fuiſſe David gravi aliquo morbo ac periculoſo, quo exſtinguendum eum hoſtes ſpera-

verint

verint. Cùm ergò perpenderet ſuâ morte fore ut perditi illi gloriæ Dei & hominum ſaluti plurimùm obſiſterent, obnixè Deum pro ſalute oravit, quem cùm exoraſſet, tum hoc carmen condidit, & de more, velut ſic etiam afficeretur, iſta cecinit, & veluti precandi formam ſibi & aliis infirmis præſcripſit. ¶ *Super octavam*] Putant hic eſſe citharam octo chordarum.

4. *Eripe animam meam*] Vel, *Extrahe animam meam*, ſcilicet ab hoc cui obnoxius ſum morbo.

5. *In inferno*] i. e. In ſepulcro quis te laudet? Gloriæ Dei erat ſtudioſiſſimus; hanc cœperat illuſtrare: quòd ſi hinc migraſſet, videbat futurum ut hoſtes ſui obſcurarent illam. Porrò *infernus* in Scriptura ſtatum ſignificat mortuorum, tam bonorum quàm malorum: malorum autem peculiariter à Servatore *Gehenna* dicitur, ſicut etiam Hebræi eam jam tum vocare cœperant. De qua in Eſaia diximus.

6. *Lavabo*] Hyperbole eſt, quâ fletûs magnitudo exprimitur: *quâ figurâ*, ut ait Fabius, *conceditur dicere amplius, quando dici quantum ſatis eſt non poteſt, meliuſque ultrà quàm citrà ſtat oratio.*

7. *Turbatus eſt*] Caligavit præ nimio mœrore oculus meus; hebetata eſt acies ejus præ metu tantæ hoſtium turbæ, qui me ſubvertere cupiunt. Poteſt & ſic verti, *Corroſa eſt præ turbatione forma mea*: nam *oculus* non rarò capitur pro toto aſpectu alicujus rei. Internus enim ſæviens morbus & hoſtium indefeſſa perſecutio faciem corporis viri ſancti immutaverant, & vires exhauſerant, ut jam efflatio exſpectaretur animæ, ſed acceptâ conſolatione Divinâ, veluti ex mortis faucibus ereptus, clamat confidenter, *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, &c.

DRUSIUS.

5. זִכְרֶךָ A. *μνήμη σȣ.* Sym. *ἀνάμνησίς σȣ*] Μνήμη, *memoria, mentio.* ¶ Ἀνάμνησις, *recordatio.*

8. עָשְׁשָׁה. A. *ἀυχμώθη.* Sym. *ἐφλέγμαινεν*] Lex. vet. Αὐχμὸς, *ὁ ῥύπος, ſqualor, inluvies.* Αὐχμὸς, *ἡ ἐν τῇ γῇ ξηρότης, hæc ſiccitas.* Αὐχμῶ, *ſqualeo.* ¶ Ἐφλέγμαινεν. Idem Lexicon, Φλεγμαίνω, *ſuppuro.* ¶ Φλεγμονὴ, *ſuppuratio.* ¶ מִכַּעַס Sym. *ἀπὸ πικρασμȣ̃.* ¶ עָתְקָה בְּכָל־צוֹרְרָי. A. Μετήρθην ἐν πᾶσιν *ἐνδεσμȣ̃σίν με.* Sym. *ἐτριβανώθην διὰ τȣ̀ς θλίβοντάς με*] Credendo legendum *μετήρθη*: nam ad *oculum* refertur. Mihi vix dubium quin Interpres Aquila ità ſcripſerit. Legerim quoque libenter *ἐτριβανώθη* in tertia perſona. ¶ Ἐνδεσμȣ̃σίν με, quod eſt צרר. Hodie deducunt à צור. Quod & Symmachus facit, ut paret ex interpretatione ipſius.

9. אָוֶן. A. Ἀνωφελὲς, *inutile*] Lex. vet. Ἀνωφελὴς, *incommodus, inutilis, infructuoſus.* Ἀνωφελία, *incommoditas.* Ἀνωφελῶς, *inutiliter.*

11. יֵבֹשׁוּ. A. Κατασπȣδασθείησαν] Tralatio à properatis actionibus, quæ nunquam felicem ſucceſſum habent. Sic alibi eſt נחלה מבהלת *hæreditas properata*, i. e. properè acquiſita. ¶ מְאֹד. O. *σφόδρα*] i. e. *Valde.* ¶ רָגַע. A. *ἐξαίφνης* alius neſcio quis, *ἀθρόως*;] Ἐξαίφνης, *ſubitò, repentè.* ¶ Ἀθρόως. Lex. vet. Ἀθρόως, *ſummatim, repentim.*

GROTIUS.

PRo octava] *Super octochordo*: ità hîc Chaldæus. Adde quæ diximus ad 1 Paralip. 15. 21.

7. *Laboravi in gemitu meo*] *Confectus ſum.* Sic verbum hoc ſumitur Eccleſiaſtæ 12. 12. Græci hîc *ἐκοπίασα* [*fatigatus ſum.*]

8. *Turbatus eſt præ furore oculus meus*] *Tabuit*: ηὐχμώθη, [*ſquallens*] hîc Aquila. Sic & infra 31. 10. Hebræa vox ſumitur, & eodem modo vertitur ab Aquila.

Inveteravi inter omnes inimicos meos] In Hebræo, *ſenuit*, nempe *oculus* ſive *vultus.*

PRICÆUS.

5. S*Alvum me fac*, &c. *quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui*] Vide Job. 7. comm. 6. 7. 8. 9. 10. Theocritus,

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*] Ariadne apud Ovidium,

Incumbo, lacrymiſque toro manante profuſis, &c.

Hermione in iiſdem Epiſtolis,

Nox ubi me thalamis ululantem & acerba gementem
Condidit, in mæſto procubuique toro,
Pro ſomno lacrymis oculi funguntur obortis.

Et Medea ad Jaſonem,

—— Noctes vigilantur amaræ,
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.

Apulejus 8. de Charite, *Ut primùm mæſta quieverat, toro faciem impreſſa, etiam nunc dormiens, lacrymis manantibus decoras genas cohumidat.*

IDEM.

3. Q*Uoniam infirmus ſum*] Infirmata eſt virtus mea, ut 30. 11. loquitur.

Ibid. *Sana me, quoniam conturbata ſunt oſſa mea*] Ezechias (apud Eſaiam 38. 13.) & de tempore ægrotationis ſuæ, *Quaſi leo, contrivit* (Deus) *omnia oſſa mea.*

8. *Inveteravi inter inimicos meos*] LXX. *ἐπαλαιώθην, conſenui*, i. e. contabui, marcui. Jobus 13. 28. Παλαιȣ̃μαι ἴσα ἀσκῷ. Vide & Pſal. 118. 83.

Ibid. *Turbatus eſt à furore oculus meus*] *Vidi* (ut 118. com. 158.) *prævaricatores, & tabeſcebam.*

PSALM. VII.

MUNSTERUS.

PRimam tituli dictionem, nempe SIGAION, non vertimus, quòd incertum ſit quid hoc loco ſignificet, niſi quòd putant eſſe אחד ממיני הנגון, h. e. *genus aliquod melodiæ*, vel inſtrumentum muſicum ad quod Pſalmus iſte fuit decantatus. Et quando in eodem titulo ſequitur, IN NEGOTIIS (vel VERBIS) CHUS, Hebræi nomine *Chus* accipiunt Saulem, præſertim cùm ſubjiciatur FILII JEMINI; fuit enim Jeminæus. Vocari autem aſſerunt eum *Chus* ſeu *Æthiopem* ob immutabilem animi malitiam quam contra innocentem concepit David. Sunt tamen qui hanc opinionem non probant.

3. *Si feci iſtud*] h. e. Si conatus ſum unquam *veluti leo rapere animam ejus*, id quod ipſe mihi molitur, aut ſi unquam *reddidi malum alicui qui nihil mali merebatur* nec ſuſpicabatur de me, quemadmodum Saul contra me agit, qui etiam paratus fui *opem ferre illi in neceſſitate conſtituto*, quantumlibet mihi adverſaretur, etiam *ſine cauſa.*

6. *Elevare propter indignationes*] i. e. Oſtende potentiam tuam ſublimem contra hoſtes meos, qui ſine cauſa innocentem perſequuntur, & *excitare ad me in judicio quod præcepiſti*, h. e. jus Regni, quod juxta Patriarchæ Jacob vaticinium in tribum meam tranſtuliſti: illud excita, ne populus tuus ſic diſſipatus obetret quaſi non habens paſtorem, ſed in unum congregatus tibi adhæreat, & tu *in excelſum reverſus* flagellum tuum ab eo avertas. Hoc enim ſignificat *Dominum in excelſum aſcendere*, quando immiſſam ultionem amovet.

9. *Abſumatur*] h. e. Finem accipiet malitia eorum. ¶ *Diriges juſtum*] Senſus eſt, Tu dirige cogitationes ejus & motus interiores, qui ſolus *noſti corda & renes.*

11. *Deus Judex juſtus*] Kimhi ſic legit hunc locum, *Deus judicat juſtum ſecundum juſtitiam ſuam, & impium juxta impietatem ſuam, qui per ſingulos dies offendit Deum.* Chald. verò Interpres ſic vertit hunc locum, *Deus eſt Judex juſtus, & graviter offenditur contra impium totâ die. Et niſi ille converſus fuerit ad timorem ejus, acuet* Deus *gladium ſuum*, &c. Per *vaſa mortis* intellige letifera tela, h. e. peſtem.

13. *Contra perſecutores*] Chald. *contra perſecutores juſtorum.*

14. *Parturit iniquitatem*] Vita, inquit, impii hominis ſimilis eſt mulieri parienti. Primò enim concipitur cogitatio dolore & amaritudine plena, deinde cùm perducitur ad linguam, anxiatur quaſi mulier quæ tenetur doloribus partûs, donec in opus nefarium procedat. Et hâc Metaphorâ Scriptura ſæpe utitur. Et nota quòd hîc שקר און עמל pro eodem accipiuntur. Impius enim cogitat, loquitur & facit iniquitatem.

VATABLUS.

S*Iggaion* שגיון] Initium erat vulgaris cantilenæ ad cujus modulos decantatus fuit hic Davidis Pſalmus. Gallicè dicimus, *Sur le chant de Siggaion.* ¶ *Super verbis* על דברי] *De factis, de negotio*: i. e. Propter ea quæ dixerat vel perpetraverat *Chus*, i. e. Æthiops, *filius Jemini.* Vide 2 Sam. 16. 7. Saulem vocat *Chus*, quòd atris eſſet moribus, quos non magis mutaret quam cutem Æthiops. *Filius Jemini*, i. e. Benjaminita. Jemini fuit tritavus Saulis, & Cis atavus, 1 Sam. 9. 1.

1. *Spero*

1. *Spero* חסיתי] *Confido.* Præt. Heb. pro præſ.

3. *Iſtud* זאת] Per reticentiam intelligit id quod Saul ſuſpicabatur, vel quod Sauli adulatores de ipſo ſuggerebant, quòd ſcilicet ambiret Regnum, aut capiti ejus inſidiaretur. ¶ *In manibus meis* בכפי] *Manus* pro *factis*: i. e. Si in factis meis eſt iniquitas, ſi iniqua perpetravi adverſus Saulem: Repetitio eſt.

4. *Et ſi non erui* ואחלצה] *Qui eripui*: vel, *ſpoliavi*.

5. *Vitam meam* חיי] i. e. Me. ¶ *Et gloriam meam*, &c. וכבודי וגו'] Hebraiſmus, i. e. Mori me faciat: vel, Gloriam meam ità exſtinguat ut nulla mei memoria ſit apud ſuperſtites & poſteros. Memoria juſtorum non caret gloriâ apud homines. Hic *gloriam* pro *memoria ſui* poſuit.

6. *In furore tuo* באפך] i. e. Iratus: q. d. Oſtende te illis eſſe iratum. ¶ *Propter indignationes* בעברות] *Contra commotiones*, vel, *ob furores*: i. e. Commoveant te hoſtium meorum conatus pleni furore & ſtomacho. Vel, *exaltare*, i. e. altum & potentem te oſtende, ad opprimendos hoſtium meorum conatus. ¶ *Et evigila*, &c. ועורה אלי משפט צוית] *Et expergiſcere ad me* ob *jus* regni quod *præcepiſti*: i. e. Cura vigilantiſſimè ut Regno potiar quod tuo judicio mihi decreviſti. Fac tandem potiar jure Regni quod contuliſti, ad quod juxta præceptum tuum inunctus ſum à Samuele, rejecto Saule. *Nam congregatio populorum circumdat te: itaque adverſus eam in altum revertere.* Oppugnat te, inquit, populorum congregatio cùm me oppugnat: itaque conſcende tribunal adverſus multitudinem illam, quod jampridem reliquiſſe videris, propterea quòd improbum hoſtem non punias. Alludit ad locum in quo Judices ſolent ferre ſententiam, qui editus & altus eſſe ſolet. Ità doctus inter Hebræos exponit. Alii exponunt de populo Iſraëlitico: acſi promitteret David, ſimul ac in Regni ſolium evectus eſſet ſe operam daturum ut populus antea diſſipatus iterum coaleſceret in purum Dei cultum. Nam ſub Saule vel neglecta fuerat religio, vel tanta ſcelerum licentia graſſata fuerat ut pauci ad Deum reſpicerent. Per me, inquit, ad te revocabitur, & in tuum cultum adunabitur. Alii de multis populis dictum accipiunt, ac dicunt, fructum ſuæ liberationis Davidem hìc commendare, quòd longè lateque pateret ejus fama: acſi dixiſſet, Domine, regnum mihi aſſerendo, non privatim beneficium hoc conferes in meam perſonam, ſed commune multis populis documentum erit juſti tui judicii, ut oculos convertant ad tuum tribunal.

7. *In altum* למרום] *In excelſum*: i. e. conſcende tribunal ut judices.

8. *Judicabit* ידין] *Judicat.* Fut. Heb. pro præſ. Perſonæ item mutatio, pro *judicas*: q. d. Domine, tu ſolus es ad quem pertinet pronunciare inter populos: tu igitur Judex es adverſariorum: quare te obſecro ut judices ſecundùm me; oſtende harum inimicitiarum me non eſſe autorem. ¶ *Et ſecundùm perfectionem*, &c. וכתמי עלי] Ad verb. *Et ſecundùm integritatem meam ſuper me.* Vel, quæ eſt *ſuper me*, ſive *in me*. Redundat *ſuper me* cum *meam* dixerit.

9. *Conſumat nunc malum impios* יגמר נא רע רשעים] *Conſumat quæſo malum impios.* Vel, *Ceſſet quæſo malitia impiorum.* Fut. Heb. pro Imperat. ¶ *Et ſtabilis* ותכונן] *Et dirige.* Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Et renes* וכליות] Scriptura ſolet per *renes* affectus interiores ſignificare. Siquidem, inquit, ſolus exploras & vides corda & intimas hominum cogitationes: quod cùm tibi peculiare ſit, non dubium eſt quin videas Saulem ſincero tui amore non affici, me verò tui ſinceriſſimum eſſe cultorem. ¶ *Juſte* צדיק] *Juſtus.*

11. *Judex juſtus*, &c. שופט צדיק וגו'] *Judicat juſtum, & ſpernentem* [*irritantem*] *Deum omni die*: i. e. tam pium quàm impium indeſinenter judicat.

12. *Niſi converſus fuerit*, אם לא ישוב] Si ad Saulem referas, ſic leges, *Niſi converſus fuerit*, ſed *gladium ſuum acuerit, arcum ſuum tetenderit, & paraverit illum: Et paraverit ſibi jacula lethifera, ſagittas ſuas ardentes fabricatus fuerit. En parturiet*, &c. vel, *ſanè parturit, iniquitatem*: q. d. Fruſtrà conatus fuerit: nam Deus irritos faciet conatus ejus. David horribiles hoſtium conatus referens, Dei gratiam hàc deſcriptione magis illuſtrat, acſi dixiſſet, Niſi animum mutaverit hoſtis meus, vel impetum ſuum ac vires aliò converterit, quis impediet quominus ſub manu ejus peream? nam cùm illi arma ſuppetant, cædem meam modis omnibus machinatur. Quòd ſi ad Deum referas, dic, *Niſi converſus fuerit* impius, *acuit* Deus *gladium ſuum*, &c.

13. *Vaſa mortifera* כלי מות] *Vaſa* pro *inſtrumentis*, more Hebraïco: hic pro *jaculis lethiferis*. ¶ *Perſequentibus operabitur* לדלקים יפעל] i. e. Faciet, ſive accommodabit. Aut futurum eſt pro præſenti. Dicit *ſagittas aptaſſe perſecutoribus*, quia multos ad manum habebat ſatellites Saul, qui operam ſuam libenter ad perdendum Davidem locaſſent.

14. *Perverſitatem* עמל] *Afflictionem, moleſtiam.* Hâc Metaphorâ & Jeſaias utitur 33. 11. *Concipietis quiſquilias, parietis ſtipulam.* Quidam ſic reſolvunt iſtam orationem, *Ecce iniquus parturiet, quia moleſtiam concepit*: h. e. ſicuti pridem apud ſe meditatus eſt mihi perniciem, ita inferre conabitur. Alii vertunt, *Sanè parturit rem vanam: quia concepit moleſtiam, ideo pariet rem inanem. Parturire fraudem, malum, injuriam* eſt Totum eſſe in concinnanda injuria. *Concipere malum*, Nihil aliud in animo verſare quam fraudem. Dicit igitur, *Si ille impius non reſipuerit, ſed acuerit*, &c. *certè cupiet parere ſcelus, ſed non edet: quia concepit animo malum, calamitatem & damnum, pariet rem vanam*, i. e. conatus ejus ſucceſſum non habebit.

16. *Perverſitas ejus* עמלו] *Ærumna* [*labor, moleſtia*] *ejus*, i. e. vis quam mihi inferre conatur. ¶ *Iniquitas ejus* חמסו] *Injuria ejus*: *violentia.*

17. *Confitebor Jehovam ſecundùm juſtitiam ejus* אודה יהוה כצדקו] *Celebrabo Jehovam pro juſtitia ejus*: q. d. Cùm hæc videro, laudabo Dominum quòd ſe juſtum præſtiterit liberando me.

CASTALIO.

OB ÆTHIOPEM JEMINIENSEM] Saulum hominem nigrum, i. e. malum.

9. *Qui corda exploras atque renes*] Mentes & animi affectiones.

14. *Nefas pariet*] Heb. *falſum pariet.* Ut autem *verum* pro *æquo juſtoque* tum apud Hebræos tum apud Latinos dicitur, ità *falſum* apud Hebræos pro *injuſto*, ut & in Pſalmis frequenter, & Eſa. 44. quod & apud Latinos fit in adverbio *falsò* pro *immeritò* & *injuſtè*.

CLARIUS.

IN hujus Pſalmi titulo eſt hæc vox, *Higaion*, quod Hebræorum opinio eſt quorundam fuiſſe unum ex inſtrumentis ad quæ Pſalmi fuerint decantati, aut aliquod genus melodiæ. ¶ *Pro verbis* (vel *in negotio*) *Chuſi*] Hebræi hoc nomine accipiunt Saulem, præſertim cùm ſubjiciatur *Benjaminitæ*. Fuit enim ex ea tribu: & *Chus* potiùs quàm ſuo nomine appellatum putant propter reverentiam dignitatis Regiæ. Appoſitè autem ideo fortaſſe *Chus*, i. e. *Æthiopem*, vocavit, ob mentem mutari neſciam, tanquam Æthiopis colorem. Annotandum autem, & hîc, & in libris Judicum & Regum, & ubicunque Interpretes verterunt *filii Jemini*, legendum eſſe *Benjaminita.*

3. *Si feci iſtud*] i. e. Si conatus ſum unquam *veluti leo rapere animam ejus*, id quod ipſe mihi molitur, aut ſi unquam *reddidi malum alicui qui nihil malè mereretur* nec ſuſpicaretur de me, quemadmodum Saul contrà me agit, *qui etiam* paratus fui *opem ferre illi in neceſſitate conſtituto*, quantumlibèt mihi adverſaretur, etiam *ſine cauſa.* Opem autem tulit cùm illum Abiſai ſuâ ipſius lanceâ perfodere vellet dormientem 1 Reg. 26. & in ſpelunca, niſi ſuis obſtitiſſet, actum de Saule erat 1 Reg. 24.

6. *Exaltare ob furorem*] i. e. Oſtende potentiam tuam ſublimem contra hoſtes meos, qui ſine cauſa innocentem perſequuntur; & excitare ad me *in judicio quod præcepiſti*, h. e. jus Regni, quod juxta Patriarchæ Jacob vaticinium in tribum meam tranſtuliſti, illud excita, nè populus tuus ſic diſſipatus oberret quaſi non habens paſtorem, ſed in unum congregatus tibi adhæreat, & tu *in excelſum reverſus* flagellum tuum ab eo avertas. Hoc enim ſignificare volunt illud *in altum regredere*; ut *in excelſum aſcendere* dicatur quando immiſſam ultionem amovet. Poteſt & ſic intelligi, Orabit populus tuus ut digneris te in altiſſimo Regni tui ſolio collocare, & Rex eſſe illius.

8. *Dominus judicat populos*] Vel *judicabit.* Hanc, inquit, provinciam non gravatè ſuſcipiet Dominus, & juſtè *judicabit populos illos; judica & me, Domine, ſecundùm innocentiam meam.*

9. *Conſumetur*] i. e. Finem accipiat malitia eorum & *dirige juſtum*, i. e. Cogitationes ejus ac interiores motus, qui ſolus *noſti corda & renes*, per quæ intelligitur ſummè intimarum cogitationum & cupiditatum exploratorem eſſe Deum.

11. *Deus Judex juſtus*] Quidam ſic interpretantur, *Deus judicat juſtum ſecundùm juſtitiam ejus, & impium juxta impietatem ejus, qui per ſingulos dies offendit Deum.* Chaldæus verò Interpres ſic vertit, *Deus eſt Judex juſtus, & graviter offenditur contra impios totâ die, & niſi ille converſus fuerit ad timorem ejus, acuet Deus gladium ſuum*, &c. Poteſt autem hic locus & hunc ſenſum habere, *Deus judicat juſtè, & judicat eum qui illum provocat quotidie ad iracundiam.*

13. Per *vaſa mortis* intellige letifera tela, i. e. peſtem.

¶ *Sagit-*

¶ *Sagittas ſuas ardentibus effecit*] Illud *ardentibus* intellige ardentibus odio & ſtudio inſectandi juſtos. *Deus ſagittas effecit*, i.e. paravit mala. Alii verterunt *perſequentibus*: nam dictio Hebræa utrumque ſignificat. Sunt & qui vertant, *ſagittas ſuas, ut incendant, inſiet*.

14. *Parturiit injuſtitiam*] Vita, inquit, impii hominis ſimilis eſt mulieri parturienti. Primò enim concipitur cogitatio doloris & amaritudinis plena; deinde cùm perducitur ad linguam, angitur quaſi mulier quæ tenetur doloribus partûs, donec in opus nefarium procedat. Et hâc Metaphorâ Scriptura ſæpe utitur. Cogitationem ergò *conceptui*, conſiliorum anxiam diſpoſitionem ac concinnationem *parturitioni*, factum *partui* aſſimilat. *Injuſtitiam* autem, *dolorem*, *iniquitatem* pro eodem accipi volunt, pro injuria ſcilicet doloſa & violentia. Impius enim cogitat, loquitur & facit iniquitatem.

17. *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus*] h. e. Laudabo Dominum ob juſta judicia ejus quæ pro me declaravit.

DRUSIUS.

שִׁגָּיוֹן לְדָוִד. Alius, ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοίας τῷ Δαυίδ· alius, Ἀγνόημα τῷ Δαυίδ] Ὑπὲρ ἀγνοίας, *pro ignorantia*. Lex. vet. Ἄγνοια, *ignorantia*, *inſcitia*. Locus iſte pleniùs legitur in comment. Pſeudo-Hieronymi, *A. Pro ignoratione David, qui cecinit DOMINO pro verbis Æthiopis. Sym. Pro ignoratione David, quod cecinit DOMINO pro verbis Chuſh filii Jemini*. ¶ Ἀγνόημα τῷ Δαυίδ, *Ignoratio David*, Hieron. ¶ כּוּשׁ. A. Αἰθίοπος] i. e. כושי. Sunt qui Saulem ità vocari putant eò quòd pravis moribus eſſet, juxta illud,

——— *Hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.*

5. סֶלָה. Aq. ἀεί] Vide ſuprà 3. 2.

6. בְּעַבְרוֹת צוֹרְרָי. Aq. ἐν ἀνυπερθεσίαις ἐνδεσμούντων με. Sym. ἐν χόλῳ τῶν θλιβόντων με. Th. ἐν θυμῷ ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς μου] Ἐν ἀνυπερθεσίαις. Apud Pſeudo-Hieron. *in celeritate*. Puto legiſſe ἐν ἀνυπερθεσίᾳ, quomodo poſuimus olim in Fragmentis Antverpiæ cuſis. Sed placet ἐν ἀνυπερθεσίαις. Eſt autem ἀνυπερθεσία, *ira quæ citò tranſit*. Expreſſit etymon vocabuli Ebraïci, quod à *tranſeundo*: nam עבר *tranſeo*. Et ſanè quidem ira nihil aliud eſt quam *furor brevis*, ut Poëta cecinit. Ergò *in celeritate* tantundem valet ac ſi dicas *in ira celeri*. Lex. vet. Ἀνυπερθέτως, *immoranter*, *incunctanter*, *proculdubio*. ¶ Ἐνδεσμούντων με· με abeſt ab ed. Rom. nos adjecimus ex 6. 7. ſuprà צוררי. A. θλιβόντάς με. Cur nunc ità & alibi aliter reddit? Forſan erratum ibi in nomine, & pro *Aquila* reponendum *Symmachus*. Vide. ¶ Ἐν χόλῳ, *in bili*. ¶ Ἐν θυμῷ, *in excandeſcentia*, vel, ut Vetus habet, *in furore*. Hic obiter emendo Chryſoſtomum, cujus verba citantur in ed. Rom. ὁ δὲ Ἑβραῖος τὸ ἐν τοῖς πέρασι, βεβαρώθ, φησί· nam legendum perſpicuè βεαβρώθ, tranſpoſitis literis: emendatio certa, & cui firmandæ verbum non eſt faciendum. ¶ Ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς μου. Simile, חמס אחיך, ἀδικία κατ' ἀδελφοῦ σου. ¶ מִשְׁפָּט * ἐν κρίματι] *In judicio*, vel *propter judicium*.

7. תְּסוֹבְבֶךָּ * κυκλωσάτω σε. ¶ וְעָלֶיהָ לַמָּרוֹם שׁוּבָה. Alius, καὶ ἐπάνω αὐτῆς εἰς τὸ ὕψος ὑπόστρεψον· alius, καὶ ἐπὶ ταύτῃ εἰς ὕψος ἐπίστρεψον] Ἐπάνω αὐτῆς, &c. *ſupra illam in altum revertere*. ¶ Ἐπὶ ταύτῃ, *pro ea*, Hieron.

8. יְהוָה יָדִין עַמִּים * Κύριος δικάζει λαούς] *Judicat*, Sign. etiam *litigare*. Lex. vet. Δικάζω, *judico*, *litigo*. Δικαζόμενος, *litigator*. ¶ כְּצִדְקִי. O. κατὰ τὴν δικαιοσύνην μου. ¶ וּכְתֻמִּי עָלָי. Sym. καὶ κατὰ τὴν ἁπλότητά μου τὴν ἐπ' ἐμοί, *ſecundum ſimplicitatem meam quæ eſt in me*, Hieron.

9. יִגְמָר־נָא רַע רְשָׁעִים. Sym. Ἀπαρτισθήτω κάκωσις τῶν ἀσεβῶν, *Conſumatur vexatio impiorum*. Lex. vet. Ἀπαρτίζω, *perficio*, *conſummo*. Κάκωσις, *adfectatio*, *adflictatio*. ¶ וּתְכוֹנֵן צַדִּיק. A. Sym. & Th. καὶ κατευθύνει δίκαιος. * καὶ ἑδράσεις δίκαιον] Κατευθύνει, *dirigit*. Sed melior interpretatio ἑδράσεις δίκαιον, i. e. *ſtabilies*, *confirmabis*. Lex. vet. Ἑδράζω, *conloco*, *ſedo*, *ſtabilio*. ¶ בֹּחֵן לִבּוֹת וּכְלָיוֹת. * ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφρούς, *ſcrutator cordium & renum*.

10. אֱלֹהִים צַדִּיק מָגִנִּי. * ὁ Θεὸς δίκαιος ὁ ὑπερασπιστής μου, *Deus juſtus protector meus*. Alius, ὁ Θεὸς δίκαιος. Sic habent exemplaria quædam ed. vulgatæ: in aliis eſt, ὁ Θεὸς δικαίως. Faber Stapulenſis, *Juſtum adjutorium meum à DOMINO, illud JUSTUM ex Ebræo & Græco ad verſus præcedentis finem pertinet, legendumque potiùs eſſet, Scrutans corda & renes Deus juſtus, & Græcè ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροὺς ὁ Θεὸς δίκαιος*, examinans corda & renes Deus juſtus: *ſunt qui habent δικαίως*, i.e. *juſte*. Hucuſque Faber. Quæ verba adduxi ut oſtenderem eum legiſſe in Græco δικαίως. Sed de hoc loco aliàs.

11. וְזֹעֵם בְּכָל־יוֹם. A. ἀπειλούμενος κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, *comminans totâ die*. * ἐμβριμώμενος κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, *infrendens totâ die*] *Comminans*: ità Hieron. ¶ *Infrendens*, vel *infremens*. Lex. vet. Βριμῶμαι, *frendo*. Aut ἐμβριμώμενος, *comminans iracunde*.

12. חַרְבּוֹ יִלְטוֹשׁ. Sym. τὴν μάχαιραν αὐτοῦ ἀκονήσει, *gladium ſuum acuet*] Sic etiam Hieron. Lex. vet. Ἀκονῶ, *acuo*. Ἀκόνη, *cos*. Ἀκόνιον, *coticula*. ¶ דָּרַךְ * ἐντενεῖ, *intendit*.

13. לְדֹלְקִים. Sym. εἰς τὸ καύσειν.

14. וְהָרָה. * καὶ κυήσας. ¶ שָׁקֶר. A. ψεῦδος, *mendacium*.

15. בִּשְׁחִיתָה. A. ἐν διαφθορᾷ.

GROTIUS.

PSalmus David] שגיון, quod hîc in Hebræo eſt, initium Hebræi ajunt fuiſſe cantici veteris, ad cujus modulos facta ſit hæc Oda.

Pro verbis Chuſi filii Jemini] Meliùs: *ob verba*, minacia ſcilicet. Chuſus videtur fuiſſe aliquis ducum Saülis, cui mandatum fuit datum perſequendi Davidis. *Filii Jemini*, id eſt, è tribu Benjaminis, ut 1 Sam. 22. 7.

4. *Si feci iſtud*] Quod Saülis comites mihi exprobrant. Vide 1 Sam. 24. 10. 26. 10.

5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala*] Optimè ſic: *Si malum reddidi ei qui mihi fecerat*. Nam שלם ſenſu *faciendi* reperias apud Eſaiam 44. 26. & ità hic cepêre Interpretes Syrus & Arabs.

Decidam meritò ab inimicis meis inanis] Rectiùs ſic: *Et oppreſſi eum qui mihi infeſtus erat ſine cauſa*. Nam חלץ interdum ſignificat *opprimere*: & ità LXX. Jobi 36. 15. חלץ עני verterunt ἔθλιψαν ἀσθενῆ, [*oppreſſi infirmum*.] Neque aliter hîc accepit Syrus. Eundem ſenſum habebat, mutatâ gutturali אלץ. Et fortè olim hîc ſcriptum fuerit אלצה. Reſpicit hiſtoriam quæ eſt 1 Sam. 24. & 26.

8. *Et exſurge Domine Deus meus*] Legit hîc אלי cum Chiric non cum Patach ſub Lamed. Græci quoque ſic legerunt. Vertunt enim: ἐξεγέρθητι Κύριε Θεός μου, [*ſurge domine Deus mi.*] Nec aliter aut Syrus aut Arabs.

11. *Juſtum adjutorium meum à Domino*]. Ex Græco, ut propè omnia in hac verſione: nam aliam ex Hebræo fecit Hieronymus, ſed ea in Eccleſias recepta non eſt: δικαία ἡ βοήθειά μου παρὰ τοῦ Θεοῦ. Illud *juſtum* huc tranſtulêre Græci, cùm nunc in Hebræo comma præcedens finiat. מגני *adjutorium meum* etiam Syrus & Arabs interpretantur. Ergo על quod ſequitur eſt pro מן [ἀ,] ut & infrà 22. 10. & alibi.

15. *Ecce parturiit injuſtitiam; concepit dolorem & peperit iniquitatem*] Meliùs, *En parturit vanitatem: concepit enim moleſtiam & pariet inania*. Succeſſu carebit omnis ille labor. Vide Job. 15. 35.

PRICÆUS.

4. SI *feci iſtud*] *Iſtud*, quaſi peſſimum facinus. Sic 1 Cor. 5. 3. τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον.

Ibid. *Si eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis*, &c.] Plinius Trajanum alloquens, *Sed ingenti conſcientiâ paciſceris cum Diis, ut te, ſi mereberis, ſervent: cùm ſcias, an merearis, neminem magis quàm Deos ſcire*. *Iniquitatem* heic intelligo res iniquè adeptas. μισθὸν ἀδικίας, ut Act. 1. 18. Vide infrà 25. 10. hinc & ἐξ ἀδικίας κερδαίνειν, Iſocrates ad Demonicum. Pro *retribuentibus* in Vulgato malim *tribuentibus* legi.

12. *Deus, &c. patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?*]

——— Οὐκ ἐφ' ἑκάστῳ
Ὥσπερ θνητὸς ἀνὴρ γίγνεται ὀξύχολος.

Judith. 8. 15. *Non quaſi homo, ſic Deus comminabitur, nec ſicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur*. De Diis Seneca 2. 27. de Ira, *Natura illis mitis & placida eſt*.

13. *Arcum ſuum tetendit*, &c. *& in eo paravit vaſa mortis*] Sic è converſo Pſal. 10. 3. de improbis, *Intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas*, &c.

16. *Incidit in foveam quam fecit*] Sic infrà 9. 16. & 56. 7. Amphitryo de Lyco apud Euripidem.

——— Βρόχοισι δ' ἀρκύων γενήσεται
Ξιφηφόροισι, τοὺς πέλας δρῶν κτενεῖν.

IDEM.

4. SI *feci iſtud*] Hypotheticum in ſe vim continens categorici negativi. Eodem ſenſu, at per interrogationem, infrà 10. 4. *Juſtus autem quid fecit?*

5. *Decidam ab inimicis meis*] In conſpectu inimicorum meorum. Sic alibi, *Nec impiè geſſi à Deo meo.*

8. *Synagoga populorum circumdabit te*] In aliquibus, Chryſoſtomo teſte, *circumdet te*: quod bene congruet ſequentibus, *propter hanc* (Synagogam, i. e. multitudinem) *in altum ingredere: Dominus judicat populos*: juxta illud 98. 1. *Dominus regnavit*, (i. e. regnat) *iraſcantur populi. In altum ingredere*, puto eſſe, tribunal ut Judex aſcende. Infrà heic 9. 5. *feciſti judicium meum*, &c. *ſediſti ſuper thronum qui judicas juſtitiam.*

Ibid. *Dominus judicat populos*] i. e. Domine, judica populos. Infra 81. 8. *Surge, Deus, judica terram.* Quin & hìc præceſſit, *Domine Deus exſurge.*

9. *Et ſecundùm innocentiam meam ſuper me*] Sub. *veniat retributio tua.*

10. *Scrutans corda & renes Deus*] i. e. Affectus, deſideria: ut Sapient. 1. 6. Jerem. 11. 20. & 17. 10. & alibi Solomo 15. 11. Gnomologici, *Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?*

12. *Deus judex juſtus*] Non condemnat fruſtra, nec ſubvertit judicium, Job. 34. 12. Vide ad 2 Tim. 2. 4. annotata.

Ibid. *Numquid iraſcitur per ſingulos dies?*] *Iraſcitur*, i. e. punit, Metonymia. Lactantius cap. 21. de ira ejus, *Idcirco non ad præſens noxium punit, ut habeat reſipiſcendi facultatem.* Vide Rom. 2. 3. Pſal. 77. 38. 39. & 89. 3.

13. *Niſi converſi fueritis*, &c.] i. e. Tamen niſi converſi fueritis.

Ibid. *Gladium ſuum vibrabit*] LXX. στιλβώσει, *ſplendere faciet*, i. e. (metonymicè) acuet. Ipſe de quo hæc Pſalmiſta, Deut. 32. 41. Παροξυνῶ ὡς ἀστραπὴν τὴν μάχαιράν μȣ. Vide & Job. 20. 25. ubi fortè *gladius* ſubaudiendus.

Ibid. *Tetendit arcum ſuum*] Excitabit (ut infra 79. 3.) potentiam ſuam.

14. *In eo paravit vaſa mortis*] i. e. Tela mortifera. Jer. 50. 25. *Aperuit theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ.*

Ibid. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*] LXX. τὰ βέλη αὐτȣ̃ τοῖς καιομένοις ἐξειργάσατο, ubi Symmachus, εἰς τὸ καίειν *ut ardeant*, vel, *ardentes fecit*: quo modo ſanè apud Apoſtolum Epheſ. 6. βέλη πεπυρωμένα occurrunt. At quid ſi ſic intellexerimus? *ſagittas ſuas cum ardentibus perfecit* (κατειργάσατο) & ſubintellexerimus *carbonibus*? Infra 119. 4. *Quid detur tibi*, &c. *ſagitta acuta cum carbonibus deſolatoriis.* Vide & 17. 9.

16. *Incidit in foveam quam fecit*] Sirachides 27. 28. *Qui foveam fodit, incidet in eam.* Petronius, *Non ulli celeriùs homines incidere debent in malam fortunam, quàm qui alienam concupiſcunt.*

17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*] Sirachides jam dicto loco, *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: plaga doloſa doloſi dividet vulnera*, i. e. doloſum ipſum dividens vulnerabit. Quin & *dolor ejus* hoc in Pſalmi loco eſt, dolus linguæ ejus. Vide infra 9. 28. & 35.

PSALM. VIII.

MUNSTERUS.

GIthith] Putant eſſe מין הגתית genus inſtrumenti muſici. Aut ſecundùm alios Pſalmus iſte fuit editus in Gath civitate Pheliſtæorum.

1. *Qui poſuiſti*] Vel, *ut ponas gloriam tuam.* Eſt enim hîc תנה idem quod תן, infinitivus ſcilicet à verbo נתן. *Mirabile*, inquit, *& magnificum eſt nomen tuum in univerſa terra*, quòd tu cùm in cœlis habites, & illic ſedem collocaveris pro tua majeſtate, adhuc digneris præſentem te exhibere omnibus creaturis tuis, in quem unum totus mundus & omnia quæ ſunt in eo ſuſpiciunt, quippe à quo habent ut ſint.

2. *Ex ore infantium*] Chriſtus Matth. 21. dicit in ſe impletum verſiculum illum, quando pueri illum laudantes & acclamantes non parùm ſolidarunt exiſtimationem illam quam vulgares conceperant de Chriſto, & confundebant Phariſæorum inimicorum Chriſti impios conatus.

5. *Angelis*] Heb. אלהים *Diis*, capitur tamen hîc pro מלאכים, ſicut nos poſt Hebræorum interpretationem vertimus. Qui verò hunc verſiculum de Chriſto dictum aſſerunt, hi אלהים pro *Deo* accipiendum contendunt.

VATABLUS.

VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Haggithith* הגתית] Aut, *Githith.* Melodiæ genus fuit: q. d. Pſalmus decantandus juxta melodiam quæ *Githith* dicebatur. Aut fuit nomen inſtrumenti muſici ſuper quod decantatus fuit Pſalmus iſte, ſic dicti (ut quidam volunt) ab urbe Palæſthinæ *Gath*, in qua primùm inventum & conſtructum fuerit. Chaldæus, *ad citharam advectam è Gath.*

1. *Grande* אדיר] *Magnificum, potens, præclarum, admirandum.* ¶ *Nomen tuum* שמך] *Nomen* pro *potentia* vel *majeſtate*: q. d. O Domine, quàm magnam eſſe potentiam tuam oſtendit univerſa terra! ¶ *Qui poſuiſti* אשר תנה] *Quod dederis*, vel *poſueris.* Infinit. pro præt. ¶ *Gloriam tuam* הודך] i. e. Magnificentiam ſive præſtantiam tuam: q. d. Magnificè & cum ſumma omnium admiratione elucet potentia tua, etiam in cœlo, nedum in terra.

2. *Ex ore parvulorum* מפי עוללים] Oſtendit linguas infantiles antequam verbum efferre queant, ſonorè loqui quàm liberalis ſit Deus erga genus humanum. Unde enim ſtatim ab utero egreſſis alimentum præſtò eſt, niſi quia Deus mirabiliter ſanguinem in lac transformat? unde etiam ſugendi induſtria, niſi quia idem Deus arcano inſtinctu linguas eorum aptat? ¶ *Fundaſti fortitudinem* יסדת עז] i. e. Stabilem eſſe declaraſti gloriam fortitudinis tuæ, & eam confirmaſti contra inimicos tuos: q. d. Ea quæ mirabiliter agis in infantibus, quos omnium injuriis opportunos conſervas, oſtendunt & eloquuntur te eſſe eum qui res humanas curet, cujus providentiâ omnia fiant & regantur. Matthæus 21. 16. teſtimonium iſtud citat: unde probat, illam puerorum in Templo acclamationem opus Divinæ bonitatis eſſe præcipuâ admiratione dignum, quod hoſtes Dei confutabat non minùs quam reliqua beneficentiæ Dei miracula quæ in infantibus cernuntur. ¶ *Propter inimicos tuos* למען צורריך] i. e. Ut confundantur hoſtes tui qui te Deum eſſe non credunt, qui mortalia curet. ¶ *Ad compeſcendum* להשבית] *Ad ceſſare faciendum, ad abolendum*, vel, *perdendum*, i. e. ut inimicos & ultores perdas. *Ultores* vocat illos qui lædunt eos qui fidunt Deo; aut qui pœnas de hoſtibus ſuis ſumunt, vindictam Deo non relinquentes, quem humana curare non credunt.

3. *Cum video* כי אראה] Fut. Heb. pro præſ. & perficitur ſententia v. ſeq. *Quid eſt homo.* Alii, *Etenim ſuſpicio*: ut ſit cauſa cur tantopere bonitatem Dei miretur.

4. *Viſites eum* תפקדנו] i. e. Quòd rationem ejus habeas?

5. *Siquidem deficere feciſti eum paululum ab angelis* ותחסרהו מעט מאלהים] *Paululum ſiquidem Deo inferiorem feciſti illum.* Homines tot decoribus ornatos eſſe dicit ut eorum conditio Divinâ & cœleſti gloriâ non longè ſit inferior: Deinde externum in omnes creaturas imperium & jus commemorat: ex quo apparet in quam altum dignitatis gradum eos Deus extulerit. Hic locus citatur in epiſt. ad Hebræos, 2. 6. verùm juxta LXX. verſionem, accommodaturque Chriſto. Accommodatur itaque & ad Hominem & ad Chriſtum Filium hominis. Sic plura loca ſunt quæ duplicem habent ſenſum, Propheticum ſcilicet, & Prophetiæ expertem, i. e. nudum & ſimplicem. Quicquid prædicat Scriptura de Hominis dignitate, Chriſto primùm, ut generis noſtri Capiti & Inſtauratori, congruit. Unde hic verſus & ſequentes jure in ea epiſtola de eo exponuntur. ¶ *Coronaſti eum* תעטרהו] Fut. Heb. pro præt. ut ſeq. verſu, i. e. honore & gloriâ ornaſti eum veluti coronâ.

9. *Grande* אדיר] Vide v. 1.

CASTALIO.

6. UT *operum tuarum manuum dominum feceris, omniaque ejus pedibus ſubjeceris*] Alludit ad illud Gen. 1. *Faciamus hominem, qui dominetur.*

CLARIUS.

QUod in titulo Pſalmi ponitur, *Githith*, alii deſcendere volunt à *Gath*, quod ſig. *torcular.* Alii; quòd Pſalmus iſte factus ſit in *Gath* urbe Philiſthæorum. Sunt rurſum alii qui dicunt ideo præfixum illi eſſe hunc titulum quòd traditus ſit Obedædom *Gethæo* cantandus. Canit Propheta in hoc Pſalmo Divinæ potentiæ ac bonitatis vim.

1. *Quàm admirabile eſt nomen tuum*] De ſacroſancto nomine JEHOVAH quidam Hebræorum hoc dictum intelligunt, quòd ita eſſe proprium Dei & ſubſtantiale volunt ut reliqua adjectiva & epitheta putent, atque ideo ſecundùm eos hoc, *Quàm admirabile eſt nomen tuum!* idem valet quod, *Quàm admirabilis es tu!* Vide-

Videtur autem hic eſſe ſenſus, *Mirabile & magnificum eſt nomen tuum in univerſa terra*, quòd tu, cùm in cœlis habites, & illic ſedem collocaveris pro tua majeſtate, adhuc digneris præſentem te exhibere omnibus creaturis tuis, in quem unum totus mundus, & omnia, quæ in eo ſunt, ſuſpiciunt, quippe à quo habent quòd ſint. Vel ſic, Meritò magnifica ſparſa eſt fama nominis tui per univerſam terram: argumenta ſunt gloriæ & majeſtatis tuæ maximè ea quæ apparent in cœlis.

2. *Ex ore infantium*] Dominus Chriſtus apud Matthæum dixit impletum in ſe verſiculum hunc, quando pueri illum laudantes & acclamantes non parùm ſolidarunt exiſtimationem illam quam vulgares conceperant de Chriſto, & confundebant Phariſæorum inimicorum Chriſti impios conatus. Quidam Hebræi exiſtimant Deum initium facere prædicandæ virtutis ſuæ ex ore infantium, cùm primùm ſugere incipiunt: mirandumque eſſe quòd tam tenello puero papillarum modus ita egregiè attemperatus ſit lactiſque copiam ubera abunde ſuppeditent. Alii mirum hoc tum fieri putant cùm loqui incipiunt; quo munere Homines animantia cætera antecellunt. Confirmantur autem in eis miracula, quæ in ipſis maternis uteris cœpta ſunt, in quibus etiam non minora ſanè reperiuntur quæ admiremur, quæque alii Prophetæ interdum commemorant. ¶ *Perfeciſti laudem*] Alii verterunt *fundaſte robur*; & *fundaſti* pro *confirmaſti*, vel *initium feciſti*, accipiunt; & *robur* vel *virtutem* per Metonymiam, h. e. laudem virtutis. ¶ *Inimicum & ultorem*] Enallage numeri eſt, pro eo quod eſt *inimicos & ultores*. Intelliguntur autem impii, qui negant Deum eſſe, & iccireo ad ulciſcendum & puniendum eos qui Deo credunt propendent. Deſtruuntur autem hi, cùm Pater cœleſtis arcana ſua, quæ à ſapientibus & prudentibus abſcondit, revelat humilibus, qui *infantes* quodam modo dici poſſunt.

3. *Videbo cœlos tuos*] Cùm dixiſſet Deum revelaſſe parvulis ſua miracula, nunc ad ea contemplanda converſus ait, Cùm Cœlos ſuſpicio, & tam egregium opus tuum contemplor, atque ex eo majeſtatem admiror, tum demum ſtupeo cur tu tantus Hominis, rei tam abjectæ, tam ſolicitè curam geras. Alii ſic, Cùm in Cœlo multa admiranda contemplor, rurſum in terra Hominis ſtructuram magis obſtupeſco. *Quid enim eſt homo*, &c. Putant hoc loco non factam mentionem *Solis*, quòd quo tempore videtur *Luna* & *Stellæ* is non videatur.

5. *Minuiſti eum*] Sunt qui verterint *feciſti eum paulò minorem Deo*, vel *feciſti eu[m] [de]ficientium non Deum*. Quod autem ait, *homo*, & *filius hominis*, conditionem ærumnoſam & abjectam & ſordidam notat. Quare quò Servator teſtaretur omnem ſe humilitatem noſtram & miſeriam, ſolo peccato excepto, ſubiiſſe, *Filium hominis*, i. e. mortalem, & unum è vulgo ac infima plebe, ſeſe vocabat, eumque titulum ſibi proprium fecerat. Epiſtola ad Hebræos cap. 2. hunc locum de Chriſto interpretatur, idque jure: per Servatorem enim Filium Dei primogenitum, omnia Divinæ dignitatis reliquis nobis conciliata ſunt, ejuſque beneficio illa percipimus. Propterea quicquid de Hominis dignitate Scriptura prædicat, Chriſto primùm ut generis noſtri Capiti atque Inſtauratori competit, ac de eo jure intelligitur, cujus dignitatis tantum quiſque particeps evadit, quantò Chriſti Spiritu fuerit largius donatus. Nam hanc dignitatem quâ cæteris dominamur, ob peccatum magna ex parte amiſſam, Chriſto credentes recipimus. Nam quod ait, *conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, expreſſit illud Geneſeωs, cùm Deus dominari eum juſſit in cæteras creaturas.

8. *Qui perambulant*] Quia in Hebræo per participium dicitur *perambulans*, ſunt ex Hebræis qui referant ad Hominem, quòd ſcilicet homo viam ſibi fecerit per mare.

9. *Domine Dominus noſter*] Epiphonema eſt, quo eâdem admiratione quâ Pſalmum cœpit etiam finit.

D R U S I U S.

1. מָה־אַדִּיר שִׁמְךָ. *Τί μέγα τὸ ὄνομά σου*· i. e. *grande*. Ità Hier. David Grammaticus hanc interpretationem confirmat cùm ait אדיר לשון גדולה. ¶ אֲשֶׁר תְּנָה הוֹדְךָ. Ὃς ἔταξας τὸν ἔπαινόν σου] *Laudem tuam*. Ità ſumitur in illo, כסוס הודו במלחמה, *ſicut equus cujus laus eſt in bello*. Hier. *gloriam tuam*, & LXX. δόξαν. Pſal. 21. 5. ¶ Ἔταξας, *ordinaſti*. Nam τάξις, *ordo*. Eſt cur malim ἔθηκας, *poſuiſti*.

2. מִפִּי עוֹלְלִים. A. ἐκ στόματος βρεφῶν. ¶ יִסַּדְתָּ עֹז. A. ἐθεμελίωσας κράτος. VI. ed. συνεστήσω ἰσχὺν] Ἐθεμελίωσας κράτος, *fundaſti robur*, h. e. veram ac ſolidam laudem. ¶ לְמַעַן צוֹרְרֶיךָ. A. διὰ ἐνδεσμοῦντάς σε. ¶ לְהַשְׁבִּית אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם. VI. ed. ὥστε παῦσαι ἐχθρὸν καὶ τιμωροῦντα ἑαυτῷ,] *Ulciſcentem ſeſe*.

3. כִּי־אֶרְאֶה. VI. ed. ὁρῶ γάρ. ¶ שָׁמֶיךָ. Eadem, τοὺς οὐρανούς ſed Th. τοὺς οὐρανούς σου, *cœlos tuos*. ¶ כּוֹנַנְתָּה. A. ἡτοίμασας. VI. ἥδρασας.

4. מָה־אֱנוֹשׁ כִּי־תִזְכְּרֶנּוּ. Τί ὁ κατ' ἄνδρα ὅτι μνημονεύεις αὐτοῦ.

5. מְעַט מֵאֱלֹהִים. Th. & V. ed. βραχύ τι παρὰ Θεόν· alius ὀλίγον παρὰ Θεόν. In comment. Chryſoſtomi, ὁ δὲ Ἑβραῖος, Οὐθαρσήκ μὰτ μηελωὴμ· verba aliquantùm corrupta: lege οὐθασρήκ μὰτ μηελωείμ. In quo archaiſmus, μὰτ pro μεάτ, item θασρήκ pro θεσσρήκ, quod nos ſcriberemus *Thechaſreu*, vel *Thehaſreu*.

6. תַּמְשִׁילֵהוּ בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ. Ἐξουσιάζειν ἐποίησας αὐτὸν τῶν ἔργων τῶν χειρῶν σου, *feciſti ut poteſtatem habeat in opera manuum tuarum*.

8. בַּהֲמוֹת שָׂדָי. Τὰ κτήνη τὰ ἄγρια, *pecora agreſtia*.

A M A M A.

2. אֲשֶׁר תְּנָה *Qui poſuiſti*] Infinit. pro præt. LXX. ὅτι ἐπήρθη ἡ μεγαλοπρέπειά σου ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν, quia elevata eſt.

3. עוֹלְלִים] *Infantum*. Jun. Piſc. *Parvulorum*, parvuli jam grandiuſculi, qui incipiunt ratione uti & ludere in platea. Jer. 6. 11. *Effundam iram meam ſuper parvulum foris*, ſc. ludentem. Thr. 1. 5. *Parvuli ejus ibunt in captivitatem*. Jer. 9. 21. *ad exſcindend. par[v]ulos è vicis*. Hic ſemper eſt עולל. Vox quoque עלל id docet; ſign. enim moliri aliquid, ſive ludicrum ſive ſerium.

Lactentium] Servius ad Virg. Lactens qui lac ſugit eoque alitur. Lactans, qui lac probet. Matth. 21. 16. ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον. Sic Pſ. 29. 1. 96. 7. Mira Dei providentia erga infantes, cum ipſis proſpicit de idoneo alimento in uberibus, dum olfactum eorum dirigit, eorumque ora format ad ſugendum.

8. צֹנֶה] Et ſp. ovium & caprarum comprehen. Lev. 1. 2. Sic שֶׂה parum ex ovibus & ex capris.

שָׂדָי] Agrorum ut חֲלָיִי, גוֹבַי, אַרְיֵ. Male confundit Philo Byblius cum שַׁדַּי, dum interpretatur Ἀγρότην ruſticum. Saddai ex ש & די ut in שֶׁקַּמְתִּי Jud. 5. ἱκανός. Alii à שדד, παντοκράτωρ, ἄλκιμος.

9. דגי] Hinc דָּגוֹן Idolum Azoliorum. Alii à דגן unde Ζεὺς ἀρότριος & Philoni Biblia Σίτων. Melius à דג piſcis 1. Sam. 5. 4. *Cecidit Dagon facie ſua in terram, caput & manus ambæ abſciſſæ erant.* רק דגן נשאר עליו Jun. tantum quod referebat Piſcem remanſerat in eo. Virg.

Frons hominem præfert in priſtin deſinit alvus.

G R O T I U S.

1. **P***Ro torcularibus*] In tempore vindemiæ cantandum. Sed Chaldæus exiſtimat גתה eſſe inſtrumentum muſicum pei[r]tum à Philiſthinis, quorum urbs *Geth*.

3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*] Ex mirabili ſtructura mammarum ad alendos infantes eo alimento cui in utero aſſueverunt, quas mammas ſine ullo magiſtro attrahunt infantes, quibus id initium eſt στοργῆς, [*affectûs naturalis*.]

Propter inimicos tuos] *Ad deſtruendos*, id eſt, confundendos *inimicos* eos qui Deum negant eſſe, aut res noſtras curare. LXX. hîc bene, τοῦ καταλῦσαι τὸν ἐχθρὸν, [*ad deſtruendum inimicum*.] Idem verbum Ezech. 30. 10. vertitur ἀπολῶ, [*perdam*.]

Et ultorem] καὶ ἐκδικητὴν Græci: id eſt, τὸν πολεμοῦντά σοι, [*bellantem adverſum te*,] ut hæc vox vertitur Eſtheræ 8. 13. Videtur tacitè Saül ſignificari.

6. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*] Id eſt, dominantem in res has inferiores eum feciſti. In primo enim ſtatu omnia ei ſponte parebant. Ea felicitas per peccatum amiſſa per Chriſtum redditur: id & Hebræos de Meſſia ſperaſſe oſtendunt Rabbi Juda, & Rabbi Jacob in libro Caphthor.

P R I C Æ U S.

4. **C***Oelos, opera digitorum tuorum*] Infra 18. 1. & 88. 12. & 32. 6.

7. *Gloriâ & honore coronâſti eum*] Autor allocutionis ad Aſclepium in Operibus Apulejanis, *Magnum miraculum eſt homo, animal adorandum atque honorandum*. Seneca 2. 29. de Benef. *Quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter*, &c. *Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium eſt*, &c. *Circumeas licet cuncta, & quia nihil totum invenies quod eſſe te malles, ex omnibus ſingula excerpe quæ tibi dari velles. Ità, bene æſtimatâ Naturâ* (*Naturam* heic paren-

tem Naturæ intellige) *indulgentiâ, confitearis neceſſe eſt in deliciis te illi fuiſſe. Ita eſt, chariſſimos nos habuerunt Dii immortales habentque.* Quibus adde quæ ad Luc. 12. 24. annotavimus.

Ibid. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*] Ibidem Seneca, *In hoc pulcerrimo* (mundi) *domicilio voluerunt nos* (Dii) *ſecundas ſortiri, terrenis præfecerunt.*

8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*] i. e. Poteſtati ejus. Servius ad Æneid. 7. *Sub pedibus, ſub imperio ac poteſtate. Omnia,* nempe animalia, ut ſtatim per genera enumeratiùs ſequitur. πᾶσαν φύσιν (ut Jacob. 3. 7.) θηρίων τε καὶ πετεινῶν, καὶ ἑρπετῶν, καὶ ἐναλίων. Calpurn. Ecl. 2.

——— Omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quodcunque vagis alitum ferit aëra pennis.

Virgil. 6.

——— Pecudumque genus, vitaſque volantum:
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.

Claudian. Stilic. 3.

——— Decus omne timorque
Sylvarum non caute latent, non mole reſiſtunt
Fortia, non volucri fugiunt pernicia curſu.

Sirachides 17. 4. de Deo, Ἔδωκε τὸν φόβον αὐτοῦ (hominis nempe) ἐπὶ πάσης σαρκός, καὶ κατακυριεύειν θηρίων καὶ πετεινῶν. Lactantius in de Ira Dei cap. 6. *Homini*, &c. *cuncta quæ ſpirant, & omnis rerum natura ſubjecta eſt.* Vitruvius 2. 1. de Natura (i. e. Deo) loquens, ait, eam ſubjeciſſe ſub poteſtate hominum cætera animalia. Seneca jam citato loco, *Cogita quanta nobis tribuerit parens noſter: quantò valentiora animalia ſub jugum miſerimus, quantò velociora conſequamur; quàm nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum.* Adde Scriptorem Sapientiæ 9. 2. & quæ ad dictum Jacobi locum jamptidem copioſè attulimus.

IDEM.

3. Ut *deſtruas inimicum*] LXX. τοῦ καταλῦσαι ἐχθρόν· bene. Sic Καταλύτην, καθαιρέτην exponitur ab Heſychio, metaphorâ ab ædificiis ſumptâ: Unde & in Gloſſis, Κατάλυμα οἰκοδομῆς, *deſtructio.*

Ibid. *Et ultorem*] Iidem Græci, καὶ ἐκδικητήν· qui tecum bellum gerunt, & ejiciunt potentiam ac providentiam tuam. Heſychius, Ἐκδικεῖν, ἐξέβαλεν· ubi fortè ἐκβάλλειν, *ejicere,* (i. e. ſpernere,) ſcribendum.

5. *Quid eſt homo?* &c.] Sirachides 18. 7. *Quid eſt homo? & quæ eſt gratia illius?*

10. *Quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!*] Quàm mirabilis eſt potentia & ſapientia tua in operibus univerſæ terræ! Vide 103. 24.

PSALM. IX.

MUNSTERUS.

A*lmuth*] Chald. Interpres hanc dictionem in duas ſecemit voculas: nam ſic interpretatus eſt, על מיתותא דגברא דינפק מביני משריתא, id eſt, *Super morte viri qui egreſſus erat de mediis caſtris*, Goliath ſcilicet Phelistæum ſignificans, ut ſit לבן idem quod לבין. Alii putant בן in לבן eſſe nomen cantoris cui iſte Pſalmus decantandus traditus fuit. Alii putant *Laben* nomen fuiſſe cujuſdam Principis Pheliſtæi, quo cæſo, pro conceſſa victoria fuit iſte editus Pſalmus.

4. *Feciſti judicium meum*] Senſus eſt, Vindicaſti me de inimicis meis, & quaſi aliunde veniſti ſeſſurus in tribunali tuo, ut ſententiam ferres pro me innocente contra hoſtes meos.

6. *Deſolationes finem perpetuum*] Proſtrato hoſte, *deſolationes* & incurſiones, quas facere conſueverat, *finem habuerunt, periitque memoria* hoſtium *unà cum civitatibus quas in ſolitudinem redegerunt.* Vel, ſicut hoſtis conabatur in perpetuum delere nomina civitatum, ſic è diverſo accidit ut Deus deleret nomen hoſtis manentibus civitatibus.

16. *Meditatio*] Inveniunt, inquit, electi Dei in operibus ejus multa quæ meditentur, & unde plurimùm mirentur, quomodo Deus ad tempus permittit impios *facere foveas, abſcondere laqueos*, atque ſtruere inſidias piis, in quas tamen ipſi tandem Divino judicio incidunt, cùm Deus ſuos in finem non deſerat, ſed opportuno tempore opem ſalutarem ferat.

VATABLUS.

V*ictori* למנצח] Vide Pſalm. 4. 1. ¶ *Super Muth labben* על מות לבן] Nomen eſt cantilenæ ad cujus modos decantatus fuit hic Pſalmus. Aut nomen eſt inſtrumenti muſici. Quidam volunt *Labben* eſſe nomen cujusdam Philiſthæi, quo cæſo, pro conceſſa victoria editus fuit hic Pſalmus; exponentes, *Super morte Labben.* In hunc ſenſum Chaldæus P. vertit, *Super morte viri qui egreſſus erat de mediis caſtris*, Goliath Philiſtæum ſignificans.

1. *Confitebor Jehovæ* אודה יהוה] *Celebrabo Jehovam. Confiteri Domino* pro *celebrare Dominum*, vel *laudibus vehere Dominum*, in Pſalmis ferè ſemper legitur. ¶ *Mirabilia tua* נפלאותך] Perſonæ mutatio more Hebræorum.

2. *In te* בך] *De te*; vel, *propter te*: q. d. Tibi victoriam feram acceptam: gloriabor de tuo auxilio. ¶ *Nomini tuo* שמך] *Nomen tuum*; ſive *famam tuam. Altiſſimum* ſive *Supremum* Deum vocat quòd omnes mortales ſuperet.

3. *Impegerint & perierint* יכשלו ויאבדו] *Corruerint & perierint.* Fut. Heb. pro præt.

4. *Quoniam feciſti*, &c. כי עשית וגו'] Subaudiendum ex v. 1. & 2. *Celebrabo te*, vel, *Lætabor de te*, quoniam pro me pronunciaſti, ſediſtique pro tribunali. Videntur inverſa hæc, pro *Quoniam ſediſti pro tribunali ubi pronunciaſti.* ¶ *Qui judicas juſtitiam* שפט צדק] *Judex juſtitiæ. Judex juſtus. Judex juſte.*

5. *Subvertiſti* גערת] *Perdidiſti. Exterminaſti. Increpaſti.*

6. *Finitæ ſunt ſolitudines in ſeculum* תמו חרבות לנצח] *Finem habent ædificia deſtructa* [ſive *deſolationes*] *in univerſum: conſummatæ ſunt vaſtitates in perpetuum.* Inſultatio adversùs inimicum qui ſibi perſuaſerat ſe omnia ità apud Iſraëlitas vaſtaturum ut nè memoria quidem ulla rerum deſtructarum ſupereſſet: quod tamen aliter accidit. Nam *Dominus in ſeculum*, &c. Fut. Heb. pro præt.

7. *Et Jehovah* ויהוה] *Sed Jehova.* ¶ *Permanebit* ישב] *Permanet.* Fut. Heb. pro præſ. Vel, *ſedet*; ſub. *pro tribunali.* ¶ *Paravit* כונן] *Parat.* Præt. Heb. pro præſ. in conjug. quadrata: q. d. Dominus perpetuò ſedet pro tribunali, paratus judicio ſuo liberare juſtos ab inſidiis & vi improborum.

8. *Judicabit orbem* ישפוט תבל] *Judicat orbem*; *jus dicit orbi.* Fut. Heb. pro præſ. q. d. Jus dicit cunctis populis cum ſumma æquitate, ità ut ii interficiantur qui morte digni ſunt, & ii contrà ſerventur & à morte aſſerantur qui exſtingui non debent. ¶ *In rectitudine* במישרים] *In æquitatibus.*

9. *Exaltatio* משגב] Vox Ebræa ſign. *locum editum* ſive *elevatum*, ad quem confugimus imminente calamitate: ideo ponitur pro *aſylo* & *perfugio*, *arce* & *munimento.*

10. *Et ſperabunt* ויבטחו] *Sperent igitur. Fiduciam igitur habeant.* Fut. pro imp. ¶ *Scientes nomen tuum* יודעי שמך] i. e. Qui te cognitum habent. *Nomen Dei*, inquit doctus inter Hebræos, *eſt Deus*; *& Deus*, *ſuum nomen.* Per *nomen* autem attributa Dei intelligimus. Vertere igitur potes, *Qui notam & perſpectam habuerint clementiam tuam, qui noverint bonitatem & humanitatem tuam*, &c.

11. *Habitanti in Sijon* ישב ציון] Hoc dictum eſt Spiritu Prophetico antequam illata eſſet Arca in Sion, ſuper ejus propitiatorium & tegumentum inter ipſos Cherubim conſulebat populo ſuo Dominus: propterea dicebatur *habitare in Sion.* ¶ *Opera ejus* עלילותיו] *Studia ejus.* Vel, *facinora & egregia facta ejus.*

12. *Requirens ſanguinem, ejus recordatus eſt* דורש דמים אותם זכר] *Requirens cædes, ipſarum* [ſub. *cædium*] *meminit*, vel *recordatur.* i. e. Deus qui quæſtionem inſtituit de cædibus innocentium, tempore ſuo illarum recordatur atque ulciſcitur.

13. *Vide afflictionem* ראה עניי] Hàc precatione uſus eſt David cùm eſſet conſtitutus in periculo mortem minitante. Etiam, inquit, contemplare nunc meam afflictionem, ut olim feciſti: id eſt, libera me ab omnibus hoſtibus meis, ut me à Goliath liberaſti.

14. *In portis* בשערי] *Porta* in S. ſignificat locum ante portam in quem populus cogi & convenire ſolebat, ubi & Judices congregabantur ut illic jus redderent. Dicit igitur David *ſe enarraturum laudes Dei in portis congregationis Sion*, i. e. in locis in quibus conciones haberi ſolebant à populo Iſraëlitico, in conventu frequentiſſimo; acſi dicat, in media Eccleſia. Vox Hebræa בת, pro qua *filiam* vertit noſter Interpres, ſign. *congregationem.* ¶ *In ſalute tua* בישועתך] *De ſalute tua*; i. e. de auxilio tuo ſalu-

ſalutifero: ſive, ut lætitiam meam proteſter de auxilio à te accepto.

15. *Demerſæ ſunt* טבעו] Duplex eſt Metaphora; altera à Venatoribus, qui lupis & vulpibus fodiunt foveas in quas incidant; altera ab Aucupibus. David fiduciâ erectus hoſtibus ſuis inſultat; acſi dicat, Paraverant mihi foveas & laqueos, ſed in illos inciderunt: induſtriâ & arte ſuâ ceciderunt. Hoc dicit quia Philiſthæi gloriabantur in virtute Goliath; verùm fuit illis exitio; nam eo cæſo cæſi ſunt & ipſi.

16. *Notus eſt Jehovah* quòd *judicium fecit* נודע יהוה משפט עשה] *Cognitus Jehovah judicio* quod *fecit*, ſub. *adverſus Goliath*, quando eum cæcidit atque omnes impios. Vel, *Notus Jehovah, judicium fecit*. Aut, *Innotuit Jehovah, judicium fecit*. ¶ *Meditatio in ſeculum*, הגיון סלה] *Higgaion ſela*: q. d. O rem perpetuâ meditatione dignam! Hoc perpetuò meditari debent fideles, nimirum quod improbi conſilio ſuo pereant.

17. *Revertentur* ישובו] *Convertentur. Recident.* Aut eſt fut. pro præt. *Reverſi ſunt*; i. e. hoſtes mei reverſi ſunt in terram unde prodierant, in ſepulcrum ſive in foveam, in imam terræ partem & profundam abyſſum, quò reverti ſolent omnes quibus curæ non eſt Deus, qui judex eſt vivorum & mortuorum.

18. Non] Nulla eſt negatio apud Hebræos in hac ſecunda parte verſûs; verùm eam ſuo more repetunt ex præcedenti: h. e. Nunquam Dominus obliviſcetur afflictorum & calamitoſorum: neque unquam excidet ſpes eorum; h. e. non erit vana, neque fruſtrabuntur ſuâ ſpe.

19. *Nè roboretur* אל יעז אנוש] *Nè fortificetur homo*; i. e. nè prævaleat mortalis: h. e. effice nè vires humanæ aliquid eſſe videantur: oſtende humanas vires adverſum te nihil poſſe. Vox Hebræa אנוש, pro qua quidam vertunt *mortalem*, ſign. *hominem infirmum & imbecillum*. ¶ *Judicentur Gentes* ישפטו גוים] i. e. Utinam exerceatur à te in Gentes judicium: hoc eſt, utinam à Gentibus pœnas ſcelerum ſuorum exigas.

20. *Pone, Jehovah, timorem eis* שיתה יהוה מורה להם] Hebraïſmus, *O Jehova, incute illis metum*. ¶ *Sciant* ידעו] i. e. Utinam Gentes, & quicunque Deo adverſantur, ſciant ſe mortales eſſe homines & imbecilles præ Deo. Additur in Hebræo in fine hujus verſûs *Sela*: q. d. O ſententiam exactâ conſideratione dignam! expendant homines diligenter apud ſe, hominis vitam bullam eſſe, umbram, ſomnium; quicquid item fragile eſt atque fugax.

CLARIUS.

IN titulo hujus Pſalmi, ubi noſtra habent, *Pro occultis filii*, in Hebræo eſt, *Almuth Labben*, quod Chaldæus ſic interpretatus eſt, *Super morte viri qui egreſſus erat de mediis caſtris*, Goliat ſcilicet Philiſthæum ſignificans. Alii putant *Labben* nomen fuiſſe cujuſdam Principis Philiſthæi, quo cæſo, pro conceſſa victoria fuerit iſte editus Pſalmus. Alii aliter ſentiunt.

1. *Narrabo omnia mirabilia tua*] Non quòd id vel ipſe vel quivis alius poſſit, ſed quòd ità vellet poſſe.

3. *Dum convertitur inimicus*] Poſt prooemium connumerare incipit beneficia, & ait, *Dum convertuntur inimici mei retrorſum, labuntur & peribunt à facie tua.*

4. *Feciſti judicium meum*] h. e. Ultus es inimicos meos, & quaſi aliunde veniſti ſeſſurus in tribunali tuo ut ſententiam ferres pro me innocente contra hoſtes meos.

6. *Inimice*] Vocativi eſt caſûs, *ô inimice.* Interpretatio autem hujus loci duplex eſt. Aut enim commemorat quod ab hoſte factum erat, aut ironicè objicit hoſti quæ ipſe hoſtis animo deſtinarat, ut dicat, *O hoſtis*, qui animo jam omnia vaſtaras, num *confectæ* tibi *ſunt vaſtitates* illæ *æternæ*? &c. qui ſenſus potior videtur, quàm quòd malus hoſtis, quem David devicit, ſic regionem Iſraëlis exciſis urbibus deſolaverit, ut dici potuerit *perfeciſſe eum vaſtitates æternas, & aboleviſſe memoriam Iſraëlitarum unà cum ipſis.* Quod noſtra habent, *defecerunt frameæ in finem*, alii verterunt, *deſolationes finem perpetuum acceperunt*, vel, *conſummatæ ſunt vaſtitates in ſempiternum*: pro quo ſæpe Interpres vertit *in finem*. Dicamus autem rurſum ſic, *O inimice, finem habent populationes tuæ*, neque poſthac ampliùs tibi unquam dabitur populandi poteſtas. *Civitates* certè aliis ſic *ſubvertiſti ut memoria illarum perierit*, cum admiratione tranſeuntium: & tu quidem iſta, Domino ad tempus connivente, feciſti, verùm ille *in perpetuum regnabit*, & obſervabit omnia, & jam nunc *ſolium ſuum parat* ut ſedeat pro tribunali.

16. *In operibus manuum ſuarum*] Per hæc verba videtur ſignificari Goliath ſuo ipſius gladio confectum. In fine hujus verſûs eſt poſitum *Higgaion. Selah*, i. e. *Meditatio*; *in ſeculum eſt ſalus hæc*: ut per illud, *Meditatio*, intelligas invenire electos Dei in operibus ejus multa quæ meditentur, & unde plurimùm mirentur, quomodo Deus ad tempus permittat impios, *facere foveas, abſcondere laqueos*, ac ſtruere piis inſidias, in quas tamen ipſi tandem Divino judicio incidunt; cùm Deus ſuos in finem non deſerat, ſed opportunè opem ſalutarem ferat.

20. *Conſtitue, Domine, legiſlatorem*] Qui ſcilicet eos coerceat ac terreat: nam alii vertetunt, *Pone, Domine, timorem eis.*

DRUSIUS.

למנצח על־מות לבן. Aq. Τῷ νικοποιῷ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ, *Victoriæ autori juventutis filii.* Sym. Ἐπινίκιος περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ, *Victorialis de morte filii.* Th. & V. ed. Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ ἀκμῆς. VI. ed. Εἰς τὸ τέλος νεανιότης] Περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ, *ſuper morte filii*, Hier. ¶ Ὑπὲρ ἀκμῆς. Lex. vet. Ἀκμὴ, *maturitas, vigor.* Alibi eſt Th. *de florida ætate filii*; ὑπὲρ ἀκμῆς τοῦ υἱοῦ. ¶ Εἰς τὸ τέλος, i. e. לנצח. ¶ מזמור לדוד. A. μελῴδημα τοῦ Δαυὶδ. Sym. ᾆσμα τοῦ Δαυὶδ] Μελῴδημα, idem quod μελῳδία, *cantus ſuavis, modulatio.* ¶ Ἆσμα. Lex. vet. Ἆσμα, *cantio, cantus, canticum, canor.* Ἀσμάτιον, *cantilena.*

2. ואעלצה. A. & Sym. καὶ γαυριάσω, *& exſultabo*] Lex. vet. Γαυριῶ, *exſulto, geſtio.* ¶ אזמרה שמך עליון. Sym. ᾄσω τῷ ὀνόματί σου, ὕψιστε, *canam nomini tuo, Altiſſime.*

4. בשוב־איבי אחור יכשלו ויאבדו מפניך. Sym. Ἀνατραπέντων τῶν ἐχθρῶν μου εἰς τὰ ὀπίσω, προκοψάντων καὶ ἀπολομένων ἐκ προσώπου σου, *Converſis enim inimicis meis retrorſum, & colliſis atque perditis à facie tua.*

5. עשית משפטי. * ὑπερεδίκασάς μου.

6. אבדת * ἀπώλεσας, *perdidiſti.*

7. חרבות. A. ἔρημα. Sym. ἐρείπια] Ἔρημα, *deſerta, deſolata.* ¶ Ἐρείπια, *parietinæ*, Pſalm. 101. 7. בחרבות. LXX. ἐν οἰκοπέδῳ. Eſt autem οἰκόπεδον propriè *domicilium collapſum*, aut *ſolum domus dirutæ*. Itaque Auguſtinus exponit *in parietinis*: *ubi*, inquit, *parietes ſtant ſine tecto. Nam ibi habitat nycticorax, avis noctem amans.* Hæc Aug. Lex. V. Ἐρείπιον, *ſemirutum, ſemirutus* ¶ המה, * σὺν αὐτοῖς. Ità Hier. *cum ipſis.* Quod autem in Chryſoſt. ὁ δὲ Ἑβραῖος, ἡμ, mendum eſt pro ἡμμα, vel potius ἥμμα. Tale eſt σελ pro σελᾶ.

8. ישב. * καθεδεῖται, *ſedet*] Fut. 2. med. à καθέζομαι, *ſedeo.* Sign. etiam *manere.* Ergò καθεδεῖται, *manebit, manſurus eſt.* Id alii dixerunt μένει, *manet*; & Ebræus ἰσσάβ. ¶ כונן. A. & Sym. ἥδρασεν, *ſtabilivit*, Hier.

10. לדך. Alius, τῷ ἐπιτριπτῷ & alius, τῷ τεθλασμένῳ] Ἐπιτρίπτῳ, *contrito*: nomen ab ἐπιτρίβω, *detero*, Τεθλασμένῳ, *fracto, contuſo*, à θλάω. Lex. V. Θλῶ, *tundo.* ¶ לעתות. A. *in tempore.* Sym. *opportune*] *In tempore*, εἰς καιρόν. Priùs erat ἐν εὐκαιρίαις. Sed ἐν εὐκαιρίᾳ videtur legiſſe Clemens Strom. 6. *Opportune*, εὐκαίρως. Puto leg. ἐν καιροῖς. Nam facilis lapſus de hoc in illud. Vide infrà 10. 1.

11. ויבטחו. A. καὶ πεποιθήσουσι. Sic etiam Sym. Teſtatur Theodoretus per hæc verba, SPERENT, *Aquila & Symmachus* CONFIDENT, *dixerunt, verbo utentes Indicandi pro Imperandi.*

12. ישב. * τῷ καθημένῳ. ¶ עלילותיו. A. ἐναλλαγὰς αὐτοῦ. Sym. μηχανὰς αὐτοῦ. Ἐναλλαγὰς, i. e. *mutationes.* Μηχανὰς, *machinationes*, vel *machinamenta.* Interpres Theodoreti vertit *artes.* Lex. V. Μηχανὴ, *machina.* Μηχάνημα, *machinatio.* Uſus eſt ergò μηχανὴ pro μηχάνημα. Idem Lexicon, Μηχανῶμαι, *machinor, molior.* In Comm. Chryſoſtomi, Ἄλλος, ἐν τοῖς λαοῖς τὰ μηχανήματα αὐτοῦ, i. e. *Alius Interpres vertit, In populis moliriones ejus*: ἐν τοῖς λαοῖς, i. e. בעמים.

16. טבעו. * ἐβαπτίσθησαν.

17. נודע יהוה משפט עשה. * Ἐγνώσθη Κύριος κρῖμα ποιήσας, *Innotuit DOMINUS judicium faciens*] Ποιήσας, i. e. עשה, aliis vocalibus. ¶ כפיו. * ταρσῶν αὐτοῦ, *palmarum ejus.* Sed de hoc conſule ſis Lexica Græca. ¶ הגיון סלה. A. ᾠδὴ ἀεί. Sym. μέλος διαψάλματος.

18. כי לא לנצח ישכח: * Οὐ γὰρ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται, *Non in perpetuum oblivioni erit.* ¶ תקות ענוים. * ἡ προσδοκία πραέων] i. e. ענוים. Sed & עני ponitur pro ענו *mitis, manſuetus.* Vide Lectiones meas in Zachariam.

19. אל־יעז. A. *nè temere agat homo*] In Chryſoſt. Ἄλλος, μὴ θρασυνέσθω. Credo Aquilam ſignificari. Lex. V. Θρασὺς, *temerarius.*

20. שיתה יהוה מורה להם A. Θὲς, Κύριε, Φόβημα αὐτοῖς, *Pone, DOMINE, terrorem illis.* Sym. Τάξον, Κύριε, νόμον αὐτοῖς, *Ordina, DOMINE, legem illis*, i. e. תורה. Th. Κατάστησον, Κύριε, φόβον αὐτοῖς, *Conſtitue, DOMINE,*

metum illis. Alius neſcio quis, *ἐπίλαμψαι, illuce.* Lex. V. Ἐπιλάμπω, *inluceo.*

GROTIUS.

1. IN *finem pro occultis filii*] Rectiùs, *Principi cantorum: ſuper morte Laben*; id eſt Nabal: voluit enim *ἀναγραμματικῶς* [*tranſpoſitis literis*] occultare nomen illius.

18. *Convertantur peccatores in infernum*] Malè pereant. myſticè ad pœnas poſt hanc vitam referunt Rabbini.

19. *Patientia pauperum non peribit in finem*] Bene ſupplevit negativam particulam, quæ in Hebræo ex ſuperioribus tacitè intelligitur.

PRICÆUS.

9. FActus eſt Dominus refugium pauperi] Gr. *καταφυγή.* Plinius 8. epiſt. 13. de Titinnio Capitone, *Multorum portus, ſinus*, &c.

10. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*] In opportunitatibus afflictionum, (*ἓν διὰ δυοῖν*) vel opportunus adjutor in tribulatione. Catullus,

Qualis in aerei pellucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit è lapide,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
Tale fuit nobis Manlius auxilium.

De Deo Seneca apud Lactantium, 6. 25. *Majeſtate leni verendum amicum, & ſemper in proximo.* Vide & 34. 19. Sirachidem.

Ibid. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*] In tribulationum opportunitatibus. *σώσει* (ut 2. 11. Sirachidis) *ἐν καιρῷ θλίψεως.*

11. *Et ſperent in te*, &c.] Ideo ſperent in te, &c.

Ibid. *Qui noverunt nomen tuum*] Qui experti ſunt (id enim hic *noſſe*) tempeſtivum auxilium tuum: ità cohæret cum ſequentibus.

13. *Requirens ſanguinem eorum, recordatus eſt*] Vide ad Luc. 18. 8. dicta.

16. *Infixæ ſunt Gentes*, &c.] In Græco *ἐνεπάγησαν.* Huc ergò ſine dubio referenda Heſychii illa, Ἐνεπάγησαν, *ἐνηλώθησαν.*

Ibid. *In laqueo quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*] Ità ſuprà 7. 17. In Comœdia Latina,

Sator ſartorque ſcelerum, & meſſor maxime.

19. *Patientia pauperum non peribit*, &c.] *Deus non projiciet ſimplicem*, Job. 8. 20.

21. *Conſtitue, Domine, legislatorem ſuper eos*] Aquila, *θοῦ φόβημα αὐτοῖς.* Ità 36. 2, Sirachides, Ἐπίβαλε τὸν φόβον σου ἐπὶ τὰ ἔθνη.

Ibid. *Ut ſciant Gentes quoniam homines ſunt*] Supple *& non Dii.* Eſaiæ 31. 3. *Ægyptus homo, & non Deus.* Vide Ezech. 30. 7, 8. Daniel 5. 21. & 4. 14, 22. item quæ fusè inferiùs Pſ. 82. Græci heic, *γνώτωσαν ὅτι ἄνθρωποι εἰσι.* Charon, & de mundi magnatibus (apud Lucianum) ad Parcam Clotho, *τὰς κεφαλὰς ἀπότεμνε, καὶ ἀνασκολόπιζε, ἵνα εἰδῶσιν ἄνθρωποι ὄντες.* Plinius propter contrarias virtutes Trajanum laudans, *Non minùs hominem ſe eſſe, quàm hominibus præeſſe meminit.*

Ibid. *Ut ſciant Gentes quoniam homines ſunt*] Pacatus in Panegyrico de Perſarum R. *Dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem.*

23. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*] In Græco *ἐμπυρίζεται* præ dolore & indignatione. Vide Pſal. 6. 8. & 38. 4. *Præcordia penitus carpuntur ei*, ut loquitur Apulejus.

25. *Secundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*] Sub. *Deum.* Sirachides 28. 12. Κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσαι· καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον, ἀνυψεῖ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ.

Ibid. *Secundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*] *Dedit Deus ei* (ut Jobi 24. 23.) *pœnitentiæ locum, & eo abutitur ille in ſuperbiam.*

26. *Auferuntur judicia tua à facie ejus*] In Græco *ἀνταναιρεῖται.* Legendum autem, ni fallor, *ἀντανaίρεται* nec aliter (qui hunc locum reſpexit) Heſychius, Ἀντανaίρεται, *ἀφαιρεῖται. Auferri* hic eſt, non venire in conſpectum ejus: cujuſmodi multa annotavimus ad 1 Joh. 4, ea, *ἡ ἀγάπη ἐκβάλλει φόβον.*

Ibid. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*] In hoc ſtudet ut adverſantes ſubjiciat ſibi non cogitans de retributionibus tuis.

27. *Dixit enim in corde ſuo, non movebor*]

—— *Tutum me copia fecit.*
Major ſum quàm cui poſſit Fortuna nocere.

Vide & infrà 30. 7.

Ibid. *Non movebor à generatione in generationem, ſine malo*] Ad me malum non accedet.

28. *Cujus maledictione os plenum eſt & amaritudine*] Ità, *linguam mendaciorum & amaritudinum præminiſtram* Apulejus dixit. Saluſtius, *Vix ſatis apertum* (iis) *os, aut lingua videtur quæ meditata pectore evolvat.* Vide infrà 109. 18. & 13. 3.

Ibid. *Cujus maledictione os plenum eſt & amaritudine*] Proverb. 15. 28. *Os impiorum abundat malis.*

29. *Sedet in inſidiis*, &c.] Gr. *ἐγκάθηται ἐν ἐνέδρᾳ.* Hinc apud Heſychium, Ἐγκάθετοι, *ἐνεδρεύοντες.* Suidas, Ἐγκάθετος, *δόλιος*, &c. *καὶ*, Ἐγκάθηται, *ἐνεδρεύει.* Joſephus 13. 8. Ἐν *ἐνέδρᾳ καθίσαντες.*

30. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*] Calcaneum ejus obſervant, infrà 55. 7.

Ibid. *Inſidiatur*, &c. *quaſi leo in ſpelunca ſua*] Ammianus Marcellinus lib. 15, de Arbetione, *Ut ſubterraneus ſerpens foramen ſubſidens occultum aſſultu ſubito ſingulos tranſitores obſervans inceſſit, ità ille*, &c. & Idem lib. 26. *Subſidebat ut prædatrix beſtia, viſo quòd capi poterat, protinus eruptura.*

Ibid. *Rapere pauperem dum attrahit eum*] Dum trahit eum, *εἰς κριτήρια* nempe, more divitum: vide Jacob. 2. 6. Senſus ergò, inſidiatur ut rapiat (i. e. ſpoliet) pauperem, in fora & tribunalia) ubi ambitus & gratia prævalent) attrahendo eum.

33. *Dixit in corde ſuo, oblitus eſt Deus*]

—— *Dei natura neceſſe eſt*
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota à rebus noſtris ſejunctaque longè:
Nec bene promeritis capitur, neque tangitur irâ.

Adde infrà 14. 1. *Oblitus eſt*, (ut infrà ſtatim) eſt, non requiret. Juvenalis ex perjuri perſona,

Ut ſit magna, tamen certè lenta ira Deorum eſt:

& ſtatim,

—— *Sed & exorabile Numen*
Fortaſſe experiar: ſolet his ignoſcere. ——

Ibid. *Avertit* (*Deus*) *faciem ſuam*] Apud Petronium ille, *Putabam à cuſtodia mei vultum removiſſe Fortunam*, &c.

38. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*] Ità Prov. 14. 6. *Quærit deriſor ſapientiam, & non invenit.*

Quærit ſe Natura, nec invenit, ——

apud Petronium eſt.

IDEM.

7. INimici defecerunt framea in finem] id eſt, Penitus, omnino.

Ibid. *Periit memoria eorum cum ſonitu*] *A voce ruinæ eorum* (ut Jer. 49. 21.) *commota eſt terra.* Deus. 32. 16. apud Ezechielem, *A ſonitu ruinæ ejus commovi Gentes.*

11. *Qui noverunt nomen tuum*] i. e. Te, & mirabilia tua: vel *διακριτικῶς* dictum; unde apud Apoſtolum, *τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν.*

12. *Annunciate inter Gentes ſtudia ejus*] i. e. Opera ſive præclara facinora. LXX. hic *τὰ ἐπιτηδεύματα.* Heſychius, Ἐπιτήδευμα, &c. *ἔργον, ποίημα.*

13. *Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt*] Servius ad Virgilii illud,

—— *Deos memores fandi atque nefandi:*

Quia etiamſi non ſtatim puniant, ſunt tamen memores. Requirens hic eſt *requirere.*

14. *Vide humilitatem meam de inimicis meis*] Infrà 24. 18. *Vide humilitatem meam*, &c. *reſpice inimicos meos.* Jer. 1. 9. *Vide, Domine, afflictionem meam; erectus eſt inimicus.*

16. *In laqueo quem abſconderunt*, &c.] Sirach 27. 28. *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Vide infrà 56. 7.

21. *Conſtitue legislatorem ſuper eos*] Me nempe. Vide ſuprà, 2. 6.

Ibid. *Ut ſciant quia homines ſunt*] Et me Regem à te conſtitutum eſſe.

23. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*] Concaleſcit cor ejus. Interiora (ut Job. 30. 27.) abſque requie efferveſcunt.

24. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*] Dum omnia ſuo Genio indulget. Juvenalis 11.

—— *Fortunæ veniam damus: alia turpis,*
Turpe & adulterium mediocribus; hæc eadem illi
Omnia cùm faciant, hilares nitidique vocantur.

25. *Exacerbavit Dominum peccator*] i. e. Exacerbat: cujuſmodi *ἐναλλαγαὶ* in Pſalmis iſtis frequentiſſimæ. Græci hic *παρώξυνε τὸν Κύριον.* Apoſtolus 1 Cor. 10. 22. *τὸν Κύριον παραζηλοῦν* dixit.

Ibid.

Ibid. *Secundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*] *Iram* hîc intellige animoſitatem ex opibus & potentia ortam. Sirachides 28. 10. Κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσαι, καὶ τὸν πλοῦτον ἀνυψώσει ὀργὴν αὐτοῦ.

26. *Non eſt Deus in conſpectu ejus*] Ait in corde ſuo, (infrà 13. 1.) Non eſt Deus.

Ibid. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*] *Adſtitit* (ut infrà 35. 5.) *omni viæ non bonæ.* Vide Prov. 2. 15. Contrarium Pſal. 118. 101. *ab omni mala via pedem prohibere.* Nota &, *in omni tempore.* Plautus Pſeud.

Quorum nunquam quidquam cuiquam venit in mentem,
(ut rectè faciant.

Ibid. *Omnium inimicorum ſuorum dominatur*] Domat omnes adverſantes ſibi.

27. *Sine malo*] Subaudi, *permanebo.* Ad tabernaculum meum (ut alibi loquitur) non accedet malum. *Non veniet* (ut Jer. 5. 12.) *ſuper me malum.*

28. *Sub lingua ejus labor & dolor*] Minacia verba detonat, quæ humiliorum animas graviſſimè affligunt. Metonymia effectûs pro efficiente. Vide & Pſal. 13. 3.

29. *Sedet in inſidiis*, &c.]

——— Velut olim
Auceps ille facit cùm improviſo inſidiiſque:

ità enim (non *olli*) legenda putamus Lucilii illa apud Servium in Æneidos 11. Vide Jer. 6. 26. Græci hic ἐγκάθηται, &c. &. eò libens hæc Heſychii retulerim, Ἐγκάθηται, κατατηρεῖ.

Ibid. *Ut interficiat innocentem*] Sirachides 11. 35. *Peccator ſanguini inſidiatur.*

30. *Inſidiatur in abſcondito*] Infrà 63. 6. de ejuſmodi, *Narraverunt ut abſconderent laqueos:* & Proverb. 1. 11. ex ſimilium perſona, *Inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas.*

Ibid. *Quaſi leo*] Eſt proverbiale, ùt apparet vel ex 27. 31. Sirachidis: Idem 28. 27. & de lingua (ut fortè iſto Pſalmi loco) calumniatrice, *In illos quaſi leo immittetur.* Vide & Pſal. 16. 12. & 21. 14.

35. *Tu laborem & dolorem conſideras*] Oppreſſorumne, an verò opprimentium? fortaſſe horum. Suprà com. 28. de ejuſmodi, *Sub lingua eorum labor & dolor.*

Ibid. *Orphano tu eris adjutor*] Tu ſolus es adjutor ejus, tu pater, patronus; ſi deſeris, peribit.

36. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*] Ità 36. 10. de impio, *Quæres locum ejus, & non invenies:* & Jerem. 50. 20. *In diebus illis quæretur iniquitas Iſraël, & non erit: peccatum Judæ, & non invenietur*, i. e. delebitur: *propitius iis ero*, ut ſtatim ſequitur. *Illius* autem hoc loco eſt *pauperis*: & *non inveniri*, omnino non eſſe; quaſi diceret, ut 10. 4. *Juſtus autem quid fecit?* Infrà 58. 4. *Ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes: neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine.*

37. *Dominus regnabit in æternum*, &c. *peribitis Gentes de terra*] i. e. Dominus regnat, &c. pereant Gentes, &c. Infrà 98. 1. *Dominus regnat, iraſcantur populi*, i. e. Gentes.

39. *Judicare pupillo & humili*, &c.] Vide ſuprà ad 7. 12. adducta.

PSALM. X.

MUNSTERUS.

ARgumentum hujus Pſalmi non habet difficultatem aliquam, cùm oratio ſit contra perverſos & præfractos homines, qui malitiâ, dolo, injuriis & vi circumveniunt atque opprimunt innocentes, quos *pauperes* Propheta hîc vocat: ſed magna eſt in vocabulis quibuſdam & orationis ſerie difficultas, ubi non parùm laboris eſt Hebræis ut concinnè omnia interpretentur.

2. *Propter concupiſcentiam ſuam*] Philargyria, inquit, in cauſa eſt ut impii plerumque perſequantur & opprimant impotentiores. Hæc etiam facit ut in animo ſuo non revolvant niſi מזמות *verſutas & nefarias cogitationes.* Alii ſic legunt, *Ex inſolentia impii exardeſcit pauper.*

3. *Quoniam laudavit*] Poteſt hic verſiculus & ſic reddi, *Quoniam laudat* impius *impium, propter concupiſcentiam animæ ejus, & benedicit avaro, Deum autem blaſphemat*; omnia ſcilicet contrario faciens ordine, cùm Deum laudare & benedicere debuerat, & exſecrari avaros.

4. *Elevationem vultûs*] Superbia oculorum procedit ex elevatione cordis: & quia impius non habet Deum in cogitationibus ſuis, oſtendit quoque foris quod latet in corde ejus.

5. *Moleſtæ ſunt viæ ejus*] h. e. In omni converſatione ſua gravis & moleſtus eſt tyrannus ſubditis, in quos ſævit, tanquam hoſtes eſſent ſui. Hoc autem facit quòd judicia Domini ſunt in excelſo, & non illico ultio ejus procedit contra tales graſſatores. Chald. Interpres hic exponit יחילו pro מצלחין *Proſperantur viæ ejus.*

8. *Vicorum*] Poteſt חצרים quoque pro *atriis* & *aulis* accipi, in quibus habitant tyranni tanquam leo in luſtro ſuo. ¶ *Oculi ejus contra pauperem abſconditi ſunt*] Repetitio eſt ejuſdem ſententiæ. Abſcondit enim ſe inſidiator, & advertit in ſecreto quem circumveniat & capiat *reti*, h. e. aſtutiâ ſuâ.

10. *Comprimit & humiliat ſe*] Alludit ſimilitudo iſta ad animalia quædam, quæ dum aliam beſtiolam venari inſtituunt, comprimunt ſe, & quantum licet contrahunt, nè capiendæ beſtiolæ innoteſcant: ſic impii variis artibus conantur imponere ſimplicibus. Et nota quòd חלכה eſt ab חלך He otioſè ſuperaddito. At חלכאים duæ putantur dictiones, valentes idem quod עדת הנכאים *cætus contritorum.*

14. *Ut reponas in manum tuam*] h. e. Ut conſerves & ultionem de eis ſumas. Quod enim in manum ponitur, non facilè oblivioni traditur.

15. *Requires impietatem ejus*] Senſus eſt, Si tu diſſipaveris impios, non invenies impietatem in terra, cùm non pii ſed impii impiè agant.

VATABLUS.

1. IN *longinquo* ברחוק] *In remoto*, ſub. *loco*, i. e. procul. ¶ *Abſcondis* תעלים] Sub. *faciem tuam.* Conciſa oratio, quæ paulò infrà v. 11. integra legitur, *Occultavit faciem ſuam ne videat*, &c. ¶ *Tempore* quo ſumus *in ipſa anguſtia* לעתות בצרה] Ad verb. *ad tempora in anguſtia*: pro *temporibus quibus ſumus in anguſtia & tribulatione, & malis afficimur ab improbis.* Metaphora ſumpta ab homine abſente, cujus auxilium imploramus: aut ſi adeſt, connivente ad mala noſtra: q. d. Quodnam tantum eſt ſcelus quod poſſit obſcurare clementiam tuam? Cauſa autem admirationis eſt ſumma Dei bonitas; acſi dicat, Cùm ſis ſummopere bonus, cur non ſentio auxilium tuum?

2. *Præ ſuperbia*, &c. בגאות רשע וגו'] Ad verb. *Præ arrogantia improbi perſequitur pauperem.* Hebraiſmum convertit noſter Interpres. ¶ *Capiantur in cogitationibus* יתפשו במזמות] *Illaqueentur in verſutiis*: vel, *cogitationibus fraudulentis.* Mutatio numeri, pro *illaqueetur improbus cum ſociis ſcelerum quos habet.* Utinam capiantur velut laqueis, pravis ſuis conſiliis quæ cogitant contra pauperes afflictos.

3. *Laudat* ſe *impius ſuper deſiderio* הלל רשע על תאות] *Jactat* ſe *improbus de deſiderio*, i. e. propter pravum animi ſui deſiderium; ut ſolent perditiſſimi homines, qui cùm malefecerint, jactant ſeſe ob maleficium perpetratum, homicida de cæde facta, fur de furto admiſſo, &c. Quidam tanquam tranſitivum vertunt, *Laudat impius* alios *juxta deſiderium animi ſui.* Ut improbi avari avaros laudant, impudici impudicos; laudant & alios qui eiſdem vitiis obnoxii ſunt quibus & ipſi. Hanc verſionem confirmat quod mox ſequitur, *Et avaro benedicit.* ¶ *Et avaro benedicit* ובצע ברך] i. e. Et lucro intentum commendat. ¶ *Iraſci facit Jehovam* נאץ יהוה] Et *provocat ad iracundiam Jehovam*, ſub. *ſuo contemptu.* Vel, *contemnit Jehovam.* Aut, *contemptu provocat Jehovam.* Alii, *blaſphemat Jehovam.*

4. *Propter ſuperbiam quam facie præ ſe fert non quærit* כגבה אפו בל ידרש] Ad verb. *præ altitudine narii ſuæ non requirit.* Fut. Heb. pro præſ. i. e. præ faſtu ſuo non requirit Deum. Exprimit geſtum hominis faſtuoſi. ¶ *Nec* eſt *Deus*, &c. אין אלהים כל מזמותיו] Ad verb. *Non Deus, omnes cogitationes ejus*: q. d. Impius non implorat Deum, quia omnes ejus cogitationes ſunt quòd non ſit Deus qui res mortalium curet: unde omnia agit pro ſuo arbitratu.

5. *Dolore afficiunt* יחילו] *Moleſtæ ſunt. Diſcruciant*, ſub. *pios.* Fut. Heb. pro præſ. Toto tempore vitæ nocent probis, idque ſemper ſtudent. ¶ In *altitudine* ſunt *judicia tua* מרום משפטיך] Ad verb. *altitudo* ſunt *judicia tua*: i. e. remota ſunt & longè ab eo poſita: q. d. Non putat te de impiis ſumere ſupplicium. *Judicia Dei* vocat animadverſiones & plagas. ¶ In *omnes hoſtes* כל צורריו יפיח בהם] Ad verb. *omnes adverſarios ſuos ſufflat in eos.* Alterum relativum redundat, more Hebræorum, pro, *in omnes adverſarios ſuos ſufflat*: h. e. flatu eos proſternit, ſive proſternere ſolet, ſub. *opinione ſuâ*: q. d. Opinione & ſententiâ ſuâ confidit ſolo ſuo flatu ſe poſſe proſternere omnes inimicos ſuos. Hyperbole eſt, quâ etiam Galli utuntur cùm dicunt, *C'eſt une choſe qu'on n'ha pas pour ſuffler*, i. e. non facilè, neque cito. Unde hîc

ſolo

ſolo flatu hoſtes dejicere eſt facilè parvoque negotio & citò illos dejicere. Vel, exiſtimat ſe tam facilè hoſtes dejicere poſſe & exſtirpare quàm facile eſt vento arbores convellere & evertere radicitus.

6. *A generatione in generationem*, &c. לדר ודר אשר לא ברע] Heb. *in ætate & ætate: quia non in malo*, ſub. *ero*; i. e. nihil incommodi ſentiam: q. d. Improbus cogitare ſolet intra ſe, nunquam ſe à gradu & dignitate ſua exciſurum: ſibi perſuadet ſe quamdiutiſſimè victurum; neque quamdiu vivet, quicquam incommodorum accepturum. Chaldæus vertit, *à generatione in generationem*, quem LXX. ſecuti ſunt. Quidam ſic intelligunt, *per unam atque alteram ætatem*, ſub. *vivam*: *quia non ſum viſurus incommodum*: quia nihil mali accidet mihi. Alii, *in generatione & generationem victurus eſt, cui nihil incommodi continget*. Quidam vertunt, *quia non* eſt *in malo*: pro, *nihil ſentit adverſi*.

7. *Os ejus* פיהו] *Os* pro *ſermone* accipitur in S. literis. *Lingua* pro *corde*; quòd poſitum ſit ſub lingua. Dicit igitur, Improbi ut probis faciliùs imponant, pleno ore perjuria evomere ſolent: præterea dolo & fraudibus utuntur; nam aliud dicunt, aliud cogitant. Poſtremò, in corde eorum ſive cogitatione eſt injuria & vexatio: i. e. nihil aliud cogitant quàm quomodo injuriâ afficiant & vexent. ¶ *Perverſitas & iniquitas* eſt עמל ואון] *Afflictio & vexatio*: aut, *moleſtia & pravitas*, ſive *vanitas*.

8. *Manet* ישב] *Sedet. Habitat.* Acſi dicat, Struere ſolet inſidias in pagis: nam in pagis parva eſt hominum frequentia. Fut. Heb. pro præſ. etiam v. ſeq. ¶ *Super pauperem aſpiciunt* לחלכה יצפנו] *In pauperem intenti ſunt: pauperem obſervant*: cædis causâ ſcilicet.

9. *Cùm trahit eum* במשכו] Heb. *in trahendo eum*, i. e. dum allicit eum *in rete ſuum*, dilaniandi causâ. Metaphora ſumpta ab Aucupibus. Hic autem eſt antecedens pro relativo, cùm dicit *rapit pauperem* pro *rapit eum*. Per hæc omnia intelligit ſecreta conſilia quibus ſolent improbi probos obruere.

10. *Contritum*, &c. ידכה ישח ונפל בעצומיו חלכאים] *Atterit ſeſe, dejicit ſeſe, & tum cadit in robuſta ejus cœtus attritorum. In robuſta*, h. e. in ungues in quibus eſt fortitudo leonis. Vel, *Comprimit* [aut *Colligit*] *ſeſe, & cadit viribus ejus congregatio*, &c. Fut. Heb. pro præſ. Leo prædam invaſurus incurvat ſeſe, & humilem facit, ut potentiùs inſiliat in prædam: ſic interdum dejectionem animi ſimulat improbus, ut commodiùs pauperem opprimat & evertat: ſimulat ſe eſſe debilem & nullarum virium; & tum corruit in manus ejus plenas robore congregatio ſive multitudo contritorum, debilium & confractorum.

11. *Dicit in corde ſuo* אמר בלבו] i. e. Cogitat intra ſe, *Obliviſcitur Deus, abſcondit faciem ſuam, non videbit in perpetuum*. Superiorum cauſam exponit David: q. d. Sic cogitat apud ſe impius, Deus rerum quæ hic perpetrantur nullam curam habet: avertit faciem ſuam nè unquam videat illa. Sibi perſuadet, Deum obliviſci peccatorum quæ ipſe impius facit. Quidam ſubaudiunt *aut* in ſecunda parte verſûs, *Obliviſcitur Deus*, aut *abſcondit faciem ſuam*, & *non videbit*, &c. q. d. Certè non novit, aut connivet, ac ſimulat ſe non videre. Alii dicunt, *Quamvis videat, obliviſcitur*. ¶ *Occultavit* הסתיר] *Avertit*. ¶ *In ſeculum* לנצח] *Unquam*.

12. *Surge* קומה] *Exſurge*, quaſi ſcilicet opem laturus oppreſſis. Et *attolle manum*, tanquam percuſſurus inimicos. ¶ *Nè obliviſcaris pauperum* אל תשכח ענים] q. d. Oſtende te non teneri oblivione pauperum; quod te facere improbi perſuaſum habent. Vindica injurias eorum qui licèt omni humano auxilio deſtituantur, tibi tamen fidunt.

13. *Iraſci facit* נאץ] *Præ contemptu provocat: blaſphemat.* Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Requires* תדרש] *Peccata eorum* ſcilicet. Putant namque impii ſe omnia impunè facturos, nec te quæſtionem inſtituturum de peccatis quæ perpetrant. Verti poteſt, *Quamobrem contemnit impius Deum? Cur præ nimio contemptu impius Deum contemnit? nonne quia cogitat corde ſuo quòd non inquires*, ſub. *id quod dicit & facit, ut de illis pœnas ſumas.*

14. *Perverſitatem & iram* עמל וכעס] *Moleſtiam & indignationem*: vel, *nam injuriam & indignationem cernis*; vel, *cernere ſoles*. Vides, inquit, omnia, nihil te latet: injurias & malevolentiam improborum erga probos & fideles tuos tu cernis, quæ putant te latere improbi. *Indignationem* vocat rem indignatione dignam & quæ illum cui fit injuria provocat ad iram. *Indignationem* igitur dicit quâ pii afficiuntur, propterea quòd impii Deum maledictis inceſſunt. ¶ *Ad dandum in manus tuas* לתת בידך] *Ut ponas in manibus tuis*; ſub. *eam injuriam*: h. e. ut paratus ſis ſemper ad rependendam injuriam; vel eos qui injuriam & moleſtiam patiuntur, ut illos vindices. ¶ *Tibi relinquit*, &c. עליך יעזב] Præt. Heb. pro præſ. Scriptura nomine *pupillorum & viduarum* intelligit eos omnes qui hominum ope carent. *Tibi*, inquit, *ſe committit pauper; neque immeritò: pupillo enim & ei qui humano auxilio eſt deſtitutus adjutor eſſe ſoles.*

15. *Contere* שבר] *Frange, Confringe.* ¶ *Quæres impietatem*, &c. תדרוש רשעו אל תמצא] *Inquires improbitatem ejus, non invenies*: ſub. *improbum illum*: q. d. Quæſtionem inſtitue de improbitate ejus, non ſiſtet ſe in conſpectum tuum, nec comparebit, improbitatis ſuæ conſcius, ut cauſam ſuam defendat. Fut. Heb. pro imperat.

16. *Rex in ſeculum & in æternum* מלך עולם ועד] *Regem ſeculi* vocat *Regem æternum*: q. d. Si contriveris vires improborum, & ſupplicium de ipſi ſumpſeris, declarabitur tua majeſtas, tuum Regnum erit æternum: tunc omnes te agnoſcent Deum. Oratio eſt conciſa. ¶ *Perierunt* אבדו] Præt. Heb. pro fut. David hic *Gentes* vocat Iſraëlitas impios: q. d. De impiis tandem pœnas ſumet, nec locum habebunt in terra Domini.

17. *Humilium* ענוים] *Afflictorum.* ¶ *Præparas*, &c. תכין לבם תקשיב אזנך] *Dirigis cor eorum: intendit auris tua.* Fut. Heb. pro præſ. q. d. Prævenis eos ut petant quæ tibi grata ſunt, & precibus eorum aurem tuam facilem præbes.

18. *Ut judices*, &c. לשפט] *Ut jus dicas pupillo & miſero.* Oſtendit cur aurem ſit adhibiturus, nempe ut ferat ſententiam pro afflictis. Attentam (inquit) reddis aurem tuam, ut audias cauſam calamitoſorum, & tandem eos omni ope deſtitutos obtinere facias jus ſuum, & illos vindices. ¶ *Nè addat*, &c. בל יוסיף וגו׳] *Nè addat ultrà terrere mortalis è terra*: vel, *poſthac non terreat* [ſub. *pupillum*] *mortalis terrenus*: i. e. terrenus homuncio, qui hîc Deo excelſo opponitur. Acſi dicat, Si ſemel ſupplicium de improbis ſumpſeris, ultrà non terrebit pios homo mortalis; qui & probi omnem in te habebunt fiduciam, & impii ſibi timebunt. Alii, *Nè ſit ultrà ut formidet mortalis terrenus.*

CASTALIO.

15. B*Rachium*] Vires & (ut loquuntur Latini) nervos.

CLARIUS.

U*T quid, Domine, receſſiſti longe*] Initium alterius Pſalmi eſt apud Hebræos, & oratio eſt contra perverſos & præfractos homines, qui malitiâ, dolo, injuriis & vi circumveniunt atque opprimunt innocentes; quos *pauperes* Propheta hic vocat. Sed magna eſt in vocabulis quibusdam obſcuritas, quæ in omni ferè ſenſu ambigua ſunt: unde non parùm laboris eſt Hebræis ut aptè omnia interpretentur.

2. *Dum ſuperbit impius*] Alius vertit, *Propter concupiſcentiam ſuam impius perſequitur pauperem*: ut ſit ſenſus, Philargyria in cauſa eſt cur impii plerumque perſequantur & opprimant invalidiores.

3. *Laudatur peccator*] *Laudat ſe*, i. e. placet ſibi, *peccator*, & facit quicquid illi petulantia animi ſuggeſſerit. Poteſt & ſic reddi hic verſus, *Quoniam laudat impius impium propter concupiſcentiam animæ ejus, & benedicit avaro, Deum autem blaſphemat*; omnia ſcilicet contrario faciens ordine, cùm Deum laudare ac ei benedicere debuerit, & exſecrari avaros.

4. *Secundum altitudinem iræ ſuæ*] Alius vertit, *Propter elevationem vultûs ſui non requirit, Deum* ſcilicet: nam ſublati oculi arrogantiam animi deſignant. Latini tales *attollere* dicunt *ſupercilia*.

5. *Auferuntur judicia tua à facie ejus*] Hæc, inquit, facit impius, quia quæ interim, ô Deus, de illo ſtatuis penitus ignorat, ſed veluti furibundus & cæcus adverſarios ſuos univerſos vel ſolis minis perditurum ſe confidit.

6. *Non movebor*] Hic facienda eſt diſtinctio: poſtea ſequitur, *in generationem & generationem ero ſine malo.*

8. *In occultis*] Alii verterunt *in atriis*. Iſti, inquit, inſidiantur & latrocinantur, ſed non, ut vulgò ſolent latrones, è ſilvis & ſpeluncis ſuis cum periculo, verùm in ipſis principalibus atriis & aulis. Et quod Interpres vertit *cum divitibus*, ſenſum tranſtulir, cùm in Hebræo ſit *in atriis*. Alii verterunt *in vicis*, vel *villis*.

10. *Inclinabit ſe*] Alludit ſimilitudo iſta ad animalia quædam, quæ dum aliam beſtiolam venari inſtituunt, comprimunt ſe & quantum licet contrahunt, nè à capienda beſtiola avertantur: ſic impii variis artibus conantur imponere ſimplicibus.

14. *Vides*] Fallitur, inquit, qui putat te non curaturum hæc: nam *vides* omnia, & malevolentiam ac ſcelera ejus diligentiſſimè conſideraſti, oſtenſurus te noſſe flagitia illius, & poteſta-

poteſtatem habere ſumendi ſupplicium de illo. ¶ *Ut tradas eos in manus tuas*] Poteſt eſſe Hebraiſmus, ut dicat, *ut reponas in manum tuam*, h. e. ut conſerves, & ultionem de eis ſumas. Quod enim in manum ponitur, non facilè traditur oblivioni.

15. *Quæretur peccatum illius*] Si tu diſſipaveris, inquit, impios non invenies impietatem in terra, cùm non pii ſed impii impiè agunt. Vel, *inquire in impietatem illius quoad nulla reliqua fuerit impunita.* Alius ſic, *Si tantùm quæſtionem inſtitueris de horum improbitate, nuſquam apparebunt.* Vel, *Quæres impietatem ejus, quam dixit quod non invenies.*

17. *Præparationem cordis eorum*] Alius vertit, *Tu præparas cor eorum, & auſcultavit auris tua:* h. e. gubernabis corda ipſorum, præbebis aures tuas precibus eorum. Vel, vota cordis eorum diriges, optata eis concedens.

DRUSIUS.

1. לְעִתּוֹת. A. εἰς καιρόν. Sym. ἐν καιροῖς] Suprà 9. 9. לְעִתּוֹת. Sym. *opportunè*, i. e. εὐκαίρως. Id deſcripſi ex Theodoreto, cujus Græcum exemplar non exſtat. Fortè Interpres erravit legendo εὐκαίρως pro ἐν καιροῖς. Poteſt etiam eſſe mendum ſcribarum. ¶ בַּצָּרָה. S. θλίψεως, ἐν καιροῖς θλίψεως, i. e. temporibus adverſis.

2. יִדְלַק. A. καίεται. Sym. Φλέγεται] Καίεται, *conflagrat.* Lex. V. Καίομαι, *ardeo, conflagro.* Φλέγεται, *ardet.* Idem Lex. Φλέγομαι, *ardeo.* Φλεγόμενος, *ardens.* In ed. Hieron. *ardet pauper.*

3. כִּי־הִלֵּל רָשָׁע וגו. Alius, Ὅτι ἀνέσας παράνομος κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν, καὶ πλεονέκτης εὐλογήσας, παρώξυνε τὸν Κύριον· & alius, Ὅτι ὕμνησεν ἐπὶ πόθῳ ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ πλεονέκτης εὐλογήσας διέσυρε τὸν Κύριον] Lex. V. Παράνομος, *contrajuris, contralegis.* Πλεονέκτης, *avarus.* Παρώξυνε, *irritavit, acerbavit.* Lex. V. Παροξύνω, *acerbo, irrito, incito, ſtimulo, concito, exacuo, advoco.* Ἐπὶ πόθῳ ψυχῆς αὐτοῦ, *pro deſiderio animæ ſuæ.* Lex. Πόθος, *deſiderium, cupido.* Διέσυρε. Idem Lex. Διασύρω, *obtrecto, detracto.*

4. כְּגֹבַהּ אַפּוֹ בַּל־יִדְרֹשׁ. Alius, ὅταν ὑψωθῇ ὁ θυμὸς αὐτοῦ, οὐκ ἐκζητεῖ. Alius, κατὰ μετεωρισμὸν θυμοῦ αὐτοῦ, οὐ μὴ ἐκζητήσῃ] *Secundùm altitudinem animi ſui.* Idem ferè cum illo, ὅταν ὑψωθῇ ὁ θυμὸς αὐτοῦ, *quando ſublatus fuerit animus ejus.* Hîc *animum* accipio ut in illo.

Ira furor brevis eſt, animum rege. ——

¶ רָשָׁע. * ἀσεβὴς, *impius.* ¶ אֵין אֱלֹהִים. * οὐκ ἔςι Θεός, *non eſt Deus.* ¶ כָּל־מְזִמּוֹתָיו. Alius, πάσαις ἐννοίαις αὐτοῦ. Alius, δι' ὅλων τῶν ἐνθυμημάτων αὐτοῦ.

5. מָרוֹם מִשְׁפָּטֶיךָ. * ἦρται ἡ κρίσις σου. ¶ כָּל־צוֹרְרָיו יָפִיחַ בָּהֶם. * Πάντων τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ κατακυριεύσει, *in omnes hoſtes ſuos dominabitur.* A. *flatu dejicit ac proſternit*] Vide Theodoretum.

6. אָמַר בְּלִבּוֹ. * εἶπε γὰρ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. ¶ בַּל־אֶמּוֹט לְדֹר וָדֹר. Sym. Οὐ περιτραπήσομαι εἰς γενεὰν, καὶ γενεὰν *Non titubabo in ætatem & ætatem*] Lex. V. Περιτρέπομαι, *titubo.* ¶ אֲשֶׁר לֹא בְרָע. Sym. *neque in malis ero:* ex Theodoreto.

7. וָאָוֶן. A. ἀνωφελὲς, *inutile.*

8. יֵשֵׁב בְּמַאְרַב חֲצֵרִים בַּמִּסְתָּרִים יַהֲרֹג נָקִי. Sym. Ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλὰς, ἐν ἀποκρύφοις ἀποκτεῖναι ἀναίτιον, *Sedet inſidians juxta veſtibula, in abſconditis interficit innocentem,* Hieron.] Περὶ τὰς αὐλὰς, *circum atria.* Lex. V. Αὐλὴ, *atrium.* Ἀποκτεῖναι, i. e. ἀποκτείνει. aut verte *ut interficiat,* τοῦ ἀποκτεῖναι.

9. בְּסֻכֹּה. * Ἐν τῷ περιΦράγματι αὐτοῦ, *in ſepto ſuo*] Lex. V. ΠερίΦραγμα, *ſeptum.* ΠεριΦράγματα, *ſepes.* Videtur in ea ſententia fuiſſe hic Interpres ut exiſtimaret סך idem eſſe cum סכוכה, cujus radix שך: nam ס & ש alternant. ¶ בְּרִשְׁתּוֹ * Ἐν τῇ σαγήνῃ, *in ſagena.*

10. יִדְכֶּה יָשֹׁחַ וְנָפַל בַּעֲצוּמָיו חֵלְכָּאִים. Ὁ δὲ θλασθεὶς καμΦθήσεται, ἐπιπεσόντος αὐτοῦ κατὰ τῶν ἰσχυρῶν αὐτοῦ τοῖς ἀσθενέσιν, *Fractus incurvabitur, irruente illo cum validis ſuis* membris *in debiles.*

12. נְשָׂא יָדֶךָ. * Ἔπαρον τὴν χεῖρά σου, *attolle manum tuam.*

14. רָאִתָה כִּי־אַתָּה עָמָל וָכַעַס תַּבִּיט. A. Εἶδες, ὅτι σὺ πόνον καὶ παροργισμὸν ἐπιβλέπεις, *Vidiſti, quia tu laborem & irritationem inſpicis.* Sym. Ὁρᾷς, ὅτι σὺ μόχθον καὶ παροργισμὸν ἐποπτεύεις, *Vides, quoniam tu laſſitudinem & irritationem intueris.* ¶ לָתֵת בְּיָדֶךָ. Sym. ἵνα δοθῶσιν εἰς χεῖράς σου, *ut tradantur in manus tuas.* ¶ אַתָּה הָיִיתָ. Alius, σὺ ἐγένου, alius, σὺ ἔσῃ.

15. תִּדְרוֹשׁ־רִשְׁעוֹ בַל־תִּמְצָא. Sym. Ἐκζητηθήσεται ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ ἵνα μὴ εὑρεθῇ αὐτὸς, *inquiretur impietas ejus ut non inveniatur ipſe.*

17. תָּכִין לִבָּם תַּקְשִׁיב אָזְנֶךָ. Sym. τὴν πρόθεσιν τῆς καρδίας αὐτῶν προσέχει τὸ οὖς σου, *propoſitum cordis eorum attendat auris tua.*

18. לִשְׁפֹּט יָתוֹם וָדָךְ. * Κρῖναι ὀρΦανῷ καὶ τεθλασμένῳ, *ad judicandum pupillo & contrito.*

AMAMA.

PRopoſitum Pſalmi eſt hæc petitio, perde impios hoſtes Eccleſiæ, & ſalva tuum populum. Hujus occaſio & cauſa proponitur verſ. 1. ſub formâ querelæ

1. *Quare*] Non eſt expoſtulatio quæ includit accuſationem, ut Jeſ. 58. 3. *quare cum jejunamus non reſpicis? quare dum affligimus animam noſtram non agnoſcis?* Sed quæ includit graviſſimam querelam & lamentationem, ut Thr. 1. 2. & 2. 1. & ſeq. ubi ſunt multa אֵיכָה. In talibus culpa quidem & meritum agnoſcuntur, ſed gravitas tamen miſeriæ exaggeratur. Sæpe etiam fervida petitio iſtiuſmodi quæſtione continetur, Pſ. 77. 8. 9. 10. *An in ſeculum repellet Dominus? an non perget bene velle amplius?* Et NB. ejuſmodi quæſtionem ſæpe æquipollere negationi vel diſſuaſioni. Marc. 5. 35. *quare vexas magiſtrum?* Luc. 8. 49. *ne vexa magiſtrum.*

In longinquo] Aben. Non eſt dubium quin Deus ſit ubique, at cum non apparet robur & auxilium ejus, videtur procul abſiſtere, aut ſi prope adſtet, occultare oculos ſuos ne videat.

Occultas] Sub. te, vel oculos tuos, ex Jeſ. 1. 15. ubi notâ, occultare oculos, & non exaudire eſſe ſynonyma.

2. *In ſuperbiâ improbi, fervide perſequitur* (improbus) *pauperem.*] Ita erit nomen pro pronomine. pro, *in ſuperbiâ ſuâ.* Jun. *Superbiâ (ſuâ) improbus perſequitur fervidè pauperem afflictum.*

יִדְלַק] Fervet (poſt) afflictum. Sic plenè reperies Gen. 31. 36. *quodnam eſt peccatum meum quod ſic ferbuiſti poſt me,* 1. Sam. 17. 35. & cum affixo Thr. Sed alii vertunt intranſitivè, propter ſuperbiam improbi perſecutionem patitur pauper. Sic Pagn. *ardet.* Vulg. ἐμπυρίζεται. Lxx. Hoc Luth. *ſtecktavit*, unde Belg. *So lange de godloſe overmoet drijft, moet de ellendige lijden,* At Gen. Ald. It. R. Sal. Aben. Piſc. Angl. Jun. tranſitivè.

Deprehendantur &c.] His verbis continetur primum membrum petitionis. Sunt tamen qui accipiunt ut prophetiam, *Sed deprehendentur* &c. Belg. hic emendanda eſt ex Junio & Piſc. Alii accipiunt ut querelæ continuationem, *deprehenduntur afflicti*, &c.

Deprehendantur] A miniſtris judiciorum tuorum, quaſi ἐπ' αὐτοφώρῳ, & convicti à te puniantur. Recidat in capita ipſorum quicquid aliis machinantur.

זוּ pro אֲשֶׁר ut ſupra Pſal. 9. 16. מְזִמָּה à primo cap. Prov. ad cap. 10. ſumitur in bonum. At à cap. 10. in malum.

3. *Nam improbus laudat* [ſe, vel gloriatur] *in deſiderio animæ ſuæ &c.*] Junii verſio eſt obſcura. Senſus gloriatur & jactat ſe quod in opprimendis piis ſibi omnia ex voto ſuccedant.

Vult Deo perſuadere æquitatem ſuæ petitionis. Primum argumentum petit à malitiâ adverſariorum. Ea deſcribitur per gradus: I. Superbia. II. Perſecutio verſ. 2. III. Securitas. Gloriantur adulanturque ſibi in iſta nequitia, ac proinde irritant Deum.

בֹּצֵעַ בֵּרֵךְ Jun. *quæſtum facienti benedicit.* Piſc. Ital. Belg. & alii, avarus benedicit [ſibi,] i. e. pollicetur ſibi benedictionem Dei, & ſibi applaudit quaſi re bene geſtâ. Confer Deut. 29. 19. *ne ſit inter vos qui audieris verba execrationis hujus benedicat ſibi in animo ſuo, dicens, pax mihi erit, quum in ſpeculatione cordis mei ambulabo* &c. Alii, maledicit & irritat Dominum. Job. 1. 5. & 11. Job. 2. 9. 1. Reg. 21. 10.

נִאֵץ Jun. *irritat.* Lxx. παρώξυνε. Alii blaſphemat, & ſic videtur ſumi Pſ. 74. 10. Jeſ. 60. 14.

4. *Improbus præ elatione vultus ſui non inquirit: nullum* [eſſe] *Deum ſunt omnes cogitationes ejus.*

Præ] Ebr. in, ſed paſſim pro, propter, præ.

Vultus ſui] i. e. animi, quem vultus indicat.

Inquirit] In conſilia & actiones ſuas, an licitæ & bonæ ſint nec ne, non intuentur ſe in ſpeculo legis Dei, non examinant ſuas actiones ad normam iſtius regulæ.

Non eſſe Deum] Vellent ſuis animis inducere Atheiſmum, ſi poſſent. At non poteſt omnino, Rom. 1. 19. Tamen quia ita vivunt acſi Deo nunquam rationem eſſent reddituri: atque ita videntur abnegare providentiam omnipotentis & juſtitiam Dei, dicuntur ipſum Deum abnegare.

5. יָחִילוּ] Lxx. βεβηλοῦνται, profanantur, Vulg. *inquinatæ ſunt*, q. e. יָחִילוּ aut enixe urgent vias ſuas. Luth. perſeverat in inſtituto ſuo, *Er fehrt fort mit ſeinem thun.* Ellipſ. ב. & יָחִילוּ ducit à חַיִל ſtrenuitas, quaſi eſſet, ſtrenuè agit. Sic אֲשֶׁר חַיִל

Proverb. 31. אִישׁ טוֹב Chald. Calv. Buc. Gen. *Proſperè ſuccedunt viæ ejus*, aut proſperantur, Meton. Effic. Jun. *Munitæ ſunt*. quia חיל etiam antemurale & foſſam ſignificat. Ab. & Kimch. *Dolere faciunt* aut *dolore afficiunt via ejus* ſc. pauperem. Ego ſequor Calv. &c. Sic Job. עַל כֵּן לֹא יָחִיל טוּבוֹ Propterea non pariet (R. Levi & R. S. יְגַלֶּה) bonum ejus.

מָרוֹם] *Altitudo*, pro, in altitudine, [in] alto, *ſita ſunt procul*] à conſpectu ejus omnia judicia tua. Non cogitat de illis, nec capit illa profanus animus. מרום etiam Dei Epith. Pſal. 92.9. Pſ. 75. 6.

יָפִיחַ] exſufflat in eos, Tantus eſt Thraſo ut confidat ſe omnes hoſtes uno flatu diſſipaturum. פוח flavit, מַפֻּחַ follis, 2. incendit, inflammavit, ut Proverb. 29. 8. Hinc. פִּיחַ favilla quod flatu excitetur. Hinc Jun. *Favilla incendium facit*. Non eſt neceſſe à primâ ſign. recedere.

6. אֲשֶׁר לֹא בְרָע] *Quia* non *ero* in malo ulla ætate.

7. אָלָה *execratio*.] Th. ſign. I. Ejulavit, Joel. 1. 8. II. Juravit, Jud. 17. 2. Gen. 24. 41. tunc immunis ero מֵאָלָתִי III. Imprecatus eſt, execratio. Num. 5. 21. *Et adjurabit Sacerdos mulierem juramento* אלה *execrationis*.

תֹּךְ *dolo*.] Cum affixis hac ſign. nuſpiam reperitur, unde alii ad &c. Vide Pſal. 55. 12.

8. *Villarum*] Locorum infrequentium.

Contra pauperem] Lxx. πένητα, Chald. מִסְכֵּנָא ה Parag. à חלך *Oculi ejus ad inopem collimant*. Calv. & Piſc.

9. בְּסֻכֹּה] Sic אֲהָלוֹ huc referunt alii שִׁילֹה filius ejus. Nos aliter in Cenſ. noſtra.

10. *Attenuat ſe*, *incurvat ſe*, *& ruit robuſtis ſuis* [membris in] *inopes*.] ut ſub. יָשׁ. נפל ruere, irruere, unde q. *Nephilim* putant dictos. Alii, *ruit validis* [membris] *ſuis* [in] *turbam attritorum*. Jun. *defectus viribus* q. à חיל robur &c. כאה attritus. Alii, pauperes, inopes q. à חיל opes &c. At hanc conſtr. non patitur Ebr. Nota Maſſor. ſcribi inſtar dictionis unius; at legi inſtar duarum, חֵל כָּאִים pro חַיִל & illud à כָּאָה; unde Niph. נכאה perturbatus, triſtis. Hinc alii ſic, *Et cadit in robuſta ejus membra turba attritorum*. Sed 1. hæc diviſio vocis incerta. 2. Melius eſt continuari ſimilitudinem à Leone, qui ut vehementius & certius inſiliat in prædam, attenuat ſe, incurvat ſe, procidendo in membra, ut etiam in canibus & felibus videmus.

12. *Eleva manum tuam*] Ad feriendum, vel, feri. Elevatio manuum variè accipitur. Aliquando pro precatione, Elevabant enim manus precantes, juramento & benedictione, vide ad Pſal. 28. 2. 2 Sam. 20. 21. Eſt rebellare, Dato Sebam F. Bichri qui נָשָׂא יָדוֹ בַּמֶּלֶךְ contra R. Sic 1 Reg. 11. verſ. 26. & 27. בְּיָד רָמָה Num. 15. Manu elatâ peccare.

13. לֹא תִדְרשׁ] Sub. כִּי te non requiſiturum vel inquiſiturum.

14 (At) *vides, certè, tu moleſtiam & indignationem intueris &c.*] Moleſtiam quam improbi creant piis, & indignationem, quâ accenſi ſunt erga pios: vel moleſtiam quam pii patiuntur, & indignationem quâ pii indignantur propter injuſtam oppreſſionem.

Ut ponas in manu tua] Sc. negotium. Piſc. *ut ſumas*.

Super te relinquit inops] Sc. rem, tibi committit negotium ſuum inops, Super te devolvit onus ſuum.

Pupillum [quod attinet, ei] *tu fuiſti*] i. e. Es adjutor. Sub pupillo etiam viduæ aliæque miſerabiles perſonæ comprehenduntur.

15. (Donec) *non invenias* (ſub. quicquam) *amplius*.] Hoc eſt, Inquire & inveſtiga accuratiſſimè & pleniſſimè. Ital. (Si) *tu inquiſiveris* (& per conſequens puniveris) *improbitatem ejus*, *non invenies*, ſc. amplius, vel non invenies locum ejus, i. e. neceſſe erit ut pereant.

16. *Perierunt gentes è terra ejus*] E terra Chanaan. Intelligit gentes illas maledictas Gen. 15. Chittæi, Jebuſæi, Girgaſæi, Kenæi, Emorrhæi, &c. אֶרֶץ vel univerſam terram ſign. *aarde*, *aardrijk*, *aardbodem*, vel unam Provinciam, atque adeo unum agrum, etiam addita vocula כל 2 Chr. 22. 12. *Athalia regnabat ſuper terram*. 1 Sam. 27. 1 Sam. 30. 16. De Amalekitis, *Et ecce diffuſi jacent in ſuperficie* כל־ה *edentes & bibentes*. 2 Sam. 18. 8. *Fuitque prælium diſperſum per univerſam terram*. Ita etiam Beza accipit Matth. 27. 45.

GROTIUS.

3. 4. QUoniam *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*, *& iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum*] Optimè videtur mihi ſic poſſe verti: *Quia gloriatus eſt impius in deſideriis ſuis & impletione* (nempe *deſideriorum ſuorum*,) *propterea maledixit Deo*, *& eum irritavit*. ברך propriè eſt *benedicere*; ſed κατ' ἀντίφρασιν [*per enuntiationem contrarii*,] aut εὐφημισμὸν [*emollitionem*] ſumitur pro *maledicere*, ut Job. 1. 5. 11. & 11. 5. בצע [*implere*] autem vertitur συντελεῖν Prov. 1. 19. Eſaiæ 10. 12. Jerem. 6. 13. Thren. 11. 17. Ezech. 22. 12. 13.

4. 5. *Peccator ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus*] Meliùs, *Peccator ob ſuperbiam vultûs ſui non quæret* (ſupple *Deum*, ex ſequentibus;) *neque Deus eſt in ulla cogitatione ejus*.

PRICÆUS.

3. INtenderunt *arcum*, &c. *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*.] Sic & infrà 36. 14. Job. 30. 11. Ἀνοίξας φαρέτραν, (linguæ nempe) ἐκάκωσέ με. & Jerem. 9. 33. *Extenderunt linguam ſuam*, *quaſi arcum mendacii*, i. e. extenderunt, quaſi arcum, mendacem linguam ſuam. In Plauti Pœnulo ille, de lenone,

Cujam infortunii intenta balliſta eſt probe:
Quam ego haud multò poſt mittam è balliſtario.

Nec prætermittas ea, *in obſcuro*. Donatus ad 4 7. Eunuchi, *Ex occulto pugnant qui non audent palam*. Græci heic, ἐν σκοτομήνῃ, i. e. in illuni nocte, Heſychio exponente.

5. *In cælo ſedes ejus*] Job. 22. 12.

Ibid. *In cælo ſedes ejus*] Græci ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτοῦ. In Hymnis Orphicis,

Αὐτὸς δ' αὖ μέγαν αὖθις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται
Χρυσέῳ ἐνὶ θρόνῳ, γαίη δ' ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε.

Apulejus lib. de Mundo, *Nec ambigitur eum præſtantem atque ſublimem ſedem tenere*, &c. *& in arduis arcibus habere ſolium conſecratum*. Apud Plautum Jupiter,

In ſuperiore qui habito cænaculo.

Ibid. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*] Vult dicere,

Non ſecura quies illum ſimiliſque ſopori
Detinet: innocui vivite, Numen adeſt.

Sirachid. 23. 19. Ὀφθαλμοὶ Κυρίου &c. ἐπιβλέποντες ἐπὶ πάσας ὁδοὺς ἀνθρώπων. Vide & infrà 32. 13. *Interrogant* heic ut & infrà 138. 23. ἐξετάζουσιν.

6. *Dominus interrogat juſtum & impium*] *Interrogat*, caſtigat, modo autem diverſo: juſtos tanquam pater monens probat, impios tanquam durus Rex interrogans condemnat, Script. Sapient. 11. 11.

7. *Pluet ſuper peccatores laqueos*, &c.] *Sagittas* (ut 120. 4.) *acutas*, *cum carbonibus deſolatoriis*.

IDEM.

2. IN *Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ*, *Tranſmigra in montem velut paſſer*?] Eodem ſenſu alibi, *In Deo confido*, *non timebo quid faciat mihi caro*. *Quomodo dicitis*? (pro quo Græci heic πῶς ἐρεῖτε) eſt, quâ fronte? quo fundamento nixi? ut Matth. 7. illud, πῶς ἐρεῖς; &c. *Tranſmigra ſicut paſſer* (id eſt, avicula quævis) eſt κυριολογία. Gellius 2. 29. *Caſſita nidum migravit*. Vide & Proverb. 27. 8. Lxx. hic, μεταναστεύου· quò pertinet (ni fallor) Heſychii iſtud, Μεταναστεύει, μετέρχεται, μετοικεῖ, &c. Adde Pſal. 61. 7. ubi & μεταναστεύσω. Montes à fugientibus peti ſolitos ad Luc. 21. 21. indicavimus.

3. *Paraverunt ſagittas ſuas*, &c. *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*] *Cogitationes* (ut Eſai. 32. 7.) *concinnant ad perdendos mites in ſermone mendacii*. Jer. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum*. Vide & Pſal. 56. 5. *In obſcuro*, Græcis heic ἐν σκοτομήνῃ. In vetere Onomaſtico, *Illunis*, (nempe nox) σκοτομήνη. Ammianus lib. 19. *Obſervatâ nocte ſqualidâ & interlunii*. Heſychius, Σκοτομήνη, βαρεῖα νύξ· ἡ ἀσέληνος.

5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*] In me pauperem ſpiritu reſpicient, ut in tempore me adjuvet. *Patientia pauperis* (ſuprà 9. 19.) *in finem non peribit*.

Ibid. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*] *De cælo* (ut 13. 2.) *proſpicit ſuper filios hominum*. *De habitaculo ſuo reſpicit ſuper omnes qui habitant terram*, &c. *intelligit omnia opera eorum*: infrà 32. 15. Lxx. heic ἐξετάζει τοὺς υἱοὺς τ. ἀ. In Gloſſario, Ἐξετάζω, exquiro, interrogo.

6. *Dominus interrogat juſtum & impium*] *Novit* (ut Job. 12. 16.) *& decipientem*, *& eum qui decipitur*.

Quotidie ille ſcit quis hic quærat malum,
Qui hic litem apiſci poſtulant perjurio.
Mali res falſas qui impetrant apud Judicem,
Iterum ille eam rem judicatam judicat.
Majore multâ mulctat, quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exſcriptos habet.

Ibid. *Et impium*] Sapient. 1. 9. *In cogitationibus impii interrogatio eſt*: i. e. inſpicit (vel inquirit) Deus in ipſa cogitata ejus.

Ibid. *Qui diligit iniquitatem*, *odit animam ſuam*] De impiis Proverb. 1. 18. *Contra ſanguinem ſuum inſidiantur*, *& fraudes moliuntur contra animas ſuas*.

7. Pars

7. *Pars calicis eorum*] Locutio media. Vide infrà 15. 5.

8. *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit*] i.e. Diligit. Infrà hîc 83. 12. *Veritatem diligit Deus.* Solomo 15. 9. in Gnomologico, *Qui ſequitur juſtitiam, diligitur ab eo.*

Ibid. *Æquitatem vidit vultus ejus*] Suprà 5. 5. *Non Deus volens iniquitatem es tu. Videt*, reſpicit. Jer. 5. 3. *Domine, oculi tui ad fidem reſpiciunt:* i. e. æquitatem videt vultus tuus.

PSALM. XI.

MUNSTERUS.

1. A*Vola de monte*] Sic dicebant hoſtes David, cùm eum urgerent ut ſecederet de Jehuda, nullum illi tutum relinquentes locum apud populum Dei, quin & in aviis quibuſque montibus & ſolis ibicibus perviis quærebant eum, ut illi nulla eſſet ſpes niſi in ſolo Domino. Capitur autem hîc *mons* pro *tota terra Jehuda.*

2. *In ipſa caligine*] Senſus eſt, Ubique innocenti inſidias ſtruunt, ut illum perimant.

3. *Fundamenta diruuntur*] Verſiculus iſte variè exponitur ab Hebræis. Kimhi intelligit per *fundamenta* cogitationes & verſuta conſilia. R. S. autem intelligit Sacerdotes juſtos à Saul trucidatos. Poteſt etiam eſſe ut per *fundamenta* intelligantur conditiones pacis & ſacramenta ipſa quæ Saul toties violavit. Queritur igitur David injuriam Deo, qui cum in ſublimitate cœlorum ſedeat, tamen omnia videt quæ in his inferioribus fiunt.

6. *Procellarum*] Kimhi exponit זלעפה pro בעתה *terrore* & רעדה *tremore.*

7. *Rectum videbunt*] Capitur hic פנימו pro פניו. Quidam tamen ſic legunt, *Facies eorum qui ſunt juſti videbunt Deum rectum.*

VATABLUS.

V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1.

1. *Speravi* חסיתי] *Spero, ſpem colloco, confido.* Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Anima mea* לנפשי] i.e. Mihi. Alloquitur David amicos, qui metuentes nè à Saule impio occideretur, illum incitabant ut ad Philiſthæos confugeret, cùm in Judæa nullus eſſet tutus locus. Alii dicunt fuiſſe verba hoſtium Davidis cùm eum urgerent ut ſecederet de Juda, nullum illi tutum relinquentes locum apud populum Dei. Lege à primi libri Samuelis capite 21, uſque ad 27 *In Domino*, inquit, *omnem meam ſpem colloco: qui fit ergò ut dicatis mihi*, ſive quâ fronte audetis dicere mihi, *Recede à nobis?* vel, *Recede è monte noſtro, celerrimè, veluti avis* quæ videt inſidias aucupis? Per *montem* intelligit habitationem Judæ: nam terra Juda montoſa eſt. Chaldæus P. vertit *in montem* quem LXX. ſecuti ſunt. ¶ *Ut tranſmigret* à, נודי הרכם צפור] Chald. *Tranſmigra* in *montem* ſicut *paſſer?*

2. *Tetenderunt arcum, paraverunt ſagittam* ידרכון קשת כוננו חצם] *Intendunt arcum, parant ſagittas.* Fut. & præt. pro præſ. Aliquid ſubaudiendum eſt quo præcedentia ſequentibus conjuncta videantur: cujuſmodi quod ſequitur, *Cogor equidem imitari ingenium avis quæ oculos ſagittariorum fugere vult.* Poſtea ſequatur, *Nam ecce, improbi ipſi tetenderunt arcum, direxerunt ſagittas ſuas ſuper nervum ad mittendum ſagittas in locum obſcurum, in rectos corde.* Cùm dicit *in locum obſcurum*, debet referri ad locum perfugii, ubi boni deliteſcunt & latitare ſtudent: q. d. *Ut ſuis ſagittis figant rectos corde in latebris deprehenſos.* Verti poteſt, *ad mittendum ſagittam è caligine* (ſive *è loco obſcuro*) *in eos qui ſunt recto animo*, i. e. me & eos qui mecum ſunt. Hoc modo ſi interpteteris, erunt verba Davidis. Alii volunt eſſe verba amicorum Davidis, quæ præcedentibus & ſeq. verſui jungantur, quibuſque rationem reddant cur avolare & celerrimè aufugere debeat è Judæa. *Nam*, inquiunt, *impii tetenderunt*, &c. præterea, *Perfugia fracta ſunt*, &c.

3. *Certè retia deſtructa ſunt* כי השתות יהרסון] i. e. Diſſipatæ ſunt impiæ fraudes quibus me adorti fuerant impii: minimè autem factum eſt operâ aut induſtriâ meâ ut diruptis retibus ſalvus evaſerim; quin potiùs quietus & quaſi dormiens, Divinitus ex retibus hoſtium fui ereptus. Id ſignificabit, *Quid operatus eſt*, ſi *retia* vertas. Alii, *Fundamenta deſtruentur.* Alii, *perfugia deſtructa ſunt.* Fut. Heb. pro præt. ¶ *Quid operatus eſt* מה פעל] *Quid admiſit?* ut ſcilicet nullum tutum locum inveniat in quo poſſit conſiſtere: q. d. Quid ego David admiſi propter quod Iſraëlitæ tam inimico animo me perſequantur, ut nullum locum perfugii inveniam? nuſquam tutus eſt ab improbis locus. *Perfugia* vocat arces. Metaphora ab ædificiis ſumpta, quæ diruptis fundamentis tota concidere neceſſe eſt. Queritur igitur David ſe coram mundo funditus everſum, ut nihil in ſuis fortunis ſalvum maneret.

4. *Jehova in cœlis eſt ſolium* יהוה בשמים כסאו] Ad verb. *Jehova in cœlo ſedes ejus. Jehova in cœlo* habet *ſolium ſuum.* Humanis auxiliis excluſus David ad Divinum auxilium ſe confert. Idem bis dicit: *templum* enim *ſanctitatis* & *cœlum* idem ſunt: q. d. Etiamſi hic nunc deplorata omnia, tamen Deus è cœlo reſpiciet & providebit. ¶ *Vident* יחזו] *Conſiderant.* Fut. Heb. pro præſ. *reſpiciunt*, aut, *reſpicere ſolent*, ſive *contemplantur*, ſub. *quæcunque fiunt in hoc mundo:* vident calamitates afflictorum & impiorum conatus. ¶ *Probant filios hominum* יבחנו בני אדם] *Examinant filios hominis*, i.e. homines: q. d. Unum me conſolatur, quod quamvis Deus in cœlis agat, tamen è regia ſua omnia omnium facinora videt quæ exercent in fideles & pios: oculi Dei explorant & perſpiciunt quàm improbi ſint homines adverſus eos qui illi fidunt.

5. *Jehovah juſtum probat* יהוה צדיק יבחן] *Jehovah juſtus explorat*, ſub. *ſuos, malis & calamitatibus.* Vel, *juſtos examinat*, i.e. ſic inquirit de uniuſcujuſque cauſâ ut juſtos ab impiis diſtinguat. Hanc interpretationem confirmat quod ultimo verſu dicitur. ¶ *Anima ejus* נפשו] i.e. odit ex animo. Improbum odit vehementer Dominus; licet id proſperis ejus ſucceſſibus diſſimulet.

6. *Laqueos* פחים] *Carbones, prunas:* i.e. Inſtar pluviæ immittet laqueos ut capiat eos & perdat: q. d. Acerrimè improbos ſive impios puniet. De laqueis aucupis intelligit. ¶ *Procellarum* זלעפות] *Vertiginum, terrorum*, vel, *combuſtionum:* ſub. *erit*, i.e. *portio & calix ipſorum erit:* h.e. comburentur. *Spiritum vertiginum*, vel *combuſtionum* vocat turbinem incenſum. *Portio* ad cibum refertur, *calix* ad potum. *Calix* pro *portione.* Metaphora ſumpta ab eo qui præeſt convivio, qui unicuique partiri ſolet quod bibat: q. d. Talia bibent.

7. *Juſtitias diligit* צדקות אהב] Præt. Heb. pro præſ. i. e. homines juſtos diligere ſolet: acſi dixiſſet *homines juſtitiarum.* Aut potiùs *juſtitias* vocat rectitudinem, quæ grata eſt illi: ideo bonis cauſis favere ſolet: unde concludit, *rectos homines ab eo aſpici.* ¶ *Rectum videt facies ejus* ישר יחזו פנימו] Ad verb. *rectum viderunt facies eorum.* Pronomen plurale eſt pro ſing. ut vertas, *rectum vultu ſuo intuetur.* Vel, *rectum facies ejus inſpicere ſolet:* q.d. A piis vultum ſuum non ſolet avertere. More autem Hebraïco dicitur *aſpicit facies ejus* pro *ipſe aſpicit.* Sic LXX. vertunt. Aut, *rectitudine præditi aſpicient vultum ejus*, nempe *Dei:* ut ſit ſimile illi quod eſt Pſal. 17. 15. *Ego in juſtitia videbo faciem tuam*, i. e. juſtitiâ tuâ fretus intuebor te. Chald. *Recti videbunt jucunditatem facierum ejus.* Alii pronomen plurale referunt ad *juſtos*, ſic, *Facies hominum juſtitiæ ſtudentium aſpicient Deum qui rectus eſt & æquus*; vel, *quòd rectus ſit & æquus:* q.d. Tandem facilè in judicio faciem judicii ſuſtinebunt pii.

CASTALIO.

3. Q*Uòd ſi fundamenta diruuntur, quid agent juſti?*] Si ego, qui tibi confido, tamen pereo, cui confident viri boni, hoc fiduciæ quaſi fundamento labefactato?

6. *In impios tendiculas, ignem, ſulfur, atrocemque ventum depluet*] Alludit ad Joſ. 10. ¶ *Hæc ſors eſt eis exantlanda*] Ad verb. legitur, *Portio calicis eorum.* Sed id verbum pro *ſorte* & *conditione* ponitur, ut Pſal. 63. *Portio vulpium erunt*; h. e. eandem cum vulpibus conditionem ſubibunt. Quod verbum in N. T. modò μερὶς modò μέρος dicitur, ut Lucæ 10. Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, *Maria bonam conditionem elegit.* Et Matth. 24. καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει, *Faciet eandem ejus ſortem quàm fictorum*, h. e. habebit eum eodem numero aut loco quo fictos & impuros homines. Gallicè quoque *party* vocatur *conditio*, deducto à *parte* vocabulo. *Calix* autem dicitur pro *re quâ fungendum eſt*, ſive lætâ, ut Pſal. 16. ſive triſti, ut hic: quæ poſterior tranſlatio Latinè exprimitur per verbum *exantlare*, quod *exhaurire* ſignificans, & à *calicis potione* non abhorrens, ponitur pro *perfungi* atque *pati.*

CLARIUS.

1. I*N Domino confido*] *Cùm in Domino ſpem*, inquit, *meam poſuerim, cur me ridere audetis, dicentes, Fuge de monte in montem, ſicut ſoles cum tuis, & deliteſce in aliquo antro, ſicut conſuevit paſſer?* Alloquitur enim David eos qui ſibi exſuli nullum tutò latitandi locum in populo Dei concedebant, continuo ipſum prodentes Sauli, quocunque fugiſſet, ut tandem coegerint ut relicto regno Iſraëlis ad Philiſthæos concederet,

ut legimus 1 Reg. à cap. 22. uſque ad cap. 27. Poteſt & ſic accipi, *Cur me demigrare de latebra in latebram compellitis, ut avem oberrantem, cui nuſquam nidulari concedatur?* Rectè autem aviculæ erranti ſimilem ſe facit: nam duodecies, poſtea quàm ſubducere ſe à Saulis conſpectu coactus fuerat, latibula mutavit. Alius vertit, *Avola de monte:* ut per *montem* intelligatur *tota terra Judæa.*

2. *Peccatores intenderunt arcum*] Ait nunc in quo ſit periculo conſtitutus. ¶ *In obſcuro*] Intelligit occulta latibula ſua.

3. *Quæ perfeciſti deſtruxerunt*] Videtur Græcus Interpres voluiſſe idem exprimere quod Hieronymus vertit, *Leges diſſipatæ ſunt:* iccirco non mutavimus hunc locum, præſertim cùm variè etiam ab Hebræis hic verſiculus exponatur. Alii verterunt, *fundamenta diruta ſunt*; & per *fundamenta* intelligunt alii cogitationes & verſuta conſilia, quæ irrita tandem facta fuerunt, alii, Sacerdotes juſtos à Saule trucidatos, qui nihil iniquè egerant; alii, conditiones pacis, quas Saül toties violavit; alii, omnem conſiſtendi locum, & quaſi habitandi fundamentum ſublatum. Chaldæus ſic vertit, *Quoniam ſi fundamenta deſtruuntur, juſtus cur operatus eſt bonum?*

4. *Dominus in templo*] Non me lædere, inquit, iſti poterunt, quia *Dominus in regia ſanctitati ſuæ dicata eſt, & in cælo habet ſolium ſuum,* unde *oculi ejus* omnia *contemplantur* quæ in his inferioribus fiunt, & *palpebræ* (per quas lumen oculi ſignificatur) *illius obſervant diligentiſſimè* quæcunque deſignant *poſteri Adam.*

5. *Dominus interrogat*] Vel *exquirit.* Debet enim rectiùs ſic verti, *Dominus juſtum probat, impium autem & diligentem iniquitatem odit anima ejus.*

6. *Pars calicis eorum*] Frequens eſt in Scripturis hæc Metaphora, quà per *calicem,* h. e. ad menſam vini portionem, certa cujuſque ſors ſive merces, tam optata quàm contrà, ſignificatur. Mutuata verò eſt à potantium veteri ritu, quo per convivii præſidem ſua cuique vini portio, quam hauriret, ſtatuebatur.

7. *Æquitatem vidit*] Et hîc verſus conjungendus eſt ſuperiori verbo, ſic, *Juſtus Dominus, & juſtitiam diligit, & diligit eos quorum vultus vident recta.* Obſervent enim Hebrææ linguæ ſtudioſi, Hebræam particulam *Mo* in fine poſitam pronomen eſſe tertiæ perſonæ pluralis, & hujus uſum eſſe in verſibus. Hæc autem particula hîc poſita eſt, ut non poſſit dici *vultus ejus,* ſed *vultus eorum*; ut ſic dicas, *Quorum vultus vident æquitatem, hos Deus diligit.*

DRUSIUS.

1. נודי. Alius, ἀναστατοῦ· alius, μετακινοῦ] Ἀναστατοῦ verbum eſt ἀναστατόω· unde ἀνάστατος, *ſedibus ſuis pulſus, exſul, extorris.* Μετακινοῦ Lex. V. Μετακινῶ; *demoveo.* ¶ הַרְכֶם. * εἰς ὄρη, i. e. הָרִים.

2. כּוֹנְנוּ חִצָּם עַל־יֶתֶר. Aq. & Sym. ἥδρασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευρὰν, *poſuerunt ſagittam ſuam ſuper nervum,* Hieron. ¶ לִירוֹת בְּמוֹ אֹפֶל. VI. ed. εἰς τὸ ἐπιδεῖξαι τὸ σκότος. Sym. - - - ὡς ἐν ζόφῳ, *ut in caligine.*

3. הַשָּׁתוֹת. VI. ed. αἱ διαδοχαὶ, i. e. *ſucceſſiones.* Alius, αἱ διδασκαλίαι, *doctrinæ.* A. οἱ θεμέλιοι, *fundamenta.* Sym. οἱ θεσμοὶ, *leges.* ¶ יֵהָרֵסוּן. * συντριβήσονται, *conterentur.* A. καθαιρεθήσονται, *deſtruentur.* Sym. κατελύθησαν, *diſſolutæ* (aut *diſſipatæ*) ſunt. ¶ צַדִּיק מַה־פָּעָל. A. δίκαιος τί κατηργάσατο; *juſtus quid operatus eſt?* S. δίκαιος τί ἔδρασεν; *juſtus quid fecit.*

4. יֶחֱזוּ. Th. ἐπιβλέπουσιν, *reſpiciunt.* A. ὁραματίζονται, *vident:* Nam חזון ὅραμα, i. e. *viſio, viſus.*

5. יְהוָה צַדִּיק יִבְחָן. * Κύριος δίκαιος ἐξεταστὴς, DOMINUS *juſtus exquiſitor,* vel *examinator.* Alius, Κύριος δίκαιον δοκιμάζει, DOMINUS *juſtum probat.* ¶ וְרָשָׁע. καὶ ἀσεβῆ, *& impium.* ¶ וְאֹהֵב חָמָס שָׂנְאָה נַפְשׁוֹ. Alius καὶ ἀγαπῶντα ἄδικα ἐμίσησεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ· alius, ὁ ἀγαπῶν ἀδικίαν μισεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. *Diligentem iniquitatem odit anima ejus,* Hieron.

6. יַמְטֵר עַל־רְשָׁעִים פַּחִים. * ὕσει ἐπὶ παρανόμους ἄνθρακας, *pluet ſuper iniquos carbones.*

7. יָשָׁר יֶחֱזוּ פָנֵימוֹ. * Εὐθύτητας ὄψεται τὸ πρόσωπον αὐτῶν, *æquitates videbit vultus eorum*] Τῶν δικαίων videlicet. In aliis eſt αὐτοῦ, ἤγουν τοῦ Θεοῦ· quod rectum puto.

AMAMA.

DAvid in ſpeluncâ terrefactus à quibuſdam commemoratione periculorum, in quibus verſabatur cum Saulis ob iram fugeret, & monitus ab aſſeclis profitetur fiduciam ſuam, quam collocarat in Deo juſto omnium judice.

1. *Quomodo dicitis animæ meæ &c.*] Jun. & Piſc. accipiunt tanquam verba hoſtium quibus Davidem amarulentè & ſarcaſticè inſectabantur. Deod. Gen. & alii tanquam verba amicorum, quibus hortabantur Davidem ad fugam; quæ tamen non probet David, tum quod in iis deſideraret ſpem & fiduciam de divino auxilio, tum quod eo loco res ſuæ eſſent, ut fugere non poſſet.

Fuge] Tu anima, vel fugito, tu cum aſſeclis, נוד proprie eſt fugere, vagari, ut de Caïn Gen. 4. 12. נָע וָנָד.

הַרְכֶם,] Jun. Piſc. *è monte,* ſito in deſerto Siph, ubi David latuit 1 Sam. 23. Alii ad *montem veſtrum* ubi ante ſolebatis delitеſcere, Eruite animas veſtras ex præſenti hoc periculo.

צִפּוֹר] pro כְּ ſicut avicula, quæ reti vicina cum jam in eo eſt auceps ut capiat eam, ſubito avolat. Quare ſic diffiditis providentiæ divinæ. Agnoſco quidem fas eſſe homini pio fugâ ſibi conſulere, ſed ea jam eſt rerum mearum ratio, & ea eſt veſtra intentio, ut parere non poſſim. Ad aliud remedium confugio, vid. ad providentiam Divinam, in ea confido.

2. *Nam ecce*] Quomodo poſſem fugere? Vitando fatum in media fata ruerem. Hoſtis cervici meæ imminet, omnia habet parata, illud ſolum reſtat, ut prodeam ex latebris. Reddit ergo rationem cur non conſultum ſit fugere.

Calcant] Calcando, i. e. pedibus deprimendo tendunt. Tales arcus vocant alii, *Baliſtas Chalibeas,* & Nebriſſ. *Arcu-Baliſtas.* LXX. ἐνέτειναν τόξον.

3. *Quandoquidem fundamenta deſtruuntur, quid faceret juſtus*] Per fundamenta Aben. *leges* intelligit, quæ ſunt omnium ſocietatum fundamenta, unde illud, *fundavit legibus urbem.* Ita Ital. *Cum jus & judicium, quæ ſunt regni cujuſlibet fundamenta, violata ſint & terras reliquerint, quid aliud facerem ego, qui in hac cauſa juſtus ſum, quam ut me committam divinæ providentiæ, quam ut curas meas ſuper Dominum devolvam: Ipſe videbit.* Alii. *Certè fundamenta deſtruuntur,* i. e. jus & judicium evertuntur, *juſtus autem quid fecit?* Ὁ δὲ δίκαιος τί ἐποίησε; Ego juſtus quid patravi, quid commentus ſum? Sic in N. T. contra ποιεῖν, pro ἐργάζεσθαι. Num. 24. 17. *Deſtruet omnes* Filios Seth. Non extat amplius.

4. In ſequent. declarat David ſuam fidem de potentia & voluntate Dei in ſe defendendo. Poteſt, quia eſt in cœlo, edita arce, omnibus inacceſſa. Reliquis verbis innuit voluntatem: Eſt enim juſtus Judex. Idque facit per ὑποτύπωσιν, qua depingit actiones Dei judiciales ſive judiciarias ad vindicationem ipſius ſpectantes, quas naturali ordine, gradatione logicâ enumerat. I. Seſſio in ſolio. II. Cognitio cauſæ, verbis ſeq. verſ. 4.

5. III. Eſt ſententiæ dictio, quam ſign. à cauſis procreantibus, amore Dei erga juſtos, & odio erga injuſtos, quorum ille parit abſolutionem, hoc damnationem.

6. IV. Executio ſententiæ, vid. punitio improborum, hoc verſu, & liberatio juſtorum, verſ. 7.

Pluet, depluet] Luth. *Regenen laten.* In Kal. non eſt in uſu. Pluit Latinis eſt tranſitivum, docet Scalig. de C. LL. Cap. 110. Pluit lapides, ſanguinem. Terra compluta eſt. At Luther. vertit *Regenen laten* ex altera opinione, ut vulgo dicamus, *het Reegent, het Dondert.* At Sacræ literæ in talibus locutionibus nos deducunt ad cauſam efficientem. Deus pluit Gen. 2. 5. Gen. 7. 4. & 19. 24. Exod. 9. 23. Amos 4. 7. *Super unam civitatem plui, alteram non plui* (Luth. *Lieſs ich regnen*) *ager unus fuit compluitus,* & *ager* אֲשֶׁר לֹא תַמְטִיר עָלֶיהָ, *exaruit,* i. e. quæ ſuper ſe non ſivit pluere, vid. atrocitate peccatorum &c. Vide Jun. Matth. 5. 45. *Deus pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Latina etiam lingua hoc exigit, ut jam dictum eſt. Sed objiciunt aliqui Jacob. 5. 17. *Elias oravit ne plueret, & non pluit:* Sed ἀπὸ κοινοῦ repeti debet κύριος ex verſ. 15. Sic Luc. 17. 29. Beza, *Quo die exiit Lot è Sodomis pluit igni & ſulphure, & omnes perdidit.* Ubi D. Beza in poſtr. ed. *pluit ignis & ſulphur.* Malè. Gr. ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον, *pluit ignem & ſulphur.* Hic enim vox ἀπώλεσεν docet, ſubaudiendum nomen Dei. Belg. tranſl. neutrobi mentem expreſſit.

Multi neſciunt quid ſit illud, *het.* Certe pleriqui dum ſic non loq. non aſcendunt cogitationibus ſuis ad Deum cauſam efficientem, & Deum ſemper ſubintelligere, ut quidam excuſant phraſes Latinas non ſatis honorificum exemplum in filiis: Ubi eſt ille, ſc. pater; Ille hoc dixit; Ecce venit.

GROTIUS.

1. IN *Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ*] Meliùs: *Deo confiſus ſum: quid eſt quod mihi dicitis?* Eſt enim dialogus inter Davidem & comites ejus, qualis in Horatio libro 3. Ode 9.

Tranſmigra in montem velut paſſer] Amici loquuntur. Legit autem hîc Interpres, & Græci quos ſequitur, נודו הר כצפור [*vagare ad montem ut paſſer,*] non ut nos nunc legimus נודו הרכם צפור [*tranſi montem veſtrum paſſer.*]

3. *Quo-*

3. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt*] Meliùs, *Fundamenta deſtructa ſunt:* id eſt, leges & jura nihil valent. Confer Pſalm. 82. 5.

4. *Dominus in templo ſancto ſuo*] Reſpondet David, cum omnes humanæ ſpes ſe deſtituant, in Deo ſibi ſpem eſſe poſitam.

P R I C Æ U S.

2. S*Alvum me fac*] Gr. σῶσόν με. In Gloſſario (ex iſto, aut alio quopiam Pſalmorum loco) Σῶσόν με *ſalvum me fac.*

Ibid. *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit ſanctus*] *Veritas* (ut Eſa. 59. 12.) *facta eſt in oblivionem; à malo qui recedit, prædæ patet.*

5. *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt*] In Plautina Truculento illè,

> *Meo arbitratu liberè loquar quæ volam & quæ lubet.*

Vide Job. 11. 12. & quæ ad Judæ Epiſtolam com. 8. annotavimus.

Ibid. *Quis noſter Dominus eſt?*] Quaſi nihil facere poſſit Omnipotens, æſtimant eum, Job. 22. 17.

I D E M.

2. S*Alvum me fac, Domine, quia defecit ſanctus*] Periclitor inter tot impios vivens, ſum etenim non aliter quàm ovis inter lupos poſitus. LXX. hìc ὅσιος. Heſychius, Ὅσιος, καθαρός, δίκαιος, εὐσεβής, &c. Potes & ſtrictiùs exponere ὅσιον ob ea quæ hìc proximè ſequuntur, qui veritatem (ut infrà 14. 3.) loquitur, qui dolum non agit linguâ ſuà, qui jurat proximo ſuo, & non decipit.

Ibid. *Defecit ſanctus*]

> *Egregium ſanctumque virum ſi cerno, bimembri*
> *Hoc monſtrum puero, vel mirandæ ſub aratro*
> *Piſcibus inventis, & fœtæ comparo mulæ.*

3. *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum*] *Nemo* (ut Jer. 8.) *quod bonum eſt loquitur.*

Ibid. *Labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt*] Doloſis labiis cor uniuſcujuſque loquitur: ità fortè exponendum, ex abundantia cordis enim os loquitur. Vide Job. 8. 10. Eſai. 59. 13. *Locuti ſunt de corde verba mendacii.*

5. *Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus*] Eloquemur grandia & magnifica. Jacob. 3. 5. μεγαλαυχεῖν.

Ibid. *Labia noſtra à nobis ſunt*] Τὴν γλῶσσαν οὐδεὶς δύναται δαμάζειν, ibidem com. 8. Jacobus.

Ibid. *Quis noſter dominus eſt?*] Job. 11. 12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.*

6. *Fiducialiter agam in eo*] Id eſt, in iis; inopibus & pauperibus nempe, de quibus proximè. Infrà 139. 13. *Faciet judicium inopis, & vindictam pauperum.* De Eodem Job. 36. 6. *Judicium pauperibus tribuit. Fiducialiter agere* hic, (quod infrà 93. 1. vertit, *liberè agere*, ubi Græci, ut & hoc in loco, παῤῥησιάζεσθαι) eſt, potentiæ meæ pro illorum ſalute ſpecimen publicum edam, i. e. Φανερῶς, παῤῥησίᾳ. Vide hic Symmachum & Chryſoſtomum. Apoſtolus Epheſ. 6. 20. ἵνα ἐν αὐτῷ παῤῥησιάσωμαι, ut publicè approbem fiduciam meam in illius cauſa. *In eo* hìc, ut modò diximus, illorum nomine, vel intuitu. Sic infrà 68. 7. *in me*, & 121. 1. *in hos.*

8. *Et cuſtodies nos à generatione hac*] Ità Act. 2. 40. D. Petrus, *Salvamini à generatione iſta prava.*

9. *In circuitu impii ambulant*] Obambulant civitatem. Ità, *palliata quadam medicabula obambulare* Apulejus dixit. Omnino vide Pſal. 54. 11. & 58. 7. Ambulabant autem in circuitu impii, ζητοῦντες (ut 1 Pet. 5. 8. de diabolo) τίνα ἂν καταπίωσιν.

Ibid. *Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*] LXX. ἐπολυώρησας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων *conſervabis, proteges:* per futurum enim, ut paſſim hoc in libro, præteritum exponendum. Senſus videtur hujuſmodi eſſe, Obambulant quidem impii, tu autem ſecundùm potentiam tuam providebis nè homines (boni ſcilicet) ab iis opprimantur. Ὕψος in Pſalmo δύναμιν expoſuit & Theodoretus.

P S A L M. XII.

M U N S T E R U S.

DOcet Pſalmus iſte, inter filios hominum interiiſſe fidem & juſtitiam, atque mendaces homines invaluiſſe; & niſi Dominus ſuccurrat verbo ſuo afflictis, actum eſſe de illis. ¶ *Super octavam*] Inſtrumentum muſicum eſſe affirmat octo conſtans chordis.

1. *Deficit pius*] Quis ſit *pius* altera pars verſiculi explicat, ubi dicitur, *Imminuti ſunt fideles à filiis hominum.*

4. *Linguâ noſtrâ prævalebimus*] Poteris & ſic vertere, *Propter linguam noſtram potentes erimus, cùm talia nobis ſint labia quibus facilè quod volumus efficere poſſimus.*

5. *Qui ſufflat in eum*] Vel, *qui ponit ei laqueum.*

6. *In exquiſito loco*] Sunt qui עליל exponunt pro כור *furnulo aurifabri de exquiſita formato terra.* Alii exponunt pro בעל *domino.*

7. *Servabis eum*] h. e. unumquemque eorum.

8. *Per circuitum impii ambulant*] Senſus eſt, Circumveniunt impii bonos quoſque; & cùm illis contingit præfectura, viliter tractantur ab eis ſubditi.

V A T A B L U S.

V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Super octavam* על־השמינית] Vide Pſal. 6. 1.

1. *Defecit miſericors* גמר חסיד] *Deſiit eſſe ſanctus:* aut *pius, bonus & probus.* Vide Pſal. 4. 3. i. e. Fer opem nobis veritati & probitati ſtudentibus; quia jam nulli ſunt qui aliorum commodis ſtudeant. De aulicis Saulis hæc intelliguntur: q. d. *Deſiit pius*, & qui de aliis bene mereri curet, in aula Saulis, in qua omnes aſſentationi ſtudent. Potiùs David in genere deplorat mores ſuæ ætatis, in qua neque liberales erant, neque fidei datæ ſervantes. ¶ *Defecerunt fideles à filiis hominum* פסו אמונים מבני אדם] *Imminuti ſunt* [vel, *deſierunt eſſe*] *fideles inter mortales.* Aut, *exciſi ſunt fideles*, &c. *à filiis hominum*, i. e. inter homines: quia, inquit, nulli ſunt inter homines bonæ fidei ſtudioſi, dictorum & conventorum ſervantes; nulla fides inter eos: aliud namque dicunt, & aliud faciunt.

2. *Loquitur* ידברו] Fut. Heb. pro præſ. Vel, *mendacium loqui ſolent alter cum altero.* ¶ *Labio blanditiarum*, &c. שפת חלקות] Hebraïſmus, pro, *ſermone blando, duplici animo, loquuntur. Labium* pro *ſermone. In corde & corde loqui* eſt duplici animo loqui: aliud dicere, aliud ſentire.

3. *Magna* גדלות] i. e. Superba & arrogantia, Deique contemptum præ ſe ferentia.

4. *Linguam noſtram roborabimus* ללשננו נגביר] *Linguâ noſtrâ prævalebimus*; vel, *Propter linguam noſtram robuſti erimus:* i. e. Autoritatem nobis conciliabimus ſermone noſtro. ¶ *Labia noſtra nobiſcum* שפתינו אתנו] Adulatorum Saulis verba, Periti ſumus artis dicendi, poſſumus quidvis perſuadere, ſumus apti & idonei ad dicendum: quis eſt qui ſermonem noſtrum cohibere poſſit? quis Sauli diſſuadeat quod illi ſemel ſuaſerimus in Davidis perniciem?

5. *Propter vaſtitatem pauperum* משד עניים] *Propter vaſtationem afflictorum:* q. d. Commotus calamitate pauperum quam video; quia res pauperum vaſtatæ ſunt. ¶ *Propter clamorem* מאנקת] *Propter gemitum*, vel, *ejulatum*, ut ſcilicet opem illis feram: acſi dicat, Hactenus viſus ſum connivere, nunc tandem ſurgam. ¶ *Ponam in ſalute*, &c. אשית בישע יפיח לו] *Ponam in ſalute, illaqueabit eum:* q. d. Circumdabit eum impius ut illaqueet & capiat eum; ſed ego eripiam eum è manu ejus. *Ponere in ſalute* pro *eripere, juvare*, & *opem ferre.* Verti poteſt, *Ponam in ſalute* ab eo qui *ſufflabit in eum:* i. e. liberabo afflictum ab eo qui eum flatu proſternere conabitur. Alii vertunt, *Ponam in ſalute, loquetur ſibi.* Quod poſtremum videri poſſit adjectum à Propheta ad exprimendam Divini auxilii certitudinem, q. dicere voluerit *Deum ſecum ità eſſe locutum, & ſic definiviſſe ut ſalutem afflictis ſuis ferret.* Si verò vertas, *loquetur ei*, & ſubaudias, *pauperi & afflicto*, ſenſus erit, *Deum non ſolum apud ſe ſtatuere, verùm etiam ipſis afflictis teſtari, ſe eis opem laturum.* Solet enim Deus, & id de eo tota Scriptura prædicat, ſuos, dum affliguntur graviùs, ipſe affari, certoſque ſalutis reddere.

6. *Excoctum in fornace terrea* צרוף בעליל לארץ] *Excoctum in terra præſtantiſſima:* vel, *in fictili confecto è terra præſtantiſſima & aptiſſima ad excoquenda metalla.* Deum in ſuis promiſſis certum, fidum ac conſtantem eſſe prædicat. Poſtquam retulit, Deum ſervis ſuis ſpem propinquæ liberationis facere in ultimis

anguſtiis, jam ad fidei & ſpei fulturam ſubjicit, nihil futiliter vel fruſtrandi cauſâ ab eo promitti: q. d. Promiſit Deus auxilium: promiſſiones autem Dei nunquam fallunt, ut argentum ſæpe repurgatum nunquam fallit homines. Quidam, *Conflatum ipſi domino terræ:* q. d. Verbum Dei eſt inſtar argenti puriſſimi quod exactè ſummâque arte & curâ omni fæce purgatum eſt, non in uſum vulgarem, ſed Principis terræ. ¶ *Defæcatum ſeptempliciter* מזקק שבעתים] *Repurgatum ſepties*, i. e. ſæpius.

7. *Serva eos* תשמרם] Fut. Heb. pro imperat. *cuſtodi eos*, ſub. *pauperes*: q. d. Cùm tuæ promiſſiones ſint veræ, tu igitur illos cuſtodi. ¶ *Cuſtodi eum* תצרנו] i. e. Unumquemque ipſorum ab hominibus his pravis & atris, ut pollicitus es.

8. *Ambulant* יתהלכון] Quærentes ſcilicet occaſionem perdendi probos. ¶ *Vilitates filiorum hominum* זלות לבני אדם] i. e. Homines nihili & perditi: q. d. Circumfluunt undique improbi dum probroſi primas inter homines obtinent, & illos ſectantur. Vel, *dum exaltantur, vilitas eſt filiis hominum*; i. e. reliquis hominibus: q. d. Cùm fæx illa hominum evehitur & primas tenet, reliqui homines jacent, h. e. abjectè & viliter ab eis tractantur. Aut, *vilitas eſt filiis hominum*, i. e. vilia, ſordida, fœda, & quæ nullius pretii ſunt, ſectantur homines: nihil laudabile & glorioſum patrant homines, adigentibus illos improbis qui rerum potiuntur ad omnia turpia, nefaria & ignominioſa. Alii vertunt, *vilitas eſt filiis hominum*, i. e. abjectè & viliter tractantur reliqui homines. Alii, in *ignominia ſunt filii hominum.*

CLARIUS.

VEriſimile eſt & hunc Pſalmum contra eos eſſe compoſitum qui regnante Saule primas in Regno habebant, homines perditi & omnibus moleſti; de quorum improbitate etiam Pſal. 5. 56, 57, 58, 59, 60. vehementer queritur. Quòd verò titulus habet, *Pro octava*, inſtrumentum Muſicum eſſe affirmant octo chordarum.

1. *Salvum me fac, Domine*] Opus habeo, inquit, te ſervatore: *nullus enim reliquus eſt ſanctus inter filios hominum:* periit fides & juſtitia; & mendaces homines invaluerunt; & niſi Dominus verbo ſuo afflictis ſuccurrat, actum de illis eſt.

2. *In corde & corde*] h. e. Duplici corde, dum quivis aliam intra animum ſententiam ſervans, aliam verbis exprimit.

4. *Labia noſtra apud nos ſunt*] Nam & Græcus habet παρ' ἡμῖν, *apud nos:* quod Interpres videtur legiſſe παρ' ἡμῶν· & eſt ſenſus, *Loqui nobis & facere licet quæcunque libuerit: nemo enim eſt quem vereamur: & talia nobis labia ſunt quibus facilè quod volumus efficere poſſimus.*

5. *Ponam in ſalutari*] h. e. Ponam & collocabo pauperem eo loco ut tutus futurus ſit. ¶ *Fiducialiter agam*] Idem eſt quod *liberè agam*: nam in Græco eſt παῤῥησιάσομαι. Alius vertit *reſpirare eum faciet:* alius, *loquetur ei:* alius, *ab eo qui deridendo ſufflat in eum.* Heb. *Ponam in ſalutem*; *loquetur ei*, vel *pro eo*: h. e. *Servabo, ait Dominus, eum*; *& Dominus loquetur pro eo*, i. e. pro unoquoque paupere, & aget cauſam illorum.

6. *Eloquia Domini*] h. e. verba ac promiſſiones ejus: per quod intelligit, Fidendum eſſe illius promiſſis neque in quibuſvis adverſis deſperandum. ¶ *A terra purgatum*] Alius vertit *in exquiſito loco terræ defæcatum*: quod quidam accipiunt pro *furnulo aurifabri de exquiſita formato terra.* Alius vertit, *manifeſtum terræ*, i. e. omnibus apertum.

7. *Servabis nos*] Idem eſt ſenſus cum Hebræo ubi legitur, *Tu, Domine, cuſtodies eos, ſervabis eum*, h. e. unumquemque eorum, nempe pauperum tuorum & oppreſſorum: & non vacat affectibus, quod neque eos pro quibus, neque eos contra quos orat nominatim exprimit.

8. *In circuitu*] Senſus eſt, Circumveniunt impii optimum quemque: & cùm illis contingit præfectura, viliter ab eis tractantur ſubditi. Alius ſic eſt interpretatus, *Circumquaque tum impii obambulant ſecuri, cum principatum nacti fuerint qui inter homines ſunt perditiſſimi.* Vel, *In circuitu impii ambulant*, ut ii qui vertiginem patiuntur: ſic & illud, *Deus meus, pone illos in rotam.*

DRUSIUS.

1. חסיר. Aq. ἁγνός, *caſtus.* ¶ פסו. * ἐπεράνθησαν. Verbum à πέρας deductum. Eſt autem πέρας, *finis, terminus.* Ergò ἐπεράνθησαν, *conſumpti ſunt, deſierunt eſſe.* Videntur eſſe interpretamentum Aquilæ, ut & illud quod ſequitur. ¶ אמונים. * πιςοὶ, *fideles.* Sym. αἱ πίςεις.

2. שפת חלקות בלב ולב ידברו. Sym. χείλη δόλια ἐν καρδίᾳ ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ λαλεῖ, *labia doloſa in corde aliud & aliud loquuntur*, Interpres Theodoreti habet *lubrica.*

4. נגביר, * δυναςεύσομεν, *potentes evademus.* ¶ שפתינו אתנו מי אדון לנו. Aq. χείλη πάρεσιν ἡμῖν· τίς δεσπότης ἡμῶν; *labia nobis adſunt: quis Dominus noſter?*

5. משד עניים מאנקת אביונים. A. Ἀπὸ προνομῆς πενήτων, ἀπὸ οἰμωγῆς πτωχῶν, *Ob vaſtitatem* [aliàs *direptionem*] *pauperum, ob ejulatum egenorum.* Sym. Διὰ κακοπάθειαν πτωχῶν, διὰ οἰμωγὴν πενήτων, *Propter vexationem egenorum, propter ululatum pauperum.* ¶ אשית בישע. Sym. τάξω σωτήριον ἐμφανὲς, *ordinabo ſalutem manifeſtam*] Chryſoſtomus explicat, τουτέςι, φανερῶς σώσω, *hoc eſt, palàm & apertè ſalvabo.* Apud Interpretem Theodoreti, *manifeſtam ſalutem perficiam.* ¶ בישע. Alius, ἐν σωτηρίᾳ σου, *in ſalute tua.*

6. צרוף. * τὸ χωνευόμενον, *conflatum.* ¶ בעליל לארץ. A. χωρῶν τῇ γῇ. Chryſoſt. ὁ δὲ Ἑβραῖος, τὸ ῥέον ἐν τῇ γῇ. ¶ מזקק. A. διυλισμένον, *defæcatum*] Lex. V. Διυλίζω, *defæco, fæco, ſacco, percolo.*

7. תשמרם. Alius, φυλάξεις αὐτοὺς· & alius, φυλάξεις αὐτά. *Cuſtodies ea*, Hieron. ¶ מן הדור זו לעולם. * ἅμα τῇ γενεᾷ τῇ εἰς τὸν αἰῶνα, *ſimul cum generatione quæ in æternum.*

8. יתהלכון. * περιπατήσουσι, *ambulabunt.* ¶ כרם זלות לבני אדם. Alius, κατὰ τὸ ὕψος εὐωνισμένοι τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων. Alius, ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων] Εὐωνισμένοι. Lex. V. Εὐωνία, *vilitas.* Εὔωνος, *vilis.* Εὐώνως, *vile.* Οἱ εὐτελεῖς, *viles.* Chryſoſt. ὁ δὲ Ἑβραῖος, χάρμ ζολλώθ λεβνὴ ἀδάμ· puto legendum χρὼμ, vel certè, χράμ· ſed hoc minùs ſincerum eſt. ¶ זלות. VI. ed. ἐξουθένησας· *nihili feciſti.* Lex. V. Ἐξουθενῶ, *ſperno, reſpuo, adnichilo, ſperno, aſperno.*

AMAMA.

1. H*Oſhigna*] nam eſt neceſſitas. Mali invaleſcunt Math. 21. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Sic Ebr. cum Dat. conſtr. Pſ. 86. 16. Jud. 7. 2.

2. אמונים] Sub. *anſche* viri fidei, aut veracitatis. Sed poteſt etiam eſſe abſtr. Pſ. 31. 24. 2 Sam. 20. 19.

3. *Corde & corde*] i. e. Duplici animo, Veracitas hominis conſiſtit in eo ut ita loquatur ſicuti ſentit; i. e. תוכו ſit קרו ut ſermo προφ. conſentiat τῷ ἐνδιαθέτῳ. Simulatio verò in eo, ut diſſentiat. Talis autem duas habet intentiones inter ſe oppoſitas & pugnantes, unam faciendi, alteram loquendi, ideo tribuitur ei duplex animus. Sic Deut. 25. 13. Pondus & pondus, unum quo quis ſibi conſulit, alterum quo alteri imponit. Hujus vitii exercitatio eſt certiſſimum ſignum malitiæ redundantis, Proverb. 26. 25. Talis ſimulatio ſingulari quâdam ratione adverſatur veracitati, quæ eſt pars imaginis divinæ, verſ. 2. Talis homo ſemper peccat contra conſcientiam, Dei omniſcientiam aut negat aut contemnit. Hinc ſingulare odium adverſus hoc vitium tribuitur Deo in ſcripturis. Prov. 6. 16. Hinc חנף quaſi pro abſolutâ ideâ hominis improbi paſſim in Pſalm. & Proverbiis. Eſt enim quaſi epitome omnium vitiorum, ἡ δὲ ὑπόκρισις συλλήβδην πᾶσα πονηρία καὶ κακία. Homerus Ἐχθρὸς &c. Græci vocant hypocritam. Quid ſit ὑποκρίτης propriè docet Scholiaſtes in orat. Demoſth. de pace, οἱ ἀρχαῖοι ὑποκρίται ἐκάλουν τοὺς νῦν κωμῳδοὺς καὶ τραγῳδοὺς λεγομένους. Ergo Hypocrita eſt hiſtrio, qui alienam perſonam in ludis ſcenicis ſuſtinet. Tranſlatum poſtea ad impios, qui geſtibus verbiſque perſonam hominis pii exprimunt, cum tamen ſint impii. Item ad hoſtes & inimicos qui ut facilius noceant, fallantve, amici perſonam induunt, Qui etiam fidem præſtruunt, ut ut cum majori mercede poſtea fallant, homines οἷς οὔτε βωμὸς, οὔτε πίςις, οὔτε ὅρκος μένει, qui didicerunt ἐσθλὰ ἀγορεύειν, καὶ κάκιςα ἐν φρεσὶ βυσσοδομεύειν. Cujuſmodi hiſtriones hujus ævi ſcena habet excellentiſſimos.

4. *Exſcindet*] Kimchi, נגו אות או תפלה. Malim eſſe נגו אות. Et ſic etiam Jun. *Linguam blanditiarum*, i. e. blandam, ad verbum levitatum, levorum, λειοτήτων, חלק eſt λεῖος, levis, *Glad.* Opp. aſpero.

Magna] i. e. Linguam grandiloquam, ſonantem blaſphema verba, ut Dan. 7. 8. פם ממלל רברבן.

5. Jun. *Linguæ noſtræ jus obtinebimus.* Piſc. *Linguâ noſtrâ prævalebimus*, vel, Linguam noſtram corroborabimus.

Labia noſtra nobiſcum] Piſc. *penes nos.* Gal. *habemus linguam noſtram in noſtrâ poteſtate.*

אדון. Hiſp. Don. Et punicum. Plaut. in Pœn. Agoraſtocles Milphio. Aq. ſaluta hunc rurſus punicè meis verbis. *M. Haudoni* Vetus Epigramma.

Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐςὶ Σαλάμ, εἰ δ' οὖν γε σὺ Φοῖνιξ
Αὔδονις: εἰ δ' ἕλλην χαῖρε, τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

Αὔδονις pro αὔδονι, quod magis alluderet ad finem Græcum.

6. משד. Propter vaſtationem. Sic מ Jud. 2. 18. *Pœnituit Dominum*

minum propter gemitum eorum, Jer. 24. 2. *Quæ comedi non poterant propter pravitatem.*

לו יפיח] In quem ſufflabat improbus. Quem contemptius habebat.

7. *Defæcatum*] Non ſolum ob excellentem veritatis puritatem, ſed etiam propter variam & multiplicem probationem & experientiam qua manifeſta eſt iſta veritas. In ſingulis enim Eccleſiæ & piorum gravioribus afflictionibus promiſſiones Dei tranſeunt per ignem & probantur, ſemper tamen firmitatem & veritatem ſuam retinent.

לארץ ל *Catinum terræ*:] ל Nota Dat. caſus. Vas fictile ex terra ſpiſſa & pingui, quod & vim ignis ſuſtinere poteſt, & liquores nec exorbet, nec exudat.

שבעתים *ſepties*] Aliq. ſign. ſeptemplicitèr vel ſeptuplum, ut ſit proportionale, Prov. 6. 31. *& deprehenſus reddet ſeptuplum.* Pſ. 79. 12. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum.* Jeſ. 30. 26. *Et lux ſolis eſt ſeptupla, ſicut lux ſeptem dierum.* Eodem modo ab ארבע erit ארבעתים quadruplum. 2 Sam 12. 6. *Agnam rependet quadruplo.* Alii, bis quatuor; Atque hinc probant licere Magiſtratui Delictis creſcentibus pœnas exaſperare; nam Exod. 21. 37. *Si furatus quis fuerit bovem ovemve, eamque mactaverit aut vendiderit, reddet 5 boves pro bove, & 4 oves pro ove.* Hîc autem duplicatur pœna à Davide, inquiunt, unde colligunt pœnas furti fuiſſe adauctas. Sicut noſtri Proceres ante paucos annos pœnam adulterii quæ erat 40 aureorum auxerunt ad 200. aureos. Sed argumentum illud eſt elumbe. Uti qui furem quà furem laqueo plectit, facit contra Legem Dei & quidem moralem; Ita qui adulterum non plectit capite, peccat contra eandem Legem. Leges enim, quæ decernunt pœnas tranſgreſſoribus legum moralium, ejuſdem naturæ ſunt, i. e. immutabiles. Sed ad rem, ארבעתים ſign. non bis quatuor, ſed quadruplum, liquet ex Jeſ. 30. 26. Unde & Chald. על חד ארבעה pro uno quatuor. In cæteris numeralibus duplicatur ſingulare, עשרה, אלף, רבא, à עשרה etiam dicendum fuiſſet עשרים ſed ut cæteris eſſet ſimile, dicitur פעמים 1 Sam. 14. 27. 28. Eſr. 9. 8. Prov. 15. 30.

9. (*In qua*) vel, *Nam, circumquaque obambulant improbi*, i. e. omnia occupant & ubique invaleſcunt, jactant ſe in improbitate ſua; obambulant ſine ullo metu.

Cum extollitur vilitas] i. e. Homines vilitatis, homines viles. זלל ſign. 1. Comeſſatorem & decoctorem, Deut. 21. 20. Prov. 23. 21. 2. Vilem contemptum.

GROTIUS.

4. DIſperdat Dominus univerſa labia doloſa] Syrus, *labia diviſionum*: quam interpretationem optimè recipit vox Hebræa. Et videtur David agere de iis qui Abſalomum contra ſe incitaverant.

9. *In circuitu impii ambulant, ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*] Meliùs Græci quidam: ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων, [*cum exaltati fuerint viles filiorum hominum.*]

Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum.

Id autem maximè evenit in diſcordiis civilibus.

Ἐν δὲ διχοςασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
[*Sæpe malos motus civilis honoribus auget.*]

PRICÆUS.

1. USquequo, Domine?] In vetere Onomaſtico, *Uſquequo?* ἕως ὅ; at putem ἕως πότε legendum. Ità in Gloſſario, Ἕως πότε; *uſquequo? quouſque?* Ἕως ὅ autem (ut in eodem Gloſſario) eſt, *quoadusque.*

IDEM.

2. QUamdiu ponam conſilia in anima mea] Quamdiu cogitationes dubiæ in me aſcendent de providentia tua? vel, Quamdiu in iſto dubio ſtatu meo conſilia capiam quid agendum mihi? Sic in Milite Plautino,

Dum ego mihi conſilia in animum convoco, & dum conſulo
Quid agam ——

Ejuſdem eſt in Mercatore,

Quid illuc eſt quòd ille ſolus ſe in conſilium convocat?

PSALM. XIII.

MUNSTERUS.

2. USquequo ponam conſilia] i. e. Quamdiu cogor intra me deliberare & varia excogitare conſilia ut imminens evadam periculum? Quamdiu cruciabor in corde meo, ut nunquam mihi vel tantilla quies ſit cordis? Certè niſi tu, Domine, ſervo tuo in tenebris tribulationum conſtituto, lumen attuleris gratiæ tuæ, dormiam ſomnum mortis.

6. *Retribuit mihi*] Subaudi *juxta confidentiam meam.*

VATABLUS.

VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. 1.

1. *In ſeculum* נצח] *Perpetuò, in perpetuum*: i. e. Uſquequo tandem. Vel, Quouſque tandem negliges me? Quæritur David auxilium ſibi negatum fuiſſe à Deo, aut certè dilatum. Hebræi dicunt Pſalmum hunc ſcriptum fuiſſe cùm David in graviſſimo aliquo eſſet periculo. Quidam Hebræorum dicit, hæc dicta eſſe ſecundùm opinionem non Prophetæ, ſed eorum qui cùm eum viderent in tanta tribulatione, putabant illum à Deo neglectum. *Uſquequo tandem*, inquit, *obliviſceris mei?* quouſque tandem videberis hominibus negligere res meas & negotium meum? ¶ *Abſcondes faciem tuam* תסתיר את פניך] *Avertes vultum tuum à me?* quod irati facere ſolent. Quouſque tandem dedignaberis aſpicere me? Chald. vertit *ſplendorem vultûs tui*, i. e. favorem & miſericordiam.

2. *Ponam conſilia*, &c. אשית עצות בנפשי] Hebraïſmus, pro, *conſilia inibo apud me. Ponere conſilia in animo* dicimur quando quærimus conſilia quibus periculum evadamus: q. d. Quouſque anxius, & dubius rerum agendarum apud me conſilia inibo, ut rationem inveniam quà à tot periculis liberer? ¶ *Dolorem* יגון] *Anxietatem.* Vel, *moleſtam cogitationem.* ¶ *In die* יומם] *Interdiu*; q. d. non ſolùm noctu, ſed etiam interdiu. Solent interdiu recedere curæ, quæ redeunt nocte: dicit ergò *interdiu*, acſi dicat, dum in aliis curæ ſopiri ſolent. Quidam vertunt *quotidie.*

3. *Illumina oculos meos* האירה עיני] *Illuminare oculos* tantundem valet ac *dare ſpiritum vitalem*: vitæ enim præcipuus vigor in oculis apparet. Cùm Jonathas præ inedia deficeret, dicit S. hiſtoria *caliginem fuiſſe offuſam ejus oculis*; rurſum poſtquam favum mellis guſtavit, *lucem ejus oculis fuiſſe redditam*, 1 Sam. 14. 27. Dicit itaque, Diſpelle tenebras tribulationum à me, quæ me propè enecant. Quidam totum verſum ſic exponunt, *Habe, quæſo, rationem calamitatis meæ, exaudi me: dona mihi vigilantiam & cautionem, nè imprudens incidam in manus hoſtis mei, & interficiar: dormiam, non enim ſomnum quo reparantur vires & membra feſſa levantur, ſed qui eſt mors.* Mors piorum dicitur *ſomnus*, propter reſurrectionem carnis: qui reſurgent, velut à ſomno diuturno excitabuntur. ¶ *Dormiam in morte* אישן המות] Vertendum potiùs, *dormiam* dormitionem *mortis*: nam in hujuſmodi ſolent Hebræi ſubaudire verbale ejus verbi quod in oratione ponitur: i. e. nè ſuccumbam tribulationi, & interficiar ab inimico.

5. *In miſericordia tua ſpero* בחסדך בטחתי] *In bonitate tua ſpero.* Præt. Heb. pro præſ. q. d. Ità, obſecro, mecum age ut precatus ſum: nam ego ſpero in te. ¶ *Exſultabit*, &c. יגל לבי בישועתך] Fut. Heb. pro præſ. *exſultat cor meum de ope tua.* Vel, *propter opem tuam*, quæ mihi ſaluti erit cùm me ab hoſtibus meis eripies. ¶ *Quoniam retribuit mihi* כי גמל עלי] *Quod beneficium in me contulit.* Chald. *quod benigne mecum egit.* Liberando me ſcilicet ab hoſtibus meis. q. d. Neque futurus ſum ingratus: odas enim edam in laudem Dei, qui me periculo eripuerit.

CLARIUS.

APparet & hunc Pſalmum eſſe compoſitum ob præſens aliquod periculum in quo fuerit deprehenſus dum exſularet, & eum Saul proximè perſequeretur.

2. *Quamdiu ponam conſilia*] Quamdiu cogor intra me deliberare & varia excogitare conſilia ut imminens evadam periculum, & cùm hæc nihil præter dolorem & mœrorem quotidianum atque continuum pariant? Certè niſi tu, Domine, ſervo tuo in afflictionum tenebris conſtituto lumen attuleris gratiæ tuæ, dormiam ſomnum mortis.

6. Qui

6. *Qui bona tribuit mihi*] Heb. *quoniam retribuit mihi*; ut ſubaudias *juxta fiduciam meam*, & ultus eſt injuriam quâ me affecerunt hoſtes mei.

LUCAS BRUG.

Sepulcrum patens eſt guttur eorum; linguis ſuis doloſè agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum; & viam pacis non cognoverunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum. Tres iſti verſus an ad Pſal. 13. pertineant, quæſtio eſt omnimodè controverſa. Ajunt hi, negant alii: partis igitur utriuſque rationes atque argumenta proferemus.

Ad Pſal. 13. pertinere videri ex eo in primis poſſint quòd ab Apoſtolo in Pſalmi 13. exemplaribus lecti fuerint; quippe qui ad Romanos cap. 3. eos tanquam ex contextu unius Pſalmi ſimul deinceps referat. *Cauſati enim ſumus*, inquit, *Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt, Quia non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant*, &c. Deinde in vetuſto Anglicanæ Eccleſiæ Hebraïco Pſalterio verſus iſti hoc decimi tertii loco habentur. Recitantur à Reverendiſſimo Domino D. Lindano, libro De optimo genere interpretandi Scripturas. Adhæc in utraque Arabica interpretatione, Syra videlicet atque Ægyptia, omnino in 13. Pſalmo leguntur. Autor eſt Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis: atque hinc conjicit olim Græcè lectos fuiſſe; illas enim interpretationes ex Græco deſumptas non dubitat. Et certè in vetuſtiſſimo Vaticanæ Bibliothecæ Græco codice legi Julius Eugubinus, in Nazianzeni Apologeticum ſcribens ſcholia, teſtatur. In Latinis autem codicibus, tam antiquis quàm novis, conſtanter ſcribuntur; & à Ruffino, Auguſtino, & poſterioribus Pſalmorum Latinis Enarratoribus, agnoſcuntur atque exponuntur.

Altera ſententia eorum qui tres illos verſus non eſſe decimi tertii Pſalmi exiſtimant, ſuis etiam argumentis probatur. Inprimis quòd tres iſti verſus non legantur in Pſalmo 52. qui decimo tertio ſimillimus & penè idem eſt. Verùm non eſt id efficax argumentum, imò verò alterum potiùs hinc effici videatur: nam ſi idem eſt cum 13. Pſalmo, cur repetitus eſt? ſed eſt diſcriminis nonnihil, penultimis verſibus à ſe mutuò diſcrepantibus. Fieri autem potuit quòd, diverſis occaſionibus, eoſdem ferè Pſalmos David decantaverit. Altera ſuccedit ratio, quòd in nullis Hebraïcis codicibus verſus iſti Pſalmo 13. legantur. Nam quæ in illo Anglicano Pſalterio leguntur, fictitia & ſuppoſititia eſſe non dubitant, nimirum quæ nec ſcitè juxta Hebraïcam Grammaticen ſcripta ſint. Quod cùm oſtendere conati ſint quidam, hoc tantùm nos addemus, illud ipſum Pſalterium aſſerere hos verſus in Hebræo non legi. Sunt enim Latinæ quædam annotationes in ejus margine adſcriptæ, quæ circa hunc locum hoc habent modo: *Sepulcrum.*] *Tres iſti verſus in Hebræo non habentur. Apoſtolus autem de Deuteronomio, Pſalterio, & cæteris Scripturarum locis hoc teſtimonium texuit.* Sunt ferè Hieronymi in Commentariis verba. Quid ampliùs deſideres quàm teſtimonium illius exemplaris quod refragari exiſtimabatur? Sed nè fortè dicas, annotationes illas ab indocto quopiam adjectas, qui quid hoc libro Hebraïcè ſcriptum eſſet aut legere non potuerit, aut non intelligere; in altero margine Latinam is ipſe ſcripſit explicationem, & quidem Hebraïcis dictionibus qualitercunque accommodatam, ut præcedentium & ſubſequentium, ità & iſtorum verſuum. Videtur igitur adeò parvi exemplar illud feciſſe ut, quamvis in eo verſus illos eſſe non ignoraret, non ideo negandum putarit in Hebræo non haberi. Neque verò iſta ex relatu dico; ipſe deprehendi: exemplar namque illud commodatò nobis miſit, qui eo utitur, Franc. Raphlengius, Plantini gener. Ex quo id nequeo præterire, quòd, non ut Apoſtolus, habeat, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, ſed תחת לשונם, *ſub lingua eorum*; neque, *Et amaritudine plenum eſt*, ſed ומרמות מלא, *& dolo plenum eſt*: niſi dicas fortè 72. ex מרמות πικρίαν reddidiſſe, Pſal. 10. 7. Dominus Lindanus tranſcripſit ומרמות מלא. Alterum nobis datum eſt Hebraïcum Pſalterium ex Societatis Jeſu Bibliotheca, illo fortaſſis antiquius, id quod nullum horum verſuum habet veſtigium. Denique ipſe Reverendiſſimus Dominus Lindanus, in antiquiſſimo Portugallicæ Synagogæ Pſalterio, quod magnis ad ſe ſumptibus adferendum curavit, verſus iſtos 13. Pſalmo non reperit. His adde, quòd in Chaldaïca Paraphraſi non legantur. Inſuper ab omnibus penè Græcis exemplaribus prætermittuntur; nec tantùm impreſſis, verumetiam manuſcriptis, Pariſienſi S. Victoris, Tornacenſi S. Martini. Nec Sereniſſimus Dominus Cardinalis Sirletus in ſuis in Græcum Pſalterium Annotationibus, Vaticanis codicibus legi notavit, cùm tamen id præſertim agat ut vulgatum Græcorum Pſalterium ex Vaticanis exemplaribus corrigat. Similiter neque illi quidquam annotarunt qui, illuſtriſſimi D. Cardinalis Granvellani juſſu, Græca Argentoratenſium Biblia ad Vaticana exemplaria duo contulerunt. Poſtremò, tres iſti Pſal. 13. verſus ab antiquis Tractatoribus, Arnobio inter Latinos, Chryſoſtomo, Theodorito & Euthymio inter Græcos, non agnoſcuntur: & quidem additus Arnobio textus legit; ſed Arnobii commentarium ità præterit, ut nec vidiſſe nec noviſſe videatur: *In quo populo*, habet, *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti, devorabant plebem Dei velut eſcam panis.* Cætera quæ ſubſequuntur iis qui deinceps ſunt verſibus ſerviunt; præcedentia præcedentibus conveniunt. Apollinaris, cùm reliqua hujus Pſalmi carmine reddiderit, hæc duntaxat prætermiſit. Sub finem tamen editionis Pariſienſis, *ἐν ταῖς διαφόροις γραφαῖς* notatum invenimus, *Ἐργατίνης – μετὰ τοῦτον τὸν στίχον ἐν ἄλλῳ ἀντιγράφῳ εὑρίσκεται ταῦτα, Λαυκαυίνιν – καὶ τὰ λοιπὰ, Poſt hunc verſum* Ἐργατίνης, *in alio exemplari inveniuntur hæc*, Λαυκαυίνιν, *&c.* Sunt autem ea de quibus eſt controverſia ſimili carmine reddita. Caſſiodorus Romanus Senator & Haymo Halberſtattenſis Epiſcopus exponunt quidem iſta, ſed præmonent, non à Propheta eſſe addita. Caſſiodorus, *Hi quinque verſus*, ait, *uſque ad diviſionem ſecundam, in Hebræis exemplaribus non habentur: ſed quoniam in uſum Eccleſiæ conſuetudine longâ recepti ſunt, prout conceſſum fuerit, ſingulos exponemus.* Haymo, *Sciendum*, inquit, *quòd Propheta iſtos tres ſequentes verſus in hoc Pſalmo non poſuit: ſed quia Apoſtolus, Judæorum fidem increpans, in epiſtola ad Romanos ità contexuit, Eccleſia autem ejus tanquam & David autoritatem attendens, ejus contextionem non permutavit.* Hæc Haymo. Ad id igitur quod de Apoſtoli citatione adfertur, qui tanquam ex eodem Pſalmo recitat, & eum verſum *Omnes declinaverunt*, & eum *Sepulcrum patens* cum duobus ſequentibus, reſpondent Apoſtolum ex diverſis Scripturæ locis collegiſſe, & in unam congeriem compoſuiſſe ea quæ de hominum Chriſti gratiâ non renovatorum corruptione ſcripta fuerant. Itaque non ab Apoſtolo ex Pſalmo 13. hæc deſumpta, ſed ex Apoſtolo in Pſalmum 13. relata. Hujus autem ſententiæ patronum atque autorem Hieronymum habent, qui cùm in hujus Pſalmi commentariis tum in prooemio libri 16. commentariorum in Iſaiam docet, Apoſtolum ex diverſis Scripturarum locis teſtimonium hoc texuiſſe. Operæ pretium autem fuerit ejus verba ex prooemio illo adſcribere. Euſtochii quæſtio erat, Quomodo verum eſſet, quod Hieronymus ſcripſerat, Apoſtolos ea tantùm de Lxx. Interpretibus ponere teſtimonia quæ cum Hebræo conſonarent, ſi qua autem ab aliis addita ſunt, omnino negligere; *cùm 13. Pſalmi octo verſus, qui leguntur in Eccleſiis, & in Hebræo non habentur, Apoſtolus Paulus Romanis ſcribens uſurparit?* Huic quæſtioni Hieronymus his tandem reſpondet verbis, *Itaque omnem Scripturam mente perluſtrans, animadverti, ſicut omnis penè ad Romanos epiſtola de Veteri ſtructa eſt Inſtrumento, ſic & hoc teſtimonium de Pſalmis & Eſaia eſſe contextum. Nam duo primi verſus*, Sepulcrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, *quinti Pſalmi ſunt; illud autem quod ſequitur*, Venenum aſpidum ſub labiis eorum, *centeſimi triceſimi noni Pſalmi eſt. Rurſumque cùm dicitur*, Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, *de nono Pſalmo ſumptum eſt. Tres autem verſiculos qui ſequuntur*, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Contritio & infelicitas in viis eorum: Et viam pacis non cognoverunt, *in Eſaia Propheta reperi, quos in 16. explanationis ejus libro, quem nunc dictare cupio, expoſiturus ſum. Ultimus autem verſus*, i. e. *octavus.* Non eſt timor Dei ante oculos eorum: *in triceſimi quinti Pſalmi principio eſt. Nec in hoc cuiquam videatur eſſe diverſum, ſi quod in ſuis locis numero dicitur ſingulari, ab Apoſtolo pluraliter dicatur, qui ſcribebat ad plurimos, & in unum ſenſum multa cogebat exempla. Arbitror ſolutam quæſtionem tuam, & noſtram regulam ſuper tranſlatione Veteris Inſtrumenti concuſſam magis eſſe quam motam: Et non tam Apoſtolum de Pſalmo tertio decimo ſumpſiſſe quod in Hebraïco non habetur, quàm eos qui artem contexendarum inter ſe Scripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſiſſe aptum locum ubi aſſumptum ab eo teſtimonium ponerent, quod abſque autoritate in Scriptura poſitum non putabant. Denique, omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos commentarios reliquerunt, hos verſiculos veru annotant atque prætereunt, liquido confitentes in Hebraïco non haberi, nec eſſe in Lxx. Interpretibus, ſed in Editione Vulgata, quæ Græcè κοινὴ dicitur, & in toto orbe diverſa eſt.* Hactenus Hieronymus, qui eandem habet ſententiam in caput Iſaiæ 59. Hieronymum, præter alios, Beda ſequitur, Actorum Apoſtolicorum primum caput ediſſerens

rens: ubi & ſimile exemplum habet. Quia namque D. Petrus Act. 1. 20. junxerat locum centeſimi octavi Pſalmi cum altero ſexageſimi octavi, ut & Judæ abjectionem & Matthiæ electionem Prophetæ teſtimonio adſtrueret, imperitus emendator totum ex 108. Pſalmo ſumptum eſſe arbitratus, huic addidit quod illic ampliùs legit, *fiat habitatio ejus deſerta*, &c. Hoc itaque ſe habent modo partis utriuſque rationes. Prævalere autem eæ videntur quæ poſterioris ſunt partis, aſſerentis ſcilicet verſus illos non ad 13. Pſalmum pertinere, ſed ex Divinarum literarum variis locis ab Apoſtolo connexos, ac poſtea ex Apoſtolo Pſalmo 13. adjectos, quòd præcedentes verſus ad eum Pſalmum pertinerent. Porrò ut Hebræis & Græcis codicibus non adjiciendos eſſe cenſeo, ità Latinis libris, quibus conſtanter leguntur, non ſubtrahendos judico. Lectionis enim antiquitas, quæ D. D. Auguſtini & Hieronymi præceſſit tempora, & perpetuus Eccleſiæ in templis uſus, ſuo eos loco facilè moveri non ſinunt. Expediat autem fortaſſis obeliſco eos prænotari, quemadmodum in vetuſtiſſimis exemplaribus, uno Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis, altero inſignis Abbatiæ Lobienſis, tertio Cœnobii S. Martini Tornacenſis, & in D. Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi textu, notati cernuntur. Et veriſimile eſt ex D. Hieronymi caſtigationi obelum in his exemplaribus relictum. Hoc autem prænotati ſigno ſi verſus iſti ſcribantur, & lectionis antiquitati & legentis eruditioni ſatisfiet. Unum propter vetuſtatem in Eccleſia decantandum eſt, alterum propter notitiam Scripturarum ab eruditis ſciendum eſt.

DRUSIUS.

1. תִּשְׁכָּחֵנִי. * ἐκλανθάνῃ μυ. ¶ נֶצַח. Alius, τέλεον· alius, εἰς νῖκος] Τέλεον, i. e. *omnino*, *penitus*, *prorſus*. Εἰς νῖκος, *ad victoriam*. Siquidem νῖκος, *victoria*. Dicitur & νίκη. Alibi eſt לַמְנַצֵּחַ, Τῷ νικοποιῷ, & apud Hier. *Victori*. Ergò נצח *vinco*. ¶ תַּסְתִּיר. A. S. Th. κρύψεις, *abſcondes*.

2. אָשִׁית עֵצוֹת. * τάξω γνώμας. ¶ יָגוֹן בִּלְבָבִי יוֹמָם. Sym. μέριμναν ἐν τῇ διανοίᾳ μυ καθημέραν, *ſolicitudinem in mente mea quotidie*. A. & Th. ὀδύνας ἐν καρδίᾳ μυ ἡμέρας] Καθημέραν ſcribitur diviſim, καθ᾽ ἡμέραν, *cottidie*, in Lexico vetere. Ἡμέρας, i. e *interdiu*.

AMAMA.

3. *Illuſtra oculos meos*] Recrea mea, exhilara. In adverſ. fame & morbo caligant oculi. In lætitia & hilaritate contra accidit. Nam vinum & animi reparatio vivacitate oculorum ſolet indicari. 1. Sam. 14. 27. & 29. Prov. 15. 30. Eſr. 9. 8.

Dormiam] Vide ad Eccleſiaſten in additis.

6. גמל Lxx. Τῷ εὐεργετήσαντί με. Sic in Prov.

GROTIUS.

6. *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi*] Τῷ εὐεργετήσαντί με, [*qui bene mihi fecit.*] Sic & Syrus. Verbum גמל per εὐεργετεῖν, [*benefacere*] vertitur etiam infra 116. 7.

PRICÆUS.

2. *Abominabiles in ſtudiis ſuis*] Ut Jerem. 21. 12. *Propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.*

3. *Omnes declinaverunt*]

——— Οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ᾽ ὔ,
Πάντες δ᾽ ———

ut in Epigrammate Græco, (capite item εἰς πονηρὑς) de Chienſibus dictum.

——— *Tellus ſcelere eſt imbuta nefando,*
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt.

Vide infra 53. 4. Seneca Præfat. Lib. 4. Natur. Quæſt. de Menandro, *Omnes ait malos vivere*, &c. *non ſenem excipit, non puerum, non fœminam, non virum: & adjicit, non ſingulos peccare, nec paucos, ſed jam ſcelus eſſe contextum.* Idem de Ira 2. 8. *Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine:* & ſtatim, *Adeò in publicum miſſa nequitia eſt, & in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, ſed nulla ſit: numquid enim ſinguli aut pauci ſprevere legem? undique velut ſigno dato ad fas nefaſque miſcendum coorti ſunt.*

Ibid. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*] Theognis,

Οὐδένα παμπήδην ἀγαθὸν καὶ μέτριον ἄνδρα
Τῶν νῦν ἀνθρώπων ἠέλιος καθορᾷ.

Ibid. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*] Ἰὸς θανατηφόρος, Jacob. 3. 8. ubi dicta vide. Apulejus in Apologia, *Viperæ ritu niveo denticulo atrum venenum inſpirare.*

Ibid. *Viam pacis non cognoverunt*] *Semitæ eorum* (ut Eſai. 59. 8.) *incurvatæ ſunt, omnis qui in iis calcat: ignorat pacem.*

4. *Nonne cognoſcent omnes?* &c.] Vide ad 52. 5. annotata.

Ibid. *Sicut eſcam panis*] Sicut panem qui eſui deſtinatur. Sic infrà 43. 22. *ſicut oves occiſionis*, i. e. quæ occiſioni præparantur.

IDEM.

1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*] Jer. 5. 12. *Negaverunt Dominum, & dixerunt, Non eſt ipſe:* id eſt, *Quomodo* (ut Pſal. 72. 11.) *ſcit Deus? &, ſi eſt ſcientia in excelſo?*

Ibid. *Corrupti ſunt*] Τὸν νοῦν (ut apud Apoſtolum) διεφθαρμένοι. *Univerſi* (ut Jer. 6. 28.) *corrupti ſunt.* Vide Gen. 6. 12.

Ibid. *Et abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*] *Viæ eorum* (ut Prov. 2. 15.) *perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Quin & *ſtudiis* hìc, ſuprà 9. 12. & alibi, *viæ* denotantur.

Ibid. *Non eſt qui faciat bonum*] Hyperbole, ut in illis Jer. 8. 6. *Nemo quod bonum eſt loquitur.* Vide & quæ infrà 54. 10. 11. 12. Eſai. 59. 4. item 5. 1. ejuſdem Jeremiæ.

Ibid. *Uſque ad unum*] *A minimo ad maximum*, ut in priore illo Jeremiæ loco. *A ſummo ad noviſſimum*, ut Eſai. 56. 11.

2. *Ut videat ſi eſt intelligens*] LXX. εἰ ἔςι συνιών. Videtur ad hunc locum pertinere Heſychii illud, Συνιὼν, νοῶν, φρονῶν.

3. *Omnes declinaverunt*] *Omnes* (ut Jerem. 9. 2.) *adulteri ſunt, cœtus prævaricatorum. Omnes* (ut Eſai. 56. 11.) *in viam ſuam declinaverunt*, id eſt, *dereliquerunt vias rectas, diverterunt in vias pravas:* ut 6. 16. apud Sirachidem. Seneca 94. Epiſtolà, *Nemo errat uni ſibi, ſed dementiam ſpargit in proximos, accipitque invicem: & ideo in ſingulis vitia populorum ſunt, quia illa populus dedit: dum facit quiſque pejorem, factus eſt. Didicit deteriora, deinde docuit: effectaque eſt ingens illa nequitia, congeſto in unum quod cuique peſſimum ſcitur.*

Ibid. *Inutiles facti ſunt*] Hoc aut per μείωσιν dictum pro peſſimi facti ſunt; quomodo Eſaiæ 59. 6. *Opera eorum, opera inutilia;* & apud Apulejum, *nihil prorſus boni facit*, Id eſt, (ut ibi expoſuimus) omnia mala facit: aut vulgariter & ſine figura acceptum, eſt quod Britanni mei dicunt, *They are juſt good for nothing.*

Ibid. *Linguis ſuis doloſe agebant*] Infra 35. 3.

Ibid. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*] Vide infra ad 139. 4. & Jacob. 3. 8. annotata.

Ibid. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*] Vide Proverb. 1. 18. Apud Lucilium ille,

——— *Nec longiu' quidquam*
Nobis quàm dextra gladium dum accommodet alter.
Uſque adeo ſtudio atque odio illius efferor irà.

Ibid. *Contritio & infelicitas in viis eorum*] *Exhonorant* (ut Jacob. 2. 6.) *pauperem, per potentiam opprimunt, trahunt ad judicia*, &c.

Evortunt ſuo arbitratu homines fundis, familiis.

4. *Qui devorant plebem meam*]

——— *Piſces ut ſæpe minutos*
Magnu' comeſt, ut aves enecat accipiter.

Devorare plebem hic eſt quod Sirach. 36. 11. *plebem peſſimare.*

5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*] *Sonitus* (ut Jobi 15. 21.) *terroris ſemper in auribus illorum, & cum pax ſit, illi ſemper inſidias ſuſpicantur. Conturbantur* (ut Sirach. 40. 7.) *in viſu cordium ſuorum, tanquam qui evaſerint in die belli: in tempore ſalutis ſuæ exſurgunt, ad nullum timorem admirantes.*

PSALM. XIV.

MUNSTERUS.

Oſtendit Pſalmus iſte impiorum affectus. Nam dum peccator in actu eſt peccandi, non videt Deum, nec ſentit Deum: Judicat Deum non videre nec ſentire quæ facit.

4. *Devorantes populum*] Loquitur contra pernicioſos Principes populi, qui aliud nihil agunt quàm quòd populum expilant, &, ut apud Micham legimus, *comedunt carnem populi uſque ad oſſa*, poſtpoſito omni timore Domini, quem neque colunt neque invocant. Sed veniet tempus ultionis Divinæ, quando magno timore timebunt, ſenſuri Deum populi ſui, quem devoraverunt, defenſorem, & qui eripiet ſuos ex captivitate talium tyrannorum.

VATABLUS.

VIctori לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſal. 4. 1.

1. *Dixit* אָמַר] *Dicit*. Præt. Heb. pro præſ. & ſing. pro plur. *Homines impii dicunt:* i. e. Verſat in animo quod nullus ſit Deus judex, qui ſcelera hominum puniat, & qui res humanas curet. Hic Pſalmus ingenium & naturam hominis infidelis deſcribit: cujus ſupplicium & pœnam ad ſalutem innocentium prædicit. Scribitur ergò de origine omnium malorum, h. e. de Infidelitate. ¶ *Corruperunt*, &c. הִשְׁחִיתוּ וגו׳] *Depravare ſolent* [ſub. *vias ſuas*] *abominabile reddunt opus*, ſub. *ſuum*. Vel per plurale, *abominabilia reddunt opera ſua*: i. e. conſpurcare ſolent mores ſuos, neque quicquam rectè operantur: & ut ſemel dicam, *non eſt qui faciat rem gratam* aut Deo aut hominibus: hoc autem faciunt, quia nullum credunt eſſe Deum.

3. *Omnes declinaverunt*, &c. הַכֹּל סָר וגו׳] Ad verb. *Omnis receſſit* [ſub. *à via recta*] *pariter rancidi facti ſunt*; aut, *putruerunt*: vel, *Omnes retroceſſerunt*, & *fœtuerunt pariter*. Sing. pro plur. Metaphora à cibis fœtidis & rancidis, à quibus omnes abhorrere ſolent.

4. *Nonne cognoverunt*, &c. הֲלֹא יָדְעוּ וגו׳] *Annon cognoverunt* [ſub. *Deum eſſe*; aut, *me eſſe judicem*] *omnes facinoroſi, devorantes* [vel, *deglutientes*] *populum meum ac ſi devorarent*, &c. Aut, *Annon norunt*, i. e. numquid ignorant, aut ignorare poſſunt? aut, *Annon noſſe potuerunt*, ſub. *ex iis quæ facta ſunt, Deum eſſe*? Verti poteſt, *An ignorare poſſunt* [ſub. *quòd malè agant*] *admittentes ſcelera*, & *deprædantes*; aut, *expilantes*, &c.

5. *Ibi timent timore* שָׁם פָּחֲדוּ פָחַד] *Tunc trepidant trepidatione*. Vel, *Tunc trepidabunt timore: quia Deus erit in generatione juſti*, i. e. in natione juſta: ſtabit pro natione juſtorum. q. d. Nunc lætantur, & rerum proſpero ſucceſſu fruuntur impii: tunc verò cùm Dominus veniet ut ſumat ſupplicium de ipſis improbis, graviſſimè timebunt, ubi viderint Deum adeſſe & favere nationi juſtæ, i. e. hominibus juſtis. ¶ *In generatione juſti* בְּדוֹר צַדִּיק] *In natione juſta*.

6. *Conſilium pauperis pudore affecitis* עֲצַת עָנִי תָבִישׁוּ] *Conſilium afflicti confunditis*; vel, *confundere conamini*: i. e. pudore & ignominiâ eum aſpergitis, *quòd Deus ſit ſpes ejus*. Vos planè ridetis conſilium pauperis probi, quòd omnem fiduciam ſuam in Deo habeat, & in eo ponat præſidium ſuum.

7. *Quis dabit* מִי יִתֵּן] *Quis det*. Hebræa phraſis pro adverbio optandi *Utinam*; q. d. *O utinam Deus ex ſua Sion*, h. e. è cœlo, *opem ferat Iſraëli*, liberando eum à tyrannide Saulis. *Salus pro auxilio* in libris Sacris. Confirma, inquit David, ô Deus, Regnum meum, & fac ut Jeroſolymis regnem invito Saule; ut populo tuo auxilio ſim, docendo illum quæ fieri jubes. ¶ *Quando converterit*, &c. בְּשׁוּב וגו׳] *Cùm reduxerit Jehovah captivitatem populi ſui, exſultabit*, &c. i. e. cùm reſtituerit Dominus populum ſuum in priſtinam libertatem, & reduxerit in ſuas ſedes, quando exemerit illum tyrannide Saulis, & me Davidem conſtituerit Regem, habiturus eſt occaſionem *exſultandi Jacob*, i. e. populus fidelis, & veri *Iſraëlitæ* qui Deum amant.

CASTALIO.

SEſe panem comeſſe Jova] A Jova ali. Vide Pſal. 4. & 53.

CLARIUS.

HUnc Pſalmum quidam Hebræi putant contra Gentes compoſitum: Nos Paulum ſecuti ad Rom. 3. intelligimus etiam ad Judæos pertinere. Loquitur ergò contra pernicioſos Principes populi, qui nihil agunt aliud quàm quòd populum expilant, atque, ut apud Michæam legimus, *comedunt carnes populi uſque ad oſſa*, poſtpoſito omni timore Domini, quem neque colunt neque invocant. Sed veniet tempus ultionis Divinæ, quando magno timore timebunt, ſenſuri Deum populi ſui, quem devoraverunt, defenſorem, & qui eripiet eos ex captivitate ejuſmodi Tyrannorum. Hic enim eſt ſenſus Pſalmi.

4. *Dominum non invocaverunt*] *Invocatio* hic pro *cultu* accipitur. Et Gen. 4. ubi ſcribitur, nato Enos *captum invocari nomen Dei*, idem eſt quod *cultus Dei exerceri cœptus eſt*.

5. *Illic trepidaverunt timore*] Pavor corripiet eos cùm viderint Deum iis adeſſe qui juſtitiæ ſunt ſtudioſi. ¶ *Ubi non erat timor*] Videtur acceptum à 53. Pſalmo.

6. *Conſilium inopis*] Irrident, inquit, eos qui ſpem ponunt in Domino.

7. *Quis dabit*] Idem Hebræis valet quod *utinam*. *Utinam*, inquit, *præſtet Dominus ut ex Sion prodeat ſalus Iſraëli promiſſa*.

DRUSIUS.

4. הֲלֹא יָדְעוּ. A. μὴ οὐκ ἐπέγνωσαν; *nonne cognoverunt*? Sym. μὴ γνώσονται; *nonne cognoſcent*? ¶ אָכְלוּ לֶחֶם. Sym. ὡσεὶ ἄρτον, *ſicut panem*: quod idem cum illo, *ac ſi comederent panem*. Senſum ergò expreſſit, ſi non verba.

AMAMA.

1. STultus] Id eſt impius. Sic LXX. ſæpe per ἀσεβής. Prov. 1. 22. נְבָלָה Gen. 34. 7. uſurpatur de ſtupro Joſ. 7. 15. de ſacrilegio Achanis. Jud. 19. 23. & 24. de peccato Sodomitico.

הִשְׁחִיתוּ] *Corrupti ſunt*, ut ſit αὐτοπαθές. Alii ut ſit ἀλλοπαθές, i. tranſitivum, corruperunt ſub: viam ſuam, vel, corruperunt actionem unamquamque. Alii reciprocè, corruperunt ſe, ut Ex. 32. 7. *Corrupit ſe populus tuus*. הַר מַשְׁחִית pro הַר מִשְׁחָה 2. Reg. 23. 13. Extat כְּלַל praeceptum ſapientum, nomina idolorum & rerum exoſarum in contumeliam & opprobrium rerum paululum mutanda eſſe, ſi fieri poſſit. Beelzebul, ζεὺς κοπρώδης. Sic Arabs. Sic Prud. Chryſ. & alii. Sic Bar-Choreba in Bar Coziba. Beth-El, Beth-aven, hoc imitantur Judæi in Euang. Pheſach & ſimil. Sic in Vet. Teſt. Jerubbaal, & Jeruboſchet, Isboſeth.

Abominabiles [*ſe*] *reddunt actionibus* [*ſuis*.]

3. סָר] *Receſſit*, ſc. à via recta, à Lege Domini, Pſal. 53. 4. סָג retroceſſit Chald. יַד לְאַחוֹרָא Ebræi referunt ad Ethbaſch. Vide in Abbr. Buxt. Jer. 25. 26. Albam Jeſ. 7. 6. טָבְאַל quod exponunt רְמַלְיָא fil. B.

4. *An neſciunt omnes* [Jun. *annon conſcii ſibi ſunt*] *qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum*, [*ſicut*] *comeditur panis*; [*quod*] *Dominum non invocant*.] Impietatem hoſtium probat 2. teſtimoniis, Dei & conſcientiæ eorum. De Teſtimonio Dei ſuprà. Hoc verſu ad conſcientiam ipſorum provocat. Interrogatio enim negativa ſeu cum negatione vim habet vehementis affirmationis, & contra. Jun. *Annon conſcii ſibi ſunt qui operam dant iniquitati, quod comedentes populum meum comedant panem, & Deum non invocent?* ut duo hoc verſu in ſpecie arguat David, 1. Injuſtitia in homines, impietas in Deum. Injuſtitia explicatur ex ſævitia, quæ indicatur verbo comedendi. Impietas & rejecto cultu invocat. Invocatio pro toto cultu ſæpe ponitur. Joel. 2. Act. 2. At in hoc verſ. hoc illis peculiariter tribuitur, quod interim hilares eſſent, & convivia celebrarent, dum dicit *Edunt panem:* לְחֶם Chald. *convivium*. Rex fecit לְחֶם Gen 43. 31. *Non poſſunt Ægyptii cum Ebræis edere panem*. 2. Reg. 6. *Pone coram iis panem & aquam*. Et paulo poſt, *Et fecit iis convivium magnum*. Sic Job. 42. *Comedere panem*. De lauto convivio Jer. 52. Jojakim *comedit panem* in Menſa Regis Evilmerod. Ergo quemvis cibum ſign. 1. Sam. 14. de *melle*, Jer. 11. de *fructibus arborum*, *Carnem*, Pſ. 78. 20. *Lac*, Prov. 27. 27.

5. *Ibi*] Piſc. *In conſcientiâ ſuâ*. Jun. *In conviviis ſuis*. Conſcientia eſt quaſi pedaneus judex à Deo in cujuſque pectore conſtitutus. Ea monet nos officii & minatur pœnam officii neglecti. Hinc conſcientiæ neglectum vel contemtum ſequitur terror conſcientiæ.

Quia Dominus &c.] Id eſt, Quia ſentiunt & animadvertunt Deum adeſſe generationi juſtorum. דּוֹר pro genere hominum, pro hominibus ſimili ingenio præditis Pſal. 24. 6. *Generatio quærentium Dominum*. Luc. 16. *in ſua generatione*, i. e. inter ſuos. Prov. 30. *Eſt generatio quæ patri ſuo benedicit*. Terent. *Eſt genus hominum qui ſe primos eſſe omnium rerum volunt, nec tamen ſunt*.

6. *Pudefacietis ſcilicet*] Ità Jun. ſarcaſticè. Sed repugnat ſimplicitati Ebraïſmi iſta ſuppletio. Piſc. *Pudefacitis*, i. e. ſtudetis pudefacere, i. ridetis, contemnitis. Pudefieri dicitur qui fruſtratur ſpe ſua, Pſ. 31. *In te Domine ſperavi, ne pudore afficiar*. Job. 6. 20. *Venimus ad illos torrentes & pudefiunt*.

Quod

Quod Dominus eſt] Explicat, quodnam ſit conſilium afflicti.

7. *E Tſion*] Id eſt. A Domino qui reſidet ſuper arcam Fœderis in monte Sionis.

בְּשׁוּב] Cum reducet. NB. שׁב in Kal tranſitivè.

Captivitatem] Id eſt, captivos. Per captivitatem quævis inſignis calamitas ſæpe denotatur. Job. 42. 10. *Et reduxit Dominus captivitates Jobi.* Ezech. 16. 53. *Si reduxero captivitatem Sodomæ & filiarum ejus, te quoque reducam.* Et verſ. 55. *Si ſorores tuæ Sodom & filiæ ejus revertentur ad priſtinum ſuum ſtatum, tu quoque & filiæ tuæ revertemini ad priſtinum veſtrum ſtatum.* Nota duo. Conditio Impoſſib. & captivitas, pro interitu.

GROTIUS.

1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*] *Inſipientes* vocat, more Platonico, eos qui improbi ſunt, etiamſi ſapere ſibi plurimùm videantur. Vult autem dicere, Seculum eſſe tam depravatum quàm fuerat ante diluvium.

2. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum*] Ex Gen. 6. 5. unde &, quoad ſenſum, ſumta quæ ſequuntur.

3. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*] Hyperbole, quâ & Paulus de temporibus ante prædicatum Euangelium utitur: quæ occaſio fuit cur & quæ ſequuntur Rom. 3. τάφος ἀνεῳγμένος [*ſepulcrum apertum*] uſque ad τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, *oculos eorum*,] hîc in quoſdam codices Græcos, item Latinos, Arabicos, Æthiopicos inſerta ſint.

7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?*] Id eſt, Utinam ex Sione, ab Arca Domini, ſalus nobis obveniat. Sic ſumitur מי יתן [*quis dabit*] Pſal. 55. 6. Jeremiæ 9. 1. 2 Sam. 18. 33.

Cum averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ] Meliùs, *Cùm reduxerit Deus reducem populum ſuum*: id eſt, cùm nos vi Abſalomi fugatos Hieroſolyma ſalvos reverti fecerit.

PRICÆUS.

5. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*] Qui neſcit
Aut ſanctam violare fidem, vel fœdere in ullo
Summo ad fallendos Numine abuti homines.
Vide infra 23. 4.

Ibid. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum*] i. e. Uſque florebit, proſperabitur. Plato in Alcibiade, ὅτι γε πράττοντας ὑμᾶς ἐθέλω ἐγγυᾶσθαι εὐδαιμονήσειν. Petrus 2. 1. 10. Ταῦτα ποιοῦντες οὐ πταίσητέ ποτε.

IDEM.

2. *Qui ingreditur ſine macula*] LXX. ὁ πορευόμενος ἄμωμος. Ita Luc. 1. 6. de Zacharia & Elizabetha, πορευόμενοι ἐν ταῖς ἐντολαῖς τοῦ Κυρίου ἄμεμπτοι. Apulejus in Apologia, *Ne quid maculæ aut inhoneſtamenti in me admittam.*

4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*] *Ad nihilum deduci* hîc, item Pſal. 57. 8. & 59. 14. eſt, pro nihilo haberi. LXX. jam dictis locis ἐξουδενεῖσθαι, i. e. ἀποδοκιμάζεσθαι, κατευτελίζεσθαι. In Gloſſario, Ἐξουδενῶ, *adnihilo, ſperno, reſpuo.* Hanc interpretationem noſtram adſtruit & oppoſitum hujus commatis membrum, *timentes autem Dominum glorificat.*

PSALM. XV.

MUNSTERUS.

2. *Integer*] Vocat Hebraïſmus *integrum* qui eſt ſine macula & nævo.

3. *Tranſgreſſus*] Eſt hîc רגל idem quod רכל *decepit, impoſuit.* Sunt enim Caph & Gimel literæ ejuſdem prolationis.

4. *Qui deſpectus eſt*] *Qui*, inquit, *integræ eſt vitæ, & operatur juſtitiam, loquitur veritatem, & non prævaricatur linguâ ſuâ*, ille ob has virtutes non elevatur & deſpicit proximum, ſicut fecit ſuperbus Phariſæus, ſed *eſt humilis in oculis ſuis.* Et huic ſententiæ alludit verbum Chriſti, cùm diceret, *Cùm feceritis omnia quæ vobis ſunt præcepta, dicite quia inutiles ſervi ſumus.* ¶ *Jurat malum inferre*] Hebræi id intelligunt de votis & maceratione carnis. Poteſt quoque intelligi de quodcunque juramento, quod etiam juranti grave & damnoſum eſt; quale Jonathan Davidi fecerat, qui maluit amittere Regnum quàm violare jusjurandum.

VATABLUS.

1. *Peregrinabitur* יגור] *Commorabitur, deget, habitabit.* Chald. *Domine, quis dignus eſt ut habitet tecum in cœlo?* Dicunt Hebræi Davidem vocaviſſe cœlum *tabernaculum*, quòd diſtendatur inſtar tabernaculi; & per *montem* idem intelligi. Sunt tamen qui intelligunt per *montem* montem Moria. ¶ *Habitabit* ישכן] *Sedem habebit.* Repetitio eſt, pro, *Quis locum habiturus eſt in cœlo tuo, ô Domine?*

2. *Perfectè* תמים] *Integer*: i. e. integrâ vitâ, & innocens: qui vivit vitam innoxiam & alienam à dolis. Vide Job 1. 1.

3. *Detrahit* רגל] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Non accipit* לא נשא] Ad verb. *non levat*, ſive, *elevat*, aut *aſſumit*; i. e. non convitiatur proximo.

4. *Contemptus eſt*, &c. נבזה בעיניו נמאס] *Contemptus eſt in oculis ejus rejectus.* Vel, *abominabilis*; & ſic Chaldæus P. Quidam vertunt, *Qui deſpicit ſe in oculis ſuis, abjicit ſe*: quæ verſio, tametſi pia, non uſque adeò tamen loco congruere videtur, quòd duo contraria opponat. ¶ *Juravit in malum* נשבע להרע] *Jurat in damnum*; ſive, *incommodum.* Præt. Heb. pro præſ. ut & ſeq. verſu. De juramento loquitur: quod etſi damnoſum ſit juranti, præſtat tamen qui juravit. Eodem ſenſu alii, *jurat proximo ſuo, & non mutat.* Perperàm quidam Hebræorum Interpretes hunc locum de voto Jejuniorum & Abſtinentiæ exponunt, tanquam vota ſint implenda ubi quis promiſerit ſe jejunio affligere: cùm hic de ſecunda tabula tantùm loquatur, & mutua inter homines rectitudine.

5. *Non accipit* לא לקח] *Non accipere ſolet*; ut ſcilicet evertat cauſam inſontis, & pronunciet adverſus innocentem. De Judicibus loquitur. Ii autem quorum iniqua eſt cauſa, muneribus Judices corrumpere ſolent. ¶ *Non labetur* לא ימוט] *Non dimovebitur*: i. e. perpetuò erit civis cœleſtis civitatis.

CASTALIO.

4. *Quodque juravit alteri, non revocat*] Heb. *Quodque juravit ad malum*: ſed ſententia non ſatis apta eſt; nam *jurare ad malum*, ſi Hebræum ſermonem ſpectes, eſſet jurare ſe malè facturum, aut alicui nociturum, ut licet videre in Pſal. 37. Apud Hebræos idem verbum & *malum* & *proximum* ſignificat, mutatis punctis vocalibus, in quibus facilis eſt lapſus. Itaque Græcus vertit τῷ πλησίον αὐτοῦ, & Latinus *proximo ſuo*: quæ ſententia mihi videtur aptior. *Proximus* autem pro *alio* non ſolùm Hebraïcè dicitur, ſed etiam Græcè, ὁ πέλας.

CLARIUS.

1. *Quis habitabit*] Quidam vertit *peregrinabitur*; quod cum Græco convenit, ubi legitur παροικήσει ubi pulcrè hujus verbi occaſione M. Baſilius in hujus Pſalmi expoſitione tractat quid ſit *peregrinari in tabernaculo Domini.* Sed quod ad rem præſentem pertinet, Sicut in altero Pſalmo per *templum* Cœlum, ſic nunc per *Tabernaculum* & *montem ſanctum* Regnum cœlorum adumbrabatur allegoricos: quod ità eſſe, illud indicio eſt quod in fine Pſalmi ait, *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

2. *Qui loquitur veritatem*] *Veritas* Latinis dicitur *fides*, & definitur à Cicerone Offic. 1. *dictorum conventorumque conſtantia & veritas*: quam & *juſtitiæ fundamentum* vocat. Unde & Scriptura ipſam ubique ferè cum *juſtitia* conjungit; & ubicunque concidiſſe illam queritur, & hujus ſimul caſum deplorat, ut Pſal. 12. & aliis locis.

3. *Opprobrium non accepit*] Dum ſcilicet defendit proximum quemque contra detrahentes.

4. *Ad nihilum deductus eſt*] h. e. Malignum nihil æſtimandum putat: quod alius vertit, *Deſpectus in oculis ejus contemptus eſt*: ut ſit ſenſus, Qui ob ſcelera ſua meretur contemni, cum pius averſatur. Sunt tamen qui ſic interpretentur, *Qui deſpectus eſt in oculis propriis & contemptus*; h. e. Qui cùm *integra ſit vita*, & *operetur juſtitiam, loquatur veritatem, nec prævaricetur linguâ ſuâ*, is ob has virtutes non extollitur, nec deſpicit proximum, ut ſuperbus ille Phariſæus, ſed eſt *humilis in oculis ſuis*: Ut hoc alludat ad ſententiam Servatoris, ubi dixit, *Cum feceritis omnia quæ vobis præcepta ſunt, dicite, Servi inutiles ſumus.* ¶ *Qui jurat proximo*] Heb. *Qui jurat malum inferre, & non mutat*: quod Hebræi intelligunt de votis & maceratione carnis. Poteſt etiam intelligi de quocunque juramento, quod etiam juranti grave ac damnoſum eſt; quale Jonathas Davi-

Davidi fecerat, qui maluit amittere Regnum quàm violare jusjurandum.

5. *Et munera*] *Qui non accepit munera*, non ſolùm in cauſa injuſta, verùm nè in re juſta quidem. ¶ *Non movebitur in æternum*] Quia ſcilicet etſi interdum mutet, non tamen id perpetuò ei accidet, juxta illud, *Septies in die cadit juſtus, & reſurgit.*

LUCAS BRUG.

3. S*Anctis qui ſunt in terra ejus* [Lob.] *mirificavit*] Sic noſtra pleraque exemplaria legunt. Antiqui verò codices Epanorthotæ, cum Brugenſi & altero P. ſignato, futuro tempore *mirificabit* habent. Priori modo Græci codices ſcribunt, ἐθαυμάστωσεν. Similiter Arnobius, Hieronymus, Ruffinus, Caſſiodorus, Theodoritus, Euthymius, Haymo, Thomas & Richardus Pampolitanus exponunt. Ad eundem modum Auguſtinus epiſt. 59. ſed addit, *vel Mirificet.* In commentariis, præterito quidem tempore, ſed primâ perſonâ, *mirificavi* legit: id quod & Beda præcipuè exponit, & Bruno Carthuſianus ſequitur. Hebraïcè eſt אדירי: quod non ut verbum, ſed ut nomen alii omnes transferunt. Quidam autem, אדירי pro אדירים poſitum eſſe arbitrantur: alii regimen eſſe exiſtimant, ſubaudiendumque לב aut ארץ. Lxx. legiſſe videntur יאדיר, in initio quidem dictionis י pro ו habuiſſe, in fine verò י ut paragogicum aut abundans accepiſſe. Sequitur in libris Græcis *Mirificavit Dominus*; quod & Euthymius agnoſcit: ſed Vaticanus codex Græcus, conſentientibus Hebraicis libris & Latinis cùm libris tum commentariis, præterit. *Omnes voluntates meas in eis.* Hieronymus pro *meas* habet *ſuas*, quo modo etiam Arnobius, Euthymius & Græca antigrapha legunt: ſic & Auguſtinus epiſt. jam citatâ: ſed in proprio hujus loci commentatio *meas* legit, & in eadem illa epiſtola, paulò pòſt, emendatiores & electioris autoritatis libros *meas* habere affirmat, id quod Hebræo conforme eſt.

Romanum Pſalterium *inter illos* legit, Gallicum *in eis.* Hæc Ruffini & noſtrorum plerorumque exemplarium lectio eſt, illa Gotici noſtri Pſalterii, textûs Hieronymi enarrationibus adſcripti, & Caſſiodori. Utriuſque meminit Auguſtinus, epiſtolâ cujus jam ſæpe mentio habita eſt: præfert autem *in eis*; primùm quòd convenientius videatur, tum quòd in pleriſque codicibus ſit, demum quòd ità Græcè legatur, nempe ἐν αὐτοῖς, quanquam, *ſæpe*, ut ait, *quod habet illa lingua* in illis, *noſtri interpretentur* inter illos, *ubi videtur ſententiæ convenire.* Hebraïcè conſimiliter eſt בהם.

Reddidit autem Hieronymus verſum iſtum ex Hebræo hoc modo, *Sanctis qui in terra ſunt & magnificis, omnis voluntas mea in eis.* Ad ſimilem modum Neoterici interpretantur.

DRUSIUS.

4. נִשְׁבַּע לְהָרַע וְלֹא יָמִר. Sym. ὀμνύων ἑταῖρος εἶναι, καὶ μὴ ἀλλαγείς, *jurans fore ut ſocietatem colat, & non mutans.* A. ... τοῦ κακῶσαι, *ut maleſaciat.*

AMAMA.

SCopus Pſalmi eſt excitare homines ad pietatem. Totus Pſalmus eſt teſtimonium Davidis, quo probatur hæc theſis, Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, non quidem promerendam, ſed ex ordinatione Dei conſequendam & obtinendam. Bona opera ſunt cauſæ ſine quibus non. Sine ſanctitate nemo videbit Deum. Non ſalvamur propter bona opera, ſed per bona opera. Diſputatum fuit de hac theſi initio Reformationis. Et aſſeruerunt quidam bona opera eſſe pernicioſa ad ſalutem. Licet autem illi mentem ſuam ſic explicuerint, ut ab adverſariis non multum diſſenſerint, tamen ſcandaloſæ fuerunt iſtæ theſes, & vitandæ tales locutiones.

Quis habitabit?] Quis erit membrum Eccleſiæ hic militantis, & poſt hanc vitam triumphantis? Illam per tentorium, hanc per montem intelligunt. Tſione habitabat Deus ſpeciali præſentia, erat ibi arca ſub tentorio.

Argumentum quo ſuadetur pietas eſt beatitudo. Quis erit beatus, quis non dimovebitur in ſeculum, quis æternâ & perpetuâ felicitate in cœlis fruetur?

2. Reſponſio. Pſalmus hic proponitur διαλογιστικῶς. Ita enim ſolet ſcriptura res maxime notabiles proponere, Pſ. 34. Pſal. 119. 9.

הוֹלֵךְ *Ambulans*] Id eſt, vivens. Ambulavit cum Deo, Via, Vita. Vita noſtra nihil aliud eſt quam ambulatio, & brevis via. Gen. 20. 5. *In integritate cordis mei feceram hoc.*

תָּמִים] Vel nomen pro adverbio, quale illud, *ſe matutinus agebat*, Æn. 8.

Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat.

Georg. 3.
Et Georg. 1.

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.

i. κατὰ τὴν ἠῶ, *circa auroram*, manè. Iliad. β. οὐ χρὴ παννύχιον, &c.

Vel תָּמִים pro בְּתֹם in integritate. Senſu eodem. Eſt enim ea vox quoque abſtr. Pſ. 84. 12. *Non probibebit bonum* לַהֹלְכִים בְּתָמִים Amos 5. 10. *Loquentem* תָּמִים *abominantur.*

פֹּעֵל *operatur juſtitiam*] Hoc melius dices, operatur juſtitiæ, i.e. ſedulam & ſeriam operam navat juſtitiæ, totis viribus incumbit in ſtudium juſtitiæ. Joh. 6. 27. ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον.

בִּלְבָבוֹ] pro מִלִּבּוֹ *ex corde ſuo.* Sic Deut. 6.

Alias dicere vel loqui in corde eſt cogitare.

3. רָגַל] Idem quod רָכִיל, רָכַל. Permut. literarum גיכק. Rochel proprie *inſtitor*, Rachil, *calumniator, delator.* Levit. 19. 16. Prov. 11. 13. & 20. 19. Lxx. διγλώσσος. Aq. διάβολος. Lxx. אָכַל קַרְצָא *divulgans accuſationes.* Moſes Maim. Quid eſt רָכִיל? Is qui obambulat onuſtus verbis tanquam mercibus, dicitque, hoc ille dixit, hoc ille fecit, hoc audivi de illo, etiamſi res vera ſit. Lingua enim coercenda eſt repagulis veritatis & charitatis. Poteſt quis multa verè dicere & tamen peccare in charitate. Pſal. 101. 5. מְלָשְׁנִי Chald. loquentem lingua tertia. Vide Pſ. 31.

Proximum] Kimchi, Proximus eſt כלמי שיש לו משא ומתן עמו Aug. *Omnis homo homini proximus eſt.* Hier. *Per proximum omne genus* hominum intelligitur. רֵעַ idem eſt quod ἕτερος, Gen. 11. *dixit vir ad proximum ſuum.* Eſth. 11. 19. *Et regnum det proximæ ejus meliori*, Joſeph. *alteri.* Gen. 15. *Et poſuit membra virum è regione proximi ſui.* Gen. 31. 49. *Separabimus nos* איש מרעהו Lxx. ἕτερος ἀφ᾽ ἑτέρου. NB. Matth. 22. 39. *Diliges proximum tuum ſicut &c.* Rom. 13. 8. ὁ ἀγαπῶν ἕτερον, τὸν νόμον πεπλήρωκε. Eadem eſt ratio vocis *frater*, 1. Joh 3. *Qui odit fratrum ſuum, homicida eſt.* Teſtim. Kimchii, vide in Obſerv. Druſii 7. 13.

4. *Qui ſpretus eſt in oculis ſuis* [&] *contemtus*] Ita Kimchi, *Etiamſi integer ſit & operetur juſtitiæ, non tamen ſuperbibit in eo, ſed ſpretus eſt in oculis ſuis & contemtus. Cogitat enim in corde ſuo quod non faciat unum ex mille quæ debebat facere.* Sic ille. Ita etiam Seneca, *Diſce contemnere & contemtu contemnere te ipſum, contemni ab aliis. Qui enim ſe contemnit, minus ægre feret, ſi ſe ab aliis contemni videat.* De נֶשֶׁךְ vide ad Ex. 22. Non dat ſc. fratri egenti qui ex ea tolerabit vitam, ex Exod. 22. 25. Lev. 25. 35. Eſt hæc uſura mordens, arrodens & gravans. At uſuram ſublevantem hic non prohiberi ajunt, cum lucrum quæritur & paratur ex alterius lucro. Alias quod ad pauperem attinet, etiam gentili prohibitum fuiſſe docet author libri Maehor. Et Lyra ad Deut. 24. docet illud Deut. 23. quo permittitur extraneo dare pecuniam in uſuram, eſſe eo loco habendum quo illud de libello repudii.

GROTIUS.

1. D*Omine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*] In Sione, Regia Davidis, ubi tunc erat Arca.

3. *Et opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos*] Ὀνειδισμὸν οὐκ ἔλαβε ἐπὶ τοῖς ἔγγιστα αὐτοῦ· *non accepit*, nempe *in os ſuum*, ut Exod. 20. 7. At Syrus pro חרפה [*opprobrium*] legit חרמה, id eſt, ἀνάθεμα [*anathema.*]

4. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*] Ex Græco: τῷ πλησίον αὐτοῦ, [*proximo ſuo.*] Alii, *qui juravit ſe affligere*: id eſt, votum fecit jejunandi, *& non mutat.* Eſt enim inter piorum officia vota talia perſolvere, Num. 30. 3. Deut. 21. 21.

PRICÆUS.

4. N*On congregabo conventicula eorum de ſanguinibus*] Non intereero ſanguinolentis eorum conventiculis. Infra 25. 5. *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Quæ communicatio ſancto homini ad canem?* eſt in 13. 22. Sirachidis.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*] *Funis*, i.e. ſors mea: itaque in Additamentis Eſtheris 13. 17. conjunctim, *ſortem & funiculum* habemus.

7. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*] Afflictio dat intellectum: vide proximè ſequentia.

8. *Pro-*

8. *Providebam Dominum in conſpectu meo*] Infra 17. 23. *Omnia judicia ejus in conſpectu meo.*

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ*] Aperies mihi ſalutis vias. ποιήσεις (ut 1 Cor. 10. 13.) σὺν τῷ πειρασμῷ τὴν ἔκβασιν.

Ibid. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*] In conſpectu tuo: vel, Vultus tuus lætitiâ adimplebit me.

Ibid. *Delectationes in dextera tua uſque in finem*] Sirachides 11. 17. *Datio Dei permanet juſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum.*

PSALM. XVI.

MUNSTERUS.

Inſignia David] Sunt qui dictionem מכתם exponunt pro inſtrumento muſico. Alii accipiendum putant pro *inſignibus & dignitate militari*; cùm radix ejus ſit כתם, quæ *auri optimi maſſam* & *inſigne aureolum* ſignificat.

3. *Tota mea voluntas*] Non Domino, inquit, beneficentia noſtra & pia voluntas noſtra aliquid confert; ſed ſancti & pii homines qui adhuc in terra verſantur, hi affici poſſunt beneficiis noſtris. D. K. tamen paulò aliter exponit, nempe in hunc modum, *Bonum meum, quod tu, Domine, mihi facis, & quod à te eſt, illo ego non ſum dignus, ſed magis in ſanctos tuos collocari debuerat, quos habes in terris, & in quos totum meum deſiderium fertur.*

4. *Multiplicabuntur anxietates*] Exponit K. עצבת per ראגה, ſicut nos vertimus. Multæ autem ſunt apud idololatras anxietates, qui in cultu idolorum ſeſe incidunt, filios jugulant, & offerunt libamina de ſanguine humano, &c. Poteſt etiam eſſe ut hîc per *ſanguinem* intelligantur ea ſacrificia quæ ex furto & rapina ad altare deferuntur.

5. *Pars hæreditatis meæ*] Capiuntur hîc *pars, hæreditas, calix, funiculi diſtributionis,* & *ſors* ferè pro eodem. Nam poſteaquam dixit ſibi nullum eſſe commercium cum impiis & eorum ſacrificiis, quæ ſanguine plena ſunt, addit, ſolum Dominum eſſe *poſſeſſionem* ſuam, *ſortem* ſuam & omne bonum ſuum. *Benedicit* quoque *Domino* quòd hunc ſibi dedit animum, ut, cæteris ſpretis, in ſpiritualibus oblectetur bonis. Per *renes erudientes* intellige ſtimulum ſecretum ad bona quæque incitantem. Nam ajunt Renes eſſe officinam conſiliorum.

10. *Non derelinques in inferno animam meam*] Poteſt hic locus & ſic verti, *Non derelinques in ſepulcro animam meam, neque permittes pium tuum videre foveam.* Porrò *videre foveam* eſt recondi in foveam ad corruptionem. Et eſt locus iſte impletus in Salvatore noſtro, ſicut & Act. 2. & 13. citatur ab Apoſtolis. Nam licèt Chriſtus mortuus ſit & ſepultus, non tamen manſit in ſepulcro, ſicut cæteri mortales. Unde & *ſepulcrum non vidiſſe* hîc ſcribitur, quòd illico poſt triduum ex eo reſurrexit. Cùm autem Propheta hæc de ſe ſcriberet, non dubitandum quin tunc mens ejus in Chriſtum fuerit rapta, agnoſceretque ſe Chriſti gerere typum. Cujuſmodi multa alia typicè de Patribus ſcribuntur, quæ tamen verè in Chriſto ſunt adimpleta.

VATABLUS.

Michtam מכתם] *Inſignia.* Quidam volunt fuiſſe initium carminis vulgaris ad cujus modulos cantatus fuerit hic Pſalmus. Alii, inſtrumentum muſicum. Significat *aurum*, ſive *inſigne aureolum*, quòd hic Pſalmus pretioſus eſſet Davidi veluti aurum.

1. *Spero* חסיתי] Præt. Heb. pro præſ. *Spem meam pono in te.* q. d. Serva me, non quòd ſim dignus tuo beneficio, ſed quòd præſidium meum in te ſtatui, & non in alio.

2. *Dic* אמרת] Ad verb. *Dixiſti.* Præt. pro fut. & futurum pro imperativo, *Dic Domino.* Verbum eſt fœmineum; propterea ferè omnes Hebræi, etiam Chaldæus P. ſubintelligunt *animam.* Et aliàs animam ſuam in Pſalmis alloquitur David, ut Pſal. 42. 5. & 43. 5. Hortatur ergò animam ſuam, h. e. ſeipſum, ut ſe Domino planè conſecret, & Dominum ſuum in omnibus agnoſcat. Chald. *Dixiſti, anima mea, ſemper:* i. e. ſemper tale teſtimonium mihi præbuiſti. ¶ *Bonum meum non ad te* טובתי בל עליך] Sub. *pervenit*; i. e. beneficiis meis nihil juvaris, *ſed ſancti qui*, &c. Verſu ſeq. perficitur ſententia. Alii, *Bonum meum non* provenit niſi *à te.* Ità Chaldæus P. Alii, *Bonum meum non eſt ſuper te*: i. e. non obligaris conferre beneficia in me.

3. *Sed ad ſanctos*, &c. לקדושים וגו'] Sub. *perveniunt beneficia*, & illis proſunt, non tibi: i. e. beneficia mea non perveniunt ad te, *ſed ad ſanctos*; h. e. juvant ſanctos qui in terra habitant, & præclaros, quos ſummâ proſequor amicitiâ: q. d. Quia de te bene mereri non poſſum, ô Deus, qui facultatibus meis non eges; certè de hominibus bene merebor, erga quos benevolentiam præcepiſti & beneficentiam. Quidam vertunt, *In ſanctis qui in terra ſunt, & præclaris, omnis voluntas mea in eis:* i. e. illis toto animo delector, & magno eos amore proſequor.

4. *Multiplicabuntur dolores*, &c. ירבו עצבותם וגו'] Chald. *Multiplicant imagines ſuas, & poſtea feſtinant eis offerre oblationes.* Alii, *Multiplicata ſunt idola eorum, alteri* Deo *donaverunt.* Alii, *Multiplicentur moleſtiæ eorum qui alteri* Deo *donaverunt.* Imprecationem eſſe volunt Hebræi. q. d. Multis malis exagitentur qui alium Deum colunt quàm Deum Iſraëlis: vel, *Multæ ſunt moleſtiæ eorum* qui poſt *alienum feſtinant*, i. e. cupidè ſectantur alios quàm ſanctos. ¶ *De ſanguine* מדם] i. e. Quæ ſanguine conſtant. Gentes in ſuis ſacrificiis ſanguinem libare ſolebant. Judæis verò guſtus ſanguinis tam in victu communi quàm in ſacrificiis fuit vetitus; quò magis à cædibus & omni ſævitia abhorrerent. Pronunciat ergò David ſe non modò alienum fore à pravis erroribus qui idololatras ſeducunt, ſed in externa quoque profeſſione ſibi curæ fore nè ullum det ſignum conſenſus. Eodem ſpectat quod mox ſequitur, *Nec aſſumam*, &c. Tanto enim odio & deteſtationi ſibi fore idola dicit ut ab eorum nominibus tanquam à nefando ſacrilegio ſibi caveat. Quod etiam apparet in ejus forma loquendi: relativa enim tantum ponens, idola ipſa ſubticet, *eorum* namque refert *idolorum.*

5. *Pars portionis meæ* מנת חלקי] *Portio partis meæ*; vel, *pars* & *portio mea, & calix meus:* i. e. Dominus eſt portio mea eſculenta & portio mea poculenta: perinde ac ſi dicat, *Deus eſt meus cibus & meus potus:* à Deo proveniunt omnia hujus vitæ neceſſaria. Capiuntur hîc *pars, hæreditas, calix, funiculi diſtributionis* & *ſors* ferè pro eodem: nam poſteaquam dixit ſibi nullum eſſe commercium cum impiis, addit ſolum Dominum eſſe *poſſeſſionem* ſuam, *ſortem* ſuam, & bonum. ¶ *Suſtentas ſortem meam* תומיך גורלי] Quidam Hebræorum exponunt, Deum juviſſe Davidem ut eligeret ſibi hanc ſortem: q. d. Tuâ operâ factum eſt ut ſors mea in partem optimam ceciderit. Verior eorum expoſitio videtur qui dicunt, plerumque contingere à ſua poſſeſſione depelli juſtos dominos, quòd nullus eos tueatur; propterea Davidem hîc dicere, Deum ità ſe illi in hæreditatem dediſſe ut ejuſdem virtute ſalva illi maneat fruitio.

6. *Funes* חבלים] *Funiculi:* ſub. *diſtributionis*, vel *menſorii.* Alii, *Portiones. Hæreditates. Sortes.* In Palæſthina menſores agrorum utebantur funibus. Paucula ſunt ſubaudienda ex præcedenti verſu, ut dilucidior ſit ſenſus, *Cùm Deum habeam pro hæreditate, cùm Deus ſit fundus meus hæreditarius, optima illa partium agri, in quas funiculi à menſore porrecti ſunt, obtigit mihi: agrorum menſores aſſignarunt mihi loca amœna.*

7. *Benedicam* אברך] *Celebrabo*, inquit David, *Dominum*, cujus conſilio & voluntate ipſum mihi delegi pro hæreditate: *celebrabo*, inquam, *Dominum*, quia *noctu renes mei*, i. e. interni mei affectus, non incitaverunt me ad libidinem, verùm *erudierunt me*, ut nihil animo verſem noctu quàm quæ ad pietatem pertinent: q. d. Humani affectus, alioqui proclives ad malum, impulerunt me ad pietatem etiam noctu, quo tempore ad mala converti ſolent homines. Sanctis omnia cooperantur in bonum; nam Deus ſemper adeſt illis. *Renes* per Metonymiam pro *vehementibus affectibus.*

8. *Pono* שויתי] Præt. Heb. pro præſ. i. e. Propono mihi Dominum ob oculos ſemper, tanquam ſcopum, ut illius nutu omnia agam. ¶ *Non declinabo* בל אמוט] *Nè labar, nè dimovear, nè mutem*; i. e. quia adeſt mihi ad latus meum dexterum Dominus ut me juvet, perire non potero, neque quicquam nocere poterit.

9. *Lætatum eſt* שמח] Præterita ſunt apud Hebræos pro futuris aut præſentibus, *lætatur, exſultat, requieſcit.* ¶ *Gloria mea* כבודי] *Honor meus; dignitas mea. Gloria* ſive *honor* pro *anima & mente.* Aliis ſignificat *linguam.* David enim non tantùm ſe intus gaudere affirmat, ſed *linguam* quoque ſuam, imò *carnem* hujus gaudii participem facit. ¶ *Habitabit confidenter* ישכן לבטח] *Quieſcit in fiducia*, i. e. ſecura omnium periculorum.

10. *Animam meam* נפשי] i. e. Corpus. Levit. 21. 1. *Super animam non contaminabit ſe* quiſquam *in populis ſuis.* ¶ *Nec*

per-

permittes לא תתן] Ad verb. *nec dabis ſanctum tuum.* ¶ *Videre corruptionem* לראות שחת] *Videre foveam:* i. e. non permittes ut is quem ſanctificaſti, ſive ſanctum eſſe vis & corruptionis expertem, diu commoretur in fovea & ſepulcro, & ſentiat corruptionem, ſitque expers reſurrectionis & vitæ æternæ; ſed mox reſurgere facies. Repetitio eſt; nam *derelinqui in inferno* & *videre corruptionem* idem ſignificant. *Videre* autem *foveam* eſt condi in foveam ad corruptionem. Hic locus impletus eſt in Salvatore noſtro, ut Act. 2. 31. & 13. 34. citatur ab Apoſtolis Petro & Paulo, quia à ſepulcri corruptione fuit prorſus & ſolidè exemptus, ut membra ſua gradatim & pro cujuſque menſura in ſocietatem ſuam vocet.

11. *Semitam vitæ* ארח חיים] i.e. Quà itur ad vitam: h.e. Suſcitabis me & donabis immortalitate. Sumpta Metaphora à viatoribus: q. d. Donabis me vitâ, non temporariâ, ſed eâ in qua ſit omne genus voluptatis, nempe vitâ æternâ. ¶ *Cum vultu tuo* את פניך] i. e. Cumulatiſſimâ abundantiâ omnium quæ animum lætitiâ perfundere ſolent, omne genus jucunditatis eſt in præſentia tua, apud te, teque comitatur, & tibi adſtat: q. d. Ubi præſens es, ibi eſt omne lætitiarum genus, & quicquid animum verè & ſeriò lætitiâ afficit. Plurali *lætitiarum* utitur ut oſtendat copiam lætitiarum. ¶ *Jucunditates* נעימות] *Delectationes.* ¶ *In ſeculum* נצח] *Semper, perpetuo.*

CASTALIO.

7. UT *etiam mei renes me noctu caſtigent*] Ut meæ nocturnæ coërceantur libidines: nam *renes* pro *cupiditate* dicuntur & 4 Eſd. 5.

CLARIUS.

TItuli inſcriptio eſt, *Inſignia David.* Sunt qui dictionem Hebræam exponant pro inſtrumento muſico, alii pro *inſignibus & dignitate militari.* Hoc autem Pſalmo videtur Propheta præcipuè canere quanta ſit dignitas & felicitas, agere in Eccleſia Dei, atque inter ſanctos & electos Dei habere locum.

2. *Dixi Domino*] Heb. *Dixiſti.* Et cùm fœminini ſit generis, *animam* ferè omnes Hebræi & Chaldæus P. ſubintelligunt. ¶ *Bonorum meorum non eges*] Si quid in me, inquit, eſt boni, id tibi uſui non erit. Sed quia in Hebræo eſt, *Bonum meum non eſt ſuper te*, poteſt habere hunc etiam ſenſum, *Non mihi debes ea quæ in me confers beneficia, neque ego his dignus ſum, ſed ſancti qui ſunt in terra, propter quos habeo quicquid opto.* Hoc enim eſt quod ait, *Omnes voluntates meæ in eis.* Aliter illa verba, *Sanctis*, &c. ſic interpretabimur.

3. *Sanctis qui in terra ſunt*] Cùm beneficia noſtra, inquit, & pia voluntas nihil Domino conferat, id ſaltem ſanctis qui ſunt in terra præſtabo, ut iis ex animo ſtudeam.

4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates*] Quod alii verterunt *anxietates*, vel *moleſtias*; ut ſit ſenſus, Multæ ſunt apud idololatras anxietates, qui in cultu idolorum ſeſe incidunt, filios jugulant, & offerunt libamina de ſanguine humano. Vel per *ſanguinem* intelliguntur ſacrificia quæ ex furto & rapina fiebant. Poteſt & hic eſſe ſenſus. *Qui multo labore & ſuperſtitione victimas offerre conabuntur, illos mihi illarum victimarum ſanguine adeò libare non jubebo, ut ne mentionem quidem unquam amplius ejuſmodi libaminum fieri apud me velim.* Illud autem, *Multiplicatæ ſunt*, &c. poteſt eſſe imprecatio, ut ſic dicas, *Multiplicentur dolores eorum qui accedunt ad Deum alienum.*

5. *Dominus pars hæreditatis meæ*] Capitur hic *pars, hæreditas, calix, funiculi diſtributionis* ferè pro eodem. Nam poſtea quàm dixit ſibi nullum eſſe commercium cum impiis & eorum ſacrificiis, quæ ſanguine plena ſunt, addit ſolum Dominum eſſe *poſſeſſionem* ſuam, *ſortem* ſuam & omne bonum ſuum: iccirco ait *funes*, i. e. ſortem, *cecidiſſe ſibi in præclaris rebus*, cùm Deus ſors ejus ſit; & alludit ad illud quòd ſortibus à Joſue terra Chanaan duodecim Tribubus diviſa fuit ex præcepto Domini.

7. *Benedicam Dominum*] Gratias agit Deo, qui hunc ſibi animum dederit, ut, cæteris ſpretis, in ſpiritualibus oblectetur bonis. ¶ *Per noctes erudierunt* (nam & Græcus habet ἐπαίδευσαν) *me renes mei*] Per *renes erudientes* intellige ſecretum ſtimulum ad optima quæque incitantem. Nam ajunt Renes eſſe officinam conſiliorum. Solet etiam Scriptura interiores affectus per *renes* ſignificare, hanc fortaſſe ob cauſam, quòd cum gignendi affectus in renibus ſedem habeat, & is ſit omnium potentiſſimus, hinc *renes*, tanquam omnium affectuum ſedes & origo, pro ipſis *affectibus* per Metonymiam uſurpentur.

9. *Exſultavit lingua mea*] Quod in Hebræo eſt *gloria*, Græcus reddidit *lingua*; nam Sermo eſt quo præcipuè dignitas Hominis conſtat. Hic locus ab Apoſtolis Petro & Paulo in Act. 2. & 13. adducitur de Chriſto Servatore. Et ſanè verba hujus loci, ſcilicet, *Non derelinques animam meam in inferno*, &c. non propriè in David quadrant; ſed Prophetæ mens tunc in Chriſtum fuit rapta, & agnovit ſe Chriſti typum genere. Cujuſmodi multa alia typicè de Patribus ſcribuntur, quæ tamen verè in Chriſto ſunt adimpleta.

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ*] Noluiſti, inquit, ut corruptioni fiam obnoxius, ſed viam potiùs oſtendiſti quâ ad vitam perveniretur, nempe ad reſurrectionem atque ad tui contemplationem, ubi vera gaudia ſunt & nunquam finienda: nam hæc & exigua ſunt, & finem habent. ¶ *Uſque in finem*] Rectiùs vertitur *in perpetuum.*

LUCAS BRUG.

3. IGne *me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas: ut non loquatur os meum*, &c.] Epanorthotes in hæc verba annotat, *Et non eſt inventa*] *Antiqui cum Hebræo & Hieronymus non ſubjungunt* in me: *ſatis antiqui habent cum Græco.* Ità reperio in omnibus Græcis libris καὶ οὐχ εὑρέθη ἐν ἐμοὶ ἀδικία. Similiter in noſtris Latinis exemplaribus & apud Enarratores Latinos & Græcos, lego: nam & Hieronymi Chevalloniana editio *in me* habet: quanquam in D. Thomæ commentariis ſemel prætermittatur. Hebraïcè eſt בל־ תמצא זמתי, id quod reddas; *Non invenietur iniquitas mea.* Hoc autem idem eſt ac ſi dicas, *Non eſt inventa in me iniquitas:* futurum enim pro præterito poſitum eſt. Itaque nec Hebræo deeſt *in me.* Simili modo neque deeſt Hieronymi ex Hebræo tranſlationi: *Et non inveniſti*, habet, *cogitationes meas non tranſire os meum:* ſic enim Regia Biblia legunt. [Manuſcriptum O notatum legit, *Et non inveniſti cogitationes meas. Utinam non tranſiſſet os meum in opus Adam:* quam lectionem & Jacobus agnoſcit.] Tria autem noſtra manuſcripta, 3. Jacobi Pſalterium, & operum Hieronymi editio, poſteriorem negationem prætermittunt, *Et non inveniſti cogitationes meas tranſire os meum*, ſed habetur in Hebræo. Cæterùm ſi prior lectio interrogando pronuncianda ſit, is eſt ſenſus quem habet poſterior. Diſtinxit autem Hebræum Hieronymus paulò aliter quàm LXX. viri, & legit, non תִּמְצָא, ſed תִּמְצָא. Intellexerunt autem utrique זמתי nomen eſſe; LXX. quidem ſingulare, ut legatur זִמָּתִי, Hieronymus plurale, ut זַמֹּתַי legatur. זמה & *cogitationem* ſignificat & *iniquitatem.* Hebraïci noſtri libri זַמֹּתִי, ità ut verbum ſit, ſcribunt (ſic veriſimile eſt Epanorthoten intellexiſſe) longeque aliter diſtinguunt, צרפתני בל תמצא זמתי בל יעבר פי. i. e. *Conflaſti me, non invenies: cogitavi, non tranſibit os meum.* Futura pro præteritis accipiuntur, daturque ſenſus iſte, Examinaſti me, ſicut igni metalla probari ſolent, & iniquitatem in me non inveniſti: criminantur me inimici malitioſum & fallacem, ego verò nunquam aliud quàm quod corde ſenſerim ore locutus ſum. Chaldæus Paraph. reddidit, *Probaſti me*, - & [Ven. Neb.] *non inveniſti corruptionem: cogitavi malum, non tranſivit os meum.*

13. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manûs tuæ*] Omnes penè codices noſtri *frameam tuam* legunt; quomodo etiam Græci libri ῥομφαίαν σου ſcribunt, & Apollinaris,

Φάσγανον ἀμφήκες δηΐων ἐξαίνυσο χειρὸς

reddidit. Intelligunt autem per *frameam* Joannes de Turrecremata, Bruno, Remigius, Haymo, Beda, Caſſiodorus, Auguſtinus, Ruffinus & Hieronymus (iſtorum enim iſta eſt lectio) Chriſti animam, quam aſſumpſit æterna Dei virtus, ut per ipſam regna debellaret iniquitatis, & divideret juſtos ab impiis. *Animam* ergò *meam*, Chriſtus loquitur, *eripe ab inimicis manûs tuæ*, ità ut ſit ſub verbis aliis præcedentis repetitio. Nonnulli, quorum eadem eſt lectio, *frameam* exponunt poteſtatem impiis à Deo permiſſam: q. d. Poteſtatem quam impiis in me conceſſiſti jam tandem ab eis aufer, qui non pro te militare, ſed potiùs tibi tuæque potentiæ reſiſtere, proponunt. Hujuſmodi ferè Jacobi de Valentia interpretatio eſt, qui orari intelligit ut ſacerdotium, ſceptrum omnemque principatum Deus à Judæis Chriſtum perſequentibus auferat. Adſert utramque expoſitionem D. Thomas. Romano Pſalterio adſcribitur lectio quæ nec Hebræo nec Græco convenit: *Frameam* [*Framea* Lob. Tom.] *inimicorum de manu tua:* veruntamen Arnobii fuiſſe videtur. *Eripe*, ait, *animam meam ab impio*, i. e. *à mortis jugo, & gladium inimicorum de manu tua evelle.* Alii libri non quarto caſu *frameam tuam*, ſed ſexto *frameâ tuâ* legunt. Sic Correctoris antiqui codices: ſic inter noſtros, Brugenſis D. Donatiani. Hoc modo, conciliatum Jacobi Pſalterium habet: eodem Pſalterium R^mi D. Lindani induſtriâ emendatum ſcribit. Atque huic lectioni Græcus autor Euthymius ſuffragatur: non enim ῥομφαίαν, ut noſtra Græca exem-

exemplaria, ſed ῥομφαίᾳ legit, quod & Interpres in margine notat, & Commentarius ipſe loquitur; *Tuâ*, habet, *frameâ, h. e. tuo telo, libera animam meam ab impio Saul atque ejus ſociis, qui electioni tuæ de me factæ tanquam inimici adverſantur.* Hunc ſenſum & Theodoritus probat; *Me autem*, exponens ait, *ab illorum inſidiis libera, tuo gladio contra eos utens. Sic enim Symmachus dixit, In gladio tuo.* Hæc ille. Poſſit autem etiam intelligi lectio iſta ità ut Appoſitio ſit, *ab impio, frameâ tuâ.* Utitur enim impiis hominibus Deus ut armis, ad improborum ſcelera punienda, & piorum virtutem exercendam. Hinc Aſſyriorum Rex *virga furoris Dei* appellatur, Iſai. 10. 5. Huc facit quod teſtatur Corrector, Græcos quoſdam codices genitivo legere: ita namque ſit Appoſitio, Ἀπὸ ἀσεβοῦς ῥομφαίας σου. Similiter ex Hebræo Hieronymus & poſt eum alii vertunt, *Ab impio, qui eſt gladius tuus.* Porrò anceps eſt Hebræum, ità ut & Appoſitio intelligi poſſit, & ablativus inſtrumenti, & verti, quemadmodum prior habet lectio, *Frameam tuam.* Nonnulli quoque vertunt primo caſu, *Gladius tuus*, ſeu *framea tua*: q. d. Propheta, Eripere tuum eſt, tuus quoque eſt gladius: mors & vita in tua ſunt poteſtate. Chaldæi Paraphraſis eſt, *Eripe animam meam ab impio, qui meretur interfici gladio tuo.* Quod ſequitur, *Ab inimicis manûs tuæ*, Hebræi in ſequentis verſûs caput ſeparant.

14. Quod Hebraïcè eſt שבעו בנים, ut variè ab Interpretibus vertitur, ità variè in Vulgatæ editionis cod. Latinis legitur. Quidam interpretantur, *Saturati ſunt filii*, ex neotericis quidem nonnulli, ex veteribus autem Symmachus, Theodorito teſte. Itaque novem noſtrorum Latinorum MSS. habent: & ſenſus eſt, Bonis theſauri tui ipſi implentur, filii ſaturantur, & nepotes eorum quæ parentum libidini ſuperfuerunt hæreditate ditantur. An & ipſe Theodoritus ad hunc modum Græcè legerit, quamvis ità habeat textus, dubitari non immeritò poſſit. Cur enim Symmachi explanationem adferat? Alii transferunt, *Saturati ſunt filiis*, Hieronymus, Pratenſis, & alii: quo modo pleraque Vulgatæ editionis exemplaria ſcribunt, & Tractatores compiures legunt: eſtque Græcorum codicum lectio ἐχορτάσθησαν υἱῶν, id quod ὑῶν ſcribunt quidam. Olim nonnulli Græcorum librorum ὑῶν ſcripſerunt, qui fuit & exemplarium quibus Euthymius uſus eſt error. Hinc Apollinaris

Πλησθέντες σιάλων ———

carmine vertit; & Arnobius ac Caſſiodorus, *ſaturati ſunt porcinâ*, legunt atque exponunt: atque ea eſt lectio Pſalterii noſtri Goticè ſcripti: quo ex loco, ut & aliis non paucis, conjicere licet, illud non Vulgatæ editionis, ſed alterius exemplar eſſe. Hunc certe locum eo legit modo quo Romanum Pſalterium, *Saturati ſunt porcinâ, & reliquerunt quæ ſuperfuerunt parvulis ſuis.* D. Hieronymus in commentariis utrâmque lectionem *porcinâ* & *filiis* adfert & explicat: *Judæi*, ait, *ſaturati ſunt, quia multiplicati ſunt in procreatione filiorum & in rebus ſeculi. Quando dicit* ſaturari ſunt porcinâ, *hoc Judæorum immunditiam deſignat.* Meminit utriuſque lectionis etiam Auguſtinus, non tantùm in proprio commentario, verumetiam epiſt. ad Paulinum 59. quo loco lectionem *filiis* præfert: in quam ſententiam etiam Euthymius propendet. Dubitare autem non poteſt qui Hebræa conſuluerit de ſententiæ hujus veritate, non ὑῶν ſed υἱῶν legendum. Cæterùm etiam ii codices qui ὑῶν ſeu *porcinâ* legerunt (ὗες enim *porci ſueſ*que dicuntur) poſteriori Latinorum lectioni, *Saturati ſunt filiis*, adſtipulantur. Quod pro altera lectione faciat, eſt antiquiores codices, ut Epanorthotes ait, *filii* legere: ſed id nos in noſtris codicibus obſervare, aut ex Tractatoribus colligere, non potuimus.

DRUSIUS.

1. כתם. A. Ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ; *Humilis & ſimplicis.* Sym. Ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου, *Humilis & immaculati*] Hæc perperàm citantur in Romana: nam citantur in Pſalmo ſuperiore ad verba ed. LXX. ἐπ' ἀθῴοις. Nos ea in ſuum locum revocavimus, cùm ex ipſa ſententia, tum ex Commentariis Theodoreti antiqui Theologi. ¶ אל. A. ἰσχυρέ.

2. טובתי בל־עליך. A. Ἀγαθωσύνη μου οὐ μὴ ἐπὶ σέ, *bonitas mea non ad te.* Sym. ἀγαθόν μοι οὐκ ἔστιν ἄνευ σου, *bonum mihi non eſt ſine te.*

3. אדירי כל־חפצי־בם. A. Ὑπερμεγέθεσί μου πᾶν θέλημα ἐν αὐτοῖς, *amplis omnis voluntas mea in eis.* Sym. εἰς τοὺς μεγάλους πᾶν τὸ θέλημά μου ἐν αὐτοῖς, *in magnos omnis voluntas mea erga eos.* Th. θαυμαστόν μοι πάντα τὰ θελήματά μου ἐν αὐτοῖς, *mirabile mihi, omnes voluntates meæ in eis.*

4. ירבו עצבותם. A. Πληθυνθήσονται διαπονήματα αὐτῶν, *Multiplicabuntur labores eorum.* Sym. Πολλαὶ αἱ κακοπάθειαι αὐτῶν, *Multæ ſunt vexationes eorum.* Th. Ἐπληθύνθησαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν, *Multiplicata ſunt idola ipſorum.* ¶ אחר מהרו. Sym. ἀκολουθοῦσι ταχέως, *ſequentes cito.* Th. Εἰς τὰ ὀπίσω ἐτάχυναν, *retro feſtinarunt.* ¶ בל־אסיך נסכיהם מדם. A. Οὐ μὴ σπείσω σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων, *non libabo libamenta ipſorum ex ſanguine.*

11. שבע שמחות. A. Th. πλησμονὴ εὐφροσυνῶν, *ſatietas lætitiarum.* Sym. ἑπτὰ εὐφροσύνας, *ſeptem lætitias*, i. e. שבע. ¶ את־פניך. Sym. παρὰ τῷ προσώπῳ σου, *apud vultum tuum.*

AMAMA.

Multa in hoc Pſalmo non poſſunt commodè tribui Chriſto, & quod verſ. 10. dicitur non poteſt commodè tribui Davidi, ut demonſtrat Petrus Act. 2. 29. & 13. 35. Ergo David hîc in ſua perſonâ loquitur per totum Pſalmum, & ſimul etiam & maximè proprie de Chriſto.

2. אמרת] Livelæus dicit in MS. quodam ſe legiſſe אמרתי ſic etiam LXX. εἶπα. Sic Jerem. 3. 5. ſcribitur דברתי & legitur דברתי idem ſic forte olim. Alii, *Dixiſti, ô anima mea, Domino.*

Beneficentia mea non [*pertinet*] *ad te*] Vel non pertingit. Te non reddit beatiorem, tu poſſes illa carere, Ipſe tui contentus opibus nil indiges noſtris. על pro עד vel אל ut Gen. 37 Neh. 12. 22. *uſque ad regnum Darii Perſæ.* Ebr. על.

3. [*Sed*] *ad ſanctos qui in terra ſunt, &* [*ad*] *magnificos, in quibus tota oblectatio mea.*] In poſteriori membro ἐλλείπει אשר, אדירי Enall. ſtatus contr. aut ſub. כל. Pii Filii Dei dicuntur nomine magnifico.

4. *Multiplicabuntur dolores ipſorum qui alium* [*Deum*] *dotant.*] Ita Piſc. Pagn. Hiſp. Eng. & Ald. מהר dotavit, unde מהר dos, Gen. 34. 12. 1. Sam. 18. 25. Ex. 22. 16. Jun. *Horum* (piorum) *dolores multiplicant qui* ——— At רבה in Kal. non ſign. tranſitivè. It. Gen. conſentiunt Piſcat. Pagn. &c. niſi quod vertunt *feſtinant*, & ponunt Ellipſin אשר אחר qui feſtinant poſt alium Deum. At ſic eſſe מהרו Senſus eſt qui matrimonium contrahunt cum peregrino Deo, & quidem hac iniqua conditione, ut non accipiant ab eo dotem uti ſolent ſponſæ, ſed ut dotem ipſi conferant, hoc eſt, ut non accipiant ab eo beneficia, ſed ut multos ſumptus faciant in cultum ipſius. Hæc fatua impietas etiam objicit Judæis Jer. 16. 31.

אחר] Adj. ſine ſubſt. Sic אלהי נכר ſub. עם. Alium à vero Deo. Ea vox ſæpe apud Rabb. uſurpatur, ut דבר אחר de porco. Sic Latini *alterum* per Euphemiſ. dicebant de *non bono.*

Libabo] נסך 1. Fundere, Gen. 35. 14. *Super ſtatuam fudit libamen*, 2. Effundere oleum ſuper Regem, Sacerd. vel Proph. inaugurandi cauſa, i. e. conſtituere, inungere. 3. Libare, Synecd. membri, nam in ſacrificiis libabant, i. e. prim. labris deguſtabant vinum, deinde reliquum effundebant ſuper ſacrificium.

Libamina] Proprie, *fuſionem*, i. e. liquorem qui funditur.

Ex ſanguine] Quæ conſtant ex ſanguine. Legitima libamina erant ex vino, Exod. 29. 40. Num. 15. 5.

Aſſumam ſuper labia mea] Quod Pſ. 50. 16. *in os.* Hinc explica Ellipticas locutiones, aſſumere parab. lam. cant. prophetiam, convitia &c. ſenſus, nec in juram. nec ſermone quotid. memorabo nomina eorum. Lex Ex. 23. 13. Confer Oſ. 2. 17.

5. *Portio partis meæ*] Locutio ἐκ παραλλ. Locutio ſumta à conviviis Vet. ubi cuique ſua aſſign. portio. Gen. 43 1. Sam. 1.

Poculi mei] Metaph. à Patre familias. Calix, vocatur in ſacris literis quicquid a Deo alicui immittitur ſive præmium ſive pœna. Pſ. 11. 6.

Sortem] Hæreditatem.

6. *Funes*] Id eſt, Hæreditas: Funibus dividebantur & diſtinguebantur agri. Hinc Amos 5. *Terra tua fune dividetur.* Sic Joſ. 17. 14. *Cur dediſti mihi in hæreditatem ſortem unam & funem unum?* i. e. portionem.

Ceciderunt mihi.] Jun. *acciderunt*, Latinè, etiam *venerunt.* Plaut. *Haud mihi ſemper veniunt tales hæreditates.*

[*Ideo*] *etiam poſſeſſio pulcra it ſuper me*] i. e. Poſſeſſio pulcra obtigit mihi, vel, poſſeſſio valde pulcra videtur mihi. Kimchi, *Cum hæreditas dividitur inter filios hominum, alter ſolet invidere alteri, nam quiſque putat proximi portionem ſuâ meliorem eſſe. Mihi nihil tale accidit.*

7. *Benedicam Dominum*] Sic Græci, εὐλογεῖν τὸν θεόν. Hoc imitati Antiqui Patres & Interpretes. Ita etiam Apul. in Aſclepio, *Reſtat hoc ſolum ut benedicentes Deum orantesque ad curam corporis redeamus.*

Renes mei] Affectus mei.

Erudiunt me] Urgent ut officium faciam.

9. *Gloria mea*] LXX. & Petrus γλῶσσα, Gen. 49. 6. Pſal. 30. 13. per Meton. eff. *Ut pſallat tibi gloria mea.* Pſ. 30. Alii

per

per gloriam animam rationalem intelligunt. Et ſic melius quadrabit לב certe Lxx. & Petrus non multum juvant, Pſal. 32.2. & non eſt dolus ברוחו, Lxx. & Euang. ἐν ςόματι. Pſ. 40. אזנים. Ebr. 10. 5. σῶμα. An ergo illud *os*, hoc *corpus* ſignificabit? Senſum expreſſère: nec de eo quæritur.

Animam meam] Me, Syn. membri. Me, i. e. corpus meum, Syn. membri, hæc Chriſto proprie competunt, ac de Davide intelligi nequaquam poſſunt, teſte Petro Act. 2. & 13. At Junius, ut ſint verba Eccleſiæ, exponit, *Non relinques animam meam*, i. e. Chriſtum qui vivit in me. Gal. 2.20. Argute certè, ſed an etiam ſolide? Piſc. Negat.

NB. נֶפֶשׁ de corpore etiam mortuo. Lev. 19. 28. & 21. 1. Num. 5. 2. & 9. 10. Hag. 2.14. Jeſ. 38. Sirach 16. 28. Virg.

——— *Egregias animas quæ ſanguine nobis.*

Non ergo mirum ſi ψυχὴ pro corpore ponatur Act. 2. Regula, Interpretamentum ſignif. unius &c. Ita & Ἅδης pro ſepulcro.

11. *Satietatem gaudiorum in conſpectu tuo amœniſſimorum. Dextra tua in æternitatem.*] Ita Jun. contra accentum & conven. שבע שמחות את־פניך נעימות Piſc. corrigit & confert cum Prov. 3. *Longitudo dierum in dextra ejus.*

GROTIUS.

T*ituli inſcriptio*] Ità vertit quod in Græco eſt ςηλογραφία, [*columnæ inſcriptio*,] per *titulum* intelligens columellam aliquam marmoream, cui has ſententias inſcribi voluit David, ut ſuas Job,.19. 24. legerunt enim מכתב [*inſcriptio*,] non ut nos מכתם, quod Arabicà voce *abſconditum* ſignificat, id eſt, *rem dignam ſervatu.*

2. *Dixi Domino*] Legit אמרתי [*dixi*,] ut & Græci, non אמרת [*dixiſti.*]

Quoniam bonorum meorum non eges] Senſus eſt non malus; ſed meliùs & cohærentiùs cum iis quæ ſequuntur vertas: *Quia bonum meum non eſt apud te*, ſcilicet reconditum: non invides mihi cognitionem rerum ſalutarium. עלי pro *apud* habes Geneſ. 18. 2. Exodi 14. 2. & alibi.

4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum*] In Hebræo: *Multiplicentur falſi Dii illorum.* Δεικτικῶς, [*deſignando*,] id eſt, Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum.

Poſtea acceleraverunt] Meliùs, *Alienum* (ſupple *Deum*) *cupidè ſectentur.*

Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus] In Hebræo: *Non libabo libamina eorum quæ ſunt de ſanguine.* Potabant enim gentes iſtæ ſanguinem ſacrificiorum, ſæpè & humanum, ut diximus ad Matth. 26. 28.

Nec memor ero nominum eorum per labia] *Eorum*, id eſt, falſorum Deorum, de quibus ſuprà egerat. Vide legem Exod 23. 13.

5. *Dominus pars hæreditatis meæ*] Id regnum mihi obtigit, in quo verus ille Deus colitur.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*] Optima terra mihi velut ſorte obtigit.

9. *Et exſultavit lingua mea*] Ex Lxx. qui videntur pro כבודי [*gloria mea*] legiſſe non levi differentià לשוני [*lingua mea*,] quomodo & Lucas Act. 2. 26.

Caro mea requieſcet in ſpe] *Requieſcit*: ſolatur ſe bonâ ſpe.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*] *Animam meam* pro *me*, Hebraïcè. שאול *ſepulchrum* pro morte, conſequens pro antecedente Senſus hiſtoricus (latet enim myſticus ſublimior, ut in pleriſque Pſalmis) eſt hic, Quanquam undique opprimor à Saüle, tamen certus ſum ex promiſſione regni mihi facta, non fore ei poteſtatem me interficiendi.

Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem] *Sanctum tuum*, id eſt, me. In hac voce Hebræa poſt ד abundat י quod & ſcheva præcedens oſtendit. *Videre corruptionem* eſt corrumpi. Lxx. hic: ὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σȣ ἰδεῖν διαφθορὰν, [*non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*,] quomodo & Lucas Act. 2. 27. nec aliter 13. 35. Sic Threnorum 4. 20. בשחיתותם vertunt Lxx. ἐν ταῖς διαφθοραῖς αὐτῶν, [*in corruptionibus eorum.*] Sic & Pſal. 107. משחיתותם, ἐκ τῶν διαφθορῶν αὐτῶν, [*ex corruptionibus eorum.*] Nec aliter Prov. 28. 10. Jerem. 13. 14. 15. 3. Ezech. 19. 4. 21. 31. Daniëlis 10. 8. Oſeæ 13. 9. Senſus idem qui in priore membro, more Hebræorum.

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ*] *Notas facies*, id eſt, oſtendes mihi viam quâ liberer ab his periculis.

Delectationes in dextera tua uſque in finem] Gaudebo fretus auxilio tuo uſque ad vitæ finem, nempe ubi in regno ero collocatus.

PRICÆUS.

2. D*E vultu tuo judicium meum prodeat*] Vult dicere, (ut 9. 4. Sapient.) *Da mihi ſapientiam ſedium tuarum aſſiſtricem*, ad judicandum nempe: ſequitur enim, *quoniam minor ſum ad intellectum judicii ac legum.* Et hinc Proverb. 16. 10. illud, *Divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus.*

9. *Sub umbra alarum tuarum protege me*] Sic infrà 36. 8. 56. 2. 60. 5. 62. 9. & 91. 4. Virgilius,

——— *Tu, Tityre, lentus in umbra.*

Ubi Servius, *Allegoricè, in tutela Imperatoris.*

14. *A terra divide eos*] Infrà 103. 35. *Peccatores à terra deficiant.*

Ibid. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, ſaturati ſunt filiis*, &c.] Similem διατύπωσιν infrà 144. 12. 13. Vide Eſai. 65. 13. *Ecce ſervi mei comedent, vos autem eſurietis*: adde ſuprà 32. 19.

15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*] Lætabor (ut infrà 57. 11.) cùm vindictam videro.

IDEM.

2. O*Culi tui videant æquitates*] Suprà 10. 8.

3. *Viſitaſti* (me) *nocte.*] Suprà 15. 7.

Ibid. *Igne me probâſti*] Infrà 65. 10. *Igne nos examinâſti.* Vide Prov. 17. 3.

4. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*] Puto commodè hæc exponi poſſe ex loco Pſ. 118. 101. *Ab omni mala via prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua.* Adde quæ ibidem com. 104. & com. 128.

5. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis*] *Perficere* heic eſt confirmare, ſtabilire: ςηρίζειν, θεμελιοῦν, ut 1 Pet. 5. 10. ubi & præceſſit vox καταρτίζειν, quam hic Græci poſuere.

10. *Adipem ſuum concluſerunt*] Prodiit (ut 72. 7.) *quaſi ex adipe iniquitas eorum.*

14. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*] Deliciis, iiſque quæ vel maximè cordi habuerunt, ſaturâſti eos: vide Pſ. 143. 12. 13. In voce *abſconditis* autem videtur alludi ad ſelectiora illa, quæ non temere nec in cujuſvis gratiam patresfamiliâs ſolent è ſuo penu depromere. Lxx. hic, τῶν κεκρυμμένων σȣ, i. e. ut bene Symmachus, ἀποθέτων, in promptuariis enim, ut jam diximus, ſolent meliora reponi. Et planè ſimilis locutioni iſti videtur, ἀπὸ τȣ̃ μάννα τȣ̃ κεκρυμμένȣ φαγεῖν διδόναι, quæ Apocal. 2. 17. occurrit. Legimus & in Heſychio, Κεκρυμμένη, ἐπιμόνως κειμένην· ubi ſi κεκρυμμένων, & κειμένων (quod tamen haud obtruſerim) ſcribendum putaverimus, videri poterunt pertinere ad hunc locum Pſalmiſtæ. Nec incommode ſenſu à nobis poſito exponi poſſent quæ & infrà Pſal. 30. 20. leguntur.

Ibid. *Dimiſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis*] Prov. 19. 14. *Domus & divitiæ à parentibus dantur.*

PSALM. XVII.

MUNSTERUS.

1. A*Bſque labiis doloſis*] Senſus eſt, Simplici corde effundo ad te orationem meam, quippe qui nullis dolis circumveni proximum.

3. *Quod cogitavi non pertranſibit os meum*] Ferè eundem habet ſenſum. Nam ſicut *labia* ejus erant *abſque dolo*, ſic *cogitatio* cordis ejus fuit ſincera & recta.

4. *Propter operationes hominum*] Quidam putant hunc verſiculum ſic exponendum, Operibus hominum intentum habui animum propter verbum tuum, & obſervavi vias hominis corrumpentis vias ſuas, ut ſcilicet illos redarguerem.

8. *Ut pupillam oculi*] Vocat Hebraïſmus Pupillam oculi אישון בת עין *virunculum ipſum oculum occupantem*, propter imaginem humanam quæ in nigredine oculi apparet.

9. *Pro anima circumdant me*] i. e. Ut animam extorqueant, & vitam auferant.

10. *Adipe clauduntur*] Senſum hunc hîc verſiculus videtur habere, *Opulentiâ magnâ ſtipantur, & divitiis ſuis mihi omnia itinera obſtruunt, ideo loquuntur magnifica verba ſuperbo ore.* Alii ſic intelligunt, *Saginantur quotidianis deliciis, atque ideo reliquos homines contemptui habent.*

11. *Oculos ſuos ponentes*, &c.] i. e. Nihil aliud ſpectant quàm terre-

terrena, quibus per fas & nefas inhiant, proximo inſidias ſtruentes *ſicut leo*, qui in latibulo tranſeuntem feram exſpectat quam dilaceret.

14. *A viris qui ſunt manus tua*] i. e. Libera me à viris illis quibus tu vice flagelli uteris, ſicut Nebuchadræzar flagellum fuit Jehudæorum. ¶ *Quorum pars eſt in vita*] Qui ſcilicet in hac tantùm vita quærunt quæ corpori blandiuntur, *& tu quidem ſatias ventrem eorum*, & ventres *filiorum ipſorum* juxta voluntatem eorum, ut hîc ſaturentur, & in futuro ſeculo eſuriant. Nec parentes aliud curant pro filiis quàm ut illis multum relinquant divitiarum, quas ipſi ſecum ferre non poſſunt. *Ego verò* & omnes electi tui, Domine, non ità quæremus has temporarias & tranſitorias divitias ut in illis deliciemur, ſed juſtè & piè vivemus in hoc ſeculo, ut aliquando in futuro ſeculo *videamus faciem tuam, & eâ ſatiemur*, *cùm* ſcilicet è pulvere *evigilaverimus*, & reformati fuerimus *ad ſimilitudinem Chriſti tui.*

VATABLUS.

1. JUſtitiam צדק] Sub. *meam*, i. e. Orationem quâ te juſtè obſecro: vel, audi quæ ex juſtitia oro. ¶ *Clamori meo* רנתי] *Vociferationi meæ*, i. e. orationi quam apud te vociferando fundo. ¶ *Abſque labiis doli* בלא שפתי מרמה] *Sine labiis doli*: i. e. doloſis quæ carent ſermone fraudulento; quæ ſunt ſincera & candida. *Labia* pro *ſermonibus* accipit.

2. *A facie tua* מלפניך] i. e. A te: *jus meum*, quo judicês ſive liberes me ab hoſtibus meis: q. d. Fer ſententiam ſive judicium de jure meo, in cauſa mea: conſtituo te arbitrum in cauſa mea. Hic verſus indicat quemnam ſibi judicem conſtituat. ¶ *Videant æquitates* תחזינה מישרים] Hebraïſmus, i. e. æquitatem: q. d. Fac oſtendas te proſpicere ea quæ hîc rectè geruntur ac fiunt. Tu noſti meam juſtitiam: te arbitrum conſtituo mei & Saulis: per me tibi licet pronunciare quid tibi videatur de lite quam habeo cum Saule: declara te eorum quæ recta ſunt habere rationem.

3. *Probaſti* בחנת] *Exploraſti*, i. e. occultos cordis mei receſſus excuſſiſti, omnes cordis mei ſenſus tenes: noſti me non eſſe duplicem, nec quicquam fraudis intus alere, ut iſti perperam falsâ invidiâ me gravant. ¶ *Viſitaſti nocte* פקדת לילה] Sub. *animum meum*. Noctu animi affectus faciliùs ſe produnt, quando remoto hominum aſpectu liberiùs & ſine pudore quis peccat: qui tunc non peccat, minùs peccabit interdiu. Dicit igitur David, Domine, cùm noctis tenebræ conſcientiam ſublatis integumentis magis aperiant, & tunc ſine teſtibus & arbitris liberiùs ſe proferant affectus, ſi eo articulo me examines, nihil in corde meo reperietur perfidiæ. Aut præt. pro fut. *Explorabis*, &c. ¶ *Conflaſti me* צרפתני] *Excoxiſti me*, ut ſcilicet ſolent excoqui & examinari metalla: vel, *igne me examinabis*. Alii, *examinaſti* [vel, *exploraſti*] *me*. Verbum צרף ſignificat *fundere, purificare, & examinare metalla.* Hîc autem per tranſlationem pro *examinare* & *explorare* ponitur. *Examinaſti me*, ſive *exploraſti*, inquit, velut metalla igni probari ſolent ſive examinari: i. e. multis tribulationibus accuratiſſimè me examinaſti. ¶ Quod *cogitavi*, &c. זמתי בל יעבר פי] Hebraïſmus, pro, *nihil aliud ſentio quàm quod loquor.* Verba Hebræa ſolent ſua verbalia complecti: ideo ſubaudiendum *cogitatio mea*: hoc modo, *Cogitavi, & cogitatio mea non tranſiit os meum*: q. d. Nulla fuit diſcrepantia inter os & cor meum: ore expreſſi ſine fraude quicquid in animo habebam.

4. *Quod ad opera hominum* לפעלות אדם] *Ad* [vel, *Quantum ad*] *opera hominum*, ſub. *aliorum*. Alii, *Propter operationes hominum* quæ fiunt *contra verbum*, &c. Alii, *Operibus hominum* aliorum *juxta verbum labiorum tuorum*, ſub. *intentus fui, ne mandatis tuis adverſarentur.* Non ſolum (inquit) fui juſtus, ſed etiam *quantum ad factum hominum ſpectat, per verbum tuum*, ſive *juxta præcepta tua*, præceptorumque tuorum commemoratione dedi operam, atque prohibui nequis graſſatorem ageret, aliiſque inferret injuriam. ¶ *Cuſtodivi*, &c. שמרתי וגו'] *Obſervavi* nequis ambularet per *ſemitas graſſatoris*: vel *prohibui* nequis, &c.

5. *Suſtenta*, &c. תמך אשרי וגו'] Infinitivus eſt Hebræis pro imperativo; vel, ut alii volunt, infinit. pro præt. *Apprehenderunt greſſus mei* [vel, *pedes mei*] *ſemitas tuas, nec declinaverunt pedes mei*: aut, *Stabiles* [ſive, *Firmi*] *fuerunt greſſus mei in ſemitis tuis, nec declinaverunt plantæ pedum meorum.* Futurum Hebræis poſteriore loco pro præterito.

6. *Invocavi te* קראתיך] Præt. Heb. pro præſ. *invoco te*: vel, *invocare ſoleo.*

7. *Mirifica pietates tuas* הפלה חסדיך] *Admirandas fac miſericordias tuas. Fac inſignem bonitatem tuam.* Alii, *Segrega* [vel, *Subtrahe*] *miſericordias tuas*, &c. *ab inſurgentibus*, &c. i. e. *Segrega miſericordias tuas, tu qui liberas ſperantes* [ſub. *in te*: *ſubtrahe, inquam, miſericordias*] *ab iis qui inſurgunt contra dexteram tuam*, i. e. ab iis qui oppugnant te, repugnantes iis quæ à te decreta ſunt, & nituntur adverſùs ſententiam tuam: nolunt enim me Regem eſſe, cùm tamen me conſtitueris. Quidam Hebræorum *dexteram* interpretantur *eos qui fidunt dexterâ Dei & favore. Miſericordias* dicit plurali numero ad declarandam Dei miſericordiam, quæ latiſſimè patet.

8. *Ut nigrum*, &c. כאישון בת עין] Ad verb. *ut pupillam filiam oculi*: i. e. ut pupillam, quæ eſt oculi præcipua & eximia pars. Hebræi enim nomine בן & בת quæ præcipua, eximia & admodum chara ſunt intelligere ſolent: aut, *ut pupillam quæ eſt medium oculi*: q. d. Cuſtodi me eo ſtudio quo homines oculorum ſuorum pupillas cuſtodire ſolent. *Pupilla* & *filia oculi* idem ſunt, ut nonnullis placet; duæ voces pro una, ut alibi, *Lutum facis* pro *luto*, & *Orbis terra* pro *terra*. Chald. *Tanquam ſphæram quæ eſt in medio oculi.* ¶ *In umbra alarum tuarum* בצל כנפיך] i. e. Eâ diligentiâ libera me à periculo imminenti quâ ſolent gallinæ ſubter alas ſuas abſcondere pullos ſuos, imminente & inſidiante milvo. Scriptura Deo tribuit *alas*, ut ſummum ejus ſtudium in ſervandis piis oſtendat. Eâdem ſimilitudine uſus eſt Chriſtus Matth. 23. 37.

9. *A facie impiorum* מפני רשעים] Hebraïſmus, propter impios. ¶ *Vaſtant me* שדוני] *Vim mihi inferunt.* Præt. pro præſ. & ſeq. verſu. ¶ *Propter animam* בנפש] *In animam*: i. e. ut vitâ me ſpolient. Chald. ad verb. *in animam ſuam*: i. e. qui ex animo obſident me. Hunc ſenſum ſequitur ex doctioribus Hebræorum alter.

10. *Adipe ſuo clauſerunt* חלבמו סגרו] *Præ pinguedine præcluſerunt*; ſub. *ſibi os & fauces*: i. e. præ pinguedine præcluſerunt ſibi os & fauces: aut, Uſque adeò pingues ſunt ut fauces eorum præ pinguedine præcluſæ ſint: q. d. Diffluunt deliciis, & ob id ſuperba loquuntur. Chald. *Adeps eorum clauſit os eorum.* Integra locutio legitur Job 15. 27. *Operuit impius faciem ſuam adipe ſuo.*

11. In *greſſu noſtro*, &c. אשרנו וגו'] *Greſſum noſtrum obſervantes, nunc circumdant me*: vel, *nos*: nam duplex eſt Hebræis lectio: q. d. Quocunque fugimus, illuc nos inſectantur ac circumdant. ¶ *Ad expandendum* לנטות] *Ut expandant*: i. e. oculos intentos habent ad expandendos laqueos ſuos in terra, quibus nos capiant: quærunt occaſionem perdendi nos, ſive ut proſternant nos in terram.

12. *Manentis* יושב] *Sedentis*, i. e. deliteſcentis.

13. *Surge* קומה] i. e. Surge, Domine, ſume arma, ſtrenui defenſoris more: jam ſatis diſtuliſti opem; nunc ſurge declaraturus vires tuas: *præveni faciem* hoſtis mei Saulis, & illi obſiſte. ¶ *Incurvà eum* הכריעהו] *Humilia eum, dejice, proſterne.* ¶ Qui eſt *gladius tuus* חרבך] i. e. Quo tanquam gladio uteris in caſtigandis aliis. Ità ferè omnes vertunt. Quidam volunt eſſe Inſtrumenti ablativum, hoc ſenſu, *Libera me gladio tuo ab impio.* Sic v. ſeq.

14. *A viris* qui ſunt *manus tua* ממתים ידך] Alii vertunt, *A viris* erue me *manu tuâ*, ſive potentiâ & fortitudine tuâ: ut ſit Inſtrumenti ablativus, ut v. præcedenti. ¶ *De mundo* מחלד] *De ſeculo*, i. e. qui tantùm mundana ſapiunt. Alii, *de tempore*, i. e. temporariis. Alii, *à ſeculo*, i. e. qui non à triduo vel nuper emerſerunt, ſed à ſeculo duravit jam eorum felicitas, quam momento evaneſcere oportuit. Queritur hoſtes ſuos viguiſſe ultra juſtum tempus. ¶ *Quorum pars* eſt *in vita* חלקם בחיים] Hebraïſmus, pro *quorum felicitas tota ſita eſt in bonis temporariis & voluptatibus hujus mundi. Portio* cujuſque dicitur in quo ſuam quiſque felicitatem locat. Vel, ut alii, qui ab omnibus incommodis ſunt immunes, & à communi hominum ſorte exempti, ac deliciis diffluunt. ¶ *Et abſcondito tuo imples* וצפונך תמלא] *Et theſauro tuo implere ſoles.* Fut. Heb. pro præſ. quamdiu ſcilicet hîc vivunt. Per *ventrem* deſiderium intelligit: q. d. *Quorum deſiderium exples opibus tuis*, quæ à te ſolo proficiſcuntur. ¶ *Saturantur filii* ישבעו בנים] *Saturabuntur liberis.* Fut. Heb. pro præſ. i. e. copiam habent liberorum. ¶ *Et dimittent*, &c. והניחו וגו'] *Et relinquent reſiduum*, &c. *Parvulos* intelligit nepotes & poſteros.

15. *Faciem tuam* פניך] i. e. Paterni tui favoris ſenſum, quo afflictos non modò exhilaras, abſterſis doloribus noſtris, ſed in cœlum uſque rapis. Quamvis in ſpeciem procul à Deo ſit rejectus, ſibi tamen familiarem ejus conſpectum promittit, ſuperbæ inimicorum jactantiæ inſultans. *Juſtitiæ* nomine ſignificat ſe bonæ conſcientiæ mercede nequaquam fruſtratum iri. ¶ *Satiabor*, &c. אשבעה וגו'] *Satiabor, cùm evigilavero*; *ſpecie tuâ*: vel, *cùm evigilare feceris ſimilitudinem tuam*; aut, *cùm evigilaverit ſimilitudo tua*: i. e. cùm ego ad ſimilitudinem tuam conditus reſurrexero. Alii non ad Reſurrectionem referunt, ſed *ſatiari* inter-

terpretantur, ubi Deus ſanctos ſuos paterni favoris ſui ſenſu irradiat; in qua luce acquieſcunt. Hanc pacem & gaudium Spiritûs David vocat *ſatietatem.* Et *evigilandi* verbum ad Davidem referunt; ut tantundem valeat ac *reſpirare à triſtitia.* Etſi enim nunquam ſtupore fuerat oppreſſus, fieri tamen non potuit quin poſt longam fatigationem ſopitus jaceret. Hanc perturbationem David Sopori comparat. Ubi autem iterum affulſerit Dei favor, quem *faciei* nomine ſignificat, ſe recepto vigore tranquillum fore dicit.

CASTALIO.

15. *Tum ſatiandus, cùm tua experrecta fuerit imago*] Per Chriſti reſurrectionem, qui Dei imago eſt, plenam conſecuturus juſtitiam & felicitatem.

CLARIUS.

Ipſa Pſalmi verba abunde indicant, David precationem hanc contra hoſtes ſuos, à quibus premebatur, compoſuiſſe, atque ità animi ſui in maximo periculo à ſceleratis inimicis ſuis deprehenſi habitum hìc referre.

1. *Non in labiis doloſis*] h. e. Simplici corde effundo ad te orationem meam, quippe qui nullis dolis circumveni proximum: vel, Oratio mea ex animo profecta eſt, & ab omni fuco quàm alieniſſima. Et quod infrà ait, *Quod cogitavi, non pertranſivit os meum*, ferè eundem habet ſenſum. Nam ſicut *labia ejus erant abſque dolo*, ſic cogitatio cordis ejus fuit ſincera & recta.

2. *De vultu tuo*] Pronuncia tu, inquit, in cauſa mea, & expendant oculi tui quæ recta ſunt.

3. *Viſitaſti nocte*] Quando ſcilicet maximè dediti cogitationibus eſſe homines ſolent. Nocte enim, dum ab externis negotiis animus vacat, ea quæ in penetralibus animi latent magis ſeſe proferunt. Niſi quis malit hanc Allegoriam ex more hominum mutuatam, qui eos quorum ſecreta noſſe cupiunt nocte inopinatos aggrediuntur, & res actioneſque eorum perveſtigant: eo enim tempore maximè ſui ſimiles ſunt.

4. *Propter opera hominum*] Odio malorum quæ paſſim ab hominibus fiunt, memor præceptionum tuarum, operam dedi ut eſſem à duris moribus ſceleratorum alienus.

6. *Quia exaudiſti me*] Quia ſolitus es me exaudire, vel certus quod me eſſes exauditurus.

10. *Adipem ſuum concluſerunt*] Nam rerum copiâ freti, anguſto erga alios corde ſunt & ſtricto ore, neminem facilè compellantes.

11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*] h. e. Nihil aliud ſpectant quàm terrena, quibus per fas & nefas inhiant, proximo cuique inſidias ſtruentes, ſicut leo, qui in latibulo tranſeuntem feram exſpectat, quam dilaceret.

13. *Framea tua*] Ut ſit appoſitio, & ablativi caſus, ſic, *Eripe animam meam ab impio, qui eſt framea tua*, h. e. qui eſt veluti gladius tuus. Eodem modo appellat inimicos ſuos *manum Dei*, quibus ſcilicet vice flagelli Deus utitur.

14. *Quorum pars eſt in vita*] Qui ſcilicet in hac tantùm vita quærunt quæ corpori blandiuntur. ¶ *De abſconditis tuis*] Vel *theſauris.* Tu ſatias, inquit, ventrem eorum & filiorum ipſorum juxta voluntatem eorum: nec parentes aliud curant pro filiis quàm ut illis multum relinquant divitiarum, quas ipſi ſecum ferre non poſſunt: ego verò & omnes electi tui, Domine, non has quæremus temporarias & tranſeuntes divitias, ſed juſtè ac piè vivemus in hoc ſeculo, ut aliquando in futuro videamus faciem tuam, & eâ ſatiemur, cùm ſcilicet è pulvere terræ evigilaverimus & reformati fuerimus ad ſimilitudinem Chriſti tui. Nam illud, *ſatiabor cùm apparuerit gloria tua*, verti etiam poteſt, *ſatiabor cùm evigilavero ad ſimilitudinem tuam.* Quod tamen quidam ſic interpretatur, *Vellem ſatiari gloriâ tuâ vigilans, & non per ſomnium vel nocturnam viſionem.*

LUCAS BRUG.

49. *Et ab inſurgentibus in me exaltabis me*] Conjunctionem *&* prætermittunt antiqui codices Epanorthotæ, & inter noſtros cùm antiquitate tum integritate præſtantiſſimus D. Donatiani codex, cùm Regio textu; & Caſſiodoro, atque Auguſtino, Romano quoque Pſalterio Lobienſis & Tornacenſis exemplarium. Gallicum autem Lobienſis exemplaris Pſalterium & Brunonis Herbipolenſis textus aſteriſco notatam addunt. A Græcis exemplaribus præteritur; nec immeritò, ut videtur: pendet enim ex hoc verſu præcedentis ſententia, præſertim ut Latinè & Græcè legitur, *Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me:* niſi intelligas, *Deus*, tu es *qui das vindictas mihi*, &c. tu es *liberator meus*, &c. *Et ab inſurgentibus in me exalta me.* Hebraïcè legitur אף, quod eſt *etiam: Etiam præ inſurgentibus in me exaltabis me.*

DRUSIUS.

1. יְהוָה צֶדֶק. Sym. & Th. Κύριε δικαιοσύνης, *Domine juſtitiæ.* A. Κύριε, δίκαιον, i. e. *juſtum*] Plenum erit ſi legas, Εἰσάκουσον, Κύριε, δίκαιον, *Exaudi, DOMINE, juſtum.* Scholion, δίκαιον ἀντὶ τοῦ δικαίως, i. e. *juſtè.* ¶ רִנָּתִי. A. αἰνέσει μου, *laudi meæ.* ¶ בְּלֹא שִׂפְתֵי מִרְמָה. Sym. οὐ διὰ χειλέων δολίων, *non per labia doloſa.*

2. יֵצֵא. Sym. ἐξελεύσεται, *egredietur.*

4. אֲנִי שָׁמַרְתִּי אָרְחוֹת פָּרִיץ. Sym. ἐγὼ ἐφυλαξάμην ὁδοὺς παραβάτου, *ego obſervabam vias prævaricatoris.*

5. תָּמֹךְ. Sym. συγκράτησον. Th. τελείωσον] Συγκράτησον, *contine*; συγκράτησις, *ſuſtentatio.* Τελείωσον, *perfice.*

10. חֶלְבָּמוֹ סָּגְרוּ. Sym. τῷ στέατι αὐτῶν ἀπεφράγησαν, *adipe ſuo obſtruxerunt*] Lex. vet. Ἀποφράσσω, *obſtruo.* Lexicon Conſtantini, Ἀποφραγνύω, idem. Ἀποφράττω, *obturo*, &c.

11. אַשֻּׁרֵנוּ עַתָּה סְבָבוּנִי. Sym. Μακαρίζοντές με παραχρῆμα περιεκύκλων, *Beatum prædicantes me ſtatim circumdederunt*] Μακαρίζοντές με, אשרוני, *beatum prædicarunt me.* ¶ לִנְטוֹת בָּאָרֶץ. A. τοῦ ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ, *declinare in terra.* Sym. ἑτεροκλινεῖν ἐν τῇ γῇ] Apud Theodoretum *ſtatuerunt oculos ſuos torquere in terram.* Videndum an in Græco ſit ἑτεροκλινεῖν· *ſtatuerunt oculos ſuos*, עֵינֵיהֶם יָשִׁיתוּ.

13. קַדְּמָה פָנָיו הַכְרִיעֵהוּ. A. πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, κάμψον αὐτόν, *prævenito faciem ejus, incurva eum.* Sym. πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ὄκλασον αὐτόν, *anticipa faciem ejus, & incurva eum.* ¶ חַרְבֶּךָ. A. ῥομφαίας σου, *gladio tuo.* Sym. *in gladio tuo*, εἰς μάχαιράν σου.

14. יְהוָה מִמְתִים מֵחֶלֶד חֶלְקָם בַּחַיִּים. A. Κύριε, ἀπὸ τεθνηκότων ἐκ καταδύσεως μέρος αὐτῶν ἐν ζωῇ, *DOMINE, à mortuis ex immerſione pars eorum in vita.* Sym. Κύριε, ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἐνδεδυκότων ἡ μερὶς ἐν ζωῇ, *DOMINE, à mortuis qui occiderunt pars in vita.* ¶ מִמְתִים. * ἀπὸ ὀλίγων, *à paucis*] Exſtat hodie in LXX, pro eo quod in antiquis libris ἀπολύων. Suidas, Ἀπολύων, τῷ θανάτῳ παραπέμπων. Δαυὶδ, Κύριε, ἀπολύων ἀπὸ γῆς· ἄλλος δὲ ἑρμηνευτής, ἀπὸ ὀλίγων, φησί. Vide ſis notata ad ed. Rom. ¶ צְפוּנְךָ. Sym. ἀποθέτων σου, *repoſitis tuis.* ¶ יִשְׂבְּעוּ בָנִים וְהִנִּיחוּ יִתְרָם לְעוֹלְלֵיהֶם. Sym. χορτασθήσονται υἱοί, καὶ ἀφήσουσιν τὰ λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν, *ſaturabuntur filii, & dimittent reliquias ſuas infantibus ſuis.*

15. בְהָקִיץ תְּמוּנָתֶךָ. A. ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοιώσεώς σου, *cùm expergefiet ſimilitudo tua.* Aliàs, *faciam ſimilitudine tuâ.* Hoc malo. Sym. ἐξυπνισθεὶς τῆς ὁμοιώσεώς σου, *expergefactus ſimilitudine tuâ.* Th. ἐν τῷ ὀφθῆναι γὰρ τὴν δεξιάν σου, *nam ubi conſpicua erit dextera tua.*

AMAMA.

1. *Juſtitiam*] i. e. *Me qui ſum juſtus in hac cauſa.* Piſc. Ut ſit Ell. vocis איש. Alii, Declarationem & juſtam defenſionem innocentiæ meæ.

Clamorem] Triſtem. Alias lætum, Pſ. 30. 6. *Veſpere ſi diverſetur fletus, mane adeſt jubilatio.* Pſ. 47. 2. Kimchi רנה eſt צעקה. Et uſurpatur aliq. de læto clamore & cantione. Aliq. לְהִתְפַּלֵּל ut ſit vox præconis. Aliq. לְבַקָּשָׁה וּתְפִלָּה. Aliq. לבכי ואנקה.

2. מִלְּפָנֶיךָ] ל pleonάζει. Aliàs ם in hac voce includit negationem, ut Jon. 1.

Exeat judicium meum] i. e. Vindicatio mei, ſententiæ pronunciatio, Hab. 1. 4. *Propterea intermittitur lex & non procedit unquam judicium.* Sic de Meſſia, & gentibus judicium יוציא proferet.

3. *Noctu*] Noctis meminit, quia illa eſt comodior ad ſcelera agitanda & molienda, quando vacui ſumus negotiis, ſoli & ab hominibus ſemoti.

Non inveniſti] Scorias vel iniquitatem ullam.

Propoſui mihi [*quod*] *non tranſgreſſurum ſit os meum*] Ita Angl. & Piſc. Per tranſgreſſionem oris intelligitur murmur adverſus Deum.

4. *Ad opera hominum* [*quod attinet*] Ad verbum, de operibus. Sic Plautus, *de Lenone.*

Secundum verbum labiorum tuorum (i. e. præcepta) *obſervavi ſemitas effractoris*] Sc. ut eas devitem & declinem, ne incedam in iis. It. Ang. *Cuſtodivi* [*me à*] *ſemitis effractoris.*

פָּרִיץ] Jun. Piſc. *effractoris.* It. *latronis*, i. latronum. Sic & Hier. At Vulg. *duras.* Jer. 7. 11. מְעָרַת פָּרִצִים LXX. σπήλαιον λῃστῶν.

λῃςῶν ut citatur Matth. 21. & quem Joſephus vocat ἀρχιλῃςὴν. Orig. 14. 17. Gorionides vocat שר פריצי. Hanc vocem Reatinus Eraſmo-Maſtyx in Edit. Hieronymi poſuit ad Marg. Math. 22. pro eo quod in textu, *Phariſæi.*

5. *Contine*] Inf. pro Fut. 1. aut Ellipſis τῦ תָּמֹךְ, Contine continendo greſſus meos. Sic Decal. præc. 4.

6. *Nam exaudis me*] Soles me exaudire.

7. *Mirabiles effice benignitates tuas*] S. Beneficia tua.

Piſc. *O tu qui ſalvas dextrâ tuâ eos qui confidunt* [*in te*] *ab inſurgentibus.*

Jun. *O tu qui ſervas recipientes ſe ad dextram tuam ab inſurgentibus.*

Ital. Ang. *O tu qui ſervas dextra tua eos qui confidunt* [*in te*] *ab iis qui inſurgunt* [*contra eos.*]

In Marg. Angl. *O tu qui ſervas eos qui confidunt* [*in te*] *ab iis qui inſurgunt contra dextram tuam.*

8. [אִישׁוֹן] *Nigrum* [ſc. oculi] pupillam oculi, nam אישון & בת ע' ſunt Synonyma, Zach. 2 8. בְּבָבַת עֵינוֹ. אִישׁוֹן etiam ſign. nigredinem Prov. 7. 9. *in caligine noctis.* Et aliâ formâ Prov. 20. 19. *Extinguetur lucerna ejus* בֶּאֱשׁוּן ל *in caligine tenebrarum.* Hinc Kimchi dicit אשון eſſe השחור. Nigrum quod in oculo, vel ut ſic dicatur quod ſemper appareat in eo צורת איש קטן, ut ן ſit diminut. ut in אֶמִינוֹן, שִׁמְשׁוֹן.

בבת] Sic etiam Thr. 2. 18. *Ne quieſcat* בַּת עֵינֵךְ. At Zach. 2. 8. בָּבַת a בבב ut קָקָרה, κόρη, *pupilla.*

9. *Ab improbis* (ש pro אֲשֶׁר) *qui vaſtant me, hoſtes meos capitales qui cingunt me*] Ebr. hoſtes contra animam.

10. *Adipe ſuo operuerunt* [*faciem*] Sic Job. 15. 27. Pagn. *os ſuum*, ex ſequenti. Angl. *Incluſi ſunt* [*in*] *adipe ſuo.* Belg. *Hare geweldige houden te ſamen.* Malè.

11. [*Quod ad greſſus noſtros* [*attinet*] *circumderunt nos*] Ang. Pagn. *in greſſibus noſtris* &c. NB. Ebur vocatur filia greſſuum, Ezech. 27. 6. Quod diu in terra defoſſum fuit & greſſibus tritum, id enim ſolum Plinius Ebur eſſe dicit, 8. 3.

Oculos ſuos dirigunt] Sc. In nos.

Declinando in terram] Deprimendo ſe & diſſimulando, ut opprimant.

12. *Similitudo ejus*] i. e. Cujuſque eorum, vel, Saulis, is enim præcipuus erat. גור, Gr. σκύμνος ἢ λεοντιδεὺς, כְּפִיר λεοντισμός. אֲרִי & אַרְיֵה λέων. לָבִיא χάροπν, לַיִשׁ λίς, שחל λέων ἢ λεαῖνα. Hoc varie redditur & non ſatis liquet.

13. קדמה פ'] 1. Anticipavit. 2. Feſtinavit, Jon. 3. occurrere Deut. 23 Mich. 6.

הכריעהו] Proſterne eum, fac ut ſe incurvet.

14. *In hac vita*] Gen. 2. 17. יִצֶר de beſtiis. At Gen. 2. 7. de homine וַיִּיצֶר

חֶלֶד] Idem quod חָדֵל ſtatum præſentis vitæ cito deſinens, יָמָיו, צבא Job. 14. 1. Jeſ. 40. 10.

GROTIUS.

3. ET *non eſt inventa in me iniquitas*] Illud זמתי [*iniquitas mea*] non pro verbo, ſed pro nomine ſumſerunt, & cum præcedentibus connexuêre Græci, quos hic ſequitur & Syrus & Arabs. Sic ſumitur זמה Levit. 19. 29. ubi ἀνομίαν [*injuſtitiam*] vertêre Græci.

4. *Ego cuſtodivi vias duras*] In Hebræo: *Cavi ſemitas latronis.* שמר pro *cavere*, ut Joſuæ 6. 18. & eſt defectus voculæ מן [*à*,] ut Ruth 3. 2. 1 Regum 18. 32.

10. *Adipem ſuum concluſerunt*] Arabs & Syrus explicant, *condenſati ſunt adipes eorum.* Vidi qui mallet legi חבלו, id eſt, *fune ſuo me vinctum tenent.*

13. *Et ſupplanta eum*] Verbum כרע etiam *tollere* ſignificat, ut apparet Pſalm. 78. 31. Eſt enim כרע inter alia *cadere*, ut Eſaiæ 65. 12. & indè uſurpatur pro *facere ut quis cadat.*

14. *Saturati ſunt filiis*] Ex Græco, ἐχορτάσθησαν υἱῶν, *prole abundant.* Vitio ſcriptorum factum eſt ut pro υἱῶν irreperet ὑῶν [*porcorum* ſive *ſuum*] aut ὑείων, [*ſuillarum carnium*,] quod & in Arabicum & in Romanum Pſalterium fluxit: eſtque ejus corruptæ lectionis apud Arnobium, Paulinum, & Auguſtinum mentio.

PRICÆUS.

5. CIrcumdederunt *me dolores mortis*] Eſt quod 2 Cor. 1. 8. τῦ ζῆν ἐξαπορεῖσθαι.

Ibid. *Circumdederunt me dolores mortis*] LXX. ὠδῖνες θανάτυ. Heſychius, Ὠδῖνες, ἀλγηδόνες, πόνοι.

16. *Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ*] Gr. ἀπὸ ἐμπνεύσεως πνεύματος ὀργῆς σε. Heſychius, Πνεύσας, ὀργισθεὶς· & Suidas, Πνεύσας, σφοδρῶς ὀργισθείς.

17. *Miſit de ſummo, & accepit me*] Idem David 2 Reg. 22. 17. *Miſit de excelſo, & aſſumpſit me.*

Ibid. *Miſit de ſummo, & accepit me*] De cœlo miſit, & liberavit me.

23. *Judicia ejus in conſpectu meo*] Vide infrà ad 98. 4. dicta.

24. *Ero immaculatus cum eo*] *Intelligam* (i. e. intellectum intendam) *in via immaculata*: ut infrà 100. 2.

27. *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverterîs*] De Hercule 2. 41. Artemidorus, Τοῖς εὐπροαιρέτοις, καὶ κατὰ νόμον ζῶσιν ἀγαθὸς, τοῖς δὲ παρανομῦσι, καὶ τοῖς ἄδικόν τι πράττυσι πονηρός. In Euripidis Andromache,

—— Τὸ λοιπὸν ἤ,
Σώφρων μετ' ἡμᾶς σώφρον' ἀντιλήψεται;
Θυμύμενος δὲ τεύξεται θυμυμένων·
Ἔργοισι δ' ἔργα διάδοχ' ἀντιλήψεται.

Ibid. *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverterîs*] In Græco Proverb. 21. 8. Πρὸς τὺς σκολιὺς σκολιὰς ὁδὺς ἀποςέλλει ὁ θεός· ἁγνὰ γὰρ καὶ ὀρθὰ τὰ ἔργα αὐτῦ.

Ibid. *Et cum perverſo perverterîs*] *Tanquam venator peritus, cum fugacibus feris curſu certas, cum audacibus robore, cum callidis aſtu.* Ex Plinii Panegyr.

29. *Tu illuminas lucernam meam*] Tu foves ſpes meas, tu animo alioqui defecturo vigorem, tanquam lucernæ oleum, ſuppeditas.

Ibid. *Illuminas tenebras meas*] Infrà 26. 1. Pſyche ad Cupidinem apud Apulejum, *Jam nec ipſa nocturnæ tenebræ officiunt mihi: teneo te meum lumen.*

31. *Eloquia Domini igne examinata*] *In dextra ejus ignea lex*, Deut. 33. 2.

32. *Quis Deus præter Dominum?*] Deut. 4. 35. Οὐκ ἔςι πλὴν αὐτῦ. Apoſtolus 1 Cor. 8. 4. Οὐδεὶς θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς. Vide & 2 Reg. 7. 22. Eſa. 44. 6. & 45. 5. Oſeæ 13. 4. Judith 9. 19. Marc. 12. 32.

34. *Super excelſa ſtatuens me*] *Statuens* (ut 39. 3.) *ſuper petram pedes meos.* Vide & Deut. 32. 13.

36. *Et diſciplina ipſa tua me docebit*] Ut infrà 22. 4. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

37. *Et non ſunt infirmata veſtigia mea*] In Græco, ὐκ ἠσθένησαν. Eſt λιτότης· vult enim dicere, ἐςερεώθησαν.

39. *Cadent ſubtus pedes meos*] Judic. 5. 27. de Jaële, *Inter pedes Siſaræ defecit, & mortuus eſt.* Apulejus 2. *Latrones medios invado, ac ſingulis, ut quemque colluctantem offenderam, altiſſimè* (gladium) *demergo: quoad tandem ante ipſa veſtigia mea*, &c. *ſpiritum efflaverint*: ubi annotata vide.

41. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum*] Sic 20. 13. *Pones eos dorſum.* In Græco hîc, ἔδωκάς μοι αὐτὺς νῶτον· i. e. νωτιαίυς. Tale & 147. 14. illud, *Qui poſuit fines tuos pacem.*

42. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret*] Ità Deut. 12. 27. *Clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eum.* Thren. Jerem. 4. 17. *Defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum.* Sirachid. 51. 10. *Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret me: reſpiciens eram ad adjutorium humanum, & non erat*: & 6. Apuleji, *Sed fruſtrà fletibus caſſum tumultum commovebat, quippe cùm nullus adforet qui ei ſuppetias ferre poſſet.*

43. *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti*] In Milite Plautino,

Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.

Ibid. *Ut lutum platearum delebo eos*] Ità vertit contextûs Græci illud, λεανῶ αὐτύς. Eſt quidem Λεαίνεσθαι, ἐξαλείφεσθαι, (i. e. *deleri*) Heſychio exponente: at eum *lutum platearum* heic intelligendum putem de vaſis è luto factis, ſequitur ut hic idem dici exiſtimem quod ſuprà 2. 9. ὡς κεραμέως σκεῦος αὐτὺς συντρίβειν. Imò & Heſychius idem (qui ſine dubio hunc ipſum Pſalmi locum ob oculos habens, Λεανῶ, λεπτυνῶ expoſuit) videtur eo ſenſu verſionem Græcam accepiſſe.

45. *In auditu auris obedivit mihi*] Vix dum mandata elocutus eram, & adimplerunt ea. Apulejus 4. de Venere, *Ipſum quod incipit velle, ſtatim, quaſi pridem præceperat, non moratur marinum obſequium.*

Ibid. *In auditu auris obedivit mihi*] *Velociter* (ut 147. 5.) *currit ſermo meus.* Seneca de Clementia 1. 8. ad Neronem, *Loqui non potes, niſi ut vocem tuam quæ ubique ſunt Gentes excipiant.*

46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*] Vultu ficto

Illam oſculantur quâ ſunt devicti manum.
—— Ἔπεσιν ςέργει, νόον δ' ἔχει καὶ φρένας ἄλλῃ.

IDEM.

8. *COmmota eſt & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt*, &c. Sirachides 16. 18. Ezech. 38. 20.

11, 12. *Volavit ſuper pennas ventorum, Et poſuit tenebras latibulum ſuum*] De eodem Orpheus,

——— Οὗ θυμῷ πάντα δονεῖται,
Ὃς κινεῖς ἀνέμους, νεφέλῃσί τε πάντα καλύπτεις,
Πρηςῆρσι σχίζων πλατὺν αἰθέρα ———

14. *Et carbones ignis*] Ignitos: infrà 119. 4. *deſolatorios.*

20. *Salvum me fecit quoniam voluit me*] Quia (ut infra 43. 4.) in me complacuit.

24. *Obſervabo me ab iniquitate mea*] Cuſtodiam vias meas, ut alibi loquitur: τηρήσω ἐμαυτὸν, καὶ ὁ πονηρὸς (ut 1 Joh. 5. 19.) ὀυχ ἅψεταί μου.

28. *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis*] Vide ad Luc. 1. 51. dicta.

30. *Et in Deo meo tranſgrediar murum*] Per obſtantes malignantium catervas explicabo arma mea: vel, *tranſgrediar murum*, excedam muri firmitatem. Vide Jer. 1. 18. & 15. 20.

34. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*] Fecit ut exſultem lætitiâ. Vide Eſai. 35. 6.

38. *Perſequar inimicos meos*] In Pſeudolo Plautina,

Confidentia eſt inimicos meos me poſſe perdere:

Et ibidem,

Metum & fugam perduellibus meis injiciam, me eſſe ut natum ſciant.

42. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret*] Job. 35. 12. *Clamabunt, & non exaudiet* (Deus) *propter ſuperbiam malorum.* Proverb. 1. 28. *Quando venerit ſuper eos tribulatio & anguſtia, tunc invocabunt me, & non exaudiam.*

44. *Conſtitues me in caput Gentium*] Vide ad Pſal. 2. 6. dicta.

45. *Populus quem non cognovi ſervivit mihi*] Gentes quarum linguas non cognoſco (vide Jerem. 5. 15.) ſervient mihi.

Ibid. *In auditu auris obedivit mihi*] *Sermo meus* (ut Pſal. 147. 15. de Deo) *velociter currit.* Xenophon παιδ. β΄. Πιθανοὶ οὕτως, ὥςε πρὶν εἰδέναι τὸ προςαττόμενον, πρότερον πείθεσθαι.

46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*] *Nequiter* (ut 19. 24. Sirachid.) *humiliant ſe.* Me blandis & adulatoriis verbis proſequuntur, timentes potentiam meam. Tale infrà 65. 3. illud, *In multitudine virtutis* (i. e. poteſtatis) *tua mentientur tibi inimici tui:* item 80. 16. *Inimici Domini mentiti ſunt ei.* Vide & 77. 36.

Ibid. *Claudicaverunt à ſemitis ſuis*] Claudicaverunt ſemitæ eorum: metonymia. LXX. hic ἐχώλαναν quod (huc, ni fallor, reſpiciens,) ἔκλιναν expoſuit Heſychius, i. e. ut ſuprà 13. 1. *declinaverunt.*

PSALM. XVIII.

MUNSTERUS.

SCribitur Pſalmus iſte penè eiſdem verbis 2 Sam. 22. & ibi expoſui difficiliora quæque vocabula; ut non ſit opus illa hic denuo repetere.

42. *Attenuabo eos*] Kimhi magis probat ut אריקם ſit à radice רקק in duplicatorum ordine, quam à ריק, quod *evacuare* & *exinanire* ſignificat. Unde & in Samuële habetur אדקם per Daleth.

44. *Filii extranei mentientur mihi*] Putat Aben-Ezra hîc Prophetam gloriatum quòd inimici ſui, qui gloriabantur de virtute ſua, & pollicebantur ſibi victoriam contra David, deprehenſi ſunt mendaces, cùm ſubjicerentur imperio David: aut, quòd *ficto animo illi parerent.* Kimchi ſic exponit, *Eò quòd me timuerunt, mentiti ſunt, dicentes ſeſe non proceſſiſſe contra me in prælium.* In Hebræo propriè legitur, *filii alieni populi.* Eſt enim נכר ſingulare & genitivus.

VATABLUS.

V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1.

2. *Petra mea*, &c. סלעי ומצודתי] *Rupes mea, & præſidium* [*propugnaculum*] *meum. Rupem* Deum appellat, Metaphorâ ſumptâ à refugio: nam propter hoſtes ſolemus rupes petere. Secundâ Metaphorâ Deum *arcem* ſive *propugnaculum* appellat, quòd fortius rupe eſſe ſolet: ideo dicit, *& liberator meus*, q. d. Jehovah eripuit me è periculis; nec mirum: eſt enim potentiſſimus & inexpugnabilis. ¶ *Fortitudo mea* צורי] *Robur meum; rupes mea*, ¶ *Sperabo in eo* אחסה בו] *In quo ſperabo*; vel, *in qua rupe ſperare ſoleo:* ut ſit fut. pro præſ. *ſpero.* ¶ *Scutum meum* מגני] *Clypeus meus.* Sic illum vocat quod inſtar clypei illum protegeret. ¶ *Et cornu ſalutis mea* וקרן ישעי] Hebraiſmus, *& cornu meum ſalutiferum*; ſive, *cornu in defenſionem meam*; h. e. potens ac ſalutaris defenſor meus. Per *cornu* vires intelligit; quia quemadmodum animalia cornuta ſe tuentur cornibus, ità David auxilio Dei & defenſione, quâ veluti cornu utebatur: q. d. Virtus, quâ ſervor ſive liberor à vi & impetu hoſtium meorum, eſt Deus, qui veluti cornu petit & conficit hoſtes meos. ¶ *Elevatio mea* משגבי] *Arx mea.* Significat locum editum & elevatum in refugium: vel, *elevatio mea*, qui me extrahit & eripit è mediis hoſtibus. Multis verbis ac variis fatetur Deum eſſe Protectorem ſuum.

3. *Laudatum* מהלל] i. e. Celebrem; vel *laudatum*, ſub. *à me cùm illi gratias ago.* Alii vertunt *Laudabilem*, vel, *laudandum*, i. e. omni laude digniſſimum. ¶ *Invocabo*, &c. אקרא וגו'] Quidam vertunt hæc futura per præſens, *invoco* [vel, *invocare ſoleo*] *& ab inimicis meis ſervor*, vel, *ſervari ſoleo*; alii per præt. imperf. *invocabam Jehovam, & ab inimicis meis ſervabar.*

4. *Circumdederant me* אפפוני] Futura Heb. quæ meliùs per præt. pluſquam perf. vertuntur. ¶ *Dolores mortis* חבלי מות] *Funes mortis*; i. e. periculis mortis ſum undique implicitus. ¶ *Et torrentes impietatis* ונחלי בליעל] *Et torrentes belijaal.* De *Belijaal* vide Deut. 13. 13. & Prov. 6. 12. *Torrentes Belijaal* vocat multitudinem tribulationum quæ ab impiis infliguntur: quia ut aquâ pereunt homines cùm non poſſunt reſiſtere, ità & multitudine tribulationum. Alii injurias graviſſimas & crebras interpretantur: vel potiùs improbos homines ac perverſos qui in eum conſpiraverant.

5. *Dolores ſepulcri* חבלי שאול] Sic vocat dolores lethales, qui tanti ſunt ut penè enecent homines & in ſepulcrum detrudant. ¶ *Prævenerant me* קדמוני] *Anteverterant me*; *occupaverant me.* ¶ *Laquei mortis* מוקשי מות] Significat inſidias mortiferas: q. d. Parùm aberat quin inciderem in inſidias inimicorum mortiferas: doli quibus Saul & ejus ſocii mortem mihi intentabant, anticipaverant me; & jamjam periturus eram laqueis conſtitutis ante faciem meam.

6. *In anguſtia mea invocavi* בצר לי אקרא] Per præſens potes vertere, *Cum eſt* [vel, *erat*] *tribulatio*; ſive, *dum tribulatione premor.* ¶ *Coram eo* לפניו] Sub. *effuſus.*

7. *Tum commota eſt & contremuit* ותגעש ותרעש] Terræmotum ſignificat: q. d. & fiebat terræmotus magnus. Ut autem magnitudinem terræmotûs exprimat, utitur duabus vocibus idem ſignificantibus. ¶ *Et fundamenta*, &c. ומוסדי הרים ירגזו] *Et baſes montium concuſſa ſunt*, vel, *concutiebantur*, i. e. commovebantur vehementiſſimè, ut hoſtes mei perſpicerent tremendam Dei poteſtatem cùm ferebat mihi ſuppetias. Alii, *trepidaverunt*; *agitaverunt ſeſe.* Fut. Heb. pro præt. *Fundamenta montium concuti* eſt montes radicitus & à fundamentis concuti. ¶ *Quoniam iratus erat* כי חרה לו] Ad verb. *quoniam iratus erat ei.* Quidam tamen volunt לו redundare: aut vertendum verbum tanquam nomen, *quoniam indignatio* erat *illi.* Niſi quis velit pronomen iſtud referre *inimicum*; *quoniam erat iratus inimico meo*, i. e. inimicis meis. Nam frequenter ſine antecedente ponitur relativum. Alii vertunt, *quando indignatus eſt.*

8. *In ira ejus* באפו] i. e. Dum iratus erat: h. e. dum iraſceretur, fumum emittebat. Hoc dicit quòd cauſa ſit tempeſtatum in quibus fiunt fulgura ſive fulgetra, tum cœlum obſcuratur nubibus, quæ ſunt velut *fumus.* Præterita ſunt Heb. quæ per præterita imperf. vel pluſquam perf. verti poſſunt, ut in præcedentibus. Alii vertunt, qui egreditur *de nare ejus*, i. e. naribus. ¶ *Ex ore ejus conſumpſit* מפיו תאכל] *Ex ore ejus* egrediens *abſumit*; ſub. *omnia.* Fut. Heb. pro præſ. *Carbones* vocat fulmina. Deſcribit habitum aëris turbulenti. ¶ *Ab eo* ממנו] Sub. *igne.*

9. *Et inclinavit cælos* ויט שמים] *Et demiſit* [ſive, *demittebat*] *cælum*, i. e. nubes. Videtur enim, cùm ejuſmodi excitat tempeſtates, demittere cœlum in terram, ut illic, appareant miracula ejus. ¶ *Et caligo*, &c. וערפל] Nè ſcilicet agnoſceretur.

10. *Et equitavit ſuper Cherub* וירכב על כרוב] Per hæc celeritatem auxilii Divini intelligit. q. d. Velociſſimè venit ut mihi ferret auxilium. *Cherub*, ſing. pro plur. Sunt qui CHERUB *volucrem* exponant; unde imagines illæ quas Scriptura *Cherubim* vocat, quæ erant ſuper Propitiatorium, alas habebant. Non ſimpliciter Deum facit ventorum moderatorem, & qui ſuâ virtute eos impellat, ſed ſimul dicit *equitare ſuper Cherub*, ut ſciamus ipſos ventorum impetus ejus mandato per Angelos gubernari Scimus enim ſub figura Cherubim repræſentatos fuiſſe Angelos. Poſtea *ſuper ventos & turbines equitantem* inducit, ut celeri curſu vel pernici volatu potiùs totum orbem perluſtret.

Simi-

Similis deſcriptio & Pſal. 104. 3. ubi dicitur Deus *vehi ſuper alas ventorum*, & illos quaquaverſum ut celeres *nuncios* emittere.

11. In *circuitibus ejus*, &c. סביבותיו סכתו חשכת מים עבי שחקים] *Circum ſe tabernaculum ſuum, tenebras aquarum, craſſiores nubes*; ſub. *poſuit:* q. d. circumfundens undique tabernaculo ſuo obſcuras aquas, denſas nubes. Alii, in *circuitu ſuo tabernaculum* [ſub. *conſtituit*,] *tenebroſitatem aquarum* & *nubes cœli*; aut, *ætheris*. Pro *nubes cœli* vertere potes *denſitates nubium*. *Tabernaculum Dei* dicit eſſe atras & denſas nubes. In ſecundo Samuëlis pro *tenebras*, ſive *tenebroſitates aquarum*, legitur *colligationes*; colligatione enim nubium inter ſeſe, ob illarum multitudinem, quia ſunt plenæ aquâ, tenebreſcit terra. Repetitio autem eſt ſuperioris ſententiæ aliis verbis, quòd ſcilicet Deus tenebris aërem obducens, homines quodammodo prohibeat à ſui conſpectu, perinde acſi Rex quiſpiam populo infenſus in receſſum & latebras ſeſe abdat.

12. *Præ fulgore coram eo* מנגה נגדו] *A ſplendore coram eo:* i. e. à ſplendido conſpectu ejus profectæ ſunt nubes contra inimicos. ¶ *Nubes ejus tranſierunt*, &c. עביו עברו וגו'] Redit ad fulgetra quæ diſcuſſis nubibus cœlum aperiunt. Ideo dicit *nubes Dei tranſiſſe à fulgore*, vel *præ fulgore*; nam ſubitæ iſtæ mutationes vehementiore potentiæ Dei ſenſu nos afficiunt. In 2 Samuëlis pro hoc legitur *ſuccenſi ſunt carbones ignis*. ¶ *Et carbones ignis* וגחלי אש] i. e. Et fulmina ignita. Periphraſis fulminis. Hæc omnia pertinent ad deſcriptionem tempeſtatis; perinde acſi diceret, *A ſplendore gloriæ* (ità vertit Chaldæus P.) i. e. à ſplendido conſpectu, *ejus egrediuntur nubes*, in quibus generantur fulmina, quibus perduntur impii.

13. *Vocem ſuam* קלו] *Strepitum ſuum*; *fragorem*.

14. *Sagittas ſuas* חציו] i. e. Grandinem & tela ignita, ſive fulgetra. ¶ *Et confregit eos* ויפיצם] *& diſſipavit* [*diſperſit*] *eos*, i. e. hoſtes ſuos.

15. *Profunda* אפיק] *Effuſiones, vada, alvei, fundum*. Chald. *profunditates*; i. e. increpante Jehova & inſufflante alvei per quos fluvii rapidiſſimi decurrere ſolent, conſpicui facti ſunt. Hos alveos atque voragines & abyſſos aquarum vocat *fundamenta orbis*, propter altitudinem eorum. ¶ *Propter flatum*, &c. מנשמת רוח אפך] *Ab exſpiratione flatûs naris tuæ*. Sing. pro plur. *narium*, i. e. cùm præ ira ſpirirum quendam per nares emittis.

16. *Miſit de ſummo* ישלח ממרום] *Miſit de excelſo*; vel, *è ſublimi*; i. e. de cœlo: ſub. *Angelos miniſtros ſuos:* h. e. eripuit me à gravisſimis periculis, quæ ſignificant *aquæ multæ*, h. e. vehementes.

17. *Quoniam robuſtiores erant me* כי אמצו ממני] *Cùm fortiores erant me*; vel, *quòd fortiores eſſent me*.

18. *Prævenerant me*, &c. יקדמוני ביום אידי] *Præverterant me die vaſtationis meæ*; *perditionis*; *calamitatis:* i. e. irruerant in me incautum & nihil tale cogitantem, atque oppreſſerant impreſſione repentinâ tempore quo calamitate afficiebar, cùm jam acciſæ eſſent res meæ. ¶ *Baculus* למשען] *Fulcrum, ſuſtentaculum, firmamentum*. Ad verb. *in baculum*.

19. *Et eduxit* ויוציאני] Sub. *de anguſtiis in locum ſpatioſum:* h. e. depulſa omni triſtitia, perfudit me gaudio, quod animum laxare ſolet. Multis verſibus prædicat ſui liberationem. ¶ *Complacuit ſibi in me* חפץ בי] *Complacitum erat illi in me*. Alii, *dilexit me*; vel, *bene volebat mihi*; aut, *favebat mihi*.

21. *Cuſtodivi vias Jehovæ* שמרתי דרכי יהוה] *Obſervavi* [*obſervaveram*] *vias Jehovæ*. Sic vocat præcepta: i. e. quia totus fui in operibus quæ Deo probantur. ¶ *Et non impiè egi à Deo meo* ולא רשעתי מאלהי] Sub. *diſcedendo*; *nec ut impius receſſi à Deo meo:* vel, *nec impiè defeceram*; aut, *improbè egeram:* i. e. neque per improbitatem defeci à Deo meo; vel, *neque impiè ſentiens de Deo meo, ab illo defeci*.

22. *Judicia ejus* משפטיו] *Inſtituta ejus, decreta ejus*. ¶ *Non ſubmovi à me* לא אסיר מני] *Non rejeci à me*. In ſecundo Samuëlis legitur, *non recedam ab eo*.

23. *Perfectus* תמים] *Immaculatus, ſincerus, integer*; i. e. præſtiti me illi ſemper integrum. ¶ *Ab iniquitate mea* מעוני] i. e. Ad quam naturâ meâ pronus ſum: h. e. cavi nequid pravi admitterem: aut, nè ſcelus admitterem quod antea admiſiſſem.

24. *Et reddidit* וישב] *Rependit itaque*. ¶ *Coram oculis ſuis* לנגד עיניו] Hebraïſmus, pro *quam vidit*; vel, *quâ illo judice præditus ſum*.

25. *Cum miſericorde*, &c. עם חסיד תתחסד וגו'] *Cum benigno benignus eſſe ſoles; & cum homine ſincero ſincerè agere ſoles*, ſive *agis:* vel, *cum liberali liberalem te præſtas; & cum homine ſincero probè agis*. Fut. Heb. pro præſ. Alii, *Etenim bono te bonum exhibes; & viro ſincero te ſincerum præſtas:* i. e. promiſſiones exhibes, propter quas illi bene facis. Senſus hujus loci eſt, Deum nunquam fruſtrari ſervos ſuos cùm benignè eos tractet, ſi modò ejus auxilium cum manſuetudine & patientia exſpectent.

26. *Cum mundo*, &c. עם נבר וגו'] *Cum candido candidè agere ſoles; at cum perverſo perverteris:* i. e. præter morem tuum, durum te ultorem exhibes, qui te promiſeras benefactorem. Verſu ſeq. exponuntur duo iſti. Alii, *Cum puro purus es, & cum perverſo perverteris*. Similis loquendi modus legitur & Lev. 26. 21. qui iſtum velut interpretatur, *Si mecum ambulabitis perverſe* (vel *temere*) *ego viciſſim contra vos perverſe* (vel *fortuitò*) *ambulabo*. Acſi diceret pervicaciam eorum in cauſa fore ut ſolitæ moderationis oblitus quaquaverſum in eos irruat.

27. *Pauperem ſalvum facies* עני תושיע] *Afflictum* [*infirmum, debilem*] *ſervabis*. Fut. quod per præſ. verti poteſt, *ſalvum facis*, ſive, *ſervas*. ¶ *Et oculos excelſos humiliabis* ועינים רמות תשפיל] In 2 Sam. legitur, *at oculos tuos* pones *ſuper excelſos, humiliabis* eos.

28. *Illuminas lucernam meam* תאיר נרי] *Illuſtras candelam meam*; vel, *ſplendere facis lucem meam:* i. e. facis ut proſpera mihi omnia contingant. In 2 Sam. legitur, *Quia tu* es *lucerna mea*; eodem ſenſu. ¶ *Illumina tenebras meas* יגיה חשכי] *Illuſtrabit tenebras meas*. Mutatio perſonæ à ſecunda ad tertiam; & fut. pro præſ. Per *lucem* ſive *candelam* Scriptura paſſim ſignificat res ſecundas, ut per *tenebras* adverſa: q. d. Si quid mihi ſecundi acciderit, tu in cauſa es, qui vertis tribulationes meas in proſperitatem. Id verum eſſe probat verſus ſequens, cui præpoſita eſt conjunctio rationalis כי.

29. *Quoniam in te contrivi*, &c. כי בך ארוץ גדוד] *Perfregi enim in te aciem*. Alii à verbo רוץ *currere* vertunt *incurram*, vel *occurram, turmæ:* ſub. *hoſtium meorum*. Hîc oſtendit quomodo *illuminatæ fuerint ejus tenebræ*. Futura Heb. quæ vel per præterita perf. ut præcedentia, verti debent, aut per imperf. Niſi fortè futuro illo tempore oſtendere velit non modò id ſe feciſſe, ſed ſe quoque facturum quoties aliquid adverſi acciderit. *Tranſilire murum* pro *urbem expugnare* poſuit.

30. *Dei perfecta* eſt *via* האל תמים דרכו] i. e. Omnia Dei opera ſunt perfecta. Quidam vertunt, *Deus* eſt *cujus perfecta* eſt *via*. Alii, *Deus, integra via ejus*. *Deus ſincerus viâ ſuâ*, i. e. præſtat quod pollicetur. Deus nunquam fruſtratur ſervos ſuos, neque in ipſo articulo deſerit, ſicuti homines clientibus ſuis opem non ferunt niſi quatenus expedit; ſed bonâ fide tuetur quos ſuſcepit in fidem ſuam. *Via* pro *ratione agendi quam tenet erga ſuos*. ¶ *Purgatum* צרופה] *Conflatum*; i. e. purum, velut igni examinatum. *Eloquium* ſive *ſermonem* vocat promiſſiones. q. d. Pollicitus eſt ſe fore ſalutis noſtræ cuſtodem: ejus promiſſio certa eſt veritas: proculdubio protegit omnes qui ſperant in ipſo.

31. *Quoniam quis Deus* כי מי אלוה] *Quis enim Deus?* i. e. Quis jure optimo dici poſſit *Deus* præter te? Fictitios Deos & vanas ſpes proſternit. ¶ *Fortis* צור] *Petra*, i. e. defenſor & propugnator; à firmitate & ſtabilitate.

32. *Qui accingit me fortitudine* המאזרני חיל] Metaphora eſt vel à Balteo ſumpta, vel ab ipſis Renibus, in quibus Scriptura interdum vigorem aut robur locat. Perinde igitur eſt acſi diceret ſe virtute Dei fuiſſe fortem, qui alioqui futurus erit mollis & enervis. In 2 Sam. legitur, *Fortitudo mea* in *exercitu*. ¶ *Et ponit perfectam* ויתן תמים] *Et expeditam reddit*, i. e. liberam reddit, *viam meam*, ità ut reddatur perfecta & plana ſine ullo offendiculo. q. d. Tollit omnia impedimenta de via mea; h. e. efficit ut ad finem optatum deveniam. Metaphora ſumpta à vinctis. In 2 Sam. legitur. *Et ſolvit perfectam*, &c. eodem ſenſu. *Via* pro *curſu actionum* ponitur: acſi diceret, Quicquid aggreſſus ſum, Deus proſpere ſuâ benedictione direxit.

33. *Stare fecit me* יעמידני] Fut. Heb. pro præſ. *collocat me*; nè ſcilicet corruam: i. e. dum cogor fugere, dat pedibus meis celeritatem cervorum, & efficit ut tandem recipiam me ad arcem in qua tutus ſim.

34. *Et conteritur* ונחתה] Præt. Heb. pro præſ. *& frangitur*; i. e. dat mihi vires ut vel arcum fortisſimum frangere poſſim. Fatetur pugnandi dexteritatem ſibi propriâ induſtria non fuiſſe partam, vel exercitatione, ſed obtigiſſe ſingulari Dei dono.

35. *Et dediſti mihi*, &c. ותתן לי מגן ישעך] *Et dediſti mihi ſcutum ſalutem tuam*. Alii, *Et protendis mihi clypeum ſalutis tuæ*. Alii, *munivisti me clypeo tuo ſalvifico*. i. e. Tu es mihi vice clypei quo defendor in bello. Tu me auxilio tuo defendis velut clypeo impenetrabili. ¶ *Et manſuetudo tua*, &c. וענותך תרבני] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. i. e. gratia vel benignitate *multiplicas me:* h. e. convertis animos militum ad me, & efficis ut multi me ſequantur; vel, ut pauci milites mei reſiſtant multitudini hoſtium: q. d. Videris multiplicare milites meos. Alii exponunt, *magis ac magis provehis & auges*. *Augendi* enim verbum continuos favoris Dei progreſſus notare dicunt. Quidam vertunt, *magnificaſti me*.

36. *Dilataſti greſſus*, &c. תרחיב צעדי תחתי] Sing. pro plur. *Dilataſti greſſus meos*, i. e. effeciſti ut quocunque irem, lato & amplo greſſu ingrederer; hoc eſt, liberè & ſine metu; aut, pateret mihi iter expeditum & inoffenſum. Pro *ſub me* Chaldæus P. vertit *in loco meo*, i. e. ubi eram. Alii ſic exponunt, eodem ferè ſenſu, Per *dilationem ingreſſus* intelligit viam ſibi æquabilem per invia fuiſſe patefactam. Subeſt enim antitheſis inter *latum ſpatium* & *anguſtias* ex quibus pede movere non licet. Senſus eſt, Cùm in extremam deſperationem conjectus eſſet, Divinitus fuiſſe expeditum. ¶ *Et non declinarunt*, &c. ולא מעדו וגו'] *Et non nutarunt* [*vacillarunt*] *crura mea*: aut, *vertebræ meæ*. Præt. item pro præſ. i. e. Das mihi greſſum liberum, ut poſſim diſcurſare huc illuc: & confirmas crura mea ut poſſim perſequi hoſtes meos.

37. *Perſecutus ſum* ארדוף] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. verti poſſet per imperf. q. d. *Quando perſequebar*, &c. ¶ *Et comprehendi eos* ואשיגם] In 2 Sam. legitur, *& diſperdidi eos*.

38. *Transfixi eos*, &c. אמחצם ולא יוכלו קום] Fut. Heb. pro præt. perf. quod etiam per imperfectum verti poteſt, *Cadebam* [vel, *Cecidi*, *Confregi*, *Vulneravi*] *eos*, *ità ut non potuerint ſurgere*. In 2 Sam. legitur, *Et conſumpſi eos*, *& confodi eos*, *nec ſurgent*. ¶ *Ceciderunt ſubtus*, &c. יפלו תחת רגלי] i. e. Proſtratos in terram poſtea calcavi, vel calco pedibus. Oſtendit perfectam hoſtium dejectionem.

39. *Et accinxiſti*, &c. ותאזרני וגו'] Idem dicit quod ſuprà v. 33. ¶ *Incurvaſti* תכריע] *Supplantaſti*, *depreſſiſti*, *proſtraſti*, *humiliaſti*, *dejeciſti*. Fut. Heb. pro præt.

40. *Et inimicorum*, &c. ואיבי וגו'] Hebraïſmus, Vertis in fugam inimicos meos. ¶ *Et odio habentes*, &c. ומשנאי אצמיתם] Ad verb. *& oſores mei*, *& perdidi eos*. Anteced. cum rel. pro ſolo antecedente; id eſt, *efficis ut terga mihi vertant inimici mei*, *& oſores meos perdam*. Vertere potes, ſubaudiendo verbum præcedens, *& oſorum meorum dediſti mihi cervicem*, *&* tum *ſuccidi eos*. In 2 Sam. legitur, *Et inimicorum meorum dediſti mihi cervicem odio habentium me*, *& excidi eos*.

41. *Clamabant* ישועו] *Vociferabantur*. Fut. Heb. pro præt. perf. vel imperf. i. e. Quamvis ad Deum clamaverint, rejectæ fuerunt eorum preces. In 2 Sam. legitur, *Aſpexerunt*. ¶ *Ad Jehovam* על יהוה] Sub. *clamaverunt*, *inquam*.

42. *Et contudi eos* ואשחקם] Fut. Heb. pro præt. *Et comminui eos*, vel *contrivi*. ¶ *Coram vento* על פני רוח] In 2 Sam. legitur, *ut pulverem terræ*. ¶ *Attenuavi eos* אריקם] *Comminui eos*. In 2 Sam. leguntur duo verba, *comminui eos*, *diſtendi eos*; ſive, *contrivi eos*, *dilatavi eos*. Hyperbole: reddidi eos ſimiles luto qui omnium pedibus ſubigitur, vel attenuavi eos ut lutum, &c.

43. *A contentionibus* מריבי] *A contradictionibus*; vel, *rixis*: i. e. à populo reluctante & repugnante mihi. Commemorat David, cùm tumultuaretur in eum populus, illos inteſtinos motus nonniſi à Deo fuiſſe compoſitos. Deinde ejuſdem auſpiciis & virtute, validis gentibus ſub jugum redactis, propagatum fuiſſe imperium quod debile & ſemifractum fuerat ſub Saule. Hinc patet, non minùs intus & domi quàm contra exteros hoſtes fuiſſe adjutum. Sub hoc autem typo Spiritus S. Regnum Chriſti depingit. ¶ *Poſuiſti me in caput Gentium* תשימני לראש גוים] i. e. Conſtituiſti me Principem Gentium. Hoc dicit quòd adjecerit Regno ſuo Ammonitas, Moabitas, Syros, Palæſthinos, & alias gentes vicinas. In 2 Sam. legitur, *cuſtodiſti me*, &c. quod ad ſtabilem & diuturnam Regni poſſeſſionem refertur. Difficillimè in officio retinentur qui jugo non ſunt aſſuefacti. Ideo pronunciat, Deum fuiſſe cuſtodem dignitatis quam ipſius auſpiciis adeptus erat ut Gentibus dominaretur.

44. *Ad auditum auris* לשמע אזן] i. e. Ad ſolam famam nominis mei; ſimulatque de me audierunt. ¶ *Mentiti ſunt mihi* יכחשו לי] *Negaverunt mihi*, ſub. *ſe inſurrexiſſe in me*, *aut faviſſe inimicis meis*, *aut ſe unquam molitas eſſe aliquid contra me*. Vel, *alienigenæ fœdus quod cum aliis inierant propter me ruperunt*, *& ad me deſciverunt*. Quidam putant Prophetam hîc gloriatum quòd inimici ſui qui gloriabantur de virtute ſua, & pollicebantur ſibi victoriam contra Davidem, deprehenſi ſunt mendaces, cùm ſubjicerentur ejus imperio. Aut (quæ verior eſſe videtur expoſitio) fictâ & coactâ humilitate, ſerviliter non ſponte, parent mihi: quod in novis dominationibus ut plurimùm accidere ſolet. Atque id verbum כחש *mentiri* Hebræis Metaphoricè ſignificat aliquando, nempe *humiliari*, vel *ſubjectionis jugum ſuſcipere*, *ficto tamen & illiberali animo*. *Filios alienos* vocat alienigenas.

45. *Defluxerunt* יבלו] Fut. Heb. *defluent*, pro *defluxerunt*. Alii, *deciderunt*; i. e. vires alienigenarum emarcuerunt: h. e. perierunt alienigenæ, quemadmodum folia quæ decidunt perire ſolent. ¶ *Et contremuerunt è clauſuris ſuis* ויחרגו ממסגרותיהם] Doctus inter Hebræos duas affert hujus loci interpretationes. Prior, *& claudicaverunt ob carceres ſuos*, i. e. coacti ſunt claudicare ob pondus & gravitatem compedum ſuarum, quas induerunt me jubente, & quarum pondus vix ferre poſſunt. Altera, *& contabuerunt* [*defecerunt*, *expaverunt*, *formidarunt*] *è clauſuris ſuis*, locis munitis, in quibus tanquam carceribus ſe continebant: q. d. Trementes & expavefacti contimuerunt ſe in arcibus ſuis; aut metu perculſi in lucem prodierunt.

46. *Vivit* חי] *Vivens eſt*; i. e. oſtendit ſe ſummâ virtute eſſe præditum cùm exſerit virtutem ſuam contra inimicos meos. q. d. Deus meus non eſt Deus mortuus & vitæ expers, ut idola quæ ſuis opem ferre non poſſunt. Alii vertunt, *Vivat Jehovah*. ¶ *Et benedictus ſit Fortis meus* וברוך צורי] *Et laudetur Rupes mea*; i. e. omni laude dignus eſt Propugnator meus, ſive Præſidium meum. Significat Deum qui robur confert. ¶ *Et exaltetur* וירום] *Et exaltandus eſt*, ſub. *ab omnibus*.

47. *Et adduxit* וידבר] *Et ſubdidit*. In 2 Sam. legitur, *& dejicit*, eodem ſenſu; i. e. dedit ut ulciſcerer me de hoſtibus meis, & ſubjecit populos mihi.

48. *Erutor meus* מפלטי] In 2 Sam. legitur, *Et educis me*. ¶ *Ab inimicis meis* מאיבי] i. e. De poteſtate inimicorum meorum. ¶ *Etiam ab inſurgentibus in me* אף מן קמי] *Etiam præ inimicis meis*; vel, *ſupra adverſarios meos*. ¶ *Exaltaſti me* תרוממני] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. *elevas*. ¶ *A viro iniquo* מאיש חמס] Ad verb. *à viro injuriæ*, i. e. violento.

49. *Confitebor tibi* אודך] *Laudabo* [*celebrabo*] *te*; i. e. gratias agam. ¶ *Et nomini tuo pſallam* ולשמך אזמרה] *Et nomini tuo canam*, i. e. in honorem nominis tui laudes dicam.

50. *Magnificans ſalutes* מגדיל ישועות] A ſecunda ad tertiam tranſiens, de ſe loquitur in tertia perſona, *Qui magnam ſalutem affert Regi ſuo*. Vertitur & pro præt. *Qui magnificavit ſalutes Regis ſui*, i. e. magnificè me Regem ſuum juvit: magnam opem tulit mihi, quem Regem conſtituit. In 2 Sam. legitur, *Arx ſalutum Regis ſui*. ¶ *Et faciens* ועשה] Quidam per futurum, *& facturus eſt*: q. d. *Beneficiis proſecutus eſt & proſequetur Davidem*, *quem unxit in Regem*, *& poſteros ejus in ſeculum*.

CASTALIO.

28. E*Tenim tu mihi lucem accendis*] Auxilium fers.

34. *Ferreos ut arcus*] Heb. *æneos*; ſed ære non fiunt arcus. Et ponitur pro *metallo*, & porrò pro *ferro* ſi de re ferrea agatur, ut apud Homerum χαλκός.

CLARIUS.

TItulus ipſe indicat hujus Pſalmi argumentum. Atque hic Pſalmus penè eiſdem verbis invenitur 2 Reg 22. ubi obſerva pium animum, qui non contentus per ſingula pericula Pſalmos compoſuiſſe, generatim etiam complecti voluit hoc Pſalmo Dei erga ſe beneficia.

3. *Laudans invocabo Dominum*] Vel, *laudatum invocabo Dominum*; ut ſit ſenſus, Poſteaquam his encomiis celebravi Dominum, nunc eum invocabo. Vel, *omni laude digniſſimum invocabo Dominum*.

4. *Torrentes iniquitatis*] Vel, *inundationes impiorum*; per quod intelligit ingentia pericula ac terrores..

7. *Commota eſt & contremuit terra*] Potentiam Dei canit quam in tempeſtatibus declarat: cujus rei & aliis Pſalmis fit mentio. Job etiam ſimilia ad prædicandam Dei potentiam memorat. Legimus Deum ità feciſſe ſæpius: ut Legem daturus Exod. 19. item cùm ad preces Samuëlis declararet ſe populo offenſum fuiſſe quòd Regem poſtulaſſent; ſic cùm præclaram ab Aſſyriis liberationem promitteret per Eſaiam, *Inviſeris*, inquit, *cum tonitruo*, *commotione*, *voce grandi*, *turbine*, *tempeſtate*, *& flammâ ignis vorantis*. In morte Filii Dei Sol obſcuratus eſt terra tremuit; ſic cùm mitteretur Spiritus S. Talibus credi poteſt portentis Deum erga David ſuam declaraſſe benevolentiam contra hoſtes, & auxilii promiſſionem confirmaſſe, concuſſâ terrâ, miſſis fulminibus, fulgetris, grandine & nimbis. Hebræi aliquot Allegoricè omnia dicta putant; per vim *tempeſtatis* intelligentes ſubitam ac vehementem vim Divini auxilii, ut eorum everſio *concuſſioni terræ & motioni* conferri queat.

8. *Aſcendit fumus*] Induit Deo perſonam irati hominis, qui *fumum ſpiret è naribus*, *ignem ex ore*, *unde & accendantur carbones*. Intelligit autem per *fumum aſcendentem* nebulam, quæ denſatur in atram nubem; per *ignem*, fulgura; per *carbones*, tela fulminea.

10. *Et aſcendit ſuper Cherub*] h. e. Super volucri, ut celeritatem

tatem ejus notet. Dicitur enim Deus ventis ferri, & pro equis habere ſpiritus angelicos: unde imagines illæ quas Scriptura *Cherubin* vocat, quæ in Propitiatorio collocatæ erant, alas habebant. De hoc etiam alibi habes, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, &c.

11. *Poſuit tenebras latibulum ſuum*] Deus ſe quaſi caligine involvit, ut præſentem ſe quidem teſtaretur, & tamen inviſibilem: ut populus diſceret credere eum, qui in cœlis præſidet, ſuis nunquam deeſſe, etiamſi non videretur. ¶ *In circuitu ejus*] Fecit, inquit, latibulum circum ſe, dum in modum tugurii habebat obſcuriſſimas aquas & denſiſſimas nubes.

12. *Præ fulgore*,] Deſcribit tonitrua & pluviam, & ait Præ fulgore, quo apparet juſtis denſiſſimæ illæ *nubes abeant* ad hoſtes unà cum *grandine*, & veluti *ignitis carbonibus* cum grandine permixtis. Bis autem dicit, *grando & carbones ignis*, & ſine conjunctione, ut attoniti animi affectum exprimat.

14. *Diſſipavit eos*] Hoſtes relativo deſignat, cùm tamen nomina eorum non præmiſerit. Nam circa quæ animi magno affectu occupantur, putant ea neminem latere, in quibus ipſi ſunt toti: ut cùm Maria dixit, *Si tu ſuſtuliſti eum*, &c.

15. *Apparuerunt fontes aquarum*] Alii verterunt *alvei aquarum*, h. e. receptacula aquarum. Quaſi inducat Propheta Deum increpatione & ſpiritu ſuo tota exhauſiſſe ac ſiccaſſe flumina, ut alvei abſorptâ omni aquâ apparerent. Hos alveos & profundas fluviorum ſedes propter altitudinem eorum *orbis fundamenta* vocat. Intelligit autem hoſtes ſuos, qui ea ſubnixi potentia videbantur ut minus credibile eſſet eos poſſe exſtingui quàm ingentia flumina exſiccari. ¶ *Ab inſpiratione*] Vel *à flatu*. Alluſit autem ad exſiccationem maris Rubri. Nam ſcriptum eſt, cùm Deus vellet ſuis iter dare per Sinum Arabicum, immiſiſſe ventum Orientalem prævalidum, qui perflans totâ nocte maris partem exſiccaret ac velut ſcinderet; ſic nunc tam facilè ſublatos hoſtes.

23. *Et fui immaculatus*] Videtur hæc Propheta prædicare de ſe; quatenus pertinet ad ſtudium & conatum piè & inculpatè vivendi, non ratione factorum ſingulorum: quemadmodum & 1 Joan. 3. Apoſtolus ſe *natum ex Deo* gloriatur, atque ideo *eſſe ſine peccato*, & tamen in eadem epiſtola pronunciat eos *mendaces qui ſe abſque peccatis eſſe dicant*: ut lapſus concedatur ſanctis, ſed peccandi voluntas ac ſtudium adeſſe negetur. ¶ *Et obſervavi me*] h. e. Natam intra me quamlibet malam ſuggeſtionem repreſſi.

25. *Cum ſancto ſanctus eris*] Rectiſſimè quidem ſemper agit Deus ac puriſſime: ſed pravorum vita digna eſt cujus rationes omnes perturbentur, & ſempiterno errore ac confuſione omnium conſiliorum & actionum rotentur. Quidam ſic exponunt, *Conſortium fugi malorum hominum, non ignorans quòd apud pios diſcitur pietas, & apud perverſos impietas.*

30. *Impolluta via ejus*] Deus integerrimus, inquit, eſt in omnibus operibus ſuis, & facta ejus probè promiſſis reſpondent: nam verba ejus ſunt exploratiſſimæ ac certiſſimæ veritatis.

33. *Super excelſa*] Videtur hîc canere, quòd quamlibet excelſas & præruptas hoſtium munitiones occupaverit. Nam hîc victorias ſuas canit. Ex 1 Par. 12. hi qui è tribu Gad ad David venerant, memorantur *facie leonibus*, *pedum celeritate capreis ſimiles fuiſſe*; & ob id bello maximè idoneos Scriptura prædicare voluit. Quare & Propheta ad victoriam *pedum* ſibi datam *celeritatem* profitetur.

44. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*] Vel, *mentientur*. Et quidem variis modis hic locus ab Hebræis exponitur: verùm nè omnes hîc omnium ſententias ponamus, id dicemus quod verò eſt ſimilius. Videtur hic ille eſſe Hebraïſmus qui habetur Deut. 33. *Mentientur tibi inimici tui, & tu ſuper excelſa eorum calcabis*; & Pſal. 81. *Inimici Domini mentiti eſſent ei*: quibus locis idem eſt *mentiri* quod *ſupplices fieri & penitus ſubjici*, vel, *ſaltem ficto animo parere*: ut intelligamus trepidantem ac ſervilem ſubjectionem, quòd qui ità ſubditi ſunt multa ob timorem ſoleant iis mentiri quibus ſerviunt. Sic Latini *fures* pro *ſervis* dicebant, quòd ſervi omnes furari ſoleant, propter nimiam herorum ſcilicet erga eos parſimoniam.

45. *Inveteraverunt*] Vel *defecerunt*, aut per futurum potiùs *deficient*. ¶ *Claudicaverunt à ſemitis ſuis*] Alii verterunt, *expaveſcent de ergaſtulis ſuis*: & ſignificat eos etiam in locis munitis trepidaſſe. Et erit totius verſiculi ſenſus, *Deſertores ſemper in metu erunt, & abdent ſeſe in latibulis ſuis.*

50. *Faciens miſericordiam Chriſto ſuo David*] Hic Chriſti typum exhibuit. Nam ut nihil antiquius habuit CHRISTI promiſſione de ſemine ſuo naſcituri, ità credendum eſt eum animum & verba, dum ſalutis meminit ſibi & ſemini ſuo factæ, ad canendum Regnum Chriſti intendiſſe, unde toti orbi ſempiterna ſalus facta eſt. Alioqui ubi ſemen ac poſteritas David in ſempiternum fuit firmata, ſi non Chriſtum ipſum cum ſibi credentibus hanc Davidis ſobolem agnoverimus? Quanti ſanè ei Chriſti promiſſio fuerit, ipſius verba & 2 Reg. 7. & 1 Par. 17. & multorum Pſalmorum luculenter declarant; unde nihil mirum cum qualibet occaſione ad canendum de Chriſto & Regno ejus arreptum fuiſſe. Licet etiam in eo David ut Chriſti typum conſiderare, quòd tam multa illum perpeti antè quàm ad juſtam Regni gloriam attolleretur oportuit, & quòd tam præclarè illi Dominus affuit, ac periculis eum exemit, & hoſtes ei ſubjecit. Præterea obſervandum quàm ſolicitè Propheta multis verſibus omnia ab uno Deo geri, ejuſque unius dona eſſe prædicet tam animi quàm corporis dotes.

LUCAS BRUG.

14. ET *ab alienis parce ſervo tuo.*] *Alienis* an ad *dæmones*, *homines*, vel utroſque, an ad *peccata*, referendum ſit, ut ex Latina voce conſtare non poteſt, ità neque ex Græca. Hebraïcè eſt מזדים, quod Pagninus quidem *à ſuperbiis* vertit, ut ſit ſubſtantivi nominis forma, Hieronymus autem *à ſuperbis*, ut ſit adjectivi nominis ים pluralis numerus. Græci unâ literâ diſcrepante legerunt מזרים: eſt enim earum literarum ſimilitudo maxima. Id autem omnino ad perſonas referendum videtur: quamobrem etiam id quod reddiderunt ἀπὸ ἀλλοτρίων, ſeu *ab alienis*, ad perſonas referendum, ut Theodoritus refert, ſit veriſimile. Latinus quoque Interpres eodem ſe retuliſſe ſignificat, dum quod Græcè ſequitur, ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, tranſtulit, *Si mei non fuerint dominati*: ſic enim Latini codices legunt, ut ſenſus ſit, Cuſtodi, obſecro, ſervum tuum ab his qui per ſuperbiam à te ſunt alieni, nè pravis eorum ſuggeſtionibus in vitia pertrahar. Nam etſi oppugnare me non deſiſtant, ſi, cuſtode tuâ gratiâ, non expugnaverint, ità ut juxta eorum conſilia vitiis ſerviam, *immaculatus*, h. e. à gravibus peccatis liber, *ero*. Porrò conjiciunt quidam *dominata* Latinè legendum eſſe: conjiciunt autem ex veterum commentariis. Non paucos enim veterum expoſitorum (quanquam eorum commentariis additi textus *dominati* ferè legant) cùm ad *peccata* manifeſtè referant, *dominata* legiſſe dubium eſſe vix poteſt. Arnobius ad hunc commentatur modum, *Et ab alienis peccatis, quibus adulando fomitem exhibemus, parce ſervo tuo, quia ſi in me per adulationem non fuerint dominati (dominata,) tunc immaculatus ero.* Ruffinus, *Non ait*, inquit, *ſi non fuerint in me delicta*; *ſed*, *ſi mei*, *inquit*, *non fuerint dominati (dominata.) Impoſſibile eſt enim hominem eſſe ſine peccato quamdiu mortaliter vivit*, &c. Clarior eſt Hieronymi commentarius, *Si iſta peccata non fuerint mihi dominata, tunc ero immaculatus.* Nec minùs clarus eſt Auguſtini; *Si mei non fuerint dominata occulta mea & aliena peccata, tunc immaculatus ero.* Ad eundem modum in altera Pſalmi expoſitione ſcripſit: ubi etiam qui profertur Scripturæ textus ſemel & iterum *dominata* ſervat. Græcus quoque ennarrator Euthymius de peccatis intelligit: *Si hæc*, exponens ait, *peccata me non vicerint, tunc perfectionem aſſequar.* Id enim optimè Græci textùs verba patiuntur, quæ ex ſe planè ambigua ſunt, tam hoc quàm præcedenti verſiculo. Verùm ſi Græci Interpretes, quod Hebraïcè legerunt מזרים, ad perſonas, ut videri poteſt, retulerint; non ſolùm iſtud ἀπὸ ἀλλοτρίων, verum etiam quod ſequitur, ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, ad perſonas referendum erit, & Latinè transferendum, non *Si mei non fuerint dominata*, ſed *Si mei non fuerint dominati.* Atque hoc modo vulgatæ editionis Pſalterio conſpirantia quæ quidem vidimus exemplaria legi volunt: quibus Beda conſentiens, *Relatio*, inquit, *hic fit non ad voces, ſed ad ſignificatum. Si hoſtes iſti, i. e. occulta vitia & aliena, non fuerint dominati mei*, &c. Auguſtino autem & qui eum præceſſerunt Latinis Tractatoribus non eadem fuit Pſalterii editio. Sed inveni etiam poſteriores quoſdam ad *peccata* ſeu *delicta* retuliſſe, neque ſub affectuum, aut defectuum, aut hoſtium, expreſſo nomine. Quinimo Brunonis Carthuſiani manifeſta eſt lectio, *Si mei non fuerint dominata*: poſtea tamen addit, *vel ſic*, *Si inimici mei*, *i. e. delicta quæ prædixi*, *non fuerint dominati mei.* Petrus Lombardus, Richardus Pampolitanus, Hugo Carenſis, poſtquam expoſuerunt *dominati*, ſubjungunt, *Vel dominata ſecundùm aliam literam, occulta ſcilicet, & aliena peccata vel delicta.*

DRUSIUS.

7. ותגעש ותרעש הארץ. A. *mota & concuſſa eſt terra*, καὶ ἐκινήθη καὶ ἐσείσθη ἡ γῆ, Euſebius ex Aquila.

8. מפיו תאכל. A. ἀπὸ στόματος αὐτοῦ φάγεται, *ab ore ejus devorat.* Sym. ἐκ στόματος αὐτοῦ ἀναλίσκον, *ex ore ejus conſumens.*

13.

13. בָּרָד וְגַחֲלֵי־אֵשׁ. Th. χάλαζαν καὶ ἄνθρακας πυρὸς, *grandinem & carbones ignis*] Hoc membrum abeſt in LXX. olim ſub aſteriſco legebatur additum ex editione Theodotionis. Cujus rei autor Hieronymus. Vide ſis epiſtolam ejus ad Suniam.

18. בְּיוֹם־אֵידִי. Sym. ἐν ἡμέρᾳ ταλαιπωρίας μȣ, *in die miſeriæ meæ.*

25. עִם־חָסִיד תִּתְחַסָּד. Sym. Πρὸς ὅσιον ὁσίως πράξεις, *Erga pium piè te geres.* Alius, Μετὰ κεχαριτωμένȣ χαριτωθήσῃ, *Cum gratioſo gratioſus eris.* Nam חסד *gratia* interdum.

27. עַם־עָנִי. Sym. λαὸν πρᾶον, *populum mitem.*

30. אִמְרַת־יְהוָה צְרוּפָה. Sym. ῥῆσις τȣ̃ Κυρίȣ δόκιμος, *ſermo Domini probatus.*

33. כָּאַיָּלוֹת. O. ὡσεὶ ἐλάφων, *tanquam cervorum.* ¶ וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי. A. καὶ ἐπὶ τὰ ὑψώματά μȣ ςήσεις με, *& ſuper excelſa mea ſtatues me*] Credo legendum ςήσει με, *ſtatuet me.*

36. מָגֵן. VI. ed. ὑπερασπιςῆρα, *protectorem.* ¶ יִשְׁעֶךָ. Plerique omnes σωτηρίας σȣ, *ſalutis tuæ.* VI. τὸν σωτῆρά μȣ, *ſalvatorem meum:* corrige τὸν σωτῆρά σȣ. Idem mendum irrepſit in ed. Rom. Porrò autem *ſalus* ישע dicitur: unde nomen JESUS. ¶ וְעַנְוַתְךָ תַרְבֵּנִי. Th. καὶ ἡ παιδεία σȣ αὐτή με διδάξει, *& diſciplina tua ipſa me docebit*] Vide quæ notata in hunc locum in ed. Rom. Διδάξει με, תרבני. Nam רב διδάσκαλος.

37. תַּרְחִיב. Sym. *ampliaſti*] Priùs erat ἐπλάτυνας, *dilataſti:* id Hier. vertit *dilatabis*, & meliùs. Lex. V. *Ampliat*, ὑπερτίθεται *Ampliatus* ηὐξημένος.

39. תַּכְרִיעַ קָמַי. A. κάμψεις ἐπανεςηκότα μȣ, *incurvabis inſurgentem in me.*

44. תְּפַלְּטֵנִי מֵרִיבֵי. A. διασώσεις με ἀπὸ δικασιῶν, *ſervabis me à litigiis.* Sym. ῥύσῃ με ἀπὸ ἀντιλογιῶν, *liberabis me à contradictionibus.*

46. יִבֹּלוּ. Sym. ἠτιμάσθησαν, *dehoneſtati fuerunt.* Aliàs, ἀτιμωθήσονται, *dehoneſtabuntur.* ¶ וְיַחְרְגוּ. Idem, καὶ ἐντραπήσονται, *& avertentur.*

47. צוּרִי. ὁ Θεός μȣ, *Deus meus*] Videndus Hier. ad Suniam.

AMAMA.

1. ET *Saulis*] Vide Grammat.

2. אֶרְחָמְךָ] Cum Kamets brevi ſub ח, à רחם, unde רחמים *viſcera.* Gt. Vulg. *diligam te*, ἀγαπήσω. Jun. Piſc. *ex intimis viſceribus diligam te.* Belg. *Hertelyk lief.* It. *Jo ti amero affettuo ſamento.* Gen. *Je te aimerai d'affection cordiale.*

Sign. ita diligere, ut mater prolem diligit, ut præ dilectione viſcera commoveantur. R. David, hoc extremum quod homo præſtare poteſt in hac vita in appropinquatione ad Deum. Timor autem eſt ante amorem, ubi autem ſe exercuerit homo in timore, tandem pervenit ad amorem, ut colat Deum ex amore, etiamſi nulla eſſet retributio, nulla præmia. Sic ille quibus ſimilia illa Bernardi de acu & filo. Timorem comparat acui, Amorem filo. Acus præit, filum ſequitur. Vide Orat. meam Fun. Quod autem dicit, Etiamſi nulla eſſet retributio, ſimile dictum Antigoni, Ne eſtote ſicut ſervi, qui miniſtrant Principi eà conditione ut accipiant præmium, & ſit timor Dei ſuper vos. Habuit duos diſcipulos Sadok & Barthos, qui perverterunt hæc ejus verba, ac ſi non eſſent præmia & pœnæ, ac proinde reſurrectionem negarunt: dicebant enim ſi patres noſtri ſciviſſent eſſe reſurrectionem, & mercedem datum iri juſtis in ſeculo fut. non ita docuiſſent. Separarunt ergo ſe à lege, & dixerunt, Traditio Phariſæorum ad vexandum ſe in hoc S. ſtulta eſt, cum in ſeculo vent. non ſit illis merces. At alia Antigono mens erat, hoc enim volebat eos, qui Principi miniſtrant ea conditione ut accipiant mercedem, ſibi miniſtrare, non Principi. Deinde miniſterium iſtud conditionem habet, ſi dederit Princeps; quod ſi non dederit, non miniſtrabit.

3. *Cornu ſalutis meæ*] Id eſt, Cornu meum ſalutare. Eſt autem Genitivus effecti, cornu quod ſalutem mihi efficit. Cornu, i. e. robur, Metaph. à cornutis animalibus. Luc. 1. 69. *Et erexit* κέρας σωτηρίας.

4. *Invocabam Dominum laudandum, & ſalvabar*] מְהֻלָּל laudandum, laude digniſſimum.

5. חֶבְלֵי *dolores*] חֶבֶל funes.

Torrentes Belial] Id eſt, Hominum Belial. De voce Belial Gramm. l. 2. cap. 1. §. 37.

Torrentes] Id eſt, perſecutiones quæ inſtar torrentis eum obruebant.

Belial] A בְּלִי & עול vel בְּלִי & יַעַל. Vulgo reddunt, nequitia.

Belial] Aq. ἀποςάτης. Hieron. à בלי & על quod in Hiph. הועיל profuit, ergo ἀχρεῖος, inutilis. Si quis putet id parum idoneum Epitheton eſſe ſceleratiſſimi iſtius Latronis, legat Gellium Noct. Act. 2. 6. Sic enim judicabant etiam multi de illo Virg.

Quis aut Euryſthea durum
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras.

At ſic reſpondet Gell. inter alia, *Nemo tam efflictis moribus eſt qui non ſubinde dicat faciatve aliquid dignum laude.* Unde illud,

Πολλακί τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπε.
Sæpe etiam eſt ſtultus verba opportuna locutus.
Sed enim qui in omni re atque omni tempore
Omni vacat laude, is illaudatus eſt,
Iſque omnium deterrimuſque eſt & peſſimus.

Et ſicuti omnis culpæ privatio inculpatum facit, inculpatuſque idea eſt abſolutæ virtutis: Ita contra illaudatum qui dicit, dicit monſtrum omnibus flagitiis coopertum, nulla virtute redemtum. Itaque & Homerus non virtutibus appellandis, ſed detrahendis vitiis laudare ampliter ſolet, Μάντις ἀμύμων. τὼ δὲ ȣ̓κ ἄκοντε πετέσθην. Huc refer noſtra in Gramm. cap. 5. Sic Tardàque palus inamabilis undâ. Stygiam paludem intelligit.

Tendiculæ mortis occurrerunt mihi] קִדְּמוּנִי Deut. 23. Mich. 6. Vel antevertebant, *overvielen*, προέφθασαν.

6. *Dolores ſepulcri*] Quorum vi poteram mori, qui me jamjam ſepulcro intuliſſent.

7. [*Sed*] *in anguſtia meâ invocabam Dominum, & ad Deum meum vociferabar:* [*tum*] *exaudiebat è Templo ſuo vocem meam, & vociferatio mea perveniebat coram eo ad aures ejus.*

A verſ. 8. ad 17. deſcribitur terribilis ille apparatus, quo Deus præſentiam ſuam teſtabatur & accingebat ſe ad liberandum Davidem.

Terror ergo adventus Dei irati deſcribitur per tempeſtatem horrendam, cujus excitatio

I. Quaſi proponitur informidabili terræ concuſſione. Verſ. 8.

II. In craſſarum & ignitarum nubium collectione, ac inclinatione verſus hoſtes, verſ. 9. 10.

III. Ventorum concitatione ad celeritatem notandam, verſ. 11.

Poſtea deſcribitur tempeſtatis & terrib. apparatus quædam in aciem productio, ubi

I. Tenebræ diſponuntur tanquam tentorium militare. Verſ. 12.

II. Splendor magnificus quaſi pro ſatellitio habetur. Verſ. 13.

III. Tonitru additur quaſi claſſicum & auſpicium belli ineundi. Verſ. 14.

IV. Omnia miſcentur grandine, flammis, inundationibus, fulminibus, quaſi ſagittis. Verſ. 13. 14.

8. Allegoricè capi debet hæc tempeſtas: Præterquam enim quod nuſquam in Scriptura commemoratur hæc Davidi accidiſſe, non agit hic Propheta de unâ aliqua liberatione ſeorſim, ſed per aggregationem aut collectionem de omnibus liberationibus è manu omnium inimicorum. Jam illud certiſſimum eſt, hæc miracula non admodum frequentia fuiſſe. Allegoria illa tamen non merè ficta, ſed ex hiſtoria vera deſumpta, quia Deus, cum præſentiam ſuam magnificè vult declarare, ſolet iſtiuſmodi procellas excitare, ſicut fecit in Legis promulgatione Ex. 19. in Electione Saülis 1. Sam. 12. in Chriſti morte Matth. 27. in Miſſione Spiritus Sancti Act. 2.

Cum exardet ei] Sc. ira. Jon. 3.

9. *Aſcendebat fumus* בְּאַפּוֹ] Ex vel per nares ejus. Pſ. 74. 1. *Cur, Domine, fumat naſus tuus contra oves paſcui tui?* אף & *iram* & *naſum* ſignificat. Animalia enim commota vehementius ſpirant, & ignitus quidam ſpiritus ex accenſâ cholera ſuſcitatus naribus egredi videtur. Hinc Poëtæ, *& ſpirat naribus ignem.* Perſ. Theocr. Pl. Vide Clavem in Nares.

Prunæ incendebantur ab eo] Sc. Domino.

10. *Et inclinabat cœlos*] Id eſt, nubes, quæ in media aëris regione. Tres cœli &c.

Et caligo] Sub. erat.

11. *Cherub*] Angeli alata figura. Hieron. Eſ. 6. Dominus in aurigæ modum ſuper Cherubim ſedere dicitur. Hinc facile conjicitur de Etymo, ut ſit à רכב, literis tranſpoſitis. Qui putant fuiſſe imagines puerorum, nitentur debili fund. ut dicti ſint à כ & רבא juvenis, quomodo *Caſdon*, quaſi Dæmones. Sign. 1. Angelum, 2. Effigiem Angeli. Sic Gen. 3. in fine. Jeſ. 6.

12. *Tenebras aquarum*] Id eſt, aquas tenebroſas, חֶשְׁכָה

Appo-

Appoſitivè *Nubes cœli*] עָבֵי à עוּב, unde הֵעִיב obnubilavit. שְׁחָקִים & שַׁחַק cœlum, Synon. שָׁמַיִם. Jun. *Denſitates ſuperiorum nubium.* At melius *cœli*, *ſic dicti ob ſubſtantiæ tenuitatem.* Deut. 33. 26. illa duo in contiguis hemiſtichii junguntur ut ſynonyma. Sic Pſ. 89. 38. *ut teſtis in cœlo* בשחק Job. 37. 18.

13. *Prunæ ignis*] Fulgura.

14. *Tonabat*] רַעַם Marc. 3. 17. *Et impoſuit eis* (Jacobo Fil. Zebedæi, & Johanni fratri ejus) *nomina*, *Boanerges*, i. e. υἱὸς τῆς βρόντης, בְּנֵי Antiq. בְּנֵי quod Syri *Bone*, unde conflatum *Boane*, & רַעַם Ch. רְגַם ut בְּגַל בֶּגֶר, רְגַם, ῥγὲμ, & μ in σ, ῥγὲς, vel μ abjecto ut in Marjam Gehinnom. Hieron. ſæpe Nohel legendum eſſe, Bene-Rehem. Sed Syriacè legitur בְּנֵי רְגַשׁ. Druſius emendat רְגַשׁ literis errore tranſpoſitis. Hoc propius ad rem.

15. רָב] Pro רַב ob acc. jaculatus eſt, יָרָה dicitur & רב alio fine.

וַיְהֻמֵּם] Et contrivit eos, ab הָמַם, non à הוּם ut Interlin.

Eos] Hoſtes meos. Ref. ad antecedens remotius. Vid. verſ. 4. Vide Grammat.

16. Terroris iſtius vis explicatur per effectum in totius orbis horrenda concuſſione. Poëtica & hyperbolica ſunt, ut fruſtra quæri videtur, quid hic per Fundamenta & Alveos intelligatur: nam in Poëticis illis & hyperbolicis omnia ad vivum reſecari nequeunt.

Alvei aquarum] 2. Sam. 22. *Maris.* Genebr. intelligit *ſcatebras fontium*, quæ latere ſolent in concavitate montium, collium & rupium. NB. Vulg. *fontes* reddit. At propriè ſign. *alveum*, Kimhi, *Valles*, Deſcribit, inquit, liberationem ſuam ex periculis quæ per aquas intelliguntur. Jam ratio liberandi hæc proponitur. Conſtitutus erat David in aquis profundis. Deus dilatat viam aquarum, & per tempeſtatem quaſi rumpit aggeres. Ruunt aquæ, & apparet fundum, & liberatur à ſubmerſione.

Fundamenta] Supra verſ. 8. nominavit *fundamenta cœlorum*, per quæ intelligunt montes, quod videantur ſuſtinere cœlum tanquam Atlantes. Hic vero per Fundamenta intelliguntur loca ſubterranea profundè in terræ viſceribus defixa. Eſt hyperbole magnæ confuſionis & exundationis. De fundamento terræ dicemus ad Pſ. 24.

תֵּבֵל τῆς οἰκεμένης. Propriè loquendo nulla ſunt fundamenta terræ. Pſ. 104. 5.

Ab increpatione] Sic Chriſtus ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις.

17. *Mittebat*] Sub. יָד.

Accipiebat me] Prehendebat.

Extrahebat] Hinc מֹשֶׁה Moſes, ut Joſe, Joſes. Μωϋσῆς eſt ex prava originatione cujus etiam Joſephus meminit, Μῶ aqua & ὑσῆς eſt ſervatus, quod eſſet מוּשִׁי, valde ineptè & contra textum Exod. 2. 10. Ægyptiis vocatus Monios, juxta Aben. Numenius Pythag. dicit eum vocatum quoque fuiſſe Jojakim, & poſt obitum Melchi, teſte Clemente. Alii putant eundem eſſe cum Muſæo, Euſeb. in Paraſc. Fabuloſa & falſa. Certe id poſterius, Druſ. in comment. ad voces Ebr. Manethon dicit vocatum quoque fuiſſe Oarſeph.

Ex aquis] Calamitatibus.

18. כִּי] Cum robuſtiores eſſet. Sed & *quamvis.* Sic Joſ. 17. Gen. 8. 21. Sic & Piſc. & Mart. & Scult. & Tarn. Supra enim Gen 6. 5. αἰτιολογία illa adhibita fuit in contrarium. Sic Act. 1. Dan. 9.

21. *Secundum juſtitiam meam*] Alii de juſtitia cauſæ. At ſequentia docent eſſe generalem rationem, & Deum ſic cum omnibus agere. Verſ. 26. 27. 28. ubi per collat. contrariarum ſpecierum bonorum & malorum omnes homines à Deo pro ratione operum ſuorum mercedem reportaturos ſcribit. Ita quoque Deod. & Ameſius. Fruſtra ergo Junius כִּי hic explicat per *quum* verſ. 22. 23. &c. Metuit quippe ne quis hinc meritum bonorum operum extrueret. Fruſtraneus eſt ille metus. Apoſtolus ſic etiam loquitur Rom. 2. 6. ubi D. Piſc. i. prout quiſque operibus declaraverit ſe eſſe in numero filiorum Dei vel non eſſe. Illud certum tamen, Mala opera mereri. At bona opera quî mereantur? Cum ſint debita, & imperfecta. Ergo bonis operibus retribuit Deus ex gratioſo promiſſo. NB. In Germ. verſione vocem *verdient* ſæpe valde periculosè inſertam Pſ. 62. 13. *En betalet een iegelijk als hy het verdient.* Hebr. כְּמַעֲשֵׂהוּ.

Cum perverſo] Jun. *Eluctaris.* Perverſo contortum te præbes, i. e. talem, ut perverſus non poſſit ſe expedire ex illis adverſitatibus quibus eum involvis & implicas. Alii conferunt cum loco Jobi, & apprehendit aſtutos in aſtutia ipſorum. D. Ameſ. Deus in ſanctiſſima ſuâ diſpenſatione rationem habet & proportionem obſervat ad inclinationes & vias cujuſque. Comment. ad hunc locum optimus eſt caput Lev. 26. Spec. verſ. 23. 24. Si ambulaveritis mecum קֶרִי, etiam ego ambulabo vobiſcum קֶרִי, quam alii reddunt *temere*, alii *ex adverſo*, quam verſionem firmat verſ. 28. בַּחֲמַת קֶרִי.

GROTIUS.

I*N die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saül*] 2 Sam. 22.

6. *Praoccupaverunt me laquei mortis*] Rectiùs vertas, *ambierunt me.* Nam קדם ſæpe eſt *circumdare*, ut Jobi 30. 27. 2 Sam. 22. 19. Sic quod in Pſal. 59. eſt יקדמני, idem eſt in Pſalm. 32. יסובבני [*circumdederunt.*]

11. *Et aſcendit ſuper Cherubim, & volavit*] Videtur olim pro כרוב [*Cherub*] ſcriptum fuiſſe רכוב, quod *currum* ſignificat, ut in loco perſimili 104 3. Simile Platonis illud in Phædro, ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς στηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος, [*Magnus in cœlo Imperator Juppiter volucrem currum agitans primus it, omnia ordinans & curans.*]

22. *Nec impiè ceſſi à Deo meo*] Id eſt, *contra Deum meum.* Sic particula מ ſumitur interdum pro *contra*, ut Cant. 3. 8. & alibi.

27. *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*] *Cum candido agis candidè, cum obliquè incedente obliquè incedis.* Ex Levit. 26. 23.

35. *Et poſuiſti ut arcum æreum brachia mea*] Ex Græco, ἔθȣ τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μȣ, [*poſuiſti arcum æreum brachia mea.*] Legerunt nimirum נתת [*dediſti ſive poſuiſti*,] non ut nos nunc נחתה [*conteritur.*]

46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*] Blanditi mihi ſunt animo invito.

Et claudicaverunt à ſemitis ſuis] In Hebræo, *Paveſcent à penetralibus ſuis:* ipſa ſua ſuffugia ſuſpecta habebunt. Quidam malunt in Hebræo, ממכרותיהם, id eſt, *à gladiis ſuis.* Nam & infrà 35. 3. מכר quidam vertunt *gladium*, Σαγάρεις vel σάγαροι, *gladii Perſici* Herodoto, Xenophonti & aliis.

PRICÆUS.

2. C*OEli enarrant gloriam Dei*] i. e. Sol, Luna, Stellæ, quæ in cœlo ſunt, ut apparet ex ſequentibus. Vide Heracliti locum ad Joh. 10. 25. adductum. In Allocutione ad Aſclepium inter opera Apuleji, *Cœlum Deo plenum eſt.* Manlius,

Atque adeo faciem cœli non invidet orbi
Ipſe Deus, vultuſque ſuos corpuſque recludit
Semper volvendo, ſeque ipſum inculcat & offert.

Seneca (4. 23. de Benef.) de Sole loquens, *Non eſt ipſe idoneum ſpectaculum oculis*, &c. *etiamſi tantum præteriret? non eſt digna ſuſpectu Luna, etiamſi otioſum ſidus tranſcurreret? Ipſe mundus quoties per noctem ignes ſuos fudit, & tantum ſtellarum innumerabilium refulſit, quem non intentum in ſe tenet?* Deinde, *Quid ergò? non caperis tantæ molis aſpectu?* &c. De Sole & ſideribus Cicero in Deorum natura, *Quanquam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen & ſpectaculum hominibus præbent: nulla enim eſt inſatiabilior ſpecies, nulla pulcrior.*

3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*] Claudianus,

——— *Cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,*
Præſcriptoſque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctiſque vices, tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei. ———

4. *Non ſunt loquelæ neque ſermones quorum non audiantur voces eorum*] Græci, ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. Ὧν fortè pro ὑφ᾽ ὧν, nempe loquelarum, ſermonumque: q. d. Nulla gens eſt, cujuſcunque ſermonis loquelæve, à qua non audiantur mutæ voces eorum. Non diſſimile habes Jobi 12. 7. 8. Vel ſic (ut alii expoſuerunt) Non illis ſermo eſt, tamen, &c. Seneca ubi ſuprà *Aſpice iſta tacito supernè cœlo labentia, quemadmodum velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immoti operis abſcondant: quantum iſtâ nocte quam tu in numerum ac diſcrimen demum obſervas agitur! quanta rerum turba ſub hoc ſilentio evolvitur! Iſta quæ tu non aliter quàm in decorem ſparſa conſideras, ſingula in opere ſunt.*

6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*] Soli in cœlis poſuit tabernaculum. De eodem Mamertinus in Genethliaco, *In adverſa cœli nitentem impetu rapit Solem.*

7. *Exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam*] i. e. Magno robore peragit curſum ſuum. Sic 1 Macc. 3. 3. *Induit ſe loricam ſicut gigas.* Nota & *ad viam currendam.* Hinc apud Heſychium, Ἡμεροδρόμος, ὁ ἥλιος. De eodem Apulejus, *Magnitudine immenſus, curſibus rapidus*, &c. *valente habitudine, pu-*

bertate juvenili. Ubi & ultima reſpondent ei quod in Pſalmo *gigas.*

Ibid. *Et occurſus illius*, &c.] Gr. *κατάντημα αὐτῦ.* Καταντᾷν eſt, *pertingere, pervenire.* Ità ſæpe (ut alios taceam) D. Lucas in Apoſtol. Actis.

Ibid. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*] Poſſumus & καθ' ὑπαλλαγὴν intelligere, ut ſenſus ſit, nec eſt à quo calorem abſcondit ſuum. Petronius, *Sol omnibus lucet.*

13. *Delicta quis intelligit?*] Seneca 1. 27. de Ira, *Quis eſt qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem?*

IDEM.

6. *IN Sole poſuit tabernaculum ſuum*] Poſuit Solem in tabernaculo ſuo: i. e. in cœlo: hypallage.

Ibid. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*] *Quaſi ſponſus* (ut Eſai. 61. 10.) *coronâ decoratus.* Ità 21. 2. ὡς νύμφη ἡτοιμασμένη.

7. *Exſultavit ut gigas ad currendum viam ſuam*] Alacriter, ut vir fortis accingit ſe ad ſuum opus peragendum, atque id ſine virium defectione in dies ſingulos. Macrobius Saturnal. 1. 17. *Quotidie renovat ſe, unde Virgilius, Manè novum. Camerienſes, qui ſacram Soli incolunt inſulam,* ἀειγενητῇ, *Apollini immolant,* τῷ τὸν αὐτὸν (meliùs fortè, διὰ τὸ τὸν αὐτὸν) ἀεὶ γίγνεσθαι. De eodem Mimnermus,

——— Πόνυ ἔλλαχεν ἤματα πάντα,
Οὐδέ ποτ' ἄμπαυσις γίγνεται ὐδεμία.

Nota & Pſalmi ea, *ad currendam viam:* unde &

——— κόσμυ τὸ περίδρομον ὄμμα,

de Eodem Orpheus loquens.

Ibid. *A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus*] Egreditur ab Oriente, pervenit uſque ad Occidentem. Mimnermus,

Τὸν μὲν γὰρ διὰ κῦμα Φέρει πολυήρατος εὐνὴ
Κοιλὴ, Ἡφαίςυ χερσὶν ἐληλαμένη
Χρυσῦ τιμήεντος, ὑπόπτερον, ἄκρον ἐφ' ὕδωρ
Εὕδονθ', ἁρπαλέως χώρυ ἀφ' Ἑσπερίδων
Γαῖαν ἐς Αἰθιόπων, ἵνα οἱ θοὸν ἅρμα καὶ ἵπποι
Ἑςᾶσ', ὄφρ' ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ.

Ibid. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*] Sirach. 42. 16. *Sol illuminans per omnia reſpicit.*

11. *Dulciora ſuper mel & favum*] Similis Sirach. 25. 22. locutio illa, *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri. Mel & favum,* ἓν διὰ δυοῖν, pro *favos mellis.* Vide in Latino Sirachidis 24. 27. & Pſal. 118. 103.

PSALM. XIX.

MUNSTERUS.

PRædicat Propheta in initio hujus Pſalmi magnificam Dei potentiam, quæ in cœlorum mirabili opificio & ſtructura tantâ majeſtate contuentium oculis ſeſe ingerit, præſertim qui advertunt motum, lucem, calorem, vim influentiarum magnitudinem & numerum ſiderum, &c.

1. *Cœli enarrant*] Hunc verſiculum Chaldæus ſic exponit, *Qui contemplantur cœlos enarrant gloriam Domini, & opera manuum ejus demonſtrant qui rimantur æthera.*

2. *Dies diei eructat ſermonem*] Senſus eſt, ſicut dies ſuccedit diei, & nox nocti, ità perpetuò gloria & majeſtas Dei innoteſcit per nova opera quæ per virtutem & influentiam cœlorum quotidie in his inferioribus afficit locis; ut homini nunquam deſit occaſio loquendi & laudandi Deum. Unde ſequitur, *Non eſt locutio neque ſunt verba in quibus non auditur vox eorum:* h. e. Nunquam tranſit dies in qua homines non loquantur de operibus Dei quæ fiunt miniſterio cœlorum & ſtellarum. Jam enim incitamur ad loquendum de Deo propter pluviam ſalutarem, jam propter aëris ſerenitatem, jam propter ſubminiſtratum calorem: jam miramur acerbum frigus omnia conſtringens; jam miramur mirabilem illum effectum, quando tam ſubitò liquidus aër cogitur in denſas nubes, in grandines, in nives, in ignes & fulgura atque in horrenda tonitrua. Nec illa fiunt in hac tantùm vel illa terra, ſed ſic omnia ſunt diſpoſita & ordinata per ſapientiam Divinam ut nulli nationi ſub cœlo deſit dies & nox, æſtas & hiems, pluvia & ſerenitas, frigus & calor. Hæc, inquam, verba, h. e. effectus, dimanant per univerſum orbem, & nullus eſt locus qui cœlorum deſtituatur quotidiano beneficio. Et quia nullum ſidus cœleſte præclariùs Dei atteſtatur majeſtatem quàm *Sol* ipſe, ſpecialem ejus facit Propheta mentionem, nempe quòd Deus ei tanquam *ſponſo thalamum* in cœlo collocavit, hemiſphærium inferius *tabernaculum* ejus vocans, unde *Sol* manè *egreditur tanquam ſponſus de thalamo ſuo*, omnibus creaturis lætantibus ad aſpectum aurei illius orbis. Et Sol quoque ipſe *quaſi exſultans gigas* ſtrenuè exſequitur injunctum officium, *currens viam ſuam*, Zodiacum in anni ſpatio circuiens, quo omnibus mortalibus calorem ſuum ſubminiſtret, & nihilominus per ſingulos dies motu Primi mobilis diem ſua præſentiâ & noctem abſentiâ conſtituens. Porrò D. Paulus Rom. 10. hunc verſiculum, *In omnem terram exivit*, &c. citat allegoricως, ſicut & Gal. 4. dicit per duos filios Abraham ſignificari *duo Teſtamenta*. Per *cœlos* igitur ſignificantur hîc Apoſtoli, qui per orbem divulgaverunt Solem juſtitiæ Chriſtum Dominum, haud ſecus quàm cœli Solem ſuo motu in omnem deferunt terram. Et cùm ſic piiſſimè ſentiamus de Salvatore noſtro, mirum eſt quantas hîc excitet tragœdias בעל נצחון, qui impium os ſuum in hæc laxat verba. לשמש שם אהל. כתוב בכפריהם . זהו ישו אשר חריא נעשירה אהלו כאשר היה עובר במעיה והוא ישו כחתן וגו' ובכן כל חכם לב יבין וישכיל שאין ממש בכל דבריהם ואינו אלא דברי בידוי. וכשהם אומ' כי כל הנביאים נבאו עליו אומר אני כי כל הנביאים אמרו שלא לשמע לו: משה אמר. כי יסיתך אחיך בן אמך וזה ישו עתיד לומר שהוא בן אם ולא בן אב: ירמיה אמר ארור הגבר אשר יבטח באדם וזהו ישו: ואין אין יכולין לומר כי ממעי אמו אשר שם שם אהלו כחתן יצא לרוץ אורח. הלא מלולך יצא ושוכב בעריסו כשאר ילדים. ועוד ממעי אמו אין אתה יכול לקרות אהל. הא אין קורי אהל אלא דבר שמאהיל למעלה ולא למטה וישו כשהיה במעי אמו רחם אמו סבבו בין מלמעלה ובין מלמטה מתחתיו והוא היה כרוך בשלייא מראשו ועד רגליו: Parce, lector, quòd tam abſurda hîc annotavi: quod alio animo non feci quàm ut videas quàm craſſum intellectum Jehudæi habeant in his locis ubi de myſteriis agitur Chriſti.

7. *Lex Domini immaculata*] Prædicat Propheta in hoc & ſeq. verſiculis Legem Domini, quam Dominus populo ſuo præſcripſit, veluti incomparabile donum, quippe quæ Dei cognitionem homini oſtendit quantum illud externâ fieri poteſt doctrinâ. Vocat autem eam תורה *documentum*, quòd normam oſtendat rectè vivendi & agendi, vocat & עדות *teſtimonium*, quòd de voluntate Dei nobis afferat teſtimonium: vocat פקדים *commiſſiones*, quòd complectatur ea quæ Deus nobis vult eſſe commendatiſſima: vocat מצות *præcepta*, quòd contineat præcepta affirmativa & negativa; affirmativa, quæ exigit à nobis Deus; negativa, quæ vetat: vocat quoque משפטים *judicia & edicta* quòd omnia recto judicio fieri in ea decernantur.

12. *Errores* (ſeu *ignorantias*) *quis intelligit?*] Docet hîc Propheta ut, quantumlibet ſoliciti ſimus nè impingamus, ſatis tamen cavere non poſſimus quin in multis labamur & ignoranter peccamus, multaque in nobis eſſe peccata quæ noſtram fallere poſſunt conſcientiam, etiamſi nobis conſcii non ſimus. Orat igitur Propheta ut ab illis occultis delictis & affectibus repurgetur.

VATABLUS.

VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Firmamentum* הרקיע] *Expanſum*, vel *extenſio*: i. e. Ipſe aër & tota cœli exactiſſima ſtructura teſtatur quàm eleganter & ad amuſſim operetur Deus manibus ſuis. Vox Hebræa רקיע, pro qua *expanſum* ſive *extenſionem* vertimus, pro *cœlis* & *aëre* accipitur, qui ſunt *expanſi velut pellis*, juxta illud Pſal. 104. 2. *Qui extendis cœlum ſicut pellem.* Oſtendit hîc excellentiam Dei partim à cœlo condito & toto mundi opificio; partim à Lege, quam abſolutiſſimam prædicat.

2. *Diei eloquitur* ליום יביע] *Ad diem eructat:* i. e. Dies una abunde alteram docet quàm potens & magnus ſit Jehovah. Alii volunt ליום *diei* eſſe genitivi casûs, ſubaudientes participium, ſic, *Dies* ſuccedens *diei eructat* [ſive, *fundit*] *verbum*: nè quis diem narrare diei exiſtimet, ſed nobis: q. d. Singuli dies nobis loquuntur potentiam Dei, poſterior dies ſemper auget ſcientiam. *Eructare verbum* pro *eloqui*. Alii in eandem ſententiam vertunt, *Dies de die eructat verbum. Dies de die*, i. e. dies ſubſequens præcedentem. Viciſſitudo illa dierum ac noctium perpetuo ſuo curſu & ordine Dei potentiam & ſapientiam concelebrant. Nam Deus per ſapientiam ſuam cœlo certum illum & conſtantem motum indidit.

3. *Non* eſt *ſermo*, *nec* ſunt, &c. אין אומר ואין דברים וגו'] i. e. Nulli ſunt populi, quantumvis differant linguis, quos non doceat communis cœlorum ſermo, & præconium quod Creatori ſuo reddunt: nec quicquam præter ſocordiam obſtat quominus alieniſſimi quique quaſi ex ore unius Doctoris proficiant. Quidam non ſatis rectè vertunt, *Non* eſt illis *ſermo*, *nec ſunt verba, neque auditur vox eorum*, attamen *in omnem terram*, &c. q. d. Muti

Muti ſunt cœli, neque ut homines fari poſſunt ut potentiam Dei extollant; attamen in ipſam terram, &c.

4. *Exivit linea eorum* יצא קום] *Dimanavit filum eorum*; vel, *directio*, aut *ædificium eorum*. Alii, *amuſſis eorum*: i. e. ſtructura eorum ad amuſſim facta. Id eſt, in extremis quibuſque terræ partibus conſpicitur illa fabrica corporum cœleſtium quaſi ad amuſſim facta, quæ eſt vice verborum. Pro *linea* & *amuſſi* quidam vertunt *ſcripturam*, quòd in cœlis tanquà in volumine omnibus conſpicuo deſcripta ſit Dei gloria, & ſimul indita illis ſit ſonora vox quæ ad omnium aures perveniat. Atque Jeſ. 28. 10. קו pro *verſu* ſive *ſcriptura* poni dicunt, ubi dicitur, *Præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum*; *verſus ad verſum, verſus ad verſum*, &c. Senſum itaque talem eſſe, Gloriam Dei non obſcuris literulis notatam, ſed ſplendido charactere expreſſam eſſe, cujus lectio omnibus expoſita ſit ac facilis. Quidam allegoricè Paulum ad Rom. 10. 18. locum iſtum adduxiſſe ſcribunt, dicentes ſonum Euangelicæ prædicationis per Apoſtolos factæ perveniſſe in omnes terras. Verùm ſi propiùs locum Pauli intueamur (ut doctus quidam admonet) Paulus à literali ſenſu hujus loci non receſſit. Nondum enim Apoſtolorum prædicatio exierat in regiones longinquas, Judææ finibus adhuc incluſa. Sed cùm Judæi ſpecie ſacrilegii non carere ducerent quòd Paulus ſalutis promiſſionem Gentibus vulgaret, quærit an non ipſæ quoque Gentes audiſſent: Ac reſpondet ex hoc loco, apertam illis fuiſſe ſcholam in qua pietatem & Dei cultum diſcerent, quia *In omnem terram exivit* &c. volens dicere, jam anteactis ſeculis Deum pateſeciſſe Gentibus ſuam gloriam: atque hoc amplioris doctrinæ fuiſſe præludium. Nam etſi ad tempus ſeparata fuit electi populi conditio à Gentibus, mirum tamen videri non debere quòd utriſque tandem Deus promiſcuè ſe patefaceret, quos pridem communiter ad ſe invitaſſet. ¶ *In ipſis* בהם] Sub. *cœlis*. Domicilium, inquit, circumſcripſit in cœlis ipſi Soli, ut illic tanquam in ſublimi theatro meliùs conſpiceretur.

5. *Gaudet ut potens* ישיש כגבור] *Exſultat ut gigas*, aut, *velut heros*. Fut. Heb. pro præſ. Vel, *exſultare ſolet ut potens*, aut *athleta & curſor, ad currendam viam*, i. e. ad decurrendum ſpatium ſuum. Ubi, inquit, ortus eſt Sol, peragit curſum ſuum prompto, læto & alacri animo, quemadmodum alacri & generoſo animo tendit curſor ad metam ſibi in ſtadio propoſitam. De ortu Solis loquitur.

6. *Et revolutio ejus* ותקופתו] *Et recurſus ejus*; *circuitio*; *luſtratio*. Per *extrema cœli* intelligit quatuor cœli partes, Ortum, Occaſum, Meridiem & Septentrionem: q. d. Curſus Solis, quem tam celeriter peragit, eſt ab Oriente ad Occidentem: ab altero extremo cœlorum eſt egreſſus ejus, & recurſus ejus uſque ad alterum extremum. ¶ *Et non* eſt qui *abſcondat ſe* ואין נסתר] *Et nihil eſt quod abſcondatur*. Nihil eſt ad quod non perveniat calor ejus. Sol, præterquam quòd totum cœlum luſtrat, emittit calorem, ſine quo vivere non poſſumus. Sentiunt omnia calorem Solis vivificum.

7. *Perfecta* תמימה] *Immaculata, ſincera, integra*. Sub. *Legis* nomine non tantùm intelligit regulam juſtè vivendi, vel decem præcepta, ſed comprehendit totum fœdus quo Deus populum illum à reliquo mundo diſtinxerat, ac totam Moſis doctrinam, cujus partes deinde enumerat ſub vocibus *Teſtimonii*, *Statutorum*, & aliis: neque enim hæc Legis commendatio ſolis decem præceptis quadraret, niſi accederet adoptio gratuita, & quæ ex ea dependent promiſſiones. ¶ *Convertens* משיבת] *Reſtituens, recreans*; i. e. hilaritatem animo pariens: q. d. Certiſſimum eſt cœlos commendare virtutem Dei cùm ob motum regularem, tum ob ſingulare Solis jubar; ſed ſi illa commendatio cœlorum componatur cum commendatione quæ provenit ex contemplatione Legis Dei, nihil eſt. Cœli quidem miro artificio creati ſunt, & ob id Divinam potentiam oſtentant; at Lex Dei eſt omnibus numeris abſoluta. ¶ *Teſtimonium Jehovæ fidele* עדות יהוה נאמנה] *Teſtimonium Jehovæ firmum: conſtans: verum*: q. d. Doctrina Dei (quæ alio nomine dicitur *teſtimonium*, quòd teſtetur nobis ejus voluntatem) fallere non poteſt. Repetitio eſt proximæ ſententiæ, ut *Legis integritas & fides* atque *veritas teſtimonii* idem valeant; nempe ubi nos Dei verbo regendos tradimus, non eſſe errandi periculum, quia certò hâc viâ Dominus ſuos in ſalutem dirigit. ¶ *Parvulum* פתי] *Imperitum, ſimplicem*.

8. *Præcepta* פקודי] *Mandata. Juſſa. Recta* vocat *præcepta*, quæ rectum ad vitam iter docent, non flexuoſum, quale docet caro & cautio humana. ¶ *Præceptum* מצות] Mutatio numeri à plurali ad ſing.

9. *Mundus* טהורה] *Purus, ſincerus*. Quidam vertunt *Religio* [vel, *Reverentia*] *Jehovæ ſincera eſt*. *Timorem* vocat doctrinam quæ nobis præſcribit quomodo Deum timere oporteat. ¶ *Judicia* משפטי] *Judicia Dei* vocat Leges quibus Deus oſtendit quid judicet agendum eſſe. Leges, inquit, à Deo latæ ut juxta illas vivamus, ſunt veræ, h. e. nihil habent impoſturæ: ſunt etiam per omnia juſtæ. ¶ *Juſtificata ſunt pariter* צדקו יחדו] *Juſta ſunt ſimul*, vel, *ſimulque juſta*: q. d. Omnia ad unum ſine exceptione recta ſunt, nihil in eis maculæ aut vitii deprehenditur, ſed abſoluta ſunt omnibus numeris.

10. *Et quam aurum multum* ומפז רב] *Et quàm obrizum multum*. Vox Hebræa פז ſign. *aurum obrizum*, i. e. defæcatius, fortius & repurgatius: ſignificat & *gemmas excellentiſſimas*. Chald. *aurum defæcatiſſimum Ophir*. ¶ *Et ſtillatione favorum* ונפת צופים] *Et liquore favorum*. Repetitio eſt: nam mel eſt liquor favorum. Alii vertunt *& ſtillatione, placentis melle confectis*, i. e. dulciora ſtillatione favorum, aut aromatis, dulciora, inquam, placentis melle confectis.

11. *Etiam ſervus tuus illuſtratur in eis* גם עבדך נזהר בהם] *Servus quoque tuus admonetur per ea*: ſub. *quid illi agendum*. Aut, *cautior redditur*, ſub. *in rebus agendis*. Teſtatur David ſe proprio experimento probè tenere quicquid hactenus docuit: fatetur namque quicquid habet prudentiæ ad regendam & formandam vitam ex Lege Dei ſe adeptum eſſe.

12. *Errores quis intelligat?* שגיאות מי יבין] *Errata quis intelligat? Ignorantias quis intelligere poſſit?* Hâc exclamatione oſtendit quomodo accipere conveniat promiſſiones Dei, quibus addita eſt conditio, nempe ut quiſque vitam ſuam examinet; nec facta modò ſua ſed cogitationes etiam exigat ad perfectam illam juſtitiæ normam quæ in Lege traditur. Dicit David pluribus Satanæ fallaciis nos implicari quàm ut quiſque centeſimam malorum ſuorum partem intelligat.

13. *A ſuperbiis prohibe* מזדים חשך] *A flagitiis cohibe. Ab inſolentiis averte* [vel, *retrahe*] *ſervum tuum*, Per *ſuperbias* intelligit apertas tranſgreſſiones quibus adjuncta eſt contumacia. ¶ *Perfectus* איתם] *Integer, ſincerus*. ¶ *Et mundus ero à prævaricatione magna* ונקיתי מפשע רב] *Et innocens ero à tranſgreſſione gravi*. Alii, *& mundabor à ſcelere grandi*.

14. *Sint ad placitum* יהיו לרצון] Hebraïſmus, pro *Complaceant. Sint accepta*, vel *grata*, ſub. *ſibi*. ¶ *Petra mea, & redemptor mi* צורי וגאלי] *Rupes mea, & liberator meus*: vel, *propugnator meus, & vindex meus*.

C L A R I U S.

DUo agit in hoc Pſalmo Propheta. Primò magnificam Dei potentiam prædicat quæ in cœlorum mirabili opificio & ſtructura tantâ majeſtate ſeſe contuentium oculis ingerit, præſertim qui advertunt motum, lucem, calorem, vim influentem, magnitudinem & numerum ſiderum, &c. ut qui neſcit magna Dei in hac mundi admiranda ſtructura comtemplari miracula, hoc hymno admoneatur & ad conſiderandum provocetur. Deinde ad prædicandam Dei Legem convertitur, & quaſi factâ utriuſque rei comparatione, multò eam hâc mundi fabricâ illuſtriorem canit.

1. *Cœli enarrant*] Chaldæus Interpres ſic exponit, *Qui contemplantur cœlos, enarrant gloriam Domini; & opera manuum ejus demonſtrant, qui rimantur æthera*, ut illud *æthera* exprimat quid per *cœlos* ſignificarit: & magis proprium eſſe quidam putant quàm ſi dicatur *firmamentum*, cùm RAKIA *expanſionem* non *firmitatem* ſignificet, & Moſen hâc appellatione vocaſſe cœlos; cui etiam externi conſentiant. Nam Ariſtoteles in libro De mundo ſcribit, cœli ſiderumque naturam hoc nomine appellari, origine hujus vocabuli indè ductâ quòd *ſemper currat*: nam αἰθὴρ quaſi ἀεὶ θέων.

2. *Dies diei*] Hic verſus variè exponitur. Quidam hunc afferunt ſenſum, *Dies de die loquitur, & nox de nocte ſcientiam monſtrat: unde diſcimus, ſicut prioris ratio fuit, ità & poſterioris futuram, perſeverantibus ſuo ordine Solis ortu & occaſu*. Alius ſic, *Sicut dies ſuccedit diei, & nox nocti, ità perpetuò gloria & majeſtas Dei innoteſcit per nova opera, quæ per virtutem & influxus cœlorum quotidie in his inferioribus efficit locis, ut homini nunquam deſit occaſio loquendi & laudandi Deum*: unde ſequitur, *Non ſunt loquelæ*, &c. Si ergò ſic intelligas, quemlibet diem & quamlibet noctem nova Dei opera depromere, quibus Dei potentia, ſapientia & bonitas peculiariter manifeſtetur, ſimile erit hoc, *Dies diei loquitur*, verſiculo illi *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies*. Chaldæus reddidit, *Dies diei apponit & manifeſtat verbum, & nox nocti diminuit & nunciat ſcientiam*. Quibus verbis fortaſſe exprimere voluit illas vices incrementi ac diminutionis, dum adjungitur diei quod adimitur nocti, & contra: quem ordinem & alii ſapientes viri ſunt admirati.

3. *Non ſunt loquelæ*] Nullum eſt idioma nec ulli ſermones quibus audita non ſit vox illorum, nec tam barbarus populus ad quem horum notitia non pervenerit. Alius ſic interpretatur,

Nunquam tranſit dies in qua homines non loquantur de operibus Dei quæ fiunt miniſterio cælorum: nam Pluvia, Serenitas, nunc Caloris nunc Frigoris viciſſitudo, Grandines, Nix, Ignis, Fulgura, Tonitrua, Fulmina, & ejuſmodi materiam præbent commemorandi mira opera Domini. Alius ſic vertit, *Non ſermo & non verba, non auditur vox eorum. In omnem terram*, &c. ut ſit ſenſus, Etſi ſine voce ſunt cœli, ordo tamen ad amuſſim compoſitus pro voce eſt.

4. *In omnem terram*] Paulus Rom. 10. hoc teſtimonio uſus eſt per ſimilitudinem, quòd ſcilicet ità Apoſtolorum prædicatio mundo fuerit declarata quemadmodum cœli gloriam Dei prædicant in quavis orbis terræ parte. In eundem ſe habet modum & illud 2 Cor. 8. Cùm enim hortaretur ut Corinthii ex ſua abundantia ſarcirent fratrum in Judæa inopiam, ſubjecit, ſicut ſcriptum eſt, *Qui multum, ei nihil redundabat; qui parùm, ei nihil deerat*: non enim negat id ſcriptum fuiſſe de manna Exod. 16. ſed vult hortari ut ità ſtuderent ſancti res vitæ æquare ut manna olim ex æquo populo tribuebatur. Sic de Bove triturante 1 Tim. 5. & 1 Cor. 9. Porrò quod ait, *Sonus eorum*, in Hebræo eſt *linea*, vel *directio*, vel *ædificium eorum*. Ut diſcamus in ejuſmodi locis ſenſum magis quàm verba exprimere. ¶ *Soli poſuit*] Cùm nullum ſidus cœleſte præclatiùs Dei atteſtetur majeſtatem quàm Sol ipſe, jam ad ejus ſpeciem commemorandam accedit; nempe quòd Deus ei tanquam ſponſo thalamum in cœlo collocarit, vocans *tabernaculum ejus* hemiſphærium inferius, unde Sol manè *egreditur tanquam ſponſus de thalamo ſuo*. Quam Sponſi ſimilitudinem poſitam putant quòd mos eſſet Hebræis, qui etiam nunc obſervetur, ut ſub expanſo velo ſponſo ſponſam tradant è quo cùm progreditur, cunctos exhilarat, & nuptiarum feſtum inchoatur. Ad quod & Joannes alluſiſſe viſus eſt cùm diceret, *Amicus ſponſi gaudet ad vocem ejus*. Sic exoriente Sole & aureum os orbi proferente, creaturæ omnes mirum in modum recreantur. Laudatur & ejus pernicitas, quæ dos præcipuis Heroibus tribuitur. Unde & Homerus ſuum Achillem πόδας ὠκὺν ubique prædicat: quam dotem & David ſibi donatum memoravit. Hæc verò quaſi diſſimilis ſimilitudo, quâ Sol Heroi comparatur, non caret gratiâ, ſicut & cùm nubes ac cœlos *Dei tabernaculum* facit, motum ventorum quaſi *remigium alarum*, & tonitruum *vocem*, ſic *ſagittas* ejus fulmina. Nam hæc diſparilitas objecta animo ſtupere Dei amplitudinem facit, quam collatam rebus humanis, videt nullis quamlibet excellentibus apud nos poſſe conferri.

7. *Lex Domini*] Hactenus, inquit, dixi cœlos gloriam Dei prædicare, quod magnum quidem & præclarum eſt: at nihil eſt ſi *Legi Domini* conferatur. Ea enim *ſincera*, perfecta & abſoluta eſt, nihil mutationis admittens, nihil continens inſinceri, cùm in cœlis lucis viciſſitudo & aliæ mutationes multæ obveniant. *Animos* hominum hæc verè *reſtituit* & in æternum recreat, cùm cœli tantùm corporibus opitulentur. *Fidele & certum* eſt teſtimonium Domini in Scripturis, at cœlorum ſæpe variat & immutatur. Cœli ſapientiæ quidem Dei præclarè admonent, at Scriptura etiam *imperitis ſapientiam ſuppeditat. Juſſa Domini æqua & recta* ſunt, in quibus nihil deſiderare queas; at cœlorum lux obliqua & ſui diſſimilis fit. Præterea *exhilarat* illa *cor* gaudio ſpirituali & ſempiterno, cœli autem ſuâ luce ad tempus tantùm, & evanidam lætitiam afferunt. *Præcepta Dei pura* ſunt, quibus nihil iniqui admixtum eſt; at cœlorum lucem ſæpe terræ nubes obſcurant: tum hi *oculos* corporis, illa mentis *illuminat*. Lampas cœlorum mirâ quidem puritate pollet, at *purior timor* & religio *Domini*: obtinet illa ordinem & curſum ſuum dum hoc ſeculum perſtiterit, at *ultra ſeculum hoc* ſtat obſervantia Dei. *Judicia Dei vera* ſunt, at ſæpe judicia aſtrorum fallunt. *Juſta* ſunt *per omnia*, ut nullâ unquam ſui parte non obſervanda exiſtant, ſed ab indicatura ſiderum plerumque recedere oportet. Lux ipſa plerumque deficit, cùm vita quam præcipit Scriptura æterna ſit. Per hanc Legem & ipſe Dominus Deut. 4. ſuum populum teſtatus eſt univerſos alios antecellere, hanc & Salomon & Paulus vehementer commendant. In hoc autem Pſalmo Propheta eam variis nominibus appellat & celebrat, & etiam in Pſal. 119. Vocat eam *legem* vel *doctrinam*, quòd vivendi ac rectè agendi rationem præſcribat; *teſtimonium*, quia de voluntate Dei nobis teſtatur; *juſſa* vel *mandata*, quòd contineat quæ nobis Deus imperat obſervare; *præceptum*, quòd in ſe habeat & quæ exigit à nobis Deus, & quæ vetat; *timorem* vel *reverentiam* potiùs *Domini*, quòd timere Deum doceat, & veram ingerat religionem; *judicia* vel *edicta*, quòd recto judicio agere omnia inſtituat.

9. *Juſtificata per omnia*] h. e. Modis omnibus æquiſſima. Græcus habet ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id eſt, *in idipſum*. Alius vertit *pariter*.

11. *Cuſtodit ea*] Alius vertit *admonetur per ea*. ¶ *In cuſtodiendis*, inquit, *illis retributio multa*] Ipſa ſiquidem obſervatio merces per ſe ampliſſima eſt.

12. *Delicta quis intelligit?*] Cernens ſe non poſſe integrè Legi Dei operam dare niſi mundo corde fuerit, rurſuſque nimis lubricam eſſe hominum vitam, & irrepere tam latenter vitia ut ſæpe & ſanctos fallant, precatur ſe *ab eis occultis liberari*, & ab iis affectibus qui fallere poſſunt conſcientiam noſtram: idcirco ait,

13. *Et ab alienis parce ſervo tuo*] Vel *prohibe ſervum tuum*. Alius vertit *ab inſolentiis*; alius *à flagitiis*; ne ſcilicet videretur reliquorum & craſſiorum peccatorum jam ſecurus. Sunt qui per *alienos* intelligant malorum ſocietatem, à qua ſervari ſe oravit. Sed non diſplicet quòd hic petat ſe liberari præcipuè à ſuperbia & faſtu, qui ſi ei non fuerit *dominatus*, à gravi quovis ſcelere futurus ſit alienus. Poſtremò concludit Pſalmum ſolito epiphonemate, *Domine, adjutor meus & redemptor meus.*

DRUSIUS.

2. וְלַיְלָה לְּלַיְלָה יְחַוֶּה־דָּעַת. Sym. *nox nocti indicabit ſcientiam*, καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγελεῖ γνῶσιν.

3. אֵין־אֹמֶר וגו׳. Sym. Οὐ ῥήσεσιν, οὐ λόγοις ὧν οὐκ ἀκούονται Φωναί, *non verbis, non ſermonibus, quorum non audiuntur voces*] Apud Interpretem Theodoreti, *non verba, neque ſermones*, i. e. οὐ ῥήματα οὐδὲ λόγοι. Aliàs ῥῆσιν, *dictionem*, & mox, ποιήσῃ.

4. בְּכָל־הָאָרֶץ יָצָא קַוָּם. Sym. ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν, *ſed in omnem terram exivit ſonus eorum*. Aq. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ κανὼν αὐτῶν, *in omnem terram exivit regula ipſorum*. ¶ לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם. A. Sym. Th. τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς, *Soli poſuit tabernaculum in ipſis*. Juſtinus Martyr Quæſt. ξγ'. Syra interpretatio, ἐν αὐτοῖς ἔθετο τοῦ ἡλίου τὸ σκήνωμα, *In ipſis poſuit Solis tabernaculum*.

12. שְׁגִיאוֹת. A. ἀγνοίας, *ignorantias*.

13. גַּם מִזֵּדִים חֲשֹׂךְ עַבְדֶּךָ. Sym. καίγε ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σου, *etiam à ſuperbis conſerva ſervum tuum*.

AMAMA.

DOcet David duos libros homini à Deo propoſitos, Naturæ & Scripturæ, ex quibus cognoſci poſſit. At prioris inſtitutio imperfecta eſt & non ſalutaris, niſi accedat inſtitutio ex poſteriori. Notitia quæ ex primo hauritur, niſi augeatur ex ſecundo, eò tantum tendit ut homo conſtituatur inexcuſabilis. At ſi augeatur ex ſecundo, ducitur homo ad Chriſtum, & per Chriſtum ad æternam felicitatem.

2. *Cœli*] Omnes tres.

Enarrant] i. e. Tam luculenter & evidenter demonſtrant ac ſi narrarent. Enarrare dicuntur, qui faciunt homines enarrare Dei potentiam, ſapientiam, ex motu ſuo perpetuo, ex eleganti ſua ſtructurâ, ex potentibus influxibus, cæteriſque effectis. Sic Kimchi & alii. At Maimonides putarunt cœlos eſſe animatos & ratione præditos, atque ita propriè celebrare Deum. At Kimchius ſanior eſt, & confer cum loco Jobi, 12. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatile cælorum, & indicabunt tibi, aut virgultum terra, & docebit te, & narrabunt tibi piſces maris*, ſcil. Dei potentiam. Virgultum terræ inquit, quemadmodum Poëta,

Præſentem loquitur qualibet herba Deum.

רָקִיעַ idem aliis verbis, Æquè late patet ac שָׁמַיִם, ſed ut hoc ità & illud aliq. reſtringitur ad unum cœlum, aut unam regionem. Unde Gen. 1. aves dicuntur volare in רָקִיעַ. Propriè ſign. expanſum, *eine außſpannung*, *uytſpanſel*. Vide Cenſuras. Pſal. 104. 2. Extendit נוטה cœlos tanquam aulæum. רקע quid propriè ſignificet docet locus Ex. 39. 3. וַיְרַקְּעוּ & extenderunt bracteas auri. Poteſt tamen hic præcipue firmamentum intelligi, i.e. cœlum ſtelliferum. Sed cur non & ea aëris regio in qua meteora? nam & horum conſideratio in ſummam admirationem hominem rapit.

LXX. Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ, ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. 2. Ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα, καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν.

2. Italus diſſentit à cæteris, *Hoc expanſum die poſt diem*, i. e. aſſiduè *eructat ſermonem*. Alii, *dies diei*. Piſc. *Dies poſt diem*, i. e. ſinguli dies, ſic poſtea, *nox poſt noctem*. Gen. 7. 4. לְשִׁבְעַת יָמִים poſt 7. dies.

Sermonem] De virtutibus Dei, Potentia, ſapientia, bonitate.

Eructat] Indeſinenter & copioſe profundit ſicut fons perennis aquas. נבע *ſcaturivit*, *ebullivit*, de aqua. Prov. 18. 4. *ſicut torrens ſcaturiens, vena ſapientiæ*. Unde מַבּוּעַ ſcatebra, fons, origo.

otigo. Metaph. eructare, fundere, effundere verba, Virg. *talia fundebat lacrymans*, Vulg. *eructat*, Lov. *worpt op*. Belg. *ſeid het*. Ald. *beſtelt reden uyt*. Gen. *desgorge*; i.e. præbet largam materiam celebrationis & laudis Dei.

[יְחַוֶּה] Indicat. Diſtinguendum חיה *Vixit*, idemque חוה, ut מות & מת, unde חַוָּה ſic dicta quod ſit mater omnium viventium, i.e. hominum: Nam ut à morte ſoli homines mortales dicuntur, ita & hic à vita viventes. Lxx. Εὔα, quæ vox coincidit cum Chald. & Syr. חִיוָא beſtia & ſerpens fœmina, Epiph. contra hæreſes Tom. 2. Eva citra aſpirationem Ebræis mulierem, cum aſpiratione ſerpentem ſignificat. O tenebras!

4. Jun. Gen. *Non eſt ſermo, non ſunt verba* [*illis*.] *Sine* [*bis*] *tamen auditur vox eorum*] Prolepſis, quâ explicat ſuperiorem proſopopœiam, non loquuntur ut homines, & tamen vox eorum auditur, i.e. ab omnibus intelligitur eorum doctrina. Alii tamen ſicut Piſc. *Nullus eſt ſermo, nulla ſunt verba* [*in quibus*] (Belg. & Ang. *ubi*) *non intelligatur vox eorum*: i.e. nulla natio, nulla gens tam barbara, quæ non intelligat hanc vocem cœlorum. NB. Sermo, & verba pro hominibus certo ſermone utentibus, Dan. 3. 4. *O populi, nationes, & linguæ*, & 5. 19. Apoc. 5. 9. *ex omni tribu, & lingua, populo, & natione*. Omnes enim ſunt ratione præditi, quâ ratiocinantur ab effectis ad efficientem, à præſtantia opificii ad præſtantiam opificis. Hæc vox cœli qua potentia Dei enarratur non eſt una quædam dialectus aut idioma quod pauci intelligunt, ſed talis ſermo quem omnes intelligunt.

Ital. ſic: *Nullus eſt ſermo, nulla verba ſunt* [*illis*,] *non auditur vox eorum*: 5. *Sed in omnem terram* &c.

5. [קַוָּם] Legerunt קוֹלָם. Lxx. ὁ Φθόγγος αὐτῶν. Sic & Vulg. *ſonus eorum*, à Φθέγγω, unde & diphthongus. Genebr. fatetur Ebr. eſſe *linea eorum*, i.e. ſtructura ad lineam & amuſſim facta. It. *regulata fabrica eorum*. Sed & Aq. ὁ κάνων αὐτῶν, i.e. regula, hæc fabrica accuratiſſima & inimitabilis, hoc ſtupendum opificium in omnibus terræ angulis perſonat Dei Omnipotentiam. Apoſtolus hæc verba accommodat ad prædicationem Apoſtolorum Rom. 10. 18. Prædicatio Apoſtolorum non minus in toto terrarum orbe perſonuit, quam murum illud cœlorum præconium. Piſc. *præſcriptum, delineatio eorum*, q.d. cœli admirabilis ſtructura, ſtellarumque ordinati curſus omnibus hominibus præſcribunt, quid de Deo ſentire debeant.

Soli poſuit] Deus aſſignavit Soli tabernaculum ſeu tentorium, i.e. habitationem, locum ordinarium in illis, ſcil. cœlis. Id explicat Kimchi בְּאֶחָד מֵהֶם *in uno ex illis*, non in primo, non in tertio, ſed ſecundo. Et rurſus hic in 4. orbe. Sunt enim orbes 8. Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus, & ſtellæ fixæ. At non opus eſt hâc ſubtilitate. בהם reſpicit vocem non ſenſum. *In illis cœlis*, i.e. cœlo collective ſumpto. Ita quoque Th. Sym. Aq. τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς. Quò magis admiranda eſt verſio Lxx. ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*. Dato ל hic eſſe pro ב, ubi erit pronomen αὐτοῦ? quid fiet voci בהם? Vulg. hanc verſionem ſecutus, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*: Ita & Lovan. & in Picturis Pontificiorum. Hæc verſio Manichæis craſſiſſimi erroris anſam præbuit, teſtibus Auguſtino & Sixto Sen. Chriſtum vid. in aſcenſione corpus ſuum reliquiſſe in globo ſolari, illudque illic nobis adorandum reliquiſſe; unde docebant Chriſtum ſine corpore ad Patrem aſcendiſſe, & Solem ceu Dominici corporis tabernaculum à nobis adorandum. At benè refutat eum errorem Monachus, dicens Ebræum textum aliter legere, ita vid. ut nos legimus. Sed quid tunc fiet Vulgatæ Verſioni? Genebr. ponit hypallagen, pro *Solem poſuit in tabernaculo ſuo*, i.e. *in cœlis*, inquit. Sed ubi tunc בהם? hoc eſſet Ebraice אֶת שֶׁמֶשׁ עִם בְּאָהֳלוֹ. Sed hæc expoſitio Genebrardi ſana eſt & à ſenſu non diſcrepat. Sed quid illud eſt quod ſubjicit? Sed reſpexerunt ad Myſterium, quo in Chriſto vero ſole Deus erat, ac veluti domicilium ſuum habebat, mundum reconcilians ſibi. Sed ſi ſtatuatur illa hypallage, tunc utique nullum myſterium. Et ſi hoc myſterium intendit David, tunc malè ſtatuitur illa hypallage. Dixit Genebr. jam ante in Ebr. eſſe, *Soli poſuit tabernaculum in iis*, tamen valde ægrè dimittit Vulgatæ textum. Addit adhuc aliam explicationem, *Deus poſuit tabernaculum ſuum in Sole, Deus habitat in ſole, in ſole domicilium habet, unde glorioſe illuſtris, & majeſtate plenus apparet*. Hæ nugarum tenebræ diſcutiuntur, ſimul ac textus Ebræi lumen admoveris. Eoque magis miror, Bell. lib. 3. de Eccl. mil. c. 16. ex hac verſione probare Eccleſiam Catholicam eſſe conſpicuam, & Solis inſtar exterius eſſe illuſtrem, adeoque externam viſibilitatem eſſe notam Eccleſiæ.

6. [כְּגִבּוֹר] *Als een held*, Gall. *Comme un homme vaillant*, Jeſ. 5. 22.

7. *Nihil abſconditur à calore ejus*] A calore vivifico, nihil eſt quod non ſentiat calidam & efficacem ejus virtutem. Omnia enim ſui caloris virtute contingit, licet alia plus, alia minus, ſuaque calefaciendi & fovendi vi penetrat abditiſſima quæque etiam terrarum profundiſſima. Kimhi ex Aben. *Calor Solis in mundo eſt inſtar caloris cordis in homine*.

8 *Lex Domini*] Vel, doctrina, inſtitutio, voce generaliter accepta, ut & Νόμος Rom. 3. 27. Includuntur enim hic etiam promiſſiones gratiæ. Verbo, tota doctrina cœleſtis populo Iſraëlitico revelata continens etiam doctrinam de fœdere Dei cum hominibus fundato in Jeſu Chriſto.

[משיבת] Reducens, reſocillans, Metaph. à deliquio animi.

[פֶּתִי] Vide de hac voce ad Prov. Salom.

10. *Timor Domini*] Quem Dominus requirit, ita Piſc. vel, Regula timoris Domini & totius religionis, quæ verbo Dei comprehenſa eſt, eſt certa & invariabilis, producitque fructus gloriæ & vitæ æternæ in iis qui eam obſervant.

Juſtæ ſunt pariter] Omnes, nullo excepto.

11. [פָּז] Kimchi, פָּז זָהָב טָהוֹר וְחָזָק dicitur & מוּפָז à פזז Roboravit, fortificavit.

[דְבַשׁ] Mel, & dactyli palmarum, quos Arabes etiam Dabuſa vocant. Vide 2. Chr. 31. 5. in Junio.

Deſtillatione favorum] [נֹפֶת] deſtillatio, 2. deſtillatio mellis ex ſavo. 3. Favum. צוּף idem fere ſignificat, ut ſit locutio ἐξ παραλλήλε. Jun. *Melle aceto*, ἀκοιτον ab α & κοίτη cubile, Mel quod per ſe fluit, & non ſidit in ſuo veluti cubili, i.e. foramine, Plin. 11. 15. *In omni melle, quod per ſe fluit, ut muſtum oleumque, appellaturque aceton, maxime laudabile eſt*.

12. *Etiam ſuo tempore commoneſit per illa*, [*quod*] *in obſervatione eorum* &c. Ita Piſc. alii ſimpl. *& in obſervatione* &c.

[בְּשָׁמְרָם] Inf. pro nomine, בשמירתם.

[עֵקֶב] Merces, Metaph. κατεχῶ. Quicquid enim Deus piis rependit pro operibus, non facit ex merito. Opera enim ſunt imperfecta; inquinata, & debita, ſed ex gratia, qua eis condonat peccata & obſequia eorum qualiacunque acceptat. Vox Ebr. quid proprie ſign. vide Pſ. 119. litera ת.

13. [שְׁגִיאוֹת] Tertia ה migravit in א. Lxx. παραπτώματα τίς συνήσει. Ἐκ τῶν κρυφίων με καθάρισόν με, παραπτώματα, *Lapſus, feilen*, propriè, *errores*. Sic Jun. Angl. It. Piſc. Gen. *ſes fautes commiſes per erreur*.

14. *Etiam ſubtrahe ſervum tuum* [מִזֵּדִים] Lxx. καὶ ἀπὸ ἀλλοτρίων Φεῖσαι τοῦ δούλου σου. Legit per ר, זרים Id variè explicant, i.e. ab alienis hominibus, i.e. malis, alienæ religionis, vel, ab alienis peccatis, Parce ſi quid cum aliorum peccatis communicavi. Aliorum peccata poſſunt etiam fieri noſtra. 1 Tim. 5. 22. *Manus cito ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis*. At hæc in aëre ædificantur. Textus Ebr. legit per ד & ſic Chald. מִן זְדוֹנַיָּא. Non perſonæ notantur ſed vitia, Jun. Piſc. *à contumaciis*, Gen. *des offenſes commiſſes par fiereté*, per ſuperbiam, arrogantiam, ex præſumptione, It. *da peccati commeſſi per ſuberbia*. Ang. *præſumptuons ſinnes*. Petit ergo condonationem omnium peccatorum, quæ diſtribuit in peccata infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ, quæ Ebræi vocant peccata per ſuperbiam, זד ſuperbus & ſuperbia, i.e. peccatum ex ſuperbia patratum ut עִם יֵרָא הוֹצֵר רָשׁ pauper & paupertas.

Ne Dominum exerceant in me] Rom 6. 12.

Tunc integer ero.] איתם Vide Gr. Jod non inſertum ſine myſterio, inquit Kimchi. Jod enim in numeris valet X. & decem verbis ſeu præceptis data eſt Lex, & qui ea obſervat perfectus & integer eſt.

15. *Sint in benevolentiam*] i.e. Benevolè acceptentur coram te.

GROTIUS.

4. N*On ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*] Meliùs, *Non eſt illis ſermo neque verba*; *at ſine* (his ſcilicet) *intelligitur vox eorum*: nempe ſignificatio Divinæ ſapientiæ.

5. *In omnem terram exivit ſonus eorum*] Apparet olim duplicem fuiſſe lectionem; קַוָּם [*linea*,] quod nunc in Hebræo habemus, unde ὁ κανὼν [*regula*] eſt apud Aquilam, metaphora ab architectis ſumtâ; & קולם [*vox eorum*,] unde LXX. poſuêre ὁ Φθόγγος αὐτῶν, quos ſequitur, ſimilitudine quadam ab aſtris ad Apoſtolos deſumptâ, Paulus Rom. 10. 18. quomodo & hic Syrus & Arabs, ambo Chriſtiani. Chryſoſtomus, ità ut hic in Græco legitur, citat totum hunc locum, oratione *Chriſtum eſſe Deum*.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum.] In Hebræo: *Soli poſuit tabernaculum in eis*, ſupple *cœlis*. magnificam ei habitationem dedit. Par ſimilitudo Pſalmo 104. 2.

6. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*] De lecto nuptiali

nuptiali, cujus ſimilitudinem refert umbraculum illud, ſub quo ſponſus & ſponſa benedictionem in ſynagoga accipiunt, indè dictum חפה [*velum.*]

Exſultavit ut gigas ad currendam viam] In Hebræo: *ut potens*, id eſt, ſicut Viri Principes equis celeribus currunt.

11. *Et lapidem pretioſum multum*] פז, quod hîc eſt, pro auro ſumunt Interpretes Job 28. 17. *Ophirimum* hîc Chaldæus, unde *Obriſum* dictum putat Hieronymus ad Eſaiam. At hîc LXX. vertunt λίθον τίμιον [*lapidem pretioſum,*] in Pſalm. 119. 127. τοπάσιον [*topazium.*] Indè Heſychius, Πάζιον, ὃ καὶ τοπάζιον, λίθος πολύτιμος [*Pazium, quod & topazium, lapis pretioſus.*]

14. *Et ab alienis parce ſervo tuo*] Legit זרים [*alienis* ſive *extraneis,*] ubi rectiùs eſt זדים. Senſus eſt, Arce me à peccatis quæ ſcienter & volenter committuntur. Nam ea ſunt Hebræis זדים, ὑπερήφανα [*facta ſuperba*] Symmacho. Sic verbum זוד Exod. 18. 11. vertunt quidam ὑπερηφανεύσαντο [*ſuperbierunt*] nec aliter in recepta verſione Dan. 5. 20. Nehem. 9. 10. 16. alibi ἀσεβεῖν [*impiè agere,*] ut Deut. 17. 13. 18. 20. Eſt & ubi vertitur per ἐπιτίθεσθαι [*inſidiari,*] ἀνθίστασθαι [*obſiſtere,*] παραβιάζεσθαι [*vim facere*] ut dicto loco Exod. 18. 11. Jerem. 50. 29. Deut. 1. 43. Et adjectivum quod hîc habemus זד vel זדון vertitur ὑπερήφανος [*ſuperbus,*] θρασὺς [*arrogans,*] ἄνομος [*iniquus,*] παράνομος [*prætergreſſor.*]

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo] Senſus eſt: ſi illa ſuperbia ſive contumacia me non abripiat, tunc à te pro innocenti habebor, liberque ero à delictis ſaltem gravioribus.

PRICÆUS.

7. NUnc cognovi quia ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum] Petrus Act. 12. 11. *Nunc ſcio quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.*

8. *Hi in curribus, & hi in equis*] Judith. 1. 4. de Medorum Rege, *Gloriabatur*, &c. *in gloria quadrigarum ſuarum:* & 9. 6. de Pharaonis Ducibus, *Confidentes in quadrigis, & in equitatu ſuo.*

Ibid. *Nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus*] Vide quæ his ſimilia David 1 Reg. 17. 45. ad Goliathum. Marcus Antoninus, Ἄλλοι μετὰ ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν, ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως, &c. δεινὸς πόθος ἐντέτηκε. Quæ non ob ſimilitudinem ſenſûs, at locutionis, adducimus.

Ibid. *Nos autem in nomine Domini Dei noſtri*, &c.] Quantulum ab his diſtat quod in vita Bruti Caſſius apud Plutarchum dixit? ὁσίων καὶ καλῶν ἔργων ἡγεμόνας, μὴ μόνον ὅπλοις καὶ ἵπποις, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἀρωγαῖς ἐπιθαῤῥεῖν.

IDEM.

8. H*I in curribus, & hi in equis*, &c.] 2 Paralip. 16. 7.

PSALM. XX.

MUNSTERUS.

PRecatur populus in hoc Pſalmo ſalutem Regi David cùm ad bellum proficiſceretur difficile & anceps; gratulaturque illi de victoria Divinitus conceſſa.

2. *De ſanctitate*] i.e. De Sanctuario, vel de ſacratiori loco Sanctuarii.

3. *Incineret*] Senſus eſt, Mittat ignem de cœlo qui abſumat holocauſtum tuum & in cinerem redigat, per quod cognoſcatur beneplacitum Dei. Alii legunt *pingue æſtimet*. Pinguia enim grata erant.

5. *Triumphabimus*] Hebraïſmus propriè habet *vexilla* (ſeu *ſigna triumphi*) *erigemus.*

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Elevet te* ישגבך] *Exaltet te:* i.e. in loco arduo, h. e. tuto, collocet. *Nomen* vocat potentiam ſive majeſtatem. *Deum* autem *Jacob* dicit, quem ipſe Jacob ſummâ religione coluit, quique ipſi Jacob variis afflictionibus exagitato & exercitato affuit. Aut *Deus Jacob* dicitur, i.e. totius Iſraëlitici populi. Hic Pſalmus complectitur populi precationem pro ſalute Davidis. Ajunt Pſalmum hunc ſcriptum fuiſſe cùm geſtum eſt bellum cum Ammonitis 2 Sam. 10. 7. Præterea populo formulam precandi præſcribere pro Rege ſuo.

2. *De ſanctitate* מקדש] *De ſancto*, ſub *loco*, i. e. è Sanctuario ubi erat Arca, ſignum præſentiæ Dei in terra Iſraël. ¶ *Fulciat te* יסעדך] *Firmet te.*

3. *Recordetur omnium ſacrificiorum tuorum* יזכר כל מנחתך] Utinam *olfaciat omnia munera tua*, i. e. grata habeat. *Olfaciat* dicit, quòd thus in illis incenderetur in memoriam offerentis, Levit. 2. 2. ¶ *Incineret* ידשנה] *In cinerem vertas*, ſub. *Deus*, igni cœlitus demiſſo, quo teſtetur ſibi gratum eſſe ſacrificium, Levit. 9. 24. & 1 Reg. 18. 38. Alii, *pingue faciat* vel *ſit*, aut *æſtimet*. In fine verſûs additur *Selah*, ut oſtendatur quanto ardore pro Rege populus debeat orare: q. d. Quàm magnum eſt offerre oblationem Deo gratam! quam magni momenti eſt holocauſtum à Deo probari, & preces ab eo exaudiri!

5. *Exſultabimus in ſalute tua* נרננה בישועתך] *Ovemus in ſalute tua*, i. e. de victoria quâ incolumis potitus fueris. ¶ *Vexillum elevabimus* נדגל] *Vexillum jactemus*, aut *attollamus:* q. d. Utinam habeamus occaſionem attollendi vexillum, more triumphantium. Alii, *vexillum erigemus*. Alii, *triumphabimus.*

6. *Exaudiet illum* יענהו] Quòd *exauditurus ſit illum*. Vel *exaudierit*. Gratulatio in qua recitant fideles ſe expertos eſſe Dei bonitatem in tuenda Regis ſalute. ¶ *In fortitudinibus*, &c. בגבורות ישע ימינו] *In potentiis ſalus dexteræ ejus.* Ordo inverſus Hebræis pro, *in potentiis dextræ ejus eſt ſalus.* Præterea Hebraïſmus eſt, pro, *in forti dextera ejus eſt ſalus:* virtute ſuâ omnes ſervare poteſt.

7. *Nomen Jehovæ*, &c. בשם יהוה אלהינו נזכיר] *Nominis Jehovæ Dei noſtri recordabimur*, id eſt, invocabimus Deum noſtrum: vires illius & auxilium implorabimus, illi ſoli fidentes. Alii, *de nomine Jehovæ Dei noſtri commentabimur.*

8. *Incurvati ſunt, & ceciderunt*, &c. כרעו ונפלו ואנחנו קמנו ונתעודד] *Curvabuntur & corruent: at nos ſurgemus, & erigemus nos.* Præt. Heb. pro fut. quòd de victoria certus eſſet: q. d. Illi, qui omnia dicebant ſe facturos viribus humanis, corruent; nos verò erigemur, ſive erigemus nos in pedes, erectique ſtabimus. Alii, *ſuccumbent & cadent; nos verò ſtabimus & confirmabimur.*

9. *Jehova, ſerva* יהוה הושיעה] Sub. *nos*, vel *Regem*; i. e. Regem tuum benedicendo, totius populi ſervator appareas. ¶ *Rex* ille *exaudiat nos* המלך יעננו] A ſecunda ad tertiam perſonam fit tranſitus, pro, *O Rex inclyte, exaudi:* cujus vices in terra gerunt Reges, annue nobis quoties auxilium tuum imploraverimus. Verti poteſt, *Jehova, ſerva Regem, reſponde*, &c. vel, *ſerva* nos, & *Regem*. Rectius tamen ut vertit noſter Interpres; ut exprimatur ſalutis modus, nempe ut Rex Dei virtute inſtructus ſit ad liberandum populum, quoties ejus opem imploraverint: quia non aliter quàm ejus manu & operâ promiſerat Deus ſuos fore ſalvos.

CASTALIO.

4. V*Ertat in cinerem*] Hoc eſt, *eâ placetur.*

CLARIUS.

QUia hic Pſalmus pro Rege orat, exiſtimant quidam Hebræorum eum ab alio compoſitum eſſe ut pro David caneretur. Sed cur non optaſſet pro ſe David, bellum pro ſalute populi gerente fieri, publicam precem, eamque ut dirigeret, Pſalmum populo compoſuiſſet? Niſi quis magis credat eum partâ jam victoriâ, & prece populi auditâ, Pſalmum hunc compoſuiſſe, ut & populi erga ſe ſtudium declararet, & exemplum proponeret & Principibus & populis ad unum Deum in periculis confugiendi. Credibile autem eſt hoc bellum illud fuiſſe quod ſuſcepit adversùs Ammonitas & Syros, ut habetur 2 Reg. 10. & 1 Par. 19. præſertim cùm *curruum* & *equitum* fiat mentio, quorum ingens eo bello copia fuit. Ut igitur inſigne fuit periculum, ità ſolennem pro Rege ſupplicationem ſuſcipere conveniebat.

2. *De ſancto*] h.e. De ſanctuario, vel de ſacratiori loco Sanctuarii.

3. *Holocauſtum tuum pingueſiat*] Alius vertit *incineret*, hoc eſt, mittat ignem è cœlo qui abſumat holocauſtum tuum & in cinerem redigat, per quod agnoſcatur beneplacitum Dei.

5. *In ſalutari tuo*] *In ſalute tua.* ¶ *Magnificabimur*] Poteſt verti *triumphabimus*, vel *vexilla erigemus.*

6. *In*

6. *In potentatibus*] *Potentiâ ſalutaris dextera ejus*, h. e. Salutiferis omnipotentiæ ſuæ viribus ſuccurret illi.

7. *Invocabimus*] Heb. *recordabimur*.

8. *Obligati ſunt*] Rectius erat *incurvati*; ut opponatur ei, *nos erecti ſumus*.

9. *Domine, ſalvum fac Regem*] Quidam ſic diſtinguunt, *Domine, ſerva; & Rex cœli exaudiat nos in die quâ invocaverimus.* Poteſt & ſic verti, *Domine, ſerva. Et Rex reſpondebit nobis*, hoc eſt, ſtrenuè aget te adjuvante, *in die quo invocaverimus.*

DRUSIUS.

3. יְדַשְּׁנֶה. * φαιδρυνάτω, ςεασάτω] Sumptum ex ed. Rom. In ea ſic legimus, πιανάτω. Scholion, φαιδρυνάτω, ςεασάτω. Valde fallor, ſi non hæc fragmenta Interpretum veterum. φαιδρυνάτω, id eſt, *fauſtum reddat*. Lex. V. φαιδρὸς, *latus, fauſtus, feſtus*. ςεασάτω, *pingue faciat*. Verbum à ςέαρ, ατος. Idem Lexicon, Στέαρ, *ſpaſſum, adeps, pingue*. Integrum locum adducit Theodoretus, cujus verba hæc ſunt apud Interpretem Latinum, *Hoc enim holocauſtum tuum pingueſiat, ità Symmachus explanavit*, [καὶ τὴν ἀναφορὰν σου πίονα ποιήσῃ] *Oblationem tuam pinguem faciat, i. e. Ille qui dedit tranquillitatem ob pacem præcedentis temporis, præbeat tibi anſam ut pluribus ipſum ſacris concilies Oblationem tuam*, i. e. τὴν προσφοράν σου·

AMAMA.

1. לְדָוִד *Davidis*,] Scriptus à Davide, ut à populo recitaretur pro ſe ad bellum progreſſuro. Alii, ut Kimchi, *pro Davide, propter Davidem*, Sic ל. aliq. accipitur.

2. *Exaudiat te*] Ebr. reſpondeat tibi. Contra Deus tacet cum non exaudit. Ita preces noſtræ ſunt colloquia cum Deo.

Elevet te] In locum altum, remotum à periculis, מִשְׂגָּב locus editus, *een hoog vertrek*. Elevet te quaſi in turrim. Salomo Prov. 18. 10. *Turris munita nomen Domini, ad eam confugit juſtus, & exaltabitur.*

Nomen Dei Jacob] i. e. Deus Jacob, Deus eſt nomen ſuum, & nomen Dei eſt ipſe Deus, inquiunt Ebræi, propter ſummam & perfectam ejus ſimplicitatem. Alii Deus nominis per hypall. id eſt, Deus nominatiſſimus & מְהֻלָּל ut ſupra 18. 4. Sic אַנְשֵׁי שֵׁם

3. *Auxilium tuum*] Tibi neceſſarium.

E ſanctuario] E Tabernaculo & quidem S. Sanctorum, ubi erat Arca, quam obtegebant duo Cherubim, inter quos Deus ſpecialiter reſidebat. Alii cœlum intelligunt ex coll. verſ. 7. At ſequens vox Sion docet, hic intelligi Tabernaculum, quod erat in monte Sion. Duplex Sanctuarium, cœleſte, terreſtre, hoc illius typus fuit & aſpectabilis ſedes Dei in Eccleſia.

Sion] Mons celebris verſus meridiem civitatis Jeruſalem, in cujus vertice fuit Arx Davidis, & Regum Judæ Palatium; habuit collem verſus Aquilonem Moria, in quo ædificatum Templum.

4. יִזְכֹּר] *Recordetur*, Alii יָרִיחַ *odoretur*, ſic Jun. & Kimchi, ut deſumat ſignif. ab אַזְכָּרָה *ſuffimentum, odoramentum.*

מִנְחָה] i. e. Thus impoſitum muneribus tuis, & à ſacerdote accenſum. Vox Ebr. in genere ſign. quodvis munus, Gen. 32. quod Jacob Eſavo donavit. 2. Munus quod Deo offertur, ſive ſit animal, ut Gen. 4. *Obtulit Habel de primog. pecudum, & reſpexit Deus ad Habel & ad Mincha ejus.* Ibid. *Obtulit Kain de fructu terræ Mincha.* 3. Cum opponitur זבח vel עֹלָה ſign. oblationem incruentum, *Spijs-Offer*, Ald. *Handt-Offer*. Eratque ex ſimila, thure & oleo, & in clibano, ſartagini vel craticula coquebatur, vel conſtabat ex frumento toſto, ut Levitici initio.

Holocauſta tua] Sic dicta, quod tota, detracta pelle, & extis aræ imponerentur comburenda. Cum & aliis ſacrificiis pars aliqua offerentibus, pars vero ſacerdotibus cederet. Sunt qui ſic dictum volunt, quod ea ſpecies omnes cæteras aſcenderet & excelleret. Omnes ſex ſpecies ſacrificiorum enumerantur Levit. 7. verſ. penult. inter quas una eſt incruenta, cæteræ V. cruentæ.

יְדַשְּׁנֶה] Impinguet vel pinguefaciat, vel pro pinguibus acceptet. Macilentas enim pecudes & mutilas Deus averſabatur. Confer Malach. 1. 13. *Et dicitis, ecce quantum fatigationis, cum exſufflare poſſetis illud, & affertis raptum, claudum, & ægrotum*, & ſeq. q. d. ô hypocritæ cum macilentiſſ. pecudem affertis, quam vel flatu quis diſpellere queat, tamen ſimulatis magnam defatigationem, ac ſi pinguiſſ. pecudem attuliſſetis. Alii ut Jun. It. *in cinerem redigat*. דֶּשֶׁן cinis & pinguedo, דִּשֵּׁן pinguefacere, & in cineres redigere & decinerare, i. e. cinerem removere. Senſus, Deus ſigno aliquo externo oſtendat ſibi grata eſſe ſua ſacrificia, ſicuti ſæpius id factum eſt. Sic Gen. 4. exponunt noſtri illud *Reſpexit*. Sic Davidis ſacrificium igni exaudivit Deus 1 Chr. 21. 26. Et Eliæ ſacrificium 1 Reg. 18. & in dedicatione Tabernaculi Moſaïci Lev. 9. 24. Et Templi Salom. 1 Reg. 8. Quod ad locum Gen. 4. Sic Theod. καὶ ἐνεπύρισεν, *& inflammavit Dominus ſuper Habel, & ſuper ſacrificia ejus, ſuper Cain vero & ſuper ſacrificia ejus non inflammavit.* In utroque autem Templo & portatili Moſaïco vid. Tabernac. & Salomonico ignis ille cœleſtis alendo & fovendo ſemper fuit conſervatus, vocaturque ignis altaris. Alius ignis, *alienus*; punitique graviter à Deo filii Aharonis, Nadab & Abiu, quod ignem alienum intuliſſent. Atque hic eſt ille ignis, qui memoratur inter V. res quæ defecerunt in Templo 2. Agg. 1. 8. אָכְבָּד Cherub. Urim, Divinitas, Spir. S. Ignis.

6. *Canemus*] Promiſſio.

De ſalute tua] Vel, propter. Gen. Efficientis.

נִדְגֹּל *Vexilla erigemus*] K. נָרִים דְּגָלֵינוּ וְגוֹ׳ i. e. agemus triumphum. Num. 2. fit mentio vexillorum cum ſignis, & quidem IIII. Vexillum Judæ ad Orientem, Vexillum Ruben ad Meridiem, Vexillum Ephraim ad Occidentem, Vexillum Dan ad Aquilonem. Vexillum Judæ ſignum habuit Leonem, Vexillum Ruben Hominis, Ephraim Bovis, Dan Aquilæ.

Sub Juda,	continebantur	Iſſacar & Zabulon,	
Sub Ruben,		Simeon & Gad,	Raſchag.
Sub Ephraim,		Manaſſe & Benjamin.	Emab.
Sub Dan,		Aſer & Napthali.	Dan.

LXX. μεγαλυνθησόμεθα, Vulg. *magnificabimur*, i. e. נִגְדַּל

7. Profeſſio ſpei quæ confirmatur à pari per exempla victoriarum præteritarum, verſ. 8. & 9. quarum efficiens ponitur Deus. Cauſæ impulſivæ preces fidelium Iſraëlitarum.

Quod potentiſſima ſit ſalus dextræ ejus] Salus dextræ Gen. Effic.

Potentiſſima] Firmiſſima Hebr. in Potentiis. Sic Gr. ad verbum ἐν δυναςείαις ἡ σωτηρία τῆς δεξίας αὐτοῦ. Vulg. *In potentatibus ſalus dextræ ejus.* Barbarè. Referri debet locutio ad 2 Sam. 19. Jun. *Ex ſumma fortitudine, ſalute dextræ ſuæ.*

8. Antitheſis fiduciæ fidelium & infidelium.

Hi] Ex hoſtibus in curribus ſc. fiduciam ponebant, hi ex hoſtibus, in equis fiduciam ponebant aut recordabuntur, id eſt, fiduciam ponebant. In anguſtiis enim ſemper recordari ſolemus ejus in quo fiduciam collocamus, illud ſemper obverſatur animo.

At nos nominis Domini recordabamur] הִזְכִּיר cum ב etiam Amos 6. 11. מזכיר hiſtoricus, ὑπομνηματογράφος, qui eſt à commentariis.

9. *Illi incurvarunt ſe & ceciderunt*,] Vulnerati, confoſſi in acie.

At nos ſtetimus] Seu perſtitimus. Jun. *ſurgimus*. At opponitur incurvationi.

וַנִּתְעוֹדָד *& ſuperſtites manſimus.*] Hithphael à עוֹד adhuc, quod cum affixis junctum uſurpatur de vivis, ut אין de mortuis ſemper cum ellipſi verbi ſubſt. Pſ. 146. 2. *Laudabo Dominum* בְּחַיָּי *canem Deo meo* בְּעוֹדִי ἕως ὑπάρχω. Gen. 48. 15. *qui pavit me* מֵעוֹדִי. Hinc הִתְעוֹדֵד ſuperſtitem eſſe. Sic à הֵן fit צָפִיָּה Pſalm. 87. *animi pendere*. Sic ab הֵן *ecce* Deut. 1. 41. וַתָּהִינוּ הִנֶּנּוּ לַעֲלוֹת *parati fuiſtis aſcendere*, qui enim paratus eſt, dicit הִנֵּנִי Jeſ. 65. 1. *Inventus ſum iis qui non quæſierant me: dixi* הִנֵּנִי הִנֵּנִי *genti quæ non vocabatur de nomine meo.* Alii, cum Tharg. *Et confortati ſumus* à עדד, unde עודד *confortavit, ſuſtentavit.* Pſal. 147. ק׳ מעודד עֲנָוִים & 146. *Dominus cuſtodit* יְעוֹדֵד, *advenas, pupillos, & viduas.* Sed & illa quoque à עוֹד eſſe poſſunt.

10. *Domine ſalva: Rex exaudiat nos.*] Ita Jun. & Piſc. &c. Domine, reſpicit Deum indefinitè, i. e. abſque diſcrimine perſonarum, Salva ſc. Regem & populum.

Rex] Meſſias, Chriſtus.

Alii cum Græcis ſic: Κύριε σῶσον τὸν βασιλέα, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπικαλεσόμεθά σε &c. Legerunt וַעֲנֵנוּ, vel mutarunt perſonam, quod crebrum eſt. Huic expoſitioni obſtat Athnach, qui tamen aliq. non diſtinguit, ut Pſalm. 68. 27. אֱלֹהִים אֲדֹנָי In Eccleſiis benedicite Domino Deo qui eſtis ex vena Iſraelis.

GROTIUS.

PRecatio eſt & bona omina, quibus Regem in bellum euntem populus proſequitur.

4. *Et holocauſtum tuum pingue fiat*] *Pro pingui habeatur*, id eſt, acceptum ſit, ut Dan. 3. 40.

6. *Magnificabimur*] Μεγαλυνθησόμεθα. Apparet legiſſe eos נגדל, non נדגל [*vexillum erigemus.*] Sic & Syrus & Arabs.

7. *Nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum*

ſuum

ſuum] Id eſt, nunc pro certo habeo futurum ut Deus Regi det victoriam.

9. *Ipſi obligati ſunt & ceciderunt*] *Prolapſi ſunt & ceciderunt.* Nam מוט inter alia *prolabi* ſignificat, ut diximus 17. 13. Sunt autem hîc præterita more Hebræo pro futuris.

10 *Et exaudi nos in die qua invocaverimus te*] Apparet Græcos, quos hîc ſequitur, legiſſe תענינו [*exaudies,*] non, ut noſtri codices Hebræi habent, יעננו *exaudiet*;] quanquam alioqui non infrequens Hebræis eſt ut de ſecunda perſona in tertiam tranſeatur, & contrà. poſſes etiam μεταφορικῶς [*per translationem*] interpretari illam quam in Hebræo habemus lectionem: *Sentiat Rex opem a precibus noſtris.* Nam in Hebræo non eſt illud *te.*

PRICÆUS.

1. *IN virtute tua lætabitur Rex*] Id eſt, in potentia tua. Infrà 143. 10. de Eodem, *Qui das ſalutem Regibus.*

4. *Prævenſti eum in benedictionibus dulcedinis*] Dulcedine benedictionum tuarum. Vide 30. 20.

7. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*] Ut ſuprà 15. 11.

10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui*] Cùm eos tanquam puniturus reſpexeris.

12. *Cogitaverunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire*] Lxx. ςῆσαι· id eſt, ςηρίξαι· unde apud Heſychium, Στηρίξαι, ςῆσαι. Idem (& fortè ex hoc Pſalmiſtæ loco) Στῆσαι, &c. πληρῶσαι.

PSALM. XXI.

MUNSTERUS.

2. *PRolationem labiorum ejus*] h. e. Id pro quo tibi ſupplex fuit, ex tuo munere obtinuit.

3. *Prævenies eum benedictionibus*] i. e. Proſequeris eum ampliſſimis beneficiis tuis, & cônfirmabis eum in Regno gloriâ & magnificentiâ. Vel alludit verſiculi hujus alterum hemiſtichion ad coronam illam quam David ab Ammonitis à ſe devictis abſtulit, de qua habes 2 Sam. 12.

8. *Inveniet manus tua*] Rex, inquit, non nutabit, eò quòd manus ejus inveniet inimicos ſuos, & coërcebit eos, ut nihil poſſint nocere ei. Exponitur tamen hîc ab Hebræis תמצא per ספק *ſufficiet*, ut ſit ſenſus, *Manus tua, ô Rex, ſufficit contra omnes inimicos tuos, quantum libet fortes ſint & armati.*

9. *Pones eos ut clibanum ignis*] Clibanus igne ſuccenſus ſubitò abſumit quicquid illi injicitur; ſic ultio Divina, quæ hîc per *clibanum* ſignificatur, ſubitò diſperdit impios: quemadmodum ſubditur, *Dominus in ira ſua devorabit eos.*

10. Per *fructum* & *ſemen* intelliguntur filii & nepotes.

11. *Quoniam ſegregaverunt ſuper te malum*] Subaudi, *ô Rex*, ad quem ſermo iſte dirigitur. *Segregaverunt* pro *moliti ſunt.*

12. *Pones eos ſeorſum ad partem*] Declarat victoriam Regis, qui pro voto hoſtes ſuos divicit, non propriis viribus, ſed per fortitudinem Domini.

VATABLUS.

1. *VIctori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Canticum Davidis* מזמור לדוד] *Pſalmus de Davide*, ſive *pro Davide*, pro ſucceſſu Davidis. Agit hîc David de ſucceſſu Regni ſui in ſua aut populi perſona. Quidam dicunt eſſe ἐπινίκιον quod cecinit David victis Ammonitis & Syris: tunc vertendus eſſet per præteritum hic Pſalmus. Nonnulli ajunt ab alio quàm à Davide Pſalmum hunc fuiſſe editum pro ſalute Davidis. ¶ *In fortitudine tua* בעזך] *De virtute tua*, i. e. de ope tua. ¶ *Lætatur* ישמח] *Gaudebit, lætabitur.* Ità per futurum vertunt quidam verba hujus Pſalmi. ¶ *Et in ſalute tua* ובישועתך] *Et de ſalute tua, & de ope tua. Salutem* vocat opem quâ eripere ſolet: i. e. quia autor victoriæ illi fuiſti.

2. *Dediſti* נתתה] *Dabis.* Præt. Heb. pro fut. ut quidam volunt. ¶ *Et prolationem labiorum*, &c. וארשת שפתיו בל מנעת] *Et prolationem labiorum ejus non denegaſti ei.* Vel per futurum, *non denegabis ei. Prolationem*, ſive *ſermonem*, *labiorum* vocat ea quæ precatus eſt. *Selah* additur, acſi dicat, O magnam & admirabilem Dei benevolentiam erga Davidem!

3. *Prævenisti eum benedictionibus boni* תקדמנו ברכות טוב] Hebraïſmus, pro, *omni genere bonorum ultro affluere facies eum:* quocunque ſe vertat erit feliciſſimus: etiam nihil tale cogitantem afficies ampliſſimis beneficiis. ¶ *Auream* פז] *Auri puri*; vel, *gemmeam.* Vide Pſal. 19. 11. Hebræi dicunt per hoc intelligi favorem Dei: acſi dicat, Stabilies Regnum ejus perpetuo.

5. *In ſalute tua* בישועתך] i. e. Propter opem quam tuliſti ei. ¶ *Gloriam & decorem* הוד והדר] *Honorem & ſplendorem, celebritatem & magnificentiam*, ſive *claritatem.*

6. *Poſuiſti eum benedictiones in ſeculum* תשיתהו ברכות לעד] Hebraïſmus, pro, *in eum locum conſtituiſti eum ut omni genere bonorum perpetuò affluat.* Nam ברך ſign. etiam *beneficentiam*, & *bonorum omnium affluentiam & multiplicationem.* Vel, *effeciſti ut alii per eum benedictionis formulam accipiant:* nam dicturi ſunt, *Diligat te Deus proinde atque Davidem dilexit. Tanto rerum ſucceſſu polleas quanto David.* ¶ *Vultu tuo* פניך] i. e. Favore tuo: cùm benigno & favente vultu fueris eum intuitus.

7. *Non declinabit* בל ימוט] *Non nutabit.*

8. *Inveniet*, &c. תמצא ידך לכל איביך] *Aſſequetur* (vel *Apprehendet*) *manus tua omnes inimicos tuos.* Acſi dicat, non effugient omnes inimici tui manum tuam, ſive potentiam quâ illos comprehendes ac perdes. Alii vertunt, *Satis erit* (vel *Sufficiet*) *manus tua ad* perdendos *omnes inimicos tuos.* ¶ *Inveniet* תמצא] *Aſſequetur, apprehendet.* Idem verbum quod paulò antè.

9. *Ut clibanum ignis* כתנור אש] *Tanquam fornacem ignis*; aut, *velut accenſam fornacem:* i. e. facies eos perire ut ligna quæ conjiciuntur in fornacem ardentem. Vel, ardere eos facies inſtar clibani ardentis & incenſi. ¶ *Diſperdet eos* יבלעם] *Devorabit eos, abſorbebit illos.*

11. *Declinaverunt* נטו] *Intenderunt, expanderunt.* ¶ *Cogitationem* מזמה] *Scelus, dolum, fraudem.*

12. *Humerum* שכם] *Humerus* pro *aggere.* Alii, *ad partem*, vel *ſeorſum*, i. e. ſepones eos. ¶ *In funibus tuis præparabis* במיתריך תכונן] *In nervis tuis diriges.*

13. *Exalta te* רומה] *Attolle te, Exaltare:* q. d. Oſtende potentiam tuam ferendo auxilium Regi.

CLARIUS.

SÆpe Pſalmi junguntur qui eâdem occaſione compoſiti ſunt & eadem de re loquuntur; ſicut patet Tertium & Quartum de conjuratione Abſalom eſſe conſcriptos, Undecimum cum tribus ſequentibus de perſecutione quam à Saüle atque adulatoribus ejus David perpeſſus fuit. Ità videtur hic Pſalmus de eadem victoria canere de qua & ſuperior locutus eſt: ea enim non ſolùm maxima ſed ultima etiam contra externos hoſtes fuit. Nam poſt eam omnes finitimæ gentes, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Philiſthæi, Davidis imperium agnoverunt. Ex eo etiam quòd in hoc Pſalmo ait, *Poſuiſti ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo*, conjectura eſt hunc Pſalmum victoriam de Ammonitis canere, quorum Regis coronam ſuo capiti David impoſuiſſe legitur, eamque pretii multò maximi. Hæc habentur 2 Reg. 12. & 1 Par. 20.

2. *Voluntate labiorum ejus*] h. e. Id pro quo tibi ſupplex fuit ex tuo munere obtinuit.

4. *Longitudinem dierum in ſeculum*] Hoc ad votum populi reſpicit; cùm interim tamen ad Chriſtum referenda ſit cogitatio, in quem propriè quadrat.

6. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*] Ut qui Regibus proximi ſunt & in oculis ſemper verſantur, chariores habentur, ità Scripturâ ſummè chari Deo *videre faciem ejus* & *coram eo agere* dicuntur, ut de Angelis ſcriptum eſt.

8. *Inveniatur manus tua*] Rex, inquit, non nutabit, eò quòd *manus ejus inveniet inimicos ſuos*, & coërcebit eos, ut nihil poſſint nocere ei.

9. *Pones eos ut clibanum ignis*] Hypallage eſt pro *pones* (vel *mittes*) *ignem in eos.* Sic illud, *Pones eos ſicut ignem qui comburit ſilvam, ſicut flammam quæ comburit montes.* Significari autem putant genus pœnæ quo David in devictos Ammonitas deſævierit, quos in calcis fornace concremavit. Cæterùm ſolet in Scripturis ſævior Dei ultio *conflagratio ignis* vocari per Hyperbolen & alluſionem ad ignem Sodomiticum. ¶ *In tempore vultûs tui*] Hebraïſmus eſt, pro *in tempore iræ tuæ.*

10. *Fructum eorum*] Per *fructum* & *ſemen* intelliguntur filii & nepotes.

11. *Declinaverunt in te mala*] Sub. *ô Rex*, ad quem ſermo iſte dirigitur.

12. *Pones eos dorſum*] h. e. In fugam convertes eos. Alius

vertit,

vertit, *pones eos ſeorſum ad partem*, h.e. in unam partem, ceu ſignum & ſcopum ad quem jaciantur ſagittæ.

LUCAS BRUG.

20. TU *autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum à me*] Sic in Latinis codicibus compluribus & Romano Pſalterio legitur. Similiter in exemplaribus Græcis, Σὺ δὲ, Κύριε, μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν σου ἀπ' ἐμοῦ. Ad eundem modum in Euthymii commentariis. Manuſcripta autem Pariſienſium quatuor, Hentenii 7. noſtra 6. & antiqua Epanorthotæ, transfodiunt *à me*: id quod nec legitur in Gallico Pſalterio. In commentariis Hieronymi, ut Pariſiis edita ſunt, legitur: ut autem in Franciſci de Puteo Catena citantur, omittitur. In Auguſtini in hunc Pſalmum enarrationibus priori additur, poſteriori tollitur. In ejuſdem epiſtola 120. cap. 16. omittitur. In Hebræo non eſt. Itaque Pariſienſibus, in Bibliis anno 1557. excuſis, omittere viſum fuit, ac ſcribere, *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum.* Atque hoc modo & Colonienſis editio anni 1479. quæ eſt in Collegii noſtri Houterle Bibliotheca, ſcripſit. Moguntina, quæ hanc annis ſeptem præceſſit, quam nobis Atrebatenſe Collegium ſubminiſtravit, habet, *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium meum.* Sic etiam Gallicum Lobienſis codicis Pſalterium & Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Textus legunt: ea quæ Hebræo planè conformis eſt lectio. Fortaſſis autem quod Interpres vertit *auxilium meum*, alii mutaverunt in *auxilium tuum*, alii in *auxilium à me* (ſic enim in Janſenii commentariis lego) alii denique utrumque *tuum* & *à me* conjunxerunt, *Auxilium tuum à me. Dicitis*, ſcribit Suniæ & Fretelæ Hieronymus, *inveniſſe vos Meum* (recitaverat *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum*) *quod & verum eſt, & ità corrigendum. Neque enim ſi quid ſcriptorum eſt errore mutatum, ſtultâ debemus contentione defendere.*

32. *Et annunciabunt cæli juſtitiam ejus*] Pleriſque in Latinis codicibus vox illa *cæli* additur. Similiter à pleriſque Latinis Tractatoribus exponitur. Hieronymo, Ruffino, Auguſtino, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma, Brunone, & poſterioribus proletariis. D. Auguſtinus, *Et annunciabunt*, habet, *cæli juſtitiam ejus: & annunciabunt Euangeliſtæ juſtitiam ejus.* S. Hieronymus, *Annunciabunt cæli juſtitiam ejus, h. e. Apoſtoli vel Doctores.* Hos reliqui ſequuntur, aut ſaltem conformiter interpretantur. Porrò ſunt noſtræ editionis vetuſta quædam exemplaria quæ τὸ *cæli* omittant, legantque duntaxat, *Et annunciabunt juſtitiam ejus.* Sic duo ex noſtris, Brugenſe D. Donatiani, & Lobienſe S. Petri, aliquot D. Lindani, quatuor Pariſienſium, antiqua Epanorthotæ. His conſtanter volunt Hebraïci, Græci, Chaldaïci libri: Expoſitores etiam Euthymius & Theodoritus. Mirum itaque eſt in Græco Apollinaris Pſalterio legi,

Οὐρανοὶ εὐδικίην ἀγαπητὴν ἐρέουσι Θεοῖο
Λαῷ ἀεξομένῳ·

ſed additum ab eo eſſe οὐρανοὶ carminis gratiâ veriſimile eſt, quòd exiſtimaret id ſubaudiri poſſe, præſertim cùm Latinis quibuſdam codicibus adderetur. Porrò ut in Latinis quibuſdam codicibus non legitur, ità à quibuſdam Latinis enarratoribus non agnoſcitur. Inter hos Arnobius eſt, quod ejus verba clarum efficiant; non enim reſpondet commentario textus. *Semen verò noſtrum*, inquit, *ipſi ſerviat in caſtificatione continentiæ, ut annunciemus Domino generationem venturam, i. e. futuram ſanctorum gloriam cogitemus; & annunciemus juſtitiam Dei fratribus ac filiis ætate, & omni populo qui naſcetur, quem fecit Dominus Deus noſter.* D. Auguſtinus, quanquam in octavi tomi commentariis legere & exponere videatur, in ſecundi tomi enarratione nec legit nec exponit: nam epiſt. 120. quâ hunc Pſalmum inter alia Honorato explicuit, cap. 30. *Illud autem*, habet, *quod ſequitur*, Et annunciabunt juſtitiam ejus populo qui naſcetur, quem fecit Dominus, *ſuperioris ſenſûs eſt: nam quod ibi dictum eſt*, Annunciabitur Domino generatio ventura, *hic eſt dictum*, hæc annunciabit juſtitiam ejus, &c. Rurſus cap. 35. ſimiliter recitat. Itaque Rmus D. Lindanus, in eo quod à ſe correctum edidit Pſalterio, & Rmus D. Janſenius, in textu quem Paraphraſi ſuæ adſcripſit, τὸ *cæli* prætermiſerunt: cujus ſententiæ eſt & Epanorthotes noſter. *Item* g. habet & annunciabunt juſtitiam ejus, *Hebræus & antiqui & Hieronymus non habent* cœli (Hieronymi intelligit ex Hebræo tranſlationem) *neque Græcus. Notandum autem, quoniam ſi fuiſſet alibi de tranſlatione, licet ſuperfluum, Hieronymus obelo prænotaſſet: & in antiquis nullum obelum invenis.* His ſubnectenda ſunt quæ Jacobus annotat, *Ultimo verſu, ubi paſſim legitur*, Et annunciabunt cœli juſtitiam ejus; cœli *neque ex Græco neque ex Hebræo invenitur: neque Gallici Pſalteris particula eſt, ut intueri licet ex vetuſtis codicibus: & in Pſalterio Romano Hieronymus obelo confodit.* Hæc ille.

In Tornacenſis ſcripti Gallico Pſalterio obelo prænotatur. Videtur autem D. Janſenio vox illa adjecta ut verbum *annunciabunt* haberet ſuppoſitum, cùm ſuppoſitum ejus ſit *generatio ventura.* Sumpta videri poſſit ex Pſal. 49.6. qui priore ſui parte huic perſimilis eſt, *Et annunciabunt cæli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt.* Pſalmo item 96. 6. legitur, *Annunciaverunt cæli juſtitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

DRUSIUS.

4. וְעֵד. A. Th. & V. ed. καὶ ἔτι. Sym. καὶ εἰς ἀπέραντον, *& in infinitum*] Καὶ ἔτι. ועוד, *& adhuc.*

6. תְּחַדֵּהוּ בְשִׂמְחָה אֶת־פָּנֶיךָ. Sym. χαροποιήσεις αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ παρὰ τοῦ προσώπου σου, *lætificabis ipſum gaudio apud vultum tuum*] Lex. V. Χαροποιῶ, *gaudifico, gratifico.*

8. תִּמְצָא יָדְךָ לְכָל־אֹיְבֶיךָ יְמִינְךָ תִּמְצָא שֹׂנְאֶיךָ. Sym. Καταλήψεται ἡ χείρ σου πάντας τοὺς ἐχθρούς σου ἡ δεξιά σου εὑρήσει τοὺς μισοῦντάς σε, *Comprehendet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet eos qui oderunt te.*

11. כִּי־נָטוּ עָלֶיךָ רָעָה. * ὅτι συνέφραξαν κατά σου εἰς κακὸν, *ſimul ſepem obduxerunt contra te in malum.* ¶ חָשְׁבוּ מְזִמָּה בַּל־יוּכָלוּ, Sym. *cogitaverunt cogitationes quæ non poſſunt fieri.*

12. כִּי תְּשִׁיתֵמוֹ שֶׁכֶם. Sym. *quoniam facies ipſos averſos*, ὅτι τάξεις (aliàs θήσεις) αὐτοὺς ἀποστρόφους.

AMAMA.

PSal. εὐχαρ. παραμύθ. & εὐκτικός. Per David dicit Kimchi intelligi poſſe Meſſiam, qui vocatur David his locis, Hoſ. 3. 5. Jer. 34. 23. & 37. 24. Jerem. 36. 9. aut ipſum Davidem, & utroque modo exponendum eſſe ל de. Nos de Davide accipiamus & ipſum authorem conſtituamus.

LXX. Κύριε ἐν τῇ δυνάμει σου εὐφρανθήσεται ὁ βασιλεὺς, καὶ ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ σου ἀγαλλιάσεται σφόδρα. Τὴν ἐπιθυμίαν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἔδωκας αὐτῷ, καὶ τὴν δέησιν τῶν χειλέων αὐτοῦ οὐκ ἐστέρησας αὐτόν.

Ὅτι προέφθασας αὐτὸν ἐν εὐλογίαις χρηστότητος, ἔθηκας ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ στέφανον ἐκ λίθου τιμίου.

2. *De robore*] Propter robur quod ipſi ſuppeditas.

יָגִיל] Maſſ. redundat Jod. Duplex lectio, una יגיל altera ſine Jod ac tunc legendum vel יָגֵל vel יָגַל aut ל ſi accentus in penultimâ.

3. וַאֲרֶשֶׁת] Et pronunciatum מִבְּעָא Ch. ואירוש non extat alibi. Aben. putat א eſſe addititium, ut ſit idem cum רִשְׁיוֹן Ezr. 3. 7. *juxta Riſjon Regis Cyri*, vulgo, *juxta licentiam Regis Cyri.*

4. *Quin prævenis eum benedictionibus boni*] Vel eſt locutio ἐκ παραλλήλου, vel eſt hypallage, & ſenſus eſt, bonis largiſſimis & ampliſſimis. Nam benedictio aliq. ſignificat liberalitatem, largitatem, copiam, Prov. 11. *Anima benedictionis impinguabitur*, i.e. benefica. Pſ. 84. 7. *Operiet te pluvia in benedictionibus*, i.e. pluvia copioſiſſima, 2. Sam. 19. Ezech. 34. 26. *imbres benedictionis.* 2. Corinth. 9. 6. *Qui ſerit* φειδομένως, *metet etiam* φειδ. *At qui ſerit* ἐπ' εὐλογίαις, ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει. 2. Sam. 17.

עֲטֶרֶת] à עָטַר 1. 7. 11. Non diadema, ſed corona, diadema enim erat faſcis quæ obligabatur capiti. Druſ. Obſ. 12. 12.

פָּז] Gr. & Vulg. *lapide pretioſo.* Sic etiam Pr. 8. 19. Alibi vertunt χρύσιον *aurum*, & χρύσιον ἄπυρον & τετάσιον.

5. *Vitam*] Cum eam eripere conarentur Saül & hoſtes ejus.

Dediſti ei] Sc. vitam: & amplius longitudinem dierum in ſæculum & ſempiternum. At LXX. neglecto accentu, & dediſti ei longitudinem dierum εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, vel εἰς αἰῶνα καὶ εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Sym. εἰς αἰῶνας καὶ εἰς ἀπέραντον. Intelligit vitam æternam. Illud enim עוֹלָם, cum poſt ſe habet עד ſemper æternitatem ſignificat. K. חַיֵּי עוֹלָם הַבָּא Gen. 2. 7. ויישר de hom. ad verſ. 17. נֶשֶׁר.

6. *In ſalute tua*] Id eſt, per ſalutem tuam.

תְּשַׁוֶּה] Ponis שָׁוָה ſimilis fuit, æquatus fuit, idoneus fuit. In Piel poſuit, Pſ. 16. 8. שִׁוִּיתִי *poſui Dominum coram me jugiter.* Sic etiam Tharg. שַׁוִּיתִי Pſ. 131. 2. Et ubi in Ebr. eſt שׂם aut שית ibi in Chald. eſt שׁוי Gen. 3. 15. *Inimicitias* אָשִׁית Ch. אֲשַׁוֵּי

7. *Pones eum*] Reddes eum benedictiorem, i.e. virum benedictionis. Alii per Meton. formæ Emphatic. abſtractum pro concreto, ut Gen. 12. *Et eſto benedictio*, i.e. ſummè benedictus. At ſimplicius alterum ſic, *Scelus* pro homine ſceleris, unde cum hypall. Scelus hominis.

Lætitiâ cum facie tua] אֶת pro בְּאֵת *à facie tua proficiſcente.* Sic inquit Jun. Gen. 4. 1. Sed ibi melius accipit pro *cum.* Addit ad Gen. 4. 1. Locum Gen. 44. 4. *Egreſſi erant* אֶת־הָעִיר pro בְּאֵת ſed

מִשָּׁם ſed nec illic neceſſitas. Dicunt enim & Latini, *exire urbem.* Locus tertius ſolidior, Deut. 34. 1. *Et oſtendit ei omnem terram* אֶת־הַגִּלְעָד *à Gilead uſque ad Dan.*

8. *Non notabit*] Id eſt, quam maximè ſtabit immobilis & tutus. ὀ μὴ σαλευθῇ. Sic, non gaudet, non remittetur, &c.

9. תִּמְצָא] Jun. *Aſſequeris manu tua omnes* &c. Ellipſis ב ante יָדְךָ. Piſc. *Aſſequetur manus ſua* [*vindictum*] *omnibus* &c. *aſſequetur dextra tua oſores tuos.* Hæc verſio commodior, niſi quod ſupplementum videatur minus neceſſ. nam etiam Lamed pro אֶת 2. Sam. 3. 30. *Occiderunt* לְאַבְנֵר Jer. 40. 2. נִקַּח לְיִרְמְיָהוּ. Kimchi novè, *ſufficiet manus tua* הַסְפִּיק *O Rex, non egebis alio auxilio,* מָצָא aliq. ſatis eſſe, Num. 11. 22. *An oves & boves mactabuntur* וּמָצָא לָהֶם *ut ſufficiat iis.* Th. הֲיִסְפְּקוּן לְהוֹן Jud. 21. 14. *Sed non* מָצְאוּ לָהֶם *non ſufficiebant* 400. *Virginis* 600. Benjaminitis, ubi noſter Interpres lapſus eſt, cum tamen Num. 11. bene verterit. Joſ. 17. 16. לֹא יִמָּצֵא לָנוּ הָהָר *non ſufficiet nobis mons.* Belg. *dat gebergte ſullen wij niet verkrijgen.* Hoſ. 12. 9. *omnes labores mei* (i.e. divitiæ labore partæ, ut per totum Koheleth) *non ſufficiunt mihi.*

Apud Rabb. ſignificat & *eſſe*, נִמְצָא Os, מְצִיאוּת exiſtentia, unde in N. T. *non inventus eſt dolus in ore ejus.* Et Koh. pecunia יִמְצָא omnia.

LXX. Θήσεις αὐτὲς ὡς κλίβανον πυρὸς εἰς καιρὸν τȣ̃ προσώπȣ σȣ. Th. בְּרוּגְזָךְ

10. *Ut fornacem ignis*] Ut fornacem ardentem in quam ligna & ſtipulæ conjiciuntur. Videtur eſſe ſenſus, Pones eos ut ligna in fornace ignis.

Faciei tuæ] Id eſt, Iræ tuæ. Ellipſis adjectivi, *iratæ.* Sic Thr. 4. 10. *facies Domini diſperſit eos.* Contrà ſuprà pro facie lucida, i.e. fervore, benevolentia. De Hanna, *& facies ejus non erat ei amplius*, Gen. 32. *placare faciem*, Lev. 20. *Ponam faciem meam contra eum.*

11. *Fructum eorum*] Poteſt de liberis accipi Gen. 30. 2. *qui prohibuit à te fructum ventris.* Th. וְלָדָא דִּמְעִין *fœtum viſcerum.* Deut. 7. *Benedicam fructui ventris tui.* Sic & hîc. Tharg. בְּנֵיהוֹן

12. נָטוּ *Tetenderunt*] Id eſt, intenderunt.

Tibi] Id eſt, nobis: nam hoſtes populi ſui pro ſuis hoſtibus habet Deus.

13. *Ponis eos humerum*] Id eſt, aggerem, quem Virg. quoque *dorſum* vocat, i.e. aggeſtam terram in quam ſagittarii jaculantur ſagittas. Facies autem hic ſunt ut album, ut ſcopus aggeri infixus

Nervis tuis aptas [*ſagittas*] *& jaculaberis.*

GROTIUS.

4. QUoniam *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*] Meliùs in Hebræo: *Circumdediſti eum beneficiis bonitatis.* Nam ſæpè קִדֵּם pro *circumdare* poni diximus ſuprà 18. 6.

PRICÆUS.

7. EGo *vermis, & non homo*] Græci, ἐγὼ δέ εἰμι σκώληξ, &c. Arrianus 3. 26. in Epictetum, Τί ἡμᾶς ἐξαπατᾷς; τί σκώληξ ὢν λέγεις ὅτι ἄνθρωπος εἶ;

Ibid. *Opprobrium hominum, & abjectio plebis*] Apoſtolus 1 Cor. 4. 13. ὡς περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ ἐγενήθημεν. Vide infrà 31. 12. & 39. 9.

8. *Locuti ſunt labiis*] Duxerunt labia ſua, ut ſolent deriſores. Gellius 18. 4. *Labiorum ductu contemni à ſe oſtendens & rem de qua quæreretur, & hominem ipſum qui quæreret.*

12. *Tribulatio proxima eſt, non eſt qui adjuvet*] *Conſidero ad dextram*, (ut 141. 5.) *& non eſt qui cognoſcat me.*

13. *Circumdederunt me*] *Sermonibus odii*, infrà 108. 3. Vide & 117. 12.

Ibid. *Non eſt qui adjuvet. Circumdederunt me*, &c.] Sirachides 51. 10. *Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret me.*

Ibid. *Circumdederunt me vituli multi*] Unde infrà c. 17. *circumdederunt me canes multi.* Unde 31. 7. illud, *Erue me à circumdantibus me.* In Græco hîc, περιεκύκλωσάν με. Ità Act. 25. 7. (& de inimicis) περιέςησαν.

14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum*] In opprobria & maledicta. Saluſtius ſenſu ſimili, *Vix ſatis* APERTUM OS *aut lingua videntur quæ meditata pectore evolvat.* Vel, in deriſionem. Vide quæ infrà ad 34. 21. dicta.

Ibid. *Aperuerunt ſuper me os ſuum*] Minacia verba evomunt in perniciem meam. Cicero Catil. 2. *Eructans ſermonibus ſuis cædem bonorum.*

15. *Sicut aqua effuſus ſum*] Moſchus 6. Eidyll.

——— Σὺ δ' ἠΰτε λείβεαι ὕδωρ.

In Plauti Mercatore,

——— *Cor miſerum meum,*
Quod guttatim contabeſcit quaſi in aquam indideris ſalem.

Ovidius de Ponto,

——— *Mens mea tabida facta*
De nive manantis more liqueſcit aquæ.

In Græco heic, ὡς ὕδωρ ἐξεχύθην. Legimus in Heſychio, at, ni fallor, mutilè, Ἐξυδατισθὲν, ὡς ὕδωρ. Quære an poſt ὕδωρ ſupplendum ἐκχυθὲν, & ad hæc Pſalmiſtæ referendum.

Ibid. *Factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens*] Ovidius ubi ſuprà,

Sic mea perpetuiſque liqueſcunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera ſolet.

Vide infrà 67. 2. Suidas, Ἐκηριώθην, &c. διὰ τὸ δέος κήρινος ἐγενόμην. In Græco heic, ὡς κηρὸς τηκόμενος. Gloſſarium, Τήκω, κηρȣ̃· *liqueſacio*: meliùs *liqueſio* legas.

Ibid. *Cor meum*, &c. *in medio ventris mei*] Sic 23. 9. Jerem. *Cor meum in medio mei.*

16. *Aruit tanquam teſta virtus mea*] *Infirmata eſt* (ut Thren. Jerem. 1. 14.) *virtus mea: conſumpta eſt* (ut Job. 33. 25.) *caro mea à ſuppliciis.*

——— *Corpus macie extabuit:*
Lacrymæ peredére humore exangues genas:
Situ nitoris barba & pedore horrida
Atque intonſa, infuſcat pectus illuvie ſcabrum.

25. *Non ſprevit neque deſpexit deprecationem pauperis*] Infrà 101. 18. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.*

29. *Quoniam Domini eſt Regnum*] De eodem Daniel. 4. 14. *Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud.* Infrà heic 61. 13. *Poteſtas Dei eſt.*

32. *Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cœli juſtitiam ejus populo qui naſcentur*] Similia infrà 101. 19.

IDEM.

5. IN *te ſperaverunt; & liberaſti eos*] Infra 36. 40. *Salvabit eos quia ſperaverunt in eo*: & 16. 7. *Qui ſalvos facis ſperantes in te.* Vide & 27. 7.

10. *Tu es qui extraxiſti me de ventre*] Lactantius in de Ira Dei cap. 13. *Ortum nobis ad lucem quâ fruimur ſubminiſtrat*, (Deus) &c. *per illum in hoſpitium mundi hujus intravimus.* Seneca 1. 5. de Clentia, *Quorum.* (Deorum) *beneficio in lucem edimur.*

11. *Nè diſceſſeris à me*] *Nè elongaveris* (ut infrà com. 20.) *à me auxilium tuum*: vel (quod eodem recidit) *nè abſis.* Plinius lib. 2. epiſt. 17. de quadam villa ſua, *xvij mill. paſſuum ab Urbe receſſit*: at ibi vulgò legitur *ſeceſſit.*

12. *Non eſt qui adjuvet.* Sirachid. 51. 10. *Et non erat qui adjuvaret.* Vide ſuprà ad 17. 42.

13. *Circumdederunt me vituli multi*] Vide infrà 117. 10. 11. 12. & 118. 81. Cicero, *Antonius à tergo, à fronte, à lateribus tenet. Vitulos* hîc intellige homines Genio aſſiduè indulgentes, & vitulorum ritu ſaginatos.

Ibid. *Tauri pingues*, &c.] Iidem quos jam *vitulos* vocavit. De talibus Tuſcul. 5. Cicero, *Ructantes, refertos epulis, tanquam optimos boves*: & Ignatius, Λιπανθέντες καὶ παχυνθέντες εἰς Ἅδη καταβαίνȣσιν.

14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum*] Job. 16. 11. infrà Pſal. 34. 21. & 108. 2.

——— *Fremit ore cruento,*

eſt in Latino Poëta.

15. *Sicut aqua effuſus ſum*] *Ad nihilum* (ut Pſal. 57. 8.) *deveni, tanquam aqua decurrens*: i.e. velut torrens (ut Job. 6. 15.) qui raptim tranſit in convallibus. Andromache apud Euripidem,

Τήκομαι ὡς πετρίνα παδακόεσσα λιβάς.

Ibid. *Et factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens*] Videndum an hoc velit Job. 23. 16. *Mollivit cor meum.*

16. *In pulverem mortis deduxiſti me*] *Uſquequaque* (ut 118. 107.) *humiliatus ſum.* Vide & 43. 25.

19. *Conſideraverunt, & inſpexerunt me*] Infrà 36. 32. *Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum.*

Ibid. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*]

——— *Compoſita eſt fallacia*
Ut eâ me privent, atque inter ſe dividant.

20. *Ad defenſionem meam conſpice*] Gr. εἰς τὴν ἀντίληψίν μȣ πρόσχες. Heſychius (ex hoc, aut alio Pſalmorum loco) Πρόσχες, ἐπίβλεψον. Gloſſarium, Πρόσχες, *intende, adverte.*

21. *Uni-*

21. *Unicam meam*] Id eſt, dilectam: tibi nempe. Sic & 34.17.

22. *Ex ore leonis*] Inſidiatoris: vide ſuprà ad 9. 30.

Ibid. *Unicornium*] LXX. μονοκεράτων. In Gloſſario, Μονόκερως, *unicornis.* Heſychius, Μονοκέρατος, ἡ μονόκερως, θηρίον Φοβερόν.

27. *Qui requirunt eum*] Qui (ut infrà 26. 8.) requirunt faciem ejus. Auguſtus Cæſar apud Gellium, *Oculi mei requirunt meum Caium.*

30. *Pingues terræ*] Quales infrà 122. 4. *abundantes* vocat: ergò facilè *pingues.* Horatius,

Me pinguem & nitidum bene curatâ cute viſes.

Heſychius, Πίονος, &c. εὐτραφῆς, πλυσίυ, μεγάλυ.

31. *Anima mea illi vivet*] Totum id quod vixero illius cultui conſecrabo. *Sum tuus*, Deum alloquens, infrà Pſal. 118. 94. dixit. *Qui* (autem) *non eſt ſuus, non debet ſibi vivere*, Sedulius ad 1 Cor. 6.

PSALM. XXII.

MUNSTERUS.

S*Uper cervam auroræ*] Incertum eſt nedum apud Latinos verùm & apud Hebræos quid hâc dictione ſignificetur. Quidam enim putant eſſe inſtrumentum muſicum, alii *ſtellam matutinam*, alii *fortitudinem*, alii *cervam*, per quam Metaphoricῶs ſignificetur Iſraël, ſicut & in Canticis *capreæ* aſſimilatur. Qui *ſtellam matutinam* interpretantur, hi putant per eam Chriſtum ſignificari, qui mundum ſuo illuſtravit jubare. Nam teſtantibus omnibus Euangeliſtis, Pſalmus iſte compoſitus eſt de Chriſto Salvatore noſtro, qui tam expreſſam de ejus paſſione, exaltatione, & Regni ejus ad extremos orbis terminos propagatione facit mentionem.

1. *Deus meus*] Matth. 27. hæc verba impleta ſcribuntur, licèt non in Hebræa ſed in Chaldæa lingua, quæ tunc Jehudæis fuit vernacula. Nam codices vetuſtiores Latini & Græci non habent עזבוני *ſed* שבקתני, i.e. *Sabactani*, non *Azabthani.* Porro hæc Chriſti verba non impatientiam aliquam aut diffidentiam præ ſe ferunt, ſed Chriſti veram humanam naturam veramque ejus declarant paſſionem. Mentitur igitur in os ſuum impius quidam Jehudæus, qui ſuper hunc Pſalmum in hunc ſcribit modum, פה נמצא שישו היה מתלונן על מה שעזבו אלוה א״כ לא היה צדיק כי כן אמר קהלת לא ראיתי צדיק נעזב ואיך באשו לפדות העולם במיתתו והוא צעק לישועה הלא שכח למה בא לעולם או אם כשהרגיש הצרות ניחם ונתחרט:

5. *Permanes*] Alii hunc locum ſic interpretantur, *Seſſor laudum Iſraël*, h. e. qui ſedes inter Cherubim ſuper Arcam, quæ eſt laus & gloria Iſraëlis.

8. *Devolvat ſe ad Dominum*] In Matthæo habetur quòd *prætereuntes movebant capita ſua, dicentes, Confidit in Deo: eripiat eum nunc, ſi vult.*

9. *Tu extractor meus es*] Teſtatur his verbis ſe Dei eſſe figmentum & verum hominem ex clauſtris virginalibus, bonitateque Divinâ educatum; atque ideo rogat nè longè à ſe recedat. Non autem negamus hæc omnia Davidi eveniſſe, & occaſione quadam atque ſummâ tribulatione ad has querelas eum adactum, ſed tamen cùm hunc dictaret Pſalmum, typum ſe Chriſti agnoſcens, præcipuè ad illum ſuum deflexit animum.

12. *Boves multi*] Comparat hoſtes ſuos atroces ferociſſimis & fortiſſimis *tauris* qui in paſcuis *Baſan* enutriuntur, & ſe inermem queritur ab illis circumſeptum.

16. *Foderunt manus meas*] Hebræi hîc communiter legunt, *Sicut leo manus meas & pedes meos*, ſub. *obſervaverunt*, nè ſcilicet me defenderem manibus, & aufugerem pedibus. Veteres verò tranſlatores legerunt כרו *foderunt* pro כארי. Et quidem hîc conſulenda eſſent antiquiſſima Hebraïca exemplaria pro hujus rei veritate indaganda. Ego hîc nihil habeo niſi Nizahonis irriſionem, qui hîc convitia in nos congerit propter ineptam hujus loci tranſlationem, perinde quaſi datâ operâ veteres hîc ex כארי fecerint כרו. Scribit autem ſic, בספריהם כתו׳ פודרונט ידי ורגלי ואמרו שזה המסמרות שהיה מסמר בידיו ורגליו לשתי וערב כשנתלה. ו״ל דבר זה לא היה בישראל לתחוב המסמרות ברגלי ובידי אדם הנסקלין והנתלין: h. e. *Scriptum eſt in libris eorum, Foderunt manus meas & pedes meos: ubi dicunt hos eſſe clavos quibus affixus fuit manibus & pedibus ſuis ad crucem, poſtquam fuit ſuſpenſus. Ad quod ego dico, morem illum tunc non fuiſſe in Iſraël, ut clavi figerentur in manibus & pedibus hominum qui lapidabantur & ſuſpendebantur.* Benè in hoc dicit quòd ex Lege non habetur manus & pedes crucifigendorum eſſe transfigendos: ſed cùm illo tempore Jehudæis poteſtas judicandi eſſet per Romanos adempta, jam non præcisè ſecundùm legem Moſi malefactores puniebantur, ſed ſecundùm quod Præſes Romanus, qui provinciæ Jehudæorum præerat, ſententiam tulit, ſic pœnæ infligebantur. Unde & Joſeph rogabat Pilatum ut illi donaret corpus Jeſu, quod tamen ſecundùm Legem ante Solis occaſum erat deponendum. Crurifragium quoque & transfixio pectoris ex Lege non ſunt; eâdem ratione & clavorum infixio.

27. *Convertentur ad Dominum omnes fines terræ*] Hîc oſtendit Chriſti fidem propagandam inter omnes gentes, atque ex omnibus aliquot credituras Chriſto, qui ſcilicet ad Regnum Chriſti ab æterno fuerunt electi.

29. *Comederunt & adoraverunt*] Verſus hic eſt obſcurus: putant autem hunc continere ſenſum; Delicioſi & opulenti incurvabunt ſe, & agnoſcent Chriſtum: imò & illi qui jamdudum in pulverem terræ deſcenderunt & exceſſerunt hâc vitâ, flectent genua ſua, & agnoſcent Chriſtum eſſe piorum Redemptorem.

30. *Semen eorum ſerviet ei*] h. e. poſteritas credentium adhærebit Domino, annumerabiturque ei per generationes ſuccedentes, quæ venient & narrabunt priores poſteris ſuis, quæ & qualia Dominus egerit pro redemptione generis humani.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Super Cervam matutinam* על אילת השחר] *Super cervam auroræ*, i.e. matutinam: h. e. ad modos cantilenæ vulgaris cujus initium erat *Cerva matutina.* Alii vertunt, *Super ſtellam matutinam:* quòd totus Pſalmus ſit de Chriſto Lucifero. Quidam, *ſuper Ajeleth haſabar:* ut ſit nomen inſtrumenti muſici. ¶ *Elongatus es*, &c.] רחוק מישועתי דברי שאגתי] *Longe abes à ſalute mea*, atque *à verbis*, &c. Alii, *Longè à ſalute mea verba rugitûs mei.*

3. *Sanctus, permanens laudes Iſraël* קדוש יושב תהלות ישראל] *Sanctus habitator* (vel *ſeſſor*) *laudum Iſraëlis*, i. e. habitans in loco in quo te celebrat Iſraël, nempe in Tabernaculo, vel, in loco de quo gloriatur Iſraël. Alii vertunt, *O ſancte, permanens, & laudes Iſraëlis*, i. e. autor ut multi laudent Iſraëlem. Alii, *habitans* in *laudibus Iſraëlis*, i. e. qui ſemper laudaris ab Iſraële. Subaudiendum aliquid, cujuſmodi, *exaudi me.*

5. *Et evaſerunt* ותמלטו] *Et erepti ſunt*, vel, *liberati.* ¶ *Et non fuerunt pudore affecti* ולא בושו] q. d. Conſecuti ſunt quod petebant.

6. *Et contemptus populi* ובזוי עם] Paſſivum eſt *contemptus*, vel *deſpectus*, *à populo.* Quidam vertunt *& rejectamentum populi.*

7. *Emittunt per labium* יפטירו בשפה] Sub. *ſubſannatoria verba.* Alii, *effutiverunt in labio*, ſub. *calumniam.* Fut. Heb. pro præſ. aut præt. Alii, *profuderunt per labium*, i. e. ore ſuo probra jaciunt in me, ſive ingerunt, aut objiciunt.

8. *Devolvit ad Jehovam* גל אל יהוה] Hebraïſmus, pro, *& committit res ſuas omnes Jehovæ*, pendet ab eo ſolo. ¶ *Complacet ſibi in eo* חפץ בו] Hebraïſmus, pro *deamat eum Deus, ut ipſe ait.* Vel, *cùm dicat ſe diligi ab eo.*

9. *Quoniam tu es eductor meus* כי אתה גחי] *Cùm ſis extractor meus.* ¶ *Confidere faciens me ſuper ubera* מבטיחי על שדי] *Sperare faciens me ſuper ubera*, pro, *ab uberibus*, h. e. cùm jam tum ab infantia omnem fiduciam meam in te haberem.

10. *Super te projectus ſum à vulva* עליך השלכתי מרחם] i. e. Tuæ curæ demandatus ſum. Quidam vertunt, *Veluti expoſititius tibi fui à matrice.*

11. *Quia non* כי אין] *Quia* repetitum loco *&* conjunctionis.

14. *Effuſus ſum* נשפכתי] *Defluxi*: q. d. Caro mea ferè verſa eſt in aquam. His hyperbolis declarat magnitudinem ſui timoris.

15. *Fortitudo mea* כחי] *Viror meus*; *ſuccus meus. Virorem* vocat humidum radicale: quia per illud vivimus. Futura in hoc verſu pro præt. ¶ *Et in pulverem mortis* ולעפר מות] *Pulvis mortis* pro *terra ſepulcri*, & ipſo *ſepulcro*: q. d. Ex hac tribulatione nihil aliud exſpecto quàm mortem; ità me afflixiſti ut brevi recondar in terram. Vide infrà v. 29.

16. *Foderunt* כארי] Varia eſt lectio Hebræis; ſcribitur enim כרו *foderunt.* Et in hunc ſenſum, dicenti Thomæ, *Niſi videro in manibus ejus veſtigium* (ſive *figuram*) *clavorum*, &c. Chriſtus reſpondet, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & admove manum tuam, & immitte in latus meum*, Joh. 20. 25. & 27. Scribitur & כארי *ſicut leo*, ſub. *cinxerunt*, vel *momorderunt me.* Prior lectio verior.

17. *Numerabo* אספר] *Numerare licet. Numerarem*; aut *Numerare poſſem.* Sic aliàs ſæpe vertitur futurum. ¶ *Aſpiciunt* יביטו] Fut. Heb. pro præſ.

18. *Diviſerunt* יחלקו] Futura Heb. pro præſ. aut præt.

19. *Nè elonges te* אל תרחק] *Nè procul abſis*, ſub. *à me.*

20. *E manu canis unicam meam* מיד כלב יחידתי] Sing. pro plurali, *canis* pro *canum*, h.e. adverſariorum. *Manus* pro *vi* & *potentia*. *Unicam ſuam* vocat animam, quòd (ut ſcribunt Hebræi) ſola cœleſtis ſit, habitans in domo lutea.

21. *Exaudias me* עניתני Hebraïſmus, pro, *exaudiendo eripe me.* Propterea nonnulli ſenſum reddentes verterunt *eripe me.* Præt. Heb. pro fut. & futurum pro imper.

23. *Glorificate eum* כבדוהו] *Magnificate eum.*

24. *Humilitatem pauperis* ענות עני] *Afflictionem afflicti.*

25. *A te laus mea* מאתך תהלתי] *De te laus mea.* Hebraïſmus, Cauſa & fundamentum laudis meæ tu es. ¶ *Timentibus eum* יראיו] Pronomen tertiæ perſonæ loco ſecundæ, *timentibus te.*

26. *Pauperes* ענוים] *Humiles, afflicti, manſueti.* ¶ *Cor veſtrum* לבבכם] Pronomen ſecundæ perſonæ loco tertiæ, *cor eorum.*

27. *Reminiſcentur* יזכרו] Sub. *bonitatis Dei.* ¶ *Et inclinabunt ſe* וישתחוו] *Et adorabunt.*

29. *Comedent* אכלו] Sub. *de ſacrificiis pacificorum quæ obtulerint*, acſi dicat, *ſacrificabunt illi.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *Deſcendentes in pulverem* יורדי עפר] Ad verb. *deſcenſores pulveris*, i.e. qui deſcendunt in ſepulcrum. Vide ſuprà v. 15. Vel, *qui in pulverem rediguntur.* ¶ *Et qui animam*, &c. ונפשו לא חיה] Mutatio numeri, pro, *non vivificaverunt*: i. e. cùm nemo eorum vitam ſuam conſervaverit, aut conſervare potuerit. Quidam interpretantur de Chriſto, *Cùm tamen animam ſuam non vivificaverit*: acſi dicat, licèt Chriſtus morte turpiſſimâ moriturus ſit, non propterea deterrebuntur Gentes à fide in ipſum.

30. *Narrabitur*, &c. יספר לאדני לדור] *Annumerabitur Domino in nationem.* Vel, ut alii, *Semen* quod *ſerviet ei*, *annumerabitur Domino in perpetuum*, &c. i. e. poſteri qui coluerint eum, dicentur ſemen Dei in perpetuum.

31. *Populo genito* לעם נולד] i.e. Qui naſcetur ab eis. Alii, *populus natus*, ſive *genitus*, nempe à Deo, ut ait Joh. 1. 13. q. d. Populus ex Deo natus Euangelio prædicato, annunciabit juſtitiam Dei, quâ illos juſtificabit, vel quâ juſtum ſe eſſe oſtendet, præſtando quod promiſerat: nam ſequitur, *quia fecit*, ſive *quòd fecerit*, h. e. promiſſam per Chriſtum ſalutem (de qua toto hoc Pſalmo) præſtiterit. Alii vertunt, *Populo illius geniti*, ſive *illius qui naſcitur*, aut *natus eſt & genitus*: nam לעם regit genitivum. ¶ *Quia fecit* כי עשה] *Quòd fecerit*; *quòd exhibuerit*, ſub. *illam juſtitiam promiſſam per Chriſtum.*

CASTALIO.

SUPER AURORÆ CERVA] *Cervam* Chriſtum vocat, quem Judæi, tanquam cervam canes, infeſtabant. *Auroræ* autem vocat propter reſurrectionem mox ſecuturam, quæ etiam Pſal. 49. vocatur *matutinum*, quòd ea eſt lucis, h. e. beatæ vitæ, initium.

12. *Tot me tauri circumdant, opimi boves Baſanici*] Pingues, quales fert Baſana regio.

25. *A te mea laudatio*] h. e. Tu eris meæ laudationis autor, teque laudabo. Quomodo dixit Virgilius,

Ab Jove principium Muſæ.

Et illud,

A te principium, tibi deſinet.

CLARIUS.

DAvid Chriſti ſe typum admodum apertè hoc Pſalmo exhibet. Primùm ergò ſummam ejus dejectionem, deinde exaltationem, Regnique ejus & ad orbis terminos propagationem & ad finem uſque ſeculi deductionem in ſe adumbratam canit. Quod verò ad titulum pertinet, variè etiam Hebræi interpretantur dictionem illam *Ajeleth.* Quidam dicunt hoc nomine ſignificari inſtrumentum muſicum; alii ſpeciem carminis; alii *ſtellam*; alii *virtutem*, vel *fortitudinem*; nonnulli *capream*, vel *cervam*, ut Iſraël hâc Metaphorâ vocetur ſicut & in Cantico, ubi Sponſus *adjurat filias Hieruſalem per hinnulos* (vel *capreas*) *agri*, quibus Iſraëlitas deſignatos putant. Thalmudici nomen ſtellæ eſſe autumant. *Luciferum* hoc nomine vocantes. Præter Euangeliſtarum indubitatam autoritatem, ipſa Pſalmi verba enunciant de Servatore noſtro hunc Pſalmum eſſe compoſitum. Ergò cùm non conveniens eſſet de eo ſine aliquo involucro canere, *Sidus matutinum* illum vocavit, propterea quòd Divinitatis Solem hominibus per ipſum hominem adducendum prævideret. Vel certè vocavit *Cervam*, illud prævidens quòd eſſet hoſtia futura quæ oblata ſemel in ſempiternum abſolveret ſanctificatos. Quid ſi voluiſſet alludere ad AJIL, i. e. *arietem*, illum quem Abraham pro Iſaac filio ſuo Domino mactavit? Nec offendit quòd in fœm. genere voce hâc uſus eſt: fortaſſe enim voluit per id ſummam ejus dejectionem, de qua hic canit, ſubindicare. *Matutinam* autem jure vocavit, eò quòd ultima, ut & epiſtola ad Hebræos multis probat, omnia perficiens hoſtia fuerit. Ut enim à veſpera diem Hebræi auſpicantur, ità veſpertinas victimas matutinæ ſequebantur, & ceremonias cultumque religionis conſummabant. Nec inepta eſſet Metaphora ſi Eccleſiam Chriſti *cervæ* nomine vocaſſet, Sponſa eſt ſiquidem Servatori unicè dilecta: jam chara uxor & in Proverbiis *cerva* vel *caprea* appellatur.

1. *Deus Deus meus*] Matth. 27. hæc verba impleta ſcribuntur. Et quia Interpres de ſuo addidit *reſpice in me*, ſunt qui conjectent Interpretem illum fuiſſe ante Servatoris adventum, quippe qui, ſi poſt ſcripta Euangelia fuiſſet, non illud adjeciſſet quod ab Euangeliſtis non eſſet poſitum. Uſque ad verſum 23. quibus in malis fuerit canit, & quàm anxiè atque ardentèr Dei opem implorarit; indè ad finem uſque de Divinæ gloriæ veræque religionis illuſtratione & dilatatione. Utrumque verò ità cecinit ut apertè videas illum nequaquam ſe, niſi quantum ad rationem typi attinet, ſed ipſum Servatorem in omni narratione ante oculos habuiſſe. Ut igitur nihil impium feceris ſi cogitaveris David, improbitate Saulis & aſſentatorum ejus exagitatum, Chriſtum adumbraſſe, ità nullos haberes oculos pietatis, ſi non cerneres omnia propriè in Chriſto conſentire. Quòd autem hîc videtur queri quòd *derelictus* à Patre fuerit, ut videatur non impetraturus liberationem, quam magnis clamoribus poſtulet, non impatientiam aliquam aut diffidentiam hæc verba præ ſe ferunt; ſed Chriſti veram humanam naturam veramque ejus declarant paſſionem. ¶ *A verbis rugitus mei*] Poteſt etiam verti, *Longè à ſalute mea verba rugitus mei. Rugitum* dixit vocem immanem qualem viri alioqui fortes emittere ſolent cùm intolerabili cordis angore diſtringuntur, & vis doloris, quamvis renitentibus, lacrymas & ejulatum exprimit. Ea vera natura doloris eſt ut cogat in vocem erumpere, eò quòd faciat ſpiritum retineri, qui quando retineri ampliùs nequit, univerſus eum clamore erumpit: quemadmodum & Philoſophi tractant.

3. *In ſancto habitas*] Interim tu, inquit, veluti ſecurus horum quæ patior, deſidere videris. Tu, inquam, *laus Iſraël*, hoc eſt, qui ſuccurriſti toties, & materia fuiſti carminum ipſi Iſraëli.

6. *Ego autem ſum vermis*] Videor ego eſſe vermis magis quàm homo, dum ità negligor: Cùm tamen patres olim noſtros nunquam neglexeris.

8. *Speravit in Domino*] Sub. *dicentes.* Et eſt Ironia, quâ dicere volebant ſtultè & ridiculè eum feciſſe quòd à Deo diligi ſe charumque tantopere haberi fuiſſet arbitratus. Quæ de hac irriſione canit, narratio potiùs quàm vaticinium ſunt eorum quæ Chriſtus perpeſſus eſt. Sic enim Matthæus ſcripſit, *prætereuntes convitia jaciebant in eum, moventes capita*: & poſt pauca memorat *Pontifices cum Scribis & Senioribus* inter cætera *dixiſſe*, *Confidit in Deo*; *eripiat eum, ſiquidem vult eum.*

9. *Tu extraxiſti me de ventre*] Teſtatur his verbis ſe Dei eſſe figmentum, & verum hominem è clauſtris virginalibus bonitateque Divina educatum, atque ideo rogat nè longè è ſe recedat.

14. *Sicut aqua effuſus ſum*] Metus cogit calorem ab extremis in intima, & è ſupernis in infima. A frigore ergò quod circa pectus eſt, & tam ſuperna quàm extrema cuncta occupat, omnia refrigerantur, ipſæque membrorum compages ſolvuntur: quare & Poëta ait,

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra.

Hanc diſſolutionem videtur per Hyperbolen ſignificaſſe, cùm dixit, *velut aqua effuſus ſum* (vel *defluxi*) *& luxata ſunt omnia oſſa mea.* Ex eadem verò cauſa, quòd metus caloris defectio & in infima depulſio eſt, accidunt & quæ ſubjicit, *Factum eſt cor meum quaſi cera liqueſcens, & ſuccus meus velut teſta exaruit*: nam calor pectus deſerens facit cor colliqueſcere: idem humorem in intimis abſumens, ariditatem invehit & ſitim excitat.

16. *Foderunt manus meas*] Hebræi legunt *quaſi leo*, & neſcio quam fabulam comminiſcuntur de Leonis venatione, opinor, ut evertant ſenſum qui pro nobis facit. Hebræa dictio CAARI, ſi puncta negligas, & Aleph redundet, ſignificat *foderunt*: quam vocem ſine Aleph Felix Pratenſis teſtatur ſe hoc loco in commentario quodam legiſſe, cui non minus fidei Judæi habeant quàm ipſi ſcripto Prophetæ. Chaldæus habet, *Mordentes veluti leones manus meas & pedes meos.*

17. Di-

17. *Dinumeraverunt omnia oſſa mea*] Vel *dinumerabo*. Si ad hiſtoriam Chriſti ſupplicii ſpectes, hunc ſenſum habebit, *Ità extenſus ſum & diſtractus ut numerare licuerit omnia oſſa mea*. Neque obſtat quòd in David, qui typum Chriſti geſſit, nihil tale præceſſerit. Sæpe enim ultra typos rapti Prophetæ ea canunt quæ in uno Chriſto perfecta ſunt. ¶ *Conſideraverunt & inſpexerunt me*] Adhuc poſt omnem cruciatum torvè aſpiciebant & contemplabantur me.

18 *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, &c.] Hic verſus omnium evidentiſſimè Chriſti hic prædictum ſupplicium probat, cujus veſtes, cùm eum milites crucifixiſſent, inter ſe partiti, & de inconſutili ſortiti ſunt.

21. *A cornibus unicornium exaudi me*] h. e. Fer opem jam cornibus ſæviſſimarum belluarum permiſſo. Et obſerva elegantes antitheſes. Queſtus erat primùm *ſe à Domino derelictum*; jam ergò orat *nè procul abſit*. Deinde *ſe die ac nocte* fruſtrà auxilium imploraſſe; jam ergò precatur *ut properet auxilium ferendo*. Tum ſe *cinctum* à cœtu noxiorum, item & à *canibus*; à cæde igitur & *canum rabie* hîc ſe petit liberari. Poſtremò hoſtes ſibi inſtar *leonum* imminere; nunc orat *ex ore leonis cornuque unicornium eripi*. Neque verò hîc Chriſtus tanquam mortem deprecans orat: ſed meminiſſe debemus David Chriſti fuiſſe typum, & ejus corporalem liberationem adumbraſſe illam Chriſti ſpiritualem, atque hunc non minùs pro hac ſalute ſpirituali quàm illum pro corporali oraſſe, præſertim cùm Eccleſia corpus ejus intelligatur. Temporis autem ratio Divinitus ſic comparata tum fuit ut quæ Chriſti ſunt tectè atque raro ſine umbrarum velamento traderentur. Non mirum igitur & hîc quædam ſic dicta ut in David Chriſti exemplar magìs quàm in ipſum Chriſtum videantur quadrare. Non deſunt autem ſimul & quæ ſicut typum apertè excedunt ità Chriſto ſoli competunt.

22. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*] Ex hoc verſu epiſtola ad Hebræos cap. 2. communionem naturæ probat quam nobiſcum Servator habet.

25. *A te laus mea in eccleſia magna*] Græcus habet παρά σου. quod videtur Interpres legiſſe παρά σοι, h. e. *apud te*, ut priùs noſtra habebant. Teſtantur paſſim S. literæ morem piis Regibus fuiſſe, quoties ſingulari aliquo beneficio eſſent Divinitus adjuti, peculiari hymno in frequenti eccleſia Dei in ſe beneficia prædicare. Id nemo ſtudioſiùs præſtitit quàm David, qui ſimulatque in Regno confirmatus fuit, & Arcam fœderis Jeruſalem tranſtulit, Levitas inſtituit, qui quotidie Dominum ante Arcam fœderis celebrarent. Tum verò cùm cultum Dei toto ferè Iſraële præſente inſtauraſſet, &, ut 1 Par. 16. commemoratur, populo benè precaretur, magnificè & ipſe Deum prædicavit & per Aſaph fratreſque ejus prædicari fecit hymno qui illic recitatur, *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: nota facite in populis opera ejus*. Tum vota ſua regia holocauſtis & victimis, quas Lex *pacificas* vocat, ut ibidem memoratur, perſolvit. Et epulum præbuit populo, quo epulo Iſraëlitæ accepti ſaturati fuerunt, & in Domino exhilarati domumque redierunt, ſervatâ & memoriæ mandatâ illâ jucunditate. Hinc ait, *vivent corda eorum in ſeculum ſeculi*, intelligens hoc verbo ſingularem alacritatem. Quæ ſi in umbrarum velamine tam grata fuerunt, quâ nos decet affici voluptate quibus propoſita eſt caro & ſanguis Filii Dei, qui in filios & hæredes Dei fuimus adoptati?

27. *Reminiſcentur & convertentur*] Satis liquet Prophetam hîc non de ſuo ſed Chriſti Regno ceciniſſe, quod adumbratum fuit regnante David & Salomone, qui à flumine Ægypti uſque Euphratem, à mari uſque ad ultimos fines Syriæ imperarunt. Oſtendit ergò hîc fidem Chriſti propugandam inter omnes gentes. Et per id quod ait *reminiſcentur*, ad id reſpexit quòd Gentes Dei veri cognitionem & religionem primùm habuerunt, quæ reſtituenda iis fuit per Chriſtum. ¶ *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium*] Intelligit ex omnibus Gentibus aliquot credituros Chriſto. Mos etiam eſt Hebrææ linguæ *omnes* dicere pro *multis*.

29. *Manducaverunt & adoraverunt*] Verſus hic obſcurus eſt: putant autem hunc continere ſenſum; *Delicioſi & opulenti incurvabunt ſe, & agnoſcent Chriſtum; imò & illi qui jam dudum in pulverem terræ deſcenderunt, & exceſſerunt hac vitâ, flectent genua ſua, & agnoſcent Chriſtum eſſe piorum redemptorem*. ¶ *Et animam ſuam nullus vivificabit*] Vel, *& anima eorum non vivet*. Pro Hebrææ linguæ conſuetudine ſic accipiendum eſt, *& quorum nemo animæ ſuæ potuit vitam ſervare, vel prorogare*: ut etiam genua flectantur καταχθονίων, i. e. *eorum qui ſub terra ſunt*. Nam & quidam Hebræorum de mortuis intelligunt. Alius continuat cum ſuperiori ſic, *flectent ei genua etiam mortui, qui propriam vitam non eſt dedignatus impendere pro illis*. Quidam etiam Hebræi illud, *Omnes qui deſcendunt in terram, & anima eorum non vivet*, ſic exponunt, *Homines è terra facti, & qui* *animam ſuam non vivificavit, eſt impius. Semen autem quod ſervierit Domino, aſcribetur* (vel *annumerabitur*) *Domino in generationem*, h. e. *tanquam peculiare genus ejus*.

30. *Semen meum ſerviet ipſi*] In Hebræo deeſt illud *meum* Et eſt ſenſus, Poſteritas credentium adhærebit Domino, annumerabiturque ei per generationes ſuccedentes, quæ venient & narrabunt priores poſteris ſuis quæ & qualia Dominus egerit pro redemptione generis humani.

31. *Juſtitiam ejus*] *Bonitatem ejus*; nam per hoc nomen abſoluta bonitas accipitur. Illa verò juris ſeveritas *judicii* nomine vocatur.

DRUSIUS.

לַמְנַצֵּחַ. A. Τῷ νικοποιῷ. Sym. Ἐπινίκιος] Videndus Euſebius lib. 10. Ἀποδείξ. ¶ עַל־אַיֶּלֶת. Sym. ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως.

1. אֵלִי אֵלִי. Sym. Ἰσχυρέ μου, ἰσχυρέ μου, *Fortis mi, fortis mi*. Sym. & Th. Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου. *Deus mi, Deus mi*. ¶ לָמָה עֲזַבְתָּנִי. A. ἱνατί ἐγκατέλιπές με; *cur dereliquiſti me?* ¶ רָחוֹק מִישׁוּעָתִי דִּבְרֵי שַׁאֲגָתִי. Aq. μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου ῥήματα βρυχήματός μου, *procul à ſalute mea verba rugitus mei*. Sym. ἀφεςήκασιν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν ὀδυρμῶν μου, *abſceſſerunt à ſalute mea verba gemituum meorum*. V. ed. μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν δεήσεών μου, *longè à ſalute mea verba deprecationum mearum*] Βρυχήματός μου alii reddunt *fremitus mei*. Lex. vet. Βρυχηθμός, *fremitus*. Βρυχῶ, *fremo*. Sed vox Ebræa magìs *rugitum* denotat; quæ eſt vox Leonum propria. In Commentariis Hieronymo tributis, ſed falſo, legitur, *Aquila, Longè à ſalute mea verba gemitus mei*, i. e. ὀδυρμοῦ μου. Τῶν ὀδυρμῶν μου. Sic in Euſebio, & apud Hier. *gemituum meorum*. Sed placet magìs quod in Theodoreto. Lex. V. Ὀδυρμός, *fletus, lamentum, queſtus*. Sym. *fletus mei*. Τῶν δεήσεών μου ità Euſebius. Sed eſt cur malim τῆς δεήσεώς μου. In Rom. ed. *V. editio*, τῆς βοήσεώς μου. *VI. editio*, τῆς δεήσεως μου. Alibi eſt, *Sexta editio, ſermones clamoris mei*, i. e. βοήσεώς μου. *Sic etiam Theodotio*.

2. אֱלֹהַי אֶקְרָא יוֹמָם וְלֹא תַעֲנֶה. A. Ὁ Θεός μου, βοήσω ἡμέρας, καὶ οὐκ εἰσακούσῃ. *Mi Deus, clamabo interdiu, & non exaudies*. ¶ וְלַיְלָה וְלֹא־דוּמִיָּה לִי. A. Sym. & Th. καὶ νυκτός, καὶ οὐκ ἔςι σιγή, *& nocte, & non eſt ſilentium*] Supplet ed. Rom. σιγή μοι, *non eſt ſilentium mihi*. In eadem edit. *V. ed.* σιωπή.

3. קָדוֹשׁ. Sym. ἐν ἁγίοις, *in ſanctis*. ¶ תְּהִלּוֹת. A. Sym. & Theod. ὕμνος, *hymnus*. Locus plenus erit ſi legas, ὁ ὕμνος τοῦ Ἰσραήλ.

12. אַבִּירֵי בָשָׁן כִּתְּרוּנִי. * δυνάςαι Βασὰν διεδειγματίσαντό με] Inclino ut credam legendum ἐδιαδηματίσαντό με· nam כתר *diadema*. Sed nihil ſtatuo. ¶ בָשָׁן. A. λιπαροί, *pingues*. Sym. σιτιςή] In Euangelio Matthæi τὰ σιτιςὰ, *altilia*. In Fragmentis editis בשן. Sym. *altiles*. Amos 4. 1. פרות בשן, idem, αἱ βόες εὔτροφοι, *vaccæ paſtæ*. Lex. V. Εὔτροφος, *paſtus*.

14. נִשְׁפַּכְתִּי. O. ἐξεχύθην, *effuſus ſum*.

16. כְּלָבִים. A. Th. κυνηγέται, *venatores*. ¶ כָּאֲרִי. A. ᾔσχυναν.

20. יְחִידָתִי. A. μοναχήν. Sym. μονότητα] Μοναχήν i. e. *ſolitariam*.

27. מִשְׁפְּחוֹת. A. Sym. αἱ συγγένειαι, *cognationes*.

29. דִּשְׁנֵי. A. λιπαροί, *pingues*. Sic etiam Sym. ¶ יִכְרְעוּ. Sym. ὀκλάσουσιν, *geniculabunt*. Th. κάμψουσιν, *flectent*. ¶ עָפָר. Sym. κόνιν, *cinerem*. Th. χοῦν, *pulverem*. ¶ וְנַפְשׁוֹ לֹא חִיָּה. Th. καὶ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ζῇ, *& anima ejus vixerit*. Sym. οὗ ἡ ψυχὴ ζήσει, *cujus anima vivet*. A. ---- αὐτῷ ζῇ, *ipſi vixerit*, i. e. לו. Editiones V. VI. & VII. ἡ ψυχή μου --- *anima mea*.

30. זֶרַע יַעַבְדֶנּוּ. Sym. σπέρμα δὲ λατρεύσει αὐτῷ, *ſemen verò ſerviet ei*. ¶ יְסֻפַּר לַאדֹנָי. Sym. ἀναγραφήσεται ἐν βιβλίῳ τοῦ Κυρίου, *perſcribetur in libro Domini*] Τῷ κυρίῳ, *Domini*, ut ψαλμὸς τῷ Δαβίδ, *Davidis*.

31. כִּי עָשָׂה. A. ὅτι ἐποίησεν, *quia fecit*.

AMAMA.

M*Agiſtro Symphoniæ*] Præcentori. Ad verbum *Victori*, à נצח *vinco*, quia hæc provincia demandabatur ei qui reliquos Muſicorum arte & peritia Muſices ſuperabat & vincebat. Aquila τῷ νικοποιῷ· *Ei qui præbet victoriam*. Aben-Ezra, *Menaſ. eſt Pakid, i. e. præfectus, aut* שר *i. e. Princeps Muſicorum. Et ſimile eſt* 2 Paral. 2. 1. *Et poſuit tria millia & 600.* מְנַצְּחִים עֲלֵיהֶם, i. e. ἐπιςάτας vel ἐργοδιώκτας. Quod magis confirmatur ſi conferatur locus ille cum 1 Reg. 5. ubi eadem hiſtoria narratur

tur & qui ibi מְנַצְּחִים hic נְצָחִים vocantur. *Et* ל *punctatur, quia includit art.* ה, *& includitur Articulus*, inquit Aben-Ezra, *quia hic Magiſter notus erat & celebris.* Certus aliquis Muſicus tunc celebris notatur. LXX. εἰς τὸ τέλος, *in finem*, *in perpetuum.* לָנֶצַח. Sic Pſ. 102. 9. *non iraſcetur* לָנֶצַח LXX. εἰς τέλος i. e. εἰς αἰῶνα. Et hanc ſententiam attingit Aben-Ezra cum dicit R. Haggaön dixiſſe, hunc Pſalmum datum fuiſſe Cantori, ut caneretur תָּמִיד jugiter, ac ſi diceret לָנֶצַח. Atque hic obiter notetur illud לָנֶצַח licet à נָצַח vincere ſit, tamen accipi pro, *in perpetuum.* Et ſic ejus interpretamentum εἰς νῖκος accipiunt viri docti in Epiſt. 2 Corinth. κατεπόθη, ὁ θάνατος εἰς νῖκος, i. e. in perpetuum לָנֶצַח Symm. ἐπινίκιος, ſub. ψαλμὸς, triumphalis.

עַל־אַיֶּלֶת] Prætulerim omnibus hanc ſententiam fuiſſe initium alicujus cantilenæ, ad cujus modulos hic Pſalmus fuit decantatus. Belg. *Op de wijſe.* Atque ea eſt ſententia Aben-Ezræ. At quia hæc obſcura ſunt, permittendum cuique judicium ſuum. Ego in ſtudioſorum gratiam adducam alias opiniones & expoſitiones.

I. Eſt eorum qui dicunt hæc eſſe, שֵׁם כְּלִי נִגּוּן vel ut R. Sal. שֵׁם כְּלִי שִׁיר Nomen Inſtrumenti Muſici.

II. Qui appellativè ſumunt, & reddunt: *De cervâ matutinâ*, eamque appellationem Chriſto conantur applicare. Negari certè non poteſt quin Pſalmus hic Propheticus, agatque de paſſione & reſurrectione Chriſti; ſed quomodo Chriſtus Cerva Matutina vocatur? Primò, inquiunt, quia ut cervo nihil nocent venenata animalia, ſic nec Chriſto perſecutiones & venenati hoſtes. 2. Ut cervus halitu ſuo ſerpentes de terræ cavernis educit & occidit, ut Hieron. ad hunc locum & Baſil. in Pſ. 28. notant, ità & Chriſtus Spiritu oris ſui hoſtes ſuos interficit. 3. Ut cervus dicitur arte quadam ſe à ſenio defendere, & vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab interitu revocare, ut habet Gibb. in Cant. Serm. 14. ſic & Chriſtus omnipotentia ſua corpus jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Alii per Cervam Matutinam intelligunt Eccleſiam.

III. Alii *Stellam matutinam* interpretantur, & Chriſtum etiam intelligunt, qui ſemet ipſum in Apocalypſi *Stellam* nominat, & matutinam quidem, quia mane ſicut lucida ſtella ſurrexit.

IV. Alii, quorum ſententiam refert etiam Aben-Ezra, per אֱיָל הַשַּׁחַר intelligunt, *robur*, *vim*, *& virtutem auroræ*, i. e. diluculum, quo aurora virtutem ſuam exerit; ut hic ſit ſenſus, Pſalmus datur præcentori ut ſingulis diebus ad diluculum caneretur. Hoc ſecuti ſunt Jun. & Trem. Certè in hoc themate fortitudinis ſignificatio eſt, ut poſtea videbimus. Poſſet & afferri ex Arabiſmo, unde robur accederet huic expoſitioni, ibi enim ſignificat, *primum primordium.*

V. LXX. & Vulg. habent ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, *pro ſuſceptione matutina.* At ibi אֱיָל *ſuſcipere* ſignificat. Hic ſolum ſufficit evertendæ iſti verſioni. Et quid intelligitur per hanc ſuſceptionem? Audiamus Bellarminum. *Ad reſurrectionem reſpexit*, inquit ille, *quæ facta eſt diluculo per virtutem Dei ſuſcipientis quodammodo Chriſtum & de ſepulcro eum aducentis ad auram vitalem.* Probarem ego ſi vel apex eſſet in textu, jam quia nihil tale eſt, hæc gloſſa corruit, non enim hæc eſt commentatio in verbum Dei, ſed in commenta humani cerebri.

מִזְמוֹר] A זמר. זָמַר, נִגֵּן, & שִׁיר ſic differunt. שִׁיר tantum dicitur de vocali Muſica, נִגֵּן tantum de inſtrumentali, ut זִמֵּר de utraque. Et cum pro vocali ſumitur tunc iterum differt à שִׁיר, nam illud שִׁיר etiam vulgatas & ſolutas cantilenas canere ſignificat, זִמֵּר autem non niſi de arte compoſitis modulationibus dicitur.

לְדָוִד] ל hic Genit. notat, Ebraïſmum retinuerunt & LXX. ψάλμος τῷ Δαβίδ. Nomen quod attinet, licet videatur ſub eſſe hiric parvum, tamen eſt longum, nam Jod abeſſe colligitur ex aliis locis, ubi plenè ſcribitur. Talia loca Maſſoritæ notarunt V. ubi per loca intellige capita Biblica, nam alias unico capite Zachariæ 12. quinquies occurrit.

הַשַּׁחַר] *Aurora*, à שָׁחַר quod in Kal repertum ſemel ſign. denigratum eſſe, Job. 30. 30. *Cutis mea* שָׁחַר *denigrata eſt.* Hinc שָׁחוֹר *niger*, שְׁחֹרָה & שְׁחַרְחֹרֶת. שִׁחוֹר Nilus quod ejus aquæ nigræ ſint & turbidæ. שַׁחַר aurora. Quomodo decidiſti de cœlo Lucifer בֶּן־שָׁחַר fili Auroræ. Jeſ. 14. Alloquitur Nebucadnezar, quem dicit de cœlo decidiſſe, cum omnibus ornamentis Regiis, exulus ad inferos deſcenderet. Proverbiale. Vocatque eum Luciferum, quia ut Lucifer inter ſtellas eminet, ita & ille inter Reges terræ; & filium auroræ vocat Luciferum, quod ſplendere & lucere ſoleat ante auroram. Hinc in Piel fit שִׁחֵר manè aliquid quærere.

2. In אֵלִי eſt fortitudinis ſignif. Eſt enim ab אֵל. Unde אֱיָלוּת *fortitudo.* Unde Tremellius *Deus fortis mi.* Aquila, quem Hieronymus vocat curioſum Interpretem, qui non ſolum verba, ſed & verborum Etymologias transferre conatus eſt, vertit ἰσχυρέ μου, ἰσχυρέ μου, *fortis mi*, *fortis mi.* Amplius Euſebius ait אֵל κατ' ἀκρίβειαν ſignificare ἰσχὺν καὶ δύναμιν, *virtutem & potentiam.* Quod ſi verum, tunc אֵל erit ex iis quæ abſtractum & concretum unâ voce exprimunt, ut שָׁלוֹם *pax & pacificus*, צַר *oppreſſio* & *oppreſſor*, צֶדֶק *juſtitia* & *juſtus*, &c. Et hinc lux erit loco Math. 26. Ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, i. e. הָאֵל Dei. Nam אֵל κατ' ἀκρίβειαν eſt δύναμις. Huc refer Tob. 1. 5. Omnes tribus ἔθυον τῇ βάαλ τῇ δυνάμει, i. e. Interpp. Junio & Trem. *Baäli Deo*, ut fruſtra hic ſit Vatablus, qui lectionem hanc Codicis Toletani ſollicitat, & vult vertendum τῇ βάαλ τῇ δαμάλει, *Baäli juvencæ.* Ab hoc deducunt quidam Elohim. Malè. Eſt enim ab Eloah, quod veteres legerunt Eloö, ut Noah Noë. Manoë, Hoſeë, ut ridiculus ſit Victorius Realinus, qui in ſua Editione Hieronymianâ, ubi in Hieron. eſt Eloë, *juravit*, apponi literis Ebraïcis אֱלֹהֵי quod eſt *Regimen* ab אֱלֹהִים ibi poſito. Sed nec Eloäh ab hoc themate poteſt deduci, nam ה niſi ſit in affixo ſemper radicale eſt. Ideo nec ab אָלָה *juravit* deduci poteſt. Sed ab אָלַהּ inuſitato hodie apud Ebræos, ſed cujus veſtigium adhuc eſt in Arabicâ.

לָמָּה] Non לָמָה quia ſequitur vox à gutturali incipiens.

עֲזַבְתָּנִי] Chriſtus in cruce aliter hæc citat; poſuit enim pro Ebr. Chaldaïcum שְׁבַקְתַּנִי quod ibi expreſſum σαβαχθάνι, per α, ut שְׁלֹמֹה Salomo, שְׁמוּאֵל Samüel, גָּלִיל Galilæa, &c. Canaän. Apud Patres citatur ἠλεὶ, ἠλεί. Archaïſmus ut ἐλωείμ, σεραφείμ, quomodo Angli adhuc hodie pronunciant *i* longum. At Marcus habet ἐλωΐ, ἐλωΐ, i. e. אֱלֹהַי ab אֱלֹהַּ quod de vero Deo cum affixis in S. L. nuſquam occurrit. Abac. ſemel reperitur cum ו contemtim לֵאלֹהוֹ *Dei ſui.* Ergo Chriſtus mixtim citavit verba Davidis: Si enim purè Ebrææ eſſent, eſſet ut hic, ſi purè Chald. eſſet אֵלִי אֵלִי קְטוֹל מָה שְׁבַקְתַּנִי, ſi purè Syriacè, אֵל אֵל לְמָנָא שְׁבַקְתַּנִי

יְשׁוּעָתִי] A יֵשַׁע ut & תְּשׁוּעָה cum quiete vel defectu τοῦ Jod. ſic כֹּל à יָכֹל. Hinc eſt יֵשׁוּעַ & Thalmudica Dialecto Chaldæis etiam uſitata יֵשׁוּ unde terminatio Græca *Jeſus*, ut *Thoma*, *Thomas.* Similia קְטִי pro קְטִיעַ ſuccisus, הוֹשֵׁי pro *Hoſeay*, *Joſe* pro *Joſeph.* Atque hinc lux Irenæo lib. 2. cap. 41. dicenti nomen Jeſu ſcribi apud Ebræos 2. literis & dimidiâ; Jod vocat literam dimidiam, quia omnium minima eſt. Reſtant Vau & ש, dicitque illud nomen ſignificare Dominum cœli & terræ. Jod eſt litera prima τοῦ ὀνόματος τετραγραμμάτου, quod veteres per Dominus reddunt. ש שָׁמַיִם ו וָאָרֶץ.

Obiter obſerv. LXXII. hic inſeruiſſe πρόσχες μοι, *reſpice in me.* Et hoc ſecutum Vulgat. At audiamus Cenſuram Euſebii, τὸ πρόσχες μοι ὡς μὴ κείμενον ἐν τῷ ἑβραϊκῷ καὶ ὁ σωτὴρ παραλέλοιπεν. Rectè.

A verbis rugitus mei] i. e. Clamoris. Metaphora à Leonibus, & denotat clamorem magnum, & Chriſto convenit qui dicitur ἀναβοῆσαι, βοῆσαι, κέκραξαι φωνῇ μεγαλῇ. Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ cum deprecationibus & ſupplicationibus, cum clamore valido*, μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς, *& lachrymis obtuliſſet.* Et ſic Aquila ῥήματα βρυχήματός μου, *verba rugitus mei.* Et non malè Symmachus, οἱ λόγοι τῶν ὀδυρμῶν μου, *verba gemituum meorum.* Editio V. οἱ λόγοι τῶν δεήσεων μου, *verba deprecationum.* VI. οἱ λόγοι τῆς βοήσεως μου. Peſſime autem hîc LXXII. verba, οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, quod & Vulg. tranſtulit, *ſermones delictorum meorum*, quod tolerari poſſet, & interpretatione molliri, cum delicta generis humani vocare delicta ſua, ſic enim Eſaias, *Conjecit in eum iniquitates omnium noſtrum*, ſed quia nihil tale in textu eſt, damnanda eſt ea verſio, nec excuſanda. Videntur autem hîc decepti LXXII. & legiſſe שְׁגִיאָתִי, שָׁגָא, vel שָׁגָה, errare, per ignorantiam peccare, unde שְׁגִיאוֹת talia peccata, Pſ. 19. 13. שְׁגִיאוֹת Errores quis intelligat מִנִּסְתָּרוֹת נַקֵּנִי ab occultis purga me.

3. De Elohim vide ſupra.

אֶקְרָא] Hinc מִקְרָא Scriptura à legendo, quia legi aſſiduè debet. Hinc קָרָאִים Caræi, vocati olim Saducæi, q. Scripturarii, quia Scripturæ mordicus inhærentes omnes Traditiones Thalmudicas rejiciebant. Qui autem hodie Caræi vocantur, in hoc differunt à veteribus, quod reſurrectionem, præmiumque ac pœnam, item Spiritus cum Phariſæis agnoſcant. Atque eorum aliqui adhuc ſuperſunt Conſtantinopoli & apud Montem Antelum in Africa, ſummè inviſi reliquis Judæis, adeo ut ſi Judæus videret Chriſtianum & Corræum pariter in aqua, ex Caræo pontem facturus eſſet ad ſalvandum Chriſtianum. Videto Elenchum Tichæreſii.

Silentium] A דמה facere. Aq. Sym. Theod. & V. Editio. ἡ οὐκ ἔςι σιγή. At VI. habet σιωπή. Chald. שְׁתִיקוּתָא. Miror itaque quid LXX. viderint, & eos ſecutus Vulgata, qui habent *& non ad inſipientiam mihi*, καὶ οὐκ εἰς ἄνοιαν ἐμοί. Piſc. *Sed non* [*contingit*] *quies mihi.* Joſ. 10. 12. *Et ſiluit Sol in Gibeon*, i. e. quievit.

4. קָדוֹשׁ] Græcè ἅγιος, *ſanctus.* Nam vox *ſanctus* reſpondet dua-

duabus Ebraïcis & Græcis, τῷ קָדוֹשׁ & חָסִיד, i.e. τῷ ἅγιος & ὅσιος. Hinc קֹדֶשׁ *Sanctuarium*, *ſanctitas*. Et ſic legerunt hoc loco LXX. καὶ σὺ ἐν ἁγίῳ κατοικεῖς ὁ ἔπαινος Ἰσραήλ. Et Symmachus, ἐν ἁγίοις. Idem eſt; τὸ enim ἁγίον & τὰ ἅγια in Scriptura ſignificant *Sanctuarium*, locum illum in quo Sacerdotes, unde & גבול הדתים dicitur, Ebr. 9. 2. quod Tabernaculum dicitur ἅγια. Et v. 3. *Poſt ſecundum velamentum erat Tabernaculum dictum ἅγια τῶν ἁγίων.* Ergo ἅγιον ἁγίων & ἅγια ἁγίων idem ſunt. Et v. 12. *Non per ſanguinem hircorum & vitulorum ſed per proprium introvit ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια.* Quæ notanda ob Pontificios qui ex talibus locis in LXX. & Vulg. concludunt Invocationem Sanctorum, & Heteroſin numeri. Simile ἀώνες pro αἰών.

אֲבֹתֵינוּ] Omnia אֲבֹתֵינוּ ſunt ſine Vau poſt ב exceptis VIII. quæ recenſentur in Maſſora ad cap. XIV. Jirmijæ. אָב in Regim. אֲבִי & bis אָב. Plur. אָבוֹת. Chald. *Abba*. unde אַבָּא *Pater*, Gal. 4. Pater & Abba differunt, Abba dignitatis eſt, Pater naturæ. Unde Pleonaſmus non eſt, nec bene redditur Abba, i.e. Pater. Aliquando tamen Pater eſt Abba, *Ne vocemini Pater*, i.e. Abba. אָב aliquando etiam authorem ſignificat, Jacob. 1. 17. *A Patre Luminum*. Sic de Hieron. Ruffinus: *Videtur magis verbi Pater quam Interpres eſſe. Sic Pater Edom. Pater tuus Amorita erat, Pater omnium tenentium Citharam.* Pater noſter de Patriarchis, cum Deo tribuunt, addunt שבשמים.

פלט] *Evadere*, *ſalvum eſſe*, Piël, *eruere*, *liberare*, פָּלִיט *evaſor*, *fugitivus*. פְּלֵטָה *evaſio*, i. *evaſores*, circumciſio pro circumciſis. Act. 10. *Qui erant ex circumciſione credentes*, i.e. circumciſis. Rom. 4. *Abraham Pater circumciſionis.*

7. תולעת & תולעה differt à רמה quod הל ſit *Vermis*, σκώληξ; generale tam parvorum quam magnorum, רמה verè propriè parvos illos qui in carne aut caſeo naſcuntur. Significat etiam *vermiculum colorem quem carmeſinum vocant.* תולעת שני *vermiculus cocci*, alii *coccinum dibaphum*, i.e. bis tinctum, LXX. κόκκινον διπλοῦν.

8. רֹאַי *vidit*] Conſtruitur regular. cum את vidi Eth Elohim. Conſtruiturque cum ל, & tunc ſignificat procedere 1 Sam. 26. 1. *Nam ex filiis ejus* רָאִיתִי לִי מֶלֶךְ *providi mihi Regem.* Conſtruitur & cum ב & tunc juxta quoſdam ſignificat videre aliquid cum voluptate & delectatione, quo referunt Abd. 1. 12. אל תרא ביום אחיך *non debuiſſes videre cum delectatione diem fratris tui cum alienaretur.* Sed ſignificat etiam videre ſimpliciter, videre adverſa cum triſtitia, ut 1 Sam. 1. 11. *Anna dicit videndo videbis* בָּעֳנִי *afflictionem meam.* Significat & deſpicio, ut Pſ. 22. 18. יִרְאוּ. Et ſic videtur accip. Cant. 1. אַל תִּרְאוּנִי *ne contemnatis me quod nigra ſim.* Et Prov. Part. ראה Videns, & pro Propheta ſumitur. Locus egregius 1 Sam. 9. 9. *Dicit ſocius Saülus, eamus ad Videntem, quia addit author, qui hodie vocatur Propheta, antea ille vocabatur Videns.* Et ſic Viſio pro Prophetia paſſim. Hinc רְאִי ſpeculum. In Hithpaël, præliari, confligere, ut 2 Reg. 14. 8. נִתְרָאֶה פָנִים *dicit Amaſias ad Joas. i.e. ut & Rabbani & Raſchi exponunt*, pugnemus cominus.

יַלְעִיגוּ] A לָעַג quod & in Kal & in Hiphil ſubſannans. Conſtruitur regular. cum ל. Pſ. 2. Et cum ב & cum על, ſed rariſſime. Balbutire aliquando reddunt, quia balbutientes ridentur, & hinc videtur עִלֵּג per Metatheſin. Jeſ. 33. 19. *Populum fortem non videbis, populum profundæ linguæ ut non intelligas*, נִלְעַג לָשׁוֹן *balbæ linguæ ut non intelligas.* Sic Jeſ. 28. 11. *Cum ridiculis labio, lingua, peregrino ſermone locutus ſit Dominus cum populo iſto.* Homines enim plebeji maximè ridere ſolent linguam ſibi incognitam. Dixi conſtrui etiam cum ב & על. 2 Paralip. 30. 10. מַלְעִגִים בָּם *ſubſannant eos*, *curſores ſc. quos miſerat Ezechias ad convocandum populum ad Phaſe.* Cum על. Neh. 4. 1. *Cum audiviſſet Sanballat quod readificarent muros indignatus eſt*, & וַיַּלְעֵג עַל הַיְּהוּדִים. Dixit, quæ ſufficiunt vertendæ Gloſſæ, Aben-Ezr. ſic ad hunc locum dicenti לְעַג קְשִׁירָה לְעוֹלָם עִם לְמִיר.

יַפְטִירוּ *diducunt labium*] Diſtorquent, & ב redundat cum compoſita non habeant, ſolent nominib. præfigere præpoſ. geſtui ſubſannantium.

Alii, *Aperiunt labium*, ב redundat, ut פתח ſic Aben. דין צוחי ב elegantiæ, ut יִפְתְּחוּ בִשְׂפָתָיִם ut ſit *Aperire labium*, ſic Thr. 2. 16. *Aperire labium* de irriſione.

Alii, ut Kimchi, *Emittunt per labium*; ſub. verba ſubſannatoria

פטר] Unde quidam *Pater* deducunt, unde פֶּטֶר emiſſio, apertio, & quia primogenitus aperit matricem, & dividit primus, ideo dicitur כל פטר רחם. פֶּטֶר forte פטר eſt apud Thalm. אֹרֶךְ longus, longitudo, כָּבֵד gravis & gravitas, unde & פְּטִירָה apertio.

Patar, dimittere, ſolvere; unde de morte. Luc. 1. *Nunc dimittis ſervum tuum ἀπολύεις*, i.e. פוטרה, & capio diſſolvi להפטר. Unde נִפְטָר *dimiſſus*, *defunctus*. Elias Thisbite, Dicunt de homine defuncto נִפְטַר ut שנפטר בֶּן unde פְּטִירָה *deceſſus ex hac vita.*

Hinc & הַפְטָרָה Lectiones Prophetarum, poſt quas dimittebatur Synagogo.

שָׂפָה *Labium*] Oris extremitas, unde pro cujuſque rei margine ponitur, ſicut arena quæ eſt על שפת הים. Ponitur & pro loquela, ſermone, ut & לשון Gen. 11. *Eratque terra unius labii*, i.e. linguæ, contra Philiſt.

Movent caput] Movere caput in ſacris alium uſum habet quam apud profanos. Apud profanos eſt geſtus iraſcentium, unde apud Homerum Ulyſſes ab Antinoö pulſatus, ſic introducitur,

Ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη κακὰ βυσσοδομεύων.

Et Nept. Odyſſ. 1. cum videret Ulyſſem ſecundo curſu navigantem & cum Patriæ propinquum ſic introducitur,

——— ὁ δ' ἐχώσατο κήροθι μᾶλλον

Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμὸν ὢ πόποι.

Et Virgilius,

Tunc quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.

At in ſacris eſt geſtus irridentium. Sic in N. T. Matth. 27. & Thren. 2. 15. *Sibilaverunt & moverunt capita ſua.*

9. גֹּל] Sub. דַּרְכּוֹ vel דְּרָכָיו vias ſuas, ut רוֹב jaculatus eſt. Pſ. 37. Prov. 16. Alii, volve, ut ſit Mimeſis. Kimchi vult eſſe Toar, i.e. adjectivum vel participiale, q. d. qui volvit ad Dominum curas ſuas eum eripit.

Nam beneplacitum &c.] In eo, qui ſcilicet res ſuas volvit ad eum.

A גלל fit גֻּלְגֹּלֶת cranium, calvaria, ut à בלל בלבל & eliſ. ל בָּבֶל Et pro toto capite, imo pro homine, exegerunt Homer גֻּלְגֹּלֶת per caput. Hinc Syri גָּלְגָּלְתָּא & eliſo ל גלגתא Golgotha, quam Caninius corruptam eſſe vult. Sed negat Druſius à ſcribis corruptam, an à vulgo non vult contendere. Nam ut in N. T. Gr. ſecundum λ eliſum eſt, ſic in Syriaco prius גגולתא, ut בָּבֶל pro בַּלְבֵּל, שְׁלֹשָׁא pro שלשלתא. Dictus autem iſte locus ut quidam à craniis & capitibus mortuorum. Alii, quia colliculus ille rotunditate cranii ſpeciem referebat. Alii, quia πρωτοπλάστου hominis cranium ibi inventum fuit. Sic Epiphanius contra Hæreſ. libro 1. quod habuit credula illa ætas ex commentis Ebræorum.

10. כִּי] pro כי אם.

גֹחִי] Ut גֹּו à גוה, משני מעיים, טוב מ׳ גוה. Eductor ſignificat & gemere, quia in gemitu egreditur halitus & flatus aliquis.

מַבְטִיחִי] LXX. ἐλπίς μου, leg. מִבְטָחִי

עַל שָׁדֵי] *Super ubera*, jam ab uberibus, vel faciebus ut confiderem tibi cum adhuc lactens pendetem ab uberibus matris meæ.

שַׁד] *Uber*, *mamma*, שְׁנֵי שָׁדַיִם, aliud eſt שָׂדַי illud eſt à שָׂדֶה ager. Hinc quidam deducunt nomen שַׁדַּי quaſi *mammoſum* dicas. Alii à שָׁדַד *vaſtavit*, quod poſſit vaſtare omnia ſi vellet, παντοκράτωρ, alii à ש & די, qui αὐτάρκης.

11. רַחֲמִים] A רחם *miſereri*, *amare*, quod tamen à רֶחֶם deducunt, *Miſericordia*, רַחֲמִים *miſericordiæ*, pro quo in N. T. σπλάγχνα, *Qui videt fratrem* χρείαν ἔχοντα καὶ κλείσῃ τὰ σπλάγχνα ἀπ' αὐτοῦ. *Quomodo charitas Dei manet in eo.* 1 Joh. 5. Et ſimul Luc. 15. reperiuntur *Viſcera miſericordiæ*. Et ibidem σπλαγχνίζεσθαι *miſericordia commoveri*. Et hinc רֶחֶם *Vulva.*

12. רָחַק] *Procul eſſe*, *longè eſſe*, *elongari*, *elongare ſe*. In Piel, *longè amovere*, *removere*. In Hiphil idem Pſ. 103. הִרְחִיק *procul removet à nobis iniquitates noſtras.*

Quomodo autem Deus ſe elongat & admovet cum ſit ubique? Hoc licet profeſſionis meæ non ſit & ex Theologis noſtris didiciſtis, tamen admittite Judæum qui hac de re melius ſentit quam Chriſtiani aliqui. Sic igitur ille ad Pſ. 10. verſ. 1. *Quare ſtas in longinquo Domine?* אין ספק כי כבוד השם בכל מקום והוא רק כאשר לא יראה קוֹ יחשה לאיש עומד מרחק.

צָרָה] צר, *obſidere*, *coarctare*, *anguſtiis & afflictionibus afficere*. Unde. I. צַר *oppreſſor* & *oppreſſio*, צָרָה *æmula* & *oppreſſio*, ציר *dolor*, *tormen parturientium*, *Legatus*, *Apoſtolus*, *Cardo*. II. Significat & *figurare*, *formare*, unde צוּרָה *imago*, & & Forma Philoſophis. III. Significat & *fortificare*, & *oborare*, unde מָצוֹר *munitio*, & hinc pro Ægypto aliquando ponitur per Paronomaſiam nominis מִצְרַיִם & hinc צוּר *petra*, Exod. 4. *Et tulit Tſippora* צר *petram*. Et hinc nomen urbis nobiliſſimæ צר *Tyrus*; quia in petra erat exſtructa inſtar promontorii mari oppoſita. Et ad hoc egregiè alludit Zacharias 9. *Et conſtruxit* צר *Tyrus* מצור *ſibi*. Hinc Tyrus צור Syriace *Tur*, צ in ט ex more. Tur, Turos, Tyros, & Suria, Syria. Sic ex צור *premere* Græci fecerunt ſuum τυρεῖν, *premere*, & τύρος *caſeus*, i.e. preſſi copia lactis. Dicebant & Tſar, *o* In *a*, ut צאן צאן, unde Sara, quomodo Gellius dicit dicit olim appellatam. Et Ennius dixit Pœnos Sarra oriundos, i.e. Tyro. Et Virg.

——— Sar-

—— *Sarrano dormia œſtro*,

i. e. Tyrio. Et *Sarrana veſtis*, & vetus Interpres Juvenalis, *Tyria purpura*, i. e. Sarrana.

קָרַב] *Appropinquavit*, accedere, bellare, cum על conſtr. cominus pugnare, conſerere manus. In Hiphil הקריב appropinquare facere, offerre & de ſacrificiis dicitur paſſim, hine קָרֹב de loco & tempore, & קָרְבָּן *oblatio*, unde in N. T. forma Syrica *corβωνα* & *corbana*, in primo mutatur *a* in *o*, ut *Odom* &c. Interpretantur autem Euangeliſtæ δῶρον, *donum*, *oblatio*, *res Deo oblata*. Significabat etiam Chriſti ævo *locum donorum*, vel *donariorum*, *Gazaphylacium*, Matth. 27. 6. ἐκ ἔξεςι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν. Eſt & *juramentum* Matth. 15.

Hinc & קרב *medium* & *venter*, quia in medio corporis exta & inteſtina, ad ſummam quicquid propinquiſſimum & intimum eſt; Imò quicquid intra rem aliquam eſt, & ſic Synonymum ei eſt לב Deut. 4. *Et mons ardebat igni uſque ad* לב השמים *cor cæli*, i. e. medium cœli. Sic Jirm. *dabo Legem meam* בקרבם. Sic Chriſtus dicitur fuiſſe *in corde terræ*, i. e. medio, i. e. intra terram. Sic in Prov. *via navis in corde terræ*, & ſic Tyrus dicitur ſita *in corde maris*, i. e. medio. Et ſic cadit Bellarmini argumentum ex iſta phraſi deſumptum, quo probare vult; Chriſtum fuiſſe in inferno, quod in centro terræ, i. e. in corde, collocant Scholaſtici.

עזר] *Auxiliator*, à עזר.

13. פָּרִים] פר *juvencus*. Eſt nomen ætatis mediæ inter vitulum & bovem. Lxx. μόσχοι πόλλοι, i. e. vituli multi, ſed ſciendum Μόσχον in Elleniſticâ ſignificare etiam bovem, unde Exod. 34. Primogenitus השור apud Lxx. redditur πρωτότοκος τȣ̃ μόσχȣ. Quin & בָּקָר ſic reddunt, Prov. 14. 4. In robore bovis, ἐν ἰσχύει τȣ̃ μόσχȣ. Notavit hoc Dr. Apoc. 4. 7. & Auguſt. Quæſt. lib. 7. quæſt. 85.

Multi] כָּל־פְּאַת *Undequaque* inquit Aben. Alii *magni*, *vaſti*, & ad molem & magnitudinem corporum referatur. רב *multus* & *magnus* & *Magiſter*, unde רַבִּים & רַבּוֹת ſed non niſi cum affixis.

אַבִּירֵי] אָבַר *fortificare*, *roborare*, unde אַבִּיר *fortis*, & אָבִיר *fortis* & *taurus*, à fortitudine, Lxx. ταῦροι.

Baſan] Eſt nomen paſcuoſæ olim regionis, ubi paſcebant tauri apti & pingues. Unde Lxx. verterunt appellative, Ταῦροι πίονες. Et A. λιπαροὶ, *pingues*, *obeſi*, ἀπὸ τȣ̃ λίπος λίπεος pinguedo. Intelliguntur autem hic Magnates & Proceres unde Sym. οἱ δυνάςαι βάσαν. Sic Amos 4. 1. ubi nominantur פרות בשן intelligunt Ebræi Principiſſas נְשֵׁי הַשָּׂרִים.

כִּתְּרוּנִי] Inſtar coronæ circumdederunt me, περιέσχόν με. à כֶּתֶר *corona*.

14. פָּצוּ] *Dilatavit*, quaſi devoraturus, etiam ad cachinnos pertinet. Ut Thren. 2. *aperire labium*.

אַרְיֵה pro כְּאַרְיֵה] A אָרָה *prædam decerpere*. Hinc אֲרִי & אַרְיֵה, ut à ענה fit עָנִי & עָנָו. Vir doctus dicit, Græcis & Ebræis Leonem dici *à viſu*; λέων deducens ſine dubio παρὰ τὸ λάω τὸ βλέπειν, ὀξυδερκέςατον γὰρ ἐςὶ ζῶον. Ad quam vocem Ebræam intelligat neſcio niſi τὸ אַרְיֵה, nam Ebræi ad minimum 7. habent nomina Leonum.

I. כְּפִיר Juvenis Leo.
II. אֲרִי
III. אַרְיֵה } Adultior.

IV. שַׁחַל
V. שַׁחַץ } Adultus mediæ ætatis.

VI. לָבִיא Annoſus Leo, ſed cui molares adhuc tribuit. Joël. 1. 16.

VII. לַיִשׁ Senex, unde λὶς ὥσε λὶς ἠϋγένειος.

Videtur autem derivaſſe τὸ אריה ἀπὸ τȣ̃ רָאָה *vidit*; quod durum eſt, primò quia & hic ſine neceſſitate fit heemantica, cui ſimilis forma in hoc ordine dari vix poſſet, & deinde א them. mutare in Jod mobile. Taceo quod ארה melius conveniat naturæ hujus animantis. Ergo ab אָרָה fit אֲרִי ut à שָׁנָה fit שָׁנִי & hine אַרְיֵה ut à שְׁנֵי שָׁנִי.

15. כַּמַּיִם] A מַי vel מיה inquit Kimchi, unde מים pro מַיִם ſ. מַיִם & Regim. מֵי pro מַיֵּי. A Me fit & מַיִם duplic. Sed non niſi in Reg. Eſt formæ dualis ob duplicem aquam ſuperiorem & inferiorem, quas expanſum dividit. Significat aliquando quemlibet Potum, ut Panis quemvis Cibum.

נִשְׁפַּכְתִּי] ἐξεχύθην. Alii ἐξεχύθη, & referunt ad ſeq. καὶ διεσκορπίσθη πάντα τὰ ὀςᾶ με, *effuſa ſunt & diſperſa omnia oſſa mea*.

שָׁפַךְ] *Effudit* de liquidis proprie, etiam de aridis. 2. Reg. 19. 32. *Et non effundet ſuper eum aggerem*. 1. Reg. 13. 3. *Et effundetur cinis*. Sumitur & alias Metaphoricè, effundere iram, ſpiritum, animam, *effundere fornicationes*, Jezech. 16. 15.

וְהִתְפָּרְדוּ] A פָּרַד *Dividi*, *ſeparari*. Piel & Hiphil *ſeparare*, *dividere*. Hinc פֶּרֶד *Mulus*, licèt alii ſpeciem equi putent aliam à Mulis. Et hinc fortè, noſtrum *Peerd*. Sed Mulos exponunt qui alibi יֵמִים appellantur. Gen. 36. Ipſe eſt Hana qui invenit את הימם את־הַיֵּמִם in deſerto, dum paſceret aſinos patris Tſibhon. i. e. פְּרָדִים inquit Kimchi. *Invenit induſtria ſua*; *Nam dum paſceret aſinos excogitavit ut coire faceret equum cum aſina*, & *ita invexit in mundum hanc ſpeciem*. Sunt verba Kimchi in libro Rad. Doctores Ebr. dicunt ipſummet ſpurium fuiſſe, & ex nefando coitu ſuſceptum, & attulit etiam mundo ſpurios פְּסוּלִים falſificatos. Erat enim filius Tſibhon fratris ſui qui cum matre congreſſus genuerat ex eo hunc hominem.

כָּל] *Cal* & non *Col*, ob accentum.

Error eſt in Exempl. Venet. Duo loca ſunt Pſ. 35. 10. Prov. 19. 7. כָּל־אַחֵי רָאשׁ & debebant ſcribi ſine Maccaph. Alii addunt tertium Pſ. 87. 7. כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ ſed exploditur ab aliis quia tantum cum-in correctioribus.

עַצְמוֹתָי] A עָצַם *roborari*, *conſolidari*, *augeri vel in quantitate*, i. e. *multiplicari*, *vel in qualitate*, inquit Kimchi. Hinc fit עֶצֶם *Os oſſis*, *à robore*, *quia ſunt*, ait Aben-Ezra, מוֹסְדֵי הַגּוּף, *fundamenta corporis*. Et hine עצם exoſſare, oſſa conterere. Hinc עֹצֶם *fortitudo*, *robur*, & *oſſeitas*, vel *compages corporis*. Pſ. 139. 15. *non occultata à te fuit* עָצְמִי *oſſeitas mea*, *oſſatio mea*, Kimchi גופי, *cum factus fui in occulto*. In plur. עֲצָמִים & עֲצָמוֹת. עֶצֶם etiam apud Rabb. ſignificat *Ipſemet*, בְּעַצְמוֹ *per ſe ipſum*, Gen. 2. 23. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *In ipſomet die*, *iſto*, &c.

נָמֵס] A מָסַס *Diſſolvi*, *liqueſcere*.

בְּתוֹךְ] A תָּוֶךְ quod etiam *dolum*, *fraudem* ſignificat, quia qui fallit & defraudat alium, ille odio in corde abſcondito præ ſe fert amicitiam cum illo. Pſ. 10. *Os ejus plenum eſt perjurio* & *fraude* תֹּךְ & *dolo*.

מֵעָי] A מֵעָה fit מֵעִים *viſcera*, quia ſunt duæ viſcerum partes, quæ dirimuntur diaphragmate. Significat vero etiam omnia interiora membra, cor, hepar, pulmonem; & pro corde aliquando capitur. Vertunt & *ventrem* Jon. 2. 1. *Et oravit Jonas* מִמְּעֵי הַדָּג Lxx. ἐκ τῆς κοιλίας τȣ̃ κήτȣς.

16. *Exaruit*] ἐξηράνθη. יבש in fut. ייבש, & איבש, ſed diverſa ſignificant.

חֶרֶשׂ] *Teſta*, fictile, igne vel ſole coctum.

כֹּחִי] à כוח ἰσχύς με. *Viror meus*, *ſuccus meus*, humidum radicale per quod vivimus. Semper ſine ו excepto uno loco Dan. 11. 6.

מֻדְבָּק] à דָּבַק *Agglutinari*, *adhærere*. In N. T. προσκολληθήσεται, de marito & conjuge.

מַלְקוֹחָי] Pro לחי inquit Kimchi à לקח fit מַלְקֹחַ *præda*, *captura*, & *faux* vel *palatum oris*. Et in plur. comprehendit & eam partem quæ ſupra linguam & quæ infra eam eſt.

Pulvis mortis] i. e. Sepulchrum, terra ſepulch. περιφραςικῶς, i. e. ab hac calamitate nil niſi mortem expecto.

Ponas me] à שָׁפַת τὸ עָרַךְ *diſpono*, *ordino*. Ponere intra certos limites, collocare. Hinc fit nomen שְׁפַתַּיִם hytropodes, ollæ, lebetes. Pſ. 68. *Si dormieritis inter lebetes*, *ollas eritis adhuc ſicut pennæ columbæ tectæ argento*: i. e. etiamſi jacueritis in loco obſcuro & fuliginoſo, i. e. in ſumma anxietate & rebus adverſis, tamen ego faxo ut ex iis liberemini & felicitati priſtinæ reſtituamini. Notum ut color albus fuerit ſymbolum lætitiæ, & contra niger triſtitiæ.

Lxx. Ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, *inter medios cleros*. Bell. *ſortes*, *cœleſtem* & *terreſtrem*, *nec toti in actione*, *nec toti in contemplatione* (appellat prædicatores) *tunc erit Eccleſia ut columba formoſiſſima*. Quis autem dabit שְׁפַתַּיִם ſortes ſignificare, & quis ferat per ſortes exponentem actionem & contemplationem? Hic etiam conſideretur Bellarm. negare vocem Ebræam ollas ſignificare. At expreſsè hoc ait Genebrardus. Videte eum.

17. *Canes*] כְּלָבִים Unde Caleb nomen proprium. Ut & Rachel, ovis עגלר vitula.

מְרֵעִים] רעע *malum eſſe*, malum videre, diſplicere, taratarizare, vociferari. Hiphil, *male agere* abſolutum cum Dat. malefacere, nocere. Cum Accuſ. male tractare, malè afficere, ut εὖ καὶ κακῶς ποιεῖν. Hinc רַע *malus*, *triſtis*, Gen. 40. *cur facies veſtræ* רָעִים *hodie*. Et Neh. 2. 2. Cum facies tuæ רָעִים cum non ægrotes, certè nihil eſt niſi רֹעַ לֵב triſtitia cordis. Lxx. etiam πρόσωπον πόνηρον & πονηρία τῆς καρδίας. Cum oculo tribuitur peculiariter invidum ſignificat, & opponitur ei טוב.

כָּאֲרִי] I. Multi viri docti teſtati ſunt multos inveniri codices Ebraicos in quibus ſcriptum כָּארוּ. Andrad. Def. Trid. Conc. lib. 4. Gal. libro 8. 17. Joh. Iſaac. libro 2. contra Lind.

II. R. Jacob indice in Maſſoram expreſsè ait litera אר בקצת ספרים מדויקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי

III. Hoc probatur antiquis verſionibus, quæ non legerunt aliter quam כָּארוּ Hieron. *Fixerunt*, Vulg. *Foderunt*. Aquila ἤσχυναν. Chald. utramque lectionem conjunxit, *Foderunt ſicut leo manus meas* & *pedes meos*.

IV. Po-

IV. Poſito quod כָּאֲרִי tantùm legendum eſſet, tamen ipſi Maſſoritæ docent hic aliter accipiendum. Maſſora notat ad hunc locum ב׳ קמצין ובתרי ליש׳ . Id eſt, duo ſunt cametzata (ſub ב ſcilicet) Aſt in diverſis ſignificationibus. Locus autem alter eſt Jeſ. 38. 13. Ibi autem non poteſt aliter accipi quam pro, *ſicut leo.* Hic ergo aliter accipiendum.

Hoc ergo tantum commiſſum eſt in recentioribus exemplaribus, quod illud, quod in margine poni debuerit, eliſum ſit.

Sunt qui putant כארי pro כארו poſitum ob myſterium, ut indicaretur tempus quo exacto Chriſtus eſſet crucifigendus. Computant eum annos 1230. qui eſt in כָּאֲרִי

Foderunt] ὤρυξαν. Sic omnes Interpretes, excepto Chaldæo, de quo poſt. At vox כָּאֲרִי ad verbum ſonat *ſicut Leo.* Et tunc ſubintelligi debet, foderunt, vel quid tale. Hic eſt unus ex V. quos Bellarminus lib. 2. de V. Dei adducit, ut probet textum Ebræum eſſe corruptum. Reſp. nihil tale eſſe.

I. Viri docti teſtantur multos inveniri libros in quibus reperitur *Caaru.* Andrad. Def. Trid. lib. 4. & Galat. lib. 8. Et Joh. Iſaac in Def. Verit. Ebr. contra Lindanum teſtatur ſe talem vidiſſe. Et quidam R. Jacob filius Haym, qui indicem in Maſſoram ſcripſit, ſic teſtatur.

II. In iis libris, qui hanc lectionem habent, Maſſoritæ docent, eam non eſſe in trita ſignificatione accipiendam. Ergo non fuit iis mens eum locum corrumpere.

III. Etiam *Caari* lectum eſt ante hichon, & tamen *perfoderunt, fixerunt* expreſſum eſt: nam Chaldæus etiam utramque conjungit. Quid ergo? Fuit ק & כָּרוּ & non ſine myſterio, ut multi exiſtimant, י in Scriptura poſitum pro Vau à Spir. S. nimirum ut numerus annorum indicaretur quibus exactis Chriſtus eſſet crucifigendus. Siquidem ab eo tempore, quo hic Pſalmus ſcriptus eſt computant annos 1230. qui numerus in כארי eſt. Hoc tantum commiſſum eſt quod ק׳ lectio in poſterioribus editionibus, quibus præfuerunt Judæi, ſit omiſſa.

Eſt Præt. à כָּרָה. א inſerta, ut in הָאֲזִינוּ & in alio ordine רָאמָה Aq. ἤσχυναν *fœdarunt*; ut apud Virg.

——— *Quæ cauſa indigna ſerenos*
Fœdavit vultus,

Et

Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras.

Nam perfoſſio ſine fœdatione & laceratione fieri non poteſt.

18. אֲסַפֵּר] In Kal & Niphal *numerare.* In Piel & Pual *narrare, recitare ordine, exponere.* Et ſemel *numerare,* nempe hoc loco. Hinc סֵפֶר βίβλος, *Catalogus.* Et סופר *ſcriba.* Fuerunt autem trium generum, I. Erant notarii, qui in controverſiis civilibus operam ſuam navabant hominibus. II. Erant γραμματεῖς, qui res geſtas Principum, annales, acta publica, & reditus cenſus conſcribebant, penes quos erat publica fides annalium, temporum & Regum geſta. Hinc סְפָרִים Libri Hiſtorici. III. Hoc nomine inſigniuntur ii, qui Scripturas exponebant & interpretabantur, & in rebus dubiis conſulebantur, Belg. *Schrifigeleerde,* & aliquando in Euang. νομικοί.

יִרְאוּ־בִי] Luth. *Sien haren luſt aen my.*

19. *Dividunt*] A חָלַק *Dividere,* diſpartiri tam in partes quam in ordines, aut claſſes, ſeu officia & vices; & lenire, blandiri, quæ ſignificatio in Hiphil tralatitia eſt. Unde חָלָק *lenis, mollis.* Et altera ſignif. חֵלֶק *pars, portio, hæreditas, ager,* unde Chaldæi per Metatheſin, חֲקַל *ager,* unde in N. T. 27. Matth. Ἀκελδάμα *vel dema* חֲקַל דְּמָא & vetuſta lect. *dama, Semuel, Samuel.* Scribendum autem cum aſp. & cum κ non cum χ, & peſſimè alicubi ſcriptum *Acheldemach.*

יַפִּילוּ] *Cadere faciunt, ejiciunt, projiciunt.* Sortes in urnam mittebantur, unde iterum projiciebantur vel educebantur. Quæſitor Minos Urnam movet. Unde in ſcript. Sors ejus exiit, & Exiit ſors prima, ſecunda.

Hinc נְפִלִים *Gigantes,* quia iis conſpectis cadebant homines, quia cadere faciebant terrore ſuo. Vel ab irruendo, quia irruunt in homines. Hinc נפל abortivus fœtus ἔκτρωμα.

גוֹרָל] *Sors,* & aliquando quod ſorte obvenit. Perſicum eſt פור Eſth. 3. 7. Projecit פור i. e. inquit textus גוֹרָל inflectitur tamen Ebraicè פורים *Ideo vocarunt dies iſtos* פּוּרִים, i. e. *ſortium,* vel *ſortes.*

20. אֱיָל] *Fortitudo,* ſicut vir cui non eſt אֱיָל Pſal. 88. Et אֱיָלוּת & פְּתִיּוּת ſimplicitas.

21. *Animam meam*] i. e. Me. Deus juravit per animam ſuam. Vel animam, id eſt vitam. Sic Plautus, *Interficere animam.*

E manu] i. e. Poteſtate. Num. 11. *An manus Domini abbreviata eſt?* i. e. potentia. Aliquando plagam, Exod. 14. *Et vidit Iſraël manum magnam.*

בְּיַד] *In manu, per manum.* Miniſterium denotat. Per manum Moſis & Aharonis, per manus Typographi.

יְחִידָתִי] A יחד *unire,* יָחִיד *unicus genitura,* ſucceſſione vel ſolitudine. Ergo unicam, i. e. dilectam, charam. Unici enim filii ſolent eſſe chariſſimi. Jer. 6. 26. *Filia populi mei accinge te ſacco, & voluta te in cinere, luctum unici fac tibi, planctum amaritudinum.* Vel unicam eam, i. e. ſolam, deſtitutam omni auxilio. *Unus* pro *ſolo* notum eſt, *Væ uni. Unus Deus.*

22. רֵמִים] Pro רְאֵמִים à רְאֵם à רֵים Num. 23. 22. Deut. 33. 17. Job. 39. 12. 13. Hieronymus aliquando ῥινοκερῶτα, aliquando *Monoceratem* vertit. רְאֵם legitur & Pſal. 29. 6. & 78. 69. & 92. 11. Jeſ. 34. 7. Iſid. 12. 2. Rhinoceros & Monoceros idem. Sic & Card. quem carpit Scalig. Exerc. 205. Scil. ex Vartomanno, qui duos vidit, ſic deſcribit, Unicornibus equi magnitudo. Crura, pedes, caput cervi. Pili color balius (Spadiceus, Vail) Equi jubâ rarior, brevior. Coxæ villoſæ. Cornu unum integrum. Niceæ vidimus alia alibi, inquit Scalig. Suffulvum unum, unum ſublurcum &c. Negat Vartom. ferocem eſſe, contrà quam ab aliis vulgò acceperamus. An Monoceros ſit in natura dubitant viri docti. Ego cum Junioribus Phœnicem & Baliliſcum & Unicornem eſſe non puto. Et tamen Plinius, lib. 8. cap. 21. *Eſt animal habens equinum corpus, caput cervorum, mugitum horridum.* At Plinius ſcripſit ea quæ ſunt & non ſunt. Rhinoceros habet cornu in naribus, genitus hoſtis Elephanto. In Sacris Literis deſignatur 1. à communi eminentia, Pſ. 32. 2. 2. à robore, Num. 22. 3. & 3. à ferociâ indomabili, Job. 39. Aben. Ezra, *unicornium,* dicit, *quia cornua eorum fortia ſunt, audivi enim inquit à viris ἀξιοπίστοις ſolere hoc animal ſe demittere & præcipitare de excelſis montibus in hoc cornu, ut tamen non frangatur aut lædatur.* Vidi & ego cornu unicornis Windeſoræ.

23. אַח] *Frater,* non tantum ex iis parentibus geniti, ſed & ii qui ex eadem generis ſerie prognati ſunt, i. e. propinqui, qui ſibi invicem ſanguinis vinculo juncti ſunt, Imo qui ejuſdem profeſſionis & Religionis ſunt. Per fratres hic intelliguntur omnes fideles. Ebr. 2. 12. *Qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno ſunt.* Ideo non erubeſcit eos fratres vocare, dicens, ἀπαγγελῶ τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας, ὑμνήσω σε. Aliter accipitur in Euang. *Fratres tui præ foribus ſunt.* Uſurpatur & de inanimatis, *nam unaquaque res reſpectu ſocii ſeu ejus cum quo mutuum reſpectum habet dicitur* אָח ſi *ſit Maſc.* vel אָחוֹת ſi ſit fœm. Ut Ex. 26. 3. *Quinque cortinæ erant conjunctæ* אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ *altera ad alteram.* Aliquando dicunt poni pro אחד unus Syriace, ubi & חד Jezech. 18. 10. Si fecerit אָח מֵאַחַד מֵאֵלֶּה

הָלַל] In Kal *inſanire, lucere, ſplendere.* In Piel *laudare.* In Poël, *ad inſaniam redigere, dedecorare, inglorium reddere.* In Hiphil, *Lucere expandi,* vel *lucem expandere.* Job. 25. 5. *Si vidi lucem* כִּי יָהֵל *cum ſplendebat.* In hitpoel eſt, *Indecore ſe gerere, furore abripi, ſe inſanum ſimulare.* 1 Sam. 21. de Davide וַיִּתְהֹלֵל *& inſanum ſe gerebat in manibus ipſorum.* Hine הללו יה αἰνεῖτε τὸ ὄν. Et hinc Canticum vocatur *Halleluja,* in Euang. Matth. 26. 30. dicitur Chriſtus cum ſuis poſt Paſcha cecinisse *hymnum.* Paulus Epiſc. Bargenſis putat eſſe illum hymnum quem hodie adhuc canunt Judæi poſt agnum, & vocant *Halleluja magnum*; & conſtabat VI. Pſalmis 113, 114, 115, 116. 117, 118.

24. כַּבְּדוּ] Sign. *aggravari, grave eſſe,* pondere, vel gloria, & honore. *Pondere* in Kal *grave eſſe,* Hiphil *aggravare,* Piel, *honorare*; כָּבֵד *gravis.* Aliquando *multus,* Graves erant viduæ piæ præ arena maris

25. הִסְתִּיר] A סתר unde Saturnus & Myſterium.

עָנוּת] A עָנָה. Hinc עֱנוּת Pſal. 5. à עָנוּ vel עָנָה pro עֲנוֹת. Sic צִיִּם pro צִיִּים, קַשְׁתֵּי pro משתי

26. Jun. *De [bonis obventuris] à te [futura eſt] laus mea.*] Piſc. corrigit, *A te [prodibit] laus mea,* i. e. *materia laudis.* Deod. [*Subjectum*] *laudis meæ in congregatione multa data eſt mihi*] *à te.* Gen. *Laus mea [incipiet] à te in congregatione magna.* Angl. *Laus mea [erit] de te.* Valde dubito, an מ ſign. περὶ objecti. Sed ſic quoque Hiſp. Belg. *U wil ik prijſen*; Senſus idem cum A. H.

27. *Comedent*] Significat voluptatem quam fideles percipiunt, dum fide comedunt carnem Chriſti pro ipſis oblatam, de qua comeſtione Joh. 6. Alludit autem ad convivia ab Iſraëlitis celebrari ſolita in ſacrificiis Euchariſticis.

Manſueti] Fideles à S. S. manſuefacti & charitate imbuti.

Saturabuntur] i. e. Explebuntur voluptate ſpirituali.

De יְחִי aliquid ex Comment. in Eccleſ. ultimi cap. verſ. 11.

עֲנָוִים Belg. *Ellendige.* Malè. Sic quoque. Num. 12. 3. *Moſes was een ſeer geplaagd menſche.* At Hebr. עָנָו

28. *Recordabuntur*] Scelerum & idololatriæ, vel *memores erant,* ſc. Dei, cogitabant de Deo, contr. Pſ. 50. *Animadvertite hoc omnes qui obliti eſtis Dei.*

יִזְכְּרוּ] A זָכַר *recordatus eſt, meminit.* Hinc זֵכֶר *memoria,*

וְזִכָּרוֹן *memoriale*, liber הַזִּכְרֹנוֹת *annales*, *hiſtoriam*, in Eſther. זָכוּר *maſculm* collective. Exod. 23. 17. כָּל־זְכוּרְךָ *omnis mas tuus* ter compareat coram Domino. Hinc זָכָר *mas* à memoria, quod pollent memoria, vel quod in genealogiis & numerationibus ejus fiat mentio. Contra נָשִׁים fœminæ dicuntur à נָשָׁה *oblitus eſt*, quia earum memoria in Geneal. nulla. Tranſeunt enim in familiam maritorum. Licet alii dictas velint נָשִׁים ab אֲנָשִׁים perdita litera capitali, *quia*, inquit Ebræus, *quidam caput vel imperium marito relinquendum eſt*. Cabaliſt. ex Baal Turim. In Gematria זכר eſt ברכה 227. וּנְקֵבָה eſt קללה 165.

אַפְסֵי] אפס *defecit*. Intranſitivum. אָפֵס כֶּסֶף *deficit pecunia*. Hinc אֶפֶס *terminus*, *finis*, *conſumptio*, *nihil*, *gratis*, *præter*, *niſi*, *non*, &c. Plur. abſ. non occurrit. Conſtr. אַפְסֵי πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς. Et Dual. extat אָפְסַיִם Jezech. 47. 2. 3. Ubi dicit Propheta ſe aductum ab Angelo & circumductum per viam extra portam extrinſecus, & ecce ibi aquæ egrediebantur de latere dextro. Et traduxit me per aquas, aquas מֵי אָפְסָיִם Variæ expoſitiones, at optima eſt, talorum, i. e. talares, quæ ad talos pertingebant, nam fluvius nondum excreverat. Hoc certiſſimum eſt certam altitudinem fluvii denotari, cum ſequatur gradatio, Poſtea, inquit, adhuc emenſus eſt mille cubitos & traditus me per aquas מֵי בִּרְכָּיִם ad genua pertingentes, & poſtea per aquas מָתְנָיִם ad lumbos.

Incurvabunt ſe] שחה ſignificat corporis proſtrationem, reverentiæ cauſa etiam coram hominibus moris hoc erat apud Orient. Suetonius in Auguſto dixit *ſupplicare*, προσκυνεῖν in N. T. 1 Reg. 1. 23. Et Nathan ingreſſus וַיִּשְׁתַּחוּ לַמֶּלֶךְ *& incurvavit ſe Regi*, ſc. toto corpore. Eſt & alia ſpecies Reverentiæ, quam per כרך & כרע efferunt, de qua poſt. Tertia eſt קדד verticem humiliare, incurvare.

Omnes familiæ] i. e. Regiones. Loquitur de terra univerſa, q. de terra Sancta, ſic Matth. 24. 30. Et tunc κόψονται πᾶσαι αἱ Φυλαὶ τῆς γῆς. Sic etiam in plagis mundi Fluvius Phrath Or. Mare Philiſtæorum.

Gojim] Etiam Exod. 19. 6. & alibi ſæpe de Iſraëlitis dicitur, eritis mihi ſacerdotale regnum & gens ſancta גוי קדוש Obſerv. ob Judæos qui omnes nationes vocant גוים Et in ſing. Hoi gentilis גוי.

29. *Dominatur in Gentes*] Ovid.

——— *Et quod dominari in cætera poſſet*,

vel *Dominatur Gentibus*. Virg.

——— *& victis dominabitur Argis.*

Notandum in Vulg. fere ſemper cum Genit. conſtrui, *Dominatur Gentium*. Eſtque Græciſmus, nam ibi δεσπόζω vel κυριεύω cum Genit. conſtruitur, ut Rom. 7. Quamdiu homo vivit ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου.

30. *Pingues*] דֶּשֶׁן *Pinguedo*, & *cinis*. דשן. *impinguari*, דִּשֵּׁן *impinguare*, & *cinerem removere*, & *in cinerem vertere*. דָּשֵׁן *Pinguis*. Illi qui commederunt pinguia terræ, & luxu diffluxerunt, qui omnibus deliciis & Genio indulſerunt tandem ad Chriſtum adducentur.

יִכְרְעוּ] כָּרַע eſt *genu curvare* reverentiæ cauſa, *geniculare*, vel ut Nonius loquitur *congenulare*, Eſt. 3. *Et vidit Haman quod Mordochai* אֵין כֹּרֵעַ *non genua flecteret*. Hinc כְּרָעַיִם *Crura*. Eſt idem quod ברך quod ſignif. aſſumpta ex nomine בֶּרֶךְ *genu* ſignif. *geniculare*, & in Hiphil וַיַּבְרֵךְ *Et geniculare fecit Milcha ſervi Abrahæ Camelos*, Gen. 24. Huc referunt. אַבְרֵךְ

Qui deſcendunt] עפר pro לעפר i. e. in ſepulchrum, vel, *qui in pulverem rediguntur*. Miſeri, pauperes jamjam deſcenſuri in ſepulchrum, vel pauperes, vel humiles, Pſ. 113. 7. *Erigit è pulvere tenuem*. Pſ. 14. 26. *Dejecta eſt in pulverem anima noſtra*.

וְנַפְשׁוֹ] Pro, *Et qui animam ſuam non* חִיָּה pro חיו *& qui vitam ſuam conſervare non potuerunt* נַפְשָׁם Vel, *Quum nemo*. ו per Quum. Sunt qui de Chriſto accipiunt, convertentur & adorabunt eum gentes, licet animam ſuam non vivificaverit, i. e. licet ſe in vita non conſervarit, ſed turpi morte affectus.

31. זֶרַע] Sub. eorum fidelium, vel ſub. *quod* אשר annumerabitur Domino לְדוֹר *in nationem*, vel *in ætatem*, vel לְדוֹר וָדוֹר *in ætatem futuram*

23. *Populo* נוֹלָד] i. e. Naſcendo vel naſcituro. Invenit navem euntem.

Quia fecit] Sub. juſtitiam, omnia quæ per Prophetas prædicta erant: vel *Perfecit*. Alii *quem*. כי pro אשר. Et ſic Lxx. ὃν ἐποίησεν ὁ θεός, ποιεῖν enim creare in Helleniſtica Gen. 1. *In Principio* בָּרָא i. e. ἐποίησεν.

GROTIUS.

PRo *ſuſceptione matutina*] Ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, id eſt, ad implorandum manè Dei auxilium. Videntur Græci Interpretes pro eo quod habemus אילת [*cervam*] legiſſe אֱיָלוּת, nam אילות ἀντίληψις, [*ſuſceptio*] vertitur hoc ipſo Pſalmo commate 20. Si receptam nunc lectionem ſequamur אילת השחר videtur eſſe, *initium auroræ*. Eò enim nos ducit Arabiſmus cognatus Hebraïſmo. Ode hæc Davidis profugi calamitates deſcribit. Neque tamen id impedit quominus ſenſu ſublimiore ad Meſſiam reſpiciat, quod & Hebræorum Scholia, quæ *Midras* vocant, ad hunc locum indicant. Et ſæpe evenit ut verba in ſenſu myſtico ſignificationem habeant apertiorem, minuſque figuratam.

2. *Deus Deus meus*] Vox אלי per ſe *fortitudinem* ſignificat, & in eo ſenſu de Deo uſurpatur: quapropter Aquila vertere ſolet ἰσχυρέ μου, [*mi fortis.*]

Reſpice in me] Πρόσχες μοι. Sumſerunt illud ſecundum אלי quaſi præpoſitionem cum pronomine ſignificantem *ad me*.

Quare me dereliquiſti?] לָמָה עֲזַבְתָּנִי, quod Syriacè eſt למה שבקתני, rectè verteris, *quouſque me deſeres?* nam & למה pro *quouſque* ſæpè ſumitur, & præterita pro futuris apud Hebræos frequentia.

Longè à ſalute mea verba delictorum meorum] Apparet Græcos, qui habent οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου [*verba delictorum meorum*,] fine hujus commatis legiſſe שגגתי [*ignorantiæ meæ.*] At rectiùs textus quo utimur שאגתי, quod Aquila vertit, ut ſolet, addictè, τοῦ βρυχήματός μου, [*mugitûs mei.*] Symmachus ad ſenſum non malè, τῶν ὀδυρμῶν μου, [*lamentationum mearum*,] alii, τῆς βοήσεώς μου, [*clamoris mei*,] alii, τῆς δεήσεώς μου, [*precationis meæ.*] Senſus eſt: *Longè abes à ſalute mea, & à verbis gemituum meorum*, ſupple *exaudiendis*.

8. *Locuti ſunt labiis*] Propriè in Hebræo, *Hiatum fecerunt labiis ſuis:* qui mos irridentium, ut apparet Jobi 16. 10. hoc ipſo Pſalmo 14. & 35. 21.

12. *Nè deceſſeris à me*] Nè longius te à me removeas.

18. *Foderunt manus meas & pedes meos*] Hic quoque duplex fuit antiquitus lectio, quam utramque Chaldæus in verſione ſua conjunxit. Jacob Ben-Chaiim ait fuiſſe כארו [*foderunt*] per ἐπένθεσιν, [*inſertionem*] literæ א; idem teſtatur Moſes Hadarſan: in quibuſdam exemplaribus ſic fuiſſe agnoſcunt Maſoretæ. Lxx. ὤρυξαν, [*foderunt*,] quomodo ex eis citat Juſtinus & alii; Aquila ᾔσχυναν, [*pudefecerunt.*] Nulla ergò hîc fraus Chriſtianorum: inter quos eſt & Interpres Æthiops. Video quidem & Maſoreticam lectionem poſſe defendi; ſed altera loco magis convenit, tum ob alia, tum quia *leonis* comparatio non multò antè poſita eſt 13.

19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*] In Davide hoc intelligendum μεταφορικῶς, [*per tranſlationem*,] id eſt, fortunas meas ut confiſcatas inter ſe partiti ſunt. Sic & Latini *ſpolia* dicunt de re quavis; cùm propriè *ſpolia* ſint veſtes, unde *ſpoliarium* in balneo, & Gallicum *deſpoüiller*.

PRICÆUS.

2. ANimam meam convertit] Nè me in humilitatem averteret, dixit, convertere. Vide Pſal. 89. 3.

4. *In medio umbræ mortis*] In ſummis periculis. Suidas, Σκιὰ θανάτου, οἱ πρὸς θάνατον ἄγοντες κίνδυνοι.

Ibid. *Virga tua, & baculus tuus me conſolata ſunt*] Manus tua (ut 88. 21.) auxiliata eſt mihi, & brachium tuum confortavit me.

5. *Paráſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me*] Paraſti mihi menſam in conſpectu eorum qui tribulant me. Ità exponendum putem ex ſimili illo Pſal. 105. 46. loco, *Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos*. Vide & Pſal. 30. 20. & 97. 2.

IDEM.

1. DOminus regit me] Ità bene pro eo quod in Græco, ποιμαίνει με. Gloſſ. Ποιμαίνω, ἐπὶ ἀνθρώπων· rego.

Ibid. *Nihil mihi deerit*] *Anima mea* (ut 24. 13.) *in bonis demorabitur*. Vide & Pſal. 33. 11.

Ibid. *In loco paſcuæ ibi me collocavit*] *Ibi* hîc, ut 35. 13. & 65. 6. & alibi, abundat. Ità & 136. 1. τὸ *illic*. *Loco paſcuæ*, eſt *teneris & herboſis locis*, ut loquitur Apulejus noſter.

3. *Super aquam refectionis educavit me*] Pergit in ſimilitudine: oves paſtæ potari ſolent, & ſecus aquas quiſcere: & Græci hîc ἀνάπαυσιν habent, ubi *refectionem* Latinus Interpres. Vult dicere, Dei ſub præſidio ſe ſecurum agere. Servius ad Virgilii illud,

——— *recubans ſub tegmine fagi;*

Sub protectione Auguſti ſecurus quieſcis.

4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*] *Non timebo* (ut infrà 55. 5.) *quid caro faciat mihi*. Vide ſuprà ad 3. 7. Pſal. 26. 1. 2.

Ibid,

Ibid. *Quia tu mecum es*] Tu à meis partibus ſtas. Jerem. 1. 19. *Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt: quia ego tecum ſum, ait Dominus.* Job: 17. 3. *Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Moſes apud Joſephum Antiquit. 4. 8. Θεοῦ ἡμῖν παρόντος βοηθοῦ, πάντων περιφρονεῖν εὔλογον. Apoſtolus Rom. 8. 31. *Εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν;* Ζεὺς σύμμαχος erat inter Cyri militares teſſeras, teſte Παιδ. ζ. Xenophonte.

5. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt!*] *Hæreditas mea præclara eſt mihi:* ſuprà 15. 6.

6. *In longitudinem dierum*] Id eſt, (ut priore membro, & Pſal. 26. 4.) *omnibus diebus vitæ meæ.*

PSALM. XXIII.

MUNSTERUS.

1. P*Aſtor meus*] Frequens eſt hæc Allegoria in Scriptura, ut Dominus *paſtor*, & pii homines *oves* dicantur. Quid autem ſit *ovem ducere ad paſcua* mox oſtendit per hæc verba, *Animam meam ducet & reducet per ſemitas juſtitiæ*, &c. Porro *baculus*, quo oves rationales ducuntur, eſt verbum Dei: *Menſa* ſunt promiſſiones, quibus homo roboratur contra hoſtes; *oleum*, beneficia Dei; *calix inebrians*, gratia conſolationis.

VATABLUS.

1. P*Aſcit me* רעי] *Paſtor meus; paſcens me.* ¶ *Deficiam* אחסר] *Egebo*: q. d. Nullius rei indigere potero.

2. *In tuguriis germinis* בנאות דשא] *In caulis herbæ. In paſcuis herbidis.* ¶ *Ad aquas requietum* על מי מנחות] *Ad aquas quietum*; vel, *lenitatum*: i. e. placidas & leniter fluentes, quæ carent omni periculo.

3. *Convertit* ישובב] *Reducit*; ſive *redire facit*, ſub. *in viam bonam.* Alii, *quieſcere facit*; *tranquillam reddit*; *reſtituit.* ¶ *Juſtitiæ* צדק] Quidam hic *rectas & complanatas ſemitas* exponunt, ſive *æquatas*, non montoſas, in quibus non defatigetur ovis.

4. *Ambulavero* אלך] Mihi *ſit ambulandum*; aut *verſandum*: i. e. etiamſi verſarer in tenebris exitialibus & ſummo periculo. ¶ *Et baculus tuus* ומשענתך] *Et pedum tuum.* His curam & ſtudium paſtoris ſignificat.

5. *Præparas* תערך] *Inſtrues.* Fut. Heb. pro præſ. His omnium rerum copiam ſignificat, ſive neceſſariæ fuerint ſive voluptariæ. ¶ *Impinguaſti in oleo caput meum* דשנת בשמן ראשי] *Perungis unguento caput meum.* Vel, *Unguento caput meum delibutum reddis.* Præt. Heb. pro præſ.

6. *Veruntamen bonum* אך טוב] *Certè bonitas*: vel, *felicitas.* ¶ *In longitudinem dierum* לארך ימים] Hebraïſmus, pro, *in multos dies.*

CLARIUS.

1. D*Ominus regit me*] Vel, *paſcit me.* In hoc Pſalmo mirificam prædicat fiduciæ in Deum & ſecuritatem & felicitatem. Frequens autem eſt in Scripturis hæc Allegoria, quâ pii *oves*, Deus *paſtor* vocatur. Non eſt enim aliud pecus quod æquè paſtoris operâ indigeat, quod minùs ſibi ipſi proſpicere poſſit, (unde & proverbium natum eſt, *Ovilli mores*) & tamen æquè tanto ſit homini uſui. Sic neceſſe eſt Hominem prorſus perire, niſi eum ducat & foveat ſuo Spiritu Deus; quo deſtitutus nihil earum rerum quibus ſalus conſtat vel ſuſpicari poteſt.

2. *In loco paſcuæ*] Vel, *in amœnis locis & germinoſis.* Qui optimè paſcunt greges, ſtabula non longè à paſcuis habent, præſertim in Judæa, cui ſilvarum umbræ raræ ſunt. Medio enim die, cùm ſævit æſtus, in umbram ducendæ ſunt, quod & Poëta admonet,

Æſtibus in mediis umbroſam exquirere vallem.
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendit ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacrâ nemus accubat umbrâ.

Addit Pſaltes quòd & *ad aquas refectionis*, vel *refrigerii*, & *lenè fluentes* ducat, quod & ipſum bis in die fieri ſolet. Vel ità appellat aquas, quia periti rei pecuariæ canalibus ſalem imponere ſolent, quem redeuntes à paſtu oves lambant, eóque ſapore cupidinem bibendi paſcendique concipiant.

3. *Animam meam convertit*] Vel *reſtituit mihi*, ſive *ducit & reducit per ſemitas juſtitiæ.* Quod verſu præcedenti per Allegoriam dixerat, hîc declarat. Quanquam Hebræi illud *convertit* dictum putant quaſi *leniter deducit*, quòd & hoc verbo ad paſtoris curam indulgentem Pſaltes reſpexerit. Nam iſtud quoque præcipiunt, ut qui ſequitur gregem circumſpectus ac vigilans, magnâ clementiâ moderetur, & duci propior quàm domino in cogendis recipiendiſque ovibus acclamatione ac baculo minetur, nec unquam telum emittat.

4. *Virga tua*] Per *baculum* & *pedum paſtorale* nihil aliud intelligitur quàm cura & ſedulitas paſtoralis. Synecdoche enim eſt, ut per inſtrumentum actionem intelligas. *Baculus* ergò, quo oves rationales ducuntur, eſt verbum Dei; *menſa* ſunt promiſſiones, quibus homo roboratur contra hoſtes; *oleum*, beneficia Dei; & *calix inebrians*, gratia conſolationis.

5. *Paraſti in conſpectu meo menſam*] Alterâ Allegoriâ canit, ſe omnium rerum copiâ abundare, paſcente Deo. ¶ *Impinguaſti in oleo caput meum*] In lautioribus conviviis olim etiam unguenta, præſertim in Palæſtina, adhibebantur.

6. *Et ut inhabitem*] Vide votorum ejus finem, nempe ut hoſtium turbis ereptus verſetur quietiùs cum Deo.

DRUSIUS.

2. בִּנְאוֹת דֶּשֶׁא יַרְבִּיצֵנִי. Aq. & Sym. *ἐν ὡραιότητι πόας κατεσκήνωσέν με, in pulcritudine herbæ collocavit me.*

3. יְשׁוֹבֵב. Sym. *ἀνεκτήσατό με.* ¶ בְמַעְגְּלֵי. Sym. *δι' ἀτραπῶν, per ſemitas.*

5. כּוֹסִי Th. *Ποτήριόν μου.* Sym. *ποτήριον.* V. ed. *καὶ ποτήριόν μου.* VI. *τὸ ποτήριόν μου.* ¶ רְוָיָה אַךְ טוֹב. Sym. *μεθύσκον πλὴν ἀγαθόν* eodemque modo Quinta. Latinè id reddas, *calix meus inebrians, verum bonus.* VI. ed. *μεθύσκων ὡς κράτιστον inebrians quàm præclarus.*

6. שִׁבְתִּי. Sym. *ἡ κατοίκησίς μου, habitatio mea.*

AMAMA.

23. P*Salmus eſt Didaſcalicus*, quo exponit fiduciam ſuam in benignitatem Dei; vel Conſolatorius, quo conſolatur ſe adverſus metum egeſtatis: petit autem argumentum à cauſa procreante, vid. Paterna cura Dei pro Davide. Deod. In ſua perſona declarat feliciſſimum ſtatum fidelium, tam in corpore, quàm in Spiritu. Scriptus, ut videtur, in exilio eum fugeret Saulem. Agit autem Allegoricè, dum Dominum Paſtori ſeque Ovi comparat, verſ. 1. proponit Allegoriam.

רֹעִי] רָעָה *Paſcere.* Complectitur in ſignificatione tranſitiva omnia boni paſtoris officia, omnia quæ ad paſturam pertinent. Hinc per Metaphoram pro *regere.* Regere ſeu dominari & paſcere ſe invicem explicant, Mich. 5. *Ex te exibit mihi* לִהְיוֹת מוֹשֵׁל *ut ſit Dominator in Iſraël.* Matth. 2. 1. *ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν*; unde apud Hom. *ποίμην λαῶν.*

אֶחְסָר] A חָסֵר ſub. כֹּל *Non egebo omni re*, i. e. ulla. Sic non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis caro. R. Sal. כְּלוּם *quopiam*, vel דבר. חָסֵר vel חָסַר *deeſſe, carere.* חִסֵּר *defraudare.* Hinc חָסֵר חֹסֶר & חֶסְרוֹן. Hinc חסר quod opponitur מָלֵא in Maſſor. Cohærent ſententiæ verſ. 1. Enthymematicè.

2. Explicat Allegoriam verſ. 2. & 3. enumerando partes quæ ad officium boni paſtoris pertinent. Expoſitio argumenti per partes. Pergit autem in phraſibus bucolicis & paſtoritiis, & recenſet Dei beneficia, I. Suppeditatio larga victus.

בנאות] *In caulis, in tuguriis.* נָוָה *habitare*, hinc נָוֶה *habitaculum, tugurium, caſa.* Pl. נָוִים & נְוֹת In Reg. נְוֹת & נְאוֹת literæ Ehevi de facili commutantur. Hoc vult: Non tantum alimoniam copiosè, ſed & quietem & molliſſimam commoditatem mihi dat.

דֶּשֶׁא] *Herba tenera.* עֵשֶׂב *Herba adultior, durior.* Hinc in Hiphil הִדְשִׁיא *germinare.* תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא

יַרְבִּיצֵנִי] רָבַץ *Cubare, accubare.* Proprium quadrupedum, ut שָׁכַב hominum. Dicitur & avibus, quæ ovis & pullis incubant, ut Deut 22. 6. ubi Mater רוֹבֶצֶת incubat pullis. Hiphil הִרְבִּיץ *accubare facere.*

יַרְבִּיצֵנִי] Jun. *Facit ut recubem.* Gen. *Stabulat me.* Varr. de Re Ruſt. Lib. 1. *Danda opera eſt, ut alienum pecus in ſuo paſcuo paſcat & ſtabulet.* Uſitatius tamen *ſtabulo* & *ſtabulor* neutra ſunt. Dicitur de quadrupedibus propriè, ſed & de avibus. Gen. 4. 7. *Si verò non bene egeris ad fores peccatum cubat?* חַטָּאת רֹבֵץ inſtar canis, *ἐπὶ θύραις, præ foribus*, ut Matth. 24. 33. *Scitote illum prope eſſe & præ foribus.* Anomalia conciliatur, vel ſubintellecto ſynon. חֵטְא vel per Metonom. Ut ſit pro עֹנֶשׁ חַטָּאת; Sic Deut. 29. 20. *Et excubabit contra eum omnis execratio, quæ ſcripta eſt in libro Legis.* Reperio tamen in MSS. D. D. Sculteti, quæ meæ fidei commiſit, illuſtris Baro à Dhona peculiarem ſententiam Melvini, *ad oſtium peccati recubans es*, i. e.

recu-

recubas. Ita tollitur anomalia. Et ſumma ſecuritas in ſumma quiete ſignificabit, qualis eſt gregis ab æſtivo calore in umbra recubantis. Cant. 1. 7. q. d. Tu impendente tibi ſummo periculo ſecure recubas & in utramque aurem dormis. Sed duo obſtant, 1. Analyſis & Scopus, qui eſt denunciatio, non exprobratio; 2 ל לַפְּתָח includit articulum.

Quietum] נוח Quievit. Aq. *Quietum*, i. e. Minime rapidas quietas, leniter fluentes, quæ carent periculo. Confer. Gen. 24. 20. 29. 2. 30. 38.

יְנַהֲלֵנִי] *Minat me.* Mino eſt agere pecus. Feſtus, *Agaſonis equos agentes*, i. e. bene minantes. Proprium eſt paſtorum. Germanicus Cæſar,

——— *Baculoque minatur.*

Uſurpatur & Vulg. Exod. 3. 1. *Cumque gregem ad interiora deſerti minaſſet.* Sic Jac. 3. 4. Vulgo in idiotiſma Gall. Hiſp. & Ital. in uſu eſt. Ecce naves cum magnæ ſint & à validis ventis minentur.

3. יְשׁוֹבֵב] A שוב *recreat*, *quietum facit*, vel *reducit in viam bonam animam meam*, i. e. me languentem; vel *redire facit:* nam cum homo afflictus conſolatione levatur, videtur anima ei quodammodo redire.

יַנְחֵנִי] In Hiphil הנחה *ducere*, *deducere* leniter, ut paſtor oves vel ut puer ſolet.

בְּמַעְגְּלֵי] עָגַל, hinc עָגֹל *rotundus teres*, עֲגָלָה *plauſtrum.* Et ſic מַעְגָּל & מַעְגָּלָה ſemita orbita quam imprimit plauſtrum. מַעְגָּל etiam ſignif. Locum Caſtrorum, quæ Veteribus videntur fuiſſe munita aliquando plauſtris. Belgicè *Wagenburg*, Plauſtriburgium.

צֶדֶק] *Juſtitiæ*, i. e. æquas, planas, minimè ſalebroſas, complanatas, in quibus non delaſſetur ovis.

4. בְּגֵיא] גַּיְא & גֵּיא vel גַּיא item גֵּי & גֵּי *Vallis.* Explicat Allegoriam per hypotheſ. Unde גֵּי בֶן־הִנֹּם & ter גֵּי הִנֹּם *Vallis Hinnom.* Locus extra Jeruſalem à poſſeſſore ſic dictus in quo Judæi Molocho Libros ſuos immolabant, quem profanaturus poſtea pius Rex Joſias curavit ſordes, morticinia, & omnem immunditiem eo deferri, &, ne aër hinc inficeretur, curavit ut ibi eſſet אֵשׁ תָּמִיד *ignis perpetuus* quo abſumerentur illa. Unde ſequiori ævo locus damnatorum dictus גֵּיהִנֹּם & γεέννα in N.T. & apud Rabb. paſſim. In V.T. etiam תֹּפֶת vocatus ille locus à תֻּפִּים *Tympanis*, quia dum immolabatur & comburebatur infans ſacrificuli tympana pulſabant, ne parentes adſtantes ejulatibus & vagitibus innocentium infantium miſericordia commoverentur. Fuit enim horribile ſpectaculum. Et hinc etiam pro inferno ſumitur cum ה Parag. תָּפְתֶּה in Jeſ. 30. *Jam ab heri parata eſt* תפתה. Similiter per Hortum voluptatis, Paradiſum, denotatur Locus Beatorum.

Moloch] Conſtruebantur duæ pyræ magnæ, & per utramque Sacerdotibus traditus puer ſuis pedibus trajiciebatur. Unde, *Tranſire facere pueros Molocho per ignem.*

Umbra Mortis] Dicitur primò de præſenti periculo, ut hic. Secundò de Sepulchro, Job. 10. 21. *In terra tenebrarum & umbræ mortis.* Tertiò de Tenebris errorum, Jeſ. 9. 1. Matth. 4. 16. Luc. 1. 71. *Ut appareat iis qui ſedent in tenebris & umbra mortis.* Compoſitum ex צֵל & מָוֶת quid ſi ex מוּת & צֶלֶם imago mortis, ut ſignificet talem imaginem quæ morientium oculis obverſatur. Triſtiſſima mortis imago.

Umbra Mortis] A צֵל *Umbra*, & מָוֶת à צלל *obumbrare tegumento, obtegi, protegi*, unde & צֵל *Umbra* pro *defenſione. In umbra alarum tuarum*, Pſ. 121. 5. *Dominus umbra tua*, LXX. *Protectio tua.* Alii à צֶלֶם ſed tunc eſſet צַלְמוּת. Significat autem locum obſcuriſſimum, qui tenebrarum horrore poſſit nobis imaginem mortis objicere, vel qui horrore ſuo nos exanimat. Ad ſummam, Locus exitiabilis & periculoſiſſimus.

Virga tua] Ἡ ῥάβδος σου, שֵׁבֶט eſt vox πολύσημος, ſignificat 1. *Tribum*, 2. *Sceptrum*, 3. *Virgam* ſeu *Baculum*, *Virgam Caſtigationis.* Hic Baculum ſignificat, qui ex arbore vel radice arboris naſcitur. Aliter ſumitur Gen. 49. *Non removebitur* שבט *de Juda, nec Legiſlator de pedibus ejus*, i. e. Dominium, poteſtas. Et quia hic locus depravatur à Judæis, quod Chald. vertat per שָׁלְטָן *dominium*, *poteſtas*, *regimen*, & hoc firmat quod ſequitur מְחֹקֵק. שבט non ſign. *virgam tenuem & flexilem*, *een Roede*, ſed *craſſiuſculam & firmam.* 2. Sam. 18. 14. *Joab accepit tria* שְׁבָטִים *haſtilia*, *& infixit in cor Abſolomi.* Lev. 27. 32. *Quicquid tranſibit ſub baculo, decimum erit ſanctum Domino.* II. *Sceptrum*, *Baculus Regius.* Achilles Iliad. 1. ſic jurat: Ναὶ μὰ τὸ σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους φύσει ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν. Neque reviteſcet, ferrum n. undique illud delibravit & folia & corticem.

מִשְׁעַנְתֶּךָ] A שָׁעַן in Niph. נִשְׁעַן *innixus eſt*, *recubuit*, *reclinavit*, & figur. *confidere.* Hinc מִשְׁעָן] *Baculus:* Pedum paſtorale, quod pedis loco eſt, cui paſtor innititur, interea dum gregi paſcenti aſtat. Et מִשְׁעֶנֶת & *ſuſtentaculum*, *fulcrum*, *pes*, cui innitimur, vel corpore vel animo, unde

נחם] In Niphal נִחַם *conſolari*, paſſive, *pœnitere*, Piel *conſolari*, נֹחַם *conſolatio*, תַּנְחוּמִים & תַּנְחוּמוֹת *conſolationes*, unde *Liber Tanchuma.*

5. Accommodat jam Allegoriam ad perſonam ſuam, & dupliciter, I. Enumerando beneficia præſentia, verſ. 5. II. Beneficia futura, tum in hac vita tum futura.

ערך] *Ordinare*, *diſponere*, *ſuo ordine collocare*, Hiph. *Æſtimare*, *inſtruere.*

שֻׁלְחָן] A שלח *mitto*, quia in eam immittuntur fercula, qui inde & miſſus dicuntur.

צוררי] A צר *ligare*, *anguſtiis afficere.*

Oleo] Aromatico, unguento. Delibatum reddis caput meum. Dicit ſe abundare rebus omnibus, tum ad neceſſitatem, tum ad ornamentum pertinentibus. שמן nomen generale omnis pinguedinis tam naturalis quam conditæ. Diciturque ſic unguentum aromaticum & linimentum quod glutinoſum & pingue ſit. Elegantiæ & hilaritatis cauſſa adhibebant veteres, unde Math. 6. 17. Poſtquam Chriſtus taxavit Phariſæos, quod, quoties jejunabant, obſcurarent facies ſuas, & componerent ad moroſitatem, ut conſtaret hominibus eos jejunaſſe, Σὺ δὲ, inquit, νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, i. externo hoc ſigno te hilarem oſtende, ne agnoſcant te jejunare. Unde lugentes abſtinebant ab oleo. 2 Sam. 14. 3. *Mittebat Joab Thekoam*, *& aſſumpſit inde mulierem aſtutam*, *& dixit ei*, *age lugentem*, *indue pallium lugubre*, *neque ungitor oleo*, *& i ad Regem.*

רְוָיָה] *Exuberans*, à רוה *irrigare*, *ſaturari.* רָוֶה *irriguus*, רָוֶה & ה in Jod רְוָיָה.

6. אַךְ] *Nil niſi*, Jun. Piſc. *Profectò*, *utique.*

Perſequentur] Tam in bonum quam in malum. Malum, Pſal. 141. *Perſecutus eſt inimicus animam meam.* Et paſſim. רדף *perſequi vehementer*, הִרְדִּיף *perſequi fecit.*

וְשַׁבְתִּי] *Et quieſcam.* שוב etiam *quievit*, à nomine שׁוּבָה Jeſ. 30. 15. בְּשׁוּבָה וָנַחַת *Salvabimini in quiete*, *& requie.*

חֶסֶד] *Miſericordia*, *benignitas.* חָסִיד *benignus*, *pius*, *miſericors*, *ſanctus*; inde חֲסִידִים *Haſidæi.* Et Chald. חסי ὅσιος קַדִּישׁ חָסִיד ὅσιος, ἅγιος, *Sanctus.* Hinc חֲסִידָה *Ciconia*, à naturali miſericordiæ affectu in prolem. Πελαργός.

לְאֹרֶךְ יָמִים] *Secundum longitudinem dierum. Longo tempore.* Ald. Belg. *Een langdurige tijd.* Jun. *Quamdiu longa erunt tempora.*

GROTIUS.

1. **D***Ominus regit me*] Chaldæus putat eſſe Oden factam nomine Iſraëlitarum qui in deſerto fuerunt. Nam ſolent Poëtæ ſæpè fingere quæ olim dici potuerunt, quale eſt vaticinium Nerei apud Horatium.

5. *Paraſti in conſpectu meo menſam*] Non ligneam, aut lapideam, ſed facilem ex ceſpitibus ſubitò aggeſtis.

Impinguaſti in oleo caput meum] Pro *oleo* rectè verteris *pinguibus*, ut hîc Chaldæus. Sic enim שמן ſumitur Proverb. 21. 20. Pſal. 109. 24. Eſaiæ 5. 1. Intellige autem hîc cum Chaldæo aves illas pinguiſſimas quibus paſti ſunt in deſerto Iſraëlitæ, ſive illæ ὀρτυγομήτρας [*coturnicis matrices*] fuêre, ſive aliæ.

PRICÆUS.

1. **O***Rbis terrarum*] Hoc loco intelligenda eſt ea pars Orbis quam Græci ξηρὰν vocant.

PSALM. XXIV.

MUNSTERUS.

PSalmum hunc editum putant Hebræi cùm David cognoviſſet locum quem ſibi Deus peculiariter in monte Morija delegit, ubi pro honore nominis ſui conſtrui Templum ordinavit, in quo præ cæteris totius mundi locis inter homines habitare conſtituit.

1. *Domini eſt terra*] Cùm, inquit, terra, & omnia quæ in ea ſunt, Dei ſint, quanta eſt hæc ſuæ Majeſtatis dignatio ut populum Iſraëlịticum ſibi peculiari ratione delegerit?

2. *Super maria fundavit eum*] Super fragile, inquit, fundamentum collocavit firmiſſimum ædificium.

3. *Quis aſcendit in montem Domini?* A monte terreſtri Morija aſcendit ad montem cœleſtem, docetque quis aſcenſurus & poſt reſurrectionem illuc perventurus ſit, nempe qui *mundo corde*

de puris ſtudet operibus, & qui *non ſine cauſa jurat per animam Dei:* ubi tamen quidam legunt *animam meam*, ut ſint hæc verba Dei reſpondentis.

6. *Jacob*] Neceſſe eſt ut hîc aliquid ſubintelligamus, putà *Deus Jacob*, vel, *in Jacob*.

7. *Levate, portæ, capita veſtra*] Alloquitur Templum ipſum, ut Domino majeſtatis ſeſe aperiat & manſionem concedat perpetuam. Priùs enim Arca Domini ſtabilem manſionem non habuit; ſed cùm aliquandiu in Gilgal manſiſſet, tranſlata eſt in Silo; deinde reducta ex Palæſtina, manſionem habuit in Bethſæmes, in Kiriathiarim, atque in domo Obed-Ædom: donec tandem cum magna ſolennitate David illam duxit in montem Zion in Tabernaculum Moſaïcum; ubi manſit quouſque per Salomonem exſtructa fuit domus Domini.

VATABLUS.

1. ET *plenitudo ejus* ומלואה] Hebraïſmus, pro quicquid in ea continetur, ſive quicquid ipſa continet.

2. *Super maria* על ימים] *Juxta maria*, *ad maria*. Situs enim continentis eſt ſupra mare & flumina, non in ipſo mari & aquis: nam dixit Deus, *Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida.* Geneſ. 1. 9. Sic paulò poſt, *Juxta flumina.*

4. *Non accipit in vanum animam ſuam* לא נשא לשוא נפשו] Qui *animum ſuum ad vanitatem non extulit:* i. e. qui vanis rebus non inhiat, aut intentus eſt. Hebraïcè legitur, *Non aſſumit fruſtrà animam ejus*, aut *meam*. Varia enim eſt hîc lectio: nam quædam exemplaria habent נפשי, alia נפשו, ſed punctatum cum Hiric, ut appareat ו pro י poſitum eſſe. Hinc inter Hebræos doctiores, in hac verſûs hujus particula, Deum loqui intelligunt: & *aſſumere animam Dei idem* eſſe ajunt atque *jurare per animam Dei:* ut ſit idem *aſſumere animam Domini in vanum*, ſive *fruſtrà & temere*, atque *aſſumere nomen Domini in vanum*, Exod. 20. 7. i. e. nihil falſi per nomen Domini aſſumit. Ejuſmodi locutio legitur & Jer. 51. 14. & Amos 6. 8. *Et juravit Jehovah per animam ſuam.*

5. *Salutis ſuæ* ישעו] Sic Hebraïcè, pro, *ſalvatore ſuo*.

6. *Faciem tuam* פניך] Mutatio perſonæ, pro, *faciem ejus*. ¶ *Jaacob* יעקב] Aut ſubaudiendum *in*, acſi dicat, *Talis eſt generatio eorum qui in Jacob quærunt faciem Dei.* Aut verbum ſubſtantivum, hoc modo, *Jacob ſunt, & veri Iſraëlitæ, qui quærunt faciem Dei.*

7. *Elevate* שאו] *Attollite.* Abrumpit David ſermonem, optatque Templi Jeroſolymitani exſtructionem, ut Arcam (quam *Jehovæ* nomine ſignificat) inferat. ¶ *Perpetuæ* עולם] *Æternæ*, *ſempiternæ:* ſic dictæ quòd illic Arca eſſet perpetuò habitatura, h. e. uſque ad deſtructionem Templi.

8. *Et potens* וגבור] *Et robuſtus*, *validus*, *heros*.

CASTALIO.

2. NAm *ipſe eam ſuper mari fundavit, ſuperque fluminibus fixit*] Mare fluminaque ſuper eminentem.

4. *Qui non animo ſuo ad nequitiam utitur*] h. e. *Qui non falsò & malitiosè jurat*, ut continuò ſequitur, nam jurantes id teſtamur quod habemus in animo, ut videre licet Jer. 38. ubi jurat Sedecias. Quòd ſi falſum juramus, abutimur animo noſtro.

CLARIUS.

CUm Dominus & aſpectu Angeli cædentis, & oraculo Prophetæ Gad, denique acceptatione holocauſtorum igni demiſſo cœlitus, demonſtraſſet ipſi David aream Araunæ Jebuſæi, quæ in monte Moria erat, locum eſſe in quo vellet ſibi Templum exſtrui, cogitans hîc David incomprehenſam Dei erga Iſraëlitas bonitatem, inter quos ſedem ſibi peculiarem delegerat, cùm tamen omnis terra cunctique mortales ejus opificium ſint, canit, Quibus verè in loco ſancto Dei locus pateat, Quæ verè Dei natio ſit, Apud quam Deus habitare dignetur, cùm *non omnes qui ſunt ex Iſraël, ipſi ſint Iſraël.* Tum ad exſtructionem Templi hortatur, promittens Dei præſentiam per Arcam fœderis in eo reponendam.

1. *Domini eſt terra*] Cùm, inquit, terra, & omnia quæ in ea ſunt, Dei ſint, quanta hæc eſt ejus Majeſtatis dignatio ut populum Iſraëliticum ſibi peculiari ratione delegerit?

2. *Super maria fundavit eum*] Super fragile, inquit, fundamentum collocavit firmiſſimum ædificium. ¶ *Super flumina*, &c.] Sunt qui intelligant ſic, *fluminibus elegantiſſimè diſtinxit eam.*

3. *Quis aſcendet*] A monte terreſtri Moria aſcendit ad montem cœleſtem, docetque quis aſcenſurus & poſt reſurrectionem illuc perventurus ſit, nempe qui *mundo corde* puris ſtudet operibus, & *qui non ſine cauſa jurat per animam Dei.* Alii ſic intelligunt, *qui non jurat falsò ad obſtringendam animam ſuam.* Hieron. *Non exaltavit fruſtrà animam ſuam.* Summà autem hâc comprehenditur qui ſit aſcenſurus, qui ſcilicet ſit *innocens* opere, *purus* corde, ore *verus*.

7. *Attollite, portæ, capita veſtra*] His verſibus hortatur ad exſtructionem Templi, & per proſopopœiam ipſum Templum alloquitur, *O portæ*, inquiens, *Templi, attollite capita veſtra, & aſſurgite, ut inferatur per vos Arca fœderis. Æternales* autem ſive *ſempiternas* vocat, quòd intra Templum Arca jam fixa permanſura erat, non, ut antea, de loco in locum transferenda. Antea enim in deſerto ſæpius locum mutaverat, poſtea è deſerto in Galgal, è Galgal in Silo, indè in terram Philiſthæorum, ex ea in Betſames, indè Cariathiarim, ex hac in domum Obed-Ædom, inde in civitatem David, & ex hac in Templum delata fuerat: in Templo autem uſque ad excidium Urbis perſtitit. Unde & Salomon dicebat, *Ædificans ædificavi domum in qua permaneres, locum ubi habitares in ſecula.* ¶ *Et introibit Rex gloriæ*] Arcam intelligit, ſicut & Moſen Num. 10. legimus, cùm Arca proficiſcebatur, dixiſſe, *Exſurge, Domine, & diſſipentur inimici tui*, &c. Et cùm reponeretur, dicebat, *Revertere, Domine, ad myriades millium Iſraël.* Repetitio autem illa verſûs ſeptimi teſtatur quantopere animus ejus ſtudio domûs Dei ædificandæ flagrarit.

DRUSIUS.

2. הוא עַל־יַמִּים יְסָדָהּ וגו׳. Sym. Οὗτος ἐπὶ θαλάσσης ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, καὶ σὺν ποταμοῖς ἥδρασεν αὐτήν. *Ipſe ſuper mare fundavit eam, & cum fluminibus ſtabilivit eam.*

3. בִּמְקוֹם קָדְשׁוֹ. A. Ἐν τόπῳ ἁγιάσματος ——— *in loco ſanctificationis* ———

6. פָּנֶיךָ יַעֲקֹב. A. Sym. V. & VI. πρόσωπόν σου, Ἰακώβ, *faciem tuam, Jacob*

7. שְׂאוּ שְׁעָרִים רָאשֵׁיכֶם וגו׳. A. Ἄρατε, πύλαι, κεφαλὰς ὑμῶν καὶ ἐπάρθητε, ἀνοίγματα αἰώνια, *Tollite, portæ, capita veſtra; & elevamini, aperturæ ſempiternæ.* Sym. Μετάβατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, ὑψωθήτωσαν δὲ αἱ πύλαι αἰώνιοι, *Levate portas Principes veſtri, extollantur verò portæ ſempiternæ*] Ἀνοίγματα, i. e. *januæ*.

AMAMA.

PSalmus didaſcalicus, quo explicat Regnum Chriſti duobus modis; I. A ſubditis ad verſum ſubditum. II. Deinde ab adventu ejus in Regnum ſuum. Subditorum ponit duo genera, unum eorum qui ſubditi ſunt naturæ & creationis jure, verſ. 1. & 2. alterum eorum qui ſunt redemptionis jure.

1. *Plenitudo ejus*] Quicquid implet eam, omnes creaturæ terreſtres, מְלוֹא, hic & Jerm. 8. 16. & 47. 2. ſcribitur plene, at alibi defectè מְלֹא & aliquando cum defectu מְלִיא. Sic *Plenitudo volæ*, i. e. vola plenitudinis, i. e. plena. Eccl. 4. Sic *Et erit ſemen tuum plenitudo gentium.* Num. 22. *Si dederis mihi Balac plenitudinem domus ſuæ aurum & argentum.* Sic Apoſt. Gal. 4. 4. ὅτε δ᾽ ἦλθε πλήρωμα τοῦ χρόνου *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege*, i. e. tempus plenum. Thema eſt מָלֵא *implere & impleri.* Piel, מִלֵּא cum יד *conſecrare*, initiare ſacris etiam idololatriis, 2. Chron. 13. Ex ritu publico quo nemini ne quidem ex tribu Levi licebat munus ſacrificandi aſſumere niſi prius manus ejus impleta fuiſſet partibus ſacrificiorum; ſed de his aliàs.

תֵּבֵל *Orbis habitata*] ἡ οἰκουμένη. תֶּבֶל *Confuſio* à בָּלַל *permixtio nefanda*, *inceſtus.* Sunt qui תֵּבֵל à בלל etiam ducunt, quod in ea ſit mira rerum mixtura, vel quod in diluvio omnia ſint confuſa & commixta.

יֹשְׁבֵי] Conſtr. pro abſoluto.

Supra] i. e. Juxta. Pſ. 1. Pſ. 23. 2. Gen. Joh. 4. *Jeſus ſedebat* ἐπὶ τῇ πηγῇ, vel על i. e. עם *Et venerunt viri* על הנשים *cum fœminis.*

2. *Maria*] יָם Omnem magnam aquarum collectionem vocant *mare*. Pſ. 104. 5. Pſ. 136. 6. 2. P. 3. 5. Gen. 7. 11. Sic Piſc. Decal. præc. 2. Jun. putat *aquas* vocari *ſtatumina terræ*, Pſ. 104. quod latera ejus aquâ undequaque fulciantur. Vide quæ notavimus ad Pſ. 104. & 136. Unde ſtagna & lacus ſic vocantur, & Lebes ille ſeu magnum illud vas quod erat in Templo Mare appellatur. Proprie mare, Oceanus. Signif. & Occidentem, quia mare magnum ſitum erat ad Occidentem terræ Iſraël. Sic enim Ebræi 4. Mundi plagas explicant קֶדֶם Oriens, quia homini ortum Solis ſpectanti eſt ante. יָם Occidens & אָחוֹר poſt,

quia eodem ſitu eſt à tergo. יָמִין Auſter, Meridionalis plaga, quia eodem ſitu eſt ad dextrum. צָפוֹן Septentrionalis plaga à צפן *abſcondit*, quia abſcondita veteribus, vel quod iter Solis eò non ſit, vel reſp. hominum qui Auſtralibus incogniti erant.

וּנְהָרוֹת] נָהָר *fluvius*, cujus alveus eſt naturalis, non manu factus aut ductus. Et per Antonomaſiam ſignif. ſæpe *Euphratem* vel *Jordanum*. Plur. נְהָרִים & נְהָרוֹת. Duale נַהֲרַיִם *duo fluvii*, Gen. 26. 10. אֲרַם נַהֲרַיִם Syria interamnis, Syria duorum fluviorum, ſita inter Tigrim & Euphratem, unde Meſopotamia dicta, Lampridius in Alexandro Severo, *interamnanam terram* vocat.

3. Tranſit ad alterum ſubditorum genus, quod dialogiſticè explicatur, ut Pſ. 15. Quæritur quis in Eccleſia aſpectabili ſit commoraturus, & anagogicè, qui futurus ſit civis triumphantis Eccleſiæ.

יַעֲלֶה] עָלָה *aſcendit*; aliquando, *venire*, *alior ſum ferri*, *referri*. 1. Par. 27. 24. *Non aſcendit numerus eorum in numerum annalium*, i. e. non fuit relatus in annales. *Aſcendere ſuper cor* eſt in mentem venire. *Aſcendere in S. dicuntur illi qui Septentrionem verſus proficiſcuntur*, &, deſcendere qui Auſtrum verſus. Hoſ. 8. 9. *Aſcenderunt in Aſſyriam*. Quod vel ſolum refellit eos qui ſic dicunt, *Qui proficiſcitur ad terram Sanctam, nunquam dicitur deſcendere*; *& qui proficiſcuntur ex terra ſancta, nunquam dicuntur aſcendere*. Et Eucherium qui adhuc laxius, *In ſanctum locum nemo deſcendere & vituperabilem nemo aſcendere legitur*. Quod autem aliquando à Septentrione venientes Hieroſolymam dicuntur aſcendere, hoc non fit ideo ut Kimchi vult, quia terra ſancta altior fuit reliquis terris, ſed ratione ſitus Templi, qui in monte erat. Sic & hic.

Ab hoc voce fit עֶלְיוֹן, unde ἥλιος. Hinc fit עוֹלָה ὁλοκαύτωμα, quia totum cremabatur, & in altum aſcendebat. De reliquis enim ſacrificiis partes quædam tum ſacrificantibus tum Sacerdotibus relinquebantur.

בְהַר *in montem*] i. e. Templum ſitum in monte Moria. Plur. הָרִים & הָרוֹת juxta quoſdam. Am. 1. 13. eò quod diffiderint montes הָרוֹת Gilead, ſed præſtat, *Gravidas* exponere. Plenum הֲרַר הֲרָרִים

Stabit] Ad precandum. Luc. 18. Math. 6. 5. Marc. 11. 25.

יָקוּם] *Stabit*, i. e. Permanebit. *In perpetuum terra ſtat*, i. e. permanet. קוּם propriè *ſurgere*. At quia omnis, qui ſurrexit, ſtat, ideo & pro *ſtare* ſumitur. Hinc תְּקוּמָה *reſurrectio*, quod tamen Ebræi diſtinguunt à תְּחִיָּה quod hæc ſit ad vitam. Pſalm. 1. *Propterea* non יָקֻמוּ *improbi in judicio*; ſi vertas reſurgent, tunc advertendum quod ſequitur *in congregatione juſtorum*, aut *non ſtabunt*, & opponitur τῷ *cadere* in judicio.

מָקוֹם aliquando Deum in Rabb.

4. נְקִי] נָקָה *mundum*, *immunem*, *innocentem eſſe*, נָקִיא bis cum א, alias נָקִי. Pl. נְקִיִּם Jirm. 2. 34. aliàs defect. נְקִים ἀθῷος χειροί.

כַּפַּיִם] à כָּפַף Κάμπτω; *curvo*, *incurvo*. Hinc כַּף *vola*, *palma manus*, *planta pedis*, *nubes*, *cochleare*. Hinc Lat. *capio*.

בַר, καθαρὸς] בָּרַר, *eligere*, *mundare*, *purgare*. בַּר *mundus*, *purus*, בֹּר *puritas*, בֹּרִית ſmegma, materia quædam terreſtris eluendis ſordibus apta. Kimchi סַבּוֹן, vocant Vernaculè *ſeep*.

נפשו] *Qui animam ſuam ad vanitatem non extulit*, Jer. 22. 27. Deut. 24. i. e. Qui rebus vanis non inhiat, non intentus eſt. Anima pro deſiderio, libidine, concupiſcentiâ, Pſ. 27. *Ne des me* לְנֶפֶשׁ animæ *hoſtium meorum*, & in Proverb. *cum ſederis ad menſam Magnatis*, *pone cultrum in gutture tuo*, *ſi* בעל נפש *tu es*. Alia Lectio נַפְשִׁי. Et tunc ſunt verba Dei, *qui non aſſumit in vanum animam meam*, i. e. me, aut nomen meum. Nam ipſe *Deus jurat per animam ſuam*. Amos. 6. 8. Ut aſſumere nomen Domini in vanum, eſt jurare per nomen Domini in vanum; ſic & aſſumere animam, eſt jurare per animam.

לַשָּׁוְא] A שָׁוָה & א eſt loco ה vel eſt Paragog. Eſtque formæ צַו, קַו à קָוָה, צָוָה. Vel eſt formæ קָמָה at levatum, ut נָשָׂא ſic שָׁוְא pro שָׁוֶה.

נִשְׁבַּע] A שֶׁבַע *ſeptem*, quia jurare non ſolebant niſi multis & idoneis adhibitis teſtibus. Septem pro multis, *Septies in die* &c. Jeſ. 4. Et apprehendent 7 mulieres. Hinc in Niph. נשבע *juravit*, & quidem paſſivè, quia nemo jurare debet niſi ſolenniter coactus. Latini etiam dicunt *juratus eſt*, Cic. ad Herenn. *Adeſſe non potuit ut juratus fuerat*.

לְמִרְמָה] רָמָה *Ejaculari*. In Piel, *eludere*, *imponere alicui*, unde רְמִיָּה & מִרְמָה *dolus*, ut רְמִיָּה eſt & Toar. Pſ. 120. לָשׁוֹן רְמִיָּה.

5. צְדָקָה] *Beneficia* & *benignitates* ſæpe notat. 1 Sam. 12. Mich. 6. 5. Math. 6. 1. Proverb. 3. 27.

יִשְׁעוֹ] Unde & יֵשַׁע quod & יֵשׁוּעַ Rabb. [illegible] vel [illegible]. Et in Gematria ajunt convenire cum [illegible] i. 316. LXX. Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ, σωτηρία καὶ σωτήριον. Luc. 1. *Oculi mei viderunt ſalutem tuam.*

דּוֹר] Eſt [illegible] aut [illegible]. Eſt enim populus ejuſdem conditionis eorundem morum. Eſt generatio, eſt certum genus hominum.

6. *Faciem tuam*] Mutatio perſonæ. Et Jacob, ſub. אֱלֹהֵי aut ſub. כ in Jacob, in Iſraël, aut repete דוֹר, hæc eſt generatio Jahacob, i. e. quæ non ſecundum carnem cenſetur in poſteris, Jacob, ſed qui ſunt filii promiſſionis ex fide.

Sela] Nota Muſica, quo Cantor monebatur levandam ibi vocem, & per Anagogen mentis excitandæ & cordis ſurſum elevandi. Ac ſi diceret N. B. LXX. διάψαλμα. Suidas *Melodia*, *& Cantus modulationiſque immutatio*. Aq. & V. ἀεὶ διάπαντος, ſemper, VI. εἰς τέλος.

7. Tranſit ad alteram partem capitis, ubi deſcribit adventum Chriſti in Regnum ſuum. Unde de Reſurrectione Chriſti hæc intelligit pia vetuſtas. Sunt qui hic optare Davidem ajunt exſtructionem Templi, ut Arcam (quam Jovæ nomine ſignificat) inferat. Ego hoc dicere non auſim. Agit autem dialogiſticè & per Proſopopoiian, quâ compellantur vel portæ cœli ut Chriſtum aſcendentem recipiant, vel pii ut Chriſtum intromittant in corda ſua, quæ quaſi portæ ſunt quibus intromittitur.

Attollite] Alludit ad cataractas quæ propendent excurribus ſupra portas quæ ſubelevari & dimitti ſolent. Non enim videtur innuere tales portas quæ in parietibus & ad latera moveri ſolent, ſed quaſi in laqueari, & ſurſum verſus aperiendæ ſint.

Portæ] שַׁעַר Varia ſignificat, præter Vulg. ſignificat 1. *Urbem*, ſynecdochicè. Gen. 22. 20. *Poſſideat ſemen tuum portam inimicorum tuorum*. 2. *Locum judicii*, quia ibi judicia exercebantur. Prov. 22. *Ne conteras egenum in porta*. Amos 5. *Conſtituite in portis judicium*. Deut. 21. jubetur filius inobediens duci ad judices ad portam civitatis. Unde & hodie Palatium Imper. Turcarum vocatur *Porta*. 3. Pro *poteſtate*, *juriſdictione*, *poteſtate* quæ in portis erat, unde *portæ mortis* Pſ. 9. & Matth. 16. *Portæ inferorum*.

Hinc Particip. in Kal שׁוֹעֵר *janitor*.

Capita veſtra] LXX. Ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, Et Vulg. *Attollite ô Principes portas veſtras*, i. e. שְׂאוּ רָאשֵׁי שְׁעָרִים Et fruſtra hic eſt Bellarminus. Caput pro ſummitate, 2. Reg. 1. habitabat *in capite montium*. Ebr. 10. *In capite libri*, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, *ſcriptum eſt*, i. e. in ſummitate, in titulo, in initio.

פִּתְחֵי] *Oſtia ſæculi*, i. e. ut quidam, *æterna Dei Templa*, *æternæ Eccleſiæ & univerſalis membra*. Vel, juxta aliam Interpret. *Januæ ſæculi*, i. e. diu duraturæ, Januæ Templi, quod ad longius tempus duravit. Tabernaculum autem fuit Templum portatile. פֶּתַח *oſtium* unde פָּתַח ab aperiendo ore, quia aperto ore pronunciari debet. Et hinc in N. T. Marc. 7. 34. ἐφφαθά, διανοίχθητι aperitor. Eſt forma Chaldaica conjug. Itpeal, quæ reſp. Ebr. Niphal, nam pro Ebr. נִפְתַּח illi dicunt אִתְפְּתַח & in Imp. אִתְפְּתַח Et ת in Dages reſoluto אֶתְפַּתַּח Vel ſcriptum fuit ἐθφαθα, quod poſtea mutatum in ἐφφαθα. Ubi & ſic obſervatur פ à Veteribus per Phe expreſſum. Obſ. & hoc, declarationem Euangeliſtæ tam ad os quam ad aures referri poſſe, non enim tantum agitur de κωφῷ ſurdo; (nam & juſtum & malum ſignificat, ἄλαλον γὰρ conſequens eſt τῷ κωφῷ,) ſed & de μογιλάλῳ. Et verbum Ebræum ſic uſurpatur, de ore vel lingua Pſ. 38. 14. *Sicut mutus non aperuit os ſuum*. De auribus, Jeſ. 35. 5. *Et aures Surdorum aperientur*.

עוֹלָם] *Sæculi*. A עָלַם ut לְעוֹלָם de tempore finito, ſic & עֹלָם. Serviet ei לְעוֹלָם uſque ad annum jubilæum. Hoc contra Judæos. Vitandus & hic error Conharii Galatini qui de arcanis catholicæ veritatis lib. 2. cap. 5. ſcribit עוֹלָם nunquam æternitatem ſignificare propriè dictam. En locum evidentem Gen. 21. 35. Ubi Deus vocatur Deus עוֹלָם. Hieron. in Epiſt. ad Galat. dicit עולם cum Vau æternitatem, ſine Vau tempus finitum, denotare. Falſum. Hinc עַלְמָה, quod ſtatus & ætatis ajunt eſſe vulgo, ut נערה ætatis tantum, בתולה ſtatus tantum, at de עלמה dubitare facit locus Prov. 30. Et de Bethula locus Joël 1. Plangite ſicut virgo accincta ſacco, ob בַּעַל maritum adoleſcentiæ ſuæ, niſi forte probes בעל etiam amaſium ſignificare.

8. גִּבּוֹר] A גָּבַר *prævaluit*, unde גֶּבֶר *vir*, *potens*, *fortis*. Chaldæi dicunt גִּבָּר Et גִּבָּרִין pro גִּבּוֹר Et uſurpatur pro *Gigantibus*. LXX. per Γίγας ſæpe exponunt, quod etiam ſimpliciter pro ἰσχύρῳ ſæpe ponitur, ut cum Nimrod in Gen. dicitur fuiſſe γίγας κυνηγὸς, *potens venator*.

מִלְחָמָה] A לָחַם quod eſt *cadere*, *incidere* vel *ore & dentibus*, i. e. comedere, veſci; vel *ore gladii*, & tunc eſt *pugnare*, *impugnare*, נִלְחַם *pugnavit*, cum אֶל & עַל contra, cum עִם vel ל pro.

9. Repetio hæc & celeritatem & certitudinem rei inſinuat. Gen. 41. 32. dicit Joſeph ad Pharaonem, *Quod autem iteratum eſt ſomnium apud Pharaonem bis*, *ideo factum eſt*, *quia ſtata hæc*

ipſa

ipſa res eſt à Deo ipſo, & feſtinanter facturus eſt eam Deus.
יָבֹא] *Ingrediatur.* Hinc Sol occidens dicitur בָּא, quia tunc ingredi videtur oceanum *el ἐλεύσεται.*

10. צְבָאוֹת] A צָבָא, quod propriè *exercitum.* Ponitur autem hic pro omnibus ornamentis cœli & terræ, pro omnibus creaturis. Gen. 2. *Exercitus cœli,* i. e. ſtellæ, aſtra. Exercitus cœli commovebuntur. LXX. δυνάμεις, Vulg. *Virtutes* vertit, Virtutes cœli, Dominus virtutum, non intelligendo virtutes Ethicas, ſed potentias, facultates, i. e. ea in quibus potentiam & vires ſuas declaravit.

Hieronymus poſuit hoc pro *Nomine Dei* Epiſt. 136. *Quartum nomen Dei σαβαώθ,* quod LXX. *virtutum, Aq. exercituum tranſtulerunt.* Et Iſidorus de Etymologiis lib. 7. cap. 1. *Quartum nomen Dei eſt Sabaoth.* Et author libri de ſpeculo inter opera Auguſtini, Tu *autem mitis & benignus, fortis & zelotes, Zabaoth invictiſſime.* Sed malè: nam nunquam abſolutè de Deo occurrit, ſed ſemper præerat iſto vel nomin. יהוה vel אדון vel אלהים. Si itaque erit nomen Dei, & nomen ארץ nomen Dei fuerit, nam legimus de eo אֲדוֹן כָּל־הָאָרֶץ

I. Signif. Exercitum terreſtrem, militarem & ornatum.

II. Exercitum cœleſtem, & iterum dupliciter, I. Exercitum Angelorum qui quaſi in militia ordinati ſunt & ſub Deo Imperatore militant, 1. Reg. 22. *Vidi Deum ſedentem ſuper throno ſuo, & omnem exercitum cœlorum ſtantem juxta eum à dextera & à ſiniſtra.* II. Stellas in cœlo ut in acie ordinatas. Deut. 4 *Nè quando eleves oculum tuum, & videas ſolem, lunam, & omnem exercitum cœli.* Act. 7. 42. παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ.

GROTIUS.

2. *Ipſe ſuper maria fundavit eum*] Hebræus textus *eam,* nempe *terram.* Secundum materiæ rationem, quod hic Aben-Eſdra dicit בדרך תולדות, aqua deberet totam terram circumdare. At Deus depreſſit mare, ut terra exſtaret. Vide quæ ex Strabone & aliis ad hanc rem attulimus initio Teſtimoniorum ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ Vide & Exod, 20. 4. & oppoſitum ſtatum Geneſeos 7. 17. 18.

7. *Introibit Rex gloriæ*] Arca. Hiſtoria eſt 2 Sam. 6. 12.

8. *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*] In Hebræo: *Attollite, portæ, capita veſtra, & elevamini vos fores longævæ. Longævæ,* quia ex cedro factæ. Videntur autem portæ iſtæ Sionis fuiſſe eo ex genere, quas καταῤῥάκτας, aut ἐπιῤῥάκτους Græci vocant: Livius *pendulas, recidentes.* quæ ubi amovendæ ſunt, attolluntur in ſublime. Non diſſimilis ἔννοια [*conceptio animi*] Sapphûs:

Ὕψι δὴ τὸ μέλαθρον ἀείρατε, τέκτονες ἄνδρες,
Γαμβρὸς ἔρχεται ἴσος Ἄρηϊ,
Ἀνδρὸς μεγάλω πολλὸν μείζων.
[*Altiùs limen ſuperum jam tollite, fabri,*
Sponſus advenit æquus Marti,
Magnoque viro quovis major.]

PRICÆUS.

9. *Docebit mites vias ſuas*] Sirach. 17. 20. *Pœnitentibus dat viam juſtitiæ.*

16. *Reſpice in me*] Gr. ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμέ. Tob. 3. 3. Μνήσθητί μου, καὶ ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμέ. Ità & ſuprà 12. 4.

IDEM.

3. *Univerſi qui ſuſtinent te non confundantur*] Nemo qui te (i. e. auxilium tuum) patienter exſpectat, ſua de ſpe decidat.

4. *Iniqua agentes ſupervacuè*] Gr. διακενῆς. Heſychius, Διακενῆς, ματαίως.

Ibid. *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi*] Ut alibi, notam fac mihi voluntatem tuam. Apud Senecam, Cur bonis viris, &c. cap. 5. Demetrius Philoſophus, *Hoc unum, Dii immortales, de vobis queri poſſum, quòd non antè voluntatem veſtram notam feciſtis.*

Ibid. *Et ſemitas tuas edoce me*] *Senſum* (enim) *tuum quis ſciet niſi tu,* &c. *miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris?* Scriptor Sapient. 9. 17. *Semitas tuas,* ut & *vias tuas,* quod præceſſit, intellige, quæ Deo placerent. Vide infrà com. 9. & Pſal. 142. 8.

5. *Te ſuſtinui tota die*] Te exſpecto aſſidue.

8. *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via*] Legem ſtatuet iis in via quam elegit, (i. e. probat:) infrà com. 12. Vide & Pſal. 31. 8.

13. *Anima ejus in bonis demorabitur, & ſemen ejus hæreditabit terram*] Suprà 25. 31. *Anima mea illi vivet, & ſemen meum illi ſerviet.*

14 *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*] *Præbet fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum,* 2 Paralp. 16. 9. De eodem Seneca, *Ille dat conſilia magnifica & erecta.*

15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*] Sicut oculi ſervorum & ancillarum ad Dominos ſuos, infrà 122. 2.

Ibid. *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos*] Hæc puto ad hunc modum κατ' ἀναστροφὴν capienda, Evellet de laqueo pedes meos, quoniam oculi mei ſemper ad eum. Infrà 30. 5. *Educes me de laqueo hoc,* &c. *quoniam tu es protector meus.*

16. *Reſpice in me*] *Ad defenſionem mei* (ut 21. 20.) *conſpice.*

Ibid. *Quia unicus,* &c. *ſum*] LXX. μονογενής id eſt, fortaſſe μονωθεὶς, vel μόνος γενόμενος quin & Symmachus per μόνος expoſuit. Regina Eſther, Additament. 14. 3. *Adjuva me* (Deus) *ſolitariam, & cujus præter te nullus eſt auxiliator.*

18. *Vide humilitatem meam & laborem meum*] Laborem meum dum gemo (ſuprà 6. 7.) & preces vehementes ad te allego. Deus 15. 6. apud Jeremiam. *Laboravi rogans.*

21. *Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te*] Id eſt, dum te patienter & manſuetè exſpecto: & puto ſenſum fere eum eſſe qui in illis Pſalm. 141. 8. *Me exſpectant juſti donec retribuas mihi.*

PSALM. XXV.

MUNSTERUS.

Verſus hujus Pſalmi in Hebræo incipiunt juxta ordinem alphabeti Aleph Beth, etiamſi hæ tres literæ Beth, Vau, & Kuph in ordine deficiant. Eſt autem hìc Pſalmus oratio hominis ſancti, gravati peccatis, & impiorum patientis perſecutiones, rogantis Dominum ut ſe liberet à peccatis, vias ſuas doceat, & ab hoſtium tyrannide eripiat, propter bonitatem ſuam.

VATABLUS.

1. *Davidis* לדוד] Sub. *Pſalmus.* Hic primus Pſalmus eſt eorum quorum verſus à literis juxta ordinem Alphabeti Hebraïci incipiunt. Deſunt tamen ב & ו atque ק, & incipiunt duo verſus in א, totidemque in ר, quanquam à ב incipiat ſtatim altera dictio verſûs ſecundi, ut tertia quinti à ו. A פ initium habet verſus ultimus. Cauſam hujus inſtituti certam nè Hebræi quidem reddere poſſunt. Apparet vulgatam rationem carminis fuiſſe: etſi perpauci Pſalmi, nempe præter hunc quatuor, ut 34. 111, 112, & 119. hoc carminis genere conſtent, iidemque non pari ratione. ¶ *Levo* אשא] *Attollo.* Fut. Heb. pro præſ.

2. *In te ſpero* בך בטחתי] *In te confido, in te fiduciam habeo:* vel, *te nitor.* Præt. Heb. pro præſ.

3. *Etiam omnes,* &c. גם כל קוך לא יבשו] *Certè omnes ſperantes in te non pudefient,* &c. Alii, *Etiam nè pudefiant qui exſpectant te.*

4. *Scire fac me* הודיעני] *Oſtende mihi, demonſtra mihi, notas mihi fac.*

5. *Ambulare fac me per veritatem tuam* הדריכני באמתך] *Duc* (vel *Deduc*) *me in veritate tua.* Alii, *Deduc me per fidelitatem tuam;* aut, *per fidem tuam:* i. e. da ut credam te eſſe promiſſorum ſervantem. ¶ *Salutis meæ* ישעי] *Servator* (vel *ſalvator*) *meus.* ¶ *Te exſpecto* קויתי] Præt. Heb. pro præſ.

6. *A ſeculo ſunt* מעולם המה] i. e. Quibus nunquam uti deſiiſti: vel, quia ſemper fuiſti miſericors.

7. *Adoleſcentiæ meæ* נעורי] *Juventutis meæ.*

8. *Viam* בדרך] Sub. *illam quam approbat.* Alii, *in via.*

9. *Ambulare faciet humiles* ידרך ענוים]. *Diriget manſuetos.* ¶ *In judicio* במשפט] *Per judicium:* i. e. efficiet ut rectè & ex ordine vitam inſtituant. ¶ *Humiles* ענוים] Antecedens pro relativo, more Hebraïco, pro, *docebit illos viam ſuam.*

11. *Jehova* יהוה] Sub. *pepercisti mihi:* nam non poteſt hæc prima pars verſûs jungi ſequenti à conjunctione incipienti. ¶ *Parce iniquitati meæ* וסלחת לעוני] *Et remiſiſti peccatum meum.* Conjunctio & vacabit, ſi per reticentiam non ſubaudias *pepercisti* in principio verſûs, ut legas, *Propter nomen tuum, Jehova, remiſiſti.* Poteſt verti præteritum per imperativum.

12. *Viam quam eligat* בדרך יבחר] *Viam quam elegit,* vel, *elegerit:* i. e. quam ipſe Jehova probaverit.

13. *Commorabitur* חלין] *Permanebit*, *conquieſcet*, i.e. ſummâ lætitiâ perfruetur.

14. *Secretum* סוד] Sub. *revelatur*, ſive *revelari ſolet*. ¶ *Et pactum*, &c. ובריתו להודיעם] Ordo inverſus, pro, *ut notum faciat eis pactum*, ſive *fœdus*, *ſuum*.

16. *Unicus* יחיד] Ità vocat ab omnibus deſertum, & omni ope deſtitutum. ¶ *Et pauper* ועני] *Et afflictus*.

17. *Dilatata ſunt* הרחיבו] *Dilataverunt*; ſub. *ſe*, vel *locum ſuum*, ſive *cor meum*: i.e. repleverunt cor meum, & ità diſtenderunt illud.

18. *Et laborem meum* ועמלי] *Et moleſtiam meam.*

19. *Vide* ראה] *Conſidera.* ¶ *Iniquo* חמס] *Violento*, *tyrannico*. Vel, *injuſto & implacabili.*

20. *Nè confundar* אל אבוש] q.d. Vide nè patiar repulſam, quoniam in te præſidium meum poſui.

21. *Perfectio & rectitudo* תם ויושר] *Integritas & æquitas. Sinceritas & rectum.* ¶ *Te exſpecto* קויתיך] q.d. A te omnia exſpecto, & totus à te pendeo.

CASTALIO.

HUjus carminis verſus in Hebræo ſcripti ſunt ordine literarum.

CLARIUS.

PRecatio eſt Sancti & peccatis & inimicorum improbitate preſſi. Orat ergò Dominum ut à peccatis eum liberet, ac vias ſuas doceat, hoſtiumque furori eripiat. In fine annectit precatiunculam pro toto populo Dei. Hic primus Pſalmus eſt eorum quorum verſus à literis juxta ordinem alphabeti incipiunt: deſunt tamen Beth, Vau & Coph, & incipiunt duo verſus in Aleph, totidemque in Res. Cauſam hujus inſtituti certam nè Hebræi quidem reddere poſſunt. Apparet vulgatam rationem carminis fuiſſe, etſi perpauci Pſalmi hoc carminis genere conſtant, iidemque non pari ratione.

3. *Iniqua agentes ſupervacuè*] Qui ſcilicet me perſequuntur ſine cauſa.

5. *In veritate tua*] Simile hoc illi eſt, *Deduc me*, *Domine*, *in juſtitia tua.* Nam & *juſtitiæ* & *veritatis* vel *fidei* nomine ea vita ſignificatur quâ juſtè & fideliter, atque ut decet & è re proximorum eſt, vivitur. Solet verò in Pſalmis præcipuè *veritas* vel *fides* cum *benignitate* & *commoditate* conjungi. Dei autem eſſe Fides, Juſtitia, Bonitas merito dicuntur, quia ipſe nobis dat veris, juſtis & bonis eſſe.

8. *Dulcis & rectus Dominus*] Quia benignus, inquit, eſt Dominus, non dedignabitur docere vel ipſos peccatores quo pacto vivere illos hic oporteat. Solet autem orantis mens diutiùs in conſideratione Divinæ bonitatis immorari.

9. *Diriget manſuetos in judicio*] Docebit optimâ ratione quo pacto vivere modeſtos velit.

10. *Univerſæ viæ Domini*] Meminerat toties *viarum Domini*, & poſtulaverat illas ſibi *oſtendi*, h.e. effectum earum exhiberi: nunc quæ eæ ſint dicit, *Quæcunque*, inquiens, *facit Dominus plena ſunt miſericordiæ & fidei*, ſed *iis qui recipiunt pactum & admonitiones illius*, nam aliis hæc ſunt *odor mortis.*

12. *Quis eſt homo qui timet Dominum?*] Exclamatio eſt, Quam fœlix eſt, inquit, ille vir! Et quæ illum bona ſequantur adjungit & per partes explicat; ac primùm omnium, *viam*, inquit, *ſelectam docebit eum*: nam à cognitione ſolidâque perſuaſione veritatis initium eſt omnis & rectæ & beatæ vitæ.

13. *Anima ejus in bonis demorabitur*] Judæi interpretantur de ſanctorum quiete in ſeculo futuro, & optata poſterorum ſucceſſione in præſenti. Sed de utraque vita etiam intelligi poteſt: nam ſoli recti his bonis liberè ac feliciter utuntur.

14. *Secretum Domini*] *Secretum Domini* eſt quod carni & ſanguini patefieri nequit, & revelatur ſolis electis, de quibus ait Apoſtolus, *Quoniam autem eſtis filii Dei*, *emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem*, *Abba*, *Pater.*

16. *Unicus & pauper*] h.e. Ab omnibus derelictus ſum & afflictus.

18. *Vide humilitatem*] *Afflictionem*, vel *paupertatem.*

21. *Innocentia & rectitudo*] *Innocentiæ & æquitatis ſtudia ſervent me*: *ſolicitè enim exſpecto adventum tuum.* Ultimus verſus loco epiphonematis eſt.

DRUSIUS.

3. קויך. A. *Qui te exſpectant*] Οἱ προσδοκῶντές σε οὐ μὴ καταισχυνθῶσιν. ¶ הבוגדים. A. Sym. Th. V. ed. οἱ ἀποστατοῦντες, *deficientes.*

7. ופשעי. A. Καὶ ἀθεσιῶν μου, *& tranſgreſſionum mearum.* Sym. καὶ παραπτωμάτων μου, *& delictorum meorum.*

8. יורה חטאים בדרך. Sym. ὑποδείξει ἁμαρτάνουσιν ὁδὸν, *demonſtrat peccantibus viam.* A. Φωτήσει ἁμαρτωλοὺς —— *illuminabit peccatores*] *Peccantibus*, i.e. aberrantibus. Φωτήσει, an potiùs Φωτίσει; Nam Φωτίζω dicimus, neſcio an etiam Φωτέω aut Φωτάω. יורה Φωτίσω, tanquam ab אור Φῶς, Φωτὸς, i.e. *lux*: infrà 13. Φωτίσει αὐτὸν יורנו.

12. יורנו בדרך יבחר. Sym. ᾧ ὑποδείξει ὁδὸν ἣν ἐπιλέγεται, *cui demonſtrabit viam quam eligit.* Aq. Φωτίσει αὐτὸν ἐν ὁδῷ ᾗ ἐκλέξεται, *illuminabit ipſum in via quam eliget.*

14. סוד יהוה ליראיו. A. Ἀπόῤῥητον Κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, *Secretum Domini timentibus ipſum.* Sym. Ὁμιλία Κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, *Sermo Domini cum iis qui ipſum timent.* Th. Μυστήριον Κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, *Arcanum Domini timentibus ipſum.* VI. ed. Κραταίωμα Κύριος τῶν φοβουμένων αὐτὸν, *Roboramentum eſt Dominus timentium ipſum*] Μυστήριον Κυρίου hoc interpretamentum etiam Symmacho tribuit Theodoretus. ¶ ובריתו להודיעם, Sym. & Th. *& teſtamentum ſuum declarabit illis.* A. καὶ τὴν συνθήκην αὐτοῦ γνωρίσει αὐτοῖς, *& fœdus ſuum notum faciet illis*] *Teſtamentum ſuum*, &c. Τὴν διαθήκην αὐτοῦ δηλώσει αὐτοῖς.

16. יחיד. A. μοναχὸς, *ſolitarius.* Sym. μόνος, *ſolus*] Suprà יח רתי. Sym. μονότητά μου, quod in recto caſu facit μονότης, ſi non me fallit Grammatica. Ad quam formam Φιλότης dicitur & ὁσιότης. Sed hoc ἀπροσδιόνυσον. Priùs erat μονογενὴς, i.e. *unicus.* Theodoretus, *Unicus*, *Solus reliqui interpretati ſunt.* Etiamne Theodotio? Ità videtur. ¶ אני. Aq. & Th. ἐγώ. Sym. verò ἐγώ εἰμι.

17. הרחיבו. Sym. πλατεῖαι, *lata.* Th. ἐπληθύνθησαν, *multiplicata ſunt*] Talis lectio in LXX. Eſt qui corrigat ἐπλατύνθησαν, unius literæ immutatione. Quam correctionem juvat Pſalterium Romanum, in quo *dilatata ſunt.* Tum etiam Graduale Miſſæ. Nam Dominicâ ſecundâ ibi legitur, *Tribulationes cordis mei dilatata ſunt.* Credo etiam Aquilam ità habuiſſe: ſed & V. & VI. & VII. Vide Rom. ed. ¶ ממצוקותי. Aq. ἐκ τῶν συνοχῶν μου, *ex anguſtiis meis.* Lex. V. Συνοχὴ, *preſſus*, *compreſſus.*

AMAMA.

PRimus Pſalmus eorum qui ordine Alphabetico ſcripti ſunt. Deſunt tamen ב, ו, & ק. At incipiunt duo verſus ab א, in quorum poſtremo ſecunda verſus vox incipit à ב. Ut & tertia quinti à Vau. Duo itidem à ר incipiunt. Ultimuſque verſus à פ incipit. Cauſſam ne Ebræi quidem reddunt. Sic & 34. 111. 112. 119. eo ordine ſcripti, licet non pari ratione.

Pſalmus eſt εὐκτικὸς, conſtatque petitione ad verſum 8. confirmatione uſque ad 16. & concluſ. petitoria.

1. *Ad te attollo*] Deut. 24. Hoſ. 4. Ad peccatum eorum attollunt animam ſuam, Jer. 22. 7. Pſ. 24. 4.

2. בטחתי] A בטח *fodere*, הבטים *confidere fecit & promiſit* apud Rabb. idem quod נדר nam præter hoc in textu nihil eſt quo exprimant *promittere.*

Ne confundam] Id eſt, repulſam patiar, nam qui repulſam patiuntur ſolent erubeſcere. Comp. à יבש & בוש.

Ne exultent] עלץ, עלס, עלז, idem, *gaudere.*

לי] *De me*, Sic Pſ. 91. *Præcipiet angelis ſuis* לך *de te*, Matth. 4. 6. περί σου. Gen. 20. אמרי לי *de me.*

3. Th. Jeroſ. Gen. 49. 18. Non exp. redempt. Gideonis F. Joas, quæ eſt ſalus temporalis, neque red. Samſonis, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed exp. red. Meſſiæ F. D. qui venturus eſt, ut adducat ſibi filios Iſraël.

קוה] In Kal tantum in Benoni *exſpectare*, *ſperare*, *ab aliquo pendere*, Niph. נקוה *congregari.* Piel ut in Kal. Hinc קו *linea*, *delineatio*, cum Affixo קום *linea eorum*, Pſ. 19. 5. *In omnem terram exivit* קום *linea eorum*, *delineatio eorum*, Rom. 10. 18. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν. Bellarm. ponit inter 5. loca corrupta & putat olim lectum קולם. Sic Reſp. cum Genebrardo, Apoſt. & LXX. magis ad ſenſum reſpexiſſe quam ad verba. Illa enim cœlorum linea, vel ut Trem. *delineatio*, i.e. illa machina & ſtructura orbium cœleſtium, quodammodo ad amuſſim expolita, infinitam Artificis potentiam & ſapientiam prædicat.

בוגדים] *Perfidè agentes.* Ductum à conjugibus qui violant perfidè fidem conjugalem, violant ſive ante ſive poſt nuptias, ſi alteruter fidem datam fallat, unde ad Religionis negotium refertur; cultus enim Dei & Religio eſt quaſi matrimoniale fœdus, quod qui tranſgreditur, ſcortari dicitur in S. L. Hinc בגד veſtis q. primæ noſtræ perfidiæ & prævaricationis μνημόσυνον. Unde Paſtores ſuperbiam & exceſſum in veſtitu retuſuri argumenta petunt. Qui enim in veſtitu gloriatur haud abſimilis multum eſt furi qui laqueo

laqueo indutus, aut homini malefico cujus fronti ſtigma aut cauterium inuſtum eſt.

רֵקָם] רק *Vacuus fuit*, הֵרִיק *evacuavit*, רֵק *Vacuus*, *inanis*, i. e. homo nihili, ſcurra. רֵיקָא & ῥάκα; vox convicii, vanus ſine cerebr. Sic & Heſych. ῥάκα κένος. At Theophylactus καταπτυςὸν interpretatur à רָקַק tunc eſſet ῥάκκα.

4. יְדַע] Aliquando *curam habere*, Pſ. 1. Prov. Novit juſtus animam jumenti ſui diligere; *quos praſcivit.*

דֶּרֶךְ] *Calcavit*, *tetendit arcum*, דֶּרֶךְ *via*, i. e. vita, ſæpe Pſ. 119. *Beati immaculati via.* Sic דרך pro *vixit*; *ambulavit Henoch cum Deo.*

אֹרַח] *Via*, *ſemita*, & *turma viatorum*, Gen. 37. *Et ecce* ארחת ישמעל *turma Iſmaëlitarum.*

למד] Hinc תַּלְמוּד, *corpus doctrinæ magnum*, à variis Rabb. compilatum, continens multiplicem omnium ſcientiarum doctrinam, ac potiſſimum Jus Civile & Canonicum Judæorum.

7. חטא] *aberravit à ſcopo.* Jud. 20. 16. *jaciebant fundâ lapides etiam uſque ad capillum*, *& non errabant.* Nominantur præſtantiſſimi ſagittarii, qui adeò rectâ collimabant in ſcopum ut nunquam peccarent, i. e. aberrarent. Signif. & deflectere à via in qua ambulandum erat. Hinc pro *peccare.* Qui enim peccat, aberrat à ſcopo Legis divinæ, & à via regia. In Piel חִטֵּא *expiare peccatum*, *mundari à peccato*, Hiphil, *peccare facere*, i. e. aliquando ad idololatriam trahere, & dicitur de Jeroboam. Sic חטא apud Hoſeam pro idololat. *Iniquitas quæ fit peccatum.* Sirach. 49. 5. *Præter Davidem*, *Joſijam & Ezechiam*, *omnes peccatum commiſerunt.* Hinc nomen חֵטְא pro חטא & חַטָּאָה & חֵטְא & חַטָּאת *Peccatum & pœna peccati.* Gen. 4. *Nonne ſi male feceris ad oſtium peccatum cubat*, i. e. pœna peccati עוֹנֶשׁ הַחַטָּאת quomodo & anomaliam illam conciliabis. Significat & *victimam pro peccato.* Jezech. 45. 23. *Et hircus caprarum in dies ſingulos in peccatum*, i. e. victimam pro peccato. 2. Corinth. 5. *Eum qui non noverat peccatum fecit peccatum*, i. e. victimam pro peccato.

נְעוּרִים] נְעוּרַי Nomen ætatis, ideoque plur. numeri. Sic בחורים, זְקֻנִים, &c. נַעַר *puer*, *juvenis.* Sunt qui definiunt ad annum xx. & quia ea ætas functionibus & miniſteriis quotidianis apta eſt, hic pro miniſtro ponitur, unde Aben-Ezra דֶּרֶךְ הַמִּקְרָא לִקְרֹא כָל־מְשָׁרֵת נַעַר Exod. 33. 11. Joſua, 42 annos natus, vocatur *puer Moſis.* Sic παῖς in N. T. paſſim. Hinc נַעֲרָה *puella*, de quâ alias.

נְעוּרִים Plur. num. comprehendit enim omnes gradus ætatis creſcentis. *Infans*, *puer*, *adoleſcens.* Alii extendunt ad annum 20. alii 25. Jun. *pueritiæ.* Vulg. *juventutis meæ.* At magis pr. ſign. Pueritiam ipſamque adeo Infantiam. Notetur ob loca Gen. 8. 21. *Figmentum cordis hominis malum eſt* מִנְּעֻרָיו. Vulg. *ab Adoleſcentiâ.* Malè. Melius *à pueritiâ.* Eſt enim univerſale axioma. Ergo etiam pueri Cor. Quid ergo *ab adoleſcentia.* Meliùs *à pueritia ſua.* Onc. מִזְּעֵירוּ R. S. *Ex quo excuſſus eſt egrediendo ex utero matris ſuæ.* Sic & Cajet. & Oleaſt. Genebr. ad Pſ. 127. נְעוּרִים non *juventutem* ſed *pueritiam* ſign. Et confer. 6. 5. omni die.

טוּבְךָ] טוֹב *Bonus fuit.* טוֹב *Bonus & hilaris*, ut Eſth. 1. 10. כְּטוֹב *cum bonum eſſet cor Regis.* Sic ante *Malus* pro *Triſtis.*

8 יוֹרֶה] יָרָה *projicere*, *jacere*, unde in Hiphil הוֹרָה, hinc מוֹרֶה Doctor pluſquam Rabbinus, & Morenu Doctor noſter, ut in Acad. Pontif. Magiſter noſter & Magiſter noſtrandus. Titulus Judæis recens intra 200. annos natus in Germania, & inde in Italiam traductus, quem valde miratus fuit Don Iſaac Abarbanel ex Hiſpania in Germaniam veniens, ut ipſe teſtatur in comment. ſuo in Pirkè Aboth. Occaſioem dedit conſuetudo Chriſtianorum, qui in Academiis ſolebant in DD. promovere eos qui in aliqua facultate excellebant, & ultra vulgus ſapiebant. Aut occaſionem dedit nimis laxa licentia vulgarium Rabb. in dandis libellis repudii. His nomin. DD. poſtea ſolis conceſſa ea poteſtas. Primi ante מורה fuerunt quidam R. Schnolam & quidam R. Jacob Levita.

Hinc תורה *Lex*, *quia*, ait Ab. ad Pſ. 1. *docet nos viam rectam.*

9. יַדְרֵךְ] Ὁδηγήσει. בַּדֶּרֶךְ cum articulo incluſ. Sic הדבר ὁ λόγος, i. e. Dei verbum. Act. 22. 4. & 24. 14. & 28. 22. Sic præceptum pro præceptum Dei. Sic ἡ ὁδὸς pro via Dei. Alibi ἡ ὁδὸς eſt Chriſtianiſmus. Act. 19. fuit magnus tumultus de via, i. e. Relig. Chriſt. & 9. ut ligaret eos ſi qui eſſent de via.

מִשְׁפָּט] Aliquando *plagæ.* Exod. *Deus eripuit populum brachio extento & judiciis magnis.*

10. נֹצְרֵי] Ab hoc th. eſt נוצרי *Nazarenus*, Chriſtianus, ſic dictus à Chriſto Nazareno, quia in Nazareth urbe Galilææ educatus. Unde Act. 24. ſecta τῶν Ναζωραίων. Unde & Galilæi dicti, Suidas Γαλιλαῖοι τοῦτ' ἐςι χριςιάνοι. Reſultante de Chriſto in eo Juliani, *Viciſti Galilæe.* Hodie Judæi Chriſtianos & גוים & נוצרים vocant.

בְּרִית] *Fœdus*, jungitur cum כרת *excindere*, *icere fœdus*, non cædebantur victimæ in fœderibus. Græci per διαθήκη vertunt, i. e. *teſtamentum.* Aliàs propriè per συνθήκη verbi debebat. At Ebr. 9. 16. à Græca voce διαθήκη argumentatur Apoſtolus, cum in Helleniſtica idem ſit quod συνθήκη *fœdus*, i. e. בְּרִית: nam ברית nunquam *teſtamentum.* Sunt qui dicunt διαθήκη etiam apud profanos pro *fœdere* reperiri.

11. סָלַחְתָּ] Conſtr. cum Dativo culpæ & perſonæ. סליחה *condonatio* Pſ. 130. *Apud te eſt condonatio magna.* Dan. 9. *Domino Deo noſtro ſunt miſerationes &* סליחות *multæ.*

12. *Quis iſte vir qui docebit eum de via* &c.

איש] Nomen ἀρετῆς. Pſ. 49. 2. *Audite* בני אדם *audite* בני איש Jun. *Tum nati plebejo homine*, *tum nati praſtante viro.* Piſc. *Tum plebeji*, *tum nobiles.* Sic *vir* à *virtute*, robore, Hinc ab איש ἴσχυς & *vis.*

דרך] *Via* eſt Ebræis certa ratio vitæ inſtituendæ & gubernandæ. Conjungitur ſæpe cum אֶרֶץ vel כל־ארץ, & tria ſignificat, inquit Elias, Primo, cujuſque regiones, mores & conſuetudines, *Lans-manier*, de bonis moribus, de civilitate. 2. Denotat ſtudium ſive laborem qui impenditur mercaturæ, unde dicunt יפה תלמוד תורה עם דרך ארץ. 3. Pro coitu, & ſic in Bibliis in Hiſtoria Jobi. 4. De morte in Joſua 23. *Ecce ego vado hodie via univerſæ terræ.* Sic & 1 Reg. 9. David loquitur.

13. *Anima ejus*] i. e. ipſe. Vel anima ejus ſeperata, cum corpus in pulvere erit.

Semen ejus] i. e. Poſteri. Nota hiſtoriam Eraſmi, Luc. 1. 55.

יִירַשׁ] *Hæreditatem adire*, ——— *te oblinere*, הוריש *hæredem inſtituere*, & *hæreditate depellere.*

אָרֶץ] Hinc *terra* & *Eerde* vel *Aerde.* Hinc ἔρα. Marcianus, *Heram veteres terram dixerunt.* Hinc *Minera*, unde *Mineralia*, q. מֵאֶרֶץ.

סוֹד] *Secretum*, *arcanum*, & *conſilium*, quia in ſecreto iniri ſolet, Gen. 49. 4. *Simeon & Levi*, *fratres*, *inſtrumenta violentiæ*, בסודם *ne ingrediatur anima mea.*

לְהוֹדִיעָם] Sub. *revelatur*, *Et fœdus ejus* [*ita comparatum*] *ut indicet iis.* Aut עתיד להוד μέλλει δηλῶν, vel δηλώσειν αὐτοῖς.

רַגְלִי] A רֶגֶל, הַרְגֵּל *uſus facit artificem*, & על ההר' כל דבר שלמון.

15. רֶשֶׁת] Aut ipſum θ. aut à ירש, ut רשת à ירש, quod capta poſſideat. Hinc *Rete* & *Reſtu*, quod Veteres *Retis.* Aben. per *Rete* intelligit *veterem hominem*, *concupiſcentiam malam.* ..

16. Luctus unigeniti. Jerem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi & planctum amaritudinum.* Zach. 12. 10. *Plangentque ſuper hoc tanquam planctu de unigenito*, *& amare plangent de eo*, *ut amare quis plangit de primogenito.*

יָחִיד] *Solitarius*, *deſtitutus ope humana.* Sic Pſ. 22. *Eripe è manu canis unicam meam*, i. e. animam, ope deſtitutam.

17. צוק] *Arctari*, *opprimi*, צוק & צָק & מְצוּקָה *anguſtia.*

18. עָנְיִי] עֹנִי *afflictio*, & *arctatrix æmula*, ſic צר *oppreſſio* & *oppreſſor.* Sic אל *fortis* & *fortitudo*, עד *teſtis* & *teſtimonium*, ארך *longitudo* & *longus.* חמץ *fermentum* & *fermentatum.* Hinc צירים *tormina*, *dolores parturientium.* Caret ſing. nam cum habet ſing. ציר tunc *legatos* ſignificat, ציר *legatus* aut *cardo.* Hinc צר *Tyrus*, & Chald. צר, unde *Sarra*, & ſic A. Gellius teſtatur olim vocatam. Hinc *Sarranus*, Virg. ——— *Sarrano dormiat oſtro*, i. e. Interp. Servio, *purpura Tyria.* Item *Sarrana tibiæ*, i. e. Tyriæ Africanæ. Sunt qui dicunt *Sarram* dictam à *Sara Piſce*, cujus ſanguine ſericum in purpuram tingebatur. Et quæ Ovidio *purpureæ veſtes*, ex Juvenali ſunt *Sarrana.* Sed & *Tyrus* eſt, ab Ebr. צר Nam obſoleſcente Ebraïſmo pro *Tſor* dixerunt *Tor*, *Tur*, unde *Turos* & *Tyrus*; ut *Suria* & *Syria.* Tandem à צור *premere* Græci ſuum τυρεῖν, *premere*, & τύρος, *caſeus*, *preſſi copia lactis.*

הִרְחִיבוּ] A רָחַב *dilatari.* Hinc רחב *latus*, *amplus*, רחוב *platea*, πλατεῖα, ſc. *via* à πλατὸς. Hinc & nomen fœm. Joſ. 2. רָחָב quam meretricem communiter vocant, quia זונה in Ebræo vocatur. At ſciendum זונה eſſe ambiguum; nam aut à זנה derivatur, & tunc ſignificat *Meretricem*, πόρνην; aut à זון *alere*, ut à שבה טוב, & tunc *hoſpitam* ſignificat, *cauponam.* Certe Joſ. 2. 1. *Et venerunt exploratores in domum* אשה זונה γυναικὸς πορνής· Tharg. *in domum* איתא פונדקיתא *fœmina caupona*: nam פונדק πανδοχεῖον, *hoſpitium publicum.* At Apoſt. Ebr. 11, 31. & Jac. 2. 25. πόρνην vertit ex Lxx. nihil refert: nam Ebraïſmi in alias linguas præcipue N. T. ſæpe tranſeunt, & N. T. nihil eſt niſi Græciſmus Ebraïzans. Nos utrumque conjungamus. Nam & apud nos vulgares iſtæ cauponæ malè audiunt, & ipſæ res & artificia ſæpe conjunguntur. Certe apud Romanos, apud Plautum, ſcorta cibum vendebant & hoſpitio & menſa amaſios ſuos excipiebant.

Obiter obſervetur lapſus Theodoreti, qui רהב Ægyptum & רחב confundit, deceptus Scriptura Græca, in qua neutrum aſpiratur.

18. עָנְיִי] עָנָה inter alia multa *afflixit*, *humiliavit*, עָנִי & in Reg. עֳנִי *afflictio*.

עָמָל eſt labor cum defatigatione & moleſtiâ, non cum voluptate aut levamine.

וְשָׂא *Et condona*] A נָשָׂא hoc inter alia multa ſignificat *condonare*, *remittere*. Et Ebræi dicunt, *condonari homini & peccato*. Sic juxta quoſdam etiam ſumitur Infinit. שְׂאֵת Gen. 4. *Nonne ſi benefeceris* שְׂאֵת, i. e. *remiſſio*? Alii tamen *elevatio*: nam נשׂא etiam *tollo*, *attollo*. Et ſic firmat præcedens, *Cur ceciderunt vultus tui*? Solent enim triſtes & cogitabundi, iique quos lancinat occultus iſte teſtis conſcientia, vultum in terram defigere, contra ii qui ſibi nil conſciunt læti & hilares vultus erigere; unde *erecto vultu*. Similis Phraſis extat 2 Samuelis 22. ubi Abner ad Hazaëlem fratrem Joabi ſe perſequentem, *Deſiſte à perſequendo me, & cur te proſternerem in terram? & quomodo ſublaturus eſſem faciem meam apud fratrem tuum Joabum*, i. e. qua fronte eſſem coram fratre tuo compariturus?

חַטֹּאותַי] Vide ſupra.

19. וְאוֹיְבַי] אָיַב *inimicitias exercuit*, unde אִיּוֹב cui omnia adverſa. Hier. *Dolens* interpretat. Hinc אֵיבָה *inimicitia*. Et huc referunt quidam illud Job. 9. 26. *Cum navibus* אֵבֶה i. e. velocibus, quales ſolent eſſe pyraticæ & hoſtiles. Alii cum navibus deſiderii, in quibus homo cito compos fit ſui deſiderii perveniendo eò quò vult. Alii aliter, perinde dummodo quis ſenſum advertat qui velocitatem infert. Sic enim dies mei tranſierunt cum navibus Ebeh.

20. שָׁמְרָה] Hinc שׁוֹמֵר, אַשְׁמֻרָה *Vigilia*, In N. T. fit mentio 4. Et מִשְׁמֶרֶת *cuſtodia*, κλῆροις. i. Parcol. 24. recenſentur tales 24. ἐφημερίαι. Quæque claſſ. miniſtrabat ſept. 2. Quæque habet præfectum, quem N. T. ſcriptores vocant ἀρχιέρεα. Marc. 14. Et convenerunt cum eo (ſacerdote ſummo) πάντες οἱ ἀρχιερεῖς.

21. תֹם] A תָּמַם *integer*, *perfectus*, *ſincerus fuit*, תָּמִים opponitur primò mutilo, manco, ut agnus integer. 2. Imperfecto, & ſignificat omnibus numeris abſolutum ἄμεμπτον irreprehenſibilem. Sic ſumitur Deut. 32. *Opera Dei ſunt perfecta*, & alibi in Pſalmis, *Lex Domini* תְּמִימָה. 3. Simulato, & hypocritæ. Et ſic pii vocantur perfecti, Gen. 6. *Noë erat vir juſtus &* תָּמִים Job. 1. 1. *Eratque vir ille juſtus &* תָּם Abimelech Rex in Gerar excuſans peccatum inquit, בְּתָם *in ſinceritate cordis mei feci hoc*.

22. פְּדֵה] Hinc פְּדוּיִם *redemptio* & פִּדְיוֹן *pretium redemptionis*, λύτρον.

GROTIUS.

1. AD *te Domine levavi animam meam*] Eſt & hic Pſalmus alphabeticus, ut multi alii in uſum puerorum qui ſcribere diſcebant. Sed commata non bene diſtincta ſunt: nam ſecundum comma debet incipere ibi בְּךָ [*in te*,] & quintum ibi וְלַמְּדֵנִי [*& doce me*.] & initio commatis 17 deeſt vox קוּם [*ſurge*.] Verba autem illa פְּדֵה [*redime*] ad finem uſque, acceſſio eſſe debent commatis præcedentis, non novum comma.

5. *Dirige me in veritate tua*] Deus bene viventes, & ſollicitè precantes (qualem hic ſe oſtendit David) magis magiſque illuſtrat.

PRICÆUS.

1. JUdica *me*, *Domine*, *quia in innocentia mea ingreſſus ſum*, *& in Domino ſperans non infirmabor*] In Allocutione ad Aſclepium, *Juſto homini*, *in Dei religione*, *& in ſumma* (fortè *ſua*) *pietate præſidium eſt*. *Deus enim tales ab omnibus malis tutatur*.

4. *Non ſedi cum concilio vanitatis*] Vide ſuprà ad 1. 1. dicta.

Ibid. *Non ſedi cum concilio vanitatis*] Job. 21. 16. *Conſilium impiorum longè ſit à me*.

10. *In quorum manibus iniquitates ſunt*] Res iniquè partæ. Vide ſuprà ad 7. 4. annotata.

IDEM.

1. IN *Domino ſperans non infirmabor*] Suprà 10. 1. *In Domino confido*, *quomodo dicitis animæ meæ*, *Tranſmigra*, &c.

2. *Ure renes meos*] LXX. πύρωσον, id eſt (ut membro præcedente) proba, tenta: hinc, πύρωσις 1 Petr. 4. 12. & apud Heſychium, δοκιμασία.

5. *Odivi eccleſiam malignantium*, *& cum impiis non ſedebo*] Vide ad Pſal. 1. 1. dicta. Seneca, *Magna pars ſanitatis eſt hortatores inſaniæ relinquere*, *& ab iſto cœtu invicem noxio procul abiiſſe*.

7. *Ut audiam vocem laudis*] *Audiam*, i. e. edam: vel, ut te faciam audire.

9. *Nè perdas cum impiis animam meam*] Id eſt, fortè, *nè trahas me* (ut 27. 7.) *cum peccatoribus*.

Ibid. *Et cum viris ſanguinum vitam meam*] Nec permitte ut congregem (id eſt, frequentem) conventicula eorum de ſanguinibus. Suprà 15. 4.

10. *In quorum manibus iniquitates ſunt*] Μισθὸς (ut Act. 1.) ἀδικίας.

12. *Pes meus in directo ſtat*] Obliquas vias non ſector, vel, de gradu meo non cedo.

PSALM. XXVI.

MUNSTERUS.

POnitur in hoc Pſalmo ſpecimen, qualis eſſe debeat vita innocentis hominis; ut ſcilicet totus pendeat à Deo, mundos habens affectus & cogitationes atque puras manus, h. e. opera immaculata, & fugiens ſocietatem malorum hominum. Quòd autem Deum ad judicium provocat videtur falsò inſimulatus à malis hominibus, qui illum veluti plurimis obnoxium criminibus traduxerunt & diffamaverunt.

VATABLUS.

1. JUdica *me* שפטני] *Jus dicito pro me*. ¶ *In perfectione mea* בתמי] *In ſinceritate mea*: *in integritate mea*: *in innocentia mea*, i. e. innocenter. ¶ *Non nutabo* לא אמעד] Vel eſt fut. pro præſ. *non nuto*: *labor*, *vacillo*.

2. *Et tenta mê* ונסני] *Periculum facito de me*. ¶ *Funde* צרופה] *Examina*: *excoque*, *explora*: Metaphora à repurgatoribus auri & argenti.

3. *Et ambulavi*, והתהלכתי באמתך] *Et ambulo* (*& ambulare ſoleo*) *in veritate tua*. Præt. Hebr. pro præſ. *Veritatem Dei* vocat quam Deus exigit: cui opponit ſeq. v. *fallaciam & vanitatem*.

4. *Non ſedi* לא ישבתי] *Non manſi*. *Non habitavi*. ¶ *Mendacibus* שוא] *Vanis*: *fallacibus*. ¶ *Occultantibus* נעלמים] *Occultis*, *abſconditis*, *latentibus*, *diſſimulatoribus*, *quærentibus latebras*: q. d. Cum fucatis non habui commercium.

5. *Cœtum malignantium* קהל מרעים] *Eccleſiam noxiorum*, *ſceleratorum*.

6. *Lavi in innocentia* ארחץ בנקיון] Fut. Heb. pro præt. aut præſ. *Lavo* (*ſive lavare ſoleo*) *in munditia*. De oblatione victimarum loquitur, quas obtulit mundis manibus non aquâ, ſed innocentiâ: alludens ad ablutiones quæ fiebant à Sacerdotibus ante ſacrificium. ¶ *Et circumdedi* ואסובבה] *Et circumdabo*, vel *circumdo*: ſub. *offerendo ſacrificia*.

7. *Ut audire facerem vocem confeſſionis* לשמע בקול תודה] *Ut audire faciam* (vel *auditam faciam*) *vocem laudis*. Hebraïſmus, pro, *palàm te celebrem*. ¶ *Et narrarem* ולספר] *Et exponam*: *recenſeam*.

8. *Gloriæ tuæ* כבודך] Hebraïſmus, pro *glorioſi*: vel ſignificat Tabernaculum ubi erat Arca fœderis, quam vocat *gloriam Dei*.

9. *Nè congreges* אל תאסף] *Nè colligas*, vel *reponas*, *ſpo-nas*: i. e. nè perdas me cum improbis cùm de ipſis ſumes pœnas.

10. *Prævaricatio* זמה] *Conſilium pravum*, *dolus*, *opus à ſceleſta cogitatione profectum*.

11. *In perfectione mea* בתמי] *In ſinceritate mea*, vel *innocentia*.

12. *In rectitudine* במישור] *In recto*, h. e. in loco recto & plano, i. e. tuto.

CASTALIO.

2. MEos *renes atque cor explorans*] Affectus atque mentem.

CLARIUS.

VEriſimile eſt occaſionem hujus Pſalmi dediſſe eos qui David multorum falsò inſimulabant: Contra quos, ut in laudem Dei, qui integram ac religioſam vivere vitam ei dederat, ità in confirmationem bonorum, quos malorum mendacia perturba-

turbabant, de integritate & ſanctimonia ſua hæc canere dignum ſe duxerat. Ubi conſiderandum eſt, quibus rebus fretus David ſeſe judicio Dei efferat; nempe ſinceritate, quà fecit quæcunque fecit, & fiduciâ in Deum, & jugi Divinæ bonitatis conſideratione. Simul hoc Pſalmo diſcimus qualis eſſe debeat vita innocentis hominis, ut ſcilicet totus pendeat à Deo, mundos habens affectus & cogitationes, atque *puras manus*, h. e. opera immaculata, & fugiens ſocietatem malorum hominum.

2. *Ure renes*] Scrutare omnia mea, inquit, & experire qui ſim: explora tanquam igne interiora mea, &c.

3. *Quoniam miſericordia tua*] Invenies memorem me beneficiorum tuorum fuiſſe ſemper: exercui enim me diligenter in fide quam concepi de te. Hoc enim eſt quod ait, *complacui in veritate tua.*

8. *Dilexi decorem*] Vel, *habitaculum domûs tuæ.* Qui enim Deum ex animo colit, nuſquam libentiùs eſt quàm in cœtu colentium eum.

LUCAS BRUG.

4. UT [*Et O.*] *videam voluntatem Domini*] Ad hunc modum legunt univerſa noſtra Latina ſcripta, cum Latinis Tractatoribus, Arnobio, Hieronymo, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma Aq. Hugone de S. Victore, & aliis. Arnobius, *Unum*, inquit, *hoc eſt quod poſtulo Dominum, & hoc requiro, ut videam quid placeat Domino, ſciam voluntatem ejus, & videam protegi templum ejus.* Hieronymus, *Ut videam voluntatem Domini, i. e. dilectionem* [niſi fortè legendum ſit *delectationem*] *Dei, ut illud, Videbimus eum ſicuti eſt, ſed hic per ſpeculum.* Sunt verò alii quidam Latini codices qui unâ mutatâ literâ ſcribant, *Ut videam voluptatem Domini*, Sueſſonienſe exemplar (id quod ex Pariſienſium fide in Bibliorum margine notatum eſt) & Pſalterium R^mi D. Lindani operâ caſtigatum. Adſtipulatur his Romanum Miſſale, quod jam recens Pontificis maximi Pii quinti juſſu eſt editum. Hoc enim ejus Graduale eſt in officio ſextæ feriæ, Cineralia feſta ſequentis, *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, ut videam voluptatem Domini*, [Lectio iſta Romano & veteri Pſalterio propria eſt ex Græco corrupto, niſi fallor, deducta.] *& protegar à templo ſancto ejus.* Huic ſcripturæ inter Latinos Patres S. Auguſtinus ſuffragatur: ejus enim lectio eſt, *ut contempler delectationem Domini*, expoſitio, *Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ: habet ibi magnum, delectationem ipſius Domini contemplari.* Similia verba Ruffinus habet.

In hac Latinorum varietate ſi ex Græcis & Hebraïcis libris ferenda ſententia eſt, poſterior ſcriptura probanda, prior erronea judicanda eſt. Eſt enim Græcè *τῦ θεωρεῖν με τὴν τερπνότητα* * Κυρίε [* τῦ Gq.] *τερπνότης, voluptatem, delectationem, jucunditatem*, non *voluntatem* denotat. Pſal. 15. 11. Interpres noſter *delectationes* tranſtulit. Ejuſdem ſignificationis eſt *τέρψις* quo Apollinaris utitur. Hebraïcè eſt לחזות בנעם יהוה. *NOAM, decorem, pulcritudinem, jucunditatem* deſignat. Hinc vertit Hieronymus, *Ut videam* [*delectationem* 1 MS.] *pulcritudinem Domini*; Felix, *jucunditatem*; nonnulli, *amœnitatem*; Chaldæus בסימותא, h. e. *dulcedinem:* quæ omnia aut cum *voluptate* idem ſignant, aut ad voluptatem ſpectant: quinetiam *voluptatem* tranſtulit quidam. Complures itaque ætatis noſtræ ſcriptores *voluptatem*, non *voluntatem*, legendum cenſuerunt, Pagninus in Theſauro linguæ ſanctæ, Janſenius, Bredembachius, Folengius, Eugubinus, Varlenius. Neque enim ea eſt Græcis & Hebræis quæ Latinis vocum vicinitas, ea quæ errori occaſionem dediſſe videtur, vel quòd ſcribæ *voluntatem* pro *voluptatem*, ut ſua ſæpe perfunctoriè agunt, legerint (nam & aliis quibuſdam Scripturæ locis voces iſtæ varietatem efficiunt) vel quòd *voluntatem* emendandum judicarint, quia id convenientius videretur. Minimè verò aut probandus eſt error quia conſtans eſt, aut recipiendus quia antiquus.

DRUSIUS.

1. שָׁפְטֵנִי. A. Sym. Th. *κρῖνόν με, Judica me.* ¶ בְתֻמִּי. A. *ἐν ἁπλότητι, in ſimplicitate.* S. *ἐν ἀμωμότητι.* ¶ לֹא אֶמְעָד. A. *ἐκ ἀτονήσω, non deficiam.* Sym. *ἐ περιτρατήσομαι, non titubabo.* VI. ed. *ἐ μὴ σαλευθῶ, non movebor*] Lex. V. Ἀτονῶ, *laſſo, deficio.* Ἀτονία, *defectus.*

6. בְּנִקָּיוֹן. A. *ἐν ἀθωότητι, in innocentia.*

8. מְעוֹן. Sym. *τὸ ἀνάκτορον*] Eſt autem *ἀνάκτορον* inter alia *templi adytum.*

9. אַנְשֵׁי דָמִים. Sym. *ἀνδρῶν μιαιφόνων, viris parricidis.*

12. בְמִישׁוֹר. Sym. *ἐν ὁμαλῷ, in plano*

AMAMA.

1. JUdica me] Id eſt, vindica, Meton. Efficientis. Variè ſumitur, hic pro executione judicii in bonum. Sic Pſ. 35. *Judica me Deus & age cauſam meam.* Vel *vindicare*, Deut. 22. *Judicavit Dominus populum ſuum.* Aliquando *punire*, & *judicium* pro *pœna*, Rom. 13. *Qui Mag. reſiſtit, judicium ſibi accipit.* Prov. 19. *Parata ſunt illuſoribus* שְׁפָטִים. 2. Paral. 20. *Deus nonne judicabis eos.* Verba Joſaphati pugnaturi contra Moabitas. In Niph. ſignificat *in judicio contendere*, *κρίνεσθαι*, Pſ. 51. *Ut purus ſis*, Ezech. 20. 36. נִשְׁפַּטְתִּי אֶת־אֲבוֹתֵיכֶם Ezech. 17. וְנִשְׁפַּטְתִּי אִתּוֹ R. Sal. addicit alibi, *ne intres in judicium tuum cum ſervo.* Reſp. *Duplex eſſe judicium Dei, vel improborum, vel juſtorum; cum judicabis improbos, tum me judica, nam eorum reſp. juſtus ſum.* Et ſic hic. *Cum judicabis juſtos, tunc non intres in judicium*, &c. At melius, aliud eſſe judicium cauſæ, aliud perſonæ, ut duplex juſtitia, vel cauſæ vel perſonæ.

מָעַד] *Nutare, vacillare.* נסה *Tollere, attollere*, נסה *Tentavit, periculum fecit.*

2. צָרַף] *Conflare, purgare*, de metallis, & Metaph. *Explorare, examinare*, צורף Aurifaber. צָרְפַת nomen Urbis, Ob. 20. Rabb. *Galliam* interpretantur, unde צָרְפָתִי *Gallus*, R. Sohel. Jarchi הַצָּרְפָתִי. Sic הַסְּפָרַדִּי *Hiſpanus*, R. D. K. Sic אַשְׁכְּנַז *Germania*, R. Elia Levita *Germanus* ab Azcenas filio Gomer filii Japhet, Gen. 10. At Junius cum dicit putrè incolentium Aſiam, Pontum & Bythyniam.

כָּלָה *Conſummare, perficere, deſiderare*, hinc כְּלָיוֹת *Renes*, quare in iis collocant vim conſultandi & conſummandi conſilii, unde pro intimis affectibus, & cogitationibus ſumitur; alii à deſiderando, quia in iis eſt vis deſiderii coitus, R. D. K. Tribuitur iis gaudium Prov. 23. *Filii mi ſi ſapiens fuerit cor tuum, lætabitur & cor meum, & exaltabunt renes mei &c.* Et triſtitia, Pſ. 73. *Renes mei aculeis puncti ſunt & acerbum fuit cor meum.*

לִבִּי] Ebræi מְחַנְּנָא לִבָּא בְּגַוָּא.

3. הִתְהַלַּכְתִּי] Verba Hithpael ſæpè frequentativa ſunt, & ſunt quæ reciprocè exponenda, ſunt & quæ vanam opinionem & oſtentationem inferunt, Prov. 13. 7. יֵשׁ מִתְעַשֵּׁר וְאֵין כֹּל מִתְרוֹשֵׁשׁ וְהוֹן רָב.

4. קָהָל] De קָהָל & קְהִלָּה Vide Comment. noſtrum.

5. *Lavo*] Varias habuerunt lotiones Judæi, quaſdam à Deo inſtitutas, quaſdam humanis conſtitutionibus cumulatas, quibus ſe putabant coram Deo mundari. Idem putant Turcæ. Idem alii. Et apud Virg. Æneas,

Tu genitor cape ſacra manu patrioſque Penates
Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Sed lotio manuum in ſignum innoc. Deut. 21. præſcripta, ſi quis confeſſus reperiretur in agro & ignitus eſſet percuſſor, jubet proximæ civitatis Seniores convenire & capere vitulam de armento, & mactabunt, & *lavabunt* manus ſuas ſuper vitulam illam, & proteſtantes dicent, manus meæ non effuderunt ſanguinem hunc, & oculi noſtri effundentem non viderunt.

In munditie], Hic *innocentia.* Hamos 4. 6. proprie, Dedi vobis etiam munditiem dentium & penuriam cibi. Nam carò ingreditur dentes, inquit Raſchi, unde & caro adhuc inter dentes ejus.

Aben-Ezra, ad נִקָּיוֹן, quod non commiſit unum ex præceptis לא תעשה non facies i. e. negantia, Ebræi numerant Legis præcepta 613. תרי״ג & comprehenduntur in voce בְּתוֹרָה dividuntque in 248. affirm. quot ſunt membra corporis humani, quæ complectuntur in רמ״ח lancea, & 365. negantia quæ ſunt dies anni ſolaris, in שס״ה.

10. יְמִינָם] יָמִין I. *Dextram*, unde בנימין *filius dextræ*, i. e. charior, honoratior, qui enim ad dextram honoratur, olim ſiniſtra, utpote cordi vicinior.

II. *Robur quæ in dextra*? Eſ. 48. *Dextra mea cælo expandit.* Pſ. 110. *Sede ad dextram*, i. e. ſis mihi par, omnipotentia, robore, virtute, & honore. Sic & Benjamin *filius Oni*, i. e. roboris. Licet Aben. velit eſſe pro בן ימים *filius dierum*, quem in provecta ætate genuerat.

III. יָמִין, תֵּימָן *Auſtralis Plaga, Meridies*, quia ad dextram orientem ſpectantibus orabant veteres, Pſ. 89. *Tu creaſti & Auſtrum & replent.*

GROTIUS.

6. LAvabo inter innocentes manus meas] In Hebræo, *in innocentia:* id eſt, ut innocens. Lavabant manus populi illi

illi cùm ſe puros à ſcelere teſtabantur, ut Deuteron. 21. 6. Vide & quæ allata ad Matth. 27. 24.

PRICÆUS.

2. UT *edant carnes meas*] Exprimitur hâc loquendi formâ immanis inimicorum rabies. Apud Nonnium Accius,

——— *Cui poteſtas ſi detur, tua*
Cupienter malis membra diſcerpat ſuis.

Seneca de Ira 3. 4. *Adjice dentium inter ſe arietatorum, & aliquem eſſe cupientium ſonum.*

6. *Cantabo, & Pſalmum dicam Domino*] Quia me liberatum voluit. Ezechias à morte liberatus 38. 20. apud Eſaiam, *Pſalmos meos cunctis vitæ meæ diebus cantabo.*

9. *Nè avertas faciem tuam à me*] Tobiæ 3. 6. Μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπ᾽ ἐμοῦ. Græci hic, μὴ ὑπερίδῃς με. Unde apud Heſychium, Μὴ ὑπερίδῃς, μὴ καταφρονήσῃς, ex hoc vel alio quopiam Pſalmorum loco.

14. *Viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*] Vide Sirach. 2. 3. infrà heic 30. 25. & 36. 34. In Græco, ἀνδρίζου, καὶ κραταιούσθω ἡ καρδία σου. Sic 1 Cor. 16. Ἀνδρίζεσθε, καὶ κραταιοῦσθε.

IDEM.

2. UT *edant carnes meas*] Ut me devorent: i. e. ad perniciem deducant. Vide Job. 19. 22. & 30. 17. & 31. 31.

Ibid. *Qui tribulant me, &c. ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt*] Suprà 19. 9. *Ipſi, &c. ceciderunt, nos autem, &c. erecti ſumus.*

6. *Immolavi, &c. hoſtiam vociferationis*] Obtuli laudes clarè ſonoreque cantatas: vel, hymnum pro victoria mea. Lxx. θυσίαν ἀλαλαγμοῦ. Heſychius, Ἀλαλαγμός, ἐπινίκιος ὕμνος, ἡ βοὴ εὔφημος.

8. *Faciem tuam, Domine, requiram*] Contrarium Proverb. 29. 26. *faciem Principum requirere*, id eſt, τὰ πρόσωπα θαυμάζειν.

10. *Dominus autem aſſumpſit me*] Supple (ut ſupra 17. 17.) *de aquis* (i. e. periculis) *multis.* Infrà 88. 19. *Domini eſt aſſumptio noſtra.*

12. *Mentita eſt iniquitas ſibi*] Vox ultima (ut 43. 11. & 97. 1. & alibi) abundat.

13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*] Id eſt, antequam moriar. E converſo Ezechias, ut tum putavit quidem, moriturus, *Non videbo Dominum Deum in terra viventium:* apud Eſaiam 28. 11.

14. *Exſpecta Dominum, & viriliter age*] Infrà 36. 34. *Exſpecta Dominum, & cuſtodi viam ejus. Si moram fecerit,* (ut Habac. 2. 3.) *exſpecta illum, quia, &c. non tardabit.* Vide & Pſal. 30. 25.

Ibid. *Confortetur cor tuum*] *In ſilentio* (ut Eſai. 30. 15.) *& in ſpe ſit fortitudo tua.*

PSALM. XXVII.

MUNSTERUS.

1. QUem timebo ? Hinc patet, Prophetam hunc Pſalmum compoſuiſſe cùm in maximo diſcrimine poſitus eſſet, nec ullum uſquam pateret auxilium humanum, ſed ſolâ ſpe nixus Divinarum promiſſionum animum uſque adeò contra ingruentia firmavit mala ut facilè ſibi contra quoſcunque hoſtes polliceretur victoriam.

18. *De te dixit cor meum*] Senſus eſt, Ego jugiter verſavi in corde meo hæc tua verba quæ tu dixiſti, *Quærite faciem meam,* atque ideo confidenter venio & accedo ante faciem tuæ majeſtatis, cùm tu neminem à te excludas.

VATABLUS.

2. CUm *appropinquarent* בקרב] *Cùm aciem inſtruerent, pugnarent, bellum pararent.*

3. *Huic ego fido* בזאת אני בוטח] *Hâc re nitar:* quòd ſcilicet *ſis lux mea, ſalus mea:* in hac re fiduciam habebo.

4. *Ut videam pulcritudinem* לחזות בנעם] *Ut contempler amœnitatem,* aut *voluptatem,* i. e. quantum ſit voluptatis apud ipſum. ¶ *Et quæram* ולבקר] *Et ut inveſtigem: & ut ſcruter,* ſub. *promiſſiones ejus,* & ſimilia. Alii, *& luſtrem Templum ejus.*

5. *Abſcondet* יצפני] *Abſconderet.* ¶ *In die mala* ביום רעה] *In die adverſitatis.* ¶ *In petram exaltabit me* בצור ירוממני] *In rupem extolleret me,* i. e. in locum editum, tutum & inacceſſum ſtatueret me.

6. *Et nunc exaltabitur caput meum* ועתה ירום ראשי] *Et mox extollet caput meum,* vel *exaltabit. Extollere caput alicujus* more Hebræo dictum pro *dignitati priſtinæ reſtituere,* aut *ſuperiorem reddere.* Vide Gen. 40. 13. ¶ In *circuitibus meis* סביבותי] *Qui circum me ſunt.* ¶ *Vociferationis* תרועה] *Jubilationis,* i. e. quæ cum clangore tubarum & ſumma jubilatione fiunt.

7. Quâ *clamo* אקרא] Cùm *clamavero.*

8. *Tibi dixit cor meum* לך אמר לבי] *Pro te dicit* mihi *cor meum,* i. e tuo nomine, vice tui: q. d. Dicis mihi in corde. Alii, *De te dixit cor meum:* i. e. jugiter verſavi in corde meo hæc verba quæ tu dixiſti, *Exquirite,* ideo confidenter accedo. ¶ *Quærite* בקשו] *Exquirite,* i. e. Implorate auxilium meum. ¶ *Faciem tuam* את פניך] Subaudiendum, *& propterea,* hoc modo, *Et propterea exquiram,* &c.

9. *Neque declinare,* &c. אל תט באף עבדך] *Nè declinare facias* (aut *prolabi ſinas*) *in iram:* ob repulſam ſcilicet. Alii, *Nè averſeris in ira ſervum tuum.*

10. *Quoniam pater,* &c. כי אבי] *Quando pater meus & mater mea derelinquunt me, Jehova colligit me.* Alii, *Quamvis,* &c. *dereliquerint me, Jehova tamen recollegit me.*

11. *Rectitudinis* מישור] *Rectam.*

12. *Voluntati* בנפש] *In animam,* vel, *anima,* i. e. voluntati. ¶ *Iniquitatem* חמס] *Violentiam, injuſtitiam, injuriam.*

13. *Defeciſſem*] Iſtud additum eſt quòd reticentia ſit in hoc verſu: nam Hebraïcè tantùm legitur לולא האמנתי *Niſi crediſſem,* &c. q. d. *Planè deſpondiſſem animum inter tot calamitates niſi crediſſem,* &c. ¶ *Bonitatem* בטוב] i. e. Me fruiturum bonis Jehovæ.

14. *Exſpecta Jehovam,* &c. קוה אל יהוה] *Exſpecta Jehovam, fortis eſto, & corroborabit,* &c. Seipſum hortatur David: acſi dicat, *Pendeas à Domino, & eſto forti & infracto animo, & animus ſufficiet tibi: totus pende ab eo.*

CASTALIO.

14. SPem habe in Jehova, fortis & conſtantis animi eſto, in Jova ſpem habens] Seipſum alloquitur.

CLARIUS.

HOc periculum de quo canit, num à Saule, vel exteris hoſtibus, aut denique ab Abſalon fuerit, incertum eſt. Exhibet autem ſe tanquam jam ſecum magnitudinem periculi in quo erat conſiderantem, & ſtatim conſideratione Dei, in quo ſpem omnem collocaverat, quicquid id erat, fortiſſimè contemnentem, ſalutemque ſibi ſecuriſſimè pollicentem.

3. *In hoc ego ſperabo*] In ipſa pugna firmiſſimè credam auxilio futurum te mihi. Alii intelligunt de eo quòd ſequenti verſu ſe dicit *petiiſſe unam rem.*

4. *Ut videam pulcritudinem Domini*] Græcus habet τερπνότητα *delectationem.* Vide mirum Regis in Deum affectum. Quotidie, inquit, adero in domo Domini, mira ejus ſuper nos quæ facit conſideraturus, & videbo quantum ſit amœnitatis apud Dominum, & ſcrutabor quàm ſint in regia illius varia multa & admiratione digniſſima. Primum, unicum, ac perpetuum hujus votum fuit, ut Regnum ſuum perſtaret, & in populo ſincerus Dei cultus vigeret, donec Chriſtus omnium inſtaurator adveniret, cùm hinc totius orbis ſalus exſpectaretur. Id cùm promiſſum ſibi cogitabat, nullo negotio quævis pericula & mala contemnebat. Quòd verò Latinus Interpres Græcum imitatus dixit, *Unam petii,* genere fœm. Hebraïſmus eſt: nam cùm neutro genere careant Hebræi, pro neutro utuntur fœminino. Aptiùs autem jungetur illud, *Quoniam abſcondit me,* &c. ſi per ſubjunctivum ſic dicas, *Abſconderet me in tabernaculo ſuo, nec ſineret unquam ſentire me incommodi quippiam. Occultaret me in penetralibus domûs ſuæ, & veluti ſuper petram hoſtibus meis inacceſſam collocaret me.*

6. *Hoſtiam vociferationis*] Vel *ſacrificia clangoris.* Intelligit ſolennes pro victoria gratias, adhibitis holocauſtis, cum hymnis & canticis.

8. *Tibi dixit cor meum*] Alius vertit, *De te dixit cor meum, Inquirite faciem meam:* ut ſit ſenſus, *Cor meum cogitat quid nobis mandes per eos quos ad nos mittis; & reſpondes, Inquirite faciem meam: propterea faciem tuam inquiram.* Vel ſic, *Expertus bonitatem tuam, hortatus ſum ex animo alios ut ſtudeant comparare*

favorem

favorem tuum ſibi: ego certè (faciant illi quod volunt] ſeduló conabor ut placidus ſis, Domine, erga me vultu.

9. *Adjutor meus eſto*] Alii verterunt, *Auxilium meum fuiſti.* Quamlibet autem firmarint ſancti ſpem, flagranter tamen opem implorant, nam *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Accedit præterea in illa anxia prece ut animus inardeſcat in Dominum.

10. *Pater meus & mater mea*] Sive eos dicat qui verè parentes fuerant, ſive qui fuerant illi parentum loco, ait Deum tum etiam ſibi affuiſſe cùm intimorum & ſummè neceſſariorum auxilium nullum haberet.

11. *Legem pone mihi*] Oſtende mihi, Domine, viam quâ itur ad te, & porrectâ manu, quemadmodum parvulum mater ſolet, duc me per ſemitam rectam, nè hoſtes mei viam intercipiant mihi.

12. *Et mentita eſt iniquitas ſibi*] Heb. *Et loquens injuriam*, vel *iniquitatem.* Inſurrexerunt, inquit, in me teſtes iniqui, & is qui falsò ſcelus commentus eſt quod impingat mihi.

13. *Credo videre bona Domini*] In Hebræo eſt apoſiopeſis, ſic, *Niſi credidiſſem videre bona Domini in terra viventium*, ut ſubaudiatur, *tum animum planè deſpondiſſem.*. *Terram viventium* etiam quidam Hebræi de futuræ vitæ ſtatu intelligunt; pluribus tamen Scripturæ locis etiam pro præſenti vita invenitur, ut cùm dixit Ezechias, *Non videbo Dominum Deum*, i. e. Templum Domini, *in terra viventium.*

14. *Exſpecta Dominum*] Promiſerat Deus David inter cætera & vitam longævam, cùm illi dixerat, *cùm impleti fuerint dies tui*, i. e. cùm ad juſtam ætatem perveneris: promiſerat & pacem rerumque copiam. Hæc ergò Dei promiſſa ſecum reputans, cùm extrema hoſtes minarentur, ſemetipſum alloquebatur, & confirmabat his verbis, *Exſpecta Dominum, fortis eſto, & ille roborabit cor tuum, & tu ſpera in Domino.* Nam Interpres frequentiſſimè ponit *ſuſtinere* pro *ſperare* & *exſpectare.* Hæc autem propter imperitiores admonuimus.

DRUSIUS.

4. בְּנֹעַם. Sym. τὸ κάλλος, *pulcritudinem.*

6. יָרוּם ראשי. A. ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου, *extolletur caput meum.* ¶ סְבִיבוֹתַי. A. Sym. Th. τοὺς κύκλῳ μου, *qui circum me.* ¶ וְאֶזְבְּחָה. A. *& ſacrificabo.*

8. לְךָ אָמַר. Sym. σοὶ προσελάλει. ¶ בַּקְּשׁוּ פָנָי. A. ἐζήτησαν πρόσωπά μου, *quæſiverunt faciem meam*, vel potiùs *facies meas.* Sym. σὲ ἐζήτει τὸ πρόσωπόν μου, *te quæſivit facies mea*, לך בקשו.] Quod ſi recipitur, verba illa אמר לבי, *dicit cor meum*, includenda erunt parentheſi.

9. אַל־תִּטְּשֵׁנִי. Sym. & alii, μὴ ἀποῤῥίψῃς με, *ne projicias me.*

11. הוֹרֵנִי] A. & Th. Φώτισόν με, *illumina me.* Sym. ὑπόδειξόν μοι, *demonſtra mihi*] Si Euthymio credimus, Aquila vertit non Φώτισόν με, ut eſt apud Theodoretum, ſed *doce*: quomodo ſcriptum in Fragmentis noſtris editis Antverpiæ. Vide ſuprà 25. 8. & 13. & 119. 37. Nam indè colligo Theodoreti lectionem germanam eſſe.

12. קָמוּ־בִי. A. *ſteterunt contra me.* ¶ עֵדֵי־שֶׁקֶר. A. *teſtes falſi.* Sym. μάρτυρες ψευδεῖς, *teſtes mendaces.* ¶ ויפח חמס Aq. *& apparuit injuſtitia.* Sym. καὶ ἐξεφάνη ἡ ἀδικία] *Apparuit*, i. e. יפיע.

AMAMA.

1. לדוד] LXX. τῷ Δαβὶδ, ſemper, cum tamen novum non ſit, ל eſſe notam Genitivi caſus, ſed oſtendere voluerunt aliud in divinis quàm humanis eſſe, hîc idem poteſt eſſe, auctor & ſcriptor. Illic non ita. Auctor eſt Spiritus Sanctus & dictator, David amanuenſis tantum; ſub. ergo dictatus vel revelatus à Spiritu Sancto, vide Geneb. ad Pſalm. 3.

אורי] *Lux mea.* אור & אורה Eſth. 8. הורה אורה Aliquando *Solem* notat, cum ſequitur Luna. Job. 31. 20. *Si videro* אור lucem *cum ſplendet & lunam pretioſam.* LXX. ἥλιον. Unde & Apollo *Orus* dicitur, hinc & *Aurum* deducunt, *Or*, *Aur*, unde & *Orum* & *Aurum*; ut Clodius & Claudius, Olla, Aula, Plauſtrum, Ploſtrum, à fulgore ſic dictum, unde & χρύσος. Pindar. αἰτόμενον πῦρ. Hinc & אור *ignis*, unde Belg. *Vuur*, & Lat. *Uro.* Licet alii mediatè ab *Ur*, ut ſit à πῦρ. Primò enim fuit *Buro*, unde *buſtum*, & *comburo.* Eſt & nomen loci *Ur Chaldæorum*, quod LXX. χώραν τῶν χαλδ. Act. Γῆν τῶν χαλδ. vocant.

יִשְׁעִי] Σώτηρ μου LXX. paſſim. Sic in N. T. σωτήριον, *ſalutare tuum.* Hinc & ישוע & ישו, unde Ἰησοῦς. Scribitur (Irenæus) 2. literis & dimidia, ſignificatque in Notar. יהוה שמים וארץ Dominus Cœli & Terræ. Judæi verò blaſphemantes ימח שמו וזכרו, Ajunt alii ישו in Gematria facere 316. totidem אלהי נכר.

פַּחְדִּי] פחד, *timor*, *metus.* Et per Metonymiam Deus timendus & metuendus. Gen. 31. 42. *Niſi Deus Patris mei Abraham & pavor Iſaac fuiſſet mecum, vacuum dimiſiſſes me*, ad Laban, & verſ. 53. *Et juravit Jacob per pavorem patris ſui Iſaac.*

2. בִּקְרֹב] Jun. Piſc. *Belligerantibus.* קרב *Præliari.* Pſ. 55. 15. Hinc קְרָב *Prælium.* Pſ. 144. 1. *Docens manus meas* לַקְרָב. Sic & ראה 2. Reg. 14. 8. *Tunc miſit Amaſia nuncios ad Joas, qui dicerent, age* לכה נִתְרָאֶה פָנִים *videamus alter alterius faciem.*

לֶחֶם] Id eſt, *comedit*, *cibum ſumpſit.* Prov. 23. 6. *Ne* תִּלְחַם *panem oculi mali.* Hinc לֶחֶם *Panis*, i. e. ex Ebraïſmo omnis cibus, quicquid nutrit hominem; etiam *Potus*, Pſ. 136. *Qui dat* לֶחֶם *omni carni.* LXX. τροφήν. Et Jonathan præceptum patris tranſgreſſus eſt guſtatione mellis. Et in Proverbiis *Lac Caprarum* pro pane ſuo. Aliàs nomen aquæ addi ſolet, & *Potum* ſignificare. 2. Reg. 6. 22. *Propone panem & aquam iis.* Sequenti autem verſu dicitur *iis apparaviſſe convivium magnum.* 2. Significat κατ' ἐξοχὴν illud quod nos *panem* dicimus. 3. Per Metonym. ſignificat *frumentum*, Gen. 41. *Et in tota terra Ægypti erat* לחם. 4. *Caro*, Lev. 3. 11. &c. Sed ibi poteſt *per cibum* exponi, & comprehenditur ſub I. acceptione generali. Hoc noto, in Arabica lingua ſignificare ſemper *Carnem*, unde verſ. 2. hujus Pſalmi ad comedendum בשרי, Arabica verſio habet לחמי, & Gen. 2. *Erunt in carnem unam*, Arabs אללחא חד, *Et caro de carne mea*, לחם מן לחמי.

II. Significat *bellavit*, *bellum geſſit*, quia in bello homines abſumuntur.

4. שָׁאַלְתִּי] Hinc שאול, de quo in Locis Communibus. Jun. Controv. 2. lib. 4. pag. 105. Chryſ. Tertull. de Idol. cap. 13. שאול pro *Sepulchro.* 1. Reg. 2. 6. *Non ſines canitiem ejus in pace deſcendere* שאולה. Pſ. 16. Act. 2. Lev. 21. 11. de *ſummo Sacerdote*, *Neque ad ulla* נַפְשֹׁת מֵת *cadavera mortuorum veniat.* Hag. 2. 14. *Si* טְמֵא נֶפֶשׁ *attigerit omnia iſta*, *nonne immunda erunt.* Anima pro Cadavere.

לְבַקֵּר] *Ut manè verſer.* בֹּקֶר *matuta*, *matutinum tempus*, à בקר, *ſcrutatus*, *quæſivit*, *inquiſivit*, q. d. idoneum ad requirendas res ob noctis tenebras tectas. Jun. *Ad inquirendum in templo ejus*, ſub voluntatem Dei. בָּקָר *Armentum*, *Boves*, & *Equos* comprehen[illegible], ut & apud Græcos Βουκόλοι dicuntur qui equos paſcunt.

5. בְּסֻכֹּה] Cohæret cum verſ. 3. ב Ater locus eſt, Pſ. 10. *Inſidiatur ſicut leo in tugurio ſuo.* A סכך. Hinc מָסָךְ *aulæum.* Ea tria in Templo; Primum dividebat Sanctum Sanctorum à Sancto; Secundum Sanctum ab Atrio; Tertium claudebat Atrium. Hiph. הֵסֵךְ *texit*, unde *tegere pedes*, Jud. 3. 24. de Ehud. Et de Saule 1. Sam. 24. Targ. לְמֶעְבַּד צְרָכָה. Hinc סֻכָּה unde Feſtum Tabernaculorum.

בְּיוֹם רָעָה] Abſ. *annum.* Jud. 7. *Dabo tibi decem argenteos* לימים.

רָעָה] *Malum pœna.* Abſtr. adverſitatis, triſtitiæ. Gen. 40. 7. *Cur facies veſtra.* רָעִים, σκύθρωπα. Eccl. 7. 3. בְּרֹעַ פָּנִים ἐν κακίᾳ τοῦ προσώπου ἀγαθυνθήσεται ἡ καρδία, i. e. in κακώσει, *in adverſis*, *in triſtitia.* Math. 6. ult.

סֵתֶר] Hinc Rab. סְתָרִין Saturnus. הנסתר, 3. Perſona & Enthymema.

Petra] Locum ſtabilem, tutum, & opponitur luto. Pſ. 4. *Eduxiſti me de luto cœni.* 2. Locum munitum & fortem, Arces munitæ. 3. Deus. Eſ. 30. *Petra Iſraëlis.* LXX. *Deus.* Pſ. 18.

6. ראשי] *Caput*, aliquando ob nobilitatem & præcipuam operationem *totum hominem.* Lev. 19. *Coram cano capite conſurge.* Prov. 10. *Benedictiones ſuper caput juſti.* Sic venire aliquid ſuper caput alicujus venire. Ergo attolletur caput eſt, evehar ego ſuprà hoſtes meos, ut ſcil. eis ſim potentior, ut Rex conſtituar.

II. Quia triſtes demiſſo vultu, læti contra erecto ſolent incedere, ideo ſublatio capitis pro exhilaratione aut cauſa exhilarationis poni ſolet. Sic hoc loco ſumi poteſt. Pſ. 3. *Tu Domine gloria mea & exaltas caput meum*, i. e. liberans me, & hoc modo exhilarans. Ergo *attollitur caput*, dum Deus me liberat, aut victoriam mihi concedit, ut triumphum agam de hoſtibus devictis.

Roſch aliquando *venenum*, aliquando *initium*, unde ראש הַשָּׁנָה *Caput anni.* Et *Ducem*, & *ſummam*, *Tolle Caput omnium filiorum Iſraël.* Et *præſtantiſſimum*, Cant. 2. רָאשֵׁי בְשָׂמִים

Sacrificabo] זבח *mactare*, *jugulare*, vel ad ſacrificium (ſacrificavit) vel ad convivium, 1 Sam. 16. *Invitavit Samuel filios Iſaï ad* זֶבַח *ſacrificium*, & cap. 20. *Sacrificium familiæ noſtræ eſt.* Act. 10. θῦσον Petre, Math. 22. 4. *Tauri & altilia mea θεθυμένα.*

Sacrificia clangoris] Moſes Num. 10. 10. inſtituit, ut ad ſacrificia Euchariſtica & holocautomata diebus feſtis clangeretur tubis argenteis, quibus David 1 Paral. 16. Citharas & alia inſtrumenta adjunxit.

 שיר &

שיר & זמר Differunt quod שיר ſignificet vocalem; זמר inſtrumentalem Muſicam. A שיר modulationem quarumcunque cantilenarum, etiam ſolutarum & vulgarium: זמר non niſi arte factarum, ſuas cæſuras & numeros habentium.

Verſ. 8. Subjicitur præced. per prolepſin, Dixerit Deus, petis ut exaudiam te, ſed indignus es. Reſp. Ut ut ſim, tamen fretus mandato tuo.

לך אמר] *Tibi dixit cor meum: (Dixiſti,) quærite faciem meam* &c. Piſc.

II. *Tuum illud: Quærite faciem meam, cogitat animus meus.* Jun. Eſt enim duplex ſermo προφορ. & ἐνδιάθετος, ſic duplex meditatio, cordis & oris, unde הגות, Pſ. 90.

III. *Cum tu diceres: Quærite faciem meam, animus meus dicebat tibi*, vel ad te, *faciem tuam* &c. Angl.

IV. *Tibi dixit cor meum; Exquiſivit (te) facies mea*, legit Vulg. בִּקֵּשׁ. Et ſic LXX. ἐξεζήτησέ σε τὸ πρόσωπόν μου, quod autem præcedit κύριον ζητήσω, Gloſſema eſt.

Quærite faciem] Id eſt, me. Hic ſignificat invocationem Dei. Sic Pſ. 9. *Non derelinquis quærentes te. Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* Jeſ. 55. Eccl. 8. *Sapientia hominis illuſtrat faciem ejus.* 2 Sam. 17. *Facies tua vadat ad bellum. A facie gladii.*

II. Quia invocatio totum cultum divinum aliquando comprehendit, ideo & hæc phraſis aliquando ſic uſurpatur. 2 Paral. 34. *Joſijas, cum adhuc puer eſſet, quærere cepit Deum patris ſui David.* Ibid. 26. 5. *Uzias quæſivit Deum in diebus Zachariæ, & quibus diebus quæſivit Dominum, ſecundavit eum Dominus.*

III. Aliàs *conſulere.* 2 Par. 16. 7. dicit Achab Joſaphato, cum aſcenſuri eſſent ad Ramoth Gilead, *Adhuc eſt vir unus ex quo quæras Dominum, ſed odi virum illum, quia non vaticinatur mihi bona.* Michæus.

Vel *faciem*, i. e. favorem. *Oſtende nobis faciem tuam.* Aliquando in malum, Pſ. 33. *Facies Domini in facientes mala.*

9. Eſt ex 4. Verſibus ubi ſunt 4. Voces ſimiles, & quartum cum Vau, אל אל אל ואל. Sic דין דר דר ודין.

Abſcondas faciem tuam] i. e. Favorem tuum, vel te ipſum. Abſcondere autem ſe eſt, nullam curam habere ejus. Non opitulari, ſimulare ac ſi quis non videat. Pſ. 89. *Uſque quo abſcondes te Domine.* Pſ. 30. *Abſcondiſti faciem tuam, & ſum territus.* Deut. 22. *Non videbis bovem fratris tui aut [illegible] aberrantem, & abſcondes te ab eo*, i. e. Non diſſimul[illegible] quaſi non videas.

באף] אנף *Spiravit, flavit naribus.* Et Metonym. *iratus fuit*, quia animalia commota, homo præſertim, ſpirant vehementius & iram quaſi narium flatu indicant. Unde, & אף. I. *Naſum*, inſtrumentum per quod homo reſpirat. II. *Iram.* Sic & Perſ. *Diſce, ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna.* Theocr. Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὴ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Et in naribus reſidet ſemper acris bilis. In Perſiano & ira & ſanna tribuitur naſo. Certè Sat. 1. *Rides aut & nimis uncis indulges naribus.*

עבד] עָבַד *Servivit, Deo*, (aut quod loco Dei homines habent) *homini, terræ*, ut Lat. *colo.* Cum ב conſtr. ſolet ſignificare ſervitutem exegit cum ſævitia, ſerviliter & duriter habere, Jirm. 22. 13. בְּרֵעֵהוּ יַעֲבֹד *per ſocium ſuum ſerviet ſibi, in proximum ſuum durus erit ſine cauſa.*

10. *Etſi pater meus & mater mea derelinquerent me, tamen*] Nam Davidem relictum à parentibus proprie ſic dictis ex Script. probari nequit, niſi omnes amicitiæ & naturæ vinculo ei junctos accipias. Ut Job. 17. 14. *Foveæ dixi, Pater meus es, & vermi, Mater mea es.* Aut per mortem relictos dixeris. כי *Etſi*, Pſ. 41. *Sana animam meam* כי חטאתי *licet peccaverim.* Vau *tamen*, Hoſ. 1. 10. *Vos non eſtis populus meus, nec ego Deus veſter* והיה *tamen erit numerus filiorum Iſraël ut arena maris.*

אב] Ab, Abah. Hinc quidam *Pater.* Ab, ba, *durum.* Melius *Avus*: nam & Avi Patres Ebræis & omnes Majores per rectam lineam. Sic Abraham *Pater Levi.* Ebr. 7. Dan. 5. Nebucadneſar vocatur *Pater Belzazari*, cum fuerit Pater Evilmerodachi, cujus filius Belzazar. Hinc אבא *Abbas.* Hinc *Papa*, vox filiorum patribus blandientium, etiam præcipuis Eccleſiæ Doctoribus antiquitus obtigit. Cyp. Aug. & alii. Poſtea Rom. Pontif. ſibi vindicavit ſoli. Patrem proprie & per conſ. quemvis Epiſcopum, qui adhuc hodie Patres. Juven. Sat. 6.

Et timidus prægustet pocula Pappas.

Pappare, Patrem blande appellare ut pueri. Perſ. 3.

Et ſimilis Regum puerum pappare minutum
Poſcis & iratus mammam labiare recuſas.

II. *Authorem*, Gen. 4. *Jabal fuit pater habitantium in tabernaculis, & Jubal Pater canentium citharam.*

Collegit me] Vide Gen. & Locos Comm. יאספני Rab. τρόφιμος, θρεπτὸς, Altellus, χαμαιρευτὸς, humi repertus, qui de platea tollitur, nec novit Patrem & Matrem ſuam.

11 שוררי *Obſervatores meos*] Ne inveniant quod calumnientur, & ne derideant à שור, unde שור *Tor, Taur, Taurus.*

12. בנפש] Thar ברעות in voluntatem. Hoc loco ſign. animam, affectum, deſiderium, libidinem. Exod. 23. *Noſtis animam peregrini*, quomodo affectus ſit. Pſ. 78. *Ut peterent cibum* לנפשם pro libitu ſuo. בעל נפש *Vir deſiderii* appellatur *magni.* LXX. Μὴ παραδῷς με εἰς ψυχὰς θλιβόντων με.

ויפח] LXX. Καὶ ἐψεύσατο ἡ ἀδικία ἑαυτῇ. *Et mentita eſt iniquitas ſibi.*

13. לולא] Eſt unum ex 15. punctalis ſupervacaneè. Loca hæc ſunt Gen. 16. 5. 18. 9. 19. 33. 33. 4. 37. 12. Num. 3. 39. 9. 10. 21. 30. 29. 15. Deut. 29. 29. 2 Sam. 19. 19. Ezech. 41. 20. Jeſ. 44. 9. 46. 22. Pſ. 27. 13.

It. *(Væ mihi) niſi credidiſſem.*
Jun. *Abrepturi me niſi crederem.*
P. *Actum de me fuiſſet*, &c. Sic & Kimchi & Angli.

האמנתי] Cum ל & ב. Hinc אמן & אמרה.

Terra viventium] i. e. Hoc mundo. Eſ. 53. *Exciſus eſt è terra viventium.* Pſ. 116. *Ambulabo coram Domino in terra viventium.* Sic Sepulchrum Terra Oblivionis.

חיים] Hinc *Have.* i. e. χαῖρε.

Ad *Lule* R. Sal. *Scio quod des mercedem juſtis in futuro ſeculo, ſed ego neſcio an mihi ſit pars cum illis nec ne.*

Ad locum Gen. 19. 23. ובקומה. *Sed cum ſurgeret*, Ebræi, Hier. *Appingunt deſuper quaſi incredibile & quod rerum natura non capiat coire quempiam neſcientem.*

GROTIUS.

P*Salmus David priuſquam liniretur*] Πρὸ τοῦ χρισθῆναι [*antequam ungeretur*] Græci. Hebræi hoc non habent. Pertinet hoc ad tempus de quo 2 Samuel. 2. 4.

13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*] Id eſt, in terra hominum felicium, Hieroſolymis, non in his ſpeluncis & quaſi ſepulchretis. In Hebræo eſt: *Niſi credidiſſem viſurum me* (id eſt, experturum) *bonitatem Domini in terra viventium, per* ἀποσιώπησιν [*reticentiam*;] adintelligitur enim: *pridem ſuccubuiſſem his malis.*

PRICÆUS.

3. N*E ſimul trahas me cum peccatoribus*] Nè patere me ſimul trahi, &c. Vide infrà 30. 9. & quæ ad Luc. 11. 4. ea, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς, &c. annotavimus.

Ibid. *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*] Infrà 61. 5. *Ore ſuo benedicebant, & corde maledicebant.* Vide & 54. 22.

4. *Da illis ſecundum opera illorum*] Ità, non *dabis.* Vide ad 2 Tim. 4. 14. dicta.

5. *Deſtrues, & non ædificabis illos*] Ut contrà Jerem. 24. 6. *Ædificabo eos, & non deſtruam.*

8. *Ex voluntate mea confitebor illi*] *Ex animo volens*, ut Apulejus locutus.

IDEM.

4. D*A illis ſecundum opera eorum*] *Indue* (ut Jerem. 17. 18.) *ſuper eos afflictionis diem, & duplici contritione eos contere. Gladius eorum* (ut infrà 36. 15.) *intret in corda ipſorum. Comedant* (ut Prov. 1. 31.) *fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturentur.*

5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini*] Id eſt, noluerunt intelligere. Jerem. 9. 6. *In dolo noluerunt ſcire me, dicit Dominus.*

PSALM. XXVIII.

MUNSTERUS.

1. H*Is qui deſcendunt in lacum*] Senſus eſt, Si à te deſtitutus fuero, Domine, actum erit de vita mea, aſſimilaborque his qui mortui jacent in ſepulcris, hoſtibus meis ſine intermiſſione animam meam quærentibus.

3. *Nè traxeris me*] i. e. Nè deputes me cum impiis, ut ſcilicet me talis apprehendat ultio quæ illis ob ſua debetur demerita.

8. *Robur eſt illorum*] Subaudi, hominum qui mecum ierunt ad bellum, & longè impares fuerunt hoſtibus ſuis, & tamen auxilio Dei prævaluerunt illis.

VATABLUS.

1. **C**Lamo אקרא] Fut. Heb. pro præſ. *Te, Jehova, invoco.* ¶ *Nè taceas à me* אל תחרש ממני] *Nè obſurdeſcas*, vel *nè ſileas à me.* Oratio conciſa, pro *nè ſileas ità ut non reſpondeas mihi*, ſive *orationi meæ.* ¶ *Sileas à me* תחשה ממני] Hebraïſmus, pro, *nè ſi fortè votis meis non reſponderis, peream.* ¶ *Sepulcrum* בור] *Foveam, lacum*, pro *ſepulcro* poſitum eſt.

2. *Ad adytum ſanctitatis tuæ* אל דביר קדשך] *Ad oraculum ſanctuarii tui*; vel *ſanctum tuum*: in quo ſcilicet erat Arca, unde opem ſe laturum implorantibus promiſerat.

3. *Nè trahas me* אל תמשכני] Sub. *ad mortem.*

4. *Et ſecundùm malum* וכרע] *Et juxta malitiam.* ¶ *Retributionem eorum* גמולם] *Talionem ipſorum.*

5. *Advertunt animum* יבינו] Fut. Heb. pro præſ. *intelligunt*, i. e. advertunt animum. ¶ *Deſtruet*, &c. יהרסם ולא יבנם] *Deſtruat eos, & non ædificet eos*, vel, *nec poſtea ædificet*; i. e. perdat eos in æternum ſine ulla ſpe futuræ inſtaurationis.

6. *Benedictus* ברוך] *Laude dignus eſt, Laudetur.* Aut, *Gratias ago Jehovæ, quod*, &c.

7. *Et exſultavit* ויעלז] Vel per futurum, *ideo exſultabit*; aut, *geſtiet.*

8. *Fortitudo eis* עז למו] *Fortitudo illorum.* Relativum ſine antecedente: illorum ſcilicet hominum qui mecum ierunt ad bellum; aut, qui ſine me Rege ſuo profecti ſunt ad prælium. ¶ *Et fortitudo ſalutum uncti ſui eſt* ומעוז ישועות משיחו הוא] *Et corroboratio auxiliorum uncti ſui ipſe*; vel, *& robur quo ſervatus eſt unctus ejus.* Quidam & pro *quemadmodum* accipiunt, vertuntque, *Quemadmodum fuit robur ſalutum*, &c. i. e. ut ipſe unctum ſuum robuſtiſſimè ſervavit.

9. *Et benedic* וברך] *Et benefac*; aut, *beneficiis cumula.* ¶ *Et paſce eos* ורעם] *Paſtorem age erga illos.*

CASTALIO.

1. **F**Iam quales qui deſcendunt in barathrum] Moriar.

CLARIUS.

1. **I**N gravi quopiam periculo poſitus, primùm Dei auxilium implorat; deinde rogat nè innocens cum nocentibus in ultione jungatur; tum eiſdem meritum judicium eſt imprecatus; pòſt gratias agit pro victoria; poſtremò precatur pro populo. Illud verò *Deus meus* in Hebræo eſt *petra mea*, ſeu *fortis meus.* Hoc & aliis etiam locis accidit. ¶ *Nè ſileas à me*] Per *ſilere* vel *tacere* ſignificatur permittere, negligere, quieſcere. Contrà *loqui* pro *facere* Scriptura uſurpat. Porrò quanto in periculo fuerit ex eo oſtenditur quòd queritur *ſe parem futurum fuiſſe deſcendentibus in ſepulcrum*, h. e. mortuis, niſi Deus opem tuliſſet.

3. *Nè ſimul tradas me cum peccatoribus*] Ut ſcilicet me talis apprehendat ultio quæ illis ob ſua debetur ſcelera.

5. *Non intellexerunt opera Domini*] Non ſunt conati cognoſcere Dominum per ea quæ facta ſunt ab illo, nec per mirabile hoc creationis opus, in quo tam manifeſtè relucet omnipotentia manûs illius: idcirco ipſe deſtruet funditus eos, à nullo unquam reſtituendos.

DRUSIUS.

1. אל תחרש. A. μὴ κωφεύσῃς, *nè ſurdeſcas.* Sym. μὴ σιγήσῃς, *nè ſileas.* ¶ ממני. Sym. ἐξ ἐμοῦ, *ex me.* ¶ פן תחשה ממני ונמשלתי עם יורדי בור. Sym. μήποτε ἡσυχάσαντός σου ἀπ᾽ ἐμοῦ ὁμοιωθῶ τοῖς καταβαίνουσιν εἰς λάκκον, *nequando quieſcente te procul à me ſimilis fiam deſcendentibus in lacum.*

2. דביר. A. & Sym. χρηματιστήριον. Th. Δαβείρ.

7. ויעלז לבי. A. καὶ ἐγαυριάσατο ἡ καρδία μου. Sym. καὶ ἠλαφρύνθη ἡ καρδία μου, *& exhilaratum eſt cor meum*] Lxx. V. Γαυριῶ, *geſtio, exſulto.* ¶ ומשירי. A. καὶ ἀπὸ ἄσματός μου, *& de canticis meis.* Sym. καὶ ἐν ᾠδαῖς μου, *& in odis meis.*

AMAMA.

1. תחרש] *Ne ſurdum agas.* חרש I. *Arare*; unde חריש *aratio*, מחרשה Vomer. II. Per Metaph. *fodit cogitatione, cogitavit, molitus, machinatus eſt.* Prov. 6. *Arans*, i. e. cogitans, *malum omni tempore.* Job. 4. 8. *Vidi*, חרשי *iniquitatem.* Lxx. ἀροτριῶντας ἄτοπα. Th. יגרי Prov. 3. 29. *Ne arato malum contra fratrem tuum. Ne moliaris.* Sirach. 7. 13. Μὴ ἀροτρία ψεῦδος ἐπ᾽ ἀδελφῷ σου. *Ne ares*, Corr. in Ameſ. Hinc חרש & חרש *Artifex.* III. Per antiphraſin *nihil egit* vel *dixit*, *ceſſavit loqui* vel *audire*, i. e. tacuit vel ſurdus fuit. חרש *ſurdus & mutus.* Qui à nativitate ſurdi ſunt, loqui neſciunt.

ונמשלתי עם] Pleonaſ. cui ferè ſimilis Rom. 9. 29. ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν. Job. 30. 19. *Similis factus ſum ſicut pulvis & cinis.*

משל] I. *Dominari*, II. *Comparare, aſſimilare, ſimilitudinem, parabolam dicere.* Vau redundat. Hinc q. deducunt *Arab Muſulman.* Malè, eſt enim part. paſſ. à שלם *ſalvus fuit*, q. d. ſalvatus. Muhammed gladio ſuos furores propagabat & interficiebat omnes nolentes amplecti hoc ſymbolum. Non eſt Deus niſi Deus & Muhammed Apoſtolus ejus. Hic ſalvatus erat à gladio. Pueri tamen mox poſt circumciſionem dicuntur Muſulmanni: Fœminæ non niſi poſt illud pronunciatum.

יורדי] ירד *Deſcendit.* Aliq. *profectus eſt auſtrum verſus*, ut contra Aben. Ex. 33.

בור] I. *Fovea*, foſſa, in qua aquæ pluviæ colliguntur; & hoc modo à באר diſtinguitur, quæ *puteum* ſignificat. II. *Fovea effoſſa*, ut in eam incidant feræ, & per Metaph. *inſidiæ.* Pſalm. 7. *Fodit foveam & incidit in eam.* III. *Ergaſtulum, Carcer*, foveæ ſimilis. Exod. 12. 29. *Et occidit Dominus omnem primogenitum à primogenito Regis uſque ad primogenitum captivæ, quæ ſedet in domo foveæ*, i. e. carcere, ergaſtulo; quod alibi, Exod. 11. 5. poſt molas; nam in iſtis ergaſtulis circumagebant molas, non præcedendo ſed ſequendo, eaſque toto corpore protendendo, unde Truſatiles molæ. IV. Fovea in qua mortui conduntur, *Sepulchrum*, ut hoc loco. Hinc *Born* Germ. Conſtr. ut Dan. 12. ישני אדמת עפר

2. *Levo manum*] Cum τῷ NASA adjungitur manus, ſignificat, I. *Jurare*, quia eſt geſtus jurantis. Meton. Exod. 6. *Ducam vos in terram, de qua levavi manum meam, ut traderem eam Abrahamo.* Num. 14. *Si intrabitis in terram, de qua levavi manum meam.* Apoc. 10. 6. Pſal. 106. *Et levavit manum ſuam iis ut proſterneret eos in deſerto.* Tharg. addit בשבועה in juram. 12. Æneid.

Deinde Latinus
Suſpiciens cœlum, tenditque ad ſidera dextram,
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera juro.

Quæ ſit ratio hujus geſtus, vide Notas Rittershuſii ad Salvianum.

II. *Orare*, hoc loco, & Pſ. 141. 2. *Sit elevatio manuum mearum ut ſacrificium veſpertinum.* Exod. 17. Æneid. 2. de Sinone,

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.

Et alibi de Ænea,

——— *Duplices tendens ad ſidera palmas.*

1. Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco, levantes manus puras.*

III. *Benedicere.* Pſ. 134. *Levate manus veſtras in Sancto, & benedicite Domino.* Tollebant autem verſus ſcapulas, inquit Druſius, quomodo depictas vidit Imagines Prophetarum.

3. און] Th. *doluit, mœſtus fuit, indignatus eſt.* התאונן *muſſitare, queri, murmurare.* Num. 11. 1. *Et factus eſt populus* כמתאוננים ſicut murmurantes. Hinc און *iniquitas.* II. *Luctum, dolorem.* Gen. 35. 18. *Et vocavit eum* Mater בן אוני Hoſ. 9. *Cibus eorum ſicut cibus* אונים *dolorum luctus.* Is autem immundus erat. Cœna lugentium τὰ νεκροδεῖπνα. Silicernium. Epulum quod in parentum funere exhibetur. Gloſſ. Silicernium περιδειπνον, λύχνος γὰρ ἅπτειν ἐν τένθει οὐ θέμις. Videtur accepiſſe quaſi ſelucernium, i. e. ἀλύχνια. Natali die lucernæ accendebantur, Mortuali non; ratio, ut τὸ ἀντίςροφον τῆς γενέσεως καὶ τελεύτης oſtenderent. Perſius,

Unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuère lucernæ.

עולי] Hinc על *Jugum*, quod aſc. ſuper cervicem. *Bellagnal*, בלי על. Lxx. ἄνομοι. Deut. 13. Hier. ad Eph. *ſine jugo.* Metaph. à bobus indomitis, quos *injuges* vocat Feſt. Virg.

Intacta cervice,

Et,

——— *Intacta totidem cervice juvencas.*

4. גמולם] גמל prior *in aliquem beneficium* vel *maleficium contulit*, & *retribuit.* Pſal. 116. 7. *Quia Dominus* גמל עליך. Lxx. εὐηργέτησέ σε. Prov. 11. 17. *Vir pius* גומל נפשו *retribuit animæ ſuæ.* Lxx. ἀγαθὸν ποιεῖ. Gen. 15. 15. *Reddendo reddet nobis omne malum quod* גמלנו אותו i. e. fecimus. Sic & גמול Pſalm. 137. 8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.* II. Sign. *ablactare.* Tempus autem lactationis juxta Kimh. fuit 24. menſium. Sed 2. Mach. 7. *Lac dedi tibi annos* 3. *& alui te.*

Hinc גמל *Camelus*, Varro lib. 4. ling. Lat. *Camelus ſuo nomine Syriaco in Latium venit.* Sic & Strabo, Geog. lib. 17. Alii à χαμαὶ, quod exceptura onus humi flectatur & ingeniculet. Matth. 9.

Matth. 9. *facilius Camelo ingredi*. Sic & Syr. & Thalmud. de Elephante utuntur. Fruſtra ergo qui *κάμιλον*.

5. יִבְנֵם] בָּנָה *Ædificavit.* Hinc בֵּן quod quaſi ædificium patris. Plaut. Moſt. Act. 1. *Parentes fabri liberùm ſunt, & fundamentum ſubſtruunt liberorum.* Hinc in Niph. fut. אִבָּנֶה *liberos ſuſcipiam.*

II. Significat *reparare, ampliare, munire, & conſervare ædificia.*

III. Metaphoricè uſurpatur de reſtitutione, refectione, conſervatione, incremento, proſperitate vel ſtabilitate hominum & aliarum. Mal. 3. 15. *Ædificati ſunt facientes iniquitatem.* Job. 22. 23. *Si converſus fueris ad Omipotentem*, תִּבָּנֶה i. e. *proſper eris.*

Porro phraſis eſt, ut Joh. 1. 20. *Et confeſſus eſt & non negavit.* 1. Joh. 2. 4. *Mendax eſt & veritas in eo non eſt*, & 27. *Verum eſt & non mendacium.* Joh. in N. T. peculiariter eo videtur delectatus. Pſal. 118. 12. *Non moriar ſed vivam.* Jeſ. *Moriendo morieris, Domino vives.*

6. בָּרַךְ] I *Geniculatus eſt, ingeniculavit.* Hinc בֶּרֶךְ *Genu, Poples.*

II. Omnes iſtas actiones in quibus fit genuum flexio aut inclinatio, *orare, invocare, ſalutare, valedicere, gratulari, gratias agere.* 1. De homine ad hominem, *valedicere, ſalutare, gratulari.* 2. De homine ad Deum, & ſign. *invocare, gratias agere, celebrare. Benedicere Deum* Veteribus. 3. De Deo ad hominem, *bene fortunare, bonis cumulare.*

7. מִשִּׁיר *Ex cantico.*] *Min* aliq. *ἐξαίρετόν τι* ſignificat, vult dicere, *Cantico aliquo eximio & ſingulari.*

אֲהוֹדֶנּוּ] יָדָה *projecit*, hinc יָד unde *dare manum*, I. *Amicitiam & pacem firmare* vel *fidem promittere*, Ezech. 17. 18. *Pharao dicitur dediſſe manum ſuam, & tamen pacta non ſervaſſe.* 1. Paral. 29. *Et omnes filii Regis David dederunt manum.* Manum fidei. Sic & apud nos *Promittere*, i. e. promittere manum. Unde promittere detracta voce, quia in pollicitis manus promittebantur. Sic decies ſeſtertium, pro decies centena millia ſeſtertiorum; & trajicere, pro trajicere per ignem. 2. Dare manum eſt *ſupplicare*, &c.

II. יָדָה in Hiphil הוֹדָה *confiteri.* Hinc הוֹדָיָה & יְהוּדָה 1. Patriarcha. 2. Tribus Judæ. 3. Univerſus Iſraël Juda dictus: nam poſt Saulem David unctus fuit in Regem Judæ, reliquis XI. adhuc adhærentibus Isboſeth filio Saulis. Poſtea omnes tulerunt imperium Davidis, & dictum uſque ad Jeroboam Regnum Judæ. Nam in iſto ſchiſmate Juda & Benjamin tantum adhæſerunt Rehabeam; Reliquæ X. Jeroboamo: Hic Rex Iſraëlis, Ille Judæ dictus.

8. מָשַׁח] *Unxit*, & Regem conſtituit vel Sacerdotem Magnum. Fiebat oleum illud ex Mon, Kinnamon קָנֶה *calamo* & קִדָּה *caſia.*

מְשִׁיחוֹ] Quia ungebantur Reges, Sacerdotes, & Prophetæ, ideo omnes in aliqua dignitate conſtituti Meſſiæ, *Noli tangere Chriſtos meos*, Eſ. 45. *Sic dixit Dominus* למשיחו *uncto ſuo.*

II. Κατ' ἐξοχὴν Meſſias Jeſus. Dan. 9. Hinc מְשִׁיחָא *Meſſias.*

9. רְעֵם] *Paſcere, & paſcere homines, regere, gubernare.* Xen. *Similia ſunt opera paſtoris & gregis.* Denotatur autem regimen manſuetum & legitimum: (Tyrannica enim magis verbo מָשַׁל exprimuntur) Matth. 2. *Qui paſcet populum meum.* Sic apud Hom.

ποιμένες λαῶν

Ὣς φάτο νεικείων Ἀγαμέμνονα ποίμενα λαῶν.

2. Sam. 2. *Tu* תִרְעֶה *populum meum.* Tharg. תְּפַרְנֵס

עוֹלָם] Exod. 21. 6. *Et ſerviat ei* לְעֹלָם, i. e. ad annum uſque Jobilæum. Hinc Lat. *Olim.* Αἰὼν. Apud Rab. pro *mundo*, unde OLAM magnus & parvus, i. e. homo. Et הַבָּא & הַזֶּה hoc ſæculum operis, illud retrib. Hoc veſpera Sabbathi, illud Sabbath. Unde, qui laborat in veſp. Sabbat. comedet in Sabbatho. Et tres Mundi, 1. Inferior, Terra, 2. Medius ſphærarum & ſtellarum, 3. Dei, Angeli & animarum. Inferior tres partes מדבר & ישוב. Hier. Gal. 1. notat עולם *æternitatem*, עלם *tempus certum* denotare. Falſum. Et Galat. negat unquam *æternitatem* ſignificare. In N. T. plur. *αἰῶνες mundum* ſign. Ebr. 1. 2. *Per quem condidit & τοὺς αἰῶνας ſæcula.*

GROTIUS.

1. **D**Eus meus nè ſileas à me] Meliùs: *Ne recedas à me.* Quomodo חרש ſumitur infrà 35. 22. 1 Samuel. 7. 8. *παρῄνης* [*abſiſtas*] vertunt Græci Eſth. 7. 4.

PRICÆUS.

2. **A**Fferte Domino, &c. *honorem*] Fortè *honorem* heic vocat Sacrificium, ut idem ſit (ex more Hebræis uſitato) cum proximè præcedentibus. Quin & Servius ad Virgilii illud,

—— *In honore Deorum:*

Inter ſacrificandum inquit. Virgilius alibi,

Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.

PSALM. XXIX.

MUNSTERUS.

1. **F**Ilii procerum] Kimhi in Radicibus poſt Chaldæum Interpretem exponit כתי מלאכים *cætus Angelorum.* Hebraïſmus autem habet *filii Deorum.* Sunt etiam inter Hebræos qui exponunt *ſtellas*, quòd hæ Invitentur ad laudandum Deum, ſicut & Job 38. vocantur *filii Deorum.* Nihil tamen eſt quod hic vetat *filios Deorum* accipi pro *filiis potentum & magnatum.* Utcunque accipias, Propheta id hoc loco voluit, quòd nihil eſt tam ſublime tamque magnificum quod non teneatur laudare & magnificare Deum Creatorem ſuum.

3. *Vox Domini ſuper aquas*] Mira, inquit, ſunt opera Dei, qui in humidis nubibus tam ſtupendas tonitruorum excitat voces ut putes cœlos & elementa ſcindi & diſrumpi. Tam vehemens, inquit, eſt hæc vox Domini, ut ad ejus ſonitum & fulminis ictum altiſſimæ & fortiſſimæ *cedri Libani* dejiciantur & *confringantur*: non quidem ſimpliciter, imò totus mons *exſilire* putetur. Porrò mons *Sirion* eſt mons Hermon conjunctus Antilibano.

7. *Succidit flammas igneas*] Senſus eſt, Ex tonitruo & nube rupta naſcitur ſeu rumpit flamma ignis.

8. *Tremere facit deſertum*] h. e. Nullum eſt animal tam ſævum & crudele in deſerto illo vaſtiſſimo quod non expaveſcit & contremiſcit ad horribilem illam vocem Domini: ſicut & animalia quædam, quæ cum difficultate pariunt, tonitrui terrore concuſſa illico ejiciunt fœtum. *Deteguntur* & *ſilvæ* fulmine ictæ. At in his omnibus pii homines potentiam Dei animadvertentes, *dicunt Deo gloriam & laudem in templo ſuo*; quod eſt totus mundus, quem Deus implet.

10. *Dominus ſupra diluvium ſedet*] Senſus eſt, Deus præſidet, & in poteſtate ſua habet inundationes illas quæ comitantur tonitrua terribilia, &c.

VATABLUS.

1. **D**Ate Jehovæ, *filii fortium*, הבו ליהוה בני אלים] *Afferte Jehovæ, filii potentum*; vel *inſignium*, Abrahæ nempe, Iſaac & Jacob. Alii, *vos inſignes & potentes. Afferte*, ſub. *laudes*, ut habet Chaldæus P. i. e. laudate. Aut repetito ſequenti verbo jungitur.

2. *Gloriam nominis ejus* כבוד שמו] i. e. Dignam nomine ejus, h. e. ipſo dignam. Repetitio eſt. Quidam vertunt, *Tribuite nomini Jehovæ gloriam.* ¶ *Incurvate vos Jehovæ*, &c. השתחו ליהוה בהדרת קדש] *Adorate Jehovam in decore ſanctitatis*: vel, *in decore ſancto.* Aut, *in magnificentia ſanctitatis*; h. e. in Sanctuario magnifico & decoro, in Tabernaculo fœderis, ubi ſe manifeſtabat.

3. *Super aquas* על מים] Subaudi, *auditur.* Ratio quare laudandus Deus. *Vox Jehovæ*, pro *tonitru.* ¶ *Gloriæ tonare facit* הכבוד הרעים] *Majeſtatis tonat*; vel *glorioſus* (aut *majeſtate venerandus*) *tonat.*

4. *In potentia* בכח] *Cum potentia*: q. d. Validum & vehemens tonitru. ¶ *In gloria* בהדר] *Eſt cum magnificentia*; *cum decore*; *cum ſplendore*: i. e. magnifica eſt & ſplendens.

6. *Et ſaltare facit eas ſicut vitulus* וירקידם כמו עגל] *Et exſilire facit eas more vituli.* Vel, *ſubſilire facit eas inſtar vitulorum.* Hyperbole Scripturis S. frequens. ¶ *Libanum* לבנון] Sub. *ſubſilire, inquam, facit.*

7. *Excidens* חצב] *diſſectas ejaculans.* Vel, *ſolet elicere*, i. e. ejicere. q. d. Unà cum tonitru emicat fulgetrum.

8. *Trepidare facit deſertum, trepidare facit* יחיל מדבר יחיל] *Parturire facit deſertum, parturire facit*, &c. *Deſertum* pro *feris deſerti.*

9. *Et detegit* ויחשף] *Et denudat.* Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Dicit gloriam* אמר כבוד] *Dicit laudem*: i. e. ſancti omnia Deo tribuunt & eum laudant.

10. *Et ſedebit* וישב] *Et præſidebit.* Quidam volunt ו hoc loco eſſe Similitudinis particulam, ſic vertentes, *Ut Jehova præfuit in ipſo diluvio, ità ſedebit Rex in æternum*: q. d. Ut Jehova fuit autor Diluvii tanquam Rex, ità ſemper penès eum erit ſumma poteſtas.

CASTALIO.

3. *Jovæ ſonitus*] h. e. Tonitru.

CLARIUS.

1. INvitat ad prædicandum Dei majeſtatem & potentiam omnibus ſupereminentem, quam per tonitrua & reliquas cœli tempeſtates exſerit. Et vide ut Scriptura omnibus modis doceat nos quo pacto in meditatione rerum Divinarum aſſiduè immoremur. ¶ *Filii Dei*] Vel *filii procerum*. Heb. *filii Deorum*. Quidam intelligunt *cætum Angelorum*. Alii *ſtellas*, quòd hæ invitentur ad laudandum Deum: ſicut & Job 38. vocantur *filii Deorum*, i. e. Dii. *Filios* enim *Dei* & *Deos* Scriptura vocat quicunque Deum præſentiùs & excellentiùs referunt, non ſolùm Angelos, verùm etiam Principes ac poteſtate pollentes. Quos autem cunque Propheta hic intelligat, ſignificare voluit, nihil tam ſublime & præſtans eſſe quod non ſupplex Deo canere laudem debeat.

3. *Vox Domini ſuper aquas*] Mira, inquit, ſunt opera Dei, qui in humidis nubibus tam ſtupendas tonitruorum excitat voces ut putes cœlos atque elementa ſcindi & diſrumpi. Tam vehemens, inquit, eſt hæc *vox Domini* ut ad ejus ſonitum & fulminis ictum altiſſimæ & fortiſſimæ *cedri Libani* dejiciantur & *confringantur*, neque id ſolùm, ſed ſic comminuantur ut fragmenta eorum in Libano *more vitulorum ſaltare* videantur, imò totus mons *exſilire* putetur. Porrò *Sirion* eſt mons Hermon conjunctus Antilibano. Simile quid de hac voce Dei & Job cecinit cap. 23.

7. *Intercidentis flammam ignis*] h. e. Ex tonitruo & nube rupta erumpit flamma ignis. Superiùs de tonitru & fulminibus, nunc de fulgetris loquitur, quæ celeri quadam vi flatûs ceu ex lapide exciduntur, & tanquam exciſæ ignis partes jaciuntur. Ordine tamen ultimum eſt fulmen, & primum tonitru, indè fulgur. Quòd autem antè fulgura videntur, & fulminis ictus ſentitur priùs quàm tonitru exaudiatur, tardiras efficit auditûs, qui naturæ eſt aëriæ & ſpirabilis, cùm oculi ſint ignei; tum & lux velocior eſt ſonitu.

8. *Concutientis deſertum*] h. e. Nullum tam ſævum eſt animal in deſerto illo vaſtiſſimo quod non expaveſcat & contremiſcat ad horribilem illam *vocem Domini*, ſicut & animalia quædam quæ cum difficultate pariunt, tonitrui terrore concuſſa, illico ejiciunt fœtum: *deteguntur* & *ſilvæ* fulmine ictæ. At in his omnibus pii homines potentiam Dei animadvertentes *dicunt Deo gloriam* & laudem *in Templo ſuo*, quod totus eſt mundus, quem Deus implet, nec tamen capitur ab eo. *Deſerti* autem *Cades* meminit, quòd ſit multò vaſtiſſimum & maximè horrendum, per quod populus Iſraël XL. annis circumductus fuit.

9. *Parere facit cervas*] Ferunt has difficillimè parere. Proinde terroris magnitudinem ex eo indicat quòd tempeſtate conſternatæ parturiant. Et fortaſſe de intempeſta parturitione & abortu intellexit, ut ſit majus Divinæ potentiæ miraculum, cujus vox ante legitimum tempus parturire faciat etiam eas animantes quæ ſuo etiam tempore ægrè pariant. ¶ *Revelabit condenſa*] *Detegit ſilvas*. Id intelligunt Hebræi de arborum dejectione. Quidam intelligunt ob terrorem prodire quicquid antea latebat in ſilvis.

10. *Dominus diluvium inhabitavit*] Vel, *ſupra diluvium ſedet*, vel *diluvio præſidet*; h. e. in poteſtate habet inundationes illas quæ comitantur tonitrua illa, &c. Vel, *Dominus tempore Diluvii Regnum obtinuit, & manebit Rex perpetuo.* Alius ſic exponit, *Dum ſævit tempeſtas & nimbi deſcendunt, nos admonemur Diluvii, quo orbis periit, cui præſidet Deus, & hodie æquè atque olim eodem nos abſumere poteſt.* Chaldæus ſic vertit, *Deus in tempore Diluvii ſuper ſedem judicii ſedit, ut vicem redderet pravis; ſeditque ſuper ſedem miſericordiæ, & liberavit Noë; & regnabit ſuper filios ejus in ſecula ſeculorum.*

DRUSIUS.

1. וְעֹז. A. *καὶ κράτος*, *robur*. Sym. *καὶ δύναμιν*, *potentiam*.

2. כְּבוֹד שְׁמוֹ. Οἱ λοιποὶ, *εὐπρέπειαν ὀνόματος αὐτȣ̃*, *decorem nominis ejus*.

6. וַיַּרְקִידֵם. A. *σκιρτώσει*. Sym. *καὶ ὀρχεῖσθαι ἐποίησεν αὐτὰς*, *& ſaltare fecit illas*] Heſychius, Σκίρτα, ἅλλεται, ὀρχεῖται. Videtur hic uſus eſſe pro eo quod ex Quinta editione notatum, *σκιρτοποιήσει αὐτὰς ὡσεὶ μόσχον*, *faciet eas ſubſilire inſtar vituli.*

7. חֹצֵב. Sym. *καταδιαιρȣ̃ντος*, *dividentis*.

8. יָחִיל. Sym. *ἐκτοκίζοντος*. A. *ὠδίνοντος*, *parturire facientis*] Ἐκτοκίζοντος, idem quod ὠδίνοντος, niſi fallor. Nam τόκος, *partus*. Alibi ἐκτοκίζω eſt *fœnero*. ¶ יָחִיל יְהוָה. A. *ὠδινήσει* Κύριος. Sym. *ἐκτοκίσει* Κύριος, *faciet parturire*. Sic ſuprà *ἐκτοκίζοντος*, *facientis parturire*: ità poſcit ſententia. Alioqui *ἐκτοκίζω*, *parturio*.

9. יְחוֹלֵל אַיָּלוֹת. A. *ὠδίνοντος ἐλάφȣς*, *parturire facientis*. Sym. *πληθύνοντος πεδία*, *multiplicantis campos*. V. ed. *μαιȣμένȣ ἐλάφȣς*, i. e. *obſtetricantis*. Nam *μαῖα obſtetrix*.

10. יְהוָה לַמַּבּוּל יָשָׁב. A. *Κύριος εἰς κατακλυσμὸν ἐκάθισεν*, *Dominus ad diluvium ſedit*. Sym. *Κύριος ἐπὶ τȣ̃ κατακλυσμȣ̃ ἐκάθισεν*, i. e. *tempore diluvii*.

AMAMA.

1. עֹז] *Laudem*. Sic Pſ. 8. *Ex ore parvulorum fundaſti tibi* עֹז, Lxx. *αἶνον*, & Matth. 21. 16. *ἐκ ςόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.*

בְּנֵי אֵלִים] Lxx. Filii Dei, & afferte Domino *υἱȣ̀ς κριῶν*, arietum. Poſterius obelo confligentium. Nam *Arietes* אֵילִים dicuntur cum Jod.

כָּבוֹד] *Gloriam*. Aliquando *Linguam* vel *Animam*. Pſ. 16. 9. *Ideo exultat cor meum & lætatur* כְּבוֹדִי, i. e. anima mea, quæ eſt gloria corporis, vel *lingua* gloriationis inſtrumentum, Lxx. *γλῶσσα μȣ*.

2. בְּהַדְרַת] *In magnificentia*. הֲדָרָה & הָדָר & הֵדֶר plur. הֲדָרִים. Sic דָּג & דָּגָה plur. דָּגִים. Somnium R. Sal. Jon. 2. 1.

3. הִרְעִים] רַעַם *intonuit*, רַעַם & Ch. רְעַם *tonitru*, בְּנֵי רְעַם *βοανεργὲς*, Marc. 3. 16. *Et Jacobum filium Zebedæi & Joannem fratrem ejus, & impoſuit illis nomina βοανεργὲς*, i. e. *υἱοὶ τῆς βροντῆς*. 1. abſ. ſcheva τȣ̃ ר, 2. ע in γ, 3. ם in σ, ut קֶרֶן *κέρας*. כַּרְכֹּם *crocus*. Et *O* & *A* in unum coaluerunt, O eſt ex Syriaſmo.

4. *Vox*] i. e. Tonitru, & etiam Fulmen includit. Exod. 20. *Populus videbat voces*, i. e. audiebat. Dico & Fulmen ob concomitantiam ejus.

Pergit laudare Deum, poſtquam ipſe initio hortatus fuiſſet Potentes ad laudandum Deum. Ipſe laudat eum à tribus fere effectis, 1. à Tonitru, 2. à Diluvio, 3. à Protectione ſui populi. A Tonitru à verſ. 3. ad 10. Verſu tertio deſcribit illud à ſubjecto recipiente vid. Nubibus; nam per aquas nubes intelligit content. pro contin. Verſ. 4. ab adjuncto. Verſ. reliquis ab effectis variis & prodigioſis, 1. Conf. Cedrorum, 2. Fulgur, 3. Terrefactio Ferarum.

בַּכֹּחַ] *In potentia*, i. e. potenter, ſub. *fertur*. Regula, Ebræi pauca habent adverb. ſed ea exprimunt per abſtractum & præpoſ. ב. Videor tamen mihi hic aliud obſervare ex Arabiſmo. Ibi enim prædicatum ſeu conſ. *περιφράζεται* per ב אֱלֹהִים בְּקָרִיר *Deus eſt in potente*, i. e. potens. Sic in Prov. *Ne eſto in vini-potoribus*. Pſ. 54. *Deus eſt in ſuſtentantibus animam meam. Aharon & Samuel in Sacerdotibus ejus.* Sic hoc loco, *Vox Domini in potentia*, i. e. potens.

כֹּחַ] Semper ſine Vau, excepto loco Dan. 11. 6.

5. *Libanon*] A לָבַן in Hiph. *dealbavit* & *albuit*. Hinc לְבָנָה *Luna*, alba apparens, & לְבָנוֹן. Mons ſitus ad Sept. Judææ, adeo altus ut etiam media æſtate circa altiſſima juga nivibus tectus longe ſpectetur; unde ejus nives in Tyrum deferebantur & vendebantur, ut eâ temperarent æſtiva pocula. Ab his nivibus לְבָנוֹן dictus, quia nix alba, ut ALPES in Italia.

Poſt Cedros in genere poſtea repetuntur *Cedri Libani*, quia iſtæ celſitudine palmam aliis ſylvis præripiebant. Solet Scriptura toti vel generi ſubjicere partem vel ſpeciem, ſed *nobiliorem*, præcipuam, & quæ aliquid prærogativæ præ reliquis habet 1. Reg. 11. 1. *Salomo amabat filias alienigenas & filiam Pharaonis.* Pſ. 18. 1. *Cum liberaverat eum Deus è manu omnium hoſtium ejus & Saülis.* 2. Reg. 2. 30. Deſiderabantur è ſervis D. XIX. *viri & Hazaël*. Joſ. 2. *Inſpicite terram & Jericho*. Marc. 1. 5. *Tota Judæa & Jeruſalem.* Huc referunt Pontif. *Dicite Diſcipulis & Petro.* In æquali poteſtate potuit eſſe aliqua diverſitas honoris. Caſaub. Act. 1. 14. *σὺν ταῖς γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τȣ̃ Κυρίȣ*. Ariſtoph. ὦ Θεοὶ καὶ ὦ Ζεῦ. Hom. ὡς ἂν Ζεὺς Τρῶας τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πελάσσε.

6. *Sirjon*] i. e. Arbores & Cedri Sirjonis. Met. ſubj. Eſt mons contiguus Libano & illo anterior Reſp. Judææ. Alias Hermon & Senir.

Videtur Hyperbole. Sed ætate patrum Mons in Anglia terræ motu ſubſiliit in aliam ſedem, & alius in Gallia Rhodani impetu, & apud Plin. lib. 2. 83. L. Marcio & Sex. Julio Coſs. duo montes

in Agro Mutinenſi inter ſe magno crepitu concurrerunt & receſſerunt. Tunc de terræ motu exponitur, קול. *Nihil aliud eſt in terra tremor, quam in nube tonitruum.* Plin. Treb. Pollio, Auditum tonitruum terra mugiente, non Jove tonante, quo motu multæ fabricæ ſunt devoratæ, & multi terrore mortui.

7. Cædit nubes & cædendo efficit flammas.

אֵשׁ] אֶשְׁתָּא *Ignis, Veſta.* Ovid. 6. Faſt.

Nec tu aliud Veſtam quam vivam credito flammam.

8. חיל] *Dolore affectus fuit, peperit.* חִלֵּל & הֵחִיל *dolore affecit, parere fecit.*

Kadesh] Vaſta & horrida ſolitudo Arabiæ, vocatur & Deſertum Sin, Paran, in quo 40. annos errarunt Iſraëlitæ. Porro Deſertum hic pro Feris deſerti, Meton. ſubjecti.

מִדְבָּר] A דבר per Antiphraſin, vel à ducendo, quia eò pecora paſcendi ergo ducuntur.

9. *Cervas*] אַיִל *Aries*, אַיָּל Cervus, אַיָּלָה & אַיֶּלֶת Cerva. Ebræi tradunt Cervas difficulter parere, adeo ut eniti non poſſent fœtus ſuos, ſed moriendum ipſis eſſet præ nimiis torminibus ob anguſtiam vulvæ, niſi tonitru juvarentur & pavore ex tonitru immiſſo.

Denudat ſylvas] Dum eas compellit in latibula & antra ſua, vel arboribus & ramis dejectis.

יַעַר] Plur. יְעָרִים & יְעָרוֹת

חָשַׂף] *Denudare.* Denudare brachium eſt geſtus ſe accingentis ad cladem inferendam. Heroës enim ſtrenue pugnaturi brachium ſolent denudare.

בְּהֵיכָלוֹ] *In Templo ejus*, portatili ſcilicet, *unuſquiſque dicit laudem (ejus Dei.)* R. Sal. הכל יקלסו הו ויאמרו *Omnes laudabunt eum, & dicet,* כֻּלּוֹ *Totus ipſe, omnis ipſe, unuſquiſque.* Eſa. 15. 8. *In plateis ejus* כֻּלֹּה *omnis ejulabit.* Alii, *In Templo ſuo enarrat totam laudem ſuam.* Sed vix conſiſtit; nam adjectiva ſequuntur in Ebræo, hic autem præcedit כֻּלּוֹ.

Vult hoc loco oſtendere hominum diverſitatem. Sunt fideles & pii, qui auditis tonitruis tantum abeſt ut contremiſcant, ut hinc occaſionem ſumant Deum laudandi in Templo. Contra impii quod hic reticetur contremiſcunt ob hæc. Exempla nota ſunt. *Auguſtus*, ref. Suetonio, *Tonitrua & Fulgura adeo expaveſcebat, ut ſemper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum & concameratum locum ſe reciperet, conſternatus olim per nocturnum iter tranſcurſu fulguris.* Et Bipedum nequiſſimus *Tiberius*, (quo mortuo populus Deos Manes oravit ne Tiberio locum niſi inter impios darent) *licet adductus Mathematicæ & perſuaſionis plenus omnia fato agi, tamen Tonitrua ſummopere expaveſcebat, & turbatiore cælo nunquam non lauream coronam geſtabat, quod ut vitulum marinum, ita & hanc arborem fulmine non afflari putaverit vetuſtas.* Vide etiam Suetonii Caligulam Cap. 51. Qui Deos tantopere contemnebat ad minima Tonitrua & Fulmina connivebat, caput obvolvebat, ut ad majora proripiebat ſe è ſtrato, & ſub lectum ſe condere ſolebat.

10. לַמַּבּוּל] 'רגש. ל. נָבַל *Marcuit, emarcuit, elanguit. Sedit ut Judex. Sedit ad* &c. Solent enim Judices non tantum ſedere ad audiendum condemnatos, ſed & ſpectandum executionem. Chald. *Dominus tempore diluvii ſedit in ſolio judicii ſui.* Ruth 4. *Coram ſedentibus.* Th. *In porta* addit, i. e. Judicibus. Pſ. 9. *Sedes ſuper throno tuo Judex juſtitiæ.* 2. Theſſ. 2. *Antichriſtus ſeſſurus dicitur in Templo Dei.*

In Flagell. tres Judices aderant. 1. Præconis vicem obibat. 2. Numerabat plagas, ne Judex numerum præſcriptum Deut. 25. 3. tranſgrederetur. 3. Clamabat, percute. Præco recitabat hæc verba Deut. 28. 58. 59. *Si non obſervaveris ut facias omnia verba Legis hujus, omnino mirabiles efficiet Dominus plagas ſeminis tui*, &c. Addebat ex Deut. 29. 9. *Et cuſtodietis verba pacti hujus, & facietis ea, ut intelligatis omnia quæ facturi eſtis.* Tandem obſignabat ea verſ. 48. Pſ. 78. *Ipſe autem miſericors expiabit iniquitatem, ut non perdat multiplicatus.*

GROTIUS.

IN conſummatione tabernaculi] Hoc in Hebræo non eſt, ſicut nec omnia Græca habent *ἐξοδίȣ σκηνῆς* [*exitûs tabernaculi.*] Videtur pertinere ad id quod eſt fine 2. Samuëlis.

5. *Confringet Dominus cedros Libani*] Syros Libano vicinos. Scripta hæc eo tempore cujus hiſtoria 2 Samuel. 8.

6. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*] Senſus eſt; *Et Hermonem montem ut juvenes monocerotes.* Ità fugere faciet incolas Hermonis, *quem Sidonii vocabant Sarion*, Deuteron. 3. 9.

8. *Et commovebit Dominus deſertum Cades*] Id eſt, Moabitas.

9. *Vox Domini præparantis cervos*] In Hebræo, *Cruciatu afficiet cervas*: id eſt, perterrebit Moabitas quaſi cervas. חול verti ſolet modò *ὠδίνειν* [*parere*,] modò *πονεῖν*, [*laborare*,] *κοπάζειν*, [*defatigari*,] *ἀλγεῖν*, [*dolere*,] *Φοβεῖσθαι*, [*timere.*]

In Templo ejus omnes dicent gloriam] Quilibet in Templo Deum laudabit verbis iis quæ jam annectet.

10. *Dominus diluvium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum*] In Hebræo, ad verbum: *Dominus in diluvio ſedit, & ſedebit Dominus Rex in perpetuum. Sedere* eſt Judicis. Hoc ergò dicit: *Sicut Deus humanum genus judicavit tempore diluvii, ità & in poſterum judicare perget.*

PRICÆUS.

6. *IRa in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*] Ità Prov. 16. 14. 15. at de terreno Rege, *Indignatio ejus nuncii mortis*, &c. *in hilaritate vultûs ejus, vita.*

7. *Dixi in abundantia mea, non movebor*; &c.] Apud Petronium ille, *Quotidie magis magiſque ſuperfluentibus bonis ſaginatum corpus implevi, putabamque à cuſtodia mei removiſſe vultum Fortunam.*

Ibid. *Non movebor in æternum*] Suprà 9. 27.

8. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*] Infrà 103. 29. *Avertente te faciem, turbabuntur.*

12. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi*]

Gaudia præmiſſi cumulârunt noſtra dolores.

Ἡ λύπη μȣ (ut Joh. 16. 20.) *εἰς χαρὰν γεγένηται.* Πεπλήρωμαι (ut 2 Cor. 7.) *τῇ παρακλήσει, περισσεύομαι τῇ χαρᾷ ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει μȣ.* Cicero apud Ammianum Marcellinum lib. 15. *Quanquam optatiſſimum eſt perpetuò fortunam quàm florentiſſimam permanere, illa tamen qualitas vitæ non tantum habet ſenſum quantum cùm ex ſævis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna revocatur* Euripides,

—— Τὸ λυπȣ̃ν ὕςερον χαρὰν ἄγει.

Adde Hebr. 12. 11. 1 Petr. 1. 7. Vide infrà ad 89. 15. dicta.

Ibid. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ*] Vide ad Luc. 15. 22. annotata.

13. *Ut cantet tibi gloria mea*] Cithara mea, 56. 9.

IDEM.

2. *SUſcepiſti me, nec delectâſti inimicos meos ſuper me*] Infrà 40. 12. *In hoc cognovi quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.*

4. *Salvâſti me à deſcendentibus in lacum*] *Lacûs* voce ſæpe mortem intelligit.

7. *In abundantia mea*]

Dum ſtarem regno incolumis. ——

13. *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar*] Id eſt, non taceam, nec animo contriſtato ſim. In Gr. *καὶ ȣ̓ μὴ κατανυγῶ.* Heſychius, *Κατανένυγμαι, ἡσύχασα, λελύπημαι.*

PSALM. XXX.

MUNSTERUS.

CAnticum dedicationis domûs] Utebantur olim Iſraëlitæ ſub lege Moſi ceremoniis quibuſdam cùm novas domos inhabitare vellent; ſicut & ſolenni dedicatione domus Domini, quam Salomon exſtruxerat, conſecrata fuit Deo; dataque fuit ad hujuſmodi initiationem benedictio Dei; ſicut rurſus Dominus minatur maledictionem tranſgreſſoribus Legis, ut *domos novas exſtruant, & illas minimè inhabitent.* Sic igitur & David, cùm in Jeruſalem novam ædificaſſet domum, ſicut 2 Sam. 5. legitur, putatur illam eum laudibus Dei & hujus Pſalmi decantatione primùm inhabitaſſe. Tametſi principale argumentum hujus Pſalmi eſſe videatur gratiarum actio pro recuperata poſt infirmitatem ſanitate, quemadmodum primi tres verſus teſtantur.

5. *Momentanea eſt ira ejus*] *Iram* vocat adverſitatem & infirmitatem, quæ à Deo ceu irato immitti videntur, cùm tamen interim voluntas ejus ſit ut ipſâ infirmitate caſtigati perpetuò vivamus. Sic cùm veſpere turbatio accidit, ſubitò evaneſcit malum illud, ut manè rurſum affulgeat clementia Dei.

6. *Ego dixi in felicitate mea*] Cùm omnia, inquit, in Regni primordiis feliciter ſuccederent, & ego dixiſſem, *Jam confirmatus ſum in Regno, nec facilè amoveri poſſum*, ſubitò immiſit Dominus morbum, quo erectum animum humiliaret.

7. *Collocaſti fortitudinem ſuper montem meum*] h. e. Cùm me roboraſſes in Regno veluti fortiſſimum & immobilem montem, ſubitò *abſcondiſti faciem tuam*, *& factus ſum conturbatus*, gravi percuſſus infirmitate, & tunc *clamavi ad te*, *Quæ utilitas in ſanguine meo*, *ſi deſcendero in ſepulcrum?* &c.

11. *Solviſti ſaccum meum*] h. e. Dediſti ſanitatem & lætitiam, ut ſaccum & lugubrem veſtem, qualem mœrore confecti portare ſolent, abjicerem.

VATABLUS.

1. P*Salmus cantici* מזמור שיר] Quidam dicunt *Pſalmum* eſſe ſonum organi ceſſante voce humanâ: *Canticum* verò, cùm hâc fit modulatio ſine concinente organo; *Canticum Pſalmi*, cùm vox humana concentum ſequitur organi; *Pſalmum Cantici*, ubi contra. Hebræorum Doctores differentiæ hujus rationem ſe ignorare ingenuè agnoſcunt. ¶ *Exaltaſti me* דליתני] *Extuliſti me*, ſub. *è profundo*; i.e. eripuiſti è profunda morte. Metaphora à fovea. Alii, *attriviſti me.* ¶ *Nec lætificaſti*, &c. ולא שמחת איבי לי] *Nec exhilaraſti inimicos meos de me*: aut, *propter me.* Vel, *nec feciſti ut de me gauderent hoſtes mei.*

2. *Clamavi* שועתי] *Vociferatus ſum.*

3. *Aſcendere feciſti*, העלית] *Eduxiſti*, *revocaſti*, *exaltaſti.* ¶ *Animam meam* נפשי] Hebraïſmus frequens, *Anima mea* loco pronominis *ego*, aut *me.* ¶ *Vivificaſti me*, &c. חייתני מיורדי בור] Ad verb. *Vivificaſti me à deſcendendo me in foveam.* Hebraïſmus eſt, pro, *vitam mihi reſtituiſti nè deſcenderem in foveam*; ſive *ſepulcrum:* h.e. nè morerer.

4. *Miſericordes ejus* חסידיו] i.e. Qui experti eſtis miſericordiam ejus, ſive bonitatem. ¶ *Et confitemini memoriæ* הודו לזכר קדשו] *Et celebrate memoriam ſanctitatis ejus*: i. e. celebre reddite nomen ſanctum ejus.

5. *Vita in voluntate ejus* חיים ברצונו] Sub. *in*: ſic, *in vita in benevolentia ſua*; vel, *in beneplacito ſuo.* Hebraïſmus, pro, *tempore vitæ longiſſima eſt in beneplacito ſuo.* q. d. Momentanea eſt illius ira, h. e. breviſſimo tempore affligit: amor verò quo nos proſequitur per omnem vitam durat. ¶ *Veſperi pernoctabit*, &c. בערב ילין בכי ולבקר רנה] *In ipſa veſpera manebit* aliquis *in fletu: at in ipſo manè exſultatio*, ſub. *aderit.* Alii, *ad veſperam aderit fletus*, *manè autem ovatio.* Vel, *ad veſperam accedat fletus* licèt, *ſub auroram tamen lætitia*, ſub. *redit*: q.d. Si fortè ſub veſperum accedat flebile quiddam, illud in ipſa aurora in gaudium commutabitur.

6. *Dixi in felicitate mea*, &c. אמרתי בשלוי בל אמוט לעולם] *Dicebam in tranquillitate mea*, *Non movebor in ſempiternum.* Vel, *Cogitabam dum proſperè me habebam*, *Non nutabo unquam:* i.e. cùm confirmatum eſſet Regnum meum, cùm omnia mihi ſuccederent ex animi ſententia.

7. *Stare feciſti in monte meo fortitudinem* העמדתה להררי עז] *Stabiliviſti monti meo virtutem.* Vel, *ſtare feceras montem meum in fortitudine*: i.e. dignitatem meam regiam in robore ſtabiliveras. Per parentheſim legendum, & ſubaudiendum *enim*, ſic, *Non nutabo* (*Tu* enim, *Jehova*, *in benevolentia tua collocaveras robur monti meo*) protinus ut *abſcondiſti*, &c. ¶ *Abſcondiſti* הסתרת] Sub. *ſtatim*, ſic, *ſtatim ut abſcondiſti*, vel *avertiſti.* ¶ *Territus* נבהל] *Conturbatus*, *conſternatus.*

8. *Clamavi* אקרא] Futura Heb. pro præt. ¶ *Dominum oravi* אדני] Mutatio perſonæ, pro, *ad te.* Alii, *& Dominum meum deprecatus ſum.*

9. *In ſanguine meo* בדמי] *Sanguinem* pro *vita* poſuit. q. d. *Quid mihi profuerit vixiſſe, ſi nunc moriar?* ſub. *antè quàm veram religionem inſtauravero in Iſraële, debellatis hoſtibus meis?* Quidam vertunt, *Quodnam emolumentum in ſanguine meo, cùm deſcendam ad foveam?* ¶ *Numquid confitebitur tibi pulvis* היודך עפר] *Num celebrabit te pulvis?* i. e. homo in pulverem redactus. Chald. *Numquid poſſunt te laudare habitantes in pulvere?*

10. *Audi*, *Jehova* שמע יהוה] Hebræi ſubaudiunt, *Propterea dixi*, ſic, *Idcirco dixi*, *Audi*, *Jehova*, *reſtitue mihi valetudinem.*

11. *In chorum* למחול לי] *In tripudium mihi.* Quod ſequitur *mihi* vacat hoc loco. Subaudiendum autem aliquid, cujuſmodi, *Statim ut oravi:* ut poſteà ſequatur, *vertiſti*, &c. i. e. reſtituiſti mihi valetudinem. ¶ *Solviſti ſaccum* פתחת שקי] *Diſſolviſti ſaccum meum*; vel, *diſcinxiſti ſaccum*, aut, *exuiſti me ſacco.* Sacci diſſolutione remotionem luctûs ſignificat. Phraſis eſt Hebraïca.

12. *Canet tibi gloria* mea יזמרך כבוד] *Gloriam* vocat linguam, vel animam. Alii vertunt, *canet tibi* quiſque *gloriam.* Alii, *pſallet tibi decus.* Chald. *laudabunt te honorabiles mundi.*

CASTALIO.

7. M*Eum montem in tuto collocaveras*] Me in tuto monte.

CLARIUS.

SCribunt Hebræi Pſalmum hunc à David eſſe conſcriptum pro dedicatione Templi, alii primi Templi exſtructi per Salomonem, alii ſecundi ædificati per reduces è Babylone, alii exſtruendi per Meſſiam, quem exſpectant: Verùm ipſa verba apertè indicant odam eſſe quâ David gratias agere Domino voluit pro reſtituta valetudine. Quòd autem inſcriptio *dedicationis domûs* meminit, videtur hunc Pſalmum in dedicatione domûs ejus primùm fuiſſe cantatum. Fieri enim poteſt ut hoc ipſo tempore ex aliquo gravi morbo convaluerit. Neque mirum eſt dedicationem domûs ſolenni hymno fuiſſe celebratam. Nam inter mala quæ Deus in Lege contemptoribus ſuis minatus eſt; & hoc numeratur *domum exſtruere quam alius inhabitet*, Deut. 28. Erat verò hoc tam infauſtum, ut Dominus juſſerit, imminente bello *renunciari per Tribunos*, *ut ſiquis in populo ædificaſſet novam domum quam nondum initiaſſet*, *ab exercitu reverteretur*, *maneretque domi ſuæ*, *nè fortè in bello caderet*, *& alius domum illius dedicaret.*

5. *Ira in indignatione ejus*] Momentanea eſt, inquit, ira ejus, h. e. afflictio quæ à Deo ceu irato immitti videtur, cùm tamen interim voluntas ejus ſit ut ipſâ afflictione caſtigati perpetuò vivamus. Sic ſi fortè ſub veſperam accidit flebile quicquam, illud in ipſa aurora commutabitur in gaudium. Inſignem profectò ſignificationem paternæ erga nos charitatis, qui nunquam niſi neceſſariò & noſtræ duntaxat ſalutis cauſâ ſeverè nobiſcum agat, atque in ipſa ſeveritate quàm minimùm poteſt immoretur, nihilque longius ei videatur quàm ut finitâ caſtigatione benignitatem rurſum ſibi propriam exerceat.

6. *Ego autem dixi*] Cùm omnia, inquit, in Regni primordiis feliciter ſuccederent, & mecum ipſe dicerem, *Jam confirmatus ſum in Regno*, *non facilè amoveri poſſum*, ſubitò immiſit Dominus morbum, quo erectum animum humiliaret.

7. *Præſtitiſti monti meo virtutem*] Cùm me roboraſſes in Regno veluti fortiſſimum & immobilem montem, ſubitò *abſcondiſti faciem tuam*, *& factus ſum conturbatus*, gravi percuſſus morbo: & tunc *clamavi ad te*, *Quæ utilitas*, *ſi mihi vita eripiatur*, *& ſi deſcendero in ſepulcrum? Numquid laudabit te homo converſus in pulverem*, *aut prædicabit veritatem*, i. e. conſtantiam & ſtabilitatem *tuam* in promiſſis? Per id quod ait, *Quæ utilitas in ſanguine meo*, i. e. ereptâ vitâ, ſignificatur, virum ſanctum in gloriam tantùm Dei vivere optaſſe, quam gloriam cœperat illuſtrare: quod opus eo mortuo fuiſſet interceptum.

11. *Conſcidiſti ſaccum meum*] h. e. Dediſti ſanitatem & lætitiam, ut ſaccum & lugubrem veſtem, qualem mœrore confecti portare ſolent, abjicerem: per *exuitionem* ergò & *conſciſſionem ſacci* luctûs remotionem Synecdochicè intellexit.

12. *Gloria mea*] h. e. Lingua. Nam decus præcipuum eſt Hominis facultas loquendi. Alii animam intelligunt, quæ *decus & pars optima noſtri eſt.* In Hebræo non eſt *mea*, ſed tantùm *ut cantet tibi gloria*; idcirco quidam interpretatus eſt, *ut unuſquiſque canat tibi gloriam.*

DRUSIUS.

1. דִּלִּיתָנִי. A. ἀνεβίβασάς με, *aſcendere feciſti me.*

3. חִיִּיתַנִי. Sym. ἀνεζώωσάς με, *vivificaſti me.*

4. לְזֵכֶר קָדְשׁוֹ. Sym. ἀναμιμνήσκοντες τὸν ἁγιασμὸν, *reminiſcentes ſanctimoniam.* Aq. τῷ μνημοσύνῳ. --- Eſt autem μνημόσυνον, *monumentum memoriale.*

5. כִּי רֶגַע בְּאַפּוֹ. V. ed. ὅτι συντέλεια ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ, *quia conſummatio in ira ejus.* ¶ רֶגַע. A. ὁ ἀθροισμὸς, *coacervatio.*

6. בְשַׁלְוִי. Sym. ἐν τῇ ἠρεμίᾳ--- *in quiete.*---

7. יְהוָה בִּרְצוֹנְךָ וגו׳. Sym. *Domine*, *in bona voluntate tua primo meo parenti fortitudinem ſtatuiſti*] Ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου. Sed in ed. Rom. ἐν τῇ διαλλαγῇ, *in reconciliatione tua.* Vide ſequentia; nam varia lectio. *Primo meo parenti*, להררי *genitori meo.* Symmachi verba Græca exſtant in R. ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου ἔστησας τῷ προπάτορί μου κράτος. ¶ לְהַרְרִי. A. & V. ed. τῷ ὄρει, *monti.* ¶ הִסְתַּרְתָּ פָנֶיךָ. A. ἀπέκρυψας τὸ πρόσωπόν σου, *abſcondiſti faciem tuam.*

12. לְמַעַן יְזַמֶּרְךָ כָבוֹד וְלֹא יִדֹּם. Sym. ἵνα ᾄδῃ σε δόξα, καὶ μὴ παρασιωπήσῃ, *ut cantet te gloria, & ne conticeſcat.*

AMAMA.

Quidam putant ſcriptum hunc Pſalmum eo tempore, quo David domum ſuam per inceſtos concubitus Abſolonis profanatam denuò dedicavit ſeu initiavit.

Alii hoc accipiunt de initiatione novæ domus ſuæ Cedrinæ, quam ædificaſſe legitur 2 Reg. 3. Mos autem hic colligitur ex Deut. 20. 5. *Si quis ſit qui ædificavit domum, & non* חֲנָכוֹ *eat domum* &c.

Alii Domus Dei, i. e. Templi, quod ſciebat ædificatum iri à filio ſuo Salomone. Et tunc דוד ad מזמור refer. ut Trem. & Jun. obſervarunt.

Canticum ore ſine inſtrumento proferebatur, Canticum Pſalmi ore & inſtrumento, ita tamen ut inſtrumentum inchoaret, vox ſuccineret. Pſalmum Cantici contra.

1. חנך] *Initiavit, imbuit.* De homine, *docere cæpit, informavit, inſtituit,* paulatim; de domo, *conſecravit,* חנך κατήχησις, חָנִיךְ κατηχήμενος חֲנֻכָּה *initiatio,* Lxx. ἐγκαινισμός. Et feſtum illud ἐγκαίνια.

Initiationes Templi IV.

I. Salomonis in Autumno. 1. Reg. 8.

II. Zorobabelis & Jeſu in Vere. 1. Ezr. 6.

III. Judæ Machabæi, qui altare quinquennio ante ab Antiocho Epiphane pollutum reſtauravit, & initiavit menſe nono. 1. Mach. 4. Cujus memoria etiam Chriſti tempore ſingulis annis ſervata. Joh. 10. 2. Facta ſunt ἐγκαίνια Jeroſ. & hyems erat.

IV. Ab Herode anno 7. ante Chriſtum.

2. דִּלִּיתַנִי] *Hauſit aquam.* Metaph. *Evexit,* דְּלִי *Situla,* & in Zodiaco *Aquarius.* Hinc nomen יָרֶד qui duo in Script. filius Caini, & Jaredi 7. ab Adam.

3. *Animam meam*] i. e. Me. Synechd. membri. Me, i. e. Corpus meum, Syn. integri Sic Act. 2. *Sed non opus eſt eò deſcendere.* Prov.... *Vir pius benefacit animæ ſuæ,* i. e. ſibi. *Deus jurat per animam ſuam,* i. e. ſe.

4. שְׁאוֹל] i. e. *Sepulchro,* hoc loco. Jam alterum pedem in ſepulchro habebam. שאול *Loca ſubterranea tantum.* Sic Merc. ad Gen. 37. ſed contradicit ſibi. Eccleſ. 9. 10. שאול *pro ſtatu alterius ſæculi ponitur qualis qualis ille ſit, unde etiam de piis dicitur* Gen. 44. 29. Neſcio quid ei in mentem venerit, locus is eſt, ſi accidat ei (Benjamino) mors, deſcendere facietis canos meos in malo שאולה. Cur non de ſepulchro? ſi de ſtatu animæ, quod fiet τῷ *deſcendere.* Concludo שאול Katonia, loca ſubterranea. Apud Poëtas & profanos Ἅδης pro Campis Elyſiis, ſed cauſa nota eſt.

מִיָּרְדִי בוֹר] Ἀπὸ τῶν καταβαινόντων εἰς λάκκον. Interpr. Lxx. confundunt λάκκος & Lacum. Λάκκος eſt Ciſterna, בור, Lacus. Sic ſcript. Legitur יָרְדִי à deſcendendo, i. e. ne deſcendam. Sed præfero ſcripturam. Similis enim locutio & conſtructio eſt Pſ. 28. 1. 2. Sic habent Lxx. 3. Si eſſet Infin. dictum potius fuiſſet מִרֶדֶת. Et hoc ſæpe eligunt Heidelbergenſes.

5. חסידיו] חֶסֶד *Benignitas, pietas,* חָסִיד *beneficus.* Jun. *Quos benignè accipit.* Lxx. ὅσιος, חָסִיד Thalm. חסי ὅσιος. Hinc 1 Mach. 14. 6. Qui ex Judæis dicuntur Ἀσιδαῖοι, non à cultus divini aſſiduitate, ut D. Thomas. Hinc חֲסִידָה Pietati cultrix, Ciconia, Arbitro Petronio.

לְזֵכֶר] *Ad memoriam.* Piſc. *Cum memoria.* Gen. 46. 25. *Illi ſunt filii quos peperit Bilha* לְיַעֲקֹב Lxx. Jon. *cum Jacob.*

6. רֶגַע] Lxx. Ὀργή. *Ira furor brevis eſt.* Videntur legiſſe רגז cum indignatur, iraſcitur, i. e. citò tranſit ira. Eſt autem Hypallage, pro *Ira ejus in momento,* ſub. durat, i. e. momento. Sic poſtea, *Benevolentia ejus durat* חַיִּים *vitâ,* i. e. longo tempore. At poſterius hemiſt. Alii aliter.

Vita in benevolentia ejus] Vita, i. e. felicitas, ſecuritas à malis, lætitia; ut Mors, Res adverſas, infortunia. Pſ. 68. *Vivat cor veſtrum.* Gen. 44. *Et vixit Sp. Jacobi,* i. e. Regum & mortuum eſt cor ejus. Vel *Vita,* i. e. Vita longa; ſic Lana pro lana alba, Uxor pro uxor bona. Vel per Hyp. עבר durat ſc. per vitam, i. e. diu; ut Ætatem vivere, i. e. diu; Ætatem exſpecto.

יָלִין] Sub. אִם *ſi.* Referunt בכי & רנה ad ילין ſed ſub. Ab. ילין & בכי pro בככי in fletu, & רִנָּה pro ברנה accipit.

ערב *Mixtus fuit*] עֵרֶב *Mixtura,* Vulg. *Promiſcuum.* 2. Miſtio dici cum tenebris, i. e. Veſpera. Per Syn. *Noctem.* Gen. 1. Dual. עַרְבַּיִם Exod. 12. 6. Vide ad Pſ. 59.

7. בְשַׁלְוִי] Quidam à שְׁלוּ, alii à שָׁלָה pro שלותי ut מִשְׁתִּי, צמים, à שלה *tranquillare & tranquillum eſſe.* Hinc שִׁלְיָה *ſecundina,* in qua Embryo ſecurè jacet & vivit. שִׁלְיָתָהּ. Hinc eſt שילה Gen. 49. In duobus conveniunt, 1. Intelligi Meſſiam, unde & Tharg. Jeroſ. *Rex Meſſias,* & Onc. *Meſſias cujus eſt regnum.* 2. Eſſe à שלה At de interpretatione variant.

I. Sunt qui acceperunt pro שֶׁלּוֹ *cujus, cui;* & ſic accepiſſe videtur uterque Paraphraſtes, ſupp. *Meſſias,* דְּדִילֵיהּ *cujus,* ſub. eſt Regnum; & Lxx. (τὰ ἀποκείμενα) αὐτῷ *repoſita ei.* Euſ. ᾧ ἀπόκειται, ſcil. Regnum.

II. Hieron. *Qui mittendus eſt* שָׁלוּחַ.

III. R. David, *Filius ejus,* שיל pro *vilja, ſecundina,* & Synecdoch. Filius, ה potro pro ו, ut עִירֹה. Hanc ſecuti viri docti multi, niſi quod quidam iterum diſputaverint quò referendum affixum, Gal. Porch. & ad Virginem Mariam retulerunt; Malè: nam ו eſt Maſc. affixum.

IV. Ut ſit forma nominis abſol. formæ קִיטוֹר, קִימוֹשׁ *Urtica.* Et ſignif. *Fortunatum, Pacificum, Auguſtum,* cui omnia bene ſucceſſerunt contra hoſtes. Vel *Tranquillatorem, pacis & felicitatis authorem.* Chriſtus enim eſt ille Silo, qui non ſolum lacus Genez. fluctus compeſcuit, ſed etiam dubitationum de gratia Dei fluctus, æſtu iræ Dei in cordibus noſtris excitatos, tranquillat, qui Legi nos accuſanti, Diabolo nos damnanti, potenti verbo ἐφίμωσε, i. e. ſilentium imperat, & diſcuſſis ventorum turbinibus & tentationum nubibus, rurſus cœleſtis favoris ſereno aſpectu nos exhilarat.

Silo & Salvator ad amuſſim conveniunt.

Servare minus eſt quam Salvare. Servat (teſte Manutio) qui ne ſalus amittatur, aliqua ratione præſtat. Salutem dat, qui amiſſam reſtituit. Qui autem ſalutem dat, is ſalvare dicitur. Cic. Or. 2. contra Verrem. Itaque cum non ſolum Patronum iſtius inſulæ, ſed etiam σωτῆρα inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? Ita magnum, ut Latino vocabulo uno exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter qui ſalutem dedit.

Moveri] In SS. in pericula, & calamitates incidere. Sic moveri pedem alicujus, & date pedem alicujus in motum. Pſ. 21. Et totalem Apoſtaſiam. Pſ. 55. *Non dabit in æternum motum juſto.*

לְעוֹלָם] *Unquam.* Joh. 8. 51. 52. Marc. 3. Joh. 13. Aliq. *ſemper.* Pſ. 9. Joh. 8. 35.

8. בְּהַרְרִי] i. e. בהדרי. Pſ. 16. לשאול pro יש Oſtendit vanitatem ſuperioris dicti.

לְהַרְרִי] Lxx. τῷ κάλλει μȣ. Vulg. *Decori meo.* לְהַרְרִי *in Monte,* i. e. Regno meo, vel Tſijon, ubi Arx ejus & regia, & ibi Arcæ tetenderat Tabernaculum. 1 Par. 16.

9. *In ſanguine meo*] Quidam *in vita, anima mea, ſi eam mihi ademeris.* Anima aliquando vocatur *ſanguis,* & ſanguis *anima.* Gen. 9. junguntur, *Tantum carnem cum* anima ejus, דמו *ſanguine ejus ne comedatis.* Levit. 17. ratio datur, quia anima carnis in ſanguine: nempe per virtutem & operationem. Anima enim ſine ſanguine impos eſt actionum vitalium, ut ſanguis ſit quaſi vehiculum, retinaculum & gluten animæ. Animam autem tantum eſſe ſanguinem Ethnicorum eſt, & ex iis Empedoclis, Cic. 1. Tuſc. *Empedocles cenſet animam eſſe ſanguinem cordi circumfuſum.* Ejus verſus in Etymologico citatur,

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐςι νόημα.

Hinc & Virg. ſanguinem vocat animam purpuream,

Purpuream vomit ille animam.

Alii *Sanguine,* i. e pro effuſione ſanguinis, morte, quid tibi proderit ſi permittas me necari ab hoſtibus.

10. שַׁחַת] A שוח Chald. בי קבורתא *Domus ſep.* Lxx. διαφθορὰν, q. à שחת corrup.

12. מִסְפְּדִי] A ספד *planxit,* & pectus percuſſit, quod ſolebant Judæi in luctu. Sic & apud profanos ille geſtus fuit dolentium, Iliad. 6. Ancillæ Achillis, audito nuncio de Patrocli nece, currunt ad Ach.

Χερσὶ δὲ πᾶσαι

Στήθεα πεπλήγοντο.

Virg.

Unguibus ora ſoror fœdans, nunc pectora pugnis.

Apul. lib. 9. *Mæſtaque crines pendulos quatiens & interdum pugnis obtundens ubera.* Sic Jeſ. 32. 14. *Super ubera κόπτεσθε, percutite.* Solebant præterea veſtem ſuperſcindere, ſedere in pulvere, induere ſaccum, conſpergere caput pulvere, &c. Solebant in funebribus lugubres cantus (Nugas) canere, aut conducere ad plangendum alios qui סופדים & מְקוֹנְנִים dicuntur. Am. 5. *In omnibus plateis* מִסְפֵּד *& in omnibus plateis dicunt ho, ho, & vocabunt agricolam ad luctum &* מִסְפֵּד *planctum ad ſcientes lamentum,* i. e. ſcientes lamentum ad planctum; Scientes lamentum, i. e. præficos, vel præficas. Extat vox סופדים hoc ſignif. Eccleſ. 12. 5. *Antequam homo vadat ad domum ſeculi ſui & circumeant lugentes (SOPHEDIM) in platea.* Math. 9. 23. In domo præfecti, cujus filiam reſuſcitabat Chriſtus, erant αὐλητὰς, Tibicinos, i. e. μόναυλοι, θρηνωδοί, Hom. vocat,

cat, in deſcript. funeris Hectorei, θρήνων ἐξάρχυς, Latini Siticines & Siccinistas, à Siccinio genere veteris ſaltationis: Saltabundi enim canebant in Funeribus Romanorum. Vide ad cap. 12. Eccleſ.

חלל] *Perforavit.* חָלִיל *Tibia.* Hinc verbum aliq. ſign. ſaltare ad tibiam, χορεύειν, unde χορεία. Hinc מחול *Chorea.*

חול] Πολύσημον, *Cruciatus fuit*, *doluit*, & ſpec. in partu, *peperit*, *ſperavit*, *exſpectavit*, *manſit*, & *ſaltavit*, *Inſis tibiis*, *Choreas duxit.* Hinc מְחוֹל מְחוֹלוֹת. Si eſſet à חלל, eſſet חֲלִילוֹת in plur. ut עִזִּים à עֵז.

Aperuiſti] פתח Variè uſurpatur, 1. De oculis, auribus, & naribus. 2. De gladio, & ſignif. *evaginare.* 3. De rebus vinctis & ligatis, & tunc ſignif. *ſolvere*, ut hoc loco. 4. De terra, quando aratur. 5. De janua, porta. 6. De flore, &c. 7. De Matrice, & ſign. *fœcundam reddere*, Gen. 30. *Et aperuit Deus Racheli vulvam*, Tharg. *& dedit ei conceptum.*

Ad ſummam, dicitur vel de Clauſis, vel de Ligatis.

Clauſis) aperuit;

Ligatis) ſolvit.

Tharg. Jeroſ. ad Gen. 30. *Quatuor claves habet Deus, quas non dedit Angelo aut Serapho.*

I. Clavis Pluviæ. Deut. 28. *Aperiet tibi Dominus theſaurum bonum, Cœlos, ut dent tibi pluviam in tempore ſuo.*

II. Clavis Cibationis. Pſ. 145. *Aperis manum tuam*, &c.

III. Clavis Sepulchrorum. Ezech. 23. *Cum aperuero ſepulchra veſtra.*

IV. Clavis Sterilitatis. Gen 30. Vide.

שק] Ebræi ajunt textum fuiſſe ex pilis hircorum & caprarum. Uſus ejus in frumentis tranſvehendis. 2. In luctu, pœnitentia, induebant & accingebant loco interulæ. Gen. 33. *Jacob lacerabat veſtes ſuas, & ponebat ſaccum in lumbis ſuis.* Eſ. 5. *Induam cœlos nigredine, & ſaccum ponam indumentum ejus.* Metaph. Math. 11. 21. ἐν σακκῷ καὶ σποδῷ, *in ſacco & cinere.* Amos 8. 10. *Aſcendere faciam ſupra omnes lumbos ſaccum.* Belg. *Over alle lenden.*

GROTIUS.

IN *dedicatione domûs David*] Id eſt, cùm David domum ſuam ab Abſalomo fœdatam repurgavit.

8. *Præſtitiſti decori meo virtutem*] Ex Græco, παρέσχες τῷ κάλλει μȣ δύναμιν. Apparet legiſſe eos non להררי, id eſt, *in monte meo*, ſed להדרי à הדר vel הדרה, quod eſt *dominari.* *Regno meo vires addidiſti.* Nec aliter Syrus & Arabs.

PRICÆUS.

8. EXſultabo, *& lætabor in miſericordia tua*] Anima mea (ut 34. 9.) in te exſultabit, & ſuper ſalutari tuo delectabitur.

Ibid. *Reſpexiſti humilitatem meam*] i. e Humilem & abjectam conditionem meam. Sic Luc. 1. 48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: ad quem locum quæ diximus vide. Confer & Pſal. 101. 18.

10. *Conturbatus eſt in ira oculus meus*] Suprà 6. 8.

11. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*, &c.] Suprà 21. 16. infrà 108. 23. 24.

16. *In manibus tuis ſortes meæ*] Tale & Sapient. 7. 6. illud, *In manu illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia*, &c. Cæterum non, κλῆροί μȣ, ſed καιροί μȣ, Apollinaris, nonnullique alii legerunt: q. d. Pſalmiſta, (ut verba Act. 1. 7. huc traham) Οὐκ ἐμȣ̃ ἐςι γνῶναι καιρὺς ὓς ἐν τῇ σῇ ἐξȣσίᾳ σὺ ἔθηκας. Καιρὸς nempe ab iſta humilitate erigendi me. Petrus 1. 5. 5. Ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τȣ̃ θεȣ̃, ἵνα ἐν καιρῷ ὑμᾶς ὑψώσῃ. Juditha 8. 13. de Deo loquens, *Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini? & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei?*

19. *Et deducantur in infernum*] Humilientur, valde affligantur. Apulejus 3. *Capite ad terram, imò ad ipſos inferos jam dejectio.*

Ibid. *Qui loquuntur adverſùs juſtum iniquitatem in ſuperbia & abuſione*] In Gr. ἐν ὑπερηφανίᾳ καὶ ἐξȣδενώσει· i. e. contemptu: ut ſit quod ferè Luc. 18. ἑαυτȣ̀ς δικαίȣς καὶ τȣ̀ς ἄλλȣς ἐξȣθενεῖν.

20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!*] Similia illa ab Apoſtolo 1 Cor. 2. 9. ex Eliæ, ut putant Viri ſummi, apocryphis citata, Ἃ ὀφθαλμὸς ȣ̓κ οἶδε, καὶ ȣ̓̃ς ȣ̓κ ἤκȣσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων ȣ̓κ ἀνέβη ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

25. *Confortetur cor veſtrum*] Hoc ſpectat ad præcedentia, *retribuet Deus abundanter ſuperbiam facientibus*: q. d. videbitis, ſi exſpectare poteritis. Infrà 90. 8. *Oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.*

IDEM.

4 ET *enutries me*] *Super aquam* (ut 22. 2.) *refectionis educabis me:* ubi Græci ἐκθρέψαι, ut hoc loco διαθρέψαι.

10. *Conturbatus eſt in ira oculus meus*] *Caligavit ab indignatione oculus meus*, Job. 17. 7.

Ibid. *Et venter meus*] Id eſt, viſcera mea. Ità Pſal. 43. 25. Cantic. 5. 5. Thren. Jer. 1. 20. Habac. 3. 16. Sirach. 51. 29. & ſæpe alibi.

11. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*] *Vidi* (ut Jerem. 20. 18.) *laborem & dolorem: conſumuntur in confuſione dies mei.* Adde Pſal. 101. com. 4. 5. & 12.

13. *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde*] De mortuis 9. 5. Eccleſiaſtes, *Oblivioni tradita eſt memoria eorum.* Vide & 2. 4. Sapient. Miſerorum (talis tunc Pſalmiſta) non plus quàm mortuorum memoriam durare, dixit & Plinius in Epiſtolis. *A corde* fortè eſt, penitus, omnino. δὶς ἀποθανόντα, ἐκριζωθεῖς· ut com. 12. in Epiſtola Judæ.

14. *Factus ſum tanquam vas perditum*] Ut infrà 118. 83. *Factus ſum ſicut uter in pruina.* *Tanquam vas perditum*, eſt (ut ſuprà 21. 7.) *opprobrium & abjectio plebis*; confracta enim vaſa ſolent abjici. Arrianus 2. 4. in Epictetum, Σκευάριον εἰ ἦν ȣ̓́τω σαπρὸν, ὥςε σε πρὸς μηδὲν δύνασθαι χρῆσθαι, ἔξω ἂν ἐπὶ τὰς κοπρίας ἐῤῥίπτȣ. Ὡς σκεῦος ἄχρηςον ἐκβάλλειν, eſt & Ejuſdem 3. 24. *Vas perditum* hic intelligo non amiſſum, ſed confractum: nec malè interpretatio quadrabit, ejuſmodi enim perinde haberi ſolent quaſi penitus amiſſa. Servius ad Æneid. 2. *Vas quaſſum, quod humorem in ſe non continet, & eſt vacuum.* Jeremias 2. 22. *contritum* dixit, quo ex loco, & Baruchi 6. 15. apparet locutionem iſtam proverbialem fuiſſe.

Ibid. *Quoniam audivi vituperationem multorum*, &c. Ità vertit quod in Græco ψόγον· nec aliter in Gloſſario, ubi ψόγος, *vituperatio:* & in vetere laudatiſſimo Onomaſtico, ubi *vituperium*, ψόγος. In Pſalmo intellexerim vituperationem deriſioni mixtam.

16. *In manibus tuis ſortes meæ*] Proverb. 16. 33. *Sortes in ſinum mittuntur, ſed à Domino temperantur.* In Pſalmo metonymicè *ſortes* intellige quemvis ſtatum obventurum ei. Jeremias eodem ſenſu, *Ego ecce in manibus veſtris ſum*, 26. 14. Vide quæ alibi ad hunc locum annotavimus.

17. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum: ſalvum me fac*] Id eſt, ut ſalvus fiam. Infrà 79. 20. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*

19. *Muta fiant labia doloſa*] Pſal. 62. 12. *Obſtructum eſt os iniqua loquentium.* Et 106. 42. *Iniquitas omnis* (i. e. iniqui omnes) *oppilabit os ſuum.*

21. *Abſcondis eos in abſcondito faciei tuæ*] Id eſt, in abſcondito tuo: ut ſtatim, *à facie oculorum tuorum*, pro, *ab oculis tuis.*

22. *In civitate munita*] Sic 59. 11. & 107. 11.

23. *Dixi in exceſſu mentis meæ, Projectus ſum à facie oculorum tuorum.*]

—— *Mea lingua locuta eſt*
Neſcio quid titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis & odio languoris iniqui.

Tale Jobi illud, & ad Deum, 21. *Mutatus es mihi in crudelem*, &c. *Scio quia morti trades me*, &c. & apud Eſaiam 38. 10. Ezechiæ, *Ego dixi* (nempe in pavore, vel exceſſu mentis) *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, &c. *non videbo Dominum Deum in terra viventium.*

PSALM. XXXI.

MUNSTERUS.

2. IN *petram fortitudinis*] Sic plerumque vocat Hebraiſmus arces & fortia ædificia quæ ſuper montes & petras contra hoſtium inſultus exſtruuntur. Patet proinde ex v. 4. quòd David hunc Pſalmum compoſuerit cùm ab exercitu Saulis in deſerto Maon in modum coronæ cingeretur, & deſperatus fruſtrà fugere conaretur. Hiſtoria ipſa ſcribitur 1 Sam. 23.

5. *In manum tuam commendo ſpiritum meum*] Cùm Chriſtus in cruce hunc uſurparit verſiculum, conſtat David in pleriſque typum fuiſſe Chriſti, ſicut & ſuprà Pſal. 22. diximus.

10. *Propter iniquitatem meam*] Sunt qui hîc עון pro *pœna* accipiendum putant; ut ſit ſenſus, Tot patior miſerias & calamitates ut omnis virtus mea corruerit.

15. *Sunt tempora mea*] h. e. Quantumlibèt ſæviant contra me hoſtes mei, & circumquaque immineant pericula, quorum metus etiam animam extorquere poſſit, adhuc tamen conſolatur id me, quòd in manu tua ſunt tempora mea & ævum vitæ meæ, & non in manu hoſtium.

19. *Coram filiis hominum*] h.e. In manifeſto fidelibus tuis bonitatem tuam oſtendis, *& abſcondis eos in abſcondito faciei tuæ*, quod alibi vocat *umbram alarum*.

21. *Segregavit mihi pietatem ſuam*] q. d. Pietate ſuâ mirabiliter me defendit ab hoſtibus meis, ut etiam cùm in medio eſſem hoſtium tutior eſſem quàm ſi fuiſſem *in civitate munita. Et cùm fugere feſtinarem*, putans Dominum *à me ſuos avertiſſe oculos*, en ille *clamorem* cordis *mei exaudivit*, & fuit mihi liberator & adjutor.

VATABLUS.

1. V*Incemi* למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Speravi* חסיתי] Vel per præſens, *ſpero*. ¶ *Nè pudore afficiar in ſeculum* אל אבושה לעולם] *Nè unquam ſinas me pudefieri*; ſi ſcilicet non exaudieris me: q.d. Nè patiar repulſam.

2. *Fortis* מעוז] Hebræi carent adjectivis, propterea dicunt, *Petra fortitudinis*, *domus munitionum*, vel *munimentorum*, pro, *petra* ſive *rupe forti*, & *domo munita*. *Domus* pro quovis *loco* uſurpatur Hebræis.

3. *Et propter* ולמען] Hoc loco ו ponitur pro *ideo*, ſive *idcirco*, ſic, *ideopropter*, &c. ¶ *Duc me* תנחני] Fut. Heb. pro imp.

5. *Commendo* אפקיד] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Redimes* פדיתה] *Redempturus es: liberaturus es*. Præt Heb. pro fut. Alii, *redemiſti* enim *me*, ſub. *aliàs cùm ad te clamavi*. ¶ *Veritatis* אמת] Subſtantivum in genitivo pro adjectivo, *verax & fidelis*.

6. *Vanitates fruſtrà* הבלי שוא] *Vanitates mendacii*, aut, *vanitatis*: i.e. Vanitates fallaces & vaniſſimas. Alii, *funes vanitatis*. Chald. *Odi obſervantes opera quæ præ ſe ferunt vanitatem & mendacium*.

7. Et *agnoviſti in*, &c. ידעת בצרות נפשי] *Et animum advertiſti ad tribulationem animæ meæ*.

8. *Stare feciſti* העמדת] *Statuiſti*: i. e. feciſti ut latè, intrepidè & liberè egrederer & ingrederer, liberans me à tam gravi obſidione.

9. *Computruit in ira* עששה בכעס] *Contabuit præ ira*; *corroſus eſt præ indignatione*: i.e. ſimilis factus eſt veſti à tineis corroſæ præ angore oculus meus, & vis illa animæ quæ appetit cibum, & ventriculi vis quæ cibum concoquit. Idem verbum quòd Pſal. 6. 8.

10. *Defecit* כלו] *Conſumpta eſt*. ¶ *Concidit* כשל] *Debilis reddita eſt: corruit*. ¶ *Computruerunt* עששו] Idem verbum quod v. 9.

11. *Omnibus hoſtibus meis fui opprobrium* מכל צררי הייתי חרפה ולשכני מאד] *Propter omnes hoſtes meos fui probro etiam vicinis meis quamplurimum*. Alii, *Præ cunctis hoſtibus meis fui*, &c. ¶ *Et pavor* ופחד] *Et terror*: *horror*.

12. *Factus ſum*, &c. הייתי ככלי אבד] *Similis fui fictili confracto*; vel, *quod perit*: i. e. habitus ſum ab hominibus ut vas confractum.

13. *Vituperationem* דבת] *Convitium*, *contumeliam*. ¶ *Circumquaque* מסביב] Sub. *fuit mihi*. Vel, *timor circumſtetit me*.

14. *Speravi* בטחתי] Vel ſunt præt. pro præſ. *ſpero*, *dico*.

15. *Tempora mea* עתתי] i. e. Tempus ævi mei, & vita mea.

17. *Invocavi te* קראתיך] Vel per præſens, *invoco te*. ¶ *Excidantur* ידמו] i. e. Poſtquam perierint, deferantur ad ſepulcrum. Alii, *ſileant in ſepulcro*: i.e. ſilentes efferantur ad ſepulcrum. Chald. *taceant*, *& deſcendant in infernum*.

18. *Dura* עתק] *Durum*, ſub. *verbum*, ſing. pro plur. i.e. verba atrocia. Alii, *rem ſuperbam*; ſive, *ſuperba*.

19. *Sepoſuiſti* צפנת] Ad verb. *abſcondiſti*: pro *ſepoſuiſti*, *recondiſti*. Alii, *Quàm copioſa eſt bonitas tua quam repoſuiſti*, &c. ¶ *Operatus es* פעלת] Hebraïſmus eſt, pro, *exhibuiſti*, vel *præparaſti*.

20. *Abſcondis eos* תסתירם] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Ab elationibus viri* מרכסי איש] *Ab arrogantiis virorum*: vel, *cujuſcunque*. ¶ *A contentione* מריב] *A rixa*: i. e. à Calumniis. Quidam, *à conjunctionibus*, i. e. conſpirationibus. Alii *à duritiis*, *& fortitudinibus*. Alii, *à perverſitatibus*.

21. *Benedictus Jehovah*, &c. ברוך יהוה כי הפליא] *Laudabilis eſt Jehovah*, *quia mirabilem fecit bonitatem ſuam*, &c. Hebraïſmus, pro *Omni laude dignus eſt Jehova qui miro quodam modo oſtendit miſericordiam ſuam in me, tutando me perinde ac ſi fuiſſem in urbe munitiſſima*.

22. *Dum feſtinarem* בחפזי] *In præcipitatione mea*: i. e. dum præceps fugerem Saulem. ¶ *Exciſus ſum*, &c. נגרזתי מנגד עיניך] *Projectus* (ſive *rejectus*) *ſum à conſpectu oculorum tuorum*. ¶ *Verum* אכן] *Propterea*.

23. *Miſericordes ejus* חסידיו] i. e. Quotquot ſenſiſtis miſericordiam ejus & bonitatem. ¶ *Propter ſuperbiam* על יתר] *Pro ſuperbia*: vel, *reſiduo*, ſub. *hominum*. Alii, *abundanter*.

24. *Roboramini* חזקו] *Viriliter agite*. *Fortes eſtote*.

CASTALIO.

15 C*Ujus in manu tempora ſunt mea*] Rerum ſtatus.

CLARIUS.

OMnia hujus Pſalmi ad illud tempus congruunt cùm urgeret Davidem Saul in deſerto Maon, jamque ſuo exercitu cinxiſſet.

1. *In juſtitia tua libera me*] h. e. Pro juſtitia tua: quia nimirum ſoles ex fide optima & quàm benigniſſimè agere cum iis qui tibi ſeſe crediderint.

2. *In petram fortitudinis*] Sic plerumque vocat Hebraïſmus arces & fortia ædificia quæ ſuper montes & petras contra hoſtium inſultus extruuntur.

5. *In manus tuas*] Cùm Chriſtus in cruce hunc uſurparit verſum, conſtat David in pleriſque typum fuiſſe Chriſti.

6. *Odi obſervantes vanitates*] Alii verterunt *vanitates ſuperſtitioſas*, vel *ſortes vanitatis*, ſive *vanas*. Ut ſit ſenſus, David, cum Deo innixus eſſet, curioſitatem ſortium eſſe aſpernatum, ad quem confugiunt interdum ii maximè qui in diſcrimine ſunt conſtituti: inde ſe impoſturis quibuslibet ac ſæpe pluſquàm anilibus ſtultiſſimè addicunt. Hinc augures, aſtrologi, ſomniorum Interpretationes, vaticinia, &c. de quibus præcipit Deus Deut. 18. & propter hæc gentes Chananæorum ſedibus ſuis ejecit atque delevit.

8. *Statuiſti in latitudine*] Accepta eſt ſimilitudo ab iis qui dilatant crura ut ſolidiùs ſtent. Sic in Proverbiis dicitur, *Cùm incedis, non ſint stricti greſſus tui*; & alibi David, *Dilataſti greſſus meos ſub me*.

9. *Conturbatus eſt in ira*] In moleſtia quæ ab hoſtium contra me indignatione proficiſcitur, & interdum ab ira Dei immittitur. Videtur & poſſe intelligi de indignatione ſua: nam quò magis animus malo quod premit indignatur, eò atrociùs vis doloris incrudeſcit. Jam multa erant quæ accendere David contra Saul & ejus aſſentatores poterant, qui crudeliter ipſum minimè meritum, atque adeò optimè potiùs de omnibus meritum, perſequebatur. ¶ *Anima mea*, *& venter meus*] *Animæ* nomine vim intelligit quâ vita conſtat animalis. Eam volunt habere ſedem ſuam in media corporis parte ſuper diaphragma, ubi natura cor pulmonesque collocavit; ubi Audacia, Metus, Fuga, Iracundia, Spes, Amor, Odium, Voluptas, Dolor ſtationem ſuam obtinent. *Ventris* nomine ſignificavit quæ ſunt infra diaphragma. Dum enim animus totus ad id quod urebat intenderetur, impediebatur concoctio, macies oriebatur, contrahebantur inteſtina, areſcebat cutis, denique umbræ ſimilior quàm viventi reddebatur. Quamvis autem has odas Pſaltes compoſuerit poſtea quàm pericula evaſit, ſolet tamen affectus ſuos quibus in periculis æſtuabat potiſſimùm referre.

10. *Infirmata eſt in paupertate*] Tot, inquit, patior miſerias & calamitates ut omnis virtus mea corruerit.

11. *Super omnes inimicos meos*] *Præ cunctis inimicis meis fui probro vicinis meis*, cùm ii tamen inimici eſſent ſceleratiſſimi. Alius ſic vertit, *Cunctis hoſtibus meis fui opprobrium*, *maximè autem vicinis meis*.

12. *Mortuus à corde*] Qui à corde viventium evanuit; nec ſperatur unquam priſtinæ vitæ reſtituendus.

13. *Audivi vituperationem multorum*] In his omnibus Servator Chriſtus, infra cunctos mortales abjectus, in David hæc patiente fuit adumbratus: neque minùs de ipſo quàm de ſe iſta David ceciniſſe cogitandum eſt.

15. *In manibus tuis ſortes meæ*] Vel *tempora mea*: hoc eſt, Quamlibèt ſæviant hoſtes mei contra me, & circumquaque immineant pericula, quorum metus etiam animam extorquere poſſit, adhuc tamen conſolatur id me, quòd in manu tua ſunt tempora mea & ævum vitæ meæ, & non in manu hoſtium.

17. *Deducantur in infernum*] Compeſcantur in ſepulcro, vel taceant ſepulti in inferno, prædictio eſt enim malorum quæ eos manent.

19. *In conſpectu filiorum hominum*] h. e. In manifeſto fidelibus tuis bonitatem tuam oſtendis & *abſcondis eos in abſcondito faciei tuæ*, quod alibi vocat *umbram alarum*.

21. *Mirificavit mihi*] Miro quodam modo oſtendit miſericordiam ſuam mihi; & tanquam in munitiſſima fuiſſem civitate, tutatus eſt me.

22. *Dixi in anxietate*] Cùm putarem me abjectum abs te, continuò clamorem meum exaudiſti.

DRUSIUS.

3. סַלְעִי. Aq. & Sym. πέτρα μȣ, *petra mea*. ¶ וּתְנַהֲלֵנִי. Sym. καὶ τημελήσεις ——— i. e. *curabis*, ità vertit Interpres Theodoreti. Lex. V. Τημελῶ, *colo*. In ed. Rom. τημελήσεις, τυτέςι παντοδαπῆς με προνοίας ἀξιώσεις, *omnimodâ proviſione me dignaberis*.

9. כִּי צַר־לִי. A. ὅτι στενόν μοι, *quoniam anguſtia mihi*] Vel *res anguſta*: ad verb. *anguſtum*. Quale eſt,

Triſte lupus ſtabulis ———.

Res triſtis. ¶ עָשְׁשָׁה בְכַעַס עֵינִי. A. ἀυχμώθη ἐν παροργισμῷ ὁ ὀφθαλμός μȣ, *ſqualuit in iracundiam oculus meus*. Sym. ἐθολώθη διὰ παροργισμὸν, *turbatus eſt propter iracundiam*] *Caligavit* legitur apud Euthymium, non *turbatus eſt*.

10. כָּלוּ. Sym. ἀνηλώθη, *conſumpta eſt*. ¶ בַּעֲוֺנִי כֹחִי Idem, διὰ τὴν κάκωσίν μȣ ἡ ἰσχύς μȣ, *propter vexationem meam virtus mea*. ¶ וַעֲצָמַי עָשֵׁשׁוּ. Idem, καὶ τὰ ὀςᾶ μȣ εὐρωτίασαν. i. e. *carnem ſenſerunt, putiiverunt*. Aq. καὶ τὰ ὀςᾶ μȣ ἠυχμώθη, i. e. *ſqualuerunt*.

11. מִכָּל. A. παρὰ πάντων, *ab omnibus*

13. מָגוֹר. A. συςροφῆς.

15. עִתֹּתָי. A. & cæteri; οἱ καιροί μȣ, *tempora mea*. In Theodoreteis, *Aq. & Sym. in manibus tuis tempora mea*.

17. יִדְּמוּ לִשְׁאוֹל. Aq. & Sym. σιωπησάτωσαν εἰς ᾅδȣ, *ſileant in ſepulcro*.

19. מָה רַב טוּבְךָ אֲשֶׁר־צָפַנְתָּ לִּירֵאֶיךָ. Sym. τί πολὺ τὸ ἀγαθόν σȣ ὃ ἔκρυψας ἀπόθετον τοῖς φοβȣμένοις σε; *quam multa eſt bonitas tua quam repoſitam timentibus te occultaſti*?

20. בְּסֻכָּה. Sym. ἐν σκέπῃ, *in protectione*.

21. כִּי הִפְלִיא. Sym. ὁ παραδοξάσας, *mirabilem faciens*. Lex. V. Παράδοξον, *mirabile*. ¶ בְּעִיר מָצוֹר. Sym. ὡς ἐν πόλει περιτεφραγμένῃ, *ut in urbe circumvallata*.] Videtur legiſſe כעיר per Caph. Locus iſte ità legitur apud Theodoretum Latinum, *Benedictus DOMINUS, qui miſericordiam ſuam mihi illuſtravit tanquam in civitate munita*.

22. אָמַרְתִּי בְחָפְזִי. A. εἶπον ἐν θαμβήσει μȣ, *dixi in ſtupore meo*. Vel, *in ſtupefactione mea*. Sym. εἶπον ἐν τῇ ἐκπλήξει μȣ, *dixi in ſtupore meo*.

AMAMA.

3. לְבֵית] *In domum*, i. e. *ſicut domus*. ל ſæpe ſignificat loco, pro, Gen. 11. לָאֶבֶן לַחֹמֶר, *in cæmentum*, לְ ſic Gen. 16. 3. *Sara dat Abrahæ Hagarem* לְאִשָּׁה loco uxoris. Aliquando rei veræ præfigitur & tunc negligitur ab Interpretibus, לנפש חיה *Ero vobis* לאלהים *& vos mihi* לְעָם 2 Cor. 6. θεοὶ, λαὸς. Metaphoricis præfixum idem eſt quod כ, ut hoc loco. Et ibi, Erit Domus Eſau לְקַשׁ

6. אַפְקִיד] פָּקַד *viſitare*, tam in bonum quam in malum. In bonum, curam habere, providere, ſollicitum eſſe de aliquo. Pſ. 8. *Quid eſt homo quod recorderis ejus, & filius hominis quod viſites eum*.

In malum, ſignificat, punire, ulciſci. Hoſ. 1. *Et viſitabo ſanguines Jeſreel*, Lxx. ἐκδικήσω, puniam. Jirm. 5. 9. *An hac non viſitabo dicit Dominus*.

II. Præcepit. III. Depoſuit, unde פִּקָּדוֹן *res depoſita*.

מָעֻזִּים] Dan. 11. 38. & 39. Jun. *Deus ſummi roboris*. Jun. Piſc. It.

הַבְלֵי־שָׁוְא] *Vanitates vanitatis*, i. e. vaniſſimas. Idola, Jirm. 2. 5. *Quid invenerunt patres veſtri in me quod elongarunt ſe à me, & iverunt poſt vanitates, & vani facti ſunt*?

הֶבֶל] Prop. halitus oris hybernalis qui cito evaneſcit. Pſ. 144. *Homo ſimilis eſt* לַהֶבֶל Et Pſ. 9. *conſ. dies noſtros ſicut* הֶגֶה *murmur*, Chal. הֶבֶל פּוּם halitum oris hyemalem.

שוא, Lxx. διακενῆς. Malè, quia tunc eſſet pro לשוא, at *hable* eſt in Reg. Fort. leg. ματαιότητας διακενάς.

שׁוֹמְרִים] A שָׁמַר. Unde מִשְׁמָרָה ἐφημερία, *cuſtodia*, Claſſis Sacerdotum. Quæ fuerunt 24. & אַשְׁמֹרֶת *vigilia*, quæ tres juxta Kimhi, juxta alios 4. &c.

8. *Noſti*] i. e. Curam habuiſti, curaſti, fovisti. Pſal. 1. Et in Prov. 12. 10. *Juſtus novit animam jumenti ſui*. Am. 3. 2. *Tantum vos cognovi ex omnibus familiis terræ*. Hoſ. 13. *Novi te in deſerto* i. e. ſuppeditavi neceſſaria, Tharg.

13. אבד *Periens, perditum*] Aliter Prov. 31. *Date ſiceram pereunti*, i. e. miſero, qui in adverſa incidit, ſeq. enim ut obliviſcatur egeſtatis ſuæ. Sic accipitur Deut. 26. 5. אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי Syrus periens, miſer erat Pater meus, quamvis Th. *perdebat*, Hier. *perſequebatur*. Aliq. æternum exitium, Job. 4. *Cogita quis fuerit innocens qui perierit*, ſibi ſc. aut Deo, aut interierit. Aliq. mortem tantum, Jeſ. 57. 1. *Juſtus perit*, ſc. ætati ſuæ, *moritur*. Sic Plautus *Qui per virtutem perit, non interit*.

14. דִּבָּה] רבב, *loqui, murmurare*. *Dibba* infamia, rumor malus; Is vel falſus vel verus. מביא רבה הוא אמת מוציא הבה הוא שקר. Hinc ד"ב Urſus. Famelicus enim & iratus murmurat, & cum murmure pedes fugit tanquam aliquid alimenti inde percipiens.

יָסַד] *Fundavit*, יְסוֹד Muſad, Fundamentum, initium rei. Rab. יְסוֹדוֹת Elementa, אר"מע, videlicet אש. רוח. מים. עפר. 2. Quia in omnibus rebus fundamentum eſſe debebat bonum conſilium & deliberatio, ideo ſign. etiam in Niphal *conſultavit*.

16. עִתּוֹתַי] Tam adverſa quam læta, Lxx. Κλῆροι, Vulg. *hoſtes*. Forte καιροί. Hic quidam ſumunt pro adverſis. Jirm. 17. *Donec veniat tempus terræ ejus*. 1 Paral. ult. *Et tempora quæ tranſierunt ſuper David* &c. עִתֵּי צָרָה

נִרְדָּף] Hinc Rab. הַרְדִיפָה conſequentia, שֵׁם נִרְדָּף nomen æquivocum.

17. האירה] i. e. Facie benivola aſpice me, Pſ. 4. 7. *Attolle ſuper nos lumen faciei tuæ*.

18. יִדְּמוּ à דָּמַם ut יִדַּמּוּ Exod. *exſcindantur* (deſcenſuri) in ſep. Alii, conſileſcant in ſep. ל. pro ב. ſic Pſ. 16. Hinc Rab. דִּמְדֵּם occubuit Sol & דִּמְדּוּם occaſus.

19. גאוה] *Elatus fuit, eminuit*. In bonum, *excelluit, magnificus, ſplendidus fuit*, Ex. 15. 1. *Cantabo Domino quia* גָּאֹה גָּאָה In malum, *ſuperbivit, intumuit*, גֵּאֶה à *ſuperbus* Quatuor ſuperbi in mundo: Leo inter feras, Bos inter jument. Aquila inter aves, Homo ſuper omnia. Thalm.

21. *Faciei tuæ*] i. e. Tuo. Ut Itali *Excellentia* tuæ, dignitatis tuæ, Majeſtatis. Honoris aliquando, 2 Sam. 17. 11. Chuſai ad Abſ. *Facies tua vadat ad bellum*. Aliquando tantum περιφράζει hominem. Sapientia illuſtrat faciem hominis: A facie gladii. *Quærite faciem meam*.

Linguarum] לָשׁוֹן primo membrum corporis, 2. loquelam, ſeu ſermonem, 3. *pro lingua mala*, obtrect. calumnia. Cic. ad Varr. libr. 9. 2. Epiſt. *Tibi autem idem conſilii do quod mihi ipſi, ut vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſimus*. Jirm. 18. 18. *Venite & percutiamus eum lingua*, i. e. calumniam aliquam inſignem ei inuramus. Eccleſ. *nulla erit præſtantia* לבעל לשון *viro linguæ*, Th. לְאָכִלְקַרְצִין *viro calumniatori*. Pſal. 140. 12. *Vir linguæ non erit ſtabilis in terra*. Sic & Pſalm. 101. 5. Tharg. *Vir qui loquitur* לִשָּׁן תְּלִיתָאי *lingua tertia*: Ideo dicta quod lædat tres, calumniantem, eum qui credit, 3. eum de quo. Aut juxta Baſilium, quia tribus nocet. *Calumniator tribus perſonis eadem opera nocet, nam delatum injuria afficit, & auditorem veritate privat, & conſcientiam ſuam atrociter ſauciat*. Eccleſ. 28. 16. & 19. γλῶσσα τρίτη, *multos commovit*. Sic Rom. Vulg. At Baſil. γλῶσσα δίσση, lingua duplex. Belg. *een boſe mond*. Maim. dixerunt ר"ל *Calumniator tres interficit, ſeipſum, eum qui recipit, & eum de quo*. Sed ſe magis quam illos, & eum qui recipit magis quam eum de quo.

23. בְּחָפְזִי] Nomen חִפָּזוֹן feſtinatio, Deut. 16. Quia בחפזון egreſſus es ex Ægypto.

24. Trem. *Fideles cuſtodientem Dominum, & rependentem excellentiſſimè, facientem res magnificas*.

Piſc. *Fideles cuſtodit Dominus, & rependit abundè facienti, exercenti ſuperbiam*. Tig. *cumulatè*.

GROTIUS.

12. *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium*] Rectiùs: *Coram omnibus inimicis meis*. Nam particula מ pro *coram* ſumitur Job. 32. 12. 35. 2. Eſaiæ 18. 1.

13. *Foràs fugerunt à me*] *Procul*. Sic interpretatur Chaldæus חוץ Num. 31. 19.

16. *In manibus tuis ſortes meæ*] In Græco fuit καιροί μȣ [*tempora mea*,] quod Hebræo convenit, quomodo legerunt Apollinaris, Arabs, Æthiops. & in Pſalterio Romano vetere, *tempora mea*. Librarii quidam pro καιροί μȣ [*tempora mea*] ſcripſêre κλῆροι μȣ [*ſortes meæ*,] & indè hæc verſio.

20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te? perfeciſti iis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum*] Senſus eſt, Quanta eſt multitudo bonorum quæ reſervas piis, ac ſuo tempore coram omnibus etiam

exhibes

exhibes? ſolet verti ןמא per φυλάττειν [*cuſtodire*, τηρεῖν, *aſſervare*,] θησαυρίζειν [*theſaurizare.*]

23. *Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ*] Dum paveo: nam ןזח vertitur δειλιάζειν [*pavere*] Pſalmo 104. 7.

PRICÆUS.

8. I*Ntellectum tibi dabo, & inſtruam te in via quâ gradieris*] Ego qui metuentibus me ſignificationem do (Pſal. 59. 6.) ut à facie arcûs fugiant, intellectum tibi dabo, &c.

Ibid. *Firmabo ſuper te oculos meos*] Οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ δικαίους, 1 Petr. 3. 12. adde infrà 33. 16.

Ibid. *Firmabo ſuper te oculos meos*] Non dimovebo eos à tutela tua.

9. *In quibus non eſt intellectus*] Ità, *cogitationes quæ ſunt ſine intellectu*, Sapient. 1. 5.

IDEM.

6. O*Rabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno: veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*] Orabit te omnis bonus piuſque dum ei tempus ſupereſt; in malis enim verſantes, ut coactos, non ſoles audire. Vide 2 Maccab. 9. 23. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt*, habemus 55. 6. Eſaiæ.

8. *Inſtruam te in via hac quâ gradieris*] Eſai. 48. 17. *Ego Dominus Deus tuus*, &c. *gubernans te in via quâ ambules.* Suprà 24. 8. *Legem dabit delinquentibus in via.*

10. *Multa flagella peccatoris*] Id eſt, peccatoribus parata ſunt. Ità Proverb. 19. 29. *Parata ſunt deriſoribus judicia.* Infrà hic 37. 18. *In flagella paratus ſum.*

PSALM. XXXII.

MUNSTERUS.

E*Rudiens*] Vel *intellectum præſtans.* Unde & infrà dicitur, *Ego prudentem te reddam*, vel, *ego intellectum tibi dabo, & docebo te in via:* & ob id putat Aben-Ezra hunc Pſalmum hoc titulo inſignitum. Alii aliud ſentiunt.

3. *Quoniam tacui*] Jacens in infirmitate cruciabatur cogitationibus ſuis, cogitans quàm bene eſſet homini cui condonata eſſent peccata, & rurſum quàm importabile onus illi incumberet ſuper quem Dominus miſiſſet manum ſuam, peccata illius gravi puniens ultione: id quod in ſeipſo experiebatur, cum gravi premeretur morbo, qui etiam humorem exhauriebat.

6. *In tempore quo invenire licet*] Sic quoque Jeſaias dixit c. 55. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* In hoc tempore clemens invenitur, quando etiam peccatum ex corde recognitum condonatur: & ſi *inundationes multorum malorum* inſurgant, ad talem hominem, qui in tempore opportuno Dominum invocaverit, *non pervenient.* Alii ſic legunt, *Inundatio aquarum magnarum ad eum non pertinget.*

VATABLUS.

1. I*Ntelligentia* משכיל] *Erudiens*, *eruditio*: i. e. Pſalmus eruditione plenus. Aut vox Hebræa *Maſchil* nomen eſt carminis & harmoniæ ad cujus modos decantatus fuit hic Pſalmus. Alii volunt nomen fuiſſe inſtrumenti muſici. ¶ *Dimiſſa eſt prævaricatio* נשוי פשע] *Condonatum eſt ſcelus.*

2. *Imputat* יחשב] Fut. Heb. pro præſ. aut præt. ¶ *Dolus* רמיה] *Simulatio*, *fucus*: i. e. qui ſincero corde convertitur ad Deum.

3. *Quoniam tacui*, *inveteraverunt* כי החרשתי בלו] *Dum tacui*, *contabuerunt*: aut, *putruerunt.* Vel, *Dum tacerem*, *contabeſcebam*: i. e. Dum tacitus mecum conſiderarem peccatum, prorſus periit virtus mea ejulatu meo quotidiano.

4. *Aggravatur* תכבד] Fut. Heb. pro præſ. vel præt. *gravior eſt*, *ingraveſcit*, *invaleſcit*: q. d. Premit me dolor meus. ¶ *Viror meus* לשדי] *Succus meus.* Humidum radicale vocant, q. d. Præ metu tui ſuccus meus exaruit, ut vehementi æſtate humor deſiccatur.

5. *Notum feci tibi* אודיעך] Fut. Heb. quod nonnulli vertunt in præt. quòd ſequentia verba Hebraïcè ſint præterita, quæ nonnulli in futura vertunt, *Peccatum meum notum faciam tibi*, *& pravitatem meam non celabo tibi.* ¶ *Iniquitatem* עון] *Pravitatem.*

6. *Tempore inveniendi* לעת מצא] *Tempore inventionis*, i. e. quod ab ipſo inventum fuerit ad eam rem idoneum: tempore quo inveniri ſoles. Eſa. 55. 6. *Quærite Jehovam dum inveniri poteſt.*

7. *Abſconſio* סתר] *Latibulum: profugium.* ¶ *Ab anguſtia cuſtodis me* מצר תצרני] *A tribulatione cuſtodies me.* Alii, *ab hoſte cuſtodies me.* ¶ *Clamoribus liberationis*, &c. רני פלט תסובבני] *Canticis* (vel, *ovationibus*) *liberationis circumdabis me.* Fut. Hebræis. Phraſis Hebraïca, pro, *lætitiâ quâ gaudere ſolent qui ab hoſtibus liberati ſunt*, *perfundes me.*

8. *Intelligere faciam te* אשכילך] *Erudiam te.* ¶ *Conſulam tibi oculo meo* איעצה עליך עיני] *Annuam ſuper te oculo meo.* Vel, *conſulam tibi proſpectione meâ*: i. e. ipſe videbo quid tibi ſit utile.

9. *Nè ſis* אל תהיו] Mutatio numeri Hebræis frequens, pro, *Nè ſis.* ¶ *Intellectus* הבין] Infinit. Heb. pro nomine. ¶ *In camo*, &c. במתג ורסן עדיו לבלום בל קרוב אליך] Hebraïcè ad verbum legitur, *In lupato & fræno os ejus ad conſtringendum*, (vel *conſtringere*) *non appropinquare ad te.* Infinit. pro Fut. aut præſ. Latinè ſic, *quorum os niſi lupato & fræno conſtringas*, *non appropinquabunt* (vel *appropinquant*) *ad te.* Vel, *quorum os lupato & fræno coërcere oportet*, *nè accedant ad te*, i. e. nè mordeant. Uterque ſenſus poteſt ex verbis Hebraïcis elici. ¶ *Et exſultate*, &c. והרנינו כל ישרי לב] *Et incitate ad ovationem omnes rectos corde.*

CASTALIO.

6. Q*Uantumvis redundent fluctus*] Res adverſæ.

8. *Oculo meo*] Curâ.

CLARIUS.

TItulus hujus Pſalmi eſt, *Intellectus David*, vel *Erudiens*, ſive *Intellectum præſtans*, & pulcrè aptatur iis quæ infrà in hoc Pſalmo dicuntur, *Intellectum tibi dabo*, *& inſtruam te*, &c. & ob hoc putant Pſalmum hoc titulo inſignitum. Ex verſu autem 3. & 4. quibus Propheta queritur ſe cogitationibus diſcerptum præ dolore fremuiſſe, ac interim *oſſa ſua contabuiſſe*, *omnemque fuiſſe ſuccum exhauſtum*, & ex v. 10. quo canit, *multos dolores accidere improbis*, conjectura fit, referri hoc Pſalmo quemadmodum morbo aliquo graviore correptus peccatorum ſuorum, quibus ipſe ſibi id mali aſciverat, fuerit admonitus.

3. *Quoniam tacui*] Jacens in infirmitate, cruciabatur cogitationibus ſuis, cogitans quàm bene eſſet homini cui condonata eſſent peccata; & rurſum quàm importabile onus illi incumberet ſuper quem Dominus miſiſſet manum ſuam, peccata illius gravi puniens ultione, id quod in ſeipſo experiebatur, cùm gravi premeretur morbo, qui etiam humorem exhauriebat. Vel ſic, *Quamdiu tacui*, *conterebantur vires meæ*, *præ erumpente ejulatu aſſiduè.* *Quia per diem & noctem ingraveſcebat manus tua contra me*, *ſic mutatus ſum*, *ut ex ſucculento factus ſim aridior quàm ſunt ariſta in media meſſe.* Sed aptior videtur hic ſenſus, *Si tacuiſſem* (peccatum ſcilicet meum) *emarcuiſſent oſſa mea: propter hoc clamo totâ die.*

6. *In tempore opportuno*] Vel, *in tempore quo invenire te licet.* Sic Eſaias, *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* In hoc tempore clemens invenitur, quando etiam peccatum ex corde recognitum condonatur; &, ſi *inundationes multorum malorum* inſurgunt, *ad talem* hominem, qui tempore opportuno meo exemplo Dominum invocaverit, *non pervenirent.*

7. *Canticis liberationis circumdabis me*] Gaudiis quibus gaudere ſolent è manibus hoſtium elapſi, afficies me.

8. *Intellectum tibi dabo*] *Prudentem*, inquit Dominus, *faciam te*, & *docebo* quo pacto vivere oporteat te, & ſtudioſiſſimè *obſervabo te oculo proprio.* *Tantùm nè ſimiles efficiamini equo vel mulo*, *qui* non ſolum, *nihil intelligit* beneficiorum in ſe collatorum, ſed *capiſtro vel fræno os ejus conſtringere* oportet, *nè appropinquet* ac mordeat *vos.* Docet non exſpectandum ut à pravitate cohibeamur adverſis, quaſi fræno & lupato.

DRUSIUS.

2. ברוחו. Sym. ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Aq. & alii, ἐν τῷ πνεύματι αὐτοῦ] Ἐν τῇ καρδίᾳ. Alibi eſt ἐν τῷ ςόματι, ſed perperam, ut opinor. Nihil affirmo, tamen poteſt videri ſumptum eſſe ex illo Eſaiæ, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ. Adeundus Hieron. in epiſt. ad Suniam.

3. כי החרשתי בלו עצמי בשאגתי. A. Ὅτι ἐκώφευσα, κατετρίβη τὰ ὀςᾶ μου ἐν βρυχήματί μου, *Quia obmutui*, *detrita fuerunt oſſa mea*

mea in rugitu meo. Sym. Ὅτι ἀπεσιώπησα, ἐπαλαιώθη τὰ ὀςᾶ μου ἀπὸ τοῦ ὀδύρεσθαι, *Quoniam tacui, inveterata ſunt oſſa mea lamentando*, ſive *propter lamentationem*. ¶ כָּל־הַיּוֹם: Sym. πᾶσαν ἡμέραν.

4. נֶהְפַּךְ לְשַׁדִּי בְּחַרְבֹנֵי קַיִץ. Sym. μετεςράφη μοι εἰς διαφθορὰν ὡς καῦσος θερινὸν, *converſa eſt mihi in corruptionem, ut ardor æſtivus.* A. ἐςράφη εἰς προνομήν μου ἐν ἐρημώσει θερείᾳ, *converſa eſt in direptionem meam in vaſtitate æſtiva.* V. ed. ἐςράφη εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐρημωθῆναι ὀπώραν, *converſa eſt in miſeriam cum vaſtaretur pomum*] Ἐςράφη εἰς προνομήν μου. Priùs erat ἐςράφην, *converſus ſum*: ſed poſcit ſententia ut legatur ἐςράφη quam lectionem veram eſſe nullus dubito. *Pomum*, i. e. poma, aut fructus autumnales.

5. וְאַתָּה נָשָׂאתָ עֲוֹן חַטָּאתִי סֶלָה. A. καὶ σὺ ἦρας ἀνομίαν ἁμαρτίας μου ἀεὶ, *& tu abſtuliſti iniquitatem peccati mei, ſemper.* Th. καὶ σὺ ἀφῆκας ἁμαρτίαν τῆς ἀσεβείας μου —— *& tu condonaſti peccatum impietatis meæ* —— Sym. ἵνα σὺ ἀφέλῃς τὴν ἄνομον ἁμαρτίαν, *ut tu auferas iniquum* (ſive exlex) *peccatum.*

6. עַל־זֹאת יִתְפַּלֵּל כָּל־חָסִיד וגו׳. Sym. Ὑπὲρ τούτου προσεύξεται πᾶς ὅσιος καιρὸν εὑρὼν, ὥςε ἐπικλύζοντα ὕδατα πολλὰ πρὸς αὐτὸν μὴ ἐγγίσαι, *Pro hoc orabit omnis pius opportunitate inventâ, ne aquæ multæ inundantes ad ipſum appropinquent*] Lex. V. Ἐπικλύζω, *inundo.* Ἐπίκλυσις, *inundatio.*

8. אַשְׂכִּילְךָ וְאוֹרְךָ בְּדֶרֶךְ־זוּ תֵלֵךְ. Aq. Ἐπιςημώσω σε καὶ φωτίσω σε ἐν ὁδῷ ᾗ πορεύσῃ, *Scientem te faciam & illuminabo te in via quâ ibis.* Sym. Συνετιῶ σε καὶ ὑποδείξω σοι ὁδὸν ἣν ὁδεύσεις, *Prudentem efficiam te & oſtendam tibi viam quam incedas.* ¶ אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי. Sym. βουλεύσομαι περὶ σοῦ τῷ ὀφθαλμῷ μου, *Conſultabo de te oculo meo.* Lex. V. Βουλεύομαι, *cogito.* Aliàs, *conſulam tibi oculo meo.*

11. וְהַרְנִינוּ. A. Καὶ αἰνοποιήσατε. Sym. καὶ εὐφημεῖτε, *favete.*

AMAMA.

1. משכיל] Sub הִזְכִּיר. Ode Didaſcalica, Didacticon. Ab. Initium Cantilenæ fuiſſe מַשְׂכִּיל.

נְשׂוּי] *Levatus à defectione*, vel defectione, ut Virg.

—— *Ego hoc te faſce levabo.*

Sic Trem. Ebr. ad verbum *Ablatus tranſgreſſionis.* Lxx. & Apoſt. Rom. 4. ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. נָשָׂא cum peccato ſignif. *auferre*, *tollere*; & ſolet cum ל conſtrui, & ſub. reatum. Gen. 50. 17. שָׂא נָא לְפֶשַׁע עַבְדֵי. Pſ. 25. 18. *Tolle omnibus peccatis noſtris.*

Aliquando ſignificat pœnas luere peccati. Levit. 5. Si quis hoc vel hoc fecerit, *portabit peccatum ſuum*, i. e. luet, R. Sal. *lapidabitur.*

Obj. Ab. Quomodo David peccator, cum fuerit חָסִיד & Pſ. 16. Non dabis חסידך. Vide ad initium Pſalmi.

2. רְמִיָּה] *Ejaculatus eſt*, רִמָּה *decepit*, רְמִי & רְמִיָּה *doloſus*, *ignavus* & *ignavia*, *dolus*, כף רמיה Prov. 12. *Manus ſedulorum dominabitur*, at רמ׳ כף *erit tributaria.* Quia pigri, quod labore acquirere refugiunt, dolo & malis artibus tentant. Jirm. 48. *Maledictus qui facit opus Domini* רמיה *fraudulenter.*

3. *Cum tacerem*] Non ſimpliciter, nam ſequitur שאגה, ſed peccata. Rugire & tacere non opponuntur, quia ref. ad diverſa; Tacere ad peccata, Rugire ad dolorem.

בלה] *Senuit.* Gen. 18. אַחֲרֵי בְלֹתִי. Inf. Mech. *Inveteraſce*, *conſume*, *atteri.*

4. *Manus tua*] Plaga tua. Job. 22. *Manus mea aggravata eſt*, i. e. plaga, per Meton. Job. 13. *Remove manum tuam à me.* Act. 13. Paulus ad Sim. *Ecce nunc manus Domini ſuper te ſit.*

קַיִץ] *Æſtas*, ab הֵקִיץ *evigilavit*, quod terræ naſcentia expergiſci faciat, quæ per hyemem videbantur quaſi ſopore demerſa. Lxx. ἐςράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν. Vulg. *Converſus ſum in ærumna, dum configitur ſpina.* Malè & Græca expreſſit. Gen. damnat. Alii per *Spinam Peccatum* intelligunt. Alii, ut Bel. *Spinam Calamitatis.* Belg. intelligunt *Spinam Dorſi*, *Ik ben omgekeerd in mijn ellendigheit, terwijl dat het Ruggebeen doorſteken word.* Interpres legit קוץ *Spina.* At ubi Spinam Dorſi ſignificat. Bell. *Converſus* exponit, *reſipui.* Sed Geneb. הפך vix dicitur de reſipiſcentia.

Sela] Ut vox Enclitica metrum complet.

5. (*Poſtea*) *peccatum notum faciebam tibi*] Forma Conf. אנה השם חטאתי עויתי ופשעתי לפניך ועשיתי כך וכך והרי נחמתי ובשתי בְּמַעֲשַׂי וְלְעוֹלָם איני חוזר לְדָבָר זה *Obſecro Domine, peccavi, iniquè egi, & prævaricatus ſum contra te, ſic vel ſic faciendo; ecce pœnitet me, & pudet me factorum meorum, nuſquam redibo ad hanc rem.* וידוי דברים Dicta quod conceptis verbis & ſolenni more fiebat, cum oblatione victimæ, & impoſitione manuum ſuper caput hoſtiæ inter cornua, dum hanc confeſſionem proloqueretur.

וְאַתָּה] *Tunc condonaſti iniquitatem* (i. e. vel reatum vel pœnam) *peccati mei.* Quid ſi ſit locutio ἐξ παραλλήλȣ augeris?

6. על זאת] R. Sal. refert ad ſequens hemiſt. *Propter hoc, ut in inundatione aquarum ad ſe non perveniant aquæ.* Ab. *Ob hoc quod tu condonas peccata.* Kimhi, *Ob hoc quod tu exorabilis es* Idem eſt. Lxx. ὑπὲρ ταύτης; Pro hac (impietate cordis mei) tollenda.

Tempore inveniendi] Lxx. ἐν καιρῷ εὐθέτῳ. Sic & Belg. *Ter regter tijd.* Ital. *Tempore oportuno.* Optimè. Ang. *Tempore quo tu inveniri potes.* Inf. Kal pro Niph. Gen. 4. ult. Tempore quò adhuc exſpectas, ut convertant ſe homines, dum adhuc aperta eſt janua tuæ miſericordiæ, dum illos adhuc ad pœnitentiam ſollicitas, antequam decretum tuum pariat, antequam januam miſericordiæ ipſis occludas. *Tempus inveniendi*, 1. Quo inveniri poteſt, & ſic Ab. adducens ex Eſa. 55. 6. *Quærite Dominum* בְּהִמָּצְאוֹ *dum inveniri poteſt*, i. e. in hac vita. 2. Jun. *Quo tempore* (calamitas) *obvenerit.* 3. Piſc. *Quo tempore* (angores) *ipſum apprehenderint.* מצא *apprehendo.* Pſ. 116. *Angores inferni invenerunt me.* Et eodem Pſ. *Anguſtiam & mœrorem invenio.* Pſ. 21. *Invenies manu tua*, vel & *manus tua*, *inimicos tuos*, i. e. aſſequeris, apprehendes.

Pertingent ad eum] Sc. aquæ. Aquæ Res adverſæ & Perſecutio hoſtilis. Ezech. 26. 19. *Aſcendere faciam ſuper te voraginem, & operient te aquæ multæ*, i. e. hoſtes. Ad Tyrum.

7. Tranſit docere quidnam cavendum ſit, ne in fide remiſſionis peccatorum & fructu illius conſequendo impediamur, nimirum contemptus doctrinæ cœleſtis. Præmittit primò propoſit. Ubi monet de ejus præcepti utilitate.

Cantionibus liberationis &c.] i. e. Libera me, ut cantionibus pro liberatione te poſſim celebrare.

8. איעצה] *Annuam* R. Sal. & Ab. ירמז i. e. ירמז *Conſulam tibi oculo meo.* Alii, *Conſulam tibi* (*ficut*) *oculo meo.* Jun. *Attento in te oculo meo.* Chald. *Ponam ſuper te oculum meum in bonum.* Sic Gen. 44. *Ponam oculum meum ſuper eum.* Lxx. ἐπιςηριῶ ἐπὶ σὲ τοὺς ὀφθαλμούς μου, infigam.

Oculus Deo tributus Providentiam ejus notat. Prov. *Oculi Dei in omni terra ſpeculantur bonos & malos.*

9. (להם) אין הבין (אשר) *Quibus non eſt intellectus*] *Qui non diſcernunt inter eum; qui facit ipſis benè, & qui malè.* Sic R. Sal. Sed non ſatis accuratè. *Agnoſcit enim & bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, i. e. per hypall. Dominum præſeptis ſui.

פרד *Mulus*] פֵּרֵד *Separatus eſt. Pered*, animal ſeparatum ab aliis, quod cum aliis non miſcetur gignendi cauſa. Monſtrum ex equo & aſino.

לבלום (צרך) עדיו בכתב (אשר) *Os*, עֲדִי. עֶדְיוֹ *Ornamentum*, aliquando Os. Sic Pſ. 103. 3. הַמַּשְׂבִּיעַ בַּטּוֹב עֶדְיֵךְ *Qui ſatiat bono os tuum.*

בלום] *Conſtringere*, non extat amplius in textu, niſi fortè Job. 26. *Suſpendit terram* עַל בְּלִימָה *ſuper centro*, quo quaſi conſtricta tenetur. 1 Cor. 9. 9. *Os bovis triturantis non* תַּחְסֹם.

Ne appropinquet] Nocendi cauſa. Ut ſit בל pro פֶּן. Alii, ut Piſc. *Cum non appropinquant ad te*, pro בְּבַל i. e. cum ſe præbet refractarium. Lxx. τῶν μὴ ἐγγιζόντων πρὸς σέ. Hic ſenſus videtur magis genuinus: Agitur enim de gubernatione animi per verbum Dei, tanquam diſſimili gubernationi brutorum. Senſus ergo, ne obbruteſcite ad Dei judicia & admonitiones, ſed potius animos veſtros ſedulo advertite, ut cognoſcatis ejus adminiſtrationem, ne cogatur frœnos ſuæ potentiæ & ſeveritatis adhibere ad edomandam veſtram ferociam & rebellionem.

במתג] *Pro Metheg.* Lxx. ἐν κημῷ. Pagn. *Camo.* Iſid. lib. 20. 16. *Camus genus aſperi fræni eſt, quo ſuperbi Caballi cohærere ſolent, dictus à curvitate, à* κάμπτω. Κῆμος quaſi κάμμος.

11. צדיקים] Theop. Σαδδουκαῖοι δίκαιοι ἑρμηνεύονται· σεδὲκ γὰρ δικαιοσύνη δικαίως γὰρ ἑαυτοὺς ὠνόμασαν. ἢ ἀπὸ αἱρεσιάρχȣ Σάδωκ. Baal Aruch. נק ראו צרוקים על שם צרק. Suidas, Σαδδουκαῖοι ἀπὸ τούτου.

GROTIUS.

INtellectus] משכיל Lxx. vertunt συνέσεως [*intelligentiæ*] vel εἰς σύνεσιν [*ad intelligentiam*] id eſt, *Carmen eximie* διδακτικόν [*aptum ad docendum.*]

1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*] Videtur Pſalmus eſſe in id factus, ut in die Expiationum cantaretur Eo enim tempore generalis quædam fiebat peccatorum confeſſio.

3. *Inveteraverunt oſſa mea*] Aquila, κατετρίβη [*contrita ſunt.*] Sic & Syrus. Idemque verbum בלה per κατατρίβειν [*conterere*] verti-

vertitur Deuter. 8. 4. 29. 5. ſolent enim, quæ vetuſtiſcunt, atteri atque conſumi.

4. *Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua*] Opponit ſtatum præteritum huic præſenti.

6. *Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*] In Hebræo: *Ob id deprecabitur te pius quivis in tempore inveniendi.* Id eſt, quamprimum, dum adhuc inveniri Deus poteſt. Non enim ſemper manet inveniendi eum tempus, Eſaiæ 55. 6. ubi Aben-Eſdra, *dum inveniri poteſt*, id eſt, *antequam decreta damnatoria obſignentur.* Vide quæ dicta ad Lucam 19. 44.

Veruntamen] Illud רק meliùs vertas *certè*, quomodo ſumitur Geneſ. 20. 15. ubi Græci ἄρα [*certè*,] & 1 Reg. 21. 25.

9. *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe qui non approximant ad te*] In Hebræo, *Lupato & fræno obſtringendum illis os, quia non accedunt ad te:* nempe ſuâ ſponte. Illud ל verbo infinitivo præpoſitum exponitur per δεῖ [*oportet*] vel ἔδει [*oportebat*,] ut apparet 2 Sam. 5. 10. Simile ל Oſeæ 9. 13. & alibi.

PRICÆUS.

6. ET *ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*] *Spiritus ejus ornavit cœlos*, Job. 26. 33.

Ibid. *Omnis virtus eorum*] *Omnis ornatus eorum*, Geneſ. 2. 1.

7. *Congregans ſicut in utre aquas maris*] Claudianus,

Præſcriptoſque mari fines, ———

& de ejuſdem potentia loquens.

Ibid. *Ponens in theſauris abyſſos*] Hæc de immenſis ſpecubus ſubterraneis intellige, in quibus interminabiles aquarum moles agitantur. Heſychius, ἄβυσσος, &c. ὕδατα ἄπειρα, &c. *In theſauris*, in repoſitoriis. Servius ad Georg. 4. *Theſauris, repoſitionibus, ſive apothecis.*

8. *Timeat Dominum omnis terra*]

——— *Omnis eum tellus, gens omnis adoret.*

Vide infrà 85. 9.

9. *Ipſe dixit, & facta ſunt*] Vide infrà 147. 5. Auctor adlocutionis ad Aſclepium, cum Apulejo excuſus, *Voluntas Dei ipſa ſumma perfectio eſt, utpote eum voluiſſe & perfeciſſe uno eodémque ictu temporis compleat.* De Dea Venere Apulejus, *Ipſam quod incipit velle, ſtatim quaſi pridem præceperat, non moratur marinum obſequium.*

14. *De præparato habitaculo ſuo*, &c.] Fundato, ſtabilito. Vide ad Pſal. 56. 8. notata.

15. *Intelligit omnia opera eorum*] Intelligit quæ faciunt, imò antequam fiant. Vide infrà 93. 11.

16. *Et gigas non ſalvabitur in multitudinibus virtutis ſuæ*] *Gigas*, quivis potens, vel, ſi malueris, enormis ſtaturæ viriumque, qualis Goliath, quem qualiter cum eo congreſſurus alloquatur ipſe David noſter, vide 1 Reg. 17. 45. & 47.

17. *Fallax equus ad ſalutem*] Sic infrà 42. 7. *Gladius meus non ſalvabit me. Ad ſalutem*, nempe aurigæ aut ſeſſori afferendam. Achilles equorum ſuorum bigam apud Homerum Iliad. τ'. alloquens,

Ἄλλως δὲ φράζεσθαι σαωσέμεν ἡνιοχῆας
Ἂψ Δαναῶν ἐς ὅμιλον, ἐπεί κ' ἐῶμεν πολέμοιο.
Μηδ' ὡς Πάτροκλον λίπετ' αὐτόθι τεθνειῶτα.

Virgilius 11. *Dimitte fugam*: ubi Servius, *Equi celeritatem, cui confidis, relinque.* Apud Ovidium Hercules ad Neſſum,

Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equinâ.

Vide & Amoſi 2. 15. item 30. 16. Eſaiæ. Dices equorum ope multos ſumma pericula evaſiſſe, ut Gellii 5. 3. R. Alexander, pluresque alii. Eſt verum, at *non ſalvabitur* heic eſt, *non ſemper ſalvabitur*; indè & equum *fallacem* vocavit.

22. *Quemadmodum ſperavimus in te*] Secundùm menſuram ſpei & fiduciæ noſtræ. Chriſtus Matth. 9. 29. *Fiat vobis ſecundum fidem veſtram.*

IDEM.

5. M*iſericordiâ Domini plena eſt terra*] Totidem & infrà verbis 118. 64.

6. *Verbo Domini cæli creati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*] Ipſe 45. 12. Eſaiæ, *Manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi:* ubi *militia* fortè quod hoc loco *virtus*.

7. *Congregans ſicut in utre aquas maris*] Prov. 30. 4. *Congregavit aquas ſicut in veſtimento.*

13. *Vidit omnes filios hominum*] Orpheus,

——— Οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

In Pſalmo autem *videre*, eſt (ut infrà hîc com. 15.) intelligere omnia opera eorum. Sirachid. 17. 16. *Oculi ejus ſine intermiſſione inſpiciunt in vias hominum.* Adde Proverb. 15. 3. & 16. 2.

14. *Reſpexit ſuper omnes qui habitant terram*] Oculi Domini contemplantur univerſam terram; 2 Paralip. 16. 9.

15. *Intelligit omnia opera eorum*]

Eſt Deus qui quæ nos gerimus auditque & videt.

Vide ſuprà ad 10. 6. dicta.

16. *Et gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ*] Vide 1 Maccab. 3. 18, 19. Heſychius, Γίγας, δυνάστης, ἰσχυρός.

17. *Fallax equus ad ſalutem*] Exod. 15. 1. Proverb. 21. 31. Eſai. 30. 16. & 31. 1. Vide quæ in alteris Annotatis noſtris. Pro *fallax*, in Gr. ψευδής. Vide ſuprà ad 4. 3. illud, ἐκζητεῖτε ψεῦδος.

18. *Oculi Domini ſuper metuentes eum*] Intentis inconniviſque luminibus eorum tutelæ invigilat. Sirachides 10. 24. *Qui timent Dominum, erunt in oculis illius. Non aufert à juſto oculos ſuos*, Job. 36. 7. adde Pſal. 33. 16. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem*, eſt 5. 3. Jeremiæ.

PSALM. XXXIII.

MUNSTERUS.

1. R*Ectos decorat laus*] Kimhi putat נאוה derivari ab אוה, & tunc ſic vertendus erit locus iſte, *rectis expetibilis eſt laus*, h. e. Qui recti ſunt aliud nihil deſiderant quàm laudem & gloriam Dei.

4. *In fide*] Vel *veritate*. Eſt enim Deus fidelis in promiſſionibus, & verax in comminationibus. Alii vertunt *firmum*.

7. *Quaſi in cumulum*] Mirabilis, inquit, Deus in operibus ſuis, qui omnes aquas maris in unam maximam congeſſit molem, ſeparans eam à terra & à naturali ſitu ſuo, in unum Oceani locum, ubi *abyſſos poſuit veluti in theſauris ſuis.*

VATABLUS.

1. E*Xſultate* רננו] *Ovate.* ¶ *Pulcra eſt* נאוה] *Decora eſt.* Vel *convenit.*

2. *Confitemini Jehovæ* הודו ליהוה] *Celebrate Jehovam.*

3. *Benefacite canendo in clamore* היטיבו נגן בתרועה] *Benefacite pulſando eum jubilatione.* Vel, *bene modulamini in clangore.* Hebraïſmus, pro *pulſate ſive ſonate ſuaviter & arte unà cum voce læta.* Eadum locutio & Eſa. 23. 16.

7. *In theſauris* באוצרות] q. d. Concluſit certo loco ſervandas abyſſos, non aliter quàm theſauri concludi ſolent. Quidam vertunt, *velut theſauros repoſuit abyſſos.*

11. *In generationem & generationem* לדור ודור] Sub. *permanebunt*, aut *perdurabunt.*

14. *Ex habitaculo* ממכון] *De baſi. De firmo domicilio.*

15. *Conſiderans* המבין] *Animum advertens: intelligens.*

16. *Potens* גבור] *Fortis: heros.*

17. *Mendacium* שקר] *Vanitas: fallacia.* Nomen pro verbo: q. d. Fallit equus ſi illi fidamus.

19. *Ut eruat* להציל] *Ut liberet: eripiat.* ¶ *Et vivificet eos* ולחיותם] Hebraïſmus, pro, *ſervet eos in vita.* Quidam vertunt, *nutriat.* Alii, *ut alat eos.*

20. *Exſpectat* חכתה] Præt. Heb. pro præſ. Verti poteſt, *exſpectet.*

21. *Certè in eo lætabitur* כי בו ישמח] *Quia in eo lætatur.* Fut. Heb. pro præſ. Pendet à fine præcedentis, reddens rationem quare auxilium ferat: nempe quòd ſemper de eo lætemur, & in eo ſpem omnem reponamus. ¶ *Speramus* בטחנו] Præt. Heb. *ſperavimus.*

22. *Speramus in te* יחלנו לך] Præt. Heb. *ſperavimus in te*, vel *exſpectavimus te.*

CASTALIO.

4. F*Acta omnia vera ſunt*] Æqua.

CLARIUS.

1. J*Uſtos & rectos*, & qui in hoc incumbunt ut ex bono & æquo cum omnibus agant, invitat ad celebrandum & prædicandum Deum, quia ſoli bonitatem Dei ut verè percipiunt ità agnoſcunt & laudare poſſunt.

2. *In cithara, in pſalterio*] Sanctus Rex, ut in populi animis affe-

affectus quàm religioſiſſimos excitaret, ac de Divinis beneficiis lætitiam adaugeret, non ſolùm vocum verùm etiam organorum concentum adhibuit. Animales enim ſpiritus, quibus affectus animæ conſtant, aëriæ materiæ ſunt, atque ideo ab infracto extrinſecùs temperatoque commodè aëre atque per aures ad animum delato mirum in modum citantur, proque illius temperatura immutantur. Indè tam varios & inter ſe pugnantes affectus Muſica mutatio efficit: hinc modi Phrygii, Lydii, Dorii & Ionici tam celebris differentia.

3. *In vociferatione*] Rectius eſſet *in jubilo*: non enim hîc *vociferandum* jubet, ſed læto atque alacri corde pſallendum: alioqui *vociferatio* inſanum quiddam eſt

4. *Rectum eſt verbum Domini*] h. e. Quæcunque agit Dominus recta ſunt: nam appellatione *verbi* Scriptura negotium, rem, factum, mandatum intelligit. ¶ *Et omnia opera ejus in fide*] Eſt enim Deus fidelis in promiſſionibus, & omnia ſumma cum æquitate & fide gerit.

5. *Diligit juſtitiam & judicium*] Ubicunque *judicium* & *juſtitia* junguntur, ſignificant rectè & ordine quid fieri & adminiſtrari.

6. *Verbo Domini*] Id canit quod Geneſeos primo loquitur.

7. *Congregans ſicut in utre*] *Cœli* & *aquarum* nominatim meminit, tanquam in quibus præclariùs Dei majeſtas reluceat. Eleganter autem dicit *aquas velut in utrem collectas*, & ſuo ac naturali loco *veluti in theſauris repoſitas*. Immenſa enim hîc Dei potentia apparet, qui in tam vaſtum mare eam habeat poteſtatem quam homo in pauxillum aquæ, quam utri concludens reponit ut libet. De hoc miraculo cecinit & Job. 38. & Pſ. 104.

12. *Beata gens*] Cùm Deus intueatur & regat omnia, beati imprimis fideles, qui rectè de Deo ſentiunt, & intelligunt omnia tandem in ſalutem ſibi cooperatura.

15. *Qui finxit pariter*] *Qui finxit ſine ulla exceptione corda omnium.* Alius vertit, *Qui ſolus finxit corda eorum.*

DRUSIUS.

1. רַנְּנוּ. Aq. Ἀινεῖτε, *Laudate.* Sym. Εὐφημεῖτε, *Favete*] Suprà ἀινοποιήσατε, *facite ut laudent.* ¶ לַיְשָׁרִים נָאוָה תְהִלָּה]. A. τοῖς εὐθέσιν ὡραῖται ἡ ὕμνησις, *rectis pulcra eſt cantatio.*

3. בִּתְרוּעָה. Sym. μετὰ σημασίας] Lex. V. Σημασία, *ſignificatum, ſignificatio, ſignificatus.*

6. נַעֲשׂוּ. A. ἐποιήθησαν, *facti ſunt.* Sym. ἐγένοντο, *fuerunt.* ¶ כָּל־צְבָאָם. A. πᾶσα ςρατιὰ ἀυτῶν, *omnis exercitus eorum.* Sym. ——— ἡ διακόσμησις ἀυτῶν, *ornatus eorum.*

7. כֹּנֵס כַּנֵּד מֵי הַיָּם. Sym. συνήγαγεν ὡς ἐν ἀσκῷ ὕδατα τῆς θαλάσσης, *congregavit tanquam in utre aquas maris.*

8. יִירְאוּ. Sym. ἐυλαβείσθωσαν. A. *Formidabunt*] Lex V. Ἐυλαβὴς, ὁ δειλὸς, *pavidus.* Ἐυλαβοῦμαι, *revereor, vereor, formido.*

14. מִמְּכוֹן־שִׁבְתּוֹ. A. ἀπὸ ἑδράσματος καθέδρας ἀυτοῦ, *è ſtabilimento ſedis ſuæ.* Sym. ἀπὸ ἕδρας κατοικίας ἀυτοῦ, *è ſede habitationis ſuæ.*

15. יַחַד. A. & V. ἅμα. Sym. ὁμοῦ.

16. בְּרָב. Sym. διὰ πλῆθος, *per multitudinem.*

AMAMA.

SCopus Pſalmi ad laudes Deus adhortari pios. Argumentum ab operibus Dei, 1. Creationis, 2. Gubernationis rerum humanarum in genere, 3. Gubernationis Eccleſiæ in ſpecie.

2. *Kinnon*] Lxx. ſæpe κινύρα, aliq. κίθαρα, aliq. ψαλτήριον, aliq. ὄργανον tranſtulêre. Differunt tamen κίθαρα & κινύρα. 1 Mach. 4. 54. & 13. 51.

Nebel] Lat. *Nabla*, *Nablum*, & *Nablium*. Lxx. Νέβελ, ψαλτήριον, ὄργανον, κίθαρα, ναβλὴ, & ναυλή.

Nablium, uter, à ſimilitudine dictum inſtrumentum.

De his inſtrumentis vide Pſ. 81.

עָשׂוֹר] Sup. Vau &. Pſ. 92. 4.

3. *Canticum novum*] Ob nova beneficia. Vel diverſum à priori. Ex. *Surrexit Rex novus.* Marc. ult. *Et loquentur linguis novis.* Vel *novum*, i. e. non vulgare. Virg.

Pollio & ipſe facit nova carmina.

Hinc חֹדֶשׁ *Novilunium*, primus dies Menſis, quo luna innovatur, & Synecd. *Menſis.*

Optime pulſate] נַגֵּן *Pulſare fides.* 1 Sam. 19. 9. *Et David pſallebat manu* מְנַגֵּן בְּיָד Vide Gram. 2. 3.

הָרִיעַ] *Perſonare*, *clamare*, ore, tubis, & aliis inſtrumentis, vel ob lætitiam, vel ob mœſtitiam, vel ad terrendos hoſtes. Ob lætitiam, *jubilare.* Ob mœſtitiam, *ululare.* Thema רוּעַ in Lexicis ut diſt. à רעע *malus fuit*, unde etiam מֵרִיעַ quod & Pſ. 15.

4. *Verbum*] Promiſſionis.

Filius Dei aliq. vocatur דבר λόγος, *ſermo*, in V. T. 1 Sam. 3. 21. *Et revelavit ſe Dominus Samueli in verbo Domini.* 2 Sam. 7. 21. *Domine Deus propter verbum tuum præſtas omnia hæc.* Confer 1 Chr. 17. 19. *Propter ſervum tuum.* 2 Sam. 23. 2. conjung. Dominus מִלָּתוֹ & רוח, ſic & Hagg. 2. 4, 5, 6.

אמונה] *In fide*, *fidele.* Sic Chriſtus, *Non inveniet* fidem in terra, i. e. fideliratem.

6. *Verbo*] Mandato ſeu nutu, confer cum verſ. 9. Ita Piſc At Cal. de verbo concedit, eo Filium Dei notari, at de Spiritu ſentit idem quod Piſc.

Spiritu oris] i. e. Verbo. Periph. Eſa. 11. 5. 2 Theſſ. 2. 8. *Spiritu labiorum occidet improbum* Alii Filium & Spiritum Sanctum intelligunt, i. e. De Verbo Eſſentiali non prolatitio, de Spiritu ſubſiſtente, non vapore aſcendente. Sic Patres, Baſil. Cyrill.

Calv. *Ego in probanda Spiritus Sancti Deitate hoc teſtimonio Sabellium urgere non auderem.*

צְבָאָם] Lxx. Πᾶσα ἡ δύναμις ἀυτῶν. Exercitus cœli I. ſunt *Angeli*, quaſi in militia ordinati, & ſub Deo Imperatore ſuo militantes. 1 Reg. 22. *Vidi Dominum ſedentem ſuper throno ſuo, & omnem exercitum cœlorum ſtantem juxta eum à dextris & ſiniſtris.* Sic, *Benedicite Domino omnes* צְבָאָיו, *facientes voluntatem ejus.* Pſ. 103.

II. *Stellæ* in cœlo & in acie ordinatæ. Deut. 4. 19. *Nequando eleves oculum tuum & videas ſolem, lunam, & omnem exercitum cœli.* Hier. *Omnia aſtra cœli.* Act. 7. *Ut ſervirent exercitui cœli.*

Aliquando & *Terræ* tribuuntur. Geneſ. 2. וכל צבאם, Lxx. κόσμος, Hier. *Ornatus.*

7. *Congerit quaſi cumulum*] Aquas, quæ initio terris ſuperfuſæ erant, condidit in mare, ordinarium locum. Et tunc Part. pro Præt.

Vel *congerit*, id eſt, Congeſtas continet in ſuis alveis, ne terram obruant, quod argumentum ejus potentiæ & bonitatis. Continet arenâ.

Cumulum] נֵד. Lxx. ὡς ἀσκὸν, *quaſi utrem*, Vulg. *Ut in utre.* Legerunt נאד.

Dat] i. e. Ponit.

In theſauris abyſſos] Intelligit occultas cellas, & receptacula aquarum. Viſcera terræ.

אוצר] Et rem & locum. Pſ. 135. 7. *Proferens ventum ex theſauris ſuis.* Job. 38. *An veniſti ad theſauros nivis, & an theſauros grandinis vidiſti?*

Θησαυρὸς & אוצר aliq. imo propriè Receptacula Theſaurorum ſignif. Sic & Pſ. 135. Lxx. ὁ ἐξάγων ἀνέμους ἐκ θησαυρῶν ἀυτοῦ. Cic. *Memoria omnium rerum theſaurus.* Hinc *Theſaurus Pagnini*, &c. Virg.

Apothecæ ſervati mellis theſauri vocantur.

Jeſ. 45. Infernus vocatur θησαυρὸς ἀόρατος καὶ σκοτεινός. Hinc illuſtr. Math. 2. ubi de Magis dicitur, καὶ ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς ἀυτῶν. Arabs, *Vaſa ſua.* Epiph. πήρας ἢ θησαυροὺς ὡς ἔχει ἕκα τῶν ἀντιγραφῶν.

Abyſſos] Locum aquarum profundiſſimarum, ſignif. & ipſas aquas, ut hoc loco.

8. גוי] Gens, aliquando opponitur Judæis, ut in N. T. ἔθνη, *Apoſtolus gentium.* Aliquando etiam de *Judæis* uſurpatur. Joſ. 4. 1. *Cum conſummaſſet* כָּל־הַגּוֹי *tranſire Jordanem.* Ezech. 2. 3. *Mitto te ad filios Iſraël* אֶל־גּוֹיִם *rebellem.* Ex. 19. 6. *Vos eritis mihi regale ſacerdotium* וְגוֹי קָדוֹשׁ. Gentes Apoſtolo ferè ἕλληνες. Rom. 2. & 3. *Ideo criminati ſumus Judæos & Gentes, omnes eſſe ſub peccato.*

VI. Præcepta filiorum Noë, 1. Judicia, 2. Benedictio, 3. Cultus alienus, 4. Revelatio nuditatum, 5. Effuſio ſanguinis, 6. Rapina, i. e. Membrum de vivo.

9. Confer cum verſ. 6. ויעמד idem quod ויהי. Sic Ez. 9. 16. הֶעֱמַדְתִּיךָ. Jun. *Feci te ſupereſſe.* Ut Am. 7. 2. Gen. *Feci te eſſe.* Lxx. διατερήθης. Lx. קִיַּמְתָּךְ.

Dixit] i. e. Præcepit. Sic X. Verba, i. e. Præcepta.

13. האדם] Fortè melius Adæ, propter art. Vox Ebr. Terram ruſam ſignif. ἐληφθὴ γὰρ ἀπὸ πυῤῥᾶς γῆς, τοιαῦτη γάρ ἡ πάρθενος γή. Sic homo ad humo. Dices etiam beſtias ab humo. Reſp. etiam bruta morti obnoxia eſſe, & tamen θνητος βρότος apud Græcos non brutorum ſed hominum epith. eſt. Documenta iſta non brutis ſed hominibus neceſſaria ſunt. Ideo videmus Deum nobiliſſimis creaturis viliſſima nomina indidiſſe, Adam, Enos, Angelum, מלאך à miniſtrando, Sol שמש à miniſtrando.

15. *Qui format* יַחַד] *Pariter*, tam hujus quam illius. Alii *ſolus*, *ſigillatim*, καταμόνας, *ſecluſis aliis cauſis.* Sic Ab. accipit Eſræ 4. 3. *Nos* יַחַד *ædificabimus*, i. e. ſoli, ut opponatur τῷ יַחְדָּו ſed idem ſignificat. Illud enim per לְבַד efferunt. Synon. eſt κοινῇ. Eccl. 18. 1. *Deus creavit omnia* κοινῇ.

Pariter] Unius æque ac alterius, nemine excepto. Sic Sir. 18. 1. *ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε πάντα κοινῇ*, i. יַחַד. Dion. Carth. mire ſe torquet, optima ejus ſolutio, omnia uno inſt. à Deo creata eſſe in materiis & formis ſubſtantialibus, & quæ ſequentium dierum formatio, inquantum ad formam accidentalem.

16. נוֹשָׁע] Zach. 9. *Ecce Rex tuus juſtus* וְנוֹשָׁע *Salvator.*

גִּבּוֹר] Ch. גִּבָּרִין pro quo Prov. 2. 18. corruptè eſt גנברי, Lxx. *γίγας*, i.e. Interprete Heſychio *δυνάςης*, *ἰσχυρος*. Vocem רְפָאִים etiam interpretantur *γίγαντας*. Prov. 22. ſed Prov. 2. 18. per *γηγενεῖς* reddunt, idque ex uſu Ethnico: nam ipſis Gigantes ex terra nati. Unde Heſychius, *Γίγας, γηγένης, ὁ ἐκ τῆς γῆς γένεσιν ἐσχηκώς*. Hom.

Γηγενέων ἀνδρῶν μιμήμενοι ἔργα γιγάντων.

Et Ovidius,

Terra feros partus immania monſtra Gigantes
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.

17. *Mendacium*] Mentiri in S.L. aliq. eſt *fallere alicujus exſpectationem, fruſtrari.* Hoſ. 9. 2. *Muſtum mentientur illis.* Hab. 3. 17. *Non mentietur opus olivæ.* Etiam Spes dicitur mentiri, Job. 41. 6. *Spem mentita leges, Fundus mendax.*

Fallax equus] שֶׁקֶר pro דְּבַר שׁ'.

Et in multitudine roboris ſui] i. e. Quantumvis robuſtiſſimus, non liberabit, ſub. ſeſſorem ſuum, vel animam ejus. Alii ad מַלֵּט & Gibbor referunt, & ſub. נפשו animam ſuam.

חַיִל] *Robur*, corporis & animi ſtrenuitas. Et per Meton. omnia illa in quibus hominum vis ac potentia conſiſtit.

I. *Exercitus.* 1 Sam. 14. 8. עשה חיל. Lxx. *ἐποίησε δύναμιν.* Vulg. *Congregavit exercitum.*

II. *Divitiæ*, quas *rerum nervos* vocat Ariſtoteles. Sic Ruth. *Fac* חַיִל *in Ephrata.* Lxx. *ποίησαι δύναμιν.* Hier. *Congrega divitias.* Job. 5. Exhauriat ſitibundus חילם Ruth. 4. Prov. 31. Vulg. *Congregavit divitias.* Lxx. *ἐποίησε δύναμιν, καὶ ἐκτήσαντο πλοῦτον.* Alii duæ interpretationes coaluerunt, vel gloſſ. cum textu. Hinc Arab. *Chailon*, equus; *Chailon cohal*, equus niger.

GROTIUS.

6. V*Erbo Domini cæli firmati ſunt*] In Hebræo: *facti ſunt.* Ex Geneſ. 1. 6.

Et ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum] Sidera. *Spiritus oris Dei* קול פי יה [*vox oris Dei*] Phœnicibus. Et de Verbo ſive Ratione rerum opifice & de hoc Spiritu videri poſſunt quæ diximus ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

7. *Congregans ſicut in utre aquas maris*] Ex Græco, *συνάγει ὡσεὶ ἀσκὸν ὕδατα θαλάσσης* [*congregat ſicut utrem aquas maris.*] Legerunt Interpretes non כנד [*ſicut acervum*] ut nos, ſed rectiùs כנר, vel כנאר [*ſicut in utre*] nec Græci tantùm, quos plerumque ſequuntur Syrus & Arabs, ſed & Chaldæus. Deus mare in littoribus velut in utre conſtrinxit.

Ponet in theſauris abyſſos] Rectiùs, *ponit.* aliâ comparatione idem dicitur: nam *ἄβυσσος* [*abyſſus*] ſunt maria. Ea Deus velut in apothecis recluſa tenet. ſic *theſauros* ſive *apothecas nivis* dixit Job 38. 22.

8. *Timeat Dominum omnis terra*] Nam quis dubitat quin in terra faciat quæ velit, qui tam indomitam naturam maris domat?

9. *Ipſe dixit & facta ſunt*] Ut Latine dicimus, *dictum factum*, nullâ morâ interpoſitâ. Panegyriſtes Flavienſis in Panegyrico ad Conſtantinum: *Sic denique divina illa mens, quæ totum mundum hunc gubernat, quicquid cogitavit illud fecit.*

15. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*] *καταμόνας* [*ſigillatim*] Græci. Legiſſe videntur יחיד [*ſigillatim,*] non יחד [*pariter.*]

PRICÆUS.

6. A*Ccedite ad eum, & illuminamini*] De Eodem Auctor allocutionis ad Aſclepium, *Hominem ſolâ mentis intelligentiâ illuminans*: & poſt, *Unuſquiſque enim pietate, religione, cultu & veneratione Dei clareſcit, quaſi oculis verâ ratione perſpectâ.*

10. *Non eſt inopia timentibus eum*] Tobias 4. 21. ad filium, *Ὑπάρχει σοι πολλά, ἐὰν φοβηθῇς τὸν θεόν.*

13. *Quis eſt homo*, &c. *qui diligit dies videre bonos?* &c.] Juvenal. 4.

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat qui libera poſſet
Verba animi proferre ———

Et ſtatim,

Sic multas hiemes atque octogeſima vidit
Solſtitia ———

16. *Et aures ejus in preces eorum*]

——— *Juſtos multis quamvis regionibus abſit,*
Inſpicit, acceditque horum vox omnis ad aures.

17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala*] Opponitur hoc præcedenti membro. Hinc Apulejo in de Socratis Deo, *Bonis fautorem, adverſatorem malis.*

18. *Et ex omnibus tribulationibus liberavit eos*] Paulus 2 Tim. 3. 11. & de perſecutionibus ſuis, *Ἐκ πάντων με ἐῤῥύσατο ὁ Κύριος.*

19. *Et humiles ſpiritu ſalvabit*] *Ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινούς*, de eodem 2 Cor. 7. 6.

21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*] Locutio peculiarem tutelam denotans: talis Luc. 21. 18. Illa, *καὶ θρὶξ ἀπὸ τῶν κεφαλῶν ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται.*

IDEM.

4. E*T exaltemus nomen ejus in idipſum*] Id eſt ſimul: ut 61. 10. & 73. 6. & 121. 3. & alibi.

9. *Beatus vir qui ſperat in eo*] Suprà 2. 13. *Beati omnes qui confidunt in eo.*

11. *Inquirentes autem Dominum*, &c.] Qui inquirunt ut faciat quæ ſunt placita ei, ut 14 10. Tobiæ.

14. *Prohibe linguam tuam*, &c.] Sic alibi *pedem prohibere* dixit; & 39. 10. *labia non prohibere.*

22. *Mors peccatorum peſſima*] *Virum injuſtum mala capient in interitu*, infrà 139. 12. *Multa flagella peccatoris*, ſuprà 31. 10.

PSALM. XXXIV.

MUNSTERUS.

I*Ndicat titulus hujus Pſalmi quâ ratione David motus ediderit eum. Hiſtoria ſcribitur 1 Sam. 21. Porrò טעם, quod nos pro *eloquio* vertimus, quidam putant accipiendum pro ראיה *viſione*, alii pro עצה *conſilio.* Simulabat enim David moribus exterioribus atque verbis oris ſe fatuum & inſanum eſſe, ne agnoſceretur.

5. *Illuſtrati ſunt*] Kimchi putat verbum נהרו eſſe ab אור, cùm alioquin radix ipſa *currere* & *fluere* ſignificet.

10. *Leones penuriam habent.* Senſus eſt, Citiùs leones juniores, qui aliud nihil agunt quàm quòd prædæ inſidiantur, penuriam paterentur quàm ut inquirentes Dominum inopiâ laborarent.

VATABLUS.

V*Ultum ſuum* את טעמו] *Senſum ſuum, rationem ſuam, ſermonem ſuum:* i. e. dum fingeret ſenſum ſuum eſſe immutatum; h. e. cùm inſaniam ſimularet.

1. *Benedicam Jehovæ* אברכה את יהוה] *Laudabo Jehovam*, vel, *prædicabo.*

2. *Laudabit ſe* תתהלל] *Gloriabitur, jactabit ſe.* ¶ *Humiles* ענוים] *Manſueti, afflicti.*

4. *Quæſivi* דרשתי] *Studioſè quæſivi: Requiſivi: Exquiſivi.* ¶ *Timoribus meis* מגורותי] *Pavoribus*, vel, *terroribus, meis.*

5. *Aſpicient ad eum, & illuminabuntur* הביטו אליו ונהרו] Præt. Heb. pro Fut. *Aſpicient ad eum, & accurrent*, vel, *concurſabunt.* Alii, *Aſpicient ad illum, & properent.* Alii, *Aſpicient ad illum, & ſplendebunt*, vel *illuſtrabuntur*: & ità Chaldæus P.

6. *Pauper* עני] *Afflictus.*

7. *Et eripit eos* ויחלצם] Fut. Heb. pro præſ. *& tuetur eos*, vel *liberat*: aut, *liberare ſolet*: nam per futurum dicunt Hebræi, quid Latini exprimunt per infinitivum & verbum *ſoleo.* Singulare, *Angelus* vertere potes in plurale, *Angeli caſtrametantur.*

10. *Indigebunt* רשו] Præterita Heb. quæ nonnulli vertunt in præſens, *egent, indigere ſolent, eſuriunt.* ¶ *Non deficient omni bono* לא יחסרו כל טוב] *Nullo bono deſtituuntur.*

11. *Venite* לכו] Hebræi verbo imperativo uti ſolent pro adverbio hortantis, uti verbo *Agite* Latini.

12. *Vult vitam* החפץ חיים] *Cupiat vitam*, ſub. *longævam.* Hebræi ſæpe omittunt adjectiva quæ facilè ſubaudiuntur. ¶ *Diligit dies* אהב ימים] *Optat dies.* Subaudienda quædam, ſic, *quis, inquam, optat ſibi dies multos?* ¶ *Ut videat bonum* לראות טוב] *Videre bonum* phraſi Hebraicâ dicitur pro frui bonis.

16. *Vultus* פני] *Ira.*

17. *Clamant* צעקו] Præt. Heb. pro præſ. q. d. *Cùm clamant juſti*, &c.

18. *Con-*

18. *Contritis* לנשברי] *Confractis.* ¶ *Servat* יושיע] Fut Heb. pro præſ. *ſervare ſolet.*

19. *Eruit* יצילו] Fut. Heb. pro præſ. *liberat, eripit.*

21. *Interimet* תמותת] Vel per præſens, *interficit*, *& devaſtat*: q. d. Malum jugulat autorem mali.

C A S T A L I O.

ET hoc carmen apud Hebræos ſcriptum eſt ordine literarum.

C L A R I U S.

INdicat titulus hujus Pſalmi quâ ratione David motus ediderit eum. Reges Palæſtinorum *Abimelech* vocabantur, uti Reges Ægyptiorum *Pharaones*. Accommodatum autem Regibus nomen, quos Patrum loco eſſe decet: ſignificat enim, *Pater meus Rex*. Cæterùm hic Rex ad quem David fugerat *Achis* proprio nomine dictus fuit. Sunt qui putent eum fuiſſe binominem. Hiſtoria hæc habetur 1. Reg. 21. Cùm itaque Deus hujus ſimulationi favens effeciſſet ut Rex juberet David à ſe expelli tanquam inſanientem, tanto liberatus periculo hunc Pſalmum compoſuit in quo & Dei erga ſe bonitatem prædicat, & ad fidendum illi hortatur.

2. *Dominum laudabit*] Vel, *in Domino gloriabitur*: nam *de Domino gloriari* nihil aliud eſt quàm laudes ejus magno affectu prædicare.

3. *In idipſum*] *Pariter: unà omnes.*

4. *Ex omnibus tribulationibus*] Quàmvis adhuc Saul ipſum perſequeretur, videbatur tamen ſibi omni ſe periculo liberatum ſimul atque præſens periculum evaſiſſet. Obſervandum verò quòd David hanc ereptionem Divinæ benignitati non ſuæ ſagacitati vel fortunæ acceptam retulit: quod ſi idem homines facere diſcerent, multò magis eſſent pii ac Deo grati.

5. *Accedite ad eum*] Alius vertit, *reſpexerunt ad eum*, *& illuſtrati ſunt*, *nec facies eorum erubuerunt.* Et illud *ad eum* quidam intelligunt David ipſum, de quo facit alios loqui quæ ſequuntur, *Iſte pauper clamavit*, &c. Fructum ergo canit qui ex ſua liberatione provenit, nempe quòd viſâ Dei bonitate in ipſo tam præclarè demonſtratâ & alii ad Deum ſeſe receperint.

7. *Caſtrametatur*] Sic & Græcus Interpres vertit παρεμβαλεῖ, quanquam noſter Interpres ſignificatione vocis non ſatis intellectâ vertiſſet *immittet.*

10. *Divites eguerunt*] Alii verterunt *leones*; ſed Interpres ſenſum exprimere voluit, quòd videlicet qui potentiâ leonibus ſimiles videbantur, ad inopiam redacti ſint & famem paſſi, cùm interim quærentibus Dominum nihil unquam defuerit. Sunt tamen qui hunc ſenſum afferant, *Citiùs leones*, *qui ſemper prædæ inſidiantur*, *penuriam paterentur quàm inquirentes Dominum inopiâ laborarent.*

13. *Prohibe linguam*] Vide ut primam rem cujus commonefaciat *Linguam* ponat, veluti à qua omnia ferè mala proficiſcantur.

14. *Inquire pacem*, *& perſequere eam*] Quam ſcilicet niſi ſtudiosè quæras atque adeò, tanquam venator feram, totis viribus perſequare, frui eâ non licebit.

21. *Mors peccatorum peſſima*] Alius vertit, *Impium interficiet malum.*

22. *Non peribunt*] Sic & in Proverbiis, *Septies in die cadet juſtus*, *& ſurget tamen*; *at impius in mala corruet*: h. e. In plurima pericula juſtus incidet, at emerget; impium verò mala quæ inciderint penitus exſtinguent.

D R U S I U S.

1. לְדָוִד בְּשַׁנּוֹתוֹ אֶת־טַעְמוֹ לִפְנֵי אֲבִימֶלֶךְ וגו׳ . A. & V. ed. Τῦ Δαυὶδ, ὅτε, ἠλλοίωσε τὸ γεῦμα ἀυτῦ εἰς πρόσωπον Ἀβιμέλεχ καὶ ἐξέβαλεν ἀυτὸν, καὶ ἀπῆλθεν, *Davidis*, *cùm immutaſſet guſtum ſuum coram Abimelech*, *& ejeciſſet eum*, *abiiſſetque.* Sym. ὅτε μεμόρφωκεν τὸν τρόπον ἀυτῦ, *cùm immutaſſet formam moris ſui.*

3. יַחְדָּו. A. ὁμοθυμαδὸν, *pariter*] Lex. V. Ὁμοθυμαδὸν, *univerſi*, *unà*, *pariter*, *gregatim*, *ſimul.*

4. וּמִכָּל־מְגוּרוֹתַי הִצִּילָנִי. Sym. καὶ ἐκ πασῶν τῶν περιςάσεών μυ ἐξείλετό με, *ex omnibus neceſſitatibus meis exemit me.*

5. הִבִּיטוּ. A. ἀποβλέψατε.

22. בּוֹ. A. ἐν ἀυτῷ: Sym. ἐπ᾽ ἀυτῷ.

A M A M A.

1. CUm *mutaret geſtum ſuum*] Hiſtoria eſt 1 Sam. 21.

טַעְמוֹ] *Speciem*, *geſtus*, Lxx. πρόσωπον. I. *Guſtare ſaporem*, *paululum comedere*, unde טעם *guſtus*, *ſapor rei.*

II. Ad animum tralatum ſign. *cognovit*, *ſenſit*, *expertus tentavit*; ut enim guſtu dulcia & amara, ſalſa & inſulſa, ita mente res probamus, diſcernimus, & cognoſcimus. Unde טעם *Habitus* totius corporis in ſermone, geſtu, &c. item *mens*, *animus*, *ſenſus*, *intellectus.* Tharg. פִּרְשׁוּ. Sic Hom. Iliad. γ. γευόμεθ᾽ ἀλλήλων, experiamur inter nos, quid uterque poſſit æratis haſtis.

אֲבִימֶלֶךְ] i. e. Achis. *Fuerunt ei duo nomina*, inquit Aben. *ut multis aliis.* Sic exponunt Matth. 27. R. Sal. *Omnes Reges Philiſthæorum dicti hoc nomine*, *ut Ægypti Reges Pharaones.* Sic & Gen. 20. 21. & 26.

Pharao, i. e. *liber*, *privilegiatus*, à פרע, unde *Baro.* Unde Pharao Neco, Pharao Hophranus. Qui tempore Abraham, Pharao Tutis Joſephi, Rean Moſis Talma. Joſ. Ant. 8. 2. Pharo Ægypti Rex. Idem Manecho, & ex eo Euſeb. Sic & Hier. Eſ. 30. Reginæ Æthiopiæ Candaces. Senenſis, ut ſalvet hiſtoriam Judith, falſo adducit nomen Nebucad-nezar. Sed Reges Ægyptiorum, poſt Alex. ab ejus nominis primo Ptolomæo Lagi Filio, dicti Ptolemæi. Nunc Sultani. Sic à primo Cæſare, Cæſares; Reges Ponti, Mithridates; Tyri, Hiram; Syriæ, Antiochi; Reges Amalecitarum, Agag.

5. *Quæſivi Dominum*] i. e. Invocavi. Alibi, *conſului Oraculum.* 2. Par. 16. Ahab ad Joſaphat. Alibi, Totum Cultum Divinum. 2 Chron. 34. de Joſija.

6. וְנָהָרוּ] *Irruerunt inſtar fluvii*] Ad impetum cordis. Unde נהר *decurſus aquæ.* Eſ. 2. *Et current ad eum omnes gentes.* Sed נהר etiam *illuminari*, *lucere*, *clarum eſſe* ſignif. unde נְהָרָה *Lux*, Job. 3. & מִנְהָרוֹת Jud. 6. 2. Eſa. 60. *Tunc videbis* וְנָהַרְתְּ *& illuminaberis.* LXX. καὶ φωτίσθητε. Porro *illuminari* eſt *refocillari*, *exhilarari*, vel cibantur: nam in fame caligant oculi, unde Jonathanis oculi, cum guſtaſſet Mel, dicuntur oculi ejus fuiſſe *illuminati.* 1 Sam. 14. Sic Prov. 29. 13. Stare de oculis caligare. 1 Reg. 14.

7. זֶה *Hic pauper*] Vel ſubint. debet ad finem verſus præcedentis, *& dicent*, *iſte pauper*, vid. David. Vel, ſi ſunt verba Davidis, accipi debet δεικτικῶς. Sic accipi poteſt illud, *Et ſuper hanc petram*, i. e. ſuper me. *Tu*, *ſi hic ſis*, *aliter ſentias.* Hic, ὁ δ᾽ ἀνὴρ, Soph. ὦ παῖδες, ἥκει τῷ δ᾽ ἐπὶ ἀνδρὶ θέσφατος βιοῦ τελεύτη. *Venit huic viro mors oraculo prædicta.* Schol. Τῷ δ᾽ ἀνδρὶ δεικτικῶς, καὶ ἐςὶ πύκνος ἐν τῷ τοιῦτῳ Σόφλοκης. Idem, *Si quid mali paras in meos*, *ne facias hac ſuperſtite*, Joh. 11. *Solvite Templum hoc.*

10. קדש] *Separatus fuit*: Soph. 1. 7. *Sanctificavit invitatos ſuos.* Jirm. 12. 3. *Sanctifica eos in diem occiſionis.* Joël. 3. 9. *Sanctifica bellum.* Theod. διεγείρατε τοὺς μαχήτας καὶ ἀφορίσατε ἀυτοὺς εἰς πολ. Joſ. 12. 7. Jeſ. 13. 3. *Medos & Perſas vocat ſanctificatos ſuos.* Gen. 2. *Et ſanctificavit eum.*

11. כְּפִירִים] Qui jam deſiit eſſe גּוּר, qui adhuc tectus latuit in latibulo. Nam כָּפַר I. *Tegere*, *oblinere*, *obturare*; unde כֹּפֶר *Camphora*, ſpecies bituminis, pix. Gen. 7. 14. וְכָפַרְתָּ בַּכֹּפֶר *& bituminabis Arcam bitumine*; ἀσφαλτώσεις ἀσφαλτῷ.

II. Per Metaph. ſign. *amovere*, *remittere*, *expiare*; unde כֹּפֶר *pretium*, quòd quis dat ad judicis animum, vel hoſtis iram & vitam redimendam; λύτρον, ἄποινον: unde כְּפִיר, Lxx. πλέσιοι, quia Leonum more aliorum opibus inhiant & diripiunt. Et ſic Ab. Alii, כפרין בעיקר כפר Chald. *negare.* Sic Atheum & Hæreticum vocant.

12. *Filii*] Mos Propheticus diſcipulos vocare filios.

Omni bono] Ullo, nullo. Negatio non refertur ad ſignum, ſed ad verbum. Sic non ullus, nullus; non unus, nullus. *Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum*; *niſi abbreviarentur dies iſti.* &c *Non juſtificabitur* &c.

13. *Vitam*] Sc. longam. Sic Viri Menſuræ, ſc. Magnæ; Viri cordis, i. e. fortis, magnanimi. Sic Uxor, pro Uxor bona; Pecus, pro pingui; Lana, pro lana alba.

Hic Verſus jungitur cum ſeq. per vim enuntiati connexi, q. d. Si quis eſt qui delect. &c.

14. *A Malo*] i. e. Deſtrue vitia, & ædifica virtutes; nihil prodeſt, ſi deſtruis, & non ædificas.

17. *Facies*] Ira. I. *Facies*, *Vultus.*

II. Metaph. quicquid nobis obvertitur & apparet, *ſuperficies cujuſque rei.*

III. Meton. ſig. *internam faciem*, *affectus*, quorum ſigna in facie apparent, triſtitia, ira, lætitia, benevolentia, favor. Lev. 20. *Et ponam faciem meam contra eum.* Gen. 32. 20. *Placabo faciem ejus.* Th. *Sedabo iram ejus.* Triſtitia, 1 Sam. 1. *Et facies non erat ei amplius.* Favor paſſim in Pſalmis.

להכרית] כרת cum בְּרִית *ferire*, *icere*, *percutere fœdus.* Apud Judæos & Romanos in fœderibus pecora mactabantur, 1. Jurabant, 2. Tranſibant per partes pecudis, q. d. diſcindantur membra ejus, vel ſic fiat ei qui fœdus primum violaverit. Livius. *Sacerdos*

cerdos feriebat porcum ſilice, dicens; Sic à Jove feriatur is qui ſanctum hoc fregerit fœdus, ut ego hunc porcum ferio.

20. רעות *afflictiones*] Sic Matth. 6. κακία pro κακώσει, *malum pœna.* Amos, *Non eſt malum in urbe quod Dominus non fecit.* Alias *triſtitia.* Gen. 40. 7. *Cur facies veſtra* רעים Sic in Neh.

GROTIUS.

CUm *immutavit vultum ſuum*] Cùm fugere ſe ſimulavit. 1 Sam. 21. 13.

Coram Achimelech] In Hebræo, *Abimelech*, quod ab antiquo nomen Regum illius tractûs, ut apparet Geneſ. 20. & 26. unde & ſucceſſoribus adhæſit, ut *Cæſarum* nomen Romanis Imperatoribus. Nam proprium Regis, de quo hîc agitur, nomen fuit *Achis.*

6. *Accedite ad eum: & illuminamini*] Illud & debuit incipere novum comma, quod incipit à litera ו.

21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex eis non conteretur*] Vide quæ ad Johannem 19. 36. Rabbini de oſſe quod *Luz* vocant mira hic nugantur.

PRICÆUS.

5. FIant *tanquam pulvis ante faciem venti*] Vide ſuprà ad 1. 6. dicta.

6. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum*] *Per diem* (ut Job. 5. 14.) *in tenebras incurrant.* Jeremiæ 23. 12. *Idcirco via illorum erit quaſi lubricum in tenebris: impellentur, & corruent in ea.*

7. *Abſconderunt mihi interitum laquei ſui*] Abſconderunt laqueum in interitum (i. e. perniciem) meum.

8. *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit apprehendat eum*] Ità & infrà 139. 10. ubi *cadent*, eſt, *cadant.* Ovidius,

——— *In laqueos quos poſuere cadant.*

Pro voce *captio* eſt in Græco θήρα, unde forſan in Vulgato noſtro non *captio*, ſed *captatio*, legendum. Ità in Gloſſario, *Captatio*, θήρα & fortè ibi reſpicitur iſte Pſalmi locus. Legimus & in alio Gloſſario Θήρα, *captatio*: item, Θηρεύω, *capto.* *Captio* autem potiùs dicitur de dialecticis ſophiſmatis, vel de ſubagitatione per blanda dicta factave: unde & *Captio*, ὑπαγωγή, in vetere Onomaſtico.

11 *Surgentes teſtes iniqui*] Vide ſuprà 26. 12. Ità & Marc. 14. 57. *Surgentes quidam, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum.*

15. *Et ignoravi*] Eſa. 47. 11. *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus.*

16. *Frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*] Vide ad Act. 7. 54. dicta.

17. *Domine, quando reſpicies?*] Eſt quale Apoc. 6. 10. Ἕως πότε ὁ δεσπότης; ad quem locum annotata vide.

19. *Non ſupergaudeant mihi*] i. e. Non inſultent. In Græco, μὴ ἐπιχαρείησάν μοι Sic & Sirach. 23. 3. Gloſſarium, Ἐπιχαίρειν, *inſultare.* Gloſſæ aliæ, *Inſultat*, ἐπιγαυριᾷ, ἐπιχαίρει.

Ibid. *Qui oderunt me gratis*] Ità & infrà 108. 3. Quintilianus Declam. 323. *Sunt quidam irrationabiles animorum impetus, quædam gratuita, ut vocantur, odia.*

Ibid. *Et annuunt oculis*] Alium reſpicientes, eorum more qui alios derident. De ſt deriſo Apulejus, *Omnium oculis, nutibus*, &c. *denotatus.*

21. *Dilataverunt ſuper me os ſuum*] Gr. ἐπλάτυναν τὸ ςόμα αὐτῶν i. e. ut loquuntur Græci diſertiores, πλατὺ ἐγέλασαν. *Super me*, eſt, ſuper mala mea. Apulejus 3. *At ille non contentus quòd mihi nec adſiſtendi ſolatium præbuit, inſuper exitium meum cachinnat.* Ubi *cachinnare*, eſt *os dilatare ſuum.*

Ibid. *Dilataverunt ſuper me os ſuum*] Cachinnis mala mea proſecuti ſunt.

Ibid. *Dixerunt, Euge, viderunt oculi noſtri*] Ità, *oculos alterius ſupplicio exſaturare*, apud Ciceronem 5. Verrinâ.

26. *Qui gratulantur malis meis*] Qui mihi (i. e. malis meis) ſupergaudent, ut modò locutus eſt. Apulejus 7. *Lætus, & malis meis inſultans.* De voce *gratulari* vide ad ejuſdem 3. pag. 155. annotata.

IDEM.

6. FIat *via illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini coarctans eos*] Sanè dira imprecatio: in obſcura enim &(quod plus eſt) lubrica via ante perſequentem fugere, quid formidoloſius? LXX. καταδιώκων· at ſenſus eſt, ità ira Divina concludat eos, ut nullum iis effugium pateat. Hoc & optimè vidit Vulgatus, dum *coarctans* vertit. Rem ipſam, etſi non vocem illam, habemus Numer. 22. 25. ubi & de Dei angelo, *Verberabat aſinam Balaam, & nihilominus angelus ad locum anguſtum tranſiens, ubi nec ad dextram nec ad ſiniſtram poterat deviare, obvius ſtetit*: i. e. coarctabat eum, ut nullus ei exitus relinqueretur.

10. *Omnia oſſa mea dicent*, &c.] Id eſt, anima mea (ut com 9.) in gaudio exſultabit, & dicet, &c. Solet his in libris hoc modo exprimi conſolatio medullas penetrans. Vide Pſ. 21. 15. & 30. 11. & 41. 11. & 50. 10. Sirachid. 26. 16. Prov. 3. 8. & 15. 30. & 16. 24. ut & contrà, ſumma mœſtitia, Proverb. 12. 4.

Ibid. *Eripiens inopem de manu fortioris*] Hic unus eſt inter alios eminentes effectus Divinæ potentiæ. Jer. 15. 21. Baruch. 6. 35.

11. *Quæ ignorabam interrogabant me*] Servius ad Virgilii illud,

——— *Hinc ſemper Ulyſſes*
Criminibus terrere novis: ———

Novis, quæ ſcilicet nullus ſperâſſet.

12. *Retribuebant mihi mala pro bonis*] *Exſpectabam* (ut Job. 30. 26.) *bona, & venerunt mihi mala: præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ.* Vide Pſ. 37. 21. & 108. 5.

Ibid. *Sterilitatem animæ meæ*] *Seminavi* (ut Jerem. 12. 13. *triticum & meſſui ſpinas.* LXX. heic ἀτεκνίαν. In Gloſſario, Ἀτεκνία, *orbitudo, orbitas.* Heſychius, Ἀτεκνία ſupple, (quod deeſt in excuſis) ἀγονία.

14. *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam*] *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*, infrà 119. 7. ubi & ſequitur *impugnabant me gratis*, ut heic, *adverſùm me lætati ſunt.*

15. *Congregata ſuper me flagella, & ignoravi*] *Laqueus* (ut ſuprà com. 8.) *quem ignoravi.* Jer. 50. 24. *Illaqueavi te, & capta es Babylon, & neſciebas.*

Ibid. *Et ignoravi*] *Non cognovi* (ut Jerem. 11. 19.) *quia cogitaverunt ſuper me conſilia*: eram
Ignarus ſcelerum tantorum artiſque nefandæ.

16. *Compuncti*] In Gr. κατενύγησαν & huc reſpiciens Heſychius, Κατενύγησαν, ἐλυπήθησαν.

17. *Reſtitue animam meam à malignitate eorum*]
——— *Miſerere laborum*
Tantorum, miſerere animæ non digna ferentis.

18. *Confitebor tibi in Eccleſia magna*] Suprà 12. 26.

Ibid. *In populo gravi laudabo te*] Infrà 115. 4. *Vota mea reddam Domino coram omni populo ejus.* Græci heic (Hebræos ſecuti) ἐν ὄχλῳ βαρεῖ· quæ locutio occurrit & 1 Maccab. 1. 20.

19. *Et annuunt oculis*] Ut ſolent qui malignantur, vel qui derident. Vide Prov. 6. 12.

PSALM. XXXV.

MUNSTERUS.

3. COnclude] Sunt qui hîc סגר exponunt nominaliter pro inſtrumento bellico. Rectiùs tamen videtur exponendum pro *claudere viam armatis viris*, unde hoſti aditus patere potuit.

12. *Privare animam meam*] Heb. *ut ſterilem facerent animam meam*: quod quidam intelligunt de *interfectione*, alii de *ſumma deſolatione*, in quali ſunt orbi, qui neque amicum neque patronum quempiam habent.

13. *Oratio mea in ſinum meum revertetur*] h. e. Tam fideliter oravi pro eis ut cupiam orationis meæ effectum redire in ſinum meum: tantum abeſt ut mali quippiam illis imprecatus ſim.

14. *Juxta luctum matris*] Kimhi exponit hic אבל pro תינוק בוכה *puero lugente matrem ſuam*: ſic, inquit David, ego dolui & triſtis inceſſi cùm illis aliquid adverſi accidiſſet, & ipſi jam quærunt animam meam.

15. *In adverſa valetudine mea*] Hebraïſmus propriè habet *in claudicatione mea.*

16. *Garruli ſubſannatores*] Exponit hîc מעוג pro שיחה בטלה *inutili fabulatione*, cùm alioquin ſignificet *placentam* & *panem ſubcinericium.*

19. *Annuant oculo*] h. e. Prohibe eos, Domine, nè voluptatem, quam de malo meo habent, oculis oſtendant.

21. *Vah*] Interjectio eſt gaudentis, aut magis inſultantis, q. d. *Jam videt oculus noſter quod diu optavimus.* Idem ſentiendum de hoc quod ſequitur, *Euge anima noſtra*, h. e. Jam bene eſt animæ noſtræ, poſteaquam evenit quod optavimus.

VATA-

VATABLUS.

1. L*itiga, Jehova, cum litigantibus mecum* ריבה יהוה את יריבי] *Diſcepta cum diſceptantibus mecum.* Vel, *contende cum contendentibus mecum:* aut, *cum litigatoribus meis.* Alii, *Judica judicantes me.* ¶ *Pugna,* &c. לחם את לחמי] *Expugna impugnantes me.* Vel, *devora devorantes me.*

2. *Apprehende clypeum* החזק מגן] *Celeriter apprehende clypeum.* Alii, *Robora,* vel *corrobora, clypeum,* ſub. *meum,* i.e. da robur clypeo meo, ut poſſim te duce tueri me.

3. *Et educ* והרק] Ad verb. *Et evacua,* vel *denuda,* pro *deprome & expedi,* à ריק ¶ *Et intercludе viam in occurſum perſequentium me* וסגור לקראת רדפי] *Et prodi obviam perſecutoribus meis.* Vel, *praeoccupa ex adverſo perſequentes me.* Aut, *conclude* viam *adverſus perſequentes me.*

5. *Ut gluma* כמוץ] *Ut pulvis, palea tenuis: quiſquilia.*

6. *Tenebræ & lubricitates* חשך וחלקלקות] Subſtantiva pro adjectivis, *tenebroſa* (ſive *caliginoſa*) *& lubrica.*

7. *Foderunt* חפרו] Additum eſt *foveam:* nam apud Hebræos omne verbum includit nomen quod ab ipſo deducitur, ut à *fodio fovea.*

8. *Contritio* quam *non cognoſcat* שואה לא ידע] *Tumultus* quem *non novit.* De eo tumultu loquitur quo ſubita infertur ruina. Alii vertunt, *calamitas* quam *non prævidit,* aut quam *ignorat.* Nonnulli, *interitus* aut *excidium* quod *neſciat,* i.e. improviſum & inexſpectatum. ¶ *In deſolationem ipſam cadat* בשואה יפל בה] *Cum tumultu cadat in illud.* Vel, *cum fragore corruat in illud.* Alii, *cum calamitate incidat in ipſum.*

9. *Exſultet* תגיל] Fut. Heb. *exultabit de Jehova, lætabitur de ope ejus.*

10. *Oſſa mea* עצמתי] Pars pro toto, *totum corpus meum.*

11. *Inſurrexerunt* יקומון] Fut. Heb. pro præt. ¶ *Mendaces* חמס] *Iniquitatis, violentiæ.* ¶ *Quæ non noveram* אשר לא ידעתי] *De eo quod non agnoſcebam,* vel, *de eo cujus conſcius non eram.*

12. *Sterilitatem* שכול] *Orbitatem,* ſub. *rependerunt:* i.e. privarunt me vitâ.

13. *Veſtimentum meum* erat *ſaccus* לבושי שק] Sic Hebraïcè, pro *induebar ſacco.* ¶ *Revertebatur* תשוב] Sic quidam vertunt, propterea quòd veteres ferè orabant incurvi cùm eſſent in luctu, atque ità precatio quaſi in ſinum revertebatur. Si ità accipias, non tam precationem quàm habitum precandi Pſaltes hâc oratione expreſſit. Hinc nonnulli, *In precationibus curvabar.* Alii, *revertatur:* ac ſi dicat, *Adeò bene precabar ut orationem meam redire velim in memetipſum: ſiqua mala illis imprecatus fuero, in me recidant.*

14. *Humiliabam me* שחותי] *Incurvabar,* i.e. triſtis dejecto capite incedebam ut qui mœſti ſunt.

15. *Sed* ipſi *in claudicatione mea* ובצלעי] *Claudicatio* pro *infirmitate.* ¶ *Claudi* נכים] *Percuſſi: triſtes.* Dolore affecti, ac vulnerati. ¶ *Proſciderunt* קרעו] *Aperuerunt,* ſub. *os ſuum præ vehementi riſu.* Alii *oblocuti ſunt.* Alii, *ſciderunt,* ſub. *cor meum.* ¶ *Siluerunt* דמו] *Ceſſaverunt.*

16. *Cum hypocritis,* & *ſubſannatoribus qui indulgent ventri* בחנפי לעגי מעוג] *Cum impiis ſubſannatoribus ſubcineritii panis,* i.e. indulgentibus ventri, & paraſitis. Alii, *Cum adulatoribus & ſubſannatoribus ſubſannatione,* vel, *verbo otioſo.* Alii, *cum ſimulatoribus deriſionum vanitatis:* i.e. cum hypocritis ſannis deditis, ſannis, inquam, futilibus & vanis.

17. *Videbis?* תראה] Sub. *iſtud, & connivebis.* ¶ *Eripe* השיבה] *Retrahe, revoca, reduc.* ¶ *A deſolationibus eorum* משאיהם] *A tumultibus eorum, à calamitatibus eorum.*

18. *Forti* עצום] *Robuſto: valido,* i.e. multo.

19. Neque *odio habentes* שנאי חנם] More Hebræorum negatio præcedens ſecundo loco ſubaudienda eſt. Alii, *qui oderunt me ſine cauſa,* & *innuunt oculis.* ¶ *Innuant oculo* יקרצו עין] *Colliment oculo.* Alii, *nictent oculo,* i.e. ſubinde oculum claudant adverſùm me.

20. *Loquuntur* ידברו] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et contra humiles terræ* ועל רגעי ארץ] *Et contra manſuetos terræ.* Vel, *tranquillos:* aut *quietos.* *Manſuetos terræ* vocat qui pacato animo vivunt & quieto. Nonnulli, *Et cum quietis terræ,* i.e. cum pinguibus & divitibus.

21. *Et dilataverunt* וירחיבו] *Et diſtendunt, dilatant,* i.e. aperto ore adverſùm me loquuntur. ¶ *Vidit* ראתה] Sub. *quæ optavimus videre.*

22. *Vidiſti* ראיתה] Aut per præſens, *Vides,* ſub. *injurias quibus me afficiunt.*

23. *Excita te,* העירה *Exſurge.* ¶ *Ad judicium meum* למשפטי] *Ut jus mihi dicas,* i.e. ut jus meum vindices.

24. *Judica me* שפטני] *Jus mihi redde,* i.e. Pronuncia de jure meo.

25. *Euge anima noſtra* האח נפשנו] *Vah anima noſtra.* Vel, *Vah votum,* ſive *deſiderium noſtrum:* q. d. Pro voto ſucceſſit, נפש enim ſignificat etiam *votum, deſiderium,* & *cupiditatem.* ¶ *Diſperdidimus eum* בלענוהו] *Voravimus eum.*

26. *Et erubeſcentiâ* וכלמה] *Et ignominiâ.* ¶ *Magnificantes ſeſe* המגדילים] *Attollentes ſeſe.*

27. *Laudent* ירנו] *Ovent: Jubilent.* ¶ *Volunt juſtitiam meam* חפצי צדקי] *Delectantur juſtitiâ meâ: favent juſtitiæ meæ.* ¶ *Vult* החפץ] *Amat:* i.e. cui placet ut ſervus ſuus rerum ſucceſſu fruatur. ¶ *Loquetur* תהגה] *Meditabitur: reſonabit.*

CASTALIO.

13. P*Reces in ſinu meo iterans*] Apud me.

16. *Et impurorum heluonum ritu dentibus in me ſtridentes*] Ut heluones cibum, ſic illi me mordent.

19. *Ne oculis ſignificent*] Inter ſeſe gaudeant.

CLARIUS.

DAvid à Deo in Regem fuerat unctus. Ei electioni inſerviebat cum nullius injuria; ſalutem Regni & Regis totis viribus tutatus fuerat; nec aliud quàm Dei gloriam illuſtrare unquam quæſierat: hâc conſcientiâ fretus non dubitabat Deum in ſe ab iniquo Saule & adulatoribus ejus oppugnari: Deum ergò magnâ fiduciâ invocat ut ipſe bellum contra hoſtes ſuſcipiat; eumque ſolitâ ſibi Anthropopathiâ, velut Hominem armat *clypeo* & *lanceâ.*

3. *Conclude*] Viam ſcilicet hoſti, unde ei aditus patere poſſet.

6. *Fiant via illorum*] Via per quam fugiendum erit eis deſtituatur lumine, & præterea *lubrica* ſit, *& perſequatur* etiam *eos Angelus Domini.*

8. *In laqueum cadat*] In illum ipſum laqueum quem mihi paraverat cadat.

11. *Quæ ignorabam interrogabant me*] Interrogantes objiciebant mihi ea quorum non eram mihi conſcius.

12. *Sterilitatem animæ meæ*] Ad inopiam redigere conabantur me. Hebraïſmus enim ſic habet, *ut ſterilem facerent animam meam.* Quod quidam intelligunt de interfectione; alii de ſumma deſolatione, in quali ſunt orbi, qui neque amicum neque patronum quempiam habent.

13. *Ego autem cùm moleſtiam paterentur*] Ego contrà atque illi nunc in me faciunt, in eorum calamitatibus agebam, ea ſcilicet quæ lugentes ſolent. Nam luctus tribus conſtabat, Jejunio, Habitu triſti, Precatione. ¶ *Et oratio mea*] Quidam verterunt *in precationibus curvabar,* ut habitum precandi Propheta expreſſeſit. Alii Hebraïſmi hunc ſenſum aſſerunt, *Precatum me pro hoſtibus nemo poteſt inficiari; at fortè dicent me malum illis imprecatum, non bonum: peto igitur ut in ſinum meum oratio mea redeat, h.e. mihi eveniat quod oravi illis.*

14. *Lugens matrem*] Solent matres diligi à liberis teneriùs quàm patres: quare mortes earum ferunt gravius.

15. *In meis adverſis*] Hebraiſmus habet *in claudicatione mea.*

18. *In populo grandi*] Vel *forti.* *In hominum frequentia,* inquit, *& apud populum fortem extollam te.*

19. *Annuunt oculis*] Dum voluptatem quam de meo malo habent oculis oſtendunt.

21. *Dixerunt, Euge, euge*] Vel, *Vah, vah.* Interjectio Gaudentis, aut magis Inſultantis. q. d. *Jam videt oculus noſter quod diu optavimus.* Idem ſentiendum de eo quod ſequitur.

25. *Euge anima noſtra*] h. e. Jam bene eſt animæ noſtræ, poſtea quam evenit quod optavimus. Talem de Servatore triumphum geſſerunt Judæi, ſed magno ſuo malo.

DRUSIUS.

1. לְדָוִד. A. τοῦ Δαυὶδ, *Davidis.*

3. וְהָרֵק חֲנִית וּסְגֹר. A. Sym. Th. & V. ed. καὶ γύμνωσον λόγχην, καὶ περίφραξον, *nuda lanceam, & interſepi.*

7. חִנָּם טָמְנוּ־לִי שַׁחַת רִשְׁתָּם. Sym. ἀναιτίως ὤρυξάν μοι διαφθορὰν δικτύου αὐτῶν, *ſine cauſa foderunt mihi foveam retium ſuorum*] Lege κατέκρυψαν, & vide ed. Rom. Lat. ¶ חִנָּם חָפְרוּ לְנַפְשִׁי. Sym. ἀναιτίως ὑπώρυξαν τὴν ψυχήν μου, *ſine cauſa ſuffoderunt animam meam*] Alibi eſt διέρρηξαν, quod non ità placet.

8. לֹא־יֵדָע. A. οὐ γινώσκοντι, *neſcienti.* Sym. ὃ μὴ οἶδεν, *quod non novit.*

12. תַּחַת טוֹבָה. A. ἀντὶ ἀγαθωσύνης, *pro benignitate.* Sym. ἀντὶ ἀγαθοῦ, *pro bono.* ¶ שְׁכוֹל. A. ἀτεκνίαν, *orbitatem.*

¶ לְנַפְשִׁי

¶ שְׁכוֹל לְנַפְשִׁי. Sym. ἀντεστραμμένα κατὰ τῆς ψυχῆς μȣ] Lectio alia συνεστραμμένα, & alia notata ex Euſebio ἀνεστραμμένα.

13. וַאֲנִי בַּחֲלוֹתָם לְבוּשִׁי שָׂק. A. καὶ ἐγὼ ἐν ἀῤῥωςίᾳ αὐτῶν, ἔνδυσίς μȣ σάκκος, *Mihi autem in infirmitate ipſorum ſaccus erat indumentum.* Vide Rom. edit. Lat. Th. & V. ed. Ἐγὼ δὲ ἐν τῷ παρενοχλεῖσθαι αὐτȣ̃ς, *Cùm ipſi moleſtarentur*] Lege παρενοχλεῖσθαι. Lex. Vet. Ἐνοχλῶ, *moleſto, convicior.* Lxx. ἐν τῷ αὐτȣ̃ς παρενοχλεῖν μοι, *cùm ipſi moleſti eſſent mihi.* ¶ תָשׁוּב. Sym. ὑπέστρεψεν, *reverſa eſt.*

14. כְּרֵעַ כְּאָח לִי הִתְהַלָּכְתִּי. Sym. Ὡς πρὸς ἑταῖρον, ὡς πρὸς ἀδελφὸν ἀνεστράφην, *Ut cum ſocio, ut cum fratre converſabar.* ¶ כַּאֲבֶל־אֵם קֹדֵר שַׁחוֹתִי. * ὡς πενθῶν ὁμομήτριον σκυθρωπάζων ἐκύφην, *ut lugens uterinum mæſtè inclinabam me.*

15. וּבְצַלְעִי שָׂמְחוּ וְנֶאֱסָפוּ. Aq. ἐν σκασμῷ μȣ ηὐφράνθησαν καὶ συνελέγησαν, *in claudicatione mea lætati & collecti ſunt.* Sym. σκάζοντός μȣ ηὐφραίνοντο καὶ ἠθροίζοντο, *claudicante me lætabantur & coibant.* ¶ נֵכִים. Sym. πλῆκται, *percuſſores*] Locus hic plenior exſtat apud Theodoretum, *Congregati ſunt contra me percuſſores, & neſcivi*, συνελέγησαν ἐπ' ἐμὲ πλῆκται, καὶ ȣ̓κ οἶδα. ¶ קָרְעוּ וְלֹא דָמּוּ. Sym. ἀποῤῥήξαντες ȣ̓κ ἠρέμȣν, *prorumpentes non quieverunt.* Aq. ἔῤῥηξαν, καὶ ȣ̓κ ἐσιώπησαν, *ruperunt, & non ſiluerunt.*

16. בְּחַנְפֵי לַעֲגֵי מָעוֹג וגו'. Sym. ἐν ὑποκρίσει ῥήμασι πεπλασμένοις ἔπριον κατ' ἐμȣ̃ ὀδόντας αὐτῶν, *In ſimulatione verbis confictis ſerrabant contra me dentes*] Lectio varians ἐπηχρίȣν· fortè ἐπηγρίȣν, *exaſperabant*, ab ἀγριόω.

17. יְחִידָתִי. A. μοναχήν μȣ, *ſolitariam meam.* Sym. μονότητά μȣ] Ità dicitur μονότης ut ἑνότης, ut ἀπλότης. In Theodoreteis *juventutem meam.* C. νεότητα· error manifeſtarius. Vide quæ ſcripſimus lib. 3. Quæſt. 35.

18. בְּעַם עָצוּם Aq. ἐν λαῷ ὀστείνῳ, *in populo oſſeo.* Sym. ἐν λαῷ παμπληθεῖ, *in populo plurimo*] Ὀστείνῳ, τȣτέςι ἰσχυρῷ, *valido, forti.*

20. כִּי לֹא שָׁלוֹם יְדַבֵּרוּ. Sym Οὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλȣ̃σι, ἀλλὰ περὶ συναρπαγῆς ἐν τῇ γῇ λόγȣς δολίȣς λογίζονται, *Non ad pacem loquuntur, verum de correptione in terra ſermones doloſos cogitant.* V. ed. Ὅτι ȣ̓κ εἰρήνην λαλȣ̃σι, καὶ ἐπὶ συντελείᾳ γῆς ῥήματα δόλια λογίζονται, *Nam non loquuntur pacem, ſed de conſummatione terræ verba doloſa cogitant.* Aq. καὶ ἐπὶ ἀθρόα γῆς ῥήματα ἐπιθεσιῶν λογίζονται, *in locis confertis terræ verba impoſturarum cogitant.*

22. אַל־תֶּחֱרַשׁ. Sym. μὴ ἡσυχάσῃς, *nè quieſcas.*

23. לְרִיבִי. Sym. εἰς τὴν δικαίωσίν μȣ.

28. כָּל־הַיּוֹם. Sym. πᾶσαν ἡμέραν, *omnem diem.* ¶ תְּהִלָּתֶךָ. A. ὑμνήσει σε, *hymnos canet tibi.*

A M A M A.

1. יָרִיב] Jeſ. 49. *Et cum* יְרִיבֵךְ *ego* אָרִיב ἀντίδικος.

אֶת] Hic eſt *cum*, ſic Gen. 4.

2. וְצִנָּה] *Aut ſcutum*, צִנִּים *acuti pali, ſudes acutæ.* Eſt ergo ſcutum, ex cujus umbilico procedit acutiens. ו neceſſ. *aut*, ſic Jud. 11. Exod. 12. 5. *Ex ovibus aut capris.* Exod. 21. 17. *Qui maledicit Patri aut Matri.* Conf. Matth. 15. 4.

3. סְגֹר] *Sagarem.* Gladius Perſicus, Segor-gar, Magor-gar, Tſor, Tſar. Herod. de Maſſagetis, *Sagittarii ſunt ac haſtati ſagares ex more geſtantes.* Interpr. *pugiones.*

וּסְגֹר] *Et præclude*, ſub viam. Belg. *Beſchut.* Sic Lxx. Jun. Piſc. It. Et Gen. *Serre la paſſage à la rencontre de ceux qui me perſuivent.* At Kimchi, Druſ. Scindl. & alii oſtendunt poſſe eſſe nomen inſtrumenti bellici, ut ſit ſpecies gladii.

4. אָחוֹר] Etiam *Occidens.* Job. 23. 8. *Ecce ad orientem ibo, & non adeſt* ואחור, Tharg. למערבא, *ad occidentem nec intelligam eum.* Eſ. 9. 12. *Syria* מקדם & *Philiſtæa* מאחור.

איחור *Coitus cameli*, qui fit converſis poſterioribus. Idem Ariſt. de Lepore. Erravit ergo Thalm. Solus camelus אחור כנגד אחור Homo, Serpens & Piſcis פנים כנגד פני. Reliqua פנים כנגד עקף.

Quærunt animam] Vide Pſ. 54. 5.

יִסֹּגוּ אָחוֹר] Pleonaſm. Sic השכים, ſic *adverſari contra, reverti rurſus, ſupplicare clam, aſſimilare ſimiliter.* Hom. νόσφι λιάσθεις. Matth. ἀπολȣθεῖν ὀπίσω.

5. לִפְנֵי] *Coram*, loci & temporis. Loci, paſſim, *Et ſtetit coram illo.* Gen. 18. Temporis, Deut. 2. *Gigantes* לפנים *ante habitabant in ea.* Aliquando peculiarem habet ſignificationem, & ab Interpretibus redditur per *quamdiu.* Pſ. 72. *Timebunt te cum Sole & coram Luna.* Pſ. 102. *Semen ipſorum coram te formabitur.* Sic in Præcepto primo.

דֹּחֶה *Expulit, propulit, impulit, amovit.* דְּחִי *Merſa*, Chald. דחוי *refutatio.*

6. חָלָק] *Diviſit in partes.* חֵלֶק *Portio* 2. *Diviſit in partes invicem aquas, læve, glabrum reddidit, lævigavit.* Glabrum enim cujus partes ſunt æquæ. Opponitur hirſuto. Transfertur ad ſermonem, os, labia, linguam, guttur. חָלָק *lævis*, חֵלֶק *lubricitas, glabrities.* חלקות & dupl. *lubricitates*, i. e. tenebricoſæ & lubriciſſimæ. Sic *Abominatio*, 1 Cor. *inimicitia adverſus Deum.*

7. חִנָּם] *Excludit*, 1. *meritum*, i. e. ſine cauſà. Prov. 1. 2. Mercedem, Precium, *gratis.* Gen. 29. 3. Effectum, *fruſtra.* Ezech. 6. 10. *Cognoſcetis quod ego non fruſtra locutus ſim.* 4. Cauſam, temerè. 1 Reg. 2. דְּמֵי חִנָּם.

טָמְנוּ] Hinc Matmon Theſaurus. Hinc quidam Μαμμωνᾶ. Heſych. Θήσαυρος πλεονεξίας. Suid. Πλούτος περιττὸς καὶ ὑπὲρ τὴν χρείαν. Aug. *Lucrum in Punica.* Præſtar ab מַאֲמוֹן אמן Juxta illud הון עשיר מגדל עזו, unde *Mamon*, ut *Mamara* pro Maämara; vel *Mammon*, ut מַלָּף pro מַאֲלָף Rabb דיני הכמונות & עונש בממון. Elias. *Have*, Germ.

שַׁחַת] Maſc. Pſal. 94. 13. cum שַׁחַת à יָרָה, alii à שוח *depreſſus fuit*, ut à רָחַת ריח *Vannus*, inſtrumentum cujus ventilatione frumentum purgatur

גזל] *Vi rapere*, עשק *per occultas artes.* Alii, ut Kimhi, עשק eſſe generale, & ſub eo comprehendi גזלה rapina.

8. בְּשׁוֹאָה] *Ad vaſtationem*] Sic Jeſ. 10. 22. יָשׁוּב בּוֹ *redibit ad eum.* Levit. 16. *Et mittet* במדבר in deſertum. Sic in Attica, ἐν οἴκῳ ἰέναι, pro εἰς. *In Gerari cesſit*, Sulpitius. Vel *cum*, Pſ. 35. בְּחַנְפֵי *cum hypocritis*, Hoſ. 5. *cum pecore ſuo* בְּצֹאנָם.

Cadere] Aliquando *mori*, 2 Sam. 1. *Quomodo ceciderunt robuſti tui.* Sic Virg.

——— *Cadit & Ripheus.*

Unde *caducum* pro *mortali.* Sic πίπτειν apud Hom. Unde מַפֶּלֶת *Cadaver*, ut πτῶμα à πιπτ. cadaver à cadendo.

Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

10. כָּל־] Duo cum accentu, alter locus eſt Proverb. 19. 7.

יְהוָה מִי כָמוֹךָ] Sic Exod. 15. 11. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה. Hinc מכבי *Teſſera militaris*, aliis *extinctor*, ut Darius ἑρξείης *coercitor*, & Xerxes Ἀρηΐος, i. e. *Martius.*

11. יְקוּמוּן] *Surgunt*, vel *ſtant*, ut Pſ. 1. Confer Luc. 21. 35.

יִשְׁאָלוּנִי] *Petunt, poſcunt me.* Grammatici Latini diſtinguunt, quod *poſcamus imperiosè, petamus precariò, poſtulemus jure, obſecremus per ſacra, flagitemus eum arrogantia, nec ſine convitio.* Sed nec apud Latinos perpetuum, Ebræi ignorant. Vel *poſtulant, accuſant in judicio, & crimen intendunt.* Sueton. in Cæſ. *Cæterum Cornelium Dolabellam conſularem & triumphalem virum repetundarum poſtulavit.*

12. יְשַׁלְּמוּנִי] שלם Syn. τοῦ γαμὰλ, quod aliquando prius beneficium aut maleficium contulit in aliquem. Proverb. 11. 17. Pſ. 137. 8.

13. *Saccum*] Multis cæremoniis Judæi in luctu utebantur; ſcindebant veſtem, ſedebant in pulvere, tondebant caput, conſpergebant caput pulvere, induebant ſaccum, quem Ebræi dicunt fuiſſe contextum ex pilis hircorum & caprarum. Gen. 37. *Jacob lacerabat veſtes ſuas, & ponebat ſaccum in lumbis ſuis.* Eſa. 5. *Induam cœlos nigredine, & ſaccum ponam ejus indumentum*, Et in pœnitentia. Jon. 3. & Matth. 11. 21. Amos. 8. 10. *Omnibus lumbis inducam ſaccum.* Belg. *Ik wil over alle landen den ſak brengen*, ſcribe, *lenden.*

Oratio mea ad ſinum] Quidam, *In ſinu geſtabam, ne ejus obliviſcerer.* Ita Piſc. Jun. *Orationem pro illis frequentabam, & ſæpius repetebam, quaſi in ſinu geſtans.* Ir. *Reſpicit ad conſuetudinem orantium, qui ſtabant precantes, capite verſus pectus vel ſinum inclinato.* R. Sal. exponit, acſi hoc loco occurreret tacitæ objectioni: *Forte dicent, quod non afflixi animam meam niſi in malum ipſorum, ut aggravaretur ipſorum malum, ſed Deum veneror, ut in ſinum meum redeat; i. e. ſic mihi Deus faciat ut ipſis precatus ſum.* Sic uſurpatur hæc phraſis Pſ. 79. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum ipſorum.* Eſà. 65. 7. *Reddam iis in ſinum ipſorum.* Ita Belg. ſenſum expreſſit, *Ik bad van herten.*

14. רֵעַ] Signif. *familiarem amicum*, 2. Sam. 13. 3. *Erat autem Ammoni* רֵעַ *nomine Jonadab.* Prov. 27. 10. *Amicum tuum & amicum patris tui ne derelinquito.* Itaque Piſc. vertit, *Ac ſi eſſet amicus, ac ſi eſſet frater, [ad ipſum] itabam.* At Jun. *Tanquam ad proximum.* At omnis homo nobis eſt vel debet eſſe proximus; at non familiaris.

Atratus] Ab. כנהג האבל להלביש עצמו קדרות. Lxx. σκυθρωπάζων, *triſtis.*

15. צלעי] Ab. צֹלֵעַ Gen. 32. 31. *Jacob* צולע *femore ſuo* צלע & צֵלָע *Coſta*, צֶלַע *Latus* & inclinatio ad latus, unde Conc. פירוש צר או נטיה אל הצר, utrumque in Pl. צְלָעוֹת. Ergo צֹלֵעַ *claudicans*, צֶלַע *claudicatio*; & hinc, quum eſt aliqua calamitas, miſeria, lapſus, Pſ. 38. *Ego ad claudicationem inclinatus ſum.* Sic Mich. 4. Zoph. 3. *Ovem claudicantem ego colligam*, Sic Ebr. 12. de ſpirituali piorum claudicatione, *Ne quis claudicans evertatur.*

tur. Jirm. 10. *Omnes viri pacis meæ obſervant claudicationem meam.*

R. Sal. Gen. 2. צלעותיו exp. מסטרוי *latera ejus*, כי שני פרצופין נבראו. Sed צלע etiam *Coſtam* ſignif. & cap. 2. repetitur & prolixius narratur hiſtoria de creato homine. Illi dicunt hominem creatum Androgynon ex Gen. 1. Maſculum & Fœminam בראם אתם. Ideo Lxx. mutarunt בָּרָאוֹ. Et cap. 2. *Ædificavit illam* (*coſtam*) לאשה *ut eſſet uxor.* Sic Jud. 8. 27. *Et fecit illud* (*aurum*) לְאֵפוֹד *ut eſſet Ephod.*

נֵכִים] *Abjecti*, *viles*, Th. רשיעיא. Alii, *ut loripedes*, tanquam claudicantes, vel claudicationem ſimulantes ex meo ſtatu. Sub. ergo רַגְלַיִם percuſſus pedibus, claudus, 2. Sam. 4. 4. *Jonathan erat filius* נְכֵה רַגְלָיִם *percuſſus pedibus.* Hinc Pharao נְכֹה 2 Reg. 24. Tharg. Ph. חַגִּירָא. Forte iſte Judæis de quo in Com. ad Eccl. 9. 2. *Omnia conſimiliter eveniunt omnibus*, *juſto & injuſto*, &c. Id eſt, Noë & Pharaoni uterque claudus factus, iſte cum ex arca, hic cum ex ſolio Pharaonis deſcenderet. Nugæ. Nam hic Joſiæ tempore vixit; ille, ut illi fabulantur, Salomoni filiam dedit.

16 *Cum*, vel, *inter hypocritas ſubſannationum*] i. e. Subſannatores ob placentam: 1. Reg. 17. *Vivit Dominus ſi eſt mei* מָעוֹג, i. e. אֲכִילָה. Th. פרנס quicquam, aut עגת placenta, panis ſuper prunas coctus. Ab. אכילה ושתיה Paraſitos intelligit & menſarum aſſeclas.

Frendent] Geſtus iraſcentium, invidentium, irridentium, inſultantium.

17. כְּפִיר] Qui deſiit eſſe גור.

לַיִשׁ, לָבִיא, אַרְיֵה, שַׁחַל, כְּפִיר, גוּר, Joël. 1. לַיִשׁ.

Unicam] Animam, ab omnibus deſertam, Pſ. 25. *Miſerere quia* יָחִיד *& pauper ſum*, vel quia unica eſt reſp. corporis, cujus multa ſunt membra. Sic & Pſalm. 22.

18. עָצוּם] *Frequenti*, *copioſa.* Sic Amoſ. 5. עצומים *fortia ſunt peccata veſtra.* Sic כָּבֵד *gravis*, 1 Reg. 3. *Quis poteſt judicare populum gravem hunc.* Sic 1. Mach. 1. 18. *Venit in Ægyptum ἐν ὄχλῳ βαρεῖ.*

Innuant oculis] Geſtus ſubſannantium & contemnentium. Prov. 6. 13. קֹרֵץ *oculis ſuis dabit dolorem.* Piſc. Ebr. *curterit* ſeu *decurterit oculum*, malè, nam tunc eſſet יִקְצְרוּ.

20. רִגְעֵי] *Quietos.* R. Moſes עורי רגע בקיע *fiſſura terræ*, Job. *ſcidit ſe.* Ragah in Niphal *quievit.* Jirm. 47. 6. de gladio Dei, *Colligere in vaginam tuam* הֵרָגְעִי *& quieſce.* Hiphil *quietum reddidit*, & aliquando *quieſcere ad momentum*, utraque ſignificatione in unum conflata, Jirm. 49. 19. אַרְגִּיעָה.

Vulg. *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.*

Græc. *Καὶ ἐπ' ὀργὴν* (*τῆς γῆς*) *δόλους διελογίζοντο.*

אָרֶץ] IV. cum Sægol in Athnach, nempe Pſ. 65. 6. conc. 9. Prov. 30. 21. תחת שלוש רָגְזָה אֶרֶץ, in conc. in voce רגז non extat locus ille, 3. Proverb. 30. 14. דור חֲרָבוֹת שִׁנָּיו, 4. Pſal. hoc.

21. *Dilatarunt*] Geſtus ſubſannantium. Sic Job. 16. פָּעֲרוּ. Aliq. eſt. *audacter loqui*, 1. Sam. 2. 1. *Dilatatum eſt os meum contra hoſtes meos.* Cum *corde* ſignif. *exhilarari*, Pſ. 119. 32. Quia תַרְחִיב *dilatabis cor meum*, i. e. exhilarabis: nam cor in triſtitia contrahitur, in lætitia dilatatur. 2. Cor. 6. 11. *ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται.*

GROTIUS.

3. *Effunde frameam*, *& conclude*] Verti poteſt: *frameam & ſagarim*, ut admonuimus ſuprà 18. 46.

7. *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui*] Non malè ſic Græci, δωρεὰν ἔκρυψάν μοι διαφθορὰν παγίδος αὐτῶν [*ſine cauſa abſcondiderunt mihi perniciem laquei ſui.*] hic δωρεὰν eſt *immerito.* שחת διαφθορὰν [*corruptionem* ſive *perniciem*] verti jam ſuprà notavimus. Eſt autem Hebraïſmus διαφθορὰ παγίδος [*pernicies laquei*] pro *laqueo exitiali.* ab aucupio ſumta ſimilitudo.

Supervacuè exprobraverunt animam meam] *Supervacuè* dixit, pro *ſine cauſa.* quod autem vertit *exprobraverunt*, in Hebræo eſt חפרו) *inſidiati ſunt.*] Eſt autem חפר propriè *fodere*, & per metaphoram *inſidiari*, quod hic poſuit Chaldæus.

15. *Et adverſum me lætati ſunt*] In Hebræis: *In miſeriis meis lætati ſunt.* Nam ità ſumi ſolet צלע, quod propriè eſt *claudicare.*

Congregata ſunt ſuper me flagella] Meliùs, *Congregati ſunt adverſus me homines viles*: demtâ in Hebræo interjunctione poſt עלי [*adverſus me.*] Bene autem נכים verti *viles* apparet ex loco ſimili Job 30. 8.

Et ignoravi, *diſſipati ſunt*, *nec compuncti*] Optimè ſic vertas: *Ii quos ignorabam proſciderunt me indeſinenter.* קרע eſt *probris afficere* apud Arabes. Apparet enim id verbum eo ſenſu aliquoties in verſione Arabica libri hujus. דמם pro *deſinere* ponitur, & vertitur παύειν. At Chaldæus & Rabbini quidam: *Si proſcinderent me*, *non educerent ſanguinem*, nimirum quòd macie factum exſangue eſſet corpus.

18. *In populo gravi laudabo te*] *In populo numeroſo.* עצום per πολὺς [*multus*] vertitur Gen. 18. 18. Num. 14. 12. Deut. 7. 1. Joel. 2. 5. Zach. 8. 22. & verbum עצם per πληθύνεσθαι [*multiplicari*] Jerem. 15. 8. 30. 14. 15.

21. *Dilataverunt ſuper me os ſuum*] Irriſerunt hiantibus labiis, ut ſuprà 22. 8. Alioqui *os dilatare* etiam eſt audacter loqui, 1 Sam. 2. 1.

25. *Non dicant in cordibus ſuis*] Id eſt, toto animi affectu. Sic Eſaiæ 47. 8. ſuprà 14. 1. Apocalypſ. 18. 7.

PRICÆUS.

1. *Non eſt timor Domini ante oculos ejus*] Quod infrà 53. 3. *non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.*

4. *Noluit intelligere*, &c.] Job. 34. 27. *Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*, *& omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Simile Rom. 1. 28. illud, *Non probaverunt Deum in notitia habere.*

5. *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo*] Non dormit antequam malum ſtruxerit proximo ſuo. Vide Prov. 30. 17. Homerus de Ulyſſe itidem in lecto exiſtente,

—— Μνηςῆρσι κακὰ φρονέων ἐνὶ θυμῷ
Κεῖτ' ἐγρηγορόων. ——

Jobus 30. 17. *Et qui me comedunt*, *non dormiunt.* Themiſtius 1. Orat. Ὁ λυσιμελὴς ὕπνος, &c. τοὺς μὲν ἄλλους κακούργους κατακοιμίζει, τῷ δὲ κατηγόρῳ ἀφορμὴ γίνεται τῆς μοχθηρίας. Εἰς τὰ δεινὰ, καὶ ἐπὶ συμφοραῖς ἑτέρων ἀγρυπνεῖν, habemus 1. 2. apud Adamantium Sophiſtam.

7. *Homines & jumenta ſalvabis*, *Domine*] *Salvas*, invita nempe. De eodem Jobus 12. 10. *In cujus manu anima omnis viventis* (animalium nempe) *& ſpiritus univerſæ carnis hominis.*

9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ*, *& torrente voluptatis tuæ potabis eos*] Futurum hîc, ut ſæpe alibi, tempus præſens deſignat. Ad rem Seneca (2. 29. de Beneficiis) Dei in humanum genus bonitatem enarrans, *Tot virtutes accepimus*, *tot artes*, &c. *tantum denique frugum*, *tantum opum*, *tantum rerum aliarum ſuper alias coacervatarum.* Adde quæ ex Eodem & aliis ad Act. 14. adduximus, & quæ ad 1 Tim. 6. 17. ea, τῷ παρέχοντι ἡμῖν πάντα, &c. annotavimus.

IDEM.

1. *Non eſt timor Dei ante oculos ejus*] *Eſſe ante oculos* dicitur cujus quis rationem habet, cujuſque intuitu facit quid, vel non facit. Apud Apulejum 5. *Nos originis nexus pro tua incolumitate periculum quidem nullum ante oculos habere compellit.* Unde contrà, *ob oculos non eſſe*, eſt (ut hoc Pſalmi loco) contemni, vel, poſt tergum rejici.

4. *Noluit intelligere ut bene ageret*] *Contentioſâ* (id eſt, obſtinatâ) *averſione* (ut Jerem. 8. 5.) *averſus eſt*, *& noluit reverti.*

5. *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo*] Euryſtheus apud Euripidem in Heraclidis,

Πολλῶν σοφιςὴς πημάτων ἐγινόμην,
Καὶ πολλ' ἔτικτον νυκτὶ συνθακῶν ἀεὶ,
Ὅπως διώσας καὶ κατακτείνας ἐμὲ
Ἐχθροὺς, τὸ λοιπὸν μὴ συνοικοίην φόβῳ.

Adde jam alibi annotata. Opponitur, *memor Dei ſuper ſtratum eſſe*, infrà hîc 62. 7.

Ibid. *Adſtitit omni viæ non bonæ*] *Adſtitit* hîc eſt *inſtitit*: contrarium Pſalm. 118. 101. & 128. & 1 Tim. 5. 9. παντὶ ἀγαθῷ ἔργῳ ἐπακολουθεῖν & Jobi 27. 6. *Neque reprehendit me cor meum in omni* (id eſt, ulla) *via mea*: at vulgò ibi *vita* legitur.

Ibid. *Malitiam autem non audivit*] *Habet pacem* (ut Sirach. 41. 2.) *in ſubſtantiis ſuis*, *directæ ejus viæ ſunt in omnibus. In labore hominum* (ut infrà 72. 5.) *non eſt*, *cum hominibus non flagellatur.* Vide & Pſal. 143. 12. 13. 14. Pro *audivit* autem, vide an *adivit* ſcribendum. *Malitiam* (i. e. malum) *adire*, ut Virgilio *labores adire*; vel (ut ipſe eodem loco) *volvere caſus*, i. e. caſibus volvi. Quin & Græci iſto Pſalmi loco τῇ κακίᾳ οὐ προσώχθισε· quaſi tu dicas, *non impegit*: unde & Heſychio Προσοχθισμὸς, δεινοπάθεια.

7. *Judicia tua abyſſus multa*] *Incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*, *& inveſtigabiles viæ ejus*, Rom. 11. 33. ex hoc Pſalmi loco. *Judicia* & hîc & ibi *decreta* intellige.

Ibid. *Homines & jumenta ſalvabis, Domine*] Salvas, i. e. conſervas: per te eorum genera & ſpecies manent & propagantur. Apulejus ex Ariſtotele, *Vetus opinio eſt, atque in cogitationes omnium penitus inſedit*, &c. *Deum eſſe ſalutem & perſeverantiam earum quas effecerit rerum, neque ulla res eſt tam præſtantibus viribus, quæ viduata Dei auxilio, ſui naturâ contenta ſit.*

8. *Quemadmodum multiplicâſti miſericordiam tuam, Deus!*] Infrà 103. 24. *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine!*

Ibid. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt*] Ad omnia quidem quæ in hoc mundo animantia extenditur providentia tua; homines autem ſpecialiùs reſpicis, eiſque illuminas intellectum ut te intueantur, & à tua protectione pendeant.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*] Puto ſenſum eſſe qui infrà 103. 13. *De fructu operum tuorum ſatiatur terra*: i. e. humanum genus, cujus causâ Deus terram creavit. Prudentius,

Ipſe homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus
Aere, gurgite, rure creant.

Philo in De mundi opificio, Ὠ'ς οἰκειοτάτῳ, &c. ζώῳ (ἀνθρώπῳ) τὰ ἐν κόσμῳ πάντα προητοιμάσατο, βουληθεὶς γενόμενον αὐτὸν μηδενὸς ἀπορῆσαι πρός τε ζῆν, καὶ τὸ εὖ ζῆν. *Torrente* heic, ut denotetur abundantia Divinæ munificentiæ. Philo eodem ſenſu, metaphorâ autem à perenni aqua deductâ, Δωρητικὸς ἁπάντων, ἀεννάους χαρίτων πηγὰς ἀναχέων· lib. de Cherubim. Nec ſatis habuit *torrentem* dicere, ſed & *voluptatis* addidit. Arnobius lib. 1. *Nonne ab hoc effluunt cauſæ per quas noſtra fulcitur ſalus variarum munificentiâ voluptatum?* De eodem 1 Tim. 6. 17. Apoſtolus, Τῷ παρέχοντι ἡμῖν πάντα πλουσίως εἰς ἀπόλαυσιν, id eſt, τρυφήν· quam vocem hoc in Pſalmi loco LXX. poſuere.

Ibid. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*] Contrarium infrà 59. 5. *Potâſti nos vino compunctionis.*

10. *Apud te eſt fons vitæ*] Tu es fons vivus, (vide infrà 41. 3.) i. e. perennis.

Ibid. *Et in lumine tuo videbimus lumen*] Educes (ut 36. 6.) quaſi lumen juſtitiam noſtram (id eſt, juſtitiam juſtorum omnium:) vel ſic, In lumine vultûs tui habebimus lumen conſolationis.

11. *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te*] LXX. παράτεινον τὸ ἔλεός σου. In Gloſſario, Παρατείνω, *protendo, prætendo*: & in alio, *Prætendit*, παρατείνει. *Scientibus te*, fortè ad diſcrimen Gentium, quæ ſæpe hic & alibi dicuntur Deum neſcire.

12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*] *Veniat*, pro *superveniat*: i. e. calcet, proterat. Senſus eſt, non ſupergaudeant mihi (ut ſuprà 34. 19.) qui mihi adverſantur: vel (ut infrà 37. 20.) non confirmentur ſuper me. *Mihi* autem pro *ſuper me*: ut 34. 8. *Veniat illi laqueus*, &c. & 118. 77. *Veniant mihi miſerationes tuæ.*

Ibid. *Et manus peccatoris non moveat me*] Non me loco dejiciat. Vult dicere, Potentia improborum minæque non me timidum reddant.

13. *Ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*] Perfecta hæc per optativum videntur accipienda, aut per futurum tempus, quaſi ominantis verba.

PSALM. XXXVI.

MUNSTERUS.

1. LOquitur] Senſus eſt, Iniquitas illa quam video fieri ab impio, certum judicium eſt apud me, illos Deum non habere pro Deo, nullo denique Dei timore eos teneri; ſed blandiuntur ſibi ipſis, & delectantur in rebus peſſimis, ut & Deus & homines nauſeam habeant à malefactis eorum.

5. *Domine, in cœlis pietas tua*] Cùm tam impudenter, inquit, peccent homines impii, quis non miretur, Domine, bonitatem tuam, quæ à terra uſque ad cœlos & ad æthera uſque pertingit, omnia replens atque omnibus ſupereminens? Exponitur autem hic בשמים pro עד שמים, i. e. *in cœlis* pro *uſque ad cœlos*, & *veritas* pro *fidelitate* ſeu *fideli proſpectione.*

6. *Juſtitia tua ſimilis eſt montibus magnificis*] Heb. *montibus Dei.* Sed familiare eſt Hebraïſmo ut quod magnificum eſt vocet *Divinum.* Vocat autem *juſtitiam* & *judicia* moderationem illam Divinam quâ Deus omnibus præſidet, omnia gubernat, & omnia conſervat, & præſertim homines & animalia in vita ſervans, non quidem in פרטים, h. e. *in individuis*, ſed in מין *ſpecie.* Alii accipiunt *jumenta* pro peccatoribus, quos Dominus æquè ſalvat ut homines qui rectè vivunt, h. e. benefacit eis in hoc mundo, & *facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos.*

10. *Continua pietatem tuam*] Heb. *Trahe*, ſeu *Protrahe*, ut ſcilicet continuò hic & in futuro tuâ fruantur pietate.

12. *Ibi ceciderunt*] h. e. Impii in eo loco in quo iniquè egerunt, &c.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. 1. ¶ *Dicit prævaricatio impio* נאם פשע לרשע בקרב לבי] Ad verb. *Dictum prævaricationis eſt ipſi impio in medio cordis mei*; i. e. Sic cogito apud me & in animo meo, improbitatem ſuggerere impio, *Non eſt quid timeas*; idcirco *non eſt timor Dei*, &c. Alii, *Dicit ſcelus de improbo (loquitur iniquitas impii) in medio cordis mei*, quòd *non eſt timor*, &c. q. d. Teſtantur mihi in animo meo ſcelera impii, nullum illi eſſe Dei timorem.

2. *Blanditur ei*, &c. החליק] i. e. Prævaricatio lenibus verbis ſuadet impio ut ſuam peccandi voluntatem expleat, deſignet iniquitatem quam cupit, ad odiendum illam, h. e. ad odium uſque & faſtidium. Alii vertunt, *Blanditur ſibi in oculis ſuis ad inveniendum iniquitatem ejus ad odiendum*; vel *odium*: i. e. donec digna inveniatur iniquitas ejus qui odio habeatur; ſive donec ſummo odio digna iniquitas ejus evadat. Alii poſteriorem partem vertunt, *Ut inveniat iniquitatem ſuam ad odium*, i. e. eouſque perſuadet tranſgreſſio ut malè agat, ut ipſe tandem faſtidio teneatur illius, & laſſetur peccandi aſſiduitate. *Invenire* hîc pro *deprehendere, palamque cognoſcere* accipitur.

3. *Deſiit intelligere*, &c. חדל להשכיל להיטיב] *Deſiit inſtituere* cor ſuum *ut emendet* viam ſuam. Alii vertunt, *renuit erudiri ut bene faceret*; vel, *detrectat intelligere ut bene agat.*

4. *Stat* יתיצב] Fut. Heb. pro præſ. aut præt. ¶ *Abjicit* ימאס] Fut. Heb. pro præſenti, aut præt. *averſatur, abominatur.*

6. *Dei* אל] i. e. Altiſſimi; nam quicquid eximium, magnum & præſtans eſt, id *Dei* eſſe dicunt Hebræi. q. d. Tam immenſa eſt bonitas ſive miſericordia tua quàm ſunt immenſi montes, quantumvìs alti. ¶ *Servas* תושיע] *Conſervare ſoles.* Fut. Heb. pro præſ.

7. *Pretioſa* יקר] *Præclara.* ¶ *Et filii* ובני] *Propterea filii.* ¶ *Sperant* יחסיון] Fut. Heb. *ſperabunt.*

8. *Inebriabuntur* ירוין] *Inebriabunt ſe. Implebunt ſe. Saturabuntur opulentiâ*, &c.

9. *Videbimus* נראה] i. e. Conſequemur, h. e. tenebris & ignorantiâ liberabimur.

10. *Protrahe* משוך] *Obtende. Extende. Prolixam fac.*

11. *Pes ſuperbiæ* רגל גאוה] Pro, *pes ſuperborum*; h. e. nè invadant me ſuperbi. ¶ *Migrare faciat me* תנידני] *Impellat me; commoveat, dimoveat; abducat*, ſub. *loco meo.*

12. *Illuc ceciderunt* שם נפלו] Vel eſt præt. pro fut. *Illuc cadent*, quo ſcilicet me impellere conabantur. ¶ *Impulſi*, &c. דחו ולא יכלו קום] *Impellentur, nec poterunt ſurgere.*

CASTALIO.

9. IN *lumine tuo lumen videmus*] Vivimus.

CLARIUS.

ADmiratur effuſiſſimam Dei in omnia bonitatem, qui, quamvis improborum perverſitas maxima ſit, tamen bonitatem ſuam in illos non claudat. In inſcriptione vocat ſe *ſervum Domini*, quo putant Hebræi voluiſſe eum ſignificare, quamlibèt multi ſcelerati & perditi rebus ſecundis utantur, ipſe verò & multi alii pietatis ſtudioſi innumeris adverſis exerceantur, ſe nihilo tamen minùs in ſtudio atque obſervatione legis Divinæ perſeverare, & *ſervum* ſeſe *Domini* approbare.

1. *Dixit de injuſto cor meum*] Heb. *Dixit iniquitas impii in corde meo.* Quantum, inquit, cogitatione aſſequi poſſum, perſuaſit ſibi impius non eſſe ei metuendum nè Deus ſupplicium ſumat de ſceleribus illius. Perverſa enim cupiditas dicit improbo & exlegi non eſſe Deum metuendum; atque ut ità judicem iniquitas quam video ab eo exerceri mihi perſuadet.

2. *Blanditur ſibi ipſi*] Dum pravi homines ſibi ipſis blandiuntur in flagitiis, efficiunt ut eorum pravitas ſummo Dei & hominum odio obnoxia inveniatur.

5. *Domine, in cœlo*] Effuſam Dei bonitatem admiratur, canitque

nitque quod & Servator ait de Patre, *Qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos.* *Nubes* & *cælos* pro eodem accipit, ſicut *bonitatem* & *veritatem* ſeu fidem, & *juſtitiam* & *judicia*: & dicere vult, omnem orbem terræ ità beneficentiâ Dei plenum ut hæc pertingat uſque ad *cælos*: quam benignitatem etiam altis *montibus* (quos more Hebrææ linguæ *montes Dei* vocat) & *immenſo mari* aſſimilat. Cùm verò ſubjicit, *Homines & jumenta conſervas*, Idem ſimplicibus verbis dixit, Porrigi ſcilicet Dei beneficentiam ad omnia.

7. *Quemadmodum multiplicaſti*] Heb. *quàm pretioſa* (vel *præclara*) *eſt*, &c.

8. *Torrente voluptatis tuæ*] Vel *deliciarum*, τῆς τρυφῆς. Et vide ut, dum conaretur exprimere ingentem vim bonorum quæ Deus fidelibus ſuis præparavit, novam quandam excogitavit ſimilitudinem, ut *torrentem voluptatis ac deliciarum* appellaret. Sic Paulus de eadem re loquens admirandâ & ipſe oratione uſus eſt, dum conaretur id eloqui quod eloqui vox humana non poteſt; *Momentanea*, inquit, *levitas afflictionis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis.*

9. *In lumine tuo*] Cùm illuminati fuerimus lumine tuo, à tenebris liberi erimus perpetuo. Sin abſtruſiùs ſcrutere, non errabis, myſterium hinc Trinitatis piè eruens.

10. *Extende*] Sive *Continua*. In Hebræo eſt *trahe*, ſeu *protrahe*, ut ſcilicet hic & in futuro tuâ fruamur pietate.

12. *Ibi ceciderunt*] In eo loco in quo impiè egerunt. Vel, in ipſo conatu collapſi ſunt ac proſtrati, *nec potuerunt ſurgere.*

LUCAS BRUG.

21. *Mutuabitur peccator & non ſolvet: juſtus autem miſeretur & tribuet.*] Exemplaria, Regium Goticum; & S. Germani argenteum, cum Pſalterio Romano, legunt præſenti tempore *mutuatur*, conformiter Ambroſio & Caſſiodoro, necnon Auguſtino, qui cum veteri Pſalterio, *fœneratur* habet; & conſentaneè Græco, Hebræo & Chaldæo. δανείζεται eſt Græcè, לוה Hebraïcè, מזיף Chaldaïcè. Ad hunc proinde modum Pſalteria ſua emendarunt Jacobus, Lindanus & Janſenius. Sed Bruno Carthuſiæ patriarcha, urget premitque, *mutuabitur* dictum, non *mutuatur*: neque ego in noſtræ editionis libris *mutuatur* inveni; nam qui jam nominati ſunt, Vulgatæ editionis non ſunt: quanquam ignotus mihi ſit argenteus ille Pariſienſium. *Mutuatur* igitur, vel *mutuabitur*, *peccator*, & *non ſolvet*. Pſalteria vetus & Romanum, quodque Romani Pſalterii exemplar eſſe videtur, Goticum, ſimiliter Chaldææ Paraphraſi ſcribunt *ſolvit*, quæ & Ambroſii atque Auguſtini lectio fuiſſe videtur: ſed futurum eſt ut Gallico Pſalterio & pleriſque Bibliorum MSS. exemplaribus, ità & Græcis atque Hebraïcis libris; illis ἀποτίσει, his ישלם legitur. Quamobrem D. Janſenio futurum non videtur mutandum eſſe; imò verò hujus futuri occaſione reliqua iſtius verſûs verba in futurum eſſe mutata. Nam & quod ſequitur, *Juſtus autem miſeretur & tribuet*, præſenti tempore legi mallet *tribuit*: ſic enim, id quod teſtatur, in quibuſdam noſtris libris habetur. Nos ſanè in Gallico Lobienſis exemplaris Pſalterio invenimus. Sic D. Ambroſius, & à Jacobo caſtigatum Pſalterium legunt: eſtque Græcè & Hebraïcè præſens tempus, δίδωσιν, נותן; & veteri Pſalterio ac Romano, noſtroque Goticis literis ſcripto, eodem tempore *commodat* legitur, quâ lectione Tractatores, Hieronymus, Auguſtinus & Caſſiodorus, atque Origenis Interpres, utuntur. Chaldaïcè eſt יהב, quod &, ità ut præſentis temporis ſit, יָהֵב ſcribi poteſt, & ità ut futuri, יְהַב. MSS. noſtrum H. ſignatum legit *retribuit*, plurima *retribuet*; ſed perperàm. Legendum eſt enim vel *tribuit*, quod & Bredembachius probat, vel *tribuet*. *Tribuet* antiquorum codicum ſcripturam eſſe Epanorthotes affirmat.

DRUSIUS.

1. נְאֻם־פֶּשַׁע לָרָשָׁע וגו׳. Sym. Φησὶν περὶ ἀσυνθεσίας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου, Οὐ πρόκειται φόβος Θεοῦ ἀντικρυς τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, *Dicit de defectione impii intus cor meum, Non eſt propoſitus timor Dei ante oculos ipſius.*

2. כִּי־הֶחֱלִיק אֵלָיו בְּעֵינָיו לִמְצֹא וגו׳. Idem, Ὅτι ἐξολισθάνειν τὰ περὶ αὐτοῦ δοκεῖ τοῦ εὑρεθῆναι τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ τοῦ μισηθῆναι αὐτήν.

4. רָע לֹא יִמְאָס. Sym. κακὸν οὐκ ἀποδοκιμάσει, *malum non improbat.* Aq.--- οὐκ ἀπέῤῥιψε, *non abjecit.* Th.--- οὐκ ἀπώσατο, *non repulit.*

5. אֱמוּנָתְךָ עַד־שְׁחָקִים. Sym. ἡ βεβαιότης σου ἕως αἰθερίων, *firmitas tua uſque ad æthera*] *Firmitas*, i. e. fides. Lex. V. βεβαιότης, *certitas*, *firmitas.*

6. צִדְקָתְךָ כְּהַרְרֵי־אֵל. A. Δικαιοσύνη σου ὡς ὄρη ἰσχυροῦ, *Juſtitia tua ut montes Dei fortis*] Aliàs ἰσχυρὰ minùs placet.

7. מַה־יָּקָר. Sym. Τί τίμιον; *Quàm eſt chara?* בְּצֵל כְּנָפֶיךָ יֶחֱסָיוּן. Sym. ὑπὸ σκιὰν τῶν πτερύγων σου ἀμεριμνοῦσιν, *ſub umbra alarum tuarum ſecuri ſunt.*

8. תַּשְׁקֵם. Ο'. ποτιεῖς αὐτοὺς, *potabis eos.*

10. וְצִדְקָתְךָ לְיִשְׁרֵי־לֵב. Sym. καὶ τὴν ἐλεημοσύνην σου τοῖς ἁπλοῖς τὴν καρδίαν, *& eleemoſynam tuam ſimplicibus corde.*

12. שָׁם נָפְלוּ וגו׳. Sym. *Ubi cadent operantes iniquitatem, illic impellentur, & nequibunt ſtare.*

AMAMA.

1. לְעֶבֶד לְדָוִד. Sic Gen. 32. 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב. 2. Sam. 18. לַנַּעַר לְאַבְשָׁלוֹם.

V. I. *Dicit trangreſſio impii in intimo cordis mei, Nullus eſt pavor Dei in oculis ejus.* Sic & Angli.

Piſc. *Cum conſidero impietatem &c. tum hoc dico.*

Teſtatur in corde meo ſcelus impii, nullum eſſe illi timorem Dei. Tigur. Idem eſt.

Dictum defectionis ad improbum in intimo cordis mei eſt, non eſſe pavorem Dei coram oculis ejus. Jun.

Dictum prævaricationis ad impium in intimo cordis mei eſt, q.d. ſcio quid prævaricatio dictet impio. Geneb.

Dixit injuſtus in ſemetipſo ut delinquat. Legit לבו.

R. Sal. דברי זה מקרא מסורס שבקרב לבי שהפשע (הוא יצר הרע) אומר לרשע שלא יהי פחד אלה׳ לנגד עיניו. Meſoras, tranſpoſitas, per hyſterologiam. Obſtant ſententiæ huic אין, quod vix שלא.

Ab. *Hoc cogito in medio cordis mei quod improbitas ſicut homo ſuadeat malo homine, ne timeas (Deum.) Ideo nullus eſt timor ante oculos ejus.*

נְאֻם] Freq. in Proph. ſeq. 'ה. Aliàs ſemel tantum Jirm. 23. 31. וַיִּנְאֲמוּ & dixerunt. Hinc quidam Job. 12. 20. לְנֶאֱמָנִים *eloquentibus. Facundis.*

פחד] *Timor Dei*, etiam *filialis*. Hinc Deus vocatur פחד Iſaaci, i.e. Deus quem timuit Iſaac. Gen. 31. 42. &c.

2. *Quia blanditur*] Jun. *blandiri eum ſibi quum aſſequitur iniquitatem quæ odio habenda eſſet.*

אליו] *Sibi.* Alii, *Blanditur ipſi in oculis ejus*, ſc. impietas, *uſque dum Deus invenit iniquitatem ejus ad odio perſequendum eum.* Sic R. Sal.

Vulg. *Quia doloſe egit, ut inveniatur.* Non uſque adeo abſurdum.

4. חדל לְהַשְׂכִּיל] Chadal cum ל inquit Ab. ut וַיַּחְדְּלוּ לִבְנֹת הָעִיר. Gen. 11. 8. Vide Gramm. מ pro ל. In מִקֶּדֶם Gen. 11. 2. & 13. 11.

6. בַּשָּׁמַיִם] ב pro עַד. Sic Hoſ. 12. באלהיך תשוב i. e. עַד Gen. 11. 4. וראשו בשמ׳. Pſ. 57. 11. *Quia magna eſt* עַד שָׁמַיִם. Ab. *in cælo*, quia cœlum eſt fons & ſcaturigo omnis miſericordiæ.

שחק non *nubes* ſed *cælum*, nam Deut. 33. 26. עָבֵי שְׁחָקִים *nubes cæli.* Sic Pſ. 18. 12. Dicitur ſic à שָׁחַק comminuit, unde שחק *pulvis tenuiſſimus.* Eſ. 40. 15. Gentes *ut gutta è ſitula & ſicut flos pulviſculi reputantur.* Dictum ergo cœlum à tenuitate ſubſtantiæ. At nubes habent ſubſtantiam denſiuſculam unde עָבִים dictæ.

7. *Juſtitia tua ut montes Dei.*] i.e. adeo immobilis ut montes altiſſimi. Sic *Cedri Dei*, *flamma Dei*, Kimhi כנוי אלהים לדבר הגדול ומפלא Et, לאל אותו כתן ילו הגר אל כקר שרצה בלדבר.

Abyſſus] Incomprehenſibil.

Servas] Conſervas. Sic 1. Tim. 4. 10. ὅς ἐςι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιςα πιςῶν.

9. יִרְוְיֻן] רוה *rigatus fuit humectatus*, de homine ſatiatus fuit potu, quod שבע in cibo, hoc רוה in potu. In Tharg. ſæpe eſt interp. τοῦ שכר Gen. 43. וַיִּשְׁכְּרוּ. Tharg. וּרְוִיוּ *ſatiati ſunt potu.* Hag. 1. *comedetis, ſed non* לְשָׂבְעָה *bibetis, ſed non* לְשָׁכְרָה *ad inebriationem*, i.e. ut reſtinguatis ſitim.

דֶּשֶׁן] *Pinguedo & cinis.* דשן. דִּשֵּׁן. 1. דשן *incineravit, in cinerem redegit*, Pſ. 20. *holocauſtum tuum* יְדַשְּׁנֶה Et *decineravit, cinerem removit.* Num. 4. 13. וְדִשְּׁנוּ & *decinerabunt altare.* Th. ויספון קטמא.

נחל] Ab. שלא יפסק, quia nunquam deficient.

עֵדֶן] *Voluptas.* Et Nomen proprium עֵדֶן & עֶדֶן Regio amœniſſima in Oriente. Alii putant eſſe ſemper appellat. Sed reſpuit hoc locus Gen. 2. *Et plantavit Dominus Deus* גן בְּעֵדֶן *hortum in Eden.* Sine dubio ſapientiſſimus ὀνοματουργὸς hoc nomen ei indidit à voluptate & deliciis. Hinc tranſlatum eſt ad recept. animarum beatarum poſt hanc vitam, ut & ei ſyn. פַּרְדֵּס unde illud *Servatoris.* Et apud Rab. ſemper, de *defuncto* נ"ע *Quies ejus ſit paradiſus.* Ebr. ajunt duos eſſe גן עד׳ עליון & תחתון

מְקוֹר חַיִּים] Jirm. 2. מְקוֹר מַיִם חַיִּים. Sic hoc loco Th. טִפֵּי מַיִן חַיִּין *ſtilla aquæ vivæ.*

אור] *Jure*, i.e. gaudio. Eſth. 8.16. *Judæis fuit lux & lætitia & exultatio* &c.

שָׁם] Trem. *inducat me ad aberrandum (eò) Ubi cadunt.* Alii *Ibi*, ſc. ibi eonati ſunt dimovere impium. Ab. אָז *tunc.* Sic Job. שם יצעקו ולא יענה cap. 35.12.

GROTIUS.

4. N*Oluit intelligere ut bene ageret*] Diſcimus hinc etiam voluntatem aliquid poſſe in intellectum, nempe ut imperet intellectui, ut is in hac vel illa re ſe occupet ac laboret.

PRICÆUS.

1, 2. N*Oli æmulari in malignantibus*, &c. *quoniam tanquam fœnum velociter areſcent*] Prov. 24.19. *Nec æmuleris impios: quoniam non habent futurorum ſpem, & lucerna eorum extinguetur.*

Ibid. *Et tanquam olera herbarum citò decident*] In Pſeudolo Plautina,

> *Quaſi ſolſtitialis herba paulisper fui,*
> *Repentè exortus ſum, repentinò occidi.*

4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*] *Rogabis eum* (ut Job. 22. 27.) *& exaudiet te; decernes rem, & veniet tibi. Tribuet tibi* (ut ſuprà 19. 5.) *ſecundùm cor tuum, & omne conſilium tuum confirmabit.* Infrà 144. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet.* In Græco Tobiæ 4. 6. Ποιοῦντός σου τὴν ἀλήθειαν, εὐοδίαι ἔσονται, &c.

5. *Et ipſe faciet*] Præeisè, ut & 38. 10. *quia tu feciſti.*

6. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam*] Simile Job. 11. 7.

7. *Subditus eſto Domino*] Ità & Pſal. 61. 2. & 6. In Græco, ὑποτάγηθι τῷ Κυρίῳ· id eſt, (ut 1 Petr. 5. 5.) ταπεινώθητι ὑπὸ τῇ κραταιᾷ αὐτοῦ χειρί.

Ibid. *Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua*] In Græco, τῷ κατευοδουμένῳ ἐν τῇ ὁδῷ αὐτοῦ· id eſt, τῷ εἰρηνεύοντι ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ, (ut Sirach. 41. 1.) τῷ ἀπερισπάστῳ, καὶ ἐν πᾶσιν εὐοδουμένῳ.

8. *Deſine ab ira*] Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς θεοῦ δικαιοσύνην οὐ κατεργάζεται, Jacob. 1. *Deſinere* heic, eſt *abſtinere.* Vide quæ de ejuſmodi locutionibus ad 1 Joh. 4. 18. diximus.

9. *Suſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram*] Vide infrà eom. 34. & 1 Maccab. 2. 56.

10. *Quæres locum ejus, & non invenies*] Vide infrà ad eom. 36. dicta.

Ibid. *Adhuc puſillum, & non erit peccator*] In vetere Mimo,

> *Citò improborum læta ad perniciem cadunt.*

Adhuc puſillum, ut Hebr. 10. 37. ἔτι μικρὸν ὅσον ὅσον.

12. *Obſervabit peccator juſtum*] Sirachides 33. 15. *Contra malum bonum eſt*, &c. *& contra virum juſtum peccator.*

Ibid. *Obſervat peccator juſtum*] i.e. Captat; & heic in partem pejorem ponitur. Donatus in Adelph. *Obſervari, & honorari, & captari*, &c. *ſignificat.* Seneca 103. Epiſt. *Illa de vita quæ nos obſervant, quæ captant:* & ſtatim (loco Pſalmi non incongruè) *Ab homine homini quotidianum periculum.*

13. *Deus irridebit eum, quia proſpicit quòd venit dies ejus*] De Deo 63. 4. Eſaias, *Dies ultionis in corde ejus.* Deus ipſe Deuteron. 32. 35. *Mea eſt ultio, ego retribuam in tempore*, &c. *juxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.*

Ibid. *Quia proſpicit quòd veniet dies ejus*] *Præſcit* (ut Sapient. 19. 1.). *futura illius.*

Ibid. *Quòd veniet dies ejus*] Dies perditionis ejus. Similis Luc. 19. 43. locutio.

15. *Gladius ipſorum intret in corda eorum*] Juditha 9. 12. *Fac, Domine, ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur.* In Pſalmo autem metonymicè pro Conſiliis.

16. *Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas*] Apoſtolus 1 Tim. 6. 6. ἔστι πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια. ad quem locum annotata vide. Adde Tobiæ Scriptorem 4. 21.

18. *Novit Dominus dies immaculatorum*] In Græco (& fortè melſi[illegible]) ὁδοὺς δικαίων. Ità ſuprà 1. 6. Γινώσκει Κύριος ὁδοὺς δικαίων.

20. *Mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*]

> ——— *Tolluntur in altum*
> *Ut lapſu graviore ruant.* ———

Vide Job. 24. 14. In vetere Mimo,

> *Citò ignominia fit ſuperbi gloria.*

Æſchylus Ἑπτὰ, &c.

> ——— Πρὸς πρυμναν δ' ἐκβολὰν φέρει
> Ἀνδρῶν ἀλφηστῶν ὄλβος. ———

Scholiaſtes, Ἡ δόξα τοῦ Οἰδίποδος, &c. ἀφανίζεται, καὶ ἐκδιώκεται, καὶ ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκβάλλεται· ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἐμπόρων, οἵτινες πλοῦτον πολὺν σωρεύσαντες, &c. ὕστερον ἐκβολὴν ποιοῦνται, τοῦ ὅλου φόρτου ναυαγοῦντες. Philiſtion, vel Philemon,

> Ὅταν ἴδῃς πονηρὸν εἰς ὕψος φερόμενον,
> Κακῶς τε πλούτῳ καὶ τύχῃ γαυρούμενον,
> Ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
> Τούτου τάχιον νέμεσιν ἥξειν προσδόκα.

21. *Mutuabitur peccator, & non ſolvet*] Vide in Latino Sirachidis 29. 4. & deinceps.

23. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur*] Hominis boni, & metuentis eum.

24. *Cùm ceciderit, non collidetur*] Secutus eſt quod heic in Græco, καταῤῥαχθήσεται· commodiùs autem ex proximè ſequentibus, *non illidetur* vertas. Sic, *pavimentis illidi*, Apulejus dixit. Senſus loci eſt, afflictiones prægraves non ſupervenient ei. Vide 2 Cor. 4. 8. & 9.

Ibid. *Quia Dominus ſupponit manum ſuam*] Homerus Iliad. 9. de Jove,

> Χεῖρα ἑὴν ὑπερέσχε. ———

ubi Scholia 1620. Helmſtadii edita, Οὐ μόνον συλλαμβάνοντος τοῦ Διὸς, ἀλλὰ καὶ τὴν χεῖρα ὑπερέχοντος. In Græco heic; ἀντιστηρίζει τὴν χεῖρα αὐτοῦ, i.e. ἀντιστηρίζει αὐτὸν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. In Gloſſario, Ἀντιστηρίζω, *firmo.*

26. *Totâ die miſeretur, & commodat*] Παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ (ut 1 Tim. 5. 9.) ἐπακολουθεῖ. Opponitur infrà 51. 2. *totâ die injuſtitiam cogitare.* Vide & 55. 6.

32. *Et quærit mortificare eum*] In Græco, θανατῶσαι αὐτόν. Et fortè ex his locis Gloſſarii auctor, Θανατῶ, *mortifico.*

35. *Vidi impium ſuperexaltatum*, &c.] Eccleſiaſtes 8. 10. *Vidi impios ſepultos: qui etiam cùm adhuc viverent*, &c. *laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum.*

36. *Quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus*] Job. 20. 7. *Qui eum viderant, dicent, Ubi eſt?*

Ibid. *Et locus ejus non eſt inventus*] Seneca 36. Epiſt. *Hi quibus invidetur, non deſinunt tranſire: alii elidentur, alii cadent.* 1 Macc. 2. 63. *Hodie extollitur, & cras non invenietur.*

38. *Reliquiæ impiorum interibunt*] *Ut flamma ſtipulâ exorta claro crepitu, largo fulgore, cito incremento: ſed enim materiâ levi, caduco incendio, reliquiis nullis:* ut huc trahamus quæ in alio argumento dixit Apulejus noſter in diſertiſſima ſua Apologia.

IDEM.

1. N*Eque zelaveris facientes iniquitatem*] Neque zelaveris iniquorum proſperitatem. Vide infrà com. 7. Seneca 2. 28. de Beneficiis, *Quotidie querimur malos eſſe felices.* Zelum hic intellige amarum, ut 3. 15. Jacobi.

2. *Tanquam fœnum velociter areſcent*] Ὡς χόρτος (ut Matth. 6. 30.) τοῦ ἀγροῦ σήμερον εἶσι, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βάλλονται. Boethius 4. Conſolat. de ejuſmodi, *Quorum magna ſpes, & excelſa facinorum machina repentino atque inſperato fine ſæpe deſtruuntur.*

Ibid. *Et quemadmodum olera herbarum citò decident*] Lxx. ὡσεὶ λάχανα χλόης, &c. i.e. ὡ. λ. χλωρά. Verterim, *quemadmodum olera viridia*, &c.

3. *Et inhabita terram*] Id eſt, ità fiet ut inhabites terram, & paſcaris copiis ejus. Vide infrà com. 22. & 27.

4. *Delectare in Domino*] Lxx. κατατρύφησον τοῦ Κυρίου, q.d. *luxuriare in Domino*: quam vehementem & fortè nimis audacem δείνωσιν ſapienter minuit Vulgatus, *delectare* vertens.

5. *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet*] Plautus Rudente,

> *Idcirco moneo vos ego hæc qui eſtis boni,*
> *Quique ætatem agitis cum pietate atque fide;*
> *Retinete porrò, poſt factum ut lætemini.*

6. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam*] Eſai. 58. 8. *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum*, &c.

9. *Qui malignantur*, &c.] In Gr. πονηρευόμενοι. In vetere Onomaſtico, *Malignor*, πονηρεύομαι.

10. *Quæres locum ejus*] Hyperbolica locutio, extremum ἀφανισμοῦ gradum denotans. Ità Seneca Epiſt. 91. de vaſto incendio, *Lugdunum quod oſtendebatur in Gallia, quæritur:* i.e. locus ubi ſtabat civitas illa.

11. *Manſueti autem hareditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*] In pacata bonorum ſuorum poſſeſſione: εἰρηνεύσουσιν (ut Sirach. 41.) ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῶν· vel ſic, *Vita* iis (ut Tob. 14. 4.) *in gaudio erit, & cum profectu timoris Dei, pergent in pace.*

13. *Irridebit eum, quoniam proſpicit quòd veniet dies ejus*] *Quòd* (ut Jerem. 25. 34.) *completi ſunt dies ejus, ut interficiatur.* Apud eundem 50. 27. *Væ iis, quia venit dies eorum:* i. e.

—— *Summa dies, & ineluctabile fatum.*

Deus Geneſ. 6. 13. *Finis univerſæ carnis venit coram me.*

Ibid. *Quòd venit dies ejus*]

Fatalisque dies, & vis inimica propinquat.

14. *Gladium evaginaverunt peccatores*] Gladium linguæ nempe. Vide Job. 5. 15. Pſal. 56. 5. & 63. 4. *Diſtrictis gladiis fraudum*, Apulejus dixit. LXX. heic, ῥομφαίαν ἐσπάσαντο. Heſychius, Ἐσπασμένη, (ſubaudi ῥομφαία, vel μάχαιρα) γεγυμνασμένη.

15. *Et arcus eorum confringatur*] A brachio Divino. Apud Virgilium.

Armipotens belli præſes, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo ——

Æneid. 11.

16. *Melius modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas*] Ex his videntur deprompta in Græco 12. 8. Tobiæ iſta, Ἀγαθὸν τὸ ὀλίγον μετὰ δικαιοσύνης, ἢ πολὺ μετ' ἀδικίας.

19. *Quia peccatores peribunt*] Id eſt, peccatores autem peribunt; fame nempe. Eſai. 14. 30. *Pauperes fiducialiter requieſcent, at interire faciam in fame radicem tuam.*

20. *Inimici Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, &c. deficient*] Vide in cæteris ad hunc locum Annotatis. Legimus 20. 9. Sirachidis, Ἔστιν εὐοδία ἐν κακοῖς ἀνδρὶ, καὶ ἔστιν εὕρημα εἰς ἐλάττωσιν quam lectionem ſecutus eſt & Vulgatus, at fortè vitioſos eâ parte codices nactus. Scribendum enim putamus εἰς κακὸν ἀνδρί· proſperantur provehunturque nonnulli, at in malum (i. e. in perniciem) ſuum: atque ea in Græco lectio non tantùm ſenſum efficiet congruentem Pſalmiſtæ verbis, ſed & meliùs quadrabit ſequentibus εἰς ἐλάττωσιν.

Ibid. *Quemadmodum fumus deficient*] Proverbiale, ut apparet vel ex Pſal. 67. 3.

22. *Benedicentes ei hæreditabunt terram*] Infrà 60. 6. *Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

23. *Et viam ejus volet*] Approbabit viam ejus. Ità 34. 27. *Qui volunt juſtitiam meam.*

24. *Cùm ceciderit, non collidetur*] Si dejicitur (ut 2 Cor. 4. 9.) non peribit. *Septies* (ut Proverb. 24. 16.) *cadet, & reſurget.* Vide infrà 93. 18.

25. *Etenim ſenui*] In Gr. καὶ γὰρ ἐγήρασα. In Gloſſis, Καὶ γὰρ, *etenim.*

Ibid. *Et non vidi juſtum derelictum*] Jobi 4. 7. *Quis unquam innocens periit? aut quando recti* (corde nempe) *deleti ſunt?* Sirachid. 2. 10. Τίς ἐνέμεινε τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου, καὶ ἐγκατελείφθη.

26. *Totâ die miſeretur, & commodat*] Ità & infrà 111. 5. Adde Proverb. 13. 13.

27. *Fac bonum, & inhabita in ſeculum ſeculi*] Fac bonum, ità fiet ut diu (terram) inhabites. Vide in Græco Proverb. 13. 23.

30. *Os juſti meditabitur ſapientiam*] Proverb. 10. 31. *Os juſti parturiet ſapientiam.* Infrà hic 48. 4. *Os meum loquetur ſapientiam.*

31. *Et non ſupplantabuntur greſſus ejus*] Cum fiducia ambulabit. Vide Proverb. 10. 9.

32. *Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum*] Vide infrà ad 70. 10. *Conſiderat*, eſt quòd ſuprà com. 12. *obſervat. Mortificare*, ut & alibi, morti tradere, θανατῶσαι.

34. *Exſpecta Dominum, cuſtodi viam ejus, & exaltabit te*] Vide ſupra ad com. 5. adducta.

35. *Vidi impium ſuperexaltatum*, &c. *ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat*] Job. 4. 8. *Vidi eos qui operantur iniquitatem*, &c. *flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumptos. Sicut cedros Libani* proverbiale eſt. Ezech. 31. 3. Sirachid. 24. 17.

36. *Et non eſt inventus locus ejus*] Tulit eum (ut Jobi 27. 21.) ventus urens, & velut turbo rapuit eum *de loco ſuo.*

37. *Et vide æquitatem*] Id eſt, reſpice æ. Eandem locutionem ſuprà 10. 7. habuimus. Adde Jobi 31. 26.

Ibid. *Quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico*] *Eſt fructus juſto*, infra 57. 12. *Reliquiæ ejus* (ut Jerem. 15. 11. *in bonum. Deus occurret illi in tempore afflictionis*, &c. *adverſus inimicum.* Reliquias, ſpei intellige. Vide Job. 11. 18.

Ibid. *Sunt reliquiæ homini pacifico*] *Qui pacis conſilia ineunt, ſequitur eos gaudium*, Proverb. 12. 20.

38. *Reliquiæ impiorum interibunt*] Deus 11. 22. Jeremiæ, *Filii eorum & filiæ morientur in fame, & reliquiæ non erunt ex iis:* & 14. 30. apud Eſaiam, *Interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.*

Ibid. *Reliquiæ impiorum interibunt*] Sapient. 4. 19. *Memoria impiorum peribit.* Proverb. 10. 7. *Nomen impiorum putreſcet.* Ibidem 11. 7. *Mortuo homine impio nulla erit ultra ſpes:* & 24. 20. *Non habent futurorum ſpem mali.* Vide & Job. 18. 19.

39. *Salus juſtorum à Domino*] Ut contra, *longè ſalus à peccatoribus*, infra 118. 155.

Ibid. *Protector eorum in tempore tribulationis*] Adjutor (ut 9. 10.) *in opportunitatibus.* Vide ad com. 37. ex Jeremia adducta.

PSALM. XXXVII.

MUNSTERUS.

1. N*On irriteris*] Verbum תתחר ſecundùm quoſdam eſt à radice חרה. Alii autem putant radicem ejus eſſe חחר. Capiturque hîc pro כעס, ſicut nos vertimus. Eſt autem hîc ſenſus, Infirmi cùm vident impios florere in hoc mundo, non turbentur, perinde quaſi Deus nullam curam habeat hominum; *neque zelent operantes iniquitatem*, h. e. non torqueat eos invidia propter proſperitatem eorum, quoniam caduca eſt felicitas eorum, & tranſibit *ſicut herba virens.*

3. *Paſcêris in veritate*] h. e. Cùm peccatores perierint & deſtituti fuerint felicitate ſuâ, juſtus, qui ſperat in Domino, verè paſcetur beneficiis Divinis perpetuò manentibus, quando dives perpetuò eſuriet & ſitiet. Sunt qui hîc רעה tranſitivè ſic exponunt, *& paſce veritatem*, ſeu *fidem.*

5. *Ipſe faciet*] h. e. Nunquam deerit tibi, ſed perficiet & velle & operari.

8. *Deſine ab ira*] Eſt hîc הרף imperativus Hiphil à radice רפה.

20. *Sicut optimum quod eſt in agnis*] i. e. Sicut adeps igni ſuperpoſitus illico inflammatur. Heb. *ſicut pretioſum.*

22. *Benedicuntur*] Eſt hîc מברך participium præteritum, referturque Vau affixum ad *Deum.* Nam dixerat paulò ſuperiùs, *Inimici Domini conſumentur ſicut adeps*; & hîc infert, *Benedicti autem ejus non diſperibunt, ſed poſſidebunt terram.*

24. *Non abjicietur*] i. e. Non cadet ſic, ſicut cùm aliquis dejicitur in terram qui reſurgere non valet. Hebræi tamen exponunt de infortunio irruente, cui talis homo non ſuccumbit, nec dejicit animum, quantumlibèt adverſa incidant, Domino moderante tribulationem.

35. *Impium inſignem*] Hebræi exponunt עריץ pro חזק *impio proficiente in opulentia & proſperitate:* & כאזרח exponunt pro כהלחלח *vireſcente & in ſucco augeſcente.* Porrò אזרח accipiunt pro *arbore ſemper viridi & ſucculenta*, qualis eſt Laurus, Buxus, Cedrus, & ſimiles.

VATABLUS.

1. N*È commovearis propter malignos* אל תתחר במרעים] *Nè ſuccenſeas ob malos. Nè irriteris propter malignos. Nè bilem tibi moveant malitioſi.* Alii, *Nè admiſceas te cum noxiis.* Vel, *Nè ſocietatem ineas cum perverſe agentibus.* ¶ *Nè zelaveris*, &c. אל תקנא בעשי עולה] *Neque invideas facientibus iniquitatem:* i. e. nè illis invideas proſperum rerum ſucceſſum. Alii, *neque urat te æmulatio ob facientes iniquitatem.*

2. *Tanquam herba velociter ſuccidentur* כחציר מהרה ימלו] *Inſtar graminis velociter marceſcent*; aut, *marceſcendo concident*, ſive *flacceſcent.* ¶ *Et ſicut olus germinis* וכירק דשא] *Et ſicut viror herbæ*; i. e. virens herba.

3. *Et paſce veritatem* ורעה אמונה] *Et paſce fidem*; i. e. nutri te fide & veritate. Alii, *& paſce fide*; vel *fideliter:* i. e. doce; ut Jer. 3. 15. *& paſcent vos ſcientiâ & intelligentiâ.* Chald. *robora te fide*, aut *veritate.* Alii imperativa vertunt in futura, *Inhabitabis terram, & paſcêris in veritate:* q. d. *Si ſpem collocaveris in Jehova, & feceris bonum, licebit ut terram inhabites, & nutrieris fideli & certo ſive confirmato rerum ſucceſſu:* nam id *fides* hoc loco ſignificare videtur, nempe reſpondentem exſpectatio-

ctationi noſtræ rerum ſucceſſum, ut nihil deſit timentibus Jehovam, Pſal. 34. 10.

7. *Nè commoveare* אל־תתחר] Idem verbum quod in principio primi verſûs, i. e. *nè moveat tibi bilem eorum poſteritas, nè invideas.* ¶ *Abominationes* מזמות] *Fraudes, ſcelera.*

8. *Ab ira* מאף] Quam ſcilicet concepiſti ob improborum felicitatem. ¶ *Nè miſceas te* אל־תתחר] Rurſum idem verbum quod in principio primi verſûs, *Nè movearis ut etiam noceas. Nè ſuccenſeas ut & tu nocere velis:* vel (ut alii) *ſaltem ad malefaciendum.*

10. *Et contemplaberis* והתבוננת] Hebraïſmus, pro, *Cumque contemplatus fueris,* ſive *adverteris animum diligenter ut ſcias locum ubi habitat, nuſquam reperies.*

11. *At humiles* וענוים] *At afflicti, manſueti.* ¶ *Multitudine pacis* על רב שלום] Hebraïſmus, pro *plurimo rerum ſucceſſu.*

12. *Cogitat* וזמם] *Molitur, Machinatur.*

18. *Perfectorum* תמימים] *Integrorum, innocentium.*

20. *Quia impii peribunt* כי רשעים יאבדו] *Quando* (vel *Quo tempore*) *impii peribunt.* ¶ *Sicut pretioſum* כיקר כרים] *Sicut pretioſitas agnorum;* aut *optimum quod eſt in agnis.* Periphraſis eſt adipis. q. d. *Sicut adeps agnorum.* ¶ *Deficient* כלו] *Conſumentur, diſperibunt, evaneſcent.*

21. *Donat* וחונן] *Miſeretur, benignè largitur.*

22. *Benedicti ab eo* כי מברכיו] *Qui illi bene precantur; benedicentes ei,* juxta illud Gen. 12. 3. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* ¶ *Et maledicti ab eo* ומקלליו] *Et maledicentes ei,* ſub. *juſto:* vel, *Qui verò eum deteſtati fuerint.*

23. *Et viam ejus vult* ודרכו יחפץ] *Et viæ ejus favet;* vel, *viam ejus gratam habet:* aut, *via ejus grata eſt ei.* Fut. Heb. pro præſ.

24. *Cùm ceciderit non proſternetur* כי יפל לא יוטל] Fut. Heb. quod per præſens verti poteſt, *Cùm ruit, non corruit. Cùm cadit, non colliditur.*

26. *Donat* חונן] *Beneficus eſt; miſeretur; benignè agit.* ¶ Eſt *in benedictione* לברכה] Eſt *in benedictionem;* i. e. ab omnibus laudatur, & bene audit. Alii, erit *in beneficium.* Vel, *beneficentiam:* i. e. perpetuâ Dei beneficentiâ fruetur. Sic Pſal. 21. 7.

27. *Et habitabis in ſeculum* ושכן לעולם] *Et habita in æternum.* Imper. pro fut. *habitabis perpetuò,* ſub. *in terra:* q. d. *Multum diuque inhabitabis terram.* Sic v. 3. *Inhabita terram.*

30. *Loquetur ſapientiam* יהגה חכמה] Vel per præſens, *loquitur ſapientiam,* aut *verba ſapientiæ plena.* Alii, *diſſerit de ſapientia.* Alii, *meditatur ſapientiam.* ¶ *Judicium* משפט] *Æquitatem:* i. e. recta & utilia.

31. *Pedes ejus* אשריו] *Greſſus ejus.*

32. *Speculatur* צופה] *Obſervat.*

33 *Nec condemnabit,* &c. ולא ירשיענו בהשפטו] *Nec damnabit eum cùm judicabitur:* i. e. non ſinet eum injuriâ judiciorum opprimi dum accuſabitur, & cauſa ejus agetur.

34. *Cùm ſucciſi fuerint* בהכרת] *Cùm excidentur:* vel *exterminabuntur.*

35. *Fortem* עריץ] *Robuſtum, terrificum, inſignem, potentem,* i. e. magnâ autoritate præditum.

36. *Et tranſivit* ויעבר] *Et præteriit, abiit, evanuit.*

38. *At prævaricantes diſſipabuntur* ופשעים נשמדו] *At tranſgreſſores delebuntur.* Vel, *ſcelerati conſumentur.* Aut, *iniqui deſtruentur.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *Noviſſimum impiorum ſuccidetur* אחרית רשעים נכרתה] *Finis miſerorum ſuccinditur:* i. e. impii ad poſtremum pereunt; aut, fine ſuo fruſtrantur.

40. *Adjuvatque eos* ויעזרם] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Speraverunt in eo* חסו בו] Vel per præſens, *confidunt ei,* aut *ſperant in eo.*

CASTALIO.

HUjus cantionis alterni verſus in Hebræo ſcripti ſunt ordine literarum.

3. *Bene fac, incoles terram*] In Hebræo verbum *Incoles* eſt imperativi modi, ſed hic ponitur pro futuro, ut in hoc eodem Pſalmo, *Recede à malo, & benefac, & dura in perpetuum:* ſic enim legitur ad verbum, pro *durabis:* neque enim jubet *durare in perpetuum,* cùm id penes hominem, cui jubet, poſitum non ſit. Sic loquitur & Eſaias cap. 5. Latini quoque, ut Virgilius,

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

16. *Multò præſtat tenuis res bonorum quàm impiorum opulentia*] Heb. *Præſtat tenuis res bonorum quàm impiorum multorum opulentia.* Qualis Hebraïſmus eſt in illis Chriſti verbis, *Nonne vos pluris eſtis quàm multi paſſeres?* pro hoc, *Nonne vos multò pluris eſtis quàm paſſeres?*

29. *Improbi verò dabunt pœnas*] Hic dimidius verſus in Hebræo deſideratur; ſed eſt addendus: nam hujus carminis alii verſus omnes conſtant binis membris, quod in hoc non fieri eſſet abſurdum. Præterea cùm ſit hoc carmen ordine literarum ſcriptum, hìc deſideratur litera Ain: ex quo patet mutilum eſſe locum: qui mutilus non erat cùm eſt in Græcum tranſlatus, ubi ità legitur, ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται, & in Latino *Injuſti punientur,* ex quo eos conjectura eſt legiſſe עוילים.

CLARIUS.

COnſolatur infirmiores, qui dum vident florere impios perturbantur, & ut in pietatis ſtudio ſtrenuè perſeverent hortatur. Tentatio hujuſcemodi infrà Pſalmo 73. graphicè deſcripta eſt: idem Jer. 12.

1. *Noli æmulari*] Nè movearis, inquit, cùm vides impios florere in hoc mundo, perinde quaſi Deus nullam curam habeat hominum.

3. *Fac bonum, & inhabita terram*] Intellige, ut inhabites terram longo tempore. ¶ *Paſcêris in divitiis ejus*] Quod alii verterunt *in veritate,* vel *fide.* Sed idem ſenſus eſt. Omnibus enim copioſè provenientibus & affluentibus divitiis, victus eſt *fidelis & certus;* non fallit aut fruſtratur. Sic & *fideles aquæ* pro *non deficientibus* dicuntur.

5. *Revela Domino viam tuam*] Committe Domino ſtatum rerum tuarum: fide illi: optimâ enim fide curabit & te & tua omnia; neque unquam tibi deerit.

8. *Noli æmulari ut maligneris*] Nè ſic incendaris ut illorum ſceleratorum exemplo ad perpetranda ſimilia animum inducas.

20. *Ut adeps agnorum*] Sicut *adeps agnorum* qui *adoletur* ſuper altare illico inflammatur & conſumitur, ſic iſti finem capient, & *unà cum fumo deficient.*

21. *Mutabitur*] *Mutuum accipit impius, nec reddet; juſtus autem miſericordiâ motus* ultro etiam *dat* iis qui opus habent.

22. *Benedicentes ei*] Alius vertit, *Qui benedicuntur ab ipſo,* nempe Deo, *poſſidebunt terram; & qui maledicuntur ab eo, exterminabuntur.*

27. *Inhabita in ſeculum*] h. e. Ut poſſis durare perpetuo.

37. *Reliquiæ ſunt huic homini pax*] Hominem, qui talis eſt, pax manet perpetua.

24. *Non collidetur*] Non ſic cadet, ut reſurgere non valeat.

DRUSIUS.

1. אַל־תִּתְחַר בַּמְּרֵעִים. Sym. item V. & VI. editiones, Μὴ φιλονείκει κακούργοις, *Nè altercare cum maleficis.* Aq. Μὴ διαμάχου, *Nè dimica.* Th. Μὴ παραφετίζου] Puto leg. Μὴ παρερεθίζου, quod Interpres Theodoreti vertit, *Nè irritare,* & rectè. Nam ἐρεθίζω, *irrito, provoco, incito.*

2. כְּיֶרֶק. Sym. ὡσεὶ χλωρὰ, *ut virentia.*

3. רְעֵה אֱמוּנָה. Sym. ποιμαίνου διηνεκῶς, *paſce aſſiduè.* Aq. νέμου πίστιν, *paſce fidem*] Lex. V. Νέμομαι, *poſſideo.* Νέμω, βόσκω, *paſco.*

5. גּוֹל. A. κύλιε, *volve.* Sym. ἐπικύλισον, *devolve.*

7. דּוֹם לַיהוָה. A. Σίγησον τῷ Κυρίῳ, *Sile Domino.* Sym. Ἡσύχαζε τῷ Κυρίῳ, *Quieſce Domino.* ¶ וְהִתְחוֹלֵל לוֹ. A. καὶ ἀποκαραδόκει αὐτὸν, *exſpecta ipſum.* Sym. καὶ ἱκέτευε αὐτὸν, *& ſupplica ipſi.*

17. סוֹמֵךְ צַדִּיקִים. Sym. ἀντιλαμβάνεται τῶν δικαίων, *ſuſcipit juſtos.*

18. יוֹדֵעַ יְהוָה יְמֵי תְמִימִים. Sym. Προεῖδε Κύριος τὰς ἡμέρας τῶν ἀμώμων, *Præſcivit Deus dies immaculatorum.*

20. וְאֹיְבֵי יְהוָה. A. & Sym. Καὶ οἱ ἐχθροὶ τοῦ Κυρίου, *Et hoſtes Domini.*

22. מְבֹרָכָיו. Sym. Οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ, *Benedicti ab eo.* ¶ וּמְקֻלָּלָיו. Idem, καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ, *maledicti ab eo.*

23. וְדַרְכּוֹ יֶחְפָּץ. Sym. καὶ ἡ ὁδὸς αὐτοῦ εὐδοκεῖται, *& via ipſius accepta eſt*] Ex Euthymio alibi ſcripſimus *proſperabit,* i. e. εὐοδεῖται. Poteſt eſſe error Interpretis Latini. Qui habent Græcum exemplar, id quærent, ſi me audient.

25. גַּם־זָקַנְתִּי. Sym. ἀλλὰ καὶ ἐγήρασα, *ſed & ſenui.*

26. כָּל־הַיּוֹם חוֹנֵן וּמַלְוֶה. Aq. Ὅλην τὴν ἡμέραν δωρεῖται καὶ δανείζει, *Totâ die donat & commodat*] *Commodat:* ità Hieron. Potes legere *& mutuat.* Lex. V. Δανείζω, *fœnero, mutuo.*

27. וְשְׁכֹן. Sym. καὶ ἠρεμήσεις, *& proſperè deges.*

32. צוֹפֶה. * Περισκοπεῖ, *circumſpicit, undique ſpeculatur.*

33. בְּהִשָּׁפְטוֹ. A. ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτὸν, *cum ipſe judicio contendet.*

35. רָאִיתִי רָשָׁע עָרִיץ וגו׳. VI. ed. Εἶδον ἀσεβῆ καὶ ἀναιδῆ ἀντιτασσό-

τιτοιύμενον ἐν σκληρότητι, καὶ λέγοντα, Ἐιμὶ ὡς αὐτόχθων περιπατῶν ἐν δικαιοσύνῃ, *Vidi impium & impudentem*, &c.

37. שְׁמָר־תָּם וּרְאֵה יָשָׁר וגו׳. Sym. Φύλασσε πλότητα, καὶ ὅρα εὐθὺ, ὅτι ἐςὶ μέλλοντα, *Cuſtodi ſimplicitatem, & aſpice rectum, quoniam ſunt futura*] In Theodoreto additur, *homini pacifico*, ἀνδρὶ εἰρηνικῷ. ¶ אַחֲרִית. Aq. ἔσχατον. *Extremum.*

38. ופֹשְׁעִים נִשְׁמְדוּ וגו׳. Sym. *Impiè agentes ſimul delebuntur: extrema iniquorum excidentur*] Οἱ δὲ ἀθετοῦντες ἐξαλειφθήσονται ὁμοῦ. Sic eſt in ed. Rom. *Extrema*, τὰ ἔσχατα. Aq. καὶ ἔσχατον, *& extremum.*

A M A M A.

Pſalm. παραμυθητικὸς contra ſcandalum quod percipitur ex proſperitate impiorum.

1. תִּתְחַר] A תָּרָה ut תִּתְגָּר Deut. 2. 9. *miſcearis.* Vel à תָּחַר unde quatuor lit. תְּתַחֲרֶה Jirm. 12. 5.

2. Propter Gen. 18. בַּחֲמִשָּׁה ob quinque.

תְּקַנֵּא ב׳] קָנָא *iratus fuit, zelavit*. In bonum, in malum. In bonum, cum ל. In malum, cum ב. In bonum, dolere rem ſibi charam indignis modis tractari, & conari eam defendere, Num. 25. 13. *Eo quod*, קִנֵּא לֵאלֹהָיו de Pinhas, *eo quod zelavit pro Deo ſuo*. Joël. 2. *Et zelavit Domino* לְאַרְצוֹ *pro t. ſ.* Cum ב & אל re, quam quis ipſe concupivit alium potiri doluit & quæ hinc ſeq. odit, invidit Gen. 30. *Et vidit Rachel quod non pareret* ותקנא בַּאֲחוֹתָהּ. Pſ. 106. cum ל in malum ſemel tantum, *Et zelarunt* לְמֹשֶׁה *in caſtris*. Rab. קַנָּא & קַנְּאִי —— *zelotypus*. ני —— *pa.* Matth. 10. 5. *Simon ὁ κανανίτης*. Luc. 6. 14. σιμῶνα τὸν καλούμενον ζηλωτήν.

2. *Viriditas herbæ*] Sic אֵשֶׁר אִישׁ, *Stultitia prædicationis*, βάθος πλήτε. *Caput coronæ ſuæ*. Num.... Rom. 9. *Iſraël ſectans legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit*. Sic ſcelus viri, Somnium hominis, Flagitium hominis, Plautus Perſa,

Scelus viri es, ideo te aliquid peculiabo.

3. Lxx. Ἔλπισον, ἐπὶ κύριον, καὶ ποιεῖ χρηςότητα, καὶ κατασκήνε τὴν γῆν καὶ ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλήτῳ αὐτῆς.

Fide] Sc. terræ. Per Meton. Metaph. intelligit fructus terræ, quos illa fideliter reddit agricolis. Ab. רְעֵה i. e. שְׁמוֹר. Lxx. ἐπὶ τῷ πλήτῳ αὐτῆς ac ſi ה eſſet affixum. Jun. *Paſcere fide, vive ex fide*, ut Habacuk, *Juſtus ex fide vivet*.

Alii, *paſcaris veritate*, i. e. benedictione quam Dominus promiſit ſuis. R. Sal. *paſceris* בשכר אמו נה *ex præmio fidei quod credidiſti in Dominum.*

4. Lxx. κατατρύφησον τῷ Κυρίῳ.

5. Lxx. ἀποκάλυψον πρὸς Κύριον τὴν ὁδόν σε.

Viam tuam] i. e. actiones & curas tuas. Ut onus, Aben. כְּשֵׂאָף צָרְכְּךָ *neceſſitatem ſuam*. Pſ. 55. 23. הַשְׁלֵךְ יְהָבְךָ R. S. & Ab. unde in Thalm. עֲלָל יְהָבָךְ וְהָדֵי אֵמְלָאִי

6. *Educet*] Id eſt, cumulabit te omnibus bonis, ut inde agnoſcant homines juſtitiam tuam.

Judicia] Id eſt, juſtas actiones tuas.

7. דום] R. Sal. הַמְתֵּן לִישׁוּעָתוֹ *expecta. Sile, acquiſce*. Gen. 25. 14. מִשְׁמָע וְדוּמָה וּמַשָּׂא Joſ. 10. *Et ſiluit Sol*, i. e. quievit.

9. *Excindetur*] Sc. רָשָׁע Aben. *Improbis*. Ebræi intelligunt de morte ante 50. annum, alii 60. Ex Job. 5. 26. *Ibis in ſepulchrum tuum* בְכֶלַח i. e. in numeris 60. Talem mortem vocant מִיתַת כְּרֵיתָה & כָּרֵת *mors exterminis*.

10. וְעוֹד מְ׳] R. Sal. כְּשֶׁתִּמְתִּין *Ubi adhuc paulùlum expectâris, videbis* &c. Ab. דום *ſile adhuc paululum, & videbis.*

ואין רשע] Jun. *Plane non erit improbus*, Ego, *nihil omnino improbi.*

Locum ejus] Id eſt, eum. Locus alicujus perire dicitur, cum res locata perit, ut Ap. 12. 8. *Neque locus eorum amplius inventus eſt in cœlo.*

10. אֵינֶנּוּ] אין cum affixis in ſermone poſtpoſitum dicitur de iis de quibus non certò conſtat, an adhuc vivant nec ne, aut quo pervenerint. Gen. 42. 32. de Joſeph. וְאֶחָד אֵינֶנּוּ Jirm. 31. 15. *Rachel plorat* &c. Gen. 5. de Enoch.

12. וזמם] Ferè in malum, Ch. חָשַׁב בִּישׁ, Lxx. ἐπονηρεύσατο.

13. יומו] *Dies ejus*, i. e. tempus ejus. Sic Num. 8. 17. *Quo die percuſſi omnem primogenitum Ægypti*. At textus Exod. *Fuitque media nocte & percuſſit Deus primogenitos Ægypti*. Alii duplicem diem ponunt, Solarem & Civilem.

Porro *Dies*, i. e. dies malus, dies exitii, unde Tharg. יוֹמָא דִתְבָרָה. Abd. 12. *Ne videas diem fratris tui cum volupt.* ſeq. *nec læteris de filiis Juda in die perditionis eorum*. Sic in Prov. plenè, *Omnia fecit Dominus* &c. Poteſt affixum & ad Deum referri & ſic accipitur *dies Domini*, Am. 5. 20. *Dies Domini eſt tenebræ & non lux*. Ezech. 15. 5. *Ut ſtetis in prælio* בְּיוֹם יְהוָה, Hoſ. 9. 5. *Quid facietis in die ſolennitatis in feſto DOMINI.*

14. טֶבַח] Inde טַבָּח *mactator* vel pecorum vel hominum in ſupplicium. Unde dubium Gen. 37. Potiphar Eunuchus Pharaonis vocatur שַׂר הַטַּבָּחִים Lxx. ἀρχιμάγειρος, Luth. *Hofmeeſter*, Piſc. *Præfectus ſatellitum*, Zur. *Præfectus rerum criminalium*, It. Ang. *Captaine of te guard.*

נָפַל] *Deficio*. Jirm. 2. 9. *Et cadet ad Chald.* 2. Reg. 7. *Cadamus ad caſtra Syrorum*. 2. *Irruo*. Job. 1. 15. *Et ceciderunt Sabæi & ceperunt eas.*

16. Lxx. κρεῖσσον ὀλίγον τῷ δικαίῳ ὑπὲρ πλῦτον ἁμαρτωλῶν πολύν.

18. יודע] Prov. 12. 10. Deut. 2. 7. Ruth. 2. 19. מַכִּירֵךְ Vulg. *qui miſertus eſt tui*. Joh. 10. 15. Hoſ. 13. Pſ. 1. Pſ. 144. Pſ. 31.

Erit] Durabit Pſ. 64. 8. *Ejaculabitur ſagittas ſuas in eos & erunt plagæ eorum*. 1. Reg. 11. 32. *Tribus autem una erit ejus* (Rehabeami) *propter ſervum meum David*. Dan. 1. ult.

16. המון רשעים רבים] i. e. רב. Quando duo ſubſt. junguntur quorum unum regit alterum, tunc verbum vel adjectivum ſubjectum ſolet reſpondere ſæpe proximo. Gen. 4. 10. קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים Job. 15. 12. *Numerus annorum* נצפנו Job. 32. 7. רֹב שָׁנִים יֹדִיעוּ חָכְמָה

20. כִּיקַר כָּרִים] Ab. כְּחֵלֶב כְּבָשִׂים. Præſtantiſſimum eſt adeps cui offertur ſuper altari. Tunc כר ſignificat *arietem, vervecem*. Sic 2. Reg. 3. 4. *Et Meſa Rex Moab reddebat Regi Iſraëlis centum millia* כָּרִים *agnorum*. Alii exponunt יְקָרִים *pratorum*, & intelligunt flores, Pſ. 65. *Induta ſunt paſcua* כָּרִים הַצֹּאן *ovibus*. Sic Jeſ. 30. *Et depaſcet pecus tuum in die illo* כר נרחב Tharg. בְּרַנְכִין *Ovium.*

22. Vulg. *Benedicentes & maledicentes ei*] Malè, Ebr. *Benedicti ejus* i. e. ab eo. Sic Matth. 25. εὐλογημένοι τῷ Πατρός μου. Gramm. p. 151. NB. קלל *maledicere*, קלה *vilipendere*. Deut. 27. 16. *Maledictus ſit* מַקְלֶה *patrem & matrem ſuam.*

21. לֹוֶה] *Mutuatus eſt, mutuò accepit*, הִלְוָה *mutuavit, mutuò dedit*. Prov. 19. 7.

Juſtus] חוֹנֵן. Pſ. 112. 5. *Bonus* חוֹנֵן וּמַלְוֶה חַנּוּן *Gratiam exhibet*, Gen. Reſtringitur hic per נוֹתֵן *dat*, ſc. mutuò, Illic per מַלְוֶה

23. גֶּבֶר] Aben. טַלְטֵלָה גָּבֶר Jeſ. 22. 17. *Deus projiciet te* טַלְטֵלָה *projectione evirec*. Hier. *ſicut aſportatur Gallus Gallinaceus.*

24. כִּי] Id eſt, אִם R. Sal.

Cadit] Sc. in res adverſas. Prov. 24. 16. *Septies in die cadit juſtus, & reſurgit*. Pſ. 141. *Cadentes fulcit Dominus & erigit incurvatos*. Job. 4. *Cadentes erexerunt ſermones tui.*

31. תורת בלבו] Ab. תוכו כברו Prov. *Medium ejus ut intra ejus. Intus ut extra.*

32. צוֹפֶה] *Nominaſcit*. Jezech. 3. 17.

לַצַּדִּיק] *Contra*. Sic Prov. 1. לְנָקִי

33. בְּהִשָּׁפְטוֹ] In Niphal ſign. *in judicio contendere, litigare*, 1. Sam. 12. 6. Samuel ad populum, *State nunc* אִשָּׁפְטָה עִמְּכֶם. Sic Rom. 3. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis* ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Ebr. Pſ. 51. בְּשָׁפְטֶךָ pro בהשפטך ut Gen. 4. *Tunc ceptum* לִקְרֹא Sic *cum judicabitur, exeat improbus.*

34. *Expecta Dominum*] *Per ſpem firmam & indeſinentem mandatorum cuſtodiam*. Hier. Aben. *Quia repetitur totius hæc in re* הַחְשַׁבְךְ *col jamecha.*

Tum exaltabit te terram.] Hier. *Illam æternæ beatitudinis tellurem.*

Videbis excidium improborum] Cum voluptate, non quod ipſis male velint, ſed quod agnoſcant Deum juſtum. *Juſtus eſt Deus & juſta ſunt omnia opera ejus.*

35. מִתְעָרֶה] R. Sal. מִתְעָרֶה, מַשְׁרִישׁ *effundentem ſe, explicantem ſe*, ערה *effundere, nudare.*

עָרִיץ] ערץ *conſternatus fuit, contritus*. עריץ *tyrannus, prædo, fortis*. Th. תַּקִּיפָא Jun. P. *magnâ vi erumpentem.*

כְּאֶזְרָח] Sub. עֵץ, ſicut arbor indigena, loco iſto orta, vel ſponte nata. Lxx. & Vulg. ὡς τὰς κέδρυς τῦ λιβάνυ. Acceperunt pro אֶרֶז Pag. Ital. *laurus*.

36. *Tranſiit*] העובר aliquis, vel tranſiit, i. e. periit. Sic Ab. כִּדְרֶה יֹאבַר, Sic *cœlum & terra* παρελεύσονται. Sic & Th. ויפסק מִן עָלְמָא. Job. 34. 20. *Percellentur populi & tranſibunt*. Lxx. παρῆλθον. V. *tranſii*. Forte mend. pro παρελθεῖν.

מְשֻׁמָּד] נשמד, *Apoſtata*, qui à Judaica ad Chriſt. tranſit. Contra eum orant ter, אַל תְּהִי תִקְוָה לַמְשֻׁמָּדִים וְלֹא תִקְוָה. Talem ajunt fuiſſe *Rapſace*. Sic, qui à Chriſt. ad Turcicam eunt, vocantur מְמְלוּכִין *empti*, à מלך *emit, acquiſivit.*

Inventus] Fuit, Dan. 11. *præceps cadet & non invenietur*. 1. Sam. 13. *Recenſuit Saul populus qui inventus fuit cum eo*. Mal. 2. 6. *Iniquitas non inventa eſt in ore ejus*. Sic 1 Paral. 2. 22. Luc. 9. *& inventus eſt Jeſus ſolus*. Act. 8. 40. *Philippus autem inventus eſt* εἰς ἄζωτον, i. e. Azoti.

עֶרְוָה] *Nuditas, Verenda*. Rab. *Inceſtus.*

VII. Præcepta filiorum Noë, 1. Judicia, 2. Benedictio. 3. Cul-

3. Cultus alienus. 4. Revelatio nuditatis גלוי עריות inceſtus. 5. Effuſio ſanguinis. 6. גזל rapina. 7. אבר מן החי ne tollerent membrum de animali vivente. Horum tranſgreſſores capitali ſupp. afficiebantur. Imponebantur proſelytis, & 7. Populis in bello ſe dedentibus.

38. אחרית *merces*, *poſtremum*, *exitus*. Prov. 23. 18. כי אם יש אחרית *nam ſi eſt merces*, *ſpes tua non præſcindetur*. Jer. 29. 10. 1. Petr. 1. 9. *Reportantes* τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν.

GROTIUS.

2. QUoniam *tanquam fœnum velociter areſcent*] *Fœnum* poſuit, quia in Græco reperit ὡσεὶ χόρτος, [*velut herba.*] Sed mos eſt Judæis Græcè loquentibus χόρτον dicere pro *herba*. Itaque Petrus 1. 1. 24. & Jacobus 1. 10. dixêre ἄνθος χόρτου, [*herbæ virorem.*] Sicque bis hîc idem dicitur more Hebræo.

3. *Et paſcêris in divitiis ejus*] In Hebræo eſt רעה אמונה, & אמונה quidem aut *fidem* ſignificare poteſt, aut *veritatem*. Illud autem רעה difficilem ideoque variam habet ſignificationem. Alii vertunt *roborare veritate*; alii *nutri te in fide*, ſicut Abacuco *juſtus* dicitur *ex fide ſua vivere*; alii *paſce*, id eſt, doce *fidem*. At Syrus legit בעה, & ſenſum reddit facillimum, *inquire veritatem*.

20. *Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*] Quod hîc in Hebræo eſt כרים ſæpe *agnos* ſignificat, interdum *viros principes*. Sic 2 Reg. 11. 4. כרי alii vertunt ἑκατοντάρχους, [*Centuriones*,] alii ἡγεμόνας, [*Duces.*] Ezech. 21. 22. כרים Chaldæus vertit אמרין voce Arabicâ, niſi reſcribas אמרין, quod *agnos* ſignificat. Sed ſimpliciſſima expoſitio eſt, *Et inimici Domini ſicut pinguedo agnorum evaneſcit in fumo, ità evaneſcent*. Comparatio ab holocauſtis ad impios frequens. Diximus ad Marc. 9. 49.

21. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei diſperibunt*] Sic LXX. οἱ εὐλογοῦντες, [*benedicentes*] & καταρώμενοι, [*maledicentes.*] At Symmachus, οἱ εὐλογημένοι ὑπ᾽ αὐτοῦ, [*bendicti ab eo*] & καταρώμενοι ὑπ᾽ αὐτοῦ, [*maledicti ab eo*;] ut ſit in Hebræo conſtructio talis qualis מכה אלהים [*percuſſus Dei*] Eſaiæ 53. 5. & in lingua Helleniſtarum, διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου, εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς, [*dociles Dei, dociles Spiritûs ſancti, benedicti Patris*,] ubi ὑπὸ [*à*] tacitè intelligitur. Vide quæ ad Joh. 6. 45.

23. *Apud Dominum greſſus ejus dirigentur, & viam ejus volet*] Hebraïſmus eſt, pro quo communis locutio diceret: *Deus greſſus ejus dirigit, cujus viam approbat*.

24. *Cùm ceciderit non collidetur*] Mala ejus ſunt temporaria, Eſaiæ 22. 17. Rom. 11. 11. ubi hæc ſententia aptatur illis Judæorum qui errore magis quàm malitiâ peccabant.

27. *In ſeculum ſeculi*] In Hebræo: *in ſeculum*, id eſt, diu. Sic & infrà.

28. *In æternum conſervabuntur*] In Hebræo eſt & hîc *in ſeculum*, id eſt, diu. Incipere autem hîc debet novum comma, & ל [*in*] auferri. Sic & Pſalm. 89. 3. eſt עולם [*ſeculum*] poſitum pro לעולם [*in ſeculum.*] Talia qui annotat nullam Maſoretis facit injuriam. Niſi quod diximus admittatur, deerit in Alphabeto hoc ע, quod quis crediderit?

35. *Et elevatum ſupra cedros Libani*] Legerunt Græci non ut nos אזרח [*laurus*,] ſed ארוז [*cedrus*,] quod tam longè non abit quàm quòd pro רענן [*viridis*] legerunt לבנן [*Libani.*]

36. *Et tranſivi*] Græci, unde hoc ſumtum eſt, legerunt ואעבר, quos ſequuntur, ut ferme ſemper Syrus & Arabs. Senſus ſic melior eſt ob ſequentia.

38. *Injuſti autem deperibunt ſimul*] יחדו potiùs ſignificat *penitus*, ut in Græcis ſcriptoribus ἀπαξάπαξ. Habet hunc ſenſum vox eadem Hebræa ſuprà 4. 9. 19. 10. infrà 49. 10. & alibi.

PRICÆUS.

2. SAgittæ *tuæ infixæ ſunt mihi*] Ità & Job. 6. 4. Ovidius,

Non mea ſunt ſummâ leviter deſtricta ſagittâ
Pectora, deſcendit vulnus ad oſſa meum.

7. *Et curvatus ſum*] Ad terram caput dejicio, ut ſolent magnorum criminum conſcientiâ gravati. Vide ad Luc. 18. 13. annotata: adde Geneſ. 4. 6.

Ibid. *Uſque ad finem*] Id eſt, ſemper, aſſidue. In Græco, ἕως τέλους, hoc eſt, ut Luc. 18. 5. εἰς τέλος· ubi & quæ attulimus vide.

8. *Et non eſt ſanitas in carne mea*] Nulla eſt quies animo meo, à recordatione peccatorum meorum. Contra Proverb. 3. 8. *Time Deum, & recede à malo: ſanitas quippe erit umbilico tuo, & oſſium tuorum irrigatio.*

Ibid. *Et non eſt ſanitas in carne mea*] In mente nulla hilaritas. Proverb. 14. 30. *Vita carnium, ſanitas cordis.*

9. *Rugiebam à gemitu cordis mei*] Sic eadem hæc Geneſ. 27. 34. Vulgata verſio, *irrugiit clamore magno*: & Job. 3. 24. *Tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus*: quæ candidè heic in medium attulimus, ut appareat hoc Pſalmi loco *mugiebam* minimè legendum: quod in Notis pag. 420. ad Apulejum minùs rectè putavimus.

12. *Adverſum me appropinquarunt, & ſteterunt*] Jobus 6. 20. & de amicis ſuis, *Venerunt uſque ad me, & pudore cooperti ſunt: veniſtis, & modò videntes plagam meam timetis.*

13. *De longè ſteterunt*] *Abominantur me* (ut Job. 30. 10.) *& longè fugiunt* (i. e. ſtant) *à me.*

14. *Factus ſum*, &c. *ſicut mutus*] Exponas ex 39. 10. non malè, *quia tu feciſti.*

18. *In flagella paratus ſum*] Miſeriis & ærumnis ferendis deſtinor: quo ferè modo Paulus ad Theſſalonicenſes, εἰς τοῦτο κείμεθα, & Jobus 5. 7. Ἄνθρωπος κόπῳ γεννᾶται. Vel ſic, prompto lubentique animo tuas probationes patior.

IDEM.

3. COnfirmâſti *ſuper me manum tuam*] *Gravata eſt* (ut 31. 4.) *ſuper me manus tua. In duritia* (ut Jobi 30. 21.) *tua manûs adverſaris mihi. Super me* (ut infrà 87. 8.) *confirmatus eſt furor tuus.*

4. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*] *A facie*, ut ſtatim 6. & alibi, *propter*. *Oſſibus*, animæ: vide ſuprà 34. 10. annotata. Nullam eſſe impiis pacem dixit Deus apud Eſaiam.

7. *Miſer factus ſum*] LXX. ἐταλαιπώρησα· i. e. (ut com. ſeq.) ἐκακώθην, Heſychius, Ἐταλαιπωρήθη, ἐκακοπάθησεν.

10. *Domine, ante te omne deſiderium meum*] Nil tibi ea in parte ignotum. Apud Poëtam,

Ante oculos, interque manus ſunt omnia veſtras.

11. *Cor meum conturbatum eſt*] *Emarcuit cor meum*, Eſai. 21. 4. Vide infra 41. 7.

Ibid. *Dereliquit me virtus mea*] *Cor meum* (ut 39. 13.) *dereliquit me*: vel, *inediâ* (ut Jobi 18. 12.) *robur attenuatur meum.*

Ibid. *Lumen oculorum meorum*, &c. *non eſt mecum*] Jugi fletu caligant oculi mei. Vide Job. 16. 17. Apud Quintilianum 5. Declam. ille, *Vigor priſtini vultûs* (mei) &c. *intabuit, & per obſtantium crinium illuviem tenuis arentium jactus oculorum.*

13. *Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt*] Ità 101. 9. *Et qui laudabant me, adverſum me jurabant.* Utroque loco in medio vox *ante* ſubaudienda.

14. *Ego autem*, &c. *ſicut mutus non aperiens os ſuum*] Sic 11. 19. (& in re non diſſimili) Jeremias, *Ego autem quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.*

15. *Et factus ſum ſicut homo*, &c. *non habens in ore ſuo redargutiones, quoniam in te, Domine, ſperavi*] Me non defendens, ſed dans locum iræ: tibi vindicta enim, tu is es qui retribuet.

18. *Paratus ſum in flagella*] Suprà 34. 15. *Congregata ſunt ſuper me flagella.*

20. *Vivunt, & confirmati ſunt ſuper me*] Non vivunt tantum, ſed & confirmata eſt manus eorum ſuper me, ſuprà com. 3. *Vivit? imò in Senatum venit*, dixit Cicero de Catilina.

PSALM. XXXVIII.

MUNSTERUS.

1. AD *reminiſcendum*] Incertum eſt ad quid illud referatur. Fieri tamen poteſt ut cùm ſæviore corriperetur morbo, & Dei atrocem ſentiret iram propter peccata ſua, & rurſum cùm liberaretur agnoſceret benevolentiam ejus, compoſuerit hunc Pſalmum aliis in exemplum & memoriale.

2. *Sagittæ tuæ*] Vocat vim illam morbi intolerabilem, quicquid demum fuerit, peſtis aut ulcus, unde claudicatio ſuborta fuit, *ſagittas & manum Domini gravem*, h. e. plagam.

4. *Iniquitates meæ tranſcendunt caput meum*] h. e. Dolor infirmitatis propter iniquitates meas inflictus occupavit omnia corporis membra. Idem ferè dicit ſequenti verſu.

5. *Computruerunt livores mei propter ſtultitiam meam*] *Stultitiam*

titiam vocat remiſſiorem anteactam vitam. Per *livores* Kimhi intelligit הבורות *puſtulas in corpore natas, & in ſtillantem ſaniem reſolutas.*

7. *Femora mea*] Præcipuus dolor & origo morbi fuit ſub lumbis juxta ilia & juxta juncturas femorum; ideo timebat futuram claudicationem.

10. *Circumvagatur*] Deſtitutum ſe dicit omnibus viribus corporis, uſqueadeo ut etiam cor, quod eſt fons vitæ, ferè exanimatum fuit, & nullam habuit quietem, ut fieri ſolet in acutioribus morbis.

12. *Laqueos tetenderunt*] Laquei illi fuerunt verba ad deſperationem inducentia.

VATABLUS.

1. **A**D *commemorandum* להזכיר] Subaudi, *beneficium Dei, quo à gravi morbo liberatus fuerat*: ut alios provocaret ad ſimiliter orandum, ſiquando in morbum inciderent. Vel, *quo ipſe ſua mala commemorat.* Quidam Hebræorum dicunt הזכיר fuiſſe initium vulgaris carminis.

2. *Deſcendit in me, & deſcenderunt* נחתו בי ותנחת] *Depreſſæ ſunt in me, & depreſſa eſt.* Vel, *contortæ ſunt in me, & deſcendit.* Alii, *demiſſæ ſunt in me, & demiſſa eſt.*

3. *Non eſt integrum* אין מתם] *Non eſt perfectio. Non eſt ſanitas.* ¶ *Non eſt pax oſſibus meis* אין שלום בעצמי] i.e Non eſt quies membris meis. Nam *pax* pro *quiete* ponitur, quòd in pace omnia ſint tranquilla. *Oſſa* verò pro ipſis *membris.*

4. *Tranſierant* עברו] Vel per præſens, *tranſcendunt, ſupergrediuntur.* ¶ *Graviores fuerunt me* יכבדו ממני] *Aggravatæ ſunt præ me*, i. e. ponderoſiores ſunt quam ut illas ferre queam.

5. *Tabuerunt livores mei* נמקו חבורתי] *Sanie diffluunt livores mei*: ſive vibices ex caſtigatione tua contractæ. Alii, *ulcera mea.*

6. *Incurvatus ſum, inclinatus ſum* נעויתי שחותי] *Incurvatus & depreſſus ſum.* Vel, *depreſſus ſum & incurvatus ſum.* Alii, *Diſtorto corpore ſum & incurvo.* ¶ *Pullatus* קדר] *Atratus: mæſtus: obſcurus, & facie ſubnigrâ.*

7. *Ilia mea plena ſunt ardore* כסלי מלאו נקלה] *Ilia mea plena ſunt fœdo*, ſub. *ulcere*, aut *apoſtemate.* Alii, *fœmora mea prorſus occupat ardens ulcus.* Alii, *coxendicem meum penitus occupavit fœdum*, ſub. *ulcus.* ¶ *Integritas* מתם] *Perfectio; ſanitas: ſani quicquam.*

8. *Debilitatus ſum & attritus* נפוגתי ונדכיתי] *Diſſolutus ſum ac dejectus*, vel *contritus*, aut *percuſſus.* ¶ *Præ fremitu*, &c. מנהמת לבי] *Præ anxietate cordis mei: præ turbatione, præ tumultu cordis mei.*

10. *Circumit* סחרחר] *Circumcurſat: circumagitatur: circumvagatur: vertitur in gyrum*: i. e. alia atque alia verſat: q. d. Crucior vanis cogitationibus. ¶ *Ipſi* הם] Sub. *oculi*: i.e. non funguntur ſuo officio. Poſſet etiam legi *ipſum*, nempe *lumen*, ut הם pro הוא accipiatur.

11. *A conſpectu* מנגד] Ad verb. *de coram*: i. e. ſubducti à plaga mea, averſi à me ſteterunt, quòd morbus meus eſſet contagioſus. ¶ *Stant* יעמדו] Fut. & præt. Heb. pro præſ.

12. *Pravitates* הוות] *Iniqua: pernicioſa.* ¶ *Meditantur* יהגו] Fut. Heb. pro præſ. *immurmurant.*

13. *Audio* אשמע] Fut. Heb. pro præſ. vel potiùs pro præt. imperf. *audiebam*, i. e. diſſimulabam me audire quæ dicerent.

14. *Redargutiones* תוכחות] *Reprehenſiones*: i. e. non habet quod reſpondeat.

15. *Exſpecto* הוחלתי] Præt. Heb. pro præſ.

16. *Dum declinat* במוט] *Dum nutat: vacillat: commovetur.* ¶ *Adversùm me magnificant* os ſuum עלי הגדילו] Præt. Heb. pro præſ. i. e. magnifica & ſuperba adverſùm me loqui ſolent: ſuper me extolluntur, & inſultant mihi.

18. *Annuncio* אגיד] Fut. Heb. pro præſ. fateor, patefacio. ¶ *Timeo* אדאג] Fut. Heb. pro præſ. *anxius ſum, doleo, ſolicitus ſum*, ſub. *de peccato meo.*

19. *Roborantur, & multiplicantur* עצמו ורבו] Præt. Heb. pro præſ. *invaleſcunt, & augentur.*

20. *Adverſantur mihi* ישטנוני] Fut. Heb. pro præſ.

CLARIUS.

INcertum eſt, illud quod in titulo ponitur, *Ad reminiſcendum*, vel *memorandum*, an ſit nota cantûs, an ad aliud quid referatur. Fortaſſe cùm morbo gravi correptus David iram Dei ob peccata ſua ſenſiſſet, ac indè & benevolentiam, ejus cùm morbo rurſus eſſet liberatus, voluit hoc carmine id memorare quod aliis eſſet exemplo. Canit & ſuperioribus aliquot Pſalmis de morbo quo laboraverat, præſertim Pſalmo 35. in quo *claudicationis* meminit: & videtur hic de ejuſcemodi morbo canere. Fortaſſe peſtilenti aliquo ulcere laboravit, unde claudum ſe fore timuerit. Qualis verò cunque fuerit morbus, ſummos illum attuliſſe cruciatus abunde queritur.

2. *Sagittæ tuæ*] Vocat vim illam morbi intolerabilem, quicquid demum fuerit, peſtilentia, aut ulcus, unde claudicatio ſuborta fuit, *ſagittas & manum Domini gravem.*

4. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum*] Dolor morbi, qui mihi propter iniquitates meas inflictus eſt, occupavit omnia corporis membra. Et quod hic *iniquitatem* vocat, mox appellat *inſipientiam* vel *ſtultitiam.*

5. *Putruerunt*] Quod *cicatrices* vertit Interpres, alii verterunt *livores*, vel *ulcera.* Et videtur ſpeciem morbi exprimere. Fortaſſe verò ut Ezechias ità hic peſtilenti aliquo abſceſſu laboravit in femore, eoque tam noxio ut totum corpus dejiceretur, periculumque eſſet non recuperandam gradiendi facultatem. Dictio ſanè Hebræa *abſceſſum & ulcus in quo ſit collectum pus* ſignificat. Numeratur & inter maledicta Legis, ac item Eſa. 1. inter ea quæ tum populo ob ſuam impietatem acciderant.

7. *Lumbi mei*] Vel *femora mea.* Præcipuus dolor & origo morbi fuit ſub lumbis juxta ilia & juncturas femorum, ideo timebat futuram claudicationem. ¶ *Impleti ſunt ardore*] Alius vertit *fœda*, ut ſubaudiatur *plaga.* Et putant Hebræi fuiſſe ulcus tam abominandum ut veritus ſit Pſaltes illud in hoc ſacro carmine nominare.

10. *Cor meum conturbatum eſt*] Alius vertit *circumvagatur.* Dicit ſe deſtitutum omnibus viribus corporis uſqueadeo ut etiam cor, quod eſt fons vitæ, ferè exanimatum fuerit, & nullam habuerit requiem, ut fieri ſolet in acutioribus morbis.

12. *Et vim faciebant*] Quod alius vertit, *laqueos tetenderunt*: per quos intelliguntur verba ad deſperationem inducentia.

16. *Quia dixi*] Valde, inquit, metuebam nè nanciſcerentur ipſi anſam gloriandi adversùm me, qui quoties vel tantillum accepiſſem incommodi erigere ſolent criſtas.

17. *In flagella paratus ſum*] Alius vertit *ad claudicationem.* Cauſam, inquit, habebam metuendi quòd ferendis verberibus deſtinatus eſſem, quodque vulnus meum cogerer circumferre mecum jugiter.

18. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo*] Quarta manſuetudinis cauſa, cur omnia tacitus tulerit muto ac ſurdo ſimilis: Primam enim dixerat Spem in Deum; ſecundam, quòd ſciret hoſtes ſuos odio à Deo haberi; tertiam, morbi diuturnitatem. Perſuaſum quippe habebat Deum nequaquam ſe tantis malis perpetuò oppreſſurum. Et quod ait, *cogitabo*, in Hebræo eſt *formidabo*, vel *anxius ero.*

DRUSIUS.

2. נִחֲתוּ בִי. Sym. *καθίκεταί με*] Tranſcripſi ex Baſilio, hom. in hunc Pſalmum. Apud Interpretem Euthymii legitur *attigerunt, καθίκοντο.* Thema eſt *καθικνοῦμαι.*

3. מִפְּנֵי זַעְמֶךָ. Aq. & Sym. *ἀπὸ προσώπου τῆς ἐμβριμήσεώς σου, à facie indignationis tuæ.* ¶ מִפְּנֵי חַטָּאתִי. Sym. *διὰ τὰς ἁμαρτίας μου, propter peccatum meum.*

6. קֹדֵר הִלָּכְתִּי. Sym. *σκυθρωπὸς περιεπάτουν, triſtis deambulabam.*

7. כִּי־כְסָלַי מָלְאוּ נִקְלֶה. A. *Ὅτι ἐπληρώθησαν αἱ λαγόνες μου ἀτιμίας, Quoniam impleta ſunt ilia mea ignominiâ.* Sym. *Ὅτι αἱ ψόαι μου ἐμπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων ἢ ἀτιμίας, Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus aut ignominiâ*] Lex. V. *Ψύα, lumbus.* Lxx. *αἱ ψόαι μου* quod Symmachi eſſe teſtantur Ambroſius & Euthymius. Priùs erat *ἡ ψυχή μου.* Adi ad Conjectanea mea in illam editionem. *Ἐμπαιγμάτων ἢ ἀτιμίας.* Ità legitur in Scholiis Græcis. Sunt autem duo interpretamenta, quorum alterum Aquilæ eſt, alterum exſtat in editione *τῶν* Lxx. Utrum autem Symmachi ſit fateor me ignorare.

8. שָׁאַגְתִּי מִנַּהֲמַת לִבִּי. Aq. *ἐβρυχώμην ἀπὸ βρυγμοῦ τῆς καρδίας μου, fremebam à fremitu cordis mei*] Lex. V. *Βρυγμὸς, ſtridor.*

11. אֹהֲבַי וְרֵעַי מִנֶּגֶד נִגְעִי יַעֲמֹדוּ. Sym. *Οἱ φίλοι μου καὶ ἑταῖροι μου ἐξ ἐναντίας τῇ πληγῇ μου ἔστησαν, Amici mei & ſocii mei ex adverſo plagæ meæ ſteterunt.*

12. רָעָתִי. Alius *κακίαν μου* & alius *κακόν μου.*] Ità divino. In ed. Rom. Aq. *κακίαν μου, κακόν μου.* Aliquid omiſſum. Fortè A. *κακίαν μου.* S. *κακόν μου.* Nam *S. Symmachum* ſignificat in ea editione. Vide infrà 40. 14.

16. עָלַי הִגְדִּילוּ. Sym. *Καταμεγαλύνονταί μου, magnificantur contra me.*

17. לְצֶלַע נָכוֹן. Sym. *εἰς τὸ σκάζειν παρεσκεύασμαι, ad titubandum paratus ſum*] Aut *vacillandum.* Lex. V. *Σκάζω, titubo, vacillo.*

19. עֹצְמוּ

19. חַיִּים עָצֵמוּ. Sym. ζῶντες ὑπερισχύουσιν, *viventes prævalent.*

20. יִשְׂטְנוּנִי. Sym. ἀντέκειντό μοι, *adverſati ſunt mihi*] Hinc Satan ἀντικείμενος, i. e. *adverſarius*, *obtrectator.* Lex. V. Ἀντίκειμαι, *obſto*, *refragor*, *officio.*

22. חוּשָׁה. Οἱ λοιποὶ, Σπεῦσον, *Feſtina.*

A M A M A.

PSalm. partim εὐκτικὸς, partim σχετλιαστικὸς queribundus.

1. לְהַזְכִּיר] Aben. נוסם פיוט תחלתו להזכיר. Alii, *Adrecordandum beneficium Dei quo ipſum liberaverat ex iſtis miſeriis de quibus hic quiritatur.*

2. קֶצֶף] *Spumavit* & *ira efferbuit*, quod gravius irati aliquando ſpument.

אַל] Repeti debet in ſeq. m. Ab. אל ישרת כענר אחר. Sic Pſ. 9. *Non in æternum oblivioni erit pauper, ſpes juſtorum non peribit.* Kim. אַל עוֹמֵד בִּמְקוֹם שְׁנַיִם.

3. חִצֶּיךָ] *Sagitta*, quæ & בֶּן קֶשֶׁת Job. 41. Sic filii prunæ, Job. 5. *Filius areæ*, Eſa. 21. 10. *Filii Pharetræ*, Thr. 3. 13. *Filius Vini*, acetum. Acetum filius vini de filio degenere. Roma acetum peſſimum vini optimi.

4. מְתֹם] Ab. *Sanitas*, à מתם. Alias *viros* ſignif. Jud. 20. 48. *Et percuſſerunt gladio de civitate* מְתֹם *uſque ad beſtiam.* Hypallage; tunc eſt à מָתָה, unde & מְתִים *Mortales*, βροτοὶ, ut ſignif. affinis ſit θ. מות; ergo non eſt *Methom*, i. e. non ſupereſt amplius ulla forma ſeu figura hominis.

זַעַם] *Ira*, *indignatio*, *deteſtatio.* Jeſ. 13. 5. יְהוָה וּכְלֵי זַעְמוֹ *Veniunt de terra longinqua Dominus & ira ejus ad corrumpendam omnem terram.* Ab. *Ecce recordatur* הַזְכָּרָה הַקְרִבָה, nempe זעם, *& recordatur cauſæ* הַרְחָקָה remotæ, nim. peccatum. Conſiderari etiam poteſt ουι ut cauſa προηγ. peccatum ut προκαταρκτική.

5. מַשָּׂא] *Onus.* Aliq. tantum, aſſumptionem ſermonis, Cantici, Parabolæ, Sermonem, Canticum, &c. Jeſ. 13. *Onus Babylonis.* משא, i. e. מַשָּׂא הַנְּבוּאָה, Græci λῆμμα. Moſchop paulo aliter, λήμματα αἱ προφητεῖαι, ἃς ἔλαβον οἱ προφῆται ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Aq. Ἆρμα τὸ. Prov. 11. 21. יד ליד *Manu ad manum non impunis erit improbus*, Jun. *Conjunctis operis*, It. Gen. *Continua ſucceſſione.* Dr. *Plaga poſt plagam punietur*, *continuis & nunquam interrumpendis plagis.*

Lxx. Αἱ ἀνομίαι ὑπερῆραν τὴν κεφαλήν μου, ὡσεὶ φορτίον βαρὺ ἐβαρύνθησαν ἐπ' ἐμέ. Οἱ μώλωπές μου προσώζεσαν καὶ ἐσάπησαν, ἀπὸ προσώπου τῆς ἀφροσύνης μου.

Amplif. peccata ſua ab adj. 2. Multitudine & gravitate.

מִמֶּנִּי] *Præ me, quam ut perferre queam.* Nemo enim portabit id à quo pondere & gravitate ſuperatur.

6. חַבּוּרֹתָי] Gen. 4. אִישׁ הָרַגְתִּי לְפִצְעִי וְיֶלֶד לְחַבֻּרָתִי.

Stultitia] Per ſtultos in S. L. paſſim improbi intelliguntur, unde Lxx. Cap. 1. & 3. & 13. alibi per ἀσεβὴς tranſtulerunt, & Syn. נְבָלָה Gen. 34. de ſtupro, Joſ. 7. de furto, Jud. 19. de peccato Sodom.

Lxx. Ἐταλαιπώρησα καὶ κατεκάμφθην ἕως τέλους, ὅλην τὴν ἡμέραν σκυθρωπάζων ἐπορευόμην.

7. Ὅτι ἡ ψυχή μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων, καὶ οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τῇ σαρκί μου.

8. Ἐκακώθην καὶ ἐταπεινώθην ἕως σφόδρα, ὠρυόμην ἀπὸ στεναγμοῦ τῆς καρδίας μου. Sym. ἐβρυχώμην ἀπὸ βρυγμοῦ &c.

9. Καὶ ἐναντίον σου πᾶσα ἡ ἐπιθυμία μου, καὶ ὁ στεναγμός μου οὐκ ἀπεκρύβη ἀπὸ σοῦ.

10. Ἡ καρδία μου ἐταράχθη, ἐγκατέλιπέ με ἡ ἰσχύς μου, καὶ τὸ φῶς τῶν ὀφθαλμῶν μου οὐκ ἔστι μετ' ἐμοῦ.

סָתַר] Hinc Saturnus & Myſterium. Græci ſuum faciunt à μυεῖν, *arcanam doctrinam tradere*, μυεῖσθαι, a. d. *imbui* Alii παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα· Quod os claudant qui audiant nempe ad ſervandum ſilentium. Jamblichus, à magica obſervatione circa mures ἐξεζδικῶς notetur locutio 2 Theſſ. 2. 7. ubi Antichriſtum ἐνεργεῖσθαι μυστήριον τῆς ἀνομίας. Hypall. ut Viriditas herbæ, Beatitudo viri. Ergo Myſterium Iniquitatis eſt Iniquitas Myſterii, hoc eſt occulta, hoc eſt altiſſima, profundiſſima, & omnibus numeris abſoluta. Sic Joſeph. Belli Jud. lib. 1. de Antip. filio Herodis bipedum ſceleratiſſimo, Τὸν Αντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας μυστήριον.

11. סְחַרְחַר] *Palpitat.* Dupl. Sic יְחֹגּוּ וְיָנוּעוּ כַּשִּׁכּוֹר *Curſitavit*, *circuivit.* 2. Mercandi cauſa, *circuivit*, unde סחר, Chald. סַחְרָן, Elias, לְשׁוֹן כְּאֵב.

כֹּחִי] Sign. ſuccum illum vitalem, humidum radicale.

גַּם הֵם אֵין אִתִּי] Videtur הם referendum ad *lumen*, licet ſit pl. num. ex regula Gr. 2. 3. Arcus fortium חַתִּים. Ita Lxx. Et tunc retineri poteſt propria voculæ אין ſignif. *Et ejus*, ſc. luminis, *nihil eſt mecum.*

12. *E regione*] *Quia fœtent vulnera mea*, Aben.

נֶגַע] נגע *tetigit*, coire, Gen. 20. *Non permiſi tibi* לִנְגֹּעַ *ad eam verba Dei* &c.

II. *Percuſſit*, *vulneravit*, *nocuit*, Pſ. 105. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Zach. 2. 2. *Qui vos tangit. Tange montes & fumigabunt.* Negav *plaga*, in Exod. & κατ' ἐξοχὴν, *lepra.* Levit. 13. נֶגַע הוּא, unde נֶגַע Eſa. 53. Hier. *leproſum.*

13. וַיְנַקְשׁוּ] נקש Conſ. cum קשׁ Chald. שַׁבְרוּ פַּחִין *tendunt laqueos.* A יקש eſt קשׁ, & יָקוּשׁ Hoſ. 9. *anceps*, *venator.*

Quærunt animam] Syn. generis. Sic Matth. 2. Aliàs in bonum, Prov. 29. 10. *Viri ſanguinum oderunt integrum; at recti quærunt animam ejus*, ſc. ad conſerv.

הַוּוֹת] Et הַוָּה *ærumna*, *calamitas.* Aliq. *facultates*, Prov. 10. 3. *Non eſurire permittit Dominus animam juſti* 'וְהַוַּת כו, Th. יֶהְדֹּף, קִנְיַן רְשִׁיעַ'. Sic Græcis ἐοῖα Lat. *habentia.* Claudius Quadrius cap. 7. ut eſt apud Nonium, *Animos eorum habentia inflarat.* Hinc Belg. *Have.*

17. הִגְדִּילוּ] Sub. פִּיהֶם, & ſign. *Contumelioſè loquerentur.* Sic Jirm. 48. 26. Quia contra Dominum הִגְדִּיל.

שמע] *Intellexit.* Jirm. 5. *Et non audies qui loquatur.* Sic גוי אשר לא תשמע *cujus non intelliges linguam.*

18. נָכוֹן] Ἕτοιμος, Pſ. 93. 2. eſt κραταιὸς, נכון כסאך מאז *ante ullum tempus*, ut Jun. vertit Prov. 8. Sic poſtea מֵעוֹלָם *ante ſæculum.* NB. מ, *ante.*

לְצֶלַע] *Latus & claudic.* צלע & צֵלָע *coſta.* Claudic. pro *miſeria*, *calamitate*, *lapſu*, Pſ. 35. *Et in claudic. mea lætati ſunt.*

19. Declarat ſpem ex alia cauſa procreante, vid. ingenua confeſſione peccati.

22. *Ne relinquas*] Chald. תִּשְׁבְּקִנַּנִי.

G R O T I U S.

IN *rememorationem de ſabbato*] Illud *de ſabbato* in Hebræo, non eſt, ſed in Græco. Nec ſanè ad ſabbatum hoc carmen pertinet, ſed ad inculcandam perpetuò Davidi & peccati ſui & indultæ veniæ memoriam.

11. *Cor meum conturbatum eſt*] Ἐταράχθη. Propriè, *à me evagatur*, ut mercatores facere ſolent. Vide quod ſequitur.

12. *Amici mei & proximi adverſum me appropinquaverunt*] In Hebræo: *eminùs à plaga mea conſtiterunt.* Sic ſumitur כנגד [*ex adverſo*] 2 Samuel. 18. 13. 2 Reg. 11. 7. & alibi.

18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum*] Ὅτι ἐγὼ εἰς μάστιγας ἕτοιμος, Lxx. quos ſuo more ſequuntur Syrus & Arabs. צלע, quod hîc eſt, pro *miſeriis* poni notatum ſuprà 35. 15. ubi quædam verſiones habent, ἐν τῇ ἀσθενείᾳ μου [*in infirmitate mea.*] Aquila ibi, ἐν σκασμῷ μου [*in claudicatione.*] Symmachus, σκάζοντός μου [*me claudicante.*] Idem Symmachus hîc, εἰς τὸ σκάζειν, [*ad claudicandum.*]

20. *Inimici autem mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me*] Syrus pro eo quod habemus חיים [*viventes*,] videtur legiſſe חזים [*ſpectantes*,] ut ſenſus ſit, *Inimici mei ad me ſpectantes intumuerunt.* Vide ſimilem uſum verbi חזה Micheæ 4. 11. 25. 3.

P R I C Æ U S.

1. POſui ori meo cuſtodiam] Loquendi temeritatem cordis cuſtodiâ atque vigiliâ cohibui, ut 1. 15. apud A. Gellium. Vide infrà 140. 3.

6. *Menſurabiles poſuiſti dies meos*] Symmachus heic, ὡς σπιθαμάς· quo & ſpectare videntur Suidæ iſta, Σπιθαμὴ, τοῦ βίου τὸ ἐλάχιστον.

7. *In imagine pertranſit homo*, *ſed & fruſtrà perturbatur*] Lucretius lib. 5.

—— *Hominum genus incaſſum fruſtraque laborat*
Semper, *& in curis conſumit inanibus ævum.*

Vide Sirach. 40. com. 1, 2, 3, 4. Seneca 13 Epiſt. *Subindè hoc in animo volve*, *majorem partem mortalium*, *cum illi nec ſit quidquam mali*, *nec pro certo futurum ſit*, *æſtuare*, *ac diſcurrere.* Apulejus in de Philoſophia, *Sperata* (homini) *atque exoptata vix pauca*, *& cum maxima ærumna*, *proveniunt: hiſque flagrantiores cupidines pluresque ſuccedunt: nec futuris modò angitur malis*, *verumetiam præteritis tranſactiſque torquetur.* Adde quæ infrà 143. 4. Nota & verbum *pertranſit.* Vide Senecam ſuprà adductum ad Pſal. 36. 36.

Ibid. *Theſaurizat*, *& ignorat cui congreget ea*] Vide Jerem. 17. 11, 12. Eccleſiaſtis 4. 8. Sirach. 14. 4. & quæ attulimus ad Luc. 12. 20. ea, ἃ δὲ ἡτοίμασας τίνι ἔσται;

9. *Opprobrium inſipienti dediſti me*] *Inſipienti* acutè pronunciandum videtur, ut indè juſtior, certè major appareat indignatio ejus. Ità & Jobi 19. 18. *Stulti quoque deſpiciebant me.* Leo ſenex apud Phædrum impunè, & ab alino, calcibus petitus,

—— *Te*, *naturæ dedecus*,

Quod

Quòd ferre cogor, certè bis videor mori.
Vide & ſuprà 30. 12. infrà 43. 14. & 78. 4.

14. *Remitte mihi ut refrigerer priuſquam abeam*] Job. 10. 20. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergò me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.*

IDEM.

2. P*Oſui ori meo cuſtodiam*, &c.] Symmachus non malè *capiſtrum*. Vide Job. 30. 11. & Jacob. 3. 3.

3. *Silui à bonis*] A bonis rebus caſtigavi corpus meum, & in ſervitutem redegi, ut Apoſtolus locutus.

5. *Et numerum dierum meorum, quis eſt*] Similis Luc. 19. 3. locutio, *Quærebat Jeſum videre, quis eſſet.*

7. *Veruntamen in imagine pertranſit homo*] *Deficiunt* (ut 77. 33.) *in vanitate dies ejus, & anni ejus cum feſtinatione.* In Pſeudolo Plautina,

Certa amittimus dum incerta petimus: atque hoc evenit
In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.

Veruntamen hîc eſt *autem*, nec aliter apud Saluſtium.

Ibid. *In imagine pertranſit homo*] In vanis conceptarum rerum imaginibus. De homine Apulejus, *Pertinaci ſpe*, (animal,) *caſſo labore, fortunâ caduca.*

Ibid. *Sed & fruſtrà conturbatur*] Vide in cæteris Annotatis.

Ibid. *Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea*] Id eſt, ſuone, an extraneo hæredi: ſi ſuo, frugine, an luxurioſo: ſanè utrivis, hæredi fortè cujus fletus ſub perſona riſus eſt. Nonnulli, Plinio in Epiſtolis referente, hæreditates cernendo divites evaſerunt, invitiſſimis etiam illis à quibus facti ſunt.

8. *Subſtantia mea apud te eſt*] Tibi minimè ignota eſt, eſſe rem nihili. Vide com. 6.

10. *Et non aperui os meum, quoniam tu feciſti*] Supplendum puto, *me opprobrium inimicis meis*, ex proximè præcedentibus. Origenes in hæc Pſalmi verba, *Quia tu feciſti agonem iſtum, & mihi hac exercitia patientia mea præparâſti:* at Græci hîc, ὅτι σὺ εἶ ὁ ποιήσας με· id eſt (ut ego quidem interpretor) quia manus tuæ plaſmaverunt me, itaque æquum eſt te de iſto corporis mei vaſe diſponere ad uſus tibi maximè complacitos. Vide Rom. 9. 21. Nec ab hujuſmodi expoſitione noſtra recedit Chryſoſtomus: at ego illud μὲ irreptitium puto.

Ibid. *Quoniam tu feciſti*] Ità Jerem. 14. 22. in re ſimili, *Tu enim* (Domine) *feciſti omnia hæc.*

12. *Et tabeſcere feciſti*, &c. *animam ejus*] Marceſcere animam ejus, Job. 30. 16. vide & Job. 13. 28.

13. *Quia advena ego & peregrinus*] Id eſt, tanquam advena & peregrinus, qui hodie hoſpitium ſubit, die craſtino ſuum iter proſequitur. Eorum celeri abitui ſuæ vitæ brevitatem aſſimilat. *Memoria hoſpitis unius diei* puto legiſſe me apud Sirachidem. In Græco hîc πάροικος, καὶ παρεπίδημος quibus itidem vocibus 1. 2. 17. D. Petrus uſus, Chriſtianos à brevi incolatus ſpatio ad vitam ſobriam & circumſpectam adhortans, ut Deum heic Pſalmiſta orans ad ſuas preces exaudiendas.

14. *Remitte mihi*] Græci, ἄνες μοι. Heſychius, Ἄνες, ἄφες, ἀπόλυσον.

Ibid. *Ut refrigerer*] Lxx. ἵνα ἀναψύξω, id eſt, recreer, refociller. Idem Heſychius, Ἀνάψυξις, ἀνάπαυσις.

Ibid. *Priuſquam abeam*]

Illuc unde negant redire quenquam.

PSALM. XXXIX.

MUNSTERUS.

1. I*Eduthun*] Putat Kimhi hunc Pſalmum à David editum, & Jeduthun Cantori præcipuo unius ordinis decantandum traditum. Alii aliud ſentiunt.

2. *Dolor meus irritatus eſt*] Apparet hinc Prophetam gravi laboraſſe morbo, qui etiam eum ad querelas impulerit; unde impii quaſi voluptatem capientes illi inſultarunt.

3. *Caluit cor meum intra me*] Cùm enim ſe contineret à querelis, quas naturæ ſuggerebat ingenium, exagitabatur dolor, atque vis ejus adeò intendebatur ut impotens eſſet ſe continere ampliùs, ſed cogebatur erumpere in verba hujuſmodi, *Notum fac mihi, Domine, finem meum*, &c.

6. *In imagine*] h. e. In umbra inani. Putant enim בצלם hic idem eſſe quod צלמות, i. e. *umbra mortis.*

11. *Expetibile ejus*] Accipitur hîc per חמוד ſecundùm Hebræos שומן הבשר וחוק הגוף *pinguedo*, vel *ſuccus, carnis atque robur & vigor corporis*, quæ per infirmitatem conſumuntur haud ſecùs quàm veſtis à tinea.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Ipſi Jedithun* לידותון] Hic fuit unus ex illis præclaris Cantorum Præfectis quos Davidem inſtituiſſe legimus 1 Par. 16. 38. & 25. 1. ¶ *Cuſtodiam os meum clauſurâ* אשמרה לפי מחסום] *Cohibebo os meum capiſtro: ponam cuſtodiæ vice ori meo capiſtrum*, vel *fiſcellam.* Gallicè *une muſeliere.*

2. *Silentio* דומיה] Subaudiunt quidam præpoſitionem, *in ſilentio*, vel, *præ ſilentio.* Alii, *ſilendo*, ſive *tacitus*: q. d. Tamdiu ſilui ut penè viderer mutus. ¶ *Et dolor meus turbatus eſt* וכאבי נעכר] *Interim dolor meus incruduit: irritatus eſt: exagitatus eſt.*

3. *In meditatione mea* בהגיגי] *Dum mecum immurmurarem.*

4. *Scire fac me* הודיעני] *Notum fac*, vel *Indica mihi.* ¶ *Quàm temporalis ſum* מה חדל אני] *Quamdiu mundanus ero*, i. e. Quamdiu victurus ſim in hoc mundo. Alii, *cujus ævi ego.* Vel, *quanti ævi ſim.* Alii, *quàm* brevis *temporis ſim.* Alii, *quòd mundanus ſim.*

5. *Ut palmos poſuiſti* טפחות נתתה] Ad verb. *palmares dediſti*, vel, *pugillos*: h. e. breves ut menſura quatuor digitorum. ¶ *Stans* נצב] *Conſiſtens*, vel, *exſiſtens*, i. e. quamlibet firmus conſiſtere videatur.

6. *In imagine* בצלם] *In tenebris*, vel, *umbræ inſtar*: nam quidam codices habent כ *ſimilitudinis* notam pro ב præpoſitione. ¶ *Tumultuantur* יהמיון] *Turbantur: perſtrepunt: tumultibus ſeſe ingerunt*: Fut. Heb. pro præſ.

7. *Exſpectavi* קויתי] Vel per præſens, *exſpecto.*

8. *Prævaricationibus meis* פשעי] *Tranſgreſſionibus: ſceleribus meis.* ¶ *Opprobrium*, &c. חרפת נבל אל תשימני] Hebraïſmus, pro, *Nè exponas me ludibrio ſtolidis hominibus.*

9. Quia] Subauditum, ut ſit ratio quare nolit eſſe opprobrio.

10. *A bello* מתגרת] *A conflictu: à vulnere: ab exagitatione.* Alii, *Propter infeſtam manum tuam*: i. e. nam plagâ quam mihi inflixiſti confectus ſum.

11. *Et liqueſcere facis* ותמס] *Et ilico tabeſcere facis.* ¶ *Ut tinea* כעש] Sub. *perdere ſolet.* ¶ *Deſiderium ejus* חמודו] *Deſiderabile ejus.* Vel, *quicquid in eo eſt deſiderabile.* Alii, *decorem ejus. Deſiderium* pro *deſiderabili & eximio*, ut Thren. 1. 11. *Dederunt deſideria ſua pro cibo.*

12. *Et clamorem meum* ושועתי] *Et vociferationem meam.* ¶ *Nè ut ſurdum te exhibeas* אל תחרש] *Nè obſurdeſcas, nè taceas.*

13. *Ceſſa* השע] *Deſine, Declina, Recede, Deflecte.* ¶ *Et roborabor* ואבליגה] *Ut corroborer: ut vires recipiam: ut refociller.* ¶ *Et non ſim* ואינני] Ad verb. *& non ego.*

CASTALIO.

C*Onfer hoc carmen cum 90.*

12. *Peregrinus apud te ſum, advena*] Ævi brevis. Hæc vita mihi propria, h. e. diuturna, non eſt; ſicut nec peregrino terra in qua habitat.

CLARIUS.

QUòd in titulo ait *Idithun*, putant hunc Pſalmum à David editum, & Idithun Cantori præcipuo unius ordinis traditum decantandum. Alii putant aliquod carmen celebre fuiſſe cujus initium fuerit *Iduthun*, ad cujus modulationem & hic Pſalmus cantatus ſit. Sed ingens eſt harum rerum etiam apud Hebræos ignoratio. Canit & hoc pſalmo de quodam morbo cujus acerbiſſimis doloribus exagitatus, continuerit ſe tamen, nè, ſi quereretur, indigna proferret, præſertim audientibus improbis.

2. *Et ſilui à bonis*] Metuens ſcilicet nè & illa in calumniam raperent, quamvis eâ taciturnitas vehementer auxerit dolorem mihi.

3. *Concaluit cor meum intra me*] Ità namque homini accidit, dum dolore affectus à querelis temperat & ſpiritum continet. Is etenim intentus (ut Ariſtoteles ait) calefacit doloris incitabula, contracto intrinſecùs calore, quo potiſſimùm vis doloris intenditur. ¶ *Locutus ſum in lingua mea*] Naturæ ingenium expreſſit. *Ignis*, inquit, *qui intra me ardebat*, erumpere coegit in vocem hanc, *Notum fac mihi, Domine, finem meum:* Vel, *ut ſciam quamdiu mihi* vivendum ſit in miſeriis: Vel, ſi longiora ſpa-

ra ſpatia & meliorem vitæ ſtatum ſis conceſſurus, ut ferri poſſit tam atrox ultio.

5. *Ecce menſurabiles*] Certum eſt enim, inquit, te veluti in digitis numeratos habere pauciſſimos dies meos.

6. *In imagine*] Velut umbra inanis & imago deſcripta lineis. Alii pro *tenebris* accipiunt: ſed quadrat ut intelligamus velut *inanem umbram*, quæ illico evaneſcat, hominem in hoc ſeculo verſari. Et *vanè*, inquit, *conturbatur*, h.e. in vanum tumultibus his & curis ſeſe ingerit, ob exiguam hanc temporis umbram.

9. *Quoniam tu feciſti*] Quòd ſcirem ad exercendam patientiam abs te immitti hæc mihi.

11. *In increpationibus propter iniquitatem*] *Caſtigationibus propter iniquitatem immiſſis erudire ſoles hominem & abſumere, quemadmodum tinea veſtimentum conſuevit.*

13. *Remitte mihi*] Abſtine paululùm à flagellando me, ut vires priſtinas recipiam, priuſquam migrare cogar, nunquam huc reverſurus.

LUCAS BRUG.

6. **M***ultiplicati ſunt ſuper numerum.*] Ea eſt frequentior Latinorum codicum, & quidem omnium noſtrorum MSS. lectio: eſt & Tractatorum, Arnobii, Hieronymi, Ruffini, Auguſtini, Caſſiodori, Bedæ, Haymonis, Brunonis, Johannis de Turrecremata, Petri Lombardi Pariſienſis Epiſcopi, Thomæ Aquinatis, & Richardi Pampolitani Eremitæ. Nobilis eſt expoſitio Auguſtini, *credentes electorum numerum ſuperaſſe.* Quidam libri, D. Janſenio teſte, legunt, *Multiplicata ſunt* (nos id in Iſidori Clarii Bibliis vidimus) ità ut ad Dei cogitationes referatur, de quibus antecedit, *Et cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi*: q.d. Propheta, Mirabiles providentiæ tuæ cogitationes, quas prædicare & celebrare volui, numero majores eſſe deprehendi. D. Lindani Pſalterium legit, *Multiplicata ſunt:* id quod ad *mirabilia* referendum eſt, de quibus ſtatim Propheta dixerat, *Multa feciſti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Eò referunt Chryſoſtomus, Theodoritus & Euthymius, Græci enarratores. *Numerum*, ait Chryſoſtomus in priori explanatione, *& omnem narrationem ſuperant miracula quæ à tua potentia facta ſunt*, &c. Sed & Apollinaris,

Ἀγγέλλων κατέλεξα τάπερ πλέον εἶεν ἀριθμῶν.

Hoc modo Latinis codicibus legendum Lyranus & Jacobus conjiciunt. Vox Græca ἐπληθύνθησαν, & Hebræa עצמו, ambiguæ ſunt, nulli generi adſtrictæ, ità ut prædictas tres lectiones ex æquo patiantur. Sed Interpretes ità ferè vertunt ut ad Dei mirabilia referantur. Hieronymus ex Hebræo, *Multiplicata ſunt ſuper numerum.* Quò etiam primam lectionem quidam referunt, ſubaudientes effectus mirabilium Dei, aut ſermones & libros qui ad enarranda Dei mirabilia habiti & conſcripti ſunt.

9. *Et legem tuam in medio cordis mei.*] Latinorum librorum quidam legunt, *in medio ventris mei*; alii *in medio cordis mei.* Utriuſque lectionis D. Ambroſius meminit. Prior Græcorum eſt codicum, & Græcorum Enarratorum, Chryſoſtomi, Theodoriti atque Euthymii; Poſterior Tractatorum, Arnobii, Hieronymi, Ruffini, Auguſtini, Caſſiodori, Haymonis, Remigii, & eorum qui ætate ſunt inferiores: quam etiam in ſuis Latinis codicibus habuere Sunia & Fretela, quibus ſic ſcripſit Hieronymus, *Legem tuam in medio cordis mei, pro quo in Græco vos comperiſſe dicitis*, τὸν νόμον σου ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, *quod in Hebræo ſcriptum eſt* בתוך מעי, *ſed propter euphoniam apud Latinos* in corde *translatum eſt: & tamen non debemus ſubtrahere quod verum eſt.* Sic Hieronymus. Hanc proinde noſtræ editionis genuinam exiſtimem eſſe lectionem, *in medio cordis mei:* cùm etiam omnium penè ſit exemplarium, eaque ferè in quibus altera habetur lectio, noſtræ editionis vulgatæ non ſint; nempe Hieronymi ex Hebræo tranſlatio, Romanum Jacobi Pſalterium, Latinus Regiorum Bibliorum textus (is enim eſt ex Complutenſi expreſſus, qui in Pſalmorum libro, inter Græci textûs lineas collocatus, ei planè fuit accommodatus) quanquam non ſatis meminerim quod ſit MSS. illud quod in Bibliis ſignatum eſt: ſed ex illorum aliquo veriſimile eſt deſcriptum aut mutatum eſſe. Ad hæc Beda, illo expoſito *in medio cordis mei, habes*, inquit, *alia tranſlatio, In medio ventris mei. Juxta quod*, &c.* Conjicit D. Janſenius pro κοιλίας, καρδίας ab Interprete noſtro lectum: ſive autem hoc, ſive illo modo, ſive *cordis*, ſive *ventris* legas, eodem ſenſus redit: imò Euthymius *in medio ventris mei* poſitum intelligit, pro, *ex corde atque ex tota anima mea*: ut ſit ſenſus, Volui adimplere ex toto corde meo legem tuam. Cæterùm, D. Hieronymi jam producta verba *ventris* vocabulum magis Hebrææ voci reſpondere ſignificant: atque ità ipſe tranſtulit, cùm hoc tum aliis in locis. Pagninus autem docet ex Camhio nomine מעי omnia membra comprehendi, etiam cor, ideoque nonnunquam pro *corde* accipi. Inſigniter Apollinaris hunc locum ſuo carmine explicuit,

Καί σευ μεσσατίῳ ἐθέμην ἐν στήθεϊ θεσμόν,

Atque tuam medio ponebam in pectore legem.

DRUSIUS.

1. לידיתון. οἱ λοιποί, ὑπὲρ Ἰδιθούν. ¶ אשמרה לפי מחסום. Sym. Φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ, *cuſtodiam os meum capiſtro.*

2. כמוב. Sym. μὴ ὢν ἐν ἀγαθῷ, *cùm non bene mihi eſſet.* ¶ נעכר. Idem. ἀνεταράχθη, *iterum turbatus eſt.*

3. חם־לבי בקרבי וגו׳. Sym. *Exarsit cor meum intra me, & dum in animo verſarem flagrabam igne*] Ex Theodoreto. Ἐν τῷ ἀνατολεῖν με ἐνεκαιόμην πυρί, ex Chryſoſtomo.

5. הנה טפחות נתתה ימי. Sym. Ἰδοὺ ὡς σπιθαμὰς ἔδωκας τὰς ἡμέρας μου, *Ecce ut menſuras duodenum digitorum reddidiſti dies meos*] Reſpexit, ut videtur, ad proverbium Græcum, Σπιθαμὴ τοῦ βίου. Alioqui טפח magis eſt παλαιστή, i. e. quatuor digitorum menſura. ¶ וחלדי כאין נגדך. Sym. καὶ ἡ βίωσίς μου ὡς οὐδὲν ἀντικρύς σου, *& vita mea ut nihil coram te.* Aq. καὶ κατάδυσίς μου ὡς οὐκ ἔστιν ἐναντίον σου. ¶ כל־אדם. A. πᾶς ἄνθρωπος.

6. הבל. Sym. ἀτμίς, *vapor.* ¶ נצב. ἑστώς, *ſtans.* A. ἐστηλωμένος, *conſtitutus*] Nempe ut cippus aut titulus, qui Græcis στήλη· unde στηλόω. Verti etiam poteſt *ſtans* aut *conſiſtens*, ut Jud. 18. ἐστηλωμένοι παρὰ τὴν θύραν, *ſtantes ad januam.* ¶ מי־אספם. A. & Th. τίς συλλέξει αὐτά, *quis collecturus ſit illa.*

7. ועתה מה־קויתי וגו׳. Sym. Καὶ νῦν τί προσδοκῶ, δέσποτα; ἡ ἀναμονή μου εἰς σέ ἐστιν; *Et nunc quid exſpecto, Domine? remanſio mea in te eſt*] i.e. Exſpectatio, præſtolatio. Nam *manere* dicimus pro *exſpectare.* Vox Græca etiam ſign. *tolerantiam.* ¶ תוחלתי. A. ἡ καραδοκία μου, *præſtolatio mea*] Id poſui ex conjectura. In ed. Rom. Ἀκύλας τὴν ὑπόστασιν καραδοκίαν εἴρηκεν. Hic latet ὕπουλον ulcus. Nam τὴν ὑπόστασιν dixit κατάδυσιν, ut vidimus. Quare huc potiùs pertinet καραδοκία. Rei firmandæ eſt quod in Fragmentis noſtris editis, an. 81. תוחלתי. A. *præſtolatio mea.* Judicent eruditi.

8. מכל־פשעי הצילני. Sym. Ἀπὸ πασῶν τῶν ἀθεσιῶν μου ἐξελοῦ με, *Ab omnibus tranſgreſſionibus meis exime me.* ¶ חרפת נבל אל־תשימני. A. ὄνειδος ἀποῤῥέοντι μὴ θῇς με, *probrum ſtulto nè ponas me.* Sym. ἐπονείδιστον ἄφρονι μὴ τάξῃς με, *probroſum inſipienti nè poſueris me*] Ἀποῤῥέοντι ad verb. *defluenti*: expreſſit etymon Ebraïcum. Nam נבל *ſtultus* vocatur, παρὰ τὸ נבל, quod *defluere* ſignificat.

9. נאלמתי וגו׳. Sym. Ἄλαλος ἐγενόμην, οὐκ ἀνοίξω στόμα μου· σὺ γὰρ ἐποίησας, *Mutus fiebam, non aperiam os meum: tu enim feciſti.*

11. על־עון. Sym. διὰ ἀδικίαν, *per injuſtitiam.* ¶ ותמס כעש חמודו. Sym. καὶ διαλύεις ὡς εὐρῶτα τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ, *& diſſolvis ut cariem deſiderabile ejus.*

12. אל־תחרש. Sym. μὴ παρακούσῃς, *nè inauditum prætereas.*

13. השע ממני וגו׳. Sym. Ἀπόστηθι μου, ἵνα μειδιάσω, πρὶν ἀπελθεῖν με, καὶ μὴ ὑπάρχειν, *Abſtine à me, ut rideam, antequam abeam & non ſubſiſtam.*

AMAMA.

HIc Pſalmus partim ἐξηγητικός, partim εὐκτικός. Narratio abſolvitur IV. primis verſibus,

I. Narrat propoſitum ſuum de vitando murmure adverſus Deum, quod oboriri poterat ei ex injuriis.

II. Propoſiti ſui præſtationem & ejus eventum, nimirum incrementum doloris ſui.

III. Propoſiti ſui violationem, quod ſc. tandem in murmur eruperit, quod factum declarat ex cauſa procreante, videlicet indignatione ſua, quam comparat igni ardenti.

1. *Jeduthun*] Unus ex Cantoribus. 1. Paral. 15. Alii, eſſe Inſtrumentum Muſicum. Alii, Initium Cantilenæ, cujus Compoſitor fuerit ille. 1. Chron. 25. 1 dicitur David diviſiſſe exercitum Cantorum in filios Aſaph, Heman & Jeduthun, qui prophetabant in Cytharis, Nabliis & Cymbalis. Senſus ergo, Pſalmus traditus Magiſtro Symphoniæ illi, qui Præfectus erat poſteris Jeduthun, vel ipſi Jeduthun. Locutio, ut Gen. 32. לעבדך ליעקב, 2. Sam. 8. לנער לאבשלם. Sic Gen. 21. עם בני עם יצחק.

2. *Servabo circa os meum*, Jun. Alii, *Ponam cuſtodiam vice oris meo.*

מחסום] *Capiſtrum*, fiſcella cui os jumenti includitur, ne edat vel mordeat. Plin. *Fiſcellis capiſtrari boves oportet, ne tenera graminum decerpant.* Verbum חסם Deut. 25. לא תחסם שור בדישו *Non obligabis (os) bovis dum triturat.* 1. Cor. 9. οὐ φιμώσεις (capi-

(capiſtrabis) βοῦν ἀλοῶντα. Jeſ. 28. varii modi triturandi. Vide Druſium in Præl. 1. T. m. 5.

מראות] Negat. includit. Hoſ. 4. כמה לי. Pſ. 69. 24. *obſcurabuntur oculi eorum ne videant.* Rom. 11. 10. τοῦ μὴ βλέπειν, ſub. ἕνεκα. Jirm. 48. 2. *Venite, diſperdamus eum* מגוי, ne ſit gens. Sic alibi, Jeſ. 17. מעיר.

Maſſ. מחטוא. ג׳ וכשנין בכתיבתהון. כשנין. Maſſ. ſuperior מחטוא. ſeq. אע״ך אור׳ כו נבי׳ טא. כתוב טא.

4. *Locutus ſum lingua mea*] Sc. contra Deum, i. e. *Peccavi contra Deum murmurando.* Ita Piſc. qui hic expungit ſuppl. Jun. *dicendo.* Vult enim in ſeq. non exoptari mortem, ſed peti, ut Deus ſe adducat ad ſeriam conſiderationem mortis & vanitatis ſuæ; vel, non refert murmur, ſed preces ad murmur illud compeſcendum.

5. הודיע] Jun. *Fac ut experiar,* i. e. morior. Piſc. *Fac ut cognoſcam, Doce me quam durabilis.* Pag. *Quod temporalis ſim.* Piſc. *caducus, verganglijk,* Belg. eſt, *ik daer van moet.* Sine interrog. emphaſi pereunte.

חדל] *Quam durabilis ſim,* Jun. Tigur. *Ut ſciam quanto tempore in miſeriis mihi vivendum ſit.* Hi videntur tranſponere literas חלד *ætas, tempus, ſæculum.* Optimè, *Quam caducus ſim.* Ad verb. *ceſſabilis, deſibilis.* Senſus, quam brevi deſtitutus ſim vivere. Juvat Chald. איכדין אפסוק מן עלמא. Lieſv. Vulg. Quid mihi deſit חסר.

מדה] *Dimenſio, menſura.* Aliter 1. Chron. 11. איש מדה *Vir menſuræ,* i. e. Magnus. Prov. מדה כנגד מדה. Ἴσον ἴσῳ. Rab. *Proprietas, attributum.*

R. Sal. ſic hunc Verſum παραφράζει, *Doce nos, Domine, finem noſtrum, quouſque futuri ſimus in afflictione, utque ſciamus quando ceſſabimus ab illa,* i. e. illa à nobis.

6. טפחות] *Palmos,* i. e. Palmares. Rep. ימי *Dies palmorum* p. d. m. Dies palmorum, i. e. palmares, i. e. breves; nam טפח eſt menſura parva & exigua 4. digitorum. Ideo Chald. קלילין *paucos,* Lxx. παλαιστάς. Ab. *Adeo paucos ut palmis poſſint menſurari.* Ariſt. in hiſt. anim. Vide ad Pſ. 90. Apud Ebræos eſt ſpecies menſuræ una ex V. à corpore humano petitis.

I. גודל Pollex vel אצבע.

II. טפח Palmus, menſura 4. digitorum.

III. זרת Spithama, menſura 3. palmorum vel 12. digit.

IV. אמה Cubitus, menſura 6. palmorum, 24. digitorum.

V. גמד Ulna, cubitus decurtatus, 20. digitorum, 5. palmorum, tanta longitudo quanta eſt à brachii flexu uſque ad digitorum exortum. Cubitus ſine digitis.

His additur ſexta, קנה Arundo, calamus menſorius, 6. cubitorum.

Hiſtoria Philippi boni Burg. Ducis.

6. חלדי] *Ætas mea, ævum.* Hor. *Vive memor quam ſis brevis ævi.*

נצב] Jun. *Conſtitutus, ſtabilitus.* Belg. *Als ſy op 't alderbeſte zyn.* Sp. Lieſv. Vulg. *Vivens.* Sic eadem eſt mori. Alii, *Totum hominis, etiam conſtituti vel ſtabiliti, pura puta vanitas eſt.* Sic Eccl. 12. 15. *Quia hoc eſt totum hominis.* Sp. G. It. *Car c'eſt la le tout de l'homme.* It. *Perche queſto e il tutto del huomo.* Sp. *Porque eſto es el todo del hombre.* כל ut & πᾶς aliq. univerſalitatem atque integritatem notat, ut 2. Cor. 13. *Si haberem* πᾶσαν πίστιν, *totam fidem miraculorum,* i. e. quicquid iſtius fidei uſpiam reperitur in omnibus θαυματουργοῖς. 2. Tim. 3. πᾶσα γραφή.

7. בצלם] *In imagine, in umbra, in caligine.* Umbra enim eſt imago corporis. Imaginem opponit veritati & rei ſolidæ, ut quum imago hominis opponitur vivo homini. V. D. Vita hominis non eſt vera vita, ſed tantum imago & larva inanis vitæ. Homo ducit vitam imaginariam, umbratilem, non ſolidè quicquam habentem, inſtar umbræ evaneſcentem & evolantem. Jun. *Per imaginem.* Species eſt evanida. 1. Cor. 7. *Præterit* σχῆμα *hujus mundi,* i. e. ſpecies, figura, forma. Kimchi explicat בחשך, dicitque ſic ſignif. in lingua Arab. cum puncto ſupra צ צלם. Porro *in tenebris,* i. e. in miſeria. Alii, *ſicut umbra.* Belg.

יתהלך] Poteſt etiam exponi *abit,* i. e. perit, moritur, evaneſcit; ſic in fine Pſalmi. Sic Gen. *Ecce ego* הולך *ſine liberis.* Pſal. 109. *Sicut umbra* נהלכתי. Feſt. Pomp. *Abitionem antiqui vocabant mortem.* Et Tertull. ævo *abiit & revertetur.* Hoſ. 6. 4. *Sicut vos* משכים הולך, Arab. הלך *obiit, periit, deſtructus eſt;* הלך *perdidit, interfecit, deſtruxit.*

יצבר] *Congerit in agro frumentum, & neſcit quis collecturus ſit illud in horreum.* R. Sal. *Colligit & neſcit cui* (pro למי) *colligat ea.* Alii, *Quis recepturus ſit ea.*

8. תוחלתי] Vulg. *Subſtantia mea apud te eſt.*

9. Mortalitati ſuæ opponit ſpem ſuam. Cum res ita ſe habeat, quid in hac vita exſpectabo? Nonne omnia ſunt vana?

9. נבל] *Stulti,* i. e. improbi, impii. Sic etiam כסיל paſſim in Proverb. נבלה dicitur de *ſtupro,* Gen. 34. *peccato Sodom.* Jud. 19. Joſ. 7. de *furto* anathematis. Ital. *Huomo da nulla,* Monſtrum nulla virtute redemptum.

10. Inſerit profeſſionem patientiæ.

Tu feciſti] Tu Abſolomum incitaſti, ut me injuriis afficeret. 2. Sam. 12. 10. 11. 12.

11. מתגרת] *A conflictu.* גרה in Hitphaël *miſcere,* & *miſcere prælia, conſerere manus, confligere.* Deut. 2. 5. *Ne miſceamini cum illis.* R. Abr. Aben. כמשר כגרה. Sic in Job, *Removeat à me virgam ſuam. Tunc loquar.* Kimch. כמלחמה ידך. גרה *revocare, permiſcere;* Piel גרה *rumino;* Hithp. *miſceo.* In Conſt. autem & miſcentur manus & ſæpe revocantur. Tigrah formæ הקיה, מצוה non poteſt exponi *à pavore,* ut ſit à גור *timuit:* nam in talibus non ſolet cadere vau, הקומה הלוה.

נגעך] Supra dixit כנגד נגעי, Kimchi אותיות השמש יבאו על הפועל ועל הפעול. Sic *Domus precationis meæ. Lex Dei* & *Lex Judæorum.* Joh. 10. 1. *Tangere,* 2. *Percutere,* præc. in Piel Gen. 12. וינגע *& percuſſit Deus Ph.* נגעים *multis.* 3. *Lædere, nocere.* Pſ. 105. *Nolite* &c. Zach. 20. ubi Ch. נגע. מנגע aliq. κατ' ἐξοχὴν eſt *lepra,* נגוע *leproſus.* Jeſ. 53. 4. A. נגוע מכה אלהים *Percuſſum à Deo,* non percuſſum Deum.

12. [*Si*] *reprehenſionibus* [*reatibus*] *propter iniquitatem caſtigares quempiam, diſſolveres velut tineam id quod in eo eſt deſiderabile*] i. e. שומן בשרו וחוזק נופו inquit Kimchi. Alii יפיו. Sym. τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ διαλύεις ὡς εὑρῶτα, ut cariem.

הבל] Sym. ἀτμίς. Jirm. 2. 5. ויהבלו Ch. והוו ללא Jeſ. 57. רוח & הבל conjunguntur ut Syn. Pſ. 90. הגא exponitur per הבל פוגא רכח. Pſ. 144. *Homo ſimilis eſt* להבל Theod. Sym. ἀτμίδι Chald. ללא.

13. גר] *Peregrinus,* qui ad breve tempus moratur, תושב qui paulo diutius manet, & habitat in aliquo loco, ſed tamen alieno. Rabb. גר הצדק Proſelytus, גר Ch. & Syr. γειώρα, & ſic Ch. hoc loco. Xiphil. in Veſpaſ. *Capti ſunt ab eo multi, præſertim Barporas, qui apud eos principatum tenebat, iſque ſolus in triumpho ſupplicio affectus eſt.* Druſ. corrigit *Bargioras.* Joſeph. 4. 30. υἱὸς ἦν γιώρα Σιμῶνος γερουσίας & cap. 46. ἐφυλάχθη δὲ ὁ μὲν τῷ θριάμβῳ σφάγιον ὁ δὲ Ἰωάννης δεσμοῖς αἰωνίοις. Theod. γιώρας προσηλυτός.

גר] *Peregrinus,* qui habitat in alio loco quam natus eſt. Sic 1. Chron. 29. *Quia peregrini nos coram te & advenæ, ſicut omnes patres noſtri. Peregrinus,* ac proinde tua ope egeo. גר πάροικος, תושב παρεπίδημος. Rabb. reſtringunt ad proſelytum, & differt à גוי, quia גוי *Gentilis* eſt, homo alterius religionis: גר *peregrinus* quidam, ſed qui jam antiquavit ritus prioris idololatriæ, & Judaïcam religionem amplexus eſt. Hi ἀλλόφυλοι nunquam vocantur. Simile in Chriſtianiſmo, niſi ita quemadmodum Paulus Gal. 2. Chriſtianos vocat *Gentiles.* Talis Proſelytus fuit Herodes, natus ex Proſelytis, præterea Idumæus erat; at illi vocantur fratres Judæorum, Deut. 23. 7. *Quia frater tuus eſt.* Et Joſeph. lib. 13. 17. narrat Idumæos ferè integro ſæculo ante Herodis regnum Judæos factos. Obiter, licet ἰσονομία fuerit inter Judæos viros & proſelytos excepto quod in Synedrium adoptari non potuerint, tamen exoſi erant Judæis, ut ſolent in omnibus Rebuſpublicis οἱ ἔγγραπτοι & *adſcriptitii cives.* Dicunt etiam ad decimam.

R. Juda Princeps, Rabb. Hakkodos, *Fac voluntatem ejus ſicut voluntatem tuam, ut faciat voluntatem tuam ſicut voluntatem ſuam. Irritam fac voluntatem tuam, propter voluntatem ejus, ut ipſe irritam faciat voluntatem aliorum propter voluntatem tuam.*

תושב differt à גר quod Toſchab diu habitet in aliena domo.

14. השע] Id eſt, הרפה vel הדף Ch. אשבוק demitte. Lxx. ἄνεσμοὶ: i. e. remitte mihi, quod vulgò de remiſſione peccatorum exponunt; q. d. ἄφες. ς. ἀπόστηθι μου.

ואבליגה] *Ut recreem me, confortem, refocillem.* Sic Job. 9. & 10. uno loco Ch. Lxx. ἵνα ἀναψύξω, habet אתגבר, alii אנוח. Amos 5. 9. המבליג, מבליג *confortans.* Kimchi אתחזק מחלי ואשוב עוד לעשות רצונך. Hoc enim ſæculum eſt הפעשה, futurum השכר.

Antequam abeam] Lxx. πρὸ τοῦ με ἀπελθεῖν καὶ οὐκέτι οὐ μὴ ὑπάρξω. Sym. πρὶν τοῦ με ἀπελθεῖν καὶ μὴ ὑπάρχειν.

GROTIUS.

IN *finem ipſi Idithun*] Principi cantorum Idithuno, cujus mentio 1 Paralip. 16. 42. 2 Paralipomen. 5. 12.

2. *Poſui ori meo cuſtodiam*] *Capiſtrum.* Ità hic bene Symmachus.

Cùm conſiſteret peccator adverſum me] Meliùs, *Dum ſeditio obverſabatur mihi:* illa ſcilicet quam Abſalomus ſuſcitaverat.

 Ver-

Verbum גרה, ut notant Hebræi, primitivâ ſignificatione eſt *inquietum eſſe.* לנגדי pro *obverſatur* habes & Pſal. 51. 5.

3. *Silui à bonis*] Abſtinui ab omnibus rebus lætis. Nam verba Hebræa quæ *ſilere* ſignificant, ſumuntur & in ſenſu *abſtinendi, ceſſandi, deſinendi:* itaque & per παρορῶ [*negligo*] hoc verbum vertitur Eſai. 57. 2. Simile habuimus ſuprà 28. 1.

6. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*] Fuit haud dubiè in Græco παλαιςὰς [*palmâ comprehenſiles*] pro παλαιςιαίας, tam exiguos ut palmo quaſi comprehendi poſſint, quod Symmachus aliter vertit, ὡς σπιθαμὰς, [*velut dodrantes.*] Idem vult Hebræum. Ex hac bona lectione fluxit corrupta παλαιὰς [*veteres,*] quam ſequuntur Ambroſius, Apollinaris, Pſalterium Romanum, Arabicum & Æthiopicum. Nec magis rectè Chryſoſtomus & alii quidam παλαιςὰς ſumunt pro πλήρεις πάλης, [*plenas luctæ.*]

7. *Veruntamen*] אך meliùs vertas *certè*, ut Geneſ. 29. 14. & alibi.

In imagine pertranſit homo] Alii libri pro בצלם [*in imagine*] habent כצלם [*quaſi imago.*] Abit homo velut imago ſomnii. Hanc interpretationem firmat locus infrà 73. 20. & illud Sophoclis Ajace:

> Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
> Εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
> [*Nam video nil nos eſſe mortales niſi*
> *Imaginoſa ſomnia, aut umbram levem.*]

12. *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*] עש *tinea* intelligitur Hebræis, & huic Interpreti Jobi 4. 19. & 27. 18. Rectè ergò vertes, *Ita vitam ejus tabe conſumſiſti quomodo tinea:* ſupple, *veſtem ſolet.* At Syrus, *ut ſtipulam* vertit.

PRICÆUS.

2. EXſpectans exſpectavi Dominum] Exſpectabam eum qui (ut 54. 9.) à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate me ſalvum faceret.

3. *Eduxit me*, &c. *de luto fæcis*] Periculo liberavit me. Simile infrà 55. 13. Suidas, Ἐκτὸς πηλοῦ πόδας ἔχειν, ἐπὶ τῶν ἔξω κινδύνου καθεςώτων.

4. *Immiſit in os meum canticum novum*] Ità & infrà 98. 1. & 144 9. & 149. 1. Virgil. 3. Eclog. *Nova carmina:* ubi Servius, *Magna miracula.*

6. *In cogitationibus tuis non eſt qui ſit ſimilis tibi*] *Nemo* (ut Job. 23. 13.) *poteſt avertere cogitationes tuas.*

13. *Non potui ut viderem*] Cœlum fortè: q. d. caput præ pudore non auſus ſum erigere. Vide ad Luc. 18. 13. dicta.

16. *Qui dicunt mihi, Euge, euge*] Ex Græco LXX. Interpretum. Symmachus hîc, Εὖγε, εὖγε, ἆ, ἆ. Heſychius, Ἆ. &c. ἔςι μὲν σχετλιαςικὸν ἐπίῤῥημα, συντεθὲν δὲ γέλωτα δηλοῖ, quo loco H. Stephanum malè δασυνθὲν ſubſtitui voluiſſe, evincunt iſta Symmachi verba.

18. *Dominus ſolicitus eſt mei*] Αὐτῷ (ut 1 Petr. 5. 7.) περὶ ἐμοῦ μέλει.

IDEM.

3. EDuxit me, &c. *de luto fæcis*] Hypallage, pro, *de fæce luti:* ut infrà 68. 3. *in limo profundi*, pro, *in limi profundo.*

4. *Videbunt multi, & timebunt*] Ità 51. 8. *Videbunt juſti, & timebunt.*

5. *Beatus eſt vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates*, &c.] Vide Pſ. 1. 1. 2.

6. *Cogitationibus tuis non eſt qui ſit ſimilis tibi*] Id eſt, in conſiliis tuis. Job. 36. 22. *Nullus ei ſimilis in legiſlatoribus: quis poterit ſcrutari vias ejus?* Tobiæ 3. 20. *Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum. Judicia tua* (ut Pſal. 35. 7.) *abyſſus multa. Incomprehenſibilia* (ut Rom. 11. 33.) *ſunt judicia tua, & viæ tuæ inveſtigabiles.*

Ibid. *Cogitationibus tuis non eſt qui ſit ſimilis tibi*] Suprà 32. 11. *Cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.*

13. *Circumdederunt me mala quorum non eſt numerus*] 1 Macc. 12. 13. *Nos autem circumdederunt multa tribulationes.*

Ibid. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*] Infrà 48. 6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Vide & Pſal. 9. 17.

Ibid. *Et cor meum dereliquit me*]

> *Cor colligatis vaſis exſpectat meum*
> *Ut exſulatum ex pectore aufugiat meo.*

Factum eſt ut cera liqueſcens, ſuprà 21. 15. Adde 37. 11. & 72. 26. & 142. 4.

15. *Confundantur*, &c. *qui quærunt animam meam*] Vide Jer. 17. 18. Suprà 34. 26. & 69. 4. & 70. 13. 24.

16. *Qui dicunt mihi, Euge, euge*] Vel, ut ſuprà 34. 25. *devoravimus eum. Euge*, eſt ἐκφώνησις malignè inſultantium: vide infrà 69. 4. Supplendum autem ex 34. 21. *viderunt oculi noſtri.*

18. *Ego mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei*] Etſi pauper & mendicus ſum, Dominus, &c. Infrà 112. 5. *Dominus in altis habitat, & humilia reſpicit*, &c. *ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore pauperem erigens.*

PSALM. XL.

MUNSTERUS.

2. EDuxit me de lacu ſtupendo] Hic oſtendit Propheta in quali fuerit periculo, de quo illum Dominus eduxit, nempe quòd fuerit in *lacu cœnoſo*, in quo ſibi fuerat moriendum niſi Dominus eripuiſſet eum.

5. *Qui ea ordinet ad te*] Ingrati, inquit, ſumus, qui quotidie tuis fruimur beneficiis, & tamen pauci ſunt qui ea ad tuam ordinant gloriam, ſed plurimi abutuntur in luxum & vanam gloriam.

6. *Sacrificium noluiſti*] Exſecratur Deus ſacrificia etiam à ſe præcepta, quando per ſe & abſque cordis fiunt pietate. Acquieſcere autem & auſcultare præceptis Domini, quod hîc per *aurium perfoſſionem* innuitur, id Deo ſemper eſt gratum & acceptius omni ſacrificio.

7. *In volumine libri ſcriptum eſt de me*] h. e. In lege Moſaica ſcriptum eſt de me, & de quocunque alio homine, *ut faciamus voluntatem tuam, Domine.* Et hæc verba potiſſimùm competunt Chriſto, cujus typum David geſſit.

15. *Deſolentur*] Senſus eſt, Præmium eorum qui parati ſunt omnes contumeliis afficere, ſit deſolatio.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Exſpectando exſpectavi* קוה קויתי] Geminatio verbi ſummam curam & diligentiam ſignificat: vertere potes *exſpectabam.* ¶ *Et inclinavit* aurem ſuam *mihi* ויט אלי] *Et declinavit ad me*, vel, *divertit: mihi inflexus eſt.* ¶ *Clamorem meum* שועתי] *Vociferationem meam*, vel, *implorationem.*

2. *Et aſcendere fecit me è ciſterna ſonitûs* ויעלני מבור שאון] *Et extraxit me è ciſterna ſtrepitûs*, i. e. in quam aquæ decidunt magno cum impetu: aut, de puteo in quo aquæ nimiâ agitatione perſtrepebant & ſonitum edebant. Aquarum profunditatem circumloquitur, quibus ingentiſſimum periculum ſignificat. ¶ *Cœni* היון] Subſtantivum vice adjectivi, *cœnoſo*, ſive *limoſo*, i. e. copioſo. ¶ *Super petram* על סלע] *Super rupem. Petram* ſive *rupem* pro *tuto ab omni periculo perfugii loco* uſurpat Scriptura. Vox Hebræa סלע ſignificat etiam *arcem* & *munitionem*, quòd arces ut plurimùm ſuper rupes conſtruantur. ¶ *Direxit* כונן] *Confirmavit: corroboravit: apparavit.*

3. *Laudem* תהלה] Sub. *dedit*, *inquam*: i. e. dedit occaſionem laudandi Deum noſtrum.

4. *Poſuit* שם] Verti poteſt per præſens, *ponit:* aut per futurum conjunctivi, *poſuerit.* ¶ *Spem ſuam* מבטחו] *Fiduciam ſuam.* Hebraïſmus, *ponere Deum fiduciam ſuam*, pro *collocare in eo ſuam fiduciam.* ¶ *Et ad declinantes ad mendacium* ושטי כזב] *Et ad ſectatores mendacii*, i. e. rerum quæ nos fallunt. Sunt qui intelligant ariolos & malarum artium ſtudioſos.

5. *Multa feciſti tu Jehova Deus meus, mirabilia tua* רבות עשית אתה יהוה אלהי נפלאתיך] Hebraïſmus, quem nonnulli ſic convertunt, *Multa ſunt mirabilia tua, Jehova Deus mi, quæ feciſti.* Alii, *Miranda multa patrâſti.* ¶ *Et cogitationes tuas erga nos, nemo eſt*, &c. ומחשבתיך אלינו אין ערך אליך] Hebraicè ad verb. *Et cogitationes tuas nobis non eſt ordinare tibi.* Quod ſic quidam vertunt, *Et cogitationum tuarum erga nos non poteſt iniri coram te ratio.* Alii poſtremum verbum prioris partis hujus verſûs conjungunt huic ſecundæ parti, hoc modo vertentes, *Admirandorum facinorum tuorum, & conſiliorum tuorum erga nos, non poteſt*, &c. Alii, *Mirabilia tua & conſilia tua* ſunt *propter nos, neque* licet illa *in ordinem redigere* ac recenſere *coram te:* q. d. Tot & tanta ſunt beneficia tua erga nos ut nemo ea in ordinem redigere ac coram te recenſere poſſit. ¶ Si *annunciare*, &c. אגידה ואדברה עצמו מספר] Ad verb. *annunciabo & eloquar, multiplicata ſunt à narratione.*

6. *Sacrificium & oblationem noluiſti* זבח ומנחה לא חפצת]

Sacriſi-

Sacrificium & donum non amas; aut, *expetis. Sacrificio & oblatione non delectaris. Sacrificium & oblatio non ſunt tibi accepta.* ¶ *Fodiſti mihi* כרית לי] i. e. Aures cavatas tribuiſti mihi ut audirem Leges tuas: auſcultare me tibi feciſti.

7. *Veni* באתי] Vel præt. pro præſ. *venio.* ¶ *In volumine libri* במגלת ספר] Veteres Hebræi in membranis aut chartis ſcribebant quæ in rotundum complicabantur: in hujuſmodi etiam hodie ſcribunt Legem & Prophetas. *In volumine igitur libri*, i. e. in libro plicatili, ſive membranis plicatilibus.

8. *Ut facerem voluntatem tuam Deus mi, volui* לעשות רצונך אלהי חפצתי] Hebraïſmus, pro, *voluntatem tuam cupio facere, magnoque illius deſiderio teneor.* ¶ *Viſcerum meorum* מעי] *Inteſtinorum*, vel *præcordiorum meorum.* Vox Hebræa מעי dualis eſt numeri, quòd *ſuperiora viſcera* ſignificet, nempe Cor & Pulmonem, quæ à viſceribus inferioribus, Jecore, Liene & Renibus, ſeparantur diaphragmate ſive ſepto tranſverſo; unde & pro *corde* accipitur: q. d. Legem tuam vehementer amplector.

9. *Prohibui* אכלא] Fut. Heb. pro præt. *cohibui, continui.*

10. *Dixi* אמרתי] *Dixi* pro *celebravi* & *prædicavi* more Hebræorum ponitur.

11. *Prohibeas* תכלא] *Subtrahas, cohibeas, contineas*; tanquam clauſas ſcilicet, nè pertingant ad me. ¶ *Cuſtodiant me* יצרוני] *Cuſtodient me.*

12. *Innumera* עד אין מספר] Ad verb. *uſque non numerus.* ¶ *Et non potui* ולא יכלתי] *Et* pro *ut*, ſive *ità ut non potuerim*, &c. ¶ *Multiplicatæ ſunt* עצמו] *Prævaluerunt: plures fuerunt quàm capilli capitis mei*, quare animo deſtituor præ dolore.

13. *Velis* רצה] *Libeat tibi.*

14. *Avertantur retrorſum* יסגו] *Retrocedant*; *agantur retrorſum.*

15. *In mercedem pudoris ſui* על עקב בשתם] Hebraïſmus eſt, q. d. *Pro eo quòd me pudefacere conabantur.*

16. *Magnificetur* יגדל] *Exaltetur. Extollatur. Magnus ſit.*

17. *Pauper* עני] *Afflictus.* ¶ *Cogitat* יחשב] Fut. Heb. pro præſ.

CASTALIO.

6. A*Urem mihi vellis*] Me familiariter mones.

7. *En adſum, mecum ſcriptum libri volumen ferens*] De tua Lege cogitans, eique obediens.

15. *Qui de me ſic dicunt, Oho, oho*] Mihi inſultant.

CLARIUS.

QUodcunque malum fuerit de quo ſe auxilio Dei ereptum hîc canit, proculdubiò anceps & perdifficile fuit, ſed fidem ſuam expugnare non potuit: pertinaci enim fiduciâ ſemper opem Dei præſtolatus eſt.

1. *Exſpectans exſpectavi*] Hebraïſmus eſt, pro, *Solicitè & anxiè exſpectavi.*

5. *Cogitationibus tuis erga nos*] Conſilia tua erga nos exemplo carent, & cogitationes quibus ſedulò curas nos tam ſunt multæ & mirabiles, ut nemo hominum intelligere queat quantum tibi debeat pro illis. Alius vertit, *Sicut & cogitationes tuæ quæ ſunt erga nos, & nemo eſt qui ordinet ad te*, h. e. Ingrati ſumus, qui quotidie tuis fruimur beneficiis, & tamen pauci ſunt qui ea ad tuam ordinent gloriam, ſed plurimi abutuntur in luxum & gloriam inanem. Vel, Non poteſt eorum ordo aliquis nec numerus ſtatui, ut ſeſe ad te habent, i. e. ut à te proficiſcuntur.

5. *Annunciavi*] h. e. Si aliis enarrare coner eas, inveniam plures eſſe quàm ut numerare ſufficiam, nedum verbis explicare.

6. *Sacrificium & oblationem noluiſti*] Videtur ſic continuanda ſuperioribus ſententia. Cùm cogito quod tibi reddam pro hac liberatione, invenio te ſacrificia hæc animantium ratione carentium non deſiderare, ſed velle ut acquieſcam & auſcultem præceptis tuis, idcirco aures purgatas dediſti mihi, & eas mihi aperuiſti. Nam in Hebræo eſt, *aures autem perfodiſti mihi*: & videtur alludere ad illud quod legimus præceptum de ſervo Hebræo, qui in anno Remiſſionis ſervitutem libertati prætuliſſet: ejus enim aurem juſſit Dominus per herum oſtio vel poſti affigi, in ſignum ſervitutis ſempiternæ, Exod. 21. Porrò in his David ſimul Chriſti typum in ſe exhibuit: unde epiſtola ad Hebræos de Chriſto hæc interpretatur, atque ex eo ceremoniarum abolitionem rectè probat. Unde enim auſus fuiſſet Propheta hic cavere Deum nihil affici religioni ſacrificiorum à ſe præceptæ, niſi noviſſet illa eſſe abroganda, cùm ſcilicet ſincerior Dei cultus mundo per Chriſtum traderetur? Græca editio legit, *corpus autem perfeciſti mihi*; ſed videtur idem ſenſus. Cùm enim ad auſcultandum auris aptatur, etiam omne corpus, alioqui voluntati Dei rebelle, ad obſequium Dei formatur. ¶ *Et pro peccato*] Subintellige *hoſtiam*; quæ erat alia ab *holocauſto.*

7. *In volumine libri*] h. e. In Lege Moſis *ſcriptum eſt de me*, & de quocunque alio homine, *ut faciamus voluntatem tuam, Domine.* At hæc verba potiſſimùm competunt Chriſto, cujus typum geſſit David; ideo aptiſſimè privatim dixit *de me.* Chriſtus enim ſolus *omnem implevit juſtitiam.* Vulgata apud nos verſio habet *in capite libri*; ſed Græca dictio, & multò magis Hebræa, propriè ſignificat *in volumine libri*, ut conſcriptionem *librum* appellet, & involutas chartas *volumina.* Adhuc enim gens iſta in oblongis membranis, quæ convolvuntur, legem ſcriptam habet. Ethnicis quoque hic uſus voluminum multus fuit: quod proverbium illud indicat, *Ad umbilicum perducere.* Erat enim umbilicus lignum circum quod rotabatur membrana & volumen illud.

12. *Et non potui videre*] Tot, inquit, ſunt, ut earum numerus oculos fallat.

15. *Feram confeſtim*] Heb. *Deſolentur pro mercede confuſionis ſuæ.*

LUCAS BRUG.

7. V*Ana loquebatur*] Ea eſt Latinorum & codicum & Enarratorum vulgata lectio. Exemplar autem D. Donatiani, & alterum M. N. Hunnæi P. ſignatum, legunt, *Variè loquebatur*: quomodo & antiqui Epanorthotæ codices habent. Atque his conſonum eſt quod Græcè legitur, *μάτην ἐλάλει.* Fortè igitur iſta noſtræ editionis lectio eſt, altera ex veteri aut Romano Pſalterio deſumpta. Utroque autem modo Hebræam vocem שוא licet vertere; nam & שקר & כזב ſignificat. Quod ſequitur, *Cor ejus*, præcedentibus jungunt Hieronymus, Auguſtinus, Beda, quæ etiam non paucorum codicum diſtinctio eſt. Porrò Ambroſius Mediolanenſis, Ruffinus Aquileenſis, Remigius Antiſſiodorenſis, & alii, ſequentibus nectunt, *Cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.* Neutra diſtinctio rejicienda eſt: ſed priorem Euthymius præfert. Coacti ſunt autem Hieronymus & Auguſtinus priorem amplecti, quòd numero multitudinis legant, *Et* * *ingrediebantur* [* *ſi* Hieron. L. Gq. H. C. Caſſiodorus ſimiliter legit] *ut viderent, vana locutum eſt cor eorum, congregaverunt iniquitatem ſibi. Egrediebantur foràs, & loquebantur in idipſum*; nempe cum veteri Pſalterio, cui Romanum & Goticum conſentiunt. Sed ſingulari hæc leguntur numero Hebræis, Græcis & Latinis noſtræ editionis codicibus, quos D. Ambroſius ſequitur.

DRUSIUS.

5. מַחְשְׁבֹתֶיךָ אֵלֵינוּ אֵין עֲרֹךְ אֵלֶיךָ. Sym. *τὰς διαλογισμοὺς σου τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν οὐκ ἔστιν ἐκθέσθαι σοι, & cogitationes tuas pro nobis non potes exponere.* ¶ אַגִּידָה וַאֲדַבֵּרָה עָצְמוּ מִסַּפֵּר. Sym. *ἐὰν ἀπαγγείλω καὶ ἐὰν λέγω, πλείω ἐστὶ τοῦ διηγηθῆναι, ſi annnunciavero & ſi dixero, plures ſunt quàm ut enarrari queant.*

6. אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי * *ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι, aures autem perfodiſti mihi.* Alius, *τὰ ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, aures verò perfeciſti mihi*: & alius, *ὠτία δὲ κατεσκεύασάς μοι, aures autem præparaſti mihi.*

7. אָז אָמַרְתִּי. Sym. *Ὅτε εἶπον, Cùm dixi.* ¶ בִּמְגִלַּת סֵפֶר. A. *Ἐν εἰλήματι τοῦ βιβλίου, in volumine libri.* Sic etiam Symmachus. Eſt tamen ubi legatur, Sym. *ἐν τῷ τεύχει τοῦ ὁρισμοῦ σου· ἄλλος, ἐν τόμῳ, in ſectione*, ſive *tomo.*

8. בְּתוֹךְ מֵעָי. Sym. *ἐν μέσῳ τῶν ἐγκάτων μου, in medio interaneorum meorum.*

10. חַסְדְּךָ. Sym. *τὴν χάριν σου, gratiam tuam*] Talis ſenſus nominis חסד apud Chaldæos: unde ריבא דחסדא *caprea gratioſa.* Vide Notas meas in Eſtheram. ¶ לְקָהָל רָב. Sym. *ἐν πληθύϊ.* Aq. & Th. *ἐν ἐκκλησίᾳ μεγάλῃ, in eccleſia magna.*

11. יִצְּרוּנִי. Sym. *περιφρασσέτω με, circumſepiat me.*

14. רָעָתִי. A. *κακίαν μου.* Sym. *κάκωσίν μου, vexationem meam.*

15. הֶאָח הֶאָח. Sym. *ἀὰ, ἀά.*

AMAMA.

A*Git de liberatione ex Ægypto ex perſona totius populi.* R. Sal. *Introducitur Meſſias.* Piſc. Ebr. 10. 5.

Sex primis verſibus narrat quomodo liberatus ſit ex anguſtiis.

1. *Exſpectando exſpectavi*] LXX. *ὑπομένων ὑπέμεινα.* Anadiploſis illa ponit aliquid laudabile & ſerium in ea actione cui adhibetur; ſic hic ſenſus. Jun. *Conſtanter exſpectavi.* Gal. *Patienter exſpectavi.* Alii, *intentè, ſollicitè.* Sic, *videndo vidi*, i. e. certò vidi.

Inclinavit] וַיֵּט. Sic plenè Pſ. 17. 6. Pſ. 31. 3.

2. שָׁאוֹן] *Tumultus*, *ſtrepitus*, i. e. Lacu in quo ſunt multæ aquæ. Eſa. 17. *Et ſtrepitus populorum ſicut ſtrepitus aquarum multarum.* Ex tali lacu difficile enatatur. Piſc. *Lacu perſtrepente.* Jun. *E lacu tumultuoſo.* LXX. ἐκ λάκκȣ ταλαιπωρίας. V. *Ex lacu miſeriæ.* Hier. *Ex lacu ſonitus.*

טִיט הַיָּוֵן] *Lutum cænoſum.* Sic Terra pulveris. Gr. ἀπὸ πηλȣ̃ ἰλύος, *luto fæcis.* Sic Pſ. 16. Dominus eſt מְנָת חֶלְקִי. Sic Pluvia imbris, Terra pulveris, Coma crinis, Num. 6. 5. Vires roboris, Job. 36. 19. Rete jaculum, Commeatus cibus.

Porro per *lutum* intelligit humilitatem & afflictiones.

Per *petram* locum firmum & tutum.

Firmant] LXX. Κατεύθυνεν τὰ διαβήματά μȣ.

3. Καὶ ἐνέβαλεν εἰς τὸ ςόμά μȣ ἆσμα καινόν, ὕμνον τῷ Θεῷ ἡμῶν.

Canticum novum] Quod nunquam antiquabitur, cujus memoria nunquam in Eccleſia conſeneſcet & obliterabitur. Sic Joh. 13. 34. *Præceptum novum do vobis*; alii, *præceptum aliud.* Exod. 1. Marc. ult. Jeſ. 62. *Vocaberis nomine novo*; at 65. in ſimili materia, *Servos ſuos vocabit nomine alio*, reſpicit conſuetudinem mutandi nomina.

לֵאלֹהֵינוּ] Aff. plur. inquit Ab. ob ſeq. *Videbunt multi & timebunt.*

4. LXX. Μακάριος ἀνὴρ, ȣ̃ ἐςι τὸ ὄνομα κυρίȣ ἐλπὶς αὐτȣ̃, καὶ ȣ̓κ ἐπέβλεψεν εἰς ματαιότητας καὶ μανίας ψευδεῖς.

Legeram שֵׁם pro שָׂם Vulg. B. V. *Cujus eſt nomen Dei ſpes ejus, & non reſpexit ad vanitatem & inſanias falſas.*

Kimchi, אנשי בעלי כח וג אוה לעזרו שם הוא בטחון

רְהָבִים] *Superbos.* רָהַב *robuſtus fuit, inſolens, ſuperbus.* Hinc רַהַב *Ægyptus.* Pſ. 87. 4. & 89. 11. Eſa. 51. Pſ. 87. 4. אַזְכִּיר רַהַב וּבָבֶל LXX. Μνησθήσομαι Ῥαὰβ καὶ Βαβυλῶνος. Theodoret. *Raab & Ægyptus & Meretrix.* Deceptus ſcriptura Græcorum, qui non aſp. in medio. Imo ſi aſpiratè ſcribatur adhuc ambiguum, רהב *Ægyptus*, רָחָב *Meretrix*, Joſ. 2. 1. vocatur זוֹנָה. Ambig. poteſt enim eſſe à זן *cibavit*, ut ſit Caupona, Hoſpita. Sic Tharg. פּוּנְדְּקִיתָא. Ipſis πανδὰκ eſt πανδοχεῖον, *diverſorium.* LXX. videntur præjudicare dum vertunt πορνὴν. Sed poteſt eſſe Ebraïſmus. Tigur. jungunt *Caupona meritoria.* Ut enim apud nos, ſic putant nonnulli tunc fuiſſe conjuncta duo illa munia. Sed ſi ita non eſt, credibilius eſt homines defatigatos cibum & potum quæſiviſſe quam ſcorta.

שָׂטֵי כָזָב] שוט & שָׂטָה *deflexit, declinavit.* Hinc quidam deduxerunt שָׂטָן ut ן ſit Heëmanth. Obſtat locus Zach. 3. 1. Ergo Satan ἀντικείμενος ἐνάντιος. Unde *Apoſtatam* reddunt multi ex Patribus. Iren. 5. lib. adverſus Hæreſes, *Satana verbum Apoſtatam ſignificat.* Idem Theodor. in ſermone de Diis & Angelis, *Quem S. Literæ modo Ebraïco vocabulo Satanam, i. e. Apoſtatam vocant; modo Diabolum.* Ambroſio, Cypriano, Hilario Diabolus *Zabulus* dicitur. Vide Eraſm. in Præf. Hel. ad Epiſc. Panormit. LXX. μανίας ψευδεῖς leg. שָׁטֵי cum Schin & in Chald. ſignif. nam שְׁטָא *inſanivit.* Belg. *Die met leugenen omgaan.*

Kimchi שהם נוטים אל דרך כזב כמו תק וכמי ואינם בוטחי׳ באל הף שני שרשיף וענין אחד׳ ושטי כמו כי תשטה אשה Num. 5. אחר.

5. Secunda pars, ubi commemorat beneficia Dei erga Eccleſiam.

אֵין עֲרֹךְ, אין שיכלל ערך *Nemo poſſet ea ordine recenſere apud te.* עָרַךְ ordinare, inſtruere ordine 3. Menſam, Aciem, Diſputationem vel Sermonem. Hinc עָרוּךְ ordinatus, & ſtrictius ordine Alphabetico diſtributus.

פלא] *Remotus fuit*, vel à cognitione, intelligentia & captu hominis, vel facultate & viribus. Superavit captum, vel intellectum, vel vires hominis. Gen. 16.

Indicabo] Duo pronunciata ſimplicia cohærent conjunct. connexiv. Supple, ſi, ſi enunciare voluero vel conatus fuero. Deut.

עָצְמוּ] עצם *augeri*, qualitate vel quantitate, i. e. roborari, vel multiplicari. Multipl. infrà, *Atzemu præ capillis capitis mei.* Jirm. 15. 8. עָצְמוּ *coram me viduæ tuæ præ arenâ maris.*

ו in גחון Levit. 11. 42. Media lege. דרש דרש Levit. 10. 16. Mediæ voces. והתגלח Media Vox. Levit. 13. 33.

7. Tranſit ad ſpeciale beneficium de Meſſia filii Dei. D. Jun. hic inſerit voculam *inquis*; putat enim verſ. ſup. incepiſſe Apoſtrophen Eccleſiæ ad Chriſtum, eumque hîc introduci loquentem. At Piſc. removet illud, putatque Chriſtum hîc per totum Pſalmum loqui.

זֶבַח] *Sacrificium cruentum*, quod erat vel ἱλαςικὸν vel εὐχοριςικὸν· ἱλαςικὸν vel holocauſtum vel pro peccato, vel pro delicto. Etiam *Convivium.*

מִנְחָה] *Sacrificium incruentum*, conſtans ex re veſca, ſimila, i. e. farina, puriſſimo oleo & thure, Lev. 2. (*Spijs-offer*) vel ex frumento quod igni torrebatur. Sign. 1. Quodvis munus. Gen. 32. & 43. 2. Quod Deo offertur.

Aures perfodiſti mihi] i. e. Addixiſti me tibi in perpetuam ſervitutem. Exod. 21. 5. Meton. adjuncti. Signum pro re ſignata. Reſp. ad legem Exod. 21. LXX. & Apoſt. hunc locum ſic retulere Heb. 10. ut ex conſeq. collegerint antecedentia. *Corpus aptaſti mihi.* Non enim fuiſſet aurem Chriſto pertuſurus Pater, ſervumque accepturus eum, niſi aptaſſet ei prius carnem in unitate perſonæ, ſecundum quam ſub lege, factus eſt. Druſ. verba illa Heb. 10. *Corpus aptaſti mihi*, ſic exponit, Perforando aures, quo ritu corpus aptum reddebatur ad obſequium vel ſervitium heri cui perforatus aures inſerviebat uſque ad Jubilæum.

Mincha] LXX. προσφορὰν· alibi δῶρον, ut Ebr. 5. 1. NB. Bell. lib. 13. de Beatit. Sanct. ad Dan. 2.

חטאה] LXX. καὶ περὶ ἁμαρτίας, ſub. θυσίαν. Lev. 14. 18. את חטאה. LXX. τὸ περὶ ἁμαρτίας.

שאלת] LXX. ᾔτησας. Apoſt. εὐδοκήσας.

מְגִלָּה] *Volumen.* Vulg. *In capite libri.* Belg. *In 't Boek*: at in N. T. *In 't Begin des Boeks.* Complicabant Veteres libros in morem Cylindri. Luc. 4. καὶ πτύξας τὸ βιβλίον *tradidit miniſtro.* Ante ἀναπτύξας. Duplex expoſitio: I. *In capite.* Vide Druſ. Ebr. 10. II. *In volumine*, & tunc locutio erit, ut Lutum cœni, Terra pulveris, Coma crinis, Pars portionis. Sic certè Ezech. 2. *Et in manu ejus erat* מְגִלַּת סֵפֶר. LXX. κεφαλὶς βιβλίȣ. Et 2. Ezr. 6. 2. εὑρέθη κεφαλὶς μία. Suid. κεφαλὶς βιβλίȣ ὑπὲρ εἴλημα τίνες φασί. Innuit Aq. & Sym. Chryſ. τὴν κεφαλίδα εἴλημα εἰρήκασι Ἀκύλας καὶ Σύμμαχος· ȣ̃τω δὲ τὰς θείας γραφὰς μέχρι καὶ σήμερον Ἰȣδαῖοι κατασκευάζειν εἰώθασι. Intell. de libro Legis, & in Synag. Ergo *in libro*, i. e. in Moſe. Alii Gen. 3. Alii Exod. 21. *de ſervo.* De Chriſto accipiunt quidam illud בראשית Chald. Jeroſol. בְּחָכְמָא Huc Joh. 8. Apoc 3. 14. ſic expoſuêre Pſ. 104. 24.

Volumen à *volvendo.* Uſurpatur tamen hodie de noſtris codicibus. Sic *ante uſum chartæ & membranæ in libris ſcribebant, i. e. corticibus arborum; ex illis enim volumina compaginabantur.* Serv. in 11. Æneid. Sic *accumbere menſæ*, licet hodie non ſit neceſſitas. Contra Luth. hodiernos ritus in verſione ſua magis ſpectavit, qua ratione multa loca obſcuravit; e. g. Joh. 13. ubi dicitur de Johanne quod jacuerit in ſinu Chriſti, & quod ceciderit ſuper pectus ejus, &c.

9. מֵעַי] *Viſcera*, Membra interiora utriuſque Ventris medii, ut Cor, Pulmo: infimi, quæ nutritioni & generationi inſerviunt, Epar, Renes, Inteſtina. Aliquando pro præcipuo viſcerum corde, Job. 30. *Efferbuerunt viſcera mea.* LXX. καρδίȣ μȣ.

10. בִּשַּׂרְתִּי] בשר *bonam & lætam rem nunciavit*, מְבַשֵּׂר *Euangeliſta*; ſemper de bono nuncio, excepto loco uno, 1. Sam. 4. 17. *Reſpondit Mebaſſer, & dixit; fugit Iſraël coram Philiſtæis, & plaga magna facta eſt in populo.* בְּשׂוֹרָה *Euangelium, nuncium bonum*, & *præmium læti nuncii*, ut Euangelium apud Græcos. Hom.

Δός μοι εὐαγγέλιον ὅτι, εἴαρος ἦλθε πέλαργος.

Sic 2 Sam. 4. 10. dicit David ſe occidiſſe eum qui nunciabat mortem Saulis, cum putaret לְתִתִּי־לוֹ בְּשֹׂרָה quod daturus ei eſſem פְּתָגָא דִבְסוֹרְתָה LXX. *Euangelia*, Hier. *Mercedem pro nuncio.* Sic & 2 Sam. 18. in verbis Joab ad Ahimaash. Pſ. 86. Sic Num. 22. 7. dicuntur Seniores Moab veniſſe nomine Balac ad Bileam, & קְסָמִים *erant in manibus eorum.* LXX. τὰ μαντεῖα. Exponunt Ebræi, & eos ſecutus Pagnin. Chald. *Præmia divinationum.* Cicero ad Attic. *O ſuaves duas Epiſtolas quibus Euangelia deberi fateor.*

בקהל] Hic LXX. ἐν ἐκκλησίᾳ, at verſu ſeq. לקהל ἀπὸ συναγωγῆς. Promiſcue ſic vertunt vocem קהל. Vulg. quoque ſæpè utitur voce *Eccleſia* de *Cœtu Judæorum* Pſ. 26. & 34. Contra Ebr. 11. & Jac. 2. *Synagoga* de *Cœtu Chriſtianorum.* Contra Auguſt. ad Pſ. 77. & 80. Bellarm. & Catecheſin Trid. vide Orationes noſtras.

12. *Tu, Domine, fac quoque voluntatem meam ſicut ego tuam.* Huc applica quod ſuprà ad finem Pſ. 39.

GROTIUS.

5. **B***Eatus eſt vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*] Ex Græco: ȣ̃ ἐςι τὸ ὄνομα Κυρίȣ ἐλπὶς αὐτȣ̃. Fuit ergò illis Schin forte cum Tſere in voce שם, cùm Hebræi Schin lene cum Cametz habeant, & exponant *poſuit.*

7. *Aures autem perfeciſti mihi*] כרה *perfodere* ſignificat propriè, interdum & *perficere.* *Perfodiſti mihi aures*, id eſt, me tibi perpetuo jure mancipatum tenes. Alluſio ad morem, de quo Exod. 21. 6. Apparet ex hac interpretatione, quæ ſequitur LXX. Senes in eorum verſione fuiſſe ὠτία [*aures*,] quod & Scholia

Scholia multa oſtendunt. Qui repoſuerunt σῶμα [*corpus*,] verſionem aptarunt ad locum divini ſcriptoris ad Hebr. 10. 5. At is ſcriptor, ut & alii, ſæpe loca citat magis κατὰ διάνοιαν, [*ſecundum ſenſum*] quàm κατὰ λέξιν, [*verbotenus*,] niſi quis putet in quibuſdam exemplaribus fuiſſe גויה, quod eſt *corpus* Chaldæis & Syris.

9. *In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam*] LXX. ἐν κεφαλίδι, [*in pagina.*] Aquila & Symmachus magis accuratè, ἐν εἰλήματι, [*in volumine.*] Mos eſt Hebræis contractus ſuos ſcribere in membrana volubili, & voluminis modo eos aſſervare. Indè ſumta ſimilitudo, non à libro Legis, quem itidem in voluminis formam compingunt. Contractum velut perſcriptum dicit inter ſe & Deum, ut ipſe quidem Deo ſervat, Deus autem ipſum tueatur.

PRICÆUS.

7. & 8. ET, *ſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur*, &c. *egrediebatur foras, & loquebatur in id ipſum*] Si ſpecie conſolantium inviſebant me, loquebantur ficta, & ſtatim foras egreſſi, doloſè aut irriſoriè ad invicem de me verba habebant. Imaginem ſimilis improbitatis (etſi allegoricè poſitam) habemus in hiſce Apuleji de ſororibus Pſyches, *Conferto veſtigio domum penetrant*, &c. *theſaurumque penitus abdita fraudis læto vultu tegentes, ſic adulant*, &c. Et in fine, *Sed dum*, &c. *domum redeunt, ſic ſecum altercantur; Quid dicimus de tam monſtruoſo fatuæ iſtius mendacio?* &c. *opibus iſtis quàm primum exterminanda eſt.*

IDEM.

3. ET *non tradat eum in animam inimicorum ſuorum*] In voluntatem, id eſt, ut Græci meliùs heic, εἰς χεῖρας.

5. *Peccavi tibi*] Id eſt, in te, ut 50. 14. Jeremiæ. Infrà 50. 6. *Tibi ſoli peccavi.*

6. *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur?* &c.] *Inimicos* heic amicorum nomen ementientes intellige; & *dixerunt*, nempe, intra ſe quiſque eorum, vel, dum ſimul fabularentur.

Ibid. *Et peribit nomen ejus*] *Non ultrà* (ut 82. 5.) *memorabitur.*

9. *Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me*] *Firmaverunt ſibi* (ut 63. 5.) *ſermonem nequam.*

Ibid. *Numquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat?*] Ad pœnas infligendas nempe. Intelligit fortè Deum. Vide Pſal. 43. 23. & 77. 65. Sirach. 17. 10. Deus ipſe 8. 4. apud Jeremiam, *Numquid qui cadit, non reſurget?* fortè & ſeipſum intelligit. Vide infrà com. 11. *Dormit* hic, eſt, ſilet, ſubaudi ad tempus.

10. *Magnificavit ſuper me ſupplantationem ſuam*] LXX. πτερνισμόν· id eſt, ut bene (huc reſpiciens) Heſychius, ἐπιβουλήν· ità enim legendum puto, non ἐπίβυλον. Græci hîc, Πτερνισμὸς, ἐκ μεταφορᾶς τῶν περὶ τάχους ἀγωνιζομένων, καὶ τῇ πτέρνῃ τοὺς συνθέοντας προσπταίειν καὶ πίπτειν μηχανωμένων.

11. *Reſuſcita me, & retribuam iis*] Apud Virgilium ille,

——— *Et me fors ſiqua tuliſſet,*
Si patrios unquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi ultorem. ———

Poteſt & ſic intelligi, Suſcita me, ut videam quæ pro me tu retribues iis. Vide Pſal. 137. 8.

12. *In hoc cognovi*, &c.] Id eſt, cognoſcam.

PSALM. XLI.

MUNSTERUS.

1. IN *die quo malum ingruit*] Oratio eſt cujuslibet illorum qui veniebant ut inviſerent Prophetam gravi laborantem morbo, & ſummis affectibus expetebant valetudinem ejus, dicentes, *In die mali liberet eum Dominus.*

3. *Totum ſtratum ejus vertas in infirmitate ejus*] Hebraïſmus habet *vertiſti*; exponitur tamen ab Hebræis præteritum pro futuro. Eſt autem ſenſus, Tu commutare digneris morbum ejus in ſanitatem.

6. *Vanitatem loquitur*] Hoc dicitur de his qui fucatâ amicitiâ veniebant ad David languentem, ſimulantes & mentientes ſe dolere propter ejus infirmitatem, cùm tamen illius mortem atque nominis ejus exſtinctionem intimis optarent præcordiis: Et egreſſi forâs, quæcunque exploraverant, in alios ſpargebant qui Regi malè cupiebant; & nihil aliud optabant quàm ut res noxia & peſtis mortifera illum exſtingueret. Sunt tamen qui דבר בליעל, i. e. *res Belijaal*, accipiunt pro inſigni quodam ſcelere quo æmuli David illum dixerunt perfuſum, propter quod lueret morbum illum tam gravem.

9. *Homo pacis meæ*] Joan. 13. aſſerit Chriſtus in ſe verſiculum illum impletum, qui proditione Jehudæ ſimulati Diſcipuli in mortem traditus fuit. Sed jam ſæpe diximus Prophetam David in multis Chriſtum præfiguraſſe, ſicut expreſſè habetur ſuprà Pſal. 22. Faciunt proinde hîc quidam Hebræi libri primi Pſalmorum finem.

VATABLUS.

1. V*ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Pauperi* אל דל] *Ægro, ægroto, attenuato.*

2. *Et vivificabit eum* ויחיהו] Vel, *& vivificet eum*: i. e. vitam ſive bonam valetudinem præſtet illi. Imprecantis verba eſſe poſſunt, ut & ſeq. verſu. ¶ *Neque trades eum* ואל תתנהו] Vel, *neque tradas eum.* Perſonæ mutatio, pro *neque det.* ¶ *In animam* בנפש] i. e. Voluntati & libidini.

3. *Fulciat*] יסעדנו] *Confirmet, roboret*; nè ſcilicet morbo ſuccumbat. ¶ *Vertiſti* הפכת. Mutatio perſonæ pro *vertit*; vel potiùs *vertet*, aut *vertat*; ſub. *in ſanitatem & quietem*: i. e. omnem laborem quem, cùm decumbebat in lecto, infirmitate detentus ſuſtinebat, vertet in tranquillitatem.

4. *Dixi* אמרתי] Nonnulli vertunt per præt. imperf. *dicebam*, ſub. *dum ſic ægrotarem.* Alii adjectis pauculis vertunt; Hinc *ego* quoque *dico.*

5. *Dicunt* יאמרו] Fut. Heb. quod quidam vertunt per præſens, *dicunt*; alii per imperfectum, *dicebant*; nonnulli per præt. perf. *dixerunt.*

6. *Loquebatur* ידבר] Sub. *alia quàm locutus erat coram.* Alii ſubaudiunt, *ea quæ collegerat in animo ſuo.* Futura ſunt Hebræis pro imperfectis, præſentibus, aut præteritis, pro voluntate Interpretis.

7. *Murmurabant* יתלחשו] Futura Heb. pro præſentibus, ut vertunt quidam; *ſuſurrant*; *muſſitant.*

8. *Res impietatis adhæret ei* דבר בליעל יצוק בו] *Res prava tenaciter inhæret illi*; i. e. graviſſimo morbo correptus eſt. Aut, ut alii, *Iniquitas mala adnaſit ei: unde par eſt ut pœna ſit magna, non ſurget ultrà è cubili.* Fut. Heb. pro præſ. Alii, *Verbum Belial effuſum eſt in ipſum*, i. e. ultio grandis cujuſpiam ſceleris penitus occupavit & penetravit iſtum, ut liberari ab illa nequeat.

9. *Vir pacis meæ* איש שלומי] Hebraïſmus pro *amico, & eo cum quo amicè & pacificè vivimus.* ¶ *Magnificavit adverſum me calcaneum* הגדיל עלי עקב] *Calcaneum* pro *pede.* Hebraïſmus. pro, *Sublato pede, velut calce petivit me*, i. e. injuriâ me affecit, Metaphora ab equis calcitronibus. Pulſare aliquem pede, contemptûs eſt. Aut, *magnifecit paſſus ſuos*, h. e. dignum me non habuit quem inviſeret. Vel potiùs, adversùm me ſtruxit inſidias; in quem ſenſum de proditore Juda Johannes 13. 18. locum iſtum adducit.

10. *At tu* ואתה] *Et* pro *igitur*, ſive *ergò*, vel *autem.* *Tu igitur. Tu autem.* ¶ *Et erige me* והקימני] *Et reſtitue me.*

11. *Cognovi quòd complacuiſti in me* ידעתי כי חפצת בי] Præt. pro præſ. vel fut. *agnoſco*, vel *agnoſcam quòd complacuit tibi in me*, i. e. charum me habes; aut, ut alii, faveas mihi, ſive mihi bene velis.

12. *Et ego in perfectione mea ſuſtentaſti* ואני בתמי תמכת בי] Præt. pro fut. Præterea locutio eſt Hebraïca, pro, *Sed me ſuſtentabis in integritate mea*: ut vacet *ego.* Vel, ut alii, *Sed utinam tuearis me in ſinceritate mea*; ut ſubaudias *obſecro*, *Sed ego* obſecro ut *ſuſtentes* &c. præt. pro fut. opt. Alii inverſa eſſe verba exiſtimant, *Pro integritate mea* in qua *ego* ſum, *ſuſtentabis me*, h. e. in vita ſervabis, aut ſerva, Nonnullis & hic ſenſus eſſe videtur, ſubauditis etiam pauculis, *Et ego in ſinceritate mea* vivere ſtudebo, propterea *ſuſtentabis me*; aut, *vivere ſtudui*, ideo *ſuſtentaſti me.* ¶ *Et ſtatuiſti* ותציבני] Præt. pro fut. *ſtatues.*

13. *Amen & amen* אמן ואמן] i. e. *Firmum ſit & firmum*; aut, *Sit ità, ſit ità*, ſive, *Fiat & fiat.* Venit enim à verbo אמן quod *firmum eſſe ac ſolidum* ſignificat; unde & אמת *veritas*, & אמונה *fides* deducitur. Approbantes ac confirmantes auditum ſermonem, eâ voce apud Hebræos utebantur, ut Num. 5. 23. & Deut. 27. 14. videre eſt.

CASTALIO.

3. L*Aborantis cubile prorſus evertens*] Hoc fit perſanato morbo.

CLARIUS.

VEriſimile eſt David, cùm jam Regno potiretur, eo morbo laboraſſe de quo hîc cecinit. Quidam ergò non tam ipſi quàm pietati inimici, dum laboraret periculoſiùs, mirè gaudebant, jamque libidini ac violentiæ ſuæ viam muniebant, quà defuncto Rege in optimum quemque & Regi amicum graſſarentur. Plerique ex amicis quoque & iis conjunctioribus, deſperatis ſuis commodis, cum inimicis facere & Regno fortaſſe, uxoribus, liberis & ſanctis inſtitutis ejus unà inſidiari cœperant, quibus reſtitutâ ſibi valetudine, ut Regem decebat, dignam perfidiæ hujus & impietatis mercedem rependit.

1. *In die mala*] *Beatus qui non aſpernatur afflictum*, ſed cogitans apud ſe ità dicit, *In die quo malum ei ingruerit, liberet eum Dominus*. Alius ſic exponit ut ſit oratio cujuslibet illorum qui veniebant ut viſerent Prophetam gravi laborantem morbo, & ſummis affectibus expetebant valetudinem ejus, dicentes, *In die mali liberet eum Dominus.*

3. *Univerſum ſtratum ejus verſes*] h. e. Sanum reddes, ac ità afficies ut lectum, in quo ægrotus modò detinetur, penitus relinquat, alioque, ut fieri ſolet, commutet. Alius ſic, *lectum illius totum*, angulis undique ventilatis, *in ipſo morbo verſabis*, *Domine*, ut molliùs cubet. Vel ſimpliciter ſit ſenſus, Tu commutare digneris morbum ejus in ſanitatem.

5. *Dixerunt mala mihi*] *Dixerunt mala de me*, vel *malè precabantur mihi*, dicentes, *Quando morietur?*

6. *Et ſi ingrediebatur*] Subaudi, *aliquis eorum*, is loquebatur fucate. Loquitur de iis qui fucatâ amicitiâ veniebant ad David languentem, ſimulantes & mentientes ſe dolere ob ejus infirmam valetudinem, cùm tamen *illius mortem atque nominis ejus exſtinctionem* intimis optarent præcordiis, & *egreſſi foràs*, quæcunque exploraverant, in alios ſpargebant qui Regi malè cupiebant.

8. *Verbum iniquum*] Vel *res iniqua*, ſive *noxia*. Morbus, inquiunt, graviſſimus corripuit illum, & decumbere tam graviter cœpit ut nunquam valetudinem priſtinam recepturus ſit. Illud tamen, *verbum iniquum*, quod Hebraïſmus habet, *verbum Belial*, quidam accipiunt pro *inſigni quodam ſcelere* cui æmuli David illum dixerunt obnoxium, propter quod daret pœnas tam gravi morbo.

9. *Homo pacis meæ*] Hic Judæ Scariotis umbra præceſſit: proinde rectè Dominus dicebat Joannis 13. proditione Judæ in ſe hunc verſiculum completum. Etenim ſancti cùm patiuntur, Dominus ipſe in eis perfert. Indè Paulus ajebat *ſe implere adhuc in ſua carne quæ afflictionibus Chriſti deerant*. Homo ergò, inquit, cum quo mihi arctiſſima fuit familiaritas, cui fidebam, qui & meo victitabat cibo, ſublato pede velut calce petebat me, & magnas mihi ſtruxit inſidias.

10. *Et retribuam eis*] Non ulciſcendi gratiâ, ſed quia ad eum tanquam Regem pertinebat ulciſci ſceleratos: ſic & Chriſtus ulciſcitur impios.

13. *Benedictus Deus*] Epiphonema eſt quo ſæpe in fine Pſalmorum gratulabundus & gratias Deo agens uti conſuevit.

LUCAS BRUG.

7. PLerique hodie Latini codices, ſuffragantibus libris Græcis & Tractatoribus, Ruffino, Bedà, Haymone, Brunone, Hugone de S. Victore, & Joanne de Turre cremata, legunt, *Salutare vultus mei & Deus meus.* Manuſcripta verò Brugenſe, Lobienſe & Tornacenſe, ac Moguntinenſis editio, conſentientibus Epanorthotæ codicibus, habent, *Salutare vultûs mei Deus meus*, prætermiſſâ nempe conjunctione; quæ etiam D. Auguſtini, Caſſiodori & veteris Pſalterii lectio eſt. Illam in Græcis, hanc in Latinis ſui temporis codicibus Sunia & Fretela repererunt, à quibus de varietate iſta conſultus Heronymus, reſpondit, *Sciendum eſt hoc in iſto Pſalmo bis inveniri; & in primo poſitum eſſe*, Salutare vultûs mei Deus meus, *in ſecundo autem, i. e. in fine ipſius Pſalmi*, Salutare vultûs mei & Deus meus: ità duntaxat ut & conjunctio de Hebræo & Theodotione ſub aſteriſco addita ſit. Itaque Hieronymi ſententia eſt, verſu iſtius Pſalmi ſexto, ἀσυνδέτως legendum, *Salutare vultûs mei Deus meus.* Verumenimvero cùm Græcis libris conjunctio conſtanter legatur, & *vultûs mei* concorditer ſcribatur, videri poſſit LXXII. viros hoc loco Hebraïcè legiſſe, ut in Pſalmi fine, פני ואלהי, h. e. *vultûs mei & Deus meus.* Hieronymus cum Hebræis hoc loco legit פניו אלהי, in fine autem Pſalmi פני ואלהי, quorum illud ſignificat *vultûs ejus Deus meus*, hoc, *vultûs mei & Deus meus.* Illam verò prioris loci lectionem Hebræi ità dividunt ut prior dictio ſit ſexti verſûs finis, poſterior ſeptimi initium. Hinc vertit Hieronymus, *Quia adhuc confitebor ei ſalutaribus vultûs ejus. Deus meus in meipſo*, &c. Alii, *Quia adhuc confitebor ei propter ſalutes faciei ejus*; vel, *cùm ſalutes ſint in conſpectu ejus. Deus mi, in me*, &c. Sed non minùs veriſimiliter LXXII. ſexto hoc verſu ità legunt diſtinguuntque ut ultimo, פני ואלהי τȣ͂ προσώπȣ μȣ καὶ ὁ Θεός μȣ, *vultûs mei & Deus meus* (quanquam ultimo verſu antiqui Latini codices conjunctionem aſteriſco notent, ut Hieronymus monuit: & exemplar Græcum Bibliothecæ Vaticanæ prætermittat, ut collator ſignavit.) Ultimus enim verſus ſexti repetitio eſt, verbis, non tantùm ſententiâ, omnino reſpondens, præterquam quòd מה, i. e. *quare*, repetat; quod tamen, contra codices, unus Anglicanus etiam ſexto verſu repetit, ומה, תהמי, conformiter quidem Græcis Latiniſque libris: verùm ex Hebræo Hieronymus non reddidit, ſi emendatioribus codicibus fides habetur; & in Latinorum Pſalterio, ut Hebræis ſuperfluum obelo prænotavit, ſi Lobienſi exemplari creditur. Chaldæus etiam non addidit. Videtur autem Chaldæus Paraph. utrobique legiſſe פניו אלהי. Nam & ſexto & ultimo verſu ſimiliter reddidit בפורקא דמן קרמוהי, *propter ſalutem quæ eſt à præſentia ejus*; addiditque ultimo verſu הוא [Ven. די, Neb. ד] ארום אלהי *quoniam ipſe Deus meus*; ſexto autem ſervavit, quam diximus, Hebræorum diſtinctionem. In ſequenti quoque Pſalmo, quem etiam iſte finit verſus, cùm omnes alii, Hebræi, Græci, Latini legant פני ואלהי, Chaldæus eo modo tranſtulit quo hoc in Pſalmo, בפורקא [בפורקנה Ven.] [Ven. די Neb. ד] דמן קרמוהי ארום הוא אלהי, id quod eſſe videur ex פניו אלהי.

DRUSIUS.

1. אֶל־דָּל. A. S. Th. ἐπὶ πτωχὸν, *de paupere.* ¶ בְּיוֹם רָעָה Sym. κακώσεως ἡμέρας, *vexationis die.*

2. יִשְׁמְרֵהוּ. A. Th. *cuſtodiet ipſum*] Legitur apud Euthymium. ¶ וִיחַיֵּהוּ. A. Th. *& vivificabit ipſum*] Ζωώσει. Sed in Rom. ed. A. καὶ ζωῶσαι prius hauſtum ex Euthymio. Sym. καὶ περισώσει αὐτὸν, *& conſervabit eum.* אשר. Sym. μακαριςὸς ἔςαι, *beatus prædicandus eſt.* ¶ בְּנֶפֶשׁ אֹיְבָיו. A. ἐν ψυχῇ ἐχθροῦ, *in anima hoſtis.* Sym. ἐν ψυχαῖς. Th. εἰς ψυχήν] *In anima*, i. e. libidini. Ἐχθρȣ͂ puto legendum ἐχθρῶν αὐτοῦ.

3. יִסְעָדֶנּוּ. A. & Th. *opem feret ei*, βοηθήσει αὐτῷ.

4. אֲנִי אָמַרְתִּי וגו׳. Sym. Ἐμȣ͂ λέγοντος, Κύριε, οἴκτειρόν με, ἴασαι τὴν ψυχήν μȣ· καὶ εἰ ἥμαρτόν σοι, *Cùm dicerem, Domine, miſerere mei, ſana animam meam: etſi peccaverim tibi.*

5. אוֹיְבַי וגו׳. Sym. Οἱ ἐχθροί μȣ ἔλεγον περὶ ἐμοῦ κακὰ, Πότε ἀποθάνῃ, καὶ ἀπολεῖται τὸ ὄνομα αὐτȣ͂, *Hoſtes mei dixerunt de me mala, Quando morietur, & peribit nomen ipſius?*] In ed. Rom. ἔλεγον κακὰ περὶ ἐμοῦ. Talis ordo verborum in textu Ebræo.

6. וְאִם־בָּא לִרְאוֹת וגו׳. Sym. Καὶ εἰ ἐρχόμενος ἐπισκέψασθαι, ματαιὰ ἐλάλει ἡ καρδία αὐτȣ͂· ἤθροιζεν ἀδικίαν ἑαυτῷ· ἐξερχόμενος δὲ ἔξω, κατελάλει, *Et ſi veniebat ut viſitaret me, vana loquebatur cor ejus: coacervabat iniquitatem ſibi: egrediens verò foràs, detrahebat*] Legitur & καὶ εἰσερχόμενος, *ingrediens, intrans.* Sed καὶ εἰ præter Theodotionem, etiam V. & VI. ediderunt. Ἐπισκέψασθαι aliàs ἐπισκόπῆσαι, quod exſtat in ed. Rom. Aquila hunc locum ità transfert, ἐὰν ἔλθῃ τοῦ ἰδεῖν, εἰκῇ λαλήσει *ſi venerit viſum, inaniter loquetur.* Ἐλάλει, alibi eſt λαλεῖ.

7. יַחַד עָלַי. Sym. Ὁμοθυμαδὸν ἐψιθύριζον κατ᾽ ἐμȣ͂ πάντες οἱ μισȣ͂ντές με, περὶ ἐμοῦ ἐννοȣ͂ντες κακά μοι, *Simul una contra me ſuſurrarunt omnes qui oderunt me, de me cogitantes mala mihi.*

8. דְּבַר־בְּלִיַּעַל וגו׳. Sym. Λόγος παράνομος ἐκκέχυται, καὶ πεσὼν οὐκέτι ἀναςήσεται. *Sermo iniquus effuſus eſt intra eos: & cadens non amplius reſurget*] In nonnullis cod. ȣ̓κ ἐπαναςήσεται. Aquilæ interpretamentum hujus loci eſt, ὃς κοιμηθῇ, ȣ̓ προσθήσει τοῦ ἀναςῆναι, *qui dormiverit* (i. e. mortuus fuerit) *non addet ut reſurgat.* Lectio varians ὃς ἂν κοιμηθῇ.

9. גַּם־אִישׁ שְׁלוֹמִי וגו׳. Sym. Ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος ὃς εἰρήνευέ μοι, ᾧ ἐπέποιθα, συνεσθίων μοι ἄρτον ἐμὸν, κατεμεγαλύνθη μȣ ἀκολȣθῶν, *Sed & homo qui mecum pacem habebat, cui confiſus eram, qui unà mecum panem meum edebat, extulit ſe contra me*] Ἐπέποιθα ità legitur apud Euſebium. In ed. Rom. ἐπεποίθειν· Aq. & Th. Καίγε ἀνὴρ εἰρήνης μȣ, ᾧ ἐπεποίθησα, *Atque etiam vir pacis meæ, cui confiſus fueram.*

10. וְאַתָּה יְהוָה חָנֵּנִי וגו׳. Sym. Σὺ δὲ, Κύριε, οἴκτειρόν με, καὶ ἀνάγειρόν με, ἵνα ἀνταποδώσω αὐτοῖς, *Tu autem*, DOMINE, *miſerere mei, & excita me, ut reddam eis.*

11. בְּזֹאת יָדַעְתִּי וגו׳. Sym. Διὰ τοῦτο γνώσομαι ὅτι θελήσεις

ἐὰν

* ἐὰν μὴ καταλαλήσει ὁ ἐχθρός με, *Propter hoc cognoſcam quòd velis * ſi non maledixerit hoſtis mihi.*

12. ואני בתמי וגו׳. Sym. Ἐμοῦ δὲ διὰ τὴν ἀπλότητα ἀντέχου, καὶ παραστήσεις με ἔμπροσθέν σου δι' αἰῶνος, *Me autem propter ſimplicitatem complectere, & ſtatues me coram te in perpetuum.*

13. אמן ואמן. Sym. Ἀμὴν, ἀμήν, *Amen, amen.* Aq. Πεπιστωμένως, πεπιστωμένως, *Fideliter, fideliter.*

AMAMA.

PSalm. εὐχαριστικός. Gratias agens pro liberatione à certâ aliquâ ægrotatione. A verſu 1. ad 5. benedictionem optat illis qui ipſi ægrotanti conſoluerant. 2. Recitat preces ſuas quas tum ad Deum ſuderat & narrat ſimul injurias quibus tum fuerat affectus ad verſ. 12. Poſtremo Gratiarum actionem ſubjungit.

Benedictionis exoptatio primo in genere, verſus 1. hemiſtichio priori. Poſtea per partes.

1. משכיל συνιῶν] *Qui attendit ad attenuatum*] שׂשׁים לבו Alii, *qui intelligentiâ utitur erga*..... vel *prudenter ſe gerit.* Ita & Ital. *Qui non ſiniſtre judicat de paupere & afflicto, ſed ſolatur, juvat & humanitatis caritatiſque officia ei præſtat.* השכיל abſol. in tranſitivum Pſ. 2. 10. *Nunc ergo Reges erudimini* השכילו & *prudenter agite.* Pſ. 14. Alii שׂכיל *intueris, attendens.* שׂכל *Secundari.* שׂכל *intelligere* & *intelligere fecit.* השׂכיל *intellexit, animadvertit, attendit* & *intelligentia imbuit.* Item *ſecundatus eſt* & *ſecundavit.* Hinc משכלות *intelligibilia, notiones* מ׳ ראשנות *notiones primæ*, מ׳ שניות ſecundæ. Hinc שׂכל *intellectus, ſucceſſus.* שׂכלים *mentes Angelicæ, Intelligentiæ.*

Lxx. ἐπὶ πτωχὸν καὶ πένητα.

דל Ab. Levit. 14. 21. dicit דל ſignificare duo, & *opibus tenuem*, & *corpore tenuem, infirmum*, ut 2. Sam. 13. 4. ubi Jonadab ad Amnon כהוע אתה ככהרל בן-המלך Vulg. *Cur ſic attenuaris macie?*

Dicens] Malè, non enim recitat verba illorum, ſed per partes explicat felicitatem. Reſiſtat verba illa *Tempore mali.* Senſus eſſet, ſi quando incidet in malum. At per Mimeſin recitantur verba illa, quæ pronunciabantur de illo qui jam erat in malo.

Die] *Tempore*] Die quo eduxi te ex Ægypto.

2. יחיהו] Jun. *Vitæ reſtituet.* P. *In vita conſervabit. Verquikken, Et vixit Sp. Jacobi*, Anglicè *The quic en the thead.*

ישמרהו] Do viventibus, aliter נצרה וחסדא נרו ותרקה *cuſtodiat eum miſericors & liberet eum.* De mortuis ע״נ. Patriarchis Prophetis & Regibus ע״ה.

3. בנפש] Hic ſignif. *potentias animæ*, affectum, appetitum, libidinem, & deſiderium animæ, Deut. 24. 15. *Ad mercedem tollit animam ſuam.* Habac. 2. *Dilatavit infernus animam ſuam.* Prov. 23. *Dominus animæ es*, i. e. guloſus. Sic ſup. 25. *Ne tradas me in animam hoſtium.* Ezech. 16. *Dabo te in animam odientium te.* Ch. ברעות *voluntatem.* Græci, εἰς χεῖρας.

4. דוי] *Languoris*, ut דוה Deut. 7. *Et omnes languores Ægypti.* Joſ. 6. 7. דוה. דוי לחמי *langidus* & דוי. Eſt formæ אל כבד

משכבו] Jun. *Totum cubatum ejus ex morbo ejus.* Senſus, reſtitues eum priſtinæ ſanitati. Alii, *lectum ejus vertiſti*, i. e. ipſe ſtraviſti, *compoſuiſti ut molliter cubet & dormiat.* Ita Angl.

5. כי] *Quia*, vel *quamvis*. ע״פ. Sic Ab. & Sym. καὶ εἰ ἥμαρτον σοι. Sic R. Marinos Dan. 9. *Tibi Dominus miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te & non audivimus vocem tuam*, i. e. quamvis. Joſ. 17. 18. Tu expelles Cananæum, כי רכב ברזל לו *quamvis ferreos currus habeat*, כי חזק הוא. Pſ. 25. 11. Gen. 8. 21. Ex. 34. 9. Act. 1. 17.

8. לחשים] Amuleta, Characteres auro vel argento ſcriptas, formâ vel modo incantationis.

9. *Res Diaboli*] i. e. Flagitium diabolicum, Diabolo impulſore patratum. Suidas βελιὰλ ἀποστάτης; atque ita Aq. Heſych. βελιαρδράκων vel דבר אנשי בליעל i. e. דבר בלי Galli, *quelque fait tel que committent les meſchans garnemens.* Belial, ſine jugo aut ἀχρεῖος, ut illaudatus apud Gellium 2. 6.

יצוק] Job. 41. 14. Particulæ carnis ejus cohærent יצ׳ עליו, firma eſt in eo, tenaciter cohæret ei. Ut quod è metallis fuſum, non poterit ab eo evelli.

Addet ſurgere] Sic 4. in N. T. apud ſolum Lucam, Luc. 19. 11. 20. 11. & 12. Act. 12. 3. ſic uſurpant & שׁוב

איש שלומי Jun. *Vir colens meum pacem.* P. *Qui quærebat pacem meam. Qui ſtudebat augere proſperitatem meam.* Jer. 29. 7. *Quærite proſperitatem iſtius civitatis quò deportabo vos, & orate pro ea Dominum.*

10. *Suſtulit adverſus me calcem*] i. e. Conatur me opprimere, ſeu machinatur mihi exitium. Conatur me pedibus calcare & proterere, ut calcitrones & refractarii equi ſolent. Joh. 13. ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. Lxx. ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν. Metaph. ab equo feroce. R. Sal. de inſidiis, *ſtruit mihi inſidias.* Joſ. 8. 13. De civitate Ai, *& poſuit populus* עקבו *inſidias ejus, ab occidente civitatis*, ubi tamen Lxx. τὰ ἔσχατα αὐτῆς.

11. *Rependam illis*] *Ut Magiſtratus eorum*, inquit Piſc. & intelligit de remotione ex aula. Kimchi hic ſudat & objicit locum Pſ. 7. 5. *Imo erui eum qui me angebat immeritò.* Exp. ergo, retribuam ipſis bonum pro malo.

12. *Quod non jubilabit*] Synecdoche metonymica, qua cum effecto ſignificatur cauſa. Senſus, quod non paſſus es me extingui, ſed ſanaſti, atque ita inimicis meis intercepiſti cauſam jubilandi; vel ut ad Abſalomum referatur, quod non triumphabit de me ut victor.

הריע] 1. *Clangere ſono fracto*, תקע *ſono aquali & fixo.* 2. *Vociferari præ lætitia & triſtitia.* Hinc תרועה *jubilatio, clangor.*

13. תמכת] Hinc תומך שבט *tenentem ſceptrum* σκηπτοῦχος. Amos. 1. 5. Lxx. ἀντελάβου δὲ ἐμοῦ διὰ τὴν ἀκακίαν καὶ ἐβεβαίωσάς με ἐνώπιόν σου. תמך *apprehendere, ulnis ſuſtentare.* Græce ἀντιλαμβάν. ἐπιλαμβάν.

Statuiſti me] Stare coram aliquo eſt miniſtrare, 1 Reg. 1. *Quæratur Domino virgo puella quæ ſtet coram eo.* Verſ. 4. ותשרתהו & *miniſtrabat ei.* Sic *X. Beati ſervi iſti qui ſtant coram te.* Sic Gen. 41. *Joſeph coram Pharaone.* Num. 4. de tribu Levi, *ut ſtaret coram Domino ad miniſtrandum ei. Vivit Dominus in cujus conſpectu ego ſto.* Luc. 1. 9. *qui aſto ante Deum.* Sic ſto ſimpliciter, Pſ. 135. *Qui ſtatis in Domo Domini*, Sic Pſal. 15. *Quis ſtabit in loco ſancto ejus.* Sueton. *Ad vinum & cyathum ſtare.*

בתמי] *In integritate mea, ſimplicitate.* Vide ad Proverb. 7. aut 8.

לעולם] ומן חיי ארם. Ita & Piſc. *per totam vitam meam* Ex. 21. *Serviet ei in ſæculum*, i. e. uſque ad annum jubilæum, aut certe uſque ad finem vitæ, ſi jubilæum non attigerit. Sic Horat.

Serviet æt. qui parvo niſciet uti.

14. *Amen*] Primò eſt abſtractum, *veritas.* Jeſ. 65. 16. *Qui jurat in terra, juret* באלהי אמן. 2. Cor. 1. 20. *In ipſo omnes promiſſiones ſunt* ναὶ & ἀμήν, i. e. ratæ & firmæ. Ap. 1. 7. Ναὶ Ἀμήν & Marc. 12. 43. Ἀμήν, Luc. 21. 3. ἀληθῶς, de vidua paupercula. Sic Matth. 16. 28. & Luc. 9. 27. *Sunt quidam hic ſtantes qui non videbunt &c.*

II. Concretum, *verax, verus*, Apoc. 3. τάδε λέγει ὁ Ἀμήν.

III. Particula aſſeverantis, in N. T. Ἀμήν, Ἀμὴν, λέγω ὑμῖν. Pro quo Luc. 12. ἀληθῶς, ἀληθῶς, λέγω ὑμῖν.

IV. Optantis & aſſentientis, Deut. 27. ad imprecationes, ut hic, Pſ. 106. & alibi. Sic in orat. Dom. Sic hic ideo pro eo, Lxx. γένοιτο, γένοιτο. Hinc ſolet eſſe ſignaculum precum. Suidas, Ἀμήν, πεπιστωμένως, ἀληθῶς. Phavorinus addit, Ἤ ἄρτι τοῦ γένοιτο.

V. Nunquam jurandi. Si enim jurandi, eſſet in iſtis locis N. T. Amen, Amen, dico vobis; at pro eo alibi eſt ἀληθῶς. Sic quoque ſentiunt Paræus in Apoc. Fullerus in Miſc. Piſc. Matth. 5. 18. Beza 1 Cor. 14. 16. ait duplicem ejus eſſe uſum, 1. in affir. 2. in optando. At partic. jurandi eſſe affirmarunt Orig. Hier. & Chryſoſt. Et Paræus ad Ebr. 6. 14.

At in Apocal. dicit ferè eſſe jurantis. Auguſt. *quodammodo, ſi dici fas eſt, juratio eſt.*

Hoc Amen duplex ter reperitur in Pſalmis, inde ſumptam diviſionem ſeu inciſionem libri in V. inciſiones, ut ſecundus liber incipiat à Pſ. 42. III. Pſ. 73. IV. 90. V. 107. *Ut Moſes totam Legem complexus eſt libris quinque proſâ oratione, ſic David Verſâ & Metrica, ut credendis & agendis laudanda canendaque reſponderent.* Hinc Scholaſtici, *Pſalmos continere totam S. Scripturam per modum divinæ laudis dixerunt.*

Addunt alii ex quintuplici argumento & diverſitate auctorum cauſam. Liber primus de triſtibus & Davidis eſt. II. de lætis & maximam partem habet authores filios Core. III. repetuntur triſtia per *Aſaph* aliosque paucos. IV. ſuccedunt res lætæ à diverſis. V. mixtum habent argumentum, & uni Davidi aſcribitur.

GROTIUS.

7. E*Grediebatur foràs & loquebatur*] Nempe in triviis, quomodo Latini dicunt,

Omnibus in triviis vulgatur fabula paſſim.

& Græci: ——— ἐνὶ τριόδοισιν ἀκούει.

[——— *in triviis id protinus audit.*]

Adverſùm me ſuſurrabant omnes] In Hebræo præcedit יחד *unà*, ſcilicet *congregati*, in circulis: quam vocem Latina verſio annectit verbis præcedentibus.

PRICÆUS.

2. S*itivit anima mea ad Deum fontem vivum*] Πηγὴν (ut Joh. 4. 14) ἁλλομένην εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Fons vivus* enim hic eſt fons vitæ. Suprà 35. 10. *Apud te eſt fons vitæ.* Græci autem hoc loco, πρὸς θεὸν ζῶντα, habent, τῷ πηγὴν omiſſo.

4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*] Pro cibo lacrymis me nutrivi meis. Infrà 79. 6. Apulejus 5. *Nec cibo, nec ullâ denique refectione recreata, flens ubertim, deceſſit ad ſomnum.*

8. *Abyſſus abyſſum invocat*] Vult dicere, (ut Philipp. 2. 27.) λύπη ἐπὶ λύπην, &c. Nicetas Choniates in Alexio Comneno, Κακὸν ἐπὶ κακῷ προσβάλλω, καὶ κῦμα (ὅ φασιν) ἐπὶ κύματι ἐπικυλίνδεται. Quin & heic de fluctibus ſubjicitur.

Ibid. *Et fluctus tui ſuper me tranſierunt*] Hæc eadem habemus apud Jonam 2. 4. nec diſſimilia Jobi 31. 23. Ovidius Triſt. 2.

Nec mihi pars nocuit de gurgite parva, ſed omnes
Preſſere hoc fluctus Oceanuſque caput.

Heſychius, Κλυδώνιον πέλαγος, χειμὼν καὶ θόρυβος πραγμάτων. Suidas ad Ariſtophanis ea, κυμάτων ἐν ἀγκάλαις, Ἐν πολλοῖς κινδύνοις καὶ ἀνάγκαις. Apul. 10. *Talibus, &c. fatorum fluctibus volutabar.*

Ibid. *Omnia excelſa tua, &c. ſuper me tranſierunt*] In Græco, οἱ μετεωρισμοί σου. Vult dicere fortè, jactaſti me ut navem ἐν μετεώρῳ οὖσαν. Vide ad Luc. 12. 29. dicta. Seneca non admodum diſſimiliter epiſt. 54. *Omnia corporis aut incommoda aut pericula ſuper me tranſierunt.*

IDEM.

2. A*D Deum, fontem vivum*] Jer. 17. 13. *Venam aquarum viventium, Dominum.* Vide ſuprà 35. 10. Eſt in nonnullis codd. *fortem, vivum*: ut & antè in quibuſdam Græcis, τὸν ἰσχυρὸν, τὸν ζῶντα quæ lectio, cùm ſe dicat ſitire, minùs congrua videtur.

5. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam*] Dimiſi (ut Job. 10. 1.) *adversùm me eloquium meum, locutus ſum in amaritudine animæ meæ.*

8. *Fluctus tui ſuper me tranſierunt*] Locum Job. 30. 12. adde cæteris annotatis.

10. *Deo vitæ meæ*] Salutis meæ, qui (ut infrà 65. 9.) poſuit animam meam ad vitam.

11. *Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me*] Dum ad intimas medullas penetrat mœſtitia mea (vide ad 34. 10. dicta) ab exprobratione eorum qui me tribulant. Vide Pſalm. 43. 16. 17. In vetere Onomaſtico, *Tribulor*, θλίβομαι.

Ibid. *Dum dicunt mihi, &c. ubi eſt Deus tuus*] Jerem. 17. 15. *Ecce ipſi dicunt ad me, Ubi eſt verbum Domini? veniat.* Tobiæ 2. 15. *Irridebant vitam ejus, dicentes, Ubi eſt ſpes tua?* Adde Pſal. 3. 3.

12. *Quoniam adhuc confitebor illi*] Inter inſidias, calumnias, opprobria, &c. fortitudinem meam (ut 58. 10.) ad illum cuſtodiam.

PSALM. XLII.

MUNSTERUS.

1. E*Rudiens*] Vel, *intellectum dans.* Incertum autem eſt an filii Corah, qui deſcenderunt ab Aſir, Elkana & Abiaſaph, qui ſuperſtites manſerunt cùm pater eorum cum multis propter ſeditionem à terra abſorberetur, hunc ediderint Pſalmum, aut à David editum receperint decantandum. ¶ *Inhiat*] Significat ערג propriè hoc loco *mugire & vociferari ex deſiderio alicujus rei*; vel, ut alii dicunt, eſt clamor proprius Cervorum, ſicut *mugitus* Boum. Porrò queritur Propheta & dolet quòd propter hoſtium perſecutionem adeſſe non potuerit ſolennitati Domini, ut & ipſe in cœtu plurimorum ad Templum Domini ter quotannis convenientium laudet & magnificet bonitatem Divinam.

3. *Fuit mihi lacryma mea*] Hebraïſmus eſt pro, *die & nocte tantum flevi ut nec cibum corporalem comedere libuerit.* Et hoc potiſſimùm urebat *animum*, quoties incidit me unà *cum numero multitudinis* aſcendiſſe in *domum Domini*, & læto animo in tanta eccleſia Domino gratias egiſſe. Nunc autem ſemotus à Templo & populo feſtivante, ago circa *Jordanem* atque circa *montes Hermonim* & circa hunc *montem exiguum*, in quo detineor ob rabiem hoſtium meorum, cùm populus Domini verſetur in monte illo glorioſo Morija, & hilaris ſit in Domino.

7. *Abyſſus advocat abyſſum*] Significatur hoc verſiculo maxima calamitas quæ Davidi accidit in ſua fuga. Nam inducitur Deus, quaſi maximam vim aquarum dimiſerit è cœlo veluti per canales ſuper David, unde inundarint abyſſi, commoti ſint fluctus, & natæ procellæ.

8. *Interdiu præcipiebat Dominus*] h. e. Cùm ego unà cum populo dies ſolennes ageremus, *Dominus per diem* adeò affatim oſtendebat beneficentiam ſuam, ut & *ego nocte canticis ejus* addictus illum laudarem, & *orationem* meam *ad eum* effunderem.

VATABLUS.

1. V*ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſalm. 32. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] Sub. *datus ut decantaretur*; erant enim periti muſices. Quidam vertunt, *Eruditio filiorum Core*, i. e. Pſalmus eruditione plenus, conſcriptus de Davide ab uno è poſteris Core. Fuerunt enim ei tres filii qui doctrinâ valuerunt, dono ac munere prophetiæ inſignes: unde & ſtudio muſices dediti erant. ¶ *Clamat* תערג] *Glocitat, deſiderat.* Fut. Heb. pro præſ. Singulare item pro plurali, *ut cervæ*, ſive *cervarum armentum.* ¶ *Ad torrentes aquarum* על אפיקי מים] *Ad rivos aquarum.* Alii, *ad diviſiones aquarum. Torrentes* ſive *diviſiones aquarum* pro *fluminibus* accipiunt nonnulli. ¶ *Clamat* תערג] Idem verbum Hebræum quo cervam *glocitantem* dixit, i. e. ardenti deſiderio fertur.

2. *Sitivit* צמאה] Præt. pro præſ. *ſitit*; *ſitire ſolet* ſummo deſiderio Dei tenetur. ¶ *Et apparebo, &c.* ואראה פני אלהים] *Et videbor* [*conſpiciar*] *in conſpectu Dei*: i. e tuo; tertia perſona pro ſecunda: h. e. in Templo. Alii, *& videbo faciem tuam?* i. e. Arcam fœderis in Templo, ſuper quam apparere ſoles. Cupit David reſtitui in patriam, ut in Templo cum aliis poſſit Jehovam laudare.

3. *Dum dicerent mihi* באמר אלי] *Dum dicunt mihi.* Vel, *cùm diceretur mihi*; i. e. cùm objiceretur mihi ab hoſtibus.

4. *Horum recordabar, &c.* אלה אזכרה ואשפכה עלי נפשי] *Hæc recordatus ſum, & effudi ſuper* [vel *in*] *me animam meam, quòd, &c.* i. e. Hæc reduxi in memoriam, unde animus meus fuit quaſi liquefactus in gaudium, h. e. effuſo gaudio lætatus ſum *quòd tranſierim*, ſive *tranſibam.* Futura Heb. pro præt. imperfect. vel perfectis. Quidam, *Hæc dum recordor, effundo ſuper me animam meam, quòd tranſibam, &c.* i. e. Recordatio illa feſtorum quæ quondam cum gaudio agere ſolebam, excutit mihi lacrymas amaras, quòd id ampliùs facere non liceat. Sic Anna, 1 Sam. 1. 15. dicit *ſe effudiſſe animam ſuam coram Jehova.* Eadem ſeipſam exponens v. ſeq. dicit, *Ex multitudine eloquii mei & indignationis meæ locuta ſum hactenus.* ¶ *Quòd tranſibam in numero, incedebam cum eis* כי אעבר בסך אדדם] *Quòd præibam in caterva*, [vel *comitatu*] *leno gradu incedebam cum eis.* אדדם ponitur pro אתדדה עמהם. Quidam vertunt *deducebam* ſive *adducebam eos uſque, &c.* ¶ In *multitudine tripudiante* המון חוגג] In *turba feſtum agente*; aut, *læta*: ſubauditur præpoſitio *in.* Alii, deducens, inquam, *turbam feſtivantem.*

5. *Dejicis te* השתוחחי] *Dejiceris; deprimeris; dejecta es.* ¶ *Et perſonas* ותהמי] *Et tumultuaris; infremis; inquieta es.* ¶ *Exſpecta Deum* הוחלי לאלהים] *Spera* tantùm *in Deum*; vel, *ſpem tuam colloca in Deo.* ¶ *Confitebor ei, &c.* אודנו ישועות פניו] *Celebrabo eum* quòd ſit *ſalutes faciei meæ.* Vel, eſt enim *ſalutes faciei meæ*, eſt, *inquam, Deus meus.* Hebraïſmus, *Salutes faciei meæ*, i. e. coram me ſalus: q. d. Author eſt auxilii mei multiplicis & præſentis; ipſe eſt mihi præſentiſſima ſalus: vel, eſt auxilium in quod ſolum proſpicere debet facies mea. Aut, auxilium ſemper mihi expromptum & expoſitum & ante oculos poſitum. Sic panes Propoſitionis dicuntur *panes facierum*, i. e. propoſiti faciei Dei & in conſpectu ejus. Aut *ſalus faciei meæ* dicitur auxilium propter quod facies mea ſolet hilarior & lætior reddi.

6. *Dejecta eſt* תשתוחח] *Conſternata eſt; depreſſa eſt.* ¶ *Recordor tui* אזכרך] Fut. Heb. pro præſ. vel præt. ¶ *Parvo* מצער] *Miſar.* Quis ſit iſte mons ne Hebræi quidem dicere poſſunt.

7. *Vorago voraginem* תהום אל תהום] *Abyſſus abyſſum.* Hebraiſmus, pro, *calamitas calamitatem invitat & adducit eâ voce & eo ſtrepitu quem emittunt fiſtulæ tuæ*, h. e. pluvia vehemens quam exprimunt nubes tuæ. Fiſtulis nubes comparat, quòd effundant aquas ut fiſtulæ. Vel, *cum magnâ vi perſtrepunt cataractæ tuæ* Sive, *perſtrepentibus jugiter cataractis tuis*; i. e. te pluente ſuper me tribu-

tribulationes, altera alteram ſecum trahit. ¶ *Inundationes tuæ, & fluctus tui* משבריך גליך] *Fluctus tui & procellæ tuæ.*

8. Sic cogito, *In die præcipiet* יומם יצוה] Hæc verba *Sic cogito* ſubaudita ſunt ut dilucidior eſſet ſenſus. Quidam vertunt, *Interdiu mandabit*, i. e. efficiet ut interdiu fruar ſuâ miſericordiâ. Alii referentes ad feſta de quibus v. 7. vertunt per præt. imperfect. *Die mandabat Jehova bonitatem ſuam*, ſive *benignitatem*, curabat illam populo ſuo obvenire ampliſſimè. Sic Pſalm. 133. 3. ¶ *Canticum* שירה] Sub. *erat*, vel *erit*: i. e. noctu canam de illo carmina.

9. *Pullatus ambulabo propter oppreſſionem* קדר אלך בלחץ] *Mærens incedam ob tribulationem.* Vel, *mæſtus ingredior*; aut *incedere cogar*, &c.

10 *Ut occiſio* ברצח בעצמותי חרפוני] Varia eſt lectio: nam quædam exemplaria habent ב *in*; alia כ *ſicut*. Ad verb. *In occiſione in oſſibus meis opprobrio affecerunt me.* Vel, *Cum ſectione in oſſibus meis opprobrio affecerunt me*, &c. Alii, *Quaſi gladio in oſſibus meis*, i. e. perinde me afficiunt dolore acſi me gladio confoderent.

11. *Cur dejecta es*, &c. מה תשתוחחי] Idem eſt verſus cum ſexto præcedenti.

C A S T A L I O.

4. R*Ecordor ſolitum me illis numeroſè præire ad fanum*] Compoſito greſſu in numerum.

C L A R I U S.

QUod in titulo poſitum eſt, *filiis Core*, incertum eſt Hebræis, cùm aliquot Pſalmi iis inſcripti legantur, an ipſi eorum Pſalmorum authores ſint, an à David editos acceperint decantandos. Core pronepos Levi, Princeps conjurationis contra Moſen & Aaron, à terra abſorptus fuit Num. 16. Servati fuerunt filii ejus tres. Horum fuerunt aliquot cum aliis Levitis à David ad decantandum ſacros Hymnos conſtituti, & inter eos Heman præcipuus Cantorum Princeps 1 Par. 6. 33. Quatuor namque millia Cantorum, qui certos habebant ordines certaſque vices, David ſelegerat 1 Par. 23. Veriſimile quibuſdam videtur, Pſalmos qui nomen *filiorum Core* prænotatum habent à primoribus ex eodem ordine fuiſſe dictatos: nam ſi ab aliis dictati eſſent, vel alicubi autorum nomina legerentur adſcripta, ſicut Pſalmus 39. ſuprà titulum habet *Pro Idithun canticum David*, ut per ordinem Idithun decantatum, & per David agnoſcas editum. Præterea S. hiſtoria 3 Reg. 4. volens prædicare ſapientiam Regis Salomonis, quâ cunctos mortales præcelluit, confert eum nominatim *Æthan Ezrachita, Heman, Calcal, & Darda*; fuerunt igitur hi ſapientiæ quàm rariſſimæ, ut quibus ex omni hominum genere ſelectis Salomon ſapientiâ major fuiſſe dicatur. Cumque Salomon præditus fuerit ſpiritu componendi ſacras odas (nam ibidem *mille & quinque compoſuiſſe* legitur) non eſt dubitandum & Heman alioſque aliquot ex poſteris Core idem potuiſſe, eos nimirum quos David pollentes ſpiritu dictandi ſacras odas ſacris præfecerat cantionibus.

1. *Quemadmodum deſiderat cervus*] Cùm nemo magis quàm David arderet ſtudio feſta Deo celebrandi, non potuit ei non moleſtiſſimum eſſe, id ſibi per improbos minimè licere. An autem hoc fuerit cùm Saul ipſum in exſilium egiſſet, vel cùm fugiſſet à filio Abſalon, incertum eſt. In regione trans Jordanem detentum ſe fuiſſe queritur v. 6. & in hanc conceſſerat cùm ei exercitus Abſalon immineret 2 Reg. 17. quanquam in eadem eum fuiſſe etiam cùm illum Saul perſequeretur, legimus 1 Reg. 22. Quod ad ſimilitudinem à Cervis acceptam pertinet, ſcribit Ariſtoteles Cervos à canibus infeſtatos cupidiſſimè ad aquas fugere propter æſtum atque anhelitum. Idem facere dicuntur & cùm voraverunt ſerpentes; quod identidem ſolent.

2. *Sitivit anima mea*] Ex verbis hujus loci videlicet, *Deum, Fortem, Viventem*, exiſtimant quidam ſumptum illum hymnum quem Græci *Triſagion* vocant, videlicet, *Sanctus Deus, ſanctus Fortis, ſanctus Immortalis.* Nam & Græca habent *fortem* ἰσχυρὸν pro quo noſtri depravatè legebant *fontem.*

3. *Ubi eſt Deus tuus?*] Dum dicunt mihi hoſtes mei, *Ubi eſt nunc Deus ille tuus*, cujus auxlium tam confidenter jactabas, in cujus ceremoniis tam multus eras?

4. *Hæc recordatus ſum*] In memoriam revocabam quæ olim patribus præſtitiſti, *& effundebam intra me animam meam*, memetipſum conſolans, & futurum ſperans ut liberer aliquando à malis præſentibus, & hinc *tranſeam cum multis, & proficiſcar cum illis uſque in domum Dei* tali cum gaudio quali feſtus dies celebrari ſolet. Alii de præterito intelligunt, ſic, *Hoc potiſſimùm urebat animum quod memineram illius temporis quo aſcendere cum reliqua multitudine ſolitus eram in domum Domini*, &c. Quod ait, *ſonus epulantis*, in Hebræo eſt *turba feſtivans*, vel *tripudians.*

5. *Adhuc confitebor illi*] *Quorſum*, inquit, *affligeris, anima mea? bene ſpera de Deo*; veniet enim tempus ut ipſe pro ſua benignitate eripiat me ex his malis, & ego occaſionem habeam laudandi & pro acceptis ab eo beneficiis gratias agendi.

6. *De terra Jordanis*] Nunc ſemotus à Templo & populo feſtos agente dies, ago circa *Jordanem* & circa montes *Hermon* & circa hunc *montem exiguum*, in quo detineor ob rabiem hoſtium meorum, cùm populus Domini verſetur in monte illo glorioſo Moria, & hilaris ſit in Domino. Alius ſic vertit, *O Deus, anima mea ſuper me dejecta eſt, propterea quòd memor tui eram à terra Jordanis, & Chermonim à monte Mizaar.* Alii intelligunt Prophetam recordatum beneficia Patribus exhibita juxta Jordanem, &c.

7. *Abyſſus abyſſum invocat*] Calamitas calamitatem invitat. Significatur hoc verſiculo maxima calamitas quæ Davidi accidit in ſua fuga. Nam inducitur Deus quaſi maximam vim aquarum demiſerit è cœlo, veluti per canales, ſuper David, unde inundarint abyſſi, commoti ſint fluctus, & natæ procellæ.

8. *In die mandavit Dominus*] Vel commemorat felicitatem priſtinam, cùm unà cum populo dies ſolennes ageret, & *Dominus per diem* adeò affatim *oſtenderet beneficentiam ſuam* ut & ipſe *nocte canticis ejus* addictus illum laudaret; vel ſperat pulſis moleſtiis etiam totâ nocte ſe operam daturum laudibus Dei.

D R U S I U S.

1. כְּאַיָּל תַּעֲרֹג. A. Ὡς αὐλὼν κεκρασίακαι, *Ut pratum imbrem ſitit.* Sym. Ὡς σπεύδει ἔλαφος, *ut feſtinat cervus.* VI. ed. Ὃν τρόπον πεδίον πρασιασθῇ, *Quemadmodum campus imbrem deſiderat*] Joel. 1. 20. תערג. Aq. ἐκρασιώθη, i. e. interprete Hieron. *tanquam area imbrem ſitiens clamat*: verbum ab *area* effectum, quæ Græcè πρασιὰ. Ebraïcè autem vocatur ערוגה, à quo verbum ערג, ſi Aquilæ credendum, quo hic uſus eſt David Propheta. Σπεύδει. Euthymius, *Deſiderare hic poſuit pro Feſtinare, & ità Aquila reddidit.* Hic locus mihi olim impoſuit, itaque in Fragmentis legitur, תערג, *Aq. Feſtinat.* Nunc errorem meum animadverto, puto legendum, *& ità Symmachus reddidit.*

3. לֶחֶם יוֹמָם וָלָיְלָה. Sym. Ὡς ἄρτος συντάξεώς μȣ, *ut panis mihi conſtitutus & ordinatus*] Videtur innuere panem quotidianum, quem Salomo vocat לחם חקי *panem ſtatuti mei.* Nam σύνταξις, *conſtitutio*, Licet verterem *ut panis meus ordinarius.*

4. אֶזְכְּרָה. Sym. ἀνακολῶν, *volvens animo.*] Suidas ἀνακολεῖν ait interdum ſignificare ἀναμιμνήσκεσθαι, i. e. *recordari, reminiſci.* Idem זכר Ebræis. ¶ בַּסָּךְ אֶדַּדֵּם עַד־בֵּית אֱלֹהִים בְּקוֹל־רִנָּה וְתוֹדָה. A. ἐν συσκίῳ παραβιβάζων ἀυτοὺς, ἕως οἴκȣ τοῦ Θεȣ̃ ἐν φωνῇ αἰνέσεως καὶ ἐυχαριστίας, *in umbroſo præteriens eos uſque ad domum Dei, cum voce laudis & gratiarum actionis.* Sym. *διαβασταχθήσομαι ἕως τοῦ οἴκȣ μετὰ φωνῆς ἐυφημίας καὶ ἐξομολογήσεως, *bajulabor uſque ad domum cum voce fauſtæ acclamationis & confeſſionis.*] *In umbroſo*] Subintelligitur *comitatu*, aut aliquid tale. *In comitatu umbroſo*, i. e. magno, frequenti. סך *umbroſum*, σύσκιον, à quo quod σκιὰ dicunt fortaſſe effluxit. Ab eodem סכה *Tabernaculum.* Lexicon Stephani, Σύσκιος, *umbroſus, opacus.* His adde ex Theodoreto אעבר *egrediar.* סך *ſumma numeri*: unde dicitur de numero multo ac frequenti. *Bajulabor*] vel *portabor*, nempe ut portari ſolent onera à bajulis, vel infantes à nutricibus. *Uſque ad domum*] Ἕως τοῦ οἴκȣ, abeſt, Θεοῦ, quod excidit non Interpretis culpâ, ut opinor, ſed Librariorum. *Fauſtæ acclamationis*] Vel *laudis.* Nam ità redditur etiam ἐυφημία. Prius malo. ¶ הָמוֹן חוֹגֵג. A. ὄχλȣ ἑορτάζοντος, *turbis feſtum celebrantibus.* Sym. πλήθȣς πανηγυριζόντων, *multitudinis panegyrim agitantium*, ſive *ludos panegyricos celebrantium.*

5. מַה־תִּשְׁתּוֹחֲחִי. A. Τί κατακύπτεις; *Quid deprimeris?* Sym. Τί κατατήκῃ; *Quid contabeſcis? Quid deprimeris?*] Quid demittis oculos? Quid deorſum aſpicis? *Quid contabeſcis?*] Vel, *quid maceras te?* ¶ הוֹחִילִי לֵאלֹהִים כִּי־עוֹד אוֹדֶנּוּ. A. ἀνάμεινον τὸν Θεὸν, ὅτι διηνεκῶς ὁμολογήσομαι αὐτῷ, *exſpecta Deum, quia continuè confitebor ei*] *Aſſiduè, identidem, continenter, perpetuò.* Hoc dicunt עד & לעד. Sed & עוד eo ſignificatu ſumi videtur Pſal. 84. 5. Vide K. ad h. l. Gen. 8. עוד כל ימי הארץ. Eſt ubi Galli reddant *inceſſament*, & Trem. *perpetuò*, & Græci εἰς τὰς αἰῶνας, ubi Hieron. *adhuc laudabunt te.* Credo Pſal. 84. ¶ פָּנָיו: אֱלֹהַי. Aq. προσώπȣ ἀυτοῦ Θεός μȣ, *vultus ejus Deus meus.*

6. נַפְשִׁי תִשְׁתּוֹחָח עַל־כֵּן אֶזְכָּרְךָ מֵאֶרֶץ יַרְדֵּן וְחֶרְמוֹנִים מֵהַר מִצְעָר. Sym. *Anima mea liqueſit quando recordor tui à terra Jordanis & Her-*

& Hermonii à monte minimo] *Liqueſit*, κατατήκει, *contabeſcit, maceratſe.* Vide ſuprà verſ. 5. *Hermonii*, חרמונים, pluralis ut *Alpes.* Sunt qui ſcribant plures montes eſſe qui ſimul *Hermonim* vocentur.

7. תְּהוֹם־אֶל־תְּהוֹם קוֹרֵא לְקוֹל צִנּוֹרֶיךָ. Sym. Ἄβυσσος ἀβύσσῳ ἀπήντα ἀπὸ ἤχου τῶν κρουνῶν σου, *Abyſſus abyſſo occurrit à ſonitu ſcaturiginum tuarum*] Vel *tuborum tuorum.* Lex. V. κρουνὸς, *fluor, tubus.* Hâc voce Thalmudiſtæ utuntur. Dicunt קרונה: unde in Res Gemara רחץ בקרונה של צפורי *lavit in ſcatebra quæ eſt Sephori.* Aruch interpretatur dicens ſignificare *aquas ſcaturientes & frigidas. Occurrit*] Alii ex Ebræo reddunt *advocat.* Verbum קרא utrumque ſign. Non malè ad ſenſum, *Abyſſus abyſſo occurrit*, ut ſit proverbiale de abyſſo malorum: ſicut vulgò dicimus, *Mala malis ſuccedunt*, item, *Mala non veniunt ſine comite.* Dicimus etiam, *Calamitas calamitatem excipit.* ¶ מִשְׁבָּרֶיךָ. A. οἱ συντριμμοί σου, *contritiones tuæ.* Sym. αἱ καταιγίδες σου, *procellæ tuæ*] *Contritiones tuæ.* Fluctus intelligit, qui ſic vocantur à *conterendo*: nam ſe mutuò conterunt & frangunt: quod eſt שבר in lingua Ebræorum. Alibi שד. LXX. συντριμμὸς, videlicet Jeſ. 59. 7. & Amos 5. 9. *Procellæ tuæ*] Jon. 2. 4. משבריך, *fluctus tui.* Jonathan, נחשולי ימא, *tempeſtates maris.* Poſſes vertere *contritiones maris.* Nam חשל *contero, contundo.*

8. וּבַלַּיְלָה שִׁירֹה עִמִּי. Sym. καὶ κατὰ νύκτα ᾠδὴ παρ᾽ αὐτοῦ] Legit שִׁירָה *canticum*, & עמו pro עִמִּי, i. e. *mecum*, παρ᾽ ἐμοῦ.

9. סַלְעִי. A. Sym. πέτρα μου.

10. בְּרֶצַח בְּעַצְמוֹתַי. A. Ἐν τῷ φονεῦσαί με ἐν ὀστέοις μου. Sym. ὡς σφαγὴν διὰ τῶν ὀστέων μου] Ὡς σφαγήν. Santes quoque *ut occiſio.* Caph loco Beth. ἐν τῷ φονεῦσαί με, ברצח.

11. מַה־תִּשְׁתּוֹחֲחִי. A. Τί κατακύπτεις; Sym. Τί κατατήκῃ; ¶ וֵאלֹהָי. Th. καὶ ὁ Θεός μου] Vide Hieron. epiſt. ad Suniam & Fretellam.

A M A M A.

[מַשְׂכִּיל] *Didaſcalica ode.* Indicatur finis, quod ſcilicet Pſalmus ſcriptus ſit in hunc finem ut erudiat Eccleſiam de re aliquâ magni momenti, nimirum *quomodo fideles ſe debeant gerere ſub cruce.*

[לִבְנֵי קֹרַח] *Pro filiis Core.* Senſus, traditus à Davide ut caneretur à poſteris Core in Tabernaculo. Trem. *In Filiis.* Pſ. datus *Hemani* F. Joëlis F. Samuëlis, 1. Chr. 6. 33. *Fuit Præfectus tertiæ claſſis Muſicorum*, Archimuſico in Filiis, inter filios Core. Eodem redit. Vide de ejus poſteris 1. Paral. 6.

Alii volunt ל eſſe genitivum authoris, ut לְדָוִד Ideoque aſſignant decem authores Pſalmorum, *David, Salomo, Moſes, Aſaph, Ethan, Heman, Jeduthun, & tres filii Core, nempe Aſir, Elcana & Abjaſaph.* Sic Lyra ex Hieron. In hoc etiam numero conveniunt Ebræi, niſi quod in authoribus diſſentiant. R. Sal. *David, Salomo, Moſes, Aſaph & 3. filii Core*, (hactenus ut Lyra) *Adam, Melchiſedec, Abraham.* Pro *Jeduthun, Heman*, & *Ethan.* Sed R. Sal. alibi dicit *Adamum eſſe Jeduthun*, & ſcripſiſſe Pſ. 92. qui incipit מזמור שיר ליום השבת. Falſum. Ut & illud, Abrahamum eſſe Ethan Ezraïtam, & Melchiſedecum eſſe authorem Pſ. 110. Nam expreſſe Matth. 22. 43. David vocatur author. Dubitari etiam poteſt de Salomone, nam licet Pſ. 72. in titulo ſit לִשְׁלֹמֹה, tamen in fine Pſalmi iſtius hæc leguntur כלו תפלות דוד.

Core] Ut *Noë.* Iſte qui Num. 16. cum Dathan & Abiram punitus. Ipſius filios non eſſe mortuos expreſſe Num. 26. 11. *Et filii Core non fuerunt mortui.* Et res ipſa, nam Samuël & cum filiis & nepotibus eſt ex ejus familia, unde קָרְחִים vocantur. Miraculum hic ponunt Ebræi. R. Sal. ad hunc locum. *Aſir, Elcana & Abijaſaph initio fuerunt in conſilio patris ſui, ſed in horâ contentionis ſepararunt ſe ab eo, & cum abſorberentur omnes qui circa eos, & aperiret terra os ſuum, relictus eſt locus ipſorum in medio omnis terræ.* Lyra, ad verba Vulg. verſ. Num. 26. *Et factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte filii ejus non ſint mortui, ſic inquit, quando terra aperuit os ſuum, & devoravit Core cum multis aliis, Filii ejus remanſerunt in aëre ſtantes divinâ virtute, donec terra rurſus clauſa eſſet ſub pedibus ipſorum.*

[תַּעֲרֹג] ערג proprium cervorum clamantium præ ſiti. Tribuitur Synecdochicè omnibus animantibus, Joël. 1. verſu ultimo, loquens de æſtiva ſiccitate, *Etiam beſtiæ agri* תערוג *ad te Domine, eo quod exaruerint alvei aquarum.* Hoc certum. Illud minus, quomodo hoc exprimendum, Quidam *clamant* generaliter nimis. Alii, *Mugit* catachreſticè, nam hoc Vaccarum. Trem. & Junius *glocitat.* Sed hoc proprium eſt gallinarum pullos ſuos advocantium. Luth. *Schreyet*, & Belg. Vulg. *deſiderat.*

שאג & נהם Leonum, נוק Aſinorum, נקק Urſorum, נבח latravit. צהל Equorum, געה Boum, צפצף Avium, נער Camelorum vel Aſinorum, ערג Cervorum.

Glocitat ad] על pro אל prægnans, i. e. glocitando aſpirat, ſic לָקַח, הֵבִיא. παρελάμβανεν, Matth. 4. εἴληφας, Apoc. 17. Lxx. ἐπιποθεῖ. Vel poteſt retineri propria ſignif. *propter.* Et tunc in ſeq. אל exponi debet per על Gen. 37. 2. Sam. 21. 1. Ubi Vulg. quoque *propter.*

Cervus inter animalia maximè ſiticuloſus quod veſcatur ſerpentibus, unde ἔλαφος Græcis παρὰ τὸ ἑλεῖν, vel ἕλκω τοὺς ὄφις; hoc innuit Aben. his verbis. ידוע דבר האיל האוכל הנחש שיש לו חמום קרבו אז יבקש אפיקי מים.

Fortem vivum] Ita Clementina, at Sixt. & omnes Vulgatæ Edit. *Fontem.* Multis annis in hoc mendo cubuit hic locus. Notarunt tamen varii, Andrad. Canus, Geneb. Bell. & alii. Sed Sixto non perſuaſit. Clemens emendavit. At rurſus Edit. Pariſ. anni 1618. & Veneta Fortunati Fanenſis 1609. *fontem.*

Vivum] Cur Deus vivus? 1. ad diſt. idolorum. 2. Æternus, Joſ. 19. Lxx. ἀεύναος. 3. Quaſi vi vividus. Ita Maſ. ſign. inquit, agilem Dei induſtriam atque actuoſam providentiam curamque, quâ ſemper opem fert ſuis, ſuccurritque in tempore ipſorum ſaluti, vita enim actio eſt & ex motu potiſſimum cognoſcitur, quorumque nulla actio motuſque apparet, ea mortua aut certe torpentia & languida eſſe cenſentur.

5. *Hæc recordans effundo*] Hæc nim. Ironiam illam & quæ ſequuntur, nimirum quomodo ſolitus fuerit accedere ad Dei cultum. Senſus eſt, *Animus meus diffluit mœrore, nam recordor me ſolitum fuiſſe cum læt. accedere ad Dei cultum à quo nunc prohibeor.*

Effundo] Anima mea diffluit mœrore, Job. 30. 16. *Et jam in me ſe ipſam effundit anima mea, apprehendunt me dies afflictionis meæ.* Tig. *Effundere animam eſt laxatis dolori habenis omnes ſemel affectus omnem animi æſtum & quaſi ipſum cor effundere.* Gen.

[אֶעֱבֹר] *Tranſibam.* Futura ſunt, at uſurpatur pro præterito imperfecto. Luth. *Ik woude geerne daer henen gaen.* Jun. *Me fuiſſe tranſiturum*, ſc. niſi tyrannus obſtaret.

In turba] [בַּסָּךְ] A סכך *texit*, q.d. hominum multitudo quæ terra tegitur. Alii, *mixta turba*, à סוך quod in Piel סִכֵּךְ ſignificat *miſcere.*

[אֶדַּדֵּם] Pro אֶדַּדֶּה *gradiebar* (עִמָּהֶם) דָּדָה Piſc. reſolvit in אדר עמהם q. à נדר Sed malè eſt à דדה pro ע׳ אֶדַּדֶּה quod extat Jeſ. 38. 15. Exponunt Ebræi de שָׁלֹש *aſcenſione* רְגָלִים *feſtorum*, quæ tria, 1. Paſcha, 2. Pentecoſte vel feſtum hebdomadarum nempe 7. in memoriam datæ legis. 3. Feſtum tabernaculorum 15. Thiſri pro convectis frugibus, & in memoriam quod Patres eorum 40. annis in deſerto ſub tuguriis à Deo eſſent conſervati.

[חוֹגֵג] *Feriari, tripudiare & titubare, ut ebrii* Pſ. 107. יָחוֹגּוּ כַּשִּׁכּוֹר *titubabit ut ebrius.*

[לחם] Jer. 11. Prov. 27. 27. 1. Sam. 14.

7. Exponit cauſam mœroris. Putant Pſalmum à filiis Core conſcriptum ſub perſona Davidis exulantis.

Per יַרְדֵּן Hermon & Mizhar intelliguntur tres termini terræ. Iſraël, Jarden Orient. Hermon ſepten. per montana exigua meridiem.

Hermon Sirjon, Sidonii Senir, Emor. Schijon שִׂיאֹן Sion, Deut. 3. & 4. Ch. טור תלגא *mons nivis.* De Hermon nota Pſ. 133. fuit longe diſſitus à Sione, eſt contiguus Libano.

Jarden.] Græc. Ἰορδάνης οὐ. Lat. --- nis. Alibi Ἰόρδανος. In Syr. יורדנן. à *Jor* & *Dan* duobus fontibus ejus. Suidas Ἰορδάνης ὁ ποταμὸς, ἐκλήθη δ᾽ οὕτως διὰ τὸ συμμιγνύνθη δύο ἅμα ποταμοὺς Ἰὸρ καὶ Δάνην. Apud eundem Ἰορδανεῖαι ῥεῖθρα. Hieron. *Dan unus eſt è fontibus Jordanis. Nam alter vocatur Jior.* Duobus ergo fontibus qui haud procul diſtant in unum rivum fœderatis Jordanis deinceps appellatur. Vel ex יאר ῥεῖθρον *rivus* & *Dan.* Vel ex ירד & Dan, quod deſcendat ex antro ſub Libano juxta urbem Dan, quam Scindl. dicit cognominatam *Paneada*, Hier. verò dicit eam quarto lapide abſuiſſe à Dan.

Hic vides D. graviter luctatum fuiſſe ne tentat. ſuccumberet. Arduumque & grave ei fuiſſe certamen antequam victor emergeret, nec uno tantum prælio fuiſſe defunctum, ſed ſæpius retractum fuiſſe ad novas pugnas. Non egreditur autem David extra ſe, ſed cum propriis affectibus bellum gerit intrinſecum. *Atque hæc*, inquit Calv. *eſt optima Satanam vincendi ratio.* Erigit enim Satanas in hominis anima & corde quaſi officinam ad fabricandos mille deſperationis modos. Sed optimum hic remedium eſt promiſſion. Dei adhæreſcere & precari; & deinde cogit. hanc eſſe propriam piorum luctam.

Jun. Metaph. deſcriptio afflictionis ab exundante nimborum & procellarum vi.

Confitebor ei [*propter*] *ſalutes.* Alii, *Celebrabo eum & ſalutes.* Alii, *per ſe. Salutes ſunt faciei ejus.* Sic Gall.

8. Inſerit querimoniam de metu deſertionis; quem ſignificat ſimilitudine metus quo quis in mari coorta tempeſtate & in periculo ſubmerſionis conſtitutus metuit ſe ſubmerſum iri; q. d. videor mihi in mari tempeſtuoſo eſſe, ubi navis ex Abyſſo ſitblimato

mato mox in aliam abyſſum deprimitur. Pſ. 107. *Tollimur in cœlum, mox imas radimus undas.*

קול] *Vox, ſonus, buccinæ.* Exod. 19. 19. *pedum*, 2 Reg. 6. *curruum & equorum*, 2. Reg. 7. *tonitru*, Pſ. 29.

צנור] *Canalis, tubus, emiſſarium*, i. e. imbris vehementiſſimi tanquam per canales demiſſ.

משבריך] *Irrumpentes fluctus*, quod ſe mutuò & naves confringant.

9. Iterum conſolatio.

Mandabit benignitati] Ut ſc. ad te veniat; ſic Deut. 28. 8. *Mandabit Dominus benedictioni ut tecum ſit in horreis tuis.* Pſ. 133. *Ibi mandabit Dominus benedictionem ſuam.* Jun. *Amandabit benignitatem.*

10. לחץ] *Preſſura, anguſtia*] 1. Reg. ult. Joab de Michaja, *Ponatur in carcere & cibate eum* לחם לחץ & מים לחץ i. e. exiguo pane & aquâ. Ibi aliter accipitur.

11. עצם] עצם *oſſeus, compages oſſium.* Pſ. 139. 15. *Non occultum fuit ſibi* עצמי *quando factus fui in occulto & variis membris ornatus in inferioribus terræ.* Confer Eph. 4. *Sicut occiſio vel gladius* [*eſt*] *in oſſibus meis.* Alii, *Sicâ*, per ב, *invadunt oſſa mea.*

12. ישועות] Ad Auxoſin, ſic בהמות Elephas.

Behemoth, Elephas, quod multarum ſit inſtar. Scalig. Exercit. ad Card. 204. *Beſtiarum heros*, & paſſim κατ' ἐξοχὴν *Bellua.* Suidas, θηρία οἱ ἐλέφαντες. Terentius, *Eone ferox quod imperium in Belluas?* Plutarchus τῶν θηρίων πύργους *memorat turres belluarum.* Plinius 8. 3. *Circa dentes belluis ſumma cura.*

Salus,] Id eſt, ſalvator, Luc. 2. in Cant. Sim. σωτήριόν σου.

Faciei meæ] i. e. Mens. *Facies tua vadat ad bellum.* 2 Sam. 17. *Sapientia illuſtrat faciem ejus.* Cohel. 8. *A facie gladii.*

G R O T I U S.

I*Ntellectus filiis Core*] In Hebræo, *Principi cantorum inſtruenti poſteros Core*: qui ad hilarandum animum aptos modos habebant.

1. *Quemadmodum deſiderat cervus*] In Hebræo eſt איל, quæ vox propria cervorum. Videtur autem hoc carmine David ſibi renovaſſe memoriam malorum, quæ olim pertulerat extorris, procul ab Urbe & ſacris, Saüle eum quærente ad exitium.

8. *Abyſſus abyſſum invocat in voce catarractarum tuarum*] Comparatio ſumta à magno diluvio, cùm *apertæ ſunt catarractæ ſive emiſſaria cœli*, Gen. 7. 11. & abyſſus maris invocavit, ſive attraxit, velut alteram abyſſum è nubibus. Huic diluvio ſuas calamitates comparat.

P R I C Æ U S.

1. J*Udica me, Deus*] Supple ex 34. 24. *ſecundum juſtitiam tuam*: vel ex 7. 9. *ſecundum juſtitiam meam.*

Ibid. *Et diſcerne cauſam meam à gente non ſancta*] Ità 11. 20. Jeremias, *Tu, Domine, qui judicas juſtè*, &c. *videam ultionem tuam ex iis, tibi enim revelavi cauſam meam. Cauſam meam, quæ* (ut Job. 36. 17.) *quaſi impii judicata eſt.*

4. *Ad Deum qui lætificat juventutem meam*] Qui lætum ac vegetum facit, tanquam juvenem. Job. 33. 25. *Conſumpta eſt caro ejus à ſuppliciis, revertatur ad dies adoleſcentiæ.*

PSALM. XLIII.

M U N S T E R U S.

N*On habet Pſalmus iſte aliud argumentum quàm præcedens, cùm Propheta queratur iniquam, quam à gente ſua patiebatur, à Templo & urbe ſancta abjectionem. Putant autem hunc Pſalmum, ſicut & præcedentem, in fuga Abſalomis compoſitum.*

V A T A B L U S.

1. E*T litiga litem meam à gente* וריבה ריבי מגוי] *Et diſcepta diſceptationem meam adverſus gentem* Vel, *contende contentionem meam*, i. e. diſceptando tuere cauſam meam adverſus, &c.

2. *Fortitudinis meæ* מעזי] i. e. A quo omnes vires meæ habent originem. Latinè dixeris *robur meum, fortitudo mea.* ¶ *Ut quid pullatus* לכה קדר] Vide eadem verba ſuprà 42. 9.

3. *Ipſe deducent me, & introducent* המה ינחוני יביאוני] *Hæc me deducant & introducant.* Vel, *quæ me deducant & introducant.*

4. *Et introibo* ואבואה] *Ut ingrediar. Ut ingredi liceat*: ו *&* pro *ut*, frequens in Scripturis. ¶ *Ad Deum lætitiæ exſultationis meæ* אל אל שמחת גילי] *Deum lætitiæ gaudii ſui* vocat Deum autorem ſummæ lætitiæ ſuæ. Geminatio ſubſtantivorum pro adjectivis. ¶ *Et confitebor* ואודך *Ut celebrem te.*

5. *Cur dejecta es*, &c. מה תשתוחחי] Idem verſus legitur Pſ. 42. 5. & 11.

C A S T A L I O.

3. M*itte lucem*] Præſidium.

C L A R I U S.

H*Unc Pſalmum ejuſdem eſſe argumenti cum ſuperiore etiam Hebræi agnoſcunt; ſed ad ſuum in quo nunc ſunt exſilium torquent utrumque.*

1. *Judica me, Deus*] *Litiga pro me, & age cauſam meam adverſus gentem* quæ *nihil minus* eſt *quàm ſancta.*

2. *Quare me repuliſti*] Cùm *tu autor ſis* omnimodæ *fortitudinis meæ, quare* nunc *me deſeruiſti?*

3. *Ipſa me deduxerunt*] *Ipſa me deducant & pervenire faciant uſque ad montem* quem *tua ſanctitas* inhabitat, *imò in ipſa penetralia cubiculi tui, ut perveniam uſque ad altare tuum*, & ad ſanctam *celebritatem* in monte Sion, ubi Tabernaculum tuum eſt.

L U C A S B R U G.

10. E*T non egredieris Deus in virtutibus noſtris.*] Vocula *Deus* ab his legitur, ab his tollitur. Legitur à multis Latinis, multis Græcis codicibus, & Tractatoribus, Ambroſio, Auguſtino, Caſſiodoro, Lombardo, Brunone. Tollitur à tredecim Latinis exemplaribus in Bibliorum margine annotatis, quorum quædam ſunt D. Lindani, quædam Hentenii, quædam Pariſienſium, quædam Epanorthotæ: notat enim Epanorthotes antiquos ſuos codices non interponere *Deus.* His addo alia non pauca antigrapha, codicem Brugenſem Cathedralis Eccleſiæ D. Donatiani, exemplar Lovanienſe Societatis Jeſu, Hunnæi ſcriptum P. notatum, Remigii & Richelii commentariis adjunctos textus, Biblia Collegii noſtri Houterle anno 1479 excuſa, Latinum Nebienſis Pſalterium, adhæc Gallicum Pſalterium, ac denique Brunonis Epiſcopi textum, à quo præfixo obelo jugulatur. Tollitur vox eadem ab emendatioribus Græcorum libris, doctiſſimo atque Illuſtriſſimo Cardinali Sirleto teſte, ac nominatim Vaticanæ Bibliothecæ exemplari, & translatione Symmachi quam Euthymius profert, atque ea quam Chryſoſtomus recitat. Hebraïcis etiam in libris minimè legitur. Ruffinus, Beda, Haymo, Enarratores, omittunt: Theodoriti textus quidem, ut impreſſus eſt, legit: commentarius autem prætermittit. Poſtremò Hieronymus inter Græcos Latinoſque Suniæ ac Fretelæ codices, quorum illi habebant, hi prætermittebant, judicium ferens, ſuperfluum eſſe τὸ *Deus* cenſet. Videri autem poſſit vocula illa ex Pſalmis 59. & 107. qui ſunt magna ex parte iidem, huc translata: in illis enim eadem ipſa ſententia repetitur, & vox *Deus* conſtanter legitur: 59. 12. *Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris*; 107. 12. *Et non exibis Deus in virtutibus noſtris.* Sed quamvis his addatur locis, non ideo 43. Pſalmo adjicienda eſt, id quod etiam feciſſe deprehenditur in Hebraico Pſalterio Anglicanus ſcriptor: ſcripſit enim verſum iſtum 43. Pſalmi ad hunc modum, אף זנחת ותכלימנו ולא תצא אלהים בצבאותנו, ſcilicet, ut alia taceam, puncto Seri ſignanda erat vocis אלהים capitalis litera, quanquam ità paſſim ſcribat. Verùm deeſt vox אלהים, non tantùm novitiis Hebræis, ſed etiam vetuſtiſſimis manuſcriptis; uni Bibliothecæ Societatis Jeſu, in quo verſus iſte ad hunc modum ſcribitur אף זנחת ותכלימנו ולא תצא בצבאותינו, alteri, Portugallicæ Synagogæ, quod Reverendiſſimus Dominus Lindanus perſcrutatus eſt. Præterea in Hebraicis non eſſe libris Epanorthotes teſtatur. Quid multa? ipſum Hieronymum, ante annos mille ducentos, in Hebræo non legiſſe epiſtola ad Suniam innuit, translatio ex Hebræo loquitur, *Et non egredieris in exercitibus noſtris.* Chaldæus hanc dedit paraphraſin, *Et non collocabis majeſtatem tuam in exercitibus noſtris*: Apollinaris iſtam,

Οὐδὲ κορυσσομένοις μετανίσσεαι ὡς πρὶν ἀρωγός,
Nec priùs ut ſolitus pugnantibus egrederis dux.

D R U-

DRUSIUS.

1. וְרִיבָה. Sym. *καὶ ὑπερ δίκησον*] Ὑπερδικέω, *defendo, patrocinor.* ¶ מֵאִישׁ מִרְמָה וְעַוְלָה. A *ἀπὸ ἀνδρὸς ἐπιθέσεως καὶ παρανομίας*] Ἐπιθέσεως, *invaſionis.* Nam cùm hoſtis hoſtem invadit & adoritur *ἐπίθεσις* dicitur. Ejus ſynonymum *ἐπιβολή*, ſicut *ἐπιβάλλειν* & *ἐπιθέσθαι*, idem & ipſa ſign. Sciendum autem רמיה, quod nunc in Ebræo, affinitatem habere cum רמא, quod apud Chaldæos *projicere* denotat. Videtur ſanè huc reſpexiſſe Aquila, ſed nihil aſſevero.

3. שְׁלַח־אוֹרְךָ וַאֲמִתְּךָ הֵמָּה יַנְחוּנִי יְבִיאוּנִי אֶל־הַר־קָדְשְׁךָ וְאֶל־מִשְׁכְּנוֹתֶיךָ. A. Sym. Th. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, quæ deducent me & adducent in montem ſanctum & in tabernacula tua*] Ἅτινα ὁδηγήσει με καὶ ἄξει με, ex ed. Rom. Vide, ſi tibi vacat.

4. וְאָבוֹאָה אֶל־מִזְבַּח אֱלֹהִים אֶל־אֵל שִׂמְחַת גִּילִי וְאוֹדְךָ בְכִנּוֹר אֱלֹהִים אֱלֹהָי. Sym. Ἵνα τί ἐλθὼν πρὸς τὸ θυσιαςήριον τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸν Θεὸν τὴν εὐφροσύνην τῆς εὐθυμίας μου, καὶ ἐξομολογήσομαι ἐν ψαλτηρίῳ, ὁ Θεός, ὁ Θεός μȣ] Deſumpta hæc ſunt ex Comment. Theodoreti, quæ Interpres Antonius Caraffa ità in Latinum ſermonem recens convertit, *Ut veniam ad altare Dei, ad Deum lætitiam voluptatis meæ, & confitebor tibi in pſalterio, Deus, Deus meus. Voluptas* ἡδονὴ dicitur: εὐθυμία potiùs eſt *bonus animus*, ſive *animi tranquillitas*, *animus metu & terrore liber*, *Confitebor tibi*] In Græcis abeſt σοι, culpà, ut ſuſpicor, exſcriptorum. *In pſalterio*] בכנור, alii reddunt *cithara*, & LXX. ἐν κιθάρᾳ· ſed Pſal. 149. 3. כנור iidem ψαλτήριον interpretantur, ut hîc Symmachus. Scilicet *pſalterii* & *citharæ* diſcrimen non magnum fuiſſe, ſi vera ſcribit ille cujus verba nunc adſcribam, *Pſalterium propriè genus organi eſt muſici quod eſt quaſi cithara. Similitudinem habet citharæ, ſed non eſt cithara. Inter Pſalterium & Citharam hoc intereſt, Cithara deorſum percutitur, cæterùm Pſalterion ſurſum percutitur, quod verbo vulgari dicitur Polyphthongum.* Hæc autor ille (Eſt autem is cujus comment. exſtat in Pſalmis inter opera Hieronymi) ad Pſal. 149.

5. תִּשְׁתּוֹחֲחִי. Sym. *καταῤῥεῖς*. V. ed. *ταπεινοῦσαι*] Καταῤῥεῖς *defluis*, aut *collaberis.* Suprà idem verbum reddit *κατατήκῃ*, ¶ כִּי־עוֹד אוֹדֶנּוּ. Sym. *εἰς ἀεὶ γὰρ ἐξομολογήσομαι*, *ſemper enim confitebor*] Suprà עוד. A. *διηνεκῶς*.

AMAMA.

לֹא חָסִיד] i. e. *Profana*, *impiiſſima. Non ſancta*, vetus Interpret. *Non gaudet ſtulti pater.* Jun. *Non benigna.* Alibi tamen eam vocem paſſim paſſivè exponit, *quem benignitate proſequeris.* E. g. Pſ. 16. At Piſc. ſemper corrigit in *beneficus. Jam, non benigna*, i. e. crudeliſſima.

3. אוֹרְךָ וַאֲ] R. Sal. *Meſſiam qui aſſimilatur luci*, ſicut ſcriptum Pſ. 132. 17. *Et parabo lucernam Meſſiæ meo* (qui etiam dicitur illuminare omnem hominem venientem in mundum) *& Eliam prophetam qui eſt propheta verax.* Judæi expectant Eliam, Matth. 17. & in hiſt. paſſionis qui ſolvet dubia, & hoc etiam, *Si Aſinus vel equus erecto membro vaſa frangat vel aliud damnum faciat, an Dominus teneatur præſtare hoc damnum?* Melius

Lucem] i. e. Lucem vultus tui, i. e. favorem, vel ſignum aliquod favoris tui. *Illumina ſuper nos vultum tuum, aſpice nos ſereno vultu, placido.*

Veritatem] i. e. Præſtationem promiſſionum, vel effectum promiſſionum, ut ſit Meton. effecti. Nam veritas in Deo dupliciter conſideratur, vel ut eſt eſſentia Dei, vel ut eſt effectum.

Montem] Tſijon, Moria. Diſtingui debet à שׂיאן cognom. Hermon. qui Σηὼν apud LXX. ut ille Σιών.

Tabernacula tua] Vel ſynechdoche integri. Vel de duobus Tabernaculis in quibus Deus tunc colebatur intelligendum. Unum erat in monte Tſijon, nempe Arca ſub tentorio, 2. Sam. 6. Alterum in excelſo Gibeonis, nempe Tabernaculum confectum in deſerto, 1. Chron. 16. 39. Hinc etiam erant duo Pontifices, cui ſimile poſtea non extitit, Zadoc & Abiathar, filius Eli. 1. Par. 24. Nam quod in N. T. ἀρχιερεῖς πάντες aliud eſt, ut & quod Caïphas dicatur Pontifex iſtius anni.

4. *Lætitia exultationis*] Ut *coma crinis*, *Pluvia imbris*, *Pars portionis*, *Terra pulveris*, *Lutum cœni*, *Vires roboris*, *Volumen libri.*

GROTIUS.

1. *De gente non ſancta*] Comitatum Saülis indicat.

Ab homine iniquo & doloſo] Saüle.

Et in Tabernacula tua] Tentorium & Arcam.

PRICÆUS.

7. *Non enim in arcu meo ſperabo*] Tacitus de Germanis, *Cubile humus, ſola in ſagittis ſpes.*

Ibid. *Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus*] Contrarium Judit. 7. 8. *in lancea & ſagitta confidere.*

9. *In Deo laudabimur totâ die, & in nomine tuo confitebimur*, &c.] Laudabimus Deum totâ die, & nomini ejus confitebimur, &c.

13. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*] Ut fieri ſolet de inutilibus ideòque vilibus mancipiis. Apulejus 8. *Quod pretium gaudens Dominus, ſcilicet tædio mei, facile ſuſcepit, ſeptendecem denariûm.* Monent hîc in Hebræo eſſe, *pro nihilo.* Ità Pollux 7. 2. Onomaſtici, Καὶ ἀξίως μὲν πιπράσκεται τὰ εὔωνα, καὶ λυσιτελῶς· καὶ ἐπευωνισμένα, καὶ ἀντίπροικα, καὶ ἀντ' ὐδενός.

22. *Nonne Deus requiret iſta?*] De eodem Job. 11. 11. *Videns iniquitatem nonne conſiderat?* Deus ipſe Deuteron. 32. 34. *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Suprà hîc 13. 4. *Nonne cognoſcent qui operantur iniquitatem?*

Ibid. *Ipſe enim novit abſcondita cordis*] Sirac. 23. 28. *Oculi ejus lucidiores ſunt ſuper Solem*, &c. *profundum abyſſi & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Omnia curioſè participat, omnia viſit, omnia intelligit: & ipſis penitiſſimis membus*, &c. *diverſatur*; Apulejus in de Socratis Deo.

Ibid. *Ipſe enim novit abſcondita cordis*] Vide Pſal. 32. 15. & quæ ad Luc. 16. 15. annotavimus.

IDEM.

2. *Patres noſtri annunciaverunt nobis opus quod operatus es*, &c.] Infrà 77. 6. *Quanta mandavit* (Deus) *patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis.*

6. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*] Repellemus, dejiciemus eos.

Ibid. *Et in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos*] *Spernere* hîc, ut ſæpe alibi, eſt, ad nihilum deducere.

7. *Non enim in arcu meo ſperabo, gladius meus non ſalvabit me*] In armis, quibus alii terræ Reges confidunt, nullum ego præſidium ponam: (vide in Græco Jobi 3. 14.) nunquam dicam.

Dextra mihi Deus, & telum hoc quod miſſile libro.

13. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*] Venditio nulla fit ſine pretio: at eſt ὀξύμωρον, quale in Apulejo illud, *Miles ille qui me nullo vendente comparaverat*: i. e. *emerat.*

Ibid. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*] *Divitias* (ut Jer. 15. 13.) *& theſauros in direptionem dediſti gratis.* Deus ipſe de populo ſuo 52. 3. Eſaiæ, *Gratis venundati eſtis.* Nec alio fortè ſenſu accipienda Eſaiæ 63. 18. illa, *Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum*: i. e. quaſi rem nullo pretio comparatam: & illa 26. 13. *Domine, poſſederunt nos domini abſque te*: ut ſubaudias, *vendente.*

14. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris*] Hæc cum proximè ſequentibus habemus & Pſal. 78. 4.

15. *Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus*] *Traditi ſumus* (ut Tob. 3. 4.) &c. *in fabulam, & in improperium nationibus.* Græci hîc, εἰς παραβολὴν ἐν τοῖς ἔθνεσιν· ibi autem, εἰς παραβολὴν ὀνειδισμȣ̃ τοῖς ἔθνεσιν. Vide infrà ad 61. 12. annotata.

16. *Totâ die verecundia mea contra me eſt*] Verſatur ſemper ignominia mea in conſpectu meo. Senſu ſimili 50. 5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.*

18. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te*] In Hecuba Euripidis,

Ὁ μὲν πονηρὸς ὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός,
Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλὸς· ὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηςός ἐς' ἀεί.

In Græco hîc, ταῦτα πάντα ἦλθεν ἐφ' ἡμᾶς. Simon Magus Act. 8. 24. ad Petrum & Joannem, Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμȣ̃, &c. ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε.

19. *Et declinâſti ſemitas noſtras à via tua*] Nec probationes tuæ fecerunt ut ſemitæ noſtræ à via declinarent tua. Ità Jer. 5. 25. *Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc*: fecerunt ut declinarent, id eſt, non obtingerent nobis: & Eſaiæ 30. 11. *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam.* Exprimitur autem Pſalmiſtæ verbis non parva fortitudo: ad iniquitatem enim declinari ſolet poſt miſeriam. Vide Job. 36. 21.

25. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra*] *Adæquata pulveri*, ut Jerem. 50. 12. Gloria noſtra (ut ſuprà 7. 6.) in pulverem deducta eſt.

Ibid. *Conglutinatus eſt in terra venter noſter*] Effuſa ſunt (ut

Jobi 16. 14. in terra viſcera noſtra: id enim hîc *venter*, vel *anima*, ut in præcedente membro.

PSALM. XLIV.

MUNSTERUS.

DOcet D. Paulus Rom. 8. Pſalmum iſtum intelligendum de veris Iſraëlitis, qui ſunt Chriſtiani, qui tempore primitivæ Eccleſiæ omnia ſunt experti quæ in hoc præcinuntur Pſalmo. Mentiuntur igitur Jehudæi qui hunc Pſalmum de moderna ſuâ captivitate exponendum contendunt, quandoquidem verſus ille, *Cùm iſtud eveniat nobis, non obliviſcimur tui, neque perversè agimus in teſtamento tuo*, nequaquam quadret in eos, ſicut nec reliqui verſiculi ſequentes.

2. *Et feciſti illos mittere radicem*] Verba ſunt Martyrum Chriſti & aliorum Chriſti fidelium, qui perſecutionem patiebantur à Gentibus. Ubi, inquiunt, ſunt, Domine, miracula tua, quæ olim oſtendiſti *patribus noſtris*, quando *expulſis* Chananæis populum tuum in terra eorum *collocaſti*? Nos autem à te deſerimur, & permittis gentes pro voto ſuo graſſari contra nos. Blaſphemamur enim ab eis, ſubſannamur, opprobriis ſaturamur, vertimur *in proverbium* toti mundo, agimur in exſilium, ut habitare cogamur cum *draconibus* in locis horrendis, quæ præ ſe ferunt *umbram mortis*; *interficimur & mactamur quaſi oves*; ſed *in omnibus iſtis non obliviſcimur tui*, neque ad hoc adigimur, quantumlibet inimici noſtri hoc unum à nobis exigant, ut *manus noſtras extendamus ad Deos alienos*: ſcientes quòd cùm tibi placuerit, fortiores futuri ſimus hoſtibus noſtris, conculcantes etiam eos ſub pedibus noſtris.

VATABLUS.

1. *VIctori*, &c. לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſal. 42. ¶ *Priſtinis* קֶדֶם] *Prioritatis*, i. prioribus: q. d. Tempore ipſorum, tempore, inquam, priſco.

2. *Et emiſiſti eos* וַתְּשַׁלְּחֵם] *Et ejeciſti eos*, nempe Chananæos. Alii, *germinare feciſti illos*. Vel, *& feciſti illos mittere*, ſive *projicere*, ſub. *radicem*: nempe patres noſtros: q. d. Feciſti ut patres noſtri propagines ſuas expanderent.

3. *Non ſalvavit eos* לֹא הוֹשִׁיעָה לָּמוֹ] *Non attulit opem illis*: ¶ *Et lux vultus tui* וְאוֹר פָּנֶיךָ] Hebraiſmus pro *auxilio & favore*. ¶ *Complacueras in eis* רְצִיתָם] *Voluiſti eos*. Vel, *diligebas eos*.

4. *Præcipe ſalutes* צַוֵּה יְשׁוּעוֹת] Hebraiſmus, pro, *jube ut ſervetur verus Iſraël*: vel, *eripe verum Iſraëlem de tantis tribulationibus*. Imperativum pro fut. & futurum pro præt. perfecto, ut redditur, à quibuſdam.

5. *Cornu petemus* נְנַגֵּחַ] Futura hujus verſûs & duorum ſequentium per præterita à nonnullis vertuntur, & rectè; vel per præterita imperfecta, *cornu percuſſimus*, *conculcavimus*; vel, *conculcabamus*, *ſperabam*, *ſervabat*, *ſervabas*, *pudore afficiebas*, ut lectori magis loco congruere videbitur: nam antea acta narrat.

8. *In Deo laudabimus* בֵּאלֹהִים הִלַּלְנוּ] *In Deo jactabimus nos*: aut *laudabamus*. Vel per præſens, *in Deo gloriamur*: aut, *Deum laudamus*. ¶ *Et nomini tuo*, &c. וְשִׁמְךָ לְעוֹלָם נוֹדֶה] *Et nomen tuum in æternum celebrabamus*: ſive, *celebramus*.

9. Nunc autem *etiam repuliſti* אַף זָנַחְתָּ] Subaudita ſunt, *Nunc autem*: nam Hebraïcè tantùm legitur, *Etiam repuliſti*. Reticentia autem eſt acſi dicat, *Nunc non ſolùm non audis preces noſtras, ſed etiam repellis nos à conſpectu tuo*. Quidam volunt eſſe præterita pro præſ. Alii vertunt, *Veruntamen repuliſti*. Alii, *At tu longè abes*: vel *deſeruiſti*. ¶ *Et erubeſcere feciſti nos* וַתַּכְלִימֵנוּ] *Et projeciſti nos*. Alii, *& confudiſti nos*: vel, *ignominiâ exponis nos*.

10 *Reverti feciſti nos retrorſum ab hoſte* תְּשִׁיבֵנוּ אָחוֹר מִנִּי צָר] *Convertiſti nos* ut *tergum ab hoſte* eſſet, i. e. vertiſti nos in fugam coram hoſte. Nos hoſti vertere terga cogis. Præterita pro præſentibus, etiam in ſeq. verſibus, ut nonnullis placet.

11. *Ut pecudes cibi* כְּצֹאן מַאֲכָל] *Ut oves eſcæ*: q. d. Reddis nos ſimiles ovibus cibo ſelectis & mactationi deſtinatis: acſi dicat, Partim occidis nos, partim inter Gentes diſpergis.

12. *Vendidiſti* תִּמְכֹּר] Fut. Heb. pro præt. aut pro præſenti, ut quidam vertunt, *Vendis*. ¶ *Nullis divitiis* בְלֹא הוֹן] Ad verb. *in non opibus*: ſive, *pro non opibus*, i. e. nullis opibus, & gratis, nullius pretii nos reputans. ¶ *Neque multiplicaſti*, &c. וְלֹא רִבִּיתָ בִּמְחִירֵיהֶם] q. d. *Vendis populum tuum ità ut rem tuam non augeas*. Alii, *nec multiplicaſti pretia eorum*, ſive *auxiſti* in licitando ſcilicet, cùm diſtraheres eos.

13. *Poſuiſti nos* תְּשִׂימֵנוּ] Vel per præſens, *Exponis nos probro*.

14. *Proverbium* מָשָׁל] *Fabulam*. Hebraïſmus, pro *facis ut fabula ſimus Gentibus*. Alii, *ſimilitudinem*: i. e. Facis ut dicant Gentes de re vili, *Hæc res eſt tam vilis quàm Judæus*. Vel de homine calamitoſo, *illum eſſe infeliciorem Iſraëlitâ*, ſive *Judæo*.

15. *Omni die* כָּל הַיּוֹם *Quotidie*: *Totâ die*. ¶ *Verecundia* כְּלִמָּתִי] *Ignominia*: q. d. Omni tempore ignominia qua afficior verſatur mihi ob oculos, nec poſſum ejus obliviſci. ¶ *Faciei meæ*, &c. פָּנַי כִּסָּתְנִי] i. e. Pudor quo vultus meus ſuffunditur, totam faciem meam occupat.

16. *Probra jacientis* מְחָרֵף] *Exprobrantis*. ¶ *Propter inimicum* מִפְּנֵי אוֹיֵב] Ad verb. *A facie inimicorum*: i. e. propter inimicos qui jactant ſe à te commiſſos, ut de me pœnas ſumant.

17. *Nec mentiti ſumus in pacto tuo* וְלֹא שִׁקַּרְנוּ בִּבְרִיתֶךָ] *Nec prævaricati ſumus in fœdus tuum*. Vel, *Nec perversè egimus in teſtamento tuo*. Alii per præſens, *Nec irritum reddimus fœdus tuum*: aut, *Nec perfidi ſumus in fœdus tuum*.

18. *Non vertit ſe retrorſum* לֹא נָסוֹג אָחוֹר] *Non agitur retrorſum*. *Non retrocedit*. *Non deflexit retro*. ¶ *Neque declinavit* וַתֵּט] Nulla hîc negatio Hebræis, verùm præcedentem negationem repetunt in ſequentibus.

19. *Cùm contriviſti* כִּי דִכִּיתָנוּ] *Cùm contereres*: ut ad ſequentia referatur. Alii, *Nam percuſſiſti nos*: aut, *Licèt attriveris nos*; referentes ad præcedentem verſum. ¶ *In loco draconis* בִּמְקוֹם תַּנִּים] *Locus* pro *regione*: q. d. In regione in qua habitant homines feritate draconibus ſimiles. ¶ *Umbra mortis* בְצַלְמָוֶת] *Umbram mortis* pro *afflictionibus* poſuit *quæ ab homine non facilè ſuſtineri poſſunt*.

21. *Exquireret* יַחֲקָר *Inquireret*, i. e. exploratum haberet diſquiſitione factâ. Alii, *ſcrutabitur*.

22. *Imò propter te occidimur* כִּי עָלֶיךָ הֹרַגְנוּ] q. d. Tantum abeſt ut illa fecerimus ut ſæpè non refugerimus mortem propter te. Alii vertunt, *Quoniam propter*, &c. Alii, *Et quidem propter*, &c. Quidam referentes hæc ad ſeq. v. vertunt, *Cùm ergò propter te occidamur totâ die, reputemurque ſicut*, &c. ¶ *Ad jugulandum deſtinatæ* טִבְחָה] Ad verb. *mactationis*.

23. *Nè repellas*, &c. אַל תִּזְנַח לָנֶצַח] *Nè deſeras in perpetuum*. Alii, *Nè abſis* à nobis *in ſempiternum*.

25. *Incurvavit ſe uſque in pulverem* שָׁחָה לֶעָפָר] *Procumbit* (ſive *decumbit*) *humi*. Alii, *depreſſa eſt* (*aut diclinavit*) *in humum*: ut ſcilicet ſolent qui vi hoſtili proſtrati ſunt in faciem. ¶ *Anima*] Pro *corpore*.

CASTALIO.

2. *CÆteriſque nationibus malo affectis immiſeris*] *Immitti* ſive *ſummitti* dicuntur reſeces, h. e. ſarmenta, quæ cæteris amputatis relinquuntur ut ſint fructuaria. Sic hoc loco Deus excisis Chananæis dicitur Hebræos immiſiſſe ac propagaſſe. Hoc eodem verbo שלח uſus eſt & Ezechiel pro *comam diffundere*, & *materiâ luxuriare*, cap. 31.

CLARIUS.

MEmoratur hoc Pſalmo quibus cogitationibus veri Iſraëlitæ (nam de iis intelligendum eſſe docet Paulus Rom. 8.) moveri nonnunquam ſoleant, libidini impiorum expoſiti, & modis omnibus divexati, reputantes ſecum ut magnificè Deus ſuos olim vindicarit. Dum enim procul abeſſe opem Domini ſentiunt, in mentem eis venit quàm præclarè illis affuerit veteribus. Mentiuntur ergò Judæi, qui hunc Pſalmum de iſta nunc captivitate ſua exponendum contendunt; quandoquidem verſus ille, *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te*, &c. nequaquam quadrat in eos, ſicut nec reliqui verſiculi ſequentes.

2. *Et plantaſti eos*] Nempe Patres. Verba ſunt Martyrum Chriſti, & aliorum fidelium, qui perſecutionem patiebantur à Gentibus. Ubi, inquiunt, Domine, ſunt miracula tua quæ olim oſtendiſti *patribus noſtris*, quando *expulſis* Chananæis populum tuum in eorum terris *collocaſti*? Nos autem à te deſerimur, & permittis Gentes pro voto graſſari contra nos: blaſphemamur enim ab eis, ſubſannamur, opprobriis ſaturamur, vertimur *in proverbium* toti mundo, agimur in exſilium, ut habitare cogamur cum *draconibus* in locis horrendis, quæ præ ſe ferunt *umbram mortis*: *interficimur & mactamur quaſi oves*; ſed *in omnibus iſtis non obliviſcimur tui*, neque ad hoc adigimur, quantumlibet inimici noſtri hoc unum à nobis exigant, ut *manus noſtras*

ſtras extendamus ad Deos alienos, ſcientes quòd, cùm tibi placuerit, fortiores futuri ſimus hoſtibus noſtris, conculcantes etiam eos ſub pedibus noſtris. ¶ *Et expuliſti eos*] Alius vertit, *Et feciſti illos mittere radicem*: ut ſit ſenſus, Afflixiſti populos, & patres noſtros feciſti germinare ſive mittere radices.

5. *Ventilabimus*] Et alii quidem per futurum verterunt; ſed aptius fortaſſe eſt ut de præterito accipiamus, ut ſcilicet ſuperiora facta commemoret, & quæ Deo favente feliciter olim geſſerant.

9. *Et non egrederis*] Non egrederis nunc cum exercitibus noſtris in prælium.

12. *Non fuit augmentum in commutationibus eorum*] h. e. Non es factus ditior ex hac venditione.

18. *Et declinaſti*] Multi negationem præcedentem ſubintelligunt in ſequenti, ſic, *Non receſſit retro cor noſtrum, nec declinavit ſemita noſtra à via tua.*

19. *Humiliaſti nos*] Heb. *contriviſti*, vel, *detruſiſti, nos in locum draconum.*

22. *Quoniam propter te*] Continua ſic, *Si obliti eſſemus nomen Dei noſtri*, meritò iſta nobis evenirent; nunc verò quamvis ſciat Deus nihil in nobis eſſe tale, tamen hæc patimur; *propter te enim occidimur aſſidue.*

LUCAS BRUG.

6. IN *corda inimicorum Regis*] Antiqui Epanorthotæ codices legunt *In corde*. Conſentiunt nonnulli Lindani, nonnulli noſtri: & noſtri quidem, Brugenſis D. Donatiani, Atrebatenſis Collegii alter, Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi textus, & Quenteliana Biblia. In textu Catenæ Franciſci de puteo eſt *in corde*: in margine annotatur aliâ literâ *in corda*. Jacobi editio Pſalterio Gallico tribuit *in corda*; Romano *in corde*: ſed contrà Lobienſis Cœnobii præſtantiſſimus codex, anno Domini 1084. ſcriptus, Romano Pſalterio *in corda*, Gallico adſcribit *in corde*. Tornacenſis S. Martini, anno 1105. ſcriptus, utrique *in corde* tribuit. *In corde* legunt Enarratores, Richelius, Ludolphus, Bruno, Remigius, Haymo, Beda, Caſſiodorus, Auguſtinus, Ruffinus, &, quod ex ejus commentariis Janſenius colligit, Hieronymus. Atque hoc modo eſt Græcè ἐν καρδίᾳ· quæ & Baſilii, Chryſoſtomi, Theodoriti atque Euthymii lectio eſt. Hebraïcè quoque ſingulari numero legitur בלב, ſed quod tam *in cor* quàm *in corde* transferri poſſit. *Græcus quidam*, ut Epanorthotes ait, *habet in corda: eſt autem primis ſtandum*, inquit. Itaque ipſe *in corde* legendum putat: quæ & D. Lindani caſtigatio eſt. Verumenimvero non malè conveniat *in corda* diſtinctioni quæ complurium eſt autorum, Latinorum, Hebræorum, Græcorum, includentium parentheſi, aut *populi ſub te* [Lyr.] aut *populi ſub te cadent* [Baſil. Chryſoſt. Theod. Euthym.] ità ut ſenſus ſit, Sagittæ tuæ acutæ cadent vel immittentur in corda inimicorum tuorum: ſed, quanquam convenire poſſit, non ideo ab Interprete translatum eſt *in corda*. Porrò D. Auguſtinus, Ruffinus & alii non pauci ità exponunt *in corde*, ut *in corda* minùs aptè conveniat: nam parentheſin non agnoſcunt, ſed intelligunt; *Populi ſub te cadent*, corde, quod priùs adverſum te inimicè erexerant, humiliter ſubmiſſo. Chaldæus Paraph. locum explicuit, *Sagittæ tuæ eductæ ad interimendas acies, populi ſub te cadent, & filii arcuum tuorum immittentur in cor odientium Regem.*

12. Latini codices plerique, cum V. Beda & Haymone, legunt *Quoniam ipſe eſt Dominus* [1 MS.] *Deus tuus*. Porrò nonnulli Lugdunenſium libri (quod in Bibliis illi anno 1522. editis notarunt) & Brugenſe ac Lobienſe vetuſtiſſima noſtra lectiſſimaque MSS. demptâ voce *Deus*, ſcribunt, *Quoniam ipſe eſt Dominus tuus*. Quibus concorditer conſtanterque Græca, Hebraïca & Chaldaïca exemplaria volunt: ὅτι αὐτός ἐςι Κύριός σȣ Græca; כי הוא אדניך Hebraïca; ארום הוא רבונך, [רבונך Neb.] Chaldaïca habent. Adſtipulatur D. Hieronymi ex Hebræo verſio, ut certè eſt in Lobienſi & tribus aliis Antigraphis noſtris: quibuſdam enim additur nomen *Deus*, quæ Bredembachius eſt ſecutus. Conjicit Bredembachius ex vi nominis אדניך vertiſſe Hieronymum *Dominus Deus tuus*: ſed eâdem formâ eodemque modo hominibus, etiam ejuſmodi qui Deum repræſentaſſe non videntur, id tributum invenio, Gen. 39. 16. Exod. 21. 4. & alibi. Hieronymi ad Principiam explanatio, ſi quis rectè advertat, tantùm *Quoniam ipſe eſt Dominus tuus* legit. Non plus legit Chryſoſtomus, Græcus enarrator: nec apud Juſtinum & Baſilium, ut Græcè excuſi ſunt, quidquam ampliùs additur. Euthymii commentarius non agnoſcit *Deus* (*Deſponſare illi*, inquit, *& adoptare ab eo. Dominus enim tuus eſt, veluti creator. O immenſam miſericordiam & benignitatem Dei!*) neque Apollinaris carmen,

Αὐτὸς γὰρ καὶ πρόσθε σέθεν κρατέεσκεν ἀνάσσων.

Lobienſe exemplar Romano Latinorum Pſalterio adſcribit *Deus*: Romanum autem ferè conſonat veteri, quod ſecuti D. Auguſtinus, & eorum commentariorum Autor quæ in Hieronymi operibus ſunt, expoſuerunt *Deus*. Et verè hic Rex ſponſuſque Deus eſt, cui paulò antè dicitur, *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi.* Verùm, hoc loco vulgatæ Latinorum editioni *Dei* nomen non additum Epanorthotes docet: *Hebræus, antiqui* (Latini) *& Græcus*, Quoniam ipſe Dominus tuus; *non habent* Deus.

12. & 13. *Et adorabunt eum*] Hæc Latinorum codicum atque Enarratorum lectio eſt: eſt & quorundam Græcorum MSS. illuſtriſſimo Cardinali Gulielmo Sirleto teſte, iiſque qui Argentoratenſium Græca Biblia ad Vaticana contulerunt. Inter Græcos etiam Tractatores Baſilius (cujus etiam Græcum exemplar conſuluimus) & Chryſoſtomus ad hunc legunt modum. Juſtinus quoque Philoſophus, in dialogo cum Tryphone, ad eum recitat modum. Et nè putetur Vulgata Latinorum Verſio, aut quæ ei ſit ſimilis, à Juſtini Interprete aut Correctore ſubſtituta, (id quod in autoribus ex Græco in Latinum verſis ſæpenumero deprehendimus) nos in Græco Juſtini codice id vidimus, quod his etiam verbis annotavit Interpres Perionius, *In noſtris exemplaribus eſt* καὶ προσκυνήσει, *ſingulari numero tertia perſona, in Juſtiniano, numero multitudinis* προσκυνήσȣσι, *quomodo etiam legimus in Vulgata Interpretatione.* Sed dicit, in codicibus noſtris eſſe προσκυνήσει· ego verò duntaxat προσκυνήσεις, ſecunda perſonâ, invenio, ſive in codicibus ſive in autoribus qui quid Græcè legatur notant: imò Chryſoſtomus alterius verſionem eſſe, *Et adorabis ipſum* notat, eam quam Euthymius legit exponitque, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ· ad quem modum Chaldaïcè eſt הכנין לך. Ait porrò Hieronymus in his quæ ad Principiam ſcripſit, *Septuaginta Interpretes non dixerunt* & adorabis eum, *ſed* adorabunt eum, *ut ſit ſenſus, Iſte qui te amaturus eſt, qui tuam pulchritudinem dilecturus, Deus eſt & adorandus ab omnibus.* Hebraïcè eſt והשתחוי לו id quod rectè Aquila, Symmachus & Theodotion, Theodorito teſte, nec non Hieronymus, tranſtulerunt, *Et adora eum*: eſt enim à verbo שחה, ſeptimæ conjugationis imperativus, numeri ſingularis, generis fœminini. *Adorabunt* fortaſſis eſt ex ישתחוו.

Quod ſequitur, *Et filiæ Tyri*, præcedentibus omiſſâ conjunctione jungunt Romanum Pſalterium & Vetus, Auguſtini, Hieronymi, atque Arnobii; hoc pacto. *Et adorabunt eum filiæ Tyri*, quæ & illorum Græcorum D. Sirleti MSS. lectio eſt, προσκυνήσȣσιν αὐτῷ θυγατέρες Τύρȣ, itaque LXXII. Interpretes tranſtuliſſe Hieronymus ad Principiam ſatis indicat: nam, præter ea quæ paulò antè ab eo dicta protulimus, conjunctionem omittit, quanquam dividat ſententiæ iſtius partes. Theodoritus quoque, *Septuaginta*, inquit, *docent Reginam, non ipſum eſſe ſolum Dominum ſponſum, ſed etiam eos qui contradicere audent, cujuſmodi ſunt filiæ Tyri, dona allaturos & ſervitutem oſtenſuros.* Videtur & Apollinaris, qui Pſalterium Græco carmine reddit, hoc modo legiſſe: ſic enim canit,

Καί μιν γȣνάσσαντο Τύρȣ μειλίγμασι κȣ̃ραι,

Atque ipſum Tyriæ donis coluere puellæ.

Sed inprimis Hebraïcè eſt conjunctio & (*& filia Tyri*) tum in impreſſis Græcorum exemplaribus, & Autoribus, Juſtino, Baſilio, Chryſoſtomo atque Euthymio, denique in noſtræ editionis Latinis codicibus; quanquam Brunoni, obeliſco; Brugenſi exemplari & Lobienſi, aſteriſco notetur. Atque ita ſeparatur pars iſta, *Et filiæ Tyri*, à præcedenti (quanquam Hieronymus ad Principiam & Caſſiodorus ſeparent, etiam non lectâ conjunctione) niſi præcedentis verbum ſubaudiendo repetas, aut, cum Beda, Remigio & Brunone, *&* pro *etiam* accipias.

Porrò autem non eſt in Hebraïcis libris, ut nec in vulgatis Græcis, quos tuentur Juſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus atque Euthymius, numero multitudinis *filiæ*, ſed *filia*, ובת צר καὶ θυγάτηρ Τύρȣ. [Manuſcriptum S. Martini *Cethigateres* habet.] Hoc modo qui Latinè legerat, nos quidem codicem nullum invenimus: nam Regium textum ex Græco, ut aliàs, mutatum margo loquitur; & Iſidori Clarii Biblia ex Hebræo variata, ſcholia ſatis indicant: ſed Reverendiſſimus Dominus Janſenius ſuis pleriſque codicibus ità legi teſtatum facit: quamobrem ſic habet textus Paraphraſi ejus conjunctus. Cæterùm annotat Scholiaſtes Hebraïcus, *filia* collectivum eſſe nomen pro populo, ideoque jungi verbo plurali *deprecabuntur*: quanquam Chaldæus Paraph. &, cum Baſilio, Chryſoſtomo ac Theodorito, Euthymius *deprecabuntur* à præcedenti ſeparent, & ad *divites plebis* referant: ſubaudiunt autem Baſilius, Euthymius & Chaldæus in priori *erit* aut *veniet*. *Et filia Tyri*, h. e. Tyrus, ait Euthymius, *erit in muneribus.* Baſilius, *Et filia Tyri veniet aliquando cum muneribus.* Chaldæus interpretatus eſt, *Et habitatores arcis Tyri cum muneribus venient, & vultum tuum manè precabuntur ad domum ſanctuarii tui divites populorum.*

14. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*] Hoc quidam ità intelli-

intelligunt ut *filiæ* ſit nominandi aut vocandi caſûs. Caſſiodorus, *Omnis gloria ejus filiæ Regum ab intus. Vides quemadmodum in Eccleſiæ præconio perſeverat? Gloria eſt ſiquidem Eccleſiæ quando filiæ Principum ſive Juſtorum convertuntur ad Dominum, & ſecretâ ſe cupiunt cordis devotione offerre.* Richardus Pampolitanus, *Sed nè putetis ei placere ornatum exteriorem, videte quid concupiſcat: nam* omnis gloria ejus, ô filiæ Regis, *ab intus; i. e. in teſtimonio bonæ conſcientiæ, ut interiùs ſitis decoræ in virtute*, &c. Fuit autem erroris occaſio pronomen *ejus*, quod aliò referendum exiſtimarunt quàm ad id quod ſequitur, *filiæ Regis:* quanquam Caſſiodorus, depravato eâdem fortaſſis occaſione codice, *Regum* habeat, quo modo eſt in Romano Pſalterio Tornacenſis manuſcripti. Hinc factum eſt quòd quidam, vitandæ obſcuritatis ergò, *filia* cum *filiæ* commutaverint, *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus*, id quod Auguſtinus Steuchus legit ac redarguit. Quia igitur *ejus* orationem & orationis ſenſum interturbat, omittendum eſſe cenſet Jacobus. Et ſanè in quibuſdam libris tollitur, tribus noſtris, uno ſcilicet ab Iſidoro Clario caſtigato, duobus à Pariſienſibus excuſis, & pleriſque D. Janſenii. Nec legitur Græcè, πᾶσα ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως ἔσωθεν. Videtur D. Janſenio, ex Auguſtino in noſtros libros irrepſiſſe; Richardo Cenomano, ex Romana Pſalmodia, vel aliis editionibus, additum eſſe. Verùm quia non tantùm Veteris, quo Auguſtinus eſt uſus, aut Romani Pſalterii, verumetiam noſtri codicibus adeò conſtanter legitur, ut nullum ſit noſtrorum MSS. à quo prætermittatur; quinetiam poſteriores Enarratores, qui noſtro ſunt uſi Pſalterio, Beda, Haymo, Bruno, Lombardus, Thomas & alii concorditer legant; non facilè adduci poſſum ut ab Interprete non verſum eſſe credam. Et quis, obſecro, id addidiſſet quod ſententiam non tantùm non illuſtrat, ut etiam obſcuret quàm maximè? Unum Lobienſis Abbatiæ exemplar in Gallici Pſalterii deſcriptione obelo prænotat; qui, ſi ex Hieronymi caſtigatione remanſit, *ejus* in Lxx. Translatoribus plus haberi ſignificat. Sed nos neque in Græcis libris legimus (ut nec in Græcis Autoribus, Juſtino, Baſilio, Theodorito, Euthymio) neque in Hebraïcis exemplaribus penitus deſideramus. Vertit quidem ex Hebræo Hieronymus (etiam in Commentariis Principiæ ſcriptis, ubi primùm produxerat hanc Lectionem, *Omnes gloriæ ejus, gloriæ filiæ Regis, ab intus*) abſque *ejus*, *Omnis gloria filiæ Regis intrinſecus:* ſed ſi, quod Hebraicè eſt, כבודה legas כְּבוּדָּה, verborum translatio eſt, *Omnis gloria ejus filiæ Regis intrinſecus*: nam כבוד *gloriam*, כְּבוּדָּה *gloriam ejus*, fœminæ videlicet, denotat. Hebraïcis in libris punctatur כְּבוּדָּה, id quod *inclytam* ſeu *glorioſam* interpretantur; *Tota inclyta eſt filia Regis intrinſecus.* Quidam reddunt, *Omnis gloria filiæ Regis intus eſt.* Fortaſſis igitur ex כְּבוּדָּה verſum eſt, quod pleriſque Latinis codicibus legitur, pronomen *ejus*. In Hebraïco ex Portugalliæ Pſalterio exſtat כבוד id quod D. Lindanus notavit. Cæterùm etſi textui non ſuperfluat, certè ſenſui ſuperfluum eſt (id quod & Angelicus Doctor annotavit;) ideoque commodè omittat Translator: eſt enim ſenſus, *Omnis gloria ejus*, nempe *filiæ Regis, ab intus.* Familiare id Hebræis eſt, pronomina quæ ſenſui ſuperabundent addere. Exempla paſſim obvia ſunt. Pſal. 73. 2. *Mons Sion in quo habitaſti in eo.* Pſal. 104. 26. *Miſit Moyſen ſervum ſuum, Aaron quem elegit ipſum*, & cætera hujuſmodi.

18. *Memores erunt nominis tui.*] Sic ſcribunt multi Latini codices: ſic legitur in Veteri & Romano Pſalteriis: ſic habetur in Arnobii, Auguſtini, Caſſiodori, Bedæ, Pampolitani, & Hieronymo adſcriptis Commentariis: ſic denique ſcribitur in quibuſdam Græcis Antigraphis, Illuſtriſſimo Cardinali Sirleto teſte, & nominatim Vaticano. Alii verò Latini libri, iique integritate ſpectatiores, habent, *Memor ero nominis tui*; antiqui Epanorthotæ, 4. Pariſienſium, 4. Hentenii, quinque noſtri, cum Gallorum Pſalterio & Brunonis textu. His volunt Enarratores, Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, (nam Principiæ virgini Pſalmi 44 expoſitionem ſcripſit) Ruffinus, Caſſiodorus, Theodoritus, Remigius, Euthymius, Bruno, Ludolphus, Richelius, F. Pelbertus, P. Herentalenſis. His adde Apollinarem, & Juſtinum martyrem cum Tryphone diſſerentem. Suffragantur eiſdem plerique codices Græci: adſtipulantur Hebraïci. Haymo, Lombardus & Johannes de Paſtura utrumque exponunt. Chaldaïcus textus Regiæ editionis par eſt Hebraïco: qui autem in editione Venetorum eſt, hanc habet paraphraſin, *In tempore illo dicetis*, Memorabimus nominis tui in omni generatione & generatione: cui conſonat Nebienſe Pſalterium, præterquam quòd אדכר, habeat pro נדכר *memorabo* pro *memorabimus.*

Quod deinceps à nonnullis ſubjungitur *Domine* (*Memor ero nominis tui, Domine,*) emendatioribus in libris non legitur; à Tractatoribus non additur; ab Hebraïcis, Chaldaïcis & Græcis exemplaribus non agnoſcitur. Exiſtimat Epanorthotes tum hoc tum illud, *Memores erunt*, ex cantu & verſiculis Apoſtolorum ſumptum eſſe; id quod maximè de iſto *Domine* verum arbitrer: nam alterum ex veteri primùm Pſalterio profluxiſſe videtur. Non igitur ſine ratione D. Lindanus Pſalterium emendavit, *Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem.*

DRUSIUS.

1. בִּימֵי קֶדֶם. ἄλλος, ἐν ἡμέραις ταῖς πρίν· ἄλλος - - - ταῖς ἀρχῆθεν] Ἡ πρὶν ἡμέρα, *dies quæ ante fuit*, ut ὁ πρὶν χρόνος, *tempus prius*, aut etiam *ſuperius:* elegans ſermo. Sic ἡ ἀρχῆθεν ἡμέρα, *dies antiqua.*

2. וַתְּשַׁלְּחֵם. A. καὶ ἐξαπέςειλας αὐτὲς. Sym. καὶ ἐξήλασας αὐτὲς, *expuliſti* (ſive *abegiſti*) *eos*] Thema ἐξελαύνω.

3. וְאוֹר פָּנֶיךָ כִּי רְצִיתָם. Alius, τὸ Φῶς τοῦ προσώπε σε, ὅτι ηὐδόκησας ἐν αὐτοῖς, *lumen vultûs tui, quoniam acceptos eos habes.*

4. צַוֵּה יְשׁוּעוֹת יַעֲקֹב. Sym. ἔντειλαι περὶ τῆς σωτηρίας τοῦ Ἰακὼβ, *manda de ſalute Jacobi.*

5. צָרֵינוּ. Alius, τὲς θλίβοντας ἡμᾶς *affligentes nos*] Puto eſſe Aquilæ interpretationem. Propriè θλίβω *premo.* Idem צור apud Ebræos. ¶ נָבוּס. A. & Sym. συμπατήσομεν, *conculcabimus.*

8. באלהים הִלַּלְנוּ כָל־הַיּוֹם. Alius, τὸν Θεὸν ὑμνῦμεν κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, *Deum hymnis celebrabimus per omnem diem.* ¶ הִלַּלְנוּ A. καυχησόμεθα, *gloriabimur*] Hoc Euthymius Symmacho tribuit per hæc verba, *Pro, Laudabimur, Symmachus dixit, Gloriabimur. Nam qui gloriatur ſeipſum laudat.* Idem aliquantò poſt, *Totâ die, Symmachus, Per omnem diem, dixit; & Aquila, Per totam vitam.* ¶ לְעוֹלָם. Omnes, *ſemper*] Rurſum Euthymius, quem nunc ſequimur, *In ſeculum, omnes alii Interpretes paſſim transferunt, Semper.*

9. אַף־זָנַחְתָּ. Alius, καίπερ ἀπώσω· alius, καίγε ἀπώσω· alius, ἀλλὰ πρὸς τέτες ἀπέβαλες. ¶ וְלֹא־תֵצֵא בְּצִבְאוֹתֵינוּ. Sym. καὶ ἐ προσέρχῃ ἐν τοῖς ςρατεύμασιν ἡμῶν. Euthymius, *Hic etiam tempus pro tempore ponitur, quemadmodum Symmachus reddidit. Nec ſimul egredieris cum exercitibus noſtris.*

10. תְּשִׁיבֵנוּ אָחוֹר מִנִּי־צָר וּמְשַׂנְאֵינוּ שָׁסוּ לָמוֹ. Sym. Ἔταξας ἡμᾶς ἐσχάτες παντὸς ἐναντίε, καὶ οἱ μισῦντες ἡμᾶς διαρπάζεσιν ἑαυτοῖς, *Ordinaſti nos ultimos omnium adverſariorum; & qui oderunt nos diripiunt ſibi.*

11. תִּתְּנֵנוּ כְּצֹאן מַאֲכָל וּבַגּוֹיִם זֵרִיתָנוּ. Idem, Ἔδωκας ἡμᾶς ὡς βοσκήματα βρώσεως, καὶ εἰς τὰ ἔθνη ἐλίκμησας ἡμᾶς, *Reddidiſti nos ut pecus quod comeditur, & in gentes ventilaſti nos*] i. e. Ventilando diſperſiſti.

12. תִּמְכֹּר־עַמְּךָ בְלֹא־הוֹן וְלֹא־רִבִּיתָ בִּמְחִירֵיהֶם. Idem, Ἀπέδε τὸν λαόν σε οὐχ ὑπάρξεως, καὶ οὐ πολλὴν ἐποίησας τὴν τιμὴν αὐτῶν, *Tradidiſti populum tuum abſque ſubſtantia, nec multum æſtimaſti pretium eorum*] *Tradidiſti: vendidiſti.* Poſterius membrum ità convertit olim Th. καὶ ὐκ ἦν πλεόνασμα ἐν τῷ ἀλαλάγματι ἡμῶν. Vide, ſodes, ed. Rom.

13. לַעַג וָקֶלֶס לִסְבִיבוֹתֵינוּ. Sym. προπηλακισμὸν μετὰ χλευασμῦ τοῖς κύκλῳ ἡμῶν, *opprobrium cum irriſione iis qui circum nos ſunt*, קלס. V. ed. & Th. χλευασμὸν. VI. & VII. καταγέλωτα. Alius, πομπήν.

14. תְּשִׂימֵנוּ מָשָׁל בַּגּוֹיִם מְנוֹד־רֹאשׁ בַּלְאֻמִּים. Idem, Ἐποίησας ἡμᾶς παραβολὴν ἐν τοῖς ἔθνεσι, κίνησιν κεφαλῆς ἐν ταῖς Φυλαῖς, *Feciſti nos ut eſſemus parabola in Gentibus, commotio capitis in tribubus*] Κίνησιν. alius μετακίνημα. Vide Rom. ed. *Tribubus:* vel, *populis.* Nam Φυλὴ interdum idem quod Φῦλον, i. e. *populus, gens:* unde συμΦυλέται, *qui ſunt ex eadem natione.*

15. כָּל־הַיּוֹם כְּלִמָּתִי נֶגְדִּי וּבֹשֶׁת פָּנַי כִּסָּתְנִי. Idem, Δι' ὅλης ἡμέρας ἡ ἀσχημόνησίς με ἄντικρύς μου, καὶ ὁ καταισχυμμὸς τοῦ προσώπε με καλύπτει μὲ, *Per totum diem dedecus meum contra me eſt, & pudor vultûs mei operit me*] Alius, ἡ ἀσχημοσύνη με.

16. מִקּוֹל מְחָרֵף וּמְגַדֵּף מִפְּנֵי אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם. Idem, Ἀπὸ Φωνῆς ὀνειδίζοντος καὶ βλασΦημοῦντος, ἀπὸ προσώπου ἐχθροῦ καὶ τιμωροῦντος ἑαυτῷ, *A voce exprobrantis & blaſphemantis, à facie inimici & ulciſcentis ſe*] ΒλασΦημῦντος. ſic etiam Aquila vertit. Euthymius, *Quod hic legimus, Obloquentis, Aquila, Blaſphemantis, dixit.*

17. וְלֹא־שִׁקַּרְנוּ בִּבְרִיתֶךָ. Sym. οὐδὲ παρελογισάμεθα τὴν συνθήκην σου, *neque falsâ argumentatione uſi corrupimus fœdus tuum.*

18. לֹא־נָסוֹג אָחוֹר לִבֵּנוּ. Alius, οὐκ ἀπεχώρησεν. Alius, καὶ οὐκ ἀπεςράΦη ἡ καρδία ἡμῶν. ¶ וַתֵּט אֲשֻׁרֵינוּ מִנִּי אָרְחֶךָ. Sym. οὐδὲ μετεκλίθη τὰ ὑπερβοῦντα ἡμᾶς. Alius, καὶ ἔκλινε βήματα ἡμῶν] Οὐδὲ μετεκλίθη, &c. Hæc verſa reperi hunc in modum, *Non declinata ſunt à via tua ea quæ dirigunt nos. A via tua*, ἀπὸ τῆς ὁδῦ σε.

19. כִּי דִכִּיתָנוּ בִּמְקוֹם תַּנִּים. A. συνέθλασας ἡμᾶς ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ, *contudiſti nos in loco inhabitato:* ἄλλος - - - ἐν τόπῳ σειρήνων,

vun, in loco Sirenum. ¶ וַתְּכַס עָלֵינוּ בְצַלְמָוֶת. A. καὶ ἐπεκάλυψας ἡμᾶς ἐν σκιᾷ θανάτου, *obtexiſti nos umbrâ mortis.* V. ed. ἐπεπώμασας ἡμῖν, *quaſi operculo clauſiſti nobis*] Ἐπιπωμάζω Columella *operculare* dixit. Origo verbi eſt πῶμα *operculum.* Ebraïcè כסוי *operculum vaſis* vel *olla* apud Magiſtros. Radix כסה, quâ hîc uſus eſt Prophetes.

21. יַחֲקָר. A. ἐξιχνιάσει. Sym. ἐξερευνήσει, *inveſtigabit*, *exquiret.*

23. עוּרָה. Alius, ἐξυπνίσθητι. Alius, ἐξύπνισον. ¶ לָמָּה תִישַׁן. Alius, ἱνατί ὡς ὑπνῶν εἶ;

24. תַסְתִּיר. Alius, κρύπτεις, *abſcondis.* ¶ עָנְיֵנוּ. Sym. κακουχίας, *malæ tractationis.* ¶ לַחֲצֵנוּ. Alius, τῆς κακίας ἡμῶν, *vexationis noſtræ.*

25. שָׁחָה. A. κατέκυψεν. Sym. κατεκάμφθη.

26. קוּמָה עֶזְרָתָה לָנוּ וּפְדֵנוּ. Alius, ςῆθι ἀντιλαμβανόμενος ἡμῶν, καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς. ¶ לְמַעַן חַסְדֶּךָ. A. & Sym. διὰ τὸ ἔλεός σου.

AMAMA.

EX hoc Pſalmo apparet Filios Core loqui ſub perſonâ ætatum venturarum & quidem harum (alii Machabaïcarum) quia ipſi fuerunt patres & ipſi viderunt miracula deſerti, Jordanis, maris, pugnæ Joſuæ &c.

A verſ. 1. ad 5. continetur inſignis beneficii Dei erga majores commemoratio.

A verſ. 5. ad 10. eſt precatio qua petunt liberationem.

A 10. ad 18. querimonia de miſero eorum ſtatu.

A 18. ad 24. eſt prædicatio ſuæ conſtantiæ in legitimo cultu.

A 24. ad finem eſt repetitio precationis.

2. ספרו] סָפַר 1. *numerare*, unde סְפִירָה *numeratio*, unde Belg. *Cyffer.* Arabibus כפירה eſt figura nihil ſignificans, οὐδὲν, o *in't cyffer.* 2. *Narravit*, *recenſuit*, 3. *Scripſit*, unde סֵפֶר *liber*, *catalogus*, βίβλος γενέσεως. סֵפֶר דִּבְרֵי שְׁלֹמֹה 1 Reg. Salomo ſcripſit libros de proprietatibus & naturis animalium, herbarum & gemmarum, quos ajunt Alexandrum captâ urbe tradidiſſe Ariſtoteli. Et סֵפֶר רְפוּאָה *liber Medicinæ.* De quo Suidas, *ſcripſit Salomo librum remediorum cujuſcunque morbi*, *veſtibulo templi inciſus.*

Confirmant Thalmudiſtæ, qui dicunt hunc librum vel tabulam evulſam ab Ezechia, quod populus, neglecto Deo, inde ſanationem morborum peteret. Sic enim illi, Ezechias tria fecit laudabilia, גנז ספר רפואות וכתת נחש הנחשת שעשה משה ש.

Tertium non capio, traxit oſſa patris ſui ſuper lecto funium.

קדם] *Ante*, Loci & Temporis. Gen. 2. *Et plantavit Deus hortum in Eden* מִקֶּדֶם. Tharg. מִלְּקַדְמִין *ab antiquo.* Ex Ebræorum ſententia, quia inter 7. creata ante mundum ponunt & Hortum hunc & Gehennam.

מִקֶּדֶם aliquando Orientem verſus. Gen. 13. 11. Ubi Lot proficiſcens Sodomam & ſeparans ſe ab Abrahamo manente in Canaam dicitur profectus מִקֶּדֶם. Sic 1 Sam. 14. 5. מִצָּפוֹן. מִנֶּגֶב Meridiem.

Oriens reſpectu terræ S. Chaldæa & Arabia. קדם *prævenit*, הקדמה Chald. קַמָּא קַדְמָא *primus.* Unde בָּבָא קַמָּא *Capitulum prius.* (proprie porta, שַׁעַר)

3. תְּשַׁלְּחֵם] Alii, 1. *dimiſiſti*, ſc. gentes, Aq. ἐξαπέστειλας, Lxx. ἐξέβαλες, Aq. ἐξήλασας 2. *immiſiſti eos*, ſcil. Patres in terram, ob hemiſtichium prius; 3. *propagaſti.* Metaphora *à vitis*, vel *emittere feciſti*, i. e. feciſti ut patres noſtri inſtar vitium emitterent, producerent palmites. Ezech. 17. 6. וַתְּשַׁלַּח פארות *& emiſit propagines.* Sic & Jer. 17. Et Pſ. 80. תְּשַׁלַּח *emittes palmites ejus uſque ad mare.* Alii, 4. *occidiſti*, ex Job. 36. Sic quidam exponunt illud Gen. 37. 31. וישלחו in Hiſp. veteribus, *gladio ſecuerunt.* Ita & Concord. Meminerunt etiam Kimchi & Maim. Sic שבר ſrum. יכפר ,הקין, הקנה דבר &c.

Afflixiſti] Plagis X. רצ"ך ע"ד"ש ב"אח"ב

I. דָּם ſanguis.

II. צְפַרְדֵּעַ ranæ.

III. כִּנִּים pediculi.

IV. עָרֹב mixtio inſectorum.

V. דֶּבֶר peſtilentia.

VI. שְׁחִין ulcus.

VII. בָּרָד grando.

VIII. אַרְבֶּה locuſta.

IX. חֹשֶׁךְ tenebræ.

X. בְּכוֹרוֹת primogenitura.

רציתם] Lxx. εὐδόκησας ἐν αὐτοῖς. Vulg. *In quo mihi complacui.* Luth. *Een welgevallen hebbe.* B. *In quo acquieſco.* Sic, *In quo valde delector*, *Qui eſt mea ſumma voluptas.*

4. זְרוֹעַ] Et אֶזְרוֹעַ Jirm. 32. 21. Job. 31. 22. Per protheſin τῶ א. Sic אֶזְרָע יְדָא *manus.* אֶדֶם דָּם *ſanguis.* Sic נְמָלָא & אֶגְמַלָּא *camelus.* Sic à מר *Amarus.* Sic à Syr. כַּסְפָּא *argentum*, Ἄσμος apud Euſebium. Vide Gramm. meam 39.

II. *Brachium*, i. e. potentia. Jirm. 17. *Maledictus qui ponit carnem brachium ſuum.* Qui locus collatus cum verſ. ult. Pſal. 2 *Jugulat Judæos.* Exod. 6. *Redimam eos* בזרוע נטויה *brachio extento*, i. e. in magnâ potentiâ. Irati enim quo vehementius percutiant, brachium altè elevant aut ſublimant. Norunt hoc illi qui ſub plagoſis Orbiliis militarunt.

Salvavit] לכו Sic Pſal. 86. 16. הוֹשִׁיעָה לְבֶן אֲמָתֶךָ ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τῆς παιδίσκης σου. Jud. 7. 2. יָדִי הוֹשִׁיעָה לִּי Hinc Matth. 21. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Precatio ad Deum pro Chriſto. *Acclamatio.*

Lux Faciei tuæ] i. e. Per hyp. Facies tua lucida, ſerena; vel Lux quæ provenit à Facie tua K. ישועה כמשלת לאור והצרה לחשך

5. *Præcipe ſalutes Jacob.*] i. e. Omnimodam ſalutem. Ital. *ordina*, Tig. *diſpone*, צִוָּה *diſpoſuit condere teſtamentum*, unde צַוָּאָה *teſtamentum*, διαθήκη. Senſus, Piſc. *Præcipe Saluti Jacobo deſtinatæ, ut veniat ad eum.* Vel, *Manda Angelis ut ſervent Jacobum. Deus per Angelos procurat ſuorum ſalutem.* Hic adducit Genebr. Exod. 23. & 32. Sed ibi intell. Chriſtus, non Michaël Archang. non Metatron. 1. Mach. 9. 55. Ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήγη Ἄλκιμος, καὶ ἐνεποδίσθη τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ ἀπεφράγη τὸ ςόμα αὐτοῦ, καὶ παρελύθη, καὶ οὐκ ἐδύνατο ἔτι λαλῆσαι λόγον καὶ ἐντείλασθαι περὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ.

Vel, *mandas*, i. e. celeriter facis ſalutes, ſalvas Iſraëlem. Nam Mandare & Dicere in Deo non ſemper eſt efficiendum curare, ſed etiam celeriter, prompteque jubendo efficere. Pſal. 33. *Mandaſti & creata ſunt.*

Jacob] i. e. Iſraëlis. Sed rarius uſurpatur. Aliquando ſic & Iſaac uſurpatur, Am. 7. 9. deſtruentur וְנָשַׁמּוּ בָּמוֹת יִשְׂחָק Lxx. ἀφανισθήσονται βωμοὶ γέλωτος. *Aræ Riſus.* Senſus Aræ Iſacidarum. Abram nunquam ita uſurpatur, quia diverſos habuit filios, Iſaac & Iſmael. Iſraëlis filii omnes in fœdere. Tempore Jeroboami nomen hoc anguſtius factum eſt. Poſtea iterum dilatum eſt nomen Juda.

הוֹשִׁיעָה] Hinc *Hoſanna* vel *Oſanna*, hoc Syriacum, illud Ebræum. Hoc ſalva nos, illud σῶσον δή. Suidas, ὡσαννὰ δόξα. Sic & Clemens Alex. Sed quid fiet loco Math. 21. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Ergo Druſius vult ſignificari *ſalutem*, q. d. Salus noſtra τῷ υἱῷ Δαβίδ. Sententia plana Ebræïs, Pſal. 3. ליי׳ הישועה i. e. מיי׳. Sic Ruth 3. ברוכה ליי׳. Melius ut ſit *ſalva* quæſo & conſtrui cum Dat. ex Ebraïſmo. Vide præced.

6. נְנַגֵּחַ] *Cornu petemus*, κερατιοῦμεν. Metaph. à beſtiis cornutis, tauris, arietibus.

Per te] i. e. Tua ope, te nobis animos vireſque ſecundas ſufficiente.

נבוס] *Conculcabimus*, Συμπατήσομεν. Chald. נִכְבּוֹשׁ *ſubjiciemus*, Gen. 1. 28. פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ וְכִבְשֻׁהָ. Vulg. *ſpernemus.* Mendum pro *ſternemus*, niſi reſpexerint ad Græc. ἐξουδενήσομεν pro nihilo reputabimus. ἐξουδενόω ---- & ---- νέω.

Etiam ſignif. *ſprevit* Prov. 27. Animum ſatura תָּבוּס נֹפֶת
וְנֶפֶשׁ רְעֵבָה כָּל־מַר מָתוֹק

Hoſtes noſtros] Ellipſ. præp. עַל, quam Chald. expreſſit כָּל דְּקָמִין עֲלָנָא

Kimchi כאשר ידבר על הגלות ידבר פעם דרך פרט בל׳ רבים פעם
כלש׳ יחיד על ד׳ כלל דרך כלל בלשון יחיד hic vero loq.

7. קַשְׁתִּי à קֶשֶׁת] Signif. & Iridem Gen. 9. 13. *Ecce pono arcum in nube & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* Ejus uſus erat freq. apud Orient.

8. *Pudefeciſti*] i. e. *Irritos feciſti conatus eorum*, inquit Kimchi, הפרת מחשבותם

9. הִלַּלְנוּ] *Laudabimus*, tunc redundat ב in באלהל Alii, *laudabimur*, *gloriabimur.* Sic Tig. Vulg. Lxx. ἐπαινεθησόμεθα.

In te] Chald. in Sermone Domini. Sic Num 18. Ruth 3. Coh. 1.

Sela] Lxx. διάψαλμα. Suid. eſt Melodiæ, & cantus modulationiſque immutatio. Aq. & V. ἀεί, διάπαντος. VI. εἰς τέλος. Jun. *ſummo.* Scindl. Vox Enclitica merrum complens, dictio ſine ſenſu. Nec ſingularem nominis formam, nec ſignif. habet. Chald. לְעָלְמֵי עָלְמִין

10. אַף] Ab. Sunt qui dicunt eſſe ellipſin τῶ ב. ut ſit בְּאַף ſed non eſt certum, inquit, quia non eſt in ſtatu conſtructo ut אף יהוה, & ſi eſſet קַרְנַיִם, tunc היה הא"לף קמוץ.

בְּצִבְאוֹתֵינוּ] A צָבָא Lxx. ἐν ταῖς δυνάμεσιν ἡμῶν.

תכליםנו] Chal. אַכְסְפְתְּנָא

11. אָחוֹר] *Retrò.* Alias *occidens.* Eſ. 9. 12. Aram מִקֶּדֶם; Et Philiſthæi מֵאָחוֹר à retro Tharg. מִמַּעַרְבָא. Lxx. ἀφ᾽ ἡλίου δυσμῶν.

Diripuerunt ſibi] R. Sal. לו בזוז נכסי נו איש לו R. Abr. כבננו & לכו pro לחם.

12. *Dediſti*] Ἔδωκας. *Reddidiſti*, Jirm. 26. *Dabo domum hanc ſicut domum ſicut Silo.*

צאן]

[צאן] *Pecudes, lanigeras*] Inſ. בלא הון נצאן עָתָּה Verſ. 23. pro nihilo, Sic Amos 2. בַּכֶּסֶף pro argento.

[רִבִּית] *Multiplicaſti*) Idem quod הִרְבִּית ut מרבה דברים ט' חטא Et מרבה נשים מרבה מכשפות Quia apud Polygamos &c. מרבה ישיבות מרבה חכמה Sic Multipl. נְבָרִים Mult. גַּנָּבִים unde Fur pro ſervo, Quid Domini facient audent cum talia fures?

Hinc תַּרְבִּית & מַרְבִּית *fœnus*, *uſura*, & רִבִּית Græcis τόκος, hanc licitam eſſe ajunt quidem. At prohibetur etiam Ezech. 18. Levit. 25. 36. *Non accipies ab eo* נֶשֶׁךְ וְתַרְבִּית Ezech. 18. 8. בַּנֶּשֶׁךְ לֹא יִתֵּן וְתַרְבִּית לֹא לָקַח. Sunt qui diſting. נֶשֶׁךְ *fœnus cibi* תרבית *argenti*. Dicitur NESHECH à mordendo R. Bechai, לשון נשך ישך כנחש ואינו כרגע Creditor mordet cum exigit quod non dedit, Debitor mordetur cum reddit quod non accepit.

Sub. הֹון *facultatem*, *ſubſtantiam tuam*, Prov. 10. 3. Chal. קִנְיָנָא ὕπαρξις. *Habentia*, *have*, Aben. הוני

Porro eſt cathachreſis qualis Eſai 55. *Venite*, *emite abſque pecunia vinum & lac.* Jeſ 52. *Gratis venditi eſtis.*

LXX. *Nec fuit multitudo* (πλῆθος) *in commutationibus noſtris.*

16. [בֹּשֶׁת] Sic Dan. 9. verſ. 7. & 8. *nobis pudor faciei*, pro ignominia. Dicitur *faciei*, quia pudefacti in facie rubent. Aliq. *Idolum* ſignif. Hoſ. 9. 10. *Iverunt ad Baal-Phegor & ſeparati ſunt ad idolum* לַבֹּשֶׁת *quia*, inquit Kimhi, *ejus cultores pudeſiunt.* Sic Jirm. 11. 13. *Poſuiſtis altaria* לַבֹּשֶׁת. (unde *Jerubbaal* & *Jeruboſchet.*) Sic & *Mipbletzeth dictum idolum*, 1 Reg. 15. 13. *Rex Aza loco movit matrem ſuam* מִגְּבִירָה, *eò quod fecerat lucum ipſi* מִפְלֶצֶת ſic dictum juxta Kimh. & R. Levi, שהוא מביא פריצות תאוה רבות לעובדיו. Vulg. *Priapum* vertit. Videndus Lyra.

17.] גִּדּוּף. Syr. & Ch. גדף Arab. جدف Syr. מְגַדֵּף *blaſphemus.*

A facie, *propter faciem hoſtis*,] i. e. *Propter* ſimpliciter. قدام Arabicum etiam eſt.

18. [בָּאַתְנוּ] Ab. קאה אלינו quia eſt ex verbis עֹמְדִים

[וְלֹא] *Nec tamen.* Hoſ. 1. 10. *Voca nomen ejus* לֹא עַמִּי *quia vos non amplius eritis populus meus, nec ego Deus veſter*, וְהָיָה *tamen erit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris.*

[בְּרִית] *Fœdus*, οὐκ ἠδικήσαμεν ἐν τῇ διαθήκῃ σου. בְּרִית διαθήκη, Elleniſticè, propriè συνθήκη. Sed ita perpetuo LXX. Unde N. & V. Teſtamentum. Jungitur plerumque cum verbo כָּרַת, *ferire*, *percutere*, *icere fœdus.* Fœdus enim facientes primò mactabant pecudem, deinde tranſibant inter partes pecudis & jurabant, q. d. dividantur membra ejus, fiat ſicut pecus illud qui juramentum hoc violârit. Jirm. 34. 18. *Et dabo viros iſtos qui tranſgrediuntur fœdus meum, qui non ſtabiliverunt verba fœderis quod fecerunt coram me, cum vitulum conciderent in duas partes & tranſirent inter partes ejus, Principes Juda & Princ. Jeruſalem, Eunuchos & Sacerdotes, & omnem populum qui tranſit inter partes vituli. Dabo, inquit, eos in manum hoſtium ipſorum.* Hinc כָּרַת ſimpliciter ita ſæpe ſumitur, 1 Sam. 20. וַיִּכְרֹת יְהוֹנָתָן עִם דָּוִד. Livius lib. 10. primæ Decadis, *Sacerdos feriebat porcum ſilice dicens*; *Sic à Jove feriatur is qui ſanctum hoc fregerit fœdus, ut ego hunc porcum ferio.* Unde Poeta,

Et cæſa jungebant fœdera porcâ.

19. [אַשֻּׁרֵנוּ] Ezech. 27. 6. שן בת אשורים *Ebur filia greſſuum*, i. e. greſſibus tritum & diu in terra defoſſum, hoc enim ſolum ait Plin. eſſe Ebur. lib. 8. cap. 3. Sic *filius vini*, *filius areæ*, *filius arcus*, *filii prunarum.*

[וַתֵּט] Καὶ ἐξέκλινας τὰς τρίβους ἡμῶν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ σου. Alii Cod. οὐκ non declinaſti, legerunt per - תט. Pſal. 9. etiam repetitur negatio de membro in membrum. An etiam de verſu in verſum?

20. [כִּי] *Quamvis.* Joſ. 17. 18. *Tu expelles Cananæum ibi* כִּי רֶכֶב בַּרְזֶל לוֹ כִּי חָזָק הוּא

In loco cetorum] i. e. Mare, i. e. graviſſ. afflictiones ſub. *conjectos.*

[תַּנִּין] *Draconem*, *ſerpentem*, vel terreſtrem, vel, aquatilem. Si *terreſtrem* ſenſus erit, in loco cujus habitatores ſævitiâ æquant vel ſupergrediuntur tyrannos.

21. *Expandimus palmas*] i. e. Adoravimus, Tria ſignificabat. Vide ſupra.

25. [תַּסְתִּיר] Myſt. 2. Theſſ. 2. 7. Antichriſtus ἐνεργεῖται μυστήριον τῆς ἀνομίας. Hypall. Et ponitur pro iniquit. occultâ, perfectâ, altiſſimâque. Joſeph. lib. 1. Belli Judaic. de Antypatro Herodis filio, τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τὶς εἰπὼν κακίας μυστήριον.

26. [שָׁחָה] A שח *depreſſa eſt*, unde שוחה *Propinqua eſt ſepulchro.* Vel reſpicit ad morem pœnitentium vel lugentium. Qui ſe pulvere conſpergere ſolebant, ût de Jobo legitur.

27. [פְּדֵנוּ] A פדה unde פִּדְיוֹן *Redemptio & redemptionis pretium.* Pſ. 49. Excipe 1. Sam. 4. 7. *Reſpondit Mebaſſer & dixit, Fugit Iſraël coram Philiſt. & plaga magna facta eſt* &c. Sic בְּשׂוֹרָה *Evangelium* & *præmium lati nuntii*: 2. Sam. 4. 10. *Dicit David ſe occidiſſe nuntiantem de morte Saulis cum putaret* וַיְהִי לוֹ בְשׂוֹרָה, Tharg. מְתָנָא דִבְסוֹרְתָה. LXX. εὐαγγέλια. Hier. Mercedem pro nuncio. Sic Hom.

Δός μοι εὐαγγέλιον, ἐπεὶ εἴρος &c.

Cicero ad Atticum, *O ſuaves duas Epiſtolas, quibus Evangelia deberi fateor.* Sic Num. 27. 7. קסמים μαντεῖα vertunt Chald. Pagn. *præmia divinationum.*

Miſericordiam tuam] Vulg. *Nomen tuum*, LXX. ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, quia Symb. Miſericordiæ Dei eſt nomen ejus maxime Tetragrammaton Gen. 1. & 2. ad verſ. 4. 32. ponitur Elohim, verſ. 4. denuo Tetragr.

GROTIUS.

13. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum*] In Hebræo: *Vendidiſti populum tuum pro nihilo, neque lucrum feciſti ex pretio eorum.* Adeò contemſiſti populum tuum, ut ſine ullo lucro tuo eos in ſervitutem traderes, modò Moabitis, modò Cananæis, modò Philiſtinis, quæ hiſtoriæ ſunt in libro Judicum. Solent domini quos nullius faciunt ſervos vili vendere, neque tam ſpe lucri, quàm ut liberentur ab inutilibus mancipiis. Diodorus ad hunc locum: πέπρακας ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσι τοῦ μηδενός· τοῦτο γὰρ λέγει ἄνευ τιμῆς, ὡς ἀχρήστους δούλους καὶ οὐδενὸς ἀξίους [*vendidiſti nos gentibus pro nihilo. Hoc vult dicere, Non accepto pretio, velut ſervos inutiles & nihili homines.*] Quod hic eſt in LXX. ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν αὐτῶν, ſignificat *in pretio eorum.* Nam ἄλλαγμα *juxta idioma Scripturarum pretium dicitur*, ait Hieronymus ad 5, Amoſi. Corrupte quidam codices habuêre, ἐν ἀλαλάγμασι [*in barritibus*,] quod vitium in Pſalterium Romanum & Æthiopicum fluxit, & in Auguſtinum, qui vertit *jubilationibus.*

23. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*] Trucidamur ut victimæ.

PRICÆUS.

1. *Eructavit cor meum bonum verbum*] *Eructavit*, quaſi ex pleno fonte. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

——— *& quæ bona dictu Evomeret.*

Ennianum eſt apud Gellium.

5. *Specie tuâ & pulcritudine procede*] Tanquam *ſponſus procedens de thalamo ſuo*, ſuprà 18. 6. *Circumda tibi decorem*, &c. *eſto glorioſus*, *& ſpecioſis induere veſtibus.* Job. 40. 5.

6. *Sagitta tuæ acutæ*]

Spicula de pharetra promis acuta tua.

———*ſequiturque tuo de vulnere ſanguis.*

8. *Dilexiſti juſtitiam*, *& odiſti iniquitatem*] His planè oppoſita illa infrà 51. 5. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem. Iniquitatem* hic intellige falſitatem. Cicero 2. de Finibus, de genere humano, *Omnia vera diligimus*, *id eſt*, *fidelia*, *ſimplicia*, *conſtantia*: *nam vana*, *falſa*, *fallentia odimus*, *ut fraudem*, *perjurium*, &c.

10. *Adſtitit Regina à dextris tuis*] *A dextris*, quia τῷ γυναικείῳ σκεύει, &c. τιμὴν ἀπονέμοντες. 3. Eſdræ 4. 29. *Videbam Apemen*, &c. *ſedentem juxta Regem*, *ad dextram.*

Ibid. *In veſtitu deaurato*, *circumdata varietate*] *Auro*, *veſte*, *gemmis*, *omnique cætero mundo exornata*, ut loquitur Mileſiarum Scriptor.

11. *Obliviſcere populum tuum*, *& domum patris tui*] Gen. 2. 24. & Matt. 25. 5. ubi dicta vide Virgilius,

——— *Amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos*,

Noſter eris. ———

IDEM.

1. *Lingua mea calamus ſcribæ*] Adæquat ſcribæ calamum velociter ſcribentis.

6. *In corda inimicorum Regis*] Subaudi, *penetrabunt.*

9. *Myrrha*, *& gutta*, *& caſia*] Origenes in illud Cantic. *Odor unguentorum tuorum*, &c. *Non uno*, *ſed omnibus ſponſus venit unguentis ornatus. Gutta.* LXX. σταχτή. In Gloſſis, Στακτή, *gutta.* Heſychius, Στακτήν, τὸ ἀπὸ σμύρνης γενόμενον.

Ibid. *A veſtimentis tuis*] Infrà 132. 2.

Ibid. *A domibus eburneis*] LXX. ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων. Ἐλεφάντινα intelligo ἀλάβαστρα μύρου· quò fortè pertinent & Heſychii illa, Ἐλεφάντινα, λευκά.

10. *In veſtitu deaurato*] LXX. ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ. Ἐν ἱματισμῷ (ut 1. Tim. 2. 9.) πολυτελεῖ.

12. *Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus*, *& adorabunt eum*]

 Meliùs

Meliùs Complutenſes, *Dominus tuus, & adorabis eum.* LXX. autem, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ κύριός σου, ſequentibus omiſſis.

PSALM. XLV.

MUNSTERUS.

TAm ſecundùm Hebræos quàm Chriſtianos hic Pſalmus agit de Meſchia, etiamſi quibuſdam videatur exponendus de Salomone, qui typus fuit Chriſti. Unde titulus habet, *Canticum amorum*, quia Dominus dilexit Salomonem, ſuppeditavitque illi ſummam pacem & indicibiles opes, & affluere eum fecit magnis deliciis, dilatavitque terminos imperii ejus: in quibus omnibus præfiguratum eſt Regnum Chriſti unicè Deo dilecti, per quem & nobis omnia obveniunt bona. Porrò vocabulum ששנים, quod in titulo ſcribitur, putant ſignificare inſtrumentum muſicum.

1. *Eructavit*] Kimhi exponit verbum רחש per הוציא *eduxit* & הגיה *vocaliter protulit.* ¶ *Dico ego opera mea Regi*] Intelligitur per *opera* carmen ipſum in honorem Regis dictatum.

2. *Pulcrior factus es*] Incipit hic laudare Regem, commendatque eum in primis ab elegantia formæ & gratia eloquentiæ. Chald. *Pulcritudo tua, Rex Meſchia, excedit filios hominum, & datus eſt ſpiritus propheticæ in labiis tuis*, &c.

3. *Cinge gladio tuo*] Hic commendatur à fortitudine.

4. *In magnificentia tua proſperè age*] Prædicat hic Propheta Salomonis, & in Salomone Chriſti, Regnum feliciter ſucceſcens, quippe quod ad fines uſque orbis dilatatum eſt. Quomodo? Inſedit Apoſtolis veluti *equo*, & expugnavit orbem *verbo veritatis, manſuetudinis & juſtitiæ*, ſicut Zach. 6. clariùs habes.

5. *Sagittæ tuæ peracutæ*] Commendatur cum mutatione perſonæ ab efficacia verbi. *Penetrabiliora* enim *ſunt verba Dei omni gladio ancipiti.*

6. *Solium tuum, ô Deus*] Hic expreſſe vocatur Meſchias *Deus*. Sed Jehudæi ſic hunc pervertunt locum, ut ſuum tueantur errorem, *Solium tuum præparavit Deus:* aut, *ſolium tuum, ſolium Dei.*

7. *Præ conſortibus tuis*] Hi *conſortes* ſeu *ſocii* fuerunt Reges, Prophetæ & Sacerdotes, quorum omnium officia in uno Chriſto convenerunt: ſed nullus fuit illi ſimilis, quippe qui etiam poteſtatem habuit in terris dimittere peccata, & cujus Regnum eſt æternum, & qui unico ſacrificio totius mundi expiavit peccata. Hic igitur unctus à Deo Patre lætificavit omnes juſtos. *Vidit Abraham* in ſpiritu, *& gaviſus eſt.*

8. *Myrrham, aloen*] Commendatur hic à ſuavè olentibus veſtimentis, ex quorum fimbriis tanta proceſſit efficacia ut nulli non morbi eorum attactu curarentur. Et fortaſſis humana ipſa natura indumentum fuit Chriſti, ex virginea educta aula. Porrò Hebræam vocem *kezia* Kimhi dicit quoſdam exponere per קדה *caryophyllus:* alii aliud putant eſſe aroma.

9. *Filiæ Regum*] Habent hic Hebræi craſſiſſimum intellectum, qui hæc verba ad literam intelligunt de filiabus Regum, quas Reges Gentium certatim mittent ad Meſchiam, ſed ille unam, nempe quam eliget ex populo Iſraëlitico, præ omnibus puellis deliget. Nos hæc in Spiritu dicta accipimus de Eccleſia, unica & prædilecta ſponſa Chriſti, quæ omnibus modis Chriſti contendit ſequi veſtigia.

16. *Pro patribus tuis*] Chriſti *filii* ſunt Apoſtoli; ad quos dixit, *Filioli mei, adhuc modicum tempus vobiſcum ſum:* & hi verè *Principes terræ loco Patrum*, Regum & Prophetarum, *ſunt conſtituti.*

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super Soſannim* על ששנים] Hebræa vox ſignificat *lilia*. Hic verò nomen eſt muſici inſtrumenti: vel principium cantici alicujus vulgaris apud Hebræos ad cujus modulos decantatus fuit iſte Pſalmus. ¶ *Filiorum Corah* לבני קרח] Genitivus iſte jungitur primæ dictioni, *Victori*, ſive *Præfecto filiorum Corah*, ut illum curaret ab illis decantari. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Canticum amorum* שיר ידידת] *Carmen dilectionum:* i. e. amatorium carmen, ſive de amato. ¶ *Eructat* רחש] Præt. Heb. pro præſ. i. e. Ebullit: q. d. Præclarum quidpiam geſtit dicere cor meum. ¶ *Dico ego opera mea Regi* אמר אני מעשי למלך] Iſtum Hebraïſmum ſic exponunt nonnulli, *Cenſeo ego opus meum*, i. e. carmina mea, *dicari debere Regi*, i. e. ſcribenda eſſe de Rege ipſo. Vel, *Dico ego, Opus meum erit de Rege*; ut ſit dativus pro ablativo: ut illud Gen. 20. 13. אמרי לי *Dic mihi*, i. e. de me. Alii, *Quod dicam, erit de Rege.* ¶ *Velocis* מהיר] *Expediti: properantis*, i. e. velociter & expeditè ſcribentis.

3. *O potens* גבור] *O heros*, vel, *fortis heros.* Dictio Hebræa ſignificat *virum fortem & bellicâ virtute potentem.* ¶ *Gloria tua*, &c. הודך והדרך] *Decus tuum & ſplendorem tuum*, vel, *magnificentiam tuam.* Per appoſitionem dictum, i. e. quo gloriam & decus tibi pares. Alii, *gloria tua & decus tuum* eſt. Alii, quo *decus tuum & ſplendorem tuum exſeras.*

4. *Et in decore tuo proſperè age* והדרך צלח] *Cum ſplendore tuo feliciter ingreditor:* q. d. Adveni, regnum auſpicaturus cum ſplendore & magnificentia. Alii, *Nam decus tuum eſt perrumpere*, ſub. *Gentes:* id enim etiam ſignificat dictio צלח, *perrumpere, pervadere, ſuperare:* q. d. Hoc tibi decus immortale conciliabis ſi adieris Gentes & pervaſeris, quæ Deum non norunt. ¶ *Equita ſuper verbum veritatis, & manſuetudinis & juſtitiæ* רכב על דבר אמת וענוה צדק] i. e. Perfer citò ad Gentes verbum quod docet veritatem, &c. Alii, *inequita propter verbum veritatis & manſuetudinis juſtitiæ*, &c. ut ſint hæc cauſa hujus ſplendoris & ſucceſſus. Quidam, *equita propter veritatem & afflictionem juſtitiæ*, i. e. defenſurus fidem populi, & afflictam ac depreſſam juſtitiam. ¶ *Docebit te terribilia* ותורך נוראות] Hebraïſmus, pro, *mirabilia perpetrabit dextera tua.* Alii explicant, *Docebit te fides ſcilicet, manſuetudo & juſtitia, ut per dexteram tuam tam præclara deſignes facinora.* Nonnulli, *Videbis tantum ſucceſſum adfore dexteræ tuæ ut mirabilia ſis perpetraturus.*

5. *Cadent* יפלו] Verbum iſtud repetendum, *Sagittæ cadent in cor*, &c. *Et populi cadent.* ¶ *Inimicorum Regis* איבי המלך] Perſonæ mutatio, pro *inimicorum tuorum.*

6. *In ſeculum & ſeculum* עולם ועד] *In ſeculum & uſque.* Alii, *in ſempiternum & perpetuo.* Alii, *perpetuum eſt & ſempiternum.* ¶ *Virga* שבט] *Sceptrum.*

7. *Diligis* אהבת] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Impietatem* רשע] *Improbitatem.* ¶ *Propterea unxit* על כן משחך] *Propterea quòd unxit.* ¶ *Præ participibus tuis* מחבריך] *Præ ſociis*, vel *ſodalibus tuis.*

8. *Caſia, omnia veſtimenta tua* קציעות כל בגדתיך] Caſiam aromaticam & ligneam intelligit. Quidam vertunt *flexuræ* (vel *plicæ*) *omnium veſtimentorum tuorum*, ſecuti Aven-Ezram Hebræum doctiſſimum, quòd dictio קציעות ſubjecta ſit præcedentibus duabus dictionibus, *myrrha & aloe*, ſine conjunctione. Quanquam ſolet plerumque Scriptura duabus vocibus conjunctione connexis tertiam ſubjicere abſque conjunctione, quæ tamen nihilo minùs ſuperioribus cohæreat, acſi cum conjunctione eſſet adjecta. Sic v. 4. ſubſtantivum *juſtitiæ* ſubjectum eſt dictionibus *veritatis* & *manſuetudinis.* Dicit igitur *flexuras* ſive *plicas omnium veſtimentorum* Chriſti *circumquaque redolere myrrham.* ¶ *Ex ædibus eburneis* מן היכלי שן] *E palatiis eburneis*, ſub. *extracta.* Alii, *ex Tabernaculis eburneis. Palatia* ſive *tabernacula* vocat magnas arcas in quibus reponuntur veſtimenta. ¶ *Lætificaverunt te* שמחוך] Sub. *qui ea tibi donarunt.*

9. *Inter honorabiles tuas* ביקרותיך] Sunt *in inclytis tuis*, i. e. inter uxores tuas inclytas ſunt non paucæ quæ à Regibus ducunt originem. Alii, *in pretioſitatibus tuis*, vel, *in magnificentiis tuis:* i. e. adſtant tibi ornatæ mundo pretioſo & magnifico quo eos condecoraſti. ¶ *Conjunx* שגל] *Concubina.* Plures uxores habuit Salomon, quas hîc *Regum filias* vocat, præcipua verò fuit filia Pharaonis, quam hîc vocat שגל ab actu conjugii, ut quæ præcipuum cum Rege dormiendi jus habuerit. ¶ *In auro Ophir* בכתם אופיר] Hebraïſmus, pro *ornata veſte pretioſiſſimâ confectâ ex auro quod affertur ex Ophir.*

11. *Decorem tuum* יפיך] *Formam tuam: pulcritudinem tuam.* ¶ *Et incurva te ei* והשתחוי לו] *Et adorabis ipſum:* vel, *& ſupplex ei eris.*

12. *Et filia Tyri* ובת צר] Collectivum nomen eſt *filia* pro *populo*; propterea verbo plurali *deprecabuntur* jungitur: q. d. Tyrii alienigenæ allatis muneribus cupient tecum inire amicitiam, etiam qui in populo Iſraëlitico divites ſunt.

13. *Tota inclyta eſt filia Regis intrinſecus* כל כבודה בת מלך פנימה] *Omnis gloria filiæ Regis intus eſt:* i. e. quòd in interiore regia ſedet cum Rege. Alii, *Omnis dignitas filiæ Regis* quòd *intima eſt*, i. e. in intima regia ſedet. ¶ *Ex veſtibus auro ocellatis* ממשבצות זהב] *Ex texturis auri*, vel *ex intertexto auro.*

14. *In veſtibus Phrygionicis* לרקמות] *Veſtibus acu pictis induta.* ¶ Quæ *poſt eam* אחריה] i. e. pediſequæ. ¶ *Proximæ ejus* רעותיה] *Sodales ejus.*

17. *Memorare faciam* אזכירה] *Memorabo: Memor ero nominis tui.* Alii, *Commemorabo gloriam tuam.* ¶ *In ſeculum & perpetuò* לעולם ועד] *In æternum & ſemper*, ut ſuprà v. 6.

CASTA-

CASTALIO.

5 IN *hoſtium Regis corda dirigendo*] *Regis*, i.e. Tuorum.

16. *Parentibus tuis ſuccedent tui liberi*] In Hebræo relativa ſunt maſc. generis, ſed referenda ſunt ad *Reginam:* cujuſmodi relativorum tranſitus ſæpe accidit, ut in Jer. 11. declaramus. Talia invenies etiam Num. 27, & 36. Nam ſi hæc ad *Regem* referas, erit frigida ſententia; ad *Reginam* verò, aptiſſima, & ad id conveniens quod dixerat, *patriam domum ei eſſe obliviſcendam.*

CLARIUS.

TAm ſecundùm Hebræos quàm Chriſtianos hic Pſalmus agit de Meſſia, etiamſi quibuſdam videatur exponendus de Salomone, qui typus fuit Chriſti. Unde titulus habet, *Canticum amorum*, quia Dominus dilexit Salomonem, quem etiam *Jedidia*, h.e. *Dilectum Domini*, à Propheta Nathan vocatum legimus 2 Reg. 12. Hanc verò dilectionem Dominus abunde declaravit, dum eum opibus & ſapientiâ cunctis Regibus terræ auguſtiorem fecit, in quibus omnibus præfiguratum eſt Regnum Chriſti unicè Deo dilecti, per quem & nobis omnia obveniunt bona.

1. *Eructavit*] Primi duo verſus procemii loco ſunt, poſt quos aggreditur narrationem. Ait ergò, Erumpit ex corde meo ſermo optimus, quem unà cum reliquis operibus meis dedico Regi.

2. *Specioſus formâ*] Jam laudare incipit Regem, & primùm à dignitate formæ, ut & Scriptura Joſeph, & Homerus Hectorem & Achillem, & Virgilius Æneam; deinde à gratia eloquentiæ. Chaldæus hunc locum ſic vertit, *Pulcritudo tua, Rex Meſſia, excedit filios hominum, & datus eſt ſpiritus prophetiæ in labiis tuis.* Porrò illud *propterea* aliqui volunt poſitum pro *propterea quòd:* ſic enim dictionem Hebræam & hic & aliis multis Scripturæ locis ſolere accipi.

3. *Accingere gladio tuo*] Perſequitur reliquas virtutes, & ſucceſſum ac ſplendorem Regni.

4. *Et ob decorem tuum*] Honorem virtutibus tuis debitum aſſecutus, tenta quicquid volueris; proſperrimè enim cedet tibi: vehêris prædicatione fidei & manſuetæ juſtitiæ; deſignabit ſtupenda dextera Divinitatis tuæ, quæ ſummo tibi erunt honori. Deſcribit ergò hic in Salomone Regnum Chriſti feliciter ſuccreſcens, quippe quod ad finem orbis dilatatum eſt. Inſedit enim Apoſtolis veluti *equo*, & expugnavit orbem *verbo veritatis, manſuetudinis & juſtitiæ*, tanquam quadrigæ cuidam inſidens, ſicut Zacharias ſexto clariùs habet.

5. *Sagittæ tuæ acutæ*] Commendatur cum perſonæ mutatione ab efficacia Verbi. *Penetrabiliora* enim *ſunt verba Dei omni gladio ancipiti.* Sit autem is ordo, *Sagittæ tuæ acutæ cadent in corda inimicorum Regis: populi ſub te erunt*, vel *ſupplices tibi fient:* ut illud *cadent* referatur & ad *ſagittas caſuras in corda inimicorum*, & ad *populos ſubjiciendos.* Quòd verò ait *inimicorum Regis*, ſubita eſt perſonæ mutatio familiaris Prophetæ.

6. *Sedes tua, Deus*] Regem appellatione *Dei* ornavit: ex quo animos in ipſum Servatorem ſubducere voluit. Sed Judæi (ut ſolent) verentes nè dicamus hic Chriſtum noſtrum *Deum* vocatum, ut ſuum tueantur errorem, perverterunt hunc locum ſic, *Solium tuum præparavit Deus*, vel *Solium tuum ſolium Dei.*

7. *Unxit te Deus*] Ait Chriſtum *unctum fuiſſe oleo fragrantiore quàm omnes participes* ſive *ſocii ejus.* Hi fuerant Reges, Prophetæ & Sacerdotes, quorum omnium officia in uno Chriſto convenerunt; ſed nullus fuit illi ſimilis, quippe qui etiam poteſtatem habuit in terris dimittendi peccata, & cujus regnum eſt æternum, & qui unico ſacrificio totius mundi expiavit peccata. Hîc igitur unctus à Deo Patre, non, ut alii Reges, ab hominibus, lætificavit omnes juſtos. *Vidit Abraham illum in ſpiritu, & gaviſus eſt.*

8. *Myrrha & gutta & caſia*] *Gutta*, pro qua alii verterunt *aloen*, Græcis *ſtacte* dicitur. Humor eſt quidam qui à Myrrha ſtillat; unde *gutta* nomen accepit. Omnis autem ſtilla ſeu gutta (ait M. Baſilius) deorſum fertur, & ad inferiora delabitur. Dum igitur *myrrham & ſtacten* provenruras dixit *à veſtimentis* Divinitatis Chriſti, i.e. à corpore & ab anima ejus, quid aliud quàm corporis mortem abſque corruptione, & animæ ad inferos deſcenſum ſignificat? *Caſia* etiam cortex quidam eſt odoratiſſimus. Per *caſiam* igitur ſuaviſſimum Dominici corporis odorem ſignificat, quòd naturâ ipſâ optimi erat odoris, eò quòd ſine peccato ſemper fuerit. Commendatur ergò hic à ſuavè olentibus veſtimentis, ex quorum fimbriis tanta proceſſit efficacia ut morbi eorum attactu curarentur. ¶ *A domibus eburneis*] Videtur intelligendum de repoſitoriis veſtium eburneis.

9. *Filiæ Regum inter honorabiles tuas*] Habent hîc Hebræi craſſiſſimum intellectum, qui hæc verba ad literam intelligunt de filiabus Regum quas Reges Gentium certatim mittent ad Meſſiam; ſed ille unam, nempe quam eliget ex populo Iſraëlitico, præ omnibus puellis diliget. Nos hæc in Spiritu dicta accipimus de Eccleſia, unica & prædilecta Sponſa Chriſti, quæ omnibus modis Chriſti contendit ſequi veſtigia. Una ergò eſt, tametſi ex omnibus gentibus congregetur. Quod verò ad literam pertinet, ex uxoribus Salomonis præcipua fuit filia Pharaonis, quam vocant *Contoralem*, ut quæ præcipuum dormiendi cum Rege jus habuerit. Hanc ornamentis aureis, reliquas pretioſo mundo Rege digno & à Rege ſubminiſtrato decoratas, canit. Quia autem hæc contoralis erat alienigena, hortatur eam ſequenti verſu, *Audi, filia*, &c. ut ſcilicet probè intelligat quæ ille de vera Dei bonitate cultuque tradebat.

12. *Et filia Tyri*] Græcus etiam ſic habet, καὶ θυγάτηρ Τύρου. *Filiam Tyri* pro *Tyro* ponunt, ſicut *filiam Sion* pro *Sion.* Hiram autem Rex Tyri peculiari amicitiâ junctus fuit Salomoni. Tyrus ergò & opulentiſſimi quique populi, quales Ægyptii, Syri & Sabæi erant, muneribus te certatim honorabunt.

13. *Omnis gloria filiæ Regis*] Varius erit ornatus Reginæ Regis illius, ſed non omnium oculis expoſitus: animi enim magis erit quàm corporis: veſtis illius auro intexta erit artificioſiſſime. Quod ad filiam Pharaonis pertinet, promittitur ei fore ut in interiore regia ſemper aſſideat Regi proxima, aureis veſtibus ornata, & intus in ejus cubiculo, quod aliis non licebat niſi certis temporibus adire, perpetuò verſetur.

14. *Et virgines poſt eam*] Virgines proximæ ac ſodales ejus comitabuntur eam, & adducentur ad te, ô Rex.

16. *Pro patribus tuis*] Chriſti *filii* ſunt Apoſtoli: ad quos dixit, *Filioli mei, adhuc modicum tempus vobiſcum ſum:* & hi *loco Patrum*, Regum & Prophetarum, *conſtituti ſunt*, & verè *Principes terræ* poſiti. Hæc enim, quæ in Salomone adumbrata ſunt, præcipuè in Servatore Chriſto impleta fuerunt: imò quædam non niſi in Chriſtum quadrant, ut quæ de ſempiterno Regni ſucceſſu ſunt, & ea quæ habet verſus ultimus.

17. *Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione*] h.e. Per ſecula omnia. ¶ *Propterea populi confitebuntur tibi in ſeculum & in ſeculum ſeculi*] Quis ſanæ mentis hæc tribuat Salomoni? Succeſſor ejus filius meliorem Regni partem amiſit; & demum omni dignitate genus illud ſpoliatum eſt. Hujus Pſalmi, ut qui ad Chriſtum referatur, meminit epiſtola ad Hebræos cap. 1.

DRUSIUS.

1. לַמְנַצֵּחַ עַל־שֹׁשַׁנִּים לִבְנֵי־קֹרַח מַשְׂכִּיל שִׁיר יְדִידֹת. A. Τῷ νικοποιῷ ἐπὶ τοῖς κρίνοις τῶν υἱῶν Κορὲ ἐπιστήμονος ᾆσμα προσφιλίας, *Victoriæ autori de liliis filiorum Core ſcientis canticum amabile*] Ἆσμα προσφιλίας, i.e. προσφιλές. Sym. Ἐπινίκιον ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν τῶν υἱῶν Κορὲ, συνέσεως ᾆσμα εἰς τὸν ἀγαπητὸν, *Epinicion pro floribus filiorum Core, intelligentiæ canticum in dilectum:* alius, τοῖς ἠγαπημένοις, i.e. *amatis*, ſive *dilectis.* Hier. epiſt. 140. *Sym. more ſuo manifeſtius, Triumphum pro floribus, interpretatus eſt.* Malim *triumphale pro floribus.* Nam ἐπινίκιος, *triumphalis, victorialis.* Rurſum Hier. SOSANNIM *in Lilia transfertur & Flores.* Rectè, transfertur: ſed an bene? Viderit qui ſic vertit. Hier. Ezec. 48. pag. 492. *ſive, ut interpretatus eſt Aquila, Pro Liliis, Symmachuſque, Pro Floribus.* Baſilius in homiliis, עַל שֹׁשַׁנִּים. A. Th. ὑπὲρ τῶν κρίνων. SOSANNIM, *lilia*, à foliorum *ſenario numero*; unde *Suſæ* dictæ. Athenæus lib. 12. Κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσά φασιν διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου· σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. Idem ſcribit Stephanus in voce *Suſæ* Σοῦσα. Hinc etiam σούσινον μύρον, *unguentum ſuſinum* ſive *lilinum.* Suidas, Σούσινον, τὸ μύρον, ἢ τὸ κρίνον. Lego, Σούσινον μύρον. Σοῦσον, τὸ κρίνον. Neque Græca vox eſt, ut Athenæus exiſtimat, ſed Perſica, etiam Phrygia. Magnum Etymologicum, Σοῦσον, τὸ κρίνον ὑπὸ Φρυγῶν λέγεται. Græci autem à Perſis eam acceperunt, ut innumeras alias voces, de quibus aliquando edemus librum peculiarem, ſi Deus volet. Idem Etymologicon, Σοῦσα, ἡ πόλις, ἀπὸ τῶν περιπεφυκότων κρίνων· σοῦσα γὰρ τὰ λείρια λέγεται. Quid λείρια; In Lexico Conſtantini, *Suſa, flores, apud Phœnicas.* Id Græcè legitur in Etymologico, τὰ λείρια ὑπὸ τῶν Φοινίκων. Malim ergo, *Suſa, lilia, apud Phœnicas.* Sed ἐπέχω. Nam Pollux notat omne genus florum λείρια ab Homero nominari. Addam pro corollario, λείρια, *lilia*, ut κρίβανος, *clibanus*, quòd & κλίβανος. Nam hæ literæ alternant. ¶ רָחַשׁ לִבִּי דָּבָר טוֹב. Sym. Ἐκινήθη ἡ καρδία μου λόγῳ ἀγαθῷ, *Commotum eſt cor meum verbo bono:* ἄλλος, ἐξείρπυσεν. - - - ¶ מַעֲשַׂי. Alius, τὰ ποιήματά μου. ¶ לְשׁוֹנִי עֵט סוֹפֵר מָהִיר. Sym. ἡ γλῶσσά μου ὡς γραφεῖον γραφέως ταχινοῦ, *lingua mea ut ſtylus ſcribæ velocis.* Aq. σχοῖνος - - -

2. יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם. A. Κάλλει ἐκαλλωπίσθης παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Sym. Κάλλει καλὸς εἶ παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. In ed. Rom. ἐκαλλωπίσθης ἀπὸ υἱῶν ἀνθρώπων. Prius exſtat in Baſilio, hom. in hunc Pſal. pag. 185. Καλλωπίζομαι, *honeſtor*, *ornor*, *comor*. *Pulcritudine*, inquit, *ornatus es ſupra filios hominum*. ¶ הוּצַק חֵן בְּשְׂפְתוֹתֶיךָ. Alius, ἀνεχύθη χάρις τοῖς χείλεσί σου. ¶ עַל־כֵּן. Alius, ἐπὶ τούτῳ.

3. חֲגוֹר חַרְבְּךָ עַל־יָרֵךְ. Alius, Ζῶσαι μάχαιράν σου ἐπὶ μηρὸν, *Accinge gladium tuum femori*: alius, Περίθου ὡς μάχαιράν σου ἐπὶ μηροῦ, *Circumpone ut gladium tuum femori*. ¶ הוֹדְךָ וַהֲדָרֶךָ. Alius, τὸν ἔπαινόν σου καὶ τὸ ἀξίωμά σου, *laudem tuam & amplitudinem tuam*. Alius, ἐπὶ δοξότητί σου καὶ διαπρεπείᾳ σου] Διαπρέπεια, *decor*, τὸ διαπρεπές.

4. צְלַח. Alius, πρόκοπτε, *procede*] In virtute, ſive ad virtutem. ¶ וְתוֹרְךָ נוֹרָאוֹת יְמִינֶךָ. Alius, καὶ φωτίσει σε ἐπὶ φοβερὰ ἡ δεξιά σου. Alius, ὑποδείξει σοι, *oſtendet tibi*] Καὶ φωτίσει σε, ותאירך.

5. בְּלֵב אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ. A. & Sym. κατὰ καρδίας οἱ ἐχθροὶ τοῦ βασιλέως· *ſecundum cor inimici Regis*.

6. כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים עוֹלָם וָעֶד. Sym. Ὁ θρόνος σου, ὁ Θεὸς, αἰώνιος καὶ ἔτι, *Thronus tuus*, *ô Deus*, *æternus & adhuc*. Aquila verò pro ὁ Θεὸς retulit Θεὲ, i. e. *Dee*. A. Ὁ θρόνος σου, Θεὲ, εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι· σκῆπτρον εὐθύτητος σκῆπτρον βασιλείας σου, *Thronus tuus*, *ô Deus*, *in ſeculum & ultra*; *ſceptrum rectitudinis ſceptrum regni tui*. Ex Euſebio. Vide Hier. epiſt. ad Principiam virginem.

7. עַל־כֵּן. Alius, ἐπὶ τούτῳ. A. Ἠγάπησας δίκαιον, καὶ ἐμίσησας ἀσέβημα· ἐπὶ τούτῳ ἤλειψέ σε, Θεὸς, ὁ Θεός σου ἔλαιον χαρᾶς ἀπὸ ἑταίρων σου. Euſeb. Ἀποδείξ. lib. 4.] Legerim, Θεὲ, ὁ Θεός σου. Sic apud Hier. Auſim reponere, *Dee Deus meus*, pro eo quod in editis vulgò, *Deus Deus meus*. Rei firmandæ ſunt verba illa, *Unde & Aquila ELOHIM verbum Ebraicum non nominativo caſu ſed vocativo interpretatur*, *dicens*, Θεὲ, *& nos propter intelligentiam* DEE *poſuimus*, *quod Latina lingua non recipit*. Hæc Hier. in epiſt. ad Principiam. ¶ שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן. Alius, ἐλαίῳ ἀγλαϊσμοῦ] Laudat Chryſoſtomus, & addit, ὁ δὲ Ἑβραῖος, Σασὼν, τουτέστι καλλωπισμοῦ, δόξης, κόσμου. Ἀγλαϊσμὸς, idem quod ἀγλάϊσμα, ſign. *oblectamentum*, *ornamentum*, *honeſtamentum*, ab ἠγλάϊσμαι primâ præt. τοῦ ἀγλαΐζομαι, *ornor*. Sign. etiam *ſplendeo*, *niteo*: unde potiùs ἔλαιον ἀγλαϊσμοῦ, quod nitidam faciem reddat. ¶ מֵחֲבֵרֶיךָ: Sym. παρὰ τοὺς ἑταίρους σου, *præ ſociis tuis*.

8. כָּל־בִּגְדֹתֶיךָ. Alius, εἰς τὸν ἱματισμόν σου. Alius, πάντα τὰ ἱμάτιά σου, *omnia veſtimenta tua*. ¶ מִן־הֵיכְלֵי שֵׁן. A. & Sym. ναῶν ὀδόντων. Alius, ἀπὸ ναῶν ἐλεφαντίνων] Ὀδόντων, *dentium* pro *dentium elephanti*, i. e. eburneis. ¶ מִנִּי שִׂמְּחוּךָ. Alius, ὅθεν εὔφρανάν σε, *unde oblectarunt te*.

9. בִּיקְּרוֹתֶיךָ. Alius, ἐν τῷ τιμᾶν σε· alius, ἐν τοῖς ἐνδόξοις σου. ¶ נִצְּבָה. Alius, ἐστηλώθη. ¶ בְּכֶתֶם אוֹפִיר. A. ἐν βάμματι Ὠφείρ. Th. ἐν διαδήματι χρυσῷ ἐκ Σουφείρ. Sym. ἐν χρυσῷ πρωτείῳ, *auro primo*] Ἐν βάμματι, *in tinctura*. Ἐκ Σουφεὶρ, mendum vetus pro ἐξ Ὠφείρ. Vide ſis Hier. pag. 64. Quinta & Sexta, ἐν χρυσῷ Ὠφείρ, *in auro Ophir*. *Ophir* genus auri. Hieronymus *dici ait ab inſula Indiæ*, *vel à colore*. Nam אפר *cinis*: *unde ductum fortè* OPHIR, *quòd coloris cinerei eſſet*. *Chaldæus Paraphraſtes interpretatur* OBRYSSUM, *quod ex* OPHIR, *ut nonnulli volunt*. OBRYSUM *quaſi* OPHYRISUM. Ità Hieronymus: ſed verius etymon Latinum, *obryſum* quaſi *obruſum*. Jeſ. 13. 12. כתם אופיר. Aq. στίλωμα Ὠφείρ. In Thalmude (quod eſt quaſi corpus quoddam Juris Ebræorum) כתם pro *macula* notiſſimum verbum. Propriè *nota in veſtibus macularum in modum diſtincta*, & *ipſa veſtis ſic notata* כתם dicitur.

11. וְיִתְאָו. Alius, ἵνα ἐπιθυμήσῃ, *ut concupiſcat*. ¶ כִּי הוּא אֲדֹנַיִךְ. Alius, αὐτὸς γάρ Κύριός σου, *ipſe enim Dominus tuus*] In Fragmentis à me editis, *Sym. Ipſe enim Dominus tuus*. Vide Theodoretum. ¶ וְהִשְׁתַּחֲוִי־לוֹ. Sym. καὶ προσκύνησον αὐτῷ, *& adorato ipſum*. Sic etiam A. & Th.

12. בַּת־צֹר. A. Th. & VI. ed. θυγάτηρ Σόρ, *filia Tyri*. Sym. θυγάτηρ κραταιά] Σόρ· malim Σὼρ cum ω. *Sor* & *Sar*, unde *Sarra*, i. e. Tyrus, & *Sarrana veſtis* pro *Tyria* apud Plinium. Θυγάτηρ κρατίστη, *filia fortiſſima*. Ità leg. non θυγάτηρ κρατίστου, i. e. *filia fortiſſimi*. Quod diſces ex his verbis B. Hieronymi, qui tamen κρατίστου prætulit, quod ad Deum refert, *Sexta*, inquit, *verbum Ebraïcum poſuit* SOR: *Symmachus* κρατίστην, *i. e. fortiſſimam*. *Nos id ad Deum retulimus*; *ut illa cui ſuprà dixerat*, AUDI, FILIA, ET VIDE, *filia Fortiſſimi nuncupetur*: *aut rectè ipſa fortiſſima ſit*, *quia imitata eſt fortem patrem*, &c. Ratio hujus interpretationis eſt quia *Sor*, quando de Deo dicitur, *petram* ſignificat, pro quo nonnulli interpretando *fortem* poſuerunt. Gloſſarius Nom. propriorum, SOR, *Fortis*, *Petra*, *vel Tyrus*. In Nom. de Joſua, SOR, *Fortitudo*. ¶ בְּמִנְחָה. Sym. δῶρα εἴσει. ¶ יְחַלּוּ. Th. *honorabunt*] Ex Euthymio.

13. מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב. Alius, διὰ συσφιγκτήρων χρυσῶν.

14. לִרְקָמוֹת. Alius, ἠμφιεσμένη ποικίλα. Scholion. ἔνδυσις αὐτῆς εἰς ποικιλτά. ¶ תּוּבַל. Alius, ἀκολουθήσουσι. Alius, ἀνενεχθήσονται. ¶ רֵעוֹתֶיהָ. Alius, αἱ φίλαι αὐτῆς, *amicæ ejus*.

16. יִהְיוּ בָנֶיךָ. Ἄλλος, ἔσονταί σοι υἱοί σου, *erunt tibi filii tui*.

17. אַזְכִּירָה שִׁמְךָ בְּכָל־דֹּר וָדֹר עַל־כֵּן עַמִּים יְהוֹדֻךָ לְעֹלָם וָעֶד. A. S. Th. Ἀναμνήσω τὸ ὄνομά σου καθ' ἑκάστην γενεάν· διὰ τοῦτο λαοὶ ὑμνήσουσίν σε εἰς αἰῶνα διηνεκῶς. Alius, ἐπὶ τούτῳ λαοὶ ἐξομολογήσονταί σοι] Ἀναμνήσω, &c. Hæc verſa reperi, *Cantabò nomen tuum quolibet ſeculo*: *propterea populi celebrabunt te in ſeculum ſemper*. *Celebrabunt te*] Hier. *Quod nos interpretati ſumus*, *Confitebuntur tibi*, *Symmachus tranſtulit*, laudabunt te.

AMAMA.

PSalmus Propheticus de Chriſto & Eccleſ. Eb. 1. Mutuò tamen multa ſumuntur à Salomone & ejus ſponſa, ut & in Cant. quo oſtenditur Conjugium Salomonis typum fuiſſe ſpiritualis Conjugii.

Typicè de Salomone, ut propriè de Chriſto, tenuiſſima ex parte Salomoni etiam competit.

Genebr. dicit Impios Genevenſes de Salomone exponere, ſed falſo, quod *tantum*. Quod autem addit fieri non poſſe quia Filii Core ſub Moſe 400. annis ante Salomonem vixerunt frivolum eſt, nam Pſ. 44. dicunt filii Core, *Patres noſtri narrarunt nobis*.

שִׁיר יְדִידוֹת *Carmen amicarum*] i. e. Canticum nuptiale ſeu Epithalamium à puellis, ſponſæ Salomonis amicis decantatum, R. Abr. *carmen* אהבות.

שׁוֹשַׁנִּים] שש ſex, hinc שׁוֹשַׁנָּה: duo ſignificat. 1. *Lilium* quod habeat ſex folia, σοῦσον: λείριον, κρίνον, unde σούσινον μύρον, vel χρίσμα, *unguentum ex liliis*, & σούσινον abſol. *oleum liliorum*. 2. *Inſtrumentum Hexachordum*; hoc eligo. Qui *lilia* volunt, intelligunt *judices Synedrii*, Tharg. יָתְבֵי בְסַנְהֶדְרִין. Alii, *initium cantilenæ*, Aben. פִּיוּט כָּכָה תְּחִלָּתוֹ. Lxx. ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων pro mutandis, ac ſi eſſet כְּשָׁנִים vel שֶׁשָּׁנִים.

I. Eſt exordium floridum; attentionem captat à rei & perſonæ Magnitudine, à perſpicuitate & alacritate.

2. רָחַשׁ] Lxx. ἐξηρεύξατο. *Ebullit*, *borrelt uyt*.

אֹמֵר] Aut part. aut futurum.

מַעֲשַׂי] *Opera mea*; i. e. Poëmata, ut Græci à ποιέω.

לְמֶלֶךְ] *De Rege*, Pſ. 91. *Mandabit Angg. ſuis* לָךְ.

עֵט] *Ala avis*, *penna*, *calamus*. Th. קַלְמוֹס. Sic פּוֹלְמוֹס, Sic אוכלוס. Sic לִיסְטִים &c.

סוֹפֵר *Scribæ*] Erant notarii, profani, publici, qualis Sobna, qui res geſtas & acta dierum notabant.

II. Sacri qui legem ſacram deſcribebant & interpretabantur, Levitæ; talis Ezras, qui dicitur סופר expeditus in Lege Moſis, γραμματεῖς.

III. Sumitur aliquando pro שׁוֹטְרִים, ſic certe Joſ. 23. vocem שוטרים vertunt Lxx. Et ſic ſumitur Act. 19. 35. καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον. Reprimens ubi Syrus, *caput* urbis.

Lingua mea eſt calamus Sp. S. qui eſt ſcriba celerrimus] Aut ſe ipſum vocat *Scribam*, quia ſcriptores ſacri non ſunt auctores ſuorum librorum, ſed tantum notarii, unde *Mizmor* לדוד.

A. Verſ. 3. Incipiunt Encomia ſponſi quæ tenuiſſima ex parte Salomoni competunt.

Verſ. 3. Incipit & laudat ab elegantia vultus & ſermonis, utrumque declarat ex cauſa procreante.

Pulcher es] P. Jun. It. *Multo pulcrior es*. Chal. interponit, *O Rex Meſſia*, Corpore & Anima. Legatur Epiſtola Lentuli Proconſulis, Nicephorus lib. 1. hiſt. cap. ult. Epiphanius, Cedrenus.

יָפְיָפִיתָ] A יָפָה. Ab. duplicatio plerunque eſt לְחִסָּרוֹן ad diminutionem ut אֲדַמְדָּם & יְרַקְרַק ſubfuſus, ירקרק ſub viridis שְׁחַרְחֹרֶת ſubniger. Hîc verò ad auxeſin לְיִתְרוֹן Regula, quando Ain & ל duplicantur חסרון, quando פ & Ain, לְיִתְרוֹן ut Jeſ. 17. 11. תְּשַׂגְשֵׂגִי facies ut creſcat, plus eſt quam תְּשַׂגִּי à שגא.

Gratia] Reſpic. ad prædicationem Euangelii. Luc. 4. 22. dicitur *Synagoga Nazarethana mirata ſuper ſermonibus ejus plenis gratiæ*. *Potens erat ſermone & opere*, *& nunquam homo locutus eſt ſic*.

Propterea benedixit] Ut ſcilicet omnes ſuperares, vel *propterea quod*, ut cauſa procreans iſtorum χαρισμάτων innuatur.

עַל־כֵּן] *Propterea quod*, Gen. 38. 26. *Et dixit Juda Juſtior eſt* (*Thamar*) *me* עַל־כֵּן לֹא־נְתַתִּיהָ לְשֵׁלָה *eò quod non dedi eam Sela*. Sic Pſ. 42. 7. Et infrà verſ. 8.

Verſ. 4. Laudatur à decore (decor ōris, m. g. decus ŏris n. g.) & ornatu regio gladio, qui ornatus exponitur per vocabula gloriæ & majeſtatis.

Gladium] Divina potentia, Gladius ſpiritualis verbi procedentis

dentis ex ore ejus de quo Jeſ. 11.4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet improbum.*

גבור &c.] *O potens, gladio Majeſtatis & decoris tui*] Alii, ut Lxx. *O potens*, δυνατὲ τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου. Alii, *accinge te repetunt Majeſtate tua* &c. Alii, *Majeſtatem tuam & magnificentiam tuam*, per appoſit, *de gladio.* Gibbor optime Chriſto tribuitur, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & terra, cujus armis omnes munitiones ſubvertuntur, omniſque adeo ſublimitas, quæ extollitur adverſus cognitionem Dei 2 Cor. 10. 4.

Verſ. 5. & 3. ſeqq. laudatur à regia gubernatione & excellentia perſonæ.

5. [הדרך] ſupp. ב. Sic ששת ימים pro 'בש in ſex diebus fecit Deus cœlum & terram.

[צלח רכב] i.e. Proſperè equita. Reg. Cum duo verba maximè Imperat. ſine Copulâ junguntur prius pro adverbio ponitur. Sic Pſ. 51. Sic Jerem. 36. *Revertere tolle librum.* Alii צלח *tranſi*, ut Amos 3. *Ne fortè tranſeat ut ignis.* 1 Sam. 2. 3. *Ne multiplicetis loquamini altum.*

Super verbum] Euangelium, verbum veritatis & manſuetudinis comparatur equo; veritatis, quia præſtat quæ promittit; manſuetudinis, quia remittit in Chriſto; Juſtitiæ, quia punivit in Chriſto, vel quia imputat nobis juſtitiam Chriſti.

[ענוה־צדק] Eſt aſyndeton. Chald. ענותנותא, Lxx. πραΰτητος. Duo hic notanda, 1. Trem. & Jun. vertere *proloquere juſtitiam.* Sed ex ענוה fieri nequit Imp. Ideo Piſcator dicit hinc liquere eos legiſſe pro ענוה, ענה, *Quam lectionem*, inquit ille, *genuinam puto.* Abſit à nobis ea audacia.

II. Anglos habere pro על־דבר *becauſe* propter Gen. 12. 17. *Et DOMINUS plagis magnis affecit Pharaonem & familiam ejus* על־דבר שרה *ob Saram.* Pſ. 79. 9. *Adjuva nos Domine* על־דבר *Gloriam nominis tui.* Sic & Lxx. ἕνεκεν ἀληθείας. Luth. *Om de ellendigen by 't recht te behouden*, ac ſi eſſet [על דבר] ענות צדק Et צדק pro צדיקים. Sed ubi ענוה afflictio. Melius ergo Luth. in prima Edit. *Equita cum veritate, manſuetudine & juſtitia.*

II. Notanda in poſtremis Edit. at in Edit. 79. *manſuetudinis juſtitiæ*, i.e. manſuetæ juſtitiæ.

6. *Sagittæ*] Metaph. *plagæ* Pſ. 38. *Sagittæ tuæ deſcenderunt in me*, à חצץ *dimidiavit, diviſit, ſcidit.*

In cor hoſtium Regis (penetrant)] Ab. *Sagittæ tuæ acutæ cadunt in cor hoſtium Regis.* יפלו cum Athnach, quia jungitur utrique & ſervit pro duobus. Alii, *Ex corde [cadent] hoſtes Regis.* Alii, *In medio hoſtium Regis.* Chriſtus ubique habet hoſtes, & in medio eorum habet ſuos.

Elohim] Ebr. i.e. ὁ θρόνός σου ὁ θεὸς εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Judæi hodierni ut Aben. Sic egregiè prævaricantur ne eum agnoſcant Meſſiam Deum, ſic, inquit, 1. Dici poteſt Elohim hic ſumi, ut, Diis non maledices. 2. Dicit Haggaon, ſub. eſſe יי. 3. Mihi videtur quod כסאך ſerviat pro ſe & alio, i.e. repetendum eſſe, ut הנבואה עזר הנביא. Sic Solium ſuum, ſolium Dei eſt, ut 1 Paral. 29. *Et ſedit Solomon ſuper Solio Domini.* Nos ſequamur Interpretationem Ebr. 1. 8. Obſervetur hic, Elohim tribui uni perſonæ.

Dupliciter accipitur cum Deo vero tribuitur, 1. οὐσιωδῶς. 2. ὑποστατικῶς. Cum οὐσιωδῶς comprehendit tres perſonas, ut, *In Principio creavit Elohim*, i.e. Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, perinde ut vox Græca Θεός, *Deus Dominus.* Cum ὑποστατικῶς uni tantum perſonæ.

An ergo vi pluralis numeris inſinuat trinitatem? An eſt nomen *perſonarum* ut Jehova *eſſentiæ?*

Negant Calv. Dan. Bell. Paræus, Mercerus, Druſius. Quia aliquando uni perſonæ tribuitur, ergo non ſemper valet argumentum, Tribuitur uni perſonæ, Ergo non eſt ſemper nomen perſonarum.

Sic ergo dico, cum creatutis tribuitur habet aliq. ſenſ. ſing. aliq. ſenſ. plur. Cum Deo vero tribuitur ſemper habet ſenſum ſingularem. Ergo cum Gen. 3. dicitur, *Eritis* כאלהים ſi ibi placet intelligere Deum verum, male reddit *Eritis ſicut Dii*, i.e. Divinæ perſonæ. Hoc Lombardus primus eudit.

Alia ſunt in Ebr. Ling. quæ ſub terminat. plurali ſenſum habent ſingul. ארנים & בעלים ſine myſterio Gen. 39. *Et vidit Potiphar* אדניו *quod Dominus eſſet cum eo.* De Joſeph, ארני *terra locum eſt nobiſcum dura.* Jeſ. 19. 4. *Et concludam vos in manum* ארנים קשה. Ex. 21. 6. Et בעליו moriatur, & ipſum Elohim de uno idolo, Dagan, Jud. 16. 23. נתן אלהינו inimicos noſtros in manus noſtras.

Quid objiciant videatur in tractatu meo.

Elohim ab Arab. אלה *Vertellen telle, Backer Bec.*

שבט מישור Belg. *Een veerdigh ſchepter.* Hakk. *Een waerdigh.* Luth. *Ein gerade* Ebr. ῥάβδος εὐθύτητος. Belg. *Een Scepter der Rechtveerdigheid.* Luth. *Ein Gerichtiges Schepter.*

8. *Dilexiſti*] Duæ partes juſti Judicis; æquitatem tueri & iniquitatem punire.

Propterea] In hunc finem, vel, propterea quod.

Unxit] *Super omnem rem eximiam cadit nomen unctionis*, inquit R. Sal. Unxit Salom. propriè oleo vel unguento, ut ſolebant Proph. & Sacerdotes. Chriſtus unctus eſt ſpiritualiter, repletus donis Sp. S. Auguſt. *Ut unguentum caput, ſic Sp. S. mentem reficit & ſaginat.*

Unxit] In Regem & Sacerdotem.

[שמן] Merc. Nomen generale ad omnem pinguedinem, tam naturalem quam conditam. Diciturque ſic etiam unguentum aromaticum & linimentum quod glutinoſum ſit & pinguæ.

Vel, ut Genebr. quia illa odorum commixtio & temperatio fieri non ſolebat niſi oleo addito præſertim olivarum.

Sociis tuis] Reliquis Filiis Dei, adoptione & gratia, præ ſacerdotibus & Prophetis.

9. *Sandala*,] Arbores aromaticæ, cujus ligna vel fructus ſiccati præſtantis ſunt odoris. Vulg. *Aloë*, ut Græce ἀλόη. Eſt autem Aloë Herba Indiæ & Arabiæ amariſſimi ſucci & odoris graviſſimi, unde, *Plus aloës quam mellis habet.* Sed magni pretii & efficiæ: Reſiſtit vermibus & putredini, & viſum juvat.

[קציעה] *Caſia odorata.* Per hos odores indicatur ſuavitas Euangelii, quæ anxias conſcientias refocillat. Arbuſcula cujus cortex abraditur R. Sal. Exod. 30. *Eſt herba cujus radix eſt odoratiſſima.*

Prodeuntis ex Templis Eburneis] Refertur ad Regem, Templum Eburneum, i.e. Cœlum. Alii, *prodeuntibus aromatibus, ex templis Eburneis*, i.e. Palatiis, ut ad Sal. referatur.

[שן] Dens elephanti ex opinione hominum. Varro de Ling. Lat. lib. 3. *Quos dentes multi dicunt cornua ſunt; ex temporibus enim enaſcuntur & ex ſuperiore mandibula per os reſupinata ſe efferunt. Et decimo quoque anno ea Elephanti abjiciunt & defodiunt.*

10. Tertia pars Pſalmi pertinens ad Sp. quem laudat primo à comitatu, 2. Hortatio, 3. Prædicatio felicitatis futuræ.

[ביקרות] Pro ביקירות. Prov. 25. הוקר *pedem tuum in domo amici*, Lxx. σπάνιον εἴσαγε, *rarum introduc.*

[שגל] Verbum extat Deut. 21. 30. *Tu duces uxorem & alias* ישגלנה. Ebræi legunt ישכבנה. Jirm. 3. 2. ubi non שגלת Leg. שכבת. Cod. Megilla cap. 3. ad finem כל המקראות הכתובות בתורה לגנאי קורין אותן לשבח: Verbum ergo obſcæn. Nomen honeſtum, ſic apud nos *Bruyt*, *Sponſa*, honeſtum eſt, verbum obſcænum.

Ad dextram tuam] Dextra olim minus honorata, quia ſiniſtra cordi vicinior (Licet enim in medio ſit corpore, tamen magis ad ſiniſtram vergit) Ideo & Cyrus viros ſingularis prudentiæ, quo honeſtius exciperet, ad ſiniſtram collocabat, ut Xenophon docet. Et Ant. Nebriſſ. notat eos qui ad ſiniſtram interiores incedere dictos, qui ad dextram, exteriores. Sic Salomo.

[בכתם] *Aurum inſigne.* Nomina auri ſunt VI, זהב פז Græci κίῤῥον vocant, חרוץ כתם Aquila tamen στίλωμα reddit, אופיר *Obryſum*, quaſi *Ophyriſum.* Et ſic abſolute invenitur. Job. 22. 24. *Pones ſicut ſilices torrentium Ophir.* 6. eſt בצר Job. 22. 24 *Pones ſicut pulverem aurum.* Quod ſit hominis munimentum; 7. סגור aurum purum purum, Job. 28. 15. *Non dabitur* סגור *pro ea ſapientiam* R. D. זהב מאוד מזקק Chald. דהבא טבא.

Ophir] Nomen proprium viri, Gen. 10. 29. *Filii Joktan.* Nomen dedit regioni cujuſdam Indiæ auro pretioſo abundantiſſimæ. Et hæc regio nomen dedit ipſi auro, *Ophirium*, *Obryſum* vulgò. Sic Hier. in Jerem. Alii ὄβρυζον quaſi ἄβρυζον, i.e. ſyncerum. Quod ſæpè igne candefactum eſt, uſque dum nihil alterius metalli habeat admiſtum. Sunt qui hinc deducant nomen Peru.

11. *Filia*] Si de Meſſia erit קהלה *Synagoga, Eccleſia.* Si de Salomone erit *filia Pharaonis*, κατ' ἐξοχὴν, ita dicta, licet plurium magnorum virorum habuerit *filias.* Tali genere loquendi nominatur & alibi, *Salomo amabat multas filias alienigenas, & Filiam Pharaonis*, 1 Reg. 11. 1. Ubi aliud obſervetur, Annon Pharaonis Filia erat etiam alienigena? Maximè, ſed Ebræi ſolent honoris gratia toti vel ſpeciei ſubjicere partem vel individuum num. Vel ſpecie ſed nobilius & præcipuum. Pſ. 18. 1. *Cum liberaſſet eum* (Davidem) *è manu hoſtium ipſius & Saülis.* Joſ. 2. 1. *Inſpicite terram & Jericho.* Marc. 1. *Exivit ad eum tota Judæa & Jeruſalem.* Sic apud Lucam Act. 1. 14. Convenerant σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ. *Propheta & Moſes.* Vide Rainoldum Act. 26. 22. Ariſtoph. Ὦ θεοὶ καὶ ὦ Ζεῦ. Virg.

Troas relliquias Danaum & immitis Achilli.

Hom.

Ζεὺς ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσε.

Sic, *Dicite diſcipulis & Petro.* Sed hic videtur alia ratio, quia enim

enim præ aliis lapſus erat Petrus, eum etiam præ aliis voluit Dominus compellatum.

12. השתחוה] Eſt שטיח כל הגוף *expanſio totius corporis.* Geſtus, Reverentiæ & Honoris extremi qui habetur Deo, hominibus & Angelis, ſupplicare, προσκυνεῖν, Gen. 23. *Et ſurrexit Abraham* וישתחו *& incurvavit ſe, coram populo terræ, filiis Heth.* 1 Reg. 1. *Natan ingreſſus ad David* וישתחו לו.

13. *Filia Tyri*] i. e. Tyrus. Sic Jeruſalem vocatur *Filia Tzion*, i. e. Jeroſolyma in qua erat mons Tzijon, quo nomine ipſa urbs aliquando indigetatur, *& filia Jeruſalem* Thr. 2. 13. Sic Jeſ. 22. *Nolite me conſolari ſuper vaſtatione filiæ populi mei.* Vel *Filia Tyri*, i. e. Filiæ Tyrii, id eſt, incolæ Tyri. Nam nomen בן & בת transferuntur ad urbis, loci aut populi alicujus incolas, & alumnos, quorum quaſi mater eſt locus nativitatis vel educationis. Sic *filii populi mei*, Pſ. 149. 2. *Filii Tzijon exultant in Rege.* Jirm. 2. 16. *Filii Noph*, i. e. Memphitæ. Zoph. 3. 10. בת פוצי *Phuzai afferent munera.* Sic hoc loco *Filia Tyri.* Chal. יתבי כרכא דצור *habitatores arcis Tyri.*

Tzor] A צור *petra*, Metropolis Phæniciæ ſuper rupe ſeu petrâ extructa, olim inſula 700. paſſibus diviſa à continente, ſed ab Alexandro contabulato primò mari, deinde verò comportatis aggeribus adunata continenti. A צור Chald. טור, Syr. טור unde *Turus* & *Tyrus.* Veteres etiam per *a Tzar*, ut צר טוב. Unde *Sarra*, unde *Veſtis Sarrana*, i. e. Tyria. Et Ennius dixit pœnos *Sarra* oriundos, i. e. Tyro.

מנחה] Erat profanum & ſacrum. Gen. 32. 20. *Placabo faciem ejus beminchá*, i. e. munere זבח *ſacrificium cruentum* מנחה *incruentum* קרבן *de utroque.* Pl. מנחות à מנה formæ גזרה unde נקעות ſi eſſet à נחה eſſet formæ מצוה & eſſet מנחות ut Mitzvoth. Lxx. aliquando, προσφορὰν, aliq. δῶρον, aliquando etiam θυσίαν, i. e. זבח vertunt. Dan. 2. 46. Theodot. μάνναα, Sym. μάνναα τοῦτ' ἐςὶ δῶρον. Καὶ μάνναα καὶ εὐωδίας εἶπε σπεῖσαι αὐτῷ. Conſtabat autem *Minha* ex rebus veſcis, ſimila, farina, oleo & thure. Erat autem matutina & veſpertina. A veſpertina oblatione tempus ipſum vocatur מנחה. Et id iterum duplex *Minha magna* & *parva*, Minha magna incipiebat ab hora 6 & dimidia, i. e. noſtra duodecima & dimidia. Minha parva à noſtra 3 & dimidia. Hoc tempore ſolebant ſacrificia offerre, poſt templi deſtructionem viri ſynagogæ magnæ inſtituerunt preces, unde תפלת מנחה hujus horæ mentio fit Act. 3. 1. *Et Petrus & Joannes aſcenderunt in templum ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην.* Sic & de Cent. Act. 10. Ezræ 9. *Et ſedebam triſtis uſque ad* מנחת הערב *Oblationem veſperæ* i. e. in pro quo.

יחלו] *Precabuntur, deprecabuntur veniam*, חלה חלה *doluit dolore affecit, fatigavit precibus. Orare cum reverentia*, Exod. 32. Jirm. 26. *Et deprecatus eſt faciem Domini.*

14. משבצות] Sing. משבצה *Pata, funda annuli*, à שבץ Teſſellatum, intertextum opus fecit.

לבש] *Veſtis*, בגד, שמלה *veſtis feſtivior*, & Ruth inducere jubetur שמלותיה.

15. רקמה] *Acupictura & veſtis acu picta Phrygiana*, quia Phryges artem illam invenerunt acu pingendi & auro intertexendi.

Jabal] Unde *Jobel aries*, Joſ. 6. annus Jobel, quod cornu arietis ſolenniter promulgari ſoleret.

בתולה] Tres ſp. Virg. Virg. hominum, Virg. ſycomori quæ necdum putata. Virg. agri.

16. בשמחות וגיל] Aliq. illa ſine Vau occurrunt & prius in regimine, & tunc eſt locutio ἐκ παραλλήλε, ut Terra pulveris, Lutum cœni, Pluvia imbris, Vires roboris, Job. 36. Coma crinis Num. 6.

Palatium Regis] i. e. Cœlum, in Eccleſ. triumph. Alii in Eccleſiam militantem.

In lætitiis] i. e. Summa lætitiæ. Sic ſupra Deum vocavit Pſ. 42. & 43. ישועות פני Sic Behemoth, quod præ mole corporis ſit multarum inſtar. Sic Prov. 9. 1. ſumma ſapientia dicitur חכמות, ſapientiæ ædificavit domum ſibi. i. e. Sapientia ſapientiarum; ut Rex Regum.

A *Tubalna* fit *Jobel* formæ ארב *inſidia* יוער περίσσεια. *Jabal, adducere, reducere.* Jirm. 31. 9. *Erit ergo* שנתה יובל *non annus arietini cornu, ſed annus ἀναγωγῆς.* Reducebat enim iſte annus omnes ad vetuſtas ſedes ad antiqua hæreditatum jura & primas vivendi conditiones. Unde Philoni ἀποκατάςασις reſtitutio. Opt. ergo Lxx. ἔτος τῆς ἀφέσεως. Et in Lex. Græco Lat. *annus emancipationis*, tunc enim remiſſa ſunt debita, tunc emancipati ſervi. Hæcque eſt Joſephi mens cum ait Antiq. lib. 3. cap. 10. ἐλευθερίαν σημαίνει τοὔνομα.

17. *Pro Patribus*] Ad Chriſtum, non ad Salomonem; nam unicus ejus filius Rex fuit, & quidem lacerati Regni. Hic vero innuitur perpetuò manſuram generationem hanc filiorum ſpiritualem. De qua Jeſ. 49. & 60. Alii pro Patribus, i. e. Prophetis & Patriarchis erunt Apoſtoli & eorum ſucceſſoribus quos gignes per verbum & regenerationis lavacrum.

ושיתמו] Num. 24. & ſubvertes omnes filios Seth, quia Seth ſucceſſit Habeli, ex quo Noë, in quo extincta omni progenie Caini, reſtauratus eſt mundum & originem ducunt omnes qui nunc ſunt.

GROTIUS.

IN *finem pro iis qui commutabuntur*] Lxx. על שושנים vertunt ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων [*pro commutandis.*] Significat hæc vox & *lilia*, ſed origo eſt à שש, quod *ſex* ſignificat: unde *hexachordum* ſignificare videtur quod ſex fides habet, non minùs quam lilium ſex folia.

Canticum pro dilecto] In Hebræo, *Carmen dilectarum*; itâ vocabantur virgines quæ novam nuptam cingebant: ſicut is qui novo marito aderat, vocatur ὁ φίλος τοῦ νυμφίου [*amicus ſponſi,*] Joh. 3. 29. Eſt ergò hoc carmen ad modulos filiorum Core cantatum à virginibus in honorem Solomonis novi mariti, & novæ nuptæ filiæ Regis Ægypti. Solebant enim in nuptiis tum à virginibus tum à juvenibus cani carmina etiam apud Græcos & Romanos, ut ex Catullo diſcimus. Cæterùm μυςικῶς [*ſublimiore ſenſu*] hoc carmen ad Meſſiam pertinere etiam Chaldæus Paraphraſtes agnoſcit.

7. *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*] Poteſt ex Hebræo verti: *Sedes tua, Deus*, durans in *ſecula & ætates. Sedes*, id eſt, firmitas.

14. *Omnis gloria ejus, filiæ Regis, ab intus*] Nativâ pulchritudine prædita eſt, itâ ut opus non habeat à veſtibus & gemmis commendari: quæ tamen ipſi ubertim adſunt, ad fimbrias uſque.

17. *Pro patribus tuis*] Id eſt, pro parentibus tuis patre & matre quos reliquiſti: ſuprà 11. Nam Hebræi maſculinis utuntur pro communibus. Sic & Hebræor. 11. 23.

18. *Confitebuntur tibi*] Id eſt, laudabunt te.

PRICÆUS.

3. NOn *timebimus dum turbabitur terra*]
Si fractus illabatur orbis,
Impavidos ferient ruinæ.

IDEM.

3. NOn *timebimus dum turbabitur terra*] Etſi terra evertatur.

4. *Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum*] *Eorum*, populorum. Aquis populos, vel magnas mortalium multitudines comparare Hebræis frequentiſſimum: vel vide 19. 6. Apocalypſeos. *Sonuerunt, & turbatæ ſunt*, ἓν διὰ δυοῖν, turbatæ ſunt cum ſonitu. Simile 9. 7. apud Pſalmiſtam, *Periit memoria eorum cum ſonitu.*

Ibid. *Conturbati ſunt montes in fortitudine ejus*] Senſus idem qui in præcedente membro, & qui infrà com. 7. *Conturbatæ ſunt gentes*: quas *montium* nomine denotari æquè haud inſuetum. Infrà 96. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini*: quod heic, *in fortitudine ejus conturbati ſunt. Conturbari* autem ſæpe in Pſalmorum libro ponitur pro τήκεσθαι, φθείρεσθαι, *tabeſcere*, vel *conſumi.*

5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*] Civitas Dei autem Divinæ munificentiæ torrente inundatur. Simillimâ infrà oppoſitione 64. 9, 10. *Turbabuntur Gentes, & timebunt*, &c. *Viſitaſti* (autem tuam) *terram, & inebriaſti eam*, &c. *flumen Dei repletum eſt aquis*, &c. *Flumen* utroque loco, ut & Matth. 7. 25. & alibi, Vulgatus pro *torrente* ponit. *Civitas Dei*, ἀντονομαςικῶς, Jeruſalem. Vide ad Matth. 5. 35. annotata.

Ibib. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus*] Ibi, (vel inibi) ſanctificavit, &c. *Tabernaculum*, Lxx. σκήνωμα. Hinc in Paralipom. libris de eadem, κατασκηνώσεως πόλις.

10. *Arcum conteret*] Contrivit: atque itâ quæ ſequuntur futura intelligenda.

PSALM. XLVI.

MUNSTERUS.

1. A*Lamoth*] Plerique aſſerunt *Alamoth* eſſe כלי הניגון *inſtrumentum muſicum*; aliis verò aliud placet. Eſt autem Pſalmus

mus iſte gratulatio pro inſigni aliquo auxilio urbi ſanctæ Jeruſalem collato. ¶ *Opportunum*] Heb. *Auxilium in tribulationibus valde repertum*, vel *valde præſens*, h. e. Tam validum auxilium es ſperantibus in te ut *non timeant etiamſi tota terra moveatur*, *aut montes ipſi in medio mari loco cedant*, horribiles *undæ* & הכר, i. e. *cumulus aquarum*, *excitentur*, unde הכר וטיט *bitumen & lutum* in littus exſpuantur, aut ſi uſque adeò mare ſæviat per tumorem ſuum & agitationem procellarum ut etiam *montes ipſi contremiſcant*, adhuc non timebimus. Et ſignificantur hâc Allegoriâ hoſtes ſævientes in populum Dei.

4. *Rivi fluminis ejus*] Opponit rivulos fluvii Gihon labentes per Jeruſalem impetuoſis fluctibus maris: h. e. Exiguus populus Dei, ejus fretus auxilio, non timebit maximam vim hoſtium.

VATABLUS.

1. *Victori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] Vide Pſal. 42. ¶ *Super Alamoth* על עלמות] *Ad Alamoth*. Muſicum inſtrumentum; aut initium vulgaris cantilenæ Hebræis ad cujus modos ut decantaretur traditus fuit filiis Corah. ¶ *Protectio* מחסה] *Refugium*; *ſpes*; *fiducia*. ¶ *Invenimus* נמצא] *Inveniemus*. Alii, *repertus eſt*, ſive *inventus*.

2. *Etiamſi permutarit terram* בהמיר ארץ] *Etiamſi nutet terra*. Alii, *etiamſi moveatur terra*, ſub. *loco ſuo*. ¶ *Et moverit*, &c. ובמוט הרים בלב ימים] *Etiamſi moveantur* (i. e. transferantur) *montes in cor maris*. Alii, *etſi commoveantur montes in corde maris*: aut *nutent montes in medio mari ſiti*.

3. *Fremant* יהמו] Futura Heb. quæ per præſens conjunctivi vertunt qui cum præcedenti iſtum verſum connectunt, *Perſtrepant*, *ſtrepitum faciant*. ¶ *Turbentur* יחמרו] *Intumeſcant*. Alii, *lutulentæ fiant*, ſub. *præ nimia agitatione*. ¶ *Contremiſcant montes propter ſublimitatem ejus* ירעשו הרים בגאותו] *Concutiantur montes in ſuperbia ejus*, i. e. in elevatione ſive æſtu ejus, ut alii vertunt. Nonnulli, *in celſitudine ejus*: qui vertunt omnia in futuro, ut eſt Hebraïcè, non conjungentes hunc verſum præcedenti.

4. *Rivi ejus* פלגיו] Relativum vacat, quod refert *flumen*. Vertendum, *Fluminis rivi exhilarabunt*. ¶ *Sanctum* קדש] Poſitivum pro comparat. aut ſuperl. *ſanctiſſimum tabernaculorum*, ſive *habitaculorum*. Nam omnis terra Iſraël eſt habitaculum Dei, ſed Jeruſalem eſt ſanctior locus.

5. *In medio ejus* בקרבה] Relativum eſt fœm. nempe *civitatis*. ¶ *Commovebitur* תמוט] *Nutabit*. ¶ *Appetente manè* לפנות בקר] Ad verb. *dum aſpiciet manè*, vel *aurora*, ſub. *eam*. Alii, *ad proſpectum auroræ*; i. e. cùm tempus poſtulabit. Ideo *manè*, quòd tunc oppugnantur urbes.

6. Statim ut *infremuerunt*, &c. המו גוים] *Concurrerunt turmatim Gentes*, ſed *collapſa ſunt regna*: ſtatim ut *edidit vocem ſuam*, *defluxit terra*: i. e. Statim atque fremitu ipſo aut concurſatione oſtenderunt Gentes ſe moliri adverſùs nos perniciem, conciderunt & corruerunt; juſſit enim Dominus ut deficerentur omnibus viribus, ideo animos abjecerunt, atque ità perierunt vires earum ut terra ad Solem liqueſcit, & poſtea evaneſcit, ut de nive eſt manifeſtum. Alii per præt. plus quàm perf. vertunt, *Confremuerant Gentes*, *mota erant regna*: *dedit vocem*, &c. Alii per præſens indicativi, *Tumultuantur Gentes*, *& commoventur regna*: *dedit vocem*, &c. Nonnulli per præſens conjunctivi, conjungentes hunc verſui ſequenti, *Tumultuentur Gentes*, *motus concitent regna*, *& tellus dato fragore defluat*, *Jehova* tamen *exercituum à nobis ſtat*.

7. *Nobiſcum* עמנו] *A nobis ſtat*. ¶ *Arx ſublimis* משגב] Vide Pſal. 9. 10.

8. *Qui poſuit ſolitudines* אשר שם שמות] *Quaſnam ſolitudines fecerit*. *Ponere ſolitudines in terra* pro *totam terram vaſtare*, Hebraïſmus.

9. *Ceſſare facit*, &c. משבית מלחמות עד קצה הארץ קשת ישבר וקצץ חנית עגלות ישרף באש] Futura Heb. quæ per præt. perf. quidam vertunt, *Delevit bella uſque ad fines ipſius terræ*, *arcum contrivit*, *& lanceam fregit*, *plauſtra combuſſit igni*. Alii per præſens, *Abolet* (ſive *Quieſcere facit*) *bella uſque ad fines terræ*, *arcum confringit*, *detruncat* (ſive *conſcindit*) *lanceas*, ſive *haſtam*, &c.

10. *Ceſſate*, *& ſcitote* הרפו ודעו] *Deſiſtite*, *& cognoſcite*. *Remittite*, *& agnoſcite*. ¶ *Exaltabor* ארום] *Excelſus ero*, vel, *ſublimis*, *extollar*.

CASTALIO.

5. DEo ei maturè ſuccurrente] Heb. *Sub ortu matutini*, h. e. manè, quod ſæpe ponitur pro *maturè*: ſicut Gallicè *matin*, *Tu n'es pas venu proû matin*; & Germanicè *fru*; & Latinè *ſerò* pro *tardè*.

6. *Illo vocem emittente tellus ipſa colliqueſcet*] Confer cum Pſal. 76.

CLARIUS.

SAtis ex ipſius Pſalmi verbis apparet eſſe gratulationem pro inſigni aliquo auxilio urbi ſanctæ Jeruſalem collato: quæ res fiduciam affert ſanctis de præſidio Dei quibuſvis in periculis. *Alamoth* plerique aſſerunt eſſe inſtrumentum muſicum. Alii aliud ſentiunt.

2. *Transferentur montes in cor maris*] *Cor maris* pro *medio* dixit. Non timebimus, inquit, etiamſi tota terra ſubvertatur, aut montes ipſi in medium mare præcipitentur. Alii intelligunt; ſi montes, qui ſunt in medio mari, loco cedant; ut montes dicantur ſiti *in medio maris* eò quòd terra mari ambitur.

3. *Sonuerunt*] Vim hoſtium tempeſtuoſo mari comparat. Quamvis, inquit, uſque adeò hoc mare ſæviat per tumorem ſuum & agitationem procellarum, ut etiam *montes ipſi contremiſcant*, adhuc non timebimus.

4. *Fluminis rivuli*] Rivulos prærenuis fluminis, nempe Gihon, quod Jeruſalem interfluit, oppoſuit frementibus undis maris, h. e. conſolationem Dei in exiguo populo Jeruſalem, ingenti & terrificæ vi hoſtium. Eâdem Allegoriâ uſus eſt Eſaias c. 8. *Propterea quòd populo iſti aquæ Siloë fluentes leniter deſpectæ ſunt*, &c. *Rivuli* itaque *fluminis* ſunt vel variæ Divini auxilii rationes, vel ſancti homines Spiritu Dei præditi. ¶ *Sanctum tabernaculum Altiſſimi*] Ex omnibus locis Iſraël, quæ omnia Dei habitacula erant, ſelecta fuit Jeruſalem: juxta illud, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*.

6. *Dedit vocem ſuam*] Sub. *Deus*. Senſus ergò eſt, Dum aliæ gentes terrentur, *Dominus virtutum*, i. e. in cujus poteſtate ſunt omnes exercitus, *adeſt nobis*.

10. *Vacate*] Diligenter hæc perpendite. Vel, dimittite conatum veſtrum.

LUCAS BRUG.

5. SPeciem Jacob quem dilexit.] Alii codices legunt *quem* maſculino genere, alii *quam* fœminino: multi ità ſcribunt ut facilè utrovis modo poſſis legere, ex quo error natus videtur. Hieronymi, Bedæ, Brunonis, Pampolitani, Lyrani, Carenſis, Turrecrematenſis, Richelii & Valentiani commentaria exponunt *quem*: ad *Jacob* enim referunt. Caſſiodori & Remigii enarrationes probant *quam*, nam *ſpeciem* ſubaudiunt. Haymo & Lombardus utrumque explicant. Hebræis & Chaldæis anceps eſt ſermo, ità ut utroque hoc modo transferre liceat. Plerique noſtræ ætatis Interpretes *quem* vertunt: Hieronymus *quam* reddidit, *Gloriam Jacob quam dilexit*. Græci libri *quam* conſtanter habent, clariſſimè conſentiente Euthymio Græco Enarratore, τὴν καλλονὴν [καλλοσύνην, Nebienſe Pſalt.] Ἰακὼβ ἣν ἠγάπησεν. Atque hanc fœminini generis lectionem, ut & noſtræ editionis germanam, amplectuntur Epanorthotes, Titelmannus & alii nonnulli: in quorum ſententiam Lindanus âbiens emendavit, *Speciem Jacob quam dilexit*. Pariſienſes verò, ab his diſſentientes, ſcripſerunt, *Speciem Jacob quem dilexit*.

10 *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.*] *Dii* legunt Latini codices, exponunt Latini Tractatores, tam primæ ætatis quàm mediæ ac poſtremæ. Sunt verò hodie Latinæ quædam editiones caſtigatæ *Dei*, Regis nimirum, Clarii & Lindani: eſt enim Græcè Θεῦ ſingularis numeri ſecundo caſu, ὅτι τοῦ Θεοῦ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν, quæ & Græcorum Enarratorum, ac Juſtini contra Tryphonem diſputantis, eſt lectio. Quin etiam Apollinaris ad eum ſcripſit modum,

Ἄντα Θεοῦ θώρηχθεν ὑπερβασίῃ χθονὸς ἀρχοί.

quod eſt, *Contra Deum ſuperbiâ armati ſunt Principes terræ*: Conjiciunt itaque Latinè verſum *Dei*; intellectum autem fuiſſe pluralis numeri primum caſum, ac proinde *Dei* mutatum in *Dii*. Cui conjecturæ etiam Hebræa ſuffragantur, כי לאלהים מגני ארץ מאד נעלה. Nam adjuncta voci אלהים (quod eſt *Dei* nomen, ut notum eſt, quanquam *Deos* quoque, cùm pluralis ſit numeri, ſignificet) ſerviens litera ל ipſam non primo caſu accipiendam docet. Vertunt igitur ex Hebræo, *Quoniam Dei*, aut *Deo*, *ſcuta terræ*: *vehementer elevatus eſt*. Chaldæus expoſuit, ארום דיי אנון תריסי וגו׳, *Quoniam Domini ſunt clypei terræ*, *& ſuper illos omnes* [Ven. Neb.] *vehementer elevatus eſt*. Nebienſe Pſalterium cum Venetorum Bibliis habet, ארום קדם יי תריסי וגו׳, *Quoniam coram Domino clypei*, &c. Non parùm igitur veriſimilitudinis cùm ex Græcis tum ex Hebræis ſuperiori conjecturæ accedit.

dit. Et certè in Latino Pſalterio, quod in Hieronymi operibus Græco textui adjunctum exſtat, *Dei* reperio, ſi non noſtrâ ætate facta mutatio, ſed aut ipſa tranſlatio, aut Hieronymi emendatio eſt. Verùm quid prohibeat cur minùs ſcribere poſſimus *Dei*, etiam nullo adjuti codice, cùm id plurimum probabilitatis habeat, & à germana lectione, quæquæ illa ſit, non diſcrepet? Cùm autem ex plerorumque Latinorum Tractatorum commentariis *dii* eis aut lectum aut intellectum pateat; neſcio quid ex Caſſiodori commentario colligi poſſit. Sic habet, *Quia fortes terræ, qui erant populus Dei, nimium elevati ſunt.* Hieronymi ex Hebræo tranſlationem è noſtra editione depravatam veriſimile eſt. Pleraque exemplaria legunt, *Quoniam Dii ſcuta* [ſculpta o.] *terræ vehementer elevati* [*elevata* 1 MS.] *ſunt.* Hunnæi manuſcriptum, O. ſcribit, *Quoniam Deus ſcuta terræ vehementer elevata ſunt.* Regia editio variat, *Quoniam Deo ſcuta terræ, vehementer elevatus eſt.*

DRUSIUS.

1. עֲלָמוֹת. A. νεανιοτήτων. Sym. τῶν αἰωνίων] Νεανιότης, *juventus.* Ὑπὲρ τῶν αἰωνίων, *pro æternis:* nam עולם αἰών. ¶ נִמְצָא מְאֹד. Οἱ λοιποὶ, εὑρέθη εὑρισκόμενος, cæteri, *inventus eſt, inventus eſt.* Sic ראה ראיתי, *Vidi, vidi.* Pro אמר videntur legiſſe מצא.

2. בְּמוֹט. A. Σφάλλεσθαι. V. ed. σαλεύεσθαι] Ἐν τῷ σφάλλεσθαι, *quando collabentur:* καὶ σαλεύεσθαι, *& commovebuntur.*

3. יֶהֱמוּ יֶחְמְרוּ מֵימָיו יִרְעֲשׁוּ־הָרִים בְּגַאֲוָתוֹ. Sym. ἠχούντων καὶ θολουμένων τῶν ὑδάτων, καὶ σειομένων ὀρέων ἐν τῷ ἐνδοξασμῷ αὐτοῦ, *Cùm reſonarent & turbarentur aquæ, & concuterentur montes in celebritate ipſius*] *Turbarentur*, cœno videlicet fæculento excitato. Hujuſmodi *cœnum* Ebraïcè חֹמֶר dicitur: unde verbum חָמַר, quo nunc uſus eſt David. Græcè πηλός, vel etiam θολός unde θολόω, *turbo.* ¶ *In celebritate ipſius*] Nam ἔνδοξος, *celebris.* Sed meliùs *in glorioſa celebratione ipſius.* Nam δοξάζω, *glorioſâ celebratione colo*, vulgò *clarifico*, ſive *glorifico.* ¶ בְּגַאֲוָתוֹ. A. V. & VI. ed. ὑπερηφανίᾳ] Ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ αὐτοῦ, *in ſuperbia ejus.* ¶ סֶלָה. Alius, ἀεὶ] i. e. *Semper.* Interpretamentum eſt Aquilæ.

4. נָהָר פְּלָגָיו יְשַׂמְּחוּ עִיר־אֱלֹהִים. A. Sym. Th. *Fluminis diviſiones lætificant civitatem Dei*] Æmulatus eſt Hieronymus. פלגיו etiam V. ed. convertit διαιρέσεις. Hinc exponas Pſal. 1. פלגי מים *diviſiones aquarum*, i. e. divortia ſive divergia, ubi videlicet aqua in diverſas partes vergit. ¶ קְדֹשׁ מִשְׁכְּנֵי עֶלְיוֹן. Sym. τὸ ἅγιον τῆς κατασκηνώσεως τοῦ ὑψίςου, *ſanctum habitationis Altiſſimi.*

5. לִפְנוֹת בֹּקֶר. A. τῷ νεῦσαι πρωΐαν. Alius, περὶ τὸν ὄρθρον.

6. הָמוּ גוֹיִם. Alius, συνέθησαν ἔθνη. Alius, συνήχθη ἔθνη, *congregatæ ſunt gentes.* ¶ מָטוּ. A. ἐσφάλησαν. Sym. περιετράπησαν.

9. וְקִצֵּץ. Alius, συνέκλασε. ¶ עֲגָלוֹת יִשְׂרֹף בָּאֵשׁ. Alius, καὶ ἁμάξας ἐμπρήσει ἐν πυρὶ, *& currus comburet igne.*

10. הַרְפּוּ וּדְעוּ. Alius, ἐάσατε ἵνα γνῶτε· alius, ἱλάσθητε· alius, ἰάθητε] Ἐάσατε, *ſinite.*

AMAMA.

1. F*iliis Core*] Chald. Ad laudandum per manus filiorum Core in tempore quo abſconditus eſt pater eorum ab iis & illi liberati ſunt Num. 16.

עֲלָמוֹת] LXX. ὑπὲρ κρυφίων pro occultis, arcanis עלם quidem *latuit*, ſed nomen hujus formæ ita non reperitur.

Ad vocem virginum] i. e. Pſalm. canendus acutâ voce (*ad aciam ſymphoniam.*) Superiori vel Alto, quas virgines optimè exprimunt. Sic 1. Chr. 15. 20. dicuntur quidam conſtituti ut canerent בִּנְבָלִים עַל־עֲלָמוֹת. Alii volunt *Inſtrumentum Muſicum.* Sic R. Sal. שֵׁם שֶׁל כְּלִי שִׁיר כְּדִבְרֵי הַקָּמִים. Alii, *Initium*, Vulg. *Cantilenæ*, Aben. שם פיוט. Qui addit aliquem ex ſemine Core hunc Pſalm. conſcripſiſſe in diebus Hiskiæ, cum retroactus eſſet Senacherib. Certè in perſona Jeroſolymatanorum hunc ſcriptum & dictum oſtendunt verſ. 5. Cant. 1. 3. Pſ. 68. עֲלָמוֹת extat ſepties in ſcript. & ubique ſign. *Virg. incorruptam*, excepto loco Prov. 30. Ubi ſign. *fœm. corruptam*, virginitatem tamen adhuc profitentem. Ideo Trem. & Jun. vertunt quidem *in virgine*, ſed in notis, i. e. *lupâ perſtrictæ frontis quæ ſe poſt maleficium virginem impudenter aſſerit, & pro intacta venditat.* Dicta à עָלַם latitando. Sic enim educabantur ut domi ſemper deliteſcerent, raro aut nunquam, niſi neceſſitate aut cultûs divini ratione id exigente, prodeuntes in publicum. Unde Joſeph. de Macchab. introducens Virginem. *Caſta virgo genita ſum nec unquam* ὑπερέβην πατρικὸν οἶκον excelli patrias ædes. Quem morem atting. Heſiod. 2. ἔργων

Ουτε δόμων ἔντοσθε φυλῇ παρὰ μήτερι μίμνει.

Sic contra Meretrix נַפְקַת ברא. Caſta matrona οἰκȣρος vocatur, quam repræſentat Venus inſidens teſtudini quæ domi porta vocatur.

2. נִמְצָא] Ad Deum non ad עֶזְרָה invenibilis valde, id eſt, qui facile inveniri poteſt, Sic Eſai. 55. 6. *Quærite Dominum* בְּהִמָּצְאוֹ Sic Pſ. 32. לְעֵת מְצֹא. Senſus, promptus, paratus. Alii, ad עזרה eodem ſenſu, ſed conſtructio obeſt. Alii, per fut. *in anguſtiis, quas invenimus abundè*, *Mala dicuntur nos invenire*, Pſ. 116. *Angores inferni invenerunt me*, Deut. 31. *Invenerunt me mala iſta.* Sed an etiam homo dicitur invenire mala, certe ſic videtur Jirm. 10. 18. *Affligam eos* וְהֲצֵרֹתִי לָהֶם לְמַעַן יִמְצָאוּ *ut inveniant*, ſc. mala, *dat ſy het bevinden.* LXX. ἐν θλίψεσι ταῖς εὑρούσαις ἡμᾶς.

3. *Commutaret*] Sc. בְּהָמִיר. R. Sal. intelligit tempora de quibus dictum, & terra ſicut veſtis vetuſteſcet, & reſpicit ad miraculum, cum pater & tota congregatio abſorberentur, ipſi in aëre manſerunt pendentes uſque dum terra clauderet os ſuum.

In cor marium] Maria vocant Ebræi omnem collectionem aquarum. Sic 1. Reg. 7. magnum illud Vas vocatur Mare. Sic mare Gennezareth, mare mortuum, mare ſalſum Sic priſci Latini Thuſcos Phænicum poſteros imitati Atrianorum ſeptem paludes vocarunt 7. maria. Plin. 3. 16. Virg.

Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare præruptum.

Sic Gen. 1. 10. Et ſingulas aquarum conceptelas vel confluges vocavit maria.

In cor] In medium, intra. Sic Prov. 30. 19. *Via navis in corde maris.* Sic Deut. 4. *In cor cœli.* Sic Tyrus ſita dicitur *in corde maris*, nec tamen procul erat à continente, Sic Hieron. *Michaam* dicit *ſitum in corde voluminis* δωδεκαπροφήτȣ. Sic *Chriſtus* Math. 12. *Tres dies & tres noctes in corde terræ.* Sic contra Jirm. *Ponam legem in medio eorum.*

4. סֶלָה] Ab. בְּגַאֲוָתוֹ Affix. in Gaavatho R. Sal. refert ad Deum, alii ad mare.

5. *Nahar*,] *fluvius*,] Defluxus aquarum. κατ' ἐξοχὴν ita dicitur Euphrates. Nam Gen. 15. dicitur *fluvius magnus.* Hic ſignif. Kidron, cujus mentio, Joh. 18. 1. πέραν χειμάῤῥȣ τῶν κέδρων; malè, melius τȣ̃ Κέδρων. Torrens fuit Jeroſolymam Orientem verſus à monte Oliveti dirimens. *Rivi* autem vocantur *Gihon*, uterque, ſuperior & inferior, *Siloa* &c. qui in hunc torrentem influunt. Et ſynon. eſt ναχὰλ, nam & hoc aliquando πόταμον aliq. χείμαῤῥον reddunt *Nahal*, *Neel*, *Nel*, unde Νεῖλος.

Lætificant,] Quatenus Deus eos protegit, ut iis ſecurè uti queant Sed vide Italic.

עיר] Plur. עֲיָרִים Jud. 10. 4. *Erant ipſi (Jair) xxx. filii equitantes ſuper* 30. עֲיָרִים & 30. עירים *erant ipſis.*

קדש] *Sacrarium*, *Tabernaculum Dei.* Jun. *Sanctiſſimum (locum,) habitacula excelſi.* Piſc. *Civitatem ſancti Iſraelis, habitacula excelſi.* LXX. Ἡγίασε, τὸ σκήνωμα αὐτȣ̃ ὁ ὕψιςος. Leg. קִדֵּשׁ.

עֶלְיוֹן] Ἥλιος, *Sol*; nam eum Deum colebant Ethnici, unde & θεοὶ ἀπὸ θέειν, *currendo*; licet alii à θεᾶσθαι, alii q. δέος.

Vult autem per hoc beneficium externum adumbrare copioſam gratiam Sp. S. opponens flumen fluctibus vaſti maris, q. mare omnia exterius turbat, ſic fluminis dulcis flexus eum è contrario recreet, quemadmodum rivi aquarum hortos & paſcua ſua irrigatione lætificant. Alii de concurſu populorum ad Eccleſiam.

לִפְנוֹת בֹּקֶר] *Cum proſpicit mane, ab appetente mane.* Tig. *Ante auroram* לִפְנֵי שַׁחַר Exod. 14. 23. Et *extendit Moſes manum ſuam ſuper mare & rediit* לאי תנוהו לפ' בן Chald. *Dominus habitat in medio ejus, Dominus proteget eam ob meritum Abrahami, qui precatus eſt pro ea* לִעְדָנֵי צַפְרָא.

7. קול] Κατ' ἐξοχὴν, *tonitru* φωνὴ διός, Exod. *Et populus videbat voces.*

Liquefiebat terra] Meton. incolæ terræ. Diſſolvi dicitur cor & homo in magna conſternatione Am. 9. *Qui tangit terram & liquefacta eſt.* Joſ. 2. 8. *Et* נָמֹגוּ *omnes incolæ terræ.* Joſ. 7. 9. *Et liquefactum eſt cor populi & ivit in aquam.*

10. יִשְׂרֹף] *Comburit*] Inde שָׂרָף *preſter*, *ſerpens ignitus.* Hinc שְׂרָפִים nomen angelorum vel certi ordinis, Jeſ. 6. 6. *Et volavit ad me unus ex Seraphim*, qui à claritate & aſpectus ſplendore quaſi flammantes viſi, & ignei. Hinc שרפה unum ex 4. ſuppliciis. Vide Druſium in Levit.

עֲגָלָה] *Currus*, *plauſtrum*, & *ſcutum rotundum.* Tharg. hoc loco תְּרִיסִין עֲגִילִין *clypeos rotundos*, LXX. θυρεȣ̀ς. *Scuta*, *Maygal*, *Gyrus Caſtrorum*, *Plauſtriburgia.*

GRO-

GROTIUS.

PRo arcanis] על עלמות [*ſuper puellas.*] Senſum eſſe puto, *qui puellis præerant*, id eſt, qui chorum puellarum docebant canere, ut 1. Paral. 15. 20.

PRICÆUS.

9. R*Egnabit Deus ſuper Gentes*] Suprà 21. 29. *Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur Gentium.*

IDEM.

1. J*Ubilate Deo*] In Gr. ἀλαλάξατε τῷ θεῷ. Heſychius, Ἀλαλάξατε, ἐνηχήσατε τὴν φωνήν. Legendum autem ἀνυψώσατε, ut ad Nonni in Joannem cap. 6. monuit Nanſius, vir optimus & doctiſſimus.

5. *Elegit nobis hæreditatem ſuam*] Hypallage, pro elegit nos hæreditatem ſibi.

Ibid. *Speciem Jacob, quam dilexit*] Cujus (ut 44. 12.) decorem concupivit. In Gr. hic καλλονήν. Heſychius, Καλλονή, εὐπρέπεια.

6. *Aſcendit Deus in jubilo*] Lxx. ἐν ἀλαλαγμῷ· quo pertinere videntur hæc Heſychii, Ἐν ἀλαλαγμῷ, ἐν εὐφήμῳ βοῇ.

8. *Pſallite ſapienter*] In cymbalis bene ſonantibus infrà 150.

5. *Sapienter*, eſt, peritè, ut & infrà 57. 6.

9. *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam*] Vide ſuprà 10. 5.

PSALM. XLVII.

MUNSTERUS.

1. P*Laudite manu*] Ajunt hunc Pſalmum continere jubilum populi Iſraëlitici cùm arcam Dei exſultantes introducerent in domum Domini à Salomone conſtructam, in figuram & typum Chriſti, qui eſt vera Arca fœderis, verum Propitiatorium atque vera Divinitatis ſedes, *Mediator Dei & hominum.* Magna quidem fuerunt quæ Salomon geſſit in Templo, ſed umbra fuerunt majorum quæ per Chriſtum fieri debebant, quippe qui habitaturus erat in cordibus fidelium, & ſubjecturus ſibi nationes populorum, atque *coadunaturus Principes populorum populo Dei Abraham*, facturus unam ex Gentibus & Jehudæis Eccleſiam. Porrò משכל hic à K. exponitur pro *unoquoque prudenter & juxta intellectum agente.*

9. *Eò quòd Dei ſit veluti ſcuto protegere terram*] Poteſt hic locus etiam ſic reddi, *Quia Dei ſunt* Principes ceu *ſcuta terræ*: h. e. poſuit eos Deus ſuper terram, & tradidit eis gladium, ut populum tueantur, & nocumenta quæque avertant.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] Vide Pſal. 42. ¶ *Cantus* מזמור] *Pſalmus.* ¶ *In voce exſultationis* בקול רנה] *In voce ovationis.* Alii, *laudis*, ſive *cantici.*

2. *Altiſſimus* עליון] *Sublimis*; *ſublimi loco poſitus*; *excelſus.*

3. *Ducit* ידבר] Fut. Heb. pro præt. *Deduxit.* Vel pro præſ. *Agit*: aut, *Subjicit populos nobis.*

4. *Selegit* יבחר] Futurum Heb. pro præt. ¶ *Gloriam* גאון] *Præſtantiam*; *magnificentiam*; *ſplendorem.* Per appoſitionem dictum: i. e. id de quo verus Iſrael gloriatur; vel, quod eſt ipſi Jacob materia gloriæ, magnificentiæ & ſplendoris.

5. *Deus* אלהים] Pro *arca Dei* ponitur, quòd ſuper eam in medio Cherubim loqueretur populo ſuo Deus.

7. Quotquot *intelligitis* משכיל] Quidam, *cum intelligentia.* Alii, *intelligibiliter.* Alii, *prudenter.* Hebraïcè, *canite intelligens.* Singulare cum verbo plurali, quod per nomen partitivum *unuſquiſque* reſolvi debet, hoc modo, *quicunque ſapientiâ & eruditione præcellitis.*

9. *Congregati* ut ſint *populus* נאספו עם אלהי] *Adjunxerunt ſe populo Dei.* Alii, ſubaudito &; *adjunxerunt ſe*, & *populus Dei.* Quidam legentes עם cum Hiric ſubſcripto, quod tunc ſignificat *cum* (nam cum Pathah eſt *populus*) vertunt, *Congregati ſunt cum Deo.* Vel, *adjungent ſe Deo.* ¶ *Dei ſunt ſcuta terræ* כי לאלהים מגני ארץ] *Dei ſunt clypei terræ*; i. e. defenſio eorum qui in terra ſunt, accepta referri debet Deo. Vel, ut alii, Magnates & Reges, qui ſubjectis ſunt vice clypei, & illorum Protectores, accedent ad Deum. ¶ *Elevatus* נעלה] *Exaltatus.*

CLARIUS.

INcredibili pompâ & magnificentiâ Solomonem Templum à ſe exſtructum dedicaſſe, Arcamque fœderis illuc intuliſſe, legitur. 3 Reg. 8. & 2. Par. 5. Hic ergò volunt populos invitari ad laudes Dei ſacramque lætitiam. In his omnibus typus & figura quædam exhibita eſt eorum quæ per Chriſtum poſtea perfecta ſunt, & quotidie perficiuntur. Quare de Chriſti Regno hæc ſunt præcipuè intelligenda: id quod & Judæi agnoſcunt. Hinc ſacri cantores omnes populos invitant ut plaudant.

3. *Subjecit populos nobis*] Subjectæ enim ſunt Chriſto omnes nationes; de quibus infrà dicit, *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*, vel *cum populo Dei Abraham*, ut fieret una ex Judæis & Gentibus Eccleſia.

5. *Aſcendit Deus in jubilo*] Pompam canit, quâ illata Templo Arca fuit, quam nomine *Dei* vocat; ut etiam illud, *Introibit Rex gloriæ*, i. e. Arca.

6. *Pſallite Deo*] Sunt qui piè obſervaverint (quod profectò admittendum eſt Chriſtianis) ubi ter fit *Dei* mentio, ſecundo loco additum *noſter* ſignificare Filium, qui naturam noſtram ſuſcepit: ut illud, *Benedicat nos Deus Deus noſter; benedicat nos Deus*; & hic, *Pſallite Deo, pſallite Regi noſtro, quoniam Rex omnis terræ Deus.* Nam hoc loco *Rex* idem valet quod *Deus.* Et Deut. 6. *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*, &c.

9. *Dei ſunt fortes terræ*] h. e. Deus habet poteſtatem in fortiſſimos quoſque totius terræ, & infinitis modis factus eſt ſuperior omnibus illis.

LUCAS BRUG.

3. M*Ontes Sion, latera Aquilonis*] Ea eſt Antigraphorum quorundam lectio, Brugenſis P. & antiquorum Epanorthotæ: quæ Græcis codicibus conſentanea eſt, & autores habet Auguſtinum, Græcoſque Commentatores, Theodoritum atque Euthymium. Plerique verò Latini codices ſingulari numero *Mons Sion* ſcribunt, conformiter Hebraïcis & Chaldaïcis exemplaribus. Atque hanc lectionem ſequuntur Ambroſius, Hieronymus, Ruffinus, Arnobius, ut videtur, Caſſiodorus, Beda, Haymo, Remigius, & poſteriores. Admonet autem Ambroſius Græcè legi *montes*, h. e. ὄρη. *Et montem quidem*, inquit Euthymius, *plurali numero montes dicit.* Gallicanum Pſalterium codicis Lobienſis *montis* habet: qua de re Beda, *Habent*, inquit, *quidam libri* montis Sion, *quod ſic conſtruitur*, Civitas fundatur ab exſultatione univerſæ terræ, montis Sion, i. e. *ab his qui de Judæis converſi exſultant*, &c.

DRUSIUS.

1. תקעו כף. Alius, κροτήσατε χειρί. ¶ הריעו. Alius, σημάνατε. Alius, εὐφημήσατε] Εὐφημῶ, *fauſta precor*, *faveo linguis*, *bene ominor.*

3. ידבר עמים תחתינו. Sym. ὑπέταξε βασιλεῖς ἡμῖν, *ſubjecit Reges nobis*] Ex Theodoreto.

4. את גאון יעקב. A. *Excellentiam Jacob* Sym. τὴν εὐδοξασμόν. V. ed. τὸ καύχημα] *Excellentiam*, ſic habet Interpres Theodoreti. In ed. Rom. A. τὸ ὑπερφερές.

8. על־גוים. Alius, ἐπάνω τῶν ἐθνῶν.

9. מגני ארץ, A. θυρεοὶ τῆς γῆς *ſcuta terræ.* V. ed. ὑπερασπισμοί. Sym. & Th. *protectiones.*

AMAMA.

2. P*Opuli*] i. e. Tribus. Syn. Gen. Zach. 11. 10. *Et irritum faciam pactum quod feci cum omnibus populis.* R. Sal. Populus non eſt niſi improbi, Populus meus de bonis. *Popule mi quid feci tibi. Quid faciam populo huic.* Idem quod גוי, quæ etiam Judæis Joſ. 4. 1. *Cum conſummaſſet col hag. oi tranſire Jordan. Mitto te ad Goi Mored*, Ezech. 2. *Vos eritis mih Reg. Sac. & Goi Kadet.*

תקע] *Figere*, *infigere.* 1. *Tentorium*, Gen. 31. *Jacob fixit tent.* *Et Laban fixit* ſub. tent. *cum fratribus ſuis*, Virg. *Hic ſævus tendebat Achilles.* 2. *Spiritum*, tubæ vel buccinæ. 3. *Cum Manu*, eſt geſtus lætitiæ & approb. Nah. ult. *Omnes audientes rumorem tuum complodent manum ſuam ſuper te.* 2. *Stipulatus eſt*, *ſpopondit* Prov. 17. *homo def. corde* תוקע כף

הָרִיעוּ] *Perſonare*, *clamare*, *tubis*, aliiſque vel ob lætitiam, vel triſtitiam. Vel ad terrendos hoſtes, fracto ſono, תָּקַע æquali & fixo. Num. 10. 7. *Quum congregabitis congregationem*, תתקעו ולא תריעו *clangetis quidem*, *ſed non edetis fractum ſonum.*

נַחֲלָתֵנוּ] *Hæreditas* & *poſſeſſio.* Ebr. 1. ὃν ἔθηκεν κληρόνομον πάντων. Per poſſeſſionem intell. terram Canaan. Sic per Excellentiam Jacob Canaan intell. exc. terram quam promiſerat Jacobo. Belg. *Hij verkieſt ons tot een erffdeel.* Malc. *Nabal*, *Neel*, *Nilus.* Tres poſſeſſ. Dei.

Aſcendit] Ref. ad aſcenſ. Chriſti. Alii ad introductionem arcæ in Domum Dei. 1 Reg. 8. 2. Chr. 5. Meton. adjuncti. Aſcendere in S. dicuntur qui Sept. verſus eunt. Contra deſcendere qui Merid. verſus. Hoſ. 8. 9. *Aſcendent in Aſſyr.* Jeroſolymam tamen promiſcue dicuntur aſcendere, quia præcipua pars oppidi, in qua Templum ſita erat in monte. Falsò Eucherius, in locum Sanct. aſc. Vitup. deſcenditur.

שׁוֹפָר] Fiebat ex Cornu bubalo, חֲצֹצְרָה ex ære κεράτνῃ. Lxx. σάλπιγγος· *tubæ.*

זַמְּרוּ] Ut diff. שׁיר, נגן & זמר Vide Pſ. 22. 1.

אַבְרָהָם] כי אב המון וים נתתיך. Signum amoris Ab. אביר המון Et Doeg. אביר רעים. Sed cur אב in Expl. ponit R. Sal. ר retentum, ut oſt. non Aramæorum ſolum Patrem futurum ſed & aliorum. Relicta tamen ר, Jod expoſtularit in Deo donec &c. 3. Ita mut. nomen ut tamen prius includ. Et dicendum אברם המון & conſtructo אברמהם. 4. אברב המון Vide Merc.

GROTIUS.

10. P*Rincipes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*] Legerunt Græci עם cum Chiric, non ut nos, cum Patach. Senſus in Hebræo eſt, *Primores populorum adjunxerunt ſe populo Abraham:* id eſt, fœdera noſtra ambierunt. Vide & Pſalmum ſequentem, & quæ diximus ad Pſalmum 2.

PRICÆUS.

9. I*N civitate Dei noſtri*] Hieroſolymis. Ità 2 Paralip. 6. 6. & 12. 13. Nehem. 1. 9. Jer 3. 17. Zachar. 8. 22. Sapient. 9. 8. Matth. 5. 35. Apocal. 3. 12.

11. *Secundùm nomen tuum ſic & laus tua in fines terræ*] *Operit* (ut Habac. 3. 3.) *cœlos gloria tua, & laudis tuæ plena eſt terra.*

IDEM.

2. I*N civitate Dei noſtri*] In civitate ſua.

Ibid. *In monte ſancto ejus*] *Ejus*, pro *ſuo:* ut ſuprà 17. 51. & alibi.

3. *Fundatur*, &c. *mons Sion*] Legit εὐριζοῦται fortè, at Græci hic εὐρίζων, *dilatat*, Deus nempe: ità & Apollinaris, & Heſychius, qui (huc ut videtur, reſpiciens) Εὐρίζων, εὐρύνων.

Ibid. *Civitas magni Regis*] Vide ad Matth. 5. 35. dicta.

8. *Ibi dolores ut parturientis*] Eſai. 13. 7. & 21. 3. & 26. 17. Jerem. 13. 21. & 49. 22. & 50. 43. Oſeæ 13. 13.

Ibid. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*] Vide ſuprà 28. 5.

11. *Juſtitiâ plena eſt dextera tua*] Id eſt, benignitate, munificentiâ, ut paſſim vox *juſtitiæ* hoc in libro ponitur. Dicit hic quod alibi, *Delectationes in dextera tua uſque in finem.*

14. *Ponite corda veſtra in virtute ejus*] Subeſt fortè hypallage.

Ibid. *Diſtribuite domos ejus*] Partimini (vos) per muros, ſive turres ejus. Lxx. καταδιέλεσθε τὰς βάρεις αὐτῆς. Heſychius, Καταδιελέσθαι, καταμερίσασθαι. Idem, Βάρις, πλοῖον, ἡ τοῖχος, ἡ στοά, ἡ πύργος.

Ibid. *Ut enarretis in progenie altera*] Alteri progeniei. Vide 77. 6.

15. *Quoniam hic eſt Deus*] Nec ullus alius. Suprà 17. 32. *Quis Deus præter Deum noſtrum?*

PSALM. XLVIII.

MUNSTERUS.

2. P*Ulcer locus*] Exponit נוף pro *climate* & *regione.* Eſt autem ſenſus, Non eſt in toto illo climate quod Ptolomæus tertium ponit, imò in toto orbe, locus aliquis præclarior quàm ſit Jehudæa, in qua ſola illo tempore *notus erat Deus*, & in cujus ſolo Templo laudabatur & colebatur verus & æternus Deus. Contra hujus metropolim, nempe contra Jeruſalem, *convenerunt Reges*, & *ſimul tranſeuntes* venerunt ut illam expugnarent: ſed *viderunt* & experti ſunt cum damno ſuo virtutem inhabitantis Dei, *contritique ſunt veluti naves maris quas corripit ventus Orientalis.*

12. *Circumdate Zion*] Contemplamini, inquit, *mœnia* urbis, *palatia*, *muros & turres*, atque totam ejus magnificentiam, *ut memoriam ejus tranſmittatis ad poſteros.* Ea enim omnia invicta & inſuperabilia videntur eſſe, præſertim cùm Dominus *Deus noſter* ſit protector ejus.

13. *Extollite palatia ejus*] h. e. Prædicate magnificentiam palatiorum ejus. Hæc autem omnia non tam de Jeruſalem terrena, quæ poſt aliquot annos ſolo fuit æquata, ſunt accipienda quàm de Eccleſia Dei, cujus typum illa expreſſit cùm hinc Euangelium Chriſti dimanaverit uſque ad fines terræ. Hæc *urbs Dei* verè invicta manſit & manebit uſque ad finem mundi, ut etiam *portæ inferni non prævalere poſſint contra eam.*

VATABLUS.

1. C*Anticum Pſalmi* שיר מזמור] Vide Pſal. 30. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] Vide Pſal. 42. ¶ *Magnus* גדול] Quidam in ſuperlativo (quo carent Hebræi) vertunt, *Maximus.*

2. *Pulcer termino* יפה נוף] *Elegans climate*, vel *regione.* Alii, *Pulcrum clima. Pulcer locus. Amœna regio.*

3. *In arcem ſublimem* למשגב] i. e. Agnoſcitur eſſe vice præſidii. Alii, *ad exaltandum.* Quidam, *ad protegendum:* aut, *ad elevationem.* Hæc omnia pro *refugio* accipiuntur: propterea nonnulli vertunt, *veluti tutum refugium.*

4. *Tranſierunt pariter* עברו יחדו] *Acceſſerunt ſimul.*

5. *Feſtinaverunt* נחפזו] *Præcipitati ſunt: præcipites dati*, i. e. in præcipitem fugam adacti ſunt.

7. Quaſi *vento*, &c. ברוח קדים תשבר אניות תרשיש] Velut *ventus Orientalis confringere ſolet naves Tharſis.* Fut. Heb. pro præt. vel præſ. Alii, Velut *vento Orientali*, (aut, *per ventum Orientalem*) qui *confringit naves Tharſis*, ſub. *ſic diſſipati ſunt.* Hæc pars verſus, qui *confringit*, &c. virtutem venti deſcribit. Hac ſimilitudine uſus eſt & Jeremias, 18. 17. Per *ventum Orientalem*, &c. Eurum intelligit.

8. *In civitate* בעיר] *De civitate.* ב pro מ *de:* q. d. Ut audivimus à Prophetis, ſic deprehendimus rem habere *de civitate Jehovæ exercituum*, *de civitate*, *inquam*, &c. ¶ *Firmabit* יכוננה] Fut. Heb. pro præterito, ut quidam vertunt; *firmavit*, *ſtabilivit.*

9. *Conſideravimus* דמינו] *Animo concipiebamus.* Alii, *Expectavimus.*

11. *Lætabitur* ישמח] Futura pro præſ. ut quidam vertunt.

13. *Ponite cor veſtrum* שיתו לבכם] Hebraïſmus, pro *conſiderate.* ¶ *Aſpicite* פסגו] *Exaltate*, *extollite*, *quaſi rem magnam ducite*, *admiramini turres ejus.*

CASTALIO.

8. Q*Ualia audivimus*, *talia videmus*] Quod verbis promiſſum erat à Deo, id re nobis præſtitum eſt.

11. *Exſultant Judææ puellæ*] Civitates.

CLARIUS.

CAnit eximiam Eccleſiæ felicitatem ob præſentiam & tutelam Dei, idque ſub typo Jeruſalem. Occaſio autem fuiſſe apparet, inſignis aliqua urbis Jeruſalem contra hoſtes victoria, ſive ea fuerit nobilis illa contra Ammonitas, Syros & Edomitas, de qua Pſal. 20. ſive quâ donatus fuit Rex Joſaphat, de qua paulò pòſt, ſive alia quæpiam.

2. *Pulcer locus*] Vel, *Pulcrum clima.* Meritò diverſis appellationibus celebratur Jeruſalem, è qua in omnem terram ſalutaris Dei doctrina ſparſa eſt. Vocat autem eandem *montem Sion*, & *latus Aquilonis*, à parte ſcilicet ejus: in Aquilonari enim urbis parte Sion erat; ſicut & Eſa. 14. notatur, ubi Rex Babylonis inducitur dicere, *Sedebo in monte teſtamenti*, *in lateribus Aquilonis.*

4. *Quoniam ecce Reges terræ*] Contra hujus regionis metropolim, nempe contra Jeruſalem, *convenerunt Reges*, ut illam expugnarent: ſed *viderunt*, & experti ſunt cum ſuo damno virtutem inhabitantis Dei, *contritique ſunt veluti naves maris quas corripit vehemens ventus.* Et putant appellatas *naves Tharſis*, h. e. maximas, à *Tharſis*, quam volunt eſſe Ciliciam, à *Tharſish* nepote Japhet: unde & metropolis ejus, quæ inſignem portum

tum habuit & mercatum maximum, *Tharſus* nomen habuerit, quæ Paulo patria fuit. Hinc & mare Ciliciæ, *Tharſis*; & naves quibus in Mediterraneo mari navigabatur, maximæ quas quidem norant Iſraëlitæ, *naves Tharſis* dictæ ſint. Solinus ſcribit Tharſum olim *matrem urbium* dictam, & *Ciliciam uſque ad Peluſium Ægypti pertinuiſſe, habuiſſeque ſub imperio Lydos, Medos, Armenios, Pamphyliam & Cappadociam.* Memorantur quoque Cilices Xerxi contra Græcos centum naves ſuppeditaſſe.

8. *Sicut audivimus*] Hoc dicebant vel ipſi hoſtes, vel populus Dei, qui vidit quod audierat, Deum ſcilicet promiſiſſe ſe affuturum populo.

9. *Suſcepimus*] Vel *exſpectavimus.* Cum fiducia, inquit, exſpectavimus, Deus, benignitatem tuam, qui verſamur in medio domûs regiæ tuæ.

10. *Secundùm nomen tuum*] Sicut nomen tuum evulgatum eſt, ſic & laus expanditur tuæ majeſtatis. ¶ *Juſtitiâ plena eſt dextera tua*] Quæcunque enim facis, juſtiſſimè facis.

12. *Circumdate Sion*] Contemplamini, inquit, *mœnia* Urbis, *palatia, muros & turres*, atque totam ejus magnificentiam, *ut memoriam ejus transmittatis ad poſteros.* Ea enim omnia invicta videntur eſſe, præſertim cùm Dominus *Deus noſter* ſit protector ejus. Hæc autem omnia non tam de Jeruſalem terrena, quæ poſt aliquot annos ſolo fuit æquata, ſunt accipienda, quàm de Eccleſia Dei, cujus typum illa expreſſit, cùm hinc Euangelium Chriſti dimanaverit uſque ad fines terræ. Hæc *urbs Dei* verè invicta manſit & manebit uſque ad finem mundi, ut etiam *portæ inferi non prævalere poſſint adverſus eam.*

14. *Reget nos in ſecula*] Heb. *Reget nos uſque ad mortem.*

LUCAS BRUG.

10. E*T laboravit in æternum.*] Sic quidam codices legunt, præterito tempore, *laboravit*; nonnulli Epanorthotæ, nonnulli Lindani, nonnulli noſtri, cum Herbipolenſis Pſalterio: atque hoc modo eſt Græcè, *καὶ ἐκοπίασεν εἰς τὸν αἰῶνα*: id quod ſequuntur Baſilii, Chryſoſtomi, Theodoriti, Hieronymi commentaria, & Apollinaris carmina. Corruptum eſt autem quod habent exemplaria quædam, *liberavit.* Alii Latini codices futuro tempore habent, *Et laborabit in æternum*: quo modo Ruffinus, Auguſtinus, Beda, Haymo, Remigius, & alii Latini his poſteriores legunt. Ambroſius utrum legerit non ſatis liquet. Priora ejus verba præteritum, poſteriora futurum adſtruere videntur. *Qui ſolus*, ait de Chriſto, *patrem reconciliavit, & laboravit uſque in finem, quia noſtrum laborem ipſe ſuſcepit, dicens*, &c. At paulò pòſt, *Ergò homo non dabit jam propitiationem ſuam, nec redemptionem, quia ſemel ablutus eſt à peccato per ſanguinem Chriſti. Laborabit tamen ut ſervet præcepta vivendi, & à mandatis cœleſtibus non recedat. Dum vivit in labore ſit, & perſeveret in eo, ut vivat in finem.* Hebræïs eſt quidem præteritum וחדל לעולם, ſed quod Vau litera in futurum doceat convertendum: quapropter transferunt, Hieronymus, & poſt hunc alii, *Et quieſcet*, ſeu *ceſſabit, in ſeculum.* Chaldæus, *Et ceſſabit malum ejus, punitio eorum*, vel (ut eſt in Nebienſi) *& punitio-ejus*, [Venetum: cui ſimiliter Nebienſi repetitur & conjunctio,] *in ſeculum.* Futuri temporis lectionem præferre videtur Epanorthotes, præteriti Lindanus. Non poſſum non mirari Euthymii in hunc locum commentarium, qui non exponat *τὸ ἐκοπίασεν*, ſed neſcio quid aliud adferat. Similia ſunt admodum Græca verba *κοπιάζω* & *κοπάζω*, quorum illud *laborare*, hoc *quieſcere* denotat. Itaque in ſuſpicionem adducor, fortaſſis *ἐκόπασεν* aut *κοπάσει*, quomodo Hebraïcè eſt, ab Euthymio lectum, huic enim lectioni aptiùs conveniant quæ ab eo dicuntur: veruntamen nec *quietis* meminit, ſed *vitæ. Cùm pupugerit*, ait, *propheta eos qui pœnitentiam non egerunt in præſenti vita, nunc ad pœnitentes convertitur, & futurorum ſpe pœnitentiæ moleſtias conſolatur. Et vivet*, inquit, *in ſeculum hoc præſens, ille nimirum qui pœnitentiam agit, & deinceps etiam vivet perpetuo: hoc enim ſignificant verba illa, VIVET IN FINEM*, &c. *κοπάζειν*, quod eſt *ceſſare, quieſcere*, ſi fortè verterint LXX. genuinam vulgatamque verterunt vocis חדל ſignificationem. Chryſoſtomus, *Alius*, inquit, *Interpres dixit, Et quievit in ſeculum.* Alius, *Sed cùm deſierit huic ſeculo, vivet in æternum.* Hinc eſt quòd Jacobus legendum nobis cenſeat pro *laborabit, quieſcet.* Ex Hebræo, inquit, non *laborabit*, ſed *quieſcet*, quod illi oppoſitum eſt, legendum eſt: id enim ad Chriſtum redimentem reſpicit, & ad id quod ſequitur, *& vivet adhuc in finem*, ſive, *vivet ultrà in ſempiternum*, conſpirat: at non æquè, *laborabit.* Itaque Pſalterium emendavit, *Et quieſcet in æternum*: audacter nimis.

Ex eo quod ſequitur, *Et vivet adhuc in finem*, Vetus Pſalterium & Romanum tollunt *adhuc*, conſentientibus primæ ætatis Scriptoribus (qui ferè veteri Pſalterio, cui Romanum proximè accedit, uſi ſunt) Arnobio, Ambroſio, Hieronymo; Auguſtino, Caſſiodoro. Neque enim lectum eſt olim, ut nec nunc legitur, in Græcis libris. Verùm addidit noſtræ editioni Hieronymus ex Hebræo: id quod loquitur aſteriſcus qui ipſi *adhuc* in antiquis exemplaribus præponitur, Herbipolenſi, Tornacenſi; Lobienſi, Brugenſi. Hinc omnibus noſtræ editionis codicibus; quos quidem viderim, additur (Goticum enim Romani Pſalterii exemplar eſſe multis jam argumentis didiciſſe mihi videor) & à mediæ poſtremæque ætatis Latinis Tractatoribus legitur.

12. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.*] Tò *ſuis* Latinorum exemplarium quædam, D. Janſenio teſte, tollunt; pleraque, noſtra univerſa, legunt. Græcorum librorum, ſex noſtri, cum Baſilio, demunt; tres alii ex noſtris, cum Theodorito & Euthymio, addunt. Latini plerique Patres agnoſcunt: Hebraïci & Chaldaïci libri omittunt. Legunt autem nonnulli veterum, non *ſuis*, ſed *ipſorum.* Ambroſius, *Invocaverunt* [*Invocabunt*, Aug. Caſſ. Rom. Got.] *nomina eorum in terris ipſorum*: cujuſmodi & Auguſtini & Caſſiodori ac Romani Pſalterii lectio eſt. Atque hoc etiam pacto verti ex Græco poteſt, *ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ τῶν γαιῶν-αὐτῶν.* Hebraïcè ad verbum eſt, *Vocaverunt in nominibus ſuis*, aut *eorum, ſuper terras.*

13. *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit.*] Conjunctionem *&* multa Latina exemplaria omittunt, Hentenii tredecim, noſtra ſedecim; ſed minùs rectè; quippe quæ legatur in emendatiſſimis quibuſque, noſtris ſedecim, & antiquis Epanorthotæ, ſuffragantibus Græcis, Hebraïcis & Chaldaïcis libris. Hac de re ſcripſit Suniæ & Fretelæ Hieronymus; *homo cùm in honore eſſet, pro quo in Græco vos inveniſſe dicitis, Et homo cùm in honore eſſet, καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν ſed ſciendum quòd iſte verſiculus bis in hoc Pſalmo ſit, & in priori additam habeat* & *conjunctionem; in fine non habeat.* Hæc Hieronymus. In fine verò, ex noſtris Latinis codicibus unus Goticus, cum Romano Pſalterio & vulgatis exemplaribus Græcis, addit *&*: verùm contra fidem librorum noſtræ editionis; Hebraïcorum quoque exemplarium, niſi conjunctionem, quæ illis in media eſt ſententia, in initium rejicias. אדם ביקר ולא יבין. Græcus quoque Vaticanæ Bibliothecæ codex (id quod teſtatum facit D. Sirletus) & inter Græcos expoſitores Baſilius, inter Latinos Ruffinus, Auguſtinus, Beda, poſteriori hoc loco conjunctionem omittunt. Sed hîc iterum occurrit Hebraïcum illud ex Anglia Pſalterium, legitque ואדם *Et homo*, poſteriori, ut priori loco. Dolendum eſt non fuiſſe illud Hieronymo viſum, ut ſinceram potuiſſet Sophronio dare interpretationem, & germanam Suniæ indicare lectionem. Sed addendum eſt quod majoris eſt ponderis. Hebraïcis noſtris codicibus priori loco legitur ואדם ביקר בל ילין, h. e. *& homo in honore non permanebit*; poſteriori אדם ביקר ולא יבין *homo in honore, & non intelliget.* Illi autem Anglicano Pſalterio poſteriori loco, ut priori, ואדם ביקר בל ילין legitur. Quinetiam obſervatum eſt à R^mo^ D. Lindano, in antiquo illo Portugallicæ Synagogæ Pſalterio, ſimiliter utroque loco בל ילין ſcribi. Interpretes LXXII. cum utrobique *οὐ συνῆκε, non intellexit* reddiderint, utrobique יבין legiſſe ſit veriſimile; niſi fortè verſum unum alteri ſimiliter legendum, quòd intercalares verſus conformes eſſe ſoleant, exiſtimarint; vel eundem utriuſque ſenſum eſſe judicarint. Certè priori loco בל ילין, poſteriori ולא יבין, non tantùm habent noſtræ ætatis Hebraïci libri, verumetiam vetuſtiſſimus quidam qui eſt in præclariſſima Societatis Jeſu Lovanienſi Bibliotheca: nec hic tantùm, ſed & ea exemplaria quibus olim uſi ſunt Chaldæus Paraph. & D. Hieronymus. Ille namque priori loco vertit וּבר נש [Neb. Pſalt. Ven. וגבראי] חיבא ביקרא [Id. עםצדיקיא*] * לא יבית *Et filius hominis* [Et vir Id.] *peccator in honore non permanebit* [*cum juſtis.* Id.] (ſignificat enim בית Chaldæis quod Hebræïs לין, h. e. *pernoctare, permanere*, &c.) poſteriori בר נש [גברא Ven. וגבר Neb.] חיבא בזמן דאיתוהי [Neb. דאיתיה] ולא יתבין [Neb. ſen. ביקרא.] *Filius hominis* [*Vir.* Ven. *Et vir.* Neb.] *peccator, in tempore quo ſubſiſtit ipſe* [*in honore* Neb. Ven.] *& non intelliget.* Hic (Hieronymum puto) priori loco tranſtulit, *Et homo in honore non commorabitur*; poſteriori, *homo cùm in honore eſſet non* [*&* R.] *intellexit*: ſic enim fide digniſſima exemplaria octo quæ apud nos habemus legunt. Nonum, ex M. N. Hunnæi Bibliotheca, O ſignatum, priori loco habet, *Ut homo in honore non commorabitur*, poſteriori, *homo in honore non commorabitur.* Similem reddidit haud dubiè ſcriptor poſteriorem locum priori: nam & quod ſequitur ità ſcripſit poſteriori ut eſt priori in loco, [Hebraïcè ſimiliter utroque legitur loco.] *Aſſimilatus eſt jumentis, exæquatus eſt*: cùm hæc in aliis codicibus prioris ſolius loci ſit lectio; poſterioris verò, *Comparavit ſe* [*Comparatus eſt* R. Arg. Torn.] *jumentis & ſilebitur* [*ſilebit* R. *ſimilabitur* I MS.] Non ſemel adverti illum Hierony-

miani

miani Pſalterii ſcriptorem in mutando liberiorem fuiſſe. Non eſt itaque mutandus, aut corruptelæ arguendus, Hebraïcus textus, etſi non eodem modo utroque habeat loco. Nam neque in Canticis intercalares verſus ità ſibi mutuò reſpondent ut nullâ unquam voce diſcrepent; quinimo frequenter videmus eos nonnihil pro loci opportunitate mutari. Et ſi quis rectè conſideret, optimè convenit prius יָלִין, poſterius יָבִין. Cùm enim dixiſſet Propheta, impium, famæ quæ ad poſteros perveniret ſtudio, ſuum terris indidiſſe nomen, convenienter ſubjecit, eum in honore non perduraturum, quinimo non pluris quàm beſtiæ faciendum quibus ſe ſimilem fecit. Hujus autem cauſam eadem penè repetita ſententia eleganter in Pſalmi fine expreſſit; Quia cùm in honore propter divitias eſſet, non fuit intelligens, ſed pecudum vitam imitatus, ſeſe ſimilem illis fecit. Cæterùm non eſt mutandus Latinus textus, nimirum qui ex LXXII. Interpretibus, quos eo modo tranſtuliſſe concors ſententia eſt, redditus ſit.

DRUSIUS.

2. יְפֵה נוֹף מְשׂוֹשׂ כָּל־הָאָרֶץ. A. Καλῷ βλαςήματι χάρματι πάσης τῆς γῆς. Sym. Ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀφορισμένῳ ἀγλαΐσματι πάσης τῆς γῆς. Th. εὐρίζῳ. V. ed. εὐκλάδῳ, ¶ יַרְכְּתֵי. V. ed. οἱ μηροὶ, i.e. *latera.*

3. אֱלֹהִים בְּאַרְמְנוֹתֶיהָ נוֹדַע לְמִשְׂגָּב. V. ed. Ὁ Θεὸς ἐν τοῖς βασιλείοις αὐτῆς γνωσθήσεται εἰς ὀχύρωμα· alius, Ὁ Θεὸς ἐν ταῖς βάρεσιν αὐτῆς ἐγνώσθη εἰς τὸ ἐξελέσθαι αὐτήν. A. εἰς ὑπερέπαρσιν.

4. נוֹעֲדוּ. Alius, συνετάξαντο.

5. תָּמְהוּ. A. ἐθαμβήθησαν. Sym. ἐξεπλάγησαν· aliàs ἐθαύμασαν. Vide Rom. ed. Lat.

7. בְּרוּחַ קָדִים. A. πνεύματι καύσωνος. Alius, δι᾽ ἀνέμου βιαίου.

9. דִּמִּינוּ אֱלֹהִים. Alius, Εἰκάσαμεν ὁ Θεὸς, *Aſſimilavimus, Deus.* Chryſoſtomus, *In Ebræo*, Δημμήνου, τουτέστιν ἠλπίσαμεν, προσεδοκήσαμεν, ἔγνωμεν τὴν φιλανθρωπίαν τὴν σήν· ex ed. Rom.] Legerim δεμμήνου, vel, ſi placet, δεμμεῖνου. ¶ הֵיכָלֶךָ. A. Sym. Th. V. & VI. ναοῦ σου, *Templi tui.*] Græca exemplaria LXX. hìc variant. Nam quædam habent λαοῦ σου, *populi tui.* Vide ſodes Quæſt. meas.

11. יִשְׂמַח הַר־צִיּוֹן תָּגֵלְנָה בְּנוֹת יְהוּדָה. Sym. & Th. Εὐφραίνεται τὸ ὄρος Σιὼν, καὶ ἀγαλλιῶσιν αἱ θυγατέρες τῆς Ἰουδαίας, *Lætatur mons Sion, & exſultant filiæ Judææ.* ¶ לְמַעַן מִשְׁפָּטֶךָ. Alius, διὰ κρίσεις σου.

12. וְהַקִּיפוּהָ. Alius, περιέλθετε. ¶ סִפְרוּ. A. ψηφίσατε, *calculate*: alius, ἐπαινέσατε, *laudate.* Sym. ἀριθμήσατε.

13. לְחֵילָה. A. εἰς εὐπορίαν, *ad copiam*, ſive *abundantiam.* Sym. εἰς τὸν περίβολον, *ad ambitum muri.* ¶ פַּסְּגוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ. Sym. διαμετρήσατε τὰ βασίλεια αὐτῆς. ¶ לְדוֹר אַחֲרוֹן. Sym. γενεᾷ μεταγενεςέρᾳ.

14. עַל־מוּת. Sym. τὸ διηνεκές.

AMAMA.

Pſalm. eſt εὐχαριςικός. Cives Jeroſ. gratias agunt pro defenſione contra hoſtes. Propr. autem gratiarum actio verſu 1. ſub forma laudationis.

שִׁיר מִזְמוֹר] שיר A. שׁר *voce cecinit*, Mizmor à זִמֵּר *Pſallere, inſtrumentis Muſicis canere.* Ergo vertunt Tr. & Jun. *Canticum & Pſalmus.* i.e. Cantio quæ ſimul & voce & inſtrumentis ad ſymphoniam canebatur, hoc diſcrimine, cum canticum præcedit, inchoatam fuiſſe cantionem à voce & ſubſecuta inſtrumenta: cum *Pſalmus Canticum*, tunc fuiſſe contra. Aben. tamen hanc ſubtilitatem explodit ſic dicens, לא יכלו להפריש בין שיר מזמור למזמור שיר, *ut nec inter* החלמיש צור & מחלמיש צור, Deut. 8. 15. & 32. 13. *Ex petra ſilicis*, & *ſilice Petræ.* Hanc ſententiam ego præfero ut ſit locutio ἐκ παραλλήλου, & poſterius ſubſt. vertendum per Genit. caſum, *Canticum Pſalmi.* En exempla. Pſ. 40. *Ex luto cœni.* Dan. 12. *Terra pulveris. Deus eſt pars portionis meæ, Vires roboris.* Sic Pſ. 40. *In Volumine Libri* &c. Act. 8. *Fel amaritudinis. Coma crinis. Caligo tenebrarum*, 2. Pet. 2. Pro. 2. *In obſcuritate tenebrarum.*

קֹרַח] LXX. Κορὲ. Sic Noah, Noë. Intelliguntur hic poſteri Kore, nam expreſſe dicitur Num. 26. 11. *Et filii Core non ſunt mortui.* Ubi cum judicio legendus Vulgatus, *Et factum eſt grande miraculum ut Core pereunte filii ejus non fuerint mortui.* Sciendum pro iſtis, *Et factum eſt grande miraculum* eſſe in fonte *Et fuerunt in ſignum* וַיִּהְיוּ לְנֵס & finire verſum 10. *Et aperuit terra os ſuum & deglutivit eos & cum iis 50 & 200. viros, & fuerunt in ſignum*, i.e. exemplum filiis Iſraël. Et poſtea ſequitur in textu verſ. 11. *Et filii Core non ſunt mortui.* Quia vero Vulg. ſic habebat ideo parata fuit Lyræ fabula ex Rabbinis deprompta, & appoſitè huc accommadata. Sic enim ille, *Legitur in Gloſſa Ebr. ſuper Pſ. 45. quod cum terra ap. os ſuum & devor. Core cum mult. aliis filii ejus remanſerint. Pendentes retenti in aëre divina virtute quo uſque terra iterum fuit recluſa ſub pedibus ipſorum.*

Secunda Sabbati,] Ex LXX. δευτέρᾳ σαββάτου ſecunda feriâ, ubi Sabbathum pro ſeptimana, ut in Luca, *Jejuno bis in Sabbatho.* Hoc autem non eſt in Orig. ſed ex ritu Judaïco depromptum, Illi enim diebus Lunæ, qui 2. eſt Septimanæ ſolebant cantare celebriores. Nota, Judæos poſt Sabbathum maxime celebrare diem Lunæ & Jovis hoc eſt feriam 2. & 5. Et ſic exp. locus Lucæ, ubi Pharizæus dicit Νηςεύω. δὶς τοῦ σαββάτου.

1. מְהֻלָּל] Hinc *Halelujah.* Hinc הִלּוּלִים *Epithalamia.* Unde lucem habet Pſ. 78. *Filiæ ejus non ſunt laudatæ*, i.e. Epithalamiis celebratæ.

Monte] Deſcr. Jeruſalem ab adjuncto poſſeſſore, Deo & Adj. Sanctitate. In monte Moria vel Tzijon ſitum erat Templum ad elevandas fidelium mentes in cœlum. Tzijòn mons, Moria ejus collis ſitus ad meridiem urbis. Urbs ei ad aquilonem.

2. *Pulcher climate* (ſitu,) *gaudium totius terræ eſt mons Tzijon*, [&] *lateribus Aquilonis: Urbs* (eſt) *magni Regis.*

Deſcrib. Jeruſalem à ſubjecto loco, ab effectu, & ab adjuncto, poſſeſſore.

Trem. & Jun. jungunt cum ſup. (In) *ornamento tractus*, & ſic in cæt. omnia per ablativum.

Pulcher climate] Hoc eſt, pulchrè ſitus eſt. יְפֵה nunquam *ornamentum* ſignif. ideò malè in notis viri D. Piſc. *Ebraicè, pulchritudo tractus.*

Demoſth. de Athenis ψυχὴ καὶ ἥλιος καὶ ὀφθαλμὸς Πάσης τῆς οἰκουμένης, hoc de Jeruſal. rectius.

נוֹף] *Tractus, clima, regio, provincia.* Joſ. 11. בְּנָפוֹת דּוֹר *in provinciis Dor.* Nam dicimus נָפָה נָפַת. R. Sal. קנטריא *Kontreja* בל״ע. Quid vidit Vulg. dum vertit, *Fundatur exultatione univerſæ terræ.* Et LXX. εὐρίζῳ ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς. Kimchi dicit נוף ſig. חלק משבעת חלקי העולם, quæ Arab. אקלימים κλίματα vocent.

Univerſæ terræ] Judææ, Marc. 15. Hieron. ad Jeſ. 5. 1. Sam. 30. 16. 2. Sam. 18. 8. Jeſ. 13. *Ut diſperdat omnem terram*, vid. Chald. & Babyl.

Amœniſſimus tractus totius Judææ imo & totius orbis juxta Judæos objicit Kimchi ex Jezech. 28. quod Tyrus dicatur, perfectiſſ. pulchritudinis, ſed reſp. textum dicere, את tu dicis. Proverb. Non ſicut dixit Mater tua, ſed ſicut dicunt Peregrinantes.

In lateribus Aquilonis] i.e. In ea parte quæ ſpectat Aquilonem. Alii (&) *Latera.* Sion erat in Meridie & ponitur pro Acropoli, Civitate David, parte ſacra. Altera pars, Civitas Inferior, Filia Sion, quæ ex Sion quaſi naſcebatur, & in Aquilonem extendebatur, hæc venit ſub nomine *Laterum Aquilonis.* Joſeph. Bell. 6. 6. & 15. Antiq. 14. Alii per *Latera Aquilonis* intelligunt Templum ſitum in Moria, colle Sionis Septentrionali.

Tigurini ſic: *Mons Sijon, in cujus Aquilonari Latere Urbs magni Regis eſt, elegans regio eſt, gaudium univerſæ terræ.* Ital. *Mons Sion, Latera Aquilonis, Civitas magni Regis eſt, in pulcro tractu, eſt gaudium univerſæ terræ.*

Mons Sion] Civitas ſup.

Latera Aquilonis] Civitas infer. per appoſit. Urbs, &c.

Duæ enim partes Civitatis fuerant.

Jun. per Montem intell. Ἀκρόπολιν, i.e. Propugnaculum Jebuſi in Tſione ſitum, & per Latera Aquilonis Templum Moriæ monti impoſitum, qui mons fuit in ſuperiori parte Tſionis Aquilonem verſus.

יָרֵךְ & יַרְכָה] *Latus, femur*, Dual. יַרְכָתַיִם Sic Eſ. 37. ירכ׳ LXX. τὰ ἔσχατα· *Latera.*

Tribus primis verſibus gratias Deo egit ſub forma laudationis. A verſu 5. Narratio incipit: 1. Proponit Facta hoſtium, deinde Eventa. Facta hoſtium poſuit 3. quod convenerint, quod unâ progreſſi ſint, quod Urbem viderint. Eventa: quod admirati, pertubatique ſint.

6. *Illi viderunt, ſic admirati ſunt*] Puto ſic reddendum, Quo magis viderunt [Urbem,] i.e. contemplati ſunt, eo magis admirati ſunt. Per Ellipſ. vocis כַּאֲשֶׁר, ſic Exod. 1. 12. Hoſ. 11. 3. *Vocarunt eos, ſic abierunt.* Hic eſt Ell. at Exod. 1. eſt plena locutio.

7. *Tremor prehendit eos*] Quod eos prehenderit tremor, vel quod inſigni clade affecti ſint. Eam cladem illuſtrat ſimili à parturiente & naufrago.

8. *Euro*] Apoſtrophe Epiphonematica ad Deum, quâ oſtendit David quam facile Deus res firmiſſimas perrumpat.

Euro] Eurus in Oriente validiſſimus, unde ſic Vulg. *Spiritu vehementi*, LXX. ἐν πνεύματι βιαίῳ. *Urens & tempeſtuoſus.* Exod. 14. 21. Gen. 41. 7. *Spicæ tenues & aduſtæ* קָדִים. Jon. 4. ubi Vulg. *vento calido*, Exod. 10. 13. Vulg. *ventum urentem*, LXX.

Lxx. aliq. πνεῦμα καύσωνος, aliq. νότον Vulg. קדים ſemper *Orient.* at קדים nuſpiam quod ſciam *Eurum*; unde Lipp. & Sten. dicunt eſſe *Auſtrum.* Vide Cenſur. ad Exod. 10. Theodoret. ibid. Et verſ. 19. *Convertit Deus Ventum Occid.* Simil. locut. 1. Sam. 10. 9.

Alii, Ital. [*Ac ſi fracti fuiſſent*] Vento Orientali qui frangit Naves Tharſis.

תרשיש] Primo ſign. *Gemm. lap. Cryſolithum*, alii *Berillum Thalaſſium* vocant, alii *Turcicum.* Exod. 28. 20. *In 4. ordine lap. pectoralis.* 2. Eſt nomen proprium Nepotis Japhet ex Javan. Gen. 10. 3. Eſt Ciliciæ (Pauli p.) urbs maritima, quam alluit Oceanus, unde per Meton. ſubj. exponunt Oceanum. Portus erat totius Orientis celeberr. unde in Afr. Ind. & procul diſſitas Regiones navigabatur. Lxx. συντρίψεις πλοῖα θαρσεῖς. Hieron. Jeſ. 2. Ebræi putant lingua ſua propria mare appellari *Tarſis.* Jam vero commune ei eſſe cum Syris.

9. צבאות] Vide ad Pſ. 24. & alibi.

לעולם סלה] Hinc patet *Sela* non rectè ſemper verti עד עלמי עלמין. Quia hic præcedit לעלם. Græci διάψαλμα. Suidas, Διάψαλμα τοῦ μέλους ἐναλλαγή. Id eſt, *Cantus modulationiſque immutatio.*

10. דמינו] *Cogitamus & celebramus*, Βραχυλογία, vel unum verbum pro duobus, quæ verba prægnantia vocamus. Vide Gramm. ad דמה לקח *ſimilem eſſe*, Piel, *aſſimilare, cogitare, ſimilitudines proponere*, Aben. היינו מח שבים R. Sal. קוינו *expectamus*, & addit R. Menahem exponere, בלשון מחשבה ſicut אל תדמי בנפשך Lxx. ὑπελάβομεν.

In medio] i.e. In Templo tuo. Sic ſumitur בלב Deut. 4. *Mons ardebat uſque in cor cæli.* Sic Jezech. 28. *Tyrus* ſita dicitur *in corde maris*, Tharg. בגו nam non procul erat à continente. Prov. 30. 19. *Via navis in corde maris*, Lxx. τρίβος νηὸς ποντοπορούσης. Sic Matth. 12. *Chriſtus erit 3. dies & 3. noctes* ἐν καρδίᾳ τῆς γῆς. Sic Hieron. Michæam ſitum dicit *in corde voluminis* Δωδεκαπροφήτου.

Contra *medium* pro *corde*, Jirm. 31. 33. *Ponam legem meam in medio eorum.*

Templi tui] Τοῦ ναοῦ σου. Malè in Vulg. τοῦ λαοῦ.

11. כשמך *ſicut nomen tuum*] Lxx. κατὰ τὸ ὄνομά σου. Malè verſum à Latino Interp. *Per nomen tuum, Deus ſic & laudatio tua in fines terræ.* Melius Vulg. *Secundum nomen tuum.*

קצוי] A קצה. Plur. קצים conſtr. קצי Sic Cant. 2. 4. חגוי הסלע *Fiſſuræ petræ.* Sic עניים.

Juſtitia plena eſt dextra tua] Non abuteris potentia tua. צדק & צדקה dicunt differre à חסד Ebræi. Ut צדיק ſit qui facit quod tenetur, חסיד qui facit quod non tenetur. Sed hoc Deo aptari non poteſt. Ecce Pſ. 103. 17. *Benignitas Dei à ſeculo in ſeculum ſuper timentes eum, & juſtitia erga filios hominum.* Aliq. ſignif. Eleemoſynam, & ſic uſurpatum à Daniele & qui ipſi poſthumarunt. Dan. 4. 24. *Peccata tua* בצדקה *redime, & iniquitates tuas benefaciendo pauperibus.* Sic Prov. 10. *Juſtitia liberat à morte*, hoc explicat Sirach. ἡ ἐλεημοσύνη ῥύσεται ἀπὸ θανάτου. Sic Matth. 6. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. Ibi alii codices, τὴν δικαιοσύνην. Quam lectionem ſecutus eſt Vulg. Auguſt. dicit *partem juſtitiæ eſſe opus quod per Eleemoſynam fit, quia pauperibus obſtricti ſumus*; Unde Ebræi, *Ne prohibe bonum à dominis ejus*, i.e. à pauperibus.

12. *Mons Sijon*] i.e. Incolæ Jeruſalem, Metonymia ſubjecti gemina.

Filiæ Jehuda] i.e. Reliquæ civitates Judæ. Metropoles in SS. LL. vocantur *Matres* 2. Sam. 20. 19. *Et tu quæris perdere civitatem & quidem* אם R. Sal. כלשאר ערי יהודה הן לציון לבנות Lxx. μητρόπολιν; hujus reſpectu reliqua oppida vocantur *filiæ* Joſ. 17. 16. *Bet Sean* & בנותיה i.e. oppida ejus Thar בפרנהא vici ejus. Kenas ובנתיה.

Judicia tua] R. Sal. שעשה דין באמות. Sic, *Deus eduxit populum brachio extento & judiciis magnis*, i.e. pœnis. Prov. 19. *Parata ſunt illuſoribus judicia.* משפט *propoſitio*, תולדה *concluſio.* Miſpal etiam *præcept. forenſia.*

13. *Circuite*] Apoſtrophe ad fideles & ſimul hypotypoſis qua illuſtrat hoc quod verſu præcedenti dixerat, *Lætetur mons Sijon &c. propter judicia tua*, ſcilicet in ulciſcendis adverſariis & ſervandis nobis. *Experimini*, dicit, *& videte an ullo modo labefactata ſit civitas.*

Tzijon] Jeruſalem. Meton. ſubj. Jam vero Jeruſalem typum gerit Eccleſiæ.

הקיפו] A נקף, הקיף *circumdedit, circumivit* Sum. intranſ. Job. cum הקיפו *circumiviſſent*, i.e. cum revoluti eſſent dies convivii. Hinc נקף *connexio, copula*, ὑφέν. Hinc non eſt deducendum illud Job. 19. 26. ואחר עורי נקפו זאת nam eſt Præt. Piel à נקף, nullo autem modo reddi poteſt, *circumdabor.* Levit. 19.

27. לא תקפו פאת ראשכם *Non circumtondebitis angulum capitis veſtri*, Lxx. οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης. Hieron. *Non in rotundum attondebitis comam.* Ebræi exponunt de æquatione capillorum ad tempora poſt aurem & frontem. Ita tonſos Græci τροχοκουρίδας vocant. In iſto Chærili,

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι
Γλῶσσαν μὲν, Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες
Ὤκεε δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐν λίμνῃ
Αὐχμαλέοι κορυφὰς, τροχοκουρίδες.

His probat Joſephus contra Apionem Xerxem in illa nobili expeditione habuiſſe ſecum Judæos. Putavit Solymos Montes hic eſſe illos quos Judæi in Palæſtina incolebant. Sed quomodo tunc exponet illud τροχοκουρίδες. Id tonſuræ genus execrabile fuit Judæis. Et Solymos Montes quod attinet, ſi legiſſet Odyſſ. ε. ſciviſſet Joſephus alios eſſe montes Solymos procul à Judæa.

Κείρω, } *tondeo.*
Κουρεύω,
Κουρίζω,
Κουρεὺς, *tonſor.*
Κουρεῖον, *tonſtrina.*
Κουρὶς, *novacula.*

Hoc noto, 1. quia in Lexico Scapulæ non extat. 2. Quia Joſephus allegat.

Turres ejus] מגדל Ut Gr. Μέγαρον ἀπεξέσσονται μεγάροιο. Sumitur & pro ſuggeſto, pulpito, Neh. 8. 4. *Stabatque Ezras ſuper* מגדל העץ *quam ad hoc fecerunt.* Et poſtea verſ. 8. *Et aperuit Ezras librum coram populo, quia ſuper omnem populum erat.* Hinc colligunt Ebræi Ezram primum docuiſſe *ex ſuggeſto*, quod adhuc hodie faciunt Judæi in ſynagogis. Sed 2. Paralip. 6. 13. Salomo etiam dicitur verba feciſſe ad populum ex כיור *ſuggeſto inſtar Conchæ.* Pagn. Rabb. vocant בימה, unde βῆμα.

Hinc, *Magdalena*: nam *Magdal* fuit in tribu Nepthali urbs. Hieron. *Magdelena turris, ſed melius inquit ut à monte montanus, ſic à turri turrienſis dicitur.* Migdal, Magdal; ut à Midjan, Madian.

14. פסגו] *Attollite palatia ejus* הגביהו Sic R. Sal. Sed quod ſequitur tunc non ſatis bene quadrat. Aben. הביטו, ſed tunc Ellipſis duplex, nam ſub. poſt *Paſegu* עיניכם *elevate oculos*, id eſt, aſpicite ארמנות, ubi etiam ſub. אל vel ל. Ita Jun. *Attollite [oculos ad] palatia ejus.*

Ponite cor] Conſiderate, *Juſtus perit & nemo apponit cor.* Ponere aliquid ad cor, ponere cor ſuum ad aliquid, non differunt.

לבכם] Gen. 18. 5. Jeſ. 66. 14. Pſ. 48. 14. א״נ.

חילה] *Antemurale, een dwinger.*

15. כי Non eſt cauſalis ſed continuativa particula, *Quòd*, ut *narretis poſteris quòd* &c.

על־מות] Sic J. Piſc. G. Jr. I. E. A. Z. Hiſp. K. Maſſor. legunt duas dictiones. Et ſenſus עד מות *uſque ad mortem.* Alii ut Rab. Sal. *Pueriliter, ſicut pater ducit & incedere facit filium pedetentim.* Certe R. Sal. ſententia vix poteſt tolerari. Ut ut enim עלם ſit *juvenis*, עלמה *puella*, tamen forma adverbialis non eſt. Sic & R. Moſes. Thargum etiam hoc ſequitur; ſed habet, *duces nos* ביומי טליותנא (*ſicut*) *in diebus adoleſcentiæ noſtræ.* Belg. *als de jeught.* טלי & טליא *puer*, טליה & טליתא *puella.* Hinc Marc. 5. 4. Ταλιθὰ κοῦμι κοράσιον ἔγειρε. *Taljeta, Talitha*, ut Act. 9. 36. טביתא Ταβιθά, Act. 9. δορκάς. Quamvis Syriacè ſit טליתא *Talitha*, & טביא ex צבי Errant itaque qui pro eo *Tabita* ſubſtituerunt, ut Hieron. in Comm. & illi qui *Tabbiti* טבעי reſpice.

Chryſoſt. hom. 7. in Marcum, Thalitha Kumi, interpretatur puella ſurge mihi. Si dixiſſet *Talitha Kum*, eſſet puella ſurge, nunc verò quia dixit, Κοῦμι, interpretatur de Ebr. & Syra lingua, ſurge mihi. Videte ergo myſterium in ipſa lingua Ebr. & Syra. Puella ſurge mihi, non tuo merito, ſed meâ gratiâ, mihi ergo ſurge quod ſanaris, non tuo merito.

Lxx. Εἰς τοὺς αἰῶνας. עלמות. Sic & Menahem לעולמים & Lieſv. *Voort ende voort*, & Caſtal. *Perpetuò.* Ego primam eligo.

GROTIUS.

SEcundâ ſabbati] Non eſt in Hebræo; non tamen id fruſtra annotatum eſt: nam alii Pſalmi diebus feſtis, alii certis diebus hebdomadis canebantur.

15. *Ipſe reget nos in ſecula*] Variæ lectiones varias hoc loco & verſiones peperere. Lxx. & Symmachus legêre עולמות per Holem ad Ayn, & putarunt eſſe pro עולמים [*ſecula*,] ſubaudito, ut & alibi, ל [*in*.] Alii iiſdem literis, ſed cum Patach ſub Ayn, & Schureck ante ultimam, *à pueritia.* Alii iiſdem literis, vocalibus aliis, vertunt *in abſcondito.* Alii dividunt voces על מות, & על ſumto pro עד [*uſque ad*,] interpretantur *ad mortem.* Et hoc in verſione ex Hebræo ſequitur Hieronymus, ut & Kimchi.

PRICÆUS.

4 **O**S *meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*] Sirachides 34. 9. *Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.*

Ibid. *Os meum loquetur ſapientiam*] Sirach. 16. 25. *Dicam in æquitate diſciplinam, & ſcrutabor enarrare ſapientiam.* Vide & ejuſdem 15. 10.

7. *Qui confidunt*, &c. *in multitudine divitiarum ſuarum*] Quod 1 Tim. 6. 17. ἐν τῇ ἀδηλότητι τοῦ πλούτε ἐλπίζειν. Ad quem locum non pauca huc pertinentia attulimus.

11. *Simul inſipiens & ſtultus peribunt*] Eccleſiaſtes 2. 14.

Ibid. *Et relinquent alienis divitias ſuas*] Hæredibus non ſuis; non enim dicit *aliis*, ſed *alienis*: & ità hic Græci, non ἄλλοις ſed ἀλλοτρίοις· fortè & iis quos potiùs odio quàm amore proſecuti ſunt: ejuſmodi enim ſignificationem non reſpuit vox ἀλλότριος. Unde illa (Homeri forte) ἀλλότριος φὼς, πολέμιός τις ἀνὴρ Heſychius interpretatur. Plinius lib. 8. epiſt. 19. *Fuit alioqui fratribus illis quaſi fato datum, ut divites fierent, invitiſſimis à quibus facti ſunt.*

12. *Et ſepulcrum eorum domus eorum in æternum*] De Ægyptiis lib. 1. Diodorus Siculus, Τοὺς τετελευτηκότων τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσι. Vide ad Matth. 23. 29. & ad Luc. 11. 47. dicta.

Ibid. *Tabernacula eorum in progenie & progenie*] Palatia in multas generationes duratura condunt. Apulejus, *Villas opiparè exſtruunt, & domos ditiſſimè exornant*: & pòſt, *Ædificiorum ſpecies illas*, &c. *amœniſſimas deprehendas, villas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas*, &c.

14. *Hæc via ipſorum ſcandalum ipſis*] Subaudi, *fiat*. Vide infrà 68. 23.

15. *Mors depaſcet eos*] Erunt decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum.

Ibid. *Dominabuntur juſti eorum*] *Jacebunt mali ante bonos*, Proverb. 14. 19.

18. *Cùm interierit, non ſumet omnia*] i. e. ſumet nihil. Vide 1 Tim. 6. 8. annotata.

Ibid. *Neque deſcendet cum eo gloria ejus*]

——— *Illa manent pulcra ac præclara relicta.*

Gloria heic eſt quæ 1 Joh. 2. 16. τοῦ βίου ἀλαζονεία.

IDEM.

2. **A***Uribus percipite*] Lxx. ἐνωτίσασθε. Heſychius, Ἐνωτίζε, ἐν τοῖς ὠτίοις δέχε.

3. *Terrigenæ*] In Gr. γηγενεῖς. Heſychius, Πάντες ἄνθρωποι νοοῦνται γηγενεῖς, καθὸ τὴν ὑπόστασιν ἐπὶ (lege ἀπὸ) γῆς ἔχουσι.

Ibid. *Et filii hominum*] Symmachus, Ἡ τε ἀνθρωπότης, προσέτι δὲ καὶ οἱ υἱοὶ ἑκάστε ἀνδρός.

Ibid. *Simul in unum, dives & pauper*] Apulejus in de Mundo, *Sunt* (in urbibus) *pariter dites & egentes, adoleſcentium ætas permixta ſenioribus.* Adde Proverb. 22. 2.

6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*] Suprà 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Lxx. τῆς πτέρνης με· i. e. actionum mearum. Heſychius, Πτέρνεται, πτέρνης, τῆς πορείας τοῦ βίου. Lege Πτέρνεται, πτερνίζεται. Πτέρνης, τῆς, &c. A jam adducta autem expoſitione non recedit Symmachus, πτέρνης, τῶν ἰχνέων interpretatur.

7. *Et in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur*] Confidunt, quaſi in urbe munita. *Subſtantia divitis urbs roboris ejus*, Proverb. 18. 11.

8. *Non dabit Deo placationem ſuam*] Fruſtrà victimas immolabit. In Rudente Plautina,

Atque hoc ſceleſti illi in animum inducunt ſuum,
Jovem ſe placare poſſe donis, hoſtiis;
Et operam & ſumptum perdunt: ideo fit quia
Nihil ei acceptum eſt à perjuris ſupplicii.

12. *Relinquent alienis divitias ſuas*]

——— Ὁσσία μέλισσαι πολυτρήτοις ἐνὶ σίμβλοις
Μοχθεῦντες, ἑτέρων δρεψόμενοι τὸ μέλι.

Vide ſuprà ad 38. 7. dicta.

Ibid. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*] Agros & poſſeſſiones ſuas vocaverunt nominibus ſuis.

13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit*] Homo cùm in honore eſt, non intelligit: ut ſit epiphonema vel ſic, Iſti (nempe de quibus jam locutus eſt,) cùm in honore eſſent, non intellexerunt. Artaxerxes in Additamentis Eſtheris 16. 2. *Multi*, &c. *bonore qui in eos collatus eſt abuſi ſunt in ſuperbiam.* Seneca 2. 13. de Benef. *O ſuperbia magnæ fortunæ! ò ſtultiſſimum malum*, &c. *ut te omnia nimia delectant*, &c. *oſtendis te non agnoſcere* (id eſt, non intelligere) *bona iſta quibus tantum inflaris. Non intelligere* autem in Pſalmo videtur eſſe, inſipientiam ſuam non factis tantùm, ſed & verbis grandibus publicare: idque aut erga proximum (unde Proverb. 30. 32. illa, *Eſt qui ſtultus apparuit poſtquam in ſublime elevatus eſt: ſi enim intellexiſſes* (nota, *ſi intellexiſſet*) *ori ſuo impoſuiſſet manum*:) aut erga Dei majeſtatem, honorum collatricem. Talia ferè illa, *Non movebor in æternum*, *Labia noſtra à nobis ſunt*; *quis noſter Dominus eſt?* & id genus alia ex hominum illius notæ perſona in Pſalmis occurrentia.

Ibid. *Comparatus eſt jumentis inſipientibus*] Quæ non intelligunt ornamenta quibus induuntur. *Comparatus eſt*, idem eſt quod in membro ſequente, *ſimilis factus eſt*. Ità Jobi 30. 19. *Comparatus ſum luto.*

15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt*] Sicut pecora occiſioni deſtinata, ſic iſti morientur: ὡς ἄλογα ζῶα (ut 2 Petr. 2. 12.) εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν γεγεννημένα, &c. ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται.

Ibid. *Mors depaſcet eos*] Depaſcet pinguedinem eorum. Ἐθρέψατε γὰρ (ut apud Jacobum 5. 4. & de divitibus loquentem) τὰς καρδίας αὐτῶν ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. Lxx. hîc ποιμανεῖ αὐτούς· id eſt, κατανεμεῖ. In Gloſſario, Καταιενεμημένος, *depaſtus.*

Ibid. *Dominabuntur juſti eorum in matutino*] Manè, id eſt, citò, ut ſæpe in hoc libro.

16. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me*] *Veruntamen* hic (ut alibi) eſt *ſed*, vel *at verò. Redimet cum acceperit*, accipiet & redimet, qui Hebraïzans πλεονασμὸς frequentiſſimus. *De manu inferi*, de mortis poteſtate.

17. *Nè timueris cùm dives factus fuerit homo*; &c. *Quoniam*, &c.] Simillimè ſuprà 36. 1. & 2. *Nè timueris*, eſt, nè zelaveris.

18. *Cùm interierit non ſumet omnia*] Id eſt, ex Hebraiſmo, non ſumet ulla. In Græco Epigrammate,

Πλουτεῖς; καὶ τί τὸ λοιπόν; ἀπερχόμενος, μετὰ σαυτοῦ
Τὸν πλοῦτον σύρεις εἰς σορὸν ἑλκόμενος;

PSALM. XLIX.

MUNSTERUS.

5. **C***Ur timeam in diebus malitiæ*] Hîc incipit proponere *ſapientiam* & prudentiam de quibus præfatus eſt, idque ſub *parabolis*, h. e. gravioribus ſententiis: monetque in primis, nè quis multùm ſolicitus ſit in hoc ſeculo de rebus fluxis & caducis, vocans ævum hujus mundi *dies malos*, ſicut & Jacob Patriarcha coram Pharaone dixit, *Dies mei pauci & mali ſunt.* Porrò per *calcaneos*, qui ſunt ultima pars corporis humani, Kimhi intelligendum docet *finem operum*; ut ſit ſenſus, Cur timeam hujus vitæ incommoda, quandoquidem hi qui ſe totos hujus mundi negotiis implicant, nihil reportant in fine niſi iniquitatem & conſcientiam oneratam?

7. *Redemptionem ejus*] Inanis, inquit, eſt confidentia opum, quando his nullus ſuam aut alterius etiam chariſſimi *fratris* poſſit prorogare vitam & *redimere* animam à morte. *Pretioſior enim eſt redemptio animæ* quàm ut poſſit his rebus liberari, *& ceſſet mors ab ea in perpetuum, aut vivat in perpetuum, & non videat ſepulcrum.*

11. *Et tamen cogitatio* (ſive *intimum*) *eorum eſt*] Senſus eſt, *Vident ſapientes & ſtultos æqualiter morientes*, & tamen exſtruunt magnificas domos, *nominis* æternitatem meditantes, ex quibus paulò poſt, nolint velint, migrare coguntur, nec juvabunt opes aut dignitas aliqua, ſed *ſimiles erunt* in morte *pecoribus.* Hæc cùm ità ſint, adhuc tamen *tradunt poſteris hanc ſtultitiam* obſervandam veluti legem: & illi ſunt tam inſipientes ut non vereantur prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſequi, opes ſcilicet, dignitatem & ſanguinis nobilitatem omnibus rebus præferentes.

14. *Manè dominabuntur eorum recti*] *Manè* illud eſt reſurrectio mortuorum: interim autem *mors paſcit*, h. e. dominatur in *impios*: ſed poſt reſurrectionem *juſti* cum Chriſto *dominium habebunt in impios*, ſicut impii modò nihil non injuriarum inferunt rectis.

15. *Benedicebat animæ ſuæ*] Quidam Hebræorum ſic exponunt hunc verſum, *Benedicebat animæ ſuæ*, h. e. *ſuaviter & molliter vivebat in hac vita, nihil negans animæ ſuæ: quod te*

irrita-

irritare non debet, ſed tu magis cogitabis, quòd te homines laudaturi ſunt ſi tu benefeceris tibi, virtutibus ſtudendo. Kimhi verò ſic interpretatur, *Benedicere debuerat animæ ſuæ in vita ſua, & magis curare ſalutem animæ ſuæ quàm delicias corporis. Et ſi tu ſic feceris & benefeceris tibi, confitebuntur tibi.*

19. *Perveniet anima ejus*] Qui ſcilicet in hoc mundo duntaxat his ſtudet quæ blandiuntur corpori, putatque ob ea ſe eſſe felicem, rapitur ſubitò *ad patres ſuos*, quos in hoc malo imitatus eſt, & *in æternum non videbit lumen.*

VATABLUS.

1. *Victori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] Vide Pſal. 42. ¶ *Auſcultate* האזינו] *Auribus percipite.*

2. *Etiam filii hominum, etiam filii viri* גם בני אדם גם בני איש] Hebraïſmus eſt, pro, *Tam plebeji quàm dignitate aliquâ pollentes.* Vel, *& plebeji & nobiles*, ſive *filii magnatum.* Quidam, *Tam filii hominum ignobilium quàm filii cujuſcunque nobilis.*

3. *Loquetur* ידבר] Fut. pro præſ. quidam eſſe volunt. ¶ *Sapientias* חכמות] *Scientias*, i. e. quæ ad comparandam ſcientiam plurimùm valent. ¶ *Intelligentias* תבונות] Sunt *intelligentiæ.* Plurali utitur quòd de multiplici intelligentia loquatur. Quidam & pro qui accipientes, vertunt, *Quia animus meus meditatur res plenas prudentiâ.* Vel, *Nam quæ apud me meditor, ad rectam intelligentiam pertinent.*

4. *Inclinabo ad parabolam* אטה למשל] *Accommodabo parabolæ. Intendam ſententiis.* Quod dicturus eſt vocat *parabolas*, quòd ſimilitudine & collatione non careant: & tam præclaras ſententias ut etiam ipſe illis aures accuratè præbere velit. ¶ *Aperiam cum cithara* אפתח בכנור] *Exponam adhibitâ citharâ*: ad quam ſcilicet canendus erat Pſalmus.

5. Cùm *iniquitas*, &c. עון עקבי יסבני. Quidam hanc partem verſus non jungunt priori: nam Hebraïcè tantùm legitur, *Iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me*, vel, *circumdaret me.* Alii futurum vertunt per præteritum, *Pravitas inſidiatorum meorum circumdedit me.* Alii hunc verſum quatuor ſequentibus conjungunt, vertentes, *Ecquid pertimeſcerem in diebus malis, dum me circumvenit iniquitas meorum ſupplantatorum, Qui rebus fidunt ſuis, opeſque ſuas grandes oſtentant, Si frater neminem redimere, nec Deo quenquam reconciliare poteſt? Tanti quippe redemptio talium conſtat animarum, ut omittere cogatur id perpetuò, etiamſi vivat diutiſſimè, nec intereat*, &c.

6. Ex illis *qui fidunt opibus ſuis* הבטחים על חילם] Qui non ſubaudiunt hæc verba *Ex illis*, ſic vertunt, *Qui ſpem collocant in opulentia ſua, & multitudine divitiarum ſuarum gloriantur.* Poſt hæc ſubaudiunt, *Timent tempore adverſo, quia opes fluxæ ſunt.* Alii, *Sunt qui ſperant in*, &c. Alii, *Nitentes opibus ſuis, & qui de amplitudine divitiarum*, &c. referentes ad *calcaneos*, pro quibus verterunt *inſidiatores.*

7. *Fratrem redimendo non redimet quiſquam* אח לא פדה יפדה איש] Ad verb. *Fratrem non redimendo redimet vir.* Ubi negatio tranſpoſita eſt, pro, *Fratrem redimendo non redimet.* Sic v. 17. *Quoniam non cum mortuus fuerit, accipiet quicquam*: pro, *Quoniam cùm mortuus fuerit non accipiet quicquam.* Hebraïſmus autem eſt, pro, *Nemo fratrem ſuum ullâ ratione redimere poteſt quin moriatur, & impetrare vitam longiorem pecuniis.*

8. *Nam pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum* ויקר פדיון נפשם] *Nimii ſiquidem pretii eſt redimi* à morte *animam ipſorum.* Relativum *ipſorum* pro antecedente *hominum.* ¶ *Et deſinet in ſeculum* וחדל לעולם] *Et ceſſavit in æternum*: q. d. Id nunquam fiet, nempe quod ſequitur. Alii, legentes חלד, *& ſeculum perpetuum.* Vel, ut alii, *& ævi in ſeculum*, ſive *perpetui*, vitæque æternæ, potiùs quàm divitiis poſſit acquiri.

9. *Videat foveam* יראה השחת] Hebraïſmus, *videre foveam* ſive *ſepulcrum*, pro *corrumpi in ſepulcro*, ſive *mori.*

10. *Videt* יראה] Fut. Heb. *Videre eſt ut ſapientes*, &c. ¶ *Alienis* לאחרים] *Aliis: poſteris.*

11. *Interiora eorum*, quòd manſuræ ſint *domus ſuæ* קרבם בתימו] Ad verb. *Intima illorum, domus illorum.* Eſt autem Hebraïſmus, pro, *In animo cogitant quòd manſuri ſint perpetuò in domibus ſuis.* Quidam, *Intima illorum* cogitatio quòd *domus ipſorum* futuræ ſint *ſempiternæ.* Alii, Et tamen *cogitatio eorum eſt* quòd *domus ſuæ maneant in æternum.* ¶ *Tabernacula ſua* משכנתם] *Habitacula ſua.* ¶ *Nominibus ſuis terras* בשמותם עלי ארצות] Ad verb. *in nominibus ſuis ſuper terras.*

12. *In honore* ביקר] *In ſplendore, in pretio.* ¶ *Intereunt* נדמו] Fut. Heb. pro præſ.

13. *Hæc via eorum*, nam ineſt *ſtultitia ipſis* זה דרכם כסל למו] *Hæc via ipſorum ſtultitia eſt eis.* Vel, *ſtultitia eorum eſt*: i. e. ut quidam vertunt, *Hoc illorum inſtitutum planè ſtultitia illorum eſt.* Aut, ut alii, *Cumque hæc eorum conſuetudo tam ſtulta ſit, tamen poſteri eorum inſtituto ipſorum delectantur.* ¶ *Ore ipſorum ibunt* בפיהם ירצו] *In ore ipſorum ambulant.* Alii, *currunt.* Fut. Heb. pro præſ. בפיהם *in ore eorum* pro כפיהם *ſecundùm os eorum* poſitum eſt. *Os* pro *ſermone, præceptis & ſententiis.* Propterea quidam vertunt, *Præcepta ipſorum cupidè ſectantur.* Alii, *Verbum eorum approbant.* Nonnulli, *Os eorum diligunt*: i. e. quæ illi commendarunt placent: vel, gratiſſima habent eorum præcepta & ſententiam de divitiis coacervandis. Non deſunt qui vertunt, *Ut juſſerunt perficient*: nam verbum Hebraïcum id etiam ſignificat.

14. *Paſcet eos* ירעם] *Reget eos*: i. e. paſtorem aget erga illos. ¶ *Manè* לבקר] *Exortâ luce.* ¶ *Et figura*, &c. וצירם לבלות שאול מזבל לו] Multa ſubaudienda, *Et figura eorum* ità comparata eſt *ut abſumat eam ſepulcrum* tralatam *de termino ſuo.* Vel, *habitaculo ſuo.* Alii pro *figura* ſive *forma* vertunt *robur*, ſic, *Et robur illorum peribit: infernus cuique illorum pro habitaculo erit.* Nonnulli, *Et forma eorum ut veteraſcat*, (vel, *aboleatur*) *infernus domicilium eis.*

15. *De poteſtate* מיד] *De manu*, i. e. poteſtate, aut (ut alii) loco. ¶ *Cùm acceperit* כי יקחני] *Quoniam ſuſcepit me.*

16. *Cùm ditatus fuerit vir* כי יעשר איש] *Cùm dives factus fuerit quiſpiam.*

17. *Cùm morietur non accipiet quicquam* לא במותו יקח הכל] Ad verb. *Non in morte ſua accipiet omnia.* Negatio inverſa, pro, *in morte ſua non accipiet quicquam*, ſive, *ne unum quidem*, ex omnibus quæ habet.

18. *Animæ ſuæ in vita ſua benedicet* נפשו בחייו יברך] Hebraïſmus, pro *beatum ſe prædicabit quamdiu vivet*: aut, *quòd vivat in hoc mundo.* Nonnulli futurum in præſens convertunt, *Anima ſua benefacit*, i. e. divitiis fruitur dum vivit, juxta illud Luc. 12. 19. *Anima mea, habes multa bona*, &c.

19. *Introibit* תבוא] Sub. *anima*: nam תבא eſt fœmineum: q. d. Tandem morietur cum majoribus ſuis.

20. *In honore & non intelligit* ביקר ולא יבין] *In pretio, & non intelligit.* Alii, *in ſplendore vivens, & ſcientiâ deſtitutus.* Alii, *cùm ſit pretioſus & nobilis, non expendit.*

CASTALIO.

5. *Circumſtante me meorum pœnâ calcaneorum*] h. e. Imminente mihi morte, cujus cauſa eſt hominis peccatum: quæ propterea minùs metuenda eſt quòd calcem duntaxat lædit, nec hominem prorſus exſtinguit, cùm ſit in vitam à Chriſto revocandus. Alludit autem ad illud Gen. 3. *Ut illud tibi caput, tu illi calcem illidas.* Diabolus enim, qui ſerpens erat, hominem non lethaliter vulneravit, medente Chriſto. Nec videri debet hæc interpretatio longiùs petita: nam ſic ſolent ænigmata: & hoc carmen *ænigma* vocat autor. עון autem pro *pœna* (ut vertimus) ponitur cùm alibi, tum 1 Reg. 28.

14. *In eoſque dominabuntur probi ad matutinum*] Cùm reviviſcent mortui.

CLARIUS.

IRridet hic Pſalmus inſaniam admirantium divitias: docet paupertatem aliaque vitæ hujus incommoda non eſſe timenda; opes & copias non admirandas; Deum iis qui in gratiam ipſius omnia reſpuunt, dare beatam & perpetuam vitam: quæ cùm obſcura & perplexa ſint iis qui per Spiritum Dei renati non fuerint, jure *ſe in parabolis & ænigmatibus locuturum* pollicetur. *Parabolæ* autem, *enarrationes, verba ſapientium* & *ænigmata* pro eodem accipiuntur, ut eſt Prov. 1. ea ſcilicet quæ gravioribus ſententiis conſtant, & reconditi aliquid habent, atque ideo explicationem apud imperitos requirunt. Eſa. 14. carmen de caſu Regis Babel, eò quòd audentiores Tranſlationes & Hyperbolas more Poëmatum habet, *Maſchal*, i. e. *parabola*, à Propheta nuncupatum eſt. Infrà Pſal. 78. cantaturus Aſaph beneficia & miracula quæ Deus Iſraëli exhibuit, dixit *ſe aperturum os ſuum in parabolis, & elocuturum ænigmata temporis priſci.*

2. *Quique terrigenæ*] Heb. *Etiam filii Adam, etiam filii viri*: ut *filii viri* intelligantur præſtantiores. Sic ergò Hebraïſmus explicetur, *Et Plebeji, & Principes.*

4. *Inclinabo*] *Adhibebo ad expendendam parabolam aurem meam.*

5. *Cur timebo in die mala?*] Hic incipit proponere *ſapientiam* & *prudentiam* de quibus præfatus eſt, idque *ſub parabolis*, i. e. gravioribus ſententiis: monetque in primis, ne quis multùm ſollicitus ſit in hoc ſeculo de rebus fluxis & caducis, vocans ævum hujus mundi *dies malos*: idcirco alius vertit *in diebus malitiæ.*

Porrò per *calcaneos*, qui ſunt ultima pars corporis humani, quidam docent intelligendum *finem operum*, ut ſit ſenſus, Cur timeam hujus vitæ incommoda, vel ſolicitus ero de hujus vitæ bonis, quandoquidem ii qui ſe totos hujus mundi negotiis implicant, nihil reportant in fine niſi iniquitatem & conſcientiam oneratam, ut ſcilicet finis operum noſtrorum iniquitatis nos condemnet?

6. *Qui confidunt in veritate ſua*] Conjunge ſic hunc verſum ſequenti, *Quicunque confidunt in operibus ſuis, & in multitudine divitiarum gloriantur, nemo horum fratrem ſuum redimere ullâ ratione poterit, vel vitam cuiquam prorogare, nec offerre Deo quicquam quod pro ejus redemptione velit ſuſcipere.*

8. *Et pretium redemptionis animæ ſuæ*] Alius vertit, *Pretioſa eſt redemptio animæ eorum:* ut ſit ſenſus hujus loci, Rariſſimè ſervantur qui divitiis inhiant; & qui perit ex eis, peribit perpetuò. Vivet quidem in æternum, ſed ſic ut nè optatus quidem interitus illi contingat. Vel, *Pretioſior eſt redemptio animæ* quàm ut poſſit iis rebus liberari, *ut vivat in perpetuum, & non videat ſepulcrum.* Ut illud *pretioſum* ſignificet *charum ac majoris pretii quàm ut permutari poſſit.* Quare quidam Hebræorum ſic interpretantur, *Pretioſa eſt redemptio animæ eorum*, h. e. charior quàm ut redimi poſſit, *& prohibita eſt in æternum*, h. e. homo non poteſt redimere vitam cujuſquam, *ut evadat mortem, & non videat ſepulcrum. Videt enim & ſapientes & ſtultos mori.*

10. *Cùm viderit ſapientes morientes*] Quia videbunt quidam mori ſapientes, nihil intereſſe putabunt inter mortem ſapientum & ſtultorum: cùm ſtulti & bruti homines non moriantur ſolùm ſicut ſapientes, ſed poſt mortem perpetuò intereant, deſtituti omnibus illis quæ hic magno ſtudio & animæ detrimento congeſſerant: relinquere enim ea aliis coguntur.

11. *Sepulcra eorum*] Sepulcra eorum erunt illis pro domibus & tabernaculis perpetuis. Alius ſic vertit, *Et tamen cogitatio eorum eſt quòd domus ſuæ maneant in æternum, & habitacula ſua ſint in generationem & generationem.* ¶ *Vocaverunt nomina ſua*] Cùm viverent famæ magis, quæ ad poſteros perveniret, ſtudioſi quàm ſalutis æternæ, *nomina ſua indiderunt terris.*

12. *Et homo in honore non perdurabit*] Fieri non poteſt ut ejuſmodi homo in pretio diu ſit: ſtoliditas enim illius deprehenditur, & non fiet pluris quàm beſtiæ, quibus ſe ſimilem fecit.

13. *Hæc via illorum*] Hic eſt ſucceſſus ſtultitiâ illorum dignus: ſed *& poſteri illorum* quod ab illis didicerunt ſequentur. Quod alius vertit, *Et poſteri eorum approbant verbum eorum.*

14. *Mors depaſcet eos*] Pabulum erunt morti perpetuæ. Vel, *mors paſcet eos*, h. e. paſtor eorum erit Mors. ¶ *Dominabuntur eorum juſti in matutino*] Vel, *manè*, per quod futura vita & reſurrectio mortuorum intelligitur, quando ſancti cum Chriſto judices erunt impiorum, qui nunc opprimunt juſtos. De hac aurora novæ vitæ locuturus Pſaltes, meritò præfatus eſt *ſe ænigma dicturum*, ænigma videlicet filiis hujus ſeculi. ¶ *A Gloria eorum*] h. e. A magnificis ædibus. *Forma*, inquit, & robur *eorum peribit* ubi ad *inferos à magnificis ædibus*, quas hic exſtruxerant, tranſlati fuerint.

18. *Quia anima ejus*] Quia in hac vita beatus ſibi viſus eſt, & alios ad idem vitæ genus hortatus eſt, ut videlicet genio indulgeas, & exemplo ejus bene cures te. Alii tamen hunc ſenſum afferunt, *Benedicere debuerat animæ ſuæ in vita ſua, & magis curare ſalutem animæ ſuæ quàm delicias corporis. Et ſi tu ſic feceris, & benefeceris tibi, confitebuntur tibi*, h. e laudabunt te.

19. *Introibit*] Quia in hoc mundo duntaxat iis ſtudet quæ blandiuntur corpori, putatque ob ea ſe felicem eſſe, rapietur ſubitò *ad patres ſuos*, quos in hoc malo imitatus eſt, & *in æternum non videbit lumen.*

20. *Homo cùm in honore eſſet*] Miſerabilis *homuncio*, *cùm in honore* propter divitias *eſſet*, *nihil intellexit*, ſed *pecudum* vitam imitatus, *ſeſe ſimilem fecit illis*, &c.

DRUSIUS.

1. שִׁמְעוּ־זֹאת. Ἄλλος, Ἀκούσατε τοῦτο. ¶ חָלֶד. Alius, τὴν ἐγκατάδυσιν· alius, τὴν κατάδυτον] Ἐγκατάδυσις, *immerſio*; item *latibulum*, ſive *cùm quis terram ſubit latendi causâ.*

2. גַּם־בְּנֵי אָדָם גַּם־בְּנֵי־אִישׁ. Sym. Ἤτε ἀνθρωπότης, προσέτι δὲ καὶ οἱ υἱοὶ ἑκάστου ἀνδρὸς] Ἀνθρωπότης, *humanitas.* Senſum hujus interpretationis pete ex Theodoreto. Ἑκάστου ἀνδρὸς, *cujuſque hominis*, איש ἕκαστος· ut cum dicimus איש אל רעהו *quiſque ad proximum ſuum.* ¶ יַחַד. Alius, ὁμοῦ.

3. וְהָגוּת לִבִּי תְבוּנוֹת. Alius, καὶ μινυρίσει ἡ καρδία μου σύνεσιν, *exilique voce loquitur cor meum intelligentiam.*

4. אַטֶּה לְמָשָׁל אָזְנִי. Alius, Κλινῶ παραβολῇ τὸ οὖς μου, *Inclinabo parabolæ aurem meam*] Priùs erat εἰς ὑπερβολὴν, *ad parabolam.* Tam hoc quàm illud ſe tueri poteſt ex Ebraïſmo. ¶ חִידָתִי. Alius, αἴνιγμά μου.

5. בִּימֵי רָע. Alius, ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ· alius, - - κακοῦ. ¶ עֲקֵבַי. Sym. τῶν ἰχνέων μου.

7. הַבֹּטְחִים. Alius, ἀλαζονευόμενοι.

8, 9. וְחָדַל לְעוֹלָם: וִיחִי־עוֹד לָנֶצַח. A. καὶ ἐπαύσατο εἰς αἰῶνα, καὶ ζήσεται εἰς νῖκος. Sym. ἀλλὰ παυσάμενος τῷ αἰῶνι τούτῳ ζῶν ἀεὶ διατελέσει] Εἰς νῖκος capiendum ut Amos 1. 11. τὸ ὅρμημα αὐτοῦ ἐφύλαξεν εἰς νῖκος. Sic Matth. 12. ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.

10. יַחַד כְּסִיל וָבַעַר יֹאבֵדוּ. Sym. *ſimul ſtultus & inſipiens peribunt*] *Simul*, ὁμοῦ. *Stultus & inſipiens:* aliàs *indoctus*, i. e. ἀμαθής. Quid inter hæc duo nomina interſit docet Theodoretus in comment. ad. h.l. Vide, ſi vacas & ſi vis. Vide & ed. Rom. Lat.

11. מִשְׁכְּנֹתָם לְדֹר וָדֹר. Alius, * τὰ ἐντὸς τῶν οἰκιῶν αὐτῶν εἰς αἰῶνα· alius, κατασκηνώσεις αὐτῶν εἰς γενεάν] קִרְבָּם וגו׳. Vide notas in verſ. Hieron. ¶ קָרְאוּ בִשְׁמוֹתָם עֲלֵי אֲדָמוֹת. Alius, ὀνομάσαντες ἐπ᾽ ὀνόμασιν αὐτῶν τὰς γαίας, *nominantes nominibus ſuis terras.* A. ἐκάλεσαν ἐν ὀνόματι αὐτῶν ἐπὶ χθόνας, *vocarunt de nomine ſuo terras.* Th. ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ γαιῶν αὐτῶν.

13. כֶּסֶל. Sym. ἄγνοια] Poſitum videtur pro ἄνοια, *amentia.* Certè Heſychius ἀμαθίαν reddit, & vox Ebræa denotat *ſtultitiam.* Alioqui ἄγνοια eſt *ignoratio* vel *ignorantia.*

14. כַּצֹּאן לִשְׁאוֹל שַׁתּוּ. Sym. Ὡς βοσκήματα [aliàs, πρόβατα] ᾅδου ἔταξεν αὐτοὺς, *Pecora inferni poſuit eos*] Ἔταξεν αὐτοὺς· apud Interpretem Theodoreti, *Sicut oves inferorum conſtituerunt ſeipſos, mors reget eos:* i. e. ἔταξαν αὐτούς. *Mors reget eos:* ירעם *paſcet eos*, i. e. reget. Sic alibi, *Reges eos virgâ ferreâ*, ποιμανεῖς αὐτούς. ¶ וַיִּרְדּוּ. κατακχθήσονται. ¶ וְצוּרָם לְבַלּוֹת שְׁאוֹל מִזְּבֻל לוֹ] A. χαρακτὴρ αὐτῶν κατατρίψαι ᾅδην ἐκ κατοικητηρίου αὐτῶν. Sym. τὸ κραταιὸν αὐτῶν παλαιώσει ᾅδης, - - -

18. וְיוֹדֻךָ כִּי־תֵיטִיב לָךְ. Sym. ἐπαινέσουσί σε ἐὰν καλῶς αὐτῷ ποιῇς, *laudabunt te ſi bene ei feceris*] Αὐτῷ. לו pro לך, i. e. *tibi.*

19. תָּבוֹא. A. Sym. Th. *introibis.* ¶ לֹא יִרְאוּ. A. Th. & VI. ed. οὐκ ὄψονται. Sym. οὐ βλέποντες. V. ed. οὐκ ὄψεται.

AMAMA.

PSalmus eſt παιδευτικὸς inſtitutorius. Continet enim παιδείαν de officio piorum, quomodo ſe in caſtigationibus gerere debeant, & in conſideratione felicitatis impiorum. Verſibus quinque primis præmittit exhortationem ad audientiam ſeu attentionem. Verſ. 6. & 16. eſt propoſitio inſtitutionis, eamque confirmat rationibus ſex.

R. Sal. *Pſalmus hic directus eſt ad omnes qui fidunt divitiis ſuis. Ideo dicit Gentes, quia omnes illæ indigent hac caſtigatione.* R. Abr. Aben. *Pſ. hic excellens eſt quia in eo exponitur lux futuri ſæculi & animæ immortalis ſapientiæ.*

2. הַאֲזִינוּ] Ἐνωτίσασθε, ab אזן illud, ut hoc ab οὖς ὠτός Sic ἀνὴρ ἀνδρὸς. Sic à תֵּבָה θίβη Ex. 1. Sic à בַּרְקָן βαρκανὴ, ἀκάνθαν reddit Heſychius.

חָלֶד] Chald. אַרְעָא. Lxx. οἱ κατοικοῦντες τὴν οἰκουμένην. R. Sal. etiam היא ארץ. *Quia* נוֹשֶׁנֶת וְחַלוּדָה *ſeneſcit & rubiginoſa ſit.* Alii *ævum, tempus*, reddunt, & ajunt eſſe per Metath. pro חֶדֶל quod reperitur Jeſ. 38. 11. quod inſtabilis & tranſiens ſit. Genebr. ait חלד opponi æternitati.

3. בְּנֵי אָדָם & בְּנֵי־אִישׁ] *Plebeji & nobiles*, ut declaratur membro ſeq. איש eſt nomen ἀρετῆς. אדם ſignif. *hominem obſcurum* & q. *terreum.* Hinc Lxx. γηγενεῖς, *terræ filii.* בני איש aliq. vocantur בְּנֵי אֱלֹהִים ut Gen. 6. 1. ubi etiam Pagninus, *Filii Principum, Magnatum.* Obſervetur etiam illic לָקַח ſignif. rapere ut Gen. 34. 2. de Sichem. ἀνὴρ nomen ἀρετῆς, ſic ἀνδρίζεσθαι, *viriliter agere.* 1 Cor. 16. 13.

4. חָכְמוֹת & תְּבוּנוֹת] Lxx. σοφίαν & σύνεσιν. Ebræi, quando aliquid volunt amplificare, ponunt illud in plurali numero. Jun. Prov. 1. 20. *Sapientia æterna* Chriſtus honoris gratia appellatur numero plurali. Amplificatur autem aliquid vel à quantitate vel à qualitate. A quantitate, ut בְּהֵמוֹת *Elephas.* Non ſufficit dici בהמה κατ᾽ ἐξοχὴν, ut θήριον apud Græcos (Suidas θηρία οἱ ἐλέφαντες) & Bellua apud Latinos, (Terentius, *Adeone ferox es quia imperium habes in belluas.*) ſed in plurali efferunt, quaſi dicas Beſtiam quæ multarum ſit inſtar.

Ad quantitatem diſcretam referunt & hæc exempla Junius & Trem. *Variam ſapientiam & multiplicem prudentiam.* Ital. *Magnam Sapientiam & prudentiam.*

A qualitate, Pſ. 42. & 43. verſ. fin. vocat Deum *ſalutes ſuas*, ſalus pro ſalvatore. Ergo Deum præſtantiſſimum Salvatorem ſuum vocat. Sic Prov. 9. 1. *Sapientiæ ædificant domum.* i. e. Præſtantiſſima & æterna increata illa ſapientia. Et huc retulerim ego po-

potius hoc ipſum exemplum, *Os meum dicet ſapientias*, i. e. Præſtantiſſimam & excellentiſſimam ſapientiam; quæ hinc tamen etiam commendari poteſt, quod, *varia & multiplex*, i.e. variis & multifariis doctrinis referta ſit.

Videndum tamen annon hæc omnia per Ellipſin exponi poſſint, quæ ſi ſuppleatur alius eſt nec minus elegans Ebraïſmus. Sic Jun. Prov. 9. 1. *Sapientiæ*, i.e. ſapientia ſapientiarum.

5. *Inclinabo*] Geſtus canentium vel pulſantium fides. Ipſe inclinabo, operam dabo ne quid temere effutiam. Agam de magnis rebus, ad quas ipſe attendam. Claudius accuſat Noëchos &c. Statuæ Mercuriales.

Maſchal] Sententia elegans & gravis, ſive ſit figurata ut parabola, ſive propria, 1 Regum 4. *Et locutus eſt 3 millia* מָשָׁל. At hodie extant tantum 800.

חִידָה] *Ænigma*. Obſcura ſententia, γρῖφος. Jud. אחודה vobis חִידָה Aliq. idem quod משל 1 Reg. 10. *Ut tentaret eum* בחידות Tharg. בְּפִתְלִין.

In cythara] i.e. Cum cythara. Sic Ex. 10. & 1 Theſſ. 4. & Eph. 4. A כנור κινύρα. Licet alii deducant ἀπὸ κινεῖν τὰ νεῦρα. Hinc κινύρομαι. Lxx. ἐν ψαλτηρίῳ.

Aperire ænigma & tollere ænigma idem ſunt.

6. Propoſitio per modum interrogationis, ad quam reſpondet uſque ad verſ. 16. κατ' ἄρσιν fallacium ſtudiorum, deinde κατὰ θέσιν.

לָמָּה אִירָא] *Lamma* hic ſcribitur irreg. cum ſequatur א Job. 7. לָמָּה ש׳ Job. 7. 20. Pſ. 43. 10. & 44. 2. לָמָּה בגרונשכל— בר קן ג׳ 2 Sam. 14. 31. Jirm. 15. 18. Pſ. 49. 6. 1 Sam. 28. 15. לָמָּה אחי בר קן ח Et ſic ante יְהוָה Exod. 32. 11. *Cur Domine exardeſcet ira tua.*

Cur timerem in diebus mali?] Mortis, judicii, calamitatis, aut etiam *ſenectutis*, ut Eccleſ. 12. 3. Sic Nonius Marcellus vocat *ætatem malam*, & Cicero de Sen. *Juventutem* vocat *ætatem bonam*.

Ut iniquitas] i.e. Pœna iniquitatis, per Meton. effic. Levit. 4. 29. *Si quis peccaverit ex ignorantia, adducet hircum caprarum & ponet manum ſuam* על חטאתו. Sic Gen. 4. *Major eſt iniquitas mea quam ut poſſim eam ferre.* Sic Jeſ. 53. *Et iniquitates eorum portavit, poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum.* Sic, *Poſuit peccatum animam ſuam.* 2 Corinth. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, fecit pro nobis peccatum, ut nos efficeremus juſtitia Dei in eo.*

יְסֻבֵּנִי] Lxx. κυκλώσει με.

עֲקֵבַי] *Calcaneus* pro *greſſu*, *greſſus* pro *actione* vel *vita*; ſic *ingredi*, *ambulare* pro vivere. Sic Lat. *inſiſtere veſtigiis alicujus.*

Vel, *Calcaneorum meorum*, i.e. quæ premit mea veſtigia, quæ ſequitur me.

7. *Eorum qui fidunt* &c. —— *fratrem non redimet vir*] i.e. Alter alterum. Sic אִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ *altera alteram.* Exod. 26. 3. V. *cortinæ conjunctæ erant* אשה אל אחו. Gen. 26. *Et jurarunt* איש לאחיו.

Amplificat ſuam fiduciam comparatione humanæ illius fiduciæ, quæ in divitiis, luxu & honoribus collocatur.

כפר] 1. *Tegere*, *obthurare*, unde כֹּפֶר *bitumen*. 2. Metaph. *tegere*, *abſcondere*; diciturque de *ira*, & ſign. *placare*; vel de *peccatis* & ſign. *condonare*, *remittere*; vel de *ſordibus* & ſign. *purgare*, *expiare*; vel de aliis rebus, *abolevit*, *ſuſtulit*, *amovit*. Jeſ. 45. *Veniet ſuper te* הוה *quam non quibus* לכפרה.

כֹּפֶר] כפרים λύτρον redemptura, ut captura apud Suet. in Calig. *Ex diurnis gerulorum quæſtibus pars octava, ex capturis proſtitutarum quantum quaque uno concubitu mereret.* Hic à Lxx. vocatur ἐξίλασμα.

Hom. Iliad. α & ω vocat ἄποινον. Math. 16. 27. dicitur ἀντάλλαγμα. τί γὰρ ὠφελεῖται ὁ ἄνθρωπος ἐὰν τὸν ὅλον κόσμον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτῦ ζημιωθῇ; ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτῦ.

Notarunt & Ebræi hoc *lytrum* non tantum conſiſtere in re aliqua, ſed & in factis, Sic Virg.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit.

Sic mors Chriſti ignominioſa eſt lytrum pro genere humano.

Tandem obſervetur à λύτρον eſſe Latinum *Luſtrum*, ut à λύτρῳ *luſtro*; nam *Luſtrum* veteribus non tantum ſignificavit *latibulum ferarum*, vel *ſcortorum*; Nec *luſtro recenſere*, ut *luſtrare exercitum*, vel *in popinis degere*, ut apud Plaut. *Luxuriantur, luſtrantur*; aut *illuſtrare*, ut apud Virg.

Poſtera Phœbeâ luſtrabat lampade terras

Orta dies.

Sed *luſtro* ſignificavit *liberare civitatem aliquam à pœna per luſtrum*, i.e. per pœnam ſuccedaneam, aut per piaculum. Sic *Decii luſtrarunt exercitum Romanum.* Sic Menœceus Thebas, de quo mater apud Papinium,

Luſtralemne feris ego te puer inclyte Thebis

Devotumque caput vilis ceu mater alebam?

Ad quos verſus Luctatius Scholiaſtes vetus, *Luſtrare civitatem humanâ hoſtiâ Gallicus mos eſt.* Luſtrare civitatem dixit quod Cæſar dixit, *placare Deorum immortalium numen.* Sic Sinon dicit *ſe poſtulatum à Græcis in luſtrum*, *ſanguine quærendi reditus animaque litandum Argolicâ.*

Idem ergo ſunt *lytron*, *luſtrum*, *placamen*, & ſi quæ ſunt ſimilia.

יֵקַר] Tigurini, *Nimii pretii eſt redimi animas ipſorum.* Ad ſenſum optimè. Sed quod in margine additum eſt ab Annotatore excuſari non poteſt. *Alii Lo repetentes per Zeugma legunt*, neque Deus magni æſtimat redemptionem animarum ipſorum, *ut Jekar ſit verbum.* Quid? an ergo Tigurini exiſtimarunt *Jekar* eſſe nomen? Non puto tam indoctum fuiſſe Leonem Judæ. Nam Grammatica non patitur. יְקַר *pretium*, cum Vau eſſet ויקר.

Jakar aliq. *rarum* ſignificat, quia omnia cara rara ſunt, ut Prov. 25. הֹקַר *pretioſum fac pedem tuum in domo amici tui*, Lxx. σπάνιον εἴσαγε. Sic 1 Sam. 3. *Et pretioſum erat verbum Domini in diebus illis*, i.e. rarum. Sic ex Eſaia 13. 12. citat hic Aben. *Pretioſum faciam virum præ auro. Ita in vos detumeſcet furor meus, ita vos exhauriam omnibus calamitatibus*, ut &c.

פִּדְיוֹן] *Redemptio & repemptionis pretium.* Vide ſupra, *Quid dabit vel quid faciet?* &c.

וְחָדַל] Ab. חָדַל שֶׁלֹּא יִהְיֶה זֶה לְעוֹלָם. Ang. *It ceaſeth for ever.* Sic Jun. *Ceſſabit in ſæculum hac* ſc. redemptio. Luth. ad ipſum hominem refert. Tigur. *Ut ævo viverent perpetuo*, ut חדל ſit pro חלד unde חֶלֶד *ævum*. Optimè, *Hy ſal het in eeuwigheyt wel laten ſtaen.*

לֹא פָדֹה יִפְדֶּה] Jun. *Nullo modo redimere poteſt.* NB. Vide Gram. noſtram. 2. 3. 26. Junii regula hic non quadrat, nec ipſe obſervavit eam. Docet enim in Synt. l. 3. cap. 3. Situm negationis diligenter hic eſſe advertendum. Si præcedat utrumque verbum negatio, tum neque certè neque univerſè rem negari, ſed potius quodammodo, ut certitudo tantum negetur, ut Gen. 3. 4. לא מות תמו תון *non utique moriemini*, non planè moriemini, vel non adeo certè moriemini, ut non ex diametro pugnet cum verbis Dei 2. 17. Sed neget mortis certitudinem, non utique moriemini, non eſt certum vos morituros. Sed ut dixi illud hîc loci non quadrat. Et contrà Jer. 46. 28. in altera diſpoſit. verborum וְנַקֵּה לֹא אֲנַקֶּךָּ non quadrat univerſalis negatio, nec enim poteſt reddi, *nullo modo te innocentabo*, vel *impunem dimittam*, ſed, non prorſus te impunem dimittam. Jun. *Caſtigabo te modice, non autem prorſus relinquam impunitum.*

10. לָנֶצַח] Εἰς τέλος. Alibi εἰς αἰῶνας. Pſ. 103. 9. לא לנצח יריב ὐκ εἰς τέλος ὀργισθήσεται. Sic סלה Theod. reddidit εἰς τέλος, Symm. εἰς αἰῶνα. Aq. ἀεὶ. Sed Prov. 21. 29. Aq. Th. Symm. reddiderunt εἰς νῖκος. *In victoriam*, i.e. ex phraſi Elleniſtica, *in perpetuum. Teſtis mendax peribit, at vir audiens* לנצח *in æternum loquetur*, i.e. auritus teſtis perpetuò, ſecurè, omni loco & omni tempore teſtari poteſt. Sic Pſ. 13. 2. *Quouſque Domine oblivisceris me* נצח Lxx. εἰς τέλος, alii, εἰς αἰῶνα, alii, εἰς νῖκος. Hinc lucem accipit locus 1 Cor. 15. 54. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Oſ. 13. 14.

לָנֶצַח Ob locum 1 Cor. 15. Parallel. Jeſ. 25. 8. εἰς νῖκος ſexies apud Lxx. interpretamentum eſt Ebraïci לָנֶצַח (nam id aliàs εἰς τέλος, aliàs εἰς αἰῶνα, aliàs διαπαντὸς)

I. 2 Sam. 2. 26. μὴ εἰς νῖκος καταφάγεται ἡ ῥομφαία, verba Abneri ad Joab.

II. Job. 36. 7. εἰς θρόνον καθιεῖ εἰς νῖκος, *ſedere faciet eos.*

III. Jirm. 3. 5. καὶ διαφυλαχθήσεται εἰς νῖκος.

IV. Thr. 5. 20. ἵνα τί εἰς νῖκος ἐπιλήσῃ ἡμῶν.

V. Amos 1. 1. ὅρμημα αὐτῦ ἐφύλαξεν εἰς νῖκος.

VI. Amos 8. 7. καὶ ἐπιλησθήσεται πάντα τὰ ἔργα εἰς νῖκος.

Videre corruptionem] Διαφθορὰν à שחת i.e. *corrumpi*, ut *videre mortem*, i.e. mori. Senſus eſt ut vivat in æternum & non moriatur, *Solent Ebræi ubi aliquid poſuerunt illud repetere cum negatione contrarii.* Sic Eſ. 38. 2. *Præcipe domui tuæ, nam morieris, & non vives.* Sic Pſ. 118. 12. *Non moriar, ſed vivam.* Pſ. 96. *Terra ſtabiliet, non nutabit.* Eo loquendi genere præcipue delectatus eſt Johannes. Joh. 1. 20. *Et confeſſus eſt, & non negavit.* Maximè in Epiſtolis. 1 Joh. 1. 5. *Lux eſt, nec tenebræ in eo ullæ.* 2. 17. *Veritas eſt, & non mendacium.*

11. Exaggerat fiduciam vanam divitum, & eam amplificat à ſtultitia, quod ſe per quotidianam experitiam corrigi & erudiri non patiantur.

כִּי] *Quamvis* (alii; *Nam*) *videt*] Sic Joſ. .... *Tu vinces Cananæum* כי רכב ברזל לו *quamvis currus ferreos habet.*

Sapientes] Boni.

Stultus] כְּסִיל & אֱוִיל diff. כסיל eſt in quo eſt ſtultitia הַיְּדִיעָה privat. אויל in quo eſt ſtult. קְנִיָּיה poſſ. poſit.

Sumitur I. pro *ſtolido*, *vecorde*, Prov. 17. *Increpulio magis terret intellig. quam centum plagæ ſtultum.*

II. Pro *homine impio*, ut Pſ. 14. Et ſic paſſim in Prov. ſic hic, Lxx. μωρονικὸς vocant.

III. *Pigrum*. Eccl. 4. 5. *Stultus complicat manus ſuas.*

בער] Verbum ſignif. *bruteſcere*, N. בַּעַר *brutus*, *pecuinus homo*, *Baar*, *Bar*, *Baro*. Sic Cicero uſurpavit Epiſt. Libr. 9. ultimâ, *Ille Baro te putabat quæſiturum, unum cœlum eſſet an innumerabilia.* Epiſt. ad Att. lib. 5. pro viris fortibus, *Apud Patronem* &c. *Barones te in ſumma gratia poſui.* Sic de Divin. lib. 2. Sic 2. Fin. *Hæc cum loqueris nos Barones ſtupemus.* Perſius Sat. 5. *Varo* dixit, *B* & *V* alternant, *V* i. digamma Aeolicum ſic dictum non à ſono, ſed à figura Ⅎ *DIⅎ Æ AMPLIAⅎ IT.* Sic *Livius* & *Libius*, *Fabius* & *Favius*. Sic *Beſica*, *Balva*, & *Viba*, *Cibica*, *Probincia*, *Uniberſus* &c. Hiſpanis hoc tralatitium eſt quibus *Bibere* eſt *Vivere*, ut contra Germ. in *P* mutant qui gaudent *pono ſuo vino*.

Hic obiter obſervetur, hunc eſſe fontem corruptæ pronunciat. Linguæ Latinæ. Hinc literæ *C* ante *E*. i. aſſignatus ſono literæ *S* vel *Z*. cum in tota antiq. apex non ſit iſti ſono ſtabiliendo. Græci Κικέρων. Si ſic Latinè aliquis pronunc. rideretur hodie. *Pulet non tam erroris quam pertinaciæ.* Omnes patiuntur hoc corripi, nemo corrigi. *Omnes tenent quod nemo probat.* Audeat una gens & omnes audient.

Pereunt] Moriuntur, ut Jeſ. 57. *Juſtus perit.* Sic Plaut. *Qui per virtutem perit non interit.*

Tamen בְּקִרְבָּם] *Haar hert en ſin. In medio ipſorum*, i. e. in corde ipſorum. Lucem habet ex Jirm. 31. 33. *Ponam legem meam in medio ipſorum.* Ideo Ab. dicit 'כמו חכרב & exp. בְּמַחְשְׁבוֹתָם. Lxx. καὶ οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν εἰς αἰῶνα. Vulg. *Et ſepulchra ipſorum.* 1. Metatheſis. 2. Sing. pro Plur. Ab hoc etiam adducit ſed non probat. Aliàs *ſepulchrum* vocatur *Domus* Eccleſ. 12. *Domus æternitatis ſuæ.*

Piſc. (*Tamen*) *Intima cogitatio eorum* [*eſt quod*] *domus eorum in ſæculum* [*duraturæ ſint*] & *habitacula ipſorum in quamque generationem. Idcirco prædicunt nomina ſua per terras.* Potius. *Idcirco denominant* [*ea*] *de nominibus ſuis per terras.* Vel ut E. It. G. *Denominant terras* [*ſuas*] *de nominibus ſuis.*

Tentoria ſua] i. e. Domus. Olim in tentoriis habitabant: ſucceſſerunt domus, quæ tamen Catachreſticè dictæ tentoria. Idem *libris* accidit, qui antiquitus ſcribebantur *in corticibus arborum*, & inde *libri* dicti. Cicero de Nat. Deorum. *Trunci obducuntur libro vel cortice, quo à frigore & calore ſint tutiores.* Poſteaquam verò cæptum eſt ſcribi in charta vel pargameno, manſit nihilominus libri nomen.

קראו בש] קרא cum ב conſtructum ſignificat *denominari*, Jeſ. 48. 1. *Audite domus Jacob* הַנִּקְרָאִים בְּשֵׁם יִשְׂרָאֵל *qui denominati eſtis de nomine Iſraël.* Sic Gen. 4. verſ. ult. Juxta &c. Sic Gen. 48. 16. וְיִקָּרֵא בָהֶם שְׁמִי. Cum על paſſim. Eſai. 4. 1. *Invocetur nomen tuum ſuper nos.* Eſ. 4. Confund. ergò, *Vocare aliquem in nomine*, *Vocare nomen ſuper aliquem*, & *Vocare nomen in aliquo.* Gen. 48. & *Vocare ſuper aliquem in nomine.* Multorum nomina celebrantur in terris, quorum animæ cruciantur in infernis.

Trem. *Quum ea vocarent de nominibus ſuis per terras.* Ea, ſc. Tabernacula.

13. Studium gloriæ exagitat à brevitate & inſtabilitate.

Neque tamen homo qui in honore eſt, & *non eſt intelligens*, ſc. ex verſu ult.

Vulg. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit*, Lxx. συνῆκε יָבִין. Th. יָבִין.

Alii ſic: *Neque tamen cum honore iſto pernoctabit homo*, i. e. Morietur, ut *dormire* dicitur de mortuis, Dan. 12.

Pernoctabit] Ut, *Anima ejus pernoctabit in bono.*

Aſſimilatur ſicut beſtiis] Similis locutio in Græco, Rom. 9. 29. ὡς γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν. Job. 30. 19. *Similis factus ſum ſicut pulvis & cinis* Plautus, *aſſimilare ſimiliter.* Vide Cenſ. Noſtr. ad Exod.

נדמו] לשון דממה. Ab נכרתו. Ob. 1. 7. *Quomodo* נִדְמֵיתָה. Lxx. ἀπεῤῥίφης. 'נדמו. Tſop. 1. 11. *Excifus eſt omnis populus Canaan.*

Quæ exſcinduntur] Homo perit ut beſtia, ratione corporis, & quod ad ſtatum præſentis vitæ attinet. Eccl. 3. 19. Kimchi multa hic habet de interitu animæ impiorum, ut & ad Pſ. 1.

14. Jun. *Hæc cum ſit via eorum, tamen exſpectatio eſt eis.* Cum hæc ita ſe habeant, tamen ampliſſimas ſibi exſpectationes fingunt. Alii, *Hæc via ipſorum vergit in ſtultitiam*, vel, *eſt ſtultitia*, ut למו redundet.

כֶּסֶל] Rep. *in hac fiducia eorum.* Job. 31. 24. *Si poſui argentum* כסלי. Pſalm. 78. 7. *Poſuerunt in Deo* כִּסְלָם τὴν ἐλπίδα αὐτῶν.

אַחֲרֵיהֶם] Ab. בְּנֵיהֶם Rab. Sal. 'הבאים אחריה.

בְּפִיהֶם] *Os eorum*, i. e. doctrinam, ſermonem eorum. Sic Deut. 17. *In ore duorum vel trium teſtium.* Vel *Mandatum.* Ab. כְּמוֹ עַל פִּי. Sic, *Secundum os Pharaonis.* Sic Gen. 41. 40. *Ad os tuum armabitur populus meus.*

Jun. *Os eorum approbant*, i. e. Sententiam, mentem & verba.

יִרְצוּ] רָצָה *Velle*, *delectari*, *approbare*. Conſtr. cum את cum ב Pſ. 147. *Non* רָצָה *in tybiis viri*, *non delectatur.* Et ſemel cum עם Pſ. 50. *Si videbas furem* וַתִּרֶץ עִמּוֹ & *volebas cum eo*, i. e. approbabas eum vel id factum conſentiebas.

סֶלָה] Διάψαλμα, quod eſt τῶ μέλους ἐναλλαγή.

15. *Ut oves*] Gregatim catervatim; vel ut oves in ſtabula concluduntur ut mactentur, ita &c. Ideo Ab. כִּי סופם לְטֶבַח. Trem. *ut pecudes* ſc. morticinas & in cloacis & exquilias projectas.

In ſepulchro] לִשְׁאוֹל utrumque ſignificat. Hic *ſepulchrum* poſtea *infernum* ſign. ut ſervetur ordo judiciorum Dei. ל pro ב ut Pſ. 16. *non relinquet animam meam* לשאול. Jun. *Sheol ſtationem quamlibet mortuorum in univerſum ſignificat.*

שַׁתּוּ] *Diſponent eos*, ſc. qui diſponent שָׁתִים, perf. pro imperf. Eſt anom. pro שָׁתוּ. R. Sal. vult eſſe ex ordine dupl. שתת vel ex Quadrata pro שׁוֹתְתוּ. Sic Pſ. 73. שַׁתּוּ בַשָּׁמַיִם פִּיהֶם. Vid. Gr.

Mors depaſcet eos] R. Sal. מַלְאַךְ הַמָּוֶת. Angelus mortis. Cui tribuitur חִבּוּט הַקֶּבֶר de quo Elias in Thisbi. Hic etiam inficit aquas domus mortuariæ, ideò ſimul ac mortuus eſt Judæus, effundunt aquam. Omnes hac plagâ afficiuntur præter eos qui moriuntur in veſpera Sabb. & qui moriuntur.

R. Sal. in Com. ad Gen. 49. dicit ob tria voluiſſe Joſephum ſepeliri in terra Canaan, 1. Quia prævidit ex iſta terra productum iri pediculos. 2. Quia per cavernas terræ volutabuntur omnes qui extra eam ſepulti in Reſurr. 3. Ne idololatriam exercerent reliquiis ſuis Ægyptii. Miror hoc quartum ab eo non additum.

יִרְעֵם] רָעָה aliq. depaſcere, idem quod רעע & רָצַץ. Mich. 5. *Et ſuſcitabo ſuper illos ſeptem paſtores & octo optimates populi & depaſcent* ורעו *terram Aſſur gladio.* Hinc lucem accipit locus Pſ. 2. תְּרֹעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל Quod Lxx. & eos ſecutus Apocalyptes reddit ποιμανεῖς, *paſces eos.* Hic ajunt Lxx. legiſſe aliis punctis תְּרָעֵם. Sed opus non eſt eò condeſcendere. Nam ſi רָעָה ſignif. *depaſcere*, *conſumere*, *deſtruere* cur non & poſſet reddi per ....

צירם] Quidam *formam* eorum, 2. *robur.*

לַבֹּקֶר] *In mane*, in die *judicii*, vel in futura vita, quæ vocatur tempus matutinum, quia in ea orietur aurora vitæ ſolidæ & perpetuum manè, ubi nullus veſper erit. Reſp. Futuræ vitæ, tota hæc vita mera nox, meræ tenebræ; ut nihil jam dicam de longa illa nocte quæ mortuis ratione corporis in ſep. dormienda eſt.

לְבַלּוֹת] Vel לְבַלּוֹת utrumque ſign. *deterere*, *conſumere*, ſed בלה *vetuſtate deterere.* Et צירם eſt pro צוּרָתָם. Et eſt Accuſ. & ſubint. debet עתיד quod æquivalet Gr. μέλλει. Ut cum dicunt μέλλει λέγειν, *futurum eſt ut dicat*, μέλλων φονεύειν occiſurus eſt. Sic שאול עתיד לבלות.

מִזְּבֻל לוֹ] Jun. *Receptam ex habitaculo ſuo*, i. e. ſepulchro. Piſc. [*Poſtquam*] *è termino ſuo* [*abreptus fuerit quiſquam eorum*] זָבַל *habitare*, unde זְבֻל, Gen. 30. 20. *Nunc* יִזְבְּלֵנִי *vir meus*, i. e. יזבל עמי unde vocavit eum Zebulon.

Apud Rab. ſign. זֶבֶל ſtercus, unde Βεελζεβουλ in N. T. quod in Vet. בַּעַל זְבוּב.

Quia aſſumet me] Vel poſtquam aſſumſerit me, ſc. ex hac vita, vel, *quia aſſumſit me*, vid. in filium, *adoptavit* ut Pſ. 27. unde & אסופי *Altellus* eſt *Vondeling.*

Reſp. Ad ſecuram illam & confidentem interrogat. verſ. 6.

E manu Sheol] i. e. Inferni vel ſepulchri, & tunc נֶפֶשׁ ponitur pro me, Synec. membri. *Me*, i. e. corpus meum, Syn. integri. Sic Pſ. 16. Confer cum Act. 6

שְׁאוֹל] A Them. שָׁאַל *deſiderare*, quod ſemper appetat, vel quod ſit locus eorum qui hic deſiderantur. Gr. Ἅδης quaſi ἀΐδης τόπος.

I. *Sheol* denotat *locum* & *ſtatum mortuorum*, qui duplex eſt: Secundum animam, ſecundum corpus. Secundum corpus, *Sepulchrum.* Secundum animam iterum duplex, vel *locum beatorum*, vel *locum damnatorum.*

II. Hic duo controverſa, unum an *Sheol* accip. pro *Paradiſo*, hoc vult Junius in notis ad hunc locum, & huc citat ad Bell. Cont. 2. lib. 4. cap. 14. locum ex Diphilo, Chryſoſtomo & Tertull. de Idolol. & dicit *Inferi* eſſe Catachreſticum Ἅδης γενικὸν interpretamentum τῶ Sheol. Mercerus in Eccleſ. 9. 9. *Sheol pro ſtatu alterius ſæculi ponitur, qualis qualis is ſit, unde & de piis dicitur*, Gen. 44. 26. Jun. ad verſ. 15. *Sheol ſtationem quamlibet mortuorum ſignificat.* Mart. in Etymol. *Sheol pro ſepulchro ponitur, & omni omnino loco, in quem mortui inferuntur, ſive*

ſit

ſit ſep. pro corporibus, ſive recept. pro animabus, ſive beatorum ſive damnatorum. Diphilus, Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβας νομίζομεν, Μίαν δικ. ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἶναι ὁδὸν, καὶ εἰ τὰς δύο καλύψει ἡ γῆ. Hier. in Hoſ. 13. *Inter mortem & infer. hoc intereſt; Mors eſt qua anima ſeparatur à corpore: Inf. locus in quo animæ recluduntur, ſive in refrigerio, ſive in pœnis pro qual. merit.* Chryſ. Hom. de Divit. *Audivimus quid utrique in 1. paſſi ſint, videamus quid utrique apud inf. patiantur.* Tert. de Idol. cap. 13. *Lazarus apud inf. refrigerium conſecutus eſt.*

III. Sicque excuſari poteſt ſententia Brougtoni & Alſtedii, qui Articulum *Deſc. ad inferos* ſic exponunt ut duo denotentur, *Quies corporis in ſep.* & *Animæ Migratio in Paradiſo*: Utrumque dicit Scriptura, & tunc eſt connectio elegans. Nec damnanda tamen Catecheſeos expoſitio; nam pro *angoribus* videtur ſumi 1. Sam. Niſi velis Witakero aſſentiri dicenti alterutrum ſuperfluum eſſe.

Ad locum Gen. 37. 1. אל ibi eſſe pro על. 2. *Sepelire* eſt *terræ reddere.* Mecæn.

Nec tumulum curo ſepelit, natura relictos.

Luc. ——— *Capit omnia tellus*

Quæ genuit, cælo tegitur quem non tegit urna.

Petrarcha: *Niſi te tellus preſſerit, nullam premes: te, niſi terra contexerit, cælum teget.* Jirm. 22. de Jojakim, *Sepelietur ſepultura aſini.*

IV. Alterum controverſum eſt cum Pontificiis, an *Sepulchrum* notet. Illorum ut *Purgatorium* & *Limbum* tutentur, negant aliqui. Bell. dicit, *Raro aut nunquam pro ſepulchro. Raro*, & tamen incurrit in H. Stephanum quod pro ſignif. ſepulchri exemplum non attulerit. Sed dabo exempla.

I. Ex Lxx. quos dicit ſemper per ᾍδης vertiſſe. At quid ſi ita eſſet? ᾍδης enim generale eſt ad utrumque ſe extendens. Tamen Ezech. 32. 11. ubi λάκκον reddunt Lxx. Sic contra Eſa. 14. 19. reddunt בור Ebr. per ᾍδης.

II. Genebr. Pſ. 141. 9. *Diſſipata ſunt oſſa mea ſecus infernum*, i. e. ſepulchrum.

III. Job. 17. *Sheol eſt domus mea*, ubi & Th. habet Sepulchrum, & Lyra.

IV. Gen. 44. *Deſcendere facietis canos meos* &c.

V. Jeſ. 14. & Gen. 37. Caj. Pag. Ar. Fer. Ol. Lipp. Clar. Stench. Prov. 15. Janſen. Pſ. 16. Andr. Rib. ad Minores Prophetas.

17. *Ne timeas*] Ne commoveare, Synechd. ſpecies motus pro genere; vel *proprie*, i. e. cum videris ditari impium ne timeas vel non eſſe Deum vel Deum non eſſe juſtum, Platoni etiam hoc fixum fuit, pugnare cum Dei juſtitia ut bonis malè, malis benè perpetuò ſit, quia vero plerumque apud nos ita agitur cum impiis, inde collegit homo Ethnicus aliam fore vitam poſt hanc. Et certè aut Deus non eſt Deus, aut hanc benedictionis corporalis ubertatem, ſpiritualis maledictionis largitat. compenſavit.

Vir] i. e. Quiſpiam, malus ſc. & improbus.

18. *Non ſumet omnia*] Ergò aliquid ſumet? Nullo modo. Phraſis Ebraïca. *Non omne*, i. e. nihil. Negatio non influit in ſignum ſed in verbum. Sic, *Non juſtificabitur ex operibus Legis omnis caro. Non eſt ἀδύνατον apud Deum omne verbum*, i. e. nullum verbum, nulla res. Apud Latinos aliter eſt. Ibi enim non contradicunt ſibi hæc duo *omnis & non omnis*, ſed ſunt ſubalterna, nam *non omnis* eſt *aliquis.* Et hoc ſenſu Hieron. in Comm. ad Epheſ. 1. exponit illud Pſ. 143. *Non juſtifi. in conſpectu tuo omnis vivens*, hoc eſt, inquit, non *juſtificabuntur omnes ſed aliqui.* Impegit vir doctiſſ.

Non deſcendet poſt eum] Nec deſcendet poſt eum, nec cum eo. Diſtinguenda hæc duo. Sic *ſequi poſt aliquem & cum aliquo.* Idque ob locum Apoc. 14. *Beati ſunt qui in Domino moriuntur à modo, etiam dicit ſpiritus, & requieſcunt à laboribus ſuis & opera eorum*, i. e. merces operum, ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν. Locus inſignis & notabilis contra Purgatorium. Dicit ἀπάρτι *ex quo moriuntur.* Tho. dicit *Patres V. T. qui in Domino mortui ſunt habuiſſe quidem quietem per immunitatem pœnæ, ſed non habuiſſe quietem deſiderii per conſecutionem finis.* Sed hoc refellit Joh. hoc loco. Sed efficaciſſ. argum. eſt in *poſtremis.* Quæ male vertuntur, *ſequuntur eos.* Nam poteſt aliquid ſequi ſed ἀπὸ μακρόθεν, ut Petrus ſequebatur Chriſtum, aliud eſt ſequi μετά τινος. Et hæc locutio hic adhibetur. Ideo verte, *comitantur eos.*

19. *Quamvis* vel *cum animæ ſuæ benedixerit*] i. e. Sibi gratulabitur, indulgebit genio & negliget Deum, Deut. 29. *Ne ſit inter vos qui cum audiet verba hæc ut benedicat ſibi in corde ſuo, dicendo, pax erit mihi cum ex ſententia animi mei ambulabo*, &c. Ubi *benedici ſibi* eſt *perſuadere ſibi, omnia bene ſe habere, præſumere.*

Et laudaverint te] Tales vid. quod tu quoque genio indulgeas, Etiamſi non ſolum ipſi male faciant, ſed & aliis idem facientibus faveant & ament.

20. *Etſi perveniat* [*anima eorum*] *uſque ad ætatem patrum*] i. e. Quam diutiſſ. vixerint.

[*Tamen*] *in ſeculum non videbunt lucem*] i. e. Non fruentur vita, vel in æternum non fruentur vita æterna, ſed æternæ caliginis, vinculis, & catenis æternum manebunt alligati.

21. *Homo* [*qui*] *in honore eſt, & non intelligit* vel *intelligens eſt, ſimilis eſt jumentis* (*quæ*) *pereunt.*

GROTIUS.

13. *ET homo cùm in honore eſſet non intellexit*] Legerunt יבין; at noſtri codices ילין, id eſt, *non pernoctavit*, pro *non perſtitit.* Alii curioſiùs hinc inferunt Adamum primo die peccaſſe.

PRICÆUS.

3. *DEus manifeſtè veniet*] *Horrendè* (ut Sapient. 6. 6.) & *citò apparebit illis.*

8. *Non in ſacrificiis tuis arguam te*] Idem 1. 11. apud Eſaiam, *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum.*

10. *Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus*, &c. *cognovi omnia volatilia cæli*] Eundem Apulejus alloquens, *Tuam majeſtatem perhorreſcunt aves cælo meantes, feræ montibus errantes*, Mileſ. 11.

11. *Pulcritudo agri mecum eſt*] Id eſt, mea, vel, in mea poteſtate, vel, penes me. Sic 16. 12. Sirachidis, *Miſericordia & ira eſt cum illo.*

13. *Numquid manducabo carnes taurorum?* &c.] Plutarchus ad Homeri illa,

——— Μάκαρες θεοὶ ῥεῖα ζώοντες.

Ἀθάνατοι ὄντες, ῥᾳδίαν ἔχουσι τὴν τοῦ ζῆν φύσιν, καὶ οὐ δέονται τροφῆς, ἧς δεῖται τῶν θνητῶν ζώων τὰ σώματα.

18. *Si videbas furem, currebas cum eo*] Hinc Eſai. 1. 23. *ſocii furum. Currere* hîc eſt quale Judæ com. 11. τῇ πλάνῃ ἐκχεῖσθαι· nec diſſimili re 1 Petr. 4. 4. habemus συντρέχεσθαι.

19. *Lingua tua concinnabat dolos*] *Injuſtitiam* (ut 51. 4.) *cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta feciſti dolum.*

20. *Adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*] *Juxta iter* (ut 139. 6.) *poſuiſti ſcandalum ei.*

21. *Hæc feciſti, & tacui; exiſtimâſti iniquè quod erô tui ſimilis?*] Apud Eſaiam 57. 11. *Mei non es recordata, neque cogitâſti*, &c. *quia ego tacens, & quaſi non videns: & mei oblita es.*

Ibid. *Exiſtimâſti iniquè quod ero tui ſimilis*] In Trinummo Plautina,

——— *Malus bonum malum*

Eſſe vult, ut ſit ſui ſimilis. ———

Propertius,

Me ſimilem veſtris moribus eſſe putas.

Adde Joh. 8. 55. Cicero 9. 16. ad Atticum, *Nihil malò quam & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.*

Ibid. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*] *Statuam* heic eſt, ſtabo, conſiſtam. ἔξεις με (ut Act. 25. 16.) πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· alluditur enim ad forenſem morem reos accuſandi peragendique.

IDEM.

3. *MAnifeſtè veniet*] Lxx. ἐμφανῶς ἥξει· quod Heſychius per optativum exponit, φανερῶς ἔλθῃ.

Ibid. *Deus noſter, & non ſilebit*] Repete majoris energiæ cauſâ initio, *veniet.* Ἥξει, (ut Hebr. 10. 37.) καὶ οὐ χρονιεῖ· non ampliùs *ſuſtinebit*, aut, *quieſcet*: id enim heic, *non ſilebit.* Lxx. οὐ παρασιωπήσεται. Heſychius, Παρασιωπῶν, μακροθυμῶν.

8. *Non in ſacrificiis tuis arguam te*] De ſacrificiorum tuorum raritate non queror; ἀλλ' ἔλεον, αἶνον, καὶ δικαιοσύνην θέλω, καὶ οὐ θυσίαν.

9. *Non accipiam de domo tua vitulos*] Vitulorum non indigeo tuorum. Jobus 6. 22. ad amicos ſuos, *Numquid dixi, afferte mihi? &, de ſubſtantia veſtra donate mihi?*

10. *Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum*] Q. d. ἴδιος οὖν οὐδὲν ἴδιον τῷ τῶν πάντων κυρίῳ· ut legimus apud Diodorum Siculum. Apoſtolus Rom. 11. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

11. *Et pulcritudo agri mecum eſt*] In conſpectu, id eſt, in poteſtate mea. Sic infrà 138. 18. *Sum tecum.* Agri pulcritudinem intellige,

——— *Cum*

—— *Cum omnis ager, cumque omnis parturit arbor,*
Cùm frondent ſylvæ, cùm formoſiſſimus annus.

Ad quæ verba (ex Virgilio deſumpta) hæc habet Servius, *Exprimere vult tempus quo deliciæ ſunt in agris.* At vide hæc diſtinctiùs explicata Pſal. 64. com. 10, 11, & 12. *Tuo nutu*, &c. *germinant ſemina, creſcunt germina*, eundem iſtum Naturæ parentem alloquens, Apulejus dixit.

12. *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus*] Suprà 33. 1.

16. *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas?*] Q. d. à talibus ſemper prædicor indecenter: laus mea in ore eorum verſatur tanquam in cloaca denarius. In ore peccatoris laudem minimè ſpecioſam eſſe, dixit & 15. 9. Sirachides. Ex Arriano Gellius 17. 19. de Epicteto, *Cùm animadverteret hominem, pudore amiſſo, importunâ induſtriâ, corruptis moribus audacem, confidentem linguâ*, &c. *diſciplinas Philoſophiæ contrectare, phyſica audire, & meditari dialectica, multaque id genus theoremata ſuſpicari ſuſcitarique, inclamabat Deûm atque hominum fidem.* Adductis deinde Epicteti ipſius verbis, hæc addit Gellius, *Nil iis gravius profectò, nil verius: quibus declarabat maximus Philoſophorum literas atque doctrinas Philoſophiæ, cùm in hominem falſum atque degenerem, tanquam in vas ſpurcum atque pollutum, influxiſſent, verti, mutari, corrumpi: & (quod ipſe κυνικώτερον dixit) urinam fieri, aut ſi quid eſt urinâ ſpurcius.* Idem 18. 3. ex Æſchine, de Senatore Lacedæmonio illo, poſt conſilium à turpi defamatoque homine Reipublicæ non inſalubre datum, *Si proba iſthæc & honeſta ſententia eſt, quæſo vos, non ſinamus eandem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagione. Atque ubi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque juſtitiâ præter alios præſtantem, ſed inopi linguâ & infacundum; juſſitque cum conſenſu petituque omnium, eandem illam ſententiam diſerti viri cujuſmodi poſſet verbis dicere: ut nullâ prioris mentione habitâ, ſcitum atque decretum populi ex ejus nomine fieret*, &c. *Sic bona ſententia manſit, turpis auctor mutatus eſt.* Et hæc quàm bene congruant Pſalmiſtæ verbis videbit quiſquis ſequentia 17, 18, 19, 20. commata diligenter contulerit.

18. *Si vidiſti furem, currebas cum eo*] Quod Proverb. 29. 24. *cum fure participare.*

19. *Os tuum abundavit malitiâ*] Plenum eſt (ut ſuprà 9. 27.) amaritudine & maledictione: id enim hîc *malitia.*

Ibid. *Lingua tua concinnabat dolos*] *Concinnabat* heic aptiſſimè poſitum. In Gloſſario, Κατασκευάζω, (ſubaudi κατά τινος) ἐπιβουλεύω, *concinno:* & in alio, *Concinnat*, &c. ἐπὶ συμφώνῳ συγκαττύει, δειλοποιεῖ, καὶ συνασκευάζεται· ubi ſcribendum putem, συγκαττύει, δολοπεύει, συσκευάζεται. Heſychius, Δολοπεύει, ἐπιβουλεύει, ἐνεδρεύει. De voce *concinnare* vide quæ & ad lib. Apuleji 7. pag. 378. annotavimus. Lxx. hîc non minùs aptè, περιέπλεκε δολιότητα· i. e. λόγους δολίους. Hinc vox compoſita δολοπλοκίαι, quam τὰς τῶν λόγων πλοκὰς Heſychius exponit. Hujus loci eſt & quod alibi apud eundem legimus, Πλέκει, μηχανᾶται.

20. *Et adversùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum*] Laqueum. Heſychius, Σκάνδαλον, ἐμποδισμός. Gloſſarii auctor vocem Græcam retinuit, ut heic Vulgatus Interpres.

21. *Exiſtimâſti iniquè quod ero tui ſimilis*] Vide in cæteris Annotatis. Legit ἄνομε Noſter, & fortè meliùs quàm nunc temporis Græci ἀνομίαν.

22. *Nequando rapiat, & non ſit qui eripiat*] De eodem Job. 12. 14. *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat:* & 10. 7. *Nemo eſt qui de manu tua poſſit eruere.*

23. *Et illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*] Per illam viam pergitur ad miſericordiam meam.

PSALM. L.

MUNSTERUS.

1. A*Saph*] Fuit Aſaph iſte unus ex præcipuis cantoribus, ſicut patet 1 Par. 15. & 16. Docet autem Pſalmus iſte ſecundùm noſtros quomodo Deus nationes terræ vocaverit ad Euangelium, & ſuos potenti manu protexerit, gratiarum actionem & laudem confeſſionis omnibus ſacrificiis prætulerit, &c. Rabini quoque intelligunt eum de Judicio, quod futurum aſſerunt tempore redemptoris: unde principium hujus pſalmi אל אלהים exponunt, *Judex judicum.*

14. *Redde Altiſſimo vota tua*] Quæ ſcilicet feciſti ad laudem Dei, & quæ noviſti Deo veluti laudem accepta; nè putes ſtultis votis, & quæ non ſunt in poteſtate tua, Deum oblectari. Porrò quid ſit *ſacrificium laudis*, quo Deus ſe vult honorari, poteſt ex Jeſ. 51. adverti, ubi ſic ſcribitur ששון ושמחה ימצא בה תודה וקול זמרה, i. e. *Lætitia & gaudium invenietur in ea, gratiarum actio, & vox cantici* vel *laudis.* Eſt igitur תודה nihil aliud quàm *vox laudis & gratiarum actio*, quam Domino ex corde offeramus.

18. *Conſenſiſti*] Impingunt hîc communiter Interpretes noſtri, qui ſimilitudine vocabulorum decepti רוץ, quod *currere* ſign. legunt pro רצה *complacuit, voluit* ſeu *conſenſit.* Si ותרץ eſſet à רוץ, ſcribendum eſſet ותרוץ *vattaruz*, vel ותרץ *vattaraz*, ſicut habetur Jud. 13. & non ותרץ *vattarez*, ut iſte habet locus. Verùm hæc ex Grammatica petenda fuerant.

23. *Qui ordinat viam*] Heb. *Qui ponit* (vel *componit*) *viam.* Accipitur autem *via* pro *converſatione* & *vivendi ratione.*

VATABLUS.

1. I*Pſi Aſaph* לאסף] Sub. *traditus ut decantaretur.* ¶ *Deus Deorum* אל אלהים] *Fortis Deus*, vel *Fortiſſimus Deorum.*

2. *Perfectione decoris Deus ſplenduit* מכלל יפי אלהים הופיע] *Conſummatæ pulcritudinis Deus emicuit*, vel, *ornamento pulcro Deus effulgebit*, aut *Perfectè decoratus Deus illuſtris prodit.* Hebraïcè legitur, *univerſitate formæ*, per oppoſitionem, i.e. perfectæ pulcritudinis.

3. *Silebit* יחרש] *Tacebit, obſurdeſcet.* ¶ *Coram eo vorabit* לפניו תאכל] *De conſpectu ejus flagrabit.* ¶ *Tempeſtate commovebitur* נשערה] Præt. Heb. pro futuro, fœmineum autem: nam ſubauditur *terra*, hoc modo, *in circuitibus ejus perturbabitur* terra *valde.*

4. *Ut judicet* לדין] *Ad vindicandum*, ſub. *à ſervitute diaboli*, &c.

5. *Sanctos meos* חסידי] *Miſericordes meos, bonos meos, pios meos.* ¶ *Pactum meum*, &c. בריתי עלי זבח] Ad verb. *pactum meum* (pro *mecum*) *cum ſacrificio*, vel, *adhibito ſacrificio.* Quidam, *Qui percuſſuri ſunt mecum fœdus* (ſub. *fidei*) *ultra ſacrificia*, aut, *pro ſacrificiis.*

6. *Et annunciaverunt* ויגידו] *Et annunciabunt.* Præt. Heb. quod per imperativum quidam reddunt. *Et annunciate.*

7. *Et teſtificabor tibi* ואעידה בך] *Conteſtabor te.* Alii per præſens, *teſtificor per te*, i. e. teipſum in teſtem adhibeo.

8. *Super* על] *Propter.* ¶ *Nec ſuper*, &c. ועולתיך לנגדי תמיד] Ad verbum legitur, *& holocautomata tua coram me jugiter.* Negatio præcedens repetenda, aut præcedentibus ità connectendum, *Non arguam te propter ſacrificia tua, nec propter holocauſta tua* quæ *coram me ſunt ſemper.*

9. *De ſeptis tuis* ממכלאתיך] *De caulis tuis.* ¶ *Mea eſt omnis* לי כל חיתו יער] Sing. pro plur. *Meæ ſunt omnes beſtiæ*, &c.

11. *Novi* ידעתי] i. e. In numerato habeo. ¶ *Mecum eſt* עמדי] *Apud me eſt*, i. e. in animo meo, vel in poteſtate mea.

12. *Et plenitudo ejus* ומלאה] *Et quicquid illum implet:* i. e. quicquid ille continet.

13. *Numquid comedam* האוכל] *Numquid veſcor*, aut *veſci ſoleo.*

14. *Deo* לאלהים] Antecedens pro relativo, *mihi.*

17. *Diſciplinam* מוסר] *Correctionem.*

18. *Si vides* אם ראית] Præt. Heb. *Quando vidiſti.* ¶ *Statim curris* ותרץ] Ad verb. *& cucurriſti.*

19. *Mittis in malum* שלחת ברעה] Præt. Heb. *Miſiſti in malum*, ſub. *ſermonem:* i. e. ſermone tuo lædis fratrem tuum. ¶ *Concinnat* תצמיד] *Concinnas*, vel, *nectis*, ut *linguâ* ſit ablativus.

20. *Sedes* תשב] Sub. *cum aliis in compitis.* ¶ *Das probrum* תתן דפי] *Ponis probrum.* Hebraïſmus, pro, *filium matris tuæ probro afficis.* Quidam, *ſtruis calumniam:* q. d. Non ſolùm alienis obloqueris, ſed etiam fratribus.

21. *Et tacui:* propterea *exiſtimaſti* והחרשתי דמית] Præt. Heb. pro præſ. *& taceo:* ideo *arbitraris.* ¶ *Eſſendo ero* היות אהיה] Hebraïſmus, pro, *omnino futurus ſim: planè ero.* ¶ *Et ordinabo*, &c. ואערכה לעיניך] *Et proponam ante oculos tuos.* Alii, *reſiſtam tibi in faciem*, vel, *ſtatuam me contra oculos tuos.* Alii, *& producam* quæ feciſti *ante oculos tuos.*

23. *Qui ſacrificat laudem* זבח תודה] *Qui ſacrificat* ſacrificium *laudis.* Nam verbum includit nomen verbale, i. e. qui laudat me ex animo. ¶ *Honorificabit me* יכבדנני] Fut. Heb. pro præſ. *glorificat me.* ¶ *Et ponenti viam* ושם דרך] *Et componenti viam:* i. e. rectè inſtituenti vitam ſuam. Alii, *Et hîc iter eſt:* nam varia eſt lectio: legitur enim & שם cum puncto in dextro cornu, *hîc, illic, ibi*; & שם cum puncto in ſiniſtro cornu, *poſuit.*

CLARIUS.

CAnit de adventu Chriſti, Euangeliique exortu, ac populi Dei ſelectione, quod requiſiturus ſit ſacrificium, & quantopere eos exſecraturus qui religionem ejus jactant abſque ſincero pietatis ſtudio. Rabbini quoque intelligunt eum de Judicio, quod futurum aſſerunt tempore Redemptoris: unde principium hujus Pſalmi ſic exponunt, *Judex judicum.* Porrò *Aſaph* & ipſum Principem fuiſſe cantorum, præter 1 Par. 15. & 16. alia quoque loca teſtantur.

2. *Ex Sion*] *Ex Sion*, veluti quadam omnis elegantiæ ſummâ, *illuſtris apparuit.* Illic enim lampas Euangelii primùm effulſit, indè in mundum totum pervenit.

3. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*] Quo ſignificat virtutem omnia devincentem.

4. *Advocavit cœlum*] Tam cœleſtes mentes quàm mortales in hoc ſeculo inſervire fecit ad auferendam Satanæ tyrannidem. Vel apertiùs, ſi de Judicio intelligas, illud eſt quod in Euangelio legis, *virtutes cœlorum movendas, & congregandos omnes ut dijudicentur.* Nam illud *diſcernere* in Græco eſt διακρῖναι, h. e. *dijudicare*, vel *ut dijudicet*, ſive *redarguat.* Vel, quemadmodum & in Moſis Cantico habes, *advocabitur cœlum & terra* in teſtes, tanquam firmiora & durabiliora corpora, & veluti ea quæ & peccatores & virtute præditos homines complectantur: ut ſit Proſopopœia, quando inanimis rebus perſonam imponimus.

5. *Congregate*] In Hebræo introducitur Deus loquens, *Congregate mihi*, inquit, *ſanctos meos*, de quibus tam ſum meritus bene, & *qui mecum inierunt pactum de ſacrificandi ratione.* Chaldæus ſic vertit, *Colligite ad me bonos meos, qui ſtatuunt pacta mea, paciſcuntur legem meam, & occupantur in precibus, quæ pares habentur oblationibus.* Qui ſenſus pulcrè quadrat cum ſequentibus.

6. *Et annunciabunt cœli juſtitiam ejus*] Bonitas ejus ubique invulgabitur: eſt enim ipſe juſtiſſimus.

7. *Audi, popule meus*] Cùm admonuiſſet Propheta futurum Deum Judicem omnium, nunc inducit ipſum Deum loquentem, & dicentem quid à nobis velit, ut paratiores ſimus judicii illius tempore. ¶ *Teſtificabor tibi*] Vel *contra te.* Alius vertit, *teipſum teſtem adhibeo, quod ego Deus tuus ſim.*

16. *Peccatori autem dixit Deus*] Ei nimirum in primis qui ſe Dei Miniſtrum appellare audet, & verbum Dei tractat, cùm longè aliter vivat atque ſervum Dei decet.

21. *Et ſtatuam contra faciem tuam*] *Producam ea* quæ feciſti *ante oculos tuos.* Alius vertit, *ſtatuam me contra oculos tuos.*

23. *Et illic iter*] *Et hâc viâ oſtendam illi ſalutem Dei:* h. e. felicitatem plane Divinam. Alius vertit, *Et qui ordinat viam, huic oſtendam ſalutem Dei.* Ut *ordinare viam* idem ſit quod *rectà ire ad eum.*

DRUSIUS.

1. אֵל אֱלֹהִים יְהוָה דִּבֶּר וַיִּקְרָא־אָרֶץ. A. Sym. Th. Ἰσχυρὸς Θεὸς Κύριος λαλήσας ἐκάλεσε τὴν γῆν, *Fortis Deus Dominus locutus vocavit terram*] Κύριος deſideratur in ed. Rom.

3. נִשְׂעֲרָה. A. ἐλαιλαπίσθη. Th. & VII. ed. κατaιγίσθη] Ἐλαιλαπίσθη σφόδρα, *multum turbinis excitatum fuit.* Λαιλαπίζω verbum eſt à nomine λαῖλαψ deductum: id ſign. *turbinem.* Sic καταιγίζω à nomine καταιγὶς *procella.*

4 אִסְפוּ־לִי חֲסִידָי. οἱ λοιποὶ, Συναγάγετέ μοι τοὺς ὁσίους μου, *Congregate mihi ſanctos meos.*

8. עַתּוּדִים. A. Sym. & V. ed. κερειούς. LXX. τράγους.

20. דִּמִּיתָ הֱיוֹת־אֶהְיֶה כָמוֹךָ. Th. & VII. ed. ὑπέλαβες ἐσόμενος ἔσομαι ὅμοιός σοι. ¶ אֹרְכָה. Th. στοιβάσω.

22. זֹבֵחַ תּוֹדָה יְכַבְּדָנְנִי וְשָׂם דֶּרֶךְ אַרְאֶנּוּ בְּיֵשַׁע אֱלֹהִים. *Sacrificans ſuper laude honorabit me, & modeſtè eunti Divinam ſalutem oſtendam*] In Ebræo eſt ad verb. *ponenti viam:* ac ſi diceret, *compoſitè eunti:* h. e. modeſtè, ordinatè. Interpretamentum auro contra non carum.

AMAMA.

PSalm eſt διδασκαλικὸς, continetque doctrinam de vero Dei cultu, docetque eum non conſiſtere in ceræmoniis, ſed in interiori ac ſpirituali obedientia. Ac initio quò plus authoritatis conciliet huic doctrinæ, introducit Deum tanquam conſidentem in throno judiciali ad jus dicendum populo, 6. primis verſibus. Deinde introducit eum rejicientem ſacrificia hypocritarum, uſque ad 14. & poſcentem cultum interiorem, verſ. 14. 15. 3. Cauſas recitantem cur ſacrificia rejiciat. 4. Poſtea minatur hypocritis æterna mala; & contra piis æterna bona.

1. *Aſaph*] Excellentiſſimus cantor ævo Davidis.

Deus Deorum] i. e. Deus potentiſſimus, per modum αὐξήσεως, ut *Rex Regum, Canticum Canticorum, Vanitas Vanitatum, Sæculum Sæculi, Servus Servorum.* Th. תקיפא אלהא. Ut אל ſit adject. Malè, nam præcedere non ſolet.

DOMINUS.] Reg. quando nomina Dei aliquot coacervantur, tunc Tetrag. ordinarie eſt ſubjectum: hoc enim nomen diſtinguit Deum ab omnibus Diis. Cum itaque Theol. dicunt, *Deus eſt Jehova Elohim*, magis dicunt quis ſit Deus, quam quid ſit.

II. Cum in enunciato primæ perſonæ uſurpatur nomen Tetragr. ſemper eſt ſubjectum orationis. Deut. 5. *Ego Dominus ſum Deus tuus*, non verò, *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Sic poſt mandata, אני יהוה non reddi debet, *Ego ſum Dominus*, ſed ego Dominus ſub. דברתי. Sic Arabes initio Alcorani אנא אלהו אעלימ Ego Dominus ſum ſapientiſſimus.

Inclamat terram] In teſtem citabit, ut Deut. 31. 28.

2. מכלל יפי] Hypall. eſt, *Beatud. Viri. Viriditas herba. Stultia prædicationis.* Sic Matth. 24 15. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. *Abominationem deſolationis.* Ubi Dan. 9. 27. eſt כנף שקוצים משומם *alam deſolationum vaſtantem*, i. e. legiones Romanorum ut explicat Lucas 21. 20. Cum videritis κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ.

Deus illuceſcet] *Splendide apparebit ex Tzion, perfectiſſimæ pulchritudinis loco*, vel [*cum*] *perfecta pulchritudine.* LXX. ἐμφανῶς ἥξει.

3. Deſcribitur adventus Dei terribilis, qualis fuit quum in monte Sinai daturus eſſet Legem.

נשערה] Ab. *Licet ſcribatur per* ש *tamen eſt ut* רוח סערה *ventus turbinis.* Vel refertur ad אש, vel per neutrum, *procelloſum eſt*, ut Pſal. 118. Conf. Matth. 21. LXX. καταιγὶς σφόδρα. Aq. ἐλαιλαπίσθη, Th. & VII. Edit. καταιγίσθη.

4. *Cœlum terram*,] Proſopopoïa, ut Deut. 31. 28. *Congregate mihi Seniores tribuum, ut loquar coram iſtis, & conteſter contra eos cœlum & terram.*

Ad judicandum] i. e. Ad litigandum, contendendum. Sic Eccleſ. 6. 10. *Hominem non poſſe* לדין עם שתקיף כמנו *contendere cum fortiore ſe.* Sic paſſim accipitur ſynonymum ejus שפט ſed in Niphal. בהשפטו *exeat ſons*, i. e. condemnatus. Sic Pſal. 51. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis.* בהשפטך ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Sic 1 Sam. *Siſtite vos* ואשפטה *vobiſcum.*

8. *Per ſacrificium*] Exod. 24. 6. Mos priſcus, ut in fœderibus primo *Mactarentur pecudes*, Gen. 15. Sumpſit Abraham buculam triennem, capram triennem, & arietem triennem, & pullum columbarum, & turturem; atqui hic recenſentur omnes ſpecies ex quibus ſacrificia cruenta.

II. Hæc animalia *diſſecabantur*, ut apparet ex eodem textu: nam dicitur diſſecuiſſe animalia exceptis avibus.

III. *Jurabant*, ut Gen. 26. *Et juravit alter alteri.*

IV. *Tranſibant per partes diſſectas.* Jirm. 34. 18. *Tradam viros iſtos qui fœdus meum temerarunt coram me, cæſo in duas partes vitulo, & tranſitu inter partes ejus facto, Principes Judæ, Pr. Jeruſalem, Sacerdotes, & univerſum populum terræ, qui tranſierunt inter partes vituli, tradam in manum hoſtium.* Sic & Livius. *Sacerdos feriebat porcum ſilice, dicens, ſic à Jove feriatur is qui ſanctum hoc fregerit fœdus ut ego hunc porcum ferio.* Sic apud Hom. Iliad. Γ. cum Monom. inter Men. & Alex. inſtitueretur, Hom. Iliad. Jota,

Μηρούς δ' ἐξέταμον, κατά δὲ κνίσσῃ ἐκάλυψαν
Δίπτυχα ποιήσαντες.

Unde diſcimus quid ſignif. illa ceræmonia tranſeundi & ſecandi. Erat enim quaſi tacita imprecatio, qua ſibi idem imprecabantur ſi violarent.

6. *Tunc annunciarunt*] vel *cum annunciarent.* Sed præſtat per *tunc.* Nam ſunt verba auctoris non Dei, ut patet ex affixo ו in *Tzidko.*

Cœli] i. e. Fulgura & tonitrua & ignis fumans in monte Sinai. Ideo melius redditur *cœlum*, Vide Piſc. ad Pſal. 18. Cenſur. Deut. 10. Alph. de Caſtro de οὐρανὸς & -νοι.

Poſtquam præfantem introduxit Deum, introducit eum proponentum duo documenta; quorum alterum ad fideles, alterum ad infideles pertinet.

8. His VI. verſibus docet fideles in quo conſiſtat verus Dei cultus. Duplex is erat, vel umbratilis & typicus & temporarius, vel ſpiritualis, verus & æternus. Quod itaque hic de ceræmoniali cultu agit, id κατά τι intelligendum eſt; q. d. non tam inſenſus tibi ero ceræmoniarum nomine, quam ſi veritas fœderis mei temeretur. Quod hæc rejectio ſacrificiorum comparate intelligenda ſit docent alia loca, 1. Sam. 15. 22. *At dixit Samuel, an delectatur Dominus ſacrificiis & holocauſtis, ut quum auſcultatur voci ejus?*

ciejus? Ecce auſcultare melius eſt ſacrificio. Sic Hoſ. 6. 6. *Miſericordiam velo* וְלֹא *& non ſacrificium.* Ubi notarunt Ebræi *VELO* aliq. ſig. *potius quam*: nam ſequitur & ſcientiam Dei מֵעֹלוֹת *præ holocauſtis.* Sic, *ſcindite cor veſtrum & non veſtes*, *Comparate ſapientiam & non argentum.* Sic, *an boves Deo curæ ſunt?*

9. *Non accipiam*] Aut propter ſacrificia aut propter me. Docet itaque ſacrificia nec ſimpliciter nec per ſe ad cultum Dei aut ſalutem neceſſaria eſſe, & proinde non ſemper duratura.

Juvencum, hircos] Hinc lux loco Judicum 11. de voto Jephthæ. Duæ ſpecies earum ex quibus ordinarium erat ſacrificium. Nam non ex qualibet ſpecie ſed quinque tantum ſacrificium deſtinabatur ſacris aris. Columbæ, turtures, oves, boves & capræ utriuſque ſexus. Loquor de ordinariis ſacrificiis, nam extra ordinem non quidem aliæ quadrupedum, ſed avium, modò mundæ eſſent, ſpecies offerri poterant: ut in leproſorum ſacrificio, Lev. 14. *Accipiet duas aviculas vivas mundas*, ubi alii, *paſſeres*.

10. בְּהֵמוֹת] Hic nugantur Ebræi. R. Sal. accipit etiam de magna illa beſtia quarum fœmina mactata dicitur & repoſita ut apponantur ejus carnes in Convivio Judaico, quod inſtruet Meſſias. Maſculum autem ajunt à Deo caſtratum, & in id nutriri ut in iſto convivio cum magno iſto Leviathane committatur, & hoc quaſi ſpectaculo inter epulas oblectantur. Hunc Behemoth ajunt depaſcere cottidie montes M. R. Sal. הוא מתקן לסעודת העתיד שהוא רועה אלף הרים ליום וכל יום ויום הם צומחים Quibus verbis occurrit tacitæ objectioni, quomodo ſuppetere poſſit pabulum tam multivoro animali. Magis ineptit Chaldæus, qui, poſtquam prius membrum interpretatus eſt de beſtiis quæ reſervantur in Paradiſo epulis juſtorum, hoc poſterius ſic reddit ותור בר דרעי בכל יומא טורין אלפא *Et bos agreſtis qui* &c.

11. *Novi*] i. e. Curam habeo, & per conſequens, ſingula individua novi. Sic Pſal. 1. 6. & Prov. *Novit juſtus animam jumenti ſui.* Dei providentia etiam ad minima quæque ſe extendit, ut Deus ea non modò ſciat univerſe & ſigillatim, per genera & individua, ſed etiam ad ſuos fines moveat, diſponat & dirigat.

וְזִיז שָׂדַי] *Ziz, animal*, à זז *movit*, quod moveant ſe de loco in locum. Rabb. dicunt eſſe magnam avem quæ reſervatur prædictis Epulis, & Kimhi ex R. Juda citat eſſe tam magnam, ut, quando alas expandit, univerſum גלגל החמה obumbret. Chaldæus, *Et Gallus ſylveſtris cujus tali quieſcunt in terrâ & caput tangit cœlum cantat coram me.* Elias in Thisb. ait hanc avem vocari *Juchne.* Et ſic forte leg. 4. Eſræ 6. Ubi alii Behemoth reſtituerunt, cum in Vulgatis corruptè ſit *Henoch.* Hæc & ſimilia fæx Judæorum crepant & credunt. Cordatiores verò ad myſticum & ſpirituales ſenſus transferunt, ut in N. T. *felicitas vitæ æternæ* comparatur *convivio* ſimpliciter, ad quod accubituri cum Abraham, Iſaac & Jacob omnes ſancti, & *ſinui Abrahæ*, Luc. 16. Nam Veteres accumbebant ad menſas, unde qui ſuperiori proxime adjacebat *in ſinu ejus cubare* dicebatur, ut Joh. 16. Sic certe Aben. ad Gen. 6. יש בו כור ואננו כמש בעו.

12. *Si eſuriero*] Ἐὰν πεινάσω. רָעֵב *eſuriit.* Prov. 25. 21. *Si eſurierit hoſtis tuus, ciba eum pane*; quod eſt præceptum de diligendis hoſtibus in V. T. Hinc רָעָב Conc. רָעָב abſtr. & רְעָבוֹן Ezech. 5. *cum miſero ſagittas famis inter vos*, i. e. æruginem, uredinem, locuſtas &c. quas conſequi ſolet fames.

תֵּבֵל] Hʼ οἰκουμένη. Quidam à בלל deducunt, ſed obſtat forma. Aliud eſt תֶּבֶל *confuſio*; illud deduci poteſt à בלל, ut à סמם fit הֶמֶס. Levit. 18. *Nec ſtet mulier coram animali ut incubet ſibi, תֶּבֶל confuſio eſt.*

מְלֹאָהּ] תבל fœm. excepto uno loco Jeſ. 14. Plenitudo rei dicitur illud quod in ea eſt ut in ordinario loco, hic intellig. omnes creaturæ quæ in terra. *Meus eſt orbis cum omnibus creaturis ſuis.* Sic Ezech. 12. *Ut deſoletur à plenitudine ſua*, i. e. privetur animantibus & plantis. Sic *plenitudo maris* dicuntur Inſulæ, Piſces, naves &c. Pſal. 96. *Lætentur cœli, exultet terra, reſonet mare, & plenitudo ejus. Plenitudo civitatis.* Am. 6. *Tradam civitatem & plenitudinem ejus.* Aliq. per hypallagen exponenda vox. Num 24. dicit Bileam, *Etiamſi dederit mihi* Balac *Plenitudinem domus ſuæ*, auri; *Plenitudinem domus*, i. e. domus plenitudinis; *Domus plenitudinis*, i. e. domus plena auri. Sic Gal. 4. ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον. *Plenitudo temporis*, i. e. tempus plenum, hypallage elegantiſſ. quam propterea omnes ferè linguæ retinuerunt.

Sola corpora animata quæ ſubſtantiæ fluxum patiuntur utuntur cibo & potu ut reſtaurent quid deperditur.

בָּשָׂר] I. *Caro.*

II. *Corpus. Erunt in carnem unam.*

III. Signif. *Hominem. Non juſtif. caro. Non curo quid mihi faciat Caro. Verbum Caro factum eſt.* Caro & ſanguis apud Rabb. Periphraſis hominis. Rex qui caro & ſanguis eſt. Sic Matth. 16. σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι. Gal. 1. 16. *Non communicavi rem cum carne & ſanguine.* Sic Eccl. 14. 18. Ut virens folium in denſa arbore, aliud quidem decidit, aliud naſcitur, οὕτως γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος, aliud quidem obit, aliud gignitur. Locutio eadem cum Homerica.

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ περ ἀνδρῶν.

Ergò γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος eſt genus humanum.

IV. *Membrum*, Ezech. 23. 20. & 16. 26. Gen. 17. *Carnem præputii.* Belg. *De Voorhuit aan uwen Vleeſche.* verſ. 13. *Eritque fœdus meum in carne veſtra.*

V. *Rem imbecillam*, & opponitur Spiritui, Eſ. 31. 3. *Equi eorum caro ſunt & non ſpiritus.*

VI. *Vitioſitatem inhærentem*, & ſic opponitur etiam ſpiritui. ut Rom. 5. 1 Cor. 15. 50.

VII. Pro *molli*, *tractabili*, *Obſeq.* Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor carnis.*

VIII. *Cognatum*, Gen. 37. 27. Jud. 9. 2.

IX. Cum כל, *omnia anim.* Gen. 7. & 8. *Maſculum & fœminam ex omni carne.*

X. Cum כל pro *humano genere.* Hypall. ut ſupra III.

Aliq. ſignif. *corpus animale cum vitiis & infirmitate adjuncta*, ut 1 Cor. 15. 50. *Caro & ſanguis regnum Dei* κληρονομῆσαι οὐ δύνανται.

אַבִּירִים] אָבִיר & אַבִּיר *fortis*, *robuſtus.* 1. *Deus.* אביר יעקב Pſ. 132. 2. De *Angelis.* 3. De *hominibus.* 1. Sam. 21. *Doeg* vocatur אביר רועים. 4. De *brutis*, *Equis*, & *Tauris.* Hic LXX. habent ταύρων. Eſ. 34. 7. פָּרִים עִם אַבִּירִים

14. Cole Deum cultu ſpirituali interno, illumque conjunge cum cultu externo. Cultus ſpiritualis duas partes recenſet, invocationem & gratiarum actionem, ſub quibus cœteras comprehendit.

Sacrifica] i. e. *Enuntia.* Similis locutio Hoſ. 14. 3. וּנְשַׁלְּמָה פָרִים שְׂפָתֵינוּ & Pſal. 4. זבחו זבחי צדקה. תּוֹדָה. Tria ſignif. 1. Confeſſionem. 2. Gratiarum actionem. 3. Sacrif. ac declarandam gratitudinem pro beneficiis acceptis. Kimhi. *Omnes ablationes in adventu Meſſiæ ceſſabunt, at oblatio Thoda non ceſſabit. Omnis oratio ceſſabit: at confeſſio non ceſſabit.*

Muſc. dicit hoc dictum per imitationem, ut Joh. 6. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Nam antea rogabant de operibus. *Opus Dei*, id eſt, Deo placens. Gen: adjuncti occupati.

Vota tua] Reſpicit potiſſ. ad vota & promiſſiones quæ præſtabantur in circumciſione, ut hodie in Baptiſmo. Hæc promiſſio erat fidei, cultus & obedientiæ. Juxta illud, *Tu eris mihi in populum.* Erant etiam vota quædam privata. At illud erat publicum & ſolenne. Erant & ſacrificium נֶדֶר ex voto. Talia promittebant Nautæ, Jon. 1. cui opp. נְדָבָה ſpontaneum. Reſpicit ad ſacrificia Euchariſt. Lev. 7.

Abrenuntio Diabolo, pompis, ſpectaculis & omnibus operibus ejus.

16. *Impio &c. Quid. tu? &c.*] Narrat Epiphanius Origenem cum pro concione explicaret hunc Pſalmum & ad hunc verſum perveniſſet, complicato libro in lachrymas ſolutum & ejulantem ex templo & pulpito ſe domum proripuiſſe. Idque propterea quod meminiſſet ſe Alexandriæ vi perſecutionis coactum fuiſſe grana aliquot Thuris Diis gentium offerre, adeo ut auditores omnes commiſeratione moti tactique cum eo lacrymarentur.

18. וַתִּרֶץ עִמּוֹ] Omnes Interpretes qui ſine punctis legerunt, vertunt in ſignif. *currendi.* Legerunt וַתָּרָץ. Sic & Ital. Gall. & Ald. Piſc. Chald. רְהַטְתְּ בַּהֲדֵיהּ *cucurriſti cum eo.* LXX. συνέτρεχες αὐτῷ. Vulg. *currebas.* Sic & Belg. At qui cum punctis legerunt, verterunt in ſignificatione רצה cum Ab. & R. Sal. Jun. *Acquieſcis ei.* Tig. *Oblectaris eo.* Pag. *Delectabaris eo.* Arias, *Complaceberis cum eo.* Angli *thou conſenteſt with him.* Omnes eodem ſenſu. Ad voces Ebræas proximè accedunt Angli; ſervarunt enim ipſam præp. עם. Solus Piſcator hic rejicit interp. Junii, & accedit Veteribus, *Quia*, inquit, *Ratza non ſolet conſtrui cum* עם.

מְנָאֲפִים] נָאַף μοιχεύειν, זָנָה πορνεύειν. Sic לא תִנְאָף Tharg. לא תגוף. LXX. οὐ μοιχεύσεις R. Sal. אין נאוף אלא באשת איש ſicut dictum eſt הנואף. הנואפת יומתו. At Aben. & eos ſecuti Jun. & Tr. ajunt ſignif. *ſcortationem*, & ajunt nimis reſtringi ſi vertas *adulter.* At reſp. pro me præc. 6. ubi tamen prohibentur peccata minora. Et Chriſt. Matth. 5. οὐ μοιχεύσεις & Rom. 13. 9. nec loca illa gemina quæ citat Jun. quippiam juvare, imo potius obſtare, docet Piſcator. Per Synecd. una ſpecies pro cæteris omnibus ponitur. Expreſſe nominatur ſcortationis ſeu pollutionis libidinoſæ ſpecies, & pollutio lib. in genere intelligitur.

Vult tamen R. Sal. (quod non probo) נאוף eſſe generale ad omnem fornicationem. R. Saadijas enum. hic V. ſpecies ſeu gradus libidinis, 1. Concubitus cum vidua vel virgine, 2. Cum uxore menſtruata, 3. Cum uxore alterius, vel, cum alienigina, 4. Cum maſculo, 5. Cum jumento.

19. *Lingua*] Vide Pſal. 31. De *lingua tertia* vel *triplici.* Eccleſ.

Eccleſ. 28. 15. *Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσεν.* Et Pſal. 140. *Vir linguæ non ſtabilietur in terra.* Tharg. Vir לשן חליתי.

22. *Ne diripiam*] Metaph. ſumpta à Leone, à cujus ore non eruet ovem paſtor, cum poſſit ex vulpis aut viri. Aut dicit hoc ad diſcrimen ſuppliciorum à Magiſtratibus inflictorum, ubi trahuntur ad ſupplicia per carnifices. Et dicit *nullo liberante*, quia ibi ſæpe erat liberatio poſt latam ſententiam, cum ſæpe prodiret adhuc aliquis ad ejus innocentiam aſſerendam. Vide ritum illum apud Caſaub. in capite de Titulo crucis Chriſti.

23. Obliv. Ab. *Illi ſunt fures, adult.* ומוציאי רבה . רבה cum הוציא & הביא conſtructum variè accipitur. Vide Buxtorf.

Chald. *Domanti fomitem pravum veluti ſacrificium laudis imputabitur ei & honoranti me & caventi vias pravas oſtendam ei redemptionem.*

שָׂם] *Ponit*, i. e. *componit, recte inſtituit.* Jun. *Componit.* Ang. *Qui converſionem ſuam rectè inſtituit.* P. G. It. *Qui viam ſuam dirigit.* Ald. *Qui hanc viam* [*ante oculos*] *ponit.*

יֵשַׁע אל] *Salutem Dei*, i. e. meam. Aut, *ſalutem eximiam.* Elohim eſt כנוי Epitethon דָבָר קָבָלָא

GROTIUS.

2. EX *Sion ſpecies decoris ejus*] In Hebræo: *Ex Sione perfectæ pulchritudinis* (loco ſcilicet) *Deus illuceſcet.* Pro *perfecta pulchritudine* Syrus hîc poſuit *coronam glorioſam.*

4. *Advocabit cœlum deſurſum & terram, diſcernere populum ſuum*] Cœlum claudet, & terram ſterilitate damnabit, propter hominum peccata. Videtur hic Pſalmus memoriam recolere illius temporis, de quo 2 Sam. 21. Myſticè Judæi hoc referunt ad animam & corpus, quæ cùm unà peccaverint, unà & judicabuntur.

13. *Numquid manducabo carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?*] Inſtituta hæc fuêre pro eo tempore, hominum non Dei causâ. Euripides,

> Δεῖται γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἐς' ὄντως Θεὸς,
> Οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύςηνοι λόγοι.
> [*Deus aut eget nullius, aut non eſt Deus;*
> *Quare iſta vatum miſera ſunt mendacia.*]

PRICÆUS.

6. ET *vincas, cùm judicaris*] i. e. Convincas, me nempe. Lxx. νικήσῃς. In Gloſſis, *Convincit*, &c. νικᾷ.

6. *Aſperges me hyſſopo*] In Gr. ῥαντιεῖς με unde manifeſtò Gloſſarii ea, *Aſperges*, ῥαντιεῖς

14. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*] Tuæ placationis. In Gr. hic, σωτηρίϛ. Heſychius, Σωτηρίϛ, ἐξιλασμοῦ.

Ibid. *Et ſpiritu principali confirma me*] Lxx. ἡγεμονικῷ. Vide infrà ad 142. 11. annotata.

15. *Docebo iniquos vias tuas*] Converſus tuâ ope, ego alios confirmabo.

IDEM.

2. MIſerere mei, *Deus*] In Gloſſario, Ἐλέησόν με, *miſerere mei.*

Ibid. *Secundùm multitudinem miſericordiarum tuarum dele iniquitatem meam*] 1. Mac. 13. 46. Gazæi ad Simonem, *Non nobis reddas ſecundum malitias noſtras, ſed ſecundum miſericordias tuas.* Adde Pſal. 78. 8. & 102. 10. 11.

4. *Ampliùs lava me ab iniquitate mea*] Ità & infrà 61. 3. *Deus*, &c. *ſuſceptor meus, non movebor ampliùs:* & in Prologo Sirachidis de avo ſuo loquentis, *Poſtquam ſe ampliùs dedit ad lectionem Legis*, &c. In omnibus iſtis locis Græci ἐπὶ πλεῖον habent: quod ego libens interpreter, *in totum*, vel *omnino.* In Gloſſario, Ἐπὶ πλεῖον, *ſuper, ampliùs*, &c. quo loco malim *inſuper* legi. Conſideremus itaque an & Apoſtoli 2 Tim. 3. 9. illud, ὀυ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον, vertendum ſit, *non omnino proficient*: non autem *ultrà*, (vel *ulterius*) ut communiter verſum.

5. *Iniquitatem meam cognoſco*] Jer. 14. 20. *Cognovimus iniquitates noſtras.* Vide ſuprà 31. 5.

Ibid. *Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*] Eſaiæ 59. 12. *Peccata noſtra reſponderunt nobis*, &c. *& iniquitates noſtras cognovimus.* Illud, *contra me eſt ſemper*, non malè exponi poteſt, in conſpectu meo. Ità ſuprà 37. 18. *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper:* at meliùs fortè acceperis hoc modo, Stat contra faciem meam, ut adverſarius vel teſtis in judicio. Scriptor Sapientiæ 4. 20 *Traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.* Suprà heic Pſal. 49. 21. *Arguam te, & ſtatuam* (me) *contra faciem tuam:* & ità putem intelligenda Jeremiæ 2. 19. illa, *Arguit me* (q. d. ſtat contra me) *malitia mea, & averſio mea me increpat.*

6. *Tibi ſoli peccavi*] Sic Jerem. 14. 7. & 21. *Tibi peccavimus:* & 2 Paralip. 6. 36. *Si autem peccaverint tibi*, &c.

Ibid. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis*] In omnibus quæ operaris. Jobus 36. 23. *Quis poteſt dicere ei, Operatus es iniquitatem?* Deus ad Eundem 40. 3. *Numquid*, &c. *condemnabis me ut tu juſtificeris?*

Ibid *Et vincas cùm judicaris*] Et vincas, ſi æquum de actionibus tuis judicium feratur. Vide Job. 13. 18.

10. *Et exſultabunt oſſa humiliata*] *Oſſa*, anima. Vide ſuprà ad 34. 10. dicta.

16. *Exſultabit lingua mea juſtitiam tuam*] *Exſultabunt labia mea* (ut infrà 70. 23.) *cùm cantavero tibi:* nempe, ut hoc loco, juſtitiam (i. e. bonitatem) tuam: Vel, *exſultabit* hic, quod Pſal. 65. 17. *exaltabit:* quod hîc in Græco enim ἀγαλλιάσθαι, eſt ibi ὑψῶσθαι erit itaque præciſa locutio, pro, Lingua mea cum exſultatione exaltabit juſtitiam tuam.

17. *Labia mea aperies*] *Aperi*, præbe mihi materiam tibi gratias agendi, vel, erumpendi in laudes tuas.

21. *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes*, &c.] Lxx. ἀναφοράς· i. e. fortè *preces.* Heſychius, Ἀναφορὰ, δέησις, παράκλησις.

PSALM. LI.

MUNSTERUS.

2. PLurimum] In Hebræo ſcribitur הרב pro הרבה, in imperativo ſcilicet Hiphil, ut ſit ſenſus, *Multiplica pietatem tuam circa me, & lava me.*

4. *Contra te ſolum peccavi*] h. e. Peccatum quod commiſi, in occulto feci; & nemo novit niſi tu ſolus. Peccavit alioquin contra Urijam & totum exercitum. ¶ *Ut juſtus ſis in ſermone tuo*] Refertur ad priora verba, *à peccato meo munda me, ut ſcilicet juſtus inveniaris in ſermonibus tuis*, qui pœnitentibus veniam promiſiſti & rectum pronuncies judicium, qui delinquentium peccata non in judicium trahere pollicitus es ſi ad te converſi fuerint.

5. *Formatus ſum*] Eſt hic חוללתי paſſivum in conjug. Piel quarti ordinis verborum, h. e. quieſcentium in media Vau. Kimhi exponit pro יצר *fingi*, ſeu *concipi, ex innata mala concupiſcentia.* ¶ *Calefecit me mater mea*] Idem exponit verbum יחמתני pro יחמה אותי, ſicut nos vertimus: & in Radicibus ſic exponit יחמה בכני *calefacta eſt propter me mater mea:* ut ſit ſenſus, *Inordinatà libidine calefacta eſt propter me, & transfudit* דרך מיסה *peccatum in me.* Certum tamen eſt Prophetam hic loqui de peccato quod puero jam concepto mox adhæret.

6. *Ecce veritatem exigis*] Tu, inquit, Deus, vis habere ut interiora noſtra ſint juſta, recta, vera & incorrupta, qui tamen mox ab exordio noſtro contrahimus labem injuſtitiæ: quid igitur faciemus, niſi ut ad te clamemus, ut quod ex nobis non poſſumus nec habemus, tu dones, & illuſtres interiora noſtra ſpiritu ſapientiæ tuæ, atque expies nos veluti hyſſopo? Hebræi exponunt טוחות pro כליות *renibus*; dicuntque eos ſic vocari quòd operiantur ab adipe. Significat enim טח *linire* & *oblinire* ſeu *operire.*

14. *Libera me de ſanguinibus*] h. e. Ab ultione ſanguinis Urijæ & aliorum, quos morti deſtinavi. Chald. *Libera me de judicio interfectionis.*

18. *Benefac ex benevolentia tua Zion*] Precatur ut Jeruſalem & cultus Dei in ea inſtaurentur, & propter peccatum ſuum ea quæ Deus in ea agere inſtituerat non intermitterentur. Nec ſpectavit Propheta tantùm Urbis externum ædificium & ſolum ceremoniarum ſtrepitum, ſed oculos mentis magis direxit in Regnum Chriſti, cujus umbram ſe eſſe cernebat. Idem intelligendum de *holocauſto* & *conſummato ſacrificio*, quod figura erat veri ſacrificii, quod fit in *juſtitia.*

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Prævaricationes meas* פשעי] *Scelera mea.*

2. *Multiplica lavare me* הרבה כבסני] *Multiplica* miſericordiam, *lava me.* Aut, In *multitudine lava me.* Vel, *Multùm lava me. Plurimùm*, &c.

3. *Prævaricationes* פשעי] *Scelera mea.* Quidam hæc uſque ad illam partem ſeq. verſûs, *Ut juſtificeris*, &c. includunt pa-

rentheſi,

rentheſi, ut illud, *Ut juſtificeris*, &c. referatur ad præcedentem verſum.

4. *Ut juſtificeris dum loqueris*, &c. למען תצדק בדברך] *Ut juſtus ſis in ſermone tuo, & purus cùm judicaveris.* Alii, *ut juſtus agnoſcaris in verbis tuis*, &c. Hebraïcè ad verb. *Ut juſtificeris in loquendo te, purus ſis in judicando te.* Quo loco Hebræis pronomen affixum poteſt ſignificare perſonam agentem & patientem. Idcirco quidam ſic vertunt, *Quapropter juſtificaberis in verbis tuis, & purus eris cùm judicaberis*, aut, *cùm judicaris*, ſive *reprehenderis*, ab aliis ſcilicet tanquam injuſtus, qui non ſtes promiſſis.

5. *Genitus ſum* חוללתי] *Fictus ſum: formatus ſum: natus ſum*: ſive *in lucem editus.* ¶ *Et in peccato* ובחטא] Quidam vertunt ו, quod ſignificat &, in *poſtquam*, ſic, *Poſtquam in peccato caleſecit me mater mea*: acſi dicat, Poſtquam me peccatum habentem geſtavit utero mater mea. ¶ *Caleſacta eſt*, &c. יחמתני] *Caleſecit me.* Doctus Hebræus vertit, *Caleſecit ſe de me*, i.e. gravida facta eſt de me, acſi legeretur יחמה ממני.

6. *Voluiſti in renibus* חפצת בטחות] *Dilexiſti in intimis. Optaſti in interioribus*, vel *in reconditis.* Præterita quidam vertunt in præſens; alii in præt. imperf ¶ *Et in occulto*, &c. ובסתם חכמה תודיעני] *Et in abſtruſo ſapientiam notam mihi faciebas.* Vel, *& in penetrali* [i.e. in corde] *ſapientiam mihi manifeſtam facis.* Alii, *& in abſconditis oſtendiſti mihi ſapientiam.*

7. *Purifica* תחטאני] Futura Heb. *Expiabis me*, vel *lavabis*, pro imperativis. ¶ *Et præ nive*, &c. ומשלג אלבין] *Et nive candidior ero*: vel, *præ nive albeſcam.*

8. *Contriviſti* דכית] Subaudiendum אשר quæ *contriviſti.* Alii, quæ *percuſſiſti.*

10. *In viſceribus meis* בקרבי] *In intimo meo*, ſive *in medio mei*, vel *intra me.*

12. *Salutis tuæ* ישעך] i.e. De ope tua. ¶ *Et ſpiritus*, &c. ורוח נדיבה תסמכני] *Et ſpiritus libertatis* [vel, *liberalis & ultroneus*] *ſuffulciat me*, i.e. quo pronus & facilis reddar ad faciendum quæ præcipis. Alii, *& Spiritu munifico ſuſtenta me.* Vel, *& Spiritu ſpontaneo* (aut *voluntario*) *ſtabili me.*

13. *Prævaricatores* פשעים] *Tranſgreſſores: ſceleratos: iniquos.*

14. *De ſanguinibus* מדמים] Per *ſanguines* Hebræi cædes & homicidium intelligunt. ¶ *Prædicabit* תרנן] *Decantabit: reſonabit cum ovatione: commendabit: clarâ & latâ voce declarabit.*

15. *Aperi* תפתח] Fut. Heb. pro imperat.

16. *Non vis ſacrificium* לא תחפץ זבח] *Non delectaris* [ſive *oblectaris*] *ſacrificio: non deſideras ſacrificium.* ¶ *Et dediſſem* ואתנה] *Alioqui darem.* Alii, *& dabo*: i.e. non enim vis ſacrificia, etiam ſi dedero. Sunt qui conjungunt hoc ſequentibus, ſic, *Et ſi dem holocauſta, non moraris.* ¶ *Non vis* לא תרצה] *Non amas: non deſideras: non exigis.*

17. *Contritus* נשברה] *Confractus.* ¶ *Et confractum* ונדכה] *Et dejectum.* Alii, *& depreſſum*: vel, *concuſſum.*

18. *In voluntate tua* ברצונך] *In beneplacito tuo.* Variè vertunt Interpretes verbum iſtud Hebraïcum, eodem tamen ſenſu. Quidam, *cum* [vel *ex*] *benevolentia tua.* Alii, *per bonam voluntatem tuam*: vel, *ſecundùm voluntatem tuam*: aut, *voluntate tuâ.*

19. *Voles ſacrificia* תחפוץ זבחי] *Oblectaberis ſacrificiis.* Vel, *acceptabis ſacrificia.* ¶ *Et oblationem* וכליל] Docti inter Hebræos dicunt idem geminari, quia holocauſtum erat כליל, totum enim comburebatur. Vel appellat כליל ſacrificium Sacerdotis, quia erat כליל, i.e. *totum combuſtum*, ut legimus Levit. 6. 23.

CASTALIO.

6. *Equidem tu veritatem in præcordiis amas, & occultè ſapientiam mihi demonſtras*] Oſtendit ſapientiam eſſe, puram habere religioſamque mentem.

14. *Vindica me à ſanguine*] A cæde & ſcelere.

CLARIUS.

2. *Ampliùs lava me*] Iterum atque iterum lavando elue iniquitatem meam.

4. *Tibi ſoli peccavi*] Peccavi quidem & in Uriam, & in totum exercitum; verùm id in primis me excruciat quòd te offenderim. Alius ſic exponit, *Peccatum quod commiſi, in occulto feci, & nemo novit niſi tu ſolus.* ¶ *Ut juſtificeris*, &c. Ità continuabitur, *Miſerere mei, & dele peccata mea, quia ego agnoſco, atque in te ſolum admiſſa confiteor, ut juſtus agnoſcaris in verbis tuis, & vincas* (vel *purus ſis*, ut eſt in Ebræo) *in judicio, cùm diſceptare voluerit homo tecum.* Et hoc ſenſu Apoſtolus iſta Rom. 3. adduxit: ut dicere voluerit David, Si hanc iniquitatem mihi condonaveris, & promiſſa ſervaveris mihi perfido, meritò æquiſſimus judicaberis, & in ſervandis promiſſis conſtantiſſimus, & in damnandis illis qui reſipiſcere nolunt juſtiſſimus. Quidam Hebræorum ſic ajebat, *Peccavi, & malum coram te feci; ideo ſis juſtus in ſermone tuo, ut ſcilicet judicio tuo ignoſcas peccanti, ſicut in Lege tua pollicitus es.*

5. *Ecce enim iniquitatibus*] Ut Deum magis ad miſericordiam trahat, ait iniquitatem eſſe ſibi veluti genuinam. Dum fingimur, inquit, & concipimur, nos ſtatim occupat perverſitas, ut, niſi novos ſuo Spiritu Deus faciat, ad malum propendeant omnes vires noſtræ.

6. *Ecce enim veritatem dilexiſti*] Quanquam ergò, inquit, vitiatæ carnis impulſu fœdiſſimè lapſus ſim, à fide tamen & candore, qui in penetralibus pectoris ſitus eſt, & quem maximè amare ſoles, non omnino ſum alienus: non enim tam malitiâ hoc ſcelus admiſi quàm concupiſcentiâ victus. Quare iterum *occultis* inſpirationibus *docere me* ſolidam *ſapientiam*, ſicut ſoles, non dedignaberis. Vel ſic, *Ecce veritatem quam voluiſti habeo in cogitatione: & in occulto ſapientiam tuam manifeſta mihi*: h. e. Habui ſemper in cogitatione veritatem & rectam vitam, quam amas; & ſi quid me latet, fac me illud ſcire, & oſtende mihi ſapientiam tuam.

7. *Aſperges me hyſſopo*] *Hyſſopi* meminit quia in ſolenni ſacrificio pro peccato, de quo Num. 19. item in purgatione leproſi, de qua Lev. 14. hyſſopus adhibebatur: id quod Dominus fortaſſe ità ſtatuit, quòd hæc herba ſingularem habeat vim purgandi.

8. *Auditui meo*] Ubi exhilaraveris me in *gaudio* & ſolita *lætitia, tum exſultabunt oſſa mea, quæ tu vulneraveras.*

10. *Spiritum rectum*] Vel, *ſpiritum illum integrum & ſtabilem.*

12. *Spiritu principali*] *Spiritu illo Principe muni me*, ſpiritu digno Principibus, & ad eorum officia neceſſario, quos oportet plurimis ſapere. Alii verterunt *ſpiritu libertatis.* Per *Spiritum* verò *ſanctum* quidam intelligunt donum prophetiæ, quod precatur nè à ſe ob patratum ſcelus auferatur.

13. *Docebo iniquos*] Meo exemplo diſcent peccatores quibus viis revertantur ad te. Et profectò Pſalmus hic non ſolùm dat fiduciam civis peccatori accedenti ad petendum à Deo veniam, verùm etiam pulcrè docet quo ſe pacto quis gerat, ubi poſt commiſſum facinus reverti ad Deum cupit. Cernis enim ut in ipſa confeſſione peccati in ingentem ſurgat fiduciam & Divinæ miſericordiæ aſſequendæ, & eadem dona quæ priùs habuerat reparandi. Sed meminerimus illud in primis oportet (nè quòd pro remedio inſtitutum eſt, trahatur in occaſionem carnis) Davidi ità petiiſſe veniam ut nunquam poſtea ad idem peccatum ſit reverſus. Id enim præcipuum eſt animi quem verè pœniteat indicium, Poſt pœnitentiam non iterum ſordidari.

14. *Libera me de ſanguinibus*] Ab ultione ſanguinis Uriæ & aliorum, quos morti deſtinavi. Chald. *Libera me de judicio interfectionis.*

15. *Domine, labia mea aperies*] Pium animum, qui poſt reconciliationem continuò de laudibus Dei cogitat, quibus indignum ſe illo ſcelere factum intellexerat.

16. *Si voluiſſes ſacrificium*] Hoc tibi, inquit, obtuli & oblaturus ſum ſacrificium, & *contriti cordis*, & tuæ *laudis*, quo te ſcio unicè delectari, alioqui ſuppetebant multa brutorum animalium ſacrificia, quæ obtuliſſem, ſi his te delectari intelligerem.

18. *Benignè fac*] Precatur ut Jeruſalem, & cultus Dei in ea, inſtauretur, & nè ob peccatum ſuum ea quæ Deus in ea agere inſtituerat intermitterentur. Nec ſpectavit Propheta tantùm Urbis externum ædificium & ſolum ceremoniarum ſtrepitum, ſed oculos mentis magis direxit in Regnum Chriſti, cujus umbram ſe eſſe cernebat. Idem intelligendum de *holocauſto* & conſummato *ſacrificio*, quod figura erat veri ſacrificii quod fit in *juſtitia.* Externa enim ſacrificia internæ ſigna erant juſtitiæ.

LUCAS BRUG.

2. *Venit David in domum Abimelech.*] *Abimelech* ſcribunt Latina pleraque exemplaria, cum Arnobio, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma & Brunone, conſentientibus noſtris Græcis antigraphis, & Apollinaris Pſalterio. Codicis verò Lobienſis Gallicum Pſalterium & Romanum, Baſileenſia ante annos 74. excuſa, item & Quinteliana Biblia, & antiqua Epanorthotæ exemplaria, legunt *Achimelech*, cum S. Hilario inter Latinos, & Theodorito atque Euthymio inter Græcos, conſpi-

ſpirantibus Hebraïcis Chaldaïciſque libris. 1 Reg. 22. ubi hiſtoria & verba Doeg, quæ Pſalmi titulus recitat, commemorantur, Hebraïci, Chaldaïci & Latini codices *Achimelech* concorditer legunt: atque eo capite quod præcedit ſimiliter. Græci autem libri mirum in modum variant. Aldinum exemplar & Argentoratenſe cap. 21. legunt Ἀβιμέλεχ, cap. 22. Ἀχιμέλεχ. Baſilcenſe utroque capite habet Ἀβιμέλεχ, excepto cap. 22. v. 14. cui eſt Ἀχιμέλεχ. In Argentoratenſi, capitis 22. primo loco, h. c. v. 9. ex Vaticano caſtigatum habemus Ἀβιμέλεχ, quo modo Theodoritus in hoc Hiſtoriæ Regum loco, ubi Doegis ad Saulem verba narrantur, eſſe monet. Regium ex Complutenſi conſtanter ſcribit Ἀχιμέλεχ, id quod genuinum magis eſſe videtur. Nam & Enarratores, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, qui Græcis aut ex Græco verſis libris uſi ſunt, in Regnorum libro *Achimelech* ſe legiſſe ſignificant. Itaque Pſalterium R^mi D. Lindani operâ caſtigatum legit, *Venit David in domum Achimelech.* Cæterùm D. Auguſtinus, quia in Pſalmorum codicibus magis *Abimelech* quàm *Achimelech* invenit, *Abimelech* potiùs exiſtimat ſcriptum, & in myſterio mutatum à prophetico ſpiritu germanum ſacerdotis nomen, *ne tanquam res hiſtoriæ perſequaris, & ſacrata vela contemnas:* quam ob cauſam etiam in 33. Pſalmi titulo *Abimelech* pro *Achis* poſitum arbitratur. Verùm non magis à myſterio alienum eſt *Achimelech* nomen quàm *Abimelech:* & quemadmodum Auguſtinus myſterium *Abimelech* nomine ſignificatum prodit, ità Hilarius ſacramentum *Achimelech* nomine tectum retegit: quanquam cùm ità ut hiſtoria habet ſcribitur, non uſque adeò ad indaganda myſteria urgeamur. Sed parùm movet quòd plures codices *Abimelech* habeant, cùm quotidie comperiamus meliorem numerum à majore ſuperari. Hæc dico, ſalvâ doctiſſimi juxta ac ſanctiſſimi Auguſtini reverentiâ, qui agnoſcit etiam non abſurdè ſentiri, propter nominis ſimilitudinem & unius ſyllabæ differentiam titulos variatos. Porrò non accidit varietas ex vicinitate Hebraïcarum literarum ב & כ, id quod Hieronymo adſcriptus commentarius notat: *Venit*, habet, *David in domum Abimelech. In Regnorum libro, & in ipſo Hebraico Pſalterio, Achimelech* (hoc enim modo legendum eſſe etiam Ordinaria Gloſſa, in qua hæc referuntur, & Petri Lombardi collectanea comprobent) *ſcriptum eſt: ſed quoniam Beth* ב *& Caph* כ *apud Hebræos literæ modico apice diſtinguuntur, ideo error faciliùs obrepſit.* Craſſius ſanè hoc loco ejus qui errorem redarguit error, quem non facilè Hieronymo adſcripſerim. Non enim per כ, ſed per ח, *Achimelech* ſcribitur. Exiſtimant autem Theodoritus, Euthymius in Pſal. 33. atque Epanorthotes binominem hunc fuiſſe, dictum & *Abimelech* & *Achimelech.* Theodoritus quidem, quia in 51. Pſalmo vocetur *Achimelech*, in Regum verò prima hiſtoria Doim apud Saulem *Abimelech* accuſâſſe legatur. Epanorthotes autem, *quia*, ut inquit, *juxta Hebræum & Hieronymum*, 1 *Paralip.* 18. *g.* Abimelech *iſte dicitur*, *i.* pater meus Rex, *qui* 2 *Regum* 8. Achimelech, *i.* frater meus Rex, *appellatur.* Atqui non fuit iſte Achimelech ille cujus meminit Pſalmi titulus. Is enim cujus meminit titulus, regnante Saule Sacerdos maximus fuit, atque à Doege Saulis juſſu interfectus eſt, antequam conſequeretur regnum David: ille autem cujus mentio eſt 2 Reg. 8. & 1 Paral. 18. iſtius fuit nepos ex filio Abiathare, & pontifex adepto regnum Davide. Hieronymus, ſive quiſquis Autor eſt Quæſtionum Hebr. in libros Paralipomenon, non aliud dicit quàm eum qui in Regum dicitur *Achimelech*, in Paralipomenon vocari *Abimelech.* Sed quemadmodum nepos & *Abimelech* dictus eſt & *Achimelech*, ſic potuit & avus utroque nomine vocatus fuiſſe. Verùm ad hoc non cogunt nos Hebraïci libri; conſtanter enim *Achimelechem* vocant, niſi 33. Pſalmi titulus, ubi *Abimelech* legitur, de hoc, non de Achis Gethæorum Rege, intelligendus ſit, ut interpretantur nonnulli.

DRUSIUS.

1. בַּת־שֶׁבַע. A. Sym. Th. & VII. Βηθσαβεὲθ, *Bethſabeth*] Pro *Bethſabe.* Antiquum eſt, ut Ἐλισαβέτ ſic Γεννησαρέτ quanquam in his τ, in illo autem θ. Ad hanc conſuetudinem pertinet Εὐιλὰτ pro *Hevila.* Putarim ego Interpretes edidiſſe Βηθσαβεὲ, ex quo deinde vitio librariorum factum ſit Βηθσαβεὲθ ſed nihil affirmo. ¶ חָנֵּנִי אֱלֹהִים כְּחַסְדֶּךָ. A. δώρησαί μοι, Θεὲ, κατὰ ἔλεός σου, *Dona mihi, Deus, ſecundùm miſericordiam tuam.* Sym. Οἰκτειρῆσόν με, ὁ Θεὸς, κατὰ τὸ ἔλεός σου, *Miſerere mei, Deus, ſecundùm miſericordiam tuam.*

4. תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ. Sym. νικᾷς κρίνοντα. A. ὑπερνικήσῃς. Th. νικήσῃς.

5. בְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי. Sym. *In peccatis genuit me*] Ex Euthymio.

6. חָפַצְתָּ. A. ἐβουλήθης. Sym. θέλεις.

14. תְּרַנֵּן לְשׁוֹנִי צִדְקָתֶךָ. Sym. διαλαλήσει ἡ γλῶσσά μου τὴν ἐλεημοσύνην σου] i. e. *Benignitatem tuam.* Ità צדקה ſæpe uſurpatur in Sacris. Interpres Theodoreti, unde hæc deſcripta, *loquetur lingua mea miſericordiam tuam*, i. e. τὸ ἔλεός σου.

16. לֵב־נִשְׁבָּר. Sym. ——— κατεαγυῖαν.

19. הֵיטִיבָה בִרְצוֹנְךָ אֶת־צִיּוֹן. A. Ἀγάθυνον εὐδοκίᾳ σου τὴν Σιών. Sym. Εὐεργέτησον.

AMAMA.

Pſalmus eſt εὐκτικός. Tria petit: 1. Remiſſionem duorum horrendorum peccatorum. 2. Renovationem cordis ſui per Sp. S. 3. Conſervationem & amplificationem Eccleſiæ. Atque hæc promiſcuè tractat.

Vel, *duo:* una eſt petitio ſingularis, ad verſ. 20. Altera communis pro Eccleſia.

1. *Nathan*] Non eſt confundendus cum Nathane filio Davidis, cujus mentio in Geneal. Chriſti apud Lucam. Vide Caſaub. Ex. prima.

הַנָּבִיא] Vide Gram. in נִבָּא & confer cum Joh. 3. Ubi Mulier Samarit. Chriſtum vocat Prophetam.

Chryſ. in 1. Cor. 14. προφ. ἐςὶ ἑρμηνεύτης τοῦ Θεοῦ.

Πρὸ non ſemper temporis, ut Προφέρω.

Cum ingreſſus eſſet ad Batſebam] Honeſta circumlocutio rei obſcænæ. Sic Gen. 19. & 6. Hinc lingua Ebr. vocatur Sancta. Adde locum ex Eſ. 36. שֵׁינֵיהֶם. Chald. כד שמש עם ב׳. Unde תַּשְׁמִישׁ

2. חָנֵּנִי] Ch. חוס עלי *parce mihi*, Ἵλεώς μοι κύριε, ſub. ἔσο. NB. Ob locum Matth. 16. 22. Ἵλεώς σοι κύριε, Syrus, חס לך *parcat tibi*, *propitius ſit tibi*, ſub. Deus, Ἵλεώς σοι ſub. ſit Dominus. Stylus Lxx. Int. & Gramm. Syr. non patiuntur hanc Interpr. Lxx. 1. Chr. 11. 9. Ἵλεώς μοι ὁ θεὸς τοῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο. *Propitius mihi ſit Deus* חָלִילָה. Hic locus plenus eſt. Sed apud Syros nunquam additur nominat. apud Græcos raro, Gen. 43. 23. Ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθε, Hebr. שלום לכם: Imperat. Syr. eſſet חוס.

רַחֲמֶיךָ] רחם *dilexit*, *miſertus fuit*, רחמנא חוס *miſericors*; unde רחמנא לבא כינא. Et Arabes *biſmi Allahi arrahimani, Errahimi.* רחם *miſericordia*, רַחֲמִים. Clavis habet *Rechem & Rahmajim*, corruptè utramque. Nam *Rehem* tantum *matricem* ſignif. videtur autem *Rahamim* primo ſignif. *Viſcera*, i. e. vitalia illa membra, Cor, Pulmonem, Jecur, Lien & forte Renes, Job. 38. *Quis poſuit in viſceribus ſapientiam?* Deinde, quia in his viſceribus ſunt affectus teneri, ſignificat *miſericordiam.* Sic Σπλαγχνόν. Philipp. 2. εἴ τις κοινωνία πνεύματος, εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοὶ, πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν. Sic Σπλαγχνίζομαι. Matth. 9. Mar. 6. καὶ ἐσπλαγχνίσθη ὁ Ἰησοῦς περὶ αὐτῶν. Σπλάγχνα ergo ſignificat *Miſericordiam.* Quid itaque valet illa locutio Luc. 1. διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ? Eſt locutio ἐκ παραλλήλου. Et ſæpe ſynon. junguntur per (&) Copulam, ſic, & aliq. cum genitivo. Vide ſupra.

Forma confeſſ. Jud. Maim. de Pœnit. S ect. 1. אני ה׳ חטאתי עויתי פשעתי לפניך ועשיתי כך וכך והרי נחמתי ובשתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר זה.

מְחֵה] Primo, *abſterſit*, *delevit.* 2. *Deſtruxit, abolevit, perdidit, removit.* 2. Reg. 21. 13. *Et abſtergam Jeruſalem ſicut quis abſtergit patinam & vertit eam*, i. e. primò ſordes ejus abſtergam, i. e. cives, & deinde vertam illam, evertam illam, ipſam: quod revera accidit & convenit cum eo Salvat. Matth. 24. *Amen dico vobis* οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. Joſeph. Haloſ. lib. 7. cap. 15. Κελεύει Καῖσαρ τὴν πόλιν ἅπασαν καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν: adeo ut perſuaderi non potuiſſet exteris ibi fuiſſe urbem. Clariora hæc ſunt quam illud Virg.

Et campos ubi Troja fuit.

Quia & aratrum Templo & Urbi impreſſum fuiſſe perhibent Thalm. *Imprimeretque muris Hoſtile aratrum exercitus inſolens.* Et vocatur Turannus Rufus, pro quo legitur apud Hieron. in Zach. 8. *Tito anno Rufo.*

3. הֶרֶב] Vide Gram. ad Im. Kal.

עָוָה] *Curvus fuit*, עוֹן *curvitas.*

חָטָא] *Aberrare à ſcopo.* Jud. 20. 16. *Omnes hi fundis jaciebant etiam ad capillum* ולא יחטא *ut non aberrarent.* Sumitur & pro *expiare* in Piel חטאת *peccatum*, *pœna peccati*, *victima pro peccato*, & in ſpecie *Idololatria.* Sic Hoſ. 8. 11. *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccatum.* Jirm. 1. 8. *Peccatum peccavit Iſraël.* Sic de Jeroboam הֶחֱטִיא. Sic πλημμέλεια Eccleſ. 49. 5. Παρὲξ Δαβὶδ Ἰωσίου καὶ Ἐζεκίου πάντες πλημμέλειαν ἐπλημμέλησαν.

טַהֲרֵנִי] Th. חַכִּי יָתִי.

נֶגְדִּי] *Coram me*, *è regione mei*, *contra me.* Unde Oppoſita קְנָגְדִּים vocant Philoſophi.

4. *In oculis tuis*] Cum nobis aliquid diſplicet ſolemus torvum videre.

5. למען תצדק] Duplex ſenſus eſſe poteſt.

I. Ut למען finem denotet & jungunt cum חנני vel טַהֲרֵנִי *propterea ut juſtus ſis in ſermone tuo* quo pœnitentibus veniam promittis. Ab. *Lemaam* jungendum cum honneni, כי את אמרת שתכלח לשבים ומתורים.

II. Etiam tangit Aben-Ezra, ut למען eventum rei ſign. *adeò ut*, & tunc jungendum cum פשעי ארע & *Tibi peccavi*, *adeo ut juſtus ſis in tua reprehenſione qua me per Nathan corripuiſti*. q.d. אין צריך להוכיחני *Ego ipſe confiteor*.

בדברך] *In loqui te*, vel *in ſermone tuo*, LXX. ἐν τοῖς λόγοις σου. In primo ſenſu accipiendum de ſermone conſolatorio. In ſecundo de cotrectorio.

בְּשָׁפְטֶךָ] *Cum judicas tu*, id eſt, punis. Sic *Judicia* pro *pœnis* paſſim ne aliter judicare dicas quam promiſiſti.

In ſecundo ſenſu paſſivè accipiendum pro הִשָּׁפְטֶךָ duplice iterum ſenſu, adeo ut juſtus deprehendaris cum tu in judicio contendis, litigas cum homine, (nam שפט in Niphal ita paſſim ſumitur) aut cum tu judicaris ab hominibus. Judicatur Deus ab hominibus cum in ipſius opera curioſius inquirunt, cum accuſant eum injuſtitiæ ob ea quæ capere non poſſunt.

7. חוללי] *Formatus ſum*, alii, *Genitus ſum*, LXX. συνελήφθην, Jun. *Formatus*, P. *Genitus ſum*, i.e. partu in lucem editus. Sic ſumitur Job. 15. 7. *An tu primus homo natus es & ante colles* חוללת? Sic Pr. 8. 24. & 25. *Antequam eſſent montes defixi* חוללתי *& cum nondum eſſent abyſſi holalthi*. Loquitur enim de ſapientia increata Chriſto. Poteſt tamen ſumi de ipſa formatione quæ fit in utero matris, vel de ipſa conceptione, unde Græci συνελήφθην ut ſic duo ex hoc verſu obtineantur. 1. Peccatum originale, ipſum fontem & principium peccati Originalis; In ipſo conceptu nempe tranſmitti per ſeminis emiſſionem. Semen enim virile eſſe peccati Originalis vehiculum aſſerunt multi. 2. Ipſum corpus, antequam infuſa anima eſſe ſubjectum peccati & quidem immediatum, utpote cum anima in ipſa conceptione nondum ibi ſit, quà mediante quidam putant corpus dici poſſe ſubj. peccati. Pro formatione aliquando ponitur vox רקם quæ ſign. artificioſe fila diverſorum colorum in tela intexere, quod acu pingere & Phrygioniam exercere vocant, & Metaph. ex diverſis membris unum corpus artificioſe compingere. Sic legimus Pſ. 139. 15. *Non occultata à te fuerunt oſſa mea, cum factus ſum in occulto, cum* רקמתי בתחתיות הארץ *artificioſe compingerer*, i.e. formarer in imis terræ, i. e. in utero matris. Quod noto ob locum Eph. 4. ubi Chriſtus dicitur deſcendiſſe εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, i.e. ut quidam, *in terram quæ eſt infima pars mundi*. Sed tum dixiſſet εἰς κ. μ. τοῦ κόσμου. Alii ad ſepulchrum referunt quod ph. Ebræa dicitur eſſe in corde, vel medio terræ, i. e. intra terram; ut Tyrus in corde maris ſita dicitur. Alii ad uterum Mariæ collatione facta cum hoc loco. Nam hic Chald. בכרסא דאמא in utero Matris.

יֶחֱמַתְנִי] Ἐκύσσησε με· *Geſtavit me*. Jun. *Fovit me*. P. *Concepit me*. Ad verb. *Calefecit me*, i.e. incaleſcendo concepit. Pr. Piel pro יִחֲמַתְנִי vel יחם à יָחַם *caluit*, in Piel *calefecit*. Ergo *calefecit me*, i.e. in calore concepit me. Iterum duæ illæ concluſiones hinc elici poſſunt. Alii abſol. *caluit me*, i.e. caluit à me, i.e. impregnata eſt à me vel de me. Th. עַבְרַת בִּי nam עִבֵּר *impragnare*, עֻבָּר *fœtus*. Gen. 31. 10. *Et factum eſt* בעת יחם צאן t. *incaleſcendi oves*, i.e. admiſſuræ ovium.

Alii ut & Jun. vertunt *fovit me*, i.e. geſtavit me in utero; ſed um cadit concl. ſecunda. Sunt qui hic agi *putant* de peccato parentum actuali, ſed obſerv. hic dici in ſing. חטא עון.

Atque hic agi de peccato Originali ipſi etiam Ebræi aſſerunt, Aben. ad hunc locum, בשעת הלדה היצרהרע כמוע בלבי. Et Aben. Job. 5. enumerat VII. appellationes peccati hujus. 1. *Figmentum malum*, Gen. 6. 2. *Præputium cordis*, Deut. 10. & Jirm. 4. Hic eſt *renovate*, illic eſt *circumcidite*. 3. *Inimicus* ſeu *Oſor*. 4. *Offendiculum*, Eſa. 57. 5. *Cor lapideum*, Ezech. 36. 6. *Aquilonaris*, Joël. 2. & 7. *Immundum*, ut hoc loco.

Præputia apud Ebr. IV. *Carnis*, *Cordis*, *Oris* ſeu *Labiorum*, Deut. 10. *Auris*, Jirm. 6.

8. *Veritatem*] Synceritatem vel ſynceram cupiditatem & voluntatem ſequendi te: nam in renibus voluntatem & cupiditatem locat ſcript. Sed & in præcordiis veteres. Cic. 1. Tuſc. *Super præcordia cupiditatem locavit Plato.*

בַּטֻּחוֹת] *Quæ in præcordiis*, non quæ in ore ſolum. A טוח *oblevit*, *induxit*, ſic dicti *Renes* juxta quoſdam quod adipe obliti ſint. Ab. נעלמו החכמים & antiqui dicunt, inquit, quod ſint כליות quia ſunt מכסות בחלב.

Quæ in occulto eſt] Id eſt, in corde.

תודיעני. Ab. refert ad אמרת, ut ſit fœm. gn. 3. perſ.

9. *Hyſſopo*] Id eſt, aſperſione ſanguinis Chriſti, quæ figurata fuit per *aſperſionem aquæ luſtralis*, de qua Num. 19. Item per *aſperſionem ſanguinis aviculæ*, Levit. 14. *In leproſo. Nam quod plaga lepræ eſt corpori, id peccatum eſt animæ*, Ab. & R. Sal. Meton. duplex. 1. Efficientis, quatenus per hyſſopum intelligitur aſperſio quæ fiebat per hyſſopum. 2. Adjuncti, quatenus per aſperſionem hanc cerœmonialem accipitur aſperſio ſpiritualis.

Sumebantur 4. caules hyſſopi.

Ex hyſſopo fiebat aſperſorium, nam hyſſopus alligabatur ligno cedrino & vinciebatur cum eo filo coccineo. Sic in N.T. Synecd. *aſpergillum* ſignificatur per *hyſſopum*. Joh. 19. 29. *Illi vero implentes ſpongiam aceto & ὑσσώπῳ περιθέντες, admoverunt ori ejus*, pro quo Matth. 27. & Mar. 15. eſt καλάμῳ.

Th. *Aſperges me ſicut Sacerdos qui aſpergit cum Ezob ſuper immundum aquas aſperſionis ex cinere Vaccæ.* Num. 19. 13. Ex. 24. 8.

Sunt qui אזוב ſign. putent *rutam murariam* ſeu *capillum veneris*, quia ex parietibus creſcere dicitur, 1 Reg. 4. 32. *A cedro uſque ad hyſſopum, quæ egreditur ex pariete.* Sic Jun. & Trem. in primis Edit. Alii, *muſcum*, alii *Origanum* ſig. putant. Vide Druſ. cap. 75. in Num. Jun. in ultimis curis ad Ex. 12. 22. Heb. *Ezob*. & Ar. *Tzahtar* primò & per ſe ſunt latæ ſignif. nam & hyſſopi & omnia origani genera & thymbram & thymum & ſaturejam compl. ſed κατ' ἐξοχὴν accipitur anguſtius. Nam quia אזוב ad fluxus, tuſſim, duritias, collectiones & manantia ulcera utilis eſt ſpecies hac voce hyſſopes denotatur, quæ principatum in eo genere obtinet. Huc me adducit authorit. Apoſt. Ebr. 9. qui ἐν τοῖς καθολικοῖς legitimorum rituum hyſſopum nominat.

אַלְבִּין] A. לבנון fit לבן, ut *Alpes* ab *Albo*: Mons adeo altus, ut etiam media æſtate nivibus ſit tectus, unde nives illæ in Tyrum deferuntur, ut iis temperent æſtiva pocula.

Berax] 1. Ex nihilo facere aliquid ut ſit. Ex non Ente facere Ens, ut Gen. 1. 1. 2. Facere aliquid ex materia jam creata, ut Gen. 1. 21. & 27. Num. 16. 30. *creare creaturam*. Creatio duplex, mediata & immediata. 1. Ex nihilo, 2. Ex aliquo novum & eximium aliquid producere. Trem. *Facere aliquid magnificè.*

Millepanecha] Maſſ. 7. Id eſt, decies cum מל. Et quidem octies מִלְּפָנֵי יה׳ Vide Jon. 1. 3. Ubi ח׳ Quid ſit diſcr. inter מִלִּפְנֵי & מִפְּנֵי ſeu לפני Vide Merc. Gen. 4. & Jon. 1. Druſ. Jon. 1. Riberam ibid. Vide Clavem in Facies 1 Reg. 21. verſ. ult. מלפני & מפני confunduntur. Alias מלפני præſupponit ſemper peculiarem aliquam Dei præſentiam.

14. יִשְׁעֶךָ] יֶשַׁע *ſalus*, *ſalutare*, σωτήριον vel σωτηρία, unde aliquando pro concreto ponitur, plane ut Luc. 1. σωτηρίας pro Σωτῆρος. Hinc ישוע. Hinc *Hoſanna*, Matth. 21. 9. Ὡσάννα τῷ υἱῷ Δαβίδ· הושיעה נא σῶσον δή, aut σῶσον ἡμᾶς. Sed quid tunc dativi? Ideo & Druſius putat vel ſaltem conjicit eſſe nomen cum affixo & ſignif. ἡ σωτηρία ἡμῶν τῷ υἱῷ Δαβίδ. Locutio autem eadem cum Pſ. 3. לי׳ הישעה *Domino ſalus*, i. e. à Domino, ut ל ſit idem quod מן, & nota Ablat. caſus. Sed Caſaub. in Exercitationib. aliam ponit interpretationem ex Elia Thisb. & eam contra Baronium defendit; Ut nempe ſit *acclamationis vox*. *Atque*, inquit Baronius, *vitioſa eſſet locutio, ſi ſignif.* σῶσον δὴ *vel* σῶσον Ναὶ, *quæ nullum congruentem referret orationis ſenſum.* Dicit hoc ob ſeq. dativos. Sed ratio fugiebat eum inquit Caſaub. Quis enim ignorat in Acclam. omnium linguarum ut & ſtatuarum inſcriptionib. ſolere ſententias ſemiplenas perſæpe offerri? & audientibus relinqui ſupplendas? ut apud Lampr. in Al. Severo, *Juveni*, *Imperatori*, *patri P. P. maximo*. Sc. fauſta precamur. *Fidei Militum feliciter*. Sc. evenire optamus. Euagrius, *Leoni multos annos* optamus. Sic *Oſanna*, *ſerva quæſo Filio David*, ſcilicet optamus.

רוּחַ נְדִיבָה] *Spiritus ingenuitatis*, Trem. Piſc. *Spiritus ſpontaneus*, vel quod ſponte αὐτομάτως à Deo detur, vel quod ſpontaneos homines reddat ad obſequium Dei. LXX. πνεύματι ἡγεμονικῷ, Vulg. *Sp. principali*, i.e. Sp. S. ςήριξόν με. Præſtat *Ruah* accipi in Nom. alias enim, oportere ſupp. ב. R. Sal. לשון קצינה. R. Sal. ר׳ נבואה Belg. *vrijmoedige*.

15. יָשׁוּבוּ] Ἐπιστρέψουσι· pœnit. agent. Hinc טוב יום אחד לפני מיתתך

16. מִדָּמִים] Ἐξ αἱμάτων. I. Signif. *ſanguinem*, ab אדם *rubuit*, juxta quoſdam ſic ſumitur. Lev. 19. 16. *Nihil comedetis cum ſanguine*, & 17. 14. *Quia eſt anima omnis carnis: ſanguis ejus pro anima ejus eſt. Ideo edico filiis Iſraël, ſanguinem ullius animantis ne comedito. Nam omnis carnis anima ſanguis ejus eſt.* Ubi not. Synecdoche, de brutis hoc dici non hominibus, nam horum animæ ſunt ſubſtantivæ, illorum verò qualitativæ. Vel *anima* beſtiæ (etiam hominis) dicitur eſſe in ſanguine ſecundum operationem & virtutem. Sanguis animæ quaſi vehiculum eſt. Eo effuſo effunditur anima. Sine eo anima impos eſt vitalium actionum.

num. Sic Gen. 9. 4. *Carnem cum anima ejus cum ſanguine non comedetis. Purpuream vomit ille animam.*

II. Sign. *Animam.* Pſ. 30. *Quæ utilitas* בְּדָמִי. R. D. i. *in anima mea. Nam ſanguis eſt anima*, i. e. *vita qua vivimus.* Intell. Meton. Sic Virg. locutus eſt ex ſent. Emped. cujus hoc fuit.

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιον ἐςὶ νόημα.

III. Sign. *cædem*, & q. in plur. aliquando *culpa*, aliq. *pœna.* Pſ. 5. אִישׁ דָּמִים de culpa. Hoſ. 4. *Sanguines attigerunt ſanguines.* Pœna. Ezech. 38. 22. *Contendam cum eo peſte* ובדם.

IV. Pro ſang. menſtruo.

V. Pro omni eo quod ſanguinem colore refert. Sic Joël. 2. *Sol vertetur in caliginem & luna in ſanguinem.* In Eclipſi luna rubet, quia ejus lux cum umbra terræ miſcetur & rubedinem efficit. Sic Gen. 49. 11. *Lavabit (Juda) in vino veſtes ſuas* ובדם ענבים סותה *operimentum ſuum.* Sic 1. Mach. 6. 31. αἷμα ςαφυλῆς. Sic Ariſt. *Vinum* vocat *ſanguinem terræ.*

Gen. 30. In Thargum Jeroſolym. Deus 4. Claves ſibi ſervavit, quas non Angelo vel Serap. communicavit. 1. Clavis דמטרא Deut. 28. 2. Clavis מזונא cibationis. Pſ.... 3. Clavis דקבריא Ezech. 37. 4. Clavis ſterilitaris & fœcunditatis. Gen. 30.

Juſtitiam tuam] Id eſt, Veracitatem in ſervandis promiſſis, ac nominatim in ſervata mihi promiſſione remiſſionis peccatorum per Nathan annunciata. Alii, *benignitatem, clementiam, miſericordiam*, 1 Sam. 12. 9. *Ut diſceptem vobiſcum de omnibus juſtitiis Domini.* Hunc locum adducit Illyr. At Jun. explicat, de juſtitia diſtributiva, i. e. juſtis factis tam beneficiis ex promiſſ. quam ſuppliciis ex veſtris meritis. Clarior locus Mich. 6. 5. *Ut agnoſcas juſtitias Domini*, Belg. *Wat de Heere u goets gedaan heeft.* Ter. *Ut mea ſtultitia in tua juſtitia aliquid ſit præſidii.* Pſ. 103. *Benignitas Dei à ſeculo in ſeculum erga timentes eum, & juſtitia ejus erga filios hominum.* Poſteriori ævo poſitum fuit pro *eleemoſyna*, Dan. 4. 24. *Peccata tua* בִּצְדָקָה פְרֻק *& iniquitates tuas benefaciendo affictis.* Vulg. *Eleemoſynis redime.* Sed alii putant nullam eſſe neceſſitatem ibi expon. *eleemoſynam*, Jun. *Abrumpe peccata tua juſtitia*, q. d. Plus ſatis hactenus peccaſti injuſtitia & inhumanitate; Anticipa judicia ejus ſeriâ reſipiſcentiâ; Abrumpe injuſtitiam & inhumanitatem; Inſtitue aliter vitam tuam; Diſrumpe vincula ſpiritualis tuæ captivitatis; Perrumpe hunc carcerem vera fide & per bona opera efficace. Clarior locus Matth. 6. 1. ubi optimæ notæ cod. habent δικαιοσ. i. e. ἐλεημοσ. Auguſt. dicit partem juſtitiæ eſſe opus, quod per Eleëmoſ. fit, quia pauperibus obſtricti ſumus Prov. 3. 27. *Ne prohibeas bonum à Dominis ejus.*

17. *Labia mea*] Ita Ebr. exordiuntur preces ſuas, & Monachi ſuas matutinas, Angli quoque ſuas conciones.

18. *Non delectaris.*] Rationem exponet ſententiæ ſuperioris per prolepſin, *Cur non potius offers ſacrificia?* Ad hoc reſp. hoc verſu, & ſacrificium cum cultu ſpirituali tanquam minora comparat. Aben. *Non petiiſti in Lege tua aut requiſiviſti holocauſtum aut ſacrificia expiatoria pro ejuſmodi peccatis qualia hæc ſunt.* De hac quæſtione, An etiam pro gravioribus peccatis ſacrificia fuerint inſtituta, illi videantur qui contra Photinianos ſcripſere.

ואתנה] *Nam* [*aliàs*] *darem*, Piſc. *Ut dem*, Jun. *Ik woude het u anders wel geven*, Belg.

19. *Sacrificia Dei*] Id eſt, Deo placentia, ſic Joh. 6. 29. *Hoc eſt illud opus Dei, ut credatis in eum qui miſit me. Quid faciemus*, rogabant Judæi, *ut operemur opera Dei*, Reſp. *Hoc eſt opus Dei*, *fidem vocat opus conſiderando eam non ut habitum, ſed ut habitus effectum.* Vel per μίμησιν explicandum eſt, ut Bez. & Muſc. *Opus Dei*, i. e. *Deo placens.* Genit. adj. *occupati.* Aliàs *opus Dei* phraſi communi id dicitur, quod à Deo efficitur, ut Genit. ſit efficientis. Id, etſi in fidem, Phil. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum*, quoque competat, tamen hic non quadrat. Belg. *Die offerhanden die God behagen.* At hic, *Dit is Gods werk.*

19. *Spiritus*] 1 Theſſ. 2. 23. Prov. 29. 11. *Deus pacis ſanctificet vos totos & integer veſter Spiritus, & anima & corpus, inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur.* In Cant. 3. puerorum in Apocry. Dan. *Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino.* Spiritus ſæpe idem quod anima, *Pater in manus tuas* &c. *Spiritus redit ad Deum* &c. Fratres Roſeæ Crucis, Lutheranique quidam in homine regenerato tria ponunt, *Spiritum, animam* & *corpus.* Vulg. *Expoſitio loci 1 Theſſ. hæc eſt: ut per Spiritum intelligatur* illud ἡγεμονικὸν *in homine quod mentem vocamus, eam animæ partem qua intelligimus. Per animam vero voluntatem & affectus*, i. e. *reliquas inferiores animæ facultates; non quod plures ſint animæ, ſed quod unius ejuſdemque animæ functiones diſtribuat Paulus.* Sic Eb. 4. 12. *Vivus eſt ſermo Dei & penetrantior quovis gladio ancip. & pertingit uſque ad diviſionem* ψυχῆς τε καὶ πνεύματος. Ebræi tria ponunt in homine. 1. נפש. 2. רוח. 3. נשמה. Ab. ad Koh. 7.

21. *Tunc*] Cum populus tuus agnitis beneficiis te colet.

Sacrificiis juſtitiæ] Id eſt, juſtis, legitimis, profectis ex fide, *Quæ tunc pro ritu ceræmoniarum legalium offerebantur, nunc vero Spiritu offeruntur in Chriſto*, Jun.

כליל] Belg. *Den gantſchen offer*, כלל *complexus eſt*, כליל *univerſale.* Jun. *& prorſus conſumendo*, ut Levit. 6. 15. Aben. dicit עלה denotare *ſacrificium juge* כליל vero *ſacrificium ſacerdotis.*

GROTIUS.

Cum venit ad eum Nathan] Id eſt, de hoc argumento ſcriptus, quanquam non eo tempore.

Quando intravit ad Bethſabee] Exponendum perfectum, *Poſtquam congreſſus eſſet eum Bethſabee.*

5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*] In Hebræo, *Peccatum meum quotidie mihi obverſatur:* ſe mihi oſtendit, & pœnæ metu me exterret.

6. *Tibi ſoli peccavi*] A te ſolo pœnas metuere poſſum. Nam *liberi ſunt Reges à vinculis delictorum*, ut ait Ambroſius ad hunc locum. Harmenopulus: ὁ βασιλεὺς ἁμαρτάνων ȣ̓ κολάζεται, [*Rex, ſi peccet, non punitur.*] Vide quæ in hanc rem protulimus de Jure Belli ac Pacis libro 1. cap. 3. §. 1. ubi & dictum illud poſuimus Rabbinorum: *Nulla creatura judicat Regem, ſed Deus benedictus.* Alioqui nomine, non re Rex fuiſſet.

Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris] Illud בדבריך quod hic vertitur *in ſermonibus*, optimè vertas *in actionibus*; id eſt, ut quidquid de me ſtatueris, & ego, & omnes alii mecum nullam mihi fieri injuriam ſint profeſſuri. *Vincas*, habent LXX. & Syrus, & Paulus Rom. 3. 4. In Hebræo eſt *purgeris:* nam verbum in Cal ſæpè pro *eſſe* ſignificat *apparere.*

7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*] Illud *enim* abeſt in Hebræo. Senſus eſt: *Non nunc tantùm, ſed & à pueritia mea, ſæpius peccavi.* Eſt enim loquendi genus ὑπερβολικὸν (*ſuperjectivum*,) ut oſtendit collatio locorum Job 31. 18. Pſal. 22. 10. 11. 58. 4. 71. 5. 6. Eſaiæ 48. 8. Occaſione hujus gravis criminis, meminit & antecedentium quamlibet non tam gravium. Pro *concepit* in Hebræo eſt *fovit.*

8. *Ecce enim veritatem dilexiſti*] Etiam hîc *enim* in Hebræo deeſt, & rectiùs verteris, *Attamen certè veritatem tu diligis in renibus:* id eſt, intimè. Non amas facinoroſos.

Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi] In Hebræo: *In abſtruſo ſapientiam mihi cognitam feciſti.* Quominus excuſatio mihi de peccato ſuppetat, noram ego qualis tu eſſes, quàm averſus à dolo malo & injuſtitia omni. Lex tua hanc notitiam cordi meo inſcripſerat.

9. *Aſperges me hyſſopo*] Id eſt, aſperge. Precatur ut à pœnis, quas commeritus erat, Deus ſe liberet, ſicut leproſi per hyſſopum vitæ ſociali reddebantur, Levit. 14. 6.

12. *Cor mundum crea mihi Deus*] Nè viam mihi ad pœnitentiam præcludе. Ità Maimonides, docens non omnibus id beneficii à Deo contingere, teſtimoniis Exod. 7. 3. Eſai. 6. 9. 10. 2 Paralipomen. 36. 16. Job. 11. 28.

14. *Et ſpiritu principali confirma me*] LXX. πνεύματι ἡγεμονικῷ ςήριξόν με, [*Spiritu ducali firma me*,] quomodo & Chryſoſtomus citat oratione de Spiritu Sancto. Optima verſio videtur, *Spiritu liberali* (id eſt, liberaliter in me effuſo) *confirma me.*

16. *Libera me de ſanguinibus*] Hebræorum mos eſt ſanguinem pluraliter efferre. Intelligit autem homicidii crimen. Sic eadem vox pluralis ſumitur Exod. 22. 3. Levit. 20. 9. 11. 27. Num. 35. 27. Deuteron. 19. 10. Joſ. 11. 19.

18. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique*] Nulla erat in Lege conſtituta hoſtia quæ tam grave crimen expiaret. Pœna aut ab homine aut à Deo erat exſpectanda, niſi Deus ſupra Legem ignoſceret. Vide quæ diximus in libro de Satisfactione Chriſti, capite de ſacrificiis expiatoriis.

PRICÆUS.

1. *Quid gloriaris in malitia?*] Sic Jerem. 11. 15. *malitias tuas in quibus gloriata es:* quod Eſai. 47. *habere fiduciam in malitia ſua.*

8, 9. *Videbunt juſti*, &c.] Ità & 58. 11. 12.

Ibid. *Videbunt juſti*, &c.] Sic ſuprà 36. 34. *Cùm perierint peccatores, videbis.* Cicero Verr. 5. *Nullum eſt teſtimonium victoriæ certius, quàm quos ſæpe metueris, eos te vinctos ad ſupplicium duci videre.* Adde Pſal. 34. 21. & 53. 9. & 57. 11. & 90. 8. & 91. 12.

10. *Ego*

10. *Ego autem ſicut oliva fructifera*, &c. *ſperavi in miſericordia Dei*] Spes meæ non aruerunt, ἐν ὑπομονῇ ἐκαρποφόρησα. Et bene, *in miſericordia tua*: non in divitiis, ut illi de quibus proximè præcedente commate.

IDEM.

4. S*Icut novacula acuta feciſti dolum*] Concinnâſti dolos, ut 49. 19. i.e. malignos ſermones. *Sicut novacula acuta* proverbiale. Vide 21. 4. Sirachidem.

6. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis*] LXX. καταποντισμοῦ· quod aptè quoad literam, *præcipitationis* vertit. Virgilius,

In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Senſus autem metaphoricus eſt, mendacia ſpargis, ut me in imo perniciei demergas.

7. *Evellet, & emigrabit te de Tabernaculo tuo*] Expellet te (ut Eſai. 22. 19.) de ſtatione tua.

8. *Videbunt juſti*] Perniciem nempe tuam, qui aliis perniciem meditaris. Proverb. 29. 16. *juſti eorum* (impiorum) *ruinas videbunt.*

Ibid. *Et timebunt*] Infrà 63. 9. *Conturbati ſunt qui videbant eos, & timuit omnis homo.*

Ibid. *Et ſuper eum ridebunt*] Gaudebunt. Prov. 29. 6. *Peccantem*, &c. *involvet laqueus, & juſtus laudabit, atque gaudebit.* Ità fortè & Prov. 31. 25. (quanquam in argumento non eodem) vox *ridebit* ſumenda.

9. *Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum*] *Confiſus eſt* (ut Jer. 49. 4. *in theſauris ſuis, & dixit, Quis veniet ad me?*

Ibid. *Et prævaluit in vanitate ſua*] In vanis cogitationibus ſuis. Non diſſimile Eſai. 47. 10. *Et fiduciam habuiſti in malitia tua.*

10. *Ego autem ſicut oliva fructifera*, &c.] Prov. 11. 28. eâdemque quæ hoc loco oppoſitione, *Qui confidit in divitiis ſuis, corruet: juſti autem quaſi virens folium germinabunt. Sicut oliva fructifera*, proverbialis aſſimilatio. Vide Jerem. 11. 16.

Ibid. *Speravi in miſericordia Dei*] Speravi, & ſperabo.

11. *Confitebor tibi*, &c. *quia feciſti*] Subaudi, *hæc*, vel *iſta*. Ità 36. 5. *Spera in eo, & ipſe faciet*; & 38. 10. *Obmutui*, &c. *quoniam tu feciſti.*

Ibid. *Exſpectabo nomen tuum*] Adjutorium tuum: vel *nomen tuum*, te. Sic *nomen Latinum* 1. 2. A Gellius, & 15. 10. *Virgines nominis Mileſii.*

PSALM. LII.

MUNSTERUS.

HIſtoria hujus Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 21. quomodo Doeg iſte prodidit Sauli Sacerdotes Domini, quòd tradidiſſent Davidi panes & gladium Goliath, unde commotus Saul trucidavit omnes Sacerdotes, nempe octogintaquinque. Hebræi putant hunc Doeg fuiſſe Edomæum, non genere, ſed quòd aliquandiu inter Edomæos habitaſſet.

1. *O potens*] Vocat *potentem* quòd præcipuus eſſet inter paſtores Saulis, aut quòd glorietur ſe acceptum Regi, atque ideo magna facere poſſet; cùm David è diverſo glorietur in Domino, in quo magna poſſet, & cujus beneficia ſemper ſentiret.

2. *Novacula acuta*] Hæc vel leviter attacta graviter vulnerat: ſic quem Doeg dolis ſuis circumvenit, huic grave imminebat periculum.

9. *Quia feciſti*] Videlicet hoc judicium, *ut periret impius de domo tua, ego autem veluti olea frondoſa fructum ferrem in ea.*

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Intellectus* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Edomæus* האדמי] Sic dictus quòd in terra Edom peregrinatus eſſet, non quòd natione eſſet Idumæus. ¶ *Cur jactas te de malitia* מה תתהלל ברעה] *Quid gloriaris in malo*: vel, *de malo.* ¶ *O potens* הגבור] i.e. Qui etiam in ſanctos te viribus pollere arbitraris, & hoc nomine gloriaris. ¶ *Omni die* כל היום] Sub. *eſt cum ſanctis, & nunquam eâ deſtituuntur, quamtumvis affligantur.* Quidam vertunt, *quotidiana eſt.*

2. *Contritiones cogitat* הוות תחשב] *Perniciem meditatur. Pravitates*, aut *perverſitates, cogitat.* ¶ *Faciens dolum* עשה רמיה] Referri poteſt & ad *novaculam*, quæ aberrans petit jugulum, vel quam ſi leviter contingas ſuâ acutie vulnerat graviſſimè; & ad *linguam*; item ad *Doeg, Tu es faciens dolum*, pro *doloſè agis mecum.*

3. *Diligis malum potiùs*, &c. אהבת רע מטוב] Ad verb. *Dilexiſti malum præ bono*; *mendacium præ quàm loqui juſtitiam*, ſive *quod juſtum eſt.* Subſtantivum pro adjectivo & præt. pro præſ. *Juſtitiam* vocat veritatem, ſive quæ vera ſunt.

4. *Verba perditionis* בלע] *Verba corruptionis, abſorptionis, demerſionis, voraginis*, i.e. Quæcunque perniciem afferre poſſunt proximo. ¶ *Linguam doloſam* לשון מרמה] Hebraiſmus, pro, *diligis ſermonem fraudulentum & delatorium.*

5. *Deſtruet te* יתצך] *Perdet te, evellet te*: q. d. Quod patraſti non impune feres: Deus quoque te perdet, ut ſacerdotes Nobe occidiſti manu tuâ. ¶ *Tollet te* יחתך] Sub. *è medio.* Vel, *exuret te*, à verbo חתה. ¶ *Et evellet te* ויסחך] *Abradet te, demolietur te.* ¶ *Et eradicabit te* ושרשך] Quidam putaverunt eſſe nomen, vertentes *& radicem tuam*, at verbum eſt ex conjug. Pihel.

7. *Fortitudinem ſuam*, &c. מעוזו ויבטח ברב עשרו יעז בהותו] *Robur ſuum, ſed ſpem poſuit in multitudine divitiarum ſuarum*, & *in pravitate ſua obfirmatus eſt.* Vel, *robur ſuum ponit in pernicie ſua*, i.e. in hoc putat ſe fortem ſi alios læſerit. Alii, *roboratus eſt per fraudem ſuam.* Obſerva, *Ponere Deum fortitudinem ſuam*, & *Fidere multitudini divitiarum*, contraria.

8. *Viridis* רענן] Malè quidam vertunt *frondoſæ.* ¶ In *ſeculum & ſeculum* עולם ועד] In *ſempiternum & perpetuo.* Qui vertunt *in ſeculum & ultrà*, obſcuriùs ſanè, & præter veram Hebraïcæ dictionis עד ſignificationem, maximè cùm præponitur aut poſtponitur dictioni עולם, quod *ſeculum* ſign. Quidam ſubaudiunt עלם, ut ſit *in ſeculum & ultra ſeculum*, pro *perpetuo.*

9. *Quoniam facturus es* כי עשית] *Quòd feceris.* Præt. Heb. quod nonnulli pro futuro poſitum putant more Prophetico *quòd facturus ſis*, ſub. *quod dixi.* ¶ *Nomen tuum* שמך] *Nomen* pro *favore.* ¶ *Coram miſericordibus tuis* נגד חסידיך] *Miſericordes Dei* vocat, quos bonitate & miſericordiâ ſuâ dignatus eſt. Quidam referunt hanc poſteriorem partem ad priorem, *celebrabo nomen tuum coram miſericordibus tuis.*

CLARIUS.

HIſtoria hujus Pſalmi legitur 1 Reg. 21. & 22. Quidam ajunt Doeg *Idumæum* hìc dictum quòd in Idumæa aliquando habitarit, non quòd genere fuerit Idumæus. Sicut Obed Edom *Gethæus* dictus eſt eò quòd in Geth aliquando ſedem habuerit. In hunc Doeg & aſſentatores alios hunc Pſalmum & pleroſque alios David conſcripſit.

1. *Quid gloriaris in malitia, potens*] *Potentem* vocat quòd præcipuus eſſet inter paſtores Saulis. *Quid gloriaris*, inquit, *& multa poſſe te putas per malitiam*? An ignoras *Deum ſuâ clementiâ adeſſe* bonis *omni tempore*?

2. *Novacula acuta*] Hæc vel leviter attacta graviter vulnerat; ſic quem Doeg dolis ſuis circumveniſſet, huic grave imminebat periculum.

9. *Quia feciſti*] Videlicet hoc judicium, *ut periret impius de domo tua, ego autem velut oliva fructum ferrem in ea*, &c.

DRUSIUS.

1. אֲחִימֶלֶךְ. A. Ἀειμέλεχ, Sym. & Th. Ἀχιμέλεχ *Achimelech*] Varietas hæc accidit quia Heth aſpiratio ab Aquila neglecta, à reliquis duobus expreſſa per χ Græcum. ¶ כָּל־הַיּוֹם. Sym. καθ' ἑκάστην ἡμέραν, *per ſingulos dies.* Euthymius Aquilæ tribuit.

2. תַּחְשֹׁב. Th. ἐλάλησε, *locuta eſt.*

7. יָעֹז. A. ἐκραταιώθη. Sym. ἐνισχυρίσατο.

AMAMA.

PSalm. σχεττιαστικός. Hiſtoriam vide 1 Sam. 22. 9.

אדומי] Vel oriundus ab *Adama* civitate tribus Zabulon, Joſ. 19. 36. Vel *Idumæus*, ut ſit ־ pro ־. Sic Chald. אֲדוֹמָאָה LXX. ἐν τῷ ἐλθεῖν Δωὴκ τὸν Ἰδουμαῖον. Edomæi ſemi-judæi erant unde Joſeph. Herodem vocat *Idumæum ſemi-judæum.* Hos dicit Caſaub. Exerc. 1. p. 26. eſſe propagine Iſmaelis filii Abraham, forte voluit dicere Eſavi filii Iſaac. Hi integro ferè ſæculo ante Herodem antiquarunt ritus Idololatricos & Judæam Religionem amplexi ſunt ab origine fratres Judæorum. Vide Caſaub. Rabbini quicquid contra Edom dicitur de Romanis & per conſeq. de Chriſtianis interpretantur. Nam à Romana Eccleſia æſtimant totum Chriſtianiſmum. Quæ cauſa quod tam pauci ad Chriſt. convertuntur, quia vident ibi Idololatrica exercitia, à quibus abhorruerunt à diebus Templi 2. uſque in hunc diem, cum tamen ante Idololatriæ fuerint deditiſſimi.

Kimchi dicit vocari Idomæum quod habitaverit in Idumæa,

ut Obededom vocatur Gitthæus. Chriſtus habuit tres patrias.
Unam ortus, *Bethlehem.*
II. Educationis, *Nazareth*, vicus Galilææ.
III. Converſationis, *Caparnaum.*
Doeg] Lxx. Δωήκ.
אֲחִימֶלֶךְ] Lxx. Ἀβιμέλεχ, quod eſt nomen Regum Philiſtæorum. Ut Pharao Ægypti, Cæſar Imper. Rom. Tyri Hiram, Syriæ Antiochi, Ponti Mithridates. Sym. & Theod. ἀχιμέλεχ, Aq. ἀειμέλεχ.

3. *Gloriaris*] Hoc proprium eorum qui peccant ex malititia & habitu. Signum enim habitus generati eſt delectatio in opere.
גבור *O potens!*] Gen. 10. *Ille cœpit eſſe* גִּבֹּר בָּאָרֶץ: Lxx. ὗτος ἤρξατο εἶναι Γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. Et ſeq. verſu ὗτος ἦν Γίγας Κύνηγος ἐναντίον τῦ Κυρίυ, גִּבּוֹר צַיִר: Unde Heſych. Γίγας, ἰσχυρὸς καὶ δύνατος. גבור ſæpe à Lxx. γίγας in utramque partem. Hic verterunt Lxx. δύνατος. Aliàs *Gigas* ſignif. *Inuſitatæ ſtaturæ hominem*, ut apud Hom. ἡ ἄγρια Φῦλα γιγάντων. Et, Odyſſ. α. ὐν ἄνδρεσσιν ἐοικότεν ἄλλα γίγασιν. Et hoc ſenſu ſæpe eſt Interp. τῦ נְפִלִים & רְפָאִים Gen. 6. Et Prov. 2. 18. *Ad Rephaim via ejus. Ad plures, ad Generum Cereris.*

Omni die] *mecum eſt* vel *durat.* Vulg. *Qui potens es iniquitate.* Lxx. ad iniquitatem inquit Gen. חֶסֶד *probrum*, *Scelus* Lev. 20. Jam חסד אל eſt Anaſtrophe, inquit, ut Italiam contra. Nugæ.

4. *Ærumnas*] הַוּוֹת] Ab הָוָה unde הוָּה & הַוָּה *ærumna.*
Novacula faciens dolum] Τὸ ξυρὸν R. Sal. תותך חבטר עם השער *quæ jugulum conſcindit ejus qui tondetur, qui carnem cum pilis abradit.* Jun. —— *acutæ, ô artifex doli.* Piſc. *Quæ facit dolum.*
6. דִּבְרֵי בָלַע] *Verba abſorptionis, quibus abſorbentur quaſi boni.* Jun. P. *Pernicioſa*, Lxx. καταποντισμῦ. Aben. ad linguam malam refert שֶׁיְּבַלְּעוּךָ וְיַשְׁחִיתוּךָ לְשׁוֹן מִרְמָה, *quia perdent & abſorbebunt te (alii) ô lingua mala*, q. d. dilexiſti verba quibus tibi ipſi perniciem accerſes. Kimchi, דִּבְרֵי הַשְׁחָתָה
Piſcator initio verſus ſubaudit עלכן *propterea.*
7. יִתָּצְךָ] *Demolietur* vel *demoliatur*, ut ſit vel לְשׁוֹן תְּפִלָּה vel רוּחַ הַקֹּדֶשׁ i. e. *prophetia.* Metaph. ab Arce; quod ego malo. Ubi enim locus aliter exponi poteſt, non debent imprecationes poni.
יִתָּצְךָ] Lxx. καθέλοι σε, *deſtruat te.*
לָנֶצַח] Chald. לְעָלְמִין: Lxx. εἰς τέλος. Aliquando εἰς νῖκος, quod ex Ebræa voce lucem habet. Sic accip. 2 Corinth. 15. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Videtur autem *in finem* ſic accipi pro *finaliter* & totaliter.

יַחְתְּךָ] Lxx. ἐκτίλαι *Abripiet te*, inſtar prunæ quæ forcipe abripitur. A prunâ. K. *comburet te* יִשְׂרֹפְךָ; nam ſic uſurpatur Prov. 25. חֹתֶה *accipies carbones ſuper caput ejus*, i. e. accipies & pones. Verbum prægnans. Hinc נסחא *exemplar*, *codex:*
וְיִסָּחֲךָ] *Avellet te.* A Paxillo. Μετανασεύσαι σε, *transferat te*, à נסח *profectus eſt*, *translatus eſt* & *tranſtulit.*
מֵאֹהֶל] Ἀπὸ σκηνώματος. אהל 1. *Tentorium*, 2. *Domus quævis*, quia ſucceſſit Tentorio. Sic *Libri* nomen. Olim enim ſcribebatur in foliis, deinde in corticibus, i. e. libris; poſtquam vero cœptum eſt ſcribi in pergameno, & chartâ manſit Libri nomen. Hinc אהל *tetendit*, *tentorium fixit*, quatuor palis & circumpanſis volis. Virg. Æn 2.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles.
2. *Habitavit.* Sic Joh. 1. de Logῳ ἐσκήνωσε ἐν ἡμῖν.
וְשֵׁרֶשְׁךָ] Lxx. καὶ τὸ ῥίζωμά σῦ, i. שרשך Ab arbore.
Terra viventium] i. e. Ex hac vita, ex hoc mundo. Sic Jeſ. 53. *Exciſus eſt* מֵאֶרֶץ חַיִּים:

9. Lxx. ſupp. καὶ ἐρῦσιν. Pro מעוזו habent βοηθὸν αὐτῦ.
יָעֹז בְּהַוָּתוֹ] Ἐνεδυναμώθη. Aq. ἐκραταιώθη, *potens factus eſt. Roborabat ſe* בהוותו i. e. *ſubſtantiâ ſuâ*, *opibus ſuis*, *Habentiâ*, ὐσίᾳ. Vide Buxtorf. Dict. Vel *ærumna ſua*, quam aliis creabat. Priorem expoſit. ſeq. Chald. בְּקִנְיָנֵיהּ. Lxx. ἐπὶ τῇ ματαιότητι αὐτῦ. Quid enim ſunt niſi vanitas. Sic ſumitur Prov. 10. 3. *Et ſubſtantiam improborum expellet.*

9. בְּהַוָּתוֹ] הוה hic Chald. vertit בְּקִנְיָנֵיהּ. Sic Lat. *Habentia.* Claud. Quadrigarius apud Nonium, *Ammos eorum habentia inflaverat.* Sic Græcis ὐσία, ab εἰμι, *ſum:* Luc. 15. 12. dicit Junior Patri δὸς μοὶ τὸ ἐπίβαλλον μέρος τῆς ὐσίας μῦ. *partem ſubſtantiæ ad me pertinentem:* καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βιόν. καὶ ἀποδημήσας εἰς ἄλλην χῶραν διεσκόρπισε τὴν ὐσίαν αὐτῦ. Sic τῆς ὐσίας Φθορὰ, *ſubſtantiæ profuſio*, κατὰ τὴν ὐσίαν διδόναι, *pro facultatibus largiri.* Quint. *ut plus ſubſtantiæ liberis relinquerem.*
10. *Oliva*] Arbor
Incumbens tereti Damon ſic cepit olivæ.
Olea] vel *oliva.* Sic *Deus* & *Divus.* Bell. in Retract. rogat Lect. ut pro D. reſtituat B. vel S. Auguſt. &c. Sed vide Martinii Etym. in *Divus.*
11. וַאֲקַוֶּה] קוה וא׳ לשרח

PRICÆUS.

4. **O***Mnes declinaverunt*, &c.] Vide ſuprà ad 14. 3. dicta.

IDEM.

2. **E***T abomninabiles facti*] Paſſivum pro reciproco.
3. *De cælo proſpexit*, &c. *ut videat ſi eſt intelligens*, &c.] Sequiturque; *non eſt qui faciat bonum.* Ità accipe 59. 15. apud Eſaiam illa, *Et vidit* (Deus) *quia non eſt vir.*
4. *Non eſt qui faciat bonum*]
—— *Mores mali*
Quaſi herba irrigua ſuccreverunt uberrimè:
Eorum licet jam meſſem metere maxumam.
5. *Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem?* Subaudi, ut 57. 12. *eſſe Deum eos judicantem*, &c. Suprà 43. 22. *Nonne Deus requiret iſta?* & 9. 17. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens*, &c. *Nonne ſcient*, Elleipſis, qualis Job. 21. 19.
9. *Diſſipavit oſſa eorum qui hominibus placent*] Qui ut aliis grata faciant, aliis perniciem moliuntur. Lxx. ἀνθρωπαρέσκων quâ voce itidem Apoſtolus uſus. *Oſſa eorum* pro *eos*, Hebraïſmus.

PSALM. LIII.

MUNSTERUS.

M*Ahalath*] Incertum eſt quid hic ſignificet *Mahalath*, niſi quòd quidam ſuſpieantur eſſe nomen inſtrumenti muſici. Chaldæus vertit פורענות, ut ſcilicet מחלת ſit *infirmitas*, à radice חלה *infirmatus eſt.* Aben-Ezra putat eſſe initium carminis ad cujus numeros hic Pſalmus fuerit decantatus. Et idem ſenties de titulis multorum aliorum Pſalmorum. Eſt alioquin Pſalmus iſte ferè idem cum Pſalmo 14.

VATABLUS.

1. **V***Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super Mahalath* על מחלת] Nomen eſt inſtrumenti muſiei; aut initium cantilenæ vulgaris apud Hebræos ad cujus modos decantatus fuit hic Pſalmus. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Dixit ſtultus* אמר נבל] Vide varias lectiones Pſalmi 14. qui eſt idem cum hoc, paucis mutatis, ut in verſu 5.
5. *Diſperſit* פזר] Præt. Heb. pro fut. *diſperget*, vel *diſſipabit.* ¶ *Pudore affeciſti* הבישתה] *Pudore obrues.* Quidam, *contemnes.*

CASTALIO.

4. **S***E Dei victu veſci*] Confer cum Pſal. 4. & 14.
5. *Cum Deus membra tuorum diſcerpet oppugnatorum*] Scipſum alloquitur, ut & Pſal. 55.

CLARIUS.

HIc Pſalmus idem eſt cum decimo quarto, exceptis duobus verſiculis, qui & ipſi plani ſunt. *Mahalath* putant eſſe nomen inſtrumenti muſiei.
5. *Qui oppugnant te*] Poteſt eſſe apoſtropha ad Chriſtum.

LUCAS BRUG.

7. **A***Verte mala inimicis meis*] Sic cum Enarratoribus, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio & Brunone, multa manuſcripta. Sed correctiora, ſuffragantibus Hilario & Auguſtino (non enim textus ſequendi, ſed commentaria introſpicienda ſunt) *Avertet* habent, Brugenſe, Lobienſe, & antiqua Epanorthotæ. Atque hæc Græcorum codicum lectio eſt, ἀποςρέψει τὰ κακὰ τοῖς ἐχθροῖς μυ, quam exponens Euthymius, ait, *Illa nimirum mala quæ illi adverſum me meditabantur, in eos convertet.* Apollinaris traduxit.
Κήδεα δυσμενέεσσιν ἀποςρέψειας ἐμοῖσιν.
Hebraïcè ſimiliter eſt, ישוב הרע ות׳, i. e. *revertetur malum ad inimicos meos:* vel, ut legunt (nam illo modo ſcribunt) ישיב הרע לשררי *reddet*, aut *convertet*, *malum in inimicos meos. Reddet*, non *redde*, Hieronymus vertit, ſi Epanorthotæ & caſtigatioribus

exem-

exemplaribus fides habetur. Ad eundem modum Chaldaïcè eſt יתיב בישׁ למעיקי *convertet malum in eos qui affligunt me:* vel ut in Veneta editione eſt, יתוב בישא *revertetur malum*, &c. Græca Regis editio, cum Complutenſi, pro ἀποςρέψει habet ἀποςρέψῃ, id quod transferunt *avertes:* ſed rectiùs tranferatur *avertat*, tam ſi Græcum quàm ſi Hebraïcum attendatur. Veriſimilior igitur Latinorum codicum lectio eſt *avertet. Avertet* autem *mala inimicis meis*, h. e. detorquebit mala in inimicos meos. Exiſtimarim *avertet* in *averte* mutatum quòd ſequatur, *In veritate tua diſperde illos.* Sed non eſt infrequens Pſalmographo ſubita perſonæ mutatio. Hilarius, expoſito illo *Convertet mala inimicis meis: Dehinc*, ait, *rurſum fit ad perſonam Dei, ad quem primùm deprecatio erat cœpta, converſio, In veritate tua diſperde illos.* Qua in parte non eſt addenda *&* conjunctio, quam Epanorthotes, cùm ex fontibus tum ex verioribus exemplaribus, omittendam admonet: nec cum Auguſtino legendum eſt *virtute*; haud dubiè enim codicis mendo falſus eſt: nec denique, quæ quorundam fuiſſe videtur lectio, ſcribendum eſt *diſperge.* Hebræa namque vox צמת & Græca ἐξολοθρεύω, *diſperdere* ſignificant.

DRUSIUS.

1. עַל־מָחֲלַת. A. ἐπὶ χορείᾳ. Sym. διὰ χοροῦ. Th. ὑπὲρ τῆς χορείας] In Fragmentis editis an. 81. *Th. pro chorea. Sym. pro choro. A. tripudia.* ¶ הִשְׁחִיתוּ. Sym. διεφθάρησαν.

4. שָׁם פָּחֲדוּ־פַחַד לֹא־הָיָה פָחַד. A. ἐκεῖ ἐπτοήθησαν. - - - Sym. φοβηθήσονται. - - - Th. ἐθαμβήθησαν ὃ οὐκ ἦν θάμβος. ¶ אֱלֹהִים פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנָךְ. A. ὁ Θεὸς διεσκόρπισεν ὀςᾶ παρεμβαλόντων περὶ σέ, *Deus diſſipavit oſſa caſtrametantium circa te*] In Fragmentis meis, *Deus enim diſſipavit oſſa aggredientium te.*

AMAMA.

R Sal. duo Pſalmi ejuſdem ſenſus: 1. adverſus Nebucadnetzar, 2. adverſus Titum Impium.

מָחֲלַת] ר׳ Pſ. 88. & hic eſt titulus Pſal. Lxx. ὑπὲρ μαελέθ. Gen. 28. 9. eſt nomen fœminæ. Et dicitur eam accepiſſe Eſau. 2 Chr. 11. 18. Ubi dicitur Rehabeam in uxorem ſibi ſumpſiſſe eam filiam Jerimoth. Aben. eſſe נעים פיוט תחלתו מחלת. R. S. שֵׁם כְּלִי שִׁיר. Jun. *Ad pneumaticum inſtrumentum*, ut tibiæ, buccinæ, tubæ; à חלל *excavavit*, unde חָלוּל *cavus*, מְחִלּוֹת *antra*, חָלִיל *tibia, fiſtula*, חִלֵּל *tibia cecinit.* 1. Regum 1. 41. *Et populus* מְחַלְּלִים בַּחֲלִלִים. Jirm. 48. 36. *Ideo cor meum ad Moab* כַּחֲלִלִים *ſicut tibiæ perſtrepet.* Th. כְּקַל אַבּוּבִין דִּי ut *cantus tibiarum triſtis* (Hinc *Ambubajæ.*) Uſus enim tibiæ in triſtibus, & lætis. Unde in Th. חֲלִילִים לְכַלָּה חליל לכרת, ad ſponſam, לְסַפְּדָה, ad mortuum, לְקִינָן. Matth. 9. 23. καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς καὶ ὄχλον θορυβούμενον. Eccl. 12. 7. *Et circumibunt lugentes in platea.* Ovid. 6. Faſt.

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Gr. θρηνῳδὰς vocant, μοναύλους. Hom. θρήνων ἐξάρχους. Lat. *Siticines, Præfici, Siccinistæ.*

1. *Dixit in corde*] Cogitavit; unde dicere ſimpliciter aliq. cogitare, Exod. 2. 14. Num. 14. 10. λόγος duplex προφορικὸς & ἐνδιάθετος.

Corruperunt ſe & abominabiles fecerunt ſe. עָוֶל i. בְּעָוֶל

2. הִשְׁקִיף] *Proſpexit.* Hinc מַשְׁקוֹף *ſuperliminare*, vel potius feneſtella ſupra oſtium per quam videtur quis pulſet, quales ſunt adhuc in Arabia, ſic olim in Ægypto. Exod. 12. 7. Druſ. Forſt. Scindl.

Filios Adam] Hic generale eſt. Alibi ut Pſal. 49. ſpecialius ſumitur, & opponuntur בְּנֵי אִישׁ. Vide ſupra.

Adam ab *Adama*, *rubra terra*, nam eum colorem exhibet ἡ παρθένος καὶ ἀληθινὴ γῆ. Joſeph. Ant. 1. 2. apud Procop. Eſai 15. eſt παρθενικὴ γῆ, unde Heſych. Ἄδαμα, παρθενικὴ γῆ.

Cum in ſua ſpecie ſolus eſſet & in ſe gereret totam ſpeciem nomine totius ſpeciei inſignitus eſt.

Adam primo ſignif. *primum hominem*, κατ᾽ ἐξοχὴν, unde cum articulo occurrit האדם, ut dicis ὁ ποιητὴς ὁ Ἀπόστολος. Unde, ubi Gen. 2. Pagninus & alii habent *Homo & uxor ejus*, Hieron. habet *Adam & uxor ejus.*

II. *Virum* tantum, Matth. 19. 10. *Si ea eſt conditio hominis cum uxore.*

III *Fœminam* tantum, ut Jeſ. 44. 13. כְּתִפְאֶרֶת אָדָם ſecundum Deus hominis, i. mulieris. Jonath. Num. 31. 35. נֶפֶשׁ אָדָם מִנָּשִׁים *animæ hominum ſexus fœminei quæ non cognoverant viros.* Contra μισογύνης.

IV. Et *virum* & *mulierem*, i. e. utrumque ſexum, vel univerſam ſpeciem hominum. Et hac ſignif. ut & primâ hic accipi poteſt. Gen. 1. 25. 5. 2. *Faciamus hominem, maſculum & fœminam creavit eos.*

Ad hanc ambig. vitandam, retinuerunt Interpretes *Adam* ſicut *proprium.*

Nota, qui paſſim vocantur בני אדם Num. 24. vocari *Filios Seth*, excluſis tantum iis qui ante diluvium vixerunt.

Ex cœlis] Quia locus gloriæ ejus eſt in loco excelſo, i.e. in cœlis, ſimli. ad Pſ. 10. i. אין ספק כי כבוד השם בכל מקום הוא רק כאשר לא דאהעו. יִרְבֶּה לאיש עוכר כרחוק

3. סָג] Pſ. 14. eſt סָר. Cab. referunt ad *Etbaſch.* Sic *Rex* שֵׁשַׁךְ i. e. Babel, Jirm. 25. 26. סָר *receſſit*, & Metaph. à vinis eſt Hoſ. 4. *Receſſit vinum eorum*, i. e. in vappam reſolutam eſt; סָג *receſſit, abalienatus eſt.* Hinc Rab. סְיָג *ſepes.* R. Aquila, & מְסוֹרָה סְיָג לַתּוֹרָה: מַעַשְׂרוֹת סְיָג לָעֹשֶׁר שְׁתִיקָה סְיָג לְחָכְמָה *ſepes Sapientiæ taciturnitas.*

Hinc סִיגִים *ſcoriæ.* Jeſ. 1. 22. *Argentum tuum factum eſt vel verſum eſt in ſcorias & potus tuus mixtus aqua.* Unde Rabb. Qui dicit alteri כסף היה לסגים dicetur ei כבאך מהול במים Sic לֵב קָמָי כַּשְׂדִּים Jerem. 51. 1. atque ita Chald. & Lxx.

5. *An neſcivit comedentes*, i. e. abſumentes, vaſtantes, (*ſicut*) *comedunt panem; quod Deum non invocent?*] i. e. quod Deum non colant. Invocatio pro toto cultu interno Dei. Gen. 4. Joel 2. Act. 2. Jun. *Annon ſibi conſcii ſunt ---- quod exedentes populum meum comedunt panem*, i. e. genio indulgent.

6. פחדו פחד] Lxx. ἐφοβήθησαν φόβον οὗ οὐκ ἦν φόβος. Aq. ἐπτοήθησαν. Sym. φοβηθήσονται. Th. ἐθαμβήθησαν θάμβῳ οὗ οὐκ ἐςι θαμβὸς, Hom. Il. ω.

Θάμβησαν δὲ καὶ ἄλλοι ἐς ἀλλήλους δὲ ἴδοντο.

Ubi non eſt pavor] Ut e. g. Lev. 26. 36. *A ſono folii impulſi.* Aben. *Non fuit pavor* [*ſicut iſte.*]

Diſſipat oſſa] i. e. Interficit eos. Meton. effecti metaphorica. Nam Leo, cum hominis carnem devoravit, oſſa diſſipat.

חֹנָךְ] i. e. חֹנֶה עָלֶיךָ. Apoſt. ad populum Dei.

Lxx. Ἀνθρωπαρέσκων. Placentinorum. Sym. παρεμβολόντων ἐπὶ σε.

Pudefacies eos.] Id eſt, Precibus à Deo impetrabis, ut pudefaciat eos, i. e. ut eos ſua ſpe dejiciat. Apoſt. ad populum Dei vel Meſſiam.

7. *Jacob, Iſraël*] Poſteri ejus. Met. Effic. Sic Gen. 28. *Et ivit Eſau ad Iſmael*, i. e. Iſmaëlitas.

Vaſtatum Templum ſecundum à militibus Titi Veſp. qui invitus tam aſpero remedio admovit manum. Deliciæ & amor generis humani prædicatur, ſed Reip. cauſa adhibenda hæc ſeveritas fuit & accelerandum orbis fatum. Crudelem medicum intemperans æger fecit. Hoc memorabile, cum primò vaſtaretur Templum extremum Sabbati erat, erat extremum anni ſabbatici i. e. anni ſeptimi. Erat ſeptimana ſtationis Jojarib quæ prima erat in ordine. Et nonus dies menſis Ab. 1. Julii, & ſtabant Levitæ in cathedra & recitabant hanc oden, Et retribuet iis iniquitatem ſuam. Ita fuère hæc omnia in Templi II. Deſtructione. Unde R. Joſe, *Ut meriti remuneratio etiam poſt longum tempus recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati.* Res admiranda & ſingularis quædam judicii Divini nota.

GROTIUS.

PRo *Maheleth intelligentiæ David*] Illud quod hîc eſt מחלת ſignificat *carmen in choro cantandum.* Id apparet ex Pſal. 30. 12. 149. 3. Cant. 6. 12. & Judicum 21. 13. de voce משכיל diximus ad initium Pſ. 32.

PRICÆUS.

7. AVerte *mala inimicis meis*] Mala quæ mihi ominantur à me in illos verte.

IDEM.

4. EXaudi *orationem meam, auribus percipe*, &c.] Ità 48. 2. *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite*, &c.

5. *Alieni inſurrexrunt adverſum me*] *Alieni*, inimici. Heſychius, Ἀλλότριος φῶς, πολέμιος ἀνήρ.

Ibid. *Et fortes quæſiverunt animam meam*] Infrà 58. 4. *Irruerunt in me fortes.* Id fortè eſt (ut 51. 1.) *in iniquitate potentes.*

Ibid. *Et non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum*] Vide ſuprà ad 35. 1. dicta.

7. *Averte mala inimicis meis*] Mala nempe quæ ominantur mihi,

—— *Quod Dii priùs omen in ipſum Convertant*,

ut ferè apud Poëtam legitur. In Additamentis Eſtheris 14. 11. *Converte* (Domine) *conſilium eorum ſuper eos, & qui in nos cœperunt ſævire diſperde.*

8. *Volun-*

8. *Voluntariè ſacrificabo tibi*]
—— *Multa meis exibit victima ſeptis.*
Voluntariè enim eſt, largè, δαψιλῶς ut infrà 67. 10. *pluviam voluntariam.*

Ibid. *Et confitebor nomini tuo: quoniam bonum eſt*] Suprà 50. 11. in fine.

PSALM. LIV.

MUNSTERUS.

HIſtoria hujus Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 23, & 26.

1. *Vindica me*] Heb. *age cauſam meam.*

4. *Qui ſuſtentant animam meam*] Loquitur de his paucis qui ſibi bene volebant.

7. *Quod volui*] Hoc adjeci ex Kimhi: Chaldaïcus verò Interpres adjecit נקמתא *ultionem.*

VATABLUS.

1. VIctori in Neginoth למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Judica me* חרינני] *Age cauſam meam.* Quidam, *vindica me*, Hebraïſmum exponentes. Vel, *jus meum tuere*, ſive *innocentiam.*

3. *Et formidabiles* ועריצים] *Et tyranni*; *præpotentes*; *terribiles*; *prævalidi.* Saulem cum aſſentatoribus ſuis intelligit; quos *alienigenas* vocat, tametſi Iſraëlitas, quòd, ut mox dicit, *Deum non ponerent in conſpectu ſuo*, h. e. Dei nullam haberent rationem.

4 *Inter ſuſtentatores animæ meæ* בסמכי נפשי] *Inter eos qui tutantur animam meam*; i. e. aderit iis qui auxilio mihi fuerint, & meas partes tuebuntur.

5. *Reddet* ישוב] Fut. Heb. quod quidam per imperativum vertunt, *Repende.* Alii, *Revertetur malum ad inimicos meos.* Mutatio perſonæ, etiam præcedenti verſu. ¶ *In veritate tua* באמתך] *In fide tua*; *per fidem tuam:* i. e. ut promiſiſti, ſive ut promiſſa præſtes.

6. *Voluntariè ſacrificabo* בנדבה] *Spontè* [vel, *liberaliter*] *ſacrificabo tibi. Voluntarium ſacrificium faciam tibi. Ultroneo ſacrificio ſacrificabo tibi.*

7. *Eruit* הצילני] Mutatio perſonæ, pro *eruiſti*, ſive *liberaſti.* ¶ Quod volui] Alii ſubaudiunt *ultionem.*

CASTALIO.

3. NAm hoſtes conſurgunt in me] Heb. *peregrini:* ſed *peregrinus* ponitur pro *hoſte*, ut Eſa. 1. ut Latinè *hoſtis* pro *perduelle:* cùm tamen *hoſtis* olim eſſet idem qui *peregrinus.*

4. *Dominus is eſt qui hanc animam ſuſtentet*] Heb. *Dominus eſt in ſuſtentantibus animam meam*; cùm de uno loquatur: eſt enim iterata ſententia, idem ſignificans quod prior, *Deus mihi ſuccurrit.* Hujus loquendi rationis non diſſimile eſt quod Græci dicunt, οἱ περὶ τὸν Πλάτωνα, h. e. *Plato*; ut & Johan. 11. τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν itemque quod Pſal. 55. enotatum invenies; & Pſal. 69. *Quem tu vulneraſti, inſectantur, ſauciorum tuorum dolorem adaugentes.* Itemque Judic. 11. *Tu es in perturbantibus me*, h. e. Tu me perturbas: & Eſa. 41. *Cum poſtremis ego ſum*, h. e. poſtremus: & Oſe. 11. *Eiſque fui quaſi allevantes*, h. e. quaſi qui allevaret. Gallicè quoque dicimus, *Je ne ſuis pas des plus riches, non ſum ditiſſimorum:* h. e. Non ſum admodum dives; quomodo Græci dicunt εἶναι τῶν πλεόνων, pro εἶναι πλέονι.

CLARIUS.

HIſtoria hujus Pſalmi habetur 1 Reg. 23, & 26. Canit ergò ut in periculum maximum proditione Ziphæorum adductus Domini opem orarit & exorarit, & pro ea agere gratias inſtituerit; ut denique Deus de ejus hoſtibus ultionem ſumpſerit.

1. *In nomine tuo*] *Nomen* ſæpe pro *favore* & *auxilio* in Scriptura accipitur, & pro *majeſtate* ac *nomine* ipſo. ¶ *Judica me*] Vel, *vindica me*, h. e. age cauſam meam.

3. *Alieni inſurrexerunt*] Erant quidem Iſraëlitæ, ſed alieni animo & moribus.

7. *Deſpexit oculus meus*] Hebraïſmus eſt, ut dicat, *ſuper inimicos* (vel *in inimicis meis*) *vidit oculus meus*; ut ſubaudias *optatam ultionem.*

LUCAS BRUG.

4. QUoniam declinaverunt in me Iniquitates.] Multi Latini codices, cum Beda & Remigio, plurali numero legunt *iniquitates*, quibus Græci quidam adſtipulantur. Epanorthotes, *Græcus*, inquit, *habet INIQUITATES.* Pſalterium Græcum manuſcriptum Tornacenſis exemplaris, item id quod Pariſiis excuſum eſt, atque ex S. Victoris codice emendatum, illud etiam quod in Hieronymi operibus & Chevallonii editione, denique id quod ſeparatum excudit Stelſius anno 43. plurali numero primoque caſu legunt ἀνομίαι, ὅτι ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀνομίαι quam lectionem & Euthymius agnovit; *Quædam*, ait, *exemplaria* iniquitates *habent*, *in recto caſu*, & *tunc expone*, *quòd* iniquitates, *h. e. iniqui homines moti ſunt contra me.* Alii Latini libri numero ſingulari ſcribunt *iniquitatem*, antiqui Epanorthotæ, duo Pariſienſium, unus Hentenii, unus noſter, cum Gallico Pſalterio ex Jacobi editione. Hoc modo ex commentariis legiſſe conjicias Hilarium, Hieronymum & Caſſiodorum. Huic lectioni conformiter habent complura exemplaria Græca ἀνομίαν, quæ & Euthymii prior eſt lectio. Huic conſonat quod Hebraïcè eſt כי ימיטו עלי און *quoniam volvent* (futurum pro præſenti aut præterito) *ſuper me iniquitatem:* item quod Chaldaïcè, *Quoniam teſtificabuntur contra me* שקרא *mendacium.* Haymo utriuſque meminit lectionis. Vet. Su. Ge. ar. Brug. Non malè igitur D. Lindanus Pſalterium correxit, *Quoniam declinaverunt in me iniquitatem.* Sed etſi *iniquitates* legendum eſſet, exiſtimarem cum D. Janſenio non primo caſu intelligendum, quin potiùs Græcos codices quibus ἀνομίαι legitur, depravatos ex ἀνομίαν ſunt enim ι & ν Græcæ literæ figurâ admodum ſimiles, præſertim ſi ipſius Jota inferior pars nonnihil, ut fit, elevetur. Apollinarius carmine reddidit,

Οὕνεκεν ἀμπλακίας μοι ἐπικλίνεσκον ἀνιγράς.

17. *Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus ſalvabit me*] Alii codices habent, *Et Dominus ſalvavit me*, ità ut præteritum præterito reſpondeat; antiqui Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, ſex Hentenii, novendecim noſtri. Atque hoc modo Haymo Alberſtattenſis & Remigius Antiſſiodorenſis legunt. Græcis etiam duplex eſt aoriſtus, Ἐγὼ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξα, καὶ ὁ Κύριος ἔσωσέ με· ſic enim Vaticanum exemplar ſcribit: alia, Apollinari & Euthymio ſuffragantibus, habent καὶ ὁ Κύριος εἰσήκουσέ [*Epicuſen* Torn.] με. Hinc veteris Latinorum Pſalterii tranſlatio fuit, *Et Dominus exaudivit me*, quàm Arnobius, Hilarius, Auguſtinus, Caſſiodorus & Romanum Pſalterium ſequuntur. Sed quid Arnobium, ut cæteris antiquiorem, ſtudioſè præpono, cùm non conſtet ſatis illius eſſe Arnobii commentaria qui Lactantii præceptor fuit? nam in Pſalmi 109 commentario Photinum nominatim confutat. Altera Græcorum lectio, ex qua fortaſſis noſtra fluxit verſio, Hebraïcis & Chaldaïcis conſonat libris: quibus tamen duplex eſt futurum, ſed quæ rectè pro præteritis accipiantur, ut etiam Hebraïcus Scholiaſtes indicat.

DRUSIUS.

1. הדינני. A. & V. κρινεῖς με. Sym. δικάσεις. Th. ut VII.] Κρινεῖς με. Scholia Græca emendant κρινεῖς μοι. Vide ſis ed. Rom. In LXX. κρῖνόν με, *judica me.*

AMAMA.

2. ZIphæi] Hiſt. extat 1 Sam. 23. 19. Vide & 26. 1. Lxx. ἐν τῷ ἐλθεῖν τοὺς Ζιφαίους. Ziph nomen urbis in Tribu Juda, & nomen dedit magno deſerto quod vocatur *deſertum Ziph* locis prædictis. Joſ. 15. 24. & 54. Ziphæi ergo hic ſunt vel incolæ urbis vel accolæ deſerti. מדבר Ebræis non ſign. ſemper locum ἀοίκητον quem nemo habitet, ſed ſæpe ſaltuoſam & ὀρεινὴν regionem paſcuis aptam. Unde Scindl. *Locus minùs habitabilis, aut ſi habitabilis, non uſque adeo cultus, ſed paſcuis relictus, ſive propinquans urbi ſive ab eo remotior.* Sic deſertum Joh. Baptiſtæ.

Deſerta nominabantur à locis vicinis, D. Sinai, D. Damaſci, D. Zin, &c. Sic D. Ziph.

3. בשמך] בעבור *propter.* Sic Gen. 29. *Servivit 7. annos* ברחל
Nemo vos condemnet ἐν βρώσει, Col. 2. 16. Sic Gen. 18. בחמשים ob L.

בגבורתך] Hic in Abl. inſtrumenti eſt. Aliq. Epitheton Dei eſt. Sic dicit הגבורה. Sic Math. 27. *Nunc videbitis filium hominis* τοῦ καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, ubi alii putant eſſe Interp. אל quod κατ' ἀκρίβειαν ſig. ἰσχὺν καὶ δύναμιν ut Euſebius dicit.

Judica] Vindica, vel, *Cauſam meam age*, ut Jun.

4. תְּפִלָּתִי] Ab. בלב. אכריפי Ab. *oratio* בלשון Obiter. Ebræi ajunt tria requiri in orat. quæ Deo placeat, 1. Brevitas. 2. Conſenſus oris cum corde. 3. Humilitas, ubi præcipuum neglectum, ut nim. fiat nomine Mediatoris. Judæi in precibus ſuis hodie vix unquam mentionem fœderis faciunt, quod Deus iniit cum Patribus. Solenne erat Patribus V.T. invocantibus Deum, ei in memoriam revocare fœdus, vocantes eum Deum Ab. Iſ. Jac. Deum Patrum ſuorum. Daniel 9. propter Dominum. At hodie vix alio eum notant elogio quam רִבּוֹן שֶׁל־עוֹלָם Eo ipſo indicantes ſe de vero Deo non plus noſſe quam paulò ſaniores Ethnici, qui ſuum quoque Jovem *κοσμοκράτορα* appellarunt.

5. זָרִים] *Exteri.* Impii qui agant mecum ac ſi eſſent ἀλλόφυλοι, & non ut concives.

זָרִים] *Hoſtes. Hoſtis* Veteribus erit quod זָר Ebræis *peregrinus.* Varro l. 4. *Multa verba nunc aliud oſtendunt, aliud ante ſignificabant, ut hoſtis. Nam olim eo verbo dicebant peregrinum qui ſuis legib. uteretur, nunc dicunt eum quem tunc dicebant perduellem.* Cic. Off. 1. *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum vocamus.* Poſtea ergo hoſtis dici cepit qui cum publicum habemus bellum, & pro perduelli, *lenitate verbi*, inquit Cic. *triſtitiam rei mitigante.* Hujus priſcæ ſignificationis veſtigia manif. etiamnum in lingua Ital. Gall. & Ang. *hoſte*, *hoſt.*

עָרִיצִים] *Violenti, truculenti*, à עָרַץ *terruit, perculit.* Synon. aliquomodo eſt פָּרִיץ *effractor, latro.* Unde putat Victorius Reatin. eſſe *Phariſæos*, ad Hieron. Mat. 22.

Quærunt animam] i.e. Vitam. Meton. Effic. Sic Math. 2. 20. *Mortui ſunt qui quærebant animam pueri*, de uno Herode. Sic Exod. 4. *Mortui ſunt qui quærebant animam tuam*, de uno Pharaone.

Obſ. Phraſin eſſe μέσον. Nam aliq. in bonum accipitur. Prov. 29. 10. *Viri ſanguinum oderunt integrum: At recti* יְבַקְשׁוּ נַפְשׁוֹ. Hic ergo ſubaudi לְכַלּוֹתָהּ *ad conſumendam eam.* Sic in Belg. ambigua phraſis eſt.

Coram ſe] i.e. Oculis ſuis.

6. Deus eſt בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי] Quidam, *Deus eſt inter eos qui ſuſtentant animam meam.* Ab. citat ex R. Moſe, non eſſe hunc ſenſum Pſaltis, quod ſit unus ex ſuſtentantibus, ſed ſenſus, inquit, quod ille ſolus ſit כנגר, i.e. quod ille ſolus æquivaleat & æquiperet omnibus aliis ſuſtentantibus. Aliquid vidit R. Moſes. Vera ſententia hæc eſt, Eſſe periphraſin nominativi, ut dicat Deum ſolum eſſe ſuſtentatorem ſuum. Simile, Pſ. 99. 7. Moſes & Ah. בְּכֹהֲנָיו & Samuel בְּקֹרְאֵי שְׁמוֹ. Prov. 22. *Ne ſis in fidejuſſoribus*, & 23. *Ne eſto in vinipotoribus.* Sic fortè, Saul בַּנְּבִיאִים i. Propheta. Firmat hunc Idiotiſmum V. Græca, ὁ κύριος ἀντιλήπτωρ τῆς ψυχῆς μου. Sic loquitur Pl. Caſina, *Qui eſtis in Senioribus.* Sic Arabes niſi quod pro pl. ponant ſingulare. *Ego ſum in credente, Deus eſt in potente.* Sed ita quoque Ebræi loqui videntur. Job. 23. 13. הוּא בְאֶחָד Pag. Belg. Vulg. Jung. & illud ב ſingularibus, *Dominus erit* בְּכִסְלֶךָ Prov. 3. 26. *& vir ſapiens eſt* בַּעוֹז Prov. 24. 5. Belg. *Een wijs man is ſterk.* Jeſ. 21. *Opus in firmitate.* 2 Par. 2. *Conv. in libid.*

GROTIUS.

In carminibus] בנגינות: de qua voce diximus ad initium Pſalmi quarti.

PRICÆUS.

4. *Conturbatus ſum à voce inimici*] A minis, quod infrà 90. 3. *à verbo aſpero.*

Ibid. *Et à tribulatione peccatoris*] A tribulatione quam mihi peccator infert. Sic *metus Pompeji*, & ſimilia, de quibus apud Gellium.

5. *Formido mortis cecidit ſuper me*] Reſponſum in me mortis habui, ut Apoſtolus 2 Cor. 1. 9. locutus. Idem hic David 2 Reg. 22. 5. *Circumdederunt me contritiones mortis.*

6. *Contexerunt me tenebræ*] Pavor illum quaſi ad mortem redegerat, ideo tenebras quales morientibus oboriri ſolent, ait ſuperveniſſe ſibi.

7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam*] Requieſcam à periculis & inſidiatoribus meis. Cicero Epiſt. ad Attic. perniciem imminentem ſibi patriæque fugâ evitare ſtudens, *Dies & noctes tanquam avis mare proſpecto, evolare cupio. Quis dabit mihi?* eſt, *utinam darentur mihi.* Octavia apud Senecam, ad Pſalmi locum iſtum appoſitiſſimè,

Quis mea dignè deflere poteſt
Mala? quæ lacrymis noſtris queſtus
Reddet aedon? cujus pinnas
Utinam miſeræ mihi fata darent.
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri procul, & cœtus
Hominum triſtes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore & tenui
Ramo pendens, querulo poſſem
Gutture mæſtum fundere murmur.

Antigone apud Euripidem in Phœniſſis,

Ἀνεμώνεος εἴθε δρόμον νεφέλης
Ποσὶν ἐξανύσαιμι δι᾽ αἰθέρος.

10. *Vidi*, &c. *contradictionem in civitate*] Contradictionem (ut 30. 21.) linguarum: ſubaudi, *contra me. Audivi* (ut 30. 14.) *vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

13. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*, &c. *Tu verò homo unanimis*, &c.] Eumenes catenis onuſtus, ad milites ſuos, apud Juſtinum lib. 14. *Cernitis habitum atque ornamenta Ducis veſtri, quæ mihi non hoſtium quiſquam impoſuit, (nam hoc etiam ſolatio foret:) vos me ex victore victum, ex Imperatore captivum feciſtis.*

Ibid. *Abſcondiſſem me forſitan ab eo*] Subtraxiſſem me à conſpectu & occurſu ejus, dum fervor iræ ejus deſpumaſſet. Vide ad Apuleji lib. 9. pag. 534. annotata.

14. *Tu verò homo unanimis*, &c.] Q. d.

Non exſpectato vulnus ab hoſte tuli.

Ibid. *Tu verò homo unanimis*, &c.] *Immemor atque unanimis falsè ſodalibus.*

Heu facinus! non eſt hoſtis metuendus apertus:
Quos credis fidos effuge, tutus eris.
Cognatum fratremque cave, fidumque ſodalem,
Præbebit veros hæc tibi turba metus.

Vide ſuprà 41. 40. In Græco hîc ἰσόψυχος unde in Gloſſario, Ἰσόψυχος, *unanimis.*

Ibid. *Tu verò homo unanimis*] *Homo pacis meæ*, ſuprà 40. 10. ubi & ſimilia habemus.

Ibid. *Dux meus*] Quem ego corde ſimplici & alacri ſecutus ſum. Catullus ad Alfenum,

——— *Jubebas animam tradere iniquè me*
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent:
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aëreas ſinis.

15. *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*] Ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδέδωκε. Apulejus 8. *Inter præcipuos hoſpites domum noſtram receptus, occultato conſilio ſceleris, amici fideliſſimi perſonam mentiebatur.*

Ibid. *In domo Dei ambulabamus*, &c.] Signum amicitiæ. Amoſi 3. 3. *Numquid ambulant duo pariter, niſi convenerit iis?*

18. *Veſperi, & manè, & meridie*, &c.] Arrianus 4. 4. in Epictetum, Τοῦτο καὶ ὄρθρου, καὶ μετ᾽ ἡμέραν, καὶ νύκτωρ ἔςω πρόχειρον. Homericum eſt Iliad. Φ'.

——— Ἢ ἠὼς, ἢ δειλὴ, ἢ μέσον ἦμαρ,

20. *Qui eſt ante ſecula*] Ὁ τῶν αἰώνων βασιλεὺς, 1 Tim. 1. 17.

21. *Non eſt illis commutatio*] Nullo pretio redimi poterunt. Eſai. 13. 17. *Suſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærent, nec aurum velint: ſed ſagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miſerebuntur.* Lxx. hîc ἀντάλλαγμα. In Gloſſario *Commutatio*, ἀντάλλαγμα· quod ex Matth. 16. 26. vel hoc Pſalmi loco videtur deſumptum.

Ibid. *Extendit manum ſuam in retribuendo*] Sirach. 17. 19. *Exſurget, & retribuet illis retributionem*, &c. Vide ſupra 27. 4.

22. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum*] Sirachid. 12. 15. *In labiis ſuis indulcat inimicus*, &c. Vide Proverb. 5. 3. & Sirach. 27. 26.

Ibid. *Et ipſi ſunt jacula*] Μεςοὶ ἰοῦ θανατηφόρου.

Impia ſub dulci melle venena latent.

In Plauti Truculento,

In melle linguæ ſunt ſitæ atque orationes
Lacteque: corda felle ſunt ſita atque acerbo aceto.

23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam*] *Jactare* pro *jacere* dixit & 7. Apulejus, ad quem pag. 381. neſcio quæ annotata habes.

24. *Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitûs*] Id eſt, permittes eos cadere in p. i. Sic infrà 66. 11. *Induxiſti nos in laqueum:* & Matth. 6. 13. *Nè nos inducas in tentationem.*

Ibid. *Non dimidiabunt dies ſuos*] Vide 8. 13. Eccleſiaſtis.

Ibid. *Doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Vide Jerem. 17. 11. *Doloſi* qui per dolum divitias acquirunt.

IDEM.

3. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea*] In meditatione, ἐν μελέτῃ μου, h.e. dum ſermones commutarem mecum.

Lxx. hîc,

Lxx. hic, *ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου.* Huc igitur pertinent Heſychii illa, Ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ· ἐν λύπῃ.

4. *Et in ira moleſti erant mihi*] Lxx. ἐνεκότευν μοι. Huc etiam referenda ejuſdem Heſychii iſta, Ἐνεκότευν μοι, ἐμήνιζον, ἐμνησικάκει. Quæ eadem habent & Græci ad hunc locum Scholiaſtæ.

6. *Et contexerunt me tenebræ*] Videbar mihi in umbra mortis verſari.

8. *Ecce elongavi fugiens*] Apud Comicum Latinum,

Jam aliquò aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ atque iræ leniunt.

Ibid. *Et manſi in ſolitudine*] *Similis factus ſum* (ut 101. 7.) *pellicano ſolitudinis*, &c. *ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Adde Job. 30. 29.

10. *Præcipita, Domine*] Vide ad 51. 6.

Ibid. *Divide linguas eorum*] Scinde per medium eas nè ampliùs obloquantur. Non diſſimilis apud Poëtam imprecatio,

Lingua exſecta avido ſit data vulturio.

Vel ſic, *Divide linguas eorum*, fac inter ſe diſſentiant, maleque de ſe invicem loquantur: ut vel ità de bonis meliùs ſentiant, eorumque partibus accedant. Naumachius uxorem mariti ſolutioris præceptis inſtruens,

Εἰ δ' ἀλόοις ἑτάροισιν ἐφεσπόμενος κακὸς εἴη,
Μὴ σὺ μὲν ἀντιβίην κείνῳ (τέκος) εἰς ἔριν ἔλθῃς·
Ἀλλ' ἑτάρους ὄτρυνε μετὰ σφίσι νείκεα βάλλειν.
Ῥηιδίη δ' ὁδὸς ἥδε διακρῖναι φιλότητα
Λευγαλέην, ἑτάροις δὲ φίλον ἀγάθοῖσι γενέσθαι.

Ibid. *Quoniam vidi*, &c. *contradictionem in civitate*] Ζῆλον, καὶ ἐρίθειαν, ἀκαταστασίαν, &c. ut Jacob. 3. 16.

11. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas*, &c.]

——— *A manè ad noctem, feſto atque profeſto,*
Totus item pariterque die populuſque patreſque
Uni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere & arti,
Verba dare ut cautè poſſint, pugnare doloſè,
Blanditiis certare, bonos ſimulare viros ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Ibid. *Circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas*] *In circuitu* (ut quæ ſuprà 11. 9. huic loco aptemus) *impii ambulant. Circumdabit*, eſt *circumdat. Super muros ejus*, aut id eſt quod jam dixi, aut eſt exaggeratio; q. d. ſummitatem murorum ejus excedit iniquitas illius; quomodo iniquitates ſuas ſuum ipſius caput ſupergreſſas eſſe, ſuprà 37. 5. dixit.

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*]

Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore.

Omnia commiſta, ſanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ. (Ex Scriptore Sapient. 14. 25, 26.)

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*]

Οὔθ' ἱερῶν κτεάνων, οὔτε τι δημοσίων
Φειδόμενοι, κλέπτουσιν ἐφ' ἁρπαγῇ ἄλλοθεν ἄλλος,
Οὐδὲ φυλάσσονται σεμνὰ δίκης θέμεθλα.

Hic ex profano, hic ex publico, hic ſacra rapit, hic effringit, hic tranſilit, hic ſpolia cruentâ manu portat, nemo non feri aliquid ex altero. (Ex Seneca 7. 23. de Beneficiis.)

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*] Jeremias (& de eadem urbe) 6. 6. *Omnis calumnia in medio ejus. Labor* hîc ambiguè dictum. Vide ſuprà ad 9. 35. annotata.

12. *Et non defecit de plateis ejus uſura & dolus*] *Juſtitia longè ſtetit, corruit in platea æquitas*, Eſaiæ 59. 14. exclamatio fuit. *Non defecit*, eſt *abundant*, velut aquæ, nempe quæ ex perenni fonte ſcaturiunt.

13. *Super me magna locutus fuiſſet*] Lxx. ἐμεγαλοῤῥημόνησεν. Hinc Μεγαλοῤῥήμων, μεγάλα λαλῶν, apud Heſychium. Seneca 2. 13. de Beneficiis, *Jucunda ſunt quæ*, &c. *cùm daret ſuperior, non exſultavit ſupra me*: q. d. οὐκ ἐμεγαλοῤῥημόνησεν. Nec ſat ſcio an & *ſuper me* apud Senecam ſcribendum.

Ibid. *Abſcondiſſem me forſitan ab eo*] Vide ad Apuleji librum 9. pag. 534. dicta.

14. *Tu verò homo unanimis*] Boëthius Conſolat. lib. 3. *Quæ peſtis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus?*

15. *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*] Cujus præſentia dulciores mihi meos cibos efficiebat. At Græci aliter hunc locum expoſuere.

16. *Nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum*] i. e. In medio tabernaculorum eorum. Vide ad Pſal. 136. 2. annotanda.

21. *Non eſt illis commutatio*] In Græco ἀντάλλαγμα. In eodem Gloſſario, Ἀντάλλαγμα, *ſummutatio, commutatio.* Vide Matth. 16. 26. Senſus eſt, nullo pretio à Divina vindicta redimentur. Vide Job. 15. 31. ubi & ſequitur, *Antequam dies ejus impleantur, peribit*: quibus reſpondent quæ hîc in fine habemus, *non dimidiabunt dies ſuos.*

22.* *Molliti ſunt ſermones ejus*, &c.] Hinc & Prov. 3. 16. *Sermones ſuos mollire.*

Ibid. *Et ipſi ſunt jacula*] Lxx. Βολίδες. In Gloſſario, Βολὶς, *jaculum.* Heſychius, Βολὶς, βέλος, λόγχη, ἀκόντιον.

24. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Proverb. 10. 21. *Anni impiorum breviabuntur.* Vide & Job. 21. 21. Ejuſdem 15. 32. *Antequam dies ejus impleantur, peribit.*

PSALM. LV.

MUNSTERUS.

Videtur Pſalmus iſte conſcriptus à David dum ob imminens periculum fugeret Saulem capitalem inimicum, quando etiam in civitatibus non erat tutus, ſed optabat ſibi eſſe pennas columbæ, quibus volitaret in deſertum & tutum locum. Alii exponunt cum de conjuratione Abſalom, quando David cum multis fugit de Jeruſalem, &c.

10. *Die ac nocte circumdant eam*] Sub. *injuria & contentio, quæ verſantur intra muros urbis*; cujus cives ipſi David machinabantur perditionem; apud quos tamen ipſe ſe tutum eſſe putabat.

12. *Non enim hoſtis eſt apertus*] Queritur hîc de quodam ſingulari amico, qui tamen ficto animo ſeſe adjunxerat ipſi David, de quod ille non diffidens ſecretorum ſuorum illum fecit conſcium. Chaldæus Interpres, ſicut D. Kimhi, intelligit hos verſus de Ahithophel dictos. Unde Chaldaïca tranſlatio habet ſic, *Et tu, Ahithophel, homo ſimilis mihi, præceptor qui docuiſti me, & ſcire me feciſti ſapientiam.* Porrò hic ſimulatus amicus typum geſſit Judæ proditoris, atque omnium qui perfidè agunt cum ſanctis.

14. *Conjuncti*] Heb. ברגש *cum ſtrepitu*, vel *cum frequentia.* Kimhi tamen exponit בחבורה *cum ſocietate*; i. e. ſimul ſicut ſocii deambulavimus.

15. *Condemnet illos mors*] Exponitur hîc verbum ישי pro ישיא, ſicut vertimus & deficit tertia radicalis Aleph: venit enim à radice נשא, indè Hiphil השיא.

18. *Quoniam multi fuerunt mecum*] Aben-Ezra intelligit de Angelis protectoribus. Kimhi verò ſic intelligit, *quoniam cum multis* (ſic enim habent Hebraica) *fuerunt contra me, qui ſcilicet bellum intulerunt.*

20. *Miſit manus ſuas*] Sub. *fictus ille amicus.*

22. *Onus tuum*] Capitur hic יהב pro משא, loquiturque Propheta ad ſeipſum, & ad quemcunque juſtum in Deo confidentem.

VATABLUS.

1. *Victori in Neginoth* למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Abſcondas te à deprecatione mea* תתעלם מתחנתי] *Averſeris orationem meam.*

2. Nam *clamo* אריד בשיחי ואהימה] Fut. Heb. *clamabo in ſermone meo, & ſtrepam*: quod per præſens vertunt Interpretes, Dum *conqueror in lamentatione mea, & ſtrepo.* Alii, dum *plango* [vel *ululo*] *in meditatione mea.* Pro *meditatione* docti inter Hebræos vertunt *in afflictione, infirmitate & anguſtia.*

3. *A facie anguſtiæ* מפני עקת] *A facie violentiæ*: vel *afflictionis*, aut *tribulationis.* Hebraïſmus autem eſt, *à facie* pro *propter.* ¶ *Conjiciunt* ימיטו] Fut. Heb. pro præſ. aut præt. *voluerunt, inclinarunt.* Ad verb. *labi* (aut *cadere*) *facient*: i. e. comminiſcuntur adverſum me conſilium iniquum, ſive conſpirant adverſum me. ¶ *Adverſantur mihi* ישטמוני] Fut. Heb. pro præſ. *me inſectantur, & odio proſequuntur.*

4. *Dolet* יחיל] Fut. Heb. pro præſ. *trepidat, contremiſcit, parturit, affictatur.*

5. *Et operuit me tremor* ותכסני פלצות] *Et obtexit me terror*: vel, *adobruit me horror.*

6. *Quis dabit* מי יתן] Hebraïſmum ſic quidam vertunt, *Utinam eſſent mihi alæ* tam celeres quàm ſunt *columbæ.*

7. *Elongarem fugam* ארחיק נדוד] Chald. *Elongabo locum ad fugiendum*, vel *fugiendo.* Quidam vertunt, *longè profugerem.* Alii, *elongarem me aufugiendo*, ſive *migrando*: nam ſunt qui נדוד volunt eſſe Macor, ſive infinitivum.

8. *Eruere me*, &c. מפלט לי מרוח סעה מסער] *Liberationem* [vel *effugium*] *mihi* velocius *vento qui excitatur à tempeſtate.* Alii, *ſalvationem mihi propter ventum turbinis & tempeſtatis.*

 Vel,

Vel, *à vento evellente* & *diſperdente*. Aut, *à vento procelloſo* & *tempeſtate*.

9. *Divide* פלג] *Finde*, *diſperti*, i. e. diſſipa ſententias eorum varias. ¶ *Violentiam* חמס] *Iniquitatem*, *injuriam*, *vim*.

10. *Circumdant* יסובבה] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et perverſitas* ועמל] *Et moleſtia*, vel, *& dolor*.

11. *Pravitates* הוות] *Fraudes: Corruptelæ*. Alii, *Pravitatum*, ſub. *homines*, i. e. pravi homines.

12. *Probris affecit me* יחרפני] Fut. Heb. pro præt. ¶ *Magnificavit* os ſuum הגדיל] Seſe *erexit*; vel, *extulit*.

13. *Juxta æſtimationem meam* כערכי] i. e. Quantum ego judicare potui. Alii, *juxta pretium meum*; i. e. quem in tanto pretio habebam atque me haberi cupio. Nonnulli, *velut æqualis ac ſocius meus*. ¶ *Dux meus* אלופי] *Præceptor meus*.

14. *Dulciter communicabamus ſecretum* נמתיק סוד] Ad verb. *dulceſcere faciebamus ſecretum*, i. e. cum ſumma animi voluptate de rebus noſtris conſilium inibamus. Fut. Heb. pro præt. imperf. Nonnulli vertunt, *Dulciter fruebamur ſecreto*. Alii, *Dulce erat ſecreta communicare*. ¶ *In ſocietate* ברגש] *In cœtu*, i. conjunctim & ſimul.

15. *Exigat debitum mors ab eis* ישי מות עלימו] *Exactricem conſtituat* Deus *mortem adverſus illos*. Alii, *Irruat ſuper illos mors*. Vel, *Condemnet illos mors*. Imprecatio vel prophetia de fine Proditoris & conſortium. ¶ In *infernum* שאול] *In ſepulcrum*. ¶ *In ſocietate eorum* במגורם] *In habitatione*, vel *in conventiculis*, aut *congregatione eorum*.

16. *Clamabo* אקרא ויהוה יושיעני] *Clamabam*, *& Jehova ſervavit me*.

17. *Loquor & tumultuor* אשיחה ואהמה] Futura Heb. pro præſ. aut imperf. *loquebar & fremitum edebam*: vel, *clamabam & conquerebar*: aut, *precabor & importunus ero*, *& exaudiet vocem meam*.

18. *Multi erant mecum* ברבים היו עמדי] Sic 2 Reg. 6. 16. dicebat Eliſæus, *Plures qui nobiſcum ſunt quàm qui cum illis*. Hebraïcè verò legitur, *in multis*, quod nonnulli vertunt, *cum multis fuerunt mecum*, i. e. multi impugnaverunt me.

19. *Et manens* וישב] *Et ſedet*. Quidam convertunt *&* in *nam* vel *quia*. ¶ *Selah* סלה] Vide Pſal. 3. ¶ *Quibus non ſunt mutationes* אשר אין חליפות למו] *Nam non ſunt mutationes ipſis*: i. e. non eſt ſpes quòd illi mutentur.

20. *Miſit* שלח] Sub. *fictus ille amicus*. ¶ *In eos qui*, &c. בשלמיו] Ad verb. *in paces ſuas*. Vel, *in virum pacium ſuarum*: aut, *fœderum ſuorum*. Sic & Pſal. 109. 4. *Et ego oratio*, pro *vir orationis*: i. e. adortus eſt virum quicum in tranquillitate ſumma vivebat. Quidam vertunt eodem ſenſu, *in pacificos ſuos*.

21. *At prælium* in *corde ejus* וקרב לבו] Ad verb. *& prælium cor ejus*, ſub. *meditatur*. ¶ *Et ipſa ſunt gladii* והמה פתחות] *Et ipſi ſunt* homines *gladiorum*: i. e. cùm tamen ſint ſanguinarii, & ſtudeant me perdere.

22. *Pondus tuum* יהבך] *Onus tuum*: *moleſtiam tuam*: *quod te malè habet*. Docti inter Hebræos vertunt *donum tuum*; ſive, *quod dedit tibi*: & exponunt, *Projice ſuper illum id quo habes opus*, *& ipſe educabit te ut hactenus fecit*. ¶ *Suſtentabit te* יכלכלך] *Suffulciet te*. ¶ *Nutationem* מוט] *Lapſum*, *caſum*. Hebraïſmus, pro *non ſinet unquam moveri*, vel *labaſcere*, *juſtum*.

23. *Deſcendere facies eos in puteum foveæ* תורידם לבאר שחת] *Deduces eos in foveam perditionis*: aut *dejicies* [vel, *detrudes*] *eos in foveam corruptionis*; vel, *in puteum interitûs*: i. e. in gehennam.

CASTALIO.

15. *Vivi deſcendant in Tartara*] Alludit ad excidium Dathanis & Abirami.

18. *Tam multi mihi adſunt*] Deus mihi pro multis adeſt.

20. *Ille quidem iis manus affert qui erant cum eo pacati*] Mihi.

22. *Rejice tuum onus in Jovam*, *qui te fovebit*] Seipſum alloquitur.

CLARIUS.

Veriſimile eſt hunc Pſalmum conſcriptum fuiſſe de eo diſcrimine in quo erat David cùm oraculo didiciſſet advenire Saulem ut ipſum in urbe Ceila comprehenderet. Hiſtoriam legis 1 Reg. 23.

1. *Ne deſpexeris*] Heb. *ne abſcondas te à precatione mea*.

3. *Quoniam declinaverunt*] *Quoniam machinantur contra me iniquitatem*.

7. *Manerem in ſolitudine*] In deſertis habitarem potiùs quàm inter hos impios.

8. *Exſpectarem eum*] Heb. *Accelerarem mihi ſalvationem*. ¶ *A vehementia ſpiritûs*] A periculo venti vehementis & tempeſtatis. Eſt autem Metaphora.

10. *Die ac nocte*] Sic diſtinguendum eſſet, *die ac nocte hæc* (i. e. *iniquitas & contentio*) *circumdant eam intra muros ejus*; *& ſunt iniquitas & dolor in medio ejus*.

12. *Si inimicus meus maledixiſſet*] Queritur hîc de quodam ſingulari amico, qui tamen ficto animo ſe adjunxerat ipſi David, de quo ille non diffidens ſecretorum ſuorum illum fecerat conſcium. Quidam intelligunt de Achitophel. Hic ſimulatus amicus typum geſſit Judæ proditoris.

13. *Dux meus*] Quem præfeci rebus meis, & veluti dux fuiſti mihi.

14. *Cum conſenſu*] Heb. *cum ſtrepitu*, vel *cum frequentia*, h. e. cum ſocietate ſimul, ſicut ſocii deambulavimus.

15. *Veniat mors*] Inferet Deus mortem de improviſo illis.

18. *Quoniam inter multos*] Quidam intelligunt de Angelis faventibus David, ut ſit ſimile illi 4 Reg. 6. *Plures ſunt nobiſcum quàm cum illis*. Alii ſic accipiunt, *quamvis plurimi ſint qui oppugnant me*.

19. *Non enim eſt illis commutatio*] Nunquam ſceleratum vitæ genus mutabunt, idcirco digni ſunt qui pereant.

20. *Extendit manum ſuam in pacificos ſuos*] Injecit manum violentam in eum cum quo pacem ſimulaverat, amicitiæ vinculo turpiter rupto: id enim ſignificat *contaminavit teſtamentum*, h. e. fœdus, *ſuum*.

22. *Jacta onus tuum*] Loquitur ad ſeipſum Propheta, & ad quemlibet juſtum qui Deo fidat, & ait, *Rejice in Dominum ſarcinam tuam*, nec dubita quin ipſe perfecturus ſit omnia, qui nunquam ſinet obrui juſtum.

LUCAS BRUG.

4. *Ab altitudine diei timebo*] Hæc Latinorum codicum noſtræ editionis conſtans ſcriptura eſt. Hoc tantùm invenio varietatis, quòd affirmando quidam, quidam interrogando ſcribant. Hâc inter Veteres Ruffinus uſus eſt, & ut interrogationem interpretatus eſt. Eſt & Latinorum Tractatorum mediæ poſtremæque ætatis, eorum nempe qui noſtræ editionis Pſalterio uſi ſunt, lectio. Græci autem plerique libri, cum Euthymio Græco Tractatore, τὸ *ab altitudine* jungunt ſuperiori verſiculo, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ἀπὸ ὕψους, *quoniam multi bellantes adverſum me ab altitudine*. Tum ei quod ſequitur negationem addunt, ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, h. e. *dies*, vel *die*, *non timebo*. Et quidem in omnibus Græcis libris quos vidimus negatio legitur, conſentientibus Græcis autoribus, Euthymio, Theodorito & Apollinari. De quo ad Suniam Hieronymus, *Quoniam multi bellantes adverſum me, ab altitudine diei timebo. Et dicitis in Græco vos inveniſſe* ὅτι πολλοὶ πολεμοῦντές με, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, *i. e. non timebo*; *quod additum eſt. Et eſt ordo, Quoniam multi dimicant adverſum me, idcirco ego ab altitudine diei timebo: h. e. non bellantes adverſum me, ſed tuum excelſum timebo lumen*. Quibus verbis Hieronymus & rejicit negationem, & vulgatam noſtram exponit diſtinctionem, ea quæ etiam quorundam eſt Græcorum librorum atque Enarratoris Theodoriti. Hebraïcis libris ut non eſt negatio, Latinis codicibus conformiter, iſta eſt diſtinctio, quam Euthymii & plerorumque exemplarium Græcorum eſſe diximus: ſed facilè diſtinctio variatur. Clariſſimè atque integerrimè locum hunc ex Hebræo Hieronymus reddidit, *Multi enim qui pugnant contra me, Altiſſime. Quacunque die territus fuero, ego in te confidam*. Simili modo Chaldæus, *Quia multi pugnant contra me, Deus altiſſime, cujus ſedes in excelſo, Die quo timuero, ego ſuper te confidam*. Quod Hieronymus & Chaldæus legerunt מָרוֹם, ut punctati ſunt noſtri libri, LXXII. מֵרוֹם legerunt. Illud *altum*, hoc *ab altitudine* ſignificat. Veteris Latinorum Pſalterii lectionem fortaſſe non inutile fuerit addere, quanquam cùm à noſtra Latina editione & vulgatis Græcis exemplaribus tum ab Hebræo fonte longè recedat; à ſeipſa etiam non parùm diſſentiat: aliter enim Hilarius legit, aliter Auguſtinus, aliter Hieronymus, ſi tamen Hieronymi in Pſalmos commentarius eſt. Hilarius legit, *Conculcaverunt me* (hîc enim paulò altiùs repetere cogimur Pſalmi verba) *inimici mei totâ die. Ab altitudine dierum non timebo. Quia multi qui debellant me timebunt: ego verò in te ſperabo*. Hieronymus, *Conculcaverunt me inimici mei totâ die: ab altitudine diei timebo. Quoniam multi bellantes adverſum me ... ab altitudine diei timebunt: ego verò in te ſperabo*. Auguſtinus, Con-

Conculcaverunt me inimici mei totâ die ab altitudine diei. Quoniam multi qui debellant me timebunt: ego verò in te ſperavi [*ſperabo* Caſſ. Rom. G. H.] *Domine.* Quomodo etiam habent vetus Jacobi Pſalterium (ſed id ex Auguſtino deſumptum ſuſpicor) Caſſiodorus Senator, & Romani Pſalterii quæ habemus exemplaria, Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe. Teſtatur Illuſtriſſimus Dominus Sirletus non deeſſe Græcum codicem qui habeat, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με, φοβηθήσονται· ἐγὼ δὲ ἐπὶ σοὶ ἐλπιῶ. Hinc illa fortaſſe veteris Pſalterii lectio, quam integriorem habuiſſe videtur Auguſtinus: ſed nimis à prototypo diſſonat.

13. *In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.*] *Tua* in Græco non eſt, ut neque in Romano Pſalterio: ſed ex Hebræo additum eſt ab Hieronymo noſtræ editionis caſtigatore: id quod indicat aſteriſcus qui eſt in antiquis libris, Brugenſi, Lobienſi, Tornacenſi, Herbipolenſi. *Quæ* legitur Græcè, ſed non eſt Hebraïcè: ideoque ei obelum præfigit Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi textus. Hebraïcè verſus iſte ad hunc legitur modum, *In me, Deus, vota tua, reddam laudes tibi.* Græcè ad iſtum, *In me, Deus, vota quæ reddam laudis tuæ.* Latina noſtra lectio ex utroque accipit aliquid, ex quo facta eſt obſcurior. Hinc etiam eſt, quod ſit veriſimile, Latinorum codicum ea diverſitas, quòd alii *laudationes*, alii *laudationis* habeant, cujus Haymo, Lombardus & Gloſſa interlinearis meminerunt. Sex Hentenii & ipſe Bibliorum Pariſienſium textus ſcribunt *laudationis*; univerſi noſtri editionis vulgatæ *laudationes*, cum V. Beda, Remigio Antiſſiodorenſi Epiſcopo, Brunone Carthuſianorum patriarcha, Jacobo Chriſtopolitano Antiſtite, & Johanne præſule Sabinenſi. Addo autem, editionis vulgatæ; nam Romana noſtra Pſalteria, Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe, *laudationis* habent: quo modo & Hilarius, qui veteri Pſalterio uſus eſt, legiſſe videri poteſt; *Non extra ſe ſunt*, inquit, *iſta quæ ſperat, nec laudationis vota quæ reddenda ſunt extrinſecus capeſſenda*, &c. Similia Caſſiodorus quoque, *Dicit enim*, inquit, *in ſe eſſe vota laudationis, Dei tamen munere contributa, quæ in illa perpetuitate reddenda ſunt, quando jam ſancti indefeſſis vocibus perſolvent laudis obſequium.* Exiſtimarim igitur Veteris aut ſaltem Romani Pſalterii lectionem eſſe *laudationis*; noſtram verò editionem emendatam *laudationes*, cùm adderet Caſtigator *tua*, & transfigeret *quæ*. Sanè Jacobi editio, & antiquiſſima Lobienſe & Tornacenſe manuſcripta, concorditer Romano Pſalterio *laudationis*, Gallico *laudationes* attribuunt. Sed cùm variè hac de re doctores judicent, nihil ego decerno. D. Lindanus correxit *laudationis*; D. Hentenius & Pariſienſes *laudationes*. Et quidem Hentenius: nam cùm Pariſienſium Biblia in textu *laudationis*, in margine cum annotatis 4. exemplaribus legerent *laudationes*; ipſe hoc in textum retulit, illud verò cum 6. antigraphis in margine locavit. Pariſienſes autem poſterioris editionis textum ex prioris margine, ut aliàs penè ſemper, mutarunt.

DRUSIUS.

2. אריד בשיחי. Sym. κατηνέχθην προσλαλῶν ἐμαυτῷ. A. ---- ἐν ὁμιλίᾳ μου. ¶ ואהימה מקול אויב מפני עקת רשע. Sym. καὶ συνεχύθην ὑπὸ φωνῆς ἐχθροῦ, ὑπὸ ἐνοχλήσεως ἀσεβοῦς.] Interpres Theodoreti, *Somno correptus ſum, mecum ipſe loquens; & confuſus ſum à voce inimici, à perturbatione improbi.*

3. כי ימיטו עלי און ובאף ישטמוני. Sym. Ὅτι ἐπέῤῥιψαν κατ' ἐμοῦ εἰς ἀσέβειαν, καὶ μετ' ὀργῆς ἠναντιώθησάν μοι. Interpres cujus modò mentionem feci, *Quia inclinarunt in me impietatem, & in ira adverſati ſunt mihi*] *Inclinarunt in me impietatem*, ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀσέβειαν. און. A. ἀνωφελὲς, *inutile.* Th. ut VII.

8. אחישה מפלט לי מרוח סעה מסער. A. S. Th. *Feſtinabo ut ſalver à ſpiritu tempeſtatis & turbinis*] Hieron. epiſt. ad Suniam & Fretelam, *Pro ὀλιγοψυχίᾳ, Aq. & Sym. & Th. interpretati ſunt ἀπὸ πνεύματος, i. e.* à ſpiritu; *& in Ebræo ſcriptum eſt* ברוח, *omniſque ſenſus ità apud eos legitur*, Feſtinabo ut ſalver à ſpiritu tempeſtatis & turbinis.

10. ואון ועמל. Sym. ὀδύνη καὶ ταλαιπωρία, *dolor & miſeria.*

13. ואתה אנוש כערכי אלופי ומידעי. Sym. Ἀλλὰ σὺ ἄνθρωπος ὁμότροπος καὶ συνήθης μου καὶ γνώριμος] Euſebius Ἀποδείξ. l. 10. Symmachi nomine citat, *Sed tu, homo, iiſdem quibus ego moribus præditus, & dux meus & notus meus.* Σὺ δὲ ἄνθρωπε ὁμότροπέ μοι, καὶ ἡγεμὼν μου, καὶ γνωστέ μου. Puto eum bibiſſe ex flumine Lethes cùm *Symmachum* pro *Aquila* exſcriberet. Sanè inclino ut credam interpretamentum hoc Aquilæ eſſe, non Symmachi: cui firmando eſt Theodoretus ità ſcribens, *Pro* duce meo *Symmachus* familiarem meum *interpretatus eſt.*

14. אשר יחדו נמתיק סוד. A. οἱ ὁμοῦ ἐγλυκάναμεν ἀπόῤῥητον, *qui ſimul habuimus dulce ſecretum.* Sym. οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν] Citat Euſebius lib. 10. Ἀποδείξ. p. 293. legitur quoque in ed. Romana.

18. כי ברבים היו עמדי. Sym. πολλοστοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με] Alibi citatum reperi è Sym. *multi in me fuerunt.* Sic Hieron. *multi fuerunt adverſum me.* Ebræus habet ad verb. *in multis fuerunt mecum.* Eſtque Hypallage ab Interpretibus non obſervata, *in multis*, i. e. cum multis: *cum multis fuerunt in me*, i. e. contra me: q. d. Multorum auxilio uſi ſunt adverſum me. Alia expoſitio, *in multis mecum pugnabant*: in quo *in* præpoſitio παρέλκει, ut ibi, *In timore Domini recedere à malo.* Nam ſenſus eſt, *Timor Domini eſt recedere à malo.* Sic ed. vet. Lat. *Quoniam multi bellantes adverſum me.* Utro modo exponas, pluma non intereſt ad ſenſum. Vide ſis Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretelam.

19. אשר אין חליפות למו. A. οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς, *quibus non ſunt mutationes.* Sym. οὐ γὰρ ἀλλάσσονται, *non enim mutantur.* ¶ ולא יראו אלהים. Sym. *neque Deum timent.*

21. שלח ידיו בשלמיו. A. ἀπέστειλε χεῖρα αὐτοῦ ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ] In Theodoreteis, A. S. Th. ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτὸν, *extendit manum ſuam in eos qui pacem habent cum illo*] Vel *ſecum.* ¶ חלל בריתו. Sym. παρέβησαν συνθήκην, *tranſgreſſi ſunt pactum.*

22. חלקו מחמאת פיו וקרב לבו. Sym. Λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, καὶ ἡ καρδία αὐτῶν πολεμεῖ, *Leniora butyro ora eorum, cor eorum pugnat.* Apud Interp. Thodoreti, *cor uniuſcujuſque eorum. Pugnat*] Chald. קרב. Sanè קרבה πόλεμος, *pugna* μάχη. Dicitur & קרב. ¶ פתחות, A. *dolos*, δόλους, tanquam à פתה *decepit.* Schol. ἀκόντια, λογχάρια.

AMAMA.

2. תתעלם *Abſcondas te*] A עלם *latuit.* Hinc עלם *puer*, עלמה *puella, virgo*; non ſemper tamen ſignif. *Virginem intactam* vel *ſignatam*, ſed & aliq. *corruptam*, quæ tamen ſe virginem jactat. Jun. *Pupa perfrictæ frontis quæ ſe poſt maleficium virginem impudenter aſſerit & pro intacta venditat.* Dicitur autem Virgo Alma quod abſcondita ſit & domi lateat. Solebant enim domi aſſervari & non niſi ad ſacra prodire. Unde Heſ. 2. ἔργων, οὔτε δόμων ἔντοσθε φυλῇ παρὰ μήτερα μίμνει. Joſeph. de Mach. 18. cap. ſic introducit Matrem 7. filiorum ſic loquentem cum jam manerent eam ſupplicia: Ἐγενήθην παρθένος ἁγνὴ οὐδ' ὑπερέβην τὸν πατρικὸν οἶκον ἐφύλασσον δὲ τὴν οἰκοδομημένην πλευράν. Unde & Eurip. εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν. *Foràs puellæ ut prodeant parum decet.* Hinc aliis θαλαμευόμεναι, aliis κατάκλειστοι dictæ. Sic contra Meretrix Chaldæis dicta נפקת ברא.

3. אריד *plango.*] In hac ſign. exponunt quidam illud Jud. 11. ירדתי על ההרים *plangam ſuper montes.* Nulla neceſſitate cogente. Joſ. 7. 24. ויעלו *eos in vallem Achor.* Jud. 15. 11. *Deſcenderunt in ſummitatem Petræ.* Ebræi promiſcuè utuntur ירד & עלה nulla habita ſitus ratione. Sic qui Sept. verſus aſcendere qui Merid. deſcendere dicuntur.

בשיחי] *In meditatione*, LXX. ἐν ἀδολεσχίᾳ μου, i. e. *exercitatione mea*: *Preces enim ſunt piorum exercitia.* Ἀδολεσχία apud profanos ſign. *nugas, ineptias, ſermonem nugatorium*, & *faſtidioſum*, à λέσχη, *ſermo*, & ἄδος, *ſatietas.* Aſt in ſacris ſign. διηνεκῶν μελετᾶν, *aſſiduè meditari*, ut Pſ. 119. ἐν ταῖς ἐντολαῖς σου ἀδολεσχήσω. Aq. ἐν τῇ ὁμιλίᾳ μου. Sym. προσλαλῶν ἐμαυτῷ בהשיחי R. S. אהגן *conquerar.* קתאוננים *conquerentes* cum N inverſo.

4. ישטמוני] *Inteſtino odio proſequuntur me.* Jun. Habet maximam affinitatem cum שטן, nam ei adverſamur quem odimus, & quo magis & intenſius odimus, eo acrius adverſamur Hoſ. 9. 7. על רב עונך ורבה משטמה. Belg. *Om uwer groter miſdaat en om de groter verdrietelijcker afgoderije wille.* Ital. Melius, *Propter magn. vel mult. iniq. tuæ etiam odium erit m.* Vide confer.

ישטמוני] *Adverſantur mihi*, שטם & שטן Synonyma, unde Satanas, ἀντίδικος. Unde Th. שטן לי Apoc. 1. 20. N. hoc nomen ut & Græcum Διάβολος nunquam reperiri in pl. & Synon. eſſe Satanas & Diabolus Ap. 1. 20. *Michael & Angeli ejus.* Et Matth. 26. 41. hæc occurrat locutio *Diabolus & Angeli ejus*, probabiliter inde colligunt viri docti, eſſe aliquem inter impuros Sp. ordinem, eſſe aliquem Principem Dæmoniorum, qui vocetur Διάβολος שטן & Beelzebul. Nam quod quidam nobis Luciferum dederint factum eſt imperita interpretatione Eſ. 14. 12. ubi Vulg. *Quomodo decidiſti è cœlo Lucifer* (הילל) *fili auroræ.*

5. אימות *terrores*] Ab. אים Plur. Maſc. אימים tria ſign. 1. *Terrores.* 2. *Gigantes*, Gen. 14. 5. 3 *Terriculamenta, Idola.* Jirm. 50. *Et in Idolis gloriantur.* Th. במעותא Explic. in Epiſt. Jirm. Quod in cucumerario προβασκανιῶν terriculamentum nihil cuſtodiens, ſic Dii ipſorum ſunt. D. pertæſus afflict. & impietatis quæ invaleſcebat in urbe, optat ferri in locum aliquem ubi Pelopidarum nec facta nec nomen audiret.

7. אבר]

7. אֵבֶר] Th. גַּדְפָּא *alam, alas.* Collect. remiges avium. Rabb. ſignif. *membrum*, 1. Speciale aliquod membrum, quod *honeſtè* non nominatur. 2. Quodvis, unde ajunt רמ"ח 248. אֵבָרִים eſſe in homine quot ſunt pr. affirm. in Lege. Ut ש"כה pr. Neg. quot ſunt dies anni ſolaris. Et אֵבֶר כָּמֵי vel מִן־הַחַי *membrum de vivo.* Unum ex 7. præceptis Noë. Et hoc ſenſu non rep. in ſcript. ſed נֵתַח Lev. 8.

יוֹנָה *columbæ*] A יָנָה *depopulatus eſt*, unde Fut. Kal. אוֹנֶה & cum Aff. נוֹנֵם *depopulemur eos.* Pſ. 74. Hinc Part. יוֹנֶה & F. יוֹנָה. Jirm. 25. v. ult. *Ob furorem* היונה *depredatricis.* ſub. חרב, ut plenum eſt Jirm. 50. 16. *propter* חרב היונה i. e. Aſſyriorum ut quidem explicant, quia *Columbam* habebant in vexillo. Et Nomen יוֹנָה. Dicit autem Col. quia ea defeſſa colligit alam unam & volat altera, nec quieſcit. Eſt & nomen proprium, & diſting. à יוֹנָא quod cont. ex יוֹחָנָא & ſic multi Cod. legunt Joh. ult. 5.

Columbæ] Cur nominat alas Columbæ præ tot avium ſpeciebus? Geneb. *Quia expeditiores & leviores ſunt.* Aben-Ezra, שהיא עם בני אדם ועפה שנו מלכים כפריהם Alii, *Quia, cum defeſſa eſt, alteram alam colligit, & altera volat, deinde & eam colligit, & altera, quæ jam quievit aliquantulum, iterum volat.* Fides ſit penes phyſicos.

9. LXX. Προσεδεχόμην τὸν ζωσοντά με ἀπὸ ὀλιγοψυχίας καὶ ἀπὸ καταιγίδος. R. Sal. *Ventus evulſionis qui eradicat arbores.* Job. 19. 10. וַיַּסַּע כָּעֵץ תִּקְוָתִי. Simile in Job. 20. 6. *Si aſcenderit in cœlum* שיאו *excellentia ejus.* A נָשָׂא

מֵרוּחַ סֹעָה] *A vento profectionis*, quo omnia propelluntur & q. de loco ſuo proficiſcuntur, i. e. *rapidiſſimo.* Malim *præ vento rapido & præ turbine.* מ enim eſt comparativum. Sic Eccleſ. *Bonum eſt nomen bonum* מִשֶּׁמֶן טוֹב *præ oleo bono.* Sic, *Maturarem effugium mihi præ vento*, i. e. Citius avolarem quam ventus avolat, fertur. Pſ. 4.

סוֹעָה] *Profectio*, à נָסַע *proficiſci.* Num. 10. 35. וַיְהִי בִּנְסֹעַ Et Cap. 11. 1. וַיְהִי הָעָם כְּמִתְאֹנְנִים. Prius Nun inverſum notat benevolam Dei *converſionem* ad populum, alterum præfractum & contumacem populi à Deo averſionem. In quibuſdam codicibus nun inverſum tantum initio verſus ponitur.

10. *Divide*] Id eſt, excita inter eos diſſidia. Reſp. ad hiſt. Gen. 11. unde & פֶּלֶג nomen habet Fil. Eberi. Quia in diebus ejus נפלגה הארץ. Malorum conſilia non poſſunt melius diſcuti quam ſi inter eos ipſoſmet oriantur diſſidia, ut in hiſtoria Sam. de Achitophel.

חָמָס *Violentia*] *Rapina.* Supra fecimus mentionem אֵבֶר מִן הַחַי. Ea duo fuerunt de 7. præceptis Filiorum Noë. Uſque dum Abrahamo poſita lex circumciſionis fuit gens mortalium regebatur 7. præceptis, quorum ſex priora ipſi Adamo tradita, ſeptimum Noë datum aſſerunt; & cum jam Legem pleniorem per Moſem daret, harum tamen eam ajunt fuiſſe rationem, ut neceſſe habuerint ea ſuſcipere omnes gentes quæ oblatam ab Iſraëlitis pacem acceperant. Sunt vero hæc, 1. עב"דם, 2. ברכת השם, 3. שפיכות דם, 4. גלוי עריות, 5. חמס, 6. דינים, jura mortalibus dicenda, 7. Noacho datum & additum prioribus, אבר מן החי, Gen. 9. *Carnem cum anima ejus* (quæ eſt ſanguis) *cum ſanguine ejus non comedetis.*

וְרִיב *& contentionem*] LXX. καὶ ἀντιλογίαν. Contentio ſine contradictione eſſe non poteſt. Ubi etiam odia regnant, non poſſunt non eſſe contradictiones. Supra notavimus שטן & שטם ſignif. *adverſatus eſt & odit*, quia ſi quis alium odit in omnibus ſolet ei adverſari. Cujus rei exemplum inſigne extat in Caſtilione de Aulis referente Rainoldo in Cenſ. To. 2. lect. 173. Erant in Florentino Senatu duo (Altovitius & Alemannius) qui ſe mutuò odio pluſquam Vatiniano proſequebantur. Unde hoc conſequebatur ut ſibi ipſis perpetuò in dicendis ſententiis contrariarentur, cum in Senatum aliquando veniſſent ambo, Altovitius forte ex crapula in ſomnum incidit, cumque excitatus eſſet ab aliquo ut diceret ſuam ſententiam, mox ſe erigit & ad dicendum componit, & mox in hæc verba erumpit, *Ego vero*, inquit, *nego omnia quæ Alemannius dixit & volo omnia contrà fieri.* Cum verò exciperet Alemannius & diceret, ſe necdum quippiam prolocutum eſſe; *Benè*, inquit, *Ergo nego omnia quæ dicturus es; Et mox ſe reclinat in ſedem ſuam.*

11. עָמָל *Perverſitas*] Ad verb. labor. Cum jungitur ei און eſt *culpa*, aliàs *pœna.* Pſ. 90.

12. תֹּךְ וּמִרְמָה] *Fraus & dolus. Thoch* quia non reperitur cum affixis, dubitant Gram. unde domo ſit. LXX. תֹּךְ ter reddiderunt τόκος, hic, Pſ. 71. 14. Jer. 9. 6. Quidam deducunt à תָּוֶךְ *medium*, unde in Reg. תוך & abſol. תֹּךְ *fraus*, quod concipiatur in medio hominis & ibi abſcondatur. Alii à תָּכַךְ form. עז. Hinc fit תְּכָכִים Pro. 29. *pauper & vir* תְּכָכִים pro quo Prov. 22. אִישׁ ר LXX. δανειςης *vir uſurarum.* Ii enim plerumque divites ſunt. Hinc ſi deducas תֹּךְ ſign. *uſuram, fœnus.* LXX. hoc ſecuti ſunt, dum vertunt τόκος καὶ δόλος. Tum ob cauſam dictam, tum quia eſt convenientia inter voces. Putarit aliquis τόκος eſſe à תוך, ſed malim relinquere eam vocem Græcis, quià τίκτω deducunt, τέξω præt. med. τέτοκα. Unde τόκος, *partus* & *uſura*, quia pecuniæ quaſi partus eſt, dum nummus nummum parit; unde ἐκτοκίζω, *in uſuram do.* Ebr. communit. vocant נֶשֶׁךְ & תַּרְבִּית utrumque prohibetur Jezech. 18. 8. בנשך *non dederit &* הרבית *non acceperit.*

מֵרְחֹבָהּ] Ἐν πλατείᾳ αὐτῆς. Th. פְּלַטְיָה Gr. πλατεῖα.

13. יְחָרְפֵנִי] *Probro affecit*, unde חֹרֶף *hyems*, quaſi probrum terræ quod omnia terræ naſcentia tunc vicientur & corrumpuntur. Et *juventus*, quia in ea multa probroſè committuntur.

Non inimicus probro afficit me quod ferrem ..... à quo me abſconderem. Piſcat. *Nam is qui non eſt inimicus probro afficit me, alioqui ferrem*, ſub. Ab. חֶרְפָּתוֹ

הִגְדִּיל] Cum על conſtructo ſubintelligendum eſt פֶּה vel לָשׁוֹן *magnificare linguam.* Et ſign. *contumelioſe loqui adverſus aliquem, inſoleſcere verbis.* Pſ. 38. 17. עלי הגדילו Jirm. 48. 26. *contra Dominum* הגדילו

R. Sal. varias expoſ. affert, 1. ut referantur ad votum ſup. ut dicat, Ibi in deſerto n. p. a. f. h. veëſſa i. e. ולא אשא & non acciperem ſecl. בלכתו. Ibi Pelopidarum nec facta nec nomen audirem ..... ſed abſconditus eſſem ab eo. 2. Quam ille probat & tribuit R. Dones eſt ea quam expreſſerunt noſtri. Et addit, certe gravior eſt contumelia, quæ infertur ab amico quam quæ ab aperto hoſte. Et homo cavere ſibi poteſt ab hoſte, ab amico falſo non poteſt. Tuta frequenſque via eſt &c. Ea ſunt adhuc tempora ut ſæpe non intelligas proditores quam proditus ſis.

14. כְּעֶרְכִּי] Ab. נחשב בערכי כמני. R. Sal. חשוב כמני Conv. ſe ad unum Achitophelem fortè. Certe Chald. *Et tu Achit. qui qui ſimilis mihi*, & Rab. ראלפת לי, *qui docebas me.*

כְּעֶרְכִּי] LXX. σὺ δὲ ἄνθρωπε ἰσόψυχε, *æquanimis, ejuſdem animi*, Sym. ὁμότροπος, *eorundem morum.* Opt. *Quem habebam eodem ordine & loco mecum ex ſingulari gratia.* Angl. *mine equal.* Sicut ordinis mei, ut כ ſit ſimilitud. vel æqualitatis quod ἀληθινὸν vocant, ut Marc. 1. ὡς ἐξουσίαν ἔχων & ὡς μονογενοῦς.

אַלּוּפִי] *Doctor, Dux*, ut hoc loco LXX. ἡγέμων μου & bos quod ſit dux armenti.

מְיֻדָּעִי] *Notus meus, of mijn acquoitance, van mijn kenniſſe.* Aut expon. ex ſignif. *Novit Dominus viam juſtorum, juſtus novit etiam jumenti ſui animam. Novi te ex omnibus gentibus.* Sic, *Cognite mi, cujus curam ſemper geſſi.*

15. נַמְתִּיק סוֹד] *Dulce inibamus conſilium.* Sic Sym. οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν. Aq. οἱ ὁμοῦ ἐγλυκάναμεν ἀπόῤῥητον. At LXX. hic planè exorbitarunt ὃς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανας ἐδέσματα. *Dulces reddebas mihi eſcas.* Vulg. *Qui ſimul mecum dulces capiebas eſcas.* Geneb. excuſat eos סוד interpretatos *eſcas* per Synæreſin Poëticam pro סְיוּר. Sed dato hoc tamen nunquam oſtendet סְוֹר pro cibo, nec in Textu nec apud Rabb. illi enim dicunt סְעוּדָה. Verùm ea Synœreſis crebra apud Aramæos, at in Textu non occurrit. סוד 1. *Arcanum.* 2. *Conſilium*, quod arcanum eſſe debeat. 3. *Concilium*, cœtus conſultantium. Gen. 49.

בְּרָגֶשׁ] אחת R. Ab. Aben. בחבורה, *in una ſocietate. In company*, Angl R. Sal. ברב עם, *cum turba*, nam utrumque ſignificat.

16. יַשִּׁי מָוֶת] *Exactorem, fœneratorem aget mors ſuper eos.*] יַשִּׁי per Apocopen א pro יַשִּׁיא. Hoc verò permutatione ordinum pro יַשֶּׁה à נָשָׁה *oblitus eſt, mutuo dedit, mutuavit. Fœneravit* cum ב, ſine ב *mutuum petiit, mutuatus eſt. Exegit debitum, Exactorem egit.* Ubi augendum eſt Lexic. Scindl. quod poſteriorem ſignif. non habet & corrig. Piſcator, qui dicit thema eſſe יַשֶּׁה non יַשִּׁיא. Scrib. נשׁ׳ utrobique. נָשָׂא enim ſignif. *ferre, portare* &c. נָשָׁא *decepit* Gen. 3. *Serpens* הִשִּׁיאַנִי. Plenum reperitur Pſ. 89. 23. Sic יַפְרִא pro יַפְרֶה *fructum feret.*

II. Alia expoſit. ab eodem themate in ſign. oblivionis, *oblivionem inducat mors ſuper eos*, ut non cogitent de morte antequam vivi deſc.

III. Aben. adducit aliam, ut ſit à נָשָׁא *decepit*, & ſenſus erit idem cum expoſ. II. *Decipiat mors eos; Laet de doot haer verraſſchen*, ut non ſentiant eam antequam &c. שלא יעלה על לבם inquit Aben.

בִּמְגוּרָם] *In commoratione.* R.S. במלונם.

בְּקִרְבָּם] *In corde*, ut ſupra in Jirm.

17. *Veſpere, mane, meridie*] Dan. 6. 10. *Et apertis feneſtris verſus Jeruſalem tribus temporibus in die incurvabat ſe.*

18. מִקְּרָב־לִי] Angl. *A prælio quod contra me erat.* Jun. *Ne belligerent contra me*, ut ſit Gerund. Piſc. *Ne appropinquarent mihi*, ſc. hoſtes, ut ſit Ger. in alia ſignif. LXX. ἀπὸ τῶν ἐγγιζόντων μοι. Vulg. *Ab iis qui appropinquarent mihi.* Eſt Gerund. Ob T. br. in fine, ideò & Chald. דלא למקרב קרב. Appropinq. & confligere, congredi R. Sal. impingit in Gramm. מִמִּלְחָמָה הַבָּאָה עָלַי כְּרַבִּים

בַּרַבִּים] ב redundat, ut Thren. 1. 17. *Expandit Sijon* בְּיָדֶיהָ. Sym. πολλυςοὶ ἦσαν σὺν ἐμοί. Tigur. *Plurimi fuerunt mecum.* Ut Helizæus, *Plures ſunt nobiſcum quam cum illis.* Ad Angelos referunt. Sic Angli. Sic Pagn. Alii, *Inter multos fuerunt contra me.* Pugnare enim cum aliquo dicimus Latinè. *Inter multos hoſtes fuerunt mecum*, i. e. Contra me Achitophel & ſocii. Piſc. *In multos*, i.e. magno numero, *fuerunt Angeli cum me.* Senſus idem cum priori. R. S. *Certe propter multos*, i. e. preces multorum, *qui erant mecum precibus ſuis*; Nam dicitur quod totus Iſraël & Juda dilexit eum.

19. וְיַעֲנֵם] *Conteſtabitur (contra) eos.* Comm. ſubaud. præpoſit. יענה בם. Sic Jun. Alii, *Affliget eos.* Sic Piſc. Tig. Angli. Sic Gr. ταπεινώσει. Acſi eſſet וְיְעַנֵּם.

וְיֹשֵׁב קֶדֶם] *Qui ſedet ab antiquo*, ab origine mundi. Et *Sedet* ut judex. Vau pro אשר Mal. 3. 1. וּפִנָּה ὃς κατασκευάσει, Matth. 11. 10. Jeſ. 23. 17. ושבה *quæ redibit.* Chald. *Qui ab initio habitat cœlos.* Gr. ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων.

סלה] In medio verſu. Sic bis Habacuk 3. ubi ter occurrit in univerſum.

אֲשֶׁר אֵין] *Affliget eos quibus non ſunt mutationes, de quibus non eſt ſpes mutationis in melius.* Vel, *eò quod non ſunt mutationes eis.* LXX. οἷς οὐκ ἔςιν ἀντάλλαγμα. Commutatio, quæ vox Matthæo uſurpatur de pretio redemptionis. Aq. οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς. Sym. οἵ οὐκ ἀλλάσσονται. Alii, *Quia non ſunt mutationes ipſi, neque timent Deum.* Mutationes fortunæ, non immiſcet ipſis Sympoſiarcha ex dolio adverſæ fortunæ, quia ſunt in perpetua felicitate חֲלִיפָה Arab. ſucceſſor. Gen. 45. 22. dedit iis חֲלִיפוֹת שְׂמָלוֹת ut Hom. ἱματὰ ἐξαμειβὰ.

20. לִשְׁלֹמָיו] שלמו, בַּעֲלֵי. בְּאַנְשֵׁי שְׁלוֹמִי, Ut אֲנִי תְפִלָּה *Ego (vir) precationis ſum.* Pſ. 109. Theodor. εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτῶν.

21. מַחְמָאֹת *Lævia ſunt (ut) butyrina (verba) oris ejus*] i. e. Cujuſque eorum. מ eſt heemant. inquit R. S. ut מַעֲשֵׂה כְאֹמֶר &c. Alii ut Piſc. מ eſſe ſerv. pro מִ *præ butyris.* Them. eſt חֶמְאָה unde חֶמְאָה Idem vult Kimchi in Rad. Idem Pagn.

פִּיו] *Verba oris.* Aut verte חָלְקוּ *lenierunt*; & tunc מ eſt ſervile.

בְּרִיתוֹ] Lxx. διαθήκην, perpetuo, *Teſtamentum.* Sic Vulg. Symm. παρέβησαν συνθήκην. Notus Idiotiſmus.

Et prælium eſt לִבּוֹ] Id eſt, בְּלִבּוֹ. קְרָב Pazer gadol.

פְתִחוֹת] Ab. חרבות שלופות) פתח dicitur de rebus clauſis & ligatis. Pſ. 37. 14. *Gladium aperuerunt improbi.*

Verſ. pen. יְהָבְךָ] *Cura*, τὴν μερίμναν σου, Angli, *Onus tuum*, Sarcinam tuam, Ab. R. S. משאך. Et certe huc videtur alluſiſſe Petrus Epiſt. 1. cap. 5. *Omnem veſtram ſollicitudinem projicientes in Deum, quoniam ipſi curæ eſtis.* Jun. *Quicquid dat tibi*, ut ſit verbum. יְהָבְךָ habet ex Aben. qui hoc citat ex alterius mente. *Omnia ſive proſpera ſive adverſa à manu Dei ſunt.* Alii, *donum tuum*, quicquid donari tibi vis.

לְעוֹלָם] *Perpetuò.* Alii, *unquam.*

Verſ. ult. *Dimidiabunt*] Non pervenient ad dimidium dierum ſuorum quos ſperaverant. Quidam dicat, *Interibunt in flore cum per naturam diutius poſſent vivere.*

Hinc patet quomodo conciliari poſſit hic locus cum loco Jobi *Poſuiſti ei terminum quem non præteribit*, & cum Axiom. Theol. Omnia reſp. decreti divini fieri neceſſariò. Reſp. David loquitur de vitæ termino naturali, quem aliquis viribus naturæ aſſequi poſſet. Job. vero de vitæ termino divinitus decreto, qui non ſemper cum naturali congruit.

GROTIUS.

24. V*Iri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Ou μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν. Non pervenient ad ætatem ad quam hominum multi perveniunt, & ipſi pervenire potuerant. Idem loquendi genus infrà Pſal. 101. 25. Res autem Exodi 20. 12. Si hæc pœna talibus Legis tempore fuit præſtituta, quantam exſpectare debent qui poſt lucem Euangelii tales ſunt?

PRICÆUS.

6. A*Dverſum me omnes cogitationes eorum in malum*] Suprà 41. 8. Apulejus 7. *Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequiſſimus, quàm ut me quoquo modo perditum iret.* Auguſtus apud Senecam 1. 9. de Clementia, *Ego ſum nobilibus adoleſcentulis expoſitum caput, in quod mucrones acuant.* Vide & Pſal. 118. 23.

7. *Ipſi calcaneum meum obſervabunt*] Suprà 36. 32. *Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum.* Quo loco

mortificare, eſt quod in Græco θανατῶσαι. Ità & in Gloſſario, Θανατόω, *mortifico.*

8. *Sicut ſuſtinuerunt animam meam*] Sicut exſpectârunt perniciem, vel interitum meum.

Ibid. *Pro nihilo ſalvos facies illos*] *Facies* eſt, *fac.* Videtur hoc dicere, Ad nihilum reduc eos, at non interfice: nimirum ut potentiæ tuæ, conſolationis autem meæ ſpecimina obambulent. Ità ferè infrà 58. 12. *Oſtendet* (i.e. oſtende) *mihi Deus ſuper inimicos meos, nè occidas eos.*

9. *Vitam meam annunciavi tibi*] Infrà 118. 26. *Vias meas annunciavi*, ſub. *tibi*; & 68. 6. *Tu ſcis inſipientiam meam, delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Vide & 138. 1. 2.

Ibid. *Vitam meam annunciavi tibi*] Aperui. Jobus 13. 15. *Vias meas in conſpectu ejus arguam.*

IDEM.

1. C*Onculcavit me homo*] Suprà 7. 6.

6. *Adverſum me omnes cogitationes eorum in malum*] In perniciem. Sic Pſ. 69. 4 *qui volunt mihi mala:* Eſther. 9. 24. *pararetur malum illi:* & ſæpe alibi

7. *Calcaneum meum obſervabunt*] Vias, actiones meas: quo ſenſu & Pſ. 48. 6. *iniquitas calcanei mei.*

9. *Vitam meam annunciavi tibi*] Ezechias Eſaiæ 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in anima mea amaritudine:* vel ſenſu quo 11. 20. Jeremias, *Tibi cauſam revelavi meam.*

12. *In me ſunt vota tua*, &c.] In memoria habeo, vel intra me contineo ea quæ vovi tibi. Infrà 65. 13. *Reddam tibi vota quæ diſtinxerunt labia mea.* Vide & ſuprà 49. 14.

13. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu*] Siracides 51. 3. *Liberâſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ*, &c. Suprà 53. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me.*

Ibid. *Ut placeam coram Deo in lumine viventium*] Ut de manu inimicorum meorum liberatus tibi ſerviam in ſanctitate & juſtitia coram te omnibus diebus meis, Luc. 1. 74. 75.

PSALM. LVI.

MUNSTERUS.

S*Uper columbam muti in remotis*] Putant Prophetam hic ſeipſum vocare *columbam mutam & in remotis agentem*, quippe qui cauſam ſuam Deo committens, adverſariis ſuis nihil reſpondit, ſed longè ab eis diſceſſit. De dictione מכתם diximus ſuprà Pſal. 16. Hiſtoria Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 21

1. *Abſorbere me conatur homo*] Loquitur de Saule, qui illum ſæpenumero in ſummum adduxit vitæ diſcrimen, ut aliquando etiam deſperaret ſe poſſe illius evadere inſidias.

4. *In Deo laudabo verbum ejus*] hoc eſt, Laudabo Deum propter verbum ſuum, quo ille me confortavit & in ſe ſperare fecit.

7. *Propter iniquitatem eritne*] Monet hic Kimhi hunc verſum legendum בתמיה cum admiratione; ut ſit ſenſus, *Impunesne erunt propter hanc iniquitatem quâ innocentem perſequuntur? Non erunt; ſed tu, Deus, depones eos & humiliabis eos.* Alii ſic legunt, *Vanè ſperant ſe evaſuros.*

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super columbam mutam in remotis* על יונת אלם רחקים] *De columba taciturnitatis in remotis:* i. e. De columba taciturna & muta, conſtituta in locis remotis à Terra ſancta. *Columbam* ſe vocat David, Metaphora quâ priùs petebat *ſibi dari alas columbæ* quæ perniciter volat. ¶ Ad *Michthan* מכתם [Hæc vox Hebræis ſign. *aurum:* propterea quidam vertunt, *Davidis inſigne aureolum:* acſi dicat Pſalmum ſive cantum iſtum tam pretioſum fuiſſe Davidi quàm aurum. Vide Pſal. 16. ¶ *Abſorbere voluit me* שאפני] Præt. Heb. *abſorpſit me*, vel *hauſit:* quod nonnulli vertunt per præſens, *abſorbet me:* aut, *abſorbere me conatur.* ¶ *Quotidie bellans*, &c. כל היום לחם ילחצני] *Totâ die oppugnans divexat me:* vel, *jugiter impugnando coarctat me.*

2. *Abſorbere voluerunt me inimici* שאפו] Præt. Heb. *abſorbuerunt me*, &c. pro præſ. *Abſorbent me hoſtes mei per*

ſingulos dies, aut *jugiter*. ¶ *O Excelſe* מרום] Quidam vertunt *elato animo*, referentes ad dictionem *pugnantes*.

3. *Timebo* איראו אני אליך אבטח] Vel per præt. imperf. *timebam, ego te nitebar*. Aut per præſens, *Quocunque die metu corripior, fiduciam ego meam in te colloco*. Alii, *Licet per diem timerem, tamen in te ſperabam*.

4. *Laudabo verbum ejus* אהלל דברו] Hebraïſmus, pro *Deum laudabo propter verbum ſuum*. Quidam vertunt, *gloriabor de verbo ejus*. Promiſſionem intelligit de Regno Iſraëlis. ¶ *Fidam* בטחתי] Præt. Heb. *ſperavi*.

5. *Verba mea dolore afficiant me* דברי יעצבו עלי] Hebraïſmus, res meæ, ſive negotia mea, me fatigant. Quidam vertunt, *Verba mea moleſta reddebant*: vel, *calumniabantur*. Alii, *cauſam meam moleſtam reddunt*.

6. *Congregantur, deliteſcunt* יגורו יצפונו] Præt. & fut. Heb. *Simul ipſi morantur*, & *deliteſcunt*. Alii, *Convenerunt, contemplati ſunt*. Alii, *Conſpirant, & inſidiantur*. ¶ *Dum exſpectant animam meam* כאשר קוו נפשי] *Sicut exſpectant: cum exſpectant*. Alii, *ſi quo pacto capiant animam meam*. Præt. Heb. Nonnulli, *quemadmodum exſpectaverunt animam meam*.

7. *Propter iniquitatem evaſio erit eis?* על און פלט למו] *Quia peccaverunt, ſervabis eos?* Aut ſine interrogatione, *Spem evadendi collocant in verſutia*.

8. *Migrationes meas* נדי] *Evagationem meam: fugas meas*. Ad verb. *motionem meam*. Sing. pro plurali. ¶ *Numeraſti* ספרתה] *Numeratas habes*, i. e. cognoſces numerum migrationum quas migravi, i. e. quoties fugerim. ¶ *Pone lacrymas*, &c. שימה דמעתי בנאדך] Hebraïſmus, & Metaphora ab aquis, acsi dicat, Memor eſto lacrymarum mearum quas fudi coram te, & nè obliviſcaris. ¶ *Nonne in libro tuo* הלא בספרתך] *Nonne in commentario tuo* ſunt? Hæc interrogatio præparationem ſive accinctionem quandam ſignificat ad rem peragendam; & etiam confirmationem, reique certitudinem: propterea quidam vertunt, *Certè in libro tuo ſunt*.

9. *Tunc convertentur*, &c. אז ישובו] Quidam אז *tunc* vertit in *quoties*, & fut. per præſ. ſic, *Quoties invoco, hoſtes mei retrocedunt: in hoc certus fio quòd*, &c. ¶ *Pro me eſt* לי] Ad verb. *mihi*, ſub. *favet*.

10. *In Jehova* ביהוה] Repetitione hâc vim fiduciæ ſuæ in Dei promiſſione exprimit. Vide v. 4.

11. *Deo fido* באלהים בטחתי] Hic verſus eſt altera pars quarti præcedentis.

12. *Super me* עלי] *In me*. Hebraïſmus, pro, *mea intereſt reddere tibi vota, nempe ut te laudem: laudo igitur*. Sunt qui Hebraïſmum ſic reddunt, *Vota nuncupabo tibi, ô Deus*. ¶ *Reddam* אשלם] *Rependam*.

13. *Nonne pedes*, &c. הלא רגלי] *Certè pedes*, &c. Vide 8. verſûs annotationem.

CATSALIO.

1. *De columba procul muta*] De ipſo Davide, qui inter extraneos tanquam columba præ metu obmuteſcebat.

4. *In Deo promiſſa laudabo*] Stabit Deus promiſſis, idque laudabo. Vide animadverſa in Pſ. 138.

8. *Refer meas lacrymas in tuum ſacculum, hoc eſt in tuum commentarium*] Memor eſto mearum lacrymarum.

CLARIUS.

Titulus hujus Pſalmi in Hebræo habet, *Vincenti, De columba muta longè avolante, inſignia David, cùm eum Philiſthai comprehendiſſent in Geth*. Quod autem ait, *De columba muta*, quidam putant criminis cujuſdam fuiſſe initium ad cujus numeros ſit hic Pſalmus compoſitus. Alii exiſtimant David ſeipſum *columbam mutam* & *longè volantem* vocaſſe, propterea quòd omnia Deo committens, & nihil adverſariis ſuis reſpondens, longè à ſuis fugiſſet, nimirum ad Philiſtæos uſque, gentem non ſolum alienigenam ſed & hoſtilem. Hiſtoria hæc legitur 1 Reg. 21.

1. *Conculcavit me homo*] Conculcare conatus eſt. Et per *hominem* intelligit Saulem, qui illum ſæpenumero in ſummum adduxit vitæ diſcrimen, ut aliquando etiam deſperare ſe poſſe illius evadere inſidias.

4. *In Deo laudabo ſermones ejus*] h. e. Laudabo Deum propter verbum ſuum, quo ille me corroboravit & in ſe ſperare fecit. Vel fretus Dei benignitate, boni conſulam quicquid ab illo immittitur mihi, &c. Recordabatur autem promiſſionis factæ ſibi per Samuelem.

5. *Verba mea exſecrabantur*] i. e. Calumniabantur quicquid inſtituebam.

6. *Inhabitabant & abſcondent*] Vel *ſimul morantur, & deliteſcunt, ac plantas meas obſervant, dum exſpectant ut capiant animam meam*.

8. *Fugas meas tu numeraſti*] Quàm ſcilicet fugere ſæpe compulſus ſim. ¶ *Pone lacrymas meas in conſpectu tuo*] Heb. *in utre tuo*, vel *laguncula tua*, ut ſcilicet videas quàm multæ ſint: & in *libro rationum tuarum* ſcribe eas.

12. *In me ſunt, Deus, vota*] i. e. Conſtitui offerre tibi ſacrificia quæ voveram.

13. *Ut ambulem coram Deo*] Ut poſſim ambulare in conſpectu tuo, mi Deus, illuſtratus *lumine* quo ſolent qui perpetuò *vivunt*.

LUCAS BRUG.

8. *Cantabo & Pſalmum dicam Domino.*] Sic quidam libri, cum Caſſiodoro Romano Senatore & Remigio Antiſſiodorenſi Epiſcopo: ad quem modum apud Hilarium legitur, *Cantabo & Pſalmum dicam tibi*. Alii verò libri nec *Domino* nec *tibi* agnoſcunt; duntaxat, *Cantabo & Pſalmum dicam* legunt; tres Pariſienſium, viginti octo noſtri: quibus Ruffinus, Auguſtinus, Haymo, Bruno, Lombardus, Ludolphus, Pelbartus, Paſtura, ſuffragantur. Suffragantur & Hebraïci ac Chaldaïci libri. Denique etiam Græci cum Græco enarratore Euthymio: ſed aliud quiddam (quod ipſum aut ſimile etiam Apollinaris & Theodoritus legerunt, &, quod mirum eſt, inter Latinos Richardus Pampolitanus) adjiciunt, ᾄσομαι καὶ ψαλῶ ἐν τῇ δόξῃ μου, *cantabo & Pſalmum dicam in gloria mea*; id quod rectè à Vaticano exemplari omittitur: eſt enim ex 107. Pſalmo huic adjectum; quemadmodum ἐξεγέρθητι ἡ δόξα μου, *exſurge gloria mea*, ex hoc illi adjectum, nobis, poſt D. Hieronymum ad Suniam, videtur; quanquam in Hebraïco ex Anglia Pſalterio utroque Pſalmo legatur. Itaque & quod pleriſque Græcorum libris additur, ἐν τῇ δόξῃ μου, transfodiendum eſt; & quod quibuſdam Latinorum codicibus legitur *Domino*, jugulandum eſt. Sanè à Dominis Hentenio & Lindano rejectum eſt: & Lobienſe, Tornacenſe, manuſcripta, ac Jacobi editio, concorditer Romanæ Pſalmodiæ *Domino* addunt; Gallicanæ, quæ noſtræ eſt editionis, demunt.

DRUSIUS.

1. לַמְנַצֵּחַ עַל־יוֹנַת אֵלֶם רְחֹקִים לְדָוִד מִכְתָּם בֶּאֱחֹז אֹתוֹ פְלִשְׁתִּים בְּגַת. A. Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν τοῦ Δαυὶδ, ἐν τῷ κρατῆσαι αὐτοῦ Φυλισαίους ἐν Γέθ. Sym. Ἐπινίκιος ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς, ὑπὲρ τοῦ ἀλλοφύλου, ἀπωσαμένου τοῦ Δαυὶδ, τοῦ ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου, ὅτε κατέσχον αὐτὸν οἱ Φυλισαῖοι ἐν Γέθ. V. ed. Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς τῆς μογιλάλου κεκρυμμένου τῷ Δαυὶδ εἰς στηλογραφίαν.

2. כָּל־הַיּוֹם. Sym. πᾶσαν ἡμέραν] i. e. *Aſſiduè & ſemper*, Theodoretus. ¶ כִּי־רַבִּים לֹחֲמִים לִי מָרוֹם. A. ὅτι πολλοὶ πολεμοῦσί με, ὕψιστε. Sym. ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ὑψηλότεροι.

3. יוֹם אִירָא אֲנִי אֵלֶיךָ אֶבְטָח. A. ἡμέρας φοβηθήσομαι ἐγὼ, πρὸς σὲ πεποιθήσω. Sym. ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φοβηθῶ σοὶ πέποιθα. Th. ἡμέρας φοβηθήσομαι, ἐγὼ δὲ ἐπὶ σὲ ἐλπιῶ. Quidam legunt, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας] In Fragmentis à me collectis, Sym. *Altitudinem diei non timebo: tibi enim confiſus ſum*: quod deſcripſi ex Theodoreto, niſi fallor. Alibi eſt, *Ab altitudine diei non timebo*, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι. Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretellam dicit οὐ additum eſſe. Idem legit, *Ab altitudine diei timebo*: quod ità enarrat ac ſi diceret, *non bellantes adverſum me, ſed tuum excelſum timebo lumen*. Cæterùm Theodoretus vulgatam lectionem exponit: quem vide, ſi vacas. Vide quoque Euthymium.

5. כָּל־הַיּוֹם דְּבָרַי יְעַצֵּבוּ. Sym. Διὰ πάσης ἡμέρας λόγους περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον.

6. יָגוּרוּ יִצְפּוֹנוּ הֵמָּה עֲקֵבַי יִשְׁמֹרוּ כַּאֲשֶׁר קִוּוּ נַפְשִׁי. Sym. Συνήγοντο λάθρα, καὶ τὰ ἴχνη μου παρετήρουν, προσδοκῶντες τὴν ψυχήν μου, *Congregabantur clàm, veſtigia mea obſervabant exſpectantes animam meam*.

7. עַל־אָוֶן פַּלֶּט־לָמוֹ. A. ἐπὶ ἀνωφελὲς διέσωσεν αὐτούς. Sym. διὰ τὴν ἀδικίαν ῥῦσαι ἀπ' αὐτῶν. V. ed. ὑπὲρ τοῦ μὴ εἶναι διασωσμένου αὐτοῖς. ¶ הוֹרֵד. Sym. κατάσεισαι, concute, proſterne. In epiſt. ad Suniam, *Pro eo quod eſt Dejicies*, i. e. καταβαλεῖς, *male error obtinuit* κατάξεις, *i. e. Confringes* (imò *deduces*, ut ſit fut. à κατάγω, non à κατάγνυμι) *nam & in Hebraïco* הורד *habetur, i. e.* καταβίβασον *quod nos poſſumus dicere, Depone, & Sym. interpretatus eſt* κατάσεισαι. Huc uſque Hieronymus.

8. נֹדִי סָפַרְתָּה אָתָּה. Sym. τὰ ἔνδον μου ἐξηρίθμηταί σοι, *interiora mea numerata ſunt tibi*. ¶ שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ הֲלֹא בְּסִפְרָתֶךָ

בְּסִפְרָתֶךָ. Sym. ἰδοὺ τὰ δάκρυά μου ἔνδον σε, μὴ οὐχὶ ὅταν ἐξαριθμῇς.

9. אָז יָשׁוּבוּ. A. Sym. Th. & V. ed. τότε ἐπιςρέψουσιν.

AMAMA.

1. [יוֹנַת אֵלֶם] Dupl. accipi poteſt, aut ut ſit initium alicujus cantilenæ, ut Angli, Ital. & Aben. aut ut indicet materiam & objectum & occaſ. hujus Pſalmi. Sic acceperunt alii qui reddunt, ut Jun. *De (anima) vim patiente à manipulo longinquorum*, ut יונה ſit part. fœm. reſpondens ſubſt. deficienti נפש ut Eccl. 1. 1. Verum יוֹנָה nunquam ita accipitur, ſed pro *vim inferens* depopulans, unde apud Jirm. 25. verſ. ult. & Jirm. 50. 16. eſt Epith. gladii, propter furorem חֶרֶב הַיּוֹנָה. Deinde participia præſentia non ſolent ita regere nomina, ut ea per ab vel ab exprimantur, ſecus eſt in part. præt. נִכֵּה אֵל׳ Ideo melius redditur ab iis qui tamen idem ſpectarunt, *De columba obmuteſcentia*, ut Piſc. & alii, [*in*] *locis longinquis*. Ital. in marg. Pagn. Sic Chald. יונת שתי קה Et Aq. ὑπὲρ περιςερᾶς ἀλάλε. Luth. *Von der ſtummen tauben under den fremden.* Ut אֵלֶם ſit abſtr. à concreto אלם Eſt autem columba obmuteſcentiæ typus vel unius individui vel integri populi oppreſſi. De Integro populo accip. Lxx. ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων μεμακρυσμένε. Et Chald. *De Synagoga Iſraëlitica quæ ſimilis eſt columbæ mutæ.* Sed contextus Pſal. oſtendit ut & ipſe titulus primario ſic denotari unam perſonam ſingularem, ita tamen ut integro cœtui aptari cum ædificatione poſſit. Homo autem innoxius oppreſſus per Columbam adumbratur utpote quâ magis in noxium & ſimplex animal dari non poteſt. Et quidem per columbam mutam, quoniam hominibus innoxiis à potentioribus oppreſſis nihil proſunt lamenta, ideo in patientia poſſident animas ſuas, fretique conſcientiâ ad Tribunal Dei taciti provocant. Talis deſcribitur Chriſtus in Paſſione, qui ideo Ovi comparatur mutæ, quæ coram Tonſore non aperit os ſuum. Tales nobis depinguntur Eccl. 4. 1. *Vidi lacrymas oppreſſorum & non erat iis conſolator*, vel advocatus, παρακλητὸς: Quoniam à parte opprimentium eos erat robur & potentia. Ideò non erat ipſis conſolator.

[מִכְתָּם] Κειμήλιον, *Clynodium*, *Ein gulden Kleinodt.* כָּתַם *notatus*, *inſignitus fuit*, *inſculptus fuit*, Jirm. 2. נִכְתָּם *notata eſt iniquitas tua coram me.* Hinc *Kethem* & *Micthâm* res inſignis & pretioſa; *aurum*, ut Pſal. 45. בכתם אופיר Lxx. εἰς ςηλογραφίαν *in columnæ inſcriptionem.*

[פְּלִשְׁתִּים] Ἀλλόφυλοι, Lxx. Proprium iis ut hos vocent Ἀλλοφύλες nomine generis ad certam ſpeciem reſtricto. Palæſtina Regio maritima fuit ad Occid. Terræ Sanctæ, fueruntque in ea V. urbes, Asdod, Aſcalon, Gath, Accaron, Gaza. Unde Pentapolis dicitur. 1 Sam. 21. 11.

Gath.] Lxx. γέθ. Sic *Bath Beth.* Sign. & *Torcular.* Duplex Gath, *Philiſthæorum*, & Gath *Sacheper*, patria Jonæ in Tribu Zabulon.

2. [שאפני] *Anhelat me*, i. e. אֵלַי *Anhelat ad me*, anhelando Jun. ----*us perſequitur me.* Unum pro duobus. Vide ſupra. Vel, *abſorpſit me*, *exhauſit me*, i. e. conatur me abſorbere. Sic Angli, *Would ſwallow me up.* Pagn. *Abſorbere me vult.* Ita & Luth. It. *Deglutit me.* Reg. verba apud Ebræos ſæpe conatum duntaxat ſignif. Gen. 37. 21. *Audivit Ruben* וַיַּצִּלֵהוּ *nam non ſucceſſit.* Num. *Expugnavit Iſraël cum Balak*, Exod. 8. 18. *Et fecerunt ſic Genethliaci*, i. e. voluerunt. Seq. enim, *Et non potuerunt*, ſc. producere, *pediculos.* Unde Jun. *Laborantes ſimiliter Magi non potuerunt.* Deut. 28. *Vendes te* &c. Ex. 12. *Si Peregr. fecerit Paſcha.* Amoſ. 9. Prov. 1. 10. In N. T. *Mundavi te & noluiſti mundari.* Matth. 18. 28. 24. 15. Act. 7. 26.

3. *Anhelant*] Sc. perſequendo me.

Nam multi] Jun. *Multi ſunt: propugnatores* [*adſunto*] *mihi è ſublimi*] מָרוֹם i. e. בְּמָרוֹם. Pagn. *Quia multi bellantes pro me ſunt in excelſo.* Sed tunc potius כִּי vertit per *Sed*: nullus enim aliàs ſenſus. Alii, ut Piſc. *Quia multi propugnatores contra me elatè*, לִי pro עָלַי Sic & Hieron. & Lxx. & Sym. & Aq. מרום ut *Marom* ſic idem ſit quod רוֹפֵה Mich. 2. 3. *Neque ambulabitis* רוֹמָה pro בְּרֹמָה. Arias *Excelſe*, Ital. *Altiſſimo.* Angli optimè, *Quia multi propugnatores contra me Altiſſimè.* Velut מרום ſit Conc. vel per Ellipſ. *Tu qui es* בַּמָּרוֹם, & ſic Aquila, ὅτι πολλοὶ πολεμῦσί με ὕψιςε. R. S. ה״בה הזהב בטר.

מרום videtur eſſe concretum Pſ. 92. 9. *Te autem, ô excelſe*, vel *tu autem excelſus es in ſæculum ô Domine.* Et Pſ. 75. 6. *Ne attollatis contra excelſum* לַמָּרוֹם *cornu virum.*

Buxtorf. in Dict. ad לחם hanc habet Regulam, Pugnare cum ל, eſt *pugn. pro aliquo.* cum ב, *cum aliquo*, cum אל vel על *contra aliquem.* Accipit *cum aliquo* cum ſocio, non, cum parte adverſa, contra diſtinguit enim à tertiâ conſtructione. Sed obſtant loca multa. Num. 21. 2. *Et Cananæus pugnavit* בישראל Sic adhuc bis eo capite. Reg. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον vera.

5. *Omni die*] Pag. (*Ob*) *verba mea dolore afficiunt* (me.) Eſ. 63. עצבו *dolore affecerunt Spiritum S. ejus.* Jun. *Res meas dolore afficiunt.* Eng. Ald. Gen. *Tordent mes propos.* Piſc. *Verba mea figurant*, formant, detorquent, aliamq. figuram & formam eis affingunt. עצב enim ſign. hoc etiam, Job. 10. 8. *Manus tuæ figurarunt me*, עִצְּבוּנִי Eſtque ea acceptio Metaph. Qui enim lutum vel ceram manibus digitiſque figurat, eam dolore quaſi afficit. Hinc עָצָב *imago*, עֲצַבִּים ad diff. עַצְּבִים *dolores.* Thar. verba mea פִּרְקָן elaborant. Angli *They wreſt*, *torquent*, *detorquent.*

6. [יָגוּרוּ] Ab. legit יָגוּרוּ, גור & גרר ſignif. *conſociari*, *congregari*, Gen. 49. גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ, *Gad quod attinet turma conveniet in eum.*

[כַּאֲשֶׁר] *Ut qui*, vel, *quandoquidem exſpectant animam meam*, i. e. quærunt. Et quidem in malum. Sumitur enim aliq. in bonum, Prov. 29. 10. *Viri ſang. oderunt juſtum: at recti quærunt* נפשו

[בָּשָׂר] *Caro*, i. e. Homo, vide verſ. 12. Sed non ſine Emphaſi *Caro* pro homine ponitur, fit enim hoc ad fragilitatem ejus denotandam. Eſ. 31. 3. 2 Cor. 10. Pſ. 78. 39.

7. [עַל־אָוֶן] Muſc. *Spem evadendi collocant in verſutiam.* Jun. *Pro iniquitate pariet eis*, ſc. malum. פלט ſemel in Script. ſign. (Job. 21. 10.) *parere*, *emitti fœtum*, *Vacca eorum* תפלט *& non abortit.* Piſc. & Pagn. Sp. & Angli, *Num in* (vel *propter*) *iniquitatem evaſio erit ipſis?* Hæc enim eſt uſitata ſign. vocis, & tum erit Infinitivus pro Nomine. Duplici enim ratione ambiguus hic locus, vel ratione ſignif. vel modi ſignificandi. Scindl. *Peſte eos*, *ejice eos*, quia ſign. in Job. *emittere*, *ejicere fœtum.* Sic Lxx. ὤσεις αὐτὲς licet alia Exempl. legant σώσεις *ſalvabis?* Et tunc etiam Interrogatio adhibenda, ut Mich. 5. Job. 2. &c. Lectio σώσεις melior, ſed qui de interrogatione non cogitarunt, putarunt locum eſſe corruptum, & σ abſtulerunt.

פלט *Parere*, *eripere*, *liberare*, ut ſit idem cum פלם.

Belg. *Wat ſy quaads doen, is ſchoon vergeven.* Lieſv. *Sy hopen te ontvlieden om hares misdaads wille.* Ita & It. in marg. *Suam evaſionem* [*poſuerunt*] *in iniquitate.* At in textu: *Sit evaſio eorum in vanum.*

8. [נֹדִי] *Vagationem meam.* Lxx. ζωήν με ἐξηγγειλα σοι. Fugit David 1. ad Regem Achis, 2. ad Rgem Moab, 3. ad Keilitas, 4. ad Deſertum Ziph, 5. in Deſertum Maon, 6. in Deſertum Engaddi, 7. in Pharan, 8. iterum ad Philiſth. quin & alibi quater ſedem mutavit metu Saulis.

[נֶגְדֶּךָ] Lxx. Ἐνώπιόν σε.

[בְּסִפְרָתֶךָ] *In numeratione tua*, i. e. In numerato tibi. Lxx. ὡς καὶ ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ σε. Jun. *An non eſſent in numerato tibi?* It. *Nunquid illæ ſunt in regiſtro tuo.* B. *Sonder twijffel gy telletſe.* R. D. הלא eſt לשון חזק ותקון denotat vehementiam & excitat.

[שִׂימָה] *Poſuiſti.* Infin. pro Præt. ut Pſal. 8. תְּנָה pro נָתַתָּה, Lxx. ἔθε, aor. 2. verbi med. ἐθέμην, ἔθεσο. Jon. ἔθεο per Craſin Att. ἔθε.

12. [עָלַי] *Super me*, i. e. Mihi incumbunt vota. Jun. *Mecum ſunt.* Lxx. ἐν ἐμοί.

13. *Coram Deo*] i. e. In gratiam & obſequium Dei. Lxx. Εὐαρεςήσω ἐνώπιον Κυρίε, *Placebo coram Domino.* Facere aliquid coram aliquo, vel in conſpectu alicujus, eſt, aliquid facere in favorem, gratiam & obſequium alterius, ut eum tibi devincias & demerearis; vel conari alteri, cui obligati ſumus, operam noſtram probare. Sic in Exod. Arioli dicuntur prodigia ſua exercuiſſe *in conſpectu Pharaonis.* Sic in Eccleſ. 6. 8. *Quid habet pauper qui novit vivere coram viventibus*, i. e. fortunatis, i. e. ita vivere, ut ad nutum eorum omnia agat, ut iis placeat. Sic Apoc. 13. *In conſpectu beſtiæ.* Geneſ. 17. 18. *Vivat Iſmaël meus.* לְפָנֶיךָ.

Ambulare coram aliquo eſt, 1. Vivere in favore & gratia ejus. Contrà, abjici à facie ejus. 2 Vivere ad nutum ejus, ei ſe accommodare, &c.

Coram Deo, aliq. aliter ſumitur, ut Pſ. 72. 5. *Timebunt te cum Sole, & coram Luna in generationem & generationem.* Poſtea, *Donec non erit Luna.* Et verſ. 17. *Nomen ejus in ſæculum, & coram Sole propagabitur nomen ejus.* Pſ. 102. ult. *Semen eorum coram te ſtabilietur*, ubi Lxx. εἰς αἰῶνα, Vulg. *in ſæculum.* Exod. 20.

[מִדֶּחִי] Ἀπὸ ὀλισθήματος, *à lapſu.*

In luce viventium] In luce Solis, quâ fruuntur viventes. Rabb. *In Paradiſo.*

In Deo, in Domino] Chald. בְּמֵימְרָא דַיְיָ אֲשַׁבַּח פִּתְגָמֵיהּ

GROTIUS.

PRo populo qui à ſanctis longè factus eſt, *David in tituli inſcriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth*] Videntur

LXX

non perferent, non ſuſtinebunt. *Auferentur* LXX. eſt ἀνταναιρεθήσονται, i. e. ἀφανισθήσονται. Vide Heſychium.

10. *Sicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*] Conjeci omnino legendum, *ſic viventes, ſic in ira a. e.* quæ geminatio & gratiam habet, & confirmatur verbis Græci contextûs, ὡσεὶ ζῶντας, ὡσεὶ ἐν ὀργῇ, &c. Ubi ὡσεὶ non aliud eſt quàm ὡς· ὡς autem id quod οὕτως. Heſychius, Ὡς εἰπὼν, οὕτως εἰπών. Sic ὡς ἔφατ᾽, & ſimilia.

11. *Lavabit manus ſuas in ſanguine peccatoris*] Eſt idem (at cum augmento) quod *lætabitur* in præcedente membro, & ſuprà 51. 8. *ridebit*: non quòd juſti lætentur in improborum interitu, multoque minùs lavent manus ſuas in eorum ſanguine; at ut reſpiciatur quod fieri ſolet inter profeſſos inimicos, quorum rabies non rarò eò uſque provehitur, ut id invicem cupiant, neque ipſa, ſi poteſtas detur, effectum dent.

12. *Et dicet homo, Si utique eſt fructus juſto: utique eſt Deus judicans eos in terra*] *Homo* hic eſt quivis, præcipuè autem qui dubitavit de providentia & juſtitia Divina. Claudianus,

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos ———

Judicans eos, id eſt, cauſam eorum. *In terra*, non de nihilo additur, vult enim ſubintelligi, quamvis ipſe in cœlo habitet. Vide 101. 20, 21. & 112. 5.

PSALM. LVIII.

MUNSTERUS.

1. O *Concilium*] Exponit hic Kimhi אלם pro קבוץ, ut ſit quaſi אלומה *manipulus colligatus.* Et notantur per hanc *congregationem* proceres Saulis, qui conſpiraverant contra David unà cum Saule Rege eorum, quorum tamen officium erat Regem revocare à propoſito tam iniquo. Competit quoque hæc invectiva in Judices malos, rabulas forenſes, & adulatores aulicos.

2. *Rem injuſtam manus veſtræ appendunt*] h. e. Iniquam cogitationem corde conceptam manibus & operibus exſequimini, abutentes poteſtate veſtrâ in injuriam proximi. Sed mirum non eſt quòd tam mali ſunt, qui ab eo quo in hanc lucem nati ſunt *abalienati fuerunt* à timore Dei, mancipia facti ſpiritûs mali, qui exagitat eos & infundit peſſimum *virus*: & cùm monentur ut à lædendi ſtudio quieſcant, *obſurdeſcunt in morem aſpidis obturantis aurem ſuam, ne audiat vocem incantantis.*

6. *Contere dentes eorum*] Per *dentes* accipe verba noxia.

7. *Colliqueſcant ſicut aqua*] Ponit aliquas ſimilitudines quibus exprimit illis adimendam nocendi poteſtatem: Prima eſt *Aquæ dilabentis*; ſecunda, conantis jacere arcu jam extenſo, ſed cujus *ſagittæ* diſſiliunt; tertia, *limacis* intra teſtam *deficientis* & pereuntis; quarta, *abortivi*; quinta, carnis raptæ antequam *olla* calorem ſenſit: h. e. citò ſuperveniat illis perditio & ultio Dei, dum adhuc ſunt in felicitate ſua, & antequam conſummetur perverſitas eorum.

10. *Lavabit veſtigia ſua in ſanguine impii*] Hyperbole eſt, quâ ſignificatur impios delendos, ſuperviventibus juſtis.

VATABLUS.

1. V *Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Nè diſperdas* אל תשחת] Vide Pſal. 57. & 59. ¶ *Michtham* מכתם] Vide Pſal. 16. & 56. ¶ *Juſtitiam loquimini* צדק תדברון] Fut. Heb. pro præſ. Quidam vertunt, *Quod juſtum eſt decernitis*, vel *pronunciatis.* ¶ *Filii hominum* בני אדם] *Filiis hominum*, vel, *mortalibus.*

2. *Quin potiùs* אף] *Etiam.* ¶ *Violentiam manuum*, &c. חמס ידיכם תפלסון] *Vim* [*calumniam*, *rem injuſtam*] *manus veſtræ appendunt.* Hebraïſmus, pro, *quaſi in pondere & æquitate factum videre vultis quod per vim agitis.*

5. *Incantantis incantationem periti* חובר חברים מחכם] *Magi inter magos præſtantis.* Vel, *magi magicas artes ſcitè exercentis*, aut *eruditi.*

7. *Colliqueſcant* ימאסו] *Diffluant.* Modum precandi habent hæc quibuſdam: aliis magis placet ut ſint prædictiones pœnarum adversùs impios. ¶ Et *abeant ſibiipſis* יתהלכו למו] i. e. Evaneſcant: q. d. Irriti ſint conatus illorum. Alii ad *aquas* referunt, vertentes *quæ pertranſeant in ſeipſis: quæ dilabuntur: quæ abeunt ſibi.* ¶ *Intendat* ידרך] Ità quidam, quòd tenſo arcu tendatur & ſagitta. Alii, *dirigat.* ¶ Sed ſint *ac ſi*, &c. כמו יתמללו] Ad verb. *acſi exciderentur*, vel, *confringerentur.*

8. *Ne videant* בל חזו] Quidam ſubaudiunt אשר *quæ non viderunt, quæ*, nempe *limax & abortivum.* Alii vertunt, *Non aſpicient Solem*, ut ſit præt. pro fut.

9. *Antequam*, &c. בטרם יבינו סירתיכם אטד כמו חי כמו חרון ישערנו] Ad verb. *Antequam intelligant lebetes veſtri* [vel *ſpinæ veſtræ*] *rhamnum: ſicut vivum* [aut *crudum ſive caro cruda*] *ſic ira, ut turbo perdat eum* aut *perdet eos*: ſing. pro plur. Petit ut celeriter pereant adverſarii ſui. Aut prævidet eos citiſſimè perituros: quod duabus ſimilitudinibus, *ſpinarum* videlicet & *Carnis crudæ citò raptæ* oſtendit: aut unà tantùm, nempe *Carnis crudæ*: nam varia eſt lectio. Si una fuerit ſimilitudo, inverſus eſt ordo, qui ſic ordinabitur, *Quàm citò cruda caro rapitur antequam lebetes in quibus ipſa coquitur ſenſerint* (id enim hoc loco *intelligere* ſignificat) *ignem rhamni velociter excitatum, tam celeriter Deus perdat iſtos impios*, ſive *perdet.* Vel, *Quàm ſubitò extinguitur ignis ſpinarum, antequam lebetes ſenſerint ignem rhamni, unde caro remanet cruda* [*ſic*, vel *tam citò*] *iratus Dominus perdat eos*, ſive *tollat de medio.* Si verò ſimilitudines duæ fuerint, pro *ollis* vertendo *ſpinas* (nam utrumque ſignificat סירים) rectus erit ordo, hoc ſenſu, *Antequam ſpinæ veſtræ minores adoleverint & excreverint in rhamnum, & ut caro cruda celerrime rapitur antequam excocta ſit; ſic tam repentè pereant impii*, aut *peribunt*: ut prævideat potiùs (ut dictum eſt) quàm optet futurum ut impii illi perdantur, & id quàm celerrimè, antequam perverſitas illorum adoleſcat. Chald. *Priuſquam impii teneri dureſcant ſicut ſpinæ, donec ſunt herba, turbine deſtruet illos.*

10. *Lætabitur* ישמח] Verti poteſt per optativum, *Lætetur juſtus*, &c. ¶ *Lavabit* ירחץ] *Laverit*: i. e. dum viderit Deum tam gravem ultionem de impiis ſumere ut poſſit pedes ſuos lavare in ſanguine ipſorum.

CASTALIO.

9. A *C veluti ſi cujus ollæ ſpinas nondum ſenſerint, ſic illi tanquam crudi per iram vexentur*] Pereant ætate immaturâ, ut ſi carnes ex olla extrahantur ſemicrudæ. *Spinas*, i. e. ignem, qui fieri ſolet ex ſpinis.

CLARIUS.

INvectiva eſt in aſſentatores Saulis, ex quorum ultione prædicit juſtos mirè eſſe exhilarandos. Sed horum typo notantur omnes Chriſti & Chriſtianorum hoſtes.

1. *Si verè utique*] Alius ſic vertit, *Num verè, ô concilium, quod juſtum eſt decernitis? & rectè judicatis, ô filii hominum?* Et notantur per hoc *concilium* proceres Saulis, qui conſpirarant contra David unà cum Saule Rege eorum, quorum tamen officium erat Regem avocare propoſito tam iniquo.

2. *Injuſtitias manus veſtræ concinnant*] h. e. Iniquam cogitationem corde conceptam manibus & opere exſequimini, abutentes poteſtate veſtrâ in proximorum injuriam. Sed mirum non eſt quòd tam mali ſunt, qui ex quo tempore in hanc lucem editi ſunt *abalienati fuerunt* à timore Dei, mancipia facti ſpiritûs mali, qui exagitat eos & infundit peſſimum virus.

8. *Sicut limax*] Similes erunt limaci, quæ inter rependum colliqueſcit, *& abortivo*, vel *talpæ, quæ non videt Solem.* Ponit ergò quaſdam ſimilitudines quibus exprimit adimendam illis nocendi poteſtatem. Prima eſt *aquæ dilabentis*; ſecunda, conantis jacere arcu jam extenſo, ſed cujus *ſagittæ diſſiliunt*; tertia, *limacis* intra teſtam deficientis, vel inter rependum colliqueſcentis; quarta, *abortivi*; quinta *carnis*, raptæ antequam olla calorem ſenſerit: h. e. ſuperveniet illis perditio & ultio Dei dum adhuc ſunt in felicitate ſua.

9. *Priuſquam intelligant*] Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ, ô impii, in rhamnum, in flore ætatis veluti iratus Dominus ſubvertet eum, qui dux eſt veſter, unà vobiſcum. Alius vertit, *Priuſquam percipiant ollæ veſtræ rhamnum accenſum, ſicut crudum quid, ſic furor exagitet eum*: h. e. ſimiles erunt carni raptæ antequam olla calorem conceperit rhamni ab igni accenſi.

10. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam*] Juſti, ut Deum toto corde diligunt, ità, ut illuſtretur nomen Dei, etiam liberos odiſſe parati ſunt. ¶ *Pedes ſuos lavabit*] Hyperbole eſt, quà ſignificatur impios delendos ſupervenientibus juſtis.

DRUSIUS.

3. דֹּבְרֵי כָזָב. Sym. οἱ λαλοῦντες ψευδῆ.

5. מְלַחֲשִׁים. A. & Th. ἐπᾳδόντων. Sym. ψιθυριζόντων. ¶ חוֹבֵר חֲבָרִים מְחֻכָּם. A. ἐπαείδειν ἐπαοιδὴν σεσοφισμένου. Sym. ἐπάδου ἐπῳδὰς σεσοφισμένου. Th. φαρμάκου φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ.

V. ed.

V. ed. Φαρμακεύοντα Φαρμακὸς] Apud Interpretem Theodoreti, Sym. *incantatur incantationibus ſapientis.*

8. כְּמוֹ שַׁבְּלוּל תֶּמֶס יַהֲלֹךְ נֵפֶל אֵשֶׁת בַּל־חָזוּ שָׁמֶשׁ. A. Ὁμοίως γῆς ἐντέρῳ τακὲν πορεύεται· ἔκτρωμα γυναικὸς ὃ μὴ ὁραματισθῶσιν ἥλιον, *Similiter ac inteſtinum terræ colliquefactum abit: ut abortus mulieris non vident Solem.* Sym. ὡσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφωνεῖ, ἢ ἔκτρωμα γυναικὸς ἵνα μὴ ἴδωσιν ἥλιον. Th. ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς ἀνταναιρεθήσεται, ὡς ἔκτρωμα γυναικὸς οὐκ εἶδεν ἥλιον. Χόριον. Scribitur & χορίον. Lex. Græco Lat. vetus, Χορίον γυναικὸς, *folliculum.* Διαφωνεῖ, *exanimatur.*

9. בְּטֶרֶם יָבִינוּ סִּירֹתֵיכֶם אָטָד כְּמוֹ־חַי כְּמוֹ־חָרוֹן יִשְׂעָרֶנּוּ. Sym. Πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν, ὥςε γενέσθαι ῥάμνον, ἔτι ζῶντα ὡς ὀλόξηρον λαίλαψ ἀρεῖ. Apud Interpretem Theodoreti, Sym. *Priuſquam ſpinæ veſtræ creſcant in rhamnum, adhuc viventes tanquam turbo omnia ſiccans tollet*] *Creſcant*, יבינו αὐξηθῶσιν. Nè ſperne. Scholia Camii Ebræi פי׳ יבינו יפרחו. R. quidam Hai apud Aben-Ezram exponit יגדלו, quod eundem ſenſum habet. Verbum הבין hoc ſignificatu uſurpant etiam Deuterotæ, quos *Thalmudiſtas* indigitant. ישערנו. A. λαιλαπίσει. Sym. λαίλαψ ἀρεῖ. Th. καταπίεται. *Viventes.* Ex contrario intellige quo ſpinam *mortuam* dicimus, i. e. ſiccam & aridam.

A M A M A.

PSalm partim σχετλιαςικὸς, partim imprecatorius, partim παραμυθητικὸς. σχετλιας. à verſ. 2. ad 7. Imprec. à 7. ad 10. Cætera ſunt παραμυθητικὰ.

1. אֵלֶם] Ebr. קָהָל, *ô congregatio! O Aulici Saulis!*

Lxx. ἄρα. Vulg. *Si vere*, *utique*, ac ſi eſſet אלם Luth. *Zijt ghy dan ſtom*, q. e. אִלֵּם

3. אַף] *Quin etiam.* Subj. ad præc. Interrog. q. d. tantum abeſt ut hoc faciatis, ut toto animi ſtudio iniquitates &c.

Operamini,] i. e. Facitis. Sic Matth. 20. 12. contra ἐποίησαν μίαν ὥραν. תִּפְעָלוּן ſupra eſt Jethib, infra Mercha.

Appenditis תְּפַלֵּסוּן] Non appenditis innocentiam meam & merita mea in Saulem ut juſti Judicis eſt, ſed Violentiam. Judicis eſt appendere facta de quibus judicabitur una cum præmiis vel pœnis quibus illa digna ſunt, ut pœna par ſit delicto & præmium recte facto. Unde juſtitia pingi ſolet cum libra.

4. זֹרוּ] Ut זורו ab זור Sic Jeſ. 1. 6. 'ב.

5. כִּדְמוּת] דמות & תאר. צלם ſic diſtinguuntur צלם ſignif. *formam ſpecificam, eſſentialem*, qua res eſt id quod eſt & ab aliis diſtinguitur. תאר ſig. *formam externam, figuram*, ut 1 Sam. 28. מַה תָּאֳרוֹ. Sic *pulcher* תואר. At דמות ſignif. ſimilitud. ſaltem in re una aliqua. Pſ. 102. *Similis ſum* דָּמִיתִי *Pelicano in deſerto.* Sic homo dicitur creatus כדמות Dei.

נָחָשׁ] *Serpentis.*

פתן] *Aſpidis*, cujus morſus eſt inſanabilis, niſi pars contacta mox amputetur.

Obturat aurem ſuam] Hac ſimilitudine obfirmatam & obſtinatam eorum improbitatem exagitat.

6. יִשְׁמַע לְקוֹל] Maſſ. 'ה. Ut Gen. eò quod שמעת ושמע אברם לקול שרי׳ לקול אשתך, &c. Et ſign. *auſcultare*, *obedire*, *dicto audientem eſſe.*

מלחשים, *muſſitantium*] Magi incantamenta muſſitabant, unde ea Apul. vocat *ſuſurramina magica*, Gr. ψιθυρισμὸς. Lxx. ἐπᾳδόντων. Sy. ψιθυριζόντων.

חוֹבֵר חֲבָרִים] *Incantans incantationes*, ut קסם קסמי *divinans divinationes.* i. e. Utens incant. divinat. Ad verbum *conſociant ſocietates*; quod conſociarent noxia animalia in locum unum. Vel, quod conſociarent dæmones, quod Diaboli ſocietatem ad artes ſuas adhibebant. Sic Aben-Ezra.

Obthurantis aurem ſuam.] Sunt qui hoc literaliter accipiunt, unde Jun. ex Aug. Hier. & Caſſiod. & Plin. dicit aſpidem callide agere adverſus incantamenta: Aurem enim alteram in terram defigit & alteram extremâ ſui parte occludit & obtegit. Sed Rainold. aliique Theol. hoc negant, quia inde ſequeretur intellectum ipſis ineſſe, putantque eſſe figuratam locutionem quæ idem ſignificet quod ſequens Phraſis, *Quæ non auſcultat voci*, i. e. quæ non facit id quod incantator intendit. Quid illud eſt? Ne mordeat. Senſus ergo eſt, ſicut aſpis quæ licet incantetur, tamen mordet, inobediens vel nihil curans incantamenta.

Conferri debet cum Jirm. 8. 27. vide infra. Quod ibi eſt, *& mordebunt vos*, hic eſt, *obturat aurem ſuam.* Sic Matth. 8. Mare & venti dicuntur *obedire Chriſto*, *eumque audire.* Eodem modo lapſi ſunt Interpretes in 1 Cor. 15. ἐθηριομάχησα dum vocem figuratam proprie ſumſere.

Verum ſiquidem illud eſt experientia comprobatum, Incantari & rumpi poſſe ſerpentes, itaque compeſci ut non noceant. Jirm. 8. 27. *Immittam vobis ſerpentes quibus non erit incantatio, & mordebunt vos.* Sunt ergo adverſus quos valet incantatio, quando ſc. Deus id Satanæ permittit. Kohel. 10. 11. *Si ſerpens, momorderit antequam incantata ſit, nullum emolumentum erit incantatori.*

II. Experientia. Virg.

Frigidus in pratis &c.

Ovid. dicit.

Vipereas rumpi verbis & carmine fauces.

2. Baptiſtæ Montani & Andreæ Maſii apud Wier. 2. 1.

Cavenda itaque hic duo ſunt. I. Ne putemus hoc exemplum eſſe Apologum & Fabulam, ut Judicum 9. Sed eſſe ſimilitud. In qua oportet aliquid eſſe veri, ut in ſeq. de *Limace*, & *Abortu.*

II. Ne putemus incantationem hanc efficacem eſſe vi verborum. Eſt enim & potentia Diabolorum, quam eis permittit Deus. Vel eſt quidem à verbis, ſed non ut cauſis, verum ut ſignis. Agere videtur Diabolus cum ſuis ut Deus cum ſuis. Deus iis, qui participant ſacramenta condonat peccata non vi ſacramentorum, ſed ex parte & promiſſione. Joſeph. lib. 8.

7. הֲרָס] Lxx. συνέτριψεν, συνέθλασεν.

Dentes eorum] Virulentiam & potentiam oppreſſorum vocat dentes. Ut enim feræ lædere ſolent pugnareque dentibus, ita impii lædunt virulentia & calumnia.

מַלְתְּעוֹת] *Molares*, Vulg. *molas* Lxx. Μύλας, Ch. ניבין. נָתַץ in Niphal נִתְּצוּ *evulſus eſt.* Job. 4. *Dentes catulorum* נִתָּעוּ. Maſſ. 'ל. Nam Joel 1. dicuntur מְתַלְּעוֹת

8. *Intentet ſagittas ſuas*, *ſed illæ tanquam in ſpicas abeant.*

Intentet] Unuſquiſque eorum, Ebr. *calcabit*, ut *calcare arcum*, i. e. tendere. Synecdoche membri Meton. Nam uno cum effecto deſtinato intelligitur finis. Qui enim propoſitum ſibi habet ejaculari ſagitt. primò calcando intendit arcum, deinde ſagittam imponit.

In ſpicas abeant] יתמללו, ut ſit à מלל, unde מְלִילֹת *ſpicæ*, Deut. 23. Elegans antitheſis tum ob figuræ ſimilit. tum ob acumen. Alii, *ſuccidentur* à מול. Senſus *fiant tanquam excidarentur.* Sic Pſ. 90. *Ad veſperam ſuccidetur & areſcet* ימולל ויבש Aben.

Et tunc כמו erit Caph veritatis ἀληθινὸν. Lxx. ἕως οὗ ἀσθενήσουσιν.

9. *Sicut limax*] Lxx. ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς, *ut cera liqueſcens*, alii, *ut limax liquefactiones*, alii, *ut limax*, אשר *liqueſcit.* Chald. רמאס

Abortus mulieris] LXX. ἔπεσε πῦρ. Geneb. nugatur hic. Sym. Aq. ὡσεὶ ἔκτρωμα γυναικὸς.

Quæ abit] Abire dicuntur res inanimatæ & animatæ, quæ intereunt & moriuntur & evaneſcunt. Gen. 15. 2. *Ecce ego* הלך ערירי ἄτεκνος *improbis.* LXX. ἀπολύομαι ἄτεκνος. Job. 10. *Priuſquam abeam & non revertar.* Quo refer quod F. Pomp. notat. *Mortem antiqui abitionem vocabant.* Unde Tertull. ævo dicebant de mortuis, *abiit & revertetur.* Pſal. 125. 5. *Declinantes in perverſitates Domini* ילך *cum operariis iniquitatum*: Inan. Hoſ. 13. *Sicut Ros matutinus* הלך. Unde. Arabice הלך nihil ſignif. niſi *perire.* Sic עבר Ebr.

10. *Antequam* יבינו *Sirothecem* (Eng. Ald. *ollæ veſtræ*) *intelligant*] i. e. Sentiant ollæ veſtræ Rhamnum, ignem Rhamni vel cardui ſubjectum, Jun. Piſc. alii, *Antequam ſentient*, i. e. ſentientur, *ſpinæ veſtræ*, per ſuppl. כסירות אטד ſpinæ cynosbati. *Kynosbaton* teſte Dioſc. *eſt frutex multo amplior rubo, folia lata habens & aculeos robuſtos.* Quidam *Eglenterium* putant, Eccl. 7. 8. Jud. 10. Sym. πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὥςε γένεσθαι ῥάμνον.

Gomarus, *Antequam veſtræ ollæ ſpinas intelligant* (i. e. ſubjectum ignem ſpinarum) *ſicut vivit*, (quàm verè vivit) *in ira procellet eum*, (Eum, unumque eorum ſub. Deus. Vel, ſi placet retinere כ per כ erit ἀληθινὸν.

Alii, *Antequam intelligent homines ſpinas veſtras factas Rhamnum.* Sic Ebræi. *Spinæ ſunt teneriores frutices*, *Rhamnus eſt ſpina major quæ arboris ſpeciem gerit*, inquit Kimchi. Senſus, antequam ſpinæ veſtræ pervenerint ad juſtam magnitudinem

כמו חי כמו חרון, tam *vivam* quam *aduſtam ſpinam.* Jun. חרון enim ſig. *iræ & igne accendi* Vernante primum Kynosbato quædam ſpinæ virentes ſunt quædam exſiccæ & aridæ. Notetur hic uſus duorum כ vel כמו

Alii, *quaſi vivium* unumquemque eorum *ſecundum iram*, vel (ut alii videntur leg. ut Angli & Lxx. ἐν ὀργῇ) *in ira procellet eum.* במו חרון eſt ſyll. expletiva.

Senſus. Antequam ego & mei lædemur conſiliis veſtris perniciofis tam recentibus quam veteribus Deus vos evertet. Vetera comp. aduſtis. Nova redivivis.

Menander:

Οὐδεὶς ξύνοιδε ἐξαμαρτάνων, ὅσον
Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος ὕςερον δὲ ὁρᾷ.

11. *Greſſus*] *Pedes.* Met. effecti.

רגשו] Ab רגש חרש *inquietare*, Job. 34. quod eos ſemper inquietet

exemplaribus fides habetur. Ad eundem modum Chaldaïcè eſt יתיב ביש למעיקי *convertet malum in eos qui affligunt me*: velut in Veneta editione eſt, יתוב בישא *revertetur malum*, &c. Græca Regis editio, cum Complutenſi, pro ἀποςρέψει habet ἀποςρέψῃ, id quod transferunt *avertes*: ſed rectiùs transferatur *avertat*, tam ſi Græcum quàm ſi Hebraïcum attendatur. Veriſimilior igitur Latinorum codicum lectio eſt *avertet*. *Avertet* autem *mala inimicis meis*, h. e. detorquebit mala in inimicos meos. Exiſtimarim *avertet* in *averte* mutatum quòd ſequatur, *In veritate tua diſperde illos.* Sed non eſt infrequens Pſalmographo ſubita perſonæ mutatio. Hilarius, expoſito illo *Convertet mala inimicis meis: Dehinc*, ait, *rurſum ſit ad perſonam Dei, ad quem primum deprecatio erat cœpta, converſio, In veritate tua diſperde illos.* Qua in parte non eſt addenda *&* conjunctio, quam Epanorthotes, cùm ex fontibus tum ex verioribus exemplaribus, omittendam admonet: nec cum Auguſtino legendum eſt *virtute*; haud dubiè enim codicis mendo falſus eſt: nec denique, quæ quorundam fuiſſe videtur lectio, ſcribendum eſt *diſperge*. Hebræa namque vox צמת & Græca ἐξολοθρεύω, *diſperdere* ſignificant.

DRUSIUS.

1. עַל־מָחֲלַת. A. ἐπὶ χορείᾳ. Sym. διὰ χοροῦ. Th. ὑπὲρ τῆς χορείας] In Fragmentis editis an. 81. *Th. pro chorea. Sym. pro choro. A. tripudia.* ¶ הִשְׁחִיתוּ. Sym. διεφθάρησαν.

4. שָׁם פָּחֲדוּ־פַחַד לֹא־הָיָה פָחַד. A. ἐκεῖ ἐπτοήθησαν. - - - Sym. φοβηθήσονται. - - - Th. ἐθαμβήθησαν ὅ οὐκ ἦν θάμβος. ¶ אֱלֹהִים פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנָךְ. A. ὁ Θεὸς διεσκόρπισεν ὀςᾶ παρεμβαλόντων περὶ σέ, *Deus diſſipavit oſſa caſtrametantium circa te*] In Fragmentis meis, *Deus enim diſſipavit oſſa aggredientium te.*

AMAMA.

R. Sal. duo Pſalmi ejuſdem ſenſus: 1. adverſus Nebucadnetzar, 2. adverſus Titum Impium.

מָחֲלַת] ר' Pſ. 88. & hic eſt titulus Pſal. Lxx. ὑπὲρ μαελέθ. Gen. 28. 9. eſt nomen fœminæ. Et dicitur eam accepiſſe Eſau. 2 Chr. 11. 18. Ubi dicitur Rehabeam in uxorem ſibi ſumpſiſſe eam filiam Jerimoth. Aben. eſſe נעם פיוט תחלתו מחלת. R. S. שֵׁם כְּלִי שִׁיר. Jun. *Ad pneumaticum inſtrumentum*, ut tibiæ, buccinæ, tubæ; à חלל *excavavit*, unde חָלִיל *cavus*, מְחִלָּה *antra*, חָלִיל *tibia, fiſtula*, חִלֵּל *tibia cecinit.* 1. Regum 1. 41. *Et populus* מְחַלְּלִים בַּחֲלִלִים. Jirm. 48. 36. *Ideo cor meum ad Moab* כַּחֲלִלִים *ſicut tibiæ perſtrepet.* Th. כְּמִסַּר אַבּוּבִין יְהֵי ut *cantus tibiarum triſtis* (Hinc *Ambubajæ.*) Uſus enim tibiæ in triſtibus, & lætis. Unde in Th. חֲלִילִים לְכַלָּה חליל למת, ad ſponſam, לְשִׂמְחַת, ad mortuum, לְקִינָן. Matth. 9. 23. καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς καὶ ὄχλον θορυβούμενον. Eccl. 12. 7. *Et circumibunt lugentes in platea.* Ovid. 6. Faſt.

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Gr. θρηνῳδὰς vocant, μοναύλους. Hom. θρήνων ἐξάρχους. Lat. *Siticines, Præfici, Sicciniſtæ.*

1. *Dixit in corde*] Cogitavit; unde dicere ſimpliciter aliq. cogitare, Exod. 2. 14. Num. 14. 10. λόγος duplex προφορικὸς & ἐνδιάθετος.

Corruperunt ſe & abominabiles fecerunt ſe. בְּעָוֶל i. עָוֶל.

2. הִשְׁקִיף] *Proſpexit.* Hinc מַשְׁקוֹף *ſuperliminare*, vel potius feneſtella ſupra oſtium per quam videtur quis pulſet, quales ſunt adhuc in Arabia, ſic olim in Ægypto. Exod. 12. 7. Druſ. Forſt. Scindl.

Filios Adam] Hic generale eſt. Alibi ut Pſal. 49. ſpecialius ſumitur, & opponuntur בְּנֵי אִישׁ. Vide ſupra.

Adam ab *Adama*, *rubra terra*, nam eum colorem exhibet ἡ παρθένος καὶ ἀληθινὴ γῆ. Joſeph. Ant. 1. 2. apud Procop. Eſai 15. eſt παρθενικὴ γῆ, unde Heſych. Ἄδαμα, παρθενικὴ γῆ.

Cum in ſua ſpecie ſolus eſſet & in ſe gereret totam ſpeciem nomine totius ſpeciei inſignitus eſt.

Adam primo ſignif. *primum hominem*, κατ' ἐξοχὴν, unde cum articulo occurrit האדם, ut dicis ὁ ποιητὴς ὁ Ἀπόστολος. Unde, ubi Gen. 2. Pagninus & alii habent *Homo & uxor ejus*, Hieron. habet *Adam & uxor ejus.*

II. *Virum* tantum, Matth. 19. 10. *Si ea eſt conditio hominis cum uxore.*

III *Fœminam* tantum, ut Jeſ. 44. 13. כְּתִפְאֶרֶת אָדָם ſecundum Deus hominis, i. mulieris. Jonath. Num. 31. 35. נֶפֶשׁ אָדָם מִנָּשִׁים *animæ hominum ſexus fœminei quæ non cognoverant viros.* Contra μισογύνους.

IV. Et *virum* & *mulierem*, i. e. utrumque ſexum, vel univerſam ſpeciem hominum. Et hac ſignif. ut & primâ hic accipi poteſt. Gen. 1. 25. 5. 2. *Faciamus hominem, maſculum & fœminam creavit eos.*

Ad hanc ambig. vitandam, retinuerunt Interpretes *Adam* ſicut *proprium.*

Nota, qui paſſim vocantur בני ארם Num. 24. vocari *Filios Seth*, excluſis tantum iis qui ante diluvium vixerunt.

Ex cœlis] Quia locus gloriæ ejus eſt in loco excelſo, i.e. in cœlis, ſimli. ad Pſ. 10. 1. אין ספק כי כבד השם בכל מקום הוא רק כאשר לא יראהו יִרְבֶּה לאיש עומד מרחוק

3. סָג] Pſ. 14. eſt סָר. Cab. referunt ad *Etbaſch.* Sic *Rex* שֵׁשַׁךְ i. e. Babel, Jirm. 25. 26. סָר *receſſit*, & Metaph. à vinis eſt Hoſ. 4. *Receſſit vinum eorum*, i. e. in vappam reſolutam eſt; סָג *receſſit, abalienatus eſt.* Hinc Rab. סְיָג *ſepes.* R. Aquila, & פִּרְקֵי מַסֹּרֶת סְיָג לַתּוֹרָה ; מַעַשְׂרוֹת סְיָג לָעֹשֶׁר שְׁתִיקָה סְיָג לַחָכְמָה *ſepes Sapientiæ taciturnitas.*

Hinc סִיגִים *ſcoriæ.* Jeſ. 1. 22. *Argentum tuum factum eſt vel verſum eſt in ſcorias & potus tuus mixtus aqua.* Unde Rabb. Qui dicit alteri כספך היה לסגים dicetur ei סבאך מהול במים Sic לֵב קָמָי כַּשְׂדִּים Jerem. 51. 1. atque ita Chald. & Lxx.

5. *An neſciunt comedentes*, i. e. abſumentes, vaſtantes, (*ſicut*) *comedunt panem; quod Deum non invocent?*] i. e. quod Deum non colant. Invocatio pro toto cultu interno Dei. Gen. 4. Joel 2. Act. 2. Jun. *Annon ſibi conſcii ſunt .... quod exedentes populum meum comedunt panem*, i.e. genio indulgent.

6. פחדו פחד] Lxx. ἐφοβήθησαν φόβον ὃ οὐκ ἦν φόβος. Aq. ἐπτοήθησαν. Sym. φοβηθήσονται. Th. ἐθαμβήθησαν θάμβῳ ὃ οὐκ ἐςὶ θαμβὸς, Hom. Il. ω.

Θάμβησαν δὲ καὶ ἄλλοι ἐς ἀλλήλους δὲ ἴδοντο.

Ubi non eſt pavor] Ut e. g. Lev. 26. 36. *A ſono folii impulſi.* Aben. *Non fuit pavor* [*ſicut iſte.*]

Diſſipat oſſa] i. e. Interficit eos. Meton. effecti metaphorica. Nam Leo, cum hominis carnem devoravit, oſſa diſſipat.

חֹנָךְ] i. e. חֹנֶה עָלֶיךָ. Apoſt. ad populum Dei.

Lxx. Ἀνθρωπαρέσκων. Placentinorum. Sym. παρεμβαλόντων ἐπὶ σε.

Pudefacies eos.] Id eſt, Precibus à Deo impetrabis, ut pudefaciat eos, i. e. ut eos ſua ſpe dejiciat. Apoſt. ad populum Dei vel Meſſiam.

7. *Jacob, Iſraël*] Poſteri ejus. Met. Effic. Sic Gen. 28. *Et ivit Eſau ad Iſmael*, i. e. Iſmaëlitas.

Vaſtatum Templum ſecundum à militibus Titi Veſp. qui invitus tam aſpero remedio admovit manum. Deliciæ & amor generis humani prædicatur, ſed Reip. cauſa adhibenda hæc ſeveritas fuit & accelerandum orbis fatum. Crudelem medicum intemperans æger fecit. Hoc memorabile, cum primò vaſtaretur Templum extremum Sabbati erat, erat extremum anni ſabbatici i. e. anni ſeptimi. Erat ſeptimana ſtationis Jojarib quæ prima erat in ordine. Et nonus dies menſis Ab. 1. Julii, & ſtabant Levitæ in cathedra & recitabant hanc oden, Et retribuet iis iniquitatem ſuam. Ita fuère hæc omnia in Templi II. Deſtructione. Unde R. Joſe, *Ut meriti remuneratio etiam poſt longum tempus recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati.* Res admiranda & ſingularis quædam judicii Divini nota.

GROTIUS.

PRo *Mahelet intelligentia David*] Illud quod hîc eſt מחלת ſignificat *carmen in choro cantandum.* Id apparet ex Pſal. 30. 12. 149. 3. Cant. 6. 12. & Judicum 21. 13. de voce משכיל diximus ad initium Pſ. 32.

PRICÆUS.

7. A*Verte mala inimicis meis*] Mala quæ mihi ominantur à me in illos verte.

IDEM.

4. E*Xaudi orationem meam, auribus percipe*, &c.] Ità 48. 2. *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite*, &c.

5. *Alieni inſurrexrunt adverſum me*] *Alieni*, inimici. Heſychius, Ἀλλότριος φὼς, πολέμιος ἀνήρ.

Ibid. *Et fortes quæſiverunt animam meam*] Infrà 58. 4. *Irruerunt in me fortes.* Id fortè eſt (ut 51. 1.) *in iniquitate potentes.*

Ibid. *Et non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum*] Vide ſuprà ad 35. 1. dicta.

7. *Averte mala inimicis meis*] Mala nempe quæ ominantur mihi,

—— *Quod Dii priùs omen in ipſum Convertant,*

ut ferè apud Poëtam legitur. In Additamentis Eſtheris 14. 11. *Converte* (Domine) *conſilium eorum ſuper eos, & qui in nos cœperunt ſævire diſperde.*

8. *Volun-*

8. *Voluntariè ſacrificabo tibi*]
—— *Multa meis exibit victima ſeptis.*
Voluntariè enim eſt, largè, δαψιλῶς· ut infrà 67. 10. *pluviam voluntariam.*

Ibid. *Et confitebor nomini tuo: quoniam bonum eſt*] Suprà 50. 11. in fine.

PSALM. LIV.

MUNSTERUS.

HIſtoria hujus Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 23, & 26.

1. *Vindica me*] Heb. *age cauſam meam.*

4. *Qui ſuſtentant animam meam*] Loquitur de his paucis qui ſibi bene volebant.

7. *Quod volui*] Hoc adjeci ex Kimhi: Chaldaïcus verò Interpres adjecit נקמתא *ultionem.*

VATABLUS.

1. V*Ictori in Neginoth* לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת] Vide Pſal. 4. ¶ *Intelligentia* מַשְׂכִּיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Judica me* דִינֵנִי] *Age cauſam meam.* Quidam, *vindica me*, Hebraiſmum exponentes. Vel, *jus meum tuere*, ſive *innocentiam.*

3. *Et formidabiles* וְעָרִיצִים] *Et tyranni*; *præpotentes*; *terribiles*; *prævalidi.* Saulem cum aſſentatoribus ſuis intelligit; quos *alienigenas* vocat, tametſi Iſraëlitas, quòd, ut mox dicit, *Deum non ponerent in conſpectu ſuo*, h. e. Dei nullam haberent rationem.

4 *Inter ſuſtentatores animæ meæ* בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי] *Inter eos qui tuentur animam meam*; i. e. aderit iis qui auxilio mihi fuerint, & meas partes tuebuntur.

5. *Reddet* יָשׁוּב] Fut. Heb. quod quidam per imperativum vertunt, *Repende.* Alii, *Revertetur malum ad inimicos meos.* Mutatio perſonæ, etiam præcedenti verſu. ¶ *In veritate tua* בַּאֲמִתְּךָ] *In fide tua*; *per fidem tuam:* i e. ut promiſiſti, ſive ut promiſſa præſtes.

6. *Voluntariè ſacrificabo* בִּנְדָבָה] *Spontè* [vel, *liberaliter*] *ſacrificabo tibi. Voluntarium ſacrificium faciam tibi. Ultroneo ſacrificio ſacrificabo tibi.*

7. *Eruit* הִצִּילָנִי] Mutatio perſonæ, pro *eruiſti*, ſive *liberaſti.* ¶ Quod volui] Alii ſubaudiunt *ultionem.*

CASTALIO.

3. N*Am hoſtes conſurgunt in me*] Heb. *peregrini:* ſed *peregrinus* ponitur pro *hoſte*, ut Eſa. 1. ut Latinè *hoſtis* pro *perduelle:* cùm tamen *hoſtis* olim eſſet idem qui *peregrinus.*

4. *Dominus is eſt qui hanc animam ſuſtentet*] Heb. *Dominus eſt in ſuſtentantibus animam meam*; cùm de uno loquatur: eſt enim iterata ſententia, idem ſignificans quod prior, *Deus mihi ſuccurrit.* Hujus loquendi rationis non diſſimile eſt quod Græci dicunt, οἱ περὶ τὸν Πλάτωνα, h. e. *Plato*; ut & Johan. 11. τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν· itemque quod Pſal. 55. enotatum invenies; & Pſal. 69. *Quem tu vulneraſti, inſectantur, ſauciorum tuorum dolorem adaugentes.* Itemque Judic. 11. *Tu es in perturbantibus me*, h. e. Tu me perturbas: & Eſa. 41. *Cum poſtremis ego ſum*, h. e. poſtremus: & Oſe. 11. *Eiſque fui quaſi allevantes*, h. e. quaſi qui allevaret. Gallicè quoque dicimus, *Je ne ſuis pas des plus riches*, *non ſum ditiſſimorum:* h. e. Non ſum admodum dives; quomodo Græci dicunt εἶναι τῶν πλουσίων, pro εἶναι πλούσιον.

CLARIUS.

HIſtoria hujus Pſalmi habetur 1 Reg. 23, & 26. Canit ergò ut in periculum maximum proditione Ziphæorum adductus Domini opem orarit & exorarit, & pro ea agere gratias inſtituerit; ut denique Deus de ejus hoſtibus ultionem ſumpſerit.

1. *In nomine tuo*] *Nomen* ſæpe pro *favore* & *auxilio* in Scriptura accipitur, & pro *majeſtate* ac *nomine* ipſo. ¶ *Judica me*] Vel, *vindica me*, h. e. age cauſam meam.

3. *Alieni inſurrexerunt*] Erant quidem Iſraëlitæ, ſed alieni animo & moribus.

7. *Deſpexit oculus meus*] Hebraïſmus eſt, ut dicat, *ſuper inimicos* (vel *in inimicis meis*) *vidit oculus meus*; ut ſubaudias *optatam ultionem.*

LUCAS BRUG.

4. Q*Uoniam declinaverunt in me Iniquitates.*] Multi Latini codices, cum Beda & Remigio, plurali numero legunt *iniquitates*, quibus Græci quidam adſtipulantur. Epanorthotes, *Græcus*, inquit, *habet INIQUITATES.* Pſalterium Græcum manuſcriptum Tornacenſis exemplaris, item id quod Pariſiis excuſum eſt, atque ex S. Victoris codice emendatum, illud etiam quod in Hieronymi operibus & Chevallonii editione, denique id quod ſeparatum excudit Stelſius anno 43. plurali numero primoque caſu legunt ἀνομίαι, ὅτι ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀνομίαι· quam lectionem & Euthymius agnovit; *Quædam*, ait, *exemplaria* iniquitates *habent*, *in recto caſu*, *& tunc expone*, *quòd* iniquitates, *h. e. iniqui homines moti ſunt contra me.* Alii Latini libri numero ſingulari ſcribunt *iniquitatem*, Antiqui Epanorthotæ, duo Pariſienſium, unus Hentenii; unus noſter, cum Gallico Pſalterio ex Jacobi editione. Hoc modo ex commentariis legiſſe conjicias Hilarium, Hieronymum & Caſſiodorum. Huic lectioni conformiter habent complura exemplaria Græca ἀνομίαν, quæ & Euthymii prior eſt lectio. Huic conſonat quod Hebraïcè eſt כִּי יָמִיטוּ עָלַי אָוֶן *quoniam volvent* (futurum pro præſenti aut præterito) *ſuper me iniquitatem:* item quod Chaldaïcè, *Quoniam teſtificabuntur contra me* שקרא *mendacium.* Haymo utriuſque meminit lectionis. Vet. Su. Ge. ar. Brug. Non malè igitur D. Lindanus Pſalterium correxit, *Quoniam declinaverunt in me iniquitatem.* Sed etſi *iniquitates* legendum eſſet, exiſtimarem cum D. Janſenio non primo caſu intelligendum, quin potiùs Græcos codices quibus ἀνομίαι legitur, depravatos ex ἀνομίαν· ſunt enim ι & ν Græcæ literæ figura admodum ſimiles, præſertim ſi ipſius Jota inferior pars nonnihil, ut ſit, elevetur. Apollinarius carmine reddidit,

Οὕνεκεν ἀμπλακίας μοι ἐπικλίνεσκον ἀνιγράς.

17. *Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus ſalvabit me*] Alii codices habent, *Et Dominus ſalvavit me*, ita ut præteritum præterito reſpondeat; antiqui Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, ſex Hentenii, novendecim noſtri. Atque hoc modo Haymo Alberſtattenſis & Remigius Antiſſiodorenſis legunt. Græcis etiam duplex eſt aoriſtus, Ἐγὼ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξα, καὶ ὁ Κύριος ἔσωσέ με· ſic enim Vaticanum exemplar ſcribit: alia, Apollinari & Euthymio ſuffragantibus, habent καὶ ὁ Κύριος εἰσήκουσέ [*Epicuſen* Torn.] με. Hinc veteris Latinorum Pſalterii tranſlatio fuit, *Et Dominus exaudivit me*, quam Arnobius, Hilarius, Auguſtinus, Caſſiodorus & Romanum Pſalterium ſequuntur. Sed quid Arnobium, ut cæteris antiquiorem, ſtudioſè præpono, cùm non conſtet ſatis illius eſſe Arnobii commentaria qui Lactantii præceptor fuit? nam in Pſalmi 109 commentario Photinum nominatim confutat. Altera Græcorum lectio, ex qua fortaſſis noſtra fluxit verſio, Hebraïcis & Chaldaïcis conſonat libris: quibus tamen duplex eſt futurum, ſed quæ rectè pro præteritis accipiantur, ut etiam Hebraïcus Scholiaſtes indicat.

DRUSIUS.

1. דִינֵנִי. A. & V. κρινεῖς με. Sym. δικάσεις. Th. ut VII.] Κρινεῖς με. Scholia Græca emendant κρινεῖς μοι. Vide ſis ed. Rom. In LXX. κρῖνόν με, *judica me.*

AMAMA.

2. Z*Iphæi*] Hiſt. extat 1 Sam. 23. 19. Vide & 26. 1. LXX. ἐν τῷ ἐλθεῖν τοὺς Ζειφαίους. Ziph nomen urbis in Tribu Juda, & nomen dedit magno deſerto quod vocatur *deſertum Ziph* locis prædictis. Joſ. 15. 24. & 54. Ziphæi ergo hic ſunt vel incolæ urbis vel accolæ deſerti. מדבר Ebræis non ſign. ſemper locum ἀοίκητον quem nemo habitet, ſed ſæpe ſaltuoſam & ὀρεινὴν regionem paſcuis aptam. Unde Scindl. *Locus minùs habitabilis, aut ſi habitabilis, non uſque adeo cultus, ſed paſcuis relictus, ſive propinquans urbi ſive ab eo remotior.* Sic deſertum Joh. Baptiſtæ.

Deſerta nominabantur à locis vicinis, D. Sinai, D. Damaſci, D. Zin, &c. Sic D. Ziph.

3. בְּשֵׁם] בעבור *propter.* Sic Gen. 29. *Servivit 7. annos* בְּרָחֵל *Nemo vos condemnet ἐν βρώσει*, Col. 2. 16. Sic Gen. 18. בחמשים ob L.

בִּגְבוּרָתְךָ] Hic in Abl. inſtrumenti eſt. Aliq. Epitheton Dei eſt. Sic dicit הגבורה. Sic Math. 27. *Nunc videbitis filium hominis* τὸν καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, ubi alii putant eſſe Interp. אל quod κατ' ἀκρίβειαν ſig. ἰσχὺν καὶ δύναμιν ut Euſebius dicit.

Judica] Vindica, vel, *Cauſam meam age*, ut Jun.

4. [תְּפִלָּתִי] Ab. בלב. אבריפי Ab. *oratio* בלשון Obiter. Ebræi ajunt tria requiri in orat. quæ Deo placeat, 1. Brevitas, 2. Conſenſus oris cum corde. 3. Humilitas, ubi præcipuum neglectum, ut nim. fiat nomine Mediatoris. Judæi in precibus ſuis hodie vix unquam mentionem fœderis faciunt, quod Deus iniit cum Patribus. Solenne erat Patribus V. T. invocantibus Deum, ei in memoriam revocare fœdus, vocantes eum Deum Ab. Iſ. Jac. Deum Patrum ſuorum. Daniel 9. propter Dominum. At hodie vix alio eum notant elogio quam רִבּוֹן שֶׁל־עוֹלָם Eo ipſo indicantes ſe de vero Deo non plus noſſe quam paulò ſaniores Ethnici, qui ſuum quoque Jovem *κοσμοκράτορα* appellarunt.

5. [זָרִים] *Exteri.* Impii qui agant mecum ac ſi eſſent *ἀλλόφυλοι*, & non ut concives.

[זָרִים] *Hoſtes. Hoſtis* Veteribus erit quod זָר Ebræis *peregrinus*. Varro l. 4. *Multa verba nunc aliud oſtendunt, aliud ante ſignificabant, ut hoſtis. Nam olim eo verbo dicebant peregrinum qui ſuis legib. uteretur, nunc dicunt eum quem tunc dicebant perduellem.* Cic. Off. 1. *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum vocamus.* Poſtea ergo hoſtis dici cepit qui cum publicum habemus bellum, & pro perduelli, *lenitate verbi*, inquit Cic. *triſtitiam rei mitigante.* Hujus priſcæ ſignificationis veſtigia manif. etiamnum in lingua Ital. Gall. & Ang. *hoſte*, *hoſt*.

[עָרִיצִים] *Violenti, truculenti*, à עָרַץ *terruit, perculit.* Synon. aliquomodo eſt פָּרִיץ *effractor, latro.* Unde putat Victorius Reatin. eſſe *Phariſæos*, ad Hieron. Mat. 22.

Quærunt animam] i. e. Vitam. Meton. Effic. Sic Math. 2. 20. *Mortui ſunt qui quærebant animam pueri*, de uno Herode. Sic Exod. 4. *Mortui ſunt qui quærebant animam tuam*, de uno Pharaone.

Obſ. Phraſin eſſe *μέσον*. Nam aliq. in bonum accipitur. Prov. 29. 10. *Viri ſanguinum oderunt integrum: At recti* יְבַקְשׁוּ נַפְשׁוֹ. Hic ergo ſubaudi לְכַלּוֹתָהּ *ad conſumendam eam.* Sic in Belg. ambigua phraſis eſt.

Coram ſe] i. e. Oculis ſuis.

6. Deus eſt [בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי] Quidam, *Deus eſt inter eos qui ſuſtentant animam meam.* Ab. citat ex R. Moſe, non eſſe hunc ſenſum Pſaltis, quod ſit unus ex ſuſtentantibus, ſed ſenſus, inquit, quod ille ſolus ſit כנגד, i. e. quod ille ſolus æquivaleat & æquiperet omnibus aliis ſuſtentantibus. Aliquid vidit R. Moſes. Vera ſententia hæc eſt, Eſſe periphraſin nominativi, ut dicat Deum ſolum eſſe ſuſtentatorem ſuum. Simile, Pſ. 99. 7. Moſes & Ah. בְּכֹהֲנָיו & Samuel בְּקֹרְאֵי שְׁמוֹ. Prov. 22. *Ne ſis in fidejuſſoribus*, & 23. *Ne eſto in vinipotoribus.* Sic fortè, Saul בַּנְּבִיאִים i. Propheta. Firmat hunc Idiotiſmum V. Græca, ὁ κύριος ἀντιλήπτωρ τῆς ψυχῆς μου. Sic loquitur Pl. Caſina, *Qui eſtis in Senioribus.* Sic Arabes niſi quod pro pl. ponant ſingulare. *Ego ſum in credente, Deus eſt in potente.* Sed ita quoque Ebræi loqui videntur. Job. 23. 13. הוּא בְאֶחָד Pag. Belg. Vulg Jung. & illud ב ſingularibus, *Dominus erit* בְּכִסְלֶךָ Prov. 3. 26. *& vir ſapiens eſt* בַּעוֹז Prov. 24. 5. Belg. *Een wijs man is ſterk.* Jeſ. 21. *Opus in firmitate.* 2 Par. 2. *Conv. in libid.*

GROTIUS.

IN carminibus] בנגינות: de qua voce diximus ad initium Pſalmi quarti.

PRICÆUS.

4. *COnturbatus ſum à voce inimici*] A minis, quod infrà 90. 3. *à verbo aſpero.*

Ibid. *Et à tribulatione peccatoris*] A tribulatione quam mihi peccator infert. Sic *metus Pompeji*, & ſimilia, de quibus apud Gellium.

5. *Formido mortis cecidit ſuper me*] Reſponſum in me mortis habui, ut Apoſtolus 2 Cor. 1. 9. locutus. Idem hìc David 2 Reg. 22. 5. *Circumdederunt me contritiones mortis.*

6. *Contexerunt me tenebræ*] Pavor illum quaſi ad mortem redegerat, ideo tenebras quales morientibus oboriri ſolent, ait ſuperveniſſe ſibi.

7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam*] Requieſcam à periculis & inſidiatoribus meis. Cicero Epiſt. ad Attic. perniciem imminentem ſibi patriæque fugâ evitare ſtudens, *Dies & noctes tanquam avis mare proſpecto, evolare cupio. Quis dabit mihi?* eſt, *utinam darentur mihi.* Octavia apud Senecam, ad Pſalmi locum iſtum appoſitiſſimè,

Quis mea dignè deflere poteſt
Mala? quæ lacrymis noſtris queſtus
Reddet aedon? cujus pinnas
Utinam miſeræ mihi fata darent.
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri procul, & cœtus
Hominum triſtes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore & tenui
Ramo pendens, querulo poſſem
Gutture mœſtum fundere murmur.

Antigone apud Euripidem in Phœniſſis,

Ἀνεμώνεος εἴθε δρόμον νεφέλης
Ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος.

10. *Vidi*, &c. *contradictionem in civitate*] Contradictionem (ut 30. 21.) linguarum: ſubaudi, *contra me. Audivi* (ut 30. 14.) *vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

13. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*, &c. *Tu verò homo unanimis*, &c.] Eumenes catenis onuſtus, ad milites ſuos, apud Juſtinum lib. 14. *Cernitis habitum atque ornamenta Ducis veſtri, quæ mihi non hoſtium quiſquam impoſuit, (nam hoc etiam ſolatio foret:) vos me ex victore victum, ex Imperatore captivum feciſtis.*

Ibid. *Abſcondiſſem me forſitan ab eo*] Subtraxiſſem me à conſpectu & occurſu ejus, dum fervor iræ ejus deſpumaſſet. Vide ad Apuleji lib. 9. pag. 534. annotata.

14. *Tu verò homo unanimis*, &c.] Q. d.

Non exſpectato vulnus ab hoſte tuli.

Ibid. *Tu verò homo unanimis*, &c.] *Immemor atque unanimis falsè ſodalibus.*

Heu facinus! non eſt hoſtis metuendus apertus:
Quos credis fidos effuge, tutus eris.
Cognatum fratremque cave, fidumque ſodalem,
Præbebit veros hæc tibi turba metus.

Vide ſuprà 41. 40. In Græco hîc *ἰσόψυχος* unde in Gloſſario, Ἰσόψυχος, *unanimis.*

Ibid. *Tu verò homo unanimis*] *Homo pacis meæ*, ſuprà 40. 10. ubi & ſimilia habemus.

Ibid. *Dux meus*] Quem ego corde ſimplici & alacri ſecutus ſum. Catullus ad Alfenum,

——— *Jubebas animam tradere iniquè me*
Inducens in amorem, quaſi tua omnia mî forent:
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aëreas ſinis.

15. *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*] Ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδέδωκε. Apulejus 8. *Inter præcipuos hoſpites domum noſtram receptus, occultato conſilio ſceleris, amici fideliſſimi perſonam mentiebatur.*

Ibid. *In domo Dei ambulabamus*, &c.] Signum amicitiæ. Amoſi 3. 3. *Numquid ambulant duo pariter, niſi convenerit iis?*

18. *Veſperi, & manè, & meridie*, &c.] Arrianus 4. 4. in Epictetum, Τοῦτο καὶ ὄρθρου, καὶ μετ' ἡμέραν, καὶ νύκτωρ ἔσω πρόχειρον. Homericum eſt Iliad. Φ'.

——— Ἢ ἠὼς, ἢ δείλης, ἢ μέσον ἦμαρ,

20. *Qui eſt ante ſecula*] Ὁ τῶν αἰώνων βασιλεὺς, 1 Tim. 1. 17.

21. *Non eſt illis commutatio*] Nullo pretio redimi poterunt. Eſai. 13. 17. *Suſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærent, nec aurum velint: ſed ſagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miſerebuntur.* Lxx. hîc *ἀντάλλαγμα*. In Gloſſario *Commutatio*, *ἀντάλλαγμα* quod ex Matth. 16. 26. vel hoc Pſalmi loco videtur deſumptum.

Ibid. *Extendit manum ſuam in retribuendo*] Sirach. 17. 19. *Exſurget, & retribuet illis retributionem*, &c. Vide ſupra 27. 4.

22. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum*] Sirachid. 12. 15. *In labiis ſuis indulcat inimicus*, &c. Vide Proverb. 5. 3. & Sirach. 27. 26.

Ibid. *Et ipſi ſunt jacula*] Μεςοὶ δὲ θανατηφόρα.

Impia ſub dulci melle venena latent.

In Plauti Truculento,

In melle linguæ ſunt ſitæ atque orationes
Lacteque: corda felle ſunt ſita atque acerbo aceto.

23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam*] *Jactare* pro *jacere* dixit & 7. Apulejus, ad quem pag. 381. neſcio quæ annotata habes.

24. *Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitûs*] Id eſt, permittes eos cadere in p. i. Sic infrà 66. 11. *Induxiſti nos in laqueum:* & Matth. 6. 13. *Nè nos inducas in tentationem.*

Ibid. *Non dimidiabunt dies ſuos*] Vide 8. 13. Eccleſiaſtis.

Ibid. *Doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Vide Jerem. 17. 11. *Doloſi* qui per dolum divitias acquirunt.

IDEM.

3. *COntriſtatus ſum in exercitatione mea*] In meditatione, *ἐν μελέτῃ μου*, h. e. dum ſermones commutarem mecum.

Lxx. hic,

Lxx. hîc, *ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου.* Huc igitur pertinent Heſychii illa, Ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ· ἐν λύπῃ.

4. *Et in ira moleſti erant mihi*] Lxx. ἐνεκότουν μοι· Huc etiam referenda ejuſdem Heſychii iſta, Ἐνεκότουν μοι, ἐμηνίαζον, ἐμνησικάκουν. Quæ eadem habent & Græci ad hunc locum Scholiaſtæ.

6. *Et contexerunt me tenebræ*] Videbar mihi in umbra mortis verſari.

8. *Ecce elongavi fugiens*] Apud Comicum Latinum,

Jam aliquò aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ atque iræ leniunt.

Ibid. *Et manſi in ſolitudine*] *Similis factus ſum* (ut 101. 7.) *pellicano ſolitudinis*, &c. *ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Adde Job 30. 29.

10. *Præcipita, Domine*] Vide ad 51. 6.

Ibid. *Divide linguas eorum*] Scinde per medium eas nè ampliùs obloquantur. Non diſſimilis apud Poëtam imprecatio,

Lingua exſecta avido ſit data vulturio.

Vel ſic, *Divide linguas eorum*, fac inter ſe diſſentiant, maleque de ſe invicem loquantur: ut vel ità de bonis meliùs ſentiant, eorumque partibus accedant. Naumachius uxorem mariti ſolutioris præceptis inſtruens,

Εἰ δ' ὀλβοις ἑτάροισιν ἐφεσπόμενος κακὸς εἴη,
Μὴ σύ μὲν ἀντιβίην κείνῳ (τέκος) εἰς ἔριν ἔλθῃς·
Ἀλλ' ἑτάρους ὄτρυνε μετά σφισι νείκεα βάλλειν.
Ῥηιδίη δ' ὁδὸς ὧδε διακρῖναι φιλότητα
Λευγαλέην, ἑτάροις δὲ φίλον ἀγάθοῖσι γενέσθαι.

Ibid. *Quoniam vidi*, &c. *contradictionem in civitate*] Ζῆλον, καὶ ἐριθείαν, ἀκαταστασίαν, &c. ut Jacob. 3. 16.

11. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas*, &c.]

——— *A manè ad noctem, feſto atque profeſto,*
Totus item pariterque die populuſque patreſque
Uni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere & arti,
Verba dare ut cautè poſſint, pugnare doloſè,
Blanditiis certare, bonos ſimulare viros ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Ibid. *Circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas*] *In circuitu* (ut quæ ſuprà 11. 9. huic loco aptemus) *impii ambulant. Circumdabit*, eſt *circumdat. Super muros ejus*, aut id eſt quod jam dixi, aut eſt exaggeratio: q. d. ſummitatem murorum ejus excedit iniquitas illius; quomodo iniquitates ſuas ſuum ipſius caput ſupergreſſas eſſe, ſuprà 37. 5. dixit.

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*]

Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore.

Omnia commiſta, ſanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ. (Ex Scriptore Sapient. 14. 25, 26.)

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*]

Οὔθ' ἱερῶν κτεάνων, οὔτε τι δημοσίων
Φειδόμενοι, κλέπτουσιν ἐφ' ἁρπαγῇ ἄλλοθεν ἄλλος,
Οὐδὲ φυλάσσονται σεμνὰ δίκης θέμεθλα.

Hic ex profano, hic ex publico, hic ſacra rapit, hic effringit, hic tranſilit, hic ſpolia cruentâ manu portat, nemo non fert aliquid ex altero. (Ex Seneca 7. 23. de Beneficiis.)

Ibid. *Labor in medio ejus & injuſtitia*] Jeremias (& de eadem urbe) 6. 6. *Omnis calumnia in medio ejus. Labor* hîc ambiguè dictum. Vide ſuprà ad 9. 35. annotata.

12. *Et non defecit de plateis ejus uſura & dolus*] *Juſtitia longè ſtetit, corruit in platea æquitas*, Eſaiæ 59. 14. exclamatio fuit. *Non defecit*, eſt *abundant*, velut aquæ, nempe quæ ex perenni fonte ſcaturiunt.

13. *Super me magna locutus fuiſſet*] Lxx. ἐμεγαλοῤῥημόνησεν. Hinc Μεγαλοῤῥήμων, μεγάλα λαλῶν, apud Heſychium. Seneca 2. 13. de Beneficiis, *Jucunda ſunt quæ*, &c. *cùm daret ſuperior, non exſultavit ſupra me*: q. d. οὐκ ἐμεγαλοῤῥημόνησεν. Nec ſat ſcio an & *ſuper me* apud Senecam ſcribendum.

Ibid. *Abſcondiſſem me forſitan ab eo*] Vide ad Apuleji librum 9. pag. 534. dicta.

14. *Tu verò homo unanimis*] Boëthius Conſolat. lib. 3. *Quæ peſtis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus?*

15. *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*] Cujus præſentia dulciores mihi meos cibos efficiebat. At Græci aliter hunc locum expoſuere.

16. *Nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum*] i. e. In medio tabernaculorum eorum. Vide ad Pſal. 136. 2. annotanda.

21. *Non eſt illis commutatio*] In Græco ἀντάλλαγμα. In eodem Gloſſario, Ἀντάλλαγμα, *ſummutatio, commutatio.* Vide Matth. 16. 26. Senſus eſt, nullo pretio à Divina vindicta redimentur. Vide Job. 15. 31. ubi & ſequitur, *Antequam dies ejus impleantur, peribit*: quibus reſpondent quæ hîc in fine habemus, *non dimidiabunt dies ſuos.*

22. *Molliti ſunt ſermones ejus*, &c.] Hinc & Prov. 3. 16. *Sermones ſuos mollire.*

Ibid. *Et ipſi ſunt jacula*] Lxx. Βολίδες. In Gloſſario, Βολὶς, *jaculum.* Heſychius, Βολὶς, βέλος, λόγχη, ἀκόντιον.

24. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Proverb. 10. 21. *Anni impiorum breviabuntur.* Vide & Job. 21. 21. Ejuſdem 15. 32. *Antequam dies ejus impleantur, peribit.*

PSALM. LV.

MUNSTERUS.

Videtur Pſalmus iſte conſcriptus à David dum ob imminens periculum fugeret Saulem capitalem inimicum, quando etiam in civitatibus non erat tutus, ſed optabat ſibi eſſe pennas columbæ, quibus volitaret in deſertum & tutum locum. Alii exponunt eum de conjuratione Abſalom, quando David cum multis fugit de Jeruſalem, &c.

10. *Die ac nocte circumdant eam*] Sub. *injuria & contentio, quæ verſantur intra muros urbis*; cujus cives ipſi David machinabantur perditionem; apud quos tamen ipſe ſe tutum eſſe putabat.

12. *Non enim hoſtis eſt apertus*] Queritur hîc de quodam ſingulari amico, qui tamen ficto animo ſeſe adjunxerat ipſi David, de quod ille non diffidens ſecretorum ſuorum illum fecit conſcium. Chaldæus Interpres, ſicut D. Kimhi, intelligit hos verſus de Ahithophel dictos. Unde Chaldaïca tranſlatio habet ſic, *Et tu, Ahithophel, homo ſimilis mihi, præceptor qui docuiſti me, & ſcire me feciſti ſapientiam.* Porrò hic ſimulatus amicus typum geſſit Judæ proditoris, atque omnium qui perfidè agunt cum ſanctis.

14. *Conjuncti*] Heb. ברגש *cum ſtrepitu*, vel *cum frequentia.* Kimhi tamen exponit בחברה *cum ſocietate*; i. e. ſimul ſicut ſocii deambulavimus.

15. *Condemnet illos mors*] Exponitur hîc verbum ישי pro ישיא, ſicut vertimus & deficit tertia radicalis Aleph: venit enim à radice נשא, indè Hiphil השיא.

18. *Quoniam multi fuerunt mecum*] Aben-Ezra intelligit de Angelis protectoribus. Kimhi verò ſic intelligit, *quoniam cum multis* (ſic enim habent Hebraïca) *fuerunt contra me, qui ſcilicet bellum intulerunt.*

20. *Miſit manus ſuas*] Sub. *fictus ille amicus.*

22. *Onus tuum*] Capitur hic יהב pro משא, loquiturque Propheta ad ſeipſum, & ad quemcunque juſtum in Deo confidentem.

VATABLUS.

1. **V***Ictori in Neginoth* למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. ¶ *Intelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Abſcondas te à deprecatione mea* תתעלם מתחנתי] *Averſeris orationem meam.*

2. Nam *clamo* אריד בשיחי ואהימה] Fut. Heb. *clamabo in ſermone meo, & ſtrepam*: quod per præſens vertunt Interpretes, Dum *conqueror in lamentatione mea, & ſtrepo.* Alii, dum *plango* [vel *ululo*] *in meditatione mea.* Pro *meditatione* docti inter Hebræos vertunt *in afflictione, infirmitate & anguſtia.*

3. *A facie anguſtiæ* מפני עקת] *A facie violentiæ*: vel *afflictionis*, aut *tribulationis.* Hebraïſmus autem eſt, *à facie* pro *propter.* ¶ *Conjiciunt* ימיטו] Fut. Heb. pro præſ. aut præt. *voluerunt, inclinarunt.* Ad verb. *labi* (aut *cadere*) *facient*: i. e. comminiſcuntur adverſum me conſilium iniquum, ſive conſpirant adverſum me. ¶ *Adverſantur mihi* ישטמוני] Fut. Heb. pro præſ. *me inſectantur, & odio proſequuntur.*

4. *Dolet* יחיל] Fut. Heb. pro præſ. *trepidat, contremiſcit, parturit, affligitur.*

5. *Et operuit me tremor* ותכסני פלצות] *Et obtexit me terror*: vel, *adobruit me horror.*

6. *Quis dabit* מי יתן] Hebraïſmum ſic quidam vertunt, *Utinam eſſent mihi alæ* tam celeres quàm ſunt *columbæ.*

7. *Elongarem fugam* ארחיק נדוד] Chald. *Elongabo locum ad fugiendum*, vel *fugiendo.* Quidam vertunt, *longè profugerem.* Alii, *elongarem me aufugiendo*, ſive *migrando*: nam ſunt qui נדוד volunt eſſe Macor, ſive infinitivum.

8. *Eruere me*, &c. אחישה מפלט לי מרוח סעה מסער] *Liberationem* [vel *effugium*] *mihi* velocius *vento qui excitatur à tempeſtate.* Alii, *ſalvationem mihi propter ventum turbinis & tempeſtatis.*

Vel, *à vento evellente & diſperdente*. Aut, *à vento procelloſo & tempeſtate.*

9. *Divide* פלג] *Finde, diſperti*, i. e. diſſipa ſententias eorum varias. ¶ *Violentiam* חמס] *Iniquitatem, injuriam, vim.*

10. *Circumdant* יסובבה] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et perverſitas* ועמל] *Et moleſtia*, vel, *& dolor.*

11. *Pravitates* הוות] *Fraudes: Corruptelæ*. Alii, *Pravitatum*, ſub. *homines*, i. e. pravi homines.

12. *Probris affecit me* יחרפני] Fut. Heb. pro præt. ¶ *Magnificavit* os ſuum הגדיל] Seſe *erexit*; vel, *extulit.*

13. *Juxta æſtimationem meam* כערכי] i. e. Quantum ego judicare potui. Alii, *juxta pretium meum*; i. e. quem in tanto pretio habebam atque me haberi cupio. Nonnulli, *velut æqualis ac ſocius meus*. ¶ *Dux meus* אלופי] *Præceptor meus.*

14. *Dulciter communicabamus ſecretum* נמתיק סוד] Ad verb. *dulceſcere faciebamus ſecretum*, i. e. cum ſumma animi voluptate de rebus noſtris conſilium inibamus. Fut. Heb. pro præt. imperf. Nonnulli vertunt, *Dulciter fruebamur ſecreto*. Alii, *Dulce erat ſecreta communicare*. ¶ *In ſocietate* ברגש] *In cœtu*, i. conjunctim & ſimul.

15. *Exigat debitum mors ab eis* ישי מות עלימו] *Exactricem conſtituat* Deus *mortem adverſus illos*. Alii, *Irruat ſuper illos mors*. Vel, *Condemnet illos mors*. Imprecatio vel prophetia de fine Proditoris & conſortium. ¶ In *infernum* שאול] In *ſepulcrum*. ¶ *In ſocietate eorum* במגורם] *In habitatione*, vel *in conventiculis*, aut *congregatione eorum.*

16. *Clamabo* אקרא ויהוה יושיעני] *Clamabam, & Jehova ſervavit me.*

17. *Loquor & tumultuor* אשיחה ואהמה] Futura Heb. pro præſ. aut imperf. *loquebar & fremitum edebam*: vel, *clamabam & conquerebar*: aut, *precabor & importunus ero, & exaudiet vocem meam.*

18. *Multi erant mecum* ברבים היו עמדי] Sic 2 Reg. 6. 16. dicebat Eliſæus, *Plures qui nobiſcum ſunt quàm qui cum illis*. Hebraïcè verò legitur, *in multis*, quod nonnulli vertunt, *cum multis fuerunt mecum*, i. e. multi impugnaverunt me.

19. *Et manens* וישב] *Et ſedet*. Quidam convertunt *&* in *nam* vel *quia*. ¶ *Selah* סלה] Vide Pſal. 3. ¶ *Quibus non ſunt mutationes* אשר אין חליפות למו] *Nam non ſunt mutationes ipſis*: i. e. non eſt ſpes quòd illi mutentur.

20. *Miſit* שלח] Sub. *fictus ille amicus*. ¶ *In eos qui*, &c. בשלמיו] Ad verb. *in paces ſuas*. Vel, *in* virum *pacium ſuarum*: aut, *fœderum ſuorum*. Sic & Pſal. 109. 4. *Et ego oratio*, pro *vir orationis*: i. e. adortus eſt virum quicum in tranquillitate ſumma vivebat. Quidam vertunt eodem ſenſu, *in pacificos ſuos.*

21. *At prælium* in *corde ejus* וקרב לבו] Ad verb. *& prælium cor ejus*, ſub. *meditatur*. ¶ *Et ipſa ſunt gladii* והמה פתחות] *Et ipſi ſunt* homines *gladiorum*: i. e. cùm tamen ſint ſanguinarii, & ſtudeant me perdere.

22. *Pondus tuum* יהבך] *Onus tuum: moleſtiam tuam: quod te malè habet*. Docti inter Hebræos vertunt *donum tuum*; ſive, *quod dedit tibi*: & exponunt, *Projice ſuper illum id quo habes opus, & ipſe educabit te ut hactenus fecit*. ¶ *Suſtentabit te* יכלכלך] *Suffulciet te*. ¶ *Nutationem* מוט] *Lapſum, caſum*. Hebraïſmus, pro *non ſinet unquam moveri*, vel *labaſcere, juſtum.*

23. *Deſcendere facies eos in puteum foveæ* תורדם לבאר שחת] *Deduces eos in foveam perditionis*: aut *dejicies* [vel, *detrudes*] *eos in foveam corruptionis*; vel, *in puteum interitûs*: i. e. in gehennam.

C A S T A L I O.

15. V*Ivi deſcendant in Tartara*] Alludit ad excidium Dathanis & Abirami.

18. *Tam multi mihi adſunt*] Deus mihi pro multis adeſt.

20. *Ille quidem iis manus affert qui erant cum eo pacati*] Mihi.

22. *Rejice tuum onus in Jovam, qui te fovebit*] Seipſum alloquitur.

C L A R I U S.

VEriſimile eſt hunc Pſalmum conſcriptum fuiſſe de eo diſcrimine in quo erat David cùm oraculo didiciſſet advenire Saulem ut ipſum in urbe Cæila comprehenderet. Hiſtoriam legis 1 Reg. 23.

1. *Nè deſpexeris*] Heb. *nè abſcondas te à precatione mea.*

3. *Quoniam declinaverunt*] *Quoniam machinantur contra me iniquitatem.*

7. *Manerem in ſolitudine*] In deſertis habitarem potiùs quàm inter hos impios.

8. *Exſpectarem eum*] Heb. *Accelerarem mihi ſalvationem*. ¶ *A vehementia ſpiritûs*] A periculo venti vehementis & tempeſtatis. Eſt autem Metaphora.

10. *Die ac nocte*] Sic diſtinguendum eſſet, *die ac nocte hac* (i. e. *iniquitas & contentio*) *circumdant eam intra muros ejus*; *& ſunt iniquitas & dolor in medio ejus.*

12. *Si inimicus meus maledixiſſet*] Queritur hîc de quodam ſingulari amico, qui tamen ficto animo ſe adjunxerat ipſi David, de quo ille non diffidens ſecretorum ſuorum illum fecerat conſcium. Quidam intelligunt de Achitophel. Hic ſimulatus amicus typum geſſit Judæ proditoris.

13. *Dux meus*] Quem præfeci rebus meis, & veluti dux fuiſti mihi.

14. *Cum conſenſu*] Heb. *cum ſtrepitu*, vel *cum frequentia*, h. e. cum ſocietate ſimul, ſicut ſocii deambulavimus.

15. *Veniat mors*] Inferet Deus mortem de improviſo illis.

18. *Quoniam inter multos*] Quidam intelligunt de Angelis faventibus David, ut ſit ſimile illi 4 Reg. 6. *Plures ſunt nobiſcum quàm cum illis*. Alii ſic accipiunt, *quamvis plurimi ſint qui oppugnant me.*

19. *Non enim eſt illis commutatio*] Nunquam ſceleratum vitæ genus mutabunt, idcirco digni ſunt qui pereant.

20. *Extendit manum ſuam in pacificos ſuos*] Injecit manum violentam in eum cum quo pacem ſimulaverat, amicitiæ vinculo turpiter rupto: id enim ſignificat *contaminavit teſtamentum*, h. e. fœdus, *ſuum.*

22. *Jacta onus tuum*] Loquitur ad ſeipſum Propheta, & ad quemlibet juſtum qui Deo fidat, & ait, *Rejice in Dominum ſarcinam tuam*, nec dubita quin ipſe perfecturus ſit omnia, qui nunquam ſinet obrui juſtum.

L U C A S B R U G.

4. A*B altitudine diei timebo*] Hæc Latinorum codicum noſtræ editionis conſtans ſcriptura eſt. Hoc tantùm invenio varietatis, quòd affirmando quidam, quidam interrogando ſcribant. Hâc inter Veteres Ruffinus uſus eſt, & ut interrogationem interpretatus eſt. Eſt & Latinorum Tractatorum mediæ poſtremæque ætatis, eorum nempe qui noſtræ editionis Pſalterio uſi ſunt, lectio. Græci autem plerique libri, cum Euthymio Græco Tractatore, *τὸ ab altitudine* jungunt ſuperiori verſiculo, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ἀπὸ ὕψους, *quoniam multi bellantes adverſum me ab altitudine*. Tum ei quod ſequitur negationem addunt, ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, h. e. *dies*, vel *die, non timebo*. Et quidem in omnibus Græcis libris quos vidimus negatio legitur, conſentientibus Græcis autoribus, Euthymio, Theodorito & Apollinari. De quo ad Suniam Hieronymus, *Quoniam multi bellantes adverſum me, ab altitudine diei timebo. Et dicitis in Græco vos inveniſſe* ὅτι πολλοὶ πολεμοῦντές με, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, *i. e. non timebo; quod additum eſt. Et eſt ordo, Quoniam multi dimicant adverſum me, idcirco ego ab altitudine diei timebo: h. e. non bellantes adverſum me, ſed tuum excelſum timebo lumen*. Quibus verbis Hieronymus & rejicit negationem, & vulgatam noſtram exponit diſtinctionem, ea quæ etiam quorundam eſt Græcorum librorum atque Enarratoris Theodoriti. Hebraïcis libris ut non eſt negatio, Latinis codicibus conformiter, iſta eſt diſtinctio, quam Euthymii & plerorumque exemplarium Græcorum eſſe diximus: ſed facilè diſtinctio variatur. Clariſſimè atque integerrimè locum hunc ex Hebræo Hieronymus reddidit, *Multi enim qui pugnant contra me, Altiſſime. Quacunque die territus fuero, ego in te confidam*. Simili modo Chaldæus, *Quia multi pugnant contra me, Deus altiſſime, cujus ſedes in excelſo, Die quo timuero, ego ſuper te confidam*. Quod Hieronymus & Chaldæus legerunt מָרוֹם, ut punctati ſunt noſtri libri, LXXII. מֵרוֹם legerunt. Illud *altum*, hoc *ab altitudine* ſignificat. Veteris Latinorum Pſalterii lectionem fortaſſe non inutile fuerit addere, quanquam cùm à noſtra Latina editione & vulgatis Græcis exemplaribus tum ab Hebræo fonte longè recedat; à ſeipſa etiam non parùm diſſentiat: aliter enim Hilarius legit, aliter Auguſtinus, aliter Hieronymus, ſi tamen Hieronymi in Pſalmos commentarius eſt. Hilarius legit, *Conculcaverunt me* (hîc enim paulò altiùs repetere cogimur Pſalmi verba) *inimici mei totâ die. Ab altitudine dierum non timebo. Quia multi qui debellant me timebunt: ego verò in te ſperabo*. Hieronymus, *Conculcaverunt me inimici mei totâ die: ab altitudine diei timebo. Quoniam multi bellantes adverſum me — ab altitudine diei timebunt: ego verò in te ſperabo*. Auguſtinus,

Con-

Conculcaverunt me inimici mei totâ die ab altitudine diei. Quoniam multi qui debellant me timebunt: ego vero in te ſperavi [*ſperabo* Caſs. Rom. G. H.] *Domine.* Quomodo etiam habent vetus Jacobi Pſalterium (ſed id ex Auguſtino deſumptum ſuſpicor) Caſſiodorus Senator, & Romani Pſalterii quæ habemus exemplaria, Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe. Teſtatur Illuſtriſſimus Dominus Sirletus non deeſſe Græcum codicem qui habeat, *ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με, φοβηθήσονται· ἐγὼ δὲ ἐπί σοι ἐλπιῶ.* Hinc illa fortaſſe veteris Pſalterii lectio, quam integriorem habuiſſe videtur Auguſtinus: ſed nimis à prototypo diſſonat.

13. *In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.*] *Tua* in Græco non eſt, ut neque in Romano Pſalterio: ſed ex Hebræo additum eſt ab Hieronymo noſtræ editionis caſtigatore: id quod indicat aſteriſcus qui eſt in antiquis libris, Brugenſi, Lobienſi, Tornacenſi, Herbipolenſi. *Quæ* legitur Græcè, ſed non eſt Hebraïcè: ideoque ei obelum præfigit Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi textus. Hebraïcè verſus iſte ad hunc legitur modum, *In me, Deus, vota tua, reddam laudes tibi.* Græcè ad iſtum, *In me, Deus, vota quæ reddam laudis tuæ.* Latina noſtra lectio ex utroque accipit aliquid, ex quo facta eſt obſcurior. Hinc etiam eſt, quod ſit veriſimile, Latinorum codicum ea diverſitas, quòd alii *laudationes*, alii *laudationis* habeant, cujus Haymo, Lombardus & Gloſſa interlinearis meminerunt. Sex Hentenii & ipſe Bibliorum Pariſienſium textus ſcribunt *laudationis*; univerſi noſtri editionis vulgatæ *laudationes*, cum V. Beda, Remigio Antiſſiodorenſi Epiſcopo, Brunone Carthuſianorum patriarcha, Jacobo Chriſtopolitano Antiſtite, & Johanne præſule Sabinenſi. Addo autem, editionis vulgatæ; nam Romana noſtra Pſalteria, Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe, *laudationis* habent: quo modo & Hilarius, qui veteri Pſalterio uſus eſt, legiſſe videri poteſt; *Non extra ſe ſunt*, inquit, *iſta quæ ſperas, nec laudationis vota quæ reddenda ſunt extrinſecus capeſſenda*, &c. Similia Caſſiodorus quoque, *Dicit enim*, inquit, *in ſe eſſe vota laudationis, Dei tamen munere contributa, quæ in illa perpetuitate reddenda ſunt, quando jam ſancti indefeſſis vocibus perſolvent laudis obſequium.* Exiſtimarim igitur Veteris aut ſaltem Romani Pſalterii lectionem eſſe *laudationis*; noſtram verò editionem emendatam *laudationes*, cùm adderet Caſtigator *tua*, & transfigeret *quæ*. Sanè Jacobi editio, & antiquiſſima Lobienſe & Tornacenſe manuſcripta, concorditer Romano Pſalterio *laudationis*, Gallico *laudationes* attribuunt. Sed cùm variè hac de re doctores judicent, nihil ego decerno. D. Lindanus correxit *laudationis*; D. Hentenius & Pariſienſes *laudationes*. Et quidem Hentenius: nam cùm Pariſienſium Biblia in textu *laudationis*, in margine cum annotatis 4. exemplaribus legerent *laudationes*; ipſe hoc in textum retulit, illud verò cum 6. antigraphis in margine locavit. Pariſienſes autem poſterioris editionis textum ex prioris margine, ut aliàs penè ſemper, mutarunt.

DRUSIUS.

2. אָרִיד בְּשִׂיחִי. Sym. *κατηνέχθην προσλαλῶν ἐμαυτῷ.* A. ---- *ἐν ὁμιλίᾳ μου.* ¶ וְאָהִימָה מִקּוֹל אוֹיֵב מִפְּנֵי עָקַת רָשָׁע. Sym. *καὶ συνεχύθην ὑπὸ φωνῆς ἐχθροῦ, ὑπὸ ἐνοχλήσεως ἀσεβοῦς.*] Interpres Theodoreti, *Somno correptus ſum, mecum ipſe loquens; & confuſus ſum à voce inimici, à perturbatione improbi.*

3. כִּי־יָמִיטוּ עָלַי אָוֶן וּבְאַף יִשְׂטְמוּנִי. Sym. *Ὅτι ἐπέκλιναν κατ' ἐμοῦ εἰς ἀσέβειαν, καὶ μετ' ὀργῆς ἠναντιώθησάν μοι.* Interpres cujus modò mentionem feci, *Quia inclinarunt in me impietatem, & in ira adverſati ſunt mihi*] *Inclinarunt in me impietatem, ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀσέβειαν.* אָוֶן. A. *ἀνωφελές, inutile.* Th. ut VII.

8. אָחִישָׁה מִפְלָט לִי מֵרוּחַ סֹעָה מִסָּעַר. A. S. Th. *Feſtinabo ut ſalver à ſpiritu tempeſtatis & turbinis*] Hieron. epiſt. ad Suniam & Fretelam, *Pro ὀλιγοψυχίᾳ, Aq. & Sym. & Th. interpretati ſunt ἀπὸ πνεύματος, i.e.* à ſpiritu; *& in Ebræo ſcriptum eſt* מרוח, *omniſque ſenſus ità apud eos legitur*, Feſtinabo ut ſalver à ſpiritu tempeſtatis & turbinis.

10. וְאָוֶן וְעָמָל. Sym. *ὀδύνη καὶ ταλαιπωρία, dolor & miſeria.*

13. וְאַתָּה אֱנוֹשׁ כְּעֶרְכִּי אַלּוּפִי וּמְיֻדָּעִי. Sym. *Ἀλλὰ σὺ ἄνθρωπος ὁμότροπος καὶ συνήθης μου καὶ γνώριμος*] Euſebius Ἀποδείξ. l. 10. Symmachi nomine citat, *Sed tu, homo, iiſdem quibus ego moribus præditus, & dux meus & notus meus.* Σὺ δὲ ἄνθρωπε ὁμότροπέ μοι, καὶ ἡγεμών μου, καὶ γνωστέ μου. Puto eum bibiſſe ex flumine Lethes cùm *Symmachum* pro *Aquila* exſcriberet. Sanè inclino ut credam interpretamentum hoc Aquilæ eſſe, non Symmachi: cui firmando eſt Theodoretus ità ſcribens, *Pro* duce meo *Symmachus* familiarem meum *interpretatus eſt.*

14. אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד. A. *οἳ ὁμοῦ ἐγλυκάναμεν ἀπόρρητον, qui ſimul habuimus dulce ſecretum.* Sym. *οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν*] Citat Euſebius lib. 10. Ἀποδείξ. p. 293. legitur quoque in ed. Romana.

18. כִּי־בְרַבִּים הָיוּ עִמָּדִי. Sym. *πολλοστοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με*] Alibi citatum reperi è Sym. *multi in me fuerunt.* Sic Hieron. *multi fuerunt adverſum me.* Ebræus habet ad verb. *in multis fuerunt mecum.* Eſtque Hypallage ab Interpretibus non obſervata, *in multis*, i. e. cum multis: *cum multis fuerunt in me*, i. e. contra me: q. d. Multorum auxilio uſi ſunt adverſum me. Alia expoſitio, *in multis mecum pugnabant*: in quo *in* præpoſitio παρέλκει, ut ibi, *In timore Domini recedere à malo.* Nam ſenſus eſt, *Timor Domini eſt recedere à malo.* Sic ed. vet. Lat. *Quoniam multi bellantes adverſum me.* Utro modo exponas, plurima non intereſt ad ſenſum. Vide ſis Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretelam.

19. אֲשֶׁר אֵין חֲלִיפוֹת לָמוֹ. A. *οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς, quibus non ſunt mutationes.* Sym. *οὐ γὰρ ἀλλάσσονται, non enim mutantur.* ¶ וְלֹא יָרְאוּ אֱלֹהִים. Sym. *neque Deum timent.*

21. שָׁלַח יָדָיו בִּשְׁלֹמָיו. A. *ἀπέστειλε χεῖρα αὐτοῦ ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ*] In Theodoreteis, A. S. Th. *ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτὸν, extendit manum ſuam in eos qui pacem habent cum illo*] Vel *ſecum.* ¶ חִלֵּל בְּרִיתוֹ. Sym. *παρέβησαν συνθήκην, tranſgreſſi ſunt pactum.*

22. חָלְקוּ מַחְמָאֹת פִּיו וּקְרָב־לִבּוֹ. Sym. *Λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, καὶ ἡ καρδία αὐτῶν πολεμεῖ, Leniora butyro ora eorum, cor eorum pugnat.* Apud Interp. Thodoreti, *cor uniuſcujuſque eorum. Pugnat*] Chald. קְרָב. Sanè קרבה πόλεμος, *pugna μάχη.* Dicitur & קרב. ¶ פְתִחוֹת, A. *dolos*, δόλους, tanquam à פתה *decepit.* Schol. *ἀκόντια, λογχάρια.*

AMAMA.

2. תַּעְלַם *Abſcondas te*] A עָלַם *latuit.* Hinc עֶלֶם *puer*, עַלְמָה *puella, virgo*; non ſemper tamen ſignif. *Virginem intactam* vel *ſignatam*, ſed & aliq. *corruptam*, quæ tamen ſe virginem jactat. Jun. *Pupa perfrictæ frontis quæ ſe poſt maleficium virginem impudenter aſſerit & pro intacta venditat.* Dicitur autem Virgo Alma quod abſcondita ſit & domi lateat. Solebant enim domi aſſervari & non niſi ad ſacra prodire. Unde Heſ. 2. *ἔργων, οὔτε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρα μίμνει.* Joſeph. de Mach. 18. cap. ſic introducit Matrem 7. filiorum ſic loquentem cum jam manerent eam ſupplicia: *Ἐγενήθην παρθένος ἁγνὴ οὐδ' ὑπερέβην τὸν πατρικὸν οἶκον ἐφύλασσον δὲ τὴν οἰκοδομημένην πλευράν.* Unde & Eurip. *εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν. Foràs puellæ ut prodeant parum decet.* Hinc aliis θαλαμευόμεναι, aliis κατάκλειστοι dictæ. Sic contra Meretrix Chaldæis dicta נְפָקַת בָּרָא.

3. אָרִיד *plango.*] In hac ſign. exponunt quidam illud Jud. 11. וְיָרַדְתִּי עַל הֶהָרִים *plangam ſuper montes.* Nulla neceſſitate cogente. Joſ. 7. 24. וַיַּעֲלוּ *eos in vallem Achor.* Jud. 15. 11. *Deſcenderunt in ſummitatem Petræ:* Ebræi promiſcuè utuntur ירד & עלה nulla habita ſitus ratione. Sic qui Sept. verſus aſcendere qui Merid. deſcendere dicuntur.

בְּשִׂיחִי] *In meditatione*, LXX. *ἐν ἀδολεσχίᾳ μου*, i. e. *exercitatione mea: Preces enim ſunt piorum exercitia.* Ἀδολεσχία apud profanos ſign. *nugas, ineptias, ſermonem nugatorium*, & *faſtidioſum*, à λέσχη, *ſermo*, & ἄδος, *ſatietas.* Aſt in ſacris ſign. διηνεκῶν μελετᾶν, *aſſiduè meditari*, ut Pſ. 119. *ἐν ταῖς ἐντολαῖς σου ἀδολεσχήσω.* Aq. ἐν τῇ ὁμιλίᾳ μου. Sym. *προσλαλῶν ἐμαυτῷ* בהשיח R. S. אָהִיגָן *conquerar.* מִתְאוֹנְנִים *conquerentes* cum N inverſo.

4. יִשְׂטְמוּנִי] *Inteſtino odio proſequuntur me.* Jun. Habet maximam affinitatem cum שָׂטַן, nam ei adverſamur quem odimus, & quo magis & intenſius odimus, eo acrius adverſamur Hoſ. 9. 7. עַל רֹב עֲוֹנְךָ וְרַבָּה מַשְׂטֵמָה. Belg. *Om uwer groter miſdaat en om de groter verdrietelijcker afgoderije wille.* Ital. Melius, *Propter magn. vel mult. iniq. tuæ etiam odium erit m.* Vide confer.

ישטמוני] *Adverſantur mihi*, שׂטם & שׂטן Synonyma, unde Satanas, ἀντίδικος. Unde Th. שָׂטְנִין לִי Apoc. 1. 20. N. hoc nomen ut & Græcum Διάβολος nunquam reperiri in pl. & Synon. eſſe Satanas & Diabolus Ap. 1. 20. *Michael & Angeli ejus.* Et Matth. 26. 41. hæc occurrat locutio *Diabolus & Angeli ejus*, probabiliter inde colligunt viri docti, eſſe aliquem inter impuros Sp. ordinem, eſſe aliquem Principem Dæmoniorum, qui vocetur Διάβολος שטן & Beelzebul. Nam quod quidam nobis Luciferum dederint factum eſt imperita interpretatione Eſ. 14. 12. ubi Vulg. *Quomodo decidiſti è cœlo Lucifer* (הילל) *fili auroræ.*

5. אימות *terrores*] Ab. אֵים Plur. Maſc. אֵימִים tria ſign. 1. *Terrores.* 2. *Gigantes*, Gen. 14. 5. 3 *Terriculamenta, Idola.* Jirm. 50. *Et in Idolis gloriantur.* Th. בְּטַעֲוָתָא Explic. in Epiſt. Jirm. Quod in cucumerario προβασκάνιον terriculamentum nihil cuſtodiens, ſic Dii ipſorum ſunt. D. pertæſus afflict. & impietatis quæ invaleſcebat in urbe, optat ferri in locum aliquem ubi Pelopidarum nec facta nec nomen audiret.

7. אבר] Th. בנפא *alam, alas.* Collect. remiges avium. Rabb. ſignif. *membrum*, 1. Speciale aliquod membrum, quod *honeſtè* non nominatur. 2. Quodvis, unde ajunt רמ״ח 248. אברים eſſe in homine quot ſunt pr. affirm. in Lege. Ut ש״סה pr. Neg. quot ſunt dies anni ſolaris. Et אבר קטן vel מן החי *membrum de vivo.* Unum ex 7. præceptis Noë. Et hoc ſenſu non rep. in ſcript. ſed נתח Lev. 8.

יונה *columbæ*] A ינה *depopulatus eſt*, unde Fut. Kal. אונה & cum Aff. נינם *depopulemur eos.* Pſ. 74. Hinc Part. יונה & F. יונה. Jirm. 25. v. ult. *Ob furorem* היונה *depredatricis.* ſub. חרב, ut plenum eſt Jirm. 50. 16. *propter* חרב היונה i. e. Aſſyriorum ut quidem explicant, quia *Columbam* habebant in vexillo. Et Nomen יונה. Dicit autem Col. quia ea defeſſa colligit alam unam & volat altera, nec quieſcit. Eſt & nomen proprium, & diſting. à יונא quod cont. ex יוחנא & ſic multi Cod. legunt Joh. ult. 5.

Columbæ] Cur nominat alas Columbæ præ tot avium ſpeciebus? Geneb. *Quia expeditiores & leviores ſunt.* Aben-Ezra, שהיא עם כני אדם ועפה שנו מלכים כפרדים Alii, *Quia, cum defeſſa eſt, alteram alam colligit, & altera volat, deinde & eam colligit, & altera, qua jam quievit aliquantulum, iterum volat.* Fides ſit penes phyſicos.

9. Lxx. Προσεδεχόμην τὸν σώζοντά με ἀπὸ ὀλιγοψυχίας καὶ ἀπὸ καταιγίδος. R. Sal. *Ventus evulſionis qui eradicat arbores.* Job. 19. 10. ויסע כעץ תקותי נסע. Simile in Job. 20. 6. *Si aſcenderit in cœlum* שיאו *excellentia ejus.* A נשא

רוח סעה] *A vento profectionis*, quo omnia propelluntur & q. de loco ſuo proficiſcuntur, i. e. *rapidiſſimo.* Malim *præ vento rapido & præ turbine.* מ enim eſt comparativum. Sic Eccleſ. *Bonum eſt nomen bonum* משמן טוב *præ oleo bono.* Sic, *Maturarem effugium mihi præ vento*, i. e. Citius avolarem quam ventus avolat, fertur. Pſ. 4.

סועה] *Profectio*, à נסע *proficiſci.* Num. 10. 35. ויהי בנסע Et Cap. 11. 1. ויהי העם כמתאננים. Prius Nun inverſum notat benevolam Dei *converſionem* ad populum, alterum præfractum & contumacem populi à Deo averſionem. In quibuſdam codicibus nun inverſum tantum initio verſus ponitur.

10. *Divide*] Id eſt, excita inter eos diſſidia. Reſp. ad hiſt. Gen. 11. unde & פלג nomen habet Fil. Eberi. Quia in diebus ejus נפלגה הארץ. Malorum conſilia non poſſunt melius diſcuti quam ſi inter eos ipſoſmet oriantur diſſidia, ut in hiſtoria Sam. de Achitophel.

חמס *Violentia*] *Rapina.* Supra fecimus mentionem אבר מן החי. Ea duo fuerunt de 7. præceptis Filiorum Noë. Uſque dum Abrahamo poſita lex circumciſionis fuit gens mortalium regebatur 7. præceptis, quorum ſex priora ipſi Adamo tradita, ſeptimum Noë datum aſſerunt; & cum jam Legem pleniorem per Moſem daret, harum tamen eam ajunt fuiſſe rationem, ut neceſſe habuerint ea ſuſcipere omnes gentes quæ oblatam ab Iſraëlitis pacem acceperant. Sunt vero hæc, 1. ע״ז, 2. ברכת השם, 3. שפיכות דם, 4. גלוי עריות, 5. חמס, 6. דינים, jura mortalibus dicenda, 7. Noacho datum & additum prioribus, אבר מן החי, Gen. 9. *Carnem cum anima ejus* (quæ eſt ſanguis) *cum ſanguine ejus non comedetis.*

וריב *& contentionem*] Lxx. καὶ ἀντιλογίαν. Contentio ſine contradictione eſſe non poteſt. Ubi etiam odia regnant, non poſſunt non eſſe contradictiones. Supra notavimus שטן & שטם ſignif. *adverſatus eſt* & *odit*, quia ſi quis alium odit in omnibus ſolet ei adverſari. Cujus rei exemplum inſigne extat in Caſtilione de Aulis referente Rainoldo in Cenſ. To. 2. lect. 173. Erant in Florentino Senatu duo (Altovitius & Alemannius) qui ſe mutuò odio pluſquam Vatiniano proſequebantur. Unde hoc conſequebatur ut ſibi ipſis perpetuò in dicendis ſententiis contrariarentur, cum in Senatum aliquando veniſſent ambo, Altovitius forte ex crapula in ſomnum incidit, cumque excitatus eſſet ab aliquo ut diceret ſuam ſententiam, mox ſe erigit & ad dicendum componit, & mox in hæc verba erumpit, *Ego vero*, inquit, *nego omnia quæ Alemannius dixit & volo omnia contrà fieri.* Cum verò exciperet Alemannius & diceret, ſe needum quippiam prolocutum eſſe; *Benè*, inquit, *Ergo nego omnia quæ dicturus es; Et mox ſe reclinat in ſedem ſuam.*

11. עמל *Perverſitas*] Ad verb. labor. Cum jungitur ei און eſt *culpa*, aliàs *pœna.* Pſ. 90.

12. תך ומרמה] *Fraus & dolus. Thoch* quia non reperitur cum affixis, dubitant Gram. unde domo ſit. Lxx. תוך ter reddiderunt τόκος, hic, Pſ. 71. 14. Jer. 9. 6. Quidam deducunt à תוך *medium*, unde in Reg. תך & abſol. תך *fraus*, quod conciipiatur in medio hominis & ibi abſcondatur. Alii à תכך form. ע״ע. Hinc fit תככים Pro. 29. *pauper & vir* תככים pro quo Prov. 22. איש ר Lxx. δανειςῆς *vir uſurarum.* Ii enim plerumque divites ſunt. Hinc ſi deducas תך ſign. *uſuram*, *fœnus.* Lxx. hoc ſecuti ſunt, dum vertunt τόκος καὶ δόλος. Tum ob cauſam dictam, tum quia eſt convenientia inter voces. Putarit aliquis τόκος eſſe à תך, ſed malim relinquere eam vocem Græcis, quia τίκτω deducunt, τέξω præt. med. τέτοκα. Unde τόκος, *partus* & *uſura*, quia pecuniæ quaſi partus eſt, dum nummus nummum parit; unde ἐκτοκίζω, *in uſuram do.* Ebr. communit. vocant נשך & תרבית utrumque prohibetur Jezech. 18. 8. בנשך *non dederit &* תרבית *non acceperit.*

ברחבה] Ἐν πλατείᾳ αὐτῆς. Th. פלטיתה Gr. πλατεῖα.

13. חרף] *Probro affecit*, unde חרף *hyems*, quaſi probrum terræ quod omnia terræ naſcentia tunc vicientur & corrumpuntur. Et *juventus*, quia in ea multa probroſè committuntur.

Non inimicus probro afficit me quod ferrem ..... à quo me abſconderem. Piſcat. *Nam is qui non eſt inimicus probro afficit me, alioqui ferrem*, ſub. Ab. חרפתו

הגדיל] Cum על conſtructo ſubintelligendum eſt פה vel לשון *magnificare linguam.* Et ſign. *contumelioſè loqui adverſus aliquem*, *inſoleſcere verbis.* Pſ. 38. 17. עלי הגדילו Jirm. 48. 26. *contra Dominum* הגדילו

R. Sal. varias expoſ. affert, 1. ut referantur ad votum ſup. ut dicat, Ibi in deſerto n. p. a. f. h. veeſſa i. e. ולא אשא & non acciperem ſecl. כלכתו. Ibi Pelopidarum nec facta nec nomen audirem ..... ſed abſconditus eſſem ab eo. 2. Quam ille probat & tribuit R. Dones eſt ea quam expreſſerunt noſtri. Et addit, certe gravior eſt contumelia, quæ infertur ab amico quam quæ ab aperto hoſte. Et homo cavere ſibi poteſt ab hoſte, ab amico falſo non poteſt. Tuta frequenſque via eſt &c. Ea ſunt adhuc tempora ut ſæpe non intelligas proditores quam proditus ſis.

14. כערכי] Ab. נחשב בעיני כמוני. R. Sal. חשוב כמוני Conv. ſe ad unum Achitophelem fortè. Certe Chald. *Et tu Achit. qui qui ſimilis mihi*, & Rab. ראלפת לי, *qui docebas me.*

כערכי] Lxx. σὺ δὲ ἄνθρωπε ἰσόψυχε, *æquanimis*, *ejuſdem animi*, Sym. ὁμότροπος, *eorundem morum.* Opt. *Quem habebam eodem ordine & loco mecum ex ſingulari gratia.* Angl. *mine equal.* Sicut ordinis mei, ut ſit ſimilitud. vel æqualitatis quod ἀδελφὸν vocant, ut Marc. 1. ὡς ἐξουσίαν ἔχων & ὡς μονογενὲς.

אלופי] *Doctor*, *Dux*, ut hoc loco Lxx. ἡγέμων μου & bos quod ſit dux armenti.

מידעי] *Notus meus*, *of mijn acquoitance*, *van mijn kenniſſe.* Aut expon. ex ſignif. *Novit Dominus viam juſtorum, juſtus novit etiam jumenti ſui animam. Novi te ex omnibus gentibus.* Sic, *Cognite mi*, *cujus curam ſemper geſſi.*

15. נמתיק סוד] *Dulce inibamus conſilium.* Sic Sym. οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν. Aq. οἳ ὁμοῦ ἐγλυκαίνομεν ἀπόρρητον. At Lxx. hic planè exorbitarunt ὅς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανας ἐδέσματα. *Dulces reddebas mihi eſcas.* Vulg. *Qui ſimul mecum dulces capiebas eſcas.* Geneb. excuſat eos סוד interpretatos *eſcas* per Synæreſin Poëticam pro סעוד. Sed dato hoc tamen nunquam oſtendet סעד pro cibo, nec in Textu nec apud Rabb. illi enim dicunt סעודה. Verùm ea Synœreſis crebra apud Aramæos, at in Textu non occurrit. סוד 1. *Arcanum.* 2. *Conſilium*, quod arcanum eſſe debeat. 3. *Concilium*, cætus conſultantium. Gen. 49.

ברגש] אחת R. Ab. Aben. בחברה, *in una ſocietate. In company*, Angl. R. Sal. ברב עם, *cum turba*, nam utrumque ſignificat.

16. ישי מות] *Exactorem*, *fœneratorem aget mors ſuper eos.*] ישי per Apocopen א pro ישיא. Hoc verò permutatione ordinum pro ישה à נשה *oblitus eſt*, *mutuo dedit*, *mutuavit. Fœneravit* eum 3, ſine ב *mutuum petiit*, *mutuatus eſt. Exegit debitum*, *Exactorem egit.* Ubi augendum eſt Lexic. Scindl. quod poſteriorem ſignif. non habet & corrig. Piſcator, qui dicit thema eſſe ישה non ישא. Scrib. נשא utrobique. נשא enim ſignif. *ferre*, *portare* &c. נשא *decepit* Gen. 3. *Serpens* השיאני. Plenum reperitur Pſ. 89. 23. Sic יפרא pro יפרה *fructum feret.*

II. Alia expoſit. ab eodem themate in ſign. oblivionis, *oblivionem inducat mors ſuper eos*, ut non cogitent de morte antequam vivi deſc.

III. Aben. adducit aliam, ut ſit à נשא *decepit*, & ſenſus erit idem cum expoſ. II. *Decipiat mors eos*; *Laet de doot haer verraſſchen*, ut non ſentiant eam antequam &c. שלא יעלה על לבם inquit Aben.

במגורם] *Incommoratione.* R. S. במלונם.

בקרבם] *In corde*, ut ſupra in Jirm.

17. *Veſpere, mane, meridie*] Dan. 6. 10. *Et apertis feneſtris verſus Jeruſalem tribus temporibus in die incurvabat ſe.*

18. מקרב לי] Angl. *A prælio quod contra me erat.* Jun. *Ne belligerent contra me*, ut ſit Gerund. Piſc. *Ne appropinquarent mihi*, ſc. hoſtes, ut ſit Ger. in alia ſignif. Lxx. ἀπὸ τῶν ἐγγιζόντων μοι. Vulg. *Ab iis qui appropinquarent mihi.* Eſt Gerund. Ob T. br. in fine, ideò & Chald. דלא למקרב קרב. Appropinq. & confligere, congredi R. Sal. impingit in Gramm. מכלחמה הבאה עלי קרבים

בְּרַבִּים] ב redundat, ut Thren. 1. 17. *Expandit Sijon* בְּיָדֶיהָ. Sym. πολλυςοὶ ἦσαν σὺν ἐμοί. Tigur. *Plurimi fuerunt mecum.* Ut Heliſæus, *Plures ſunt nobiſcum quam cum illis.* Ad Angelos referunt. Sic Angli. Sic Pagn. Alii, *Inter multos fuerunt contra me.* Pugnare enim cum aliquo dicimus Latinè. *Inter multos hoſtes fuerunt mecum*, i. e. Contra me Achitophel & ſocii. Piſc. *In multos*, i.e. magno numero, *fuerunt Angeli cum me.* Senſus idem cum priori. R. S. *Certe propter multos*, i. e. preces multorum, *qui erant mecum precibus ſuis*; Nam dicitur quod totus Iſraël & Juda dilexit eum.

19. וְיַעֲנֵם] *Conteſtabitur (contra) eos.* Comm. ſubaud. præpoſit. ויענה בם. Sic Jun. Alii, *Affliget eos.* Sic Piſc. Tig. Angli. Sic Gr. ταπεινώσει. Acſi eſſet וְיְעַנֵּם.

וְיֹשֵׁב קֶדֶם] *Qui ſedet ab antiquo*, ab origine mundi. Et *Sedet* ut judex. Vau pro אשר Mal. 3. 1. וּפִנָּה ὃς κατασκευάσει, Matth. 11. 10. Jeſ. 23. 17. ושבה *quæ redibit.* Chald. *Qui ab initio habitat cœlos.* Gr. ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων.

סלה] In medio verſu. Sic bis Habacuk 3. ubi ter occurrit in univerſum.

אֲשֶׁר אֵין] *Affliget eos quibus non ſunt mutationes, de quibus non eſt ſpes mutationis in melius.* Vel, *eò quod non ſunt mutationes eis.* LXX. οἷς οὐκ ἐςὶν ἀντάλλαγμα. Commutatio, quæ vox Matthæo uſurpatur de pretio redemptionis. Aq. οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς. Sym. οἵ οὐκ ἀλλάσσονται. Alii, *Quia non ſunt mutationes ipſi, neque timent Deum.* Mutationes fortunæ, non immiſcet ipſis Sympoſiarcha ex dolio adverſæ fortunæ, quia ſunt in perpetua felicitate חליפה Arab. ſucceſſor. Gen. 45. 22. dedit iis חֲלִיפוֹת שְׂמָלוֹת ut Hom. ἱματὰ ἐξαμείβα.

20. בִּשְׁלֹמָיו] בְּאַנְשֵׁי שְׁלוֹמִי. בַּעֲלֵי שְׁלֹמוֹ. Ut אֲנִי תְפִלָּה *Ego (vir) precationis ſuæ.* Pſ. 109. Theodor. εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτόν.

21. מַחְמָאֹת *Levia ſunt (ut) butyrina (verba) oris ejus*] i.e. Cujuſque eorum. מ eſt heemant. inquit R. S. ut כְּמִשְׁה כַאֲמַר &c. Alii ut Piſc. מ eſſe ſerv. pro מִן *præ butyris.* Them. eſt חמא unde חֶמְאָה Idem vult Kimchi in Rad. Idem Pagn.

פִּיו] *Verba oris.* Aut verte חָלְקוּ *lenierunt*; & tunc מ eſt ſervile.

בריתו] LXX. διαθήκην, perpetuo, *Teſtamentum.* Sic Vulg. Symm. παρέβησαν συνθήκην. Notus Idiotiſmus.

Et prælium eſt לבו] Id eſt, קְרָב לִבּוֹ. Pazer gadol.

פְתִחוֹת] Ab. פתח (חרבות שלופות) dicitur de rebus clauſis & ligatis. Pſ. 37. 14. *Gladium aperuerunt improbi.*

Verſ. pen. יְהָבְךָ] *Cura*, τὴν μερίμναν σου, Angli, *Onus tuum*, Sarcinam tuam, Ab. R.S. משאך. Et certe huc videtur alluſiſſe Petrus Epiſt. 1. cap. 5. *Omnem veſtram ſollicitudinem projicientes in Deum, quoniam ipſi curæ eſtis.* Jun. *Quicquid dat tibi*, ut ſit verbum. יְהָבְךָ habet ex Aben. qui hoc citat ex alterius mente. *Omnia ſive proſpera ſive adverſa à manu Dei ſunt.* Alii, *donum tuum*, quicquid donari tibi vis.

לְעוֹלָם] *Perpetuò.* Alii, *unquam.*

Verſ. ult. *Dimidiabunt*] Non pervenient ad dimidium dierum ſuorum quos ſperaverant. Quidam dicat, *Interibunt in flore cum per naturam diutius poſſent vivere.*

Hinc patet quomodo conciliari poſſit hic locus cum loco Jobi *Poſuiſti ei terminum quem non præteribit*, & cum Axiom. Theol. Omnia reſp. decreti divini fieri neceſſariò. Reſp. David loquitur de vitæ termino naturali, quem aliquis viribus naturæ aſſequi poſſet, Job. vero de vitæ termino divinitus decreto, qui non ſemper cum naturali congruit.

GROTIUS.

24. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Οὐ μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν. Non pervenient ad ætatem ad quam hominum multi perveniunt, & ipſi pervenire potuerant. Idem loquendi genus infrà Pſal. 101. 25. Res autem Exodi 20. 12. Si hæc pœna talibus Legis tempore fuit præſtituta, quantam exſpectare debent qui poſt lucem Euangelii tales ſunt?

PRICÆUS.

6. *Adverſùm me omnes cogitationes eorum in malum*] Suprà 41. 8. Apulejus 7. *Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequiſſimus, quàm ut me quoquo modo perditum iret.* Auguſtus apud Senecam 1. 9. de Clementia, *Ego ſum nobilibus adoleſcentulis expoſitum caput, in quod mucrones acuant.* Vide & Pſal. 118. 23.

7. *Ipſi calcaneum meum obſervabunt*] Suprà 36. 32. *Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum.* Quo loco mortificare, eſt quod in Græco θανατῶσαι. Ità & in Gloſſario, Θανατόω, mortifico.

8. *Sicut ſuſtinuerunt animam meam*] Sicut exſpectârunt perniciem, vel interitum meum.

Ibid. *Pro nihilo ſalvos facies illos*] Facies eſt, *fac.* Videtur hoc dicere, Ad nihilum redue eos, at non interfice: nimirum ut potentiæ tuæ, conſolationis autem meæ ſpecimina obambulent. Ità ferè infrà 58. 12. *Oſtendet* (i.e. oſtende) *mihi Deus ſuper inimicos meos, ne occidas eos.*

9. *Vitam meam annunciavi tibi*] Infrà 118. 26. *Vias meas annunciavi*, ſub. *tibi*; & 68. 6. *Tu ſcis inſipientiam meam, delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Vide & 138. 1. 2.

Ibid. *Vitam meam annunciavi tibi*] Aperui. Jobus 13. 15. *Vias meas in conſpectu ejus arguam.*

IDEM.

1. *Conculcavit me homo*] Suprà 7. 6.

6. *Adverſùm me omnes cogitationes eorum in malum*] In perniciem. Sic Pſ. 69. 4. *qui volunt mihi mala:* Eſther. 9. 24. *pararetur malum illi:* & ſæpe alibi

7. *Calcaneum meum obſervabunt*] Vias, actiones meas: quo ſenſu & Pſ. 48. 6. *iniquitas calcanei mei.*

9. *Vitam meam annunciavi tibi*] Ezechias Eſaiæ 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in anima mea amaritudine:* vel ſenſu quo 11. 20. Jeremias, *Tibi cauſam revelavi meam.*

12. *In me ſunt vota tua*, &c.] In memoria habeo, vel intra me contineo ea quæ vovi tibi. Infrà 65. 13. *Reddam tibi vota quæ diſtinxerunt labia mea.* Vide & ſuprà 49. 14.

13. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu*] Siracides 51. 3. *Liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ*, &c. Suprà 53. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me.*

Ibid. *Ut placeam coram Deo in lumine viventium*] Ut de manu inimicorum meorum liberatus tibi ſerviam in ſanctitate & juſtitia coram te omnibus diebus meis, Luc. 1. 74. 75.

PSALM. LVI.

MUNSTERUS.

Super columbam muti in remotis] Putant Prophetam hic ſeipſum vocare *columbam mutam & in remotis agentem*, quippe qui cauſam ſuam Deo committens, adverſariis ſuis nihil reſpondit, ſed longè ab eis diſceſſit. De dictione מכתם diximus ſuprà Pſal. 16. Hiſtoria Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 21

1. *Abſorbere me conatur homo*] Loquitur de Saule, qui illum ſæpenumero in ſummum adduxit vitæ diſcrimen, ut aliquando etiam deſperaret ſe poſſe illius evadere inſidias.

4. *In Deo laudabo verbum ejus*] hoc eſt, Laudabo Deum propter verbum ſuum, quo ille me confortavit & in ſe ſperare fecit.

7. *Propter iniquitatem eritne*] Monet hîc Kimhi hunc verſum legendum בתמיה cum admiratione; ut ſit ſenſus, *Impunesne erunt propter hanc iniquitatem quâ innocentem perſequuntur? Non erunt; ſed tu, Deus, depones eos & humiliabis eos.* Alii ſic legunt, *Vanè ſperant ſe evaſuros.*

VATABLUS.

1. *Victori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super columbam mutam in remotis* [על יונת אלם רחקים] *De columba taciturnitatis in remotis:* i. e. De columba taciturna & muta, conſtituta in locis remotis à Terra ſancta. *Columbam* ſe vocat David, Metaphora quâ priùs petebat *ſibi dari alas columbæ* quæ pernicıter volat. ¶ Ad *Michthan* מכתם[Hæc vox Hebræis ſign. *aurum:* propterea quidam vertunt, *Davidis inſigne aureolum:* acſi dicat Pſalmum ſive cantum iſtum tam pretioſum fuiſſe Davidi quàm aurum. Vide Pſal. 16. ¶ *Abſorbere voluit me* שאפני] Præt. Heb. *abſorpſit me*, vel *hauſit:* quod nonnulli vertunt per præſens, *abſorbet me:* aut, *abſorbere me conatur.* ¶ *Quotidie bellans*, &c. [כל היום לחם ילחצני] *Totâ die oppugnans divexat me:* vel, *jugiter impugnando coarctat me.*

2. *Abſorbere voluerunt me inimici* שאפו] Præt. Heb. *abſorbuerunt me*, &c. pro præſ. *Abſorbent me hoſtes mei per ſingulos*

ſingulos dies, aut *jugiter*. ¶ *O Excelſe* מרום] Quidam vertunt *elato animo*, referentes ad dictionem *pugnantes*.

3. *Timebo* אירא אני אליך אבטח] Vel per præt. imperf. *timebam, ego te nitebar*. Aut per præſens, *Quocunque die metu corripior, fiduciam ego meam in te colloco*. Alii, *Licet per diem timerem, tamen in te ſperabam*.

4. *Laudabo verbum ejus* אהלל דברו] Hebraïſmus, pro *Deum laudabo propter verbum ſuum*. Quidam vertunt, *gloriabor de verbo ejus*. Promiſſionem intelligit de Regno Iſraëlis. ¶ *Fidam* בטחתי] Præt. Heb. *ſperavi*.

5. *Verba mea dolore afficiunt me* דברי יעצבו עלי] Hebraïſmus, res meæ, ſive negotia mea, me fatigant. Quidam vertunt, *Verba mea moleſta reddebant*: vel, *calumniabantur*. Alii, *cauſam meam moleſtam reddunt*.

6. *Congregantur, delitescunt* יגורו יצפונו] Præt. & fut. Heb. *Simul ipſi morantur, & delitescunt*. Alii, *Convenerunt, contemplati ſunt*. Alii, *Conſpirant, & inſidiantur*. ¶ *Dum exſpectant animam meam* כאשר קוו נפשי] *Sicut exſpectant: cum exſpectant*. Alii, *ſi quo pacto capiant animam meam*. Præt. Heb. Nonnulli, *quemadmodum exſpectaverunt animam meam*.

7. *Propter iniquitatem evaſio erit eis?* על און פלט למו] *Quia peccaverunt, ſervabis eos?* Aut ſine interrogatione, *Spem evadendi collocant in verſutia*.

8. *Migrationes meas* נדי] *Evagationem meam: fugas meas*. Ad verb. *motionem meam*. Sing. pro plurali. ¶ *Numeraſti* ספרתה] *Numeratas habes*, i. e. cognoſces numerum migrationum quas migravi, i. e. quoties fugerim. ¶ *Pone lacrymas*, &c. שימה דמעתי בנאדך] Hebraïſmus, & Metaphora ab aquis, acſi dicat, Memor eſto lacrymarum mearum quas fudi coram te, & nè obliviſcaris. ¶ *Nonne in libro tuo* הלא בספרתך] *Nonne in commentario tuo* ſunt? Hæc interrogatio præparationem ſive accinctionem quandam ſignificat ad rem peragendam; & etiam confirmationem, reique certitudinem: propterea quidam vertunt, *Certè in libro tuo ſunt*.

9. *Tunc convertentur*, &c. אז ישובו] Quidam אז *tunc* vertit in *quoties*, & fut. per præſ. ſic, *Quoties invoco, hoſtes mei retrocedunt: in hoc certus fio quòd*, &c. ¶ *Pro me eſt* לי] Ad verb. *mihi*, ſub. *favet*.

10. *In Jehova* ביהוה] Repetitione hâc vim fiduciæ ſuæ in Dei promiſſione exprimit. Vide v. 4.

11. *Deo fido* באלהים בטחתי] Hic verſus eſt altera pars quarti præcedentis.

12. *Super me* עלי] *In me*. Hebraïſmus, pro, *mea intereſt reddere tibi vota, nempe ut te laudem: laudo igitur*. Sunt qui Hebraïſmum ſic reddunt, *Vota nuncupabo tibi, ô Deus*. ¶ *Reddam* אשלם] *Rependam*.

13. *Nonne pedes*, &c. הלא רגלי] *Certè pedes*, &c. Vide 8. verſûs annotationem.

CATSALIO.

1. *De columba procul muta*] De ipſo Davide, qui inter extraneos tanquam columba præ metu obmuteſcebat.

4. *In Deo promiſſa laudabo*] Stabit Deus promiſſis, idque laudabo. Vide animadverſa in Pſ. 138.

8. *Refer meas lacrymas in tuum ſacculum, hoc eſt in tuum commentarium*] Memor eſto mearum lacrymarum.

CLARIUS.

Titulus hujus Pſalmi in Hebræo habet, *Vincenti, De columba muta longè avolante, inſignia David, cùm eum Philiſthæi comprehendiſſent in Geth*. Quod autem ait, *De columba muta*, quidam putant criminis cujuſdam fuiſſe initium ad cujus numeros ſit hic Pſalmus compoſitus. Alii exiſtimant David ſeipſum *columbam mutam* & *longè volantem* vocaſſe, propterea quòd omnia Deo committens, & nihil adverſariis ſuis reſpondens, longè à ſuis fugiſſet, nimirum ad Philiſtæos uſque, gentem non ſolum alienigenam ſed & hoſtilem. Hiſtoria hæc legitur 1 Reg. 21.

1. *Conculcavit me homo*] Conculcare conatus eſt. Et per *hominem* intelligit Saulem, qui illum ſæpenumero in ſummum adduxit vitæ diſcrimen, ut aliquando etiam deſperare ſe poſſe illius evadere inſidias.

4. *In Deo laudabo ſermones ejus*] h. e. Laudabo Deum propter verbum ſuum, quo ille me corroboravit & in ſe ſperare fecit. Vel fretus Dei benignitate, boni conſulam quicquid ab illo immittitur mihi, &c. Recordabatur autem promiſſionis factæ ſibi per Samuelem.

5. *Verba mea exſecrabantur*] i. e. Calumniabantur quicquid inſtituebam.

6. *Inhabitabant & abſcondent*] Vel *ſimul morantur, & delitescunt, ac plantas meas obſervant, dum exſpectant ut capiant animam meam*.

8. *Fugas meas tu numeraſti*] Quàm ſcilicet fugere ſæpe compulſus ſim. ¶ *Pone lacrymas meas in conſpectu tuo*] Heb. *in utre tuo*, vel *laguncula tua*, ut ſcilicet videas quàm multæ ſint: & in *libro rationum tuarum* ſcribe eas.

12. *In me ſunt, Deus, vota*] i. e. Conſtitui offerre tibi ſacrificia quæ voveram.

13. *Ut ambulem coram Deo*] Ut poſſim ambulare in conſpectu tuo, mi Deus, illuſtratus *lumine* quo ſolent qui perpetuò *vivunt*.

LUCAS BRUG.

8. *Cantabo & Pſalmum dicam Domino*.] Sic quidam libri, cum Caſſiodoro Romano Senatore & Remigio Antiſſiodorenſi Epiſcopo: ad quem modum apud Hilarium legitur, *Cantabo & Pſalmum dicam tibi*. Alii verò libri nec *Domino* nec *tibi* agnoſcunt; duntaxat, *Cantabo & Pſalmum dicam* legunt; tres Pariſienſium, viginti octo noſtri: quibus Ruffinus, Auguſtinus, Haymo, Bruno, Lombardus, Ludolphus, Pelbartus, Paſtura, ſuffragantur. Suffragantur & Hebraïci ac Chaldaïci libri. Denique etiam Græci cum Græco enarratore Euthymio: ſed aliud quiddam (quod ipſum aut ſimile etiam Apollinaris & Theodoritus legerunt, &, quod minum eſt, inter Larinos Richardus Pampolitanus) adjiciunt, ᾄσομαι καὶ ψαλῶ ἐν τῇ δόξῃ μου, *cantabo & Pſalmum dicam in gloria mea*; id quod rectè à Vaticano exemplari omittitur: eſt enim ex 107. Pſalmo huic adjectum; quemadmodum ἐξεγέρθητι ἡ δόξα μου, *exſurge gloria mea*, ex hoc illi adjectum, nobis, poſt D. Hieronymum ad Suniam, videtur; quanquam in Hebraïco ex Anglia Pſalterio utroque Pſalmo legatur. Itaque & quod pleriſque Græcorum libris additur, ἐν τῇ δόξῃ μου, transfodiendum eſt; & quod quibuſdam Latinorum codicibus legitur *Domino*, jugulandum eſt. Sanè à Dominis Hentenio & Lindano rejectum eſt: & Lobienſe, Tornacenſe, manuſcripta, ac Jacobi editio, concorditer Romanæ Pſalmodiæ *Domino* addunt; Gallicanæ, quæ noſtræ eſt editionis, demunt.

DRUSIUS.

1. לַמְנַצֵּחַ עַל־יוֹנַת אֵלֶם רְחֹקִים לְדָוִד מִכְתָּם בֶּאֱחֹז אֹתוֹ פְלִשְׁתִּים בְּגַת. A. Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν τοῦ Δαυὶδ, ἐν τῷ κρατῆσαι αὐτοῦ Φυλισαίους ἐν Γέθ. Sym. Ἐπινίκιος ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς, ὑπὲρ τοῦ ἀλλοφύλου, ἀπωσμένου τοῦ Δαυὶδ, τοῦ ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου, ὅτε κατέσχον αὐτὸν οἱ Φυλισαῖοι ἐν Γέθ. V. ed. Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς τῆς μογιλάλου κεκρυμμένου τῷ Δαυὶδ εἰς στηλογραφίαν.

2. כָּל־הַיּוֹם. Sym. πᾶσαν ἡμέραν] i. e. *Aſſiduè & ſemper*, Theodoretus. ¶ כִּי־רַבִּים לֹחֲמִים לִי מָרוֹם. A. ὅτι πολλοὶ πολεμοῦσί με, ὕψιστε. Sym. ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ὑψηλότεροι.

3. יוֹם אִירָא אֲנִי אֵלֶיךָ אֶבְטָח. A. ἡμέρας φοβηθήσομαι ἐγὼ, πρὸς σὲ πεποιθήσω. Sym. ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φοβηθῶ σοὶ πέποιθα. Th. ἡμέρας φοβηθήσομαι, ἐγὼ δὲ ἐπὶ σὲ ἐλπιῶ. Quidam legunt, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας] In Fragmentis à me collectis, Sym. *Altitudinem diei non timebo: tibi enim confiſus ſum*: quod deſcripſi ex Theodoreto, niſi fallor. Alibi eſt, *Ab altitudine diei non timebo*, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι. Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretellam dicit οὐ additum eſſe. Idem legit, *Ab altitudine diei timebo*: quod ità enarrat ac ſi diceret, *non bellantes adverſum me, ſed tuum excelſum timebo lumen*. Cæterùm Theodoretus vulgatam lectionem exponit: quem vide, ſi vacas. Vide quoque Euthymium.

5. כָּל־הַיּוֹם דְּבָרַי יְעַצֵּבוּ. Sym. Διὰ πάσης ἡμέρας λόγους περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον.

6. יָגוּרוּ יִצְפּוֹנוּ הֵמָּה עֲקֵבַי יִשְׁמֹרוּ כַּאֲשֶׁר קִוּוּ נַפְשִׁי. Sym. Συνήγοντο λάθρα, καὶ τὰ ἴχνη μου παρετήρουν, προσδοκῶντες τὴν ψυχήν μου, *Congregabantur clàm, veſtigia mea obſervabant exſpectantes animam meam*.

7. עַל־אָוֶן פַּלֶּט־לָמוֹ. A. ἐπὶ ἀνωφελὲς διέσωσεν αὐτούς. Sym. διὰ τὴν ἀδικίαν ῥύσῃ ἀπ' αὐτῶν. V. ed. ὑπὲρ τοῦ μὴ εἶναι διασεσωσμένον αὐτοῖς. ¶ הוֹרֵד. Sym. κατασεῖσαι, *concute, proſterne*. In epiſt. ad Suniam, *Pro eo quod eſt Dejicies, i. e. καταβαλεῖς, male error obtinuit κατάξεις, i. e. Confringes* (imò *deduces*, ut ſit fut. à κατάγω, non à κατάγνυμι) *nam & in Hebraïco* הורד *habetur, i. e. καταβίβασον quod nos poſſumus dicere, Depone, & Sym. interpretatus eſt κατασεῖσαι*. Hucuſque Hieronymus.

8. נֹדִי סָפַרְתָּה אָתָּה. Sym. τὰ ἔνδον μου ἐξηριθμηταί σοι, *interiora mea numerata ſunt tibi*. ¶ שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ הֲלֹא בְּסִפְרָתֶךָ

בְּסִפְרָתֶךָ. Sym. ἔθου τὰ δάκρυά μου ἔνδον σου, μὴ οὐχὶ ὅταν ἐξαριθμῆς.

9. אָז יָשׁוּבוּ. A. Sym. Th. & V. ed. τότε ἐπιςρέψουσιν.

A M A M A.

1. יוֹנַת אֵלֶם] Dupl. accipi poteſt, aut ut ſit initium alicujus cantilenæ, ut Angli, Ital. & Aben. aut ut indicet materiam & objectum & occaſ. hujus Pſalmi. Sic acceperunt alii qui reddunt, ut Jun. *De (anima) vim patiente à manipulo longinquorum*, ut יונה ſit part. fœm. reſpondens ſubſt. deficienti נפש ut Eccl. 1. 1. Verum יוֹנָה nunquam ita accipitur, ſed pro *vim inferens* depopulans, unde apud Jirm. 25. verſ. ult. & Jirm. 50. 16. eſt Epith. gladii, propter furorem חֶרֶב הַיּוֹנָה. Deinde participia præſentia non ſolent ita regere nomina, ut ea per ab vel ab exprimantur, ſecus eſt in part. præt. כְּבֵה אֵל׳ Ideo melius redditur ab iis qui tamen idem ſpectarunt, *De columba obmuteſcentiæ*, ut Piſc. & alii, [*in*] *locis longinquis*. Ital. in marg. Pagn. Sic Chald. יונה שתו׳ קה׳ Et Aq. ὑπὲρ περιςερᾶς ἀλάλου. Luth. *Von der ſtummen tauben under den fremden.* Ut אֵלֶם ſit abſtr. à concreto אִלֵּם Eſt autem columba obmuteſcentiæ typus vel unius individui vel integri populi oppreſſi. De Integro populo accip. Lxx. ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων μεμακρυσμένου. Et Chald. *De Synagoga Iſraëlitica quæ ſimilis eſt columbæ mutæ.* Sed contextus Pſal. oſtendit ut & ipſe titulus primario ſic denotari unam perſonam ſingularem, ita tamen ut integro cœtui aptari cum ædificatione poſſit. Homo autem innoxius oppreſſus per Columbam adumbratur utpote quâ magis in noxium & ſimplex animal dari non poteſt. Et quidem per columbam mutam, quoniam hominibus innoxiis à potentioribus oppreſſis nihil proſunt lamenta, ideo in patientia poſſident animas ſuas, fretique conſcientiâ ad Tribunal Dei taciti provocant. Talis deſcribitur Chriſtus in Paſſione, qui ideo Ovi comparatur mutæ, quæ coram Tonſore non aperit os ſuum. Tales nobis depinguntur Eccl. 4. 1. *Vidi lacrymas oppreſſorum & non erat iis conſolator*, vel advocatus, παρακλητός: Quoniam à parte opprimentium eos erat robur & potentia. Ideò non erat ipſis conſolator.

מִכְתָּם] Κειμήλιον, *Clynodium*, *Ein gulden Kleinodt.* כָּתַם *notatus*, *inſignitus fuit*, *inſculptus fuit*, Jirm. 2. נִכְתָּם *notata eſt iniquitas tua coram me.* Hinc *Kethem* & *Michtham* res inſignis & pretioſa; *aurum*, ut Pſal. 45. בכתם אופיר Lxx. εἰς ςηλογραφίαν *in columnæ inſcriptionem.*

פְּלִשְׁתִּים] Ἀλλόφυλοι, Lxx. Proprium iis ut hos vocent Ἀλλοφύλους nomine generis ad certam ſpeciem reſtricto. Palæſtina Regio maritima fuit ad Occid. Terræ Sanctæ, fueruntque in ea V. urbes, Asdod, Aſcalon, Gath, Accaron, Gaza. Unde Pentapolis dicitur. 1 Sam. 21. 11.

Gath.] Lxx. γὲθ. Sic *Bath Beth.* Sign. & *Torcular.* Duplex Gath, *Philiſthæorum*, & Gath *Sacheper*, patria Jonæ in Tribu Zabulon.

2. שאפני] *Anhelat me*, i. e. אֵלַי *Anhelat ad me*, anhelando Jun.----*us perſequitur me.* Unum pro duobus. Vide ſupra. Vel, *abſorpſit me, exhauſit me*, i. e. conatur me abſorbere. Sic Angli, *Woule ſwallow mi op.* Pagn. *Abſorbere me vult.* Ita & Luth. It. *Deglutit me.* Reg. verba apud Ebræos ſæpe conatum duntaxat ſignif. Gen. 37. 21. *Audivit Ruben* וַיַּצִּלֵהוּ *nam non ſucceſſit.* Num. *Et pugnavit Iſraël cum Balak*, Exod. 8. 18. *Et fecerunt ſic Genethliaci*, i. e. voluerunt. Seq. enim, *Et non potuerunt*, ſc. producere, *pediculos.* Unde Jun. *Laborantes ſimiliter Magi non potuerunt.* Deut. 28. *Vendes te* &c. Ex. 12. *Si Peregr. fecerit Paſcha.* Amoſ. 9. Prov. 1. 10. In N. T. *Mundavi te & noluiſti mundari.* Matth. 18. 28. 24. 15. Act. 7. 26.

3. *Anhelant*] Sc. perſequendo me.

Nam multi] Jun. *Multi ſunt: propugnatores* [*adſunto*] *mihi è ſublimi*] מָרוֹם i. e. כְּמָרֹם. Pagn. *Quia multi bellantes pro me ſunt in excelſo.* Sed tunc potius כִּי vertit per *Sed*: nullus enim aliàs ſenſus. Alii, ut Piſc. *Quia multi propugnatores contra me elatè*, לִי pro עָלַי Sic & Hieron. & Lxx. & Sym. & Aq. במרום ut *Marom* ſic idem ſit quod רוֹמָה Mich. 2. 3. *Neque ambulabitis* רוֹמָה pro בְּרֹמָה. Arias *Excelſe*, Ital. *Altiſſimo.* Angli optimè, *Quia multi propugnatores contra me Altiſſimè.* Velut מרום ſit Conc. vel per Ellipſ. *Tu qui es* בַּמָּרוֹם, & ſic Aquila, ὅτι πολλοὶ πολεμοῦσι με ὕψιςε. R. S. ה"בה הירב בכר׳.

מרום videtur eſſe concretum Pſ. 92. 9. *Te autem, ô excelſe*, vel *tu autem excelſus es in ſæculum ô Domine.* Et Pſ. 75. 6. *Ne attollatis contra excelſum* לַמָּרוֹם *cornu virum.*

Buxtorf. in Dict. ad לחם hanc habet Regulam, Pugnare cum ל, eſt *pugn. pro aliquo.* cum ב, *cum aliquo*, cum אל vel על *contra aliquem.* Accipit *cum aliquo* cum ſocio, non, cum parte adverſa, contra diſtinguit enim à tertiâ conſtructione. Sed obſtant loca multa. Num. 21. 2. *Et Cananæum pugnavit* בישראל Sic adhuc bis eo capite. Reg. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον vera.

5. *Omni die*] Pag. (*Ob*) *verba mea dolore afficiunt* (me.) Eſ. 63. עצבו *dolore affecerunt Spiritum S. ejus.* Jun. *Res meas dolore afficiunt.* Eng. Ald. Gen. *Tordent mes propos.* Piſc. *Verba mea figurant*, formant, detorquent, aliamq. figuram & formam eis affingunt. עָצַב enim ſign. hoc etiam, Job. 10. 8. *Manus tuæ figurârunt me*, עִצְּבוּנִי Eſtque ea acceptio Metaph. Qui enim lutum vel ceram manibus digitiſque figurat, eam dolore quaſi afficit. Hinc עָצָב *imago*, עֲצַבִּים ad diff. עַצְּבִים *dolores.* Thar. verba mea מרתן elaborant. Angli *They wreſt*, *torquent*, *detorquent.*

6. יָגוּרוּ] Ab. legit יָגוּרוּ. גור & גדד ſignif. *conſociari*, *congregari*, Gen. 49. גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ, *Gad quod attinet turma conveniet in eum.*

כַּאֲשֶׁר] *Ut qui*, vel, *quandoquidem exſpectant animam meam*, i. e. quærunt. Et quidem in malum. Sumitur enim aliq. in bonum, Prov. 29. 10. *Viri ſang. oderunt juſtum: at recti quærunt* נפשו

בָּשָׂר] *Caro*, i. e. Homo, vide verſ. 12. Sed non ſine Emphaſi *Caro* pro homine ponitur, fit enim hoc ad fragilitatem ejus denotandam. Eſ. 31. 3. 2 Cor. 10. Pſ. 78. 39.

7. עַל־אָוֶן] Muſc. *Spem evadendi collocant in verſutiam.* Jun. *Pro iniquitate parito eis*, ſc. malum. פלט ſemel in Script. ſign. (Job. 21. 10.) *parere*, *eniti fœtum*, *Vacca eorum* תפלט *& non abortit.* Piſc. & Pagn. Sp. & Angli, *Num in* (vel *propter*) *iniquitatem evaſio erit ipſis?* Hæc enim eſt uſitata ſign. vocis, & tum erit Infinitivus pro Nomine. Duplici enim ratione ambiguus hic locus, vel ratione ſignif. vel modi ſignificandi. Scindl. *Pelle eos*, *ejice eos*, quia ſign. in Job. *emittere*, *ejicere fœtum.* Sic Lxx. ὤσεις αὐτούς licet alia Exempl. legant σώσεις *ſalvabis?* Et tunc etiam Interrogatio adhibenda, ut Mich. 5. Job. 2. &c. Lectio σώσεις melior, ſed qui de interrogatione non cogitarunt, putarunt locum eſſe corruptum, & σ abſtulerunt.

פלט *Parere*, *eripere*, *liberare*, ut ſit idem cum פלט.

Belg. *Wat ſy quaads doen, is ſchoon vergeven.* Lieſv. *Sy hopen te ontvlieden om hares misdaads wille.* Ita & It. in marg. *Suam evaſionem* [*poſuerunt*] *in iniquitate.* At in textu: *Sit evaſio eorum in vanum.*

8. נֹדִי] *Vagationem meam.* Lxx. ζωήν μου ἐξήγγειλα σοι. Fugit David 1. ad Regem Achis, 2. ad Rgem Moab, 3. ad Keilitas, 4. ad Deſertum Ziph, 5. in Deſertum Maon, 6. in Deſertum Engaddi, 7. in Pharan, 8. iterum ad Philiſth. quin & alibi quater ſedem mutavit metu Saulis.

נֹאדֶךָ] Lxx. Ἐνώπιόν σου.

בְּסִפְרָתֶךָ] *In numeratione tua*, i. e. In numerato tibi. Lxx. ὡς καὶ ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ σου. Jun. *An non eſſent in numerato tibi?* It. *Nunquid illa ſunt in regiſtro tuo.* B. *Sonder twijffel gy telletſe.* R. D. הלא eſt לשון חוק חיקו׳ denotat vehementiam & excitat.

שִׂימָה] *Poſuiſti.* Infin. pro Præt. ut Pſal. 8. תְּנָה pro נָתַתָּ, Lxx. ἔθου, aor. 2. verbi med. ἐθέμην, ἔθεσο. Jon. ἔθεο per Craſin Att. ἔθου.

12. עָלַי] *Super me*, i. e. Mihi incumbunt vota. Jun. *Mecum ſunt.* Lxx. ἐν ἐμοί.

13. *Coram Deo*] i. e. In gratiam & obſequium Dei. Lxx. Εὐαρεςήσω ἐνώπιον Κυρίου, *Placebo coram Domino.* Facere aliquid coram aliquo, vel in conſpectu alicujus, eſt, aliquid facere in favorem, gratiam & obſequium alterius, ut eum tibi devincias & demerearis; vel conari alteri, cui obligati ſumus, operam noſtram probare. Sic in Exod. Arioli dicuntur prodigia ſua exercuiſſe *in conſpectu Pharaonis.* Sic in Eccleſ. 6. 8. *Quid habet pauper qui novit vivere coram viventibus*, i. e. fortunatis, i. e. ita vivere, ut ad nutum eorum omnia agat, ut iis placeat. Sic Apoc. 13. *In conſpectu beſtiæ.* Geneſ. 17. 18. *Vivat Iſmaël meus.* לְפָנֶיךָ.

Ambulare coram aliquo eſt, 1. Vivere in favore & gratia ejus. Contrà, abjici à facie ejus. 2 Vivere ad nutum ejus, ei ſe accommodare, &c.

Coram Deo, aliq. aliter ſumitur, ut Pſ. 72. 5. *Timebunt te cum Sole, & coram Luna in generationem & generationem.* Poſtea, *Donec non erit Luna.* Et verſ. 17. *Nomen ejus in ſæculum, & coram Sole propagabitur nomen ejus.* Pſ. 102. ult. *Semen eorum coram te ſtabilietur*, ubi Lxx. εἰς αἰῶνα, Vulg. *in ſæculum.* Exod. 20.

מִדֶּחִי] Ἀπὸ ὀλισθήματος, *à lapſu.*

In luce viventium] In luce Solis, quâ fruuntur viventes. Rabb. *In Paradiſo.*

In Deo, in Domino] Chald. במימרא דיי׳ א במימרה דתמן

G R O T I U S.

P*Ro populo qui à ſanctis longè factus eſt, David in tituli inſcriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth*] Videntur

 Lxx.

Lxx. pro יונה [*columba*] legiſſe אמה [*populo*,] & pro אלם [*mutam*] legiſſe אלים [*Deos*,] & eà voce intellexiſſe *Dei filios*: quomodo multi interpretantur בני אלהים [*filios Dei*] Gen. 6. 2. præterea pro מכתם [*abſconditum*] legiſſe מכתב [*inſcriptio*,] ut ſuprà 16. Ex Hebræo verſio ſic optimè fluet: *Principi cantorum, de columba muta*, *Davide* ſcilicet, *carmen columnæ inſcribendum de eo tempore quo tenebatur à Philiſthinis in Geth. Columbam mutam* eleganter ſe vocat, quòd & innocens eſſet adversùs populum ſuum, & tamen hanc ſuam innocentiam Philiſthinis prodere non auderet.

PRICÆUS.

4. M*Iſit de cælo, & liberavit me*] Apulejus 9. *De cælo mihi miſſus ſoſpitator.*

Ibid. *Dormivi conturbatus*] Idem 5. *Flens ubertim deceſſit ad ſomnum.* Idem 4. *Lamentata ſic & animi dolore*, &c. *fatigata, marcentes oculos dimiſit ad ſoporem*: & continuò, *Jam commodùm conniverat, nec diu cum repentè lymphatico ritu ſomno recuſſa, longè vehementiùs afflictare ſe*, &c. *incepit.*

8. *Paratum cor meum*] Id fortè eſt, ſtabilitum. Symmachus ad Pſalmi 111. 7. ea, Ἑτοίμη ἡ καρδία αὐτοῦ, Ἑδραία, ἀμέριμνος.

IDEM.

5. E*Ripuit animam meam de medio catulorum leonum*] Sirachides 51. 4. *Liberaſti me*, &c. *à rugientibus, præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam*, &c. Vide ſuprà 16. 12.

Ibid. *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ*] Directus *filii* pro obliquo *filiorum*. Simile ſuprà 10. 5. *Dominus, in cælo ſedes ejus*: & 17. 31. *Deus meus, impolluta via ejus. Dentes* heic metonymicè intellige linguam, quæ

Dira volat, celerique in juſtum turbine fertur,
Non ſecùs ac nervo per nubem impulſa ſagitta,
Armatam ſævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, ſive Cydon, telum immedicabile torſit.

Ibid. *Et ſagittæ*] Jerem. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Adde ſuprà 10. 3.

7. *Laqueum paraverunt pedibus meis*, &c. *& inciderunt in eum*]

Circumretit enim vis atque injuria quemque,
Atque unde exorta eſt ad eum plerumque revertit.

Vide ſuprà ad Pſal. 9. 16. dicta.

8. *Paratum cor meum, Deus*] i. e. Fundatum, confirmatum, ſtabilitum: quo ſenſu accipio & Sirachidis 2. 20. illud, *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua*: & Pſ. 32. 14. *De præparato habitaculo ſuo*: ità ſæpe etiam in hoc libro, quod multis locis ritè intelligendis ſemel dici ſufficiat.

PSALM. LVII.

MUNSTERUS.

1. N*E perdas*] Kimhi putat iſtud titulo adjectum quod David ſuos repreſſerit his verbis qui conabantur & incitabant ipſum ad id ut perderet Saulem in ſpelunca cacantem atque in caſtris dormientem.

2. *Qui tranſigit cauſam*] h. e. Qui cauſam meam perficiet & deducet ad juſtum & optatum finem.

4. *Inter flammâ ſuccenſos*] Tanto enim furore & invidiâ ardebant æmuli David contra eum ut viderentur quaſi flammâ ſuccenſi contra eum.

5. *Exaltare ſuper cælos*] h. e. Oſtende te Dominum cœli, & declara *gloriam tuam in univerſa terra.* Id autem fiet ſi innocentes liberes de manu perſequentium eos.

8. *Exſurge, gloria mea*] *Gloriam* vocat laudem, quam linguâ, nablo & citharâ Domino reddebat.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Nè diſperdas* אל תשחת] Sub. *me.* ¶ *Michtham* מכתם] Vide Pſal 16, & 56. ¶ *Sperat* חסיה] Præt. Heb. *confiſa eſt*: *fiduciam habuit.* ¶ *Spero* אחסה] Fut Heb. *confidam*; *ſperabo.* ¶ *Tranſierit contritio* יעבר הוות] Ad verb. *tranſierit contritionum*, ſub. *tempus*: vel *calamitatum*, ſive *fraudum.* Alii volunt verbum ſing. jungi nomini plurali, proinde vertunt *tranſeant contritiones.*

2. *Clamabo* אקרא] Fut. Heb. pro præt. ut quidam vertunt, *Clamavi.* Alii, *Clamabam.* ¶ *Retribuentem mihi* גמר עלי] *Perficientem mihi*, ſub. *quæ promiſit.* Alii, *qui benefacit mihi.* Alii, *reddentem mihi*, ſub. *miſericordiam.* Nonnulli *qui tranſigit cauſam mihi* impendentem.

3. *Mittet* ישלח] Futura Heb. pro præteritis, ut quidam vertunt. ¶ *Probro deglutire volentis me* חרף שאפי] *Probro abſorbente me*, vel *vorante.* Quidam Hebræorum dicunt חרף eſſe præteritum, vertentes, *probris affecit abſorbentem me*: vel *ſprevit* robur illius qui *me abſorbere cupit.*

4. *Jaceo* inter *urentes* אשכבה להטים] *Habito* inter *flammâ ſuccenſos. Accubui* inter *flammis exurentes*: *inflammantes*, ſub. *me ſuis ſycophantiis & maledictis.* Repetitur *inter* primo loco poſitum. Fut. Heb.

5. *Exalta te ſuper cælos* רומה על השמים] *Attolle te ſupra cælos*: q. d. Oſtende opem tuam, ut homines te extollant ſupra cœlos. ¶ *Gloria tua* כבודך] Sub. *extendatur.* Sunt qui vertunt, *gloriam tuam*, ſub. *attolle.*

6. *Incurvavit* ille כפף] *Depreſſit*, ſub. *Saul*: i. e. ſtuduit me proſternere. ¶ *Animam* נפש] Pro toto homine.

7. *Paratum* נכון] *Confirmatum*: vel, *Firmum*, aut *Stabile.* Similia prorſus leguntur & Pſal. 108.

8. *Gloria mea* כבודי] *Decus meum*, i. e. anima mea: aut, ut alii, laus quam illis inſtrumentis volebat reddere. Hebraïſmus. Ità ſolet ſe excitare & hortari ad laudem Dei. Idem Pſal. 146. 1. dicit, *Lauda, anima mea, Jehovam.* ¶ *Nebel* הנבל] *Pſalterium.* ¶ *Exſurgam* אעירה] *Evigilabo.* Vel, *ſuſcitabo*, ſub. *vos*, vel *meipſum, ad laudandum Dominum.* Alii, *cùm evigilavero*: q. d. *Quotidie manè dicam, Excitare*, &c. Vel, cùm *expergiſcar* in *aurora.*

9. *Celebrabo te* אודך] Quidam ſubaudiunt *Quia*, ſic, *Quia laudaturus ſum te.* ¶ *Canam*, &c. אזמרך בלאמים] *Pſallam tibi in nationibus.*

10. *Veritas tua* אמתך] *Fides* [vel *fidelitas*] *tua*: q. d. Ubique omnes te veracem & fidelem experiuntur.

11. *Exalta te* רומה] Idem verſus cum quinto.

CLARIUS.

ILlud, *Nè perdas*, quod in Pſalmi titulo eſt, quod & duobus ſequentibus Pſalmis præmittitur, ſunt qui putent ſignificare quòd David ſuos repreſſerit, qui eum ut perderet Saulum incitabant, ſeſeque ad id offerebant. Alii putant carminis eſſe initium ad cujus numerum fuerunt hi Pſalmi compoſiti. Hiſtoria legitur 1 Reg. 24.

1. *Donec tranſeat iniquitas*] i. e. Iniquorum & tyrannorum perverſitas. Hieron. *donec tranſeant inſidiæ.*

2. *Qui benefecit mihi*] Hieron. *ultorem meum.* Alius, *qui tranſigit cauſam meam*, h. e. qui cauſam meam perficiet & perducet ad rectum & optatum finem. Heb. *qui perficit ſuper me.*

3. *Dedit in opprobrium*] Infames faciet eos qui conculcare me conantur. ¶ *Veritatem ſuam*] Vel *fidem*, quam ſuis ſervat.

4. *Inter furentes*] Quod alius vertit *inter flammâ ſuccenſos.* Tanto enim furore & invidiâ ardebant æmuli David contra eum ut viderentur quaſi flamma ſuccenſi.

5. *Exaltare ſuper cælos, Deus*] i. e. Oſtende te Dominum cœli, & declara *gloriam tuam in univerſa terra*: id autem fiet ſi innocentes liberes de manu perſequentium eos.

7. *Paratum cor meum*] Optimè animatus ſum, Deus: quare & voce cantabo, & muſicis inſtrumentis Pſalmos modulabor.

8. *Exſurge, gloria mea*] *Gloriam* appellat Linguam, vel Animam; & eam cum muſicis inſtrumentis per Proſopopœiam invitat, ut ipſam excitet auroram. Tale quid & apud Pindarum legis.

9. *Pſalmum dicam tibi in Gentibus*] Prædicit divulgandam in Gentes Euangelii veritatem & lucem.

LUCAS BRUG.

7. D*Eus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus.*] Antiqua Epanorthotæ exemplaria ſcribunt, *Molas leonum confregit Dominus*, quæ & Brugenſis MS. lectio eſt, quanquam alteram quoque annotatam habeat. Lugdunenſia etiam Biblia anni 1522, & Gloſſa Ordinaria anni 1540. in margine, aliàs *confregit* legi notant. Atque hæc Tractatoris Caſſiodori dilucida eſt lectio. Videtur & Remigii Antiſſiodorenſis fuiſſe; *Et molas leonum*, inquit, *i. violentas & apertas damnationes, ut, CRUCIFIGE, CRUCIFIGE, confringet Dominus quando reſurrexit, & mors illi ultrà non dominata eſt.* Similis eſt Richelii commentarius. Eſt autem hæc lectio Græcis libris conſentanea: iis enim priori verſûs parte futurum

turum συντρίψει, poſteriori aoriſtus συνέθλασεν, legitur: quibus Euthymius Græcus autor conſentiens ſcribit, *Illud etiam conſidera, quomodo aliquando Propheta in futuro tempore dicat* conteret, *& aliquando in præterito* confregit: hujuſmodi enim eſt Prophetarum mos, ut ſæpius diximus. Arnobius, Hieronymus & Beda duplex habent futurum. Hilarius & Auguſtinus duplex præteritum. Hebraïcè utrumque imperandi modo legitur: *Deus, excute* [*contere*] *dentes eorum*] *ex* [*in*] *ore eorum: molares leonum* [*catulorum leonum*] *confringe Domine:* quæ Hieronymi & aliorum interpretatio eſt. Nota autem, Anglicano codici pro נתוץ ſcriptum נתש.

DRUSIUS.

1. עַד־יַעֲבֹר. Sym. *donec tranſeat.* ¶ הַוּוֹת. A. ἐπιβουλή, *inſidiæ.* Sym. ἐπηρεαςὴς, *obtrectator*] Alibi eſt *calumniator:* ἐπηρεαςὴς, *qui aliquem damno afficit & vexat*; item *qui injuriam infert.* Aquilam ſecutus Hieronymus vertit, *donec tranſeant inſidiæ.* Hoc loco auſim ſupplere lacunam quæ in Theodoreto, apud quem diſertè ſcriptum legitur, *Hanc verò clauſulam* [*Donec tranſeat iniquitas*] *Sym. Donec tranſeat calumniator, dixit. Non conquieſcam igitur ait obſervando donec ab inſidiantibus liber ero.* Inſidiantes *enim Lxx.* iniquitatem *ab effectu appellaverunt.* Aliquid deſideratur. Puto leg. *Sym. Donec tranſeat calumniator, dixit, Aquila, Donec tranſeant inſidiæ. Non conquieſcam igitur,* &c. Euthymius, *Aquila autem* inſidias *dixit quod Lxx. hic* iniquitatem *reddiderunt.*

4. לְבָאִים אֶשְׁכְּבָה לֹהֲטִים. Sym. ἐνθαρσῶν ἐκοιμήθην μεταξὺ Φλεγόντων. A. - - - μετὰ λαύρων, alias, μετὰ λάβρων. Th. - - ἐκοιμήθην μετὰ ἀναλισκόντων] Μεταξὺ Φλεγόντων. Alibi *cum accendentibus*, i.e. cum iis qui Saulum Regem in me incendunt. להטים *incendentes.* Hoc Galli *boutefeus* appellant. Vulgò *incendiarii* dicuntur. Noli ambigere quin hæc declaratio vera ac germana ſit. Chaldæus hunc locum παραφράζει, *Dormivi tanquam inter carbones, quos ſuccendunt filii hominum.* Μετὰ λαύρων, *cum nimiùm voracibus.* λαῦρος, *vorax nimiùm, qui &* λάβρος. Apud Interpretem Theodoreti *cum incontinentibus.* Μετὰ ἀναλισκόντων, *cum conſumentibus.* ¶ חֲנִית. A. δόρυ, *haſta.* Sym. δόρατα, *haſtæ.* Th. τόξον. V. & VI. ὅπλον, *clypeus*, vel *arma.*

7. נָכוֹן לִבִּי. Sym. ἑδραία ἡ καρδία μου, *ſtabile cor meum.*

AMAMA.

ARgumentum Pſalmi genericum. Primo enim petit liberationem à perſecutione Saulis uſque ad verſ. 8. II. Contra perſecutionem illam ſe ſolatur.

1. אַל־תַּשְׁחֵת] *Ne perdas.*

Aben. על נעם פזם תהלתו אל תשחת.

Cum fugeret] 1 Sam. 24. Occaſio Pſ. & argumentum in ſpecie.

מִפְּנֵי] *A facie*, vel *metu.* Diſtinguendum à לִפְנֵי *coram* & aliq. *in gratiam.* Vide ſupra. Item à מִלִּפְנֵי quod 8 in SS. LL. occurrere annot. ad Pſ. 51. 13. ubi & ſignificat. ejus oſtendimus.

2. כְּנָפֶיךָ] כָּנָף *Ala avis*, unde *Avis* Prov. 1. vocatur בעל כנף 2. Transſumitur ad oram & extremitatem cujuſque rei.

I. *Ala veſtis*, extremitas, vel 2 tegumenti quo nos cooperimus in lectis. 1 Sam. 24. *Et abſcidit alam veſtis Saulis.* Sic Ruth. 3. *Expande alas tuas ſuper ancillam tuam*, hoc eſt, duc me in uxorem, quod Thargum reddidit, *Vocetur nomen tuum ſuper ancillam tuam.* Confer cum Eſai. 4. *Circumdabunt 7 fœminæ* &c. Sic, *Retegere alam alicujus* ſignificat *concumbere. Retegere alam patris ſui*, Inceſtum committere cum uxore patris. Deut. 22. 30. *Ne ducito quiſpiam uxorem patris ſui, & ne quis* יְגַלֶּה *retegat alam patris ſui.* Deut. 27. 20. *Maledictus qui concubuerit cum uxore patris ſui, quia detexit alam patris ſui.*

II. *Ala* ſign. *extremitatem terræ*, Eſ. 11. 12. *Et diſperſos Iſraël congregavit ex 4* כנפות *terræ.*

III. *Latera exercitus, equeſtres ordines.*

עַד־יַעֲבֹר הַוּוֹת] Sub. רוב vel איש. Sic Symm. ὁ ἐπηρεάςης, i.e. *Vexator, calumniator, injuriator.* Sic deſideratur Dan. 9. הַמְּרוּת אֲמָרָה i.e. איש ח ut Dan. 11.

3. גֹּמֵר עָלָי] *Conſummantem erga me*, ſc. benignitatem ſuam, vel *opus ſuum.* Sic Pſ. 138. 8. DOMINUS *perficiet, conſummabit erga me* (*benignitatem ſuam*) Vulg. *Retribuentem mihi*, i. גֹּמֵל id eſt *benefacientem mihi.* Scire licet גמל non tantum ſignif. retribuere bonum vel malum, ſed beneficiis vel maleficiis. Primò *aliquem provocare*, ut cum Deo tribuitur Pſ. 119. & Prov. 11. 17. גֹּמֵל *retribuit animæ ſuæ vir pius.* Lxx. ἀγαθὸν ποιεῖ. Sic hic τῷ θεῷ εὐεργετήσαντί με. Belg. *Die mijns jammers een einde maeckt.* Chald. *Qui præcepit araneæ ut conficeret in ore ſpeluncæ telam ad defenſionem meam.*

4 לְבָאִם pro לְבָאִים] גור. כפיר. ארי & אריה. לביא. לביא. ליש. שחל & שחץ.

גור λεοντιδεὺς σκύμνος.
כְּפִיר λεοντισκός.
אַרְיֵה λέων.
לָבִיא χάρων.
לַיִשׁ λῖς.
שַׁחַל λέων ἡ λεαίνα.

לֹהֲטִים] Sub. בְּתוֹךְ *in medio ardentium*, accenſorum odio & rabie contra me. Vel, incendiariorum quis ſuis maledicis & calumniantibus linguis Regis animum contra me accendunt.

5. רוּמָה] *Exaltare.* רום 1. Signif. *altitudinem loci*, 2. *gloriæ & honoris. Exaltavi te de medio pulveris.* Sic Deo tribuitur. Senſus ergo, exaltetur gloria tua, i.e. Excelſa & ſublimis appareat. Sic *Sanctificetur* &c.

Cælos] Th. *Angelos cæli.* Sic poſt pro *terra* על כל יהבי ארעא. Sic, Virg.

—— *Cælo gratiſſimus amnis.*

Gloria mea] Quidam *lingua.* Pſ. 16. *Ideo exultabit gloria mea*, & Petrus Act. 2. quod lingua ſit vel debeat eſſe *inſtrumentum gloriæ Dei.* Lxx. ἡ γλῶσσά μου. Pſ. 30. ult. *Et cantabit tibi gloria mea.* Kimchi vult eſſe Epith. animæ, quia ea eſt decus hominis. Sic Gen. 49. 6. *In ſecretum eorum ne veniat anima mea, & in cœtum eorum ne uniat ſe gloria mea.* Ubi idem membrum ex more ſcripturæ iteratur, ſed obſcurius. Sic & Joſ. 17. 14. *Cur dediſti mihi in hæreditatem ſortem unam & funem unum.*

8. נֵבֶל] *Nablium.* Lxx. νάβλα. Hier. *Pſalterium.* Santes Pag. *Lyra.* Sed Lyram à Nabla differre docet hic verſus οὐ ναῦλα κωκυτοῖσιν οὐ λύρα φίλα. Alii volunt eſſe *fiſtulam utricularium*, quia נֵבֶל eſt uter. Joſephus lib. 7. cap. 12. Antiq. ait habuiſſe 12. chordas & tangi conſueviſſe digitis, unde ſunt qui *Harpam* interpretantur, & David ſic fere pingitur. Amos 6. 4. Lxx. vertunt ὄργανον. Ubi ſic textus habet, *Væ iis qui* הפרטים על פי הנבל Vide quæ alibi de eo notavimus ex Rainoldo.

כִּנּוֹר] Lxx. κίνυραν, aliq. κίθαραν reddunt.

אָעִירָה] Lxx. ἐξεγερθήσομαι, *expergiſcar*, alii, *excitabo* [*vos*] שִׁירָה pro שִׁיחָה. Ita קריאי pro קרואי inquit Ab. hic שָׁלִיחַ, כְּשִׁיד, בָּחִיר.

GROTIUS.

N*E diſperdas*] i.e. Deprecatio.

PRICÆUS.

4. A*Lienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero*] Contrarium Jobi 31. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris egreſſa eſt mecum.*

5. *Quæ non exaudit vocem incantantis*] Nullis blanditiis, nullo obſequio molliuntur. Vide ſuprà 34. 14, 15, 16. qui locus iſti expoſitioni congruit. Apud Tacitum de Romanis Galgacus, *Quorum ſuperbiam fruſtrà per obſequium & modeſtiam effugeris.*

7. *Conteret dentes ipſorum in ore ipſorum*] Locutio qualis ſuprà 21. 15. *Cor meum*, &c. *in medio ventris mei.*

11. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*] Peccatorum. Innuitur hoc loquendi modo eorum magnam cladem futuram. Simile Geneſ. 49. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam:* i.e. vina ſupererunt ei. Vide & Pſal. 67. 24.

12. *Et dicet homo*, &c. *utique eſt Deus judicans eos in terra*] Job. 19. 29. *Ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.*

IDEM.

5. F*Uror illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis*] Infrà 139. 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis.* Lactantius 5. 5. ad Virgilii illud,

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris.

Odium, & invidiam, & dolum hominibus inſevit, ut tam eſſent quàm ſerpentes venenati. Imò ſerpentibus majorem inter ſe communionem quàm hominibus eſſe veriſſimè à Juvenale dictum. Vide infrà 139. 4. & Jacob. 3. 8. præcipuè enim hic agitur de veneno linguæ.

7. *Deus conteret dentes eorum*, &c.] Dominus (ut Jerem. 2. 37.) obteret confidentiam illorum: in ea nihil habebunt proſperum. Job. 4. 10. *Dentes catulorum leonum contriti ſunt.*

8. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur*] Eſt ὑστερολογία, pro, intendet arcum ſuum donec infirmentur, & tanquam aqua decurrens ad nihilum devenerint. *Donec infirmentur*, eſt quod Deuter. 32. 23. Deus, *ſagittas meas complebo in iis.*

9. *Sicut cera quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem*] Auferentur ut cera, quæ vi ignis aut Solis accedente, celerrimè dilabitur. Vide infrà 67. 3. *Non videbunt,*

non perferent, non ſuſtinebunt. *Auferentur* LXX. eſt ἀνταναιρεθήσονται, i. e. ἀφανισθήσονται. Vide Heſychium.

10. *Sicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*] Conjeci omnino legendum, *ſic viventes, ſic in ira a. e.* quæ geminatio & gratiam habet, & confirmatur verbis Græci contextûs, ὡσεὶ ζῶντας, ὡσεὶ ἐν ὀργῇ, &c. Ubi ὡσεὶ non aliud eſt quàm ὡς· ὡς autem id quod οὕτως. Heſychius, Ὡς εἰπὼν, οὕτως εἰπών. Sic ὡς ἔφατ', & ſimilia.

11. *Lavabit manus ſuas in ſanguine peccatoris*] Eſt idem (at cum augmento) quod *lætabitur* in præcedente membro, & ſuprà 51. 8. *ridebit*: non quòd juſti lætentur in improborum interitu, multoque minùs lavent manus ſuas in eorum ſanguine; at ut reſpiciatur quod fieri ſolet inter profeſſos inimicos, quorum rabies non rarò eò uſque provehitur, ut id invicem cupiant, reque ipſâ, ſi poteſtas detur, effectum dent.

12. *Et dicet homo, Si utique eſt fructus juſto: utique eſt Deus judicans eos in terra*] *Homo* hic eſt quivis, præcipuè autem qui dubitavit de providentia & juſtitia Divina. Claudianus,

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos ——

Judicans eos, id eſt, cauſam eorum. *In terra*, non de nihilo additur, vult enim ſubintelligi, quamvis ipſe in cœlo habitet. Vide 101. 20, 21. & 112. 5.

PSALM. LVIII.

MUNSTERUS.

1. O *Concilium*] Exponit hic Kimhi אלם pro קִבּוּץ, ut ſit quaſi אלומה *manipulus colligatus.* Et notantur per hanc *congregationem* proceres Saulis, qui conſpiraverant contra David unà cum Saule Rege eorum, quorum tamen officium erat Regem revocare à propoſito tam iniquo. Competit quoque hæc invectiva in Judices malos, rabulas forenſes, & adulatores aulicos.

2. *Rem injuſtam manus veſtræ appendunt*] h. e. Iniquam cogitationem corde conceptam manibus & operibus exſequimini, abutentes poteſtate veſtrâ in injuriam proximi. Sed mirum non eſt quòd tam mali ſunt, qui ab eo quo in hanc lucem nati ſunt *abalienati fuerunt* à timore Dei, mancipia facti ſpiritûs mali, qui exagitat eos & infundit peſſimum *virus*: & cùm monentur ut à lædendi ſtudio quieſcant, *obſurdeſcunt in morem aſpidis obturantis aurem ſuam, ne audiat vocem incantantis.*

6. *Contere dentes eorum*] Per *dentes* accipe verba noxia.

7. *Colliqueſcant ſicut aqua*] Ponit aliquas ſimilitudines quibus exprimit illis adimendam nocendi poteſtatem: Prima eſt *Aquæ dilabentis*; ſecunda, conantis jacere arcu jam extenſo, ſed cujus *ſagittæ* diſſiliunt; tertia, *limacis* intra teſtam *deficientis* & pereuntis; quarta, *abortivi*; quinta, carnis raptæ antequam *olla* calorem ſenſit: h. e. citò ſuperveniat illis perditio & ultio Dei, dum adhuc ſunt in felicitate ſua, & antequam conſummetur perverſitas eorum.

10. *Lavabit veſtigia ſua in ſanguine impii*] Hyperbole eſt, quâ ſignificatur impios delendos, ſuperviventibus juſtis.

VATABLUS.

1. V*ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Nè diſperdas* אל תשחת] Vide Pſal. 57. & 59. ¶ *Michtham* מכתם] Vide Pſal. 16. & 56. ¶ *Juſtitiam loquimini* צדק הדברון] Fut. Heb. pro præſ. Quidam vertunt, *Quod juſtum eſt decernitis*, vel *pronunciatis.* ¶ *Filii hominum* בני אדם] *Filiis hominum*, vel, *mortalibus.*

2. *Quin potiùs* אף] *Etiam.* ¶ *Violentiam manuum*, &c. חמס ידיכם תפלסון] *Vim* [*calumniam, rem injuſtam*] *manus veſtræ appendunt.* Hebraïſmus, pro, *quaſi in pondere & æquitate factum videre vultis quod per vim agitis.*

5. *Incantantis incantationem periti* חובר חברים מחכם] *Magi inter magos præſtantis.* Vel, *magi magicas artes ſcitè exercentis*, aut *eruditi.*

7. *Colliqueſcant* ימאסו] *Diffluant.* Modum precandi habent hæc quibuſdam: aliis magìs placet ut ſint prædictiones pœnarum adversùs impios. ¶ Et *abeant ſibiipſis* יתהלכו למו] i. e. Evaneſcant: q. d. Irriti ſint conatus illorum. Alii ad *aquas* referunt, vertentes *quæ pertranſeant in ſeipſis: quæ dilabuntur: quæ abeunt ſibi.* ¶ *Intendat* ידרך] Ità quidam, quòd tenſo arcu tendatur & ſagitta. Alii, *dirigat.* ¶ Sed ſint *ac ſi*, &c. כמו יתמללו] Ad verb. *ac ſi exciderentur*, vel, *confringerentur.*

8. *Nè videant* בל חזו] Quidam ſubaudiunt אשר *quæ non viderunt, quæ*, nempe *limax & abortivum.* Alii vertunt, *Non aſpicient Solem*, ut ſit præt. pro fut.

9. *Antequam*, &c. בטרם יבינו סירתיכם אטד כמו חי כמו חרון ישערנו] Ad verb. *Antequam intelligant lebetes veſtri* [vel *ſpinæ veſtræ*] *rhamnum: ſicut vivum* [aut *crudum ſive caro cruda*] *ſic ira, ut turbo perdat eum* aut *perdet eos*: ſing. pro plur. Petit ut celeriter pereant adverſarii ſui. Aut prævidet eos citiſſimè perituros: quod duabus ſimilitudinibus, *ſpinarum* videlicet & *Carnis crudæ citò raptæ* oſtendit: aut unà tantùm, nempe *Carnis crudæ*: nam varia eſt lectio. Si una fuerit ſimilitudo, inverſus eſt ordo, qui ſic ordinabitur, *Quàm citò cruda caro rapitur antequam lebetes in quibus ipſa coquitur ſenſerint* (id enim hoc loco *intelligere* ſignificat) *ignem rhamni velociter excitatum, tam celeriter Deus perdat iſtos impios*, ſive *perdet.* Vel, *Quàm ſubitò extinguitur ignis ſpinarum, antequam lebetes ſenſerint ignem rhamni, unde caro remanet cruda* [*ſic*, vel *tam citò*] *iratus Dominus perdat eos*, ſive *tollat de medio.* Si verò ſimilitudines duæ fuerint, pro *ollis* vertendo *ſpinas* (nam utrumque ſignificat סירים] rectus erit ordo, hoc ſenſu, *Antequam ſpinæ veſtræ minores adoleverint & excreverint in rhamnum, & ut caro cruda celerrimè rapitur antequam excocta ſit; ſic tam repentè pereant impii*, aut *peribunt*: ut prævideat potiùs (ut dictum eſt) quàm optet futurum ut impii illi perdantur, & id quàm celerrimè, antequam perverſitas illorum adoleſcat. Chald. *Priuſquam impii teneri dureſcant ſicut ſpinæ, donec ſunt herba, turbine deſtruet illos.*

10. *Lætabitur* ישמח] Verti poteſt per optativum, *Lætetur juſtus*, &c. ¶ *Lavabit* ירחץ] *Laverit*: i. e. dum viderit Deum tam gravem ultionem de impiis ſumere ut poſſit pedes ſuos lavare in ſanguine ipſorum.

CASTALIO.

9. A*C veluti ſi cujus ollæ ſpinas nondum ſenſerint, ſic illi tanquam crudi per iram vexentur*] Pereant ætate immaturâ, ut ſi carnes ex olla extrahantur ſemicrudæ. *Spinas*, i. e. ignem, qui fieri ſolet ex ſpinis.

CLARIUS.

INvectiva eſt in aſſentatores Saulis, ex quorum ultione prædicit juſtos mirè eſſe exhilarandos. Sed horum typo notantur omnes Chriſti & Chriſtianorum hoſtes.

1. *Si verè utique*] Alius ſic vertit, *Num verè, ô concilium, quod juſtum eſt decernitis? & rectè judicatis, ô filii hominum?* Et notantur per hoc *concilium* proceres Saulis, qui conſpirarant contra David unà cum Saule Rege eorum, quorum tamen officium erat Regem avocare propoſito tam iniquo.

2. *Injuſtitias manus veſtræ concinnant*] h. e. Iniquam cogitationem corde conceptam manibus & opere exſequimini, abutentes poteſtate veſtrâ in proximorum injuriam. Sed mirum non eſt quòd tam mali ſunt, qui ex quo tempore in hanc lucem editi ſunt *abalienati fuerunt* à timore Dei, mancipia facti ſpiritûs mali, qui exagitat eos & infundit peſſimum virus.

8. *Sicut limax*] Similes erunt limaci, quæ inter rependum colliqueſcit, *& abortivo*, vel *talpæ, quæ non videt Solem.* Ponit ergò quaſdam ſimilitudines quibus exprimit adimendam illis nocendi poteſtatem. Prima eſt *aquæ dilabentis*; ſecunda, conantis jacere arcu jam extenſo, ſed cujus *ſagittæ diſſiliunt*; tertia, *limacis* intra teſtam deficientis, vel inter rependum colliqueſcentis; quarta, *abortivi*; quinta *carnis*, raptæ antequam olla calorem ſenſerit: h. e. ſuperveniet illis perditio & ultio Dei dum adhuc ſunt in felicitate ſua.

9. *Priuſquam intelligant*] Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ, ô impii, in rhamnum, in flore ætatis veluti iratus Dominus ſubvertet eum, qui dux eſt veſter, unà vobiſcum. Alius vertit, *Priuſquam percipiant ollæ veſtræ rhamnum accenſum, ſicut crudum quid, ſic furor exagitet eum*: h. e. ſimiles erunt carni raptæ antequam olla calorem conceperit rhamni ab igni accenſi.

10. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam*] Juſti, ut Deum toto corde diligunt, ità, ut illuſtretur nomen Dei, etiam liberos odiſſe parati ſunt. ¶ *Pedes ſuos lavabit*] Hyperbole eſt, quâ ſignificatur impios delendos ſupervenientibus juſtis.

DRUSIUS.

3. דֹּבְרֵי כָזָב. Sym. οἱ λαλοῦντες ψευδῆ.

5. מְלַחֲשִׁים. A. & Th. ἐπᾳδόντων. Sym. ψιθυριζόντων. ¶ חוֹבֵר חֲבָרִים מְחֻכָּם. A. ἐπαείδειν ἐπαοιδὴν σεσοφισμένου.. Sym. ἐπαςοῦ ἐπῳδὰς σεσοφισμένου. Th. φαρμάκου φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ.

V. ed.

V. ed. φαρμακεύϛα φαρμακὸς] Apud Interpretem Theodoreti, Sym. *incantatur incantationibus ſapientis.*

8. כְּמוֹ שַׁבְּלוּל תֶּמֶס יַהֲלֹךְ נֵפֶל אֵשֶׁת בַּל־חָזוּ שָׁמֶשׁ. A. Ὁμοίως γῆς ἐντέρῳ τακὲν πορεύεται· ἔκτρωμα γυναικὸς ȣ̓ μὴ θεαματισθῶσιν ἥλιον, *Similiter ac inteſtinum terra colliquefactum abit: ut abortus mulieris non videant Solem.* Sym. ὡσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφωνεῖ, ἢ ἔκτρωμα γυναικὸς ἵνα μὴ ἴδωσιν ἥλιον. Th. ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς ἀνταναιρεθήσεται, ὡς ἔκτρωμα γυναικὸς ȣ̓κ εἶδεν ἥλιον. Χόριον. Scribitur & χορίον. Lex. Græco Lat. vetus, Χορίον γυναικὸς, *folliculum.* Διαφωνεῖ, *exanimatur.*

9. בְּטֶרֶם יָבִינוּ סִּירֹתֵיכֶם אָטָד כְּמוֹ־חַי כְּמוֹ־חָרוֹן יִשְׂעָרֶנּוּ. Sym. Πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν, ὥϛε γενέσθαι ῥάμνον, ἔτι ζῶντα ὡς ὀλόξηρον λαίλαψ ἀρεῖ. Apud Interpretem Theodoreti, Sym. *Prinſquam ſpinæ veſtræ creſcant in rhamnum, adhuc viventes tanquam turbo omnia ſiccans tollet*] *Creſcant*, יבינו αὐξηθῶσιν. Nè ſperne. Scholia Camii Ebræi פי' יבינו יפרחו. R. quidam Hai apud Aben-Ezram exponit יגמלו, quod eundem ſenſum habet. Verbum הבין hoc ſignificatu uſurpant etiam Deuterotæ, quos *Thalmudiſtas* indigitant. ישערנו. A. λαιλαπήσει. Sym. λαίλαψ ἀρεῖ. Th. κατεπίεται. *Viventes.* Ex contrario intellige quo ſpinam *mortuam* dicimus, i. e. ſiccam & aridam.

AMAMA.

Pſalm partim σχετλιαςικὸς, partim imprecatorius, partim παραμυθητικὸς. σχετλιας. à verſ. 2. ad 7. Imprec. à 7. ad 10. Cætera ſunt παραμυθητικά.

1. אֵלֶם] Ebr. קָהָל, *ô congregatio! O Aulici Saulis!*

Lxx. ἄρα. Vulg. *Si vere, utique*, ac ſi eſſet אלם Luth. *Zijt ghy dan ſtom*, q. e. אִלֵּם

3. וְאַף] *Quin etiam.* Subj. ad præc. Interrog. q. d. tantum abeſt ut hoc faciatis, ut toto animi ſtudio iniquitates &c.

Operamini,] i. e. Facitis. Sic Matth. 20. 12. contra ἐποίησαν μίαν ὥραν. תְּפַלֵּסוּן ſupra eſt Jethib, infra Mercha.

Appenditis תְּפַלֵּסוּן] Non appenditis innocentiam meam & merita mea in Saulem ut juſti Judicis eſt, ſed Violentiam. Judicis eſt appendere facta de quibus judicabitur una cum præmiis vel pœnis quibus illa digna ſunt, ut pœna par ſit delicto & præmium recte facto. Unde juſtitia pingi ſolet cum libra.

4. זֹרוּ] Ut ארו מבו Sic Jeſ. 1. 6. 'ב.

5. כִּדְמוּת] דמות & תאר . צלם ſic diſtinguuntur צלם ſignif. *formam ſpecificam, eſſentialem*, qua res eſt id quod eſt & ab aliis diſtinguitur. תואר ſig. *formam externam, figuram*, ut 1 Sam. 28. מַה תָּאֳרוֹ. Sic *pulcher* תואר. At דמות ſignif. ſimilitud. ſaltem in re una aliqua. Pſ. 102. *Similis ſum* נִדְמֵיתִי *Pelicano in deſerto.* Sic homo dicitur creatus כדמות Dei.

נָחָשׁ] *Serpentis.*

פתן] *Aſpidis*, cujus morſus eſt inſanabilis, niſi pars contacta mox amputetur.

Obturat aurem ſuam] Hac ſimilitudine obſirmatam & obſtinatam eorum improbitatem exagitat.

6. יִשְׁמַע לְקוֹל] Maſſ. 'ר. Ut Gen. eò quod שמעת וישמע אברם לקל שרי' לקול אשתך, &c. Et ſign. *auſcultare, obedire, dicto audientem eſſe.*

מלחשים, *muſſitantium*] Magi incantamenta muſſitabant, unde ea Apul. vocat *ſuſurramina magica*, Gr. ψιθυρισμὸς. Lxx. ἐπᾳδόντων. Sy. ψιθυριζόντων.

חוֹבֵר חֲבָרִים] *Incantans incantationes*, ut קסם קסמי' *divinans divinationes.* i. e. Utens incant. divinat. Ad verbum *conſocians ſocietates*; quod conſociarent noxia animalia in locum unum. Vel, quod conſociarent dæmones, quod Diaboli ſocietatem ad artes ſuas adhibebant. Sic Aben-Ezra.

Obthurantis aurem ſuam.] Sunt qui hoc literaliter accipiunt, unde Jun. ex Aug. Hier. & Caſſiod. & Plin. dicit aſpidem callide agere adverſus incantamenta: Aurem enim alteram in terram defigit & alteram extremâ ſui parte occludit & obtegit. Sed Rainold. aliique Theol. hoc negant, quia inde ſequeretur intellectum ipſis ineſſe, putantque eſſe figuratam locutionem quæ idem ſignificet quod ſequens Phraſis, *Quæ non auſcultat voci*, i. e. quæ non facit id quod incantator intendit. Quid illud eſt? Ne mordeat. Senſus ergo eſt, ſicut aſpis quæ licet incantetur, tamen mordet, inobediens vel nihil curans incantamenta.

Conferri debet cum Jirm. 8. 27. vide infra. Quod ibi eſt, *& mordebunt vos*, hic eſt, *obturat aurem ſuam.* Sic Matth. 8. Mare & venti dicuntur *obedire Chriſto*, *eumque audire.* Eodem modo lapſi ſunt Interpretes in 1 Cor. 15. ἐθηριομάχησα dum vocem figuratam proprie ſumſere.

Verum ſiquidem illud eſt experientia comprobatum, Incantari & rumpi poſſe ſerpentes, itaque compeſci ut non noceant. Jirm. 8. 27. *Immittam vobis ſerpentes quibus non erit incantatio, & mordebunt vos.* Sunt ergo adverſus quos valet incantatio, quando ſc. Deus id Satanæ permittit. Kohel. 10. 11. *Si ſerpens momorderit antequam incantata ſit, nullum emolumentum erit incantatori.*

II. Experientia. Virg.

Frigidus in pratis &c.

Ovid. dicit.

Vipereas rumpi verbis & carmine fauces.

2. Baptiſtæ Montani & Andreæ Maſii apud Wier. 2. 1.

Cavenda itaque hic duo ſunt. I. Ne putemus hoc exemplum eſſe Apologum & Fabulam, ut Judicum 9. Sed eſſe ſimilitud. In qua oportet aliquid eſſe veri, ut in ſeq. de *Limace*, & *Abortu.*

II. Ne putemus incantationem hanc efficacem eſſe vi verborum. Eſt enim & potentia Diabolorum, quam eis permittit Deus. Vel eſt quidem à verbis, ſed non ut cauſis, verum ut ſignis. Agere videtur Diabolus cum ſuis ut Deus cum ſuis. Deus iis, qui participant ſacramenta condonat peccata non vi ſacramentorum, ſed ex parte & promiſſione. Joſeph. lib. 8.

7. הֲרָס־] Lxx. συνέτριψεν, συνέθλασεν.

Dentes eorum] Virulentiam & potentiam oppreſſorum vocat dentes. Ut enim feræ lædere ſolent pugnareque dentibus, ita impii lædunt virulentia & calumnia.

מַלְתְּעוֹת] *Molares*, Vulg. *molas* Lxx. Μύλας, Ch. ניבין. נִתְּצוּ in Niphal נִתַּץ *evulſus eſt.* Job. 4. *Dentes catulorum* נִתָּעוּ. Maſſ. 'ל. Nam Joel 1. dicuntur מְתַלְּעוֹת

8. *Intentet ſagittas ſuas, ſed illæ tanquam in ſpicas abeant.*

Intentet] Unuſquiſque eorum, Ebr. *calcabit*, ut *calcare arcum*, i. e. tendere. Synecdoche membri Meton. Nam uno cum effecto deſtinato intelligitur finis. Qui enim propoſitum ſibi habet ejaculari ſagitt. primò calcando intendit arcum, deinde ſagittam imponit.

In ſpicas abeant] יתמללו, ut ſit à מלל, unde מְלִילוֹת *ſpicæ*, Deut. 23. Elegans antitheſis tum ob figuræ ſimilit. tum ob acumen. Alii, *ſuccidentur* à מול. Senſus *fiant tanquam exciderentur.* Sic Pſ. 90. *Ad veſperam ſuccidetur & areſcet* ימולל ויבש Aben.

Et tunc כמו erit Caph veritatis ἀλήθινον. Lxx. ἕως ȣ̓ ἀσθενήσȣσιν.

9. *Sicut limax*] Lxx. ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς, *ut cera liqueſcens*, alii, *ut limax liquefactiones*, alii, *ut limax*, אשר *liqueſcit.* Chald. דמאס

Abortus mulieris] Lxx. ἔπεσε πῦρ. Geneb. nugatur hic. Sym. Aq. ὡσεὶ ἔκτρωμα γυναικός.

Quæ abit] Abire dicuntur res inanimatæ & animatæ, quæ intereunt & moriuntur & evaneſcunt. Gen. 15. 2. *Ecce ego* הלך ערירי ἄτεκνος *improbis.* Lxx. ἀπολύομαι ἄτεκνος. Job. 10. *Prinſquam abeam & non revertar.* Quo refer quod F. Pomp. notat. *Mortem antiqui abitionem vocabant.* Unde Tertull. ævo dicebant de mortuis, *abiit & revertetur.* Pſal. 125. 5. *Declinantes in perverſitates Domini* יוליך *cum operariis iniquitatum*: Inan. Hoſ. 13. *Sicut Ros matutinus* הלך. Unde Arabice הלך nihil ſignif. niſi *perire*. Sic עבר Ebr.

10. *Antequam* יבינו *Sirothecem* (Eng. Ald. *ollæ veſtræ*) *intelligant*] i. e. Sentiant ollæ veſtræ Rhamnum, ignem Rhamni vel cardui ſubjectum, Jun. Piſc. alii, *Antequam ſentient*, i. e. ſentientur, *ſpinæ veſtræ*, per ſuppl. אשר סירות ſpinæ cynosbati. *Kynosbaton* teſte Dioſc. *eſt frutex multo amplior rubo, folia lata habens & aculeos robuſtos.* Quidam *Eglenterium* putant. Eccl. 7. 8. Jud. 10. Sym. πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὥϛε γένεσθαι ῥάμνον.

Gomarus, *Antequam veſtræ ollæ ſpinas intelligant* (i. e. ſubjectum ignem ſpinarum) *ſicut vivit*, (quàm verè vivit) *in ira procellet eum*, (Eum, unumque eorum ſub. Deus. Vel, ſi placet retinere כְּמוֹ per כ erit ἀλήθινον.

Alii, *Antequam intelligent homines ſpinas veſtras factas Rhamnum.* Sic Ebræi. *Spinæ ſunt teneriores frutices, Rhamnus eſt ſpina major quæ arboris ſpeciem gerit*, inquit Kimchi. Senſus, antequam ſpinæ veſtræ pervenerint ad juſtam magnitudinem

כמו חי כמו חרון, tam *vivam* quam *aduſtam ſpinam.* Jun. חרה enim ſig. *irâ & igne accende* Vernante primum Kynosbato quædam ſpinæ virentes ſunt quædam exſuccæ & aridæ. Notetur hic uſus duorum כ vel כְּמוֹ

Alii, *quaſi vivum* unumquemque eorum *ſecundum iram*, vel (ut alii videntur leg. ut Angli & Lxx. ἐν ὀργῇ) *in ira procellet eum.* מוב חרון eſt ſyll. expletiva.

Senſus. Antequam ego & mei lædemur conſiliis veſtris perniciosis tam recentibus quam veteribus Deus vos evertet. Vetera comp. aduſtis. Nova redivivis.

Menander:

Οὐδεὶς ξύνοιδε ἐξαμαρτάνων, ὅσον
Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος ὕϛερον δὲ ὁρᾷ.

11. *Greſſus*] *Pedes.* Met. effecti.

רַגְלֵי] Ab חרשש *inquietare*, Job. 34. quod eos ſemper inquietet

tet mala conſcientia, unde ipſi perpetuò inquieti & intolerabiter cruciantur. Nero patrato matricid. ſceleris conſcientiam ferre nunquam potuit, ſæpe confeſſus ſe maternâ ſpecie, verberibus furiarum ac fœdis ard. exagitari. Ipſeque Princeps Legibus ſolutus qui gloriari ſolebat nullum Cæſarum ante ſe ſciviſſe quantum ſibi liceret, Eleuſiniis ſacris, à quibus impii & ſcelerati voce præconis ſubmovebantur, intereſſe non fuit auſus. Tacit. p. 312. Cæſar peracto ſcelere magnitudinem ejus intellexit reliquo noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pavore exurgens & mentis inops lucem operiebatur tanquam exitium allaturam

An hos tu
Evaſiſſe putas quod diri conſcia facti
Mens habet attonitos & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Pœna autem vehemens & multo ſævior illis
Quas aut Cœdilius gravis invenit aut Rhadamant.

Deut. 28. 67. *Non eris certus de vita tua. Unoque mane dices, ô ſi eſſet veſpera! Et quâque veſperâ, ô ſi eſſet mane! præ pavore cordis tui quo pavebis, & præ vi oculorum quod videbis.*

Tum vero hæc inquietudo in hac vita viciſſitudinem aliquam habens in Gehenna erit perpetua & ſine intermiſſ. æterna, prætterquam ſi nihil aliud haberet æterna mors certè adhuc eſſet cogitatu horribilis. Homines improbi in hac vita à *ſomno* ſæpe remiſſionem habent & inducias hujus inquietudinis. Unde Oreſtes ſic ſomnum alloq. in Eurip.

O dulce demulcens ſomne remedium morbi
Quam ſuavis mihi advenſti oportuno tempore!
O veneranda oblivio malorum quam optanda
Dea es Calamitoſis!

Unde Ariſt. Eth. 1 Beatos differre ait ab infelicibus tantum dimidio vitæ. Sunt & alia avocamenta vigilantibus, ut cum Ajax apud Soph. cum putaret ſe mactare Ulyſſem Agam. &c. hoſtes fruebatur hilari inſania, & interim avocabatur à doloris ſenſu. At in inferno nihil tale erit, nulla remiſſio, nulla reſpir. nullæ induciæ.

12. אלהים] De eo aliàs.

GROTIUS.

10. P*Riuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*] Optima verſio ad Hebræum videtur, *Priuſquam caldaria veſtra* (ſive *lebetes*) *ſentiant rhamnum* (id eſt, ignem ex rhamno, qui celerrimè ardeſcit & calefacit,) *ſic vos quaſi viventes abſorbebit ira* (Dei) *turbine* (id eſt rapidiſſimè.) סירות ſunt *caldaria.* Apparet id Eccleſ. 7. 7. ubi pariter *ignis è ſpinis* mentio. Vide & Exod. 16. 3. ubi & aliis multis in locis λέβητα [*lebeta*] vertunt Græci, alibi χαλκεῖον [*ahenum.*]

PRICÆUS.

5. S*Ine iniquitate cucurri, & direxi*] In ſimplicitate cordis ambulavi, & direxi greſſus meos.

IDEM.

4. C*Eperunt animam meam*] LXX. ἐθήρευσαν, id egerunt ut caperent:. quod & meliùs convenit iis quæ ſuprà 53. 5. *quæſierunt animam meam.*

Ibid. *Irruerunt in me fortes*] Jobus 30. 14. *Quaſi rupto muro & apertâ januâ irruerunt ſuper me.* Idem 16. 15. *Irruit in me quaſi gigas*, id eſt, *fortis.* Heſychius, Γίγας, ἰσχυρός, &c. In Epidico Plautina

—— *In te irruunt montes mali.*

Apteque voce iſtâ oſtendit infeſtam ac feſtinatam rabiem. Donatus in Eunuch. 4 7. *Irruere propriè dicuntur qui prælium cum furore ineunt:* & in 3. 2. Adelp. *Ruere, eſt, toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt qui ipſi præcipites, alios proſternunt.*

5. *Neque iniquitas mea*] Ità ſuprà 10. 4. *Juſtus autem quid fecit?* Jobus 16. 18. *Hac paſſus ſum abſque iniquitate.*

Ibid. *Sine iniquitate cucurri, & direxi*] Subaudi, *pedes* vel *greſſus meos.* Vide 118. 128.

6. *Exſurge in occurſum meum*, &c. *intende ad viſitandas gentes*] Suprà 34 23. *Exſurge & intende judicio meo.*

8. *Loquuntur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum*] Suprà 54. 22. *Molliti ſunt ſermones eorum, & ipſi ſunt jacula.* Vide & 61. 5.

Ibid. *Quoniam quis audivit?*] i. e. Quoniam nemo audit, quæ nempe inter ſe concinnant: vel, *quoniam*, ſubaudi dixerunt, *quis nos audit?* ſimile infrà 93. 7. Vel ſic, quoniam tu Deus ad tempus ſiles, quaſi non audiens.

10. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*] *Sperabo*, (ut 70. 14) *& ſuper laudem tuam adjiciam. Non recedam* (ut Job. 27. 5.) *ab innocentia mea, juſtificationem meam quam tenere cœpi, non deſeram.* Idem 17. 9. *Tenebit juſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem:* ubi & vides, quæ hoc Pſalmi loco, *fortitudinis* vocem.

12. *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos*] Oſtendet mihi brachii ſui potentiam in depreſſione eorum.

Ibid. *Ne occidas eos, ne quando obliviſcantur populi mei*] Vivant, ut oſtenſui ſint, atque eâ re non ſinant populum meum obliviſci potentiæ & clementiæ tuæ mei ſuique intuitu manifeſtatæ.

Ibid. *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos*] *Luant* (ut Job. 20. 18.) *quæ fecerunt omnia, nec tamen conſumantur.* Bene autem *depone eos*, poſuerant enim (ut 72. 9.) in cœlum os ſuum.

13. *Sermonem labiorum ipſorum*] Superbos eorum ſermones; ſubaudi, caſtiga.

15. *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes*] Qui ſub veſperam maximè eſuriunt. Sic Jer. 5. 6. *lupus ad veſperam.*

16. *Diſpergentur ad manducandum*] Quaſi onagri in deſerto egredientur ad opus ſuum, vigilantes ad prædam, panem liberis præparantes: ut de non diſſimilis notæ hominibus Jobi 24. 5.

Ibid. *Si verò non fuerint ſatiati, & murmurabunt*] Si non quantum poſtulant acceperint, non ſolùm gratias non agent de eo quod acceperint, ſed & murmuratione donatorem proſequentur. In hoc ergò aptè eos comparat canibus. Seneca epiſt. 72. de Attalo, *Solebat hâc imagine uti. Vidiſtine aliquando canem fruſta panis aut carnis à Domino miſſa aperto ore captantem? Quicquid accepit, protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis, quicquid exſpectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti.* Apud Gellium 9. 2. & de homine ex eorum ſecta cui à Canibus nomen inditum Philoſophum ementiente, *Erraticum*, (Pſalmiſtæ verbis dicas, *circuitatem circumeuntem*) *ac niſi accipiat quod petit convicio turpi ſolitum inceſſere*; pro quo in Pſalmo, *ſi verò non fuerint ſatiati, murmurabunt.* *Canes ſatietatem neſcientes*, habemus & 56. 11. apud Eſaiam Prophetam.

17. *Exſultabo miſericordiam tuam*] i. e. Labiis exſultationis te laudabit os meum, ut infrà 62. 6. Locutio autem qualis ſuprà 50. 16. illa, *Et exſultabit lingua mea juſtitiam tuam.*

Ibid. *Quia factus es ſuſceptor meus*] *Miſericordia* (ut 39. 12.) *& veritas tua ſuſceperunt me.*

Ibib. *Et refugium meum in die tribulationis*] *Spes mea* (ut Jer. 17. 17.) *in die afflictionis.*

PSALM. LIX.

MUNSTERUS.

H*Iſtoria hujus Pſalmi ſcribitur 1 Sam. 19. quomodo David ab inimicis ſuis vallatus, ferè captus fuit, niſi ab uxore monitus fuiſſet.

6. *Revertuntur ad veſperam*] h. e. Sanguinarii à Saul miſſi ibant & redibant, domum David cuſtodientes, ne ille effugeret manus eorum, *fremebantque in morem canum* qui feram inſequuntur, *& diſcurrebant per civitatem*, nè ullo modo evaderet manus eorum, illi inſidias tendentes.

7. *Quoniam quis audit*] Dum circuirent domum varia captabant conſilia, quæ David intra domum audivit: illi autem putabant ſe ſecretò loqui, arbitrantes neminem ea audire; cùm tamen Deus audiret etiam ſi nullus homo audiſſet. Elapſo igitur David & proditis conſiliis, dicebant, *Quiſnam audivit hæc noſtra conſilia?*

9. *Fortitudinem ejus ad te cuſtodiam*] Loquitur de ſeipſo quaſi de alio in hunc modum, Domine, ipſi quærunt ſervum tuum ut illum perdant, ſed *fortitudo ejus* erit *apud te*, apud te, inquam, ille *repoſitam habet fortitudinem ſuam*, quâ fortior illis erit. Eſt enim ſubita perſonarum mutatio frequens apud Prophetas.

12. *Propter peccatum oris eorum*] In Hebræo non eſt *propter.* Eſt autem ſenſus, Magnum eſt peccatum oris eorum, dum nihil loquuntur niſi mera *mendacia & perjuria* in perditionem innocen-

nocentium. Mihi videtur hîc יכפרו capiendum pro ירנו. Exponit enim poſterior pars verſiculi priora verba.

14. *Revertentur ad veſperam*] Senſus eſt, *Sicut veſpere me capturi ibant & revertebantur, ſic Deus percutiet eos fame, ut cogantur veſpere quærere panem, & reverti in domum ſuam, atque pernoctare, ventre non ſatiato.* Sunt etiam qui hunc locum ſic intelligunt, *Vagabuntur pro cibo quærendo, ſed non ſatiabuntur, nec habebunt ubi divertant & nocturnam habeant quietem.*

VATABLUS.

1. V*ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Nè diſperdas* אל תשחת] Sub. *me*; i. e. nè ſinas me perdi. ¶ *Ipſius Davidis Michtham* לדוד מכתם] Vide Pſal. 16. & 56. ¶ *Ut obſervarent* וישמרו את הבית להמיתו] Ad verb. *& cuſtodierunt domum, ut interficerent eum*: pro, *ut cuſtodirent* [ſive *obſervarent*] *domum, & interficerent eum.* ¶ *Extolle me* תשגבני] *Statue me in loco alto*, i. e. tuto: nam *ſublimis locus* pro *tuto* ſæpe ponitur. Alii, *recipe me.* Alii, *protege me.*

3. *Inſidiantur* ארבו] Præt. Heb. *inſidias paraverunt*; *inſidiati ſunt.* ¶ *Abſque prævaricatione mea* לא פשעי] *Non* ob *ſcelus meum*; aut *iniquitatem meam.* Alii, *non tranſgreſſionis meæ gratiâ*: vel, *nullâ tranſgreſſione meâ adducti.*

4. *Abſque iniquitate* mea *accurrerunt* בלי עון ירוצון ויכוננו] Ad verb. *In non iniquitate current, & inſtruent ſe.* Fut. pro præt. aut præſ. ¶ *Suſcita te* עורה] *Vigila, exſurge.*

6. *Revertuntur*, &c. ישובו] Futura Heb. pro præſentibus. Idem verſus cum 14. ſequenti.

9. *Fortitudinem ejus tibi reſervabo* עזו אליך אשמרה] De ſe loquitur in tertia perſona, i. e. apud te habeo fortitudinem meam repoſitam. Alii, *Robur illi* [ſub. *Sauli, at*] *te obſervabo.* ¶ *Elevatio mea eſt* משגבי] *Arx* [*protectio*] *mea eſt*; aut, *vice arcis altiſſimæ & propugnaculi.* Paulò pòſt, v. 16. *elevationem* & *refugium* conjungit.

11. *Nè occidas eos* אל תהרגם] Chaldæus addit *ſtatim.* ¶ *Vagari fac eos fortitudine tuâ* הניעמו בחילך] *Commove eos in exercitu tuo*, i. e. in populo tuo. Alii, *diſperge eos in exercitu tuo.* ¶ *Et depone eos* והורידמו] Sub. *de dignitate ſua.*

12. *Et ob exſecrationem*, &c. ומאלה ומכחש יספרו] *Et de maledictione & mendacio* eorum *narrabunt* alii. Quidam pro *mendacio* vertunt *maciem*, q. d. *Sint fabula vulgo: dicat populus quod à te maledicti ſint & confecti macie.* Alii, *& de maledicto & de mendacio narrant.*

13. Et *finibus* לאפסי] *Et uſque ad fines.*

14. *Et revertentur* וישובו] *Et convertantur.*

15. *Ipſi vagabuntur*, &c. המה ינועון לאכל אם לא ישבעו וילינו] *Ipſi vagentur ad comedendum: profectò non ſaturabuntur, quando hoſpitium ad pernoctandum quærent*: i. e. divertent ad hoſpitium incœnati. Hic אם לא pro *certè*, & ו pro *quando* ponitur. Alii volunt לא præcedens ſervire loco duorum, & legunt, *Ipſi vagabuntur ut comedant: ſi non fuerint ſaturati, & non dormient*; vel, *nec dormient.* Chald. *Ipſi fatigabuntur quærentes prædam ut comedant: & non quieſcent donec ſaturentur & dormiant.* Nonnulli futura per præſentia vertunt, *Ipſi vagantur ad edendum: ſi non ſaturantur, & dormiunt.* Quidam liberiùs, ſic, *Vagabuntur pro cibo, at nec ſatiabuntur, nec tectum eis ſubire dabitur.*

16. *Et laudabo* וארנן] *Et ovabo*; vel, *clarâ voce laudabo.* ¶ *Elevatio mihi* משגב לי] Vide ſuprà v. 9.

17. *Elevatio mea* משגבי] Eadem vox Hebræa quæ v. 9. & 16.

CASTALIO.

9. T*ibi vires meas acceptas fero*] *Vires ejus* legitur in Hebræo: ſed & ſententia repugnat, & Græca Latinaque vetus interpretatio; ex quibus apparet non עז ſed עז legendum; ut etiam legitur in ultimo verſu.

CLARIUS.

HIſtoria hujus Pſalmi ſcribitur 1 Reg. 19. quomodo David ab inimicis ſuis vallatus, ferè captus fuit, niſi ab uxore monitus fuiſſet.

6. *Convertentur ad veſperam*] i. e. Sanguinarii à Saul miſſi ibant & redibant, domum David cuſtodientes, nè ille effugeret manus eorum; *fremebantque in morem canum*, qui feram inſequuntur, *& diſcurrebant per civitatem*, nè ullo modo evaderet, illi inſidias tendentes.

7. *Ecce loquentur in ore ſuo*] Res mira: inquit, *ore & labiis ſuis gladios loquuntur*, nec tamen quenquam eſſe putant qui audiat.

10. *Oſtendit mihi ſuper inimicos meos*] Alius vertit, *Deus faciat me videre in adverſariis meis*, ut ſubaudias *ultionem*; & ſit Hebraïſmus, ſicut & illud, *Et ſuper inimicos meos vidit oculus meus.*

11. *Nè occidas eos*] Nè occideris ſubitò eos, Domine, nè penitus in oblivionem veniat hæc ultio tua populo meo, ſed vagari coge illos de loco ad locum.

12. *Et de exſecratione*] Qui loquuntur de exſecratione, ſive perjurio & mendacio.

14. *Convertentur ad veſperam*] Sicut veſperè me capturi ibant & revertebantur, ſic Deus percutiet eos fame, ut cogantur veſperè quærere panem, & reverti in domum ſuam, atque pernoctare, ventre non ſatiato.

DRUSIUS.

4. בְּלִי עָוֺן יְרוּצוּן וְיִכּוֹנָנוּ. Sym. Μὴ ὄσης ἀνομίας ἐπιτρέχουσιν ἵνα πατάξωσί με, *Cùm iniquitas nulla ſit, currunt ut percutiant me*] Videtur legiſſe ויכוני *& percutiunt me.* Notum ut Vau pro ἵνα ſumatur. ¶ לִקְרָאתִי. Idem, ἐξ ἐναντίας ὑπὲρ ἐμοῦ.

6. יָשׁוּבוּ לָעֶרֶב יֶהֱמוּ כַכָּלֶב וִיסוֹבְבוּ עִיר. Sym. Ἀνακάμψουσιν ἑσπέρας, καὶ συνηχήσουσιν ὡς κύνες, κυκλοῦντες πόλιν, *Redeunt veſperi, perſtrepunt ut canes, circumeuntes urbem.*

7. הִנֵּה יַבִּיעוּן בְּפִיהֶם חֲרָבוֹת בְּשִׂפְתוֹתֵיהֶם. Idem, Αὐτοὶ μὲν ἀποβλύζουσι τοῖς στόμασιν αὐτῶν, ὡς μαχαίρας τοῖς χείλεσιν αὐτῶν, *Ipſi quidem evomunt ore ſuo, ceu gladios labiis ſuis.* ¶ כִּי מִי שֹׁמֵעַ. Idem, ὡς οὐδενὸς ἀκούοντος, *quaſi nemo audiat*: ità Hier. Vide Euthymium.

11. יִשְׁכְּחוּ עַמִּי. Sym. ἐπιλάθωνται ὁ λαός σου τοῦ νόμου μου. A. & Th. —— λαοῦ μου. ¶ הֲנִיעֵמוֹ בְחֵילְךָ וְהוֹרִידֵמוֹ מָגִנֵּנוּ אֲדֹנָי. Sym. ἀναστάτωσον αὐτοὺς τῇ δυνάμει σου, καὶ κάθελε αὐτούς, ὑπερασπιστὰ ἡμῶν Κύριε. Apud Interpretem Theodoreti, *Transfer ipſos in virtute tua, & diſſipa ipſos, protector noſter Domine.*

12. חַטַּאת פִּימוֹ דְּבַר־שְׂפָתֵימוֹ. Sym. *peccato oris eorum & verbo labiorum ipſorum.* ¶ וְיִלָּכְדוּ בִגְאוֹנָם וּמֵאָלָה וּמִכַּחַשׁ יְסַפֵּרוּ. Idem, συλληφθήτωσαν μετὰ τῆς ὑπερηφανίας αὐτῶν, ἀρὰν καὶ ψεῦδος λαλοῦντες, *comprehendantur cum ſuperbia ſua, diras & mendacia loquentes*] *In ſuperbia ſua*, Euthym.

13. כַּלֵּה בְחֵמָה כַּלֵּה וְאֵינֵמוֹ. Idem, Συντέλεσον ἐν θυμῷ, ἀνάλωσον ἵνα μὴ ὦσιν, *Conſume in ira, conſume ità ut non ſint.* ¶ לְאַפְסֵי הָאָרֶץ סֶלָה. A. εἰς πέρατα τῆς γῆς ἀεί. Sym. εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς. Th. τῶν περάτων τῆς γῆς.

14. וְיָשֻׁבוּ לָעֶרֶב יֶהֱמוּ כַכָּלֶב וִיסוֹבְבוּ עִיר. Sym. Ἀνακαμπτέτωσαν ἑσπέρας, θορυβείτωσαν ὡς κύνες περιερχόμενοι πόλιν] Interpres Theodoreti, *Flectantur veſperi, tumultuentur ut canes circumdantes civitatem.* Eadem verba invenies ſuprà v. 6.

15. הֵמָּה יְנִיעוּן לֶאֱכֹל אִם לֹא יִשְׂבְּעוּ וַיָּלִינוּ. A. —— ἐὰν μὴ ἐμπλησθῶσιν. Sym. ῥεμβόμενοι, ἵνα μὴ ἀχόρταστοι αὐλισθῶσιν. Apud Interpretem Theodoreti --- *nè jejuni pernoctent.*

AMAMA.

HIſt. eſt 1 Sam. 19. ubi obſ. locut. *Spiritus DOMINI malus*, i. e. מארני à DOMINO immiſſus. Quomodo dicitur 1. Sam. 16. 15. *Nam Spiritus DOMINI receſſerat à Saule & perturbabat eum Spiritus malus à DOMINO.* Ecce Sp. DOMINI & malus opponuntur, habebant tamen hoc commune quod uterque à DOMINO immitteretur.

1. אל תשחת] Chal. Tempore quo dicebat David, *ne perdas.*

לַהֲמִיתוֹ] Prov. 19. 18. *Caſtiga Filium tuum quando adhuc ſpes eſt*, ואל המיתו אל תשא נפשך. B *Laat u Ziele niet bewogen werden om hem te doden*, Jun. *Et animus tuus ne condonet ei ad perniciem ejus.* Gen. Eng. *Anima tua ne condonet ei propter clamorem ejus*, i. e. *fletum.*

4. לא פשעי] *Nulla rebellione.* Propriè פושעים ſunt היוצאים מתחת רשות qui egrediuntur ex poteſtate, i. e. qui ſe legitimi Magiſtratus imperio eximunt, aut, qui jugum & imperium leg. Mag. excutiunt; hinc transf. ad quodvis peccatum quod contumaciter & ſcienter committitur.

5. ירוצון] LXX. ἄνευ ἀνομίας ἔδραμον καὶ κατεύθυνα, quod tolerari poteſt, ſi in ירוצון ſub. רגלי pedes mei. *Direxi* ſc. viam meam vel cor; ſed præſtat ad adverſarios referre. *Sine iniquitate (mea) currunt, & firmant ſe*, vel *comparant ſe.* Non eſt Niphal ut dicit Piſcator in Com. ſed Hitphoel cum eliſione Literæ ת. Vide Gramm.

6. לִפְקֹד] *Viſito*, unde פָּקִיד *viſitator, præfectus*, & פְּקֻדָּה *viſitatio, præfectura*, & Pſ. 109. ἐπισκοπή, vid. Act. 1. unde Epiſcopum vocant פקיד. 2. Signif. cum Deo tribuitur executionem

tionem vel completionem tam boni promiſſi quam mali comminati. Ut Gen. 21. 1. *Viſitavit Deus Saram.* Mali; in Decal. Sic in Cant. Zachariæ Luc. 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς, oriens ex alto. Viſitavit, mittendo filium & ſic complendo illud quod per tot Prophetas denunciarat.* Hinc aliq. ſignificat ſimp. *perdere, mori facere, occidere.* Jirm. 32. *Ibi erit Zedekias uſque dum viſitavero eum*, uſque dum eum ex hac vita extraxero. Num. 16. 29. *In hoc ſcietis quod DOMINUS miſerit me, ſi viſitatione omnium hominum viſitabitur ſuper eos, non miſit me DOMINUS*, i. e. ut ipſe explicat, ſi ſecundum mortem omnium hominum morientur, ſi morientur communi & nat. morte, ſc. Core, Dathan &c. Triplex viſitatio, *conſolationis*, Ex. 4. Ruth. 1. Luc. 1. *Correctionis*, Pſ. 89. *Condemnat.* Jerem. 8.

8. לערב] Hoc verſu putant quidam deſcribi poëticè extremam miſeriam & egeſtatem hoſtium, & tunc exponenda per futura. Alii volunt deſcribi ſedulitatem hoſtium qui juſſu Saulis partim cingebant domum ejus, partim luſtrabant totam civitatem, ne per noctis ſilentia alicubi elaberetur. Hoc malim.

כלב] Deut. 23. 19. *Pretium ſcorti & pretium canis.* Confer. verſ. anteced. & videbis per Canem intelligi meritoria. 2. Sam. 3. 8. verba Abneri *An ros hacceleb ani*] *An perſona canina, caput canis*, vel *caput canum.*

Canes] Jeſ. 56. in fine, vel 57. in princ. *Speculatores cæci*, quotquot ſunt, *canes muti ſunt, non poſſunt latrare*, הֹזִים (Belg. *ſijn luye*, Eng. Pagn. Gen. It. *dormiunt*, Arias, *loquuntur deliria*, Aq. Φανταζόμενοι) *jacent, amant dormitionem.* Et iſti canes avidiſſimi non norunt ſaturitatem, propterea iſti paſcunt ſe, neſciunt docere.

Canis eſt animal, I. *Crudele, mordax & ſævum.* Pſ. 22.

II. *Immundum, comedens putrida*, quin & *vomitum ſuum*, Canis ad vomitum.

III. *Impudens, libidinoſum & ſpurium*; Deut. 23. Apoc. 22.

IV. *Vorax*, Jeſ. 56. & *famelicum*, infra verſ. 15.

V. Propter hæc omnia *contemptum & abjectum & abominabile*, Jeſ. 66. ubi canis & porcus junguntur, 1. Sam. 17. 43. *An Canis ego ſum?*

VI. Eſt & *acutiſſimi ſenſus*, Vide ſupra.

VII. Eſt *Vigil*, hominibus in cuſtodiendis ædibus & gregibus arcendiſque furibus & lupis *fidum*; unde *Paſtores* cum iis comparantur, & quidem *ſedulis canibus vigilibus*: *Pigri*, & qui opus Domini faciunt negligenter, *canibus mutis.*

Periphraſis canis eſt, *mingens ad parietem.* 1 Sam. 25. *Non relinquam Nabali ming. ad parietem.* form. comminationis, cum minamur Πανωλεθρίαν, ſeu plenariam internecionem. Nos dicimus *nec canem nec felem relinquere.* Memorabile exemplum ad hanc phraſin pertinens extat in Flavio Vopiſco, in vita Aureliani Cæſaris, qui obſidens Thyanam &c. Vide Clavem in Mingo. Alii *maſculum* interpretantur, Oleaſtr. Merc. Levi. Ut ſit phraſis ſimilis 1 Sam. 14. *Non relinquamus ex iis* איש i. e. שׁ ut Gen. 4.

ערב] 1. *Veſpera.* 2. *Nox* per Synecd. ut Gen. 1. *ubi veſpera & mane*, i. e. nox & dies dicuntur conſtituiſſe diem primum, diem ſc. civilem, quem τὸ νυχθήμερον vocant Græci. Alius enim dies artif. & ſolaris eſt. Sic & in Euang. *Veſpere ſabbathi.* Auguſt. *nomine veſp. noctem deſignat, à parte totum intelligens. Veſper enim principium noctis eſt.*

II. Hinc Græcum ἔρεβος, quod non tam *orcum* quam *tenebras orci* ſignificat, vel, ut alii, *locum in inferis caliginoſiſſimum.* EREB EREBUS. Unde ἐρέβεννος, Heſiod. νὺξ ἐρεβέννη. Et Iliad. χ. νεφέων ἐρεβέννων, i. e. Interp. Euſtathio, σκοτεινῶν. Ergo *Ereb nox, tenebræ*, ἔρεβος.

III. Hujus duale עַרְבַּיִם extat Exod. 12. & 13. & in Inſtit. Paſchatis. בֵּין עַרְבַּיִם *inter duas veſperas.* R. D. K. R. S. & Thalm. dicunt eſſe *tempus à declinante ſole ad occaſum*, i. e. à dimidia prima noſtra ad ſextam. Alii, ut Aben. *ab occaſu ſolis ad tenebras*, ut occaſus ſit una veſpera, tenebræ altera, ut ſic comprehendat illud tempus quo ex radiis ſolis in nubibus relictis adhuc lux aliqua eſt. Crepuſculum dicitque Aben. continere horam cum $\frac{1}{4}$ & terminum ad quem eſſe illud momentum quo lux in nubibus relicta evaneſcit.

Vel unam eſſe veſperam Solis; cæteram, Veſperam Luminis. Num. 16. 6. pro ben Arbajim legitur בָּעֶרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ

Alii dividentes diem ſolarem in 4. partes ſeu vigilias, (1.) diluculi ſeu lucis ineuntis. (2.) Solis aſcendentis ab 9. ad 12. (3.) Solis deſcendentis à 12. ad 3. (4.) Δείλης veſperæ à 3. ad 6. principium noctis, ut ita duæ veſperæ hic nihil aliud ſint quam duæ extremitates veſpertini temporis. Hæc ſect. convenit cum Antitypo.

IV. Prov. Ebr. *Qui non laboravit in veſpera ſabb. non comedet in Sabbatho*, i. e. Futurum ſæculum non erit operis ſed mercedis.

8. *Non miſerearis omnium* &c.] Non omnis & omnis. Non apud Ebr. eſt univerſ. Neg. vel, influit in verbum non in ſignum ut apud Logicos. *Non juſtificabitur omnis caro. Non ſalva fieret omnis caro. Omnis non*, Dan. 7. *Omnis læſio non eſt inventa in eo.* Exod. 22. *Omne pupillum & viduam non affligetis.* Hier. locum iſtum *Non juſtif. omnis caro* non intellexit, dum inde colligit, aliquos juſtificandos. 1. Obſtat Ebraiſmus. 2. Loquitur ibi non de juſtif. Euang. ſed Legali quà nullus certe juſtif.

II. Et hoc obiter obſervetur quod Ariſt. libro περὶ ἑρμηνείας dicit, omnis tantum addendum ſub. non prædicato, aliàs fore axioma falſum. At Pſ. 39. *Omnis homo eſt omnis vanitas.* Sed ſenſus eſt, pura puta vanitas, nil niſi vanitas. Sic homo quantus quantus eſt puta vanitas eſt.

10. עֻזּוֹ] Sub. בְּעוֹד *Dum adhuc robur ejus*, Saulis ſcilicet, & ſemper ſubintell. *eſt* vel *durat.* Piſcator ex collat. verſ. 18. putat legendum עֻזִּי. Sed omnes codices habent עֻזּוֹ

11. *Elohim*] Ab. putat propriè ſic dici *Angelos.* Tranſumptivè *Deum*, quod inſtrumentis utatur Angelis, ut verba vocantur *Labium* Gen. 11. Et anima vocatur *Cor*, non quod corporea ſit, ſed quod eo ceu præcipuo inſtrumento utatur. 2 Tim. 4. Alex. ὁ χαλκεὺς. Hoc infert.

Faciet me videre] (Sc. ultionem) *in obſervat.* Sed ipſa phraſis: *Faciet me videre obſervatores meos cum voluptate.* Senſus idem. ראה enim cum ב ſign. *optata videre cum voluptate*, & *adverſa cum triſtitia.* Pſ. 18. *Videbo optata in oſoribus meis.* Pſ. 55. *In hoſtibus meis videbit oculus meus.* Utrob. Tharg. addit נקמתא *vindictam.* Sign. & *contemnere, deſpicere.*

12. *Ut non obliviſcatur populus meus, (exagita eos in virtute tua, & dejice eos &c.)*

13. *Peccati oris eorum & verbi labiorum eorum quando fuerint capti in ſuperbia ipſorum, ſed (ut) de execratione & mendacio eorum enarrent.*

Ne occide eos] Repentina morte, illico. Sed ſerva eos ad vitam miſeram. Diu langueant & crucientur, diu pœnam circumferant in pœnam & exemplum & admonitum populi tui. Lento ſupplicio eos affice. Ut hodie in Judæis videre eſt qui clementiori fato uſi fuiſſent ſi ſemel fuiſſent perditi. Flagella eos lentis ictibus & per ſpiramenta temporum, ut ſentiant ſe mori.

Ne obliviſcatur populus &c. Dejice eos,] Ab. מכּעלת עשרם *Exagita eos* לבקש לחם.

מָגִן] *Clypeus*, inſtrumentum quo corpus adverſus ictus protegitur. Talis uſus eſt Heem. מ. Sic מפתח *clavis*, מפוח inſtr. quo flatur, *follis* מִזְרֶה *ventilabrum, vannus*; מָאוֹר inſtrumentum lucidum ut diff. ab OR. Ergo conſtituit talia denominativa quibus tanquam inſtrumento actio verbi perficitur. Et ſic מָאוֹר erit inſtrum. vel corpus per quod lux illa prima, 1. die creata, ſplendorem ſuum demittit.

חטאת] Cohæret cum ſup. *Ne obliviſc.* &c. Alii jungunt cum הניעמו & ſic ſub. בעבור *Ob.* Alii referunt ad ultimam vocem יספרו & reddunt, *Peccatum oris ſui* &c. *Tum præ macie tum præ executione enarrent*, q. d. *Ipſis vel invitis extorqueatur. Confeſſio nequitiæ præ execratione*, i. e. horrore & gravitate judiciorum, quà perſequeris eos ad maciem uſque.

שפתימו pro שִׂפְתֵיהֶם] Reg. Aff. מו pro הם poſitum non ſequitur formam Regiminis. Sic דְּבָרֵימוֹ

אָלָה *Execratio*] 1. Sign. *Juramentum.* 2. Quia illud includit execrationem & maledictionem ponitur pro eâ. Num. 5. 21. *Et adjurabit eam Sac.* בשבעת האלה τῆς ἐνορκίας. Jeſ. 65. *Nomen veſtrum.* Hinc quidam putant *Elohim* dictum quod per eum juretur, aut quod ipſe Religioſiſſ. ſit juram. ſuorum obſervator. Sed hoc alibi confutavimus.

מֵאָלָה] *De execratione*, מ de, περὶ Jeſ. 2. 3. *Et docebit nos* מִדְּרָכָיו

חֵילְךָ] חיל 1. *Robur*, 2. *Exercitum.* 3. *Divitias*, Prov. 31. Ruth. ποιεῖτε δύναμιν. Deut. 8. *Deus fecit mihi* החיל *virtutem iſtam.* Tharg. *Congregavit mihi divitias iſtas.* Utor voce *virtutem* quia eâ ita uſus Vulg. etiam in 2. ſignif. *Virtutes cælorum, DOMINUS virtutum*, δυναμέων.

14. וְאֵינֵמוֹ] Οὐ μὴ ὑπάρξωσι, & *ne ſint.* At Gen. 5. ואיננו καὶ οὐχ εὑρίσκετο, unde Ebr. 11. καὶ οὐκ εὑρέθη. Nam *inveniri* & *eſſe* idem ſunt. *Non inventus fuit dolus in ore ejus.* Phil. 2. σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.

15. Eadem verba quæ ſuprà verſ. 7. ſed alio ſenſu.

16. אם *Utique, certe.* Prov. 23. אם יש אחרית vel, *quando* כי יהיה יכול כי תעשה כוכח, ut כאשר

GRO-

GROTIUS.

IN *tituli inſcriptionem quando miſit Saul*] Carmen inſcriptum columnæ in memoriam iſtus rei poſitæ eo loco ubi id evenerat.

PRICÆUS.

10. IN *Idumæam extendam calceamentum meum*] Ἐπὶ τὴν ἐκλείπουσαν οἰκουμένην ποιήσομαι τὴν πορείαν, Heſychius, in Ἰδουμαία.

13. *Quoniam vana eſt ſalus hominum*] Infrà 146. 3.

IDEM.

1. IRatus es, & miſertus es nobis] Iratus fuiſti, &c. Tobias ad eundem 11. 15. ἐμαστίγωσας, καὶ ἠλέησάς με. Vide & 13. 2. 5. Habac. 3. 2. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.*

5. *Potâſti nos vino compunctionis*] Jerem. 8. 14. *Et potum dedit nobis tanquam aquam fellis.*

6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem ut fugiant à facie arcûs*] *Dediſti*, eſt, tu ſoles dare: *ſignificationem*, internis occultiſque monitis præſagiiſque, tanquam buccinâ (ſic enim hic ea vox ſumenda) *à facie arcûs*, ab ingruentibus periculis. Apulejus de Genio Socratis, (i. e. animo qui in homine vice Numinis diverſatur) *Si religioſè colatur*, &c. *eſt in incertis proſpectator, in dubiis præmonitor, in periculoſis* (en rem de qua in Pſalmo) *vitator*, i. e. ſignificationum dator ut impendentia mala vitentur. Deinde interjectis quibuſdam, *Socrates, utpote vir apprimè perfectus, exque ſeſe ad omnia ſibi congruentia officia promptus, nullo unquam adhortatore indigebat: at verò prohibitore nonnunquam, ut ſi quibus fortè conatibus ejus periculum ſuberat, ut monitus præcaveret*, &c. *In hujuſmodi rebus duntaxat vocem quampiam divinitus exortam dicebat audire*: & pòſt, *Non vocem ſibi, ſed vocem dixit quampiam divinitus oblatam: quo additamento profectò intelligas non uſitatam vocem, nec humanam ſignificari.*

12. *Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos?*] Sermo bene ominantis: q. d.

Una eademque manus vulnus opemque tulit.

Ibid. *Qui repuliſti nos, & non egredieris in virtutibus noſtris?*] Qui (ut 88. 44.) *avertiſti adjutorium gladii tui, & non es auxiliatus nobis in bello.* Vide ſuprà 43. 10. ubi & ferè eadem quæ hoc loco verba.

13. *Da nobis auxilium de tribulatione*] Eſai. 33. 2. Eſto (Domine) &c. *ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Vide ſuprà 21. 12. & 117. 16.

Ibid. *Quia vana ſalus hominis*] i. e. Fallax. Servius ad Æneid. 2. *Vanum, fallacem.*

14. *In Deo faciemus virtutem*] Modeſtè, ut in iis 17. 30. *In Deo meo tranſiliam murum. Dextera Domini fecit virtutem.* Senſus eſt, *In illo* (43. 6. *inimicos meos cornu ventilabo*, &c. *non enim in arcu meo ſperabo.*

PSALM. LX.

MUNSTERUS.

SCribitur hiſtoria hujus Pſalmi 2 Sam. 8. & 1 Par. 18. ubi ſcribitur *Abiſai proſtraviſſe* XVIII. *millia Ædomitarum.* Quod autem in Samuële memorantur occubuiſſe *Syri*, noveris tunc commune gentium harum fuiſſe bellum: & id quod duces exercitûs David egerunt, perinde eſt ac ſi David ipſe egiſſet. De *Suſan teſtimonii* nihil certum habent Hebræi quod hîc proferamus.

2. *Commoviſti terram*] Metaphora eſt, per quam ſignificatur populum fuiſſe concuſſum & interruptum per hoſtiles impetus

3. *Potaſti nos vino letali*] Alia eſt Metaphora, per quam ſignificatur populum tantis obrutum malis ut in morem inſanorum hominum neſcirent rebus ſuis conſulere. Unde quidam exponunt תרעלה pro מבוכה *perplexitate*, alii pro סם המות *veneno mortifero.*

4. *Dediſti timentibus te ſignum*] h. e. Sicut olim tuis clementer affuiſti, victoriam contra hoſtes dediſti, ut jam inſultarint hoſti atque *triumpharint* & vexillum in altum ſuſtulerint, idque *propter veritatem*, h. e. ut promiſſionibus tuis ſatisfaceres, ſic nunc ſalva me & populum meum ab imminentibus periculis, &c.

6. *Exſultabo*] Quòd ſcilicet Deus per Spiritum ſuum ſanctum promiſit ſe mihi daturum Regnum Iſraël, etiam *Sichem* & *vallem Succoth*, in quibus Abner Regem conſtituit Isboſeth filium Saul. *Dividere & dimetiri* accipiuntur pro *poſſidere jure hæreditario.* Per *Gilead* & *Menaſſen* ſignificatur regio trans Jordanem. Porrò *Ephrajim* vocat *fortitudinem capitis ſui*, quod aliis Tribubus potentior & numeroſior eſſet.

7. *Jehuda legifer meus*] Alludit ad illud Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Jehuda, & legifer* (ſeu *ſcriba*) *de medio pedum ejus*, &c. h. e. Regnum ex promiſſione debebatur tribui Jehuda, unde Chriſtus erat naſciturus; nec erat ſpes venturi Meſchiæ quouſque Sceptrum perveniret ad tribum Jehuda.

8. *Moab olla lotura mea*] Significatur per iſtas Allegorias humilis ſubjectio *Moabitarum* & *Ammonitarum*, quos ſibi David quoque ſubegerat. Per *jubilationem* verò *Philiſtæorum* intelligitur acclamatio eorum quâ David dominum ſuum cognoverunt.

9. *In civitatem munitam*] Hoc intelligendum putant de Rabbath metropoli Ammonitarum, quam exercitus David cum magna difficultate expugnavit.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Suſan eduth* שושן עדות] Nomen inſtrumenti muſici. Quidam vertunt *roſam teſtimonii.* Alii, *Suſan decorum.* Nonnulli, *Suſan teſtimonii.* ¶ *Michtham* מכתם] Vide Pſal. 16. & 56. ¶ *Cùm bellum gereret* בהצותו] *Cùm rixaretur; contenderet.* Doctus inter Hebræos; *Quando deſolavit Aram*, &c. ¶ *Aram Naharaim* את ארם נהרים] Sic ad verb. quod quidam vertunt *cum Meſopotamia.* Alii, *contra eam Syriæ partem quæ Meſopotamia dicitur.* Alii, *contra Syriam Meſopotamiæ.* ¶ *Aram Sobah* ארם צובה] *Syriam Soba.* Alii, *contra Syriæ partem quæ vocata eſt Soba.* ¶ *Projeciſti* זנחתנו] Sunt qui iſtos duos verſus per pluſquamperf. vertant, *repuleras*, ſive *deſerueras*, aut *abjeceras*: ſive, ut quidam, *elongaveras.* ¶ *Diſſipaſti nos* פרצתנו] *Diripuiſti nos; diſcerpſiſti*; vel, *diſcerpſeras.*

2. *Tremere feciſti terram* הרעשתה ארץ] *Commoviſti terram. Concuſſeras terram. Contremuit terra.* ¶ *Sciſiſti eam* פצמתה] *Diripuiſti eam: aperueras eam*; aut *dehiſcere feceras.* ¶ *Fracturas ejus* שבריה] *Contritiones ejus; confractiones; rupturas.* ¶ *Nutat* מטה] *Mota eſt, inclinata, commota*; aut, *vacillat.*

3. *Videre feciſti*, &c. הראית עמך קשה] *Oſtendiſti populo tuò dura.* Hebraïſmus, pro *dura ſæpe feciſti experiri populum tuum.* ¶ *Soporiferum* תרעלה] *Letale; toxicum; tremoris; perturbationis.* Hebraïſmus, pro, *perturbaſti nos plurimum.*

4. *Vexillum, ad elevandum* נס להתנוסס] *Signum, ut triumpharent.* Alii, *ſignum ad ſuſtollendum* ipſum. Alii præterita vertunt per imperativum, *Da timentibus te vexillum quod erigant.* Optat dari ſuis militibus in bello animum ¶ *Propter veritatem* מפני קשט] Ad verb. *A facie veritatis*: i. e. ut oſtendas promiſſiones liberationis tuæ eſſe veras.

5. *Ut liberentur* למען יחלצון] Quidam vertunt, *Propterea liberabantur.*

6. *Per Sanctitatem ſuam* בקדשו] *In Sancto ſuo.* Alii, *in ſacrario ſuo*, aut *ſanctuario.*

7. *Fortitudo capitis mei* מעוז ראשי] Hebraïſmus, pro quo quidam vertunt, *principatûs mei robur.* Alii, *firmamentum regni mei.* ¶ *Legifer meus* מחקקי] *Dux meus.* Vox Hebræa propriè *conditorem legum* ſignificat, & etiam *Regem. Rex* autem pro *regno* accipitur: q. d. *Regio Juda eſt Regnum meum.*

8. *Olla ablutionis meæ* סיר רחצי] Hebraïſmus, quem ſic quidam convertunt, *Moabitæ mihi ſerviliter ſubditi erunt.* Alii, *Moab ſubjecta mihi erit, ceu lebes in quo lavem pedes.* ¶ *Projiciam calceamentum meum* אשליך נעלי] Phraſis Hebraïca, *projicere calceamentum*, pro *immittere pedem*: q. d. Calcabo Edom tanquam mihi ſubjectam. ¶ *Super me Peleſeth jubila* עלי פלשת התרועעי] *Ad me, Palæſthina, veni cum plauſu.* Alii, *Mihi, Philiſthæa, cum plauſu acclama.* Quidam, *Adverſum me, Palæſthina, jubila*; ut ſit ironia, quâ Palæſthinorum ſuperbiam taxat: q. d. Non poteris jubilare, quia fortior te ſum.

10. *Projeceras nos* זנחתנו] Idem verbum quod in principio primi verſûs.

11. *Da nobis auxilium de anguſtia* הבה לנו עזרת מצר] *Fer nobis auxilium propter tribulationem*; vel, *in tribulatione.* ¶ *Nam mendax* ושוא] *Nam van.* ו.

12. *In Deo faciemus militiam* באלהים נעשה חיל] Hebraïſmum ſic

ſic quidam reddunt, *In Deo fortiter faciemus.* Vel, *Deo freti fortiter agemus.* Alii, ut vertimus, *faciemus militiam*: i.e. Favente Deo pugnabimus, & egregia facinora edemus.

CASTALIO.

4. A*D arcus effugiendos*] Malè קשט legitur, cùm debeat קשת per Tau ultimam legi, ut & ſententia & veteres Græcus & Latinus Interpretes oſtendunt.

7. *Meus eſt Galaadus, meus Manaſſes*] Galaaditæ, Manaſſenſes.

8. *Moabus meum ahenum eluacrum: ad Idumum jaciam meum calceamentum*] Moabitas & Idumæos ad infimam redigam ſervitutem.

CLARIUS.

HOc accidit dum bellum gereret David contra eam Syriæ partem quæ *Meſopotamia* dicitur, & contra eam partem quæ vocata eſt *Zoba*, *& Joab reverſus percuſſiſſet* XII. *millia Idumæorum in valle Salis.* Hiſtoria habetur 2 Reg. 8. & 1 Par. 18. Quod autem ibi legitur *decem & octo millia cæſa*, ſic ſolvitur, quòd Joab ab alia hoſtium cæde reverſus, Abiſai fratri velut ſuppetias tulerit, & ipſe cum ſua exercitûs parte interfecerit duodecim millia, & Abiſai tantùm ſex. Quòd autem in libro Regum *Syri* cæſi, & in libro Paralipomenon atque hic *Idumæi* leguntur, indè factum eſt quòd commune harum gentium bellum fuit, ut 2 Reg. 10. & 1 Par. 19. ſcribitur. De *Suſan* nihil certè habent Hebræi quod proferant.

2. *Commoviſti terram*] Metaphora eſt, per quam ſignificatur populum fuiſſe concuſſum & interruptum per hoſtiles impetus.

3. *Potaſti nos vino compunctionis*] Vel *letali.* Alia Metaphora eſt, per quam ſignificatur populum tantis obrutum malis ut in morem inſanorum hominum neſcirent rebus ſuis conſulere. Vel, ſumus tanquam qui vinum biberint, non quod bibentes exhilaret, ſed mœſtiſſimos faciat.

4. *Dediſti metuentibus te*] Sicut olim tuis clementer affuiſti, ut hoſtes verterentur in fugam, ſic nunc ſerva nos. Sunt qui per futurum exponant ſic, *Dabis iis qui reverentur te vexillum, ut erigant illud contra hoſtes ſuos*, & viſo eo in fugam convertantur: hoc enim te facturum pollicitus es. Alius vertit, *Dediſti metuentibus te ſignum, ut triumpharent propter veritatem*, vel *à facie veritatis*, i.e. promiſſionis Divinæ.

6. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo*] Alius vertit *in ſacrario ſuo*, i.e. oraculum edidit, & promiſit per Spiritum ſanctum ſuum hæc ſe facturum, & daturum mihi Regnum Iſraël, etiam *Sichem*, & *vallem Soccoth*, in quibus Abner Regem conſtituit Isboſeth filium Saul: idcirco minùs quàm alia ceſſura Davidis imperio credebantur. *Dividere* & *dimetiri* accipiuntur pro *poſſidere jure hæreditario.* Per *Galaad* & *Manaſſen* ſignificatur regio trans Jordanem. Porrò *Ephraim* vocat *fortitudinem capitis ſui*, quòd aliis Tribubus potentior & numeroſior eſſet.

7. *Juda Rex meus*] Sive *dux*, vel *legifer.* Alludit ad illud Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux* (ſeu *legifer*, & *ſcriba*) *de medio pedum ejus*, &c. h.e. Regnum ex promiſſione debebatur tribui Juda, unde Chriſtus erat naſciturus: nec erat ſpes venturi Meſſiæ quouſque Sceptrum perveniret ad tribum Juda.

8. *Moab olla lotionis meæ*] Significatur per iſtas Allegorias humilis ſubjectio *Moabitarum* & *Ammonitarum*, quos etiam ſibi David ſubegerat. Per *jubilationem* verò *Philiſtæorum* intelligitur acclamatio eorum quà David agnoverunt ſuum dominum.

9. *Civitatem munitam*] Hoc intelligendum putant de Rabbath metropoli Ammonitarum, quam exercitus David cum magna difficultate expugnavit.

10. *Et non egredieris*] *Nonne egredieris* nunc in prælium nobiſcum, & dux eris *exercitibus noſtris*?

DRUSIUS.

לַמְנַצֵּחַ עַל־שׁוּשַׁן עֵדוּת מִכְתָּם לְדָוִד לְלַמֵּד. Sym. Ἐπινίκιον ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν * τῦ ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμυ Δαυὶδ εἰς διδαχήν. עַל שׁוּשַׁן. A. ἐπὶ κρίνων. וַיַּךְ אֶת־אֱדוֹם בְּגֵיא־מֶלַח. A. *& percuſſit valles*, Hilarius in comment. ad hunc Pſalmum. Locus meritò ſuſpectus.

1. אָנַפְתָּ תְּשׁוֹבֵב לָנוּ. A. θυμωθεὶς μετέςρεψας ἡμᾶς. Sym. ὠργίσθης καὶ περιήγαγες ἡμᾶς.

3. יַיִן תַּרְעֵלָה. A. - - καρώσεως. Sym. σάλυ] Κάρωσις propriè *ſoporatio*, i.e. actus ipſe ſoporem inducendi. Σάλος *jactatio.*

7. מָעוֹז רֹאשִׁי. Sym. - - - - τῆς ἀρχῆς μυ, *principatûs mei.* ¶ יְהוּדָה מְחֹקְקִי. A. Ἰȣδας ἀκριβαςής μυ, *Judas diligens inquiſitor* (ſive *accuratus explorator*) *meus.* Th. Ἰȣδας ἀκριβαζόμενός μυ. Sym. Ἰȣδας προτάσσων ὁ ἐμός. Cæteri, Ἰȣδας βασιλεύς μυ.

8. מוֹאָב סִיר רַחְצִי. A. Μωάβ λέβης λυτροῦ μυ, *Moab lebes lavacri mei.* Sym. Μωὰβ λέβης ἀμεριμνίας μυ, *Moab lebes ſecuritatis meæ.*

9. עִיר מָצוֹר. Sym. εἰς πόλιν περιπεφραγμένην] Vide Baſilium hom. 59. pag. 214.

11. הָבָה־לָּנוּ עֶזְרָת מִצָּר וְשָׁוְא תְּשׁוּעַת אָדָם. Sym. *Da nobis auxilium ex tribulatione; vana enim ſalus hominis*] Ex Euthymio. *Vana enim*, ματαία γὰρ, ex ed. Rom.

AMAMA.

עַל־שׁוּשַׁן] Alii volunt eſſe *inſtrumentum hexachordum* à שש. Alii, ut Ab. volunt eſſe *initium cantilenæ.* שׁוּשַׁן ſignif. non *roſam*, ut Belgicus vertit, ſed *lilium.* Prob. 1. Ex Antiq. 2. Ex Etymol. Ded. enim à שֵׁשׁ quod ſex folia & intus capillamenta habeat. 3. Ex ling. Græca quæ hinc derivavit ſuum σῦσον, unde σύσινον χρίσμα, σύσινον μῦρον. *Unguentum ex liliis.* Et Syrus Math. 6. κρίνα vertit שׁוֹשַׁנָּא Arabs סוסן.

לְלַמֵּד] De ira Dei adverſus peccata. Et de Dei Miſericordia, & quod ſemper prævaleat manus ejus in prælio.

2. בְּהַצּוֹתוֹ] Th. eſt נָצָה *volavit*, הִצָּה *fecit volare*, vel verba vel manus, efficere ut vel verba vel manus in alium quaſi volent & cum impetu ferantur, i.e. rixari & pugnare. Lxx. ὁπότε ἐνεπύρισε, *Cum ſuccendit.* Putarunt eſſe à Themate יָצַת.

אֲרַם נַהֲרַיִם] Terra hæc ſita fuit inter duos fluvios Tigrin & Euphratem. Unde *Syria interamnis* & *Syria interamnana* a Lampridio in Alex. Severo vocatur, Græci μεσοποταμίαν. Variarum Syriarum mentio in S. L. *Aram Tzoba*, i.e. populi qui Regionem tenebat à Batanea ad Euphratem. *Aram Damaſci. Aram Beth Rechoboth. Aram Maacha*, &c. Hic Lxx. & Vulg. uſi ſunt voce *Syria*, quæ has omnes terras complectitur. Dicta vero Syria à parte, nempe אֲשֻׁר per aphær. שׁוּר. Hinc Syriaca Lingua compreh. etiam Aſſyriam ſeu Babyloniam ſeu Chaldaïcam, ut Dan. 2. & in Ezra. Ebr. ארמית Lxx. σύριςι. Syriacè. Cum tamen ſint Chald. Reg. Syria lingua duplex eſt lata & ſtricta; Lata comprehendit etiam Chald. Vel, Syra duplex eſt literatorum & plebejorum; literatorum eadem cum Chaldæa. Hinc & Mercerus Gramm. ſuam Syriacam inſcripſit.

Suid. Ἐρυθρὰ θαλάσσα ἐκλήθη ὐκ ἀποχροίας τῦ ῥοθίυ, καθαπέρ τινες οἴονται ἀλλὰ ἀπ' ἀνδρός τινος ἔρυθρα τὴν προσηγορίαν ἐνδυναςεύσαντος τοῖς τόποις ἐκείνοις.

Edom] Vide Gen. 25.

XII. *Millia*] Hiſt. *extat* 2 Sam. 8. 1 Paral. 18. ibique dicuntur cæſa eſſe XVIII. *Millia.* Sciendum, Abiſajum fratrem Joabi in primo conflictu cæcidiſſe *ſex millia*; quam victoriam perſecutus Joab XII. *millia* addidit.

גֵּי מֶלַח] Sic גֵּי הִנֹּם & גֵּי בֶן הִ.

3. תְּשׁוֹבֵב לָנוּ] *Converte te ad nos. Reſtitue te nobis.*

5. *Oſtendiſti populo tuo dura*] Sc. Victoriam Philiſthæorum de Exercitu in monte Gilboæ. Similis locutio eſt 2 Timoth. 4. 14. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλὰ μοι κακὰ ἐνεδείξατο.

יַיִן תַּרְעֵלָה] *Vinum tremoris*, quod bibens homo tremit & vacillat. Et ſic erit Ellipſ. יַיִן תִּירוֹשׁ. Ideo Jun. & Trem. verterunt *Propinaſti nobis tremorem* (ceu) *vinum.* Nah. 2. 3. *Et abietes* הָרְעָלוּ *tremere facta ſunt.* Eſ. 51. 17. *Craſſamentum calicis* הרעלה *bibiſti.*

יַיִן] Hinc *Janus.* Quomodo Noah vocarunt Gentiles, quod dicatur *Repertor vitis & vini.* Firmat quod hic fingatur à Gentilibus biceps & bifrons quod utroque ſæculo vixerit.

6. *Attamen dediſti vexillum*] i.e. Me dediſti Regem ad quem veluti ad erectum vexillum reſpiciant.

7. *Ut* (itaque) *liberentur* יְדִידֶיךָ] Hinc Salomo dictus *Jedidja* 2 Sam. 12. 24.

Dextrâ tuâ] Meton. ſubj. Metaphorica.

הוֹשִׁיעָה] Hinc ὡσιάννα. Vide ſupra.

8. *Dominus locutus eſt* &c.] *Juravit.* Syn. generis. Vide Pſ. 89. 36. דִּבֶּר Cum Beth conſtr. ſign. 1. Prophetiam, 2 Sam. 23. 20. *Spiritus Domini locutus eſt* בִּי *in me.* 2. Oblocat. Num. 21. 6. *Et locutus eſt populus* באלהים ובמשה. 3. Juram. ut Jeſ. 45. בִּי נִשְׁבַּעְתִּי. Sic hic דִּבֶּר בְּקָדְשׁוֹ. Similis phraſis Math. 5. 34. ὀμόσαι ἐν τῷ ὐρανῷ, ἐν τῇ κεφαλῇ.

In partem obtinebo] Profitetur ſpem ſuam de obtinendis adhuc iis terris quæ adhuc ferebant imperium Isboſchet F. Saulis.

Sichem] Gen. 33. 18. *Succoth.* 33. 17. Joſ. 13. aſſignatur tribui Gad.

Metiar] Funiculo, ad inſtar eorum qui agros hæreditate acceptos dividunt. Hinc MIDDA, מִדָּה כנגד מִדָּה par pari.

Midda

Midda eſt dimenſio quantitatis continuæ. Cujus ſpecies ſunt quinque deſumptæ à membris humani corporis.

I. נרד ſeu אֶצְבַּע.

II טֶפַח Palmus 4. digitorum.

III. זרת Spithama 3. palmorum ſeu 12. digitorum.

IV. אַמָּה Cubitus ſex palmorum ſeu 2. ſpithamarum.

V. Ulna. גֹּמֶד minor quam Amma. Nam אַמָּה continet longitudinem tantam quanta eſt à flexis brachii ad digiti medii extremitatem. גֹּמֶד verò ad digitorum exortum.

9. גִּלְעָד] Intell. Tribum Gad & Ruben, qui habitabant in terra Gilead, Num. 32. 29

Robur capitis] Cornua quibus contundam hoſtes. Gen. 48. 19. *Benedicet te Deus ſicut Ephraim & Manaſſe.*

מנשה] Jud. 18. 30. *Jonathan F. Gerſom filii* מְנַשֶּׁה.

Legiſlator] It. *Senatus.* Intelligit Sanhedrin.

Moab] Aqua Patris. Vide ſupl. Druſii. *MO* aqua, unde Joſeph. Μωϋσῆν dictum putat à μῶ & ὑσῆς, *ſervatus*, i. e. משה. Aquæ verò *ſemen* ſignif.

Λέβης τῆς ἐλπίδος μου] Lxx. Vulg. *Olla ſpei meæ.* רחץ *ſperavit.*

סיר רחצי] Ποδονίπτηρ μου. *Pelluvium.* Trem. *Pollubrum.*

Projiciam calceum meum] Contemptim & contumelioſè eum tractabo, ut herus ſervum ſuper quem iratus calceum projicit.

In civitatem munitam] Rabbam.

GROTIUS.

C*Um ſuccendit Meſopotamiam Syriæ*] In memoriam omnium victoriarum quæ hic breviter indicantur, latiùs autem deſcribuntur in libris Samuëlis & Paralipomenon. Verbum נצה quod hic per ἐμπυρίζειν [*incendere*] verterunt Græci, quos hæc verſio ſequitur, alibi vertitur per μάχεσθαι, [*pugnare*,] quod huic loco optimè convenit, ut ſenſus ſit: *cùm bellum gereret adverſus Syriam duorum fluminum* (ſic habet lectio Hebræa) id eſt, Meſopotamiam ab Euphrate & Tigride ità dictam. Eò autem uſque prolata arma Davidis apparet 2 Sam. 8. 3. & 1 Paralip. 18. 3.

Et Sobal] Scripſère Lxx. Σωβὰ, [*Suba*] non Σοβὰλ, [*Sobal.*] Nam ſic habent dictis jam locis. In Hebræo hîc eſt *adverſùs Syriam Soba*, id eſt, partem Syriæ hoc nomen habentem, de qua vide 2 Samuel. 8. 5. 12. 10. 6. & 1 Paralip. 18. 3. 9.

Et convertit Joab] Meliùs: *& reverſus eſt Joab*, nempe à cæde in Syros edita 2 Sam. 8. 13. Feciſſe autem dicitur Joab quod per Abiſai fratrem ſuum fecit, quia Joabi ſub Davide ſummum erat imperium, 2 Sam. 8. 16. 1 Paralip. 18. 15.

Idumæam] In Hebræo, *Edom*, id eſt, Idumæos.

In valle Salis] 2 Sam. 8. 13. & 14.

Duodecim millia] Nempe uno prælio, præter ſex alia millia in minoribus conflictationibus interfecta, 1 Paralip. 18. 12.

9. *Juda Rex meus*] *Legiſer* in Hebræo. Senſus idem: vult enim dicere populus, *Regem ſibi eſſe è tribu Judæ.*

10. *Moab olla ſpei meæ*] Græci cùm ſcripſerunt, Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου [*Moab lebes ſpei meæ*,] in animo habuerunt vocem Syriacam רחץ, quæ ſignificat *confidere*, ut Dan. 3. 28. Sed vera interpretatio ex Hebræo eſt, *lebes lotionis meæ:* id eſt, *pollubrum*, ποδόνιπτρον. Aquila, λέβης λουτροῦ μου, [*lebes lotionis meæ.*] Hoc volunt dicere: *ſe imperaturos Moabitis & Idumæis, ut ſervis.*

In Idumæam extendam calceamentum meum] *Idumæo extendam calceum meum*, nempe ut eum mihi detrahat, ut viles ſervuli ſolent. Vide quæ ad Matth. 3. 11.

PRICÆUS.

3. D*Um anxiaretur cor meum*] Sic *anxiatum iri* lib. 4. Apulejus dixit.

4. *Turris fortitudinis*] Tyrtæus de viro forti,

Ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν.

Ibid. *Factus es*, &c. *turris fortitudinis à facie inimici*] Claudianus in Ruffinum 1. de Stilicone,

Hic cunctis optata quies, hic ſola pericli
Turris erat, clypeuſque trucem porrectus in hoſtem.

IDEM.

2. E*Xaudi, Deus, deprecationem meam*] Lxx. Εἰσάκουσον, &c. In Gloſſario, Εἰσάκουσον, *exaudi.*

3. *In petra exaltâſti me*] *Eduxiſti me*, &c. (ut 39. 3.) *de luto fæcis, & pedes meos ſuper petram ſtatuiſti.* Proverb. 18. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur:* quin & ſequitur hoc in Pſalmi loco, *Factus eſt ſpes mea, turris fortitudinis*, &c.

6. *Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum*] *Timentis*, mihi nempe.

8. *Miſericordiam & veritatem ejus quis requiret?*] Quis exquirendo inveniet? i. e. intelliget? Vide 89. 11.

9. *Pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, ut reddam vota mea de die in diem*] Cantabo hymnos tibi ſemper, (i. e. uſquequaque) & reddam vota mea quotidie.

PSALM. LXI.

MUNSTERUS.

2. A*B extremo terræ*] Patet hinc Pſalmum iſtum editum cùm David propter Saul extorris ageret in extremis partibus terræ Iſraël. ¶ *In petram quæ altior me eſt*] h. e. Duc me in locum tutum, & ad quem ego conſcendere nequeo.

VATABLUS.

1. V*Ictori ſuper Neginath* למנצח על נגינת] Vide Pſal. 4. Quidam vertunt, *Ad præcinendum in canticis Davidis.* Alii, *Vincenti in melodiis Davidis.* ¶ *Clamorem meum* רנתי] *Vociferationem meam.*

2. *Clamabo* אקרא] Nonnulli futurum convertunt in præſens, *clamo.* ¶ *Dum in mœrore eſt* בעטף] *Dum anxiatur.* Alii, *cùm defecerit; quando affligetur.* ¶ Quæ *celſior eſt me* ירום ממני] Ad verb. quæ *exaltabitur à me.* Fut. pro præſ. Quidam vertunt *editiorem quàm ut ego illam conſcendere queam.*

3. *Spes* מחסה] *Protectio*; *aſylum.*

4. *Sperabo* אחסה] *Tutus agam.* Alii, *Securè agam ſub velamento*, &c.

5. *Timentium* יראי] *Timentibus.*

6. *Adjicies* תוסיף] *Addas.* ¶ Et erunt *anni*, &c. שנותיו כמו דר ודר] *Anni ejus erunt ut ætas & ætas*, i. e. quantum homo vivere naturâ ſolet, ipſe vivet. Alii, *annos ejus generationi ac generationi* æquabis. Alii, *annos ejus in multas generationes* produces.

7. *Habitabit* ישב] *Sedebit.* Vel, per optativum, *Sedeat.*

8. *De die in diem* יום יום] Ad verb. *dies*, *dies*; vel, *de*, *die*: i. e. quotidie, ſive per ſingulos dies.

CASTALIO.

2. Q*Ui te ex ultimis imploro terris*] Vide Pſal. 63.
6. *Ætatem ætati Regis adjice*] h. e. Meæ.

CLARIUS.

VIdetur hunc Pſalmum editum fuiſſe cùm David propter Saul extorris ageret in extremis partibus terræ Iſraël.

2. *In petram*] In rupem ad quam viribus meis pertingere non poſſem, perducas me, in locum videlicet tutum.

6. *Dies ſuper dies*] *Annos addes annis Regis:* quare *anni* vitæ *illius erunt*, non quales eſſe ſolent reliquorum hominum, ſed *generationum infinitarum.* Ut ſecurus *ſedeat* Rex ille *perpetuò in conſpectu Dei*, &c. At hic quis alius eſt præter Chriſtum, cujus typus erat David?

LUCAS BRUG.

5. C*Ucurri in ſiti* conſtanter ſcribunt Latini codices unanimiter exponunt Latini Tractatores: hoc igitur modo Latinus Interpres reddidit. Eſt autem Græcè ἔδραμον ἐν δίψῃ [δίψει, Gq.] id quod totidem verbis in carmen tranſtulit Apollinaris. Id verò tam *cucurrerunt in ſiti*, quod textûs conſequentia exigere videtur, quàm *cucurri in ſiti*, verti poteſt (quod etiam Ambroſius annotavit:) eſt enim aoriſti ſecundi tertia pluralis par primæ ſingulari. Itaque Græci Enarratores, Baſilius, Theodoritus atque Euthymius, *cucurrerunt in ſiti* intelligunt atque exponunt. Atque hoc modo intelligenda vertendaque Græca, Hebræa, ex quibus illa reddita ſunt, docent: neque enim ambiguum eſt ירצו כזב. Id autem alii interpretantur, *Placuerunt ſibi in mendacio* (quod Symmachi, Ambroſio teſte, atque Hieronymi eſt) vel *diligunt*, ſeu *volunt*, *mendacium:* nam רצה plerumque *velle*, *placere*, ſignificat; aliquando *ambulare*, *currere.* Aut fortaſſe legerunt LXXII. ירצו à themate רוץ, quod propriè denotat *currere.* כזב veritatis defectum, i. e. *mendacium*, ſignat: LXX. verò ad potiùs defectum, i. e. *ſitim*, tranſtulerunt, ſubauditâ Beth præpoſitione *in.*

9. *Deus adjutor noſter in æternum.*] Romana Pſalteria omittunt τὸ *in æternum: --- quia* [Gallic. Aug. Gq. H. C.] habent, *Deus adjutor noſter --- eſt*; [Gallic. Aug. G. H. C.] Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe (Goticum eſt manuſcriptum quod in Bibliorum margine notatum eſt) idque conformiter Pſalterio Veteri quo Caſſiodorus, Auguſtinus, Hilarius & Arnobius uſi ſunt (quanquam Veterine an Romano Pſalterio Caſſiodorus ſit uſus, multùm ambigam) & conſentaneè Græcis codicibus, quibus ferè non aliud legitur quàm --- ὅτι [Gq.] ὁ θεὸς βοηθὸς ἡμῶν [ὑμῶν, o.] Noſtræ editionis Pſalteria addunt quidem *in æternum* (quemadmodum & apud Ruffinum ac mediæ poſtremæque ætatis Latinos Tractatores reperitur) ſed obelo confodiunt, quæ notis hujuſmodi ſignantur, Jacobo teſte. Nos id in uno Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterio vidimus. Eſt autem obelus præfixus, ex Hieronymi ſententia, qui ad Suniam & Fretelam ſcripſit, *In 61. Quia Deus adjutor noſter in æternum: pro quo in Græco ſit ὁ Θεὸς βοηθὸς ἡμῶν, i. e.* quia Deus adjutor noſter: *ergò* in æternum *obelus eſt.* Hæc Hieronymus. Videtur autem ex eo additum quòd Hebraïcè ſit *ſela.* אלהים מחסה לנו סלה, *Deus ſpes noſtra, Sela. Sela* quidam interpretantur *in æternum*; ex quibus Chaldæus Paraph. eſt (*Deus*, habet hoc loco, *ſpes noſtra in æternum*) Alii, quod idem unum eſt, reddunt *ſemper*; ex quibus ſunt Aquila & Hieronymus: ut ſignificetur ſempiterna eſſe quæ dicta ſunt. LXX. διάψαλμα transferunt: unde Græca antigrapha, Vaticanum & Nebienſe, & Latina exemplaria, Brugenſe, Lobienſe, Tornacenſe, Herbipolenſe, huic loco *Diapſalma* adjiciunt, quod & Hilarius ac Caſſiodorus agnoverunt. Græca Tornacenſis Ms. editio addit *is ton cona*, quod eſt, *in æternum.*

AMAMA.

Scriptus *in perſecution. Abſolomi*, ita Jun. P. K. *in perſecution. Saulis*, vel *in captiv. populi*, ut populus vel David loquatur.

1. נְגִינַת] Enallage ſtatus contracti, ſic Jeſ. 14. & 34. חכמת ורית Ad v. *in pulſatione fidium*, i. e. ad canendum in fidibus, in inſtr. pulſatili fidibus inſtructo. Michlal Jophi, שם כלי נגן.

2. Ab. תפלה *oratio quæ fit corde*, רנה *quæ ore.*

3. מִקְצֵה] *Ab extremo, à fine.* Melius, *ab extremitate.* Omnis enim finis eſt extremitas, non contra omnis extremitas eſt finis rei. Deut. 15. 1. מִקֵּץ *ab extremo 7. annorum*, i. e. 7mi anni, *facito intermiſſionem*, i. e. à principio, in principio 7. anni. Aben. *Utraque rei extremitas* קצה *&* קץ *dicitur.*

Terra] Terræ S. Fugerat trans Jordanem in opp. *Mahanaijim*, 2. Sam. 17. 24. ארץ ſig. vel *aardbodem*, vel *landt*, etiam addito כל 1 Sam. 27. & 30. 16. 2 Sam. 18. 8. Marc. 15. 33.

Petra] Chald. *In arcem quæ fundata eſt ſuper altiorem petram.* Jun. *In petram editiorem me.* Piſc. *In petram quæ editior eſt quod ut eò poſſim pertingere.* Sic & Aldeg. *Op een rotz die hoger is, dan dat ik daer op ſoude konnen geraken.* Piſc. in Germ. *Die mijn anders te hoge is.* Similis locus Num. 11. 14. *Onus grave eſt præ me*, i. e. gravius quam ut ei ſim ferendo. K. בצור שלא אוכל לעלת שם. Belg. *Op een hogen rotzſteen.* Petra pro fortitudine & robore. Unde eſt Epithethon Dei. Eſ. 30. *Petra Iſraëlis.* Eſ. 26. 4. *Quia in DOMINO petra ſeculorum.* Deut. 32. 4. *Rupis iſtius opus perfectum eſt.* Sic in Abbr. ה״צ.

4. *Fuiſti*] Olim, tempore Saulis.

מִגְדַּל *Turris*] Eſt & nomen urbis in litore maris Galilææ in tribu Nephtali. Unde Μαγδαληνὴ. Sign. præſidium. Prov. 18. *Turris fortitudinis eſt nomen DOMINI, Juſtus curret ad eam & exaltabitur.* Sic Græci Turrim μεγάριον vocant à magnitudine.

5. עוֹלָמִים] Pro לעו׳, Kimchi, זמנים ארוכים, R. Sal. זמני בעולם הזה ובע׳ הבא

6. *Audiviſti*] Id eſt, audies עבר במקום עתיד, hoc ſolenne eſt propheticis. Vide egreg. locum R. Salom. in Gram. ad cap. 9.

Vota mea] Id eſt, preces cum votis conjunctas. Synecd. adjuncti. ל pro את ut occiderunt לַאבְנֵר.

Dediſti] Sc. mihi hæred. timentium nomen tuum, i. e. terram Canaäm. Vel cœlum hæredit. cœleſtem per terram Canaän præfiguratam. Vulg. *Dediſti hæreditatem timentibus*; malè, quia eſt in Reg. Ita tamen & Jun. *Dederis hæreditatem* [*ſuam*] *timentibus*, pro יְרֻשַּׁת.

7. *Diebus Regis*] Meis. Vel Chriſti. Sic Chald. *Annos futuri ſæculi addas annis Meſſiæ R. anni ejus ſint ſicut ſæculi hujus & ſæculi futuri.* Hoc ſæculum vocant ſ. operis, illud mercedis. Unde qui non laborat in veſp. Sabb. non comedet in Sabb.

Regis] Id eſt, Meis. Sic in hoc eodem verſu, coram Deo, i. e. te. Et coram te, i. e. ut tibi placere ſtudeat, vitam & actiones ſuas tibi probet. Solent Ebræi ponere nomina pro pronominibus. Vide Grammat. Homines etiam dum loquuntur de ſe ſolent loqui in 3. perſ. & alios alloqui in 3. perſona. 1 Sam. 25. 31. *Cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Luc. 1. *Quia reſpexit humilem ancillam ſuam.* Affine eſt aliquo modo quod authores quoque profani pronomina demonſtrativa eleganter uſurpant de perſona loquentis. *Tu, ſi hic ſis, aliter ſentias*, HIC, ὁ δ' ἀνὴρ, Soph. *Ignoſce huic viro*, τῷδ' ἀνδρί, i. e. mihi, δεικτικῶς inquit Scholiaſtes. Καὶ ἐςὶ τυνκὸς ἐν τῷ τοιότῳ Σοφόκλης. Joh. 2. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον Matth. 16. *Et ſuper hanc Petram*, Job. 19. *Et poſtquam poſt pellem meam etiam hoc contriverint*; hoc, i. e. hanc fœtidam & exanguem carnem.

תוסיף] *Addas*, unde *Joſeph addendus* non additus. Diſerte enim Mater, *Quoniam addet mihi Deus filium alium.* Lyra, *Ex deſiderio habendi ſecundum, nominavit primum.*

דֹּר וָדֹר Rep. vocis intercedente Vau aliq. ſig. multiplic. ut hoc loco. Aliq. diverſitatem, ut *Loqui in corde & corde*, Prov. 20. *Lapis & Lapis, Epha & Epha abom. ſunt coram DOMINO.* Sic, *Ne ſit in ſacculo tuo lapis & lapis.* Sed vide Reg. textuales hic eſt ellipſis τοῦ כל.

8. מן *præpara*] LXX. ἔλεος καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ τίς ἐκζητήσει; *quis requiret, quis poſſit requirere.* מן Syr. *quis.*

De Manna. Exod. 16. *Et videbant filii Iſraël & dicebant* מן. *Quia non noverant quid eſſet.* Man, i. e. cibus à Deo paratus. Alii מן הוא quid eſt? Vide Druſ. Ex. 16. Vide ad Pſ. 78. 24.

יֵשֵׁב] *Maneat*, vel *Sedeat* ut judex.

ישב 1. Sedere. 2. Manere in quiete & ſtabilitate, permanere feliciter. Quia homo ſedens quietus eſt, Zach. 14. 10. *Exaltabitur & ſedebit Jeruſalem in loco ſuo*, i. e. quieta & tranquilla erit. Sic Pſ. 103. 9. *Qui facit, ut, quæ ſterilis erat, ſedeat mater læta.*

3. Sedere pro tribunali. Sic Deo tributum qua judici. Sic 1 Reg. 1. *Ipſe ſedebit ſuper throno tuo.* Pſ. 9. *Sedes ſuper throno tuo judex juſtitiæ.* Unde ישבים pro judicibus ſumitur Ruth. 4. *Coram Sedentibus.* Tharg. יָתְבֵי תַרְעָא. Plautus in Moſt. *Sine me iſthuc dijudicare, ſurge, ego iſthic aſſedero.* Prov. 31. Pſ. 113. 8.

Etiam Doctores dicuntur *ſedere*, Matth. 23. Vide ad Pſ. 101.

GROTIUS.

3. *A Finibus terræ ad te clamavi*] Nempe ultra Jordanem, quò profugerat Abſalomi metu 2 Samuel. 17. 22.

PRICÆUS.

13. *Poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine miſericordia*] Hæc ad parcendum, illa ad deſtruendum.

Ibid. *Reddes unicuique juxta opera ſua*] Non unâ perticâ, ſed diſtinctè tractas: quantò quis melior, tantò tibi obligatior abibit, expertus non eſſe apud te

Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

(ex Plinio lib. 8. ep. 2.) Vide & quæ ad Mat. 16. 27. dicta.

IDEM.

3. *Non movebor ampliùs*] i. e. Omnino. Vide ſuprà ad 50. 4. dicta.

4. *Quouſque irruitis in hominem?* Suprà 58. 4. *In me fortes irruerunt*: ubi annotata vide. Seneca de Ira 3. 42. *Quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accerſimus? quid imbecillitatis obliti ingentia odia ſuſcipimus? & ad frangendum fragiles conſurgimus?*

Ibid. *Quouſque irruitis in hominem? interficitis univerſi vos: tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ?*] Poſt verba ultima ſubaudi, *innitimini divitiis & potentiæ veſtræ.* Vide Eſai. 30. 12. (ubi parem ſimilitudinem habes.) Aut totam hanc periodum hâc ſententiâ & conſtructione intellige; Quouſque irruitis in me quem intuemini quaſi parietem inclinatum, aut maceriam depulſam? vobis ipſis potiùs perniciem molimini, me enim Deus ſuſtentat, nec concidere patietur. Infrà 117. 13. *Impulſus, everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me. Maceriæ depulſæ* LXX. Interpretibus eſt Φραγμῷ ὠσμένῳ quem locum puto reſpici ab Heſychii iſto, Ὠσμένῳ, ἀθισμένῳ.

Ibid. *Interficitis univerſi vos*] Subaudi *ipſos. Contra ſanguinem veſtrum* (ut Proverb. 1. 18.) *inſidiamini, & fraudes contra animas veſtras molimini.* (Ubi & præceſſit, *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum.*) Deus Jerem. 7. 19. *Numquid me ad iracundiam provocant? nonne ſemetipſos potiùs in confuſionem vultûs ſui?* ſubaudi, *adducunt?*

Ibid. *Interficitis univerſi vos*] *Spiritus veſter* (ut Eſai. 33. 11.) *velut ignis vorabit vos.*

7. *Non emigrabo*] Non tranſmigrabo, ut aviculæ, quæ præ pavo-

pavore ſuos nidos transferunt relinquuntve. Vide ad 10. 2. annotata.

8. *Deus auxilii mei*] Ut ſuprà 4. 1. *Deus juſtitiæ meæ*: & infrà 72. 26. *Deus cordis mei*.

10. *Veruntamen vani filii hominum*] At homines ſunt mendaces: eſt enim hìc *vani* quod *mendaces* in ſequenti membro. Vide & ſuprà 4. 3. in vocibus iiſdem.

Ibid. *Vani filii hominum*] *Omnis homo mendax*, infrà 115. 11.

11. *Nolite ſperare in iniquitate*] *In multitudine* (ut ſuprà 51. 9.) *divitiarum*, ſubaudi, *iniquè partarum*: ſequitur continuò enim, *rapinas nolite concupiſcere*.

Ibid. *Rapinas nolite concupiſcere*] *Non* enim (ut Sirachid. 16. 14) *peccator in rapina effugiet*. Eundem 5. 10. vide. *Rapinas*, res ex rapina adeptas. Similis locutio, *avaritiam malam ſuæ domui congregare*, Habacuc. 2. 9.

Ibid. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*] Ità 16. 2. Sirachides de liberis loquens, Ἐὰν πληθύνωσι, μὴ εὐφραίνε ἐπ' αὐτοῖς.

Ibid. *Nolite cor apponere*] *Præterit* enim *figura mundi hujus*, 1 Cor. 7. 30. Seneca 102. Epiſt. *Quicquid circa te jacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt.*

12. *Semel locutus eſt Deus*] Job. 33. 14. *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.*

13. *Poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia*] Poteſtas puniendi nempe. Sirachides 16. 12. *Miſericordia & ira eſt cum illo.* Idem. 5. 7. *Miſericordia & ira ab illo proximant.* Vide & Pſal. 67. 21.

Ibid. *Tu reddes unicuique juxta opera ſua*]

Τοῖς τ' ἀγαθοῖς ἄμεινον προφέρων πολὺ μείζονα μισθὸν,
Τοῖς δὲ κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων.

Sirachides ubi ſuprà, *Correptio illius hominem ſecundùm opera ſua judicat.* Vide & Ejuſdem 35. 24. item 17. 10. Jeremiæ. Jobus 34. 11. *Opus hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet iis.* De Eodem Petrus, Ὁ κατὰ τὸ ἑκάςυ ἔργον ἀπροσωπολήπτως κρίνων, 1. 1. 17.

PSALM. LXII.

MUNSTERUS.

JEduthun] Quidam putant *Jeduthun* fuiſſe nomen præcipui cujuſdam cantoris.

1. *Silet anima mea*] Secundùm Kimhi דומיה eſt nomen ־ותר, i. e. *formale*; ut ſit ſenſus, *Quieta eſt anima mea ad Deum*, h. e. præſtolatur in ſilentio auxilium ejus.

2. *Ipſe exaltatio mea*] Eſt משגב *locus altus & tutus ad quem confugitur imminente periculo.*

3. *Quaſi paries inclinatus*] Senſus eſt, Paries inclinatus omni momento minatur caſum, ſic vos manet repentinus interitus.

4. *Exaltet*] i. e. Conantur eos, qui ad Deum confugiunt, avertere ab eo.

8. *Effundite cor veſtrum*] Senſus eſt, Curas & neceſſitates veſtras Deo committite, qui vobis opem ferre poteſt.

9. *Ipſi pariter leviores ſunt*] Heb. *Ipſi præ vanitate ſimul ſunt*: h. e. Si eos omnes ſimul in unam poſueris trutinæ lancem, & Vanitatem ipſam in alteram poſueris lancem, *erunt ipſi leviores Vanitate ipſâ.* Non igitur eſt ut homines tam inanes timeas.

11. *Vice unâ atque ſecundò*] h. e. Sæpe Deus conteſtatus eſt in Lege & Prophetis, Se eſſe potentiſſimum & clementiſſimum, & ſuum eſſe ſalvare hominem; omnem autem hominem eſſe vanum & mendacem. Non igitur timendus eſt homo nihili, nec apud eum quærenda ſalus, &c.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Ipſi Jeduthun* על ידותון] Vide Pſ. 39. Quidam vertunt, *pro Jeduthun*; ut ſcilicet illi committeretur decantandus. ¶ *Tantùm* אך] *Duntaxat.* Alii, *Utique.* Sic v. ſeq.

2. *Petra mea* צורי] *Propugnaculum meum*, ¶ *Elevatio mea* משגבי] *Exaltatio mea*; *arx*; *munimentum*; *perfugium*: ſignificat arcem ſublimem ad quam aſcendit quis ut tutus ſit. ¶ *Non labaſcam multo* lapſu לא אמוט רבה] *Non vacillabo multo*, ſub. *lapſu*, i. e. gravi: h. e. graviter. Quidam, *non nutabo multum.* Alii, *non movebor multum.*

3. *Cogitabitis prava contra unumquemque* תהותתו על איש] Ad verb. *loquemini contra virum?* Quidam, *fraudem ſtruitis cuique?* Alii, *inſidiamini quibuſcunque?* Fut. pro præſ. Chald. *detrahetis ſingulis?* ¶ Eritis *tanquam paries* כקיר] Ad verb. tantùm legitur *ſicut paries.*

4. *Tantummodo à magnitudine ipſius* Dei *conſultant repellere* אך משאתו יעצו להדיח] Sub. *eos*; i. e. conſultant quomodo depellant unumquemque à fiducia quam habent in Deo excelſo, magno & potente. Quidam, *Utique exaltationem ejus conſultarunt dejicere.* Alii, *Utique dignitatem ejus deturbare cogitant.* Alii, *Utique ne ipſe* Deus *quenquam exaltet, conſultant, moliunturque impellere.*

5. *Tantùm* אך] *Veruntamen*; *utique.*

6. *Tantùm ipſe eſt petra mea* אך הוא צורי] *Utique ipſe eſt fortitudo mea*: vel, *rupes*, ſub. *in qua ſita eſt fortitudo mea.* ¶ *Elevatio mea* משגבי] Eadem vox quæ & Pſal. 59. 9. & in hoc Pſalmo, v. 2.

7. *In Deo* על אלהים] *Apud Deum. Super Deum.* ¶ *Robur fortitudinis meæ* צור עזי] *Rupes roboris mei*; vel, *petra fortitudinis meæ.*

9. *In ſtateras*, &c. במאזנים] i. e. Si ſimul ponantur in trutina, ipſa vanitate leviores erunt. Quidam hæc præcedentibus jungunt ſine diſtinctione, ſic, *Mendacium filii viri in lancibus*, ſic *ut aſcendant præ nihilo* [aut *vanitate*] *ſimul.*

10. *Calumniæ & rapinæ* בעשק ובגזל] *In injuria & rapina*; *in malè parto & rapina.* Quidam iſtud *& rapina* ſequentibus jungunt, *Et pro rapina ne inaniter ſatagite.*

11. *Bis hoc audivi* שתים זו שמעתי] *Duo hæc audivi.* Alii, *Vice unâ locutus eſt Deus*, atque *ſecundò*, quod & *audivi.* Vel, *Semel atque iterum locutus eſt Deus*, *idque audivi.* Hebraïſmus, pro *Sæpius audivi*, nempe in Lege & Prophetis.

CASTALIO.

3. QUouſque in me injurioſi eritis] Latinè *novi hominem* pro *novi eum* dicitur. Hebraïcè fit hoc etiam in prima perſona: quomodo dicit ſæpe Chriſtus *Filium hominis* pro *homine*, de ſeipſo loquens. Igitur quod hic vertimus *in me*, in Hebræo eſt *in hominem*: qui Hebraiſmus, quia huic loco obſcuritatem afferret, locum ad Latinam conſuetudinem traduximus. Eum autem de ſe loqui, apparet ex eo quòd & antè & poſt dicit *ſe in Deo acquieſcere*, *eoque niti*, *ſic ut eorum conatibus labefactari nequeat.* ¶ *Perimere conantes*] In Hebræo unum eſt verbum, quod ſignificat *perimere*: quanquam paſſivum eſſe notæ vocales indicant; ſed activum eſſe, & V. Interpres & ſententia oſtendit; quomodo & verbum חלף poſitum eſt Prov. 11. Eſt autem animadvertendum, Hebræorum verborum notiones latè patere, ut idem verbum & primarium ſit, & frequentativum, & deſiderativum, quando his figuris carent Hebræi. Itaque hic *perimere* ponitur pro *peremptuire*, ut ità loquar, h. e *velle perimere*: qualis Hebraïſmus eſt etiam Act. 7. his verbis, καὶ συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην· non enim reduxit rixantes in gratiam Moſes, ſed id facere conatus eſt: & Matth. 23. εἰσερχομένυς pro εἰσέρχεσθαι θέλοντας. Atque eodem modo obiter dico de verbis apud Latinos compoſitis, quibus carentes Hebræi uno verbo multa ſignificant; ut לחם ſit *pugnare*, *propugnare*, *oppugnare*, *repugnare*, & *expugnare*; & ità in multis aliis.

CLARIUS.

DOcet ſuam in Deum fiduciam, quòdque nullis mortalium viribus vel copiis ſit fidendum. Porrò *Jeduthun* putant nomen fuiſſe cantoris.

1. *Nonne Deo*] Interpres explicuit Hebraïſmum, qui ſic habet, *Utique ad Deum ſilet anima mea*, h. e. Quieta eſt anima mea ad Deum, & præſtolatur in ſilentio auxilium ejus. Meritò, inquit, patienter Deum exſpectas anima mea: *ab ipſo enim provenit ſalus mihi.*

2. *Non movebor amplius*] Heb. *Non movebor multùm*, h. e non admodum ſolicitus ero.

3. *Irruitis*] Heb. *inſidiamini.* ¶ *Tanquam paries inclinatus*] i. e. Paries inclinatus omni momento minatur caſum; ſic vos manet repentinus interitus.

4. *Utique honorem meum*] Et Græcus habet τιμήν. Hebræa pro *meum* habent *ejus*, ut de ſe tanquam in tertia perſona loquatur, ſic, Cauſa certè odii in virum illum ea fuit præcipua quòd videbant illum auxilio Dei creſcere: hoc ut impedirent ſtulti; inito conſilio ſanè ridiculo, ſubvertere illum conabantur: &, quaſi falli poſſet Deus, *ore ſuo blandiebantur* illi, cùm *animo vellent peſſime.*

5. *Ab*

5. *Ab ipſo ſpes mea*] Ipſe ſalutem quam exſpectas afferet tibi.

7. *Deus auxilii mei*] Heb. *petra fortitudinis meæ.*

8. *Effundite coram illo corda veſtra*] Curas & neceſſitates veſtras illi committite, qui vobis opem ferre poteſt.

9. *Ipſi pariter leviores ſunt vanitate*] Heb. *ipſi præ vanitate ſimul ſunt*, h. e. Si eos omnes ſimul in unam poſueris trutinæ lancem & Vanitatem ipſam in alteram lancem, erunt ipſi leviores vanitate ipsâ. Non ergò eſt ut rem tam inanem timeas.

11. *Bis hoc audivi*] Hebraïſmus eſt, ſic, *Unum quiddam locutus eſt Deus, ſed ſæpenumero illud audivi, ſolum Deum eſſe qui poſſit omnia, & te Dominum naturâ eſſe clementiſſimum*: quare & malos malè perdere potes, & tuos pro tua clementia perpetuò facere felices. Ab illo enim non ab homine pendere debemus.

DRUSIUS.

1. לַמְנַצֵּחַ עַל־יְדוּתוּן מִזְמוֹר לְדָוִד. Sym. Ἐπινίκιος διὰ Ἰδιθὼν, ᾠδὴ εἰς Δαυὶδ] Interpres, *Triumphalis per Idithun.*

9. אַךְ הֶבֶל בְּנֵי־אָדָם כָּזָב בְּנֵי־אִישׁ בְּמֹאזְנַיִם. Th. *Atqui vapores filii hominum, mendaces filii hominum, ut momentum ſtateræ*] In ed. Rom. πλὴν ἀτμίς. *Ut momentum ſtateræ*, ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ. Legit, ut apparet, Caph pro Beth. ¶ הֵמָּה מֵהֶבֶל יָחַד. Sym. αὐτοὶ ματαιοῦνται ὁμοῦ, *ipſi evaneſcunt ſimul.* Sic Interpres Theodoreti.

10. וּבְגָזֵל אַל־תֶּהְבָּלוּ. A. καὶ ἐν βίᾳ μὴ ματαιοῦσθε. Sym. καὶ ἐπὶ ἅρπαγμα μὴ γίνεσθε ἀτμίς. Th. καὶ ἐπὶ ἁρπάγματι μὴ ματαιοῦσθε.

AMAMA.

עַל־יְדוּתוּן] Sunt ut R. S. qui putarunt eſſe *Inſtrumentum Muſicum*, quod tamen improbat Aben. his verbi. ולהיותו כלי רחוק הוא, ut fuerit inſtrumentum Muſicum nimis à vero alienum eſt. 2. Sunt qui putant eſſe *Initium Camilenæ*, cujus compoſitor fuit Jeduthun, aut qui de Jeduthun compoſita eſt. 3. *Præfecto Jeduthunis*, i. e. ei qui conſtitutus eſt ſuper Jeduthun, i. e. poſteros & claſſem Jeduthunis: David enim 1 Chron. 25. 1. in tres claſſes diſpeſcuit cantores, in familiam Aſaph, Heman & Jeduthun. 4. *Magiſtro Symphoniæ in Jeduthun*, i. e. in claſſe iſta, ex claſſe iſta. Chald. עַל ידוי דידותון, *per manus Jeduthun.* Symm. ἐπινίκιος διὰ Ἰδιθὼν.

2. אַךְ *Tantummodò*, ut ſit excluſiva. Alii, *Attamen*, ut ſit adverſativa, ut hanc ſententiam ad ſolamen ſui opponat tentationi ortæ ex ſenſu perſecutionis. (Lxx. οὐχὶ, *nunquid*) Chald. etiam בְּרַם *Attamen, utique.*

אַךְ eſt 1. adverſat. 2. excluſivum, 3. aſſever. nunquam interrogativum, contra Lutherum Jon. 2.

דוּמִיָּה] Alibi eſt abſtr. *Silentium*, ut Pſ. 22. 3. Pſ. 39. 3. & 65. 3. juxta quoſdam, hîc verò eſt adject. *Silens, acquieſcens*, Chald. שְׁתִקָא *ſilet. Silere* pro *quieſcere, ſubſiſtere.* Joſ. 10. 12. *Sol in Gibeon* דוֹם *& luna in valle Aijalon.* Maſſ. ר׳ & ſemel defect. דֻמִיָּה nempe Pſalm. 22. 3. Cætera ſunt hic ipſe. Pſalm. 39. 3. & 65. 3.

Lxx. Οὐχὶ Θεῷ ὑποταγήσεται ἡ ψυχή μου. Sunt qui referunt ad Part. Kal, ut ſit pro רוֹמִיָּה & hoc pro דוֹמָה ut בּוֹכִיָּה *flens.* Alibi eſt דוֹם לַיהוָה *Expecta Dominum.*

3. אַךְ *Utique, profecto*, ut hic ſit aſſeverantis, quomodo accipitur Geneſ. 26. 9. Pſ. 73. 13. Aben. *Tantummodo.* אין לי כושין ולתו.

אֶמּוֹט רַבָּה] *Non nutabo (motione* מוט) *magna.* Ab. אל־תהום רַבָּה Motione magnâ, ut ſcilicet plânè corruam excidamque R. S. גדולות גדולות, Midras אל גיהנם. Ch. עָקָא רבא *Afflict. magnis.*

4. תְּרָצְּחוּ] Fut. Pual. *Occidemini vos omnes, evadetis ſimiles muro pando* &c. Ut ſit comminatio Prophetica. Alii, ſecuti lect. Jacobi Ben Naphthali, Orientales legunt תְּרַצְּחוּ Fut. Kal *quouſque occidetis*, vel, *ut occidatis*, Sed abſurda eſſet ſententia & inepte cædes tribuetur rebus inanimatis. Altera l. eſt Aharonis F. Aſer, quam ſequuntur Occidentales.

קִיר נָטוּי] *Paries.* Nam murus dicitur חוֹמָה

Pandus] i. e. Inclinatus. Unde *Pandus Aſellus*, Ovid 1. Faſtorum. A Pando as, Plin. *Facite pandatur Juglans*, & apud Vitruvium *Pandatæ arbores*, quæ in ædificiis curvantur.

תהותתו] *Prava moliri, inſidiari, machinari.* Kimchi תחשבו הוות. R. Sal. & Ab. deducunt ab הוּוֹת vel הוּת ut ת ſerv. fiat radicalis. A החלה fit הִתְחִיל

Contra virum] i. e. Me. Enall. perſonæ, vel Synecdoχὴ generis.

5. מִשְּׂאֵתוֹ] *De dignitate ejus*, Majeſtate Regiâ מן ſignif. aliquando *De*, περὶ, objectum. LXX. Πλὴν τὴν τιμήν μου, ἐβουλεύσαντο ἀπώσασθαι.

שְׂאֵת] Inf. Kal admodum πολύσημος. Gen. 4. extat, unde eſt locus ille πολυθρύλλητος, & variis Interpretum opinationibus involutus. Nunquid ſi benefeceris שְׂאֵת

I. *Elevatio* ſc. *vultus* erit, *Elevares vultum*, ut opponatur præcedentibus.

II. *Remiſſio.* *NASA* enim ſign. *remittere.*

III. *Dignitas, excellentia.*

IV. *Acceptio* ſc. *vultus, faciei. Accipere faciem alicujus*, eſt *alicui favere*, *Ymant dragen.*

V. *Portatio*, *Feres præmium bene factorum.* &c.

Multi errores Interpretum qui ex alia verſione tranſtulerunt Cauſæ 2. una, *Ambiguitas*, Pſ. 110. ἀρχή. Matth. 27. Jeſ. 3.

II. *Vitium Typog.* Job. 11. 19. Pſalm. 132. χήραν pro θήραν.

יִרְצוּ כָזָב] *Diligunt mendacium.* LXX. ἔδραμον ἐν δίψει, *cucurrerunt in ſiti.* Pro יִרְצוּ legerunt יָרֻצוּ. Sed quid legerunt pro כָּזָב? Genebr. Vulgatum vertentem *cucurri in ſiti*, non excuſat. Saltem de poſteriori plane ſilet. Prius ex aberrantibus Græcis magis corruptum eſt: ἔδραμον enim cum tam ſign. *cucurrerunt* quam *cucurri*, & cum magis quadret Ebræo *cucurrerunt*, ille tamen ambiguitate vocis deceptus vertit *cucurri.* At ſenſum dicit eſſe eundem. Supplet enim in Græco plur. ἔδραμον πόδες μου *pedes mei*, i. e. ego.

Benedicunt ore ſuo] *Quiſque ore ſuo* בְּפִיו pro בְּפִיהֶם 1. *bene precantur, exoptant, ſalutant.* Sic in N. T. Luc. 10. *Nullum ſalutate in viâ.* 2 Reg. 4. idem dicit Elizæus ad Gehazi. Sunt verò qui hoc hyperbolicè dictum putant, q. d. celerrimè confice iter tuum. Sunt verò qui eam phraſin aliquando ſignificare putant largius & prolixius cum amico colloquium. Ut Act. 18. dicitur Paulus *aſcendiſſe Hieroſolymas & ſalutaſſe Eccleſiam.* Et 25. Agrippa dicitur veniſſe ut *ſalutaret Feſtum.*

In medio ſui] In corde. Vide ſupra.

Maledicunt] Idea Machiavelliſtarum quorum & illud ſeculum fuit ferax. οἱ ἐσθλὰ ἀγορεύουσι, κακὰ δ' ἐν φρεσὶ βυσσοδομεύουσι· Quos Ethnicus ille apud Hom. dicit ſe odiſſe ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν Ebr. Proverbium potius obſervandum eſt תוכו כְּבָרוֹ *Medium ejus ut extra ejus*, i. e. *Intus ut extra.*

In vocibus בְּרָכָה & קללה multùm nugantur Ebræi, ut cur Lex incipiat à ב & non ab א cum dici æquè facile potuiſſet אֱלֹהִים בְּרֵאשִׁית quia א incipit vocem אָרוּר, ב vero בְּרָכָה Sic זָכָר & נְקֵבָה in numeris valere hoc קללה illud בְּרָכָה. De *Nekeba* falsum eſt niſi ſcribas ונקבה

9. *Omni tempore populе*] בְּכָל עֵת עָם Lxx. πᾶσα συναγωγὴ λαοῦ. Geneb. עֵדָה contractè עֵת ut צִרִים pro צִירִים. Sed quis non videt magnam diverſitatem. Omnes Patres ferè eodem modo legerunt decepti à Græcis. Aug. *Omne concilium plebis*, Hilar. *Omnis cœtus plebis*, Amb. *Omnis conventus plebis.* Ecce hoc eſt fontes ignorare. Hoc tamen certum עֵדָה ſignif. *cœtum, Synagogam*, ut & קהל & כְּנֶסֶת. Quæ tres voces reſpondent Græcæ συναγωγή, *Congregatio*, ut ridiculum ſit illud quod B. Auguſtino perſuaſerunt quidam ineptuli. Hic enim in Pſ. 80. obſervat Eccleſiam. Veteris T. vocari *Synagogam*, i. e. congregationem, quod & pecora congregari ſolent, atque ipſa propriè quorum & *Greges* dicimus, Chriſtianorum vero cœtum vocari *Eccleſiam*; i. e. convocationem quia convocari tantum eſt utentium ratione. Hanc obſervat. Bellarm. & Sociniani avidè arripiunt ut Eccleſiæ V. T. detrahant. *Congrego à Grex Gregis.* Atqui frigus iſtius ſubtilitatis perit in voce Græca, nedum in Ebraïcis appellationibus. Ibi enim ejus Etymologiæ nec vola nec veſtigium. Deinde Eccleſia non dicta eſt à verbo quod ſit proprium ratione utentium. Καλεῖν enim ἀνακαλεῖσθαι in Kynegetico Xenophontis dicuntur de revocatione canum. Sed & in eo miſere hallucinatus eſt Auguſt. & qui eum errorem arripuerunt, *cœtum piorum in N. T. nunquam vocari Synagogam ſed ſemper Eccleſiam*, in Pſ. 77. Opponitur locus Jacob. 2. 2. & Ebr. 10. 25. *Non derelinquentes* τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν.

Effundite cor veſtrum] Cor pro curis & angoribus cordis. Met. Subj. Ideo Chald. ſupplet, Effundite coram eo דְחוּשֵׁי לִבְּכוֹן perturbationes, angores cordis veſtri. Phraſis Emphatica, Liberè apud eum eloquimini curas & deſideria veſtra. Evaporate in ſinum ejus omnia optata veſtra. Sic 1 Sam. 1. Anna dicit, *Effudi animam meam coram Domino.*

בני אדם] B. *De menſchen*; at Pſalm. 49. *Gemeine man.* Gen. *Ceux de bas eſtat.* It. *Huomini di baſſo ſtato.*

בני איש] Belg. *Grote lieden feilen ook*; at Pſalm. 49. *Heeren.* Gen. *Les Nobles*, It. *Homini di alto ſtato*, Piſc. *Sy zijn dan gering of hoge, zijn enckel ydelheid en leugen.* B. *Sy wegen weiniger dan nets ſo vele harer is.* Melius, *In een ſchale opge-*

opgewogen zijnde, ſouden ſy alteſamen hoger oprijſen als de ydelheid.

10. *In lancibus* [*poſiti forent*] *ad aſcendendum*, [*id eſt aſcenſuri eſſent*] *præ vanitate pariter.*] Senſus, ſi homines omnes ſimul ponerentur in una lance bilancis, vanitas autem in altera, tum homines aſcenderent, Vanitas deſcenderet, i. e. vanitas præponderaret לַעֲלוֹת pro לַעֲלוֹת שֶׁיְּהִיוּ. יַחַד reſpondet Gr. μέλλει.

Mendacium, vanitas] Meton. adjuncti hyperb. Lxx. ψευδεῖς, μάταιοι.

11. עֹשֶׁק] A גָּזֵל ſic differt juxta quosdam. Ut עשק ſit loco generis, גָּזֵל loco ſpeciei. Vel *Oshek* ſign. *oppreſſionem quamlibet tam apertam quam fraudulentam*, גזל vero *oppreſſionem apertam, vim, rapinam.* Alii putant עשק tantùm ſign. *oppreſſionem occultam per fraudes* vel *calumnias*, unde per διαβολὴν & συκοφαντίαν communiter à Græcis vertitur.

אִם יָנוּב] Lxx. πλοῦτος ἐὰν ῥέῃ, *ſi affluant.* Ebr. *germinent, fructificent, creſcant. Si div. affluat vel ſibi vel improbis.* Sic Aben-Eſra.

Semel, bis] i. e. Sæpius. Vel, *Semel*, i. e. firmiter, inconcuſſe, irrevocabiliter, immutabiliter. Pſ. 89. *Semel juravi per Sanctitatem meam.* Ovid.

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Semel pro *verè* aliquando poni videtur ex coll. Pſ. 89. *Semel juravi*, & Pſ. 132. 11. *Juravit DOMINUS* אֱמֶת.

GROTIUS.

12. *SEmel locutus eſt Deus, duo hæc audivi*] Semel Deus in Sinai locutus eſt majoribus noſtris; indè duo colligo longe certiſſima: Deum & potentiſſimum eſſe ad vindicandas injurias ſuas, & in pios mirè benignum. Exod. xx. 5, 6, 7.

13. *Quia tu reddes unicuique juxta opera ſua*] Roman. 11. 6.

PRICÆUS.

2. *AD te de luce vigilo*] Græci heic πρός σε ὀρθρίζω. Sic Luc. 21. 38. πρὸς αὐτὸν ὁ λαὸς ὤρθριζεν Ubi & notata confer.

Ibid. *Sitivit in te anima mea*] Suprà 41. 3.

3. *In terra deſerta*, &c.] Ut terra, &c. Sequitur, *Sic in ſancto apparui tibi*] Sic in Templo tuo ad te manus levavi. Infrà 142. 6. *Ad te manus expandi: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

12. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*] Protegentur, & promovebuntur qui in ipſius nomen jurant. Sequitur, *quia obſtructum eſt os loquentium iniqua*] Eſai. 29. 19. *Defecit qui prævalebat, conſummatus* (i. e. conſumptus) *eſt illuſor: & ſucciſi ſunt qui vigilabant ſuper iniquitatem.*

IDEM.

2. *SItivit in te anima mea*] Simile 83. 3. *Deficit anima mea in atria Domini.* Vide & infrà com. 9.

Ibid. *Quàm multipliciter tibi caro mea*] *Multipliciter* apud Lxx. ποσαπλῶς. Heſychius, Ποσαπλῶς, πολλαχῶς. *Tibi*, in te: & ſubaudiendum ἐπιποθεῖ, vel ἐπιτείνεται.

5. *Sic benedicam te in vita mea*] Ut ſuprà 60. 9. *Sic Pſalmum dicam nomini tuo.* Particula *Sic* videtur nullam hîc ſignificationem habere: quod & aliis Pſalmorum locis collatis clariùs patebit. Vel vide 72. 15. & 89. 12.

6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*] Da gaudium ſtabile mihi. Jobus 36. 13. *Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine.* Sirachides 26. 16. *Gratia mulieris delectabit virum, & oſſa illius impinguabit:* quod non eſt, *bene habitum faciet*, ut Vir ſummus expoſuit; at, multâ cum lætitiâ afficiet. Eſt locutio enim à corpore ad animum ducta, quomodo hoc in Pſalmi loco, & infrà 72. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Ità & Proverb. 15. 30. *Bona fama impinguat oſſa*, i. e. animam lætificat.

7. *In matutinis meditabor in te*] Infrà 87. 14. *Manè oratio mea præveniet te.*

11. *Introibunt in inferiora terræ*] *Mors* (ut 48. 15.) *depaſcet eos.*

Ibid. *Partes vulpium erunt*] Tabernacula eorum quæ in progenie duratura putabant, terræque quas nominibus ſuis vocaverunt, (ut 48. 12.) deſolabuntur. Vide Proverb. 15. 25. In Oratione Jeremiæ dicta, com. 18. de monte Sion, *diſperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Nec diſſimile Apocal. 18. 2.

PSALM. LXIII.

MUNSTERUS.

IN *deſerto Jehuda*] Hoc eſt deſertum Ziph, in quo multo tempore delituit David, donec tandem per Ziphæos fuit proditus hoſti ſuo Sauli. De qua re & Pſalmus 54. canit Et quia David ſupra modum quærebat provehere gloriam Dei, & nihil æquè quærebat atque illam cum ſanctis celebrare, grave erat ſibi ſeparari à Sanctuario Domini, & à ſinceris cultoribus ejus, ideo totis affectibus clamabat in deſerto, *Diluculò & manè te, Domine, requiram, ad te ſuſpiro & te adoro in hac vaſta ſolitudine: & quia non licet mihi id facere in cœtu ſancto tuo, ego pro modulo meo hìc contemplor te in ſpiritu meo, perinde ac ſi eſſem in ſacrario tuo, & viderem arcam virtutis & gloriæ tuæ.*

10. *Dejiciant eos*] Heb. *facient ruere eum in manus gladii.* Putantque id dictum de Saule. Poteſt etiam eſſe ut affixum ו referatur ad totum exercitum qui unà cum Saule perſequebatur David. Prædicit ergò illorum caſum, quòd videlicet per hoſtes adigendi fuerint in gladium, & cadavera eorum per vulpes lac eranda.

VATABLUS.

1. *QUæro te manè* אֲשַׁחְרֶךָּ] *Manè vigilabo ad te: quæram te mane.* Fut. Heb. pro præſenti quibuſdam. ¶[*Deſiderat* כָּמַהּ] *Ardet te: concupiſcit.* Præt. Heb. ¶[*Deſerti* צִיָּה] *Siccitatis:* i. e. ſicca & arida. Alii, *ſqualida, horrida.*

2. *Sic ut in Sanctitate vidi te* כֵּן בַּקֹּדֶשׁ חֲזִיתִךָ] Præt. Heb. quod in præſens quidam vertunt, *Sic* quaſi *in ſanctuario contemplor te.* Alii in futurum, *Sic in ſacrario contemplabor te.*

4. *Levabo* אֶשָּׂא] *Extollam.* Alii, *Levo.*

6. *Saturatur* תִּשְׂבַּע] Fut. Heb. *ſatiabitur.* ¶[*Et labiis jubilationum* וְשִׂפְתֵי רְנָנוֹת] *Cum labiis exſultationum laudat te os meum.*

6. *Cum recordor* אִם זְכַרְתִּיךָ] *Cum meditor* Præt. & fut. Heb. pro præſentibus. Quidam interrogativè legunt, *Annon tui recordatus ſum in ſtratis meis, & in vigiliis meditatus ſum de te?*

7. *Et in umbra* וּבְצֵל] *Ideo ſub umbra.* ¶[*Exſulto* אֲרַנֵּן] Fut. Heb. *ovabo, exſultans cantabo.*

8. *Adhæſit anima mea tibi* דָּבְקָה נַפְשִׁי אַחֲרֶיךָ] Ad verb. *Apprehendit anima mea te.* ¶[*Suſtentat* תָּמְכָה] Præt. Heb. pro præſ. *ſuffulcit.*

9. *Ipſi autem* qui *ad deſolationem* וְהֵמָּה לְשׁוֹאָה] *Illi autem fruſtra.* Alii, *Illi verò ad devaſtandum.* Quidam, *Illi verò qui devaſtare quærunt.*

10. *Occident eum* יַגִּירֻהוּ] *Occidet eum.* Sing. pro plur. *interfectores occident ipſum Saulem:* vel *unumquemque ex hoſtibus meis.* Alii, *Fundere facient eum.* Alii, *Diſtrahent eum in acie gladii.* Alii, *Pertraxit eum in manus gladii.* Alii, *Dejicient eos in aciem gladii.*

CASTALIO.

11. *PEr quem quicunque jurant*] Quem qui colunt. Quem enim colunt homines, per eundem jurare ſolent.

CLARIUS.

DEſertum Juda deſertum eſt Ziph, in quo diu David delituit. Cùm ergò ad ſacrum cœtum convenire minimè ei per hoſtes liceret, & fortè jam unum ex tribus illis ſolennioribus feſtis inſtaret, æſtuans deſiderio cecinit hoc carmen.

1. *Ad te de luce vigilo*] Ὀρθρίζω, *de manè ſurgo*; quod alius vertit *manicabo.* Vult ergò dicere, *manè*, i. e. antequam dies oriatur, *ad te ſuſpicio*, cupiens in tuo te cœtu adorare. Cupiebat enim ſanctus David ſuprà modum provehere gloriam Dei, & nihil æquè quærebat atque illam cum ſanctis celebrare. Grave illi erat ſeparari à Sanctuario Domini, & à ſinceris cultoribus ejus; ideo totis affectibus clamabat in deſerto, *Diluculò & manè te, Domine, requiram*] *ad te ſuſpiro, & te adoro in hac vaſta ſolitudine.* Et quia non licet mihi id facere in cœtu ſancto tuo, ego, ut poſſum, hic contemplor te in ſpiritu meo, perinde ac ſi eſſem in ſacrario tuo, & viderem arcam virtutis & gloriæ tuæ: & hoc eſt quod ait, *in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Poteſt & ſic dici, *Ego te in loco ſanctitati tuæ deſtinato videre cupivi & contemplari potentiam & majeſtatem tuam.*

3. *Melior eſt*] *Melior eſt benignitas*, inquit, quâ nos proſequeris *quàm* ipſa hæc corporis *vita*; quare *labia mea* nunquam deſinent *laudare te:* tanquam dicat, Quæ enim eſſet hæc vita ſi eam

cam ſine tuis laudibus & contemplatione tuæ majeſtatis & miſericordiæ, degere cogeremur? Et profectò ità eſt, quamvis miſeri mortales id plerique omnes non agnoſcant.

9. *Introibunt in inferiora terræ*] Periphraſis eſt ſepulcri.

10. *Partes vulpium erunt*] h. e. Erunt eſca vulpium & ferarum. Prædicit enim illorum caſum, quòd videlicet per hoſtes adigendi eſſent in gladium, & cadavera eorum per vulpes laceranda.

11. *Qui jurant in eo*] *Quiſquis juraverit in verba illius.* Et quidam referunt ad *Regem*, nempe David.

LUCAS BRUG.

6. D*Efecerunt ſcrutantes ſcrutinio*] Hæc communior eſt lectio. Quædam verò exemplaria legunt, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinia*, unum Pariſienſium, Moguntinum, tria Hentenii, tria noſtra, Lobienſis codicis Gallicum Pſalterium, Catenæ Franciſci de Puteo adjunctus textus, & Pſalmi Reverendiſſimi Domini Lindani; conſentientibus Enarratoribus, Bedâ, Remigio, Ludolpho, Richelio & Paſturà. His accedit Romanum Pſalterium, quod, cum Caſſiodoro Senatore, ſingularis numeri quarto caſu habet, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinium*; quo modo & latum Plantini antigraphum legit. Suffragatur eiſdem D. Auguſtini lectio, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutationes.* Conſonant Græci libri ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις· quibus Euthymius monachus adhæret, qui exponens ait, *h. e. Defatigati ſunt quærentes doloſis artes.* Utramque lectionem P. Lombardus agnoſcit. Apollinaris carmine in hunc modum reddidit,

Οἱ δ' ὀλιγηπελέοντες ἀπείριτα μαστεύοντες,
Sed defecerunt intermina perquirentes.

Hebraïcè eſt תמנו חפש מחפש: quod Felix interpretatus eſt, *Perfecerunt ſcrutinium inveſtigatum.* Alius, *Exſequuntur quod ſcrutando excogitatum eſt.* Hieronymus ut Lxxii. tranſtulit, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio* [*ſcrutinium* R. *ſcrutationes* o:] nam תמם, à quo deducunt תמנו, quandoque *deficere* ſignificat. Putant autem Nun, aut loco alterius Mem (תממו,) aut loco Dageſch, quod ipſi Mem inſigendum erat (תמו) poſitum, quemadmodum & in numeris, cap. 17. v. 13. Hebraïca noſtra Mſs. Pſalteria, Anglicanum, & alterum Societatis Jeſu, ſcribunt, טמנו ח׳ מ׳ (quanquam illud Societatis videatur ת ſuprà ſcriptum habere) quod eſt, *occultaverunt ſcrutinium inveſtigatum*, præſertim ſi per Cametz legas טמנו: ſed punctum Cametz Anglicanus codex non agnoſcit. Atque hanc *tamenou*, per ט literam, ſcriptionem videtur & Felix Pratenſis obſervaſſe, cujus altera ad marginem verſio eſt, *Abſconderunt ſcrutinium inveſtigatum.* Imò D. Bredembachius hanc pro Hebraïca lectione recitat atque interpretatur. Porrò ut ad Latinorum codicum varietatem redeamus, eodem ferè recidit utriuſque lectionis, *ſcrutinio*, *ſcrutinia*, ſenſus. Significatur enim utrâque diligentiſſima perſcrutatio, perinde ac ſi diceretur, quod ſæpe aliàs occurrere ſolet, *defecerunt ſcrutando ſcrutantes.* Si verò referre placeat *ſcrutinio* non tam ad *ſcrutantes* quàm ad *defecerunt*, etiam hoc ex altera ſatis intelligitur lectione. *Defecerunt* enim *ſcrutantes ſcrutinia*, in ſcrutiniis utique. Defecerunt autem in ſcrutiniis, vel quia conſilium commodum invenire non potuerint, vel quia inventum commodè perficere non quiverint.

7. *Accedet homo ad cor altum*] Ea frequentior eſt Latinorum codicum ſcriptura: quæ & eorum commentariorum eſſe videtur quæ Hieronymo adſcribuntur. *Si*, habent, *cum ſapientia Dei ad alti cordis intellectum quis accedens iſta diſcriminet*, *i. veritatem ac falſitatem diſcernat*, *tunc Deus exaltabitur.* Huic ſimilis eſt ea litera cujus Hugo Cardinalis meminit, *ad cognitionem altam.* Altera eſt non paucorum exemplarium ſcriptura, *Accedet homo & cor altum.* Sic enim antiqua Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, Vet. Di. o. M. Ge. L. ar. Duo Hentenii, quorum alterum, haud dubito, Atrebatenſis Collegii eſt; tria aut quatuor noſtra, Brugenſe, Gallicum codicum Tornacenſis & Stapulenſis, Romanum Lobienſis. Sic Lugdunenſia Biblia alias legi in margine notant. Sic denique in quibuſdam Benedictinorum Pſalteriis D. Janſenius reperit. Hæc eſſe videtur commentariorum Arnobio attributorum lectio. *Videntes*, habent, *ſe defeciſſe, & hominem accedere ad ſuperiorem gradum juſtitiæ, faciunt ei cor altum, ut per elationem cordis ejus exaltet ſe Deus ab eo.* Hanc ſecuti ſunt Bruno & Richelius: utramque exponunt Petrus Lombardus. Haymo & Remigius. D. Auguſtinus quid legerit difficulter ſtatui poſſet, *ad* conſtanter in commentariis ejus repetitur, & autem legendum, ex ipſa commentariorum ennarratione, Reverendiſſimus Dominus Janſenius oſtendere adnititur. Certè V. Beda, dum eam quæ ex Auguſtino ſumpta eſſe videtur explicationem profert, diſertè *& cor altum* legit atque exponit, ſubjungitque, *Habet noſtra tranſlatio.* Ad cor altum, *quod ſatis congruè legi poteſt ſic*, &c. Theodoritus atque Euthymius Græci Tractatores *& cor altum* legunt. Sic & Græci codices habent, προσελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδία βαθεῖα. Notatum habemus Vaticano exemplari καρδίᾳ legi; id quod convenire non videtur, niſi legas προσελεύσεται ἄνθρωπος καρδίᾳ βαθείᾳ; aut προσελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδίᾳ βαθείᾳ, ſc. προσελεύσεται· quibus modis lectioni, *ad cor altum*, ſuffragetur. Græcum Apollinaris carmen eſt,

Νειόθεν ἴδμονα μῆτιν ἔχων προσελεύσεται ἀνήρ·

cujus ſenſus eſt, *Accedet vir prudenti conſilio ex imo* (petito) *inſtructus.* Hebraïci codices habent, וקרב איש ולב עמק, quod eſt, *Et accedit homo & cor altum.* Lxxii. legerunt וְקָרֵב, quod eſt *& accedet*, vel יִקְרַב quod eſt, *accedet.* Noſtra Biblia וְקֶרֶב punctata ſunt: itaque transfert Felix, *Et interius viri & cor profundum*; ſub. ex præcedentibus, *perfecerunt.* Alius, *Etiam intimum cujuſque & cor profundum*; ſc. *exquirunt.* Senſus eſt, inquiſierunt vel inquirunt quidquid humano ingenio humanâque diligentiâ inveniri poteſt. Ad ſimilem modum & Hieronymus interpretatus eſt, * *Cogitationibus* [*cogitatione* 1. * & 2.] *ſingulorum & corde profundo.* ſ. *defecerunt*: in perveſtigandis ſcilicet variis profundiſque conſiliis defecerunt. Inter hæc autem Hebræis conjunctio conſtanter legitur (*& cor*) non præpoſitio: quamobrem caſtigatores, D. Lindanus, Jacobus, Pariſienſes, Pſalterium emendarunt, *Accedet homo & cor altum.* Cujus ſenſus, Euthymio autore, eſt, *Ad pravos iſtos* perverſa hujuſmodi conſilia inveſtigantes, *accedet homo aliquis*, *illorum pravitati inſerviturus*: accedet, inquam, homo *qui ſit cor altum*, *h. e. magni & profundi conſilii.* Beda codicum quos conſuluit depravatione falſus, ut videtur, noſtræ tranſlationi, *ad cor altum*, tribuit. Porrò non abſimiliter ea lectio intelligi poſſit. *Accedet homo ad cor altum*, utetur alto profundoque conſilio. Id quod eodem planè modo priori lectione ſignificabitur, ſi verbum *accedet* ſubaudiendo repetas.

DRUSIUS.

1. צָמְאָה לְךָ. Omnes, ἐδίψησέ σοι, *ſitivit tibi*] Hier. in ep. ad Suniam, *Sitivit tibi anima mea: pro quo in Græco ſit ἐδίψησέ σε ἡ ψυχή μου, i. ſitivit te anima mea. Sed in Ebræo non habetur OTECHO, quod ſig.* te: *ſed LECHO, quod ſig.* tibi: *quod & omnes Interpretes tranſtulerunt.* Hæc verba adduxi Hieronymi bono. Nam in vulgatis, *ſed in Ebræo non habetur ATA, quod ſign. Te.* Quem errorem miror Mariano non animadverſum, qui in Eraſmi erratulis tam vidit acutum. ¶ כָּמַהּ. A. ἐπετάθη, *expanſa eſt.* Sym. ἱμείρεται, *deſiderat.* • Th. ποσαχῶς; *quot modis?*] *Expanſa eſt*: nam πετάω, *expando.* Alibi eſt *intecta eſt*: puto apud Interp. Theodoreti. Ἱμείρεται. Verbum eſt כמה cum puncto in He, quod etiam R. David exponit per תאב, i. e. *concupiſco*, *deſidero.* Nec aliter R. S. Hanc interpretationem ſecuti ſunt Hieron. & P. Chaldæus. Aben-Ezra prætulit יבש, i. e. *aruit.* Verbum ἅπαξ εὑρισκόμενον. *Quot modis*, vel *multis modis*, i. e. πολλαχῶς. Interpres Theodoreti *multipliciter.* Euthymius *quàm ſæpiſſime.* Id Ebræi dicunt כמה פעמים ſine Mapphic in He, quod hic additum puto differentiæ causâ in alio ſenſu.

6. אִם־זְכַרְתִּיךָ עַל־יְצוּעָי בְּאַשְׁמֻרוֹת אֶהְגֶּה־בָּךְ. Sym. Ἀναμιμνήσκομαί σου ἐπὶ τῆς στρωμνῆς μου, καθ' ἑκάστην φυλακὴν ἐμελέτων σε, *Recordor tui in ſtrato meo, ſingulis vigiliis meditabar te.*

7. וּבְצֵל כְּנָפֶיךָ אֲרַנֵּן. Idem, καὶ σκεπόμενος ἐν ταῖς πτέρυξί σου εὐφήμουν, *& tectus alis tuis bene precabar*] Interpres Theodoreti, *& amictus ſub alis tuis benedicebam.* Sic εὐφαμία, quod ità Doricè dicitur pro εὐφημία, ab Etymologo exponitur εὐλογία. Suprà 51. 14. תרנן. Sym. διαλαλήσει.

AMAMA.

1. I*N deſerto Judæ*] *Siph*, 1 Sam. 23. 14. vel, *Sylva Hereth*, 1 Sam. 22.

אֲשַׁחֲרֶךָּ] Sign. *Quærere* ſimpliciter, ut Prov. 11. שֹׁחֵר טוֹב *inveniens bonum.* Pſ. 78. *Et convertentur* ושחרו אל *& quærent Deum.* Sunt qui putant, quia שחר *auroram* ſignificat, ſign. *quærere mane*, *ſub diluculo*, *tempeſtivè*; ideo Lxx. ὀρθρίζω πρὸς σέ. Jun. *Tempeſtivè requiro te.* Et Chal. אֲקוּם בְּצַפְרָא. Sic à בקר בֹּקֶר *mane quæſivit*, Pſ. 27. ſed Aben. ſic exponit, אֲבַקֵּשׁ אֶדְרשׁ.

כָּמַהּ] *Deſiderat*, *concupiſcit*, R. Aben. יָבֵשׁ *areſcit*, & ſic Junius ל׳. R. Sal. לשון תַּאֲוָה. Sic Chald. רַגֵּג *deſiderat.* Lxx. ποσαχῶς quam multipliciter? Legerunt כַּמָּה. Pſ. 143. 6. ארץ עֲיֵפָה Lxx. ἐν γῇ ἀβάτῳ καὶ ἀνύδρῳ.

3. Jun. *Ad videndum robur tuum & gloriam tuam, ſicut vidi te in ſanctuario*, Angl. *Sic*, [*ut*] *vidi te*, *ſo* [*as*] *i have ſeene thee.*

4. *Nam*

4. *Nam bonitas tua vitâ melior eſt: labiis meis te laudabo.*
5. *Sic benedicam tibi in vita mea*, &c.
6. *Quaſi adipe ſatiabitur anima mea*, &c.
7. *Cum meditabitur*, &c.

Alii, [*ut ſitibundus deſiderat aquam*,] *ſic vidi te*, i. e. concupivi, expetii, volui videre te.

Alii aliter, Piſc. *Sicut contemplabar te in ſanct. dum videbam* &c. 4. (*Nam miſ. tua melior eſt vita*) *ſic labia mea laudabant te.* 5. *Sic benedicebam, tollebam.* 6. *Satiabatur, laudabat* [*te*] *os meum.* Ut ſic exponat cauſam deſiderii ſui, nim. recordationem voluptatis quam Hieroſ. in tabernaculo perceperat. Sic prius כן erit poſitum pro כ vel כְּמוֹ, eritque nota προτάσεως, ut ſequens כן ἀποδόσεως. Ut כ ſæpe geminatur ad indicandam perfectam & reciprocam ſimilitudinem, ut Eſ. 24.

Lxx. Ὅτι κρεῖσσον τὸ ἔλεός σου ὑπὲρ ζωὰς, τὰ χειλή μου ἐπαινέσουσί σε.

Οὕτως εὐλογήσω σε ἐν τῇ ζωῇ μου, ἐν τῷ ὀνόματί σου ἀρῶ τὰς χεῖράς μου.

Gloriam & robur tuum,] Arcam ſymbolum præſentiæ Dei Glorioſi & Dei Robuſti.

קֹדֶשׁ pro מִקְדָּשׁ ναὸς καταφερομένος.

4. *Quam vita*] Magis quam vita. Sic Græci locuti ſunt. Sic Ter. Prologo Eunuch. *Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis, quam plurimis*, ſub. magis quam plurimis, i. e. malis. Sic Plaut. Rud.

Tacita bona eſt mulier quam loquax.

Tac. 2. Ann. *Pacem quam bellum probabant.* Hom.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι &c.

Polyb.

Λακίδαι πολέμῳ κεχαρίοτες ἤεγε δαῖτι.

5. *Levabo manus meas*] Vide ad Pſ. 28. & notas Rittershuſii ad Salvianum.

Sign. I. *Benedicere*, Pſ. 134. *Levate manus veſtras in Sancto & benedicite Domino.*

II. *Jurare*, Num. 14. *Si intrabitis in terram de qua levavi manum meam.* Exod. 6. *Ducis nos in terram de qua levavi manum meam, ut traderem eam Abrahamo.* Pſ. 106. *Levavit manum ſuam contra eos, ut proſterneret eos* &c. Apoc. 10. 5, 6. Virg. Æn. 12.

——— *Deinde Latinus*
Suſpiciens cœlum, tendenſque ad ſidera palmas
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera juro.

III. *Orare*, Pſ. 141. 2. *Sit elevatio manuum mearum ut ſacrificium veſpertinum.* Æn. 2.

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.

7. *Cum recordabor tui in vigiliis*] i. e. Nocte quæ diſtribuebatur in vigilias quatuor, Lxx. ἐν τοῖς ὄρθροις.

I. Τὸ Νυχθήμερον diſtribuebatur in 4. Vigilias. Veſperam, Mane, & Tzohorajim, i. e. claræ lucis vigilias duas, nempe aſcendentis & deſcendentis ſolis.

II. Noctem divid. in 4. Vigilias, 1. Incipit à veſp. 2. Pertingit ad meridiem noctis, ut loquitur Varro. 3. Galli cantum tranſit, unde *Gallicinium* dicta. 4. Uſque ad ortum ſolis protenditur. Math. 14. 25. & Marc. 6. 48. mentionem faciunt Vigiliæ quartæ, & omnes recenſentur Marc. 13. in fine. *Vigilate, neſcitis enim quando venturus ſit Dominus, veſpere, an mediâ nocte, an in Gallicinio, an mane.* Non obſtat Jud. 7. 19.

Illuſtriſſ. Scalig. lib. 7. de Emend. T. p. 597. tantum agnoſcit 3. vigilias, citatque ex N. T. δευτέραν καὶ τρίτην φυλακὴν Luc. 12. & ex בְּרָכוֹת Tres ſunt vigiliæ noctis & in ſingulis Deus dicit, Heu quod vaſtavi Domum meam. At non in mentem venit viro magno loci Math. 14. 25. Marc. 6. 48.

Sic dies dividebatur in 4. vigilias. 1. Ἠὼς diluculum. 2. & 3. Μέσον ἦμαρ. 4. Δείλη. Ita Jun. At melius ex Pſ. 55. in 3. Secunda Marc. 15. vocatur τρίτη, quia incipiebat à tertia. (ערב, צהרים בקר) Alias conciliari nequit cum Joh. 19. *Erat Paraſceve, hora 6 cum dixit Judæis, ecce Rex veſter.*

8. עֶזְרָתָה] Pro עזרה ad auxeſin ſignificationis. Ideo Trem. & Jun. *ſummum auxilium* vertunt.

9. דָּבְקָה] Lxx. ἐκολλήθη, *agglutinata eſt.* Sic Gen. 2. וְדָבַק באשתו καὶ προσκολληθήσεται. Sic citat Salvator.

10. לשואה] Lxx. legerunt לַשָּׁוְא *in vanum* εἰς μάτην.

Quæſiverunt animam] In malum. Sic 1 Sam. 22. 23. *Quærens animam tuam quæret & meam.* Aliq. in bonum ut Prov. 29. 10. *Vir Sanguinolentus odit integrum, at recti quærunt animam ejus.*

Ad inferiora terræ] I. e. Interficientur & ſepelientur. Meton. adjuncti conſequentis. Aliter paullò ſumitur Pſ. 139. 15. *De utero Matris*, Confer locum Eph. 4. 5.

11. יַגִּירֻהוּ] *Facient diffluere eum*, i. e. quemque ipſorum. *Facient Philiſthæi.* 1 Reg. ult. Per *diffluxum* ſignificatur *interitus.* Metaph. ſumpta ab aquis. Jirm. 18. 21. *Expone filios eorum fami, & fac ut diffluant per gladium.* Sic 2 Sam. 14. 15. dicit Mulier Thekoïna ad Davidem, *Omnino morituri ſumus veluti aquæ diffluentes per terram.*

Portio vulpium] i. e. Interfecti gladio in agro linquentur devorandi à vulpibus & feris.

Viro forti per ſe perinde eſt quomodo ſepeliatur. Unde Mecæn.

Non curo tumulum, ſepelit natura relictos.

Et Lucanus,

——————— *Capit omnia tellus*
Quæ genuit, cœlo tegitur quem non tegit urna.

Unde & illud Petrarchæ alloquium, *Niſi te terra preſſerit tu illam premes, niſi te terra teget, Cœlum teget.* Tamen in Script. loco magnæ pœnæ denuntiatur impiis *inſepulta ſepultura*, ut Cic. loquitur in Philippicis; unde ſic legimus Jirm. 22. *Idcirco ſic ait DOMINUS de Jojakim, Sepultura aſini ſepelietur, tractus & projectus extra portam Jeruſalem. Ibi habetis ſepulturam inſepultam.* Sic bipedum nequiſſimis Aehabo & Izabellæ 1 Reg. 21. 23. minatur Deus, *Canes comedent eos in civitate & in agro volatilia agri.*

GROTIUS.

1. *Cum eſſet in deſerto Idumææ*] Scribendum hîc & in exemplaribus Græcis *Judææ*, tum ex textu Hebræo, tum ex hiſtoria 1 Sam. 22. 5. 23. 14, 15.

2. *Quam multipliciter tibi caro mea*] Putarunt Lxx. כמה eſſe compoſitum ex כ [*ſicut*] & מה [*quid?*] At meliùs Hebræi pro uno verbo ſumunt, quod *deſiderare* ſignificat. Itaque Aquila vertit ἐπετάθη, [*tetendit*,] Symmachus ἱμείρεται, [*deſiderat.*]

PRICÆUS.

2. *A Timore inimici*] Ità & Joh. 20. 19. Vulgatus idem, *propter metum Judæorum:* & Judith. 11. 9. *Tremor tuus ſuper ipſos eſt.* Gellius 9. 13. *Metus, injuria, & alia quædam id genus utroqueverſum dici poſſunt: nam metus hoſtium rectè dicitur, & cùm timent hoſtes & cùm timentur: itaque Saluſtius in Hiſtoria 1. metum Pompeji dixit, non quod Pompejus metueret, &c. ſed quòd metueretur.*

3. *Protexiſti me à conventu malignantium*] Spero itaque illâ notâ clementiâ tuâ liberatum iri me ab iis qui jam imminent mihi. Ità ex præced. commate expoſuerim. Apoſtolus 2 Cor. 1. 10. de Eodem, Ὅς ἐκ τηλικούτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς, &c. εἰς ὃν ἠλπίκαμεν ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται. Ità & 2 Tim. 4. 18. *Conventu*, conciliabulo. In Græco συστροφῆς. Vide ad Act. 19. 40. annotata.

6. *Firmaverunt ſibi ſermonem nequam*] In caput meum. Conſilia in perniciem meam ſtabilierunt mutuis juramentis. Ἑαυτοὺς ἀνεθεμάτισαν, &c. ut Act. 23. 12. illi. Τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτῶν (ut Hebr. 6. 17.) ὅρκοις ἐμεσίτευσαν.

Ibid. *Narraverunt ut abſconderent laqueos*] Jactaverunt (amicis ſuis) ſe laqueos abſcondiſſe mihi.

Ibid. *Dixerunt, quis videbit eos?*]

Tam facile & pronum eſt Superos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat ——

7. *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*] Excogitaverunt (in me) iniqua, idque toties, tamdiuque, ut penus eorum etſi adinventionibus inſtructiſſimum, jam exhauſtum videatur. Vult dicere, ut ſuprà 55. 6. *Adverſum me omnes cogitationes eorum in malum.* Apulejus 7. *Nec quidquam aliud excogitare videbatur nequiſſimus ille, quam ut me quoquomodo perditum iret.*

10. *Timuit omnis homo, & annunciaverunt opera Dei*] Ità Luc. 7. 16. ubi dicta vide.

IDEM.

3. *Protexiſti me à conventu malignantium*] *Protexiſti* hîc eſt *protege.*

4. *Exacuerunt ut gladium linguas ſuas*] Infrà 139. 4.

Ibid. *Intenderunt arcum, ut ſagittent in occulto immaculatum. Subitò ſagittabunt eum*, &c.] Suprà 9. 29, 30. Seneca 103. Epiſt. *Tempeſtas minatur antequam ſurgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: ſubita eſt ex homine pernicies; & eo diligentiùs tegitur, quo propiùs accedit.*

6. *Dixerunt, Quis videbit eos?*] Infrà 93. 7. *Et dixerunt, Non videbit Dominus.* Sirachides 23. 25. *Contemnens in animam ſuam, & dicens, Quis me videt?*

7. *Scrutati ſunt iniquitates*] Ἐφευρεταὶ κακῶν, ut Rom. 1. 30.

Ibid. *Defecerunt ſcrutantes*] *In multitudine viæ ſuæ* (ut 57. 10. Eſaiæ)

Eſaiæ) *laboraverunt : nec dixerunt, Quieſcemus.* Ejuſdem 47.13. *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum.*

8. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*] Vide Proverb. 3.35. & 16.18. & 18.12. Ezech. 31.10, 11. Sirachid. 3.27. & Pſal. 72.18. *Exaltabitur*: intellige, in perditione aut ignominia ejus.

9. *Et infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum*] Seipſos interfecerunt, ut ſuprà 61.4. ubi dicta vide.

PSALM. LXIV.

MUNSTERUS.

2. A *Commotione*] h.e. Qui virulentis linguis ſuis excitabant ſeditiones & tumultus.

6. *Etiam intimum cujuſque*] h.e. Non eſt ſecretum aliquod tam arcanum & profundum quod malitia eorum non producat in lucem.

7. *Sagittabit eos*] In Hebræo hæc verba ſcribuntur in præterito, ſed capiuntur pro futuro.

8. *Facient ruere ſuper ſeipſos linguam ſuam*] i.e. Malum illud, quod falſâ ſuâ linguâ aliis conflarunt, recidet in caput eorum, ut *miraturi ſint omnes qui eos aſpexerint*, quomodo eorum conſilium tam in diverſum abierit effectum, agnoſceturque illud *opus eſſe Dei.*

VATABLUS.

1. V*ictori* לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſal. 4. ¶ *In oratione mea* בְשִׂיחִי] *In ſermone meo: in precatione mea.* ¶ *Cuſtodi* תִּצֹּר] Fut. Heb. pro imperativo.

2. *A ſecreto* מִסּוֹד] *A conſilio.* ¶ *A congregatione* מֵרִגְשַׁת] *A ſocietate, à turba, à commotione*, vel *tumultu.*

3. *Acuerunt* שָׁנְנוּ] Præt. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *exacuunt.* ¶ *Tetenderunt* דָּרְכוּ] Præt. Heb. pro præſ. *dirigunt, emittunt.*

4. *Ut jaculentur in abſconditis in integrum* לִירוֹת בַּמִּסְתָּרִים תָּם] *Ut iciant abſconditè innocentem.* Alii, *Ut ſagittis impetant in abſconditis ſincerum*: vel *eum qui eſt integer.* ¶ *Sagittas jaciunt* יֹרֻהוּ] Fut. Heb. pro præſ. *ejaculantur* ſagittas.

5. *Corroborant ſibi ipſis verbum nequam* יְחַזְּקוּ לָמוֹ דָּבָר רָע] Fut. Heb. pro præſ. vel præt. *Firmarunt* [ſive *Confirmant*] *ſibi verbum malum.* Vel, *Obfirmant ſibi rem malam*, i.e. multis technis corroborare ſtudent noxiam delationem apud Saulem. Quidam, *corroborant ſe in re mala.* ¶ *Narrant* יְסַפְּרוּ] Fut. Heb. pro præſenti, *commentantur.*

6. *Scrutantur iniquitates*, &c. יַחְפְּשׂוּ עוֹלֹת תַּמְנוּ חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ] Fut. Heb. pro præſ. *Inveſtigant pravitates, conſummarunt perveſtigatam perveſtigationem.* Alii, *Scrutantur occaſiones, perficiunt ſcrutinium aſtute inveſtigatum.* Alii, *Exquirunt malitias, & exſequuntur quod ſcrutando excogitatum eſt.* ¶ *Et intimum*, &c. וְקֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק] Sub. *abſolvunt.* Repetitione utitur: q. d. Quicquid inveniri poteſt humanâ diligentiâ, quicquid excogitare poteſt homo. Quidam, *etiam intimum*, &c. Alii in ablativo, *& intimo cujuſque, & corde profundo.*

7. *Et jaculatus eſt in eos* וַיֹּרֵם] *Sed ſagittabit eos.* Alii, *Et jaculabitur in eos.* ¶ *Fuerunt* הָיוּ] Præt. Heb. pro futuro quibuſdam, *erunt*, inquam, aut *exſiſtent.* Alii vertunt, *Subitæ*, inquam, *erunt plagæ illorum.*

8. *Et impingere*, &c. וַיַּכְשִׁילֻהוּ עָלֵימוֹ לְשׁוֹנָם] Fut. Heb. *Et impingere facient eam linguam ſuam contra ſe.* Relativum cum antecedente, pro antecedente ſolo, more Hebræorum: i.e. facient ut lingua ſua in ſeipſos impingat. q. d. Suis delationibus perituri ſunt. Quidam, *facient impingere ſeipſos linguis ſuis.* Alii, *Et irruere illum adverſum ſe linguâ ſuâ cogent.* Alii, *Proſternentque ſuper ſe linguam ſuam.* ¶ *Fugient* יִתְנֹדְדוּ] *Exagitabuntur, commovebuntur, ſtupebunt.*

9. *Et timebunt* וַיִּירְאוּ] *Et videbunt.* ¶ *Intelligent* הִשְׂכִּילוּ] *Prudenter conſiderabunt*, ſive *expendent.* Alii, *facient intelligi.*

10. *Et ſperabit in eo* וְחָסָה בוֹ] *Et fiduciam in illum collocabit.*

CASTALIO.

4. N*ihil tale metuentes*] In Hebræo vocabulum antecedens eſt ſing. numeri, ſed pro plurali poſitum: itaque verbum ſequitur plurale: id quod ſæpe fit: & contrà, ut Pſal. 62. & 63. & 68.

CLARIUS.

ADverſùs fallaces linguas & noxios delatores & hîc & ſæpe aliàs canit.

6. *Exſequuntur quod ſcrutati ſunt*] Ubi excogitaverunt varios nocendi modos, abſolverunt conſilia ſua, & in unum contulerunt quicquid ullâ diligentiâ excogitari potuit ab animo humano etiam ſummâ prudentiâ prædito.

8. *Infirmatæ ſunt contra eos*] h. e. Malum illud quod falsâ ſuâ linguâ in alios conflarunt, recidet in caput eorum, ut *miraturi ſint omnes qui eos aſpexerint* quomodo eorum conſilium tam diverſum habuerit exitum: agnoſceturque illud *opus eſſe Dei.* Quæ autem per præteritum dixit, ut *ſagittavit eos, infirmatæ ſunt, turbati ſunt*, &c. de futuro ſunt intelligenda. Hebrææ enim linguæ mos eſt tempora pro temporibus ponere.

LUCAS BRUG.

1. TAnta eſt in hujus Pſalmi titulo codicum varietas, quanta vix alibi. In Latinis Lovanienſium Bibliis ad hunc modum ſe titulus habet, *In finem, pſalmus David, Canticum Aggæi, Jeremiæ, & Ezechiæ, populo tranſmigrationis, quando incipiebant proficiſci.* Quidquid igitur ab hoc titulo variè legi deprehenderimus, ex ordine proferemus. Latinum Ms. ſericatum Collegii Atrebatenſis omittit *In finem*: quod tamen Græcè, Hebraïcè & Chaldaïcè, & aliis pleriſque Latinis exemplaribus, Latiniſque & Græcis Tractatoribus, conſtanter legitur.

Pſalmus David] In Græcis quibuſdam exemplaribus eſt ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαυὶδ, *pſalmus cantici David*: ſed, ut exiſtimo, aut iſtud ᾠδῆς ſuperfluit (certè à S. Victoris Græco codice & aliis quibuſdam tollitur) aut illud ᾠδὴ quod ſtatim ſequitur: nam tam Hebraïcè quàm Latinè ſemel duntaxat legitur. *Canticum* omittit exemplar Hunnæi C. ſed cùm ab aliis pleriſque non omittitur, tum Græcè, Hebraïcè & Chaldaïcè legitur.

Aggæum prætermittunt Lobienſis & Tornacenſis cœnobiorum manuſcripta, Atrebatenſis Collegii ſericatum exemplar, & Herbipolenſis Pſalterium, conformiter Græcis libris, ſimiliterque Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro, Apollinari & Theodorito.

Alterum Atrebatenſis Collegii exemplar pro *Jeremia* nominat *Zachariam*, ab aliis omnibus diſſentiens, niſi quòd Ruffinus varietatem hanc inſinuaſſe videatur. Sericato rurſus, & quidem ſoli, additur *Jeremiæ prophetæ.* Quædam & *Zachariam* & *Jeremiam* nominant, Jacobo de Valentia teſte, ſed *Zacharias* neque ab antiquis Tractatoribus, neque à Græcis codicibus agnoſcitur; poſſet tamen, quod Richelius ſentit, tam *Zaccharias* addi quàm *Aggæus* & *Jeremias.*

Brugenſe manuſcriptum, R. G. & F. Hunnæi, & latum Plantini, ſuffragantibus, ut apparet, Arnobio, Remigio Antiſſiodorenſi & Brunone, *Ezechielem* prætermittunt, cujus prætermiſſionem alia complura ſignificare videntur manuſcripta, quæ disjunctivâ conjunctione ſcribunt *vel Ezechielis*: qui tamen à D. Hieronymo, Auguſtino, Apollinari, Theodorito & Græcis codicibus concorditer additur. Ruffinus variam agnovit lectionem; *Quidam*, inquit, *tituli loco* Aggæi *ponunt* Ezechiel. Similiter Beda; *Quidam libri non* Aggæum *habent ſed* Ezechiel: corruptè autem pro *Ezechiele Ezechiam* quidam nominant.

Populo tranſmigrationis] Sic & Lobienſis codex; Græcè eſt ſecundo caſu, τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας. Nonnulla autem Græca antigrapha præponunt conjunctionem, καὶ τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας, quomodo in Hieronymi commentariis legitur, *Et populi de captivitate.* Græca Baſileenſium editio anni 1550. habet ὑπὲρ τῆς τοῦ λαοῦ παροικίας ad quem modum Herbipolenſe Pſalterium legit, *de populi tranſmigratione.* Alii quidam Latini codices, cum Caſſiodoro, habent, *de* [*ex* Aug. Torn.] *populo tranſmigrationis.* Alii verò non pauci, cum V. Beda, Remigio Antiſſiodorenſi, & Brunone Carthuſiano, ſcribunt, *De verbo peregrinationis* [*tranſmigrationis*, 1 MS.] Utriuſque lectionis Richelius meminit, & longè ante Richelium Ruffinus: *Ubi*, inquit, *hîc dicitur* de verbo peregrinationis, *quidam dicunt* ex populo tranſmigrationis, *ubi, etſi verba diſcrepant, ſententia non diſcordat.* Plurimi autem libri cum Ordinaria Gloſſa & Hugone Cardinali, utramque jungunt, & ferè disjunctivâ conjunctione, *De verbo peregrinationis, vel de populo tranſmigrationis* [*& de populi tranſmigratione* Lind. *murmurationis* O.] Videtur autem illud *de verbo peregrinationis* altera eſſe ex Græco tranſlatio, ex eo originem habens quòd ſit Græcè pro λαοῦ lectum λόγου. --- ὑπὲρ τοῦ λόγου τῆς παροικίας, h. e. *pro*, aut *de*, *verbo*, ſeu *negotio*, *peregrinationis.* Conjuncta eſt autem, ut videtur, utraque tranſlatio; alterâ quæ in margine aut inter lineas notata erat

erat in textum aſſumptâ. Ultra verò aſſumpta ſit dici non facilè poteſt: ſed hoc certum eſt, pleroſque eorum librorum qui utramque connectunt, Haymone ſuffragante, priorem habere *de verbo peregrinationis*, poſteriorem cum disjunctiva conjunctione, *de populo transſmigrationis*; ità ut hæc videatur, quemadmodum ad marginem notata erat, in textum relata. Brugenſe etiam Ms. omnium facilè accuratiſſimum, cum reliquis quæ *Ezechielem* prætermittunt, & Beda, Remigius ac Bruno, id ſolum *de verbo peregrinationis* agnoſcunt: non id tamen præferendum aſſero.

Quando incipiebant proficiſci.] Alii libri, *cùm inciperent* [*inciperet* 2. MS.] Hier. *proficiſci.* Tornacenſis codex cum Auguſtino, *cùm inciperent exire.* Græcè eſt, ὅτε ἔμελλον ἐκπορεύεσθαι, *quando erant exituri.*

Porrò hæc in Hebraïcis & Chaldaïcis codicibus non leguntur. Non aliud namque in titulo habent quàm, *In finem, pſalmus David, canticum.* Theodoritus Græcus autor, *In nonnullis*, inquit, *exemplaribus adjungitur*, canticum Jeremiæ, & Ezechiëlis, & populi peregrinantis, cùm profecturi eſſent. *Hæc non leguntur, neque in Hebraïco, neque in aliis Interpretibus, neque apud Lxx. in ſextuplici.* Teſtatur Card. Sirletus Vaticanæ Bibliothecæ Græco codici non aliud legi quàm εἰς τὸ τέλος, ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαβίδ. Quæ ultrà adduntur D. Hilarius Latinus enarrator non agnoſcit. Nos ea obelis confoſſa in Latinis Pſalteriis Lobienſi & Herbipolenſi vidimus. Videntur autem Nicolaus de Lyra & Jacobus de Valentia ſignificare, hæc Latinis quibuſdam exemplaribus deeſſe: imò Janſenius Latinorum ac Græcorum pleriſque codicibus omitti aſſerit: ac proinde addita ab expoſitoribus aliquibus putat, qui, ex quorum perſona pſalmus intelligendus eſſet, indicare voluerint: quæ & Lyrani ac Richelii Bredembachiiqne ſententia eſt. Nonnulli ex eo opinantur hæc addita, quòd ii qui hîc nominantur hoc Davidis Pſalmo ſint uſi, hoc Davidis canticum & ipſi decantarint: cujus ſententiæ Arnobius eſſe videtur: *Heb.* inquit, *non habet, nec* Jeremiam, *nec* Aggæum, *niſi ſolùm* David. *Sed Eſdra habens* charitatem eorum, *voluit eos memorare, aſſerens, iſtum pſalmum David ceciniſſe eos in prophetationis ſuæ initio*, &c.

DRUSIUS.

1. קוֹלִי. οἱ λοιποὶ, προσευχῆς μȣ.

3. דָּרְכוּ חִצָּם דָּבָר מָר. Sym. ἐπλήρωσαν τόξον αὐτῶν λόγῳ πικρῷ, *impleverunt arcum ſuum re amarâ.* Interpres Theodoreti, *impleverunt arcum ſuum ſermonem amarum*, i. e. λόγον πικρόν. A. ῥῆμα πικρόν. Th. λόγον πικρόν. ¶ בַּמִּסְתָּרִים. Sym. κρυφῇ, *clanculum*, i. e. *inſidiis & dolis utentes*, ait Theodoretus.

5. יְחַזְּקוּ לָמוֹ דָּבָר רָע יְסַפְּרוּ לִטְמוֹן מוֹקְשִׁים. Sym. *Firmaverunt* * *ſermonem pravum, narraverunt ut occultarent laqueos*] *Firmaverunt:* deſideratur ἑαυτοῖς, i. e. *ſibi. Narraverunt*, εἰσηγήσαντο, ex ed. Rom. Apud Interpretem Euthymii, *Narraverunt, Sym. reddidit, Conſuluerunt; Conſuluerunt etenim ut laqueos abſconderent & plagas, dum collocarent inſidias.*

6. חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ. A. σκαλεύσει σκαλευόμενος, *ſcrutabitur ſcrutans.* S. ἐξερευνῶν ἐξερευνήσει, *diligenter & accuratè inveſtigabit*] In ed. Rom. σκαλευόμενοι. Puto me rectè emendaſſe. In eadem habetur ἐξερευνῶντες. Fortè Sym. ſcripſerat ἐξερευνῶν τε. In σκαλεύσει tralatio eſt ab iis qui ſarculo terram egerunt, & res abditas in ea ſcrutantur. ¶ קֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק. A. ἔγκατον ἀνδρὸς καὶ καρδία βαθεῖα, *Interaneum viri & cor profundum.* Th. *& mentem & profundum cor hominis*] Puto leg. *& mentem hominis & profundum cor.* Hæc olim ità conjeceram: pòſt in ed. Rom. reperi, *Th.* διάνοια ἀνδρὸς καὶ καρδία βαθεῖα. Sym. ἐξ ἐγκάτων ἕκαστος καρδίας βαθείας.

7. וַיֹּרֵם אֱלֹהִים חֵץ פִּתְאוֹם הָיוּ מַכּוֹתָם. A. Καὶ ῥοιζήσει αὐτοὺς ὁ Θεὸς, βέλη παραχρῆμα ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, *Cum ſtridore circumaget eos Deus; ſagittæ eveſtigio fuerunt plagæ ipſorum.* Sym. Ἀκοντίσει οὖν αὐτοὺς ὁ Θεὸς, βέλος αἰφνίδιον ἔσονται αἱ πληγαὶ αὐτῶν, *Jaculo igitur petet eos Deus; ſagitta repentina erunt plagæ ipſorum.* Th. κατατοξεύσει αὐτοὺς ὁ Θεὸς, *ſagittá conficiet eos Deus.*

8. וַיַּכְשִׁילֻהוּ עָלֵימוֹ לְשׁוֹנָם. A. καὶ ἐσκανδάλισαν αὐτὴν ἐπ᾽ αὐτοὺς αἱ γλῶσσαι αὐτῶν. Sym. καὶ πταίσει καθ᾽ ἑαυτῶν ταῖς γλώσσαις αὐτῶν.

AMAMA.

R. Sal. ait myſticos Interpretes (בעלי אגדת התלים) hunc Pſalmum expoſuiſſe de Daniel projecto in foveam vel ſpelæum vel antrum Leonum; ut ita David præviderit in Sp. S. quicquid eventurum erat Danieli, & precatus fuerit pro eo quem ſciebant ex ſanguine & ſemine ſuo naſciturum. Unde & locum illum 2 Reg. 20. 18. ubi Propheta Eſaias dicit ad Chishijam, *ex filiis etiam tuis quos gignes aſſument ut ſint aulici in palatio Regis Bab.* R. Salom. exponit de Daniel, Hanania, Azaria & Miſael.

1. Εἰσάκουσον ὁ θεὸς ᵃ τῆς φωνῆς μȣ ἐν τῷ δεῖσθαί με πρὸς σέ· ἀπὸ φόβȣ ἐχθρȣ̃ ἐξελȣ̃ τὴν ψυχήν μȣ.

ᵃ Alii codices, τῆς προσευχῆς μȣ.

קוֹלִי] קול vox tam inarticulata quam articulata; articulatam propriè vocant מִלָּה Vox hæc longam ducit familiam. Hinc Chald. קְלָא *o* in *a* verſa. A ΚΑΛΑ eſt καλέω, *voco, clamo.* A Καλέω eſt Lat. *Calo*, id eſt, *voco*, unde *Incalationes* apud Feſt. i. e. invocationes. Hinc *procalare*, i. e. proclamare. Unde *Comitia calata* quæ per claſſes convocabantur; unde *Clarus* quaſi calarus, & verbum *Claro.* Ut apud Horat.

Illum non labor Iſthmius Clarabit pugilem.

Solebant enim Victores in certaminibus *calari*, i. e. proclamari. Hinc Arab. קָאל dixit, Angl. *Kall.* Belg. *Kallen.*

בְּשִׂיחִי] בְּעִדָּן צְלוֹתִי

תִּצֹּר] Lxx. ἐξελȣ̃, *eripe*, i. e. חַצֵּל Leger. ל pro ר.

מִפַּחַד] In Th. ſcript. מִדְּלוּחָא pro מִדְּחוּלָא Aliq. Epith. Dei eſt, ut Gen. 31. 42. *Niſi Deus patris mei, Deus Abrahami & pavor Iſahac affuiſſet mihi*, & verſ. 53. *Juravit Jacob per pavorem Iſahac Patris ſui.*

חַיָּי] Lxx. ψυχήν μȣ.

2. תַּסְתִּירֵנִי] Σκέπασόν με. Alii cod. ἐσκέπασαί με, *protexiſti me.* Hinc Saturnus qui latuit in Latio apud Janum cum F. Jovem fugeret. *Latium* enim pars illa Italiæ dictum eſt à *Latendo*, quod ibi Saturnus *latuit.* Virg. 8. Æn.

Latiumque vocari
Maluit his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Ovid. 1. Faſt.

Dicta quoque eſt Latium, terra latente Deo.

Fung. in Elii Mel. dicit quoſdam exiſtimare eſſe Thuſcum vocabulum & Syrâ lingua ſign. *latentem.* Melius dixiſſet Ebræâ linguâ. Jam vero pueris notum eſt participia paſſ. induere ſæpe ſignif. activam.

מִסּוֹד] Ἀπὸ συστροφῆς, *à commixtione.* סוד 1. ſign. *Secretum, arcanum myſterium* רָזָא. 2. *Conſultationem, conſilium*, quod id ſecretum eſſe debeat. 3. *Concilium, cœtum conſulentium.* Sic hoc loco acceperunt οἱ ὁ. Gen. 49. *In ſecretum eorum* בְּסוֹדָם *non tranſibit anima mea.* Jirm. 6. *Et ſuper* סוד בחורים *effundam iram meam.* Th. כְּנִישַׁת. Græci συναγωγήν. מֵרִגְשַׁת ἀπὸ πλήθȣς. Pſ. 55. 15. *In domum Dei ambulavimus* בְּרָגֶשׁ *cum ſocietate.*

פֹּעֲלֵי אָוֶן] Ἐργαζομένων ἀδικίαν. *Operari iniquitatem*, pro *facere:* phraſis Ebr. Sic contra עשה pro פָּעַל Matth. 20. 12. *Iſti poſtremi* μίαν ὥραν ἐποίησαν.

3. שָׁנְנוּ] Οἱ τινὲς ἠκόνησαν ὡς ῥομφαίαν τὰς γλώσσας αὐτῶν ἐνέτειναν τόξον πρᾶγμα πικρόν.

Ἠκόνησαν] Ἀκονάω *acuo cote*, ab ἀκόνη, Cos. Iſocr. ἡ μὲν ἀκόνη αὐτὴ ȣ̓ τέμνει, ἀλλὰ τὰ ξίφη ὀξέα ποιεῖ. *Cos acuit ferrum licet exors ipſa ſecandi.*

Linguam ſuam] Intelligit linguam calumniantem vel ipſam calumniam. לשון enim aliquando ſignif. *Calumniam*, Jirm. 18. 18. *Agite* נכהו בלשון *percutiamus eum lingua.* Sic Pſ. 104. *Vir linguæ non erit ſtabilis in terra.* Hinc לשן & לושן *lingua proſcindere.* Pſ. 101. מלושני בסתר *qui linguâ lædit clam ſocium ſuum eum exſcindam.* Sic Cic. ad Varr. lib. 9. 2. *Vitemus oculos hominum ſi linguas non poſſumus.* Chald. Lingua tertia. Vide lect. noſtr. ſup.....

Ut gladium] Thearidas gladium acuens rogatus num acutus eſſet. Reſp. acutior calumnia, graviter innuens, inquit, Eraſm. omnium acutiſſimam & maxime penetrabilem eſſe Calumniam.

Pythag. plagam gladii leviorem eſſe dixit plagâ linguæ. Ille enim corpus duntaxat, hæc animam ſauciat.

Calcant ſagittam] Id eſt, arcum. Meton. adjuncti, unde Lxx. τόξον reddunt. Τόξον ſæpe *ſagittas cum arcu* ſignif. Angli ſic, *calcant* (arcum ad ejaculandum) *ſagittas ſuas* &c. Ergo exponunt, *intentant ſagittam, (nempe) verbum amarulentum.* Vel, *intentant (ut) ſagittam verbum amarulentum* &c. Aq. in hunc ſenſum, ῥῆμα πίκρον. Theod. λόγον πίκρον. Sym. ἐπλήρωσαν τὸ τόξον λόγῳ πίκρῳ.

4. לִירוֹת] Τȣ̃ κατατοξεῦσαι ἐν ἀποκρύφοις τὸν ἄμωμον.

בַּמִּסְתָּרִים] *In occultis*, i. e. ex occultis. Sic *Diliges Dominum tuum* בכל וגו׳ *ex toto corde tuo.* Vel *occultè.* Schol. Gr. κρυφῇ. Ebræi ſic ſolent περιφράζειν adverbia.

Integrum] Id eſt, me, integritatem cauſæ notans.

מָר] A מָרַר. Unde מר *myrrha*, & מְרֵרָה *fel*; quia felle nihil amarius. Hinc eſt quod vinum illud Chriſto exhibitum Marco dictum, οἶνον ἐσμυρνισμένον Matth. vocet οἶνον μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *Myrrham* vocat *Fel*, q. d. amariſſimum potum ei dederunt

derunt. *Fel* ergo Ebræis dicitur *de quovis amaro*; unde in Actis 8 23. *εἰς χολὴν πικρίας* video te eſſe. Pro parallelis ponuntur hæc duo nomina.

במסתרים Maſſ. ג׳ רגשי׳ וסי׳ גברא שלימא קָטִיל *vir perfectus occiſum eſt.* גַּבְרָא reſp. ad locum Jirm. 23. 24. *An deliteſcet vir* איש במסתרים. Iſch. 1. Gabra Chald. vox שלימא reſp. ad hunc locum ubi fit mentio תָּם tertia Vox קטיל reſp. ad locum qui eſt Pſ. 10. *Sedet in inſidiis villarum ut occidat innocentem.*

Et non timent] Ab. כְּאֶת־הַשֵּׁם שֶׁהוּא רוֹאֵם

Confirmant ſe ipſos.] Jun. *Confirmant ſibi rem malam.* Piſc. *Proponunt ſibi firmiter.* Robur & animos aſſumunt ſibi, *They incourage them ſelven*, vel, *Roborant, animant ſe invicem.* Sic Ab. *Ad rem malam*, vel (*in*) *re mala.* Narrant, communicant inter ſe יספרו, de abſcondendo laqueos *περὶ τῦ κρύψαι παγίδας καὶ εἶπαν τίς ὄψεται αὐτὰς.*

לְטְמוֹן] ל hic denotat *περὶ* objectum. טמן hinc מַטְמוֹן *theſaurus reconditus*, unde quidam ſuſpicantur eſſe *Maramon, divitiæ.* At præſtat eam deducere ab אמן.

דְּבַר רָע] Th. פִּתְגָם בִּ״ש

יקש] *Laqueum* vel *rete tendere ad capiendas aves* vel *feras.* דוג ſign. *piſcari*, צוד *venari.* LXX. vertunt *παγίδας.* Poteſt & reddi per *ποδάγραν, παρὰ τὸ ἀγρεύειν* capere *τὰς πόδας*, & *Βρόχον.* Athen. lib. 13. vocat *meretrices παγίδας τῦ βίυ ἀνθρωπίνυ· Vitæ humanæ.*

6. *Scrutantur iniquitates*] Ἐρευνήσουσι, *continuò ſcrutantur.* Vox חפש ut & *ἐρευνάω* primò ſign. *quærere, inquirere, indagare.* Sic apud Hom. Iliad. *μετ᾽ ἀνέρος ἴχνι᾽ ἐρευνῶν, Εἴ ποθὲν ἐξεύροι. Cum viro veſtigia indagans ſi forte exquireret.*

II. Sign. *inquirere & ſcrutari ea quæ occultiora ſunt & non adeò cuivis expoſita*, ut hoc loco. Fixum decretumque ipſis erat perdere Davidem. In mundo non ſunt accuſationes & cauſæ. Inquirunt ergo & ſcrutantur occultiſſima quævis. Sic adhibetur Zoph. 1. 12. *Et erit in die illo & ſcrutabor* אחפש *Jeruſalem lucernis & animadvertam in eos qui concreti ſunt in facibus ſuis qui dicunt nec bene facit Deus nec male facit.* Ubi exactiſſima ſcrutatio proponitur. *Concretos in facibus*, i. e. in peccatis, Metaphora videtur ſumta à porcis & ſuibus. Hieron. ad illum locum. *Si legamus Joſephi hiſtorias, reperiemus, ibi ſcriptum, de cloacis, antris & ſpeluncis extractos Principes, Proceres & Sacerdotes qui ſe in eis metu mortis abſconderant.*

תַּמְנוּ חֵפֶשׂ׳ מְחֻפָּשׂ] Opiniones circa hanc vocem 3. I. Aben. & potiſſ. Ebræorum partis דעת מדקדקי כפרד כי חסרי ״ כי לא
תַּמְנוּ כמו הֲקִמוּ ונו״ן במקום אות הכפל׳ והער על זה כי לא כלו רחמיו׳

Ergo vertendum erit, *perfecerunt, conſummarunt*, quomodo & Angli reddiderunt & Chald. Gr. Et ſic erit pro תַּמְנוּ Num. 17. האם תמנו לגוע *nunquid finiti ſunt ad expirandum, an omnibus expirandum?*

II. Eſt eorum qui putant eſſe pro תַּמּוֹנוּ *conficimur.* Senſus, ut artes illorum judicio, tam ſubdolas non poſſumus percipere, ita fatemur non eſſe opis noſtræ eas effugere.

III. Eorum qui aut legerunt טָמְנוּ ut R. Sal. aut putarunt ט poſitum pro ת, *abſconderunt.* Ut נצטדק Gen. 44. & Joſ. 9. יִצְטַיָּרוּ

חפש מחפש, *perſcrutationem perſcrutatam*, id eſt, diligentiſſimam perſcrutationem.

וְקֶרֶב] LXX. *καὶ προσηλεύσεται ἄνθρωπος*, at Aq. *καὶ ἔγκατον ἀνθρώπυ καὶ ἡ καρδία βαθεῖα.* Theod. *διάνοια ἀνδρὸς.*

קרב & לב convertuntur. Jirm.

Viri] Saulis, vel omnium hominum in univerſum *profundum eſt.*

7. *Ejaculabitur in eos Deus ſagittam repente*] LXX. *καὶ ὑψωθήσεται ὁ θεός.* Sym. *ἀκοντίσει αὐτὰς ὁ Θεός.* Theod. *κατατοξεύσει αὐτὰς.* Genebr. dicit melius legi וירים, ut tueatur Lect. Vulgatam.

חץ פתאום] LXX. *βέλος νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν.* Plagæ activè. At Sym. *βέλος ἀφνίδιον.* LXX. legerunt פְּתָאִים

Erunt plagæ eorum.] Plagæ paſſ. erunt (הָיוּ pro יהיו) i. e. durabunt, manebunt. Notetur Emphaſis verbi *eſſe*, pro pergere eſſe, durare, manere. 1 Reg. 11. 32. ubi Deus per Proph. Ahijam dicit ad Jeroboam de Rehabeam, *Tribus autem una erit ei propter ſervum meum Davidem*, i. e. manebit ejus, perget eſſe. Jam ante enim jure ſucceſſionis erant ejus. Sic Dan. 1. verſ. ult. *Et fuit Daniel uſque ad annum 1 Regis Cyri.*

Angli ſic: Deus *jaculabitur in eos: ſagittâ repentinâ erunt plagæ eorum.*

Sagitta repente] Sic Prov. 3. 25. *Ne paveas terrore repentè*, i. e. repentino. Zach. 12. 6. *Omnes populi circa.*

Vulg. *Infirmatæ ſunt contra eos linguæ ipſorum.* Gr. *ἐξουθένησαν ἐπ᾽ αὐτὰς αἱ γλῶσσαι αὐτῶν.* Imbecilles redditæ ſunt. Apollin. *ἠτεδανάς γλωσσῃσιν ὑπέρβια μυθίζοντες.*

8. וַיַּכְשִׁילוּהוּ] *Cum* vel *ubi impingere fecerint eam* (linguam) *in ſemetipſos linguam ſuam.*] Pleonaſmus. Alii aliter, ſed omnes ſe delaſſant in iſto affixo, & quaſi non eſſet prætereunt. Sunt enim qui vertunt, *Ubi impingere fecerint ipſi*; at Affixa per Nominativos reddi non ſolent. Senſus eſt quem ſupra poſuimus.

יִתְנֹדְדוּ. *fugient*] A נוד unde, נוד, Gen. נָע וָנָד *vagus & profugus, σαλευόμενος* Aq. & Sym. *τῦτ᾽ ἐςὶ* inquit Theodoret. *μὴ μένων ἐν ἑνὶ τόπῳ* LXX. habent *ἐταράχθησαν.* Vulg. *conturbati ſiant.*

At R. Sal. aliam nobis ſuppeditat expoſitionem, ſubaudit enim רָאשֵׁיהֶם *movebunt capita ſua*, i. e. ישחקו וְיִלְעֲגוּ. Ut hoc ſciatur ſciendum eſt Phraſin hanc, *movere caput*, aliter ſumi in Sacris, aliter in Profanis. In Profanis geſtus eſt iraſcentium. Vide notata ad Pſ. 22.

In Sacris eſt geſtus I. Subſannantium, ut Pſal. 22. 8. *Omnes videntes me ſubſannant me, diſtringunt labia & movent caput.* Matth. 27. 39. Pſ. 35. *Poſuiſti me in commotione capitis.*

II. In Sacris eſt geſtus condolentium, unde & נוד ſimpliciter & ſeorſim pro *condolere* ponitur; vel admirantium & ſtupentium, ut Nah. 3. *Quis non movebit ſuper te caput.* Job. 16. *Moverem ſuper vos caput meum, & roborarem vos ore meo, & motio labiorum meorum prohiberet dolorem veſtrum.* Jirm. 18. 16. *Omnis tranſiens ſuper ea obſtupeſcet &* יניד ברצש, i. e. *condolebit* vel *obſtupeſcet.* Job. 42. וינודו לו *& condolebant ei & conſolabantur eum.* Pſ. 69. *Expectabam* לנוד *& nemo erat.*

רָאָה בָם] ראה cum ב ſign. Videre optata cum volupt. adverſa & triſtia cum dolore, ut Abd. 1.

GROTIUS.

7. 8. S*Crutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*] Apparet LXX. pro וירם *& telis confixit* legiſſe וירום *καὶ ὑψωθήσεται* [*& exaltabitur.*] Cæterùm cùm תמנו ſimiliter legatur Threnorum 3. 22. ubi ſignificat *conſumti ſumus*, per *ἐπένθεσιν*, [*inſertionem*] non infrequentem נ literæ: videtur ſenſus, ſupplendo voculas quæ omitti ſolent, ſic optimè poſſe farciri, *Inveſtigarunt illi iniquitates* (vias nobis nocendi:) *conſumti eſſemus. Sed inveſtigatio perfectiſſima* (ſupple, *Dei eſt*, ex ſequentibus) *& ad intimum hominis & profundum cor* (ſupple *pervenit.*) *Confecit* igitur *eos Deus telo: ſubitò exſtiterunt vulnera eorum.*

PRICÆUS.

6. A*Ccinctus potentiâ*] Græci, *περιεζωσμένος ἐν δυναςείᾳ.* Apoſtolus 1 Tim. 6. 17. *ὁ μόνος δυνάςης·* ubi plura eam in mentem adduxi.

IDEM.

5. B*Eatus quem elegiſti*, &c. *inhabitabit in atriis tuis*] Id eſt, ut inhabitet, vel, ad inhabitandum, &c. Meritò autem talem beatum prædicat: melior enim eſt dies unus in Dei atriis, &c. infrà 83. 11.

6. *Spes omnium finium terræ*] Id eſt, ſpes terræ univerſæ. Vide ſuprà 21. 28. infrà 94. 4. In Comœdia Latina,

Quem penès ſpes vitæ ſunt omnium hominum.

8. *Qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus*] De Eodem 31. 35. Jeremias, *Qui turbat mare, & ſonant fluctus ejus.* Deus ipſe Eſaiæ 51. 15. *Conturbo mare, & intumeſcunt fluctus ejus.*

10. *Viſitâſti terram, & inebriâſti eam*] Vide ſuprà ad 35. 9. dicta.

Ibid. *Flumen Dei*, &c.] *Torrens voluptatis ejus* dicto 35. 9. loco.

11. *In ſtillicidiis ejus lætabitur germinans*] Eam pluviæ ejus (i. e. tuæ) germinare facient. Vide 103. 13, 14. Eſai. 55. 10.

12, 13, 14. *Campi tui replebuntur ubertate, Pingueſcent ſpecioſa deſerti*, &c. *Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento*]

——— Χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει·
Καὶ γὰρ γῆ, καὶ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσι καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἴνυ, καὶ μέλιτος γλυκέος, λευκῦ τε γάλακτος,
Καὶ σίτυ, ὅπερ ἐςὶ βροτοῖς κάλλιςον ἁπάντων.

Addo quæ infrà Pſal. 95. 12, 13.

PSALM. LXV.

MUNSTERUS.

1. T*E exſpectat laus*] Heb. *Tibi ſilet laus.* Exponitur tamen ab Hebræis דומיה pro תהלה, ſicut nos vertimus. Eſt enim frequens in hoc libro ut *ſilere* capiatur pro *exſpectare*.

4. *Applicueris*] Eſt hic תקרב verbum grave; id quod litera futuri temporis indicat. ¶ *Satiabitur*] In Hebræo propriè eſt *ſatiabimur*. Nedum ſcilicet qui Chriſto præſentes fuerunt, ſed & qui præceſſerunt & qui ſequentur, lætabuntur in domo ejus, præſertim quibus ille condonat peccata. Agit enim Pſalmus iſte de Regno Chriſti: id quod ex his verbis adverti poteſt, *Ad te omnis caro veniet*.

5. *Terribilia in juſtitia*] Cùm juſtitia Dei per Chriſtum afferretur hominibus, quàm terribilia & ſtupenda tunc portenta viſa fuerint, Scriptura N. T. abunde explicat.

6. *Qui parat montes*] Poteſt eſſe ut hæc Allegoricôs ſint intelligenda, ſicut ſubditur, *atque fremitum populorum*.

8. *Qui in progreſſibus matutinis*] Per hos *progreſſus* intelligunt ortum Solis manè, & veſpere ortum Lunæ atque ſtellarum, in qua re cognoſcitur admiranda Dei vis & potentia: & verè qui pio eſt animo & hæc Dei advertit opera, rapitur & excitatur ad Dei laudem. Narrantur conſequenter alia Dei quotidiana & magna beneficia: *Viſitat* enim ſuâ dignatione *terram*, *afficitur ei*, & *ubertim ditat eam*. Ubi notandum quòd תשקקה eſt à radice שק, quod *appetere* ſign. unde תשוקתך *appetitus tuus ad maritum tuum erit*, &c.

9. *Rivus Dei plenus eſt aquâ*] *Rivum Dei* vocat ſalubrem imbrem terram fœcundantem, quâ Deus diſponit terram ad productionem frumenti.

10. *Sulcos ejus inebrias*] Sunt hîc רוה נחת infinitivi.

11. *Coronas annum*] Senſus eſt, Exornas annum omni genere frugum, & meram *pinguedinem ſtillas de cœlis* in hæc inferiora. Habet tamen Hebraïſmus *ſemitæ tuæ*, ubi nos vertimus *nubes tuæ*, quòd Deus in ſuperioribus *gradi* & *vehi* à Scriptura dicatur.

12. *Exſultatione colles accingentur* Hæc *exſultatio* eſt læta illa paſcuorum & collium germinatio.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſalm. 4. *Te exſpectat* לך דמיה] *Tibi ſilet.* q. d. Tanta ſunt opera tua ut te nemo dignè laudare poſſit.

3. *Res iniquæ* דברי עונת] *Verba iniquitatum*, vel *pravitatum.* Alii, *Rationes iniquitatum*, i. e. iniquitates. ¶ *Prævaricationibus noſtris*, &c. פשעינו אתה תכפרם] Ad verb. *Scelera noſtra tu expiabis* [vel, *condonabis*] *ea.* Relativum cum antecedente pro ſolo antecedente. Alii, *prævaricationes noſtras tu expias.*

4. *Quem elegeris*, &c. תבחר ותקרב] Fut. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *quem eligis*, & *tibi adjungis*, ¶ Loco *ſanctiore* קדש היכלך] *Sanctioris loci Tabernaculi tui*: vel, *ſacrarii Templi tui.* Alii, *ſacræ regiæ tuæ.*

5. In *terribilibus* miraculis *in juſtitia exaudies nos.* נוראות בצדק תענגו] Per *ſtupenda* miracula *pro* tua *juſtitia exaudies nos.* Alii, Ex *juſtitia* tua *ſtupenda annues nobis.* Alii, *Terribiliter pro juſtitia reſpondes nobis.* Fut. Heb. quod per præſens quidam vertunt. Alii per præt. imperf. *reſpondebas*. Nonnulli, *Terribilia in juſtitia reſpondebis.* ¶ *Et inſularum maris diſtantium* ים רחקים] Ad verb. & *maris remotorum*, *longinquorum*, *diſtantium*, ſub. à *Sione.* Quidam, & *eorum qui remoti degunt in mari*: vel, & *eorum qui procul ad mare habitant.*

6. *Qui firmat* מכין] *Qui inſtruit*: *parat.*

7. *Sonitum* שאון[*Strepitum*, *faſtum*, *commotionem*, *fremitum.* ¶ *Et ſtrepitum* והמון] *Et fremitum*, *tumultum.*

8. *Et timent* וייראו] Fut. Heb. ¶ Ob *exitus*, &c. מוצאי בקר וערב תרנין] *Egreſſibus matutini & veſperæ facies ovare.* Alii, *qui in progreſſibus matutinis & veſpertinis laudem excitas.* Vel per futurum, (ut Hebraïcè legitur) *exſultare*, ſive *laudare*, aut *ovare facies.* Sunt qui vertunt, *Egredientes manè & veſpere exhilaras.*

9. *Poſtquam deſiderare feciſti eam* ותשקקה] Sub. *benedictionem pluviæ.* Quidam, & *deſiderium dediſti ei.* Alii, & *bene cupis ei.* Nonnulli à שקה deducentes vertunt & *irrigaſti eam.* ¶ *Præparas* תכין] Futurum Heb. *diſpones*, *adornabis*, *inſtrues.*

10. *Liras ejus imbrias* תלמיה רוה] Fut. Heb. *Sulcos ejus inebriabis*, i. e. *irrigabis.* Hebraïſmus, pro, *fertilem reddes terram copiâ aquarum.* ¶ *Deſcendere facis* pluviam in *ſulcos ejus* נחת גדודיה] *Demittis pluviam in vallículas ejus.* ¶ *Benedicis* תברך] Fut. Heb. i. e. feliciter provenire facis germen ejus.

11. *Coronas annum bono tuo* עטרת שנת טובתך] Fut. Heb. *Cinges* [vel, *Cumulabis*, aut, *Exornabis*, ſub. *bonis omnibus*] *annum bonitatis tuæ*: i. e. in quo bonitatem tuam notam facies. ¶ *Et ſemitæ tuæ* ומעגליך] *Et veſtigia tua.* Per *ſemitas* ſive *vias* aut *veſtigia* intelligit nubes, *ſuper quas ambulare* dicitur.

12. *Stillant ſuper habitacula* paſtorum ירעפו נאות] Fut. Heb. *Stillabunt manſiones*: vel, in *habitacula.* Alii, *ſuper campeſtria*, ſive *paſcua.*

13. *Induerunt ſe paſcua* לבשו כרים] Præt. Heb. pro futuro, prout præcedentia verſa fuerint, *Operiuntur planities*, *plana*, *campi.* ¶ *Operuerunt ſe* יעטפו] Fut. Heb. *accingentur*, *amicientur.* Alii, *obteguntur*, *operiuntur.* ¶ *Clamant* יתרועעו] *Jubilabunt* ſive *jubilant.*

CLARIUS.

C*Anit hoc Pſalmo Deum*, in Sion peculiariter præſidentem, agnoſcendum colendumque ab omnibus, ut à quo omnia ſint, quique ut rerum vitæ hujus omnimodam abundantiam, ità non minore liberalitate etiam cœleſtia bona largitur.

1. *Te decet hymnus*] *Deus, qui es in Sion*, ob Tabernaculum videlicet, *te decet laus*, Heb. *Tibi ſilet laus*: ut *ſilere* idem ſit quod *exſpectare.* Quia enim is qui ſilet ceſſat atque exſpectat, hinc dictio quæ *ſilere* ſig. accipitur in Scripturis ad ſignificandum *quieſcere*, *æquo animo eſſe*, *ceſſare*, *exſpectare.* Hunc Hebraïſmum habes ſuprà in Pſalmo 62. *Ad Deum ſilet anima mea*, h. e. Deum exſpectat anima mea. Quidam tamen hunc locum, *Tibi ſilet laus*, exponunt, Tibi ſilentium laus, quòd ſcilicet idoneis verbis laudari non poſſit.

2. *Ad te omnis caro veniet*] Laus Dei à facilitate commendatur, quem adire omnis poſſint: quod apertum eſt de Regno Chriſti vaticinium.

3. *Res iniquæ*] Graviſſimæ *iniquitates noſtræ ſuperaverunt vires cujuſque noſtrûm*; quare *pro peccatis noſtris* ut ipſe *ſatisfacias* neceſſe eſt. Heb. *Verba iniquitatum*, &c.

4. *Beatus quem elegiſti*] *Felix* modis omnibus *ille quem tu elegeris* & *tibi propinquum feceris: habitabit enim ille in atriis tuis* & *nos unà perfruemur elegantiâ domûs tuæ* & *ſanctimoniâ regii palatii tui.* Quidam de Judæorum populo intelligunt, qui ex omnibus gentibus à Deo electus eſt.

5. *Mirabiliter in æquitate exaudies nos*] *Dictu mirabile*, inquit, cùm ſimus peccatores, tanquam juſtos *exaudies nos*, *Deus autor ſalutis noſtræ*, *qui ſpes omnium finium es terræ*, & *incolentium extremas oras maris.* Alius vertit, *Terribilia in juſtitia reſpondebis nobis*, &c. Cùm enim juſtitia Dei per Chriſtum allata eſt hominibus, quàm viſenda ea fuerint quæ tunc fuerunt declarata mundo, Scriptura N. Teſtamenti abunde explicat. Nam hunc Pſalmum agere de Regno Chriſti, ex illis verbis adverti poteſt, cum dixit, *ad te omnis caro veniet.*

6. *Præparans montes*] Convertitur ad contemplandam potentiam Dei, & dicit ipſas *montium moles Dei potentiâ conditas*, ipſum *compeſcere tempeſtatem exagitati maris*, & ſedare quantumvis *multorum populorum tumultum.* Sunt qui per *montes* intelligant Regna, quorum robur à Deo eſt.

8. *A ſignis tuis*] *Signa* cœleſtia & horum admirandus motus *omnes fines terræ timere* & *revereri* Deum faciunt: Et eorum *matutino exitu* & *veſpertino occaſu exhilarantur.* Alius vertit, *Qui in progreſſibus matutinis* & *veſpertinis laudem excitas*: & per hos *progreſſus* ortum Solis manè, & veſpere ortum Lunæ atque ſtellarum intelligunt, in qua re cùm agnoſcatur admiranda Dei vis & potentia, qui pio animo eſt, & hæc Dei advertit opera, rapitur & excitatur ad laudem Dei.

9. *Viſitaſti terram*] Narrat deinceps quotidiana Dei & magna beneficia, *viſitat* enim ſuâ dignatione *terram*, afficitur ei, & ubertim ditat eam. Diverſa enim illa *flumina*, inquit, bonitate tuâ, *Deus*, *plena erunt aquis*, & efficies ut copioſè proveniat è terra pabulum illis quæ degunt in ea. Alius vertit illud, *Flumen Dei*, &c. *Rivus Dei plenus eſt aquâ*; *tu præparas frumentum eorum*, *eo quòd ſic diſponis eam.* Et per *rivum Dei* intelligit ſalubrem imbrem, terram fœcundantem, quâ præparat Deus terram ad ferendum frumentum.

10. *Frangis*] Seu *comprimis glebas*: alius vertit, *demittis in vallículas*, nempe *pluviam.*

11. *Coronas annum*] Exornas annum omni genere frugum, & meram pinguedinem ſtillas de cœlis in hæc inferiora. ¶ *Semitæ tuæ*, inquit, *ſtillabunt pinguedinem*] i. e. Quocunque ieris, appa-

apparebunt in veſtigiis tuis ſigna fertilitatis maximæ. Semitas quidam *nubes* interpretantur.

12. *Exſultatione colles accingentur*] Hæc *exſultatio* eſt læta illa paſcuorum & collium germinatio.

13. *Induentur paſcua ovibus*] Vel, *veſtient gramine paſcua gregem.* Significat ergò & paſcuorum & gregum copiam.

DRUSIUS.

3. גָּבְרוּ מֶנִּי. A. ἐδυναμώθησαν παρ' ἐμέ. Sym. κατεδυνάςευσάν μου. V. ed. ἐκραταιώθησαν ὑπὲρ ἐμέ.] Apud Interp. Theodoreti & in Fragmentis noſtris, *Sermones impiorum tyrannide me oppreſſerunt.* Sic Jac. 2. 6. οἱ πλέσιοι καταδυναςεύουσιν ὑμῶν, i. e. *per potentiam & tyrannidem opprimunt vos.* Eleganter interpretatur verbum גבר ex ſenſu quo veteres nonnulli per גבורים intellexerunt *tyrannos*, quos alii transferunt in *gigantes*. Chryſoſtomus ad locum qui eſt Gen. 10. Οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας, Τȣτέςι, ait, τύραννος. In Hebræo eſt גבור. Sed & *gigantes* Ebraïcè גברין dici niſi hoſpes in ea lingua ignorat nemo.

6 מֵכִין הָרִים בְּכֹחוֹ. Sym. Ὃς ἥδρασας ὄρη τῇ δυνάμει αὐτοῦ, *Qui ſtabilit montes potentiâ ſuâ*] Euthymius, *Quod verò ait*, Præparans, *Sym. dixit*, Stabiliens, *Subintelligitur autem Subſtantivum verbum* eſt; *Deus, inquit, ille eſt qui ſtabiles reddit montes, ità ut nullis tametſi validiſſimis ventorum ſtatibus dimoveri poſſint.*

7. מַשְׁבִּיחַ. Th. καταπραΰνων, *mitigans.*

8. מוֹצָאֵי בֹקֶר וָעֶרֶב תַּרְנִין. Sym. *progrediente diluculo & veſperi hymnos dicens.*

9. פָּקַדְתָּ הָאָרֶץ וַתְּשֹׁקְקֶהָ רַבַּת תַּעְשְׁרֶנָּה פֶּלֶג אֱלֹהִים מָלֵא מָיִם. Idem, *Viſita terram, potabis eam, fructuum ubertate ditabis ipſam, rivulis Dei aquis refertis*] Leg. *viſitabis:* docent conſequa verba. *Ubertate ditabis ipſam*, πολυκαρπίᾳ πλȣτίσεις αὐτήν, ex ed. Rom. ¶ תָּכִין דְּגָנָם כִּי־כֵן תְּכִינֶהָ. Idem, *facies ut ſemen ejus opportunos fructus ferat, ſic confirmans ipſum.* Græca leguntur in ed. Rom. τελεσφορήσεις πανσπερμίαν αὐτῆς, ὅτι ȣ̓́τως ἥδρασας αὐτήν.

12. יִרְעֲפוּ נְאוֹת מִדְבָּר. Sym. Γνοφωθήσονται τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμȣ. Alius, Ὁμιχλωθήσονται αἱ νομαὶ τῆς ἐρήμȣ.

13. בָר. A. ἐκλεκτόν. Sym. τροφήν Th. σῖτον.

AMAMA.

VUlg. *In finem Pſ. David. Canticum Aggai Jirm. & Ezech. populo transmigrationis quando incipiebant proficiſci*

Ea habent ex Græcis codicibus qui poſt titulum qui eſt in fonte hæc ſubjiciunt, ᾠδὴ Ἱερεμίȣ, Ἠζεκιὴλ τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας ὅτε ἔμελλον ἐκπορεύεσθαι.

Sed Scholiaſtes Græcus benè annotavit, τοῦτο τὸ ἑβραϊκὸν οὐκ ἔχει, ȣ̓τὲ οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, ἀλλά τις ὡς ἔοικεν ταῦτα προστέθηκεν.

דוּמִיָּה] Maſſ. ג׳ כל וא׳ חס׳ & ר׳ ſemel def. ut hoc loco. Cætera ſunt Pſal. 22. 3. 39. 3. 62. 2. Pſ. 62. eſt concretum. At Pſal 22. & 39. videtur eſſe abſtractum. Hic abſtr. & concretum eſſe poteſt.

Chald. קֳדָמָךְ מִתְחַשְׁבָא הֵיךְ שְׁתִיק קֳדָמָא תֻּשְׁבַּחְתָּא

Sunt enim primò qui reddunt, *Tibi ſilentium laus eſt*; Interp. R. Sal. *ſilet tibi laus*, שאין קץ לְשִׁבְחֲךָ והמרבה בְּשִׁבְחָ אֵינוֹ אֶלָּא כנותן, *tam multiplex & tanta laudis tuæ materies eſt ut eas ſacro ſilentio involvere laudabilius ſit quam eloqui.*

Alii, *Tibi ſilens eſt laus*, i. e. *tibi [debetur] certa laus*, ἀντίῤῥητος, ἀναντιφώνητος; Vel, *ſilet tibi*, id eſt מְחַכֶּה *expectat te ab iis qui eò venturi ſunt ad laudandum te.* Sic Aben. Sic Pſ. 62. *Tibi ſilet anima mea*, i. e. te expectat. Sic alibi דום ליהוה *cum ſilentio expecta DOMINUM.* Gen. 25. 3. *Filii Iſmaëlis*, משמע ודומא ומשא.

Ital. *Laus te expectat in Sion*, i. e. Eccl. *cum patientia* &c. *In ſilentio expectat tuum auxilium ut eo impetrato habeat occaſionem te laudandi.*

Omnis caro] Aliq. omnia animalia. *Qui das eſcam omni carni*, Pſ. 136. & Lev. 17. *Sanguinem omnis carnis non comedetis.* Aliq. omnia animalia præter Piſces, Gen. 7. 21. ויגוע כל בשר. Aliquando omnes homines. Gen. 6. Eſ. 40. Joel. 2. 1. 1. Pet. 1. *Omnis caro fœnum.*

3. *Audis (tu) precationem, itaque*, &c. Vel, *& tu qui audis preces ad te* &c.

Succumbebam in luctâ illa ſpirituali.

4. גָּבְרוּ *Prævaluerunt*,] Οἱ ὁ, ὑπερεδυνάμωσαν ἡμᾶς, Aq. ἐδυναμώθησαν παρ' ἐμὲ, Sym. κατεδυνάςευσαν μȣ. καταδυναςεύειν, *tyrannicè agere.*

Alibi dicit Script, *tranſcenderunt caput meum*, vel Metaph. ſumptâ ab aquis, vel *caput*, i. e. pilos capitis mei.

תְּכַפְּרֵם] Σὺ ἱλάσῃ. תְּכַפְּרֵם. כפר pr. ſign. *Tegere, obtegere, obturare, bituminare*, ut, Gen. 7. 14. וְכָפַרְתָּ בַּכֹּפֶר Lxx. ἀσφαλτώσεις ἀσφάλτῳ, Aq. ἀλειψήσεις, *linies.*

II. *Tegere, obtegere, removere, iram, peccatum, ſordes*, & *alia.*

Iram: tunc ſign. *placare.* Prov. 16. *Ira Regis nuntius mortis, at vir Sapiens* יְכַפְּרֶנָּה *placabit eam.*

Peccatum: & ſig. *expiare, remittere, condonare*, ut hoc loco, Pſ. 78. *Ipſe miſericors* יְכַפֵּר עָוֺן exp. condon. propter expiationem Chriſti ſuo tempore futuram & per ſacrif. Levit. præfiguratam.

Alias res: Ut Eſ. 45. 11. *Cadet ſuper te* הֹוָה *quam non valebis* כַּפְּרָהּ i. e. avertere, removere.

Sic & in Pual כֻּפַּר *remiſſus, expiatus eſt*, Eſ. 22. 14. *Vivo ego ſi* יְכֻפַּר Tharg. יִשְׁתְּבֵק *remittetur vobis iniquitas illa* עד תמותון *uſque dum moriemini*, id eſt, unquam, ſimili, 2 Sam. 6. 23. *Et non addidit Michol parere uſque ad diem mortis ſuæ.* עד enim ἕως ſæpe ita negat aut affirmat præteritum, ut etiam neget aut affirmet futurum. Vel ut Beza, עד ſæpe aff. & neg. de futuro. Quod hic ſi obſervaſſent *Judæi*, non extraxiſſent hinc mirabilem illam & portentoſam opinionem, peccata omnia Judæorum expiari morte. Sic enim accipiunt, Non remittitur vobis hæc iniquitas uſque dum mor. tum enim vobis remittetur. Perinde eſt ac ſi dicerem, Michol non peperit uſque ad diem mortis ſuæ, Ergo poſt mortem peperit. Sed tamen hinc eſt quod Judæi moribundi hæc verba pronuntient תְּהִי מִיתָתִי כַּפָּרָה לְכָל חַטֹּאתַי וּלְכָל־עֲוֺנוֹתַי וּלְכָל־פְּשָׁעַי

5. אַשְׁרֵי (האיש אשר) תב׳ ות שש׳ *Beatus quem eligis & admoves (ut) habitet in atriis tuis.*

ותקרב] Piſc. *Appropinquare ſinis, Verba enim Hiphil inquit, ſæpe notant permiſſionem.* Nota obiter eſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα. Piſc. eſt enim Piel non Hiphil; Verum tamen & hoc eſt de Piel. Sed malim cum Junio *admoves, tum facis accedere.* Tu trahis electos ad Eccleſiam.

Sancto Templi tui] i. e. Rebus ſanctis Templi tui.

Templi] i. e. Tabernaculi, quod Joſeph. vocat ναὸν καταφερομένον, *Templum portatile.* הֵיכָל *ædes magnificæ*, tam de Palatiis Regum quam Templis Deorum uſurpatur. ut Prov. 30. 28. de Aranea dicitur, *quod ſit in* הֵיכְלֵי מֶלֶךְ *in palatiis Regis.*

Aliiſic, *O Sancte Templi tui qui es in Templo tuo.*

6. *Terribilia vel reverenda reſpondes nobis in juſtitiâ*] Senſus, cum invocamus te, ingruente hoſte, reſpondes nobis te horribiliter abacturum hoſtes, idque facis motus juſtitiâ tuâ. Vel in altera expoſ. *Reſpondes nobis res auguſtiſſimas, promiſſiones tuas comprehenſas verbo tuo.*

O fiducia extremitatum terræ & longinquorum (in) mari] *Mare*, Id eſt, inſulæ. Meton. adjuncti. *Inſulæ*, id eſt, incolæ inſularum. Meton. ſubj. Lxx. ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν περάτων τῆς γῆς καὶ τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ μακρὰν.

7. Tu qui es ille qui *ſtabilit montes robore ſuo, qui accinctus eſt potentiâ.*

מֵכִין] Lxx. ἑτοιμάζων. Indoctè Interp. *Parans*; ἑτοιμάζω enim in linguâ Ellenitticâ ſignif. idem quod הֵכִין nimirum & *præparo* & *ſtabilio* 1 Mach. 1. 17. ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία αὐτȣ̃. Sic alibi ἕτοιμος, *ſtabilis.* Sic in Hellen. uſurpatur ἀνάγκη pro vexatione, χάρις *gaudium*, &c.

Itaque Symm. ὃς ἥδρασας, i. e. ἐςέριξας, ἐθεμελιώσας ὄρη τῇ δυνάμει σȣ.

8. מַשְׁבִּיחַ] Vox hæc in Piel ſign. *laudare*, 2. *compeſcere*; at in Hiphil ſemper *compeſcere, facere quieſcere.* Prov. 29. *Omne iram ſuam producit ſtultus, at ſapiens tandem* יְשַׁבְּחֶנָּה Sic Pſalm. 89. in Piel תְשַׁבְּחֵם. In Hiphil non extat alibi ut Maſſora ל׳. Lxx. planè contrariam ei aſſignarunt ſignif. συνταράσσων τὸ κύτος τῆς θαλάσσης: *turbans profunditatem maris.* At Theod. καταπραΰνων, *ſedans, mitigans.*

שְׁאוֹן *ſtrepitum*] Lxx. κύτος. Schol. κοίλωμα, πλάτος καὶ βάθος. Quidam codices κῆτος *cetum.* Errore librariorum. Aliud Schol. ad κύτος, ὑπὲρ ἀλλαχȣ̃ περιβόλαιον εἶπεν.

8. [מוֹצָאֵי בֹקֶר וגו׳ תַּרְנִין] *Exitus mane & veſperæ canere facis* תַּרְנִין *canere facere.* Duplex actio, 1. Eſt Dei, 2. eſt controverſa & inde dependent variæ expoſitiones.

Sunt enim qui referunt actionem 2 ad homines. Facis canere homines, facis ut canant homines exitus matutinos & veſpertinos (ſunt enim Gen. adjuncti,) unde Tremellius & Jun. transferunt hemiſtichia & ſic vertunt. *Qui facis ut incolæ extremitatum reverentes à ſignis tuis canant exortus matutinos & veſpertinos.*

II. Eſt eorum qui ref. action 2. ad ipſas ſtellas quæ hic vocantur *Exitus*, quod exeant. Meton. effecti.

Atque ita per *exitus veſp. & mat.* intelligit ſtellas quarum quædam exeant manè, quædam veſperi. Manè enim ordinariè exeunt Lucifer & Sol, veſperi Luna & ſtellæ apparent quæ de die non apparuerunt. Dicuntur autem *ſtellæ laudare Deum*, ut *cœli* dicuntur, Pſ. 19. *enarrare gloriam Dei*, quod nimirum occaſionem

caſionem dent hominibus laudandi Deum, unde R. Sal. addit *dicere homines manè*, Bened, *qui creavit luminaria. Veſperi*, Bened. *qui fecit veſperas* המעריב ערבים. Sic Pag. *ſtellas mat. & veſpertinas canere facis*, ſub. te. Piſc. *Cumque timuerint habitatores extremitatum à ſignis tuis, facis ut conterit quæ exeunt mane & veſperi*, i. e. Cum cognoverint ſigna iræ & potentiæ tuæ, tunc metuere incipiunt, & nos in pace vivere. Met. effecti Actio nominatur & agens intelligitur. B. *Gy maekt vrolik alles wat hem hier uit maekt beide des morgens en des avonts.*

III. Eſt eorum qui exponunt *Motzaë* omnia animalia, quorum quædam ut homines manè exeunt ad operas ſuas, quædam ut Leones & feræ noctu ad pabulum quærendum. Diſerte enim Pſalm. 104. 22. Viciſſitudinis diei & noctis hæc ponitur utilitas, quod noctu egrediantur & manè orto Sole redeant ad antra ſua ne ſcil. noceant hominibus. Ut ita hic ſit deſcriptio Pacis ex effectis. *Tudas* (Genev.) *ut noctem & diem in gaudio, lætitia & tranquillitate transfigere liceat.*

IV. Aben. à ſignis מוצא i. יוצא exeuntibus mane & veſperi. Durum & contra Grammaticam. *Exitus*, i. e. exeuntes. Sic Electio, Evaſio, Circumciſio.

V. Quia הרנין ſæpe accip. pro *exhilarare*, quia ii libenter canunt, ut Job. 29. לב אלמנה ארנין, ideò & ſic Lxx. verterunt τέρψεις; & per ἐξόδους πρωΐας & ἑσπέρας intelligunt Regiones Orientales & Occidentales, quia ex extremitate Occid. nox & tenebræ, ex Orient. dies & lux oritur. Ita Ital. *Tu jubilare facis loca, unde exit mane & veſperi*, hoc eſt Orientem & Occid.

9. פקדת. Vide ſupra.

תשקקה] i. e. *Rigaſti eam*; ut ſit à שקק idem quod השקה Chal. אשקיתה. Lxx. ἐμέθυσας αὐτὴν *inebriaſti eam*. Sic Deut. 32. אשכיר חצים מדם *inebriabo ſagittas meas ſanguine.*

II. *Appetis eam, deſiderio propendes in eam*; ut ſit à שקק, unde nomen תשוקה Gen. 3. & 4. & נפש שוקקה Pſ. 107. 9. quæ in eodem dicitur נפש עיפה *anima ſiticuloſa.*

רבת] Pro ברבת עשר *multitudine divitiarum*, i. e. plurimùm. Sic רבה erit רוב. Sic 2 Chron. 30. 17. כי רבת בקהל *qui non ſanctificârunt ſe* רבת אנשי.

Rivo Dei pleno aqua] *Rivo Dei*, i. e. largo. Sic *Montes Dei, Cedri Dei*, quicquid in ſuo genere excellit. Kimchi Elohim eſt כל דבר שרצה המקרא להגדילו סומך אותו כנוי לדבר גדול ומפלא Et alibi לאל. Sic Act. 7. ἀστεῖος τῷ θεῷ.

דגנם] Ref. ad adjunctum ejus rei cujus præeeſſit mentio, nim. ארץ. Simil. Joh. 8. 43. de Diabolo, ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. & Pater ejus ſcil. mendacii, ubi Relat. refertur ad effectum rei cujus præivit mentio, Caſaub. *non eſt novum ut Relativum referatur ad vocem præcedenti alicui voci incluſam.* Iliad. ω. σκαιέσι' ἄστυ καὶ αὐτοῦ: Sed non eſt neceſſe in loco Joh. nam in præced. memoratur ψεῦδος.

Hinc Philo deducit *Dagon*, ut ſit σιτῶν à σιτῷ *frumento*, ut *Ceres* à Syracuſiis dicebatur Σίτω *frumenti præſes* De Dagon. 1 Sam. 5. 4.

תכין Infin. pro Indicat præſenti. Infinit. enim ponitur pro omnibus temporibus & modis. Poteſt & eſſe Imperat. Sed is hic minùs quadrat, quia continuatur commemoratio beneficiorum Dei.

11. *Orbitæ tuæ ſtillant pinguedinem*] *Orbitæ* pro *curribus* Meton. effecti. *Currus* per Metaph. pro *nubibus*, quibus ceu curru vehitur, Pſ. 104. 3. *Qui diſponit nubes in vehiculum ſuum.* Ergo ſenſus, Nubes quæ ſunt currus tui ſtillant pinguedinem, i. e. pluviam quæ efficit pinguedinem, uti ſit Meton. effecti. R. Sal. *orbitæ* i. השמים

12. *Stillant* נאות i. על נאות *ſuper paſcua*; נוה & נוה *Manſio ruſtica, caula & paſcuum* plur. נוה & in Reg. נות & ו in א, נאות. Vulg. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti*, Gen. *Stillabunt caulæ deſerti.* Tunc fuiſſet הרוממה dicendum cum נאות ſit fœm. gen.

Et colles accinguntur exultatione] Ab. כהראות דשא ועשב *cum apparebit germen & herba*; vel, *exornantur fructibus & frugibus*; unde oritur gaudium, ut ſit Meton. eff. hyperbolica, ut apud Virg.

Omnia nunc rident.

Lxx. verſum 13. ſic reddiderunt, πιανθήσεται, (pingueſcent) τὰ ὄρη (alii legunt τὰ ὡραῖα ſpecioſa) τῆς ἐρήμου; καὶ ἀγαλλίασιν οἱ βουνοὶ περιζώσονται. Symm. γνοφωθήσονται obſcurabuntur.

14. *Veſtiuntur* כרים הצאן *paſcua ovibus*] i. e. Teguntur, כור *fodit, effodit, abſcidit.* Unde כר duo ſignificans, 1. *paſcuum, campum*, 2. *arietem, vervecem.* Lxx. hic ſecuti ſunt ſign. 2. οἱ κριοὶ τῶν προβάτων ἐνεδύσαντο. Tunc eſſet dicendum כרי הצאן At Genebr. rejicit totum hoc ad Enallagen ſtatuum. Idque propterea quod Vulg. hoc ſecutus ſit, *Induti ſunt arietes ovium*, i. e. ex ovibus prognati inducti ſunt copioſis, puris & nitidis velleribus.

Jubilant & canunt] Metaph. hyperbolicæ, ut alibi dicuntur *geſtire* & *plaudere*. *Clangent, vociferabuntur læti* אף (καὶ γὰρ ut γὰρ ſit expletiva particula) *canent.* Sic apud Virg. Ecl. 1.

Ipſæ te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.

בר *frumentum*] A ברר *purus fuit*, ſign. enim *frumentum vannatum & purgatum.* Lxx. πληθυνθῶσιν σῖτον. Symm. τροφήν. Pro ברה quod *cibum* ſignif.

GROTIUS.

CAnticum *Jeremiæ & Ezechielis populo tranſmigrationis cùm inciperent exire*] Non eſt hoc in Hebræo, nec in Interpretibus aliis, ſed in quibuſdam exemplaribus verſionis Lxx. Cæterùm non malè conveniunt hæ querelæ, & ſimul preces iſti tempori: & multa eſſe hic ævi poſt Davidem initio libri notavimus.

2. *Te decet hymnus*] In Hebræo, *Tibi ſilentium, laus*: id eſt, ſileant alia omnia, ubi de te laudando agitur, Favete linguis.

5. *Beatus quem elegiſti & aſſumſiſti*] Beatos præ ſe prædicant illos quos, ut nulli uſui homines, Chaldæi in Judæa reliquerant 2 Reg. 25. 11.

PRICÆUS.

10. IGne nos examinâſti] Igne afflictionis. Heſychius, Ἐξεπύρωσεν, ἐξέθλιψεν.

11. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*] Feciſti ut dominarentur nobis. Ità, *in cervicibus alterius collocare quem*, Cicero famil. epiſt. lib. 12.

12. *Tranſivimus per ignem*, &c. *& eduxiſti nos in refrigerium*] Heraclidis Ponticus ad Homeri illud de Sarpedone vulnerato,

——— περὶ δὲ πνοιὴ Βορέαο
Ζώγρει ἐπιπνείουσα κακῶς κεκαφηότα θυμόν.

Ἀναψύξεως δηλαδὴ δεομένου τοῦ σώματος ἐν ἀέρι διαπύρῳ. Adde Luc. 16. 24.

IDEM.

3. IN multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui] Non in corde ſuo, (ut Jerem. 3. 10.) ſed in mendacio revertentur ad te.

7. *Oculi ejus ſuper Gentes reſpiciunt*]

——— Ἔχει θεὸς ἔνδικον ὄμμα.

Ibid. *Qui exaſperant, non exaltentur in ſeipſis*] Vide infrà 74. 5, 6.

9. *Qui poſuit animam meam ad vitam*] Notas (ut 15. 11.) mihi fecit vitæ vias.

Ibid. *Et non dedit in commotionem pedes meos*] Vide infrà 114. 8. & 120. 3. Hinc & 70. 3. de Eodem, *firmamentum meum*: & 34. 16. apud Sirachidem, φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος.

10. *Probâſti nos, Domine, igne nos examinâſti*] Suprà 16. 3. *Probâſti cor meum*, &c. *igne me examinâſti. Igne* rerum adverſarum intellige. Vide Sapient. 3. 6. Seneca lib. Cur bonis viris, &c. cap. 5. *Ignis aurum probat, miſeria fortes viros.* Adde Job. 23. 10.

11. *Induxiſti nos in laqueum*] Paſſus es nos in laqueum incidere.

Ibid. *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro*] Sirachid. 35. 22. *Ut contribulet dorſum ipſorum.*

Ibid. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*] Aſcenderunt ſuper nos, facti ſunt ſublimiores: ut Deuteron. 28. 43.

12. *Et eduxiſti nos in refrigerium*] Spiritus (ut Eſai. 57. 16.) à facie tua egreſſus eſt, & flatus fecit.

15. *Offeram tibi boves cum hircis*]

——— *Multa meis exibit victima ſeptis.*

16. *Quanta fecit animæ meæ*] Ità Luc. 8. 39. *Quanta tibi fecit Deus*: id eſt, pro te. Tobiæ 13. 6. *Aſpicite quæ fecit nobiſcum Deus.*

19. *Propterea exaudivit Deus*, &c.] Subaudi ex præcedentibus, *quia iniquitatem in corde non aſpexi.* In Rudente Plautina,

Faciliùs, ſi qui pius eſt, à Diis ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inveniet veniam ſibi.

Qui locus & cum illo Prov. 15. 29. non malè convenit.

PSALM. LXVI.

MUNSTERUS.

3. *MEndaces erunt tibi inimici tui*] Suprà Pſ. 18. in fine eadem ponuntur verba cum ſua expoſitione.

6. *Vertit mare*] Loquitur de Mari Rubro, ſicut per *fluvium* intelligitur Jordanis, quem filii Iſraël ſub duce Jehoſua *ſicco tranſierunt pede.*

7. *Qui increduli ſunt*] Aut, ſi mavis, *qui ab eo recedunt*, vel *deficiunt*, hos ipſe humiliat, etiamſi hîc ad tempus exaltentur.

9. *Ponit animam noſtram in vitam*] h. e. Conſervat nos in vita, etiamſi mille diſcrimina mortis irruant.

11. *Anxiam moleſtiam*] Quidam intelligunt hîc per מועקה *catenam quæ lumbos conſtringit.* Agit enim Pſalmus iſte de magna tyrannide quam perpeſſi Iſraëlitæ fuerunt ab hoſtibus.

12. *Impoſuiſti hominem*] Heb. *feciſti equitare hominem in capite noſtro*, h. e. Permiſiſti hoſtes noſtros tyrannicè agere in nos, ut nobis inſtar jumentorum abuterentur. *Ingreſſi ſumus* præterea *ignem & aquam*, h. e. venimus in ſummum vitæ periculum: *ſed tu nos indè in optimum induxiſti locum.*

17. *Exaltatuſque eſt ille*] Eſt hîc רומם paſſivum in conjugat. gravi, vel, ut priſci ajunt Grammatici, in quadrata conjugatione. Eſt autem ſenſus ſecundùm Kimhi, *Ore meo clamavi ad Deum, & exaltatus eſt in corde meo, quod eſt ſub lingua.*

VATABLUS.

1. *VIctori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Canticum Pſalmi* שיר מזמור] Vide Pſal. 30.

2. *Gloriam nominis ejus* כבוד שמו] Hebraïſmus, pro *glorioſo nomini ejus.* ¶ *Ponite gloriam*, &c. שימו כבוד תהלתו] Hebraïſmus, i. e. pro ſumma gloria ducite Deum laudare: eò tendant omnes laudes veſtræ ut glorificetur nomen Dei. Alii, *date decus laudis ejus.*

3. *Quàm terribilia ſunt opera tua* מה נורא מעשיך] Hebraïcè verbum plurale jungitur nomini ſing. *Quàm terribile eſt opera tua:* quod genus dicendi ſic reſolvunt Hebræi, *Quàm terribile eſt unumquodque operum tuorum.* Alii vertunt, *Quàm tremendus es operibus tuis.*

4. *Omnes* habitatores *terræ incurvabunt* כל הארץ ישתחוו] *Omnis terra adorabit te.* Alii, *adoret te*; ut ſit fut. pro imper.

5. *Terribilis opere* נורא עלילה] *Tremendum facinus.*

6. *Lætati ſumus in ipſo* נשמחה בו] *Lætabamur de ipſo.*

7. *In ſeculum* עולם] *Seculo*, i. e. toto orbi. ¶ *Rebelles non exaltabunt ſeſe* הסוררים אל ירימו למו] *Defectores non exaltabuntur:* vel, *increduli non extollent ſeipſos:* i. e. cadent dignitate ſuâ.

9. *Poſuit animam noſtram in vitam* השם נפשנו בחיים] Hebraïſmus, pro, *vitam noſtram ſervavit in vita.* ¶ *Et non permiſit ut*, &c. ולא נתן למוט רגלינו] Ad verb. *& non dedit in commotionem pedes noſtros:* vel, *& non dedit ut labarent pedes noſtri.*

10. *Conflaſti nos*, &c. צרפתנו כצרף כסף] *Examinaſti* [vel, *examinabas*] *nos ſicut examinatur* igni *argentum.* A tertia perſona præcedentium verſuum tranſit ad ſecundam. Quidam vertunt, *excoxiſti.* Alii, *conflaſti.*

11. *In rete* במצודה] *In laqueum.* Alii, *in anguſtum.* ¶ *Anguſtiam* מועקה] *Coarctationem*; vel, *arctum*, ſub. *vinculum.* Alii, *anxiam moleſtiam*; vel, *morbum conſtringentem.*

12. *In* terram *irriguam* לרויה] *In refrigerium.* Alii, *in ſatietatem iſtam.*

14. *Voverunt* פצו] Ad verb. *aperuerunt*; vel, *diſtinxerunt:* i. e. quæ diductis labiis vovi tibi. ¶ *Dum eſſet anguſtia mihi* בצר לי] Ad verb. *in anguſtia mihi*; ſive *mea.* Quidam, *dum eſſet coarctatio mihi.*

15. *Cum ſuffitu* עם קטרת] *Cum incenſo.* ¶ *Faciam boves cum hircis* אעשה בקר עם עתודים] *Faciam bobus & hircis*, ſub. *ſacrificium tibi.*

16. *Audite, & narrabo* (*omnes*, &c. שמעו ואספרה כל יראי] Ordo inverſus, pro, *audite omnes timentes Deum, & narrabo quæ*, &c.

17. *Lingua mea* תחת לשוני] Ad verb. *ſub lingua mea.*

19. *Sed* אכן] *Certe.*

CASTALIO.

6. *MAre convertit in ſiccum*] Exitus ex Ægypto.

11. *Cruciatu laterum*] Gravi.

CLARIUS.

PRopheta tanquam mirificè gratulabundus univerſos mortales invitat ad laudandum pariter Deum. Et videtur inſignis aliqua liberatio ab hoſtibus occaſionem dediſſe componendi hujus Pſalmi.

2. *Date gloriam laudi ejus*] Vel, *magnificentiæ ejus.* Palam facite, inquit, quàm ſit magnificâ dignus laude. Et illud, *Pſalmum dicite*, in Hebræo eſt *pſallite gloriam.*

3. *Mentientur tibi inimici tui*] Alibi hunc Hebraïſmum declaravimus. Vel hic poteſt hoc loco eſſe ſenſus, Magnitudine potentiæ tuæ mendaces palàm deprehendentur fuiſſe in te hoſtes, qui Divinitatem non tribuebant tibi.

6. *Convertit mare in aridam*] Loquitur de Mari Rubro; ſicut & per *flumen* intelligitur Jordanis, quem filii Iſraël ſub duce Joſue *ſicco tranſierunt pede. Ibi*, inquit, *lætabamur:* ea res incredibili nobis, in quorum gratiam id fecerat, gaudio fuit, & in amorem illius nos accendit.

7. *Qui increduli ſunt*] Deſertores Dei non exaltabuntur, quamvis diverſum ſibi perſuaſerint.

9. *Qui poſuit animam noſtram ad vitam*] Qui conſervat nos in vita, etiamſi mille mortis diſcrimina ingruant.

11. *Poſuiſti tribulationes*] Alius vertit, *poſuiſti anxiam moleſtiam in lumbis noſtris.* Significat defectionem virtutis, & magnam tyrannidem quam Iſraëlitæ perpeſſi fuerunt ab hoſtibus.

14. *Et locutum eſt os meum*] *Et quæ ſcilicet vota promiſit os meum cùm eſſem in afflictione mea.*

DRUSIUS.

1. כָּל־הָאָרֶץ. Sym. πάντες οἱ ἐν τῇ γῇ, *omnes qui in terra ſunt.*

4. כָּל־הָאָרֶץ יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ וִיזַמְּרוּ־לָךְ יְזַמְּרוּ שִׁמְךָ. Sym. Πάντες οἱ ἐν τῇ γῇ προσκυνήσουσί σοι, μελῳδοῦντές σοι ᾄσουσι τὸ ὄνομά σου, *Omnes qui in terra ſunt adorabunt te, canentes laudabunt nomen tuum.*

5. נוֹרָא עֲלִילָה עַל־בְּנֵי אָדָם. Idem, Φοβερὰ μηχανήματα ὑπὲρ υἱῶν ἀνθρώπων. Th. *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*] Φοβερὰ μηχανήματα, i. e. *terribiles machinationes.* Apud Interpretem, niſi fallor, Theodoreti, Sym. *terribiles artes pro filiis hominum.* Euthymius, *In conſiliis, Sym. reddidit, In machinationibus, h. e. inventionibus:* ἐν μηχανήμασι. Suprà 9. 11. עלילותיו. S. *artes ejus.*

6. הָפַךְ יָם לְיַבָּשָׁה בַּנָּהָר יַעַבְרוּ בְרָגֶל. Sym *Convertit mare in aridam: flumen tranſierunt pede.*

7. הַסּוֹרְרִים. A. ἀφιστάμενοι, Sym. οἱ ἀπειθεῖς. Th. ἐκκλίνοντες] Apud Interp. Theodoreti, *A. deficientes. Th. declinantes.* Ἀπειθεῖς apud eundem, Sym. *infideles non exaltentur in ſemetipſis.* Ebræa ſunt אל ירימו למו. Sic etiam Hier. hunc locum convertit.

8. הַשְׁמִיעוּ. Sym. ἀκουστὴν ποιεῖτε, *auditam facite.*

17. אֵלָיו פִּי־קָרָאתִי וְרוֹמַם תַּחַת לְשׁוֹנִי. Sym. Αὐτὸν τῷ στόματί μου ἐπεκαλεσάμην, καὶ ὑψώθη παραχρῆμα ἡ γλῶσσά μου, *Ipſum ore meo invocavi, & actutum lingua mea in altum elata eſt.*

18. אָוֶן אִם־רָאִיתִי בְלִבִּי לֹא יִשְׁמַע אֲדֹנָי. Idem, *Iniquitatem ſi prævidi in corde meo, nè exaudiat Dominus.*

AMAMA.

PSalm. Εὐχαριστικός. Continetque duplicem εὐχαρ. I. generalem populi pro liberatione ab hoſtibus, à verſ. 1. ad 13. II. Specialem authoris pro liberatione privata ex periculis.

1. שִׁיר מִזְמוֹר] Vide Pſ. 48. Lxx. ᾠδὴ ψαλμοῦ ἀναστάσεως. Vulg. *Reſurrectionis.* Schol. Gr. οὐδὲ ταύτην τὴν προσθήκην τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει, οὐδὲ οἱ ὁ ἐν τῷ ἑξαπλῷ, ἀλλὰ καὶ ταύτην τινὲς ὡς ἔοικεν προστεθείκασιν. Genebr. etiam fatetur *non eſſe in fonte, ſed ad myſterium indicandum additum eſſe, quia agit de converſione & ſpirituali reſuſcitatione*; i. e. Vocatione Gentium.

כל הארץ] Lxx. πᾶσα ἡ γῆ. Sym. πάντες οἱ ἐν τῇ γῇ. Th. כָּל־יָתְבֵי אַרְעָא.

I. אֶרֶץ Com. gen. Eſ. 33. 9. אָבַל אֻמְלְלָה אָרֶץ.

Hinc eſt Arab. ארץ, *Ard*, Belg. *Eerd.* Gr. Ἔρα. Martianus Cap. *Terram Veteres Heram dixerunt.* Hinc *Minera* & *Mineralia.* *Minera* q. מִן־אֶרֶץ.

II. Variè ſumitur, cum part. כל ſæpe denotat eam terram tantum de qua ſermo eſt, 2 Paral. 22. *Athalia autem regnabat ſuper univerſam terram.* Pſ. 13. 5. *Et perdant* כל הארץ, ſc. Babyloniam. Gen. 41. *Et venit* כל הארץ *in Ægyptum*, i. e. Iſraël, vel Syria & vicina loca. Hieron. Eſ. 5. *Moris eſt Script. nomine univerſæ terræ notare tantum eam regionem de qua ſermo eſt.*

2. *Appo-*

2. *Apponite gloriam* תְּהִלָּתוֹ] i. e. לִתְהִלָּתוֹ vel אֱלֹהִים. Vel *date ei gloriam* per laudem ejus בִּתְהִלָּתוֹ.

3. *Quam terribilis* (*es*) מַעֲשֶׂיךָ] i. e. בְּמַעֲשֶׂיךָ Lxx. & Vulg. ὡς φοβερὰ τὰ ἔργα σε. i. e. נוֹרָאִים vel quam terribile eſt opera tua, i. e. כָּל אֶחָד מִמַּעֲשֶׂיךָ.

יְכַחֲשׁוּ] ψεύσονταί σε, Th. יְכַחֲשׁוּ לָךְ Sic Pſ. 18. 45. *Filii alienigenæ* יְכַחֲשׁוּ לִי *mendaciter dedunt ſe mihi*, i. e. præ timore ſe ſubjiciunt & mentiuntur ſe tibi unquam malefeciſſe. Qui timent aliquem ſerviliter ſolent coram eo mentiri. Aut, quia mentiri eſt ſervile vitium, ſervient tibi magis ex neceſſitate & ſimulate quam ex animo. Sic uſurp. 2 Sam. 22. 45. & Deut. 33. *Mentientur tibi inimici tui & tu colla eorum calcabis*, ubi poſterius hemiſtichium exponit prius.

Aliàs cum de inanimatis dicitur כָּחַשׁ ſignif. *ſpem fallere*, ut Hoſ. 9. 2. *Et muſtum mentietur iis*, *ſpem eorum fruſtrabitur*, *non invenient quod expectarunt*. Sic Hab. 3. 17. de olea, ut apud Hor. *ſpem mentita ſeges*, & fundus mendax.

5. Maſſ. יד״ פסוק לָךְ לָךְ

סֶלָה] Suid. τῆς μελῳδίας, Heſich. τοῦ μυστικοῦ μέλους ἐναλλαγή.

נוֹרָא עֲלִילָה *Reverendus* (*in*) *actione.*] Lxx. φοβερὸς ἐν βουλαῖς ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς ἀνθρώπων. Sym. φοβερὰ μηχανήματα.

בְּנֵי אָדָם] Collectivè vel propriè.

6. *Mare*] Reſpicit ad miraculoſam populi traductionem per mare Rubrum, Exod. 14. Chal. יַמָּא דְסוּף Mare hoc vocatur יַם סוּף Ebr. Græc. θάλασσα ἐρυθρὰ vel ἐρυθραῖα, Lat. *Mare Rubrum.* Ebræum סוּף quid ſignificet ignorarunt multi. Ipſe Hier. putat סוּף ſign. *rubrum.* Quod perinde eſt ac ſi quis diceret *Jona* ſignificare *Petram*, quia *Simon bar Jona* poſtea dictus *Simon Petrus.* Dicitur autem סוּף à junco ſeu alga vel carice, quia iſtis mare illud & circumjacentia littora abundare compertum, ut ita Mare Suph idem ſit ac ſi diceres, Mare caricoſum, algoſum vel junceſum. Aben-Ezra Ex. 13. vult *Suph* eſſe *nomen loci*, R. Jeſua *nomen urbis*, ut Mare Cinnereth, Tiberiadis.

Mare Suph eſt ſinus Arabicus ſeu Ægyptius. Mare Erythræum ſeu Rubrum eſt Oceanus inter Æthiopicum & Indicum. Sed hic ſinus de nomine Totius denominatus eſt, quia erat pars ejus prima, primuſque ſinus & brachium maris Erythræi.

Sed cur vocatur *Rubrum*? Eadem quæſtio ac ſi rogarem cur vocetur Erythræum, ἐρυθρὸς enim & ἐρυθραῖος *rubrum* & *rufum* ſignificat.

Sunt qui putarunt aquas ejus, alii, arenam & fundum rubuiſſe. Sic Mela, ſic Strabo, ſic Plinius; Quin & Scindl. prodidit rubrum appellari à fundo qui rubens apparet per aquas perſpicuas.

At contrà omnes qui vel ipſi mare illud ſulcarunt, vel nautas percontati ſunt, uno ore teſtantur mare illud eſſe inſtar reliqui æquoris. Diſerte Curtius lib. 8. & 10. Brodæus Miſc. 3. cap. 9. hoc teſtantur.

Reſtat ergo dictum Erythræum ab Erythro quodam Rege ibi dominato aliquando, & quia ἐρυθρὸς *rubrum* ſign. inde dictum Latinis Mare Rubrum, ut per R. majuſculum ſcribenda ſit vox illa & adhibita non φυσικῶς ſed κτητικῶς.

Erythram autem illum fuiſſe Eſau, & circa illud mare & in ipſo mari dominatum, jam à viris doctis probatum ſatis ſuperque eſt. Ut enim Ruber eſt interpretamentum τοῦ ἐρυθραίου, ita ἐρυθραῖος interpretamentum eſt τοῦ אֱדוֹם *Edom.* Vid. Gen. 25. Vid. Druſ. ad loc. diff. 5. Lib. Moſis. Becmani Orig. ut ridiculus ſit Fullerus qui ſe hoc primum invenire putat.

Claudam verbis Suidæ qui una cum Curtio hoc tradit nomen *Rubri* non ex natura rei ſed à nomine Poſſeſſoris ſumptum. Verba hæc ſunt: Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη οὐκ ἀπὸ τῆς χροιᾶς τοῦ ῥυθίου (non ex colore undæ) καθάπερ τινὲς οἴονται, ἀλλ' ἐκ τινὸς ἀνδρὸς Ἐρυθρὰ τὴν προσηγορίαν, ἐνδυναστεύσαντος αὐτοῖς τόποις.

בַּנָּהָר] Intell. Jordanem. Joſ. 3. Ch. בְּנַהַר יַרְדְּנָא.

7. *Dominatur* עוֹלָם] Pro לְעוֹלָם. Aſcendit ab hypotheſi ad Theſin & Gubernationem Dei generalem laudat, quâ omnes populos gubernat.

עוֹלָם] Pro לְעוֹלָם. Ab. אין עולם בכל המקרא רק זמן ונצח, non eſt עוֹלָם in Script. niſi in ſign. temporis vel æternitatis. *Temporis* longi vel determinati vel indeterminati. Hoc ideo dicit Aben. quia עוֹלָם apud Rabb. ſignif. etiam *mundum.* Quomodo & acceperunt Ch. על עלמא & Lxx. τῷ δεσπόζοντι ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος. Qui dominatur ſæculo, i. e. mundo, ut Apoſt. 2 Tim. 1. 9. *ante tempora ſæculorum*, hic negotia ſecularia, ſeculares, Sulp. Vacuo tunc ſeculo, Ebr. 1. Per quem ἔκτισε τοὺς αἰῶνας, i. e. τὸν αἰῶνα, i. e. κόσμον. Vel reſpicit ad 2. Mundos infer. & ſuper. Terram & Cœlum. Sed bene annotavit etiam Genebr. In Sacris eâ ſignif. non occurrere.

הַצּוֹפִים] A צפה. Unde צוֹפֶה ἔφοροι, ἐπόπτης. Supremus Carthaginenſium Magiſtratus vel Conſul vocabatur *Sufes* ut Oſcorum *Medix.* Hoc vocabulum Sufes étis Joſ. Scalig. hinc deducit, o in u verſâ. Alii *Sufetes* dictos volunt à שׁוֹפֵט *Judex.*

סוֹרְרִים Lxx. παραπικραίνοντες. Ch. ἐκκλίνοντες. S. ἀπειθεῖς. A. ἀφιστάμενοι.

יָרִימוּ לָמוֹ] Si legas יָרִימוּ tunc ל erit pro את notâ accuſat. caſus; *ne efferant ſe ipſos.* Si יָרוּמוּ, tum לָמוֹ eſt Dativus Pleonaſticus cum Emphaſi tamen aliquâ: *Ne efferantur ſibi*, vel *non efferuntur ſibi*, i. e. cum ſuo commodo & aliorum incommodo.

8. הַשְׁמִיעוּ] Ἀκουτίσατε. Th. ἀκουστὴν ποιεῖτε.

9. הַשָּׂם נַפְשֵׁנוּ] *Qui ponit*; i. e. qui repoſuit, ut noteturliberatio quædam ex certo aliquo periculo.

Vel, *qui reponit*, *reſtituit*, ut denotetur actus continuus.

Chald. דמני נפשנא בחיי עלמא דאתי, i. e. *qui deſtinavit*, *deputavit animas noſtras ad vitam futuri ſæculi.*

Ita Rabbi Sal. explicat locum Lev. 18. 5. *Homo, qui fecerit ea*, *vivet*, *in iis.* Vide noſtra ad Maimon. Ch. בְּחַיֵּי עָלְמָא.

וְלֹא־נָתַן לַמּוֹט *Nec ſinit demoveri*] Malim, nec tradit dimotioni pedes noſtros. Omnes enim codices habent לַמּ׳ at ſi eſſet Gerund. eſſet לָמוּט. Interea veriſſimum eſt נתן ſignif *permiſit*, cum habet ante ſe Part. negandi, & poſt ſe Infinit. vel Gerundium, Gen. 20. *Non* נְתַתִּיךָ *dedi te attingere eam*, Jud. 4 *Non* נְתָנוֹ *tranſire quempiam*; Pſ. 16. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

10. 11. 12. Tres hi verſus cohærent vel per enunciatum relatum temporis vel per enunciatum antitheticum. Priori modo, כִּי exponetur per *poſtquam*, & ו in hemiſtichio ultimo verſ. 12. per *Tandem*: Ita Jun. & Trem. At poſteriori modo כי ſign. *Nam*, & Vau loco dicto vertitur per *Tamen*: Sic Piſcator.

10. *Nam probaſti nos* &c.] Excoxiſti, conflaſti nos צְרַפְתָּנוּ. i. e. הִצְרַפְתָּ Vid. Gramm. Hæc phraſis explicatur Jeſ. 48. 10. *Excoquam te non autem cum argento* (i. e. non ſummo jure tecum agam, ſi enim plane te à ſcoriis expurgarem planè diſperires) *ſelectum efficiam te in catino afflictionis.* בְּכוּר עֳנִי R. Sal. כחנור בצרה גדולה : צרפתנו להכיר סיגים כמנו שנשב בתשובה לפניך.

בַמְּצוּדָה] A צוק *Coarctatus eſt*, ut מְצוּקָה & מוּעָקָה *coarctatio*, *afflictio*; unde Lxx. ἔθου θλίψεις ἐπὶ τὸν νῶτον ἡμῶν. Sic & Angli *affliction.* Videtur tamen ſic per Meton. adjuncti denotare *cingulam* quæ coarctat lumbos jumentorum.

Cingulum enim & cingula differunt, *Cingulum* eſt cinctorium hominum & maximè mulierum. *Cingula* jumentorum. Ovid.

Et nova velocem Cingula lædat equum.

Jun. ad perſpicuitatem addidit *aſinariam*, ut ſimul ſignif. onus quod aſino imponitur & per cingulam applicatur.

12. *Equitare feciſti*] Metaph. ſumpta à jumentis, aut certè Camelis vel equis, i. e. permiſiſti nos calcari, pungi ab hominibus, ac ſi fuiſſemus jumenta. Vel, *regnare feciſti.* Certe Pſ. 45. צלח רכב verterunt Interpretes Lxx. καὶ κατευοδοῦ καὶ βασίλευε.

Per ignem & aquam] Proverb. quo vehementiſſima & contraria pœnarum genera proponuntur. *Ignis*, quia urit & maximè lædit, ponitur pro *ſummis periculis & calamitatibus*, Eſ. 43. *Si tranſieris per ignem non læderis.* Eſ. 9. *Deus minatur Aſſyriis obſeſſoribus ignem*, *quos tamen Angelus percuſſit.* Sic Ter. *Ex igne cibum petere.*

Ab אֵשׁ eſt Gh. אִשְׁתָּא] Unde *Veſta* Filia Saturni, de qua Ovid. Faſt. 6.

Nec tu aliud Veſtam quam vivam credito flammam;

Unde *Veſtales Virgines* quæ deſtinatæ erant conſervando perpetuo igni Eſt & alia *Veſta* Saturni Mater, quæ pro *Terra* ponitur; de qua Ovidius,

Stat vi terra ſuâ, vi ſtando Veſta vocatur.

Et aquam] מַיִם aliq. eodem modo ſumitur ut אֵשׁ quia in aquâ ſuffocationis periculum eſt. Eſaiæ 43. 3. *Si tranſitris per aquas tecum ſum.* Pſ. 144. *Ex aquis multis eripe me.* Sic Pſ. 18. *Aſſumpſit me ex aquis multis.* Pſ. 69. *Aquæ venerunt ad animam meam.* Sic videtur ſumi Ezech. 21. 10. *Omnium genua ibunt in aquam.* De aquis dupl. Vide Illy. in AQUA. Merc. & Scindl.

13. בעולות *cum holocauſtis*] Sic Ex. 10. 1 Theſſ. 4. Eph. 6: Sic juxta quoſdam. Eb. 9. 4. ut concil. cum 1 Reg. 8. *Cum ſuffitu arietum*, i. e. Cum adipe arietum qui adolebatur.

14. *Quæ aperuerunt*] i. e. Aperiendo protulerunt, i. e. nuncuparunt. Jun. *Nuncupaverunt aperta.* Unum verbum pro 2. 1 Tim. 1. 20. Gal. 5. 4.

15. *Faciam bovibus vel bobus*] Vide Druſ. ad loca Diff. 5. LL. Moſis p. 218. & 369. Lxx. ἀνοίσω. Alii, ποιήσω.

Facit ment. arietum, boum & hircorum, his ſi addas turtures & columbas, habes idoneas ſpecies ſacrif. cruent.

Facere hædum, Jud. 13. 15. de Conviv. Ex. 29. 30. *facere juvencum*, ad ſacrif. Gen. 18. 17. *Et cucurrit Abraham ad boves*, *accepitque filium bovis tenerum & bonum*, *quem dedit puero ſuo*, *qui feſtinavit facere illum*, *ad conv.* Ergo *facere* cum accuſat. eſt *parare*, vel ad conv. vel ſacrif.

Cum ad ſacrif. videtur reddi poſſe per ablat. *facere hædo*, ſub. rem divinam. Ita enim Latini loquuntur, *Cum faciam vitulâ pro frugibus* &c. Macrob. *Cum faciam rem divinam, non ove, non capra ſed vitula*, tanquam dicat, cum vitulam pro frugibus ſacrificavero. Idem, *Herculi & Cereri faciam ſue pregnante, panibus, mulſo.* Sed & aliquando ſic uſurpant ſolum *facio*, *Dii facientes adjuvant*, i.e. rite ſacris operantes. Cic. *Cum pro populo Rom. fieret.*

Plautus in Sticho, *Quot agnis fecerat?* Reſp. *Illa quidem nullum ſacrificavit.*

16. וְרוֹמַם תַּחַת] *Et exaltatus fui pro ſermonibus lingua mea* תַּחַת אִמְרֵי לְשׁוֹנִי, ut רוֹמָם ſit part. præſens Conj. Poal. Piſc. *Et* [*fuit*] *exaltatus per linguam meam.* At non poteſt eſſe part. Melius ergo alii &c. per tertiam perſonam præ lectili Poal explicant, *& exaltatus eſt ſub lingua mea*, i.e. per linguam meam: Sic & Angli. Alii, *ſub lingua mea*, i.e. corde vel pectore, quod eſt ſub lingua. Vulg. *exultavi:* ὕψωσα tamen Græci.

17. *Ad iniquitatem ſi ſpectavi animo meo*, i.e. ſi iniqua cogitavi & verſavi animo meo.

לא ישמע אל] *Non exaudiviſſet me DOMINUS.*

18. *At exaudivit DOMINUS*] Syllog. compoſitus 2. modi ubi tollitur conſequens, ut tollatur antecedens, quod melius apparet ſi reſolvas in affirm. *Repuliſſet me DOMINUS.* At non repulit. Ergo non ſpect.

Græci, μὴ εἰσακουσάτω ὁ θεὸς, *Ne exaudiat Deus*, ut ſit formula juramenti, quò eò minus inclino, quia vix reperientur in SS. LL. tales formulæ.

Juramentum eſt Dei invocatio qua rogatur ut teſtis ſit aſſeverationis noſtræ & ultor ſi fallamus. Utrumque apparet ex Apoſt. 2 Cor. 1. *Deum teſtem invoco in animam meam*

Unde conſequitur omne Juramentum includere imprecationem. At hæc imprecatio in juramentis Dei ſemper reticetur per Apoſiopeſin, 1 Sam. 3. 14. *Juravi domui Eli ſi expiabitur iniquitas domus Eli*, ſub. ne ſim Deus, mentiar. Sic Pſ. 89. *Si Davidi mentiar.* Sic Pſ. 95. *Si introibunt in requiem meam.* Sic Jeſ. 14. 24. Marc. 8. 12. *Amen dico vobis*, εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον. In his omnibus ſubintell. imprecatio ex uſu Linguæ Sanctæ, itaque Interpretes hic dupliciter peccant; Primò ii qui per ſimplicem aſſ. vel neg. has formas expreſſerunt (אם enim ſolum negat, cum לא affirm. Ut Jeſ. 14. 24. *Si non fiet ſicut cogitavi*) verè quidem ſed in quo non ea vis orationis ineſt, neque iſte affectus loquentis.

II. Qui ſuppleverunt impr. Quorſum enim ſupplemus quod Sp. S. ſuppreſſit & quod ex elegantiis ſermonis Ebræi eſt.

In Juramentis piorum idem obſervatur, ut Pſ. 132. 2, 3. Gen. 14 23. *Si à filo ad corrigiam* &c. At homines militares piique aliquando abrepti expreſſerunt imprec. aliquando ſed cum Periphraſi honeſti, *ſic faciat mihi Deus* &c. *Quid ſi, ſic faciat mihi benè?* ut ſit idem quod, *Ita me Deus amet & propitius ſit.* 1 Sam. 14. 44. *Saul.* 1 Sam. 20. *Jonath.* 25. 22. *David.* 2 Sam. 3. *Abner.* Sic *Jeſabel, Joab, Benhadad, Achab.* 2 Reg. 6. 31.

III. Eſt & alia forma jurandi per חי, eaque vel *Legitima*, vel *Illegitima.* Legitima cum per Creatorem; Illegitima cum per creaturas; Illegitima exprimitur per חֵי, Legitima per חַי, Gen. 42. 15. חֵי פַרְעֹה. Am. 8. חי אלהיך o Dan. 1 Sam. 20. 3. utrumque eſt חַי יהוה וחי נפשך.

Jurat Dominus בו, i.e. *per ſe*, Gen. 22. 16. בִּי נִשְׁבַּעְתִּי, κατ' ἐμαυτοῦ ὤμοσα. *Angelus DOMINI.* Sic Jeſ. 45. 23.

II. *Jurat* בְּנַפְשׁוֹ Am. 6. 8. i.e. *per ſe*; Sic Prov. 6. *Septem ſunt abominatio animæ Domini.* Hoc Pſ. 11. *Impium odit anima ejus.*

III. *Jurat* בקדשו Sic Pſ. 89. Sic Am. 4. 2. ubi Ribera etiam fatetur optime verti *per ſanct. ſuam*; nam & ibi Vulg. ut & Pſ. 89. *In ſancto ſuo*: ſi bene Ribera, male Vulg. Quod autem Geneb. dicit *Deum jurare per Cœlum*, quia alibi dicitur *jurare manu levata in cœlum*, futile eſt. Primò enim damnatur illa form. Math. 5. deinde Ebr. 6. dicitur *Deum per ſe jurare quia majorem non habet.*

GROTIUS.

CAnticum pſalmi reſurrectionis] Non eſt hoc in Hebræo, neque fuit in Hexaplo. Videtur Græca Eccleſia id addidiſſe.

18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*] Senſus eſt: *Si animo meo ſpectaſſem ad conſilia improba, non exaudiſſet me Dominus.* Nunc autem cùm me exaudierit, apparet omnibus me non tali fuiſſe animo. Peſſimè hoc ex loco infert Kimchi, Deum cogitationibus malis, dum actu non implcantur, non offendi: quæ ipſa eſt ſentina Phariſaiſmi, quam & Chriſtus & Paulus ſæpe repurgatum eunt.

PRICÆUS.

3. UT *cognoſcamus in terra viam tuam*] Ut cognoſcantur (nempe noſtris præconiis) in terra viæ tuæ.

5. *Judicas populos in æquitate*] Juſtitiam diligis, æquitatem videt vultus tuus, ſuprà 10. 8.

PSALM. LXVII.

MUNSTERUS.

1. ILluſtret] Horribilis eſt cæcitas noſtra niſi illuminemur radiis Divinis. Quid enim diſcimus ex libris hominum, ſi non acceſſerit cognitio ſacrorum, niſi tenebras? Nullus Philoſophus potuit oſtendere veram originem mundi, nec viam ad æternam ſalutem. Unde qui carent literis Divinis, vivunt in errore, ignorantes & Deum & ſeipſos, neſcientes qui ſint & unde ſint.

VATABLUS.

1. V*ictori in Neginoth* למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. ¶ *Pſalmus cantici* מזמור שיר] Vide Pſal. 30. ¶ *Lucere fac*, &c. יאר פניו אתנו] *Illuminet facie ſuâ nos.* Alii, *illuſtret nos* lumine *vultûs ſui.* Alii, *illuſtret inter nos* lumen *vultûs ſui.*

2. *Ut cognoſcant* לדעת] Ad verb. *ad cognoſcendum.* ¶ *Viam tuam* דרכך] Mutatio perſonæ.

3. Tunc *celebrabunt* יודוך] *Celebrent te.*

4. *Lætabuntur, & ovabunt* ישמחו וירננו] *Lætentur & exſultent*; vel, *jocundentur.*

5. *Celebrabunt* יודוך] Idem verſus cum tertio.

6. Tunc *terra dabis* ארץ נתנה] *Terra det.*

7. *Benedicet* יברכנו] *Benedicat. Benefaciat. Benignè foveat.*

CLARIUS.

FAvorem & Divini vultûs irradiationem precatur populo Iſraëlitico, ut indè Divinæ bonitatis agnitio ſpargatur per univerſum orbem; quod factum eſt Servatoris adventu.

1. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos*] Heb. *nobiſcum:* idem autem eſt quod, *illuſtret nos lumine vultûs ſui.*

6. *Terra dedit fructum ſuum*] Vel, *dabit. Tunc*, inquit, *dabit terra proventum ſuum, & benedicet nobis ampliùs adhuc Deus, Deus iſte noſter*; & exemplo noſtro invitati religiosè illum culturi ſunt *univerſi termini terræ.*

LUCAS BRUG

23. MUltorum librorum, & Ruffini ac poſteriorum Tractatorum, lectio eſt, *Convertam in profundum maris:* quam ut recitavit D. Auguſtinus, ſubjungit, *Si* convertam, *quare* in profundum maris? *In ſeipſum quippe convertit Dominus cùm ſalubriter convertit, & non eſt utique ipſe in profundo maris. An fallit fortè Latina locutio, & pro eo poſitum eſt* in profundum, quod eſt in profundo? Sic S. Auguſtinus. Fortaſſe autem fallit Latina lectio. Nonnulla MSS. antigrapha, cum Epanorthotæ libro ſcribunt *in profund'*, id quod rectè *in profundis* legas. Codex Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis, cùm antiquitate tum integritate præſtantiſſimus, diſertè ſcribit, *In profundis maris:* quo modo Græcus quidam S. Auguſtini liber (quod ipſe paulò pòſt adfert) ἐν βυθοῖς legit, atque omnes noſtri, cum Euthymio Græco Enarratore, ſimiliter ἐπιστρέψω ἐν βυθοῖς θαλάσσης. Interlinearis gloſſa quibuſdam *in profundo* legi annotat, id quod diſertè in Haymone reperio, atque idem unum eſt. Beda, *Convertam*, habet, *in profundo, ſive in profundum, maris.* Fuit olim librorum quorundam, alterius fortè editionis, lectio, *Convertar in profundum maris:* quam D. Hilarius ſecutus eſt, & Romanum Pſalterium retinuit; quam etiam Auguſtinus agnoſcit atque exponit. Huic bellè convenit *in profundum.* Hujus itaque occaſione mutatum eſt fortaſſe *in profundis* ſeu *in profundo*, quod alterius erat editionis, in *in profundum:* hoc autem, *Convertam in profundis*, ſeu *in profundo, maris*, intelligit Auguſtinus; *Convertam eos qui ſunt in profundo maris, qui in hujus ſeculi profundo jacent, demerſi pondere peccatorum.* Euthymius Monachus docet, *in profundis* exponi poſſe pro *ex profundis*; ut ſit præpoſitio pro præpo-

præpoſitione. Hoc modo exponunt Arnobius & Hieronymus: quanquam quid legerint non conſtet, *in profundo* an *de profundo*: nam *in profundum*, etſi ſic adſcriptum ſit, non videntur legiſſe. Sub finem commentariorum in Michæam *de profundo* legit Hieronymus. Caſſiodorus, ut omnem evitaret quæſtionem, Hieronymi tranſlationem, utpote dilucidiorem, ſecutum ſe fatetur; *Convertam de profundis maris*: ſic enim eſt Hebraïcè, & quidem ad verbum, *Convertam*, vel *reducam*, *de profundis maris*. Chaldæi Paraphraſis eſt, *Reducam juſtos qui ſunt ſubmerſi*, ——— *& quos devorarunt piſces* [Venet. Neb] *in profundis maris*. Ad reſurrectionem reſpexiſſe videtur.

AMAMA.

EſT hic Pſalm. ἀνεπίγραφος. Vide ad præced. Pſ. מזמור שיר] Vide ibidem.

Eſt Pſ. εὐκτικός. Rogant enim pii Iſraëlitæ ut Deus favore ſuo ipſos proſequi & benefacere pergat. Hanc petitionem proponunt verſ. 2. 7. 8. Cætera occupantis quatuor argumenta ab effectis utilibus, quæ partim ad gloriam Dei, partim ad felicitatem Gentium, id eſt, electorum ex Gentibus pertinent.

2. יָאֵר פָּנָיו] Conſtr. hic cum אֵת. Num. 6. 25. cum אֶל. *Lucere autem facere faciem ſuper aliquem* eſt *propitium ſe exhibere alicui & benevolum*, quia in facie apparet vel benevolentia vel moroſitas. R. Sal. Oſtendat nobis פנים שוחקות *vultum ridentem*, i. e. ſerenum. Ejus oppoſitum in S. L. eſt *abſcondere faciem*, *avertere oculos*. Latini pro eo dicunt *caperare frontem, corrugare, contrahere*, eique opponunt, *exporrigere*, *explicare* & *erugare frontem*.. Frons enim corrugata & erugata oppon.

3. *Viam tuam*] Via Dei variis modis accip. I. Pro *doctrinâ & præceptis*, Eſ. 23. *Docebit nos vias ſuas*. Sic, *Cuſtodire vias ejus*. Unde & pro *Religione* ponitur Act. 9. Act. 19. Act. 22. & 24. *Secundum viam iſtam quam αἵρεσιν vocant*. Atque adeò ad Religiones falſas transfertur Amos 6. *Vivit Deus tuus Dan & vivit via tua Beerſeba*. Quia verò Relligionis puritas vel impuritas comitem habet vitæ puritatem vel impuritatem, accidit ut utrumque aliquando comprehendat, Jirm. 12. & Act. 14 Paulus dicit *Deum permiſiſſe ire gentes vias ſuas*.

II. Sign. *Morem & rationem agendi vivendique*, Eſ. 10. *Et baculum ſuum elevabit ſuper te in via Ægypti*, i. e. caſtigabit te ad modum Ægyptiacum. Sic Eſ. 8. *Dominus apprehendit me manu, ne irem per viam populi hujus*.

III. Sign. *Actiones, opera, conſilia, conatus*, Pſ. 1. 2 Paral. 13. *Reliqua geſtorum Abijæ & viarum ejus*. Sic & *Dei actiones & conſilia viæ ejus* dicuntur Prov. 8. *Omnes viæ Domini clementia & veritas*. Habet & alias ſig. ſed quæ hûc applicari non poſſunt.

4. יִרַנְּנוּ] *Vitulabuntur*, Titius, *Vitulari* & *voce lætari* Græcè παιανίζειν, quod Virgil. dixit

Pæanumque Choro Pæana canentes.

Dicitur autem *vitulari* vel à *Vitula* Dea lætitiæ, vel à *vivere*, quod læta vita verè vita ſit, vel à *vitulis laſcivientibus*.

תַּנְחֵם] *Duces*, *paſces ut oves*, *minabis*, ut Ex. 3. 1. in Vulg. *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti*. Sic Jacob. 3. 4.

7. *Terra dabit fructum ſuum*,] תבוא' יבולה ſign. *proventum anni futuri*, עבור *præteriti*; à יָבַל; unde eſt שְׁנַת יוֹבֵל. Vide ad Pſ. 45. Porro quidam hoc allegoricè accipiunt, q. d. Electi inſtar terræ bonæ ferent fructum bonorum operum, unde Heb. 6. 7. *Terra imbibens ſuper ſe cadentem imbrem & generas herbam εὔθετον illis δὲ δι' οὓς γεωργεῖται μεταλαμβάνει εὐλογίας ἀπὸ τοῦ Θεοῦ· ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀδόκιμος καὶ κατάρας ἐγγύς.*

8. Ter hic repet. nomen *Elohim*, unde pro Trinitate concluderunt aliqui. Frivole. Majus eſt quod in benedictione *Sacerdotali*, quo hic alluditur, Num. 6. obſervarunt Ebræi, licet veræ forſan cauſæ inſcii. Ibi enim omnia ferè ſunt trina, 3. verſus. Tria Vau, ter repetitum Tetragr. tres voces 1. verſus. Elevatio 3. digitorum in pronuntiatione Tetragrammati. R. Iſaac aliique Cabaliſtæ reſpectum putant ad multas Script. Terniones memorabiles, hâc ſummâ occultata.

GROTIUS.

6. 7. COnfiteantur tibi populi omnes: *terra dedit fructum ſuum*] Laudant te gentes omnes, terrâ ſuum fructum dante.

PRICÆUS.

3. SIcut deficit fumus, *deficiant*] Infrà 103. 35. *Deficiant peccatores à terra, ità ut non ſint.*

4. *Juſti epulentur, & exſultent in conſpectu Dei*] Id eſt, *exſultent*, (ut 69. 5.) *& lætentur in te.*

5. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*] Ut infrà hic com. 34. qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. Nil aliud itaque his loquendi modis indicari videtur quàm dominari cum ab Ortu ad Occaſum. *Qui aſcendit*, qui habitat, qui commoratur.

6. *Patris orphanorum*, *& judicis viduarum*] Baruch. 6. 37. Vide & Pſal. 9. 19.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine*] Subaudi *brachii*. Vide 76. 16.

Ibid. *Similiter eos qui exaſperant*, *qui habitant in ſepulcris*] Et contrà, eos qui in eum contumaces fuere, eò deduxit ut in ſepulcris habitarent, h. e. morti dedit. *Exaſperant* hic præciſè, ut ſuprà 65. 7. Capulos (i. e.) ſepulcra) à mortuis inhabitari dixit & lib. 4. Apulejus noſter.

9. *Cœli diſtillaverunt à facie Dei*] In cantico Judith. 16. 18. *Montes à fundamentis movebuntur cum aquis*, *petræ ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam*. Vide & 1. 5. Nahumi. LXX. ἔσταξαν. In Gloſſario, *Diſtillat*, κατασάζει & in alio, Στάζω, *ſtillo, liquor*: ubi putem *liquo* ſcribendum. Vide ad Apuleji librum 1. pag. 6. annotata.

10. *Et infirmata eſt*, *tu verò perfeciſti eam*] Erat infirma quidem, tu verò, &c. *Perfeciſti* eſt in Græco κατηρτίσω. Gloſſarium, Καταρτίζω, *ſtruo*, *inſtruo*, *conſtruo*, *perficio*. Heſychius, ex hoc Pſalmi loco, Κατηρτίσω ἐποίησας, ἐτελείωσας· legendum puto, σερεὸν ἐποίησας, ἐτελείωσας. Idem alibi, Καταρτίσαι, &c. τελειῶσαι, σερεῶσαι.

11. *Animalia tua habitabunt in ea*] *Tua*, ut ſuprà 64. 12. *campi tui*: atque hoc jure merito; Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.

Ibid. *Paráſti in dulcedine tua pauperi*] Subaudi *eſcam*.

21. *Deus ſalvos faciendi*, *& Domini exitus mortis*] Ὁ δυνάμενος σῶσαι, καὶ ἀπολέσαι, de Eodem 4. 12. Jacobus. Neptunus apud Lucianum de navigantibus, Τὸ σώζειν αὐτοὺς, καὶ ἀπολλύναι, ἐπ' ἐμοὶ πρόσεςι.

22. *Verticem capilli perambulantium in delictis ſuis*] Subaudi, *apprehendet*, ut ii ſolent qui cui caput dempturi ſunt. Vide Judith. 13. 9.

29. *Confirma hoc*, *Deus*, *quod operatus es in nobis*] Horatius,

——— *Nil ampliùs oro*,
Majâ nate, niſi ut propria hæc mihi munera faxis.

34. *Qui aſcendit ſuper cœlum cœli*] Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, 1 Tim. 6. *In extimo mundi tergo degit*, ut loquitur Apulejus.

36. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*] In iis quæ fecit pro ſanctis (id eſt, electis) ſuis. Scriptor Sapientiæ 4. 15. *Miſericordia Dei eſt in ſanctos ſuos*, *& reſpectus in electos illius*. Vide & Pſal. 149. 9.

PSALM. LXVIII.

MUNSTERUS.

4. QUi *orbibus cœlorum inſidet*] Exponunt Hebræi ערבות pro גלגל העליון המקיף בכל ומניע כל גלגלים בתנועתו, h. e. *pro cœlo ſupremo ambiente omnia*, *& motu ſuo omnes movente ſphæras*. Et vocatur ſic quòd deſertum ſit ſtellis, ut quidam ajunt. Dicit autem Propheta *pſallendum* Domino *in* JA *nomine ejus*, hoc enim ſignificat eſſentiam ejus, quâ cuncta condidit & conſervat, cùm ſit ab היה, ſicut & יהוה. Porrò licèt Deus inhabitet ſummos cœlos, eſt tamen adhuc *pater* omnium *afflictorum*, *defenſor pupillorum & viduarum*, *& donat familiam his qui unici & abſque liberis ſunt*.

9. *Pluviam voluntariam*] Hebraïca propriè habent *pluviam munificentiarum*. Et eſt ſenſus, Tu bonis omnibus ſtuduiſti fœcundum reddere hunc agrum, populum ſcilicet tuum Iſraëliticum. Et dicit *pluviam elevabas* pro *deſuper mittebas*.

10. *In ea*] In terra promiſſa, vel, ut Hebræi exponunt, in Jeruſalem, ubi Dominus pro paupere & afflicto populo magnificam præparavit manſionem.

11. *Dominus dabat verbum*] Patet ex hoc loco, Dominum ſub David populo ſuo de hoſtibus inſignem contuliſſe victoriam, ut etiam mulieres publicis laudibus illam celebrarent. Sunt tamen qui hunc verſum ſic diſtinguunt, *Dominus dabat verbum annunciatricibus exercitûs magni*, h. e. Dominus dedit carmen mulieribus, ut prædicarent victoriam exercitûs Iſraëlitici magni.

13. *Si jacueritis inter ollas*] Senſus eſt, Vobis qui fuiſtis in magna afflictione omnia contigerunt alba, optata & felicia. Rurſus ſubnectit aliam Metaphoram de montibus, quâ felicitatem expli-

explicat populi Dei. Nam dicit *montes multos exſiliiſſe contra montem Dei*, h.e. Reges multos & potentes ſeſe extuliſſe contra montem *Baſan pinguem*, qui eſt populus Dei. Et capitur hic *gibbus montis* pro *celſitudine & robore montis.*

17. *Currus Dei*] Oſtendit quibus auxiliis freti fuerint ſancti Dei contra impios Gentiles, & quàm terribilem Deus ſeſe oſtenderit: id quod ex nomine *Sinai* colligitur.

18. *Aſcendiſti in altum*] h. e. Tu, Deus, ſuperior fuiſti hoſtibus, & inobedientes ad obedientiam coëgiſti. Aben-Ezra verò exponit de David, qui tranſcendit hoſtium fortalitia. Kimhi exponit de receſſu Dei à populo ſuo, permittens eos capi, & hoſtem habitare in loco Domini, qui eſt Jeruſalem. D. Paulus Eph.4. intelligit hunc locum de exaltatione Chriſti & de donorum Spiritûs diſtributione. In Chriſto enim veriùs Deus virtutem ſuam exſeruit, revocans eum ex mortuis & collocans ad dextram, quàm in Davide, cùm gentes deficientes & ab Iſraële alienas captas ſubjecit.

20. *Mors & exitus*] h.e. Sicut populi ſui eſt ſalvator, ità hoſtium eſt ultor.

22. *Ex Baſan*] h. e. Liberabo populum meum, ſicut olim liberavi de manu Regis Og Baſan, atque de manu Regis Ægypti in mari Rubro, quos ſic contrivi cum populis ſuis ut pedes Iſraëlis potuerint tingi in ſanguine eorum.

24. *Inceſſus tuos*] Vocat *inceſſum Dei* pompam populi in cujus medio *Deus incedebat veluti in ſacrario*, vel qui præſidebat ſacrario Arcæ. Et in hoc inceſſu *cantores præibant, & ſequebantur luſores inſtrumentorum muſicorum, & puellæ tympana pulſantes.* Aderant & *Principes* Tribuum: præſertim numeratur *Binjamin*, qui ante David *dominator* fuit in Iſraël propter Saulem. Et vocatur Binjamin *parvulus* propter populi paucitatem, quandoquidem propter ſcelus Gibeonitarum ferè deletus fuit. *Principes* autem *Jehuda* fuerunt רגמתם, i. e. *præcipua multitudo* in hoc inceſſu.

30. *Diſſipato cœtu*] Juxta interpretationem Kimhi eſt hic גער infinitivi modi: & eſt ſenſus, Cùm hoſtes *lancearii, & validi illi vituli populorum*, h.e. Principes & Rectores, ſic ſint caſtigati & repreſſi ut etiam *humiliter* veniant *afferentes fragmenta argenti*, h. e. מעות *pecuniam*, quâ ſe tributarios agnoſcunt, & Deus *diſperſerit populos qui* perpetuò populum ſuum *impugnare contenderunt*, audientes id *Æthiopes*, *venient* & ipſi *obtenſuri manus ſuas Deo.* Non autem caret locus iſte myſteriis Regni Chriſti. Exponuntur autem hic גער pro השחת, & קנה pro רכחים, & חית pro ערה, atque מתרפס pro מכניע.

31. *Celeriter exhibebit*] Heb. תריץ *faciet currere.*

33. *Dat in voce ſua vocem robuſtam*] Senſus eſt, *Terribilis eſt Deus qui inſidet cælis, in nubibus*, poteritque *fortitudo ejus* cognoſci per ſolam *vocem* tonitrui, quâ exercitum hominum multò maximum terrere poteſt, ut omnes ſuas amittant vires. Vix enim aliud eſt unde mortalibus Dei potentia æquè tremenda appareat ſicut in aëris tempeſtatibus. Quapropter Prophetæ illas ſæpe commemorant, quibus per Allegoriam deſcribunt virtutem Dei, potentem omnia ſubitò immutare.

VATABLUS.

1. *Victori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Pſalmus cantici* מזמור שיר] Vide Pſal. 30. ¶ *Exſurgat* יקום] Poſſunt hæc verti quaſi precetur David, aut potiùs optet, aut quaſi vaticinetur futuram impiorum perniciem. Meliùs tamen (ut quibuſdam placet) per præſens vertitur, *Simulatque Deus exſurgit*, nempe ut potentiam ſuam depromat.

3. Et *exſultabunt* ויעלצו] *Et exultent, tripudient.*

4. *Exaltate eum qui equitat ſuper cælos* סלו לרכב בער בות] *Elevate* viam lapidibus *equitanti in cælos.* Alii, *Tollite* offendicula de via *ei qui orbibus cælorum veluti equo inſidet.* ¶ *In Jah nomen ejus* ביה שמו] Hebraïſmus, pro *vocatur Jah; & hoc nomine celebrandus.* Quidam, *cum Jah nomen ejus.* Alii, *in Jah nomine ejus.* JAH ab היה *fuit*: quòd per eum ſint & exſiſtant omnia.

5. *Et judex* ודין] *Et vindex.* Alii, *& cauſam agit.*

6. *Habitare facit unicos in domo* מושיב יחידים ביתה] Hebraïſmus, pro, *efficit ut, qui liberis carebant, habeant amplam familiam.*

8. *Iſte Sinai* זה סיני] *Ille Sinai.* Demonſtrativum pronomen, quòd Sinai mons eſſet inclytus & nobilis. Quidam volunt eſſe relativum *Dei*, vertentes, *A facie Dei iſtius* qui in *Sinai*, *à facie*, &c.

9. *Abundantem elevabas* גרנית תניף] Ad verb. *munificentiarum* [vel *liberalitatum*, aut *voluntatum*] *ſtillare facies*: pro, *ſtillaſti*; aut, *ſtillas*, ſive *ſtillabas.* Quidam, *pluviâ liberarum voluntatum rigas, Deus, hæreditatem tuam. Pluviam munificentiarum*, ſive *liberalitatum*, aut *voluntatum*, vel *voluntariam* vocat quam voluntate ſuâ pro neceſſitate in tempore ſtillare facit copioſam & abundantem. Nonnulli, *Ex munificentia, ô Deus, pluviam deſtillabas.* ¶ *Et ſi fatigata*, &c. ונלאה אתה כוננתה] *Et defeſſam recreabas.* Alii, *& labore affectam* [vel *laborantem*] *tu confirmaſti.* Alii, *& cùm defecta eſt viribus, tu reficis eam.*

10. *Congregatio tua* חיתך] Quidam, *Pecus tuum.* Alii, *armentum tuum.* ¶ *Habitat* ישבו] Fut. Heb. ¶ *Præparas*, &c. תכין בטובתך לעני] Fut. Heb. *confirmabis* [vel *ſtabilies*] *benignitate tuâ pauperes, ô Deus.* Alii, Tu enim *præparabas in bonitate tua pro paupere, ô Deus.* Alii, *Bono tuo provides afflictis, ô Deus*: vel, *Dirigis in bonitate tua afflictum, Deus.*

11. *Earum quæ*, &c. המבשרות צבא רב] Quidam non diſtinguunt poſt ſermonem, vertentes, *dedit verbum* etiam *renunciantibus* [vel *annunciatricibus*] *magni exercitûs*: i. e. quæ prædicarent victoriam exercitûs Iſraëlitici magni.

12. *Exercitum* צבאות] Hebraïſmus, pro, *Reges ingentibus copiis inſtructi.* ¶ *Fugerunt, fugerunt* ידדון ידדון] Fut. Heb. *elongabuntur, elongabuntur.* ¶ *Et habitatrix domûs*, &c. ונות בית תחלק שלל] *Et habitatrices domûs divident ſpolia*: i.e. mulieres imbelles quæ domi habitare ſolent. Alii, *& turba domeſtica*, &c.

13. *Si dormieritis inter tripodes* אם תשכבון בין שפתים] *Etiamſi habitaveritis inter ollas*, vel, *chytropodes*, i. e. in loco in quo reponuntur ollæ & caldariæ. q. d. Etiamſi jacueritis inter vaſa plena fuliginis, i. e. etiamſi oppreſſi fueritis magnâ calamitate: candidi lætique reddemini ob liberationem. Ad verbum legitur, *Si jacueritis inter ollas*, [vel *chytropodes*] *alæ columbæ obductæ argento, & pennæ ejus in fulvore auri.* Quæ verba obſcuriora ſic quidam transferunt, *Si etiam tanquam inter ollas deſidentes, atri ſitis, jam eritis candidi, velut tecti pennis columbæ, quæ ob candorem operta videtur argento, & alas habet tanquam aurum fulvas.* Alii, *licèt ſederitis inter ollas fuliginoſi, ſicut pennæ columbæ deargentatæ facti eſtis, & cujus alæ ſunt deauratæ.*

14. *Cùm diſſipavit* בפרש] *Cùm diſpergeret.* ¶ *In ea* בה] *Propter eam.* ¶ *Alba facta eſt*, &c. תשלג בצלמון] Ad verb. *ninget in Salmon.* תשלג enim eſt verbum intranſitivum. Quod ſi tranſitivum fuerit, ת erit ſignum ſecundæ perſonæ, & vertendum, *Dealbabas*, [aut *reddebas eos candidos* [ſub. *ô Deus*] *tanquam nivem in Salmon.* Dicitur enim mons Salmon hibernis nivibus ſemper albere. Alii intranſitivè vertunt, *Albeſcebas tanquam nix*, qui antea fueras *in tenebris*: nam SALMON *tenebras* ſignificat. Illud *ninget* quidam vertunt *candeſcebat velut nix in Salmon.* Alii, *canduit in Salmon.* Alii, *nivea erat velut Salmon.*

15. *Excelſus* גבננים] Ad verb. *excelſorum*: i.e. velut unus ex altiſſimis montibus: aut, *in juga aſſurgens, & gibboſus.*

16. *Exſilitis* תרצדון] *Saltatis*: præ deſiderio ſcilicet perdendi montem quem amat Deus? Vel, laudantes voſipſos qui præ monte Dei eſtis minimi pretii? Alii, *litigatis*, vel *contenditis.* Alii, *humiliabitis*, ſive *humiliare & deprimere conabimini montem quem diligit*, &c. Nonnulli, *Quare invidetis vos*, &c. ¶ *Mons ille*, &c. ההר חמד אלהים לשבתו] Ad verb. *montem iſtum deſideravit Deus ad habitandum eum.* Quod nonnulli vertunt, *Hic eſt mons Dei in quo complacuit ei habitare.* Vel per præſens, *Mons iſte eſt in quo deſiderat Deus habitare.* Alii, *Hic mons Deo placet.*

17. *Currus* רכב] *Equitatus.* ¶ *Angelorum* שנאן] Quidam deducunt שנאן à שנה, & vertunt *duplicata.* Alii, *ſecunditatis*, i.e. millia quæ ſtatuuntur ſecundo loco: & Dominus eſt in ea ſecunda acie. ¶ *In Sanctitate* בקדש] *In Sacrario*: vel, *in Sanctuario.*

18. *Ut inhabitent*, &c. לשכן יה אלהים] *Ad habitandum: ô Jah Deus.* Alii, *ut habitet Dominus Deus*: i.e. ut oſtendat ſe habitare in Jeruſalem.

19. *Confert nobis* יעמס לנו *Portat nos: apportat*, ſive *affert nobis.* Alii, *onerat nos.*

20. *Deus, nobis*, &c. האל לנו אל למושעות וליהוה אדני למות תוצאות] *Ille Deus noſter, ſalutum* [vel *ſalvationum*] *Deus eſt, & Jehovæ Domini ſunt mortis egreſſus.* Vel, *Ipſe eſt Deus noſter, Deus cujus ſunt ſalutes: Jehovæ Domini* etiam *eſt mors* & animarum *exitus.* Alii, *Ille Deus nobiſcum, Deus auxiliorum, & Jehovæ Domini egreſſus ad mortem.*

21. *Veruntamen Deus transfiget* אך אלהים ימחץ] *Etiam Deus vulnerabit*, ſive *vulnerat.* ¶ *Verticem capilli* קדקד שער] Sing. pro plur. *verticem capillorum*, i. e. capillatum. Alii, *cæſariei.* Significat ſummam partem capitis in qua capilli dividuntur, parte unâ ad dexteram, alterâ ad ſiniſtram tendente.

22. *Ex Baſan reducam* מבשן אשיב] Quidam converſo ordine vocum, *reſtituam* meos ſicut *ex Baſan.*

23. *Ut rubeſcat* למען תמחץ] *Propterea rubebis.* ¶ Sanguine dico

dico *inimicorum* & *ipſius* מאיבים מנהו] Ad verb. *de inimicis*, *de ipſo*, ſub. *ſanguine:* q. d. De inimicorum ſanguine, de ipſo, inquam, ſanguine. Aut, *de eo*, i. e. de unoquoque ipſorum inimicorum, ut *de eo* ſit additum explicandi gratiâ: nam cùm dixiſſet *de inimicorum ſanguine*, rurſum dicit *de ſanguine*, *inquam*, *ſingulorum inimicorum.* Alii volunt eſſe relativum ſine antecedente, *de ſanguine ejus*, nempe Regis qui totius exercitûs moderator erat.

24. *Viderunt* ראו] Quidam per futurum vertunt, *Videbunt:* & ſeq. v. *praecedent.* ¶ *In Sanctitate* בקדש] *In Sanctuario*, *in Sacrario.*

25. *Praecedebant cantores*, *pòſt pulſantes muſica inſtrumenta* קדמו שרים אחר נגנים] *Praeunt cantores*, *ſequuntur canentes organis*: vel, *modulatores.* Praet. Heb.

26. *Ex vena* ממקור] *Ex fonte:* i. e. qui emanaſtis ut è fonte, *ex Jacob.* Periphraſis eſt Judaeorum.

27. *Principes Jehudah congregatio eorum* שרי יהודה רגמתם] Hebraïſmus, pro *Congregatio Principum Juda illic aderat.* Quidam, *purpurati eorum.* Alii, *Lapis eorum*, i. e. robur & fortitudo, ut etiam quidam vertunt.

28. *Praecepit Deus tuus fortitudinem tuam* צוה אלהיך עזך] Hebraïſmus, pro, *Suppeditavit tibi Deus tantum robur*, *nequid ſuperbias.* Iſraëlem alloquitur: mox convertitur ad Deum. ¶ *Robora*, &c. עזה אלהים זו פעלת לנו] *Fortitudo Deus*, *hanc operatus es nobis.* Vel, *robur iſtud*, *ô Deus*, *feciſti nobis.*

29. *A templo tuo*, &c. מהיכלך על ירושלם] Ad verbum tantùm legitur, *A templo tuo ſuper Jeruſalaim:* propterea quidam pauculis ſubauditis vertunt, *A templo tuo ſuper Jeruſalem* prodit tale auxilium: *ob id tibi offerent*, &c. *A templo tuo*, i. e. à te. Alii, *A templo tuo in Jeruſalaim* prodeat robur tuum: & *afferant tibi*, &c. quia ſcilicet hoc tibi referri debet acceptum.

30. *Diſperdidit* גער] *Increpa. Diſperde.* Alii, *Cùm diſperdideris.* ¶ *Calami* קנה] *Cannae*, *arundinis:* i. e. gentem armatam longis fuſtibus inſtar arundinis. ¶ *Taurorum* אבירים] Quidam velut exponentes vertunt *fortium*, ſive *validorum.* ¶ *Cum vitulis* בעגלי] *In vitulis*, *inter vitulos.* ¶ Quiſque eorum *conculcatus fuit cum fragmentis argenteis* מתרפס ברצי כסף] *Gloriantem in inciſionibus* [vel *fragmentis*] *argenti.* Alii, donec quiſque eorum *conculcatus ſit in fruſtis argenti:* i. e. donec calcandos ſe praebeant coram te ut dent tributum. Sive, donec dejecti, vectigaleſque facti, argenti tributa penſitent. Alii, dum *ſupplicet* quiſque *fragmentis argenti.* Quidam, *ſupplicem in tributis argenti reddendis.* Ità *conculcatum* exponunt *ſupplicem*, qui ſe veluti conculcandum praebet inimico. ¶ *Diſperſit* בזר] *Diſſipa: diſperde.* ¶ *Bella volunt* קרבות יחפצו] *Bellis delectantur:* *quibus cordi ſunt bella.* Fut. pro praeſ.

31. *Magni Principes* חשמנים] Variè transfertur haec dictio: nam pro ea quidam vertunt *munera*, alii *ſatrapas*, alii *viros magnos & duces*, alii *optimates*, alii *praeſtantiores.* Non deſunt inter Hebraeos qui exiſtiment fuiſſe nomen familiae. ¶ *Currere faciet*, &c. תריץ ידיו לאלהים] *Accelerabit*, *celeriter protendet*, *celeriter exhibebit:* *curret manibus ſuis ad Deum.* Hebraïſmus eſt, pro, *promptè offeret munera Deo teſtando obedientiam ſuam.* Dixit de manibus (ait quidam inter Hebraeos doctus) *currere faciet*, quod eſt proprium pedum, eò quòd manus munera ferant.

32. *Selah* סלה] Vide Pſal. 3. 3.

33. *Equitanti ſuper caelos caelorum antiquitatis* לרכב בשמי שמי קדם] *Inſidenti caelis caelorum ab initio:* i. e. in extremo caelorum ſempiternorum. Hebraïſmus eſt pro *regente caelum ampliſſimum quod tale ab initio durat.* ¶ *Edit* יתן] Fut. Heb. pro praeſ. Eſt autem Hebraïſmus, dat in voce ſua vocem robuſtam, vel, praevalidam. *Vocem Jehovae* vocat tonitru.

34. *Date fortitudinem Deo* תנו עז לאלהים] i. e. Date laudem fortitudinis. Hebraiſmus, pro, *Referte Deo omnes acceptas vires:* vel, *Laudate Deum à potentia.* ¶ *Magnificentia ejus* גאותו] *Splendor ejus.* ¶ *In caelis* בשחקים] *In nubibus.*

35. *A ſanctuariis tuis* ממקדשך] *A ſacrariis tuis:* i. e. propter gloriam quae habitabant in Sanctuario tuo. Unum erat Sanctuarium: plurali autem numero utitur, quòd Templum conſtaret tribus partibus, quarum prima vocabatur אולם *porticus*, altera היכל *templum externum*, tertia דביר *oraculum*, *adytum*, pars templi interior. Ità Hebraei. *Terribilis igitur à ſanctuariis tuis*, i. e. à templo tuo, h. e. propter opera quae proficiſcuntur à te habitante in templo tuo.

CASTALIO.

1. QUoniam carmen hoc obſcurum eſt, id pluribus explicabimus, ſic tamen ut nihil affirmantes judicium aliis relinquamus. Moſes proficiſcente Arcâ oraculi ſolebat ità praefari, *Exſurge*, *Jova*, *& diſſipentur hoſtes tui*, &c. A quibus verbis cùm David carmen hoc exordiatur, intelligendum eſt, in hoc illius declarationem contineri. Sed hoc intelligi non poteſt niſi ſciamus eum qui & illic & hic *Jova*, & *Angelus*, & *Deus*, & *Dominus* appellatur, eſſe Chriſtum, ut in Exod. c. 2. declaravimus. Certè hoc ignorato, neceſſe eſt in praecipuis Chriſtianae diſciplinae locis hallucinari. Igitur carmen hoc ità declarabimus, *Exſurget Deus*, Chriſtus, idem qui Moſis tempore ducebat Iſraëlitas: cùm veniet in terras, & victis ſuâ vitâ & diſciplinâ atque reſurrectione hoſtibus, diabolo, ejuſque ſervis improbis, bonos perducet ad felicitatem. Hoc eſt totius carminis argumentum. Deinde jubet hujus rei gloriam ad Deum Chriſti Patrem referri, cujus mandato Filius ea facturus ſit, qui Pater Filio ſuo nomen ſuum *Jovam*, & porrò poteſtatem accommodaverit. Hoc enim eſt quod dicit, *cujus nomen eſt in Jova*, h. e. cujus Dei nomine praeditus eſt Chriſtus, ut eſt Exod. 23 ubi Deus ſic populum alloquitur, *Ego ſum tibi praemiſſurus Angelum*, *qui te tuetur in itinere*, *& perducat in locum à me praeparatum. Ab hoc tibi caveto: huic pareto: hunc nè irritato: neque enim ignoſcet criminibus veſtris: quoniam meo nomine praeditus erit.* Vides eum *Angelum* Chriſtum eſſe, qui idem cum Jova nomen habeat; cui *Deus nomen dedit quod eſt ſupra omne nomen:* ut bene dixiſſe videatur qui oſtendit JESU nomen à JOVA eſſe deductum. Ergò hujus ſalutis nobis per Chriſtum partae laudem Deo tribuit, qui caeleſtem ſacramque domum incolens humiles evehit & ſuperbos deprimit. Mox totum argumentum fuſiùs repetit, hunc in modum; Quemadmodum tu, Deus, Iſraëlitas ex Aegypto eductos collocaſti in promiſſa terra, ſuperatis eorum hoſtibus, ſic Chriſtus eſt veros Iſraëlitas in Regnum caeleſte intromiſſurus, cujus Regni terra illa Chananaea umbra quaedam fuit. Chriſtus, inquam, Dominus *ſuppeditabit argumentum faeminis magni exercitûs nunciis:* h. e. Morte devictâ reviviſcet, & ſeſe mulieribus oſtendet, quae ejus reſurrectionem Diſcipulis (qui *magnus* vocatur *exercitus*) nunciabunt: qui nuncius erit laetiſſimus; quippe victis Morte, Diabolo, Mundo, & hominis pravâ Naturâ, tanquam quibuſdam militiae ducibus; & ità victis ut domi reſides & imbelles Chriſti diſcipuli de eis per Chriſtum triumphent. Itaque *etiamſi jacueritis inter atra ahena*, ô diſcipuli Chriſti, quamvis mortuo Chriſto ſqualore & moerore deformati fueritis, deinceps jam eo vivente nitebitis; & *ea*, ſcilicet terra, h. e. Eccleſia, deinceps *erit nive candidior.* Vocat autem Eccleſiam *montem Dei*, *in quo Jova* Chriſtus *ſit ſemper habitaturus*, multas habens copias (hoc eſt enim quod dicit, *non ſemel decem millia*, h. e. multa decem millia: ut Latinè *Non ſemel* pro *ſaepe* dicimus, & ut Pſal. 62. *bis* pro *non ſemel*, h. e. pro *ſaepe*, poſitum eſt, *inter quas* copias *eſt ipſe in ſacro ſuo loco*, qui idem in monte *Sinai* Legem dederat. Deinde ſermonem ad Chriſtum convertit; Tu, inquit, devictâ Morte *aſcendis in caelum*, tuos *abducens* qui fuerant *captivi* (nam multi cum Chriſto revixerunt) & indè *donis fungeris*, mittens ſcilicet Apoſtolos & caeteros Eccleſiae Magiſtros, idque *inter homines ei rei repugnantes*; quorum magiſtrorum operâ fiat *ut* Chriſtus agnoſcatur, *Deuſque* colatur. *Laudetur* igitur *Dominus* Chriſti Pater, *noſtrae ſalutis autor*, dum *Jovae Domino Deus eſt ad mortis exitum*; h. e. dum Chriſtum Jovam & Dominum in vitam revocat. Legitur autem hic למות תוצאות pro המות לתצאות, ſicut Eſa. 58. משבת pro משבת השבת, & Amos 5. ולא יודעי נהי pro ומכפר אל יודעי נהי. *Sanè Deus caput truncabit hoſtium ejus*, ſcilicet Chriſti: h. e. ſubiget improbos: nam ità promittit, *Retraham* & liberabo *Dominum*, ſcilicet Chriſtum, ex morte & capitali periculo; quale poſſet eſſe ab Ogo *Baſanae* Rege, aut in *mari* Rubro: *ità ut tuos pedes* (perſonae mutatio eſt) *in hoſtium ſanguine laves*, Chriſte, *& tui canes eum lingant*, h. e. ut plenam aſſequare victoriam, atque ità triumphes, magno cum carminum & laudum apparatu. *Collaudate Deum ex fonte Iſraëlis*, h. e. Iſraëlitae: quod Graecè ſignificantius dici poteſt *οἱ ἐκ τῆς πηγῆς*, & Gallicè *ceux de la fontain:* (ut Pſal. 148. *Laudate Jovam de caelis*, h. e. caeleſtia) *praecipuè Benjamitae & Zabulonii atque Nephthalenſes*, apud quos ſcientiâ praeſtantes, Chriſtus in primis innotuit: de qua re plura in Eſa. 9. *Deus conſtituit tuam*, Chriſte, *potentiam:* quam opto ut *nobis confirmet*, ut caeterae gentes ad Chriſtum accedant: hoc eſt enim *munera afferre Hieroſolymam.* Perde *rempublicam eorum* qui caeteras nationes turbant ut *tauri vitulos*, *demerſam in argenti ſegmentis:* h. e. avaram & habendi cupiditate bella gerentem: h. e. Dele, Chriſte, Regnum Romanorum; ut cum à caeteris gentibus, tum ab *Aegyptiis* & *Aethiopibus* agnoſcaris. Nam Romano Imperio ſuccedit Chriſti Regnum, ut videre licet in ſtatua illa à Nabuchodonoſore in ſomnis viſa apud Danielem, quam delapſus Lapis perfringit. Quod hic dicitur *Aethiopia Deo manus ſuas curret*, h. e. curſim praebebit: ut illud Virgilii,

Talia

· *Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis.*
h. e. Talia ſecla properate aut properè afferte. Igitur *cantate Deum*, qui, quamvis *in cœlo ſit*, habet tamen terrarum tantam curam ut efficaciſſimam Euangelii *vocem* ſit ad homines miſſurus, quò ad ſalutem vocentur cùm cæteri, tum vel in primis Judæi.

CLARIUS.

Videtur compoſitus Pſalmus ob inſignem illam victoriam de Allophylis, in quo verbis planè heroicis Dei in ſuum populum & ſanctam civitatem bonitatem prædicat; apertè ſimul Chriſti Regno in his delineato, cui nimirum totum orbem nomen daturum prævidit. Quare & laudem Domino canere univerſos hortatur.

1. *Exſurgat Deus*] Alludit ad Moſis dictum. Cùm enim Arca in deſerto transferebatur, legimus dixiſſe Moſen, *Surge, Domine, & diſſipentur inimici tui*, &c. Num. 10.

4. *Qui aſcendit ſuper cælos*] *Qui orbibus cælorum velut equo inſidet.* Vel, *qui pro vehiculo utitur nubibus.* Hieron. *Aſcendenti per deſerta.* Et vocant Hebræi *deſertum* ſupremum cœlum ambiens omnia & motu ſuo omnes movens ſphæras, quòd deſertum ſit ſtellis, ut quidam volunt; vel quòd melius ſit & dignius inferioribus ſphæris: nam verbum unde ea dictio ſumitur plura habet ſignificata. ¶ *Dominus nomen illi*] Alii verterunt, *in JA nomen ejus*: quam vocem ſignificare volunt naturam ejus, quâ cuncta condidit & conſervat, q. d. *Proprium nomen ejus eſt Servator Deus.* Porrò licèt Deus inhabitet ſummos cœlos, eſt tamen adhuc *Pater omnium afflictorum*, *defenſor pupillorum & viduarum*, *& donat familiam iis qui unici & abſque liberis ſunt.* Ut *domus* accipiatur pro *familia*.

8. *Terra mota eſt*] Memorat miracula in deſerto & monte *Sinai* declarata, quibus potentia Dei apparuit.

9. *Pluviam voluntariam*] Suſceperat Deus hunc populum tanquam agrum hæreditarium excolendum: ait ergò, Tu modis omnibus ſtuduiſti fœcundum reddere hunc agrum, populum ſcilicet Iſraeliticum; & hæreditatem tuam, licèt afflictam, tu ſtabilies.

10. *Animalia tua*] Alius vertit, *Cœtus tuus habitabit in ea*, h. e. terrâ Promiſſâ, vel, ut Hebræi exponunt, in Hieruſalem, ubi Dominus *pro paupere*, & afflicto populo magnificam *præparavit* manſionem.

11. *Dominus dabit verbum euangelizantibus*] Vel, *annunciatricibus*; quales illæ fuerunt quæ canebant, *Saul percuſſit mille, & David decem millia:* ait ergò, Dominus ſuppeditabit efficacem ſermonem annunciatricibus potentiæ illius admirabilis & maximæ. Poteſt & ſic dici, *Dominus dabat verbum*, h. e. occaſionem loquendi, *& annunciatricum exercitus erat magnus.*

12. *Reges exercituum*] Fortaſſe illud eſt quod legimus 2 Reg. 12. ¶ *Fideles domus*, &c.] Alius vertit, *quæ ſedit domi diviſit prædam.*

13. *Si dormiatis inter nigras ollas*] Si hucuſque inter fuligine obductas ollas jacuiſtis, & tam atri quàm carbo facti eſtis, eritis poſthac tam candidi quàm *alæ* alicujus *columbæ*, etiamſi *argento exornata* fuerit, *& pennæ illius* eleganter admixtum habeant *auri pallorem.*

14. *Dum diſpergit Cæleſtis Reges*] Alius vertit, *Cùm diſſiparet Omnipotens propter eam Reges, candeſcebat veluti nix in Selmon.* Hic mons propè Jordanem ſitus nive præ aliis ſolet albere. Alii afferunt hunc ſenſum, *Cum diſtribueris, ô Omnipotens, per varias provincias qui regant eam, tum candidiorem reddes eam nive, quæ hucuſque verſata eſt in obſcuro.*

15. *Mons Dei mons Baſan*] Loquitur Metaphoricôs. Baſan regio, in quâ Og unus ex gigantibus reliquis regnaverat, præpinguis erat, ut legimus Num. 32. Vocat ergò Jeruſalem *montem Baſan*, intelligens, *præpinguem & celſum.*

16. *Ut quid invidetis?*] Quidam vertunt, *Quid exſilitis?* Dicit *montes multos exſiliiſſe contra montem Dei*, h. e. Reges multos & potentes invidiſſe, & ſeſe extuliſſe contra montem hunc, videlicet populum Dei.

17. *Currus Dei*] Oſtendit quibus auxiliis freti ſint ſancti Dei contra impios Gentiles, & quàm terribilem ſeſe Deus oſtenderit. *Equitatus*, inquit, *Dei centenorum eſt millium, habet & Angelorum millia, quibus comitatus, nunc huic monti adeſt Dominus, ſicut olim Sinai cum ſanctimonia.* Nam illud, *Decem millibus multiplex*, &c. in Hebræo eſt, *viginti millia, millia Angelorum.*

18. *Aſcendiſti in altum*] h. e. Superior tui fuiſti hoſtibus, & inobedientes ad obedientiam coëgiſti. D. Paulus Eph. 4. intelligit hunc locum de exaltatione Chriſti & donorum Spiritûs diſtributione. Ubi obſervare poſſumus, quàm multa deliteſcant loca alia quæ ad Chriſtum pertinent, atque in media hiſtoriæ narratione ad ipſum referuntur. Interpretemur ergò hunc locum juxta ſenſum Pauli, *Aſcendiſti in altum*, aſſeruiſti eos tibi qui olim à Diabolo captivi detinebantur, acquiſiviſti varia *dona* poſteris Adæ, quin & *rebelles* plurimos & Dei penitus ignaros in gratiam recepiſti (hoc enim eſt quod ait, *etiam non credentes*, &c.) ut verè dici nunc poſſit, *habitare inter homines ſervatorem Deum.*

20. *Domini exitus mortis*] In ejus poteſtate eſt quemcunque voluerit à morte eripere.

21. *Verticem capilli*] Findet Dominus caput ejus qui perdurat in peccatis ſuis obſtinatus.

22. *Ex Baſan convertam*] h. e. Liberabo populum meum ſicut olim liberavi de manu Og Regis Baſan, atque de manu Regis Ægypti in mari Rubro: quos ſic contrivi cum populis ſuis ut *pedes* Iſraëlis *potuerint tingi in ſanguine* eorum, & *lingua canum* ſanguinem *inimicorum* lamberet ab ipſo Domino interfectorum.

24. *Viderunt ingreſſus tuos*] Viderunt pii hos ſucceſſus, & agnoverunt eos eſſe abs te, qui Deus meus es inſigni ſanctimoniâ præditus. Alii *inceſſus Dei* intelligunt pompam populi *in cujus medio Deus incedebat veluti in ſacrario*, vel qui præſidebat *ſacrario* Arcæ. Et in hoc inceſſu *cantores præibant*, *& ſequebantur luſores inſtrumentorum muſicorum*, *& puellæ tympana pulſantes.* Aderant & Principes Tribuum: præſertim numeratur *Benjamin*, qui ante David *dominator* fuit in Iſraël propter Saulem. Et vocatur Benjamin *adoleſcentulus*, vel *parvulus*, propter populi paucitatem, cujus cauſam habes Jud. 20.

26. *De fontibus Iſraël*] Intellige, qui emanaverunt veluti è fonte Iſraëlis.

27. *In mentis exceſſu*] Vel, *ſopore corripitur.* Alius vertit *dominator eorum.*

28. *Mandat Deus*] *Conſtituit Deus tuus robur addere tibi:* quare perge, quæſumus, *confirmare hoc*, *Deus*, *quod cœpiſti in nobis.*

29. *A templo tuo*] Quidam ſic exponit, *A templo tuo in Jeruſalem prodeat robur tuum*, *& afferent tibi Reges munera.* Vel ſic, *Aliter longè & magnificentius quàm olim in templo Jeroſolymitano offerent tibi munera Reges*: ut hoc ad tempus adventûs Chriſti pertineat.

30. *Increpa cœtum lanceæ*] Senſus eſt, Cùm hoſtes *lancearii & validi illi vituli populorum*, h. e. Principes & Rectores, ſic ſint caſtigati & repreſſi, ut etiam *humiliter* veniant *afferentes fragmenta argenti*, *pro tributo*, *& Deus diſperſerit populos qui perpetuò populum ſuum impugnare contenderunt*; audientes id *Æthiopes venient & ipſi obtenſuri manus ſuas Deo.* Nam Æthiopia contermina Ægypto religionis & innocentiæ jam olim ſtudioſiſſima (Unde & Homerus Æthiopas ἀμύμονας vocavit) edocta Deum ab exſulantibus apud ſe Judæis, veram religionem magno ardore coluit. De quo præclarè Eſa. 18. & 48. Item Soph. 3. Ex hac regione Eunuchum Reginæ Candaces veniſſe Jeruſalem habes in Actis.

33. *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*] Senſus eſt, *Terribilis eſt Deus qui inſidet cælis, in nubibus*, poteritque *fortitudo ejus* agnoſci per ſolam *vocem* tonitrui, qua exercitum hominum multò maximum terrere poteſt, ut omnes ſuas amittant vires. Vix enim aliud eſt unde mortalibus Dei potentia æquè tremenda appareat ſicut in aëris tempeſtatibus. Quapropter Prophetæ illas ſæpe commemorant, quibus per Allegoriam deſcribunt virtutem Dei, quæ poſſit omnia ſubitò immutare.

34. *Date gloriam Deo*] Quidam ſic diſtinguunt, *ſuper Iſraël magnificentia ejus*: ubi obſervatur *Iſraëlis* cum *cœlis* conjunctio. Verus Iſraël verum Regnum Dei eſt, Regnumque cœlorum, in quo præclariùs quàm in iſtis viſibilibus cœlis virtutem & bonitatem ſuam exſerit.

35. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*] Vel *de ſanctuario ſuo*, ſive *de ſacrariis ſuis.*

DRUSIUS.

2. רְשָׁעִים. ἄλλοι, ἀσεβεῖς, *impii.*

4. סֹלּוּ לָרֹכֵב בָּעֲרָבוֹת. Sym. κατασκευάσατε τῷ ἐποχουμένῳ ἐν τῇ ἀοικήτῳ, *ſternite viam ei qui vehitur in terra inculta.* A. ἀποσκολοπίσατε, *palos figite*] Ἐν τῇ ἀοικήτῳ. *Araba* Sym. interdum *campeſtrem*, interdum * *inhabitabilem* transfert. Aq. *planam*, i. e. ὁμαλὴν, *hanc habens conſuetudinem*, inquit Euſebius, *ut eremum propter planitiem* ὁμαλὴν, i. e. *Æqualem*, *interpretetur & Planam.* Joſ. 3. 16. יָם הָעֲרָבָה. S. τῆς ἀοικήτου. 15. 16. בֵּית הָעֲרָבָה. Idem, *in locis quæ juxta inhabitabilem ſunt.* ¶ בְּיָה שְׁמוֹ. Sym. διὰ τοῦ Ἰὰ ὀνομασία αὐτοῦ. V. ed. ἐν τῷ Ἰὰ, *in Jah.*

5. יָה

5. בִּמְעוֹן קָדְשׁוֹ. A. *ἐν βασιλείοις ἁγίοις αὐτοῦ.* Sym. *ἐν ἡγιασμένῳ κατοικητηρίῳ αὐτοῦ.*

6. מוֹשִׁיב יְחִידִים בַּיְתָה. A. *καθίζει μονογενεῖς ἐν οἴκῳ, collocat unigenitos in domo.* Sym. *δίδωσι μοναχοῖς οἰκεῖν οἰκίαν.* V. ed. *κατοικίζει μονοζώους ἐν οἴκῳ*] In Comment. Hieron. *Dominus inhabitare facit monachos in domo.* Euthymius ad h. l. *Sym. pro hominibus quos unius moris eſſe dixit Propheta ſeu unanimes*, Monachos *reddidit, quaſi ab omni mundano negotio prorſus ſegregatos ac ſolitarios.* Gen. 22. 2. את יחידך. Sym. *τὸν μόνον σου.* A. *τὸν μοναχόν*, i. e. *ſolitarium*, ſive *unicum*, Interprete Hieron. Alibi eſt *τὸν μονογενῆ.* Μονοζώους. Legitur & *μονοζώνους, unicam zonam habentes.* ¶ סוֹרְרִים שָׁכְנוּ צְחִיחָה. A. *οἱ ἀφιστάμενοι ἐσκήνωσαν λεοπετρίαν.* Sym. *οἱ δὲ ἀπειθεῖς κατοικήσουσι καύσωνος ξηρότητα.* Th. *ἐκκλίνοντες* ——] *Λεοπετρίαν, lævem petram.* In Suida *λεωπετρια.* Dicitur & *λεωπέτρα.*

7. אֱלֹהִים בְּצֵאתְךָ לִפְנֵי עַמֶּךָ. Sym. *Ὁ Θεός, προερχομένου σου πρὸ τοῦ λαοῦ σου*] Apud Interp. *Deus cùm præcederet populum ſuum & ambularet per terram incultam.* ¶ יְשִׁימוֹן. *Terra inculta.* 1 Sam. 23. 19. A. *diſſipatam.* S. *deſertam.* Gloſſæ veteres, Isimon, *deſertus.* Beth Aisimoth, *domus deſerta.* Obiter hîc emendabo Hieronymum. In libro De locis, *Iſimoth, ubi abſconditus fuit David:* lego, *Iſimon.* Nam *Iſimoth* aliud eſt, ut liquet ex Joſ. 12. 3.

8. אֶרֶץ רָעָשָׁה אַף־שָׁמַיִם נָטְפוּ. Sym. *Terra concuſſa eſt, etiam cælum ſtillavit.*

9. וְנִלְאָה אַתָּה כוֹנַנְתָּהּ. A. *tu fundaſti eam quæ laborabat.* S. *quam effeciſti & fundaſti.*

11. אֲדֹנָי יִתֶּן־אֹמֶר הַמְבַשְּׂרוֹת צָבָא רָב. Sym. *Κύριος ἔδωκε ῥήσεις,* * *τοῖς εὐαγγελιζομένοις στρατιᾷ πολλῇ, Dominus dedit verba, euangelizantibus multo exercitu*] Forte *ταῖς εὐαγγελιζομέναις.*

12. מַלְכֵי צְבָאוֹת יִדֹּדוּן יִדֹּדוּן וּנְוַת בַּיִת תְּחַלֵּק שָׁלָל. Idem, *Βασιλεῖς τῶν στρατιωτῶν ἠγαπήθησαν, ἀγαπητοὶ ἐγένοντο, καὶ ἡ δίαιτα τοῦ οἴκου διανεμεῖ λάφυρα, Reges militum dilecti fuerunt, amabiles facti ſunt, & regimen domûs diſtribuet ſpolia*] Eſt cur malim *στρατιῶν,* ἢ *στρατευμάτων*, i. e. *copiarum*, ſive *exercituum.*

14. בְּצַלְמוֹן. Th. *ἐν σκιᾷ, in umbra.*

16. לָמָּה תְּרַצְּדוּן הָרִים גַּבְנֻנִּים. A. *Εἰς τί ἐρίζετε, ὄρη ὀφρυωμένα;* Sym. *ἱνατί περισκυδάζετε;*] Interpres Theodoreti, A. *Cur æmulamini editos montes?* & mox, ¶ הָהָר חָמַד אֱלֹהִים לְשִׁבְתּוֹ. A. *mons quem deſideravit Deus ut ibi ſeipſum collocaret.*

18. וְאַף סוֹרְרִים לִשְׁכֹּן. A. *καίπερ ἀπειθεῖς τοῦ κατασκηνῶσαι*] Interpres Theodoreti, *Utique non credentes ut in ipſis habitares.*

21. קָדְקֹד שֵׂעָר מִתְהַלֵּךְ בַּאֲשָׁמָיו. S. *κορυφὴν ἔντριχον, ἀναστρεφομένην ἐν ταῖς πλημμελείαις αὐτῆς.*

22. אָמַר אֲדֹנָי מִבָּשָׁן אָשִׁיב אָשִׁיב מִמְּצֻלוֹת יָם. Sym. *Dixit Dominus, Ex Baſan convertam, convertam à profundis maris.*

23. לְמַעַן תִּמְחַץ רַגְלְךָ בְּדָם לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ מֵאֹיְבִים מִנֵּהוּ. Idem, *Ὅπως ἂν συγκατεάξῃ ὁ ποῦς σου μετὰ αἵματος, καὶ λάψῃ γλῶσσα τῶν κυνῶν σου ἀπὸ ἑκάστου τῶν ἐχθρῶν σου, Ut frangatur pes tuus cum ſanguine, & lambat cruorem lingua canum tuorum ab unoquoque inimicorum tuorum.*

24. רָאוּ הֲלִיכוֹתֶיךָ אֱלֹהִים. *Ἐθεώρησαν τὰς πορείας σου, Θεός, Viderunt itinera tua, Deus*] Sic & Lxx. Vide Hieron. epiſt. quæ ad Suniam ſcripta; Suniam dico & Fretelam.

25. אַחַר נֹגְנִים. S. *ἀκόλουθα ταῖς μελῳδοῖς.*

27. שָׁם בִּנְיָמִן צָעִיר רֹדֵם. A. *Ibi Benjamin parvus imperans ipſis.* Th. —— *præceptor eorum.* In edit. Rom. *νεώτερος κρατῶν αὐτῶν*] *Præceptor eorum, παιδευτὴς αὐτῶν.*

28. צִוָּה אֱלֹהֶיךָ עֻזֶּךָ עוּזָּה אֱלֹהִים זוּ פָּעַלְתָּ לָּנוּ. Sym. *Πρόσταξον, ὁ Θεός, περὶ ἰσχύος σου· ἐνίσχυσον, ὁ Θεός, τοῦτο ὃ ἐποίησας ἡμῖν, Impera, Deus, de fortitudine tua; corrobora, Deus, iſtud quod feciſti nobis*] *Impera:* legit צַוֵּה pro צִוָּה, ut & P. Chaldæus.

29. מֵהֵיכָלֶךָ עַל־יְרוּשָׁלָםִ. Sym. *Διὰ τὸν ναόν σου ἐπάνω τῆς Ἱερουσαλήμ, Per templum tuum quod eſt ſuper Jeruſalem.*

30. עֲדַת אַבִּירִים בְּעֶגְלֵי עַמִּים מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי־כָסֶף בִּזַּר. Sym. *συνόδῳ παμμεγεθῶν μετὰ συστροφῶν λαῶν τοῖς διαλεκτίζουσι τοὺς εὐδοκίμους ὡς ἀδόκιμον ἀργύριον*] Εὐδοκίμους in alio codice eſt *εὐδοκητούς.*

A M A M A.

OCcaſionem huic Pſalmo ſcribendo præbuit deductio Arcæ in civitatem Davidis; Alii, referente Ab. putant intelligendum de datione Legis; alii de victoriâ quam obtinuit adverſus incircumciſos, i. e. Philiſthæos, alioſque.

Eſt partim *ἐπαινετικός*, partim *εὐκτικός*, partim *προφητικός.* Sed hæc Theologis relinquamus.

Deſumptus eſt ex Num. 10. 37. quando proficiſcebatur arca fœderis, quem locum ab hypotheſi transfert ad theſin & rurſus *θέσιν* ad *ὑπόθεσιν* & exempla ſpecialia ſuarum victoriarum; & ad ſuam deductionem arcæ transfert.

Hiſtoria hujus deductionis extat 2 Sam. 6. & 1. Chron. 13.

יָקוּם] *Surget* vel *ſurgat*, vel *ſtet.* Ex ſeq. apparet hæc eſſe narrantis, vel laudantis, non optantis. Sic Aben. ad Num. 10. *Sta Domine, more hominum qui ſtant ad pugnandum.* Stare enim aliquando ſign. pugnare quod Eurip. dixit *πρὸς ἀσπίδα στῆναι.*

R. D. כל לשון כלל הוא לשון הגבהה ור וסבורת.

4. כשמחה יִשְׂמְחוּ R. D. הכפל לְרוֹב הַשִּׂמְחָה

5. *Elevate* vel *attollite*, ſc. *viam equitanti in deſertis.* Jun. *Extollite inſidentem amœnitatibus.* Piſc. in Germ. *Im gefilde*, intelligens terras per quas Moſes duxit populum. Alii, *Extollite equitantem in campeſtribus*, i. e. Cœlis qui latè patent inſtar campeſtrium. Alii, qui inequitat ſphæræ nonæ vel primo mobili, quod ita dicatur quia *ἀνάστρον* & ſtellis vacuum eſt, quæ cæteros orbes ſuo motu circumducit; ut ita explicetur locus hic à verſu 34. Maimonides accipit de *Cœlo ſupremo*, ubi amœnitas & ſuavitas perfectiſſima עָרֵב jucundus.

Equitare hîc eſt *dominari*, ut Pſ. 66. Pſ. 45. Deut. 33. *Vector cælorum*, i. e. gubernator c. in auxilio tuo. Eſ. 58. 15. והרכבתך על במתי ארץ Lxx. *Ὁδοποιήσατε τῷ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ δυσμῶν.* Symm. *κατασρώσατε τῷ ἐποχουμένῳ ἐν τῇ ἀοικήτῳ, Sternite viam ei qui vehitur in terra incultâ* ערבה itaque, *planitiem, deſertum* & *cælum* ſignif.

סלו] Dicitur proprie *de exaltatione viæ*, ſed *de exaltatione laudis*, Prov. 4. 8. סלסלה ותרוממך.

De nomine ejus J A H canite] De natura ejus ſempiterna per ſe exiſtente & quæ dat aliis eſſe. Lxx. *κύριος ὄνομα αὐτῷ.* Sym. *διὰ τοῦ Ἰὰ ὀνομασίᾳ αὐτοῦ.* V. Edit. *ἐν τῷ* ἸΑΗ. Symm. הללויה *αἰνεῖτε τὸ ὄν.* Sic Ariſtot. Deum vocavit *ὂν τῶν ὄντων.* Et Sap. 13. 1. *Vani quidem omnes homines naturâ, οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα.*

7. יְחִידִים] Aq. Μονοζώους. Gen. 22. 2.

12. *Sermonem*] Id eſt, materiam ſermonis, i. e. victorias. Pergit comm. beneficia à Deo in pop. Iſraël. collata. Hoc autem verſu & ſeq. tradit beneficium de victoria.

הַמְבַשְּׂרוֹת צָבָא רָב] *Annunciantes (quod attinet) earum magnus (erat) exercitus.* Vel, *Quæ annunciabant*, ſc. victoriam, *in exercitu magno dicebant* &c. Sic Jun. Græci, *Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς ἐν ἀγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ.* Sic & Vulg. *virtute multa.* Sic & Symm. niſi quod pro *δυνάμει* habeat *στρατιᾷ.*

Duo ex multis hic notanda.

I. Vocem hanc ferè ſemper ab Interp. reddi per *εὐαγγελίζομαι*, & nomen בְּשׂוֹרָה per *εὐαγγέλιον.* Signif. enim ſemper *lætum nuncium*, excepto uno loco 1 Sam. 4. 17. *Et dixit* מְבַשֵּׂר *qui nunciabat τῷ Eli cædem Iſraël, victoriam Philiſthæorum & cædem utriuſque ejus filii.* 2 Sam. 4. 10. ſignif. *lætum nuncium.*

II. Nomen hinc deductum בשורה non tantum ſign. *bonum nuntium*, ſed & *præmium læti nuntii*, ut *εὐαγγέλιον* apud Græcos & *Euangelium* apud Latinos, Cicer. ut apud Hom. *Δὸς μοὶ εὐαγγέλιον* 2 Sam. 4. 10. *Ut darem ipſi* בשורה, Lxx. *εὐαγγέλια.* 2 Sam. 18. 23. dicit Joab ad Alhimaatz: *Cur tu curris cum tibi non ſit futura* בְּשׂוֹרָה

Sic *τὰ μαντεῖα.* Num. 22. *ἰατρεῖον.* Ch. מְצָאָה בְּבְשׂוֹרְתָהּ

III. Conſuetudinem hanc. Mulieres & puellæ ſolebant victorias Principum cantibus & choris celebrare, ut 1 Sam. 18. 6.

13. *Exercituum*] Hoſtilium, fugerunt, fugerunt. Epizeuxis ad indicandam lætitiam loquentis. Ab. יברחו

Et Habitatrix domus] Ab. הקהלה הנשארה בירושל׳ שלא יצאה למלחמה תחלק שלל אף כי הקהלה היוצאה

Fugiunt, fugiunt] Epizeuxis, vel ad indicandam lætitiam loquentis, vel magnitudinem conſternationis & ſummum conatum evadendi. Deut. 28. 7. *Unâ viâ venient* עליך *& per 7. fugient* מפניך.

Habitatrix] Periph. poëtica mulieris honeſtæ. Sic contra זוֹנָה meretricem vocant Ebræi נפקי ברא quod pedes ejus rarò ſint domi ut ait Salomo. *οἰκουρός* qualis matrona indicatur in Hierogl. per Deam inſidentem teſtudini quæ domiporta vocatur.

שָׁלָל] Hic ſignificat *ſpolia* quæ hoſti victo eripiuntur vel detrahuntur, alibi tamen ſignificat *quævis bona, πάντα ἐπιτήδεια πρὸς τὸν βίον.* Eſth. 3. *Datur Hamani copia* לְבוֹן שְׁלָלָם Lxx. *τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν.* Et cap. 8. ubi Lxx. *κτῆμα* non *σκῦλα.* Sic Luc. 11. 12. Pro. 31. 11. *Spoliis non indigebit.*

Lxx. Vulg. Belg. hic admodum exorbitant. Sic enim illi *βασιλεὺς δυναμέων τοῦ ἀγαπητοῦ ἀγαπητοῦ καὶ τῇ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελέσθαι τὰ σκῦλα.* Vulg. *Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus dividere ſpolia*, ſc. dabit. Hæc non Sp. S. oracula ſunt, ſed potius Sphyngis ænigmata ex quibus ſe nullus OEdipus extricet. Genebr. quidem & Bellarm. ſudant ut ſenſum aliquem hinc eruant, ſed admodum infeliciter. Sed illi opinantur ſatis à ſe defenſam Vulg. ſi verbis aliquam ſententiam modo non ſit impia aut hæretica, aſſignârint, nulla habitâ fontium quaſi fide-

lis Interpretis non ſit primò videre quid textus orig. ferre queat.

Ajunt י in מלכי eſſe paragog. ut in Malchitiſedek, Adonibezek, & lectum ידידות, Bell. *Rex virtutum (Pater Meſſiæ) dilecti dilecti.*

Gen. *Rex virtutum*, i.e. Reges dilecti dilecti erunt, i.e. dilectiſſimi Filii Dei.

Gretz. *Rex potens dilectiſſimi populi ſui.*

Arias Mont.

Caſtrorum Reges cedant, cedantque phalanges
Quæque domi reſident ſpoliis onerentur opimis.

Bochius Secret. Antverp.

——— Regumque jubebis
Magnorum narrare fugas prædaque potitam
Imbellis patrios habitat quæ turba penates.

Belg. *Sy zijn onder malkanderen vrienden.* Idem ſecutus ac ſi eſſet à ידד vel ידד unde ידיד *en de Huysheere*, alio errore ſed æquè pudendo.

14. *Etſi jacueritis inter* &c.] Hactenus commemoravit beneficia Dei præterita, nunc futura. Et 1. liberationem populi. Senſus, etiamſi per afflictiones fueritis deturpati inſtar carbonarii & calonis vel lixæ qui per ſomnum deformatur dum ſomnum capturus cubat inter duas ſtrues lapideas poſitas ad focum, vel inter duas chytropodas, tamen Deus vos eripiet ex afflict. & effectum dabit ut ſplendeatis rebus ſecundis inſtar columbæ &c.

Arias Mont.

Et quanquam tripodas inter jaceatis & ollas,
Attamen argento velata columba niteſcet.

Bochius,

Vos licet in mediis jaceatis ſordibus, & vos
Oppleat aſſidua tectos fuligine languor
Electi Iſacidæ, ſolitum tamen ipſe nitorem
Reſtituet tum ſorte Deus pennaſque columbæ
Argento candore pares vincetis.

שפתים] Alii *duas ſtrues lapideas*, alii, *ollas lebetes*, *chytropodas* reddunt, ipſo Geneb. fatente has eſſe proprias ejus ſignif. ſed ut ut ſit, certum eſt Metaphoram eſſe à lixis calonibus coquiſque caſtrenſibus, qui à ventorum cœlique injuriâ ut poſſint ſe defendant, deliteſcendo noctu inter lapides vel ollas focarias, ac proinde fuligine & atrore commaculantur. Genebr. ait LXX. mutaſſe Metaph. culinariam in militarem, ſi verſemini in præſentiſſ. periculis, ut quando de captivorum vita & fortunis victores ſortem mittunt, tum in illa deſperatione eritis læti.

שפתים bis & משפתים bis extat Th. שפת *ordinare*, *diſponere*; utrumque ſignificat *metas* ſeu *limites*, inter quos aliquid locatur, ſive ad locum, in quo in Templo duo fuerunt ſuſtentacula, aut ſubices focarii, quibus ollæ imponerentur; vel ad ſtabula vel ad lanienas.

Lxx. Ἐὰν κοιμηθῆτε ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων. Vulg. *Si dormiatis inter medios cleros.* Quid hoc per Muſas eſt? Genebr. ipſe fatetur *Locum eſſe de quo quaſi de cruce pependerunt omnium ingenia.* Credo ſed eorum qui aut Vulg. habuerunt pro auth. aut qui præ imperitiâ non potuerunt fontes conſulere. Geneb. fatetur vocem Ebr. ſign. *ollas*, &c. Bellarm. negat. Hic quomodo locum explicet vide apud Witak. & D. Lubb.

Obiter notetur Suidam notare κλῆρος aliquando ſignif. *limitem.* Idem hic notat R. Sal. ſign. תחום *Etiamſi jacueritis inter terminos veſtros otioſe. Etiamſi nihil egeritis.*

Genebrardus tamen propiùs accedit ad ſenſum Ebr. quam Bell. dum dicit eſſe proverbiale, pro eo, etiamſi verſari fueritis in præſentiſſimis periculis, ut ſit idem cum eo, *inter ſacrum & ſaxum*, inter malleum & incudem, in acie novaculæ, in rei cardine inter duas cruces, &c.

Belg. *Wanneer ghy te veele* (al. *velde*) *legget.*

Veteres per *duos Cleros*, *duo Teſtamenta* vel *duplicem hæreditatem* intelligunt; hoc ſenſu, Si quieſcatis vos Euangeliſtæ in medio 2. Teſtam. V. & N. T. & prophetico verbo acquieveritis, tunc fides & mores Eccleſiæ erunt deargentatæ puritate ſapientiæ & deauratæ fervore charitatis. Vel, quando prædicatores dormiunt, i. e. moriuntur inter hæreditatem terrenam contemtam & cœleſtem ſperatam tunc famam Eccleſiæ quaſi plumis deargentatis ubique per ora hominum volare.

15. *Cum diſſipabit Omnipotens Reges in ea, albeſcet in Tſalmon.*

Diſſipabit] Diſperget, disjiciet, ad verbum, *expandet.*

In ea] Jun. *In hac terra.* Piſc. *In ea*, ſc. poſſeſſione, hæreditate.

תשלג] Aliis eſt 2. perſ. *niveum eris*, *ô populc Dei. Splendebis gloria victoriæ.* Alii, *albeſcet*, ſc. hæreditas. Ut per *in tenebras & atrorem adverſitas*, ita per *lucem & candorem felicitas* denotatur.

בצלמון] Id eſt, *in meditullio terræ*, ubi erat ſitus mons ille, prope urbem Sichem, Jud. 9. 48. alii, *ſicut Tzalmon*, ב pro כ, quod mons ille plerunque fuit oppletus nive; Alii, *albeſcet ut nix in Salmon.* Nam שלג eſt *nix*; alii, *albeſcet* [*ſicut*] *in Tſalmon.*

At quid ſi dicamus redire Prophetam ad deſcript. ſtragis hoſtium & oſtendere eam tam fuiſſe vel fore immenſam ut cadavera hinc inde disjecta terram oſſibus dealbaverint, ut nix Tſalmonem operit. Pſ. 53. *Diſperſit Deus oſſa caſtrametantium contra te.* Hor. *Albis oſſibus informis ager.* Ovid. *Humanis oſſibus albet humus.*

16. I. Quidam hunc verſum jungunt cum præced. Cis Jordanem, & ultra Jordanem. *In Tſalmon: monte maximo, monte Baſchanis, monte colliculoſo, monte Baſchanis.*

II. Alii ſeorſim hunc verſum ſumunt, *Mons Dei* (Tzijon vel Sinai, ſine ulla comparatione ob non intellectum Ebraiſmum *mons Dei*) *eſt ut mons Baſan*, *eſt mons colliculoſus ut mons Baſan.* Dicit *ut mons Baſan*, i. e. mons regionis Baſan quæ fertiliſſima & feraciſſima erat. Fuit Baſan Regio Og Regis Moabitarum, quæ poſtea in ſortem cecidit dimidiæ tribui Manaſſe. Animalia ibi paſcentia erant aliis pinguiora, robuſtiora & grandiora, unde illis comparat Script. *homines divites & potentes* qui opprimunt *tenuiores*; & *viros* quidem *tauris*, *fœminas* vero *vaccis*, Pſ. 22. 13. אבירי בשן. Amos 4. 1. פרות בשן. Unde Lxx. vertunt ταῦροι πίονες. Et inde Vulg. hic vertit, *mons pinguis*, & Græci ὄρος πῖον.

III. Alii (Piſc. & Angli, Riv. Antith. inter Baſan & Tzion) jungunt cum ſequenti verſu per modum ἀντιθέσεως. *Mons Baſan eſt mons Dei*, (i. e. maximus) *Mons Baſan eſt mons colliculoſus.* 17. *Sed quare exſilireitis vos montes colliculoſi? (Hic Tzion eſt) mons ille quem deſiderat Deus ad ſedem ſuam. Etiam DOMINUS inhabitabit eam in perpet.*

IV. Alii (Jun. Antith inter Baſan & omnia montana Judæ) putant per *montes colliculoſos* verſ. 17. intelligi omnia montana Judæ, & תרצדו exponunt *dejiceretis vos.* Etſi Baſan ſit talis mons, tamen contra vos gloriari non poteſt, illique ההר vertunt *hæc montana.* *Cur dejiceretis vos montes colliculoſi hæc montana* &c.

הר גבננים] *Mons gibborum*, i. e. gibboſus; ſeq. verſu ponitur adjective הרים גבננים *montes gibberoſi.* Vel הר גבננים dicitur pro הר מלא גבננים quod Junius expreſſit, *mons frequens gibbis.* Eſt à גבן *gibboſus*, Levit. 21. 20. או גבן או דק ἢ κυρτὸς. Hoc verò eſt à גב eminentia quælibet, R. Sal. כל גבוה נקרא גב. Jam à גבן eſt גבנון. Cæterum Lxx. verterunt ὄρος τετυρωμένον, *mons coagulatus*, i. e. inquit Geneb. *caſeoſus*, quia גבינה ſign. *Caſeum.*

Mons Dei] Si eſt antitheſis inter montem Baſan & montes Judææ, tunc expone, i. e. Maximus; Sic *Montes Dei*, Pſ. 36. *Cedri Dei*, Pſ. 80. *Ignis Dei*, *Terror Dei*, Gen. 35. *Luctat. Dei*, Gen. 30. *Sopor Domini*, 1 Sam. 26. Sed ſi aliter enim IV. modo exponas, propriè accipiendum.

17. (תרצדון) ל'. Qui vertunt *ſubſilitis*? ponunt hic antitheſin inter montem Tzijon & cæteros omnes quotquot ſunt in hoc univerſo. Qui vertunt *dejiceretis*, ut R. Abr. Aben. qui exponit תשפלו אתם & Junius ponunt antitheſin inter Montem Baſan & omnes montes Judæ; unde & ההר vertunt *Montana hæc.* R. Hai vertit, ut *quid intentis oculis inſpicitis*, *conſideratis* vel *expectatis uſque adeo montes excelſos?* quæ expoſitio ſumpta eſt ex Arab. ibi enim רצד ſignif. ea quæ dixi.

לנצח] Εἰς τέλος. Alibi vertunt εἰς νῖκος. Sic certe Pſ. 13. 2. Prov. 21. 28. Aq. T. Sy. Amoſ. 1. 11. ὅτι τὸ ὅρμημα αὐτῆ ἐφύλαξεν εἰς νῖκος. Lxx. quod vertit Interp. Lat. *in contentionem*, Eſ. 25. 8. בלע המות לנצח 1 Cor. 15. 54. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Ergò νῖκος idem quod τέλος, αἰὼν, quia נצח utrumque ſignificat.

18. *Currium Dei erant duæ myriades, millia multiplicia, Dominus cum illis erat* (*ſicut in*) *Sinai in loco ſancto.*

Redit ad narrationem victoriarum ſuarum & eam illuſtrat à cauſa miniſtra. Per *currus* enim intelligit *angelos* per Met. ſubj. Metaphoricam. Solebant enim milites præſtantiores præliaturi vehi curru.

רבוא & רבו רבבה *myrias.* Dual. רבותים Plur. רבאות Dan. 11. & רבות Neh. 7.

שנאן] *Iterationis*, i. e. iterata, multiplicia. Sic Jun. ſecutus Aben. qui dicit א eſſe pro י formæ קטן. Aſt R. Sal. Interp. מלאכים. Chald. ראנגליא Sic Pagn. Angli, Gr. LXX. εὐθηνούντων, Vulg. *lætantium*; quaſi שאנן inquit Geneb. R. Sal. à שנן vertit enim חדים

אדני בם קדש] Jun. *Dominus Sinai in ſanctuario habitans.*

19. *Captivitatem*] Id eſt, captivos. Sic in N. T. ἐκλογὴ pro ἐκλέκτοις. περιτομὴ pro *circumciſis*; *præputium* pro *præputiatis*; *Poteſtas* pro *poteſtate præditis.*

לקחת]

לָקַחְתָּ] Verbum prægnans, Ideo Paulus Eph. 4. 8. vertit ἔδωκας. Ex. 25. 2. *Dic Filiis Iſraël ut accipiant mihi primitias.* Aben. *Accipere*, i. e. dare, dum accipiunt aliunde ut dent.

Etiam rebelles ut habitent (*cum*) *JAH*] De vocatione Gentium, quæ ante converſionem rebelles fuerunt. Vel, *ut habitet Jah Deus inter eos.*

20. יום יום] *Unoquoque die, quotidie.* Ebræi non habent notas diſtributionis, ſed loco earum duplicant nomina, ſic Lev. 6. *Sacerdos ſtruet ligna mane, mane.* Sic Marci 6. δύο, δύο; *συμπόσια, συμπόσια; πρασιαὶ, πρασιαί.* Vel præcedente כל vel deficiente.

20. יום יום] Reg. Subſtant. continuò repetitum diſtributionem notat, cujus notâ Ebræi carent. Lev. 6. 2 Reg. 17. 29. *Et faciebat* גוי גוי *Deos ſuos.* Gen. 7. 9. שְׁנַיִם שְׁנַיִם באו i. e. *bina ingreſſa ſunt.* Sic Marc. 6. 7. *ἀποςέλλειν δύο, δύο.* Verſ. 39. *συμπόσια, συμπόσια.* 40. *πρασιαὶ, πρασιαί.*

II. Si copula interveniat, diverſitas notatur, Pſ. 12. בְּלֵב וָלֵב loqui. Deut. 25. אבן ואבן.

III. Si jam rurſus כֹּל præponatur, manet diſtributio Eſth. 9. בְּכָל שָׁנָה וש' i. e. annuatim. Quæ vox כל per Ellipſin rurſus aliquando cadit, ut pluraſis videatur cum ea quæ diverſit. notat. Ezr. 10. זִקְנֵי עִיר וָעִיר. Sic Eſth. 3. 4. יום וָיום *cottidie.*

Onerat nos] Sc. בִּרְכוֹתָיו Aben. Jun. *donis.*

21. לְמוֹשָׁעוֹת] *Omnimodæ ſalutis.* Vide Pſ. 49. Prov. 9. 1.

לַיהוִה] ל ad, ad Deum pertinent, ſic Deut. 29. 29. הנסתרות ליהוה אלהֵינו והנגלות לָנו וּלְבָנֵינו לשלם וג Ubi Luth. & Belg. peſſime utrumque hemiſtich. conferruminarunt.

לַיהוִה] Vide Piſc. ad hunc locum, Merc. Ariam, Druſium, &c.

Extra controverſ. ſunt puncta τῶ *Elohim* ob ִ ſub Jod, ſi tum eſſet ִ ſub unum hoc alias, nulla omnino eſſet.

Si voces יְהוִה & יֱהוִה abſolutè conſiderentur, magis reprehendendi ſunt qui Jehovi legunt quam qui Jehova, ubi enim uſquam Jod cum ִ occurrit, ibi ה unquam in hiric parvo quieſcit? unde etiam Arias probat non poſſe legi Jehova quia, inquit, ſic aliquando legendum eſſet Jehovi, quod abſurdiſſimum eſſe dicit. Sed ſi voces iſtæ cum præfixis ſervilibus conſiderentur, tolerabilius hoc legitur quam alterum, ſc. *Lehovi* quam *Lahova* vel *Laihova.* Jod enim ordinarie in Tſere quieſcit, in Phathach nunquam; & cum legitur poſt Phathach in medio vocis ſemper habet ſcheva expreſſum.

I. NB. Hoc nomen יְהוִה nunquam occurrere, niſi præcedente vel ſeq. אֲדֹנָי ne bis legeretur Adonai Adonai. Gen. 15. bis. In Ezech. paſſim, non obſtant loca Pſ. 110. Pſ. 8.

II. Ubicunque in Belg. eſt *Heere, Heere*, hoc accidit, quia ibi LXX. habent *κυρίε, κυρίε.*

Cur ineffabile author. Theologorum, ut Gramm. omittam. B. Piſc. Sc. Riv. Galatinus.

Exitus לַמָּוֶת] *Contra mortem*, vel *in ipſa morte*, ut ל. ſumitur Pſ. 16. Vel, *ad mortem* ſenſu contrario, non tantum Deo ſunt ſalutes, ſed & modi deducendi ad mortem. Sed ſeq. verſu ex prof. aget de impiis, & quidem per adverſativum.

23. קָדְקֹד שֵׂעָר] Κορυφὴν τριχὸς, *Verticem comæ, pili*, i. e. comatum, piloſum. Deſcriptio hominis truculenti & horridi, confer cum Job. 5. 5. ubi prædo & latro vocatur צַמִּים. Licet enim plerique interpretentur *ſitibundum* ut צמם ſit idem quod צָמָא *ſitivit*, tamen alii melius reddunt *comatum, piloſum*: capillati enim incedunt nonnulli, ut horridiores videantur.

Ambulantis] Ut דֶּרֶךְ *via* pro *aſſuetudine* & *ſtudio*, ſic *ambulare* tam in bonum quam in malum eſt dare operam alicui rei eamque ſtudioſe perſequi.

בַּאֲשָׁמָיו] אָשֵׁם, *reus, impius.* אָשָׁם *delictum reatus, culpa.* 2. *piaculum*, i. e. ſacrificium pro peccato per Meton. Eſ. 53. 21. dicitur poſuiſſe animam ſuam אָשָׁם. Sic apud Lat. *piaculum* ſignif. *flagitium, peccatum*, Virg.

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Et *ſacrificium* pro *peccato*, ut idem,

Ea prima piacula ſunto.

Quid ſi אשׁיםא ſit ex Ebr. שם pro יהוה.

Hinc eſt אֲשִׁימָא 2 Reg. 17. 30. *Viri Hemath fecerunt* אֲשִׁימָא. Solus Elias dicit ſign. *Simiam*, forte ob ſimilitudinem vocum. Cæteri dicunt eſſe hircum calvum, hircum abſque lana. Aben. dicit Samaritanos pro *in principio creavit Elohim*, ſcripſiſſe בר אשית בָּרָא אֲשִׁימָא Vide Druſium ad Fragm. Gen. 1. 1. in Addendis.

24. *Dixit Dominus, ex Baſan reducam* (*populum meum*) *reducam* (*eum*) *ex profunditatibus maris.*

Continuat prophetiam de victoriis futuris. Locus ſubdiffic. Quidam putant reſpici ad liberationem populi ab Og Rege Baſchan, & traductionem per mare Rubrum, quibus exemplis illuſtret victorias quas hic promittit. Num. 21. Exod. 14. Ideo Tigurini ſic vertunt, *Reducam* (*meos ſicut olim*) *ex Baſan*, (*ſicut olim*) *ex profunditatibus maris.* Alii, *Reducam* (*populum meum*) *à potentibus* vel *tauris Baſan.* Sic *Clavis David*, i. e. Clavis domus David. Job. 32. *Venter meus eſt* כְּיַיִן i. e. ſicut uter vini בד׳ ſupp. על ידי דוד Amplif. Victorias ab effectu, copioſa vid. effuſione ſanguinis, quam declarat ex 2. eventis LXX. *ὅπως ἂν βαφῇ ὁ πούς σου.* V. intingatur in ſang. Alii *figas.*

תִּמְחַץ] *Cruentabis.* Jun. *ut frangens* [*immergas.*] Ellipſis verbi notantis actionem conjunctam & conſequentem. מחץ enim non tantum ſign. *frangere* confr. ſed & ejus conſequens, nim. Cruentationem, forte per Metath. lit. pro חָמַץ quod eſt *tingere, intingere, colorare*, vel *rubedine tingere*, Eſ. 63. 1. *Quis eſt iſte qui venit ab Edom* חמוץ בגדים *quare rubicundus es veſtibus tuis & veſtimenta tua ut calcantis in lacu torcularis? Ego —— calcavi torcular ſolus, calcavi eos in ira mea, & calcavi eos in excandeſcentia mea.*

Nihil eſt quod ad Chriſtum patientem & ſanguinem Chriſti effuſum referri poſſit. Agitur de Chriſto vindictam de Eccleſiæ hoſtibus ſumente, & hoſtium ſanguinem effundente, cujus veſtes conſperſæ ſanguine hoſtium. Multa ſunt quæ hoc evincunt, ſed illud inprimis, *calcare torcular*, figurata locutione, non ſignificare, *ſuſtinere iram alterius & premi*, ſed *premere alium, punire alium*, Joël. 3. 13. Thr. 1. 15. *conculcat Dominus omnes robuſtos meos, torcular calcat Dominus filiæ Judæ.* Apoc. 14. 19.

26. עֲלָמוֹת à ſing. עַלְמָה, fere ut à שִׁפְחָה fit שְׁפָחוֹת Magiſque deſc. à Maſc. plurali עֲלָמִים quod eſt à עֶלֶם quam à עלמה. Sic בִּרְכָה. Sic בָּנוֹת à בָּנִים non à בַּת &c.

תוֹפֵפוֹת] Part. Kal à תפף vel eſt Nomen *Toar* ſyn. eſt מְתוֹפְפוֹת Vulg. *tympaniſtriarum* ſecutus *τῶς ὁ ἐν μέσῳ νεανίδων τυμπανιςριῶν*: à תוף *tympanum*, unde תֹּפֶת locus *in Valle Hinnom*, 2 Reg. 23. Inde transfertur ad locum damnatorum, Eſ. 30. Quia ordinata eſt ab heri תָּפְתֶּה ipſi Regi.

Græcè *τύπανον* & *τύμπανον* non tantum nomen inſtrumenti bellici, ſed & ſupplicii, unde *ἐτυμπανίσθησαν* Ebr. 11. Reſpexit enim Apoſt. ad locum 2 Mach. 6. ubi Eleazar dicitur *τυμπανισθῆναι* & *αὐθαιρέτως* *iviſſe* *πρὸς τὸ τύμπανον.* Alii *fuſtuarium*; alii *palum*, alii *crucem*, alii *equuleum*, alii *ἀποκεφαλισμόν*, alii hæc omnia ſignif. putant, vide Bezam & Druſium ad Ebr. 11. & Serarium.

Obſ. Conſuetudinem hanc. Solebant poſt victorias victoribus cani *ἐπινίκια* etiam à muliebri ſexu, Jud. 11. 1 Sam. 18. Exod. 15. Et hoc, populum Iſraël ſtudioſiſſimum fuiſſe Muſices, unde David in aula ſua Muſicos habuit 2 Reg. 19. Salomo Eccleſ. 2. Unde in Tabernaculo David in Templo Salomo tantum Muſicorum numerum inſtituit, unde in triumphis Muſica vocalis cum inſtrumentali juncta fuit. Legimus etiam Eſræ 2. in reditu Iſraël. ex Babel fuiſſe cantores & cantatrices ad itinerum moleſtias leniendas reduceſque conſolandos & recreandos. Et ſequiori ævo luxuriarunt circa hanc. Am. 6. Eſ.

Verum de honeſta Muſices oblectatione hic nihil dicam, hoc tantum ex Polyhiſtore Solino, qui refert non tantum beſtias & feras, ut à Veteribus proditum eſt, Muſica demulceri & allici, ſed & fontem in Regione Haleſina aliàs quietum & tranquillum cum ſilentium eſt, mox ubi inſonuerint tibiæ exultabundum elevari ad cantum & quaſi perciperet Muſicam dulcedinem ultra marginem intumeſcere.

27. מִמְּקוֹר יש׳] *Vos qui eſtis ex fonte Iſraëlis*; Vel, *Benedicite Domino; Dominus eſt ex fonte Iſraël.* Id eſt, Meſſias oriturus eſt ex progenie & ſtirpe Iſraëlis. Ut hic ex fonte vel vena Iſraëlis dicuntur eſſe Iſraëlitæ, ſic Jeſ. 48. 1. *Qui ex aqua Judæ egreſſi eſtis*, i. e. Judæi; *Aqua* i. e. ſemine.

בְּמַקְהֵלוֹת] Vocem hanc & ſynonymas aliquando *ἐκκλησίαν* aliq. *συναγωγὴν* vertunt LXX. contra Bell. & Cathec. Tridentino.

28. *Ibi in iſta Eccleſia, cœtu erit Benjamin parvus*, &c.

Propoſitam hortationem amplificat à diſtrib. imperfecta. Aben.

Parvus] Ob ſtragem apud Gibeam Jud. 20. qua admodum miminutæ ſunt ejus vires imminutuſque numerus. Vel quod minimus filius, Benjamin, filius Oni antea à Matre vocatus, poſtea à patre Benjamin boni ominis cauſa, filius dextræ, vel quod tam charus ut dextra, vel dextræ, i. e. meridionalis plagæ. Cæteri enim ipſi nati ſunt in Meſopot. Benjamin in Chanaan, quæ reſpectu Meſop. auſtralis eſt. Dextra pro auſtro, *Boream & dextram tu creaſti*, vel *filius dierum* יָמִין pro ימים Dial. Chald. i. e. *filius ſenectutis*, ut vocatur Gen. 44. 20. בא בימים *ſenex.* Procopius notat Gen. 31. ſignif. filium *δυνάμεων*, quia יָמִין aliq. ſign. *Potentiam*, vel ut Vulg. loqui amat *Virtutum.*

רֹדֵם] Pro רוֹדֵם vel ר׳ עִם *cum dominatore eorum*, רֹדֶה בָם vel לָהֶם LXX. *ἐν ἐκςάσει.* Aq. *ἐπικρατῶν αὐτῶν.* Vulg. *in mentis exceſſum*, ac ſi eſſet à רדם atqui hoc tantum ſignificaret ſoporatum, gravi ſomno oppreſſum. Referuntque ad Paulum de cujus *ἐκςάσει* legimus Act. 9. & 2. Cor. 12.

רִגְמָתָם] רגמ׳ *& cœtus eorum.* Videtur in voce eſſe ſign. collectionis

ctionis. Certe Prov. 26. מַרְגֵּמָה ſign. coll. lapidum ſecundum quoſdam. Kimehi hic in comm. exp. per קְצִינִים in Radicibus verò קְהָלִים. Lxx. ἡγεμόνες αὐτῶν.

Alii putant רגמה hîc eſſe pro אַרְגָּמָן *purpura*, *cum purpura ſua*, i. e. purpuratis. quò reſpexerunt Lxx. ἡγεμόνες αὐτῶν *duces eorum*.

Alii putant ſignificare idem quod רקמה quod ſign. *acupicturam*, *artem Phrygionicam*, & forte etiam *veſtem acupictam*. Senſus cum Phrygionicis ſuis.

De מַרְגֵּמָה ſupra citato ex Prov. nam idem omnes ſentiunt. Vulg. ſic vertit, *Sicut qui projicit lapidem in acervum Mercurii, ſic qui honorat ſtultum.* Cujus loci licet male verſi acutum & ex antiquitate erutum explic. vide apud Lipſium Cent. V. Miſc. Ep. 5. Præferenda eorum opinio qui מרגמה vertunt Baliſtam, fundam σφενδόνην.

30. מֵהֵיכָלֶךָ עַל־] *Ob, propter Templum tuum, quod eſt in Jeruſalem.* Ital. [*Corrobora illud*] *ex Templo tuo, quod eſt in Jeruſalem.* מ pro ob בְּעָבוּר Pſ. 12. 6. מִשֹּׁד ob vaſtitatem. Deut. 33. מִבָּנִים ob filios. Sic עַל pro *in*, Eſaiæ 38. 20. *Cantabimus* עַל בֵּית יי׳ *in domo Domini*. Ex. 29 3. עַל סַל אֶחָד *in caniſtro uno*.

31. גְּעַר חַיַּת קָנֶה] *Perde catervam arundinis.* Scult. *Feram arundinis*] Pharaonem intelligit cujus regio in arundineto. Vide orat. ejus pro Philologia. גער cum ב ſign. increpare. Zach. 3. 2. Judæ 9. Aliàs ſign. *perdere*, Pſ. 9. 6. גָּעַרְתָּ גוֹיִם ſequitur אִבַּדְתָּ רשע *perdidiſti Gentes*. Pſalm. 119. 21. גָּעַרְתָּ זֵדִים ſuperbos. Utrobique Arias malè mutavit, *increpaſti*. Diſerte Aben-Ezra ad Pſ. 9. בלא ב״ת כרמות כרתה Id eſt, ſine ב conſtructum idem quod כָּרַת *excidit*. Et hîc, כמו Malach. 2. 3. הנני גער לכם הזרע שאין בו ב״ת

חַיַּת קָנֶה] Aben. חַיּוֹת קְהִלּוֹת. Pſalm. 74. 19. אַל תִּתֵּן לְחַיַּת נֶפֶשׁ תּוֹרֶךָ. חַיַּת עֲנִיֶּיךָ אַל תִּשְׁכַּח. Cum anteriori hemiſtichio ſumatur in altera ſignif. *ne tradas animam turturis tuæ* לְחַיַּת *feræ*. חַיָּה *feram* ſign. & *catervam*, ut ſupra verſ. 11. *Arundinis*, i. e. arundiferam, i. e. catervam militum geſtantium arundines, i. e. haſtas arundineas. Ab. & Kimchi רְמָחִים *lanceas* interpretantur *longas*, ac ſi eſſent *arundines*. Virg.

Namque volans Liquidis in nubibus arſit arundo.

Ovid.

Diſtrinxit arundine pectus.

Taurorum] Vox αὐτολέξει ſignif. *Robuſtos*, inde tribuitur *Tauris*, Pſal. 22. Ταῦροι πίονες, Pſ. 50. & *equis*, Jirm. 50. 11. Videntur hic intelligi *duces militum*, vel *potentiores*.

בְּעֶגְלֵי] *Cum vitulis* ב pro עם Exod. 10. Eph. 4. 1. Theſſ.

מִתְרַפֵּס] רפס *calcare*, *conculcare*, התרפס *præbere ſe calcandum*, i. e. ſubmittere, ſubjicere ſe, vel fingere ſubjectionem. Verba enim hitphaël, ſæpe act. reciprocam fictam ſignif. Vide Gram. p. 24. Prov. 13. 7. 2. Sam. 13. 5.

Ergo ſic exponunt quidam, *Perde etiam fingentem ſubjicere ſe* &c. quia durum videbatur vertere, *Perde ſubmittentem ſe*. Alii, (*uſque dum unuſquiſque*) *ſubjiciat ſe*, tributi nomine argentum tibi pendendo לָתֵת כֶּסֶף לְךָ Sic Aben. עַד שֶׁיִּהְיֶה כָּל אֶחָד מֵהֶם Hoc ſecuti ſunt Angli. Ea ſignif. humiliationis & demiſſionis animi veræ accipitur. Prov. 6. 3.

בִּזַּר] *Diſſipat*, ſc. Deus. Apoſtrophe ad populum Iſraël. Sunt qui vertunt *diſſipa*, i. e. בזר · בּוּר & פזר ſynonyma.

קְרָבוֹת] Aben. כְּמוֹ מְלַמֵּד יָדַי לַקְּרָב

כָּסֶף Vide Waſerum. Chald. hic habet סִיכָא quod extat Act. 3. *Aurum*, & סִיכָא *non habeo*. Hinc Gr. ἄσιμος, Heſychius, Ἄσιμος ἄργυρος· Vide Quæſita Druſii Ep. 83. Full. Euſeb. Hiſt. Eccl. 1. 14. Apud Rabb. אסימון idem videtur eſſe quod ἄσημον. Aruch אסימון שאין לו צורה. Et זהב אסימון *aurum infectum*. Dubium itaque eſt utrum apud Euſ. legi debeat ἄσιμον vel ἄσημον, item utra interpretatio Muſculi an Grynæi melior ſit.

Vocis כסף Interpr. tres; 1. quod ab omnibus diligatur; 2. quod iis quos amamus elargiri omnia ſolemus, unde & Græcorum, ἔρανον ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν & ἐρανίζειν; 3. à כסף *palleſcere*, *liveſcere*, à colore. Unde Koh. 12. *ſpina dorſi* vocatur *funis argenteus*. Sic & ἀργύριον ab ἄργον quod Euſtath. dicit ſign. λευκόν, χῆνα ἄργην i. e. λευκὴν *anſerem album*.

32. Proph. de vocat. Gentium ſuperiori verſu interrupta חַשְׁמַנִּים] *Principes*, *Magnates*; Alii, *Oratores*, *Legati*. R. Sal. dicit eſſe quoſdam qui exponunt דורונות δῶρα *munera*, Chald. Filii Cham adducent ex Ægypto אִיסְקַרְיָא i. e. *ſuppellectilem argenteam*, vel ut ſit idem quod אִסִּים. Judæi hodie *Cardinales* vocant *Haſmannim*. חַשְׁמָן eſt nomen proprium abavi Mathaliæ, quod nomen dedit familiæ; Qui enim vulgò vocantur Machabæi (quod ſolum cognomentum fuit Judæ) in hiſt. Ebr. vocantur חַשְׁמוֹנִים *Haſamonæi*. Vide Druſium ad 1 Mach.

Et Cuſch] Duplex Æthiopia in S. L. Una ſupra Ægyptum, ubi nunc eſt Regnum Abyſſinorum, altera infra eam, atque ita etiam terra Madian vocatur Æthiopia. Hinc Zippora uxor Moſis, quæ Madianitis erat, vocatur כושית Num. 12. Idem Homerus,

Οἱ μὲν δυσσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος
Solis ad occaſum quidam, quidam ſed ad ortum.

Idem Strabo, idem Plinius Ptol. Αἰθιόπια ἡ ὑπὸ Αἴγυπτον. Hic putem denotari Arabiam Chuſæam, i. e. Æth. infra Ægyptum.

תָּרִיץ יָדָיו] *Currere faciet*, i. e. *extendet*, vel *tranſmittet*, ידיו i. e. מַתְּנוֹת יָדָיו Priorem exp. ſequitur Chald. *current ad expandendas manus ſuas.* בצלו קֳדָם יי׳ *in precando coram Domino.*

34. *Equitanti in cælo cælorum antiquitatis*] i. e. Regnanti. Sic Pſal. 45. Pſal. 65. *Cælum cælorum*, i. e. cœlum altiſſimum, tertium cœlum juxta Paulum & ex mente Veterum Ebræorum. Cœli itaque, quorum dicitur eſſe Cœlum, ſunt aër & cœlum ſtelliferum, Orbes iſti 8. *Antiquitatis*, i. e. qui perſtant ab antiquo, ab initio creationis. קֶדֶם ſign. prioritatem, Temporis, loci & dignitatis *Temporis:* æternitas, antiquitas, olim, ſæculum. *Loci*: Oriens Gen. 2. *Et plantavit Dominus Deus Paradiſum* מִקֶּדֶם *ab oriente*, Lxx. κατὰ ἀνατολάς. At Aquila ἀπ' ἀρχῆς· *ab exordio*, *à principio*; unde Hier. colligit, *Paradiſum fuiſſe ante cælum & terram.* Male. Nam & Satan dicitur homicida fuiſſe ἀπ' ἀρχῆς, i. e. fere à primordio originis ſuæ.

שְׁחָקִים] Potius cœlum quam *nubes ſuperiores*, quia Pſ. 18. 12. eſt עָבֵי שְׁחָקִים niſi forte ſit παράλληλον.

עֹז] Pro *laude*, Pſal. 8. 3. Lxx. αἶνον. Sic Matth. 21. 16. Pſal. 29. 1. & Pſal. 96. 7. ſemper præcedente nomine gloriæ.

GROTIUS.

2. E*Xſurgat Deus*] Argumentum hujus carminis eſt exitus populi ex Ægypto.

5. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*] Id eſt, viam ei munite, ὁδοποιήσατε, ut hic habent Lxx. *Super occaſum* ἐπὶ δυσμῶν, in Hebræo בערבות, quod Aquila vertit ἐν τῇ ἀοικήτῳ, [*in terra non habitata*,] unde Hieronymus in altera verſione *per deſerta*. Kimehi & Hebræorum alii ſummum orbem cœleſtem intelligunt: & receptum hinc apud Hebræos in eo ſignificatu uti voce *Araboth*. Sed cùm vetuſtiſſimi Hebræorum nullum orbium diſcrimen in cœlo agnoverint, ut & ex Gemara diſcimus ad initium Geneſeos, verius eſt hac voce nihil aliud ſignificari quàm quod ἀπρόσιτον, [*inacceſſibilem*] dixit Paulus 1 Timoth. 6. 16.

9. *Terra mota eſt, etiam cæli diſtillaverunt*] Illud נטפו optimè verti poteſt, *conturbati ſunt*. Eſt enim idem verbum Jud 5. 4. ubi Græca verſio ὁ οὐρανὸς ἐταράχθη, [*cælum conturbatum eſt.*]

A facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël] Meliùs illud priùs *à facie Dei* conjungas cum præcedentibus, ut ſequatur deinde *Sinai à facie Dei Iſraël:* ſupple ἀπὸ κοινοῦ, [*ex communiter dicto*,] *motus & conturbatus eſt.*

10. *Pluviam voluntariam*] Liberalem, ut ſuprà 51. 14.

Hæreditati tuæ] Populo Iſraël.

11. *Animalia tua habitabunt in ea*] Intelligunt Hebræi Angelorum præcipuos, qui חיות Ezechieli; ſed poteſt חיה intelligi pro *conventu*, ſicut infrà 31. pro eodem poni videntur חיה & עדה. Nam conventus veri Dei colendi cauſâ in ſolo populo Iſraël frequentabantur.

12. *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multâ*] Lxx. Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ. Et ſic citat Chryſoſtomus oratione *Chriſtum eſſe Deum*, & ad Euangelium applicat. Senſus hiſtoricus eſt, *Dominus dabat ſermonem* (id eſt, materiam loquendi uberem) nempe *ut fœminarum prædicantium* (victorias) *multum agmen* diceret, ſcilicet ea quæ ſequuntur.

13. *Rex virtutum dilecti, dilecti*] ידדון quod bis hîc ponitur à דוד [*diligere*] derivarunt Lxx. cùm verius ſit eſſe à נדד [*fugere*,] ut hoc ſit quod cantabant fœminæ: *Reges exercituum fugerunt, fugerunt.*

Et ſpeciei domûs dividere ſpolia] Meliùs; *Habitatrix domûs dividet ſpolia.* Id eſt, tanta erit prædæ multitudo, ut etiam mulieres οἰκουροὶ, *domi ſe continentes*] in ejus partem ſint venturæ. Simile vide Judic. 5. 30.

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*] Optimè ſic vertas ex Hebræo: *Etiamſi dormiſſetis inter cremathras*, eritis *ut alæ columbæ quæ ſunt velut argentatæ, & ejus pennæ velut ex auro*, ſplendent ſcilicet à ſole. שפתים *cremathras* eſſe, id eſt, uncinos unde carnes pendent, apparet Ezech. 40. 43. Apud eas qui cubant fœdari undique ſolent, & in talibus anguſtiis vixerant in Ægypto Iſraëlitæ. Splendent tamen velut columbæ: tam pulchrè diſtinctus ac bene ornatus erat ipſorum exercitus. שפתים alio ſenſu *limites* ſignificat, ut Geneſ. 49. 14. ad quem ſignificatum reſpicientes Lxx. verterunt κλήρων [*ſortium*.]

15. *Dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.* 16. *Mons coagulatus, mons pinguis*] Sic ex Hebræo ſenſus fiet commodior: *Ubi disjecerit omnipotens Reges* (ut Schon.m & Ogum) tunc *niveus eris* (nitebis pulchrè ô popule Iſraël) *in Salmon monte Dei* (id eſt, excelſiſſimo) *& in monte Baſan, monte caſeorum, in monte, inquam, Baſan*: id eſt, cis & uls Jordanem latè regnabis, tenebiſque loca opima. גבינה *caſeus* Job 10. 10. Montana Baſanis plena paſcuis.

17. *Ut quid ſuſpicamini montes coagulatos?*] Ex Hebræo: *Cur ſaltatis vos montes pleni caſeo?* qua de cauſa lætamini? Reſpondent montes iſti, κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*: *In hoc monte vult Deus habitare, & habitabit perpetuo.* Cultum ſui inſtituet ac retinebit in terra Judæa.

18. *Currus Dei decem millium multiplex*] Ex Hebræo ſic, *Curruum Dei duæ ſunt myriades & millia plurima.* Angelos comparat exercitui; pars autem validiſſima exercituum erant currus. Exodi 15. 4. 2 Reg. 2. 2. & 6. 17.

Dominus in eis in Sina, in ſancto] Per talem exercitum Deus in Sinai majeſtatem ſuam oſtendit. Unus erat Angelus Deum referens: multi ei aderant ſtipatores. Apparet id collatis locis Actor. 7. 38. Galat. 3. 19. Hebr. 2. 2. Vide quæ ad Lucam 2. 13.

19. *Aſcendiſti in altum*] A Sinai in cœlum, ut ſolent Reges judicia exercituri tribunal conſcendere. Vide Matthæi 27. 19.

Cepiſti captivitatem] Ad captivitatem damnaſti populos complures, inter eos Madianitas. Num. 31.

Accepiſti dona in hominibus] Id eſt, *propter homines*: *accepiſti dona* ad uſum Sacerdotum & Levitarum. Putet fortè aliquis pro לקחת, quod eſt *accepiſti*, ſcriptum fuiſſe חלקת [*dediſti,*] quod pro *dare* ſumi ſolet, Deut. 4. 19. Job 39. 17. & indè eſſe ἔδωκε [*dedit,*] quo utitur Paulus, μυςικῶς [*myſtice*] ad Chriſtum hoc referens Epheſ. 4. 8. quomodo & Juſtinus hunc locum citat; idemque ſequitur Pſalterium Romanum hoc loco, & Hilarius: item Arabs & Æthiopicus, ſed alii ſecundâ, alii tertiâ perſonâ ex Paulo. Sed ſciendum etiam *accipi* rectè dici quæ in hoc accipiuntur, ut dentur: ſicut videre eſt Exodi 25. 2. & 1 Regum 17. 10.

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum] In Hebræo: *Etiam rebelles* (ſupple, *accepiſti*, ex ſuperioribus) *ut inhabitaret in illis Dominus Deus.* id eſt, Ut tu inhabitares in illis, nomine poſito pro pronomine, ut apud Hebræos ſæpè. Intelligendum hoc de Gabaonitis & eorum ſimilibus, qui diu rebelles Deo facti ſunt proſelyti. Ità hic Chaldæus, & Rabbi Solomo. Quantò autem hæc eminentiùs per Chriſtum ſint impleta, nemo non videt.

28. *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*] ἐν ἐκςάσει [*in alienatione mentis.*] Sumſerunt רדם pro una voce, cùm verius ſit eſſe à רדה, quod eſt *dominari*, & affixo quod *eis* ſignificat. *Benjamin parvulus dominatus eſt eis.* Tribus Benjaminitica exigua, 1 Samuel. 9. 20. tamen ex ea Rex exſtitit Saul.

31. *Increpa feras arundinis*] Agmina ſagittifera. Intelligi videntur Ammonitæ. Vide Sam. 11. 20.

Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati ſunt argento, diſſipa gentes] Rectiùs vertas: *Cœtum taurorum qui in vitulis populorum gloriantur, ut veniant cum fragmentis argenti, diſſipa gentes quæ bella volunt.* Per *tauros* intelligendi duces, per *vitulos* milites qui eos ſequuntur, ut Pſalm. 23. 3. ut veniant cum fragmentis argenti, nempe ad redimendam pacem.

32. *Venient legati ex Ægypto*] Vox חשמנים [*proceres*] eſt Ægyptia: ſed & Hebræis poſt uſitata, unde nomen genti Aſmonæorum. Judæi Cardinales Romanos hoc nomine appellant. Arabibus حشم חשם [*divitiæ.*] Vult dicere viros maximæ dignitatis venturos ex Ægypto in Judæam, nempe cùm Solomoni pactam adducerent.

Æthiopia præveniet manus ejus Deo] In Hebræo: *Æthiopia currere faciet manus ſuas Deo. Manus ſuas*, id eſt dona feſtinabit ad Deum afferre, ut fecit Regina Sabæ, quæ Æthiopiæ accenſetur 1 Reg. 10. infrà 72. 10. Impleta hæc eminentiùs, cùm & Ægyptii & Æthiopes oblationes, quas Chriſtiani ſolent, in Eccleſia obtulère.

PRICÆUS.

1. INtraverunt *aquæ uſque ad animam meam*] Ovidius,

Me miſerum! quanti montes volvuntur aquarum!

Vide infrà 87. 18. & 143. 7.

3. *In limo profundi, & non eſt ſubſtantia*] In limo ubi non eſt firmum veſtigium. Seneca, *Limoſâ humo nihil ſtabile eſt.*

4. *Raucæ factæ ſunt fauces meæ*] *Rugiebam* (ut 37. 9.) *à gemitu cordis mei.*

7. *Domine virtutum*] Qui virtutes (i. e. magnalia) operari ſoles: vel, Domine exercituum: ità hîc Aquila cum Symmacho.

8. *Propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam*] Suprà 43. 16, 17.

12. *Et factus ſum illis in parabolam*] Gr. εἰς παραβολήν· quem locum fortè reſpiciunt Heſychii iſta, Εἰς παραβολήν, εἰς γέλωτα· vel illum apud Tobiæ Scriptorem 3. 4. Καὶ ἔδωκας ἡμᾶς εἰς, &c. παραβολὴν ὀνειδισμȣ͂ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι.

13. *Adverſùm me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum*] Jobus 30. 1. Κατεγέλασάν μȣ ἐλάχιςοι. & com. 9. κιθάρα εἰμὶ αὐτῶν, καὶ ἐμὲ θρύλλημα ἔχȣσιν. Apud Senecam ille Controverſ. 3. 4. *Paraſitorum jocantium materia ſum.* Propertius lib. 3.

Riſus eram poſitis inter convivia menſis,
Et de me poterat quilibet eſſe loquax.

Ibid. *Adverſùm me loquebantur, &c. ego verò orationem meam ad te, Domine*] Ità 34, 12, 13. *Retribuebant mihi mala pro bonis, ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio.*

15. *Ut non infigar*] Gr. ἵνα μὴ ἐμπαγῶ· *accioche io non rimanſa impantanato.*

20. *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam*] Confuſionem meam ob falſa improperia illata mihi. Tob. 3. 6. Ὀνειδισμȣ̀ς ψευδεῖς ἤκȣσα, καὶ λύπη ἐςὶ πολλὴ ἐν ἐμοί. Vide & Pſal. 43. 16, 17.

21. *In conſpectu tuo ſunt qui tribulant me*] Optimè nôſti eos qui me perſequuntur.

22. *In ſiti mea potaverunt me aceto*] Expone ex his infrà com. 27. *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

23. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem*] Quæ in menſa ſua liberiùs effutiunt, vertantur in perniciem eorum. *In retributionem*, quia ipſi ſacra menſæ meæ jura eo modo violaverunt. Suprà 54. 14, 15.

24. *Et dorſum eorum incurva*] Pone (ut ſuprà 65. 11.) tribulationes in dorſo eorum. Heſychius, Καμπεσίγȣνος, ἡ Ἐριννὺς, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν τὰ γόνατα τῶν ἁμαρτανόντων.

25. *Effunde ſuper eos iram tuam*] Turbo (ut Jer. 23. 19) indignationis tuæ egrediatur, & tempeſtas erumpens ſuper caput eorum veniat. Vide & Job. 27. 20.

27. *Quoniam, quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*] Vide 35. 4, 5. Ezechielis.

Ibid. *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*] Vide quali odio. Cicero in pro Rabirio, *Satis eſt lapſos non erigere: urgere verò jacentes, aut præcipitatos impellere, certè eſt inhumanum.* Vide & Pſalm. 108. 17.

28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*] Permitte eos in malo gradum proferre, dum menſura nequitiæ impleatur. Vide Jer. 9. 3. Rom. 6. 19.

Ibid. *Et non intrent in juſtitiam tuam*] Nullam partem tuæ clementiæ ferant. Hoc ſenſu in Euangelio, *Intra in gaudium Domini tui*: i. e. communica: & infrà hîc 94. 11. *Si introibunt in requiem meam.*

32. *Vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.*]

Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte.

Sunt verba Gratii Scriptoris veteris, in Halieutici fragmento.

33. *Quærite Dominum, & vivet anima veſtra*] Pro, *ut vivat*, &c. Sic Sirach. 4. 23. *Serva tempus, & devita à malo*: i. e. ut devites: ibidem 7. 3. & ſæpe alibi.

IDEM.

3. VEni *in altitudinem maris*] *Fluctus tui* (ut 41. 8.) *operuerunt me.*

4. *Laboravi clamans*] Ità Deus 15. 6. Jeremiæ, *laboravi rogans*: & ſuprà hîc 6. 7. *Laboravi in gemitu meo.*

Ibid. *Defecerunt oculi mei dum ſpero, &c.*] Querimonia proverbialis eorum qui diu fruſtraque conſolationem exſpectaverunt. Vide Jerem. 14. 6. & infrà 118. 123. Ezechias Eſaiæ 38. 14. *Attenuati ſunt oculi mei in cœlum ſuſpicientes.* Adde & Pſal. 76. 4, 5.

7. *Non erubeſcant in me qui exſpectant te, Domine*] *Innocentes* (enim) *& recti adhæſerunt mihi, quia te ſuſtinui*, ſuprà 24. 21. *meque juſti* (ut infrà 141. 8.) *exſpectant, donec tu retribuas mihi.*

8. *Propter*

8. *Propter te ſuſtinui opprobrium*] Totidem verbis (ex hoc Pſalmi loco) 15. 15. Jeremias.

9. *Extraneus factus ſum fratribus meis*] Job. 19. 13. Jerem. 12. 6. infrà 87. 9. & 19. Solomo 19. 7. in Gnomologico, *Fratres hominis pauperis oderunt* (id eſt, contempſerunt) *eum.*

Ibid. *Et peregrinus filiis matris meæ*] Id eſt, fratribus, quod præceſſit. Ità & ſuprà 49. 20. *Adverſùs fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*: qui mos loquendi Hebræis frequentiſſimus. Sic, *pauperes*, & pòſt, *filios pauperum*, infrà 71. 4.

11. *Operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi*] Dixerunt, En triſtem hypocritam, exterminantem faciem ſuam, ut appareat jejunaſſe eum. Vide ſuprà 34. 13.

12. *Poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam*] Cum riſu exclamârunt,

Infelix putat illuvie cœleſtia paſci,
Seque premit, læſo ſævior ipſe Deo.

Ibid. *Et factus ſum illis in parabolam*] In deriſum. Heſychius, Εἰς παραβολήν· εἰς γέλωτα. Jerem. 20. 7. *Factus ſum in deriſum.* Vide Job. 17. 6. Deuteron. 28. 37. Suprà hic 43. 14.

13. *Adverſùm me loquebantur qui ſedebant in porta*, &c. *ego verò orationem meam ad te, Domine*] Infrà 118. 23. *Sederunt Principes, & adverſùm me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis.*

Ibid. *Et in me pſallebant qui bibebant vinum*] Seneca de Vita beata cap. 27. ex perſona Socratis, *Præbui ego Ariſtophani materiam jocorum, tota illa Comicorum poëtarum manus in me venenatos ſales ſuos effudit.*

14. *Tempus beneplaciti, Deus*] Tempus beneplaciti tui exſpecto.

Ibid. *In veritate ſalutis tuæ*] Subaudi (ex 73. 12.) *quam in me operatus es.*

21. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*] Planè contrà quàm videbatur meruiſſe εὐσπλαγχνία mea. Vide 34. 14. ubi & *contriſtari*. *Suſtinui* hic, ut ſæpe alibi, pro *exſpectavi*.

24. *Obſcurentur oculi eorum nè videant*] Occæca iis intellectum nè perniciem ſibi imminentem videant. Ità puto non malè exponi poſſe ex commate ſequente.

28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*] Cùm perverſis (ut ſuprà 17. 27.) *perverteré*. *Iniquitatem* heic priore loco metonymicè accipio pro mercede iniquitatis.

Ibid. *Et non intrent in juſtitiam tuam*] Non intrent in gaudium tuum.

29. *Deleantur de libro viventium*] Id eſt, non ſcribantur.

Ibid. *Et cum juſtis non ſcribantur*] Non reſurgant (ut 1. 5.) in juſtorum concilio.

30. *Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua ſuſcepit me*] Similia 39. 18. & 69. 6. vide. *Salus tua*, &c. eſt, tu autem, Deus ſalutis, ſuſcepiſti me.

34. *Vinctos ſuos non deſpexit*] Suprà 67. 7. *Educit vinctos in fortitudine.*

35. *Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis*] Quod infrà 150. 6. ſuccinctiùs, *Omnis ſpiritus* (i. e. omnis creatura) *laudet Deum.*

PSALM. LXIX

MUNSTERUS.

SOſannim] Sunt *Soſannim* Hebraïcè *lilia* & *flores*: hic verò putantur *eſſe* כלי ניגן *inſtrumentum muſicum.*

1. *Intraverunt aquæ uſque ad animam*] Per *aquas ſubmergentes* intelliguntur plerumque in Scriptura magna mala, quæ vitam eximant niſi ſubſidium feratur. Queritur autem David de maximis in quæ incidit malis, & precatur ab iiſdem liberationem; Chriſti typum ſimul exprimens, de quo quædam hujus Pſalmi verba veriùs dicuntur quàm de David; ut eſt illud, *Poſuerunt in refectionem meam fel*, &c.

4. *Quæ non rapui rependebam*] h. e. Dedi pœnas eorum quæ non admiſi.

5. *Tu noſti ſtultitiam meam*] Sunt qui hunc locum ſic explicant, *Tu, Deus, noſti me nihil ità ſtultè egiſſe ut ob id tam atrocem perſecutionem patiar ab hoſtibus meis.*

9. *Zelus domûs tuæ*] Indicat hic verſus magnum ſtudium quod Propheta habuit erga domum Dei atque cultum ejus, cujus neglectum & contemptum ferre non potuit, quantumlibèt impii ſævirent contra eum. Et in hoc verè repræſentavit Chriſtum, ſicut & Euangeliſtæ hunc verſum de eò dictum ſcribunt, quando funiculo facto vendentes & ementes è Templo pepulit.

23. *Lumbos eorum fac nutare*] h. e. Fac eos vacillare pedibus ut corruant; vel aufer ab eis omnem poſteritatem, quæ ex lumbis originem trahit.

26. *De dolore vulneratorum tuorum loquuntur*] h. e. Narrant & loquuntur ad invicem quomodo tuis dolorem ſuper dolorem addant, perinde quaſi tu juſſiſſes, & vulnera eorum eſſent vulnera tua.

27. *Pone iniquitatem ſuper iniquitatem*] i. e. Fac ut iniquitas eorum tandem conſummetur, & ultio de eis ſumatur.

32. *Viderunt manſueti*] Kimhi hunc verſum ſic exponit, *Videbunt manſueti ſalutem, & gaudebunt; & ſimiliter inquirentes Dominum videbunt eam, & lætabuntur; vivetque cor veſtrum.*

33. *Vinctos ſuos*] Qui ſcilicet propter nomen ſuum carceribus ſunt incluſi.

35. *Deus, ſalvabit Zion*] Per *Zion, Jeruſalem* & *Jehudam* intellige Eccleſiam & ejus inſtaurationem: & per *terram* accipe credentes qui veram tenent fidem: *horum ſemen & poſteri hæreditabunt terram*, viventque ex fide Dei, quæ quodlibet deſertum paradiſum reddit.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſ. 4. ¶ *Super Soſannim* על ששנים] Vide Pſal. 45. ¶ *Aquæ uſque ad animam* מים עד נפש] Hebraïcâ phraſi dicuntur *Aquæ uſque ad animam intrare*, pro, *omnibus afflictionibus uſqueadeo premi ut de vita periclitemur, & propè ſuffocemur.*

2. *Profundum* מצולה] Hebraïcè, *profundi*, aut, *voraginis.* ¶ *Firmatus* מעמד] *Roboratus*: ſub. *limus*. Quidam vertunt, *firma conſiſtentia*. Alii, *ſtatio*. Alii, *nec eſt ut queam ſubſiſtere.* Quidam Hebræorum exponit, *Et non eſt ullum membrorum meorum ſtatutum*, ſive *firmatum & roboratum*: i. e. non eſt ullum membrum quod ſuſtentetur ſive ſubſiſtere queat. ¶ *Et fluxus* ושבלה] *Et curſus*, ſub. *aquarum*. Gallicè, *le fil de l'eauë.* Vide plenam locutionem v. 15. ¶ *Operit me* שטפתני] Præt. Heb. pro præſ. *inundat, rapit, obruit me.*

3. *Dum exſpectarem*, &c. מיחל לאלהי] *A ſuſpiciendo ad Deum meum.*

4. *Roborati ſunt* עצמו] *Confortati ſunt, invaluerunt, aucti ſunt.* ¶ *Reddidi* אשיב] Fut. Heb. pro præt. *rependi*, aut *rependebam*. Vel, fut. pro præſenti, *rependere cogor.*

7. *Confuſio* כלמה] *Ignominia.*

8. *Alienus factus ſum* מוזר הייתי] *Alienus habitus fui.*

10. *Et fuiſti in opprobrium* ואהי לחרפות] Hebraïſmus, pro, *tuâ cauſâ probris affectus ſum, quòd ferem te injuriis affici.*

11. *In parabolam* למשל] *In proverbium*: q. d. Cùm de vili loquebantur, eum mihi comparabant.

12. *Et cantiones* factus ſum נגינות] Vox Hebræa ſignificat *cantiones ad inſtrumenta muſica.*

13. *At ego orationem meam*, &c. ואני תפלתי לך יהוה עת רצון אלהים] Ad verb. *Et ego oratio mea ad te, tempus beneplaciti, Deus.* Hebraïſmus, pro *Tunc ego ad te oravi: & oratio mea* erat *tempus beneplaciti, ô Deus.* i. e. Te oravi ut adveniret tempus in quo me exaudires: quâ exauditione declares tuam erga me bonam voluntatem.

14. *Et nè infigar* ואל אטבעה] *Et nè demergar.*

15. *Nè inundet me*, &c. אל תשטפני שבלת מים] *Nè tranſverſum rapiat me curſus aquarum. Nè adobruat me tempeſtas undoſa.* Hîc integra eſt locutio, quæ ſuprà v. 2. eſt imperfecta. ¶ *Profundum* מצולה] *Vorago.*

17. *Feſtina exaudi me* מהר ענני] Duo imperativa ſine conjunctione, quorum alterum verti debet in futurum, *Feſtina, exaudire me*: vel, *ut me exaudias.* Aut primum vertendum per adverbium, *Feſtinanter*, aut *celeriter, exaudi me.* Quidam, *propera & exaudi me.*

18. *Appropinqua animæ meæ, redime* קרבה אל נפשי גאלה] Rurſum imperativa ſine conjunctione, pro, *Appropinqua ad animam meam ut redimas eam.*

19. *Et pudorem meum* ובשתי] *Et confuſionem meam.*

20. *Contrivit*, &c. שברה לבי ואנושה ואקוה לנוד] Quidam vertunt hoc præteritum cum futuris per plùs quàm perf. & imperf. *fregerat cor meum & affligebat: & exſpectabam qui conſolaretur*; vel, *contriſtaretur.*

22. Et quod *ad paces in offendiculum* ולשלומים למוקש] *Et pro pacibus, in rete*: i. e. ut Hebræi exponunt, *cùm exſpectaverint pacem, vertantur paces in offendiculum*: h. e. pereant iis rebus quas putabant ſibi fore ſaluti. Quidam vertunt, *Et* ubi *pacem* ſperant, illic *impingant.*

26. *Per-*

26. *Perſequuntur* רדפו] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Narrant* יספרו] Fut. Heb. pro præſ. i. e. jactant ſe dolore afficere quos vulnerari jubeas: tanquam zelo faciant. Quidam vertunt, *Et ſuper dolorem vulneratorum tuorum addiderunt.*

27. *Pone iniquitatem*, &c. תנה עון על עונם] Hebraïſmus, pro, *Permitte ut iniquitatem iniquitati cumulent:* deſere eos in iniquitatibus ſuis, nec juſtos pronuncies illos, non inveniant pœnitentiæ locum. Quidam vertunt, *Da pœnam ſuper iniquitatem eorum.*

29. *In loco*, &c. תשגבני] *Elevet me*: i. e. in loco ſublimi, ac proinde tuto, ſtatuat me: h. e. tu auxilio tuo me juves. Alii, *protegat.* Alii, *extulit.*

32. *Videbunt* hæc *humiles* ראו ענוים] Præt. Heb. pro fut. *Videbunt* hæc *manſueti.* Vel, *afflicti.* ¶ *Quærentes Deum* דרשי אלהים] *Inquirentes Deum*: ſub. *videbitis*: nam crebræ ſunt mutationes perſonarum. Videbitis vos qui ſtudio Dei tenemini, & reviviſcet animus veſter qui præ metu emori videtur.

35. *Servabit*, &c. יושיע ציון ויבנה] Fut. Heb. per præſ. *Deus eſt qui ſalvat Sion, & ædificat*, &c. ¶ *Et ædificabit* ויבנה] *Et inſtaurabit.*

CASTALIO.

4. UT *quod non rapui, tamen reddam*] Immeritò dem pœnas.

27. *Eorum vitia vitiis accumula*] Non hæc Chriſtus (de quo ſcriptum eſt carmen hoc) omnibus imprecatur à quibus afficitur injuriâ, nam moriens eis veniam oravit à quibus actus erat in crucem, ſed additâ cauſâ, *Quia neſciunt*, inquit, *quid faciant.* Ex quo intelligi convenit eum in hoc carmine perverſis & ob ingenii pravitatem peccantibus imprecari. Pergant ſanè peccare, poſtquam ſunt adeò ſcelerati, nè tuâ utantur æquitate, hoc eſt, nè te eorum miſereſcat. De qua re plura in Eſa. 6. & Matth. 12.

CLARIUS.

Quæritur de maximis malis, ut typum Chriſti ac Chriſti fidelium præferat, orat pro liberatione; poſtremò de allato auxilio gratulatur. Dictio verò SOSANNIM ſignificat *lilia* & *flores*: Hic verò putatur inſtrumentum muſicum.

1. *Intraverunt aquæ*] Per *aquas ſubmergentes* intelliguntur ſæpe in Scriptura magna mala, quæ vitam eximant niſi ſubſidium feratur.

2. *Et non eſt ſubſiſtentia*] Non eſt ubi ſubſiſtam: nam fundo penitus caret.

4. *Quæ non rapui*] i. e. Dedi pœnas eorum quæ non admiſi.

5. *Tu ſcis inſipientiam meam*] Noſti nihil me ità ſtultè & pravè admiſiſſe ut iſti hoſtes mei videri volunt.

6. *Non erubeſcant in me*] Fac, quæſo, nè propter hoc meum infortunium cæteri qui à te pendent pudefiant. Et vide ut ſemper gloriæ Dei ſtudeant ſancti.

9. *Zelus domûs tuæ comedit me*] Indicat hic verſus magnum ſtudium quod Propheta habuit erga domum Dei ac cultum ejus, cujus neglectum & contemptum ferre non potuit, quantumlibèt impii ſævirent contra eum. Et in hoc verè repræſentavit Chriſtum, ſicut & Euangeliſtæ hunc verſum de eo dictum ſcribunt, quando flagello facto vendentes & ementes ejecit è Templo. ¶ *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*] Probra quibus probroſè affecerunt te perinde ego ægrè tuli atque ſi ego ipſe probris illis affectus eſſem. Citat hunc locum Paulus ad Romanos.

10. *Flebam & in jejunio*] Si quando flebam, & in jejunio affligebam me, ipſi probro verterunt id mihi.

12. *Qui ſedebant in porta*] Forum agi conſueverat in portis civitatis, illucque frequentia populi conveniebat.

13. *In veritate ſalutis tuæ*] Pro fide tua, quâ ſalutem te allaturum pollicitus es, ſuccurre mihi.

21. *Dederunt in eſcam meam fel*] Manifeſtiſſimè in Servatore impletum, meritò memoravit Euangeliſta. Sicut etiam quod ſequitur, *Fiat habitatio eorum deſerta*, Petrus in Actis Apoſtolorum retulit ad Judam.

23. *Et lumbos eorum*] i. e. Fac eos ità vacillare ut corruant; vel aufer ab eis omnem poſteritatem, quæ ex lumbis originem trahit.

26. *Et ſuper dolorem*] Putant non ipſos ſed te nos perſequi. Alius vertit, *De dolore vulneratorum tuorum loquuntur*, hoc eſt, narrant & loquuntur invicem quomodo tuis dolorem ſuper dolorem addant, perinde quaſi tu juſſiſſes, & vulnera eorum eſſent vulnera tua.

28. *Deleantur de libro viventium*] In quo per Chriſtum ſcripti erant, quod non fieret ſi ſecundùm Prædeſtinariorum hujus ætatis opinionem eſſet illa diſtinctio electorum ac reproborum quam ſomniant.

35. *Salvam faciet Sion*] Per *Sion*, *Hieruſalem* & *Judam* intellige Eccleſiam & ejus inſtaurationem: & per *terram* accipe credentes, qui veram tenent fidem. Horum *ſemen & poſteri hereditabunt terram*; viventque ex fide Dei, quæ quodlibet deſertum paradiſum reddit.

DRUSIUS.

1. טָבַעְתִּי בִּיוֵן מְצוּלָה וְאֵין מָעֳמָד. Sym. *Immerſus ſum in infinitas voragines, & non eſt ſtatus.*

4. לֹא גָזַלְתִּי אָז אָשִׁיב. Aq. ὅσα οὐκ ἐβιασάμην, τότε ἐπέστρεφον.

5. לְאִוַּלְתִּי. Sym. τὴν ἀπειρίαν μου.

6. אֲדֹנָי יְהוִה צְבָאוֹת. A. Κύριος ὁ Θεὸς στρατιῶν. Sym. Κύριε Θεὲ τῶν δυνάμεων. Th. Κύριε ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων.

7. כְלִמָּה. Sym. αἰσχημοσύνη.

9. אֲכָלָתְנִי. Idem, *conſumpſit me.*

13. וַאֲנִי תְפִלָּתִי־לְךָ יְהוָה. A. Καὶ ἐγὼ προσευχῇ μου σοὶ, Κύριε Sym. Ἐμοῦ δὲ ἡ προσευχή σοι, Κύριε. Th. Ἐμοῦ δὲ ἡ προσευχὴ πρὸς σὲ, Κύριε] Interpres Theodoreti, Sym. *Oratio mea ad te, Domine:* & mox, *tempus reconciliationis, Deus.* עת רצון אלהים. καιρὸς διαλλαγῆς.

22. יְהִי־שֻׁלְחָנָם לִפְנֵיהֶם לְפָח וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ. Sym. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in ſupplicium, ut comprehendantur*] Εἰς παγίδα καὶ εἰς τιμωρίαν ὥστε συλληφθῆναι ex ed. Rom. A. εἰς σκῶλον. Priùs erat εἰς σκάνδαλον. Hier. *Niſi fallor enim, σκῶλον & σκάνδαλον, apud Græcos ex Offenſione & Ruina nomen accepit.* Ad quem locum Eraſmus, *Utrumque ductum videtur ex σκάζω, i.e.* claudico, *quòd objectum offendiculum cogat claudicare & ad ruinam tendere.*

32. וִיחִי לְבַבְכֶם. Alii, καὶ ζήσεται ἡ ψυχὴ ὑμῶν, *& vivet cor veſtrum.*

AMAMA.

Pſalmus eſt εὐκτικός, in quo precatur tum David, tum Chriſtus ſub perſona Davidis ut typi; David precatur ut liberetur à perſecutione Saulis: Chriſtus, à perſecutione Judæorum & doloribus infernalibus. Quod patet ex collatione Euangeliſtarum, Matth. 27. Marc. 15. Joh. 19.

1. שׁוֹשַׁנִּים] Vide Pſal. 45. 1.

מים] Vide ſupra.

2. *Serva me Deus*] Propoſitio precationis primæ, quæ iteratur aliquot verſibus 14, 15, 17, 18, 19, 30.

Quia pervenium] Argumentum petit 1. à gravitate periculi, quam amplif. ſimilitudine duplici, 1. ſubmerſione in aqua profunda, 2. demerſione in lutum profundum.

Uſque ad animam] Id eſt, uſque ad os, ita ut os ingreſſæ mè ſuffocaturæ ſint atque ita animam expuſuræ. Met. effecti. Vel *anima* hic ponitur pro *vita*, *vita* pro *vitæ periculo*; ſic Jon. 2. *Circumdederunt me aquæ uſque ad animam*; Ab. *eo uſque ut parum abſit anima mea à morte*; Kimchi, *conſque ut fere exierit ex me anima mea*; Merc. *uſque ad exitum vel efflationem animæ.*

וְאֵין מָעֳמָד] Nomen formæ Part. Paſſ. Conj. Hiphil. Bis extat, hic & 1 Reg. 22. 35. *Et Rex erat* מָעֳמָד *ſtatutus in curru.* Hic eſt nomen idem quod מַעֲמָד *ſtatio*, non eſt אֵין מָקוֹם locus conſiſtendi. Quidam putant legendum eſſe מַעֲמָד, quaſi vero מעמד non poſſit eſſe nomen; diſerte Aben. R. Moſes ait eſſe formæ מָקְטָר ſuffitus, ſic מָעֳמָד niſi eſſet Gutturalis.

Aquarum] Per *aquas* Ebræi ſæpe intelligunt *res adverſas*, ut Pſalm. 66. *Tranſivimus per ignem & aquam*, & Eſa. 43.

שִׁבֹּלֶת] Duo ſignif. *ſpicam* & *torrentem*, fluentem vehementem aquæ curſum.

Inundat] Vel inundans abripit me, vel abripuiſſet me, parum aberat quin abripuiſſet me, כמעט הוא ישטפני

4. Secundum Argumentum, quia Deum ardenter ex fide invocat, quem ardorem ſignif. per effecta tria.

נִחַר] A חרר. Ab. Nun שבור i. e. Hirekatum, Rabb. enim שבר eſt Hirik.

5. Tertium Argumentum à numero perſecutorum & potentia, numerum amplif. à comparatis, potentiam ſignif. ab effect.

Immerito] חִנָּם excludit *cauſam*, *meritum*, *pretium*, *fructum*, & *effectum*, i. e. ſine cauſa, merito, mercede, pretio, fructu & effectu; ſeu, quod idem, ſine adeptione finis.

Hic excludit *cauſam* & *meritum.* Sic Rom. 3. δωρεὰν *præter meritum noſtrum. Meritum* ſumitur vel in bonam vel in malam partem

partem. Per *cauſam* intellige *cauſam impellentem*, & ſic explicat Beza locum Gal. 2.

Mercedem, *An quia frater meus es ſervies mihi* חִנָּם. Geneſ. 29.

Pretium, Eſa. 52. *Quia* חִנָּם *venundati eſtis*.

Effectum, Ezech. 6. *Cognoſcent quod ego Dominus non locutus* חִנָּם *ſine effecto*. Sic Gal. 2. ult. *Si per legem juſtitia, tunc Chriſtus* δωρεὰν ἔθανε, i. e. ſine adeptione finis.

NB. *Merces* poteſt referri ad Fructum vel Adeptionem finis.

Vox *vergeefs* quoque ambigua eſt, ut Fructum, & Meritum, & Mercedem excludat.

מְצַמְּתַי *Qui conantur ſuccidere me*] Verba act. apud Ebræos *conatum* aliq ſignificant, Num... *Et pugnavit Balak contra Iſraël*, Exod. 8. 18. *Et fecerunt Genethliaci ſic*, ſequitur enim *& non potuerunt producere pediculos*. Sic Pſalm. 56. 2. *Homo abſorpſit me*, i. e. conatur abſorbere me. *Mundavi te & noluiſti mundari*. Exod. 12. 48. *Si fuerit peregrinus tecum* ועשה פסח, *circumcid. & tunc accedat* &c. Tobias peccavit. & Zigod plectitur.

6 Innocentiam ſuam probat à teſtimonio Dei, q. d. *Tu noſti an commiſerim illam ſtultitiam quam mihi imputant*, i. e. tu noviſti me non commiſiſſe eam. אִוֶּלֶת ejuſque ſyn. נְבָלָה non tantum ſignif. aliquando *peccatum*, ſed & de *atrociſſimis flagitiis*, 2 Sam. 13. 12. Pſ. 38. *contabuerunt tumices mei ob* אִוַּלְתִּי Sic uſurp. נְבָלָה de *temeratione Dinæ*, *Thamar*, *uxoris Levitæ*, Jud. 20. *furto anathematis*, Joſ. 7. Sic Pſ. 14. *Dicit* נָבָל *in corde ſuo*; Unde כסיל etiam in Prov. ſignif. ferè ſemper *improbos*, opponunturque *piis* & *bonis* & *juſtis*. Interpretesque aliq. reddunt μωρονακός.

אָשָׁם & אַשְׁמָה *reatus*, *culpa*, *flagitium*, aliq. *ſacrificium pro eo*, Eſ. 53.

צְבָאוֹת] Pſalm. 59. 6. אֱלֹהִים צְבָאוֹת Pſ. 80. verſ. 5. & 20. Hoc caſu putat D. Gomarus in theſibus de Deo Th. 17. & 18. Tſebaoth eſſe nomen Dei à potentia deſumtum; ut & צור quæ nomina, inquit, Deum inſtar rupis & exercitus tanquam ſolum verè & abſolute Averruncum & Soſpitatorem illuſtribus Metaphoris & quidem κατ᾽ ἐξοχὴν deſignant. Firmat 1. ex Parall. Jeſ. 6. 3. 55. 5. יה׳ צבאות Apocal. 4. 8. ἅγιος ἅγ. κυρίος [ὁ θεὸς] ὁ παντοκράτωρ. 2. quod ſynonymum חַיִל ita uſurpetur 2 Sam. 22. 32. Sed hæc non ſunt ſolida.

8. עָלֶיךָ] *Propter te*. Sic Am. 1. עַל דּוּשָׁם *eò quod trituraverint*, עַל־מִכְרָם *eò quod vendiderint*. Ab. בַּעֲבוּרְךָ Lxx. ἕνεκα σȣ. Chald. אֲמְטוּל דָּךְ

Texit ignominia] Propter te.

9. *Extraneus*] Vel quaſi extraneus, non majorem curam mei habent quam ſi extraneus eſſem. Vel ut Ab. *ita in adverſis meis* הִשְׂגִּיתִי עַד שֶׁלֹּא יַכִּירוּנִי אַחַי כְּאִלּוּ הָיִיתִי זָר

10. *Zelus domus tua comſumpſit me*] קִנְאָה verbum ſignif. *Zelare* vel --*ri*, *iraſci*, *indignari*. Sumiturque vel in bonum vel in malum. *In bonum* ſignif. *dolere*, *rem aliquam ſibi charam indigne tractari*; nec hoc ſolum, ſed etiam *conari rem illam vindicare & defendere*. Et tunc ſemper conſtr. cum ל. Num 25. 13. *Eò quod Pineas* קִנֵּא לֵאלֹהָיו *zelavit pro Deo ſuo*. Joel. 2. וַיְקַנֵּא *& zelavit DOMINUS* לְאַרְצוֹ. Zach. 1. *Zelavi* לִירוּשׁ׳ צִיּוֹן *zelo magno*.

In malum, *invidere*, *odiſſe*, *dolere*, *alium potiri re quam ipſe deſiderat quaque ipſe caret*. Conſtruitur vel cum את vel cum ל. Cum אֶת, de Iſaac, *Et fuit ei pecus ovium, pecus boum & agricultura multa* וַיְקַנְאוּ אותו *& inviderunt ipſi*. Cum ל Gen. 30. *Et vidit Rachel quod non pareret* וַתְּקַנֵּא בַּאֲחוֹתָהּ Sic 37. de fratribus Joſephi וַיְקַנְאוּ בוֹ. Excip. locus Pſalm. 6. ubi conſtructum cum ל accipitur in *malam partem* וַיְקַנְאוּ לְמֹשֶׁה *& zelârunt contra Moſen*. *Zelus* ergo hoc loco eſt *juſta indignatio* ex eo orta in Davide quod videret omnia ſacra ab hominibus illis, qui Religionem veram profitebantur, profanari.

In Chriſto quod videret Joh. 2: 17. Templum à fœneratoribus & venditoribus pollui.

11. *Cum fleo in jejunio animam meam*] i. e. inquit Ab. *Quum defleo eam, cum deploro ſtatum & calamitatem meam vel peccata mea*. Alii, *Cum flens affligo* &c. ut בכה ſit verbum prægnans.

לַחֲרָפוֹת] *Ignominia ſumma*. Auxeſeos modus.

12. שָׂק] In luctu & pœnitentia adhibebant varios ritus, Scindebant veſtem, tundebant pectora, ſedebant in pulvere, conſpergebant caput pulvere, induebant ſaccum, jejunabant, vide hiſtoriam Ninevit. & Jobi.

Saccus hic erat contextus ex pilis hircorum & caprarum; uſusque ejus erat in tranſvehendis frumentis, in luctu ob alicujus mortem vel calamitatem, in pœnitentia, in ſupplicatione & ſervitute. Metaphoricè uſurp. Eſ. 50. *Induam cœlos nigredine & ſaccum ponam operimentum ejus*, Matth. 11. 21. *Væ tibi Chorazin* &c. *Si Tyri & Sidone* &c. ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ *reſipuiſſent*.

Jejunio] Alibi vocatur תַּעֲנִית Eſræ 9. 5. Unde *affligere animam* freq. occurrit pro *jejunare* quam צום Unde Ab. dicit כל עִנּוּי הַנֶּפֶשׁ צוֹם Sed dixerit aliquis cur ergo, hic dicitur afflixi animam meam jejunio? Reſp. Locutionem eſſe poſſe ut *Lavare aqua*, *aduſtio ignis*, vel quia anima affligitur etiam aliis modis, ut abſt. à coitu & omnibus delectabilibus, unctione, lotione, calceamentis. Ab. Afflictio contraria eſt deliciis.

Oſtendit itaque optima hæc opera ſua pœnitentiæ & contritionis ſigna ludibrio fuiſſe hoſtibus ſuis atheis qui tamen Religionem Judaïcam profitebantur. Idem accidit in Chriſtianiſmo. Inſigne exemplum eſt apud Sulp. Sev. Hiſt. ſacr. lib. 2. p. 168. de Idacio & Ithacio, quorum hic quidem ſtrenuus hæreticorum oppugnator apparebat, ſed tamen nihil ſancti, nihil penſi habuiſſe eum pronunciat Sulp. Erat enim audax, loquax, futilis, impudens, ſumptuoſus ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic ſtultitiæ eò uſque proceſſerat ut omnes ſanctos viros qui vel lectionis ſtudium inerat, vel jejuniis precibuſque certare propoſitum erat, tanquam Priſcilliani ſocios vel diſcipulos in crimen arceſſeret. Cum his ſi conferamus noſtra tempora, videbimus verè dictum

——— *Redit actus in orbem*
Ludus in hâc mundi ſcenâ ferè unus & idem.

13. *Sedentes in porta*] Judices, Primores civitatis. Porta locus judicii quod in portis exercebatur, Ruth. 4. *Et Boaz aſcendebat ad portam*. Zach. 8. *Veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris*. Deut. 21. *Et educent eum ad Seniores urbis ad portam loci iſtius*. Sic adhuc hodie Palatium Cæſ. Turc. vocatur *Porta*, & Perſ. Dan. 3.

שֵׁכָר] Gr. Πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι. Heſych. πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην. μὴ ἐξ ἀμπέλȣ συναχθὲν Ch. *Bibentes vinum*. בְּבֵית קַרְקְסִין *in domo cauponaria* Vir doctus alicubi vertit *Temetum*. Reprehenditur ab alio quod *Temetum vinum* ſignificet. Male. Nam שכ׳ etiam *vinum* includit. Patet Num. 28. 7. ubi ad libamen adhibetur, cui aliis in locis vinum attribuitur. Hoc tamen fatendum, quoties jungitur cum nomine יין (fit autem ſæpe) tunc ſignif. *potum factitium inebriantem*, ex melle, Dactylis palmarum, pomis, tritico, & hordeo, & ſimil. Ut Num. 6. 3. *A vino & Sicera* נזיר ſeparabit ſe, 1 Sam. 1. 5. & ſic non bibi. Sunt tamen ex Ebr. qui putant ita differre à יין ut יין ſign. *Vinum Novum*, שֵׁכָר *Vinum Vetus*. Sic Chald. ad dictum locum Num. מֵחֲמַר חֲדַת וְעַתִּיק. *Vinum ἄκρατον*. Alii יין *dilutum aqua*, שכר

Senſus, *Et canunt de me Odas bibentes potum inebriantem*. Vel, *Et pulſant de me fides bibentes*. Vel, *Et cantationes factus ſum bibentibus potum inebriantem*.

שֵׁכָר] *Quicquid inebriat*. Ergo & vinum. Baſil. σίκερα πᾶν τὸ δυν. μέθην ἐμποιῆσαι τοῖς Ἐβρ. ὀνομάζειν συνηθές. Sic & Hier. in libro de nom. Ebr.

Sicera ſeu *potus inebrians* eſt vel ſimplex expreſſus ex *Uvis*, unde *vinum*.

Vel ex *Fructibus arborum*, vid. *ſucco pomorum*, *pirorum*, *palmorum*, unde in lib. Muſar, *Sicera palmarum*.

Vel eſt Compoſitus ex *melle* & *aqua*, ὑδρομέλι.

Vel ex *melle* & *vino*, οἰνομέλι.

Vel ex *Frugibus terrarum*, *frumento*, *tritico*, *hordeo* & *aqua*, in Muſar, *Sicera hordeorum*, Athen. οἰνοσκρίθινος *vinum hordeaceum*.

Jeſai. 5. 11. & 22. conjunguntur.

In cauponâ] Ita Chald. Caſaub. ad Theophr. capite περὶ ἀπονοίας de deſperatione: Olim apud Gr. inquit, non multò erat honeſtius locus πανδοχεῖον ſive taberna, quam οἴκημα, i. e. lenonis aut meretricis domus. Nec multo aliter apud Latinos, qui τὸ πανδοχεῖον ſtabulum, & τὸν πανδοχέα ſtabularum dixerunt & meretricem, proſtibulum. Eo factum ut viri quibus honeſtas curæ æquè in cauponis ædibus conſpici erubeſcerent, ac in lenonis, quod vel ex iis paret quæ de Stratonico Citharædo refert Ælianus Variarum lib. 14. c. 14. Sed & Iſocr. ἐν καπηλείῳ, ait, φαγεῖν ἢ πιεῖν ȣ̓δεὶς οὐδ᾽ ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε.

Hi Ethnici in decretorio illo die multos Chriſtianos & quidem Theologiæ Studioſos damnabunt, qui frequentiores in caup. & lup. quam in Auditoriis. Et cur non facerent? cum videant nullum tam indoctum, nullum tam profan. eſſe qui non tandem fiat Miniſter. τῶνε ἄρ᾽ ἄλγε᾽ ἔδωκεν. Propter hæc revelata jam pridem eſt ira Dei ſuper Eccl. Reform. propter hæc jacet Ilium, Felix quem faciunt &c. Orig. Alexandriæ: Quid noſtri? totam juventutem Diab. ſacrificant. Quomodo ille maculam illam eluit. Quomodo noſtri? nominate unum talem qui in expoſiti textus Jeſ. 5. vel Luc. 23. idem fecerit.

Quod autem dicit de ſtabulo veriſſimum eſt, unde & in novo Teſt. Luc. 10. in Vulg. eſt *ſtabulum*, ubi in Gr. eſt ξενοδοχεῖον. Et Gloſſar. Cypr. *in itinere tutiora ſtabula appetunt*. Hinc *proſtibulum*, Nonius, *Proſtibulum quod ante ſtabulum ſtet quæſtus diurni &*

ni & nocturni gratia. Scholiaſtes Ariſtoph. in Equit. Κασαλβάδες (ſcorta) ἑταῖραι εἰσι αἳ ἀεὶ ἐπὶ τῶν οἰκημάτων ἐςῶσαι, ἐπὶ μισθῷ παρέχεσι τοῖς βελομένοις.

14. *Me quod attinet, oratio mea ad te hac eſt*, vel ad te *dirigitur*, vel oratione mea ad te *converti me.*

עת רצון] Sub. בְּעֵת רָצוֹן *tempore benevolentiæ exaudi me.* Vel, *Tempus benevolentiæ eſt.* In miſeriis conſtitutis cogitandum eſt eſſe aliquod tempus beneplaciti quo Deus nos ſtatuit eripere. Similis ferè eſt locus quoad ſenſum Pſ. 32. 7. *Propter hoc quia tu exorabilis es*, vel *quia tu condonas peccata*, vel, *propter hoc ut in inundationem ad ſe non perveniant aquæ, orabit ad te omnis pius* לעת מצא *tempore inveniendi quo tu inveniri potes*, ut Eſ. 55. 6. *Quærite Dominum* בהמצאו *dum inveniri poteſt.*

16. *Ne obthuret ſuper me puteus os ſuum.*] Jun. *Ne præcludat mihi.* Obſcuriuſculè. Videtur enim hoc velle, ne plane immergar in puteo hoc calamitatis & ſuffocer, ut, ſi in puteum vel aquam aliquid præcipitetur quod ſubſidat, primò finditur aquâ, mox ubi deſcendit, coit ſuperior aquæ ſuperficies & ita clauditur foramen illud ex fiſſura, quod *foramen* puto hic vocari *os putei.*

באר & בור diff. *Beer puteus: Bor ciſterna.* Alii באר eſt in fovea ſine ædificio בור cum ædificio. Alii, באר habet aquas perennes de terræ venis manantes & ſcaturientes, בור vero habet aquas adventitias. Eſt enim ciſterna eruta ut ſit receptaculum aquarum pluviarum. Græci λάκκον vocant.

Tharg. גיהנם, *ne aperiat adverſus me Gehenna os ſuum.* Sic in Apocalypſi 9. Tartarus vocatur Φρέαρ *puteus.* Inde fortè quod *puteus* ſæpe pro *carcere* in S. L. ſumatur. Sic enim incipit cap. IX. *Et quintus Angelus clanxit, & vidi ſtellam delapſam de cœlo in terram*, καὶ ἐδόθη ἀυτῷ ἡ κλεῖς τῦ Φρέατος τῆς ἀβύσσυ. καὶ ἤνοιξεν τὸ Φρέαρ τῆς ἀβύσσυ καὶ ἀνέβη καπνὸς ἐκ τοῦ Φρέατος, *& obſcuratus eſt Sol & aër de fumo putei.*

Gehenna in N. T. 8. in Matth. quinquies, in Marc. ſemel, Luc. ſemel, Jacob. ſem.

תאטר] Hinc אטר *præcluſus*, אִטֵּר יַד יְמִינוֹ Jud. 3. 15. *præcluſus manu dextera, impos manu dextra. Scæva.*

De Ehud. אטר יד ימינו Vulg. *Qui utraque manu dextrâ utebatur*, i. e. ambidexter, *die rechts en ſlincx was.* Auſon. *æquimanus*, ἀμΦιδέξιος, ἀμΦοτεροδέξιος. At Ebr. ſonat, *obthuratum præcluſum manu dextra.* Eâque phraſi, inquit Cajet. denotatur quod clauſa fuerit vis motiva, ne diffunderetur ad naturale robur dextræ. Imped. enim naturæ vocatur ab authore *clauſura.* Auth. Concord. dicit ſignif. הפקר השמוש defectum miniſterii. R. S. & R. D. exponunt per אִטֵּם, קָפוּץ, ſed clarus R. D. שמאלי Belg. *ſlincx*, Gr. σκαιὸς, Lat. *Scæva, ſcævola.* Lyra, *melius & promptius ſe juvabat de ſiniſtra.* NB. Verſ. 16. dicitur ſe accinxiſſe gladio ad femur dextrum & verſ. 21. eum extendiſſe manu ſiniſtra atque accepiſſe gladium ex dextro femore.

רחם] Pl. רַחֲמִים *viſcera*, & *miſerationes*, unde σπλαγχνίζεσθαι pro *miſerari*, & Luc. 2. tanquam Παράλληλα ponuntur διὰ σπλάγχνα ἐλέυς θεῦ ἡμῶν, unde Beza, *Ex intima miſericordia Dei.*

18. *A ſervo tuo*] LXX. ἀπὸ τοῦ παιδός σε, *à puero tuo*, *Reſpicientes*, inquit Geneb. *ad perſonam Chriſti, qui* Act. 4. *vocatur ſanctus Dei Puer.* Sed ſciendum ratione humanæ formæ Chriſtum etiam vocari *Servum Dei Patris*, Eſ. 53. *Cognitione ſui juſtus meus ſervus* עַבְדִּי צַדִּיק *juſtificabit multos.* Unde Gerundenſis ad Geneſ. 37. 3. inquit, דרך המקרא שכל משרת יקרא נער Pſ. 37. *Ne timeas ob verba iſta quibus me blaſphemârunt pueri Regis Aſſur.* Gen. 14. *Et armavit Abraham pueros ſuos & pueros domus ſuæ.* Act. 4. *Qui per os Davidis pueri tui dixiſti, quare fremuerunt.* Matth. 14. *Herodes dixit pueris ſuis, Hic eſt Johannes.* Unde Exod. 33. tanquam Παράλληλα ponuntur נער & משרת *Et miniſter ejus Joſua Puer non recedebat è tentorio*; *Quomodo puer*, inquit Ab. *qui jam annum 56. agebat*, vel, ut alii, 53 Sic Eſth. 2. 2. *Dixerunt pueri Regis miniſtri ejus.* Poſterius explicat prius: Sic Ter. in And. *Inde abiens puerum conveni Chremis.* Sic Cicero, *Quod pueros ad te ſine literis miſerim*, ad Quint. F. Sic Eſ. 37. *Et miſit Ezechias* עַבְדֵי τοὺς παῖδας ἀυτοῦ ad Eſaiam.

Itaque tenendum eſt נער *puer* ſæpe in SS. poni pro *miniſtro, ſervo*, & propterea ſæpe ab Interpr. non tantum נער hoc ſenſu acceptum, ſed & vocem עבד expreſſam per παῖς.

נער prop. *puer*, παῖς, עבד pr. δῦλος, *ſervus.* Sed quia נער etiam *ſervum* ſignificat, inde evenit ut interpr. unius ejuſque propriæ ſignif. ſæpe ponatur pro altero, vid. παῖς pro δῦλῳ idque ſemper fit quando עבד ſic redditur.

מהר ענני] Duo Imperat. Vide Regulam.

19. *Appropinqua Korbah ad animam meam & redime eam.*] R. Moſes legit קִרְבָה *admove animæ meæ redemptionem ejus* pro גָאֳלָהּ

Ob hoſtes meos] Quia tunc pudefierit.

Redime me] Libera me. Sic Deus dicitur *redemiſſe Iſraëlitas ex Ægypto.* פדה enim propriè præſupponit pretium.

20. *Opprobrium meum*] &c. i. e. Quo me afficiunt alii, non quo ego alios. Sic נִכְאֵת *Plaga mea ambiguum eſt.* Sic Deus in Jirm. *Templum* vocat domum תְּפִלָּתִי. Sic in Lege veſtra ſcriptum eſt.

21. אנושה] י pro ו & אלף סימן המדבר: & deficit Aleph Rad. pro אאנוש

לנוד] *Ad condolendum*, συλλυπεμένον. ſign. aliquando etiam *conſolationem*, quia inde aliqua conſolatio. Ex ſimili phraſi vocis ſynonymæ הניע videri poſſet eſſe locutio contracta pro לנוד ראשׁ. Sic enim הניע fere adhibetur Job. 16. 4. *Si eſſem loco veſtro egregie etiam* אַנִיעָה עֲלֵיכֶם בְּמוֹ ראשׁ Sequitur וְנִיד שְׂפָתַי prohiberet dolorem veſtrum, unde quidem malunt ſub. שפתים Eſt enim iſte geſtus in SS. Irridentis, ut & Pſalm. 22. Matth. 27. Thr. 2. & Condolentis. In Profanis aliter.

23. Lex Talionis juſtiſſima, Math. 7. 2. Abd. 15. Jacob. 2. Seneca, *Quod quiſque fecit patiatur, authorem ſcelus Reperit, ſuoque premitur exemplo nocens.* Ex. in Phar. Achab. Iſab. Idumæis, &c. alii, Ovid.

Quid fodis immeritis natis ſua lumina Phineu?
Pœna reverſura eſt in caput iſta tuum.

A petitione & querimonia tranſit ad imprecationem uſque ad verſ. 31. Hujus autem partes duæ ſunt, una in vitam præſentem, ad verſ. 27. altera in vitam futuram. Sunt autem in univerſum imprecationes 8 malorum, quorum V. ad vitam præſentem, tria ad futuram pertinent.

Sit menſa eorum] Malum 1. converſio recreationis in ærumnas Metaph. videtur ſumpta ab avibus quæ eo ipſo alliciuntur ad mortem, unde vitam petunt.

לפח LXX. εἰς παγίδα. Apoſt. Rom. 11. 9. εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν. Beza putat, poſterius irrepſiſſe in contextum ex margine, ubi forte ex Aquila vel Theod. notatum fuerat ut ſynonymum.

ולשלומים למוקש] *Et in retributiones & in tendiculam*] LXX. καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον. Paulus καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα ἀυτοῖς. Ut dubitare non poſſimus quin שלמים quod eſt ל. hic idem ſignificet quod שלמים. Syrus tamen videtur illud εἰς ante ἀνταπόδομα non legiſſe, nam vertit, *Et talio ipſorum in offendiculum*, quomodo & Ebræus Aben. vult ל hic redundare aut poſitum pro ה articulo. Prioris Exemplum הַשְּׁלִשִׁי לְאַבְשָׁלוֹם *tertius Aſolon.* 1. Ch. 3. 2. Poſterioris, בַּעֲלִיל לָאָרֶץ *in catino terra*, Pſ. 12. 7.

Beza tamen locum hunc vertit *& pacifica*, illa videlicet in quibus acquieſcunt, ſed hoc eſſet שְׁלָמִים à שָׁלֵם

Σκάνδαλον] Aq. σκῶλον, utrumque Eraſmus deducit à σκάζω *claudico*, quod objectum offendiculum cogat claudicare & ad ruinam tendere. Aliq. ſign. *calamitatem temporalem & corporalem*, aliquando *Occaſionem lapſus ſpiritualis*, Prov. 22. *Ne accipias ſcandalum animæ tuæ*, i. e. exitium, perniciem, vel calamitatem.

24. Imp. 2. mali, Excæcat. mentis. מֵרְאוֹת τοῦ μὴ βλέπειν. Ger. cum מ ſolent includere negationem aut comparationem apud Chald. ſemper negationem מִלְּמִקְטַל *ne occidat.* Sic 1 Sam. 8. *Eò quod ſpreverunt me* מִמְּלֹךְ τοῦ μὴ βασιλέυειν *ſuper eos.* Jeſ. 24. 10. *Et clauſa eſt domus* מִבּוֹא τοῦ μὴ εἰσελθεῖν, Comparat. Pſal. 118. *Melius eſt confidere Deo* מִבְּטֹחַ *quam confidere hominibus.* Hab. 1. 3. *Mundior es* מֵרְאוֹת רָע

ומתניהם] Καὶ τὸν νῶτον ἀυτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον. Senſus idem. Tum enim dorſum curvatur cum lumbi nutant ut in ſenibus. Sed ut prius hemiſtich. Metaph. ſumptum eſt, ita & hoc ſumi debet ut ſenſus ſit, *Fac illos impotentes*, vel, *Da ut impotentes maneant ad agendum recta.* Ut ſit malum tertium quod imprecatur, ut enim quorum lumbi viribus naturalibus deſtituuntur inepti ſunt ad actiones corporales, ita qui deſtituuntur viribus ſpiritualibus inepti ſunt ad actiones ſpirituales.

מתניהם Syrus vertit חַצְיהוֹן Trem. vertit *femur ipſorum*, cum Matth. 6. חצא ‎‎ נאסר accipitur pro *lumbus*, nam ipſe vertit, *accinctus lumbis.*

25. *Effunde*] Malum 4. Senſus iræ divinæ.

26. *In tentoriis eorum*] Domibus ipſorum. Vide ſupra Malum V. Exitium.

27. Hic verſus, qui dividit Imprecationes vitæ præſentis ab Imprecat. vitæ futuræ, continet duo argumenta imprecationis, 1. quod addant afflictionem afflicto illi perſecutores.

Quem tu percuſſiſti] R. Sal. accipit de toto populo Iſr. Alii de Davide. Alii etiam de Chriſto, qui Eſ. 53. vocatur *percuſſus Dei*, & de quo in Zach. dicitur, *Percutiam paſtorem & diſpergentur oves.*

Et de dolore] Arg. 2. quod cum gaudio narrent ſuam tyrannidem,

אֶל, pro *de*, Pſalm. 2. 7. *Narrabo* אֶל־חֹק יי Gen. 20. 2. *Et dixit Abraham* אֶל שָׂרָה אִשְׁתּו *de Sara uxore ſua, Soror mea eſt.*

28. *Appone*] Ebr. *Da.* Sic Pſalm. 8. 2. *Qui das majeſtatem tuam ſupra cælos.* Sic *Ponere* pro *dare* Gen. *Quia poſuit mihi Deus ſemen aliud* &c.

Iniquitatem ad iniquitatem] Jun. exponit Metonymicè, *pœnam iniquitatis ad pœnam*, i. e. pœnam exitii æterni ad pœnas temporaneas. Sic Gen. 4. 7. *Peccatum* pro *pœna peccati.* *Ad fores peccatum* רֹבֵץ i. e. ענש החטאת. Sic verſ. 13. *Major eſt* עֲוֹנִי &c. Sic Gen. 19. 5. *Surge ne pereas* בַּעֲוֹן הָעִיר *in punitione.* Santes. Sic paſſim, *portabit peccatum ſuum.* Zach. 4. *Hoc erit peccatum Ægypti.*

Alii exp. propriè, ut imprecetur *deſertionem divinam in patrandis peccatis*, i. e. *Permitte ut ruant de uno ſcelere in aliud, Trade eos in reprobum ſenſum. Puni peccata peccatis*, quod fit ſæpe à Deo non infundendo malitiam ſed ſubtrahendo gratiam & alia media ſine quibus mali non magis poſſunt bene agere quam aves ſine alis volare. Ebr. עבירה שכר עבירה. R. Simeon F. Azæi. Vide Apoth. Druſii & Adagia Rabb. Dec. 11. 4.

Juſtitiam] 7. Malum, deſertio in peccatorum remiſſ. confeq. *Fac ne conſequantur juſtitiam tuam quam tu donas filiis tuis*, i.e. Remiſſionem peccatorum.

29. *Deleantur de libro viventium*] Vel vitæ. Malum 8. æternum exitium. *Inſcriptum eſſe libro viventium* idem eſt quod *ad vitam æternam eſſe prædeſtinatum.* Malo *vitæ*, quam *viventium*, ob locum ſimiles Phil. 4. 3. ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς. Sic Ap. 3. 5. *Qui vicerit nomen ejus nunquam delebo ex libro vitæ.* Sic 20. 12. *Et aperti ſunt libri* (i. e. conſcientiarum, tabulæ illæ ineluctabiles) *& liber alius apertus eſt liber vitæ.* 21. 27. *Non intrabit in ea quicquam immundi, ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.* Apoc. 13. 8. *Beſtiam adorant quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni mactati*, ἀπὸ κατὰ. Vide noſtram Paſſion. Sic Ex. 32. 32. *Dele me de libro vitæ. Securus hoc dixit*, inquit Auguſt. Alii locum Moſis ſic accipiunt, *Dele me de libro viventium*, i. e. *occide me.* Sic *excidi ex terra viventium* Eſ. 53. Hunc librum Ezech. 13. 9. vocat Scripturam *domus Iſraël* & *arcanum Domini*; quia nos ignoramus quinam illi ſint. Sed ſi *inſcriptum eſſe libro viventium* idem eſt quod *eſſe prædeſtinatum ad vitam*, quomodo hic dicitur *deleantur?* & Moſes, *dele me?* An decretum hoc Dei poteſt fieri irritum & mutabile? Nullo modo. Ideo ipſe Geneb. fatetur admodum catachreſticòs hic locutum Davidem, & accipienda eſſe verba neganter non affirmanter, & ſenſum eſſe, *ne ſcribantur.* Sed & hoc impropriè. Hæc enim inſcriptio non fit in tempore ſed facta eſt ab æterno. Itaque Piſcator reſpondet loqui Davidem ex opinione hominum, ſecundum quam hoſtes Chriſti & Davidis credebantur eſſe prædeſtinatos propterea quod profitebantur veram Religionem V.

Cum juſtis] Cum filiis tuis qui juſti ſunt duplici juſtitia, Imputata & Inhærenti, ſed admodum imperfecta.

Præ tauro] שׁוֹר Ch. תּוֹר Syr. תּוֹר

פַּר] *Juvencus*, פרה *Juvenca*, vacca quæ jam generat & fructificat. עֵגֶל *vitulus.* Jud. 6. 25. vocatur פַּר ſeptem annorum. Vocem utramque פר & שור Lxx. aliq. μόσχον transferunt, i. e. *vitulum.* Ubi tamen *vitulus* accipiendus eſt pro *bove*, unde Exod. 34. 19. πρωτότοκος μόσχου.

מַקְרִן] Epitheton τοῦ פר, ne videretur intelligi קָטֹן מאוד. מַקְרִן *producens cornua*, à קֶרֶן quod ſign. *cornu*, unde הִקְרִין *cornutum eſſe* vel *cornua producens.* Aliq. קרן ſignif. *radium*, *ſplendorem*, cornui ſimile, cum enim quis ſolem aut lucem aliam intente intuetur videtur illi radios emittere cornuum inſtar, unde Exod. 34. 29. *Moſe neſcire* כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *quod radiaret oculis faciei ſuæ.* Sic verſ. 30. & verſ. ult. Hier. *quod cornuta eſſet facies ſua*; Unde *delirium* Vulgi. Lxx. ibi optime, ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώτος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. 2 Cor. 3. 7. *Non poterant FF. Iſraël oculos intendere in faciem Moſis propter* δόξαν *vultus ejus.*

GROTIUS.

28. **N**On *intrent in juſtitiam tuam*] Bonitatis tuæ nè participes ſint. Nam Hebræis frequens per צדק ſignificare beneficentiam.

29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*] *Viventes* hic dicuntur qui bonâ fruuntur valetudine, quod Legem ſervantibus Lex promittit. Sic contrà mortis nomine ſæpe intelliguntur morbi. חי [*vivus*] [ὑγιὴς [*ſanus*] vertitur in Levitico aliquoties, nec aliter Eſai. 38. 21.

PRICÆUS.

4. **E***Rubeſcant qui volunt mihi mala*] Ità & ſuprà 34. 26. Græci heic, καταισχυνθείησαν. In Gloſſario, Καταισχυνθήτωσαν, *confundantur.*

IDEM.

4. **Q***Ui volunt mihi mala*] *Mala* hìc eſt interitum, perniciem. Vide ſuprà ad 55. 6.

PSALM. LXX.

MUNSTERUS.

3. **C***Onvertantur pro mercede*] i. e. Hæc ſit merces eorum qui omnes confundunt & omnibus *probra objiciunt*, *& dicunt*, *Euge*, inſultantes ſcilicet eis iniquè, ut *retrorſum agantur*, & redeant opprobria eorum in caput eorum.

VATABLUS.

1. **V***Ictori* לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſal. 4. ¶ *Ad commemorandum* לְהַזְכִּיר] Vide Pſal. 38. Quidam vertunt, *ad narrandum*: i. e. memoriâ dignus. Videtur hoc adjicere quòd formulam orandi contineat hic Pſalmus, quam ſequi debeant fideles.

3. *Convertantur* יָשׁוּבוּ] *Revertantur retrorſum. Retro agantur. Repellantur. Abeant retrorſum*: q. d. Fruſtrati ſpe ſuâ abeant, pro mercede pudoris quo me afficere conabantur.

4. *Magnificetur Deus* יִגְדַּל אֱלֹהִים] Verba ſunt interpoſita, quod frequens eſt Hebræis, pro, *Et qui diligunt ſalutem tuam dicant ſemper*, *Magnificetur Deus*: q. d. Qui abs te opem quærunt, dicant perpetuò, *Magnus habeatur*, vel *appareat*, *Deus.*

CLARIUS.

HOſtes non tam ſuos quàm Dei à perverſis conatibus ſuis contra innocentes orat depelli. In multis autem Pſalmis ſimilia huic Pſalmo cecinit, & ferè ad verbum eadem quæ hic habentur.

3. *Convertantur ut merentur*] Alius vertit, *Convertantur pro mercede confuſionis ſuæ*, h. e. Hæc ſit merces eorum qui omnes confundunt, & omnibus probra objiciunt, & dicunt, *Euge*, inſultantes ſcilicet eis iniquè, ut retrorſum agantur, & redeant opprobria eorum in caput eorum.

4. *Qui diligunt ſalutare tuum*] Qui ſalutis tuæ cupiunt fieri participes.

DRUSIUS.

1. לְהַצִּילֵנִי יְהוָה לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה. Ἄλλοι, εἰς τὸ βοηθῆσαί μοι, Κύριε, σπεῦσον, *ad juvandum me*, *Domine*, *feſtina.*

AMAMA.

VOcibus & argum. idem eſt cum Pſalmi 40. fine pauciſſimis tantum exceptis.

Pſ. XL.		Pſ. LXX.	
לַמְנַצֵּחַ לְדָוִד מִזְמוֹר.		לַמְנַצֵּחַ לְדָוִד לְהַזְכִּיר.	
רְצֵה יְהוָה לְהַצִּ׳.	14	אֱלֹהִים לְהַצִּ׳.	2
מְבַקְשֵׁי נַפְשִׁי לִסְפּוֹתָהּ.	15	מְבַקְשֵׁי נַפְשִׁי.	3
יָשֹׁמּוּ.	16	יָשׁוּבוּ.	4
תְּשׁוּעָתֶךָ.	17	יְשׁוּעָתֶךָ.	5
אֲדֹנָי יַחֲשָׁב־לִי עֶזְרָתִי	18	אֱלֹהִי חוּשָׁה־לִּי עֶזְרִי	6
—— אֱלֹהַי אַל.		—— יְהוָה אַל.	

לְהַזְכִּיר] Periphraſis adjectivi, i. e. μνημονευτικός. Sic לְלַמֵּד διδασκαλικός. לְהַלֵּל ἐπαινετικός. לְהוֹדוֹת εὐχαριστικός. לְהִתְפַּלֵּל εὐκτικός. Sic Lxx. Pſ. 38. & hic ψ. εἰς ἀνάμνησιν.

Ut ſubinde in memoriam ſibi revocaret exitium & perſecutiones.

3. Phraſin ambiguam Pſ. 40. limitat & ad unam ſign. reſtringit vox addita לִסְפּוֹתָהּ *ad perdendum animam.* Aliàs enim Phraſis *quærere animam*, abſtractè conſiderata, ambigua eſt, ut ſumatur vel in bonam vel in malam partem. Vide ſuprà.

4. *Retrocedant* עַל־עֵקֶב *propter.* Jeſ. 5. 23. *Væ Abſolventibus injuſtum* עֵקֶב שֹׁחַד *ob munus*, עקב *calcem* ſign. Syn. *finem* & *mercedem.*

Pudoris ſui] i. e. vitæ pudendæ.

5. *Gaudeant*] Fac ut gaudeam, i. e. Libera me. Sic enim futurum *ut gaudeant* &c. Meton. Effecti Synecd.

Chald. *Gaudeant & lætentur* בָּךְ vertit, בְּמֵימְרָךְ *in ſermone tuo.* Sic

Sic fere ſemper cum Deus compell. in ſecunda perſona expreſſo nomine Dei, vel ſubint. habet eam Periphraſin. Multi putant hoc ab eo factum ad deſignandum 2 perſonam in adoranda Trinitate. Sed quia recentior ille Judæus eſt, ego non poſſum mihi perſuadere ita fuiſſe illuminatum; niſi forte inſcium & invitum inſtar Cajaphæ Filio Dei teſtimonium perhibuiſſe velimus. Ipſe Onceclos qui antiquior, ſic uſus hac phraſi ut Ebræi ſuo עבו, tam de Creaturis quam de Deo. Vide Druſ. ad diff. Moſis p. 39.

I. Quia Judæi fuerunt.

II. Quia corruptiſſima ſæcula quibus ſcripſit etiam antiquiſſimus.

III. Quia de hominibus ita loquuntur.

Legem vertit Oncelos diſcipulus Gamalielis, Pauli coætaneus, qui Gamaliel fuit nepos Hillelis.

Prophetas Jonathan Uzielides Hillelis diſcipulus ergo paulo ante Chriſtum floruit; fuit enim diſcipulus ejus cujus nepos fuit Gamaliel Pauli Præceptor; ergo prior Oncelo vertit *Prophetas*, ne multiplicarentur diſſenſiones in Iſraële.

Hagiographos juxta quoſdam Joſeph Cœcus, qui vixit 340. annis poſt Chriſtum.

Quærentes te] i. e. Invocantes te, vel colentes te. Phraſis enim hæc I. Signif. *invocare*, Pſ. 9. *Ne relinquas quærentes te.* Eſ. 55. 6. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.*

II. Quia *Invocatio totum cultum* aliq. complectitur, ponitur aliq. pro *colere Deum*, ut Joel. 3. Act. 2. 2 Chron. 34. *Joſias puer cum adhuc eſſet quærere cæpit Deus Patris David.* Ibid. 25. 5. *Uzias quæſivit Deus in diebus Zachariæ, & quibus diebus quæſivit DOMINUM, ſecundavit eum Dominus.*

III. *Conſulere oraculum*, 2 Chr. 16. 7. dicit Achab Joſaphatho aſcenſurus ad Ramot Galead, *adhuc eſt vir unus ex quo quæras Dominum, ſed odi virum* &c.

GROTIUS.

IN *rememorationem quòd ſalvum fecerit eum Dominus*] Hæc *quod ſalvum fecerit eum Dominus*, interpretamenti causâ addidere LXX. Sunt autem quæ in hoc Pſalmo ſunt, eadem cum poſtremis Pſal. 40. Et hic, & qui ſequitur Pſalmus repræſentat mala quæ Abſalomus excitavit. Videntur autem Pſalmum ſequentem uſurpaſſe, & illi qui cum Rege Joachimo in Babylonem abducti ſunt, 2 Reg. 24. 12. quod indicat Græca & Latina ejus inſcriptio, quæ in Hebræo deeſt.

PRICÆUS.

4. ET *de manu contra legem agentis*] Eorum qui legibus ſuſpendium mandant, ut locutus Apulejus: ad cujus lib. 9. pag. 559. annotata vide.

Ibid. *Contra legem agentis, & iniqui*] In Græco, παρανομȣ̃ντος, καὶ ἀδικȣ̃ντος. Hinc apud Heſychium, Παράνομος, &c. ἄδικος. Quod ibi autem continuo tenore additur, ἄθεσμος ἁμαρτία, illum locum impeditum reddit. Nè dubita inſerendam eſſe vocem παρανομία, quæ malè excidit: libenterque eam Gloſſam applicuerim ad Petri 2. 2, 16. illa, de Balaämo, ἔλεγξιν ἔσχεν ἰδίας παρανομίας ὑποζύγιον ἄφωνον.

7. *Tanquam prodigium factus ſum multis*] Id eſt, inimicis & deriſoribus mei. Sic ſuprà 30. 12. *Super inimicos meos factus ſum opprobrium. Prodigium*, res nefaria, abominanda. Megæra apud Claudianum de Ruffino,

Eſt mihi prodigium cunctis immanius hydris.

11. *Perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat*] Suprà 49. 22. *Nè quando rapiat*, (Deus,) *& non ſit qui eripiat.* Vide & 7. 2.

15. *Os meum annunciabit juſtitiam tuam, totâ die ſalutare tuum: quoniam non cognovi literaturam*] Inter nuperos Expoſitores eminentiſſimus ille, *Quamvis numerum* (nempe bonitatum tuarum) *non novi.* Si id voluit Pſalmiſta, videntur non aliena Apuleji iſta, *At ego, referendis laudibus tuis exilis ingenio*, &c. *nec mihi vocis ubertas ad dicenda quæ de tua majeſtate ſentio ſufficit, nec ora mille, linguæque totidem, vel indefeſſi ſermonis æterna ſeries.* Nam & iſta ad auctorem Naturæ, id eſt, Deum, prolata.

18. *Et uſque in ſenectam, Deus, nè derelinque me*] Et in ſenecta, Deus, nè d. m. ut ſuprà 9. *Nè derelinque me*, ut & Pſal. 26 9. & 21. 2. & 118. 8.

20. *Quanta oſtendiſti mihi mala!*] Gr. ὅσας ἔδειξάς μοι θλίψεις! Vide ad 2 Tim. 4. 14. annotata.

IDEM.

6. IN *te confirmatus ſum ex utero*] *In te projectus ſum ex utero*, ſuprà 21. 11.

——— *Ut ſævis projectus ab undis*
Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni
Vitæ auxilio, me quando in luminis auras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit.

Ibid. *De ventre matris meæ tu es protector meus*] De Eodem 50. 24. apud Sirachidem, *Qui auxit dies noſtros à ventre matris noſtræ, & fecit nobiſcum ſecundum miſericordiam ſuam*: i. e. & protexit nos.

10. *Conſilium fecerunt in unum*] *In unum* (ut 2. 2.) *convenerunt.*

11. *Perſequimini, & comprehendite eum*] Similia ex perſona ſimilium Proverb. 1. 12, 13. Suprà hic 7. 6. *Si reddidi*, &c. *perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat*: ut contrà 17. 38. *Perſequar, & comprehendam eos.*

12. *Nè elongeris à me*] *Ne elongaveris* (ut 20. 22.) *à me auxilium tuum. Nè longè facias* (ut 39. 12.) *à me miſerationes tuas.*

17. *Docuiſti me à juventute mea*] Juxta id quod alibi, *Pauper ſum, & in laboribus à juventute mea. Docuiſti*, nempe per ea quæ paſſus ſum: παθήματα enim μαθήματα.

20. *Vivificâſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me*] Tobiæ 13. 2. *Flagellas, & ſalvas: deducis ad Inferos, & reducis.*

PSALM. LXXI.

MUNSTERUS.

3. TU *mandaſti*] Poteſt etiam eſſe ut præteritum hîc capiatur loco futuri, ut ſit ſenſus, Tu mandabis Angelis tuis de me, ut me liberent.

9. *Ne projicias me in tempore ſenectutis*] Hoc dicit, quòd ſicut à pueritia illi ſemper affuit, ità quoque in provectiori ætate non deſerat.

10. *Qui obſervant animam meam*] i. e. Qui inſidiantur vitæ meæ, habent conventicula & conciliabula quomodo me perdant.

16. *Incedam in fortitudinibus Domini*] Quod vivo & victurus ſum, hoc tibi debeo, qui vires præbes perturbato, & in exilium profligato.

19. *Juſtitia tua, Deus, patet uſque in excelſum*] i. e. Juſtitia tua eſt tam immenſa ut ſuâ altitudine, latitudine & profunditate impleat totum orbem. Juſtitia enim illa Dei, quâ ſolâ ſalvamur, per totum orbem eſt diſperſa, & omnibus communicatur mortalibus qui illam accipere dignantur. Poteſt quoque intelligi de juſtitia Dei ultrice, quâ pii liberantur & impii damnantur. *Magna* autem ſunt quæ facta ſunt in Diluvio, in Ægypto, & aliis liberationibus Divinis.

20. *Oſtendiſti mihi tribulationes*] i. e. Feciſti experiri afflictiones multas & duras, cùm & filius & primores Regni atque totus populus conſurgerent contra me: ſed tu *converſus*, qui receſſeras, ad me, *vivificaſti me.* Vocat autem mala ipſa *abyſſos terræ*, unde emergere non potuiſſet, niſi Deus illi manum porrexiſſet. Et non tantùm eripuit eum ex illis periculis, ſed & in priorem reſtituit dignitatem, æmulo Regni interfecto.

VATABLUS.

1. IN *æternum* לְעוֹלָם] *Unquam.*

2. *Eripe me* הצילני] Fut. Heb. pro imperat. ſive optativo, *eripias.*

3. *Robuſtum habitaculum* לצור מעון] Ad verb. *rupem fortitudinis*; vel, *roboris.* Frequentes namque rupes erant in Terra ſancta, in quas ſe recipiebant metu hoſtium. ¶ *Præcepiſti* צוית] Præteritum pro futuro, & futurum pro optativo, *Mandes ut me ſervent*, ſub. *Angeli tui.* Nonnulli præteritum ſervant, ſubaudientes *quemadmodum*, vertentes, *quemadmodum præcepiſti ut me ſervarent.*

6. *Laus* תהלתי] *Gloriatio*; q. d. De te glorior indeſinenter.

10. *Locuti ſunt inimici mei de me* אמרו אויבי לי] Præt. pro præſ. ut quidam vertunt, *loquuntur inimici mei contra me.*

13. *Pudore afficiantur* יבשו] Vel per futurum, *Confundentur*, &c. fruſtrati ſcilicet ſuâ opinione.

14. *Laudem tuam* תהלתך] Sing. pro plur. *laudes tuas*; quibus ſcilicet te laudare ſolebam.

15. *Tametſi*, &c. כי לא ידעתי ספרות] *Quia non novi numeros*, ſub. *beneficiorum tuorum:* q. d. Quia tot ſunt beneficia tua ut nullo numero comprehendi poſſint.

16. *Ingrediar in potentias Domini Jehova* אבוא בגבורות אדני יהוה]

יהוה] Hebraïſmus, pro *aggrediar narrare fortia facta tua.* Anteced. pro relat. Quidam vertunt, *Veniam in virtutibus Domini Jehova.* Alii, *veniam* ad bellum *in fortitudinibus Domini Jehova.*

17. *Et hactenus annunciavi* ועד הנה אגיד] Fut. Heb. *& uſque in præſens annunciabo*; alii, *annuncio.*

20. *Oſtendiſti mihi* הראיתני] *Feciſti me videre.* Hebraïſmus, pro, *Qui afflictiones magnas & difficiles experiri me feciſti.* ¶ *Reverſus vivificaſti* תשוב תחייני] Futura Heb. *converteris*, *vivificabis me*, pro præteritis, *converſus es*, *vivificaſti me.* Alii, *Converſus vivificaſti me.* Ità ſolent vertere quoties duo verba conjunguntur ſine conjunctione. Alii, *reſtituiſti me*, & *recreaſti.* ¶ *Converſus aſcendere* תשוב תעלני] Fut. Heb. etiam ſine conjunctione, *reverteris*, *aſcendere facies me*; pro, *converſus*, ſive *placatus*, *revocaſti me*: nempe à morte ad vitam. Alii, *iterum reduxiſti me.*

21. *Auxiſti magnitudinem meam* תרב גדלתי] Fut. Heb. pro præt. *Auxiſti magnificentiam meam. Multiplicaſti dignitatem*, vel *amplitudinem meam.* ¶ *Et converſus conſolatus es me* ותסב תנחמני] Fut. Heb. ſine conjunctione: ad verb. *& circuibis, conſolaberis me*; pro, *& converſus conſolatus es me.* Alii, *rurſum conſolatus es me*; vel *placatus es mihi.*

23. *Exſultabunt* תרננה] *Ovabunt. Laudabunt.*

24. *Totâ die loquetur* כל היום תהגה צדקתך] *Quotidie meditabitur juſtitiam tuam.*

CLARIUS.

Communis argumenti Pſalmus eſt, quo memorat quemadmodum in periculo (ut creditur) conjurationis Abſalon opem contra conjuratos oraverit, & acceptâ à Domino conſolatione, qui ſicut à puero ipſum ſervarat, ita nec in ſenectute erat deſerturus, vota laudis ipſi nuncuparit.

3. *Tu mandaſti ut me ſalves*] Poteſt & præteritum hic accipi pro futuro, ut ſit ſenſus, Tu mandabis Angelis tuis de me, ut me liberent.

6. *In te cantatio mea ſemper*] In te laudando, inquit, merito ſum occupatus aſſiduè.

10. *Quia dixerunt*] Jam cœperunt de me loqui hoſtes mei; & ut inſidias ſtruant mihi, conſpiraverunt inter ſe.

14. *Adjiciam ſuper omnem laudem tuam*] Majore ſtudio quam unquam antea canendis laudibus tuis incumbam.

15. *Quoniam non cognovi numerum*] Memorabit os meum, inquit, juſtitiam tuam, & quam fers ſalutem quotidie: nam quotidie illâ fruor, atque ita cumulatè, ut numerum beneficiorum ignorem, vel laudum quæ tibi debentur.

16. *Introibo in potentias*] Quidam vertit, *Introeam, Domine Deus, ad commemorandum potentiam & juſtitiam tuam ſolius.* Meliùs fortaſſe vertetur, *Introibo in potentiis tuis*, h. e. Quicquid unquam aggrediar, fretus omnipotentiâ Domini Dei aggrediar: *in memoriam revocabo omnibus, & celebrem faciam integritatem tuam ſolius.*

18. *Generationi omni*] Quidam ſic diſtinguunt, *Donec annunciem brachium tuum meæ ætatis hominibus, & univerſæ poſteritati omnipotentiam tuam. Et juſtitiam tuam, Deus, laudibus in altum extollam*, &c. Alius vertit, *Et quidem juſtitia tua, Deus, patet uſque in excelſum.*

21. *Multiplicaſti magnificentiam meam*] Auxiſti me potentiâ & honoribus.

LUCAS BRUG.

15. Alia exemplaria legunt, *Et adorabunt de ipſo ſemper*] Alia, *Et orabunt de ipſo ſemper.* Priori modo quæ legant, ut ſunt pleraque, ità paſſim obvia: poſteriori autem modo Brugenſe MS. habet. Neque id tantùm, ſed & antiqui Epanorthotæ codices, quantum quidem à me colligi poteſt; nam erratum eſt à ſcriba non nihil. Lugdunenſia quoque Biblia in margine annotant, *Alias, Orabunt.* Romanum Jacobi Pſalterium ad eundem modum *orabunt* legit: ſed MSS. noſtra Romani Pſalterii antigrapha, Lobienſe, Tornacenſe & Goticum, priori lectioni conformiter, *adorabunt* habent. D. Auguſtinus *orabunt* ſine controverſia legit. Remigius Antiſſiodorenſis ſic exponit ac ſi *orabunt* legiſſet. Bruno Carthuſianorum patriarcha utrumque explicat. Græcè eſt, *καὶ προσεύξονται περὶ αὐτοῦ διαπαντός.* Προσεύχεσθαι, ſi Græcam velis compoſitionem reddere, *adorare* transferas: ſed rectiùs fortaſſis *adprecari*: nam *adorare* Latinis ferè venerari denotat; *προσεύχεσθαι* verò Græcis aut ſimpliciter, aut *cum quadam aſſiduitate orare* ſignificat. Atque ità Euthymius Græcus autor, in hujus loci commentariis, exponit. Hebraïcæ quoque dictionis התפלל, & Chaldaïcæ צלא, *orare* ſignificatio eſt. Latinè igitur *orabunt* vel legendum vel intelligendum eſt. *Quod* autem *habet Græcus περὶ αὐτοῦ, aliqui*, Auguſtinus ait, *interpretati ſunt* de ipſo, *aliqui* pro ipſo *vel* pro eo. *Pro ipſo* exponit Euthymius. Et Hebraïcum בעדו *pro ipſo* ferè transferunt Latini Interpretes ויתפלל בעדו תמיד *& orabit pro eo ſemper* (LXXII. ſenes ſingularem numerum plurali commutarunt) quanquam Hieronymi pleraque exemplaria *de eo* legant; unicum ex noſtris *pro eo.* Eiſdem verbis legimus Gen. 20. 7. Abimelechi, qui uxorem Abrahæ acceperat, dixiſſe Dominum ויתפלל בעדך, quod procul dubio eſt, ut noſter reddidit, *& orabit pro te*: atque id in Græcum ſimiliter atque hoc Pſalmo translatum eſt, *καὶ προσεύξεται περὶ σοῦ.*

16. *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*] Non eſt præmittenda *&* conjunctio, quæ ut ab omnibus penè MSS. noſtris tollitur, ità nec Græcè nec Hebraïcè nec Chaldaïcè legitur. Eſt autem Hebraïcè יהי פסת בר בארץ בראש הרים, id quod Hieronymus tranſtulit, *Erit memorabile* [*memoriabile* 1 MS. *memoriale* 1 MS.] *triticum in terra in capite montium.* Alii quidam, *Erit multiplicatio*, ſeu *abundantia*, *frumenti in terra in vertice montium.* Alii iterum, *Erit particula*, aut *vola*, ſeu *palma*, *frumenti in terra in capite montium.* Alii rurſus, *Erit placenta frumenti in terra in capite montium.* Itaque conjicit Nicolaus à Lyra, & poſt eum alii nonnulli, corruptè in Vulg. Lat. editione ſcriptum eſſe *firmamentum*; ſcribendum verò *frumentum*: nempe, vocum ſimilitudinem erroris dediſſe occaſionem. Verùm cùm Græcè *firmamentum*, non *frumentum* legatur: non eſt doctis pleriſque ſcriptoribus ea conjectura veriſimilis. Non enim ex Hebræo, ſed ex Græco proximè educta eſt Latina noſtra tranſlatio. Igitur cùm conſtanter *στήριγμα* Græcè ſcribatur, conſentientibus Euthymio, Theodorito & Juſtino, Dial. con. Try. non eſt *frumentum* Latinè mutandum. Ut autem Græci tractatores Græcique codices *στήριγμα* conſtanter legunt, ità Latini Enarratores Latinique codices *firmamentum* concorditer habent, Tractatores, Arnobius, Hieronymus, Ruffinus, Auguſtinus, Caſſiodorus, Beda, Haymo, Remigius, & poſteriores codices, quos nos vidimus, poſt alios, omnes uno dempto, quem ex Trilingui collegio mutuò habemus, qui manifeſtè legit, *Erit frumentum in terra in ſummis montium.* Verùm cùm primùm is anno Domini 1432. ſcriptus ſit, ut in libri fine ſignatum eſt, vix dubium eſſe poteſt, ex Lyrani ſententia factam mutationem. Verterunt autem LXXII. *στήριγμα*, ſeu *firmamentum*, quòd vocem פסה à פס, ut videtur, deduxerint; id quod Chaldæis, inter reliqua, *certum reddere*, *firmare*, & *fulcire*, ſignificat. Hinc & Chaldæus Paraph. (Joſephum Cæcum, ut aliàs ſemper, intelligo, ſeu R. Akilam, nam alii huic, alii illi, eam quæ exſtat Chaldaïcam Pſalterii paraphraſim tribuunt) tranſtulit יהי מסעיד לחמא בארעא בריש טוריא, *Erit fulciens*, ſeu *confortans*, *panis in terra in capite montium*: quod alii vertunt, *Erit ſubſtantificus panis*, &c. Cæterùm nec incommodè, nec præter modum loquendi Divinæ Scripturæ, *firmamentum*, quod habent LXXII. pro *frumento*, quo nimirum ſuſtentatur hominis vita, & roborantur ac firmantur vires, accipiatur. Sic enim legimus Pſal. 104. 16. *πᾶν στήριγμα* [מטה] *ἄρτου συνέτριψεν*, *Omne firmamentum panis contrivit.* Rurſus Iſa. 3. 1. *Omne robur panis & omne robur aquæ*, *ἰσχὺν ἄρτου καὶ ἰσχὺν* [משען] *ὕδατος.* Non eſt igitur ab arcanis literis aliena interpretatio ſi *firmamentum* exponatur pro *frumento* ſeu *pane*: præſertim cùm ſit Hebraïcè פסת בר *firmamentum frumenti.* Hoc autem modo Neotericorum complures exponunt: & ad Euchariſtiæ ter maximum ſacramentum referunt, non ſine magna veriſimilitudine. Nam & Judæorum antiqui Doctores de placenta quam Meſſias daturus, ejuſque ſacerdotes oblaturi eſſent, hunc interpretati ſunt locum. Sanè manifeſta eſt admodum in hanc ſententiam alterius Chaldæi Paraphraſtæ, Jonathæ filii Uzielis, tranſlatio, יהי קרבן דעבורא בארעא בריש טוריא בעכינתא, *Erit ſacrificium frumenti in terra in capite montium in Eccleſia.* Cùm hæc hujus, tum alia aliorum inter Hebræos veterum Magiſtrorum, verba Petrus Galatinus lib. 10. De arcanis Catholicæ veritatis capitibus 4, & 5. recitat, Veteres Chriſtianorum Tractatores, qui ſola ferè LXXduorum tralatione uſi ſunt, non mirum nihil hîc de ſacris myſteriis annotaſſe.

DRUSIUS.

8. כָּל־הַיּוֹם. Sym. *perpetuò*] Apud Interp. Euthymii, *non ſemel tantùm laudabo, ſed perpetuò id faciam: ità enim Symmachus ea verba reddidit, quæ hîc habentur Totâ die.* R. D. quoque Pſal. 44. כל היום exponit תמיד, i. e. *jugiter.* Infrà 86. 3. כל היום. Sym. *ſemper.* Vide notata ad illum locum.

12. אֱלֹהַי לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה. *οἱ λοιποί*, Ὁ Θεός μου εἰς τὴν βοήθειάν μου πρόσχες] Suprà 70. 2. *σπεῦσον*, & melius.

13. יֵבֹשׁוּ יִכְלוּ שֹׂטְנֵי נַפְשִׁי. Sym. *καταισχυνθήτωσαν καὶ ἀναλωθήτωσαν*

τωσαν οἱ ἀντικείμενοι τῇ ψυχῇ μου] Interpres Theodoreti, *Confundantur & conſumantur qui adverſantur animæ meæ.* Euthymii, *Pro Deficiant*, Symmachus dixit *Conſumantur.*

15. לא ידעתי ספרות. Sym. οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι, *non enim novi numerare.*

16. אבוא בגברות אדני. Sym. *ingrediar in potentia Domini.*

17. אלהים למדתני. A. Θεέ, ἐδίδαξάς με. Sym. & Th. ὁ Θεὸς, ἐδίδαξάς με.

19. אלהים עד־מרום אשר־עשית גדלות. A. Sym. *Deus, uſque in altitudinem quæ feciſti magnalia*] Interpres Euthymii, *Aliqui poſt verba illa* & juſtitiam tuam *perfectum ponunt punctum*, *& quæ ſequuntur huic verſiculo conjungunt*, quæ feciſti mihi magnalia, *Aquilam in hoc ſecuti, ut ſit ſenſus*, *Magna & grandia beneficia quæ in me contuliſti, tam admiranda fuere ut eorum fama ad ipſas etiam cæleſtes poteſtates pervenerit.* Magnalia, Μεγαλεῖα.

20. צרות. Sym. καὶ κακώσεις, *& vexationes.*

21. תרב גדלתי ותסב תנחמני. Sym. Αὐξήσεις τὴν μεγαλειότητά μου, καὶ περικυκλώσεις με παραμυθίᾳ, *Augebis magnificentiam meam, & circumdabis me conſolatione.* A. & Th. πληθυνεῖς, *multiplicabis.* - - - -

AMAMA.

3. לצור מעון] *In rupem habitaculi.* A עון; unde מעון *habitaculum alicui deſtinatum, ut* עונה *tempus determinatum & deſtinatum certæ rei*; hinc עונן & מעונן juxta quoſdam, quam vocem alii *præſtigiatorem & oculos tenentem* reddunt, q. à עין; alii *Aſtrologum Planetarium, Genethliacum*, προγνώστην, qui ſupputat tempora & horas, & ex iis prædicit lætos vel triſtes rei agendæ exitus; alii, *Obſervatores ſomniorum.*

Præcepiſti] Angelis. Pſ. 91. להושיע de περὶ Object. vel εἰς ut finis denotetur.

4. חומץ] Pro חמס, permutatis צ & ס. Id bis fit. Hic & Eſ. 1. 17. אשרו חמוץ *rectificate oppreſſum.* Alii voci חמץ aſcribunt ob duo hæc loca tertiam ſignif. *rapere*, *vim facere.* 1. Enim ſign. *acidus*, *acetoſus fuit*, diciturque de Maſſa & Vino, quæ aceſcunt, dum illa in fermentum, hoc in acetum vertitur. 2. Cum transf. ad animum, *iratus*, *perturbatus fuit*, ſic apud Pl. Merc. *Mea uxor propter eum tota in fermento jacet*, & in Pſeud. *Ecquid acetum habet in pectore.*

ח'] אדני יהוה in Lege & Hagiographis, quater in Lege & 4. in Hagiographis, & quidem in Pſalmis. Extra enim Pſalmos in Hagiog. non extat.

6. *Ab utero*] *A viſceribus* אתה *tu abripuiſti me*, *extraxiſti.* Miraculoſa res eſt partus. Adeo quidem ut niſi Deus opitularetur, & quaſi obſtetricaretur parturientibus, pereundum eſſe omni fœtui. Ideo extractionem illam ſeu exitum ſuum εἰς φάος ἠελίοιο, Deo in ſolidum aſcribit. Sic Pſ. 22. Deum vocat גוחי *eductorem ſuum ex utero.* גז & גוז diff. גז *avellere*, *extrahere*, quovis modo, גז *tondere.* Hinc eſt גוזן fluvius quem R. Moſes Maim. putat eſſe celebrem illum fluvium *Sambationem* vel *Sabbationem.* Hunc putant eum eſſe quem Strabo vocat *Eleutherum.* Prodiderunt Judæi & ab antiquiſſimis etiam Gentibus creditum eſt *rivum eſſe in terra S. qui omnibus ſabbathis ſiccatur*, verba Plinii l. 31. 2. Sic & Elias Thisb. *Tota ſeptimana fluit* חוץ בשבת. Et, *vocarunt Sabation* מפני שביתתו בשבת. Noſtri *Sabbaticum* vel *-tarium* vocant. Solus Joſeph. Cap. 7. 24. plane contraria de eo ſcribit, dicitque eam eſſe inter Arcas & Raphanæam Syriæ urbes, & tantum Sabbatho fluere. Unde hauſit & Agricola lib. 3. de natura eorum quæ ex terra fluunt. At Plinium omnes Rabbini defendunt, & Etymologia & ideo à Caſaub. reſtituitur & in concordiam redigitur. Hinc Rabb. intulerunt Gentibus etiam imperatum Sabb. cultum. Alii ad pœnam retulerunt. Cum enim tota ſept. adeo rap. vert. feratur nemo ut tranſire queat, Sabbathis quieſcere pedibuſque pervium eſſe ajunt in pœnam Iſr. ut quo tempore undarum impetus conſtitit, Sabbathi veneratio eos inhibeat & movere pedem vetet. Bellon. in Obſ. oculatus teſtis ridet hanc fabulam. Et putant multi illam quoque narrat. in Joſepho νοθεύειν. Vide Cun. 337.

7. כמופת] Exemplo meo quod oſtendiſti ipſis multi adducti ſunt ut credant in te.

9. זקנה] Tres Senect. זקנה à Lx. שיבה à Lxx. ישיש ἐσχατογέρων, *Silicernium.*

Projicias meas] Metaph. à pueris expoſititiis. Pl. Ciſt. *Eam ubi peperit juſſi parvam projici.* Contr. ejus eſt יאסף Pſ. 27. ויהוה יאספני. Aruch אסופי qui de platea tollitur nec novit patrem vel matrem ſuam. τρόφιμος, χαμαιρευτός, *altellus*, *expoſititius.*

Cum deficit בכלות] Proprie ſuccus ille nativus & vitalis, humidum radicale. Vide Eccl. 12.

13. שטני] Hinc שטן, ἀντικείμενος. Sic & hic Symm. καταισχυνθήτωσαν οἱ ἀντικείμενοι τῇ ψυχῇ μου. Alibi διάβολος. Ideo & Lxx. שטן ſæpe vertunt *detrahere*, ut hic ἐνδιαβάλλοντες τὴν ψυχήν μου. Si ergo שטן ſignif. etiam *calumniari*, διάβολος erit ejus interpretamentum. Patres aliq. ἀποστάτην vertunt ac ſi eſſet à שטה *deflexit.* Math. 16. Petrus vocatur *Satanas.*

15. לא ידעתי ספרות] *Numeros*, i. e. non poſſum omnia & ſingula beneficia numerare, ita generatim tuam juſtitiam & ſalutem tuam prædicabo. Sic & Symm. οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι. Vide Pſ. 40. 6. Lxx. ὅτι οὐκ ἔγνων γραμματείας. Vulg. *Non novi literaturam.* Alii Cod. ut Rom. *Negotiationem*, i. e. Πραγματείας. Tharg. פרגמטיון. Ab. י loco ו ut גבירה.

Quia non novi literaturam, *ingrediar in potentias Domini*] Nollem hoc ſcire Laïcos noſtros miniſtros, qui gloriantur ſe ſtuduiſſe in ſchola Sp. S. & doctos contemnunt. Hic enim locus valde favet iſtis, ut & Enthuſiaſtis & Anabaptiſtis, videtur enim hic eſſe ſenſus, quia non ſum imbutus literis, imo ne tinctus quidem, ideò admittar ad Deum, cæteris literatis non patet ad eum aditus. Et fortean propterea hodie multi nomine ſtudioſi *bonas literas* contemnunt, ut tanto faciliùs ad Deum admittantur. Seriò. Turpiſſimus eſt hic lapſus, cujus & Belgicos Interp. puduit. Sic enim *Om dat ik 'et getal niet geweten hebbe, ſo ſal ik gaan in des Heeren machtigheid.*

GROTIUS.

5. QUoniam tu es patientia mea, Domine] Lxx. ὅτι σὺ εἶ ὑπομονή μου Κύριε [*quoniam tu es exſpectatio mea Domine,*] id eſt, *ſpes mea.* Sunt autem valde conjuncta ſpes & ὑπομονή [*exſpectatio,*] ut Romanor. 5. 4.

15. *Os meum annuntiabit juſtitiam tuam: toto die ſalutare tuum, quoniam non cognovi literaturam*] Meliùs, *Quamvis numerum* (nempe bonitatum tuarum) *non novi*: ut ſenſus ſit idem qui 40. 6. Symmachus hic, οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι [*neque enim valeo numerare.*] Græci ספרות ſumſere pro arte numeraria quâ utuntur mercatores. Itaque verterunt πραγματείας, & indè Romanum Pſalterium *negotiationes.* Alii γραμματείας [*literaturas.*] utriuſque Græcæ verſionis mentio apud Auguſtinum.

PRICÆUS.

4. SAlvos faciet filios pauperum] Proteget à potentibus: infrà com. 12, & 13.

Ibid. *Et humiliabit calumniatorem*] In Gr. συκοφάντην. Ità in Gloſſariis & vetere Onomaſticon. *Humiliabit*, pœnis coercebit. Martialis,

——— *Delator habet quod dabat exſilium.*

6. *Deſcendet ſicut*, &c. *ſtillicidia rorantia ſuper terram*] Pauperibus oppreſſiſque judicia ejus advenient tanquam ſitienti terræ tempeſtivi imbres. Catullus,

Qualis in aërei pellucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit è lapide,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen;
Tale fuit nobis Manlius auxilium.

Job. 29. 21. *Super illos ſtillabat eloquium meum, exſpectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.*

7. *Donec auferatur Luna*] Lxx. Ἕως οὗ ἀνταναιρεθῇ ἡ σελήνη. Et huc non dubito quin referenda Heſychii illa, Ἀνταναιρεθῇ, ἀφανισθῇ.

8. *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum*] Eodem ſenſu infrà com. 11. *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Id eſt, fama nominis & ſapientiæ ejus omnes gentes pervagabitur. *Adorabunt*, per legatos nempe. De Pſyche lib. 4. Apulejus noſter, *Sic immenſum indies procedit opinio, ſic inſulas jam proximas, &c. provinciaſque plurimas fama porrecta pervagatur.* Ubi & nota quod de inſulis dictum. Ità ſtatim heic Pſalmiſta, *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent*, &c.

9. *Inimici ejus terram lingent*] Subjugati in terram venerantes eum ſe proſternent.

10. *Reges Arabum & Sabæ dona adducent*] Apulejus ubi ſuprà, *Jam multi mortalium longis itineribus atque altiſſimis maris meatibus ad ſeculi ſpecimen glorioſum confluebant*] Munera ex terra Arabia habemus infrà com. 15. & Matth. 2. 11. ex Sabæa, 2 Paralip. 9. 1.

11. *Omnes gentes ſervient ei, quia liberabit pauperem à potente*, &c.] Optabunt ſub ejus tutela vivere, ob tam multa tamque inſignia ſpecimina juſtitiæ & æquitatis ejus.

14. *Et honorabile nomen eorum coram illo*] Lxx. ἔντιμον id eſt, *pretioſum*: ut & Luc. 7. 1. id vocabulum vertit. Aquila heic, τιμωθήσεται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ neſcio an rectè.

recte. Τὸ ὄνομα ἀυτῶν putem aliud non eſſe quàm ἀυτοί ut & fortè in illis Lucæ 6. ὅταν ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν i. e. ὑμᾶς. Vide & Pſal. 73. 19.

15. *Vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*] Quoad vivet dabitur ei, &c.

19. *Replebitur majeſtate ejus omnis terra*] Reſonet majeſtatem & potentiam ejus univerſa terra.

IDEM.

4. E*T humiliabit calumniatorem*] LXX. συκοφάντην i. e. Heſychio exponente, ἐπηρεάζοντα, ψευδοκατήγορον κακοπράγμονα. In vetere Onomaſtico, *Calumniator*, συκοφάντης.

5. *Permanebit cum Sole*] *Folium ejus* (ut 1. 3.) *non defluet:* i. e. memoria ejus perennis erit. Vide infrà com. 17.

6. *Deſcendet ſicut pluvia*, &c.] *Deſcendet*, nempe juſtitia & ſapientia ejus.

Ibid. *Et ſicut ſtillicidia*, &c.] Lxx. ςαγόνες. In Gloſſario, Σταγὼν, *ſtilla, gutta, ſtillicidium.*

7. *Orietur in diebus ejus juſtitia*] Eſa. 32. 1. de Ezechia, *Regnabit in juſtitia & Principes ejus in judicio præerunt. Orietur*, erumpet quaſi ex obſcuro. Seneca ex perſona boni Principis 1. 1. de Clementia, *Leges ex abdito, ex tenebris in lucem evocavi.*

Ibid. *Et abundantia pacis*] Subaudi, *filia*. Vide ſuprà 64. 13, 14.

Ibid. *Donec auferatur Luna*] Id eſt, jugiter, indeſinenter.

9. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent*] Eſai. 60. 14. *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*, &c.

10. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent*] Eſai. 51. 5. *Brachia mea populos judicabunt, me Inſulæ exſpectabunt.* Vide & Eundem 60 9.

Ibid. *Reges Arabum & Saba dona afferent*] Eſai. 60. 6. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha; omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.*

11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ*] *Relinquent* (ut Tob. 14. 8.) *Gentes idola ſua, venient in Jeruſalem*, &c. *& gaudebunt in ea omnes Reges terræ, Regem Iſrael adorantes.* Seneca Suaſor. 1. *Quæ tam feræ gentes fuerunt quæ non Alexandrum poſito genu adorârint.* De Deo infrà hic 85. 9. *Omnes gentes*, &c. *venient, & adorabunt coram te, Domine.*

Ibid. *Omnes gentes ſervient ei*] Eſaias com. 4. jam dicti capitis, *Leva oculos tuos in circuitu, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi* (id eſt, ad inſerviendum tibi:) & poſt, *Fortitudo Gentium veniet tibi.*

12. *Quia liberabit pauperem à potente*] Similia Jobi 29. 11, 12. vide.

15. *Vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*] Quamdiu vivet, dabitur, &c. Vide Eſaiæ 60. 6.

17. *Sit nomen ejus benedictum*, &c.] *Sit* hic eſt *erit.*

Ibid. *Omnes Gentes magnificabunt eum*] *Ambulabunt* (ut Eſai. 60. 3.) *Gentes in lumine ejus, & Reges in ſplendore ortus ejus.*

18. *Qui facit mirabilia*, &c.] Sic & 76. 15. & 85. 10. Jobus 37. 5. *Qui facit magna & inſcrutabilia.*

PSALM. LXXII.

MUNSTERUS.

SUnt qui hunc Pſalmum à Salomone editum exiſtimant: Alii autem dicunt eum à David pro Salomone dictatum: nec ex titulo hujus rei certitudo haberi poteſt. Hoc certum eſt, etiam ſecundùm Hebræos multa ſcribi in hoc Pſalmo quæ veriùs de Chriſto quam de Salomone dicuntur.

2. *Judicabit populum tuum*] Hoc enim præcipuum Regis officium eſt, defendere innocuos, & ſervare à malis oppreſſos.

3. *Et afferent montes pacem populo*] Sicut Salomo pacem habuit cum omnibus Regibus & Principibus, ità cùm Chriſtus adveniret, per Apoſtolos pacem & juſtitiam fecit prædicari per orbem.

4. *Judicabit miſeros*] i. e. Defendet innocentes & reprimet oppreſſores.

5. *Timebunt te cùm Sole*] Senſus eſt, Quamdiu Sol lucebit, h. e. in perpetuum, timebunt & colent. Idem intelligitur per id quod dicitur, *coram Luna*, vel *præſente Luna.*

6. *Deſcendet ſicut pluvia*] Ut pluvia reſectam herbam creſcere facit, ità Chriſtus veniens ſuos copioſis perfudit donis.

7. *Multa erit pax*] Hinc patet hæc de Meſchia dici, cùm pax tempore Salomonis non fuerit perpetua cum Luna, ſed deſiit cum eo.

9. *Solitudinarii*] Capiuntur hîc ציים pro שכני ציה *incolis ſolitudinis*, quales ſunt קדרים *Æthiopes.*

10. *Reges Scheba & Seba*] Regiones ſunt in Arabia Felice; unde & Reginam Auſtri veniſſe Regum liber teſtatur. Significatur autem hoc verſu, ut ſicut Reges ditiſſimi & è longinquo venientes ſeſe ſubjecerunt Salomoni & munera attulerunt, ità totum orbis imperium colla erat ſubmiſſurum Chriſto Domino, & oblaturum illi quicquid pretioſius in orbe invenitur, & quo Chriſtus delectatur.

14. *Pretioſus erit ſanguis eorum*] Quem ſcilicet pro Chriſto effuderunt.

15. *Vivet pauper*] R. S. hunc verſum ſic intelligendum putat. *Vivet Rex, & Deus dabit ei de auro Seba: & qui attulerint aurum, orabunt pro ſalute Regis* Significatur autem hoc verſiculo, ut ſicut omnes gentes ſtuduerunt honorare Regem Salomonem ob excellentem ſapientiam, gratiam & dignitatem, ſic Chriſtum, qui eſt fons & plenitudo ſapientiæ, ſcientiæ, veræ opulentiæ atque ſalutis, eſſet totus mundus adoraturus, & oraturus pro ejus Regni felici ſucceſſu & profectu.

16. *Erit pugillus frumenti*] Tempore Salomonis magnam Dominus conceſſit frugum abundantiam, ut ex modico ſemine multa conſurgeret ſeges: at tempore Chriſti ſpiritualium bonorum longè uberior meſſis contigit piis hominibus.

17. *Coram Sole propagabitur*] i. e. In perpetuum, & quamdiu Sol manebit, ab una generatione in aliam celebrabitur glorioſum nomen Chriſti, *per quod ſolum homini contigit ſalus, & non eſt aliud ſub cœlo datum hominibus in quo nos ſalvos fieri oporteat.* Porrò ינון hic eſt paſſivum à nomine נין quod *nepotem* ſignificat.

20. *Finiunt orationes David*] Dicit *orationes*, non autem *Pſalmi* aut *confeſſiones.* Poteſt etiam eſſe ut hoc adjectum ſit huic Pſalmo, quòd contineat ultima vota David; quæ ſcilicet fuerunt, ut *Deus judicia ſua & juſtitiam ſuam daret filio ſuo Salomoni & poſteris ejus.*

VATABLUS.

1. I*Pſi Selomoh* לשלמה] *Ipſius Selomoh:* i. e. à Salomone ſcriptus. Alii, *De Semoloh:* ſub. *Pſalmus à Davide ſcriptus.*

2. *Judicabit* ידין] Futura quæ nonnulli vertunt per præſens optativi, *Judicet, Afferant montes*, &c. ¶ *Et pauperes tuos* ועניך] *Et afflictos tuos.*

3. *Ob juſtitiam* בצדקה] Ad verb. *in juſtitia.* Hebræi dicunt ב hoc loco ſignificare *propter:* q. d. Montes & colles afferent pacem propter juſtitiam. Alii vertunt, *& colles juſtitiam.*

4. *Judicabit pauperes populi* ישפט עניי עם] *Vindicabit afflictos populi. Judicare* more Hebræorum poſitum pro *tueri & defendere.* ¶ *Et confringet calumniatorem* וידכא עושק] *Atteret* [vel *contundet*] *calumniatorem:* i. e. eum qui per calumniam pauperes opprimit.

5. *Cùm ſole & ante lunam* עם שמש ולפני ירח] Hebraïſmus, pro, *quamdiu ſol iſte lucebit, & quoad ſubſtiterit luna:* ſive, *dum ſol & luna lucebunt*, h. e. perpetuo.

6. *Stillantes* ſuper *terram* זרזיף ארץ] *Super herbam exciſam terræ:* nam על quod præceſſit, pro duobus ponitur, & more Hebræorum repetitur. Alii vertunt, *Sicut imbres* [vel *ſtillicidia*] & *ros* ſuper *terram.*

9. *Habitatores deſerti* ציים] *Æthiopes.* Quidam *nautas* interpretantur. Alii vocem Hebræam ציים relinquunt.

10. *Maris* תרשיש] i. e. Ciliciæ. ¶ *Seba*, &c. שבא וסבא] Hebraïcè, *Seba & Seba.* Primum per ש ſcribitur, & ſignificat *Arabiam Felicem.* Alterum per ס, & ſignificat *Æthiopiam.*

11. *Et incurvabunt ſe ei* וישתחוו לו] *Et adorabunt eum.*

14. *Et ab iniquitate* ומחמס] *Et à violentia, fraude, injuria.*

15. *Seba* שבא] Per ש *Arabiam Felicem* ſignificat. ¶ *Totâ die* כל היום] *Quotidie, ſemper.*

16. *Contremiſcet* ירעש] *Agitabitur; commovebit ſe; ſtrepitum edet.* ¶ *Et florebunt* ויציצו] *Et egredientur.* Alii, *progerminabuntque.*

17. *Quamdiu fuerit ſol filiabitur* לפני שמש ינון] Ad verb. *coram ſole filiabitur nomen ejus.* Hebraïſmus, pro *quamdiu videbitur ſol, nomen ejus erit memoriale ejus:* q. d. ut filius ducit nos in memoriam patris, & eſt ejus memoria, ſic erit nominis ejus memoria in ſeculum. Quidam vertunt, *Cum ſole permanebit.* ¶ *Et benedicent ſe* ויתברכו] *Et benedicentur.* Quidam, *& gloriabuntur.*

18. *Bene-*

18. *Benedictus* ברוך] *Laudandus.*

19. *Et benedictum nomen gloriæ ejus* וברוך שם כבודו] *Et laudandum nomen decoris ejus.* ¶ *Amen, & amen* אמן ואמן] Voces Hebraïcæ quæ ſignificant, *Verum ſit & verum.* Vel, *ſtabile & firmum ſit:* aut, *Sit ita ut dixi.*

20. *Finem habent*, &c. כלו תפלות דוד בן ישי] Verſus iſte (ajunt Hebræi) adjectus fuit ab iis qui Pſalmos Davidis in ordinem redegerunt.

CASTALIO.

8. A *Flumine*] Scilicet Euphrate.

20. *Hactenus precationes Davidis*] Sunt quidem in his duobus primis libris carmina etiam aliorum quàm Davidis: Sed quia David eorum præcipuus autor eſt, adſcribuntur ei: quemadmodum *Ciceronis Epiſtolas* vocamus, cum quibus tamen ſunt & aliorum. Quanquam autem etiam in tribus ſequentibus libris ſunt & Davidis, tamen hîc dicuntur *finitæ preces Davidis*, vel quòd ſequentia plurium ſunt autorum, vel quòd prioribus jam concluſis libris reliqua poſtea condidit.

CLARIUS.

Precatur advenire Regnum Dei per Chriſtum, & vaticinatur de Regni ejus amplitudine, æquitate, felicitate & diuturnitate, omnia autem ſub typo Regni Salomonis. Quidam compoſitum hunc Pſalmum à David putant, ut in quo ſit ultimùm precatus pro filio Salomone, & ſub ejus typo de Regni Chriſti ſucceſſu: Alii, *ultima* quidem hæc fuiſſe *Davidis vota*, ſed Pſalmum à Salomone compoſitum. Verùm hoc certum eſt, etiam ſecundùm Hebræos multa ſcribi in hoc Pſalmo quæ veriùs de Chriſto quàm de Salomone dicantur.

1. *Deus, judicium tuum*] *Deus, judicandi ſecundùm te formulas Regi da, & æquitatis ſtudium filio Regis: Ut poſſit judicare populum tuum ſecundùm æquitatem, & pauperes tuæ curæ relictos cum judicio.* Hoc enim præcipuum Regis officium eſt, defendere innocuos, & ſervare à malis oppreſſos.

3. *Suſcipiant montes*] Vel, *afferent montes pacem.* Sicut Salomon pacem habuit cum omnibus Regibus & Principibus, qui *montibus* ſimiles videntur; ità cùm Chriſtus advenit, per Apoſtolos pacem & juſtitiam fecit prædicari per orbem.

5. *Timebunt te cum Sole*] i. e. Quamdiu Sol lucebit, videlicet in perpetuum, timebunt & colent. Idem intelligitur per id quod dicitur, *ante Lunam*, vel *coram Luna, & præſente Lunâ.*

6. *Deſcendet ſicut pluvia*] Ut pluvia reſectam herbam creſcere facit, ità Chriſtus veniens ſuos copioſis perfudit donis.

7. *Donec auferatur Luna*] Durabit ultra Lunam. Hinc patet hæc ad Meſſiam pertinere, cùm pax Solomonis non fuerit perpetua cum Luna, ſed deſierit cum eo.

8. *Et dominabitur à mari*] Terminos ponit mare Rubrum & mare Palæſtinæ, flumen Euphratem, & deſertum magnum. Quia enim nullum vaſtius flumen Euphrate Judæis notum erat, Scriptura illum abſolutè ferè *flumen* vocat. De his terminis habes 3 Reg. 4. ¶ *A flumine*, &c.] Alius interpretatur *ab oceano Orientali, uſque ad extremos Occidentis fines:* quod neceſſe eſt ad Chriſtum pertinere.

12. *A potente*] Poteſt etiam verti *vociferantem.*

14. *Honorabilis ſanguis*] Quem ſcilicet pro Chriſto effuderunt.

15. *Et vivet*] Quidam ſic interpretantur, *Vivet pauper, & Rex dabit ei de auro Arabiæ.* Significatur autem hoc verſiculo, quòd ſicut omnes gentes ſtuduerunt honoribus afficere Regem Salomonem ob excellentem ſapientiam, gratiam & dignitatem, ſic Chriſtum, qui eſt fons & plenitudo ſapientiæ, ſcientiæ, omnis copiæ ac ſalutis, mundus totus eſſet adoraturus, & precaturus pro ejus Regni felici ſucceſſu.

16. *Erit pugillus*] Ex paucis granis etiam *in ſummis montibus* in eam altitudinem meſſis creſcet ut ſtrepitum ariſtæ plenæ excitent ſicut *cedri* ſolent *Libani. Florebunt* inſuper cives & multiplicabuntur *in civitate quemadmodum herba ſolet in agris.* Sic Euangelica ſeges ex parvis initiis maxima fecit incrementa.

17. *Sit*] Vel, *erit nomen ejus in ſeculum*, h. e. durabit perpetuò. ¶ *Ante Solem permanet*] Vel *coram Sole*, & quamdiu Sol manebit. Vel potiùs *priuſquam eſſet Sol*, ab æterno, Filius *erat nomen illi.* ¶ *Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*] Ad Chriſtum hoc propriè pertinet: nam quantum, quæſo, beneficiorum per Salomonem ad cunctas gentes pervenit? Sed Prophetæ ſoliti ſunt oracula ſua canere ut quædam typo quædam antitypo propriè competant.

Quod in fine Pſalmi eſt, *Finiunt preces David*, ſignificat, hæc ut evenirent ſummam fuiſſe votorum ipſius David *filii Jeſſe.*

DRUSIUS.

5. יִירָאוּךָ עִם־שָׁמֶשׁ וְלִפְנֵי יָרֵחַ. Sym. Φοβηθήσονταί σε ἐφέσου ὁ ἥλιος καὶ ἔμπροσθεν τῆς σελήνης.

14. וְיֵקַר דָּמָם בְּעֵינָיו. Aq. καὶ τιμωθήσεται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, & *pretioſus erit ſanguis eorum in oculis ejus.*

15. וְיִתֶּן־לוֹ מִזְּהַב שְׁבָא. A. Sym. Th. δοθήσεται αὐτῷ ἐκ τοῦ χρυσίου τῆς Σαβᾶ.

19. אָמֵן וְאָמֵן. A. πεπιστευμένως, πεπιστευμένως, *fideliter, fideliter*] Alibi πεπιστωμένως. Hieron. epiſt. 137. AMEN *Aquila* πεπιστωμένως, *exprimit, quòd nos* Fideliter *poſſimus dicere, ductum adverbium ex nomine* Fidei. Idem Matth. 6. AMEN *ſignaculum orationis Dominicæ eſt, quod Aquila interpretatur* fideliter, *nos* verè *poſſumus dicere.* Lexicon Suidæ, Ἀμήν, πεπιστωμένως, ἀληθῶς.

AMAMA.

Pſalm. προφητικὸς tum de Regno Salomonis, tum de Regno Chriſti ſub illius typo, Prophetiæ præmittitur precatio pro juſta gubernatione Salomonis, verſ. 1, 2, 3.

Ab. נבואת על שלמה או על המשיח

לִשְׁלֹמֹה] *Pro Salomone*, ut Pſalm. 118. יה' לי vel *Salomoni* dedicatus; gratulatur enim ei novum honorem quem vivus in eum contulerat, 1 Reg. 1. Errant qui *Salomonis* vertunt: Refellit enim eos verſus ultimus.

1. *Judicia tua*] i. e. Judiciorum notitiam, *Judiciorum*, Synecdoch. *Legum.* R. Sal. תִּכְבַּת דִּינָךְ Ebræi diſtinguunt משפטים. מצות. חקים. Vel Judicii tui rectionem & adminiſtrationem.

3. *Pacem*] i. e. Fructus in pace fruendos, 1 Reg. 4. 21. vel, Hyperbolice. Ipſi montes qui in his locis ſolent eſſe receptacula latronum & ferarum conſequantur Pacem & Juſtitiam.

בצדקה] ב quibuſdam redundat. Quibuſdam *propter* juſtitiam, i. e. juſtam Salomonis adminiſtrationem, vel *per*, ut notet cauſam procreantem.

5. *Cum Sole*,] Ab. כל הימים שתעמד השמש

Coram Sole] לִפְנֵי eodem modo accipitur. Sic Job. 4. *comminuentur* לפני עש *quamdiu erit Arcturus.* Sic Pſal. 102. *Semen eorum* לְפָנֶיךָ יִכּוֹן *coram te firmabitur.* Paulo poſt *coram ſole propagabitur nomen ejus.* Chald. *cum ortu Solis & in lumine lunæ timebunt te*, i. e. colent te.

6. *Deſcendet ut pluvia ſuper pratum detonſum*] i. e. Sicut pluvia grata eſt utiliſque prato detonſo, i. e. demeſſo; ſic Meſſias optatiſſimus deſcendet in Regnum ſuum. Vel, ut pluvia deſcendens &c. efficit ut gramen copioſè recreſcat; ſic Salomo & Meſſias clementi gubern. efficiunt ut ſubditi diteſcant omnis genere bonis.

גֵּז] *Tonſionem graminis* vel *lanæ*, unde ſumitur pro *lana detonſa & gramine reſecto.* 2. Pro *prato demeſſo.* Deut. 18. 1. *Lanam*, Am. 7. *fœniſecium* ſignif.

Sicut imbres irrigatio terræ] i. e. Quibus terra irrigatur. רְבִיבִים Kimhi vult eſſe *pluviam vehementem*; alii, *pluviam lentam & tamen aſſiduam*; alii volunt eſſe *pluviam quæ cadit in Octobri*, quæ vocatur יורה & מורה. Ut contra מַלְקוֹשׁ *ſerotina* quæ in Niſan tempore Meſſis.

זַרְזִיף] *Irroratio*, quibus irrigatur terra, *humor roſcidus*, ſic Ab. At Kimchi vult eſſe idem quod גז & repetit על. *ſuper herbam tonſam.* Lxx.

7. *Dum non ſit Luna*] Semper. Nunquam enim deſinet Luna quoad ſubſtantiam. Qualitates procul dubio mutabuntur, eximetur ex iſto ſtatu mutationis in quo jam eſt, ut cum videmus eam jam deficientem, jam plenam, jam creſcentem, jam decreſcentem.

8. *A mari ad mare*]. A Mediterraneo ad mare ſalſum vel mortuum. Aben. *A mare Suph, ad mare Philiſthæorum.*

A flumine] Euphrate. Promiſerat hoc Deus Abrahamo, Gen. 15. 18. *A fluvio Ægypti* (Merid.) *uſque ad flumen* (Or.) *illud magnum*, Fl. Euphratis Sic & Joſ. 1. 4. Ubi memorat quatuor terminos terræ S. *Flumen Euphratis*, (Or.) *Deſertum Sin*, (Merid.) *Mare magnum*, (Occid.) & *Libanus*, (Aquil.) Complementum nacta ea promiſſio in Salomone. Ante enim variarum partium incolas debellare non poterant.

Atque hic fere in Joſ. Gen. termini confunduntur, cum enim dicitur in Gen. *A fluvio Ægypti ad Euphratem*, perinde ac ſi dicas à Meridie ad Orientem. Aſt Deut. 11. 24. propriè ponuntur, *Omnis terra, quam calcaverit planta pedis veſtri, veſter erit, à Deſerto ad Libanum*, à Merid. ad Aquil. *& à flumine Euphratis, ad mare poſterum, erit terminus veſter.* Notant Ebr.

à Merid.

à Merid. ad Bor. eſt Latitudo terræ; ab Oriente ad Occid. longitudo.

חשׁ] Vide Pſalm. 48. 8. Hinc θάλασσα. Vide. Full. 2. 10.

צי] 1. *Navis*, 2. *Siccitas*, *deſertum*. Sic reddunt Interpretes Pſ. Syn. צִיָּה. Arias *ſolitudinicolæ*, Jun. *barbari*, ad verb. *ſicci*, i. e. ſicci & ſitientis loci incolæ, Ab. *nautæ*.

15. *Et vivet & dabit ei* (*quiſque*) *de auro Sheba* (Æthiopiæ) Jun. *quamdiu vivet*, non Rex ſed vindicatus. Vivet, Salomo regnavit 40. annos, Chriſtus, in æternum.

שְׁבָא *Æthiopia*] Lxx. ἐκ τοῦ χρυσίου τῆς Ἀῤῥαβίας, i. e. כְּבָא Melius A. T. Sym. τῆς Σαβᾶ.

Orabit pro eo] Salomone, vel Chriſto, ut optimo Rege, & tunc ἀνθρωποπαθῶς. Vel ſi ad Chriſtum בעדו *per eum*. Sic Dan. 9. *Audi nos Domine propter Dominum*.

16. Duo enuntiata per ἀσύνδετον ita cohærent ut conſtituant enuntiatum relativum temporis. Senſus. Quando pugillus modo frumenti ſatus erit in terra & quidem ſterili, loco incommodo, nempe in vertice montium, fructus ejus tritici perſtrepet, ſonum edet inſtar arborum Libani.

בַּר frumentum mundum à בָּרַר aliq. *mundus*, *purus*. Prov. 14.

פסה] *Particula*, *pugillus*, ut Dan. 5, פַּסָּא. R. Sal. *abundantia*, *copia*. Lxx. ἔςαι ςήριγμα ἐν τῇ γῇ, Vulg. *Erit firmamentum in terra*, i. Genebr. *firmus & ſolidus cibus*. Ut ſit Epitheton panis vel frumenti quo homo firmatur. Sic Jeſ. 3. 1. *omnes* מִשְׁעַן *ſcipionem panis*. Lev. 26. *Baculum panis frangam vobis*. Sic etiam Chald.

לְבָנוֹן] Mons & Sylva; ab *albedine*, ut Alpes. Vide Scindl.

17. יִנּוֹן] Multi Interpr. videntur legiſſe יִכּוֹן *ſtabilietur*, Lxx. enim διαμένει, Vulg. *permanet*, Ab. *florebit*, *propagabitur*, *filiabitur*. Ut durant familiæ per propagationem liberorum. Th. נִין *filius*, unde *Non* Ægypt. *Monachus*, q. Filius. Plerique ajunt eſſe nomen proprium Meſſiæ. Ch. *Antequam eſſet Sol paratum fuit nomen ejus*.

Beatum prædicabunt, *declarabunt eum*. Verba Piel aliq. *permiſſionem* ſignificant, aliquando *declarationem* & *prædicationem*, ut notavimus ad Piel τοῦ פקד.

GROTIUS.

IN *Salomonem*] Id eſt, celebrandæ memoriæ temporis illius, quo primùm unctus eſt Salomon 1 Reg. 1. 39. ſublimiore tamen ſenſu pertinere hæc ad Meſſiam agnoſcunt vetus Scholiaſtes Hebræus hoc loco, & R. Saadia Gaon ad Dan. 7. 14. & Salomon Jarchi.

5. *Et permanebit cum Sole & ante Lunam in generationem & generationem*] In Hebræo: *Timebunt te cum Sole*, *& dum apparebit Luna ſoboles ſobolis*. Id eſt poſteri Solomonis. Simile illud Ovidii:

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

16. *Et erit firmamentum*] Legit in Græco ςήριγμα [*firmamentum*:] quæ lectio pridem invaluit, cùm corrupta ſit ex σίτου δράγμα [*pugillus frumenti.*] Id enim בר פסה, ut Chaldæus hîc interpretatus eſt, *particula frumenti*. Solemus autem minimam quantitatem deſignare pugilli nomine, ut apparet 1 Regum 18. 44.

In terra in ſummis montium] In ſolo verticis montani, qualia loca ſolent eſſe ſaxoſa, ac proinde ſterilia.

Superextolletur ſuper Libanum fructus ejus] Sic & Græci, ὑπεραρθήσεται ὑπὲρ τὸν Λίβανον ὁ καρπὸς αὐτοῦ. Sed Hebræum magis ſonat, *Movebitur ut Libanus fructus ejus*. Id eſt, tam pauxillum frumenti ſatum in ſolo infeliciſſimo ſegetem producet, quæ concuſſa vento ſtrepat non minùs quàm arbores Libani. deſcriptio ſummæ fœcunditatis, quæ futura erat ſub Rege Solomone. Ità Abeneſdra & Kimchi. Homerus in boni Regis deſcriptione:

—— Φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθὰς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ.
[—— *parit hordea tellus*
Triticeaſque dapes, *pomis ſcatet arbor ubique.*]

Et florebunt de civitate ſicut fænum terræ] De civitate ἐλλειπτικῶς [*defectivè*] dictum pro *homines de civitate*: id eſt, cives. Et *fænum* rurſus dixit, ut Græci χόρτον, herbam virentem ſignificans. Vide ſuprà 37. 2.

17. *Sit nomen ejus benedictum in ſecula*, *ante Solem permanet nomen ejus*] Illud *benedictum* neque in Hebræo eſt, neque fuit in Hexaplo. Senſus Hebræi eſt, *Nomen ejus erit perpetuum coram Sole* (id eſt, dum Sol lucebit, eodem loquendi genere quod ſuprà de Luna habuimus:) *ſoboleſcet nomen ejus*, id eſt, poſteri ipſius per ipſius memoriam celebres. נין *filius*. Vox eſt Philiſthinorum, Geneſ. 21. 23. & Arabum, Job. 18. 19. Hinc Ægyptii ſumſere nomen νόννε [[*nonni.*]

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ] Dicetur enim apud omnes gentes: *Sit regnum tuum ſimile regno Solomonis*.

20. *Defecerunt laudes David filii Jeſſe*] In Græco, Ἐξέλιπον οἱ ὕμνοι Δαβὶδ τοῦ υἱοῦ Ἰεσσαί. Sic & in Hebræo: *Finiunt preces Davidis filii Iſai*. Id eſt, finitur hîc collectio Pſalmorum ab ipſo Davide facta. qui ſequuntur, eos Aſaph aliique, poſtremò Eſdras addiderunt. Sunt tamen inter eos etiam quidam à Davide facti, ſed poſt concluſum volumen illius collectionis.

PRICÆUS.

1. QUàm bonus Deus his qui recto ſunt corde!] *Probat corda*, *& ſimplicitatem diligit*, 1 Paral. 29. 17.

2. *Mei pene moti ſunt pedes*, *penè effuſi ſunt greſſus mei*: *quia zelavi ſuper iniquos*, *pacem peccatorum videns*] Cùm impiorum felicitatem conſiderarem, inſurgebant in me audaces cogitationes contra providentiam tuam. Claudianus,

—— *Cùm res hominum tanta caligine volvi*
Aſpicerem, *lætoſque diu florere nocentes*,
Vexarique pios; *fateor labefacta cadebat*
Relligio, *cauſaque viam non ſponte ſequebar*
Alterius, *vacuo quæ currere ſemina motu*
Affirmat, *magnumque novas per inane figuras*
Fortunâ non arte regi: *quæ Numina ſenſu*
Ambiguo vel nulla putat, *vel neſcia noſtri.*

Effuſi ſunt, e recto nempe tramite in viam pravam, ut in Epiſt. Judæ com. 11. ubi Græci; ut & hoc loco, ἐξεχύθησαν. Symmachus hic, παρ' οὐδὲν ἐλύθη τὰ ὑποβαθοῦντά με· at puto rectiorem eſſe expoſitionem noſtram.

Ibid. *Mei penè moti ſunt pedes*] Penè firmitas animi concidit.

Ibid. *Penè effuſi ſunt greſſus mei*] Gr. παρ' ὀλίγον ἐξεχύθη τὰ διαβήματά μου. In Gloſſis, Παρ' ὀλίγον, penè Ἐξεχύθη, Deflexerunt, nempe de recto tramite.

4. *Quia non eſt reſpectus morti eorum*] Non cogitabam ideo Deum eos vivere permiſiſſe, quia indignos putavit quos citâ morte abſumeret, quod ipſum in amoris ſignum ſolet piis facere. Proque hac (ut puto, vera hujus loci) interpretatione gratias ago Sapientiæ Scriptori, cap. 4 com. 13, 14. & 15. ubi de piis ſermo, inter alia inibi & iſta, *Quoniam gratia Dei*, &c. *eſt in ſanctos ejus*, *& reſpectus in electos ejus*: id eſt, *reſpectus morte eorum*, ut heic loquitur Pſalmiſta noſter.

5. *In labore hominum non ſunt*] Pacem habent in ſubſtantiis ſuis, quieti ſunt, &c. Sir. 41. 1.

Ibid. *Et cum hominibus non flagellabantur*] Ἐν τῷ κόσμῳ μὴ κρινόμενοι, ἵνα σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶσι.

9. *Poſuerunt in cœlum os ſuum*, *& lingua eorum tranſivit in terra*] Longè lateque inſanias effutierunt ſuas: nam & ità exponi poſſunt hæc verba. Scriptor Sapientiæ 18. 16. de Angelo ultore, *Replevit omnia morte & uſque ad cœlum attingebat*, *ſtans in terra*.

16. *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc*, *labor eſt ante me*] Si putabam inventurum me unde hoc fieret, opus nimis laborioſum inveni. Eccleſiaſtes 8. 17. hoc idem argumentum tractans, in hunc modum ſermonem claudit, *Intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo rationem invenire*, &c. *& quanto plus laboraverit ad quærendum*, *tanto minus inveniet*. Quibus adde quæ 2. 18. in fine A. Gellius ex Epicteto.

18. *Veruntamen propter dolos poſuiſti eos*] *Per far gli poi un bel gioco.*

Ibid. *Dejeciſti eos dum allevarentur*] De hujuſmodi jam dicto loco Claudianus,

—— *Tolluntur in altum*,
Ut lapſu graviore ruant. ——

19. *Subito defecerunt*] Jobus 20. 5. *Laus impiorum brevis*, *& gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*

21. *Inflammatum eſt cor meum*] Virgilius,
Talia flammato ſecum Dea corde volutans.

27. *Qui fornicentur abs te*] Ità & 105. 36.

28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*] Lxx. θεῷ προσκολλᾶσθαι. Eucherius ad Valerianum, *Qui amat egregiè rem aliquam*, *velut affixus & cohærens illi*, *nunquam eam relinquit*.

IDEM.

1. QUàm bonus Deus his qui recto ſunt corde!] *Rectorum* (Prov. 2. 7.) *ſalutem cuſtodit*, *& protegit ſimpliciter gradientes*.

2. *Mei pene moti ſunt pedes*, *penè effuſi ſunt greſſus mei*]

Mihi

——— *Mihi dubiam traxit ſententia mentem,*
Curaret Deus an terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

3. *Quia zelavi ſuper iniquos*] Vide Senecam ſuprà ad 36. 1. adductum.

Ibid. *Pacem peccatorum videns*] Pacem quam (ut 41. 2. Sirachidis) in ſubſtantiis habent.

4. *Quia non eſt*, &c. *firmamentum in plaga eorum*] Incommoda, ſi quæ iis evenerint, levicula ſunt, & ſat citò tranſeunt.

5. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur*] *Domus eorum* (ut Jobi 21. 9.) *ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Eſſe in re aliqua*, notat ſtatum permanentem: vide ad 1 Tim. 4. illud, *ἐν τούτοις ἴσθι*. *Hominum* heic intellige, majorem partem hominum, aut, ſi malueris, meliorem. Seneca 2. 28. de Beneficiis, *Sæpe quæ agellos peſſimi cujuſque tranſierat, optimorum virorum ſegetem grando percuſſit.*

Ideo tenuit eos ſuperbia] Jobus 12. 6. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum*, (tenet eos ſuperbia) *cùm ipſe dederit omnia in manus ipſorum.* Scriptor Sapientiæ 8. 11. *Quia non profertur citò contra malos ſententia*; (quia non flagellantur) *abſque timore ullo perpetrant mala.*

Ibid. *Operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ*] Iniquitate erga homines, impietate erga Deum. *Operti*, tanquam veſte. Sic, *ignominiâ ſuâ tectum* Apulejus dixit, & *flagitiis ac facinoribus coopertum* Saluſtius in Catilina.

7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*] Vide ad com. 9. annotanda.

Ibid. *Tranſierunt in affectum cordis*] *Tranſierunt*, nempe iniquitas & impietas eorum, de quibus mentio præceſſit. Significantiùs deſcribere non potuit mentes ultimè depravatas. Geneſ. 6. 5. *Quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis ad malum intenta eſſet.* Jerem. 4. 18. *Iſta malitia tua, quia amara, quia, tetigit cor tuum.* Vide & Eſai. 59. 13.

8. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt*] Infrà 73. 3. *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto!*

9. *Poſuerunt in cælum os ſuum*] *Cucurrerunt* (ut Job. 15. 26, 27.) *adversùs Deum erecto collo, cervice pingui armati ſunt: operuit faciem eorum craſſitudo, & de lateribus eorum arvina dependet. Dixerunt* (ut Jobi 21. 14, 15.) *Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens ut ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt ſi oraverimus illum?*

Ibid. *Poſuerunt in cælum os ſuum*] Lactantius 5. 9. *Qui cælum quoque ipſum veneficiis appetant, tanquam illorum malitiam terra non capiat.* Seneca 2. 29. de Beneficiis, *Vix ſibi temperant quin eo uſque impudentiæ provehantur, ut Naturam oderint, quòd infra Deos ſimus; quòd non in æquo illis ſtetimus.*

Ibid. *Et lingua eorum tranſivit in terra*] Deum (ut Luc. 18. 2. ille,) non curant, & homines non reverentur.

11. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus? &, Si eſt ſcientia in excelſo?*]

Omnis enim per ſe Divûm natura, neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus ſejunctaque longe:

ut huc aptemus Poëtæ illa hâc eâdem inſaniâ agitati. Omnino vide & Job 22. 13, 14. Eſt quidem heic in Græco, *ἐν ὑψίστῳ*. at olim ſcriptum putem *ἐν ὑψίστοις* & in Latino *in excelſis*: h. e. locis, habitaculis. *Scire* in Pſalmo eſt attendere; & *ſcientia*, animadverſio.

Ibid. *Quomodo ſcit Deus?*] *A Deo* (ut Sirach. 16. 16) *abſcondemur: ex ſummo quis noſtrî memorabitur? in populo magno non agnoſcemur: quæ enim ſunt animæ noſtræ in tam immenſa creatura?*

12. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt divitias*] Meliùs fortè, *Ecce iſti peccatores*, ut in Græco, *οὗτοι* id eſt, *τοιοῦτοι*. Hujuſmodi (inquit) ſunt peccatores, id eſt, hujuſmodi vanitates effutire ſolent. Ità 5. 14. Sapientiæ, poſt multa reſipiſcentiam ſeram teſtantia recitata, *Talia dixerunt in Inferno hi qui peccaverunt*, &c. *Et abundantes in ſeculo*, eſt, & qui abundantes, &c. *In ſeculo*, ut 1 Tim. 6. 17. (& de divitibus) *ἐν τῷ νῦν αἰῶνι*. LXX. hîc, *οἱ εὐθηνοῦντες*. In vetere Onomaſtico, *Abundo: εὐθηνέω*. Iisdem *κατέσχον*, quod hîc *obtinuerunt*: quæ voces (nam id velle Pſalmiſtam puto) videntur ſignificare violentam acquiſitionem. Gloſſarium, *Κατέσχω, teneo*, &c. *obtineo*. Gloſſæ aliæ, *Obtinet*, *ἐπικρατεῖ*. *Obtinuit*, *ἐκράτησεν*. Heſychius, *Κατέσχες*, &c. *περιεκράτησας*. Vide & Gen. 7. 24. Vulgatum Interpretem.

13. *Et dixi, Ergò ſine cauſa juſtificavi cor meum?*] Hoc, quia dum illi continuâ felicitate uterentur, ille adverſis premeretur. Servius ad Æneid 1. *Si juſtus eſt Æneas, cur odio Deorum laborat? Sine cauſa*, ſine fructu, ſine utilitate. Ità 49. 4. apud Eſaiam, *Et dixi, Sine cauſa laboravi, in vanum*, &c. & 2. 15. Eccleſiaſtis, *Et dixi, Si unus & ſtulti & meus occaſus eſt, quid mihi prodeſt quòd majorem ſapientiæ operam dedi?* Jobus in exceſſu (id eſt, deſperatione) mentis, 17. 15. *Dixi, Ubi eſt ergò præſtolatio mea? &, patientiam meam quis conſiderat?*

14. *Fui flagellatus totâ die*] Valde animo perturbatus dum hæc recogitarem.

20. *Velut ſomnium ſurgentium in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges*] *Imaginem eorum*, nempe ſpes vanas longinquaſque, ac ſimulacra rerum inventionumque quibus perplacent ſibi: (quo ſenſu & illud 38. 7. accipio, *In imagine pertranſit homo.*) Vel per hyperbolen, non ipſos, ſed imaginem eorum: q. d. ità ad nihilum eos rediges, ut nec veſtigium nec umbra eorum remaneat. Non diſſimile ſuprà 36. 36. illud, *Tranſivi, & locus ejus non inventus.* Adde quæ Jobi 20. 7, 8, 9.

21. *Quia inflammatum eſt cor meum*] Suprà 9. 23. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper.*

Ibid. *Et renes mei commutati ſunt*] Contremuerunt viſcera mea. Vide 1 Maccab. 2. 24.

Ibid. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*] Ità ſuprà 34. 15. *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.*

23. *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*] Corruptio & imbecillitas mea mihi ſæpe obſtrepit me nulli rei apud te eſſe: (vide Job. 18. 3. ubi & idem loquendi modus) at gratia tua deſperanti animo ſuggerit me eſſe in tutela tua. Hic ſenſus bene cohærebit cum proximè ſequentibus.

26. *Defecit*, &c. *cor meum*] Ut infrà 142. 7. *Defecit ſpiritus meus.*

27. *Qui elongant ſe à te, peribunt*] Suprà 1. 6. *Iter impiorum peribit.*

28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*] Suprà 62. 9. *Adhæſit anima mea poſt te. Bonum* hic eſt ſuave, jucundum.

Ibid. *Ut annunciem omnes prædicationes tuas*] Omnia quæ de te prædicanda ſunt.

PSALM. LXXIII.

MUNSTERUS.

2. *Mei penè declinaverunt pedes*] Cùm viderem, inquit, felicitatem impiorum, quibus omnia ex animi ſuccedunt ſententia, & rurſum cernerem quantis miſeriis plerumque ſubjaceant pii & amici Dei, penè vis tentationis me præcipitavit, & fiducia in Deum habenda deturbavit; cùm tamen ſcirem Deum Iſraël ſuis eſſe bonum, qualitercunque iſta exteriora cadant. Nam ſi ad tempus breve etiam hîc premantur, tamen ſuccedet felicitas perpetua; impii verò, qui pro voto hoc fruuntur mundo, cùm finis vitæ advenerit, perinde eſt ac ſi ſomnium habuiſſent bonæ vitæ, tranſituri ad miſerias perpetuas.

4. *Ligamina anxietatum*] Cùm, inquit, impii moriuntur, ſuaviter mori videntur & tranquillè, quippe quibus nihil deeſt ad leniendum morbum, quin & non multùm anxiantur pro filiis & uxore relictis, quibus ſatis unde vivant relinquunt. Alii contrarium eliciunt ſenſum, nempe quòd violentâ morte plerumque intereant, nempe quorum vis adhuc eſt valida & integra, nec habent ligamina aliqua quibus ſe diutiùs in hac contineant vita.

6. *Et amictus violentiæ*] Kimhi hunc locum in Radicibus ſic exponit, *Abdit ſeu diripiat tranſeuntes, & reponat atque accipiat rapinam.* Sunt qui שית hîc exponunt pro *natibus*, ut ſit ſenſus, *rapina eorum contegit nates eorum.*

8. *Contra excelſum loquuntur*] Quaſi Deus non advertat opera eorum. Poteſt etiam ſic verti, *è ſublimi loquuntur.*

9. *Ponunt in cælum os ſuum*] i. e. Nemini parcunt, neque ſuperis neque inferis, ſed contra omnes venenatam laxant linguam.

10. *Revertitur populus ejus huc*] i. e. Apud quos verſantur impii, eiſdem ſe ſtudiis addicunt, & bene habent qui eos ſectantur: quod per *calicem aquæ* intelligitur.

13. *Certè fruſtrà mundavi cor meum*] Hanc tentationem & deſperationem ſuggerit caro, quæ videt improbos felices & pios miſeros. Ratio verò illuſtrata repugnans dicit, *Si dixero, enarrabo ſic*, ut ſcilicet præmiſſum eſt, *injurius ero in filios Dei*, quos ille caſtigat & miſeriis vult eſſe ſubjectos, nè ab eo ad creaturas more impiorum deflectant. Hæc cùm ſecundùm carnem difficilia eſſent mihi cogitare, tamen cùm *introirem in ſacrarium Dei*

facilè edoctus fui hujus rei cauſam, cùm *noviſſimum* explicet hujus nodi difficultatem. Video enim ſanctos Dei per afflictiones contineri in timore Domini uſque ad mortem, impios autem à fluxis & ſomnio ſimilibus deliciis tranſire ad perpetuam inſelicitatem: id quòd ſatis Lazari & Divitis epulonis aſtruit hiſtoria.

20. *Imaginem eorum deſpicies*] i. e. Dignitatem, potentiam & memoriam eorum in nihilum rediges.

21. *Acerbum factum eſt cor meum*] i. e. Antequam perfectè cognoſcerem judicium Dei, motus ſum intra me, videns improborum proſperitatem: ſed quod nunc *ſtultitiæ* meæ imputo, qui *quaſi jumentum* aliud judicare nequivi quàm quod oculis vidi. Interim tamen, Domine, *fui tecum* & in tua cura.

25. *Quis eſt mihi in cælis*] Nemo, inquit, in cœlis aut in terris mihi arridet præter te, neque quiſquam tibi conferri poteſt, qui unus es omnia in omnibus.

VATABLUS.

1. I*Pſius Aſaph* לאסף] i. e. Traditus ipſi Aſaph cantori decantandus: ità Hebræi exponunt.

2. *Et ego, penè declinaverunt* ואני כמעט נטו] Similis locutio & Pſalm. 35. 13. & Pſal. 69. 13. Quidam, *parùm abfuit quin lapſi ſint pedes.* ¶ *Effuſi ſunt greſſus* שפכה אשרי] Hebraïſmus, pro *receſſerim*, nempe à mandatis Dei. Metaphora ab aqua, quæ dum effunditur, locum mutat.

3. *Zelavi in inſanos* קנאתי בהוללים] *Zelo raptus ſum contra inſenſatos.* Alii, *urebat me æmulatio propter ſtultos.* Alii, *æmulatus ſum in ſtolidis.* ¶ *Viderem* אראה] Fut. Heb.

4. *In morte eorum* למותם] *Ad mortem illis.* Alii, *morti eorum*: i. e. nullis morbis, quaſi vinculis ad mortem trahuntur. ¶ *Quin ſana* ובריא] *Quin integra.* Quidam, *pingues ſunt & fortes ut palatium.* Alii, *quin pingues ſunt & prævalidi.*

5. *In labore* בעמל] *In miſeria*, vel *moleſtia.*

6. *Induitur* quiſque eorum *veſte violentiæ* יעטף שית חמס למו] Sing. pro plur. *Induuntur veſte violentiæ*, i. e. per violentiam partâ. Quidam vertunt, *Amictus Violentiæ involvit eos.* Alii, *violentia amicit illis nates.* Alii, *operiet ſe ut tollat prædam ſibi.*

7. *Egreſſi ſunt* יצא] Sing. pro plur. *Prominent propter pinguedinem*, &c. ¶ *Tranſgrediuntur* עברו] *Superant*: nempe bona quæ illis obveniunt: id eſt, plura à Deo recipiunt quàm optent.

8. *Diſſolvunt* ימיקו] *Diſſolutos reddunt*, ſub. *perfectos verbis ſuis malis*, Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Calumniam* עשק] *Oppreſſionem: occupationem alienorum bonorum:* q. d. Non verentur loqui de oppreſſione & occupatione rei alienæ quam occuparunt. ¶ *De Excelſo* ממרום] *De Celſitudine*: q. d. negant Excelſum eſſe ſuper ſe. Quidam, *Contra Excelſum loquuntur.*

9. *Et lingua eorum ambulat in terra* ולשונם תהלך בארץ] Hebraïſmus, pro, *etiam de hominibus malè loquuntur, ut de Deo.*

10. *Revertitur populus ejus huc* ישיב עמו הלום] *Redire facit Deus populum ſuum huc*: i. e. ad hanc cogitationem, nempe, Cur impiis tanta proſperitas, & rerum abundantia, piis autem contra. ¶ *Pleni* מלא] Adjectivum ſine ſubſtantivo, propterea ſubaudiendum *calicis.*

11. *Scientia*, &c. דעה בעליון] *Cognitio apud Altiſſimum.*

12. *Et pacati ſeculi* ושלוי עולם] i. e. Qui in hoc ſeculo altâ pace fruuntur. Alii, *& locupletes ſeculi.* Vel, *& felices in ſeculo.* ¶ *Multiplicant divitias* השגו חיל] *Augent facultates.*

14. *Et fui flagellatus*, &c. ואהי נגוע כל היום ותוכחתי לבקרים] *Nam quotidie plagas fero, ſingulìſque matutinis afflictio mea eſt.*

15. *Generatio filiorum tuorum* dicent quòd *prævaricatus ſum* דור בניך בגדתי] *Generationem filiorum tuorum reprobavi*, vel, *feſelli.* Alii, *in nationem filiorum tuorum injurius fui.* Quidam dicunt vocum ordinem eſſe perverſum apud Hebræos, apud quos ſic legitur, *Narrabo ut ecce generatio filiorum tuorum, prævaricatus ſum*: quem ſic ordinant, *Narrabo ſicut generatio filiorum tuorum: ecce prævaricatus ſum.* Et exponunt perinde acſi David dicat, *Siquando ſtatui apud me pronunciare de hac re, quòd ſcilicet fideles tuos non cures, ut pronunciare ſolent ii quorum etiam pater es, qui à te proceſſerunt, & tamen non putant te habere ſui curam; ſenſi utique me defeciſſe à fide in te.*

16. *Labor* עמל] *Res moleſta*: q. d. Quoties de hac quæſtione diſſertavi ſine Spiritu tuo, laborem maximum mihi peperi.

17. *Ingrederer in Sanctuaria Dei*, אבוא אל מקדשי אל] Fut. Heb. pro præt. perf. conjunct. aut præt. perf. indicativi, *ingreſſus ſum. Sanctuaria* ſive *ſacraria Dei* vocat Dei arcana. Propterea quidam vertunt *ſecretiora Dei adyta.*

18. *Poſuiſti* תשית] Fut Heb. pro præt. ¶ *Corruere facis* הפלתם] Præt. Heb. quod quidam vertunt per præſens, *dejicis.* Alii per futurum, *Corruere facies*: i. e. ità eos dejicies ut planè vaſtentur. Phraſis eſt Hebraïca.

19. *Quomodo fuerunt in deſolationem quàm citò* איך היו לשמה כרגע] *Ut vaſtati ſunt penè in momento temporis.* Subaudi, *dicent homines aliquando, admirantes.* ¶ *Defecerunt* ספו] *Finem ceperunt.* ¶ *A terroribus* מן בלהות] i. e. Interitu repentino, ut exponunt Hebræi.

20. *Expergefacto* homine כהקיץ] Heb. *ab expergefacto.* Quidam vertunt ſubauditis pauculis, ſic, *Velut ſomnium* quod evanuit *ab evigilante.* ¶ *Cùm ſuſcitabis* mortuos בעיר] Hic בעיר pro בהעיר poſitum, *in ſuſcitando.* Alii vertunt *in civitate.* ¶ *Imaginem eorum* צלמם Ità vocat animam: q. d. In hoc ſeculo pereunt interitu repentino; in futuro autem ſempiterno.

21. *Excandeſcebat* יתחמץ] *Quaſi aceto acri perfundebatur.* Aut, *veluti acore affectum erat.* Alii, *acetoſum erat.* Alii, *acerbum factum erat.* Verbum Hebraïcum à nomine quod *acetum* ſignificat deducitur, item *fermentum* ſive *fermentatum.* ¶ *Et lumbi mei acuebantur* וכליותי אשתונן] Fut. Heb. *& uterque renum meorum quaſi telo acuto pungebatur.* Alii, *& renibus meis ſpinoſus eram.* Alii, *& renes mei aculeis puncti.* Chald. *renes mei ardebant ſicut ignis.*

22. *Ut jumenta* בהמות] Quidam pro כ Similitudinis legunt ב, & vertunt, *inter jumenta*, eodem tamen ſenſu.

23. *Tamen ego* ואני] Heb. *Et ego.* ¶ *Tenuiſti* אחזת] *Apprehendiſti.*

24. *Conſilio tuo* בעצתך] *In conſilium tuum*: i. e. in cognitionem conſilii tui. ¶ Cum *gloria excepiſti me* כבוד תקחני] Subauditur præpoſitio Hebræis; quidam אל *ad*, & vertunt *ad gloriam*: alii ב *in*, vel *cum*, i. e. *in gloriam* vel *cum gloria.* Verbum futurum eſt Hebræis, *ſuſcipies.* Sunt qui vertunt *gloria ſuſcepit me.*

25. *Nolo* quenquam לא חפצתי] Ad verb. *non volui*: i. e. non amavi. Quidam, *nullo oblector.*

26. *Defecerat* כלה] Ad verb. *Defecit.* Quidam vertunt per præſens, *Conſumitur*, aut *deficit.* Alii per futurum, *finem habitura eſt.* ¶ *Robur* צור] *Rupes*; vel *ſtabilitas.*

27. *Peribunt: ſuccîdis* יאבדו הצמתה] Fut. cum præt. Quidam, *pereunt; perdes.* Alii, *pereunt; conficis.* Vel, *perdidiſti.*

28. *Et ego*, &c. ואני קרבת אלהים לי טוב שתי באדני יהוה מחסי לספר כל מלאכותיך] Ad verb. *Et ego acceſſio* [ſive, *appropinquatio*] *ad Deum bona eſt mihi*, ac *poſui in Domino*, &c. Hebraïſmus cum mutatione perſonarum, pro, *Bonum eſt mihi accedere ad te, ac me totum à te pendere, ut narrare poſſim aliis omnia opificia tua, quæ maximâ arte facta ſunt à te.* Quidam vertunt, *Mihi autem conjungi Deo, bonum eſt, poſui in Dominum Jehovam ſpem meam, ut enarrem omnia opera tua.* Alii, *Appropinquatio autem mea ad Deum, bona eſt mihi, ut ponam in Domino Jehova ſpem meam, & enarrem*, &c.

CASTALIO.

10. P*Ropterea eò rediguntur illius homines*] ſc. Dei, h. e. homines pii. Vide Pſal. 125.

15. *En injuriam facio tuorum filiorum generi*] Quaſi Deo curæ non ſint.

17. *Donec ingreſſus in Dei ſanctuarium*] Penitus contemplatus Dei mentem, arcanumque conſilium.

CLARIUS.

CAnit in conſolationem ſanctorum qui felicitate impiorum offenduntur, quam infelicem ea exitum habeat; & rurſus, quàm felicem ſanctorum infelicitas.

1. *Quàm bonus Iſraël Deus*] Vide ſapientiam Prophetæ! Antequam ea conqueratur quæ ei ſuggerit cogitatio, præmittit fidei ſententiam, & agnoſcit juſtiſſimum eſſe Deum ſemper, tametſi ſæpenumero ejus judicia non intelligamus. Sic & Jer. 12. *Juſtus*, inquit, *es Domine, ſi diſceptem tecum; attamen judicia*, i. e. quæ videantur rationem aliquam habere, *loquar tecum: Quare via impiorum proſpere agit? feliciter agunt quicunque injuriæ ſeſe dediderunt?* Ait ergò hîc, *Quamvis certiſſimum ſit nunquam non eſſe beneficum Deum in Iſraëlem*, h. e. *illos qui candido ſunt pectore* (nam qui alterius ſunt generis, hoc intelligere non poſſunt, tametſi porrigatur in omnes ejus benignitas) mihi tamen hoc accidit abſurdi, ut cùm mei penè oblitus eſſem, *tantùm non labi cœperint pedes mei*, & quemadmodum accidere ſolet iis qui per lubrica ambulant, *effuſo greſſu collapſus fuerim.* In cauſa verò fuit quòd *excandeſcere cœperim in eos qui ebrietate fortunæ ad inſaniam uſque ſibi placent.* Nam illud *iniquos* alii verterunt *ſtultos.*

4. *Non eſt anxietas*] Non ſolùm (inquit) fortunata eſt

eorum

eorum vita, verùm etiam, cùm moriuntur, ſuaviter mori videntur & tranquillè, quippe quibus nihil deeſt ad leniendum morbum, atque ætate defecti ſine longo eruciatu exſtinguuntur, & in opulentia magna, quam relinquunt poſteris.

7. *Prodiit propter adipem*] Vel *vix apparent præ pinguedine oculi eorum*, & ſuprà quàm ſperaverant omnia illis proſperè eveniunt: hoc enim eſt, *tranſierunt in affectum cordis*.

8. *Diſſipaverunt*] Alius vertit *diſſolutos reddunt alios*. Vel, Terrori ſunt obviis omnibus propter potentiam illorum, quæ eò exerevit ut ſcelera ſua & vim, quâ opprimunt miſeros, latere non cupiant; ſed palàm loquantur, & ſeſe ob hujuſmodi jactent, neque pudeat eos ipſum Deum, quamvis ſupra omnia ſit, virulentâ linguâ laceſſere.

9. *Poſuerunt in cœlum*] Neque ſuperis neque inferis parcunt: nam eum qui cœlos inhabitat ore blaſphemo irritare audent, & linguâ illorum virulentâ per eos qui terram incolunt obambulant.

10. *Ideo convertetur*] Propter hujuſmodi fluctuabit populus Dei, nunc hoc nunc illud animo verſans: & hæc, veluti *aquæ amariſſimæ, pleno calice* obtrudentur illis ut bibant. Alii hunc ſenſum afferunt, *Apud quos verſantur impii: eiſdem ſe ſtudiis addicunt.* ¶ *Et aquæ pleni calicis ſugentur eis*] h. e. Bene quoque habent & feliciter qui ipſos ſectantur.

13. *Ergò ſine cauſa juſtificavi*] Hanc tentationem & deſperationem ſuggerit caro, quæ videt improbos felices, & pios miſeros: At ratio fide illuſtrata repugnans dicit, *Si dixero, enarrabo ſic*, ut ſcilicet præmiſſum eſt, *injurius ero in filios Dei*, quos ille caſtigat, & miſeriis vult eſſe ſubjectos, nè ab eo ad creaturas more impiorum deflectant. Hæc eùm ſecundùm carnem difficilia mihi eſſent ad cogitandum, tamen *cùm introirem in ſacrarium Dei*, facilè edoctus fui hujus rei cauſam, cùm *noviſſimum eorum* explicet hujuſmodi difficultatem. Video enim ſanctos Dei per afflictiones contineri in timore Domini uſque ad mortem, impios autem à fluxis & ſomnio ſimilibus deliciis tranſire ad perpetuam infelicitatem: id quod ſatis Lazari & Divitis illius aſtruit hiſtoria.

14. *Caſtigatio mea in matutinis*] A ſummo manè incipiebat afflictio.

19. *Perierunt propter terrores*] Subitis terroribus exterriti in nihilum redacti ſunt.

20. *Imaginem ipſorum*] i. e. Dignitatem, potenriam & memoriam eorum in nihilum rediges. Heb. *diſpicies*; ſed ſenſum expreſſit Interpres.

21. *Acerbum factum eſt*] i. e. Antequam perfectè cognoſcerem judicium Dei, motus ſum intra me, videns improborum proſperos ſucceſſus: ſed quod nunc *ſtultitiæ* meæ imputo, qui *quaſi jumentum* aliud judicare nequivi quàm quod oculis vidi. Interim tamen, Domine, *fui tecum* & in tua cura, quamvis non appareret, & *apprehenſam ſemper habuiſti manum dextram meam*, & *conſilio tuo me dirigebas, & me* tandem *majeſtatis* tuæ participem *ad te recipies*.

25. *Quis enim mihi*] Nemo, inquit, in cœlis aut in terris mihi arrider præter te; neque quiſquam tibi conferri poteſt, qui unus es omnia in omnibus.

27. *Qui fornicantur abs te*] Qui te deſerto alium Deum quærunt: quæ *fornicatio* appellatur in Scriptura.

LUCAS BRUG.

19. N*E tradas beſtiis animas confitentes tibi*] Exemplarium noſtrorum octodecim legunt, cum Romano Pſalterio & Joanne de Turre-cremata, *animas confitentes*. Quatuor, cum Romano Breviario & Ordinaria Gloſſa ac Brunone, *animas confitentium*. Duo, cum Remigio Antiſſiodorenſi, ut apparet, *animam confitentium*. Septem, cum Gallico Pſalterio, *animam confitentem*. His ſeptem conſentiunt nonnulli Lugdunenſium codices, quatuor Pariſienſium, quinque Hentenii, & auriqui Epanorthotæ. Suffragantur iſtis Græci libri, *μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι.* Adſtipulantur Tractatores; Latini, Arnobius, Ruffinus, Auguſtinus, Richardus Pampolitanus, Hugo Cardinalis, & Dionyſius Carthuſianus; Græcus, Euthymius. Volunt Hebraïca antigrapha אל תתן לחית נפש תורך. Vertunt autem Recentiores, *Nè tradas beſtiæ*, aut *cœtui*, hoſtium *animam turturis tuæ*. תור enim *turturem* ſignificat, ſicut Lev. 12. & aliis in locis. Et planè ab hac Hebraïca Latina vox *Turtur* per congeminationem deducta videtur. Chaldæus Paraph. tranſtulit, *Nè tradas populis, qui ſimiles ſunt beſtiæ ſylveſtri, animam diſcentium legem tuam.* Similiter Hieronymus, *Nè tradas beſtiis animam eruditam - in* [8 MS.] *lege tua.* תורה namque, quod notum eſt, *legem* ſignificat: itaque תורך pro תורתך acceperunt. Græci תודך legerunt, Daleth literam pro Reſch. Eſt autem תודך futurum quintæ conjugationis, à themate ידה, quod *confiteri, gratias agere, laudare* denotat. תודך i. e. *confitebitur tibi.* אל תתן לחית תודך, ſubaudito relativo, *Ne tradas beſtiis animam quæ confitebitur tibi*: accepto: autem futuro pro præſenti, ut aliàs fit non raro, eſt *animam confitentem tibi.* Faciunt itaque & Hebræa, ut diximus, pro quarta lectione: quanquam idem ſit omnium illarum lectionum ſenſus: ſingularia enim pro pluralibus poſita ſunt.

DRUSIUS.

2. כְּאַיִן שֻׁפְּכָה אֲשֻׁרַי. Sym. *παρ᾽ οὐδὲν ἐλύθη τὰ ὑποβαθοῦντά με, pro nihilo mota ſunt ea quæ fulciebant me*] Sic Interpres Theodoreti. Suprà 44. 18. אשרנו. Sym. *ea quæ dirigunt nos.*

4. אין חרצבות למותם ובריא אולם. Sym. *οὐκ ἐνεθυμοῦντο περὶ θανάτου αὐτῶν, στερεὰ γὰρ ἦν τὰ πρόπυλα αὐτῶν, Non cogitabant de morte ſua: firma enim erant veſtibula eorum.* A. *οὐκ εἰσὶν δυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν - - - non ſunt graviores ægritudines in morte ipſorum*] In Theodorereis, *Symmachus autem ſic expoſuit, Non ſunt ægritudines morti eorum, & non conquerebantur de morte ſua.* Hìc mendum ſubeſt; ſunt enim certè duæ interpretationes: prior eſt Aquilæ, *Non ſunt ægritudines morti eorum*; altera Symmachi, *Non conquerebantur de morte ſua*, ut *ἐνεθυμοῦντο* verterit *conquerebantur.* Quod tamen pono, non ſtatuo.

5. בעמל אנוש Th. *ἐν μέσῳ ἀνθρώπων.*

7. יצא מחלב עינימו. Sym. *Προέκυπτον ἀπὸ λιπαρότητος ὀφθαλμῶν αὐτῶν.* ¶ עברו משכיות לבב. Idem, *παρέβαινον τὰ φαινόμενα τῇ καρδίᾳ.*

11. ואמרו איכה ידע אל ויש דעה בעליון. Idem, *Hi verò dixerunt, Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia Altiſſimo?*

13. אך. Sym. *ἴσως οὖν.* Th. *πλήν.* ¶ זכיתי. A. *ἐκαθάρισα, mundavi.*

16. ואחשבה לדעת זאת עמל היא בעיני. Sym. *Εἰ ἐλογιζόμην ἐπιγνῶναι τοῦτο, μόχθος ἐφαίνετο ἐμοί.*

18. אך Sym. *vere*] Euthymius, *Symmachus pro Veruntamen, Verè dixit, & Paraſti pro Poſuiſti.* ¶ תשית למו. Idem, *paraſti eos.* הפלתם. Οἱ λοιποὶ, *κατέβαλες.*

22. ואני בער ולא אדע. Sym. *ἤμην δὲ ἀνεπιστήμων καὶ μὴ εἰδώς, porrò indoctus eram & ignorans.*

25. מי לי בשמים ועמך לא חפצתי בארץ. A. *Τίς μοι ἐν τῷ οὐρανῷ; καὶ μετὰ σοῦ οὐκ ἐβουλήθην ἐν τῇ γῇ, Quis mihi in cœlo? & tecum in terra nolui conferre.* Sic Interpres Theodoreti. Verbum è verbo, *& tecum nolui in terra.* Quod ità enarrat Euthymius, *Et à te quidnam aliud volui quàm utilitatem & commodum tuum? & ad hunc ſenſum Aquila interpretatur.*

28. מלאכותיך. A. *ἀγγέλους σου, nuncios tuos*: ex epiſt. ad Suniam.

AMAMA.

1. אך] *Attamen.* Exordium ex abrupto. Poſt magnam luctam carnis & ſpiritus erumpit in hanc concluſionem quâ pronunciat *Deum eſſe bonum* &c. q. d. Licet carni meæ ita videatur aut Deum non curare res humanas, aut favere impiis, odiſſe pios, tamen res ſe aliter habet. Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem; Curarent Superi terras, an nullus ineſſet Rector, & humano rucrent mortalia caſu? Non mirum ſic loqui Ethnicum cum David hic fateatur ſibi eadem conſideratione rectæ rationis clavum propemodum fuiſſe exrortum.

Rectis corde] Ab. *Iſraëli, non Gentibus quæ Deum non norunt.* R. C. *non omnibus Iſraëlitis.* Egregie, q. d. cum Apoſt. *Deus bonus eſt iis qui Iſraëlitæ ſunt in occulto, non in propatulo & carne tantum: non enim omnes, qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraël.* Alia eſt noſtri ævi Judæorum ſenrentia, qui præcipuum ſalutis ſuæ fundamentum in earnali propagatione & eircumciſione ponunt. Unde illud כל ישר' לו חלק בעלם הבא, in tract. Sanhedrin. Etiamne illi qui ſine pœnit. diſcedunt? Ita certè juxta quoſdam. Nam his præparatum eſt purgatorium, unde poſt 12. menſes exactos in cœlum aſcendunt, ſuamque obtinent portionem, ſed eam minime tam magnam, quam juſti. Apoſtatis autem ajunt rurſus creſcere præp. ac ſi nunquam fuiſſent Judæi. Aliàs enim fallere potuiſſent Abrahamum, quem nugatores quidam ad oſtium inferni collocant tanquam recognirorem & inſpectorem omnium qui ad inferos deſcendunt. Eumque non permittere ut quiſpiam circumciſus in infernum inferatur. Hæc eſt illorum ex fece opinio. Alii tamen Judæos in tres claſſes diſpeſcunt, quorum prior contineat Judæos Probiſſimos, 2. Improbiſſimos, 3. Mediocres. Illos vitam æternam mox conſequi ajunt; Mediocribus purgatorium, Improbiſſimis Gehennam aſſignant. Quod ſi ita eſt, longe miſerior eſt eorum quam

Gentilium conditio, hos enim & ſecundum corpus & animam interire, doctiſſimorum ſententia. Hæc eſt Judæorum miſera & confuſa Theologia.

Bonus eſt Deus] R. Sal. *Quamvis Deus ſæpe ſuperinducat Iſraëli afflictiones, tamen hoc cedit ipſis in bonum. Purgat enim eos ad vitam æternam.* Hoc eſt quod dicit Apoſtolis *omnia timentibus Deum cooperari in bonum.* GAMZO.

Deus] Etiam eum eſt Elohim, etiam cum caſtigat. Pheſichtha. In Elohim ajunt eſſe פרת הדין

2. *Declinaſſent*] De recta via, de ſtudio pietatis. Ab. *A viis rectis*, K. כְּאַיִן, fere dixiſſem לית דין לית דיין Reſpicit ad Tharg. Jeroſol. Gen. 4. Non eſt jud. nec judex, nec ſeculum aliud, nec merces b. pro piis, nec pœna pro impiis. Nec Dei miſericordiâ creatus eſt mundus, nec D. m. gubernatur. Reſp. Habet, Eſt judicium. VI. שית alii veſtem, alii ornam. Utrumque conjungo, veſtis ornata concinna Prov. 17. 10. *Mulier proceſſit ei obviam* שית זונה Belg. *In haer ciragie.* L. *Hoeren.*

4. *Quia non ſunt* חַרְצֻבּוֹת *uſque ad mortem ipſorum,*] Vide Piſc. & Jun. Metaph. ſumpta à filo & tramâ textoris, quæ quò paucioribus nodis religatur, eo felicius decurrit, ſic illorum vita quaſi exenodi & æquabili trama decurrit ſine morbis & miſeriis לְמוֹתָם, i. e. *ad mortem ipſorum*, ut ל notet terminum temporis, vel, *non ſunt vincula*, i. e. morbi, Aq. δυσπαθείαι, *dolores* למותם i. במותם *in morte ipſorum*, ל. pro ב. Alii, *Non ſunt illis ligamina ad mortem*, *nullis vexantur morbis, quibus veluti captivi ad mortem trahantur*; ל. denotante terminum motus.

10. *Ideo revertetur populus ejus* (Dei) *huc*, (huc adigentur) (*Poſtquam* (cum) *aquæ plem* (calicis) *exprimuntur iis*) 11. *Ut dicant quomodo* &c.

Aquæ pleni] ſub. כוס vel כף *pelvis.* Eſt eſt hypall. *Aquæ plenum poculi*, i. e. poculum plenum aquâ, i. e. lachrymis, exprimentur, ut ſc. bibant eas probi. Pſal. 80. 6. *Cibaſti eos pane lachrymarum, & potandum das iis de lachrymis triental. Cibare* ergo *aliquem pane lachrymarum* eſt *affligere*, *comedere* vel *bibere pane lachrymarum.*

15. Hactenus commemoravit felicitatem improborum & ex ea in animis proborum ortam indignationem & dubitationem de providentia divina. Jam vero aggreditur confirmare propoſitionem Pſalmi verſ. 1. propoſitam, nempe Deum benè velle bonis & contra. Hanc ſententiam ſignificat 1 ab effectu vid. conſequente abſurdo verſ. 15.

Narrabo ſic] Similiter loquar ex indignatione & perplexitate.

Generationi] Cogar enim eam condemnare & habere pro malis. Opponit itaque ſuperiori paroxyſmo remedium ab exemplo univerſæ Eccleſiæ quæ ſingulari Dei conſilio ingentibus malis fuit obruta.

Sign. hic homines ſimili ingenio præditos. Pſalm. 14. *Generatio juſtorum*, Pſalm. 24. *Generatio quærentium Deum.* Proverb. 3. *Eſt generatio quæ maledicit Patri & Matri.* Eſt *Generatio quæ munda eſt in oculis ſuis.* Ter. *Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt. Nec ſunt tamen.* In N. T. γενεὰ *prava, perverſa, adultera.*

דור] Sub. בְּ. Sic Malach. 2. 14. Hoſ. 5. 7.

16. Ab adjuncta difficultate. *Equidem cogitabam* &c. Extra verbum Dei difficile eſt judicare quo conſilio Deus Eccleſiam ſuam vexari ſinat præ reliqua ſentinâ hominum. Seneca, libro, cur eum ſit provid. bonis male ſit &c.

Deus homines ut liberos habet, corruptos & vitioſos luxurioſe & delicatè ſinit vivere, quia non putat emendatione ſua dignos. Bonos autem, quos diligit, caſtigat ſæpius & aſſiduis laboribus ad uſum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari ſinit.

17. Confirmat ſententiam à teſtimonio verbi divini & experientiâ, quam ſeq. verſiculis perſequetur ulterius. *Donec veniſſem* &c. & *attendiſſem ad finem iſtorum.*

אחריתם] *Finis.* Geneſ. 48. 1. Deut. 4. 30. Dicunt Rabb. per אחרית הימים intelligi *dies Meſſiæ.* Num. 20.

II. Sign. *Mercedem*, Prov. 23. 18. *Eſto in timore Dei tota die, nam eſt* אַחֲרִית *& ſpes tua non ſuccedetur.* Sic 1. Petri 1. 9. Κυμιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν τὴν σωτηρίαν τῶν ψυχῶν ὑμῶν: Reportantes mercedem &c.

III. *Poſteritas*, *ſemen*, Am. 4. 2. *Dies venient & tollet vos hoſtis ſpinis, &* אַחֲרִיתְכֶם *ſpinis piſcatoriis.*

IV. Opponitur τῷ ראשית cum dicimus ראשית עמים Am. 6. 6. Num. 24. 20. Amalec vocatur ראשית הגוים Eſt enim ibi *Reſchith dignitatis.* Sic *Acharijt contemptus eſt*, Jirm. 50. 12. de Babylon.

Huc adducatur exemplum Herodis Agrippæ Act. 12. Haman, Nebucadn. Dan. 4. Balth. Dan. 5. & Joſep Antiq. lib. 19.

19. בלהות] Sunt terrores ſubiti, nulla de cauſa oborti, quales *Panicos* vocant Latini, & Græci à *Pan Panis.* Deut. 28. 65. egregia deſcriptio Panici caſus: *Immittet tibi Deus cor trepidum & mærorem animi. Vita tua erit ſuſpenſa, pavebiſque noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua. Unoque mane dices, O ſi eſſet* &c. Hunc enim tales immittere ſolitum credidit credula antiquitas. Pauſan. in Phocaicis: Πανικὸς δὲ σφίσιν ἐμπίπτει φόβος ἐν τῇ νυκτί. Τὰ γὰρ ὑπὸ μηδεμίας αἰτίας δείματα ἐκ τούτου φασὶ γίνεσθαι. Cicero ad Atticum, *Ego bellum fœdiſſimum futurum arbitror, niſi qui caſus panicus extiterit.* Pind. in Nemeis δαιμονίους φόβους vocat.

Ἐν γὰρ δαιμονίοις φόβοις φεύγονται καὶ παῖδες Θεῶν.

Imaginem eorum] i. e. Eos qui ſunt velut umbra, vel imaginariam & umbratilem eorum felicitatem & potentiam, vel imaginem, i. e. gloriam; ſic σχῆμα, Luth. *'t weſen*, Ang. *the faſhion*, *habitus*, B. *ſpecies.* Alii, *habitus*, *figura*, 1 Cor. 7. 31. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. παρ. i. παρέρχεται, παροδεύει; *paſſet away*, *paſſirt himweg*; alii, *decipit*, μετατίθεται, Bud. *tranſverſos agit*, Simplicius, *tranſit.* Sic & 1 Joh. 2. 17. *Mundus* παράγεται καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ. Pſ. 143. *& dies ejus ut umbra* παράγουσι.

A ſomnio] Vide exemplum inſigne hujus rei in Polyanth. in Tit. *Gloria.*

21 *Quando* (Angli, *Sic*, vel *Itaque*) *exacerbabatur cor meum & (in) renibus meis pungebar*, vel *acuebar.*

22. *Adeo brutus eram* &c. Vel *Tum eram brutus nec cognoſcebam: (eram) (ſicut) jumenta apud te.*

Exacerbabatur] יִתְחַמֵּץ à חָמֵץ *fermentari.* Fermentatur autem farina cum acore fermenti intumeſcit. Hic per Metaphoram ſign. *excandeſcere.* Qui enim iraſcuntur illos dicimus communiter intumeſcere. Acetum F. Vini חֹמֶץ יַיִן

Cor meum] Propter felicitatem improborum ſcil.

Renibus] כָּלָה inter alia ſign. *expetere, deſiderare, concupiſcere*; hinc כִּלְיָה & כְּלָיוֹת quia in iis eſt deſiderium ſeu concupiſcentia & libido. Unde etiam ponuntur pro *interioribus affectibus & cogitationibus*, Pſalm. 7. *Probans* לִבּוֹת וּכְלָיוֹת Jirm. 12. *Propinquus tu in ore ipſorum at remotus* מִכִּלְיוֹתֵיהֶם

22. *Et eram*] i. e. *Tum eram.* Sic cohærent hi verſus. Vel, *Adeo eram.* Sic diſtinguuntur, & eſt quaſi Ἐπιφώνημα.

Brutus] בַּעַר *Baro.* Vide notata ad Pſal. 49. 11. בער in Piel inter alia ſign. eum de vineis & agris dicitur *depaſcere*, ut Eſ. 3. & Ex. 22. 5. Hinc בִּעֵר Exod. 22. 5. *Si quis immiſerit* בעירו *in agrum alterius* וּבִעֵר *& depaſtum fuerit agrum vel vineam ejus* &c. Hinc בַּעַר *obbrutuit*, Jirm. 10. 8.

Ignorabam] Rationem Gubernationis tuæ.

Behemoth. Vide Pſal. 49. 4.

23. *Itaque futurus ſum tecum, prehendiſti manum dexteram meam.*

24. *Conſilio tuo deduces me & poſtea (in) gloriam reaccipies me.* Tractatâ propoſitione & confirmatione accedit ad concluſionem. Quæ habet tres partes: 1. Profeſſionem ſui ſtudii, verſ. 23. 2. Profeſſionem ſpei ſuæ, verſ. 24. 3. Profeſſionem ſuæ in Deum fiduciæ, à verſ. 25. ad finem.

23. Lxx. Κἀγὼ διαπαντὸς μετὰ σοῦ, ἐκράτησας τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς μου.

24. Ἐν τῇ βουλῇ σου ὡδήγησάς με, καὶ μετὰ δόξης προσελάβου με.

Heb. 2. 16. Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται.

Futurus ſum] Dicit ſe conſtanter ſerviturum Deo.

יַד יְמִין [בְּיַד יְמִינִי] *Manum dexteram meam.* Quomodo non יד ימין? Imo cur non בְּיַד יְמִינִי? Cur *Jad* in Regim. Quidam expoſuerunt, *Manu* ſc. tuâ, *dexteram meam.* At obſtat punctatio τοῦ Jad. Sciendum itaque eſſe locutionem ut נְהַר פְּרָת Joſ. 1. *Fluvius Euphratis.* Sic *Urbs Romæ*, *Herba Lapathi*, *Fons Timavi*, *Urbs Patavi*, utrumque apud Virg. Sic in Actis 7. & Amoſ. 5. כּוֹכַב אֱלֹהֵיכֶם vel τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥέμφαν. Alii enim *Saturnum*, alii *Venerem*, alii *Luciferum* intelligunt. Sic *Sculptilia Deorum veſtrorum.*

24. *Deduces*] Spem ſuam profitentis; alii, *deducas* precantis; alii *deducebas*, ut reſpiciat ad luctam illam carnis & ſpiritus. Sed malim ut ſpem profiteatur, eamque duplicem, 1. ſe à Deo gubernatum iri in hâc vitâ, 2. poſt hanc vitam ſe receptum iri in Gloriam cœleſtem.

Accipies me] Vel acceptum collocabis. Eſt enim ex prægnantibus.

25. *Quis eſt mihi in cœlis præter te? Et præter te non delector quoque in terra.*

Lxx. Τί γάρ μοι ὑπάρχει ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ παρὰ σοῦ τί ἠθέλησα ἐπὶ τῆς γῆς.

Fiduciam

Fiduciam ſuam amplificat antitheſi qua Deo opponit creaturas, 1. Cœleſtes, 2. Terreſtres.

In Cœlis] Vel cœlo. Sic ὐρανῷ vel ὐρανοῖς. Ebr. שמים. Ineptit ergo Alphonſus de Caſtro, qui hinc argumentum petit pro primatu Petri, ut *Apoſtolis* Matth. 18. 18. dicitur, *Quæcunque ſolveritis in terra, ſoluta erunt in COELO. Quæcunque ligaveritis in terra, ligata erunt in COELO.* Matth. 22. 30. *Erunt ſicut Angeli in cœlo.* Marc. 12. 25. — *in cœlis.* At *Petro* Matth. 16. 19. *Dabo tibi claves Cœlorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum in Cœlis*, &c. Oppono unicum locum ex Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis authoritas* ἐν ὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ· Ergo Petrus major Chriſto.

עמך] *Juxta te* vel *præter te*, *tecum. Non habeo quem tibi ſocium adjungam*, *quem pariter tecum colam.* Alii, *à te quid volui in terra?* Sic עמך erit pro מעמך

26. LXX. Ἰδοὺ οἱ μακρύνοντες ἑαυτὺς ἀπὸ σῦ ἀπολῦνται, ἐξωλόθρευσας πάντα τὸν πορνεύοντα ἀπὸ σῦ.

27. Ἐμοὶ δὲ τὸ προσκολλᾶσθαι τῷ Θεῷ ἀγαθόν ἐςι, τίθεσθαι ἐν τῷ κυρίῳ τὴν ἐλπίδα μȣ, τῦ ἐξαγγεῖλαι με πάσας τὰς ἀργέσεις σȣ ἐν ταῖς πυλαῖς τῆς θυγατρὸς Σιών.

26. Duo enuntiata per Aſyndeton cohærent conſtituuntque enunciatum relatum temporis, ſenſus, *Quando deficit caro mea & cor meum*, ſc. præ ardenti deſiderio tui, vel præ indignatione concepta ob fœlicitatem improborum, (*tunc*) *rupes* (LXX. Θεὸς) *cordis mei*, i. e. is in quo confidit cor meum, *& portio mea eſt Deus in æternum.*

Portio mea] i. e. Is in quo delector, ſicut hæres delectatur portione ſua quam indeptus eſt in diviſione hæreditatis.

Propinqui Dei] Sunt pii; *Longinqui*, impii. Eph. 2. 13. *Vos qui olim eratis procul*, *nunc propinqui facti eſtis*, reſp. ad locum Jeſ. 59. 19. vel 23. ubi per *longinquos* intelliguntur *Gentes*, per *propinquos Judæi.* Jeſ. 29. *Hic populus appropinquat mihi ore & honorat me labiis ſuis.*

27. זנה מ׳] *Fornicans à te* i. e. fornicando deficiens à te. Conſtruitur cum ב, אל, על, אחרי, אחר, אשר, כאחרי, מן, כ״ל. Quando cum præpoſitionibus à loco conſtruitur, videtur eſſe prægnans, ut jam dictum eſt. Quidam aſſerunt זנה & נאף ſic differre ut zana ſign. *ſcortari*, נאף *adulterium committere.* Contendunt hac de re R. Sal. & Aben. R. Sal. ſic ſtatuit ut jam dictum eſt, Aben. quem ſequuntur hoc loco & Exod. 20. Junius & Trem. contra ſtatuunt. At pro R. Sal. faciunt LXX. qui Exod. 20. τὸ נאף reddunt ȣ̓ μοιχέυσεις, quod in N. T. confirmatur Matth. 5. Rom. 13. & hoc loco τὸ זנה πορνέυοντα ἀπὸ σȣ. Quin & זונה illi communiter πόρνην interpretantur non μοιχαλίδα. Quin hanc controverſiam dirimere videtur locus Hoſ. 4. 24. *Numquid animadverterem in filias veſtras* כי תזנינה i. e. ut ipſi Trem. & Jun. *quod ſcortentur? & in nurus veſtras quod* תנאפנה *quod mœchentur.* Fateor tamen hæc aliquando confundi & ut μοιχεύω apud Lucianum de Danaë uſurpatur pro *ſtuprare* & *temerare Virginem*, ſic aliq זנה de Adulterio uſurpari, ut hoc loco. Mentio enim hic eſt conjugii ſpiritualis, in quo Eccleſia ſe habet ut uxor, Quando ergo ea deficit à Deo & ſectatur Idolum, committit illud ſpiritualiter, quod uxor alteri ſe proſtituens corporaliter.

28. *Me quod attinet*, *Appropinquatio Dei mihi bona eſt.* Poteſt accipi vel de acceſſu Dei ad Davidem, vel Davidis ad Deum. Si de acceſſu Dei ad Davidem, tunc לי poteſt ad קרבת referri hoc modo, *Appropinquatio Dei mihi*, i. e. ad me. Notum ut nomina ſæpe conſtruantur cum caſu verbi ſui, ſic Gen. 42. הקרות אתכם *eventa tis.* Sic Deut. 1. 27. בשנאת יהוה אתנו. Sic ſecundum Everſionem אתכם Sodomam Sic Plaut. *Servitus opulento homini.* Saluſt. 3. hiſt. *Fracta conſultaque Alexandri æmulus erat.*

GROTIUS.

1. **Q***Uam bonus Iſraël Deus*] *Certè bonus Iſraëli Deus.* Sic habet Hebræum.

24. *Et cum gloria ſuſcepiſti me*] *Et cum honore excepiſti me.* Feciſti me Regem. Nam Aſaphus hæc compoſuit in laudem Davidis. אחר per σὺν (*cum*) vertitur, ſuprà 49. 18.

PRICÆUS.

9. **E***T nos non cognoſcet amplius*] Intuetur nos tanquam alienos. Quo ſenſu Luc. 13. ȣ̓κ οἶδα ὑμᾶς.

11. *Quouſque avertis*, &c. *dextram tuam de medio ſinu?*] In medium ſinum, quaſi otioſus. Apulejus, *Siccine otioſus, inſinuatis manibus ambulabis mihi?* Vide & Proverb. 19. 24.

16. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox*] Id eſt, opera manuum tuarum, ut ſuprà 18. 3.

Tu perpetuo maxus ſolio,
Rapido cœlum turbine verſas,
Legemque pati ſidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Totis fratris & obvia flammis
Condat ſtellas Luna minores;
Nunc obſcuro pallida cornu,
Phœbo propior lumina perdat.
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Heſperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Sunt iſta è Boetio. Ejuſdem, ubi de ejuſdem Dei providentia, ſunt & iſta,

—— *Vicibus temporis æquis*
Veſper feras nunciat umbras:
Revehitque diem Lucifer almum.

In epiſtolis Heracliti dictis, Νὺξ αὐτῷ (Deo) καὶ ἡμέρα μαρτυρȣ̃σιν.

17. *Æſtatem & ver, tu plaſmâſti ea*] Ibidem,

—— *Vere tepenti*
Spirat florifer annus odores;
Æſtas Cererem fervida ſiccat.

Minucius Fœlix, de temporum ordine & varietate agens, *Nonne auctorem ſuum parentemque teſtatur? Ver cum ſuis floribus, & Æſtas cum ſuis meſſibus*, &c.

18. *Memor eſto hujus*, &c.] Memor ad puniendum: ut infrà 136. 7. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom.* Vide & infrà heic com. 22.

19. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*] Juditha 7. 20. *In tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorant te. Beſtiæ* heic, ut 34. 25. Ezechielis.

22. *Judica cauſam tuam*] Ulciſcere cauſam ſervorum tuorum, quam ex charitatis tuæ abundantia ſoles tuam vocare. Vide ad Luc. 18. 7. dicta.

Ibid. *Improperiorum tuorum*] Gr. τῶν ὀνειδισμῶν σȣ i. e. in te jactatorum. Sic Hebr. 11. 26. τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριςȣ̃.

23. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*] *Poſuerunt* (ut ſuprà 72. 9.) *in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.*

IDEM.

3. **Q***Uanta malignatus eſt inimicus in ſancto!* & com. 8. *Dixerunt*, &c. *quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei*, &c.] Infrà 82. 4. *Super populum tuum malignaverunt conſilium*, &c. *Dixerunt, Venite & diſperdamus eos de gente: non memoretur nomen Iſraël ultrà.* Fortè & in hunc ſenſum exponenda apud Eſaiam illa, *Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël*, 30. 11.

11. *Et dexteram tuam de medio ſinu tuo?* Subaudi, *non exſeris?*

12. *Deus autem*, *Rex noſter ante ſecula*, *operatus eſt ſalutem*, &c.] Id eſt, Rex noſter, ante ſecula Rex. Unde & Paulo 1 Tim. 6 17. *Rex ſeculorum* dictus: & Apulejo 11. *ſeculorum origo initialis.* Supra hic 54. 20. *Exaudiet Deus*, &c. *qui eſt ante ſecula*: & infrà 89. 2. *A ſeculo & uſque in ſeculum tu es Deus.*

16. *Tuus eſt dies*] *Ordinatione tuâ* (ut infrà 118. 91.) *perſeverat dies.*

Ibid. *Et tua eſt nox*] De Eodem Jobus 36. 32. *Abſcondit lucem, & præcipit ei ut rurſus adveniat*

17. *Æſtatem & ver, tu plaſmâſti ea*] Ad Eundem in Orpheicis,

Σὺ μετὰ ἔαρ λάμπει νέον ἄνθεσι πορφυρέοισι,
Σὸς χειμὼν ψυχραῖσιν ἐπερχόμενος νεφέλαισιν.

Adde Gen. 8. 22.

17. *Tu feciſti omnes terminos terræ*] Ità & Græci, quorum nunc utimur verſione, τὰ ὅρια, &c. at in veteribus pleriſque monent ὡρια ſcriptum: quod & bene cum hic adjectis convenit, iiſque 49. 11. *Pulcritudo agri mecum eſt:* quin & Heſychio, Ὥρια ſunt, τὰ κατὰ τὴν ὥραν γενόμενα, ὡραῖα, ἢ ὥριμα.

18. *Incitavit nomen tuum*] Id eſt, ut ſuprà 10. *irritavit.*

Ibid. *Memor eſto hujus*] LXX. pleniùs, Μνήσθητι ταύτης τῆς κτίσεώς σȣ.

21. *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*] Fac nomen laudent tuum.

22. *Memor eſto improperiorum tuorum*] *Tuorum*, quia eorum qui te unum colunt. Infrà 88. 51. *Memor eſto opprobrii ſervorum tuorum.* Vide & 68. 20.

Ibid. *Eorum (improperiorum) quæ ab inſipiente ſunt*] A populo inſipiente, ſuprà 18. id eſt, (ut ſæpe alibi) ἀθέῳ.

23. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*] Infrà 82.3. *Qui oderunt te, extulerunt caput.*

Ibid. *Aſcendit ſemper*] Eſai. 37. 29. *Cùm fureres adversùm me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas.*

PSALM. LXXIV.

MUNSTERUS.

1. Q*Uare, Deus, abes in perpetuum*] Prævidet Propheta Aſaph in Spiritu Templi & populi devaſtationem, queriturque Deo contumelias & blaſphemias quas gentes ſpuebant in populum & loca ſancta. Sunt tamen qui Pſalmum hunc non ab Aſaph ſed ab aliquo ab eo deſcendente compoſitum putant.

3. *Leva veſtigia tua*] i.e. Adveni celeriter.

4. *In medio eccleſiarum tuarum*] Notat hoſtium tyrannidem, qui paſſim per Jehudam in urbes & loca ſacro ſtudio dedicata irruebant & ea profanabant, atque vexilla ſua pro ſigno victoriæ erigebant. Et hæc quidam putant adimpleta ſub Antiocho.

5. *Cognitus erat*] Senſus eſt, Cùm Templum exſtrueretur, inſigne quid feciſſe putabatur qui pro illo arbores in ſilva ſecabat: nunc autem illud in tanto ab hoſte habetur contemptu ut putant ſe rem Diis gratam facere ſi illud dejiciant, confringant & comburant.

9. *Signa noſtra non videmus*] i.e. In tanta rerum calamitate deſtituimur auxilio Dei, ſignis conſuetis atque Prophetis, qui nobis dicant quando hæc mala finem accipiant.

13. *Draconum*] Sic vocat Pharaonem & populum Ægyptiacum; quem etiam mox in eodem verſu vocat *Leviathan* ſeu *cetum, & quem dedit populo ſolitudinum in cibum*, h.e. ſpolia ejus dedit Iſraeli vaganti per ſolitudines.

VATABLUS.

1. I*Ntelligentia* משכיל] *Maſchil*, i.e. *Intelligentia*; vel, ut alii, *erudiens*, ſive *eruditivum*. Vide Pſal. 32. ¶ *In ſeculum* לנצח] *In perpetuum*, i.e. penitus. ¶ *Fumat* יעשן] Fut. Heb. *fumabit*: quidam convertunt in præſens, *fumat*: i.e. ità exæſtuat, ut fumum emittere videaris.

2. *Ab antiquo* קדם] Jam olim, jam pridem, priùs. Videtur alludere ad liberationem ex Ægypto. ¶ Quod *redemiſti*, &c. גאלת שבט נחלתך הר ציון] Quidam mutato ordine verbi Hebraïci vertunt, Et *virga hæreditatis tuæ quam redemiſti* [vel, *eripuiſti*] *montis Sion. Virgam hæreditatis* vocat hæreditatem perticis aut funiculis diviſam, ut in Palæſthina fieri ſolebat. Alii, abſque inverſione ordinis, ſubauditis pluribus, transferunt, Et quam *redemiſti*, recordare, inquam, *tribûs hæreditatis tuæ, montis Sion iſtius, &c.* ¶ *In quo habitas* זה שכנת בו] Ad verb. *quem habitaſti in eo.* Hebraïſmus, pro, *quem inhabitare ſoles.* Redundat *in eo.*

3. *Pedes tuos* פעמיך] *Greſſus tuos: veſtigia tua.* Hebraïſmus eſt, *Leva pedes tuos*, pro, *Accelera, Attolle te.* ¶ *Ad deſolationes*, &c. למשאות נצח כל הרע אויב בקדש] Ad verb. *ad vaſtationes in perpetuum, omnem qui malefecit inimicum in Sanctitate.* Quidam convertunt nomen in verbum, ſic, *Ut vaſtes in perpetuum omnem hoſtem qui afflixit Sacrarium.* Vel, *ut perdas perpetuò hoſtes univerſos qui mala intulerunt Sacrario tuo.* Sive, *qui malè egit in Sanctuario.* Alii, *ad vaſtationes perpetuas, nihil non labefecit inimicus in Sancto.*

4. *Synagogarum tuarum* מועדיך] *Eccleſiarum tuarum*: i.e. Templi. Plurali numero utitur, quòd Templum conſtaret tribus partibus, ut dictum eſt Pſal 68. 35. ¶ *Signa* אותות] Repetit nomen ad certitudinem & veritatem rei. Nam ſigna certa habebant quibus ſibi perſuadebant ſe capturos Templum ſanctum. Ezech. 21. 21. traditur quomodo conſuluerint exſta cùm in deſtructionem Templi ſancti proficiſcerentur: q. d. ea ſigna quibus adducebantur ſe capturos Templum, crediderunt eſſe vera. Alii ſubaudiunt præpoſitionem, vertentes, *pro ſignis*, vel, *trophæis*: i.e. in ſignum victoriæ.

5. *Notus* יודע] *Celebris. Nobilis.* ¶ *Velut afferens ſuperne* כמביא למעלה] *Velut adducens ad ſublime.* Aut, *velut adducens* ligna *ad ſublime aliquid.* q. d. Qui in ſilva denſa (id ſignificat *perplexitas lignorum*) abſcindebat arbores ad ædificium Templi, in tanto pretio habebatur in quanto habitus fuiſſet ſi eadem ligna Deo præſenti in cœlo obtuliſſet. Vel, videbatur rem tam gratam agere quam ſi obtuliſſet coram Deo in cœlo. Quidam vertunt, *Palam eſt quomodo in ſuperiora* Templi, *velut in condenſa ſilvarum, ſecures intulerint.* Et per *ſuperiora* intelligunt tabulata Templi quæ auro ornata hoſtium prædæ patuerunt, ideoque ſecuribus decuſſa ſunt, non ſecùs quàm ſi in ſilvis arbores detruncentur. An ex veritate transferant hi, videant lectores. Verſus ſequens videtur adverſari, cùm dicit, *Nunc autem*: opponit enim præcedentibus ſequentia.

6. *Bipenni* בכשיל] *Securi.* ¶ *Conterunt* יהלמון] Fut. Heb. pro præſ. vel præt. *dejiciunt, confregerunt, conquaſſarunt.*

7. *Ignem in ſanctuaria tua* באש מקדשך] Ad verb. *in ignem Sanctuaria tua*: pro, *ignem in Sanctuaria tua. Incenderunt igni Sanctuarium tuum*, i. e. Templum.

8. *Depopulabimur* נינם] *Interficiamus eos, vim inferamus illis, deprædemur eos.* ¶ *Omnia tabernacula* כל מועדי] *Omnes ſynagogas*, i. e. totum Templum.

9. *Signa noſtra* אותתינו] *Prodigia:* quæ ſcilicet olim faciebat Deus noſtrà cauſâ, ut nos admoneret futurorum.

10. *Spernet inimicus nomen tuum* ינאץ אויב שמך] *Blaſphemabit inimicus nomen tuum.* Alii, *comminabitur nomini tuo* Alii, *floccifaciet, ſpernet, contemnet.* ¶ *In ſeculum?* לנצח] *In perpetuum, perpetuò.*

11. *Reducis* תשיב] Fut. Heb pro præſ. *avertis.* ¶ *Et dexteram tuam*, &c. וימינך מקרב חוקך כלה] *Et dexteram tuam de medio ſinu tuo arce.* Alii, *& dextera tua è medio ſinûs tui otioſa eſt?* Alii, *& dexteram tuam de medio ſinus tui* profer eam, ut hoſtem *conſumas.* Metaphora ab inertibus & ceſſatoribus.

12. *Deus autem*, &c. ואלהים מלכי מקדם פעל ישועות] *At tu, ò Deus*, olim *Rex meus* eras, *qui ferebas auxilia in*, &c. Alii *&* pro *cùm* accipiunt vertentes, *Cùm Deus Rex meus*, ſub. *fuerit*, &c. Locus conciſus. q. d. *Quomodo id accidere potuit, cùm Deus fuerit Rex meus jam olim*, ſive *ab initio*, *& cum hucuſque juverit me, & fecerit mihi ſalutes*, i. e. tulerit mihi opem, *in media hoſtium ditione?*

13. *Confregiſti* פוררת] *Diviſiſti, diremiſti, ſecuiſti.*

14. *Contriviſti* רצצת] *Confregiſti, concidiſti.* ¶ *Deſerta incolenti* לציים] *Deſerti*, vel *ſolitudinum.* Alii, *in deſertum*, ſub. *proficiſcenti.*

15. *Excidiſti* בקעת] *Secuiſti.* Alii, *ex ſciſſuris produxiſti.* ¶ *Et torrentem* ונחל] *Et flumen.* ¶ *Fortes* איתן] Ad verb. *fortitudinis, validos, ingentes.*

17. *Plaſmaſti* יצרתם] Ad verb. *formaſti eas*: vel, *ea.* Pronomen redundans more Hebræorum. Alii, *finxiſti.*

18. *Sprevit* נאצו] *Violavit.* Idem verbum quod v. 10.

19. *Congregationi* inimicorum *animam* לחית נפש] *Beſtiæ animam.* ¶ *Pauperum* עניך] *Afflictorum tuorum.* ¶ *In æternum* לנצח] *In perpetuum, penitus, perpetuò.*

20. *Repleta ſunt*, &c. כי מלאו מחשכי ארץ נאות חמס] *Repleta ſunt tenebroſitates terræ habitaculis violentiæ*; i.e. quia terra tenebris obruta, plena eſt hominibus ſtudentibus injuriæ. Quidam, *tenebricoſa terræ plena ſunt habitaculis violentiæ.* Alii, *repleverunt tenebræ terram, habitacula prædonum.* Alii, *repleta ſunt* omnia *tenebroſis* carceribus *terræ*, *& habitaculis violentis.*

21. *Attritus affectus pudore* דך נכלם] *Pauper* [vel *afflictus, contritus*] *confuſus.* Vel, *Ne revertatur contritus cum ignominia*, i. e. nè revertatur à conſpectu tuo obrutus ignominiâ, quòd repulſam paſſus ſit. ¶ *Pauper* עני] *Afflictus.*

22. *Diſcepta* ריבה] *Defende, judica.*

23. Neque *ſomnus*, &c. שאון קמיך עולה תמיד] *Tumultus eorum qui contra te inſurgunt, jugiter creſcit*; vel, *augeſcit.* Alii, *faſtus eorum*, &c. *aſcendit ſemper.* Vel, *aſcendit*, ſub. *in conſpectum tuum*: ideo non potes diſſimulare te illum audire.

CASTALIO.

13. C*Apita cetorum in aquis*] Ægyptiorum.

14. *Tu diſſectis balænæ capitibus*] Pharaonis.

15. *Tu vehementia exſiccaviſti flumina*] Jordanem.

CLARIUS.

APertè admodum de Templi vaſtatione hîc Pſalmus canit: quare creditur eum non ab Aſaph, quem David, cum quibuſdam aliis, ſacris carminibus præfecit, compoſitum, ſed à poſteris ejus, quorum ordo patris nomen retinuerit. Hæc autem creditur ea eſſe vaſtatio quæ facta eſt per Antiochum.

1. *Repuliſti in finem*] *Deſeris nos perpetuò.* Nam familiare eſt Interpreti *finem* pro *perpetuitate* vertere.

2. *Re-*

2. *Redemiſti virgam*] Vel *tribum*. Commemorat priora beneficia, & per *virgam* videtur ſignificari Regia dignitas.

3. *Leva greſſus tuos*] Erige te in pedes, ut obviam hoſtibus profectus malis illos afficias nunquam finiendis.

4. *Poſuerunt ſigna tua*] Erexerunt vexilla ſua in trophæum: *palàm* videntibus cunctis *aſcenderunt* (nam hîc uſi ſumus Paraphraſi, ut Hebraïcam phraſim devitaremus) *vaſtaturi Templum tuum, non aliter quàm ſilvam lignorum* ingreſſi arbores *truncare* ſolent. Hi duo verſus perquam obſcuri ſunt etiam apud Hebræos: quare ſunt qui & alterum hunc afferant ſenſum, *Nobilis erat ſicut adducens ad ſublime, adducens in ſilva arborum ſecures: Et nunc ſculpturas ejus ſimul in bipenni & malleis dejiciunt.* h. e. Olim cùm Templum exſtrueretur, etiam cæſores lignorum in pretio erant, qui ad id cooperabantur ut in ſublime ſacrum ædificium perduceretur: nunc omnia deſtruuntur. Illud vero, *Palàm aſcenderunt*, &c. in Hebræo ſic habet, *Cognitus erat, tanquam adducens ſuprà, cum ramo ligni cum ſecuri. Et nunc ſculpturas ejus ſimul malleo & bipenni diruerunt.* Quod quidam ſic interpretantur, *Qui afferebat lignum cæſum ad Templum, agnoſcebatur à Deo tanquam ſi attuliſſet in cœlum*, &c.

9. *Signa noſtra non vidimus*] In tanta rerum calamitate deſtituimur auxilio Dei: Signa liberationis adhuc nulla apparent, nec ullus eſt Propheta, nec quenquam dediſti nobis qui ſcire poſſit quando horum ſperare liceat finem.

12. *Rex noſter ante ſecula*] A ſeculis plurimis. Mirum, inquit, quo pacto nunc deſeramur, cùm iſte ſit Deus qui *in medio hujus terræ* innumeris argumentis palàm oſtendit vires ſibi non deeſſe.

13. *Capita draconum*] Sic vocat Pharaonem & populum Ægyptiacum, quem ait *datum fuiſſe eſcam populo deſerti*, h. e. ſpolia ejus dedit Iſraëli vaganti per ſolitudines; vel projecit cadavera feris & corvis, qui in deſertis verſari ſolent.

15. *Tu dirupiſti fontes*] Tu aperuiſti aridam petram, & eduxiſti ex ea aquam, tanquam ex fonte, tam copioſam, ut in juſtum flumen excreverit: è contrario *rapidiſſimos fluvios exſiccaſti, quoties tibi ità viſum fuit.*

18. *Memor eſto hujus*] Habe rationem hujus tam inſignis contumeliæ: hoſtis enim ille non ſolùm affligit nos, ſed & *Dominum te* aſſiduè *afficit contumeliâ*, &c.

20. *Reſpice in teſtamentum tuum*] Reſpice ad fœdus quod cum Patribus pepegiſti: eò enim malorum pervenimus, ut in teterrimis locis & veluti *ſubterraneis*, & *obſcuritatis pleniſſimis* degere mœſti cogamur; nec hæ tamen domus ab injuria & inſultibus hoſtium immunes ſunt.

21. *Ne revertatur*] Nè abire, quæſo, cogatur *pauper ſuffuſus pudore: pauper* enim humano auxilio deſtitutus, non divites iſti, ad te confugiet, ac *nomen tuum laudibus celebre faciet.*

23. *Qui te oderunt*] Heb. *Qui conſurgunt adverſùm te.*

DRUSIUS.

1. לָמָה אֱלֹהִים זָנַחְתָּ לָנֶצַח. A. Τί, Θεὲ, ἀπώσω εἰς νῖκος.

2. גָּאַלְתָּ שֵׁבֶט נַחֲלָתֶךָ. A. --- ῥάβδον κληρονομίας σου, *virgam hæreditatis tuæ.* Sym. ἐλυτρώσω σκῆπτρον κληρουχίας σου, *redemiſti ſceptrum ſortitionis tuæ.* V. ed. --- Φυλὴν ---] Ῥάβδον, &c. Deſcripſi ex ed. Rom. Locus meritò ſuſpectus. Nam & editio Vulgata ità habet, & in Euthymio legimus, *Aquila pro Virga hæreditatis* Sceptrum *dixit* ſortitionis. Auſim emendare, Ἐλυτρώσω ῥάβδον κληρονομίας σου] A. & Sym. ἐλυτρώσω σκῆπτρον κληρουχίας σου. Docti dijudicent. ¶ הַר־צִיּוֹן זֶה. Sym. καὶ ἤγαγες εἰς τὸ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιόν σου τοῦτο, *& duxiſti ad Sion montem ſanctum tuum iſtum.*

3. בַּקֹּדֶשׁ. A. ἐν ἡγιασμένῳ] In Theodoreteis, *Neque Ebræus, neque cæteri Interpretes, neque Lxx. in Sextuplici ſecundùm multitudinis numerum* in ſanctis *poſuerunt, ſed ſingulariter* in ſancto tuo: *ut manifeſtum eſſet eos qui hæc inquiunt de Templo dicere.*

4. שָׂמוּ אוֹתֹתָם אֹתוֹת׃ יִוָּדַע כְּמֵבִיא לְמָעְלָה. Sym. *poſuerunt ſigna ſua manifeſte in edito in introitu portarum*] Ex Comment. in Pſalmos qui exſtat in operibus Hieronymi. Græca ſunt in ed. Rom. ἔθηκαν τὰ σημεῖα αὐτῶν ἐπισήμως γνώρισμα κατὰ τὴν εἴσοδον ἐπάνω. A. --- ἐγνώσθη ὡς εἴσοδος εἰς ἄνω. Th. καὶ γνωσθήτω ὡς εἴσοδος ὑπεράνω.

5. בִּסְבָךְ־עֵץ. Sym. ἐν ἀρμένοις ξυλίνοις.

8. שָׂרְפוּ כָל־מוֹעֲדֵי־אֵל בָּאָרֶץ. A. ἐνέπρησαν πάσας συναγωγὰς ἰσχυροῦ ἐπὶ τῆς γῆς, *incenderunt omnes ſynagogas Dei fortis in terra.* Th. ἐνεπύρισαν πάντας καιροὺς ἰσχυροῦ ἐν τῇ γῇ, *igne ſuccenderunt omnia feſta tempora Dei fortis in terra.* V. ed. κατέκαυσαν. --- VI. κατακαύσωμεν. --- Sym. ἐνέπρησαν πάσας τὰς ἑορτὰς Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, *incenderunt omnes feſtivitates Dei in terra.* Vide nunc epiſt. Hier. ad Suniam.

9. אוֹתֹתֵינוּ. A. S. Th. τὰ σημεῖα ἡμῶν, *ſigna noſtra.*

10. יְנָאֵץ. Sym. προπηλακίσει.

13. תַנִּינִים. Idem. κητῶν, *cetorum.* ¶ עַל־הַמָּיִם. A. ἐπὶ τῶν ὑδάτων, *ſuper aquas:* ex epiſt. ad Suniam.

14. לִוְיָתָן. * λευϊαθαν.

15. מַעְיָן וָנָחַל. A. & Sym. πηγὴν καὶ χείμαῤῥον. Sic etiam Theodotio. Sed & V. ed. pro πηγὰς edidit πηγὴν, i. e. *fontem.* ¶ נַהֲרוֹת אֵיתָן. A. --- ςεῤῥοὺς *fortes.* Sym. ἀρχαίους, *antiquos*] Euthymius, *Symmachus pro* ETHAM antiquos *reddidit: Etham*, i. e. ἠθάμ· mendum vetus pro ἠθὰν, quale in Μαδιάμ. Sic Ἐδὲμ legitur pro Ἐδὲν· quæ ſcriptura impoſuit doctiſſimo Theodoreto ut exiſtimarit *Adam* dictum ab Ἐδέμ, loco in quo formatus fuit. Gloſſarius nom. propriorum, *Etham, Fortis, vel Robuſtus.* Locus iſte pleniùs exſtat apud Theodoretum, *Tu ſiccaſti fluvios Ethan*] *Symmachus expoſuit, Tu ſiccaſti fluvios antiquos*, σὺ ἐξήρανας ποταμοὺς ἀρχαίους.

16. מָאוֹר וָשָׁמֶשׁ. A. Φωςῆρα καὶ ἥλιον. Th. Φῶς καὶ ἥλιον. VI. ed. σελήνην καὶ ἥλιον, *Lunam & Solem.*

17. הִצַּבְתָּ. A. & Th. ἐςήλωσας, Sym. ἔςησας] Theodoreti Interpres, *Tu feciſti*] *Aq. & Th. Stabiliſti, explanarunt; Sym. vero, Firmaſti, dixit.*

20. כִּי־מָלְאוּ מַחֲשַׁכֵּי־אֶרֶץ נְאוֹת חָמָס. Sym. ὅτι ἐπλήσθησαν ἐσκοτισμένα γῆς ὡραιοτήτων ἀδικίας.

23. צֹרְרֶיךָ. A. *hoſtium tuorum.* Sym. *bellantium contra te.* VI. ed. *odio habentium te*] *Hoſtium tuorum*, τῶν ἐχθρῶν σου. Videſis epiſt. ad Suniam.

AMAMA.

Pſalmus εὐκτικὸς pro liberatione ex Captivitate Babylonica & punitione Babyloniorum.

לְאָסָף] Sive vertas *Aſaphi*, ſive *Aſapho*, vox אסף ſumenda Metonymicè, ut *Iſraël* pro *poſteris Iſraël*; ſic hîc pro *poſteris Aſaph.* Nam ut ipſe Aſaph ſcripſerit hoc carmen vel ipſi ab alio fuerit traditum, obſtat ratio temporis, fuit enim σύγχρονος Davidis. Quidam putant hunc Pſalmum referendum ad tempora Antiochi Epiphanis per alluſionem dicti Epimanis, qui Judæos tempore Haſmonæorum afflixit. Sed obſtat quod hic mentio fiat templi incenſi, ut verſ. 7. Ille enim non incendiſſe templum legitur, ſed ſpoliaſſe & profanaſſe illato Idolo Jovis Olympii. 1 Mac. 1. 23. 2 Mac. 6. 2.

לָנֶצַח] Εἰς νῖκος. Sic vocem hanc reddidit Aq. Prov. 21. 28. & Pſ. 13. 2. Confer cum 1 Cor. 15. 54. Qui locus deſumptus eſt ex Eſaia 25. 8. non ex Hoſ. 13. Vide Pſ. 68. 17.

Significat aliq. hæc phraſis *unquam.* Certè ſic ſumi poteſt Deut. 23. 3. De Moab. Pſ. 15. Sic in N. T. ordinariè, Marc. 3. 29. Joh. 13. *Non lavabis pedes meos in æternum.* Nec ullibi apud Profanos ſic extat. Aliq. tamen communiter in N. T. accip. Joh. 8. 35. *Servus non manet in domo in perpetuum, Filius manet in perpetuum.*

2. עֵדָה] Pſ. 26. reperitur בְּקָהָל Eccleſia de Eccleſia Judæorum, & Pſ. 68. 27. & Jacob. 2. 2. Ebr. 10. 23. Synagoga de Eccleſia Chriſtianorum. Sic Chriſtiani dicuntur συνάγεσθαι, Matth. 18. 20. Act. 11. 26. & 20. 7. Jam vide quæ ex falſa hypotheſi collegerint Papiſtæ apud Caſaub. & Raynoldum.

3. *Eleva greſſus tuos*] LXX. ἔπαρον τὰς χεῖράς σου. Vulg. *Leva manus tuas.*

כָּל־הֵרַע אוֹיֵב] Aben. & Pagn. volunt tranſpoſita verba לכל ארב שׁאות Jun. *ad omnia quæ vaſtavit hoſtis.* Ego malo cum Piſc. *Omnia vaſtavit hoſtis.* Ut הֵרַע ſit κακῶν, *affligere, male tractare, vaſtare, perdidit.* LXX. ὅσα ἐπονηρεύσατο ὁ ἐχθρός σου.

בַּקֹּדֶשׁ] Ἐν τῷ ἁγίῳ. Aq. ἐν τῷ ἡγιασμένῳ. Quod Theod. miratur, cum alias per plurale hæc effari ſoleant Interp. ut Pſ. 68. ult. θαυμαςὸς ἐςὶ θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. Pſ. 150. ἐν ἁγίοις αὐτοῦ, בְּקָדְשׁוֹ. Sic in Epiſt. ad Ebr. cap. 9. τὰ ἅγια. Sic οἱ αἰῶνες αἱ δεξίαι.

Verſ. 4. Junius, omnia ſigna cultus ſacri à Deo inſtituta publica & privata, in templo, urbe, agro, regione tota, & in hominibus ipſis ſuſtulerunt, ut ſua trophæa, idola, ſtatuas, prophanos cultus, præputia & omnia illeg exercitia in populum Dei inveherentur, Alludit etiam Junius ad ἐπισπασμὸν de quo in Præf. noſtra ad fragm.

4. *Rugierunt*] Proprium Leonum, ut עָרַג Cervorum, שקק Urſorum, נהק Onagrorum, נָבַח Canum, צהל Equorum, געה Boum & Vaccarum, נער Camelorum, צפצף Avium, פעה balare Ovium.

מוֹעֲדֶךָ] Vel plur. cum defectu τοῦ Jod, vel ſing. *Congregationum* vel *domuum tuarum.* Intelligit, *Sanctum & Sanctum Sanctorum*; alii *conventus tui*, i e. Templi, ad quod convenitur. Vulg. *In medio ſolennitatis tuæ.*

Alii ut R. Sal. putat reſp. ad locum Ezech. 21. 26. *Rex Babel ſtabit in bivio, terget cultros, conſulet idola, inſpiciet jecur.*

Inſignia ſua pro inſignibus] i. e. Sua trophæa & ſigna victoriæ, אות ſign. *nudum ſignum, ſignum rei futuræ, prodigium, portentum*; Signif. etiam *ſigna victoriæ*, & *ſigna διακρίτικα*, ut Num.

Num. 2. 2. *Filii Iſraël caſtrametabuntur quiſque juxta vexillum ſuum, juxta ſigna domus paternæ.* Erant autem 4. Vexilla.

Or.	*Mer.*	*Occid.*	*Aquilo.*
Juda	Ruben	Ephraim	Dan
Leo Iſac.	*Homo* Sim.	*Bos* Man.	*Aquila* Aſer
Zab.	Gad.	Benj.	Naphtali.

5. [יִוָּדַע] *Nobilis erat ſub. quiſque*] Noſcibilis. Innotuit. Sic Virg.

Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis
Nobilis.

Sic Liv. *Nobilis ille clade Romanâ locus.*

Ego ſic puto conſtruendum כאשר מביא קרדמות כן יודע Sic Ex. 1. 12. כאשר יְעַנּוּ אותו כן יִרְבֶּה וְיִפְרֹץ

[כְּמֵבִיא] *Prout attolleret quis efferebat ſurſum*, &c. quo vehementius quis diſſipabat inteſtina opera ex ligno affabrefacta.

[בִּסְבָךְ] סְבַךְ Gen. 22. סְבָךְ & סְבוֹךְ. *Denſitas, perplexitas*, etiam *Sylva. Contra implexa ligna.*

[עֵץ] Et *arborem* & *lignum*. Sic Gen. 2. & in Apocal. 2. & paſſim.

6. [פִּתּוּחֶיהָ] *Cœlaturas ejus.* פתח de rebus variis dicitur; 1. de ore, oculis, auribus; 2. de gladio; 3. de rebus ligatis, ut ſacco; 4. de terra cum aratro proſcinditur: 5. de auro, argento, gemmis, ligno quando iis aliquid inſculpitur &c. Deo autem peculiariter attribuuntur in S. L. IV. Claves vel Apertiones, quas dicunt Ebræi nulli creaturæ communicatas. 1. Clavis Matricis, ut Gen. 30. *Et aperuit Deus matricem ejus*, 2. Cœli cum dat pluviam, ut in Deut. 28. *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum bonum, cœlos* &c. 3. Cibationis, in Pſ. 145. *Tu aperis manum tuam* &c. 4. Clavis Sepulchrorum, Ezech. 37. 13. *Cum aperuero ſepulchra veſtra.*

[בְּכַשִּׁיל] *Vecte, bipenni.*

[כֵּילַפּוֹת] Ut ab אלם ſit אלמות. *Dolatoriis, malleis, tuditibus.*

7. *Miſerunt in ignem ſanctuaria*] Hypall. ut, *dare claſſibus Auſtros.* Sic Germanicè: *In brand ſteken.*

[אֵשׁ] Unde *Veſta*, de quò alias.

Sanctuaria] Templum quod conſtabat 2. ſanctuariis.

Profanarunt] חִלֵּל in Piel חִלֵּל cum de rebus ſacris dicitur. Notetur peculiaris locutio quando cum nomine עֵץ vel כֶּרֶם conjungitur. Deut. 20. 6. *Quis eſt qui plantavit vineam & non* חִלְּלוֹ, *vadat domum ne moriatur in prælio & alius* יְחַלְּלֶנּוּ. Sic Jirm. 31. *Iterum plantabitis vineas in montibus Samariæ, plantabunt vineas & profanabunt eas*, i. e. comedent fructus earum. *Profanare* ergo *vineam* vel *arborem* eſt, *poſt peractos à Deo imperatos ritus licite comedere de fructibus*; vel, *fructus ejus adhibere ad uſus profanos*, i. e. non ſacros, i. e. *comedere.* Sic enim jubet Deus Levit. 19. 23, 24, 25. *Ut plantata aliqua arbore tribus primis annis ejus fructus ſint, quaſi præputia, immundi & arbores præputiatæ: quarti anni fructus Deo conſecrentur. Et quinto demum anno ab ipſo Domino & familia comedantur.* Itaque Jun. vertit τὸ *profanare arborem, ſacris ſolutâ uti.* Lxx. *Fatari ea.* Notetur & hoc, V. eſſe præputia, 1. Præputium carnis. 2. Præputium cordis, Deut. 10. *Et circumcidetis præputium* לבבכם. 3. Auris, Jirm. 6. *Præputiata eſt auris eorum.* 4. Oris & labiorum, Exod. 6. 5. Arborum, i. e. fructus 3. annorum, Levit. 19. 23. *Et præputiabitis fructum ejus, præputium ejus.*

8. [נִינָם] Lxx. *αἱ συγγένειαι αὐτῶν.* Vulg. *Cognatio eorum.* נין *Filius*, Gen. 21. 23. Unde Ægypt. *Non* &c. Sic & R. Sal. Melius R. Marinus quem ſequitur Aben. *depopulemur eos.* Ut וַנִּירָם Num. 21. 30. Sic Jirm. 50. 16. הַיּוֹנָה חֶרֶב Hiph. Ex. 22. Peregrinum לא תוֹנֶה

[שָׂרְפוּ] Vulg. *Quieſcere faciamus.* Lxx. *καταπαύσωμεν* Aq. Sym. *ἐνέπρησαν*, Th. *ἐνεπύρισαν*, V. *κατέκαυσαν.* VI. *κατακαύσωμεν.* Poſſet legi *καύσωμεν.* Nihilominus erravit Vulg.

11. *Cur avertis*] *Retrovertis* תָּשִׁיב אחור R. Salomo. Metaphora ab homine otioſo.

Manum tuam dextram tuam] Manum, i. e. manus collectivè. Vel manum, i. e. ſiniſtram. Nomen generis more Ebraïco pro deteriori ponitur. Quod an verum ſit neſcio. Hoc ſcio moris Ebraïci eſſe ut poſt univerſale ſæpe ſubjiciatur particulare nobilius. Ut alibi dictum eſt. Act. 26. 22. *Nihil dicens extra ea quæ Prophetæ & Moſes futura prædixerant.*

E medio ſinus tui] Id eſt, è ſinu tuo. Ebr. Metaphora ab homine otioſo, rem non curante.

[כַלֵּה] Jun. & Tr. *cobibe*, ſc. hoſtes. Pro כְּלָא. Alii ſub. *E ſinu tuo* (Educ eam:) *conſume*, ſc. hoſtes. Vel ut ſit Infinit. pro Ger. לְכַלּוֹת. *Educ eam*, è medio ſinus tui conſummando, i. e. conſummatè, plenè. R. Sal. putat ſign. הוֹצֵא, atque ſic nihil opus eſt ſubintelligi.

12. *Salutes*] Id eſt, omnimodam ſalutem. Vide Pſ. 49.

In medeo terræ] Id eſt, palàm, in conſpectu terræ; vel iterum Ebr. *in terra*, ſc. Sancta. Alii tamen magis proprie accipiunt, *in medio terræ*, i. e. *Jeruſalem*, quæ vocatur ſecundum Veteres *Umbilicus terræ*, Jezech. 38. 12. Sic Ezech. 5. 5. *Hæc eſt Jeruſalem; in medio gentium poſui eam.* Sunt enim qui ajunt eam ſitam fuiſſe in medio mundi. Ita PP. Gr. & hæc valde ſubt. ſacrificio altaris accommodant, pro certo aſſerentes *περιγέγραφθαι τῆς γῆς τὸ μεσαίτατον* ipſiſſimum terræ medium circumſcribi in urbe Jeruſalem. Alii in ipſa urbe certum locum deſignarunt in quo ipſum umbilicum conſtituerent. At hoc abſurdè, cum ignoſcendum illis qui rotunditatem terræ non crediderunt, in globo ubique ſit medium. Alii voluerunt ſic dici, quod ſi inſpiciatur ſphæra & ratio ineatur 7. illorum climatum tantum quæ Veteribus fuit nota ratione latitudinis, pingui Minervâ reperietur ſita in medio terræ Sanctæ & totius *οἰκουμένης*; vel terræ habitabilis tunc cognitæ. Joſephus de Bell. Jud. 3. 4. ideo dicit vocatum *ὄμφαλον τῆς γῆς* quod media non in globo, non in habitabili, ſed in Palæſtina eſſet.

13. [פוֹרַרְתָּ] *fregiſti*] פורר Lxx. *ἐκραταίωσας, conſolidaſti*, Th. גַּזַּרְתָּא *dividiſti.*

[רָאשֵׁי תַנִּינִים] *Capita Cetorum*, i. e. Duces Pharaonis ſuffocaſti. תַּנִּין *draco, terreſtris, aquatilis.* Aquatilis, ingens piſcis, cetethynnus *θύννος*, nomen piſcis prægrandis. Exod. *Projice virgam tuam & erit* לְתַנִּין. Exod. 4. לְנָחָשׁ dicitur & in ſing. תַּנִּים ut Ezech. 29. 3. *Ecce ego contra te Pharao Rex Ægypti Draco magne qui cubas in medio fluminum ejus.* Job. 30. plurale extat לְתַנִּים *frater factum ſum draconibus.* Et Mich. 1. *Faciam planctum* כַּתַּנִּים. Dracones ab Elephantis victi vocem edunt lamentabilem.

14. *Capita Balenæ*] Intelligit Pharaonem, quem hic vocat לִוְיָתָן. *Capita*, i. e. prægrande caput, ut בְּהֵמוֹת *Elephas.*

[לִוְיָתָן] Sic & Ezech. 29. 3. vocatus fuit תנין & Eſ. 27. 1. juxta quoſdam animadvertet gladio ſuo Dan in לויתן ſerpentem tortuoſum & oblongum, & occidet Draconem in mari. Contra Ægyptium & Babylonium, quorum alter ad Euphraten, alter ad Nilum imperabat. Eſt ubi reperiatur appell. Job. 3. *Maledicant ei maledicentes diei qui parati ſunt excitare* לִוְיָתָן *luctum ſuum*, & Syriaſmo, quaſi nunquam luxiſſent eum denuo reſtaurare. Alii *Diabolum*, ut ſit idem quod Virgilio *Acheronta movere.* Alii *Balænam*, ſic Jun. *Execrati fuiſſent eum qui illuſtrant diem*, i. e. ſidera, *& qui parati ſunt excitare balænam*, i. e. venti turbines, procellæ.

Dediſti eam] Balænam, i. e. corpus Pharaonis ejectum ad littus.

Populo deſertorum] Id eſt, Volucribus, feris, quæ deſerta incolunt. *Populus* dicitur etiam de *irrationalibus*, *Mures montani*, Prov. 30. 26. vel, ut alii, *Cuniculi* שפנים עם לא עצום *& tamen in Petra ponunt domum ſuam. Formicæ* ibidem, *Formicæ populus non fortis & tamen præparant in æſtate panem ſuum.* Sic *locuſtæ* vocantur גוי Joël. 1. 6. *Gens aſcendit ſuper terram meam, fortis & non ei numerus.* Jun. *Dediſti cibum ipſi populo per deſerta* [*proficiſcenti*] Verſioni iſti duo obſtant, 1. affixum ennu, quod ad balænam referri oportet; 2. quod per populum deſertorum ſit periphraſis certi populi, vid. volucrium & ferarum.

15. *Tu fidiſti fontem*] Reſp. forte ad traductionem populi per Jordanem. Aut ad miraculum, quo Moſes juſſu Dei Petram feriens aquas eduxit, Num. 20. Senſus, Tu fidiſti Petram ut daret fontem, ut eſſet quaſi fons. Synecdoche à fine, ut, *mole farinam*, Jeſ. 47. 2. Sic, *exuere veſtes nudo & pervertere lances doloſis*, eſt abominatio Domino.

Fluvios] Jordanem, qui tunc exundaverat extra ripas ſuas, atque ita quaſi in fluvios multiplicatus fuerat.

16. *Lumen & Solem*] Lumen, i. e. Lunam. Vel, Luminare Collective, i. e. *luminaria & ſolem.* Nomen generis reſtringitur ad ſp. deter. Locutio ut ſupra, *firmaſti manus meas & dextram meam.* Sic, *Terra Judæa & Jeruſalem, Filiæ alienigenæ & F. Pharaonis, Hoſtes Davidis & Saul, Prophetæ & Moſes.*

17. *Æſtatem &* [וָחֹרֶף] חרף *adoleſcentiam* ſign. quod multa in adoleſcentia *probroſè* admittantur. Aliq. *initium hyemis, autumnum*, unde Th. סִתְוָא *hyemem.* Sic Jirm. 36. *Rex ſedebat* ב׳ סִתְוָא. בֵּית הַחֹרֶף. Am. 3. 13. *Et percutiam* בית החרף Thr. עִם ב׳ הַקַּיִץ *domum hyemalè*. Lxx. tamen, *tum feciſti θέρος καὶ ἔαρ. Et Ver.* Sic Aben. dicit 4. eſſe *Thekuphoth anni*, Exod. 12. קֹר *frigus*, חם *æſtus*, קַיִץ & חרף, ubi קין accipit pro *autumno*, חרף pro *vere.*

[לְחַיָּה] Sub. שָׂדֶה Aut inſign. *Caterva*, 2 Sam. 23. 11. *Et congregati ſunt Philiſthæi* לַחַיָּה *in cœlum, agmen.* Et verſ 13. *Et* חַיַּת *Philiſth. caſtrametabatur in Valle Rephaim.* Sic Pſ. 68. *Increpa* חַיַּת קָנֶה *cœtum arundinis.*

Turtu-

Turturis tui] Turtur non canit ſed gemit. Intelligit imbellem, inermem & ſimplicem Eccleſiam. Turtur minimus cenſetur in columbarum genere.

עלה] De terræ naſcentibus eſt *creſcere*, Hoſ. 10. *Spina & tribulus aſcendet ſuper altaribus eorum.* Eſ. 53. *Aſcendet ſicut ſurculus coram ipſo.* Hinc transfertur ad alia, *Bellum*, 2 Reg. 22. 35. ותעלה המלחמה *& aſcendebat bellum.*

GROTIUS.

6. *QUaſi in ſilva lignorum ſecuribus exciderunt januas ejus in idipſum: in ſecuri & aſcia dejecerunt eam*] Nempe tentorium Siloh, ubi erat Arca. Repræſentatur hic hiſtoria quæ eſt 1 Sam. 4. פתוחיה *januas ejus*, non, ut quidam, *ſculpturas ejus. Ejus* in Hebræo fœmininum eſt, quia ſubauditur ex ſuperiùs dicto 4. עדה, quod eſt generis fœminini: & primò quidem *conventum*, deinde verò & *conventûs locum* ſignificat, ut apud Græcos ἐκκλησία [*eccleſia.*] Hæc quanquam, ut puto, de illo dicta tempore, mirè tamen conveniunt in ea quæ ſub Nabuchodonoſoro & Tito evenerunt. Vox כילפת, quam *aſciam* transfert Latinus, alii meliùs *malleum*, eſt Philiſthina, ad notandum tempus: manet apud Arabas.

13. *Tu confirmaſti in virtute tua mare*] Ut tranſirent Iſraëlitæ.

Contribulaſti capita draconum in aquis] Regem & Principes Ægyptios. Nam mos eſt Scripturæ Reges humanitatis immemores deſcribere ſub nominibus ferarum terreſtrium aut marinarum. Hic autem maluit marinam feram nominare, quia Rex Ægypti ad duo maria imperium ſuum protendebat.

14. *Dediſti eum eſcam populis Æthiopum*] In Hebræo: *incolenti deſerta*, illis ſcilicet qui oram Arabici ſinûs obtinebant, & piſcibus veſcebantur, qui piſces ſolent ſe paſcere carnibus ſubmerſorum hominum. Hieronymus contra Jovinianum: *Porrò Ichthyophagi, gens errans in litore maris Rubri, ſupra petras Solis calore ferventes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant.* Meminit & Strabo lib. 15. & Agatharchides & Diodorus Siculus.

15. *Tu dirupiſti fontes & torrentes*] Eſt μετάληψις, [*transſumptio*] pro *dirupiſti rupes ut fontes ac torrentes emanarent.* Nota hiſtoria.

Tu ſiccaſti fluvios Ethan] Solent ſæpè Senes LXX. voces dubias in Hebræo ſermone relinquere. Cæterùm איתן bene Aquila reddidit ςεῤῥοὺς [*rigidos*,] rapidos nimirum amnes, qualis eſt Jordanes.

PRICÆUS.

2. *CUm accepero tempus*] Gr. ὅταν λάβω καιρόν. Sic Act. 24. 25. καιρὸν μεταλαμβάνειν. Heic autem ὅταν καιρὸν λάβω, eſt ferè quale Luc. 21. 24. καιροὺς πληρῶσθαι, tempora improbitatum nempe.

8. *Hunc humiliat, & hunc exaltat*] Vide ad Luc. 1. 52. annotata.

10. *Ego autem annunciabo in ſecula*] *Annunciabo brachium tuum* (ut ſuprà 70. 18.) *generationi omni quæ ventura eſt.*

IDEM.

3. *EGo juſtitias judicabo*] Verba Deo afficta: ſuprà 10. 8. *Juſtus Dominus, ad juſtitias diligit.*

6. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum*] Nolite fidere in opibus & potentia veſtra: Seneca Præfat. lib. 3. Natur. quæſt. *Quid exſultas? iſta quibus veheris in ſummum neſcis ubi te relictura ſint: habebunt ſuum, non tuum finem.*

7. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus*] Supple, *nec veniet auxilium vobis, nec patebit effugium.*

9. *Hunc humiliat, & hunc exaltat*] Sirach. 7. 12. *Eſt qui humiliat & exaltat, circumſpector Deus.* Scriptor Tobiæ 4. 19. Δίδωσι πάντα τὰ ἀγαθὰ, (id eſt, exaltat) καὶ ὃν ἂν θέλῃ ταπεινοῖ. Daniel. 5. 19. de Nabuchodonoſore, *Quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.* Seneca jam citato loco, *Nunc cùm maximè Deus alia ſubmittit, alia exaltat.*

Ibid. *Calix in manu Domini*] Et pòſt, *bibent omnes peccatores terræ.* Jerem. 51. 7. *Calix Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt Gentes.*

Ibid. *Et inclinavit ex hoc in hoc*] Ex hoc latere in hoc latus: ſparget undique vindictam ſuam.

Ibid. *Veruntamen fax ejus non eſt exinanita*] *Non eſt* (ut Eſai. 9. 21.) *averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.* Vide & Eſai. 59. 17.

10. *Ego autem annunciabo in ſeculum*] Ità & 19. 16. *annunciat* præcisè poſuit: ſubaudiendum autem ex 70. 17. *mirabilia tua.*

11. *Cornua peccatorum confringam*] Suprà 17. 19. *Confringam illos*, &c. *cadent ſubtus pedes meos.*

Ibid. *Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti*] Vide Pſal. 100. 7, & 8.

PSALM. LXXV.

MUNSTERUS.

2. *CUm aſſumpſero cœtum*] Noſtri hunc Pſalmum exponunt de Chriſto & ejus Regno, qui poteſtate acceptâ à Patre, venit reſtituere labentem mundum, & monere nè quiſquam ſeſe erigat contra Regnum ejus, &c. Porrò in hoc verſu dicit ſeſe *aſſumpturum eccleſiam* ſuam in qua regnet, & omnia ſummâ *æquitate adminiſtret.* Impii autem, qui ſunt *terra*, *diffluunt*, & pii veluti *columnæ* ſolidantur.

6. *A deſerto*] i.e. *A Meridie.* Senſus autem verſûs eſt, Vera ſalus & exaltatio in terra non invenitur, ſed apud ſummum Regem & Judicem, contra quem miſeri homines, qui illi ſubjici renuunt, non verentur *loqui collo præfracto*, ſeu *duro*, ut Hebraïſmus habet.

8. *Calix eſt in manu Domini*] Capitur apud Prophetas non rarò *calix* pro *ultione Divina*, ut eſt illud Jirmeiæ 51. *Calix aureus fuit Babel in manu Domini, de cujus vino biberunt gentes, & inſanierunt.* Quod igitur ille vocavit *calicem aureum*, Pſaltes hîc vocat *calicem vini rubei*, quòd illud fortius ſit & inſaniores reddat potatores quàm vinum album, quo ſignificatur dira ultio Dei, quæ ſævit in impios, qui oblatam Dei gratiam reſpuerunt, hi etiam noviſſimum coguntur reddere quadrantem, & ebibere *uſque ad fæces.*

VATABLUS.

1. *VIctori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Nè diſperdas*] אל תשחת] Vide Pſal. 56. ¶ *Pſalmus ipſi Aſaph & canticum* מזמור לאסף שיר] Vide Pſal. 30. ¶ *Celebravimus* הודינו] Præterita Heb. pro præſ. vel pro futuris, *gratias agemus.* ¶ *Nomen tuum* שמך] i.e. Numen, auxilium & robur tuum. ¶ *Narraverunt* ספרו] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *enarrabunt.*

2. *Cùm accepero*, &c. כי אקח מועד] *Quia aſſumam cœtum*; ſive; *eccleſiam*, ſub. *electorum.* Alii, *Cum deſtinatum tempus nactus fuero*: i.e. cùm præfixero finem calamitati veſtræ, ut judicem mortales. ¶ *Rectè* מישרים] *Rectitudines*; *æquitates*: i.e. ſummâ æquitate iniquitatem profligabo, & pietatis ſtudium aſſeram.

3. *Liqueſiebat* נמגים] *Diſſoluti ſunt*: vel *Liqueſcunt.* Quidam per futurum, *Diffluent*; *colliqueſcent*: ſub. *præ timore*; tantum abeſt ut mihi poſſint reſiſtere. ¶ *Direxi* תכנתי] *Diſpoſui ſummâ arte.* Alii, *confirmavi.* Alii, *fixi.*

5. *In excelſum cornu veſtrum* למרום קרנכם] *Cornu* vocat robur: q. d. Vires veſtras nè jactetis contra Deum. ¶ *Pingui* עתק] *Duro*; *præfracto*: i.e. cum faſtu, & ſuperbe. Referri poteſt ad *collum*, & ad *verbum* ſubauditum; *collo pingui*, & *collo pingue verbum*, i.e. durum.

6. *Ab Aquilone* ממדבר] *A deſerto*: q. d. Dignitatis nullum eſt emporium, nuſquam terrarum venditur dignitas ſive potentia; ſed à ſolo Deo eſt. Monet nequis exaltetur contra Deum ob dignitatem aut vires, quòd eæ à Deo ſint.

8. *Rubet* חמר] Præt. Heb. pro præſ. Alii, *turbidum, & turbulentum eſt. Calix* pro *ultione Divina*, ut Jer. 51. 7. *Calix aureus fuit Babel in manu Domini, de cujus vino*, &c. Quod illic vocavit *calicem aureum*, hîc vocat *calicem vini rubri*, quòd fortiùs ſit vino albo, & inſaniores reddat potatores. ¶ *Sugent, & bibent* ימצו ישתו] Quibuſdam tranſpoſita verba videntur, pro *bibent & ſugent*: i.e. ebibent calicem ipſum uſque ad fæces. Quidam vertunt *exprimment*, *bibent.*

CLARIUS.

CHriſtus Servator inducitur ſub typo David gloriari de poteſtate ſibi tradita reſtituendi mundi, & monere nè quiſquam ſeſe erigat contra Regnum ejus. Illud verò quod in titulo eſt, *Nè corrumpas*, vel *perdas*, fortaſſe hîc ſignificat, impios conari perdere Chriſtum, ſed prohibente Deo non poſſe.

1. *Propè adeſt nomen tuum*] i. e. Confeſtim ſenſimus præſentiam Numinis tui.

2. *Cùm accepero tempus*] Verba ſunt Domini dicentis, Statuam mihi tempus quo quæ juſta ſunt exſequar. Alii verterunt, *Cùm accepero cœtum*, i. e. eccleſiam.

3. *Liquefacta eſt terra*] Ubi hoc fecero, ſentiet terra iram meam, & præ metu exanimabuntur quotquot inhabitant in ea, cujus ego fundamenta jeci, & veluti *columnis ſtabilivi*: quare & concutere eam difficile mihi non erit.

5. *Adverſus Deum iniquitatem*] Interpres molliit Hebraïſmum, qui ait, *Nolite loqui collo præfracto*.

6. *Neque à deſerto*] i. e. A Meridie. Senſus autem eſt, Vera ſalus & exaltatio in terra non invenitur, ſed apud ſummum Regem & Judicem, contra quem miſeri homines, qui illi ſubjici renuunt, non verentur loqui *collo præfracto*, ſeu *duro*, ut Hebraïſmus habet.

8. *Calix in manu Domini*] Accipitur apud Prophetas non rarò *calix* pro *ultione Divina*, ut eſt illud Jer. 51. *Calix aureus fuit Babel in manu Domini, de cujus vino biberunt gentes, & inſanierunt.* Ait ergò, Habet Dominus in manu poculum in quo meracum, vel pulcrè rubens vinum, eſt, ſed cui eſt plurimum fæcis admixtum: ex hoc porriget meracum piis, fæcem verò noxiam exſugere imò epotare coget impios omnes, quantumvis degant in terra multi. Vel porriget Deus hunc ultionis calicem impiis, ut ebibant illum uſque ad fæces: nam cogentur reddere etiam noviſſimum quadrantem.

LUCAS BRUG.

12. OMnes qui in circuitu ejus affertis munera] Latinorum codicum plerique *affertis* legunt: cui ſimile eſt quod nonnulli, cum Caſſiodoro, habent *offertis*. Alii quidam *afferent* ſcribunt, antiqui Epanorthotæ, & Brugenſis ex noſtris, cum exemplarium Lobienſis & Stapulenſis Gallico Pſalterio. Gallicum, Tornacenſis & Brunonis Herbipolenſis textus *offerent* habent. Gloſſa interlinearis aliàs *afferent* vel *offerent* legi notat. D. Haymo, *Alia*, inquit, *litera habet*, *Qui in circuitu ejus ſunt*, *munera afferent*. Auguſtinus legit *offerent*; Beda, Remigius & Bruno *afferent*. Græcè eſt πάντες οἱ κύκλῳ αὐτοῦ οἴσουσι δῶρα, *Omnes qui in circuitu ejus, ferent munera:* quæ & Euthymii eſt lectio, & Theodoriti, ſi commentarius diſcutiatur. Hebraïcè ſimiliter eſt, *Omnes circuitus ejus* יובילו *adducent munus*; quin & Chaldaïcè, *Omnes qui habitant circum circa ſanctuarium ejus* יתון *venire facient*, ſeu *adducent*, *ſacrificium.* Videtur itaque germana lectio, *afferent* vel *offerent*. Mutant quidem nonnulli ex Hebræo Interpretes perſonam tertiam cum ſecunda; ſed imperativi, non indicativi modi, ut ſit poſterior verſûs iſtius pars priori conſimilis: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu ejus eſtis, afferte munus.* Sententia eſt expoſitorum quorundam, ex Romano Pſalterio hanc accidiſſe corruptelam, perſonam nempe futuri tertiam in ſecundam præſentis tranſmutatam: & certè exemplaria, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe, concorditer Romano Pſalterio ſecundam præſentis, Gallico tertiam futuri attribuunt. Utrùm autem *offerendi* an *afferendi* vocabulum legamus, parùm quidem intereſt: veruntamen *afferendi* vocabulum præponendum videtur; tum quòd eo plerique omnes codices utantur, tum quòd voces, Græca atque Hebræa, hoc magis ex ſe denotent; quanquam non malè, nec præter loci commoditatem, *offerre* transferantur. Patebit autem hujus quæ probanda videtur lectionis, *Omnes qui in circuitu ejus afferent munera*, ſenſus, ſi fiat poſt *ejus* commatis diſtinctio: ſubaudiendum eſt enim verbum *ſunt*; id quod Antiſtitum Hipponenſis & Herbipolenſis lectio exprimit, *Omnes qui in circuitu ejus ſunt*, *offerent munus.* Sed & Goticum MS. id exprimit: verùm, quod tolerandum non eſt, cum ſecunda perſona *offertis*.

DRUSIUS.

1. לַמְנַצֵּחַ אַל־תַּשְׁחֵת מִזְמוֹר לְאָסָף. Sym. Ἐπινίκιος περὶ ἀφθαρσίας ψαλμὸς Ἀσάφ, *Epinicius de immortalitate pſalmus Aſaph*] Ex Theodoreto.

2. כִּי אֶקַּח מוֹעֵד. A. & Sym. *Cùm accepero ſynagogam*] In ed. Rom. A. συνταγάς. S. συνταγήν, i. e. *tempus ſtatutum & ordinatum.* Id enim מועד Ebræis propriè ſignificat.

3. אָנֹכִי תִכַּנְתִּי עַמּוּדֶיהָ סֶּלָה. A. *Ego ponderavi columnas ejus, ſemper.* Sym. & Th. *ego confirmavi columnas ejus. Diapſalma.* V. ed. *ego ſum qui paravi columnas ejus*, *ſemper.* VI. ed. *ego firmavi columnas ejus*, *jugiter*] Ex ep. Hier. ad Marcellam.

6. מִמּוֹצָא. V. ed. *ab exitu.*

8. וְיַיִן חָמַר. Sym. ἄκρατον ἔχειν ἀπ' αὐτοῦ. ¶ אַךְ־שְׁמָרֶיהָ יִמְצוּ יִשְׁתּוּ כֹּל רִשְׁעֵי אָרֶץ. Sym. πλὴν τὰς τρυγίας αὐτοῦ ἐκστραγγιοῦσι πίνοντες οἱ φαῦλοι τῆς γῆς, *veruntamen fæces ejus guttatim exprimens bibentes improbi terræ.*

9. אַגִּיד. V. ed. ἀπαγγελῶ.

10. אֲגַדֵּעַ. A. περικόψω, *circumcidam.* Sym. μετακλάσω *frangam*, aut *confringam.* Th. συγκλάσω, *confringam.* Sic etiam οἱ ό. ¶ קַרְנוֹת צַדִּיק. A. & Sym. κέρατα δικαίου. Th. κέρας δικαίων.

AMAMA.

DAvid hic introducitur cum Eccleſia & aſſeclis ſuis gratias agere Deo pro conſervatione miraculoſa & deſtinatione ad regnum, imo & evectione ad tribum Juda.

II. Deum orat, ut ſe regni pleni compotiat indirectè dum vovet, ſe illud conſecutum juſte adminiſtraturum.

III. Gloriatur de exauditione, quod ſc. Deus preces ipſius exaudiat regnumque ſibi tradat, idque ex effectu, quia ſc. futurum eſt ut pro eo Deo gratias agat.

2. הוֹדָה] Sign. 1. *confiteri peccata*, cum ל. ut Dan. 2. *Tibi Deus Patrum meorum* מהודא *ego.* Sic Prov. 28. *Tegens peccata non erit proſper*, *at* מודה *& deſerens miſericordiam conſequetur.* 2. *Confiteri beneficia accepta & pro his gratias agere Deo*, *celebrare Deum.* Conſtruitur cum ל, ut hic & Pſ. 6. *In inferno quis* יוֹדֶה־לָּךְ. Et cum אֶת ut Gen. 29. nunc אוֹדֶה אֶת י׳

Propinquum nomen tuum] Id eſt, te nobis fuiſſe præſto.

3. מוֹעֵד] I. Sign. in genere *tempus condictum*, Gen. 17. *Quem pariet tibi Sara* לַמּוֹעֵד.

II. Deinde in ſpecie *temporibus anni*, *æſtate*, *hyeme*, ut Gen. 1. *Eruntque* לְמוֹעֲדִים *de menſibus*, ut Pſ. 104. *Feciſti lunam* לְמוֹעֲדִים *De feſtis & ſolennitatibus quæ certis temporibus celebrabantur*, ut *Sabbatha*, רְגָלִים *Neomeniæ* &c. Thren. 1.4. *Viæ Zijon lugent*, *eò quòd nulli veniunt* לַמּוֹעֵד

III. *De loco conventus ordinario*, *de Sanctuario* vel *Tabernaculo*, unde fere ſemper אֹהֶל מוֹעֵד Ex. 33. Poëticè etiam *ſepulchrum*, Job. 30. dicitur *domus* מועד

IV. *Ipſum conventum hominum*, Num. 16. *Ducenti & 50. viri* קְרִאֵי מוֹעֵד

Senſus ergo, cum excepero conventum, quem ſc. 2 Sam. 3. promittebat Abner de paciſcendo cum Davide, de Regno pleno; vel, *cum aſſecutus fuero tempus ſtatutum*; Vel, ut Piſc. *Cum accepero*, *munus conductum*, ſc. Regnum.

4. *Colliquata* (Reſoluta) *ſunt terra & habitata*] Id eſt, diſſutus & diſſolutus eſt Reip. ſtatus. Per 4. partes declarat juſtitiam adminiſtrationis ſuæ: 1. Quod velit juſtos gubernatores dare, 2. quod velit improbos dehortari à rebellione, uſque ad verſ. 30. 3. quod velit ferociam eorum cohibere, 4. quod velit bonos promovere.

Reſp. quaſi corpus eſt, cujus nervi ſunt Religio, Juſtitia, Prudentia; hi nervi, ſi incidantur, corruit corpus.

Ego aptabo fulciam columnas ejus] Id eſt, juſtos Gubernatores dabo. Ii enim ſunt oculi, ſunt columnæ Regni. Non eſt ea conditio Regum ut poſſint Principatum gerere ſuper humeros ſuos, ut Chriſtus Jeſ. 9. 6. Vocantur & *Scuta terræ.*

Vel intellige *viros bonos*, qui ſunt quaſi columnæ terræ, dum propter eorum paucos magnæ malorum copiæ ſæpe parcit, unde iis ſublatis vel deficientibus ruunt alto à culmine Reſpublicæ, unde Plato, *cum Deus vult benefacere*, &c. Vide & Joſ. ult. & Jud. 2.

קֶרֶן] Metaph. à petulcis animantibus. Cornupetis unde קָרַן *radiare inſtar cornu*, Exod. 34. verſ. 30. & 35. Confer cum 2 Cor. 3. 7. *Si miniſterium mortis in literis poſitum & inſculptum lapidibus fuit cum gloria*, *ut nequiverint Filii Iſraël* ἀτενίσαι εἰς τὸ πρόσωπον Μωϋσέως διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, &c.

6. לַמָּרוֹם *contra excelſum*] Sc. Deum. Sic Pſ. 92. Tu מָרוֹם in ſæculum Domine, vel in altum, ſublime, ſic הַשְּׁכִים בַּבֹּקֶר

Collo duro] Metaph. ſumpta à beſtiis volentibus excutere jugum, quales homines vocantur בליעל; vel *collo* ſub. extento, durum; vel *collo uno*; ut *humero* pro *humero uno*; *ore* pro *ore uno.* Per *collum* in S. tria ſignif.

I. *Servitus, obedientia*, Mich. 2. *Non removebitis abeo colla veſtra.*

II. *Inſolentia*, *arrogantia*, ut hoc loco. Sic Job. 15. *Curret ad eum* בְצַוָּאר in collo ſc. extento, i. e. inſolenter.

III. *Charitas*, ut Gen. 45. *Cecidit ſuper collum Benjamin.* LXX. κατὰ θεοῦ ἀδικίαν, legerunt בְּצוּר quod eſt Epith. Dei, Jeſ. 30. *Petra Iſraëlis.*

7. הָרִים *Elevatio*, *exaltatio*, *eſt*, *à deſerto*, i. e. vel à Sept. vel ab Auſtro. Utraque enim illa plaga claudebatur deſerto. Alii, *à deſer-*

à deſerto montium, ut Vulg. Græci ἀπὸ ἐρήμων ὀρέων: *à deſertis montibus.*

8. Huc pertinent illa Heſiodi, ῥεῖα γὰρ βριάει &c.

9. *Calix.*] Varii calices in Scr.

I. *Calix benedictionis*, Pſ. 116.

II. *Calix conſolationis*, Jirm. 16. *Nec potabunt eos calice conſolationum ſuper patrem ejus vel matrem ejus.*

III. *Calix lætitiæ*, ut Pſ. 23. *Calix meus exuberans eſt*, Pſ. 16. *Deus eſt pars portionis meæ & calix meus.*

IV. *Calix tribulationis*, *crucis*, *anguſtiæ.* Hic triplex eſt, prout crux triplex eſt: Eſt enim crux Chriſti ſalutaris in qua gloriamur, 2. Crux Latronis D. & piorum quam exoſculamur, 3. Crux Latronis ſiniſtri & impiorum quam execramur. Totuplex Calix Crucis.

I. Enim Chriſti crux adumbratur per calicem: *Si non poteſt calix hic tranſire à me ut bibam illum, fiat voluntas tua.*

II. Crux piorum denotatur per calicem, ut hoc loco, & Eſai. 51. *Excitare Jeruſalem quæ bibiſti de manu Jehovæ calicem ardentis indignationis ejus, fæces calicis bibiſti, ſuxiſti.*

III. Crux & pœnæ impiorum, eæque vel temporales vel æternæ; Temporales ut Jezech. 23. *In via ſororis tuæ ambulaſti, ideo dabo calicem ejus in manum tuam.* Æternæ, Apoc. 14. *Qui adorârit beſtiam & imaginem ejus, bibet de vino iræ Dei quod mixtum eſt mero in calice iræ ejus & cruciabitur igne & ſulph.* Sic Apoc. 16. Sic & hic accepit Chald. *Calix maledictionis.*

Hunc Calicem exponunt quidam ut ſit communis Piis & Impiis: ita tamen ut Piis ſit ad caſtigationem paternam, Impiis ad pœnam, & bibant fæces.

חָמַר ſub. אשר *quod turbulentum eſt*, vel *quod rubet*, nam חֶמֶר *rubrum vinum*, Deut. 32. *Et ſanguinem uvæ bibes*, חָמֶר. Eſai. 27. *Caritate vineæ* חמר.

Plenum מֶסֶךְ *infuſione*] מסך *miſcere vinum cum aqua*, *diluere vinum.* Hinc transfertur ad quamvis mixtionem & infuſionem, & ſignif. hoc loco *liquorem infuſum.*

[נח] Hinc *Janus*, οἰνότριος dictus, Biceps, Noë.

GROTIUS.

3. *CUm accepero tempus ego juſtitias judicabo*] Supple, *dicet Deus. Cùm accepero tempus*, nempe opportunum. Ubi menſura iniquitatum fuerit impleta.

4. *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea*] Totus ſtatus Judææ conturbatus fuit factione Isboſethi.

Ego confirmavi columnas ejus] Ego fortitudinem dedi Davidi, Joabo, aliiſque earum partium.

6. *Nolite attollere in altum cornu veſtrum*] Contra Davidem.

9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*] Quaſi dicat, habet in eo calice & bonum & malum. *Vinum*, quia iram accendit, vindictam ſignificat, Eſaiæ 51. 22. Jeremiæ 25. 16. Apocalypſeos 14. 10. 16. 19. 18. 3. 19. 15. Non longè abit illud Homeri:

> Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει,
> Κηρῶν ἔμπλειοι, ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν.
> [*Dolia namque Jovis duo ſunt in limine, quorum*
> *Hoc adverſa tenet, tenet illud proſpera fata.*]

PRICÆUS.

1. *NOtus in Judæa Deus*] Simile infrà 77. 16. Virgilianum eſt,

> —— *famâ ſuper æthera notus*,

4. *Confregit potentias arcuum*, *ſcutum*, *gladium*, & *bellum*]

> —— *Diræ ferro & compagibus arctis*
> *Clauduntur belli portæ, furor impius intus*
> *Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis*
> *Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.*

Adde Pſal. 45. 9. & 20.

6. *Dormierunt ſomnum ſuum*] Mortui ſunt. Vide Job. 3. 13.

8. *Tu terribilis es*] Ità & 88. 8. & 95. 4. & 98. 4. & 110. 10. De eodem 1 Paralip. 16. 25. *horribilis.*

12. *Vovete, & reddite Domino*] Reddite quæ voviſtis. Vide infrà 114. 14. In vetere Romanorum pontificio jure, *Da quod debes*, &c. *aris*: citat Servius ad 8. Æneidos.

13. *Qui aufert ſpiritum Principum*] *Auferet ſpiritum eorum, & deficient: in pulverem ſuum revertentur*, infrà 103. 29. Vide Pſalm. 81. 6. 7. & ibi annotata.

Ibid. *Terribili apud Reges terræ*] Βασιλεὺς (ut 1 Tim. 6. 16.) βασιλευόντων ubi dicta confer. Boëtius lib. 4.

> *Hic Regum ſceptrum Dominus tenet*,
> *Orbiſque habenas temperat.*

Ibid. *Terribili apud Reges terræ*] De Eodem Idem 1 Paralip. 16. 25. *Horribilis ſuper omnes Deos.*

IDEM.

6. *ET nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*] Nihil abſtulerunt ſecum. Vide ſuprà 48. 18. & quæ ad 1 Tim. 6. 7. annotavimus.

8. *Terribilis es*, *quis reſiſtet tibi*? Nahum. 1. 6. Eſai. 47. 3.

13. *Qui aufert ſpiritum Principum*] Daniel. 5. 23.

Ibid. *Terribilis apud Reges terræ*] Qui & ipſi *terribiles* dicti. Vide in Additamentis Eſtheris 15. 9. Intenditur ergò augeturque locutione iſtâ ſummi Dei majeſtas.

PSALM. LXXVI.

MUNSTERUS.

1. *IN Schalem*] Hæc eſt *Jeruſalem*; ſic enim primùm vocata fuit hæc urbs Gen. 14. ſed poſtquam Abraham dixit, *Dominus videbit*, Gen. 22. vocata fuit à fidelibus *Jeruſalem*, compoſito nomine à שלם & ירא.

3. *Ibi confregit jacula*] Ex hoc verſu notatur quòd Pſalmus iſte editus fuerit propter præclaram aliquam hoſtium dejectionem, in qua Dominus oſtendit ſe defenſorem eſſe Jeruſalem.

4. *Montibus*] Vocat *montes prædæ* Regna tyrannica, quæ rapinis & violentis extorſionibus molem congerunt opum. Qui tamen & ipſi tandem *ſpoliis exponuntur*, qui priùs omnibus fuerunt terribiles; & non tantùm rebus ſpoliantur verùm & vitâ, nec poterunt ſe juvare potentiâ & opulentiâ ſuâ. Scribitur autem hîc אשתוללו in Hithpael pro השתוללו, hoc eſt, Aleph pro He.

10. *Furor hominis confitebitur tibi*] Patet hoc in Ægyptiis, qui dixerunt, *Fugiamus Iſraëlem*; *pugnat enim Deus pro eis.* ¶ *Reliquias furoris tu accinges*] Senſus eſt, Tu cohibebis gentes, nè poſthac ſæviant contra populum tuum.

VATABLUS.

1. *VIctori in Neginoth* למנצח בנגינות] Vide Pſal. 4. ¶ *Pſalmus Aſaph canticum* מזמור לאסף שיר] Vide Pſalm. 30. ¶ *Notus* נודע] *Celebris*; ex victoriis ſcilicet quas ipſe Jehudæ exhibuit, ut mox v. 3.

4. *Splendidus*, &c. נאור אתה אדיר מהררי טרף] *Conſpicuus es, admirabilis præ montibus prædæ*: i. e. ad prædam idoneis. Vel, *Illuſtris es, robuſtus* [vel *admirandus*] *montium prædæ*: i. e. ſimilis leoni forti & indomito habitanti in montibus. Alii, *Illuſtris tu, præclarior montibus prædonum.* Alii, *Suſpiciendus præ montibus prædæ.* Alii, *Magnificentior montibus prædæ.*

5. *Spoliati fuerunt* אשתוללו] *Prædæ fuerunt.* Subaudiunt *propterea*: q. d. Ideo ceſſerunt in prædam hoſtes tui forti animo præditi. Alii, *Spoliis expoſiti ſunt.* ¶ *Dormierunt* נמו] *Dormitarunt.* Quidam per præſens *dormiunt.* ¶ *Nec invenerunt*, &c. ולא מצאו כל אנשי חיל ידיהם] Hebraïſmus, pro, *nihil manibus ſuis poterunt efficere cuncti viri bellicoſi.* Vel, manus promptas & expeditas non habuerunt ut ſe tuerentur qui priùs inſtructi erant arte bellicâ.

7. *Simulatque*, &c. מאז אפך] Ad verb. *ex quo ira tua*? pro, *ex eo tempore quo exarſerit ira tua?*

8. *Audire feciſti* השמעת] Præt. Heb. pro fut. quibusdam, *audire facies* [vel *proferes*] *judicium tuum*: *terra timebit & conquieſcet.*

9. *Cùm exſurgeres*, &c. בקום למשפט אלהים להושיע] Ad verb. *In exſurgendo ad judicium, Deus, ad ſervandum.* Quod quidam in ſecunda perſona vertunt, alii in tertia: i. e. cùm Deus cœperit exercere judicium in impios, *ut ſervet omnes*, &c. ¶ *Humiles* ענוי] *Manſuetos*; *Afflictos.*

10. *Confitebitur tibi* תודך] *Celebrabit te*: i. e. qui priùs erant tibi irati, laudabunt te. ¶ *Reſiduum irarum cinges* שארית חמת תחגר] *Quod reliquum eſt furorum conſtringes*: q. d. Quaſi vinculo cohibebis ne quis poſthac iraſcatur tibi. Alii, *reliquo indignationum accinges te.*

11. *Afferant* יובילו] *Afferte.* Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Terribili* למורא] Ad verb. *terrori*; *timori.* Poteſt eſſe adjectivum dictionis *munus*; *afferte munus tremendum.*

12. *Succidit* יבצר] Fut. Heb. *Succidet*, nempe ut vindemiator

tor racemos. Quidam, *Vindemiabit*: i. e. auferet animum Principibus.

CASTALIO.

5. *Suo ſomno ſopiti*] Occiſi. ¶ *Nec invenere tot bellatores ſuas manus*] Non potuerunt reſiſtere.

CLARIUS.

Canit inſigniter defenſam à Deo Jeruſalem, & potentiam ejus ſupereminentem omnibus & unicè formidandam celebrat.

2. *Factus eſt in Salem*] *Salem* vocat Jeruſalem, quæ hoc nomen habuit antè quàm *Jeruſalem* diceretur, ut legimus Gen. 14. *Jeruſalem* putant dictam poſtea quàm ei loco Abraham nomen indiderat, *Dominus videt*.

3. *Ibi confregit*] Ex hoc verſu conjicitur Pſalmum hunc editum fuiſſe propter præclaram aliquam hoſtium dejectionem, in qua Dominus oſtendit ſe defenſorem eſſe Jeruſalem.

4. *Montibus prædæ*] Vocat *montes prædæ* Regna tyrannica: quæ rapinis & violentis extorſionibus molem congerunt opum; tamen & ipſi tandem *ſpoliis exponuntur* qui priùs omnibus fuerunt terribiles: & non tantùm rebus ſpoliantur, verùm & vitâ, nec poterunt ſe juvare potentiâ & opulentiâ ſuâ. Vel ſic, *Conſpicuus apparuiſti tu & ferox in hoſtes magis quàm ullus leo vel urſus egreſſus ad prædandum è montibus, qui receptacula eſſe ſolent rapacium animalium.*

7. *Cùm exarſerit ira tua*] Explicuimus Hebraiſmum, qui ait, *Ex tunc ira tua.*

8. *De cœlo auditum feciſti judicium*] Ità hi verſus ſerviunt propoſitæ hiſtoriæ ut aptari etiam poſſint ad generale illud Judicium; Efficies, inquit, ut è cœlo audiant æquitatem judicii: quod ubi factum fuerit, metuent ſibi quicunque terram inhabitant, nec mutire contrà audebunt.

10. *Indignatio hominis*] Patet hoc in Ægyptiis, qui dixerunt, *Fugiamus Iſraëlem; pugnat enim Deus pro eis.* ¶ *Et reliquias indignationis tu accinges*] i. e. Tu cohibebis gentes, nè poſthac ſæviant contra populum tuum; qui, ſiquid minarum hoſtilium reliquum fuerit, id vendicabis tibi, & te illi oppones, nè terreantur tui.

DRUSIUS.

2. וַיְהִי בְשָׁלֵם סֻכּוֹ. * καὶ ἐγένετο ἐν Σαλὴμ ἡ σκηνὴ αὐτοῦ, & *fuit in Salem tabernaculum ejus*] Comment. in Pſalmos qui vulgò Hieronymo attribuuntur, *Et factum eſt in Salem umbraculum ejus.*

3. מָגֵן וְחֶרֶב וּמִלְחָמָה סֶלָה. A. *clypeum & gladium & bellum. Diapſalma.* Th. *ſcutum & gladium & bellum. Diapſalma.* V. ed. *Scutum & romphæa & bellum, ſemper.* VI. ed. *ſcutum & rhomphæa & bellum, in finem*] *Rhomphæa*, ῥομφαία, aliàs *framea. Scutum*] ὅπλον. *In finem*] εἰς τέλος, לנצח. Ex epiſt. ad Marcellam.

4. נָאוֹר אַתָּה אַדִּיר מֵהַרְרֵי־טָרֶף. Aq. Φωτισμὸς σὺ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων ἀλώσεως. Sym. Φωτίζεις σὺ θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων θήρας. Th. Φοβερὸς εἶ θαυμαστὸς ἀπὸ ὀρέων καρπίμων] Theodoretus ex interpretatione Antonii Caraffæ, *Symmachus ſic dixit, Illuſtris es & immenſus à montium præda.* Hic locus facit ut de Symmachi verbis quæ ſuprà produximus dubitare incipiam.

5. כָּל־אַנְשֵׁי־חַיִל יְדֵיהֶם. Sym. πάντες οἱ ἄνδρες ἰσχυροὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν, *omnes viri fortes manus ſuas*] *Manibus ſuis* eſt apud interpr. Theodoreti, i. e. ταῖς χερσί.

6. מִגַּעֲרָתְךָ אֱלֹהֵי יַעֲקֹב נִרְדָּם וְרֶכֶב וָסוּס. Sym. Ἀπὸ ἐμβριμήσεώς σου, Θεὲ Ἰακὼβ, ἐκαρώθη καὶ ἅρμα καὶ ἵππος. A. κατεφέρετο. ——

8. הִשְׁמַעְתָּ. Sym. ἀκουστὴν ποιήσεις, *auditam facies.*

10. חֲמַת אָדָם תּוֹדֶךָּ שְׁאֵרִית חֵמֹת תַּחְגֹּר. Sym. Θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσει, λείψανον θυμοῦ περιζωσθὲν, *Excandeſcentia hominis profitebitur; reliquum excandeſcentiæ præcinctum.*

AMAMA.

Reſp. liberationem adverſus Sennacherib & cladem illatam Aſſyriis ab Angelo ad civitatem Libnæ, 2 Reg. 19.

2. *Juda*] Et Benjamin.

4. *Ibi*] In Juda, & quidem ante civitatem Libna.

רִשְׁפֵי] רשף ſign. I. *Peſtem*, *febrem calidiſſimam*, ut Deut. 32. *Adusti fame* ולחומי רשף *& devorati peſte.* Sic Hab. 3. *In conſpectu ejus egredietur peſtis &* רשף *ad pedes ejus*; ut conveniat cum שרף *ignitus fuit*, unde שרף *ſerpens ignitus.*

II. Sign. *Carbonem ignitum*, unde Job. 5. *Homo ad laborem naſcitur ut filii* רשף *in altum evolant*, i. e. ſcintillæ. Sic Job. 41. *Filius arcus*, i. e. ſagitta, *Filius vini*, *Filius areæ*, apud Eſ. *Filius Pharetræ*, Thr. 3.

III. *Quicquid volitat in aëre*, ut *ſcintillæ*, *aves*, & ſic exp. quidam locum Deut. 32. *Sagitta*, quæ dicuntur volare non minus ac *ſcintillæ* aut *aves*. Pſalm. 91. 5. *Et à ſagitta quæ volat de die.*

Si exponas *Scintillas* erit hypallage pro *arcum* coruſcantem.

קֶשֶׁת] Fere conſtr. cum נחשת *æs aris*, non *Chalybs* aut *ferrum*. Heſiod. & Hom. meminerunt χάλκεα τεύχεα, μέλας γὰρ οὐκ ἔσκε σίδηρος. Ubi Proclus & Tzetzes notant Veteres noviſſe certo temperamento ita ſolidare æs, ut duritie ferro non cederet.

Bellum] i. e. כְּלֵי מִלְחָמָה. Sic *Menſa facierum*, *Clavis David*, *Mons Domini*, *Venter meus ficut vinum.*

5. *Ex montibus direptionis*] i. e. ex montibus ubi caſtrametati fuerunt ii quorum bona direpta ſunt, vel qui conabantur diripere bona Judæorum.

6. אֶשְׁתּוֹלְלוּ *dediderunt ſe in prædam*] Pro — השת. Sic 2 Chr. 20. 25. אֶתְחַבַּר *conſociavit ſe.*

Dormitârunt ſomnum ſuum] i. e. Oppetierunt mortem. *Dormire* pro *mori*, & *ſomnus* pro *morte*. Sunt enim affinia. Cato, *Stulte quid eſt Somnus? Et in hymnis Orphei* ὕπνος vocatur γείτων τοῦ Θανάτου. Et apud Heſiod. in Theog. & Hom. *Mors & ſomnus fratres dic.* In ſcripturis paſſim, *Dormientes* pro *mortuis*, Dan. 12. *Dormine* pro *mori* 1 Reg. 1. *Cum dormierit Dominus meus Rex.* Gen. 47. 30. *Et dormiam cum patribus meis.* 1 Cor. 11. 30. *Ideo multi inter vos ægri & infirmi & multi* κοιμῶνται. 1 Theſſ. *Nox eſt perpetuo una dormienda.* Hinc Κοιμητήριον. 1 Cor. 15. 18. *Itaque &* κοιμηθέντες ἐν χριστῷ ἀπώλοντο. Aliq. additur nomen mortis. Pſ. 13. 5. *Ne dormiam mortem*, i. e. ſomnum mortis. Licet hoc qu. intell. de morte æterna, ut Jirm. 39. *Inebriabo Babylonios ut ſopiantur & dormiant ſomnum ſæculi.*

Manus ſuam] i. e. Robur ſuum, vel ſub. *robur* præ conſternatione; dum Deus ligavit eorum manus.

7. *Currus & Equus*] i. e. Qui pugnant ex curribus, quique pugnant ex Equis. Veteres, maxime Principes, ſolebant pugnare ex curribus. Vide Hom. & Judicum libr. Sic Joſ. 11. 4. notant autem Interpp. intelligi locis iſtis *currus ferreos*, quorum diſerta mentio Joſ. 17. 18. & Jud. 1. 19. *Erant autem falcati*; Unde Xenophon & Lucianus vocant eos δρεπανηφόρα ἅρματα, & δρεπανηφόρα τέθριππα, Livius *falcatas quadrigas*, Lucret. *falciferos currus*; *Ordinem militum perturbabant & obvios lædebant.* Briſſonius.

רֶכֶב] Signif. etiam *ſuperiorem lapidem molæ*, quæ dicitur Duali num. רחים, Latini *ſuperiorem* vocant *Catillum*, *Inferiorem*, *Metam*. Deut 24. *Non accipies in pignus molam aut* רכב LXX. ἐπιμύλιον.

8. אַפֶּךָ] *Naris tuæ*; i. e. ira tua quæ apparet in naſo. Perſ.

> *Diſce ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna.*

Ubi & ira & ſanna tribuitur naſo. Sic Sat. 1.

> *Rides ait, & nimis uncis*
> *Indulges naribus.*

Theoc. Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

9. שָׁקְטָה] *Quieta fuit.* Hiph. השקט *tranquillavit*, Job. 34. 19. *Ipſo tranquillante* מי ירשיע *quis inquietabit.* unde שקטים ab inquietudine animi.

10. *Manſuetos terræ*] i. e. Credentes. Eos denominat ab effectis & fructibus. Eorum non infimus eſt manſuetudo Bona opera tam neceſſaria ad ſalutem quam ipſa Fides, quia ſine iis non poteſt eſſe Fides, non ad demerendam. Egregie Zanch. De natur. Dei lib. 3. 4. *Nos deduci ad vitam æternam non propter bona opera ſed per bona opera. Hæc enim eſt via ordinaria ad cœlum, quâ Deus vult à nobis iri.* Urſin. *Bona opera eſſe neceſſaria non ut cauſam ſalutis, ſed ut medium ſine quo non.*

11. *Æſtus*] Ira quâ æſtuabant Aſſyrii, & quâ conati ſunt vaſtare Judæam, occaſionem præbebit piis laudandi te. Quin ipſi Aſſyrii laudarunt Deum coacti. Interfecto Rege Sennacherib à filiis ſuis in æde ſui Idoli Niſroch Numen ſtatua erecta cum hac inſcriptione, teſte Herodoto, ἐς ἐμὲ ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω.

Reſiduum æſtuum] i. e. Judæos qui à vehemente eorum ira ſuperſtiti facti ſunt accinges robore.

12. *Circumſtatis*] Sacerdotes, Levitæ; *ſtare pro miniſtrare*, Pſ. 135. *Qui ſtatis in domo Domini.*

13. יִבְצֹר *Vindemiabit*] Id fit cum præſciſſione botrorum & racemorum. Ergo, *præſcindet ſpiritum*, i. e. animam, i. e. vitam Principum. Aben. בְּצוּרוֹת vel hæc eſt ratio Metaphoræ quod racemi

racemi vindemientur & abſumantur; Sic *colligere*, quod proprie de *ſegetibus* & *frugibus* dicitur, pro *perdere*, *abſumere*, *exſtinguere*. Colliguntur enim abſumendæ. Hinc Zoph. 1. *Colligam colligam homines & jumenta, aves cœli & piſces maris* Pſ. 26. 9. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam.* Hoſ. 4. *Etiam piſces maris colligentur.* Pſal. 104. 29. *Colligis ſpiritum eorum, expirant.*

Spiritum] i. e. Animam, i. e. Vitam; vel *Spiritum*, i. e. animum, vel faſtum, arrogantiam. Ut *Homo magnos Spiritus gerit.* Et tum בצר accipi debet in ſignificatione minuendi יקצר. Sic Chald. יזעיר. Sed Syriaca magis ea ſignif. Joh. 3. 30. *Illum oportet creſcere, me vero* לְמִבְצַר R. Sal. ימעט גאותם.

GROTIUS.

CAnticum ad Aſſyrios] In Hebræo hoc non eſt, neque fuit in veteri editione LXX. neque in aliis multis editionibus, ut notant Græci ad hunc locum. Scriptus videtur Pſalmus devictis Ammonitis; ſed eo uſus poſtea Ezechias liberatus ab Aſſyriis, quale quid & ſuprà annotavimus ad Pſalm. 70. & 71.

11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*] Ex Hebræo, *Hominis furor in laudem tuam cedet: ſiquid irarum reſiduum eſt, id conſtringes.* Siquid adhuc in Ammonitis reſtat malæ voluntatis id facilè impedies. Potuit Ezechias hoc optimè aptare Aſſyriis, eorumque ſociis.

PRICÆUS.

3. DEum exquiſivi, &c. & non ſum deceptus] Apulejus 11. *Nec me fefellit*, &c. *potentis Deæ benignitas ſalutaris.*

Ibid. *Et non ſum deceptus*] Apulejus 11. *Nec me fefellit cæleſte promiſſum.*

4. *Renuit conſolari anima mea*] Scriptor Tobiæ 9. 7. *Illa autem conſolari nullo modo potuit.* Similiter apud Philonem Judæum, lib. ὅτι πᾶς ὁ σπυδ. ἐλευθ. δι' ὑπερβολῆς κακῶν ἐδὲ παρηγορίας ἀνέχεσθαι· & Matth. 2. 18. ἐκ ἤθελε παρακληθῆναι· ad quem locum annotata vide.

Ibid. *Renuit conſolari anima mea*] In Græco, ἀπηνήνατο. Nec dubito ad locum iſtum pertinere Heſychii illa, Ἀπηνήνατο, ἀπεῖπεν, ἀπηρνήσατο.

Ibid. *Defecit ſpiritus meus*] LXX. ὠλιγοψύχησε τὸ πνεῦμά με, ut Judic. 16. 16. de Samſone, Ὠλιγοψύχησεν; &c. ubi & Vulgatus, *defecit anima ejus.*

6. *Et annos æternos in mente habui*] *Memor fui* (ut 118. 52.) *judiciorum tuorum à ſeculo, Domine.*

7. *Et ſcopebam ſpiritum meum*] LXX. ἔσκαλλον τὸ πνεῦμα με· id eſt, ſcrutabar, examinabam. Heſychius (&, ni fallor, ex hoc Pſalmi loco) Ἔσκαλλον, ἀνεζήτεν, ἀνερεύνεν. Pro *ſcopebam* ergò, (voce Latinis auribus, quod ſciam, inauditâ) vide an *ſcalpebam* ſcribendum: quod & cum venia interpretari poſſumus *ſcrutabar*. In Gloſſario, Σκαλιδεύω, (i. e. σκαλεύω) *ſcalpo*

IDEM.

4. REnuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum] Cùm anima mea conſolari renueret, memor fui Dei (id eſt, operum Dei, infrà com. 12.) & delectatus ſum.

5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei; turbatus ſum*] Poſt *vigilias* ſubaudi *matutinas*: & poſt *turbatus ſum*, *totâ die.* Suprà 72. 14. *Flagellatus fui totâ die, & caſtigatio mea in matutinis.*

6. *Cogitavi dies antiquos*] Id eſt, opera quæ (ut 43. 2.) operatus es in diebus antiquis. Infrà 142. 5. *Memor fui dierum antiquorum.* Nec ſenſu alio 88. 50. *antiquas miſericordias* dixit. Vide & Sirach. 51. 11.

7. *Exercitabar*] In Græco, ἠδολέσχεν· & ex iſto, vel illo 118. 48. loco, Heſychius, Ἠδολέσχεν, ἐμερίμνουν, ἐμελέτουν.

11. *Hæc mutatio dexteræ excelſi*] *A Domino* (infrà 117. 23.) *factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

14. *In ſancto via tua*] Id eſt, in excelſo, in cœlo. Vide ſuprà 10. 5. & 17. 7. & 67. 7. infrà 101. 20. & 88. 36.

19. *Sagitta tua tranſeunt*] Id eſt, fulmina. Hanc vocem, & hoc ſenſu etiam nunc Itali retinent.

20. *In mari via tua*, &c. *veſtigia tua non cognoſcentur*] *Via tua ſicut navis quæ aquam pertranſit: cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire*, Sapient. 5. 10. at ibi alio argumento poſita.

Ibid. *Veſtigia tua non cognoſcentur*] Sirachides 16. 21. *Vias illius quis intelliget?*

PSALM. LXXVII.

MUNSTERUS.

2. PLagæ mea] Non ratum eſt in Scriptura ut *manus* pro *plaga* capiatur. Et eſt ſenſus, Malum meum inſanabile eſt, & eſt quaſi ulcus perpetuò in ſaniem laxatum. Alii accipiunt ſimpliciter in hunc ſenſum, Manus mea totâ nocte extenſa fuit propter imminentem neceſſitatem & animi dolorem, qui etiam omnem ſomnum ſuſtulit ab oculis meis. Nec minùs angit animam meam, dum præterita ad memoriam revoco, cogitans quomodo præſtò fueris beneficiis tuis: nunc autem deſeris me in calamitatibus conſtitutum, &c. Et certè in hac ægritudine animi mei nihil me ſuſtinet & conſolatur quàm ardens meditatio factorum tuorum quæ præteritis annis pro tuis edidiſti, ubi alii ſic legunt, *Dextra Excelſi vices mutat.*

13. *Deus, in ſancto via tua*] i. e. Conatus tui, ſtudia tua & inſtituta tua ſanctiſſima ſunt, qui nihil agis ſine maxima ratione & ſummo conſilio.

16. *Viderunt te aquæ, & contremuerunt*] Loquitur de Mari Rubro, cujus aquæ ſenſerunt potentiam Divinam, & timentes prævaricari præceptum ejus, ſteterunt immobiles in modum muri donec tranſierunt filii Iſraël: Caſtra autem Ægyptiorum nimbis, fulminibus & concurſu aquarum maris horribiliter fuerunt in profundum demerſa.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Et vociferatus ſum* ואצעקה] *Et clamavi.* Alii, *& vociferabar.* Præt. Heb. pro imperf. ut & mox, *Auſcultabat mihi.*

2. *Dominum* ארני] *Domine.* ¶ *Defluebat* נגרה] Præt. Heb. Metaphora à vulnerato cujus ſanguis non poteſt ſiſti.

3. *Recordabar* אזכרה] Futura Heb. pro præt. imperf. ¶ *Et tumultuabar* ואהמיה] *Et inquietus eram, infremebam, conturbabar.* ¶ *Loquebar* אשיחה] *Querelas faciebam, meditabar, deprecabar.* ¶ *Et anguſtiis afficiebatur* ותתעטף] *Et deficiebat.* Alii, *Et totus in oratione fuit.*

4. *Tenuiſti vigilias oculorum meorum* אחזת שמרות עיני] *Tenuiſti in vigiliis oculos meos.* ¶ *Contritus ſum* נפעמתי] *Contritus ſum, conſternabar.*

5. *Supputavi* חשבתי] *Reputavi. Recogitavi. Reduxi in animum.* ¶ *Seculorum* עולמים] i. e. Priſtinos, ſive priſcos.

6. *Recordabar cantici mei* אזכרה. נגינתי] Futura Heb. pro præt. imp. i. e. recordabar temporis quo præ gaudio ob res ſecundas canebam. *In memoriam revocabam modulationes meas.* ¶ *Corde meo meditabar* עם לבבי אשיחה] *Cum corde meo loquebar.* ¶ *Spiritus meus* רוחי] i. e. Mens mea: ſub. *ſequentia.*

7. *Repellet* יזנח] *Elongabit ſe.* ¶ *Ut bene velit* לרצות] *Ut benignum ſe exhibeat, benevolus ſit, placidus ſit.*

8. *Numquid defecit in ſeculum miſericordia ejus?* האפס לנצח חסדו] *Num collegit penitus bonitatem ſuam?* ¶ *Defecit verbum* גמר אמר] *Conſumptum eſt eloquium: finem habet oraculum:* i. e. verbum conſolatorium.

9. *Concluſit in ira* קפץ באף] *Prohibuit propter iram*, Vel per fut. *continebit in ira.*

10. *Et cogitavi, Mors mea eſt* ואמר חלותי היא] Ad verb. *Et dixi, Occidere meum:* i. e. occiſio & mors mea eſt; ſive potiùs, *interitus meus eſt:* i. e. ſuccumbam, ſub. *in hac calamitate, dixi actum eſſe de me*, ab חלל. Alii ab חלה deducentes, quod eſt *ægrotare, infirmum eſſe*, vertunt, *Infirmari meum eſt*, i. e. Infirmitas mea eſt. ¶ *Recordatus ſum.* Iſtud ſubauditum eſt ex ſeq. verſu, in quo ſeipſum exponit quid ſignificet per *dexteram Excelſi*, nempe mira ejus facinora: q. d. In tanta deſperatione recordabar temporis quo Deus dexteram ſuam manifeſtabat, ſuccurrendo ſuis.

11. *Recordabar* אזכיר & אזכרה] Futura Heb. ¶ *Jah* יה] Vide ſuprà Pſal. 68. 4. ¶ *A principio* מקדם] *Ab antiquo:* i. e. in liberandis patribus noſtris ex Ægypto: *ab olim.*

12. *Et de operibus tuis loquebar* ובעלילותיך אשיחה] *Et de ſtudiis tuis loquebar.* Alii, *& in operibus tuis meditabar.*

13. *In ſanctitate* בקדש] *In ſancto.* Hebraïſmus, inſtituta & conſilia tua ſanctimoniæ plena ſunt. Alii meliùs, *via tua* (ſub. *nota ſunt*) *in ſacrario*, ſub. *tuo:* i. e. in Templo, aut cœlo tuo.

16. *Timue-*

16. *Timuerunt*, &c. יחילו אף ירגזו תהומות] Fut. Heb. pro præt. *parturierunt*, *etiam abyſſi exagitatæ ſunt*. Alii, *doluerunt*, *etiam commoverunt ſe abyſſi*. Alii, *trepidaverunt*, *conterritæ etiam ſunt abyſſi*.

17. *Inundare fecerunt aquas nubes* זרמו מים עבות] *Inundaverunt aquæ*, aquæ, inquam, *nubium denſarum*, ſive *atrarum*. Vel, *Nubes denſæ inundare fecerunt aquas*, i. e. demiſerunt aquas vehementes. Alii, *Nubes effuderunt aquas*. Alii, *Deciderunt nimbi aquarum denſarum nubium*. ¶ *Fulgura tua diſcurrerunt* חצציך יתהלכו] *Sagittæ tuæ diſcurrunt*. Fut. Heb. pro præſ. Quidam vertunt *grandines*.

18. *In rotunditate* בגלגל] i. e. In aëre: nam aër eſt formæ circularis. ¶ *Illuſtraverunt fulgura orbem* האירו ברקים תבל] *Illuxerunt fulgura orbi*.

CASTALIO.

4. T*E meorum cuſtodiam oculorum agente*] In ſomnis.

16. *Viderunt aquæ te*, *Deus*, *viderunt aquæ trepidantes*, *& cohorrentibus ipſis fluctibus*] Scilicet in trajectu maris Rubri.

17. *Tua tela*] Fulmina.

CLARIUS.

EXprimit calamitatem populi ſancti ſupra modum afflicti, rurſus memoriâ operum olim Dei animum recipit.

2. *Manus meas expandi*] Alius vertit, *Plaga mea nocte diſfluebat*, *& non ceſſabat*.

5. *Cogitavi dies antiquos*] Non minùs, inquit, angit animam meam dum præterita ad memoriam revoco, cogitans quomodo præſtò olim fueris beneficiis tuis, nunc autem deſeris me in calamitatibus conſtitutum.

6. *Recordatus ſum carminis mei*] Quo ſcilicet alios conſolari ſoleo, *& per noctem cum corde meo colloquor*.

8. *Et loqui deſinet*] Irrituſne factus eſt ſermo, quo pollicitus eſt ſe conſolaturum mœſtos, non unâ tantùm generatione ſed omnibus?

10. *Ægritudo mea*] i. e. Feram patienter hanc ægritudinem, quia dextera Domini nunc favet inimicis. Quia tamen Hebræa dictio *Senoth* ſignificat etiam *annos*, poteſt habere & hunc ſenſum, Cruciat me uſque ad mortem hæc recordatio ſuperiorum annorum, quibus toties & tam manifeſtè affuit omnipotenti dextera ſua, is qui ſupra omnia eſt Dominus.

11. *Memor fui operum Domini*] Non tamen ſperare deſinam, inquit, ſed memoriâ repetam conſilia Servatoris Dei, quibus ſe aliquando placatum oſtendere ſolet; memoriâ, inquam, repetam quàm miraculosè olim ipſe affueris tuis, Deus.

13. *Deus*, *in ſancto via tua*] h. e. Conatus tui, ſtudia tua & inſtituta tua ſanctiſſima ſunt, qui nihil agis ſine maxima ratione & ſummo conſilio. Alius ſic diſtinguit, *Deus in ſancto*, h. e. qui præſides Sanctuario, & propitium te exhibes: deinde per exclamationem atque admirationem, *ò via tua*!

16. *Viderunt te aquæ*] Loquitur de mari Rubro, cujus aquæ ſenſerunt potentiam Divinam, & timentes prævaricari præceptum ejus, ſteterunt immobiles in modum muri, donec tranſirent filii Iſraël: Caſtra autem Ægyptiorum nimbis, fulminibus & concurſu aquarum horribiliter fuerunt in profundum demerſa.

18. *Vox tonitrui tui in rota*] Alius vertit, *in ſphæra*, ſcilicet aëris.

19. *In mari via tua*] Per medium mare obambulas & per *aquas plurimas*, non aliter quàm per tritiſſimas vias, *nec apparent ulla veſtigia tui*.

DRUSIUS.

1. ידיתון. Sym. *per Idithun*] Διὰ Ἰδιθούν. ¶ אֶל־אֱלֹהִים. A. Th. πρὸς Κύριον. Sym. V. ed. & VI. πρὸς τὸν Θεόν.

2. יָדִי לַיְלָה נִגְּרָה וְלֹא תָפוּג. Sym. ἡ χείρ μου νυκτὸς ἐκτεταμένη διηνεκῶς, *manus mea nocte extenſa eſt continuè*.

3. אָשִׂיחָה וְתִתְעַטֵּף רוּחִי. Sym. διελάλουν ἐμαυτῷ, καὶ ἐλιποθύμουν, *mecum ipſe loquebar*, *& animo deficiebam*] In Theodoreteis, *& continue animo deficiebam*. Fortè כלה διηνεκῶς. Aquila reddit ἀεί, *ſemper*: aut hoc adjecit de ſuo.

4. אָחַזְתָּ שְׁמֻרוֹת עֵינָי. A. Κατέσχες φυλακὰς ὀφθαλμῶν. Sym. Ἐκώλυον τὰς ἀναβλέψεις τῶν ὀφθαλμῶν μου. Th. Ἐκράτησας φυλακὰς ὀφθαλμῶν μου.

6. וַיְחַפֵּשׂ רוּחִי. A. καὶ ἐσκάλευσε τὸ πνεῦμά μου. Sym. καὶ ἀνηρεύνων τὸ πνεῦμά μου. Th. ἐξηρεύνησε τὸ πνεῦμά μου] Καὶ ἐσκάλευσεν. In alio Schol. eſt καὶ σκαλεύσει. Prius germanum puto. Quanquam fieri poteſt ut in una verſione hoc, in alia illud poſuerit. Nihil temere affirmandum. *Propriè* σκαλεύω, inquit Hieron. epiſt. ad Suniam, *in agricultura dicitur*, *in ſarriendo*, *i. e. ſarculando*: *& quomodo ibi quæruntur herbæ*, *ſic & iſte retractatum cogitationum ſuarum oſtendit à ſarculo*. Ἀνηρεύνων] Sic ed. Romana. In Epiſt. ad Suniam. *Sym. & Quinta*, ἀνερεύνων. Ἐξερεύνησεν] Prov. 2. 4 התחפשנה, LXX. ἐξερευνήσῃς αὐτήν. Aliud ſcholion, *Th.* ἔσκαλλον τὸ πνεῦμά μου. In fragmentis à me editis, Κοινή, i. e. *communis editio*, ἔσκαλλε, *ſcopebat*. *Sym. & Quinta*, *perſcrutabar*, ἀνερεύνων. *Th. ſcrutatus eſt*. *A. veſtigabat*. Quod poſtremum hauſi ex Euthymio, in quo hæc verba habentur, *Veſtigabat*, inquit, *& ſcrutabatur*, *atque hoc pacto Aquila reddidit*.

8. גָּמַר אֹמֶר לְדֹר וָדֹר. Sym. συνετέλεσε ῥῆσιν περὶ γενεᾶς, ἑκάστης, *perfecit ſermonem de qualibet ætate*.

10. חַלּוֹתִי הִיא. A. ἀῤῥωστία μοι αὕτη. Th. ὠδῖνές εἰσιν. שְׁנוֹת. Sym. ἐπιδευτερώσεις.

11. אֶזְכּוֹר מַעַלְלֵי־יָהּ כִּי־אֶזְכְּרָה מִקֶּדֶם פִּלְאֶךָ. Sym. Ἀνεμιμνησκόμην τὰς προνοίας Κυρίου, ἀναπολῶν τὰ ἀρχαῖα τεράστιά σου, *Reminiſcebar providentias Domini*, *animo volvens antiqua miracula tua*.

12. וְהָגִיתִי בְכָל־פָּעֳלֶךָ וּבַעֲלִילוֹתֶיךָ אָשִׂיחָה. Idem, Καὶ διεμελέτων πάσας τὰς πράξεις σου, καὶ τὰ μηχανήματά σου διηγούμην, *Et meditabar omnes actiones tuas*, *& machinamenta tua narrabam*.

13. אֱלֹהִים בַּקֹּדֶשׁ דַּרְכֶּךָ. Sym. *Deus*, *in ſanctitate via tua*. A. *in ſancto facto*] *In ſanctitate*. Ed. Rom. ἐν ἁγιασμῷ. Interp. Theodoreti, *Sym. ſic dixit*, *Deus*, *in ſanctitate via tua*; *Aq. verò*, *In ſancto facto*. Euthymii, *Sym. pro Sancto*, *dixit*, *In ſanctitate*.

17. קוֹל נָתְנוּ שְׁחָקִים. Sym. ἦχον ἔδωκεν αἰθήρ, *ſonum dedit æther*.

18. בַּגַּלְגַּל. Sym. ἐν τοῖς τροχοῖς.

AMAMA.

PSalm. διδασκαλικός de ratione conſolandi ſe contra dilationem auxilii divini.

1. *Jedithun*] De Claſſibus Muſicorum, 1 Chr. 6.

2. *Vocem meam*] Sub. אֶשָּׂא *extollam*.

והאזין] Pro הַאֲזֵן. Infin. eſt פָּקֹד. Ponitur pro Imper. Præcep. 4. Pro futuro, 2 Sam. 3. 18. *Per David ſervum meum* הושיע *ſalvabo populum meum*. Pro Præt. Pſ. 8. Pro part. Gen. 8. *Aquæ erant* הלך וחסר. Gr. ἐνωτίσει. Sic ab ἀνήρ ἀνδρὶς.

3. *Quærebam*] Hinc 2 Chr. 13. מִדְרַשׁ *archiva*, *annales*, q. d. *repertorium*, *Scripta ſunt* במדרש *in repertorio* הַנָּבִיא עִדּוֹ

Manus mea] Ab. dicit fuiſſe qui exponerent *oculus meus*. Ineptiſſimè. Ipſe dicit poni pro כֹּחִי. Joſ. 4. *Ut cognoſcant omnes populi manum Domini*, Th. גבורתא Num. 11. *An manus Domini abbreviata eſt?* Sic Ex. 18. *E manu Ægyptiorum*, Joſ. 8. 20. *Non fuerunt eis manus ad fugiendum*.

II. *Manus* pro *plaga*, *Plaga mea defluxit*, i. e. ſaniem emiſit, Job. 23. *Manus mea aggravata eſt ſuper gemitum meum*.

III. Poteſt tamen propriè exponi, *Et* נִגְּרָה *extenſa erat effuſa ad Dominum*, *nec intermittebat*. Sym. ἡ χείρ μου νυκτὸς ἐκτεταμένη διηνεκῶς.

IV. Aliter, *Locus meus fluxit*, *ſtillavit*, ſc. lachrymis. Sic Jirm. 6. 3. *Depaſtus eſt quiſque* ידו, *locum ſuum*.

הִנָּחֵם] נִחַם *doluit*. Niphal, 1. *Doluit dicto* vel *facto*, *pœnituit*; 2. *Doluit alterius vicem*, *miſertus fuit*, *miſeratus fuit*; 3. Per antiph. *dedoluit*, *conſolationem invenit*, *accepit*: Piel, *conſolatus eſt*.

4. תִתְעַטֵּף] *Involutus fuit*, *afflictionibus*, *miſeriis*, LXX. ὠλιγοψύχησε τὸ πνεῦμά μου. Sym. ἐλιποθύμουν.

5. *Quum teneres* שְׁמֻרוֹת עֵינָי] Aq. & Th. τὰς φυλακὰς τῶν ὀφθαλμῶν μου. Ille κατέσχες. Hic ἐκράτησας, i. e. palpebras. Alii, per Hypall. *Oculos vigiles*. Utrovis modo exponas, queritur de ἀγρυπνίᾳ & inſomnia ſua. Sic Pſ. 11. *Beat. Viri*. *Caro præputii*, Lev. 12. *Præſepe Domini ſui*, Jeſ. 1. Sic *Argentum ſiclorum*, Lev. 5. 15. Gal. 2. *Veritas Euangelii*, 1 Cor. 1. *Stultitia prædicationis*, Rom. 11. βάθος τοῦ πλούτου. Sic, *Somnium hominis*, *Scelus Viri*, *Flagitium hominis*.

וַתִּפָּעֶם] Gen. 41. 8. De Pharao, ותפעם רוחו Sic Dan. 2. De Nebucadnezar.

9. *Sermo*] Promiſſio de bene faciendo cultoribus.

Ad verſ. ult. notat Maſſ. XI. verſus eſſe qui incipiant à Nun & finiant in Nun.

Cætera facilia.

GROTIUS.

17. V*Iderunt te aquæ*, *& timuerunt*, *& turbatæ ſunt abyſſi*] Etiam hæc ad exitum ex Ægypto pertinere res ipſa loquitur.

19. *Vox*

19. *Vox tonitrui tui in rota*] Rota hîc aërem, alibi æthérem ſignificat: quia hæc omnia circum nos volvi communis eſt opinio.

PRICÆUS.

8. *NE fiant ſicut patres eorum, generatio prava & exaſperans*] Vide infrà 57. & quæ Stephanus Act. 7. 21.

Ibid. *Generatio quæ non direxit cor ſuum*] Id eſt, ὡς ἡ καρδία (ut Act. 8. 21.) οὐκ ἦν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ad quem locum quæ dicta vide. Adde infrà 77. 37.

Ibid. *Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus*] Et non firmatus eſt in Deo ſ. e. Græci hic, καὶ οὐκ ἐπιςώθη. Heſychius (qui & fortè hunc Pſalmiſtæ locum reſpexit) Ἐπιςώθη, ἐπείσθη, ἐπληροφορήθη. Vide infrà 22. & 37.

9. *Intendentes & mittentes arcum*] Intendentes arcus, ut ſagittas emitterent. Vide 3 Reg. 22. 34. & ſuprà 36. 14.

27. *Pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes*] Proverbiale, ſimile Jobi 27. 16. *veſtimenta ſicut lutum præparare.*

32. *In omnibus his peccaverunt adhuc*] Ità 48. 16. Sirachidis, *In omnibus iſtis non pænituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis.*

Ibid. *In omnibus his peccaverunt adhuc*] Poſt tot ſpecimina clementiæ & vindictæ ejus. Contrà de Jobo 1. 22. *In omnibus his non peccavit*, &c.

34. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur*] Sirachides c. 48. com. 20. 21. & 22.

Ibid. *Cùm occideret eos, quærebant eum*] 2 Macc. 9. 11. de Antiocho, *Cœpit ex gravi ſuperbia deductus in agnitionem ſui venire, divinâ admonitus plagâ.*

35 *Et rememorati ſunt*, &c.] Uſus eſt eâdem voce iſtâ Hebr. 10. 32. ut & 2 Reg. 21. 14. *repropitiatum* dixit.

39. *Spiritus vadens, & non rediens*] Eorum tempus eſſe umbræ tranſitum, & finis eorum reverſionem non eſſe: ut Sapient. 2. 5. at ex perſona ſtultorum, dicta. Apulejus 6. *Si ſpiritus corpore tuo fuerit ſemel ſejugatus, ibis quidem profectò ad imum Tartarum, at indè nullo pacto redire poteris*: ad quem locum quæ annotavimus vide. Catullus,

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobis, cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

49. *Per angelos malos*] Miniſtros iræ ſuæ, infrà 103. 4.

Ibid. *Immiſſiones per angelos malos*] Optimè & hoc argumento *immiſſiones* vertit. Apulejus 9. *Larvâ, vel aliquo diro Numine immiſſo.*

51. *Percuſſit omne primogenitum*, &c.] *Omne*, i. e. *ab homine uſque ad pecus*, infrà 134. 8.

62. *Concluſit in gladio populum ſuum*] Similis Ezech. 35. 5. & ſuprà hîc com. 50. locutio.

65. *Et excitatus*, &c. *Dominus tanquam potens crapulatus à vino*] Apulejus 9. *Velut emerſus gravi crapulâ*, &c. *in civitatem adventat.*

66. *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*] Vide Deuteron. 25. 18.

66. *Sanctificium ſuum*] Locum ſanctificationis, ἁγίασμα.

IDEM.

2. *APeriam in parabolis os meum*] *Proferam* (ut Proverb. 1. 23.) *ſpiritum meum, & aperiam verba mea.*

3. *Quanta audivimus*, &c. *& patres noſtri narraverunt nobis*] Suprà 43. 2. vide. In Additamentis Eſtheris 14. 4. *Audivi à patre meo quod tu, Domine*, &c.

6. *Narrabunt filiis ſuis*]

—— *Natis natorum, & qui naſcentur ab illis.*

Ezechias 38. 19. apud Eſaiam, *Pater filiis notam faciet veritatem Domini.*

8. *Generatio quæ non direxit cor ſuum; & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus*] *Non dirigere cor ſuum*, eſt quod Sirachidis 2. 14. *duabus viis ingredi.* Sequentia ſic intelligenda, *& non credidit Deo ſpiritus ejus. Deo*, id eſt, promiſſis ejus. Lxx. καὶ οὐκ ἐπιςώθη, &c. id eſt, Heſychio (qui hunc locum videtur ob oculos habuiſſe) explicante, ἐπείσθη, ἐπληροφορήθη. Sirachides ubi ſuprà, *Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.*

15. *Adaquavit eos velut in abyſſo multa*] Tota maria aquarum eis largitus eſt. Hyperbole, vult enim dicere, maximam abundantiam. Vide infrà com. 16. & 20. & Pſal. 106. 33.

19. *Parare menſam*] Ut ſuprà 22. 5.

20. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ*] Infrà 104. 41. & 113. 8.

38. *Et non accendit omnem iram ſuam*] *Excoxit* eos, (ut apud Eſaiam 48. 9.) *ſed non quaſi argentum. Non intulit* (ut Job. 35. 15.) *furorem ſuum, nec ultus eſt ſcelus valde.*

39. *Recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens*] Sirachides 18. 8. *Numerus dierum hominum, ut multùm, centum anni, ſicut gutta aquæ maris deputati ſunt*, &c. *propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam.* Eundem vide & 18. 28. 29. Adde Scriptorem Sapientiæ 11. 24. Seneca de Clement. 1. 6. *Cogitate in hac civitate, in qua turba per latiſſima itinera ſine intermiſſione defluens eliditur*, &c. *quanta ſolitudo & vaſtitas futura ſit, ſi nihil relinquitur niſi quod Judex ſeverus abſolverit.* In Senecæ alterius Controverſiis, *Perierat totus orbis niſi iram miſericordia finiret.*

41. *Converſi ſunt, & tentaverunt Deum*] Id eſt, *averſi.* Vide infrà com. 57. Supplendum hic, *à Deo.* Ità, *converſum à re uxoria* Apulejus dixit.

46. *Dedit ærugini fructus eorum*] Id eſt, rubigini. Lxx. ἐρυσίβῃ. In Gloſſario, Ἐρυσίβη, *robigo. Genus vitii quo culmi pereunt, quod à ruſticanis Calamitas dicitur; ex nebula autem naſci ſolet, cùm nigreſcunt & conſumuntur frumenta.* Sunt Servii iſta ad Georg. 1. Heſychius, Ἐρυσίβη· νόσος τις ἀέρος, τοῖς φυτοῖς καὶ καρποῖς ἐπιγινομένη.

47. *Et occidit in grandine vineas eorum*]

Grandine dilapidans hominumque boumque labores.

52. *Abſtulit ſicut oves populum ſuum*] Ità & 76. 21. Vide & 79. 2.

60. *Et repulit*, &c.] Lxx. ἀπώσατο. Heſychius, Ἀπώσατο, μακρὰν ἔρριψεν.

65. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus*] Ipſe 31. 26. apud Jeremiam, *Quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi.*

Ibid. *Tanquam potens crapulatus à vino*]

—— *Pœnorum qualis in arvis*
Jam tandem movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros. ——

Audaci ſanè allegoriâ videri poteſt uſus de Deo Pſalmiſta: reſpiciendum autem relictâ comparatione ad τὸ νοούμενον. Heraclides Ponticus poſt citata Homeri illa,

Ut cùm permultos culmos ſecat æris acumen,
Et pauca eſt meſſis quando Deus ipſe bilances
Inclinat ——

Quod heic (inquit) *dicitur agricultura eſt, quod innuitur autem, pugna: veruntamen per contrarias res quod Poëta innuit ſignificatur. Cùm igitur allegoriæ & cæteris in uſu ſint, & Homero etiam non ignotæ, cur illa quæ de Diis paulò improbiùs conficta videntur, non ſimili excuſatione mitigemus? Crapulatus à vino*, eſt, κραιπάλῃ καὶ μέθῃ βεβαρημένος.

70. *Elegit David*, &c. *& ſuſtulit eum de gregibus ovium*] Ità Amoſus 7. 14. ad Amaſiam, *Armentarius ego ſum vellicans ſycomoros: & tulit me Dominus cùm ſequerer gregem; & dixit, Vade, propheta ad populum meum.* Vide Pſal. 112. 7. Sirachides 20. 11. *Eſt propter gloriam minoratio, & eſt qui ab humilitate levat caput.*

Ibid. *De poſt fœtantes accepit eum*] Lxx. ἐξόπισθεν τῶν λοχευομένων & huc refero Heſychii illa, Λοχευομένων, γεννωμένων, ἢ γεννώντων. Nota & locutionem, *de poſt fœtantes.* Tobiæ 3. 15. in Saræ oratione, *Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus abſolvas me, aut certè deſuper terram eripias me*: quæ lectio, etſi omnes, ni fallimur, editiones pervagata eſt, non poteſt ferri. *Deſuper* enim eſt quod Græcis ἄνωθεν, vel, ἐξ ὕψους quæ ſignificatio ei loco non congruit. Solet & vox ea abſolutè (id eſt, intranſitivè) poni: ut, *deſuper viſitavit nos, pluit deſuper*, hoc eſt, *de*, vel *è ſupernis*: quomodo & in Gloſſario reponendum, ubi vulgò corruptè legitur, Ἄνωθεν, *deſuper, ſupernis.* Pro *deſuper terram* ergò in citato Tobiæ loco ſcribendum tribus vocibus, *de ſuper terram*, locutione qualis iſto Pſalmi loco, *de poſt fœtantes.*

72. *Et pavit eos in innocentia cordis ſui*] Juxta illud infrà 83. 11. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Sui* hic, ut & alibi, pro *eorum.*

Ibid. *Et in intellectibus* (id eſt, intellectu) *manuum ſuarum deduxit eos*] In potentia brachii ſui; locutione ab animo ad corpus (quod heic Deo affingitur) ſumptâ.

PSALM. LXXVIII.

MUNSTERUS.

1. L*Egem meam*] Vocat *legem* rectæ vitæ inſtitutionem, quæ naſcitur, ſi ritè perpendantur opera Dei, in quibus relucet bonitas atque potentia Dei, quæ diligenter conſiderata animum accendunt atque efficiunt ut in uno Deo fiduciam ponamus, & juxta præcepta ejus vitam inſtituamus. Vocat quoque hoc canticum *parabolam*, quòd graves & ſapientiâ plenas contineat ſententias.

5. *Teſtimonium in Jacob*] Aliqui accipiunt hîc *teſtimonium* pro lege Moſi, alii pro lege quâ Deus præcepit Senioribus narrare filiis opera quæ fecit in Ægypto.

9. *Filii Ephraim*] De hoc bello habetur 1 Paral. 7. intelligiturque hic per *Ephraim* totus Iſraël: ſed tribus Ephraim in eo bello primas habuit partes, majoremque accepit cladem. Cauſa autem hujus ſubditur, *Non cuſtodierunt pactum Dei.*

12. *Zion*] Hanc communiter putant fuiſſe Tanim.

25. *Panem magnificorum*] Chald. מזון דנחת ממדור מלאכיא *Cibum qui deſcendit de habitaculo Angelorum.* Alii exponunt אבירים pro שחקים *locis æthereis.*

36. *Blanditi ſunt*] Poteſt quoque hîc פתה verti pro *ſeducere & decipere.*

41. *Limitem præſcripſerunt*] h. e. Non crediderunt illum eſſe infinitum, & qui omnia poſſit in omnibus locis.

50. *Libravit ſemitam*] Kimhi hunc locum ſic exponit, *Complanavit iter pro ira ſua, ut ſine impedimento procederet contra eos.*

51. *Primitias virtutis eorum*] Textus propriè habet *principium virtutum.* Vocatur autem primogenitus *principium virtutis & virium patris.* Scribiturque eadem ſententia bis, licèt aliis & aliis verbis. Porrò per *tabernacula Cham* intelligitur Ægyptus.

54. *Ad montem iſtum*] Sic vocat terram Chananæorum quòd ſit montana.

67 *Tabernaculum Joſeph*] Hoc dicitur quòd Arca Domini, quæ hic *fortitudo Iſraëlis* vocatur, reducta à Pheliſtæis, non eſt reſtituta in Silo, qui locus fuit in tribu *Ephrajim* & *Joſeph*, ſed pro ejus domicilio *electa fuit tribus Jehuha.*

72. *Deduxit eos*] i. e. Prudenter adminiſtravit Regnum.

VATABLUS.

1. I*Ntelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32.

2. *Aperiam in parabolam os meum* אפתחה במשל פי] Hebraïſmus, pro *Dicturus ſum parabolas.* ¶ *A principio* מני קדם] *A tempore antiquo. Ab olim. Jam inde ab antiquo:* i. e. exponam verbis res quæ præ vetuſtate obſcuræ ſunt & penè exciderunt.

4. *Non abſcondemus ea à filiis eorum, qui generationi poſteræ narrabunt* לא נכחד מבניהם לדור אחרון מספרים] *Non celabimus ea filios eorum, ſed generationi poſteræ narrabimus,* &c. Alii, *Non celabimus filios eorum, generationem ſequentem, narrantes,* &c. Alii, *Non eſt celatum filios eorum, generationi poſterorum narrantes,* &c.

5. *Et ſuſcitavit teſtimonium* ויקם עדות] *Ipſe enim ſuſcitavit teſtimonium.* Alii, *Statuit quoque teſtimonium:* i. e. teſtimonium quod conteſtatione quadam præcedit: h. e. ſtatuit decreto quodam in populo fideli, ut poſteri, &c. ¶ *Quæ* אשר] *Quod,* nempe *ſtatutum, & quam legem de narrandis Divinis miraculis, præcepit.*

6. Et ut *filii qui naſcerentur,* &c. בנים יולדו יקמו ויספרו לבניהם] *Filii* ſcil. *qui naſcituri ſunt ſurgant, & narrent filiis ſuis.* Alii, *filii naſcituri & orituri, narrarent filiis ſuis.* Alii, *filii qui naſcentur, ſurgent, & narrabunt,* &c.

7. *Ut ponerent* וישימו] *Ut ponant,* &c. vel, *Indeque ponant.*

8. *Deficiens & rebellis* סורר ומרה] *Incredula & rebellis.* Vel, *averſatrix & irritatrix.* Alii, *averſatrix* [ſive *perverſa*] *& inobediens.* ¶ *Direxit* הכין] *Præparavit.* Alii, *quæ rectè haudquaquam inſtituit cor ſuum.* ¶ *Nec fuit,* &c. ולא נאמנה את אל] *Nec firmiter adhæſit Deo.* Vel, *nec eſt nixus Deo,* aut, *fideliter egit cum Deo.* Alii, *nec eſt creditus cum Deo.* Alii, *nec credidit Deo.*

12. *Soan* צען] i. e. Tanitico.

13. *Secuit* בקע] *Interrupit.*

14. *In lumine* באור] *Ad lumen.*

15. *E voraginibus magnis* כתהומות רבה] *In abyſſis magnis.* Alii, *abyſſis ampliſſimis.* Hebræi ſubaubiunt adverbium Similitudinis: hinc vertunt quidam, ut *ex magna abyſſo.* Quaſi *ex abyſſo multa.*

17. *Ut provocarent Excelſum* למרות עליון] *Exacerbantes Altiſſimum.* Alii, *irritare Altiſſimum.* Alii, *deficere ab Excelſo,* ſub. *addiderunt.*

18. *Anima ſuæ* לנפשם] Hebraïſmus, pro *ſibi.* Vel, pro *deſiderio ſuo.* Quidam vertunt *cupiditati ſuæ.*

20. *Ecce percuſſit* הן הכה] *Percuſſit quidem. En percuſſit*

22. *In ſalute ejus* בישועתו] *Salus* pro *auxilio.*

24. *Cæli* שמים] i e. Ex aëre deſcendens.

25. *Fortium* אבירים] *Magnificorum: potentium:* i. e. cœlorum, vel nubium. Chald. *cibum qui deſcendit de habitaculo Angelorum.*

26. *Excitavit* יסע] *Impulit.*

28. *Caſtrorum ejus* מחנהו] Nempe *Iſraëlis.* ſing. pro plur. *eorum.*

29. *Et deſiderium,* &c. ותאותם יבא להם] *Attulerat enim eis deſiderium eorum,* i. e. reddiderat illos voti compotes.

30. *Non erant alienati à deſiderio ſuo* לא זרו מתאותם] *Non ſunt deſtituti deſiderio ſuo:* præcedentibus adjungitur. Alii ſequentibus adjungentes vertunt, *Nondum receſſerant à cupiditate, cùm,* &c.

31. *Et electos* ובחורי] *Et juvenes ſelectiores.* ¶ *Incurvavit* הכריע] *Succumbere fecit, proſtravit, humiliavit, dejecit.*

32. *Cum omni hoc* בכל זאת] *In omni hoc. Super hæc omnia:* i. e. Nihilominus. ¶ *Feſtinanter* בבהלה] *Cum terrore,* aut, *perturbatione:* q. d. Etiam edito miraculo interfecit eos.

34. *Quærebant eum* ודרשוהו] *Et* [pro *tunc*] *ſtudioſè requirebant eum.*

35. *Rupes eorum* צורם] *Fortitudo eorum.*

37. *Cor autem eorum* ולבם] *Cor enim eorum.* ¶ *Nec fideles fuerunt* ולא נאמנו] *Nec firmi fuerunt.*

38. *Et multiplicavit ut averteret iram ſuam* והרבה להשיב אפו] Hebraïſmus, pro, *magnopere iram ſedavit.* Vel *ſtrenuè curavit ut cohiberet iram ſuam.* Aut ut alii, *ſæpenumero retraxit iram ſuam.*

41. Et *reverſi ſunt, & tentaverunt* וישובו וינסו] Hebraïſmus, pro, *identidem & ſæpius tentaverunt Deum,* vel, *identidem & ſæpius tentando Deum.* ¶ *Limitaverunt* התוו] *Circumſcripſerunt,* i. e. virtutem ejus quaſi quibuſdam terminis comprehenderunt, dicentes eum quidem aliqua poſſe, at non eſſe omnipotentem.

45. *Omne genus muſcarum* ערב] *Miſcellam:* i. e. turbam miſcellaneam ferarum. Vel, *muſcarum venenatarum.*

46. *Fructum eorum,* יבולם] *Proventum eorum.*

47. *Majuſcula grandine* בברד] *Lapide glaciato.* Alii, *lapide grandinis.*

48. *Carbonibus ignitis* לרשפים] *Fulminibus.*

50. *Ponderavit ſemitam furori ſuo* יפלס נתיב לאפו] Hebraïſmus, ac ſi dicat, Adæquavit, ſive munivit, ſemitam iræ ſuæ, ut citra impedimentum exagitaret impios: q. d. citra moram punivit eos. ¶ *Non prohibuit à morte animam eorum* לא חשך ממות נפשם] Hebraïſmus, pro, *occidit eos,* non pepercit quin eos occideret. ¶ *Et vitam eorum* וחיתם] *Et animantia eorum.*

51. *Primitias fortitudinum* ראשית אונים] Ità vocat primogenita quæ ſuſcipiuntur in prima juventute.

52. *Et proficiſci fecit* ויסע] *Et emiſit. Et traduxit.*

53. *Tutò* לבטח] *Confidenter,* ſive *cum ſumma fiducia.*

55. *Et cadere fecit eas in funiculo hæreditatis* ויפילם בחבל נחלה] i. e. Proſtravit Gentes in ſua hæreditate: q. d. Partim expulit Gentes, partim in ſuis finibus occidit. Alii vertunt, *projecitque eis ſortem hæreditatis.* Vel, *& in funiculo dimiſit eis hæreditatem,* id eſt, habitare fecit eos in hæreditate promiſſa.

59. *Et ſprevit* וימאס] *Et exſecratus eſt, averſatus eſt;* vel, *abhorruit ab Iſraële.*

61. *Fortitudinem ſuam* עזו] Sic vocat arcam Dei, quòd ſuper eam ſoleret virtutem & fortitudinem ſuam declarare filiis Iſraël. ¶ *Et gloriam ſuam* ותפארתו] *Et decus ſuum: magnificentiam ſuam: decorem ſuum.* Repetitio eſt.

63. *Laudatæ* הוללו] *Epithalamiis nuptialibus:* i. e. permanſerunt innuptæ. Quidam vertunt *honoratæ,* ſub. *nuptiis.* Alii, *nuptiis traditæ.*

64. *Non fleverunt* לא תבכינה] *Non ſunt deploratæ,* aut *defletæ.*

65. *A vino* מיין] *Poſt vinum,* i. e. ubi edormivit crapulam.

66. Re-

66. *Retrorſum* אחור] *In poſteriori parte.* Alii, *tergum vertentes*: i. e. effecit ut Iſraël verteret terga hoſti, fugiendoque vulnera acciperet. Vel, Iſraëlem egit in fugam, effecitque ut hoſtis percuteret eos qui erant in poſtrema acie. ¶ *Dedit eis* נתן למו] *Tradidit eos.*

67. *Sprevitque* וימאס] Idem verbum quod v. 59. q. d. ſtatim auditâ clade mœrore perierunt.

71. Euntemque *poſt lactantes* מאחר עלות] Heb. *depoſt fœtas* [vel *fœtantes*, aut *à tergo fœtarum*] *venire fecit eum.*

72. *In ſimplicitate* כתם] *Secundum integritatem*, vel, *in integritate.* ¶ *Et prudentiis manuum ſuarum* ובתבונות כפיו] *Cum prudentia manibus ſuis.*

CASTALIO.

25. *Tam nobilem panem comederunt homines*] Ad verb. *panem nobilium*: ut Jud. 8. *phiala nobilium* pro *nobili phiala* dicitur, & Zach. 9. aſinus vocatur *filius aſinarum*, h. e. aſinarius, aut aſinâ natus.

31. *Unctiſſimos quoſque*] Locupletiſſimos.

51. *Primordia virilitatis in Chameis domiciliis*] Apud Ægyptios, qui ſunt à Chamô prognati per Miſraimum.

61. *Suamque potentiam*] Arcam fœderis.

63. *Virgines inglorią*] Innuptæ.

66. *Hoſtium ſuorum*] Scilicet Iſraëlitarum, ut & Eſa. 11. vocantur.

CLARIUS.

Memorat facta Dei declarata in ſuum populum, & monet, ſalutare præceptum eſſe ea meminiſſe. Demum de Chriſto ſub typo David vaticinatus eſt. Hunc Pſalmum citat Matthæus de Chriſto, cap. 13. dicens, *Sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.*

1. *Legem meam*] Doctrinam meam. Vocat *legem* rectæ vitæ inſtitutionem, quæ acquiritur ſi ritè perpendantur opera Dei, in quibus relucet bonitas ac potentia Dei, quæ diligenter conſiderata animum accendunt, atque efficiunt ut in uno Deo fiduciam ponamus & juxta præcepta ejus vitam inſtituamus. Vocat quoque hoc canticum *parabolam*, quòd graves & ſapientiæ plenas contineat ſententias.

5. *Teſtimonium in Jacob*] Aliqui accipiunt hîc *teſtimonium* pro lege Moſis; alii pro Lege quâ Deus præcepit Senioribus narrare filiis opera quæ fecit in Ægypto.

9. *Filii Ephraim*] Vel meminit hiſtoriæ quæ legitur 1 Par. 7. vel per *Ephraim* intelligit Iſraëlem, quòd in horum forte Silo ſedes Arcæ fuerat: unde veriſimile eſt eam Tribum primas in bello partes habuiſſe cum Arca à Philiſtæis caperetur, & iccirco majorem accepiſſe cladem & cauſa ſubditur, *Non cuſtodierunt pactum Domini.*

25. *Panem Angelorum*] Cibum qui è cœlis Angelorum domicilio deſcendit.

34. *Cùm occideret eos*] Quamdiu percutiebat illos, *recurrebant ad ipſum, & manè* ſurgentes ſupplices fiebant Deo, & agnoſcebant Deum *adjutorem ſuum.* Verùm hæc ab animo eorum non proficiſcebantur, ſed ore tantùm blandiebantur, &c.

41. *Sanctum Iſraël exacerbaverunt*] Heb. *Limitem præſcripſerunt*, h. e. non crediderunt illum omnia poſſe, ſed conati ſunt metiri potentiam ejus qui ſanctificat Iſraëlem: quædam enim illum poſſe credebant, ſed non omnia.

50. *Viam fecit & ſemitam iræ ſuæ*] Complanavit iter pro ira ſua, ut ſine impedimento procederet contra eos.

51. *Primitias omnis laboris*] Pro quibus laboraverant. Alius vertit *Primitias virtutis eorum.* Vocatur primogenitus *principium virtutis & virium patris.* Per *tabernacula Cham* intelligitur Ægyptus.

54. *Montem quem acquiſivit*] Vocat *montem* terram Chananæorum, quòd ſit montana.

57. *In arcum pravum*] Vel *doloſum*, qui ſcopum non petit, ſed fractus percutit eum qui tetendit.

63. *Non ſunt honoratæ*] Epithalamiis ſcilicet, ut mos erat, vel *manſerunt innuptæ.*

64. *Viduæ eorum non plorabant*] Non fuerunt ſuperſtites viduæ quæ eorum caſum deflerent.

65. *Crapulatus à vino*] Tanquam qui vino exhilaratus fortiter pericula aggreditur.

66. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*] Vulneravit hoſtium ſuorum podices.

67. *Repulit tabernaculum Joſeph*] Hoc dicitur, quòd Arca Domini reducta à Philiſtæis, non eſt reſtituta in Silo, qui locus fuit in Tribu *Ephraim* & *Joſeph*, ſed pro ejus domicilio *electa fuit Tribus Juda.*

69. *Ut terram*] Voluit, inquit, ædem majeſtati ſuæ dicatam perpetuò ſtabilem eſſe ſicut terram ipſam.

71. *Poſt fœtantes*] A fœtis vaccis, quas ſectabatur paſtor.

72. *In intellectibus manuum ſuarum*] Prudenter adminiſtravit Regnum.

DRUSIUS.

2. חידות. A. *ἀινίγματα.*

5. ויקם עדות ביעקב. Sym. *ἀνέϛησε διαμαρτυρίαν τῷ Ἰακώβ.*

6. ויספרו. A. & S. *& narrabunt.*

17. למרות עליון בציה. Sym. Φιλονεικεῖν τῷ ὑψίϛῳ ἐν δίψει.

21. ויתעבר. Idem. *ἐχολώθη*] Euthymius, *Quod verò Lxx. dixerunt, Rejecit, Sym. reddidit, Iratus eſt.*

26. יסע קדים. * *ὥρμησεν καύσωνα.*

31. במשמניהם. A. *ἐν λιπαροῖς αὐτῶν.* Sym. *τὺς λιπαρωτέρυς αὐτῶν.* Th. *ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν*] Ἐν λιπαροῖς αὐτῶν, *in pinguibus eorum.* Nam *λιπαρὸς pinguis.* In epiſt. ad Suniam, במשמניהם *Aquila interpretatus eſt* * *ἐυπόροις αὐτῶν*, [vitium, ut conjicio, eorum qui Hieronymum primitus correxerunt] *Symmachus τοῖς ἐυπορωτέροις*, i. e. *divitibus & ditioribus.* Euthymius, *Quod Lxx hîc* plures eorum, *Symmachus* pingues *reddidit, & Aquila ad eundem ſenſum* abundantes, *periiſſe intelligentes ditiores quoslibet ac fortiores in populo.* Videtur leg. *Theodotio* pro *Symmachus.* Firmant ſequentia. Πίοσιν] Sic etiam Lxx. & Quinta editio. Hieron. *Lxx. & Th. & V. ed. ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν· quod quidam non intelligentes putaverunt ſcriptum ἐν τοῖς πλείοσιν.*

35. עליון גאלם. Sym. *ὕψιϛος ὑπερμάχησεν αὐτῶν, Altiſſimus propugnavit eos.*

36. ויכזבו לו. O. *ἐψεύσαντο αὐτῷ, mentiti ſunt ei.*

38. והרבה להשיב אפו ולא־יעיר כל־חמתו. Sym. *καὶ ἐπὶ πολὺ ἀπέϛρεψε τὴν ὀργὴν αὐτῦ, καὶ ὐ διέγειρεν ὅλον τὸν θυμὸν αὐτῦ, multùm avertit iram ſuam, & non ſuſcitavit univerſam excandeſcentiam ſuam.*

45. ערב. A. *παμμυῖαν omne genus muſcarum*] Vide ſis Exod. 8. 21, 22.

46. לחסיל. A. *τῷ βρέχῳ brucho*] Priùs erat *τῇ ἐρυσίβῃ*, i.e. *ærugini. Eſt autem ærugo*, ait Euthymius, *novum quoddam germen, ſeu nova proles locuſtæ quam illic etiam Moyſes deſcribit: & dicitur Bruchus; atque ità eam Aquila appellavit.* ¶ לארבה. Sym. *τῷ σκώληκι.*

47. שקמותם. *οἱ ἄλλοι, συκομόρυς*] *Sycomorus ficus fatua hinc dicta quòd foliis moro ſimilis ſit. Hanc Latini Celſam appellant.* ¶ Ex Interpretatione vocabulorum in Sacris obviorum. ¶ בחנמל. A. *ἐν κρύει, in frigore.*

48. ויסגר לברד בעירם ומקניהם לרשפים. Sym. *τῦ ἐκδόντος λοιμῷ τὰ κτήνη αὐτῶν, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν οἰωνοῖς, tradentis peſtilentiæ jumenta ipſorum, & poſſeſſiones ipſorum avibus*] Hab. 3. בני רשף. A. *volatile.* S. Th. & V. ed. *volucre.* Hieron. hic *volucribus.* Ex Ebræïs *avem* dici Reseph poſt Maimonis filium putat Aben-Ezra Job. 5. & Deut. 32. Theodoretus Antonii Caraffæ, *Qui tradidit peſtilentiæ jumenta ipſorum, & corpora eorum vulturibus*, i. e. *τοῖς γυψί.*

49. מלאכי רעים. Sym. *ἀγγέλων κακούντων.*

54. הר־זה קנתה ימינו. Sym. *montem quem acquiſivit dextera ejus*] Vide Hieron. epiſt. ad Suniam.

57. ויבגדו. O. *καὶ ἠσυνθέτησαν, & non ſervaverunt pactum.* Ex epiſt. eadem.

58. בבמותם. A. *ἐν τοῖς ὑψηλοῖς αὐτῶν.* In lib. De locis Rama *Aquila*] *ſemper ὑψηλὸς reddit.*

63. לא הוללו. A. *οὐκ ὑμνήσθησαν, non fuerunt hymnis celebratæ.* Sym. & Th. *ὐχ ἐπῃνέθεσαν, non fuerunt laudatæ.* Sic etiam Quinta editio. Sexta verò ut Lxx.

69. כמו־רמים. A. *ὑψηλῶς.* Sym. *ὡς τὰ ὑψηλά.* Th. *ὡς μονοκερώτων.* ¶ כארץ יסדה לעולם. Sym. *ut terram quam fundavit in ſecula, ὡς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς τὸν αἰῶνα*] In Theodoreteis, *Symmachus autem ſic, Ut terram quam fundaſti in ſecula. Cæteri etiam eundem ſenſum expoſuerunt.* Epiſt. ad Suniam, *In Ebræo ità ſcriptum eſt ut Symmachus vertit. εἰς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα, i. e. Et ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra quam fundavit in ſecula.* Hinc erues prius membrum integrum, ויבן כמו־רמים מקדשו. Sym. *καὶ ῳκοδόμησεν ὡς μονοκερώτων τὸ ἁγίασμα αὐτῦ.* Sed nè crede Symmachum ità vertiſſe *εἰς τὴν γῆν*, i. e. בארץ, in qua lectione Caph cum Beth permutatur. In ed. Rom. Sym. *ὡς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα.* Puto rectum eſſe.

71. מאחר עלות הביאו. Sym. *ἀκολουθούντων ἐγκύμοσιν ἤγαγεν αὐτὸν*

ἀυτὸν, *ſequentem prægnantes duxit ipſum.* A. τῶν ἐν γαςρὶ ἐχόντων, i. e. *gravidarum*, ſive *prægnantium*.

72. וּבִתְבוּנוֹת כַּפָּיו יַנְחֵם, Th. καὶ ἐν τῇ συνέσει τῶν χειρῶν ὡδήγησεν αὐτούς. A. καὶ ἐν Φρονήσει.

A M A M A.

PSſalmus eſt διδασκαλικός. Conſtat Proœmio & Narratione. Proœmium extenditur uſque ad verſ. 5. Verſu 1. hortatur Iſraëlitas ad attentionem. Verſ. 2, 3, & 4. narrat quibus de rebus verba facere velit.

In narratione ſunt multæ partes. Referri tamen omnes poſſunt ad hæc tria membra, 1. Narrat beneficia Dei erga populum Iſraël. 2. Exempla Ingratitudinis populi erga Deum. 3. Exempla caſtigationum Divinarum ob ingratitudinem illam. Ad beneficia Dei pertinent pœnæ & plagæ quibus Deus Ægyptios &c. hoſtes affecit. Summa hic eſt totius Exodi.

1. תּוֹרָתִי] *Doctrinam* vox propriè ſignificat; ejus ſignif. ſunt 4. 1. Quamvis doctrinam, inſtitutionem. Prov. 13. *Doctrina ſapientis fons vitæ.* Sic Paulus Euangelium vocat νόμον χριςοῦ. 2. Cujuſque rei diſpoſitio, conſtitutio, ordinatio, Num. 6. תּוֹרַת הַנָּזִיר Lev. 14. תּוֹרַת הַמְּצֹרָע 3. Pentateuchum, Legem Moſis, dividiturque Deuter. 6. in Mitzvoth, Hukkim & מִשְׁפָּטִים. Ebr. in Affirm. Negantes. Negativæ שסה, Affirm. רמח. In univerſum 613. בַּתּוֹרָה 4. Sign. omnes libros V. T. Tharg. Cant. S. in viginti & quatuor libris Legis. Joh. 10. 34. *Nonne ſcriptum in Lege veſtra, Ego dixi vos Dii eſtis.* Locus autem ſumptus ex Pſ. 82.

Hinc oriuntur Quæſtiones 2. I. An Saducæi rejecerint Prophetas. Hoc certum eos tantum Legem recepiſſe. Quæritur an ſtrictè an late vocem *Legis* acceperint. Ebræi quidam ita loquuntur ac ſi Prophetas ſuſceperint. Dicunt enim eos Πατοπαραδότας ἐντολὰς rejeciſſe: Commentator libri Aboth dicit eos tantum inniti ſcriptura, ſub quâ Prophetæ. Lucas in Actis ubi dicit eos negaſſe Angelum, Spiritum & reſurrectionem, hujus hæreſeos nullam mentionem facit. Adducunt quidam & hoc quod in Thanchuma ſeu Telamnedenu reſurrectionem ſubvertant adducto loco ex Job. 7. 9. *Sicut nubes abit & deficit, ſic qui deſcendit in ſepulcrum non aſcendit.* At hoc nil juvat eam ſententiam. Non enim mox id habemus pro authentico, ex quo Adverſario opponimus argumentum. Ex hypotheſi enim ſæpe diſputamus, ut cum Judæo ex Thalmud, cum Turcâ ex Alcorano.

Contra omnes fere Patres aſſerunt eos tantum V. libros Moſis recepiſſe. Unde Hieron. & Zacharias Chryſopolit. *eos vaticinia Prophetarum reſpuiſſe.* Sic Tertull. de Præſcr. contra Hæreticos lib. 1. Quin & Gorion. Cap. 29. *Ecce Saducæi dicunt ne audiamus ullam traditionem aut expoſitionem niſi Legem Moſis ſolam.*

At præferendam opinionem primam docet Scalig. Elench. Cap. 16. Joſephus, dicit eos πάντα τὰ γεγραμμένα amplexos τὰς δὲ παραδόσεις ἀγράφους rejeciſſe. *Sacrificarunt una cum Judæis in Templo.* Ergo crediderunt eum locum à Deo fuiſſe delectum. Hoc autem non Moſes, ſed libri Regum, Sam. & Paralip. docent. Quin & hoc magno mercati fuiſſent Phariſæi, ſi hoſtes incurriſſent cauſam aliquam ob quam tuto ipſis non licuiſſet eſſe Jereſolymis.

II. Quæſt. An. LXX. totum V. T. verterint? de quo Maſius in Joſ.

5. Prima narrationis Particula ex 21. De Patefactione Dei per legem & promiſſiones.

Teſtimonium] Legem, quâ teſtatur quid velit, & Promiſſ. quibus teſtatur quibus beneficiis &c. Vel *Lex* teſtimonium quod cum conteſtatione data.

6. Patefact. amplificat à fine triplici, 1. Ut cognoſcant, 2. Ut confidant in Deo, 3. Ut obediant.

יָקֻמוּ] *Surgant, ſurgentesque*, i. e. accingentes ſe. Peculiaris ſignif. verbi hujus eſt 1 Reg. 14. *Et Propheta Achijas non poterat amplius videre, quia ſtabant* קָמוּ *oculi ejus.*

8. 2. Narrationis particula de Iſraëlitarum ingratitudine.

9. *Ephrem*] Ἐφραίμ. Sic Joh. 10. 3. Narrat. part. de ingratitudine 10. Tribuum. *Ephraim* nominatur propter potentiam quæ antecellebat.

נוֹשְׁקֵי רוֹמֵי קָשֶׁת] *Armati, jaculantes arcu.* Sic Aben. citat נִשְׁרֵי נַפְתָּלִי רֹבֵע וְהַצְּאָה Nomen קשת per Zeugma regitur ab utroque verbo præcedente. Nam in Ebr. ſunt duo participia in Regimine poſita, interque ſe continuata. Sic Jeſ. 19. 11. חַכְמֵי יֹעֲצֵי פַרְעֹה

נֹשְׁקֵי] נֶשֶׁק *armatura.* Hinc נָשַׁק *armatum eſſe.* Reperitur eodem modo 1. Chr. 2. נֹשְׁקֵי קֶשֶׁת

הָפְכוּ] Ebr. ſubaudiunt עֹרֶף Joſ. 7. 8. *Poſtquam Iſraël* הָפַךְ עֹרֶף *coram hoſtibus ſuis.* Hinc Chald. hoc loco אַפְּכוּ קְדָל. Sic Jud. 20. 38. Defectivè הפך *Vir Iſraël in bello.* Latinè, *vertere terga.* Senſus eſt, fuſi cæſique ſunt, hiſtoria eſt 2 Reg. 17. Ubi agitur de captivat. eorum per Salmanaſſar. Alii referunt ad hiſtoriam quæ extat 1 Chr. 7. 21.

12. צֹעַן. צ in ט & eliſo ע *Tan*, inde *Tanis.* Regia in urbe Mitzraim. Palatium Regis & Solium muris cincta. Septem annis ædificata poſt Hebron. Num. 13. 23. *Et Ebron 7. annis ædificata fuit ante* צֹעַן. Diſtabat duobus milliaribus ab Helio-poli, unò à Memphis. Jam unum ex tribus iſtis oppidum conflatum, *Alkair* dictum. Ut à Tzoan, Tan, ſic à צור Tyrus. Ch. חֲקַל טָאנִיס.

Ægyptus nec pluviam nec nives nec gelu unquam vidit. Calore nimio exæſtuat. Irrigatur Nilo in Auguſto & toto Sept.

Gloſſ. *Ægyptium* Φαιὸν *fuſcum.*

De *columna nubis* Exod. 13. 21. utrique hoc fuit commune quod eſſet *dux viæ. Columna nubis inſuper ab æſtu & cæli injuria populum defendit*, Pſalm. 105. *Columna ignis illuſtravit noctis tenebras.*

15. *Rupes*] Pluraliter. Reſpicit enim ad duas hiſtorias. Primò enim Moſes percuſſit rupem Horeb cum populus caſtra haberet in Raphidim. 2. in Cades. Num. 20. E prima percuſſione manavit fluvius exundans ad quatuor miliaria, tot enim diſtabat locus Raphidim ab Horeb. Ex ſecundà puteus perennis. Ebræi aſſerunt fluvium illum progreſſum ex percuſſione prima, comitatum eſſe Judæos quocunque proficiſcerentur uſque ad mortem Mariæ. Num. 20. Tunc enim ajunt defeciſſe illas aquas. Vide Genebr. Quod probabile, 1. Quia non leguntur murmuraſſe ob defectum aquæ inter has duas percuſſiones. Habuêre itaque aquas. At unde niſi ex hoc comitante fluvio? Deſertum certe non habet puteos, fontes, fluvios, unde poſtea vocatur צִיָּה. Hinc Ebræi dicunt fuiſſe miraculum permanens פֶּלֶא קַיָּם qualia quatuor numerant, Man, Columna Ignis, Columna Nubis, Petra. 2. Videtur hoc aſſeri 1 Cor. 10. *Bibebant omnes eundem potum ſpiritualem, bibebant enim ex ſpirituali* ἀκολουθούσης Πέτρας. Vocatur autem Petra ſpiritualis, ut Manna eſca ſpiritualis, quatenus habebat rationem ſacramenti. Vide & Pſ. 105. 41. *Aperuit rupem & effluxerunt aquæ & ambularunt per deſertum ut fluvius.*

In abyſſis] i. e. Ex abyſſis, i. e. copioſo aquæ fluxu. *In* pro *ex*, Gen. 44. 5. *Nonne hic eſt Scyphus in quo bibit Dominus meus?* Am. 6. *Qui bibunt vinum in phialis.*

16. בַּצִּיָּה] *In ſicca, ſiticuloſa*, ſub. terra. Acutè Aben. Dicit בציה q. d. in loco ubi maxime indigebant Deo.

18. *Cibum*] i. e. Carnes.

לְנַפְשָׁם] *Pro libitu, deſiderio ſuo*, Trem. *pro deſiderio animi ſui*, Sub. תַּאֲוַת Pſal. 27. 12. *Ne tradas me libidini* לְנֶפֶשׁ *hoſtium meorum.* Sic Deut. 21. *Dimittes eam* לְנַפְשָׁהּ. 1. Reg. 19. *Ibat* אֶל־נַפְשׁוֹ *quo volebat.* Prov. 23. 2. *Si vir* נֶפֶשׁ *es.* Eſ. 56. 11. *Canes robuſti animâ, neſcientes ſatiari.* Non ſubmittebant itaque ſe curæ & providentiæ divinæ, licet tot beneficia jam experti. Concurrentè ita ingratitudine cum turpi oblivione. Chilonis eſt apud Laërt. *Beneficia accepta meminiſſe ſemper, collata mox obliviſci debemus.* Illi contra. Obliviſcuntur beneficia & juxta voluntatem ſuam omnia cupiunt ſibi adminiſtrari. Habebant jam panem Angelicum Mannam. Faſtidiunt eam & concupiſcunt carnes, Num. 11. Quo fine? Ut curent cuticulam, hoc eſt, ut victimam pinguiorem offerant Diabolo & vermibus. Diabolo; non enim poteſt quis in voluptuaria vita Deo ſervire: Vermibus, *Qui enim multiplicat carnem, multiplicat vermem*, dixit R. Hillel.

Pro voluntate ſua] Contra docet nos Rabbi Juda Rabbenu hakkados. *Fac voluntatem Dei ut voluntatem tuam* &c. Cujus & hoc eſt, *Iſta tria ſemper cogita, & non peccabis, ſupra te eſſe oculum videntem* &c. Vide Apoph. Druſii p. 16.

20. *Ecce percuſſit [quidem]* &c. [*ſed*] *an etiam* &c.] Antitheſis diverſorum. Atque ſic inducit Iſraëlitas loquentes.

LXX. Ἐπάταξε πέτραν, καὶ ἐῤῥύησαν ὕδατα, καὶ χείμαῤῥοι κατεκλύσθησαν. μὴ καὶ ἄρτον δύνησεται δοῦναι, καὶ ἑτοιμάσαι τράπεζαν (Ebr. σαρκὰ) τῷ λαῷ αὐτοῦ.

21. Διὰ τοῦτο ἤκουσε Κύριος καὶ ἀνεβάλετο, & diſtulit, καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν Ιακὼβ, καὶ ὀργὴ ἀνέβη ἐπὶ τὸν Ἰσραήλ.

Panem] i. e. Carnem. Cur non Man? Licet quædam in hoc Pſalm. ſint poſita per hyſteron proton, tamen hic neceſſario intelligenda Caro, reſpiciturque ad Num. 11. Dicit enim, *Ecce percuſſit petram & fluxerunt aquæ, an poſſet* &c. Si jam percuſſa erat Petra, ergo jam habebant Manna. *Mannam enim pluit Deus*, Exod. 16. *Rupes percutitur*, Ex. 17. Obſervetur itaque לחם *panem* dici de *omni cibo*, ut de *melle*, 1 Sam. 14. De *lacte caprarum*, Prov. 27. 27. De *pomis, fructibus*, Jirm. 11. *Perdamus arborem* בְּלַחְמוֹ De *frumento*, Gen. 41. *In Ægypto erat* לֶחֶם

לֶחֶם Sunt tamen qui putant לחם ſubinde ſignificare *carnem* extra Synecdochen. Certe autor Synonymorum Ebr. ponit ejus peculiarem hanc ſignificationem, adducitque loca quædam ex Lev. quæ etiam Aben. affert Lev. 3. 11. *Et incendet illud ſacerdos ſuper altari* לֶחֶם אִשֶּׁה *carnem igniti Domino.* Sic Num. 28. Sic Lev. 22. *De carne patris ſui comedet*, Ebr. מלחם, Job. 6. 7. כִּדְוֵי לַחְמִי *quaſi debilitates carnis meæ.* Sic ſemper apud Arabes לחמון *Caro.* Gen. 2. לַחֲמוּן כַּן לַחְמוֹ Pſ. 27. *Ut comedant* לחמי.

21. *Ideo audivit*] Verba deſ. ex Num. 11. 1.

22. LXX. Ὅτι ὐκ ἐπίςευσαν ἐν τῷ Θεῷ, ὐδὲ ἤλπισαν ἐπὶ τὸ σωτήριον αὐτῦ.

23. Καὶ ἐνετείλατο ταῖς νεφέλαις ὑπεράνωθεν, καὶ ἀνέῳξε.

Crediderunt in Deum] Phraſis Ebr. Latini dicunt *Credere Deo.* Gen. 15. *Credidit Abr.* ביהוה. Rom. 4. τῷ θεῷ. Sic Ex. 14. *Crediderunt in Deum & in Moſen ſervum ejus.* 1 Sam. 27. *Et Achis credidit in David.* 2 Par. 20. *Credite in Prophetas & ſalvabimini.* Ecce & de Deo & de hominibus promiſcuè uſurpatur hæc phraſis. Sic docent Druſ. & Beza Math. 27. & Philip. 1. 29. Idem docet Coppenius ad Pſalm. 106. 12. Sic ergo *Credere in Deum* vel *credere Deo* dupliciter accipitur; vel *fiduciam collocare in aliquo*, hoc ſenſu Abraham & omnes credentes crediderunt Deo: vel *fidem habere*, *credere vera eſſe quæ aliquis dicit*, & ſic ipſi Diaboli credunt Deo.

Idem docet Bucerus in Comm. ad Epheſ. *Quod Script. ſuo idiotiſmo, dicit Credere in aliquem, hoc nos dicimus, Credere alicui*, adducitque locum ex Exod. 19. *Ecce ego dicit Dominus venio ad te in columna nubis, ut audiat populus verba mea ad te, & credant in te perpetuò.*

Credere ב εἰς, Phil. 1. ἐν, Marc. 1. ἐπὶ, Rom. 4. 5. & 24. cum Accuſat. At Rom. 9. 33. cum Dat. Marc. 1. 15. *Credite in Euangelium*, alibi *Euangelio.* Jun. Gen. 15. vertit *Jehovæ.* Rom. 4. Ἐπίςευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ. Paulo poſt ἐπὶ τὸν δικαιῦντα πιςεύοντι. Pſ. 106. 12. Cred. בִּדְבָר verſ. 24. לִדְ׳ Jirm. 12. 6. *Ne credito* בָּם, Jun. *iis.* Mich. 7. 5.

Credere Deo & *in Deum*, Synon. Confer. Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. Pſ. 106. 12. & 24. Hinc Junius utramque Φράσιν eodem modo ſemper vertit, cum Dat. videlicet; altera enim, non eſt Latina.

Utraque Phr. in S. L. dupliciter accipitur. Aliq. ut *fiduciam* ſignificet, & per conſeq. *fidem ſalvificam.* Rom. 4. 3.

Aliq. *Hiſtoricam tantum fidem*, 2 Chr. 20. 20. Joh. 2. 23. & 12. 42. Confer amplius Ex. 14. 1 Sam. 27.

23. *Et præcepit*] i. e. Præcepit tamen.

שְׁחָקִים] Non *nubibus.* Repugnat enim Etymon & loco in quibus à nubibus diſting. ut Pſ. 18. 12. עָבֵי שְׁחָקִים. Ergo, *cælo*, i. e. aëri. Sic Math. 6. *aves cæli.* Lucr. *Cælum qui dicitur aër.* Lat. *Sudum cælum* &c.

Januas cæli] Meth. à Granariis.

24. *Man.*] Etymon ejus licet in textu expreſſum, controverſum tamen. Locus Exod. 16. 15. ſic habet. *Quumque elevaſſet ſe ros, ecce in ſuperficie ipſius deſerti tenuè quiddam erat & rotundum, tenuè ſicut pruina ſuper terram. Quod videntes Filii Iſraël dixerunt alter alteri* מָן הוּא כִּי לֹא יָדְעוּ מַה הוּא *quia neſciebant quid eſſet.*

Prima opinio eſt R. Salom. מָן הוּא *paratus eſt*, ſc. cibus, *præparatus eſt à ſemet ipſo, non indiget aliâ præparatione.* Idque quia מָנָה ſign. *præparare*, ut Jonæ 1. וַיְמַן *& præparavit Deus piſcem.* Hanc interp. ſequi videtur author Sap. 16. 20. ἕτοιμον ἄρτον ἔπεμψας αὐτοῖς ἀπ' ὐρανῦ ἀκοπιάτως, *paratum panem miſiſti iis ex cælo ſine labore.* Vocarunt ita generali voce, quia neſc. &c.

II. Eſt R. D. Kimchii qui deducit à מָנָה, *donum, portio*, q. d. Donum Dei eſt; quia neſc. nomen ejus.

Neutra duarum convenit textui. Si enim ſciebant eſſe munus Dei; aut cibum præparatum, utique ſciebant *quid* eſſet. Sed Reſp. poteſt, ſciebant quid eſſet in genere, ſed non quid eſſet in ſpecie.

III. Eſt antiquiſſ. LXX. Vulg. Joſephi, Theod. Hier. Optime conveniens cum ipſo textû, ut מָן ſignif. *Quid.* Sic enim LXX. Καὶ εἶπαν ἕτερος ἑτέρῳ τι ἐςὶ τῦτο; ὐ γὰρ ἔιδεσαν τί ἦν. Vulg. *Et dicebat alter alteri, Manhu*, id eſt, *quid eſt.* Joſeph. 3. 11. Καλῦσι δὲ ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τῦτο Μάννα, τὸ γὰρ μὰν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τῦτ' ἐςιν ἀνακρίνυσα. Sic & Theodoret. in Quæſt. Διὰ τί Μάννα ἐκλήθη; Reſp. εὐθὺς αὐτὸ θεασάμενοι ἀλλήλυς ἠρώτων, τί τῦτο. ἐπίθεσαν ὖν αὐτῷ προσηγορίαν, τί τῦτο, τῦτο γὰρ ἑρμηνεύει τὸ Μάννα. ὐ γὰρ ᾔδεσαν τί ἦν; ἐγένετο τοίνυν ἡ ἐρώτησις ὄνομα.

Hæc opinio à recentioribus rejicitur. I. Quia מָן in ling. Chald. non ſignif. *quid*, ſed *quis*, quod tamen falſum demonſtravit Druſ. in Comm. ad voces Ebr. N. T. adductis quampl. locis ex Tharg.

II Hoc poſito מָן interr. de re, non putandum eſſe ajunt Ebr. Chaldaïce locutos.

Sed nec hoc aſſerere opus eſt. Obſervavit enim primo *Hiſcuni* מָן in lingua Æg. ſign. *quid.* Jam non mirum Ebræos qui tot annos in Ægypto triverant uſos particula ejus linguæ. 2. Dici poteſt pro מַה הוּא Euphoniæ gr. dictum מָן הוּא. Nun Epenthet. non eſt inſolens in Ebr. ante literam ה, אֲבָרְכֶנְהוּ, לְבָרְכֶנְהוּ. Lud. de Dieu dicit Syris מָנָא eſſe *quid*, unde מָן Hoc fefellit Sulpicium.

QUID FUERIT? CUJUS FORMÆ ET COLORIS?

Dicit textus fuiſſe *rotundum* (figura) & *minutum* (quantitas) ſicut *pruina* (color) ſuper terram. Et verſ. 31. dicitur fuiſſe *tanquam ſemen Coriandri*, *album*, quod benè intelligendum. Non enim לבן jungi debet cum זֶרַע; nam ſemina Coriandri ſunt nigra. Sed accentus obſervandus eſt poſt גַּד, ut duo dicat, & innuat, primò figuram ejus, deinde colorem, ideò locus hic explic. Num. 11. 7. *Man erat ſicut ſemen Coriandri, & color ejus ſicut color Idellii.* Dicunt autem Ebr. ברלח eſſe *Margaritam* vel *gemmam albam*,

GUSTUS ET SAPOR EJUS.

Ait textus Ex. 16. 31. fuiſſe *guſtum ejus ſicut placentæ melitæ*, cum ſcilicet ita comedebatur ut deſcendebat. Aliàs cum contunderent in mortario, aut molerent, coquerentque in ollas, habebat ſaporem ſucci pinguis & præſtantiſſimi ex oleo. Sic leg. Num. 11. Ebræi aſſerunt, coctam habuiſſe eum ſaporem quem quilibet intendebat. Firmatur ſententia ea authoritate libri Sap. 16. 20. *Subſtantia enim tua patefaciebat tuam erga liberos ſuavitatem, quum occurrentis cujuſque ſubſerviens deſiderio temperabatur ſecundum id quod volebat quiſque.* Fidem tribuiſſe videtur Junius Ex. 16. 32. *Eratque ejus ſapor* &c. ſic enim notat, *crudi ſcilicet. Aliàs enim vide Sap.* 16. &c. At ſententia hæc inepta. Et ipſi Ebræi hic ſe non expediunt. Sunt qui quinque ſpecies excipiunt, quarum mentio Num. 11. 5. In murmuratione illa, *Recordamur cucumerum, peponum, alliorum, ceparum & porrorum.* Excipiunt; quia ſi habuiſſet Manna ſaporem iſtarum 5. ſpecierum, cur deſideraſſent illos cibos? Sic illi. At rogandi cur tunc piſces etiam non excipiant, nam in eodem verſu fit mentio piſcium. Cur non & carnes? Nam hic deſiderant carnes. Miror ergo Lyram ſic ſcribentem, *Sapiebant piſces quando volebant edere piſces: Carnes, quando* &c. Author Phelicthæ, nullam ſpeciem excipit, dicit tamen eos certas ſpecies concupiviſſe, quia dum non videbant eas ſpecies oculis ſuis, reputabant ſaporem ceu nihil. Sed hæc ægrotorum ſomnia ſunt.

PROPRIETATES ALIÆ ALIQUOT.

I. Deſcendebat inter duos rores, quos Sulp. vocat *ſiliquas.* Cum ſuperior ros aſcendebat oriente ſole, tunc apparebat Man.

II. Incaleſcente ſole liqueſcebat.

III. Servatum in diem poſterum fœtebat. Ideo quiſque colligebat in unum diem, Gomer pro ſingulis animabus, ne robuſtiores obeſſent infirmioribus. At pridie Sabbathi duplam menſuram colligebant, & tunc in ſequentem diem durabat, non enim cadebat die Sabbathi.

IV. Juſſit Deus urnam continentem Gomer Mannæ reſervari juxta Arcam in perp. memoriam, de qua Ebr. 9. ubi vocatur *urna aurea.*

Hodie extat in officina *gummi* quod *Manna* vocant. Eſt autem ros Syriacus, *Maſtichæ* ſimilis, Græcis ἀερμελι. Illud

I. Decidit tantum in Aprili & Martio.

II. Ad ſolem non liqueſcit.

III. Noctu non putreſcit.

IV. Non eſt durum ut piſtillo contundi oporteat.

V. Poſitum ſuper linguam liqueſcit.

VI. Non ſaturat nec gignit bonum ſanguinem.

27. Καὶ ἔβρεξεν ὡς χνῦν σάρκας ἐπ' αὐτὺς, καὶ ὡσεὶ ἄμμον θαλασσῶν πετεινὰ πτερωτά.

28. Καὶ ἐπέπεσον ἐν μέσῳ τῆς παρεμβολῆς αὐτῶν, κύκλῳ τῶν σκηνωμάτων αὐτῶν.

29. Καὶ ἔφαγοσαν καὶ ἐνεπλήσθησαν σφόδρα, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν αὐτῶν ἤνεγκεν αὐτοῖς.

28. נְפִלִים] *Apoſtatæ*, à נפל *cecidit*, *deſcivit*, Job. 12. 3. *Ecce ego non cadam à vobis.* 2 Reg. 7. *Cademus ad caſtra Syrorum.* Fuiſſe homines inuſitatæ magnitudinis conſtat ex loco Num. 13. Ibi *vidimus Nepilim & fuimus in oculis noſtris locuſtæ.*

Sexcentorum millium peditum erat populus.

31. *Elohim* אלהי] Græc. ἡ ὀργὴ θεῦ ἀνέβη ἐπ' αὐτὺς, καὶ ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πίοσιν (Vulg. πλείοσι, Aq. ——— λιπαροῖς) αὐτῶν, καὶ τὺς ἐκλεκτὺς τῦ Ἰσραὴλ συνεπόδισεν.

32. Ἐν πᾶσι τύτοις ἥμαρτον ἔτι, καὶ ὐκ ἐπίςευσαν τοῖς θαυμασίοις αὐτῦ.

33. *Καὶ ἐξέλιπον ἐν ματαιότητι αἱ ἡμέραι αὐτῶν, καὶ τὰ ἔτη αὐτῶν μετὰ σπουδῆς.*

חָטָא] *Aberrare*, Jud. 20. Unde חֹטֵא *erro*, 1 Reg. 1. Conſtr. Lev. 4. cum מ, *Anima ſi* תֶחֱטָא מִכָּל מִצְוֹת יְיָ

הבל ſign. *halitum oris hyemalem*, Pſ. 144. *homo ſimilis eſt* להבל, Jacob. 4. 14. *Quid eſt vita veſtra? ἀτμὶς eſt* &c. Pſ. 96. 9. *Conſumimus dies noſtros ſicut* הֶגֶא Tharg. הבל פומא דכתוא.

יְמֵי] Hucuſque ſunt mille 263. verſus.

41. הִתְווּ] Vulg. *exacerbarunt*, LXX. *παρώξυναν*, Jun. *circumſcripſerunt*, Hiſp. *limitaverunt*, Codices quidam Belg. *ſtelden den H. in Iſrael den mate.* At Luth. & Hack. *Meyſterden.* Senſus, ſuæ incredulitatis & perverſæ voluntatis cancellis Dei potentiam circumſcribebant. Tantum ſibi arrogarunt, ut infinitam Dei potentiam ſuo arbitratu definirent, & quaſi terminos ei darent, modo hæc ab illo præſtanda eſſe aſſirmantes, modo negantes illa præſtari poſſe. תָּוָה *ſignare*, *delineare*, 1 Sam. 21. 13. *Et mutavit geſtum ſuum & finxit ſe inſanum in manibus ipſorum* וַיְתָו *& ſignabat valvas portæ & dimittebat ſalivam in barbam ſuam.* Ubi Luth. *Ende ſtiet ſich aen de deure*, Vulg. *& impingebat in oſtia portæ.* Hiphil הִתְוָה *ſignare & circumſcribere*, *determinare*, Ezech. 9. 4. *Et ſignabis* תָו *ſuper frontes*, Jun. *& inſignito frontes.* In Decret. p. 1. diſt. 14. hinc & ex Exod. 2. *Arceſſitur origo ſigni crucis.* Genebr. vertit *crucifixerunt.* תָו enim etiam *crux*. Inepte.

Plaga 1. דָּם, 2. צְפַרְדֵּעַ, 3. כִּנִּים, 4. עָרוֹב, 5. דֶּבֶר, 6. שְׁחִין, 7. בָּרָד, 8. אַרְבֶּה, 9. חֹשֶׁךְ, 10. בְּכוֹרוֹת

43. XIV. Narrationis particula de plagis Ægypti ex quibus omittit tres, pediculos, tenebras & ulcera. Fuerunt alias decem דְּצַ״ךְ עֲדַ״שׁ בְּאַחַ״ב *laſificavit te lens in Achab.* Vide Genebr.

44. *Rivos*] Nilum innuit qui in multos Rivos diſpeſcitur. Et Strabo lib. 14. *Ægyptus foſſis Nili rivos excipientibus intercepta eſt.* Vel ad auxeſin ut בְּהֵמוֹת Vel ſimplici Enall. Gen. 4. 6. *Filii Dan Huſim.* Quin & per 7. oſtia ſeſe in Mare Mediterraneum effundit.

Spartianus ait Nili tantam eſſe dulcedinem ut accolæ vina non quærant. Et Peſcennius militibus vinum quærentibus reſpondiſſe fertur, *Nilum habetis & vinum quæritis?*

עָרֹב] *Mixtura.* LXX. *κοινομυῖαν*, corrup. *κυνομυῖαν*, Aquila *παμμυῖαν*, q. d. *colluvies inſectorum noxiorum*, R. D. אכפכפי החיות כמיני הלבה. Alii *ſerpentes*, *ſcorpiones.* Etiam intelligunt R. Sal. כלמיני חיות ונחשים ועקר בים. Alii etiam *leones*, *lupos*, *pardos* &c. intelligunt, unde Joſeph. *θηρία παντοῖα καὶ πολύτροπα.*

בַּחֲנָמַל] Jun. (*Igni*) qui ubique inſidens conſumebat; à חנה & מָל. Alii, *lapides magni grandinis*, ut Aben. qui exiccat humores, vel qui ignem interceptum habet; alii *locuſtam* putant; alii *frigus* vel *pruina.* Sic Vulg. *ἐν τῇ πάχνῃ.*

48. רשפים] *Prunis.* Exod. 9. *Dedit Dominus tonitrua & grandinem, & ignis diſcurrebat ſuper terram.* Et paulo poſt, *Et fuit grando & ignis flammam ejaculans.* Ipſa grandine, nec tantum jumenta ſed & homines qui in agro abſumpſit.

50. Iter profundendæ iræ ſuæ ſuper Ægyptios quaſi ad libram perpendit, injuſtam illorum contumaciam juſtis judiciis conpenſans.

51. *Omnem primogenitum*] Non tantum primò natum, ſed & eum qui primogenito mortuo ſucceſſerat. Sic enim aliq. ſumitur pro *ſeniori* vel *natu maximo*, Gen. 43. *Et ſedebat quiſque primogenitus juxta primogenituram ſuam.* Sic Gen. 19. *Et dixit* הַבְּכִירָה *ad minorem*, i. *πρεσβυτέρα εἰς νεωτέραν.* Primogenitus non tam poſt quem alii, quam ante quem nullus natus eſt. Contra Helvid. Vel *Primogenitus* pro *Domino*, & *Præcipuo in familia.* Sic enim eſt Exod. 12. 29. *Neque enim ulla domus erat in qua non erat mortuus.* Et tamen credendum multas familias fuiſſe *ἀτέκνους.* Nec Lyræ credendum aſſerenti, Deo ordinante ſic factum eſſe ut in omnibus domibus eſſet primogenitus. Locus Exod. 11. 7. *Primogenitus* pro *Domino* & *Præcipuo*, quia primogenitus erat q. Dominus & Princeps inter fratres. Corn. à Lapide p. 406. vide. Sic Coloſ. 1. 15. Chriſtus vocatur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, i. e. *Dominus*, *hæres.* Etiam in aliis, ut Job. 18. *Devoravit membra ejus primogenitus mortis*, i. e. eximia aliqua & gravitate præcellens mors, vel Angelus Dominus mortis. Sic Eſ. 14. *Primogeniti pauperum paſcentur*, i. e. maximè pauperes.

55. *In funiculum hæreditatis*] Hypall. pro *hæreditatem funiculi.* Hæreditates enim funiculis & baculis menſoriis dividebant. Hic tamen intelligi nequeunt corporati & materiales funicati ob nimiam terræ amplitudinem, ſed Mathematici & Imaginarii, quales Geographi animo complectuntur & per parallelos aliaſque lineas deſignant.

Gentes] Hitthæam, Girgaſ. Emoræam, Cenan. Periz. Huivæ. Jebuſæam.

56. *Attamen tentarunt*] Nova narrat. particula, de Idolol. Jud. in terra Canaam tempore Judicum ut liquet ex verſu 59. & ſeqq. ubi narratur Deum eos puniviſſe per Philiſth. tempore Eli.

57. *Converſi ſunt*] Mutati ſunt inſtar arcus pravi & fallacis qui minatur ſagittam nec tamen projicit, vel qui ſcopum non petit vel aliò tendit quam intendit Sagittarius.

58. *In excelſis ſuis*] More Gentium lucos & excelſa deſtinabant cultui Idolorum. Credebant enim hujuſmodi loca Deo gratiora eſſe, Virg. 1. Æn.

—— Lucus in urbe fuit media &c.
Hic templum Junoni ingens ſidonia Dido
Condebat.

Et quia in edito erat addit,

Ærea cui gradibus ſurgebant limina.

Et de monte in quo fuit Capitolium idem Virg.

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſum vertice collem
(Quis Deus incertum eſt) habitat Deus. Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem.

Unde paſſim in Script. Excelſorum erectorum ab Idololatris ſubverſorum à Regibus piis, toleratorum à Regibus non omnino malis fit mentio. Hoſ. 4. 24. *Super Capita montium ſacrificant & ſuper colles adolent.* Jezech. 6. *Per totum caput minatur Deus ſe ſubverſurum colles, excelſa, lucos* חַמָּנִים

Ita itaque מִזְבֵּחַ & במות diſtinguunt Ebræi, ut hæc fuerint Idol. illa veri Dei. Sciendum tamen licuiſſe Iſraëlitis poſt deſtructam Silo cum Arca oberraret uſque ad ædif. Templi in excelſis vero Deo ſacrificare. Ecce enim 1 Reg. 3. 2. *Et populus immolabat in excelſis, quia non erat adhuc nomini Domini facta Domus uſque ad dies illos.*

A בָּמָה Græcum *βωμος*, *ara.*

Jeſ. 53. extat בְּמֹתָיו, *Poſuit cum improbis ſepulcrum ejus & cum divite* בְּמֹתָיו *excelſa ejus.* Sic Druſius. Vide ad loca Diff. Levit.

פסל *Sculptile*] Græcè *εἴδωλον* ſæpe verſum. Sic Idolum Jud. 17. vocatur פסל & מסכה. Notandumque quod expreſſe dicat Mater, *Sanctificavi illos nummos Domino.* Unde ſequitur repræſentaſſe Deum verum. Contra quam Bellarm. contendit. Ille enim vult *Idolum ſignificare imaginem rei veræ, ſed ſimulacris Gentilium qui Deos falſos colebant.* Obſtat ei locus Exod. 32. ubi Vitulus repræſentavit Deum verum. *Indicit enim Aaron feſtum DOMINO cras. Et*, paulo poſt, *hi ſunt Elohecha qui eduxerunt* &c. i. ut Neh. 9. 18. extat, *Hic eſt* אֱלֹהֶיךָ *qui* הֶעֶלְךָ *te ex Ægypto.* At hic Vitulus vocatur Idolum Act. 7. 42. *Vitulum fecerunt per illos dies & obtulerunt ſacrificium Idolo.*

62. *Et deſeruit*] 1 Sam. 4. narratur cæſis primò 4000. deinde 3000. millibus Iſraëlitarum, Arcam fœderis à Philiſthæis captam, deſtructamque Silo, ubi 389. manſerat, ex quo ſc. Iſraëlitæ terram Sanctam introierant.

Captivitatem] Ea vox captivos & captivorum multitudinem ſignificat. Pſ. 68. Eph. 4. 8.

63. *Ignis*] Ignis iræ divinæ, gladius Philiſthæorum.

בתולה] Nomen *ſtatus* tantum. נַעֲרָה *ætatis* עַלְמָה & *ætatis & ſtatus.* Sic P. Galatinus. Sed de עַלְמָה obſtat locus Prov. 30. ubi Merc. & Junius fatentur non *virginem* ſignificari, ſed *corruptam*, quæ tamen pro *virgine* ſe jactitat. De בתולה etiam dubitare facit locus Joël. 1. 8. *Ejula ut virgo accincta ſacco ob maritum* בעל *adoleſcentiæ ſuæ.* Sed non obſtat. *Maritus* enim ſæpe ponitur pro *Sponſo*, ut *Uxor* pro *Sponſa.* Matth. 2. *Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.* Deut. 22. *Si quis in agro compreſſerit puellam deſponſatam viro morte morietur, quia compreſſit uxorem proximi ſui.* Sic Ex. 4. *Sponſus ſanguinum* &c.

Laudatæ] Carminibus Epithalamiis, ex conſequenti antecedens, i. e. non elocatæ ſunt, quod maximo probro habitum fuit apud Iſraëlitas. Status enim ille *opprobrium* vocatur Jeſ. 4. 1. *Aufer* אֱסֹף חֶרְפָּתֵנוּ. Morem huc innui putat Junius Jirm. 7. 4. & 16. 9. *Ceſſare faciam vocem gaudii & lætitiæ, vocem Sponſi & Sponſæ.*

Vulg. *Non ſunt lamentatæ*, paſſivè, LXX. *οὐκ ἐπενθήτεσαν.* Tunc à יָלַל eſſet. At melius Aq. *οὐχ ὑμνήθησαν.* Th. & Sym. *οὐκ ἐθρηνήθησαν.* Sic etiam V. Editio. At VI. ut LXX.

Alii, *Non ſunt funebribus laudationibus affectæ.* At ego morem iſtum non tam alte arceſſerim.

64. *Sacerdotes ejus*] Hophni & Phineas, de quorum nequitia multa cap. 2. Samuëlis, vocanturque ibi אַנְשֵׁי בְלִיַּעַל, *λοιμοὶ*, *παράνομοι*, vel *ἀχρεῖοι*, *nequam*, vel *ἄνομοι*, *ſine lege* שפרקו עול שָׁמַיִם Obſervetur obiter Jud. 19. Interp. vulgatum interpretatum eſſe *ſinu jugo*, quod tamen negat Fagius Deut. 13. 2 Sam. 8. *Filii D. erant* כֹּהֲנִים pro quo, 1 Chron. 8. *Et filii David erant primi ad manum Regis.*

Non flebant] Eos, nimio terrore affectæ, ſuum ipſarum caſum deflebant, 1 Sam. 5. vel quod ſtatim ob gravitatem mœroris extinctæ fuerint.

66. אחור] Tria ſignif. 1. *finem*, Prov. 29. *Omnem ſpiritum (iram) ſuum educit ſtultus, at ſapiens* באחור *in fine tandem compeſcet eam.* 2. *Occidentem*, ut קדם *Orientem*, Job. 23. Eſ. 9. *Syria* מקדם*: & Philiſtim* מאחור. 3. *Poſteriorem partem hominis*.

69. יסודה] Omne rei initium vocat ur יסוד Ebræis. Ezr. 7. 9. *In primo menſis primi qui eſt* יסוד *aſcenſionis ex Babel*, id eſt, initium. יסוד Rabb. *radix*, *thema*, etiam *elementum*; unde dicunt quatuor eſſe *Jeſodoth* אר״בע, quas vocant *matres mundi*, עפר ,מים ,רוח ,אש.

GROTIUS.

49. I*Mmiſſiones per Angelos malos*] Per Angelum percuſſorem, Exodi 12. 23. Uni Angelo plures adfuiſſe velut apparitores ſuprà diximus. Alii intelligunt *prænuntios malorum*, Moſem & Aaronem, μάντεις κακῶν [*vates malorum*.]

PRICÆUS.

1. P*Olluerunt Templum ſanctum tuum*] Vide 2. Maccab. 6. 4.

2. *Poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ*] Goliath 1 Reg. 17. 44 *Dabo carnes tuas volatilibus cœli, & beſtiis terræ. Morticina*, Græcis hoc loco θνησιμαῖα. Hinc fortè corrigendum in Gloſſario illud, *Morticina*, θανάσιμα, ubi non ſolùm θνησιμαῖα legendum videtur, ſed & locus mutilus ità reſtituendus, inſerendo *Mortifera*, θανάσιμα.

6. *Effunde iram tuam ſuper Gentes*] Sir. 36. 2. Ἐπίβαλε τὸν φόβον σου ἐπὶ τὰ ἔθνη· cum ſequentibus 3, 4, 5.

Ibid. *In Gentes quæ te non noverunt*] Ità Paulus 1 Theſſ. 4. 5. τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν.

12. *Septuplum in ſinu eorum*] Largè, ut Sirach. 35. 13. & alibi: quod ſuprà 30. 24. *abundanter retribuere.*

IDEM.

1. V*Enerunt Gentes in hæreditatem tuam*] *Venerunt*, id eſt, irruerunt.

Ibid. *Polluerunt Templum ſanctum tuum*] *Conculcaverunt* (ut Eſai. 63. 18.) *ſanctificationem tuam. Sancta* (ut 1 Maccab. 2. 8.) *in manu extraneorum facta ſunt*: & ibid. 12. *Claritas noſtra delata eſt, coinquinaverunt eam Gentes.*

Ibid. *Poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam*] LXX. εἰς ὀπωροφυλάκιον. Heſychius, Ὀπωροφυλάκιον, ἡ σκηνή, ἡ καλύβη τοῦ φυλάσσοντος ſubaudi, τὰς ὀπώρας. In Gloſſis, Ὀπωροφύλαξ, *pomorum cuſtos*. Simile Apoc. 18. 2. de Roma deſolata, *Facta eſt*, &c. *cuſtodia omnis ſpiritûs immundi, & cuſtodia omnis volucris odibilis.* Senſus eſt, civitatem operibus publicis privatiſque adeò conſpicuam in ſtatum viliſſimi tugurioli reduxerunt.

3. *Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jeruſalem*]

> *Plurima perque vias ſternuntur corpora paſſim*
> *Mortua, perque domos, & religioſa tuorum*
> *Limina.*

Trucidati (ut 1 Macc. 2. 9.) *ſunt ſenes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Facta ſunt* (ut Eſai. 5. 25.) *morticina eorum quaſi ſtercus in medio platearum. Tanquam aquam*, quaſi rem præ maxima ubique copia contemptiſſimam. Suprà 21. 15. *ſicut aqua effuſus ſum.*

Ibid. *Et non erat qui ſepeliret*] Locutio magnam ſtragem notans. Jerem. 14. 16. *Erunt projecti*, &c. *præ fame & gladio, & non erit qui ſepeliat eos.* Ejuſdem 9. 22. *Super faciem regionis, quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt qui colligat*: i. e. qui ſepeliat. Scriptor Sapient. 18. 12. *Nec enim ad ſepeliendum vivi ſufficiebant.*

5. *Uſquequo, Domine, iraſceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?*] Ità & infrà 88. 47.

6. *Effunde iram tuam in Gentes*] *Oſtende* (ut Tob. 13. 7.) *majeſtatem tuam in gentem peccatricem.* Suprà 68. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam.* Vide & 34. 3. & 58. 6.

10. *Et innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris*] In nationibus accolis.

11. *Poſſide filios mortificatorum*] Morti datorum, de quibus ſuprà com. 3. *Poſſide* hic, *acquire*: ut Jer. 13. 1. *poſſide tibi lumbare lineum.* At hic in Gr. eſt, non κτῆσαι, ſed περιποίησαι q. d. dènuo acquire eos: h. e. vindictâ tuâ fac videantur revixiſſe. Heſychius, Περιποιεῖται, &c. ζωοποιεῖ.

PSALM. LXXIX.

MUNSTERUS.

A Git Pſalmus iſte de deſolatione Jeruſalem, & de profanatione Templi quam fecerunt impuræ gentes ſub Antiocho, aut, ut Hebræi putant, ſub Nebuchadnæzar Rege Chaldæorum in prima devaſtatione.

VATABLUS.

6. I*Nvocant* קראו] Præt. Heb. pro præſ.

8. *Nobis* לנו] i. e. In perniciem noſtram. ¶ *Attenuati ſumus* דלונו] *Miſeri facti ſumus.*

9. *Salutis noſtræ* ישענו] *Salus noſtra*: vel *ſalvator noſter.* ¶ *Et propitiare peccatis noſtris* וכפר על חטאתינו] *Et placatus eſto ſuper peccatis noſtris: Remitte*, vel *condona peccata noſtra.*

10. *Nota fiat* יודע] *Palam fiat*, *divulgetur*, *cognoſcatur.*

11. *Relinque* in, &c. הותר בני תמותה] Ad verb. *remanere fac filios mortis*: i. e. conſerva in vita homines morti deſtinatos, ſive addictos: vel, ſuperſtites redde eos qui morti deſtinati ſunt.

CASTALIO.

12. I*N ſinum ſeptuplo*] Penitus.

CLARIUS.

A Git Pſalmus iſte de deſolatione Hieruſalem, & de profanatione Templi quam fecerunt impuræ gentes ſub Antiocho, aut, ut Hebræi putant, ſub Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum in prima devaſtatione.

6. *Effunde iram*] Evome potiùs iram tuam in impios.

10. *Ultio ſanguinis*] Junge ſic, *Innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris ultio ſanguinis.*

11. *Poſſide*] Reſiduos fac, atque in vita conſerva.

12. *Septuplum*] Hebræorum more *ſeptuplum* poſuit pro *multiplici.*

DRUSIUS.

1. לעיים. A. εἰς λιθόριον] Hier. epiſt. ad Suniam, *In Ebræo* לעיים *ſcriptum habetur, quod Aquila vertit* λιθόριον, *i. Acervum & cumulum lapidum, quibus vineæ & agri purgari ſolent.* Lectio varians, λιθόριον.

7. נוהו. A. ὡραῖον αὐτοῦ. Sym. καλλονὴν αὐτοῦ, *pulcritudinem ejus.* Th. εὐπρέπειαν αὐτοῦ, *decorem ejus.* Theodoretus Antonii Caraffæ, *Hanc autem clauſulam* locum ejus *Aq. quidem* ſpeciem ejus *expoſuit*; *Sym. verò* pulcritudinem ejus, *Th. autem* decorem ejus *interpretati ſunt.*

10. למה יאמרו גוים. οἱ ἄλλοι, εἰς τί λέγει τὰ ἔθνη, *quorſum dicunt gentes*] In Theodoreto additum, *Ubi eſt Deus eorum?* ποῦ ἐςιν ὁ Θεὸς αὐτῶν.

AMAMA.

P Salm. εὐκτικός. Pertinens ad tempora captivitatis Babylonicæ. Rogant in eo Deum 1. Ut puniat hoſtes ſuos Babylonios & Edomæos. 2. Ut liberentur ex captivitate. Alii putant pertinere ad tempora Machabæorum cum Antiochus Epiphanes Templum contaminaret, illato Idolo Jovis Olympii, cum libros Moſis & Prophetarum undequaque conquiſitos cremaret, Juvenes, Senes, Matronas ad abnegationem Judaïſmi ſollicitaret, adigeret, recuſantes interimeret, & in ipſam Sacram urbem Bacchanalia induceret. Fateor omnia optimè quadrare, ſed obſtat quod 1 Mach. 7. 16, & 17. ex hoc Pſalmo citentur verſus 2, & 3. Sicut verba Scripturæ, unde patet diu ante Pſalmum hunc compoſitum.

1. *Gentes*] Strictè ut opponantur Judæis. Intelligit autem Babylonios ſeu Chaldæos. *Goi* ſæpe latè uſurpatur, ut etiam Judæos comprehendat. Joſ. 3. Gen. 17. *Ponam te* לגוי גדל Aliquando ſtrictè, omnes extra Judaïcam, Pſ. 126. *Tunc dicent inter Gentes.* Pſ. 115. *Cur dicent Gentes?* *Vocatione Gentium.* Sic Græcè ἔθνη Rom. 3. 29. *An Judæorum tantum Deus eſt? An non & Gentium. Certe & Gentium.* Act. 13. &c. Et quia inter Gentes præcipua fuit Græcorum, totuſque Oriens fere Græcè loquebatur, accidit ut omnes Gentes hoc ſenſu acceptæ dicantur

 Ἑλλη-

Ἕλληνες. Rom. 1. 16. *Evangelium potentia Dei ad Salutem eſt omni credenti Judæo ſimul & Græco.* Act. 14. 1. *Credidit Judæorum & Græcorum magna multitudo.* Rom. 2. 9. *Afflictio & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi tum etiam Græci. Gloria vero & pax cuivis facienti bonum, tum Judæo tum & Græco.*

Polluerunt] Diripiendo vaſa theſauros ejus ipſumque comburendo. 2 Chron. 36.

לְעִיִּים] *Redegerunt urbem in acervos.* ע eſt חֻרְבָה וּשְׁמָמָה. Chald. לְיְגָרִין unde in Gen. 31. *Jegar Sahadutha.*

יְרוּשָׁלִַם] Jod abeſt, unde Veteres fere omnes *Jeruſalem* legerunt. Quinque locis plenè ſcribitur. Sunt itaque diſtinctæ Syllabæ לַ & ם: non ergo diphthongus.

2. *Dederunt*] Extremæ crudelitatis ſignum.

3. *Sicut aquam*] Quaſi eſſet aqua. Vel in magna copia, ut Job. 15. *Bibere iniquitatem ſicut aquam*, i. e. magnam peccatorum quaſi copiam patrare. *Bibere* pro *occupatum eſſe diu in aliquâ re.* Sic Virg. de Didone,

Longumque bibebat amorem.

Nullus ſepeliens] Homini pio de anima ſua ſollicito facilis jactura Sepulchri eſt. Et Mecænas Maſcule,

Non curo tumulum, ſepelit natura relictos.

Lucanus,

——— *Capit omnia Tellus*

Quæ genuit, cælo tegitur quem non tegit urna.

Petrarcha, *Te niſi Tellus preſſerit, tu illam premes. Te niſi terra contexerit, Cælum teget.* Hæc licet ita ſint, contumelioſa tamen illa abjectio & ex legibus Ethnicorum flagitioſis debita, & Scripturâ ſubinde impiis talia minatur quaſi extraordinariam pœnam. Sic Jirm. 22. de Jojakim, *Sepultura aſini ſepelietur*, i. e. Abjicietur inſepultus ut aſinus. Sic de Jeroboam, 1 Reg. 14. *Jeroboamum mortuum in urbe comedent canes.* 1 Reg. 21. de Izabel, *Canes comedent Jezabelam*; & ibidem de Achab, *Morientem in civitate comedent canes: morientem in agro comedent aves.* Jirm. 14. 16. *Populum projicietur in plateas Jeruſalem, nec erit qui ſepeliet eos, adeò effundam ſuper eos malitiam ipſorum.* Hinc patet quam triſte ſpectaculum fuerit hoc videre in corporibus piorum quibus debebatur honos aliquis, eò quod ea fuerit organis divinarum actionum.

5. *Zelus tuus*] i.e. Ira tua; ut *Zelare iraſci*, de quo alias. Hinc in N. T. Math. 10. Simon ὁ Κανανίτης vel Καννίτης. Qui Luc. 6. 14. vocatur ζηλώτης.

6. *Qui non norunt nomen tuum*] Qui non colunt te. Sic Pſ. 9. *Confidant in te noſcentes nomen tuum.* Sic 1 Sam. 2. 12. *Filii Eli erant viri Belial & non noverant Dominum*, i. e. non colebant DOMINUM. Chald. *timebant. Deum novit qui colit. Hac eſt vita æterna ut te cognoſcant* &c.

Non invocant nomen tuum] Non adorant te, non colunt te. *Adoratio* pro toto cultu divino, 2 Timoth. 2. 19. *Diſcedat ab injuſtitia omnis invocans nomen DOMINI. Qui verè invocârit nomen Domini, ſalvabitur.* In Joel. & Act. 2. קרא *invocare.* Sic Gen. 12. Aliq. *denominare*, ut Jeſ. 48. 1. Sic juxta quoſdam Gen. 4.

9. כַּפֵּר] Metaph. *texit, ſuſtulit, amovit ne videatur.*

De *Facie*, vel *ira*, *placavit*, Gen. 32. אכפרה פניו.

De *Peccato*, *condonavit*, *remiſit.*

De rebus aliis *amovere*, Eſ. 47. *veniet ſuper te* הֹוָה, *tu nequibis* כַּפְּרָהּ.

GROTIUS.

Videtur hic Pſalmus eſſe ejuſdem argumenti cujus LXXIV. Salem ſive Hieroſolyma videtur fuiſſe in diviſione prima populo Iſraëlitico facta, Joſuæ 15. 8. Sionem arcem videntur ſemper tenuiſſe Jebuſæi, 2 Sam. 5. 6, 7. Itaque cùm Philiſthini ceperunt Arcam (quæ hic היכל קדש [*baſilica ſacra*],) nihil mirum ſi & Hieroſolyma, ſive Salemum, urbem tunc exiguam nec bene munitam, ceperint. Cæterùm optimè hunc Pſalmum ſuis temporibus aptare potuerunt homines temporum Nabuchodonoſoris.

2. *Poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam*] Lxx. εἰς ὀπωροφυλάκιον [*in pomarii cuſtodiam.*] Et ſic ſolent vertere עיים, quod alii *acervos* vel *tumulos.* In tumulis autem excubare ſolebant magnorum pomariorum cuſtodes.

PRICÆUS.

5. QUouſque iraſceris ſuper orationem ſervi tui?] Quouſque iraſcens avertes te ab oratione ſervi tui?

6. *In menſura*] Adeò abundanter.

14. *Singularis ferus*] Aprum, de quo proximè, iſtâ aliâ loquendi formâ deſignat. Lxx. heic, μονιὸς ἄγριος. Heſychius, Μονιὸς, ὗς ἄγριος, ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις (lege, ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις ζώοις) συναγελαζόμενος.

16. *Perfice eam*] Id eſt, refice, in integrum reſtitue. De eadem vinea (ſive hæreditate) iſta 67. 10. *Infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.*

IDEM.

3. EXcita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos nos facias] Suprà 34. 2. *Apprehende arma & ſcutum, & exſurge in adjutorium mihi.*

6. *Cibabis nos pane lacrymarum*] Ità, *vita & intellectûs pane cibare*, 15. 3. Sirachidis.

Ibid. *Et potum dabis nobis in lacrymis in menſura*] Id eſt, in lacrymarum menſura. Vide infrà dicta ad 136. 7. ea, *in ſalicibus, in medio eorum*, item in reliquis Annotatis. *In menſura* hîc, & Joh. 3. 34. *ad menſuram*, ſunt mediæ locutiones, ideoque pro ſubjecta materia exponendæ: ibi parſimonia, hic autem plenitudo & abundantia intelligenda.

15. *Reſpice de cælo, vide, & viſita vineam iſtam*]

Parce tuo populo, & propius res aſpice noſtras.

18. *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ*] Confirmetur miſericors tui brachii potentia ſuper hæreditatem quam tua dextera reſtituit exaltavitque. Sic 118. 173. *Fiat manus tua ut ſalvet me*: & ibid. 76. *Fiat miſericordia tua ut conſoletur me.*

PSALM. LXXX.

MUNSTERUS.

1. AFfulge] i. e. Declara præſentiam tuam, ut adſis tuis, opemque illis feras. Et dicit, *Coram Ephrajim, Binjamin & Menaſſe*, quia in profectione Arcæ caſtra Ephrajim, Binjamin & Menaſſe ad Occidentem ſequebantur cum ſuo vexillo Arcam Dei.

3. *Reduc nos*] i. e. Converte corda noſtra ad te, & aſpice nos ſereno vultu, & ſalvi erimus.

5. *Copioſis*] Dicunt Hebræi שליש eſſe כדה הגדולה *menſuram magnam.*

8. *Vitem*] Aſſimilat populum Iſraël Viti tranſplantatæ, &c. Allegoria & ſimilitudo non eſt obſcura.

15. *Locum vineæ*] Eſt כנה idem quod גנה. Sunt enim Caph & Gimel literæ ejuſdem prolationis. Eſt autem גנה *hortus*, capiturque hîc pro vitiario.

16. *Et ipſi ab increpatione*] Senſus eſt, Iſraëlitæ interibunt, eò quòd tu iratus es contra eos, niſi manus tua dextra, quâ hactenus eos defendiſti & liberaſti ex cunctis periculis, ſit ſuper hunc populum tuum, quem tibi quaſi in filium cooptaſti.

VATABLUS.

1. VIctori לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſal. 4. ¶ *Super Soſannim*] Vide Pſal. 45. ¶ *Eduth Aſaph* עדות לאסף] *Teſtimonium Aſaph.* Alii, *Ornamentum Aſaph:* acſi dicat (ut ait quidam Hebræorum) Pſalmum iſtum glorioſum & deſiderabilem fuiſſe ipſi Aſaph. Alii melodiam fuiſſe volunt, & per appoſitionem hîc poni *eduth.* Non deſunt qui vertant, *ſuper Soſannim decoram.* ¶ *O paſtor* רֹעֵה] *Qui paſcis.* ¶ *Splende* הוֹפִיעָה] *Affulge.*

3. *Et ſervabimur* וְנִוָּשֵׁעָה] *Et ſalvi erimus.*

4. *Fumabis in orationem* עשנת בתפלת] Inſtar irati ſcilicet, qui per nares fumum emittere ſolet. q. d. Velut iratus repudiabis orationem, &c. Præt. Heb. pro fut. Quidam vertunt, *iraſcêris precationi.*

5. *Et propinaſti eis lacrymas*, &c. ותשקמו בדמעות שליש] *Et potaſti eos lacrymis amplâ menſurâ:* vel, *copioſiſſimis:* שליש nomen menſuræ eſt, ſic dictæ quòd tertiam partem menſuræ maximæ contineat, quaſi Gallicè dicas, *A grand meſure.*

6. *Poſuiſti*, &c. תשׂמנו מדון לשכנינו] Hebraïſmus, q. d. Effeciſti ut contenderent ſive rixarentur nobiſcum, vel de nobis, vicini noſtri. ¶ *Sibi* למו] i. e. Animi cauſâ. Legi poteſt *ſubſannaverunt eum*, ſub. *Deum*, ut ſit tertia perſona pro ſecunda. q. d. Dixerunt te non poſſe nos eripere & tueri.

7. *Deus exercituum* אלהים צבאות] Repetitio tertii verſus.

8. *Traduxiſti* תסיע] Futura Heb. pro præteritis, *proficiſci feciſti.*

9. *Repurgaſti* פנית] *Evacuaſti, expurgaſti.* Quidam vertit, *Feciſti*

Feciſti ſpatium; quâ ratione, ipſe viderit. ¶ *Et radicari feciſti* ותשרש] *Et produxiſti radices.*

10. *Cedri Dei* ארזי אל] *Cedros Dei* vocat altiſſimas & excelſas cedros.

11. *Miſit* תשלח] Fut. Heb. pro præt.

12. *Macerias ejus* גדריה] *Sepes ejus.* ¶ *Et collegerunt* וארוה] *Et decerpunt eam*, vel, *ex ea.*

15. *Et ſuper plantationem*, &c. ועל בן אמצתה לך] *Et ſuper filium* [i. e. ramum] *quem roboraſti tibi:* i. e. quem in gratiam tuam fortificaſti, ſive fortem reddidiſti; vel, viribus adornaſti.

17. *Super virum dexteræ tuæ* על איש ימינך] Hebraïſmus, pro, *ſuper homines quos virtute tuâ fortes reddidiſti*: h. e. ſuper nos quos tuâ virtute eduxiſti ex Ægypto. ¶ *Roboraſti tibi* אמצת לך] Hebraïſmus, pro, *ſuper homines quos fortes reddidiſti in gratiam tuam & honorem.*

18. *Vivifica* תחינו] Fut. Heb. pro Imperat. ¶ *Et nomen tuum invocabimus* ובשמך נקרא] Ad verb. *& in nomine tuo invocabimus.*

19. *Jehova* יהוה] Tertia verſûs tertii repetitio, quæ facta eſt ad ſignificandum vehementiſſimum ardorem.

CASTALIO.

6. *Tu nos finitimis certamen expoſuiſti*] Certatim illudendos.

11. *Sua ſarmenta ad flumen uſque diſtenderit*] Scilicet Euphratem.

CLARIUS.

Precatur finem malorum, & rogat ut meminerit populi ſui, quem *vineæ* nomine appellat, quam tantâ curâ de Ægypto tranſtulit, & plantavit in Promiſſa terra.

1. *Qui ſedes ſuper Cherubim*] Hoc dicit propter Arcam, quam velabant Cherubim alis ſuis. Petit ergò ut affulgeat, & declarat præſentiam ſuam.

2. *Coram Ephraim*, &c.] Hoc dixit quia in profectione Arcæ caſtra Ephraim, Benjamin & Manaſſe ad Occidentem ſequebantur cum ſuo vexillo Arcam Dei, quæ in Tabernaculo ad Occidentalem partem poſita erat.

3. *Deus converte nos*] Recipe in gratiam nos, vel converte corda noſtra ad te, & placito vultu aſpice nos.

5. *Lacrymis in menſura*] Alius vertit *copioſis*, ut intelligas *menſurâ magnâ.* Hoc loco is Hebraïſmus eſt quem habes Eſa. 40. ubi ait, *Quis menſus eſt menſurâ ternariâ molem terræ?*

9. *Repurgaſti*] Repurgaſti diligenter ruderibus ejectis ſuperficiem ejus.

10. *Rami ejus cedros Dei*] Rami ejus ſimiles facti ſunt ramis cedrorum maximarum, quas idcirco *cedros Dei* per Hebraïſmum appellavit.

11. *Uſque ad mare*] Tangit confinia Terræ promiſſæ, de quibus ſupra eſt dictum.

15. *Propter filium quem*] Si non ipſa mereretur, propter Filium tamen, per quem fortia deſignare conſtituiſti, fac quod in rem vineæ hujus eſſe putabis.

16. *Ab increpatione vultûs tui*] Quòd exuſta ſit vinea hæc igni & vaſtata, auſteritas vultûs tui in cauſa eſt; quæ ſi duraverit, funditus peribunt omnes qui hâc vineâ ſignificantur. Quare manus tua dextera, quâ hactenus eos defendiſti & liberaſti à cunctis periculis, ſit ſuper hunc populum tuum quem tibi quaſi in filium adoptaſti. Verùm dum ait *filium hominis*, indicat ſingularem illum in primis Filium qui & ipſe ſe *Filium hominis* identidem appellabat.

DRUSIUS.

1. כַּצֹּאן יוֹסֵף. A. ὡς ποίμνιον Ἰωσήφ. Sym. ὡς ποίμνια τὸν Ἰωσήφ. Th. ὡσεὶ πρόβατον Ἰωσήφ.

4. בִּתְפִלַּת עַמֶּךָ. A. Sym. Th. *in orationem populi tui.*

5. הֶאֱכַלְתָּם לֶחֶם דִּמְעָה וַתַּשְׁקֵמוֹ בִּדְמָעוֹת שָׁלִישׁ. οἱ ἄλλοι, *Cibaſti nos* [*eos*] *pane lacrymarum, & potum dediſti nobis* [*potaſti eos*] *cum lacrymis menſurâ.*

6. מָדוֹן. Sym. διὰ μάχης.

11. תְּשַׁלַּח קְצִירֶיהָ. A. ἀποστελεῖ θερισμὸν αὐτῆς. Sym. & VI. ed. ἐξέτεινε τὰς χαίτας αὐτῆς. Th. & V. ed. ἐξαπέστειλε τὰ κλήματα αὐτῆς.

13. חֲזִיר מִיָּעַר. Sym. ζῶα ἐρημίας.

AMAMA.

2. De כרובים Opin. 4. 1. fuiſſe imagines puerorum alatorum. 2. formas avium. Hiſcuni. 3. Joſephi fuiſſe animantia alata nulli viſa, ζῶα πετεινὰ μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων εὑραμένων παραπλήσια. 4. Aben. nomen generale ad omnes formas. Ex. 25. 22. *Ubi conveniam tecum, & loquar tecum è ſuperiori parte propitiatorii, è medio duorum Cherubinorum.*

6. *Lachrymæ* &c.] Exod. 22. *Lachryma* pro *muſto & oleo.* Eſ. 25, 11. *Abſterget Deus omnem lachrymam*, i. e. calamitates, mœrorem &c. *Cibas eos pane lachrymarum*, ut Pſ. 42. 3. *Sunt mihi lachrymæ meæ cibus interdiu.* Quod tanta copia ſæpe defluant ut in os influant & deglutiantur; vel *panis lachrymarum* qui cum fletu & lachrymis comeditur,

Flens ego ſum genitus tranſiguntur funera fletu,
Tranſacta innumeris vita fuit lachrymis.

בדמעות] ב pro *ex*, ut Lev. 2. 24. בקדשים *ne comedito.*

Triental] Eſt 3. pars ſextarii habens 4. cyathos communes. Alias tertium à Rege, ut משנה. Secundus 3. Inſtrumentum tribus chordis, 1 Sam. 18. 6. *In Tympanis gaudio &* שלישי׳ Thar. בצלצלים *cymbalis.*

פנה] *Præparare viam tollendo offendicula, ſordes.* Eſ. 40. פנו דרך יי. Et 57. *Purgate viam, tollite offendiculum.* Mal. 3. 1.

GROTIUS.

2. *Qui ſedes ſuper Cherubim*] Id eſt, qui te oſtendis oraculis & ſplendore ſuper Arcam.

PRICÆUS.

13. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum*] Vide quæ ad Act. 14. 16. annotavimus.

14, & 15. *Si populus meus*, &c.] Baruch. 3. 13. *Si in via Dei ambulaſſes, habitaſſes utique in pace ſempiterna.*

IDEM.

6. *Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit*] Jer. 5. 15. *Adducam ſuper vos gentem de longinquo*, &c. *cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.*

7. *Divertit ab oneribus dorſum ejus*] LXX. ἀπὸ ἄρσεων quò ſpectant Heſychii illa, Ἄρσεων, βασταγμάτων.

8. *Audivi te in abſcondito tempeſtatis*] Audiens abſcondi te à tempeſtate. Suprà 30. 21. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Vel ſic, Audivi te, cùm te abſconderes in tempeſtate. Proverb. 28. 28. *Cum ſurrexerint impii, abſcondentur homines*, ſupple *juſti*, ex membro ibi ſubſequente. Vel ità, Abſconditus ego audivi te in tempeſtate.

11. *Dilata os tuum, & implebo illud*] Dilatabo & implebo os tuum, nempe, laudibus meis. Vide 70. 8.

13. *Ibunt in adinventionibus ſuis*] Ut irent in a. ſ.

14, 15. *Si populus meus audiſſet me*, &c.] Similia Deus idem 48. 18. apud Eſaiam.

16. *Et erit tempus eorum in ſecula*] Veniet dies, quâ æternum cum pernicie conjunctum opprobrium ferent.

PSALM. LXXXI.

MUNSTERUS.

1. *Gittith*] Quidam putant eſſe inſtrumentum muſicum ſic vocatum; alii verò volunt eſſe adjectivum gentile à *Gath*, dicentes *David Pſalmum iſtum compoſuiſſe interim quo fuit profugus in Gath.* Videtur autem hic Pſalmus compoſitus ut in aliquo præcipuo feſto, præſertim in feſto Tabernaculorum, caneretur, ad excitandum Dei ſtudium in populo. Porrò כסה ſcribitur hic pro כסא, capiturque pro זמן & עידן.

5. *Cum egrederetur de terra Ægypti*] Kimhi hunc verſum ſic putat legendum, *Cum egrederetur Deus contra terram Ægypti*, h. e. cùm pugnaſſet contra eam pro Iſraële, *& ſubduxiſſet humerum ejus à gravi onere*, tunc dedit hanc legem, & inſtituit ſolennitatem in qua recordarentur beneficiorum Dei. Alii putant ſic legendum, *cùm egrederetur Iſraël de terra Chanaan in terram Ægypti, tunc audivit linguam quam non intellexit.* Nec obſtat quod hic mutatur perſona, cùm textus habeat, *labium quod non cognoſcebam audiebam*; quia id frequens eſt apud Prophetas. Et niſi obſerventur hujuſmodi heteroſes perſonarum & numerorum, pariunt obſcuritatem.

7. *In*

7. *In arcano tonitrui*] Senſus eſt, Tu invocaſti me in ſecreto, ego autem in manifeſto exaudivi te, publico ſcilicet tonitrui miraculo in abyſſum demergens Ægyptios.

15. *Odio habentes Dominum*] Indicavimus ſenſum hujus verſiculi ſuprà Pſalmo 18. Significat enim *ſupplicem fieri ſerviliter & fucato corde.*

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super Githith ipſi Aſaph* על הגתית לאסף] Inſtrumenti muſici nomen eſt *Githith*, allatum ex Gath urbe Palæſthinorum: acſi dicat, *Pſalmus Aſaphi Pſalmographi, traditus ei qui præerat cantoribus, ut cantaretur ſuper inſtrumento Githith.* Vide Pſal. 8.

3. *In Calendis* בחדש] *In nova luna*, ſive *novilunio*. Græcè *neomenia.* ¶ *In tempore conſtituto*, &c. בכסה ליום חגנו] i.e. In tempore ad id determinato: nimirum die feſtivitatis, &c. Quidam vertunt, *in definito tempore ad diem ſacrificii noſtri.* Alii, *in inſigni die ſolennitatis noſtræ.*

4. *Judicium* משפט] *Jus*; i.e. mos juſtè inſtitutus in honorem *Dei Jacob.* Verti poteſt, *& jus à Deo Jacob*, ſub. *profectum.* Quidam vertunt *legitimum.*

5. *Teſtimonium* עדות] Quidam ſubaudiunt præpoſitionem vertentes, *Pro teſtimonio.* Alii, *Vice teſtimonii.* ¶ *Quam non noveram, audiebam* לא ידעתי אשמע] Præt. & fut. pro plus quàm perf. & imperfecto: mutatio item perſonarum, *audiebam*, ſub. *in patribus*; i.e. audierunt patres noſtri Iſraëlitæ, audierunt majores ſermonem Ægyptium illis incognitum.

6. *Ab aheno* מדוד] *A furno.* Alii, *à cacabo*, vel *ab ollis*, ſub. *conficiendis*; nam vacabant vaſis fingendis.

7. *Exaudivi te* אענך] *Reſpondi tibi.* ¶ *Meriba* מריבה] *Jurgii*: id ſignificat vox Hebræa.

10. *Dilata os tuum* הרחב פיך] Hebraïſmus, pro, *ampliter & largè pete, & impetrabis.*

12. *Fortitudini* בשרירות] *Perplexis cogitationibus.* Alii, *duritiei*, vel *obſtinationi.* Id etiam *cordis fortitudo* ſignificat.

13. Utinam לו] *O ſi.*

14. *Brevi tempore* כמעט] *Quàm brevi.* ¶ *Humiliaſſem* אכניע] *Dejeciſſem.*

15. *Mentiti fuiſſent ei* יכחשו לו] Fut. Heb. pro præt. i.e. præ nimio timore negaſſent ſe aliquid molitos contra eum. Vel, *ſupplices fuiſſent, ſed fucato corde.* Alii, *mentirentur.* ¶ *Tempus eorum* עתם] *Felicitas eorum.* Gallicè, *Ils euſſent eu le temps à jamais.*

16. *Et cibaſſet eum* ויאכילהו] Mutatio perſonæ, pro, *Et cibaſſem te.* ¶ *Et de petra*, &c. ומצור דבש אשביעך] Hyperbole incomparabilis felicitatis & fœcunditatis; q.d. Rem infœcundam feciſſem abundare omnibus ad vitam neceſſariis: nam dictione *mellis* id ſignificatur.

CASTALIO.

6. S*Ubduxi veſtros humeros oneri*] Verba ſunt Dei. In Hebræo multa eſt & perſonæ & numeri mutatio. Nos perſpicuitati ſervivimus; ut & in multis aliis.

7. *Vobis occultus in tonitru poſtulata conceſſi*] Scilicet cùm Legem in Sina tradidit.

10. *Aperi os tuum, & ego id implebo*] Tantum accipe quod dabo, & te paſcam.

CLARIUS.

PSalmus hic compoſitus videtur ut in aliquo præcipuo feſto caneretur, ad excitandum Dei ſtudium in populo. Illud verò Neomenia erat, in qua ex Lege Num. 10. buccinis clangebatur ad ſacrificia, quò populus admoneretur Domini, qui cum Legem illi daret & fœdus cum eo iniret, tubæ ſonitum ediderat in nubibus. Porrò *Githit*, quod in titulo eſt, quidam putant eſſe inſtrumentum muſicum, alii vocem à *Geth* derivatam, quod ſcilicet David hunc compoſuerit Pſalmum dum profugus eſſet in Geth.

5. *Teſtimonium in Joſeph*] Totus Iſraël ſub nomine *Joſeph* appellatur, quia Joſeph ob beneficium fratribus & patri præſtitum etiam ipſe patris loco colebatur. ¶ *Cum exiret de terra Ægypti*] Quidam putant ſic legendum, *Cùm exiret contra Ægyptum*; hoc eſt, vel quòd Deus exierit contra Ægyptum ut ſuos ulciſceretur, vel quòd è terra Ramaſſes venerint, ac tranſierint Ægyptum: atque hoc pacto non conjungatur cum ſequenti. Alii ſic legunt, *Cùm egrederetur Iſraël de terra Chanaan in terram Ægypti; tunc audivit linguam quam nè intellexit:* ut ſit ſenſus, Ritum illum ſervari voluit à poſteris Joſeph, in memoriam ejus quòd feliciter verſatus fuerit ipſe in terra Ægypti, quò cùm veniſſemus linguam quam non didiceramus audiebamus: nam in Hebræo mutatio eſt perſonæ.

6. *Divertit ab oneribus*] Deus à ſervitute & à coquendis lateribus liberavit eum.

7. *In abſcondito tempeſtatis*] Vel *tonitrui*; cùm me quaſi in occulto rogares ob metum Ægyptiorum, tonitru turbavi eos. ¶ *Probavi te*] Feci etiam periculum tui juxta aquas *Contentionis*, Exod. 17.

8. *Conteſtabor te*] Sanctiſſimè tibi pollicebor.

10. *Dilata os tuum*] Aperi quantum velis os tuum, & poſtula à me quicquid charum fuerit animo tuo, ego copioſiſſimè voti compotem faciam te.

15. *Inimici Domini mentiti eſſent ei*] *Subjecti fuiſſent, & ſaltem ficto animo paruiſſent*, ut alibi diximus. Vel, *inimici*, qui de ſua virtute gloriabantur, *deprehenſi eſſent mendaces cùm ſubjicerentur ei*: atque id quidem accidiſſet hoſtibus, *at horum*, i.e. populi mei, *fuiſſent tempora felicia perpetuo.*

DRUSIUS.

1. הַרְנִינוּ. A. Αἰνοποιεῖτε. Sym. Εὐφημεῖτε] Apud interp. Theodoreti, *Sym. autem*, Benedicite, *dixit*; *Aq. verò*, Laudate. Αἰνοποιεῖτε, ad verb. *Laudem facite.*

2. כִּנּוֹר. Sym. *Lyra*] Theodoretus, *Sym. Pſalterium* lyram *appellavit.* 1 Par. 15. 16. כנור, LXX. κινύρα. Hier. *lyra.* Suidas, Κινύρα, ἡ κιθάρα· dubito an bene. Nam ſimul leguntur hæc duo nomina 1 Mach. 4. 54. Idem, Κιθάρα, ἡ λύρα. Confundit *citharam* cum *lyra*, ut alii multi.

7. אֶעֶנְךָ בְּסֵתֶר רַעַם. Sym. *exaudivi te per occultum tonitru*: οἱ ἄλλοι ὁμοίως] Theodoretus, *Symmachus autem ſic*, Exaudivi te per occultum tonitru, *& reliqui Interpretes* tonitru *ſimiliter poſuerunt.*

12. וָאֲשַׁלְּחֵהוּ בִּשְׁרִירוּת לִבָּם יֵלְכוּ בְּמוֹעֲצוֹתֵיהֶם. A. Καὶ ἐξαπέστειλα αὐτὸν ἐν σκολιότητι καρδίας αὐτοῦ πορεύσονται ἐν βουλεύμασιν αὐτῶν, *Et dimiſi eum in pravitate cordis ejus: ambulant in conſiliis ſuis.* Sym. Ἀφῆκα οὖν αὐτοὺς τῇ ἀρεσκίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν, ὁδεύειν ταῖς βουλαῖς αὐτῶν, *Dimiſi ergo ipſos in placito cordis ipſorum, ut ambulent in conſiliis ſuis.*

15. מְשַׂנְאֵי יְהוָה יְכַחֲשׁוּ לוֹ. A. Μισοποιοῦντες Κύριον ἀρνήσονται αὐτόν. Sym. Μισοποιοὶ Κυρίου οἱ ψευσάμενοι αὐτῷ] Interpres Theodoreti Antonius Caraffa, A. *Odio habentes Dominum, negabant eum.* Sym. *Oſores* DOMINI *mentientes ipſi.* Μισοποιοῦντες magis ſonat *in odium adducentes*, *exoſum reddentes.* Sic μισοποιοὶ Κυρίου, *qui Dominum exoſum faciunt.* ¶ וִיהִי עִתָּם לְעוֹלָם. Sym. *ſed erit tempus eorum in ſeculum*] Καιρὸς αὐτῶν. Sequitur in Theodoreteis. Καιρὸν τὰς συμφορὰς καλεῖ· οὕτω γὰρ καὶ Σύροι καὶ Ἑβραῖοι ταύτας εἰώθασιν ὀνομάζειν, *Tempus autem vocat calamitates. Sic enim & Syri & Ebræi has nominare conſueverunt.*

AMAMA.

עַל־הַגִּתִּית. III. Pſalmi cum hac inſcriptione, 8. 81. 84. ſcripti videntur cum David Arcam ex Kirjath Jearim Jeroſolymam deportare cogitaret eam apud Obed-Edom deponi curaſſet motus offenſione Huſſæ. Itaque Jun. ad ſtationem ſeu viam vel commorationem Gitthæam, ut veniat à גת Civit. Paleſtinæ. Alii putant fuiſſe Inſtrumentum Chald. על כנורא דאתיא מגת. R. Sal. מכלי שבא מגת Vulg. *pro torcularibus*, inepto ſenſu, legit forte גתות.

Pſ. eſt εὐχαριστικός. Εὐχαριστία iſta proponitur 2. modis, 1. ſub forma hortationis, à verſ. 2. ad 7. Inde ſub forma narrationis, ad finem. Introducitur autem ipſe Deus narrans beneficia, ſc. liberationem ex Ægypto, & promiſſionem largitionis omnium bonorum. Quæ commemoratio amplificatur antitheſi ingratitudinis populi.

הריעו] *Vociferari*, vix niſi iratis & triſtibus tribuunt Latini. Ideo alii *jubilate* vertunt, *jucichet.* Alias uſurp. de clangore tubarum, ut Joſ. 6. 5. Aliq. de *clamore*, vel *triſti*, Mich. 4. 9. vel *læto*, ut hic, & paſſim.

3. שְׂאוּ־זִמְרָה] *Tollite cantum.* Alii, *Sumite Pſalmodica inſtrumenta*; vel *Attollite* [*vocem cum*] *cantu.* Melius prius, ut *tollere parabolam, canticum, convivium, lamentum, Prophetiam.*

כנור ונבל] Vulg. *Pſalterium & Cytharam.* At Pſ. 33. Contra *Cinnor* Cytharam, & *Nebel* Pſalterium reddidit. Hieron. ait *Cinnor* fuiſſe inſtrumentum 10. Chordarum, effige literæ Δ.

Nebel] *Nablium*, Ovid.

Diſce etiam geminâ genialia vertere palmâ
Nablia.

Germani Judæi *Pandoram* vertunt. Vulg. ut dixi, *Pſalterium*

Dan. 5.

Dan. 5. פְּסַנְתֵּרִין. Et quia Davidi ferè tribuitur, *Harpam* eſſe voluerunt alii, unde David ferè ſic pingitur. Et quia Nebel *utrem*, *lagenam* ſignificat, inde quidam *fiſtulam utricularem* eſſe volunt. *Decachordum* & hoc inſtrumentum fuiſſe colligunt quidam ex loco Pſ. 33. נבל עשור. Sed Pſ. 92. 4. eſt נבל עלי עשור.

תֹּף *Tympanum.*] Ut *Abbacuc Ambacuc*, & אבוב *Ambubaja* tibicen f. Suet. in Ner. *Inter Scortorum totius urbis & Ambubajarum miniſteria.* Horat. *Ambubajarum Collegia.* Adhibitum & ſacris Moloch, unde locus *Thophet* dictus. Hinc *Thophteh*, Eſ. 30. *Quia ordinata eſt* [illegible] *heri* תָּפְתֶּה vide 2 Reg. 23.

4. תִּקְעוּ] *Figite.* 1. *Clavum* vel *paxillum.* 2. *Manum manui*, vel propriæ vel alienæ. Propriæ, *plaudere*, *complodere præ lætitia.* Pſ. 47. Alienæ, *fidejuſſit*, ut Prov. 17. & 6. & 11. 3. *Vocem.*

בַחֹדֶשׁ] An Tizri an ſingulorum menſium? *In Tizri clangebatur buccinâ*, Levit. 23. At non tantum. Et hic impegit Godwinus. Ecce enim Num. 10. 10. *Et in die lætitiæ veſtræ in ſolennitatibus veſtris, initiis menſium veſtrorum clangetis tubis, ſuper holocauſta veſtra & pacifica veſtra.* Præ cæteris tamen celebrior Neomenia Tizri tanquam ראש השנה anni ſc. Civilis & Politici. Ibique erat vacatio ab operibus quæ in cæteris non erat.

בַּכֶּסֶה] Prov. 7. כֶּסֶא. Unde thema quær. כֶּסֶא. Poteſt tamen à כסה eſſe juxta Aben. Chald. &c. Poteſtque ſic eſſe duplex ſenſus. Ad verbum in *obtectione*, i.e. *Cum obtegatur Luna* à Sole, i.e. in novilunio. Aliis verbis Aben. שֶׁלְּבָנָה מִתְכַּסָּה בּוֹ. Tharg. בְּיַרְחָא דְמִתְכַּסֵּי Vel, in obtectione ſc. *ramorum*, i.e. in f. tabernaculorum, cum ſub frondium & ramorum operimentis ſeptiduum agebant. Alii, *in tempore conſtituto*, *in ſolennitate*, unde Jun. *ſtativis quibuſque feriis* כותר קבוע R. Sal. Sic & R. D. K. & Santes. Hi à כָּסַס deducunt, i.e. *numeravit*, *ſupputavit*, quod in numeratum anni diem ſemper recurrat.

Incipere facere] Obiter. Act. 1. 1. & verſ. 5. *Vos autem baptizabimini.* Auguſt. citat *incipietis baptizari. Capit ejicere ementes & vendentes.* Luc. 3. 8. *Ne cœperitis dicere in corde veſtro.*

5. שָׂמוֹ] Poſuit illud ſc. Clangere tubis.

בִּיהוֹסֵף] ה Interj. per Epenth. Ebræi, id factum ajunt להפארת ſic in *Abraham*, *Jehoſchuanus*, *Jehonadab*, *Jehoſias.* Sic Jod ex Tetrag. additum ad השם. Sed putarim eſſe ad imitat. fut. Hiph. ex Phe Jod. Alii accip. de propria ejus perſona, dicunt enim eum exiiſſe ex carcere initio anni, & conſtitutum ſuper Ægyptum.

שְׂפַת] Sub. עם & loquitur Pſaltes כנגד כל־ישראל.

A bajulatione] Laterum, ollarum. His duobus ſolidiſſima omnia miniſteria eorum & duriſſimos labores ſynecdochicè comprehendit. R. Sal. כָּל עֲבוֹדוֹת קָשׁוֹת. Vox סבל uſurp. de peccatis quæ Chriſtus recepit in ſe. Eſ. 53. ומכאובנו סבלם.

7. מִדּוּד] *Calathus, Caniſtrum, Sporta, Olla, Cophinus, Lebis, Pelvis, Labellum* &c. Intelligit vel *ipſas ollas*, quas conficiebant ex luto Iſraëlitæ, non enim ſolos lateres coquebant. Ex. 1. 13. *Sed in omni opere luti occupabantur.* Vel intelligitur *pelvis* & *labella*, in quibus lutum ſubigebatur manibus ad conficiendos indè lateres, aut quibus lutum & ſtramina apportabant ſibi invicem. Lxx. Αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐν κοφίνῳ ἐδούλευσαν. Legerunt ב pro ד. *Cophinus.* Vox ea extat in Juven.

Et ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis quorum Cophinus fœnumque ſupellex.

Et alibi,

Cophino fœnoque relicto
Arcanum Judæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos
Arboris.

Et apud Martialem,

Dum te poſſe negas niſi lato Gellia Clavo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.

Quærunt docti, cur Cophinum geſtarint Romæ Judæi. Cun. putat in memoriam Ægyptiacæ ſervitutis ut maneret alta m. repoſtum. Inclemens Ægypt. imperium, cum inſtarent duri operum exactores, cum fuſtibus ſæviretur in terga ceſſantium & cœlo iret clamor miſerorum. Alii aliter.

Jun. *A lacuſculo intritæ.*

Lacuſculum] Vas parvum ſeu labellum.

Intritæ] Argilla. Vel genus calcis manibus ſubactum. Colum. *Intrita quo vetuſtior eo melior.* Vocatur & *Arienatum*, Barb. *Mortarum.* Vulgò *Cæmentum.*

תַּעֲבֹרְנָה] *Abierunt, remotæ ſunt*, הֵסִירָה. Sic in Hiphil העביר *removere*, Jon. 3.

8. *In latebris tonitrui*] *In columna nubis*, Ex. 14. verſ. 19. & 24. Quæ interjecta inter Ægypt. & Iſraëlitas intonabat contra Ægyptios. Marc. 3. *Jacobus Zebed. & Joh. Frater ejus.*

Aquæ Meriba] Exod. 17. *Maſſa & Meriba.*

9. 10. 11. Enuntiatum ſeu axioma connexum, quod quidam volunt duobus verſibus abſolvi, alii tribus. Qui duobus ſic vertunt.

Antec. 9. *Audi popule mi, & conteſtabor te, ô Iſraël, ſi auſcultâris mihi.*

Conſ. 10. (*Tum*) *non erit Deus extraneus in te*, i.e. tunc ita tibi aſſiſtam ſpiritu meo & gratiâ meâ, ut prolapſurus non ſis in Idololatriam, quò naturâ inclinas.

Qui tribus, antecedenti etiam apponunt verſ. 10. & conſequens volunt contineri verſ. 11.

9. *Audi popule mi, & conteſtabor te, ô Iſraël, ſi auſcultâris mihi.*
10. (*Si*) *non erit in te Deus extraneus neque incurvaveris te* &c.
11. *Ego DOMINUS ero Deus tuus, dilata os tuum.*

Sed & hoc aliter explicari poteſt, ut prius hemiſtich. verſ. 11. parentheticum ſit, hoc modo, Tum dilata os tuum & implebo id, ego enim ſum Deus tuus, ut ſit tranſp. Sed melius ut exponamus priori modo. Vel ut ea (*ego ſum Deus tuus*) explicentur ut juramentum. Quam vere ego ſum Deus tuus.

Conteſtabor te] i.e. Adhibitis teſtibus cœlo & terra indicabo tibi rationem tui erga me officii.

10. לא יהיה] Poſſet & dici אלהים זרים ut Exod. 20. in Præcepto 1. *Non erit tibi Deus alius.* Vide Cenſ. noſtram ad Exod. 20. *Non erit*, ſic enim accip. Elohim, etiamſi jung. cum adj. pl. quia jungitur cum verbo ſing. Imò etiamſi jungeretur cum verbo plur. tamen poſſet exponi ſingular. Ecce enim Exod. 32. *Iſti ſunt Dii tui aſcher* אֲשֶׁר הֶעֱלוּךָ. Neh. 9. 18. אֲשֶׁר הֶעֶלְךָ.

In te] In medio tui. Exod. 20. לְךָ. Plus dicit, poteſt enim in populo eſſe Idolum ſeu Deus commentitius, qui tamen, non poteſt dici eſſe Deus לו. לך enim reſpicit *fiduciam cordis*, opinionem hominis.

11. הַמַּעַלְךָ] Articulus ponitur ante vocem compoſitam cum affixo. Hoc fieri non ſolet. Reg. Articulus ה non ponitur ante nomen proprium, conſtructum aut junctum cum affixis. Hic alia ratio, non enim ſe habet ut articulus, ſed ut relativum אֲשֶׁר Reg. Art. ה ante verba & participia vocem obtinet.

13. *Dimiſi eos*] Sivi eos ruere præcipites quo liberet ſicut navem ſine clavo, aut equum furentem ſine fræno.

בשרירות] *Ex ſententia animi ſui.* Ebr. in ſpeculatione ſeu aſpectu cordis ſui. R. Sal. בִּרְאִיַּת à שור vel שׁוּר *vidit*, *aſpexit.* Sic & Symm. ἀφῆκα οὖν αὐτοὺς τῇ ἀρεσκίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν. Alii, *in duritie cordis*, Aben. בְּחֹזֶק Ex ſtylo DD. apud quos שריר וקים *firmum & ſtabile. Subjiciunt contractibus*, ut nos *Oirkonde*, aut, *ſonder erg ofte liſt.* Chald. בְּהִרְהוּר *in cogitatione*, Hier. *in pravitate*, Kimchi, *in obſtinatione.*

14. *Ambularet in viis meis*] Synonyma ſunt, *Ambulare coram DOMINO*, Gen. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus. Ambulare cum Deo*, Gen. 5. *Henoch ambulavit cum Deo*, quod Perſ. *Vivere cum Jove* dixit. Et, *Vivere coram aliquo*, idem. Gen. 17. *Utinam vivat coram te F. meus Iſmaël.* Sic *facere aliquid coram aliquo* ſæpe ſign. *aliquid facere in gratiam & obſeq. alterius*, ut eum tibi magis devincias, ut ei cui obligatus es tuam operam præſtes. Eccleſ. *Quid habet pauper qui novit vivere cum viventibus*, i.e. fortunatis. Exod. *Arioli ediderunt prodigia ſua coram Pharao.* Sic Ap. 13. *In conſpectu beſtiæ.* Vide ad Pſ. 66.

16. *Tempus eorum*] Calamitoſum. Si ad oſores referas: At ſi ad populum Dei, Tempus Lætum. Sic Jirm. 27. *Donec veniat tempus terræ iſtius.* Jeſ. 13. *Appropinquat venire tempus ejus.* 1 Chron. ult. *Et tempora quæ tranſiêre ſuper eum.*

17. מֵחֵלֶב] Cheleb ponitur pro præcipuo & præſtantiſſimo in inanimatis per Metaph. quia adeps præcipua pars carnis eſt in animantibus. Gen. 45. *Edite adipem terræ.* Num. 18. 12. *Omnem adipem olei muſti, & tritici dedi tibi.* Deut. 32. 14. *Adipem granorum tritici.* Sed חלב in genere *quamvis pinguedinem* ſign. unde per Hypall. poteſt exponi pro, *triticum pingue*, *craſſum opimum.* Sic Num. 18. *Opimum oleum* &c. Deut. 32. 14. *Adipe renum tritici*, i.e. craſſo & opimo tritico, cujus genicula.

Melle ex Petra] Reſpicit totus hic verſus ad Deut 32. 13, 14. *Ex Petra*, i.e. apibus mellificantibus in Petrâ. *Mel ex Petra*, i.e. Petrinum. *Panis ex cœlo*, *Aper ex ſylvâ.* Sic *Fratres ex Circumciſione*, i.e. circumciſi. Colligebatur enim Eccleſia Vetus ex Judæis & Gentilibus, quorum tamen nonnulli etiam circumciſi erant. Herodotus ait ſolos Mortalium Ægyptios, Colchos & Æthiopas circumciſos initio fuiſſe & ab iis didiciſſe Syros. Errat. Tamen verum eſt circumciſos fuiſſe. Etiam ſuo adhuc ævo recutitas illas gentes fuiſſe ex Herod. & Strabone conſtat. Et locus inſign. Jirm. 9. *Venient dies cum animadvertam in omnes circumciſos cum præputio*, ſc. cordis, *Ægyptios, Judæos, Ammonitas, Edomæos, Moabitas.* Quem locum minus intellexit Aruch. Circumciſi cum præputio inquit qui poſt circumciſ. attraxêre præputia. At hoc Judæis non quadrat. Fecerunt hoc tamen poſteriori ævo. Mach. 1. 16. ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίαν καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθ. ἁγ. Joſeph. Antiq. 12. 6. De iiſdem,

καὶ τὴν τῶν αἰδοιῶν περιτομὴν ἐκάλυψαν, ne eſſent Græcis diſſimiles. Sic Epiph. de Symmacho qui ſecundo circumciſus poſt attractum præputium. Huc reſp. 1 Cor. 7. 17. *περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω*, *ne attrahat præputium.* Tales Ebræi vocant משוכים Græci *ἐπισπαστικούς*. Celſus lib. 7. 25. Inſtrumentum, *σπασθήτηρ*, alii *σπάσθηρ*, Sen. *σπατίθηρ*, ipſa actio *ἐπισπασμός*.

Eò imp. delapſi ſunt ut deficientes inſtrumento attractorio pudendi cuticulam ſupra glandem attraxerint, & conglutinatoriis circumdatis iterum præputium denudatæ jam glandi ſuperinduxerint. Hier. in Eſ. 52. Neque poteſtatis noſtræ eſt præputium adducere poſt circumciſionem juxta eos qui in Mach. libris dicuntur ſibi ipſis feciſſe præputia, quod de filiis naſcentibus & non de patribus dicitur.

GROTIUS.

S*Uper torcularibus*] Vide ſuprà 8. 1.

PRICÆUS.

1. I*N medio autem Deos dijudicat*] In medio ſtans D. dijudicat. Tale Matth. 18. 20. illud, *Ἐγώ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν*, nempe per omnipræſentiam meam. *Deos* hîc vel Judices, vel Principes intellige.

2. *Et facies peccatorum ſumitis*] Λαμβάνετε πρόσωπα. Vide ad Luc. 20. 21. dicta.

6. *Dii eſtis*] Summa poteſtas veſtra habet meæ imaginem quandam. Servius ad Æn. 12. *Reges ſuggeſtum imitantur Deorum.* Seneca cap. 15. ad Marciam de Principibus (i. e. Cæſaribus) *Diis geniti Deoſque genituri.* Imò & eos qui maximâ apud Auguſtum Cæſarem gratiâ pollebant, Horatius Serm. 2. 6. *Deos* vocavit. Simili ſenſu etiam Exod. 22. 28. *Deos* habemus. Juvenalis 4.

—— Diis æqua poteſtas:

Scholiaſtes, *Regnum ſcilicet.*

Ibid. *Sicut homines autem moriemini*] Plinius in Panegyrico, *Ut cæterorum hominum, ità Principum, eorum etiam qui Dii ſibi videntur, ævum omne & breve & fragile eſt.* Virgilius 10.

Ille tamen noſtrâ deducit origine gentem.

Ad quem locum Servius, *Quanquam moriturus eſt, tamen à Diis originem ducit*: & ad Eclog. 5. *Licet eum dixerit Deum, tamen mortalem fuiſſe manifeſtum eſt.* Q. Curtius lib. 8. de Alexandro R. *Cum*, &c. *cruore ſiccato frigeſcens vulnus aggravaret dolorem, dixiſſe fertur ſe quidem Jovis filium dici, ſed corporis ægri vitia ſentire.* Seneca cap. 35. Conſolat. ad Polybium, de Fortunæ potentia, *Ex his* (Cæſarum) *penatibus auſa eſt funera ducere, ex quibus erat Deos petitura.*

Ibid. *Dii eſtis, vos autem ſicut homines moriemini*] Ulpianus de liberto aureorum annulorum jus conſecuto, *Vivit quaſi ingenuus, moritur quaſi libertus.*

IDEM.

3. J*Udicate egeno & pupillo; humilem & pauperem juſtificate*] Idem 1. 17. apud Eſaiam, *Subvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam*: & 21. 12. apud Jeremiam, *Eruite vi oppreſſum de manu calumniatoris.* Vide & ibid. 22. 3. & Pſal. 34. 10.

4. *Eripite pauperem*] E manu fortioris. Jobus 29. 16. hoc ſenſu, *Pater eram pauperum.*

Ibid. *Egenum de manu peccatoris liberate*] Subvenire oppreſſo, dictis Eſaiæ & Jeremiæ locis.

5. *Neſcierunt, nec intellexerunt*] Id eſt, neſciunt, nec intelligunt.

Ibid. *In tenebris ambulant*] *Relinquunt* (ut Proverb. 2. 14.) *iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. Per diem* (ut Job. 5. 14.) *incurrunt tenebras: & quaſi in nocte ſic meridie palpant.* Iterum Proverb. 4. 19. *Via impiorum tenebroſa.* Vide & Jobi 12. 24, 25. Jerem. 23. 12. & 11. 16. Sirachidem.

Ibid. *Movebuntur omnia fundamenta terræ*] Ab ira Dei in iniquitatem eorum. Vide Pſal. 17. 8.

6. *Dixi, Dii eſtis*] *Dii terrarum*, ut 4 Reg. 18. 35. *Deus potentes non abjicit, cùm & ipſe ſit potens*, Job. 36. 5.

Ibid. *Sicut homines autem moriemini*] Sirachidis 10. 12. *Rex hodie eſt, & cras morietur.* Vide in cæteris Annotatis.

PSALM. LXXXII.

MUNSTERUS.

1. I*N congregatione magnifica*] Textus habet *in congregatione Dei*: & eſt ſenſus, Deus adeſt & advertit quicquid Judices & Senatus agunt & ſtatuunt, & quomodo ſubjectos judicent. Eſt enim Divinum officium judicare hominem & poteſtatem habere in eum, arbitriumque eſſe vitæ & necis ejus. Monentur itaque tales ut omnia agant cum grandi timore, & cogitent Deum ſtare inter eos, ut ſi pervertant judicium, ille inexorabilis futurus ſit Judex & ultor violentiæ eorum.

5. *Moventur omnia fundamenta*] i. e. Cùm impii in judicii loco ſedent, qui *nihil noverunt neque intelligunt*, omnia perturbantur, & omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur, quæ non niſi fide & juſtitiâ conſiſtit.

6. *Dii eſtis*] Vocantur Judices *Dii* propter Divinam poteſtatem: quâ ſi abutantur, & ſubjectos non regant, ſed pro libidine opprimant, morientur haud ſecùs quàm violenti Principes, qui ſubditis magis obſunt quàm proſunt.

8. *Nam tu in hæreditatem accipies*] Pertinet hic verſiculus ad Regnum Chriſti.

VATABLUS.

1. A*Stat in congregatione Dei* נצב בעדת אל] *Præſidet in cœtu Dei*, vel, *Deorum*; i. e. in magnifica & frequenti congregatione Judicum: vel, *in congregatione potentiæ*, i. e. potentium, h. e. in ſenatu, qui ſolet valere autoritate. *Deos* vocat Judices, ut ipſe Chriſtus exponit Joh. 10. 35. ¶ *In medio Deorum judicat* בקרב אלהים ישפט] Fut. Heb. pro præſenti, *in medio Deorum judicat.* Alii, *in medio Judicem agit.*

2. *Iniquitatem* עול] Quidam ſubaudito nomine verbi vertunt, *judicium iniquitatis*, i. e. judicium iniquum. Nam verbum Hebraicum includit nomen à ſe derivatum. ¶ *Et facies impiorum ſuſcipietis* ופני רשעים תשאו] Hebraïſmus eſt, pro, *in gratiam impiorum judicabitis*, ſive, *eorum ratione habitâ.*

3. *Pauperem* עני] *Afflictum.* ¶ *Juſtificate* הצדיקו] Ut *judicare pupillo* dicitur Judex cùm jus dicit pro pupillo, ità *juſtificare pupillum* cùm ſuâ ſententiâ pupillum oppreſſum abſolvit. Seipſum exponit ſeq. verſu.

5. *Nutant* ימוטו] *Moventur*; i. e. univerſus orbis vacillat, omnis hominum converſatio perit: ubi vera judicia ceſſant, omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur.

6. *Dixi* אמרתי] *Dixeram.*

7. *Sicut homines* כאדם] *Sicut homo*; i. e. ut aliquis ex reliquis hominibus: ut mox dicit, *Sicut aliquis è Principibus.* ¶ *Sicut unus è Principibus* וכאחד השרים] *Sicut aliquis tyrannorum*; vel, *violentorum.* Alii, *Et ſicut unus* [i. e. privatus] vos, ô *Principes, cadetis.*

8. *Quoniam tu*, &c. כי אתה תנחל בכל הגוים] *Nam tu in hæreditatem accipies cunctas gentes*: hoc modo redundat ב in בכל. Alii vertunt, *nam tanquam jure hæreditario in omni gente poſſides*, ſub. *electos.*

CASTALIO.

1. I*N medio divorum*] Gubernatorum. Vide Pſal. 75.

7. *Utque quivis de Principibus*] Ut dignum eſt Principes, h. e. mortales, non Deos immortales.

CLARIUS.

M*Onet Principes ut juſtitiæ ſtudeant; invocat Deum ut ipſe per Chriſtum orbem judicet.*

1. *In ſynagoga Deorum*] Scriptura Principes & Judices *Deorum* nomine dignatur; omnino enim Divinum quiddam eſt hominem in homines vitæ ac necis arbitrium habere. Ait ergò, Deus adeſt, & advertit quicquid Judices agunt & ſtatuunt, & quo pacto ſubjectos judicent.

2. *Facies peccatorum ſumitis*] Accipitis perſonas, & in gratiam impiorum juſtos opprimitis.

5. *Movebuntur omnia fundamenta terræ*] h. e. Cùm impii in judicii loco ſedent, qui *nihil noverunt neque intelligunt*, omnia perturbantur, & omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur, quæ non niſi fide & juſtitiâ conſiſtit. Vel ſic, Nihilo facti ſunt admonitionibus his ſapientiores, ſed *in tenebris* aſſiduè verſantur: quæ res ità Deo inviſa eſt ut propterea aliquoties ſic totum orbem turbaverit ut baſes terræ tantùm non viſæ fuerint.

6. *Ego dixi, Dii eſtis*] Ego vos habui pro Diis, & ſimiles judicavi vos omnes Angelis, qui tam ſunt chari Deo ut videri poſſint *filii Altiſſimi*. Verùm longè vobis aliter quàm filiis eveniet: moriemini enim ſicut abjectiſſimus quiſque in plebe, & quemadmodum tyrannus quiſpiam præcipitabimini ad inferos.

8. *Surge, Deus*] Hæc cùm ità ſe habeant, *ſurge*, quæſo, *tu ipſe, Deus ut judices terram: tu enim veluti hæreditario jure, & tanquam patrimonium poſſidebis univerſas gentes:* quod ad Euangelica tempora pertinet.

DRUSIUS.

1. בְּקֶרֶב. A. ἐν ἐγκάτῳ.

3. דַּל וְיָתוֹם. A. ἀραιῷ καὶ ὀρφανῷ, *tenui & orphano*. Sym. ἀγόνῳ καὶ ὀρφανῷ, *ſterili & orphano*. Th. πτωχὸν καὶ ὀρφανὸν, *pauperem & orphanum*.

5. יִמּוֹטוּ כָּל־מוֹסְדֵי אָרֶץ] Euthymius, *Hæc verba Symmachus ità reddidit, Conturbabo terram propter habitantes in ea.* Locus perſpicuè corruptus.

7. אָכֵן כְּאָדָם תְּמוּתוּן וּכְאַחַד הַשָּׂרִים תִּפֹּלוּ. Sym. ὡς ἄνθρωποι ἀποθανεῖσθε, καὶ ὡς εἷς τῶν ἀρχόντων πεσεῖσθε] Apud Theodoretum, *Symmachus autem ſic dixit, Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis.*

AMAMA.

1. D*Eus ſtat in concilio Dei*] Id eſt, *Concilio, conceſſu ſuo* Sic Piſc. Sic Calv. locum Gen. 19. Similia multa. Aliter Junius.

Vulg. *Deus ſtat in congregatione Deorum & in medio Deos judicat.*

Elohim] Judices. Sic Exod. 21. & 22. Alibi *Angeli*, Pſ. 8.

2. *Suſcipietis perſonam*] i. Agere cum aliquo ex favore & gratiâ. Sic Gen. 19. *Etiam in hoc ſuſcipio faciem tuam ut non ſubvertam urbem hanc* &c. Sic Deut. 1. 7. *Agnoſcere faciem alicujus in judicio* הִכִּיר. Et Græci προσωποληψία· πρόσωπα λαμβάνετε hoc loco.

GROTIUS.

D*Eus ſtetit in Synagoga Deorum*] In Hebræo, *In Synagoga Dei*: id eſt *ſua*, more Hebræo. Sic Num. 10. 29. ſic & Lucæ 3. 19. & alibi ſæpè. Senatus Judicum, *ſenatus Dei* dicitur, quia Dei nomine judicia exercet, 2 Paralip. 19. 6. Deus primis illis temporibus per ſe graviter ſontes puniebat, ut Caïnum, ætatem diluvii, Sodomitas, alios. Poſtea ſubſtituit ſuum in locum Judices legitimè conſtitutos, in Judæa maximè.

In medio autem Deos dijudicat] Id eſt, Judices: ſemper enim eam ſignificationem habet אלהים, etiam cùm de Deo ponitur.

2. *Uſquequo judicatis iniquitatem?*] Ut illi qui Abſalomum fuerant ſecuti.

6. *Dii eſtis*] Judices eſtis, eminenti in dignitate ſecundùm legem meam conſtituti.

Et filii excelſi omnes] *Filii* dicuntur qui aliqua ex parte alicui ſunt ſimiles.

7. *Vos autem, ſicut homines, moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis*] Illud *autem* hîc valet *nihilominus*. *Moriemini nihilominus*; hæc enim ſors communis eſt plebejis (talem enim vox אדם [*homo*] in Hebræo ſæpè ſignificat) & ſummatibus:

> *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas*
> *Regumque turres.*

8. *Surge Deus judica terram*] Per Regem Davidem.

Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus] Tu per eum imperium legemque tuam longè lateque proferes.

PRICÆUS.

1. D*Eus, quis ſimilis erit tibi?*] Infrà 85. 8. & 88. 7. Catullus,

> ——— *Quis huic Deo*
> *Compararier auſit?*

IDEM.

2. D*Eus, quis erit ſimilis tibi? nè taceas*] Deus, cui nemo quoad potentiam ſimilis, (vide 85. 8.) nè taceas.

Ibid. *Neque compeſcaris*] Paſſivum pro reciproco, neque compeſce te: id eſt, iram tuam. LXX. μὴ κατεπραΰνῃς. Heſychius, Κατεπραΰνεις, &c. σιωπήσῃς· quæ fortè per ῃς legenda, ut hæc Pſalmi reſpiciant.

3. *Inimici tui ſonuerunt*] *Sonare* heic eſt quod ſuprà 2. 1. *fremere*. Confer & quæ ibi ſequuntur, videbis cum iſto loco non parvam conſonantiam.

4. *Et cogitaverunt adverſus ſanctos tuos*] *Adverſus eos* (ut ſuprà 55. 6.) *cogitationes eorum in malum.*

5. *Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente*] Ità ut nomen gentis illius evaneſcat. Hoc ex loco ſumpta ſunt quæ Jeremiæ 48. 1. occurrunt.

Ibid. *Et non memoretur nomen Iſraël ultrà*] Idem ex perſona inimicorum ſuorum 11. 19. *Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.* Vide Deuteron. 32. 26. Job. 18. 17. Pſal. 33. 17. & 73. 8.

6. *Cogitaverunt unanimiter*] Suprà 2. 2.

11. *Facti ſunt ſicut ſtercus terræ*] Penitus deleti ſunt: *morticina eorum* (ut Eſai. 5. 25.) *facta ſunt quaſi ſtercus in medio platearum.*

14. *Pone illos ut rotam*] Fac illis quod videmus fieri in rotis, quarum rapido motu pars ſumma repentè ima fit: devolve eos ab excelſo cogitationum ſuarum contra ſanctos tuos in barathrum perniciei. Fulgentius Mytholog. lib. 2. cap. de Ixione, *Parvo tempore celere regnum adeptus, dehinc regno expulſus eſt: unde & eum ad rotam damnatum dicunt, quòd omnis rotæ vertigo quæ ſuperiora habet, modò dejiciat. Ergò oſtendere heic voluerunt quòd omnes qui per arma atque violentiam regnum affectant, ſubito eliſiones ſuſtineant, ſicut rota quæ ſtabile non habet aliquando cacumen.*

Ibid. *Sicut ſtipulam ante faciem venti*] Suprà 1. 4. ubi dicta vide. Adde Eſai. 47. 14.

16. *Et in ira tua turbabis eos*] Infrà 109. 5. ubi *confringere* quod hic *turbare*.

19. *Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus*] Se autem homines eſſe, ſuprà 9. 21.

PSALM. LXXXIII.

MUNSTERUS.

1. N*E contineas te*] Textus propriè habet, *Ne taceas* vel *ſileas*) *apud te*. Putant autem Hebræi hunc Pſalmum orationem eſſe contra hoſtes illos qui venerunt contra Jehoſaphat: de quo bello habes 2 Par. 20.

3. *Contra abſconditos tuos*] i. e. Qui à te in abſcondito proteguntur, contra hos conſpirarunt Ædomitæ, Jiſmaëlitæ, Hagareni, Gebalitæ, &c.

8. *Filiis Lot*] i. e. Ammonitis & Moabitis, quos Lot ex inceſtu filiarum genuit.

13 *Sicut rotam*] Kimhi exponit hîc *rotam* pro קש המתגלגל מפני רוח, *ſtipula quam ventus in orbem disjicit.*

VATABLUS.

1. C*Anticum & Pſalmum* שיר מזמור] *Canticum Pſalmi*. Vide Pſal. 30. ¶ *Nè taceas* אל־תחרש] *Nè obſurdeſcas*; vel *obmuteſcas*. Qui ſurdi ſunt, iidem & muti ſunt ut plurimum. ¶ *Neve quieſcas* ואל תשקט] *Neve ceſſes.*

2. *Tumultuantur* יהמיון] *Infremunt*. ¶ *Extulerunt* נשאו] Præt. Heb. pro præſenti, ut quidam vertunt, *extollunt*.

3. *Callidè inierunt conſilium* יערימו כוד] Fut. Heb. pro præt. *vafrè inierunt conſilium*. ¶ *Abſconditos tuos* צפוניך] i. e. Quos tegis, ſive protegis. Vel, qui à te deſeri videntur, cùm tamen eos protegas.

4. *De gente* מגוי] i. e. Nè ſint ampliùs gens. Hebraïſmus

5. *Conſilium inierunt* נועצו] *Conſpirarunt.*

10. *Perierunt* נשמדו] *Vaſtati ſunt, exterminati ſunt.* ¶ *Fuerunt ſtercus* היו דמן] *Facti ſunt ſterquilinium.* Hebraïſmus, pro *fuerunt conculcati, & ſuper terram computruerunt more ſterquilinii.*

11. *Pone eos*, nempe *duces eorum* שיתמו נדיבמו] More Hebræorum, alterum relativum redundat, pro, *Pone duces eorum.*

12. *Qui dixerunt* אשר אמרו] *Quia dixerunt.* ¶ *Poſſideamus* נירשה] *Accipiamus in poſſeſſionem, vendicemus nobis.*

13. *Velut rotam* כגלגל] Phraſis eſt Hebraïca, pro, *Inſtabiles eos redde, ut rota in loco declivi.* Quidam Hebræorum jungunt iſtud ſequentibus verbis, tanquam ſit præpoſterus ordo, hoc modo, *Pone eos ut ſtipulam quæ velut rota circumvolvitur à vento, & in orbem disjicitur.* Rotæ meminit Eſaias 5. 28.

15. *Perſequere eos* תרדפם] Fut. Heb. pro imperativo.

16. *Imple facies*, &c. מלא פניהם] Optativè hæc leguntur, vel per futurum, *Obrues eos ignominia, & requirent nomen tuum*; i. e. te: nam vexatio dat intellectum.

17. *Et terreantur* ויבהלו] *Et perturbentur*: vel *conſternentur*.

18. *Quòd tu cujus*, &c. כי אתה שמך יהוה לבדך עליון] *Quòd tu, ô Jehova, ſolus es*, & *nomen tuum* ſolum eſt: & quòd ſolus ſis *Altiſſimus*. Alii, *quòd tu*, cujus *ſolius eſt nomen Jehova*, ſis *Altiſſimus*, &c. i. e. quòd tu, cui ſoli competit nomen Jehova, *ſis*, &c. Alii, *quòd tu ſolus es nomen tuum*, & quòd ſis *Altiſſimus*; i. e. ſolus es id quod diceris, ſolus verus Deus Jehova, qui præes univerſæ terræ, non uni tantùm regioni.

CASTALIO.

6. TAbernacula] Caſtra, & porrò milites, & populi.
8. *Loto prognatis*] Ammonitis & Moabitis.

CLARIUS.

HEbræi exiſtimant hunc Pſalmum in hoſtes illos compoſitum eſſe qui contra Joſaphat ingentibus copiis venerant, de quibus legimus 2 Par. 20. Ii ſanè ità ut hic populus ſanctus precatus eſt exſtincti Divinitus fuerunt.

3. *Adversùs ſanctos tuos*] Alii verterunt *abſconditos*: nam abſconditi Dei electi ſunt, eò quòd fruantur tutelà Dei mundo abſconditâ.

8. *Filiis Lot*] i. e. Ammonitis & Moabitis, quos Lot ex inceſtu filiarum genuit.

9. *Fac illis ſicut Madian*] Horum hiſtorias habes Judic. 6. 7, 8.

13. *Ut rotam*] h. e. Inſtabiles.

16. *Et quærent*] Et quærere cogantur placationem læſi nominis tui, Domine.

DRUSIUS.

1. אל־תשקט. Sym. μὴ ἠρεμήσῃς, *ne quieſcas*.

2. יהמיון. Sym. συνηχῶσιν, *conſonant*] Scholion, ἀντὶ τοῦ συμφωνῶσιν.

3. על־עמך יערימו סוד ויתיעצו על־צפוניך. Sym. Κατὰ τοῦ λαοῦ σε πανέργως ὁμιλῶσι, καὶ συμβλεύονται κατὰ τοῦ ἀποκρύφε σε. A. ——— κατὰ τοῦ συγκεκρυμμένε σοι] Theodoretus, *Symmachus autem pro* SANCTIS TUIS contra occultum tuum *dixit*; *Aq. verò*, contra abſconditum tuum. *Sic etiam Th. expoſuit*

7. פלשת. Φιλιςαῖοι, οἱ ἄλλοι] Aliàs, Φυλιςαῖοι. Theodoretus, *Aliengenas*] *Alii Interpretes* Philiſtæos *vocant, quos nos* alæſtinos *appellamus*. Epiphanius de Epicuræis, ἔν τε τῇ Χαναανίτιδι γῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Φιλιςαίᾳ ὅτω κληθείσῃ τότε, τὰ νῦν δὲ Παλαιςίνῃ καλȣμένῃ.

8. גם־אשור. A. & Th. καίγε Ἀσσύρ. Sym. ἔτι καὶ Ἀσσύρ.

10. נשמדו בעין־דאר היו דמן לאדמה. A. Ἐξετρίβησαν ἐν Ἀενδώρ, ἐγενήθησαν κόπριον τῆς χθονός, *Contriti fuerunt in Aendor*; *facti ſunt ſterquilinium terræ*.

12. נאות אלהים. Sym. δίαιταν τοῦ Θεοῦ] Interp. *manſionem Dei*. Lex. V. Δίαιτα, τὸ ὑπερῷον, *cœnaculum*.

16. פניהם. Th. πρόσωπα αὐτῶν. A. & S. ut Lxx.

18. כי־אתה שמך יהוה. A. S. Th. ὅτι σοὶ ὄνομα, Κύριε.

AMAMA.

SCriptus hic Pſalm. ut vult Jun. tempore Hiskiæ, cum Sanherib R. Aſſyriæ Judæam magno cum exercitu invaſit. Obſtat quod Sanherib Aſſyrius Rex in iſto bello dux principalis fuit. At hic Aſſyrius ſe conjunxit Edomæis unàque cum aliis Moabitis & Ammonitis auxiliatus eſt. Unde probabilior eorum opinio qui hunc Pſalmum referunt ad Joſaphati tempora, cum potiſſimum à Moabitis & Ammonitis oppugnaretur, 2 Chr. 20. 1.

1. אל־דמי] Sine Dages. *Ne* (*ſit*) *ſilentium tibi*, i. ne ſileas. דמי cum ־ Maſſ. ג׳. Hic Jeſ. 62. 6. & 7. אל דמי לכם Dicitur & ר Chald. אל תשתוק לך. *Ne ſileas tibi*. Dat Pleon. Aben. שתיקה Lxx. τίς ὁμοιωθήσεται σοι. Vulg. *Quis ſimilis tibi*? Negationem convertit in interrogationem. Et certè quando Ebræi rogant ſine negatione tunc affirmant, & contra Mich. 5. Job. 2. Job. 38. Sed obſtat primo forma דמי. Genebr. ſe expedit & mutat puncta דמי. Dicitque eſſe part. formæ ריש. At his omnibus datis obſtat uſus particulæ אל quæ nunquam jungitur nominibus vel participiis, ſed ſemper futuris. Eſtque præterea dehortantis & deprecantis, Kimchi tantum 3. loca adducere potuit, ubi ſit negantis, ſed & ea controverſa & tamen in iſtis etiam Futuris præfixum eſt. Stat ergo Interp. Vulgati ſtare non poſſe & tandem velit nolit manum hic dabit herbamque porriget Jeſuita. Hieron. Deus, *non ſilentium tibi*? אל pro הלא. Duriſſimè.

2. *Levant capita*.] *Levare caput* phraſis anceps: *Levat* enim quis *Caput proprium*, & *Levat* quis *Caput alterius*.

Levare caput proprium dupliciter accip. vel in bonam vel in malam partem. In bonum; Sign. *gaudere ob magnum beneficium, liberationem, victoriam, animum erigere, animoſum eſſe*, ut Jud. 8. 28. *Nec ultra ſuſtulerunt capita ſua*. Luc. 22. *Attollite capita veſtra*. Sic Gen. juxta quoſdam, *Nonne ſi benè egeris* שאת *elevatio*, ſc. capitis, *eſt*? elevabis caput ut ſolent qui ſibi benè conſcii ſunt, Pſal. 110. *Ideo exaltabit caput*, emerget, gaudebit ob liberationem & victoriam.

In malum; ſign. *ſuperbire, arrogantem & gloriabundum eſſe*, ut hoc loco, quomodo & locus Jud. accipi poſſet. Zach. *adeò ut nemo ſuſtulerit caput*.

Levare caput alteriùs eſt *eripere ex periclis, & ſimul promovere ad honores*, vel novos vel veteres, Pſal. 27. *Nunc extollit caput meum*. Sic Pſal. 3. Jirm. *Evilmerodach levavit caput Jojakimi*. Gen. 40. *Poſt tres dies levabit Pharao caput tuum, & redire faciet te ad ſedem tuam*, ad Pincernam: Sed ad Piſtorem inquit: *Poſt tres dies auferet caput tuum à te*. Diverſam Phraſin format addita vox מעליך & ſignificat id quod ſequitur, *& ſuſpendet te ſuper lignum*.

Præter hæc *levare vel toltere caput* eſt *recenſere*, ut ראש ſit idem quod κεφαλαῖον *ſumma*. Num. 1. 2. & Exod. 30. *Tollite caput Filiorum Iſraël*. Lxx. κεφάλαιον, i. e. ſummam. Atque huc referunt Gen. 40. 20. *Fuitque tertio die natalitii Pharaonis ut faceret convivium ſervis ſuis, & recenſuit* ראש *caput pincernæ & piſtoris inter ſervos ſuos*, i. e. dum recitaretur catalogus ſervorum & capita eorum, id eſt, ipſi recenſiti ſunt.

5. נכחדם] כחד *occultavit*, & quia ſublata è medio non &c.

7. *Moab*] Non ex פ & Ab. ſed à מו Ægyptiacè *aqua* & אב q. d. *ſemen patris*. *Aquam* enim pro *ſemine*, Jeſ. 48 1. *Audite domus Jacob qui exiſtis de* ממי יהודה *aquis Juda*.

Iſmaëlitæ, Hagareni] Iſmaëlitæ qui deſcendêre ex Iſmaël filio Hagar. Addit tamen *Hagarenos*, quia forte alios filios habuit Hagar.

הגרים *Hagareni*, *Saraceni* dicti. Ineptit hic Genebr. dum dicit *Hagarenos* maluiſſe ſe denominare de nomine *Sara* legitimæ uxoris Abrahæ, vel *Saracenos* dictos à *Sara* nomine montis. Errat. Nam *Saraceni* dicti à סרק Arab. *latrocinatus eſt*, quod Arabes Latrociniis ſemper fuerint dediti, unde Arabs pro *latrone*. Evincit hoc ſcript. סרקין. Geneſ. 37. & 39. Ebr. Iſmaëlitæ, Tharg. Onceli, Arabes, Hieroſolym. סרקאי. Si à *Sara*, quomodo eſſet p?

Scal. de Em. p. 108. Latiſſime patet Arabum appellatio, quorum unum nomen, cognomina multa. Sed præcipui ſunt Hagareni & Saraceni. Hagareni vocantur etiam ab Arabibus *Elmagarim*, & forte inde Græcis recentioribus Μαγαρίζειν μαομετίζειν. Turcæ *Hungaros* vocant *Magar*. & Chald. hic habet הגראי

8. *Gebal*] Giblæi de quibus 1 Reg. 5. 18. Vicini Sidoniis. In Tetrarchiâ Phœniciæ.

10. *Midian*] Jud. 7.

Ut Siſera] Dux exercitus Jabinis Regis Canaan. Jud. 4.

11. *Endor*] Locus in tribu Manaſſe prope Kiſon.

12. *Horeb & Zeeb*] Principes Madianitarum. Jud. 7.

Zebach & Zalmon] Reges Madian. Jud. 8.

Hos confecit Gideon.

דומן] *Stercus*. כדמנה *fimetum*. Ch. זבל Inſepulti computruêre.

נסיכמו] *Unctos, perfuſos eorum*, נסך inter alia *perfudit oleo, unxit, inauguravit, conſtituit Principem*. Principes enim ungebantur.

גלגל] *Rotam*. Alii *rem levem quæ turbine circumagitur*. Ut enim hic cum קש ſic Jeſ. 17. cum מוץ *glumâ* jungitur.

GROTIUS.

7. 8. TAbernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum] Non dubito quin hæc pertineant ad tempora quæ deſcribuntur 2 Samuël 8. De Gebale ſive Gybliis vide 1 Reg. 5. 18.

9. *Etenim Aſſur venit cum illis*] In Hebræo, *Etiam*. Aquila & Theodotio καίγε [*etiam*,] Symmachus ἔτι καὶ [*præterea*.] Hiſtoria horum non ſpecialiter meminit; ſed dubitandum non eſt quin ab omnibus vicinis auxilia petierint.

11. *Diſperierunt in Endor*] Supple *qui*. Endor eſt in parte Manaſſis, Joſue 17. 11. 1 Sam. 28. 7. ibidem erant Thanach & aquæ

& aquæ Mageddo memoratæ Jud. 5. 19. ut apparet Joſue dicto loco, & Jud. 1. 27.

12. *Pone Principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana*] Jud. 7. 25. 8. 21.

14. *Deus meus pone illos ut rotam*] Devolve eos ut rotam de loco declivi. Alii *pappos*, id eſt lanuginem carduorum interpretantur.

PRICÆUS.

4. P*aſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos*] Anima mea, quæ ut paſſerculus in tecti culmine ſola manet, & ut turtur ſine compare, invenit, dum de tua miſericordia & bonitate cogitat, ubi dolores & metus deponat ſuos. Locutioni hujus loci ſimilis Matth. 8. 20. illa, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos.*

11. *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia*, &c.] Supple ex commate ſequente, *in peccatorum tabernaculis.* Cicero Tuſcul. 2. Philoſophiam alloquens, *Eſt unus dies bene & ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.*

Ibid. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei*, &c.] In epiſtolis Apollonii dictis, Ἐμοὶ εἴη ἀλίαν τρυχᾷν ἐν Θέμιδος οἴκῳ id eſt, miniſterio, etſi viliſſimo, fungi.

Ibid. *Magis quàm habitare in tabernaculis impiorum*] Seneca epiſt. 51. de Catone, *Habitaturum tu putas unquam fuiſſe in Utica, ut prænavigantes adulteras dinumeraret, & aſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam? Nonne manere ille intra vallum maluiſſet quàm unam noctem inter talia duxiſſe?* De Moſe Scriptor ad Hebræos 11. 25. Μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν.

IDEM.

11. S*uper millia*] Subaudi, *dierum in tabernaculis peccatorum.*

Ibid. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*] De Moſe Scriptor ad Hebr. 11. 25. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.*

13. *Beatus homo qui ſperat in te*] Eſaiæ 30. 18. *Beati omnes qui exſpectant eum.*

PSALM. LXXXIV.

MUNSTERUS.

2. D*eſiderat anima mea*] Patet hinc Pſalmum iſtum factum à filiis Corah de David, quando ob inteſtina bella cogebatur deſerere Tabernaculum Domini, ad quod tamen *paſſeribus* & *hirundinibus* patebat aditus, quippe qui etiam *juxta altare ponebant pullos ſuos*. Alii tamen putant hunc verſum de paſſeribus ſic legendum, *Etiam paſſer invenit domum*, &c. *Altaria autem tua, Domine, ego contingere non poſſum.*

5. *Sunt ſemitæ*] i. e. Qui habent animum præparatum ad ambulandum in viis tuis.

6. *Per vallem fletûs*] h. e. Qui flentes & gaudentes catervatim veniebant *per valles* ut inviſerent domum Domini, *parabant ſibi fontes & piſcinas* vel *ciſternas pluviales* per itinera. Sunt tamen qui בכא interpretantur pro *moro*, arbore nota, quæ creſcebat in vallibus.

10. *Melior eſt dies*] Sub. *unus, in atriis tuis, quàm mille* alibi. Ubi enim Deus, ibi Regnum cœlorum eſt, ibi ſumma pax & felicitas eſt.

VATABLUS.

1. V*incenti* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Super Githith* על הגתית] Vide Pſal. 8. ¶ *Filiis Corah* לבני קרח] *Filiorum Corah.* Vide Pſal. 42. & 45. ¶ *Amabilia*] ידידות] *Dilecta, ſuavia, delectabilia.*

2. *Deficit* כלתה] Præ deſiderio ſcilicet. Alii, *deperit, deſiderat.* ¶ *Exſultant* ירננו] Fut. Heb. pro præſ. *geſtiunt, ovant.*

4. *In ſeculum laudant te* עוד יהללוך] Fut. Heb. pro præſ. *perpetuò laudant te.* Alii vertunt per futurum.

5. *Viæ in corde eorum* מסלות בלבבם] i. e. Qui habent animum & ſtudium itineris ſuſcipiendi ad domum tuam, aut qui ſtatuunt ſe ituros, nempe ad Templum tuum: vel qui nihil aliud cogitant quàm quomodo ad te perveniant. Hebraiſmus.

6. *Per vallem Habacea, fontem ponunt eam* בעמק הבכא מעין ישיתוהו] *Per vallem fontis, fontem ponent eam*, ſub. *vallem*: vel, *reddent eam* acſi eſſet unus *fons*: q. d. Multitudo tranſeuntium ſive concurſus populi tranſeuntis efficiet ut in loco, in quo unus erit fons, ſint plures fontes, quòd hîc & illic foſſuri ſint ut aquas ſcaturire faciant. Alii vertunt *per vallem fletûs*: nam הבכה per ה in fine *fletum* ſignificat, & indè *fontem*, quòd ex fonte emanet aqua velut lacrymæ ex fletu oculorum. *Tranſeuntes* igitur *per vallem fletûs*, in qua ob ſiccitatem & ariditatem fletus excitatur tranſeuntibus, *ponent eam fontes*, i. e. ſcaturire facient illic aquas, &c. Legitur & הבכא per א in fine, & tunc *morum arborem* ſignificat. Hinc quidam vertunt, *Per vallem mori arboris*, i. e. per vallem moris abundantem, h. e. aridam: in loco enim arido morus naſci ſolet. Quidam interpretantur vocem Hebræam *Habbacha* tanquam nomen loci aridi. Utcunque ſit, hoc genere dicendi affirmat, illis qui adirent Tabernaculum Domini magno animo nihil defuturum in itinere quantumvis arido, quòd illi habituri eſſent aquas aut è fontibus aut è ciſternis. Obſerva, verbum eſſe futuri temporis. Hebraïcè, *ponent*, ut & ſequens; quod in præſens quidam vertunt, alii relinquunt in futuro. ¶ *Piſcinas operit pluvia* ברכות יעטה מורה] Fut. Heb. *ciſternas obteget* [vel *replebit*] *pluvia*: q. d. Non modò fontes verùm etiam piſcinæ plenæ erunt aquis, ut aſcendentibus ad ſolennitatem nihil deſit. Ità exponunt Hebræi, qui docent ברכות *beracoth*, quod per Cametz ſub ר ſignificat *benedictiones*, poni hoc loco pro ברכות BERECOTH per Sere ſub ר, *piſcinas*, à ברכה BERECHA *piſcina*. מורה autem & *pluviam*, & *docentem*, ſive *doctorem*, aut *doctrinam* ſignificat: propterea Chaldæus Paraphraſtes vertit, *Benedictionibus operiet illos qui converſi fuerint ad doctrinam legis.* Hieronymus, *Benedictionibus amicietur doctor.*

7. *De turma ad turmam*, &c. מחיל אל חיל יראה אל אלהים] *De cumulo ad cumulum* (vel, *de caterva ad catervam*) *comparebit* quiſque eorum *apud Deum*, &c. i. e. ad ſingulas catervas accedent ut audiant laudes Dei: vel, *Ibunt turmatim*, donec *videant Deum*, &c. vel, *apparuerint coram Deo in Sion*: q. d. Nunquam quieſcent donec perveniant ad Templum ipſum ubi Deus ſuper Arcam conſpicitur. Quidam vertunt, *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus in Sion.* Alii, *de doctrina in doctrinam*, vel *de academia in academiam*: i. e. creſcet illorum doctrina, adeò ut unuſquiſque videat eam in Eccleſia: aut, creſcet donec perveniant ad perfectam Dei notitiam.

10. *Elegi eſſe in limine* בחרתי הסתופף] *Malo deſidere ad limen*: q. d. Malim eſſe poſtremus in Eccleſia, &c. ¶ *Impietatis* רשע] *Perturbationis.*

11. *Nec prohibet bonum*, &c. לא ימנע טוב להלכים בתמים] *Nec avertit bonum ab iis qui ambulant per perfectam viam.* Alii, *nec retrahit bonum ab iis qui ambulant in ſinceritatibus*: vel, *perfectione.* Quidam liberiùs, velut exponentes Hebraicum dicendi genus, *Nullo bono deſtituit eos qui in integritate ambulant.*

CASTALIO.

6. Q*ui ſi per flebilem tranſeant vallem, eam reddent fontalem*] h. e. Ubicunque verſantur, Deus eis neceſſaria ſuppeditat: adeò ut ſi natura ea neget, potiùs contra naturam faciat; ut olim in æſtuoſa illa ſolitudine, ubi fontem ſuis ex rupe elicuit. Quod autem dicit *vallem flebilem*, ſignificat ſiticuloſam. Nam ſi in vallibus, quæ naturâ fontibus abundare ſolent, aquam non invenias, quid ſupereſt niſi ut fleas? De *piſcinis* quod dicit, hæc eſt ſententia; Si piſcinas aut ciſternas habeant, ut fieri ſolet in locis montanis, eas ità replebit Deus pluviâ ut prætexantur & conveſtiantur herbis: nè quid eis vel in valle deſit, vel in monte. Nec obeſt quòd non ipſi boni fontes excitant, ut hîc dicuntur; h. e. non ipſi ſibi, ſed Deus neceſſaria ſuppeditat: dicuntur enim Poëtico more id facere quod ipſorum causâ fit. Alludit ad fontem quem Moſes elicuit ex rupe.

CLARIUS.

Multò flagrantiſſimum David deſiderium veniendi in cœtum ſacrum, & felicitas illum adeuntium atque in eo Deum laudantium deſcribitur.

3. *Etenim paſſer*] Dolebat quòd ob inteſtina bella cogeretur deſerere Tabernaculum Domini, ad quod tamen *paſſeribus* & *hirundinibus* patebat aditus. ¶ *Altaria tua, Domine*] Quidam conjungunt ſuperioribus, ſic, *Invenit paſſer domum juxta altaria tua.* Aliis videtur Apoſiopeſis, ut dicat, *Altaria tua, Domine, ego contingere non poſſum.*

5. *Beatus vir*] Heb. *Beatus vir cujus eſt fortitudo à te, omnes qui habent ſemitas in corde ſuo. Tranſeuntes per vallem mororum, fontem ponent ipſam: etiam canales occupabit pluvia; ibunt catervatim.* Vel, *etiam benedictione amicietur legiſlator: ibunt de virtute in virtutem, hoc videbitur à Deo in Sion:* ut ſit ſenſus, Dixerat *beatos habitatores domûs Domini:* quare addit, *Beatus eſt cujus eſt fortitudo à te*, ut ſcilicet ire poſſit ad Templum tuum, & *beati omnes qui habent ſemitas in corde ſuo*, h. e. mentem præparatam ad viſendum Templum Dei. *Tranſeuntes per vallem mororum*, intelligit locum aquis carentem ubi ejuſmodi arbores creſcebant. Homines ergò illi, ſi *tranſirent* per ejuſmodi viam, ut irent ad Templum Domini, *ponerent ibi fontes*, ut aquam haberent: *etiam piſcinas occuparet pluvia*, h. e. & Deus mitteret pluviam. *Ibunt catervatim*, &c. Vel, *benedictione amicietur legiſlator*, i. e. ei qui fuerit doctor aliorum omnes benedicent, *& ibunt de virtute in virtutem. Hæc omnia videbuntur à Deo in Sion.* Quod autem ait, *de virtute*, &c. Hebræa dictio ſignificat, *robur*, *catervam*, *exercitum*, *divitias*.

9. *In faciem Chriſti*] *Uncti*, ipſius ſcilicet David, quem Deus per Samuëlem unxerat in Regem.

10. *Melior eſt dies una*] *Melior eſt dies una* quâ degatur *in atriis tuis quàm mille* quocunque alio loco. Verè pium & dignum Davide animum. Sic quod ſequitur, *Eligerem magis abjectus eſſe*, vel *ad limen accubare domûs Dei*, *quàm habitare in ſplendidis impietatis ædibus.*

11. *Sol & clypeus*] Lux & ſecuritas.

DRUSIUS.

3. גַּם־צִפּוֹר מָצְאָה בַיִת וּדְרוֹר קֵן לָהּ אֲשֶׁר־שָׁתָה אֶפְרֹחֶיהָ. A. Καίγε ὄρνεον εὗρε * καὶ ϛρουθὸς νοσσιὰν αὐτῇ, οὗ ἔθετο νεοσσοὺς αὐτῆς, *Etiam avis invenit * & paſſer nidum ſibi, ubi reponat pullos ſuos*] Deſideratur οἶκον aut aliquid tale. In Theodoreteis, *invenit ſibi domum*, i. e. οἶκον, ἢ οἰκίαν. *Paſſer*] Nihil novum interpretatur. Prov. 26. 2. כדרור, Lxx. ϛρουθοί. Hieron. *ſicut paſſer.* Aliis דרור *hirundo.*

10. מֵאָלֶף. * ὑπὲρ χιλιάδα.

11. כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים. A. Ἥλιος καὶ θυρεὸς Κύριος ὁ Θεὸς, *Sol & ſcutum Dominus Deus.* Sym. Ἥλιον γὰρ καὶ ὑπερασπισμὸν Κύριος ὁ Θεός. Th. Ὅτι ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ Κύριος ὁ Θεός.

12. יְהוָה צְבָאוֹת. A. Κύριος ϛρατιῶν] Origines Hom. 4. in Jeſaiam, *Interpretatur Sabaoth, ut Aquila* tradidit, DOMINUS militiarum.* Soph. 1. 5. לצבא השמים, Lxx. τῇ ϛρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. Epiphanius adv. Hæreſes, *Aquila ubique* ADONAI Sabaoth *interpretatur*, *dicens*, Κύριος ϛρατιῶν, i. e. Dominus exercituum.

AMAMA.

T*Abernacula tua*] Plur. Tempore Davidis enim Arca ſub tentorio erat in Hebron. Tabernaculum verò à Moſe fabricatum & ordinarium Arcæ receptaculum erat in Gibeon. 2 Chr. 1. verſ. 3, 4.

Deficit.] Aben. כמעט כלתה מרוב התאוה שעברה התאוה חוק i. e. modum.

3. לְחַצְרוֹת] *Propter atria.* Alii ſupplent לָבוֹא *veniendi.* ל. *Propter*, ut Ex. 4. לַמּוּלֹת *propter circumciſiones.* Ità Piſc. ſed male. Lxx. ἐπιποθεῖ καὶ ἐκλείπει ἡ ψυχή μου εἰς τὰς αὐλὰς τοῦ Κυρίου.

Caro mea &c. יְרַנְּנוּ, *clamant*] Lxx. ἠγαλλιάσαντο, malè, *exultant.* Vociferantur præ triſtitia. רנן ordinariè *clamorem lætum* denotat. At hic ex collat. membri antecedentis contrarium ſignif. Sic Thr. 2. 19. *Surge* רֹנִּי *de nocte*, *in capite vigiliarum effunde ſicut aquas cor tuum.*

אֶל אֵל] *Propter Deum.* Sic אֶל 2 Sam. 21. 1. ubi cum David conſuluiſſet Dominum cur immiſiſſet famem, Reſpondit אֶל שָׁאוּל ob Saul וְאֶל בֵּית־הַדָּמִים Sic Gen. 37. Deſc. lugens אֶל־בְּנִי שְׁאֹלָה Ad Filium, i. e. propter. R. Sal. ad locum iſtum הרכה אל שמשמשים כמקום על.

4. *Paſſer*] Lxx. ϛρουθίον *paſſer.* Sic & Vulg. Argum. petitionis à minori. Deus viliſſimis animalculis commoda habitacula concedit. Æquum ergo eſt ut beneficium hoc multo magis mihi præſtet.

דְּרוֹר] 1. *Libertas*, 2. *Hirundo*, quod liberè nidificet in ædibus ac ſi homines eam feciſſent liberam, vel quod tam liberè nidificet domi quam in agro, vel quod ita libertate gaudeat ut capta non edat ſed fame contubeſcat. Lxx. τρύγων *turtur* νοσσιὰν ἑαυτῇ.

אֶפְרֹחֶיהָ] *Pullos ſuos.* Aq. νεοσσοὺς σου. Lxx. νοσσία ἑαυτῆς. Vox ſpecialior quam Latina. Sig. enim proprie *pullos avium*, quod productione plumarum quaſi germinent & floreant.

Aliis צפור eſt generale avis ὄρνιον, ſic & Aq. hîc, & דרור eſt ϛρουθὸς *paſſer.* Sic & Prov. 26. דרור, Lxx. ϛρουθὸς, *Paſſer*, Hier. Lxx. hic vertunt τρυγὼν *turtur.*

Altaria tua.] Sub. deſidero, אִינִי vel utinam ſic inveniam. Angli etiam *altaria tua* ſc. inveniunt aviculæ, i. e. juxta altaria tua locum inveniunt. *Altaria*: Nam unum erat *coram Arca*, ut coll. ex 2 Sam. 6. 17. alterum *coram Tabernaculo*, quod tunc in Gibeon, 2 Chr. 1. 5.

6. *Beatus homo cui robur eſt in te: beati in quorum corde ſunt ſemitæ, quæ ſc. tendunt ad illa loca.* Piſc.

Junius, *cui robur* eſt *in te ſemitas* tuas inſiſtendi *ex animi ſui* ſententia.

7. *Qui tranſeunt per Vallem Mori fontem conſtituunt ipſum*, ſc. Deum: *Etiam liberaliſſimè operiet eos pluvia.*

De hac verſ. vide Comm. Piſcatoris. Alii ſic, *Qui tranſeunt per Vallem Mori fontem conſtituunt eam*, ſc. vallem, *excavando eam, ut aquas educant reſtinguendæ ſiti.*

עוברי בע'] Regimen interced. præp. ב. Sic Jud. 8. השכוני באהלים. Jeſ. 5. 11. væ מאחרי בנשף & משכימי בבקר. Jeſ. 9. *Lætitia in meſſe.*

הַבָּכָא] Th. eſt בכה. Lxx. τοῦ κλαυθμῶνος. Vulg. *Lachrymarum.* Hujus vallis fit mentio 2 Sam. 5. verſ. 22, 23. Poteſt accipi collectivè de omnibus locis ſiticuloſis queis delectatur Morus.

בְּרָכוֹת] Vide Piſc. Alii *piſcinas*, i. e. בְּרֵכוֹת Angli, Lieſv. *Ende de Poelen worden met Regen vervult.*

Belg. *De Leeraers worden met vele Zegens verçiert.*

Optimè, *Liberaliſſime operit (eos) pluvia.* Ponitur בְּרָכוֹת pro בִּבְ in benedictionibus, i. e. liberaliſſime, Ezech. 34. 26. *Imbres benedictionis.* 2 Cor. 9. 6. *Qui ſerit ἐπ' εὐλογίαις, metet quoque ἐπ' εὐλογίαις.*

מוֹרֶה] Pluvia tempeſtiva quæ cadit in Octobri ſementa facta. Syno. eſt יוֹרֶה Deut. 11. 14. יורה ומלקש, temporaneam & ſerotinam, quæ cadit in Martio quum jam grandior eſt ſeges. Joël. 2. 23. *Dedit vobis DOMINUS* מורה לצדקה *& demittit vobis* מורה ומלקש *imbrem primorem & ſeriorem. Vroeg en ſpa Regen*, Belgicè. מלקש juxta quoſdam, à מָלֵא & קש quod impleret ſpicas craſſioreſque eas efficeret. Locus Joëlis unus eſt ex iſtis ubi una eademque vox duplici ſign. occurrit. Sic Jud. עֲיָרִים *pulli* & *urbes.* Eccl.... *Sicut ſtrepitus* הסירים תחת הסיר. Vulg. *Benedictiones dabit Legiſlator.*

8. *Qui eunt* מֵחַיִל אֶל־חָיִל] Ang. It. Lieſv. *Sy gaen van de eene ſterckte tot de ander.* Belg. *Sy behouden de eene overwinninge na den ander.* Vulg. *De virtute in virtutem.* Cave intelligas de virt. Ethicâ. Hæc enim חַיִל non ſignif. Sed nec ea mens Vulgati. Sic enim more ſuo expreſſit Gr. δύναμις, πορεύσονται ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, i. e. *de robore in robur.* Pro *Tſebaoth* Vulg. perpetuo D. *Virtutum.* Sic ergo & hic, de virtute, i. e. exercitu ad exercitum, i. e. cœtu in cœtum. Vide Piſc. Jun. Ald. Gen. Vulgatus ferè ſemper Virtus.

חַיִל] 1. *Robur, Potentia*, 2. *Divitiæ.* Ruth. 3. *Exercitus.* Sed transfertur ſæpe ad alias congregationes, ut & צָבָא. 1 Sam. 2. 22. dicuntur Filii Eli concubuiſſe cum Mulieribus הצובאות ad oſtium Tabernaculi, i. e. turmatim congregabantur.

Comparet eorum quiſque apud Deum in Tzion] Belg. *Dat men ſien moet de rechte Godt zy te Zion.*

11. הִסְתּוֹפֵף] Lxx. παραῤῥιπτεῖσθαι, Vulg. *abjectius eſſe.* Th. סַף. R. Sal. לשקר על הסף. Aben. תמים לשבת על abſtr. Sic Amos 5. 10. *loquentem* תָּמִים *abominantur.* הסף. Jun. *frequentare limen.* Zoph. *Qui tranſiliunt limen.*

GROTIUS.

CReditur ſcriptus Pſalmus in memoriam ejus temporis quo majorem Judææ partem tenebat Abſalomus.

6. *Beatus vir cui eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*] *Auxilium* intellige, facultatem eundi ad Templum. Cætera ſic optimè vertas, *Viæ ſunt ſtratæ in medio eorum.* In omnibus locis in quibus habitant, viæ ſunt bene ſtratæ, quæ Hieroſolyma deducunt.

In valle lacrymarum in loco quem poſuit, etenim benedictionem dabit legiſlator] Multæ hic voces ſunt πολύσημοι, [*plura ſignificantes.*] Sed optima interpretatio hæc videtur eſſe, *Tranſituri per vallem mororum, fontem facient eam* (eâ utentur tanquam aquoſo loco:) *nam benedictio* (ſupple *divina*) *operiet eum imbre.* Mori naſcuntur in locis ſiticuloſis. Dicit ergò, Etiamſi in itinere occurrant loca ſiticuloſa, Deus illis pluviam dabit pro fontibus. Vide Ezech. 34. 26.

8. *Ibunt de virtute in virtutem*] Ex Græco, πορεύσονται ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, [*ibunt ab agmine in agmen*, id eſt, *agminatim.*]

natim.] Δυνάμεις his ſcriptoribus, ut Hebræis חיל, *agmina* ſignificant. *Ibunt diſtincti in agmina*, ut in magnis συνοδίαις, [*comitatibus*] fieri ſolet.

PRICÆUS.

11. J*Uſtitia & Pax oſculatæ ſunt*]
Jam minæ ſævi cecidere ferri,
Jam ſilet murmur grave claſſicorum,
Jam tacet ſtridor litui ſtrepentis;
Alta pax Urbi revocata læta eſt.

Prædicatur enim heic felicitas temporis illius, quo iterum in ſolio Davide firmato, pacis legumque beneficio omnes fruebantur. Virgilius.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Ad quæ Servius, *Virgo Juſtitia.* Martialis 12. 6. Nervâ recèns ad Imperatorium culmen evecto,
Recta fides, hilaris clementia, cauta poteſtas
Jam redeunt ——
Cicero 5. 16. ad Atticum, *Adventu noſtro* (in Bithyniam Provinciam) *reviviſcunt Juſtitia, Abſtinentia, Clementia*, &c. Seneca (2. 1. de Clement.) Imperatoris ſui ſeculum μακαρίζων, *Nunc profectò conſentire decebat ad æquum bonumque, expulſâ alieni cupiditate*, &c. *pietatem integritatemque cum fide ac modeſtia ſurgere; & vitia diuturno abuſa regno tandem felici ac puro ſeculo locum dare.* Similia (ex quo fortè Seneca) Horatius, ætatem illam tranquillam ſub Auguſto laudibus ferens. Vide quæ in eandem iſtam, aut non diſſimilem ſententiam ad 1 Tim. 2. 2. *copioſè* annotavimus. Dum dicit, *oſculatæ ſunt*, intellige, quaſi poſt mutuæ abſentiæ diuturnitatem. Megæra apud Claudianum Ruff. 1. de Theodoſii ævo,
—— *En aurea naſcitur ætas,*
En proles antiqua redit, Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas altâ cervice vagantur,
Inſignemque canunt noſtra de plebe triumphum.
Proh dolor! ipſa mihi liquidas delapſa per auras
Juſtitia inſultat, vitiiſque à ſtirpe reciſis
Elicit oppreſſas tenebroſo carcere leges.
Nazarius de Conſtantino triumphanter ingrediente Urbem, devicto Maxentio, *Duci ſanè omnibus videbantur ſubacta vitiorum agmina quæ Urbem graviter obſederant; ſcelus domitum, victa perfidia, diſſidens ſibi audacia, & importunitas catenata: furor victus, & cruenta crudelitas inani terrore frendebat: ſuperbia atque arrogantia debellata: luxuries coërcita & libido conſtricta nexu ferreo tenebantur.*

IDEM.

1. B*Enedixiſti, Domine, terram tuam*] Videtur εὐλόγησας legiſſe, at LXX. habent εὐδόκησας amâſti terram tuam, vel, voluiſti ei. Heſychius, Εὐδόκησαν, &c. ἠθέλησαν, ἠγάπησαν quæ tamen ad locum Rom. 15. 26. videntur pertinere.

9. *Et ſuper eos qui convertuntur ad cor*] Id eſt, fortè, ad intelligentiam, vel reſipiſcentiam. Unde 5. 21. Jeremiæ, *Audi, popule ſtulte, qui non habes cor.* Eodèm ferè recidit quod heic LXX. *qui convertunt ad eum cor ſuum.* Sirachides 22. 7. *Et qui timet convertetur ad cor ſuum:* quæ ultima vox fortè in Vulgata verſione ſupplenda.

Ibid. *Convertuntur ad cor*] Carneum à lapideo. Ezech. 36. 26.

11. *Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt*] Quæ bello inter Davidem & Abſalomum manente capita abſconderunt. Petronius, ubi de bello (itidem civili) ingruente.
Mitis turba Deûm terras exoſa furentes
Deſerit, atque hominum damnatum avertitur agmen:
PAX prima ante alias niveos pulſata lacertos
Abſcondit galeâ victum caput ——
& ſtatim,
Huic comes it ſummiſſa Fides, & crine ſoluto
JUSTITIA, ac mærens lacerâ Concordia pallâ.
Suprà hic 71. 7. *Orietur in diebus ejus JUSTITIA, & abundantia PACIS.* His adde quæ in cæteris Annotatis.

12. *Veritas de terra orta eſt*] *De terra*, pro *in terra:* vel, *de terra*, quâ videbatur ſepulta, iterum caput exſerit. Apulejus in Apologetico, *Veritas olim interverſa, velut alto barathro, calumnia emergit.*

13. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*] Eſaiæ 61. 11. *Sicut terra profert germen ſuum*, &c. *ſic Dominus Deus germinabit juſtitiam & laudem coram univerſis Gentibus. Dare benignitatem* hic eſt quod Pſal. 64. 12. *benedicere coronæ anni benignitatis ſuæ.* Itaque idem utriuſque membri hujus commatis ſenſus, ex more Hebræorum. Calpurnius Siculus de Imperatore ſuo,
Illius ut primùm ſenſerunt numina terræ,
Cœpit & uberior ſulcis fallentibus olim
Luxuriare ſeges, tandemque legumina plenis
Vix reſonant ſiliquis, nec præfocata malignum
Meſſis habet lolium, nec inertibus albet avenis.

14. *Et ponet in via greſſus ſuos*] In via *recta*, quæ vox & ſæpe alibi hoc libro ſubaudienda.

PSALM. LXXXV.

MUNSTERUS.

1. B*Enignus factus es erga terram tuam*] Referunt noſtri hunc Pſalmum ad Regnum Chriſti, intelligentes per *terram* Eccleſiam.

3. *Contraxiſti*] Heb. *congregaſti:* capitur autem ſæpe *colligere* pro *recludere* & *auferre.*

4. *Converte nos, Deus*] Precatio eſt Prophetarum pro ſalute Chriſti mittenda, quam in Spiritu præviderunt futuram.

8. *Pacem ad populum ſuum*] i. e. Loquetur de populo ſuo res ſeſe feliciter habituras. Non enim rarum eſt ut אל capiatur pro על, ſicut è converſo. ¶ Porrò *ſtultitia* vocatur ſervitus cupiditatum, quam excludit pax illa cœleſtis, ubi cor poſſederit hominis.

9. *Gloria*] Intelligitur hîc per *gloriam* præſentia Divinæ Majeſtatis incarnatæ.

10. *Pietas & veritas ſibi obviam factæ ſunt*] Significatur hoc verſiculo Divinarum promiſſionum adimpletio, veritatis, bonitatis, juſtitiæ & pacis abundantia, mutuatâ ſimilitudine ab hominibus ſibi invicem occurrentibus atque mutuò oſculantibus. Additur alia ſimilitudo de fœcunditate terræ reſpondentis benignitati cœli, per quam ſignificatur omnia plena eſſe juſtitiæ & veritatis in Regno Chriſti.

13. *Juſtitia ante eum ambulabit*] h. e. Juſtus quique ſtudebit ambulare ante Deum, *& ponere greſſus ſuos in via* mandatorum Dei, agetque feliciter.

VATABLUS.

1. V*Ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Complacuiſti, Jehova, terra tua* רצית יהוה ארצך] *Reduxiſti in gratiam, Jehova, cum terra tua.* Alii, *Benignus factus es, Jehova, cum terra tua.* Alii, *Gratiam habuiſti, Jehova, terram tuam*, vel, *Faviſti, Jehova, terræ tuæ.* Sunt qui in futuro vertunt præterita iſtorum trium verſuum uſque ad quintum *Redibis in gratiam*, &c. quòd de Meſſia ſcriptus ſit hic Pſalmus, pro cujus adventu precatur. ¶ *Reduxiſti* שבת] Præt. Heb. *avertiſti:* vel per futurum, *avertes, ſedabis, ceſſare facies.*

2. *Remiſiſti* נשאת] Vel *Auferes. Condonabis.*

3. *Abſtuliſti* אספת] *Tolles, colliges, contrahes.*

4. *Et ceſſare fac iram* והפר] *Et diſcute, diſſipa, diſſolve.*

5. *Extendes* תמשך] *Protrahes.*

6. *Converteris, vivificabis* תשוב תחיינו] Duo verba futura ſine conjunctione, quorum alterum Latini vertunt in participium, *Converſus vivificabis*, vel, *vitæ nos reſtitues mutatâ ſententiâ.*

8. *Et non convertentur* ואל ישובו] *Ut non revertantur.* Alii, *nè recidant.*

10. *Obviaverunt* נפגשו] Præterita Heb. pro futuris, ut nonnulli vertunt, quod dictum eſt v. 1. quod & docere videntur futura Hebræis in verſibus ſeq.

11. *Proſpicit* נשקף] Præt. Heb. pro præſ. vel fut. *præbebit ſe viſendam.*

13. *Ante ſe ambulare faciet* לפניו יהלך] *Ambulabit ante eum:* id eſt, unumquemque illorum qui in Regno Chriſti fuerint.

CLARIUS.

VAticinium de Regno Chriſti, & pro adventu ejus precatio cum deſcriptione felicitatis quâ omnia plena ſunt ubi illud obtinuerit.

1. *Benedixiſti*] *Reconciliatus es terra tua, reduxiſti enim è captivitate Jacob.*

4. *Converte nos*] Recipe nos in gratiam: precatur enim ſalutem quæ per Chriſtum danda erat.

8. *Pacem in plebem ſuam*] i. e. Loquetur de populo ſuo res feliciter habituras. ¶ *Ut non revertantur ad ſtultitiam*] *Stultitia* vocatur ſervitus cupiditatum, quam excludit pax illa cœleſtis, ubi cor poſſederit hominis.

9. *Ut inhabitet gloria*] Intelligitur hîc per *gloriam* præſentia Divinæ Majeſtatis incarnatæ.

10. *Miſericordia & veritas*] Significatur hoc verſiculo Divinarum promiſſionum adimpletio, veritatis, bonitatis, juſtitiæ & pacis abundantia, mutuatâ ſimilitudine ab hominibus ſibi invicem occurrentibus atque mutuò oſculantibus. Additur alia ſimilitudo de fœcunditate terræ reſpondentis benignitati cœli, per quam ſignificatur omnia plena eſſe juſtitiæ & veritatis in Regno Chriſti.

13. *Juſtitia ante eum ambulabit*] i. e. Juſtus quiſque ſtudebit ambulare ante Deum, *& ponere greſſus ſuos in via* mandatorum Dei, agetque feliciter. Vel, *Juſtitia precedet illum* qui Domino charus eſt, *& figet greſſus viri illius in via* per quam gradietur: ut propriè referatur ad Chriſtum.

DRUSIUS.

8. אֶשְׁמְעָה מַה־יְדַבֵּר הָאֵל יְהוָה. A. Ἀκούσωμαι τί λαλήσει ὁ ἰσχυρὸς Κύριος, *Audiam quid loquatur fortis Deus.* Sym. Ἀκούσω τί λαλήσει ὁ Θεὸς Κύριος, *Audiam quid loquetur Deus Dominus.* Th. Ἀκούσωμαι τί λαλήσει ὁ Θεὸς Κύριος. *Audiam quid loquetur Deus Dominus.*

AMAMA.

PSalm. partim εὐκτικός, partim παραμυθ. Scriptus ſub perſonâ Judæorum quos premebat Tyrannis Antiochi Epiphanis. Petunt liberationem ab eâ, ad verſ. 9. Deinde ſolantur ſe ſpe exauditionis, ad finem.

1. רָצִיתָ] *Benevolus fueras* vel *fuiſti*, ſcil. quondam, non *benevolus es*, ut Dathenus. Et ſic in ſequentibus. Continetur enim his tribus verſibus argumentum petitionis ſumptum vid. ab ex. liberationis majorum ex Captivitate Babylon.

רָצָה *Benevolum eſſe, delectari, acceptare, beneplacitum habere in aliquo.* Lxx. Per εὐδόκησας τὴν γῆν σε. Et ſic fere ſemper. Conſtr. cum Accuſat. ordinarie, 2. Cum Ablat. intercedente ב Pſalm. 147. 10. non בְּשׁוֹקֵי הָאִישׁ יִרְצֶה. Semel cum עם Pſalm. 50. רָצִיתָ עִמּוֹ Conſtructio cum ב reddita eſt Matth. 3. verſ. ult. ἐν ᾧ εὐδόκησα. Sic & Math. 17. Pſal. 147. LXX. οὐδ' ἐν ταῖς κνήμαις τῦ ἀνδρὸς εὐδοκεῖ.

שְׁבוּת] *Captivitatem*, id eſt, Captivos. Sic *Electio* pro *Electis*, *Circumciſio* pro —*ſis*, *Præputium* pro —*tiatis*, Jirm. 9. *Animadvertam in omnem circumciſum cum præputio.*

3. נָשָׂאתָ עָוֹן] *Suſtuliſti*, *remiſiſti* ἀφῆκας. Conſtruitur cum את & cum ל. Sic accipitur Gen. 4. 13. *Major eſt* עֲוֹנִי *iniquitas mea* מִנְּשׂא τοῦ ἀφεθῆναι με. *Naſa* cum variis nominibus conſtruitur, atque pro diverſâ nominum appoſitione diverſas habet ſignif. I. Cum קוֹל, Prophetia, lamento, parabola &c. conſtruitur & vertunt *aſſume*.

II. Cum שֵׁם vel ברית & ſign. *aſſumere*, ut in Decal.

III. Cum ראש exponitur *levare*. Eſt vel *extollere* vel *promovere aliquem*; vel, ſi de proprio capite agatur, *emergere* ex difficult. vel *ſuperbire*. Aliq. etiam ſign. *recenſere*. נשא ראש

IV. Cum פנים *facies* ſign. *ſuſcipere*, ut *non ſuſcipies perſonam in judicio*. At ſi agatur de *facie propria*, tum eſt vel reverentiæ vel impud. *Levare faciem alterius.* 2 Paral. 19. *Non eſt apud Deum* מַשֹּׂא פָנִים προσωποληψία. *Levare faciem propriam*, *Reverentiæ* Ex. habes Deut. 28. 50. *Gentem fortem facio, quæ non levabit faciem ad ſenem, nec miſeribitur infantium.*

V. Cum manu, Eſtque vel *orantis*, vel *jurantis*, vel *benedicentis*.

VI. Cum נפש *anima* ſign. *inhiare*, *deſiderare*, *concupiſcere*. *Pauper ad mercedem tollit* נפשו. Jirm. 22. *Ad terram ad quam tollunt animas ſuas non redibunt.*

VII. Cum peccato, *tollere*, *remittere*. Sed & aliq. *luere pœnas* ſign. hæc phraſis, & tunc per *portare* vox NASA exponitur Jirm. 18. ubi tamen intercedit part. ב. At Levit. 5. nihil intercedit.

4. אָסַפְתָּ *Collegiſti*] Ad te te congregaſti ne eam effunderes. Sic Joël 2. *Stellæ collegerunt lucem ſuam*, id eſt, contraxerunt, retraxerunt ad ſe. Vulg. *mitigaſti*. Optimè. Sic enim exponi poteſt locus Joël. *Collegerunt*, i. e. minuerunt, quod in irâ eſt *mitigare*. Paulò aliter accipitur vox אסף Zoph. 1. 2. *Colligam omnia à ſuperficie telluris, homines, jumenta.* Sic Pſal. 26. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam*, 104. *Colligis Sp. eorum expirant.* Adhuc aliter Pſal. 27. 10. pro *educare*, *opnemen*.

מֵחֲרוֹן] *Ab excandeſcentia iræ tuæ.* Jun. *quo minus æſtuaret.* At obſtat Regimen.

9. *Audiam*] Precantis vel optantis. Alii volunt eſſe per modum prophetiæ veluti, *Stabo ſuper cuſtodiam meam, & ſpeculabor ut videam quid loquatur*, Hab. 2. 1.

Loquetur pacem] Promittet proſpera omnia. Vel largietur. Poſita præcipua parte pro toto.

Pax optima rerum,
Quas homini &c.

Pax omnis generis bona, omnem bonum ſucceſſum denotat, συλλήβδην πᾶν ἀγαθόν ἐςι. *Utinam ſcires quæ ad pacem tuam pertinerent*, Luc. 18. Gen. *Eſtne pax patri meo. Eſtne pax fratri meo Eſau.* Hinc rogare ſe mutuò de pace, Ex. 18. Hinc Salutandi forma apud Ebr. שלום לך. 2 Sam. 18. Achimas ad Davidem, *Pax.* Ezr. 5. Præfecti initio Epiſt. ad Darium, *Pax.* Hinc in N. T. *Pax vobis*, in Euang. & Epiſtolis.

Ne revertantur ad ſtultitiam] Stult. 1. ſign. *vecordiam, fatuitatem.* Prov. 17. *Increpatio magis terret intelligentem quam* 100. *plagæ ſtultum.* 2. *Avarum.* Ut Jeſ. 32. ubi opponitur נדיב נבל 3. *Pigrum*, Eccl. 4. *Stultus complicat manus ſuas.* 4. *Quamvis improbitatem, impietatem* etiam *maximam*, Pſalm. 14. Job. 1. Unde. *Violatio Dinæ* (Gen. 34.) *Inceſtus Ammonis cum ſorore ſua Thamar*, 2 Reg. 14. *Scelus admiſſum in Uxorem Levitæ*, Jud. 19. *Idololatria*, Hoſ. 2.

Expono ergo לכסלה *in Idololatria*, 1. quia eò maxime inclinabant Judæi, 2. quia maximum peccatum eſt Idololatria, unde & κατ' ἐξοχὴν ſæpe *peccatum* vocatur, Hoſ. 12. 8. Sic de Jerob. Sirach. 49. 5. Præter Dav. Ezech. & Joſiam πάντες πλημμελείαν ἐπλημμήλεσαν. Unde 1 Petr. 4. 3. inſignitur Emphatico Epitheto *Sufficit vobis præterito tempore ea quæ Gentium ſunt perpetraſſe incedendo ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις, οἰνοφλυγίαις κώμοις, πότοις, καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις.* Vulg. *illicitis idolorum cultibus.* Hoc noto ob Valentianum qui lib. 2. de Idol. cap. 6. hic inſinuaſſe dicit aliquam εἰδωλολατρείαν eſſe licitam? quaſi Epitheton hoc diſtingueret, ut in Valetudo, Spiritus &c. q. non eſſent Epitheta perpetua & amplificativa. Si hoc non dabit Jeſuita, cogetur fateri eſſe *Adulteria pura.* Catullus,

Quæ ſeſe impuro dedit adulterio,

aut licita ſtupra dum Cicero vocat *nefaria Catalinæ ſtupra*, aut peccatores pii, dum Judas Epiſtolæ verſ. 15. vocat *impios peccatores.*

11. *Juſtitia & Pax*] Ut *Mater & filia*, *Opus juſtitiæ pax*, *Filia juſtitiæ Pax.*

Juſtitia aliq. *benignitas.* Jud. 5. *Ut narrent omnes juſtitias Domini* 1 Sam. 12. *Ut diſceptem vobiſcum de omnibus juſtitiis Domini.* Pſ. 36. *Communica benignitatem tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam rectis corde.* Mich. 6. 5. *Ut ſcias juſtitias Domini.* Terent. *Ut meæ ſtultitiæ in tua Juſtitia ſit aliq. præſidii.*

יהלך] *Ambulare faciet.* Sic Job. 24. 10. *Nudum* הִלְּכוּ *ambulare fecerunt ſine veſte.*

14. *Juſtitiam*, i. e. *virum juſtitiæ*, *ante ſe.* Piſc. *Juſtitia ante eum ambulabit.*

פְּעָמָיו] *Greſſus ejus*, ſc. juſti.

GROTIUS.

2. A*Vertiſti captivitatem Jacob*] Deſcriptio eſt reditûs in Urbem, devicto Abſalomo. *Captivitatem* appellat exſilium illud ultra Jordanem, ubi David, & qui cum ſequebantur obſeſſi erant, partim à popularibus adverſariis ſuis, partim ab infeſtis gentibus. Optimè potuit hic Pſalmus uſurpari ab Eſdra & Nehemia.

PRICÆUS.

11. L*Ætetur cor meum ut timeat nomen tuum*] Ὑστερολογία pro, Timeat cor meum nomen tuum, ut lætetur.

12. *Glorificabo nomen tuum in æternum*] Theogn.

——— Οὔ ποτε σεῖο
Λήσομαι ἀρχόμενος, ὐδ' ἀναπαυόμενος·
Ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕςατον, ἔν τε μέσοισιν
Ἀείσω.

Vide & ſuprà 33. 1. Cleanthes ad Jovem (id eſt, Deum in Stobæi collectaneis,

Σοὶ δὲ καθυμνήσω, καὶ σὸν κράτος αἰὲν ἀείσω.

13. *Ex inferno inferiore*] In Gr. ἐξ Ἅιδυ κατωτάτυ ex periculo maximo & graviſſimo. Sic, ſummas tenebras Scriptor Sapientiæ 17. 14. ſignificare volens, νύκτα ἐξ ἀδυνάτυ Ἅδυ μυχῶν ἐπελθοῦσαν dixit.

14. *Non propoſuerunt te in conſpectu ſuo*] Id eſt, rejecerunt poſt terga ſua. Vide ſuprà 9. 26.

17. *Fac mecum ſignum in bonum: ut videant qui*, &c.] Sic ferè Pſalm. 108. 26, 27.

IDEM.

2. *CUſtodi animam meam*] Vitam meam, ut paſſim hoc in libro.

Ibid. *Quoniam ſanctus ſum*] *Quoniam* (ut 17. 22.) *cuſtodivi vias tuas:* ubi & ſequitur com. 26. *cum ſancto ſanctus eris.* Sic *ſanctus* 11. 1. & alibi. Judith. 8. 29. *Mulier ſancta es, & timens Deum.*

5. *Tu, Domine, ſuavis & mitis*] Patiens, & non iraſcens per ſingulos dies, ſuprà 7. 12. Vide infrà hic com. 15.

Ibid. *Et multa miſericordiæ*] *Omnes viæ tuæ* (ut Tob. 3. 2.) *miſericordia*, &c.

Ibid. *Omnibus invocantibus te*] Sirach. 17. 28. *Quàm magna miſericordia Domini*, &c. *convertentibus ad ſe!*

8. *Non eſt ſimilis tui in Diis, Domine*] Inter Reges terrenos. Suprà 82. 1. & 6. Jerem. 10. 7. & alibi. Hinc 83. 8. & 135. 2. *Deorum Deus:* & 94. 3. *Rex magnus ſuper omnes Deos:* & 134. 5. *Deus præ omnibus Diis.*

10. *Quoniam magnus es tu*] 94. 3. & 134. 5.

Ibid. *Et faciens mirabilia*] Job. 5. 9. & 9. 10. Suprà 71. 18.

14. *Iniqui inſurrexerunt ſuper me*] Suprà 26. 12. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui.* Adde Job. 16. 9. LXX. hîc, *ἐπανέστησαν* & forſan ad hunc locum pertinent Heſychii illa, Ἐπανέστησαν, *μετ᾽ ἀυτοὺς ἀνέστησαν* quæ non dubito corrupta eſſe, nec in tranſitu tamen niſi exturbando media illa, viam emendandi video.

15. *Tu, Domine, miſerator & miſericors, patiens*, &c.] Sapient. 15. 1. *Tu Deus noſter, ſuavis & verus, patiens, & in miſericordia diſponens omnia.*

16. *Da imperium tuum puero tuo*] Conforta ſervum tuum.

17. *Fac mecum ſignum in bonum*] Ut infrà 118. 122. *Suſcipe ſervum tuum in bonum:* & 14. 11. Jeremiæ, *Noli orare pro populo iſto in bonum.* Vide & Jerem. 15. 11. & 24. 5. Sirachides 11. 13. *Et oculus Domini reſpexit illum in bono:* ubi aptiùs *in bonum* legas: quin & ibi *εἰς ἀγαθὰ* habet Græcus contextus. *Signa* huic Interpreti ubique ſunt miracula, prodigia: ut & Helleniſtis *σημεῖα*. Heſychius, Σημεῖον, *τέρας*. Itaque *ſignum fac*, eſt, ede aliquod eximium inſolitumque potentiæ tuæ ſpecimen in me adjuvando. Tale, *μετὰ μεγαλομεροῦς ἐπιφανείας ἐκ τοῦ παρὰ πόδας*, &c. *μόρου ῥύσασθαι* in tertio Maccabaico.

Ibid. *Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me*] Ità infrà 108. 26. *Salvum me fac*, &c. *& ſciant quia manus tua hæc.*

PSALM. LXXXVI.

MUNSTERUS.

PRecatur Propheta in hoc Pſalmo ſe juvari à Deo ut innocenter & piè vivat. Deinde in verſu, *Omnes gentes quas feciſti venient*, vaticinatur de Regno Chriſti, ſub quo omnes gentes ad veritatem erant venturæ & ad ſalutem vocandæ. Quando verò ſe dicit *liberatum ex inferno inferiori*, intelligitur hìc per *infernum* periculum quodque capitale, quod in ſepulcrum afflictum demiſiſſet niſi Deus liberatorem ſe exhibuiſſet. Et quod ultimo verſu rogat *ſecum fieri ſignum*, hoc propterea dicit quòd ſine magno ſigno homo abjectus & toto Regno expulſus non poterat evehi in Regni ſolium.

VATABLUS.

1. *PAuper* עני] *Afflictus.*

2. *Miſericors ſum* חסיד אני] *Miſericordiæ ſtudeo.* Alii, *ſanctus ſum*, vel *bonus:* i. e. ſanctitatis, ſive bonitatis ſtudioſus.

5. *Et parcens* וסלח] *Et veniæ largitor.*

7. *Invoco*, &c. אקראך כי תענני] Fut. Heb. *invocabo te*, ſciens *quòd exaudies me.*

8. *Nec ſunt ſecundum, opera tua* ואין כמעשיך] Quidam paraphraſticè vertunt, *nec eſt qui faciat opera qualia tu facis.*

9. *Et genuflectent* וישתחוו] *Et adorabunt: & ſupplicabunt.*

11. *Uni* יחד] *Conſtringe:* i. e. fac ut animus meus nomen tuum ſolum timeat.

13. *Ex fovea inferiori* משאול תחתיה] *Ex ſepulcro inferiori.*

14. *Superbi* זדים] *Contumaces, temerarii: ex malitia peccantes, non laceſſiti: arrogantes.* ¶ [*Fortium* עריצים] *Robuſtorum.* Significat illos fortes qui propriis fidunt viribus. Alii, *terribilium.* Alii, *nebulonum.* Quidam, *violentorum.*

15. *Longus irâ* ארך אפים] i. e. Longanimis. Hebraïſmus.

17. *Fac mecum ſignum in bonum* עשה עמי אות לטובה] i. e. Declara ſigno aliquo te mihi favere. Hebraïſmus. Quidam, *Ede ſignum aliquod bonitatis tuæ erga me.* Alii, *Inſigniter benefac mihi.*

CLARIUS.

PRecatur Propheta in hoc Pſalmo ſe juvari à Deo ut innocenter ac piè vivat: ubi & de Regno Chriſti fit mentio.

2. *Sanctus ſum*] Candido ſum erga te pectore.

7. *Quia exaudiſti me*] Quia ſolitus es me exaudire.

9. *Omnes gentes*] Vaticinatur de Regno Chriſti, ſub quo omnes Gentes ad veritatem erant venturæ & ad ſalutem vocandæ.

11. *Ingrediar in veritate tua*] Nihil dubitabo quin bonâ fide mihi comes itineris futurus ſis.

13. *Ex inferno inferiori*] Intelligit periculum capitale, quod in ſepulcrum afflictum demiſiſſet niſi Deus ſe liberatorem exhibuiſſet.

17. *Fac mecum ſignum*] Hoc propterea dicit quòd ſine magna ſignificatione favoris Dei erga ſe homo ejectus & toto Regno expulſus non poterat evehi in ſolium Regni.

DRUSIUS.

3. כל־יום. Sym. *καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, per ſingulos dies*] Hauſi ex Theodoreto. Cæterùm Euthymius, aut potiùs ejus Interpres Philippus Saulus, *Pro*, totâ die, *Symmachus* ſemper *interpretatur.* Vide ſuprà 71. 8.

5. סַלָּח. A. Th. *ἱλαστής*. Sym. *ἀφιείς*] Theodoretus, *Hoc autem* mitis *Aq. & Th.* placabilis *dixerunt.* Euthymius, *Pro* mitis, *Aq. & Sym. dixerunt* propitius Ἀφιείς, *remittens.* סלח *condonans.*

7. אֶקְרָאֶךָּ כִּי תַעֲנֵנִי. Sym. *ἐπικαλέσομαί σε, ὅτι εἰσακούσῃ μου*, *invocabo te, quoniam exaudies me.*

11. יַחֵד. A. *μοναχῶς, ſimpliciter.* Sym. *ἕνωσον, uni ſive unito.*

16. תְּנָה־עֻזְּךָ לְעַבְדֶּךָ. Sym. *δὸς ἰσχὺν παρά σου τῷ δούλῳ σου.*

AMAMA.

תְּפִלָּה לְדָוִד] Contra 1 Paral. 23. 28. טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ.

1. *Aurem tuam*] Deo *ἀνθρωποπαθῶς* ferè hæc membra tribuuntur, Oculi, Auris, Naſus, Manus, Brachia. Ex ſenſibus exterioribus tres, Auditus, Viſus, Olfactus. Olfactus Gen. 8. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorum ſuavitatis*, &c. Quærit R. Moſes cur hi tantum & non Tactus & Guſtus etiam? Reſp. Omnibus hoc infixum Creatorem non jungi cum creaturis, ut corpus cum corpore. Jam vero duo illi ſenſus non apprehendunt ſenſata ſua, niſi attingant ea; Viſus vero, Auditus & Olfactus apprehendunt ſenſata ſua, & corpora in quibus ſunt ipſæ ſenſibiles qualitates etiam remota, etiamſi non tangant ea.

Gellius Noct. Att. l. 19. Cap. 2. docet ex 5. corporis ſenſibus duos eſſe homini cum belluis maxime communes. Per omnes voluptas animo aut corpori quæri videtur. Ex his omnibus quæ immodicè voluptas capitur, ea turpis atque improba cenſetur. Sed enim quæ nimia ex guſtu & tactu eſt voluptas, omnium rerum fœdiſſima eſt. Eoſque maxime qui duabis iſtis belluinis voluptatibus ſe dederunt, graviſſimi vitii vocabulis Græci *ἀκολάστους καὶ ἀκρατεῖς* appellant, nos incontinentes & intemperantes. Iſtæ autem voluptates 2. guſtus & tactus, i. e. libidines in cibos & Venerem prodigæ, ſolæ ſunt hominibus communes cum beſtiis, & idcirco in pecudum numero habetur quiſquis eſt his ferinis voluptatibus prævinctus.

4. *Ad te tollo* vel *levo animam meam*] Phraſis Ebr. qua ſignita aliquid expectare, concupiſcere, quaſi totus inde dependeas, & quaſi ſine eo vivere non poſſis. Pſ. 142. *Doce me viam tuam, qua ad te levo animam meam.* Jrm. 22. *Et in terram ad quam illi levant animam ſuam non revertentur.* Deut. 24. *Dabis ipſi mercedem ejus ante ſolis occaſum, quia pauper eſt & ad eam levat animam ſuam*, Vulg. *ex eo ſuſtentat animam ſuam.* Hoſ. 4. 9. *Peccatum populi mei comedunt & ad iniquitatem eorum levant animas ſuas.* Qui ſcilicet culinæ eorum melius proſpiciatur.

בְּכָל־לִבִּי] *In* pro *Ex.* Sic Deut. 6. 5. בכל־לבבך Marc. 12. 30. *ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου.* Hab. 2. 4. *Juſtus vivet* בֶּאֱמוּנָתוֹ. Gal. 3. 11. *ἐκ πίστεως.* Sic Pſ. 15. 3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo* בלבבו pro בלבו. *Loqui* enim *in corde* phraſi Ebr. eſt *cogitare*, ut paſſim in Koheleth. Pſ. 14. &c. *At cogitare veritatem non ſufficit,*

ficit. Hoc enim faceret ad Machiavell. & Jeſuiticas æquivocat. & mentales reſervationes ſtabiliendas.

Ex Inferno inferiori] Primò ſc. non eſſe in Ebr. Comparativum, ne quis ex vi vocis præſupponat Poſitivum. Cujus reſpectu hic ſit inferior. Deinde nihilominus quæri poteſt ſitne hoc Epithetum διακριτικὸν an verò ſit perpetuum. Certe Genebr. hinc probat diverſas Inferni Regiones, quas Ebr. 7. illi 4. ponunt. Vide Differt. Alii volunt διακριτικὸν, ſed aliâ ratione, ut ſc. diſtinguatur à ſepulcro, quod etiam vocatur שאול. Et duo loca præterea extant ſimilia, Deut. 32. 22. & Prov. 15. 24. ubi tamen Jun. ſemper *ſepulcrum* vertit. Juxta hanc interpretationem erit Epitheton perpetuum. Omne enim ſepulcrum inferum eſt. Ego neſcio utra ſent. præferenda. Poteſt enim utroque modo.

Infernus, a, um. Inferus, a, Inferum, Mare Tyrrhenum; ut *Superum*, Hadriaticum.

R. Sal. *Ex decreto tuo in profundiſſimo loco ſtabulabuntur adulteri, inter quos ego ſim. At hinc me eruiſti dum per Nathan condonationem mihi annunciaſti.* Illud obiter notetur Genebr. hic fateri *Sheol* aliq. ſign. *ſepulchrum*, contra Bellarminum.

Quærunt animam] In malum. Contra Prov. 29. 10. At Pſ. 142. eſt דרש.

GROTIUS.

O*Ratio ipſi David*] Uſurpata, ut Hebræi nos monent, ab Ezechia.

13. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*] ἐξ ᾅδου κατωτάτου. Senſus eſt: *ex ſpecu profundiſſima*: id eſt, graviſſimo periculo.

PRICÆUS.

2. D*Iligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*] Ita Virgilius de Carthagine,

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo. ——

PSALM. LXXXVII.

MUNSTERUS.

1. F*Undamenta ejus*] Celebrat in typo civitatem Jeruſalem, ut quam Deus *præ omnibus habitationibus Jacob elegit*, in qua cœlorum inſtitueret Regnum, atque hinc ad cunctas orbis propagaret nationes.

4. *Memor ero Rahab*] i.e. Agnoſcam inter populum meum & hos qui extremi fuere hoſtes ejuſdem populi mei; eritque una Eccleſia Iſraelitarum & Gentium. Intelligitur autem per *Rahab* Ægyptus. ¶ *Iſte natus eſt ibi*] Unientur Gentes fidelibus Dei habitantibus in Zijon, eò quòd ille in Zijon ſit natus qui ab omnibus juſtis fuit exſpectatus & à Prophetis prænunciatus. Illo autem illic nato & mundo manifeſtato, factum eſt ut quàm plurimi ibi renaſcerentur, ut quotidie diceretur, *Iſte & ille natus eſt ibi*, deditque nomen Chriſto; *& Altiſſimus confirmabit hanc Eccleſiam ſuam.*

6. *Dominus recenſebit*] i.e. Dominus numerabit omnes illos qui renati fuerint, conſcribetque omnes populos qui in eum crediderint.

7. *Et cantores ſicut tibicines*] i.e. Quicquid uſquam inveniri poteſt laudis & præconii, erit in Zijon, ad extollendam Dei bonitatem, qui Filium ſuum pro totius mundi ſalute tradidit: meræque *ſcaturigines* ſanctiſſimarum meditationum, cogitationum & locutionum Divinarum erunt in ea. Aut intelliguntur per מעיני effuſiones gratiarum & beneficiorum Dei.

VATABLUS.

1. F*Iliis Corah* לבני קרח] *Filiorum Corah.* Vide Pſal. 42. & 45. ¶ *Pſalmus cantici* מזמור שיר] Vide Pſal. 30. ¶ *Fundamentum ejus* יסודתו] Iſtud eſt altera pars inſcriptionis Pſalmi apud Hebræos. Relativum ſine antecedente poſitum eſt more Hebræorum. Nonnulli referunt ad Pſalmum, vertentes, *Cujus Pſalmi fundamentum* jactum eſt *in montibus ſanctis*, i.e. de Jeruſalem quæ fundata eſt in montibus nempe Moria & Sion. Alii dicunt referre *Jeruſalem*, aut *Templum*. Qui Pſalmum propiùs conſiderant, ſcribunt relativum iſtud referre *Deum* qui ſelegerit ſibi montes ſanctos in quibus fundaret urbem ſuam regiam Jeruſalem & Templum ſuum. Nam v. 5. ſequitur, *Et ipſe confirmabit eam Altiſſimus.*

3. *Glorioſa* נכבדות] *Præclara.*

4. *Memorabo Ægyptum & Babel inter ſcientes me* אזכיר רהב ובבל לידעי] *Memor ero Rahab & Babylonis cum his qui me agnoſcunt.* Alii, *Faciam memorari Rahab & Babel cognoſcentibus me*: i.e. reputabuntur inter domeſticos & familiares meos. ¶ *Iſte natus eſt ibi* זה ילד שם] Pronomen ſing. pro plur. *Iſti nati ſunt ibi*: q.d. De illis urbibus, inimiciſſimis aliquando Iſraëlitis, multi in conſortium illorum & in populum Dei annumerabuntur, & concives efficientur. Id etiam ſeq. verſus 5. & 6. indicant.

5. *Vir & vir* איש ואיש] Hebraïſmus, i.e. Iſte & ille: ſive plures.

6. *Numerabit* יספר] *Recenſebit.*

7. *Ut tibicines* כחללים] Conciſa oratio, ſub. *laudes dicent*: q.d. & voce & muſicis inſtrumentis cantabunt laudes tuas. Quidam Hebræorum vertunt, *Et cantores ſicut mulieres*: q.d. Tam viri quàm mulieres te laudabunt. Alii, *At in Sion cantores erunt ut tibicines*: q.d. Tam facile erit invenire in Jeruſalem præcones Divinarum laudum quàm in aliis regionibus tibicines. Abundantiam fidelium in urbe Jeruſalem Deum laudantium deſcribit. ¶ *Fontes* מעיני] *Scaturigines.* Alii, *modulationes.* מעינים *ſcaturigines & fontes* ſignificat: transfertur autem ad *modulationes*, quæ è pectore, velut è fonte aquæ, ſcaturiunt & ebulliunt. Quidam *oculi* vertunt; acſi dicat, Semper oculos meos habebo in te conjectos.

CASTALIO.

2. A*Mat Jova portas Sionis præ cunctis Jacobidarum domiciliis*] Vide Eſa. 54.

4. *Cum Ægyptum & Babylonem apud meos notos commemoro*] Dei verba ſunt. ¶ *Ille ibi natus eſt*] Ità pauci ſunt illarum gentium homines, ut poſſint facilè numerari ſi cum Sioniis conferantur. *Ille*, h.e. pauci: & quod ſequitur *alium atque alium*, h.e. multos; qui repetitione ſignificantur, ut etiam apud Latinos. Non abſimile eſt quod Eſa. 61. dicitur *duplex pudor* pro *magno*, & Pſal. 80. *lacrymæ* שליש *tergeminæ*, ut ità loquar, pro *grandibus*, & Prov. 22. שלשום *tripliciter* pro *magnopere*, aut *etiam atque etiam*. Sic & Latinus. Poeta *terque quaterque beatos* dixit pro *beatiſſimos*: & Gallicæ linguæ ſuperlativi tales ſunt, *treſgrand*, q. *trigrandis*, i.e. grandiſſimus.

5. *De Sione verò dicetur, alium atque alium in ea natum*, &c.] Eadem ſententia eſt; Si ego Jova cæterorum populorum hominum numerum deſcribam, certos & paucos inveniam: At ſi tuorum, ò Sion, h.e. Chriſtianorum, tantus erit fons ut ſit præ multitudine canendum.

CLARIUS.

E*Ccleſiam ſanctorum ſub typo Hieruſalem ſacri Vates prædicant, quia hæc Hieroſolymis cœpit, atque indè per orbem diffuſa eſt, & ad cunctas propagata mundi nationes.*

2. *Diligit Dominus portas Sion*] Elegit enim Hieruſalem *præ omnibus urbibus ac locis Jacob*, i.e. populi Judæorum.

4. *Memor ero Rahab*] i.e. Agnoſcam inter populum meum & hos qui extremi fuere hoſtes ejuſdem populi mei; eritque una Eccleſia Iſraëlitarum & Gentium. Intelligitur autem per *Rahab* Ægyptus. ¶ *Ille natus eſt illic*] Unientur Gentes fidelibus Dei habitantibus in Sion, eò quòd ille in Sion ſit natus qui ab omnibus juſtis exſpectatus fuit & à Prophetis prænunciatus.

5. *Et de Sion dicetur*] Ubi ille natus illic fuerit & declaratus, factum eſt ut quàm plurimi ibi renaſcerentur, ut quotidie diceretur, *Ille & ille natus eſt ibi*, deditque nomen ſuum Chriſto, *& Altiſſimus confirmabit hanc* Eccleſiam ſuam. Vel, *De Sion quidem dicetur quod plurimi nati ſint in ea, ſed inſignis ille confirmabit eam, cum ſit altiſſimus.*

6. *Dominus commemorabit*] i.e. *Dominus efficiet, dum conſcribit populos* qui in ſe credent, *ut commemoretur quod iſte inſignis ibi natus ſit.*

7. *Et cantores*] Quicquid uſquam inveniri poteſt laudis & præconii, erit in Sion, ad extollendam Dei bonitatem, qui Filium ſuum pro totius mundi ſalute tradidit, meræque ſcaturigine ſanctiſſimarum meditationum & locutionum Divinarum erunt in ea: nam quidam vertit, *Omnes ſcaturigines meæ in te.* Propriè autem ſignificat *ſtudium & diligentiam.*

DRUSIUS.

1. לבני־קרח. A. & Sym. τῶν υἱῶν Κορὲ, *filiorum Core.*

¶ יְסוּדָתוֹ בְּהַרְרֵי־קֹדֶשׁ. A. Θεμελίωσις αὐτῆ ἐν ὄρεσιν ἡγιασμένοις, *Fundatio ejus in montibus ſanctificati.*

4. יֻלַּד. A. & Sym. ἐτέχθησαν] Euthymius, *Nam quod Lxx. dixerunt* ἐγεννήθησαν, *generati ſunt*, Sym. & Aq. reddiderunt ἐτέχθησαν, *nati ſunt.*

5. וּלְצִיּוֹן יֵאָמַר. Sym. Περὶ δὲ Σιὼν λεχθήσεται, *De Sion dicetur.* A. Καὶ τῇ Σιών. ¶ אִישׁ וְאִישׁ יֻלַּד־בָּהּ. Sym. Ἀνὴρ καὶ ἀνὴρ ἐτέχθη ἐκεῖ. Aliud Scholion, Περὶ δὲ Σιὼν Φῶς λεχθήσεται· ὅτω γὰρ ὁ Σύμμαχος, ἀνὴρ καθ' ἕκαςον ἄνθρωπος ἐτέχθη ἐκεῖ. Th. V. & VI. ed. --- ἐγενήθη. --- ¶ וְהוּא יְכוֹנְנֶהָ עֶלְיוֹן. Sym. αὐτὸς δὲ ἥδρασεν αὐκὴν ὁ ὕψιςος, *Ipſe verò ſtabilivit eum Supremus.*

6. יְהוָה יִסְפֹּר בִּכְתוֹב עַמִּים זֶה יֻלַּד־שָׁם סֶלָה. Sym. Κύριος ἀριθμήσει γράφων λαὸς, ὅτος ἐτέχθη ἐκεῖ, *Dominus numerabit ſcribens populos, hic natus eſt illic.* A. ὅτος ἐτέχθη ἐκεῖ, ἀεὶ, *hic natus eſt illic ſemper.* V. ed. ἐν ἀπογραφῇ λαῶν ὅτος τεχθήσεται] Colligo ex verbis quæ in Scholio quodam Græco ad Pſalmum proximè ſequentem, ὁ μὲν πρὸ τότε ψαλμὸς τὴν γένεσιν αἰνίττεται τοῦ Χριςοῦ, ὡς τὸν καιρὸν ἡ έ δεδήλωκεν ἔκδοσις, Ἐν ἀπογραφῇ τεχθήσεται, λέγυσα.

7. וְשָׁרִים כְּחֹלְלִים כָּל מַעְיָנַי בָּךְ. * καὶ ᾄδοντες χοροὶ, πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοί. Hauſtum ex Scholio illo, ἡ γένεσις τοῦ σωτῆρος διὰ τοῦ προλαβόντος ἐδηλοῦτο ψαλμοῦ, ἐν τῷ, Καὶ ᾄδοντες χοροὶ, &c. Vide ſis ed. Rom. ad Pſal. ΠΖ.

A M A M A.

PSalm. Ἐυχαριςικὸς pro duplici benef. 1. Iterata fundatio Templi poſt Capt. 2. Pro promiſſione vocationis Gentium. Iterata fundatio Templi verſ. 1. & 2.

Poſterius argumentum proponitur verſ. 3. generaliter, deinde ſpecialiter. Ubi comparatur generationi, numerationi, conſcriptioni.

יְסוּדָתוֹ] ו refert Ab. & R. Sal. ad Pſalmum עִקַּר fund. i. e. argumentum potiſſimum hujus Pſalmi eſt בהררי, i. e. על de montibus S. Alii fere omnes referunt ad ſequentem verſum. Jun. *Fundationem ſuam inter Montes Sanctuatis. Diligit Dominus portas Sijonis.* Alii, *Fundamentum cujus in Mont. Sanctitatis. Diligit Dominus* &c. ut ſit tranſpoſitio & Relativum ante anteced. ut Mat. 17. *Et objurgavit illud & exiit ab eo dæmonium.* Piſc. accipit per ſe. *Fundatio ejus in Montes Sanctuatis.* Ejus ſc. Templi. Relativum ſine anteced. quod crebrum. Job. 2. *Nudus egreſſus ſum* &c.

Montibus] Moria & Tzion, licet Moria fuerit quaſi collis Tzijonis.

2. *Tzijonis*] Id eſt, Templi vel Urbis.

מִכֹּל] *Præ omnibus.* Vulg. *Super.* Quæ vox hic comparationem ſignificat Sic Pſ. 119. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & Topazion.* Cant. 4. *Odor unguentorum ſuorum ſuper omnia aromata.* Hic in Ebr. eſt מִ. At hinc male explicat Senenſis locum Pſ. 24. *Fundâſti terram ſuper maria.* Ibi enim eſt על

3. נִכְבָּדוֹת] Aben. כָּל־אֶחָד מֵהַתְּהִלּוֹת נִכְבָּ'. Alii דִּבֵּר ג' Jun. *Honorificentiſſima quæcunque prædicantur.* Piſc. *Glorioſarum rerum quæque prædicatur de te.* Nota 'ב notare περὶ Objecti.

לְיֹדְעָי] *Apud notos meos*! Vel, *cum notis meis.* ל *cum.* Gen. 46. 26. *Omnis anima veniens* ליעקב *in Ægyptum 66.*

כוּשׁ] Æthiopia duplex: una ſupra Ægyptum ubi nunc eſt R. Abyſſinorum: Altera infra, Midian, unde uxor Moſis *Madianitis* vocatur כושית Num. 12. 1. Hom. Iliad. I.

Οἱ μὲν δυσσομένε ὑπρίονος οἱ δ' ἀνίοντοι.
Solis ad occaſum quidam, quidam ſed ad ortum.

Sic & Strabo & Plinius.

Verſ. ult. Jun. *Canunt æquè ac exultant fontes.* Alii, *Et cantores ſicut tibicines erant ibi; omnes* &c. Alii. *Canunt ſicut choreas ducentes omnes fontes* &c.

G R O T I U S.

4 M*Emor ero Rahab & Babylonis ſcientium me: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populi Æthiopum, hi fuerunt illic*] *Rahab* eſt Ægyptus, ob *ſuperbiam* ſic dicta, ut apparet infrà 89. 11. Eſaiæ 51. 9. Deus autem loquitur, & ait: *Si quaram ex Ægyptiis vel Babyloniis, vel Palæſtinis, vel Tyriis, vel Æthiopibus, qui eorum me noverint*, dicent, *Hi tales nati apud nos ſunt.*

5. *Numquid Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea?*] An in eum modum dicent Hieroſolyma, *Hic & ille* (id eſt, unus & alter pius) *natus hic eſt?*

Et ipſe fundavit eam Altiſſimus] *Imò verò hanc civitatem totam formavit Altiſſimus: ſuis moribus imbuit.* כּוֹן ſolet verti πλάττειν, [*formare.*]

6. *Dominus narrabit in ſcripturis Populorum ac Principum horum qui fuerunt in ea*] Repetit aliis verbis quæ dixerat: *Deus in matricula populorum facile numeret* (nempe pios, ex ſuperioribus, dicens,) *Hic ibi natus eſt.*

7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*] In Hebræo, *Sicut præcemor ita chorus: omnes ſcaturigines meæ in te.* Senſus eſt, Longè aliter apud te, ô Sion res ſe habet: *qualis eſt præcentor talis eſt chorus* (proverbiale hoc, ſignificans maximos minimoſque in hac re eſſe ſimiles:) *abundantia mea* (quæ per *aquas* ſignificatur) *apud te eſt.*

P R I C Æ U S.

1. I*N die clamavi, & nocte coram te*]

Me matutinum flentem conſpectat Eous,
Invenit & flentem paulò poſt Heſperus idem.

Nam & heic, ut Heb. 5. 7. clamorem fletu mixtum intellige.

5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum*] In Gr. προσελογίσθην μετὰ τῶν καταβαινόντων εἰς λάκκον ut & Eſai. 53. 12. μετ' ἀνόμων ἐλογίσθη· & Baruch. 3. 11. προσελογίσθης μετὰ τῶν εἰς Ἅδην· nempe καταβαινόντων. *Æſtimatus ſum* valet ergò, *numeratus ſum:* planè ut apud Apulejum, *In peculio Proſerpinæ & familia Orci numeratus.* In Plauti Mercatore ille,

——— *Ubi ego ſum? heic an apud mortuos?*

Ibid. *Inter mortuos liber*] Contemptus, pluris non habitus quàm habentur mortui. Sic ſuprà 30. 13. *Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus*, &c. & infrà 142. 4. de inimico ſuo, *Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi.* Plinius lib. 9. epiſt. 9. *Miſerorum non ſecùs ac defunctorum* (plerique) *obliviſcuntur.* Apud Senec. Controverſ. 5. 2. ille pauper de divite loquens, *Me ſemper contempſit, nunquam niſi pro mortuo habuit.* Hunc & in ſenſum puto commodè exponi poſſe Apoſtoli illud Gal. 6. 16. de cruce Chriſti, Δι' ὃ ἐμοὶ κόσμος ἐςαύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ· q. d. mortuus (i. e. nihili) eſt mihi mundus, ſicut ego mundo mortuus ſum, h. e. deſpectiſſimus. Ἐςαύρωται, ſpecies pro genere) τέθνηκεν.

6. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris*, &c. Laberius apud Macrobium,

Sepulcri ſimilis nil niſi nomen retineo.

8. *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*] Job. 31. 23.

9. *Poſuerunt me abominationem ſibi*] *Tanquam prodigium factus ſum*, &c. ſuprà 70. 7. ubi dicta vide. *Qui videbant me*, (ut ſuprà 30. 13.) *à me foras fugerunt.*

16. *Pauper ſum, & in laboribus à juventute mea*] Suprà 30. 11. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.*

Ibid. *Exaltatus autem humiliatus ſum*] Id eſt, fortè, exaltaſti me autem ut me magis humiliares. Sic infrà 104. 11. *Elevans alliſiſti me.*

19. *Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria*] In Eunucho Terentii,

——— *Omnes noti me atque amici deſerunt.*

Apud Suidam in Οἰκονομῶ,

Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι.

Vide ſuprà 31. 12. & 37. 12. item Job. 19. 13, 14.

I D E M.

4. Q*Uia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquat*] Vide Pſal. 54. 5, 6.

6. *Factus ſum*, &c. *ſicut vulnerati dormientes in ſepulcris*] Sic 14. 19. Eſaiæ ad Babylonem, *Projectus es* (i. e. eris) *de ſepulcro tuo*, &c. *& obvolutus cum his qui interfecti ſunt gladio.* Vide infrà 88. 11.

Ibid. *Quorum non es memor ampliùs*] Quorum non eſt ampliùs memoria

7. *Poſuerunt me in lacu inferiore*] Inferno inferiore, ſuprà 85. 13. lacu miſeriæ, Pſal. 39. 3. Adde dictum Eſaiæ locum.

8. *Super me confirmatus eſt furor tuus*] Ut contrà 116. 2. *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus.*

Ibid. *Et omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*] *Duraris* (ut Job. 39. 16.) *ad filium tuum, quaſi non ſit tuus.* Vide ſuprà 41. 8.

9. *Longè feciſti notos meos à me*]

Cùm fueris felix multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia?*] Sperare non poſſum cùm mortuus fuero te me reſuſcitaturum, ut tuas laudes de-

cantem: audi ergò preces meas dum adhuc vivo. Vide Job. 14. 14.

PSALM. LXXXVIII.

MUNSTERUS.

1. *Mahalath*] Invenitur hæc dictio quoque in titulo Pſalmi 53. incertum tamen eſt quid propriè ſignificet. Quidam accipiunt pro *inſtrumento*, alii pro certa *modulatione*, alii pro *infirmitate*, & hi exponunt לענות pro *ad affligendum.* Porrò quis *Heman* fuerit incertum eſt. Quidam putant fuiſſe cantorem & nepotem Samuëlis. Quare autem vocatus ſit *Ezrahita* ex Scriptura non conſtat, niſi quòd putant eum ſic denominatum à זרח *Zarah* filio Jehudæ.

5. *Inter mortuos liber*] i. e. Arreptus per mortem, liber ſum à negotiis hujus mundi; querens ſcilicet ſe tantis preſſum malis, perſecutionis vel morbi, ut jam ferè ſimilis mortuis fuerit.

12. *In terra oblivionis*] i. e. ſepulcro; in quod cùm quis deſcenderit, memoria ejus citò aboletur.

15. *Animo attonito*] Heb. *Suſtinui terrores tuos, dubitabo.* Dicitque Kimhi אפונה eſſe à פן *ne forte*, ut ſit ſenſus, *Tu aggravaſti ſuper me terrores, ut jugiter te expaveam & dicam nè fortè accidat mihi ſic & ſic propter iniquitates.*

18. *Tenebris*] i. e. In abſcondito.

VATABLUS.

1. *Canticum Pſalmi* שיר מזמור] Vide Pſalm. 30. ¶ *Filius Corah* לבני קרח] *Filiorum Corah.* Vide Pſal. 42. & 45. ¶ *Victori* למנצח] Vide Pſalm. 4. ¶ *Super Mahalath* על מחלת] Vide Pſalm. 53. ¶ *Ad canendum*, &c. לענות משכיל להימן] *Ad laudandum erudiens* canticum *Heman* &c. Alii, *de afflictione erudiens, ipſius Heman.* Alii, *ad humiliandum, intellectus Heman.* De משכיל vide Pſalm. 32. Quidam Hebræorum dicunt לענות fuiſſe initium carminis ad cujus numeros & hic Pſalmus cantatus ſit. Alii inſtrumentum, alii certam modulationem hâc voce ſignificari arbitrantur. ¶ *In die clamo, in nocte* יום צעקתי בלילה] *Die ac nocte clamavi.* Alii, *die* [i. e. tempore] *quo noctu vociferor.*

4. *Sepulcrum* בור] *Foveam, lacum.*

5. *Exciſi ſunt* נגזרו] *Separati ſunt, amoti ſunt.*

6. *In profundis* במצלות] *In profunditates*, ſub. *maris.* His omnibus atrocitas afflictionis intelligenda eſt.

7. *Suſtentata eſt* סמכה] *Suſtentavit ſeſe, incubuit.*

9. *Oculus meus elanguit* עיני דאבה] Sing. pro plur. i. e. dolore affecti emarcuerunt oculi mei. ¶ *Invoco te* קראתיך] Præt. Heb. pro præſ.

10. *Miraculum* פלא] *Mirabilia*: i. e. num edito miraculo revocabis omnes ad vitam? Seipſum exponit ſequentibus. ¶ *Num mortui* אם רפאים] Repetitio.

11. *In perditione* באבדון] *In interitu?*

13. *Clamo* שועתי] Præteritum Heb. pro præſ.

14. *Repellis* תזנח] Futura Heb. pro præſ. *elongas, abominaris.*

15. *Pauper ſum ego, & deficiens* עני אני וגוע] *Afflictus ſum ego, & moribundus*: vel, *quaſi animam efflans.* גוע ſignificat *eum qui lentâ morte conficitur.* ¶ *Animi dubius ſum* אפונה] *Suſpenſo ſum animo*: vel, *haſitans.* Alii, *animo attonito*: Alii, ſemper & quotidie dicens, *Nè fortè*, ſub. *peream*; aut, *ſit hoc & hoc.* Alii deducentes à radice אפן, vertunt *multo tempore.* Dicuntque *tempus* in Arabico vocari אפאן.

16. *Succiderunt me* צמתותני] *Perdiderunt, perdiderunt*, inquam, *me.* Aut, *prorſus perdiderunt me*: id ſignificat verbum Hebraïcum in quo ultima ſyllaba repetitur ad vehementiam.

18. *Notos*, &c. מידעי מחשך] *Noti mei in tenebris*, ſub. *ſunt*: i. e. deliteſcunt, nec prodeunt ut opem mihi ferant.

CASTALIO.

5. *Inter mortuos defunctos*] Liber à terreſtribus dominis atque negotiis. Vide Job 3.

12. *In oblivionis terra*] Apud inferos.

CLARIUS.

Creditur autorem hujus Pſalmi Heman fuiſſe, traditum verò ad cantandum filiis Core.

5. *Inter mortuos liber*] Ereptus per mortem & liber à negotiis hujus mundi. Alii diſtinguunt à ſuperiori, & hic inchoant novum ſenſum, ſic, *Præſtaret eſſe mortuum & liberum ab his malis, quales ſunt qui vel vulnerati vel morbo extincti jacent in ſepulcris, quorum non recordaberis amplius*, ut vitæ huic quâ vixerunt eos reſtituas, verùm liberi ſunt à plagis his tuis quibus ego affligor.

10. *Mortui reſurgent*] q. d. Vivo mihi adhuc ſuccurrendum eſt. Nam ubi mortuus quis fuerit, non revertitur jam ad hanc vitam degendam, ut tibi de reddita vita gratias agat.

12. *In terra oblivionis*] In ſepulcro ſcilicet, in quod ubi quis deſcenderit, memoria ejus citò aboletur.

15. *Et in laboribus*] Vel, *deficiens*, ſive *exſpiranti ſimilis.* ¶ *Dico nè fortè*] Scilicet accidant mihi hæc atque hæc.

LUCAS BRUG.

40 *Avertiſti teſtamentum ſervi tui*] Multorum codicum lectio eſt *Avertiſti*: cui Caſſiodorus auxiliatur, *Avertiſti*, inquit, *teſtamentum, i. e. in aliam partem tranſtuliſti, ut quod Judæis fuerat promiſſum, ad utilitatem gentium utique perveniret.* Alii, *Evertiſti* legunt; quinque Hentenii, 3. Pariſienſium, 4. noſtri. Huic Auguſtinus, Beda, Haymo, Remigius & Bruno volunt. *Ubi eſt enim*, inquit Auguſtinus, *Teſtamentum vetus Judæorum? ubi eſt terra illa promiſſionis, in qua habitantes peccaverunt, quâ deletâ migraverunt? Regnum Judæorum quæris? non eſt. Altare Judæorum quæris? non eſt*, &c. *Evertiſti Teſtamentum ſervi tui.* Græcè eſt, κατέςρεψας τὴν διαθήκην τȣ̃ δȣ́λȣ σȣ. καταςρέφειν *finem rei imponere*, & *vaſtare* ac *ſubvertere* denotat. Hinc Euthymius exponit locum, *Irritaſti promiſſionem quam ei feciſti.* Theodoritus explicat, *Evertiſti autem hujus regnum: nam Teſtamentum regnum vocat. Sanè captivi abducti fuerunt bini Davidis poſteri Jechonias & Sedechias: in his verò Davidis regnum deſiit.* Hæc ille. Alia eſt vox paulò poſt, v. 44. ubi legitur, *Avertiſti adjutorium gladii ejus.* Hebraïcam vocem נארתה [Ἀπέςρεψας. נארת 2. MS.] Symmachus vertit, *Exſecratus es*; S. Hieronymus, *Attenuaſti*; Felix, *Devaſtaſti*; quidam *Abolcviſti*; Alius, *Abjeciſti.* Sequitur ברית עבדך *pactum ſervi tui.* Chaldæus tranſtulit אשניתא *mutaſti pactum quod habebas cum ſervo tuo.* In Onomaſtico docet ex Camhio Pagninus, vocem נאר ſignificare, *à corde projicere*: ubi & locum hunc interpretatur, *Projeciſti à corde pactum ſervi tui*: id autem priori lectioni ſervire poſſit, *Avertiſti*, ab oculis, à corde, *Teſtamentum ſervi tui.* Sed D. Lindanus & D. Janſenius emendandum judicarunt, *Evertiſti Teſtamentum ſervi tui.*

DRUSIUS.

1. עַל־מַחֲלַת. A. ἐπὶ χορείας. Sym. διὰ χοροῦ] Interpres Caraffa. *Sym. autem pro* Maclith *dixit* Duplicis chori. *A. verò*, Pro rebus illis quæ ad chorum ſpectant.

5. כְּמוֹ חֲלָלִים שֹׁכְבֵי קֶבֶר אֲשֶׁר לֹא־זְכַרְתָּם עוֹד. Sym. ὡς τετρωμένοι οἱ κείμενοι ἐν τάφῳ, ὧν ȣ̓ μνημονεύεις ȣ̓κέτι, *tanquam ſaucii jacentes in ſepulcro, quorum non es memor amplius.* A. ὁμοίως ἀνῃρημένοις] i. e. *Occiſis*: rectè ſanè. Siquidem חלל uſurpatur de *eo qui in pugna occubuit.* Sic dico חלל non ſolùm *vulneratum* ſig. ſed etiam *bello caſum & interfectum.* ¶ וְהֵמָּה מִיָּדְךָ נִגְזָרוּ] Sym. οἵτινες ὑπὸ τῆς χειρός σου ἐξεκόπησαν, *qui ſub tua manu exciſi ſunt*] Caraffa, *qui è tua manu ejecti ſunt.*

7. עָלַי סָמְכָה חֲמָתֶךָ וְכָל־מִשְׁבָּרֶיךָ עִנִּיתָ. Sym. Ἐμοὶ ἐπέβρισεν ὁ θυμός σου, καὶ ταῖς καταιγίσι σου ἐκάκωσάς με, *In me impreſſionem fecit furor tuus, & procellis tuis afflictaſti me*] Ἐπιβρίθω, *irruo magno cum pondere.*

9. עֵינִי דָאֲבָה מִנִּי־עֹנִי. Sym. Ὁ ὀφθαλμός μου ἐξέῤῥευσεν ἀπὸ τῆς κακώσεως, *Oculus meus effluxit ob vexationem.* In alio codice, Οἱ ὀφθαλμοί μου ἐξέῤῥευσαν, *Oculi mei effluxerunt.*

13. וַאֲנִי אֵלֶיךָ יְהוָה שִׁוַּעְתִּי. Sym. Ἐμȣ̃ δὲ πρός σε, Κύριε, ἡ οἰμωγή.

14. לָמָה יְהוָה תִּזְנַח נַפְשִׁי. A. Εἰς τί, Κύριε, ἀπώσῃ ψυχήν μȣ; Sym. Ἱνατί, Κύριε, ἀποβάλλῃ τὴν ψυχήν μȣ; Th. Ἱνατί, Κύριε, ἀπωθεῖς τὴν προσευχήν μȣ;

18. אֹהֵב וָרֵעַ. A. & Sym. Φίλον καὶ πλησίον;

AMAMA.

Hic Pſalmus totus lugubris. Incipit & deſinit in querelas, nullâ additâ conſolatione aut gratiarum actione. 1 Chr. 2. 6. 1 Reg. 4. 1 Chr. 6. 33. 1 Chr. 25.

בעבור היות מחלת פתוח לער נאמן שהוא כמוך על כן מחלת Aben. אמרתי כי זה השיר על נועם פיוט תחלתו מחלת. ובפיוט היה לבי או גופי שנסכן מחלת אליו גם זה מזמ׳ על חול יהם שורר. ולענות נמו קול ענות *Heman*]

Heman] 1 Paral. 26. Princeps cantorum à Davide conſtitutus. Ineptit hic Genebr. Filii enim Core quibus dicatus poſſunt intelligi poſteri Core. 1 Chr. 2. & 1 Reg. 4. vocantur Heman & Ethan duo fratres FF. Zeraeh. Hi fuerunt nepotes Thamar ex Juda. 1 Chr. 6. habuit quoque fratrem Ethan & nepotes fuere Samuëlis. Cur Ezraehita?

Petit liberationem à triplici miſeria, morbo deſperato, terroribus conſcientiæ & deſertione amicorum. Authoris Heman. Non filii Core. 1. quod Interpp. doctiores nunquam τὸ לבני ק accipiunt pro authoribus, 2. quod poſito tamen hæc, iſti Pſalmi ſemper de lætis agant, hic contra.

[עַל־מַחֲלַת לְעַנּוֹת] Alii volunt fuiſſe initium cant. Alii, *ad pneumaticum inſtrumentum canendus*; deducentes מחלת à חלל & accipientes τὸ ענה in ſignif. cantus, ut Ex. 32. 18. *Vocem* ענות *ego audio.* Sed obſtat vox מחלת, cujus forma non patitur ut à duplicantibus deducatur. Alii ergò malunt *de infirmitate affligente.* Optimè enim & regul. חלה à מחלה, quin & vox ea eo ſignificatu extat Ex. 15. 26. & 23. 25. 1 Reg. 8. 37. ענה autem ordinarie ſignif. *affligere.* Conferatur jam cum contextu Pſalmi. Infirmitas ad affligendum ut canes ad venandum כום להוכד

5. [אֵין־אֱיָל] Lxx. ἀβοητὸς *incelebris.* Melius ἀβοήθητος. Vulg. *ſine adjutorio.*

6. [חָפְשִׁי] *Liber*, à negotiis mundanis. Vel ut alii, *Sepultus* eò quod חָפְשִׁית *ſepulcrum* in Tharg. Jeroſ. ſignificat. Optimè, *ſemotus, ſecluſus, ſolitarius, cogor verſari ſolus, nemo audet mecum converſari*, capit lucem ex 2 Reg. 15. 5. 2 Paral. 26. de Azaria, *& habitavit* בבית חפשית *in domo ſeparata à commercio hominum.* Senſus ergo, Sum quaſi leproſus ac Elephantioſi laborans, quales extra oppida & provincias relegabantur, & civiliter mortui dici poſſunt. Kimchi *liber*, *Ego qui futurus eſſem liber inter mortuos, melius mecum ageretur ſi eſſem mortuus. Illic enim ſervus liber eſt à Domino ſuo.* Job. 3.

[חללים] Τραυματίαι, *ſaucii & occiſi*, Thr. 4. *melius habent* חללי חרב מחללי רעב. Job. 39. *ubi* חללים, *ibi eſt Aquila. Non ſolum vultures & corvi, ſed & aquilæ cadaveribus paſcuntur.* Prov. 30. Matth. 24. 28. Bokſtadius & Scult. Obſ. cap. 67. exponunt de Romanis & Judæis. Sic Habac. 1. 8. Chaldæi Aquilæ, Judæi Eſcæ comparat. Accedit quod Romani in Vexillis Aquilam habuerint.

6. [מִיָּדְךָ] *Exciſi ſunt manu tua*, Piſc. Jun. ut מ cauſam efficnotet. Alii, *à manu tua*, i. e. cura & procuratione tua. Vel, *excidi favore & gratia & auxilio tuo.* Pind σὺν θεῷ παλάμᾳ. Eſth. *in manum Hege Eunuchi.* Lxx. ἐκ τῆς χειρός σȣ ἀπώσθησαν, amoti ſunt.

7. [שַׁתַּנִי] Ἔθεντό με ἐν λάκκῳ κατωτάτῳ שתני

[בִּמְצֹלוֹת] Lxx. ἐν σκιᾷ θανάτȣ. Leg. בצלמות

9. [תּוֹעֵבוֹת] *Summam abominationem.* Vide Pſalm.

[כָּלֻא] *Incarceratus.* 1 Reg. 22. *Ponite hunc* בבית הכלא, Th. אסירן

10. *Extendo*] Geſtus hic fuit orantium, Pſalm. 28. *Cum levo manus meas ad oraculum ſanctitatis tuæ.* Virg.

Duplices tendens ad ſidera palmas.

Et

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.

Pſalm. 141. משאת כפי pro precatione, ut *Levare manum* aliq. pro *jurare.* Pſalm. 106. Exod. 6.

11. *An mortui*] Oſtendit ad Dei gloriam pertinere ut pii ſanctique vivant diu, unde hoc ſequitur, noſtræ finem vitæ eſſe celebrationem nominis divini.

[רְפָאִים] Vel à רפא vel רפה 1 Par. 20. 8. הָרָפָה *Gigas.* 1 Gigantes, Gen. 14. Eſ. 17. בעמק רפאים. 2. Mortuos, vel per Antiphr. quod nulla Medicina ſanabiles, vel quod in iis omne robur & vires naturales elanguërunt.

Th. Num corpora quæ diſſoluta ſunt in terram. Job. 25. 5. Juxta Qu. ſignif. *mineralia.* Lxx. fere ſemper Γιγάντας reddidere, hic tamen ἰατροὶ Medici רופ.

Gigantes] A רפה, quod illis qui videbant eos emoriebatur cor præ metu & remittebantur ipſis manus. Vulg. Sæpe *inferos* reddit. Prov. 2. 18. Ad ר ſemitæ ejus, acceperunt non pro mortuis omnibus in communi, ſed pro Gigantibus mortuis.

Vocanutr & נפלין & אימים, à terroribus & caſu ab effectu, ut *Pallida mors.* Sic Deiphobe apud Virg.

Nec ante dehiſcent
Attonitæ magna ora domus.

[יָקוּמוּ] Non loquitur de reſurrect. ad vitam immortalem, ſed de reſurr. ad vitam hanc mortalem, ad quam nemo reſurgit niſi extra ordinem, & per viam miraculi; vel redde *exurgent*, i. e. parabunt, accingent ſe. Ut in Proph. *Surge.* Græci ἀναςήσει, excitabunt יָקוּמוּ.

Sed annon mortui pii Deum laudant? Rabbini exponunt hæc de corporibus mortuorum. Alii accipiunt de ipſis mortuis ſimpliciter, de manibus, & exponunt יודו confitebuntur tibi palàm, publice, in Eccleſia. Ego malo de corporibus tantum, cum Chaldæo.

10. *In tenebris*] i. e. Sepulcro. Sic Job. 10. *Antequam vadam ad terram tenebrarum.*

[אֲבַדּוֹן] *Sepulcrum*, teſte ipſo Genebr. *Aliàs* Prov. 15. *Gehenna* שאול ואבדון. Rabbinis eſt nomen Cacadæmonis, unde & in Apocal. 9. 11. *habentes Regem ſuper ſe* τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσȣ, ὄνομα ἀυτῷ ἑβραϊςὶ ἀβαδδὼν, καὶ ἐν τῇ ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει ὁ ἀπολλύων.

15. [גוע] Lyra ad Gen. 25. dicit eſſe juſt. at Gen. 7. ויגוע כל בשר.

[מִנֹּעַר] Lxx. ἐν νεότητος μȣ, Jun. *à contuſione*, quia נער *concutere*, Pſal. 136. *concuſſit Pharaonem* וניער Ch. מן עליא.

Noyar נער 3 Pr. 29. 21. מְפַנֵּק מִנֹּעַר עַבְדּוֹ Job. 36. 14. *Morietur* בנער *anima ejus.*

[אֵמֶיךָ] Plenius אימיך, א׳ פ׳ך, אים *Toar*, אימה *terror*, אימתה *terror maximus.* Pl. OTH. Et IM. *Emim* etiam ſign. *Idola*, Jirm. 50. 38. q. d. *terriculamenta.* Et *Gigantes*, Deut. 2. 11. Idola ſic vocantur per contemptum, Φοβητὰ. In Epiſt. Jirm. comparatur Idolum & vocatur προβασκάνιον *in cucumeraria.* Sicut in eue. προβασκ. Nihil cuſtodiens, ſic Dii ipſorum lignei & argentei. Vulg. vertit ibi *formido*, Jun. *pudenda ſtatua*, Priapus.

[אָפוּנָה] A פן *ne forte*, & ſign. *animi pendere.* Sic ab הן *ecce*, Deut. 1. 41. ותהינו לעלות *& parati fuiſtis aſcendere.* Qui paratus eſt dicit Ebr. הנני Pſalm. 40. Jeſ. 65. 1. *Quæſitus ſum iis qui non interrogarunt; inventus ſum iis qui non quæſierant; dixi,* הנני הנני *genti quæ non vocabitur de nomine meo.* Gen. 27. 2. *Vocavit Iſraël ad ſe F. ſuum Eſau & dixit* הנני Sic qui dubitat, ſemper dicit פן ne fortè hoc vel illud fiat. 2 Sam. 20. 6. Dixit David ad Abiſai, *capi ſervos tuos & perſequere Sedam* פן מצא צרים

Alia Expoſ. אפנה *tempore multo.* Sic Kimchi in Rad. אפן aitque Arabice tempus vocari אפאן

III. *Circumrotor, circumagor*, ab אופן *rota.* Sic Jun. Sed א hic eſt ſervile.

Lxx. juxta Expoſ. I. ἐξηπορήθην, *conturbatus ſum, perplexus ſum, neſcio quo me vertam.* Sic utuntur Græci τὸ ἀπορεῖν & —— εῖσθαι, pro quo Vulg. alicubi *Aporiari* vertit, Jeſ. 59. 2 Cor. 4.

[צִמְּתוּתֻנִי] Duplic. lit. ת ad fortiorem ſignificat; expreſſionem. Sic Elias, q. d. *conſtringunt me*, q. d. repetitis vicibus inſultibusque.

Noti mei [מַחְשָׁךְ] *Obſcuritas ſunt*, i. e. obſcuri, deliteſcunt. Vel ſub. ב. *ſunt in tenebris*, obſcuro idem ſenſus. Vulg. *A miſeria*, i. e. Præ miſeria mea. *Tenebræ* pro *Miſeria*, paſſim, *Qui luminas tenebras meas, oritur Juſtis lumen in tenebris. Tenebræ* pro *ſecretis locis.* Matth. 10. *Quæ dixi vobis in tenebris, ea dicite in luce.* Jun. *Notis meis ſum tenebroſo loco.* Ellipſis triplex, τȣ̃ ל. ante מיד׳ . τȣ̃ ב ante מחש, τȣ̃ אֵלֵי in fine

GROTIUS.

INtellectus Eman Ezrahitæ] Hic Eman is eſt, ni fallor, qui nominatur inter cantores ſive poëtas 1 Paraliph. 6. 33. qui διδακτικὸν [*plenum doctrinæ*] hoc carmen compoſuiſſe videtur, & *canendum tradidiſſe Coræ poſteris.*

PRICÆUS.

6. *COnfitebuntur cœli mirabilia tua, Domine*] *Confiteri* hîc eſt quod ſuprà 18. 2. eodem argumento *enarrare.* Vide ad Apuleji 2. pag. 66. notata.

11. *Humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum*] Memoriam ejus annihilaſti. Vide ſuprà 87. 6.

24. *Concidam à facie ejus inimicos ejus*] *A facie ejus*, in conſpectu ejus; quò nempe major ſit menſura conſolationis ejus. Cicero Ver. 5. *Nullum eſt teſtimonium victoriæ certius, quàm quos ſæpe metueris, eos te vinctos ad ſupplicium duci videre.*

—— *Et victum tendere palmas.*
Auſonii videre, ——

de ſe Turnus apud Virgilium ait.

35. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*] Jupiter apud Virgilium,

—— *Neque me ſententia vertit.*

Ἐμαυτὸν (ut 2 Tim. 2. 13.) ἀρνεῖσθαι ȣ̓ δύναμαι· ubi dicta vide.

37. *Semen ejus in æternum manebit*] Iliad. β΄. de Agamemnone,

Εἵλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον, ἄφθιτον αἰεί.

Ad quæ vetus Scholiaſtes, ῎Αφθιτον, &c. αἰώνιον, ὅτι οὐκ ἐδόθη ἐκ τοῦ γένους ἑτέρῳ.

38. *Thronus ejus velut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum*] Durabit thronus ejus quamdiu Sol & Luna. Locutio hyberbolica. Ovidius,

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

45. *Deſtruxiſti eum ab emundatione*] Ad ſolum uſque, in quo ſolo, tanquam in area verſa & mundata, ſplendoris ejus nullum ſupereſt veſtigium. Hoc Pſal. 136. 7. *uſque ad fundamenta exinanire*, & ſuprà hic com. 40. *in terra* (i. e. ad terram) *profanare.*

47. *Uſquequo, &c. exardeſcit ſicut ignis ira tua?*]

——— *Tantane animis cœleſtibus iræ?*

48. *Memorare quæ mea ſubſtantia*] Quam fragilis, quam caduca. Suprà 38. 6. *Subſtantia noſtra tanquam nihilum ante illum. Memorare*, reminiſcere. Sic in vetere Onomaſtico, *Memoro*, μνημονεύω. Jobus 7. 7. *Memento quia ventus eſt vita mea.* Vide & infrà 119. 84.

Ibid. *Memorare quæ mea ſubſtantia*] In memoria habe quàm ſim fragilis, & brevis ævi. Vide ſuprà 38. 6. & 77. 39. & infrà 102. 14.

Ibid. *Numquid vanè conſtituiſti omnes filios hominum? Vanè*, ut in miſeria & vanitate ætatulam adeò brevem & circumciſam conſumant. Boëthius Conſol. 4.

Quiſquis rerum fœdera nectis,
Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ ſalo.
Rapidos, rector, comprime fluctus.

49. *Eruet animam ſuam de manu Inferi*] Salvabit animam ſuam à mortis poteſtate.

IDEM.

2. *IN generationem & generationem annunciabo veritatem tuam*] Notam faciam generationi iſti, ut poſt alia & alia generatio cognoſcant. Vide 77. 6. & 7. & 101. 18.

5. *Uſque in æternum præparabo ſemen tuum*] Infrà 101. 29. *Præparare* hìc, ut ſæpe alibi, eſt fundare, ſtabilire.

7. *Quis ſimilis erit Deo in filiis Dei?*] In terrenis potentatibus. Vide infrà 96. 9. Job. 36. 22. & quæ ad Pſal. 85. 8. annotata.

11. *Superbum ut vulneratum humiliaſti*] Eſai. 51. 9. *Percuſſiſti ſuperbum, draconem humiliaſti. Ut vulneratum*, ut ſuprà 87. 6. i. e, *interfectum.*

12. *Aquilonem & mare tu creâſti*] *Aquilonem* hìc ſtudio poſitum potiùs quàm alium ventum. *De alto enim flans, graviſſimas in mari tempeſtates facit:* Sunt Servii verba ad Georg. 1 *Fluctus maximos creberrimoſque Aquilone flante excitari* 2. 30. dixit & A. Gellius.

——— Βορέας μέγα κῦμα κυλίνδων,

ante omnes Homerus dixit.

15. *Juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ*] *Præparatio*, fundamentum.

18. *In beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum*] *In te* (ut ſuprà 43. 6.) *inimicos noſtros cornu ventilabimus.*

19. *Domini eſt aſſumptio noſtra*] A Domino eſt auxilium noſtrum. LXX. hìc ἀντίληψις· id eſt, ὑπερασπισμὸς, βοήθεια. Vide ſuprà 17. 17.

23. *Nihil proficiet inimicus in eo*] In eum. Suprà 61. 4. *Quouſque irruitis in hominem? interficitis univerſi vos.*

26. *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus*] Accipio per hypallagen, Ponam mare in manu ejus, & flumina in dextera ejus. Vult dicere, Faciam ut in mari & fluminibus dominetur. Vide ſuprà 71. 8. & 79. 12.

29. *Teſtamentum meum fidele ipſi*] Infrà com. 35.

39. *Tu verò repuliſti & deſpexiſti*] Subaudi, ex membro ſubſequente, *Chriſtum tuum:* vel, ex ſimili Pſal. 49. 17. loco, *diſciplinam.*

41. *Deſtruxiſti omnes ſepes ejus, &c. diripuerunt eam omnes tranſeuntes viam*] *Deſtruxiſti* (ſuprà 79. 13.) *maceriam ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.* Sirachides 36. 27. *Ubi non eſt ſepes, diripitur poſſeſſio.*

44. *Avertiſti adjutorium gladii ejus*] Et heic fortè per hypallagen ſenſus eſt, Avertiſti gladium (nempe tuum) adjutorii ejus: ſequitur enim, *non es auxiliatus ei in bello.*

48. *Memorare quæ mea ſubſtantia*] *Cognoſce* (ut Pſ. 102. 14.) *figmentum meum, recordare quod pulvis ſum. Memento quæſo* (ut Job. 10. 9.) *quòd ſicut lutum feceris me, & me in pulverem reduces. Numquid non* (ut ibid. com. 20.) *paucitas dierum meorum finietur brevi? Breves anni mei* (ut ibid. 16. 25.) *tranſeunt, & ſemitam quam non revertar ambulo.* Nec alio ſenſu, *ſubſtantia mea apud te eſt*, ſuprà 38. 8. Pſalmiſta dixit. LXX. & hìc & ibi ὑπόστασις· nempe γηΐνη. Heſychius in Γηγενῶν, Πάντες ἄνθρωποι, &c. τὴν ὑπόστασιν ἐπὶ (lege ἀπὸ) γῆς ἔχουσιν.

49. *Quis eſt homo qui, &c. non videbit mortem?*] Eccleſiaſtes 9. 4.

Ibid. *Eruet animam ſuam de manu inferi?*] De poteſtate mortis: at legendum videtur *inferni.*

50. *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine?*] *Ubi eſt* (ut Eſai. 63. 15.) *zelus tuus, & fortitudo tua? multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum?*

51. *Opprobrii quod continui in ſinu meo*] Suprà 76. 5. *Turbatus ſum, & non ſum locutus. In ſinu*, in corde meo, ut Job. 19. 27. & alibi.

PSALM. LXXXIX.

MUNSTERUS.

2. *PIetas ædificabitur*] i. e. Creſcet vel augebitur pietas tua, ſicut & *veritas tua* ſeu *fides tua* tam firma manet in promiſſionibus ſicut *cœlum* ipſum.

3. *Fœdus cum electo meo*] Fœdus illud eſt quo Deus promiſit Filii ſui incarnationem ex ſemine David, propter ſalutem hominum.

6. *Inter filios Deorum*] Per *filios Deorum* intelliguntur Angeli & ſancti homines.

12. *Thabor & Hermon*] Omnia, inquit, à Deo ſunt creata, & ſunt in ejus poteſtate, ſive exponantur verſus montem *Hermon*, h. e. ad Orientem, ſive ad montem *Thabor*, h. e. ad Occidentem, ſive ad dexteram, h. e. ad Meridiem.

17. *Exaltabis cornua noſtra*] i. e. Superiores nos facies hoſtibus noſtris.

19. *Poſui adjutorium ſuper potentem*] Senſus hujus verſiculi eſt, Ego adero, & opem feram Davidi Regi, qui potens eſt ex Spiritu meo, & facilè ſuperabit cunctos hoſtes.

25. *In mari*] i. e. Dominium ejus erit etiam ſuper illos qui finitimi ſunt mari, & qui habitant juxta fluvios Euphraten atque Tigrim. Agnoſcebant enim imperium David Syri, Palæſtini, Moabitæ, Ædomæi, & aliæ finitimæ gentes. Attamen hæc omnia veriùs intelliguntur de Chriſto, cujus typus fuit David, qui imperium habuit ſuper mare & flumina, qui *Patris* cœleſtis unicus, *primogenitus* & conſubſtantialis eſt Filius, *celſior cunctis Regibus terræ*, &c.

35. *Si Davidi mentitus fuero*] Eſt hìc אם *ſi*, vocula jurandi, ſicut hìc, *Si intraverint in terram quam juravi patribus eorum:* h. e. *Abſit ut ingrediantur terram. Abſit ut mentiar David, ſed firmum erit ſemen ejus*, manebitque *in æternum*, non ſecundùm carnem, ſed in ſpiritu. Capitur autem hìc *jurare* pro *promittere.*

37. *Teſtis in æthere fidelis*] i. e. Sol & Luna teſtes ſunt durationis Regni Chriſti. Ut enim illi nunquam deficient, ità nec Regnum Chriſti.

38. *Tu verò exſecratus es*] Querela eſt populi Jehudaïci, quibus omnia videbantur promiſſionibus Dei contraria evenire in Captivitate Babylonica, vel in Perſecutione quam movit contra eos Antiochus. Tunc videbatur Deus abjeciſſe populum ſuum, repudiaſſe Regnum & *Chriſtum ſuum*, h. e. David atque ſemen ejus, & *diſſipaſſe fœdus* ſuum, *deſtruxiſſe* vineæ ſuæ *maceriam*, & manum porrexiſſe hoſtibus contra populum ſuum.

47. *Ob quid fruſtrà*] Senſus eſt, Cùm tam breve ſit humanæ vitæ ſpatium, & nemo ſit quem non mors abripiat, cur nos obnoxios facis tot calamitatibus, alioquin citò morituros? Concede ut reſpiremus, & tuâ bonitate aliquantulùm fruamur: alioqui fruſtrà videberis nos condidiſſe.

51. *Veſtigiis Chriſti tui*] Jehudæi ſancti, qui ex ſuo ſanguine Chriſtum ſperabant naſciturum, omnia mala & opprobria ipſis irrogata queruntur vergere in ignominiam Chriſti; præſertim cùm hoſtes eorum ipſis inſultarent ſe fruſtrà exſpectare adventum Meſchiæ, cujus plantas nunquam eſſent viſuri.

VATABLUS.

1. *INtelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32.

2. *Ædificabitur* יבנה] i. e. Durabit inſtar ædificii ſummâ arte conſtructi: nam verbum Hebraïcum ſignificat *ædificare* & *durare.* ¶ *Firmaſti* תכן] Fut. Heb. pro præt. ut quidam vertunt. Alii, *firmabitur fides tua*; aut *veritas.*

4. *Stabiliam* אכין] *Præparabo*; *confirmabo.*

5. *Celebrant autem* ויודו] Ad verb. *Et celebrabunt.* Quidam per præſens convertunt. ¶ *In eccleſia Sanctorum* בקהל קדשים]

In

In eccleſia Sancti: plurale: repetendum, *num celebrant*, ſive *celebrabunt*.

7. *Terribilis* נערץ] *Plurimum formidandus.*

10. *Tu confregiſti tanquam vulneratum* אתה דכאת כחלל] *Tu contriviſti ceu interemptum*, ſub. *gladio*, vel, *uſque ad internecionem.*

11. *Fundaſti* יסדתם] Fut. Heb. pro præt. i. e. ſtabiliſti eos: redundat *eos*.

12. *Et Meridiem* ימין] Ad verb. *& dexteram*: i. e. Meridiem, quòd verſis ad Orientem ſit Meridies ad dexteram. *Thabor* mons in Occidente, *Hermon* in Oriente: unde pro iis partibus accepit Chaldæus. ¶ *Exſultant* ירננו] Fut. Heb. pro præſ.

13. *Robuſta eſt*, &c. תעז ידך] Iſtud declarat priorem verſus partem. Quidam vertunt, *roboras manum tuam*, *attollis dexteram tuam.* Alii in imper. *Robora manum tuam*, & *eleva dexteram tuam.*

14. *Baſis* מכון] *Habitaculum*; *locus paratus ſolio tuo.* ¶ *Præcedunt* יקדמו] Fut. Heb. *prævenient.*

16. *Exaltabunt ſe* ירומו] *Exaltabuntur*; *attollentur.*

17. *Et in voluntate tua*, &c. וברצונך תרים קרננו] *Et pro benevolentia tua exaltabis cornua noſtra*: i. e. vires noſtras, noſtram autoritatem, imperiumque noſtrum: id ſignificat *cornu* Hebræis.

18. *Jehovæ eſt clypeus noſter* ליהוה מגננו] *A Jehova eſt protectio noſtra.* Relat. pro anteced. q. d. A te habemus qui nos protegat & regat.

19. *Miſericordi tuo* לחסידך] *Sancto tuo*, i. e. Samuëli. ¶ *Adjutorium*, &c. עזר על גבור] *Auxilium in potente.* Hebraïſmus, pro *Conſtitui fortem quendam qui futurus eſt auxilio populo meo.*

21. *Cum quo manus*, &c. אשר ידי תכון עמו] i. e. Firma & perpetua erit: q. d. Nunquam deſtituam eum auxilio meo.

22. *Non exiget inimicus ab eo* לא ישא אויב בו] Sub. *tributa*, *tanquam exactor*, aut *fænerator*; à verbo נשה. Quidam vertunt, *Non violentus eſſe poterit contra eum hoſtis.* Alii, *Non ſeducet eum inimicus*; *non imponet ei hoſtis*; à נשא.

23. *Et conteram* וכתותי] *Et contundam*; vel *concutiam.*

25. *Et ponam*, &c. ושמתי בים ידו] i. e. Subjiciam potentiæ ejus mare, & flumina imperio ejus, multò magis terram illis minorem. Vel, *protendam poteſtatem ejus uſque ad mare.* Laudat Regnum Davidis ab amplitudine.

26. *Rupes ſalutis meæ* צור ישועתי] *Rupes opis meæ.* Quidam, *firma ſalus mea*; i. e. auxilium meum inſuperabile.

27. *Excelſum* עליון] *Excelſiorem.* Comparativo carent Hebræi, ut & ſuperlativo.

32. *Tunc viſitabo* ופקדתי] Ad verb. *Et viſitabo.* *Et* pro *Tunc.*

33. *Neque mentiar*, &c. ולא אשקר באמונתי] i. e. Neque fallam fidem meam.

34. *Et quod*, &c. ומוצא שפתי] Ad verb. *& egreſſum labiorum meorum*: i. e. ſermonem non mutabo: vel, non retractabo quod pollicitus ſum.

37. *Et teſtis*, &c. ועד בשחק נאמן] Quæ *teſtis eſt in æthere certus*: nempe durationis illius Regni.

38. *Repuliſti*, *& ſpreviſti* זנחת ותמאס] *Exſecratus es*, *& averſatus es*; vel, *repudiaſti.*

39. *Abjeciſti* נארתה] *Deſtruxiſti. Diſſipaſti. Diſſolviſti.*

40. *Contritionem* מחתה] *Terrorem*; vel *formidinem.* Hebraïſmus, pro, *feciſti ut propugnacula ejus Regni contererentur*: vel, *ut in propugnaculis Regni formidarent milites Davidis.*

43. *Sublevaſti* הקמות] *Exaltaſti.* Vel, *reddidiſti ſtabilem.* Quidam, *ſuperiorem feciſti.*

44. *Splendorem ejus* מטהרו] *Nitorem ejus*; *elegantiam ejus*: i. e. ſplendore regio eum privaſti.

45. *Abbreviaſti* הקצרת] *Præcidiſti.* ¶ *Pudore* בושה] *Ignominia.*

47. *Ego quid ſim*, *quid tempus* אני מה חלד] Ad v. *ego quid tempus.* Dictio מה repeti debet, & retrahi ad præcedens, ut loquuntur Hebræi: ideo vertendum. *Memento quid ego* ſim, & quod *tempus*, i. e. quàm fragilis, & quàm brevis vitæ in hoc mundo. Quibuſdam redundat אני, *Memineris quod ſit tempus* vitæ meæ, i. e. quàm longum, aut quantulum futurum ſit, niſi redeas mecum in gratiam. Alii vertunt, *quantuli ævi ſum.* Alii, *ego quanti ævi.* Alii, *quantuli temporis ego ſim.* Vide aliquid ſimile & Pſal. 39. 4. de brevitate vitæ.

48. *De manu* מיד] *De poteſtate.* Repetitio eſt.

49. *Antiquæ* הראשנים] *Priores*, *priſtinæ.* ¶ *In veritate tua* באמונתך] *Per fidem tuam?* i. e. ſerio.

50. *Fero* שאתי] Præt. Heb. pro præſ. i. e. quod patientiſſimè fero. ¶ *Fortium* רבים] *Multorum*, *magnorum*: i. e. quo probris me afficiunt populi.

51. *Quia probris affecerunt*, &c. אשר חרפו אויביך יהוה אשר חרפו עקבות משיחך] *Quod opprobrarunt inimici tui*, *Jehova*, *quo opprobrarunt calcibus Chriſti tui*: i. e. moræ quam facit Chriſtus tuus. Chald. *quo exprobraverunt tarditatem veſtigiorum Meſſiæ tui*, quaſi nunquam venturi.

52. *Amen amen* אמן ואמן] Voces Hebrææ, quæ ſignificant *Veritas eſt*, *veritas eſt*: q. d. Certiſſimè eveniet quod dixi. Quidam Hebræorum dicunt verſiculum iſtum addi ſolere fini librorum ab Hebræis Grammaticis, ſive ſcriptoribus. Alii dicunt fuiſſe additum à ſcriba, quòd auxiliatus eſſet ei Deus in deſcribendo libro: ut ſæpe fit à Latinis, qui in fine librorum addunt, *Laus Deo*, *Gloria Deo*, & ſimilia. Alii volunt fuiſſe verba cantoris, qui per Spiritum viderit reditum Iſraëlis de captivitate, & ſalutem Meſſiæ brevi venturi: propter quod Deum laudaverit.

CASTALIO.

12. Dexteram] Auſtrum. ¶ *Tabor & Hermon*] Occidens & Oriens.

19. *Auxilium heroi accommodavi*, *electum ex plebe extuli*, &c.] Quæ hîc Davidi promittuntur, ad Chriſtum ſucceſſorem Davidis ſunt referenda

24. *Cornu*] Poteſtas.

25. *Ejuſque manum mari*, *ejus dexteram fluminibus imponam*] Ei imperium à mari ad Euphratem dabo.

37. *Ut ſit teſtis fidus in æthere*] Scilicet Sol & Luna.

45. *Ejus juventutis tempus decurtaſti*, *eum turpitudine veſtiens*] Effeciſti ut præ malis conſenuerit canuſque ſit factus.

CLARIUS.

FOEdus, i. e. *Teſtamentum*, novum & æternum ſub typo Davidis copioſè & eleganter celebrat.

2. *Miſericordia ædificabitur*] *Creſcet*, vel *augebitur*, *pietas* tua; ſicut & *veritas tua* ſeu *fides tua* tam firma manet in promiſſionibus ſicut *cœlum* ipſum: ut illud *in cœlis* ſit Hebraïſmus pro *cum cœlis*.

3. *Diſpoſui Teſtamentum*] *Teſtamentum* illud eſt quo Deus promiſit Filii ſui incarnationem ex ſemine David propter ſalutem hominum.

5. *Confitebuntur cœli*] Teſtantur cœli quam admirandus artifex ſis. Vel per *cœlos*, *nubes*, *filios Dei*, intelligit cœleſtes mentes, quæ ut ex hominum inſtauratione ſuam perfectionem conſequuntur, ità illæ de ea pariter Deum prædicant.

7. *Deus formidabilis*] Deus miris modis *magnus eſt & ſuſpiciendus*, etiam *in cœtu ſanctorum ſuorum*, *& metuendus cunctis qui circa illum ſunt.*

8. *Veritas tua in circuitu tuo*] Fidei ac ſtabilitatis tuæ circum te habes teſtes plurimos.

9. *Tu dominaris poteſtati maris*] Tu imperium habes in vaſtitatem maris.

10. *Tu humiliaſti*] *Tu contriviſti uſque ad internecionem Ægyptum.* Heb. *Rahab*; ſicut & ſuprà, *Memor ero Rahab.*

12. *Thabor & Hermon*] i. e. Occidentem & Orientem; nam Thabor ad Occidentem, Hermon ad Orientem ſitus eſt, præcipui montes in terra Iſraël.

13. *Brachium tuum cum potentia*] Sub. *eſt.* Brachium, inquit, habes omnipotentiâ præditum. ¶ *Firmetur*] Vel, *firma eſt & robuſtiſſima.*

16. *In juſtitia tua exaltabuntur*] Beneficio juſtificationis tuæ magni erunt.

17. *Exaltabitur cornu noſtrum*] Superiores nos facies hoſtibus noſtris.

18. *Domini eſt aſſumptio noſtra*] Vel *protectio noſtra.* Beneficio Domini, inquit, magis quàm ullo clypeo tuti ſumus: & auxilio illius qui *ſanctimoniæ autor eſt Iſraëli* feliciter cedent quæcunque aggreditur *noſter Rex.* Nam verti etiam poteſt ſic, *apud Sanctum Iſraëlis Rex noſter.*

19. *Tunc locutus es*] *Olim locutus es cum ſancto tuo* Samuële quomodo cum Prophetis ſoles, *& dixiſti*, *Robur addidi viro alioqui forti*, *exaltavi adoleſcentem illum quem è populo elegeram.* Canitur ergò hic promiſſio facta David, quam memorat & S. Hiſtoria 2 Reg. 7. & 1 Par. 17

25. *Ponam in mari*] Dominium ejus erit etiam ſuper illos qui finitimi ſunt mari, & qui habitant juxta flumen Euphratem atque Tigrim. Agnoſcebant enim imperium David Syri, Palæſtini, Moabitæ, Idumæi & aliæ finitimæ gentes. Attamen hæc omnia intelliguntur veriùs de Chriſto, cujus typus fuit David. Ille ergò *Patris* cœleſtis unicus imperium habet in omnes, *primogenitus* & conſubſtantialis Filius, *celſior omnibus Regibus terræ*, *cujus thronus* eſt *ſicut dies cœli*, i. e. æternus.

35. *Semel juravi in Sancto meo*] Per ſanctitatem & majeſtatem meam. ¶ *Si David mentiar*] Hebraïſmus eſt, ſicut & illud,

illud, *Si intrabunt in requiem meam*: q. d. *Abſit ut intrent. Abſit ut mentiar David*, ſed firmum erit *ſemen ejus* & *manebit in æternum*.

37. *Teſtis in cælo fidelis*] Sol & Luna teſtes ſunt durationis Regni Chriſti. Ut enim illa nunquam deficient, ità nec Regnum Chriſti.

38. *Tu verò repuliſti*] Querela eſt populi Judaïci, quibus omnia videbantur contraria promiſſionibus Dei evenire in Captivitate Babylonica, vel in Perſecutione quàm movit contra eos Antiochus. Tunc videbatur Deus abjeciſſe populum ſuum, repudiaſſe Regnum & *Chriſtum ſuum*, h. e. David & ſemen ejus, *diſſipaſſe fœdus* ſuum, *deſtruxiſſe* vineæ ſuæ *maceriam*, & manum porrexiſſe hoſtibus contra populum ſuum.

40. *Firmamentum ejus formidinem*] Vel *munitiones in confractionem*.

43. *Avertiſti aciem gladii*] Retudiſti aciem gladii noſtri.

47. *Quæ mea ſubſtantia*] Quàm ſcilicet brevis & nihil ſit vita mea. An non ex ipſa conditione mali ſatis habemus, qui vanitati per totam vitam obnoxii, quotquot ſumus poſteri Adæ, abs te conditi ſumus? Cur ergò nos obnoxios facis tot calamitatibus, alioqui citò morituros?

51. *Veſtigiis Chriſti tui*] Judæi ſancti, qui ex ſuo ſanguine ſperabant Chriſtum naſciturum, omnia mala & opprobria ipſis irrogata queruntur vergere in ignomiam Chriſti, præſertim cùm hoſtes eorum ipſis inſultarent, ſe fruſtrà exſpectare adventum Meſſiæ, cujus veſtigia nunquam eſſent viſuri.

52. *Benedictus Dominus*] Claudit Pſalmum oratione dignâ fideli homine, Qualiſcunque, inquiens, ſtatus ſit rerum noſtrarum, Deus quod promiſit, non poterit non præſtare, quamvis moleſta ſit nobis mora: quare dignus eſt qui perpetuò laudetur ab omnibus. *Amen. Amen.*

DRUSIUS.

1. לְאֵיתָן הָאֶזְרָחִי. * Αἰθὰν τῷ Ζαραΐτῃ, *Æthan Zaraita.* ¶ חַסְדֵי יְהוָה עוֹלָם אָשִׁירָה. A. Ἔλεος Κυρίȣ αἰῶνα ᾄσομαι. *Miſericordiam Domini æternùm canam.* Sym. Τὰ ἐλέη Κυρίȣ εἰς τὸν αἰῶνα ᾄσω. Th. Τὰ ἐλέη σȣ, Κύριε, εἰς τὸν αἰῶνα ᾄσομαι.

2. תָּכִן. Sym. *ſtabilies.*

5. אַף־אֱמוּנָתְךָ בִּקְהַל קְדֹשִׁים. Th. *& fidem tuam in eccleſiam ſanctorum.*

6. כִּי מִי בַשַּׁחַק יַעֲרֹךְ לַיהוָה יִדְמֶה לַיהוָה בִּבְנֵי אֵלִים. Sym. Τίς γὰρ ἐν αἰθέρι ἀντιπαραθήσει τῷ Κυρίῳ ἐν υἱοῖς θεῶν;] Sic ed. Rom. Hic locus plenus exſtat in Theodoreto, *Quis enim in æthere ſe opponet* DOMINO, *ſe æquabit* DOMINO *in filiis Deorum*?

12. צָפוֹן וְיָמִין. A. Βοῤῥᾶν καὶ δεξιάν. Th. τὸν βοῤῥᾶν καὶ νότον. Sym. εἰς βοῤῥᾶν καὶ εἰς νότον] Δεξιὰν, i. e. Auſtrum. Nam qui Orientem reſpicit Auſtrum ad dexteram habet. Vide Quæſt. meas. In Theodoreteis, *Th. Boream & Notum tu creaſti.* ¶ יְרַנֵּנוּ. A. *laudabunt.* Sym. *benedicent*] Vide Pſal. 81. 1.

13. עַזָּה יָדְךָ תָּרוּם יְמִינֶךָ. Sym. Ἀήττητος ἡ χείρ σȣ ὑψηλὴ ἡ δεξιά σȣ, *Invicta manus tua, excelſa dextera tua*] Caraffa, *Inexpugnabilis manus tua, ſublimis dextera tua.*

14. צֶדֶק וּמִשְׁפָּט מְכוֹן כִּסְאֶךָ. *Juſtitia & judicium baſis throni tui.* Sym. - - - *ſtabilitas.* - - -] Euthymius, *Aq. tranſtulit*, Juſtitia & judicium baſis throni tui; *Sym. verò* ſtabilitas.

19. אָז דִּבַּרְתָּ־בְחָזוֹן לַחֲסִידֶיךָ. Sym. *Tunc locutus es per viſionem ſanctis tuis*] Si Hieronymo credimus, ità tranſtulerunt hunc locum præter Symmachum, Aquila, Theodotio & autor Quintæ. Sexta editio pro *ſanctis tuis* τοῖς προφήταις σȣ poſuit, i. e. *Prophetis tuis.* Græca Vulgata τοῖς υἱοῖς σȣ. Hinc emaculandus Theodoretus, apud quem mendoſè, *In viſione ſanctis tuis*] *Sym. dixit, Per viſionem filiis tuis*: nam contrarium verum. Symmachus enim dixit *per viſionem ſanctis tuis*, quod κοινὴ habebat *in viſione Filiis tuis.* Vide ſis epiſt. quæ ad Suniam & Fretelam.

22. לֹא יְעַנֶּנּוּ. Sym. ȣ̓ κακώσει αὐτὸν, *non vexabis eum.* Th. ȣ̓ κακȣχήσει.

27. עֶלְיוֹן לְמַלְכֵי־אָרֶץ. A. ὕψιςον τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς, *excelſum Regibus terræ.* Sym. ἀνώτατον τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *ſupremum Regum terræ.*

29. לְעוֹלָם. Sym. *perpetuò*] Ex Euthymio.

33. לֹא אֲשַׁקֵּר. A. ȣ̓ ψεύσομαι, *non mentiar.* Sym. ȣ̓ παραβήσομαι, *non tranſgrediar.*

37. עֵד. Sym. διαμαρτυρόμενος] Euthymius ex interpretatione Philippi Sauli, *Sym. pro, Teſtis, dixit, Conteſtatus.*

38. וְאַתָּה זָנַחְתָּ וַתִּמְאָס הִתְעַבַּרְתָּ עִם־מְשִׁיחֶךָ. Sym. Σὺ δὲ αὐτὸς ἀποβάλε καὶ ἀπεδοκίμασας ἐχολώθης πρὸς τὸν χριςόν σȣ, *Tu autem ipſe rejeciſti & reprobaſti, iratus es Chriſto tuo*] Caraffa, *cum Chriſto tuo.*

39. נֵאַרְתָּה בְּרִית עַבְדֶּךָ. Sym. Εἰς κατάραν ἔδωκας τὴν συνθήκην τȣ̃ δȣ́λȣ σȣ] Caraffa, *exſecratus es pactum ſervi tui.*

44. הִשְׁבַּתָּ מִטְּהָרוֹ. Sym. Ἀπέπαυσας τὴν καθαρότητα αὐτȣ̃, Caraffa, *Feciſti ut ejus audacia deſineret.*

45. יְמֵי עֲלוּמָיו. A. - - - - νεοτήτων αὐτȣ̃. Sym. νεότητος αὐτȣ̃.

46. עַד־מָה יְהוָה תִּסָּתֵר לָנֶצַח תִּבְעַר כְּמוֹ־אֵשׁ חֲמָתֶךָ. Sym. Ἕως τίνος, Κύριε, ἀποκρυβήσῃ εἰς τέλος; Φλεγήσεται ὡς πῦρ ὁ θυμός σȣ; *Quouſque, Domine, abſconderis in æternum? exardeſcet ut ignis furor tuus?*

50. שְׂאֵתִי בְחֵיקִי כָּל־רַבִּים עַמִּים. Sym. ἐβάςασα ἐν τῷ κόλπῳ μȣ παμπόλλων ἐθνῶν] Antonius Caraffa *& portavi in ſinu meo opprobrium multarum gentium.* A. *tuli.* Euthymius Philippi Sauli, SUSTINUI *autem, h. e. geſtavi in corde meo. Aq. enim* TULI, *& Sym.* GESTAVI *reddiderunt.*

51. חֵרְפוּ עִקְּבוֹת מְשִׁיחֶךָ. Sym. Th. *exprobraverunt veſtigia Chriſti tui*] Sym. τὰ ἴχνη ed. Rom.

52. אָמֵן וְאָמֵן.] Theodoretus Antonii Caraffæ, *Sanè hunc ſenſum & Aquila magis accuratè oſtendit: nam cùm* AMEN AMEN *interpretatus eſſet*, inquit, *Certus & fidelis, videlicet verus & admodum verax.*

Πεπλήρωται καθ' Ἑβραίȣς καὶ ἡ τρίτη βίβλος τῶν ψαλμῶν, ἀρξαμένη ἀπὸ τȣ̃ οβ' ψαλμȣ̃.

AMAMA.

חַסְדֵי] Jun. & Tr. Gen. 32. 10. vertêre *beneficia.* Græcus τὰ ἐλέη, hoc commune ejus Interp. ut τȣ̃ חסד eſt ὅσιος.

3. עוֹלָם] Pro לְעִי. Novè ait Aben. quoſdam interpretari, OLAM, i. e. *Mundus ædificabitur* חסד, i. e. בחסד *in miſericordia.* At inquit כָּל עוֹלָם בִּכְלַל מִקְרָא וְזֶה הוּא.

Ædificabitur] i. e. *Conſervabitur, augebitur.* Contrarium eſt *deſtruere*, Jirm. 42. *Ædificabo & non deſtruam*; hinc ædificatio Eccleſiæ, Job. 22. 23. *Si converſus fueris ad Omnipotentem* תִּבָּנֶה. Alias ſign. *ſuſcipere liberos*; ſumpta ſignif. ex nomine בן Gen. 16. 2. de Sara.

בָּהֶם] *In iis*, ſc. Cœlis. Alii, *Cum eis.* ב *Cum*, Pſ. 35. בְּתֻפִּים. Deut. 6. וְדִבַּרְתָּ בָּם. *Cum iis*, i. e. *tam firmiter quam ſtabiliviſti cælos.* Aben. *Quemadmodum ſtant cœli, ita & ſtabit fides tua.*

תָּכִן] *Stabilies.* LXX. ἑτοιμασθήσεται. Leg. תִּכּוֹן.

4. *Percuſſi fœdus*] Vide Pſ. 50. 5. Et adde Comm. ex Hom. Iliad. γ. LXX. διεθέμην διαθήκην.

לִבְחִירִי] ל *Cum.* Gen. 46. 25. *Omnes animæ quæ venêre* ליעקב *in Ægyptum 66.* τοῖς ἐκλεκτοῖς μȣ, 70. 'ד.

5. אָכִין] ἑτοιμάσω. Vulg. *parabo.* Quis ſenſus. Et tamen bene οἱ ό. ἕτοιμος enim in lingua Helleniſticâ *ſtabilis*, ἑτοιμάζω, *ſtabilio.* Sic 1 Mach. 1. 17. Pſ. 93. ἕτοιμος ὁ θρόνος σȣ.

6. *Cœli*] i. e. *Cœlites.* Sic Job. 15. 15. Poëtæ,

Cælo gratiſſimus amnis.

Eſt & nomen Dei, Marc. 11. 30. *Baptiſm. Johannis* Luc. 15. 18. *Peccavi in cælum.* Dan. 4. 23. vel 26. *ut ſcias cælos dominari.* Juv.

Et Cœli numen adorant.

Sit reverentia præceptoris tui ſicut reverentia Cœli.

בִּקְהַל] LXX. ἐν ἐκκλησίᾳ. Vulg. *In Eccleſia.* Synagogo & Eccleſia unum & idem. Notetur hoc contra Pontificios. Sic Pſ. 26. ult. & 68. 27. utrobique Græci ἐν ἐκκλησίαις. Vulg. *in Eccleſiis.* Et contra Synagoga de Cœtu Fid. N. T. Jacob. 2. 2. & Ebr. 10. 23. συνηγμένος. Joh. 20. Math. 18. Act. 11.

שַׁחַק] *Cælo.* Symm. ἐν αἰθέρι. At LXX. ἐν νεφέλαις. At Pſ. 18. & Deut. 33. junguntur עָבֵי שְׁחָקִים Obſtat & Etymol. עב enim eſt à denſitate, שחק à ſubtilitate.

מִי יַעֲרֹךְ] LXX. τίς ἰσωθήσεται. Th. מִשְׁתַּוֶּה Job. 28. *Non* יַעַרְכֶנָּה *aſſimilabitur ei argentum.*

Inter filios fortium] LXX. θεȣ̃, 1. *Elohim.* At *Elim* ſemper plurale. Sic & Vulg. *Dei*, & *per filios Dei* intelligunt *Angelos*, ut multi PP. Gen. 6. Licet decepti ſint lectione quorundam CC. ἄγγελοι θεȣ̃. Unde miræ quæſtiones. Chryſoſtomus lapſus negando Angelos unquam vocari *filios Dei.* Certè Job. 1. & 2. & Job. 38. 7. *Filii fortium* ergo, i. e. fortes Filii Corvorum, Achivorum, Medicorum, hominum.

8. *Super omnes circumſtantes eum*] i. e. Angelos. 1 Reg. 22. 19.

רבה] Alii ad verb. plurimùm. Ab. תאר לכור Virg. *Multa gemens, multa reluctanti, multa Deos veneratus.*

חָסִין] Ab. תאר במשקל גבור מגזרת וחסון הוא Amos 2. 8. *Et robuſtus ipſe ut quercus.* Jeſ. 1. 31. *Et erit* הֶחָסֹן לִנְעֹרֶת 2. Elias in Thisbi ait eſſe 2. nomina Dei diverſa חסן *divitiæ*, Jez. 22. ut חיל *opes.*

יָהּ] *Jah* nomen decurt. ex Tetrag. יהוה. Cujus certe literas priores habet. Et quoque ſonum primæ ſyll. ſi verum quod Theod. aliiq. ſcribunt de pron. Samar. *Jabve*: Si vera quæ Hier. aliique de lectione Jud. JAOH. Theod. Qu. 15. in Ex.

Καλεῖ

Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ιαβὲ, Ιουδαῖοι δὲ Ιαὼ. Ubi peſſimè codices quidam legunt Μανιμὰ & Ja vel Aja. Certe & apud Diod. Sic. lib. 2. Ιαὼ.

Hoc eſt illud *JAH* in *Halelujah:* Non in Zecarja, Jeſchagia, Jirmija; nec enim ה: & ſæpe pro eo eſt הו.

Friget nimis quod quidam de decurtato Deo ſomniant & imminuto, i. e. paſſo & humiliato.

Theodotio vertit τὸ ὄν. Chald. דחלא. Si rectè tum Latine per θεὸς, q. δεὸς *timor.*

10. בשוא] Inf. Kal. à NASA. Benè R. Sal. כהנשא in elevari. Vide Gramm. ad לפקיד.

תשבחם] Ab. משביח שאון ימים ſicut משביח in hiphil. Pſ. 65. Sic Pr. 29. 11. *Omnem ſpiritum ſuum profert ſtultus, at ſapiens* ישבחנה. R. Sal. תשפילם ſicut &c.

11. *Rahab*] *Ægyptus.* R. Sal. ut Pſ. 87. 4. App. *ſuperbia.* Reſpicit proculdubio ad clades Ægypt. Alii tamen *Ægyptios* in genere intelligunt. R. Abrah. אנשי רהב. Alii *Pharaonem.* Et ſic Chald. *Tum cont. ſicut occiſum gladio Rababa* הוא פרעה רשיעא.

12. שמים] *Cælum*, quicquid ſuprà terram. Dualis num. ob duos polos mundi, circa quos circumvolvitur. Vel rat. compoſitionis. Vel à שׁם Arab. Alibi vocatur *expanſum*, Vulg. *Firmamentum.* Aves enim volare dicuntur in רקיע.

תבל] Sunt qui à בלל. Obſtat forma. Aliud eſt תֶּבֶל ut חָמָס a חמס. Lev. 18. *confuſio eſt.*

13. צפון וימין] Lxx. βόῤῥαν καὶ θαλάσσαν σὺ ἔκτισας. Leg. ימים. Sic & Vulg. At Aq. & Theod. ille, βόῤῥαν καὶ δεξιὰν. Hic β. καὶ νότον. Tzaphon ab abſconſione, *ſolis* quidam, alii aliter.

ימין. Synon. נגב, דרום. Genebr. ſtudet conciliare cum fontibus. Ait enim locum proprium Oceani eſſe Auſtralem pl. Quin & mare Rubrum ab auſtro Palæſtinæ pro meridionali plaga mundi, Pſ. 107. 4. *Ab ortu & occaſu, ab Aquil. & mari.* Ut ut ſit quando ים jungitur cum מזרח vel קדם tum ſignif. *occaſum.* Quando; At cum jungitur cum צפון plaga oppoſitè, exponi poteſt pro *meridion.* requirente hoc Antith. At hic non eſt ים in textu.

Thabor (Occ.) *& Hermon* (Or.)] Intelligunt quidam Orientem & Occidentem. Hermon ad Ortum Jeruſalem, Thabor ad Occaſum. Aben. Thabor הרמון בקצה והנה קדם והי בבאת מזרב והנה אחר.

רנן] *Clamare in luctu.* Thr. 2. Jeſ. 61.

Hermon tria Synonyma habet in SS. 1. שניר Sic Emorrhæi. 2. שריון Sic Zidonii eum vocabant. Deut. 3. Zidonii vocant לחרמון שריון & Emorrhæi vocant eum Shenir. 3. Eſt שיאן Deut. 4. verſ. ult. *Uſque ad montem Shijon, ipſe eſt Hermon*, Chald. reddit טור תלגא *montem nivis.* Adeo enim altus fuit ut teſte Hieron. etiam media æſtate nives habuerit, quæ Tyrum delatæ in delicias. Unde Jonath. rationem reddit hanc, *quoniam ab ea non ceſſabat nix neque in æſtate neque in hyeme.* Cave confundas שיאן cum ציון.

Putant nonnulli Prophetam nominare hos montes, quòd reſpexerit ad Miracula, quæ hic patraturus erat M. In Thabor enim eſt transfig. In Hermon quinque pan. & 2. piſcibus aliquot hominum M. pavit.

14. גבורה] Aliq. eſt Epith. divinum apud Rabb. ſed cum ה inquit Elias in Thisb. Sic audivimus ex ore הגבורה. I. & conſule הגבורה. Quin & ſi Euſebio credimus אל tritiſſimum illud Dei Epitheton κατ' ἀκρίβειαν nihil aliud ſign. quam ἴσχυν καὶ δύναμιν. Non, ἴσχυρον καὶ δύνατον. Hinc eſt quod δύναμις pro Deo ponatur. Tob. 1. 5. Omnes tribus ἔθυον Βάαλ τῇ δυνάμει, i. e. Interpp. Tr. Jun. & Dr. *Baali Deo.* Ut fruſtra ſit Vatab. hanc lectionem codicis Toletani ſollicitans & pro eo reponens δαμάλει. Math. 26. 64. *A modo videbitis F. hominis ſedentem à dextris* τῆς δυνάμεως, i. e. Dei. Diceretur enim Hebr. לימין האל Rabbinicè לימין הגבורה.

תעוז תרום] Quidam tranſitivè, in 2. perſ. Alii intranſit. in 3. Fœm. Certè עוז in Cal ſign. aliq. tranſitive, Pſ. 68. 29. עוזה *roborа illud Deus quod operatus es in nobis.* Locum enim alterum quod attinet quem Scindl. adducit ex Prov. 8. בעזוז עינות תהום, Ibi poteſt עזז poſitum eſſe pro בחזקו ſed de eo dubito. Optimè ergo Lxx. Κραταιωθήτω ἡ χείρ σου, ὑψωθήτω ἡ δεξιά σου & Symm. ἀήττητος ἡ χείρ σου, ὑψηλὴ ἡ δεξιά σου.

Aben. ad *Zeroang*] Senſus eſt ארוכה זרוע *brachium longum*, שתוכל לנטותה אל מקום שתחפוץ והוא עם גבור Simile,

An neſcis longas Regibus eſſe manus.

Idem ימין exp. שמאל. Nomine generis ad deteriorem ſpeciem reſtricto. Sic ſupra, *Fulcis manum meam & dextram meam.* Pſ. 91. *Cadem à latere tuo M. & à dextero X. Millia.* Atque ita hæ locutiones illud habent commune cum iſtis locut. *Filia alienigenæ & F. Pharaonis, Hoſtes Davidis & Saul, Prophetæ & Moſes.* Ut ſpeciale innuat aliquam excellentiam & dignitatem.

15. מכון כי] Lxx. ἑτοιμασία. Vulg. *præparatio*, non intellecta voce Græca. Ea enim etiam *ſtabilimentum* ſignif. ut ſupra diximus. Jun. & Santes *habitaculum.* Piſcator & Dr. *Baſis.* Sic & Aquila, Symm. verò *ſtabilitas.* Nec enim מכונה tantum, ſed & מכון ſign. *baſin.* Sic enim Pſ. 104. 5. *Fundavit terram ſuper* מכוניה.

Miſericordia & veritas] Hinc Theol. veteres extraxerunt quatuor columnas Solii Divini, Juſtitiam, Judicium, Miſericordiam & Veritatem. Auguſt. *Terrerent me Juſtitia & Judicium, niſi ſolarentur me Miſericordia & Veritas.*

16. *Clangorem*] Quo Populus convocabatur ad ſacrificia, Num. 10. 1. Alii, qui novit *jubilationem*, ut ſit ſenſus, *qui novit jubilare laudes tuas, qui novit magnalia tua cantu perſonare.* Lxx. ἀλάλαγμον. הריע ſign. *edere clamorem magnum, Ore, Tubis, aliis inſtrumentis.* Eumque vel lætum vel triſtem vel ad terrendum hoſtem.

Lux faciei] Hyp. pro facie lucente, ſerenâ. Sic Pſ. 4. *Illuminare faciem ſuam ſuper aliquem* dicitur Deus quando *alicui propitius eſt*, quando *aliquem æquis oculis aſpicit.* Contrarium ejus eſt *abſcondere faciem.*

18. תפארת] Lxx. καύχημα, Jun. *Decus.* תרים. Lxx. ὑψωθήσεται, Alii, ὑψώσεις.

19. ליהוה] *A DOMINO.* Et *à ſancto Iſraëlis Rege noſtro.* Alii *Rex noſter.* ל notat ſubinde cauſam procreantem. Sic Pſ. 3. ליהוה ישועה. Alii, *Domini*, i. e. penes DOMINUM. Ipſe Piſcator alibi in Pſalmos aliter illa loca.

Diſpoſui auxilium contra robuſtum] Sic Jun. id eſt Regem qui vindicet populum à potentibus inimicis. Alii, ut Piſc. *Conſtitui Heroëm ad auxilium.* Ut ſit hypall. *Poſuerunt urbem in ignem.* In iſtum ſenſum Angli & Santes, *Poſui auxilium ſuper robuſtum*, & Kimchi. Et Lxx. ἔθηκα βοήθειαν ἐπὶ δυνατόν. Sic & *Heroës Davidis*, 2 Sam. 23. vocantur גבורים *Helden.*

נשה] Sine ב *mutuò petiit, accepit*, cum ב *mutuò dedit, fœneravit, exegit* &c. Pro נשא.

Filius iniquitatis. Vox Filius transfertur ad homines alicui rei addictos, deſtinatos, ſtudentes, deditos, *vir belli, vir mortis, vir Belijagnal, Filius perditionis.*

חוזה] Choze Propheta Eſ. 30. Sic & ראה 1 Sam. 9. 9. Quidam ſub. איש.

Oleo ſanctitatis] De Moſaïci olei compoſitione vide noſtram Cenſuram ad Ex. 30.

Quæritur *an Reges eodem oleo uncti ſint.* De Saul פך 1 Sam. 10. 1. dicitur Samuël *effudiſſe ſuper caput ejus lenticulam olei*, quod Ebræi ajunt fuiſſe *Balſaminum.* Sic & Jehu 2 Reg. 9. At David 1 Sam. 16. 14. *Cornu olei*, & Salomo 1 Reg. 1. *Cornu olei* קרן השמן. Dicunt omnes Ebr. *Davidem & ſemen ejus unctum fuiſſe oleo Sancto.* Sive per diſpenſationem quandam, ſive quod ſub די non comprehenſus ſit. Alii tamen volunt eos unctos oleo ad imitationem confecto. Sed & hoc videtur prohiberi verſ. 33. *Homo qui confecerit unguentum ſicut illud, & qui poſuerit ex eo ſuper extraneum, ſuccidetur ex populo ſuo.*

IV. Tradunt Ebræi de hoc oleo memorabilia,

I. Cabalam fuiſſe ut eo ungeretur etiam David cum ſuo Sem. ob locum 1 Reg. 19.

II. Unctionem Sacerd. factam fuiſſe inſtar X. כף יונית. quaſi ποειδῆς. Reges vero in modum coronæ.

III. Hoc oleum duraſſe uſque ad Captivitatem Babylonicam, & citra dimunitionem ſuffeciſſe in augurandis Pontificibus & Regibus Davidicis per annos 900. quaſi prodigio inquit Genebr. apud nos ampulla divinitus allata Rhemis ſuggerit ſanctum Chriſma ad inaug. Regis Franciæ per annos mille 87.

IV. Saulem fuiſſe unctum ut Jehu oleo ex tempore facto. Notant & Ebr. in unctione Saulis & Jehu fieri mentionem פך lenticulæ, at in unctione Davidis & Salomonis קרן unde ajunt, Saul & Jehu uncti ſunt ex lenticulis, & non diuturnum fuit Regnum eorum. David & Salomon uncti è cornu, & diuturnum fuit cornu eorum.

V. Poſt Capt. Babyl. Pontifices unctos fuiſſe oleo de novo compoſito.

31. משפטי. κρίματα. חקותי δικαιώματα. מצותי ἐντολαί. Sic Lxx. diſtinguunt Leges For. Cer. & Morales. Δικαιώματα, Vulg. vertit *Juſtitias.* Alibi *Juſtificationes.* Nihil autem aliud intelligit quam *Ceremonia.* Quis tamen intelligeret eum ſic loq. Ebr. 9. 1. habuit prius tabernaculum δικαιώματα τῆς λατρείας, Vulg. *juſtificationem culturæ.* Quis intelligat? Senſus *ceremonias cultus divini.* Beza, *conſtitutos* (365.) *ritus Religionis.*

Aben. חקים exponit לא תעשה. מצות עשה (248) כי.

Viſitabo] In Deo eſt exequi bonum promiſſum vel malum denuntiatum. Triplicem ponit Thomas: 1. Viſitationem Condemnationis, Jirm. 8. *In tempore viſitationis ſuæ corruent.* 2. Viſitationem correctionis, ut hic. 3. Viſitationem ſolationis, ut Luc. 1. Ex. 4. Ruth 1.

Semel] Id eſt, inconcuſſè, verè, irrevocabiliter, immutabiliter. Sic Ovid.

Nulla reparabilis arte,
Læſa pudicitia eſt &c.

Confer cum Pſ. 132. 11. *Juravit DOMINUS* נִשְׁבַּע Prov. 28. *Qui inſiſtit perverſus viis, occidet ſemel*, i. e. certo.

בְּקָדְשִׁי] Ab. dicit intelligi *Cœlum*. Benè, ſi ב per *in*. At ſi ב pro *per* acceperim pro *ipſo Deo*, qualis locutio eſt Iſaiæ 45. 23.

[בִּי נִשְׁבַּעְתִּי] *Per me.* ב in juramentis per *Per* exponitur, ut ἐν in Græciſmo Matth. 5. ὀμόσαι ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν κεφαλῇ. Matth. 5. damnatur formula jurandi per cœlum, & Ebr. 6. expreſſe dicitur Deum quia majorem non habet per ſe jurare. Vide ad Pſ. 66.

37. *Erit*] Id eſt, florebit. Dan. 1. ult. *Et fuit Daniel uſque ad annum primum Cores.* Vide Pſ. 64. 8.

עֵד] *Et ut teſtes in æthere fideles*, i. e. ſtellæ. Sic Jun. & Tr. cum Rabb. aliquot, Piſcator, *nempe fidelis teſtis*, ut referatur ad Lunam cum Aben. & Kimhi, R. Sal. ad Solem & Lunam.

Ut Sol.] Non tantum diuturnitatem throni Chriſti, ſed & ſplendorem hoc ipſo innuit, unde Chald. וכורסיה נְהִיר הֵיךְ שִׁמְשָׁא

Ut Luna [יִכּוֹן] Sc. ירח. LXX. ad Lunam, κατηρτισμένη. Vulg. *compacta.* II. Pars Pſ. σχετλιαστική. Querulatoria, de calamitate. 1. Ponunt ejus cauſam, 2. enumerant per partes. Cauſa Deus. Ei duæ tribuuntur impulſivæ, una προηγουμ. ira. Altera προκαταρκτ. peccata.

נִזְרוֹ] *Coronamentum ejus*, 3. ſignificat, Naziræatum, 2. Comam, 3. Coronam. 2 Sam. 1. 2 Reg. 11. de corona Pontificali, Lev. 21. Num. 6. *Quia Nezer Dei ſuper capite illius.* Ex. 29. 6. ubi vides נזר diverſum fuiſſe à מִצְנֶפֶת *Et pones Mitznepheth ſuper caput ejus & aptabis* נזר הקדש *ſuper illam cidarin.* Per נזר intelligit *laminam illam auream*, de qua 28. 36. quæ hanc habuit inſcriptionem SANCTITAS DOMINI. Levit. 8. 9. vocatur lamina *corona ſanctuatis.* Sciendum illam laminam in modum coronæ fuiſſe efformatam. Philo, χρυσοῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ στέφανος ἐδημιουργεῖτο, τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος. Explica cur corona dicta à נזר, LXX. & ſic Num. 6. vertunt ἁγίασμα.

הִתְעַבַּרְתָּ] *Iratus es.* A עֶבְרָה, ſic מִקְנֶה à הִקְנָה *docere curam pecoris*, Zach. 13. 5. ſecundum E. G. It. דֶּבֶר à דָּבַר *peſtis*, 2 Chr. 22. 10. שֶׁבֶר *frumentum* hinc שבר *frumentum emere*, השביר *frumentum vendere* ſignificat. Gen. 11. נִלְבְּנָה לְבֵנִים πλινθεύσωμεν πλίνθους. Job. 38. 37. יְסַפֵּר *ſapphirinum efficit*, Jun. & Aben. à סַפִּיר

39. *Contra unctum tuum*] Opponunt promiſſioni tempus anguſtiæ, quò omnia videbantur contra agi. Reſpici autem hic putant Jun. Trem. & Piſc. ad tempus Capt. Babylo. Itaque hic per *Unctum* intelligunt *Zedechiam*, qui deportatus à Nebucadn. 2. Reg. 25. התעברת LXX. ἀνεβάλου. Vulg. *diſtuliſti.* Sym. ἐχολώθης πρὸς τὸν Χριστόν σου.

40. נֵאַרְתָּה] *Deteſtatus es.* Alii, *oblitus es.* LXX. κατέστρεψας *perverteſti.* Sym. εἰς κατάραν ἔδωκας.

41. Καθεῖλες πάντας τοὺς φραγμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἔθου τὰ ὀχυρώματα αὐτοῦ δειλίαν, *formidinem*, Nah. 3. 12. *Omnes munitiones tuæ erunt ſicut ſicus cum primitivis fructibus.*

45. מִטְּהָרוֹ] Abſol מְטֹהָר formæ מִשְׁפָּט. Et cum Dages Euph. מִטְּהָר ut מִקְּדָשׁ Exod. 15. 17. Præterea (:) converſum in (-) Euphoniæ ergo, quod in verbis tralatitium, ut in אֶשְׁקָלָה & אֶצְרֵם Hoſ. 10. אֶצְּרָה Pſ. 119. אֶשְׁקְטָה Jeſ. 16.

Alii putant מ eſſe ſervilem, ſed tunc eſſet duriuſcula conſtructio, deinde & major anomalia; eſſet enim טְהָרוֹ Magis errant qui abſolutum ponunt מְטֹהָר vel מִטְּהָר. Sunt enim monſtra nominum.

Porro alii intelligunt, *ſplendorem regni ejus*, ſc. Davidis, quia David origo & radix regiæ poſteritatis. Aben. intelligit מקדש *Sanctuarium, & Sanct.* ſynecdochice *Templum*, quo locus mundior non fuit alter; dicit autem *ejus* ſc. *Davidis*, quod is fuerit כְּמוֹ הָרִאשׁוֹנָה cauſa prima ædificationis, utpote qui auri & argenti magnam vim congeſſerit. Alii per *nitorem*, *munditiam* intell. Sacerdotium, ut per כסא. Majeſtatem Regiam. Sic Chald. *Ceſſare feciſti ſacerdotes qui purificant populum & ſolium Regni detruſiſti &c.*

LXX. Κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτοῦ. Vulg. *diſſolviſti ab emundatione ejus.* At Sym. nobiſcum ἀπέπαυσας τὴν καθαρότητα αὐτοῦ.

46. *Dies adoleſcentiæ ejus*) Ejus ſc. Regni Davidici. Regna enim ut homines ſuas habent ætates & periodos. Alii *ejus* referunt ad Jojachin, qui cum 18. anno regnare cœpiſſet tantum 3. menſes regnavit. 2 Reg. 24. 10.

Pudore] Utpote qui Babylonio reſiſtere non auſus obviam ipſi proceſſit cum matre, & toto famulitio, atque ita captivus abductus Babylona.

48. זְכָר Vulg. *Memorare.* Sic Cic. 4. Catil. *Ut ſui oblitus, alterius memoretur.* Jun. *Recordare mei, quam temporarius ſim*; id eſſet זכר אותי Tranſpoſita vox, Ani, *Recordare cujus durationis EGO ſim.*

Pſalmus hic tribus potiſſimum conſtat partibus. 1. Eſt Conſolatio, 2. eſt Querela, quam conſolationi opponunt, 3. eſt Precatio, qua petunt ex captivitate & miſeria illa, de qua conqueſti ſunt, liberari. Loquitur autem ſæpe Pſalmogr. ſub perſona populi quaſi unius individui. Argumenta autem iſtius petitionis varia affert. 1. Quod mala iſta tam diu durent, verſ. 47. Quò uſque. 2. Quod urant ſicut ignis, ibid. 3. Quod vita hominis brevis ſit, ac proinde homo fruſtra creatus videatur, niſi liceat ad pauxillum temporis commodis illius frui.

חָלֶד] *Ævum, vitæ curriculum, tempus vitæ præfixum*, Jeſ. 38. idem quod חֶדֶל à חדל quod *deſinere*, *ceſſare* ſignificat. Pſ. 36. 6. *Ut Palmos poſuiſti dies meos &* חלדי *ſicut nihil eſt coram te*, i. e. duratio mea, tempus meum, ævum meum. Sic in eodem Pſalm. verſ. 5. *Sciam* מֶה חָדֵל אָנִי *quanti ævi, quam ſim brevis ævi*, vel *quam caducus, quam ceſſabilis, deſibilis.*

Aben. dicit מה debere trahi ante אני ut ſic ſit ſenſus, Memento quid ego ſim, & quod ævum ſc. meum ſit. Kimchi ſic interp. *Memento quid ſim ego* בחלד *in orbe, in mundo, vel in terra*, Ut Pſalm. 49. 2. *Auribus percipite omnes habitatores* חלד, quod geminum cum loco Eſ. 38. 11. Ubi חדל. Habitatores Cheled, i. e. mundi, orbis, οἰκουμένης LXX. Tharg. ארעא R. Imm. ישוב. Sic Pſal. 17. 14. *Viri* מחלד *de mundo.*

Vulg. *Quæ ſit* (hypoſt.) *ſubſtantia mea? ex qua materia compoſitus ſim.* Sic Chald. hoc loco, *Memento quòd ex luto crearis me.* Genebr. tamen noſtram Interp. ſequitur.

על מה-שוא] *Quorſum in vanum creaſſes?* Sic Jun. Piſc. verò, *ad quam vanitatem crearis* &c. Ob Maccaph dicit non poſſe dividi מה-שוא, ut ante שוא intelligatur ל. At ipſe Piſc. jam ante diremit זכר אני. Senſus, Adeò miſera eſt conditio noſtra ut non opus ſit ad eam alias calamitates addere.

Vanitas] i. e. Incertus, inſtabilis, fluxus, ſtatus. Qua declarat quæ ſit illa vanitas ad quam creavit hominem, vid. mori mors corporis.

49. Epexegeſis verſus ſuperioris.

Veſtigia Chriſti tui] i. e. Actiones. R. Anonymos hæc accipit de Chriſtianis, & per *Chriſtum* intelligit *Meſſiam Judaïcum adhuc venturum.* Rident (Chriſtiani) veſtigia greſſus Chriſti tui, vocant eum tardigradum, loripedem & claudum, dicunt eum habere crura fracta, calces læſas, pedes enervatos ut qui nondum venerit aut venire poſſit.

Ch. איחור *tarditatem.* Job. 37. 4. יְעַקְּבֵם *remorabitur eos.* Kimch. האחרונה.

Benedictus] Ab. *Pſaltes*, in Sp. Proph. videns adventum Meſſiæ, & liberationem, quaſi recolligit ſe, & providentiæ divinæ ſe committit.

Amen, Amen] Sic finiit liber I. & II. Sic hic III. IV. finit in unico *Amen.* V. in *Haleluja.*

GROTIUS.

ETHAN] Videtur hic Ethan fuiſſe tempore μετοικεσίας [*deportationis.*]

28. *Et ego primogenitum ponam illum*] Nempe inter Reges, quod clarius eloquuntur verba ſequentia: *Excelſum præ Regibus terræ.*

32. *Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodiverint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*] Repetit Poëta ea quæ Deus de Salomone poſteriſque ejus dixerat, 2 Samuel 7. 14. ubi dicta vide.

39. *Diſtuliſti Chriſtum tuum*] In Hebræo, *Iratus es uncto tuo*, nempe Sedeciæ, qui oculis orbatus, & vinctus ductus eſt in Babylonem, 2 Reg. 25.

46. *Minoraſti dies temporis ejus*] In Hebræo, *Præcidiſti dies juventutis ejus*: feciſti ut ante tempus ſeneſceret malorum tædio. Et ſic poterunt hæc intelligi de eodem Sedecia. Hebræi malunt de Joachimo hæc intelligere, qui per tres tantùm menſes regnavit: & juvenis, id eſt annorum 18. ad regnum pervenerat, 2 Reg. 24. 8.

48. *Memorare quæ mea ſubſtantia*] In Græco, μνήσθητι τίς ἡ ὑπόστασίς μου, [*memento quæ ſit mea duratio.*] In Hebræo: *quantilli ævi ſim.*

PRICÆUS.

3. NE *averteres hominem in humilitatem, & dixiſti, Convertimini*, &c.] Memor brevis eorum ætatis, nè homines penitus deſtrueres, admonuiſti eos, dicens, *Convertimini*, &c. Vide jam dicto loco Sirachidem. Θέλει πάντας σωθῆναι, dixit Paulus Apoſtolus.

4. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna*] *A ſeculo* (enim) *uſque ad ſeculum reſpicis*: (Sirachid. 39. 25.) *à gene-*

generatione in generationem anni tui: (infrà 102. 25.) Senſus eſt, Si ætatem noſtram uſque ad mille annos poſſemus extendere, eſſemus tamen in conſpectu tuo quaſi dies heſterna, quæ ſat citò tranſivit. *Heſterni ſumus*, Jobus 8. 9. dixit:

Infantes ſumus, & ſenes videmur.

Latinus Epigrammatum Scriptor. Vide 8. 18. Sirachidem.

6. *Mane ſicut herba tranſeat*, &c.] Vide Job. 14. 1, 2. & quæ ad Jacobi 1. 11. annotavimus.

9. *Dies noſtri defecerunt*] 1 Paralip. 29. 15. *Dies noſtri ſicut umbra*, &c.

10. *Anni noſtri ſicut aranea*, &c.] Suprà 38. 12.

Ibid. *Dies annorum noſtrorum*, &c. *Lxx. anni*] Macrobius in Saturnalibus, *Meta vivendi creditur cùm decas heptadi jungitur: id eſt, aut decies ſeptem, aut ſepties deni anni computantur.* Plinius lib. 1. epiſt. 12. de Corellio Rufo, *Implevit annum ſeptimum & ſexageſimum, quæ ætas etiam robuſtiſſimis ſatis longa eſt.* De Solone Diogenes Laërtius, Ὅρον ἀνθρωπίνου βίου φησὶν ἔτη ἑβδομήκοντα. Derbicas ſanè, apud ſe homines id ætatis ſupergreſſos mactare conſueviſſe Variarum 4. 1. Ælianus memorat, nimirum (eſt facilis enim conjectura) tanquam aliis, quin & ſibi inutiles: vel, ut de reliquo (ut hic ſequente commate) nil præter laborem doloremque experturos.

11. *Si autem in potentatibus octoginta anni*, &c.] Gr. ἐν δυνάμεσιν, id eſt, ἐν δυνάμει, κατ' ἐναλλαγὴν pluralis pro ſingulari. Vult dicere, ſi quis vires roburque præ multis aliis millibus ſortitus fuerit, attinget fortè annos octoginta. Varro 1 de R. R. *Annus octogeſimus admonet me ut ſarcinas colligam.*

Ibid. *Et amplius eorum labor & dolor*] Quod id excedit ſpatium conſumitur in jugi mentis inquietudine defectuve, dolore corporis, aliiſve incommodis. Tanquam incerta ſimulacra, inter Orcum & Solem ambulant, neque vivis, neque mortuis annumerandi.

Ibid. *Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur*] Idcirco ſupervenit manſuetudo (Dei noſtri) ut corripiamur. Vide 2 Maccab. 6. 12, 13. ubi ἐνεργεία eſt quæ heic *manſuetudo*.

12. *Dexteram tuam notam fac*] Salutarem dextram porrige, ut (& de Deo ſub Naturæ nomine) locutus Apulejus. Virgilius, *Da dextram*: ubi Servius, *Præſta auxilium.*

13. *Deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos*]

Iraſci es facilis? tamen & placabilis eſto.

15. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti*] Suprà 65. 12. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Boëthius Conſol. 3.

Dulcior eſt apium magè labor,
Si malus ora priùs ſapor edat:
Gratiùs aſtra nitent ubi Notus
Deſinit imbriferos dare ſonos.

Apulejus 11. *Affatus ex officio ſingulis, narratiſque meis priſtinis ærumnis & præſentibus gaudiis*, &c.

IDEM.

2. *A Seculo & uſque in ſeculum tu es Deus*] Vide ſuprà ad 73. 12. dicta.

3. *Ne avertas hominem in humilitatem, dixiſti. Convertimini*, &c. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna*] Ne homines ad terræ pulverem (i.e. mortem) humilies, ex miſericordia tua dicis, Convertimini. Si enim mille anni ſunt tibi tanquam dies heſterna, quantò brevius in conſpectu tuo eſt id punctum quod vivimus! Senſus ferè idem qui ſuprà 77. 39. & infrà 102. 13, 14, 15, 16.

6. *Manè floreat, & tranſeat: veſperè decidat*] Manè floret, & tranſiens veſperè decidit. Job. 4. 20. eodem argumento, *De manè uſque ad veſperam ſuccìditur.* Adde infrà 102. 15.

7. *Defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus*] Job. 23. 16. *Deus mollivit cor meum, & Omnipotens conturbavit me:* ubi *cor mollire* eſt fortè, facere ut tanquam cera liqueſcat, id eſt, deficiat.

10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta*] Vide in cæteris annotatis.

Ibid. *Si autem in potentatibus, octoginta anni*] *In potentatibus*, eſt, in viribus, cum robore: ut ſuprà 19. 7. *In potentatibus ſalus dexteræ ejus.*

Ibid. *Et amplius eorum labor & dolor*] Notatis alibi adde Senecæ 93. Epiſt. *Quid illum octoginta anni juvant?* &c. *non vixit ille, ſed in vita moratus eſt:* (voluit dicere, ei labor & dolor ſuperfuit,) *nec ſerò mortuus eſt, ſed diu:* & poſt, *Octoginta annis vixit, imò octoginta annis fuit: niſi fortè eum ſic vixiſſe dicis quomodo arbores dicuntur vivere.*

Ibid. *Supervenit manſuetudo, & corripiemur*] Corripies nos in manſuetudine tua.

13. *Convertere Domine uſquequo?*] Interpunge poſt mediam vocem, & poſt ultimam ſupple *averteris*. Vide 88. 47.

14. *Repleti ſumus manè miſericórdiâ tuâ*] Reple nos, &c. Ità expone & ſequentia, *exſultavimus, & delectati ſumus. Mane*, tempeſtive. Eſai. 33. 2. *Eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.*

15. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti*] Tobiæ 3. 22. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exſultationem infundis.* Ibidem 13. 5. *Caſtigavit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſalvabit nos propter miſericordiam ſuam.* Suprà Pſal. 65. 12. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium:* & Eſaiæ 60. 10. *In indignatione mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui.* Vide & Pſal. 93. 19. & 29. 12. Heic autem *lætati ſumus* exponam potiùs, *fac lætemur.* Tale illud 7. 20. apud eundem Tobiam, *Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpeſſa es.*

16. *Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua*] Id eſt, in ſervos tuos, opera manuum tuarum: vel in ſervos & in opera (id eſt, magnalia) quæ toties antehac feciſti in cauſa eorum.

Ibid. *Et dirige filios eorum*] Id eſt, deduc eos, nempe, ſervos tuos: de quo loquendi more ſuperiùs egimus: aut ſi communiter acceperis, illud *ſervos tuos* expone, majores noſtros.

17. *Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos*] Signetur (ut 4. 7.) ſuper nos lumen vultûs illius. Illuſtret (ut 30. 17.) faciem ſuam ſuper ſervos ſuos.

PSALM. XC.

MUNSTERUS.

1. *HAbitaculum*] Videtur Moſes reſpexiſſe ad Tabernaculum fœderis cùm hæc diceret; q. d. Tu ipſe es verum habitaculum, & fuiſti antequam orbis ipſe conderetur, ad quem tutò confugiamus.

3. *Facis redire hominem*] Senſus eſt, Tu continuò ducis hominem ad mortem, *& dicis, Revertimini*, corpore in pulverem, & ſpiritu ad me. Et quidem tu, Deus, noſti quàm nihilum ſit omne tempus quod vivimus, cùm *mille anni in oculis tuis ſint quaſi dies quæ jam præteriit, & ceu vigilia noctis.* Tu deturbas nos ex hac vita ſicut cùm dejicis nimbos, & facis nos ſimiles *ſomno* tranſeunti atque *herbæ virenti*, ſed quæ paulò pòſt *reſecatur.*

9. *Veluti ſermonem*] Scilicet illico tranſeuntem, vel ſicuti leve murmur ad momentum aurem percellens.

10. *Septuaginta anni*] Juxta communem curſum naturæ provectiores ætate ſeptuageſimum aut octogeſimum attingunt annum, pauciſſimi centeſimum. ¶ *Talium ſuperbia*] i. e. Qui paucis annis ſuperbiunt & ferociunt, horum vita tandem deſinit in ærumnam & moleſtiam.

11. *Ut quis enim te timet*] i. e. Pro modo quo quiſque te timet & colit, videtur ſævire ira tua. *Notum ergo fac nobis numerum dierum noſtrorum*, ut ſciamus quantæ iræ tuæ ſubjecti ſimus, & *conſecremus cor noſtrum ſapientiæ.*

13. *Quouſque*] Sub. *abes, & non redis ad nos?*

VATABLUS.

1. *HAbitaculum* מעון] *Refugium.* Alii, *habitaculum refugii.*

3. *Convertis hominem uſque ad contritionem* תשב אנוש עד דכא] *Reducis hominem donec ſit contritus.* Vel, *uſque ad rem minutiſſimam:* i.e. in pulverem, in quem tu reverti facis eum. q. d. Scis quàm nihilum ſit hominis tempus: tu autem mille annos non pluris facis quàm homo diem unum.

5. *Inundas eos* זרמתם] Præt. Heb. pro præſ. i. e. Facis ceu impetu quodam ruere eos. Vel, *Facies inſtar nimbi illos diffluere.* Aut, *Quaſi immiſſâ inundatione ſubitò rapis eos de mundo*, & *velut ſomnium* traduntur oblivioni. ¶ *Vires accipit* יחלף] *Roboratur.* Fut. Heb. pro præſ. Alii, *tranſit*, vel *præterit*, ſub. *homo.* Alii, *exciditur.* Mutat numerum, quòd de unoquoque loquatur, aut quòd pars hominum mori ſoleat in juventute. Quidam referunt ad *herbam*, vertentes, *quaſi herba quæ mutatur.*

6. *Et vires accipit* וחלף] *Et creſcit, roboratur.* Idem verbum quod in fine præcedentis verſûs.

7. *Conſumimur* כלינו] *Deficimus.*

8. *Errores noſtros* עלמנו] *Abſconditum noſtrum*, ſive *occultum:*

tum: i.e. Peccata quæ putamus ſecreta eſſe. Alii, *adoleſcentias noſtras*, i.e. commiſſa in adoleſcentia.

9. *Conſumpſimus* כלינו] Præt. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *conſumimus*. ¶ *Tanquam ſermonem* כמו הגה] *Inſtar locutionis*: ceu *ſermonem*, qui ſcilicet tantùm eſt dum fit: q.d. *dicto citiùs*.

10. *Quibus* vivimus, *ſeptuaginta anni* בהם שבעים שנה] Ad verb. *in ipſis*, *ſeptuaginta anni*: i. e. ſeptuaginta anni ſunt in ipſis diebus. Quidam vertunt, *Anni noſtri qui in ipſis diebus ſunt*, *ſeptuaginta ſunt anni*. ¶ *In fortitudinibus* בגבורות] Sub. *ſit natura noſtra*: i.e. ſi vivaciores ſumus. Quidam, *in viribus majoribus*. ¶ *Et fortitudo eorum* ורהבם] *Et ſuperbia eorum*. Vel, *robur & vigor*, ſive *felicitas*, *eorum*, ſub. *annorum in qua ſuperbire ſolemus*: q.d. & ut feliciſſimè vivamus, dies illi ſunt *ærumna & vanitas*. Alii, *talium ſuperbia*. Alii, *& faſtus illorum*. ¶ *Perverſitas*, *& iniquitas* עמל ואון] *Labor eſt & moleſtia*. Alii, *moleſtia & ærumna*. Vel, *ærumna & calamitas*. ¶ *Recedit* גז] *Abit*, *reſecatur*: ſub. *ſuperbia illa*. Præt. Heb. pro præſ.

11. *Et ut timor*, &c. וכיראתך עברתך] *Quantum enim quis te timet*, tanta eſt *indignatio tua*. Alii, *& ſicut timor tui*, *fremens ira tua*. Alii, *ut te quique timent*, *ità in eos indignatio tua*. Alii, *cùm timor tui ſit indignatio tua*: vel, *cùm videaris in tuos pro eo quòd te colunt & timent*, *indignari*: q. d. Quis habet perſpectum modum iræ tuæ? Nullus, nam quò quis eſt religioſior, eò in eum ira tua videtur eſſe atrocior.

12. *Ut numeremus*, &c. לִמנות ימינו כן הודע ונביא לבב חכמה] Adverbium כן *ſic* revocari debet ad principium verſûs, hoc modo, *Sic fac ſcire nos ut numeremus*. Hebraïſmus, pro, *Sic fac intelligamus quàm brevi temporis ſpatio ſimus victuri*, *ac ità reddemur ſapientiores*, *cautiores & circumſpectiores*. Id ſignificat *numerare annos*, & *adducere cor ſapientiæ*, ſive *adducere in cor ſapientiam*. Quidam ſic Paraphraſticè vertunt, *Ut ergò dierum noſtrorum numerum ſciamus*, *tu nobis planè indica ut ſapientiæ animum intendamus*.

13. *Et placare* והנחם] *Et conſolare*, vel *conſolationem accipe*. Aut, *pœniteat te ſervorum tuorum*. Chald. *Et convertere à malo quod locutus es ut faceres ſervis tuis*. Hebræorum quidam, *Et pœniteat te more filiorum hominum*, *quos pœnitet aliquid feciſſe*.

14. *Et exſultabimus* ונרננה] *Et ovabimus*, *& cantabimus*.

15. Secundùm *annos*, &c. שנות ראינו רעה] Repetitio eſt. *Videre malum* & *affligi* idem.

17. *Dirige ſuper nos* כוננה עלינו] *Confirma in nobis*. Alii, *inſtitue ſuper nos*, i.e. fac feliciter cedat quicquid inſtituerimus. ¶ *Opus*, *inquam*, &c. ומעשה] Idem bis dicit.

CASTALIO.

8. TU *vitia noſtra in tuo conſpectu*, *abdita noſtra in tui vultûs lumine collocas*] Recordaris atque punis, ut Pſal. 109.

11. *Quòd ſi quis iræ tuæ vim norit*, &c.] Si quis intelligat quæ ſit iſtius iræ cauſa atque vis quâ vitam noſtram tam brevem facis, intelliget te ſævire prout metueris, tantoque breviorem vitam efficere quantò minùs te reverentur homines. Quòd ſi ritè perpenderemus quàm ſit vita noſtra brevis, & hujus brevitatis cauſam intelligeremus eſſe peccata noſtra atque tui contemptum, mentem adhiberemus ſapientem, h. e. te revereremur (nam *ſapientiæ caput eſt tui metus*) atque ità vitam & longam & felicem obedientià conſequeremur, quam peccatum & contumacia brevem reddidit & miſeram. Sed ad hoc conſequendum vires nobis adimit noxa noſtra, ſupereſt ut tu hoc in nobis efficias, noſque hanc rectè vivendi rationem doceas: id quod non niſi placatus facturus es; neque porrò placandus niſi per Meſſiam vitæ noſtræ reſtitutorem. Mitte igitur citò Meſſiam, cujus operâ nobis pro tua clementia plenam perpetuamque felicitatem conferas, idque facias *manè*, h. e. cùm reviviſcemus. Nam hæc vita nox eſt, tot malorum tenebris involuta: Illa vita dies erit, plena lucis & gaudiorum. Ut igitur in hac vita perpetuis *malis afficimur*, affer nobis alteram vitam, in qua bonis fruamur ſempiternis: & iſtud tuum tam præclarum *opus nobis noſtriſque natis exhibe*, ut Divinam iſtam felicitatem adipiſcamur: *& opus noſtrarum manuum nobis perage*, h. e. id perfice quod nos fruſtrà conamur. Conamur ad vitam pervenire (id enim eſt omnibus ingeneratum ut bonum cupiant: eſt autem bonum Deus, vitam agens beatam, cujus nos adipiſcendæ causâ laboramus, & ad cujus ſimilitudinem ſumus creati) ſed quia nihil efficimus, hoc à te exſpectamus. Confer hunc locum cum Eſa. 26.

CLARIUS.

1. DOmine, *refugium*] Vel *habitaculum*, ut videatur reſpexiſſe ad Tabernaculum fœderis: q. d. Non hoc ſed tu ipſe es verum habitaculum, & fuiſti antequam orbis ipſe conderetur, ad quem tutò confugiamus.

3. *Convertis hominem*] i. e. Tu continuò ducis hominem ad mortem, & dicis, *Revertimini* corpore in pulverem, & ſpiritu ad me. Et quidem tu, Deus, noſti quàm nihilum ſit omne tempus quo vivimus; cùm *mille anni in oculis tuis ſint quaſi dies*, eaque *quæ jam præteriit*, *& ceu vigilia noctis*, &c.

8. *Occulta noſtra*] Peccata quæ nos pro occultis habuimus, & in adoleſcentia commiſimus, ipsâ luce manifeſtiora ſunt in conſpectu tuo.

9. *Veluti ſermo*] Scilicet illico tranſiens, vel ſicut leve murmur ad momentum aurem percellens, vel res momento deſinens, atque, ut dicitur, dicto citius.

10. *Septuaginta*] Juxta communem curſum naturæ provectiores ætate ſeptuageſimum, aut ad ſummum octogeſimum, attingunt annum, pauciſſimi centeſimum. ¶ *Et faſtus*] i. e. Qui paucis annis ſuperbiunt & ferociunt, horum vita tandem deſinit in ærumnam & moleſtiam. Vel, qui præcipui ſunt inter hos, & tanquam flos ipſe hujus tam raræ ætatis, & moleſtiis & laborioſis miſeriis pleni abeunt velociſſimè, *& nos* toti, velut alis aſſumptis, *avolamus*.

11. *Quis novit poteſtatem*] Vel, *vim iræ tuæ*: maximè ſi à nobis exigas venerationem majeſtati tuæ debitam, & ob eam non ſatis diligenter præſtitam, quantum res ipſa requirat, iraſci volueris.

12. *Ut numeremus*] Numerare nos doce ad hunc modum pauciſſimos dies noſtros, & ſemper habere paucitatem illorum in memoria, ut nihil nobis de hac vita magni promittentes Divinæ ſapientiæ ſtudio animum intendamus. Alii hos duos verſus ſic interpretantur, *Quis novit vim iræ tuæ? nam pro modo quo te quiſque timet & colit videtur ſævire ira tua. Notum ergò fac nobis numerum dierum noſtrorum*, *ut ſciamus quantæ iræ tuæ ſubjecti ſumus*, *& conſecremus cor noſtrum ſapientiæ*.

13. *Uſquequo*] Sub. *abes*, *& non redis ad nos?* Vel, *an non ſatis in miſeros nos ſævitum videtur?*

16. *Appareat in ſervis tuis*] *Appareat ſervis tuis* ſalutiferum illud redemptionis *opus*; & reconciliatio Divinæ *Majeſtatis tuæ* nota fit *ſervorum tuorum poſteris*.

DRUSIUS.

1. בְּדֹר וָדֹר. S. ἐν ἑκάςῃ γενεᾷ, *in quaque generatione*] Euthymius Ph. Sauli, *In generatione & generatione*, *h. e. in omni generatione. Ità enim reddidit Symmachus.*

2. בְּטֶרֶם הָרִים יֻלָּדוּ וַתְּחוֹלֵל אֶרֶץ. O. *Antequam montes naſcerentur*, *& parturiretur terra*] Vide Hieron. ad Cyprianum. ¶ מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם אַתָּה אֵל. O. ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ ὁ Θεὸς, *à ſeculo & uſque in ſeculum tu es Deus*] Epiſt. ad Suniam & Fretelam.

3. וַתֹּאמֶר שׁוּבוּ בְנֵי־אָדָם. A. *& dices*, *Convertimini*, *filii hominum*.

7. נִבְהָלְנוּ. A. Sym. *acceleravimus*.

8. שַׁתָּ עֲוֹנֹתֵינוּ לְנֶגְדֶּךָ עֲלֻמֵנוּ לִמְאוֹר פָּנֶיךָ. Sym. Προέθηκας τὰς ἀδικίας ἡμῶν ἄντικρύς σου, τὰς ἀμελείας ἡμῶν φαίνεσθαι τῷ προσώπῳ σου, *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te*; *negligentias noſtras*, *ut appareant in conſpectu tuo*. עלמנו, Aq. παροράσεις, i. e. *errores*, ſive *ignorantias*. V. ed. *adoleſcentiam noſtram*.

10. בָּהֶם. Sym. ὁλόκληροι, *univerſi*] Hieron. ad Cyprianum ſcribens, *Pro eo*, inquit, *quod nos poſuimus*, In ipſis, *& in Ebræo habetur* בהם, *Sym. ſignificantius tranſtulit* ὁλόκληροι, *quòd magis ad ſenſum quàm ad verbum transferre poſſumus* univerſi. ¶ כִּי־גָז חִישׁ וַנָּעֻפָה. A. ὅτι διεπέλασεν ἀνὴρ, καὶ ἐπετάσθη. Sym. τμηθέντες γὰρ ἄφνω ἐκπεταννύμεθα. Th. ὅτι ἐπῆλθε πραΰτης, καὶ παιδευθησόμεθα] Ἀνὴρ, איש pro חיש. Locum hunc ſuſpectum facit idem quem modò nominavi Hieronymus. Sic enim certè ſcribit epiſt. ad Cyprianum, *Satiſque miramur quid voluerint verbum Ebraïcum* גז חיש, *Th. & VI. ed. transferre* manſuetudinem, *cùm Aq. Sym. & V. ed.* feſtinationem *&* repentè celeriterque *tranſtulerint*. Idem paulò antè, *Quem locum ità Symmachus tranſtulit*, Succidimur enim repentè, & avolamus. *Quinta ed. hoc modo*. Quoniam tranſivimus celeriter, & diſſolvimur. ¶ וְרָהְבָּם. Sym. *contra opinionem*] Colligo ex verbis Hieronymi, *Sin autem multum*, *&*, *ut interpretatus eſt Symmachus*, *contra opinionem*, *octoginta ſunt anni*. Locus ſuſpectus. גז חיש exponi etiam poteſt, *ſuccidimur tacite*. Nam tale

quid

quid עת verbum apud Chaldæos ſignificat: & eſt ſenſus ſecundùm illud,

——— Tacitiſque ſeneſcimus annis.

Senſus, ità mihi cœlum faveat, non inelegans.

11. מִי־יוֹדֵעַ עֹז אַפֶּךָ וּכְיִרְאָתְךָ עֶבְרָתֶךָ. Sym. Τίς οἶδεν τὴν ἰσχὺν τοῦ θυμοῦ σου, καὶ κατὰ τὸν φόβον σου τὴν ὀργήν σου; *Quis novit vim furoris tui, & ſecundùm timorem tuum iram tuam?*

12. לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע וְנָבִא לְבַב חָכְמָה. A. Sym. V. ed. *Dies noſtros ſic oſtende ut veniamus corde ſapienti*] Hieron. LXX. *Dexteram tuam ità notam fac, & eruditos corde in ſapientia*] *Quod Aq. Sym. & Quinta ed. ſic verterunt, Dies noſtros ſic oſtende ut veniamus corde ſapienti.* Agnoſco נבוא pro נביא, quorum prius ſign. *veniamus*, alterum *adducemus*, i. e. ἄξωμεν itaque vertendum ſecundùm ſcripturam quæ nunc obtinet. An olim aliter ſcriptum fuerit neſcio. Hoc ſcio, Interpretes ſæpenumero erraſſe in Joth & Vau, dum unum pro altera & legunt & interpretantur.

14. שַׂבְּעֵנוּ בַבֹּקֶר חַסְדֶּךָ וּנְרַנְּנָה וְנִשְׂמְחָה בְּכָל־יָמֵינוּ. Οἱ λοιποί, Ἔμπλησον ἡμᾶς ἐν τῇ πρωΐᾳ ἔλεός σου, καὶ αἰνέσομεν καὶ εὐφρανθησόμεθα ἐν πάσαις ταῖς ἡμέραις ἡμῶν, *Imple nos manè miſericordiâ tuâ, & laudabimus & exſultabimus omnibus diebus noſtris.*

15. שַׂמְּחֵנוּ. οἱ ἄλλοι, *lætifica nos.*

AMAMA.

M*Oſis*] Sunt qui volunt eſſe nomen cantoris. Moſes, Μώσης μωϋσῆς, vide Druſ. ad voces Ebr. R. Sal. ſequentes decem Pſ. eidem tribuit, quia ſunt ἀνεπίγραφοι. Chald. *Oratio Moſis Prophetæ, quam oravit quando peccarunt FF. Iſraël in Deſerto, eum ſc. reverſis exploratoribus populus obmurmuraſſet Deo.* Num. 13.

Viri Dei] Id eſt, Prophetæ. Sic vocatur Deut. 33. 1. Et Samuel 1 Sam. 2. Et 1 Reg. 13. 1. is qui Jeroboamum reprehendit. Propheta non tantum fuit Moſes, ſed quaſi Dux & Princeps Prophetarum, unde hæc locutio Act. 26. 22. 1 Tim. 6. *Tu autem homo Dei hæc fuge.* 2 Tim. 3. *Ut perfectus ſit homo Dei ad omne bonum opus perfecte inſtructus.* Vel *Vir Dei*, i. e. vir excellentiſſimus, eximius. Dicit איש quod eſt ἀρετῆς, (ארם enim non conſtruitur.) Moſes certe inter omnes Mortales excelluit. Primo in Spiritu Prophetico, & Rerum ſacrarum cognitione, ut meritò dictus ſit Ὠκεανὸς τῆς θεολογίας ἐξ οὗπερ πάντες &c. Deut. 34. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael par Moſi* &c. Tum omnium virtutum genere, quarum compendium habes Num. 12. 3. *Vir autem manſuetus erat valde præ omnibus hominibus qui erant in ſuperficie terræ. Manſuetus*, i. e. injuriarum patientiſſimus & ſummè humilis. Hæ duæ virtutes arguunt hominem qualis ſit.

2. יֻלָּדוּ R. Sal. נבראו

וַתְּחוֹלֵל] Piſc. propriè *peperiſſes*. Transferunturque inquit hæ voces ad creationem, ut Deut. 32. 11. *Rupis quæ genuit te oblitus es, oblivioni tradidiſti Deum formatorem tuum.* Gen. 2. iſtæ תולדות Contra Pſ. 102. *Populus qui creabitur.* Jez. 21. 30. *In terra ubi creata es.* Jun. *procreata es.* LXX. γεννάτω.

אֱנוֹשׁ] *Ab ærumnis.* Iliad. ρ.

Οὐ μὲν γάρ τι τοῦ ἐςὶς ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνέει τε καὶ ἕρπει.

עַד־דַּכָּא] Poteſt eſſe conc. ut Eſ. 57. *cum.* דכא *& humili corde.* Deut. 23. eſt abſtr. *Non ingr. vulneratus* דכא *contuſione.*

Anni mille] Senſus, Etſi quis diutiſſ. viveret, moriendum tamen eſſet ac ſi unum tantum diem vixiſſet. An propoſitum ipſi eſt oſtendere quam vere vita nihil ſit niſi fumus, & quantillum ſit ad æternitatem. Ariſt. in hiſtoria animalium ait juxta Hypanim fluvium beſtiolas quaſdam naſci quæ uno die tantum vivant, Hæ ſi 8. hora moriantur, provecta ætate moriuntur, quæ occidente ſole, decrepitâ. Confer longiſſimam ætatem hominis cum æternitate, & videbis nos longe magis μινυνθαδίους & μικροβίους. Unde vita noſtra comparatur palmo.

Vigilia] Sp. 3. horarum, vel 4. ut alii. Pſ. 119. Kimchi ait *tres vigilias*, Thr. 2. 19. *Caput vigiliarum*, Jud. 7. *media*, Exod. 14. 24. *Matutina.* At Marc. 6. & Matth. 14. fit mentio *quartæ vigil.* Prima incipit à veſp. 2. deſinit in meridie noctis, quam noctem intempeſtam vocamus, 3. uſque ad primum gallicinium, 4. ad ortum ſolis. Druſius putat poſteriori ævo 4^tam acceſſiſſe, idque ob locum Jud. 7. At Ebraiſmus eſt.

Sic & *Diem* in 4. *Vigilias* diſtributam putant nonnulli, quod tamen Caſaub. vellet luculentius probatum, ob difficult. inter Euang. Joh. 19. 4. *Erat hora quaſi 6. cum Chriſtum produceret*, Marc. 15. *Erat autem hora quaſi 6. cum tenebræ orirentur uſque ad 9.*

10. *Dies annorum*] Sub. quod attinet. Reſpexit ad verba Jacobi Gen. qui rogatus à Pharaone de ætate ſua, reſp. *Dies peregr. ſervi tui ſunt pauci & mali.*

בִּגְבוּרֹת] *In fortitudinibus.* Senſus eſt *ad ſummum*, ut Tig. quomodocunque exponas, Jun. *ut valentiſſimi ſimus.* Piſc. *ſi admodum invaleſcant*, Caſt. *ut ſit bona valetudo*, Angl. *bi reaſon of ſtrength.* Junius optime expreſſit ſenſum & Ebraiſmum. Plenum enim eſſet 'אם אנחנו בגב, *ſi ſimus in —nibus*, i. e. ſumma fortitudine, i. ſummè fortes, valentes.

רָהְבָּם] Ad verbum *ſuperbia eorum*, i. e. Id quo ſolemus ſuperbire. Solemus autem ſuperbire propter præſtantiora quædam. Aben. ימי רהבם *dies ſuperbiæ eorum*, *& ipſi ſunt* ימי הטוב, ſc. ימי בחורת, Vel ſimpl. *ſuperbia eorum*, i. e. juventus eorum; ſolent enim juvenes maxime eſſe ſuperbi; *Juventus eorum*, i. e. præſtantiſſima pars ætatis humanæ.

Vel רהבם Jun. *Excellentiſſimum, optimum eorum*, id eſt, dies ſanitatis & valetudinis proſperæ; quæ expoſitio omnium commodiſſima, quando enim homo optime valet tum maxime laborat & delaſſatur quiſque in ſua vocatione. Cum ægrotat, vel invitus feriatur ab eo labore, & nihil magis optat quam ut detur ſibi redire ad labores etiam maximos dummodo redeat ad priſtinam valetudinem.

Vulg. ex Gr. & *amplius eorum.* Quod ſic exponitur, Quicquid vitæ ultra hunc terminum relinquitur laborioſum eſt doloriſque plenum. Senectus per ſe morbus eſt. Senex quaſi ſeminex, Φόβου τὸ γῆρας ὅτι οὐκ ἔρχεται μόνον. Aug. *Qui ſibi ſenectutem optat quid niſi longam infirmitatem optat.* Sed non patitur eam expoſ. textus Ebr.

Loquitur Moſes de ordinario vitæ curſu. Ipſe enim Moſes attigit 120. annum. Cum Patres eſſent longe magis μακρόβιοι, tandem acciſus eſt terminus humanæ vitæ. Eccl. 18. *Creſcente hominum malitia, ſimul anni decreverunt.*

Macrob. in Som. Scip. Septies deni anni creditur à Phyſ. meta vivendi & hoc vitæ hum. perfectum ſpatium terminatur.

כִּי־גָז] *Cum avulſum fuerit illud feſtinè*, vel, *quum avulſerit illud*, Deus ſc. Sic à גז eſt, quod ſig. *tranſire*, *tranſire facere*, *avellere*, ut Num. 11. וַיָּגָז שַׂלְוִים מִן־הַיָּם. Hinc R. Sal. eſſe לשון עבר. Aben. ait eſſe ſign. גזז ut ſit à גז *totondit*, quia tonſio eſt in celeritate. Celeriter detondemur.

Vulg. *Quoniam ſupervenit manſuetudo & corripiemus* ἐπῆλθε πραότης ἐφ' ἡμᾶς καὶ παιδευσόμεθα.

כְּיִרְאָתְךָ] *Secundum timorem tui*] i. e. Ita ut timeat iram tuam ac proinde abſtineat à peccatis. Vel, *quantus eſt tui timor, ſecundum quod es formidabilis, ſecundum timorem eum quomodo tu es pavendus.*

Timor tui] Paſſivè, Sic Mal. 1. *Si ego Dominus, ubi timor meus?* i. e. mei.

Aben dicit R. Moſen verſum hunc copulaſſe cum ſequenti, *Quicunque novit. &c. Is quoque numerare dies noſtros rectè novit, iſque propheta eſt: nam eſt ei cor ſapientiæ.* Sed in hac exp. multa abſurda. Ut & in Vulg. magna σύγχυσις, *Quis novit furorem tuum enumerare?* 12. τὴν δεξιάν σου οὕτως γνώρισον μοι. Ecce legit ימינך & vertit י in ן Optima Interpr. *Dies noſtros numerare rectè doce.* כן *rectè*, 2 Reg. 7. *non* כן *nos facimus.* Num. 27. *Filiæ Tzelophead* כן דברת R. Sal. כן pro ſeptuaginta.

וְנָבִא] *Adducemus*, alii, *inducamus*, alii, *acquiramus*, Gr. πεπεδημένους τῇ καρδίᾳ. Alii Cod. πεπαιδευμένους.

14, 15. *Satia nos, lætifica nos.*] Vulg. *Impleti ſumus* &c. legerunt aliis punctis.

כִּימוֹת *Secundum dies*] i. e. Secundum numerum dierum.

Vidimus] i. e. experti. Sic *oſtendere* pro *afficere*, Pſ. 71. *Oſtendiſti mihi anguſtias multas*, 1 Tim. 4. *Alexander faber* ἐνεδείξατό μοι &c. Jirm. 5. *Nec gladium nec famem videbimus.*

הַדְרָךְ] *Et dirige FF. eorum*, καὶ ὁδήγησον, i. e. הדרך

GROTIUS.

O*Ratio Moſi hominis Dei*] Non ab ipſo facta, ſed ejus rebus animoque conveniens. Τίνας ἂν λόγους εἴποι ὁ Μωσῆς, [*qualia verba Moſes dicere potuerit.*] Idem dicendum videtur de Pſalmis ſequentibus decem, quos Hebræi Moſi tribuunt.

2. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo uſque in ſeculum tu es Deus*] Illud *Deus* ex Hebræo additum videtur. Nam in Græco eſt, Πρὸ τοῦ ὄρη γεννηθῆναι, καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀπὸ τοῦ αἰῶνος ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ, [*Priuſquam montes gignerentur, & fingeretur terra, & orbis habitatus, & à ſeculo uſque ad ſeculum tu es.*] Quod autem in Hebræo ſequitur אל non cum Tſere legerunt Græci Interpretes, ſed cum Patach, & retulerunt ad comma ſequens, verſum per μή [*ne.*]

3. *Se-*

8. *Seculum noſtrum*] *Abſcondita noſtra*: id eſt, peccata hominibus incognita tu vides.

9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*] Τὰ ἔτη ἡμῶν ὡς ἀράχνη ἐμελέτων, [*anni noſtri ut aranea meditati ſunt.*] Fortè pro כמו [*tanquam*] legerunt עכבש [*aranea*] ſubaudito כ [*ſicut,*] & הגה [*meditari*] ſumſerunt ut verbum: noſter autem textus Hebræus ut nomen quod *ſermonem* ſignificat. *Vita volat*, *ut* ἔπεα πτερόεντα, [*volucria verba.*]

10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*] Id eſt, in omni tempore annorum noſtrorum (nempe quos in ſanitate agimus) non ampliùs eſt quàm LXX. anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni] *Si autem viribus* (ſupple *eximiis præditus aliquis fuerit*, *eximiâ corporis temperaturâ*) *octoginta anni.* Solon apud Herodotum libro I. ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζωῆς ἀνθρώπῳ προτίθημι, [*ad ſeptuaginta enim annos homini vitæ terminum ſtatuo.*]

Et amplius eorum labor & dolor] In Hebræo: ורהבם, id eſt, *ipſum robur ejus.* Sic vocari juventam cenſent Aben-Eſdra & Rabbi Salomo; illam quoque ait *laboris & pœnæ* (quam Hebræo more *iniquitatem* vocat) *eſſe plenam.* Græci legerunt ורבם τὸ πλεῖςον αὐτῶν, quod hic Latinus vertit, *amplius eorum.*

11. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare*] למנות [*recenſere*] non ad initium ſequentis, ut Maſoretæ, ſed ad hujus commatis finem retulêre. Senſus eſt, Quis plenè novit omnia ſeveritatis tuæ exempla, & ſi quis noſſet, quomodo præ timore & anxietate auderet ea recenſere, & verbis exſequi?

12. *Dexteram tuam ſic notam fac*] Legêre hic Græci non ימינו [*dextram ejus*] ſed ימינך [*dextram tuam,*] rectè, ni fallor: rectè etiam interpretati ſunt τὴν δεξιάν σου, [*dexteram tuam.*] Auxilium tuum nobis oſtende, ut antehac feciſti.

Et eruditos corde in ſapientia] Rectiùs: *Et venire faciemus cor ad ſapientiam.* Hæc erit ad nos emendandos via optima.

PRICÆUS.

14 *QUoniam in me ſperavit, liberabo eum*] Sirachides 2. 6. *Crede Deo, & recuperabit te.* Vide 9, & 11. In narratione de Suſanna, com. 60. Τῷ θεῷ, τῷ σώζοντι τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτόν.

15. *Cum ipſo ſum in tribulatione*] Suprà 33. 19.

IDEM.

3. *LIberavit me*, &c. *à verbo aſpero*] A minacibus ſuperborum verbis. LXX. heic, ἀπὸ λόγου ταραχώδους· id eſt, qui turbaverunt animam meam. Sic Act. 15. 24. λόγοις ταράττειν· & 1. 2. apud Jul. Pollucem ταραχώδης τύραννος· quod exponam, qui aſperis vel minacibus verbis terrorem injicit.

4. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*] LXX. ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ, &c. In Gloſſario, Μεθάφρενον, *interſcapulum*: quâ voce uſus eſt & Apulejus.

5. *Scuto te circumdabit veritas ejus*] Id eſt, bona voluntas ejus. Suprà 5. 13. *Ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti* (id eſt, circumdediſti) *nos.*

Ibid. *Non timebis à timore nocturno*] Securus dormies.

6. *A ſagitta volante per diem*] Sagitta linguæ inſidiantis. Vide ad 10. 3. & 56. 5. dicta.

Ibid. *A negotio perambulante in tenebris*] LXX. ἀπὸ πράγματος, &c. quam vocem paſſim hic Interpres *negotium* vertit: ut Rom. 16. 2. 1 Cor. 6. 1. 2 Cor. 7. 11. 1 Theſſal. 4. 6. & Eccleſiaſtis 5. 7. Hoc loco voce eâ intelligendi fortè illi nequam ſpiritus, qui noctu vigilantes atque adeò dormientes homines non ceſſant inquietare.

Ibid. *Ab incurſu & dæmonio meridiano*] Id eſt, ab incurſu dæmonii meridiani. Sirachides 34. 19. & de Deo loquens, *Tegimen ardoris, & umbraculum meridiani*: quo loco etſi *Solis* ſuppleveris, huc tamen ea non ineptè applicueris. Vide & eundem Sirachidem 14. 27. Origenes in cap. 1. libri Job. *Scientes ſancti viri quòd ipſo meridiano tempore ruinâ occupati ſunt filii Job atque mortui, oraverunt ad Deum conſervari ſicut à negotio in tenebris ambulante, ità & à ruina & à dæmonio meridiano. Sicut enim in noctis tenebris, ſic ſimiliter in medio meridie plures dæmonum tentationes ſe demonſtrant quàm cæteris temporibus.*

16. *Longitudine dierum replebo eum*] Proverb. 10. 27. *Timor Domini apponit dies*, (id eſt, Deus timentibus ſe vitam longam dat) *anni autem impiorum breviabuntur.* Vide & Proverb. 3. 16.

PSALM. XCI.

MUNSTERUS.

3. *DE laqueo venatoris*] h. e. De inſidiis quas hoſtes clanculum moliuntur. Et nota quòd totus Pſalmus agit de tutela hominis qui in Deo habet refugium ſuum; huic enim nec homines nec Dæmones nocere poſſunt. Intelliguntur autem Dæmones per *pavorem noctis* & *peſtem graſſantem in meridie*, per quos Deus immittit mala hominibus.

7. *Cadent à latere tuo mille*] i.e. Si tanta vis peſtis ſæviat, à Deo miniſterio Dæmonum immiſſa, ut à ſiniſtris *mille cadant*, non eſt quòd tibi metuas, ſi *fiduciam tuam in Dominum poſuiſti.* Nullum fatum tibi nocere poterit, aut familiæ tuæ, quæ per *tabernaculum* hic ſignificatur; *quandoquidem Deus Angelis ſuis mandatum dederit de te, ut ab illis ubique protegaris*, ſi modò ambules in rectitudine *viarum* Domini, & non tentes Deum, ſicut ex hoc loco Satan Chriſto ſuadere contendit, Matth. 4. Eris præterea tutus, ut nullum nocivum animal tibi vel morſu vel veneno nocere poſſit, &c.

VATABLUS.

1 *QUi habitat* ישב] Ad verb. *Habitans. Sedens.* ¶ *Commoratur* יתלונן] Fut. Heb. pro præſ.

2. *Dicam de Jehova* אומר ליהוה] Particip. præſ. Heb. pro fut. *Dicens*, pro *Dicam de Jehova*, &c. vel auſim polliceri de Jehova, quod nempe ſeq. verſu dicitur, in quo perficitur ſententia. Quidam vertunt, *Dicam Jehova*; ſed minùs rectè.

3. *Certè ipſe eruet te* כי הוא יצילך] *Quòd ipſe liberaturus ſit te.* Tranſit à tertia perſona ad ſecundam. ¶ *Venatoris* יקוש] *Aucupis.* ¶ *Pravitatum* הוות] *Exitiorum*, i. e. exitiali.

4. *Alis ſuis* באברתו] *Sub penna ſua.* Vel, *Sub alis ſuis.* ¶ *Securus eris* תחסה] *Defenderis*; *tutus eris*; *confides.* ¶ *Scutum & clypeus* צנה וסחרה] *Pro ſcuto & clypeo*; i. e. ſervabit te juxta promiſſionem ſuam fidelem.

5. *A timore noctis* מפחד לילה] *A terrore noctis*; vel *nocturno*: i. e. nihil accidere poterit nocte quod te terrere poſſit. ¶ *A ſagitta* מחץ] i. e. A repentino periculo.

6. *A peſte* מקטב] *Ab exterminio*; *à lue*: i. e. à peſte, ſive exitiali morbo qui graſſatur cùm calor Solis eſt vehementiſſimus. ¶ *Vaſtat* ישוד] Fut. Heb. pro præſ.

7. *Cadent* יפול] Sing. Heb. q. d. Videbis paſſim peſte & aliis malis interemptos coram te cadere miſereque perire; at tu interim ſecurus manebis. Quidam vertunt, *Cadant* licèt *à latere*, &c. ¶ *Non appropinquabit* לא יגש] *Non pertinget*, ſub. *telum ullum*, aut *peſtis*: i. e. permanebis illæſus.

8. *Tantum*, &c. רק בעינך תביט] *Sed oculis tuis ſpectabis.* Alii, *Utique oculis tuis videbis.* q. d. Te nihil moliente, ſed tantùm ſpectante. ¶ *Et retributionem* ושלומת] *Et repenſionem*; vel & *talionem.*

9. *Tu* dixiſti, *Jehova*, &c. אתה יהוה] Sic vertúnt qui iſtum verſum ſequenti jungunt, & ſermonem ad pium dirigi volunt. Vel ſic, *Quoniam tu Jehovam, qui tutela mea eſt*, & eſt etiam *Altiſſimus*, *poſuiſti refugium tuum*, *Non accedet*, &c. Alii dirigunt ſermonem partim ad Deum, partim ad pium, ſic, *Tu, Jehova, es ſpes mea.* ¶ *Excelſum poſuiſti*, &c. עליון שמת מעונך] i. e. In Deo excelſo. Alii referunt ad locum, vertentes, *excelſum poſuiſti habitaculum* refugii *tui.* Vel, *in edito loco collocaſti habitationem tuam.*

13. *Et baſiliſcum* ופתן] *Et aſpidem.*

14. *Me valde amat* בי חשק] *In me complacuit ſibi*: *mihi adhæſit*; *ardet me*; *vehementiſſimè amat*; *amplexus eſt me.* ¶ *Exaltabo eum* אשגבהו] i. e. In loco inacceſſo aut alto ponam eum.

16. *Et videre faciam eum* ואראהו] *Et oſtendam ei*; *& exhibebo ei*: q. d. Vitâ longævâ donabo eum, ut non decedat niſi plenus & ſatur dierum; & tandem vitâ æternâ.

CASTALIO.

14 *QUoniam mei percupidus eſt, eum liberabo*] Dei promiſſum.

CLARIUS.

CAnit quàm tutus agat liberque à malis univerſis qui Deo ſeſe ſolidâ fide commiſerit, ut nec homines illi nec Dæmones nocere poſſint.

1. *Quihabitat*] Alius vertit. *Qui ſedet in latibulo Altiſſimi, in umbra Omnipotentis commorabitur.* Quicunque, inquit, committit ſe protectioni Altiſſimi, quantumvis occultæ, illius tutelam ſuſcipit omnipotens Deus, & tutò verſabitur inter pericula vitæ hujus.

3. *De laqueo venantium*] h. e. De inſidiis quas hoſtes clanculum moliuntur. ¶ *A verbo aſpero*] Hebraïſmus eſt, ut *verbum* pro *re* accipiatur: rem ergò aſperam intellexit Interpres, quod alii verterunt *à peſte noxia.*

4. *Veritas ejus*] *Veritatem* hîc, ut ſæpe aliàs, fidem intelligit quam ſervat Deus ſuis.

5. *Non timebis à timore nocturno*] h. e. Neque nocte te quicquam terrebit, neque die.

6. *A peſte perambulante in tenebris*] A peſte quæ clàm invadere homines ſolet, & ab ea quæ de improviſo ſuborta ſæviet, ſecurus eris. Hebræi per *pavorem noctis* & *peſtem graſſantem meridie* intelligunt Dæmones, per quos Deus immittit mala hominibus.

7. *Cadent à latere tuo mille*] h. e. Si tanta vis peſtis ſæviat ut à ſiniſtris mille cadant, &c. vel ſi prælium ingreſſus cum hoſtibus manus conſerueris, corruent à dexteris & à ſiniſtris.

8. *Oculis tuis*] Quin potiùs oculis tuis videbis præliantem pro te Deum, & impios pœnas dare ſecurus aſpicies.

9. *Altiſſimum poſuiſti*] Tutiſſimum veluti aſylum, habitaculum refugii tui.

DRUSIUS.

3. מִדֶּבֶר הַוּוֹת. Sym. ἀπὸ λόγȣ ἐπηρείας] Interpres Theodoreti, VERBUM ASPERUM, verbum doloris *Sym. explanavit.* Euthymii, *Sym. pro* VERBO PERTURBATIONIS, calumniarum ſermonem *reddit.* Ambroſius Offic. lib. 1. c. 4. *Sym.* irritationis verbum *dixit*, *alii* perturbationis. הוות. Sym. *calumniator:* fortè an ἐπηρεάζων. Ἀπὸ λόγȣ, בדבר.

6. מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם. A. ἀπὸ δηγμȣ̃ δαιμονίζοντος μεσημβρίας. Sym. συγκύρημα δαιμονιῶδες μεσημβρίας, *caſus dæmoniacus meridie.*

7. מִצִּדְּךָ. A. & Sym. ἐκ πλαγίȣ] Theodoretus, *Pro* LATERE TUO *Sym. & Aq.* ex tranſverſo *verterunt.*

9. כִּי־אַתָּה יְהוָה מַחְסִי עֶלְיוֹן שַׂמְתָּ מְעוֹנֶךָ. A. ὅτι σὺ Κύριε, ἐλπίς μȣ· ὕψιςον ἔθηκας οἰκητήριόν σȣ, *Quoniam tu, Domine, ſpes mea, excelſum poſuiſti domicilium tuum.* Sym. σὺ γὰρ, Κύριε, ἀφοβία μȣ· ὑψίςην ἔθȣ τὴν οἴκησίν σȣ, *tu enim, Domine, fiducia mea: excelſam poſuiſti habitationem tuam*] Οἴκησίν σȣ. In Euſebio perperam μȣ pro σȣ. Ἀποδείξ. lib. 9. pag. 271.

10. לֹא־תְאֻנֶּה אֵלֶיךָ רָעָה וְנֶגַע לֹא־יִקְרַב בְּאָהֳלֶךָ. A. Οὐ μεταχθήσεται πρός σε κακὰ, καὶ ἀφὴ ȣ̓κ ἐγγιεῖ ἐν σκέπῃ σȣ, *Non importabuntur tibi mala, & lepra non appropinquabit tecto tuo.* Sym. Οὐ κατισχύσει σȣ κακὸν, ȣ̓δὲ ἀφὴ ἐγγιεῖ τῇ σκηνῇ σȣ: *Non prævalebit tibi malum, neque lepra accedet ad tabernalum tuum*] Ἀφή. Eadem vox in Græco Deut. 17. 8. ubi in Latina Vulg. *lepra.* Sic Jeſ. 53. 3. נגוע, Aq. *leproſum.* Sym. ἐν ἀφῇ ὄντα, i. e. *in lepra*, ut quidem Hieron. ibi vertit. Alibi eſt ἀφὴ λέπρας, i. e. *plaga lepra*, ut in Levitico, δώσω ἀφὴν λέπρας ἐν ταῖς οἰκίαις τῆς γῆς. Macarius Ægyptius hom. 44. τὸν τόπον τῆς ἀφῆς τῆς λέπρας. Suidas, Ἀφή χροιὰ λέπρας· quæ potiùs ἀλφή dicitur ſive ἀλφός, i. e. *vitiligo.* Conſule Heſychium & Varinum. Propriè ἀφή eſt *tactus*, ut נגע in lingua Ebraïca, & generaliùs quamvis *plagam* denotat.

11. כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה־לָּךְ לִשְׁמָרְךָ בְּכָל־דְּרָכֶיךָ. A. Ὅτι ἀγγέλοις αὐτȣ̃ ἐντελεῖται τοῦ φυλάξαι σε ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σȣ· *Quia Angelis ſuis mandabit de te, ut cuſtodiam te in omnibus viis tuis.* Sym. Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περί σȣ, τοῦ διαφυλάξαι σε ἐν πάσαις ὁδοῖς. *Quoniam Angelis ſuis mandabit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis.*

AMAMA.

1. *Confidens in latibulo Excelſi in umbra Omnipotentis indeſinenter pernoctaris.* 2. *Dico, in Domino eſt receptus meus.* Sic Jun. Adverſatur ultima vox verſ. 1. quæ eſt 3. perſonæ.

Alii, ut R. Sal. & Vulg. Tig. Angl. Gen. It. Ald. primum verſum accipiunt ſeorſum. At eam verſionem reſpuit vitium ἀδολεσχίας ſive ταυτολογίας. Subjectum enim & prædicatum æquipollent. Non videtur. Amplius enim quid continet poſterius membrum vocula שַׁדַּי

Alii, ut Caſtalio, ſic jungunt, *Qui ſedes in præſidio Altiſſimi, qui in umbra Omnipotentis degis. 2. Statue Jovam tibi eſſe fiduciam.* Hic obſtat primò idem impedimentum 1. Sententiæ, 2. Vox אֹמַר quæ non poteſt eſſe Imp. niſi punctes אֱמֹר Belg. & Vulg. *Is dicit*, אוֹמֵר vel יֹאמַר

Sic ergo cum Piſc. *Qui ſedet in latibulo Excelſi, qui in umbra Omnipotentis pernoctat.* 2. *Ad eum dico* &c.

2. *Dico, in Domino*] ל pro ב. Pſalm. 16. לַשָּׁאוֹל

3. יָקוּשׁ] *Aucupis* vel *Aucupantis.* Forma part. paſſivi. Sic נשור, עָשׁוּק, זכור. Pſal. 103. נשור Pſal. 102. Sic נְפִלִים *Irruentes*, Hier. in Eſ. 66.

. דֶּבֶר] Unde ducta vide Obſ. Druſ. 14. 8. דִּבֵּר *perdo, occido,* ut 2 Chr. 22. 10. *Et Atalia* וַתְּדַבֵּר כָּל־זֶרַע הַמַּמְלָכָה Sic Kimchi exponit locum Pſalm. 2. וַיְדַבֵּר אֵיתָנָם *& interficiet fortes eorum.*

דֶּבֶר הַוּוֹת] Jun. *peſte ærumnoſiſſimâ*, Piſc. *peſte teterrima* vel *virulentiſſima*, Tig. & Caſt. *à peſte exitiali*, LXX. ἀπὸ λόγȣ ταραχώδȣς, Vulg. *à ſermone aſpero.* Ecce legerunt דָּבָר

הַוָּה] Belg. *Have.* aliq. *ſubſtantia, facultates, opes.* Pſ. 52. 9. *Ecce virum qui confidebat amplitudini divitiarum ſuarum, qui roborabat ſe ſubſtantiâ ſuâ*, בְּהַוָּתוֹ. Sic Prov. 10. 3. ubi Chald. קִנְיָנָא. Sic Gr. ȣ̓σία Luc. 15. Sic *Subſtantia*, Latinis, Quint. *Ut plus ſubſtantiæ filius relinquerem.* Sic *habentia*, Claud. Quadrigarius apud Nonium, *Animos eorum habentia inflârat.*

4. וְהַתֵּרוּ] Poſtquam ſub. Sic Jeſ. 1. *Tu iratus es* וַנֶּחֱטָא. Ex. 16. 20. *& produxit vermes* וַיָּרֻם תּוֹלָעִים Jud. 2. 21. יִתֵּרוּ

5. *A ſagitta volante*] Duobus verſibus deſcribit peſtem, quam amplificat à diſtributione temporis. Vide Mart. Delrio diſquiſ. Mag. tom. 1. lib. 2. q. 27. Sect. 2. *Peſtis ſagitta*, unde Apollo vocatur ἑκήβολος ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ ςρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο.

Alii 4. diverſa pericula intelligunt, duo nocturna, duo diurna. Lutherus *timorem nocturnum* intelligit, odium Phariſaïcum, *Sagittam volantem*, Fulmen excom. Peſtis ambulans *in tenebris* & meridie, cruenta Sophiſmata Tyrannorum & ſævitia perſecutionum.

קֶטֶב צָהֳרָיִם] R. Sal. Vulg. Chald. putant eſſe nomen dæmonii meridiani, ſæviſſimi & דבר nomen dæmonii nocturni. Videtur Vulg. leg. וְשֵׁד.

Chald. *Non timebis à timore dæmonum qui ambulant in nocte, à ſagitta Angeli M. quam emittit interdiu. A morte in tenebris ambulante, à turba dæmonum in meridie, graſſantium.*

מִצִּדְּךָ] *A latere*, i. e. ſiniſtro.

שִׁלֻּמַת] *Retributionem Vindictam.* שִׁלֵּם & גָּמַל ſynonyma ſunt. Notetur, aliquando ſignificare *primam & ultroneam beneficentiam*, vel *læſionem*, ut ענה *Reſpondere incoationem ſermonis*, Prov. 11. *Retribuit* נַפְשׁוֹ *vir miſericors.* LXX. ἀγαθὸν ποιεῖ. Pſalm. 13. *Cantabo Domino quia* גָּמַל עָלָי LXX. τῷ εὐεργετήσαντί με. In malum, Gen. 50. 5. *Forte reddet nobis omne malum quod retribuimus ei.* Sic Abd. 15. & in uno verſu diverſe, Pſalm. 137. *Beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuiſti nobis.*

8. Belg. *Gy ſult uwen luſt ſien*] Omiſit τὸ רַק & malè *uwen luſt*, nam tunc ſolet verbum conſtrui cum ב præfixo objecto non inſtrumento viſus.

9. *De Heere is uwe toeverſicht*] Eb. מַחְסִי Piſc. *Quia [dicis] tu Domine* &c. Ang. *Qui tu Dominum, [qui] meum refugium [eſt,] & altiſſimum poſuiſti.* Jun. *Quia tu Dominum [Deum] receptus mei, Altiſſimum poſuiſti* &c. Ital. ut ſit Apoſtrophe ad Deum & animam, *Quia tu Domine es refugium meum, ideo tu [ô anima mea] poſuiſti altiſſimum.*

10. תְאֻנֶּה] Jun. *Non dabitur occaſio ut attingat te malum*] Piſc. *Non occurret tibi* vel *in te malum.* אִנָּה ſign. *impelli ſeu per impulſum occurrere*, Prov. 12. *Non occurret juſto ulla moleſtia*, Ex. 21. 13. *Et Deus* אִנָּה לְיָדוֹ.

GROTIUS.

5. *Non timebis à timore nocturno*] A latronibus.

6. *A ſagitta volante in die*] Ab apertis præliis.

A negotio perambulante in tenebris] דבר & *negotium* & *peſtem* ſignificat. Videtur hîc intelligi peſtis & alii morbi, quorum cauſæ latent.

Ab incurſu & dæmonio meridiano] Apparet Græcos in Hebræo legiſſe מקטב ושד צהרים [*à vaſtatione & dæmone meridiei.*] Nam שד δαιμόνιον [*dæmonium*] vertere ſolent, ut Deut. 32. 17. & infrà 106. 37. Nos in Hebræo habemus, מקטב ישוד צהרים, *ab excidio vaſtante in meridie:* id eſt, ab ardore Solis, qui multis eſt lethalis, iter facientibus, maximè in locis illis Syriæ & vicinis.

PRICÆUS.

6. *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine!* &c.] Ità & 103. 24.

Ibid.

Ibid. *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*] *Omnia in ſapientia feciſti*, citato Pſalmi 103. loco.

7. *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*] Infrà 93. 8. *Intelligite, inſipientes*, &c. *&, ſtulti, aliquando ſapite.*

8. *Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum*] Ὡς χόρτον (ut Matth. 6. 30.) τοῦ ἀγρȣ̃, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον. Omnino confer Jacob. 1. 11. ubi & χόρτος. In Plauti Pſeud.

Quaſi ſolſtitialis herba paulisper fui,
Repentè exortus ſum, repentinò occidi.

Apte autem itidem alia de cauſa Pſalmiſta iſtos fœno comparat; omnia enim quibus adipiſcendis inſudant, eo nomine rectè comprehendi poſſunt. Arrianus 2. 14. in Epictetum, Ὅσοι περὶ κτῆσιν, καὶ ἀγρȣ̀ς, καὶ οἰκέτας, καὶ ἀρχάς τινας ἀναςρέφεσθε, ταῦτα ȣ̓δὲν ἄλλο ἢ χόρτος ἐςί.

14. *In atriis domûs Dei noſtri florebunt*] In Gr. ἐξανθήσȣσιν id eſt, ἀνθήσȣσιν. Heſychius, Ἐξανθήσει, ἀνθήσει.

15. *Et benepatientes erunt*] In Gr. εὐπαθȣ̃ντες ἔσονται. Huc ergò putem ſpectare quæ apud Heſychium habemus, Εὐπαθοῦντες, εὔρωςοι. Schol. Gr. hîc, Εὐπαθοῦντες, σφριγῶντες, ἀκμάζοντες.

IDEM.

3. ET *veritatem tuam per noctem*] Infrà 118. 62.

6. *Quàm magnificata ſunt opera tua! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*] Infrà 137. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua*, &c. *non potero ad eam.*

Ibid. *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*] Suprà 39. 6. *In cogitationibus tuis non eſt qui ſit ſimilis tibi*: id eſt, in conſiliis.

7, 8, 9. *Et ſtultus non intelliget hæc. Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem: Ut intereant in ſeculum ſeculi*] Senſus & connexio videtur hujuſmodi eſſe: Et ſtultus non intelliget permiſſu tuo peccatores ſicut fœnum (id eſt, flores) exoriri, eoſque qui operantur iniquitatem ad modicum apparere, (id eſt, florere) ut paulò poſt funditus deleantur. Omnino eadem hic ἔννοια quæ ſuprà 79. 18. & 19. In lib. Regum 4. c. 19. 26. *Facti ſunt velut fœnum agri*, &c. *quæ areſacta eſt antequam veniret ad maturitatem. Apparere*, vox apta ad momentaneum impiorum ſplendorem denotandum. Sic de vita 4. 13. Jacobus, *Vapor ad modicum parens, deinde exterminabitur.*

11. *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*] LXX. ἐν γήρει πίονι. Heſychius ex hoc Pſalmi loco, Ἐν γήρει πίονι, γῆρας λιπαρόν.

12. *Et in inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*] Audiet demiſſos eorum ſermones pœnitentiam vel teſtantes, vel ſimulantes.

13. *Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur*] Iiſdem aſſimilationibus uſus eſt & Sirachides 50. 14. ubi de Simone Pontifice, *Circa illum corona fratrum, quaſi plantatio in monte Libano; ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ.*

15. *Adhuc multiplicabuntur in ſenectâ uberi*] Ut Jobus 42. 12. *Adhuc* hoc loco ſignificat *ampliùs*, *inſuper*, vel, *ad hæc*: quod Græcis πρὸς ἐπὶ τȣ́τοις.

Ibid. *Et bene patientes erunt*] LXX. εὐπαθȣ̃ντες ἔσονται quod preſſo pede (ut & ſæpiſſimè) hic Interpres ſecutus. Heſychius ex hoc Pſalmi loco, Εὐπαθȣ̃ντες, εὔρωςοι id eſt, *fortes*: ut poſteriores Latini ſolent eâ voce uti. At puto laxiùs hic Pſalmiſtam intelligendum, pro eo nempe quod infrà 127. 2 *bene eſſe*, &c.

16. *Ut annunciem*] Sub. *opera & miſericordias Domini.* Vide 79. 19.

Ibid. *Quoniam rectus Dominus Deus noſter*] Suprà 10. 8. *Quoniam juſtus Dominus*, &c. id eſt, ut hoc loco, *rectus*.

PSALM. XCII.

MUNSTERUS.

DOcet Pſalmus iſte quid *Sabbatis* præcipuè ſit agendum, nempe conſiderare opera Domini, & illum laudare juxta magnificentiam ſuam. Quod potiſſimùm agendum decernitur *manè* & *veſpere*. Per *unguentum virens* intellige vigorem à Spiritu S. immiſſum, quo nedum animus verùm & corpus, in his, quæ Dei ſunt, exhilaratur, *floretque* talis homo *quaſi palma & cedrus.* Palma fructus producit ſuaves, & cedrus commendatur à robore: ſic *juſti qui plantati ſunt in domo Domini* atque inſiti Chriſto, *fœcundi ſunt & fructum afferunt uſque in ſupremam ætatem.*

VATABLUS.

1. P*Salmus cantici* מזמור שיר] Vide Pſal. 30. ¶ *Bonum eſt celebrare* טוב להודות] Doctus inter Hebræos ſubaudit *dies Sabbathi*, ex ſuperſcriptione Pſalmi, hoc modo, *Bonus* dies Sabbathi *ad celebrandum Dominum*, *&* aptus *ad pſallendum*: nam, ut ait, in hoc Pſalmo affirmat David Sabbathum fuiſſe inſtitutum ut in eo laudaremus Dominum.

3. *Cum cantico* עלי הגיון] *Ad Higgaion*: nomen inſtrumenti muſici: nam illi præpoſuit עלי *ſuper* vel *ad*, quod ſolet inſtrumento muſico præponi. Quidam vertunt *ſuper inſtrumento ſonoro.* Vox ipſa Hebræa *meditationem* & *ſermonem* ſignificat.

4. *Exſulto* ארנן] Fut. Heb. *ovabo.*

6. *Inſipiens* בער] *Stupidus.*

7. *Quòd floreant* בפרח] Infinitivus, *In florere*, vel *florendo.* Unde quidam, *Cùm floruerint impii ſicut herba, atque germinaverint cuncti qui operantur iniquitatem*: fiet tandem *ut ipſi exterminentur in ſeculum ſeculi.* Alii in præſenti, *Cùm florent improbi ſicut herba, & progerminant cuncti operarii iniquitatis, ut vaſtentur in ſempiternum.* Alii, Quòd *cùm impii ſicut herba germinent, in hoc floreant cuncti facinoroſi, ut in perpetuum excidantur.* ¶ *Et flores emittant* ויציצו] *Et vernent: & germinent.* ¶ *Ut diſſipentur* להשמדם] *Ut pereant: ut excidantur*, aut *vaſtentur.*

8. *Excelſus es* מרום] In *ſublimi*; vel in *excelſo*: tanquam ſcilicet ſpeculator, & curam omnium gerens. Nihil fato ſive fortuitò fieri affirmat.

10. *Conſpergar*, &c. בלותי בשמן רענן] Præt. Heb. pro præſ. vel futuro, *Delibutus ero oleo fragranti*; aut *unguento præſtantiſſimo*: q. d. Omnia felicia experiar.

11. *In hoſtibus meis* בשורי] *In inſidiantibus mihi.*

12. *Multiplicabitur* ישגה] *Creſcet, eminebit, diffundet ſe*: i. e. mirum in modum accipiet incrementum.

14. *Pingues & virides* דשנים ורעננים] *Succulenti & vividi*: vel *pleni vigore.* Alii, *florentes.*

15. *Fortitudo mea* צורי] *Rupes* [*petra*] *mea.* ¶ *Iniquitas* עלתה] *Pravitas.*

CLARIUS.

AD *diem Sabbati* inſcriptus Pſalmus eſt, quòd Sabbatis, ut creditur, præcipuè fuerit decantatus. Docet igitur quid Sabbatis in primis ſit agendum nempe conſideranda opera Domini, & illum laudandum juxta magnificentiam ſuam; quod potiſſimùm agendum decernitur *manè* & *veſperè.*

7. *Cùm exorti fuerint peccatores*] Hæc ſunt quæ *ſtultus non intelliget*, quòd videantur *virere impii ſicut gramen*: ſed hoc non putandum ſit illorum felicitatis argumentum, ſed *damnationis perpetuæ*; quodque ſolida beatitudo apud unum Deum ſit, qui *ſemper altiſſimus permanet.*

11. *Et aſpexit oculus meus*] Sive *aſpiciet*: ut ſit Hebraïſmus, ſic, *Videbit oculus meus in meis qualia quiſquam optaret in hoſtibus ſuis, & de inſurgentibus in me ſceleratis talia audient aures meæ.*

DRUSIUS.

5. מְאוֹד עָמְקוּ. A. & Th. σφόδρα ἐβαθύνθησαν. Sym. σφόδρα βαθεῖς] In Theodoreteis, *Sym. Magnopere cogitationes tuæ profundæ ſunt. Aq. vero & Th.--- profundæ factæ ſunt.*

7. וַיָּצִיצוּ. A. καὶ ἤνθησαν, *& floruerunt.* Sic etiam Sym. explanavit.

10. בַּלֹּתִי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן. Sym. ἡ παλαίωσίς μȣ ὡς ἐλαία εὐθαλής, *inveteratio mea ſicut oliva florida*] Priùs erat *vetuſtas*, i. e. παλαιότης. Vide Theodoretum Antonii Caraffæ.

11. וַתַּבֵּט. Sym. Th. ἐπόψεται] Interpres, *Hoc verbum* Deſpexit, ἐπεῖδεν, *& Sym. & Th. & ipſum Ebraicum exemplar* Inſpiciet *dixerunt.* Quod ait, *ipſum Ebraicum exemplar*, id Græcè extulit Theodoretus αὐτὸς ὁ Ἑβραῖος.

13. שְׁתוּלִים] Οἱ ἕτεροι, μεταφυτευθέντες, *tranſplantati.*

14. עוֹד יְנוּבוּן בְּשֵׂיבָה דְּשֵׁנִים וְרַעֲנַנִּים יִהְיוּ. Sym. Ἔτι καρποφορήσȣσι γηρῶντες, πίονες καὶ εὐθαλεῖς ἔσονται, *Adhuc fructum ferent ſeneſcentes, pingues & floridi erunt.* A. ἔτι γεννηματίζοντες ἐν πολιᾷ πίονες.--- Th. ἔτι καρποφορήσȣσι γηρῶντες πίονες. V. ed. ἔτι γεννηματίσȣσι. VI. ed. ἔτι πληθυνθήσονται ---] Γεννηματίσȣσι, i. e. *Fructum edent.* Nam γέννημα *fructus*: unde γέννημα τῆς ἀμπέλȣ, Marc. 14. 25. & τὰ γεννήματά μȣ, *fructus*

tus meos Luc. 12. 18. Legimus quoque Hab. 3. 17. ὐκ ἔςαι γεννήματα ἐν ταῖς ἀμπέλοις, *non erunt fructus in vitibus.*

15. לְהַגִּיד כִּי־יָשָׁר יְהוָה צוּרִי וְלֹא־עַוְלָתָה בּוֹ. Sym. Ἀπαγγέλλοντες ὅτι ὀρθὸς Κύριος ὁ περιφράσσων με, καὶ ὐκ ἔςιν ἀδικία ἐν αὐτῷ, *Annunciantes rectum eſſe Dominum qui circumſepit me, & non eſt injuſtitia in eo.*

AMAMA.

לְיוֹם הַשַּׁבָּת] Pſalmus eſt εὐχαριστικός. Thalmudi eum tribuere Adamo. Atque hinc Adam in cenſum Pſalmographorum venit. Ajunt eum ſcripſiſſe hunc Pſalmum eo die quo creatus eſt, i. e. in veſpera Sabbathi, eumque cecíniſſe poſtridie, i. e. primo Sabbatho. Alii *Davidis*, alii *Moſis*, eſſe volunt. Alii exponunt, *In diem Sabbathi*, alii *pro die Sabbathi*, i. e. ut caneretur die Sabbathi. Alii, *de die ſabbathi.* R. Sal. *De Sabbatho non hujus ſeculi ſed* הָעוֹלָם הַבָּא, & addit שֶׁכֻּלּוֹ שַׁבָּת *quod totum erit Sabbathum.* Et certe vitam æternam adumbravit Sabbathum, dies ille requiei, & vitam hanc repræſentant Sex dies operis, & veſpera Sabbathi; unde egregia Proverbia, inter alia hoc, *Qui parat in Veſpera Sabbathi, comedet in Sabbatho. Qui non parat* &c. Quod idem cum eo, *Qui non parat ſe in veſtibulo* &c. Quin & Ebr. 4. vita æterna vocatur *Sabbatiſmus.*

Sabbath] Græcis, Theod. & Greg. Nazianz. ἀναπ. & κατάπαυσις. Lactant. Inſt. lib. 7. 14. & Sipontinus vocis Etymon deduxit à שֶׁבַע VII. Plutarchus in Sympoſ. 4. παρὰ τὸ σαβάζειν, i. κορυβαντιᾶν, tripudiare inſtar Bacchantium. Hinc enim Bacchus Σαβάσιος dictus: Vera derivatio à שבת, quam nec Ethnici ignorarunt. Sed veram appellationis cauſam ignorarunt. Appion dicit quod Judæi eo die labore feſſi, ſplenis dolore correpti, laborem eo die intermittere coacti ſint. Trogus ait Moſem Judæorum ducem cum ad Synai montem per Arabiæ deſerta penetraſſet, cum maxima ſiti & eſurie laboraret, eo die frumento & aqua recreatum, atque inde Sabbathum dictum.

2. לְהוֹדוֹת] Aben. hoc refert ad אֲמִירַת הַלֵּב, τὸ δὲ זַמֵּר ad פְּרִי הָרֵעַ. Aut inquit להלל בלשון ולזמר קְבִנּוֹר .וְגוֹ׳

3. בַּלֵּילוֹת] *Mane & noctu*, i. e. ſemper, per diſtr. temporis. *Mane* pro *die*, ut Gen. 1. *Et mane & veſpera* uſurpantur.

4. *Ad decachordum & Nablium*] Vide Pſ. 81. 3. LXX. malè ἐν δεκαχόρδῳ ψαλτηρίῳ.

עֲלֵי הִגָּיוֹן בְּכִנּוֹר] *Ad Cytharam cum meditatione.* Hypallage. Alii malunt הגיון ſit nomen כלי quia præfigitur ei particula עלי. At ſic etiam dicendum fuiſſet על כנור.

11. *Sicut Monocerotis*] רְאֵם & cont. רֵם unde Pſ. 22. 22. רְמִים. Thema ſtatuunt ראם. Sic & in Præt. רָאֲמָה pro רָמָה. Hier. aliq. Μονοκέρωτα, aliq. Rhinoc. vertit. Hic habet *unicornis.* Sed vide locum Aben. ad Pſ. 22. 22.

בַּלֹּתִי] Jun. & Tr. *Perfundendo me.* Piſc. *Cum inveteravero* (unges me) *oleo* &c. Alii, *perfudi*, *conſperſi* (ſub. caput meum vel me) *oleo*, Angli *ungar*, Tig. *delibutus ero*, LXX. καὶ τὸ γῆράς μυ ἐν ἐλαίῳ πίονι. Et ſic Vulg. Interp. Junii ponit vel forſan Infin. Kal à בלל ut שבות ſhuth Infinit. Piel cum affixo. Optimè, ſed tum thema oportet eſſe בלה atqui id nunquam ſign. *perfundere*, ſed *veteraſcere.* Ideo melius Piſc. *cum inveteravero.* Ut ſit illud quod Jun. vult. Sed & tum adhuc diff. Fateor enim Kal. ſignificare *vetuſteſco*, ut Jeſ. 50. & 51. Sic Gen. 18. 12. אַחֲרֵי בְלֹתִי *poſtquam veteravero*, *ſenuero.* In Piel, *conſumere*, *ſenium inducere.* Th. 3. בִּלָּה בְשָׂרִי. 1 Chr. 17. *Et non addet FF. iniquitatis* לְבַלּוֹתוֹ. Ad ſummam בלה & גלה idem fere ſunt, unde in Jobo ſæpe כ & ק in כְּלִי & יְבַלּוּ Sed dicit Piſc. Piel hic habere ſign. Kal. Qui vertunt *perfudi* accipiunt in præt. Kal. Sed accentus obſtat, qui hic in ultimâ. Sed notat Kimchi iſti perſonæ aliquando evenire ut ſit *Milra*, itaque exponimus *perfudi* vel *perfuſus ſum*, vel ut ſit Enall. *perfundar.* Et ſic in ſignific. conſentimus cum Junio, ſed deducimus ab alio them. & tempore. Sic Levit. 7. Sacrif. בְּלוּלָה שֶׁמֶן.

Palma] Comm. à perp. Virore, unde ἐμπεδόφυλλος apud Theophr. à diuturnitate. A Robore quod oneri non ſuccumbat. A ſuavitate fructuum. A Rob. & conſt. Gell. 3. 6. Verba ejus. Perhercle rem mirandam Ariſt. 8. Prob. & Plut. 8. Symp. dicit, *Si ſupra palmæ arboris lignum magna pondera imponas ac tam graviter urgeas oneresque ut magnitudo oneris ſuſtineri nequeat, non deorſum palma cedit nec intra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit & rurſum nititur recurvaturque.* Propterea inquit Plut. in Cert. *Palmam ſignum placuit eſſe victoriæ, quoniam ingenium ligni eſt ut urgentibus opprimentibuſque non cedat.* Hinc, *Dare palmam*, *Auferre palmam*, *Referre*, *petere palmam.* Et Apoc. 7. *Palmæ in manibus eorum.* Hoc itaque reſp. Eccl. bene comp. palmæ, quæ non cedit malis ſed contra audentior it. Quò magis premitur, eò majus incrementum capit. Sanguis Martyrum ſemen Eccleſiæ. Quoque magis premitur tanto magis æſtuat ignis.

A ſuavitate fructuum. Noſtræ ſunt infrugiferæ, demiſſæ. Alibi frugiferæ. Ajunt in Ital. eſſe ſterilem: in maritimis Hiſp. fructum fert ſed immitem. In Africa dulcem ſed brevi evaneſcentem. In Oriente dulciſſimos fructus & ſaluberrimos profert, qui vocantur *Dactyli*, unde vinum dulciſſimum. 2 Chr. 31. 5. דבש omnes vertunt *dactylos palmarum.* Sic & Jun. qui notat Arabes optimam palmam vocare *Dabuſam.*

Cedrus] Comm. à perpetuo virore, proceritate, diuturnitate, odore, fructu & umbra. Proceritate, unde locutio *Cedri Dei.* Diuturnitate & imputribilitate, unde *Cedro digna locutus*, Hor.

> *Speramus carmina fingi.*
> *Poſſe linenda Cedro.*

Oleo Cedrino perunctæ chartæ, libri à tineis & carie conſervantur, unde Ovid. 1. Triſt.

> *Nec titulus Minio nec Cedro charta notetur.*

Hinc & ſim. *Deorum ex Cedro.*

Fructu, duplex eſt Plinio, alia floret eaque fructum non fert; alia non floret & fert reſinam laudatiſſimam. Et in eâ antecedentem fructum occupat novus. Sic *Eccleſia non floret*, i. e. deformis eſt, & tamen fructifera.

De *Palma* Alciatus,

> *Nititur in pondus palma & conſ. in altum*
> *Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.*
> *Fert & odoratas bellaria dulcia glandes*
> *Queîs menſas inter primus habetur honos.*

GROTIUS.*

Canticum Adami] Dicitur ab Hebræis, quòd talia dicere Adamus potuit, cùm res à Deo primùm conditas aſpexit.

In die ſabbati] Qui dicatus memoriæ creationis. Hebræi tamen nonnulli hæc de felicitate quam per mille annos duraturam putant intelligunt.

11. *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*] In Hebræo eſt, בלתי בשמן רענן [*delibutus ſum oleo viridi.*] At LXX. pro בלתי legerunt בלתי, & verterunt τὸ γῆράς μυ ἐν ἐλαίῳ πίονι, [*ſenectus mea in oleo pingui.*] Et ſic legit Auguſtinus. Librarii quidam pro ἐλαίῳ [*oleo*] ſcripſerunt ἐλέῳ, [*miſericordiâ*,] quòd illæ voces non modò ſcriptione ſint vicinæ, ſed & illâ ætate paris pronuntiationis. Et hinc fluxit hæc verſio.

15. *Et bene patientes erunt*] Vertit κατὰ πόδας, [*verbo tenus*,] quod in Græco eſt εὐπαθῦντες ἔσονται, [*in rebus bonis erunt.*] Ubi εὐπαθεῖν eſt ἀκμάζειν, *florere*, *bene agere*, quæ ipſa eſt ſignificatio adjectivi Hebraici רעננים. Quod præcedit in Hebræo, דשנים [*pingues*,] id cum voce præcedenti שיבה, quæ *canitiem* ſive *ſenectutem* ſignificat, Græci conſtruxêre.

PRICÆUS.

1. *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*] De eodem Eſaiæ 51. 13. Τὸν τὴν γῆν θεμελιώσαντα. Unde & γῆ εὐθέμεθλος, Homero in Hymnis. Jul. Firmicus Præfat. lib. 5. de Deo, *Qui terræ ſoliditatem immoto fundamentorum ſolio roboraſti.* Adde Pſal. 103. 5. & 95. 10.

4. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*] Explica ex iis quæ infrà 106. 23.

IDEM.

1. *Firmavit orbem terræ qui non commovebitur*] Suprà 88. 12. infrà 95. 10. & 103. 5. Idem 1 Paralip. 16. 30. de Eodem, *Fundavit orbem immobilem:* & Seneca 2. 45. Natural. quæſt. *Cujus conſilio huic mundo providetur, ut inconcuſſus* (id eſt, immobilis) *eat, & actus ſuos expliceat.*

2. *Parata ſedes tua ex tunc*] Fundata ſedes tua ab initio, vel (ut in membro ſequente) *à ſeculo. Parata* autem, in cœlo intellige. Vide 102. 19.

3. *A vocibus aquarum multarum*] Subaudiendum fortè (ut ſuprà 8. 3) *laudem perfeciſti.*

4. *Mirabilis in altis Dominus*] Id eſt, in profundis; maris nempe: ferè idem enim hîc dicitur quod in præcedente membro. Infrà 106. 23. *Qui deſcendunt mare*, &c. *ipſi viderunt opera Domini*, & *mirabilia ejus in profundo.*

5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*] Teſtimonia (nempe operum tuorum) fidem habent indubitatiſſimam. ἐπιςώθησαν σφόδρα, ut apud LXX. De eodem Paulus Act. 14. 16. *Et quidem non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit:* ubi vide ex Græcis annotata.

PSALM. XCIII.

MUNSTERUS.

1. V*Eſtivit ſe*] Prædicat hic Pſalmus magnificentiam & potentiam Dei, quæ maximè declarata eſt in conditione orbis, quem ille immobilem fecit, qui fuit ante omnia tempora.

3. *Elevaverunt flumina*] Allegoria eſt, quâ ſignificatur hoſtium contra populum Dei ferocitas, ſed quam Dominus facilè compeſcere potuit, qui etiam formidabilis eſt *ſævis fluctibus marinis.*

5. *Teſtimonia tua probata ſunt*] Senſus eſt, Vera ſunt omnia quæ in Scriptura promiſiſti, & certa ſunt oracula tua. Per *domum* verò *ornatam & perpetuò perſtituram* intellige fidelium Eccleſiam.

VATABLUS.

1. R*Egnat* מלך] Præt. Heb. pro præſ. Quidam vertunt, *Rex eſt.* ¶ *Gloriam* גאות] *Splendorem, decorem, celſitudinem.* Alii, *veſtivit ſe*, vel *amictus eſt, magnificentiâ.* q. d. Veſtibus Regiis ornatur. ¶ *Firmavit* תכון] Fut. Heb. pro præt.

2. *Stabilitum* נכון] *Stabile, firmum.*

3. *Elevaverunt* נשאו] *Extulerunt.* Vel eſt præt. pro præſ. *Extollunt.* ¶ *Fluctus ſuos* דכים] *Contritionem ſuam, illiſionem ſuam.* Sic vocantur fluctus, à *conterendo & illidendo.*

4. *Fortium fluctuum*, &c. אדירים משברי ים אדיר במרום יהוה] *Admirabilibus fluctibus maris admirabilior eſt in excelſo Jehova.* Doctus inter Hebræos ſic priori parti hujus verſûs hanc conjungit, *Supra ſtrepitus aquarum ingentium fluctus maris admirandi vehementer: at Jehova mirabilior eſt in cælo.* Vel, *Magis quàm ſtrepitus aquarum ingentium fluctus maris ſunt admirandi præ fortitudine: at Jehova eſt admirabilior in cælo.*

5. *Fidelis* נאמנו] *Probata, firma, certa ſunt.* ¶ *Domui tuæ decora eſt ſanctitas* לביתך נאוה קודש] *Domum tuam ornat ſanctitas.* Alii, *domui tuæ pulcra ſanctitas.* Alii, *domum tuam decet ſanctitas:* i. e. itaque tui debent perpetuò ſanctitati ſtudere.

CLARIUS.

PRædicat majeſtatem Dei & potentiam quâ omnia condidit.

3. *Elevaverunt flumina*] Allegoria eſt, quâ ſignificatur hoſtium contra populum Dei ferocitas, ſed quam Dominus facilè compeſcere potuit, qui etiam formidabilis eſt ſævis fluctibus maris. In hoc autem ſalus etiam per Chriſtum parta fuit adumbrata

4. *Mirabiles elationes maris*] Vehementes quidem ſunt marini fluctus, ſed multò eſt potentior Dominus.

5. *Teſtimonia tua*] Vera ſunt omnia quæ in Scriptura promiſiſti, & certa ſunt oracula tua. Per *domum* verò *ornatam & perpetuò perſtituram* intellige fidelium Eccleſiam.

LUCAS BRUG.

15. Q*Uoadusque juſtitia convertatur in judicium.*] Sic noſtra legunt Latina MSS. cum Græcis codicibus, & Græcis Latiniſque Tractatoribus. Græci codices ad hunc habent modum, ἕως οὗ δικαιοσύνη ἐπιςρέψει [ἐπιςρέψῃ] εἰς κρίσιν. Antiqua verò Correctoris Latina exemplaria ſcribunt, *Quoadusque in juſtitiam convertatur judicium.* Quo modo & Lugdunenſia Biblia quibuſdam legi ſignant. Atque iſtam Hebræis libris conformem judicat Epanorthotes lectionem: eſt enim Hebraïcè, כי עד צדק ישוב משפט, quod eſt, *Quia uſque ad juſtitiam convertetur judicium.* Ad eundem modum Chaldaïcè legitur, ארום עד צדקתא יתוב דינא. Sed videri poſſit LXXII. כי עד pro ἕως οὗ ſeu *quoadusque* accepiſſe: & in voce משפט, quæ *judicium* denotat, præpoſitionem ſubaudiviſſe.

Quod ſequitur, *Et qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde*, rurſus notat Epanorthotes, ex antiquis codicibus, *Et qui juxta illa* legendum. Iterum Lugdunenſes ſic aliàs legi indicant. *ILLA autem, videlicet* (Corrector ait) *juſtitiam & judicium.* Porrò ut in Latinis noſtris antigraphis duntaxat *illam* invenimus, ità in Græcis, Hebraïcis & Chaldaïcis libris Latiniſque ac Græcis Enarratoribus, non niſi ſingularis numeri pronomen legimus. Arnobius legit, *Et qui tenent eam, omnes qui recto ſunt corde:* quæ & Caſſiodori ac noſtrorum Romani Pſalterii exemplarium lectio eſt. Auguſtinus habet, *Et qui habent eam: omnes recto ſunt corde.* In Græcis libris eſt, καὶ ἐχόμενοι αὐτῆς, πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ, *Et propinqui ejus* (ſive *judicii*, ſive *juſtitiæ:* nam utrumque Græcis fœminei eſt generis) *omnes recti corde.* In Hebraïcis ואחריו כל ישרי לב, quod eſt, *Et poſt ipſum* (vel *ipſam*) *omnes recti corde:* quæ & Aquilæ ac Theodotionis, Theodorito teſte, tranſlatio eſt. In Chaldaïcis ובתרי יתפרקון כל תריצי לבא, *Et poſt ipſum redimentur omnes recti corde.* Ex illis autem fontium lectionibus liquet, quæ Latinè leguntur, potiùs abſque interrogatione legenda intelligendaque, quo modo in MSS. pleriſque ſcribuntur: unum verò, B. notatum, habet, *Et qui juxta illam, omnes recti corde.* At clariùs multò, utroque *qui* omiſſo, legatur, *Et juxta illam, omnes recti corde.*

Verſum iſtum 15. Pſalmi 93. Hieronymus ex Hebræo ad hunc modum tranſtulit, *Quoniam uſque* [6. MSS.] *ad juſtitiam revertetur judicium: & ſequentur illud omnes recti corde.* Cujus hanc dedit Joannes Campenſis Paraphraſim, *Futurum eſt enim ut juſtitia conjungatur cum judicio, & judices quod juſtum eſt judicent, ſequanturque illud univerſi qui integro ſunt animo.* Latinæ Græcæque lectionis iſtam D. Janſenius Paraphraſim ſcripſit, *Quousque tandem id eveniat, quod certò futurum eſt, nempe ut juſtitia Dei, poſt aliquam diſſimulationem, procedat ad judicandum pro populo ſuo, cumque liberet impiis condemnatis? ac tum quidem omnes qui recto ſunt corde, propinqui erunt juſtitiæ Divinæ, eamque ſequentur, approbantes atque amplexantes eam: cùm è contrario impii Dei juſtitiam averſabuntur & exſecrabuntur.*

20. *Qui fingis laborem in præcepto*] Duplex eſt hâc viceſimi verſûs parte varietas; Prior, quòd quidam *fingit* legant, quod alii *fingis* ſcribunt; poſterior, quòd alii codices *laborem*, alii *dolorem* habeant: *Fingis* legunt plerique libri: *fingit* verò habent manuſcriptum Societatis Jeſu rubrum, & D. Hieronymo adſcriptus commentarius. S. Auguſtinus, cum poſterioribus Enarratoribus, *fingis* legit: Arnobius autem *fingit* exponit. Græcis & Hebræis ſunt participia, πλάσσων, יצר (*fingens* ſeu *formans*) quæ exponi poſſunt utroque modo, & *qui fingis* & *qui fingit.* Græci autores, Apollinaris, Theodoritus atque Euthymius *qui fingit* intellexere. Hebraïcus quidam Scholiaſtes *ut fingas* tranſtulit: plerique verò *qui fingit* intelligunt. Chaldaïca Paraphraſis eſt, בריית ליצרה המעתר עלי קים: ſic enim in Nubienſi editione ſcripta eſt, verſaque Latinè, *Qui creaſti laborem in præcepto:* id quod alii ſecuti ſunt. Sed ubi quæſo τὸ המעתר remanſit, ut Latinè non ſit redditum? Longè integriùs cùm ſcripta tum verſa eſt Chaldaïca Paraphraſis in Regia editione, בריה ליצרה היתעתר עלי קים, *Figmentum pravitatis num ſtabit in ſtatuto?* Hieronymi verſio, ſicut fons ipſe, ambigua eſt, *Numquid particeps erit tui thronus inſidiarum, fingens laborem* [*dolorem* 2 MS.] *in præcepto?* Videtur autem potius perſona tertia intelligenda, ità ut ad *ſedem*, ſeu *thronum*, *iniquitatis* referatur. Verùm *qui* maſc. generis relativum non facilè patitur *fingit* in editione noſtra legi, niſi iniquum judicem, qui per *iniquitatis ſedem* deſignatur, ſubaudias. In ſcripto quodam textu invenimus, *& qui fingit*, additâ ad hujus incommodi evitationem conjunctione. Apud Haymonem depravatè legi exiſtimo *figis* pro *fingis.* *Laborem* legunt complures libri; 22. ex noſtris. *Dolorem* non pauci; novem noſtri, quatuor Hentenii, tres Pariſienſium, & antiqui Epanorthotæ. Utriuſque meminit P. Lombardus, & Bruno ac Ludolphus Carthuſiani. Hebræa vox עמל magis *laborem* denotat: attamen utroque modo vertitur. D. Hieronymus, Pſal. 24. 18. *laborem*, Pſal. 54. 11. *dolorem* reddidit. Hoc autem loco etiam ipſius exemplaria variant. LXXII. hoc loco κόπον, Pſal. 7. v. 15, & 17. (quibus Latinè *doloris* vocabulum eſt) interpretati ſunt πόνον Πόνος & *laborem* & *dolorem* ſignificat: κόπος verò *laborem* quidem magis propriè deſignat; ſed tamen facilè utrumque admittit. Quamobrem ad ſtatuendam hujus loci germanam lectionem, attendenda non poſtremo eſt loco probatiorum exemplarium Latinorum fides. De ea verò ex noſtris exemplaribus id præſertim comperi, Brugenſem & antiquos Epanorthotæ codices, quos maximi facio, *dolorem* legere. Pariſienſes ex ſuis MSS. Ge. I. ar. & Di. o. *dolorem* emendarunt. Verùm exemplaria noſtra, Lobienſe, Tornacenſe & Stapulenſe, *dolorem* Romano, *laborem* Gallico Pſalterio attribuunt. Arnobii commentarius utrumque agnoſcit. Auguſtini *dolorem* legit, & de labore non pauca diſſerit. Fortè quòd hæc conjuncta ſint admodum. Hieronymus & Remigius *laborem* duntaxat habent: quæ & poſteriorum ferè Enarratorum eſt lectio; quanquam Richardus Pampolitanus *dolorem* potiùs legiſſe videatur.

DRUSIUS.

3. קולם. A. φωνὴν αὐτῶν· cæteri φωνάς] Hic notatum invenio in ed. Rom. A. ἐπήρθη ποταμῶν βάθη αὐτῶν, *ſublata ſunt profun-*

profunda fluminum. Quod fortè referendum ad illud ישאו נהרות רבים.

4. אַדִּיר בַּמָּרוֹם יְהוָה. A. *Maximus in altitudine Dominus.*

AMAMA.

IN Lxx. hic eſt Tit. *Εἰς τὴν ἡμέραν τῦ Προσαββάτυ, ὅτε κατῴκιςαι ἡ γῆ, αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαβίδ.*

DOMINUS Regnavit] Lindanus ex hoc Pſ. probare nititur textum Ebr. eſſe corruptum. Authoritate Juſtini Martyris qui in Dial. cum Tryphone Archiſynagogo Epheſio ait locum hunc olim ſic habuiſſe *ἐβασίλευσε ὁ θεὸς ἀπὸ ξύλυ.* Jam verò inquit, *τὸ ἀπὸ ξύλυ ἀφῄκων οἱ Ἰυδαῖοι.* Et ſic in Pſalm. Romana legitur inſertis duob. iſtis vocab. *Regnavit DOMINUS à ligno.* At ſciendum 1. Bell. non auſum fuiſſe hoc adverſus Veritatem fontium objicere, idque propterea non tantum quod nec Lxx. ea legant hodie, ſed maximè propterea quod Vulgata Verſio ea verba non habet, nec Hieron. in ſuis operibus. 2. Sciendum Fabrum, Stapulenſem & Auguſtinum, Juſtinianum, Nebienſem Epiſc. confiteri, ea verba non eſſe de veritate Ebr. ſed ex Chriſtiana devotione addita. Et certe in prim. Eccleſia facinus palmarium habitum fuit cœleſtem veritatem figmentis & additionibus ejuſmodi ire adjutum. Quo facilius à Judæis & Gentilibus Euangelica Doctrina admitteretur. Sic Sybillina Carmina, ſic Mercurii Triſmegiſti Poëmander, ſic ſexcenti alii ejuſmodi libri ſuppoſiti ſunt, ut de Sybillinis & Mercurio Triſmegiſto invictis argumentis probat Caſaub. in Antibaron. Ex. 1. Sect. 10.

2. נכון] Lxx. *ἕτοιμος.* Vulg. *Parata, κραταιός.*

3. *Attollunt (quidem) fluctus*] Per *fluctus & ſonos aquarum & fluctuum* intelligit *conatus* & *molimina hoſtium Eccleſiæ.* Inferunt ſe, adeo ſuperba, moliri videntur adeo magnifica, ac ſi totum orbem ſubmerſuri & obruturi eſſent.

4. *Tutamen,* vel *ſed tu DOMINE magnificus eſt præ ſonis aquarum multarum & magnificarum (præ) fluctibus maris.*] Nota duo. 1. ante מִשְׁבְּרֵי ſub. מן 2. τὸ אדירים refero ad מַיִם & ſub. ו ob difficultates Grammaticas.

Chald. Paraph. in bonum accipit, hoc modo, *Levârunt flumina laudem coram Domino, levarunt flumina vocem ſuam in cantico, recipient flumina præmium laudum ſuarum.* 4. *A vocibus aquarum multarum laudibus fluctuum maris magni celebrata eſt in cœlis Dei celſitudo.*

Verſ. ult. נֶאֶמְנוּ] *ἐπιςώθησαν. Fida ſunt reddita.* Vulg. *Credibilia facta ſunt.*

GROTIUS.

IN *die ante ſabbatum quando fundata eſt terra*] Græci meliùs, *ὅτε κατῴκιςαι ἡ γῆ,* [*cùm habitata eſt terra,*] *cùm habitari cœpit terra*, nempe ab animantibus & homine. In Hebræo hoc non eſt, ut nec quod ſequenti Pſalmo præfigitur.

PRICÆUS.

1. DEus *ultionum*] Apulejus ex Platone, de Eodem, *Eundem ultrix neceſſitas ſemper & ubique comitatur, eorum qui à Sacra lege diſceſſerint vindex futura.*

Ibid *Liberè egit*] Fiducialiter. Vide ſuprà 11. 6.

7. *Et dixerunt, Non videbit Deus*] Suprà 10. 11.

9. *Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculum, non conſiderabit?*] *Πλείονα τιμὴν ἔχει τῦ οἴκυ ὁ κατασκευάσας αὐτὸν,* Hebr. 3. 3.

11. *Deus ſcit cogitationes hominum*] Vide Sirach. 42. 20. & ad Luc. 16. 15. adducta.

14. *Non repellet plebem ſuam*] *Judicabit* (ut Sirach. 35. 25.) *judicium plebis ſuæ.*

16. *Quis ſtabit mecum adversùs operantes malignitatem? Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet anima mea in inferno*] Senſus eſt, Quis ſtetit à partibus meis adversùs inimicos meos? (q. d. nemo planè) Dominus autem adfuit mihi, alioquin habitaſſet, &c. Ferè eſt ut hunc Pſalmi locum putem Paulum in animo habuiſſe, cùm 2 Tim. 4. 16. hunc in modum ſcriberet, *In prima mea defenſione nemo affuit mihi*, &c. *Dominus autem mihi adſtitit*, &c. ubi & *συμπαραγίνεσθαι*, eſt quod in Græco loci hujus, *συμπαρίςασθαι.*

17. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.*]

——— *Me, Deus, undique diræ*
Circumerrant acies, &, ni tua cura reſiſtat,
Jam furiæ abſtulerint, inimicus & hauſerit enſis.

18. *Miſericordia tua adjuvabat me*] Fulcibat, ſuſtentabat me. In Gr. *ἐβοήθει μοι* i. e. *ἀντελάβετό μυ.*

22. *Factus eſt mihi Dominus in refugium*] In Græco bene *εἰς καταφυγὴν* (q. d. *latibulum:*) præceſſit enim *θηρεύσυσιν.*

IDEM.

2. EXaltare *qui judicas terram*] Excita (ut alibi loquitur) potentiam tuam.

3. *Uſquequo peccatores gloriabuntur?*] In malitia ſua, ut ſuprà 51. 3. Lætabuntur (ut Proverb. 2. 14) cùm malefecerint, & in rebus peſſimis exſultabunt.

4. *Effabuntur & loquentur iniquitatem*] Ità & in Græco, ubi *καὶ λαλήσυσιν*, ut in Latino *& loquentur*, expunctis, videtur totus verſus ità bene conſtitui poſſe, *Effabuntur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injuſtitiam.*

5. *Populum tuum, Domine, humiliaverunt, hæreditatem tuam vexaverunt*] In Additamentis Eſtheris 13. 15. Mardochæus, *Miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. Vexaverunt* optimè poſuit heic Vulgatus Interpres. Gellius 2. 6. *Vexare verbum grave eſt, factumque ab eo videtur quod eſt vehere; in quo ineſt jam vis quædam alieni arbitrii: non enim ſui potens eſt qui vehitur:* & poſt, *Qui fertur, & raptatur, atque huc illuc diſtrahitur, is vexari propriè dicitur: ſicuti*, &c. *jactare multò fuſius largiuſque eſt quàm jacere, id unde verbum traductum eſt; & quaſſare, quàm quatere, gravius violentiuſque eſt.* Gloſſarium, *Vexat, ὀχλεῖ, σκύλλει, χειμάζει.* Quid autem hoc loco ſit hæreditatem vexaſſe illam, vide in Pſal. 73. 6, 7. & Pſal. 78. 1, 2, 3.

6. *Viduam & advenam interfecerunt*] Opprimendò eos, vel etiam debita auxilia ſubtrahendo.

7. *Et dixerunt, Non*, &c. *intelliget Deus Jacob*]
Non vacat his noſtris rebus adeſſe Deo.

8. *Intelligite, inſipientes*, &c.] Imò optimè Deus (inquit) intelligit, at vos inſipientes nunc ſaltem intelligite. *Inſipientes* hîc, ut ſuprâ 13. 1. & alibi, vocat, intuitûs & providentiæ divinæ negatores, vel etiam contemptores

Ibid. *Et ſtulti, aliquando ſapite*] Jeremias 5. 21. *Audi, popule ſtulte, qui non habes cor.* Adde Proverb. 1. 22.

9. *Qui plantavit aurem, non audiet?*] Q. d. *exaudiet*, (ut 54. 20.) *& humiliabit eos.* Quicquid efficit tale, id magis eſſe tale, tritiſſimum eſt apud Dialecticos.

Ibid. *Qui finxit oculum, non conſiderat?* Non videt facinora veſtra? Apud Jeremiam 23. 23. *Putaſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum?*

10. *Qui corripit gentes, non arguet?*] *Nonne* (ut 43. 22.) *requiret iſta?*

13. *Ut mitiges ei à diebus malis*] Ut mitiges; nempe iram tuam, ut 84. 4. *A diebus malis*, cùm malum ſtruitur illi, recaſurum in inimicos, (vide proximè ſequentia;) vel, in diebus famis, quod & *tempus malum* vocatur ſuprà 36. 19.

15. *Et qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde*] *Et juxta illam*, (ità Lxx.) juſtitiam nempe, *omnes*, &c. Vult dicere, parata eſt in eorum cauſa juſtitia ejus. Lxx. *ἐχόμενοι αὐτῆς.* Heſychius, Ἐχόμενος, *πλησίον.*

16. *Quis conſurget mihi adversùs malignantes?*] Malignantes conſilia ſua. Vide 82. 4. & 91. 12.

18. *Si dicebam, Motus eſt pes meus: miſericordia tua adjuvabat me*] Vide ad 65. 9. dicta.

19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum*, &c. *conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*] Vide ſuprà ad 89. 15. annotata.

21. *Captabunt*, &c. *& condemnabunt*] Id eſt, captant, & condemnant.

23. *Reddet illis iniquitatem ipſorum*] *Septuplum* (ut 78. 12.) *in ſinu eorum, improperium ipſorum.* Vide Jerem. 25. 14. Contrà Job. 33. 26. *Et reddet homini juſtitiam ſuam.* Vide & Pſal. 17. 21.

PSALM. XCIV.

MUNSTERUS.

4. PRonunciant] Hebraïſmus propè habet *ebulliunt*, h. e. eblaterant impii quicquid illis in buccam venit, neque Deum neque homines verentes: imò non credunt Deum eſſe ultorem malorum ſuorum; ideo agunt quicquid illis libet.

10. *Qui caſtigat gentes*] Kimhi putat referendum ad ultiones Dei inſigniores, quales ſunt ſubmerſio in Diluvio, ignis in ſubver-

ſubverſione Sodomæ, &c. ¶ *Qui docet hominem ſcientiam*] Si *docet hominem ſcientiam*, igitur novit mentem & interiora hominis.

12. *Quem tu caſtigas*] Non autem quem tantùm *caſtigas*, ſed & quem *doces de lege tua*, ut cognoſcat caſtigationem ſibi cedere in bonum, interim ſcilicet quo impius graſſatur in pios, quod tamdiu fit *donec ei fodiatur fovea* in qua pro ſuis pereat demeritis: & tunc futurum eſt *ut juſtitia redeat ad judicium*, & æquum omnibus fiat judicium.

20. *Ut fingas afflictionem*] Solium, inquit, impiorum atque conventiculum eorum aliud nihil agit quàm quòd fingit & decernit impia decreta quibus homines affligunt & opprimunt.

VATABLUS.

1. *Appare* הופיע] *Fac te conſpicuum.* Alii, *conſpicuus appare.* Alii, *affulge*, i. e. prodi in lucem.

2 *Eleva te* הנשא] *Exaltare, Attollere.*

4. *Effutient* יביעו] *Pronunciabunt.* Quidam per præſens vertunt, *Effutiunt.* ¶ *Dura* עתק] *Durum:* ſing. pro plur. *dura*, id eſt, ſuperba, ſub. *verba.*

5. *Conterunt* ידכאו] *Opprimunt.* Futura Heb. pro præſentibus, uſque ad 8. verſum.

8. *Intelligetis* תשכילו] *Prudentes eritis? ſapietis?*

10. *Qui corripit* היסר] *Caſtigat, corripere ſolet.*

12. *Erudieris* תיסרנו] *Caſtigaveris.*

13. *Ut quietem praſtes ei* להשקיט לו] *Ut tranquillum illum reddas. Ut tranquillitatem illi parias.*

15. *Quia* tandem *uſque ad juſtitiam revertetur judicium* כי עד צדק ישוב משפט] i. e. Quamvis Dominus differat ſua judicia ſinatque ſuos diutiùs affligi, tandem tamen juſtitia & judicium reſtituentur in ſuum locum, hoc eſt, ex æquitate judicium faciet omnibus. Nam populum ſuum à manu impiorum eripiet, & impios perſecutores perdet. Hebraïſmus. ¶ *Et poſt illam* ואחריו] Sub. *juſtitiam:* vel, *poſt illud*, ſub. *judicium, ſuſpirant.* Aut, *poſt illud*, ſub. *Dominum*, ut ſubintelligas *current:* i. e. Dominum ſequentur ubi viderint judicia ejus.

17. In *ſilentio*, דומה] *Cum ſilentibus:* ut ſit ſing. pro plur. i. e. cum mortuis.

18. *Si dicebam* אם אמרתי] Præt. Heb. pro imperf. *Si dicebam:* vel, *Cùm dicerem.* ¶ *Motus eſt* מטה] *Lapſus eſt:* vel per præſ. *nutat.* ¶ *Suſtentavit me* יסעדני] Fut. Heb. pro præt. perſ. vel imperf. *Suſtentabat me.*

19. *In multitudine cogit* ברוב שרעפי] Hebraïſmus, pro, *Dum multa tacitus mecum revolvo*, aut *volverem:* nempe quòd nihil injuſtè agas, quòd ſis juſtus Judex. Quidam vertunt, *Pro magnitudine anxiarum cogitationum intra me.*

20. *Numquid ſociabitur*, &c. היחברך כסא הוות יוצר עמל עלי חק] *Num tibi quicquam commune erit cum tribunali confractionum quod creat injuriam cum præcepto?* vel, *de more*, ſive *ex conſuetudine?* q. d. Nihil habes commune cum tribunali injuſto, cum judicibus improbis qui ſolent aliis injuriam facere. Alii, *An verò affixum tibi erit ſolium pravitatum, ut fingas afflictionem pro ſtatuto?* vel, *quod fingit moleſtiam ex more?*

21. *Congregant exercitum* יגודו] *Turmatim conveniunt. Conglobant ſe. Concurſant.* Fut. Heb. pro præſ. aut præterito. Alii, *Deciderunt*, vel *decident;* ſub. *judicium*, i. e. condemnabunt in judicio juſtum.

22. *Pro arce* למשגב] *In refugium.* ¶ *In petram fiducia mea* לצור מחסי] *In rupem fiducia mea.* Hebraïſmus, pro, in *qua fido;* ſive, *in qua tutus & ſecurus agam.*

23. *Et reddet eis* וישב עליהם] *Et convertet contra eos.* Alii, *Et rependet eis;* vel, *ſuper eos.* Alii, *Et reducet ſuper eos.* ¶ *Et malo ipſorum ſuccidet eos* וברעתם יצמיתם] *Et malo ſuo perdet eos. Malum ipſorum* vocat quod in bonos moliuntur. q. d. Illis artibus peribunt quibus juſtos perdere volebant. Alii, *Et in malitia eorum perdet eos.*

CASTALIO.

15. *Quin ad juſtitiam redeat judicium*] Quin Meſſias æquum judicium faciat. Vide finem Pſalm. 96. & initium Eſaiæ 42.

CLARIUS.

Pſalmus hic ſolatium præſtat piis hominibus qui ab iniquis & impiis opprimuntur.

4. *Effabuntur*] i. e. Oblatrant impii quicquid illis in buccam venit, neque Deum neque homines veriti, imò non credunt eſſe Deum ultorem malorum ſuorum: ideò agunt quicquid illis liber.

10. *Qui corripit gentes*] Putant referendum ad ultiones Dei inſigniores, qualis fuit ſummerſio in Diluvio, ignis in ſubverſione Sodomæ, &c.

12. *Quem tu erudieris*] *Quem caſtigas;* non autem quem tantùm caſtigas, ſed & *quem doces legem tuam*, ut cognoſcat caſtigationem ſibi cedere in bonum, dum impius graſſatur in pios: quod tamdiu fit *donec ei fodiatur fovea*, in qua ob ſua ſcelera tandem pereat, & tunc futurum eſt *ut juſtitia redeat ad judicium*, & æquum omnibus fiat judicium.

15. *Et qui juxta illam*] Vel, *Et poſt illam incedent omnes qui recto ſunt corde.*

20. *Numquid adhæret tibi*] Numquid commune tibi quicquam erit cum ſolio & poteſtate Tyranni, qui ſtruit calumniam inſontibus, idque ſuo more, & tantâ callidıtate ut legitimè illud facere videatur.

DRUSIUS.

1. הופיע. A. ἐπιφάνηθι *appare*] Sic etiam cæteri Interpretes. Vide Theodoretum in Fragm. noſtris, הופיע. *A. S. Th. & VI. appare.*

6. אלמנה וגר יהרגו ויתומים ירצחו. Th. Χήραν καὶ ὀρφανὰς ἐφόνευσαν, καὶ προσήλυτον ἐκάκωσαν; *Viduam & orphanos occiderunt, & proſelytum vexarunt.*

15. ואחריו כל־ישרי־לב. A. &. Th. *Et poſt illud omnes recti corde*] Sub. *judicium.* Aut lege *poſt illam*, ut ad *juſtitiam* referatur. In ed. Rom. *A. & Th.* καὶ ὀπίσω μου ואחרי *& poſt me.*

16. מי־יקום לי עם־מרעים מי־יתיצב לי עם־פעלי און. Sym. Τίς ἀναςήσεται ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς κακέργας; τίς ἐνςήσεται ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς ἐργάτας ἀδικίας; *Quis ſurget pro me adverſus maleficos? quis inſtabit pro me adverſus operarios iniquitatis?* A. & Th. τίς ἀναςήσεταί μοι;

20. היחברך כסא הוות יצר עמל עלי־חק. A. Μὴ μετέχει σου θρόνος ἐπιβουλῆς, ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ ἀκριβασμόν; *Num partem habebit tecum thronus inſidiarum, qui fingit moleſtiam accuratiſſime?* Sym. Μὴ συναφθήσεταί σοι θρόνος ἐπηρείας, ὁ πλάσσων ταλαιπωρίαν κατὰ προςάγματος; *Num conjungetur tibi ſedes calumniæ, quæ fingit miſeriam contra præceptum?* Th. ut LXX.] *Calumniæ*, vel *contumeliæ.* Ἐπήρεια, *damnum quod per vim ſive violentiam infertur, injuria, contumelia, calumnia.* Interpres Theodoreti, *ſedes ærumnæ.* Vide quæ ſcripſimus ſuprà 91. 3. Alibi reperio הוה. Sym. *calumniator*, videlicet 57. 1.

23. וברעתם יצמיתם. O. κατὰ τὴν πονηρίαν αὐτῶν ἀφανιεῖ αὐτούς, *ſecundùm pravitatem eorum diſperdet ipſos.* ¶ יהוה אלהינו. O. Κύριος ὁ Θεὸς, *Dominus Deus - - -* ex epiſt. ad Suniam.

AMAMA.

1. הופיע] *Illuceſce*, i. e. exhilara pios. Metaph. ab exortu Solis. Sic Deut. 33. 2.

יביעו] *Ebullient, ſcaturient.* Metaph. ab aqua fervida vel rapido torrente, i. e. Cum impetu loquentur עתק i. e. דבר עתק

2. יתאמרו] *Se prædicabunt, gloriabuntur.* Ab. יתרוממו *extollent ſe.* Derivatio ab אמיר inquit Ab. שהוא קצין הגבוה Sed & in Hiphil האמיר eſt *extollere*, Deut. 26. 17. *Dominum hodie* האמרת *extuliſti*, & verſ. 18. *Et Dominus* האמירך *hodie*, Jun. *Stipulatus eſt ſponſionem ad te*, ſic & verſ. 17. *A Domino ſtipulatus es ſponſione.*

5. *Poſſeſſionem tuam*] Poſſeſſ. Dei Ebræi numerant Sapientia, Cœlum & T. Iſraël.

9. Queſtus in præc. eſt de crudelitate & ſumma injuſtitia Gubernatorum populi. Eamque amplif. ab adjuncta blaſphema negatione Providentiæ divinæ, verſ. 7. Ubi mox ſubjecit acrem reprehenſionem, verſ. 8. Eam reprehenſionem confirmat ab effectis Dei, iiſque dupl. Creationis & Gubernationis.

הנטע] Ὁ Φυτεύσας cum (-) Ut הקין. *Eſtne credibile ut is qui &c. ipſe non videat & audiat?* Deum omnia audire & videre ne Ethn. quidem ignorant. Egregius locus in Plauto eſt,

Qui quæ nos gerimus dicimusque audit & videt.

Hom. Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι. Virg.

Si genus hum. & mort. ſpernitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Et Græcus

Ὀξὺς θεοῦ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάνθ᾽ ὁρᾷν.

Sed impiis ejuſmodi opinionem de Deo ſuggerere videtur longanimitas Dei, quod diu impune peccent. Cùm tamen & Ethnici ſciverint,

ſciverint, *Lento gradu ad vindictam.* &c. Val. Max. Et Hom. Iliad. 4.

10. הֲיֹסֵר] Lxx. ὁ παιδεύων. *An qui caſtigavit & punivit tot gentes non argueret & vos?* Argum. à gubernatione. Ab. *Qui caſtigavit & punivit homines diluvii & homines diviſionis.* Gen. 11. *Homines Sodom, nunquid & vos poſſet. Imò nunquid adigetur per juſtitiam. Vos multi eſtis numero. Eſto. Et illi fuerunt majori numero.*

An qui docet homines ſcientiam] ſub. non agnoſceret? Ellipſis membri oppoſiti.

11. *Imo novit cogitationes*] כִּי hic non ſign. *quoniam*, ſed *quod.* Enallage eſt in הֵמָּה · præcedit enim fœm.

12. תְּיַסְּרֶנּוּ] Παιδεύεις. *Erudis.* Alii *caſtigas.*

13. לְהַשְׁקִיט] *Ut quietem præſtes.* Job. 34. 29. Opponitur הִרְשִׁיעַ &c.

Dies mali] Dies afflictionum, adverſitatum, ærumnarum. Et *Senectus* ſic vocatur, Eccl. 12. Sic Nonius *Senium* vocat *ætatem malam*, ut contra Cicero *ætatem bonam* vocat *Adoleſcentiam.* At hic pro diebus afflictionum & adverſitatum. Poſſet & accipi pro æterna condemnatione. Ut in Prov. *omnia fecit Deus* &c. Dies mali memorantur Geneſ. 47. At Eph. 5. 16. *quia dies mali ſunt* Gr. eſt πονηραί. Reſpicit ad peccata. *Ragnah* hic accipitur ut κακία in Euang. *Sufficit diei ἡ κακία αὐτῆς*, i. κακώσις.

שַׁחַת Maſc. Gen. Unde coll. Thema eſſe שׁחח ut ת ſit radic. Alii malunt à שׁוּח ut à נוּחַ fit נַחַת, ſed obſtat genus & Interpret. διαφθορὰ confer Pſ. 16. cum Act. 2. Hic tamen habent βόθρος.

Donec fodiatur] i. e. Donec perierit improbus, donec ſepultus atque rebus humanis exemptus ut tibi amplius nocere non poſſit. An ergo poſt non præſtabit quietem? Maxime. Sed eſt tritus Ebraïſmus.

16. *Cum maleficis*] i. e. Contra. *Stare* & *ſurgere* hic ponuntur pro *Stare* & *ſurgere ad pugnam.* Jam *pugnare* עִם & עַל *aliquo* idem ſunt. לִי *pro me.* *Stare* pro *pugnare* Eſth. 8. *Ut ſtarent pro anima ſua.* Sic Eurip. πρὸ ἀσπίδα ςῆναι.

בְּ] Ab. בְּהִנָּה ut ſit Ger. Kal.

17. דוּמָה] *In loco ſilentii.* Sub. בְּ *in.* Latini quoque *ſilentes* vocant *umbras*, *Silet Rex ipſe ſilentum.* Druſius Quæſt. 3. 7. & 3. Gen. 25. 14. Miſmag duma Umaſſa F. Iſmaël.

19. יְשַׁעַשְׁעוּ] Uſit. in Piel. Et hitph. *Oblectare ſe* vel *alium.* שַׂרְעַפִּים hic & Pſalm. 139. 23. Ab. מַחְשְׁבוֹת Et Chald. מַחְשַׁבְתָּא שרעפים Semper in bonum præterq. Jeſ. 29. 9. Ubi ſign. *reprimere ſe*, hinc nomen שַׁעֲשׁוּעִים. Thema eſt שָׁעָה inde repetitis duabus prioribus שַׁעְשַׁע quod juxta Aben. eſt יִחְיוּ Vide Gramm.

20. Jun. *An conſociaretur tibi ſolium ærumnarum, formantis moleſtiam præter ſtatutum.* Piſc. ——*formans* (ſc. conſociaretur) *pro ſtatuto.* Sic R. Sal. לִהְיוֹת חק

Tig. *Nunquid commune tibi quicquam eſt cum Solio Tyrannico, quod afflictionem fingit prætextu Legis?*

Angli, *Habebitne Societatem tecum* ——*per ſtatutum.*

Caſt. *Nihil tibi commune cum ſolio ſceleratorum qui facinora patrant ex inſtituto.*

Lxx. Θρόνος ἀνομίας πλάσσων κόπον ἐπὶ πρόςαγμα. Ambigua Græca ſic explicuit Vulg. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis qui fingis laborem in præcepto?* Aq. ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ ἀκρίβασμον accuratiſſimè. Sym. πλάσσων ταλαιπωρίαν κατὰ προςάγματος.

Varietas omnis fere oritur ex ambiguitate particulæ עֲלֵי Ecce τὸ יצר & πλάσσων, refert Vulg. ad Deum, ad quem fit Apoſtrophe, ut ſit hic ſenſus, Qui condis leges arduas & laborioſas, An injuſte judicabis nos, qui ardua præcepta cuſtodivimus te jubente & conſtituente. Sed Chryſ. cæterique PP. Græci cum Ebræis τὸ πλάσσων retulerunt ad thronum, Qui fingit laborioſa (maleficia) in ſtatuto, (in iis quæ ſtatuit) vel ex inſtituto & more, vel pro ſtatuto, i. e. loco ſtatuti & legis.

Aben. ait יְחָבְרְךָ eſſe מִלָּה זָרָה. pro יְחֻבַּר לְךָ vel עִמְּךָ Paſſ. enim & neutra non junguntur cum affixis. Putatque ante כִּסֵּא הַוּוֹת ſubintelligi אִישׁ

אוֹנָם] *Iniquitatem eorum.* Ab. עֲמָלָם. R. Sal. אוֹנָם. *afflictionem, oppreſſionem eorum.* אָוֶן 3. ſign. 1. *Luctum*, 2. *Robur, vim*, 3. *Injuriam*, activè, *Impietatem*, & aliq. in ſpecie *Idololatriam.* Unde Bethel vocatur à Proph. בֵּית אָוֶן

ברעתם] בְּ pro *propter.* Gen. 18. בַּעֲבוּר. Græci omnes κατὰ τὴν πονηρίαν αὐτῶν. Legerunt כְּ pro בְּ

GROTIUS.

9. **Q**Ui *plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Egregia argumentatio: Quicquid perfectionis eſt in rebus conditis à Deo eſt. Eſt ergò in ipſo eminenti modo.

PRICÆUS.

3. **Q**Uoniam *Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos*] 2 Paralip. 2. 5.

IDEM.

3. **D**Eus *magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos*] Infrà 134. 5. *Magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus Diis.* Vide Pſal. 96. 3. & ad 86. 8. dicta.

4. *Altitudines montium ipſius ſunt*] Infrà 103. 8.

5. *Ipſius eſt mare*] Supra 92. 4.

7. *Oves paſcuæ ejus*] In Gloſſis, Βοσκή, *paſtio*, &c. *paſcua:* & alibi, Νομή, *paſtus, paſtio, paſcua.*

PSALM. XCV.

MUNSTERUS.

4. **P**Enetralia terræ] Senſus hujus verſiculi eſt, quòd nihil eſt tam abſtruſum nihilque tam potens in rerum natura quod non ſit in manu Dei.

7. *Oves manus ejus*] Quas ſcilicet ducit & dirigit manu ſuâ.

VATABLUS.

1. **E**Xſultemus נריעה] *Canemus*; *ovemus.* ¶ *Rupi ſalutis noſtræ* לצור ישענו] *Petræ ſalutis noſtræ.* Hebraïſmus, pro, *ei qui eſt propugnaculum in quo tuti ſumus.* Quidam, *propugnatori ſalutis noſtræ.*

2. *Præoccupemus faciem ejus* נקדמה פניו] *Prodeamus in conſpectum ejus.*

4. *Et fortitudines* ותועפות] *Et cacumina*, i. e. montes altiſſimi, *ejus etiam ſunt.*

5. *Et ſiccam* ויבשת] *Et aridam:* i. e. partem illam terræ quæ aret, exſtat, & aquis eſt vacua.

6. *Proſternamur* נשתחוה] *Adoremus.* ¶ *Et incurvemus nos* ונכרעה] Significat caput in terram inclinare, more eorum qui beneficium accipientes ab aliis gratias agunt.

7. *Et pecus manûs ejus* וצאן ידו] *Et oves* [vel *grex*] *manûs ejus:* i. e. quem ipſe manu propriâ regit & ducit; cujus ipſemet curam habet, non per mercenarium. Hebraïſmus. ¶ *Hodie ſi*, &c. היום אם בקלו תשמעו] Quidam mutant ſecundam perſonam in primam, vertentes, *Si modò audierimus vocem ejus, erimus grex ejus.* Alii referunt ad v. 6. *Venite, & adoremus eum hodie.* Et *ſi* pro *utinam* accipiunt; *utinam vocem ejus audiatis.* Alii vocem *hodie* non referunt ad præcedens, ſed ſequentibus jungunt ſic, *Utinam hodie vocem ejus audiatis.* Paulus Heb. 3. 9. citat hæc verba ex verſione Lxx. Interpretum, qui hæc verba, *Hodie ſi vocem ejus audieritis*, jungunt ſequenti verſui, *Nè obduretis*, &c. *Quapropter*, inquit, *ſicut dicit Spiritus ſanctus, Hodie ſi vocem ejus audieritis, nè obduretis*, &c. Et vocat *hodie* tempus revelati Euangelii.

8. *Sicut in Meriba, ſicut in die Maſa* כמריבה כיום מסה] Ità quidam vertunt, qui locorum nomina eſſe volunt. Alii verò nomina Hebræa tanquam appellativa exponunt, convertentes hoc pacto, *Sicut in diſceptatione* [ſive *contentione*] *ſicut in die tentationis*, &c. Quidam Hebræorum ſcribunt nomina eſſe locorum duorum: quorum ſecundi fiat mentio Num. 14. 22. ubi dicitur, *Et tentaverunt me jam decem vicibus:* primi autem Exod. 17. 2, & 7. Alii utroque nomine unius loci nomen ſignificari volunt, de quo ſcribitur eodem loco Exo. 17. 2. ubi utraque dictio legitur, his verbis, *Cur jurgamini mecum? cur tentatis Dominum?* Et paulò pòſt, v. 7. *Vocavitque nomen loci Maſa, & Meriba, propter jurgium filiorum Iſraël, & quia tentaverunt Dominum, dicendo, Num eſt Dominus in medio noſtri, an non?*

9. *In quo* אשר] Sub. *deſerto.* Alii, *Ubi.* Alii, *Cùm tentaverunt.*

10. *Litigavi* אקוט] *Rixatus ſum*; *contendi.* Alii, *moleſtiam paſſus ſum à generatione*; vel, *cum tædio pertuli gentem illam.*

11. *Propterea* אשר] *Quibus.* Alii, *Quia*; non admodum congruenter. ¶ *Si* אם] Jurandi particula Hebræis, & ſubaudiunt, *Hoc vel illud mihi accidat:* vel, *Sic & ſic mihi eveniat, ſi introierint in regionem in qua pollicebar eis requiem.*

CLARIUS.

CONvocantur hoc Pſalmo ad exſultationem fideles omnes qui Chriſtum noverunt: & Judæi admonentur ut, dum idoneum pœnitentiæ tempus habent, convertantur ad Dominum.

4. *Penetralia terræ*] h. e. Nihil eſt tam abſtruſum nihilque tam patens in rerum natura quod non ſit in manu Dei.

10. *Semper hi errant corde*] Heb. *populus errans corde hi ſunt.*

11. *Si introibunt*] Hebraïſmus eſt, pro, *nullo modo introibunt in requiem meam*; de qua pulcrè & copioſè epiſtola ad Hebræos, hunc citans locum.

LUCAS BRUG.

10. ETenim *correxit orbem terræ.*] Quidam codices *orbem terræ*, quidam *orbem* duntaxat legunt. Hebræïs eſt תבל, Græcis οἰκουμένη, ea quæ vel *orbem*, vel *orbem terræ*, pro arbitrio, Interpretes transferunt: quanquam addatur eis nonnunquam vox *terræ*. Quapropter non tam ex prototypis quàm ex ipſius tralationis noſtræ exemplaribus genuina lectio colligenda eſt. Et quidem plura ſunt exemplaria quæ *orbem terræ* ſcribant: ſed antiquiora & emendatiora tantummodo *orbem* habent, Brugenſe, Malmundarienſe, P. nonnulla Lugdunenſium, & antiqua Epanorthotæ, Lobienſe & Tornacenſe caſtigatiſſima manuſcripta, in quorum illo triplex, hoc quadruplex diſtinctum eſt Pſalterium, Gallico demunt, Romano addunt *terræ*. Fortè igitur ex Romano, aut veteri Pſalterio cui Romanum eſt conforme, plerumque mutuatum eſt. A veteribus enim Tractatoribus ferè legitur, Arnobio, Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro.

DRUSIUS.

3. וּמֶלֶךְ גָּדוֹל עַל־כָּל־אֱלֹהִים. A. καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πάντας τοὺς θεοὺς, *& Rex magnus ſuper omnes Deos.* Sym. καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπάνω πάντων τῶν θεῶν, *& Rex magnus ſupra omnes Deos.* Th. καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πάντας τοὺς θεοὺς, *& Rex magnus ſuper omnes Deos.*

4. אֲשֶׁר בְּיָדוֹ מֶחְקְרֵי־אָרֶץ. A. ὃ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἐξιχνιασμοὶ γῆς, *cujus in manu ſunt inveſtigationes terræ.* Sym. ὃ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ κατώτατα γῆς, *cujus in manu ſunt infima partes terræ.*

10. אַרְבָּעִים שָׁנָה אָקוּט. A. & S. τεσσαράκοντα ἔτη δυσηρεστήθην] Interpres Theodoreti, *Aq. & Sym. pro hac clauſula* proximus fui (προσώχθισα) ægre tuli *tranſtulerunt.*

11. אֶל־מְנוּחָתִי. Οἱ ἄλλοι, εἰς ἀνάπαυσίν μου, *in quietem meam*] Interpres idem, *Nam illam terram ejus requiem (malim, ſuam requiem) appellavit, vel ſecundùm alios Interpretes quietem.*

AMAMA.

1. נָרִיעָה] *Clangamus, ovemus, jubilemus.* Videtur ei reſp. vox Lat. *Vitulari*, quod eſt *voce lætari.* Alii volunt à vitulis in prato laſcivientibus, alii à vitâ ductum, quod putarent eam demum veram eſſe vitam. Gr. παιανίζειν: Varro Rer. Divin. lib. 5. *Pontifex quibuſdam ſacris vitulari ſolet.*

צור] Vulg. *Deo*, LXX. τῷ θεῷ. Sic Eſ. 30. צור ישראל Eſ. 26. צוּר עוֹלָמִים. Utrobique οἱ ὁ θεός.

3. *Super omnes Deos*] Irrepſit ſic aliquot exempl. Pſ. Rom. hæc clauſula, *Quia non deſeret DOMINUS plebem ſuam.*

4. מֶחְקְרֵי] *Scrutationes, perveſtigationes*, Aq. ἐξιχνιασμοί, Vulg. LXX. πέρατα, *Fines.* Gen. *Intelligit fines interiores non exteriores ſeu mundi plagas*, Jun. *ima veſtigia*, Sym. τὰ κατώτατα τῆς γῆς. Senſus nihil tam abſtruſum, quod non ſubſit ejus poteſtati. R. Aben. תַּחְתִּיּוֹת

תועפות] Druſ. Quæſt. 3. 49. ad verb. *laſſitudines.* Hypall. *Montes laſſitudinum*, i. e. altiſſimi, ex quorum conſcenſione oboritur laſſitudo. Tunc thema erit יעף vel etiam עוף quò enim altior mons eo magis defatig. aſcendens. 1. τὰ ὕψη, Vulg. *Altitudines*, Arias Mont. *Cacumina*, Rab. Sal. לְשׁוֹן גֹּבַהּ & addit כְּעוֹף יָעוּף Sic Caſt. ſic Tigur. 2. *Vires, robora.* Sic Aben. כֹּחַ. Chald. תָּקְפָּא. Sic Jun. Sic Angli. Sic thema erit יעף per Antiphr. Pro *robore* eſt locus Job. 22. *Et argentum* תועפות *fortitudinum*, Druſ. *laſſitudinum*, Num. 23. *ſicut* ראם תועפות unde Aben. קֶרֶן

5. יַבֶּשֶׁת] In Abſ. eſt. Synon. eſt יַבָּשָׁה ſed hoc non jungitur cum Affixis.

6. וְנִכְרָעָה] *Procumbamus, genua flectamus.* Sunt qui dicunt ſignif. *Curvationem capitis cum aliqua parte corporis.* At quia כְּרָעַיִם ſignif. *Crura*, videtur ſign. *crura flectere.*

נִבְרְכָה] Lxx. κλαύσωμεν. Vulg. *Ploremus*, i. e. בָּכָה ברך *geniculari*, *congenulare.* Nonius à בֶּרֶךְ *genu.*

Factore noſtro] Id eſt, qui regeneravit nos efficace vocatione per verbum & Spiritum; vel, *qui fecit nos*, i. e. qui promovit nos in hunc honorem ut dicamur populus ejus, qui nos amplificavit, inſignibuſque beneficiis auxit. Sic, *Qui fecit Moſem & Ahar.* Pſ. 99. & 1 Sam. 12. 6. Deut. 32. 6. *Ipſe* עשך & verſ. 15. Sic exponunt locum Ebr. 3. 2. *Fidelem ei qui fecit eum*, i. e. ordinavit, evexit ad Pontific. & Regnum. Sic Trem. & Beza.

7. יָדוֹ] *Manus ejus*, i. e. ductus ejus.

8. כִּמְרִיבָה] *Sicut Meriba*, Ex. 17. 2. & 7.

In die מסה *tentationis, cum tentarent DOMINUM*] Reſpicit ad eandem murmurationem, & ſimul alludit ad nomen Maſſa quod eidem loco impoſitum fuit. Ex. 17. 7.

Hodie] Opt. R. Sal. בעולם הזה vel בחיים *in vita hac.* Hunc locum citat Apoſt. Ebr. 4.

9. *Opus meum*] Id eſt, Caſtigationes meas; Vel ſic, *Etiamſi viderunt opus meum*, i. e. mirabiles liberationes juxta 1. exp. eſt amplificatio ab effectu, juxta poſt. à causâ corrumpente. Apoſt. Eb. 3. his jungit 40. *annis.*

10. אָקוּט] *Faſtidio habuit.* Sic וְנְקֹטֹתֶם Ezech. 20. Lxx. προσώχθισα. Et ſic Ebr. 3. Beza *infenſus fui.*

11. *Requiem meam*] Id eſt, Terram Canaän. Præter enim Joſ. & Caleb nemo Iſraëlitarum ingreſſus eſt terram. S. ſed ut Joſua Jeſu, ita terra Canaän vitæ æternæ typus fuit. Duplex typica requies in V. T. Quies Sabb. & terræ Canaän. Ebr. 4. Sed neutram fuiſſe ultimam & finalem ex voce hodie diſputat Paulus Ebr. 4. quam utitur David tanto poſt tempore. Signif. inquam voluit Aliud tempus quam Moſaïcus innui, aliam requiem quam Cananææ terræ.

GROTIUS.

LAus *cantici ipſi David*] Non eſt hoc in Hebræo.

PRICÆUS.

5. DIi *gentium, Dæmonia*] 1 Paralip. 16. 26.

IDEM.

7. AFferte *Domino gloriam & honorem*, &c. *tollite hoſtias*, &c.] Suprà 28. 2, 3.

10. *Correxit orbem terræ qui non commovebitur*] Fundavit, ut 92. 1. ubi dicta vide. Itâ 96. 2. *Juſtitia & judicium correctio* (ide , fundamentum) *ſedis ejus.*

PSALM. XCVI.

MUNSTERUS.

1. CAnticum *novum*] Reſpexit hîc Propheta ad Regnum Chriſti, jubetque *novum canere canticum*, quod in Spiritu videret nova & inaudita beneficia exhibenda univerſo populo terræ, ſicut & paulò poſt monet *ſalutem ejus*, *gloriam ejus*, & *mirabilia ejus* prædicare omnibus gentibus.

5. *Vani ſunt*] Eſt אלילים idem quod אל אלים *non Dii*, *nihili*, & *Dii ficti.*

6. *In Sanctuario ſuo*] Nomine *Sanctuarii* intellige hîc Eccleſiam Chriſti, decoratam cœleſtibus ornamentis, præfiguratam magnificentiâ Templi Jehudaïci.

10. *Dominus regnavit*] Senſus eſt, Regnum Dei per Chriſtum venit in orbem, & eſt *orbis* ſic per illud *confirmatus ut nunquam nutet.* Orbis autem qui recepit Regnum Chriſti ſunt electi Dei, qui ob id tanto geſtiunt gaudio ut lætandum invitent Cœlum & Terram atque univerſas creaturas.

VATABLUS.

2. ANnunciate בשרו] *Euangelizate*; ſic Lxx. ut plurimùm convertunt verbum iſtud.

4. *Et laudabilis valde* ומהלל מאד] *Et laudatus plurimum.* Alii, *& plurimâ laude dignus.* ¶ *Terribilis* נורא] *Tremendus.*

5. *Idola*

5. *Idola* אלילים] *Simulacra*; vel *vanitates*; *meræ nugæ*; *nihili.*

6. *Gloria & decor coram eo* הוד והדר לפניו] *Celebritas & ſplendor* [vel *honor*] *coram eo*: i.e. ei adſunt, & illis ornatur.

7. *Aſſerte Jehova*, &c. *gloriam & fortitudinem* הבו ליהוה כבוד ועז] *Date Jehova*, &c. Hebraïſmus, *Date Deo gloriam* [ſive *laudem*] *fortitudinis*, pro *Confitemini Deum eſſe fortem.*

8. *Gloriam nominis ejus* כבוד שמו] *Decus nominis ejus.* Alii, *gloriam nomini ejus* debitam: i.e. glorificate Deum pro dignitate. ¶ *Afferte munera*, &c. שאו מנחה ובאו לחצרותיו] Hebraïſmus, Oportet vos, cùm venitis in atria ejus, afferre munera.

9. *Incurvate vos* השתחוו] *Supplicate proni. Adorate.* ¶ *In decore ſanctitatis* בהדרת קדש] *In magnificentia Sanctitatis*, ſub. *ejus.* Alii, *in ſplendore Sacrarii ejus.* Alii, *in magnifico & ſplendido Sacrario ejus.*

10. *Regnat* מלך] Præt. Heb. pro præſ. i.e. regnandi gubernacula habet. ¶ *Firmabitur*, &c. תכון תבל בל תמוט] *Paravit orbem ne nutet*, aut *ruat*, *cadat*, vel *labatur.* ¶ *In rectitudine* במישרים] Ad verb. *rectitudinibus.* Alii, *in æquitatibus*; i.e. ex ſumma æquitate.

11. *Tonet* ירעם] *Perſtrepat*, *reboet.* ¶ *Et plenitudo ejus* ומלואו] Hebraïſmus, quicquid in eo eſt. Exponit Pſaltes Hebraïſmum ſeq. verſu, cùm dicit, *Exſultat ager*, וכל אשר בו, *& quicquid in eo.*

13. *Judicare* לשפט] *Ut judicet.* Alii, *ut regat*; nam *judicare* pro *regere* ponitur: quòd Judices eam poteſtatem haberent in Terra Sancta quam nunc Reges & Magiſtratus. Unde JUDICUM liber. ¶ *In veritate ſua* באמונתו] *Ex fide*; vel, *ex fide ſua*, i.e. fide optimâ.

CLARIUS.

INvitat ad laudem Dei omnes creaturas propterea quòd Deus jam utique per Chriſtum ſuum regnet, unde non homines modò ſed univerſæ etiam creaturæ reſtituuntur. Vaticinium autem eſt de Regno Chriſti & ejuſdem incremento.

1. *Canticum novum*] Nimirum quòd in Spiritu videret nova & inaudita beneficia exhibenda univerſo populo terræ.

6. *In Sanctuario ejus*] Nomine *Sanctuarii* intellige hîc Eccleſiam Chriſti, decoratam cœleſtibus ornamentis præfiguratam magnificentiâ Templi Judaici.

7. *Gloriam nomini ejus*] Tribuite ei majeſtatem quæ reſpondeat nomini ipſius.

9. *In atrio ſancto ejus*] Heb. *in magnificentia ſanctitatis.*

10. *Dominus regnavit*] h.e. Regnum Dei per Chriſtum venit in orbem; & eſt orbis ſic per illud confirmatus ut nunquam nutet. *Orbis* autem qui recipit Regnum Chriſti ſunt electi Dei, qui ob id tanto geſtiunt gaudio ut ad lætandum invitent *cœlum* & *terram* atque *univerſas creaturas.*

DRUSIUS.

5. אֱלִילִים. A. ἐκπίπλαςοι, *commentitii.* Sym. ἀνύπαρκτοι, *non exſiſtentes.*

9. חִילוּ מִפָּנָיו כָּל־הָאָרֶץ. A. & Sym. *parturite à facie ejus univerſa terra*] In ed. Rom. *Sym.* ὠδινήσατε nihil melius; ſiquidem חיל propriè ὠδίνη, i.e. *dolor & nixus parturientium.*

10. יְהוָה מָלָךְ אַף־תִּכּוֹן תֵּבֵל בַּל־תִּמּוֹט. Sym. Κύριος ἐβασίλευσε καὶ ἥδρασε τὴν οἰκουμένην ἀπερίτρεπτον, *Dominus regnavit, etiam firmavit orbem terræ immobilem.*

11. יִרְעַם הַיָּם וּמְלֹאוֹ. Sym. ἤχησεν ἡ θάλασσα σὺν πληρώματι αὐτῆς, *reſonavit mare cum plenitudine ſua*] In Theodoreteis, *Th. verò & Sym. ſic expoſuerunt, Reſonabit mare cum plenitudine ejus.*

12. יַעֲלֹז שָׂדַי וְכָל־אֲשֶׁר־בּוֹ. Sym. *gaudebit ager & omnia quæ in eo ſunt*] In ed. Rom. γαυριάσει ἀγρὸς, *gloriabitur*, *exſultabit*, ¶ יְרַנְּנוּ. A. αἰνέσουσι, *laudabunt.*

13. לִפְנֵי יְהוָה כִּי בָא. Οἱ λοιποὶ, ἀπὸ προσώπου Κυρίου, ὅτι ἔρχεται] Vide Rom. ed. in notis ad Pſal. 97. ſecundùm Græcos.

AMAMA.

TOtus hic Pſalmus eſt de Regno Chriſti, & vocatione gentium. Τὸ יהוה hic ubique eſt Chriſtus.

1. חָדָשׁ] R. Sal. שיר חדש בכל מקום על העתיד. Deſumptus fere ex cantico quod cani curavit David cum collocaret Arcam in civitate ſua. 1 Chron. 16. 8.

Alii *Novum*, i.e. aliud, diverſum à priori. Ex. 1. Marc. ult. Joh. 11. Vel *Novum*, i.e. pulchrum, elegans, pretioſum, Apoc. 2. *Nomen novum. Hieruſalem nova.* Sic Jeſ. 62. *Præceptum novum, ob novam formulam ſicut dilexi vos*; olim ſicut te ipſum: Vel quod nunquam antiquabitur, ſemper durabit.

Elilim] *Nihilitatem*, *nihili*, *Idola*, 1 Sam. 12. 23. 1 Cor. 8. 4. *Scimus quod idolum* οὐδὲν ἐςι, quod non ſic accipiendum quaſi omne Idolum nihil eſſet formaliter, i.e. nihil repræſentaret, vel repræſentaret id quod non eſt, ut ſimulacrum Minervæ apud Trojanos, hoc enim magno mercarentur Papiſtæ, & hoc vellet Ithacus. Sed ſic accipiendum, quod nihil ſit virtute, potentia, efficacia.

Sic dico, Papiſtæ negant ſe Idololatras eſſe licet Gregorius de Valentia agnoſcat ex parte dum dat quandam Idolatriam eſſe licitam. Negant, quia negant ſe Idola colere. Ajunt enim imagines ſuas non eſſe Idola. Imago enim repræſentat illud quod eſt, ut Imago Mariæ. Idolum vero repræſentat id quod nec eſt nec fuit, vel nuſquam ſignificat imaginem rei veræ. Ut ſimulacrum Veneris, Minervæ, Mercurii. Ergo Imago non eſt Idolum. Atqui hinc ſequeretur, 1. Eos qui omnino ſimulacra non habebant Idololatras non fuiſſe. Perſæ, teſte Hærodoto in Clio, ſimulacra omnino non habebant. Triſmegiſtus Deum habet pro Sole, & tamen ſtatuas explodit. Antiqui Romani, teſte Varrone, pluſquam annos 170. Deos ſuos ſine ſimulacris coluêre, Ergo horum nulli Idololatræ fuêre. 2. Eos, qui Creaturas ipſas vel ſimulacra Deum verum repræſentantes adorant, Idololatras non fuiſſe. E Gr. Iſraëlitas Vitulum Aureum adorantes, Judæos Solem, Lunam &c. colentes, Lyſtrenſes, ſi Paulo & Barnabæ tauros immolaſſent. Sic ergo habendum omnia eſſe ambigua in loco Apoſtoli.

I. *Idolum* ſign. propriè ſimulacrum quo numen ſeu verum ſeu fictum colitur & repræſent. Fictum, fatentur Pap. Verum, Act. 7. ubi Vitulus *Idolum* dicitur. Et Gen. 31. *Theraphim* vertit Vulg. *Idola*, & tamen ea teſte Bell. habebant effigies hominum. Sic Gen. ad Pſ. hunc fatetur Idola Gentium fuiſſe Idola Dæmoniorum.

II. *Idolum* figur. dicitur numen per ſimulacrum effectum ſeu cultum vel ſine ſimul. cultura. Sic Dii Romanorum & omnium Populorum *Idola* vocantur Pſ. hoc, & 1 Chr. 16. *Omnes Dii Populorum Idola ſunt*, at plærique per ſimulacra non colebantur.

Vox *eſt* quoque Ambigua eſt, I. enim ſign. *habere ſubſtantiam* vel ſimplicem & ſpiritualem, ut *Deus*, *Angeli*; vel ex materia & formâ conſtitutam, ut *homines.*

II. Accommodatur ad notandum accidens quod ſubjecto adjungitur 1 Cor. 7. 19. *Circumciſio nihil eſt*, *præputium nihil eſt.* Confer cum Gal. 5. *In Chriſto nec circumciſio quicquam valet nec præputium, ſed fides per charitatem agens.*

Vox *Nihil* 1. propriè pro *non quicquam*, ut Marc. 11. *Chriſtus in ficu nihil niſi folia invenit.* 2. Figuratè in comparat. ut quum dicitur Gal. 6. *homo arrogans putat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit.*

Bellarminus priorem ſign. in his omnibus arripit; at Paulus poſteriorem, id quod addita oſtendunt, *Et nullum eſſe Deum alium niſi unum.* Solem itaque, Lunam, Venerem, Jun. &c. numina omnia, non tantum Idola excludit.

Dicuntur itaque Dii Gentium *Elilim*, *nihili* quod nullam efficaciam habeant, quod fallant expectationem eorum qui ſperabant ab iis auxilia. Sic Job. 13. 4. *Vos eſtis medici* אליל *nihili.*

Hæc omnia confirmat Genebr. Com. ad hunc Pſ. ubi obiter locum Corinth. explicat. Hunc locum tamen exponit *Dæmonia* cum Vulg. i.e. repræſentaſſe Diabolos, unde citat Clementis illud ex Protrept. *Οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἰσιν εἴδωλα δαιμονίων.* Idola Dæmon. Sed rogabo jam Bell. an non Dæmonia ſint Entia, & per Conſ. an non hæc Idola repræſentarint rem veram, i.e. vere exiſtentem? Dicit poſſe & diminut. accipi, Deiculi, Deaſtri.

בשרו] LXX. εὐαγγελίζεσθε, ſic בשורה εὐαγγέλιον, lætum nuntium, vel præmium læti nuntii, 2 Sam. 4. ſemel pro *triſti*, 1 Sam. 4. 7.

7. עוז] *Robur* pro *laude.* Sic Pſ. 8. 3. Confer cum Math. 12. 16. חילו *formidate*, Sym. ὠδινήσατε, *parturite.*

GROTIUS.

C*Anticum ipſi David*] Non eſt hoc in Hebræo. Credibile tamen à Davide factum hoc carmen in commemorationem Arcæ introductæ in Sionem.

Quando domus ædificabatur poſt captivitatem] Nec hoc in Hebræo eſt; ſed ſenſus, Uſurpatum hoc carmen Davidis peropportunè ab Eſdra cùm jam reſtitutum eſſet Templum.

10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*] Hic libros quoſdam veteres Græcos addidiſſe ἀπὸ ξύλου [*à ligno*] affirmat contra Tryphonem Juſtinus: & urget hunc locum ut de Cruce prophetiam continentem Tertullianus adverſùs Judæos duobus locis, & adverſùs Marcionem libro 3. quos ſecuti ſunt & alii. Fortè quidam Librarii pro מלך [*regnavit*] ſcripſerunt מעץ [*à ligno*] poſteà verò utraque lectio coaluit.

PRI-

PRISÆUS.

2. NUbes *& caligo in circuitu ejus*] Virgil. 5.
Aëra dimovit tenebroſum, ac diſpulit umbras.
Ubi Servius, *Nam ſemper Deos ambit nimbus.*

IDEM.

4. I*Lluxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit, & commota eſt terra*] Eadem ſuprà 76. 19.
10. *Odite malum*] Rom. 12. 9.
11. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia*] *Vox* (ut 117. 15.) *exſultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum*: vide & ibid. com. 27. In libro Eſtheris 8. 16. *Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor & tripudium.* Adde cap. 11. 11.

PSALM. XCVII.

MUNSTERUS.

1. L*Ætentur inſulæ multæ*] Prædicat quoque hic Pſalmus Chriſti Regnum, & docet imperium ejus propagandum per terras & inſulas maris. Prædicat & tremendam potentiam ejus, cùm dicit, *Nubes caliginoſa per circuitum ejus*: q. d. Ipſe agnoſcetur eſſe Dominus ille terribilis & potentiſſimus qui ſubitò ex atra & condenſata nube tam horribiliter tonat in cœlis ut indè commoveatur univerſus orbis. Ipſe eſt qui in N. T. non minùs ſe conſpicuum fecit *igne* & fulgure quàm in V. T. id quod Act. 2. probatur, quando Diſcipuli ejus Spiritum S. acceperunt in ſigno ignis & in ſono venti vehementis. Quin & illi per *orbem* diſcurrentes illum quaſi *fulgure illuſtrarunt*, fueruntque omnibus *terrori*, ut Regna & *terræ commota fuerint à conſpectu* eorum. *Confuſi fuerunt omnes idololatræ*, & *adoraverunt hunc* unum & verum Chriſtum *omnes Dii*, h. e. Angeli & homines ſancti.
11. *Lux ſparſa eſt juſto*] *Lux* Fidei, *lux* Veritatis, & *lux* Vitæ atque Felicitatis, & materia perpetuæ *lætitiæ ſeminata eſt* per orbem; unde *juſti* quique *gaudent & lætantur*, &c.

VATABLUS.

1. R*Egnat* מלך] Præt. Heb. pro præſ. ut v. 10. præcedentis Pſalmi. ¶ *Inſulæ multæ* איים רבים] *Inſularum multitudo.*
2. *Habitaculum* מכון] *Locus*; *baſis.*
3. *Ambulat, & exurit* ותלהט תלך] *Graſſatur*, [aut *vadit*] *& inflammat*, ſub. *ignis ille.* Fut. Heb. pro præſ.
4. *Illuſtrant* האירו] Præt. Heb. pro præſ. *Illuminant. Perfundunt lumine.* ¶ *Videt* ראתה] Sub. *terra.*
5. *Domini* אדון] *Dominatoris.*
6. *Annuncient* הגידו] Præterita Heb. pro præſ. opt. aut indic. Quidam vertunt in præterito, *annunciaverunt*; *viderunt.*
7. *Qui jactant ſe de idolis* המתהללים באלילים] *Qui celebrant figmenta.* Vel, *qui in iis qui non ſunt Dii gloriantur.* Alii, *in Diis vanis*, aut *nihili.* ¶ *Incurvate vos ei* השתחוו לו] Imperat. Heb. Vel præt. pro præſenti, *adorant eum omnes Dii*: i. e. qui coluntur pro Diis, ut Sol, Luna, Stellæ.
8. *Audivit* שמעה] Sub. *potentiam ejus magnificam.*
9. *Excelſus ſuper omnem terram* עליון על כל הארץ] *Excelſior omnibus quæ in terra ſunt.* Hebraïſmus, *omnia ditioni tuæ ſubjecta ſunt.*
10. *Miſericordium ſuorum* חסידיו] *Sanctorum ſuorum.* Alii, *eorum qui ſanctitati ſtudent.*
11. *Lux ſata eſt* אור זרע] *Lux ſeminata eſt.* *Lucis* nomine Hebræi lætitiam ſignificant. Metaphora autem à tritico, quod aliquandiu ſub terra latet antequam proferat fructum: ita juſti multa patiuntur antequam lætitiâ fruantur, quam poſt mortem exſpectant. ¶ *Et rectis*, &c. ולישרי לב שמחה] Repetitio, ubi exponit quid per *lucem* intellexerit.
12. *Et confitemini memoriæ* והודו לזכר] Hebraïſmus, *date gloriam nomini ſancto ejus.*

CASTALIO.

8. J*Udææ puellæ*] Civitates.

CLARIUS.

ET hic de Regno Chriſti vaticinium canit, quo potentiam ſuam mirificè declaravit in ſalutem ſuorum & dejectionem hoſtium vanarumque ſuperſtitionum.
1. *Lætentur inſulæ multæ*] Dicit imperium ejus propagandum per terras & inſulas maris. Prædicat & tremendam potentiam ejus cùm dicit, *Nubes & caligo in circuitu ejus*, q. d. Ipſe agnoſcetur eſſe Dominus ille terribilis & potentiſſimus, qui ſubitò ex atra & condenſata nube tam horribiliter tonat in cœlis ut indè commoveatur univerſus orbis.
3. *Ignis ante ipſum præcedet*] Ipſe eſt qui in N. T. non minùs ſe conſpicuum fecit igne & fulgure quàm in V. T. id quod Act. 2. probatur, quando diſcipuli ejus Spiritum S. acceperunt in ſigno ignis & in ſono venti vehementis. Quin & illi per orbem diſcurrentes illum quaſi *fulgure illuſtrarunt*, fueruntque omnibus terrori, ut Regna *terræ commota fuerunt à conſpectu* eorum, & Reges, tanquam *montes* quidam, ceſſerunt, confuſi fuerunt omnes *idololatræ*, & *adoraverunt hunc* unum & verum Chriſtum *omnes Angeli.*
6. *Annunciaverunt cæli*] Prophetæ & Apoſtoli.
8. *Lætata eſt Sion*] Eccleſia videlicet, ſic & *filiæ Judæ.*
11. *Lux orta eſt juſto*] *Lux* Fidei, Veritatis, Vitæ & Felicitatis, & materia perpetuæ lætitiæ *ſeminata eſt* per orbem, unde juſti gaudent, & laudant, & gratias agunt cum veneratione ſanctiſſimæ Majeſtati illius.

DRUSIUS.

10. רע. A. Th. V. & VI. πονηρόν. Sym. κακόν. ¶ מיד רשעים. A. ἐκ χειρὸς ἀσεβῶν. Sym. παρανόμων. Th. ἁμαρτωλῶν.

AMAMA.

TOtus hic Pſalm. Propheticus de Regno Chriſti. Apparet hoc ex verſ. 7. Ea enim verba Ebr. 1. 7. ad Chriſtum traducuntur.
1. איים] Trem. *Regiones.* Lxx. νῆσοι πολλαί. Vulg. *Inſulæ Regiones mari vel fluvio circumdatæ.* Aliq. ſignif. *beſtias in inſulis certis prognatas*, unde Jeſ. 13. 22. *Habitabunt in palatiis eorum* איים, Judæi *Meerkatzen*, *Cercopitheci*, alii *Ululæ*, alii *Feles*, Arias *Catti*, Jun. *terrifica animalia.*
2. *Nubes & caligo*] Nubes caliginoſa ἐνδιαδὺς. Sic
Arma virumque cano.
Et,
Paterâ libamus & auro.
Lxx. etiam Νεφέλη καὶ γνόφος.
מכון] *Locum* Jun. Lxx. κατόρθωσις, V. *Correctio*, i. Genebrardo exponente, *firmitas*, *baſis.* At hoc durum eſt. מכון *Baſin* ſignif. Pſ. 104. 5. *Fundavit terram* על מכוניה ubi ipſi Tr. & Jun. *Baſes.*
5. *A facie* אדון] *Domini totius terræ.* Eſt enim א Sic & Lxx. ἀπὸ προσώπου Κυρίου πάσης τῆς γῆς. Vulg. *tamen*, *omnis terra.*
Montes] Ab. *Superbi.*
6. *Cæli*] Ab. *Cælites*, vel *cæli*, ut Pſ. 19.
8. *Elilim*] Vide ad ſup. Pſalmum. Hoc nota, hic Lxx. vertere εἴδωλα. Ibi vero δαιμόνια.
Adorate eum col Elohim] Ebr. 1. 7. hæc de Chriſto, ibique ἄγγελοι redditur, ut & in Lxx. Aben. quoque ſic accipi poſſe ait. Lxx. Αἰσχυνθήτωσαν πάντες οἱ προσκυνοῦντες τοῖς γλυπτοῖς, οἱ ἐγκαυχώμενοι ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν· προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ.
9. *Sion*] Jeruſalem.
Filii Juda] Cæteræ civitates Tribus Juda. Metropolis enim vocatur אם ut Latinis *Matrix*, 1 Sam. 20. Ejus reſpectu cæteræ *Filiæ.* Sic Bivium vocatur אם.
11. *Lux ſata eſt*] Lætitia. Eſt. 8. 15. *Et cives Suſan luce perfuſi lætabantur*, 16. *Judæiſque erat lux & lætitia*, i. e. illuſtris lætitia.
Ἐνδιαδὺς, *Sata eſt*] Repoſita in cœlo quæ nunc inſtar ſeminis in terra latentis occulta eſt, ſed orietur ſuo tempore.

GROTIUS.

H*Uic David, quando terra ejus reſtituta eſt*] Non eſt in Hebræo. Senſus eſt: ſcriptum hunc Pſalmum in memoriam ejus temporis quo Abſolomo mortuo regnum recuperavit totum.

7. Adorat

7. *Adorate eum omnes Angeli ejus*] Hic eſt locus quo ſcriptor ad Hebræos utitur applicans Chriſto, ut fit in Novo Fœdere, id quod de Deo dictum eſt in vetere: προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ, [*adorent eum omnes Angeli Dei*,] mutatâ perſonâ, quod in allegandis locis nihil refert. Nam in Græco hîc eſt, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ, [*adorate eum omnes Angeli ejus.*] Sæpe Lxx. אלהים vertunt ἀγγέλους, [*Angelos*,] ut ſuprà 8. 6. & infrà 138. 1. Cæterùm hoc loco legerunt non אלהים, ſed cum affixo אלהיו [*Angeli ejus.*]

PRICÆUS.

6. I*N tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*] Id eſt, in tubis longis, (ſive directis) & in tubis curvis, qualia ſunt cornua. Hinc

——— *cornu tibicen adunco*,

apud Ovidium: &, *Cornicines*, καμπυλοσαλπιγκταί, in Gloſſario. Priore contextûs membro Græci, ἐν σάλπιγξιν ἐλαταῖς. Sic in alio Gloſſario, Ἐλατὸν, *ductile*, *productum*. Ubi *productum* eſt quod Vulgato noſtro *ductile*. Habemus planè hoc Pſalmi loco idem diſcrimen quod in ejuſdem Ovidii illis,

Non tuba directi, non æris cornua flexi:

item in his Vegetii 3. 5. de re militari, *Tuba quæ directa eſt, appellatur: buccina, quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur*, &c. Pollux 4. 11. ubi de tubis, &c. Τὸ σχῆμα εὐθεῖά τε καὶ καμπύλη.

IDEM.

2. N*Otum fecit Dominus ſalutare ſuum*] Ut ſuprà 75. 2. *Notus in Judæa Deus*: & 76. 16. *Notam feciſti in populis virtutem tuam.* Deus ipſe Ezech. 35. 12. *Et notus efficiar per eos cùm te judicavero.*

6. *In tubis ductilibus*] Sirachides 5. 18. *In tubis productilibus ſonuerunt.* Vide in reliquis Annotatis.

8. *Simul montes exſultabunt à conſpectu Domini*] Vide infrà ad 113. 4. annotata.

PSALM. XCVIII.

MUNSTERUS.

1. S*Alutem paravit ſibi*] Fieri poteſt ut ſalus aliqua magna & victoria obtigerit populo Iſraëlitico de hoſtibus ſuis, unde Propheta occaſionem acceperit ſcribendi de ſalute quam Salvator erat allaturus ſolâ ſuâ virtute, quæ hîc per *dexteram* ſignificatur.

7. *Perſtrepat mare*] Quòd mare & omnes creaturæ invitantur ad laudem & plauſum, monet ſalutem per Chriſtum paratam tantam eſſe ut eam Homo non ſatis dignè perpendere poſſit, cupiatque ob immenſum gaudium quod ex ejus meditatione concipit, omnes creaturas incitare ad laudandum Deum.

VATABLUS.

1. S*Ervavit eum*, &c. הושיעה לו ימינו וזרוע קדשו] Ad verb. *ſalvavit ſibi dexterâ ſuâ, & brachio ſanctitatis ſuæ.* Quidam, *ſalutem operatus eſt ſibi dexterâ ſuâ* Alii, *ſalutem paravit ſibi*, &c. Hebraïſmum quidam ſic reddunt, *Opem tulit ſolâ ſuâ dexterâ*, &c. Similis locutio legitur Eſa. 59. 16. *Admiratus quòd nemo eſſet qui oraret, ſervavit itaque ſibi brachio ſuo*: vel, *ſervavit*, ſive *ſalvavit eum*, pro, *ſalutem peperit ei brachium ejus.* Et cap. 63. 5. *Admiratus ſum, & nemo erat qui fulciret: ſervavit itaque mihi brachium meum*; vel, *ſalutem peperit*: pro, *ſolo meo brachio opem tuli.* Alii vertunt, *ſalvavit illi dextera ejus, & brachium ſanctitatis ejus*: i. e. Chriſtus dextera & brachium Patris attulit ſalutem mundo: *illi*, i. e. in honorem Patris.

4. *Et exſultate* ורננו] *Et ovate.*

5. *Et voce cantûs* וקול זמרה] *Et ſono Pſalmi.* Quidam vertunt, *cithara vocem pſalmi jungite.*

6. *In tubis claſſicis, & ſonitu cornu* בחצצרות וקול שופר] *In buccinis, & voce tubæ.* Alii, *in tubis, & voce buccinæ.*

7. *Tonet* ירעם] Fut. Heb. pro imperat. *perſtrepat*; *fremat*; *reboet.* Vide hæc eadem verba & Pſal. 96. 11.

8. *Exſultent* ירננו] *Vociferentur. Manum* tribuit fluminibus per Proſopopœiam: q. d. Edant ſigna lætitiæ more gaudentium.

9. *Coram Jehova* לפני יהוה] Idem verſus qui & ultimus eſt Pſalmi 97.

CLARIUS.

I*Dem hujus Pſalmi argumentum eſt quod præcedentium duorum Pſalmorum.*

1. *Salvavit ſibi*] Vel, *ſalutem paravit ſibi.* Fieri poteſt, ſi literam ſpectes, ut ſalus aliqua magna & victoria obtigerit populo Iſraëlitico de hoſtibus ſuis; unde Propheta occaſionem accepèrit ſcribenbi de ſalute quam Servator erat allaturus ſolâ ſuâ virtute, quæ hîc per *dexteram* ſignificatur. Et ſanè ipſa hujus Pſalmi verba non niſi in Chriſtum propriè quadrant.

3. *Veritatis ſuæ*] Recordatus eſt promiſſionum ſuarum, & quæ pollicitus fuerat, tanquam fidelis, præſtitit.

7. *Moveatur mare*] Quòd mare & omnes creaturæ invitantur ad laudem & plauſum, monet ſalutem per Chriſtum paratam tantam eſſe ut eam Homo non ſatis dignè perpendere poſſit, cupiatque ob immenſum gaudium quod ex ejus meditatione concipit, omnes creaturas incitare ad laudandum Deum.

DRUSIUS.

7. ירעם הים ומלאו תבל וישבי בה. Sym. *Reſonet mare cum plenitudine ſua; orbis terræ, & qui ipſum incolunt*] In ed. Rom. Ἠχείτω ἡ θάλασσα σὺν πληρώματι αὐτῆς.

9. כי בא. Οἱ λοιποὶ, ὅτι ἔρχεται.

AMAMA.

שיר חדש] R. Sal. על חעתי' ut ſupra. Ab. על ביאת הגואל

1. *Salutem attulit ei dextra ejus*] i. e. Vicit inimicos ſuos virtute ſuâ.

3. אפסי] אפס *nihil*, Eſai. 41. *Omnes illi iniquitas*, אפס *opera eorum.* Ibid. *Viri tui bellicoſi* כאפס *ſicut nihil.* 2. *Niſi*, *tantummodo*, *tantum.* 3. *Terminum*, *extremitatem* &c. Lxx. τὰ ἔσχατα, vel πέρατα. 4. אפסים i. e. קרסלים *tali*, Jezech. 47. *traduxit me per* מי אפסי, ſequitur gradatio, *Et adhuc menſus eſt* 1000. *cubitos, & traduxit me per aquas, aquas* ברכים, *& adhuc mille menſus per aquas* מתנים.

כנור] Hieron. ait fuiſſe Inſtrumentum Decachordum inſtar Δ.

חצצרות] Differt à שופר, ut *tuba* & *buccina*, Tuba eſt ex ære aliove metallo, buccina ex cornu recurvo. Sic שופר ex cornu, κερατινή. חצצרה ex ære, argento. Genus eſt σάλπιγξ. Egregiè Lxx. ἐν σάλπιγξιν ἐλαταῖς, καὶ Φωνῇ σάλπιγγος κερατίνης. Vulg. *Tubis ductilibus & voce tubæ corneæ.* Non expreſſit שופר per *buccinam*, quia Epith. *corneum* ſatis diſcriminat. De *Tubis* Num. 10. Earum uſus erat ad convocandam plebem, Seniores, & movenda caſtra. Convocabat plebs duabus, Seniores una. Idque fiebat ſono non fracto. Motio caſtrorum indicabat iiſdem ſed ſono fracto. Erat & peculiaris uſus tubarum in diebus lætitiæ, feſtorum & Neomeniarum. Vide ſuprà

8. *Fluvii*] נהר *fluvius.* Aliq κατ' ἐξοχὴν *Euphrat.* ut Pſ. 72. Zach. 9. Fuit terminus terræ S. Gen. 15. *uſque ad* נהר גדול נהר פרת. Hic accip. juxta Aben. pro *hominibus in navibus fluviorum & maris.* Et per *harim incolas* & *accolas montium.* Jeſ. 55. *Et omnia ligna agri* ימחאו כף.

GROTIUS.

V*Idetur hic Pſalmus ſcriptus breviter, ejuſdem argumenti eſſe, cujus majus carmen Exodi 15.*

PRICÆUS.

4. H*Onor Regis judicium diligit*] Vide 44. 8.

IDEM.

4. H*Onor Regis judicium diligit*] Rex judicium (i. e. juſtitiam) diligit: juſtitiâ enim firmatur ſolium ejus, Prov. 16. 12. Ibid. 21. 15. *Gaudium juſto eſt facere judicium. Honor Regis*, locutio qualis, *vis Herculis*, *ſapientia Thaletis.*

5. *Et adorate ſcabellum pedum ejus*] Adorate eum, manibus ad cœlum (ſcabellum pedum ejus) elevatis.

6. *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus*] *Inter eos*, *cum illis*, ut ſuprà 82. 9. Sic & 54. 19. *inter illos.*

PSALM. XCIX.

MUNSTERIUS.

1. SEdet inter Cherubim] Quòd Dominus regnavit in Iſraël, & peculiarem ſibi ſedem delegit in Arca inter duos Cherubim, hinc reſponſa dedit, & propugnatorem ſe exhibuit populi Iſraëlitici contra omnes hoſtes eorum, figura fuit Regni Chriſti regnantis in cordibus fidelium, ex cujus præſentia Chriſti fidelis roboratur contra homines impios & Dæmones. Hujus imperium conſiſtit in *judicio, juſtitia* & *æquitate:* & qui ab his declinat à Regno ejus excidit.

5. *Scabellum*] Per *ſcabellum* intelligitur Arca, quæ peculiaris erat locus Dei, videlicet ut ſinceritas religionis meliùs in populo conſervaretur, & præludium fieret Chriſtianis, qui corda ſurſum haberent erecta in cœlum. Quòd autem *Samuëlis*, *Moſi* & *Aharonis* fit mentio, exemplum eſt integrorum & miniſtrorum Dei, &c.

VATABLUS.

1. J*Ehova regnet* יהוה מלך] Idem principium Pſal. 97. ¶ *Contremiſcunt* ירגזו] Fut. Heb. *contremiſcent.* Alii, *commoventur.* Alii, *turbentur.* ¶ *Sedet* ישב] *Qui ſedebat.* ¶ *Contremiſcit* תנוט] Fut. Heb *commovebitur.* Alii, *agitetur, moveatur, ruat.*

2. *Et excelſus eſt*, &c. ורם הוא על כל העמים] Pro eodem dixit Pſal. 97. 9. *Excelſus eſt ſuper omnem terram.*

3. Quod *ſanctum eſt* קדוש הוא] Alii ſubaudiunt conjunctionem, & *ſanctum eſt.*

4. *Et fortitudo* ועז] *Et robur, potentia*, i. e. abeſt à tyrannide. Sunt qui vertunt, *Robur eſt Regi qui amat judicium.* ¶ *Tu apparas* omnia *ex rectitudine* אתה כוננת מישרים] Mutatio perſonæ. Ad verb. *tu paraſti æquitates.* Quidam vertunt, *Tu recta dirigis.* Alii, *tu feciſti obtinere quæ recta ſunt.* ¶ *Feciſti* עשית] Præt. Heb. quod nonnulli vertunt per præſens.

5. *Scabello pedum ejus* להדום רגליו] i. e. In Templo, ut Chaldæus P. convertit. Hebræi *ſcabellum pedum Dei* intelligunt Arcam ſuper quam præſentiam ſuam exhibebat Deus.

6. *Invocabant Jehovam* קראים אל יהוה] *Clamabant ad Jehovam.*

8. *Eis* להם] *Ipſis*, ſub. *populis.* Vel *ipſis*, i. e. in gratiam ipſorum, Moſis ſcilicet & Aharonis. q. d. Eo tempore parcebas Iſraeli ad preces eorum. ¶ *Et ultionem capiens*, &c. ונוקם על עלילותם] *Et vindicas opera eorum:* vel *ſtudia*, id eſt, adinventiones quas alii excogitabant in perniciem eorum, & vindictam ſumens ob injuriam illatam ipſis. Alii, *Tu eras peccata remittens illis*, i. e. in gratiam Moſis & Aharon: & tamen ſi Moſes & Aharon aliquid ſuo ſpiritu agebant, tum illos puniebas.

CASTALIO.

4. R*Egia quidem potentia jus amat*] Tu qui regiâ es potentiâ.
8. *Tamen eorum factum ultus es*] Quòd eis aditum in Chananæam negavit. Vide Num. 20. & Deut. 32. ad finem & Pſalm. 106.

CLARIUS.

CAnit & hìc bonitatem & potentiam Dei, per Arcam fœderis olim repræſentatam & Iſraeli multis portentis declaratam.

1. *Sedet ſuper Cherubin*] Demonſtravit Deus ſe delegiſſe ſibi ſedem in Propitiatorio inter Cherubin, ſignificans ſe libenter habitare inter mentes quæ ſumptis alis ſpiritûs in cœlis verſantur.

4. *Honor Regis judicium diligit*] Vel, *Virtus* (ſive *Potentia*) *Regis judicium diligit:* h. e. Quamvis potens ſit Dominus, non tyrannidem exercebit, ſed æquitatem, cujus amantiſſimus eſt. ¶ *Paraſti directiones*] Vel *æquitatem:* h. e. gubernabis omnia cum æquitate ſumma.

5. *Scabellum pedum ejus*] Intelligit Arcam, quæ peculiaris erat locus Dei, videlicet ut ſinceritas religionis meliùs in populo conſervaretur, & præludium fieret Chriſtianis, qui corda haberent ſurſum erecta in cœlum. Quòd autem *Moſis*, *Aharonis* & *Samuëlis* fit mentio, exemplum eſt integrorum cultorum & miniſtrorum Dei.

8. *Et ulciſcens*] Hoc ad rebelles in populo refertur. Sæpe enim relativa uſurpantur ſine antedecentibus apud Hebræam linguam.

DRUSIUS.

4. ועז מלך משפט אהב. Sym. Ἰσχὺν βασιλεὺς τοῦ κρίματος ἀγαπᾷ, *Virtutem Rex judicis diligit.* A. καὶ κράτος βασιλέως κρίσιν ἠγάπησεν, *Et potentia Regis judicium dilexit.*

6. והוא יענם. A ἐπακούσεται αὐτῶν. Sym. Th. & V. ed. ut Lxx. VI. editio ἐπήκουσεν.

8. ונקם על עלילותם. Sym. *& ultor in doloribus eorum*] Sic eſt apud Interp. Theodoreti. In ed Rom. *Schol.* καὶ ἔκδικος ἐπὶ ταῖς ἐπηρείαις αὐτῶν. Suprà 91. 9. λόγον ἐπηρείας idem Interpres *verbum doloris.*

AMAMA.

1. מָלָךְ] Cum Kamets extra accentum magnum. Sic Pſ. 97. 1. Sic 93. 1. Sic עָז, Sic חָכָם &c. quæ notavit Kimhi in ſuo Michtol. Vide Inſtit. Pagnini.

יֹשֵׁב כְּרוּבִים] Sub. בין & poſtea repete ἀπὸ κοινοῦ Regnat Propitiatorium ita erat per extenſionem & obverſionem mutuam alarum τῶν χερούβων diſpoſitum, ut quaſi ſedem referret. Hinc quia reſponſa dabat Deus, dicitur ibi ſedere ut in ſolio.

4. וְעֹז מֶלֶךְ] Jun. *Robuſtiſſime Rex.* Hypallage cum Ebraïſmo. Melius Piſc. *Et robur Regis* ſcilicet, celebrent, *Judicium tu diligis* &c.

5. *Scabellum pedum ejus*] Vide Diſſ. noſtram.

6. *In Sacerdotibus ejus*] i. e. Sacerdotes. Vide Druſ. Moſche Vecaleb. Alii, *cum Sacerdotibus*, aliq. *inter.*

7. *In columna nubis loquutus ad eos*] Ad quos? An ad Samuëlem quoque? Nuſquam lectum. Ergo refer. pronomen ad remotiores Moſen & Ahar.

GROTIUS.

5. E*T adorate ſcabellum pedum ejus*] Id eſt, vertite vos verſus Arcam, ut mos Iſraëlitis, Pſalmo 138. 2. 1 Reg. 8. 44. Daniel. 6. 10. & hoc ipſo Pſalmo 9. Arca verò dicitur *ſcabellum pedum Dei* 1 Paralip. 28. 2. infrà Pſalm. 132. 7. comparatione cœli ſcilicet, cujus reſpectu & terra, maximè verò Judæa, *ſcabellum pedum Dei* dicitur Eſaiæ 66. 1. Matth. 5. 35. Thren. 11. 1.

6. *Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*] *Inter miniſtros ejus*: nam vox כהן valde generalis eſt, etſi plerumque per ἀντονομασίαν [*nominis adſtrictionem*] quandam de *Sacerdotibus* uſurpatur. Vide 2 Samuel. 8. 19.

PRICÆUS.

1. S*Ervite Domino in lætitia*] Suprà 2. 11.
2. *In exſultatione*] Labiorum, i. e. in laudibus.

PSALM. C.

MUNSTERUS.

INvitantur in hoc Pſalmo omnes homines ad gratiarum actionem & laudem Dei; & præſertim monetur hoc fieri in cœtu ſacro.

VATABLUS.

1. P*Ro laude* לתודה] Sub. *Divinæ miſericordiæ.* Decantabatur enim hic Pſalmus cùm offerebatur ſacrificium hoſtiæ pacificæ pro impetranda Dei gratia. Alii, *pro gratiarum actione.*

2. *Cum exſultatione* ברננה] *Cum ovatione.*

3. *Populus ejus*, &c. עמו וצאן מרעיתו] Simile vides Pſal. 95. 7.

4. *Benedicite nomini ejus* ברכו שמו] *Prædicate nomen ejus.*

5. *Veritas ejus* אמונתו] *Fides ejus.* Vox Hebræa ſignificat *veritatem & conſtantiam promiſſorum.*

CLARIUS.

INvitantur hoc Pſalmo omnes homines ad gratiarum actionem & laudem Dei; & præſertim monetur hoc fieri in cœtu ſacro.

4. *Atria ejus*] Sic diſtingue, *introite portas ejus in confeſſione*, h. e. laude, *& atria ejus in hymnis: confitemini illi, & laudate nomen ejus.*

DRU-

DRUSIUS.

2. בְּרִנָּה. A. ἐν αἰνέσει. Sym. μετ' εὐφημίας.
3. הוּא עָשָׂנוּ וְלֹא אֲנַחְנוּ. Sym. Αὐτὸς ἐποίησεν ἐκ ὄντας, *Ipſe fecit nos, qui non eramus.*

AMAMA.

PSalm. C. nihil difficultatis habet.

GROTIUS.

P*Salmus in confeſſione*] i.e. Adhiberi ſolitus ſacrificiis תודה, quod αἰνέσεως vertunt Græci. Vide Levit. 7. 2 Par. 2. 9.

PRICÆUS.

2. Q*Uando venies ad me*] Hoc Viri ſummi exponunt, *donec veneris ad me:* at ego puto legendum interrogativè. Ita ſuprà 34. 17. *Quando reſpicies?* infrà 118. 84. *Quando de perſequentibus me judicium facies?* & 41. 3. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

6. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat*] Non ſolùm quales convivas haberem cavi, ſed & quales ſervos miniſtroſque.

7. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum*] *Non direxit*, nempe viam ſuam. Vult fortè dicere, Tales non provexi, non honoribus aut vitæ commodis quos augerem dignos putavi.

IDEM.

2. I*N medio domûs meæ*] In domo mea. Vide ad Matth. 14. 24. dicta.

3. *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam*] Quod, *iniquitatem in corde ſuo non aſpicere* ſuprà 65. 18. dixit.

Ibid. *Facientes prævaricationes odivi*] Proverb. 16. 12, 13. *Abominabiles Regi qui agunt impie. Voluntas Regum labia juſta, qui recta loquitur, diligetur. Odivi*, odio habebo: ità & cætera quæ ſequuntur præterita expoſuerim.

4. *Non adhæſit mihi cor pravum*] i.e. Homines corde pravo; imò *innocentes & recti adhæſerunt mihi*, ſuprà 24. 21. Lxx heic καρδία σκαμβὴ, i.e. ςρεβλὴ, ità Heſychius. Eſt & in Gloſſis Σκαμβὸς, *curvus*, i.e. Latinè loquentibus *pravus. Adhærere* heic eſt, convictu & familiaritate uti.

Ibid. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam*] Declinantem à viis meis (i.e. juſtitiæ quas propono mihi ſemitis) pro ignoto habebo. Sic ſuprà 73. 9. *nos non cognoſcet amplius.* Vide quæ ad Matth. 25. 12. & Luc. 13. illa, *non novi vos.*

5. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*] Meritò: *abominatio* (cuius) *hominum, detractor*, Proverb. 24 9. Quin & *Princeps qui libenter audit verba mendacis, omnes miniſtros habebit impios*, Proverb. 29. 12.

Ibid. *Superbo oculo, & corde inſatiabili, cum hoc non edebam*] Non edam. Vide Proverb. 23. 6, 7, 8 Seneca epiſt. 32. *Hoc eſt ſalutare, non converſari cum diſſimilibus & diverſa cupientibus.*

6. *Oculi mei ad fideles*, &c.] Jerem. 5. 3. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem.*

Ibid. *Ut ſedeant mecum*] Sirachides 9. 22. *Viri juſti ſint tibi convivæ.*

Ibid. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat*] Ad menſam, vel in domo, vel in publicis muneribus.

7. *Non habitabit in medio domûs meæ qui facit ſuperbiam*] Quaſi diceret,

Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis.

In meo autem palatio ejuſmodi nullum dominium habebant. *Superbiam* commodè heic exponas, erga conſervos ſuos. Vide ad Matth. 24. 48. annotata. Sapientia Prov. 8. 13. *Arrogantiam & ſuperbiam deteſtor.*

Ibid. *Qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum*] De Deo Jobus 13. 16. *Non veniet in conſpectu ejus omnis hypocrita. Non direxit*, eſt non diriget: i.e. non proſperabitur. Hoc ſenſu Prov. 28. 13. & infrà hic 139. 12. *non dirigetur*; Eſaiæ 48. 15. *directa eſt via ejus*; & 41 2. Sirachidis, *Cujus via directa ſunt.* Lxx. hic, ἐ κατεύθυνεν indè & 29. 24. ejuſdem Sirachidis, κατευθύνοντας quod idem hic Interpres *dirigentes* vertit. Verba Pſalmi autem (quæ commodè ſenſu quidem laxo intelligi poſſunt) libens ego ad domeſticos reſtrinxerim. Solomo 13. 13. in Gnomologico, Οἰκέτῃ σοφῷ εὔοδοι ἔσονται πράξεις, καὶ κατευθυνθήσεται ἡ ὁδὸς αὐτῦ.

8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*] *Ad nihilum* (ut 4. 4) *deductus eſt in conſpectu meo malignus, timentes autem Dominum glorificavi. In matutino* Græcis heic, εἰς τὰς πρωΐας, i.e. ἐν τῇ πρωΐᾳ quod Vir ſummus refert ad judicia manè exerceri ſolita: & ſanè in Ἑωθινὴ δίκη non diſſimilia habemus apud Heſychium. At fortè *in matutino* hic eſt, *citò*, vel *celeriter*. Heſychius, Πρωΐα, ταχέα. Chryſoſtomus ad hunc Pſalmi locum, ταχέως, διηνεκῶς. Nec aliter ſupra 48. 15. expoſuerim illud, *dominabuntur juſti eorum in matutino:* quò loco Græci τὸ πρωΐ, ut hic εἰς τὰς πρωΐας. His adde quod *mane* pro *cito* ponitur ſæpiſſime in Pſalmorum libro.

PSALM. CI.

MUNSTERUS.

1. P*Ietatem & judicium*] *Pietate* movetur animus ad ſuccurrendum proximo; *judicio* verò cuncta aguntur æquo libramine: & in his duobus conſtat tota vitæ integritas, præſertim illius qui eſt in officio aliquo. De his itaque gloriatur David, & veluti munus à Deo acceptum, Deo fert gratum.

2. *Quando venies ad me?*] Ut ſcilicet exſulantem in Regnum evehas.

8. *Manè perdam*] i.e. Maturè curabo exterminare impios, priuſquam malitia eorum in alios ſerpat. In civitate enim Dei nefas eſt tolerare impios, præſertim qui proximis ſunt ſcandalo.

VATABLUS.

2. I*Ntelligam* אשכילה] *Prudentem me geram. Prudenter agam.* Alii Paraphraſticè, *prudenter me habebo, vitam vivens innocentem:* i.e. dabo operam ſedulò ut inculpatè vivam quando me docebis & inſtitues. ¶ *Ambulabo in perfectione* אתהלך בתם] i.e. Converſabor in integritate.

3. *Opus declinantium* עשה סטים] Ad verb. *Facere declinantium.* Infinitivus pro nomine: i. e. opus eorum qui deficiunt à Deo.

4. *Recedet* יסור] *Recedat: faceſſat*

5. *In ſecreto* בסתר] *In occulto: clam.* ¶ *Succidam* אצמית] *Conficiam: diſperdam.* ¶ *Et latum corde* ורחב לבב] *Et vaſtum corde.* Alii, *& turgido corde.*

6. *Perfectâ* תמים] *Sincerâ: innocenti.*

7. *Non firmabitur* לא יכון] *Non ſtabilietur*: i. e. ſedem permanentem non eſt apud me habiturus.

8. *Singulis matutinis* לבקרים] *Manè, manè, inquam.* Alii, *in dies*, vel *quotidie.* ¶ *Ut exterminem* להכרית] *Ut eliminem: ut exſcindam.*

CLARIUS.

OFficio pii Principis functurum ſe pollicetur, h. e. & ſe victurum innocenter, & malos oppreſſurum, bonoſque evecturum.

1. *Miſericordiam & judicium cantabo*] *Miſericordiâ* movetur animus ad ſuccurrendum proximo; *judicio* verò cuncta aguntur æquo libramine: & his duobus conſtat tota vitæ integritas; præſertim illius qui præſit. De his gloriatur David, & Deo accepta refert.

2. *Intelligam in via immaculata*] Prudenter me geram, & integritatis morum ſtudioſus ero. Sed conatus mei irriti fient niſi *venias ad me*, i.e. niſi tu adjuveris. Alii *quando venies ad me* interrogativè pronunciant, & ſic intelligunt, *Quando venies ut exſulantem in Regnum evehas?*

8. *In matutino*] i.e. Maturè curabam exterminare impios, priuſquam malitia eorum in alios ſerperet.

LUCAS BRUG.

10. E*T potum meum cum fletu miſcebam.*] Latinorum MSS. alia *potum*, alia *poculum* habent: 22. noſtra illo; quatuor, cum multis impreſſis libris, hoc ſcribunt modo. D. Auguſtinus *potum*, S. Hieronymus *poculum*, legit. Hebraïcis codicibus eſt שקוי, id quod *potum* conſtanter interpretantur. Græcis libris, ex quibus noſtra ducta eſt verſio, eſt πόμα· id quod ad *poculum* & *potum* ambiguum eſt. Utro igitur modo Interpres noſter

ſter verterit, ex verſionis ejus quærendum eſt exemplaribus. Superant autem numero quæ *potum* legunt; verùm an & integritate, eſt cur dubitem. Nam & Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium & Wilhelmi Ruræmondenſis *poculum* habent. Inſuper Brugenſe antigraphum *populum* legit, quod haud dubiè *poculum* eſt. Subrepſit diligentiſſimo & fideliſſimo ſcriptori quædam, ut fit, inconſideratio. Ad hæc exemplaria, Lobienſe, Tornacenſe & Stapulenſe, quibus columnis pluribus diverſa diſtincta ſunt Pſalteria, Romano *potum*, Gallico, quod noſtræ eſt editionis, *poculum* adſcribunt. Denique poſteriores inter Latinos Enarratores, qui noſtram ſecuti ſunt editionem, ferè *poculum* legunt, Gregorius, Haymo, Remigius, Bruno, Ludolphus, Lyranus, Carenſis, Pelbartus, Richelius, Paſtura. Et quidem, ſive *potum* legamus ſive *poculum*, idem unum ſignificatur: ſed quærenda eſt ipſa noſtri Interpretis ſcriptura.

19. *Scribantur hæc in generatione altera.*] Epanorthotæ antiqui codices ſingulari numero *ſcribatur* legunt: id quod Græcis, Hebraïcis & Chaldaïcis libris conſentaneum eſt. Hoc autem Chaldæa Paraphraſis, ut in Venetiana & Nebienſi eſt editione, ad orationem de qua antecedit, *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum*, refert: ſic enim habet Venetiana editio, תתכתיב צלותא דא לדר בתראי, id quod minùs rectè in Nebienſi ſcriptum eſt תתכתב צלותהון דין בדר בתראי, *Scribatur oratio eorum hæc in generationem ultimorum.* In Regiæ editionis Chaldaïco textu nulla *orationis* eſt mentio; תתכתב דא לדר בתראי, *Scribatur hæc in generationem noviſſimam.* Eodem, ad *orationem*, inquam, Euthymius, Græcus autor retulit. Exiſtimarim ego cum aliis Hebraïcè, atque ex Hebræo Græcè & Latinè, *Scribatur hæc* legi, pro *Scribatur hoc.* Solent enim Hebræi & Chaldæi fœminino genere ad ſubſtantivandum uti, ut Græci & Latini neutro. Itaque *Scribatur hæc* nihil aut parùm differt à *Scribantur hæc*, quæ Latinorum codicum & Enarratorum, quos vidimus nos, lectio eſt (quanquam quid ex Caſſiodoro atque Haymone colligi debeat ignorem.) Eam verò aliam eſſe literam Epanorthotes affirmat.

Rurſus Epanorthotæ codices quarto caſu *generationem alteram* ſcribunt: quibus conformes ſunt duo noſtri, unus ex D. Donatiani Brugenſi Bibliotheca, alter ex D. Petri Lobienſi Abbatia. Conſonant duo Pariſienſium antigrapha (Ge. ar. Di. o.) nonnulla Lugdunenſium, & D. Lindani Pſalterium. Ad eundem modum, inter Tractatores, manifeſtè S. Auguſtinus & V. Beda habent. Eſt autem hæc horum lectio Græcæ lectioni conſimilis εἰς γενεὰν ἑτέραν, & Hebraïcæ bellè conveniens, לדר אחרון, id quod vertunt *Generationi noviſſimæ*, aut *In generationem noviſſimam.* Hujuſmodi & Hieronymi tranſlatio eſt, ſi emendatiora ſequamur manuſcripta, *Scribatur hoc in generationem noviſſimam.* Quanquam alteram lectionem, *in generatione altera*, non tam Hebraïca verba quàm eorum ſenſus, quem præſens exigere videtur locus, improbet. Porrò & eam eodem nonnulli ſenſu interpretantur, ut ſit pro caſu caſus poſitus, aut *in* pro *ad* vel *pro.*

DRUSIUS.

1. אֲשִׁירָה. Sym. μελῳδήσω, *canam.*
2. אַשְׂכִּילָה בְּדֶרֶךְ תָּמִים. Idem, ἐννοήσω ὁδὸν ἄμωμον, *conſiderabo viam immaculatam.*

AMAMA.

PRoponitur Idea boni Principis, ut vocari poſſit merito *SPECULUM PRINCIPUM.*

Partim eſt εὐχαριστικὸς, partim ὑποσχετικὸς promiſſorius. A verſ. 2. ad finem promittit ſe regnum fideliter adminiſtraturum. Eam adminiſtrationem ex objectis (vid. perſonis) facit triplicem, 1. quod ipſe ſe velit gerere pro ſua perſona, 2. qualibus miniſtris velit uti, 3. qualis eſſe velit erga ſceleratos.

1. *Miſericordiam* &c.] R. David hoc refert ad Davidem, de quo ſcriptum 2 Sam. 8. 15. *Faciebat David judicium & juſtitiam toti populo.* Sic & Genev. Jun. & Tr. Calv. Buc. R. Sal. *Sive exerceas mecum miſericordiam ſive juſtitiam, te tamen celebrabo*, בֵּין כָּךְ וּבֵין כָּךְ לְךָ אֲזַמֵּר ut & Job alibi, *Etiam ſi occideres me tamen in te ſperabo Domine.* Hanc opinionem ſecutus etiam Auguſtinus. 3. Referri has proprietates ad Deum, Miſericordia, qua me hactenus protexiſti; Judicium, quod erga Saulem & hoſtes meos exercuit. Idque optime. Eſt enim εὐχαρις.

2. *Intelligam*] R. Sal. *Apponam cor ſuper viam perfectam*, i. e. ſtudebo vitæ perfectæ. Piſc. *Prudenter agam, in via perfecta* ſc. ambulans. Jun. *Animadvertam.*

מָתַי תָּבוֹא אֵלָי] Aben. quem ſequitur Pagn. *Quando veniet ad me*, ſc. via. Durè. Alii, *Donec veneris ad me*; Alii, ut Jun. *Quando venies ad me*, ſine Interrog. Illud autem *venire* alii intelligunt de evocatione ex hac vita; Alii de adventu Dei cum Spiritu ſancto. Sic Kimchi, *qui eſt adventus Spiritualis*, Joh. 14. 23. *Si quis diligit ſermonem meum, Pater meus diliget ipſum, & veniemus ad eum & manebimus cum eo.* Alii hoc *venire* accipiunt pro auxilio Dei & immiſſione in poſſeſſionem regni. At omnium optimè per Interr. hæc expreſſère Græci LXX. πότε ἥξεις πρός με; Et Vulg. *Quando venies ad me?* Et Angli, *O when wilt thou come unto me?* Hæc verſio optima, nam מתי eſt interrogativum.

Vulg. & LXX. omnia futura per præt. imperf. expreſſere.

In medio domus meæ] Id eſt, in domo mea, i. e. privatim. R. S. *etiam domi meæ.* Interior diſciplina, quotidianæ vitæ conſuetudo & domeſtici mores quale cujuſque ingenium ſit maximè declarant. Principum virorum gloria non fructu tantum amplitudinis & honorum ſplendore metienda eſt, ſed multò magis uniformi morum tenore qui clarius elucet in receſſu familiari inter privatos Lares & Veſtæ penetralia quam in luce gentium, in oculis hominum. Hîc enim Reges populo & ſcenæ famulantur, ac, ut Petronius ait cum univerſo orbe exercent hiſtrioniam. Ubi verò ſecreti licentiam nacti ſunt, ſuis moribus vivunt, ſuo ingenio vivunt ac perſonam deponunt. Intus itaque & apud ſe conſiderandi ſunt levato ut ajunt velo, cum locus aut tempus non patitur ut ſe componant ad ſimulandum. Nullum evidentius ſignum eſt unde perſpici queat utrum actiones enaſcantur è ſolido mentis penetrali, an ab inani affectatione, quam ſi publice & privatim, domi foriſque eadem diſciplina ſervetur.

3. *Non ponam*] Supra Κατὰ θέσιν. Jam κατ' ἄρσιν dicit quid futurus ſit. Kimhi vult eſſe περίφρασιν cogitationum.

Verbum Belial] Verbum, i. e. rem. Jun. *rem nefariam*, Pag. *impiam*, Vulg. *rem injuſtam*, LXX. πρᾶγμα παράνομον. Ad verbum, *rem impietatis, injuſtitiæ*, &c. Eſt enim דְּבַר in Regim. unde ſeq. בליעל eſſe abſtractum. Aut Epith. Diaboli, ut 2 Cor. 6. 15. *Quæ eſt concordia Chriſto cum Belial.*

DE VOCE BELIAL.

Aut ponitur abſolutè, aut jungitur alteri poſitæ in Regim. Abſolutè, aut in N. aut in V. T. In N. ſign. *Satanam.* In V. ſemper ſubintelligitur vel איש vel אנש vel דבר Cum jungitur, vel voci איש vel ארם vel בת vel בני vel בנשי vel ער vel דבר.

Componitur ex בְּלִי hoc extra controverſiam, & יַעַל ut quidam i. e. *profuit*, q. d. ἀχρεῖος. Vel יַעֲלֶה *qui non aſcendet ad ullam bonam frugem*, vel עֹל *jugum*, *qui injugis eſt, legiſque divinæ jugum excuſſit.* Atque hoc ſenſu Aquila *Apoſtatam* vertit, ut Hier. in Epiſtolam ad Epheſ. explicat *abſque jugo.* Gloſſ. Thalm. in Gen. ſic deſcr. impios שפרקו על שמים כצו ארן Tribuitur hæc vox Diabolo, Hominibus, Rebus. Diabolo extra controv. 2 Cor. 6. 15. Hominibus & Rebus cum tribuitur, tunc vox antecedens ſemper eſt in Regimine, unde colligitur eſſe abſtractum, 1 Sam. 25. 25. de Nabal, ubi eſt הַבְּלִיַּעַל. Deut. 13. 13. בְּנֵי בליעל ubi Chald. בְּנֵי רִשְׁעָא. 1 Sam. 2. 12. de Filiis Eli. Atque huc refero Pſ. 18. 5. *Torrentes Belial*, i. e. hominum Belial. Et 2 Sam. 23. 6. *Belial erunt ſicut ſpina*, ſub. *homines.* 1 Reg. 21. 13. Filii Diaboli, Vulg. & Nahum. 2. 1. ubi etiam ſupple אִישׁ Atque in his locis non abſurde quis vocem Ebr. acciperet ea notione qua in N. T. uſurpatur, ut Filii Belial ſint Filii Diaboli. Quomodo & Regimen conſtabit. Ut ut ſit, ſenſus idem eſt. Illis enim, quibus hoc vocabulum tribuitur, deſperatæ nequitiæ omnes fuiſſe, & vivas Diaboli hoſtias, ac Filios Diaboli merito dici poſſe, videbis ſi omnia loca examinaveris. Rebus cum tribuitur præſtat, ei aſſignare notionem impietatis, ut hîc & Pſ. 41. & alibi.

Dico ſemper in regimine poſitam vocem anteced. Excip. Deut. 15. 9. ubi דבר, ſed impedita fuit conſtructio per voces intercedentes. Et Prov. 6. 12. אָדָם בל' vox enim ארם nunquam conſtruitur.

עֹשֵׂה] Maſſ. ד' reperitur בתיב וו. At infra ſic extat, ד' ג' כתיב ה' וא' כתיב ו'. Ea pugnant. Verior eſt poſterior nota. Ecce enim Gen. 31. 28. tantum eſt הִסְכַּלְתָּ עֲשׂוֹ Secundus locus eſt Gen. 50. 20. עֲשֹׂה. 3. eſt Prov. 21. 3. 4. hic. At Prov. 21. ſic notatum in margine ד' חד כתיב וו i. Quater extat, at ſemel cum Vau.

סֵטִים] בְּ & ſemel cum שׂ. Hoſ. 5. 2. Eſt à שטה ut רָעָה à רעה. Hinc quidam volunt eſſe *Satan.* Pſ. 40. 4.

4. *Cor pravum*] Calv. Jun. Buc. accipiunt *cor pravum* pro *ipſa malitia*, pro *veteri homine*, pro *carne*; at R. D. Aben. & Genev. Piſcator de *homine perverſi cordis* exponunt, ſubintelligetur tunc אִישׁ. Meton. adjuncti. Sic Pſ. 12. 8. Ego תפלה Dan. תמדות אתה.

Non cognoſcam vel *agnoſcam*] Ut Pſ. 1. Matth. 25. *Non novi vos.* Joh. 10. Prov. 12. 10. Pſ. 144. Hoſ. 3. R. Sal. לא אֶאֱהַב *non diligam.*

5. Promittit ſe omnia ſcelerum fore vindicem ultoremque.

מְלָשְׁנִי]

מְלָשְׁנִי] Maſſ. י יתיר redundat Vau. Eſt ergo Benoni Poël contractum. Eſſet מְלֹשְׁנִי. De Jod diſputant Ebræi Aben-Ezr. & R. D. ajunt eſſe Jod נוסף Et eſſe בְּלָשׁוֹן. Alii volunt eſſe affixum, & quia ſequitur patiens רֵעֵהוּ, hic ſupplent præpoſitionem *apud*, unde Jun. *Qui lingua lædit apud me.* Vulg. & Lxx. Angli. Piſc. ſequuntur Interp. priorem. Piſc. vertit *traducens*, i. e. calumniatur, detrectat, detrahit, ad verbum *Linguans.* Calumnia etiam vocatur *lingua* in Sacris, Jirm. *Percutiamus eum lingua.* Cicero, *Vitemus oculos hominum cum linguas non poſſumus.* Sirach. 28. 15. *Lingua tertia multos occidit.* Vide Pſ. 31. 21. Deſumptum hoc ex Chaldaïſmo, & quod in N. T. *Mortis ſecundæ* mentio eſt. Eſt enim hoc ex Chald. ut Jeſ. 22. videre eſt.

Altum oculis] Superbum deſcribit à corpore ab animo. Prior eſt quaſi deſcr. phyſiognomica.

לֹא אוּכָל] Vulg. *Cum hoc non edebam.* Lxx. τούτῳ οὐ συνήσθιον, aut legit אכל, aut ſubintellexit, non poteram *ad menſam ferre.* Vera Interpr. *non potero* ראה aut שאת. Aben. ait eſſe qui רחב לב accipiunt in bonam partem, *pro ſapiente*, & ſubintelligunt *non potero* לְהַצְמִית. At quid tum fiet גְּבַהּ עֵינַיִם?

6. *Oculi mei*] Jun. ſubaudit *attendent*, Piſc. *ſpeculabuntur*, Angli, *erunt* ſuper. Sic & Belgæ loquuntur.

Ad ſedendum] Id eſt, ut habitent mecum, ſub mea tutela; vel, ut ſedeant mecum, ut Judices, ut Conſiliarii. Ut enim judices dicuntur *ſedere*, ſic & Conſiliarii, Prov. 31. Sic & Pſ. 113. 8. *Qui erigit pauperem de pulvere & de ſterquilinio elevat egenum, ut ſedere faciat eum cum Principibus.* Et Doctores D. D. Matth. 23. *Sedebant ſuper Cathedram Moſis.* Luc. 4. Matth. 5. Luc. 5. de navicula, bis. Joh. 8. Luc. 3. cum duodennis eſſet in ſignum eminentioris authoritatis. Stabant plerumque Apoſt. ut Act. 2. Act. 13. 16. Sic olim omnis audiens verbum Dei, Jud. 3. 20. in ſignum reverentiæ.

7. *Dolum*] Lxx. ποιῶν ὑπερηφανίαν ſuperbiam.

יִכּוֹן] Vulg. *direxit*, ſc. viam ſuam, i. e. non proſperavit, κατεύθυνεν. *Non retr. cor noſtrum*, Pſ. 44. 19. Jeſ. 42. 17. *retrocedere retrorſum.*

8. לַבְּקָרִים] Vulg. *in matutino*, i. mane, i. e. maturè, tempeſtivè, feſtinanter, vel *ſummo ſtudio.*

Serò Medicina paratur
Cum mala &c.

Sic enim vocula *Mane* aliq. ſumitur. Commodiſſimum tempus rebus ſeriis agendis eſt tempus Matutinum, unde & בֹּקֶר dictum volunt. Hinc in Proph. Jirm. 21. 12. *Judicate mane judicium.* Hinc paſſim invehuntur Prophetæ in eos qui mane ſurgunt ad bibendum. Peccatum magnum eſt quovis tempore deſtinato animo ſe ingurgitare vino & ſicera, ſed magis augetur ſi fiat hoc mane, eo tempore quod gravibus & ſeriis deſtinatum eſt.

Unicum mane ſæpe diſtrib. Pſ. 92. Am. 4. R. Sal. כל יום ויום, i. e. מִיּוֹם יוֹם

Alii, *Singulis matutinis.* Volunt articulum incluſum valere particulam diſtributivam, Lxx. Κατὰ τὰς πρωΐας. Sic & Aben. בְּכָל־יוֹם *omni die.* Eſ. 27. 3. לִרְגָעִים *in ſingula momenta*

E civitate Dei] Id eſt, Jeruſalem (Ch. קַרְתָּא) ſic variis de cauſis dicta. Chald. hic allegorizat, & de Meſſia hæc videtur accepiſſe.

In ſæculo venturo quod ſimile eſt luci matutinæ perdam omnes peccatores terræ, & Jeruſ. diſperdam de terris. Civitate Dei omnes operarios iniquitatis.

GROTIUS.

1, 2. **P***Sallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me*] Illud *pſallam* rectiùs, ni fallor, Maſoretica lectio ad comma præcedens refert. *Intelligam in via perfecta*, id eſt, animi vim intendam ad vitæ integritatem. *Quando venias ad me* poſitum hic pro *donec ad me venias*, id eſt, me liberes atque evehas. Eſt enim hoc votum Davidis de ratione regnandi, quam ſibi in animo propoſuerat, longè optimam, & cujus modum pauci implent Reges, etiam ii qui plus Deo debent quàm David, id eſt, Chriſtiani.

8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*] Eſt in Hebræo futurum, ut præcedentia, *excidam.* Hoc ideo dictum, quia manè judicia exercebantur, ut diximus ad Job 38. 13.

PRICÆUS.

4 **S***Icut cremium aruerunt*] In Gr. ὡσεὶ Φρύγιον forte Φρύγανον legendum. Ità *Cremium*, Φρύγανον, in vetere Onomaſtico.

8. *Sicut paſſer ſolitarius in tecto*] Græci, ὡσεὶ ϛρουθίον ἐπὶ δώματι. In Gloſſis, Πυργίτης, ὁ ϛρουθὸς *paſſer muralis.* Jobus itidem 30. 29. conquerens ſolitudinem ſuam, Γέγονα, &c. ἑταῖρος ϛρουθῶν.

10. *Cinerem tanquam panem manducabam*] De Tobia 2. 5. *Manducavit panem cum luctu & tremore.*

11. *Elevans alliſiſti me*] Locutio à luctatoribus ſumpta, qui adverſarium in altum nituntur tollere, ut eum vi majore alliſdant terræ. Talis apud mythicos geſtus.

Herculis Antæum procul à tellure tenentis.

Apulejus (ad locum Pſalmi iſtum non inconcinnè) *Sublimem* (eum) *elatum, terræ graviter applodit.*

12. *Sicut umbra declinaverunt*] Declinaverunt ad occaſum vitæ meæ, velut umbra gnomonis. Non diſſimile Job. 7. 6. Vide & Pſal. 109. 23. Script. Sap. 2. 5.

Ibid. *Sicut fœnum arui*] Succus corporis mei abſumptus eſt. Eodem Jobi loco, com. 5. *Cutis mea aruit.* Vide & Jobi 30. 30. Vult dicere Pſalmiſta,

——— *Mihi ſunt cava lumina, pallor in ore,*
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſint:
Oſſa ſub incurvis apparent arida lumbis:
Ventris adeſt pro ventre locus, pendere putet quis
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.

28. *Et anni tui non deficient*] Job. 36. 26. *Numerus annorum ejus inæſtimabilis.*

IDEM.

4. **E***T oſſa mea ſicut cremium aruerunt*] Lxx. ὡς Φρύγιον ubi nunc nil video mutandum; non ſolùm Φρύγανον enim, ſed & Φρύγιον dicitur. Heſychius (& fortè hoc ex Pſalmi loco) Φρύγιον, ξύλον ξηρόν.

5. *Percuſſus ſum ut fœnum*] Supple ex Pſal. 36. 2. *quod velociter areſcit:* quia & hîc continuò ſequitur, *cor meum aruit.*

Ibid. *Oblitus ſum comedere panem meum*] Eſcam omnem abominata eſt anima mea, ut infrà 106. 18. vel *oblitus ſum*, neglexi.

6. *A voce gemitûs meì adhæſit os meum carni meæ*] *Raucæ* (ut 68. 4.) *factæ ſunt fauces meæ.* Vide & 21. 16.

9. *Et qui laudabant me adverſum me jurabant*] Qui laudibus & præconiis me efferre ſolebant, in me conſilia inierunt, imò in meum caput conjurârunt.

10. *Cinerem tanquam panem manducabam*] Mihi cineres pro pane fuerunt. Ità ſuprà 41. 4. dixit lacrymas ſuas ſibi panes fuiſſe. Simile 79. 6. *lacrymarum pane cibari.* Senſus eſt, manducavi (ut 126. 2.) doloris panem; vel, cinere me aſperſi cùm debebam panem ſumere.

Ibid. *Et potum meum cum fletu miſcebam*] Flebam etiam dum biberem: hyperbolica quædam magni luctûs deſcriptio. Apulejus de afflictiſſima puella illa lib. 4. *Etiam nunc dormiens decoras genas cohumidat.*

11. *Elevans alliſiſti me*] Vide quæ in cæteris Annotatis. Lxx. hic ἐπάρας κατέῤῥαξάς με. Heſychius, Ἐπάρας, &c. ὑψώσας. Idem, Κατέῤῥαξε, κατέβαλε.

13. *Tu autem, Domine, in æternum permanes*] Ità infrà 134. 13. & ſuprà 91. 9. In Threnis 5. 19. Jeremiæ, Σὺ δὲ, Κύριε, εἰς τὸν αἰῶνα κατοικήσεις.

17. *Et videbitur in gloria ſua*] Et conſpicuus erit in loco gloriæ ſuæ, vel, in loco quem glorificavit.

18. *Reſpexit in orationem humilium*] Judith. 9. 16. *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

Ibid. *Et non ſprevit precem eorum*] In Gr. οὐκ ἐξουδένωσε. Heſychius, Ἐξουδένωσας, ἀπεδοκίμασας.

19. *Scribantur hæc in generatione altera*] Vide ſuprà 77. 3, & 6. Lxx. γραφήτω αὕτη, i. e. ταῦτα, ut alicubi ad Lucam annotavimus.

20. *De cœlo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum*, &c.] De eodem infrà 112. 6. *In altis habitas, & humilia reſpicit.*

21. *Ut ſolveret filios interemptorum*] Suprà 67. 7. *Educit vinctos in fortitudine.*

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*] Vide quæ Eſaiæ 38. 10. & 11. Rex Ezechias.

26. *Ipſi* (*cæli*) *peribunt, tu autem permanes*] Boëthius Conſol. lib. 4.

Volucrem currum ſtabilis regit
Rerum coruſcus arbiter.

Idem 1. ——— *Perpetuo nixus ſolio*
Rapido cœlum turbine verſas.

Lib. 3.

——— *Tu tempus ab ævo*
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri.

Et pòſt, *Rerum orbem mobilem rotas, dum te immobilem ipſe conſervas.* De eodem Auctor libri de Mundo, qui vulgò Ariſtoteles,

ſtoicles, Ἐν ἀκινήτῳ ἱδρυμένος πάντα κινεῖ, καὶ περιάγει, ὅπυ βύλεται, καὶ ὅπως.

PSALM. CII.

MUNSTERUS.

1. *Cum mœſto eſt animo*] Poteſt & ſic verti, *cùm mœſto eſſet animo*, ſive *dum convolveretur*, &c. Putant enim quidam orationem eſſe pro reparando Templo & Urbe, pro quibus reparandis tantùm affligebantur ut vis doloris abſumeret omnem vitæ vigorem, faceretque populi ætatem conſumi ad inſtar fumi, & exſiccaret oſſa.

6. *Factus ſum bubo*] Hoc dicitur quòd populus inſomnis eſſet quaſi aves nocturnæ, in captivitate & exſilio, anxius pro domo Domini.

8. *Jurant per me*] h. e. Gentes imprecabantur illis quibus malè volebant infelicitatem Jehudæorum.

9. *Cinerem quaſi panem comedi*] Notatur per hæc magnus luctus eorum qui erant in captivitate.

13. *Venit, inquam, tempus*] Eſt מועד *tempus certum & ſtatutum.* Loquiturque de Lxx. annis quibus Templum & Civitas deſolationi ſubjacere debuerunt. Porrò per *ſervos qui piè ſentiebant de ruinis* Jeruſalem intelligunt Cyrum & Darium.

17. *Solitarii*] Populi ſcilicet in captivitate agentis.

18. *Scribetur iſtud*] Dicit ſcribendam pro poſteris reædificationem Templi, ut ſcilicet in memoria habeantur beneficia Dei: præſertim cùm illi Templi & Urbis reſtauratio typus eſſet & figura reſtituendi per Chriſtum orbis, qui ab initio mundi in ſolitudinem redactus manſit ſic ſqualidus uſque ad adventum ejus.

23. *Afflixit in via virtutem meam*] Putant id referendum ad Jehudæos, qui dum operi perficiendo inſtarent multas paſſi fuerunt injurias.

26. *Ipſi peribunt*] h. e. Eâdem facilitate poteris eos annihilare quâ eos creaſti. Sed quia ſancti in æternum vivunt, conſequens eſt ut hæc orbis machina ſtet in perpetuum.

27. *Tu autem es*] Alludit ad illud Exod. 3. EGO SUM QUI SUM: &, QUI EST *miſit me ad vos.*

VATABLUS.

1. *Pauperis* לעני] *Afflicti*, vel, *pro afflicto.* ¶ *Cùm anguſtiis afficietur*, כי יעטף] *Cùm torquebit ſeſe*, ſub. *ob gravem afflictionem.* Alii, *cùm torqueretur.* Alii, *cùm afflicto eſt animo.* Alii, *cùm conſternatus eſſet.* ¶ *Effundet* ישפך] *Effunderet.*

2. *Anguſtia mea* צר לי] Ad verb. ſubaudito relativo, *quo tribulatio mihi.* ¶ *Invoco* אקרא] *Invocavero.*

3. *Defecerunt* כלו] *Conſumpti ſunt.*

4. *Quia oblitus ſum*, &c. כי שכחתי מאכל לחמי] *Uſqueadeo ut oblitus ſim cibum ſumere.*

6. *Pelicano* לקאת] *Onocrotalo*, *cuculo.*

7. *Vigilo* שקדתי] Præt. Heb. *Vigilavi.*

8. *Inſanientes in me* מהוללי] *Subſannatores mei.*

9. *Quia cinerem tanquam panem manducavi* כי אפר כלחם אכלתי] Paucculis ſubauditis & ordine commutato quidam vertunt, *adeò ſum fractus malis quòd* (ſive *ut*) *panem tanquam cinerem edam*, &c. i. e. ut panis non magis mihi ſapiat quàm cinis.

11. *Inclinata* נטוי] *Fugax:* i. e. quæ citò abit. ¶ *Areſcam* איבש] Fut. Heb. pro præt. *arui.*

13. *Tu exſurge & miſerearis* אתה תקום תרחם] *Tu exſurgens miſerearis.* ¶ *Tempus ſtatutum* מועד] Sub. *à Prophetis.*

15. *Gloriam tuam* את כבודך] *Majeſtatem tuam: decus tuum.*

16. *Dum ædificaverit* כי בנה] *Quòd ædificaverit.* ¶ *Viſus fuerit*, &c. נראה בכבודו] *Videbitur* [vel, *apparebit*] *gloria ejus.* Alii præteritum convertunt in futurum, *Quia ædificabit Jehova Sion*, & *apparebit in majeſtate ſua.*

17. *Ad orationem myricæ* אל תפלת הערער] *Ad orationem ſolitarii.* Alii, *pauperis*, vel *debilis.* Vox Hebræa ערער, pro qua quidam vertunt *debilem*, ſignificat arbuſculam naſcentem in deſerto, quæ *juniperus* vel *myrica* vulgò dicitur; & per Metaphoram *debiles*, *miſeros* & *afflictos* denotat. Significat etiam *hominem excitantem ſe:* propterea quidam *ſedulum* vertunt, *Reſpiciet ad orationem excitantis ſe*, vel *ſeduli & diligentis*, nempe ad orationem.

18. *Pro generatione noviſſima* לדור אחרון] *Generationi poſteræ*, *poſtero ſeculo:* i. e. mandabitur literis hæc liberatio in gratiam poſteritatis. ¶ *Qui creabitur* נברא] Chald. *qui futurus eſt ut creetur.* Hebræi vertunt *creatus.*

19. *De excelſo Sanctitatis ſuæ* ממרום קדשו] *E ſublimi Sanctitatis ſuæ.* Alii, *e ſublimi Sacrario ſuo.*

20. *Vinctorum* אסיר] Singul. Heb. pro plur. ¶ *Morti deſtinatos* בני תמותה] Ad verb. *filios mortis.* Hebraïſmus, pro *homines morti adjudicatos*, *brevi interimendos.*

23. *Fortitudinem meam* כחי] *Vires meas.* ¶ *Abbreviavit* קצר] *Præcidit.*

24. *Dico* אמר] *Dicebam*, *Dicam*, ſub. *ergo.*

25. *Antea* לפנים] *In principio. Olim. Pridem. Jampridem.*

26. *Peribunt* יאבדו] *Corrumpentur.*

27. *Conſumentur* יתמו] *Finientur.*

28. *Stabilietur* יכון] *Firmabitur: dirigetur.*

CLARIUS.

Vehemens querela eſt de miſeria populi ſancti, qui reverſus à Babylone, dum Templum & Urbem conaretur reparare, innumeris injuriis & contumeliis ferè conficiebatur à gentibus vicinis. Conſolatio admiſcetur ex conſideratione æternitatis & benevolentiæ Dei jam illuceſcentis ex favore Cyri ac Darii.

3. *Sicut focus*] h. e. Locus in quo perpetuò ignis eſt.

4. *Oblitus ſum*] Præ nimia ſcilicet calamitate *oblitus ſum comedere panem meum:* idcirco *aruit cor meum*, &c. Et illud *oblitus ſum* ἐκλιπεῖν habet, quòd tanta eſſet ægritudo ut non ampliùs de cibo cogitaret.

5. *Adhæſit os*] Vix hærebat oſſibus pellis mea. In Scriptura *caro* pro *pelle*, & *pellis* pro *carne* interdum accipitur.

6. *Pelicano*] Nempe avibus quæ in deſertis habitant & reliquarum avium conſortia fugiunt. Vel hoc dicitur quòd populus inſomnis eſſet quaſi aves nocturnæ.

8. *Adverſum me jurabant*] In perniciem meam conjuraverant. Alius vertit, *jurant per me*, i. e. jurantes imprecantur ſibi ſortem Judæorum.

9. *Quia cinerem*] Notatur per hæc magnus luctus eorum qui erant in captivitate.

10. *Elevans alliſiſti me*] Videris extuliſſe me in altum ut me graviùs ruere faceres.

13. *Quia venit tempus*] Loquitur de LXX. annis quibus Templum & Civitas deſolationi ſubjacere debuerant, poſt quos erant reædificanda.

14. *Placuerunt ſervis tuis*] Per *ſervos qui piè ſentiebant de ruinis* Hieruſalem intelligunt Cyrum & Darium. Alii Judæos, qui piè erant affecti. Servi, inquit, tui jampridem deſiderio tenentur videndorum lapidum ejus; & quantumvis miſera ſit facies, piè tamen erga rudera ejus affecti ſuccurrere cupiunt.

18. *Scribentur hæc*] Dicit *ſcribendam* pro poſteris reædificationem Templi, ut ſcilicet in memoria habeantur beneficia Dei, præſertim cùm illa Templi & Urbis reſtauratio figura eſſet reſtituendi per Chriſtum orbis: qui ab initio mundi in ſolitudinem redactus manſerat ſic ſqualidus uſque ad adventum ejus.

22. *Cùm convenient populi*] Vide ut in media ſuorum temporum hiſtoria interſerat tempora Euangelica, quando colligendi erant populi & Regna ad fidem.

23. *Afflixit in via*] Putant id referendum ad Judæos, qui dum operi perficiendo inſtarent multas paſſi fuerunt injurias.

24. *Ne revoces me*] Nè me hinc ſuſtuleris *in dimidio dierum meorum*, cùm pauciſſimi ſint, & *anni tui* nunquam *ullâ generatione* finem ſint habituri. Tu eras priùs quàm terræ fundamenta jacerentur, &c. Hic autem locus adducitur in epiſtola ad Hebræos, ubi de Chriſto loquitur.

26. *Ipſi peribunt*] Eâdem facilitate poteris ad nihilum redigere quâ creaſti.

28. *Habitabunt*] Securè videlicet, & illorum filiorum filii favore tuo in officio continebuntur.

DRUSIUS.

1. שועתי. Sym. οἰμωγὴ - - *ejulatus*, ſive *ploratus*] Interpres Euthymii, *Sym. pro Clamore Fletum dixit.* Theodoreti, *Clamorem enim Suſpirium Sym. dixit.*

3. וְעַצְמוֹתַי כְּמוֹקֵד נִחָרוּ. A. καὶ τὰ ὀςᾶ μυ ὡς καῦσις ἐψαθυρώθη, *& oſſa mea ut res exuſta inaruerunt.* Sym. καὶ τὰ ὀςᾶ μυ ὡς ἀπόκαυμα ἄνα γέγονεν, *& oſſa mea ſicut ardor aruerunt.* Th. ὡς Φρύγιον, *tanquam cremium*] Ὡς καῦσις· verbum è verbo, *ut uſtio.* Significat autem, *rem uſtam & crematam.* Suidas, cùm expoſuiſſet Ψαθυρὸν, ξηρὸν, ſubjicit, καὶ τὰ ὀςᾶ μυ ὡσεὶ καῦσις ἐψαθυρώθη, quæ hinc haud dubiè ſumpſit. Interpres Theodoreti, *ſicut cinis.* An legit ὡσεὶ κόνις; Ὡς ἀπόκαυμα] Interpres Euthymii, *Sym. pro Cremio*, *Torrem dixit.* Lex. V. *Torris*, δαλὸς μέγας.

6. כְּכוֹס. A. Th. & V. ed. ὡσεὶ νυκτικόραξ. Sym. *tanquam*

upupa

upupa. VI. ed. *ut noctua*] Hieron. epiſt. ad Suniam, *In Ebræo pro* nycticorace *verbum* כוס *ſcriptum eſt: quod Aq. & Lxx. & Th. & quinta ed.* nycticoracem *interpretati ſunt; Sym. vero,* upupam, *Sexta ed.* noctuam; *quod & nos magis ſequimur. Denique ubi apud nos & Græcos legitur,* Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio, *apud Ebræos dicitur,* Factus ſum ſicut noctua in ruinoſis. *Plerique* bubonem *contentioſè ſignificare putant.* Hucuſque Hieronymus. *Tanquam upupa*] Ὡς ἔποψ. Ad Latinam proximè accedit vox Chaldaïca קפופא, quâ hic uſus Interpres ejus linguæ, quem alii Aquilam proſelytum, alii Joſephum Cæcum fuiſſe putant. Apud Albertum, *Hakocoz, upupa:* vocabulum corruptum, ut apparet, ex Ebræo *Hachoz* ſive *Hacchoz*; quod rectiùs ſcriberetur *Hacchos*, cum *s* in ultimâ. Eadem avis Ægyptiacè κκτκΦϕὰ vocatur, q. κϕΦϕὰ· nam hæ literæ alternant. *Noctua*] Germanis *Kutz* dicitur, manifeſto veſtigio vocis Ebraïcæ *Chos*; quam vocem Arabs & Perſa Interpretes retinuerunt. Obſervatum præterea in agro Patavino Scopas *Chus* appellari. Sunt autem Scopæ è noctuarum genere minimæ, auritæ. ¶ חֳרָבוֹת. Sym. ἐρείπια, *rudera*] Priùs erat ἐν οἰκοπέδῳ. Id vertunt *in domicilio.* Interpres Theodoreti, *Domicilia* Parietinas *Sym. dixit.* Sunt autem *parietinæ* propriè parietum ruinæ ſive muri ſemiconſumpti. Lex. V. Ἐρίπιον, *ſemirutum, ſemirutus.*

8. מְהוֹלָלַי בִּי נִשְׁבָּעוּ. * καὶ οἱ κατασπαδίζοντές με, ἐμὲ ὅρκον ἐποίουν.

14. עֲפָרָהּ. O. τὸν χοῦν αὐτῆς] Epiſt. ad Suniam, *Pro* terra APHAR *in Ebræo poſitum eſt, quod omnes* τὸν χοῦν, *tranſtulerunt, & poteſt tam* pulvis *quàm* humus, *i. e. terra, interpretari:*

23. עִנָּה בַדֶּרֶךְ כֹּחִי. Sym. ἐκάκωσεν ἐν ὁδῷ τὴν ἰσχύν με.

26. כֻּלָּם כַּבֶּגֶד יִבְלוּ כַּלְּבוּשׁ תַּחֲלִיפֵם וְיַחֲלֹפוּ. Sym. *Et omnes ſicut veſtimentum ſeneſcent, & ſicut amictum mutabis eos, & mutabuntur.*

28. יִכּוֹן. Sym. διαμενεῖ, *permanebit.*

A M A M A.

PSalm. partim eſt εὐκτικὸς, partim παραμυθητικὸς. Pſ. 6. 32. 38. 51. 102. 130. 143.

Oratio pauperis.] I. Cujuſlibet pauperis, ſcripta in uſum cujuſlibet oppreſſi; unde hic Pſalmis 7. pœnitent. adjungitur.

II. Hunc Pſalmum ſcriptum in uſum populi Judaïci ſub finem Captivitatis Babylon. ſive ante eam ſive in eâ. Sic R.D. & Piſcator. Sic R. Sal. & Aben. נבואה על לשון אנשי הגלות.

III. Peti hic liberationem per Chriſtum Gratiæ tempore perfectam.

Ut ut ſit, Populus in cruce poſitus hic perpetuo loquitur. Notetur, Pſalmum hunc totum directum ad Filium Dei ſecundam perſonam indiviſæ Triados. Liquet ex verſ. 26. 27. Quià Paulo Ebr. 1. citantur & aptantur Chriſto ad ejus Deitatem evincendam.

1. *Obruitur*] Vel *obruebatur*, vel *obruetur* ſi ante Capt. ſcriptus eſt in uſum populi adhuc captivandi. Lxx. ἀκηδιάσῃ. Vulg. *anxius fuerit.* Ἀκηδιάζω eſt *mærore confici.* Angli, *ob contumelias & contemptum neglectim vivere, vitam acerbam vivere,* Baſil. μὴ ἀκηδιάσω μὲν πρὸς τὰ πάροντα, *ob præſentia.* Vox Ebr. ſign. *operiri, tegi, obrui.* Cum vero ad animum refertur ſignif. *deliquium pati, deficere, præ mærore,* unde Pagn. *deficeret,* Arias, *angore deficiet;* ſic enim animus obruitur quaſi & tegitur. R. Sal. adducit locum, ותעטף נפשם בצרה. Kimchi, מהפלל מתוך כל מה שיש בלבו הצרה כופף עצמו כאלו כתעטף קצתו בקצתו. R. Abrah.

שיחו] Chal. צְלוֹתֵיהּ. Lxx. τὴν δέησιν αὐτοῦ, Vulg. *Precem ſuam,* Jun. *Meditationem,* Piſc. *Sermonem.* Utrumque enim vox Ebr. ſignificat.

2. שַׁוְעָתִי] Lxx. κραυγή. Symm. οἰμωγὴ, *ejulatus,* vel ut Interp. Euthymii, *fletus.* Interp. Theod. *ſuſpirium*: hæc enim omnia vox Gr. ſign. Heſy. οἰμωγαὶ, στεναγμοὶ ὀδυρμοί. Et Interpres Didymus τὸ ᾤμωξεν apud Hom. ſæpe exponit ἐστέναξε.

Ad te] Ne in nubibus evaneſcat. Aben. Notum quod omnis oratio audiatur à Deo (is enim omnia & audit & videt) quomodo ergo petit *Audi?* Reſp. רק הטעם שיראו בני אדם כי נשמעה תפלתו. Hoc petit ut filii hominum videant exauditam eſſe precationem, i. e. ut Deus juvet & præſtet ea quæ petit.

3. *Feſtina audi me*] i. e. Feſtinanter audi, vel feſtina exaudidire me. Duo Impetat. Vide Gram. & Pſ. 45.

4. כעשן] Ita legunt Veneta, & Interlin. At Aben. Chald. Jun. Piſc. Lxx. Vulg. legerunt כְּעָשָׁן ὡσεὶ καπνός. Chald. הֵיךְ תְּנָנָא. Metaph. à re culinaria, fumo & foco.

Vitam comparat fumo. Alibi τῷ הֶבֶל. *Conſumimus dies noſtros* כמו הגה. Pſ. 90. *Sicut vaporem, halitum oris hyemalem.* Sic Chald. Sic Jacob. 4. 14. *Quid eſt vita noſtra?* Ἀτμὶς γάρ ἐςι πρὸς ὀλίγον φαινομένη.

מוקד] *Focus*, Kimchi, מקום שדולקין בו אש תמיד והוא נשרף. Chald. הֵיךְ חֲצָבָא *lebes.* Lxx. ὡσεὶ φρύγιον. Vulg. *ſicut Cremium.* Hier. in 10. Hoſ. *Cremia*, Columella vocat *ligna levia quæ facilè ignem concipiunt. Cremium* idem à *cremando* quod *crematu* facile ſit. Sic apud Colum. *Cremium.* Etymol. convenit. Thema enim vocis Ebr. eſt יקד *arſit*, ut Latinæ *Cremo.* Græcæ Φρύγω, *ſicco, torreo.* At Ebr. omnes *focum.* Kimchi, מקום שדולקין בו האש תמיד locus in quo ignem accendunt jugiter.

5. Tertia ſimilitudo cum herba reſecta & æſtu ſolis torrefacta, quæ ſuccum amplius attrahere non poteſt.

Percuſſum eſt] Ut cum herba percutitur calore ſolis. Sic uſurpatur הכה Jon. 4. 7. de Kizajon verſ. 8. de Jona, quod Deus percuſſerit caput ejus vento calido. Sic alibi in Pſalm. *Sol de die non* יַכֶּכָּה *percutiet te.*

Cor meum] Ego. Sic doctè Lxx. ἐπλήγην. Ut *anima hominis* pro *homine*, ſic *Cor hominis* pro *homine.* Etiam apud Profanos, *Quem credidit eſſe meum Cor ſuaſorem ſummum* &c. Ennius. Sic Hom. κραδίη Διός, *cor Jovis:* pro *Jove.*

Oblitus ſum] Præ tædio ciborum, quod affert mœror. Bell. exponit de pane Spirit. cœleſti, *Oblitus ſum verbi ſui præ curis.*

Carni meæ] Tabem deſcribit corpuſque plane marcidum. Succo vitali abſumpto, nil ſibi reſtare niſi cutem & oſſa. In macie & ſtatu tali oſſa ſolent adhæreſcere cuti (carni enim ſemper adhæreſcunt) ut Thr. 4. 8. *Adhæſit cutis eorum oſſibus.* Quid ergo? *Caro* hic pro *cute* uſurp. Job. 18. 13. Contrà *Cutis* pro *Carne*; *Devorabit ramos cutis ejus*, i. e. membra carnis ejus. Job. 2. Caro etiam cutem comprehendit, *Tange os & carnem ejus.*

7. קָאַת & קָאָת ſed in Reg. קָאָת] Eſ. 34. 11. cum קאת nuſquam reperitur. Græci, πελικᾶν, ἐρημικῷ ὡμοιώθην. Vulg. idem. *Pelicanus* licet & dicere *Pellic.* & *Pellec.* Jun. *Plateam* vertit, quam putant eſſe ſpeciem quandam Pelicani aquaticam. Alii *Onocratalum* vertunt, ut Hier. Lev. 11. 18. Ut ut ſit avis eſt ſolitudinis amans, ut & ea quæ ſequitur. Comparavit ſe ante rebus inanimis; Jam ſe comparat animatis & quidem avibus ejuſmodi quæ & ſolitudine delectantur & quarum voces inſuaves & funeſtæ. קאת, *Pelec.* Ego puto *Pelecanum* deſignari. Jun. Pelicanus Platea à roſtri latitudine, *leſſelgans* Germ. Belg. *lepeleer*, à figura cochlearis quam roſtro præfert. In talibus non temere à priſcis abeundum eſt. Primo quod ea ſit ſolitudinicola. Hier. ad Præſidium, *Avis eſt Ægypti habitans in Nili ſolitudinibus.* Convenit & Etymol. קאת à קא *vomuit.* At Ariſt. & Plin. teſtantur eum ſolidas conchas devorare, quas calore concoctas & ob id dehiſcentes denuò evomunt, & carnem è teſtis ſeligunt, eamque teſtis relictis comedunt. Ita Stomachus ipſis loco ollæ & ignis eſt. Ælian. idem docet lib. 3. 20. Ἐξορύττουσι τὰ κρέα καὶ ἔχουσι δεῖπνον. Aben. & Hiſc. ajunt non conſtare ſibi de nomine ejus, ſed hoc certum eſſe morem illius avis eſſe evomere cibum ſuum. Arias Mont. in Levit. ſubſtituit *Cuculum.* Hic nihil mutat. Santes enim *Pelicanum* habet, in Deut. Lxx. vertunt *Cataracten*, in Jeſ. ὄρνεα· Zoph. 2. *Chamæleon.*

כוס] Aq. Th. & V. Edit. Lxx. νυκτίκοραξ. Sic & Vulg. Santes & Jun. *bubo.* Arias, *Falco*, Alii *noctua*, alii, *Veſpertilio*, alii *Cuculus*, Sym. *Upupa.*

חֳרָבוֹת] *Solitudinum.* Lxx. ἐν οἰκοπέδῳ, *in domicilio.* Ipſe Hier. ad Suniam notat in Ebr. eſſe aliter, Sym. ἐρείπια vertit, Interpres Theodoreti, *domicilia*, Symm. *parietinas* dixit, i. e. parietum ruinas, *rudera*, Lex. vetus, ἐρίπιον, *ſemirutum.* Hoc vult dicere, mœror me adigit in deſerta & ſolitudines. Fugiò hominum conſortia more avium lucifugarum, ac ſi bubo eſſem aut nycticorax qui fugit hominum conſp. noctibus vigilat & cantat veluti lugubre carmen. Lugubrem vocem Bubonis deſcribit Virg. Æn. 4.

> *Solaque culminibus ferali carmine bubo*
> *Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.*

Aut quod deſertus ab amicis.

> *Diligitur nemo niſi cui fortuna ſecunda eſt.*
> *Nulla fides miſeros unquam delegit amicos.*

8. *Vigilo*] Conqueritur de inſomnia καὶ ἀυπνίᾳ præ mœrore. Junius, *Aſſiduè ſum*, ut verbum hic poſitum ſit pro adverbio, quem uſum aliquando videtur habere hoc verbi. Kimchi, שקד ענין הרה שמקרה ותחזרה על הדבר.

Ut paſſer] Quid ſibi de die accidet, nimirum ſolitudo. Paſſer ſolitarius, i. e. compare ſuo orbatus. R. Salomo באין זוג ἄνευ ζυγοῦ. Ajunt paſſerem difficulter ferre viduitatem, quod ſit animal ſalaciſſimum.

צפור. Obſ. Aben. hic eſſe Maſc. Cum in Lege ſemper ſit fœmininum. Et ſic promiſcuè conſtrui & שה *pecus*, aliq. שֶׂה זוֹכָר; aliq. שֶׂה תָּמִים.

Tectum] Ea apud Jud. erant plana, eaque ſepimento (περιβόλῳ) adhuc munita, ex Lege Deut. 22. 8. Hinc 2 Sam. 11, dicitur David,

deam-

deambulaſſe ſuper tectum Palatii. Sic in N. T. *Qui ſuper tectum eſt ne deſcendat. Quod audiviſtis in ſecreto, prædicate in tectis.*

9. A. חרף ſit חֹרֶף *Autumnus.* 2. Adoleſcentia ſic dicta quod in ea multa probroſa committuntur quæ totius vitæ curriculo elui vix poſſunt.

מְהוֹלָלַי] Part. Poal à ſing. מְהוֹלָל quod Eccl. 2. ſignificat, *ad inſaniam redactus eſt*, hic *inſaniens.* הלל & tranſitive & intranſ. uſurpatur. Hic ergo ſub. præp. עַל, *Inſanientes contra me.* Alii ut Lxx. οἱ ἐπαινοῦντες, Vulg. *qui laudabant me, tempore proſpero.* Alii, *qui debacchabantur in me, qui conviciis me proſcindebant*, ut ſit ex iis quæ contrariam habent ſignif. Sed הלל nunquam ſignif. *laudare*, ſed הֹלֵל quod nunquam eſt *inſanire.* Sic dico

I. הלל primo ſign. *fulſit*, *nituit.* Vix uſit. præterquam in Hiph. Eſ. 13. *Stellæ cœli non* יָהֵלּוּ atque ex hâc ſign. eſt הֵילֵל *Lucifer*, Eſ. 4. ubi non Diabolo ſed Nebucadn. tribuitur. Hinc tamen orta appellatio quâ Diabolorum Princeps dicitur Lucifer. At Prophet. dirigitur contra Babyloniam, & verſ. 13. *Dixiſti, Aſcendam Cœlum. Et ſedebo in monte Eccleſiæ, in lateribus Aquilonis.* Reſp. ejus conatum occupandi Jeroſolyma.

II. *Laudavit.* Tantum in Piel & Hitpaël.

III. *Inſanivit.* In Cal & Poël & Hitpoël.

בִּי נִשְׁבָּעוּ] *Contra me jurant*, i. e. conjurant, conſpirant. ב *contra*, Ex. 2. *Non dices falſum teſtimonium* בְּרֵעֲךָ. Sic Lxx. κατ' ἐμῦ. ut Vulg. *adverſus me* ὤμνυον.

Alii, *Jurabant per me*, i. e. Per miſeriam & ærumnam meam tanquam per aliquod prodigium. Et ſic poſſunt Lxx. accipi. Sic Deus jurat κατ' ἐμαυτῦ.

Alii ſic, *Quum jurant ſe alicui maleſacturos, allegant exempla mea dicentes ſe ita eum mulctaturos ut mihi ſimilis evadat.*

Alii, *Execrantur me.* שְׁבוּעָה enim pro *execramento*, Num. 5. 21. *Ponat te Deus* לְאָלָה וְלִשְׁבֻעָה Lxx. εἰς ἐνόρκιον. Jeſ. 65. 15. *Relinquetis nomen veſtrum electis meis* לִשְׁבוּעָה *in execramentum.*

10. *Cinerem ut panem*] i. e. Eâ copiâ qua panis ſolet vel panis loco. Præ lacrymis non diſtinguebam inter panem & cinerem panibus aſperſum.

II. Hypallage. Pro *panem ſicut pulverem*, i. e. ut Kimchi ait, *Panis non aliter mihi ſapiebat quam ſi fuiſſet cinis. Panis erat* כַּפֵּי *ſicut cinis.*

Obſervetur hic obiter Conſuetudo Judæorum ad quam hic reſpicitur. In luctu ſive publico ſeu majori aliquo privato maximè pœnitentiali, item in ſupplicationibus, quas eleganter Græci vocant πανδήμως ἱκετείας,

I. *Induebant ſaccos*, Jon. 3. *Et induit Rex ſaccum*, Gen. 37. de Jacob. 2 Reg. 6. de Achab cum audiviſſet mulierem quæ filium coxerat.

II. *Sedebant in pulvere*, Jon. 3. de Rege. Job. 2. *Inſpergebant & capiti cineres.* 2 Sam. 13. *Et accipiebat Thamar cinerem ſuper* ראשה. Sic & Hom. de Laërte Odyſſ. ω *Ambabus manibus ſumens* κόνιν αἰθαλόεσσαν. *Cinerem fuliginoſum, infudit capiti cano crebrò ingemiſcens.* Apul. 6. *Aſini, diſcerpta coma ſemicanæ ſordentes inſperſu cineris.* Math. 11. ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν. Eſ. 61. 3. *Ut darem iis* פאר תחת אפר *coronam pro pulvere.*

III. *Tundebant pectora*, quod cum omnibus gentibus habuere commune, ut Iliad. σ. χερσὶ δὲ πᾶσαι Στήθεα πεπλήγοντο. Ovid.

Nudaque marmoreis percuſſit pectora palmis.

Virg.

Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

IV. *Ibant diſcalceati*, 2 Sam. 15. 30. Jeſ. 20. 2.

V. *Lacerabant veſtes*, &c.

Panis pro *quovis cibo*, *Lacte*, Prov. 27. 27. *Melle*, 1 Sam. 14. Jirm. 11. 19. de *pomis.*

Miſcui] Vel *bibi.* Sic Eſ. 5. 22. *Væ iis qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viris robuſtis* לִמְסֹךְ שֵׁכָר *ad bibendum Siceram. Non bibet iis in locis vinum niſi probè dilutum.*

11. *Extuliſti me & projeciſti*] Ut qui aliquid terræ alliſurus eſt, quo vehementius alliſdat, altius extollit. Vel, Extuliſti me ad dignitatem & felicitatem, inde præcipitaſti me in hanc miſeriam.

12. *Umbra inclinata*] Vel declinans, vergente ſole ad occaſum, quæ brevi evaneſcet per ſucceſſ. noctis. Quid ſi ſicut *umbra inclinantis* ſc. ſolis. Umbra enim non dicitur proprie inclinare, ſed vel minui vel augeri. Quò magis Sol vergit in Occ. eò majores umbras facit, juxta illud,

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Nec obſt. forma paſſ. Vide Grammat.

13. זִכְרְךָ] Hic Aben. legit כסאך ſive errore codicis, ſive ἐκ παραφράματος, quod ita alibi ſoleat loqui Scriptura.

14. לְחֶנְנָהּ] Inf. Piel pro לְחָנְנָהּ.

Tempus] Finis Lxx. annorum.

15. *Lapidibus ejus*] Ut cupiamus eos in integrum reſtitutos.

Servi tui] Zorobabel, Nehemias.

17. *Ædificârit*] Reædificârit, ſimplex pro compoſ. Alii hæc referunt ad Spirituale ædificium Eccleſiæ, cujus Architectus, fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus, fabri Apoſtoli eorumque ſucceſſores, lapides & cæmentum omnes fideles.

18. הָעַרְעָר] Diſſentiunt Interpp. in hac voce,

I. Opin. R. Salom. ſignificare *vociferantis*, *clamantis.* Ex ſignif. עוּר vociferantur Jeſ. 15. 5. quod eſt ex עור pro יְעֹעֵרוּ.

II. Eſt eorum qui dicunt eſſe nomen plantæ. Sed & hi diſſentiunt. Alii volunt eſſe *Myricam*, ſic Pagn. ſecutus Aben. qui huc citat locum Jirm. 17. 6. כְּעַרְעָר בָּעֲרָבָה *ut myrica in deſerto.* Alii volunt eſſe *juniperum.* Alii eſſe *genus complectens omne virgultum humile*, atque huc flecti poſſent Lxx. τῶν ταπεινῶν, *humilium.* R. David contra ait eſſe *arborem magnam in deſerto.*

III. Anonymi cujuſdam qui vult eſſe *cicadam animal æſtivum.*

IV. Trem. & Jun. qui vertunt *Nudatiſſimi*, ſc. populi vel hominis; *nudatiſſimi*, i. e. derelicti ab omni auxilio & ope. Ut ſit à ערה *nudari*, duabus primis geminalis ערער ad augmentum ſignificationis. Vide Gramm.

19. נברא] Jun. *Recreatus.* Piſc. *Creandus*, per præd. Euang. *regenerandus.* Gen. It. *qui naſcetur*, vel ſi ad Iſraëlitas placet reſtringere, *reſtituendus*, q. per novam creationem.

Creo pro *gigno*, Ezech. 21. 30. Pſ. 104. 31. Contra *Gigno* pro *creo*, Pſ. 90. 2. Deut. 32.

In hunc ſenſum eleganter & quaſi Chriſtianè R. Salomo, *Qui factus eſt creatura nova* בריה חדשה *ut egrediatur ex ſervitute in libertatem, ex caligine ad lucem magnam.*

20. Ab. השקף ſit מַשְׁקוֹף *ſuperliminare*, de quo aliàs.

21. אָסִיר] Lxx. Collective τῶν πεπεδημένων.

Ad ſolvendum] פתח dicitur de ligatis & clauſis. Ligatis, ut ſunt homines & animalia, vincti, ſacci, lingua; Clauſis, ut labia, terra, gladius, aures, oculi, os, janua, matrix, &c. Job. 3. *qui* פִּתַּח *aperuit vincula mea*, i. e. ſolvit.

Filios mortis] Eos qui jam deſtinati ſunt morti. Sic *Filius perditionis*, *Filii iniquitatis*, paulò aliter ſumitur, i. e. ſtudentes, dediti iniquitat. Sic *filii Belial*, ſi Belial erit abſtractum, nequitia. Aliquando idem quod *Reus*, ut *Filii mortis*, 2 Sam. 12. 5. i. e. digni, rei mortis. *Filii iræ*, i. e. rei iræ. R. David hic exponit, *vicini morti.* Vide Pſ. 97. 11.

23. לַעֲבֹד] Lxx. τῦ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ. Alibi vertunt λατρεύειν. At עבד proprie eſt δουλεύω.

24. *Afflixit*] Quis? Vel hoſtis, qui me captivum tenuit. Vel etiam Deus. Sic Piſc. & Bucerus.

In via] In curſu vitæ quam in Captiv. exegi. Alii, *in via, cum proficiſceremur in Babyloniam*, vel *cum inde rediremus.* Et tuncque quoque à vicinis infeſtati fuêre. Vel omnia hæc complectere, ut ponat[illegible] pro *univerſo ſtatu miſeriæ.*

Calv. dicit [illegible] *populi veteris fuiſſe Chriſti exhibitionem.*

Curtavit dies meos] Id expoſuerim, *dies bonos meos*, *dies felicitatis meæ.* Notum ut ſubſt. ſæpe ſine adject. ponantur, ut *pecus* pro *pecore pingui*, *lana*, *uxor*, & ſimilia.

Sym. Ἐκάκωσεν ἐν ὁδῷ τὴν ἰσχύν μυ.

Græci hæc difficillima reddidere, primò τὸ ענה exponendo *Reſpondit.* 2. Duo priora verba verſ. 25. אמר אלי jungendo cum verſ. præcedenti, & ubique fere mutando puncta. Eandemque pravam turbatamque verſionem ſecutus eſt Vulgatus.

Ἀπεκρίθη αὐτῷ ἐν ὁδῷ τῆς ἰσχύος αὐτῦ, τῶν ὀλιγότητα τῶν ἡμερῶν μυ ἀνάγγειλόν μοι. Ecce legerunt. 1. עָנָה. 2. קֹצֶר. 3. אֱמֹר. 4. אֵלַי. Atque in expoſitione hujus verſus admodum ſe torquent Papiſtæ, adeo ut Bell. dicat eſſe hunc verſum obſcuriſſ. & quoad verba & quoad ſenſum.

Ne tollas nos antequam te exibueris. Nam ſub Chriſto robuſtior quædam Eccleſiæ maturitas fuit.

Ne auferas me] Alii *ſubducas*, Vulg. ἀναγάγης, *revoces*, Ebr. *aſcendere facias.* Aſcend. ea ſignif. qua aliq. reperitur עלה nimirum pro *interire facias.* Sic dico עלה inter alia duo fere contraria ſignif. 1. *Creſcere*, *invaleſcere*, Metaph. ab herbis. Ut 2 Reg. 22. *aſcendere bellum.* 2. *Evaneſcere*; *perire*, *interire.* Ezech. 11. *Et aſcendit à me viſio.* Atque huc referunt quidam Joh. 12. 32. *Cum exaltatus fuero ex terra.* Sed puto ibi ad Crucif. reſpici. Sic holocauſtum vocatur עוֹלָה *quod totum aſcenderet*, i. e. abſumeretur.

26. Sicuti manebis in æternum בלא אחרית, ſic fuiſti etiam primus בלא ראשית.

Fundaſti] Pſ. 24. *Fundavit terram ſuper maria.*

27. תַּחֲלִיפֵם] Gr. ἑλίξεις; *Circumvolves.* Eſ. 34. 4. ubi dicit *Cœlos convolvendos inſtar libri.* Illi enim convolvebantur. Unde Luc. 4. πτύξας καὶ ἀναπτύξας. Sed Beza putat leg. ἀλλάξεις, & ſic haberi in quibuſdam Cod. τῶν Lxx.

בֶּגֶד] *Veſtis* & *Perfidia.* Jeſ. 24. 17. בֹּגְדִים בָּגָדוּ בֶּגֶד בּוֹגְדִים בָּגָדוּ.

Veſtis

Veſtis ſic dicta quod quo ſit primæ hominis erga Deum perfidiæ documentum & teſtimonium.

Peribunt] Rat. Accid. & qualitatum. 2 Petri 3. Rom. 8.

28. Græc. Καὶ συ ἀυτὸς εἶ. *Idem es.* Sunt qui volunt הוא unum eſſe ex nominibus Dei. Sic Galat. 2. 23. Et Capnio de verbo mirifico 2. 16. Jeſ. 42. 8. *Ego Dominus* הוא שְׁמִי.

יִתַּמּוּ Fut. Niph. pro יִתַּמּוּ, primo eſt יִתַּמּוּ. Sic extat Deut. 34. *ut* יִדַּמּוּ *exſcindentur.* Pſ. 31. 18.

29. *Coram te*] Lxx. εἰς τὸν ἀιῶνα, Vulg. *in ſæculum.* Docte Pſ. 72. 5. *Timebunt te cum Sole & coram Luna. In generatione generationum.* Quod paulo poſt dicet ערבלי ירח. Et verſ. 17. *Nomen ejus* לְעוֹלָם *& coram Sole propagabitur nomen ejus.* Ex. 20. *Non habebis Deos alios* לְפָנָי, quamdiu ego ero. Pſ. 89. *Sicut Sol, ſicut Luna.*

GROTIUS.

1. O*Ratio pauperis*] לעני propriè eum ſignificat *qui in miſeriis eſt conſtitutus.* Videtur ſcriptum hoc carmen in exſilio Babylonico.

21. *Ut ſolveret filios interemtorum*] Ex Græcis qui ſuprà ſic tranſtulerunt, ubi eædem voces, 79. 11. ſed utrobique in Hebræo meliùs *filios mortis.* Eo loquendi genere ſignificantur ii qui jam ab aliis, bene aut malè, morti deſtinati ſunt. Apparet id 2 Samuël 12. 5. Joh. 17. 12. 2 Theſſ. 2. 3. Simile 44. 22. צאן מבחה, ubi Lxx. ὡς πρόβατα σφαγῆς, [*tanquam pecora occiſionis,*] nec aliter Apoſtolus Roman. 8. 36.

PRICÆUS.

13. Q*Uomodo miſeretur pater filiorum*, &c.]
—— Πατὴρ ὣς ἤπιός ἐςι.
Ὡς πατηρ προσφέρεται, Scriptor ad Hebræos dixit.

14. *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum*] Suprà 38. 6. *Subſtantia noſtra tanquam nihilum ante illum.*

15. *Homo ſicut fœnum, dies ejus*] Apud Petronium,
Heu, heu, nos miſeri, quàm totus homuncio nil eſt!

16. *Spiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet*] *Spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & tranſibit vita tanquam veſtigium nubis.* Ut huc (alio ſenſu prolata) trahamus verba Sapient. 2. 3.

Ibid. *Et non cognoſcet ampliùs locum ſuum*]
—— *Qui punčto mobilis horæ*
Mutavit Dominum, tranſlatus in altera jura.
Locum ſuum, eſt, domos, villas, poſſeſſiones ſuas. Horatius,
Cedes coemptis ſaltubus, & domo,
Villâque flavus quam Tiberis lavit,
Cedes: & exſtructis in altum
Divitiis potietur hæres.

19. *Et regnum ipſius omnibus dominabitur*] Eſt βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων.

IDEM.

6. F*Aciens*, &c. *judicium omnibus injuriam patientibus*] Lxx. τοῖς ἀδικȣμένοις. Hoc Act. 7. 24. τῷ ἀδικȣμένῳ ἀμύνασθαι. In Gloſſis, Ἀδικȣ̃μαι, *injuriam patior.*

7. *Notas fecit vias ſuas Moyſi*] Juxta illud. 24. 9. *Docebit mites vias ſuas.* Moſes autem mitiſſimus mortalium. Vide & ſuprà 15. 11.

9. *Non in perpetuum iraſcetur*] Jer. 3. 5. *Numquid iraſcêris in perpetuum? aut perſeverabis in finem?* Adde quæ ſuprà hic 7. 12.

14. *Ipſe cognovit figmentum noſtrum*] *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus, quorum non eſſe immortalis natura*, Sirachides 17. 29. Adde Pſal. 77. 38, & 39. ibique annotata. In Græco hîc πλάσμα ἡμῶν. Vide 33. 13. eundem Sirachidem. In vetere Onomaſtico, *Figmentum*, πλάσμα.

15. *Homo, ſicut fœnum dies ejus*] Pro, dies hominis ut fœnum. De hujuſmodi locutionibus jam ſuperiùs egimus.

Ibid. *Tanquam flos agri ſic effloreb it*] Job. 14. 2. *Efflorebit*, compoſitum eſt pro ſimplici *florebit* (i.e. *floret*;) ut & ἐξανθήσει; quod in Græco contextu, eſt, ἀνθήσει. Heſychius, Ἐξανθήσει, ἀνθήσει quæ puto ad hæc Pſalmi referenda. Forſan & hoc ſenſu in vet. Onomaſtico, *Effloreo*, ἀπανθίω ut vox ea ſignificet non, ἄνθος ἀποβάλλειν, ſed ἀφιέναι quo modo apud Heſychium legimus, Ἀνθȣ̃σα, &c. ἄνθος ἀφιεῖσα. Eſt & in vetere Gloſſario, Ἐξανθίζω, *enucleo:* quod quia non intelligo, non audeo affirmare *effloreo* reponendum. *Efflorere* autem habebimus & infrà Pſal. 131. 18.

16. *Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo*] *Exibit* (ut 145. 4.) *ſpiritus ejus: te* nempe (ut 103. 29.) *auferente.* Jobus 16. 23. *Ecce breves anni* (mei) *tranſeunt.*

Ibid. *Et non ſubſiſtet*] Jobus eodem argumento 7. 8. *Oculi tui in me* (ad auferendum nempe ſpiritum meum) *& non ſubſiſtam:* i. e. utroque loco, non ero amplius. Eſt & eadem ejuſdem 3. 16. locutio.

Ibid. *Et non cognoſcet ampliùs locum ſuum*] Ibidem com. 10. (ex hoc Pſalmi loco) *Neque cognoſcet eum ampliùs locus ejus.*

18. *Et memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea*] Qui enim memor eſt eorum, at non ut faciat ea, comparatur viro qui cùm in ſpeculo ſe contemplatus fuerit, ſtatim abit, & oblitus eſt qualis fuerit, Jacob. 1. 24. *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea*, Joh. 13. 17.

20. *Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius*] Infrà 103. 4.

Ibid. *Ad audiendam vocem ſermonum ejus*] i. e. Prompti paratique ad audiendam, &c.

PSALM. CIII.

MUNSTERUS.

1. O*Mnia interiora mea*] Per hæc intelliguntur cogitationes & intimi affectus.

2. *Retributiones*] Intellige beneficia Dei, quibus nos prævenit, & quæ rependit

4. *Ab interitu vitam tuam*] Poteſt hic locus & ſic verti, *Qui redemit à fovea vitam tuam*; h. e. curat te ab infirmitatibus tuis, & prolongat dies tuos, ut non mox à pueritia ſepulcrum te devoraverit.

5. *Os tuum*] Heb. *maxillas tuas.* Sunt etiam qui עדי hic accipiendum putant pro *ornamento*, ſicut & Ezech. 22. invenitur, & intelligunt per ipſum animam bonis Divinis ſatiatam. ¶ De *renovatione Aquilæ* Hebræi dicunt, illam quolibet decennio è ſublimitate cœlorum ſe præcipitem dare in mare, indeque ei novas ſuccreſcere plumas. Id ſive verum ſit ſive non verum, conſtat ex hoc loco Aquilam aliquà ratione rejuveneſcere & vires inſtaurare.

8. *Miſericors & clemens*] Hic verſus cum ſequenti deſumptus eſt ex 34 cap. Exod. quando Moſes tranſeunte Domino exclamavit, *Deus miſericors*, &c.

16. *Neque agnoſcet eum ampliùs locus ejus*] h. e. Ubi egit & multa labore ſuo congregavit, ibi jam nemo ejus meminit, extinctaque eſt ejus memoria.

20. *Virtute præſtantes*] Quanta ſit virtus Angelica oſtendit ſtrages quam Angelus unâ nocte fecit in exercitu Aſſyriorum.

VATABLUS.

1. B*Enedic* ברכי] *Lauda, Prædica, anima mea, Jehovam.*

2. *Beneficiorum ejus* גמוליו] *Retributionum ejus.* Alii, *omnium quæ contulit in me.*

4. *Qui redimit de fovea* הגואל משחת] *Qui vindicat à ſepulcro*: vel, *ab interitu.* ¶ *Qui coronat te*, &c. המעטרכי חסד ורחמים] *Qui coronat te pietate* [vel *benignitate*] *& miſerationibus*: i. e. undique te cingit & cumulat.

5. Et *renovatur* תתחדש] Alii ſubaudiunt, & cujus beneficio *renovatur*, &c. ¶ *Ut aquilæ* כנשר] Genitivus eſt, & ſubaudiendum *juventus*; ut legas, *Renovatur juventus tua ut aquilæ juventus.*

8. *Longus irâ*, &c. ארך אפים ורב חסד] Hebraïſmum ſic reddunt quidam, *Tardus ad iraſcendum & multâ benevolentiâ præditus.* Alii, *Longanimis & multæ pietatis.* Alii, *Remotus ab ira, & multus miſericordiâ*, ſive *bonitate. Tardum ad iram* interpretantur qui non illico puniat.

9. *Contendit* יריב] Fut. Heb. *litigabit, contendet*, vel *rixabitur*, ſub. *cum homine.* Alii, *objurgabit.* ¶ *Servat* יטור] Sub. *iram.* Quidam vertunt, *ſuccenſebit.* Alii vertunt, *reſervat* memoriam acceptæ injuriæ.

11. *Roboravit miſericordiam ſuam* גבר חסדו] *Valentem fecit bonitatem ſuam.* Alii, *prævaluit pietas ejus.*

12. *Diſtare fecit* הרחיק] *Longe fecit, elongavit, longè removit.*

14. *Figmentum noſtrum* יצרנו] Vox Hebræa ſignificat *opus figulinum:* q. d. Scit quàm fragiles nos creaverit.

15. *Herba* חציר] *Gramen, fœnum.*

16. *Nec agnoſcit* ולא יכירנו] i.e. Ità perit flos ut non poſſis poſtea oſtendere ubi creverit.

18. *Præceptorum ejus* פקודיו] *Conſtitutionum ejus.*

19. *Præparavit* הכין] *Stabilivit, firmavit.*

20. *Benedicite Jehovæ* ברכו יהוה] *Prædicate Jehovam.* ¶ *Ad obtemperandum,* &c. לשמוע בקול דברו] Ad verb. *ad audiendum in vocem verbi ejus.* Quod quidam convertunt *obediendo voci verborum ejus.*

CASTALIO.

1. C*Ollauda, anima mea, Jovam*] *Animam ſuam* vocat ſeipſum.

16. *Eumque ſuus ampliùs neſcit locus*] Non habet.

CLARIUS.

CElebrat Dei bonitatem in homines, peccata illis condonantis, & corporis pariter ac animi bona cumulatè impertientis.

1. *Et omnia quæ intra me ſunt*] Vires omnes meæ: & breviter complectitur illud, *toto corde, totâ animâ.*

2. *Retributiones ejus*] Beneficia quæ in te contulit.

4. *Redimit de interitu*] Prolongat dies tuos, ut non mox à pueritia ſepulcrum te devoraverit. ¶ *Coronat te*] Veluti Regem facit, benignitatis in te ac pietatis officiis.

5. *Ut aquilæ*] De renovatione Aquilæ Hebræi dicunt, illam quolibet decennio è ſublimitate cœlorum ſe præcipitem dare in mare, indeque ei novas ſuccreſcere plumas. Id verum ſit an non, conſtat certè ex hoc loco Aquilam aliquà ratione rejuveneſcere & vires inſtaurare.

7. *Notas fecit*] Memorat de more ſuperiora illa beneficia collata Patribus, quod & nobis faciendum eſt in commemorandis beneficiis Dei.

16. *Spiritus pertranſibit*] Ubi vento aliquanto duriora attactus fuerit, emarceſcet, & avelletur à loco ſuo, *nec locus ille magis agnoſcet ipſum poſtea* quàm ſi nunquam floruiſſet ibi.

17. *Miſericordia autem Domini*] Noſtra quidem ità ſe habent, *ſed miſericordia Domini* neque hic neque in futurum deſerit *timentes ſe.*

20. *Potentes virtute*] Quanta ſit Angelica vis oſtendit ſtrages unius Angeli in exercitu Aſſyriorum unâ nocte.

LUCAS BRUG.

15. U*T* [*Et o.*] *educas panem de terra.*] Plerique codices ſcribunt ſecundà perſonà, *educas*; quidam tertià, *educat*, unus Pariſienſium, unus Hentenii. Ex Hebræo & Græco utrumque legi poteſt. להוציא, τῦ ἐξαγαγεῖν, ad verbum reddas *ad educendum.* Ex Latinis verò codicibus (Vet. Ge. ar.) & Tractatoribus genuina noſtræ editionis lectio colligi haud difficulter poteſt. Romani namque Pſalterii noſtra exemplaria *educat* unanimiter ſcribunt, & præcedentia ferè, quæ Græcè atque Hebraïcè ambigua ſunt, ſi non ambiguè, tertià ſimiliter perſonà efferunt. Vulgatæ verò editionis quotquot habemus antigrapha, *educas* uno conſenſu legunt: & quæ præcedunt, vel ambiguè, vel ad eundem modum, in ſecunda perſona (uno duntaxat atque altero uno in loco diſcrepante) ponunt. Priores inter Latinos Tractatores *educat*, & cætera in eadem explicant perſona, Arnobius, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus. Poſteriores *educas*, & alia ferè ad ſimilem modum. Videtur igitur noſtræ editionis germana lectio *educas*; altera verò Romani aut Veteris Pſalterii ſcriptura. De hac varietate ad Suniam & Fretelam Hieronymus, *Ut educas panem de terra*] *Pro quo inveniſſe vos dicitis* ut educat. *Sed non poteſt aliud ad ipſum, aliud ad alium de ſeipſo* [*ipſo* 1 MS.] *dici. Aut omnia quaſi ad Deum loquebatur Propheta, aut omnia ad alium de eo referebat. Cùm autem pleraque ad ipſum dirigantur, & ea quæ ambigua ſunt ad ipſius perſonam dirigenda ſunt.* Hæc Hieronymus. Mirum itaque eſt ab eodem ipſo *educat* ex Hebræo verſum: univerſa namque quæ habemus, cùm ſcripta tum excuſa Hieronymianæ interpretationis exemplaria, *educat* legunt. Et unum quidem, quod ab aliis libenter diſſentit, cùm hunc tum præcedentia loca tertià ſcribit perſonà: reliqua verò præcedentia ſecundâ perſonâ efferunt; hunc unum tertiâ. Alium fortaſſe, cùm vertendis ex Hebræo Pſalmis occuparetur, vidit hujus loci Hieronymus ſenſum, qui tertiam exigeret perſonam. Atque ità nonnulli noſtræ ætatis Interpretes tranſtulerunt, nimirum cætera antecedéntia ſecundâ perſonâ, hoc tertiâ; *Ut educat panem de terra.* Non enim ad Deum, ſed ad hominem iſtud referunt, de quo antecedit, *Et herbam ſervituti hominis.* Flaminii verſio eſt, *Tu producis gramen jumentis, & herbam homine cultum adhibente, ut educat panem è terra, & vinum* (quod) *lætificat cor hominis.* Sed & alii plerique, qui etiam ea quæ antecedunt perſonâ tertiâ interpretati ſunt, eodem retuliſſe videntur, quòd hanc partem ferè præcedenti adjungant verſui. Nihil autem mirum Interpretes ad hunc modum in ambiguis variare, cùm in iis quæ certa ſunt frequens ſit perſonæ mutatio. Verſu 4. dicitur, *faciens* [*Qui facit.* Sic ex Latinis noſtræ editionis exemplaribus tria legunt (quod in hoc verſu eſt peculiare) & conſequenter eorum duo *ſuos* non *tuos*; quod quidem Hebræo præſertim conforme eſt: ſed Hieronymo, in his quæ ad Suniam ſcripſit, parùm placet.] *Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem urentem*: poſt paululum autem, v. 7. *Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.* Rurſus, v. 13. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis* (ubi pro *ſuis* nonnulli corruptè ſcripſerunt *tuis*) *de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Iterum poſtea, v. 19, 20. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognovit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox.*

25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus,*] Nonnulli Latini codices, Græcis ſimiliter, omittunt *manibus*: ſed ii ferè editionis noſtræ non ſunt; Goticus & Regius, qui in Bibliorum margine notati ſunt. Goticus Romani Pſalterii exemplar eſt, ac proinde aliis ejuſdem Pſalterii exemplaribus, & Caſſiodoro, qui Romano Pſalterio videtur uſus, conforme. Regius Græco textui accommodatus eſt. Ex Gotico D. Lindani Pſalterium, veriſimile eſt, mutatum. Ut autem aliàs plerumque, ità & nunc, veteri, Proſperi, Auguſtini, Hilarii in Pſalm. 51. atque Arnobii Pſalterio Romanum conſonat. Hujuſce generis haud dubium eſt fuiſſe exemplaria quæ Varlenius vidit. Noſtræ enim editionis, quotquot habemus libri, cum poſterioribus Enarratoribus quos hâc uſos conſtat editione, *manibus* addunt: & quatuor quidem antiqui libri aſteriſco *manibus* notant, qui indicio eſt hanc vocem ab Hieronymo ex Hebræo additam. Atque hoc ipſe teſtatur Hieronymus ad Suniam hunc in modum ſcribens, *Dicitis in Græco* manibus *non haberi, & ego novi,* ἄυτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ ἐυρύχωρος, i. e. *hoc mare magnum & ſpatioſum. Sed ex Hebraica & Theodotionis editione, in* LXX. *ſub aſteriſco additum eſt. Denique & in Hebræo ità ſcriptum eſt,* זה הים גדול ורחב ידים: *quod Aquila ſic interpretatus eſt,* ἐυρύχωρος χερσὶν, *& omnes Interpretes.* Hactenus Hieronymus. Quod eſt Hebraïcè רחב ידים, Hieronymus tranſtulit *latum manibus*, Chaldæus *latum terminis*, nonnulli *latum ſpatiis*, alii *latum locis.* Hæc enim univerſa ידים ſignificat. LXXII. Senes tranſtulerunt ἐυρύχωρος, quæ vox per ſe ſola plenè videtur exprimere quod duabus Hebraïcè ſignificatur: eſt enim unum nomen è duobus, ex ἐυρύς, quod *latum*, & χώρα, quod *regionem* & *locum* denotat. Itaque ἐυρύχωρος quaſi ἐυρὺς χώρᾳ *latus loco.* Atque ità etiam Latinè, non addito *manuum* vocabulo, plenè exprimitur quod eſt Hebraïce *Spatioſum* enim eſt, amplum ſpatiis, ſeu latum locis. Sed Hieronymus, qui τὸ *manibus*, quod Hebræa vox ידים propriè ſignificat, Latinæ editioni addidit, & Aquila, qui ἐυρύχωρος χερσὶν interpretatus eſt, Hebraïcam quandam proprietatem, poëticæ fictioni ſimilem, ampliùs hoc loco intellexere; nempe mari manus attributas, eò quòd quaſi expanſas manus habeat, & in ſe cuncta ſuſcipiat. Corruptè autem, quod & Pelbartus annotavit, quidam pro *manibus*, *navibus* legunt.

DRUSIUS.

2. כָּל־גְּמוּלָיו. Sym. πάσας τὰς ἐυεργεσίας ἀυτῦ, *omnia benefacta ejus.*

4. וְרַחֲמִים. A. & Sym. οἰκτιρμοῖς, *miſerationibus.* Th. οἰκτιρμῷ, *miſeratione.*

14. זָכוּר. Sym. μνημονεύων, *recordans.* Th μνήσθητι, *recordare*, i. זכור.

16. כִּי רוּחַ עָבְרָה־בּוֹ וְאֵינֶנּוּ. Sym. *Quoniam ſpiritus petranſit ipſum, deinde non ſubſiſtit*] Apud Interpretem *deinde non ſubeſt ſpiritus.* Videtur ad *ſpiritum*, i. e. ventum, retuliſſe, quod alii ad *florem* referunt, & meliùs meo judicio.

17. וְצִדְקָתוֹ] Euthymius, *Juſtitiam dixit pro Retributione bonorum operum. Ad hunc enim ſenſum Symmachus tranſtulit.*

AMAMA.

1. כָּל־קְרָבַי] Καὶ πάντα τὰ ἐντός μυ. *Omnes meæ cogitationes, intimi animi mei ſenſus & affectus, omnia viſcera & inteſtina mea.*

Dicit primò, quod teneatur bened. Domino ob gloriam ejus.

2. Repetit quod teneatur ob beneficia ejus.

R. Salo. quinque בָּרְכִי reſpondent quinque ætatibus hominum

2. *Ne obliviſcaris*]Homo naturâ proclivis eſt ad oblivionem beneficiorum. Unde quidam volunt אֱנוֹשׁ eſſe à נשה. Et ut Plautus,

Si quid

Si quid maleſeceris plumbeas iras gerunt,
Si quid benefeceris pluma levior eſt gratia.

Sic alibi Cicero, *Quod dolet, meminit*; *quod placet, obliviſcitur.* Et Pindarus, τάλαια χάρις εὕδει, ἀμνάμονες δὲ βρότοι. Huic morbo occurrit Pſaltes hac admonitione.

גמוליו] Lxx. μὴ ἐπιλανθάνου πάσας τὰς ἀνταποδόσεις αὐτοῦ. *Omnes retributiones ejus.* Melius Sym. πάσας τὰς εὐεργεσίας αὐτοῦ.

גמל non tantum *retribuere* ſed & *bene* vel *male facere*. Et quidem cum Deo tribuitur in bonum, ſemper eſt *benefacere*. Sic 119. *Retribue ſervo tuo*, Pſalm. 142. *Cum retribueris mihi.* Sic Prov. 11. *Retribuit animæ ſuæ vir miſericors* ἀγαθὸν ποιεῖ. *At crudelis turbat carnem ſuam.* Gen. 50. 15. *Reddendo reddet nobis omne malum quod retribuimus ei.*

Enumerat beneficia V. 1. Sanitas animæ, 2. Sanitas corporis. 3. Liberatio è periculis, 4. Exauditio, 5 Vigor Senectæ.

4. *A fovea*] Ch. מִגֵּיהִנָּם. Alii, *à ſepulcro*. גואל poteſt hic propriè vel impropriè ſumi. Lxx. τὸν λυτρούμενον ἀπὸ φθορᾶς.

5. עדיך] *Os tuum.* Lxx. ἐπιθυμίαν σε· *deſiderium.* Aben. & Hier. *ornamentum tuum*, i. e. animam. Sic Pſal. 16. *Ideo lætum eſt cor meum & exultat* כבודי i. e. gloria, i. e. anima mea. Et ad hoc referri poteſt Interp. Chald. יומי סבותיך *dies ſenectutis tuæ.* Eſt enim canities corona hominis. Juxta illud, *Corona decora ſenectus, in via virtutis* &c. Pro ORE accipitur Pſ. 32. 9.

Aquila] Vulg. ἀνακαινισθήσεται ὡς ἀετοῦ ἡ νεότης σε. Jun. *Servas te recentem ſicut aquila, tanquam pueritia tua.* Druſius *Renovas ut aquilæ juventutem.* Piſc. *Ut renovas te & fias ut aquila, ut in pueritia tua.* Senſus, Qui te ita alit & fovet ut ſemper ſis vegetus & recens ac ſi Aquila eſſes vel puer. Multa de Aquila fabulati Veteres. Hoc certum, eſſe animal vegetiſſ. & vivaciſſimum, Plin. lib. 10. in fine. *Nec ſenio nec ægritudine oppetunt ſed fame, ſuperiore roſtro in tantum accreſcente ut aduncitas aperiri nequeat.* Sic & Ariſt. lib. 9. 32. Prov. *Aquilæ Senecta.*

7. *Vias ſuas*] Præcepta. Alii, *Proprietates*, & *Attributa* Ex. 34.

8. רחום] *Miſericors*, qui afficitur aliorum miſeriis, non ἐπιχαιρεκακός. Vulg. *miſerator.* Lxx. οἰκτίρμων, Ch. רחמנא

חנון] *Clemens, gratioſus*, non ἄσπονδος, *implacabilis.* Vulg. *miſericors*, Lxx. καὶ ἐλεήμων. Ch. חננא

Longus irarum] i. e. Longanimis, qui tarde provocatur ad iram, non ὀξύχολος. ארך *longus* & ——*tudo.* Naſo tribuunt Ebræi iram quaſi ſedi. Vehementius enim ſpirant irati. Hine indiſcriminatim fere אף *naſus* & *ira*. Sic Theocr. & Perſius. Oppoſitum eſt קצר אפים Prov. 14.

לנצח] Εἰς τέλος. Aliq. ipſi Lxx. εἰς νῖκος. Aquila paſſim. *Non in perpetuum.* Aliq. *Non in perpetuum* eſt *non ſemper*, Joh. 8. 35. aliq. idem quod *nunquam.* Joh. 13. *non lavabis.* Sic Marc. 3. 29. confer. Matth. 12. 32. Amplificatio à diſtribut. Sic loci, Deut. 5. 38. Perſonarum, Rom. 1. 16. Sirach. 24. 37. Retum, Gen. 31. 24. Num. 22. 18.

Servabit] Sub. *iram.* Ch. נטר דבבו: *ſervabit odium.* Plenum ſed cum voce Synon. extat Amos. 1. 11. contra Edom, quod *in perpetuum* שמרה אבו & aliud Syn. Mich. 7. 18. לא החזיק לעד אפו Nah. 1. 2. *ſervans hoſtibus ſuis*, Jirm. 3. 5. הינטר *an aſſervabit in æternum?* Negantur ergo de Deo, quod tenax injuriarum non ſit, non manent illi alta mente repoſtæ, ſi hominem pœniteat, non eſt implacabilis. Machiavellus alicubi ait de Principib. *Si quis putet Principum odia per nova obſequia & beneficia induci poſſe oblivione, egregie fallitur, non talis eſt natura Dei.* Hom. Il. I. Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς

Εἴπερ γάρ τε χόλον καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ
Ἀλλάγε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσῃ
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι.

11. *Quanta eſt elevatio cœli ſupra terram, tanta eſt ejus miſericordia*] Comparatio ab extremis mundi partibus. Sicut ſpatium quod inter terram & ſupremum cœlum intercipitur immenſum eſt, ſic Dei bonitas &c. Hoc vult dicere, Dei miſericordiam eſſe ἀμέτρητον καὶ ἀναρίθμητον. Finita quidem eſt ea diſtantia, ſed propter magnitudinem infinitæ ſimilis eſt. Certe à rebus creatis nullum aptius ſimile haberi poteſt. Accommodat ſe captui noſtro.

12. *Quantum diſtat ortus*] Comp. alia à duabus oppoſitis mundi Plagis vel ejus longitudine, ea enim ducitur ab Oriente in Occid. ut latitudo à Meridie in Septentrion. Καθ' ὅσον ἀπέχουσι ἀνατολαὶ ἀπὸ δυσμῶν. Hæc diſt. non debet ſumi reſp. terræ. Ea enim vix excederet 2700. milliaria, (Ambitus terræ continet 5400. mill. Ergo dimidius 2700.) quod ſpacium longe minus eſt quam ut aptè poſſit adhiberi ad illuſtr. hanc Dei miſericordiam. Sed reſp. cœli, qua ratione diſtantia puncti Orientalis à puncto Occid. fere redderetur immenſa. Uni enim gradui cœleſti reſp. in terra xv. milliaria.

13. *Pater*] Ita dictus ab affectu. Ch. אבא Jeſ. 49. 15. comparat ſe matri. *Poteſtne mater obliviſci filii ſui ne miſereatur? Et ſi forte M. obliviſcatur, Ego tamen tui non obliviſcar.*

14. *Ipſe novit figmentum noſtrum*] i. e. Materiam ex quâ ficti ſumus, nos ex pulvere formatos, ut idem poſtea dicat aliis verbis; eoque tendunt Tigurini, *conditionem noſtram*, ſc. fragilem utpote ex terra nos ortum habere. Sic & Caſt. Alii ad animam referunt, Chald. *Ipſe novit figmentum noſtrum pravum* די יצרא *quod ad peccata ſollicitat nos.* Certe Rabb. vitioſitatem nobis agnatam vel originalem illam labem vocant יצר רע paſſim, idque ex loco Gen. 6. Vel, ſic יצר vox media eſt ſignif. *affectum*; vel *bonum* vel *malum*; Bonum vocant יצר טוב. Malum quem Elias vocat *concupiſcentiam* vocant יצר ר. Senſus ergo erit, *Ipſe novit vitioſitatem noſtram.* Ut plane geminus ſit locus iſti Gen. 6. 3. *Non diſceptabit Spiritus meus amplius cum homine, quia Caro eſt.* Pſalm. 78. *Recordatus eſt quod caro eſſent.* Certe Deut. 21. *Ego novi* יצרו *quod facit hodie*, Lxx. τὴν πονηρίαν αὐτοῦ. In Concr. Accipiunt etiam Rabb. Jetzer Tob pro genio bono, Jetzer Rung pro genio malo. Elias ait ſemper in malum præterq. Eſ. 26.

19. הכין] Lxx. ἡτοίμασε. Vulg. *paravit.* Exp. *ſtabilivit*, ἐκράτυνε, ἥδρασε.

20. גבורי כח] Δύνατοι ἰσχυΐ. Vulg. *potentes virtute.* Cave intelligas de virtutibus Ethicis. Licet enim eæ in ipſis ſint eminenter & perfectæ comparatè ſaltem ad nos, tamen textus hic nil tale dicit. Verſio Vulg. quomodo intelligenda ſit non opus eſt ut Ebræa te doceant, Græca poſſunt hic docere. Obſervandus eſt Idiotiſmus Vulgati, qui pro *robore* amat dicere *virtutes*. Et hic ἰσχὺν vertit *virtutes*. Ita paulo poſt δυνάμεις צבאיו vertit *virtutes.* Indocti miniſtri ſæpe explicant tota male verſa, non quidem malè explicant, poſſunt enim cum Analogiâ fidei, ſed quia textu orig. deviat & illi deviant.

Benedicite] At faciant hoc continuò ut in Apoc. R. verſu Ovidiano,

Qui monet ut facias, bene quod facis, ille monendo
Laudat & hortatu comprobat acta ſuo.

שמע cum אל vel ל. vel בקול ſign. *obedire.* Jeſ. 36. אל תשמעו / אל חזקיהו

22. *Omnia opera ejus*] Omnes res creatæ, non tantum Ang. & homines ſed & inanimata. Diverſimodè hæc fiunt. Angeli & homines celebrant Deum non tantum fulgore Naturæ ſuæ, ut inanimata & irrationalia, ſed & lingua & ore & corde & obedientia. Nazianz. de creaturis irrationalibus & inanim. ſunt σιγῶντες ἐπαίνεται τῆς μεγαλουργίας τοῦ θεοῦ καὶ διαπρύσιοι κήρυκες. At homo eſt vivus & loquens teſtis de Deo.

GROTIUS.

3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas*] In Hebræo illud *tuis* & *tuas* non eſt ך, ſed כי, quod redolet Chaldaïſmum.

5. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*] Aquilæ enim novas pennas aſſumunt. Eſaiæ 40. 31. ubi Græci, πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί [*pennas accipient ut aquilæ.*]

17. *Miſericordia autem Dei ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum*] Id eſt, diutiſſimè durat, ut Exod. 20. 6. Verba tamen ſunt talia quæ in ſenſu ſublimiore ad æternitatem rectè applicentur ab Abeneſdra & aliis.

PRICÆUS.

2. *Amictus lumine*, &c.] Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, 1. Tim. 6. 16. Lxx. ἀναβαλλόμενος φῶς ὡς ἱμάτιον· Ἱμάτιον ἀναβαλλόμενος, eſt & in Theophraſti Characteribus.

3. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum*] De Eodem Plato in Phædro, Μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων πορεύεται & Mamertinus in Genethliaco, *Supra nubila, ſupraque ventos ſedens, in luce perpetua.*

5. *Non inclinabitur in ſeculum ſeculi*] Id eſt, in multa ſecula. De re vide ſuprà ad 92. 3. dicta.

7. *A voce tonitrui tui formidabunt*] Aquæ nempe, pro quo in Græco, ἄβυσσος. Sirachid. 16. 18. Ἄβυσσος καὶ γῆ σαλευθήσονται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτοῦ cum com. ſequente. Vide & Ejuſdem 43. 17.

Clamorem immenſum tolli, quo Pontus & unda
Intremuere omnes, ——

Poëta de Polyphemo dixit.

8. *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi*, &c.] Apulejus 1. *Ardua montium, lubrica vallium, & gleboſa camporum.*

Idem 2. Florid. &, ut heic, de Dei providentia & admirando opificio agens, *Alibi montium vertices arduos extulit, alibi camporum ſupinam planiciem coæquavit.* Et Seneca cap. 18. ad Marciam, eodem planè argumento, *Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planicies, hinc montium magnis & nivalibus ſurgentium jugis erecti in ſublime vertices.*

9. *Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram*] Hæc putem conjungi debere cum com. 7. & de aquis intelligenda. Proverb. 8. 27. *Quando certâ lege & gyro* (Deus) *vallabat abyſſos.* Vide Job. 38. 10, 11. & quæ ad Pſalm. 135. 6. annotamus.

10. *Qui emittis fontes in convallibus*, &c.] Apocal. 14. 7. Τῷ ποιήσαντι, &c. τὴν θάλασσαν, καὶ πηγὰς ὑδάτων. Porphyrius Homeric. quæſt. κ'. de Homero, Διιπετεῖς λέγει ποταμὺς τὺς ἐκ Διὸς γεγεννημένυς· τῷ γὰρ πεσεῖν ἀντὶ τοῦ γενᾶσθαι χρῆται· & poſt, de Xantho,

——ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς·

Ὅτι φύσει οἱ ποταμοὶ ἐκ Διὸς γεννῶνται. *Fontes* heic intellige tam calidos quàm frigidos, variâ vi & efficaciâ præditos. Apulejus in De mundi fabrica, *Videas*, &c. *terram ſcatebris fontium manantem*, &c.

Ibid. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*] E montibus (i. e. montium jugis & ſuperciliis) facis & fontes ſcatere. Apulejus 4. *De ſummo* (montis) *vertice fons effluens bullis ingentibus ſcaturibat.* Catullus,

Qualis in aërei pellucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit è lapide.

12. *Super ea volucres cæli habitabunt*] Imò, *ſuper eos*, nempe *montes*: h. e. montium partes maximè confragoſas.

13. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*] Heſychius, ἐκ Διὸς ὕδατα, τὰ ὄμβρια. Vide quæ fusè eam in mentem ad Act. 14. 17. attulimus. *De ſuperioribus ſuis*; de ſuperiore cœnaculo ſuo. Ità Græci heic, ἐκ τῶν ὑπερῴων αὐτοῦ. Apud Plautum Jupiter,

In ſuperiore qui habito cœnaculo.

Ibid. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra*] Per imbres tempeſtivos. Apulejus de Eadem loquens, in de Mundo, *Imbribus madefacta*, &c. *ad educandos fœtus ſuos opimatur. Satiabitur*, quaſi de ſitibunda dixit. Vide Hebr. 6. 7.

14. *Producens fœnum jumentis*]

Quippe equus & pecudes jumentaque gramine vivunt.

Sunt verba Ovidii. Nec aliud in Pſalmo *fœnum* eſt quàm *gramen*. Ità & in vetere Onomaſtico, *Fœnum*, χόρτος. Utitur ſic & libro quarto Apulejus.

Ibid. *Producens fœnum jumentis*] Seneca De Benef. 4. 6. poſt citata Poëtæ ca.

—Erit ille mihi ſemper Deus—

Ille Deus eſt, &c. *qui gregibus ubique & paſſim vagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hibernis æſtiva ſubſtituit.*

Ibid. *Producens fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum*] De eadem Clemens Ep. ad Corinthios, Τοῖς ἰδίοις καιροῖς τὴν παμπληθῆ ἀνθρώποις καὶ θηρσὶν, &c. τροφὴν ἀνατέλλει· & Offic. 3. 3. D. Ambroſius, *Omnia largitur omnibus, & diverſos in uſum omnium animantium fructus miniſtrat.* Item Ennius apud Varronem Ling. Lat. 4. *Quæ dat cibaria.* Plinius 2. 63. *Nos naſcentes excipit, natos alit.* Poſt, *Benigna, mitis, indulgens, uſuique mortalium ſemper ancilla.* Deinde, *Illa medicas fundit herbas, & ſemper homini parturit.* Hinc Homero ἀνησίδωρα dicta, διὰ τὸ τὺς καρπὺς ἀνιέναι· πολυβότειρα, διὰ τὸ πολλὺς τρέφειν καὶ βόσκειν· & ζείδωρος, διὰ τὸ τὰ πρὸς ζωὴν διδόναι, exponentibus Heſychio in ſuo Vocabulario, & Didymo ad Odyſſ. γ'.

Ibid. *Et herbam ſervituti hominum*] Seneca eodem argumento, 4. 5. de Beneficiis, *Tot arbuſta non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares.* Plinius jam ſuperiùs citatus, *Illa medicas fundit herbas.*

15. *Et vinum lætificet cor hominis*] Hinc Tuſcul. 1. apud Ciceronem, *lætifica vites*: &,

Lætitiæ Bacchus dator, ——

apud Virgilium. Græci heic, εὐφραίνει καρδίαν ἀνθρώπυ· Ità 31. 27. apud Sirachidem, Αὐτὸς (de vino loquitur) εἰς εὐφροσύνην ἀνθρώποις ἔκτισαι· & com. 28. καρδίας ἀγαλλίαμα, καὶ εὐφροσύνη ψυχῆς οἶνος, &c. Indè & Homerus Illiad. γ'. dixit εὔφρονα οἶνον· ubi vetus Scholiaſtes, τὸν εὖ τὰς φρένας διατιθέντα, τὸν εὐφραντικόν. Vide quæ plura ad Act. 14. 17. dixi, ubi & εὐφροσύνη.

Ibid. *Ut exhilaret faciem in oleo*]

Χρῶτ' ἀπονίπτεσθαι, καὶ ἀποχρίεσθαι ἀλοιφῇ.

ait Odyſſ. β'. Homerus: ad quem locum Didymus, Ἀλοιφῇ, ἐλαίῳ. *Faciem* heic κατὰ συνεκδοχὴν intellige totum caput: & *exhilarare*, φαιδρύνειν, λαμπρύνειν, efficere ut niteat. Hinc apud Heſychium ex Sophocle, Ἐλαιῶται θρὶξ, addens, Ἀρίσαρχος, ῥυμπαίνεται· βέλτιον δὲ, λαμπρύνεται.

Ibid. *Et panis cor hominis confirmet*] Græci heic, ϛηρίζει. Unde infrà 105. 16. ἄρτυ ϛήριγμα· *fulcire cibo ſtomachum*, Senecæ 68. Epiſt. & *ſtabilimenta ventris* in Plauti Curculione. Vide ad Act. 14. 17. annotata.

16. *Et cedri Libani*] Avienus,

——— *Libanus frondoſa cacumina turget.*

Vide & 24. 17. Sirachidem.

18. *Petra refugium erinaceis*] In Gr. πέτρα καταφυγὴ τοῖς χοιρογρυλλίοις. Sic apud Euripidem.

Ἔχει μὲν καταφυγὴν θὴρ τὴν πέτραν.

Heſychius, Χοιρογρύλλιον, ὁ ἐχῖνος. Gloſſarium, Χοιρογρύλλιος, ἤγυν ἐχῖνος χερσαῖος, *erinacius*.

19. *Fecit Lunam in tempora*] Sirachides 43. 6. & de Luna, *Oſtenſio temporis*: legendum puto *temporum*, ut in hoc Pſalmi loco: quin & ibi Græcus contextus χρόνων. Seneca 4. 23. de Benef. *Num dubium eſt*, &c. *quin Sol annum obſervabilem fecerit circumactu ſuo? Luna menſem, minoribus ſe ſpatiis flectens?*

Ibid. *Sol cognovit occaſum ſuum*] *A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſio ejus uſque ad ſummum ejus.* Suprà 18. 7.

20. *In ipſa* (nocte) *pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ*] *Pertranſibunt*, eſt, exibunt è latibulis ſuis. Petronius de Luna, noctis regina, *Feras ducit ad pabulum.* Lucretius, ubi de peſte rerum omnium ordinem invertente,

———*Nec noctu ſecla ferarum*
Exibant ſylvis ———

In loco Petronii meliùs *educit* legas. Sic Joh. 10. 3. ἐξάγειν πρόβατα· ad paſtum nempe: ubi & Vulgatus *educere*.

21. *Catuli leonum rugientes*] Præ fame ſcilicet. Contrarium Job. 6. 5. ubi & *rugiet*. Heſychius, Ἐβρώμησε, (leo) βρώσεως ἐδεήθη, &c. Idem Ὠρυομένων, κραζόντων· κυρίως δὲ ἐπὶ λιμῷ κλαιόντων λύκων ἢ λεόντων.

Ibid. *Et quærant eſcam à Deo*] De quo infrà 135. 25. *Qui dat eſcam omni carni.* Et Pædagog. 2. 1. ità Clemens Alexandrinus, Ὁ τὰ πτηνὰ, καὶ τὰ νηκτὰ καὶ (συνελόντι εἰπεῖν) τὰ ἄλογα πάντα ζῶα διατρέφων. Julianus Imperator de alimento neceſſario & naturali agens, Οὐκ ἔϛιν αὐτοῦ ϛέρεσθαι ὔτε, &c. τὺς ἰχθύας, ὔτε τὰ θηρία.

22. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur*] Apul. 8. *Jam veſperâ ſemitam tenebrante pervenimus ad quoddam caſtellum frequens & opulens, unde nos incolæ nocturnâ, imò verò matutinâ etiam prohibebant egreſſione. Lupos enim numeroſos*, &c. *paſſim rapinis aſſuetos infeſtare cunctam illam regionem*, &c. *exitiumque inertiſſimorum pecudum ipſis jam humanis capitibus imminere*, &c. *ac per hoc nos quoque cautione ſummâ viæ reddi debere: idque vel inprimis obſervitare, ut luce clarâ & die jam provecto & Sole florido*, &c. *difficultates illas tranſabiremus.*

23. *Exibit homo ad opus ſuum*] Nempe lucis ortu. Virgilius,

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

De eadem Manilius,

Et cum luce refert operum vadimonia terris.

Horatius,

Matutine Pater, ſeu Jane libentiùs audis,
Unde homines operum primos vitæque labores
Inſtituunt, &c. ———

Apul. 9. *Matutinò ille ad opus ſuſceptum proficiſcitur.* Hinc ὄρθρος nonnullis Græculorum ἠὼς vocatus, ἀπὸ τῦ, ἕως τούτυ ἡμᾶς (in lectulis) κατακεκλεῖσθαι. Vide Heſychium.

Ibid. *Exibit homo ad opus ſuum*] Congregantur homines oriente Sole, ut feræ occidente eo congregantur. Hinc idem (Platone in Cratylo teſte) Doricè ἅλιος dictus, κατὰ τὸ ἁλίζειν εἰς ταὐτὸ τὺς ἀνθρώπυς, ἐπειδὰν ἀνατείλῃ.

Ibid. *Uſque ad veſperam*]

——*Ut nox corpora duris*
Feſſa miniſteriis foveat, reparetque labori.

Plutarchus Sympoſ. 3. 6. τὴν ἑσπέραν τῶν πόνων ἀνάπαυσιν, τὸν δὲ ὄρθρον ἀρχήν. Auctor de Obſerv. vigil. cum Hieronymo excuſus, *Ità proſpexit* (Deus) *ut homo exiturus ad opus ſuum*, &c. *uſque ad veſperam, haberet vicarium tempus*, &c. Seneca (Benef. 7. 31.) de Sole, *Cui debemus quòd inter laborem quietemque tempus diviſimus.* Idem 3. epiſt. *Et quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerum natura delibera, illa dicet tibi ſe & diem feciſſe, & noctem.*

24. *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientia feciſti*] Sapientia Proverb. 8. 30. *Cum Deo eram cuncta componens.* Philo in περὶ Κοσμυργίας, Ἀμώμητα καὶ ἀνεξέλεγκτα, καὶ

καὶ ἀνεπανόρθωτα τὰ τοῦ θεοῦ ἔργα, τελειοτάτῃ τέχνῃ καὶ ἐπιςήμῃ δημιουργηθέντα. Sirachides 1. 9. de Eodem, *Αὐτὸς ἔκτισεν αὐτὴν* (*Σοφίαν*) &c. *καὶ ἐξέχεεν αὐτὴν ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ·* i. e. *ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ.* Ità eadem ſententia erit quam habemus hoc in Pſalmi loco. *ἔργα* enim de hominibus (cum Viro maximo) intelligere, videtur duriuſculum.

Ibid. *Impleta eſt terra poſſeſſione tuâ*] Ità Sapient. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Sirachides jam citato loco, *Ἡ εὐλογία αὐτοῦ ὡς ποταμὸς ἐπεκάλυψεν, καὶ ὡς κατακλυσμὸς ξηρὰν ἐμέθυσεν.* In loco Pſalmi Græcè, *ἐκ τῆς κτίσεώς σου*, i. e. creaturis tuis (quo ſignificatu ſæpe ea vox occurrit.) Cicero de N. D. 3. *Hoc omnes mortales ſic habent*, &c. *vineta, ſegetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem proſperitatemque vitæ à Diis ſe habere.*

25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum nimis*] Virgil.

—— Immenſi maris: ——

ubi Servius, *Cujus menſura non poteſt comprehendi.*

Ibid. *Illic reptilia*, &c.] Ex hoc Pſalmiſtæ loco forſan Sirachidis illa 43. 27. *Illic præclara opera & mirabilia, varia beſtiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum.*

Ibid. *Illic reptilia, quorum non eſt numerus*]

———— Maris immenſi proles, genus omne natantium.

Adde quæ in cæteris Annotatis.

Ibid. *Quorum non eſt numerus*] Ità & Job. 9. 10. Oppianus *Ἁλιευτ.* 1.

Οὐ μὲν γὰρ γαίης πολυμήτορος ἔλπομαι ἄλμην
Παυροτέρας ἀγέλας, ὄυτ' ἔθνεα μείονα φέρβειν.

Plutarchus Sympoſiac. 5. ult. *Τῶν ζώων οὐδὲν ἂν χερσαῖον ἢ πτηνὸν εἰπεῖν ἔχοις οὕτω γόνιμον, ὡς πάντα θαλάττια.* Nimirum aquæ ipſius natura vel maximè procreatrix eſt.

26. *Animalia puſilla cum magnis*] Imò ibi majora verſantur quàm in terra, idque ob humoris luxuriam, inquit Plinius 9. 2. De belluarum Indici præcipuè maris vaſtitate vide ibidem cap. 3. Avienus, & de mari magno, ut hîc Pſalmiſta,

Vis vel varium (lege *Vis belluarum*) *pelagus omne internatat;*
Multuſque terror ex feris habitat freta.

Hinc *μεγακήτεα πόντον* Theognis dixit, & *monſtra Oceani* Juvenalis Sat. 14. Seneca cap. 18. Conſol. ad Marciam, de mari loquens, *Videbis his inquietu, & ſine vento fluctuantibus aquis, immani*, &c. *magnitudine terrentia animalia: quædam gravia, & alieno ſe magiſterio moventia; quædam velocia, concitatis perniciora navigiis; quædam haurientia undas, & magno prænavigantium periculo efflantia.* Idem Natur. quæſt. 4. 2. de Nilo, *Bellùas marinis vel magnitudine vel noxâ pares educat: ex eo quantus ſit æſtimari poteſt, quòd ingentia animalia*, &c. *continet.* *Animalia maris* dixit & Tacitus Ann. 15.

Ibid. *Illic naves pertranſibunt*] Juvenalis ubi ſuprà,

Et plenum magnis trabibus mare.——

Seneca jam citato ad Marciam loco, *Videbis hic navigia quas non novere terras quærentia. Pertranſibunt*, (enallage pro *tranſeunt*) eſt, *ambulant*, ut Saluſtius locutus. Heſychius, *Θαλαττοπορῆσαι, διὰ θαλάσσης πλεῦσαι.* Indè & *νῆες ποντοπόροι* Poëtis Græcis.

29. *Avertente te faciem, turbabuntur*] Apulejus Naturam orans, (i.e. Deum iſtum Naturæ) *Tuam majeſtatem perhorreſcunt aves cœlo meantes, feræ montibus errantes, ſerpentes ſolo latentes, belluæ ponto natantes;* Miléſ. 11.

Ibid. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient*] Idem de Eodem, libello de Mundi fabrica, *Hic animalium natantium, atque terreſtrium, pennigerorumque cunctorum diſtinxit genera, ſpecies ſeparavit, fixitque leges vivendi atque moriendi.*

Ibid. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient*, &c. *emittes ſpiritum tuum, & creabuntur*] Apulejus in de Mundo, *Animalium omnium agreſtium, cicurum, pennatorum, pedeſtrium, & aquatilium natura gignitur, nutritur, abſumitur, parens cæleſtibus inſtitutis.*

33. *Cantabo Deo in vita mea*] Sic & 16. 14. *in vita eorum:* i. e. dum vivunt.

Ibid. *Pſallam Deo meo quamdiu ſum*]

———— Dum ſpiritus hos regit artus.

Vide ſuprà 86. 12. Heſychius, fortè ex Græco loci iſtius, *Ἀσω, ψαλῶ, αἰνέσω, ὑμνήσω.*

IDEM.

2. *Confeſſionem & decorem induiſti*] Feciſti confeſſione, & decorâ laudatione noſtrâ digniſſima. Vide 92. 1. & 110. 3. & 146. 1. & 148. 14.

3. *Extendens cœlum ſicut pellem*] Eſai. 51. 13. *Tetendit cœlos, & fundavit terram.*

Ibid. *Qui tegis aquis ſuperiora ejus*] Infrà 148. 4. *Aquæ quæ ſupra cælos ſunt.* Vide & Job. 26. 8. cum ſequentibus: quibus reſpondent, quæ hic ſtatim habebimus com. 7, 9, & 10.

Ibid. *Qui ponis nubem* (i. e. *nubes*) *aſcenſum tuum*]

Sub pedibuſque vides nubes, & ſidera pulſas.

Aſcenſum, in Græco *ἐπίβασιν.* Heſychius, huc (ni fallor) reſpiciens, *Ἐπίβασιν; ἀνάβασιν, βάδισιν.*

8. *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi*]

Juſſit & extendi CAMPOS, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſylvas, lapidoſos ſurgere MONTES,

9. *Terminum poſuiſti, quem non transgredientur*] Deus Jer. 5. 22. *Poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit.* Apud Senecam Suaſor. 1. *Maria intra terminos ſuos agitantur.* Minucius in Octavio, *Mari intende, lege littoris ſtringitur.*

Præſcriptoſque mari fines ——

eſt apud Claudianum. Adde Proverb. 8. 29.

14. *Producens fœnum jumentis; & herbam ſervituti hominum*] Ipſum id quod apud Lucretium de eadem loquentem,

—— Nitidas fruges arbuſtaque læta
Gentibus humanis habet unde extollere poſſit:
Unde etiam fluidas frondes & pabula læta
Montivago generi poſſit præbere ferarum.

Boëthius lib. 2. *Terrarum fructus animantium proculdubio debentur alimentis.*

16. *Saturabuntur ligna campi, & cedri*, &c.] *Saturabuntur*, pluviis nempe, quibus (ſuprà com. 13.) rigas montes de ſuperioribus tuis. Cedros, poſt turbam aliarum arborum, ſeorſim, quaſi ſpeciem nobiliorem, poſuit. Sic Luc. 21. 29. *τὴν συκῆν, καὶ πάντα τὰ δένδρα.*

19. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognovit occaſum ſuum*] Boëthius lib. 3.

Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ.

Vide Baruch. 6. 59. *In tempora*, ſub. menſtrua. Apulejus de eadem loquens, *Incrementis globi ſui deciſioneque luminis menſtrua tempora ſignificat.*

Ibid. *Sol cognovit occaſum ſuum*] *A ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Suprà 18. 7.

20. *In ipſa* (*nocte*) *pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ*] Vide in cæteris Annotatis: & adde, Macrobius Saturnal. 1. 17. at de una ferarum ſpecie, *Λύκος, ἀπὸ τῆς λύκης, id eſt, à luce prima, appellatos quidam putant, quia hæ feræ maximè id tempus aptum rapiendo pecori obſervant, quod ante lucanum poſt nocturnam famem ad paſtum ſtabulis expellitur.* *Lupus ad veſperam*, proverbialiter poſitum occurrit Jerem. 5. 6. *Pertranſibunt*, è luſtris nempe & latibulis, ut jam alibi monuimus.

23. *Exibit homo ad opus ſuum*, &c. *uſque ad veſperam*]

———— Redit heu miſero labor actus in orbem.

Exibit, nempe, Sole orto, quod heic præceſſit: unde & Sol à nonnullis (Macrobio 1. 17. referente) *ἐλελεὺς* dictus, *ἀπὸ τοῦ συνειλίσκειν* (meliùs fortè *συνειλίζειν* legas) *καὶ συναθροίζειν τοὺς ἀνθρώπους ὅταν ἀνατείλῃ*: *quòd exoriens homines conducit in cœtum*; i. e. in opera ſua: unumquemque pro ſtatu nempe, & vitæ genere. Dum autem *uſque ad veſperam* dicit, videtur tacitè innuere moleſtam eſſe laborantibus diei longitudinem. Unde & Heſychius ad Homeri illud, *νυκτὶ θοῇ*, *τῇ ταχείᾳ* inquit, *ἡ γὰρ ἡμέρα πολύμοχθος οὖσα διὰ τὰ ἔργα, μακρὰ ἡμῖν φαίνεται, ἡ δὲ νὺξ διὰ τὴν ἀνάπαυσιν ταχεῖα.*

24. *In ſapientia omnia feciſti*] Sirachides 16. 26. *In judicio* (i. e. ſapientia) *Dei opera ejus ab initio.* Vide Proverb. 8. 22. & quæ alibi hunc ad locum annotata.

Ibid. *Impleta eſt terra poſſeſſione tuâ*] Sirachides 16. 30. *In terram Deus reſpexit, & implevit illam bonis ſuis. Miſericordiâ Domini plena eſt terra*, ſuprà 32. 5.

25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum nimis*] Vide ſuprà 92. 4. Pomponius Mela 3. 1. *Oceanus, ingens & infinitum pelagus.* *Bene & ſpatioſum:* hinc *maris immenſi ſpatium* apud Poëtarum præcipuum.

26. *Animalia puſilla cum magnis*] *Gigantes*, (ut Jobi 26. 5. verſo ordine) *& qui habitant cum iis.* De Scylla piſcatum quærente Odyſſ. μ'.

Δελφῖνάς τε, κύνας τε, καὶ εἴ ποτε μεῖζον ἕλῃσι
Κῆτος, ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

Seneca Suaſor. 1. *Portenta, quæ profunda iſta vaſtitas nutrit.*

Ibid. *Illic naves pertranſibunt*] Unde & *νῆες ἁλιπλανέες* in veterum Epigrammatum collectione 2. 15.

27. *Omnia à te exſpectant ut des illis eſcam*] Lactantius 7. 4. *Ut vivere*, (animantia) *ut conſtare poſſint, omnia his neceſſaria*, &c. *ſubminiſtrantur.* Vide infrà 144. 15.

29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient*] Vide Job. 34. 14, 15. Apulejus in de Mundo, *Spiritus ille nominatur, qui animalia*

omnia

omnia extrinſecùs vitalia tractùs ſui vitali & fœcundâ ope vegetat. Lectio primaria autem (& fortè rectiùs) *ſpiritum tuum*, ut & verſu 30. Virgilius,

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, &c.

ubi Servius, *A divino ſpiritu vitam ſumunt omnia cùm naſci cœperint.* Adde Job. 27. 3. Aratum initio carminis, & quæ fusè eam in mentem ad Act. 17. 25. annotavimus.

30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ*] *Pars gignentium, alia adoleſcentium, cætera occidentium vices ſuſtinent. Sors naſcentium loco obitorum pullulat, & occidentium numerus naſcentibus locum pandit.* Sunt verba Apuleji noſtri, libro de Mundi opificio.

32. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*] Suprà 76. 19. De Jove apud Poëtam,

——*Totum nutu tremefecit Olympum.*

Seneca, etſi ad Principem terrenum, 1. 8. de Clement. *Iraſci non potes, niſi ut omnia tremant.*

Ibid. *Qui tangit montes, & fumigant*] Suprà 96. 5. infrà 143. 5. Baruch. 6. 62. & com. 63. in epiſtola Jeremiæ.

33. *Cantabo Domino in vita*] Dum vivo Dei laudes & facta celebrabo. Virgilius,

O mihi tum longè maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta.

34. *Jucundum ſit ei eloquium meum*] *Dirigatur* (ut 140. 2.) *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu ejus.* LXX. ἡδυνθείη αὐτῷ, &c. i. e. ut Marc. 6. 20. ἡδέως μȣ ἀκȣέτω.

PSALM. CIV.

MUNSTERUS.

1. *GLoriam & decorem induiſti*] h. e. Omnia opera tua tam abſoluta & magnifica ſunt ut prædicent & glorificent te ſummâ ornatum ſapientiâ, potentiâ & bonitate. Enarranſque Propheta opera Dei, incipit à cœlis & luminaribus cœleſtibus, qui ſunt veluti *cortina* & *veſtis* Dei fulgidiſſima. Et paulò pòſt dicit Deum *cœnaculum ſuum poſuiſſe in aquis ſuperioribus*, quas putant eſſe nonam ſphæram.

4. *Facit Angelos ſuos ſpiritus*] Poteſt hic verſus & ſic verti, *facit flatus nuncios ſuos, & ignem flagrantem miniſtros ſuos.* q. d. Violenti & repentini flatus exſequuntur juſſa ejus, ſicut & ignis facit illico quæ ipſe jubet. Unde exercitus Ægyptiorum tali tempeſtate fuit in mare dejectus, & Sodoma everſa, igne de cœlo miſſo, ſicut & aliæ Dei perfectæ ultiones factæ fuerunt igne & tempeſtate, præter unum Cataclyſmum. Poteſt & hic locus ſic intelligi, quòd *Deus mittat Angelos in igne*, &c.

5. *Super baſim ſuam*] *Baſis* hæc eſt aqua, cui terra mirabiliter innatat: Vel eſt centrum ipſum, ad quod undique terræ partes ſuo pondere inclinantur, atque in hunc modum in meditullio mundi terra ipſa immobiliter conſiſtit, omnium elementorum fundamentum. Per *abyſſum* intellige Oceanum, intra quem ab initio terra & montes demergebantur, ſed voce Divinâ, quæ veluti *tonitruum* eſt, increpatus diſcooperuit terram, & tunc apparuerunt *montes* excelſi, atque *valles*, & planities campi Statutuſque eſt mari *terminus* ſuus, ut illum tranſgredi non poſſit.

10. *Mittit fontes*] Non uſque adeò ſegregavit Deus aquas à terra quin perennes fontes adminiſtret, & inexhauſto atque perpetuo tenore faciat fluere aquas, non ſine magna hominum & animalium commoditate.

13. *E cœnaculis*] h. e. Ex nubibus irrigat altos montes, nè ſterileſcant, cùm per flumina adaquari non poſſint, ſicut prata in planicie ſita.

15. *Et vinum*] Sub. *facit Deus provenire ad cultum & laborem hominis.* ¶ *Nitere facit faciem*] Putant id dictum de unguentis odoriferis. Alii accipiunt de oleo ardente in lampade, unde illuceſcunt noctu facies hominum.

16. *Reficiuntur & arbores Domini*] h. e. Arbores magnificæ ſuſcipiunt quoque incrementum à Deo.

18. *Herinaceis*] Hebræi communiter accipiunt שפן pro *cuniculo*. Alii interpretantur *murem Alpinum*.

26. *Ut in eo ludat*] *Ludere* dicuntur magnæ belluæ marinæ quando vaſtis corporibus ſuis ingentes faciunt maris commotiones, devorant minora animantia, & evertunt naves cum hominibus.

30. *Emittis ſpiritum tuum*] h. e. Continuò tuâ creatione renovatur orbis, quando in locum intereuntium animantium alia fingis animalia, quibus immittis ſpiraculum vitæ.

35. *Haleluja*] Eſt *Haleluja* dictio compoſita à verbo הללו *laudate*, & nomine יה, quod eſt medietas nominis tetragrammati.

VATABLUS.

1. *BEnedic, anima mea, Jehova*, ברכי נפשי את יהוה] *Lauda* [vel *prædica*] *anima mea, Jehovam.* ¶ *Gloriam & decorem indutus* הוד והדר לבשת] Hebraïſmus, pro *ornaris & commendaris magnificentia & ſplendore*: per cœlos te decorum & ſplendidum agnoſcimus, ut hominem per veſtem.

2. *Qui operit ſe* עטה] Participium, *Amiciens lumine.* Alii, *Amictus, opertus, indutus.* Vertere potes, *Amicis*, ſive *ornas te lumine tanquam veſte:* ut nulla ſit perſonæ mutatio. Sic & mox, *Extendens*; & ſeq. verſu *contignans:* pro, *Qui extendis, qui contignas* ¶ *Veluti cortinam* כיריעה] *Velut pellem quo ſcilicet fit tentorium.*

3. *Qui contignat aquis ſuperiora ſua* המקרה במים עליותיו] *Qui contignat in aquis cœnacula ſua.* Alii, *Qui ponit trabes cœnaculorum ſuorum in aquis*, Alii, *Qui facit* velut *contignationem cœnaculi ſui aquas*, i. e. nubes. Scriptura nubes vocat *aquas*, quòd fiant è vaporibus in aërem excitatis, extenuatis & concretis. Ut autem è vaporibus fiunt, ità in aquam facilè diſſolvuntur. *Qui igitur in nubibus ipſis compingit*, ſive *ædificat, ſibi domicilium*, i. e. qui in nubibus habitat. Nonnulli per præteritum vertunt, *Qui conſtruxit in nubibus altum ſuum domicilium.* Infrà v. 13. nubes dicuntur *cœnacula* ſive *ſuperiora Dei*, *Qui irrigat montes de ſuperioribus ſuis.*

4. *Spiritus* רוחות] Hebræi exponunt, *Qui flatibus*, ſive *ventis, & fulmine igneque cœleſti utitur tanquam miniſtris*, ut in ſubverſione Sodomæ. Paulus Heb. 1. 7. *Spiritus* interpretatur *Angelos.*

6. *Operueras eam* כסיתו] *Texiſti*, vel *texeras eam*, ſub. *terram.*

7. *Feſtinaverunt* יחפזון] Futura Heb. pro præt. *præcipitaverunt ſe.* Alii, *feſtinanter dejiciuntur.* Alii, *præcipites ceſſerunt.*

10 *Qui emittit* המשלח] Sub. *Lauda, inquam, anima mea, Jehovam, qui emittit.* Verti poteſt, *Qui emittis*, &c. ¶ *In convallibus* בנחלים] *Per valles.* q. d. Juſſit Deus ut aqua fontana decurrat per valles. Alii, *in fluvios* qui *inter*, &c. Alii, *qui fiunt torrentes*, vel *fluvii.* ¶ *Ambulant* יהלכון] Hebraïſmus, pro *decurrunt*, ſive *labuntur.*

11. *Potum dant omnibus beſtiis agreſtibus*] ישקו כל חיתו שדי] *Bibunt* indè *omnes beſtiæ agri.* Vel, *potant omnes beſtiæ agreſtes.* ¶ *Frangunt* ישברו] Fut. Heb. pro præſ. *levant, exſtinguunt.*

12. *Habitant* ישכן] Fut. Heb. pro præſ. & ſing. pro plur. *ſedent.*

13. *De ſuperioribus ſuis* מעליותיו] *E cœnaculis ſuis.* Vide v. 3. ¶ *Operum tuorum* מעשיך] Perſonæ mutatio, i. e. imbre operâ tuâ in nubibus facto.

14. *Ad uſum hominum* לעבודת האדם] *Ad obſequium hominum.* Alii, *ad culturam hominis*, i. e. adhibitâ culturâ hominum. ¶ *Ut educat panem* להוציא לחם] *Ad educendum eſcam.* Vel, *dum educit eſcam.* q. d. Idque facit dum educit eſcam omnibus animalibus.

15. *Lætificat* ישמח] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Ut faciem nitere faciat præ oleo* להצהיל פנים משמן] i. e. Illo vino nitidiorem reddat vultum & ſplendidiorem quàm poſſit reddi ullo unguento. Alii vertunt, *Ut niteant facies ab oleo.* Tanquam dicat quòd Deus faciat provenire & unde niteant facies, nempe oleum. Hoc *nitore faciei* videtur ſignificari unguentorum uſus, de quo Pſal. 23. 5. In eundem ſenſum alii, *Et oleum ad illuſtrandum faciem.*

16. *Saturantur arbores excelſæ* ישבעו עצי יהוה] Ad verb. *Saturabuntur arbores Jehovæ*; pro, *Satiantur*, vel, *Reficiuntur arbores excelſæ:* nam omnia excelſa tribuuntur Deo: unde hîc arbores excelſæ dicuntur *arbores Jehovæ. Satiantur*, i. e. abundè irrigantur ab eodem, imbre è cœlo miſſo, de quo v. 13.

17. *Ut ibi* אשר שם] *In quibus illic*, &c. Alii, *Quòd ibi.* ¶ *Ciconia*, &c. חסידה ברושים ביתה] Ad verb *ciconia, abietes domus ejus*, i. e. Ciconia pro manſione ſua habet abietes.

18. *Ibicibus* ליעלים] *Damis, rupicapris.* ¶ *Hoſpitium leporibus* מחסה לשפנים] *Latibulum herinaceis.* Alii, *cuniculis:* vel, ut alii, *leporibus.*

19. *In tempora* למועדים] *In ſtata tempora:* i. e. ut diſtinguat menſes.

20. *Ponis* תשת] *Inducis.* ¶ *Repeat* תרמש] Fut. Heb. pro præt. i. e. pervagatur, & diſcurrit.

22. *Et in habitaculis ſuis* ואל מעונתם] *Et in luſtris ſuis.*

24. *Quàm multiplicata ſunt* מה רבו] *Quàm multa ſunt.* Alii, *Quanta ſunt.* ¶ *In ſapientia feciſti* בחכמה עשית] Pſal. 136. 5. dicitur,

dicitur, *Qui fecit cœlos cum intelligentia.* ¶ *Poſſeſſionibus tuis* קנינך] Hinc videmus Deum omnia poſſidere, & ejus propria eſſe omnia, & in ejus poteſtate: ut hic quidam Hebræorum annotant.

25. *Et latum locis* ורחב ידים] Ad verb. *& amplum manibus*, i. e. locis & litoribus.

28. *Das eis, colligunt* תתן להם ילקטון] Futura Heb. *dabis eis, colligent.* Quidam, *Cùm dederis eis colligent: & cùm aperueris manum tuam, ſatiabuntur bono.*

29. *Abſcondis* תסתיר] Futura item Heb. etiam ſeq. verſu. ¶ *Auſers* תוסף] *Colligis; retrahis.* Quidam, *congregabis.*

34. *Dulce erit ei*, &c. יערב עליו שיחי] Ad verb. *Dulceſcet ei*, i. e. Gratus erit ei ſermo meus. Alii, *Sit ei ſuavis ſermo meus.* Alii, *Erit ſermo meus de illo dulcis*, vel *jucundus.*

35. *Conſumantur* יתמו] *Deficient. Conſumentur.* ¶ *Ne ſint* אינם] Ad verb. *non ipſi*, ſub. *erunt.* ¶ *Benedic, anima mea, Jehova* ברכי נפשי את יהוה] *Prædica Jehovam, anima mea.* ¶ *Halelu-Jah* הללויה] Dictio ex imperativo *Halelu*, quod *laudate* ſignificat, & *Jah* nomine Dei compoſita.

CLARIUS.

HYmnus eſt quo Deum celebrat à rerum conditione & benigna omnium gubernatione.

1. *Confeſſionem & decorem*] *Gloriam & majeſtatem*: h. e. Omnia opera tua tam abſoluta & magnifica ſunt ut prædicent & glorificent te ſummâ ornatum ſapientiâ, potentiâ & bonitate. Et enarrans Propheta opera Dei, incipit à cœlis & luminaribus cœleſtibus, qui ſunt veluti *pellis*, i. e. cortina & veſtis Dei fulgidiſſima: ut videatur principium Geneſeos deſcribere.

3. *Qui tegis aquis*] Quidam putant eſſe nonam ſphæram. Alii intelligunt nubes; quæ cùm ſit convolutum craſſamentum exhalationum, vim habens aquæ gignendæ, ideo ipſa quoque nubes *aqua* appelletur. ¶ *Aſcenſum tuum*] *Uteris nube pro vehiculo.* Idcirco & nubes ſuſcepit Dominum, ut Patri æqualis agnoſceretur.

4. *Qui facis Angelos*] Intelligunt ventos, quibus Deus pro nunciis utitur, ſimiliter & ignibus illis qui in cœlo apparent & è nubibus emittuntur. Siquis tamen Deum Angelos mittere cum igne intelligat, is à vero nihil aberrabit: nam de Angelis epiſtola ad Hebræos hunc locum interpretatur.

5. *Super ſtabilitatem ſuam*] Sive *baſim*: & ea eſt Aqua, cui Terra mirabiliter innatat; vel potiùs Centrum ipſum, ad quod undique terræ partes ſuo pondere inclinantur: atque in hunc modum in meditullio mundi Terra ipſa immobiliter conſiſtit, omnium elementorum fundamentum.

6. *Abyſſus*] Intellige Oceanum, intra quem ab initio terra & *montes* demergebantur; & nunc quoque *ſuper montes*, inquit, ſi juſſeris, *ſtabunt aquæ.* Sed voce Divinâ, quæ veluti *tonitruum* eſt, *increpatus* detexit terram: & tunc *apparuerunt montes* excelſi, & *valles*, ac planicies *campi*; *ſtatutuſque eſt mari terminus* ſuus, ut *illum tranſgredi non poſſit.*

8. *Aſcendunt montes*] Ad phantaſiam hominum dicit *montes aſcendiſſe, & deſcendiſſe valles*, ubi deſinentibus aquis & in Oceanum collectis montes & campi valleſque apparuerunt. Tale quid & Ovidius,

——— *Creſcunt loca, decreſcentibus undis.*

10. *Emittis fontes*] Alius vertit, *Ipſe mittis fontes in fluvios:* quòd ſcilicet non uſque adeò ſegregaverit Deus aquas à terra quin perennes fontes adminiſtret, & inexhauſto atque perpetuo tenore faciat fluere aquas, non ſine magna hominum & animalium omnium commoditate.

11. *Sedabunt onagri ſitim ſuam*] Onagrorum meminit nominatim, quòd ſint inter cæteras beſtias ſolitudinis amantiores, atque idcirco ferè habitent in locis arentibus: quare ſitis illorum pro exemplo ardentioris deſiderii ponitur. De his Jer. 2. & Job. 34.

12. *Super eas*] *Juxta eas*, ſcilicet aquas & fluvios, *volucres cœli habitabunt.*

13. *De ſuperioribus ſuis*] Quod alii verterunt *è cœnaculis ſuis*: i. e. è nubibus irrigat altos montes, nè ſterileſcant.

14. *Producens fœnum*] *Provenire facit* ſuâ ſponte *fœnum* in uſum *brutorum animantum*, & ad *culturam hominis* reliquam ſegetem, *ut accipiat* ſibi *cibum è terra*, & *in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo.*

15. *Et vinum lætificet cor hominis*] *Et vinum*, ſubauditur, *facit Deus provenire culturâ & labore hominis, ut lætificet cor hominis.* Et tam ſalutifero liquore tamque nobili ebrioſi homines abutuntur in ſuam aliorumque perniciem, ingrati, cùm ob hanc unam cauſam Scriptura dicat datum ut nimiis curis affectum cor aliquantulum eo recreetur, tanquam præcipuo quodam afflicti animi medicamento. ¶ *In oleo*] Putant id dictum de unguentis odoriferis: alii de oleo quo lampades accenduntur, unde illuceſcat noctu facies hominum.

16. *Saturabuntur ligna Domini*] Vel *reficiuntur*, h. e. ſuſcipiunt incrementum à Deo; & vocantur *ligna* vel *arbores Domini*, quaſi ingentes & excelſæ, more Hebræo: vel quòd nullâ niſi ejus culturâ creſcant: ideo adjecit *quas plantavit.*

17. *Ciconiæ domus abietes*] *Ciconiæ* peculiariter meminit quòd ea in altioribus ſoleat arboribus nidificare.

21. *Quærant à Deo eſcam ſibi*] Hinc diſcendum, ſi juſtus Deus has truces beſtias innocuis feris paſcit, quibus tamen poſt hanc vitam nihil promiſit, ferendum nobis eſſe ſi quando malorum arbitrio permittimur, qui poſt hanc vitam illam beatam certò exſpectamus. Diſcimus etiam quo pacto Divina providentia in omnia porrigitur: nec metuit Scriptura nequid de Deo indignum loquatur, ſi aſſerat etiam bruta animantia *exſpectare à Deo eſcam.*

24. *Quàm magnificata ſunt*] Facturus finem enarrandi ea quæ in terra digna ſunt quæ quivis aſſiduè contempletur, pulcro epiphonemate exclamat, *Admiranda eſſe & pleniſſima ſapientiæ opera Dei.* Mox convertitur ad ea contemplanda quæ in mari fiunt.

25. *Spatioſum locis*] Latum ſpatiis & littoribus. Sed quia Hebræa dictio ſignificat etiam *manus*, vetterat Interpres *ſpatioſum manibus.*

26. *Draco iſte*] Alii verterunt *Leviathan*; & ſignificantur immaniores maris belluæ. ¶ *Ad illudendum ei*] Vel, *ut ludat in eo*: notat immenſum robur; ut naves evertere & omnem vim proterere ſit ei merus luſus.

30. *Emitte ſpiritum tuum*] h. e. Continuè tuâ creatione renovatur orbis, quando in locum intereuntium animantium alia fingis animalia quibus immittis ſpiraculum vitæ.

LUCAS BRUG.

18. FErrum pertranſiit animam ejus] Sic multi libri, cum multis Tractatoribus. Alii verò non pauci libri ſcribunt, *ferrum pertranſiit anima ejus*; novem noſtri, iique ferè emendatiores, cum duobus Romani Pſalterii antigraphis, nonnulli Lugdunenſium, & antiqui Epanorthotæ. Atque hæc Hieronymi fuiſſe videtur lectio, quantum quidem ex commentariis colligi poteſt. *Ferrum*, inquit, *ipſum dicit peccatum, quod occidit animam.* Utique autem non peccatum Joſephi animam, ſed Joſephi anima peccatum pertranſivit. Superavit enim heræ ſæpius ad concubitum invitantis blanditias. Caſſiodorus hoc (id quod textus habet) an illud legerit, colligere non ſatis poſſum. Utrinſque P. Lombardus, Hugo Cardinalis & Ordinaria Gloſſa meminerunt. Eſt autem poſterior Græcis codicibus conſentanea. σίδηρον, habent, διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, quæ & Euthymii fuit lectio. Hebraïcè eſt ברזל באה נפשו, id quòd utroque modo interpretatum invenio. Chaldæa Paraphraſis, ut in Regia eſt editione, eſt, בשיר דפרזלא עלת נפשה, *In catenam ferream intravit anima ejus.* Ut autem in Veneta & Nebienſi, שר דפרזל עלת בנפשה, *Catena ferrea intravit in animam ejus.* Felix Pratenſis pro textu interpretatus eſt, *In ferrum ingreſſa eſt anima ejus*; ad marginem autem poſuit, *Ferrum ingreſſum eſt in corpore, vel in anima ejus.* Symmachus, Theodorito teſte, dixit, *In ferrum pertranſiit anima ejus.* Simili modo D. Hieronymus, & poſt eum Vatablus & Flaminius tranſtulerunt, *In ferrum venit anima ejus* (additur *in* præpoſitio.) Ità vertit Hieronymus, ſi octo noſtris exemplaribus, & Epanorthotæ, ac pleriſque noſtræ ætatis ſcriptoribus creditur. Unum recentius MS. Hunnæi O, legit, *Ferrum venit in animam ejus.* Familiare huic exemplari eſt, in Pſalmis ab aliis omnibus diſcrepare. Alii, inter quos Pagninus, *Ferrum ingreſſum eſt animam ejus. Nam*, Pagninus ait, *anima affligitur afflicto corpore.* Et hæc quidem interpretatio verborum ſitui conveniens eſt: ſed fœminei generis verbum BAAH, NEPHESCH potiùs, i. e. *anima*, optare videtur ſuppoſitum, quàm BARZEL, quod eſt *ferrum. Nepheſch* enim fœminei generis eſſe conſtat; *barzel* verò maſculino genere, non fœminino, extra præſentem locum, invenio. Atque hæc, quod veriſimile eſt, ratione moti LXXII. Hieronymus & alii, vertunt, *Ferrum pertranſiit anima ejus*, aut ſimilem ad modum, cujus ſenſus eſt, Ipſe in ferrea vincula conjectus eſt: vel, Vitam egit in vinculis ferreis.

30. M. N. Auguſtini Hunnæi duo manuſcripta, G & R, cum nonnullis aliorum libris, legunt, *Et dedit terram eorum ranas*: ea quæ D. Auguſtini eſt lectio, *Et dedit terram eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum. Tanquam diceret*, inquit, *terram eorum convertit in ranas: tanta enim erat ranarum multitudo, ut hoc per ὑπερβολὴν convenienter diceretur.* Auguſtinum Proſper ſecutus eſt. Alia noſtra complura manuſcripta cum Henténii 13. habent, *Et dedit terra eorum ranas.* Rurſus alia non pauca,

panica, eaque integritate ſpectatiora, cum Joanne de Paſtura, *Edidit terra eorum ranas.* Atque hæc Græcis & Hebraïcis libris conveniunt. Non enim Græcè & Hebraïcè (idem eſt de Chaldæo judicium) conjunctio legitur: ſed à verbo inchoatur oratio, eoque hujuſmodi, quod *edidit, ebullivit*, vel *produxit*, conſtanter interpretantur; *ἐξεῖρψεν ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους.* שרץ ארצם צפרדעים. *ἐξέρπει* non tantùm *edere*, ſed *reptilia edere* ſignificat, id quod reptili ranarum naturæ apprimè convenit. שרץ *in multitudine gignere* vel *producere* denotat: quod & ipſum loco aptiſſimè congruit. Hæc igitur poſtrema manuſcripta meritò ſequenda ſunt. Eandem lectionem clariſſimi noſtri Belgii Scriptores, Titelmannus, Lindanus & Janſenius, probant. Ejuſdem ſententiæ eſt Epanorthotes: *Non eſt ibi*, ait, & dedit, *ſed* edidit, *ſecundum Hebræum, & antiquos, & Hieronymum, & Græcum.* Poſtremò Hieronymus, rem univerſam conficiens, in epiſtola de Pſalmorum correctione teſtatur hanc fuiſſe antiquam interpretationem, eamque à ſe relictam. *Edidit terra eorum ranas. Pro quo in Græco ἐξέρψεν* [*ἐξεῖρψεν* noſtra exemplaria cum Euthymio] *ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους, vos legiſſe dicitis, quod poteſt ita interpretari*, Ebullivit terra eorum ranas. *Sed & in hoc nulla eſt in ſenſu mutatio, & nos antiquam interpretationem ſequentes, quod non nocebat, mutare noluimus.*

DRUSIUS.

1. גָּדַלְתָּ מְּאֹד. Sym. *μέγας εἶ. - - -*] Sic ed. Rom. in Theodoreteis, *Sym. Deus meus magnus valde.* הוֹד וְהָדָר לָבָשְׁתָּ. Sym. *ὕμνον καὶ εὐδοξίαν ἠμφιάσω, laudem & gloriam induiſti.* A. *ἐπιδοξότητα καὶ διαπρέπειαν, claritudinem & decorem eximium.* Th. *μεγαλοπρέπειαν, magnificentiam.*

4. אֵשׁ לֹהֵט. A. *πῦρ λάβρον, ignis vorax*, vel *rapidus.* Sym. *πυρίνην φλόγα*] Oppianus lib. 3.

——— *καὶ αἰθομένης πυρὶ λάβρῳ.*

Supra לֹהֲטִים. A. *λάβροι, voraces.*

5. עַל מְכוֹנֶיהָ. A. Sym. *ſuper ſedem ejus*] Puto Græcè fuiſſe *ἐπὶ ἕδραν αὐτῆς.*

6. תְּהוֹם כַּלְּבוּשׁ כִּסִּיתוֹ. A. Th. *abyſſum ſicut indumentum induiſti ipſam.*

11. יִשְׁבְּרוּ פְרָאִים צְמָאָם. Sym. *ἀνακτήσεται ὄναγρος δίψαν ἑαυτοῦ.* Interpres Theodoreti, *recreabit onager ſitim ſuam.*

14. מַצְמִיחַ חָצִיר לַבְּהֵמָה וְעֵשֶׂב לַעֲבֹדַת הָאָדָם לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן־הָאָרֶץ. Sym. *Producens fœnum jumentis, & herbam uſui hominum, ut proferas cibum è terra.*

15. וְיַיִן יְשַׂמַּח לְבַב־אֱנוֹשׁ לְהַצְהִיל פָּנִים מִשָּׁמֶן וְלֶחֶם לְבַב־אֱנוֹשׁ יִסְעָד. Idem, *Et vinum ut lætificet cor hominis, illuſtret faciem oleo, & panis cor hominis confirmet.*

16. עֲצֵי יְהוָה. *Οἱ λοιποὶ, τὰ ξύλα τοῦ Κυρίου, arbores Domini*] Theodoretus, *Ebræus autem & cæteri Interpretes* ligna Domini *poſuerunt*, Ὁ Ἑβραῖος καὶ οἱ λοιποὶ, τοῦ Κυρίου, *τεθείκασιν.* In ed. Rom. *Sym. V. & VI. ed.* τοῦ Κυρίου. *Th. & A.* τοῦ πεδίου Κυρίου.

17. אֲשֶׁר־שָׁם צִפֳּרִים יְקַנֵּנוּ חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ. A. - - - *ὄρνεα νοσσεύσουσιν· ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ, - - - aves nidificant: erodio abietes domus ei.* Sym. Ὅπου στρουθία νοσσεύσει· τῷ ἰκτῖνι βοράτ οἴκησις, *Ubi aviculæ nidulantur: milvo abies domicilium eſt*] Interpres Theodoreti, *Illic aves nidificabunt: erodii abietes domus ipſi. Erodio*] conſentit cum Græca vetere. Eſt autem ἐρωδιὸς genus Ciconiæ juxta nonnullos, quæ Ebraïcè חסידה vocatur, q. *pietaticultrix*; quod epitheton ei tribuit Petronius Arbiter. Suidas, Ἐρωδιός, εἶδος ὀρνέου, ἡ πελαργὸς λεγόμενος ἢ ὅμοιος αὐτοῦ. Chaldaicè vocatur hæc avis חוריתא ab *albedine*, q. λευκὴν dicas; & חיוא חוריתא, i. e. λευκερώδιος. *Aviculæ*] Vel *paſſeres. Milvo*] Hier. epiſt. ad Suniam, *Pro* herodio *Sym. ἰκτῖνον, i. e.* milvum, *interpretatus eſt. Denique & nos ità vertimus in Latinum*, Ibi aves nidificabunt; milvi abies domus eſt: *quod ſcilicet ſemper in excelſis & arduis arboribus nidos facere conſueverit. Unde & VI. editio manifeſtiùs interpretata eſt*, Milvo cupreſſus ad nidificandum. Idem addit ברושים *magis Abietes quàm Cupreſſos ſignificare.* Βοράτ] Rectiùs βοράθ בּרוּת. Sic Chaldæi *abietem* appellant. Ebræi dicunt ברוש & ברות. Reperitur & βράθη pro *abiete.* A βοράτ factum βορατῖναι, i. e. *abiegnæ*, Cant. 1. 17. in verſione Aquilæ.

18. לַשְׁפַנִּים. O. *τοῖς χοιρογρυλλίοις*] SAPHAN, inquit Hieronymus, *animal eſt non majus Ericio, habens ſimilitudinem Muris & Urſi: unde in Palæſtina ἀρκτόμυς dicitur. Et magna eſt in iſtis regionibus hujus generis abundantia; ſemperque in cavernis petrarum & terræ foveis habitare conſueverunt.* Idem ſcribit LXX. vertiſſe *πέτρα καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς*, quod interpretatur *petra refugium leporibus.* Sunt qui diſcrimen ponant inter λαγὼς & λαγωὸς, hoc poſterius *erinaceum* interpretantes. Sunt etiam qui tradunt *chœrogryllium* & *erinaceum* idem eſſe. Cæterùm vocabulum Ebraïcum שפן à *Lepore* manifeſtò diſtinguitur Deut. 14. Reperiò Levit. 11. שפן *δασύπους.* Eſt autem *δασύπους*, ut quidam volunt, *lepuſculus* ſive *cuniculus*, *λαγιδεὺς*, à Chaldæis טפזא dictus: quo vocabulo hîc uſus eſt autor Jeroſolymitanæ. Huc facit *Adapis* Hermolai, & *Dapſicon* Simeonis Sethi (ità *cuniculum* appellant) in quibus haud obſcura veſtigia vocis Chaldaïcæ *Taphza*, facili & uſitatâ mutatione *t* in *d*. Porrò שפן hoc ſignificatu occurrit in libro qui *Maſal Cadmoni* vocatur, pag. 39. Χοιρογρυλλίοις] Dicitur & *γύλιος*, ſi non fallit Suidas, cujus hæc ſunt, Γύλιος, τὸ ζῶον ὁ καλούμενος χοιρογρύλλιος. Plinius autor hiſtrices *ex erinaceorum genere* eſſe: ſed *hiſtrici*, inquit, *longiores aculei, &, cum intendit cutem, miſſiles.* Apud Albertum, *Succa, hiſtrix.* Fortè à *ſpinis* nomen: nam שכים *ſpinæ* in matrice linguarum; q. *ἀκανθόχοιρος*, eò quod ſpinis horreat. Prov. 30. 28. שפנים, LXX. *χοιρογρύλλιοι.* Juvat lectionem vulgatam quæ nunc in Græcis codicibus.

22. יֵאָסֵפוּן. Sym. *ὑποχωρήσουσι, ſecedent.*

24. מָלְאָה הָאָרֶץ קִנְיָנֶךָ. A. Sym. Th. *ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτήσεώς σου, impleta eſt terra poſſeſſione tuâ*] Apud Theodoretum, *Κτίσεως ἐξέδωκαν οἱ λοιποὶ* puto mendum eſſe. Si aliter eſt & ſi fallor, vertendum *creatione tuâ*, i. e. rebus à te creatis.

25. רְחַב יָדָיִם. A. S. Th. V. & VI. editiones, *εὐρύχωρος χερσὶν, ſpatioſum manibus.*

26. יְהַלֵּכוּן. A. *περιπατεῖ, ambulant.*

28. תִּפְתַּח יָדְךָ יִשְׂבְּעוּן טוֹב. A. *ἀνοίξεις χεῖρά σου, ἐμπλησθήσονται ἀγαθοῦ, Aperies manum tuam, implebuntur bono.* Sym. Ἀνοίξαντός σου τὴν χεῖρά σου, *χορτασθήσονται ἀγαθῶν.* Th. Ἀνοίξαντός σου τὴν χεῖρα, *πλησθήσονται ἀγαθωσύνης.* VI. ed. *τὰ σύμπαντα πλησθήσονται. - - -*

33. שִׂיחִי. A. *ὁμιλία.* Sym. *διάλεξις*] Interpres Theodoreti, *Eloquium, Sermocinationem Symmachus dixit; Aquila verò, Colloquium.*

AMAMA.

HIc Pſalm. videtur eſſe Davidis ob idem initium & finem. Eſt non tam Theologicus quam Phyſicus & Philoſophicus de univerſo mundi opificio. Lxx. *ψαλμὸς Δ. ὑπὲρ τῆς τοῦ Κόσμου συστάσεως.*

Tria ſunt objecta Sapientiæ quæ Deus vult aſpici & conſiderari. I. Deus ipſe (Naz.) *τὸ τῶν ὀρεκτῶν ἔσχατον καὶ πάσης θεωρίας ἀνάπαυσις.*

II. Eſt natura rerum creatarum. Mundus enim eſt (Baſ.) *παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ βίβλος ἔγγραφος ὑπαγορευομένη τὴν τοῦ Θεοῦ δόξαν.*

III. Virtutes, earumque exercitium.

Jam verò ut alibi concionantur Prophetæ & Pſalmi de Cognitione Dei, alibi de Bonis Operibus, ita hic de Creatione rerum quæ nos ducit ad Cognitionem Dei. Eſtque hæc viſio naturæ.

2. *Luce ſicut veſtimento*] Confer cum 1 Tim. 6. 16. *Deus habitat lucem inacceſſibilem quem videt nemo hominum aut videre poteſt.* Triplex viſio Dei. *Naturæ*, Rom. 1. 20. *Gratiæ*, Joh. 1. 18. & *Gloriæ*, 1 Joh. 3. 2. *Videbimus eum ſicuti eſt.*

Luce ut veſtimento] *Ut enim veſtis*, inquit Aben-Ezra, *prohibet quo minus aſpici queat corpus, ita hæc lux prohibet quo minus Deum videamus.* Alii vero hæc non exponunt de luce occultante, ſed manifeſtante & velut illuſtrante; *Sicuti ex purpura cognoſcitur Majeſtas Regis, ſic hac luce Deus ſe præbet cognoſcendum.*

נהורא] Unde Joſeph. c. הור *ſaggi nehor. OR & MAOR.*

Extendens.] Cœlorum creatio vocatur extenſio Eſ. 40. וַיִּמְתָּחֵם כָּאֹהֶל unde רָקִיעַ *expanſum.* Ut *aulæum*, Lxx. *ὡς δέῤῥιν.* Kimchi de *aere* vult intell. Sed nihil obſtat quominus de toto Cœlo accipiatur. *Rakiang* & *Schamajim* Syn. At dices *Rakiang* aliquando de infima Reg. aëris, ut Gen. 1. *Dividat inter aquas & aquas.* Reſp. etiam *Schamajim* Pſ. 8. Matth. 5. Locutio ex Parallelo *Expanſum Cœlorum.* Cabaliſtæ hæc de luce accipiunt de *X. Sephiroth*, ſeu numerationibus per quas Deus cuncta in hoc mundo gubernat & adminiſtrat. Illas vocant totidem veſtimenta Dei ex hoc loco & ſingulis ſingula nomina divina attribuunt

1	כֶּתֶר אֶהְיֶה	6	תפארת אלוה
2	חָכְמָה יהוה	7	נֵצַח יה׳ צבאות
3	בִּינָה provid. אֱלֹהִים	8	הוד אֱלֹהֵי צבאות
4	חֶסֶד אל	9	יְסוֹד שַׁדַּי
5	גְּבוּרָה אֱלֹהַי	10	מלכות אדֹנָי

3. *Qui contignat aquis*] Ut ſit abl. materiæ, qui ex aquis contignat cœnacula ſua, i. e. nubes quæ ſunt q. contignatio ſuper terram. Vel *in aquis*, q. d. qui mediam aëris Regionis diſtinguit in nubes, q. in totidem cœnacula ſua.

Hoc loco abutuntur quidam ut doceant ſupra cœlum 3. eſſe aquas. At confer verſ. 13.

עליה] Eſt *cœnaculum*, locus in ædibus ſuperior, ſic dictus שהארם עולה אליו LXX. *ὑπερῷα.*

Equitatum, vehiculum] Poëticè deſcribit Dei velocitatem.

4. *Angelos ſuos Spiritus*] Id eſt, Spirituales eſſentias non corporeas, ne hæc corporis ſaburra obſtaret velocitati & ignem flammantem, i.e. igneæ efficacitatis & energiæ ardentes in exequendis mandatis Dei.

Vel, *Angelos ſuos Ventos*] Creavit eos tales ut inſtar ventorum quam celerrimè moveantur ad exequenda Dei M.

Et miniſtros ſuos flammam ignis] Id eſt, tales ut inſtar ignis conſumere poſſint impios, ut in Exercitu Senacherib, unde putant eos dictos שְׂרָפִים *urentes*, Eſ. 6. Hæc interpretatio ut Angeli ſint quaſi ſubjectum probatur alleg. Pauli Ebr. 1. 7. ὁ ποιῶν τὺς ἀγγέλες πνεύματα καὶ τὺς λειτεργὺς ἀυτȣ̃ πυρὸς Φλόγα. R. Sal. Aben. & alii, quia totus Pſ. videtur loqui de natura viſibili & aſpectabili, intelligunt hunc verſum de Ventis & aliis Meteoris, & *Ruchoth* exponunt *ventos*, & ſic accipiunt ut Venti & Ignis ſint loco ſubjecti, qui utitur Ventis pro Angelis, qui utitur igne pro miniſtris. Sed obſtat primo auth. Pauli, 2. quod dicit מְשָׁרְתָיו cum debuiſſet ſic ſenſu *dici* מְשָׁרְתוֹ

5. *Super baſes ſuas*] Alibi dicitur *terra ſuſpenſa*. Vide quæ ad Pſ. 136. notavimus verſ. 6. Impropriè. Nam ſequitur עַל בְּלִי מָה. Super nihil, proprie dicitur ſuſp. non quod innititur rei alicui, ſed quæ dependeat ab aliquo. Sic dico, *ſuſpendere* præſupponit part. *à* vel *ab*, Fundare, *ſuper*. Quærunt Interpretes quæ ſint hæ baſes terræ. Plerique ſecuti Patres ajunt aquas eſſe fund. quomodo & Philoſoph. quidam priſci docuere terram aquæ ſicut ſtruem lignorum ſupernatare. Thales Mil. apud Ariſt. lib. 2. de Cœl. c. 13. Hæc opinio Patribus eo magis arriſit, tum quod viderent ſcriptum Pſ. 24. *Fundavit Terram ſuper aquas*. Tum quod crederent ſuperficiem terræ eſſe planam non rotundam; aut ſi rotunda, ab inferiore parte ab aquis non eſſe nudam. Non credebant enim eſſe Antipodas, hoc eſt in parte Globi nobis oppoſita habitare homines. Sic Lact. Beda, Procopius, Victor Antiochen. in Marcum & Auguſt. de Civit. Dei 16. 9. *Quod verò & Antipodas eſſe fabulantur, nulla ratione credendum eſt. Neque hoc ulla hiſtorica cognitione ſe didiciſſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando conjectant, eò quod intra convexa cæli ſuſpenſa ſit, eundemque locum mundus habeat & infimum & medium (Centrum.) Et ex hoc opinantur alteram terræ partem quæ infra eſt, habitatione carere non poſſe. Nec attendunt, etiamſi figura rotunda & conglobata mundus eſſe credatur, ſive aliqua ratione monſtretur, non tamen eſſe conſequens ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda ſit terra.* Hactenus Auguſt. Verebatur quippe Auguſt. ne eorum origo ab Adamo poſſit derivari. Præſupponit enim hic, impoſſibile eſſe à noſtro hæmiſphærio ad illos tranſire tramenſitate Oceani trajecta.

Joh. Avent. Ann. Bojorum lib. 3. docet Vergilium Juvanenſium Epiſcopum Mathem. peritiſſimum docuiſſe *Antipodas* eſſe. Bonifacium verò Germ. Apoſtolum vocaſſe eum in judicium quod impia dogmata aſſereret: & cognitionem cauſæ detuliſſe ad Zachariam Papam, qui in reſcripto ad Bonif. damnat eum, jubetque Vergilium Philoſophum, (non enim, inquit, agnoſco ſacerdotem) à Templo & Eccleſia arceri ſi perverſam illam doctrinam vellet confiteri.

Hæc omnia experientia confutat omnibus rationibus major teſtis. Pſalm. vero 24. quod attinet, quem diſerte hic citat Procopius, is nihil probat, terram aquis immerſam iiſque ceu fundamento innatare. Diſertè enim alibi. Fundavit, ſuſpendit terram ſuper nihil, 2. עַל poteſt accipi pro *juxta*, (Zanch. 2. 5. de Oper. Dei,) & pro *ſupra*, ut ſupereminentiam notet, ut ſit magis eminens, altior, quam mare. עַל *ſuper*, *op*, מֵעַל *ſupra*, *boven*, eminentiam, non contignitatem. Aqua naturaliter obrueret terram, & in prima creat. fuit eminentior. Sed die tertio hunc ordinem pervertit, & mari in terræ alveos & concavitates conjecto terram ſitu locoque altiorem conſtituit. Poteſt & עַל accipi pro magis quam in comparat.

II. *Baſin* eſſe *Centrum*. Atque ſic explicant quidam (Fullerus) locum Jobi בלימה. Ad Centrum omnes partes gravitate ſua nituntur. Ad centrum non poteſt dici Baſes in plur.

III. Eſſe *montes*.

IV. *Aërem*, in quo ponderibus æquis libretur.

V. *Omnipotentiam & Sapientiam Dei*. Has eſſe baſes & hæc eſſe fila & catenas à quibus dependeat, ut ita Pſaltes accommodant ſe captui populi. Ut enim quodvis ædificium fundamentum habet, ita videretur abſurdum ſi magnum hoc *opificium* fundamento careret Aben. מכונה כם תולד תח בכח השם על כן לא תמוט כי אין לה תנועה כי היא כלה קטנה כנגד השמים כנקודה כעגו לה

6. *Texeras eam*] 1. Reſp. ad hiſtoriam Creationis, 2. Diluvii, 3. Quotidianas inundationes. Sed ob verſ. 9. oportet vel de 1. vel de 2. accipere, ideo verti *Texeras*.

7. *Ab increpatione*] Mandato Dei. Per Proſopopœïan aquis tribuitur ſenſus.

A Tonitru] i. e. voce vehementiſſima & intonante.

יֵחָפֵזוּן] *Accelerárunt*, ſub. fugam, vel fugere לנוס plene ſic eſt 2 Sam. 4. 4. בחפזה לנוס.

8. Jun. *Conſcendebant per montes, deſcendebant per valles ad locum* &c.] Addidère particulam *per*, ne quis putaret *montes*, *valles* eſſe nominat. caſus. q. d. Dictum & factum eſt, quam primum mandavit Deus præcipites aquæ in ſuas ſtationes, nec obſtiterunt adverſi montes aut valles.

Alii ſic, *Aſcenderunt montes* (Nominat.) *deſcenderunt valles ad locum quem fundaſti iſtis*. Ut loquatur κατὰ δόξαν & apparentiam. Cum enim aquæ decreſcerent, videbantur quaſi aſcendere montes, ut verſus hic ſit παρενθ.

Alii poſteriora hæc, *ad locum quem fundaſti iis*, referunt ad præced. verſum, *feſtinarunt fugere*, ut prius hemiſtichium ſit παρενθετ. & locutio ſit κατὰ δόξαν.

מְקוֹם] Seq. אֲשֶׁר vel שֶׁ eſt in Reg. Gen. 39. 20. *Poſuit eum in domo carceris* מְקוֹם אֲשֶׁר אֲסִירֵי הַמֶּלֶךְ אֲסוּרִים. Lev. 4. 24. בִּמְקוֹם אֲשֶׁר יִשְׁחַט אֶת־הָעוֹלָה. Sic Eccl. 1. & Eccl. 11.

9. *Terminum*] R. Sal. חול אֲשֶׁר סָבִיב שְׂפָתוֹ. Confer Job. 38. 8. 10. 11. Jer. 5. 22. *Qui poſui arenam terminum mari ſtatutum perpetuum quod non præteribit.*

Redibunt] Hinc colligitur de prima facie terræ in creatione agi. Sic Aben. הזכיר כל ישובן לאות כי בתחלה היתה הארץ מכסה כמים At dicet aliquis in diluvio rediiſſe. Reſp. 1. Pſalmum hunc eſſe ſcriptum poſt diluvium ac proinde illud ſatis excludi. 2. Accipiendum hoc de Ordine Naturæ: illud autem extra Ordinem fuit. Sed & hæc verba, *non redibunt*, optime conſiſtunt cum Opin. 2. ut nim. hic reſpiciatur ad hiſtoriam Diluvii. Nam cap. 9. promittit ſe non amplius non fore amplius ut aquæ diluvii operiant univerſam terram.

10. Hactenus egit de creatione rerum ſuperiorum, uſque ad verſ. 5. deinde inferiorum, uſque huc. Jam tranſit ad novum narrationis locum de adminiſtratione ordinariâ Dei. Agitque primò de uſu aqu. inferiorum & ſuperiorum, 2. de uſu Diei & Noctis, 3. Maris.

Emittis] *Ex mari*, per occultos terræ meatus. Alii, *ex aëre*, in cavernis liquefacto & in aquam mutato. Eccl. 1. 7. *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant*. Hinc manifeſtum qua ratione mare non redundet continuo acceſſu tot fluv. & unde terræ ſuppetat quod ſufficiat ad continuandos fluv. curſus.

11. *Frangunt ſitim*] Id eſt, extinguunt. Sic de fame, unde frumentum שֶׁבֶר quod frangat tamen. Plenum extat Gen. 42. 19. *Vos ite & aſportate* שֶׁבֶר רַעֲבוֹן

12. עֳפָאיִם] Vulg. *Rupium*. Melius *frondium*.

13. *Qui irrigat*] Hactenus de fontana, jam de pluvia.

A fructu operum tuorum] Id eſt, arborum & cæterorum fructuum terræ. Sic Aben. הם האילנות. Sic Jun. At Piſc. intelligit *pluviam*, quæ quaſi fructus eſt Nubium, quæ revera ſunt opus Dei.

14. בהמה] Vox generalis extendens ſe ad omnia majora pecora domeſtica & ſylveſtria, *jumentum* reddunt, ut צאן ad minora animantia, *greges* dicimus.

בהמה & חיה cum junguntur, tum חיה ſign. *feram*, בהמה *cicures & domeſticas beſtias*.

לַעֲבֹדַת] Vulg. *ſervituti*, Jun. *Uſui*. Alii *per ſervitutem*, *per culturam*. Alii *pro ſerviunt*, i. e. prout colit agrum.

להוציא] *Ut depromant*, ſc. homines. Sic Jun. Vel *educendo*, ut non referatur ad homines, ſed ad Deum.

לחם] *Cibum*. Syn. ſpeciei, *Cibum*, i. e. herbas. Syn. generis, Panis, de *Melle*, 1 Sam. 14. 29. *Lacte*, Prov. 27. 27. *Pomis*, Jer. 11. 19.

15. *Vinum* (*quod*) *lætificat* &c.] Q. d. qui non tantum largitur vitam ſed & vitæ ſubſidia quælibet, neceſſaria, ut panis; utilia, ut vinum; jucunda, ut unguenta. Jun. *Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo, & pane cor mortalis fulcit.*

Piſc. *Et vinum*, (ſc. producendo) *quod lætificat cor hominis, nitidam efficiendo faciem ejus præ oleo.*

Quæ interpr. longe melior eſt, quia non eſt ב ſed מ, 2. quia continuatur ſermo de vino; primò enim non eſt copula. 2do non eſt futurum יצהיל ſed Gerundium à ſuperioribus dependens. Miror itaque cur hanc verſionem Angli in margine poſuerint.

שמן & יצהר differunt. יצהר propriè ſignificat *oleum*. שמן *omnem pinguedinem tam naturalem quam factitiam*. Naturalem, ut oleum & adipem: Factitiam, ut unguentum aromaticum. Jeſ. 28. 1. *Super vallem pinguedinis*, hic שמנה *pinguis*, & משמן *pinguedo*.

Si quis tamen malit amplecti priorem expoſ. ſciat apud Judæos uſitatiſſimam fuiſſe delibutionem capitis oleo ſeu unguento, elegantiæ & hilaritatis cauſa. *Duobus enim liquoribus*, inquit Merc. *in conviviis utebantur, Vino intus & oleo foris*. Huc alludit David Pſ. 23. *Impinguas caput meum oleo*. q. d. non tantum ſuppetis mihi omnia ad neceſſitatem pertinentia, ſed & ea quæ ad ornamen-

ornamentum & hilaritatem. Huc alluditur Pſ. 45. *Unxit te*, &c. *oleo lætitiæ*. Agitur ibi quidem de unctione ſpirituali, at alluditur huc, unde *oleum lætitiæ* vocatur. Ecc. 9. *Omni tempore ſint veſtes tuæ candidæ, & oleum ſuper caput ne deficiat, ſemper eſto hilaris & inculpatus.* Hinc in Luctu abſtinebant ab unctione. 2 Sam. 14. Joab ad mulierem Thekoenſem, *Age lugentem, indue pallium lugubre, neque ungitor oleo, & i ad Regem.* Sic & Phariſæi ut omnibus innoteſceret eorum rigida & abſtemia vita, quoties jejunabant, non ungebant ſe oleo, ſed obſcurabant facies ſuas, eaſque ad moroſitatem componebant. Math. 6. Contra vero Chriſtus ſuis jubet Σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαι τὴν κεφαλήν σου, i. e. *Externo hoc ſigno te oſtende hilarem ne ſciant te jejunare.*

Sed ut omnia Dona Dei ita & hoc ad luxum in populo Dei tranſlatum eſt, unde invectivæ multæ Prophetarum Amoſ. 6. ubi augetur crimen à circumſtantia temporis triſtis, *nec dolent cladem Joſephi.*

Fulcit pane] Alii de cibo, alii de pane propriè dicto, id eſt, qui ex tritico, ſecali, aliiſve frugibus conficitur. Sic Buc. & Genebr. *Ei tribuitur fulcire cor.* Unde *Baculus panis*, Lev. 26. 16 Ubi confregero baculum panis, ut appoſituri ſint vobis panem in pondere. Sic Jezech. 4 *Conteram baculum panis in Jeruſalem.* Eſai. 3. *Auferens ex Jeruſalem omne baculum panis & omne baculum aquæ.* Ubi utrumque pro quovis cibo & potu accipi poteſt. Id eſt, panem vel annonam quæ ad hoc ordinata eſt ut ſuſtentet vos & veſtræ vitæ quaſi fulcrum ſit. Vel non tollam quidam panem & potum; Relinquam vobis, ſed auferam ab eo facultatem alendi, ut comeſturi ſitis, ſed nullum alimentum inde ſitis percepturi, ut ſignif. vim illam arcanam pani inditam. Sed in Levit. & Jez. vix ſic poteſt ſumi, quia additur vox ponderis, quo non tam hoc quam ejus defectus innuitur.

סְעָד] 1 Reg. 13. 7. *Comedere*, *Veni mecum domum* וּסְעָדָה pro סְעָדָה Jun. *refice te.* סְעוּדָה Chald. & Rabb. *Convivium.* Plautus in Curcul. de pane & aſſa bubula loquens, *Hæc*, inquit, *ſunt ventri ſtabilimenta.*

16. *Arbores Domini*] Id eſt, altæ, excelſæ. Regula Kimchi. Sic alibi *Arbores Elohim*, *Cedri Elohim.* Pſ. 36. *Montes Dei.* Vel *arbores Domini*, i. e. ſponte productæ, quas non homo ſed ſolus Deus plantavit; quæ abſque cultura hominis emergunt. Inter quas aliquæ non tantum non patiuntur culturam ſed & cultura deteriores redduntur, ut Abies, Pinaſter, Celeſtrius.

Cedri] Multùm memorantur in Script Et Commend. à proceritate, 2. à diuturnitate, & imputribilitate; unde & apud Profanos,

Cedro digna locutus

apud Perſ. Et apud Hor.

Speramus Carmina pungi
Poſſe linenda Cedro.

Ex hac arbore deſudabat liquor quem Græci Κεδρέλαιον vocant, qua perungere ſolebant ea quæ diu conſervata à tineis & æternitati quaſi conſecrata voluere. Plinius ejuſmodi libros vocat *cedratos*, & eò alludit Ovid.

Nec titulus minio nec cedro charta notetur.

Cedro, i. e. *oleo cedrino.*

Lebanon] Ab albedine nivium, ut Alpes ab Albedine, Strabo, *Alpes prioribus ſæculis Albia dicti.*

17. Jun. (*Ubi nidificant aviculæ*) *abietes ciconiæ domicilia.* Piſc. *Ubi nidificant aviculæ, Ciconiam quod attinet, abietes ſunt domus ejus.* Sine Parenth. Sic & Tigur. Vulg. & Lxx. *Herodii domus dux eſt eorum.* ἡ κατοικία τοῦ ἐρωδιοῦ ἡγεῖται αὐτῶν, i. e. *Nidus ejus altior eſt aliis, & infra eum nidificant.* Leg. בְּרֹאשָׁם *In capite eſſe* & *in caudam eſſe* oppon.

בְּרוֹשִׁים] *Abietes.* Alii putant eſſe ſpeciem Cedri, quod 2 Chron. 2. numerentur inter eas arbores quas Salomo ab Hiram petit. Non putant autem veriſimile ut tam vile lignum adhibitum fuerit à Salomone.

חֲסִידָה] Lxx. & Vulg. *Herodius.* Sic & Aquila, Hier. & Symm. *Milvum.* ἰκτῖν. Recentiores fere omnes *Ciconia.* Atque huc flecti poſſunt, Lxx. Vulg. & Aq. Suidas enim dicit Ἐρωδιὸν eſſe εἶδος ὀρνέου ἢ πελαργὸς λεγόμενος ἢ ὅμοιος αὐτῷ. Arnob. & Auguſt. *fulicam*, ſed ea in aquis degit. Pro hac Interp. eſt Etymologia. Eſt enim à חסד *pietas*, *miſericordia*; Atqui Ciconiæ pietatem tribuunt Phyſici. Ajunt enim eas parentes ſenio confectas alere & humeris portare. Unde *Pietati-cultrix* Petronio vocatur. Et Græce ἀντιπελαργεῖν, q. d. *anticiconiare*, cum liberi, parentes ſenio confectos & pauperes alunt, & νόμος πελαργικὸς adverſus eos qui θρεπτήρια & alimenta parentibus egenis negarunt.

Ebræi R. S. Aben. Hiſcuni, Levi pro *Ciconia* ſumt. R. Salomo Levit. 11. 19. ſcribit ipſam vocem *Tzigonia*, dicitque ſic appellatam, *quod colat pietatem cum ſociis ſuis alendo eos.* Aben. *Eſt avis quæ ſtatis temporibus anni apparet ſic dicta à pietate.*

Negare tamen non poſſum quin Job. 39. ſignif. *Struthiocamelum*, per ἀντίφρασιν.

18. Ab arboribus tranſit ad montes domicilia variorum animalium.

יְעֵלִים] *Rupicapra* à ſing. יָעֵל quod eſt alterius formæ. Th. עלה quod conſcendant rupes. Lxx. ταῖς ἐλάφοις Vulg. *Cervis.* Pagn. *Ibicibus.* Sic & Leo Judæ. Alii *Damis.*

שְׁפַנִּים] Commune Interpr. eſt *Cuniculis*, ut & Prov. 30. juvat Onc. טפזא reddens Lev. 11. 5. i. e. cuniculus. Juvant & Lxx. τοῖς λαγωοῖς *Leporibus.* Ex Leporum enim genere ſunt cuniculi. Alii *Echinum*, alii *herinaceum* reddunt. Et teſte Hier. omnes Græci, exceptis Lxx. verterunt χοιρογρύλλιον, & ſic ipſi Lxx. quoque in Levit. ut habet Complut. Edit. Nam Rom. ibi habet δασύποδα. Hieron. autem judicium ſuum tale interponit. Sciendum eſt animal eſſe non minus hericio, habens ſimilitudinem muris & urſi. Unde & in Palæſt. ἀρκτόμυς dicitur, & magna eſt ejus generis in iſtis locis abundantia, ſemperque in cavernis petrarum & terræ foveis habitare conſueverunt.

Pag. *leporibus*, Arias *cuniculis.* Jun. & Trem. moti ut videtur authoritate Hieron. *murem montanum* ubique interpretantur. Ut ut ſit, Pro *Lepuſculo* vel *Cuniculo* eſt antiquitas, & eò inclinat Druſius in Annot. quia Deut. 14. jungitur cum Arnebeth congenere animali, quia Ericium vel Erinaceus vocatur potius קִפֹּד. &c.

19. *Lunam in* מוֹעֲדִים] Quod Gen. 1. & Soli & Lunæ tribuit, hic Lunæ tribuit. Sunt verò ſtata tempora, Ver, æſtas &c. Alii ad feſta referunt, Paſcha. Alii, *in tempora* ſimpl. εἰς καιρούς. Sic & Jeroſol. Gen. 1. Hier. Santes, i. e. temporum diſtinctiones. Anni dividuntur in Menſes quos Luna monſtrat. In hunc finem ut ex obſervatione motus ipſius deſcriberentur primò menſes & ex menſium collectione anni. Alii ad tempora ſationis & meſſis referunt.

Sol novit] Proſop. ob perpetuam oriendi & occidendi Legem. Ob inerrantem & ratum certumque ejus curſum. Novit quouſque decurrendum ſit, ubi occidendum. NB. בוא de Sole ſignif. *Occidere* quod ingredi videatur mare terraſque ſubire, Græci δύειν ὑπὸ γαῖαν. Contr. eſt זרח & יָצָא. Cum jungitur cum על הארץ ſign. *Oriri.*

Hinc nomem מבוא *occaſus.* Sign. vel Locum vel Tempus. Locum, Pſ. 113. *Ab ortu Solis ad occaſum.* Tempus, ut hic. Certe Chald. habet עִדָּן מַשְׁקְעֵיהּ. Sed utroque modo accipi hic poteſt.

20. *Tenebras ut ſit nox.*] Confer Gen. 1. *Nox & Tenebræ* confund. Sic *Dies & Lux.* *Centeſima lux eſt hodie ab interitu Clodii.*

De utilitate viciſſitudinis diei & noctis quam percipiunt homines & beſtiæ, hominibus & beſtiis manſuetioribus dies deſtinatus, feris noctis ſilentia, ut minus nocerent hominibus.

21. כְּפִירִים] *Ætates*, גור σκύμνος aut λεοντιδεύς. 2. כפיר λεοντίσκος. 3. אַרְיֵה λέων. לָבִיא χάροπ. לַיִשׁ λίς.

A Deo] Quaſi Deum agnoſcant conditorem & ſuſtentatorem tacito quodam ſenſu, & cibum dantem omni carni.

22. Loq. de eo qui fieri debet. Non de illis qui diurnos actus noctibus, nocturnos diebus trajiciunt, qui Solem Orientem & Occid. & qui lucis noctis officia pervertunt. Qualis illorum conditio dicitur, qui adverſa nobis premunt veſtigia.

Noſque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis
Illis ſera rubens accendit lumina veſper.

Talis horum hominum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt.

23. Ad עֲבֹדָתוֹ] *Culturam, agriculturam.* Ego retulerim ad omnia honeſta negotia pro uniuſcujuſque vocationis. Lxx. εἰς τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ, Lego Negotium. Deus nullum in hoc mundo creavit otioſum. Cuique impoſuit ſuum onus, & munus. Huic ut regat, illi ut doceat, iſti ut artem mech. exerceat; alii ut alia præſtet. Hæc munia non licet pro libitu vel obire vel negligere, *Maledictus ſit qui opus Domini facit fraudulenter.* Et vocatur *Servitus*, quæ excludit libertatem diſſolutam. Jam conferantur alia loca, Eſ. 5. *Væ iis qui mane ſurgunt ut ſectentur potum inebriantem & prorogantibus uſque ad crepuſculum ut vinum incendat ipſos.* Hi ſunt illi qui plane præſtant contraria. Ut & illi qui noctem vertunt in diem, diem in tenebras. Neutri enim præſtare poſſunt id quod Deus voluit ab ipſis præſtari, Illi aliud agendo, hi dormiendo, i. e. nihil agendo. Sed optandum eſſet ſic ſubſiſtere quorundam impietatem & Atheiſmum. Reperiuntur enim apud nos Nerones, qui Neroniani magis quam Chriſtiani dici merebantur. Sic enim de eo Tacitus Ann. lib. 13.

24. Ad Exclamat. Ex perpetuitate creationis intelligitur Creator æternus; ex magnitudine omnipotens; ex ordine & diſpoſitione ſapiens; ex gubernatione bonus.

25. *Latum* יָדַיִם *ſpatiis*] Sic Eſ. 22. *De terra.* Lxx. εὐρύχωρος.

26. *Li-*

26. *Liviathan*] Balæna, Draco marinus, cete, delphinus. Alii volunt eſſe nomen certæ ſpeciei, alii generis. Thema habet לָוָה *addidit*, *cohæſit*, quod ejus membra & ſquammæ arctè cohæreant.

Ad ludendum cum eo] R. David *in eo*. Sic Jun. Optimè: ut ſe moveat & exerceat. Alii ב pro ממנו de eo ut homines ludant de eo, *Illudant ei*, ut Vulgatus, ut de eo capto quaſi triumphum agant. Rabbini, *cum eo*. R. Sal. *tribus vicibus in die*, ut dixere *Rabbothenu*. Reſpicit ad Thalmudicam fabulam, quam etiam inſeruit Libro ſuo Pſeudo-Ezras lib. 4. 6. Ajunt enim Thalm. Deum die 5. creaſſe duos piſces interminatæ ferè magnitudinis, Leviathan appellatos, quorum corporum vaſtitatem cum Deus ſecum perpenderet, veritus ne omnium piſcium genus à tam magnis piſcibus deglutiretur, & ne ab ipſis mare univerſum navigiis invium redderetur, & ſic humani generis commercia plane tollerentur, ſi ex iis proles propagaretur, occidit femellam & ex iis ſalitis carnibus delicatiſſima ſalſamenta paravit juſtis & electis ſuis poſt hanc vitam comedenda; Maſculum vero ſibi reſervavit, ut cum eo tribus horis in die luderet, juxta illud Pſ. 104. Confirmant idem ex ſcriptura nominis תַּנִּינִם ubi alterum Jod eliſum ac proinde vox mutilata eſt, unde colligunt & ſpeciem mutilatam eſſe תנים גדלים שבים ובדברי אגדה הוא לויתן ובן זוגו שבראם זכר ונקבה והרג את נקבה ומלחה לצדיקים לעתיד לבא שאם יפרו וירבו לא יתקים העלם לפניהם.

Simile referunt de Behemoth & Ziz. Vide ad Pſ. 50. ubi notavimus locum ex Aben. Intelligenda hæc eſſe ſpiritualiter.

Introducit navigationem ceu rem mirabilem. Navium uſum primò Deus monſtravit in Arca navali Noë, poſtea audax Japeti genus auſum eſt ſe credere tranſtris & replere orbis Inſulas. Quam audaciam mirati vehementer Veteres ſunt. Horat.

Illi robur & æs triplex
Circum pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus.

Et alius,

I nunc & ventis animam committe, doloſo
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem ſi ſit latiſſima tæda.

Sumpta ex Apoth. Anacharſidis. *Rogabat quendam quæ eſſet ſpiſſitudo tabularum nauticarum, Reſpondebatur 4. tantum, inquiebat, abſunt à morte qui navigant.*

Ambulant] Cato in Re Ruſtica, *fundus in eo loco habendus ubi oppidum amplum ſit, & mare ſeu amnis quo naves ambulent.* Saluſt. dixit, *naves progredi*, & Hom. νῆας ποντοπόρους. Druſ. Quæſt. 3. 59.

בְּחָכְמָה] PP. quidam hoc accepere de Filio Dei qui vocatur *Sapientia Patris*. Sic Jeroſol. illud בראשית expoſuit בְּחָכְמְתָא *in Sapientia*, i.e. expoſuit in Filio, quia & alii Patres ignorantes hanc Paraph. τὸ ἐν ἀρχῇ expoſuere *in Filio*. *Quia Filius*, inquit Orig. *eſt principium omnium rerum.* Et Auguſt. *Quid eſt in principio? an in pr. Temporis? an in pr. i.e. in ſapientia Dei. Quia & ipſe Chriſtus principium ſe dixit, quando dictum ei quis es? & reſpondit, Principium quod & loquor vobis.* Locus eſt Joh. 8. ubi τὴν ἀρχὴν adverbialiter poſitum eſſe, Druſ. & Beza notârunt. Hilarius, *dicit in Ebræo eſſe in Filio.* Huc referunt multi illud Pſ. 40. *In principio libri ſcriptum eſt de me.*

Τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Senſus, Ego ſum id quod initio vobis dixi; Nonnus doctiſſ.

Τίς σὺ πέλεις; καὶ χριςὸν ἀνιάχεν, ὅτι πὲρ ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ὀάριζον.

29. *Colligis ſpiritum eorum*] Ut in Zoph. *Colligam omnia volatilia*, id eſt, perdam, annihilabo. Hoc qui non obſervârunt & expoſuerunt colligis in locum unum, colligis ad te, hinc collegerunt animas beſtiarum poſt mortem ſubſiſtere & permanere. Illoſque vocat אַנְשֵׁי מֶחֶקֶר, At אשר חשרה inquit, docet quod הַכְּלָלִים שְׁאֵרִי׳. וּפְרָטִים אוֹבְדִים *ſp. conſerventur, at Individua plane pereant.*

30. *Emittis ſpiritum tuum*] Nec de hominum nec de beſtiarum animabus puto hic agi, ſed de renovatione terræ naſcentium. *Emittis Spiritum tuum*, i.e. vigorem novum & vitam indis plantis & herbis, qui vocatur Spiritus Dei quod ipſe eum indat, ſic anima vocatur hominis & Dei quod Deus eam dederit.

Creantur] Quod illa perpetuitas & conſervatio ſpecierum aſſidua quaſi creatio eſt.

Halelujah] Eccl. Græca hanc vocem retinuit, Lxx. & Apocalypſis, Ideo & Interpretes. Non tantum ſignif. *Laudate Deum*, vel ut Theod. αἰνεῖτε τὸ ὄν. Sed plus ſignif. unde Juſtinus Martyr ὑμνήσατε μετὰ μέλους τὸ ὄν. In הלל enim eſt ſign. lætitiæ, unde הלל *gaudium* בית הלולא domus genialis & Thalamus. Ergo, *Laudate Deum cum jubilo & lætitia.*

GROTIUS.

IPſi David] Non eſt in Hebræo: ſed cujuſcunque eſt hic Pſalmus, eſt Poëtæ egregii.

2. *Extendens cœlum ſicut pellem*] Ὡς δέῤῥιν, [*ſicut pellem*] In Græco hic; nec aliter citat ſcriptor Dialogi Philopatridis qui additur Luciani operibus: quanquam antiquior videtur eſſe, & ſcriptus temporibus Trajani. Eſt autem יריעה pars tentorii, quod ex pellibus fieri ſolebat. Hinc δέῤῥιν, [*pellem*] dixêre Græci. Tales partes funibus ſuſtineri ſolebant. Sic & cœlum Deus ſuſtinet arcanis modis. Vide Geneſ. 1. 6. & ibi dicta.

4. *Qui facies Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*] Sunt enim Angelorum alii aërei, alii ignei, qui, tam boni quàm mali, dicuntur *Seraphim*. Eſſe Angelis corpora, ſed ſubtiliſſima, non Pythagoræ tantùm & Platonis Schola ſenſit, ſed & Judæi veteres & veteres Chriſtiani. Intelligentiarum ab omni materia ſecretarum faber eſt Ariſtoteles, quem nimis προπετῶς, [*præcipiti curſu*] in rebus Theologicis multi ſequuntur.

15. *Et vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo*] Magna hæc dona, quorum cultores Græci in Deos retulêre. Plinius 14. 22. *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius.* Confer ea quæ ſunt Jud. 9. 8. 9. 12. 13.

26. *Draco iſte.*] *Leviathan.* De quo Jobum vide.

22. *Auferes ſpiritum eorum*] Sic Græci. At in Hebræo eſt *ſpiritum tuum.* Omnis vita à Deo. Hebr. 12. 9. Eam ubi adimit, dicitur *eam ad ſe recipere.* Eccleſ. 12. 7. Job 34. 14.

30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur*] Id eſt, naſcentur. Par loquendi genus ut id quod præceſſit, & ex pari cauſa. Sublimiori ſenſu ad Reſurrectionem hoc referunt etiam Hebræi.

PRICÆUS.

18. F*Errum pertranſiit animam ejus*] Vincula ejus mœrore ſummo affecerunt animam ejus. Tale Luc. 2. 35. illud, τὴν ψυχὴν σου διελεύσεται ἡ ῥομφαία.

20. *Miſit Rex, & ſolvit eum*] Ut alter ille Rex Danielem (6. 23.) Vide & Act. 16. 35.

12. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ*] Philo in eodem argumento, τὴν ἐπὶ τοῖς ὁμοδούλοις ἀρχὴν παραλαμβάνει, καὶ συμπάσης τῆς οἰκίας τὴν ἐπιμέλειαν.

25. *Et dolum facerent in ſervos ejus*] Græci heic, δολιοῦσθαι. Act. 7. 19. in argumento eodem, κατασοφίζεσθαι ad quem locum quæ diximus vide.

IDEM.

7. I*N univerſa terra judicia ejus*] Ità 8. 10. *Quàm admirabile nomen tuum in univerſa terra!*

13. *Pertranſierunt de gente in gentem*] Γῆν (ut apud Sophoclem) πρὸ γῆς ἐλαύνοντες. Vide infrà 108. 10. ubi *transferri* quod hic *pertranſire*.

14. *Corripuit pro iis Reges*] Hæc gloria ſanctorum ejus, ut infrà 149. 7. ubi & commata præcedentia vide.

16. *Vocavit famem ſuper terram*] *Vocavit*, induxit. Sic Jerem. 4. 20. Ezech. 36. 29. & alibi.

Ibid. *Firmamentum panis*] Suprà 103. 15. *Et panis, ut cor hominis confirmet*: ad quem locum in alteris Annotatis diximus.

18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*] Τοὺς πόδας αὐτοῦ (ut Act. 16. 24.) εἰς τὸ ξύλον ἠσφαλίσαντο· ubi dicta vide.

21. *Conſtituit eum, &c. Principem omnis poſſeſſionis ſuæ*] Lxx. τῆς κτήσεως αὐτοῦ· id eſt, τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ, ut in ſimili planè locutione Matth. 24. 47. Quin & Heſychio Κτήματα, (quæ heic κτῆσις) πάντα τὰ ὑπάρχοντα.

22. *Ut erudiret Principes ejus ſicut ſeipſum*] i.e. (ni fallor) & ſeipſum, (Regem nempe) & magnates aulæ ejus.

27. *Poſuit in iis verba ſignorum ſuorum*] Illorum verbis denunciavit prodigia ſua paulò pòſt ſecutura.

28. *Et non exacerbavit ſermones ſuos*] Lxx. *& exacerbaverunt ſermones illius:* παρεπίκραναν, i.e. παρώργισαν. Contemnendo denunciationes ejus, ad majorem eum iram concitaverunt. At forte rectius eſſet παρεπίκρανε. Deus nempe: q. d. aſperiores adhuc minas (vel pœnas) intentavit iis.

30. *In penetralibus Regum ipſorum*] In penitiſſimis ædium partibus, in angulis vel obſcuriſſimis. Unde & bene in vetere Onomaſtico, *Penetral*, μυχός. *Regum ipſorum*, pro *ipſius Regis*; niſi fortè locutione eà & dynaſtæ complectendi.

38. *Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos*] Pavore non diſſimili Geraſeni conſternati, orârunt Chriſtum, è finibus eorum excederet, Matth. 8. 34.

PSALM. CV.

MUNSTERUS.

8. FOEderis ſui] Conditiones & leges fœderis erant, ut *ipſe eſſet eorum Deus, atque ipſi eſſent populus ejus.* Iniit autem fœdus cum Abraham Gen. 17. & cum Jizhac Gen. 26. & cum Jacob Gen. 27, & 28. Et nota quòd aliquando ſcribitur ישחק pro יצחק.

11. *Sortem*] Heb. *funiculum*, uſurpando menſurans pro re menſurata.

14. *Corripuit propter eos Reges*] Id patet in Abimælech Gen. 12, & 20, & 26. Itemque in Pharaone habetur apertum exemplum.

16. *Baculum panis*] Hebraïſmus eſt pro *ſuſtentatione panis.*

18. *Ad animam ejus*] Frequens eſt in Hebraïſmo ut *anima* accipiatur pro ipſo *corpore animato.* Vincula enim ferrea animam ligare non poterant, ſed corpus.

22. *Poteſtatem haberet*] Quidam accipiunt לאסר pro *ligare* & *in carcerem conjicere*; alii verò accipiunt pro יסר *caſtigare & erudire.*

28. *Non fuerunt rebelles*] Hæc verba referuntur ad *Moſen & Aharon*, qui paruerunt verbo Dei, & illi inobedientes non fuerunt.

36. *Primitias omnis virtutis eorum*] Vocat Hebraïſmus id quod primùm aperit parentis uterum *primam virtutem*, vel *primitias virtutis.*

VATABLUS.

1. COgnoſcere facite הודיעו] *Nota facite. Prædicate.* ¶ *Opera ejus* עלילותיו] *Egregia facinora ejus.*

4. *Et fortitudinem ejus* ועזו] Arcam fœderis vocat hic *fortitudinem Dei*, quòd in ea virtus Divina ſe exhiberet. ¶ *Faciem ejus* פניו] Et hic *facies Dei* pro *Arca* ponitur, quod in ea Deus erat pollicitus ſuam præſentiam. q. d. Convenite in eum locum ubi Deus coli ſolet.

8. *Memor fuit in ſeculum* זכר לעולם] *Perpetuò meminit.*

9. *Ad Ishac* לישחק] Quod fecit *de Iſahac*: vel, *pro Iſahac.* Nam legimus, *In Iſahac vocabitur tibi ſemen*, Gen. 21. 12.

10. *Et ſtatuit illud ipſi Jaacob in ſtatutum* ויעמידה ליעקב לחוק] Ad verb. *Et ſtare fecit illud ipſi Jaacob in decretum*: i. e. fœdus illud ratum fecit ipſi Jaacob, ita ut habeatur vice legis.

11. *Funiculum hæreditatis veſtræ* חבל נחלתכם] Mutatio perſonæ, pro *ſortem poſſeſſionis tuæ. Funis* pro *hæreditate.*

12. *Viri pauci numero* מתי מספר] Ad verb. *homines numeri*, i. e. cùm adhuc poſſent numerari præ paucitate. ¶ *Et pauco tempore peregrini* כמעט וגרים] Ad verb. *quaſi modicum, & peregrini.* Quidam vertunt, *admodum pauci, atque advenæ.* Alii jungunt præcedenti nomini, ſic, *viri numero pauci, & advenæ.*

14. *Et corripuit* ויוכח] *Sed coarguit.* Alii, *& caſtigavit.*

18. Et in *ferrum venit anima ejus* ברזל באה נפשו] *Ferrum ingreſſum eſt animam ejus. Animam* pro *corpore* poſuit, quòd afflicto corpore affligatur & anima: q. d. Corpus ejus vinctum fuit catenis.

19. *Verbum ejus* דברו] Hebraïſmus, pro, *id quod Deus decreverat de ipſo Joſeph*: & tum *oraculum Dei*, i. e. interpretatio ſomnii Pharaonis immiſſa à Deo, reddidit illum probatum ipſi Pharaoni. ¶ *Purgavit eum* צרפתהו] *Examinavit eum, probavit eum*, nempe ut probatur argentum.

22. *Ut alligaret* לאסר] *Ad vinciendum*, i. e. ut in vinculis etiam contineret Principes viros ut priùs detentus fuerat. Alii, *ad erudiendum*, à יסר. ¶ *Secundum animam ſuam* בנפשו] Hebraïſmus pro arbitrio ſuo. ¶ *Sapientes efficeret* יחכם] *Sapientiam doceret.*

27. *Verba ſignorum ejus* דברי אתותיו] Hebraïſmus, pro, *facta*, vel *res ſignorum Dei*: h. e. miracula ediderunt Moſes & Aharon inter Ægyptios.

28. *Neque repugnarunt* ולא מרו] *Neque rebellarunt.*

30. *Edidit* שרץ] *Produxit.*

31. *Congregatio mixta beſtiarum* ערוב] *Feræ omnis generis.* Vel, *turba miſcellanea ferarum.* Alii, *inſectum.* Alii, *miſtura*, ſub. *inſectorum.*

32. *Dedit pluvias eorum grandinem* נתן גשמיהם ברד] *Poſuit imbres eorum grandinem.* Hebraïſmus, pro, *Deus vertit imbres eorum in grandinem.* Vel, *pro pluvia dedit grandinem.* ¶ *Flammarum* להבות] Hebraïſmus, pro *conflagrantem & urentem.*

35. *Et comedit* ויאכל] *Et depaſtus eſt, devoravit.*

36. *Primitias*, &c. ראשית לכל אונם] Ità circumloquitur primogenita quæ ſolent gigni cùm parentes valent viribus.

37. *Debilis* כושל] *Infirmus, impingens.*

39. *In tentorium* למסך] *In operimentum.*

40. *Et adduxit coturnices* ויבא שלו] *Et venire fecit coturnices.*

41. *Abierunt* הלכו] i. e. Defluxerunt, decurrerunt.

42. *Verbi ſanctitatis ſuæ* דבר קדשו] i. e. Promiſſiones ſuæ ſanctæ quàm fecerat ad Abraham.

44. *Poſſederunt* יירשו] *In hæreditatem acceperunt.*

CASTALIO.

15. VAtibus] Nam Abrahamum vocat *vatem* Deus, Gen. 20. & Jacobus moriens vaticinatur.

22. *Senatores erudiret*] Facienda præſcriberet.

23. *Peregrinatus eſt Jacobus in terra Chamea*] Chamus pater fuit Miſraïmi, à quo Ægyptii.

CLARIUS.

INvitat ad laudandum Deum apud Arcam fœderis, & memorat Dei beneficia in populum ſuum.

8. *Quod mandavit in mille generationes*] h. e. Quicquid promiſit conſtantiſſimè ſervabit, etiamſi mille ſibi mutuo generationes ſuccedant.

11. *Funiculum*] Uſurpat menſuram pro re menſurata.

14. *Corripuit pro eis Reges*] Quod patet in Abimelech Gen. 12, 20, & 26. itemque in Pharaone habetur apertum exemplum.

16. *Firmamentum panis*] Heb. *baculum panis*, pro *ſuſtentatione panis.*

18. *Ferrum pertranſiit animam ejus*] Frequens Hebraïſmus eſt ut *anima* accipiatur pro ipſo *corpore animato.* Vincula enim ferrea animam ligare non poterant, ſed corpus.

19. *Donec veniret verbum ejus*] h. e. Uſque ad tempus quo id venit quod decretum illi à Deo fuerat, ſermo videlicet ille quem ſuggeſſit illi Dominus, qui & liberavit illum, &c.

25. *Convertit cor eorum*] *Immutavit animos illorum*, nempe Ægyptiorum, *ut odio proſequerentur populum ſuum.* Immittit enim Deus ſuis qui eos exerceant, ubi obſervandum, Omnem hominum & favorem & odium ſub imperio Dei contineri.

28. *Et non exacerbaverunt*] Vel, *non fuerunt rebelles ſermonibus ejus.* Hæc verba referuntur ad *Moſen* & *Aaron*, qui paruerunt verbo Dei.

46. *Primitias omnis virtutis eorum*] Pro quibus ſcilicet laboraverunt. Alius vertit *primitias omnis virtutis.* Vocat enim Hebraïſmus id quod primum aperit parientis uterum *primam virtutem*, vel *primitias virtutis.*

41. *Decurrerunt in ſicco flumina*] *Aqua labebantur inſtar fluminum per loca arentia.*

LUCAS BRUG.

38. LAtinorum codicum quidam habent, *Et infecta eſt terra in ſanguinibus.* Alii, *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus.* Inter Expoſitores Nicolaus Lyranus & Petrus Herentalenſis *infecta* legunt; Arnobius, Proſper & Caſſiodorus *interfecta*: Auguſtinus, *Putaremus*, inquit, *hic ſcriptoris errorem eſſe, atque eum diceremus pro eo quod eſt* infecta, *feciſſe* interfecta, *niſi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas ſuas in multis linguis eſſe voluit, atque ità eſſe ſcriptum*, Interfecta eſt terra in ſanguinibus, *inſpectis Græcis codicibus videremus.* Sic S. Doctor Auguſtinus. Καὶ ἐφονοκτονήθη ἡ γῆ ἐν τοῖς αἵμασι eſt Græcè. Φονοκτονεῖν, *interficere* denotat, quamobrem veriſimile eſt *interfecta* Interpretem tranſtuliſſe. Neque id videtur ab Hieronymo veteris editionis caſtigatore in *infecta* mutatum, cùm, ut plerique, ità & integerrimi quique eorum librorum quos ex Hieronymi emendatione habemus, *interfecta* legant. Nos id ſanè in noſtris exemplaribus animadvertimus. Sed & Epanorthotes & Reverendiſſimus Lindanus hoc ipſum in ſuis codicibus obſervaſſe videntur: hic enim legit, ille legendum docet *interfecta.* Complures etiam poſteriorum Enarratorum ad hunc legunt modum; Haymo, Beda, Remigius, Turre-cremata, Ludolphus, Bruno, Pampolitanus, Carenſis, Richelius, Paſtura. Intelligunt autem iſtud, poſt Auguſtinum, per metonymiam, de terræ habitatoribus, qui interfecerunt trucidaruntque animas ſuas, effundendo idoliſque offerendo ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum. Cæterùm & de terra ipſa non malè intelligatur: fit enim populi peccatis terra ſterilis, & quaſi eſt mortua, quæ non parit quos ſolita eſt fructus. Hæc igitur noſtræ editionis germana videtur lectio, *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus.*

Porrò vox Græca ἐφονοκτονήθη non minùs rectè transferatur, *infecta*:

infecta: nam quanquam Φονοκτονεῖν *interficere* denotet, nonnunquam tamen pro *inficere*, idque cæde præſertim, ponitur. Exemplum eſt Num. 35. 33. καὶ ȣ̓ μὴ φονοκτονήσητε τὴν γῆν, ἐφ' ἧς ὑμεῖς κατοικεῖτε ἐπ' αὐτῆς· τὸ γὰρ αἷμα τȣ̃το φονοκτονεῖ τὴν γῆν, *Et ne polluatis terram in qua habitatis: hic enim ſanguis terram polluit.* Multi itaque ex Græco Interpretes vertunt, *Et infecta eſt terra in ſanguinibus.* Quin & Euthymius Græcus Enarrator id notare videtur, ἐφονοκτονήθη hoc in loco idem eſſe quod *cæde infecta.* Videtur, inquam; nam ambigere nonnihil facit verſio. Denique Græcus Poëta Appollinaris hoc illud modo accepiſſe videtur: ſic namque canit,

Αἵματι δ' ὀλλυμένων ἐρυθραίνετο πάντοθεν αἶα,
Sanguine cæſorum rubefacta eſt undique terra.

Ex Hebræo noſtræ ætatis Interpretes *infecta* ſeu *polluta* conſtanter transferunt. Chaldæus Paraph. ſimiliter, ואסתאבת ארעא בחובין דקטול, quod eſt, *& maculata eſt terra peccatis homicidii.* D. Hieronymi quædam exemplaria legunt, *Et polluta* [*contaminata* O.] *eſt terra * ſanguinibus* [* *in* 1 MS. R.] quædam, *Et adulterata eſt terra per ſanguinem*: illo noſtra pleraque, hoc modo, cum Epanorthote, Lobienſis cœnobii antigraphum, tametſi & alteram annotet lectionem. *Adulterata* autem potiùs ex נאף eſſe videtur quàm ex eo quod nos habemus חנף: quanquam חנף etiam *impiè agere* ſignificet: unde in Lexico Pagninus, *Et impiè egit terra in ſanguinibus*, exponit. Illo Numerorum loco eadem eſt vox חנף, quam eo loci Latinus Interpres *polluere* & *maculare* tranſtulit; *Ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur*: ſed & alibi ſimiliter interpretatus eſt. Rectè igitur, & juxta Græcos, & juxta Hebraïcos libros legatur, *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*; quomodo tria Romani Pſalterii antigrapha concorditer legunt. Verùm, uti diximus, videtur (ſalvo judicio meliori: nam diverſas legimus hac de re diverſorum ſententias) noſtræ editionis genuina lectio, *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus.* Porrò ut Græca vox ἐφονοκτονήθη pro *cædibus infecta* poteſt accipi, ſic & Latina, quæ ex ea tranſlata eſt, pro *interfectionibus maculata* accipi poſſit.

Iſaiæ 24. 5. Eadem eſt in noſtra editione lectionis varietas. Quidam typis excuſorum codicum habent, *Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis.* Quidam, cum pleriſque omnibus MSS. noſtris, *Et terra interfecta eſt ab habitatoribus ſuis*: atque eſt Hebraïcè vox eadem חנף, quam eo loci Chaldæus & LXXII. reddiderunt *peccavit* ſeu *impiè egit.*

DRUSIUS.

1. קִרְאוּ. Sym. κηρύσσετε, *prædicate.*
3. הִתְהַלְלוּ. A. καυχᾶσθε, *gloriamini.*
18. בַּרְזֶל בָּאָה נַפְשׁוֹ. Sym. εἰς σίδηρον ἦλθεν ἡ ψυχὴ αὐτȣ̃, *in ferrum pertranſiit anima ejus.*
20. מֹשֵׁל עַמִּים. A. Sym. ἄρχων λαῶν, *Princeps populorum.* Th. ἄρχων λαȣ̃, *Princeps populi.*
28. וְלֹא מָרוּ אֶת־דְּבָרוֹ. A. καὶ ȣ̓ προσήριζαν —— Sym. καὶ ȣ̓κ ἠπείθησαν. Th. & V. ed. καὶ ȣ̓ παρεπίκραναν. VI. ed. ut Lxx. καὶ παρεπίκραναν τȣ̀ς λόγȣς αὐτȣ̃.
29. וַיָּמֶת. A. & Sym. καὶ ἐθανάτωσεν. Th. & VI. ed. καὶ ἀπέκτεινε, *& occidit.*
35. וַיֹּאכַל פְּרִי אַדְמָתָם. A. καὶ ἔφαγον καρπȣ̀ς χθονὸς αὐτῶν, *& comederunt fructus terræ ſuæ.* Sym. καὶ ἐξέφαγον πᾶν γέννημα τῆς χώρας αὐτῶν, *& comedendo abſumpſerunt omnem fructum regionis ſuæ.* Th. καὶ κατέφαγον τὸν καρπὸν τῆς γῆς αὐτῶν, *& comederunt fructum terræ ſuæ.*

AMAMA.

Egitur uſque verſ. 18. 1 Paral. 16. Ejuſdem fere argum. cum Pſ. 78. quoad hiſtorica.

1. [בִּשְׁמוֹ] קרא Activum cum ב, *invocare.* Sic de Abrah. ויקרא בשם יי Gen. 12. 8. Sed Paſſivum ſic conſtr. ſign. *denominari.* Eſ. 40. 1. 43. 7. 65. 1. Quo referendum Gen. 4. ult. לקרא enim ibi pro לְהִקָּרֵא.

קראו בשמו] Duobus modis poteſt exponi,

I. *Prædicate* (Luth. *Prediket*, Sym. κηρύσσετε) *nomen ejus*, vel *de nomine ejus.*

II. *Invocate nomen ejus.* Lxx. ἐπικαλεῖσθε τὸ ὄνομα αὐτȣ̃. Gen. 12. 8. ויקרא אבשם Luth. *Predikte van de naem des Heeren.* Cæteri, *invocabat.* Ch. וְצַלִּי. Lxx. ἐπεκάλεσεν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τȣ̃ Κυρίȣ. Sic Gen. 4. ubi accedit & tertia, *denominari.* Omnes poſſunt admitti, ſed ita ut Synecdochicè accipiantur ſingulæ. Duæ iſtæ ſign. extra controverſ. ſunt, *invocare* & *denominare.* Jeſ. 48. 1. & 65. 1. Chald. vertit קְרַן בִּשְׁמִי pro נִקְרָא *vocati de nomine ejus*, q. l. קראו. NB. מקרא & *Alkoran.*

Denominare etiam aliâ conſtr. exprimitur. Gen. 48. וְיִקָּרֵא בָהֶם שְׁמִי. Et Jeſ. 4. יִקָּרֵא שִׁמְךָ עָלֵינוּ. Et Pſ. 49. *Vocare ſuper aliquem in nomine alicujus.*

3. [התהללו] Luth. *Roemt ſijnen name*, Aq. καυχᾶσθε. *Roemt u in ſijnen name.* Jun. *Laudibus vos efferte.*

Quærentium Dominum] In precibus, invocantium, Synecd. colentium.

4. [עזו] *Arcam.* Sic Pſ. 78. *Tradidit in Captivitatem* עזו de Arca à Philiſth. capta. Erat ſymb. præſentiæ fortiſſimi Dei & precaturi convert. facies ſuas ad Arcam tanquam ſedem Dei. Lxx. καὶ κραταιώθητε legerunt עֻזּוּ.

Jugiter] Hæc perpetuitas non opponitur aliis negotiis, ſed ſecordiæ & ſegnitiei.

5. [מופתיו] *Prodigium, portentum.* Differt ab אות ut genus & ſpecies. Omne Mopheth eſt OTH. non contra. Quod 2 Chr. 32. *Et Mophet dedit ei*, id 2 Reg. 20. & Eſ. 38. eſt OTH. Mopheth eſt ſignum præter naturam, ut cum baculus in ſerp. At cum dico, Ecce cras erit pluvia, hoc eſt ſignum.

Judicia] i. e. Plagas. Sic Ex. 6. *Redimam vos brachio extento & judiciis magnis.* Prov. 19. 29. *Parata ſunt illuſoribus judicia.*

Oris ejus] Quia ante curavit eas denunciari.

6. *Abraham*] Ante Abram. Nominum permutandorum ritus perantiquus. Deus vel Reges. Deus in ſignum ſingularis alicujus favoris & amoris, vel ad confirmandam promiſſionem aliquam ſingularem. Reges etiam aliquando in ſignum amoris, aliq. in ſignum dominii.

Hæc mutatio fiebat vel mutatione literæ, *Sara.* Vel adjectione ſyllabæ alicujus, *Abraham*, *Jehoſch.* Vel mutatione ſyllabæ, *Eljakim*, *Jojakim.* Vel totius nominis mutatione, *Iſraël* & *Jacob.* Sic *Gideon* & *Jerobaal*, *Sedechias* & *Mathanja*, *Nehemias Atherſatha*, *Eſther Hadaſſa*, *Daniel Balzazar*, *Ananias Mizaël*, *Azarias Zedrax*, *Mizach*, *Abdenego*, *Joſeph Tzapzath-Phanee.*

De Ratione Etymi Gen. 17. כִּי אַב הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ diſſenſus. Aben. eam non aſſeq. exponens אביר המון. 2. R. Sal. dicit tantum ה inſertum, quod Deus ſolitus fuerit nomina eorum quos unice charos habuit, decorare adjectione literæ Tetrag. ſed ſic Etymon non aſſequitur. 3. Eſſe tantum adjectum המון & plenum eſſe אַבְרְהָמוֹן. 4. Eſſe comp. ex אב רב & המון. Et in Etymo pro רב poſitum eſſe Goijim.

R. David, ad verſ. 7. הוא.

Quinque הוא in malum. V. in bonum.

V. in Malum, *Ille eſt Eſau pater Edom*, Gen. 36. ult.
Ille Dathan & Abiram, Num. 26. 9.
Ille Rex Achaz, 2 Chr. 28. 22.
Ille Ahaſuerus, Eſth. 1.
Ille fuit robuſtus venatione, Gen. 10. 8.
V. in Bonum. *Ille Abraham*,
Ille Moſes & Aharon, Ex. 6. 27.
Ille Ezra qui aſcend. ex Babel, Ezr. 7. 6.
Ille Hiskias obturaverat alveum Gichon, 2 Chr. 32. 30.
Cum iſtis Sanctis annumeratur Deus, Pſ. 105. 7.

8. *Quod præcepit*] i. e. Quod inſtar præcepti ratum eſſe vult Metaph. κατάχρ. De fœderibus. Jerem. 34. 18.

10. [וַיַּעֲמִידֶהָ] Jun. *Quod præſtitit.* Piſc. *Quod ſtabilivit*, ſc. jurejurando. Quin & *præſtare juramentum & facere juramentum* differunt juxta Senecam lib. 2. de Clem.

In ſtatutum] Ut eſſet veluti ſtatutum perpetuò ſervandum.

11. [לאמר] Maſſ. כ״ב פסוק (leg. כ״ב ex Num. 7.) לית בהון לא אריך ולא זעיר Id eſt, *nec Vau*, *nec Jod.*

Funiculum hæreditatis veſtræ] Alii volunt eſſe accuſativum tranſitionis; alii, ut K. ad 1 Chr. 16. eſſe apposit. & Apoſt. ad Iſraël. *Quæ eſt funiculum hæreditatis veſtræ.* Volunt non eſſe verba Dei ſed Pſaltis ad Iſraëlitas; q. d. Terra quæ Patribus veſtris promiſſa vobis jam ceſſit in hæreditatem. Unde & Aben. *Dabo tibi* ſc. Abrahamo ברבור ſermone & promiſſ. At ſemini tuo במעשה. Obſerv. priſcus mos dividendi poſſeſſiones, per funiculos ſc.

12. *Homines numeri*] Ut Gen. 34. 30. Removere vult omnem cauſam tanti honoris & dignationis ab ipſis Judæis.

13. *De gente in gentem*] De Patriarcharum variis profectionibus videatur hiſt. Geneſeos. & Ebr. 11.

14. *Opprimere eos*] Gen. 26. de Invid. Philiſt. contra Iſaac. Gen. 35. de Divinitus cohibitis Sichemitis ne Jacobum fugientem perſequerentur.

Reprehendit] Non ſolum verbis ſed & factis. Gen. 12. de Pharaone. Et c. 20. Abimelech. verbis.

15. *Chriſtos meos*] Patriarchas vocat Chriſtos reſpectu unctionis Spirit. quod uncti eſſent donis Spiritus Sancti. Vel *Chriſtos meos*, i. e. Prophetas, ut ſequitur, vel Principes meos, à me conſtitutos. Eorum enim affinitates & amicitiam ambivere vicinæ

vicinæ gentes, ac ſi Reges potentiſſimi fuiſſent. Gen. 23. dicunt FF. Heth ad Abraham. *Princeps Dei es inter nos.* Cum Abraham fœdus junxit Abimelech. Gen. 21. Renovavit idem poſtea cum Iſaac. Gen. 26. Jacob cum proficiſceretur de urbe Sichem direptâ tantus terror invaſit vicinas civitates ut ſequi non fuerint auſi.

Prophetas] Ipſe Deus Abrahamum vocat *Prophetam*. Gen. 21. 7. ad Abimelech. Iſaac de ſua poſteritate prophetat, Gen. 27. Jacob, Gen. 49. Prophetæ ergò etiam in ſtrictiſſ. ſignificatione. In latâ extra omne dubium.

Quiſque etiam in ſua familia propagavit veram Religionem. Propheta enim omnis is vocatur qui de rebus ſacris inſtinctu Sp. S. loquitur, Doctor rerum ſacrarum; fuerunt autem Patriarchæ Doctores domeſtici. Unde qui res etiam præteritas humano ingenio per ſe incognitas novit, Propheta dicitur, ut cum Moſes dicitur Prophetaſſe de Creatione Mundi, Joſ. 4. Vere tu Propheta es. Cathaχρ. hæc ſign. videtur in vocibus Lat. & Gr. In Ebr. non item.

Donec venit verbum ejus] Cujus. An Dei, an Joſ. Alii Dei, i e. Decretum Dei de homini ſolvendo; vel introducendo populo Dei in terram Æg. ſiċ Raſi. Alii de Oraculo Joſephi, illudque vel ſomnium quod narravit fratribus ſuis, vel quod ſociis carceris expoſuit; ſic Aben. vide Coppenium. Gen. 40.

16. *Vocavit famem*] Nė quis eam aſcribat naturæ vel caſui. 2 Reg. 8. *Vocabit Dominus famem & veniet ſuper terram 7. annis.* Gen. 41. Alia eſt *fames Spiritualis*, Amos 8.

Baculum panis] Sic Levit. 26. 16. Eſ. 2. 1. Ezech. 4. 16. Dupliciter exponi poſſe ajunt Interpp. Vide ſupra Pſ. 104. 15. Hic primo modo accip. docet Hiſtoria Gen. 41.

17. לְעֶבֶד] *In ſervum*. 2. Servo ſub. Potipharo. פּוֹטִיפַר. Gen. 39. Hic diſting. à פּוֹטִיפֶרַע cujus Filiam duxit Joſeph. Vulg. utrumque nomen confundit. Unde multi credidere heri ſui filiam duxiſſe. Hoc ut refutarent alii dixere, Eum fuiſſe Eunuchum ac proinde filiam habere non potuiſſe. At ſciendum iſtam rationem non procedere, quia סרים non tantum *ſectum* ſed & *aulicum* ſignificat. Vera reſponſio quod nomen poſterius priori literâ auctius ſit, quod & Lyra obſervavit. Gen. 39. Gen. 41. 50. πεντέφρης vel πετέφρης.

20. *Rex*] Pharao Rean. Abr. Titis: Moſis, Talma.

Miſit & ſolvit] i. e. Solvere juſſit, curavit, vel miſit qui ſolvit. Sic Math. 14. καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην ἐν φυλακῇ.

XIII. Annis ajunt fuiſſe in carcere. 17. anno vend. 30. exaltatus. Apud Potiph. ſervivit annum 1. in carcere 12.

בְּלִי יְצִיאַת פִּרְיָה כִּי אִם בְּיִצְאַת נַפְשׁוֹ.

21. *Dominum*] Gen. 41. 43. אַבְרֵךְ. Pater tener. Pater Regni. Genua flectam. Genua flectenda הַבֶּרֶךְ ſeq. enim וְנָתוֹן.

22. לֶאְסֹר] LXX. τοῦ παιδεῦσαι. Ut erudiret. Conf. אָסַר & יָסַר. Duplex Interp.

I. R. D. K. de poteſtate vinciendi & ligandi etiam Principes pro arbitrio ſuo. Pſ. 27. 12. *Ne tradas me* בנפש צרי. Deut. 23. 24. *Si ingreſſus fueris vineam ſocii tui comedes uvas* כְּנַפְשְׁךָ. Sic Jun. & Aben. & exp. בנפ׳.

II. Calvini, non agi de nexu vinculorum aut carcere ſed vinculis & nexu obſequii, ut obligatos ſibi haberet. Sic Piſc. & R. Salom. qui exponit *cum anima ſua*, לְשׁוֹן חִבָּה inquit, ſicut & anima Davidis ligata erat cum anima Davidis. Poſtquam explicuit ſomnium dilexere eum omnes. R. Iddai dicit Cetib eſſe שרי & intelligi Potiphar, quem ligaſſet vinculis.

23. *Cham*] Pater Mezraïm. Gen. 10. 5. habuit & filium Canaäm. In quem maledictio ſtricta Gen. 9. de qua re eſt Traditio Ebr. quam approbat & Jun.

24. *Auxit eos*] Qui initio deſc. vix 70. poſt 210. annos ſexcenta armatorum millia explerunt. Tranſit jam ad Hiſtoriam Exodi. Hoc enim Exod. 1. eſt. Ebræi ajunt fœminas eorum uno partu binos, ternos & quaternos, peperiſſe. Et ejuſmodi fœm. quæ 4. uno partu edidit ſe vidiſſe ſcribit Aben-Ezr. Etiam Druſius Londini. Aben-Ezra ait Medicos aſſerere ad 7. poſſe fœminam pervenire.

25. *Convertit*] Qui mitiſſimè, converti permiſit. Alii ita ut plus dicatur quam permiſſio, ita tamen ut Deo non tribuatur peccatum. Ego verterim הָפַךְ *converſum eſt*. Eſt enim aliquando עוֹבֵר פָּעַל Lev. 13. 3. ſi pilus הָפַךְ לָבָן Jun. *mutatus fuerit in album.* Sic Lev. 13. 10. *& ipſa* הפכה *converſa eſt in pilum album*. Juvat Chald. אִתְהַפַּךְ, ſic & Lat. *vertit*, *convertit* ſæpè intranſ. & paſſ. accip. Sal. *Regium imperium convertit in ſuperbiam*.

לְהִתְנַכֵּל] Act. 7. Donec ſurrexit Rex ἕτερος (חדש) ὃς οὐκ ᾔδει τὸν Ἰωσήφ, οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν. Ch. לְמִשְׁכָּרָה בִּישָׁן. LXX. τοῦ δολιῶσθαι ἐν τοῖς δούλοις αὐτοῦ.

Ex. 1. נתחכמה לו. Solerti & vafro ingenio adverſus eum utamur, κατασοφίζεσθαι. LXX. γ. eſt τεχνάζειν καὶ μηχανᾶσθαι κατὰ τοῦ γένους.

28. *Miſit* חֹשֶׁךְ וַיַּחְשִׁךְ *& obtenebravit*] Sc. terram Ægyp. ſed quis obtenebravit? vel חֹשֶׁךְ vel Deus. Deo enim hic actus tribuitur, Am. 5. 8. & 8. 9. *Ego occidere faciam Solem in Meridie & obtenebrabo terram in die luminis.* Etiam *tenebris*. Pſ. 139. 12. Etiam חֹשֶׁךְ לֹא יַחְשִׁיךְ מִמֶּךָּ.

Non rebellarunt] Aben-Ezra ait referri vel ad Moſem & Ahar. vel ad ſigna, Jun. poſterius ſecutus eſt, atque hoc quoque ſenſit Raſi, qui ſic ait, *Plagæ quas præcepit venerunt & non mutarunt verbum ejus.* Piſcator ſecutus eſt prius. LXX. ὅτι παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Leg. כ׳.

30. *Ranas*] Alii *Venenatas*, *Bufones*, *Rubetas*, *Crocod.* Alii *ranas* ſimpliciter, quod retineo: In his enim magis elucet Dei digitus & potentia. Nec minus clara exitii documenta ſunt è contemnendis animalibus, ut cum à cuniculus ſuffoſſum in Hiſp. Opidum. A Talpis in Theſſaliâ. A Ranis Civitas in Gallia pulſa. A Locuſtis in Africâ. A Muribus Incolæ ex Cycladum inſula fugati. In Italia Amyclæ à ſerpentibus deletæ. A Scorpionibus gens Æthiopum citra Cynamulgos ſublata. A Scolopendris Otricretes Abad.

In cubicula] Non formidantes ſtrictos cuſtodum & militum enſes, nec mortem ipſam à ſatellitibus intentatam irruêre in penetralia.

31. עָרֹב] 4. Pl. *Mixtura*, *colluvies animalium*. LXX. κοινομυῖαν corruptè, eſſet enim κυνομυῖαν. Aq. παμμυῖαν R. David כל מיני חיות ונחשים ועקרבים R. Sal. אספסוף החיות כמינים הרבה. Alii *Leones* & *Pardos* etiam includunt. Joſeph. Θηρία παντοῖα καὶ πολύτροπα.

כִּנִּים] 3. Pl. φθεῖρες. Ita quidam alii ut Hier. *Caniphes*, alii *Cyn.* LXX. σκνῖφες. Alii *ſcimphes*. ſic Biblia Clementis, alii *ſcr.* σκνῖπες & κνῖπες à σκνὶψ & κνὶψ. Fagius vult eſſe *filtlenſ.* pediculos inguinales.

Igne] 8. Pl. Comprehenditur ſub 8. plaga grandinis. Ex. 9. Sic & Pſ. 78. 47. hæc junguntur. *Occidit grandine vites eorum & ſycomoros eorum igni. Dedit grandini bruta ipſorum & pecora eorum prunis ignitis.*

Exodi 9. 23. junguntur, *Et dedit Deus voces & grandinem, & ambulavit ignis per terram. Ignis fulguris.* Hier. *diſcurrentia fulgura.* Et verſ. 24. dicitur *ignis ſe comprehendiſſe in grandine*, Hieron. *Ignis & grando mixta pariter ferebantur.* Ignis per ſe levis eſt & cœlum petit. Opus ei itaque erat graviori aliqua materiâ qua in terram deprimi poſſet ut in conſl. Sodomæ adhibitum fuit Sulphur. R. Sal. ad Ex. 9. hic elegantem habet exclamationem. *O miraculum in medio miraculi grando & ignis miſcentur inter ſe, cum tamen grando ſit aqua!* Aqua itaque & ignis miſcentur inter ſe. Sed ut faciant voluntatem Creatoris ſui faciunt pacem inter ſe.

יֶלֶק] *Bruchus*. Jun. *Melolontha*, qui חסיל vult reſp. *brucho* Pſ. 78. Exod. 10. Species locuſtæ eſt.

אַרְבֶּה] Aliq. latè aliq. ſtrictè pro certa ſpecie, ut Joël. 1. 4. Ubi hæ ſpecies recenſentur *Gazam Arbe*, *Jelek* & חסיל. Gazam *erucam*; Arbe *locuſta*; Jelek *bruchum*, Chaſil *Aſellum* reddit Druſius, aitque ſe opinari Aſellum eſſe Plinii *Attelabum*.

Junius Gazam *erucam*, Arbe *locuſtam*, Jelek *melolontham*, Chaſil *bruchum*. Plura poſſent hunc adduci, ſed quorſum. Hic ſumitur εἰδικῶς. Exod. 10. γενικῶς.

36. *Primogenitum*] Propriè ante quem nemo genitus eſt, ut & omnis unigenitus ſit primogenitus. Sic Chriſtus eſt primogenitus M. Exod. 12. 23. *Omnem primogenitum à primogenito Pharaonis*, qui ſedet *ad primogenitum captivæ quæ in domo carceris*, *quo alibi*, *quæ poſt molas*. Ex. 12. 29. *Nec* enim *erat domus in quâ non erat mortuus*. Lyra, *Deo ordin. ſic factum ut in omnibus domibus eſſet primogenitus*. R. Sal. & Cajet. Per *primogenitum* ajunt intelligi poſſe *majores natu*. Gen. 43. qui primogenitis defunctis in jure hæreditario ſuccedunt. Aben-Ezr. ait Script. loqui ſolere univerſaliter cum de pleraque *& majori* parte verum dicitur, ut omnes gentes habent præputium. Nam & Colchi, Æg. & Æth. circumcidebantur. Atque hæc expoſ. optima. Corn. à Lapide 406. Reſp. poſſet enim ad R. Sal. & Caj. quod, quemadmodum multæ domus fuerunt in quibus nullus primogenitus, ita & multæ fuerint ubi nulla omnino proles. Reſp. etiam poſſet, *omnem Principem & Præcipuum in familia* poſſe vocari *primogenitum*, ut Col. 1. 15. de Chriſto. *Primogenitus omnis creaturæ*, i. e. Dominus, Hæres, Princeps. Sic Eſ. 14. *Primogeniti pauperum*, i. e. maximè & in ſummo gradu pauperes. Job. 18. *Devoravit membra ejus primogenitus pauperis*, i. e. Mors aliqua eximia & gravitate præcellens.

Principium virium vel roboris eorum] Περίφρ. primogenit. Simil. Pſ. 78. 51. Sic Gen. 49. de Reuben, & Deut. 21. 17. Vulg. Gen. 49. *doloris*. Deut. 21. *liberorum*. Hic in Pſal. *laboris*. Steuchus inepte dicit Aben-Ezram explicare Gen. 49. *doloris*. Hæc enim ſunt verba Aben. הבכור יקרא ראשית און כמו כי הוא ראשית אונו

quæ

quæ ſic vertit, *Primogenitus vocatur principium doloris, quod ipſe incipiat dolorem afferre ei.* Ineptè. Vox *cerno* oſtendit quod tantum locum citet Deut. 21. Vide noſtram Cenſ.

37. *In argento & auro*] Vide Ex. 12. 35. NB. *Argentum præcedere*, nullum ergo dignitatis arg. ab ordine ſumi poteſt. Sic & Exod. 12. Arg. præit. Contra Papiſtas, qui ex ordine primo Petro Principatum aſcribunt & linguæ Latinæ ex ordine poſtremo. Sic enim Joh. ἑβ. ἐλ. Ῥωμ. At in Luca Ἑλλ. Ρωμ. ἑβ. Vide Baron.

Zahal à צהב *fulvum eſſe*, vel צָהַל quod *exhilareſcere*, *lætari* ſignificat & *inſtigare*.

כסף à כסף *appetere.* Vel כָּסַף quod *pallidum eſſe* ſignif. Sic ἀργύριον ab ἀργος quod Euſth. λευκὸς interp.

38. *Læta eſt Ægyptus*] Ex. 12. 33.

פַּחַד] Aliq. Dei Epith. Gen. 31. 41. *Niſi Deus Abr. & pavor Iſaac affuiſſet mihi.* & verſ. 43. *Juravitque Jac. per pavorem Patris ſui Iſaac.*

39. פָּרַשׂ] *Expandit.* Hinc quidam dictos volunt *Phariſæos*, quod eſſent homines omnium oculis expoſiti & conſpicui, quod Phylacteria ſua dilatarent Math. 23. 5. Obſtat ſcriptura ש.

Optima Orig. à פָּרַשׁ quod duo ſignif. *Exponere* & *Separare. Exponere*, Gorion. Melanth. Trem. Marci 7. *Separare*, Hier. Jun. M. 7. Epiph. Tom. 1. lib. 1. c. 16. q. ἀφωρισμένους διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν. Separati autem ab aliis, 1. Vitæ munditia, 2. Dignitate, 3. Studio, 4. Habitu.

פָּרַשׂ] Kimchi, *Cum egrederentur ex Ægypto, Dominus antecedebat eos in columna nubis* &c. Et ſenſus τοῦ מסך non eſt obtectio deſuper ſed quaſi expanſio aulæi ante. In eundo enim nubes erat ante eos, in quieſcendo ſuper eos, donec iterum proficiſcerentur. Ex. 40. Et fieri poteſt ut dictio מסך comprehendat duo illa בלכתם & בנוחם.

Sic dico nuſquam dicitur *Nubes texiſſe eos in eundo.*

I. Diſp. an una an duæ columnæ fuerint. Vide Lyram. Una videtur fuiſſe Ex. 14. 19.

II. Hæc erat indicium motus & quietis. Ex. 40. verſ. ultimis.

III. Utrobique ſe eodem modo noctu & interdiu habebat. Ibid. verſ. 38. & ult.

IV. Cum indicium erat motus, antecedebat. Ex. 13. 21. Et 14. 19. & 24.

V. Cum indicium quietis, recubabat ſuper tabernaculum.

VI. Columna Nubis & Ignis monſtrabat viam. Columna enim ignis illuſtrabat noctis tenebras. In deſertis enim iſtis nulla viarum extant veſtigia ob arenas levi ventorum flabello delebiles. Ideo & viatores in iſtis uti coguntur inſtrumentis quibuſdam quaſi nauticis quadrantibus ad indicandas mundi plagas & dirigendas profectiones.

VII. Hujus Columnæ peculiaris uſus fuit Ex. 14. 19. & 24. *Et profecta columna nubis, quæ ante eos ſtabat poſt eos. Et ven. in Caſtra Ægyptiorum & Iſraëlitarum, fuitque illis nubes, & tenebræ his, & illuminabat noctem.*

VIII. Uſus Columnæ Nubis ad proteg. ardorem ſolis non poteſt ullo loco probari. Dicitur Num. 14. *Fuiſſe ſuper eos*, Et 1 Cor. 10. 1. & hic, ſed nihil ea obſtant. Poſſunt enim de ſitu accipi, vel ſitu quietis indicio ut ex Kimchio ſupra docuimus. Tamen Junius ad Exod. 13. 21. docet utriuſque commune fuiſſe monſtrare viam. Proprium tamen columnæ ignis fuiſſe afferre lucem. Columnæ nubis, ab æſtu & cœli injuria eos protegere. At ſi fuit columna difficulter hoc fieri potuit.

GROTIUS.

25. *COnvertit cor eorum, ut odirent populum ejus*] Id eſt, vertit cor Ægypriorum in odium populi ſui. Fecit autem hoc Deus, multiplicando populum ſuum. Prout ſunt animi hominum, ità Dei opera eos meliores vel pejores faciunt:

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodemque igni.

PRICÆUS.

11. *UNus ex iis non remanſit*] Ammianus Marcellinus lib. 19. *Ad unum omnibus contruncatis.* Vide ad Apuleji lib. 4. pag. 209. annotata.

20. *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem*, &c.] Ex hoc loco Rom. 1. 23. Apoſtolus, Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν αὐτοῦ, &c. Suidas, Δόξα θεοῦ, παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ τὸ δημιουργικὸν καὶ προνοητικόν.

28. *Et initiati ſunt Beelphegor*] In Gr. ἐτελέσθησαν· & huc referam Heſychii illa, Ἐτελέσθησαν, μετέσχον, ἐκοινώνησαν· ubi aptè (imò optimè) μετέσχον. Apulejus in Apologia, *Sacrorum pleraque initia in Græcia participavi.*

46. *Et dedit eos in miſericordias*] *Magnificavit cum illis* (ut Luc. 1. 58.) *miſericordiam ſuam.*

IDEM.

4. *MEmento noſtri, Domine, in beneplacito populi tui*] Ordo eſt, *noſtri populi tui, in beneplacito*: i. e. bona voluntate tua.

23. *Si non Moſes*, &c. *ſtetiſſet in confractione*] Lxx. ἐν τῇ θραύσει. Gloſſarium (& fortè, ut ſæpe, ex Vulgato) Θραῦσις, *confractio.* Heſychius, Θραῦσις, ὀργή, πληγή, &c. quo loco ingenioſè (neſcio an rectè) Vir ſummæ eruditionis Chriſtianus ῥωγὴ ſubſtituit, pag. 667. ad Ariſtophanem.

26. *Elevavit manum ſuam ſuper eos*, &c.] Habitus ſcrituri. Vide ad lib. 5. Apuleji annotata.

27. *Et diſpergeret eos in regionibus*] Ut contra 106. 2. *de regionibus congregavit eos.*

40. *Abominatus eſt hæreditatem ſuam, & tradidit eos in manus Gentium*] In Additamentis Eſtheris 14. 6. *Peccavimus in conſpectu tuo, idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum.*

41. *Et dominati ſunt eorum qui oderunt eos*] Suprà 43. 11. *Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderunt nos, diripiebant ſibi.* Jeremiæ 17. 4. *Servire te faciam inimicis tuis.* Acerbiſſimus puniendi modus. *Omnem vindictam, & non vindictam inimicorum*, eſt 25. 21. apud Sirachidem.

PSALM. CVI.

MUNSTERUS.

13. *FEſtinanter obliti ſunt*] Heb. *feſtinaverunt*, ſcilicet à mari Rubro in deſertum, venientes in Marah, ubi obliti ſunt mirabilium Dei, & cœperunt murmurare, cùm magis exſpectare debuiſſent conſilium Dei.

15. *Maciem in animam eorum*] h. e. Dum cibum cœleſtem faſtiderent, & concupiſcerent carnes, miſit cùm carnibus interitum eorum. Vocat enim hîc *maciem animarum* mortem ipſam. Ipſi cogitabant carnibus ſaginare animas ſuas, ſed contrarium evenit illis.

20. *Decus ſuum*] Sive *gloriam ſuam. Gloria* populi Iſraëlitici fuit ipſe Deus, quem ſtultè *mutarunt in ſimilitudinem vituli*: id quod ab Ægyptiis didicerant, qui Boves & Vaccas pro Diis coluerunt.

23. *In illa interruptione*] De hac interruptione habes Exod. 32. Quomodo autem Jehudæi abominati ſint terram habes Num 14. Et cap. 25. ejuſdem libri ſcribitur quomodo adjuncti fuerint mulieribus Moabiticis & Baal-Peor.

33. *Ut inconſideratè loqueretur*] Hoc dicitur, quòd Moſes, cùm populum objurgaret, magis eum dubitare feciſſet de promiſſis Dei quàm in ejus fide ſolidaſſet.

VATABLUS.

2. *ENarret* ישמיע] Ad verb. *audire faciat*: i. e. divulget, commemoret, ſive commemoraret.

4. *In beneplacito populi tui* ברצון עמך] Hebraïſmum ſic quidam vertunt, *propter favorem tuum erga populum tuum.* Alii, *favore illo quo proſequeris populum tuum.* ¶ *In ſalute tua* בישועתך] Hebraïſmus, pro, *ope tuâ ſalutiferâ.*

5. *Bonum* בטובת] Ad verb. *in bonitate. Videre bonum*, ſive *in bonitate*, Hebraïſmus, pro, *Frui bono.* Seipſum exponit mox ſequentibus, *ut læter*, &c.

7. *Non intellexerunt mirabilia tua* לא השכילו נפלאותיך] *Non prudenter perpenderunt mirabilia tua.* Alii, *non prudentes fuerunt in mirabilibus tuis.* ¶ *Juxta mare in mari Suph* על ים בים סוף] *Juxta mare, in mari Suph*: i. e. carioſo, ſive juncoſo, dum ſcilicet tranſituri eſſent Mare rubrum, quod ſanè arundinibus abundat & juncis.

10. *Odio habentis* שונא] *Hoſtis.*

13. *Feſtinaverunt, obliti ſunt* מהרו שכחו] Duo verba ſine conjunctione, quorum alterum Latini per adverbium reddunt, ſic, *Feſtinanter obliti ſunt.*

15. *Maciem* רזון] *Tabem, perniciem*: q. d. Carnes illæ quibus volebant corpus ſuum reddere robuſtius, illos macriores & imbecilliores reddiderunt. ¶ *In animam eorum* בנפשם] *Anima* pro *corpore.*

16. *Et inviderunt*, &c. ויקנאו למשה] *Et zelati ſunt adver-*

ſum

ſum Moſen in caſtris, & adverſùs Aaron ſanctum Jehovæ: q. d. Inviderunt Moſi in caſtris & Aaroni, quorum opinionem labefactare cupiebant, & ſeſe præferre illis, vel æquare.

20. *Gloriam ſuam* כבודם] Hebraïſmus, Relicto vero Deo, qui erat gloria & decus eorum, coluerunt ſimulacrum bovis.

23. *In ruptura*, &c. בפרץ לפניו] Ad verb. *in diviſione ad faciem ejus*, i. e. niſi in puncto iræ occurriſſet Deo, recente adhuc ſcelere, quod non minùs erat periculoſum quàm eſt ruptura murorum, quòd eâ parte pateat hoſtibus in urbem aditus. Metaphora à ruptione murorum obſeſſorum quâ parte hoſtes irrumpunt. Vide Ezech. 22. 30. ſimilem locutionem.

24. *Spreverunt etiam* וימאסו] *Et abominati ſunt*, auditis ſcilicet exploratoribus.

26. *Et elevavit manum ſuam* וישא ידו] Hebraïſmus, ſublatâ manu juravit eis.

28. *Et adhæſerunt* ויצמדו] *Et copulati ſunt. Et conjugati ſunt*, nempe ut par jumentorum ad jugum allegatur, quo tropo & Apoſtolus utitur, *Nolite jugum trahere cum infidelibus*, Gal. 5. 1.

29. *Et crevit* ותפרץ] *Et fracta eſt*, vel *perrupit*, i. e. amplior facta eſt: acſi fracta eſſet maceria plagarum. Alii, *Et multiplicata eſt.*

30. *Et dijudicavit* ויפלל] *Et vindicavit.* Alii, *judicavit*: i. e. præbuit ſe vindicem, non exſpectatâ Judicum ſententiâ ſumpſit pœnas de Zamri Chald. *& oravit*, quem ſequuntur quidam. ¶ *Et cohibita eſt* ותעצר] *Et ceſſavit, ſedata eſt.*

32. *Meriba* מריבה] Vide Pſal. 95. 8. ¶ *Et malum fuit ipſi Moſe* וירע למשה] Quia ſcilicet fruſtratus fuit ingreſſu Terræ propter infidelitatem.

33. *Exacerbaverunt ſpiritum ejus* המרו את רוחו] *Rebelles fuerunt ſpiritui ejus.* Vel, *rebellare fecerunt* [ſub. *Moſen*] *ſpiritui ejus*, ſub. *Dei.* ¶ *Et protulit* ויבטא] *Et pronunciavit*, ſub. *verba quæ dubitationem præ ſe ferebant de promiſſis Dei*, nempe, *Audite increduli, an de petra*, &c. Num. 20. 10. Quidam *Et perperam locutus eſt.*

36. *Sculptilibus eorum* עצביהם] *Faſtidiis eorum, triſtitiis eorum.* Hebræi idola vocant *faſtidia, triſtitias*, & *meras moleſtias.* Seq. verſu vocat *dæmonia.*

38. *Sanguine* בדמים] *Sanguinibus*: i. e. cæde.

41. *Odio habentes eos* שנאיהם] *Hoſtes eorum.*

42. *Et humiliati ſunt* ויכנעו] *Et proſtrati ſunt.* Alii, *& humiliaverunt ſub manum ſuam.* Vel, *& ſubegerunt eos ſuæ poteſtati.*

43. *Exacerbaverunt* eum ימרו] *Repugnaverunt*, ſub. Deo. Alii, *rebelles fuerunt.* ¶ *Et humiliati ſunt* וימכו] *Et dejecti ſunt*, vel, *attriti.* Alii, *confecti*, vel *depreſſi ſunt.*

44. *Tamen vidit* וירא] Ad verb. *Et vidit.*

45. *Illis* להם] *Erga illos.* ¶ *Et pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum* וינחם כרוב חסדיו] *Et pœnitudine ductus eſt ob amplitudinem miſericordiarum ſuarum. Quaſi mutaſſet ſententiam, cœpit eos benignè tractare juxta abundantes ſuas miſericordias*, vel *ob multam ſuam bonitatem*, ſive *ſuâ ingenti miſericordiâ.*

46. *Et dedit eos in miſerationes* ויתן אותם לרחמים] Hebraiſmus, fecit ut ii qui illos in captivitatem abduxerant, cum illis ſummâ miſericordiâ agerent.

46. *De laude tua* בתהלתך] i. e. Quòd habeamus te pro Deo qui omni laude dignus es. Alii, *in laude tua.*

48. *Et dicat* ואמר] *Et dicet.*

CLARIUS.

POpulus Dei hortatur ſeſe ad laudandam Dei bonitatem, & commemorat majorum ſuorum peccata.

4. *In beneplacito populi tui*] Cum eo favore quo proſequi ſoles populum tuum.

5. *Ad videndum in bonitate*] *Ut videam & frui liceat bono quo ii fruuntur quos elegiſti tibi, ut gaudeam quomodo gentes quæ charæ ſunt tibi gaudere ſolent, ut oblectem me unà cum populo quem tibi velut hæreditario jure conquiſiviſti.*

13. *Cito fecerunt*] *Feſtinanter obliti ſunt operum ejus.*

15. *Maciem in animas eorum*] Dum cibum cœleſtem faſtidirent, & concupiſcerent carnes, miſit cum carnibus interitum eorum: quem vocat *maciem.*

19. *Fecerunt vitulum*] Id ab Ægyptiis didicerant, qui Boves & Vaccas pro Diis coluerunt, & in regia ſua Memphi inſignem illum Apim. Is bos erat albus frontem & quaſdam parvas corporis partes, cætera verò niger; quibus ſignis judicabant qui eſſet ad ſucceſſionem idoneus, alio vitâ functo. Hunc in ſepto quodam alebant, ante quod erat aula in qua erat aliud ſeptum matris ejus.

20. *Et mutaverunt gloriam ſuam*] Nempe Deum. *Commutaverunt*, ait, Divinam majeſtatem, quæ *gloria* eorum fuerat, *in ſimilitudinem animantis comedentis fœnum.* Rem mirandam.

23. *In confractione*] In media vaſtatione, de qua habes Exod. 32.

24. *Pro nihilo habuerunt*] Memorat quæ legimus Num. 14. Et cap. 25. ejuſdem libri ſcribitur quomodo adjuncti fuerint mulieribus Moabiticis & Baal-Peor.

30. *Ceſſavit quaſſatio*] Fecit ſubſiſtere ultionem.

33. *Ut vacillaret labiis ſuis*] Hoc dicitur, quòd Moſes, cùm populum objurgaret, magis eum dubitare feciſſet de promiſſis Dei quàm in ejus fide ſolidaſſet. Et quod ait, *vexatus eſt Moſes*, intellige, malè affectum eum fuiſſe & afflictum propter eos.

LUCAS BRUG.

8, 15, QUater hoc Pſalmo repetitur *εὐχαριστικὸν* iſtud car-
21, 31 men, *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*: & hoc quidem modo à pleriſque noſtris codicibus ſcribitur: ſed antiquis Epanorthotæ, *Confiteantur* eſt *Domino miſericordia ejus.* Similiter nonnulla Lugdunenſium antigrapha legunt: & ex noſtris, Brugenſe manuſcriptum, in quo, poſterioribus locis, monophthongus in diphthongum mutata conſpicitur, *a* in *æ*. D. Haymoni hæc primo ſemel loco lectio adſcribitur, commentario non refragante. Lobienſis cœnobii codex *miſericordia* legit in Romano Pſalterio; Beſſarionis, in Hieronymi tralatione. Monent autem Lugdunenſes atque Epanorthotes ſexti caſûs eſſe *miſericordiâ*, ut nimirum ſenſus ſit, Laudes dicant & gratias Domino, in, ſeu de, miſericordia ejus. Et fortaſſe quia exiſtimatum eſt *miſericordia* primi caſûs eſſe, mutatum eſt in *miſericordiæ*, ut ſuppoſitum appoſito reſponderet. Certè Hebraïcè eſt ſingulari numero, *chaſdo* יודו ליהוה חסדו, id quod interpretari liceat vel ſexto caſu *miſericordiâ, Gratias agant Domino* de *miſericordia ejus*; vel quarto *miſericordiam. Celebrent Domino miſericordiam ejus.* Quidam, ut clarior ſit ſenſus, præpoſitione additâ vertunt, *Confiteantur Domino propter miſericordiam ejus.* Anglicanum Pſalterium primo & tertio locis pro יודו, habet הודו, pro *confiteantur, confitemini*: ſed id diſſonat non tantùm ab aliis quæ habemus Hebraïcis exemplaribus, verùm etiam ab Interpretibus tam primis quàm poſtremis. Sic ergò Hebraïcè: ſed Græcè, quod pro altera faciat lectione, multitudinis eſt numero. *τὰ ἐλέη αὐτοῦ. ἐξομολογησάσθωσαν τῷ Κυρίῳ τὰ ἐλέη αὐτοῦ.* Hoc autem transferre poſſimus & primo caſu, *Confiteantur Domino miſericordia ejus*, & quarto, *Confiteantur Domino miſericordias ejus.* Quarto caſu Euthymius Zygabonus intellexit, & quidam ex Græco Interpretes tranſtulerunt: atque is meliùs fortaſſe conveniat, quæ Janſenii eſt ſententia: ſed primum lego, ut in pleriſque Latinis codicibus, ità & in pleriſque Latinis tractatoribus. Quin etiam Auguſtinus in ambigua lectione primum amplexus eſt caſum, *Confiteantur Domino miſerationes ejus. Ubique*, ait, *omnino ubique confiteantur Domino, non merita noſtra, non vires noſtræ, non ſapientia noſtra, ſed miſerationes ejus.* Sed & Apollinaris expreſſit carmine caſum primum,

Οἰκτιρμοὶ βασιλῆος ἑὴν ἀναμέλψατ᾽ ἐρωήν.

In altera hujus verſûs parte manuſcriptum Hunnæi, L literâ ſignatum, habet, primo præſertim loco, *filii*; *Et mirabilia ejus filii hominum.* Et placere ſanè facilè poſſit iis qui fontes negligunt ea lectio: ſed, *filiis* legendum eſſe, ut Latini plerique cùm codices tum Tractatores legunt, & Græca & Hebræa loquuntur. Subaudiendum eſt autem vel *exhibita*, vel *prædicent*, vel utrumque. Portugallicæ Synagogæ Pſalterio deeſt tertio loco (quod obſervavit D. Lindanus) לבני אדם *filiis hominum*; nimirum id ex præcedentibus legendum reliquit ſcriptor: ad quem modum quibuſdam Latinis ſcriptis initiales duntaxat dictionum literæ poſterioribus locis habentur. Totius hujus verſiculi inſigniter expreſſit Chaldæa paraphraſis ſenſum; *Confiteantur coram Domino propter miſericordiam ejus: & narrent mirabilia ejus filiis hominum.*

DRUSIUS.

1. כי־טוב. O. *ὅτι χρηστός*] Hieron ad Suniam, *Sciendum eſt quòd χρηστός in* utile *& in* bonum *&* ſuave *verti poteſt. Denique & in Ebraïco ſcriptum eſt* כי טוב*, quod omnes voce ſimili tranſtulerunt ὅτι χρηστός ex quo perſpicuum eſt quòd χρηστός* bonus *intelligatur.*

4. זָכְרֵנִי יְהוָה בִּרְצוֹן עַמֶּךָ. A. Sym. Th. V. & VI. Μνήσθητι ἡμῶν, Κύριε,

Κύριε, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ λαοῦ σου, *Memento noſtri, Domine, quâ es in populum tuum benevolentiâ*] Ἡμῶν, ו pro י, h. e. Vau loco Joth.

30. הַמַּגֵּפָה. Sym. ἡ πληγή, *plaga*.

33. וַיְבַטֵּא. A. διέκρινεν.

A M A M A.

PSalmus fere idem cum ſup. ſi principium ſpectes. Sed videtur alium habere ſcopum ſi ſequentia ſpectentur. Videntur enim hoc fine commemorari beneficia ut populi ingratitudo coarguatur. Incipit autem à celebratione, poſtea delabitur ad confeſſionem, poſt accedit ad narrationem. Ad ſummam Pſalm. eſt partem εὐχαριστικὸς, partim ὁμολογητικὸς, partim εὐκτικὸς.

Alii putant ſcriptum ſub perſona Judæorum ſub Machab. alii ſub Captivitate Babylonica.

R. D. ait ſuperiore Pſalm. ex profeſſo narraſſe Pſaltem ea quæ Deus egerat cum populo in Ægypto. Hic verò ea narrari quæ egerat Deus cum iis in Deſerto & poſtquam Terram S. jam occupaſſent.

Mimallonides, Bacchus, Eleleus, Baſſareus, Sabaſius, Evoi, Jacchus.

1. לַיהוָה] Habetur ratio punct. Bez. Apoc. 1. Si leges *lahova* impingis in principia Gr. Si *laihova*, iidem, לֵאלֹהִים.

2. *Quis*] Interr. hæc vim habet negandi. Aliq. infert difficultatem, *Mulierem bonam quis inveniat? Quis ad hæc idoneus?* 2 Cor. 2. Syrach. 1. 6. *Sapientia Dei cui retecta eſt?* q. d. Pauci ſunt, difficulter inveniri poteſt. At Rom. 8. negat, *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? Quis contra nos?*

יְמַלֵּל] Crebra vox in Chaldaïſmo. Proverb. 6. uſurpatur κατα χρηστικῶς. Innuens oculis, מֹלֵל pedibus, ſignificans manibus ſuis.

Potentias ejus] i. e. Summam potentiam ejus. Vel fortia & potentia facta, modus auxeſeos. Sic Jeshugnoth. חָכְמוֹת Prov. 9. בְּהֵמוֹת. Sic הבונות Pſalm. 49.

In Rabbiniſmo & Chald. גבורה eſt unum ex Dei Epithetis, Vid. Eliam Thisbitem. Hinc in N. T. Math. 26. ἀπὸ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. & Tob. 1. τῇ Βάαλ δυνάμει Baali Deo.

Vult oſtendere ἀσυμμετρίαν quæ eſt inter Dei δύναμιν & noſtram ἀδυναμίαν.

3. *Qui cuſtodiunt judicium* &c.] Phraſis Ebr. pro *facere & exercere ea quæ juſta, proba & recta ſunt*. Locutio ſumpta à judiciis, à foro, in quibus, ſi rectè conſtituta ſint, nocentes & impii damnantur, boni abſolvuntur & defenduntur.

Omni tempore] Non ſufficit unus ac alter actus: requiritur continuus progreſſus.

4. זָכְרֵנִי] *Si loquitur Pſaltes* על עצמו, inquit Kimchi, *petit ut à Deo excitetur ex ſepulchro ſuo tempore redemptionis, tempore adverſus Meſſiæ.* Credunt enim tum omnes bonos & fideles Judæos reſurrecturos ad breve feliciſſimæ vitæ interuſurium, & deinde rurſus morituros & dormituros ad univerſale judicium. Sed hæc expoſ. Judaïca eſt. Si harum precum ἔξαρχος eſt Pſaltes. Altera melior & verior eſt, *Si loquitur Pſaltes*, inquit על לשון בני גלות, *tunc petitur liberatio ab exilio aut perſecutionibus*. Hoc ſpectarunt LXX. & Vulg. dum pro affixis ſingular. ſubſtituere pluralia. Μνήσθητι ἡμῶν, ἐπίσκεψαι ἡμᾶς.

Memento mei] Atqui Deus aliquando meminens eſt in malam partem. Pſalm. 25. *Peccatorum meorum ne recorderis.* 1 Sam. 15. *Memini quid Amalec fecerit Iſraëli.* Apoc. 16. *Babylon M. venit in memoriam ante Deum, ut præberet ei poculum vini indignationis iræ ſuæ.* Talem memoriam non vult Pſaltes, ſed ejuſmodi de qua Pſalm. 112. *In memoria æterna erit juſtus*, i. e. cura, favore Dei. Hanc ergo ambiguitatem tollit addendo

בִּרְצוֹן ע] Paſſivè, non activè, non quo populus proſequitur te vel alios, ſed quo Deus proſequitur populum εὐδοκίᾳ & fere Deo tribuitur ſignificatque *non bonam voluntatem hominis ſed Dei erga homines*. Hinc Bell. lib. 2. cap. 11. explicat. Vulg. Luc. 2. *Gloria in Excelſis Deo, in terra Pax, hominibus bonæ voluntatis.* Sic enim legunt quidam codices εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκίας. Bell. dicit ambiguam eſſe ut *bonæ voluntatis* poſſit referri vel ad *homines* vel ad *pacem*, & debere referri ad pacem, *Pax hominibus, pax*, inquam, *bonæ voluntatis.* Sed ſciendum meliorem lectionem eſſe ἐν ἀνθρώποις & εὐδοκία, & tunc tria hic precari Angelos, 1. *Gloriam Deo*, 2. *Pacem in terra*, 3. *Bonam voluntatem* ſeu *benevolentiam Dei in hominibus*, i. e. erga homines.

Viſita me] Et hoc in malam partem ſic præſumitur, cum Deus exequitur quod comminatus eſt, ut in Decalog. Eſ. 10. *Quid facietis in die viſitationis.* Sic, *annus viſitationis, tempus viſitationis.*

5. *Videam in bono*] *Videre bonum* ſimp. eſt *frui bono, participem eſſe boni.* Sic In N. T. Joh. 3. *videre regnum Dei.* 1 Petr. 3. *videre bonum, & vitam!* Pſalm. 34. *Quis cupit videre bonum* Eccl. 9. *Videre vitam cum uxore.* Sic in malum, Pſalm. 60. *Feciſti nos videre dura.* Jirm. 42. *Terra in qua non videbimus bellum.* Thr. 3. *Ego vir qui vidi afflictionem in Virga indignationis.* Geneſ. 50. 15. Μήποτε μνησικακήσῃ ἡμῖν Ιωσὴφ καὶ ἀνταπόδομα ἀνταποδῷ ἡμῖν πάντα τὰ κακὰ, ἃ ἐνεδειξάμεθα αὐτῷ. Sic, *videre mortem*, Pſal. 49. & Joh. 8. *Videre corruptionem*, Pſal. 16. Sic 2. Tim. 4. *Alex. faber ærarius* ἐνεδείξατό μοι πολλὰ κακά. Ebraïcè eſſet הִרְאַנִי *videre fecit me.*

Sed hæc Phraſis aliquantò plus dicit, *Videam in bonum* ראה cum ב ſignif. *cum ſumma voluptate aliquo frui* vel *videre.* Sic Abd. 12. verſ. *Non vidiſſes* ביום אחיך *in die fratris tui*, Pſalm. 118. Pſal. 112. *Non timebo donec videam in hoſtibus meis.* Sic Pſalm. 64. *Vidit oculus meus in hoſtibus.*

גּוֹיֶךָ] Alii cod. גּוֹיְךָ. Obſerv. גוי uſurp. de *Judæis*. Sic alibi Geneſ. 17. *Ponam te* לגוי גדול. Ex. 19. *Vos eritis mihi regnum ſacerdotale &* גוי קדוש. Ezech. 2. *Mitto te ad Gentem rebellem.* Alius ſtrictè pro *omnibus non Judæis.* Sic paſſim in N. T. ἔθνη, Rom. 11. *Quouſque plenitudo Gentium*, pro quo paſſim paulo uſurpatur *Græci.* Rom. 1. *Judæo & Græco.* Rom. 3. *An Judæorum tantum Deus eſt & non quoque Gentium?* Act. 14. *Credidit Jud. & Græc. magna multitudo.*

Judæi contemptim גוי de uno Chriſt. גויה de Chriſtianâ.

6. Exaggeratio delictorum eſt in verborum congerie & quoque gradatione. חטא eſt *peccare ex errore, ignorantia & imbecillitate.* עוה eſt *peccare ἐκ προαιρέσεως, cogitatè & ſcienter* cum mens videt meliora, ſed deteriora ſequitur. הרשיע malitioſe & arroganter. Alii ſic, ut חטא *ſit peccatum ex ignorantia*, עוה & הרשיע, *ſcienter ex deſtinato.* Sed ita ut עוה reſp. 2. Tabulam, הרשיע primam. Alii ſic, 'חט denotare *peccata quæ quis committit in ſe ipſum*, 'ע *in proximum*, 'הר *in Deum.* Utut ſit, hoc volunt dicere, *Nullum peccati genus intermiſimus.* Eadem grad. eſt Dan. 9. ubi additur ומרדנו

Formula Confeſſ. אנא יהוה חטאתי עויתי ופשעתי לפניך ועשיתי כן וכן והרי נחמתי ובושתי על מעשי ולעולם איני חוזר לדבר הזה

Altera exaggeratio eſt in *cum Patribus noſtris*, i. e. Nos à tot jam ſæculis accumulavimus peccata, continuavimus peccata patrum noſtrorum. Homines ſuis ſceleribus obtentui ſumere ſolent majorum exempla ut ita culpam minuant; quicquid enim exemplo ſit id jure fieri homines arbitrantur. At pii hæc ipſum ad exaggerationem ſuæ defectionis proferunt.

Ἑαυτὸν οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργος ὤν.

Et hoc notetur quam diverſa ſint Dei judicia & hominum. In humanis enim cum confitetur reus jam januam aperit condemnationi & pœnæ. In divinis, remiſſioni & gratiæ Dei. Hic enim, *ſi non confitearis, condemnas te, ſi confiteare, abſolvis te.* Proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui verò confitetur & derelinquit, miſericordiam conſequetur.* Unde Nazianz. οὐδὲν οὕτω ἵλεων ποιεῖ τὸν θεὸν ὥσπερ ἐξομολόγησις.

7. *Non intellexerant*] Fuit ergo ſtupor.

Non recordati ſunt] Fuit ſubita & ingrata oblivio. Rebellârunt, ſeditio.

עַל־יָם] *Juxta mare.* Sic Pſal. 1. Gen. 3. *Super flumen.* Sic quidam explicant locum Pſalm. 24. *Fundavit terram* עַל־יַמִּים *ſuper maria*, de quo alias diximus, ad Pſal. 104. 5.

בְּיַם סוּף] ב etiam *in mari*, aut ב hic ponitur pro אצל *juxta*, Num. 33. 7. *Caſtrametati ſunt in monte Hor.* Cur vocetur Mare Rubrum vide Pſ. 66. 6.

Mare Suph eſt ſinus Arabicus ſeu Ægyptius. M. Rub. eſt Oceanus inter Æthiopicum & Indicum Sinus; ergo denominatus eſt à de nomine Totius, quia primus ejus ſinus & brachium fuit.

וַיַּמְרוּ] Jun. *Occaſionem dederant mutandi* [*eas*] LXX. παρεπίκραναν *irritaverunt*, ſc. rebellando. Optimè. Nam & hoc ſignif. מרה ut paulo poſt verſ. 33. הִמְרוּ אֶת רוּחוֹ Signif. & *mutare*, ſed illud hic non quadrat. Multo minus longa illa περίφρασις. Deut. 1. 26. & 9. 7. & Joſ. 1. 18. Ezech. 20. 8. expreſſe pro *rebellare* ſumitur. Chald. quoque סְרִבוּ עַל־סְרִיבִין *rebellarunt*, nam סָרְבָן *rebellis.* Et Ezech. 2. 5. quoque סָרָבִים *rebelles* juxta quoſdam. Angli *provoked, provocabant ad iram.*

עַל־יָם] LXX. ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, Leg. עֹלִים. 1. Contra codicum fidem. 2. Contra proprietatem linguæ Ebr. Eſt quidem ita, Græcos *itionem in mare* vocare ἀνάβασιν, unde Ἀνάβασις Κύρου *navalis expeditio Cyri.* Contra Κατάβασις, quando tenditur in mediterranea. Verum Ebræi contra loquuntur. *Itionem in mare* vocant *deſcenſum.* Pſalm. 107. 23. *Qui deſcendunt mare in navibus.* Jon. 1. *Et deſcendit Japhuntem.* Jeſ. 42. *Qui deſcenditis in mare.* Quomodo loquuntur vel ratione κοίλων νηῶν concavarum navium in quas deſcenditur, vel, quod utut mare media & interna ſui parte altius terra ſit, ad littora tamen humilius ſit.

9. *Increpuit*] Non de verbali increpatione ſed reati executione intelligendum eſt. Ut mandata Dei ita & increpationes ſemper cum effectu conjunctæ ſunt. Innuitur hac Phraſi res etiam prodigioſiſſ. Deo æque faciles eſſe, quam nobis verbalis quædam objurgatio. LXX. καὶ ἐπετίμησε. Vocat autem *increpationem immiſſionem venti Orientalis,*

Abyſſos.] Non capi debet de fundo, licet ſiccis pedibus per fundum maris tranſierint, ſed de duabus illis motibus ſeu cunei aquæ quæ utrinque ſtabant ſicut murus, inter quos moles tranſiere. Quod patet ex Ex. 15. *Abyſſi operuerunt eos.*

Sicut deſertum] Ebr. 11. *Fide tranſierunt per mare rubrum tanquam per aridam terram.*

12. *Tum crediderunt,*] Non ad extenuationem ſed exagg. peccati. q. d. tot miraculis, tam illuſtri prodigio ſemel tandem credidere Deum veracem eſſe, ſemel convicti fuere. Tamen ea fuit populi impietas, ut tot inſignib. documentis convicti paulo poſt redierint ad ingenium.

Credere ב per Dat. Rom. 4. 3. εἰς Phil. 1. 29. τὸν ἐν Marc. 1. ἐπὶ Rom. 4. 5. Jun. *Jehovæ* Gen. 15. Rom. 4. verſ. 3. Pſalmo 106. 12. ב. 24. ל. Ex. 14. *in Deum & Moſen*, 1 Sam. 27. Achis 2. Chr. 20. Marc. 1. 15. ἐν εὐαγγ. Jirm. 12. 6. *Ne credatis* בם Jun. *iis*. Mich 7. 5. *Ne credatis* בְּרֵעַ *amico.* Jun. Joh. 12. 42. & Joh. 2. 23. & Joh. 2. 23. Beza ad Matth. 27. 42. & Philip. 1. 29.

13. *Feſtinârunt obliti ſunt*] Ebraïſmus. Apud Ebr. cum duo verba immediate ſine conjunct. ſe invicem conſequuntur, prius ſemper adverbiaſcit, Pſalm. 51. Pſalm. 45. Pſalm. 75. *Revertere is juſtificatis me.*

חִכּוּ] Ch. לְכַלְּהָה, οὐχ' ὑπέμειναν τὴν βουλὴν αὐτοῦ. non expectarunt tempus quo Deus decreverat ex conſilio voluntatis ſuæ ſubvenire ipſis.

14. יְשִׁימוֹן] Num. 11. 4. à ישם quod idem cum שמם, *devaſtatus fuit, in ſolitudinem redactus fuit.* Ezech. 6. 6. *& excelſa ejus* הַבָּמוֹת ἐρημωθήσονται, unde יְשִׁימוֹן ἔρημος, *vaſtitas, ſolitudo.* LXX. ἐν ἀνύδρῳ.

Tentarunt] Num. 11. 4. 1. Populus tentavit Deum & Deus non tentatur. 2. Deus tentat neminem, ibidem, & tamen tentat populum. 3. Tentationes deprecamur, in orat. Dom. & tamen tentationibus lætamur, Jacob. 1. 2. Jacob. 1. 13. Deut. 13. 3. quia מְנַסֶּה vos Dominus ad ſciendum an diligatis D. Deum veſtrum. Geneſ. 22. 1.

15. רָזוֹן] Ch. פַּתְיָנוּתָא *Maciem* à רזה *emaccavit.* Alii tamen volunt hic denotari Βουλιμίαν, cum atrophia conjunctam, unde macies ſumma oritur. Atque hæc expoſ. colligi poteſt ex Num. 11. 20.

Βουλιμία, *magna fames*, Βου auget in Græcis particulis. Antequam Elephantes in Italiam inferrentur, non noverant Romani animal bove majus, unde augendi part. unde *Elephantes* primò Lucæ *boves* vocabantur; unde apud Ennium,

Atque prius pariet locuſta Lucam.

Luca q. *Lucanus. Quia in Lucania illos primus Pyrrhus in prælio objecit Romanis.* Plin. 8. 6.

Lxx. πλησμόνην *Satietatem*, *nauſeam*, *faſtidium.*

In animas ipſorum] In ipſos. Syn. membri. *In ipſos* id eſt, in corpora eorum. Syn. integri. Sim. Pſ. 16. Act. 2.

16. *Inviderunt*] Kimchi. הקנאה קשר עם לכד הוא לטוב: קשר בבית הוא רע . Adde etiam cum את ſemper in malum.

Cum ל. Num. 25. קִנֵּא לֵאלֹהָיו Joël. 2. Et zelavit D. לְאַרְצוֹ Zach. 1. Zelavi לְדוֹד

Cum ב. Gen. 30. de Rachel, Gen. 37. de FF. Joſeph. cum את. Gen. 26. ויקנאו אתו. Unus hic locus excipitur; unde notat Kimchi ל pro ב hic poſitum. Sic Gen. 4. לְפִצְעִי Pſal. 16.

Lxx. Καὶ παρώργισαν hic tantùm. Aliàs ἐζήλωσαν Gen. 30. 1. ἐζήλωσεν ἡ Ραχὴλ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς. Num. 25. 13. ὅτι ἐζήλωσε τῷ Θεῷ αὐτοῦ. NB. cum Dat. ſed hoc non eſt perpetuum. Ecce Zach. 1. 14. ἐζήλωσα τὴν Ιερ. Joël. 2. 18. ἐζήλωσε τὴν γῆν αὐτοῦ.

Aharonem Sanctum Domini] Sic Marc. 1. 24. Luc. 4. 34. Chriſtus vocatur *Sanctus Dei*. Sanctus, i. e. κεχωρισμένος. Dicitur ſic & ratione muneris, & quia primogenitus: *Sanctifica mihi omnes primogenitos.*

17. *Aperta*] Num. 16. Koræ hic nulla mentio, quia is fuit inter 250. viros qui thuribulo habentes igni cœleſti abſumpti ſunt, ut expreſſe eſt Num. 16. At cap. 26. ubi dicitur terra abſorpſiſſe eos, & Corach, Jun. reddit *& ea qua erat Korachi.* Ut nec ipſe nec Filii comprehendantur; nam expreſſe verſ. 11. cap. 26. *Et FF. Cora non ſunt mortui.* Ebr. *Et ignis combuſſit 250. viros, qui fuerunt* לְנֵס, *Filii vero Core non ſunt mortui.* Num. 26. 11. Sic Vulg. *Et factum eſt gr. miraculum ut Core pereunte FF. ejus non perierint.* Malè.

19. מַסֵּכָה] Gr. τῷ γλυπτῷ id eſt, *ſculptili.* At id eſſet פֶּסֶל *Maſſecha* eſt χωνευτός. Ex. 32. ἐποίησαν μόσχον χωνευτὸν & χώνευμα, Deut. 9 ἐποίησαν ἑαυτοῖς χώνευμα

Cultu hoc imitati ſunt Ægyptios, qui *Apin* coluerunt. *Apin* omnes fere authores *Bovem* vocant, Herodotus tamen & μόσχον.

Chald. בְּאָכֵל עִסְבָּא ומְיַרְדַּם אוכל עֵשֶׂב ſic reddit בְּאָכֵל עִסְבָּא וּמְיַרְדַּם qui edit herbam & iniquinatus eſt, qui, ubi multum herbæ comederit, multum fimi egerit & ſe fœdat. R. Sal. מְלוּכְלָךְ, D. Kimchi כְּנֶל

20. *Gloriam ſuam*] Deum glorioſum, Deum qui erat gloria eorum, cujus gloriam viderant in monte.

Bovis] Vituli. שור *bos*, *taurus*, etiam de vitulo dicitur, unde LXX. ἐν ὁμοιώματι μόσχου ἐσθίοντος χόρτον. Contra μόσχος in Helleniſtica lingua etiam *bovem* & *taurum* notat. Jez. 1. 10. שור, μόσχος. Ex. 34. 19. πρωτότοκος μόσχου, Ebr. שור Prov. 14. 4. *in robore bovis.* Lxx. ἐν ἰσχυῖ μόσχου. Th. Ταύρου. Jud. 6. 25. καὶ μόσχον ἑπταετῆ. Latina verſio, *vitulum 7. annorum.* Jonath. Hoſ. 13. עגלים vertit, תוֹרַיָּא verſ. 19. dixerat, *fecerant* עגל, ἐποίησαν μόσχον. Act. 7. 41. ἐμοσχοποίησαν.

NB. Dan. 4. *Comedit fœnum* כְּתוֹרִין

23. בְּפִרְצוֹ] Hinc מְשֻׁמָּד *apoſtata* שמד *abnegare fidem,* qualem vulgo *Mammelukum* vocant κατὰχρ. מְמֻלָּךְ *emptus, acquiſitus.* Dicitur proprie de pueris Chriſtianis, qui empti ſeu capti à Turcis circumciſi, fidem Chriſt. abnegant.

Stetiſſet in ruptura] Metaph. à re militari. Senſus, Niſi interceſſiſſet pro iſto populo, quum ruptura aliqua facta eſt in Exerc. vel muro, milites corporibus animoſe objectis in rupturam conſiſtunt, locum defendunt, hoſtemque repellunt. Quando peccata exundant, ruptura fit per quam vindicta Dei ſtatim penetrare queat ad omnia vaſtanda. Similis locutio eſt Ezech. 13. 2. *Non aſcendiſtis ad rupturas neque ſepiviſtis ſepem ſuper domum Iſraël ut ſtaretis in prælio in die furoris Domini.* Et 22. verſ. 30. *Et quæſivi ex iis virum qui ſepiret ſepem, qui ſtaret in ruptura coram me pro terra ne diſſiparem eam & non inveni.* Cum magna copia inveniſſet, lucriones ſanguinarios, lupos, vulpes.

Ex hac collat. ſatis liquet quid intelligat per hanc ſtationem in ruptura, nimirum *ardentes preces Moſis & aſſiduas.* Narrat enim Moſes Deut. 9. *ſe* 40. *Dies & Noctes jacuiſſe coram Domino ſine cibo & potu & indeſinenter oraſſe ne Deus populum perderet.* Itaque Chaldæus. *Niſi Moſes ſurrexiſſet ac inſtitiſſet orare in conſpectu ejus.*

מֵהַשְׁחִית] Τοῦ μὴ ἐξολοθρεῦσαι αὐτούς.

24. חֶמְדָּה] Vel in ſe, fluebat enim lacte & melle, vel quod Num. 14. SS. PP. eam unicè deſiderarint. Hinc מְהֻלָּל *laudabilis celebrandus*, הלל enim *laudare*, *celebrare* ſignif.

26. *Et levavit manum* לָהֶם] LXX. καὶ ἐπῆρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' αὐτοὺς, τοῦ καταβαλεῖν αὐτοὺς ἐν ἐρήμῳ· Chald. *Et levavit manum ſuam* בִּשְׁבוּעָה. Jun. *Sublata manu juravit iis*, Piſc. *Suſtulit manum ſuam contra eos jurando.* Vide ſuprà Pſalm. 28. Si eſt geſtus ferire cupientis, tunc להם valebit *contra eos*; ut in Decalogo pr. 2. לַשָּׁוְא. Sic Prov. 1. לְנָקִי *contra innocentem.* Si verò eſt geſtus jurantis, tunc ל erit Dativi nota, & ſenſus erit, *Juravit ipſis.* Levare manum, quia geſtus eſt Jurantis, Orantis, Benedicentis, hinc pro tribus iſtis ponitur in SS. lit. Deut. 32. 40. *Levabo manum meam in cœlum, & dicam vivo ego in ſæculum.* Ex. 6. *Pro qua levavi manum meam ut darem eam vobis.* Hinc Dan. 12. geſtus ille uſurpatur ab Angelo. Sic in Apoc.

Cur *levarunt manum?* Ut Deum quaſi monſtrarent quem in teſtem & vindicem accerſebant.

27. *Semen eorum*] Illud in Moſe non legitur, inquit Kimchi, ſed ab Ezech. cap. 2. & hic à Pſalte per conſequentiam collectum fuit.

28. *Copularunt ſe*] LXX. Καὶ ἐτελέσθησαν, *initiati.* צמד *conjugari*, *combinari*, *ad jugum unum alligari*, צֶמֶד *conjugatio duorum animalium ad unum jugum.* Quo reſpexit Apoſt. 2. Cor. 6. *Nolite trahere jugum cum infidelibus.*

Baal-Phegor] Idola omnia ſolent nominari *Baalim*, i. e. Κύριοι δεσπόται; quo reſp. Apoſt. dum ait multos eſſe Κυρίους καὶ δεσπότας. 1 Cor. 8. 5. Hi ergo in genere intelliguntur cum mentio fit τῶν Baälim in SS. At cum certum aliquod Idolum intelligitur, ſolet aliquid addi διακριτικὸν. Ut Baäl Zebub, Accaron. Baäl-Berith, Sichimit. Baäl Phegor, Moabitarum & Midianit. Baäl Zephon. Ægypt. Scaliger vult Baäl Samaim aliq. κατ' ἐξοχὴν vocari Baäl, ut Jud. 6. Num. Beël Zebul & Baäl Phegor putat Scalig. eſſe unam, לְגוֹי atque Beëlz. dictum ab ipſis cultoribus Baäi Zebachim, Baäl-Phegor verò Baäl Reem. Ζεὺς βροντοῖος. Contemptim πορδεὺς, à πέρδω pedo. Suid. Βεελ ὁ Κρόνος. Φέγωρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. ἐξ ὧν Βεελ Φέγωρ.

Alii volunt Pheor dictum à monte Moabitico, in quo fuerit templum & cultus. Num. 23. Alii à פער *aperire*, quod aperuerint

ruerint pudenda vel quod aperuerint nates & egeſſerint excrementa coram Idolo. Sed hæc obſcœna. Potius à monte.

Sacrificia autem quæ in ejus cultu comedebantur, erant inferiæ, in memoriam defunctorum peractæ. Id probant ex hoc loco, זִבְחֵי מֵתִים, Apollin. vocat νερτερίας κατεφθιμένων ἑκατόμβας. Alii ſim. per מתים intelligunt idola. Opp. Deus vivus.

30. וַיְפַלֵּל] Lxx. Καὶ ἐξιλάσατο: *& placavit*. Ch. צַלִּי *oravit*, q. eſſet in Hithphael. In Piel magis ſignif. *judicavit*, 1 Sam. 2. 25. *Si judicaverit ullus in alterum* ופללו אלהים *judicabit eum Magiſtratus*. Jezech. 16. 11. Hinc פְּלִלִים Deut. 32. *Etiam inimici noſtri judices*. פלילה & פְּלִילִיָּה *judicium*, Jeſ. 16. *Facite judicium*. Kimch. עֲשָׂה מִשְׁפָּט בְּנֵי אַפִּים.

Cohibita eſt plaga] Cum jam recenſiſſent 24. millia.

32. וַיַּקְצִיפוּ] Lxx. παρώργισαν. Chald. ארגיזו *irritarunt*. At Ebræa plus dicunt. קָצַף propriè, *bullivit*, *ferbuit*, *ſpumavit*; unde קֶצֶף *bulla*, *ſpuma*. Hoſ. 10. *Sicut bulla ſuper aquas*. Hinc duplex interpr. una Junii, *ferventem iram concitarunt*, ad verb. *fervere fecerunt Deum*. Fecerunt ut Deus ferveret ira. Alii ſic, *ſpumare fecerunt*, quaſi in ſpumam efferveſcere fecerunt. Notum ut ſpuma in ira uſurpetur.

Malè fuit ei] Dum excluſus fuit cum Fratre ab ingreſſo terræ S. Num. 20. Deut. 1. 37. & 4. Lxx. καὶ ἐκακώθη M. δι' αὐτούς.

Ob ipſos] Judæos. Exaggerat peccatum populi ab eo quod etiam dux pœnas luerit peccati à populo commiſſi. Licet etiam à culpa non omnino fuerit alienus & immunis, occaſionem tamen præbente populo. Male ergo *mulctatus ob eos* quoad occaſionem.

המרו] *Exacerbarunt* Iſraelitæ vid. παρεπίκραναν *ſpiritum ejus*. Moſis. המרה hic eſt הֵמֵר

33. וַיְבַטֵּא] Καὶ διέστειλεν, *& diſtinxit*. *Dum effutivit* vel *pronunciavit*, ſub. exacerbationem ſuam. Hæc nimirum verba, *audite Rebelles*, *num ex petrâ hac educemus vobis aquas?* quæ redolent diffidentiam & incredulitatem, dixerat enim jam ante Deus, Accipe virgam, congrega populum, & loquere ad petram coram iis, & educes aquas, & bibent ipſi & jumenta eorum. Hæc autem verba Moſis hanc ſententiam habent, non educemus aut non eſt poſſibile ut educamus &c.

Quærunt Interpretes qua in re potiſſ. conſiſtat hoc peccatum Moſis. Sunt qui putant in eo quod cum juſſus fuerit alloqui Petram, ferierit eam. Majus enim miraculum fuiſſet ſi verbo eduxiſſet. At illud refellit Druſius, quod dicatur *accipe virgam*, quorſum enim virga? Potuit ergo ſimul alloqui & ferire.

Alii in eo collocant quod cum Petram juſſus fuerit, alloqui, populum allocutus ſit. Hic aliquid peccatum eſt; ſed maximum in eo quod verba illa diſſidentiæ plena fuerint, ex qua diffidentia hoc quoque fuit quod bis percuſſerit Petram, dum ad primum iſtum non prorupit aqua. Unde ſequitur, *Eò quod non credidiſtis mihi*. Num. 27. ſic eos increpat Deus hoc nomine, *Eo quod rebelles fuiſtis contra mandatum meum & non ſanctificaſtis me coram populo*.

Primò ergo inobedientia in alloquio, 2. diffidentia & incredulitas, 3. quod populo etiam ſcandalum præbuerint & occaſionem dubitandi de Dei potentia.

R. Moſes ait in eo conſiſt. peccatum, quod iracundum ſe præbuerit eum cauſam non haberet, 2. quod verba ejus talia fuerint ut populus inde colligere potuerit Deum iratum fuiſſe quod falſum fuiſſe dicit. Nugæ. Vide Burgenſem.

הִמְרוּ רוּחוֹ] Tripliciter poteſt exponi, 1. Exacerbarunt Spiritum ejus, Moſis. 2. Exacerbarunt Moſen & Aharon Spiritum ejus, Dei. 3. Exacerbare fecerunt Moſem & Aaronem Spiritum ejus Dei. Prima optima eſt.

34. *Non perdiderunt*] Juxta præceptum Deut. 7. Hæc negligentia commemoratur Judicum 1. & 2. Notatur perverſa & præpoſtera clementia.

השמיד *vaſtavit*, *perdidit*, Rabb *perſecutus eſt*. הַשְׁמָד *perſecutio*, מְשֻׁמָּד apoſtata tempore perſecutionis Judæis, apoſtata à Judaiſmo. Contra eos ter orant. Ch. שמד *fidem abnegavit* & אִשְׁתְּמַד apoſtata factus, hic אַשְׁמְדַּי Tob. 3. 8. Princeps Dæmonum vel à perſecutione vel apoſtaſia

35. *Didicerunt*] Æſchylus κακῆς ὁμιλίας κάκιον οὐδέν. Men.

φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί

Κακοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Opera] Non artificia, ſed mores, ritus idolol.

36. עֲצַבֵּיהֶם] Ab effectu עֶצֶב *dolor*, עֲצָבִים *dolores*, עֲצַבִּים *idola*, Jun. *terricula*, Lxx. γλυπτοῖς, *ſculptilibus*. עָצַב aliq. *formare*, Job. 10. *manus tuæ* עִצְּבוּנִי hinc forte עֹצֶב *imago*.

37. *Et ſacrificarunt* &c.] Deut. 18. 10. mentio fit *Filiorum* alibi *Seminis*. Locus Deut. 18. docet intelligi *filios*, Locus 2. Chr. 28. fuiſſe *robuſtos* בניהם item Locus Jirm. 7. 31. *& ædificarunt excelſa Topheth quæ in valle Hinnon* לִשְׂרֹף בְּנֵיהֶם. Sic & Deut 12. 31. Aliq. in Moſe prohibetur traductio FF. per ignem, quod quidam accipiunt de luſtratione & purificatione per ignem, ut adhuc hodie Tartari faciunt, inquit Lyra, dum ad Principes ituri primo tranſeunt per ignem. At cum cultus Moloch mentio fit neceſſe eſt ut intelligatur ejuſmodi luſtratio quam mors conſecuta eſt. Hic videtur alludere ad cultum Moloch, qui exercitus fuit à Judæis in valle Gehennon, in qua & locus exc. Tophet dictus. Gehinnon à poſſeſſore. Tophet à Tympanis. Ob hos cruciatus puerorum & immunditiam quam Joſijas 2 Reg. 23. eò projici curavit ob ignem perpetuum qui ibi arſit ad conſumendas immunditias, traducta vox ad locum damnatorum. 2 Reg. 21 6. Manaſſes, Achas, 2 Reg. 16. 3. & 2 Chr. 28. 3. בְּנֵיהֶם Jirm. 7 31. & 19. 2. ubi iterum vox לשרף Prohibitus hic c. Lev. 18. 21. & 20. 2. Deut. 18. 10.

Alii putant primò immolatos deinde combuſtos.

Alii incluſos in concavitatem idoli ænei jam ante igne ſubjecto candentis, atque ita crematos.

Alii poſitum inter manus idoli candentis. Erat enim, inquiunt, ex cupro, capite vitulino, manibus humanis extenſis & quaſi aliquid appetentibus.

Alii, ut R. Salomo & Kimch. traductos fuiſſe partim à parentibus, partim à ſacrificulis inter duorum rogorum medias flammas. Donec incendio conſumerentur. Hæc opinio confirmatur voce הֶעֱבִיר quæ paſſim in hoc cultu obvia eſt. Lev. 18. Deut 18. *Inducat Filium ſuum aut filiam ſuam* בָּאֵשׁ 2 Reg. 16. 3. & 21. 6. &c.

Ridiculus eſt Lyra putans loca Levit. ubi memoratur Semen de ſemine materiali accipi poſſe, quaſi illud obtulerint ut in N. T. Gnoſtici & Stratiotici.

שֵׁדִים] Intelligitur Moloch, quod inſtinctu dæmonum colebatur. שוד thema ut volunt. Deut. 32. 7.

38. Alter modus ſacrificandi per gladium ut volunt Ebræi. Vel etiam per ignem, ſed ad placandos alios Deos extra cultum Moloch. Hæc atrocitas ἀνθρωποθυσίας frequentiſſima fuit apud omnes gentes. Sanguine placari Deos omnibus quaſi inſitum fuit, & proculdubio illud hauſerunt à vera Eccleſia, in qua ſacrificia pecudum viderunt uſitata. Cum autem viderent naturæ ductu, quo majus eſſet quod daretur Deo, eò facilius veniam impetrari à peccudum mactat. ad mact. hominum ventum eſt, Abrahami, ut quidam volunt, exemplo vel κακοζηλία. Primi hoc feciſſe traduntur Cananæi, ut jam vidimus, licet per ignem tantum. Ut hine minus probabile videatur illud quod Grotius ex Rabb. laudat & probat, fuiſſe Moloch Saturnum. Paſſim quidem legimus, Saturno factum fuiſſe vel ſacrificatum infantibus ut apud Tert. Arnob. Sed nuſquam fit mentio ignis. Hæc conſuetudo univerſum mundum pervagata eſt Deos ſuos ſanguine humano litandi. Virgil.

Sanguine quærendi reditus animamque litandum
Argolica.

Hic ritus in Germania, Gallia, Britannia uſitatiſſimus fuit, quin & India Veteri & Nova, Americano Orbe ritus illi noſtra memoria reperti.

38. *Sanguinibus*] Dupl. accipi poteſt, ut accipiatur pro *cæde*, *homicidiis*, vel pro *quibuſvis ſceleribus*. Sic Hoſ. 4. 2. *Sanguines attigerunt Sanguines*, Ch. *& peccata ad peccata addita ſunt*. Hic Ribera aliique *quævis peccata graviora* intelligit ob duas cauſas, 1. Quia eſus ſanguinis fuit Judæis deteſtabilis. 2. Sanguis Menſtruus erit ipſis execrabilis. Ideo vox tranſlata ad peccatum quod maxime debet eſſe abominabile.

39. וַיִּזְנוּ] Ut diſt. à נאף. Vide Pſalm. 73. 27.

40. Καὶ ὠργίσθη θυμῷ ὁ Κύριος ἐπὶ τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ ἐβδελύξατο τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ.

41. וימשלו בּ] Καὶ ἐκυρίευσαν αὐτῶν. Vulg. *& dominati ſunt eorum*. Sic *Juſtitia ne prius mirer* &c. Horat. *regnavit populorum*.

44. *Et vidit*] Cur Viſus tribuitur Deo & non Guſtus, & Tactus, vide Pſal. 86. Videre dicitur Deus cum ita aſpicit ut ſimul ſuccurrat. Verba ſenſuum humanorum cum Deo tribuuntur accipienda ſunt cum effectu.

45. וַיִּנָּחֵם] In Niph. *pœnitere*, 2. *miſerari*, 3. *dedolere*, *conſolationem accipere*. Gen. 24. וַיִּנָּחֵם *Iſaac poſt matrem ſuam*.

48. *Amen, haleluja.* Simul hæc leguntur Apoc. 19, *Et adorarunt Deum inſidentem throno dicentes*, *Amen, Halleluja*.

GROTIUS.

20. **M***Utarunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*] Τὴν δόξαν αὐτῶν [*gloriam ipſorum* id eſt *ſuam*.] Et ſic nunc in Hebræo eſt כבודם. At teſtantur Hebræi veteres olim fuiſſe כבודו *gloriam ejus*. Cæterùm mutatum id eſt, quia poſterioribus ſæculis כבד cœpit ſignificare conſpicuum

quid

quid Dei Majeſtatem referens; nè ſcilicet ea vox hac comparatione vileſceret.

PRICÆUS.

4. I*N ſolitudine, in inaquoſo*] Id eſt, in ſolitudinum inaquoſo: cujus locutionis exempla alia vide infrà ad Pſal. 136. 2 adducta. In Græco heic, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν ἀνύδρῳ. Sic, δι' ἐρήμου ἀνύδρου, Prov. 9. 12.

21. *Confiteantur Deo miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*] *Dicant Deo* (ut ſuprà 65 2.) *Quàm terribilia opera tua ſunt, Domine!*

23. *Facientes operationem in aquis*] Ὅσοι (ut Apoc 18. 17.) τὴν θάλασσαν ἐργάζονται.

24. *Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo*] Unde & Plinio 32. 1. mare *immenſum potentiæ occultæ documentum, ut prorſus nec aliud ultrà quæri debeat, nec par aut ſimile poſſit inveniri.*

25. *Et ſtetit ſpiritus procellæ*] Ex Græcis, qui heic ἔστη. ſed videtur ἀνέστη legendum.

26. *Aſcendunt uſque ad cælos*] Ovidius Metam. 11.

Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes.

Ibid. *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*] Ibidem,

Ipſa quoque his vicibus agitur Trachinia puppis,
Et nunc ſublimis veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur.
Nunc ubi demiſſum curvum circumſtetit æquor,
Suſpicere inferno ſummum de gurgite cælum.

27. *Turbati ſunt*] Hinc apud Heſychium, Ἀμφιτρύτη, θάλασσα, ἀπὸ τῷ φόβῳ φεριβάλλειν τὰς διαπλέοντας αὐτήν.

Ibid. *Et moti ſicut ebrius*] Jactantur huc illuc in navibus ut in plateis ebrii. Hoc fit

Alternum puppis latus impellentibus undis.

Job. 12. 25. *Errare eos faciet tanquam ebrios.*

Ibid. *Et omnis eorum ſapientia devorata eſt*] Pavor omnem eorum ſapientiam (i. e. peritiam) expectorat: Morte, & quidem formidabili, inſtante, planè neſciunt quid agendum ſit. Vide quæ in argumento ſimili attulimus ad Act. 27. ea, ἐπιδόντες ἐφερόμεθα. item ad initium lib. 9. Apuleji

29. *Statuit procellam ejus in auram, & ſiluerunt fluctus*] Vide ad Matth. 8. 26. & ad Luc. 8. 24. annotata.

30. *Lætati ſunt quia ſiluerunt*] Quòd *cælum* nempe *enituit, & deferbuit mare, & ardor ille periculi deflagravit.* Sunt verba A. Gellii 19. 1.

Ibid. *Deduxit eos in portum voluntatis eorum*] In portum optatum. Virgilius,

——*Optatæ gremio telluris.*——

Ubi Servius, *Quæ à navigantibus ſemper optatur.*

38. *Et jumenta eorum non minoravit*] Eſt λιτότης· vult enim dicere (ut infrà 143. 14.) *Oves eorum fœtoſæ, abundantes*, &c. *boves eorum craſſæ.*

42. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum*] *Occluſiorem* (ſi Plautinâ linguâ loqui licuerit) *habebit ſtultiloquentiam.* Græci heic ἐμφράξει. Ita in Onomaſtico, *Oppilo*, ἐμφράττω.

IDEM.

4. I*N ſolitudine, in inaquoſo*] In inaquoſo ſolitudinis. Vide ad 136. 2. annotata.

10. *Vinctos in mendicitate & ferro*] Subaudi, ut 67. 7. *eduxit in fortitudine.* Vide & infrà heic 14.

14. *Eduxit eos è tenebris & umbra mortis*] De Eodem Jobi 12. 22. *Producit in lucem umbram mortis.*

16. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*] Suprà 75. 4. *Confregit arcuum potentias.* Idem 45. 2. apud Eſaiam. *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

17. *Suſcepit eos de via iniquitatis eorum*] Interrupit curſum eorum. Contrarium Pſalm. 80. 13. & Act. 14. 16. *permittere ſuis viis incedere.* Interrupit autem peramanter eos caſtigando. *Multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium*, 2. 6. 13. ait Maccabaïcorum Scriptor. Suprà hic 89. 10. *Supervenit manſuetudo, & corripiemur.*

Ibid. *Propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt*] *Nunquam à nobis miſericordiam ſuam amovet, corripiens verò in adverſis* (i. e. corripiens adverſis) *populum ſuum non derelinquit*, dicto Maccabaïcorum loco, com. 16.

18. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*] Ut vi ærumnarum premente amat fieri. Vide Job. 33. 20. Heſychius, Ἀποκεκλεῖσθαι σιτίων, ἀνορέκτως ἔχειν τροφῆς.

Ibid. *Et appropinquaverunt uſque ad portas mortis*]

——*Digitis à morte remotis*
Quatuor aut ſeptem — —

Horatius,

Quàm penè furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum!

24. *Viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo*] Suprà 92. 4. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in profundis Dominus.*

26. *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*] Adde reliquis Annotatis; Achilles Tatius lib. 3. Ἡ δὲ ναῦς ἀεὶ πρὸς μὲν τὸ κυρτούμενον τῆς θαλάσσης ἠγείρετο, πρὸς δὲ τὸ παράδρομον ἤδη καὶ χθαμαλὸν τῶ κύματος κατεδύετο· ἐῴκει δὲ τῶν κυμάτων τὰ μὲν ὄρεσι, τὰ δὲ χάσμασι.

27. *Turbati ſunt, & moti ſicut ebrius*] Stupet intellectus iis velut ſolet ebriis. Turbatio mentis, à pavore, mœſtitia, aut alio affectu, ſæpe ebrietati comparatur. Vide Eſai. 51. 21. Jerem. 23. 9.

Ibid. *Omnis ſapientia eorum devorata eſt*] Omnis ars eorum ceſſat. Achilles Tatius ubi ſuprà, Τέλος ὁ κυβερνήτης ἀπειπὼν, ῥίπτει μὲν τὰ πηδάλια, &c. Ovidius,

Sed pavor attonito rationis ademerat uſum,
Ceſſerat omne meis conſiliumque malis.

29. *Statuit procellam ejus in auram*] Suprà 88. 10.

32. *Exaltent eum in eccleſia plebis*] Populus eum in conventu celebret.

Ibid. *Et in cathedra ſeniorum laudent eum*] Eumque honorent ſeniores in conciliis, ſive etiam privatis ſeſſionibus ſuis.

34. *Terram fructiferam in ſalſuginem*] In Gr. ἅλμην. In vetere Onomaſtico, *Salſedo*, ἅλμη.

38. *Et jumenta eorum non minoravit*] i. e. Valde auxit, ut ſervo ſuo Jobo 42. 12. Ità 40. 27. Sirachidis, *Non eſt in timore Domini minoratio*; i. e. In Dei timore magnum incrementum eſt, vel magna acquiſitio. πορισμὸς μέγας, ut de eodem itidem Apoſtolus dixit. Dilutè itaque Vir ſummus loco illo, *Nihil in eo damni.* Idem Hebræus ſapiens 32. 28. *Qui confidit in Deo, non minorabitur.* Simile ſuprà heic 33. 11. *non minuentur omni bono:* 29. 1. *nec delectaſti inimicos meos ſuper me*, i. e. confudiſti, erubeſceiſti: & 17. 37. *non ſunt infirmata veſtigia mea.*

Ibid. *Benedixit iis, & multiplicati ſunt*] De Eodem Jobus 12. 23. *Multiplicat gentes, & perdet eas, & ſubverſas in integrum reſtituit.* De locutione vide Gen. 1. 22. & 28.

40 *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes, & errare fecit eos in invio*] Dicto Jobi loco, *Immutat cor Principum*, &c. *& decipit eos, ut fruſtrà incedant per invium:* & poſt, *Errare eos faciet tanquam ebrios*; i. e. patietur errare: quomodo intelligenda item Eſai 63. 17. illa, *Quare errare nos feciſti de viis tuis?* & Pſalm. 38. 12. *animam ejus tanquam araneam tabeſcere feciſti.*

Ibid. *In invio, & non in via*] Tale ſuprà 27. 5. *Deſtrues, & non ædificabis eos:* 38. 10. *Obmutui, & non aperui os meum:* Deuteron. 18. 13. *in caput, & non in caudam:* & ibidem, *ſuprà, & non ſubter:* Job. 12. 25. *in tenebris, & non in luce:* Jerem. 20. 10. *in malum, & non in bonum:* Prov. 31. 12. *bonum, & non malum:* 4 Reg. 18. 22. *Vivetis, & non moriemini:* ut contrà Eſaiæ 38. 1. *morieris, & non vives.* Quibus adde quæ ad Act. 13. 11. jam olim annotata.

41. *Adjuvit pauperem de inopia*] Locutio qualis ſuprà 59. 13. illa, *Da nobis auxilium de tribulatione.*

Ibid. *Et poſuit ſicut oves*, &c.] Suprà 77 52.

42. *Videbunt recti, & lætabuntur*] Totidem verbis Jobi 22. 19. ſuprà hîc 96. 11. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.*

PSALM. CVII.

MUNSTERUS.

4. A*Berraverunt*] Loquitur in genere, ut quicunque erraverunt in quatuor mundi plagis, & ad Deum ſe toto corde converterunt, his beneficia Dei non defuerunt. Imò Deus aliquando immittit pericula ut ad eum confugiatur, & ipſe rogatus opem implorantibus ferat. Intelligitur autem hic per *mare* ſinus Arabicus, qui eſt ad Meridiem Terræ promiſſionis.

8. *Confiteantur igitur Domino*] Hunc verſum vertimus ut à Chaldæo Interprete exponitur. Is enim addit מטוב *propter pietatem ejus*, & מפרשין פרישתיה *enarrantes mirabilia ejus.*

10. *Qui ſedent in tenebris*] Loquitur de his qui in obſcuro vincti

vincti detinentur carcere, & occaſionem dederunt ſuæ incarcerationi per *abjectionem verbi Domini*; hi, inquit, ſi reſipiſcant & *ad Deum clament*, non deerit eis ſalvator.

17. *Stulti propter viam ſceleris*] Auxilium, inquit, Dei liberat etiam illos qui propter ſcelera ſua in morbos cadunt & *perveniunt uſque ad portas mortis*, *ſi ad Dominum clament.*

26. *Aſcendunt in cœlum*] h. e. Jactantur ſurſum & deorſum, & *moventur quaſi ebrius*, ad tantumque non rarò veniunt periculum ut omnis ſenſûs & rationis uſus eis intercipiatur.

36. *Collocat illic famelicos*] Dicit famem nonnunquam cauſam eſſe ut homines eligant locum aliquem incultum, & illum inhabitare incipiant, colant, & ex benedictione Dei omnium bonorum hinc ſibi parent affluentiam. Et rurſum fieri ſolet ut locus cultus propter perverſum imperium & malitiam inhabitantium redigatur in ſolitudinem.

40. *Effunditque contemptum*] h. e. In poteſtate Domini quoque eſt ut Principes abjiciat atque humiliet, & *pauperes ſubvehat*, magnamque illis tribuat *familiam*.

VATABLUS.

4. CIvitatem habitationis עיר מושב] Hebraïſmus, civitatem habitabilem, in qua poſſunt habitare.

8. *Celebrent*, &c. יודו ליהוה] *Gratias agant Jehovæ* propter *miſericordiam ejus*, *&* narrent *hominibus mirabilia ejus.*

9. *Avidam* שוקקה] *Deſiderantem*, *anhelam*: i. e. ſitibundam. Alii, *inanem.*

10. *Vincti inopiâ* אסירי עני] *Conſtricti afflictione*, ſub. *nervorum*: i. e. conſtricti vinculis quibus corpus affligitur.

11. *Deſpexerunt* נאצו] *Abominati ſunt*: *exſecrati ſunt*: *flocciſecerunt.*

12. *In labore* בעמל] *In moleſtia*, ſive *moleſtiis.* ¶ *Corruerunt* כשלו] Sub. *in captivitatem.*

14. *Diſrupit* ינתק] Fut. Heb. pro præſenti aut præterito.

16. *Contriverit* שבר] *Confregerit.* ¶ *Confregerit* גדע] *Comminuit*, *deſtruxit*, *concidit.*

17. *Propter viam prævaricationis ſuæ* מדרך פשעם] Hebraïſmus, ob proclivitatem ad ſcelera, quæ eſt velut via. Alii exponunt, *Stulti propter ſcelera*, &c. *Affliguntur* יתענו] Fut. Heb. pro præſ. vel imperf. *affligebantur.*

18. *Abominetur* תתעב] Fut. Heb. pro imperf. conjunct. *abominaretur*, *faſtidiret.* ¶ *Anima eorum* נפשם] *Anima* pro *appetitu.*

20. *Mittit verbum ſuum* ישלח דברו] Hebraïſmus, imper. Fut. Heb. pro præt. vel præſ. ¶ *De foveis ipſorum* משחיתותם] *De ſepulcris ipſorum*: i. e. mortibus quibus erant vicini. Alii, *retibus.* Alii, *perditionibus.*

23. *Deſcendentes ad mare navibus* יורדי הים באניות] Hebraïſmus, negotiantes in mari. Seipſum declarat mox ſequentibus, *Et faciunt opus in aquis.*

25. *Turbinis* סערה] *Procellæ*, vel, *procelloſum.* Hebraïſmum ſic quidam vertunt, *Cùm juſſerit*, *prodit ventus procelloſus.* Alii, *qui ſuo imperio ciet ventum procelloſum.*

26. *In malo liqueſiat* ברעה תתמוגג] *Ob malum diſſolvatur*: i. e. præ anxietate colliqueſcat.

27. *Jactantur & nutant* יחוגו וינועו] Fut. Heb. pro præſ. *Tremunt & movent ſe.* Alii, *Vagantur & moventur.* Alii, *Exagitantur & nutant*, vel, *Circumjactamur.* ¶ *Sapientia eorum abſorbeatur* חכמתם תתבלע] *Peritia eorum evaneſcat.*

28. *Tunc clamant* ויצעקו] Præt. Heb. ut & ſuprà 6, 13, 19.

29. *Stare facit turbinem* יקם סערה לדממה] Fut. Heb. pro præſ. *Statuit procellam in quiete.* Alii, *Sedat turbinem*, *ut ſit tranquillitas.* Alii, Paraphraſticè, *Et ſedatâ tempeſtate reddit mare tranquillum.* ¶ *Et ſilent fluctus eorum* ויחשו גליהם] Præt. Heb. *& tacent fluctus eorum*, ſub. *nautarum*, *quibus huc illuc jactabantur.*

30. *Ad terminum voluntatis eorum* אל מחוז חפצם] Hebraïſmum ſic reddunt Interpretes, *Ad portum optatum ipſis.* Alii, *ad portum in quem eſt animus eorum.*

32. *Et in cathedra* ובמושב] *Et in conceſſu.*

33. *Et exitus aquarum in ſitim* ומוצאי מים לצמאון] *Et ſcaturigines aquarum in locum ſitientem.* Repetitio eſt.

34. *In ſalſuginem* למלחה] i.e. Terram ſterilem: nam ſalſugine terra redditur ſterilis.

35. *In exitus* למוצאי] *In ſcaturigines.*

37. *Et faciunt fructum proventus* ויעשו פרי תבואה] Hebraïſmum ſic quidam reddunt, *quæ copioſum fructum proferunt.*

39. *Et humiliantur*, &c. וישחו מעצר רעה ויגון] *Et dejiciuntur tyrannide*, *afflictione*, [vel *divexatione*] *& dolore.* Alii, *& dejiciuntur præ ſterilitate*, *noxa*, *& ægritudine.* Alii, *Humiliantur oppreſſione*, *calamitate*, *& anxietate.* Alii, *Et decidunt propter imperium tyrannicum*, *malitiam*, *& afflictionem.*

40. *In ſolitudine* in qua *non eſt via* בתהו לא דרך] *In inani* in quo *non eſt via*: q. d. Et tandem regiones eorum ità evertit ut nullum veſtigium appareat. Alii, *per vaſta loca & invia.*

41. *Contrà*, *ſublevat* וישגב] Ad verb. *Et erigit*: *attollit.* ¶ *Ab inopia* מעוני] *Ab afflictione.* ¶ *Et ponit eos*, &c. וישם כצאן משפחות] Hebraïſmum ſic convertunt quidam, *Efficitque illis familiam inſtar gregis*, vel, *ut ex eis exſtant plurimæ familiæ.* Mutatio numeri cùm dicit *eos*, ſub. *pauperes.*

42. *Vident* יראו] Fut. Heb. pro præſ. Alii, *Timebunt recti*, à ירא. ¶ *Claudit* קפצה] *Continebit*, *contrahet*, *obturabit.*

43. *Et advertet animum*, &c. ויתבוננו חסדי יהוה] Ad verb. *& intelligent miſericordias Jehovæ.* Mutatio numeri, *& advertent animum*, vel *perpendent multiplicem Dei bonitatem*, ſive *multiplicia Dei beneficia.*

CASTALIO.

7. UT *in oppidum veniant quod habitetur*] Hebræa vox communis eſt *urbis*, *oppidi*, *vici*, & *pagi.*

23. *Qui navibus in mare deſcendunt*] Latini dicunt *conſcendere*, ſcilicet *in navem.* Virgilius ità,

Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor.

Sed hic noſter autor dicit *in mare deſcendere*, h. e. navigare in mari, quò ex terra deſcenditur: ſicut & Jonas ſcribitur *in navem deſcendiſſe*; ſic enim ad verbum legitur Jonæ 1. Nam mare inferius eſſe hâc noſtrâ terrâ quæ colitur indè patet, quòd undique per terras in mare decurrunt flumina, neque poſſis ex terra in mare venire quin deſcendas. Hinc eſt quòd Pſal. 24. dicitur Deus *ſuper mari fundaſſe terram.* Nam quod mare *altum* Latini vocant, intellige *altum* dici Profundum. Quòd autem ex littore ſpectantibus apparet altum mare, id fit propter rotunditatem aquæ, cùm oculorum aſpectus non ad globi rationem incurvetur, ſed rectà tendens offendat in globi tumorem. Si enim mare eſſet altum, naves in tranquillo mari penderent; utpote in acclivi loco, in quem ex littore aſcenderetur; & ex mari ad littus ſine vento ſuâ ſponte, ut ad inferiorem locum, tanquam ſecundo flumine deſcenderent, & ex littore in altum ægriùs ferrentur quàm ex alto ad littus. Denique maris aqua, ſi eſſet altior quàm terra eſt, in terram deflueret. Niſi fortè placet aquæ invertere naturam, ut ea non ſuâ ſponte defluat.

34. *Terram fertilem in ſalſam redigit*] i.e. In ſterilem.

CLARIUS.

CAnit cuncta mala Divinitus & immitti & tolli. Memorat pericula *errantium in deſertis*, *vinctorum*, *ægrotantium*, & *eorum qui in mari ſunt*, quorum omnium liberator eſt Deus.

3. *Ab Aquilone & mari*] Videtur hic *mare* poſitum eſſe pro *Meridie*; quamvis aliàs pro *Occidente* uſurpari ſoleat, ſed Mediterraneum, quod Judeæ ad Occidentem eſt. Nam Sinus Arabicus eſt ei ad Meridiem, quod *mare* hic videtur appellatum.

4. *Erraverunt in ſolitudine*] Memorat famis ſitiſque periculum, quod in ſummam anguſtiam errantes adigit. Sunt enim ſolitudines vaſtæ circa Judæam & paſſim in regionibus Orientis; in quibus à via aberraſſe, exitio proximum eſt.

10. *Sedentes in tenebris*] Loquitur de iis qui in obſcuro vincti detinentur carcere, & occaſionem dederunt ei rei quia *abjecerunt verbum Domini*: qui tamen ſi reſipiſcant & *ad Deum clament*, non deerit eis ſervator.

12. *Humiliatum eſt*] *Afflixit moleſtiſſimis curis animas illorum*, *corruerunt enim*, *nec fuit quiſquam qui eis* aut poſſet aut *ſuccurrere* vellet.

17. *Stulti ob viam*] Auxilium, inquit, Dei liberat etiam illos qui propter ſcelera ſua in morbos cadunt & *perveniunt uſque ad portas mortis*; liberat, inquam, eos, ſi *ad eum clament.*

23. *Facientes operationem*] Qui negotiantur in aquis illis vaſtiſſimis: iſti re ipſâ didicerunt qualia ſint *opera Domini* quamque *admiratione digna* quæ fiunt ab ipſo *in profundo maris.*

25. *Dixit*, *& ſtetit*] Quoties libitum fuerit illi, excitat vento tempeſtatem.

33. *Poſuit flumina*] Canit quo pacto Deus pro arbitrio ſuo omnia immutet, & terram fœcundam ſterilem faciat, & ſterilem fœcundam. Exſiccat, inquit, flumina, ut fiat terra ob ſterilitatem deſerta, &c.

36. *Collocavit illic eſurientes*] Dicit famem nonnunquam cauſam eſſe cur homines eligant locum aliquem incultum, & illum inhabitare incipiant, colant, & ex benedictione Dei omnium bonorum hinc ſibi parent affluentiam. Et rurſum fieri

ſolet

ſolet ut locus cultus propter perverſum imperium & malitiam inhabitantium redigatur in ſolitudinem.

40. *Effuſus eſt contemptus*] h. e. In poteſtate quoque Domini eſt ut Principes abjiciat atque humiliet, & *pauperes ſubvehat*, magnamque illis tribuat *familiam*.

DRUSIUS.

8. נִפְלְאוֹתָיו לִבְנֵי אָדָם. Sym. *& prodigia ipſius erga filios hominum*] In ed. Rom. καὶ τὰ τεράςια. Interpres Theodoreti, *Symmachus autem ſic, Et prodigia ejus erga filios hominum edita.*

22. זִבְחֵי תוֹדָה. A. θυσίας εὐχαριςίας, *ſacrificium gratiarum actionis.*

29. יָקֵם סְעָרָה לִדְמָמָה. A. ἀναςήσει λαίλαπα εἰς αὔραν. Sym. ςήσαντος αὐτοῦ τὴν καταιγίδα εἰς γαλήνην. Th. καὶ ἔςησε τὴν καταιγίδα αὐτῶν εἰς αὔραν] Εἰς γαλήνην optima interpretatio. Sic Hieron. *intranquillitatem. Pellacia* dicitur Lucretio & Prudentio.

36. עִיר מוֹשָׁב. A. & Sym. πόλιν κατοικεσίας] Sic etiam Lxx. Nunc eſt πόλεις, i. e. עָרֵי מוֹשָׁב.

38. לֹא יַמְעִיט. A. οὐκ ὀλιγώσει. Sym. οὐκ ὀλίγα ἐποίησεν. Th. οὐκ ἐσμίκρυνε.

39. וַיִּמְעֲטוּ וַיָּשֹׁחוּ מֵעֹצֶר רָעָה וְיָגוֹן. Sym. ὠλιγώθησαν καὶ κατεφθάρησαν ἀπὸ συνοχῆς κακῆς καὶ ταλαιπωρίας.

40. וַיַּתְעֵם בְּתֹהוּ. Sym. *& errare faciet eos in vanitate mentis*] In ed. Rom. *A. & Sym.* καὶ πλανήσει αὐτοὺς, *& seducet eos.*

41. וַיְשַׂגֵּב אֶבְיוֹן מֵעוֹנִי. A. καὶ ὑπερεπαρεῖ πτωχὸν ἐκ πενίας. Sym. καὶ ὀχυρώσει πένητα ἀπὸ κακώσεως. ¶ וַיָּשֶׂם כַּצֹּאן מִשְׁפָּחוֹת A. *& ponet ut gregem cognationes.* Sym. καὶ τάξει ὡς ποίμνια τὰς συγγενείας] Apud Interp. Theodoreti perperam *cognationis* legitur pro *cognationes*. Verba ſunt, *Aquila ſic expoſuit, Et eripiet pauperem è paupertate, & ponet ut gregem cognationis.*

AMAMA.

2. R*Edempti Domini*] i. e. A Domino. Vide Grammat. Sic διδακτοὶ θεοῦ. *Benedicti Patris.* Lxx. λελυτρωμένοι ὑπὸ Κυρίου, οὓς ἐλυτρώσατο ἐκ χειρὸς ἐχθροῦ.

3. Καὶ ἐκ τῶν χωρῶν συνήγαγεν αὐτοὺς ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν, καὶ βοῤῥᾶ, καὶ θαλάσσης.

4. Ἐπλανήθησαν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν ἀνύδρῳ· ὁδὸν πόλεως κατοικητηρίου οὐχ εὗρον.

5. Πεινῶντες καὶ διψῶντες, ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐν αὐτοῖς ἐξέλιπεν.

3. מִיָּם *à Mari*] Sub. Rubro. Ch. מִן יַמָּא דְרוֹמָא. Intelligit enim Plagam Mundi Meridionalis. Mare Rubrum autem erat ad Merid. Terræ Sanctæ. Solent enim Ebræi in Plagis Mundi denominandis aliquando reſpicere ad ſitum Terræ Sanctæ tantum. Hier. Zach. 2. *Plagæ orbis juxta ſitum Jeruſalem & Terræ Sanctæ ſæpe intelliguntur.* Etiam in diviſione aut deſcriptione orbis quaſi de ſola Terra S. loquitur aliquando Scriptura, ut Matth. 24. 30. *Et plangent omnes tribus* Φυλαὶ *terræ.* Huc pertinet quod nonnulli ex Patribus obſervarunt κόσμον aliq. pro *Judæa* & *Judæis* poni. Joh. 2. καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Theoph. ad Joh. 17. κόσμον τοὺς Ἰουδαίους Φησὶ πολλαχοῦ. Aug. Tract. 89. in Joh. *Judæis locutus eſt Chriſtus non aliis Gentibus.* In iis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Chriſtum & Diſcipulos ejus.

Hic certe non de ſolius Terræ Sanctæ Plagis aut Terminis agitur. Memoratur tamen Mare Rubrum, ac ſi univerſi mundi Meridionalis Terminus eſſet; cum tamen Ægyptiis fuerit Septentrionale.

ORIENS, קֶדֶם. קָדִים. Deut. 11. 24. עַד הַיָּם Mare Mortuum, Sodomenum, Salſum, Aſphaltites.

OCCIDENS, מַעֲרָב. Videlicet Num. 34. 6. יָם גָּדוֹל Job. 23. 9. אָחוֹר. Mare Mediterraneum, dictum Magnum non ratione Oceani, ſed aliorum Marium, ut Rubri, Philiſthæi, Mortui, Genezareth. Ebræi enim omnem collectionem aquarum vocant *Mare*.

MERID. תֵּימָן. Job. 23. 9. יָמִין. דָּרוֹם. נֶגֶב. Kades vel Tſin מִדְבָּר. Deut. 11. 24. Joſ. 1. 4. יָם סוּף. Pſalm. 72. 8. נַחַל מִצְרַיִם Nilus Joſ. 3. שִׁיחוֹר utrumque quidam de Rhinocotura. Gen. 15. ubi in oppoſ. eſt Euphr. putant ibi quidam Euphratem pro Termino Septentrionali poni. Sed non inſolens ea locutio à *Meridie ad Orientem.* Joſ. 1. 4.

SEPTENTR. שְׂמֹאל Job. 23. 9. צָפוֹן. Deut. 11. 24. Joſ. 1. 4. יָם פְּלִשְׁתִּים. לְבָנוֹן. Pſal. 72. 8. Juxta Aben. *A mari ad mare*, i. e. מִיַּם סוּף עַד יָם פְּלִשְׁתִּים. Confer cum Notis ad Pſalm. 72. 8.

NB. *Mare* aliq. abſolutè uſurp. pro IV. Terminis.

Concionatur de providentia Dei & gubernat. rerum humanarum, illam illuſtrat exemplis 4. 1. Exulum, 2. Captivorum, 3. Ægrotorum, 4. Eorum qui jactantur alte naufragorum. Poſtea ad alia tranſit. Ebræi hæc omnia ad ſolos Iſraëlitas reſtringunt, unde Chald. per *errantes* intelligit Iſraëlitas qui 40. annis in Deſerto oberrarunt. Per *Captivos* Zedechiam & Principes ejus à Nebucadnezare vinctos. Per *Ægrotos* Ezechiam. Per *navigantes* Jonam. Per *famem*, eam quæ tempore Joëlis. Alii hic allegorizant & exponunt de *errore ſpirituali*, *captivitate ſpirituali*, de *morbis animorum*, de *tempeſtatibus* & *tranquillitate Eccleſiæ*.

3. תָּעוּ] Hiphil הִתְעָה *Errare ſiverunt.* Gen. 20. Eſ. 63. *cur errare ſines nos Deus.* In quadrato Piel תִּעְתֵּעַ Gen. 27. מְתַעְתֵּעַ

(*Qui*) *errarunt*, *per ſolitudinem viæ*] i. e. Viam ſolitud. Hypall.

5. רְעֵבִים] רָעָב & רְעָבוֹן *fames* Ezech. 5. חִצֵּי רָעָב.

צְמֵאִים] Am. 8. 11. hæc ſpiritualiter uſurpantur, *Dies venient, inquit Dominus, cum immittam famem in hanc terram, non famem panis aut ſitim aquarum, ſed ſitim audiendi verbi Domini. Et diſcurrent & non invenient: Deficient Virgines & Juvenes iſta ſiti.* Notetur per *verbum Dei* hic non intelligi aliud quam *oracula & reſponſa Dei per Urim & Thummim. Si enim de meliori illa ſiti & fame intelligas, poſſet obeſſe locus Perſeverantiæ ſanctorum. Qui enim ita ſitiunt & eſuriunt, ſatiantur.* Eſt Gloſſa Aben-Ezræ.

6. Illi cum *clamabant ad Dominum in anguſtia ſua, ex anguſtiis ipſorum eripiebat eos.*

7. *Et deducebat eos ut pervenirent.*

8. *Itaque celebrent apud Dominum miſericordiam ejus & mirabilia ejus apud filios hominum.*

9. *Dicendo*] *Eum ſatiare.* Verſ. 7. ללכת τοῦ πορευθῆναι. πορεύεσθαι, *ire* pro ἔρχεσθαι *venire*. Sic contra Jon. 1. בָּאָה pro הולכה Luc. 15. 20. καὶ ἀναςὰς ἦλθε *ad patrem ſuum*, *& cum adhuc longe abeſſet, ecce* ἦλθε, i. e. ἐπορεύετο, *profectus eſt.* Joh. 6. 17. εἰς τὸ ἐρᾶν Φάος Ηελίοιο.

10. Ut ſupra præd. miſericord. Dei erga exules & errantes, ita hic erga captivos à verſ. 10. ad 17.

Ut ſupra miſerias exilii deſcripſit ut eò illuſtrior redderetur liberatio & miſericordia q. exaggeretur. Hinc verſ. 10. deſcribit ſqualores carceris.

Tenebris] Solent carceres eſſe loca tenebricoſa ad augendam pœnam. Sic Jirm. in puteum conjectus legitur. Hæc autem lucis carentia eſt miſeria. Sumus enim conditi ad lucem aſpiciendam, 2. aër illis locis concluſis nocet valetudini.

Lxx. Καθημένους ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου, πεπεδημένους ἐν πτωχείᾳ καὶ σιδήρῳ. Pendet ab ἐχόρτασε, *ſatiavit*.

Umbra mortis] Alii, *imago mortis*, ac ſi eſſet à צלם & מות. Sed eſt à צל & מות. Significat *denſiſſimas tenebras* quæ horrorem maximum incutiunt, ut quis jam jam moriturus videatur. Signif. & Μεταληπτικῶς, *horrores & pavores mortis*, ut Pſ. 44. & 88.

Vincti afflictione & ferro] i. e. Ferro affligente, ἓν διὰ δύο. Periphr. compedis ex materia & effecto. *Arma, virumque, pateris & auro.* Vel *vincti (vinculis) afflictionis & ferri*, ut verbale includatur verbo.

Alia miſeria captivorum.

11. Deſcrib. cauſa calamitatis. Captivi ſunt duorum generum, vel qui nullo ſcelere obſtricti ſunt, ut qui ob Religionem Martyres vel calumnias, ut Joſeph. vel qui ob ſcelera. De priori genere nihil dicit. Id enim non adeo mirum eſſet. De poſteriori loquitur, ut exaggeret miſericordiam Dei.

הִמְרוּ] Jun. *Occaſionem dederunt mutandi.* Lxx. παρεπίκραναν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν βουλὴν τοῦ ὑψίςου παρώξυναν. Alii rebellarunt. מְרִי Chal. סָרְבוּ. סָרְבָן rebellis.

Conſilium] Non hic *decretum* ſed *verbum Dei patefactum* ſign. adhortationes ad pietatem & obſervationem mandatorum Dei. Sic in Joh. dicuntur Phariſæi & Scribæ *contempſiſſe & rejeciſſe conſilium Dei contra ſe.* Multi ibi *decretum* intelligunt, & neſcio quid inde colligunt, ac ſi gratia eſſet irreſiſtibilis. Sed hic videmus *conſilium* poni pro *adhortationibus*. Sic Prov. 1. 25. *Quia abſtrahitis vos ab omni conſilio meo, Ego quoque in calamitate veſtra ridebo.*

12. וַיַּכְנַע] *Et depreſſit, humiliavit.* Amplif. ſent. ab effectu ſeu cauſa Finali carceris. Non eò ſemper Deus immittit carceres ut ſint τιμωρίαι. Nec enim deſiderat perditionem noſtram, ſed ut etiam præfracta hominum corda ſubigantur.

Lxx. Καὶ ἐταπεινώθη ἐν κόποις ἡ καρδία αὐτῶν, καὶ ἠσθένησαν καὶ οὐκ ἦν βοηθῶν.

Verſ. 13. & 15. ſunt ἀμοιβαῖοι. *Intercalares.*

14. Καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς, καὶ τοὺς δεσμοὺς αὐτῶν διέῤῥηξεν.

15. כִּי iterum vel αἰτιολογικῶς vel εἰδικῶς. Εἰδικῶς id poſtulat ſcopus Pſ. Tradit enim doctrinam de providentia Dei & miſericordia ejus, quam collegit inductione exemplorum.

מִמְּצֻקוֹתֵיהֶם]

מִמְּצֻקוֹתֵיהֶם] Ἐκ τῶν ἀναγκῶν αὐτῶν, Vulg. *Neceſſitatibus.* Sic Pſ. 25. in fine. Bellarm. in libris de Gr. & l. Arb. exponit *de neceſſitate peccandi.*

16. Ὅτι συνέτριψε contrivit πύλας χαλκᾶς καὶ μοχλοὺς σιδηροῦς συνέθλασεν confregit.

דַּלְתוֹת] A דלת alii à דלה ut ת ſit ſervilis, hemanthica, eo quod Pſ. 141. ſit דַּל על דל, i. e. דלת inquit Aben. *Pone cuſtodiam ori meo & obſervationem* על דל שְׂפָתָי *ad oſtium labiorum meorum.* Piſc. dicit דל eſſe pro דלת ut בַּת pro בְּנַת, ſed diſſimile eſt. Duale דְּלָתַיִם *Valvæ.* Plur. דְּלָתוֹת. Jirm. 36. 23. ſed in alia ſignif. eumque legiſſet Jehudi in co tres דלתות paginas.

נְחֹשֶׁת. A נחשׁ *augurari.* נָחָשׁ *ſerpens* נחשת *æs.* Miror cur Jun. & Trem. ſeorſim ab aliis *Chalybem* reddiderint decepti à Kimchio qui ad Pſ. 18. 35. dicit eſſe בַּרְזֶל חָזָק Chalybs enim nihil aliud eſt quam ferrum purgatum multo igni erebraque aquarum reſtinctione induratum. Forte hoc eos movit quod hodie arcus, gladii, lanceæ, clypei, cæteraque arma ex ferro fabricari ſoleant. Sed contra eſt omnis antiquitas. Lxx. ſemper χαλκὸς, iſtoque loco τόξον χαλκοῦν. Et hic πυλὰς χαλκᾶς. Sic 1 Reg. 6. 7. ait hiſtoricus *nullum fuiſſe inſtrumentum æreum in domo Dei, ne quidem, clavi, paxilli aut mallei.* Apud Hom. quoque ſemper χάλκεα τεύχεα. Athenæus quoque meminit enſium & tibialium ex ære. Heſiodus quoque χάλκεα τεύχεα. Utebantur ergo ære, uti nos ferro, vel ob elegantiam, vel ob ferri penuriam. Ob penuriam, Heſiod. μέλας γὰρ ὐκ ἔσκε σίδηρος. Sed dixerit aliquis quomodo æs vicem ferri præſtare potuit in militia, cum duritie multum cedat ferro, nedum chalybi. Scrupulum illum tollunt Tzetzes & Proclus ad locum iſtum Heſiodi, notum fuiſſe Veteribus temperamentum quoddam quo ita indurabant & ſolidabant æs, ut duritie ferro non eſſerit. Illud temperamentum ſubſecutus uſus ferri oblivione ſepelivit.

At Num. 21. 9. verterunt *aneum* Jun. & Trem. Unde liquet quid ſpectarint dum hanc vocem in negotio armorum verterint *chalybem.* 2 Reg. 18. 4. *Serpens aneus* vocatur נְחֻשְׁתָּן forte ad contemptum. *Serpentulus,* vel *anulus.* ן enim diminuit aliq. אִישׁוֹן. אֲבִיוֹן.

נַחַשׁ *augurium,* נָחָשׁ *ſerpens* נְחָשִׁים *ſerpenes* & *auguria.* Hine οἰωνὸς *ſerpentem* & *augurium* ſimul ſignif. Hom. εἰς οἰωνὸς ἄριςος &c. Heſych. οἰωνὸς ὄφις, ἐπειδὴ γὰρ λέγονται ἐι τὰς μαντείας τοὺς ὄφεις ἔχειν, ὃς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον.

נחשׁ primo *inquirere, ſcrutari rem abditam.* Hine נְחֹשֶׁת *In æs enim inquirunt foſſores.* 2. *Inquirere, ſcrutari in res abditas per auguria & divinationes,* hinc נָחָשׁ *ſerpens.*

17. Accedit ad tertium genus hominum, ægrotos, eorumque miſeriam quoque exaggerat ob cauſam ſupra dictam. *Stulti,* (*qui*) *ob viam tranſgreſſionis & iniquitates affliguntur.*

Stulti] Peccatores. אִוֶּלֶת *ſtultitia* pro *peccato* paſſim in Proverb. Sic & נְבָלָה de *maximis flagitiis.* Joſ. 7. 15. de peccato Achan. Gen. 34. 7. de ſtuprata Dina. Sic in Jud. libro de flagitio patrato in uxore Levitæ. Juxta Ebr. plus eſt quam כסיל אויל eſt in quo eſt ſtultitia קְנִינִית poſitiva. כסיל in quo eſt ſtultitia הֶעְדֵּרִית privativa. Lxx. ἀντελάβετο αὐτῶν. Vulg. *ſuſcepit illos.*

Ob viam defectionis ſuæ] Limitat, quos ægrotos intelligat. Ut ſupra *captivos.* Qui ob peccata affliguntur. Morbi immitti ſolent ex tribus fontibus, vel ex probatione Dei, ut Tobias & Job; aut ex peccato, ut Mirjam, Joſaphath, Herodes. Iſraëlitæ in deſerto Num. 21. vel denique ex cauſis naturalibus in ipſo corpore latentibus ex intemperantia, Ebr. & negligentia. Denotat autem potiſſimum eos qui conflictantur cum morbis θενλάτοις ecclitus immiſſis.

Via tranſgreſſionis] Ob eam vivendi rationem quæ nihil eſt aliud quam tranſgreſſio. Additus eſt Genitivus ille & declarandum vocabulum Metaphoricum. Sic Rom. 4. *Veſtigia fidei.*

Ajunt פשע denotare *omnia peccata adverſus* 1. *Tabulam* עָוֹן *adverſus* 2. Synonyma aliquatenus ſunt אָשָׁם & חַטָּאת *delictum, peccatum.* Hæc duo poſteriora peculiariter uſurpantur in Levit. *de ſacrificiis.* Metonymicè. *Oblatio, ſacr. victima* pro אָשָׁם pro חַטָּאת. Diſput. utrum majus, *Aſham* an *Chattath.* Danæus dicit *Aſham* denotare peccata ἐκ προαιρέσεως *ex deſtinato,* data opera commiſſa. Lxx. θυσίας περὶ πλημμελείας & πλημμελήματος ἑκουσίε. *Chattath,* peccata ἀκουσίε, *errore* vel *ignorantia* vel *negligentia admiſſa.* Probat 1. quod pro *Aſcham* mas tantum offerebatur, Lev. 5. 4. Pro *hattath* etiam fœmina. Gravius ergo illud quod digniori & majori pretio expiabatur. 2. *Chriſtus factus eſt pro nobis* אשם Eſ. 53. quo non levia peccata continentur.

18. *Portæ*] Portæ pro poteſtate & imperio. Sic in N. T. *Portæ inferorum,* M. 16. Judicia exercebantur *in portis,* Ruth. 4. Pro. 31. Deut. 21. Pro. 22. *Ne opprimas pauperem in porta*

22. Lxx. Καὶ θυσάτωσαν αὐτῷ θυσίαν αἰνέσεως, καὶ ἐξαγγειλάτωσαν τὰ ἔργα αὐτῦ ἐν ἀγαλλιάσει.

Sacrificia] Aliq. *Convivia* Prov. 17. præſtat buc. ſicca ubi eſt *pax domui plenæ ſacrificiis contentionis.* 1 Sam. 9. *Populus non comedit donec Samuel veniat Nam ipſe benedicit ſacrificio.* Et cap. 16. *Samuel invitavit Iſai cum Filiis ad* זבח, & cap. 20. *Excuſavit ſe David quod ad Convivium Regium non acceſſiſſet, quod iviſſet ad ſacrificium Bethlemiticum.* Unde 1 Sam. 16. 3. licet dicatur Samuel veniſſe לִזְבֹּחַ לי׳ tamen vertunt *ad Convivium celebrandum Domino.*

23. Narratio 4. complectitur vel de miſericordia & Providentia Dei circa navigantes. Ea ut illuſtrior fieret, deſcribit & amplif. pericula navigationis. Agit autem eodem modo quo in ſuperioribus, ut primo ponat miſeriam. 2. Narrat cauſam procatarcticam liberationis, verſ. 28. 3. Deſcribit modum liberationis. 4. Effectum liberationis, vid. lætitiam. 5. Exhort. ad εὐχ. Sunt & ſic duo verſus ἀμοιβαῖοι. Narratio hæc reliquis longior eſt, à verſ. 23. extendit ſe ad 33.

Lxx. Οἱ καταβαίνοντες εἰς θάλασσαν ἐν πλοίοις ποιοῦντες ἐργασίαν ἐν ὕδασι πολλοῖς.

Deſcendunt] Ratione litoris, aut ratione maris inquit Kimchi. Aliàs inquiunt & Ebræorum Philoſ. mare altius eſt terra circa medium. Alias *deſcendere* & *aſcendere* ſæpe uſurpatur *pro ſimplici motione de loco in locum,* ſed non ſine diſcrimine Qui proficiſcuntur Septentrionem verſus dicuntur *aſcendere,* qui Meridiem verſus, *deſcendere.* Aben. Exod. 33. 1. *Aſcendere dicitur qui Septentrionem verſus, deſcendere qui Meridiem verſus proficiſcitur.* Alii notant ad terram S. & Jeroſ. ſemper dici *aſcendi,* quod de Jeruſ. credibile, quia ſita erat in monte, quod vero alii exiſtimant omnem exitum ex terra S. contrà vocari *aſcenſum,* confutantur ex loco Hoſ. 8. *Ipſi aſcenderunt in Aſſyriam.* NB. עלה & ירד promiſcuè aliquando uſurpantur pro *ire.* Jud. 11. 37. *Deſcendere ad montes,* Joſ. 7. 24. *Aſcendere fecerunt eum in vallem.* Rurſus Jud. 15. 11. *Deſcendit in ſummitatem Petræ.* Apud Lxx. Interp. Cant. 5. 1. καταβήτω ἀδελφιδός μου εἰς κῆπον. 1 Sam. 24. 8. καὶ ἀνέςη Σαὺλ καὶ κατέβη τὴν ὁδὸν αὐτῦ. In altero eſt ביא in altero הלך Ruth. 3. 3. καὶ ἀναβήσῃ ἐπὶ τὴν ἅλω. Verſ. 6. καὶ κατέβη εἰς τὴν ἅλω. Jon. 1. 3. וירד illi ἀνέβη εἰς αὐτό. Joh. 4. *Rogavit eum ut deſcenderet.*

Mare] Omnis aquarum collectio vocatur *Mare.* Maria 4. Termini Terræ S. Mortuum, Magnum, Rubrum, Philiſt. יַמִּים. יָמִּים. יָמִּים Gen. 36.

Faciunt opus] Exerceant mercaturam, negotiationem. Alii, *piſcationem* intelligunt. Poſſunt & ipſi nautarum labores intelligi, remigationes, velificationes &c.

Navibus] Navium uſus ab ipſo Deo monſtratus eſt in Arca navali Noë, poſtea audax Japeti genus auſum eſt ſe credere tranſtris. Quem auſum admodum mirati ſunt Veteres ob frequentia navigantium pericula, unde Horat. *Illi robur* &c. Vide ad Pſ. 104.

24. Lxx. Αὐτοὶ εἶδον τὰ ἔργα Κυρίε καὶ τὰ θαυμάσια ἐν τῷ βυθῷ.

Opera Dei] Belluæ ingentes & terreſtribus inviſæ rerum ſpecies quibus mare refertum eſt. Subita excitatio temp. ſubita ſedatio, æſtus & refluxus maris varias inſulas &c.

25. Εἶπε καὶ ἔςη πνεῦμα καταιγίδος καὶ ὑψώθη τὰ κύματα αὐτῆς.

Lxx. Εἶπε καὶ ἔςη legit ויעמר. Melius καὶ ἐξήγειρε, ἔςησε.

Stare facit] Sic & Belgæ. Exiſtere facit, exurgere facit. Notatur & durabilitas tempeſtatis.

Ventum procellæ] Id eſt, procelloſum, tempeſtuoſum. Gen. adj. vel eff.

26. Αναβαίνεσι ἕως τῶν ὀρανῶν, καὶ καταβαίνεσιν ἕως τῶν ἀβύσσων ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐν αὐτοῖς ἐτήκετο

27. Ἐταράχθησαν, ἐσαλεύθησαν ὡς ὁ μεθύων, καὶ πᾶσα ἡ σοφία αὐτῶν κατεπόθη.

Hypotypoſis tempeſtatis, ut apud Poëtas.

Tollimur in cœlos, nunc imas radimus undas,

Et Virg Æn. 3.

Tollimur in cœlum, curvato gurgite & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus unda.

Shamajim] Duale ob diſtinctionem ejus per Horiſ. in duas æq. partes.

Et extollent eum] Qui? K. *deſcendentes in mare,* vel omnes הארבעה 4. iſta genera hominum. Ut ſit quaſi ἐπιφώνημα.

29. *In ſilentium*] Sym. Γαλήνη, μαλακία. Marc. 4. 39. σιώπα πεφίμωσο.

Lxx. Καὶ ἐπέταξε τῇ καταιγίδι καὶ ἔςη εἰς αὔραν καὶ ἐσίγησαν τὰ κύματα αὐτῆς.

32. בִּקְהַל] Ἐν ἐκκλησίᾳ, Vulg. *in Eccleſia.* Ergo Cœtus fidelium V. T. etiam Eccleſia. Et Cœtus N. T. etiam Synagoga. Contra Papiſtas. *Koheleth* unde. Tantum de hominibus ut & עֵדָה. De aliis rebus uſurpant אגר & קבץ.

Seniorum] Gubernatorum זְקֵנִים Chald. סַנְהֶדְרִין תַּכִּימַיָּא σύνεδροι.

Hacte-

Hactenus oſtendit quomodo Dei Provid. ſe habeat erga miſeros homines. Jam oſtendit quomodo habitudinem terræ ſtatumque hominum variè immutet. Sequetur poſtea querela de ſtupore hominum in conſideranda hac Dei Gubernatione. Ita ſunt 3. partes.

In hac 2. parte ſunt tria membra. 1. De varia habitudine terræ. 2. De viciſſitudinibus hominum reſp. divitiarum & paupertatis. 3. De viciſſitudinibus honorum & contemptus.

Vel primum hujus partis membrum conſiderari poteſt ut 5. argumentum providentiæ divinæ nam verſ. 33. 34. 35. agit de viciſſitudine ſterilitatis & fœcunditatis, oſtenditque Deum convertere terras fœcundas in ſteriles, verſ. 33, 34. Et contra ſteriles in fœcundas, verſ. 35. Alii hæc ſic intelligunt ac ſi narraret quomodo Deus ſubinde maria convertat in terras & terras in maria, cujus rei exempla multa extant in Hiſtoriis & in Provincia noſtra, viciniſque Hollandia, Zelandia, & Embdano tractu. Sed præſtat ut priori modo exponamus. Et ſic Kimchi, Docere vult inquit כי עיני בני אדם אין בנקרה ſed quod omnia ובקצתו ברשותו quod ipſe יהפך סבעים quando ipſe vult. Cyclops apud Eurip. ad Ulyſſem, ἡ γῆ ἀνάγκῃ κἂν θέλῃ κἂν μὴ θέλῃ τίκτουσα ποίαν τ' ἀμὰ πιαίνει βοτά.

33. Lxx. Ἔθετο ποταμοὺς εἰς ἔρημον, καὶ διεξόδους ὑδάτων εἰς δίψαν.

34. Γῆν καρποφόρον εἰς ἅλμην ἀπὸ κακίας τῶν κατοικούντων ἐν αὐτῇ.

35. Ἔθετο ἔρημον εἰς λίμνας, ὑδάτων, καὶ γῆν ἄνυδρον εἰς διεξόδους ὑδάτων.

33. *Ponit flumina* & in altero membro, *Exitus aquarum.*] Aben. הם הנהרים i. e. terras fluminibus & ſcatebris aquarum irriguas, i. e. fœcundas. Solent enim iſtæ eſſe fœcundæ. Sic hunc locum explicant Jun. Trem. Piſc. & Kimchi, *Locum ubi ſunt fluvii & exitus aquarum.* Ægyptus, Terra S. hujus rei teſtimonium perhibent, & innumera Græciæ Aſiæque loca & regiones.

In ſitim] Sub. ארץ terram ſitis, i. e. ſiticuloſam. Talis Ellipſis Deut. 8. 15. Eſ. 35. 7. Job. *Venter meus ſicut Vinum. Vinum deriſor.* Syn. eſt צמא

34. *In* מלחה] *Salſuginem*, vel *ſalſuginoſam*, ſub. terram i. e. infrugiferam. Diſp. an adj. an ſubſt. Virgil. Georg. 2.

Salſa etenim terra eſt & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus aut pomis ſua nomina ſervat)
Multaque degenerant ſuccos oblita priores.

Videtur eò alludere quod olim locum aliquem vaſtaturi & in ſolitudinem redacturi *terram ſale conſperſerint.* Jud. 9. 45. Plin. *Omnis locus in quo Sal reperitur ſterilis eſt nihilque gignit.* Zoph. 2. 9. *Moab ut Sod. & Ammon ut Gomor. urticetum & ſalinæ & vaſtitas in ſæculum.* Deut. 29. ad *ſulph.* & *ignem* additur *Sal.* Vel reſpicit ad deſolationem Pentapolitanariam quâ Sodoma, Gomorrha, Adama, & Sebojim conflagrarunt. Quintæ civitati Soar ad preces Lothi pepercit Deus. Gen. 19. unde error Joſephi deprehenditur qui 5. Civitates ait deflagraſſe. Vocatur tamen illa regio Πεντάπολις, quod quinque Civitates habuerit. Error Joſephi aliorumque inde ortus quod Gen. 19. ſemel atque iterum dicatur, *Subvertit urbes has & omnem circumjacentem regionem.* Et verſ. 29. *Cum ſubverteret Deus urbes regionis illius.* Sed diſertè ante dicitur verſ. 21. ad preces Lothi, *Et in hoc ſuſcepi preces tuas, non ſubvertam urbem illam pro qua locutus es.* Et Deut. 29. 23. in exemplum ſubverſionis Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ & Seboijim. Quintæ non meminit. Et Hier. ait ſuo adhuc tempore eam remanſiſſe juxta lacum, ibique fuiſſe præſidium Romanorum.

Hæc terra non tantum reddita *ſterilis*, ſed *converſa in mare* vel *lacum*, qui Mortuus, Sodomenus, Salſus & Aſphaltites dicitur à ſcriptoribus. Ebr. ים המלח. ים קדמני. ים ערבה. אגם החמר Joſ. 15. 5.

Mare mortuum, quod tempeſtatibus non attollatur quod piſces nullos habeat propter nimiam ſalſuginem & bitumen.

Mare ſalſum,] i. e. Salſugine infectum, mixtus enim fuit Sal cum ſulphure.

Mare Aſphaltites, i. e. bituminoſum à copia bituminis quod gignit. Profert enim nigras bituminis glebas quæ aquis ſupernatant.

Mare Orientale quod ſitum fuerit ad Orientem Terræ S.

Naves non fert, quia ὑπὸ τῆς κουφότητος αὐτῆς omnia etiam graviſſima fluitant in eo, ut nullus etiamſi maxime velit demergi in eo poſſit. Unde Veſpaſ. novitate rei juſſit quoſdam natandi inſcios vinctis poſt terga manibus in id conjici, evenitque omnibus ut quaſi vi ſpiritus ſurſum projecti & repulſi deſuper fluitarent.

Agrum circumjacentem olim divitiis & ubertate felicitatem totam exuſtam dicit, renaſcique quaſi ex cineribus fructus colore edulibus ſimiles, ſi vero carpantur, in fumum & cinerem reſolvuntur. Joſeph. de Bello Jud. 5. 5.

Quickſilber, Argentum vivum. Quic vivus, *verquicken* ſymb. antiq. Germ. *de quicke en de tholen.* Bened. Dei hominum. Hom. charitatis & authoritatis. Auth. Sacerd. & Patriarch.

35. *Siccaneam* Junius. Colum. 2. 17. Ejus prati duo genera ſunt, quorum alterum eſt *ſiccaneum*, alterum *riguum.*

36. Καὶ κατῴκισεν ἐκεῖ πεινῶντας, καὶ συνεστήσαντο πόλεις κατοικεσίας. Sym. Aq. πόλιν.

37. Καὶ ἔσπειραν ἀγροὺς, καὶ ἐφύτευσαν ἀμπελῶνας, καὶ ἐποίησαν καρπὸν γεννήματος.

פרי תבואה Jun. *Proventum fructuoſum*, ut ſit hypall. Piſc. *fructus provenire ſolitos.* Kimchi, *fructus* (&) *proventum.* Idem aliter כפל ענין במלות שונות

38. *Benedicit illis*] Kimch. בבנים. Multiplicantur בבנים.

בהמתם] *Behema Tzon* & מקנה & חיה collectiva ſunt. חיה eſt univerſalis. *Animal vivum.* Id divid. in rat. & irrat. Irrationalium genus eſt מן יה מקנה צאן ובקר Koh. 2. 7. Eſt מקנה Lat. *Pecus*, omne animal quod ſub imperio hominis è pabulo terræ paſcitur. Dicitur à πέκω *pecto*, unde πόκος *vellus.* Dicitur de ove extra controverſ. De Apibus *Ignavum fucos pecus*, Et, *Pecudum cuſtodia ſolers.* De Piſc. Lucret. *Squamigenæ pecudes.* De Avibus, Colum. *Volatile pecus.* Hinc *Pecunia* q. *pecuina.* Veterum poſſeſſio erant *pecudes.* Sic κτῆνος à κτᾶσθαι. *Pecunia*, χρήματα ἀπὸ τιμῆς κτηνῶν

בהמה omne animal magnum, domeſt. בקר & ſylv. חיה Lat. *jumentum*, quod juverit opera hominum, *Veterina*, ζῶα φορτόφορα *veterinæ*, quaſi *veheterina*, vel *vecterina*, vel *venterina*, quod ſarcinæ *ventribus* alligentur. Gloſſ. veterina ὑποζύγιον.

בהמה *Veterina, us, a, um.* Hinc *veterinarius*, quod pertinet ad *veterina*, & in ſpecie, qui ducit & agit *veterina*, & qui curat morbos jumentorum, unde *Veterinarii Medici*, ἱππιατροὶ κτηνιατροί. Illud Synecdochicum. Et περὶ ἱππιατρικῶν de *re veterinaria.*

צאן eſt *grex*, continet animalia parva, oves, capras, hircos. Oves in ſp. כבשים Capræ עזים Utriuſque ſpeciei *parvulus* vocatur שה Exod. 12.

Non minuit] i. e. Veh. auget. Liptote. Sic *non remittetur ei*, Mach. 12. & Marc. 3. i. e. veh. punietur. *In via non bona. A Gente non benigna.* Alii reſp. eſſe Proverb. Ebr. Amplif. Ebræi vel circumloquuntur enunciata univerſalia à diſtributione vel *Temporis* vel *Locorum*, Deut. 5. 38. *Rerum*, Gen. 31. *Perſonarum*, Rom. 1. Sirach 24. 33.

38. Lxx. Καὶ εὐλόγησαν αὐτοὺς, καὶ ἐπληθύνθησαν σφόδρα καὶ τὰ κτήνη αὐτῶν οὐκ ἐσμίκρυνε. Sic & Theod. Aq. οὐκ ὀλιγώσει, Sym. οὐκ ὀλίγα ἐποίησε.

39. Καὶ ὠλιγώθησαν καὶ ἐκακώθησαν ἀπὸ θλίψεως κακῶν καὶ ὀδύνης.

40. Ἐξεχύθη ἐξουδένωσις ἐπ' ἄρχοντας αὐτῶν, καὶ ἐπλάνησεν αὐτοὺς ἐν ἀβάτῳ καὶ οὐχ' ὁδῷ.

41. Καὶ ἐβοήθησε πένητι ἐκ πτωχείας καὶ ἔθετο ὡς πρόβατα τὰς πατρίας.

42. Ὄψονται εὐθεῖς καὶ εὐφρανθήσονται, καὶ πᾶσα ἀνομία ἐμφράξει τὸ στόμα αὐτῆς.

43. Τίς σοφὸς καὶ φυλάξει ταῦτα, καὶ συνήσουσι τὰ ἐλέη τοῦ Κυρίου.

GROTIUS.

10. *Vinctos in mendicitate & ferro*] In Hebræo: *Captivos afflictionis & ferri. Afflictionem* vocat ipſum carcerem, *ferrum* verò compedes.

23. *Deſcendentes ad mare in navibus*] Hoc ideo, quia moles altæ ſunt ad portus, ex quibus in naves deſcenditur. Vide Jonam 1. 3.

26. *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*] Id eſt, ad maris intima. Ovidius libro Triſtium 1.

Me miſerum! quanti montes volvuntur aquarum?
Jamjam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles?
Jamjam tacturas Tartara nigra putes.

Lucanus Pharſaliæ 5.

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è ſummis præceps mare: cumque tumentes
Rurſus hiant undæ, vix eminet æquore malus.

42. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum*] Tacere cogetur. Idem loquendi genus habuimus Jobi 5. 16.

PRICÆUS.

5. *Super cælos eſt miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua*] Suprà 102. 11.

10. *In Idumæam extendam calceamentum meum*] Vide ſuprà 60. 10. & in Ἰδουμαία Heſychium.

11. *In civitatem munitam*] Ut ſuprà 30. 22. & 70. 3. Lxx. εἰς πό-

εἰς πόλιν περιοχῆς. Sic 4 Reg. 19. 24. *aquas clauſas:* ubi itidem in Græco, ποταμὰς περιοχῆς.

PSALM. CVIII.

MUNSTERUS.

VOcabulum כבוד ab initio hujus Pſalmi Hebræi exponunt pro *Corde* nobiliori membro. Alii ſimpliciter vertunt pro, *ô gloria mea.*

4. *Magna eſt ſuper Cœlos*] Hic verſus cum ſequenti habetur quoque ſuprà Pſal. 57. niſi quòd ibi habetur עד, & hic מעל, manente tamen eodem ſenſu.

7. *Deus locutus eſt in ſanctitate ſua*] Hic verſus & qui eum ſequuntur habentur quoque ſuprà Pſal. 60.

VATABLUS.

1. C*Anticum Pſalmi* שיר מזמור] Vide Pſal. 30. ¶ *Paratum* נכון] *Confirmatum.* Hæc ferè ad verbum uſque ad v. 7. leguntur & Pſalm. 57. 8. ¶ *Gloria mea* כבודי] i. e. Anima mea, ſub. *canit:* quæ *gloria corporis* dicitur quod corpore inanimato nihil ſit abjectius. Legi poteſt, *Etiam* cum *anima mea*, ſub. *canam.*

2. *Evigilabo in aurora* אעירה שחר] *Cùm evigilavero* [vel, *cùm expergiſcar*] *in aurora:* vel, *ſummo mane.* Legi poteſt, *cùm excitabo vos in aurora:* i. e. cùm ſumam vos in manus ad canendum in aurora. q. d. Per vos nè ſtet, ô inſtrumenta muſica, quin canam laudes Dei manè.

4. *Super cœlos* מעל שמים] Ad verb. *deſuper*, vel *de ſupra cœlos:* i. e. ità ut cœlos ſuperet. ¶ *Veritas tua* אמתך] *Fidelitas tua*, ſub. *in promiſſis ſervandis*,

5. *Gloria tua* כבודך] *Decus tuum*, *majeſtas tua*, ſub. *ſit*, vel *appareat.* Verti poteſt, *gloriam tuam;* ſub. *oſtende.*

6. *Ut liberentur* למען יחלצון] Declarat quæ ſit gloria Dei, nempe *liberare dilectos.* ¶ *Et exaudi me* ועננו Legitur ועננו, *Et exaudi nos.* Ab hoc verſu uſque ad finem Pſalmi eadem leguntur ad verbum in Pſalmo 60. 7.

CLARIUS.

CAnit ardere ſe ut laudes Dei voce & organis moduletur: deinde amplitudinem Regni Chriſti ſub typo memorat. Videtur autem hic Pſalmus compoſitus ex Pſalmo 57. & 60. quare ad illa loca remittimus lectorem.

DRUSIUS.

10. סיר רחצי. A. λέβης λουτρῦ μου. Sym. — ἀμεριμνησίας μου. Th. τῆς ἐλπίδος μου. ¶ עלי פלשת אתרעע. O. ἐμοὶ ἀλλόφυλοι ἐφιλιώθησαν, *mihi alienigenæ amici facti ſunt*] Divino legendum Φυλιςαῖοι, vel, ſi mavis, Φιλιςαῖοι. Sic enim amant transferre illam vocem. Supra 60. 8. פלשת. A. S. Th. Φιλιςαῖοι, pro quo Lxx. ſolent ponere ἀλλόφυλοι, nomen commune pro proprio. Hier. in Comment. Jeſ. 2. *Pro* Philiſtiim *ſemper Lxx.* Alienigenas *interpretati ſunt*, *nomen commune pro proprio: quæ eſt hodie gens* Palæſtinorum, *quaſi* Philiſtinorum, *quia P literam Ebraïcus ſermo non habet, ſed pro ea* Phi *Græco utitur.* Idem Jeſ. 14. PHILISTÆOS *autem*, *ut ſuprà diximus*, Palæſtinos *ſignificat: quos* Alienigenas *Vulgata ſcribit editio; cùm hoc non unius gentis, ſed omnium exterarum gentium vocabulum ſit.* Cæterùm *Philiſtæos* Theodoretus & Euthymius dici ἀλλοφύλυς putant in ſpecie, quia vicinam Judæis regionem habitabant. ¶ Ἐφιλιώθησαν· alibi eſt ἐφιλίασαν.

11. עיר מבצר. Sym. πόλιν περιπεφραγμένην.

12. הלא אלהים. Sym. εἰ μὴ σὺ, ὁ Θεὸς, *niſi tu, Deus.* ¶ ולא תצא אלהים בצבאותינו. Sym. καὶ ὀ προσελθὼν, Θεὲ, ἐν ταῖς ςρατεύσεσιν ἡμῶν] Apud Interp. Theodoreti, *Et non præiſti, Deus, in noſtris exercitibus.*

AMAMA.

PSalmus CVIII. compoſitus eſt ex Pſalm. 57. & 60. de quibus antea.

GROTIUS.

EAdem materia quæ Pſalmi 60. Eadem quoque verba ab illo loco, *ut liberentur dilecti tui.* Anteloquium duntaxat mutatum eſt, ſumtumque ex Pſalmo 57. 8. mutati, ut credo, & moduli.

PRICÆUS.

5. E*T odium pro dilectione mea*] Apoſtolus 2 Cor. 12. 15 Περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν, ἧττον ἀγαπῶμαι.

6. *Et diabolus ſtet à dextris ejus*] *Caput aſpidum* (ut Jobi 20. 16.) *ſugat, & occidat eum lingua viperæ;* id eſt, ut hoc Pſalmi loco, calumniatoris. In Gloſſaria, Διάβολος, *criminator.*

7. *Et oratio ejus fiat in peccatum*] *Oratio ejus* (ut Prov. 28. 9.) *exſecrabilis fiat.* Virgilius,

——Ea viſa ſalus morientibus una:
Mox erat hoc ipſum exitio——

ubi Servius, *Hoc ipſum quod ſaluti fore putabatur.* Tacitus Annal. 6. *Eaque quæ remedio quæſita*, &c. *in contrarium mutari.* Jobus 20. 14. & de impio, *Panis ejus* (q. d. ex quo dulcedinem ſperabat) *in utero illius in fel aſpidum vertatur.*

8. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*]
Dede neci, melior vacua ſine regnet in aula.

9. *Fiant filii ejus orphani*] Idem quod com. 9. *fiant dies ejus pauci.*

10. *Transferantur filii ejus, & mendicent*] Migrent de loco ad locum, ut ſolent egeni: fiant κοσμοπολῖται, γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνοντες. Ovidius in Ibin,

Exſul, inops erres, alienaque limina luſtres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.

Tibullus,

Ipſa fame ſtimulante furens eſcaſque ſepulcris
Quærat, & à ſævis oſſa relicta lupis.

11. *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus*] *Divitias* (ut Job. 20. 15.) *quas voravit, evomat, & de ventre illius extrahat eos Deus.*

12. *Nec ſit qui miſereatur pupillis ejus*] Ovidius ubi ſuprà,

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis ulli.

Jobus 5. 4. *Conterantur* (filii ejus) *in porta, & non erit qui eruat.*

13. *In generatione una deleatur nomen ejus*] Contrà in benedicendo infrà 127. 6.

18. *Intravit ſicut aqua in interiora ejus*] Amaritudines, convicia, maledictiones eà voluptate evomit, quâ ſiticuloſi ſolent.

Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Seneca 1. 16. de Ira, *Perbibiſti nequitiam, & ità viſceribus immiſcuiſti, ut niſi cum ipſis exire non poſſit.*

24. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio*] Apud Apulejum lib. 1. ille, *Genua quatior, & gradu titubo, & aliquid cibatûs refovendo ſpiritu deſidero:* ad quem locum plura annotavimus.

25. *Et moverunt capita ſua*] In ſignum ἐπιχαιρεκακίας. Ità Thren. Jer. 2. 15, 16.

29. *Operiantur, ſicut diploide, confuſione ſuâ*] Apulejus in Apologia, *Egens, nudus, at ignominiâ ſuâ tectus. Sicut diploide*, ut è converſo Jobi 29. 14. *Juſtitiâ indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento*, &c. *judicio meo:* & Sirach. 21. 9. *Juſtitiam indues quaſi poderem.*

IDEM.

1. D*Eus laudem meam nè tacueris*] Imò, *Deus laudem mearum:* ità ſponte meâ vel legendum, vel intelligendum credidi; poſt ità expoſitum vidi etiam ab Aquila & à Symm. cho. *Nè tacueris*, ut alibi, *nè taceas, neque compeſcaris.* Lxx. μὴ παρασιωπήσῃς. id eſt, nè differ, nè ampliùs ſuſtine. Heſychius, Παρασιωπῶν, μακροθυμῶν. quo ſenſu & 49. 20. *& tacui* habuimus.

2. *Os doloſi ſuper me apertum eſt*] Vide ſuprà ad 21. 14. dicta.

4. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi*] Martialis,

Quos colere debet læſit impio verſu.

Vide ſuprà 34. 12.

Ibid. *Ego autem orabam*] Ità ſuprà 30. 14, 15. & 34. 13. & 68. 13, 14. & infrà 118. 23. *Orabam*, nempe ad te, vel, pro illis, ut Matth. 5. 44. προσεύχεσθαι ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων.

5. *Poſuerunt adverſum me mala pro bonis*] Jobus 30. 26. *Exſpectabam bona, & venerunt mala mihi. Pro frumento* (ut Ejuſdem 31. 40.) *ortus eſt mihi tribulus, & pro hordeo ſpina* Auguſtus ad Cinnam, apud Senecam 1. 9. de Clementia, *Ego te, cùm in hoſtium caſtris inveniſſem, non factum mihi inimi-*

cum tantùm, ſed natum, ſervavi; patrimonium tibi omne conceſſi, &c. *cùm ſic de te meruerim, occidere me ſtatuiſti.*

6. *Conſtitue ſuper eum peccatorem*] Subjiciatur poteſtati ejus. Sic ſuprà 9. 21. *Conſtitue ſuper eos legislatorem.* Simile & 65. 12. illud, *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.*

8. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*] Eunuchus ille ad Aſſuerum Eſther. 1. 19. *Regnum Vaſthi altera qua melior eſt illâ accipiat.*

10. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent*] Martialis 10. 5.

Erret per urbem pontis exul & clivi,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.

Vide Job 27. 14. & quæ in cæteris Annotatis. His valde ſimiles imprecationes habentur apud Tragicos Græcos: eaſque ſe Diogenes implere dixit, εἶναι γὰρ πλάνητα, ἄοικον, πατρίδος ἐστερημένον, πτωχόν, δυσείματα, βίον ἔχειν τὸν ἐφήμερον, apud Ælianum Var. 3. 29.

13. *Fiant nati ejus in interitum*] Calcet ſuper eos (ut Job. 18. 14.) quaſi Rex, interitus. Præparentur (ut Eſai. 14. 21.) occiſioni in patris iniquitate ſui, non conſurgant, nec hæreditent terram, &c. Vide & Job 27 14, 15. *Fiant*, eſt procreentur, naſcantur in interitum. Ità Sirachidis 41. 12. *in maledictionem naſci.*

14. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini*] Solon de ultione Divina in malos homines.

—Ὁ μὲν αὐτίκ᾽ ἔτισεν, ὁ δ᾽ ὕστερον· εἰ δὲ φύγωσιν
Αὐτοὶ, μηδὲ θεῶν μοῖρ᾽ ἐπιοῦσα κίχῃ,
Ἤλυθε πάντως αὖτις· ἀναίτια ἔργα τίνουσιν
Οἱ παῖδες τούτων ἢ γένος ἐξοπίσω.

15. *Fiant contra Dominum ſemper*] Eſt fortè Hypallage, pro, *Fiat Dominus contra eos ſemper*, i. e. tanquam ſignum ſibi ponat eos in quod arcum dirigat. Vide Job. 16. 13. Vel, *fiant*, nempe delicta eorum, ſemper in Domini conſpectu.

Ibid. *Diſpereat de terra memoria eorum*] Ità & Job. 18. 17.

18. *Dilexit maledictionem, & veniet ei*] Ità ferè 3. 27. Sirachidis, *Qui amat periculum peribit in eo.*

Ibid *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*] Similia ſuprà 51. 6, 7.

Ibid. *Et intravit ſicut aqua in interiora ejus*] Sitivit eam, i. e. magno ejus amore tentus eſt. Ità Jobi 34 7. *ſubſannationem quaſi aquam bibere.*

20. *Hoc opus eorum qui*, &c.] *Pars calicis eorum*, ut ſuprà 10. 7. τὸ ἐπιβάλλον μέρος, ut in iis Pſal. 110. 3. *Confeſſio & magnificentia opus ejus:* Jeremiæ 13. 25. *Hæc ſors tua, parsque menſuræ tuæ à me, dicit Dominus:* Jobi 27. 13. *Hæc eſt pars hominis impii apud Deum.* Vide & Job. 20. 29. item 18. 21.

23. *Sicut umbra*, &c. *ablatus ſum*] Eccleſiaſtes 7. 1. Pſal. 143. 4.

24. *Et caro mea immutata eſt propter oleum*] Propter olei defectum; i. e. quia oleo quo cutis nitet (Pſal. 103. 15.) non ungo me. *Immutata*, exterminata, ἀφανιζομένη.

Et ſciant quia manus tua hæc] Hæc mutatio (ut 76. 11.) dexteræ excelſi.

28 *Maledicent illi, & tu benedices*] Maledicant illi, modò tu benedixeris.

30. *In medio multorum laudabo eum*] Suprà 34. 18. *In populo gravi laudabo te.*

17. *Dilexit maledictionem*] Hic reddit cauſam cur impium ità devoveat, & tantis malis eum dignum judicet, nempe quòd in innocentes injurius fuit & inhumanus, & viſus ſit ex operibus ſuis quòd maluerit Divinam exſecrationem quam beneficentiam, quodque Dei maluerit eſſe inimicus quàm amicus. Orat itaque ut *induatur maledictione tanquam veſte interiore*, & deinde *amiciatur eâ tanquam pallio*, & tertiò *cingatur eâ perpetuò veluti cinctorio*, & præterea ut *ipſum perfluat ſicut* ſolet hauſta *aqua* perfluere interiora hominis, & *ſicut oleum* vel unguentum corpori adhibitum penetrat *ad oſſa uſque.*

20. *Hoc ſit opus*] Kimhi exponit פעלת pro שכר, h.e. *opus* pro *mercede.*

23. *Excutior quaſi locuſta*] Ut locuſta nullo in loco fixam habet ſedem, ſed ſaliendo movetur de loco in locum; ità David, cùm Saul quæreret eum perdere, in nullo loco tutus eſſe potuit.

24. *Propter deficientem pinguedinem*] Id intelligunt de pinguedine corporis ſui exſiccata. Poteſt etiam eſſe ut intelligatur de lautioribus cibis, à quibus in univerſum abſtinebat, jejunio macerans corpus ſuum, atque humilians ſe in oculis Dei.

VATABLUS.

1. V*ictori* למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Laudis meæ* תהלתי] Hebraïſmum ſic quidam convertunt, *qui laudaris à me.* Alii, *de quo glorior.* ¶ *Ne taceas* אל תחרש] *Ne ſileas: ne te contineas.*

2. *Os impii, & os doloſi* פי רשע ופי מרמה] *Os impii, & os doli*, vel *fraudis:* i. e. hominis doloſi: i. e. quo improbus & doloſus uti ſolent. ¶ *Aperuerunt ſe* פתחו] *Aperuerunt ſe*, ſub. *delatores.* Alii, *aperta ſunt.* ¶ *Linguâ mendaci* לשון שקר] Ad verb. *linguâ mendacii*; i. e. ſermone ficto. q. d. Aliud loquuntur me præſente, aliud me abſente.

3. *Odioſis* שנאה] Ad verb. *odii.* ¶ *Et pugnaverunt contra*, &c. וילחמוני חנם] *Et belligerantur mecum fruſtra.*

4. *Pro dilectione mea* תחת אהבתי] i. e. Cùm diligam eos. ¶ Vir *orationis* תפלה] Ad verb. *oratio.* Hebraïſmum ſic reddunt quidam, *pro illis orabam.* Alii, *orationem fundebam pro eis.*

6. *Conſtitue ſuper eum impium* הפקד עליו רשע] *Præfice illi improbum.* Sing. pro plur. *Præfice illis improbos*, ſub. *magiſtratus.* ¶ *Et ſatan* ושטן] *Et adverſarius.*

7. *Exeat impius* יצא רשע] Hebraïſmus, condemnetur impietatis, ſive improbitatis, dum de cauſa ejus agitur in judicio. ¶ *In peccatum* לחטאה] i. e. Reddat illum Judici magis odioſum. Aut, *oratio ejus ſit fruſtranea:* i. e. patiatur repulſam. Ita Hebræi.

8. *Præfecturam ejus* פקדתו] *Munus ejus.* Alii, *munus ſibi concreditum.* Alii, *functionem ejus.*

10. *De ſuis deſertis* מחרבותיהם] *De deſolatis ſuis locis.* Vel, *è vaſtatis ſuis locis.*

11. *Illaqueet* ינקש] *Irretiat:* i. e. ponat laqueum vel rete, & inſidietur univerſis quæ habet.

12. *Extendens miſericordiam* מושך חסד] *Protrahens miſericordiam*, vel *prorogans:* i. e. non ſit qui ejus miſereatur.

13. *Noviſſimum ejus* אחריתו] *Poſteritas ejus.* ¶ *In generatione altera* בדור אחר] i. e. Ita tollatur eorum memoria ut in ſequenti ſeculo nulla ſit.

14. *Patrum ejus* אבותיו] Mutatio numeri, pro *eorum.*

15. *Et ſuccidat* ויכרת] *Ut exterminet.*

16. *Pauperem* עני] *Afflictum.*

17. *Et elongavit ſe ab eo* ותרחק ממנו] *Ideo longè receſſit ab eo.*

18. *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum* וילבש קללה כמדו] Hebraïſmus, pro *ornavit ſe maledictione ut veſtimento:* vel, *in eos veniat maledictio qui eâ ſe putant ornari velut veſtimento.*

19. *Operiat ſe* יעטה] *Involvatur, amiciatur.*

20. *Hæc merces* זאת פעלת] *Hoc opus.* Alii, *Hoc opera pretium.*

22. *Pauper* עני] *Miſer, afflictus.*

23. *Abeo* נהלכתי] Præt. Heb. pro præſ. *ambulo.* Alii, *pertranſeo.* ¶ *Excutior* נגערתי] Præt. Heb. *excuſſus ſum:* vel, *ambulavi de loco in locum:* aut, *inſtabilis factus ſum:* q. d. Cogor ſubinde locum mutare ut locuſta, quæ huc illuc ſaltitat, nec in eadem ſede quieſcit diu.

24. *Debilitata ſunt* כשלו] Præt. Heb. pro præſ. *vacillant, nutant.* ¶ *Marcuit* כחש] *Emarcuit:* i. e. exhauſta eſt à pinguedine, unde ſum illis opprobrio: ità quidam ſeq. verſui iſtum conjungunt.

25. *Sum* הייתי] Præt. Heb. *fui.* ¶ *Vident* יראוני] Fut. Heb. pro præſ. vel præt.

28. *Maledicent*, &c. יקללו המה וגו׳] Futura Heb. quæ nonnulli

PSALM. CIX.

MUNSTERUS.

2. O*S impii*] Putant per hunc *impium & doloſum* ſignificari Doeg adulatorem Saulis, & ſub typo ejus Judam proditorem Chriſti.

6. *Et Satan ſtet ad dexteram ejus*] h. e. Habeat adverſarium aſtantem, à quo injuriis & calumniis conficiatur. Et *cùm judicatus fuerit, reus inveniatur*, & à nemine liberetur. Imprecatur quoque ei vitæ abſciſſionem & dignitatis ablationem.

10. *Quærant è deſolatis ſuis locis*] h. e. Domi & foris anxiè quærant unde vivant.

11. *Laborem ejus*] Intellige, quæ per laborem ſunt parta & conquiſita, hæc aliis in prædam veniant & uſurario obnoxia fiant.

14. *Sint coram Domino ſemper*] Ut ſcilicet jugiter verſentur coram oculis ejus, ut ulciſcatur iniquitates eorum.

nulli vertunt in præſens conjunctivi, *Maledicant ipſi*; *at tu benedicas*: *inſurgant*, *& confundantur*; *at ſervus tuus lætetur*.

31. *Quòd ſtet* כִּי יַעֲמֹד] Fut. Heb. pro præſ. *Quia aſtat*: vel, *Quòd aſtat*. ¶ *Ut ſervet* eum, &c. לְהוֹשִׁיעַ מִשֹּׁפְטֵי נַפְשׁוֹ] *Ut ſervet à Judicibus* iniquis *animam ejus*.

CASTALIO.

1. O *Deus*, *mea laus*] Quem laudo.
4. *Comprecatione uſus*] Deum pro illis comprecatus.
13. *In poſterum deleto illorum nomine*] Ejus liberorum.

CLARIUS.

Diræ ſunt in Doeg alioſque adulatores Saulis, qui Saulem mendaciis ſuis contra David incitabant, & ſub typo horum in Judam proditorem Chriſti.

1. *Deus laudis meæ*] Deus author & materia gloriationis meæ, nè, quæſo, diſſimula. Vel hoc dixit quòd laudibus Dei nihil haberet antiquius.

4. *Pro eo ut me diligerent*] Heb. *Pro dilectione mea*: ut videatur dicere, *Pro dilectione quâ eos diligebam adverſabantur mihi*.

6. *Et diabolus*] Vel *Satan*: h.e. habeat adverſarium aſtantem, à quo injuriis & calumniis conficiatur. Et *cùm judicatus fuerit*, *reus inveniatur*, & à nemine liberetur. Imprecatur quoque ei vitæ abſciſſionem & dignitatis ablationem.

8. *Et epiſcopatum ejus*] Hunc locum B. Petrus de Juda dictum ait Act. 1. 16.

14. *In memoriam redeat*] Simile videtur illi quod Deus in Lege de ſe teſtatur, Solere *ſe iniquitatem patrum ulciſci in filiis in tertiam & quartam generationem*: quod videtur ità poſſe intelligi, Deum, dum filios punit, indicare ſe majorum ſcelera exſecrari. Quanquam ſit & impiis ea inter ipſos communio ut ad majores quodammodo pertineant mala quæ minores perferunt. Vel dicitur punire in filiis, in quibus ſcelera ad ſummum jam pervenerunt, quæ in majoribus viſa ſunt inulta relinqui. De hoc Hebraiſmo alibi diximus.

15. *Fiant coram Domino*] Ut ſcilicet jugiter verſentur coram oculis ejus, ut ulciſcatur iniquitates eorum.

20. *Hoc opus*] *Hæc ſit merces operis eorum à Domino*, &c.

23. *Sicut umbra*] *Sicut umbra*, quæ *inclinante* jam die aſſiduè creſcit, & tenebris noctis propinquior fit, ità & ego *abii & abeo* aſſiduè magis. Interim vagari cogor de loco ad locum *quemadmodum locuſta* ſaltat nunc huc nunc illuc, nullam certam ſedem habens.

24. *Propter oleum*] *Propter deficientem pinguedinem*, vel, *exuta eſt pinguedine*. Poteſt & intelligi de lautioribus cibis, à quibus in univerſum abſtinebat, jejunio macerans corpus, atque humilians ſe in oculis Dei.

27. *Quòd manus tua hæc*] Sciant non illos ſuis viribus hæc potuiſſe contra me, ſed quia tibi viſum fuit ad hunc modum patientiam meam exercere.

DRUSIUS.

1. אֱלֹהֵי תְהִלָּתִי. A. Θεὲ ὑμνήσεώς μȣ. Sym. ὁ Θεὸς ὑμνήσεώς μȣ. Th. ὁ Θεὸς τὴν αἴνεσίν μȣ.

10. מֵחָרְבוֹתֵיהֶם. Οἱ λοιποὶ, ἐκ τῶν ἐρειπίων, *ex ruinis*, ſive *parietinis*] Euthymius, Οἰκόπεδα (ità Lxx. ediderunt) *vocat ruinas domorum*. Interpres Theodoreti, *De habitationibus ſuis*: *vel*, *ſecundum alios*, *Ex ruinis ſuis*.

11. יְנַקֵּשׁ נוֹשֶׁה לְכָל־אֲשֶׁר־לוֹ. Sym. *Collidat exactor ea quæ ſunt ipſi*] Sic eſt apud Interp. Theodoreti. In ed. Rom. Sym. συγκρούσαι πράκτωρ.

20. שֹׂטְנַי. Οἱ λοιποὶ, τῶν ἀντικειμένων] Interpres, *Alii*, *Qui contrà ſteterunt*, *explanarunt*. Priùs erat τῶν ἐνδιαβαλλόντων unde Satan, διάβολος, i.e. *calumniator*.

24. וּבְשָׂרִי כָּחַשׁ מִשָּׁמֶן. Sym. καὶ ἡ σάρξ μȣ ἀλλοιώθη ἀπὸ ἀναλειψίας, *& caro mea immutata eſt propter unctionem*.

29. שׂוֹטְנַי. Alii, οἱ ἀντικείμενοι.

31. מִשֹּׁפְטֵי נַפְשׁוֹ. A. ἀπὸ κρινόντων, *à judicantibus*. Sym. ἀπὸ τῶν κρινόντων. Th. ἐκ διωκόντων, *è perſequentibus*. V. ed. ἐκ τῶν δικαζομένων. VI. ed. ἐκ τῶν διωκόντων.

AMAMA.

לַמְנַצֵּחַ] Vide Pſ. 22.

1. *Deus laudis meæ*] Quem ego aſſiduè laudo, qui materiam mihi præbes laudandi te, qui materia & ſeges es meæ laudis. Vel qui laudas me, qui noſti innocentiam meam, vel *Deus* καυχήσεώς μȣ, *gloriationis meæ*. Sic R. D. K. *In te gloria non ſunt illi qui gloriantur* בְּרִשְׁעָם. LXX. τὴν αἴνεσίν μȣ μὴ παρασιωπήσῃς. Sic & Vulg. Aq. Θεὲ ὑμνήσεώς μȣ. Sym. Θεὸς ὑμνήσεώς μȣ. At obſtat conſtructio. Hier. *Laudabilis mihi*.

אַל־תֶּחֱרַשׁ] *Ne ſurdum agas*; vel, *ne mutus ſis*, *ne ſileas*. Utrumque dici poteſt de Deo cum non exaudit. *Audi*, *reſponde*. Contrarium. *Obſurdeſcere*, *ſilere*. חֶרֶשׁ *in ſilentio*. Joſu. 2. Alii, *inſcio populo*. Alii, *inſciis iis quorum terram ſpeculaturi erant*. Alii, *in ſurditate*, *ut ſi ſurdos ſimularent*. Et quia חָרָשׁ *Fabrum* ſignif. volunt alii ſenſum eſſe, quod *cum fabrilibus inſtrum. iverint* ceu *fabri*. Alii, *cum fictilibus*, ſed eſſet חרש

2. LXX. Ὅτι ςόμα ἁμαρτωλȣ̃ καὶ ςόμα δολίȣ ἐπ' ἐμὲ ἠνοίχθη· ἐλάλησαν κατ' ἐμȣ̃ γλώσσῃ δολίᾳ. Ch. ארום פוּמָא דְרַשִׁיעָא ופומא דנכלא עלי פְּתוֹחִין

Aperta ſunt] Aperiuntur clauſa, ligata. De Ore, oculis, auribus, gladio: Sacco, vinculis, terra, ære, auro, gemmis, ſepulcris, cœlo, matrice, manu.

3. Lxx. Λόγοις (דברי pro ברברי Ab.) μίσȣς (i.e. odii, i.e. inimicis, ex odio profectis, non *odioſis*, ut Jun. odioſum enim dicitur quod odio dignum eſt) ἐκύκλωσάν με, καὶ ἐπολέμησάν με δωρεάν. Ch. וּמַלְלֵי סַנְאָה חֲזַרוּ יָתִי וְאַגִּיחוּ עִמִּי מַגָּן *& locutores odii* (Legit דוברי) *circumdederunt me*, *& præliati ſunt mecum ſine cauſa*. נגח *cornupetere* & *pugnare*, Metaph. à cornupetis animalibus.

חִנָּם] K. אני לא הריעותי להם. Excludit cauſam, meritum, mercedem, pretium, fructum & effectum, i.e. ſine cauſa, ſine mercede, pretio (i.e. gratis) ſine fructu & effectu, (i.e. fruſtra) ſive quod idem ſine adeptione finis. NB. Meritum ſumitur vel in bonúm vel in malum, & utroque modo poteſt referri ad cauſam impellentem. Hîc & Pſ. 69. 5. Joh. 15. 25. excludit cauſam & meritum, *oderunt me* חִנָּם Lxx. δωρεὰν Vulg. *gratis*. Rom. 3. *Juſtificamur* δωρεὰν, i.e. ſine ullo noſtro merito, gratis. Hic adhiberi poteſt vox *gratis*, quia excludit meritum in bonam partem ſumptum. At cum in malam partem ponitur, non poteſt adhiberi, ſed pro eo utendum voce *immerito*. Gen. 29. *Servies mihi* חִנָּם? i.e. gratis, ſine mercede? Eſ. 52. חנם *venundati eſtis*, i.e. ſine pretio, gratis. Ezech. 6. *Cognoſcent quod ego Dominus non locutus ſim* חנם i.e. ſine effectu, fruſtra. Gal. 2. *Si per Legem juſtitia tunc Chriſtus* δωρεὰν ἔθανε· i.e. ſine adept. finis. Beza ad cauſam impellen. refert.

Pro יִלְחֲמוּנִי: לְחַמּוּ עָלַי, Pſ. 35. 1. לְחַם עַל לוֹחֲמַי ſed rarum in Kal.

4. Ἀντὶ τȣ̃ ἀγαπᾶν με, ἐνδιέβαλλόν με, ἐγὼ δὲ προσηυχόμην. Lxx. aliquoties τὸ שָׂטַן reddiderunt per ἐνδιαβάλλειν.

תפלה] Supp. אִישׁ, ſic חמודות Dan. 9. Confer cum cap. 10. Alii, *ego* (*in*) *oratione* (*eram.*) Ita Jun. Piſc. & Chald. וַאֲנָא אֲצַלִּי Sic enim reddunt שָׂטַן. חֲלַף דִּי רְחִמִית סְטַנוּ לִי וַאֲנָא אֲצַלִּי affinitatem habet cum שָׂטַם Gen. 27. de Eſau, & Gen. 50.

6. Κατάςησον ἐπ' αὐτὸν ἁμαρτωλὸν, καὶ διάβολος ςήτω ἐν δεξιῶν αὐτȣ̃. Huc alluſit Zach. 3. 1. ad dextram, ut ei reſiſtat, ne dextra ſua poſſit uti, ne negotia ſua bene poſſit tractare.

שטן] Chald. ſemper. סטנא. At Zach. 3. 1. חַטָּאָה *peccator*. Lxx. aliq. retinuerunt Σατὰν, ſed ubi de hominibus agitur 1 Reg. 11. 14. de Hadad. verſ. 23. & 25. de Reſon. Sic in Euang. *Vade poſt me Satan*, de Petro. Matth. 16. 23. Kimchi מלאך שטן Sic 2 Cor. 12. 7. ἄγγελος Σατάν. 2 Sam. 19. 23. ad filios Tzerujæ, *Quid mihi vobiſcum*; *quod eſtis mihi hodie* לְשָׂטָן Sic 1 Sam. 29.

A verſ. 6. ad 21. ſunt imprecationes duriſſimæ quæ fieri poſſunt à piis dummodo fiant ex zelo juſtitiæ & gloriæ Dei. Alias ſi fiant ex ſtudio vindictæ, privatamque cauſam agamus, eſt inconſideratus & noxius zelus.

Utitur diris ut nos commonefaciat de magnitudine ſceleris quod commiſere hoſtes Davidis & Chriſti. 2. Ut commemoratione horribilium iſtarum pœnarum nos abſterreat à ſimilibus flagitiis.

Quoties ſancti Dei homines ejuſmodi diras & horrendi carminis leges peccatoribus obnuntiant, non egere cauſam privatam nec immodico carnis affectu fuere commoti, nec inconſiderato zelo acti ſunt. Privatus reſpectus & intemperantia carnis poſt fuere, & Spiritum ducem ſecuti ſunt. Non ſunt ergo hæc nobis imitanda. Merito igitur deteſtatur Calv. ſacrilegium Monachorum præſertim vero qui Franciſco ſacramento dixerunt & ab eo Franciſcani denominantur, qui operam ſuam mercede addicebant illi, qui hoſtem aliquem capitalem habebat. Eum enim ſi perditum vellent, conducebant ex iſta familia aliquem qui hunc Pſalmum in ejus animam quotidie recitaret. Quin & illud addit primariam quandam fœminam in Gallia Franciſcanos conductitios habuiſſe, qui unigenito filio hac formula duriſſimam imprecarentur.

7. Conſiſt. Eccl. Deut. 17. 2 Chr. 19.

Pr. Ecc.	Polit.
Amarias.	*Zebedias.*

Tria Judicia in populo, *Majus*, Synedrium, Concilium quod Jeroſolymis fuit. *Minus* 23. Virorum, *Judicium* vocat Vulg. *Minimum* quod erat Trium Virorum. Majus conſtabat 70. viris ex ſingulis tribus ſeni cooptati præterquam ex tribu Levi, inde enim 4. tantum. Ita 70. fuerunt, alii volunt præter hos fuiſſe *Principem Synedrii*, ut ita fuerint 71. Druſ. Alii negant voluntque Principem locum Sapientiſſimo ex iſtis 70. delatum. Imò & Pontificem aſcitum volunt quidam ſi eſſet ראש החכמה non enim ſuo jure in Senatum ibat, ſed admiſſus ſuffragiis eſt, ſed an hic inter 70. fuerit, an vero ad eos acceſſerit, dubitatur. Ego puto non exceſſiſſe eos numerum 70. ut ipſe Pontifex, ipſeque adeo נשיא & ſecundus ab eo אב בית דין inter eos fuerit. At alii volunt Synedrium hoc maximam partem ex Sacerdotibus conſtitiſſe, nec admiſſos fuiſſe alios niſi tum cum ex Sacerdotibus & Levitis non reperirentur qui definitum illum Judicum numerum explere poſſent.

XXIII. in ſingulis majoribus oppidis fuit, etiam de capite & fortunis Civium judicabant, cauſaſque omnes decidebant exceptis iis quæ ſoli Synedrio reſervatæ erant. *Domus Judicii Parva.*

III. Virorum Collegium ajunt fuiſſe in minoribus pagis locisque qui 120. incolas non haberent, hi de pecuniis, rebus mobilibus, levibus injuriis aliiſque. *Domus Judicii Triumviralis.*

In his judiciis ſi contentio inter duo oriretur, non ſcribillationibus negotia protelabantur ut hodie, audiebantur partes, poſtea revocatis dicebat Judex, *Tu es* צדיק, tum רשע.

In capitalibus, Actor, Judicium mortis eſt viro huic, quia, Patronus reſp. Jud. m. non eſt viro huic, quia hic non fecit aut juſtè fecit. Diſceptabatur cauſa. Dum educeretur reus, ſic proclamabatur à Præcone, *Vir iſte filius iſtius.*

Ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτὸν, ἐξέλθοι καταδεδικασμένος, καὶ ἡ προσευχὴ αὐτοῦ γενέσθω εἰς ἁμαρτίαν.

8. פקדתו] In genere *quamvis præfecturam* & *curationem* ſignificat. Petrus Act. 1. 20. vertit ἐπισκοπὴν, ſecutus τοὺς Lxx. quia David hic typum gerit Chriſti, Doeg Judæ. Patres ajunt Lxx. Propheticè hanc vocem ſelegiſſe. Apud Ethnicos ea vox quoque erat ſacra inter profanos, nam Virginum Veſtalium cuſtos teſte Plut. in Numa vocabatur ἐπίσκοπος.

D. Kimhi intelligit אשתו aut כבודו

10. שאלו] *Petant*] ſub. panem, i. e. *Mendicent*. Ita Vulg. optime. Lxx. ἐπαιτησάτωσαν ἐπαίτησις *Mendicatio*. Hinc lux loco Eccl. 40. 31. τέκνον ζωὴν ἐπαιτήσεως μὴ βιώσῃς, κρεῖσσον γὰρ ἀποθανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν. Precarium ſpiritum triſti mendicitate producant. Unde & Poëta,

Miſerum eſt patria amiſſa laribuſque vagari
Mendicum & timida voce rogare cibos.

Et

Οὐδὲν πενίας βαρύτερον ἐστὶ φορτίον
Πενία δὲ ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ.

Kimhi ad vocem שאלו ſub. מזונם. A זן unde זנה juxta Q. Joſ. 2. 1. Hinc *cauponam* vertunt quidam, ut Pagn. Fieri poteſt in iſta Gente omnes cauponas fuiſſe meretrices, inde tamen non ſequitur omne meretr. fuiſſe cauponam. זנה ſemper *Meretrix*. Hic locus controverſus eſt, nihil ergo probat. Imò Jacobus vocat πόρνην. Non ergo certum eſt quod quidam eandem vocem & Scortum & Cauponam ſignificare; Etſi enim omnis caupona fuerit meretrix, non tamen ſequitur omne M. fuiſſe cauponam, nec ideo זנה ſignificabit *caupona*, Chald. tamen פונדקיתא πανδοκεύτρια. Sed ea verſio non præjudicat veritati. Ad firmandum quod cauponæ inhoneſtæ habebantur, notandum, Olim apud Græcos non honeſtiorem locum fuiſſe πανδοχεῖον ſive *tabernam*, quam οἴκημα, nec apud Latinos, τὸ πανδοχεῖον enim *ſtabulum*, καὶ τὸν πανδοχέα, *ſtabularium* vocarunt. Hinc *Proſtibulum*. Hinc factum ut Viri honeſti æquè erubeſcerent conſpici in ædibus Cauponis quam Lenonis aut Meretricis, quod vel ex iis liquet quæ de Stratonico Citharœdo Ælianus refert variarum hiſt. lib. 14. cap. 14. & Iſocrates in Areopagitico referente Athenæo lib. 13. ἐν καπηλείῳ φαγεῖν ἢ πιεῖν οὐδεὶς οὐδ᾽ ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε· σεμνύνεσθαι γὰρ ἐμελέτων οὐ βωμολοχεύεσθαι. Curæ enim ipſis fuit gravitati & honeſtati morum aſſueſcere non verò inſolentiæ & impudentiæ. Sed illud firmat, quod conſtitutionibus Imperat. Caupona quæ vilius habebatur à marito ſolvatur, lege Julia de adulteris.

ודרשו] Lxx. ἐκβληθήτωσαν, *ejiciantur*. Male. Sign. enim *quærant*. Legit גרשו

Ex vaſtitatibus ſuis] Alii, *propter vaſtitates* eo quo quod domus eorum ſint devaſtatæ.

Lxx. Ἐξ οἰκοπέδων οἰκόπεδον teſte Euſtath. eſt *ſuperficies domus diruta*.

11. *Illaqueet*] Nos aliâ Metaph. *Inſtocken*, Lxx. ἐξερευνησάτω. Leg. ידקש. At eſt ינקש. נקש & יקש Affinia ſunt. Kimhi כמו מוקש. Nam ait יקש & נקש ſunt בענין אחד.

נושה] נשא cum א *decepit*. נשה, *oblitus eſt*, *mutuò dedit*, *fœneravit*, *exactorem egit*. Hinc נושה δανειστής, *fœnerator*. Uſurarius. Pſ. 55. 16. ישי מות עלימו Exp. *Exactorem agat mors ſuper eos*, ut ſit pro ישה. *Melius*, *ut ſit pro* ישיא *decipiat*.

יגיעו] Pſ. 128. יגיע כפיך תאכל Lxx. τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι. Latina verſio, *Labores fructuum tuorum*. Quis ſenſus. Vulg. Melius, *labores manuum tuarum*. Καρπὸς etiam *juncturam manus cum brachio*. Imo juxta quoſdam etiam *vola*. Hom. ἐπὶ καρπῷ χεῖρα γέροντος Ἕλλαβε δεξιτέρην. Hinc περικάρπιον *armilla* &c.

זרים] *Hoſtes* propriè. *Nam*, teſte Cicerone, *hoſtis olim dicebatur is quem nunc Peregrinum dicimus. Nunc is vocatur hoſtis qui veteribus perduellis, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante.* Gall. *hoſte*, Ang. *hoſt*.

12. חסד & רחמים differunt. חסד eſt *gratia*. רחמים *miſericordia*. Cum Deus juſtum remuneratur, utitur חסד gratia, nulli enim debet. Cum vero ſervat impium, utitur חסד ſed eâ quæ dicitur רחמים. Omnis ergo רחמים eſt חסד non contra. Ita differunt *Vita* & σωτηρία. Vita promittitur in Lege, Σωτηρία in Euang. Eſt quidem σωτ. vita, at non omnis vita eſt σωτηρία. Deus enim & Angeli etiam vivunt. Σωτηρία eſt ea vita quæ promittitur in Euang. hominibus miſeris & deploratæ ſpei, idque ex miſericordia. Vita promittitur hominibus juſtis, ſi præcepta ejus perfecte cuſtodiant, idque ex Gratia.

13. אחריתו] *Extremum ejus* vel *poſteritas ejus*. Lxx. τὰ τέκνα. Jirm. 29. 1 Pet. 1. סופה Sic Num. 23. 10. *Moriatur anima mea morte juſtorum*, & *ſit* אחריתי. Th. סופי. Semel accipitur in oppoſito τοῦ *Reſhith*, Jirm. 50. 12. אחרית גוים *Gens contemptiſſima*. Contra *Principium gentium Amalec*. Num. 24. Am. 4. *Principio unguentorum*. *Reſhith* ſig. Princ. Ordinis, Temp. Num. & Dign.

להכרית] *Ad excindendum*, paſſive pro להכרת, *ut excindatur*, *extirpetur*, vel *excidio addicta*. *Ne mingentem ad parietem*. 1 Sam. 25. 22.

Longa poſteritas & conſervatio familiarum inter Dei benedictiones ponitur, atque ab hominibus vehementer expetitur. Senſu quodam immortalitatis. Contra ſubitos interitus familiarum extinctioque nominis inter Maledictiones Dei ponuntur. Pſ. 112. *Potens erit in terra ſemen ejus*. Theocr. εὐσεβέων παίδεσσι, τὰ λῷα, δυσσεβέων δὲ οὔ.

Nomen eorum] Kimhi אב ובן Ideo dicit שמם

Deleatur] ימח Hinc abbreviat. ימ״ש ימ״ש dupliciter à blaſphemis reſolvitur. ימ״ש, *deleatur nomen ejus* & ימ״ש *deleatur nomen ejus* וזכרו. Hac non ſolum utuntur cum de ſuæ gentis Carcinomatis & retrimentis loquuntur, ſed maximè in Chriſtianos ſtringunt. Illæ vero ישו horribilior eſt ob perſonam Salvatoris noſtri. Nomen enim ישו ſic interpretantur. Conſuetudo antiqua elidere & decurtare literas gutturales ה & ע. Hinc dixere ישו pro ישוע. Hinc Ἰησοῦς. At Judæi ſequioris ævi præfractè retinent appellationem illam decurtatam, non quod reſpiciant ad priſcam illam conſuetudinem, quam fere ignorant, ſed, ut ipſe Elias fatetur, ex contemptu, quia non volunt eum agnoſcere pro Salvatore. Tum ut virulentiam ſuam in hoc nomine ſic exerant & libidinem blaſphemandi expleant. Nec hic tantum ſubſiſtunt, ſed & ſic exponunt q. ש׳ שקר ותועבה

Aliud אלהי נכר valet 316. Totidem ישו Alibi inſultant Prophetæ iis qui incurvant ſe להבל וריק. ריק in numeris 316. Totidem ישו.

Quantò religioſius Irenæus, dum ait nomen *Jeſu* per *Sigla*, i. e. ſi reſolvantur literæ in voces ſignif. *DOMINUM Cœli & Terræ*. Atque ſcribi 2. liter. & media. Ergo *Jeſu* eſt antiquum. Et non abſtinere tenemur etſi Judæi abutantur.

In generatione altera] Lxx. ἐν γενεᾷ μιᾷ. Vulg. *Unâ*. Leg. אחד. Senſus idem. Ne memoretur, ne exiſtat in generatione altera, ergo pereat in hac, i. e. unâ. Kimchi, *In tertia*, Patri unam, Filio tribuit ſecundam. At in altera, id eſt tertia, non exiſtat. Ætas eſt vita hominis, tantum ævi, quantum homo vivit ordinariè, Kimhi, זמן חיי האדם. Et כי שיעור האדם בעולם הזה

Hinc Vulg. Interp. in Præc. 2. optime vertit על שלשים ועל רבעים *In tertiam & quartam generationem*. Patribus una, Filiis ſecunda ætas aſcribitur. Per tertiam generationem intelligit Nepotes, per quartam Pronepotes. Nam ut Junius notat, ab ipſis Patribus ducitur generationis ſeries. Sed in eo dormitavit, quod jungat Nepotes & Abnepotes. Ut enim inter tertios & quartos non eſt hiatus, ita nec in interpretamentis. At inter Nepotes & Abnepotes eſt Pronepos. Ergo Piſc. qui à filiis ducit generationis ſeriem, vertit in pronepotes & Abnepotes. Ut enim Nepotem ſequitur Pronepos, ita Pronepotem Abnepos.

Atavus,

Atavus, Abavus, Proavus, Avus, Pater, Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos, Adnepos.

14. *Memoretur*] Id eſt, puniatur. Oblivisci contrà. Reſpicit ad maledict. Legi annexam in Præc. 2. Synon. eſt *viſitetur*, ſc. in iis. *Ick ſal 't die gedencken.* Pſ. 137. *Recordare filiorum Edom.* Pſ. 79. *Ne recorderis iniquitatum noſtrarum.*

Non deleatur] בַּפֵּל וְחַטַּאת לְחוֹק

Piſc. *Hæc puniendi ratio intelligenda eſt de juſta deſertione ob peccata parentum, quæ ſimul proficiſcitur ex peccatis propriis.*

15. *Sint coram*] Idem, id eſt, memorentur, ſint in memoriâ.

16. Αἰτιολογία. Eo quod ne ſemel quidem recordatus eſt.

17, 18, 19. Jun. ſic exponit ac ſi duo priores eſſent tantum αἰτιολογικοὶ & poſterior ſubjiceret denuo imprecationem novam. Verſus poſt. eſt extra controverſ.

17. Eo quod *optavit ut maledictio obveniret ei neque oblectatus eſt benedictione, ſed ut procul eſſet ab eo.*

18. *Ut indueretur maledictione velut chlamyde ſua & ingrederetur* כַּמַּיִם *intra eum, & ſicut oleum in oſſa ejus.*

19. *Adſit illi, quaſi panno amiciat ſe & pro zona jugiter amiciat ſe eâ.*

Piſcator vult eſſe hic antith. quâ pœnæ peccatis per talionem opponuntur, ut ita juſtitia earum ſignificetur. Primus verſus ipſi eſt mixtus, ut duo ejus membra ſint αἰτιολογ. duo imprecatorii.

17. *Dilexit maledictionem, ideo eveniat ei. Non delectatus eſt benedictione. Ergo illa procul ſit ab eo.*

Alter totus αἰτιολογικός.

18. *Induit ſe maledictione, & illa ingreſſa fuit*, &c.

19. *Idcirco fiat illa ei ſicut.*

Alii ſic exponunt ut verſ. prior ſit mixtus, 2. totus imprecativus, *Induatur, ingrediatur.*

Pagninus cum Vulg. ita reddit, ut duo verſus ſint narrativi. Exponit enim per præterita, ut quaſi complementum narretur.

Angli cum Piſcatore ſunt, niſi quod verſ. 17. membris αἰτιολογικοῖς ſubjiciant part. *ab*, *ſicut*, & verſum 18. etiam faciant mixtum.

18. *Sicut induebat ſe maledictione* &c. *Ita ingrediatur interiora ejus ſicut aqua* &c.

Nos Piſcatorem ſequimur, præterquam in verſ. medio ubi ſequimur Anglos. Sic ergo:

17. *Dilexit Maledictionem, Ideò eveniat ei; non delectatus eſt benedictione. Illa ergo procul ſit ab eâ.*

18. *Induit ſe maledictione ſicut chlamyde ſuâ, ergo ingrediatur ſicut aqua intimum ejus & velut oleum &c.*

19. *Ergo fiat illa ei ut veſtis qua ſe tegat & pro zona quam jugiter accingat:*

Vel, *Sicut dilexit, ita eveniat.* 18. *Sicut induit ſe, ita ingrediatur.*

Maledictio] Alii intelligunt eam quæ ſubſequitur maledictionem, ut *rejectio gratiæ & Euangelii, omne denique vitiorum genus ſtudiumque aliis nocendi.* Contra per *benedictionem*, eam quæ ſubſequitur benedictionem, ut *amplexus Gratiæ & Euangelii ſtudiumque pietatis aliiſque benefaciendi.*

Alii per *Maledictionem omnia mala temporalia & æterna, ipſamque æternam damnationem & infelicitatem*, pèr *Benedictionem æternam felicitatem.* Atque hoc ſequor in verſ. 1.

Alii per *Maledictionem* intelligunt *diras & imprecationes*, quaſi dicat nihil ex ore prodiiſſe præter diras & imprecationes; quod ergo aliis imprecatus perpetuo eſt, id ipſi eveniat.

Potz Marter, Slapperment. Potz ſwonden. Præter blaſph. magna ſuperſtitio. Judæi אלקים אדרים יהוד. Sic Germani putant non profanari ſi pro *Gods* dicant *Pots.* In ſuis vocibus קללה & ברכה multum luſere Ebræi.

18. Qui totum hunc verſum exponunt imprecativè, ajunt maledictionem illam amplificari tribus comparationibus. 1. ſumpta eſt à veſte interiori, eſtque ea ſymbolum adhæſionis. 2. A potu eſtque ſymbolum jucunditatis. 3. ab Oleo, eſtque Oleum durationis ſymbolum. Sed ſi aquam ſumas ſimpl. eſt ſymbolum copiæ.

Sed nos ſic accipimus ut prius membrum ſit αἰτιολογικόν. *Induit ſe eâ ut chlamyde*, Maledict. *Volutavit ſe in omnis generis impuritatibus.*

מַד à מָדַד *menſurare, metiri.* Quod ſit commenſurata corpori, veſtis interior, aſtricta, quæ non ita deponitur ut ea quæ ornatus tantum ſunt; nimis familiarem ſibi reddidit hanc maledictionem.

Itaque ingrediatur ſicut aqua] Per aquam ſolent copiam ſignificare, Pſ. 79. *effud.* דם *ſicut aquam.* Apoc. 17. *Aqua multa, populi multi.* Georg. 2.

Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam.

Copioſe ergo ingrediatur intra eum.

Sed, quia *aqua* pro *potu* ponitur, ut *panis* pro *cibo*, potuſque convertitur in ſubſtantiam corporis, ſic ſumi poteſt ut imprecetur ipſis maledictionem adeo efficacem ut quaſi in naturam eorum abeat.

Oleum] Ejus natura eſt ut penetret in oſſa & medullas.

De עֲרָבִים Mollerus Pſ. 101. 1.

19. *Cingulum* & *pallium* ponuntur ut externa quædam Symbola maledictionis quæ in aliorum oculos incurrant. *Pallium* & *Cingulum* aſſumuntur cum in publicum proditur.

Cingulum tamen ita accipi poteſt ut hoc imprecetur, Maledictionem iis ita adhærere ut inſtar cinguli eos conſtringat & coarctet.

מִדּוֹ. Sing. מַד abſol. non reperitur niſi cum Vau Paragog. Lev. 6. *Induet ſacerdos* מִדּוֹ בַד *veſtem lineam.* Aben. כְּלְבוּשׁ. Kimhi לְבוּשׁוֹ NB. מִדּוֹ & מַ

מֵזַח] Et מֵזַח & מְזִיחַ *cingulum.* Meton. *robur, vires*, quia Zona lumbi accinguntur inque iis robur augetur. Unde locutio, *Accinge lumbos tuos.*

19. *Hoc opus eſt*] Paſſive. *Hoc ipſis fiet.* Melius, *opus*, id eſt, *merces operis.* Met. eff. Kimhi adducit locum Lev. 19. *Ne pernoctare ſinito* פְּעֻלַּת שָׂכִיר *apud te ad matutinum.*

שֹׂטְנַי] Id eſt, שֹׂטְנִים לִי. Lxx. ἐνδιαβαλλόντων. Vulg. *criminantium.* Si bene, Satan erit διάβολος proprie. Favet locus Ezræ 4. 6. ſcripſerunt שִׂטְנָה כָּתְבוּ *libellum criminationis, accuſationis.* Huc ſpectat Joh. Apocal. 12. 10. *Accuſator fratrum noſtrorum.*

Loquentium] Duplex λόγος, προφορικὸς & ἐνδιαθετός. Atque ſic comprehendit *machinationes* & *cogitationes.* Hinc *loqui in corde*, Kohel. 1. 2. Et breviter, Elliptice, *loqui.* Pro *cogit.* Exodi 2. 14. Matth. 9. bis Matth. 24. Pſ. 14. *Loqui in corde*, ἐν ἑαυτοῖς & πρὸς ἑαυτόν. Joſ. 7. 35.

יֱהוִֹה] ה in L. & Hag. & quidem in Pſalmis tantum. Verti debet DEUS. Belg. GODT. Malè in Belg. *Heere Heere.* Arias. Piſc. Angli, Tigur. Sindl. Diuſ. Matt. Buxtorf. Erpenius, Scalig. Cevall. Capellus, Dordraceni. Pagn. Merc. Alſted. Seult.

Fac mecum] Sub. חסד *Exerce erga me benignitatem.* Vel locutio, ut cum Lat. dicimus *Ille mecum facit*, i. e. ille eſt à meis partibus.

Quia bona eſt benignitas tua] Id eſt, magna. Sic Latine *bene doctus, bene potus.* Et טוֹב ſic reperitur Jon. 4. An הֲהֵיטֵב חָרָה לָךְ *an bene iraſceris, an ſerio an valde iraſceris*, q. eſſet Ironicum. Gen. 15. *Sepeliens in canitie bona.* 2 Chr. 30, *Qui habebant intelligentiam bonam.*

Sauciatum eſt cor meum in medio mei] Id eſt, intra me. Alias cor magis vergit ad ſiniſtram. Unde ſiniſtra quibuſdam gentibus honoratior fuit. Perſæ, quos honorare volebant, collocabant ad ſiniſtram tanquam cordi viciniores. Sic Xenoph. de Cyro. Nebriſſenſis ait eos qui ad ſiniſtram ibant interiores; qui ad dextram exteriores dictos. Hinc quidam explicant locum Pſ. 45. *Stat conjunx tua ad dextram tuam.*

Sed utra inter Romanos fuerit honoratior diſputant, pro Dextro eſt Lipſius Elect. 2. 2. & Cent. 3. Epiſt. 90. Pro Siniſtro Goropius & Bellarm. de Pontif. lib. 1. cap. 27. Paulus pingitur ad dextram Petri. Reſp. Dextram minus honoratam fuiſſe.

In Sacris dextra honoratior. Batſabe. Chriſtus. Maximus, Epiſc. Taurin. *Licet dignitatis gradus non ſit ubi divinitatis plenitudo eſt, tamen ideo ad dextram ſedet F. non quod præferatur Patri, ſed ne inferior eſſe credatur.*

23. Ampliſ. querelam ab imaginibus umbræ & locuſtæ.

Umbra inclinata eſt umbra ad occaſum vergens atque in tenebras evaneſcens. Sol in meridie capitibus noſtris imminens non adeo ſubitas facit umbrarum mutationes, verum Sole in occaſum vergente, ſingulis fere momentis mutantur. Et variant donec evaneſcant. Hinc dicit vitam ſuam quaſi ad noctem & occidentem vergere, fugacem eſſe, nec procul ab interitu eſſe. Etſi enim umbra creſcit majorque ſit circa occaſum Solis, ea tamen magnitudo propior eſt nocti, eſtque certum ſignum jamjam caſuri Solis. Ita vita humana cum ad ſummum pervenit ſubito collabitur, ut optime Philoſophi vitam hum. *Umbræ ſomnium* vocitaverint.

נֶהֱלָכְתִּי] *Abire cogor, ire factus ſum.* 1 Sam. 9. 7. *Panis abiit.* Hoſ. 13. *Ros abiens*, Pſ. 58. *Sicut limax colliq. & abiens.* Gen. 15. *Ecce ego abeo.* Job. 10. *Antequam abeam & non revertar.* Arab. הלך *perire.*

Ut locuſta] Alii, *ad maciem* referunt ex mœrore ortam. Alii *ad injurias* quibus expoſitum illud animalculum. Sæpe enim vi ventorum integra agmina abripiuntur, inque mare præcipitantur. Alii *ad inſtabilem condit.* Locuſtæ hinc inde ſaltant, nec certum locum habent. Ita mihi in hac perſecutione nuſquam tuta ſedes. Vitam vagam & motoriam ago. Ita Paulus 1 Cor. 4. ſe aliosque pios in hac vita ait eſſe ἀστατοῦντας.

כָּאַרְבֶּה] Aliq. γενικῶς, ut Ex. 10. Aliàs εἰδικῶς, Pſ. 105. Joel. 1. 4. Vide ad Pſ. 105. Dicitur à multitudine, ut in comparatione multitudinis adhibetur Jirm. 46. 23. כִּי רַבּוּ מֵאַרְבֶּה *multiplicabuntur*

 præ lo-

præ locuſtis Paranomaſia inimitabilis Latinis. Syn. eſt גּוֹב unde Nah. 17. גּוֹב גֹּבָי *locuſtæ locuſtarum*, locutio ut *Rex Regum.*

נִנְעַרְתִּי] R. D. K. *de loco in locum*, ſicut locuſta quæ non habet nidum aut locum tutum, ſed cogitur ſalire de ſepe ad ſepem.

24. *Genua*] Duplici ex cauſa, inopia, egeſtate, 2. faſtidio & morbo. In genubus ſeu muſculis & nervis circa genua conſiſtit robur corporis, vide Eſ. 35. 5. *Genua debilia confortate*, בִּרְכַּיִם כֹּשְׁלוֹת Ezech. 7. *Omnia genua ibunt in aquam*, q. colliqueſcent ut nullum robur habitura ſint. Hebr. 12. 12. *διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας, καὶ τὰ διαλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε. Genua ſoluta ſurrigite.*

Hom. Odyſſ. 10. *Illorum autem ſoluta ſunt genua.* Et, *Tum Ulyſſi ſoluta ſunt genua & earum cor.* Sic, Donec mihi dabitur *Ἐσποῖσιν μετέειν καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.* Virg. *Genua labant.*

כָּחַשׁ] Job. 16. כַּחֲשִׁי *macies.* בִּרְכָּה כָּחוּשׁ *emaciata eſt.*

מִשָּׁמֶן] שמן *Omnem pinguedinem* ſignificat. 1. *Pinguedinem corporis*, ut מִשָּׁמֶן *exhauſta pinguedine ut nulla amplius ſit.* Prov. 17. *Spiritus triſtis exiccat oſſa.* Vel ob pinguedinis ſc. defectum. 2. *Oleum, unguentum.* Unde alii, *ob defectum Olei.* Olei & unguenti uſus in lætis. In luctu abſtinebant. Matth. 6. *Propter oleum*, i. e. olei defectum. Sic Gen. 18. *Propter* 5. i. e. ob defectum quinque; ſed ibi eſt ב. Genebr.

Movere caput] Irridentium geſtus in ſacris. In Paſſ. Pſ. 22. Deut. 28.

Apud prof. Geſtus iraſcentium. Ulyſſes ab Albino pulſatus. *Ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη κακὰ βυσσοδομ.* Et Nept. cum videret Ulyſſ. feliciter navigantem,

Ὁ δὲ ἐχώσατο κήροθι μᾶλλον
Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν.

Et Virgilius; vid. Pſ. 22. 8.

GROTIUS.

HOc carmen poſſumus appellare *Ἀρὰς*, ſive, ut Virgilius, *Diras.* multum habet hoc de ſpiritu Legis. In Euangelio & Apoſtolis nihil tale. Quin & pro illo *ἀποδῴη αὐτῷ ὁ Κύριος*, [*reddat ipſi Dominus*] 2 Tim. 4. 14. ſummæ vetuſtatis & auctoritatis manuſcripti habent *ἀποδώσει*, [*reddet.*] Uſurpavit nihilominùs & has voces Eccleſia in depoſitionibus Epiſcoporum, ſenſu *ἀλληγορουμένῳ*, [*obtecto*,] & ut peccatoribus horrorem incuteret ipſis ſalutarem: vocavitque hunc *Pſalmum Iſcarioticum*, quòd in Achitophelem, ut credibile, ſcriptus eſſet, cui multa cum Juda Iſcariote communia, cui propterea verba quæ hîc poſita ſunt commate 8. aptarunt Apoſtoli Actor. 1. 10.

8. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*] פקד inter alia ſignificat *curare, inſpicere.* Indè פקדה, quod *ἐπισκοπὴν*, [*epiſcopatum*, id eſt, *inſpectionem*] tum hîc tum alibi verterunt Lxx. Ipſam vocem Græcam retinuit Latinus Interpres, ſicut vocem *ἐπισκόπου* Cicero, cùm ſe dicit *maritimæ oræ ἐπίσκοπον*, [*curatorem*] à Pompejo conſtitutum.

11. *Scrutetur fænerator omnem ſubſtantiam ejus*] Quærat undique bona in rem judicatam. Apparet legiſſe Græcos יבקש, cùm verterunt *ἐξερευνάτω*, [*inquirat.*] Nos hodie legimus ſcriptione valde vicinâ ינקש, id eſt, *teneat obſtrictum*, hypothecæ ſcilicet jure.

PRICÆUS.

5. COnfregit in die iræ ſuæ Reges] Sirachides 47. 6. de Elia, *Dejeciſti Reges ad perniciem, & confregiſti facile potentiam ipſorum.*

IDEM.

1. SEde à dextris meis] *A dextris meis* hoc loco, infrà com. 5. ſuprà 108. 6. & 15. 8. & alibi, ſignificat *prope me*: & puto falli eos qui aliter accipiunt.

5. *Confregit in die iræ ſuæ Reges*] Suprà 55. 8. *In ira populos confringes. In die iræ*, ut & Rom. 2. 5. & Apoc. 6. 17.

6. *Conquaſſabit capita*, &c.] Apulejus 6. *His editis, involat in eam*, &c. *capilloque diſciſſo, & capite conquaſſato, graviter affligit.*

7. *De torrente in via bibet*] Quavis aquâ fortuitâ. Qui multùm pugnaverunt ſolent ſiti laborare. Homerus,

Ἱδρῶ ἀπεψύχοντο, πίοντ' ἀκέοντό τε δίψαν.

PSALM. CX.

MUNSTERUS.

COnſtat nedum ex Euangelio verùm & ex antiquorum Rabbinorum ſcriptis hunc Pſalmum intelligendum de regno Chriſti, quod in *Zijon* cœpit, atque indè propagatum eſt uſque ad fines orbis, & ſtabit donec Chriſtum ſuperi & inferi univerſi adorent, *& hoſtes ejus veluti ſcabellum pedibus ejus fuerint ſubjecti.* Unde dicit R. יודן *Joden* in nomine R. חייא ſuper Pſalmum 17. אמר לעתיד לבא הקדוש ברוך הוא מושיב למלך המשיח לימינו שנאמר נאם יהוה לאדני, h. e. *Futurum eſt ut Deus ſanctus & benedictus collocet Regem Meſchiam ad dexteram ſuam, ſicut dictum eſt, Dixit Dominus Domino meo*, &c. Sic R. Jizhac Arama dixit ſuper Geneſim, לא מצינו אדם תנבא שיתנבא ילידתו קודם לידת אביו ואמו כי אם משיח צדקנו ולזה רמז מרחם משחר לך טל ילדותיך. והנה לומר קודם שיברא רחם יולדתך נתנבאה ילדותך ולזה רמז לפני שמש ינון שמו כי אפילו קודם בריאת השמש היה חזק וקיים שמו של משיחנו והיה יושב בימין האל הוא הוא שאמר שב לימיני: h. e. *Non invenimus hominem, etiam Prophetam, cujus Prophetata ſit nativitas ante nativitatem patris & matris ſuæ, niſi Meſchiam Juſtitiam noſtram: ideo præſignavit*, A vulva ex aurora tibi ros nativitatis tuæ, *h. e. Antequam crearetur vulva genitricis tuæ, prophetata fuit nativitas tua. Et huc pertinet illud*, Ante Solem propagatur nomen ejus, *quoniam antequam crearetur Sol, ſubſiſtens & firmum erat nomen Meſchiæ noſtri, fuitque ſedens ad dexteram Dei: & hoc eſt quod dicit*, SEDE AD DEXTERAM MEAM. Hactenus ille. Partus ergò naturæ humanæ in Chriſto eſt puriſſimus & planè Divinus. Sicut enim cœleſti vi vapor elicitur è terra, qui circa auroram denſatur in rorem, ità ſupercœleſti virtute corpus verè humanum Filius Dei aſſumpſit de puriſſima Virgine, ut in mundum prodiret Sol juſtitiæ. Quàm craſſum verò intellectum habeant moderni Jehudæi in his myſteriis, audi triumphatorem eorum, qui inter cæteras blaſphemias quoque ſic ſcribit, איך היה יושב אצל אביו קודם שנולד ועוד קודם שצוה לו לשב איך נתן איך שבב איך עמד. אם עמד איך היה עמד אם לפני אביו או לאחריו או לצדדיו. אפס כקרא זה אמר דוד על עצמו ופותר נאם השם אלי בשכיל אדני שאול הרודף אחרי שב לימיני עד אשית שאול אויבך הדום רגליך. לימיני ר"ל אני אעמד לימינך להושיע נפשך. Sed omiſſis his nugis genuinum hujus Pſalmi diſpiciamus ſenſum.

1. *Dixit Dominus Domino meo*] Dixit Pater cœleſtis Filio ſuo, *Sede ad dexteram meam*, h. e. Regna ſuper omnia. Et hæc Chriſti magnificentia primùm orbi eſt revelata cùm ipſe cœlos conſcendiſſet, Mar. 16. *Hoſtes ejus* ſunt qui ex Deo nati non ſunt: & hi *ſternentur pedibus ejus* quando deſtruxerit Mortem.

2. *Virgam fortitudinis tuæ*] Proficiſcetur, inquit, imperium illud Chriſti *ex Zijon*: dicetque Pater ad Filium, *Dominare in medio inimicorum tuorum*, h. e. Statue de illis pro arbitrio tuo, & poteſtatem exerce in eos.

3. *Populus tuus ſpontaneus*] Quippe qui non tantùm res ſuas verùm & corpora paratus fuit offerre & exponere pro Chriſto. Per *diem exercitus* intellige Eccleſiaſticam congregationem, quæ propter *magnificentias ſanctitatis*, id eſt, propter ſublimia dona Dei, fortior fuit omnibus poteſtatibus hujus mundi. ¶ *Ab utero auroræ eſt tibi ros*] Intellige Chriſti nativitatem conſecratam benedictione Divinâ ante mundi conſtitutionem.

4. *Juravit Dominus*] Senſus hujus loci eſt, Sicut in Salem, quæ poſtea dicta eſt *Jeruſalem*, regnavit *Malkizadec*, & ſimul fungebatur Sacerdotio, h. e. docebat populum, orabat pro eo, & ſacrificia obtulit; ſic Chriſtus regnare debuit & eſſe *Sacerdos in æternum*, ſemetipſum ſemel offerens pro peccatis totius mundi. Et capitur hîc דברתי pro נכוח *more*: & eſt Jod litera otioſè adjecta.

5. *Dominus ad dexteram tuam*] Significatur hoc verſu, Divinâ virtute & potentiâ hoſtes quoslibet Chriſti fundendos, quantumlibèt videantur eſſe potentes & magnâ præditi poteſtate.

7. *De torrente in via bibet*] Innuitur tantum effundendum ſanguinis in hoſtibus Chriſti ut hinc veluti ex torrente Chriſtus ipſe bibere poſſet. Significatur autem per *bibere hoſtilem ſanguinem* perfectam conſequi victoriam, juxta illud, *Sanguinem occiſorum bibet*, Num. 23. 24.

VATABLUS.

1. DIxit Jehova נאם יהוה] Vel נאם participium eſt paſſivum, vel nomen, *Dictum Jehovæ*, aut *ſermo Jehovæ*, ſub. *erit*: i. e. dicet Jehova. Prophetia enim eſt de futuro per præteritum tempus, more Prophetarum. Hâc dictione frequenter utuntur Prophetæ.

2. *Virgam fortitudinis tuæ* מטה עזך] i. e. Robur quo roboraberis; vel robur Regni tui, quod eſt fortitudo tua ¶ *Dominare* רדה] Imper. pro futuro, *dominaberis.*

3. *Spontaneus* נדבת] *Spontanearum*, ſub. *voluntatum erit.* Alii, *ſpontanei.* Alii, *ſponte*, ſub. *veniet.* ¶ *In die exercitus tui* ביום חילך] *Cum educes exercitum tuum.* Alii, *in die roboris tui*; i. e. tempore triumphi & Regni tui. ¶ *In ſplendoribus ſanctitatis*

ſtitatis בהדרי קדש] *In pulcritudinibus ſanctitatis:* i. e. in civitate illa clariſſima ac celeberrima, nempe Jeruſalem, ubi primùm illuxit Euangelii ſplendor. Alii, *in magnificentiis Sanctuarii.* ¶ *Tibi ros nativitatis tuæ* לך טל ילדתך] Sub. *erit. Rorem* pro *benedictione* & *plenitudine gratiæ* poſuit: q. d. O Chriſte, *ros nativitatis tuæ*, i. e. gratiæ illæ quæ tibi donabuntur à Patre dum carnem aſſumes, obvenient tibi jam indè *ab utero* & à principio nativitatis tuæ. Plenitudinem gratiarum in Chriſto laudat Propheta.

4. *Juravit Jehova*, &c. נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם] Hebraiſmum ſic quidam exponunt, *Immutabili voluntate ſuâ ſtatuit Jehova te fore Sacerdotem æternum.* Quidam vertunt, *Jurabit, nec mutabit ſententiam*, &c. Oſtenditur Chriſtus Mediator Dei & hominum, quòd ſit ſummus Sacerdos. ¶ *Secundùm morem* אל דברתי] Ad verb. *juxta verbum*; & י redundat: i. e. *ſecundùm rationem*, *ritum*, *morem*, *ordinem*. Hebræi exponunt, *eò quod ſis Rex juſtitiæ.*

6. *Judicabit in Gentibus* ידין בגוים] i. e. Judicium ac potentiam exercebit in Gentibus. Seipſum exponit mox ſequentibus, quid per *judicare* intelligat. ¶ *Caput*, &c. ראש אל ארץ רבה] Sing. pro plur. h. e. *percutiet capita*, ſive Principes qui præſunt regionibus amplis, & ſummos potentatus.

7. *De torrente* מנחל] Sub. *ſanguinis cæſorum*: q. d. Tantum ſanguinis fundetur ut etiam liceat victori bibere è torrente ſanguinis cæſorum in via, dum perſequetur hoſtes: & propter eam victoriam multùm attolletur Chriſtus, & evadet clariſſimus.

CASTALIO.

3. E*X utero auroræ habebis rorem tuæ juventutis*] Tot habebis diſcipulos, per quos hoſtes vincas, quàm denſus eſt ros matutinus. Vide Mich. 5. *Rorem juventutis* vocat innumerabilitatem juvenum: ſicut Num. 23. Balaamus *pulverem Jacobeorum* dicit pro *infinito numero. Uterum auroræ* vocat matutinum, quoniam ros manè cadit, & ab aurora paritur.

4. *Ad rationem Melchiſedeci*] Vide Heb. 5. & 6.

7. *Ex torrente bibat in via*] Ex redundante cæſorum ſanguine bibi poſſit. ¶ *Caput attollat*] Victor regnet.

CLARIUS.

CAnit de Regno Chriſti, quod in *Sion* cœpit, atque indè uſque ad fines orbis omnium terrarum pervenit; obtinebitque quoad Chriſtum ſuperi atque inferi adorent univerſi, *hoſteſque ejus ſcabellum poſiti fuerint pedibus ejus.* Conſtat enim non ſolùm ex Euangelio verùm & ex antiquorum Rabbinorum ſcriptis hunc Pſalmum de Chriſto intelligendum. Nam quidam Rabbi ſic dixit, *Futurum eſt ut Deus ſanctus & benedictus collocet Regem Meſſiam ad dexteram ſuam, ſicut dictum eſt*, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, &c. Item alius ſic dixit, *Non invenimus hominem, etiam Prophetam, cujus prophetata ſit nativitas ante nativitatem patris & matris ſuæ, niſi Meſſiam Juſtitiam noſtram: ideo præſignavit*, A vulva ex aurora tibi ros nativitatis tuæ, *h. e. Antequam crearetur vulva genitricis tuæ prophetata fuit nativitas tua. Et huc pertinet illud*, Ante Solem propagatur nomen ejus, *quoniam, antequam crearetur Sol, ſubſiſtens & firmum erat nomen Meſſiæ noſtri, fuitque ſedens ad dexteram Dei: & hoc eſt quod dicit, Sede ad dexteram meam.* Hactenus ille.

1. *Dixit Dominus Domino meo*] Dixit Pater cœleſtis Filio ſuo, *Sede ad dexteram meam*, h. e. Regna ſuper omnia. Et hæc Chriſti magnificentia primùm orbi eſt revelata cùm ipſe cœlos conſcendiſſet, Marci 16. *Hoſtes* ejus ſunt qui Deo nati non ſunt: & hi *ſternentur pedibus ejus*, quando deſtruxerit mortem. ¶ *Donec ponam*, &c.] Non excludit Regnum ejus poſt ſubactos hoſtes: nam tunc pleniſſimè regnabit; ſed tutum reddit quâ parte illi metuere quis potuiſſet, h. e. quo tempore nondum ſubacti eſſent hoſtes.

2. *Virgam virtutis*] Vel, *robur fortitudinis.* Proficiſcetur, inquit, imperium illud Chriſti *ex Sion*: dicetque Pater ad Filium, *Dominare in medio inimicorum tuorum*, h. e. Statue de illis pro arbitrio tuo, & poteſtatem exerce in eos. Qui putant omnia quæ ad Chriſtum attinent ſub typo fuiſſe ſignata, narrationem hujus Pſalmi referunt ad illud quod legimus 1 Paral. 15. David cùm vellet Arcam in Sion transferre, totum Iſraëlem collegiſſe; qui & maximâ alacritate affuit cum Principibus ſuis, & quicquid in Regno eximium erat: idcirco dictum, *Populus tuus ſpontaneus*, h. e. ſpontaneæ voluntatis, *in die exercitûs tui, in magnificentiis Sanctuarii* &c.

3. *Populus tuus*] *Populus tuus ſpontaneas* offeret & liberas oblationes tibi, quo tempore apparebit *virtus*, i. e. omnipotentia tua, & omnimodus ille *decor* qui te comitabitur. Ante *auroram* enim cecidit qui gratiſſimum te faciet omnibus, *ros nativitatis tuæ.* Quod ait, *ſpontaneas*, intellige, qui non tantùm res ſuas verùm & corpora paratus ſit offerre & exponere pro Chriſto. *Diem virtutis*, vel *exercitûs*, accipe Eccleſiaſticam congregationem. ¶ *In ſplendoribus ſanctorum*] Illud *ſanctorum* generis eſt neutri: quod alius vertit *in magnificentiis Sanctuarii*, h. e. propter ſublimia dona Dei. Et videtur alludere ad Sanctuarium & locum Arcæ, quod Sancta ſanctorum erat, & figura verorum in quæ Chriſtus introivit. Alius vertit, *Populus autem tuus in die triumphi tui vota offeret cum ſancta pompa.* Ubi notandum, quod Græca habent, ἀρχὴ, vertendum fuiſſe *principatus*, non *principium* ¶ *Ex utero auroræ*] Quidam Hebræus hunc ſenſum affert, *Ab utero*, h. e. aurorâ tuâ, tibi cecidit *ros nativitatis tuæ*, h. e. ſingularis Dei favor te proſequi cœpit. Hieronymus totum hunc verſum ſic vertit, *Populi tui ſpontanei in die fortitudinis tuæ, in montibus ſanctis: de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ.* Chaldæus ſic vertit, *Populus tuus domus Iſraël, qui incumbunt Legi, in die concertationis prælii tui, adjuvabis eos ſplendoribus ſanctæ miſericordiæ Dei: præſto erunt tibi tanquam deſcendens ros, ſedebunt confidenter nati tui.* Hæc ille. In Chriſto autem omnia conſummata habentur. Huic enim in die quo veriorem Arcam, i. e. corpus ſuum, cœlis intulit, ſtatim adeſſe cœperunt incredibili frequentiâ populi ſpontanei, qui etiam vitæ jacturam magno cum gaudio facerent. Ibi cœleſtem ſplendorem & magnificentiam per tam varias & admirandas dotes Spiritûs S. exhibuit: & ſicut ros manè terram obtegit & fœcundat, ità undique apparuerunt qui Spiritu ejus mundum fertilem pietatis & innocentiæ reddiderunt.

4. *Juravit Dominus*] Senſus eſt, Sicut in Jeruſalem regnavit *Melchiſedech*, & ſimul fungebatur Sacerdotio, h. e. docebat populum, orabat pro eo, & ſacrificia obtulit, ſic Chriſtus regnare debuit & *eſſe Sacerdos in æternum*, ſemetipſum ſemel offerens pro peccatis totius mundi. Et ſicut Melchiſedech protulit panem & vinum Abrahæ feſſo à prælio, & ſuis, quo eos refocillaret, ità Chriſtus verus Rex & Sacerdos dat carnem ſuam & ſanguinem fidelibus ſuis.

5. *Dominus à dexteris tuis*] Significatur hoc verſu, Divinâ virtute & potentiâ hoſtes quoslibet Chriſti fundendos, quantumlibèt videantur eſſe potentes & magnâ præditi poteſtate.

6. *Implebit cadaveribus*] Implebit locum prælii cadaveribus, *conquaſſabit* & cædet *capita* hoſtium *in terra multa*, h. e. ſuper terram ſpatioſam.

7. *De torrente*] Significat tantum effundendum ſanguinis in hoſtibus ut hinc velut ex torrente bibere poſſit hic Rex. Mos enim eſt hic Scripturæ cùm ſignificare vult perfectam victoriam, ut Num. 23 *Donec voraverit prædam, & ſanguinem occiſorum biberit.*

DRUSIUS.

2. רְדֵה בְּקֶרֶב אֹיְבֶיךָ. A. ἐπικράτει ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν σου. Sym. σὺ δὲ παίδευε ἔνδον τοὺς ἐχθρούς σου. V. ed. κατακυρίευσον. VI. ed. κατακυριεύσεις] Ἕνεκα, למען, aut בעבור.

3. בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ. Alius, ἐν δόξῃ ἁγίων. ¶ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ. A. ἀπὸ μήτρας ἐξορθριζομένου σοι δρόσος παιδιότητός σου. Sym. ὡς κατ᾽ ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου. V. ed. ἐκ μήτρας ἐπὶ ὄρθρου σοι δρόσος, ἡ νεότης σου.

AMAMA.

PSalmus προφητικὸς de Chriſto. 4. primis verſibus vaticin. de vocatione Chriſti ad Munus Sacerdotale & Regium 3. ult. de officii Reg. adminiſtratione.

1. לאדני] Uſus hoc nomine quia יהוה non conſtruitur cum affixis. Denotat tamen Deitatem Filii propter alleg. Chriſti Matth. 22. ut ſtultè quidam putent hunc locum corruptum à Judæis pro יהוה ponendo אדני.

Sede] Fruere eâdem mecum gloria, regna æquali potentia mecum.

Donec] Trem. *Ita negat aut affirmat præt. ut etiam ſæpe affirmet aut neget futurum.* Beza, *Affirmat ſæpe & negat etiam de futuro.* Geneb. *Sæpe etiam notat conſecutionem & perpet. ponituque, pro* ועד *etiam donec, & affirmat vel negat illud quod in dubitationem poſſet incidere.* Sic hoc loco, *Sede ad dextram meam*, etiam hoc tempore antequam hoſtes ſubjecti, quo dubitati poſſes de hoc honore, quod regno videtur oppoſitum & contrarium. Pſ. 122. *Oculi noſtri defixi ſunt in Domino, uſque dum miſereatur*, id eſt, etiam eo tempore quo nondum miſerebitur, tempore difficili. Sic *Ero vobiſcum ad conſummationem ſæculi*, etiam cum multa in

in contrarium vobis evenient. Sic Jeſ. 22. 2 Sam. 6. 23. Matth. 2. ita negat cognit. ut poſtea non dicat accidiſſe contrarium.

Scabellum] i. e. Plane tibi ſubjecere, extremæ ſervitutis eſt ita vilipendi ut loco ſcabelli habearis. Sic Rex Perſarum Valerianum perſecutorem tractavit, equum conſcenſurus. Sic Papa Alex. 3. Fred. 1. Barbaroſſam. *Scabellum pedum Dei* in Eſ. vocatur *Terra*, & Pſ. 99. *Arca*, vel ut alii, Propitiatorium, vel ut alii Templum.

2. *Scipionem roboris tui*] i. e. Prædic. Euangelii per quam Deus efficaciter regit electorum corda, illuminando ea ſalvificâ cognitione. Rom. 1. *Potentia Dei ad ſalutem.*

E Tzijon] E Jeruſalem ſita ſuper montem Sijon, Meton. ſubj. Jeſ. 2. *E Tzijon exibit doctrina & verbum Domini ex Jeruſalem.*

3. Jun. *Populi tui oblationes voluntariæ die copiarum tuarum in decoris locis ſanctitatis inde ab utero futuræ ſunt: tibi aderit ros juventutis tuæ accuratiſſime.*

Per dies copiarum intelligit Jun. *tempora Euangelii*, quibus exercitum Apoſtolorum in mundum emiſit.

Ab utero] Quum primum per Sp. S. ſemine incorrupto fuerint regenerati.

Ros] Innumera copia electorum ut ſtillans ros è cœlo.

Piſc. *Populus tuus erit populus ſpontaneitatum*, i. e. ſummè voluntarius, *in die exercitus tui in ornatibus ſanctis: velut ex utero auroræ tibi erit ros natorum tuorum.*

In ornatibus ſanctis] i. e. In ſancto propoſito te colendi & in ſanctitate vitæ. Dicit *ornatus* in plur. quia duo potiſſimum in Paſtore requiruntur ornamenta, *Orthodoxia* & *ſanctitas vitæ.* Chryſoſt. *non tantum inflectere* &c. Pro *veſte decente* הדר reperitur Ezech. 16. 14 *quia perfecta erat* בְּהֲדָרִי *quam poſueram ſuper eam.*

Velut ex utero] Sicut ros ex matutino aëre ſicut ex utero naſcitur in plurimas guttulas diſperſus, ita nati tui electi ſui naſcentur maximo numero ex prædicatione Euangelii.

Ros natorum tuorum] i. e. Nati tui ſicut Ros.

Ex utero auroræ] i. e. Aurora ſicut utero.

Lxx. & eos ſecutus Vulg. *Μετά σε ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σε ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σε· ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρε ἐγέννησά σε.* Sic Vulg. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum. Ex utero ante Luc. genui te.*

Principium] Principatus נְדִיבִים *Principes*, at נדיבה nunquam *principatum.*

4. *Juravit*] Juramentum Dei denotat *τὸ ἀμετάθετον τῆς βελῆς αὐτε.*

כֹּהֵן duo ſignif. *Sacerdotem*, *Principem*, forte quia ea olim juncta. 2 Sam. 8. *Filii Davidis erant cohanim.* Sic Potiphar. Sic Jethro. Sic Melchizedek Sic Ariſtob. Alex. Jannæus, Hircanus &c. Sic apud Ethn. Numa, Anius, de quo Virg.

Rex idem hominum Phœbique ſacerdos
Rex Anius.

Aben. Pſalm. 99. כֹּהֵן בְּכָל מִקְרָא מְיֻחָד. Male hoc Judæis opponit Genebr. Nam *Magiſtratus Politicus* etiam eſt *Miniſter Dei.* Rom. 13.

דִּבְרָתִי] עַל־דִּבְרָתִי cum על 1. *propter* Eccl. 3. 18. & 8. 2. *propter juramentum Dei.* 2. *ſecundum ritum, ordinem, conſuetudinem.* Ebr. 5. *κατὰ τάξιν* & Lxx. Ebr. 7. *κατὰ τὴν ὁμοιότητα.* Alias ſign. *eloquium.* ut Job. 5. 8. *ad Deum ponam* דִּבְרָתִי Ab. כבנהג

Melchiſedec] Hujus mentio bis eſt in V. T. hic & Gen. 14 Vocatur & *Melech Salem*, i. e. Interp. Ap. βασιλεὺς εἰρήνης. Variæ opin. I. Fuiſſe *Angelum creatum.* Originis & Dydimi. II. *Spiritum Sanctum*, cujus opinionis author ab Epiph. ponitur quidam *Hierax*, cujus aſſeclæ, *Melchiſedeciani* dicti ſunt. III. Fuiſſe ipſum *Filium Dei* qui aſſumpta forma humana Abrahæ apparuerit. IV. Eſt Hier. & multorum fuiſſe *Regulum Salem, hominem Cananæum.* Sic Iren. Euſebius, Cæſar. & Euſ. Emiſenus, Hippolytus &c. Euſtathii Apollinarii. V. Fuiſſe *Sem Filium Noë.* Hæc comm. Ebræorum eſt & multorum Chriſt. Brougth. Certe Abraham 35. annis ante Sem mortuus eſt; Vitam enim protraxit uſque ad 50. annum Eſau & Jacob. Obſtat quod in Ep. ad Ebr. ἀπάτωρ, &c. Reſp. ſic dici quod Scriptura non meminerit Patris ejus &c. ſc. ſub nomine Melchiſedech. Duas opin. primas rejicio; de cæteris dubito. Malo enim ignorare quis ſit, quam ibi tot docti diverſi abeunt Palæmon eſſe.

5. *Dominus*] Chriſtus. Eſt apoſtr. vel ad Patrem vel ad populum, vel ad Chriſtum. Si ad Patrem, tum *ſuba*, *Qui ſedet.* Si ad populum, tum *ſuba*, *Qui ſtat* &c. *Stare ad dextram alicujus* eſt *aſſiſtere alicui in auxilium*, Pſalm. 16. 8. *Quia* מִימִינִי *eſt non dimovebor.* Pſ. 109. 31. *Celebrabo Dominum jugiter, quod aſſiſtat ad dextram egentis.* Si ad Chriſtum, Dominus (Pater) ſtabit ad Dextram tuam, Meſſias divina Patris virtute erit inſtructus.

Caput] Satanam vel Tyrannum certum. Genebr. dicit Quoſdam putare indicari hic excidium Romani Imperii, aut Saracenorum vel Turcarum. Et hoc poſterius de Saracenis & Turcis dicit eſſe rectius, metuens ne, ſi de Romano Imperio admitteret, in Papam cuderetur Faba. Penes eum jam eſt Imperium Romanum. Solebant olim Papæ dicere, *Piiſſimus Dominus noſter Imperator.* Jam contra coguntur Imperatores obedientiam promittere Sanctiſſimo Domino ſuo Papæ. In Summa, Imperator habet titulum, Papa rem.

7. *De torrente*] Tanto ſtudio & fervore perſequetur hoſtes ut ne ſumpturus ſit ſibi tantum temporis quo cibo & potu ſe recreet, ſed ſitim extinguet ex torrente obvio, Veteres aliter, *Bibet de fluvio mortis humanæ & ærumnarum*, (Sic *Torrens* accip. Pſ. 124 5. *Torrentem pertranſivit anima mea*, *ideo attollet* &c. i. e. exaltabitur Heb. 2. *Propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatus eſt.* Phil. 2. Sic Arn. Aug. Euthy. Vigilius.

GROTIUS.

1. *Pſalmus David*] In Hebræo: לדוד ut ſuprà ſæpè. Et quibus id adſcriptum eſt eos pro Pſalmis à Davide factis, aut ab eo approbatis accipiunt Hebræi: quia ל particula ſæpè genitivum ſignificat, ut לרגליך Græci vertunt *τῶν ποδῶν σε* [*pedum ſuorum*,] quos hæc Latina interpretatio ſequitur. Sed Malachiæ 1. 2. ליעקב Græci vertunt *τε̃ Ἰακὼβ* [*Jacobi.*] & 1 Sam. 1. 3. pro ליהוה in Græco eſt *τοῦ Κυρίε* [*Domini*,] & multa alibi talia.

Dixit Dominus Domino meo] Variè interpretantur Judæi hunc Pſalmum, ut ejus ſenſum Chriſtianis eripiant, quà de re egimus ad Matth. 22. 42. & ſequentibus. Cæterum de Meſſia hunc interpretatur ad Danielem Rabbi Saadia Gaon.

Sede à dextris meis] Securus eſto fiduciâ mei auxilii.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum] Mos erat in Oriente, ut victores pedibus ſuis ſubjicerent: Joſue 10. 24. Intelligenda hæc in Meſſia de peccato, diabolo, imperiis multis, poſtremò de morte ipſa, ut diſcimus 1 Corinth. 15. 25, 26.

2. *Virgam virtutis tuæ*] Id eſt, *ſceptrum*, quomodo Græci vocem מטה tranſtulerunt 1 Sam. 14 43. Abac. 3. 8.

Dominare in medio inimicorum tuorum] *Dominare*, id eſt, dominaberis *intra fines hoſtiles.*

3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te*] Ἡ ἀρχὴ quod hic in Græco eſt, & *principatum* ſignificat & *principium.* Sumſit ergò hîc Interpres ſignificationem alteram pro altera, niſi *principium* dixerit pro *principatu*, ſicut *pontificium* dicitur. Præterea legerunt Græci עמך [*tecum*] cum Chiric ſub prima litera, quod nos cum Patach legimus. Illud חילך [*exercitûs tui*] interdum quidem *fortitudinem*, ſed ſæpius *exercitum* ſignificat. Senſus ex Hebræo ſic optimè exprimetur: *Populus tuus promtiſſimus erit in die prælii pulcherrimè præparatus. Ros* (id eſt, ſemen) *prolis tuæ* (id eſt, unde proles tibi naſcetur) *erit ut ros ab utero auroræ.* Non minùs erit fœcundum ſemen tuum quàm ros matutinus. קדש non *ſanctificare* tantùm, ſed & *præparare* ſignificat, ut Num. 11. 18. & ſpeciatim de præparatione ad bellum uſurpatur Jerem. 6. 4. ubi קדשו Græci vertunt *παρατάξασθε* [*ſtruite aciem.*] *Roris* nomine ſemen eleganti translatione appellant Hebræi: indè σεμνὴ [*ſancta*] illa κρύψις [*abſconſio*] Cant. 5. 3. Vide & Eſaiæ 26. 29. Iidem non minùs aptâ translatione *uterum* tribuunt auroræ, ut & rebus aliis Job 38. 8. 28. 29.

4. *Juravit Dominus*] Quod non facit niſi eorum causâ quos valde amat: Gen. 22. 16.

Et non pœnitebit eum] Non mutabit hoc decretum.

Tu es Sacerdos in æternum] Aut *miniſter*, ut antè diximus. Chaldæus: *Dominus futuri ſeculi.*

Secundùm ordinem Melchiſedech] Id eſt, *ad inſtar Melchiſedeci.* LXX. κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ [*ſecundum conſtitutionem de Melchiſedeco.*] quomodo & divinus ſcriptor ad Hebræos 5. 6. 10. 6. 20. 7. 11. 17. 21. Ex quibus apparet legiſſe hos Interpretes על דברת. Noſter textus Hebræus habet על־דברתי מלכי צדק [*Secundùm meam conſtitutionem, ô Rex mi juſte*] Vide Prov. 29. 14

5. *Dominus à dextris tuis*] Adjutor tibi eſt, & velut παραστάτης [*adſtes.*] Ità ſuprà 16. 8. & alibi.

Confregit in die iræ ſuæ Reges] Id eſt, *confringet*; ut fecit. Gen. 14. Exod. 14. Num. 21. Joſuæ 8. 10. 12. Jud. 3. 1 Sam. 15. 2 Sam. 8.

6. *Judicabit in nationibus*] Id eſt, *vindictam in gentes exercebit.*

cebit. Ità enim ſæpe ſumitur דין *judicare* pro *vindicare*] apud Hebræos.

Implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum] Quia in Græco eſt πτώματα, ideo *ruina* vertit, eùm Hebræus textus habeat גויות *cadavera*, quæ & ipſa Græcis πτώματα. *Implebit cadavera*, id eſt, ingentem eorum eumulum faciet. *Conquaſſabit*, in Hebræo מחץ, in Græco συνθλάσει. *Franget caput ſuper terram multam.* id eſt, Principem aliquem latè regnantem, qualis eximiè eſt diabolus, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμȣ τούτȣ [*Princeps mundi hujus.*]

7. *De torrente in via bibet*] Deſcriptio bellatoris alacris, qui dum hoſtes perſequitur, non quærit diverſoria aut cauponas ut vino ſe refoveat, ſed aquâ contentus eſt, quam obiter & raptim ſumit ex quovis quem reperit non fluvio tantùm, ſed & torrente. Sic Chriſtus nullum tempus omiſit quo opera diaboli deſtruere poſſet.

Propterea exaltabit caput] Id eſt:
Sublimi feriet ſidera vertice.
Idem loquendi genus eſt Judicum 6. 28.

PRICÆUS.

6. V*Irtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo*] Meliùs, *annunciavit*: & ità in Græco. *Virtutem o. ſ.* fortitudinem brachii ſui.

IDEM.

3. C*Onfeſſio & magnificentia opus ejus*] Ut ſuprà 95. 6. *Confeſſio & pulcritudo in conſpectu ejus. Opus* hic pars illi debita. Vide ad Pſalm. 108. 20. *Confeſſio & magnificentia*, pro *confeſſio magnificentiæ*, ἓν διὰ δυοῖν.

4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*] Id fortè eſt, memoranda (vel memorabilia) fecit mirabilia ſua. Vide infrà com. 6.

7. *Opera manuum ejus veritas & judicium*] Opera ejus (ut com. ſequente) ſacta in veritate & æquitate. Tobias 3. 2. *Omnia judicia tua* (Domine) *juſta ſunt, omnes viæ tuæ miſericordia & veritas & judicium.*

8. *Fidelia omnia mandata ejus*] i. e. (Ut infrà 144. 13.) *Fidelis eſt in omnibus verbis ſuis*: πιςὸς (ut 2 Tim. 2.) μένει, ȣ̓ δύναται ἑαυτὸν ἀρνεῖσθαι.

PSALM. CXI.

MUNSTERUS.

2. J*Uxta omnia deſideria eorum*] Kimhi putat hic חפץ *Hephez* accipi pro *Haphez*, h. e. ſubſtantivum pro adjectivo: ut ſit ſenſus, *Opera Domini perveſtigata ab hominibus: complacentiam habent homines in eis*, cognoſcentes miram ſapientiam & potentiam Dei. Sunt enim *opera & facta ejus glorioſa & magnifica*, & planè *memoria* quædam, quam Dominus *fecit*, ut perpetuò memores ejus eſſemus, qui *fœderis ſui* quod cum Abraham percuſſit *nunquam oblitus eſt*; ſiquidem *redemptionem miſit populo ſuo*, liberans eum ab Ægyptiaca ſervitute: quæ figura fuit liberationis Chriſti. Alii ergò hunc locum ſic vertunt, *Quæ inquiruntur ab omnibus qui delectantur ipſis.*

VATABLUS.

1. C*Onfitebor Jehova* אודה יהוה] *Celebrabo Jehovam. Evehham laudibus.*

2. *Explorata omnibus volentibus ea* דרושים לכל חפציהם] *Perveſtigabilia omnibus qui optant ea*: vel *delectantur ipſis.*

4. *Fecit ut memoriâ celebrentur mirabilia ſua* זכר עשה לנפלאותיו] *Memoriam fecit mirabilibus ſuis*: i. e. talia ſunt quæ fecit ut nunquam poſſint memoriâ excidere; vel, ut digna ſint perpetuâ memoriâ. Alii, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.*

5. *Eſcam* טרף] *Prædam*: eam ſcilicet quam ſecum abſtulerunt filii Iſraël cùm egrederentur Ægyptum. ¶ *Memor fuit* יזכר] Fut. Heb. pro præt.

6. *Fortitudinem operum ſuorum annunciavit* כח מעשיו הגיד] *Virtutem factorum ſuorum manifeſtavit*; vel *declaravit*: i. e. facinora ſummæ virtutis.

7. *Opera manuum ejus*, &c. מעשי ידיו אמת ומשפט] Hebraiſmus, Quicquid agit, id agit ut oſtendat ſe veracem in promiſſis, & juſtum, ut qui impiis Gentibus terram ſuam eripiat, & ſuis tradat. ¶ *Fidelia* נאמנים] *Certa.*

8. *Confirmata* סמוכים] *Stabilita*; *firma.*

CASTALIO.

10. S*Apientiæ caput*] h. e. Summa primaque ſapientia. Atque hoc Græcis quoque declarat ἀρχὴ, quo verbo interpretari ſolent ראשית: ut Iſocrates in Nicocle vocat τὰς ἀρχὰς τῶν τιμῶν, *ſummos honores.* Et Latini *prima* vocant quæ ſumma ſunt & excellentiſſima. Vide Job 28.

CLARIUS.

PSalmus hic gratiarum complectitur actiones, & celebrat majeſtatem Dei: idcirco adjectum habet *Alleluja.*

2. *Exquiſita*] Alius vertit *exquiſite facta*; & hunc afferunt ſenſum, *Magna opera Domini, in quibus, qui ea exploraverint, inveniunt quæcunque cupiunt: & perveſtigata faciunt ad omnia beneplacita illorum*, i. e. veſtigantium. Alius hunc ſenſum elicit, *Magna ſunt opera Domini; quod conſtat omnibus illis qui pio ſtudio ſcrutantur ea.*

4. *Memoriam fecit*] Effecit ut nunquam perire poſſit memoria operum ſuorum.

5. *Eſcam dedit timentibus ſe*] Intelligunt Hebræi, eùm eduxit eos Dominus ex Ægypto ditatos auro & argento. ¶ *Teſtamenti ſui*] Quod percuſſit eum Abraham & Patribus.

6. *Virtutem operum*] Quantâ fuerit opus potentiâ, priuſquam fieri potuerint quæ fecit, oſtendit re ipſâ populo ſuo, eùm daret illi poſſeſſiones aliarum nationum, pulſis indè illis quorum fuerant antea.

Fidelia omnia mandata ejus] Optimâ fide ſtatuit atque utiliter quæcunque ſtatuit, ut meritò ei eredi poſſit & obtemperandum ſit, *confirmata ſunt*, nec convelli poterunt ullo unquam *ſeculo*; decreta enim ſunt ab eo optimâ fide & ſumma cum æquitate: hoc enim eſt quod ait, *facta in veritate & æquitate.*

9. *Redemptionem*] *Liberationem attulit populo ſuo*, *decrevit perpetuò duraturum pactum* quod iniit cum ſuis is *cujus nomen ſanctiſſimum eſt & auguſtiſſimum.*

10. *Initium ſapientiæ*] *Initium* ſolidæ *ſapientiæ eſt timor quo reveremur Dominum*, & *prudentia ſalutaris manet illos qui ſeſe exercent in his*: *laudem* enim aſſequentur *perpetuo duraturam.* Illud tamen, *Laudatio ejus*, referri & ad *Deum* poteſt; eùm tamen ſingulare eſſe poſſit pro plurali, more Scripturæ.

DRUSIUS.

2. דְּרוּשִׁים. Alius, ἠκριβωμένα· alius παρεσκευασμένα.

3. הוֹד־וְהָדָר פָּעֳלוֹ. Alius, ἔπαινος καὶ ἀξίωμα ἡ ἐργασία αὐτȣ̃.

5. טֶרֶף. Sym. θήραν. ¶ יִזְכֹּר לְעוֹלָם בְּרִיתוֹ. Sym. μνημονεύων αἰώνιον συνθήκης αὐτȣ̃, *meminens æternùm fœderis ſui*] Interpres Theodoreti videtur legiſſe αἰωνίȣ· nam vertit, *recordans ſempiterni teſtamenti ſui.* In eodem טרף נתן ליראיו. Sym. *prædam dedit timentibus eum*: & paulò antè, ESCAM *alii Interpretes* Prædam *dixerunt.* Unde in Fragmentis noſtris, טרף. *A. & Th.* PRÆDAM.

AMAMA.

JUxta quoſdam hic primus eſt Hymni Paſchalis, Matth 26. quem vocant *Halcluja magnum*, ut ultimus ſit Pſ. 118. Alii incipiunt à Pſ. 113. Alii à Pſ. 118. ad 120.

Eſt ordine Alphab. conſcriptus. Singula hemiſtichia incipiunt à nova litera, duo poſtremi verſus trimembres ſunt, *Eſtque illud ad excellentiam argumenti*, inquit Kimchi.

בכל לבב] חֶבְלָא לְבָא כְּיָא

יְשָׁרִים] *Iſraëlitarum*, inquit K. ut Num. 24. *Moriatur anima mea morte rectorum.* Quia ſunt recti in operibus ſuis. Rectè, ſi *ſunt* exponas, debent eſſe.

2. דרושים] *Expoſita* Jun. Alii *quæſita.* Met. effecti deſtinati. Quærimus enim ut inveniamus. Sic & Piſc. *inventa*, K. נִמְצָאִים Jeſ. 65. 1. נִדְרַשְׁתִּי לְלֹא שָׁאָלוּ

Omnibus חֶפְצֵיהֶם] Eſt à ſing. חֵפֶץ f. זְקֵן וּזְקֵנִים. Alii à חֵפֶץ & reddunt *juxta omnes voluntates eorum.* Contortè.

5. טֶרֶף] Lxx. τροφὴν, *Rapina*, *præda.* Deinde *cibus raptus.* Amos 3. *Sicut Leo cui non eſt tereph.* Per Synecd. ſpeciei catachreſticam ponitur pro *quavis eſca*, *cibo*, Mal. 3. *Ut ſit Tereph in domo mea.* Targ. פרנוס, Lxx. βρῶσις. Prov. 31. *Dedit* טֶרֶף Th. מְזוֹנָא *domui ſuæ.* Sic Prov. 30. 8. הַטְרִיפֵנִי לֶחֶם חֻקִּי Hanc eſcam alii de *Manna*, Genebr. de *Euchariſtia*, refertque ad memoriam mirabilium, dicitque in Euchariſtia tria eſſe maxime mirabilia, 1. Corpus Chriſti ſub tantilla ſpecie. 2. Accid. ſine ſubſtantia vel ſubjecto. 3. Unum corpus in multis locis. Sed

Non adeo obtuſa geſtamus pectora Pœni:
Vel
Credula non adeo geſtamus pectora Pœni:
Hæc enim tum ridicula ſunt, ut Plautus &c. Melius forte, magis certi proprie, Kimchi intelligit, vaſa aurea & argentea, quæ cum Iſraëlitæ jam jam abituri commodatò petiiſſent, ſecum abſtulêre juſſu Numinis. Hæc certe quaſi præda fuit. Exponit enim מצרים כפין Ex. 3. *Non exitis vacui. Poſtulabit quiſque à vicino vaſa aurea, argentea, veſtes, & ſpoliabitis Ægyptios.*

6. הגיד] Kimchi *prædixit*, antequam fierent, ne putarent fortuita eſſe. Simpl. *notificavit*, *indicavit* הודיע

7. אמת] *Veritas*, erga pios.

Judicium] Erga impios.

פקודיו] *Mandata ejus ſunt conſtantia.* Mandata, i.e. promiſſiones. Metaph. κατάχρ. Dicuntur *mandata*, quia illis Deus quaſi *mandat* ut præſtent quod promiſerunt.

10. *Initium*] Baſis, Fundamentum, Caput. Deut. 13. *DOMINUM Deum tuum timebis, ipſi ſervies, ipſi adhæreſc.* K. *Timor Domini eſt obſervatio legis & mandatorum.* Alii, *præcipua ſapientia.* Am. 6. Eccl. 11. 3.

Fundamentum, שרש ועקר כל החכמה *Qui diſponit cor ſuum ad ſtudendum ſapientiæ, primo timorem Dei tanquam fundamentum ſubſternet*, :כל שיראת החטא קודמת לחכמתו חכמתו מתקיימת וכל שחכמתו קודמת יראת חטאו חכמתו לא מתקיימת Et alii, *Cujus ſapientia major eſt quam opera, ejus ſapientia non eſt ſtabilis* &c.

GROTIUS.

Hoc carmen alphabeticum eſt, ſed per breviſſimos verſiculos, quaſi dimetros dicas, & ſic diſtinguendus eſt.

PRICÆUS.

1. *In mandatis ejus volet nimis*] Explica ex Pſal. 1. 2.

3. *Gloria & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus manet in æternum*] Vivet glorioſus, habebit divitias: at illa fragilia & caduca ſunt præ juſtitia ejus, quæ manebit in æternum. Solon apud Plutarchum de Virtutis fundamento,

——— Τὸ μὲν ἔμπεδός ἐστι,
Χρήματα δ᾽ ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Saluſtius initio Catilinarii, *Divitiarum*, &c. *gloria fluxa atque fragilis, virtus clara æternaque habetur.*

4. *Exortum eſt in tenebris lumen juſtis*] Id eſt, Exortus eſt miſericors, &c. rectis tanquam lumen in tenebris. De qua loquendi forma vide ad Luc. 1. 79. dicta.

8. *Non commovebitur donec deſpiciat inimicos ſuos*] Ut ſuprà 91. 12. *deſpexit oculus meus inimicos meos.* Senſus eſt, ſperabit fortiter jugiterque fore ut inimicos videat ad nihilum redactos.

10. *Peccator videbit*] Nempe, cornu juſti in gloria exaltari, & indè efferabitur.

Ibid. *Deſiderium peccatorum peribit*] Sapient. 4. 19. *Erunt gementes, & memoria illorum peribit.* Suprà 1. 6. *Iter impiorum peribit.*

IDEM.

4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*] In medio adverſarum rerum adeſt juſtis auxilium.

Ibid. *Miſericors, & miſerator*] Deus nempe, epexegeſis præcedentium. Suprà 102. 8. *Miſericors, & miſerator Dominus.*

5. *Jucundus homo qui miſeretur & commodat*] *Jucundus*, gratus, acceptus, Deo nempe. Sic Pſal. 103. 34. *Jucundum tibi ſit eloquium meum. Miſeretur & commodat*, ut & ſuprà 36. 26. *Commodat* Græcis heic κιχρῶν. Heſychius, Κιχρήσει, δανείσει. Illud *qui* heic, ut & alibi, abundat.

Ibid. *Diſponet ſermones ſuos in judicio*] Cum judicio. *In verbis* (ut Sirach. 20. 13.) *ſeipſum amabilem faciet.*

Ibid. *Quia in æternum non commovebitur*] Abundat (ut ſæpe alibi) & heic vox *quia*.

9. *Juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*] Bonitatis & beneficentiæ ejus merces reponitur in æternum.

10. *Deſiderium peccatorum peribit*] Spes voluptateſque eorum evaneſcent. Job. 30. 15. *Abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum.* Apocal. 18. 14. Ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας σου παρῆλθεν.

PSALM. CXII.

MUNSTERUS.

4. *Ortum eſt in tenebris lumen*] Senſus eſt, Cùm adverſitas aliqua inciderit, juſti & recti homines non deſerentur à Domino ſicut impii.

5. *Moderabitur*] Kimhi exponit hîc כלכל pro *agere* במדה שוה *in menſura æqua*, agere omnia cum juſto delectu & judicio bene inſtructæ rationis.

VATABLUS.

4. *Oritur in tenebris lumen rectis* זרח בחשך אור לישרים] Hebraïſmum quidam ſic exponunt, *Deus ſolet rectos eripere dum maximè affliguntur.*

7. *Ab auditione mala* משמועה רעה] *Propter rumorem malum:* i. e. cùm audierit ingentia mala ingruere. ¶ *Paratum* נכון] *Firmum; confirmatum.* ¶ *Fidens* בטוח] *Subnixum;* i. e. nititur Jehovâ.

8. *Confirmatum* סמוך] *Stabilitum. Suſtentatum:* ut præcedenti Pſalmo, v. 8. ¶ *Donec videat* עד אשר יראה] Sub. *exſpectans, donec videat:* vel, *non deſinet illo fidere, donec videat.* Aut verte, *Tandem videbit*, &c.

9. *Diſpergit*, פזר] Præt. Heb. pro præſ. *Cornu ejus* קרנו] Robur & potentiam ſignificat.

CASTALIO.

1. *Beatus homo*] Hujus Pſalmi verſus & dimidii verſus in Hebræo incipiunt ordine literarum.

CLARIUS.

1. *In mandatis ejus volet nimis*] In mandatis ejus inveniet quibus oblectare ſe poterit mirifice.

4. *Exortum eſt in tenebris*] h. e. Cùm adverſitas aliqua ingruerit, juſti & *recti* homines non deſeruntur à Domino, qui *clemens* eſt videlicet *ac pius & juſtus.*

5. *Jucundus homo*] Χρηστὸς *benignus*, inquit, *qui miſericordiâ movetur* erga pauperes, *& mutuò dat:* dabit enim illi Dominus eam prudentiam ut *diſpenſare* ſciat reliqua quæ tractanda illi erunt *cum judicio.* Et videtur illud *ſermones*, vel *verba.* Hebraïſmus eſſe quo quælibet *res* intelligitur.

7. *Ab auditione mala*] *A rumore mali* alicujus appropinquantis *nihil metuet ſibi*, *conſtans* enim erit perpetuò *anima ejus*, &c.

8. *Donec aſpiciat*] Hebraïſmus eſt quem alibi aliquoties habuimus: unde & D. Hieronymus vertit, *donec aſpiciat in hoſtibus ſuis:* ut ſit ſenſus, *Tandem viſurus eſt in hoſtibus ſuis qualia quivis alius vellet in ſuis.* Etiam Græcus conſentit.

9. *Juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*] Per *juſtitiam* intelligit eleëmoſynam. Dixerat enim, *Diſperſit, dedit pauperibus.* Eſtque Hebraïſmus, qui etiam in Euangelio à Matthæo ſervatus eſt, cùm loquens de eleëmoſyna Dominus dixit, *Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*, &c. Et mox ſubdit, *Cùm ergò facis eleëmoſynam.*

DRUSIUS.

3. צדקתו. Alius, ἡ ἐλεημοσύνη αὐτοῦ· alius, ἡ φιλανθρωπία αὐτοῦ.

5. טוב־איש חונן ומלוה יכלכל דבריו במשפט. Sym. Ἀγαθὸς ἀνήρ, χαριστικὸς καὶ κιχρῶν, οἰκονομῶν τὰ πράγματα αὐτοῦ μετὰ κρίσεως, *Bonus vir, munificus & commodans, diſpenſans res ſuas cum judicio.*

7. משמועה רעה לא יירא. Alius, Ἀγγελίαν κακὴν οὐ φοβηθήσεται, *Nuncium malum non timebit.* ¶ נכון לבו בטח ביהוה. Sym. ἑδραία ἡ καρδία αὐτοῦ, ἀμέριμνος ἐν Κυρίῳ, *firmum cor ejus, curis expers in Domino*] Theodoretus, *Symmachus* paratum *rurſus explanavit* firmum.

AMAMA.

Et hic ordine alph. conſcriptus eodem modo quo ſuperior.

1. אשרי] Vide ad Pſalm. 1.

ירא את־] Si eſt verbum ſub. אשר. Si nomen eſt paulo inſolentior conſtructio. Eſſet enim ordinarie ירא יהוה. Nunc eſt conſtructio nominis cum ſuo verbo, ut Deut. 1. 27. *Odium Domini nos.* Jeſ. 13. 19. *Secundum ſubverſionem* ארת קרים Sic Pl. *Servitus homini. Non ſum oblocutor alteri.* Saluſt. *Facta æmulus.* ὑπεργησία τῷ Θεῷ. Cic. *Omni ſpe domum reditionis ſublata. Obtemperatio Legibus. Quid tibi: hanc aditio, tactio eſt.*

Delectatur] Exegeſis. Eſt enim unum & idem. Licet Kimhi illud ad Negat. hoc ad Aff. referat.

2. *Generationi juſtorum benedicetur.*] Ebr. *Generatio.* Alii diſtinguunt à תולדה vel *poſteritate.* Alii pro *poſteritate.* Qui diſtin-

diſtinguunt, explicant de *ætate, ſeculo. Ob juſtos ſæpe benefacit integris ætatibus.* Sic Geneb.

Optima interpr. *Generatio*, i. e. natio, genus hominum. Prov. 30. quater. *Eſt Generatio quæ maledicit patri, quæ munda in oculis, cujus verba ut gladii.* Sic in N. T. γενεὰ ἄπιςος καὶ Matt. 17. 17. διεςραμμένη. Act. 2. ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταυτῆς.

Potens erit] Ebræi ajunt in V. rebus juſtos mereri aliquid poſſe filiis ſuis. In robore, divitiis, pulch. Annis. Sap.

3. *Juſtitia ejus*] i. e. Bona opera ejus. Matth. 5. *Videte ne juſtitiam* &c. Pſalm. 105. de Phineas. Vel *beneficentia.* Alii *Juſtitia cauſæ ejus.* Jun. *Præmia juſtitiæ ejus*, i. e. vitæ juſtæ & ſanctæ. Sic in Apoc. *Opera eorum ſequuntur cum iis.* Sic *Peccatum* pro *pœna peccati.*

4. Jun. *Micat in tenebris lux juſtorum. Gratioſus eſt* ſc. timens, *clemens & juſtus. Lux*, i. e. felicitas; *in tenebris*, i. e. calamitatibus aliorum.

Alii, ut Piſc. *Oritur in tenebris lux juſtorum* חנון *à gratioſo, clemente, juſto*, ſc. Deo.

Alii, ut Angli, *Oritur in tenebris.* Cætera cum Junio. Ipſis in calamitatibus conſtitutis.

Alii, ut Tig. *Oritur in tenebris lux rectis*, homini *gratioſo, miſericordi, juſto.*

Alii, *Oritur juſtis in tenebris lumen*, per appoſitionem, *juſtus, miſericors, gratioſus.*

Alii ſub. כִּי *quia juſtus, clemens eſt*, ſc. Deus. vel *timens.* Mihi videntur tria illa Epith. non tribuenda homini. Ideo Piſc. mihi maxime placet. Sed eſt ibi ſuppl. part. מִן. Optime Kimchi quem hic ſequor.

Oriri facit juſtis lucem in tenebris miſericors, gratioſus & juſtus (Deus) צדק inquit eſt יוצא פ׳עַל. צְדָקָה eſt חשך. ... eſt אור. יִזְרַח Sic Matth. 5. 45. ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.

5. טוב איש] *Bonus eſt vir*, vel *bene fit viro*, pro אַשְׁרֵי ſic Kimchi. Sic Chald. pro טִיבָה אַשְׁרֵי.

8. *Donec videat* בְצָרָיו] Cum voluptate & deſiderio malum vel pœnas, ſupplicia. רָאָה cum ב eſt *videre aliquid cum voluptate*, ſive *bonum alicujus amici*, ſive *malum inimici. Donec* non infert excluſionem ſed conſecutionem. Negat timorem de eo etiam tempore de quo dubitari poſſet. Vide ad Pſalm. 110. Similia loca de ראה ב citat Kimchi, וְאוֹיְבַי רָאֲתָה עֵינִי.

9. פִּזַּר] Sub. קָמוֹנוֹ, *dat huic & illi indigenti.* Non dat eleëmoſynas ultra vires, ut ipſe poſtea egeat, illud non eſt פזור הצריך. Sed eleëmoſynæ ſunt כְּפִי כֹחוֹ יָכוֹל לְבַבֵּל. Dictitant Ebræi, המבזבז אל יבזבז יותר מחמש. Qui erogat, ne eroget ultra quintam partem. 2 Cor. 9. urget & Apoſt. vocem ſpargendi, adhibetque ſimilit. de ſparſione Seminis.

Cornu] Μεταληπτικῶς קַרְנוֹ תָּרוּם Pſalm. 75. Jirm. 48. *Cornu Moab confringetur. Cornua improborum ſuccidam.* Nam in cornibus potiſſimum conſiſtit robur cornutorum animalium.

Aliq. pro *dignitate, ornatu*; nec enim minima ornamenta ſunt. Sic hoc loco accipi etiam poteſt. Sic Job. 16. *quod cornu ſuum abjecerit in pulverem.*

ירשיע *inquietare* 1 Sam. 14. 47. Job. 34. 29.

10. יִמָּס *contabeſcet, liqueſcet*] Deſcribitur Invidia à geſtibus & proprio. Hoc enim habet peculiare Invidia ut Dominum ſuum exedat & conſumat. Pl. *Qui invident, egent, quibus invidetur, rem habent.* Unde Belg. *Beter benijd als beklaegd.* Commiſeratio enim ſupponit miſerum. Invidia felicem, unde Pind. ὁ φθόνος οἰκτιρμῶ ἐςιν ἀμείνων. Naz. ὁ φθόνος μόνος ἀδικώτατον ἅμα καὶ δικαιότατον ἐςι πάθος· τὸ μὲν ὅτι πᾶσι (moleſta eſt, turbat) διοχλεῖ τοῖς καλοῖς, τὸ δὲ ὅτι τήκει τοὺς ἔχοντας laborantes. Epigramma.

Ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιςον, ἔχει δὲ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.

Conſumit

Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Proverb. *Putredo oſſium invidia.*

Deſiderium] Vel quo ſibi ipſis deſiderant bona, vel quo aliis deſiderant mala. Utrumque peribit. Ipſi cadent ſpe ſua, nec videbunt optata aut ſperata in bonis.

GROTIUS.

Et hic Pſalmus talis eſt qualis qui præcedit, parique modo dirigendus.

PRICÆUS.

4 Super cœlos gloria ejus] *Super cœlos* hic puto eſſe, ἐν τῷ ὑπερουρανίῳ τόπῳ, ἐπὶ τῷ τοῦ οὐρανοῦ νώτῳ, ut Plato (& de Deo agens) in Phædone locutus. Vide ſuprà ad 10. 5. & 2. 6. notata.

5. *In altis habitat*] In Gr. ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν i. e. ut apud Apoſtolum, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον. Apulejus de eodem, *Nec ambigitur, eum præſtantem atque ſublimem ſedem tenere*, &c. *& in arduis arcibus* (ἐν ὑψηλοῖς) *habere ſolium conſecratum.*

Ibid. *In altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra*] Ibidem Apulejus noſter, *Rectum atque honeſtum eſt arbitrari ſummam illam poteſtatem ſacratam cœli penetralibus; & illis qui longiſſimè ſeparantur, & proximis, unà eâdemque ratione*, &c. *opem ſalutis afferre*: & paulò antè, *Quadam infatigabili providentiâ, & procul poſita cuncta contingit, & maximis intervallis disjuncta complectitur.*

IDEM.

4 Super cœlos gloria ejus] Ponit nubes (ut ſuprà 103. 3.) aſcenſum ſuum.

5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter?*] Suprà 76. 14. *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter?* Vide Job. 36. 22. Pſal. 34. 10. & quæ ad 85. 8. annotata.

Ibid. *In altis habitat, & humilia reſpicit*] Vide 57. 15. Eſaiæ, & Pſalm. 137. 6.

7. *De ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus*] Vide Daniel. 4. 14, & 32. Sirach. 11. 12, & 13. ſuprà ad 77. 70. item ad Luc. 1. 52. dicta.

PSALM. CXIII.

MUNSTERUS.

5. Sublimat ſe in habitatione] Senſus eſt, Licèt Deus ſupremum inhabitet locum & omnibus rebus ſupereminẹat, tamen nihil eſt tam humile & abjectum in mundo quod non videat & ſuâ providentiâ gubernet. Et nota quòd in his dictionibus מגביהי מקימי משפילי Jod ultimum eſt litera otiosè adjecta, nihil conſignificans.

7. *Erigit de pulvere egenum*] h. e. Deus pro arbitrio ſuo poteſt omnia mutare: nunc enim evehit ex ſordibus pauperes in altum gradum, & dejicit potentes; ſteriles reddit fœcundas, & fœcundas facit ſteriles.

VATABLUS.

3. Laudabile מהלל] *Laudatum*: i. e. clariſſima ac celeberrima eſt gloria Domini.

5. *Qui elevat*, &c. המגביהי לשבת] *Qui ſe attollit ad ſedendum*: i. e. in ſummo & ſublimi deligit ſibi ſedem, attollit ſe ſuprà cœlos.

9. *Qui conſtituit ſterilem in domo* מושיבי עקרת הבית] Hebraïſmus, pro, *efficit ut quæ priùs erat ſterilis, amplam habeat familiam*: efficit, inquam, eam *matrem filiorum* multorum, & propter eos *lætantem.*

CASTALIO.

5, 6. Qui alta incolens, *humilia videt: cœlos incolens, videt terras*] Sic ad verbum legitur, *Qui habitat altè, videt depreſſè, in cœlo & in terra*; ut *in cœlo* referatur ad verbum *habitat*, & *in terra* ad verbum *videt.* Hujuſmodi loquendi ratio eſt in Levit. 15. ad finem; itemque Deut. 32. ubi ſic ad verbum legitur, *Inebriabo tela mea ſanguine, & gladius meus comedet carnem, ſanguine cæſorum, captivorumque capitali ſupplicio hoſtis*: ut *ſanguine cæſorum* referatur ad *inebriabo tela*, & *capitali ſupplicio* ad *gladium.* Item Matth. 7. ſic legitur, *Nè date ſacrum canibus, neve objicite margaritas veſtros porcis, nè forte conculcent eos pedibus, & converſi lacerent vos.* Quæ oratio mutato ordine clara fiet, ſic, *Nè date ſacrum canibus, nè converſi lacerent vos; neve objicite margaritas porcis, nè eos conculcent*: aut repetitione, quâ utuntur Latini, ſic, *Nè date ſacrum canibus, neve porcis objicite margaritas: porcis, nè conculcent eos; canibus, nè lacerent vos.* Talem figuram invenies & Mich. 1. Tale eſt & illud de Virgilio,

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi,

Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Hujuſmodi repetitione in hoc Pſalmi loco perſpicuitatis causâ uſus ſum.

CLARIUS.

1. *Laudate, pueri*] *Laudate, ô ſervi, Dominum.* Nam ſervos fideles decet colere ſuum Dominum.

5. *Qui in altis habitat*] Licèt, inquit, Deus ſupremum inhabitet locum, & omnibus rebus ſuperemineat, tamen nihil eſt tam humile atque abjectum in mundo quod non videat & ſuâ providentiâ gubernet.

7. *Suſcitans à terra*] Deus pro arbitrio ſuo poteſt omnia mutare. Nam ſæpe evehit è ſordibus pauperes in ſublimem gradum, & dejicit potentes; ſteriles reddit fœcundas, & fœcundas facit ſteriles. *Ponit*, inquit, *ſterilem in domum*, i.e. in familiam, & *in matrem ob filios lætantem.* Hæc autem cogitatio id efficit ut omnibus in rebus, ſive eæ ſecundæ ſive adverſæ ſint, æquo animo ſimus, & neque ineptâ lætitiâ geſtiamus aut inſoleſcamus, neque deſperatione dejiciamur.

DRUSIUS.

1. עַבְדֵי. A. & Sym. δοῦλοι. Sic etiam Th.] Theodoretus, PUEROS *hoc in loco non Juvenes, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ſed Servos vocat. Sic enim & Aq. & Sym. & Th. explanaverunt.*

AMAMA.

1. עַבְדֵי παῖδες *pueri*] Sic οἱ ὁ & Vulg. Ita *ſervus* & *puer* confunduntur etiam in Ebræa lingua. Joſua vocatur נער, i.e. מְשָׁרֵת ſeu עבד Moſis. Gen. 14. Jeſ. 37. Act. 4. *Qui per os Davidis pueri tui dixiſti*, Exod. 33. duo παρ. *Miniſter ejus Joſua puer. Sic pueri Regis Aſſur.* Sic Act. 4. *Sanctus puer tuus Jeſus.* Id eſt ſervus tuus, ut Eſ. 53. Puerorum proprium erat *miniſtrare.* Inde ad quemvis miniſtrantem tranſlatum eſt. Sic dico נער in V.T. ſæpe *miniſter, ſervus.* Ideo non tantum נער hoc ſenſu acceptum per παῖς ſæpe expreſſere, ſed & עֶבֶד

2. מֵעַתָּה] *Nunc.* A עת nam τὸ νῦν ἀκριβῶς eſt *tempus.*

5. *Qui exaltat ſe ſedendo*] ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν id eſt, qui altiſſime habitat, qui habitat in excelſis locis. Jod Noſepheth eſt לְצַחוּת הַלָּשׁוֹן

6. *Qui humiliat ſe ad videndum*] Jun. *Qui demiſſiſſime perſpicit.* Vulg. *Qui humilia reſpicit.* Καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν. Demittit ſe, quamvis ita beatus, ita altus & excelſus ſit, tamen non dedignatur ſe demittere ad humilia, abjecta, extendit Providentiam ad abjectiſſima. Secus Ethnici.

Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.

Et

Scilicet is ſuperis labor eſt &c.

In Cælis] Angelos intelligunt, כִּי כֻלָּם שְׁפָלִים כְּנֶגְדּוֹ Alii illud *In Cælis* tranſmittunt ad præcedens לָשָׁבֶת

Alii exponunt per Antitheſin, *Qui exaltat ſe*, i.e. qui ſe recipit in cœlum; aliquando, *Qui humiliat ſe videndo*, i.e. qui deſcendit aliquando. Deus non ſemper punit. Expectat ſæpe & connivet donec impleta menſura iniquitatum. *Nondum completa eſt iniquitas.* Emorrhæi *Complete menſuram Patrum veſtrorum.* Tum Deus dicitur *ſe recipere in cælum*, ibique quaſi ſpeculari & relinquere homines ſibi. Cum autem Deum tœdet & completa iniquitas, tum punit, & viſitat, tunc dicitur *Deſcendere.* Gen. 11. *Deſcendamus.* Sic in excidio Sodom. Sic Eſ. 64. *O ſi cælum ſcindas & deſcendas.*

7. מְקִימִי] Hic locus deſumptus ex 1 Sam. 2. 8. Sed ibi מֵקִים

Ex pulvere] Ἀπὸ γῆς, i.e. abjecta conditione. Sic & 1 Reg. 16. 4. *Erexi te de pulvere. Pulvis* etiam ponitur pro *magno mærore*, quia *ſedebant lugentes in pulvere.* Job. 2. & 42. Matth. 17. *In ſacco & σποδῷ. Pulvere conſpergebant capita.* Thamar. Joſua 7. Nuncius Arcæ captæ. 1 Sam. 4. Sed prior interp. melior.

מֵאַשְׁפֹּת] Ἀπὸ κοπρίας, *E ſterquiliniis.* Jun. Male. Eſt enim ſingul. Kimchi לשון יחיד. Ipſe Jun. 1 Sam. 2. 8. vertit —— *nio.* Plurale ejus eſt. Thr. 4. אַשְׁפַּתּוֹת. Si eſſet plur. ſignificaret *pharetras.* אַשְׁפָּה *pharetra.* Pſ. 127. Job. Alii Thema אשף. Alii שפה ut אחוה Illud autem in Chald. eſt *calcare, conterere.*

8. *Ut ſedere faciat*] Jud. Doctores, Conſiliarii peculiariter dicuntur *ſedere.* Prov. 31. *Sedere* pro *tribunali. Doctores.* Matth. 23. Luc. 4. Luc. 5. Luc. 3. *Chriſtus* 12. *annorum ſedet*, in ſignum eminentioris authoritatis. Contra Apoſtoli plerumque leguntur *ſtetiſſe.* Act. 2. Act. 13. 16. ut olim omnis audiens verbum Dei, Jud. 3. 20. in ſignum reverentiæ & miniſterii. Num. 23. 22. *Surge Balak & audi.*

נְדִיבִים] ἄρχοντες, *Principes.* A liberatione & beneficentia quæ maxime decet Principes. Unde Luc. 22. εὐεργέται vocantur, i.e. *munifici.* Proculdubio voce Ebr. נְדִיבִים uſus eſt Salvator. Titus amor & deliciæ generis humani, *ſub veſperam* cum cœnaret aliquando cum veniſſet ei in mentem ſe eo die nulli quicquam præſtitiſſe, erupit in laudatiſſ. vocem, *Amici, diem perdidi.* Leo Imperat. Ut *Sol, quibus affulget, calorem impertitur, ita & Clementia ab Imp. iis tribuenda quos aſpexerit.*

9. Jun. *Faciens ut quæ ſterilis erat in familia*, ad verb. *ſterilis familiæ.* עקרת בית Alii *ſterilem domus*, ut ſit unum complexum domus pro ædificio. Poteſt עקרת eſſe conſtructum. Sed poteſt & eſſe abſolutum. Et ſic vult Kimchi ut non ſit סמוכה ſed עֲקֶרֶת dicimus Akara & Akereth, ut Manlaca - leret, Atara Atereth &c. 1 Sam. 13. 21. מְלָאכֶת in abſoluto ſtatu. Ergo oportet ut ſit Ellipſis ב. *Qui collocat ſterilem* [*in*] *domo*, i.e. in familia. *Domus* pro *familia.* Ergo non licet dicere, *ſterilem domus* vel *ſterilem in familia.* LXX. ὁ κατοικίζων στεῖραν ἐν οἴκῳ. Eſſet enim contradictio in adjecto. Hoc enim ſenſu accepta vox בית maxime includit *liberos*, & tantum *liberos* denotat. Unde *Facere* dicitur *Deus alicui Domum quem beat numeroſa ſobole.* Ex. 1. 21. De obſtetricibus. 2 Sam. 7. 1. *Faciet tibi Deus domum.* Pſ. 68. 7. *Collocans* (מושיב) *ſolitarios* (יְחִידִים) בַּיְתָה Ubi K. בית כלל בנים Hinc lux Actis Apoſt. de integris familiis baptizatis, unde non eximendi infantes. Senſus ergo 1. hemiſtichii, *Collocans ſterilem in familia* שֶׁיִּהְיוּ לָהּ בְּנֵי בַיִת

Secundum hemiſtichium *Collocans ſterilem* repete.

Filiorum] Cur non *filiarum.* Fieri poteſt ut ſub Maſc. compreh. fœmininum, ut Latinum *Liberi.* Volunt tamen dicere cum Banim quod ii eſſent deſideratiores. Apud Ethn. *Romulus edixerat ut omnes maſculi tollerentur, ex fœmellis tantum primogenitæ.* Lipſ. Epiſt. 85. Cent. 1. ad Belgas, *Barbarum hunc morem longè à ſe ſprevere Judæi*, unde ſic de illis Tacitus, *Augendæ multitudini conſulitur & necare quemquam ex gnatis nefas.* Soſia apud Plautum Amphitr. 2. 2. *Speravi ego eam tibi parituram filium. Sed non eſt gravida puero.* Reſp. Alcumena *Deos quæſo ut ſalva pariam filium.* In Truc. *Poſtquam filiolum peperit animos ſuſtulit.* Apud Judæos ita fuiſſe extra omne dubium. Gen. 35. Obſtetrix ſolatura Rachelem. *Eſto bono animo, & hic tibi eſt* בן. Unde in Ritualibus Ebræorum integra volumina referta ſolennitatibus quæ obſervantur in partu Maſculorum. De fœminino altum ſilentium. Adeo enim illa puerperia tranſiguntur ſine ſolennit. ac ſi non eſſet nata. Unde & illud eſt, cum Maſculus naſcitur, totam mundi machinam gaudere. Contra, ſi fœmina. Unde & per vulgatum illud Ben Syræ, *Chari ſunt cuivis homini mares, ſed væ patri fœmellarum.* Et, *Beatus qui filios mares habet.*

Cauſæ. I. quod magnum probrum erat exoleſcere. *Metus ergo erat ne exoleſceret.* Jeſ. 4.

II. Ne forte in paternis ædibus impregnaretur.

III. Si forte juventa honeſtè tranſmiſſa nuberet, ne repudiaretur, ne exoſa redderetur, ne dure tractaretur.

IV. Si forte ſterilis eſſet. Nam & ea inviſa erat. Unde vocatur *opprobrium.* Ut in Anna & Rachel. Has & ſi quæ aliæ ſunt attingit egregie Sirach. 42.

Filia patri occulta vigilia & ſollicitudo de ea abigit ſomnum.
In juventute ne exoleſcat & in matr. ne odio habeatur.
In virginitate ne polluatur & in paternis ædibus gravida fiat.
Viro juncta ne tranſgrediatur & in conjugio ne ſterilis ſit.
Filia inverecunda firmam adhibe cuſtodiam,
Ne quando faciat ut hoſtibus ludibrio ſis.
Fabula in civitate & famoſus in populo.

GROTIUS.

4. *Super cœlos gloria ejus*] Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in ſupercæleſtibus*,] ut interdum Paulus loquitur.

7. *Suſcitans à terra inopem*] Hæc ſumta ſunt ex Annæ cantico, ad cujus hiſtoriam pertinet & is qui hunc Pſalmum claudit verſus.

PRICÆUS.

1. *In exitu*, &c. *domûs Jacob de populo barbaro*, Cujus linguam non intellexere. Ovidius,

Barbarus heic ego ſum, quia non intelligor ulli.

2. *Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus, & Iſraël poteſtas ejus*] Locus ſedeſque ſanctificationis & potentiæ ejus.

3. *Mare vidit, & fugit*] Sub. ex membro ſequente, *retrorſum.* Vult dicere, ut 97. 7. *commotum eſt.*

4. *Montes exſultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium*] *Exſultaverunt*, lætitiâ nempe. Vide ſuprà 97. 8. Virgilius,

Ipſi lætitiâ voces ad ſidera jactant
Intonſi montes, ipſæ jam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta ——

7. *A facie Domini mota eſt terra*] i. e. *A conſpectu Domini*, ut 97. 9. non diſſimili argumento.

8. *Convertit*, &c. *rupem in fontes aquarum*] Suprà 106. 35. LXX. ἀκρότομον εἰς πηγὰς ὑδάτων. Legimus in Heſychio, Ἀκροτόμῳ, ὀξυτάτῳ λίθῳ, ἢ ὑψηλῷ καὶ σκληρῷ τέμνοντι· ubi pro τέμνοντι videtur vel τόπῳ, vel κρημνῷ, ſcribendum. Utrævis autem lectioni illi vox *rupes* non incommoda erit.

10. *Super miſericordia & veritate tua*] Secutus eſt (ut ferè ubique) verſionem LXX. Interpretum. Chryſoſtomus (ex quibuſdam codd.) *propter miſericordiam*, &c. ità ſuperioribus iſta connectenda videbuntur. Commodiùs, *recordare miſericordiæ*, &c. exponas, ut 96. 3. *Recordatus eſt miſericordiæ & veritatis ſuæ*: quin & meliùs ità congruet ſubſequentibus, *nè quando dicant Gentes, Ubi eſt Deus eorum*?

11. *Omnia quæcunque voluit, fecit*] *In cælo* (nempe,) *in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*, infrà 134. 6. De Eodem Jobus 23. 13. *Anima ejus quodcunque voluit, fecit*. Deus ipſe Eſaiæ 55. 11. *Verbum quod egreditur de ore meo*, &c. *faciet quæcunque volui*: & ibidem 46. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis mea voluntas fiet*. Ovidius,

—— Finemque potentia cæli
Non habet, & quicquid Superi voluere peractum eſt.

12. *Simulacra Gentium*, &c. *opera manuum hominum*] Χαράγματα τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπων, Act. 17. 29. ubi dicta vide.

Terricolæ, Lamiæ, Fauni quas Pompiliique
Inſtituere Numæ ——
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Vide ſupra 95. 5. 4 Reg. 19. 18.

15. *Pedes habent, & non ambulabunt*] Nec mirum, dignabantur enim pedibus humanis incedere, ut (cavillans de ejuſmodi Numinibus, & ſuis) Apulejus dixit. Vide Baruch. 6. 25.

Ibid. *Non clamabunt in gutture ſuo*] In Græco, οὐ φωνήσουσιν ἐν τῷ λάρυγγι αὐτῶν· in gutture enim ſermo formatur: indè apud Suidam illa, τμηθείσης τῆς φάρυγγος οὐχ οἷόν τε φωνὴν προΐεσθαι· & Apuleji, *Cum ille impetu teli præſecatâ gulâ, vocem, imò incertum ſtridorem*, &c. *effunderet*.

16. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in iis*] Scriptor Sapientiæ 15. 6. eodem argumento iſto, *Malorum amatores digni ſunt qui ſpem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt*. *Similes illis fiant*, exponam, inhabiles fiant (exemplo figmentorum illorum) ad auxilium ſibi ipſis porrigendum: opprobrio & confuſione velut malleo contundantur. *Confundantur qui colunt ea*, jam citato Baruchi loco.

17. *Adjutor eorum & protector eſt*] Sub. ex 9. 10. *in opportunitatibus*. Vide & 39. 40. ubi & vox *protector*.

19. *Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino; adjutor eorum*, &c. *eſt*] Qui timent Dominum, ſperent in eo; adjutor enim eorum, &c. Suprà 9. 11. *Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te*.

22. *Puſillis cum majoribus*] Ut ſuprà 103. 26. *Animalia puſilla cum magnis*.

26, 27. *Non mortui te laudabunt, Domine*, &c. *ſed nos qui vivimus*] Ezechias Eſaiæ 38. ex hoc Pſalmi loco, *Non mors laudabit te*, &c. *vivens confitebitur tibi*.

PSALM. CXIV.

MUNSTERUS.

1. D*E populo barbaro*] Vocant Hebræi omnem linguam quæ non eſt Hebraïca לועז, ſicut Germani omnes extraneas linguas vocant *Welſch*. Significatur autem hìc per *populum barbarum* populus Ægyptius.

2. *In ſanctificationem*] h. e. Delegit ſibi Deus populum Iſraëliticum in populum electum & peculiarem, in quem ipſe ſolus poteſtatem & dominium haberet.

4. *Montes exſilierunt ut arietes*] Hoc dicitur quòd terra & montes, præſertim mons Sinai, tremuerunt quando Deus de cœlis deſcendit ſuper ipſum Legem daturus.

VATABLUS.

1. B*Arbaro* לועז] Vox Hebræa eos ſignificat qui linguâ aliâ quàm Hebræâ loquuntur.

2. *Sanctificatio ejus* לקדשו] *In ſanctitatem ejus*. Hebraïſmus; i. e. conſecravit ſibi populum Juda, h. e. Iſraëlem: pars pro toto, Exod. 19. 6. *Vos eſtis mihi gens ſancta*. q. d. Dum populum Iſraëliticum eduxit è captivitate, oſtendit ſe illum in primis delegiſſe. ¶ *Dominium ejus* ממשלותיו] Ad verb. *dominia ejus*: i. e. tunc cœpit Deus agere Principem populi Iſraëlitici.

4. *Sicut agni ovium* כבני צאן] Ad verb. *ſicut filii pecudum*, vel *ovium*.

6. *Subſiliſtis* תרקדו] Fut. Heb. pro præt. Et plurali utitur, quòd non ſolùm mons Sinai, ſed & vicini montes agitati ſint ob præſentiam Dei.

7. *Contremiſcit* חולי] *Contremiſce*. Alii, *contremiſcere meum*, ſub. *eſt*: ut ſit infinitivus, & י ſit affixum, & reſponſio terræ ad præcedentis verſûs interrogationem: q. d. *Meum eſt expaveſcere*. Aut infinitivus pro præſenti, *paveſcat*.

CASTALIO.

2. J*Udæi Iſraëlitæ Deo fuere ſanctitati atque poteſtati*] In eis ſanctitatem poteſtatemque ſuam oſtendit.

7. *Ad Domini præſentiam contremiſce tellus*] Contremiſcendum eſt.

CLARIUS.

1. D*E populo barbaro*] Vocant Hebræi omnem linguam quæ non ſit Hebraïca *barbaram*.

2. *Facta eſt Judæa*] Vel *Juda*. *Fuit*, inquit, *Juda* particeps *ſanctimoniæ* Dei, & totus *Iſraël* præ cæteris nationibus *ditioni ejus ſubjiciebatur*.

4. *Montes exſultaverunt*] Hoc dicitur quòd terra & montes, præſertim mons Sion, tremuerunt quando Deus è cœlis deſcendit ſuper ipſum ut Legem daret.

DRUSIUS.

7. חולי. A. ὠδινήσατο, *parturiit*.
8. ההפכי. Sym. τοῦ μεταβάλλοντος, *qui mutat*, ſive *vertit*.

AMAMA.

1. לועז] Adj. *barbarus*, *loquens aliâ linguâ quam Sanctâ*. Sic Kimhi. Jun. *Peregrini ſermonis*. Chald. בַּרְבְּרִי *Barbarus*, à בר *extrà, foràs*. Sic LXX. & Vulg. ἐκ λαοῦ βαρβ. Deut. 28. *Populus durus facie cujus non audies* (intelliges) *linguam*. Sic Latini, Græci *Barbaros* vocarunt omnes non loquentes Græcè, Latinè. Et in genere vocatur *barbarus* qui *peregrinâ* & *ignotâ linguâ* apud aliquem utitur, Ovidii illud notum,

Barbarus hic ego ſum.

Ridiculi qui *barbarus* à *barba* deducunt.

לעז omnis lingua quæ non Ebræa, lingua vulgaris & vernacula. Reſtringitur paſſim in Rabb. ad certam linguam, eam vid, cujus ipſi Rabbini ſunt. Cum R. Sal. dicit בלעז eſt Gall. Cum Aben-Ezra eſt Hiſp. Sic & cum Kimchi. Cum Elias eſt Germanica.

Affine ei eſt לעג & res affinis. Solent enim peregrinâ linguâ utentes ab aliis ſubſannari. Eſ. 33. 19. נִלְעַג לָשׁוֹן *ridiculus, ſubſannabilis lingua*, id eſt, *peregrina lingua utens*. Sic Jun. Eſ. 28. 11. בְּלַעֲגֵי שָׂפָה *allocutus eſt populum iſtum Dominus*, Jun. *Peregrina lingua*.

2. *Ceſſit Juda in ſanctuarium, Iſraël in dominationes ejus*. *Juda*] Proſper, quaſi portantes & ſequentes Jus Dei Judæi dicti ſunt. Ut Iſraël, late, ſtricte ob ſciſſionem: Ita Juda, poſt captivitatem. Et pro poſteris & pro terrà ſumpta. Hinc Ἰούδα & Ἰουδαία in N. T. latè, ſtricte. Strictè opponitur Galilææ, & comprehendit Judam & Benjamin. Luc. 2. 4. *Aſcendit Joſeph ex Galilæa ex Nazareth in Judæam in civitatem David*: Luc. 3. 1. *præſidente Pontio Pilato Judææ, & Tetrarcha Galilææ Herode*. Sed Luc. 1. 5. ubi Herodes M. vocatur *Rex Judææ*, late ſumitur. Sic paſſim in Machab. Non ſine numine factum putant ut circa illa tempora queis complenda Prophetia Gen. 49. Judæi nomen fuerit dilatatum. Unde hoc promitti putant peculiariter Judæ quod ex eo naſciturus Meſſias. Illud verò generale omnibus, quod ſceptrum non receſſurum eſſet ab ea vid. late ſumpta. Regnum enim Judæ duravit tantum 475. annos à Davide ad Zedekiam.

Matth. 2. Βηθλεὲμ Ἰούδα, alii CC. Ἰουδαίας. Mich. 5. Juda. Nihil intereſt. Nam & *Juda* pro *Judæa*. Propriè tamen *Juda* viri, Judæa terræ nomen eſt.

Ad voces *Juda* & *Iſraël* ſub. בת filia vel שבט quod Ez. 21. 10. fœm. eſt. *Filia Sion, Filia Populi mei*. Jeſ. 22. *Nolite me conſolari ſuper deſolatione filiæ populi mei*. Thr. 1. 15. *Filia Judæ*. 2 Reg. 12. *Filia Tzion & Jeruſalem*.

3. *Jarden divertit retrorſum*] ירדן Ἰορδάνης, ου. Latinè, *Jordanis*

danis. Syr. *Jurdenan*. A *Jarad* & *Dan*, quod deſcendat ex *Dan*; vel à *Jor* & *Dan* duobus fontibus qui in unum rivum fœderati nomen *Jordani* dedere. Suidas. Ἰορδάνης πόταμος. ἐκλήθη δὲ οὕτως διὰ τὸ συμμιγνύσθαι δύο ἅμα ποτάμους Ἰορ καὶ Δανην. Hier. *Dan unus è fontibus Jordanis* Nam alter *Jior* vocatur. Sic *Tamiſis* ex *Tama* & *Iſis* confluentibus juxta Doreeſtriam. Sic in Galliam *Dordan* ex *Dor* & *Dan*.

4. בְּנֵי צאן] Vel περίφρασις eſt, vel intelligit *pullos* & *juvenculos*. Unde Jun. *Subruma pecudes*, *Rumis mamma* Varroni. Sic Latini, *infantes ſububeres*.

צאן Generale ad minora paſcualia, בקר ad majora. *Latini* dicunt *armenta & greges*. Comprehendit oves & capras. Sed ſæpe ſtricte de una ſp. Ovium, 1 Sam. 25. 2. *Caprarum*. Gen. 31. 12. Pro utrâque paſſim Levit. 1. 2. Confer cum verſ. 10. ubi ſeorſim nominantur, ſi de *Tzon*, aut de *Kebashim* aut de *Iſſim*.

חַלָּמִישׁ] *Duritiea* Piſcator. Deut. 32. 13. צ״ח Deut. 8 15. צ״ח At Eſ. 50. 7. *ſilex*. Gen. 11. 28. Num. 3. 4. *Vivente adhuc*.

מלפני & לפני. Ut diſt.

עַל־פְּנֵי] Hiſc. *loco meo*. Eleazar; *filii exoſæ*. Deut. 21. 16. Alii, *me vivente*, *exiſtente*. Pſalm. 102. *Semen eorum firm.* לפניך. Pſ. 72. *Timentes te cum Sole & coram Luna*. Ibid. *Nomen ejus in aeternum & coram Sole propag.*

GROTIUS.

7. *A Facie Domini mota eſt terra*] Reſponſio ad quæſtionem quæ præceſſit.

PRICÆUS.

2. *ET in diebus meis invocabo*] Diebus vitæ meæ. Suprà 103. 33. non diſſimili locutione, *Cantabo Domino in vita mea*.

3. *Circumdederunt me dolores mortis*, *& pericula inferni invenerunt me*] Vide ſuprà 17. 5. & 51. 4. Sirachidem.

7. *Convertere*, *anima mea*, *ad requiem*, *quia Dominus benefecit tibi*] In pace (ut 4. 9.) dormito, & requieſce, quia Dominus ſingulariter in ſpe conſtituit te.

8. *Eripuit*, &c *oculos meos à lacrymis*] Hypallage: vult dicere, *abſterſit* (ut Apocal. 7. 17.) *lacrymas ab oculis meis*.

Ibid. *Et pedes meos à lapſu*,] Pedes à lapſu eripere, hic, eſt quod 120. 3. eos in commotionem non dare.

9. *Placebo Domino in regione viventium*] *Non moriar*, (ut 117. 17) *ſed vivam*, *& cantabo opera Domini*: vel *placebo*, fideliter & aſſiduè inſerviam ei.

PSALM. CXV.

MUNSTERUS.

16. *COEli Domini ſunt*] Senſus eſt, In cœlis Dominus manſionem habet, & illic collocavit ſedem ſuam: *filiis autem hominum dedit terram hanc*, in qua ipſum agnoſcerent & glorificarent: Et ſi pii quique hinc rapiantur, & ſoli impii remaneant in terra, quis in terris laudabit nomen Domini? Per *locum ſilentii* intellige ſepulcrum.

VATABLUS.

1. *NOn nobis* לא לנו] q. d. Eripe nos à tyrannide Gentium, non ut indè evadamus clariores, ſed ut nomen tuum illuſtrius reddatur: eripe, inquam, ut appareas verax in promiſſa miſericordia.

3. *Certè Deus noſter* ואלהינו] Ad verb. *Et Deus noſter*. ¶ *Voluit fecit* חפץ עשה] Præt. Heb. pro præſ.

5. *Loquuntur* ידברו] Futura Heb. etiam ſeq. duobus verſibus, pro præſ.

7. *Reſonant* ידבו] *Loquuntur*, *immurmurant*.

9. *Auxilium eorum* עזרם] Nempe ſperantium in eo: nam relativa ſæpe ſine ſubſtantivis ponuntur, quæ ex præcedentibus ſuppleri debent. Vel eſt perſonæ mutatio, pro, *Eſt enim auxiliator noſter & propugnator*.

14. *Adjiciet* יסף] *Addet*: i. e. majora quàm antea conferet vobis beneficia.

17. In *ſilentium* דומה] Non legitur præpoſitio Hebraïcè. *Silentium*, i. e. ſepulcrum, quod ibi perpetuum ſit ſilentium. Vide Eſa. 38. 18. *Deſcendentes in ſilentium* vocat mortuos.

CASTALIO.

17. *AD ſilentium degreſſi*] Eò ubi ſiletur, h. e. ad interitum.

CLARIUS.

1. *NOn nobis*] Viri ſancti omnia quæ cupiunt, etiam ipſam vitam, cupiunt ut Dei cognitio & cultus augeatur. Vel ſic, *Non quaſi nos mereamur*, *Domine*, *non*, *inquam*, *quaſi nos mereamur*, *ſed nè nominis tui majeſtas lædatur*, *libera nos pro tua benignitate & fide*, quâ te obſtrinxiſti affuturum nobis. Hebræi hîc initium faciunt alterius Pſalmi.

16. ¶ *Cœlum cœli*] Alius vertit, *Cœli*, *cœli*, *inquam*, *Domini ſunt*. In cœlis, inquit, Dominus manſionem habet, & illic collocavit ſedem ſuam: *filiis autem hominum dedit terram hanc*, in qua ipſum agnoſcerent & glorificarent; quòd ſi pii hinc rapiantur, & ſoli impii remaneant in terra, quis in terris laudabit nomen Domini?

DRUSIUS.

1. על־חסדך. Alius, διὰ τὸ ἔλεός σου.

4. עֲצַבֵּיהֶם. A. διαπονήματα αὐτῶν, *elaborationes eorum*] Ex epiſt. Hieron. ad Marcellam.

AMAMA.

KImhi, diſſentiunt DD. noſtri in occaſione & authore Pſalmi. Alii dicunt à Moſe & Aharon dictum cum ingreſſuri eſſent Mare R. Alii, ab Hanania, Meſach & Azaria. Alii ab Eſther & Mardochai.

1. *Non nobis*, *non nobis*] לחזק הענין K. ad exprim. ardorem effectus.

Propoſitione omiſſa mox ad cauſas eunt cur petant exaudiri, i. e. à finali, & additur antheſis ut magis urgeant Deum. Sic Jirm. 14. Dan. 9.

Propter miſerationem] Altera cauſa, impulſiva.

2. *Ut quid dicent*] Amplif. cauſas ab indignitate rei. Cur nos perdes, affliges, ad illud enim neceſſario conſequitur illa inſultatio. Sic Rabſace 2 Reg. 18. Jeſ. 36. Cicero in Orat. pro Flacco, *Quam chara Diis Imm. eſſet illa gens*, *docuit quod eſt victa*, *elocata*, *ſerva*.

3. Inſtituit collationem Dei & Idolorum.

In cœlo] Loco tuto & idoneo ad res gerendas.

עֲצַבֵּיהֶם] *Idola eorum*. עֲצָבִים *dolores*. עָצַב utrumque. Ita dicuntur כי הם עצבון לבוטחי'. Alii aliter. Vocantur Jirm. 50. אימים 1 Reg. 15. 13. vocatur *Idolum* מִפְלֶצֶת. Alii volunt eſſe particulare idolum *Priapum*, ut Hier. confundens cum Baälphegor, & vocans *idolum turpiſſimum*. Alii Epitheton generale Idoli ab horrore, *Pallatzuth*, שהוא מביאה פלצות וצרות רבות לעובדיו, vel ab horrenda forma.

Ad אימים refero Προβασκάνιον Baruch. 6. ubi Vulg. *formido*, alii, *terriculamentum*, Jun. *pudenda ſtatua*.

Seneca de Romanis, *ſacros & inviolabiles Deos in materia viliſſima & immobili dedicant*, *habitus illis hominum ferarumque & piſcium. Quidam vero mixto ſexu diverſis corporibus induunt. Numina vocant*, *quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent monſtra haberentur*. Citat Auguſt. de Civ. D. VI. 10. ex libro ejus contra Superſtitionem. Is jam periit, ut & ille de Matrimonio, quem citat Hieron. adverſus Jovin.

5. *Non loquuntur*] Reſpexit ad Deut. 4. 28. Zach. 10. 2. *Idola locuta ſunt vanitatem*. Hoc urget Bellarm. lib. 2. 13. de Imag. ut probet Ethnicos credidiſſe ipſa Idola eſſe Deos, 1. Inquit quia id ipſis perſuadebatur à Pontificibus ſuis. 2. Quia videbant totum mundum id credere. 3. Quod idola interdum loquerentur aut loqui viderentur, cum revera Diabolus in iis loqueretur.

Producit Ezech. 21. & Zach. 10. At illic dicit Rex Babel tantum conſuluiſſe idola, ut Crœſus Apollinem Delphicum, Reſponſum autem ei per vatem Pythiam non per os Idoli. Variis modis ipſi potuit reſponderi, vel per Aſtrol. vel haruſpicinam, vel hydromantiam.

Zach. 10. *Locuta ſunt*. Idola dicuntur loqui, reſpondere, dicere, quæ per vates, ſortes &c. Vanitates ſignificantur, unde Chald. *Cultores Idolorum*, K. *Pſeudoprophetæ & Poſſeſſores Idolorum*. Ab. de hominibus ſeductoribus. Et LXX. qui alias vocem Theraphim aut retinent, aut vertunt *Idola*, *ſculptilia*, hic vertunt οἱ ἀποφθεγγόμενοι, qui eloquebantur locuti ſunt moleſtias.

Sic Hab. 2. vocatur *idolum mutum* & *doctor falſi*.

Ergo

Ergo Idola loquuntur cum reſpondent, Reſpondent ut cum Deus dicitur reſpondere. Deus dicitur reſpondere cum vel per ſomnia vel Urim vel Prophetas ſignificat mentem ſuam. 1 Sam. 28. *Non reſpondebat ei DOMINUS nec per ſomnia nec Urim nec Prophetas.*

Domino] i. e. *Valde.* Jeſ. 28. 2. Ruth. 2. 20. Jon. 3. 3. Act. 7. 20. 2 Cor. 10. 4. Luth. *fur Gott.* Belg. 2 Cor. 10. *door Godt.* Act. 17. *en was Gode behaeglijk.*

16. *Cæli, cæli,* vel, *cælum, cælum*] Repetitio forte indicat tertium & ſupremum Cœlum. Conſtructio non eſt talis ut poſſit reddi *Cælum Cælorum*, ut Vulg. Eſſet enim dicendum שְׁמֵי הַשָּׁמַיִם.

Vulg.	Tr.	Dr.	
Cælum & Cælum Cæli.	*Cæli & Cæli Cælorum.*	*Cæli & Cælum Cæli.*	*Cæli & Cælum Cælorum.*

NB. Hæc dici ſi quis velit ἀκριβῶς loqui. Alias ſæpe in N. T. unum Cœlum vocatur ὐρανὸς, *erunt ſicut angeli ἐν ὐρανῷ* Mat. 22. 30. ------ *ἐν ὐρανοῖς.* Mar. 12.

Et terra, (quam) dedit filiis hominum] Quomodo, an ita ut liceat hominibus ad prolubium ſuum omnia hic agere, ac ſi Deus nihil curaret hæc inferiora, & ſolis Cœleſtibus ſe delaſſaret. In hunc ſenſum profani & Athei ſæpe abutuntur hoc loco. Quid ergo? Kimchi, *Et Cælum & Terram fecit. Sed dominium in Cælis ſibi ſoli reſervavit.* Ibi homini אֵין דָּבָר, *hy heeft'er niet te ſeggen.* Terram quod attinet, ejus dominium dedit hominibus, idque variis modis, 1. Dum dedit homini poteſt. arandi, fodiendi, occandi, conſerendi terram, quæ omnia Gen. 1. 24. continentur ſub *ſubigere* & *colere. Dominentur in univerſam terram.* 2. Dum hominem conſtituit Dominum beſtiarum, aliarumque creaturarum, piſcium, avium, Ibid. *Creſcite & multiplicamini & dominamini*, in piſces Maris, volucres Cœli, & omnia animantia quæ moventur ſuper terram. Sic Pſ. 8. 3. Dum Deus utitur hominibus ut quaſi vicarii ſui ſint in Gubernatione, dum homines inſtruxit authoritate & poteſtate qua aliis imperant. Ita non in Cœlis. Unde Magiſtratus vocantur *Elohim.*

17. *Mortui non laudant*] Sc. in hoc ſæculo, licet in altero qui pie moriuntur. At vis etiam in hoc ſæculo laudari. Alii, ſic Kimchi, ex Antitheſi, per mortuos illos intelligunt quos Deus ob ſcelera ipſorum in dimidio dierum hinc avellit. Idque dupliciter, 1. Quod nec corpus utpote mortuum, nec anima Deum laudet, potius enim blaſpemant. 2. Ut vult Kimchi, quod anima eorum omnino pereat תֹּאבַד נַפְשָׁם בְּמוֹתָם. Et נִשְׁמַת הָרָשָׁע תֹּאבַד בְּאַבֵּד הַגּוּף vide eum & ad Pſ. 1. Hæc opinio eſt hæretica & refutatur ex Dan. 12. & nihil juvatur ex Pſ. 1. Et quorſum tunc eſſet Gehenna.

דּוּמָה] הקבר quod ibi ſit *ſilentium*, Chald. *Domum ſepulturæ terræ.* LXX. *εἰς ᾅδου* ſc. *οἶκον. Silentes mortui*, Et, *Manes, ſilet Rex ipſe ſilentum.* Vel dicit *ſilentium*, quo ſenſu Plinius, *ſilentia Lunæ*, id eſt tempus quo ob conjunct. Solis cum Luna, ipſa non conſpicitur ab hominibus. Ergo *ſilentium* vocat ſep. quod eo delati amplius non compareant.

Nec omnes] i. e. Nec ulli. Nulli. *Non omnis* & *omnis non* pro *nullus* ex Ebraïſmo. *Non influit, in verbum non in ſignum. Non omnis, non juſtif.: non fieret ſalva omnis caro, Non eſt impoſſib. apud Deum. Omnis non.* Dan. 7. Ex. 22. Pſ. 49. *Non ſumet omnia.* Vide ad Pſ. 59. 8. Lapſum Hieronymi ibidem vide. 2. Nota & *omnis* apud Ebr. aliq. apponi prædicato, vide ibidem locum Pſ. 39.

Verſ. ult. *A nunc*] Ab hoc ſæculo, *Legnolam* ad ſæculum futurum, vel ad initium, vel ad finem. Quamdiu erit ſæculum futurum. Ad finem, i. e. æternum. Catachr. Si ad initium, Ergo non in ipſo ſæculo. Eſt locutio, *Oculi in DOMINUM uſque dum miſereatur.*

GROTIUS.

Omnia quæcunque voluit fecit] Et ideo homo libertatem habet, quia Deus voluit.

16. *Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum*] In cœlo eximiè *habitare* dicitur Deus, quòd Sol & ſidera majeſtatem ejus mirificè demonſtrent; terræ autem uſus conceſſus hominibus.

PRICÆUS.

8. *Sacrificabo tibi hoſtiam laudis*] Hoſtiam vitulis acceptiorem, ſuprà 68. 31, 32. Vide & 49. 14. & 106. 22.

PSALM. CXVI.

MUNSTERUS.

1. EXponunt hunc Pſalmum de David circumdato ab exercitu Saul in deſerto Maon, quando nulla erat ratio effugiendi niſi Dominus opem tuliſſet. Senſus igitur primi verſûs hic eſt, Dilectio Dei vendicavit ſibi cor meum, eò quòd ille me in neceſſitate poſitum *exaudivit*, & eripuit ex *mortis faucibus* atque *inferni anguſtiis.* Et quoties deinceps *tribulatio* apprehenderit animam meam, *invocabo nomen ejus*, dicens, *Obſecro, Domine*, &c.

7. *Retribuit tibi*] Capitur hîc *retribuere* pro *benefacere.*

8. *Ab impactione*] Eſt דְּחִי *lapſus qui fit ex alterius impulſione*, à verbo דחה, ejuſdem formæ cum פְּרִי à verbo פרה.

10. *Credidi*] In hoc periculo mortis firmam habui fidem & ſpem ad Dominum: & ſicut credidi, ſic egit mecum; atque hoc ipſum dicam & prædicabo cum ſumma alacritate.

11. *Ego dixi in feſtinatione mea*] h. e. Cùm præceps fugerem, exercitu hoſtis vallatus, non deerant cogitationes titillantes animum meum ut ſubdubitare inciperem de promiſſione Regni quam mihi fecerat Samuel, cogitans mecum *omnem hominem eſſe mendacem*, & neminem non falli, quodque in hac miſeria mihi jam moriendum eſſet. Hæc inquam ſuggerebat cogitatio carnis.

12. *Retributionibus ejus*] Scribitur hîc תגמולוהי pro תגמוליו, more Chaldaïco.

13. *Calicem ſalutarem*] Kimhi ſic exponit, *Quando convivium lætum inſtruxero, levabo calicem vino plenum, & gratias agam Domino propter hanc ſalutem mihi conceſſam, in conſpectu multorum aſſidentium.*

15. *Pretioſa in oculis Domini mors piorum*] h. e. In tanto pretio ſunt pii homines apud Deum ut non facilè permittat in eos graſſari tyrannos, ſed liberat eos à periculis mortis, id quod in me non ſemel ſum expertus.

16. *Filius ancillæ tuæ*] Hoc dicit causâ humilitatis, ſicut & bis eâdem ratione ſe vocat *ſervum.*

VATABLUS.

1. DIlexi אהבתי] Sub. *Dominum*: i. e. firmè ac unicè Dominum diligo. ¶ *Deprecationes meas* תחנוני] Per appoſitionem dictum: q. d. *vocem meam ſupplicem.* Quidam hæc vertunt per præſens.

2. *Et in diebus meis invocabo* ובימי אקרא] *Et* pro *itaque*, ſive *propterea:* q. d. *propterea, quamdiu vixero, invocabo eum, & non alium.*

3. *Dolores* חבלי] *Funes, laquei:* i. e. eram morti proximus. ¶ *Inferni* שאול] *Sepulcri*, i. e. deducentes ad ſepulcrum. ¶ *Anguſtiam & dolorem inveneram* צרה ויגון אמצא] Fut. Hebr. pro præt. pluſquam perf. *tribulationem & mærorem*, ſive *anxietatem*, &c. Eſt autem Hebraiſmus, *tribulationem invenire* pro *incidere in eam.*

4. *Nomen autem Jehovæ invocavi* ובשם יהוה אקרא] Fut. Heb. pro præt. imperf. vel perf. Hebraïcè, *Et in nomine Jehovæ invocabo.*

6. *Attenuatus eram* דלותי] i. e. Viribus deſtitutus ſuccubueram, ſive ad ſummam paupertatem redactus eram: id ſignificat verbum Hebraïcum.

7. *Ad requietem tuam* למנוחיכי] *Ad quietem tuam:* i. e. ad illum apud quem invenies ſummam tranquillitatem, nempe ad Deum. Vel, Poſtea dixi, *O anima mea, fruere tranquillitate quâ antea frui ſolebas: fruere priore lætitiâ.* ¶ *Benefecit tibi* גמל עליכי] Ad verb. *rependit ſuper te:* i. e. beneficium in te contulit.

8. *Eripuiſti* חלצת] Mutatio perſonæ à tertia ad ſecundam: i. e. eripuiſti me de extremo periculo, & omnem triſtitiam & mœrorem à me ſuſtuliſti, effeciſtique ne laberer.

9. *Ambulabo coram Jehovah* אתהלך לפני יהוה] i. e. Tutus degam inter vivos ſub favore Domini.

10. *Propterea locutus ſum* כי אדבר] Fut. Heb. *propterea loquar:* q. d. Credidi, ſive fide promiſſorum Dei confirmatus ſum, certò perſuaſus omnia ut pollicitus eſt circa me perfecturum: ideo hanc tantam benignitatem prædicabo. Alii, *quia loquar.* Alii, *Quando dixi.* ¶ *Afflictus eram* עניתי] *Afflictus ſum.* Alii, *ad ſummam pauperiem redactus ſum.* Alii, *affligebar.*

11. *In feſtinatione mea* בחפזי] *In præcipitatione mea.* Alii, *cum feſtinarem:* i. e. dum præceps fugerem exercitum Saulis, valde afflictus cogitabam, *Nemo non fallit:* promiſerat Samuel mihi

mihi regnum Iſraëlis & ego credebam, nunc verò miſer pereo. Alii exponunt; Cùm præcipiti fugâ ſaluti meæ conſulerem, quo tempore debuiſſem deſpondere animum, maximè credidi Deum eſſe veracem in ſuis promiſſionibus, quibus mihi promiſerat Regnum: omnes autem homines dixi eſſe mendaces qui ſecùs dicerent. Vide eadem Pſal. 31. 22.

12. *Beneficiis ejus in me* תגמולוהי עלי] Ad verb. *retributionibus ejus ſuper me?* *Retributiones* pro *beneficiis* Scriptura uſurpat: ne quis exiſtimet Deum aliquid dare nobis quòd priores aliquid, contulerimus in eum. Scribitur hic תגמולוהי pro תגמוליו more Chaldaïco.

13. *Salutum* ישועות] Plurali numero dixit, quòd inſigne auxilium ſignificet: q. d. in omni convivio gratulatorio me hilarem exhibebo, & coram omnibus hilariter bibam, attollendo calicem, quo ſignificem convivis me illius ope ſervatum, ſemperque nomen Domini colam.

15. *Miſericordium ejus* לחסידיו] Vide Pſal. 4. 3. q. d. Gravatè fert mortem proborum Deus: propterea ſi quis eos iuterfecerit, non impunè feret.

16. *Utique* אנה] Adverbium affirmandi: q. d. Ità res habet quòd tu non vis pios interfici: nam me liberaſti, qui te colo. ¶ *Filius ancillæ tuæ* בן אמתך] i. e. Mulieris quæ te purè colit. *Ità dixit quòd filii matrum ingenia & mores ferè imitantur ob educationem primam. Propterea etiam in libris Regum ſæpius dicitur, Rex talis, filius mulieris talis, & non patris.* Hæc doctus inter Hebræos. ¶ *Solviſti vincula mea* פתחת למוסרי] *Dirupiſti vincula mea*: i. e. ſervaſti me nè venirem in vincula hoſtium meorum.

17. *Laudis* תודה] *Gratiarum actionis*: i. e. gratias tibi agam, & te laudabo. ¶ *Jehovæ* יהוה] Perſonæ mutatio, pro, *nomen tuum invocabo*, i. e. non deſinam te colere.

19. *In atriis* בחצרות] Plurale pro ſing. quia unicum atrium habebat Tabernaculum. *In atriis* igitur, i. e. ad oſtium atrii Tabernaculi.

CASTALIO.

11. *Atque in hac trepidatione dixi, omnem hominem eſſe fallacem*] A nullo homine ſperandam ſalutem eſſe, ſed tantùm à Deo.

13. *Poculum ſumam ſalutis, Jova nomen invocans*] Jovæ libabo vinum, qui me conſervaverit.

15. *Qui Jova ſuorum mortem piorum tanti ducat*] Tanti ſuos faciat ut eos perire non ſinat.

16. *Mea rupiſti vincula*] Me liberaſti.

CLARIUS.

Carmen gratulatorium eſt Davidis de ope Domini quâ evaſit cùm jam cinctus eſſet ab exercitu Saulis.

1. *Dilexi*] Dilectio, inquit, Dei vendicavit ſibi cor meum, eò quòd ille me in anxietate poſitum *exaudivit*, & eripuit è *mortis* faucibus. Et quoties deinceps afflictio apprehenderit me, *invocabo nomen ejus*, dicens, *O Domine, libera animam meam.*

6. *Humiliatus ſum*] Cùm affligerer graviſſimè, & conſilii inops eſſem, ipſe ſalvavit me.

9. *Placebo Domino*] Hebraïſmus habet *Ambulabo coram Domino in terris viventium.* Pſalmus hic apud Hebræos conjungitur, & unus eſt cum ſuperiori: quare ſic etiam ſenſus continuatur; Dixerat, *Placebo Domino in regione vivorum*, vel, *ambulabo in conſpectu Domini in terris viventium*, h. e. Securus obambulabo poſthac ſub tutela Domini in atriis ejus, unà cum illis qui verè vivunt. Subdit ergò, *Credidi firmiſſimè, quare & loquebar confidenter, etiam cum graviſſimè periclitarer.* Citat autem hunc locum Paulus 2 Cor. 4. de fide reſurrectionis loquens.

11. *Ego dixi in exceſſu*] Hieron. vertit *ſtupore*. Alius *feſtinatione*. *In trepidatione*, inquit, & ſumma propemodum deſperatione *mea* conſtanter *dicebam, Omnis quidem homo mentitur* & fallere poteſt, verùm Deus nequaquam.

13. *Calicem ſalutaris*] Epulum notat gratulatorium. Sacra enim habebantur convivia, cùm ſolennes Deo pro inſignioribus beneficiis gratias agerent.

15. *Pretioſa*] h. e. Non temere patitur mortem inferri ſanctis ſuis.

DRUSIUS.

4. אָנָּה יְהוָה מַלְּטָה נַפְשִׁי. Alius, ἀξιῶ, Κύριε, ἐξελοῦ τὴν ψυχήν μου, *peto, Domine, eripe animam meam.* Alius, ὦ δή, Κύριε, περίσωσον τὴν ψυχήν μου, *obſecro, Domine, ſerva animam meam.* Sym. *Obſecro, Domine, libera animam meam.* A. & cæteri, ὦ δή, —] Hier. epiſt. 145. quæ ad Damaſum, *Symmachus qui in 117. Pſalmo cum omnium interpretatione conſenſerat, ut nobis manifeſtiorem tribueret intellectum, in 114. Pſalmo, ubi dicitur*, O Domine, libera animam meam, *ità interpretatus eſt*, Obſecro, Domine, libera animam meam. *Ubi autem Lxx. ὦ, & ille* obſecro, *tranſtulerunt, Aquilâ & cæteris editionibus ὦ δή interpretantibus in Ebræo ſcribitur* אנא *ANNA*. ¶ Ἀξιῶ *Poſtulo*, vel *peto*. ¶ *Obſecro* δέομαι. Hier. in Comment. quos ſcripſit in epiſt. ad Philem pag. 215. *Nonnunquam Symmachus pro ANNA δέομαι, i. e.* obſecro, *tranſtulit.* ¶ Ὦ δή Κύριε. Puto eſſe Aquilæ & cæterorum: tamen non adſevero. In talibus præſtat ſuſpendere judicium quàm temere aliquid ſtatuere aut affirmare Dies certiora nos docebit.

6. דַּלּוֹתִי וְלִי יְהוֹשִׁיעַ. Sym. *defeci, & ſalutem mihi præbuit.*

9. אֶתְהַלֵּךְ. Al. ἐμπεριπατήσω. ¶ לִפְנֵי יְהוָה. Alius, ἔμπροσθεν Κυρίου.

10. הֶאֱמַנְתִּי וגו׳] Hic Lxx. faciunt initium Pſalmi 115. etiam Symmachus. Hieronymus, (ſi modò is autor Comment. in Pſalmos qui exſtant in operibus ipſius) *Hunc Pſalmum Quinta & Sexta editio cum ſuperioribus copulant, Symmachus verò & Lxx. Interpretes dividunt.* De Symmacho eſt cur dubitem. Quin falli eum credo. Certè Theodoretus ad hunc locum ità ſcribit, *Ebræus cæterique Interpretes atque etiam Syrus hunc Pſalmum præcedentibus connectunt.* Quod ampliùs ſtabilis Scholion in ed. Rom. citatum, O' Ἑβραῖος καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτον τῷ προτεταγμένῳ συνάπτουσιν· τῆς γὰρ αὐτῆς ἔχεται διανοίας. καὶ τὸν ἔνατον διχῇ διελόντες, τῇ τῶν δὲ τῶν ψαλμῶν συναφῇ τὸν ἴσον τῶν ψαλμῶν φυλάττουσιν ἀριθμόν. ¶ עָנִיתִי Sym. ἐκακώθην, *vexatus fui*] Aliud ſcholion, Sym. ἠτόνησα, *languidus fui, torpui.*

11. אֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי כָּל־הָאָדָם כֹּזֵב. A. ἐγὼ εἶπα ἐν τῷ θαμβεῖσθαι, Πᾶς ἄνθρωπος διάψευσμα, *ego dixi dum obſtupeſcerem, Omnis homo mendacium.* Sym. καὶ εἶπον ἀδημονῶν, Πᾶς ἄνθρωπος διαψεύδεται, *ego dixi angens, Omnis homo mentitur.* Th. --- Πᾶς ἄνθρωπος ἐκλείπει, --- *Omnis homo deficit.*

AMAMA.

1. אָהַבְתִּי] Jun. *Sat habebo.* Piſc. *Acquieſco in hac re.* Vulg. *Dilexi* ſc. Dominum per trajectionem, quem ſecutus Belgicus & Anglus; qui prioribus modis כי accipiunt continuativè. Amo hoc, acq. בזאת quòd Dominus exaudiverit *Ahabhti*, tranſitivum eſt, illi in intranſitivum reſolvunt. *Diligo hoc*, i. e. hoc mihi eſt charum, gratum, acceptum. *Dat is my lieff.* Non poſtremum ſequimur.

Dilexi] i. e. Diligo, Actus continuus, vel *diligere* debeo, actus debitus. Utuntur Ebr. ut Futuris ita & Præter. ad denotandum actum continuum, vel debitum & decorum vel ſolitum. Continuum Pſ. 1. Debitum paſſim in præceptis, *Filius honorat patrem*, atque hic ſæpe includit actum continuum, ut in loco hoc & jam ante allegato. חלילה μὴ γένοιτο. 1 Sam. 24. 7. חלילה 2 Sam. 20. 20. ἵλεώς μοι. Sic Matth. 16. 22. Hinc lux duobus locis Scripturæ, 1. Deut. 15. 4. & 11. *Non erit mendicus in Iſraël*, non debet eſſe. Non eſt promiſſio ſed mandatum. Vos operam dabitis ne ſit, juvabitis eos ne cogantur mendicare. Alter Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Hunc locum accipiunt Papiſtæ ut promiſſionem, atque intelligunt de ſummo Sacerdote, & aptant Pontifici. N. T. Reſp. Primò non agi de ſummo ſed de omnibus, Sacerdos enim ſæpe collectivè. 2. Etſi ita eſſet non valere conſeq. à Pontifice V. T. ad eum qui in N. T. ſibi uſurpat nomen Pontificis. 3. Etſi & hoc eſſet non eſſe promiſſionem ſed mandatum, *Cuſtodient*, i. e. debent cuſtodire. Non ſemper cuſtodiviſſe Urias docuit ſub Achaz qui Idololatra fuit. 2 Reg. 16. 16. Sic hunc locum ipſe Ribera exponit. Sic Gen. 20. *Opera quæ non fient feciſti nobis.* Vulg. *Quæ non debuiſſes facere.* Chald. *Opera quæ non erant digna fieri.* Sic Gen. 18. 25. *Abſit non fiet hoc.* Matth. 16. 22. Ubi & nota diverſandi. Sic Gen. 34. *Et ſic non fiet.*

קוֹלִי] Τῆς φωνῆς τῆς δεήσεώς μου. Aut Jod Παραγωγ. aut, ſi affixum, eſt ἀσύνδετον.

2. *Ideo in diebus meis*] i. e. Diebus vitæ meæ, quoad vivam. Vel in diebus meis (quibus) invocabam ipſum. Donec pectora Spiritus pulſet, Dum Spiritus hos reget artus, φάος ἠελίοιο γυναταί ὁρωρῆ.

1 *Ideo.* Hoſ. 10. 4. ופרח *ideo efflorebit.* Pſal. 18. 47. וירום *ideo exaltetur.* Eſt enuntiatum relativum cauſæ.

3. חֶבְלֵי] Ὠδῖνες θανάτου περιέσχον με. חֶבֶל *funis, funiculus*, חֵבֶל *dolor graviſſimus, tormina parturientium.* Hoſ. 13. 13. hoc *dolor* ordinarie חֶבְלֵי in Reg. Plur. illud *funis* ord. חַבְלֵי. Vulg. habet *funes*, Lxx. ὠδῖνες. Sic & Pſalm. 18. 6. diſcrepant. At ubi immed. ſeq. מוֹקְשֵׁי מָוֶת, Pagn. illud חבלי vertit *dolores*, Arias *funes*.

nes. Vide Bezam ad Act. 2. 24. ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε λύσας ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Ut omne חבל i. e. ſignificet *funes*. 2. Metaph. *dolores*, *morbos*: quibus mors quaſi funibus hominem ligat ut bovem vel equum humi ſternendum.

Invenerant me] Afflictio invenit eum cui evenit. Et homo dicitur *invenire afflictionem*, Deut. 31. *Ne inveniam te omnia mala iſta*. Gen. 44. *Ne videam afflictionem quæ inveniet Patrem meum*. Jirm. 10. 18. *Affligam vos ut inveniant*, ſc. mala. Sic *peccatum* dicitur *aliquem invenire*, cum, ob id, homo punitur, Num. 32. *Agnoſcite peccatum veſtrum quod inveniet vos*. Perpendite peccati magnitudinem jam patrati ut fere ſolet fieri juxta illud, *Peracto ſcelere demum ejus magnitudo intellecta eſt*. Deus etiam dicitur *invenire aliquem* quem punit, Pſalm. 21. *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos. Inveniet dextra tua omnes oſores tuos*. Gen. 44.

4. *Sed* שֵׁם] קרא cum בשם ambiguum eſt. Eſt enim alibi *denominare*, Jeſ. 48. 1. & 65. 1. *ad gentem quæ non eſt* קֹרָא בִשְׁמִי. Sed tunc fere eſt paſſ. Hinc ambiguus eſt locus Gen. 4. Eſt ibi quidem Ger. act. ſed illud ſæpe fit paſſivum. & juxta Vulgatam quoque opinionem eſt pro לְהִקָּרֵא

5. מרחם] Εὔσοργος.

6. פְּתָאִים] Prov. 14. 18. & 8. 5. At 22. 3. פתיים Ch. שַׁבְרָיָא LXX. τὰ νήπια. Aliq. in malam partem pro fatuo. Prov. 1. *Quoad fatui diligetis fatuitatem*, Prov. 14. 15. & 19. 25. *Pheti credit omni verbo, at callidus intelligit greſſum ſuum*. Hic ſignificat *hominem ſincerum, doli expertem, qui non confidit ſibi ſed à ſiclo Deo pendet*. Primo modo opponitur *callido*, i. e. Prudenti, ſolerti; ea enim ſolertia non eſt vitium. Hoc modo eſt compatibile Math. *Eſtote ſimplices* &c. i. e. μιγνύειν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν.

יְהוֹשִׁיעַ] Sic Neh. 11. 17. יְהוּדָה Pſal. 81. 6. יְהוֹסֵף Et conſtr. cum Dativo Pſ. 86. 18. הוֹשִׁיעָה לְבֶן אֲמָתֶךָ Jud. 7. 2. יָדִי הוֹשִׁיעָה לִּי

7. *Ad requiem tuam*] i. e. Deus qui eſt requies tua. Kimchi. Vel *ad temetipſam*, quomodo accipi videtur Sirach. 20. 21. ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ· intra ſe.

גָּמַל] Optime LXX. εὐεργέτησέ σε, *beneſecit tibi*. Sic Prov. 11. *Vir miſericors* גֹּמֵל נַפְשׁוֹ LXX. ἀγαθὸν ποιεῖ. Gen. 50. *male facere*. Aliàs *rependere*. &c.

Coram Domino] q. Cum Domino, ut de Henoch. vel ut Koh. 6. 8. Gen. 17. *Utinam Filius meus Iſmaël*, &c. LXX. εὐαρεστήσω ἐνώπιον Κυρίου· Ἐν χώρᾳ ζώντων.

9. *Ambulabo coram Domino*] Id eſt, *Coram te*. Gen. 17. *Ambula coram me. Ambulare coram Deo* eſt idem quod *ambulare cum Deo*, i. e. piè vivere. Via, vita, ſic ambulare, vivere. Sumus enim hic in peregrinatione & via ad patriam.

9. *In regionibus viventium*] ארץ 1. *Terra*, *aardrijk*, 2. *Regio*, χώρα, *een land*, 2 Chr. 22. *Athalia regnabat ſuper terram*. (*Juda*) etiam addita כל, Jeſ. 13. *Ut diſperdat omnem terram*, Chaldæam. Hier. ad Jeſ. 5. crebrum eſt in S. nomine univerſæ terræ eam regionem notare de qua ſermo eſt. Et Aug. de mirab. Scrip. 2. 15. Moris eſt Scr. ut illam Prov. de qua loquuntur, *omnem terram* indifferenter nominent. 3. *Agrum*, etiam cum כל 1 Sam. 30. 16. *Ecce jacebant*, &c. 2 Sam. 18. 8. Sparſum eſt prælium. Reſpondet ergo tribus Latinis, duobus Belg. *Aardbodem en Land*. Nam hoc poſtremo duas Latinorum complectunt. De regione accipiunt & Lucæ 4. 25. ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Sic & Matth. 27.

Kimchi putat dici *terras viventium* urbes Iſraël, ſicuti vocatur ארץ חמדה & ארץ צבי & חיים eſſe ברואים habuit enim aërem ſaluberrimum, ſicuti dixit ad Pſal. 48. Terra Iſraël pulchra climate, gaudium univerſæ terræ. Et certe, fuit illa ψυχὴ καὶ ἥλιος καὶ ὀφθαλμὸς πάσης τῆς οἰκουμένης. Simplicius ut dicamus, periphraſin eſſe *terræ* & communis vitæ. Sic Jeſ. 53. *exciſus eſt ex terra viventium*. Rabb. referunt ad volutationem animarum. Vide Kimch.

10. *Credidi* [Dominum liberaturum me] *cum* [iſtud] *loquerer* verſ. 4] *Ego tamen afflictus fui*. Jun. *Credidi quum hæc locuturus eſſem, Ego ſatus fuiſſem ſupra modum*.

Τί ἀνταποδώσω Κυρίῳ περὶ πάντων ὧν ἀνταπέδωκέ μοι. Ποτήριον σωτηρίου λήψομαι καὶ τὸ ὄνομα Κυρίου ἐπικαλέσομαι.

Credidi כי *locutus ſum*] Sic & Luth. hoc loco. Apoſt. 2. Cor. 4. διό. Sic & Gen. 22. 17. Sic Angli in nova verſione Coh. 8. 6. ubi vertunt, *therefore*. Puto tamen non temere iſtam Enallagen committendam. Hic fere neceſſitas eſt ob παράλληλον. Licet & aliter exponi poſſe (ut vid. כי reddatur *quia*) oſtenderit Cl. Junius. Sed & Alſtedius bis hunc locum ſic explicat in Præcognitis Theolog. vide Clavem in Quia. Sic & ὅτι Luc. 7. *Demiſſa ſunt ei peccata*, ὅτι *quia dilexit multum*, i. e. ideo. Male ergo facit Vorſtius dum 1 Sam. 2. 25. hunc locum, *Inobedientes erant filii Eli patri ſuo*, כי *quia Dominus volebat occidere eos*, exponit, *Ideo*. Quæ enim neceſſitas? An ut durus locus emolliatur? Probarem magis, ſi non eſſent alia loca hoc ſi non duriora ſaltem æque dura rationi humanæ.

11. כזב] *Mendax*. Hinc *Barcokeba*, poſtea vocatus à Judæis *Barcoziba* vel *Bar Cozba*, *Filius mendacii*.

13. *Calicem ſalutum*] i. e. Omnimodæ ſalutis. Id eſt, calicem gratiarum actionis pro ſalute *Soteria*, pro dono liberationis, ut *Euangelium*. 2. Sam. 4. 10. Reſp. ad morem priſcum Judæorum quo in conviviis poſt ſacrif. Εὐχαριστικὰ ſolebant Domini convivionum elevare calicem & facta libatione, conceptis verbis gratias pro accepta ſalute agere. Jun. *acceptum exhibebo*. Verbum prægnans, ut לקח & נתן &c.

Calix ſalutum aliis eſt *Crux ſalutaris*, *Feram calicem ſalutarem*, quoniam introducit in æternam felicitatem. Sic Cypr. Baſil.

Chald. *Calicem* reddit. *Portionem, portionem ſalutis æternæ in futuro ſæculo feram*, *auferam*. Pſal. 16.

Calix in SS. ſign. *portionem cuique attributam*, ſive bonam ſive malam. Hinc varii calices in Script. Eſt enim *Calix lætus*, eſt *triſtis*. *Lætus*, ut hoc loco, vid. *Calix gratiarum actionis*, *calix benedictionis*. Eſt & *poculum abundantiæ & affluentiæ omnium rerum*, vel *hilaritatis*. Pſal. 23. *Poculum meum exuberans*.

Triſtis. *Calix conſolationis*, Jirm. 16. *Ne ingreditor in domum* מרזח *deſignatoris* (i. e. magiſtri funebrium ceræmoniarum,) *neque ito ad plangendum neque condoleto eis, non ſepelientur* (id eſt, nulla adhibebuntur deſignatorum documenta) *non plangent eos, nec cæſuram nec calvitium inducet ſibi quiſquam pro illis* (hæc Judæi à gentibus tralata obſervabant contra Legem, Lev. 19. Deut. 14.) *Neque impartientur illis cibum in luctu ad conſolandum, neque bibendum dabunt iis ex poculo conſolationum, ne quidem ſuper matrem vel patrem cujuſquam*. Id eſt comites qui proſecuti funus & iverunt exequias non conſicient ſilicernium in quo poculum conſolationis propinaret proximis & neceſſariis ſepulti ſolebat. Silicernium Epulum ferale, proprie ſenex qui jam cernendus erat ſilentibus umbris, vel quod cerneret ſilices. Inde convivium inſtitutum in obitum ſilicernii, cuique ſenes tantum intererant. Alii q. ſelucernium, ἀλυχνία. In Natali accendebantur lucernæ, in mortuali non, vide Becm. 767.

II. *Calix crucis & afflictionum*. Triplex, ut & crux triplex *Calix crucis Chriſti*; *Abeat hic calix à me* &c.

Calix piorum, Eſ. 51. *Excitare Jeruſalem quæ bibiſti de manu Domini calicem indignationis ejus*.

Calix impiorum, *temporarius*, Ezech. 23. *In via ſororis tuæ ambulaſti, ideo dabo calicem ejus in manum tuam*. Sic Thr. 4. *Ætern*. Apoc. 14. *Qui adorat beſtiam, bibet de vino iræ Dei quod mixtum eſt mero in calice iræ ejus & cruc. igne*, &c. Sic Apoc. 16. Sic Pſalm. 75. 9. *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto*.

14. נא] i. e. עתה hæret cum אשלם. ל in לכל redundat, ut כִּסִּין לְבָוּז, & ה in נגדה aut redundat, aut eſt loco ל initio, לנגד

15. יקר *pretioſa*] Ch. יַקִּיר כִּיתוּתָא. LXX. τίμιος ἐναντίον Κυρίου &c.

Deus non vilipendit mortem ſanctorum, ac proinde non facile permittit ut ipſis vita auferatur. Ab. & K. conferunt cum Pſal. 49. 9. יקר פדיון נפשם *cara eſt redemptio* &c. Illi reddunt קשה *difficilis. Deus admodum difficulter permittit ut* &c. NB. יקר aliquando eſt *rarus*, *Pretioſum erat verbum Domini in diebus illis*. 1 Sam. 3. 1. Ch. יקי. Prov. 25. 17. הוקר *pretioſum fac pedem tuum in domo amici*, LXX. σπάνιον εἴσαγε. Viſita raro & augebis amorem, לחסידיו, ל. nota Gen. caſus. Vel Dativi. tunc Ch. ſupp. כש חלתא. Jun. *intentata*.

16. אנא ſexies per ה ſer. Eſtque duplex פרוס *deprecationis*, *obſecrationis*, ut verſ. 4. Et הודאה *confeſſionis*, ut hoc loco. Sic Ex. 32. 31. אנא חטא העם *confiteor, peccavit populus*, צִבֵּרְךָ *cum Mercha*, Maſſ. ℥ vid. extra Pauſam. Haſidæi 1 Mach. 7. 13. 2. 42. 2 Mach. 14. 6.

פִּתַּחְתָּ *aperuiſti*] i. e. Solviſti, LXX. διέῤῥηξας *dirupiſti*, id eſt, liberaſti me ſæpius eum à Saulis exercitu cinctus quaſi vinctus tenerer. פתח uſurp. de rebus clauſis *aperire*, & ligatis, *ſolvere*. Uſurp. etiam de terra, auro, argento, gemmis, gladio &c.

ירושלם ita ſcribitur V. locis exceptis. Jirm. 18. 26. 1 Chr. 3. 5. 1 Chr. 26. 5. 2. Chr. 25. 1. Eſth 2. 6. quinquies occurrit cum ה locali &c.

De Etymo variæ ineptiæ ex Gr. ſcriptura. Alii q. ἱερὸν Σαλομῶντος. Alii q. ἱερόσυλα Joſep. 1. contra App. ex Lyſimacho, Judæoſque poſtea mutaſſe in Ἱεροσόλυμα, vitandi probri cauſa. Alii à *Jebus* & *Salem*. Alii à ירא & *Salem*. Alii à יראה & *Salem*, Mons Moria dictus fuit יראה אדני

GROTIUS.

1. Dilexi] Nempe *Dominum*, quod ex ſequenti intelligitur. *Quoniam exaudiet*] Futurum pro præterito, *quia exaudivit*.

10. *Credidi propter quod locutus ſum*] Quia firmam in Deo ſpem habui, ideo dixi id quod jam præcedit, *fore ut redirem Hieroſolyma ſoſpes ac florens*.

Ego autem humiliatus ſum nimis] In Hebræo: *Ego afflictus* (ſupple, *tunc eram*) *valdè*. Spem illam ſervavi in maximis calamitatibus.

11. *Ego dixi in exceſſu meo*] Vox Hebræa חפז *pavorem* ſignificat. Etiam in ſummo pavore retinui fiduciam in Deum.

Omnis homo mendax] Id eſt, *omnis ſpes in homine poſita fallere poteſt*. Intellige ex oppoſito; *at quæ in Deo poſita eſt nequit fallere*.

13. *Calicem ſalutaris accipiam*] *Calicem ſalutis* vocat calicem gratiarum actionis pro accepta ſalute, quem paterfamilias ſolebat familiæ ſuæ *προπίνειν* [*propinare*.] כוס הלל *ποτήριον εὐλογίας* [*poculum benedictionis*.] Vide quæ ad Matth. 26. 27.

15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*] Senſus eſt: Non facilè Deus impiis concedit ut pios occidant. quæ pretioſa ſunt non facilè largimur. Si aliter ſumas, non cohærebit cum prioribus.

PSALM. CXVII.

MUNSTERUS.

Docet D. Paulus ad Romanos cap. 15. hunc Pſalmum agere de vocatione Gentium ad Chriſtum, ad quas ſalus à Jehudæis erat perventura, Jehudæis in excæcatione manentibus.

VATABLUS.

2. Roborata גבר] *Aucta fuit*, *exſuperavit*: i. e. excelluit & magna fuit. ¶ *In ſeculum* לעולם] Sub. *permanebit*, vel *durabit*.

CLARIUS.

Paulus Rom. 15. citat hunc Pſalmum, quippe qui vaticinetur Euangelium communicandum Gentibus. Tu vero obſerva quàm diligenter oracula Dei ſint ſervanda, quando hæc exigua verba tot annorum millibus perdurarunt, & in orbem omnium terrarum fuerunt diſſeminata, à communi Eccleſia paſſim decantanda.

2. *Et veritas ejus*] Conſtantia ipſius in promiſſis duratura eſt perpetuo.

LUCAS BRUG.

1, 2, 3, 4. Priores quatuor hujus Pſalmi verſus finit hoc idem Dei encomium, *Quoniam in ſeculum miſericordia ejus*; atque ante hoc legitur, quod omnis Dei in nos miſericordiæ origo eſt, *Quoniam bonus*: ſed id ab aliis quidem univerſis his quatuor verſibus additur, ab aliis tribus duntaxat, ab aliis ſolummodo duobus, denique ab aliis unico. Hac de varietate jam nobis diſſerendum eſt.

Quatuor igitur ſimul his verſibus addunt *Quoniam bonus* plerique omnes noſtri Græci codices, cum Græcis autoribus, Chryſoſtomo, Apollinari, Theodorito atque Euthymio. His conſonant Latina Romani Pſalterii exemplaria, cum Caſſiodoro Romano Senatore: ſed & nonnulla Gallici, h. e. vulgatæ noſtræ editionis, Atrebatenſis Collegii unum, Hunnæi alterum (B,) cum Tractatoribus, Remigio Antiſſiodorenſi & Joanne Sabinenſi.

Tribus verſibus, primo, ſecundo, tertio addunt, & quarto omittunt, *quoniam bonus*, alii quidam Latinorum noſtræ verſionis codicum, unus Atrebatenſis Collegii manuſcriptus, & nonnulli typis excuſi, Venetiis primus anno 1497. Baſileæ alius, alius Antverpiæ, is qui ex D. Lindani eſt emendatione. Atque inter expoſitores his conformiter legunt Richardus Pampolitanus Erimita & Jacobus de Valentia Chriſtopolitanus Epiſcopus.

Duobus duntaxat verſibus, primo & ſecundo, habent *quoniam bonus* plerique Latinorum vulgatæ editionis librorum, tam eorum qui calamis quàm eorum qui typis ſcripti ſunt, cum Enarratoribus, Haymone, Ludolpho, Paſtura & Richelio. Et ii quidem ſcriptorum librorum qui aſteriſcis & obeliſcis inſigniti ſunt, obelo id configunt quod in ſecundo eſt verſu. Nam Hebraïcis in libris unico eoque primo verſu legitur *quoniam bonus*. Hebraïcis autem libris Chaldaïci ſunt conformes.

In hac codicum & exemplarium diverſitate genuinam quærimus vulgatæ Latinorum verſionis ſcripturam: & penſitatis ſingulis ea nobis (meliori ſalvâ ſententiâ) eſſe videtur quæ primo verſu legit, ſecundo cum obelo addit, tertio & quarto omittit, *quoniam bonus*. Nam ut ad hunc modum legunt libri hujus editionis plerique, ità & probatiſſimi quique: alios autem nonnullos veroſimillimum eſt depravatos, aut ex Græca lectione, aut ex Romana pſalmodia, aut denique ex ipſorum inter ſe verſiculorum ſimilitudine, ea quæ omnis hac in parte varietatis primam proculdubio cauſam dedit. Quod autem ſecundo potiùs verſu quàm vel tertio vel quarto Latini codices *quoniam bonus* adjiciant, ex eo fortaſſis eſt, quòd Græcus Interpretis liber hoc habuerit modo: & certè Græca Tornacenſis exemplaris editio ità habet, tametſi ad quarti verſus marginem ſcriptum ſit *oti agatos*. Porrò ſubaudiendum videtur poſterioribus locis *quoniam bonus*, quamvis non addatur.

10, 11, & 12. Eâdem terminantur ſententiâ, *Et in nomine Domini quia ultus ſum in eos*; in qua negotii nonnihil faceſſit *quia* conjunctio, quam Græci codices tollunt, Hebraïci & Chaldaïci addunt: ſublata claram, addita obſcuram reddit orationem. Latini veteris editionis libri, cum Græcis, ſuſtulerunt; id enim ex Arnobii, Auguſtini & Caſſiodori commentariis Romaniſque Pſalteriis patet: poſteriori verò editioni ex Hebraïcis addita eſt. Conſtanter enim in hujus editionis exemplaribus legitur; & in antiquis quidem cum aſteriſci nota. Atque hoc Hieronymus, ipſe editionis illius emendator, comprobat: *Dicitis*, ſcribit Suniæ & Fretelæ, quia *in Græcis codicibus non inveniri*, *καὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου ἠμυνάμην αὐτοὺς*, i. e. in nomine Domini ultus ſum eos: *ſed in Latinis ſub aſteriſco legendum eſt*. Quamobrem poſteriores inter Latinos enarratores legunt; utque explicent, laborant. Nullo igitur pacto è vulgata noſtra editione conjunctio hæc omittenda eſt: nec (in quo Varlenius falſus eſt) in ſua ad Hebraïcam veritatem verſione Hieronymus prætermiſit, ſi probatioribus exemplaribus (Lob. Cheval. Reg.) fides habetur: quibuſdam enim prioribus locis deeſt, tertio tantum legitur; uni etiam poſterioribus locis legitur, primo tantùm deeſt, cùm Hebræi tribus locis perinde legant. Exiſtimant autem nonnulli conjunctionem hanc ſuperfluere, cujus ſententiæ & Lxx. fuiſſe videntur. Quidam verò pro *utique* aut *certè* accipiunt. Alii plerique eclipticam volunt orationem eſſe, ſubauditis quibuſdam perficiendam. Richelius, *In nomine Domini factum eſt quòd me ultus ſum de eis*. Chaldæus, *In nomine verbi Domini confiſus ſum, quòd perdam eos*. Eſt enim Chaldæis & Hebræis futurum: nec eſt *in* præpoſitio, ut neque Græcis; ſed, quòd eam Latinus ſermo poſtularet, videtur addita. In exemplaribus Lobienſi & Herbipolenſi obelo jugulatur.

23. *Et eſt mirabile in oculis noſtris.*] Sic nonnulla Latina Pſalteria, cum Pſalteriis Græcis & Euangeliis Matthæi c. 21. v. 42. & Marci c. 12. v. 10. legunt. Epanorthotæ verò probata lectio eſt, *hoc eſt mirabile in oculis noſtris*. Ad hunc modum ex noſtris P. Stapulenſe, Tornacenſe, Lobienſe, & Brugenſe, emendatiſſima exemplaria, ſcribunt. Atque hæc ſcriptura Hebræo conformior eſt: היא נפלאת בעינינו, ad verbum reddas, *Hoc mirabile in oculis noſtris*: nam fœminina Hebræis ſubſtantivè ponuntur, ut neutra Græcis & Latinis, ſuo loquentibus idiomate: quandoque enim Hebraïcum idioma retinent, ut hoc ipſo loco Græci, *παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν*. Lobienſe manuſcriptum *hoc* aſteriſco notat, tanquam quod ex Hebræo à Pſalterii caſtigatore ſumptum ſit: & hanc quidem lectionem, *Hoc eſt mirabile in oculis noſtris*, Gallico Pſalterio attribuit; alteram verò, *Et eſt*, Romano: cui Tornacenſis & Stapulenſis editiones conſentiunt. Nullius hæc momenti ſunt iis qui, dum ſenſus eſt integer, de vera noſtræ editionis lectione nihil ſoliciti ſunt. Quod ſequitur ſubſtantivum verbum *eſt*, Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium veru ſignat, tanquam quod ex Græco legatur, Hebraïcè verò non exprimatur.

25. *O Domine*, *ſalvum me fac.*] Pronomen *me* à Latinis quibuſdam MSS. omittitur, Brugenſi & Lobienſi; quibus Jacobi & Lindani editiones conſentiunt, & Bedæ commentarius ſuffragatur. Nec legitur hoc pronomen Græcè, *ὦ Κύριε, σῶσον δὴ*, *ô Domine*, *ſalva nunc*; nec habetur Hebraïcè, אנא יהוה הושיעה נא, *obſecro*, *Domine*, *ſalva nunc*; neque additur Chaldaïcè, [בבעו מנך יי פרוק כען אמרו ארדיכליא, *nunc*, *dixerunt architecti*. Neb.] *obſecro te*, *Domine*, *ſerva*. Euthymius in hujus loci commentario *populum tuum* ſubaudit; Chryſoſtomus, Eos qui Chriſti beneficiis fruuntur. Jacobus itaque, Titelmannus & Varle-

Varlenius *me* ſupereſſe judicant: Janſenius etiam ſenſui obeſſe pronunciat; intelligit enim populi eſſe vocem à Deo Regi ſuo ſalutem fauſtaque omnia precantis.

Sequitur, *O Domine, bene proſperare.*] *Bene* ab antiquis codicibus tolli Epanorthotes teſtatum reliquit: noſque id vidimus in noſtris exemplaribus, Brugenſi, Lobienſi, Stapulenſi. Neque eſt aut Hebraïcè aut Græcè. Sufficienter enim & Hebraïcam vocem הצליחה, & Græcam *εὐόδωσον*, exprimit Latina *proſperare:* atque adeò ut &, ſicut illæ, ambiguè intelligi poſſit, vel proſperitatem da: minimè verò arbitror *bene* aut Græco δὴ, aut Hebraïco נא, reſpondere (eſt enim Hebraïcè נא הצליחה, Græcè *εὐόδωσον δή*·) quin potiùs hæc, cùm præcedenti tum hoc verſiculo, ab Interprete noſtro *σχετλιαςικῶς* accepta, quorum interpretationem Latinus ſermo non exprimat.

In eo qui ſequitur verſiculo, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, antiqua Epanorthotæ antigrapha pro *qui venit*, *qui venturus eſt* legunt, quibus Tornacenſe manuſcriptum & quædam Lugdunenſium exemplaria ſuffragantur, ac V. Bedæ commentarius adſtipulatur. Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium habet *qui venturus es*, quo modo Antisſiodorenſis Antiſtes & Pelbartus monachus aut legerunt aut expoſuerunt. Exemplaria noſtra jam antè commemorata, Brug Lob. Stap. *qui venturus* ſcribunt, nec quidquam ampliùs addunt, non *es*, non *eſt*. Hebraïcè eſt הבא, quod eſt, *qui venit*, aut *qui veniens*. Græcè legitur *ὁ ἐρχόμενος*, id quod & *qui venturus*, & *qui venit*, transferri poteſt. In Euangeliis (Mat. 21. 9. Mar. 11. 9. Luc. 19. 38. Joh. 12. 13.) translatum eſt *qui venit*; id enim rei geſtæ convenit: futurum autem prophetiæ non incongruum eſt. Rejicit in Pſalmorum commentariis futurum, Titelmannus; & quidem faciliùs aſſentiar, de *qui venturus es*, id quod exprimit; at non æquè de *qui venturus*, aut *qui venturus eſt:* ſunt enim hæ ſpectatiſſimæ fidei exemplarium lectiones: concorditerque Lobienſe ac Tornacenſe manuſcripta, & Stapulenſis editio Pſalterio Gallico *qui venturus*, Romano *qui venit*, adſcribunt. Non inquirimus quæ melior ſit verſio; ſed quæ ſit verior vulgatæ editionis lectio. Romano Pſalterio, Vetus, & Caſſiodori commentarius, ut plerumque aliàs, conſonant. Bruno, Carthuſiæ Patriarcha, expoſito illo, *Benedictus qui venturus eſt in nomine Domini*, addidit, *In aliis translatoribus habetur*, *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

AMAMA.

R. David. *Unicus hic Pſ. duobus verſiculis conſtat. Eſtque de diebus Meſſiæ*, ſc. vaticinium. Vult dicere eſſe prophetiam de vocatione gentium. Si enim celebrabunt Deum, neceſſe eſt ut ipſis doctrina de Deo ejuſque cultu annuncietur. Quomodo enim invocabunt (addo & celebrabunt) in quem non credunt? Quomodo credent de quo non audiverunt? Pergit R. David, *Innuit autem Author hoc binario, omnes populos dividi vel in Judæos vel in gentes.* Itaque alii per אֻמִּים intelligunt *Judæos*, per *Gojim Gentes.* Notum ut vox גוים aliq. ſtricte accipiatur pro non Judæis. Sed R. David vult & *Gentes* & *Judæos* ſingulis vocibus contineri, ut ſit כפל הענין במלות שונות. Ita tamen diſtinguit ut Judæi fuerint ſub Lege Moſis, Gentes ſub VII. præceptis Filiorum Noë, de quibus alibi.

גָּבַר *Magna eſt*, גָּדַל. Vul. *confirmata*, Jun. *Invaluit*, alii *prævaluit.*

יש חסידי אמות העולם i.e. qui recipiunt 7. præcepta Filiorum Noë ſalvatum iri. Maimon. halacha Melachim cap. 8.

GROTIUS.

2. COnfirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus] In Hebræo eſt *excelluit.* Plus nobis boni fecit, quàm gentibus aliis.

PRICÆUS.

7. ET ego deſpiciam inimicos meos] Suprà 111. 8.

IDEM.

5. ET audivit me in latitudine Dominus] Præciſa locutio, cujus medio *ponens me* ſubintelligenda. Vult dicere ut ſuprà 17. 20. *eduxit me in latitudinem:* ubi Græci, ut & hoc loco, *εἰς πλατυσμόν.*

7. *Et ego deſpiciam inimicos meos*] Efficiet ut eorum perniciem videam: quod ſuprà 58. 12. *Oſtendet mihi ſuper inimicos meos.*

9. *Bonum eſt ſperare in Domino, quàm in Principibus*] *Vana* enim *ſalus hominis*, ſuprà 107. 13.

13. *Impulſus*, &c. *ſum ut caderem*] Metaphora à pariete aut maceria, ut videtur, deducta. Vide ad 61. 4. dicta.

15. *Vox exſultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum*] *Et ſalutis*, ob ſalutem. Suprà 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.*

17. *Non moriar, ſed vivam*] Ità 4 Reg. 18. 22. *Vivetis, & non moriemini:* ut contra, Eſai. 38. 1. *morieris, & non vives.* Vide quæ de hujuſmodi formulis ad 106. 40. dicta.

Ibid. *Vivam, & narrabo opera Domini*] Non enim mortui laudant eum, ſed qui vivunt, ſuprà 113. 17. Infrà 118. com. 175. *Vivet anima mea, & laudabit te:* & 79. 19. *Vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.*

18. *Caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me*] Suſcepit me (ut 106. 17.) de via iniquitatis meæ, propter injuſtitias enim meas humiliatus fui. Caſtigavit me (ut Tob. 13. 5.) propter iniquitatem meam; & ſalvavit me propter miſericordiam ſuam. Opponitur ei quod hoc Pſalmi loco habemus, *viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, non pepercit à morte animabus eorum*, quod ſuprà 77. 50. occurrit.

27. *Illuxit nobis*] Signatum eſt (ut 4. 7.) ſuper nos lumen vultûs ejus.

PSALM. CXVIII.

MUNSTERUS.

3. DOmus Aharon] Nomine *Aharon* comprehendit Propheta David omnes Sacerdotes, atque invitat eos ad laudem Domini. Putant autem hunc Pſalmum ab eo editum cùm ab univerſo Iſraël in Regem eligeretur, aut cùm Arcam fœderis in civitatem ſuam cum magna populi frequentia atque pompa introduceret.

5. *Exaudivit me in latitudine*] h. e. Poſt multas tribulationes & anxietates, in quibus vix reſpirare licuit, dedit tempora ſerena & quieta, ut latiſſimè jam in Regno meo ſit diffuſa pax & tranquillitas.

7. *Qui mihi ſunt auxilio*] Loquitur de ſexcentis illis viris qui eum fugitivum ſtipabant.

10. *Omnes gentes circumdederunt me*] Gens enim propria expulit eum è Regno; & circumjacentes gentes, putà Philiſtæi & Amalekitæ atque aliæ, quærebant animam ejus, atque odio ejus flagrantes *quaſi apes* eum obſederunt, & *ceu ignis qui graſſatur in ſpinis:* at ipſe fretus *nomine Domini* victoriam ſibi pollicebatur, & illis interitum, præſertim externis gentibus

13. *Impulſiſti me*] Hoc peculiariter videtur dictum ad Saulem.

19. *Aperite mihi portas juſtitiæ*] Vocat Templum *portas juſtitiæ*, atque cœtum ſacrum in quem non veniunt niſi *juſti.* Cùm autem ipſe extorris eſſet, videbantur ſibi hæ portæ clauſæ.

22. *Lapidem reprobaverunt*] Fui, inquit, rejectus veluti lapis inutilis, qui nulli ædificii loco idoneus videtur, & rurſus Dei beneficio reſtitutus in digniſſimum Regni locum ſum evectus, etiam præter totius populi exſpectationem. Atque in hoc Chriſti geſſit typum, qui hæc verba hoſtibus ſuis objecit Matth. 21. Utrumque autem *mirabile in oculis* Jehudaïci populi.

24. *Hic eſt dies quem fecit Dominus*] Sic canebat populus cùm David in Regem eveheretur: Sic & omnes Chriſti fideles canunt & canent, congratulantes Chriſto ad immortalitatem reſurgenti.

25. *Obſecro, Domine*] Sic clamabant novo Regi David: ſic quoque acclamaverunt Chriſto, Matth. 21. dicentes, הושענא more Chaldaïco, pro הוֹשִׁיעָה נא, etiamſi הושענא Chaldaïcè ſonet, *Salva nos.* Unde veteres ordinaverunt orationem in die octava feſti Tabernaculorum dicendam, in qua ramos & faſciculos frondium Jehudæi portare jubentur, quæ ſic incipit, *Propter te, Deus, ſalva nos; Propter te; Domine dominorum, ſalva nos*, &c. ut non temere turbæ ante Chriſti paſſionem ramos acceperint, & clamaverint, *Hoſanna, ſalva nos, Fili David*, cùm uſum hujuſmodi ritûs etiam priùs habuerint.

VATABLUS.

1. COnfitemini Jehovæ הודו ליהוה] *Celebrate Jehovam.*

5. *In latitudine* בַּמֶּרְחָב] Subaudiendum, *& ſtatuit me*, hoc modo, *Cùm ego coartarer, imploravi opem Domini, & ſtatuit me in loco lato & amplo:* h. e. liberavit me.

6. *Jehova mecum*, &c. יהוה לי וגו׳] *Jehova mihi* [vel *meus erat*] *non timebam: quid enim feciſſet mihi homo?*

7. *Jeho-*

7. *Jehova mecum eſt* יהוה לי] *Jehova meus eſt*, vel *pro me eſt, cum iis qui auxiliantur mihi.* ¶ *Videbo*, &c. אראה בשנאי] *Videbo inimicos meos:* i. e. deſpiciam eos.

10. *Spero*, &c. בשם יהוה כי אמילם] Hebraïcè tantùm legitur, *In nomine Jehovæ quòd ſuccidam eos.* Quidam ſubaudiunt bis *ſperavi*, hoc modo, *& ſperavi in nomine Domini: ſperavi, inquam, quòd exſcinderem eos:* ſic in duobus proximè ſequentibus verſibus. De Palæſthinis, & vicinis Terræ ſanctæ populis loquitur, quorum obſidionem quater repetit.

12. *Velut apes* כדבורים] *Ut multa apum examina.*

13. *Impuleras me* דחיתני] *Impuliſti me.* Saulem, aut quem alium inimicum alloquitur: i. e. vehementer & omnibus modis adortus es me, ad lapſum ſolicitans.

15. *Facit fortitudinem* עשה חיל] *Facit virtutem:* i. e. fortia. q. d. Fidelibus parit victoriam ſtrenuè pugnando.

18. *Corripiendo corripuit* יסר יסרני] *Caſtigando caſtigavit me:* i. e. corripuit me ſeriâ caſtigatione, at non ſivit me mori.

19. *Portas juſtitiæ* שערי צדק] i. e. Templum, in quo congregantur juſti & ſancti, ut coram illis gratias agam Deo. Jubet portas aperiri, quæ quamdiu extorris fuit, clauſæ illi fuerant.

21. *Confitebor tibi* אודך] *Celebrabo te.*

24. *Exſultemus & lætemur* נגילה ונשמחה] *Exſultabimus & lætabimur.*

25. *Da nunc felicem ſucceſſum* הצליחה נא] *Fac ut nunc proſperè agamus*: vel *agat*, ſub. *Chriſtus tuus Rex:* Nam hæc acclamabant illi ingredienti in Jeruſalem.

26. *Benedicimus vobis* ברכנוכם] Præt. Heb. pro præſ. *felicia omnia imprecamur vobis* nos qui *de domo Domini* ſumus: i. e. nos Sacerdotes, aut qui colimus Dominum.

27. *Fortis Jehova* אל יהוה] *Deus Jehova* eſt: ut ſeq. verſu. ¶ *Agnum* חג] Propriè *ſolennitatem* & *feſtum diem* ſignificabat; ab חגג *ſaltavit*, *ſubſilivit*: quòd in illo die lætitiæ gratiâ ſaltarent. *Agnus* quoque, vel *pecus*, ſive *hoſtia* eodem appellatur nomine, quòd cum lætitia & tripudio offerretur. עבות autem *funem qui filis multis conſicitur*; ſic dictum ab *implicatione*, vel *denſitate*. Unde Græci ἐν τοῖς πυκάζουσιν, *in condenſis* verterunt. ¶ *Uſque ad cornua* עד קרנות] Sub. *adducite alligatum*. q. d. Vos igitur omnes, gratias agentes, ligatas funibus denſis victimas Deo offerte, & adducite ad cornua altaris holocauſti.

29. *Confitemini Jehovæ* הודו ליהוה] *Celebrate Jehovam.* Eodem verſu inchoat & finit Pſalmum.

CASTALIO.

22. L*Apis ab ædificatoribus improbatus, adhibitus eſt ad caput anguli*] Expulſus David, tamen Rex evaſit: quod idem accidit & Chriſto.

CLARIUS.

HYmnus eſt quo David defunctus jam malis ſuis, & in Regem totius Iſraelis evectus, publicè in Tabernaculo Dei gratias egit, ac ſimul Chriſti in ſe imaginem expoſuit.

3. *Domus Aaron*] Nomine *Aaron* comprehendit Propheta David omnes Sacerdotes, atque invitat eos ad laudem Domini.

5. *In tribulatione*] Vel, *in anguſtia*; cui pòſt opponit *latitudinem*, & favorem adverſitati.

7. *Inter adjutores meos*] Loquitur de ſexcentis illis viris qui cum fugitivum ſtipabant. ¶ *Deſpiciam inimicos meos*] Heb. *aſpiciam in inimicis meis*, ſcilicet *ultionem*. Sic quod infrà ait, *ultus ſum in eos*, in Hebræo eſt *ſuccidam eos.*

10. *Omnes gentes*] Gens enim propria expulit eum è Regno, & circumjacentes gentes, putà Philiſthæi & Amalechitæ atque aliæ, quærebant animam ejus, atque odio ejus flagrantes *quaſi apes* eum obſederunt, & *ceu ignis qui graſſatur in ſpinis:* at ipſe fretus *nomine Domini* victoriam ſibi pollicebatur, & illis interitum, præſertim externis gentibus.

12. *Extincti ſunt ſicut ignis in ſpinis*] Qui ſcilicet citò exſtinguitur.

19. *Aperite mihi portas juſtitiæ*] Vocat Templum *portas juſtitiæ*, atque cœtum ſacrum in quem non veniunt niſi *juſti*: cùm autem ipſe extorris eſſet, videbantur ſibi hæ portæ clauſæ.

22. *Lapidem quem reprobaverunt*] Fui, inquit, rejectus velut lapis inutilis, qui nulli ædificii loco idoneus videtur; & rurſus Dei beneficio reſtitutus in locum Regni digniſſimum ſum evectus, etiam præter totius populi exſpectationem. Atque in hoc Chriſti geſſit typum, qui hæc verba hoſtibus ſuis objecit Mat. 21. Utrumque autem *mirabile fuit in oculis* Judaïci populi.

24. *Hæc dies*] Sic canebat populus cùm David in Regem eveheretur; ſic & omnes Chriſti fideles canunt & canent gratulantes Chriſto à mortuis ad immortalitatem reſurgenti.

25. *O Domine, ſalvos fac*] Sic acclamabant novo Regi David; ſic quoque acclamaverunt Chriſto Matth. 21. Veteres autem Hebræi ſtatuerant ut in die octava feſti Tabernaculorum, in qua ramos & faſciculos frondium Judæi portare jubentur, hæc precatio diceretur, *Propter te, Deus deorum, ſalva nos; Propter te, Domine dominorum, ſalva nos*, &c. ut non temere turbæ ante Chriſti paſſionem ramos acceperint, & clamaverint, *Hoſanna*, (quæ vox Chaldaica eſt, & ſignificat *Salva nos*) cùm uſum hujuſmodi ritùs etiam priùs habuerint.

26. *Benedictus qui venit*] Ea videtur primùm fuiſſe vox Sacerdotum, quâ exceperunt & Regem & alios ad Tabernaculum Domini venientes.

27. *In condenſis*] Hier. vertit *in frondoſis*. Colligate, inquit, ſub diem feſtum ramos, & Templum ornate *uſque ad cornu altaris*. Poteſt & verti, *Alligate hoſtiam funibus*. Sed Interpres ſtuduit ſenſum explicare magis quàm verba.

LUCAS BRUG.

28. D*Ormitavit anima mea præ tædio.*] Sic Latini codices habent, cum Latinis Enarratoribus, Arnobio, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Caſſiodoro, & poſterioribus. Sic habent & noſtri Græci codices, ἐνύςαξεν ἡ ψυχή μου ἀπὸ ἀκηδίας, cum Græcis tractatoribus Euthymio & Theodorito. Sacer autem Ambroſius, qui magnâ ſemper curâ genuinam Scripturæ lectionem inveſtigat, pro *dormitavit*, *ſtillavit* legit: &, *Aliqui*, inquit, *codices habent* dormitavit, *quia* ἐνύςαξεν *&* ἔςαξεν, *duabus literis diſſonant. Potuit Interpres*, vel *antiquarius ſcriptor*, *hic falli.* νυςάζειν dormire *eſt*, ςάζειν ſtillare, &c. *Qui facilioribus igitur laborum utuntur compendiis* dormitavit *accipiunt: ſed Origenes, qui multorum interpretationes diligenti diſcuſſit indagine*, ſtillavit *ſecutus eſt.* Hactenus Ambroſius. Collegit autem Origenes ἔςαξεν potiùs quàm ἐνύςαξεν legendum ex Hebraïco fonte, דלפה נפשי מתוגה. *Dalaph* omnium ſententiâ ςάζειν ſeu *ſtillare* ſignificat. Hinc legimus Prov. 27. 15. דלף טורד ביום סגריר וגו' *Stillatio aſſidua in die pluviæ* & litigioſa mulier comparantur. Itaque ex Hebræo Hieronymus vertit, *diſtillavit anima mea præ ſtultitia*, vel (ut tria ex noſtris MSS. unum Beſſarionis, alterum Hunnæi, Plantini tertium, legunt, & alii transferunt) *præ triſtitia.* Leguntur & LXXII. hanc ipſam Hebraïcam dictionem *Dalaph* ad hunc modum interpretati. Job. 16. 21. quod Hebraïcè eſt דלפה עיני, & Latinus reddidit *ſtillat oculus meus*, illi tranſtulerunt ςάζοι [ςάζοι Gq.] μου ὁ ὀφθαλμός. Rurſus quod eſt Eccleſ. 16. 18. ידלף הבית, Latinus *perſtillabit domus*, LXX. ad eundem modum ςάξει ἡ οἰκία interpretati ſunt. Videri igitur poſſint & hoc Pſalterii loco ex דלפה ἔςαξεν reddidiſſe: niſi fortè dicat quis, hos LXXII. Interpretes operas diviſiſſe, nec ab eis Job atque Eccleſiaſten tranſlatos à quibus Pſalmi converſi ſunt: quæ ſententia quibuſdam hodie viris doctis probatur. Sed ſit vera ea opinio; non poteſt tamen non probabile videri ἔςαξεν hoc loco ſcriptum eſſe. νυςάξῃ & νυςάξει legimus Pſal. 120. 3, 4. ſed ex נום, non ex דָּלַף: iterum νυςαγμόν, Pſal. 131. 4. ſed ex תנומה, non ex דָּלַף. Utut autem ſit, ſive ἔςαξεν ſive ἐνύςαξεν LXX. reddiderint, noſter Lat. Interpres ἐνύςαξεν legit, vertitque *Dormitavit anima mea præ tædio*: quod tamen non adeò ab ἔςαξεν ſeu *ſtillavit* diſcrepat. Nam quæ *ſtillat anima*, h. e. cujus vires tanquam per aſſiduam ſtillationem defluunt, quaſi dormitat: ut prætercam, non abſimilem eſſe ſtillationi dormitantium nictationem.

59. *Et converti pedes meos in teſtimonia tua.*] Pleraque exemplaria *converti* ſcribunt; nonnulla *averti* (quod eſt, revocavi) Epanorthotæ quædam, Lugdunenſium quædam, atque ex noſtris Brugenſe. Epanorthotæ verba ſunt, *Et infrà*, *Et averti pedes meos, i. e. ab aliis verti in teſtimonia tua*; *aliàs*, *Converti.* Utramque lectionem admittunt & Hebraïca vox אשיבה, & Græca ἐπέςρεψα, quanquam ex ἀπέςρεψα fortaſſe ſit *averti*. Inter Latinos Enarratores Ambroſius *averti* legit; id quod ex ipſa ejus enarratione fit veriſimile: ſimiliter Auguſtinus & Proſper, quorum explicatio eſt, *Averti ſcilicet à viis meis, quæ diſplicuerunt mihi, ut irent in teſtimonia tua, atque ibi haberent viam.* Caſſiodorus autem, & ex poſterioribus multi, *converti* legerunt. Hieronymus ad Suniam & Fretelam, *In eodem*, Et converti [convertiſti 1 MS. avertiſti 1 MS.] pedes meos in teſtimonia tua. *In Græco legiſſe vos dicitis* καὶ ἐπέςρεψα, *i. e.* & averti. *Sed & hoc ſuperfluum eſt.* Neſcio an depravatus ſit hic Hieronymi locus: verumenimvero magis depravatum reor in manuſcriptis quæ vidimus duobus, in quibus *convertiſti* ſeu *avertiſti* probatur, *averti* ſuperfluum judicatur: cùm non tantùm Græcis, ſed & Hebræis atque Chaldæis, prima legatur perſona, nec alia

repe-

reperiatur in Hieronymianæ tranſlationis antigraphis; conſtanter enim habent, *Et converti pedes meos ad teſtimonia tua*, uno Tornacenſi excepto, in quo *convertiſti* eſt. Meminit lectionis hujus, *Et avertiſti pedes meos*, Auguſtinus: ſed non exiſtimaſſe ſe genuinam eſſe ſatis inſinuat.

118. *Sprevisti omnes diſcedentes à judiciis tuis.*] Quinque Hentenii manuſcripta, duo Pariſienſium, & antiqua Epanorthotæ, pro *judiciis*, *juſtitiis* habent, quibus ſeptem ex noſtris exemplaribus, eaque emendatiora, conſentiunt: ſed & alia tria, in quæ diverſarum editionum congeſta ſunt Pſalteria, Lobienſe, Tornacenſe ac Stapulenſe, ſuffragantur. Bedæ, Brunonis, Richelii, Pelbarti, Paſturæ & Titelmanni, poſteriorum Enarratorum, eadem eſt lectio. Veterum, Arnobii, Hilarii & Hieronymi, commentariis inſerti textus ad eundem modum *juſtitiis* legunt: ſed ipſa Hilarii commentaria *juſtificationes* nominant. Hebraïcè eſt חקים. *Hukkim* ſeu *Hukkoth* Latini ex Hebræo Interpretes *præcepta* vel *ſtatuta* tranſtulerunt: Græci LXX. δικαιώματα converterunt, cùm hoc tum pleriſque hujus Pſalmi locis. Δικαιώματα autem Latinus noſter ex Græco Interpres eodem hoc Pſalmo, centies, ſi fieri poteſt, interpretatus eſt *juſtificationes*. Atque & hoc loco *à juſtificationibus* diſertè legunt Ambroſius, Auguſtinus, Proſper & Caſſiodorus: quibus conforme eſt Romanum Pſalterium. Gallici igitur Pſalterii potior lectio eſt *juſtitiis*, quippe quæ & Patrum lectioni vicinior, & conſuetæ tranſlationi ſimilior, & caſtigatioribus exemplaribus ſit conformior. Atque in hanc Reverendiſſimus D. Lindanus & Pariſienſes abeuntes ſententiam, *juſtitiis* emendarunt. δικαιώματα, *juſtitias* ab Interprete converſa & in 17. Pſalmo reperio, v. 23. ubi & Hebraïcè eſt חקות. *Judicia*, κρίματα Græcè, Hebraïcè משפטים dici ſolent; quanquam diverſis his nominibus eadem Dei lex ſignificetur; *judiciis*, quòd eam Dei ſententia obſervandam decreverit; *juſtitiis* vel *juſtificationibus*, quòd juſtitiæ conformis ſit, veram præſcribat juſtitiam, juſtoſque qui obſervant faciat.

147. *Præveni in maturitate.*] Græcè eſt προέφθασα ἐν ἀωρίᾳ, quod eſt, *Præveni in immaturitate*, ſive, ut S. Ambroſius interpretatur, *ante horam, ante tempus.* Mirum itaque eſt Latinis codicibus, quorum eſt ex Græco verſio, legi, *Præveni in maturitate*: ſic enim legunt quotquot habemus manuſcripta, niſi quòd quædam ità ſcribant ut an *immaturitate* ſeu *inmaturitate* legendum ſit, meritò dubites. Innumera alia R^mus D. Lindanus conſuluit, nec invenire potuit quod *in immaturitate*, ſicut Græcus habet, legeret, niſi tandem in Eccleſia Barlo, juxta Venloniam ſita, unum, id quod nos ex probatiſſimi Antiſtitis fide in Bibliorum margine annotavimus. Legit quidem & Regiorum Bibliorum Latinus textus *in immaturitate*: ſed is Græco textui accommodatus eſt, occaſione quam diximus aliquando. Iſtud ipſum de ſui temporis codicibus queſtus eſt Auguſtinus, cujus 29. concione hæc ſunt in hunc locum verba, *Quod ſequitur habet aliquid obſcuritatis, quod aliquantò diutiùs exponendum eſt*; Præveni intempeſtà nocte & clamavi. *Plures codices non habent* intempeſtà nocte, *ſed* immaturitate. *Vix autem unus inventus eſt qui haberet geminatam præpoſitionem*, *i. e.* in immaturitate. Immaturitas *itaque in hoc loco nocturnum tempus eſt, quod non eſt maturum, i. e. opportunum, ut agatur aliquid vigilando, quod etiam vulgò dici ſolet* hora importuna. Nox *quoque* intempeſta, i. e. *media, quando quieſcendum eſt, hinc proculdubio nuncupata eſt, quia importuna eſt actionibus vigilantium*, &c. *Quod ergò Græcè dictum eſt* ἐν ἀωρίᾳ, *non uno verbo, ſed duobus, i. e. præpoſitione & nomine, hoc Interpretes noſtri quidam dixerunt* intempeſtà nocte. *Plures* immaturitate, *non duobus verbis, ſed uno, cujus vocabuli nominativus eſt* immatutitas. *Nonnulli verò in duobus verbis, ſicut Græcus poſuit*, in immaturitate: *ἀωρία quippe* immaturitas *eſt*, ἐν ἀωρίᾳ in immaturitate. Hæc D. Auguſtinus: in quibus, præterquam quòd conqueratur vix in ullis codicibus inveniri potuiſſe *in immaturitate*, id obſervandum eſt, non eum agnoviſſe eam lectionem quæ noſtrorum hodie eſt codicum, *in maturitate*; ſed has duntaxat tres, *intempeſtâ nocte*, *immaturitate*, *in immaturitate*. *In maturitate* ſi legiſſet, probaturus non fuiſſe videtur, utpote à cæteris interpretationibus & Græco textu alienum. Fortaſſis etiam legit, atque ob hanc cauſam nihili fecit. Si autem earum quarum meminit Auguſtinus aliqua noſtri Interpretis verſio eſt, aut *immaturitate* eſt, aut *in immaturitate*. Nam *intempeſtâ nocte*, quam Proſper ſecutus eſt, noſtrorum codicum ſcripturæ diſſimilior eſt. D. Bruno Herbipolenſis Antiſtes *immaturitate* Pſalterium caſtigavit: atque hoc certè modo non pauci ſcriptorum codicum legi patiuntur: quin & Ludolphus ad hunc legit modum, & ſubaudiendam monuit *in* præpoſitionem, i. e. *in immaturitate*. Hieronymus Varlenius *in immaturitate* Interpretem reliquiſſe opinatur. Opinionis ejuſdem & Ruræmundenſis Epiſcopus eſt, qui, ſecutus, vix dubium, illud quod juxta Venloniam reperit antigraphum, ad hunc modum Pſalterium emendavit, *Præveni in immaturitate.* Similiter Argentoratenſes, in eo quem cum tranſlationibus 4. & Paraphraſibus duabus ediderunt Pſalmorum libro, *Præveni in immaturitate.* Atque hanc, aut eam certè quæ Herbipolenſis Epiſcopi eſt, caſtigationem comprobat Remigii Antiſſiodorenſis expoſitio, ea quæ hujuſmodi eſt, *Et meritò debes me clamantem & honeſta petentem exaudire, quia ego alios* præveni in maturitate, *i. e. in adoleſcentia, quæ ætas eſt immatura & indomita ad cuſtodienda mandata tua*, &c. *Cùm ergò adhuc ætate viderer immaturus ad talia, tamen ad te clamavi, & præveni alios bene vivendo.* Adſtipulatur Haymonis Alberſtattenſis commentarius; *Et non tantùm clamavi, ſed etiam præveni alios in maturitate, quia cùm alii in perfecta & matura ætate ad te venire ſoleant, ego puer & immaturus ad te feſtinavi. Vel* præveni in maturitate, *i. e. ante adventum tuum, ſcilicet ante tempus plenitudinis & gratiæ, ad te promerendum.* Suffragatur D. Ambroſii enarratio, ex qua interlinearis Gloſſa deſumpta eſt, *Præcurrit*, Ambroſius ait, *ætatis maturitatem quiſquis in adoleſcentia poſitus ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranâ quadam continentiâ regit, fervoremque virentis corporis in cana morum maturitate componit.* Quibus ex verbis patet Ambroſium non, ut textus habet, *Anticipavi in maturitate*, legiſſe, ſed, *Anticipavi maturitatem*, vel *Anticipavi*, ſeu *præveni, in immaturitate*, aut, quod ad eundem modum intelligo, *immaturitate.* Hilariana commentaria de Hilario id ipſum loquuntur. Sic habent, *Addidit adhuc & meritum obtinendæ ſalutis, dicens*, Præveni in maturitate & clamavi, in verba tua ſemper ſperavi. *Non exſpectavit infirmam à vitiis ſenectutem, neque deferveſcentibus longo uſu luxuriæ æſtibus, frigidæ ætatis tempus elegit: ſed maturitatem omnem fide & religione prævenit, vincens per continentiam laſcivientes annos, & ſenectutis maturitatem modeſtæ & caſtæ adoleſcentiæ tranquillitate præveniens.* Videntur Hilarius & Ambroſius *præveni maturitatem* legiſſe: ſed facilè habuiſſe potuerunt, *Præveni immaturitate* aut *in immaturitate*, & expoſuiſſe id quod hinc ſequitur atque idem unum eſt, *Præveni maturitatem*: (nam & in Auguſtino id licet obſervare;) utique enim qui prævenit in immaturitate, prævenit maturitatem. Eſt autem ex his operæpretium animadvertere, ad quem modum Scripturæ textum, Patrum commentariis interjectum, quâ fuerunt indoctiſſimi ſcribæ audaciâ, ad vulgatam legendi rationem immutarint, cùm ipſa commentaria ſubjecta reclament. Id & aliàs non rarò notavimus. Theodorito in Latinum verſo data eſt Vulgaris noſtræ editionis ſcriptura *in maturitate*, ſed commentarius ἐν ἀωρίᾳ exponit. Nonnunquam etiam ipſa Patrum verba ei legendi modo quem ſubſtituerant accommodaſſe deprehendimus. In promptu eſt exemplum, hoc ipſo loco commentariorum Hilarii: ſequitur enim poſt paululum, recitato verſu proximo, *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua: Qui in maturitate clamorem prævenerat, nunc ipſos dies meditationibus prævenit.* Quomodo hìc poſteriori prius reſpondeat, aut quid hoc eſſe poſſit, niſi legas, *Qui maturitatem clamore prævenerat?* Sic namque reſtituendus videtur locus. Quemadmodum autem in Patrum enarrationibus genuina lectio in eam quæ vulgi errore recepta eſt mutata conſpicitur; ſic proculdubio & in ipſis ſacrorum Bibliorum accidit libris. Emendatum licèt exemplar deſcribentibus propoſitum eſſet, errare id cenſuerunt ſi in pervulgatum errorem non conſpiraret: ità tandem factum eſt ut germana lectio oppreſſa exſtinctaque ſit, nec inveniri poſſit à poſteris, qui magnâ ſedulitate inveſtigant, quam olim exſtitiſſe argumentis certis colligunt. Primus autem error ſæpenumero ex re non intellecta commiſſus eſt: quod non intelligebant, perperàm ſcriptum judicabant, itaque corrigendum, ad ſimilem quempiam modum, quo poſſet & facilè intelligi & ab autore ſcriptum videri. Sic hoc opinor in loco, cùm ejus quod ſcriptum erat, *Præveni immaturitate* aut *inmaturitate*, ſenſum non viderent, errorem eſſe judicarunt, emendandum, in duas unà voce diſtractà, *Præveni in maturitate.* Rurſus cùm in aliis legerent exemplaribus *Præveni in immaturitate*, quòd ſcirent immaturè nihil aut dicendum aut gerendum, ſcribendum potiùs exiſtimarunt ad eundem modum *Præveni in maturitate*, errorem, dum corrigere vellent, facientes. Aut fortaſſe movit quòd *in immaturitate* ſignificari arbitrati ſunt, poſt maturum tempus; itaque quandam verborum inter ſe repugnantiam eſſe, *præveni, in immaturitate*; cum enim qui præveniſſet, maturè veniſſe dicerent. Porrò citra omnem aut corruptelam aut ambiguitatem, in Brunonis Carthuſiani elucidarionibus hanc explicatam invenio lectionem, *Præveni in immaturitate.* Sic ibi legitur, *Et juſtum eſt ut me ſalvum facias & exaudias, propter hæc merita mea, quia ego adhuc poſitus* in immaturitate, *i. e. immaturâ ætate, ſcilicet in juventute, quæ eſt ætas immatura, fervens, & prona ad*

omnia vitia magis quàm ſenectus, præveni *in bonis operibus*, *i. e. anteveni cæteros fideles, qui tandem in ſenectute, quæ matura ætas eſt, cœperunt bene operari*, &c. Matura ætas *ſenectus dicitur, eò quòd in ſenectute ex natura maturiores mores homines habeant.* Immatura *verò* ætas *dicitur juventus, eò quòd in juventute contingat ex natura mores habere immaturiores*, &c. In Gloſſa Joannis de Turre-cremata hoc, & quidem ſolum, lego, *Ex magno orandi affectu præveni horam opportunam in qua ſolet fieri oratio: praeoccupavi faciem tuam, ut lætus & vigilans tibi occurrerem.* Multùm igitur veriſimilis eſt hujus loci, aut hæc, *Præveni immaturitate*, aut iſta lectio, *Præveni in immaturitate.* Cæterùm nolo ego pronunciare adulterinam eſſe *Præveni in maturitate*, præſertim cùm eſſe videatur, non tantùm recentiorum Enarratorum, Lyrani, Richelii, verùm etiam veterum quorundam: id quod ex commentariis Arnobio & Hieronymo adſcriptis intelligi poſſit. In Arnobii commentario ad hunc habes modum, *Præveni in maturitate & exclamavi. Fui puer, poſtea adoleſcens, itemque juvenis, nunc ecce jam ſenui, & vitæ meæ finem attendens, in hac maturitate poſitus clamo, & præveniunt oculi mei*, &c. In Hieronymi, *Vetera vitia pudicitiâ juvenili prævenit, qui per maturitatem vivacis animi ſpem ſuam nunquam à verbis Dei removit.* V. Beda utrumque inſigniter exponit, *Præveni in maturitate* & *Præveni immaturitate.* Hoc itaque modo, cùm ad Græcorum codices tum ad Latinorum enarrationes collatæ ſint propoſitæ varietates: reſtat nunc ut eadem ad Hebraïcum fontem diſcutiamus. Hebraïcè eſt קדמתי בנשף: id quod quidam *præveni in crepuſculo*, quidam *Præveni crepuſculum*, vertunt. Prior interpretatio ei lectioni non malè convenit quæ habet, *Præveni in maturitate.* Eſt enim crepuſculum maturum orationi tempus, ſicut aurora, quæ continuò ſuccedit crepuſculo, ſtudiis eſt amica. Poſterior verò tranſlatio alteram lectionem, *Præveni in immaturitate*, tutatur, atque eò ampliùs quòd ſeptuagintaduorum verſioni ſimilis ſit: quod enim crepuſculum antecedit tempus, ἔςιν ἡ τῆς νυκτὸς ἀωρία. In eandem ſententiam vertunt alii, *Præveni diluculum*; alii, *Præveni in nocte.* Hieronymus, *Surgebam adhuc in tenebris*, qui & aliis non paucis Scripturæ locis, cum Græcis tranſlatoribus, נשף *tenebras* interpretatus eſt.

DRUSIUS.

10. אֲמִילַם. Sym. διέθρυψα, *confregi*, ſive *contrivi*] Plenum eſt διέθρυψα αὐτὰς, *contrivi eos.* Sic Sirach. 43. 16. διεθρύβησαν λίθοι χαλάζης. Thema διαθρύπτω, quo uſi ſunt & Lxx. Levit. 2.

11. סַבּוּנִי גַם־סְבָבוּנִי. Sym. ἐκύκλωσάν με, καὶ πάλιν περιεκύκλωσάν με, *circumdederunt me, & rurſum circumdederunt me.*

12. דֹּעֲכוּ כְּאֵשׁ קוֹצִים. A. & Sym. καὶ ἀπεσβέσθησαν ὡς πῦρ ἀκανθῶν, *& extincti fuerunt ut ignis ſpinarum.*

22. לְרֹאשׁ פִּנָּה. Sym. ἀκρογωνιαῖος, *ſummus* (vel *imus*) *angularis.*

23. מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת. A. Παρὰ Κυρίȣ ἐγένετο τȣ̃το, *A Domino fuit iſtud.* ¶ הִיא נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ. A. αὐτὸ παράδοξον ἐφάνη ἡμῖν. Sym. αὕτη ἐςὶ θαυμαςὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν.

25. אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא. A. Sym. Th. & V. ed. Ὦ δὴ, Κύριε, σῶσον δὴ, ὦ δὴ, Κύριε, εὐόδωσον δὴ] In epiſtola Damaſo inſcripta, quæ eſt inter Hieronymianas 145. legitur vulgò ὦ Κύριε· ſed legendum ὦ δὴ docent ſequentia verba, *Sola VI editio cum Interpretibus Lxx. ità congruit ut ubi cæteri poſuerunt ὦ δὴ, illi ſcripſerint ὦ.* ¶ Σῶσον δὴ, *ſerva, obſecro*, vel *ſerva nunc.* In Lexico Suidæ, Ὠσαννὰ, δόξαν σημαίνει· παρά τισι δὲ, Σῶσον δὴ, ȣ̓κ ὀρθῶς. Imò contra, Ὠσαννὰ, Σῶσον δὴ σημαίνει· παρά τισι δὲ, δόξαν, ȣ̓κ ὀρθῶς. Nam *gloria* כבוד dicitur, non *Hoſanna.* Hier. in Comment. Matth. 21. *Symmachus, Obſecro, Domine: ſalvum fac, obſecro.* His adde ex epiſt. ad Damaſum, *VI. editio, O Domine, ſerva, obſecro; O Domine, proſperare, obſecro*: & ex Comment. ſuper epiſt. Philemoni ſcriptam, אנה. *Sym.* δέομαι. Autor operis imperfecti hom. 37. in Matth. HOSANNA *quidam interpretantur* GLORIAM, *alii*, REDEMPTIONEM, *alii*, SALVUM FAC. Quomodo *redemptionem*? In Jeroſolymitana פרק, i. e. *redime.* Idem dicit aliis verbis. Nam qui redimit, etiam ſervat, & contrà. Puto abeſſe כען vel כדון, i. e. *nunc.* Ei reſpondet נא in Ebræo textu: unde compoſitum הושענא, quod ità contraxerunt ex הושיעה נא *ſerva nunc*; nihil verius. In lingua Syrorum אושענא valet etiam *ſerva nos.* Qua de re diximus ſuo loco. Scribunt Ὠσαννὰ cum duplici *N*; dubito an bene: nam eſt compoſitio verbi, non ex אנא ſive אנא, ſed ex הושע & נא, niſi dicamus alterum *N* poſitum eſſe pro ע, quod mihi non videtur. Potiùs inclino ut credam patres hujus ſcripturæ in mente habuiſſe אנה *obſecro*; unde & Hieronymus putavit factum *Hoſanna*, quaſi הושיעאנא, aut contractiùs הושאנא, A in è medio eliſa extritáque, ut in *Jacob*, *Chananæus*, & ſimilibus. Pergamus nunc ad alia.

26. בָּרוּךְ הַבָּא בְּשֵׁם יְהוָה. A. Sym. Th. & V. ed. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίȣ, *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

27. אִסְרוּ־חַג בַּעֲבֹתִים. A. δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι, *ligate feſtum cum pinguibus.* Sym. συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα, *colligate in panegyri denſas corollas*] Πυκάσματα ad verb. *denſitates*, i. e. denſos ramos, aut denſas corollas. Chryſoſt. Τί δέ ἐςι Συςήσατε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζȣσιν; κατὰ μὲν τὸν ἕνα ἑρμηνευτὴν (utrùm ſignificat Aquilam?) θύσατε θυσίας λιπαράς· κατὰ δὲ τὸν ἕτερον (Symmachum innuere videtur) ςεφανώματα καὶ κλάδȣς ἀνάψατε τῷ λαῷ.

AMAMA.

R. David, de *hoc Pſ. eſt diſſenſio inter DD. noſtros. Sunt qui ajunt Pſ. accipiendum de Davide, ſunt qui de diebus Meſſiæ.* Nos utrumque accipimus. Eſt Pſalmus Εὐχαρ. in quo primo David gratias agit pro liberatione varia, pro evectione ſui ad regnum, & vaticinatur de regno Chriſti tanquam illius Typus.

2. *Iſraël*, 3. *Domus Aharon.*] Annon Domus Aharon Iſraël? Certe; ſed obſervetur loquendi formula ſæpius obſervata, quia pars ſanctior & ſacratior, ſeorſim repetuntur. *Judæa & Jeruſalem. Terra Canaan & Jericho.* Sic *Milites Equiteſque* apud Paterculum. Vel per *Iſraëlem* intelliguntur *ſoli Laïci*, ut cum dividunt populum Iſraëliticum, in Sacerdotes, Levitas, Iſraël. Nam Sacerdotes & Levitæ, licet ex eadem tribu, tamen ſæpe diſcriminantur. Levitæ vox generalis & ſpecialis. Generalis pro omni qui ex tribu Levi, hoc ſenſu omnes Sacerdotes Levitæ. Specialis pro miniſtris Sacerdotum, hoc ſenſu Sacerdotes vocantur Aharonitæ.

5. *Exaudivit me* במרחב] *in latitudine, late, ample, gratioſe, copioſe*, vel *exaudiens collocavit me.* Unum pro duobus. Verbum prægnans Perſ. 1. *Quantum ſitiat canis Appula*, Et 3. *Oſcitat*, pro —— *do, eructat.* Sic in Cypr. *Eſurire*, Pſ. 68. Prov.

6. *DOMINUS* לִי] *Mihi*, adjutor eſt, vel *Meus* vel *pro me.* Contrà Genebr. Pſ. enim 94. 16. Hier. *pro me* habet. Kimchi עמי *mecum.*

7. בְּעֹזְרָי *Inter auxiliatores*] Vel auxiliator. Similes locutiones alibi notavimus.

אֶרְאֶה בְשֹׂנְאָי] *Deſpiciam oſores*, ſic Jun. Piſc. *Videbo malum in oſoribus meis.*

Quam in homine] Licet ergo fid. coll. in homine? Non. Comparationes adhibentur abuſive pro adverſativa particula. Sic 1 Cor. 7. 1. Par. 3. 17. Simile Luc. 18. 14. ubi μᾶλλον deeſt. Contra adverſativa ſæpe pro comparatione, Hoſ. 6. 6. Joël 2. 13. Matth. 5. 29.

Sicut apes] Et multitudo & impetus ſeu furor denotatur. Sunt enim apes ad vindictam proniſſimæ, ——

Læſæque venenum
Morſibus inſpirant & ſpicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animaſque in vulnere ponunt.

Ajunt enim eas amiſſo aculeo non diu vivere aut ſi ſupervivant omnino non poſſe amplius exercere mellificium.

GROTIUS.

22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*] Saül & aula ejus.

25. *O Domine ſalvum me fac*] In Hebræo, *Domine ſerva, quæſo*: nempe Regem. Nam prima Pſalmi ſunt, Regis recens uncti 2 Sam. 11. poſteriora, populi ac Sacerdotum bene ominantium Regi. Ex hoc loco ſumpta vox ὡσαννὰ, [*Hoſanna*] Matth. 21. 9.

26. *Benedictus qui venit in nomine Domini*] Felix ſit Rex à Deo nobis datus.

Benediximus vobis de domo Domini] Etiam nos qui de domo Domini ſumus, id eſt, Sacerdotes, fauſta precamur Regi ac populo.

27. *Conſtituite diem ſolennem in condenſis uſque ad cornu altaris*] חג quidem propriè *diem ſolennem* ſignificat, ſed per μετωνυμίαν, [*tranſnominationem*] ſumitur pro *victima diei ſolennis*, ut apparet Eſai. 29. 1. & ità hîc accepit Chaldæus Interpres. Illud בעבתים quod Græci vertunt ἐν τοῖς πυκάζȣσι, Latinus *in condenſis*, *funes* potiùs ſignificat: & vox prima אסרו, *ligate*, ut ſenſus ſit, *Ligate agnum funibus* (& ligatum ducite) *ad cornua uſque altaris*, ubi mactandus erat.

PRI-

P R I C Æ U S.

13. *In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui*] Vide ſuprà ad 16. 2. dicta.

19. *Incola ego ſum in terra*] Brevis ævi. πάροικος καὶ παρεπίδημος, ut 1 Petr. 2. 11.

73. *Manus tuæ*, &c. *plaſmaverunt me*] 2 Maccab. 7. 22, 23.

84. *Quot ſunt dies ſervi tui?*] Quàm breve eſt ſpatium vitæ meæ! ſi quid igitur in ultionem mei facturus es, face. Non diſſimile ſuprà 34. 17.

94. *Tuus ſum*] Vide quæ ad Act. 27. v. 22. annotavimus.

96. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*] Eccleſiaſtes 12. 13. *Finem loquendi*, &c. *audiamus, Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo*: i. e. in hoc omnis conſummationis humanæ finis perfectioque. Talia & Sirachidis 43. 19. iſta, *Multa dicemus, & verbis deficiemus; conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus.*

97. *Totâ die meditatio mea eſt*] Suprà 1. 2.

98. *Quoniam in æternum mihi eſt*] Hoc eſt, quoniam ſemper mihi eſt, ſupple, *cordi*. Vide infrà com. 111. Græci heic, ἐμή ἐςι· ſed, ni fallor, ἐμοί ἐςι legendum.

99. *Super omnes me docentes intellexi*]

——— *Meliorem præſto magiſtris*
Diſcipulum. ———

100. *Super ſenes intellexi*] Menander,

Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐςὶ τῇ φύσει γέρων.

Vide ad 1 Timoth. 4. 12. annotata.

101. *Ab omni mala via prohibui pedes meos*] Suprà 1. 1.

103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo*] Similia ſuprà 72. & infrà 127.

113. *Iniquos odio habui, Legem tuam dilexi*] Similis Rom. 12. 9. oppoſitio. Vide & infra heic com. 128.

116. *Et non confundas me ab exſpectatione mea*] Gr. καὶ μὴ καταισχύνῃς με ἀπὸ τῆς προσδοκίας μου. Paulus 1. 20. ad Philippenſes, Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν, &c. μου, ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι.

126. *Tempus faciendi, Domine*] Gr. Καιρὸς τοῦ ποιῆσαι τῷ κυρίῳ. Ità 1 Petr. 4. 16. Ὁ καιρὸς τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ, &c.

128. *Ad omnia mandata tua dirigebar*] Id eſt, dirigebam greſſus meos. Gr. heic, πρὸς πάσας τὰς ἐντολάς σου κατωρθούμην. Simile eſt, etſi ex parte contraria, Galat. 2. 14. πρὸς τὴν ἀλήθειαν οὐκ ὀρθοποδίζειν.

130. *Intellectum dat parvulis*] Gr. νηπίοις, quos heic eo ſenſu qui 1 Cor. 3. 1. intellige.

136. *Exitus aquarum*] In Gr. & heic, & ſuprà 1. 3. eſt διεξόδους ὑδάτων hoc loco tamen *exitus*, ibi *decurſus* vertit.

141. *Adoleſcentulus ſum, & deſpectus*] Vide ad 1 Tim. 4. 12. annotata.

I D E M.

1. *Beati immaculati in via*] In via (ut 100. 6.] immaculata ambulantes. Vide infrà com. 80.

9. *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos*] In devitando (ut 2 Tim. 2. 22.) juveniles cupiditates, *Corrigit*. Dirigit: *adoleſcentior*, adoleſcens, comparativum pro poſitivo. Intelligit autem ſeipſum.

10. *Ne repellas me à mandatis tuis*] *Nè abſcondas* (ut infrà com. 19.) *à me mandata tua.* LXX. hic, μὴ ἀπώσῃ με, &c. ut & ſuprà 44. 23. Heſychius, Μὴ ἀπώσῃ με, μὴ ἀποσκορακίσῃς με, &c. μὴ ἀποδοκιμάσῃς με.

14. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis*] Infrà com. 72. & 127.

15. *Et conſiderabo vias tuas*] *Conſiderare* heic, ut ſuprà 21. 19. & 36. 32. (etſi in finem longè diſparem) diligentem inſpectionem notat. Similis ſenſus infrà com. 115. *ſcrutabor mandata tua*: & Jacob. 1. 25. *in Legem perſpicere.*

18. *Revela oculos meos*, &c.] *Senſum* (enim) *tuum quis ſciet niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis?* Sapient. 9. 17. *Revela oculos meos*, eſt quod infrà com. 34. & 135. *da mihi intellectum.*

19. *Incola ego ſum in terra*] Tranſeo quaſi hoſpes unius diei. Vide ſuprà 38. 13.

20. *Concupivit anima mea deſiderare*, &c. Ἐπιθυμίᾳ (ut Luc. 22. 15.) ἐπεθύμησα.

22. *Aufer à me opprobrium & contemptum*] Infrà com. 39.

23. *Sederunt Principes, & adverſùm me loquebantur*] Suprà 49. 20. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris.* Et hoc puto eſſe quod Pſal. 1. 1. *in cathedra peſtilentiæ ſedere.*

24. *Et conſilium meum juſtificationes tuæ*] *Conſilium*, propoſitum, ſive cordis intentio.

26. *Vias meas enunciavi*] Nempe, tibi. Sic alibi, *Vitam meam annunciavi tibi.*

27. *Viam juſtificationum tuarum inſtrue me*] Id eſt, doce me, ut locutio conſtet. *Inſtrue me viam*, &c. pro, *in via.* Sic ferè 106. 23. *deſcendere mare*, pro, *in mare deſcendere.*

Ibid. *Et exercebor in mirabilibus tuis*] Infrà tamen 130. 1. *non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*: at ibi conſilia Dei, heic effectus conſiliorum ejus (id eſt, magnalia) intellige.

28. *Dormitavit anima mea præ tædio*] Philoſophia de Boëthio loquens, *Nihil periculi eſt, lethargum patitur* (q. d. νυστάζει ἡ ψυχὴ αὐτοῦ,) *communem illuſarum mentium morbum.* Legunt & Græci hic nonnulli, ἔσταξεν, id eſt, *ſtillavit.* Utrique lectioni accommodum eſt Pſal. 107. 28. illud, ἡ ψυχὴ ἐν κακοῖς ἐτήκετο.

30. *Viam veritatis elegi*] *Veritatis*, juſtitiæ. *Elegi* in Gr. ᾑρετισάμην· quò reſpiciens Heſychius, Ἡρετισάμην, ἠγάπησα, ἐπεθύμησα, ἠθέλησα, ἠράσθην· & alibi, Αἱρεσάμην, ἐξελεξάμην.

Ibid. *Judicia tua non ſum oblitus*] Λιτότης, pro, maximè memor eorum fui. Vide ad Apuleji 4. pag. 211. dicta.

35. *Quia ipſam volui*] In ea complacui mihi.

37. *Averte oculos meos nè videant vanitatem, in via tua vivifica me*] Supra 39. 5. *Beatus, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates. Vanitatum* nomine utroque loco deſignari putem quæ Joannes 1. Epiſt. 2. 16. *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum* & *ſuperbiam vitæ* vocavit.

38. *Statue ſervo tuo eloquium tuum*] Nè auferas (ut infrà 43.) de ore meo veritatis verbum: vel (ut ſupra 111. 5.) diſpone ſermones meos in judicio.

43. *In judiciis tuis ſuperſperavi*] Infra com. 81. & 114.

45. *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*] Græci heic, ἐπορευόμην ἐν πλατυσμῷ· quomodo & Sirachidis 47. 12. ἐν πλατυσμῷ καταλύειν, habemus: quas locutiones, & quidem utroque loco, interpretari poſſis, *in pace & quiete vivere*, aut, *longè lateque imperitare.* At vide quæ infra ad com. 96.

46. *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar*]. Loquebatur enim (ut 1 Theſſ. 2. 4.) tanquam Deo, non hominibus placens. Vide quæ de Eliſæo 48. 13, 14. apud Sirachidem. Ariſtippus à Rege quodam interrogatus quid illi Philoſophiæ ſtudium tam impenſum tamque diutinum profuiſſet, reſpondit, *Ut cum omnibus hominibus ſecurè & intrepidè fabuler*, Apul. 4. Floridorum.

48. *Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*] Locutio intenſum deſiderium indicans; cui ſimilis illa infrà com. 131. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.*

51. *Superbi iniquè agebant uſquequaque, à Lege autem tua non declinavi*] Boëthius lib. 4. *Probos mores ſua præmia non relinquent: quantumlibet ſæviant mali, ſapienti corona non decidet, neque areſcet.* Vide ſuprà 51. 10. infrà hic com. 61, 87, 109, & 157.

52. *Memor fui judiciorum tuorum à ſeculo, Domine*] *Cogitavi* ut 76. 6.) *dies antiquos, & annos æternos* (i. e. à ſeculo) *in mente habui.* Vide & infrà 142. 4.

53. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus Legem tuam*] Infrà hic 158. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt*: & 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt Legem tuam.* Vide & 138. 21. In Græco hic, Ἀθυμία κατέσχε με. In Gloſſario, Ἀθυμία, *anxietas, exanimatio, animi depreſſio.*

55. *Memor fui nocte nominis tui, Domine*] Hoc eſt quod alibi dicit, ſe in ſtratis meditari, &c. Vel *nocte*, mediâ nocte intellige. Vide ad com. 147.

56. *Hæc facta eſt mihi, quia*, &c.] Hæc facta ſunt mihi: in Gr. αὕτη· quod pro ταῦτα poni alibi indicavimus.

60. *Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua*] Accedens (ut Sirachid. 2. 1.) ad ſervitutem tuam, paro animam meam ad tentationem: quovis periculo, quovis malo ingruente, obſervabo Legem tuam.

63. *Particeps ſum omnium timentium te*] Sto à partibus illorum; vel, *amici tui* (ut infrà 138. 17.) *mihi honorificati ſunt.* Vide & Pſal. 24. 21.

67. *Priuſquam humiliarer, deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodivi*] *Propterea* hîc eſt, *poſtea*.

69. *Scrutabor mandata tua*] Infrà 115.

70. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*] *Prodiit* (ut ſuprà 72. 7.) *quaſi ex adipe iniquitas eorum*. LXX. hîc, ἐτυρώθη ὡς γάλα, &c. Heſychius (qui hunc locum reſpexit) Ἐρτώθη, (lege ἐτυρώθη) ἐσκληρύνθη. Contrà alibi apud Eundem, Οὐκ ἐτυρώθη, οὐκ ἐπαισχύνθη· lege ἐπαχύνθη.

71. *Bonum mihi quod humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas*] Vide Job. 5. 17. ſuprà hîc 17. 36. & 93. 12. Boëthius lib. 2. *Plus hominibus reor adverſam quàm proſperam prodeſſe fortunam: illa enim ſemper ſpecie felicitatis cum videtur blanda, mentitur*, &c. *hæc ſemper vera eſt*, &c. *illa fallit, hæc inſtruit: illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis abſolvit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: hanc ſobriam ſuccinctamque, & ipſius adverſitatis exercitatione prudentem. Poſtremò, felix à vero bono devios blanditiis trahit, adverſa plerumque ad vera bona reduces unco retrahit.* Vide Plutarchi libellum De util. ex adverſis capienda.

72. *Bonum eſt mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti*] Proverb. 3. 14 Sirachid. 29. 14. infrà hic com. 127.

74. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*] Lætabuntur vidiſſe exitum felicem patientiæ meæ. Jacobus 5. 11. *Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Pſalmiſta alibi, *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.*

75. *In veritate tua humiliaſti me*] In miſericordia. Vide ad 117. 18.

76. *Fiat miſericordia tua ut conſoletur me*] Similis infrà 173. locutio, *Fiat manus tua ut ſalvet me.*

77. *Lex tua meditatio mea eſt*] Infrà 97. & 143.

82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*] Job. 16. 21. *Ad Deum ſtillat oculus meus.* Vide Pſal. 68. 4. & infrà com. 123.

83. *Factus ſum velut uter in pruina*] Jobus 13. 28. Παλαιοῦμαι ἴσα ἀσκῷ.

84. *Quot ſunt dies ſervi tui*] Non eſt quod Pſal. 38. 5. *Notum fac mihi*, &c. *numerum dierum meorum*, &c. & 101. 24. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*; ſed, ô quàm pauci ſunt dies! &c. non ergò hic interrogat, ſed admiratur. Jobus 7. 16. eodem ſenſu, *nihil ſunt dies mei.* Apud Petronium ille,

Heu, heu, nos miſeri, quàm totus homuncio nil eſt!

91. *Ordinatione tua perſeverat dies*] Suprà 73. 16.

Ibid. *Omnia ſerviunt tibi*] *Tibi reſpondent ſidera, gaudent lumina, redeunt tempora, ſerviunt elementa*, Apulejus 11.

92. *Niſi quod Lex tua meditatio mea eſt, fortè periiſſem in humilitate mea*] *Pax* (enim) *multa diligentibus Legem, & non eſt illis ſcandalum*: infrà hic com. 165.

94. *Tuus ſum*] Macrobius in Somn. Scip. 1. 13. de Platone, *Ait nos eſſe in dominio Deorum, quorum tutelà & providentià gubernamur.*

96. *Latum mandatum tuum nimis*] Hic locus locum dat & alii interpretationi eorum, *ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*, quæ ſuprà com. 45. habuimus: q. d. ambulabam in latitudine mandatorum tuorum.

101. *Ab omni mala via prohibui pedes meos*] Proverb. 1. 15. *Prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.* Eadem & Jerem. 2. 25. locutio.

105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*] Proverb. 6. 23. Mandatum lucerna eſt, & lex lux.

108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine*] Preces (vel laudes) quas libens offero tibi, tibi non diſpliceant. Græci hic, τὰ ἑκούσια τοῦ στόματός μου εὐδόκησον. Heſychius, Ἑκούσιον, θελούσῃ διανοίᾳ· ubi ſenſus, mihi ſaltem, pendet: videturque προσφερόμενον, aut quid ſimile apponendum. Videtur velle dicere hic Pſalmiſta quod in iis 103. 34. *Jucundum tibi ſit eloquium meum.*

109. *Anima mea in manibus meis ſemper*] Loquendi genus hyperbolicum, mihi hoc ſignificans, tam gravibus, tamque aſſiduis periculis expoſitus ſum, ut jam anima mea non intra me (quaſi tutiore receptaculo) morari videatur, ſed planè in manibus verſari meis, hærereque in extremis digitis, loco lubrico, unde facilè poſſit elabi, id eſt, eripi mihi. Non longè abeſt Senecæ illud Præfat. lib. 3. Natural. quæſt. *Quid eſt* (in rebus nempe humanis) *præcipuum? in primis labris animam habere.* Etſi ſciam, ibi non tam de imminentibus periculis agi, quam de animo quæcunque intentari poſſint excipere parato.

111. *Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua*] Mea feci ea, atque adeò inſeparabilia. Vide ſuprà 68. 38. neque aliud hoc loco dicitur quàm quod in illo ſuprà com. 31. *adhæſi teſtimoniis tuis.*

112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas*, &c. *propter retributionem*] Apoſtolus 1. 4. 10. ad Timotheum, *In hoc laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum*, &c. id eſt, ſperamus retributionem à Deo nobis factum iri.

113. *Iniquos odio habui, & Legem tuam dilexi*] Vide ſuprà 25. 5. & 6. Pſal. 100. 4. & 6. Rom. 12. 9. Infrà heic com. 128. *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

115. *Declinate à me maligni*] *Diſcedite* (ut ſuprà 6. 9.) *à me omnes qui iniquitatem operamini.* Adde 138. 19.

117. *Meditabor in juſtificationibus tuis ſemper*] In Lege tua (ut ſuprà 1. 2.) die ac nocte meditabor.

118. *Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis*] *Spreviſti*, ut ſæpe hoc in libro, ad nihilum redegiſti. *Diſcedentes*, Græcis hic, ἀποστατοῦντας. In Gloſſario, Ἀπόστασις, *rebellio, ſegregatio, abitus*: id eſt, *diſceſſio*.

Ibid. *Quia injuſta cogitatio eorum*] Quia abominabiles (tibi) cogitationes eorum.

119. *Prævaricatores reputavi omnes peccatores terræ*] *Prævaricatores*, nempe in legem tuam. In Gr. Παραβαίνοντας. Heſychius, (fortè huc reſpiciens,) Παραβαίνοντας, &c. μὴ εὐθέως βαίνοντας.

120. *Confige timore tuo carnes meas*] Id eſt, animam meam, ut & alibi locutus.

122. *Suſcipe ſervum tuum in bonum*] *Fac mecum ſignum in bonum*, ut ſuprà 85. 17. ubi dicta vide.

125. *Servus tuus ſum ego*] Suprà com. 94. *Tuus ſum ego.* Infrà 142. 12. *Servus tuus ſum.*

126. *Tempus faciendi, Domine*] Id eſt, ulciſcendi. Suprà 101. 14. *Exſurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi ejus.* Sirachides 36. 10. eodem ſenſu *feſtina tempus* dixit.

Ibid. *Diſſipaverunt legem tuam*] LXX. διεσκέδασαν, &c. Heſychius (ex hoc Pſalmi loco,) Διεσκέδασαν, ἀπέρριψαν.

127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion*] Job. 28. 19.

129. *Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea*] Vide ſuprà ad com. 27. dicta.

131. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*] Similitudo ſumpta ab interno æſtu laborantibus, qui aperto ore ſpirantis leniter auræ refrigerium captant. Locutionem ſimilem (aliunde autem ortam, & aliò tendentem) habemus & 2. 24. Jeremiæ.

132. *Aſpice me, & miſerere mei*] LXX. ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμὲ, καὶ ἐλέησόν με. Ità 3. 3. Tobiæ, Μνήσθητί μου, καὶ ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμέ.

Ibid. *Secundùm judicium diligentium nomen tuum*] Secundùm benignitatem quam exerces erga te timentes. Vide infrà 149.

133. *Et non dominetur mei omnis injuſtitia*] Ità Paulus 6. 12. ad Romanos, *Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro.* In Græco ibi, μὴ βασιλευέτω. ut hic (quod idem valet) μὴ κατακυριευσάτω. Plus autem voluiſſe Pſalmiſtam quàm dixiſſe puto: nempe, Nulla injuſta res me alliciat, & blanditiis ſeducat: unde ſuprà 100. 3. illud, *Non propoſui ante oculos meos rem injuſtam.* Vel, ſi ſine figura ſermonis libuerit intelligere liceat ità interpretari, Nec ulla vis ſuccumbere faciat, deque gradu cedere.

135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum*] Suprà 30. 17. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum.* Vult dicere, Illuminet ſervum tuum ſplendor faciei tuæ: id eſt, illumina tu intellectum ejus: vide com. 125. & 130. Boëthius lib. 3.

Da, pater, auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce repertâ
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica. ———

140. *Ignitum eloquium tuum*] Vide ſuprà 11. 7.

144. *Æquitas teſtimonia tua in æternum*] Ex his exponas licet com. 138. illa, *Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.*

147. *Præveni in maturitate*] Omnino legendum *præveni in immaturitate*: id eſt, nocte mediâ, vel intempeſtâ. Græci (quos & heic ſecutus eſt) ἐν ἀωρίᾳ. Heſychius, Ἀωρία, σκοτία, μεσονύκτιον.

151. *Propè es tu, Domine*] Nempe, te timentes. Suprà Pſal. 84. 10.

155. *Longè à peccatoribus ſalus*] Id eſt, propè ſunt interitui & perniciei: ἐγγὺς (ut Hebr. 6.) κατάρας, καὶ ἀφανισμοῦ.

156. *Secundùm judicium tuum vivifica me*] Secundùm judicia tua me ſalvum fac. Vide ad com. 132. dicta.

160. *Principium verborum tuorum veritas*] Id fortè eſt per

Hypal-

Hypallagen, *Principium* (id eſt, perfectio, vel conſummatio) *veritatis*, *verba tua*.

161. *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum*] A verbis autem tuis, non à verbis illorum grandibus & ſtrepentibus, formidavi. Non longè hinc abit quod ſuprà com. 46. habuimus.

162. *Sicut qui invenit ſpolia multa*] Vide 2 Paralip. 20. 25. LXX. *σκῦλα πολλά*. Heſychius, Σκῦλα, *αἰχμαλωσία* legendum putem, *αἰχμαλωτὰ* vel *αἰχμαλώσιμα*.

165. *Pax multa diligentibus Legem*] *Fructus juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem*, Jacob. 3. 18.

Ibid. *Et non eſt illis ſcandalum*] Nulla perturbatio, nulli vani timores: ut è converſo, *malè eſt extra legem viventibus: quicquid meruerunt enim, ſemper exſpectant*, Petron.

168. *Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo*] Vox *quia* heic, ut ſæpe, abundat.

173. *Quoniam mandata tua elegi*] *Super aurum* nempe *& topazion*, ſuprà com. 127. ſuper millia auri & argenti, com. 72.

175. *Judicia tua adjuvabunt me*] Conſolabuntur me in defectione & puſillanimitate mea. Suprà com. 52. *Memor fui judiciorum tuorum*, &c. *& conſolatus ſum.*

176. *Erravi, ſicut ovis quæ periit*] Ἤμην (ut 1 Petr. 2. 25.) *ὡς πρόβατον πλανώμενον*.

Ibid. *Quære ſervum tuum*] Vade (ut Luc. 15. 4.) ad ovem iſtam quæ periit, donec eam inveneris.

PSALM. CXIX.

MUNSTERUS.

COmpoſitus eſt Pſalmus iſte juxta ordinem Hebræi alphabeti, octonis ſemper verſibus ab una litera incipientibus. Nec eſt verſus ullus in quo non invenias unam harum dictionum, *Lex*, *Statuta*, *Teſtimonia*, *Præcepta*, *Mandata*, *Judicia*, *Eloquium*, *Verbum*, *Juſtitia*, *Via*, *Veritas*. Excipitur ſecundus verſus in litera Ain. תורה *lex*, Hebræis ſic vocatur à *docendo*. חקים verò ſunt *ſtatuta* & *ceremoniæ* ſive *præſcripta Divina*, quæ certam habent rationem, ut Kimhi dicit. פקודים ſunt propriè *commiſſiones & præcepta quorum nunquam oblivisci convenit*, ut ſunt præcepta juris naturæ. עדות ſunt *teſtimonia* ſive *præcepta*, quòd Dei voluntatem nobis teſtentur. משפטים ſunt *judicia*, capiunturque interdum pro *decretis & edictis Dei*, & aliquando pro *ultione Divina* aut *inſigni facto Dei*, ut cùm ſuos liberat è periculo, & hoſtes eorum reprimit. דרך *via*, capitur plerumque pro *converſatione & rectè vivendi ratione.*

9. *In quo mundabit*] Senſus eſt, Cùm difficile ſit repreſſis cupiditatibus carnis verbis Domini toto animo ſtudere, difficillimum id eſt adoleſcentibus, in quibus vis carnis potenter adhuc regnat. Sed à puero eſt huc enitendum.

25. *Adhæſit pulveri anima mea*] h. e. Proximus fui morti, tantis expoſitus periculis.

26. *Vias meas enarravi*] i. e. Quicquid incidit periculorum, aut ſi quippiam eſſet agendum, tibi inſinuavi, & tu reſpondiſti mihi.

29. *Fac ut lex tua grata ſit mihi*] Alii ſic vertunt, *De lege tua miſerere mei.*

32. *Cùm dilataveris cor meum*] h. e. Si tu vires & ſpiritum ſuppeditaveris, *curram viam mandatorum tuorum.*

39. *Aufer opprobrium meum*] Opprobrium ſcilicet tranſgreſſionis legis.

45. *Ambulabo in latitudine*] h. e. In cordis lætitia & tranquillitate.

66. *Bonum guſtum*] i. e. Aperi tu mihi rectam intelligentiam eorum quæ latent in lege tua atque in præceptis tuis. Unde frequenter invenies apud Magiſtros, *Hæc expoſitio non habet guſtum*, h. e. Non habet rectum ſenſum, &c.

81. *Concupivit ſalutem tuam*] Alii ſic vertunt, *Defecit ad ſalutem tuam anima mea:* ſit ſenſus, Anxiè exſpectavi auxilium tuum, ut præ anxietate anima & *oculi defecerint*, *ſimiliſque planè fuerim utri in fumo macerato & torrefacto.*

89. *Verbum tuum permanet in cælis*] h. e. Perpetua eſt verbi tui conſtantia, & potiùs *cælum* ipſum periret quàm ut unum de oraculis tuis non adimpleretur. Et ſicut *terra ſtat* in omne ævum, ſic quoque *veritas* Domini firma manet in perpetuum, & *judicia* ejus, h. e. decreta, hæc omnia invariabilia *conſiſtunt hodie*, i. e. uſque in hunc diem: cùm *omnia obſequantur Deo*, & exſequantur voluntatem ejus ſecundùm conditionem naturæ eorum.

96. *Omnis conſummationis vidi finem*] Nihil eſt quod ſit in mundo quod non aliquando ad conſummationem veniat & finem accipiat, etiam perfectiſſima quæque, niſi quod *lex tua latiſſima eſt:* hæc enim ſe extendit uſque in futurum ſeculum, cùm ſcopus ejus ſit dilectio Dei & proximi. Charitas autem in electis nunquam excidit.

109. *Anima mea in manu mea ſemper*] *Animam eſſe in manu* eſt vitam eſſe expoſitam periculis mortis, ſicut mulier Pythoniſſa ad Saul dicebat 1 Reg. 28. *Poſui animam meam in manu mea, & audivi ſermones tuos*, &c.

113. *Cogitantes mala*] Alii vertunt, *Cogitationes nefarias odio habui.*

119. *Ut ſcoriam abolebis*] Sicut ſcoria ſeparatur & rejicitur ab argento, ità impii perdentur de terra.

122. *Dulce fac*] Kimhi exponit hic ערב pro הטיב: ut ſit ſenſus, Age piè cum ſervo tuo juxta tuam bonitatem, & vindica eum ab injuriis impiorum.

130. *Oſtium eloquiorum tuorum*] Senſus eſt, Simulatque tua aperiuntur eloquia, & datur venire in veſtibulum eorum, admirabili is qui ingreſſus eſt perfunditur luce: & potiſſimùm ſimplices, non qui tument ſpiritu, hanc conſequuntur illuſtrationem. Talis fuit Prophera, qui aperto ore, magno deſiderio & ſpiritu anhelanti ſuſpiravit pro hac Domini luce, quemadmodum ſequenti teſtatur verſu.

132. *Secundùm judicium*] Capitur hìc *judicium* pro כמשפט *more & conſuetudine*. Eſt, inquit, mos tuus ut eos quos diligis reſpicias piis oculis.

160. *Caput ſermonis tui*] Quidam ſic interpretantur, *A capite & initio rerum uſque in omnia ſecula verba tua veritas & juſtitia ſunt.* Alii autem ſic exponunt, *Initium dictorum & factorum tuorum veritas & juſtitia eſt.*

VATABLUS.

1. PErfecti viâ תמימי דרך] *Integri itinere, ſinceri viâ:* i. e. quorum mores ſunt probi. Scribitur hic Pſalmus per octonarios juxta ordinem Alphabeti. Quidam hoc factum dicunt memoriæ juvandæ cauſâ. Alii Pſalmos ità ſolere ſcribi dicunt ob dignitatem rei de qua agitur. Eſt autem hic Pſalmus velut Alphabetum quoddam piis omnibus diſcendum, ut noverint ubi ſita ſit vera felicitas & beatitudo. Sunt autem XXII. octonarii pro numero literarum Hebraïcarum, quorum ſinguli verſus juxta Hebrææ linguæ elegantiam incipiunt ab una & eadem litera. Nullus eſt præterea verſus in hoc Pſalmo, præter unum 122. qui non habeat, ſi non plures, unam ſaltem ex his decem vocibus, תורה *lex*, חוקים *ſtatuta*, vel *ceremoniæ*, מצוה *præceptum*, פקודים *præcepta naturalia* cordibus hominum inſcripta, & etiam *mandata* Dei quælibet, עדות *teſtimonia* voluntatem Dei teſtantia, quidam *oracula* vertunt; משפטים *judicia*, quibus cum proximis vivimus, i. e. *decreta*, *edicta*, & *leges* Dei; אמרה *ſermo*, *eloquium*; דבר *verbum*, vel *promiſſio*; צדק *juſtitia*; דרך *via*. Porrò fatentur & Judæi, in hoc Pſalmo *Legem*, *ceremonias*, *præcepta*, *mandata* & *oracula* pro Lege & inſtitutione accipi, quà gloriæ Dei & ſalutis proximorum ſtudioſa vita præſcribitur.

3. *Etiam* אף] *Certe.*

4. *Ut cuſtodiantur valde* לשמור מאד] *Cuſtodiri ſummâ diligentiâ.*

5. *Firmentur* יכונו] *Parentur*; *dirigantur*; *diſponantur.*

9. *Mundabit* יזכה] *Puram reddet*; *emendabit.*

14. *Ut in omnibus divitiis* כעל כל הון] *Sicut in opulentia multa.*

15. *In præceptis tuis meditabor* בפקודיך אשיחה] *De præceptis tuis loquar.* Alii, *De tuis conſtitutionibus diſſeram*; vel, *confabulabor.*

16. *Delectabor* אשתעשע] *Oblectabo me.*

17. *Retribue* גמול] *Repende. Hoc beneficium confer.*

18. *Revela oculos meos* גל עיני] *Velamen detrahe oculis meis. Retege oculos meos.* ¶ *Et aſpiciam* ואביטה] *Et conſiderabo.* Vel, *contemplabor.*

20. *Confracta eſt* גרסה] *Debilior fit. Atteritur. Comminuitur. Conſternitur.*

21. *Diſperdidiſti* גערת] *Perdidiſti.* Quidam præteritum vertunt in futurum, *Perdes.* ¶ *Maledicti* ארורים] *Exſecrabiles.*

22. *Et contemptum* ובוז] Sub. *ſuperborum.*

23. *Meditabatur* ישיח] Fut. Heb. pro præſ. *loquitur*; *diſſerit.*

24. *Viri conſilii mei* אנשי עצתי] Hebraïſmus, pro *conſiliariis & conſultoribus.*

25. *Pulveri anima mea* לעפר נפשי] *Terra vita mea*; i. e. parùm abeſt quin deferar ad ſepulcrum, propterea vivifica me. ¶ *Vivifica me*, &c. חיני כדברך] Hebraïſmus, pro, *reſtitue me vitæ priſtinæ ut pollicitus es.*

26. *Vias meas* דרכי] i. e. Quæ agere volebam.

27. *Viam præceptorum* דרך פקודיך] i. e. Quanam ratione vivendum

dum ſit mihi juxta ea quæ mandaſti.' ¶ *Et meditabor in mirabilibus* ואשיחה בנפלאותיך] *Et loquar de mirabilibus tuis.*

28. *Diſſluit* דלפה] *Diſtillat. Stillatim perit vita mea.* ¶ *Præ triſtitia* מתוגה] *Præ ægritudine* [vel, *anxietate.*

29. *Et lege tua dignare me* ותורתך חנני] Ad verb. *& de Lege tua miſerere mei:* i.e. & Lege tuâ, ſive cognitione Legis tuæ, dona me. Quidam, *Et Legem tuam benignè mihi proponito.*

32. *Dilataveris* תרחיב] *In latitudinem eduxeris.*

33. *Viam ſtatutorum tuorum* דרך חוקיך] i.e. Vivendi rationem quæ eſt juxta Leges tuas.

38. *Confirma* הקם] *Statue.* Ad verb. *Fac ſurgere:* i.e. confirma ſervo tuo promiſſum tuum.

40. *In juſtitia tua vivifica me* בצדקתך חיני] *In juſtitia tua recrea me:* i.e. abſolutâ illâ bonitate tuâ. Hoc enim vox Hebræa צדק ſæpe ſignificat.

42. *Et reſpondebo probris afficienti me verbum* ואענה חורפי דבר] Hebraiſmus, pro, *ut ſit quod reſpondeam opprobrantibus mihi: nam*, &c.

43. *Uſquequaque* עד מאד] Ad verb. *uſque valde.* Alii, *omnino.* ¶ *Quia judicia tua exſpecto* כי למשפטך יחלתי] *Quia ob judicia tua in te ſperavi. Judicia tua*, i.e. quæ exerces in impios.

45. *In latitudine* ברחבה] q.d. Cum conſcientiæ tranquillitate & voluptate cordis vivam, nihil mihi timens ab ira tua; ut qui regiâ & latâ viâ gradiuntur, nihil à latronibus ſibi timent.

47. *Dilexi* אהבתי] Præt. Heb. pro præſ. Sic ſeq. verſu.

48. *Et levabo palmas*, &c. ואשא כפי אל מצותיך] i.e. Manus admovebo præceptis tuis: q.d. Dabo operam ut factis exprimam præcepta tua. ¶ *Et meditabor* ואשיחה] *Et diſſeram; & loquar.*

49. *Servo tuo* לעבדך] *Ad ſervum tuum:* i.e. promiſſionis tuæ quam promiſiſti ſervo tuo.

50. *Vivificavit me* חייתני] Præt. Heb. pro præſ. *vivificat me; recreat me.*

51. *Deriſerunt me* הליצני] Præterita Heb. pro præſentibus, *derident, illudunt, non declino.* ¶ *Plurimum* עד מאד] Ut v. 43.

53. *Terror invaſit me* זלעפה אחזתני] Præt. Heb. pro præſ. *Tremor apprehendit me.* Alii, *Ardor* vel *tabes.*

54. *Cantus fuerunt mihi* זמרות היו לי] *Cantiones ſunt mihi;* ſive *cantica:* i.e. ſunt occaſio carminum ſcribendorum: vel, illa cano. ¶ *Peregrinationum mearum* מגורי] i.e. Dum exſulo & fugio huc illuc à facie inimicorum.

55. *Recordatus ſum* זכרתי] Præterita Heb. pro præſ. *Memor ſum. Recordor.*

57. *Dixi* אמרתי] Iſtud *dixi* refertur vel ad id quod proximè præceſſit, hoc modo, *Dixi quod Jehova eſt portio mea: ut obſervem mandata tua.* Et tunc eſt perſonæ mutatio. Aut ad id quod ſequitur, ſic, *O Jehova, quem habeo pro ſorte mea, decrevi cuſtodire verba tua*, ut *dixi* pro *decrevi* poſitum ſit.

59. *Reputavi* חשבתי] *Cogitavi. Diligenter expendi.*

60. *Et non tardavi* ולא התמהמהתי] *Nec moram feci; nec diſtuli.*

61. *Caterva* חבלי] *Cœtus. Turma.* Alii, *Dolores;* vel *Moleſtia.*

62. *Judicia juſtitiæ tuæ* משפטי צדקך] Hebraiſmus, pro *judicia tua juſta*, ſive *leges tuas juſtas.*

63. *Socius ſum* חבר אני] *Adjunxi me.*

66. *Bonitatem ſenſus* טוב טעם] *Bonitatem ſermonis*, i.e. Optimum & exactiſſimum judicium. Quidam vertunt *bene judicandi facultatem.* ¶ *Et ſcientiam* ודעת] *Et cognitionem;* vel, *intelligentiam exactiſſimam.* ¶ *Credidi* האמנתי] *Fidem adhibui.*

67. *Humiliarer* אענה] *Affligerer*, ſub. *à te.* Alii, *loquerer;* vel *commentarer*, ſub. *de Lege tua.* ¶ *Cuſtodio* שמרתי] Præt. Heb. pro præſ.

69. *Cuſtodio* אצר] *Cuſtodiam; obſervabo.*

70. *Delector* שעשעתי] *Me oblectavi.* Vel eſt præteritum pro præſenti, *me oblector.*

73. *Et præparaverunt me* ויכוננוני] *Et concinnaverunt me diſpoſuerunt.*

74. *Verbum tuum exſpectavi* לדברך יחלתי] *In verbo tuo ſpem habeo.* Alii, *ad verbum tuum ſuſpicio.*

75. *Juſtitia* ſunt צדק] i.e. Juſta. Hebraïſmus: q.d. quòd juſtè me affligas. Mox ſeipſum exponit, repetendo eadem cùm dicit, *in veritate afflixiſti me*, i.e. meritò & jure.

78. *Sine cauſa* שקר] *Falſò, immeritò.* ¶ *Perverterunt me* עותוני] i.e. Pervertere me voluerunt à via recta. Alii exponunt, *perverſum me eſſe pronunciaverunt.* ¶ *Meditabor* אשיח בפקודיך] *Diſſeram* [*loquar*] *de mandatis tuis.*

79. *Convertantur ad me* ישובו לי] *Convertentur ad me*, i.e. deſertâ impiorum cohorte jungentur mihi.

80. *Perfectum* תמים] *Integrum, ſincerum.*

81. *Defecit ad ſalutem tuam* כלתה לתשועתך] i.e. Defeci præ deſiderio ſalutis, ſive opis tuæ. Alii, *Concupivit opem tuam.* ¶ *Verbum tuum exſpecto* לדברך יחלתי] *In verbum tuum ſperavi.* Alii, *ad verbum tuum ſuſpicio.* Alii, *dum verbum tuum exſpecto.*

82. *Defecerunt* כלו] Dum ſcilicet perſeveranter aſpiciunt an opem feras mihi.

84. *Quot ſunt dies ſervi tui* כמה ימי עבדך] i.e. Quanto tempore victurus eſt ſervus tuus in hoc mundo? ſub. parvo tempore: q.d. Cùm parvo tempore ſim victurus, fac ut antequam moriar, videam improbos tibi dare pœnas. Quidam unâ interrogatione legunt, ut & nos, *Quot ſunt dies ſervi tui, quando facies judicium in perſequentes?* i.e. quot tandem ſuperſunt dies ſervo tuo, quibus ab improbis iſtis divexari eum oporteat?

87. *Ferè conſumpſerunt me in terra* כמעט כלוני בארץ] *Propè perdiderunt me in terra:* i.e. parùm abeſt quin me in terram dejectum prorſus perdiderint.

88. *Vivifica me* חייני] *Recrea me.*

89. *In cœlo* בשמים] *In ipſis cœlis*, i.e. ipſis cœlis teſtibus: q.d. Quæ ſemel dixiſti, non ſoles retractare, quod cœli teſtantur, qui permanent, quia olim dixeris, *Sint cœli.*

90. *Fundaſti* כוננת] *Firmaſti.*

91. *Ad judicia tua* למשפטיך] i.e. Tuo verbo & imperio. Vel, *Ad judicia tua implenda parent tibi*, ut ſervi heris ſuis obſequi ſolent.

94. *Quæſivi* דרשתי] Præt. Heb. pro præſenti, ut quidam vertunt, *quæro.*

95. *Perpendebam* אתבונן] Fut. Heb. *intelligam*, Alii, *conſiderabo.* Vel, *teſtimoniorum tuorum intelligens reddar.* Quidam vertunt in præſenti, *perpendo, conſidero.* Alii totum verſum ſic reddunt, *Cùm improbi me obſervarent ut perderent*, dedi operam *ut oracula tua intelligerem.*

96. *Omni perfectioni vidi finem* לכל תכלה ראיתי קץ] *Omnis perfectionis vidi finem.* Alii, *Omnis conſummationis vidi finem.* Alii, *Cujuſlibet conſummatæ rei vidi finem.* Alii, *Video finem habere omnia, etiam perfectiſſima.* ¶ *Latum* רחבה] *Amplum.* Alii, *latiſſimè patet:* i.e. nullum finem habere videtur.

97. *Diligo* אהבתי] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Meditatio mea* שיחתי] *Sermo meus:* i.e. de illa commentor.

98. *In ſeculum ſunt mihi* לעולם היא לי] Ad verb. *in æternum meum eſt:* nempe unumquodque illorum, i.e. ſingula mea ſunt: illa enim ſemper in corde & ore habeo, & per ea ſubinde magis ac magis proficio.

99. *Intellexi* השכלתי] *Factus ſum prudentior.* Alii, *intelligentior.* Alii, *antecello intelligentiâ omnes*, &c. Sic v. ſeq. ¶ *Meditatio mea ſunt* שיחה לי] *Sunt ſermo meus:* i.e. de illis commentor.

101. *Ut cuſtodiam* למען אשמר] Fut. Heb. pro præſ. *quia cuſtodio:* vel, *obſervo.*

102. *Docuiſti me* הורתני] Præt. Heb. pro præſ. *doces me.* Alii, *legem* [ſive *normam*] *præſcripſiſti mihi.*

104. *Intelligentiam mihi comparavi* אתבונן] Fut. Heb. pro præſenti, *intelligentiam mihi comparo:* vel, *intelligens reddor.* ¶ *Mendacii* שקר] *Fallacitatis*, i.e. fallacem.

106. *Et præſtabo* ואקימה] Præt. Heb. pro fut. *ſtabilem.*

107. *Vivifica*, &c. חייני כדברך] i.e. Fatigatas vires meas reſtitue ſicut pollicitus es.

108. *Voluntaria* נדבות] *Spontanea*, ſub. *ſacrificia:* i.e. amplectere laudes quas tibi ſponte offero.

109. *Anima mea in manu mea ſemper* נפשי בכפי תמיד] Hebraïſmus, pro, *In diſcrimine vitæ ſemper verſor.*

112. Et uſque in *æternum* עקב] Et uſque in *finem*, ſub *vita mea*, i.e. quamdiu vivam.

113. *Cogitationes* סעפים] Sub. *humanas*, vel *alienas à Lege tua:* q.d. Commenta humana odi. Alii, *Eos qui mala cogitant, odi.* Alii, *Cogitantes*, ſub. *prava.*

114. *Verbum tuum exſpecto* לדברך יחלתי] Præt. Heb. pro præſ. *in verbum tuum ſpero:* vel, *in verbo tuo ſpem colloco.*

116. *Confirma me* סמכני] *Corrobora me: ſuſtenta me: ſuffulci me.*

117. *Suſtenta me* סעדני] *Fulci me. Robora me.* ¶ *Et delectabor in ſtatutis tuis* ואשעה בחקיך תמיד] *Et conſiderabo ſtatuta tua.* Alii, *& narrabo*, vel *exponam.*

119. *Ceſſare feciſti* השבת] Præt. Heb. pro præſ. i.e. tollis, abjicis, & perdis.

121. *Opprimentibus me* לעשקי] *Occupantibus me*, i.e. bona mea.

122. *Oblecta ſervum tuum bono* ערב עבדך לטוב] Ad verb. *Dulce fac ſervo tuo id quod eſt bonum.* Alii, *Redde aptum* [vel *idoneum*] *ſervum tuum ad res bonas.* Alii, *Congruere fac* [vel *apta*] *ſervum tuum bono.*

123. *Oculi mei defecerunt*, &c. עיני כלו] Eadem dixit ſuprà v. 81, 82.

126. *Tempus faciendi ô Jehovah* עת לעשות ליהוה] *Tempeſtivum eſt, ô Jehova, ut facias*, ſub. *judicium de improbis.* Alii, *Tempus agendi Jehovæ.* Vel, *Tempus* idoneum eſt *Domino ut agat.*

127. *Et*

127. *Et obrizum* ומפז] *Et gemmas.*

128. *Præcepta omnium* פקודי כל] Hebraïcum dicendi genus ſimile illi Ezec. 44. 30. *Et primitivum omnium primitivorum omnium, & omnis oblatio ſpontanea omnium ex omnibus oblationibus ſpontaneis veſtris.* Propterea hic ſubauditur *præceptorum Legis*: vel, *rerum quæ præcipiuntur in Lege.* ¶ *Recta eſſe cenſui* ישרתי] Ad verb. *direxi*: i. recta eſſe prædicavi apud eos qui recta non eſſe dicebant, ſed injuſta.

129. *Mirabilia* פלאות] *Occultationes*; vel, *occulta*, aut *arcana*: i. reconditam quandam ſcientiam continent.

130. *Oſtium* פתח] *Apertio*; *ingreſſus*: q. d. Prima illa rudimenta ſermonum tuorum illuminant mentes. ¶ *Intelligere facit* מבין פתיים] *Intellectum dat ſimplicioribus*, vel *rudioribus.* Alii, *erudit parvulos.*

131. *Deſideravi* יאבתי] Præt. Heb. pro præſ. *deſidero*, *concupiſco.* q. d. Tanto deſiderio Legum tuarum flagrat cor meum, ut ſubinde cogar haurire aërem.

132. *Secundum conſuetudinem* כמשפט] Ad verb. *ſecundum judicium*, i. e. pro more quo uteris erga diligentes nomen tuum. Quidam vertunt, *ut ſoles facere erga nominis tui amatores.*

133. *Dirige* הכן] *Para.* ¶ *Iniquitas* און] *Vanitas.*

134. *Ab oppreſſione* מעשק] *A calumnia*, *ab injuria.*

136. *Deſcenderunt* ירדו] Fut. Heb. pro præſ. vel præt. *defluunt.* ¶ *Cuſtodiebant* שמרו] Præt. Heb. pro præſ.

137. *Et rectum judicium tuum* וישר משפטיך] Ad verb. *& rectum judicia tua*, i. e. ſingula tua judicia. Singulare cum plurali eleganter junctum: q. d. *Omnia tua mandata juſta ſunt.*

138. *Juſtitiam teſtimonia tua* צדק עדותיך] Hebraïſmus, pro, *Tu admodum præcepiſti obſervari Leges tuas quæ ſunt æquiſſimæ & veriſſimæ.*

139. *Succidit* צמתתני] *Confecit me.* *Conſumpſit.* Vel per præſens, *Conſumit.* q. d. Adeò gravis eſt ira quâ ego afficior, quòd hoſtes, &c. ut illa penè me enecet. Vel, zelus ſive ſtudium meum erga Legem tuam adeò auctum eſt, ut ipſâ vi zeli penè contabuerim.

140. *Repurgatus eſt* צרופה] *Exploratus eſt*, tanquam ab igne: q. d. Purgatiſſimus eſt.

147. *Prævenio alios crepuſculo, & clamo* קדמתי בנשף ואשועה] Præt. Heb. *Præveni crepuſculo, & vociferatus ſum.* Alii per præſens, *Antevertens in ipſo crepuſculo* (ſub. *alios omnes*) *vociferor.* ¶ Quia *verbum tuum exſpecto* לדברך יחלתי] *In verbum tuum ſperavi.* Vel, *ſpem habeo in verbo tuo*, i. e. promiſſis tuis.

148. *Ad meditandum* לשיח] *Ad loquendum.* Alii, *commentando.* Alii, *ut diſſeram.*

149. *Secundum judicium tuum vivifica me* כמשפטך חייני] Hebraïſmus, pro, *ſerva me in vita pro more tuo, & ut tuos ſervare ſoles in vita.*

150. *Appropinquaverunt*, &c. קרבו רודפי זמה] i. e. Qui ſceleris ſunt ſtudioſi, ut ſceleri appropinquant, ità ſunt longè à Lege tua, & tu viciſſim ab illis diſcedis. Quidam hunc verſum ſequenti conjungunt per antithesin, *Qui ſceleri ſtudent, ſectantur ſcelus quam proxime: & à Lege tua procul abſunt, & tu viciſſim ab illis. Contrà, tu propinquus ades*, ſub. *ſtudioſis Legis tuæ.* Alii vertunt, *Propiùs me acceſſerunt ſectantes ſcelus*: qui *longè diſceſſerunt à Lege tua.*

152. *Pridem novi*, &c. קדם ידעתי וגו'] *Jam indè ab initio intellexi de teſtimoniis tuis quòd velis illa ſempiterna eſſe.*

154. *Litiga Litigium meum* ריבה ריבי] *Age cauſam meam. Defende. Aſſere.* ¶ *Propter eloquium tuum* לאמרתך] Ad verb. *in verbo tuo*, i. e. juxta promiſſiones tuas, *conſerva me in vita.*

155. *Inquirunt* דרשו] Præt. Heb. pro præſenti: i. e. ſtatutorum tuorum non ſunt ſtudioſi.

156. *Secundum judicia tua* כמשפטך] Vide v. 132, & 149. ubi ſunt eadem verba Hebraïca.

157. *Multi ſunt* רבים] *Robuſti ſunt*: aut, *Fortes.*

158. *Prævaricantes* בוגדים] *Perfidos.* ¶ *Et tædio affectus ſum* ואתקוטטה] *Et abhorrui.* Doctus inter Hebræos, *& contendi*, ſive *litigavi*: acſi dicat, *Plus contentionis cum illis habui quòd tuum eloquium non cuſtodiant quàm quòd ſint mihi nocumento.*

160. *Principium verbi tui* ראש דברך] *Caput verbi tui.* Vel, *A principio verbum tuum*: i. e. à ſeculo. q. d. Semper fuit verbum tuum verum. ¶ *Et in ſeculum*, &c. ולעולם] *Et in æternum*, &c. i. e. à ſeculo. Quidam, *univerſa Lex tua juſta in æternum*, ſub. *erit.*

161. *Et à verbis tuis timuit* ומדבריך פחד] i. e. Attamen veritus ſum tranſgredi juſſa tua. Alii, *à verbis tuis expavit.* Legitur & מדברך *a verbo tuo.*

164. *Septies*, &c. שבע ביום הללתיך על משפטי צדקך] Præt. Heb. i. e. *Identidem ac frequenter laudavi te propter judicia tua juſta.* Subſtantivum in genitivo ponere pro adjectivo Hebræis eſt familiare, & etiam in nominativo, ut paulò poſt, v. 172. *Omnia mandata tua ſunt juſtitia.*

166. *Exſpectavi ſalutem tuam* שברתי לישועתך] Præt. Heb. pro præſ. *Spero in ſalute tua.*

167. *Cuſtodivit* שמרה] Præt. Heb. pro præſenti, ut quidam vertunt, *Cuſtodit.*

168. *Omnes viæ*, &c. כל דרכי נגדך] Hebraïſmus, pro, *quicquid ago in hac vita eſt tibi notum.*

171. *Eructabunt* תבענה] *Expriment. Effundent. Profundent*: more ſcilicet fontis: i. e. copiosè te laudabunt: q. d. Pleno ore canam laudes tuas.

174. *Deſideravi* תאבתי] Præt. Heb. pro præſ. *Concupiſco.*

175. *Vivet* תחי] *Vivat.* Hebraïſmus, pro, *Fac diutiùs vivam, & laudes tuas canam.*

CASTALIO.

1. **B** *Eati*] Scriptum eſt in Hebræo Carmen hoc ordine literarum, quæ ſingulæ ſingulorum octonariorum verſus incipiunt.

32. *Viam præceptorum tuorum curram, cùm mihi mentem explicueris*] Scilicet ex anguſtiis.

54. *Cantilenæ mihi ſunt tua decreta in peregrinationis meæ domicilio*] In hac vita in qua peregrinus ſum ævique brevis.

75. *Meque verè à te premi*] Rectè.

83. *Sum enim ut uter in fumario*] Areo, & contabeſco.

85. *Cavant mihi ſuperbi ſcrobes, non ſanè ex tua lege*] Contra tuam legem: ut Græci dicunt, ὀ φημί, *nego.*

96. *Tuum præceptum perquam latè patet*] Infinitum eſt.

CLARIUS.

CAnit hîc Pſalmus quanti faciant Sancti leges Dei, quantopere illis ſtudeant, ut oppugnari illas ab impiis doleant, quemadmodum orent ſe illas doceri Divinitus. In hoc Pſalmo ſæpius memoratur *Lex*, *Juſtificationes*, *Præcepta*, *Teſtimonia*, *Mandata*, &c. quæ Judæi fatentur pro *lege* & *inſtitutione* accipi. Compoſitus eſt juxta ordinem Hebræi Alphabeti, octonis ſemper verſibus ab una litera incipientibus: nec eſt verſus ullus in quo non invenias unam illarum dictionum, *Lex*, *Præcepta*, *Teſtimonia*, *Mandata*, *Judicia*, *Juſtificationes*, *Juſtitia*, *Via*, *Veritas*, *Verbum*, præter ſecundum verſum in litera Ain: ut mirum ſit eandem penè rem toties variis modis repetitam.

1. *Beati immaculati*] Felices qui innocenter vivunt in hac vita, & quotquot ambulant ſecundùm doctrinam Domini. Ubi obſervandum eſt, ſicut ingenioſum eſt excogitare quo pacto verſus omnes hujus Pſalmi conjungantur inter ſe, ità non eſſe neceſſe id ſemper requirere, etiamſi interdum continuentur ſententiæ, quando authoris mens videatur ea fuiſſe, ut quolibet verſu aliquid diceret quod ad laudem Divinæ legis pertineret.

8. *Juſtificationes tuas cuſtodiam*] Mandata tua ſervabo pro viribus, niſi tu deſtitueris me auxilio tuo.

9. *Adoleſcentior*] In quo ſcilicet affectus carnis majorem habere vim ſolent; at illis unum hoc remedium eſt, ſi diligenter obſervaverint verba Dei.

10. *Nè repellas me*] *Nè ſinas me aberrare à mandatis tuis.* Sic enim in Hebræo eſt.

12. *Benedictus es*] Laudandus & omni laude major.

13. *In labiis meis*] Indicat quàm gratum eſſet illi de Deo & ejus Lege aſſiduè loqui.

17. *Retribue ſervo tuo*] Præſta hoc ſervo tuo, & dum vivo liceat parere mandatis tuis.

19. *Incola ergo ſum*] Atque ob hanc cauſam tanquam ſolatium peregrinationis meæ, opto exercitationem in lege ac mandatis tuis.

22. *Auſer à me opprobrium*] Libera me à probro & contemptu illorum ſuperborum, quia admonitiones tuas cuſtodivi.

25. *Adhæſit pavimento*] Vel, *pulveri*, ac *limo.* Proximus fui morti, tantis expoſitus periculis: reſtitue me priſtinæ valetudini juxta promiſſa tua.

26. *Vias meas enunciavi*] Opera mea recenſui, quare exaudiſti me: & cùm hujus rei fructum noverim, doce me, quæſo, intelligere mandata tua, quò ſemper dirigar.

27. *Viam juſtificationum*] Genuinam ſententiam mandatorum tuorum aſſequi fac me.

28. *Dormitavit*] *Solutus eſt mihi animus præ anxietate*: *erige me ſecundùm verbum tuum.* Nam in Hebræo pro *dormitavit* eſt *diffluxit*, vel *ſtillavit.*

29. *De lege tua miſerere mei*] *Secundùm legem tuam miſericorditer tracta me.* Alius vertit, *Fac ut lex tua grata ſit mihi.*

32. *Cùm dilataſti cor meum*] Si tu vires & ſpiritum ſuppeditaveris, curram viam mandatorum tuorum.

33. *Legem pone*] Doce me, Domine, intelligentiam mandatorum tuorum, ut ad eam ſervandam quoad vixero accommodem me.

38. *Statue ſervo tuo*] *Propone ſervo tuo eum ſermonem qui maximè invitat ad venerationem tui.* Alius ſic, *Confirma ſervo tuo eloquium tuum, qui ſe addixit timori tuo.*

39. *Amputa opprobrium*] *Auſer infamiam à qua metui mihi:* judicia enim tua clementiæ admixtum habent plurimum, atque iccirco fiduciam habeo hæc poſtulandi.

40. *Ecce concupivi*] *Ego certè amavi mandata tua, quare pro tua æquitate in vita conſerva me.*

42. *Et reſpondebo*] *Et habeam quod reſpondeam ei qui exprobrat mihi*, quòd dicere ſoleam fidere me promiſſioni tuæ.

43. *Et ne auferas*] Quare ne unquam ſinas, quæſo, irritum fieri hoc quod ſæpe dixi, & verè; judicia enim tua exſpectavi, quibus palam fiet meâne an adverſariorum cauſa ſit melior.

45. *In latitudine*] In cordis lætitia & tranquillitate.

48. *Et levavi manus*] Vel, *Tollam in altum manus ad amata mihi præcepta.*

49. *Verbi tui*] *Memor eſto ejus quod promiſiſti ſervo tuo.*

50. *Hæc me conſolata eſt*] Hæc promiſſio conſolata eſt me tempore afflictionis meæ: verbum enim hoc tuum effecit nè mœſtitiâ exſtinguerer, ſed in vita continerer.

51. *Superbi inſultabant mihi*] *Superbi inſultaverunt mihi miris modis:* ego verò lege tuâ conſolatus ſum me, nec aliò quam ad eam confugi.

52. *Memor fui judiciorum tuorum*] In memoriam revocavi quantâ æquitate & judicio olim tractaveris patres noſtros; quæ res plurimum mihi conſolationis attulit.

54. *Cantabiles mihi erat*] Pro carminibus fuerunt mihi præceptiones tuæ quocunque loco fuiſſem tempore exilii mei.

56. *Hæc facta eſt*] Hoc loco Hebraiſmum ſervavit Interpres, ut fœminino uteretur pro neutro, quo carent Hebræi. Senſus ergò eſt, Hoc fuit mihi ſummæ curæ, ut mandata tua ſervarem.

57. *Portio mea*] Portio mea tu es, Domine, quare ſtatui ſervare quæ verbis tuis mandata ſunt.

58. *Secundùm eloquium tuum*] Quo promiſiſti affuturum te mihi.

61. *Funes*] Poteſt & verti, *Turmæ impiorum diripuerunt me.*

63. *Particeps*] Socius ego ſum & amicus omnium illorum qui venerantur & ſervant mandata tua.

64. *Miſericordia tua*] *Benignitate tuâ, Domine, plena eſt terra:* Et ob hanc cauſam *præcepta tua doce me.*

66. *Bonitatem* & *diſciplinam*] Alii verterunt *bonum guſtum*, vel *bonum ſenſum*, h. e. Aperi tu mihi rectam intelligentiam eorum quæ latent in lege tua: vel ſic, Utilitatem quæ eſt in cognitione legis tuæ doce me: mandatis enim tuis maximam ineſſe vim firmiſſimè credidi.

67. *Priuſquam humiliarer*] Priuſquam diligenter auſcultarem ad mandata tua, ſæpe aberravi: nunc autem attentior factus, verbis tuis parebo.

70. *Incraſſatum eſt*] *Impinguatum eſt & ſtupore veluti arvinâ obductum cor illorum*, &c.

71. *Quòd humiliaſti me*] Quòd rebus adverſis nonnihil afflictus fuerim.

74. *Qui timent te*] Tunc cultores tui videbunt me, & gaudebunt, quòd in promiſſionibus tuis poſuerim ſpem meam.

75. *Cognovi, Domine*] *Novi quòd juſtiſſima æquitas ſint judicia tua, & meritò afflixeris me.*

76. *Fiat miſericordia tua*] Verùm ſit, quæſo, tandem malorum ſatis, & pro tua benignitate conſolare me: id enim promiſiſti ſervo tuo verbis tuis.

79. *Convertantur mihi*] Conveniant apud me qui reverenter colunt te, &c.

81. *Defecit in ſalutare tuum*] Vix ampliùs eſt apud ſe præ deſiderio ſalutis quam exſpectat anima mea abs te: promiſſis tamen tuis non diffidam. Sic quod ſequitur, *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, i.e. cupiunt videre quod promiſiſti.

83. *Quia factus ſum ſicut uter*] Quamvis ſimilis eſſet cutis mea utri à fumo in rugas contracto, mandatorum tamen tuorum non fui oblitus.

84. *Quot ſunt dies*] *Quot adhuc ſuperſunt dies ſervo tuo? quando de iis tandem qui me perſequuntur ſupplicium ſumes?*

85. *Foderunt*] Qui verterat, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, videtur voluiſſe Metaphoram ſermonis explicare, cùm addatur, *ſed non ut lex tua.* Ut *fodere foveas*, ſit ea perſuadere quæ præter legem Dei ſint.

86. *Omnia mandata tua*] *Univerſa mandata tua fidei pleniſſima ſunt, quare, cùm ſine cauſa perſequuntur me, auxilio ſis mihi tu.*

89. *In æternum, Domine*] Illud *in cœlo* videtur eſſe Hebraïſmus, pro *cum cœlo*, atque *ſtabiliter.* Perpetua eſt, inquit, verbi tui conſtantia: & potiùs cœlum ipſum rueret ut unum de oraculis tuis non adimpleretur. Sicut terra ſtat in omne ævum, ſic veritas Domini firma manet in perpetuum, & judicia ejus ac decreta, hæc omnia invariabilia conſiſtunt hodie, i. e. uſque in hunc diem, cùm omnia obſequuntur Deo, & exſequantur voluntatem ejus, pro cujuſque naturæ conditione.

92. *Niſi quòd lex tua*] Niſi doctrina tua recreaſſet me, tum mœrore periiſſem cum affligerer tam periculoſe.

96. *Omnis conſummationis*] Nihil eſt eorum quæ in mundo fiunt tam abſolutum cujus non viderim interitum, præter legem tuam, quæ latiſſimè ſe extendens, uſque in futurum etiam ſeculum porrigitur. *Charitas* enim *finis Legis nunquam excidit.*

99. *Super omnes docentes me intellexi*] Profectò enim frequens Divinæ legis meditatio efficit homines ingenio, eruditione, prudentiâ cæteris præſtantiores, idque breviſſimo interdum tempore, ut junior multis ſenibus ſapientiâ antecellat.

101. *Ab omni via mala*] Obſerva, hunc non caviſſe à vitiis ob malum pœnæ, ſed ob Divinæ legis amorem, cui inter vitiorum conſuetudinem operam dare non potuiſſet.

104. *A mandatis tuis intellexi*] Acquiro intelligentiam & prudens fio ex mandatis tuis.

106. *Juravi & ſtatui*] Vel, *juravi, & perſiſtam in propoſito ſervandi quicquid æquiſſimo judicio præcepiſti.*

108. *Voluntaria oris mei*] *Pias has oblationes oris mei, gratanter, quæſo, accipe, Domine*, &c. Ea quæ non ex Lege, nec pro culpa, ſed pro gratiarum actione offerebantur, *voluntaria* vel *ſpontanea* vocabantur.

109. *Anima mea in manibus meis*] Hunc Hebraïſmum aliquoties habuimus: nam *animam habere in manibus* eſt illam ſemper periculis eſſe expoſitam: ſicut mulier Pythoniſſa dixit ad Saul 1 Reg. 28. *Poſui animam meam in manu mea.*

111. *Hæreditate acquiſivi*] *In hæreditatem accepi*, quaſi mea ſemper futura & nunquam amittenda.

112. *Inclinavi cor meum*] Accommodavi animum meum ut opere præſtem præcepta tua uſque in finem vitæ meæ. Nam illud *propter retributionem* non habent Hebræa: & profectò tollendum eſt: nimiùm enim eſt ſervile neque dignum tanto Prophetâ, Divinis præceptis operam dare ob mercedem & ſpem retributionis. Mercenarii hoc eſt, & ejus qui *filii* appellatione ſit indignus, neque *Chriſtianus* appellari meritò poteſt qui hoc animo Chriſto ſerviat. Quid enim? ſic dicat Deus, nolle ſe aliâ retributione nos munerari, quando ob id unum quòd creati ſumus ab eo, nunquam ſatis huic debito facere poſſumus, ſervire ei recuſabimus? Servire ergò ei debemus toto animo, ſi etiam decreviſſet nos in Gehennam detrudere; tum ob id quòd ei debemus, tum quòd id ſolum vivimus temporis cùm in rectè facta incumbimus: nam qui ſe in omnia flagitia ingurgitant, hi vivere nullo modo dici poſſunt. Poteſt tamen fieri interpretatio verborum Hebræorum ſine ejuſmodi offenſione, ut dicatur, *in æternum eſt retributio*, ut alibi legimus, *In cuſtodiendis illis retributio multa.* Nam hoc pacto ſignificatur ingentem quidem eſſe fructum ſervatæ Divinæ legis: non tamen ſcopum eſſe illam retributionem, ſed amorem Dei.

114. *Adjutor & ſuſceptor*] Vel, *Latibulum & ſcutum es mihi tu, quare in verbis tuis ſpem omnem meam collocavi.*

119. *Ut ſcoriam eraſiſti*] Sicut ſcoria ſeparatur, & rejicitur ab argento, ità impii perdentur de terra.

122. *Suſcipe ſervum tuum in bonum*] Vel, *Oblecta bono ſervum tuum*, ſive, *Inſtiga ad bonum ſervum tuum.*

123. *Oculi mei defecerunt*] Oculi mei caligare cœperunt proſpectantes diu num alicunde adveniret ſalus abs te verbo juſtitiæ tuæ promiſſa.

126. *Tempus faciendi*] Tempus appetit quo ſumpturus es ſupplicium de impiis: nihili enim fecerunt doctrinam tuam.

128. *Ad omnia mandata tua*] Heb. *Omnia mandata tua, omnia dirigebam*, h. e. pro rectis habebam.

129. *Mirabilia teſtimonia tua*] *Admiratione digna ſunt ceremoniæ tuæ, quare obſervavit eas anima mea.*

130. *Declaratio*] Vel, *apertio*, ſive, *initium*: ut ſit ſenſus, Simulatque aperiuntur eloquia tua, & datur venire in veſtibulum eorum, admirabili is qui ingreſſus eſt perfunditur luce, & potiſſimùm *ſimplices:* nam qui tument ſpiritu, non hanc conſequuntur illuſtrationem.

131. *Os meum aperui*] Metaphora eſt accepta ab iis qui, cùm aliquid vehementer cupiunt, hiatu oris & majoris ſpiritûs attractione indicant ſuum deſiderium.

132. *Secundum judicium*] Quomodo miſereri ſoles eorum qui amantes ſunt nominis tui.

135. *Fa-*

135. *Faciem tuam*] Fac clarè appareat ſavor vultûs tui erga ſervum tuum.

138. *Mandaſti juſtitiam*] Adeſſe voluiſti juſtitiam *ſtatutis tuis*, *& veritatem*, h. e. fidem, *valde*.

141. *Adoleſcentulus ſum ego*] Significat ſe Legis beneficio emerſiſſe in eam dignitatem in qua tunc erat Rex tam auguſtus.

143. *Tribulatio & anguſtia*] Oſtendit ſingulare refugium & ſolatium in afflictionibus eſſe meditationem mandatorum Dei.

144. *Æquitas teſtimonia tua*] Juſtitia comitabitur præcepta tua perpetuò, fac ut intelligam hæc & vivam.

146. *Salvum me fac*] Ut quid? ut cuſtodiam mandata tua, liberationem moleſtiarum petit, ut diligentiùs & quietiùs operam det Divinis præceptis.

150. *Appropinquaverunt*] Magno conatu egerunt qui perſequuntur me, ut ſceleſta deſignarent: quare *à lege tua abſunt quàm remotiſſimè. Tu verò propè ades*, *& omnes viæ tuæ veritatis* ac fidei plenæ ſunt.

160. *Principium verborum tuorum veritas*] Caput & ſumma verborum tuorum, ſive omnium rerum tuarum, eſt ſtabilitas: perpetuò durabit æquiſſimum judicium tuum. Vel, Ab initio rerum (ſic enim quidam interpretantur) uſque in omnia ſecula verba tua veritas & juſtitia ſunt.

161. *Principes perſecuti ſunt*] Potentes Principes perſecuti ſunt me ſine cauſa, quos non tantopere metui quàm timui ex animo nè à verbis tuis diſcederem.

164. *Judicia juſtitiæ*] Judicia juſta, vel normas vivendi æquiſſimas.

168. *Quia omnes viæ meæ*] Omnia facta mea notiſſima ſunt tibi, nec ullum illorum latet te. Itaque, ut qui coram Deo ſemper eſſem, ità me gerebam.

169. *Juxta eloquium tuum*] Verborum tuorum intelligentiam præbe mihi.

170. *Secundùm eloquium tuum eripe me*] Quemadmodum promittunt verba tua, è malis eripe me.

176. *Erravi ſicut ovis quæ perit*] Petit in fine pulcerrimi hujus Pſalmi ejus opem qui perditam ovem ſuis humeris ad gregem reportavit. In hoc Pſalmo Interpres vertit interdum *meditor* pro *oblector*, & *exquiro* vel *ſcrutor* pro *cuſtodio*.

DRUSIUS.

9. בַּמֶּה יְזַכֶּה־נַּעַר אֶת־אָרְחוֹ. Sym. Ἐν τίνι λαμπρυνεῖ νεώτερος τὴν ὁδὸν αὐτῦ; *In quo illuſtrem reddet juvenis viam ſuam?*

18. וְנִפְלָאוֹת. Sym. τεράστια, *miracula*.

20. גָּרְסָה. A. ἐπεπόθησεν. Sym. τελεία ἦν. Th. V. & VI. editiones ἐπεποίθησαν.

33. הוֹרֵנִי. A. & Th. Φώτισον. Sym. ἀπόδειξον, *oſtende*] Φώτισον· אירני, vel potiùs אירני, quod pleniùs dicunt האירני, *illumina me*. Nam אור *lucere* non *illuminare* ſignificat. ¶ *Oſtende*, הראני *oſtende mihi*. In Theodoreteis, LEGEM PONE, *Sym.* OSTENDE *dixit*, *Aq. & Th.* ILLUSTRA. Ergò Φώτισον non tantùm Aquilæ eſt ſed etiam Theodotionis.

35. כִּי־בוֹ חָפָצְתִּי. A. ὅτι ἐν αὐτῇ ἐβυλήθην. Sym. ut LXX. Th. & VI. ed. ὅτι αὐτὴν ἠθέλησα. V. ed. ὅτι ἐν αὐτῇ ἠθέλησα.

39. אֲשֶׁר יָגֹרְתִּי. A. ὃν ὑπεςάλην, *quod reformidavi*. Sym. ὃν εὐλαβῦμαι, *quod vereor*] Ὃν ὑπεςάλην. Sic etiam Theodotio. In Theodoreteis, *Aquila autem pro* SUSPICATUS SUM ſormidavi *dixit*. *Sic etiam Theodotio. Sym. verò* quod vereor *explanavit*. Græca habentur in ed. Rom. Τὸ δὲ, Ὑπώπτευσα, ἀντὶ τῦ, Ὑπεςάλην, ὁ Ἀκύλας εἴρηκεν· ὕτω δὲ καὶ ὁ Θεοδοτίων· ὁ καὶ Σύμμαχος, Ὃν εὐλαβῦμαι.

41. כְּאִמְרָתֶךָ. A. & Th. κατὰ τὸ λόγιόν συ. Sym. κατὰ τὸν λόγον συ, *ſecundùm ſermonem tuum*.

54. זְמִרוֹת הָיוּ־לִי חֻקֶּיךָ בְּבֵית מְגוּרָי. A. Sym. Th. *Cantica erant mihi omnia mandata tua in loco peregrinationis meæ*.

59. חִשַּׁבְתִּי דְרָכָי. οἱ ἄλλοι, --- τὰς ὁδύς μυ, *vias meas*] Theodoretus, Ὁ Ἑβραῖος, τὰς ὁδύς μυ, ἔχει ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἄλλοι ἡρμήνευσαν ἑρμηνευταὶ, καὶ οἱ ὁ ἐν τῷ ἑξαπλῷ, *Ebræus autem* VIAS MEAS *habet*: *ſic etiam alii Interpretes interpretati ſunt*, *& Lxx*, *in Hexaplo*. ¶ וָאָשִׁיבָה. Sym. ἐπέςρεφον.

63. חָבֵר. A. & Th. ut Lxx. μέτοχος, *particeps*. Sym. συνημμένος, *conjunctus*. Syrus Φίλος, *amicus*.

65. טוֹב עָשִׂיתָ עִם עַבְדְּךָ. Sym. εὐηργέτησας τὸν δῦλόν συ, *beneficio affeciſti ſervum tuum*.

70. טָפַשׁ. * ἐσκληρύνθη * ἀπελιθώθη] Ἀπολιθόω, *in lapidis morem rigeo*, *lapideſco*, *rigeſco*, ſeu *induror*, *ut lapis*.

71. טוֹב־לִי כִי־עֻנֵּיתִי לְמַעַן אֶלְמַד חֻקֶּיךָ. Sym. Συνήνεγκέ μοι ὅτι ἐκακώθην ὑπὲρ τῦ μαθεῖν τὰ προςάγματά συ, *Utile fuit mihi quod vexatus fuerim ad diſcendum præcepta tua*. Th. LXX. Ἀγαθόν μοι ὅτι ἐταπείνωσάς με, &c.

73. וַיְכוֹנְנוּנִי. Sym. καὶ ἀπήρτισάν με, *& perfecerunt me*. ¶ Ἀπαρτίζω, *perfectum & abſolutum reddo*, *omnibus numeris expleo*.

79. יָשׁוּבוּ לִי יְרֵאֶיךָ. Sym. Th. *convertunt me qui timent te*.

85. כָּרוּ־לִי זֵדִים שִׁיחוֹת. A. Ἔσκαλλόν μοι ὑπερήφανοι βρόχυς, *Foderunt mihi ſuperbi foveas*. Sym. Ὑπώρυξάν μοι ὑπερήφανοι ὑπόγεια, *Suffoderunt mihi ſuperbi ſubterranea*. V. ed. Ὤρυξάν μοι ὑπερήφανοι βοθύνυς, *Foderunt mihi ſuperbi foveas*] Βρόχυς interpretatus ſum *foveas*, primùm quia præcedit ἔσκαλλον, *foderunt*, deinde quia vocabulum Ebræum שיחות non ſig. unquam *laqueos*, quod ſciam. Alioqui βρόχος eſt *laqueus*, *tendicula*.

91. הַכֹּל עֲבָדֶיךָ. A. δῦλα σά. Sym. & Th. τὰ σύμπαντα δῦλα σά.

95. קִוּוּ. Sym. & Th. προσεδόκησαν, *exſpectaverunt*.

96. לְכָל־תִּכְלָה רָאִיתִי קֵץ רְחָבָה מִצְוָתְךָ מְאֹד. Sym. *Totius ſtructura vidi finem: amplum mandatum tuum nimis*] In ed. Rom. *A.* τῇ πάσῃ τελέσει. *Sym.* πάσης κατασκευῆς.

98. כִּי לְעוֹלָם הִיא־לִי. A. ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα αὕτη μοι. Sym. διὸ εἰς αἰῶνα αὕτη μοι. Th. ὅτι εἰς τὸν αἰῶνά μοι.

101. כָּלִאתִי רַגְלָי. A. εἶρξα πόδας μυ. Th. V. & VI. ed. ἐκώλυσα *prohibui*.

109. נַפְשִׁי בְכַפִּי. A. Ἡ ψυχή μυ ἐν ταρσῷ μυ, *Anima mea in palma mea*, vel *in vola mea*. Sym. Ἡ ψυχή μυ μετὰ χεῖρά μυ. Th. ut Lxx. Ἡ ψυχή μυ ἐν ταῖς χερσί μυ. V. ed. --- ἐν χειρί μυ, *in manu mea*.

116. כְאִמְרָתְךָ. A. τῷ ῥήματί συ Sym. & Th. κατὰ τὸν λόγον συ, *ſecundùm verbum tuum*] Τῷ ῥήματί συ, לאמרתך. Videtur legiſſe באמרתך, h. e. Beth pro Chaph. Fuit tempus cùm putarem leg. κατὰ τῷ ῥήματί συ, ut idem ſit cum illo, κατὰ τὸ ῥῆμά συ· nunc aliter ſentio.

118. סָלִיתָ כָּל־שׁוֹגִים מֵחֻקֶּיךָ כִּי־שֶׁקֶר תַּרְמִיתָם. A. Ἀπεσκολόπισας πάντας τὺς ἀποςρεφομένυς ἀπὸ ἀκριβασμῶν, ὅτι ψευδεῖς συνεπιθέσεις αὐτῶν. Sym. Ἀπήλεγξας πάντας τὺς ῥεμβομένυς ἀπὸ τῶν προςαγμάτων συ· μάταια γὰρ πᾶσα ἡ δολιότης αὐτῶν. Th. & V. ed. Ἐξυδένωσας πάντας τὺς πλανωμένυς ἀπὸ τῶν ἀκριβασμάτων συ· ὅτι ἄδικον τὸ ἐνθύμημα αὐτῶν.

119. סִגִים הִשְׁבַּתָּ כָל־רִשְׁעֵי־אָרֶץ. A. Στέμφυλα διελογίσω πάντας ἀσεβεῖς τῆς γῆς, *Vinacea reputaſti omnes impios terræ*. Sym. Σκωρίαν ἐλογίσω πάντας παρανόμυς, *Pro ſcoria habuiſti omnes ſceleratos*. Th. & V. ed. Εἰς ὐδὲν διέκοψας τὺς ἀσεβεῖς τῆς γῆς, *Pro nihilo diſcidiſti*, &c.] *Vinacea*; *briſa*, *floces*, aut *fraces*. ¶ Ἐλογίσω legerunt חשבת, videlicet Heth pro He, quæ eſt aſpiratio duplex pro ſimplici, quam vocant He. ¶ *Sceleratos*; vel *improbos*.

120. סָמַר מִפַּחְדְּךָ בְשָׂרִי. A. Ἡλώθη ἀπὸ πτοήσεώς συ ἡ σάρξ μυ, *Quaſi clavis fixa fuit præ conſternatione tui caro mea*. Sym. Ὀρθοτριχεῖ ἀπὸ φόβυ συ ἡ σάρξ μυ, *Pilos erectos habet metu tui caro mea*. Th. ut LXX. Καθήλωσεν ἐκ τῦ φόβυ συ ἡ σάρξ μυ, *Clavis confixa fuit metu tui caro mea*] Ὀρθοτριχεῖ unde ὀρθότριχες, *qui pilos ſurrectos habent*, *quibus pili recti* (ſive *arrecti*) *ſunt*, & ὀρθοτριχία.

121. עָשִׂיתִי מִשְׁפָּט. A. V. & VI. ἐποίησα κρίσιν. Sym. ἐποίησα τὰ κρίματά συ, *feci judicia tua*.

122. עֲרֹב. A. & Th. ἐγγύησαι, *fide jube*. Sym. ἀνάδεξαι *recipe*.

126. עֵת לַעֲשׂוֹת לַיהוָה. Sym. καιρὸς πρᾶξαι τῷ Κυρίῳ. ¶ הֵפֵרוּ תּוֹרָתֶךָ. A. ἠκύρωσαν τὸν νόμον συ, *irritam fecerunt legem tuam*. Sym. ὅταν διασκεδαννύωσι τὸν νόμον συ, *quando diſſipant legem tuam*. V. & VI. ed. διεσκέδασαν.

139. צִמְּתַתְנִי קִנְאָתִי] A. Ἐξώλεσέν με ὁ ζῆλός συ· *Perdidit me zelus tuus*. Sym. Ἀπεσιώπησέν με ἡ ζήλωσίς μυ, *Silentem fecit me zelatio mea*] *Zelus tuus*; קנאתך. Sic alibi, *Zelus domûs tuæ comedit me*. Videtur eò reſpexiſſe.

149. חַיֵּנִי. A. ζώωσόν με. Sym. ἀναζώωσόν με. Th. ζῆσον με] Pleniùs legitur in ed Rom. כמשפטך חיני. A. κατὰ κρίσεις συ ζώωσόν με. Vide ſequentia.

150. קָרְבוּ רֹדְפֵי. Sym. ἔσπευσαν οἱ διώκοντές με, *properarunt perſequentes me*] Ἔσπευσαν, מהרו.

156. כְּמִשְׁפָּטֶיךָ חַיֵּנִי. A. κατὰ κρίσεις συ ζώωσόν με, *ſecundùm judicia tua vivifica me*.

158. בֹגְדִים. A. Th. & VI. ed. ἀσυνθετῦντας. Sym. & V. ed. ἀθετῦντας] Ἀσυνθετέω, *non ſto pactis*, *violo irritum fœdus*. Ergò ἀσυνθετῦντας, *fœdifragi*. Ἀθετέω, *reſcindo pactum & irritum facio*.

164. שֶׁבַע. * *ſæpiſſime*. ¶ הִלַּלְתִּיךָ. A. & Sym. ὕμνησά σε, *hymnis celebravi te*.

170. תְּחִנָּתִי. A. *oratio mea*. Sym. *ſuppoſito* --- Alius, *deprecatio*] Δέησις.

173. בָחָרְתִּי. A. & Th. ἐξελεξάμην *elegi*. Sym. εἱλόμην.

174. תָּאַבְתִּי. A. ἐξειχόμην. Sym. ὑπερεπεθύμησά, *ſupra modum concupivi & deſideravi*. Th. V. & VI. ed, ἐπεπόθησα.

AMAMA.

חברו דוד בשמנה אלף בית. Omnis enim Litera habet 8. Verſus. Quidam Jacobus Furnius JC. Genuenſis hunc Pſalm. tranſtulit Græco & Latino verſu, ut Græci & Latini octonarii ad ſimilit. Ebraïcorum verſuum ab eadem litera Græce & Latine incipiant.

Addit

Addit Kimchi in ſingulis verſ. excepto verſu 2. lit. *y.* eſſe vel דרך vel תורה aut עדות aut פקודים aut מצוה aut אמרה aut דבר aut משפט aut צדקה aut חקים Illa autem omnia ſunt חלקי כל התורה. Hilarius quoque negat eſſe ſynonyma. Alii volunt eſſe Synonyma & tantum ratione & notatione differre, quatenus Legis divinæ qualitates, notæ perfectiones & proprietates variæ ſunt ac multiplices.

Hic Pſal. quanto videtur in ſuperf. apertior, tanto in receſſu myſteriorum altitudine eſt profundior. Ambr. vocat Elementa Scholæ Chriſtianæ.

1. תְּמִימֵי] *Integri, ſinceri, ſine dolo, fraude.* Sic Noë, Job, Abraham, David, male ergo redditur *perfectus*, niſi quis de perfectione partium intelligat, aut vocem eam explicet ex Ebraïſmo. Peſſime LXX. ἄμωμος, alibi ἄμεμπτος. Vulg. *immaculatus.* Exod. 12. tolerari poſſit de Agno, *Agnus* תמים, *abſque macula*, i. e. vitio corporis. Hic aliter eſt, *At*, inquit Genebr. תמים *eſſe vel à* תמם *& tunc ſign. integrum, ſincerum, vel à* מום *& tum eſſe abſque macula*, citatque Aben. בְּלֹא מוּם. At 1. Non eſt talis forma in Quieſc. Ain. 2. Non auditum ut ת heëmanthicum ſit idem quod & ϛερητικόν.

Viæ] Vitæ. Metaph. ut via regia ad optatum locum, via erronea ad interitum ducit. Sic vita pia, impia.

2. *In corde*] Ex corde. Ut in compendio Legis collato cum loco Euangelii. Sic in Pſ. 15.

3. *Qui etiam non f. iniq. ſed &c.*] Alii accipiunt hunc verſum ut propoſitionem ſeparatam.

4. לִשְׁמֹר] Pro לְהִשָּׁמֵר, & ſic verſus eſt clarus.

Teſtimonia] Per Teſtimonia intelligitur Lex cum duabus appendicibus promiſſ. & minis. Tria illa teſtantur de Dei voluntate.

ב

HOc octonario commendat ſtudia pietatis adoleſcentibus & pueris. Idque facit ſeorſim, quod ea ætas fere locare ſoleat homines in bivio, 2. quod ea ætas maxime æſtuet libidinibus & pravis deſideriis, quod majore impetu feratur ad obtinendam licentiam. Docet autem nihil melius eſſe quam mox legem Dei ſibi magiſtrum proponere. Omnis ὀψιμαθία hic periculoſa. Exemplum præbent illi qui in adoleſcentia ſe dedunt Ebrietati. Ubi ad maturam ætatem ventum, ne quidem ſi maxime velint, avelli ab iſta Furia poſſunt. Hor.

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper
Utilium tardus proviſor, prodigus æri.

Sen.

Pejora juvenes ſemper præcepta audiunt.

נַעַר] נְעָרִים late, ſtricte. Late comprehendit *totam ætatem accreſcentem.* Dividunt enim ætatem laxe in 3 ætates, *Accreſcentem, Stantem & Decreſcentem.* Jam ut Decreſcens tres habet gradus, זִקְנָה & שֵׂיבָה & eam in quâ exiſtens dicitur ישישׁ. Ita & Accreſcens habet tres gradus, *Infantiam, Pueritiam* proprie dictam, & *Adoleſcentiam.* נער ergo cum eſt nomen ætatis (Eſt enim & aliq. nomen conditionis) ſignificat 1 *Infantem recens natum*, Jud. 13. 7. *trimeſtrem*, Ex. 2. 6. *Puerum qui jam incipit fari*, 1 Sam. 1. de Samuele *bienni.* 3. *Adoleſcens*, Joſeph. Gen. 37. Sic נְעוּרִים *pueritia, infantia*, Gen. 8. *Adoleſcentia*, Joel. 1. 8. & paſſim ubi fit mentio *uxoris adoleſcentiæ*, vel *mariti adoleſcentia, Maritus adoleſcentiæ*, Joël. 1. 8. Prov. 7. *Uxoris adoleſcentiæ*, Jeſ. 54.

Quæritur de loco Gen. 8.

9. *Quomodo mundabit Adolenſcens viam ſuam? Cuſtodiendo [eam] juxta verbum tuum.*

Verſiculus hic interrogatione & reſponſione conſtat. Solet autem Sp. S. hoc modo res maxime arduas & ſerias Eccleſiæ proponere. Ita Pſal. 15. *Quis commorabitur, Domine, in Templo tuo? Quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ? Qui ambulat integrè* &c. Sic Pſal. 34. *Quis eſt ille qui delectatur vitâ & amat videre dies bonos? Cuſtodi linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur fraudem &c.* Ita Salomo Prov. 23. *Cui væ, cui mendicitas, cui?* &c. *Iis qui commorantur apud vinum* &c. Talium exemplorum in Paulinis quoque Epiſtolis copia eſt. Doctrinam ergo arduam & in qua bene percipiendâ magnum operæ pretium ſitum eſt, hic proponit Regius Vates.

Is autem, de quo hæc inſtituitur Quæſtio, *Adoleſcens* eſt. Hebr. נַעַר, quæ vox, cum ætatis eſt, tam latæ extenſionis eſt, ut & *infantem recens* imò *nec dum natum*, & *adoleſcentem* ſeu *juvenem* jam jam *in virum tranſiturum* complectatur. Cum verò nomen ſtatus & conditionis eſt, *miniſtrum* & *famulum* cujuſcunque ætatis denotat, unde *Joſua*, jam XLnarius. *Moſis* & *omnes fideles* נְעָרִים i. e. ad verbum *Pueri*, ad ſenſum, *Miniſtri & Servi Dei* vocantur. Ita & *Chriſtus* Act. 3. 4. *ſanctus Dei* παῖς, i. e. *puer* vocatur, quem Deus Pater Jeſ. 53. *ſervum ſuum* appellat. Hoc ſenſu Junius in annot. hoc loco vocem נער accepit, *Quomodo purificabit puer*, i. e. filius & ſervus Dei, quiſquis eſt, *ſemitam ſuam?* Aſt ego aſſentiri malim cæteris Interpretibus, Gen. Ang. It. Hiſp. Tig. Moll. Piſc. &c. qui *adoleſcentem* ætate hic intelligunt. *Quomodo ergo Adoleſcens mundabit viam ſuam?* Ecce *Adoleſcenti* aſſcribit *ſemitam*, i. e. vivendi inſtitutum, vivendi rationem, & modum & quidem *peculiarem*, nec enim fruſtra Sp. S. affixum addidit, *Quomodo mundabit Adoleſcens ſemitam* SUAM?

Qualis ergo eſt adoleſcentis ſemita? Id ſatis arguit vox Ebræa *mundabit.* Nihil mundatur niſi quod immundum pollutumque eſt. Semita ergo Adoleſcentis immunda eſt. Habet hoc cum omni ætate commune adoleſcentia. Immunda eſt ipſius hominis conceptio. Ita de ſe confitetur Regius Vates, vir ille ad cor Dei, *In iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea*, Pſalm. 51. *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantummodo malum eſt ab infantia*, Gen. 8. quod Gen. 6. dicitur, *omni tempore.* Ubi jam ad uſum rationis cum perduxit ætas indies pejor evadit, Erumpit in omnem turpitudinem illud virus, quod ex matris utero in auras produxit immundum animal. Cumque ad omnem nequitiam ingenioſus ſit & voluntarius, ſolam virtutem odit, ad preces & ſacra exercitia, ad literarum ſtudia compellendus eſt. Ubi jam in virum evaſit, quinetiam ubi jam ingreſſus eſt dies illos indelectabiles, cum jam ipſi caput inſtar Amygdali floret, cum jam intermittunt molitrices illæ & obteneбreſcunt illi qui ſpectant per feneſtras, idem eſt, ſemper ſui ſimilis eſt, fœdus & abominabilis peccator, imbibens iniquitatem ſicut aquam.

Cum ergo omnis ſemita hominis immunda ſit & naturâ ſuâ coram Deo abominabilis, cur ſpeciatim hic mentio fit ſemitæ adoleſcentis? Cur non potius in genere dixit Propheta, *Quomodo mundabit homo ſemitam ſuam?* Aut ſi illi libuit ad particularia deſcendere, *Quomodo mundabit Senex*, qui jam morti vicinus eſt, *viam ſuam?* Et quod adoleſcentium mundanorum ingenium eſt dicent forte aliqui in cordibus ſuis, Quis Davidem nobis inſpectorem dedit? Quis illum poſuit cuſtodem noſtrum? Audi adoleſcens. Eædem cauſæ, nec enim una eſt, quam habuit Salomon cum Eccl. 12. te ſic alloquitur, *Lætare adoleſcens in adoleſcentia tua, & exhilaret te cor tuum in diebus juventutis tuæ, &c.*

Atque ita jam puto ſatis intelligi cur de adoleſcente quærat David, *Quomodo mundabit Adoleſcens ſemitam ſuam.* Videamus reſponſionem לִשְׁמֹר כִּדְבָרֶךָ Ellipſis in his verbis pronominis eſt, vel enim ſub. אֹתָהּ *eam*, vel reciprocum, *ſe.* Sed præſtat ut pronomen relat. *eam* ſubaudiamus. Quid ſit *cuſtodire*, explicationis non eget. Uti nec illud, quid hic per *verbum* intelligatur, vid. *non verbum* ἄγραφον, ſeu *Traditiones*, non *ſomnia & inſpirationes Enthuſiaſtarum*, non *regulas* ab ulla humanâ ſapientia vel poteſtate præſcriptas, ſed *verbum Dei ſcriptum, Legem Dei in verbo ipſius nobis revelatam, lucernam illam pedum noſtrorum, iſta teſtimonia, iſta jura, iſta mandata, ſtatuta, judicia*, quorum tam crebra in hoc Pſalmo mentio.

Non erimus prolixiores in explicando textum tam perſpicuo.

Diſcamus ex iis, quæ jam perſtrinximus breviter, 1. Miſerum illum ſtatum in quo ſicuti omnes cujuſvis ætatis homines, ita præcipue Adoleſcentes conſtituit prima illa Primorum parentum à Creatore ſuo defectio. Cujus memoria nobis renovatur quoties veſtes noſtras ponimus & ſumimus, quoties veſtes noſtras & cujuſvis occurrentis intuemur, nec enim putate ſine numine factum, in lingua Sancta, cujus ipſe Deus auctor eſt, unâ eademque voce בֶּגֶד & *defectionem* & *veſtem* denotari. Eſt enim veſtis nihil aliud, quam μνημόσυνον & memoriale primæ illius defectionis, quâ in lumbis parentum noſtrorum à Creatore noſtro defecimus.

Status adoleſcentiæ cæteris beatior & felicior vulgò æſtimatur. Et certè habet ſua præ Senectute ſaltem commoda, quoad vigorem vireſque corporis, valetudinem, gaudia, lætitiam, & curarum abſentiam, & quæ præterea æſtimare ſolet Mundus. At ſi animam ejuſque vigorem contemplari lubet, ajo ſtatum adoleſcentiæ omnium eſſe periculoſiſſimum. Studia adoleſcentiæ à Salomone hæc deſcribuntur, *ambulare in viis cordis & juxta deſideria oculorum ſuorum vivere*, quæ duo capita & fontes ſunt omnis impietatis. Non fruſtra dicit Apoſtolus, *juveniles cupiditates fuge.* Piorum juvenum non frequentia, ſed raritas occaſionem dedit Diabolicis iſtis Proverbiis, *Juvenis ſanctus, ſenex Diabolus. Hirſutus pullus, generoſus equus.* Non fruſtra deplorat David *peccata adoleſcentiæ ſuæ*, non de nihilo eſt quod tantis elogiis in S. L. inſigniantur illi, qui à puero Deum timuerunt jugumque ejus portaverint. Atque hæc ſatis probata iis exiſtimo

quï

qui meminerunt cauſas, quas modo adſerebamus, cur nominatim de Adoleſcente quæſtionem inſtituat David.

Nemo ergo ſuperbiat & ſpiritus ſumat ex valida & vigente atate, ex diebus adoleſcentiæ. Vocantur illi quidem *dies boni*, uti Dies Senectutis à Salom. Koh. 12. vocantur *dies mali*. Sed ratione corporis. Quin potius exciret nos hæc ætas ad majorem cautionem, & preſſiorem obſervationem viæ noſtræ. Res nobis eſt cum potentiſſimo hoſte. Ejus milites longe robuſtiores nos corpori noſtro ceu Equo Trojano incluſos gerimus, quam Senes. Milites iſti ſunt *caro & ſanguis*, *pravi affectus*, *juveniles cupiditates*, *ſtimuli libidinum*, quos niſi ſuperemus, proditi ſumus.

Diſcamus ſecundò, non omnem ſemitam Deo placere. Deus poſtulat ut ambulemus in illa ſemita quam ipſe in verbo ſuo nobis præſcripſit, quæ eſt via juſtitiæ & ſanctitatis. *Si ambulaveritis mecum temere*, Lev. 26. 23. *Etiam ego ambulabo contra vos temere.* Ambulat cum Deo temerè, qui ſuæ naturæ ductum ſequitur, nec componit ſe ad voluntatem & præſcriptum ejus. Contra illos ſe quoque temerè ambulaturum minatur Deus ſe vid. in illos ſine ullo perſonarum diſcrimine quaſi clauſis oculis, ſine ulla pœnarum moderatione laxatis iræ habenis ſæviturum. Et quod ad adoleſcentiam noſtram attinet. Extra controverſiam ponamus ſemitam adoleſcentiæ, prout illa naturâ ſuâ eſt coram Deo eſſe maximè immundam & abominabilem. Præſcripſit ille non ſenibus & viris ſolummodo, ſed & adoleſcentibus Legem ſuam, præfinivit & hiſce fixos certoſque terminos, quos ultra citraque Deo neutiquam poſſunt placere. Omnibus & ſine ulla exemptione ætatis ſingulis qui vitam æternam ingredi cupiunt, unam portam, unamque quæ ad eam ducit ſemitam monſtravit Deus. *Laborate ingredi per anguſtam illam portam. Porta anguſta eſt & via conſtricta quæ ad vitam ducit.* Monſtret mihi adoleſcens aliam portam in Scripturis, & credam aliquid indulſiſſe Deum juvenili ætati. Monſtret mihi vel unicum ejuſmodi exemptionis & privilegii veſtigium & minus mirabor profanas multorum voces, utendum eſt ætate, ubi ſenuero tunc reſipiſcam, q.d. tunc Deo ſerviam, cum Diabolo præ ſenio ſervire non poſſum. Libet hic exclamare cum profano homine

O cæcas hominum mentes! O pectora cæca!

Quid malum! Privilegii & libertatis, quod voluptatis in peccatis eſſe poteſt. Si adoleſcens putat ſuæ ætati aliquid dandum eſſe, cur id dari ſibi poſtulat in licentiam peccandi. Quæ hæc Diabolica perverſitas eſt. Omne beneficium quo majus eſt, eo majorem gratitudinem poſtulat. Hoc principium omnium animis natura inſculpſit. Jam vero, an alia ætas eſt quæ tot beneficia à Creatore ſuo accipit, quam ætas adoleſcentiæ? Si vigor & flos vitæ, ſi forma, ſi alacritas, ſi robur & ſenſuum integritas bona ſunt, quo loco ab omnibus meritò habentur, ſi hæc in Senio evaneſcunt, in morbos & perpetua incommoda vertuntur, puto pias mentes mecum dicturas gratitudinem majorem adoleſcentes Deo debere, quam ulla ætas alia. Gratitudinem autem Deus non exigit aliam, quam fidem quæ in charitate & bonis operibus ſit efficax. Exigit à nobis obedientiam, obſervationemque ſemitæ noſtræ ſecundum ſuum præſcriptum.

Agnoſcant itaque errorem ſuum illi, qui profiteri non erubeſcunt cum Terentiano nepote, potare, ſcortari & cætera adoleſcentiæ ſtudia exercere fas eſſe adoleſcentulo, & cogitent, quod præter illa corporalia quæ jam recenſuimus, ob quæ Deo tanquam creatori præ aliis ætatibus obligati ſunt, etiam Redemptori ſuo Chriſto non minus obſtricti ſunt, quam alii. Etiam adoleſcentes ſuo ſanguine redemit Chriſtus. Si redempti, pertinent itaque & illi ad fœdus, ſi ad fœdus pertinent, etiam tenentur legibus & conditionibus fœderis. Conditiones illæ & Adoleſcentibus & Senibus communes ſunt iſtæ, *Credite*, *Reſipiſcite*, *Ferte fructus convenientes reſipiſcentiæ.* Si dixeris te credere & hos fructus non exhibes, Beatus Joh. in faciem tibi reſiſtet & ſine ullo verborum involucro *te mentiri* aſſeret. Paulus dicet *te factis negare Deum*, *te conculcare ſanguinem N. T. fidem tuam eſſe mortuam, & quamdiu in viis cordis tui & ſecundum deſideria oculorum tuorum ambulabis*, *vitæ æternæ non fore participem.*

Diſcamus 3. illam ſolummodo ſemitam Deo placere, quæ eſt *ſecundum Verbum ejus*, *obſervando eam*, inquit David, *juxta verbum tuum.* Verbum Dei eſt *lucerna pedibus noſtris & lux ſemitæ noſtræ.* Verbum Dei eſt *perfectiſſima regula & norma vitæ inſtituendæ. SS. Literæ ſapientem poſſunt reddere unumquemque fidelem ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Tota Scriptura divinitus inſpirata eſt & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad corr. ad diſciplinam in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

Quiſi taque non admiretur inſignem illam impudentemque Romani Pontificis tyrannidem, dum verſione hujus verbi, prout in vulgata Lat. extat, in linguas vernaculas poſt tot ſollicitationes & motus vix tandem conceſſâ ejus lectionem tot millibus hominum tyrannicè denegat. O maximam Tyrannidem & quæ vel ſola ſufficiat defendendæ ſeceſſioni à Papatu! Quid eſt Anti-Chriſtum agere, ſi hoc non eſt? Chriſtus jubet Scripturas ſcrutari, at Epiſcopus Romanus prohibet. Deus vult ut vitam noſtram inſtituamus ſecundum verbum, regulam, normam & præſcriptum ſuum. Epiſcopus Rom prohibet. Nec enim vult Scrituram ab Idiotis Legi. Quin ne doctis quidem Laïcis Latinæ Vulgatæ verſionis licet impuriſſimæ & ad ſtabiliendos errores quamplurimos accommodatiſſimæ, lectionem ſine diſcrimine permittit. Magnæ etiam clericorum parti fas non eſt ipſam Latinam Translationem legere, expectanda eſt Permiſſio Epiſcopi, Inquiſitoris vel Generalis.

Sed verſiones quod attinet, queis linguarum ignorantia Idiotas contentos eſſe cogit, videtur quidem aliquid largiri illis Regula 4. Pii 4. quæ extat inter Decreta Trid. Conc. in Indice librorum, prohibitorum, ſed ſi declarationes poſtea factas & praxin hodiernam intueamur, videbimus totum illud fuiſſe coactum & Pontificiis à quiſdam nationibus, vid. Belgis, Germanis & Bohemis extortum. In regula prædicta id ſtatuitur & præſupponitur, non expedire ut ſacra Biblia in vulgarem linguam à Catholicis authoribus verſa paſſim ſine diſcrimine legantur. Itaque ſanciunt nulli concedendam licentiam legendi Biblia, niſi cui ab Epiſcopo vel Inquiſitore ex conſilio Parochi vel confeſſarii id ſpeciali indulto, (quod in ſcriptis habere debet) conceſſum fuerit. Illi autem queis hoc indulgeri poſſit hâc nota deſcribuntur, ut ſint tales, quos Parochus teſtetur plus emolumenti quam damni inde percepturos. Quanto melius facerent, Epiſcopi & Inquiſitores, ſi cellas vinarias ubique obſignarent, nec paterentur cuiquam vinum vendi aut propinari, niſi cui Parochus apud Epiſcopum hoc perhibuiſſet teſtimonium, illum virum ſobrium, ac ex vino plus emolumenti quam damni habiturum, quique ſemper penes ſe haberet facultatem in ſcriptis, qua cauponi exhibita doceret ſibi ad teſtimonium Parochi vini uſum conceſſum.

An quia vino quidam abutuntur ad luxuriem, ideo vini uſus tollendus? An quia cibis ad luxum abutuntur quamplurimi, ideo ſubtrahendi? Sed dices non tollere eos uſum Scripturæ. Ajo eos quantum in ipſis eſt ſimpliciter eum tollere. Quod ad decretum illud attinet, id à Belgis, Germanis & Bohemis Pontificibus extortum eſt, & revocabunt ubi ſuperiores fuerint. Pontifex cum videret res eo loco eſſe ut propter hæc & alia tam amplæ regiones à Papatu deficerent, paſſus tandem eſt ſuam pertinaciam expugnari, hactenus, ut ex duobus malis eligendum ſibi minimum ratus SS. Literas ex Vulg. verſione à Catholicis authoribus jam verſas & impreſſas & in vulgus ſparſas, quibusdam in locis, non cuivis ſine diſcrimine, ſed paucis quibuſdam quod vid. Parochi obſtinatos Papiſtas eſſe teſtarentur, legendas permiſerit. Ea enim clauſulæ iſtius vis eſt ut ad lectionem verſionum non admittantur niſi pauci illi vid. quos ex confeſſione & tota vitæ ratione pertinaces conſtat, quique jam ante in Pontificis verba juraverint. Verſiones vernaculas nec damnandas ſimpliciter, nec ſimpliciter permittendas eſſe ait Bell. Atqui olim docuère Pontificii ſimpliciter damnandas. Cumque ipſe Azotius non erubeſcat aſſerere minimè expedire, ut S. L. in vernaculas linguas transferantur. Pergit Bell. & dicit non expedire, ut à quovis ſine diſcrimine legantur. Videtur Bell. Azorio paulo liberalior, ſed ſi ad rem ipſam & clauſulam iſtam oculos reflectamus, videbimus non multum intereſſe. Ludit Pontifex, ludit Concilium, illudit Bell. *Verſutos homines*, inquit Jun. *qui non vulgares translationes*, *ſed evulgari illas prohibent.* Quorſum, amabò, vulgares, niſi ut vulgentur & in commune prodeant? Ideo voluit olim Deus vulgari ac vernacula lingua perſcribi verbum ſuum & in vulgus ire, ut nunc quoque S. Scr. vernacula lingua doceret habendam eſſe. O miſeram Religionem & deſperatum Eccl. Romanæ ſtatum! Uti ne ad puriorem religionem, quæ ipſis hæreſi deveniant homines, verbum Dei unicam credendorum & faciendorum normam ab oculis hominum removent & tollunt. Iterum dico, tollunt, quantum in ipſis eſt. Extortum illud decretum eſſe amplius monſtrabo. Quem unquam oſtendet mihi Pontificius, cui in Hiſpania cæteriſque Hiſpaniarum Regis ditionibus, queîs Inquiſitio ſuperinducta eſt, ex vi hujus decreti permiſſa ſit verſionis vernaculæ lectio? Et quomodo, licentiam in Hiſpania darent legendi Biblia vernaculâ lingua, cum illic non extent. Sicuti tot jam retro annis Hiſp. Reges ſub graviſſimis pœnis prohibuere, ne quis S. L. in vernaculam linguam transferret, aut translatam retineret. Ita & in hunc uſque diem non permiſit Inquiſitio Biblia in Hiſpanicam linguam transferri. Namque in Indice librorum prohib. authoritate Inquiſitoris Generalis ibi edito regula VI. ſic habet. *Prohibentur Biblia vulgaria*

cum omnibus ſuis partibus. Scio extare Biblia Hiſpanica, ſed non à catholicis authoribus verſa, ſed à noſtris, ſcio & illud ea clam cum maximo periculo maximâ cum copia in Hiſpaniam invecta & diſtributa. Credo & illud, ſi qui talia Biblia habere & legere deprehenderentur, eos vivicomburium non evaſuros.

Quid ergo hoc eſt quod Regula 4. Pii 4. & Concilii Trid. promittere videtur? Quodnam nefas admiſit lingua Hiſpanica, quod in eam transferre Biblia Sacra hactenus impeditum ſit, cum Belgæ, Germani, Bohemi, aliæque nationes habeant Biblia à Catholicis authoribus verſa? Quodnam ſcelus admiſerunt Hiſpani, quod ipſi effectu Regulæ prædictæ Pii quarti frui hactenus non potuerint? An ergo Hiſpania nullum habet cui Parochus id teſtimonium perhibere poſſet, cum ex lectione Scr. plus utilitatis quam damni percepturum, vel quod idem eſt, an nulli in Hiſpania ſunt obſtinati Papiſtæ?

Non hîc calceus urget Pontificem. Et quis jam non clare videt illam permiſſionem à Pio 4. & Concilio extortam eſſe, at tum demùm revocatum iri cum executioni mandare poterunt contrariam ſanctionem. Myſterium hoc explicat Azorius. Docet enim Clementem VIII. in Indice librorum prohibitorum ad prædictam Regulam Pii 4. hanc addere obſervationem, vid. per impreſſionem & editionem eam nullam de novo tribui facultatem Epiſcopis, Inq. vel Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi vulgaria Biblia, *cum hactenus*, hæc ejus formalia ſunt, *mandato & praxi S. Rom. & univerſalis inquiſitionis, ſublata iis fuerit facultas concedendi talem licentiam.* Et eodem cap. ſic ait Azorius: *Quæres an Biblia in vulgari lingua translata permittantur? Reſpondeo, primo aſpectu in 4. Regulâ prohiberi ſolum ne Biblia vulgaria paſſim, ſine diſcr. permittantur legi.* In Hiſpania tamen aliter eſt, nam in Indice, inquit, lib. proh. ibi edito Regula VI. ſic habet, *Prohibentur B. vulgaria cum omnibus ſuis partibus.* Et Indice Clem. 8. ſublata eſt facultas concedendi licentiam legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. partes, quâvis vulgari lingua editas.

Hæc paulò prolixius volui ediſſerere, Auditores, uti bona veſtra noſcatis, & gratias Deo agatis quod iſtis locis vos naſci & vivere voluerit, ubi ſine periculo viræ ad fidei & pietatis augmentum SS. Literas legere vobis fas eſt. Quot putatis in Hiſp. fideles animas eſſe, quæ hanc libertatem omni ſubſtantia lubentes mercarentur. Eò majores pœnas commeretur noſtra negligentia.

Eodem loco apud nos hodie ſunt Biblia quo linguæ originales. Magnis ſudoribus & vigiliis conſtitit primis reformatoribus ut evincerent ſolos fontes eſſe authenticas fidei tabulas, ad Textum Ebr. & Græcum omnes verſiones eſſe examinandas, cognitionem linguæ Gr. & Ebr. neceſſarium eſſe Theol. inſtrumentum, non poſſe verè Theologum dici qui in utraque illa lingua, non mediocriter fuerit verſatus. At cui cui bono hæc prælia pugnarunt beatæ illæ animæ, cum hodie ex Miniſtris vix centeſimus ea ſibi compareт adminicula, ut poſſit fontes inſpicere, cum in eam barbariem præcipiti gradu delabamur, ut ſi aliquando concilium indicendum ſit, verendum ſit idem nobis objici poſſe, quod Bell. de Pontificiis conciliis ingenuè agnoſcit, nullos ſæpe in iis fuiſſe linguarum peritos.

Eadem fata Biblia experiuntur. Quanto cum ſudore hoc tot jam ſæculis egerunt viri cordati ut Biblia in vernaculam linguam transferrentur, translata à quovis legerentur. Quid non egerunt Theologi ut æquiſſimum illud poſtulatum evincerent, & oſtenderent teneri unumquemque S. L. Legere. Annon in Belgio ob illam quoque cauſam arma ſumpta, ut Inquiſitio à cervicibus noſtris depelleretur, in cujus ſanctionibus nihil tam durum & dirum ac hoc interdictum? Sed quid jam fit? Quot putatis eſſe Idiotarum familias quæ Biblia aut omnino non habent, aut ſi habent toto anno vix ſemel inſpiciunt. Sed quid de illis dico, quotuſquiſque eorum qui ad Miniſterium aſpirant ea, qua par erat, cura, SS. Biblia verſat. Multi, credo, inſpiciunt ſubinde S. B. tanquam dictionarium aliud, cum locus aliquis ad controverſiam aliquam tractandam citatur, ſed qui SS. B. eo fine legant & aſſidue verſent, ut poſſent ipſi fidei & pietatis incrementum capere, ut poſſent evadere potentes in Scripturis, & cum dexteritate aliis monſtrare *ſemitam quæ eſt ſecundum Dei verbum*, oppido paucos eſſe & experientia & piorum virorum aſſiduæ querelæ docent.

Sed longius à propoſito me abripuit indignatio juſtane an injuſta, docti & pii judicent. Tempus eſt ut à diverticulo ad ὁδὸν χαρᾶταν redeamus.

Hactenus illud ex hoc textu elicuimus, non omnem ſemitam Deo placere, ſed illam quæ eſt ſecundum præſcriptum Verbi divini.

Illud jam reſtat ut IV. conſideremus, in hac via, magna cautione opus eſſe. Qui hanc viam ſemel ingreſſus eſt, debet eam preſſiſſima cuſtodiâ obſervare. *Obſervando eam juxta verbum tuum.* Aſſiduæ debent eſſe preces ad Deum, ut opus à ſe inceptum clementer perficiat. Uti adverſus ſcandala & offendicula quæ Satanas & Mundus & Caro objiciunt eum armet & muniat. Qui hanc viam ingreſſus eſt non debet ſibi quietem & tranquillitatem polliceri. Tum demum *furit Satanas*, tum demum *apertum tibi bellum indicit Mundus*, tum demum *exerit ſe Caro & recalcitrat, non cum Satana & Mundo tantum, ſed & tecum tibi negotium eſſe incipit, hoſtem tuum in ſinu circumgeſtas, & niſi Deus potenti ſua manu te fulciat, non potes in hac ſemita ſubſiſtere.* Itaque aſſiduè orandum & vigilandum. Uti qui ambulat in anguſto calle utrinque habente periculoſam foſſam in quam ſi incideres actum de te eſſet, hoc maxime agit ut certi & firmi ſint greſſus, ut quæ ante ſe ſpectet, nec patitur oculos huc illuc vagari, nec reſpicit; ita & in hac ſemita ambulandum eſt. Nunquam hîc induciæ. Cum maxime tibi videntur Halcyonia, cum tranquillus tibi videtur Satanas, cum quieſcere & ſubſidere putas carnem, tum fortior impetus tibi metuendus eſt. Uti qui magnam aliquam tranſilire volunt foſſam regredi ſolent, ut quo magis regrediuntur, eò fortius ſalire queant, ita & Diabolus & Mundus & Caro, cum maxime quieſcere & à re regredi videntur, parant ſe ad vehementiorem impetum. Aſſiduè ergo in hac via tibi luctandum & pugnandum eſt. Simulac domo tua exis & in publicum te committis, mox tibi objiciunt laqueos ſuos Diabolus & mundus. Quod ſi in hac tentatione carnem tuam à tuis partibus habere poſſes, felicius reſiſteres & fortius, ſed, ut jam dictum eſt, proditorem tuum in ſinu circumgeſtas. O durum Chriſtiani adoleſcentis prælium, in quo & cum carne & ſanguine & cum mundo & cum poteſtatibus, imperiis, principibus hujus mundi, cum ſpiritualibus improbitatibus quæ in ſublimi ſunt aſſiduè pugnandum! Hanc aſſiduitatem innuit etiam David, dum utitur verbo Futuri temporis, *quomodo mundabit.* Solent enim Hebræi per futurum & actum continuum denotare, non uno actu mundari poteſt hæc via, Carnis infirmitas à Mundo & Diabolo incitata ſingulis momentis inquinant tibi viam tuam, quam ſemel mundare cepiſti. Adeo nunquam, quamdiu in hac ærumnabili vita circumvolveris, ferias & quietem tibi polliceri potes. Dubitas adhuc, Adoleſcens, & nugari me putas? Quid reſpondebis ad hæc loca Scripturæ, Timotheus etiam adoleſcens erat, illum tamen ſic hortatur Paulus 1 Tim. 6. 12. *Decerta præclarum illud certamen fidei.* Atqui non initur certamen, ubi nullus hoſtis eſt. Ipſe Paulus de ſe 2 Tim. 4 7. *Præclarum certamen certavi.* Et Epheſios ſic hortatur, *Induite univerſam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus artes Diaboli.* Atqui non induuntur arma, niſi ubi ab hoſte periculum eſt.

Agnoſcamus ergo, ut ad portum naviculam noſtram dirigamus, agnoſcamus cum debitâ gratiarum actione magnam illam & ineffabilem Dei miſericordiam, qua dignatus nobis eſt præſcribere in verbo ſuo certam aliquam normam & regulam, ſecundum quam vias noſtras mundemus, quod licentiam nobis fecerit hoc verbum legendi in eo meditandi, quod apud nos etiamnum conſervet Scholas & Eccleſias, in queis hoc verbum proponitur, prædicatur & explicatur. Cogitent omnes & præcipuè adoleſcentes ante omnia neceſſariam eſſe conſiderationem & examen viæ ſuæ. Unuſquiſque reflectat cogitationes ſuas ad vitam ſuam anteactam, unuſquiſque conſideret, quid impræſentiarum agat, quibus occupationibus diſtineatur. Perpendite quidnam illud ſit, quod impoſterum faciendum vobis propoſueritis. Nihil tranſeat. Scrutamini vias cordis veſtri, vias oculorum, aurium, oris, vias manuum & pedum veſtrorum, omnia in computum veniant. Noſtis utique duas tantummodo eſſe vias, quarum hæc anguſta, conſtricta ad vitam, illa ſpacioſa, ampla ad mortem ducit. Aſſumite S. Literas, Verbum Dei, unicam illam & perfectiſſimam normam vitæ noſtræ, atque examinate ad hanc regulam omnes actiones veſtras, idque in conſpectu Dei tanquam teſtis. In rebus mundanis admodum prudentes & cautos ſe præbent mortales. Mercator accuratiſſimas habet rationes expenſi & accepti; ſi accepturus numos, mox ad manum ſunt bilances, adhibet lynceos oculos. Ita providi in rebus mundanis ſumus, & in divinis tam extremè ſegnes. Nunquid erit tandem ille dies, quo rationes cum Deo ineundæ, quo omnia dicta, facta & cogitata ad trutinam examinabuntur? Cur ergo hic trutinam non adhibemus, an putamus has bilances non fore adeo accuratas? Erramus ſi id credimus. Hunc judicem nihil fugiet. Apud hunc judicem propria conſcientia nos prodet.

Qui turpiloquio & obſcenis colloquiis, delectantur & dubitant utrum hac in re peccent, adeant hoc verbum & diſcant à Paulo Eph. 4. 29. *Nullus ſermo putris ex ore veſtro egrediatur,* &

5.4 *Obſcænitas & ſtultiloquium & ſcurrilitas, quæ non conveniunt, ne nominantor quidem inter vos.* Quid hoc Paule, ne nominantor quidem. Atqui hac Phraſi de inceſtu alibi uteris? Ita eſt, Auditores, eo delapſæ ſunt res noſtræ, ut vix amplius peccatum cenſeatur hoc vitium, dum videmus etiam Senes, quique ad dignitates Eccleſiaſticas ſæpius vocati & melioribus præteritis ſæpius revocati ſunt, tam excellentes hic eſſe Magiſtros, ut Scholam aperire poſſint.

Qui Poculis & Ebrietati indulgent, ſi neſciunt quò hoc vitæ genus ducat, inſpiciant hoc verbum & in eo docebuntur à Paulo, *Ebrioſos in regnum Dei non ingreſſuros.* Legent Eſaiam *ebrioſis denunciare æternum illud væ.*

Qui parentibus ſuis immorigeri ſunt in eo quoque invenient certiſſimam deciſionem. *Maledictus ſit*, Deut. 27. 16. *qui Patrem & Matrem ſuam vilipendit*, nedum qui maledicit. Invenient in hoc verbo ſeveram Legem, Deut. 29.

Qui juramentis tanquam aſtragalis ludunt, & perjuria facile committunt, qui adulterium vix pro peccato habent, invenient in hoc quoque verbo non obſcura oracula. *Accedam*, Malach. 3. *ad vos in judicium, eroque teſtis feſtinantiſſimus contra præſtigiatores, adulteros & jurantes falſo.*

Qui adiaphorum putant legitimis Magiſtratuum ſuorum mandatis parere vel non parere, audiant Paulum Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto; nulla enim eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ. Itaque quiſquis poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ſibi ipſis condemnationem accerſunt*; Et paulo poſt, *Quapropter NECESSE EST ſubjici, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam.*

Quos ad pugnas & duella, quorum triſtiſſimi ſolent eſſe exitus, calidior ſanguis impellit, ex hoc verbo diſcent ferociam illam in foro Dei longe aliter æſtimari, ac in foro humano. Ejuſmodi enim homines in verbo Dei cenſentur involare in jus & Regalia ſupremi Regis. *Mihi vindicta, ego retribuam.* In hunc finem conſtituti Magiſtratus. His tanquam Dei vicariis incumbit læſos & injuria affectos defendere, lædentes plectere, Magiſtratus conſtituti ſunt tum ad ultionem facinoroſorum, tum ad laudem bene agentium. Hinc laudabili exemplo in Acad. Wit. Studioſi ſpecialiter coguntur jurare, Si qua injuria affecti fuerint, ſe nec per ſe nec per alium quemque privatam vindictam meditaturos, ſed Rectoris auxilium imploraturos & jus ſuum legitimè perſecuturos.

Et ut in faſciculo omnia proponam, *qui ſecundum carnem vivunt, Deo placere non poſſunt*, inquit Apoſt. Gal. 5. 21. *Opera autem carnis*, inquit idem, *ſunt manifeſta, ut ſunt, adulterium, ſcortatio, impuritas, laſcivia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, diſſidia, rixæ, hæreſes, invidiæ, cædes, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, de quibus prædico vobis, prout etiam prædixi, eos, qui talia patrant, regnum Dei non poſſeſſuros. Nemo vos ſeducat inanibus ſermonibus: propter hæc venit ira Dei ſuper homines contumaces.* Eph. 5. 6.

Hoc modo examinabimus ſemitam, ſemitam hoc modo deprehendemus, quo ſtatu ſimus, in qua ſemitâ ambulemus. Iterum dico, hoc examen tam eſt neceſſarium, ut niſi illud ſit prævium, ad rectam ſemitam nobis omnis præcludatur aditus. Addo amplius, hoc examen differri non poſſe, non quovis tempore, ſi gratiam Dei vocantis rejeceris, ad hoc examen & conſiderationem viæ cum fructu accedes. Sæpe Deus januam gratiæ ſuæ claudit. Inſtituendum hoc examen antequam Ira Dei ſuperveniat, antequam dies iræ Domini te invadat. Hæc ira effunditur ſuper homines & in hac vita & in ſeu poſt horam mortis.

In hac vita: cum hominum contumacium oculos occæcat, corda indurat, uti oculis non videant & corde non intelligant & reſipiſcant. In hora ſeu poſt horam mortis: *Jurat Angelus* in Apocal. 10. 6. *per eum qui vivit in ſecula, non amplius fore tempus*, Tempus vid. examinandi & conſiderandi viam ſuam. Ibi Deus examen inſtituet tuo malo, quod tu in vivis exiſtens toties juſſus es facere tuo bono.

Dum itaque invitamur à Deo O. M. ad hoc examen ſive per morbos & afflictiones, ſive per Euangelii prædicationem, ne obduremus corda. Moveant nos querelæ & comminationes Dei, *Cur averſus eſt populus hic*, Jirm. 8. 6. *averſione pervicaciſſima? retinent dolum, renuunt converti. Attendi & audivi, prava loquuntur, nullus eſt quem pœniteat malitiæ ſuæ, ut dicat, quid feci? unuſquiſque convertit ſe ad curſum ſuum, ut equus præceps ruens in prælium.*

Notetur & hoc, ut Senex aliquis dicitur moribus, ita, puer aliquis dicitur eſſe moribus & prudentia. Multi ſenes annis, pueri moribus. Sic contra multi pueri annis, ſenes prud. ut Joſeph, Daniel.

Sæpe etenim ingenium & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Silius de Piſone lib. 8.

Ore puer puerique habitu, ſed corde ſagaci
Æquabat ſenium atque altu ſuperaverat annos.

De ejuſmodi pueris moribus loquitur Koh. 10. & Eſ. 3. 3.

Ante annos animumque gerens curaſque viriles.

Semitam ſuam] Id eſt, vitam ſuam.

Purificabit] Præſupponit ergo immundam.

Reſp. *obſervando, cuſtodiendo*, ſc. eam juxta verbum tuum, vel, cuſtodiendo שמר ſe ipſum.

2. *Ex toto corde*] Non ergo בלב ולב duplici corde.

אל תשגני *errare ſinas me.*] Vide Regulas.

3. *Abſcondidi*] Sicut theſaurum aliquem.

Ut non peccarem] Hic ergo finis ſcientiæ & Legis, videlicet non peccare. Ebr. *Doctrina ſine opere non eſt doctrina.* Si quis tamen ita docendo aliq. perducat ad ſalutem, optimè comparari poteſt Statuis mercurialibus. Et illud Ebræorum eſt, *Non ſermo fundamentum ſed opus.* Loquor de ejuſmodi operibus per quæ fides oſtenditur eſſe viva, ſine quibus fides eſſe non poteſt. Unde dictitant, *Non tam dicere docet Theologia quam facere.* Hoc enim maxime exigit verbum Dei ne vita à doctrina noſtra diſſentiat; ejuſmodi enim quod una manu ædificant, altera deſtruunt. Equidem

Non tantum inflectere ſenſus
Sermones vel mille queunt, quam vita docentum.

Quod Philoſ. de virtute, *Rem eſſe non verba*, id nos optime de Theologia. Qui hoc ævum cum Patrum ævo comparant, ajunt tum minus quidem ſcientiæ at plus conſcientiæ fuiſſe. Hodie vero, plus ſcientiæ ſed minus conſcientiæ. At ſi multos ſpectes & ſcientiæ & conſcientiæ minus eſt. Καὶ ταύτῃ μὲν ταύτῃ.

ג.

1. גמל] Ἀνταπόδος, LXX. *Retribue*, Vulg. Ipſe Genebr. id explicat, *benefac, confer beneficium.* Sic enim ille, *Retribuendi* verbum etiam de gratuitis uſurpatur, nec ſign. ſolùm, *beneficium reddere*, ſed etiam *ultrò & liberaliter tribuere & beneficiis prævenire.* Sic Prov. 11. & 116. hic LXX. εὐεργέτησε, illic ἀγαθὸν ποιεῖ. NR. Interpretamentum ſignificationis unius ſæpe ponitur pro interpret. ſign. alterius עולם. נצח. ילד. נכון. זד. Optim è ergo Jun. *Beneficium confer.* Piſc. *Tribue* ſ. tuo *ut vivam.*

אחיה] *Vivam*, optantis vel precantis, vel *ut vivam*, id eſt, valeam. *Non eſt vivere ſed valere Vita.* Hinc eſt *Have, ſalve, vale, valens eſto*, Imp. Piel. Sic 1 Sam. 25. 6. *Dicite ſic* לחי *viventi*, i. e. bene valenti, fortunato. Sic *Vivat Rex*, ſit felix, bene valeat, atque hinc eſt, *vita carnium*, Prov. *Carnium*, i. e. *carnis, carnis*, id eſt, *corporis. Vita corporis*, i. e. *bona valetudo corporis.*

Et cuſtodiam] Non peto vitam & valetudinem ad delicias hujus mundi, ſed ut cuſtodiam verba tua.

2. גל] *Retege*, ἀποκάλυψον *oculos*, ſc. mentis meæ.

Mirabilia] פלאות תורה. Referunt id ad literas ſuſp. magnas, parvas, inverſas &c. quæ ſi ab ipſo Moſe, certe myſteria & arcana ſunt. Quicquid enim affert Judaïca natio, gerræ germanæ & deliramenta ſunt, ut de כ parvo Gen. 23. de parvo ק Gen. 27. Referunt & ad multas leges cæremoniales, quorum ratio reddi non poteſt, cum tamen nil ſine ratione factum putent. Affectunt ſubinde conjecturas ſed ipſi ſæpe diffidunt, dum ajunt, etiam expectandum eſſe. Referunt & ad מעשה בראשית

3. *Peregrinus*] Omnis homo peregrinus deputatur in hoc mundo, dum ad hoc ſæculum ſolummodo conditus non eſt. Gen. 2. וייצר cum duobus Jod. Homini nulla certa hic eſt ſtatio. *Tendimus in Patriam.* Itaque opus eſt ne abſcondas à me, hoc enim ego e viatico &c. neſcio enim quando profecturus ſim. Ubi obiter notetur ſententia Ebr. טוב יום אחד לפני מיתתך

Aben. *Peregrinus, veluti peregrinus, qui de via facile errat, ſub aberrationib. obnoxius.*

1 Cor. 5. 6. *Scimus nos dum in hoc corpore ſumus peregre abeſſe à Domino.* Gen. 47. 9. *Dies annorum peregrinationum mearum, 130. annorum, pauci & mali.* Ebr. 11. 13.

4. גרסה] *Contuſa eſt*] הגרים *comminuit* Thr. 3. 16. גרש *contuſum*, Lev. 2. 14. גרש כרמל *contuſionem ſpicæ virentis.* Aben. נשרפה *exarſit.* LXX. ἐπεπόθησεν. Vulg. *Concupivit.*

לתאבה] Aliis Gerund. à תאב, aliis nomen ab eodem תאב in Cal *concupiſcere*, in Piel *abominari* ut תעב Amos 6. 8. מתאב *ego feſta Jacobi.* Eſt ergo ex illis quæ duas contrarias ſignif. habent, licet in diverſis conjugat. ut חטא. שרש. Alia in unâ .ברך. קלס. Latinis *exarmare, expers, enodo.* קרש. הוריש דשן

גערת] K. גער non conſtr. cum ב habet ſign. הנחתה & גארה. Sed & alibi ſimul effectum ſignificatur.

Quomodo ſuperbi qui errant?] Aliud enim per *errorem*, aliud per *ſuperbiam* peccare. Errant à pr. quia de induſtria, data opera & quaſi per ſuperbiam negligunt & contemnunt doctrinam, ideo

ſuperbi. Hæc ſuperbia eſt cauſa imperitiæ. Imperitia erroris, unde Rabb. *Eſto admonitus de doctrina, nam error doctrinæ aſcendit in arrogantiam.* Error ergo qui ex Ignorantia dupliciter culpandus.

נדברו בי] In Niphal hujus verbi eſt ſign. *aſſiduitatis*, Mal. 3. 13. & 16. Jez. 33. Et דבר cum ב ſign. *loquelam* לָנִבְאִי Sic Num. 12. *Et locuta eſt Miri. & Ahar.* בכשה Num. 21. 6. *Et locutus eſt populus* באלה'. Aliq. pro 1 Sam. 19. *Ego loquar* בְּךָ *pro te apud* אבי. Proph. 2 Sam. 23. 2. *Sp. Domini locutus eſt* בי.

ד.

1. *Adhæſit pulveri anima mea*] Id eſt, ego. Sic de Deo. Pulvis ſymbolum mœroris & luctus maximi, *conſpergebant caput pulvere*, Job. 2. *& ſedebant in pulvere*, Job. 2. & Matth. ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ.

Per *pulverem* etiam denotatur ſepulcrum Dan. 12. K. היתי קרב לכוּרו Senſus ergo, habui alterum pedem in ſepulcro. Parum aberat quin jam mortuus fuiſſem, abſque te fuiſſet jam haberet me ſepulcrum. *Terra pulveris* & *pulvis terræ*. Locutio ἐκ παραλλήλε. NB. In Græca & Latina lingua uſitatæ quoque ejuſmodi locutiones. Ariſtoph. Scholiaſtes in Veſpis, ἔθος τοῖς ποιήταις λέξεσι παραλλήλαις καὶ ἰσοδυναμέσαις χρῆσθαι. Sed ſolent eodem caſu efferre. Ebræi autem & Græci Scriptores ſæpe ſolent poſterius ſynon. Genit. efferre. NB. aliq. eam locutionem inferre auxeſin, *lutum cœni*, *caligo tenebr.* 2 Petri 2. & Epheſ. 1. 19. ὑπερβ. μέγεθος τῆς δυνάμεως τῆς κράτους τῆς ἰσχύος αὐτῆ. Prov. 20. Act. 8.

חַיֵּנִי] *Vivifica me.* Conſerva me in vivis.

Juxta verbum tuum] Quod per Nathan 1 Sam. 7. Implebuntur dies tui & cubabis cum Patribus tuis, vi.

2. חֻקֶּיךָ] Τὰ δικαιώματα reddunt LXX. cum ſtricte accipitur tum Vulg. *juſtitias*, & aliq. *juſtificationes*, ut Ebr. δικαιώματα τῆς λατρείας, Vulg. *juſtificationes culturæ*.

3. *Intelligere me fac*] Ut ante כפל הענין לחזק הכקשה, לכרני

4. דלפה *Stillavit*] Kimchi דְּלְפָה idque כרוב הוגה & confert cum loco Joſ. 7. *Et liquefactum eſt cor populi.* Liquida enim proprie ſtillant: *Ait*, inquit, *ſtillavit lachrymis*.

תוגה] A תָּגָה. Zoph. 3. 18. נוגי כמועד *congregabo.*

Nugas qui à Lege receſſerant, i. e. homines nugones, leves, viles. Cic. 6 ad Att. *Nugas meras amicos habet.* Kimchi, *afflictos*, *mæſtos*. Druſius, *Nugas*, i. e. homines canentes nugas, id eſt, præficos & —as. Hier. ait idem utraque lingua ſignificari, non ergo valet expoſitio Vulgata, *de nugatoribus*, יגה enim non ſignificat. Sed *mæſtum eſſe*. Scal. in Varronem, *Nugæ proprie vocantur carmina quæ canebantur in mortuorum laudem.* Pl. *Hæc ſunt non nugæ, non enim mortualia.* Etiam origo id declarat, vox enim Ebræa eſt, i. e. ſonat *mærorem*, ut nænia planctum in eadem lingua.

8. *Curram*] *Volens libenſque, non adigar formidine pœnæ, nec etiam tam ob præmia, ſed potiſſimum amore tui.* Hieron.

Dilataveris cor meum] Ubi me exhilaraveris. Dilatatur cor in lætis, contrahitur in adverſis.

Ulum præficorum oſtendit ſuo ævo fuiſſe Salomo Eccleſ. 12. *Et circumibunt lugentes in platea.* In Amos 5. 16 *Et vocabunt agricolam ad luctum & peritos lamenti ad planctum.* Sic Matth. 9 *Tibicines.* Hos Græci vocant θρηνῳδὲς, μοναύλες & θρήνων ἐξάρχες. . . . Latini *præfici*, *ſiticines*. Siti, i. e. mortui, qui deſiere vivere, & *Siccinniſtæ*, à *Siccinio* veteris ſaltationis genere. Tripudiantes enim & ſaltabundi canebant in funeribus. Nebuloſo nomine ſic dicti.

Dilatatio cordis aliq. *lætitia*, quia *dilatare cor* eſt *exhilarare*, Eſai. 60. Pſ. 119 literæ ד. verſ. ult. Aliq *ſuperbia*, Prov. 21. Pſ 101. Deut. 6. & 11. *Ne dilatetur cor veſtrum.* Et pro amplificatione rerum cognitione 1 Reg. 4. *Dedit Deus Salom. ſapientiam, intelligentiam* ורחבלב *juxta arenam maris.*

Dilatatio animi Senecæ eſt *diffuſio animi*. T. 2. p. 265.

ה.

1. הוֹרֵנִי] *Doce me.* LXX. νομοθέτησον με, Legem pone mihi Mala conſtructio, mala verſio, nec enim ſic quiſquam locutus eſt Σόλων ἐνομοθήτησεν τὰς Ἀθηναίας. Nec quia תורה *Lex*, ideo הורה *Legem pono*. *Lex* ſic dicta à *docendo*, unde ponitur ſæpe pro *univerſa doctrina cæleſti*, ante Chriſtum libris V. T. comprehenſa, unde *in Lege veſtra ſcriptum*, *ego dixi, Dii eſtis*. Joh. 10. quod ex Pſ. 81.

עֵקֶב] Sub ל. *In finem.* Græci εἰς αἰῶνα. Chald. עַד גְּמִירָא *uſque ad conſummationem vitæ meæ*, *uſque ad finem*. Kimhi לשון כוף *omnibus diebus meis.* Sic in Num. ubi Chald. עד סופא. Vox Ebr. ſign.

I. *Calcem*, *calcaneum*. Unde עקב Gen. 25.

II. Quia calcaneus pars ultima corporis eſt & quaſi finis, accipitur *pro fine*, ut hic.

III. *Merces*, quia eſt finis operis, atque hac ex parte pari orbita decurrit cum אַחֲרִית Jirm. 29. 10. *Ut dem vobis* אחרית ותקוה, *mercedem & expectationem*, i. e. mercedem expectatam. Prov. 23. 18. 1 Pet. 1. 9. τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν. Unde Aben. ſic exponit, כִּי יֵשׁ עֵקֶב לָה ut in Pſ. 19. *In obſervatione eorum eſt* עקב ἀνταπόδοσις, גמול ושכר At Kimchi rejicit, quia eſſet id juxta viam DD. noſtrorum piæ memoriæ, עלמגרת לקבלפרס, *ad accipiendum præmium*, quod ſervorum eſt.

IV. Eſt particula cauſæ finalis, *propterea*, *eo quod*, Jeſ. 5. *Juſtificant impios* עקב שחד *ob munus*. Gen. 22. & 26. עקבי׳ שמע

Nos *in finem* cum Kimchi, Synonyma ergo עקב, לְעוֹלָם וָעֶד.

בֶּצַע] K. אל יהי לבי להוט כמון. Eſt enim בצע nihil aliud quam אהבת ממון. *Avaritia.* Sæpe jungitur cum ſuo verbo בוצע בֶּצַע Prov. 15. 27. turbat domum ſuam בוצע בֶּצַע. Ex. 18. שנאי בצע ὁ δωρολήπται. Chald. מָמוֹן.

Inclina] Ergo homo natura eò inclinat. Peſſimum hoc vitium 1 Tim. 6. Cicero ad Quintum Fratrem, *nullum officium tam ſanctum quod non avaritia deturpare ſoleat.*

בצע *Vulnerare*, *lacerare*. Eſt enim vulnus animæ.

מראות] Τῦ μὴ βλέπειν. Ita videre ut ei adhæreſcas, ut voluptate afficiaris, approbes. Sic Hab. 1. 13.

Oculos] Cor & oculi proxenetæ peccati.

אשר ליראתך *qui addictus ſum timori tui.*] Proxeneta eſt mediator inter Emptorem & Venditorem in contractu. Chald. Sic effertur ab Elia in Methurg. עינא ולבא תרין סרסורי דחטאה Kimchi ad Pſ. 102. 5. ſic effert עֵינַיִם וְלֵב סַרְסוּרֵי הָעֲבֵרָה

Sunt proxenetæ inter peccatum vel diabolum & animam noſtram. Unde & in Num 15. 39. diſerte prohibet Deus *ne ſequamur cor & oculos.* Job. 31. 1. *Fœdus pepigit cum oculis ſuis.*

ו.

1. וִיבֹאֻנִי] Vau ad ornatum in Latio. Sic in Ruth. Ezech. Eſther. ut in Ebr. convertit, poniturque pro יָבֹאוּ לִי

2. *Reſpondebo* חֹרְפִי] R. D. reſpici putat ad Sarcaſmum Pſ. 3.

Verbum vel *rem*] Quod res eſt, quod ſentio. חֹרֶף *autumnus* & *adoleſcentia*. Job. 29. *In diebus* חָרְפִּי ſic dicta quod multa in ea probroſe committantur.

3. תצל עד] Vulg. retexit ad *auferas*, uſquequaque, ne auferas ex toto. Melius Jun. ad *verbum veritatis* refert, verbum verum admodum.

4. לְעוֹלָם וָעֶד] R. D. *quamdiu ero in hac vita*, vel etiam in futuro ſæculo; vel, quæ durabit לע׳ ועד

5. *Ambulabo* ברחבה *in latitudine*] Alii, *in lata*, ſc. via. Matth. 7. agitur *de via lata* ob multit. & jocunditatem; hic *de latitudine animi*. רֹחַב *latus* & *latitudo*. Prov. 21. 4. ורחב לב *latitudo animi*. Contra Pſ. 101. 5. רְחַב לֵבָב, *latus animo*. Sic רחבה adj. Pſ. 119. verſ. ult. ל. רְחָבָה מִצְוָתְךָ. *Latum eſt mandatum tuum.* Ego expono de *dilatatione animi & cordis*, i. e. lætitia. *Dilatari cor* dicitur in malum & bonum. Vid. verſ. ult. lit. ד.

6. מלכת] מלאכת *cœli*, Vulg. *Regina Cœli*, *Luna*. Arias Jirm. 44. 19. ponit *opificio*, ubi alius *Reginæ*. Tig. *Machina*. Jun. *Res cæleſtes*, Jirm 7. 18. *Fœminæ depſunt maſſam ad faciendum popana* כַּוָּנִים *Jimle ucheth haſſamajim.* Vulg. *Regina cœlorum*, Jirm. 44. LXX. τὴν βασιλίσσαν τῦ ἐρανῦ. *Opus* pro *re* Gen. 33. 14. Ex. 22. 8. *Si non extendit manum* בִּמְלֶאכֶת רֵעֵהוּ. Huc facit quod apud Herod. vocatur *Luna* ἀςροαρχή. Et Hor.

Siderum Regina bicornis,
Audi Luna puellas.

Et Hom. in Hymno,

Χαῖρε ἄνασσα θεὰ λευκώλενε δῖα σελήνη.

Sed LXX. Jirm. 7. habent ςρατίαν τῦ ἐρανῦ. Unde colligo מלאכת שמ׳ & צבא ſynonyma eſſe. Si מַלְכָּה & מְלֶכֶת eſſent ſynon prius nunquam reperiretur cum affixis. Et Hier. ad Jirm. 7. utramque ſign. jungit. Duplex enim militia Cœli, 1. *Angelorum*, Luc. 2. πλῆθος ςρατιᾶς ἐρανῦ. 2. *Siderum*, quæ etiam militare dicuntur Deo, i. e. ſervire, parere.

Tibi militat æther.

Et quia hæc admodum ornant cœlum, LXX. & Hier. Gen. 2. vertunt κοσμός.

מֶלֶךְ] Ad Malach. Dubitari tamen poſſit annon מֶלֶךְ potius à מֶלֶךְ ut אֹזֶן ab האזין. רֶגֶל à רָגַל. Sed potius מֶלֶךְ à מלך alterius ſign. vid. *conſuluit*, *conſultus fuit*, *conſilium dedit*, ſic dictus quod polleat conſilio & ſagacitate. Omnis olim populoſæ civitatis Dominus vocabatur Rex, *Rex Salem.* Ez. 26. 7. vocatur Nebucadn. *Rex Regum.* Tales enim olim deligebantur. Certe מְלַךְ Chald. ſemper pro יעץ & מִלְכָא pro עֵצָה 2 Sam. 17. 14 in Thar. Et Dan. 4. 24. לָהֵן מַלְכִּי יִשְׁפַּר עֲלָךְ *Ideo Rex conſilium meum placeat tibi.* Neh. 5. 6. וַיִּמָּלֵךְ לִבִּי καὶ ἐβελεύσατο cor meum.

Obj. An ergo Chaldæa antiquior? Reſp. nota.

Dixi-

Diximus tales ſolitos eligi in Reges. Addo Deum quoque plerumque Regibus & Principibus queis in terris ſuas delegavit vices, maxime ſi pii ſint, extraordinaria quædam concedere dona prudentiæ & ſagacitatis. Quæ ſi ullo in homine neceſſaria, certe in Rege

ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

Quo pertinet illud Prov. 16. 10. קֶסֶם *divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus.* Ubi Jun. *Sagacitas*, ut & Eſ. 3. 2. iſtis enim duobus locis in bonum acc. pro ſagacitate & ſolertia in eruendis occultis & perplexis judiciorum latebris circa facti ambigua.

Exempla· 1 Reg. 3. Salomonis judicium, quo veræ matri filium controverſum reſtituit. Danielis ſagacitas, qua ſenum nequitiam retexit & Suſannam famæ, vitæ & marito reſtituit. Ego addam 3. profana. 1. Alphonſi Regis I. Neapolit. quod aliquid ſimile habet cum Salomonis Jud. 2. Solymanni, quod eſt apud Corrozetum. 3. Ariopharnis Regis Thraciæ quem judicem delegerant tres filii Regis Cimmeriorum de regno contendentes. Quæ vide in locis meis Comm. ad Polyanth. in Rex.

ז.

וְנִחַמְתִּי] *Doluit*, vel ſuo vel alterius nomine. A נחם in Niphal, & Hithp. *pœnituit, doluit ſuo vel dicto vel facto.* 2. In Niphal & Piel, *condolere, miſerari.* 3. Per antiph. in Niphal ſign. *dedolere, conſolationem accipere* vel *admittere.* In Piel *conſolari alium.* Gen. 5. Noach quia יְנַחֲמֵנוּ Lxx. διαναπαύσει ἡμᾶς, quidam putant נח eſſe pro נחם ut eſſet idonea transpoſitio, invenit חֵן. Optime dicitur נח à נוח. Eſtque alluſio, nam idem ferè hoc loco fuiſſet. Conſolator enim quieſcere facit alium à dolore ſuo.

נְצַרְתִּי] Hinc נֵצֶר & נצרת Græcè conſtanter Ναζαρὲθ. Urbs Galilææ, unde & Galilæus dictus Chriſtus. צ per ζ expreſſo. Hinc Jeſus Judæis in hunc uſque diem dictus נוצרי & Chriſtiani נצרים. Atque hæc eſt conſtans Ebræorum ſcriptura. Græci variant in vocali & terminatione: nam in expreſſione literæ צ conveniunt. Matth. 2. Ναζωραῖος. Sic Joh. 18. & 19. & Matth. 26. Luc. 18. Act. 2. In Marco eſt (τ) per ο & α priſcis expreſſum Ναζαρηνός. In Suida Ναζαραῖοι. Act. 24. 5. Ναζωραίων. 1. Ergo *Chriſtus* dictus eſt *Nazaræus* ab urbe *Nazareth.* Matth. 2. Tres enim habuit Patrias. 2. Chriſtiani ita vocati olim & adhuc hodie conſtanter à Judæis. Unde Act. 24. 5. Paulus dicitur πρωτοςάτης τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως. 1. Dicti ſunt μαθηταὶ. 2. Ναζωραῖοι. 3. Χριςιανοὶ Act. 11. 26. Tertio Nazaræi dicti hæretici quidam qui Moſem cum Chriſto jungebant, Semijudæi, ſemi Chriſtiani, poſtquam jam orthodoxi Chriſtiani dici cœpiſſent.

Lxx. ſemper Ναζηραῖος, Vulg. *Nazaræus*, Jun. *Naziræus.*

Hæc eo adduxi ut monerem Tyrones ne confundant hanc vocem cum Ναζαραῖος deſcendente ex Ebr. נזיר Nazir ſeparatus ad votum ſc. ὁ ἔχων εὐχὴν ἐφ' ἑαυτῷ. Act. 21. Cujus inſtitutio eſt Num. 6. Abſtinebant ab omni fructu vitis. 2. A tonſione. 3. Ab immundo. Ab iſto *Nazir non eſt Jeſus dictus Nazaræus*, ut multi putant. Erroris occaſio fuit confuſa ſcriptura primo ζ in utraque voce, ſecundo Chiric expreſſum per α. Scribi debet Ναζιραῖος vel διακρίσεως ἕνεκα. Et ſic ſemper Junius.

ח.

1. PORTIO *mea*] Μερίς μȣ. Tripliciter exp. *Ego dixi, Portio mea es, Domine, ut cuſtodiam.* Recolens illud Gen. 17. *Ego ſum Deus tuus, ambula coram me* &c. 2. *Portio mea es, Domine, dixi, promiſi ſervaturum me mandata tua.* 3. *Dixi, ô Domine, portio mea eſt cuſtodire mandata tua.* Hoc accipio pro mea portione ut mihi liceat, &c. habeant alii alias, gaudeant, illa ego ſum contentus. Alludit ad Num. 18. *Tu non habebis hæreditatem aut portionem, ego enim ſum* חלקך. Illud propriè dicitur *portio alicujus quod in diviſione hæreditatis ei obvenit*, unde παραλλήλως hæc ſæpe adhibentur, *Dominus eſt* חלק נחלתי. Quidam diſtinguunt *partem* & *portionem*, חלק *pars* מָנָה *portio*, hoc à convivio, illud à diviſione hæred. ſumptum.

Quia autem inter eos qui dividunt, adeunt ſimul hæreditatem aliquam, eſt ſocietas, conjunctio & communitas, ſolet aliq. pro *ſocietate* poni & חלק & נחלה. 2 Sam. 20. 1. non eſt nobis חלק בדוד, i. e. cum David, nec נחלה בְּבֶן *In filio Iſai.* Chriſtus ad Petrum, *non erit tibi pars mecum.* 2 Cor. 6. 15. Τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος, τίς συμφώνησις χριςῷ πρὸς Βελιὰλ, τίς μερὶς πιςῷ μετὰ ἀπίςȣ.

חִלִּיתִי] חלה *ægrum eſſe corpore vel animo.* חִלָּה *dolore afficere*, & cum פנים *deprecari faciem*, q. d. fatigare & flectere aliquem precibus, debilitare alicujus rigorem. Ex. 32. וַיְחַל Moſes אֶת פְּנֵי יְהוָה. Gr. ἐδεήθην τȣ̃ προσώπȣ σȣ.

3. *Reputavi vias meas*] Sc. priores, examinavi eas, ſed non inveni præſtantiorem viam eâ quæ ducit ad teſtimonia tua, itaque reduxi pedem &c. Reduxi, ergo intelligit vias mundanas. Lxx. διελογισάμην τὰς ὁδȣ́ς σȣ forte μȣ.

4. *Feſtinavi & non tardavi*] חַשְׁתִּי. Hithp. הִתְמַהְמָה 1. & 2. Geminata, tertia rejectâ. Lxx. ἐταράχθην. *Feſtinavi & non tardavi.* Locutio, ut *confeſſus eſt & non negavit*, ſemper aliquid ἐνεργείας eſt in tali locutione, celerrimè & alacriter cucurri ad obſ. mand. t. Sic, *loquar & non tacebo*, i. e. cordate, ſine timore, ſine involucris. *Morieris & non vives. Vivam & non moriar.*

5. *Funes*] Id eſt, catervæ. 1. *Funis.* 2. *Hæreditas*, Pſ. 16. Joſ. 17. *Cur dediſti mihi hæreditatem unam & funem unum.* NB. Sæpe dici obſcurius quod antea dictum eſt clarius. Hæreditates, quæ ferè erant agri Judæis, dividebantur funibus, Amos 7. terra tua dividetur בחבל. 3. *Dolor*, ſed tunc uſitate ſcribitur חֵבֶל in plur. conſtr. חֶבְלֵי. *Funes* vero חַבְלֵי 4. *Turma, caterva, cœtus* inſtar *funis* coadunatus. 1 Sam. 10. 5. *Obviam ibis* לחבל נביאים *funi prophetarum*, Th. כְּנִשַׁת *cœtui.* Sic in N. T. σπεῖρα pro cohorte Math. 27. 27. Act. 21.

עִוְּדֻנִי] עוד in Piel עוֹדֵד *deprædari, ſpoliare*, alii *apprehenderunt.* Minus bene. Gen. 49. 27. *Benjamin lupus diſcerpens mane* יאכל עד *comedet prædam, & veſperi dividet* שָׁלָל. Zoph. 3. 8. *Ad diem quo conſurgam ad prædam* לְעַד. Eſ. 33. 23. *Tunc diviſa eſt* עַד־שָׁלָל *præda ſpolii.* Locutio ex παραλλ. Ergo optime Kimchi שִׁלְלוּנִי

6. חֲצוֹת Ellipſis כ"ד Ex. 11. כחצות הלילה vel כ"ד. *Cum dimidiatur nox. In ipſa noctis meridie*, ut loquitur Varro, vel, *cum dimidiata eſt nox*, poſt mediam noctem. Bell. ait hinc didiciſſe Eccleſiam, *ſurgendum eſſe media nocte ad divina officia.* Genebr. hinc *ortum habere matutinas.* Sed de eo vid. Bell. de bonis operibus. Lib. 1. cap. 11. NB. Media nocte finitur 2. & incipit 3. Vigilia. 3. Vigiliæ memorantur ab Ebræis, quia trium tantum fit mentio in V. T. 1. Thr. 2. 19. Secunda Jud. 7. 19. ubi fit mentio *vigiliæ mediæ.* 3. Exod. 14. ubi dicitur *Vigilia matutina.* At in N. T. memorantur 4. Diſertè memoratur quarta Matth. 14. 25. *Et in quarta noctis vigilia venit ad eos Jeſus ambulans ſuper mare.* Et Marc. 6. 48. in eadem hiſt. Marc. 13. 35. *Vigilate, neſcitis enim*, &c. *veſpere* (ὀψὲ) *an* (μεσονυκτίȣ) *media nocte, an in Gallicinio* ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ. Luc. 12. pro media nocte dicitur. *Si venerit in 2. aut ſi venerit in 3. vigilia.*

ט.

BONUM *feciſti*] Præſtitiſti promiſſionem tuam. Alii, q. d. propheta, ſe boni conſulere, in bonam accipere partem quomodocunque à Deo tractetur, ſe ſcire omnia in bonum & ſalutem ſibi ceſſura. Gam zo לטוב גם זו. Vide Buxtorf. Gr. Ch. & Syr. & Druſium de tribus Sectis, & Serarium in Trih.

עָשִׂיתָ] Scheva cum Athnach non retracto. Si enim retraheretur (ut ſolet fieri) non poſſet ſtare (:) Anomalia ergo non conſiſtit in eo quod Scheva non mutetur in ( ) ſed in hoc quod athnach non retrahatur.

2. טוּב טַעַם] *Bonitatem* vel *præſtantiam rationis*, Jun. Vulg. *Bonitatem* & *diſciplinam.* טָעַם *guſtavit.* Syr. *comedit.* טַעַם *guſtus, ſapor.* Et accentus Rabb. 2. Metaph. *Cognovit, intell. expert. probavit, judicavit.* Pſ. 34. *Guſtate quam ſuavis ſit D.* Prov. 31. *Guſtavit* טעמה *quod bona eſſet neg.* Pl. Moſtell. Act. 6. *Guſtare ejus ſermonem volo*, ſic & *edere ſermonem.* Cic in Piſonem, *Pompejus non guſtaret tuam illam Philoſophiam.* Homerus γευώμεθ' ἀλλήλων, experiamur inter nos uter præſtet æratis haſtis. Ut guſtu cibos, ita mente res probamus, diſcernimus & cognoſcimus. טַעַם *habitus corporis in ſermone, geſtu*, unde *mores* cognoſcuntur. *Mores, animus, ratio, intell.* Decretum *edictum*, &c. Prov. 11. *Mulier pulchra* וְסָרַת טָעַם *perverſa moribus.*

In præceptis tuis credidi] האמין cum ב & ל.

3. *Antequam* אֶעֱנֶה] *Affligerer*, ſic Vulg. Piſc. Tig. *Antequam in ærumnas incidiſſem.* Sic & Tharg. Lxx. πρὸ τȣ̃ με ταπεινωθῆναι. Kimchi quoque ait eſſe לשון עִנּוּי *humiliationis*, Hoſ. 5. וענה ταπεινωθήσεται, *ſuperbia Iſraelis.* Pſ. 116. *Cred. quia locutus ſum ego* עָנִיתִי *valde.* Ruth. 1. *Afflixit.* Active. Miror itaque cur ſoli Jun. & Tr. *loquerer.* Kimchi quidem eam expoſ. allegat, ſed non probat.

שֹׁגֵג] Idem quod שגה *errare, peccare ex errore* vel *ignorantia.* Obſervetur hic obiter peculiariter uſus vocis שָׁגָה. Prov. 20. *Deciſorem facit vinum turbatorem ſicera & omnis* שגה בו *non ſit ſapiens.* Prov. 5. 19. *In amore ejus* תשגה תמיד πολλὸς ἔσῃ. Ibid. *Et cur* תשגה *in aliena?* μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἀλλοτρίαν. In his omnibus *Errare* eſt *multum occupatum eſſe, multum delectari*; Ita *delectari* ut quaſi extra te ſis ac aliarum rerum obliviſcaris. Jun. *oberrare.* Forte conſ. hoc ſignif. cum שׂגה multus fuit.

5. טָפְלוּ] *Concinnarunt* Th. חָבְרוּ *conſociarunt* Job. 13. *Vos* טֹפְלֵי שֶׁקֶר *concinnatores mendacii*, ubi Lxx. *ἰατροὶ ἄδικοι.* Hic *ἐπληθύνθη ἡ ἀνομία τῶν ὑπερηφ. ἐπ' ἐμέ.*

6. טָפַשׁ] *Pinguefactum eſt.* Lxx. *ἐτυρώθη coagulatum eſt*, alii *ἐσκληρύνθη*· alii *ἀπελιθώθη.* Ἀπολιθόω eſt *lapidis in morem rigeo, obrigeo, induror.* Vox Chald. magis quam Ebræa, ſolet eſſe interpretamentum Ebr. שָׁמֵן. Eſ. 6. הַשְׁמֵן *cor populi hujus.* Ch. טְפַשׁ. Matth. 13. 15. *ἐπαχύνθη ἡ καρδία* &c. טפש ergo *pinguis, obeſus fuit.* Metaph. *Hebes, obtuſus, ineptus fuit, ſtultus, veſanus, indoctus.* Sed in Chald. & Rabbiniſmo. Unde טִפֵּשׁ *ſtultus.* Et ubi in Ebr. eſt נָבָל vel נִבְכָל, Chaldaicè eſt טַפְשָׁא. In Ebr. ſemel tantum occurrit, idque hoc loco. Phyſici ajunt *eos, quorum cor obeſum & craſſum, eſſe ſtupidos ingenio.* In militia quoque eorum uſus non adeo utilis. Epaminondas obeſum caſtris ejecit, dicebat ejus ventri luendo vix tria ſcuta ſufficere. In militia ſpirit. quantum obſit hæc pinguedo ex variis Scr. locis patet.

כַּחֵלֶב] *Sicut adeps.* Lxx. *ὡς γάλα.* חָלָב *Super millibus (nummorum) auri & argenti.*

י.

1. F*Ecerunt me*] Crearunt. Job. 10. 9. Pſ. 139. Mirabilis hominis productio ſive primam creationem, ſeu uniuſc. generationem ſpectes. Diſtinguunt Ebræi & alii inter בָּרָא . יָצַר & עָשָׂה. Bara *creare, produxit adeſſe.* Jatzar, *fingere, conſtituere rem in forma ſua, formare, rei creatæ formam indere.* עשה *facere*, i.e. polire, ornare, perficere. Simul hæc tria leguntur Jeſaiæ 43. 7. *Omnis qui vocatur nomine meo ad gloriam* בְּרָאתִיו יְצַרְתִּיו אַף עֲשִׂיתִיו. Bara, *ex nihilo producere*, ſed duplici modo. Vel enim *ex nihilo ſimpliciter & quoad materiam & quoad formam.* Vel *ex nihilo κατά τι*, quoad formam, vid. & ex ſubjecto inhabili quoad materiam, ſic *piſces, homo, Eva.* Utrumque ſolius Dei eſt. Illa enim materia ex qua conditus Eva adeo rudis & inhabilis fuit ad product. hominis, ut merito pro nihilo habeatur. NB. Juxta eos qui ſtatuunt primo die à Deo creatam materiam primam, poſt primum diem nihil creatum primâ ſignificatione. Keck. & alii vocant *creationem mediatam & immediatam.*

עָשָׂה *ornare, expolire.* Deut. 21. 12. *Faciat ungues ſuos.* 2 Sam. 19. *Mephib-non fecerat pedes ſuos nec barbam.*

Verum ſciendum hoc diſcr. non eſſe perpetuum, Interpreteſque imò ipſos Scriptores hæc ſæpe confundere. In hiſtoria creationis hæc tria ſæpe confunduntur. Gen. 2. *Omne opus quod* עָשָׂה. Gen. 2. וַיִּיצֶר *hominem.* Lxx. *Βαρὰ, ἐποίησε.* Jeſ. 44. 2. עֹשְׂךָ *ὁ κτίσας σε.* וְיֹצֶרְךָ Th. וּבְרָא.

3. *Juſtitia judiciatum*] Id eſt, Juſta. Vel repete מִשְׁפָּטֶיךָ *Judicia* pro *plagis.* Ex. 6. 6. Prov. 19. 29. Rom. 13. 2 Petr. 2. 1 Cor. 11. 29. *κρίμα*, Beza, *damnatio.* Rom. 13.

אֱמוּנָה] R. D. באמנתה.

שַׁעֲשֻׁעָי] *Omnis oblectatio mea.* Caret Sing. Dubito itaque an ea auxeſis hic locum habeat.

עִוְּתוּנִי] עִוֵּת *pervertit.* An hinc deſcendit עֵת? Obſtat Gramm. Alii à עָנָה עֵנָה unde Infin. לְעֵת temporare, ut לָבוּר à בָּרַר. Alii à עָנָה plenum עֵנָה ut בַּת pro בְּנַת. אַף pro אֱנַף & עִתּוֹ pro עֶנְתּוֹ ut אִתְּךָ pro אִנְתָּךְ. Ezr. 4. 10. וּכְעֶנֶת juxta tempus.

תָּמִים] Lxx. aliq. *ἄμωμος*, aliq. *ἄμεμπτος*, aliq. *τέλειος*, aliq. *ἄπλαστος.* Et תֹּם aliq. *ἁπλότης*, 2 Reg. 15. 11.

יָשׁוּבוּ לִי] *Revertantur mihi*, i.e. ad me. Qui antea à me erant abalienati. Amplectantur & agnoſcant me pro Rege ſuo. Hinc תְּשׁוּבָה

5. *Ut vivam*] Non corp. non ut convaleſcam, ſed ſpirit. ut vivam tibi, moriar mundo. Poſſunt enim vita & mors in eodem ſubjecto locum habere. 1 Tim. 5. *Vidua laſciviens vivens mortua eſt*, Druſ. *vivens mundo, peccato, mortua eſt Deo.* Sic omnes impii viventes mortui ſunt, viventes peccato, Diabolo, mundo, carni, mortui ſunt Deo. Contra pii viventes Deo mortui ſunt peccato.

Diſtingue tanquam oppoſita:

Vivere Peccato, Diabolo, Carni, Mundo, vel *Vivere in peccato.*	*Mori peccato, D. C. M. affterven.* Illud autem id eſt quod *vivere Deo, Juſtitiæ, Chriſto.*

Rom. 6. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo vivemus in eo.* Ecce oppoſita, *Mori peccato* & *vivere in peccato.* Nam *vivere in peccato* eſt idem quod *mortuum eſſe in peccato.* Ergo & hic diſtingue. *Θανεῖν τῇ ἀνομίᾳ vivere peccato* & θ. *ἐν ἀνομίᾳ.* Illud eſt regenitorum, hoc damnandorum. N. Eph. 2. 5. eſſe *νεκροὺς ταῖς ἁμαρτίαις* pro *ἐν ταῖς ἁμαρ.* Quod exp. Coloſſ. 2. 13. *καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασιν.*

כ.

כָּלְתָה] כָּלָה *conſummatus, finitus, perfectus fuit*, & *defecit*, ut Gen. 21. *Et aquæ defecerunt* וַיִּכְלוּ Ex. 39. וַתֵּכֶל *omne opus.* כָּלָה *perfecit, abſolvit*, Gen. 2. וַיְכַל & *compleverat.* Hinc כְּלִי *inſtrumentum quo aliquid paratur & perficitur.*

II. In triſtiorem partem, ſign. *conſumptus fuit, deſtructus, perditus, diſſipatus ceſſavit.* Eſ. 1. *Deſertores omni* יִכְלוּ. In Piel *tranſit.* Ut infra. Pſ. 90. כִּלִּינוּ *conſumimus dies noſtros* כְמוֹ הֶגֶה

III. Quia præ vehementi deſiderio mens & oculi debilitantur & deficiunt & conſumuntur, quando nihil obtinetur, hinc factum eſt ut uſurpetur pro *vehementer deſideravit, expetivit, deſideravit.* Junius utrumque conjungit, *Defecit anima mea deſiderio ſalutis tuæ.* Hinc כְּלָיוֹת *renes* quod ſint *ſedes deſiderii, concup.* & *libid.*

2. עֵינַי] *Oculus* & *fons*, quod erumpat ut oculus. Unde Luſitani appellant *oculum aquæ.* Eſt & hæc convenientia, quod ex oculo q. ex fonte emanent lachrymæ.

3. בְּקִיטוֹר] *Ἐν πάχνῃ, in pruina.* At Ebræa vox ſign. *fumum.* Ch. *Sicut uter ſuſpenſus ad fumum.* Gen. 19. K. הַכִּבְשָׁן Pſ. 148. *Ignis, grando, nix* & קִיטוֹר exponunt, exhalationem calidam & ſiccam, quæ eſt materia meteororum ignitorum, quod aſcendat è terra *inſtar fumi.* Ubi Jun. *exhalatio.* Lxx. *κρύσταλλος, glacies.* Gen. 19. 28. ubi bis occurrit, primò vertunt *φλὸξ flamma*, deinde *ἀτμὶς vapor, καὶ ἀνέβαινεν φλὸξ ἐκ τῆς γῆς ὡσεὶ ἀτμὶς καμίνου.*

Materia prop. Meteororum eſt *ἀναθυμίασις exhalatio.*

Ea duplex eſt:

FUMUS, exhalat. cal. & ſicca Hinc Meteor. Ignita.	*VAPOR, exhalat. cal. humida. Hinc Meteor. Aquea.*

Admodum ſe torquet Genebr. ut oſtendat *utres* etiam *in pruina corrugari & contrahi*, dicit *pruinam* dictam à *perurendo*, quia denſior eſt & compactior eſt nive. Sed ludos hic facit Equite non plaudente, ut ut enim omnia iſta ita ſe haberent, quem locum producet ubi קִיטוֹר ſign. *pruinam*?

Mant.

Frigent urentibus arva pruinis.

Sed & *frigus urere* dicitur, Virg.

———— *Rapidive potentia ſolis*
Acrior; aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Et *nives.* Lucanus,

Urebant montana nives.

Ovid. 1. Triſt.

Et nova per gelidas uritur herba nives.

Et 4. Ceres,

Summè marmoreo pallet aduſta gelu.

Cur ergo non tam *nivem* vel *frigus* vertit Vulgatus? Et centè crediderim tam *in nive*, vel *frigore.*

Quando?] Apoc. 6. *ἕως πότε, uſque quò* Domine non facies judicium & vindicabis ſanguinem noſtrum ab iis qui habitant in terra.

Foderunt foveas] Inſidias ſtruxêre mihi, machinati exitium.

Quod non eſt juxta Legem tuam,] Diſerte enim prohibetur in Lege. Metaph. ſumpta à captura ferarum. Pſ. 56. *Foderunt ante me foveam.* Jirm. 18. *Foderunt foveam ut caperent me.* Et quia juſto Dei judicio ſæpe fit ut malæ fraudes in authoris exitium vertantur, pervulgatum illud Proverb. in Sacris eſt. *Incidit in foveam quam fecit.* Pſ. 7. 16. *Cecidit in foveam quam fecit.* 9. 16. *Foderunt ante me foveam, ceciderunt in eam.* Prov. 26. *Fodiens foveam, incidet in eam.* NB. Ut *loqui* pro *loqui in corde*, i.e. *cogitare.* Sic *fodere* aliq. ſimp. pro *fodere foveam alteri*, i.e. *Machinari alicui exitium.* Job. 6. 27. *Etiam ſuper pupillum projicitis vos* תכרו & *foditis adverſus amicum veſtrum*, ſub. foveam. Licet Merc. *epulamini* ſuper. i.e. Gaudetis de ejus calam. ac ſi lautis cupediis veſc. Sic Job. 40. 25. *Num quid* יכרו *focii ſuper eum.* 2 Reg. 6. וַיִּכְרֶה לָהֶם כֵּרָה גְדוֹלָה.

Lxx. *Διηγήσαντο μοι ἀδολεσχίας.* 1 Sam. 20. 1. כְּפֶשַׂע בֵּינִי וּבֵין הַמָּוֶת. Sic in re nautica nautæ dicuntur quatuor digitis abeſſe à morte. Vid. Pſ. 103.

R. Chanina. כל שמעשיו מרובין מחכמתו חכמתו מתקיימת : וכל שחכמתו מרובה ממעשיו אין חכמתו מתקיימת.

ל.

1. S*Tat*] Stabile eſt. *Stabilis à ſto.* Permanet, immutabile eſt, vel, ratum eſt, Eſth. 3. 4. *An ſtaret verbum Mardochæi. Verbum meum ſtat. Firmamen Dei ſtat.* Deut. 9. *In ore 2. aut 3.* Lev. 27. *Secundum quod æſtimabat hoc, ſic ſtabit.*

Stare

Stare pro *glorioſe ſtare.* Dan. 11. *Adhuc* 3. *dies ſtabunt in Perſia.* Ubi vid. abominat. ſtantem.

2. *Et ſtat*] Permanet. Durat in ſæculum. Non enim interitura ſecundum ſubſt. R. D. K. oſtendit hoc diſcrimen inter *permanentiam* Cœli & Terræ, quod Cœlum cum exercitu ſuo non mutetur; at terræ exercitus, i. e. creaturæ terreſtres, פרטים אובדים והכללים עומדים, i. e. *pereunt individua, conſervantur univerſalia.* Superiora conſerv. in individuis. Inferiora in ſuis ſpeciebus.

3. למשפטך] *Ad judicia tua*, ſc. exequenda. Sic Jun. ex Kimhio לעשות משפ׳. Piſc. *ad ordinationem tuam.*

Stant] Cœlum & terra.

Servi tui] Tibi ſerviunt. Militat, ut, *Tibi militat æther.*

4. אז] *Jam diu, tunc.* Non, *Iſte* ut imperitè Vulg. Gen. 4.

אבדתי] *Periiſſem.* Regula. De Præteriti ſpeciebus. Locus Deut. 26. 5. *Arammi Obed Abi.*

אתבונן] A בין *diſcretus fuit.* בין *inter.*

לעלם לא אשכח] i. e. *Nunquam.* Aliter, *nec in hoc nec in futuro ſæculo.* Math. 12. Marc. 3. εἰς αἰῶνα. Joh. 13. *Non lavabis pedes meos in æternum.* Joh. 4. *Qui bibet ex illa aqua quam* &c. *non ſitiet in æter.* Pſ. 15. Eſtque Ebraïſmus. Nec enim ſic extat apud ullum profanum. At forte uſurpatur pro, *in perpetuum.* Et ſic extat Joh. 8. 35. *Servus non manet in domo* εἰς αἰῶνα. *Filius manet* εἰς αἰῶνα.

לְכָל־תִּכְלָה] *Omni perfectioni, conſummationi*, ſc. rerum creatarum, i. e. omnibus rebus à Deo conſummatis, Piſc. *omni rei.* Sym. πασῇ σκευῇ. *Omni ſtructuræ.*

קֵץ] סוף *finem.* Interitum.

At Præceptum tuum eſt lâtum] Sine fine, meta, termino, adeo latum, ut ejus finis conſpici nequeat, infinitum. Vel *latum* ex antitheſi ſine interitu, non peribit. R. D. pro *infinito* præcepta tua infinita. Obj. Atqui numerantur, ſunt enim 613. Reſp. Ramos ejus eſſe infinitos. Aliter, Infinitam eſſe reſp. præmiorum & pœnarum.

קֵץ Aliq. *extremum.* קָצֶה & מִקְצֶה Deut. 31. 10.

מ.

שיחתי] *Meditatio mea.* Alii *ſermo.* Sic הגה *meditari* & *loqui.* Pſ. 115. Sic contra דבר *Cogitare.* Fundamentum ejus commutationis eſt duplex λόγος, προφορικὸς & ἐνδιάθετος.

2. מֵאֹיְבַי] *Inimicis meis ſapientiorem me reddis* (Lex tua) *præceptis tuis.* Sic Jun. Druſ. *Præ hoſtibus ſapientem me reddidit unumquodque ſtat. tuorum.* Piſc. & Vulg. *Super inimicos ſapientiorem me reddis in præceptis tuis.* Ambiguitas oritur ex literæ ת, quæ conſtituit 3. Fœm. & 2. Maſc. Uterque in eo conſentit quod מ comparationis voculatio. Alii, ut Joſeph Kimchi, *Ab hoſtibus meis prudentiorem me feciſti* (*in*) *præceptis tuis.* Plutarchus librum ſcripſit πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο. Sæpe enim per hoſtes prudentiores, doctiores & meliores evadimus, ſive ex bonâ aliqua æmulatione, de qua Heſiodus ἀγαθὴ δὲ ἔρις ἥδε βροτοῖσι, *Et utile certamen eſt officio contendere.* Sive quod ex ipſis non pudeat nos diſcere. Ne reſpice cantharum, ſed quod in eo eſt, Ebraïcè אַל הַסְתַּכֵּל בְּקַנְקַן אֶלָּא בְּמָה שֶׁיֵּשׁ בּוֹ. Græcè, μὴ λογίζε τὸν πίθον ἀλλὰ τὸ ἐν αὐτῷ, Phariſæi ſedentes ſuper Cathedram Moſis etiam audiendi. Sunt Senes δὶς παῖδες. Sunt iterum Juvenes ſenili prudentia.

Diſcendum quoque à diſcipulis eſſe docent Ebræi, & diſci multum poſſe docet experientia. *Multa didici*, inquit, ... *à præceptoribus, multa à ſociis, plurima à diſcipulis.*

Quia in æternum mihi eſt] Apud me, vel adeſt mihi. Kimhi, *Quia in æternum ſervare eam debeo, quia eſt mihi* ברית מלח, Num. 18. 19. *Pactum ſalis, ſempiternum erit DOMINO.* Non eſt dubium quin per pactum ſalis intell. pactum perpetuum. Sed cur ſic dictum? Alii, *Quia Sal omnia conſervat à putredine & facit ſtabilia, ſic pactum ſalis quod ab omni corruptione tutum.* Oleaſtr. reſpici putat ad legem Lev. 2. *In omni oblatione tua offeres Sal. Non ceſſare facies ſalem pacti Dei tui à ſacrificiis tuis in perpetuum.* Quia hoc pactum de ſale erat perpetuum, inde hæc locutio.

3. *Super omnes docentes me*] Non eſt novum ut Magiſtrum ſupergrediatur diſcipulus. Obj. Math. 10. *Non eſt diſcipulus ſupra doctorem, & ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut Magiſter.* Reſp. Id fieri ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον. Et, dum diſcipulus eſt.

מזקנים] Si à, huc accommoda illud Rabbini, *Qui diſcit à ſenibus; ſimilis eſt edenti uvas maturas & vinum vetus. Qui à juvene, ſimilis eſt edenti immaturas & vinum novum.* Jam vetus præſtantius novo. Pl. *Qui utuntur vino vetere ſapientes puto.*

Si, præ ſenibus. NB. Senes plerumque judicio & uſu valere. Non tamen id ita ſtrictè capiendum. Sunt enim Juvenes, quis

—— *Ingenium & rerum prudentia velox*
Ante pilos venit.

Silius de Piſone. Vide ad Octon. 2. *Senatus à ſene.* Licet non omnes ſenes ætate. Sic illud Philoſophus explicat, quo negat juvenem idoneum eſſe auditorem Ethicæ diſciplinæ.

Semita רגל] Jun. *mali.* Piſc. *mala.* Nam Gen. 18. 11. conſtr. Maſculinè cum חָדַל.

כליתי] כלא *Carcer*, à prohibendo. Conſtrinxi quaſi compedibus & carcere pedes meos.

נמלצו] Seq. אִמְרָתְךָ Junius ſupplet מִשְׁפָּטֶיךָ *Judicia.* Piſc. *ſinguli ſermones tui.* Si nomen ſing. cum v. plur. per unumquodque exponunt, ſi contra per *ſinguli.*

Verſ. ult. מִפִּקּוּדֶיךָ] Hic מ valet *a, Ex.* An ergo & ſupra? Non ſequitur.

Odi] Vel Odivi.

דבש] *Palma, fructus palmæ*] Arabes præſtantiſſ. palmam vocant *dabuſam.* Frum. M. Ol. Palmæ & omnis prov. agri. Math. 23. Deut. 14. Ibi. Lev. 27. *Ex ſem. terræ & pomis arborum.*

נ.

נר] *Lucerna.* ניר *Novalis.* Sine Lege, i. e. verbo Dei. Nos ambulamus in tenebris & aberramus. Ubi prælucet nobis iſta fax, ducimur ad Deum. Lex dirigit ad Deum in agendis, credendis, ſperandis, amandis. Eſt enim fidei & vitæ Regula. Aliq. ponitur pro *felicitate*, Prov. 24. *Lucerna improborum extinguetur.* Prov. 20. *Maledicentis Patri & Matri extinguetur lucerna in obſc. tenebrarum.* Unde *illuminare lucernam alicujus* eſt *ejus felicitatem augere.* Pſ. 18. *Tu illuminas* &c. Quia *lux* ſic uſurpatur & opponitur *tenebris*, quibus denotatur *infelicitas.* Eſth. 8. 15. *Judæis erat lux & lætitia, & cives Suſan luci perfuſi lætabantur.*

אור] *Lux.* Job. 31. *Sol. Si viderO R* (ἥλιον LXX) *quando ſplendet & lunam pretioſam.* Hinc ergo *Orus, Sol, Apollo* (Ægyptii ſic vocarunt *Solem*,) teſte Macrob. Sat. 1. Atque hinc *Horæ*, quæ antiquitus ſignificabant *quatuor anni tempora*, quæ per diverſum vel acceſſum vel receſſum ſolis numerantur. Quas Horas Homerus finxit portis Cœli præeſſe, equoſque ſolis curare, & Ovid. 11. Metam.

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis
Juſſa Deæ celeres peragunt.

Veteres non habuere horas, quas jam vocamus. Scal. de Em. Temp. *Judæi veteres non agnovere alias diei partes quam Mane, Meridiem, Veſperam.* Pſ. 55. 18. Clare ut Homer. ἠώς, μέσον ἦμαρ. δείλη. Poſtea inventæ Horæ & à Romanis ad Judæos traductæ, unde in N. T. *hora prima*, 3. 6. 9. 11. quæ indicabantur & diſtinguebantur per lineas & intevalla umbrarum, unde ἐνδεκάτης σκιά, *hora cœnæ*, ἐνδεκάτων ςοιχείων. Nam notis literarum ſingularium horæ diſtinguebantur. Quod autem apud veteres extat ὥρα δύπνε, ὥρα δεῖπνε, ibi Hora tempus ſignif.

Ἑξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μέτ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγεσι βρότοις.

Z. 7. H. 8. Θ. 9. I. 10. Simul ſervit pro numeris & pro imperat. *Vive.*

2. *Juravi*] i. e. Firmiter ſtatui, decrevi, fixum eſt mihi, vovi. *Juravi Domino.* NB. *Jurare Dominum* & ביהוה differunt à *jurare* ליהוה *Jurare in Domino, in aliquo*, eſt *jurare per aliquem.* In N. T. adhibetur quoque ἐν. Math. 5. Apoc. 16. ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι, ex Ebraïſmo. Pſ. 132. *Qui juravit* ליה׳, *vovit forti Jacob.* Eſ. 19. 10. *In die illo erunt* 5. *Civitates Ægypti utentes lingua Canaan, jurantes DOMINO.* Videl. ut ſubditi ſolent jurare ſuis Principibus. Soph. 1. 5. *Qui jurant Domino.*

ואקימה] *Et ratum faciam.* קום *ſtetit, ratum fuit.* הֵקִים *ratum fecit, implevit.* 2. Regum 23. להקים *verba fœderis.* 2 Chron. 34. לַעֲשׂוֹת.

3. נִדְבוֹת *Spontanea*, τὰ ἑκούσια. *Vituli labiorum.* Hoſ. 14. *Vituli* pro *ſacrificiis*, quia ii ſæpiſſime offerebantur.

רְצֵה Accepta habe, εὐδόκησον.

4. *Anima mea* נַפְשִׁי] i. e. Verſor in maximis periculis. Kimchi, אֲנִי בְּסַכָּנָה תָּמִיד. Ut pretioſum liquorem habens vaſculum ſeu vitrum ſi manu geſtes expoſitum eſt lapſui & externæ direptioni. Codices Græci corrupte legunt σε, quod ſecuti Auguſt. Caſſiod. Theod. *Anima mea in manibus tuis.* Auguſt. *Quidam Cod. habent* meis, *plures* tuis. *Et hoc quidem planum. Juſtorum enim anima in manu Dei. Anima verò in manibus meis, quomodo intelligatur, ignoro. Quod ignorat Aug. explicuit Hieron*, inquit Genebr. qui & hoc addit, *Multa ignorantur à linguarum imperitis quæ periti liquido intelligunt.*

Eadem phraſis Jud. 12. 13. *Poſui animam meam in manu mea & tranſivi ad filios Ammon.* 1 Sam. 28. 21. Pythoniſſa ad Saul, *Ecce auſcultavit tibi ancilla tua, & poſui animam meam in manu meâ.* Job. 13. 14 *Quare animam meam ponerem in manibus meis?*

5. *Poſuerunt laqueum*] Ebr. *dederunt.* Contra Gen. 6. Seth. רשעים. Job. 34. 29. Opponitur τῷ הצדיק vox רשע, *Improbi ſicut mare propulſum.*

8. עקב] Sub. Lamed. Vide in ה. Atque hic iterum obſerva in Repet. rei ejuſdem præcedere clarius. Chald. hic habet עד כיפא Supra עד גְמִירָא Supra Lxx. quoque *εἰς τέλος*. Kimchi כָּל יָמַי.

ס.

סְעָפִים] סְעִיף *ramus*. 2. *Scopulus*, prominentia petræ ſeu rupis. Promontorium pars rupis longius excurrens. Jud. 15. 8. habitavit בִּסְעִיף סֶלַע. 3. *Cogitatio*. Job. 20. סְעִפַּי *reduxerunt me*. סָעִף alia *forma* ל. Alii volunt eſſe concretum בעלי מַחְשְׁבוֹת רעיה. Lxx. *παρανόμους* Ch. דְּחַשְׁבִין מַחְשְׁבָן רֵיקָן. Alii abſtractum eſſe volunt, *Cogitationes vanas, malas, alias. Altas, curvas*, P. *Bicordes*, Ald.

NB. רֵיקָן *vacuas*. רֵיק reſp. Ebr. רֵק *vacuum*, refertur vel ad fort. vel mores. Jud. 11. 3. Ebr. רֵקִים Ch. כריקין Vulg. *inopes & latrocinantes*. Arabes ſemper latrociniis dediti. Amm. lib. 12. Hier. Jirm. 3. Unde Arabs pro latrone. Gen. 37. & 39. Ebr. Iſmaëlitæ, Onc. Arabes, Hieroſ. Saraceni. Pſ. 85. Hagareni.

Male ergo conjectant qui à *Sara* deducunt. Unde enim ρ. Tamen ita Genebr. Hieron. Com. in Ezech. lib. 8. 25.

Similis error in Preſtegan. Apoſtolicus.

ואחיה] *Ut vivam*, i. e. Spiritual. vel ut perveniam ad vitam æternam. Locus Epiph. de Hemerobaptiſis.

ע.

1. F*Eci juſtitiam*] *Feci officium boni Regis*. 2 Sam. 8. Conteſtatio innocentiæ & teſtimonium bonæ conſcientiæ in cauſa quæ ei erat cum hoſtibus. Sic dico, Reſpicit ad bonitatem cauſæ. Eleganter hic Calv. *Qui cupit Deum ad ſe cum auxilio deſcendere, debet ad eum cum teſtimonio bonæ Conſcientiæ in occurſum aſcendere.*

לְעֹשְׁקָי] *Oppreſſoribus meis*. עָשַׁק, *Opprimere, quavis injuria aliquem afficere, ſive apertâ, ſive fraudulentâ*. גָּזַל *tantum apertâ*. Aben. גזל *vi apertâ*, עשק *fraudul*. Unde Kimchi, *ſine dubio ſub* עשק *comprehenditur* גְּזֵלָה. Vulg. Interp. & hic & alibi fere vertit *Calumniari*. Nimis ſtrictè. Et ſi enim tantum ſignificaret *oppreſſionem fraudulentam*, neſcio tamen an omnis ejuſmodi oppreſſio dici poſſet Calumnia. עשק *oppreſſio, & opes talibus artibus conquiſitæ* Pſ. 62. *Ne fidatis* בְּעֹשֶׁק. At עשק *rixari*. Gen. 26. *Et rixati ſunt* ויריבו *Paſtores Geraræ cum Paſtoribus Iſaac de puteo*, &c. *Vocaruntque puteum* עֵשֶׂק *eò quod* הִתְעַשְּׂקוּ *rixati eſſent ſuper eo.* Non confundenda ש & שׂ duobus exemplis monſtratum. Vulg. *Et rixati ſunt* &c. *Vocavitque puteum, Calumnia, ex eo quod acciderat*. Quid acciderat? *rixati fuerant*. Quomodo ergo *Calumnia*? An omnis rixa calumnia? Sed Vulg. legit עשק quod ipſum rurſus nimis anguſtè reddit, *Calumnia*. Sunt enim aliæ oppreſſ. ſpecies præter Calumniam. Adde etiam Chald. legiſſe ש vertit enim עִשְׁקָא. Sic paulo poſt, *puteus* שִׁבְעָה *juramenti*, vertit Vulg. *Abundantiæ*, i. e. שָׂבְעָה. Atque hic à Lxx. refellitur, quos legiſſe per ש oſtendit interpretamentum *ὅρκος* & *Φρέαρ ὅρκου*. Supra pro שׂ legit שׁ hic pro שׁ legit שׂ.

2. עֲרֹב] *Dulceſce, dulcem, ſuavem te exhibe*. Prov. 3. *Cum quieſces* וְעָרְבָה שְׁנָתֶךָ. Lxx. *ἔκδεξαι με*, Vulg. *ſuſcipe me*. Sym. *ἀνάδεξαι με*. *Recipe me*. Aq. & Theod. *ἐγγυῆσαι*. *Fidejube, Obi vadimonium*. Sic quoque Jun. *Γυῖον membrum*, maxime *manus* & *pedes*. Unde forte *ἐγγυάομαι*, quod manus manibus infigerentur. ערב. 1. *Dulceſcere*. 2. *Ligare, obligare*. Hinc *veſpera* vocatur ערב quod liget diem cum nocte. Hinc ponitur pro *fidejubeo*. Is enim ligat ſe pro alio, vel ligat manum ſuam cum alterius manu. Hinc multitudo & conflugies variarum rerum etiam hominum vocatur ערב Ex. 12. *Et* ערב רב *aſcendebat cum iis*. Sic multitudo inſectorum in plagis Æg. vocatur ערב. Hinc *ſubtegmen* vocatur ערב quod ligetur cum ſtamine, Levit. 13. Unde *Crucem* vocant שתי וערב *ſtamen & ſubtegmen*. Hinc עֵרָבוֹן *pignus* quod liget datorem ad ſolvendum. Sic Oleaſtr. Sed huc omnia referri non poſſunt, עֲרָבִים, *ſalices*, עֹרֵב *corvus* & multa alia. Sic ergo potius, 1. *Miſceri*. 2. *Fidejubeo*. 3. *Oppignorare*, Neh. 5. *Agros noſtros & vineas noſtras* ערבים *oppignor.* 4. *Dulce eſſe*. Dicitur autem fidejuſſio, Mixtio quædam quod manus miſceantur. Unde תָּקַע כַּף eſt Syn. τῶ ערב. Prov. 6. *Fili ſi* ערבת תקעת בכפך &c. *Irretitus es verbis oris tui*. Prov. 11. *Homo deficiens corde* תֹּקֵעַ כָּף.

5. חָכְמָה' תבונה' דעת ſic differunt Interpretibus, ſapientia, prudentia, ſcientia. R. Sal. *Sapientia, qua quis ab alio diſcit. Prudentia, quum quis ex ſe aliquid prudenter excogitat. Scientia, quum aliquid ex Inſpiratione Dei addiſcit*. Oleaſtr. חכמה ſapientia & prudentia, 1 Reg. 2. *Et facies* כחכמתך *juxta prudentiam tuam*, ſapientia pro prudentia, i. e. recta ratione agibilium. חכם ergo qui intus ſapit, cui pectus ſapit, & ex interiori cognitione procedit ad ſapienter & prudenter externè agendum. תבונה eſt à בין *diſcretio*, nam בין *inter*, *dijudicatio*. ידע *ſcire*, ſive *intell*. ſive *ſenſu aliquid experiri*.

6. *Tempus*] Oportunitas, *εὐκαιρία*.

Faciendi] Sc. *judicium*, i. e. puniendi, ulciſc. Gen. 18. *Non faciam ſi invenero ibi xxx*. Poſtea, *non percutiam, interf. delebo*. Atque hic obſerva diſcr. inter *facere judicium* hîc & verſ. 1. 2 Sam. 8. *Et faciebat David juſtitiam & judicium omni populo. Abſolv. inſontes, damnabat & puniebat ſontes*. Sic Joſias dicitur *feciſſe Judicium occidendo falſos Prophetas*. Dicimus quoque *facere judicia in aliquo*, Num. 33. *In Diis eorum fecerat judicia*. Ezech. 11. *Tradam vos alienig. & faciam in vobis judicia*. Ezech. 23. *Dabo ignem in* צֹעַן *& faciam judicia in Non*. פֹּז. וְזָהָב. פּוּ. אופז & מוּפָז. 3. חרוץ. 4. כתם. נתם. 5. אוֹפִיר. 6. בֶּצֶר. 7. סְגוֹר.

כָּל־פִּקּוּדֵי כֹל] *Omnia præcepta de omnibus*, כל poſt. non ad perſonas ſed res refertur. Simile Ezech. 44. 30. ראשית כל בכורי כל וכל תרומת כל.

פ.

פְּלָאוֹת] Lxx. *θαυμαστὰ*, Vulg. *Mirabilia*. Sic Jun. quoque & Piſc. vid. Kimchi, confert enim cum Deut. 17. *Si* יִפָּלֵא *à te quicquam*, ac ſi diceret נסתרות בהם. Aliqui, *Occulta, abſcondita*. At ſic ex profeſſo. Contradiceret Moſi Deut. 30. 11. *Præceptum quod præcipio tibi hodie, non eſt occultum* לא נפלאת *à te, nec longinquum, non in Cœlis ipſum eſt*. Sed poteſt & ibi exponi, *non eſt ſeparatum à te*, agiturque de ſeparatione locali, in Antitheſi enim nihil eſt quod opponatur occultationi, *Quia propinquum valde eſt verbum tibi, in ore tuo & corde tuo, ut facias illud*. Sed Kimchi ſic conciliat hunc locum, *Non eſt occultum*, i. e. non eſt dictum, nec exponendum per Allegorias, ſed *κατὰ τὸ ῥητὸν* accipienda & facienda. Hic autem vocari occulta reſpectu radicis legis & ſenſus ejus. Non conciliat. Melius dixiſſet ſi ibi expoſuiſſet, *ſeparatum*, ut nos jam diximus, aut in Moſe agi tantum de Decalogo, hic de omnibus ſcripturis, ubi certè multa abſcondita, de quibus edocendi ſumus in cœleſti Academia. Scitum illud Gregorii, *Habet Scriptura non ſolum vada quæ vel agnus tranſeat, ſed & gurgites & abyſſos, in queis vel elephas natet.*

R. D. Invehitur in Chriſtianos, quod allegoriis involvant præcepta. Debuiſſet & Cabaliſtas ſuos reprehendere, qui in ſingulis literis & ſyll. quærunt myſteria & neſcio quos ſenſus myſticos. Sed quod de Chriſtianis dicit, non eſt de nihilo. Nota eſt Origenis laſcivia, qui omnes fere Hiſtorias in allegorias transformavit. Quem ſecuti ſunt Hieron. aliique Patres & ſequiori ævo Monachi.

Fuitque inſanum illud ſtudium aſylum imperitiæ. Ubi in liberali ſenſu aqua ipſis hærebat, mox confugere ad Allegoriam. Gen. 13. 11. Loth diſcedens dicitur iviſſe מִקֶּדֶם Vulg. *ab Oriente*. At Jordanis & Sodoma ſita erant ad Orientem reſpectu loci ex quo ibat. Neſcivere מִן aliq. motum ad locum denotare. Ergò locum ſic expoſuêre: *Loth profectus eſt ab Or. in Occaſum*, i. e. relicta luce vera tetendit in occaſum & perniciem ſuam. Allegorici ſenſus non debent eſſe contrarii ſenſui literali. Sic Jeſuitæ illud *de luminaribus* transferunt *ad Papam & Imperat.* Illud *de Maribus* Gen. 1. *ad Mariam*. *Vocavit Deus aridam terram, congregationeſque vel confluges aquarum appellavit Maria*. Notate verba, ſignate myſteria. Stellarium coronæ bened. Mariæ Virg. editum Hagenoæ 1498. ſic habet, *Quid eſt congregatio aquarum niſi congregatio omnium gratiarum in locum unum, i. e. in Virginem Matrem? Congregationem gratiarum in Dei Matre Deus voluit appellari Maria à Mari. In hoc tamen eſt diff. quod congregatio aquarum vocatur Maria med. corr. Congregatio gratiarum, Maria, med. prod. Cauſa, cur Maria med. corr. quia tranſitoria eſt & brevi tempore erit*, Apoc. 21. *Mare abiit & jam non eſt. Maria med. prod. quia iſta eſt perpetua in Virgine*, Luc. 10. *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea*. En tenebras! Si Moſes Latinè ſcripſiſſet, nimis adhuc eſſent abſurda. Taceo quam imperitè ad Mariam Virg. transferatur quod de alia dictum eſt.

פלא] *Occultum eſſe*. Prov. 30. *Tria* נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי *& quatuor ſunt quæ ignoro*. Sic Deut. 17. 2. *Separare*, Ex. 33. *Et ſeparabimur* וְנִפְלֵינוּ *ego & omnis populus tuus à populo*. Unde *ſeparare votum*. 3. *Difficile* vel *impoſſibile eſſe*. Gen. 18. הֲיִפָּלֵא *an impoſſibile erit apud Deum quicquam*, ubi Lxx. *ἀδυνατεῖ*. 4. *Mirabile eſſe*. Unde פֶּלֶא *miraculum*, פִּלְאִי *mirabilis*. Jud. 13. Utra ſignificatio primaria? Reſp. Omnibus locis quadrat ſignif. *Separandi*, quod occultum eſt, ſeparatum eſt à cognitione. Quod difficile vel impoſſibile, id ſeparatum eſt à viribus & potentia. Quod mirabile id ſeparatum eſt à captu & ratione noſtra.

Hinc eſt פְּלֹנִי & פְּלֹנִי אַלְמֹנִי Ruth. 4. 1. Et contracte פַּלְמוֹנִי Dan. 8. Græcè *ὁ δεῖνα*. Latine N. Non uſurpatur niſi de hominibus. Illud enim 1 Sam. 21. 2. אֶל־מְקוֹם פְּלֹנִי אַלְמֹנִי ſic reddendum ad locum cujuſdam N. ad locum τῶ N. non, ad locum τὸν N.

Regula

Regula ad locum Prov. 30. ſupra citatum, Quando poſt tria ponitur *quatuor*, tunc per *quatuor* ſemper intelligitur *quartum*. In Prov. 30. tria exempla ſunt, ubi ex enumeratione mox apparet ejus regulæ veritas, verſ. 15. *Tria ſunt inſatur. & quatuor ſunt quæ non dicunt ſufficit*. At enumerat IV. Senſus ergo, *& quartum non dicit ſufficit*. Verſ. 18. *Tria ſunt occulta à me & 4.* &c. Verſ. 21. *Ob tria commovet ſe terra; imò ob quatuor non poteſt ſe continere. Ob ſervum regnantem, Stultum ſaturatum, Exoſam nuptam, & Ancillam hæredem Dominæ ſuæ*. Hinc intelligemus Caput 1. Amos, *Super tribus ſceleribus Damaſci, Gazæ, Tyri, Edom, & ſuper quatuor non avertam iſtud*. Ubi ex tribus & 4. non debent fieri 7. Eſt enim locutio qualis in Proverb. Nec eſt ulla neceſſitas quia ipſe numerus ternarius per ſe multitudinem notat. Illud tamen diſcr. eſt, quod in Proverb. ſtrictè accipiendus ſit iſte numerus; nam enumerantur tantum 4. At hic nulla enumeratio. Sic ergo habendum, Ternarius numerus multitud. ſignificat, eſt primus numerus multitudinis in Script. Sic Latinis Ter,

Illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum.

Et,

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,

Et,

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago.

Ad quæ omnia loca Servius annotavit *Ter* pro *ſæpius* poſitum. At cum ad ternarium iſtum aliquid additur exceſſus maximus & maxima amplificatio intelligitur. Sic & apud Virgil.

O terque quaterque beati!

Ubi non opus eſt exponere ſepties, quia nudum, ter felix, ſapiens, beatus, valet, valde, multùm felix. Imo jam amplificatur magis addendo *quater*, quam ſi dixiſſet, ſepties beati. Sic,

Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum.

Homerus,

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τέτρακις, οἳ τότ' ὄλοντο.

Sic cum ad alios numeros indefinite adhibitos repetitur alius. Job. 5. *in 6. Ang. liberabit te & in 7. non tanget te malum.* Sic in Mich. 5.4. *Septem & octo.* Et Eccl. 11. *Da partem 7. & etiam 8.*

2. פְּתָיִם] *Fatuus*, (כסיל ἀνόητος) & ſimplex. (תמים ἀκεραῖος, (ἀκακὸς) quæ ſimplicitas juncta eſſe debet cum calliditate, quod eſt. Τὸν ὄφιν τῇ περιςερᾷ μιγνύειν. Math. 10. 16.

צ.

2. **P**ræcepiſti צדק עדותיך ואמונה] *Juſtitiam præceptorum tuorum, & fidem*, ſc. præc. Hypall. pro *præcepta tua juſta & fidelia valde*. Sic *Beata Seraphim*, ut *amara curarum*, *Opaca viarum*. Minut. *Recta montium*, *Flexa collium*, *Porrecta camporum*. Apul. *Ardua montium*, *Gleboſa camporum*, *Lubrica vallium*, *Roſcida ceſpitum*.

מאד] Alii cum Verbo, alii cum Nominibus conſtruunt. Hinc Thomas probat præcepta Decalogi non admittere diſpenſationem.

3. צִמְּתַתְנִי] *Succidit me*. Kimhi. כמעט כלתה קנאתי אותי.

Zelus meus] Vide Pſ. 105. Eſt & Zelus quidam bonus κατὰ δόξαν, ſed non κατὰ γνῶσιν. Rom. 10. 2. *Teſtor eos Zelum Dei habere, ſed non κατὰ*, ἐπὶ γνῶσιν. Act. 22. 31. ζηλώτης τοῦ Θεοῦ. Bellarminus de V.D. lib. 2. 2.

5. צָעִיר] *Parvus* vel *ætate*, vel *dignitate*. Ætate Gen. 43. והצעיר כצעירתו ubi צעירה abſtr. pro minorennitate ponitur, & in anteced. בכור pro ſenioritate. Gen. 19. Et dicebat הבכירה ad צעירה. Job. 32. *Minor ego ſum diebus & vos ſenes*. Job. 30. *Et nunc ridentme* צעירים ממני. Dignitate, vilis, abjectus, ut hoc loco, Mich. 5. 2. Concilia cum Math. 2. Per Interrogationem legendo locum Michex.

Beth. Ephratha. Gen. 35. *Mortua eſſe Rachel in via quæ ducit Ephratham*, hæc eſt *Bethlehem*. Erat alibi Bethlehem in tribu Zebulon.

6. *Juſtitia*] Benignitas. Pſ. 103. *Benignitas Domini à ſeculo in ſeculum erga timentes eum, & Tzedaka ejus erga filios hominum.* Contra eos qui diſtinguunt inter חסד & צדק, ut צדק ſit quod quis tenetur Pſ. 24. 5. *Tollet bened. à Domino & juſtitiam à Deo ſalutis ſuæ*.

Juſtitia pro *Eleëmoſyna*, *quia oriuntur ex Benignitate*. Terent. Heaut. *Illud obſecro ut meæ ſtultitiæ in tua juſtitia ſit aliquid præſidii*.

Pro *beneficiis* 1 Sam. 12. *Ut diſc. vobiſcum coram Domino de omnibus Juſtitiis quas fecit vobiſcum*.

Pro *Eleemoſyna*, Dan. 4. Prov. 10. Sirach. Math. 6. Auguſt. Ebr. *Ne prohibe bonum à Dominis eorum*.

7. *Invenerunt me*] Pſ. 116. 3.

Afflictiones non fortuito eveniunt, ſed deſtinatò nobis immittuntur.

ף.

DE Vigiliis dictum ſuprà.

נשף *Crepuſculum*, à *crepero*, *dubio*, Matut. Job. 7. *Et ſatiatus fui inſomniis* עד נשף. Tharg. עד צפרא. Veſp. Prov. 7. 9. *In crepuſculo, in veſpera diei, in tenebris & calig.* Ch. ברמשא *in veſpera.*

ר.

VIde *afflictionem meam*] LXX. τὴν ταπείνωσιν, Vulg. *humilitatem meam*. Id Ambr. & Theod. acceperunt pro *virtute* quæ opp. ſuperbiæ, ex Imperitia Ebraiſmi. Amant LXX. vocem עני reddere ταπεῖν. Vulg. *humilitas*. At vox Ebr. עני nunquam ita accipitur. Senſus ergo, *Reſpice afflictionem meam*, i. e. oculis miſerationis, id eſt, me in afflictione conſtitutum juva. Verba ſenſuum ſæpe ita uſurpantur ut etiam ſequentes motus bonos vel malos complectantur. Alibi, *videndo vidi* & *videndo vidi afflictionem populi mei*. Exod. 3. i. e. probe & diligenter vidi. Ut enim omnis geminatio eſt ad auxeſin, ita & illa congeminatio verborum. Atque hic 2. obſerventur.

I. Formulam illam à Vulg. Interp. & LXX. ſolere exprimi per partic. ut dicto loco ἰδὼν εἶδον. *Videns vidi*, ubi Vulg. neglexit. Zoph. 1. *Congregans congregabo*. Vel per nomen verbale. Pſ. 131. *Sancti ejus exultatione exultabunt*.

II. Hanc exaggerationem non uno modo poſſe exprimi. Aut enim pertinet ad actionem verbi, aut ad certitudinem rei. Euthymius dicit ſignificare tantum *intentionem mentis*. Nimis ſtricte, nec enim id intelligi poteſt niſi de verbis aliquem actum mentis ſignificantibus. Ex. 2. *Hauriendo hauſit nobis*, i. e. magno labore. Jirm. 36. *Excidendo non excindam te*, i. e. non totaliter. Regula ſic poteſt corrigi, ut hæc congeminatio. 1. Significet actionis cujuſque intentionem. Pſ. 118. *Caſtigando caſtigavit me Dominus*, Vulg. *caſtigans*, i. e. valde, vehementer me caſtigavit. 1 Sam. 26. *Benedictus tu fili mi David, faciendo facies*, יכל תוכל & *poſſendo poteris*. *Videndo vidi*, i. e. intentiſſimè vidi. Luc. 22. ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, *hoc Paſcha comedere vobiſcum*. Act. 5. 28. ὁ παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν ὑμῖν. Act. 23. *Devotione devovimus nos*. Jud. 8. 25. *Dando dabimus* Vulg. *libentiſſime dabimus*. 1 Sam. 1. 10. *Flendo flebat*, Vulg. *flens largiter*. 1 Sam. 9. 6. *ven. venit ſine ambig. veniet*. Vulg. 1 Sam. 14. 39. *Moriendo morietur*, Vulg. *abſque retractatione morietur*. 2. Ad certitudinem rei. 2 Sam 9. *Ne time quia fac. faciam in te miſeric. ob Jonathan Patrem tuum*. Sic *Benedicendo benedicam*. *Veniendo veniam, & non tardabo*, ubi & celeritatem videtur ſignif. In quibuſdam utraque acceptio locum habet. Zoph. 1. *Congregando congregabo*, i. e. diligenter, vel, certiſſimo, vel celerrime.

Sic quoque Profani, Plato in Symp. βίᾳ γὰρ ἔρωτος οὐχ ἅπτεται, οὔτε ποιῶν ποιεῖ. *Violentia amoris non tangit nec faciens facit*. Luc. in Dial. Marinis, in Dial. Menel. & Protei, *Videns eq. vidi, ſed tamen res ipſa monſtro ſimilis eſt*. Verrius Flaccus apud Gell. 5. 17. *Tum exercitum populi Rom. occiſione occiſum* &c. i. e. magna clade.

2. ריבה ריבי] *Suſcipe mei Patrocinium*, ut Advocatus. Vel *judica judicium meum*, i. e. pone te judicem, decide, judica inter me & hoſtes meos. LXX. κρῖνον τὴν κρίσιν μου. Alibi vertunt ἀπολόγημα, alibi ἀπολογία

3. ישועה] Seq. fœm. *Jeshugnah*. Kimchi דבר ישועה. Alii, reſpectum ad Synon. ישע. Sic Gen. לְשְׂאֵת רִיבִי ut reſp. ad ſyn. חטא. Alii ad ſubintell. עונש *pœna*. Uſurp. enim ibi Meton. pro *pœna iniquitatis*. Jeſ. 48. *Non eſt impiis pax.*

4. *Vidi* בוגדים] *Prævaricantes*. Sic vulgò, Oleaſtr. putat ſign. propriè, *tegere*, *operire*, & Metaph. *recte & doloſe aliquid agere*, *defraudere aliquem*, quod videtur firmari eo quod adulteri & adulteræ dicantur בגד. Fiunt autem illa tectè, clam. Atque hinc בגד *veſtis*, quod *operiat*, *tegat*. Sed melius illi qui בֶּגֶד *veſtem* à *prævaricari* deducunt, quod ſint primæ hominis contra Deum perfidiæ & prævaricationis teſtimonium, ut enim ii qui patibulum meruêre, ſæpe laqueus geſtandus injicitur, in teſtimonium quod laqueo ſtrangulari meriti ſint, ita nos veſtes gerimus indices & μνημόσυνα peccati.

ואתקוטטה] *Faſtidio affeci me*, vel, *affectus ſum*. Sic Jun. Pag. Vatab. LXX. & hic & Pſ. 138. ἐξετηκόμην, *tabeſcebam*. Sic Vulg. Luth. *Dolet mihi*. Sic Belg. & Angli, *Het doet my wee*. Kimchi & Calvinus *litigavi*, ut ſit לשון מריבה. Sic quoque author Concord. Pſ. 95. 40. *annis litigavi cum generatione hac*. Et Pſ. 139. Cum ב *inſurgentibus contra te* אֶתְקוֹטָט.

8. ראש דְּבָרְךָ אֱמֶת] Referam opiniones V. Tres ex Kimchio. Intelligit enim ſic ut denotetur *Principium* vel *Temporis*, vel *Legis*, vel *Ordinis*.

I. Tem-

I. Temporis. *A Principio verbum tuum eſt veritas*, hoc ſecutus eſt Piſcator & Angli. *Thy word is true of the beginning. Omnibus diebus hujus ſaculi verbum tuum eſt veritas & juſtitia. Sic fuit in principio, ſic erit in ſaculum. Sicut erat in principio, ita nunc eſt & in ſacula.*

II. Legis, ut reſpiciat illa verba, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Dominus unus eſt. Ego ſum Dominus tuus* &c. Urget hic יחד unitatem Eſſentiæ Divinæ, & pungit Chriſtianos, quaſi tres Deos colerent. At nos ita debemus amplecti unitatem Eſſentiæ, ut non excludamus trinitatem perſonarum.

III. Ordinis, q. d. Verbum Dei & veritatem ejus eſſe principium vel quaſi ſcalam, per quam ad omnem ſapientiam aſcendatur. Hoc poſterius eſt nimis coactum.

IV. *Summa*, ſic κεφαλαῖον pro ſumma Ebr. 9. Κεφαλαῖον eorum quæ dicuntur hoc eſt. Sic recenſere Caput filiorum Iſraël.

V. Junii. *Praſtantiſſimum verbum tuum.* ראש & ראשית, confunduntur ut ſign. *Principium dignitatis.* Dicimus autem promiſcue ראש דברים & דברי ראש Vide quæ congeſſ. in Cenſuram noſtram Exod.

ש.

S*Epties*] R. D. K. פעמים רבים. Quia inquit שבע אינו דוקא שבשה non præciſe ſignificat *ſeptem.* Sic X. Amos 6. 9. Alibi 3. & 4. ſed poſt 3. Sic Job. 5. 19. 7. poſt 6. *In ſex anguſtiis liberabit te & in 7. non tanget te malum.* Prov. 16. 24. *Septies in die cadit juſtus.* Quod conferendum dicit Coppenius cum Pſ. 34. 20. *Multa mala juſti & ex omnibus iſtis liberabit eum Dominus.* Vide ad lit. ס. 7. *Mulieres*, Jeſ. 3. 7. *Abominat.* Pr. 26. Lev. 26. *Corripiam vos ſepties ob peccata veſtra.* Septem & octo exaggeratur multitudo, Mich. 5. 4. Eccleſ. 11. *Da partem 7. nec non 8.*

A verbo tuo metuit cor meum] Non metuo minas hoſtium, te & tuas timeo, tu animam potes occidere, illi corpus tantum, vel, ne propter homines incurram in numinis tui offenſionem. Kimchi intelligit Abſolonem & alios, metuo ne incidam in manus eorum ob verbum tuum, 2 Sam. 12. *Ecce ego excito tibi ex domo tua malum.*

Poſſet & accipi pro *humiliatum, demiſſum eſt*, Rom. 11. 20. μὴ ὑψηλοφρόνει ἀλλὰ φοβȣ̃, *ne ſuperbias*, (Male Vulg. *altum ſapere*; eſt enim id tantum ſpecies ſupebiæ) *ſed time*, i. e. ταπεινοφρόνει.

NB. Ἐν φοβῳ̃ καὶ τρόμῳ, quinquies eſt in Sacris; ſignif. tantum animi dimiſſionem, reverentiam, humilitatem & modeſtiam, non pavorem, diffidentiam, trepiditatem aut animi diffidentiam. Pſ. 2. *Servite* ביראה ἐν φοβῳ̃, *Exultate* גילו ἐν τρόμῳ Ebr. ברעדה. Quomodo cum exultatione ſubſiſtat animi trepidatio & pavor?

II. 1 Cor. 2. 3. Ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φοβῳ̃ καὶ τρόμῳ πολλῳ̃ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. Confert ſuam humil. cum faſtu impoſtorum. Certe Apoſt. ſibi à Corinthiis non metuit.

III. 2 Cor. 7. 15. Ὡς μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ ἐδέξασθε αὐτόν. Titum ſc. ſumma cum reverentia. Alias non fuiſſet laudabile.

IV. Eph. 6. 5. *Servi obedite Dominis veſtris*, μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ. Additque, *& in ſimplicitate cordis.* Alias, qui coacti ex metu ſerviunt, ſervitutem illiberalem ſerviunt.

V. Phil. 2. 12. *Operamini ſalutem* μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ.

Ad verſ. ultim. notat R. D. ſententiam, יהיו כל מעשיך בשם השמים.

ת.

3. E*Ructabunt*] Sive *ebullient*, *copioſe proferent.* Metaph. à fonte ſeu ſcatebrâ, nam מבוע *fons*, *ſcatebra*, נחל נובע *fons ſcaturiens.* Prov. 15. *Os ſtultorum eructabit ſtultitiam. Talia fundebat lacrymans.*

[תען] *Cantabit.* ענה *alternis canere.* Vel *Loquetur*, ad verb. *reſpondebit.* Sic in N. T. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησȣ̃ς. Sic Job. 3. & Jirm. 23. habet poſt ſe דבר vel אמר. Deut. 26. וענית *& dices Domino.* 3. *Laudabit.* R. D. dicit Maſſoritas exponere in ſignif. שבח. q. d. תשבח *laudabit*; idque 3. locis, hic, Exod. 15. 21. & Prov. 26. 4. *Ne reſpondeas ſtulto* &c Sed duobus his locis non admodum quadrat.

Verſ. ult. כשה אובד. NB. שה Cum Tzeri, Ergo non poteſt reddi, *Ovis periens* (*qua perit* ut Jun.) ſed *pecus perditionis*, i. e. perdita. Sic alibi כלי אובד *vas perditionis*, ſic υἱὸς τῆς ἀπωλείας diceretur בן־אובד. *Obed* ergo neceſſatio nomen abſtractum. Firmatur hæc expoſ. ex ſequenti, *Quare ſervum tuum*, vid. ut *Ovem quarit Paſtor.* At Ovem pereuntem non quærit Paſtor, habet enim eam & retinet, ſed ovem perditam. Hinc quidam explicant illud Deut. 36. ארמי אובד Syrus *perditionis.* Sed ut dixi in Cenſ. dubito an Gentilitia ita conſtrui ſoleant.

[תעיתי] תעה diſcernunt à שגה quod ſemel occurrit Ezech. 13. 10. הטעו את־עמי, ut טעה ſignif. *errorem mentis* תעה *errorem viæ.* Sed diſcrimen non eſt perpetuum. Ergò hic aliqui explicant *de exilio*, alii *de Errore peccati.* Ubi in Ebr. eſt תעה Chald. eſt טעא.

GROTIUS.

E*St alphabeticus*, unaquaque literâ octies repetitâ.

28. *Dormitavit anima mea præ tædio*] In Hebræo דלפה, id eſt, *ſtillavit anima mea*: hoc eſt, *liquefacta eſt ut cera.* Id Græci verterunt ἔςαξε, ut notavit Ambroſius, qui vertit *ſtillavit.* Sic & Hilarius. Ex eo librarii, additis duabus literis, fecêre ἐνύςαξε, quod eſt *dormitavit.*

33. *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, ac exquiram eam ſemper*] In Hebræo: *Doce me viam ſtatutorum tuorum.* Illud עקב, in Græco διὰ παντὸς, Chaldæus vertit עד גמירא [*ad conſummationem uſque*:] David Kimchi כל ימי [*omnibus diebus.*] Eſt eadem vox Hebræa infrà 112. ubi Chaldæus eodem ſenſu vertit כופא [*ad finem.*] At Græci ibi δι᾽ ἀντάμειψιν [*propter retributionem*:] quomodo & hîc accepit Aben-Eſdra. Et ſuprà 19. 12. eandem vocem LXX. verterunt ἀνταπόδοσις [*retributiones.*]

109. *Anima mea in manibus meis ſemper*] Loquendi genus Hebræum, quod ſumma pericula ſignificat: quia quod manu tenemus, facilè eripi nobis poteſt. Sic 1 Sam. 28. 21. Job. 13. 14. Defendit hanc lectionem in epiſtola Hieronymus, & Ambroſius aliquos codices habuiſſe agnoſcit. At quibus ignotum fuit id loquendi genus, μȣ [*meis*] mutarunt in σȣ [*tuis*,] quod ſequitur Apollinaris, Æthiops, Arabs, Pſalterium Romanum.

PRICÆUS.

2. L*Ibera animam meam à labiis doloſis*] Vide 108. 2, 3.

3. *Quid apponatur tibi ad linguam doloſam?*] Quæ retributio fiet tuæ linguæ doloſæ? vel, tibi, ô lingua doloſa?

4. *Sagitta potentis acuta*] Sub. *apponentur tibi. Acuta*, lethales, mortiferæ. Jerem. 50. 9. *Sagitta ejus quaſi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua.* Opponuntur ſagittæ parvulorum quæ plagam non faciunt; ſuprà 63. 2. *Potentis*, Dei nempe; ut in Lucæ 1. 49. illis, *Fecit magna mihi qui potens eſt.* Vide & 126. 4.

Ibid. *Cum carbonibus deſolatoriis.*] Eſt ex Græco loci hujus, ἐρημικοῖς, i. e. vaſtantibus, igne nempe: unde & Ἐρημίζειν, ἐκπυρȣ̃σιν Heſychius interpretatur.

5. *Habitavi cum habitantibus Cedar*] *Habitatio mea* (ut 9. 6. Jeremiæ) *in medio doli.*

7. *Cum loquebar illis* (ſub. *pacifica*) *impugnabant me*] Suprà 34. 14, 15.

PSALM. CXX.

MUNSTERUS.

C*Ur Pſalmus iſte & aliquot ſequentes vocentur Pſalmi graduum*, vel *aſcenſionum*, certò ſciri nequit. Nugantur quidam Hebræorum eos à Levitis decantatos in quindecim gradibus quibus ab æde mulierum aſcendebatur ad ædem virorum.

4. *Sagitta potentis acuta*] Comparat verba fraudulenti viri *ſagittis à viro potente excuſſis*, quæ profundiùs infiguntur quàm ſi ab infirmo aliquo homine excutiantur qui arcum tam fortiter intendere nequit. Comparantur quoque *carbonibus juniperorum*, qui vehementiùs urunt & diutiùs ignem retinere dicuntur.

5. *Quòd cum Meſech habitari cogor*] Senſus eſt, Interim quò habito cum fraudulentis illis hominibus, perinde eſt ac ſi habitarem inter barbaros in regione Mæſech & Kedar, qui Iſmaëlitæ ſunt & efferi Arabes, in deſerto prædâ & rapinâ viventes.

VATABLUS.

1. G*Raduum* המעלות] *Maaloth*, i. e. *aſcenſionum*: q. d. Pſalmus decantatus poſt aſcenſum ſive reditum ab exilio illo Babylonico. Alii *graduum* interpretantur; dicuntque hunc Pſalmum & ſequentes XIIII à *gradibus* appellatos quòd variis tonis & diſtinctis decantati fuerunt à vetuſtiſſimis illis Hebræis. Alii relinquunt *Maaloth*; ſcribuntque hos Pſalmos decantatos fuiſſe ad numeros cantionis cujus initium erat *Maaloth*, ¶ *Clamavi* קראתי] Præterita Heb. quæ per præſens ſic quidam reddunt,

Ad

Ad Jehovam, cùm in ſumma tribulatione ſum, clamare ſoleo, & annuit mihi: vel, *exaudit me.* Quidam Hebræorum ſcribunt ה in dictione בצרתה augendi vim habere, acſi diceret *in multitudine anguſtiæ*, vel *multiplici afflictione.*

3. *Quid dabit*, &c. מה יתן] Hebraïſmus, pro, *Quem fructum capies ex ſermone fallaci?* q. d. Tu nocere potes; nihil tamen lucri ad te redit.

4. *Sagittæ*, &c. 'חצי גו] i. e. Velut ſagittæ emiſſæ à viro potenti validiſſimis lacertis: & ut carbones juniperorum vehementiſſimè perurentes, & diutiſſime.

5. *Meſech* משך] i. e. Inter Arabes, vel in Hetruria. q. d. Inter barbaros mihi agere videor, non inter Iſraëlitas. Alii vertunt, *Peregrino* in *exſilio*, ſive peregrinatione *protractionis*, aut *dilationis*, vel *durationis*: i. e. diuturnâ. *Meſech* enim *protrahere* ſignificat.

6. *Habitet* שכנה לה] *Peregrinetur ſibi*: redundat *ſibi.*

7. *Ego* vir *pacis*, &c. אני שלום וכי אדבר המה למלחמה] Ad verb. *Ego pax, & cùm loquebar, ipſi ad bellum.*

CASTALIO.

3. QUid tibi dabit, aut quid addet tibi lingua fraudulenta] Quid proderit?

4. *Sagittæ militares acutæ, carboneſque juniperini*] Quæ & pungit ut ſagitta, & urit ut carbo.

5. *Hei mihi qui tamdiu peregriner, habitans cum Cedarianis tabernaculis*] Inhumanis, quales ſunt Cedare Iſmaëlis filio prognati.

CLARIUS.

CUr Pſalmus iſte & aliquot ſequentes vocentur *Pſalmi graduum* vel *aſcenſionum*, certò ſciri nequit: quamvis quidam Hebræorum dicant eos à Levitis decantatos in quindecim gradibus quibus ab æde mulierum aſcendebatur ad ædem virorum.

3. *Quid detur tibi*] Quantum putas nocet tibi *lingua fraudulenta?* Profectò quantum ullæ *ſagittæ* quas jaculatur *fortiſſimus* quiſque vir arcu, eaſque *acutas*, quarum acies inter volandum tantum concipiet ardoris quantum habere ſolent *carbones juniperorum.* Poteſt & duplex eſſe comparatio. Ajunt autem carbones juniperorum urere vehementiùs, & ignem retinere diutiùs favillâ tectum. Interpres ſenſum contentus exprimere vertit *cum carbonibus deſolatoriis.*

5. *Quia incolatus meus*] Alius vertit, *Hei mihi, quòd cum Meſech peregrinari cogor*; h. e. Dum habito cum fraudulentis illis hominibus, perinde eſt ac ſi habitarem in regione *Meſech & Cedar*, qui Iſmaëlitæ ſunt & efferi Arabes, in deſerto prædâ & rapinâ viventes.

6. *Cum his qui oderunt pacem*] Ità diſtinguendum eſſet, *Multùm incola fuit anima mea cum iis qui oderunt pacem. Ego vir pacis ſum: & cùm loquor de pace, ipſi bellum adornant.*

LUCAS BRUG.

5. DOminus cuſtodit te] Sic cum DD. Auguſtino & Haymone, plerique codices. At Ruræmundenſis Epiſcopi Pſalterium, cum S. Hilario, futuro tempore *cuſtodiet* habet: atque hoc modo Chaldæa Paraphraſis יטר, & Græci plerique codices, conſentientibus Chryſoſtomo atque Euthymio Græcis Enarratoribus, φυλάξει legunt. Græcæ verò Regii operis & Nebienſis Pſalterii editiones, φυλάξοι, quod eſt *cuſtodiat*, ſcribunt. Ad ſimilem modum Pariſienſis anni 59. editio, φυλάξαι. Hebraïcè eſt יהוה שמרך, i. e. *Dominus cuſtodiens te*, vel, formaliter accepto Benoni, *Dominus cuſtos tuus*: id quod aptè convenit ei quod ſequitur, *Dominus umbra*, ſeu *protectio, tua.*

Verſu ſeptimo ejuſdem vocis eadem eſt varietas. Nam quod plerique codices præſenti tempore cum D. Haymone legunt, *Dominus cuſtodit te ab omni malo*, Hunnæi manuſcriptum P. notatum, & Pariſienſium Biblia anno 59. excuſa, futuro *cuſtodiet* ſcribunt. Eſt autem hoc loco, tam Hebraïcis libris quàm Chaldaïcis & Græcis pleriſque, futurum, adſtipulantibus non tantùm Hilario atque Euthymio, verum etiam Auguſtino: atque hoc bellè congruit ei quod præceſſit, *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.*

Sequitur verſ. 7. *Cuſtodiet animam tuam Dominus*: & ſubjungitur octavo, *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum.* (Haymonis hæc apertè lectio eſt.) Quibus locis iterum *cuſtodiendi* vox diverſimodè ſcribitur. Priori R^mi D. Lindani Pſalterium *cuſtodiet* habet; poſteriori apud Hilarium ſimiliter *cuſtodiet* legitur. Græcis pleriſque & Chaldaïcis in libris, Euthymio ſuffragante, ut præcedentibus locis, ità & his, futurum ſcribitur. Duobus his locis & Chryſoſtomi textus futurum legit, nec commentarius diſſentit. Eſt & Hebraïcis codicibus futurum, ישמר, ſed quod tam optantis quàm prædicentis ſenſu, tam *cuſtodiat* quàm *cuſtodiet*, reddi poſſit. Græcæ editiones Complutenſis & Nebienſis φυλάξοι habent, Pariſienſis φυλάξαι, non ſolùm primo, ſed & ſecundo & ſequentibus duobus locis; quibus conformiter Goticum manuſcriptum, univerſis his quatuor locis, *cuſtodiat* refert. Sed videtur, Latinis noſtræ editionis codicibus nec ſemper *cuſtodiet*, nec ſemper *cuſtodiat* ſcribendum: imò verò hinc ortam inter eos varietatem, quòd alio atque alio modo *cuſtodiendi* vocabulum Interpres verterit. Primo loco bene quadrat *cuſtodiet*, quarto ſcribendum videtur *cuſtodiat.* Quod prædixerat, precatur & optat, nè non velle ad quod à Spiritu actus fuerit putaretur. Hunc legendi his locis modum Franciſci Titelmanni elucidatio ſecuta videtur.

DRUSIUS.

1. שִׁיר הַמַּעֲלוֹת. A. & Sym. *εἰς τὰς ἀναβάσεις in aſcenſus.* Th. *ᾆσμα τῶν ἀναβάσεων, Carmen aſcenſuum.*

2. מִשְּׂפַת-שֶׁקֶר. Alius, *ἀπὸ χείλους ψευδοῦς, à labio mendacii*] Hoc malè notatum in ed. ad ſequens membrum, *ἀπὸ γλώσσης δολίας*, Vide.

3. מַה-יִּתֵּן לְךָ וּמַה-יֹּסִיף לָךְ לָשׁוֹן רְמִיָּה. Alius, *Τί παρέξει σοι ἢ τί προσθήσει γλῶσσα δολία; Quid præbebit tibi aut quid addet lingua doloſa?*] Alius, *Τί δῴη σοι καὶ τί προσθείη σοι γλῶσσα κατεπιθέσεως; Quid dabit tibi aut quid addet tibi lingua inſidioſa?* quæ inſidiis aliquem invadit induiturque. Alioqui *ἐπίθεσις, impoſitio, invaſio, aggreſſio*: unde *κατεπίθεσις.* Quid vidit Interpres ille cùm ita redderet? An reſpexit ad Chaldaïcum verbum רמא *projicio, injicio*? Id Græci dicunt *ἐπιτίθεσθαι καὶ ἐπιβάλλειν*· expende ſodes; nam mihi nunc non vacat. Apud Interpretem Euthymii Philippum Saulum, *Alius Interpres reddit, Quid dabitur tibi, & quid apponetur?*

4. חִצֵּי גִבּוֹר שְׁנוּנִים עִם גַּחֲלֵי רְתָמִים. Alius, *βέλη τοῦ δυνάστου ἠκόνηται μετὰ ἀνθράκων ἐξοιβασμένων.* A. - - - *μετὰ ἀνθρακιαῖς ἀρκευθιναῖς, cum carbonibus juniperinis*] Alibi eſt. A. *cum carbonibus juniperorum, μετὰ ἄνθραξιν ἀρκεύθων.* Vide Fragmenta noſtra edita olim à Plantino. In Comment. Hier. ſuper hunc librum, *Pro* deſolatoriis carbonibus *in Ebræo ἀρκευθίνοις habet.*

5. אוֹיָה-לִי כִּי-גַרְתִּי מֶשֶׁךְ. Alius, *ὤμοι ὅτι παροικῶν παρείλκυσα.* Alius, *ὅτι προσηλύτευσα ἐν μακρυσμῷ, quia proſelytus fui longo tempore*] *προσηλύτευσα* interpretamentum Aquilæ, cui גר *προσηλυτεύω*, ut Pſal. 5. 4. לא יגור. A. *οὐ προσηλυτεύσει, non commorabitur ut advena.* *Ὤμοι ὅτι*, &c. conjicio Symmachi eſſe. Latinè dicas, *Hei mihi quoniam diu advena fui.*

7. וְכִי אֲדַבֵּר הֵמָּה לַמִּלְחָמָה. A. *ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς εἰς πόλεμον, quando loquebar ipſis ad bellum.* Sym. *ἐλάλουν αὐτοῖς πολεμικῶς, - - - loquebar ipſis hoſtiliter.* Th. *ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς ἐπολέμουσάν με, cùm loquebar ipſis bellabant in me*] *Αὐτοῖς* להם. Id in viam reduces ſi legas *αὐτοὶ, ipſi ad bellum*; &, *ipſi hoſtiliter*; & *ipſi bellabant mecum.* Nihil tamen muto: nam & alibi redditur המה *cum ipſis*, videlicet Pſal. 9. ſi bene memini.

AMAMA.

CAnticum graduum] Vide quæ collegimus in Dictatis noſtris ſuprà. Tales Pſalm. ſunt XV. ſe invicem excipientes.

Kimhi dicit Pſalmum compoſitum ſub perſona totius populi captivitatis.

בַּצָּרָתָה] ת״י לְרוֹב הָעָקָה. Unde Jun. *in maxima anguſtia.* Sic & Genev. Angli, Vulg. LXX. neglexêre. Vide Gr. noſtram Pa. 102. Kimchi addit יְשִׁיטָה. id eſt רב ישיטה

2. רְמִיָּה] *Doloſâ.* Alibi, *Dolus, fraus.* Jirm. *Qui facit opus Domini* בִּרְמִיָּה. Linguam calumniantis intelligit, quæ in Thargum vocatur לִשָּׁנָא תְּלִיתָאָה *lingua tertia*, Pſal. 140. בעל לשן *Non erit ſtabilis in terra.* Tharg. *vir loquens* לִשָּׁן תְּלִיתָי Sic Eccl. 28. 16. *γλῶσσα τρίτη multos commovit.* Cur autem ſic vocetur vide Gr. in Lingua & Pſal. 31. 21. *Lingua* per ſe pro *calumnia*, Jirm. 18. 8. Cicero ad Varr. Epiſt. 9. 3. 4. Juxta quoſdam Apoſtrophe ad Calumn. 3. *Quid tibi dabit? proderit? Nihil.* 4. *Tamen vehementer noces proximo tuo. Eſt enim ſicut ſagitta quæ*, &c. Ita verſu 3. repreh. illorum ſtultitiam quod nihil lucrentur. 4. repreh. eos ob Calumn. atrocitatem. Sic Jun. Piſc. Buc. Calv. Genev.

II. Ut ſit apoſtrophe ad Lectorem, & interrogatio amplificet

noxam & perniciem, quam infert lingua calumniatoris, *Quantum eſt illud malum quod infert lingua.* Jac. 3. 5.

III. Ut ſit apoſtr. ad calumn. hoc modo, *Quid faciet tibi Deus & quid addet tibi, duplici muro circumſepſit linguam tuam, uno ex carne, altero ex oſſe,* ἕρκος ὀδόντων. *Et tamen tu non cuſtodis linguam, ſed exerces eam ut ſagittam.*

3. Ut ſit amplific. pœnarum, *Quid Deus tibi dabit propter calum. ſtudium,* Sagittas, i. e. plagas & incendia animæ.

NB. Membra ſæpe trajiciuntur, ut Cant. 1. 5. *Nigra ſum ſed formoſa ut tentoria Cedar, ut pelles (cortinæ) Salomonis.* Illud, ut *tentoria Kedar* pertinet ad prius membrum, *Nigra*: Erant enim nigra, deformia utpote aëri & pluviis expoſita, *Pelles (cortinæ) Salom.* erant pulcræ; pertinet ergo ad formoſa.

4. *Quid tibi dabitur & apponetur, quod tibi remedium*] Q. d. nullum præter patientiam.

Hei mihi quod habitem גַּרְתִּי Jun. ſub. נחה *habitatione protractionis.* i. e. tamdiu, Alii, עם *cum Meſechitis.* Meſech filius Japhet. Kedar filus Iſmaël.

GROTIUS.

CAnticum graduum] Eadem inſcriptio Pſalmorum ſequentium ad 130 uſque, quòd cantari ſolerent à Levitis de gradibus Templi: de quibus vide Ezech. 40.

4. *Cum carbonibus deſolatoriis*] In Hebræo: *Cum prunis juniperorum*, quas eſſe ardentiſſimas ſcribit ad Fabiolam Hieronymus.

5. *Cum habitantibus Cedar*] Qui *Cedareni* Lampridio, *Cedrai* Plinio.

6. *Multùm incola fuit anima mea. cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cùm loquebar illis impugnabant me gratis*] Hebræa diſtinctio hunc ſenſum facit: *Multum ſibi habitavit* (id eſt, habitare viſa eſt) *anima mea cum his qui oderunt pacem. Ego* (vir) *pacis,* (ſupple *eram*) *& cùm loquebar* (pacifica,) *illi* (*loquebantur* ſcilicet) *ad bellum.*

PRICÆUS.

4. NOn dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël]
Non ſecura quies illum ſimiliſque ſopori
Detinet ———

Plutarchus in de placitis Philoſophorum 2. 7. Οὐ δεκτικὸς ὕπνου θεός, τὸ γὰρ ἀθάνατον τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἐγγὺς θανάτου πολὺ κεχώρισται.

IDEM.

1. LEvavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi] Suprà 75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus,* &c.

3. *Neque dormitet qui cuſtodit te*] *Oculi Domini ſuper juſtos,* 1 Petr. 3. 12.

4. *Non dormitabit, neque dormiet,* &c.] Locutione iſtâ uſus poſtea eſt & Eſaias 5. 27.

5. *Dominus protectio tua*] In Græco, σκέπη. Heſychius, Σκέπη, σκέπασμα. In Gloſſis, Σκέπη, *tegmen, protectio.*

PSALM. CXXI.

MUNSTERUS.

6. PEr diem ſol non uret te] h. e. Dominus depellet omnia mala, ſive ea incidant per diem ſive per noctem, ut inoffensè liceat egredi & ingredi ad quaſcunque actiones.

VATABLUS.

1. GRaduum לַמַּעֲלוֹת] Vide Pſal. 120. ¶ *Leve* אשא] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. ¶ *Ad montes* אל ההרים] *Super montes*, ſub. *conſtitutus.* Exprimit geſtum exſpectantis auxilium. q. d. *Super montes conſtitutus, circumſpicio n[illegible] alicunde,* &c.

3. *In commotionem* לַמּוֹט] *Ad lapſum: ut labatur pes tuus;* vel *nutet.* ¶ *Qui cuſtodit te* שׁוֹמְרֶךָ] Ad verb. *cuſtos tuus*; ut & ſeq. verſu, *cuſtos Iſraëlis.*

5. Stans *ſuper manum,* &c. עַל יד ימינך] Adſtans *tibi ad dextram manum.*

8. *Cuſtodiet,* &c. ישמר וגו׳] Hebraïſmus: faciet Dominus ut omnia tua negotia feliciter cedant.

CASTALIO.

3. NOn ſinet tuos labefieri pedes] Seipſum alloquitur.

CLARIUS.

1. UNde veniat] Circumferebam, inquit, oculos meos, veluti ſtans in monte, ſicunde viderem fortè ferri ſuppetias mihi. Hoc ergo dixit per Allegoriam, ſimilitudine mutuatâ ab illis qui exſpectantes auxilia, ex editioribus locis ſpeculantur unde illa demum adveniant.

2. *Auxilium meum*] Id quidem faciebam, verùm deprehendi nullum eſſe mihi ſperandum auxilium niſi à ſolo Domino, &c.

3. *Non det*] Iſte non ſinet vacillare pedes tuos, nec dormiet unquam.

4. *Non dormitabit*] Neque dormiet unquam, neque vel leviter obdormiſcet.

5. *Dominus cuſtodit te*] Bono, inquit, animo ſis, Dominus curat te & tua, erit inſtar umbraculi tibi ad dextram manum aſſiduè.

6. *Per diem ſol*] Hoc umbraculo fiet ut nihil te lædat, ſive id incidat per diem ſive per noctem.

8. *Introitum tuum*] Hebraïſmus eſt illi ſimilis ubi dicitur, *ingredietur & egredietur.* Significat ergò, & profectionem & reditum, & facta ejus omnia proſpera futura, curante Domino. ¶ *Ex hoc nunc*] Ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex nunc*, i. e. ab hora uſque in finem vitæ.

DRUSIUS.

3. אַל־יִתֵּן לַמּוֹט רַגְלֶךָ. A. μὴ δώῃς εἰς σφαλμὸν πόδας σου, *ne des in lapſum pedem tuum.* Sym. μὴ δώῃς περιτραπῆναι. Th. μὴ δώῃς εἰς σάλον, *ne dederis in commotionem*] Περιτραπῆναι, i. e. *labi*, quod σφάλλεσθαι dicunt, per hoc illud explicantes. Conſule ſis Budæum.

5. עַל־יַד יְמִינֶךָ. Alius, παρὰ τὴν χεῖρα τὴν δεξιάν σου.

8. בוֹאֶךָ. Alius, τὴν προσέλευσίν σου, *acceſſum tuum.*

AMAMA.

למעלות] Hic Pſal. ſolus cum ל. cæteri 14. cum ה. 2 Reg. 7. *Princeps* אֲשֶׁר לַמֶּלֶךְ נִשְׁעָן עַל יָדוֹ. Sic וה״ע שַׂר לַשָּׁלִשִׁים

Ch. שירא דאתאמר על מסוקין דתהום כיא Vide in Dictatis noſtris.

אשא] Ch. אֶזְקוֹף Hoc per Synecd. ſig. *crucifigere & ſuſpendere*, paſſim in Th. & Syr.

I. *Tollam oculos meos ad montes*] Met. à ſpeculatoribus qui auxilia expectantes huc illuc proſpiciunt, ſi forte veniant ſubſidia. Terra Iſr. erat montoſa.

II. *Tollam oculos ſuper montes conſtitutus*] Sic ſpeculatores in montibus ſpeculabantur. אל pro עַל *ſuper*, Ezech. 18. 6. אֶל הֶהָרִים אוֹכֵל. *ſuper montes comedens.* 1 Sam. 17. *Et percuſſit Philiſthæum* אֶל־מִצְחוֹ pro עַל. Sic אֶל pro עַל *propter*, Geneſ. 37. *Deſcendam lugens ad filium meum* אֶל i. e. propter filium. Sic אֶל בֵּית הַדָּמִים. 2 Sam. 21. 1. אל שאול

III. *Attollerem oculos meos ad montes iſtos? Unde veniret auxilium meum?* Ut ſit diſceptatio animi fluctuantis cum calamitatibus multis & neſcientis quo ſe vertat, q. d. fruſtra huc illuc circumſpectarem.

IV. Piſc. paululum diſcrepat, *Attollerem oculos meos ad montes iſtos? (ut) unde venturum ſit auxilium meum?*

3. *Auxilium.*] Oratio animi ex fluctuatione iſta & diſcept. emergentis, & ſuperantis illud certamen. Jun. *Auxilium meum ſit.* Piſc. *Imo auxilium meum venit.*

מֵעִם] Sic מֵאֵת *à cum.* את enim idem quod עם. Aliq. ponitur את ſimpl. pro מֵאֵת Gen. 4. *Acquiſivi virum* אֶת יְהוָה Jun. *à Domino*, Druſ. ſecutus Hieron. *cum Domino*, σὺν Θεῷ. Utramque probat Junius in Notis. Ridicule, *Virum Domini*, magis ridicule, *Virum Dominum.* Prius ridic. quia את non eſt nota Genit. caſus. Poſterius, quia tunc dictum fuiſſet אֶת איש את יְהוָה. Et tamen hinc nata opinio, Evam credidiſſe ſe promiſſum Meſſiam peperiſſe. Q. neſcierit Eva, hunc filium eſſe ſemen Mariti. At Meſſias promittebatur ſub nomine *Seminis Mulieris* tantum.

Ebræi hunc verſum ponunt abbreviatè ע״מי ע״ש ubi ſingulæ literæ ſingulas voces complectuntur.

Demoſth. δότε καὶ συγχωρήσατέ μοι περὶ τούτων διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς.

3. Explicatio divini auxilii per Apoſtrophen. *Ne permittat.* Piſc. *Is ne permittat.* Ad verb. *ne det. Dare* pro *permittere*, Pſ. 16.

Non

Non dabit ſanctum tuum videre corrupt. Num. 21. *Non dedit Rex Sijon tranſire Iſraëlem*, &c. Vel *dare* poſitum pro *pono. Pono* pro *expono. Ne exponat.* nutationi.

4. *Ecce non* נוּם׃ *νυςάξει* & *non* יִשָׁן׃ *ὑπνώσει*] *Dormitare* minus eſt quam *dormire*. Differunt enim gradibus נוּמָה *dormitatio*, שֵׁנָה *ſomnus*, *dormitio*, & תַּרְדֵּמָה *ſopor*, cum quis ſtertit, de Jona.

Si non dormitat, ergo non dormit. Quorſum ergo id repetit? Qui enim negat minus de aliquo, negat etiam majus. Reſp. Kimchi לא accipi pro *nedum*. Hoc Maim. dicit לא צריך לומר *Ick ſwijge dat hy ſoude ſlapen.* Vel, *quanto magis non dormit*, Vel, *quanto minus dormit*, ut ſit poſitum pro אַף כִּי. At אף כי valet *quanto minus*; quanto præcedit ſententia Negat. ut hoc loco. At *quanto minus*, &, *quanto magis non*, in Vulgari ſermone confunduntur. Cum Sent. Affirm. Q. magis Prov. 15. 11.

Ribera. Nah. 3. annotat נום ſæpe confundi cum ישן maxime quando junguntur Pſal. 76. נמו *dormitaverunt ſomnum ſuum* Nah. 3. נמו *Paſtores tui Rex Aſſur.* Prov. 6. *Paululum ſomni*, *paululum dormitationis.* Pſalm. 131. Similis locus huic, ſed in ſent. affirm. eſt Matth. 25. 5. *χρονίζοντος δὲ τῦ νυμφίυ ἐνύςαξαν πᾶσαι καὶ ἐκάθευδον.*

NB. Tamen, hanc geminationem eſſe auxeticam, q. d. *Eſto ſecurus, omnino non dormiet.*

5. עַל־יַד יְמִינֶךָ] Obſ. primo conſtr. יד in Regimine, *Manum dextra tuæ.* Similis loc. Deut. 11. 24. נְהַר פְּרָת *fluvius Euphratis.* Sic *Urbs Romæ*, *Urbemque Patavii*, *fontemque Timavii.*

II. Ut *ſedere ad dextram* eſt *honoris.* Sic *ſtare ad dextram* eſt *auxilii.* Pſ. 17. *Dominus à dextra mea eſt.* De dextra an honoratior locus Lipſ. Elect. 2. 2. contra Becanum. De Ebr. non eſt dubium. De Turcis certum, eſſe ſiniſtram honoratiorem ob gladium. De Perſis dubium, ob Cyrum. De Romanis certum, idem fuiſſe cum Ebr. At quia in auguriis aliter fuit, inde quædam argumenta Becani. NB. Romanis ſiniſtra fuit auſpicalis, dextrà, adverſa. Cic. Divin. 1.

Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis.

Pl. Epid.

Habete animum bonum, liquido exeo foras
Auſpicio avi ſiniſtra.

Hinc ſiniſtrum dictum Feſto, quod ſinat fieri.
Græcis contra. Homerus.

Proſpera Jupiter his dextris fulgoribus Edit.

Ex qua conſuetudine Euclio, *Non temere eſt quod corvus nunc cantat mihi à læva manu.* Sed alii excipiunt corvum ajuntque etiam apud Rom. dextrum fuiſſe auſpicalem. Ut ut ſit Græcis ita fuit, unde *ἀριςέρα* iis dicta ſiniſtra non quod honoratior, ſed *κατ᾽ εὐφημισμόν.*

Percutiet te] Uret, lædet. Sic Jon. 4. 1. *Sol percuſſit ſuper caput ejus.*

Luna] Non uret. Nam & luna urere dicitur, ut, pruina, Nives. Per noct. frigus & æſtum diurnum intelligit omnis generis calamitates. Gen. 31. 40. *Interdiu abſumebat me æſtus*, & *noctu gelu.*

Ch. *Diu, quando dominatur Sol, non lædent te* צפריי i. e. ſpectra matutina, neque ליליי cum dominatur Luna, noctu. Vide quæ notavimus ad octonarium Caph. Pſ. 119.

Exitum & *introitum*] i. e. Totam vitam tuam, quæ his duobus quaſi continetur. Nimis reſtringit R. D. *ad exitum ex Captiv.* & *introitum in T. S.* Chald. *Introitum, ad ſtudia Legis, Exitum ad negotiationes mundi.* Euth. *Introitum, in hanc vitam: Exitum, ex ea.* Alii, *Exitum ex hac vita: Introitum in cæleſtem.* Alii *ad Profectiones* & *reditus in Patriam.* 2 Paral. 1. Num. 27. 17. Deut. 28. 6. Act. 1. 21. *Oportet unum ex iis, qui verſati ſunt nobiſcum eo tempore, quo exiit* & *introiit ad nos Dominus, aſſumere.*

Egredi & *ingredi* eſt *converſari.* Sic *exitus* & *introïtus omnia hominis negotia, converſatio.* 2. Sam. 3. *Venit ut ſciret exitum* & *introitum tuum*; quod poſtea, *ut ſciat omnia quæ tu facis.* Act. 1. 21. Act. 9. *Erat exiens* & *intrans cum illis in Jeruſ.*

At *egredi* & *ingredi ante aliquem, ante populum*, eſt *Ducis* & *Gubernatoris officio fungi.* 1 Samuel. 18. *Egredi* & *ingredi ante populum* de David. Num. 27. *Præficiat D. virum qui egrediatur ante eos* & *ingrediatur ante eos, qui educat eos* & *introducat eos, ne ſit congr. D. veluti grex cui nullus eſt paſtor.* Deuteron. 31. *Non Poſſum amplius* לצאת ולבוא 120. 2 Chr. 1. *Salomon orat, Da mihi ſapientiam ut egrediar ante populum tuum* & *ingrediar.* 1 Reg. 3. *Ego vero puer parvus ſum* & *non poſſum egredi* & *ingredi.* Hic locus & Deut. 31. eſt Ellipticus.

GROTIUS.

Levavi oculos meos in montes] Verſus Sionem. Videtur ſcriptus Pſalmus de tempore quo bellum erat cum Abſolomo.

5. *Dominus protectio tua*] Σκέπη σȣ. In Hebræo, *umbra tua.*

6. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*] In Hebræo eſt, *percutiet te.* Sol urit, Luna ſupra modum humectat: qua de re vide Macrobium Saturnalium 7. circa finem.

8. *Dominus cuſtodit introitum tuum* & *exitum tuum*] Actiones tuas domi foriſque proſperat. Sic Num. 27. 17. 1 Reg. 3. 7. 2 Paralip. 1. 10.

PRICÆUS.

7. Et *abundantia in turribus tuis*] LXX. *ἐν πυργοβάρεσι*, quam vocem *προμαχῶνας*, Heſychius exponit.

8. *Loquebar pacem*] Ut & ſuprà 84. 9. Ità 51. 5. *æquitatem loqui*: Eſai. 59. 13. *loqui calumniam*: & 32. 7. *judicium loqui.*

PSALM. CXXII.

MUNSTERUS.

3. Quæ *conjuncta eſt ſibi ipſi*] h. e. Eſt ædificata ut par eſt ædificari civitatem, conſociatâ ſibi & optimè inſtitutâ civium unitate. Hic eſt locus quem ſibi Dominus delegit, ad quem omnes *tribus* & *teſtimonium Iſraël* ter in anno venire jubentur *ad laudandum Deum. Ibi erat ſedes Regni* & *ſolium* juſti *judicii.* Hortatur igitur ut quærant *pacem* & felicitatem ejus, quòd totius populi & Regni pax ab ejus pendeat pace. Dicit & habitatores ejus eſſe *fratres* & *amicos* totius populi. Hæc autem Jeruſalem umbra fuit Eccleſiæ Chriſti, ad quam cùm multi conveniunt, lætantur ſancti. Hujus fundamentum eſt Chriſtus, & ſancti lapides vivi ſuperædificati, &c.

VATABLUS.

1. Cum *dicentibus mihi* באומרים לי] *Propter dicentes mihi* q. d. Lætor inter eos qui dicere mihi ſolent, & hortari ut ab ædibus meis regiis, ad Tabernaculum fœderis me conferam, precationis & gratiarum actionis causâ.

2. *Stantes fuerunt* עומדות היו] Præt. Heb. Quidam vertunt, *Stantes ſint*: q. d. Conferamus nos ad Eccleſiam ſanctam, & illic permaneamus, vel perſiſtemus. Alii præteritum vertunt in futurum, *Stantes erunt*; acſi dicat, *Lætor, inquam, inter eos qui dicunt, Stabunt pedes*: per futurum enim omnia verti poſſunt, ut referantur ad Jeruſalem typum Eccleſiæ.

3. *Quæ ædificatur*, &c. הבנויה כעיר שחוברה לה יחדו] *Quæ ædificata eſt*, & *velut civitas quæ adunata ſibi eſt ſimul.* Mutatio perſonæ: acſi dicat, *ſtabimus, inquam, in portis tuis, ô Jeruſalem, cujus ædificatio eſt abſolutiſſima*, & *quæ es velut urbs cujus cives unanimiter vivunt.* Referri poteſt ad ædificia: q. d. Cujus ædificia pulcro ordine ſunt conjuncta.

4. Quod eſt *teſtimonium Iſraëli* עדות לישראל] Hebraïcè tantùm legitur, *Teſtimonium Iſraëli*, ſub. *quod ſint populus Dei.* Vel ſequentibus jungitur. *Teſtimonium Iſraëli ut celebrent nomen Jehovæ*: i. e. quod teſtatur Iſraëlem debere laudare Jehovam. Alii, Quia *præceptum eſt Iſraëli ut celebret nomen Jehovæ.* Alii ſubaudiunt præpoſitionem, hoc pacto, *Ex teſtimonio Iſraëlis, ad celebrandum*, &c.

5. *Collocatæ ſunt* ישבו] Ad verb. *ſederunt*; vel *ſedent*: i. e. ubi ſolia regalia Davidis conſtituta ſunt, in quibus omnia ex ſumma æquitate inſtituuntur & judicantur.

6. *Poſtulate pacem* שאלו שלום] *Rogate pro pace. Optate pacem.* ¶ *Proſperè agant*, &c. ישליו אהביך] Mutatio perſonæ. *Feliciter agant.* Alii, *Bene ſit iis qui*, &c.

7. *In antemurali tuo* בחילך] Vox Hebræa ſignificat *foveam quâ cinguntur urbes.* Quidam Hebræorum exponunt *in exercitu tuo.* Alii, *in populo tuo.* Alii, *munitione tuâ.*

8. *Loquar*, &c. אדברה נא שלום בך] Hebraïſmus, pro, *optabo tibi omnia proſpera.*

CASTALIO.

3. Hieroſolyma *exſtructa ut urbs ſibi ſimul conjuncta*] Concors, & ideo duratura.

4. *Quò quidem tribus aſcendunt, tribus Jovæ, ex edito Iſraëlitis oraculo*] Ut Iſraëlitis oraculo præceptum eſt.

CLARIUS.

SUb typo Jeruſalem Eccleſiæ Chriſti felicitatem deſcribit, & vota ſanctorum optantium ſemper illam provehi.

1. *Lætatus ſum*] *Gaudebam ex animo cùm dicerent mihi, In domum Domini ibimus.*

2. *Stantes erant*] In tribus enim illis ſolennitatibus omnes virilis ſexûs à viginti annis conveniebant ad locum Tabernaculi fœderis.

3. *Cujus participatio ejus in idipſum*] Vel, ut alius vertit, *quæ conjuncta eſt ſibi pariter*: ſive, *cujus cives in unum coeunt.* Jeruſalem, inquit, ædificata eſt ut par eſt ædificari civitatem conſociatam ſibi, & optimè inſtitutam civium unitate.

4. *Teſtimonium Iſraël*] Lex & decretum ſtatutum Iſraëli. Sic enim vocatur lex, quia de voluntate Dei nobis afferat teſtimonium.

5. *Quia illic ſederunt*] Quo tempore illic collocabantur ſedes ad exercenda judicia: & ſolium familiæ David.

6. *Rogate quæ ad pacem ſunt*] Hortatur ut quærant pacem & felicitatem ejus, quòd totius populi & Regni pax ab ejus pendeat pace: idcirco addit, *abundantia diligentibus te*, h. e. feliciter evenient omnia illis qui bene volunt & amant te.

7. *In virtute tua*] Alius vertit, *in antemurali tuo*, h. e. Sit pax, & nemo infeſtet valla tua; proſpera ſint omnia in palatiis tuis. Interpres per *virtutem* intelligere voluit robur militum: quod non diſcrepat à ſenſu.

8. *Loquebar pacem de te*] Vel *loquar*. Precabor, inquit, tibi ſalutem, & optabo ut omnia proſperè eveniant tibi.

DRUSIUS.

1. שָׂמַחְתִּי בְּאֹמְרִים לִי בֵּית יְהוָה נֵלֵךְ. Alius, εὐφράνθην εἰπόντων μοι, Εἰς τὸν οἶκον Κυρίȣ ἤλθομεν, *Lætatus ſum cùm dicerent mihi, In domum Domini veniemus.*

3. יְרוּשָׁלַםִ הַבְּנוּיָה כְּעִיר שֶׁחֻבְּרָה־לָּהּ יַחְדָּו. Sym. Ἱερουσαλὴμ τὴν ᾠκοδομημένην ὡς πόλιν σμνάφειαν ἔχȣσαν ὁμȣ̃, *Jeruſalem ædificatam civitatis in morem cujus connexio ſimul eſt*] Apud interp. Theodoreti, *Jeroſolyma quæ ædificatur ut civitas quæ propinquitatem habet.* Euthymii, *vel juxta alium Interpretem, Hoc eſt, cujus participationes atque habitationes ob Inhabitantium multitudinem contiguæ atque in unum connexæ ſunt.*

4. שְׁבָטִים. Alius, σκῆπτρα.

6. שַׁאֲלוּ שְׁלוֹם יְרוּשָׁלָםִ. Sym. *Amplectimini Jeroſolymam.* Alius, ἀσπάσασθε τὴν Ἱερȣσαλὴμ, *ſalutate Jeroſolymam*] Theodoretus, Chryſoſtomus & Euthymius. ¶] יִשְׁלָיוּ אֹהֲבָיִךְ. Alius, εὐπαθήσαισαν ἀγαπῶντές σε. Alius, ἠρεμήσȣσι. —] In Theodoreteis, *Symmachus ſic dixit, Otiabuntur qui diligunt te.*

7. יְהִי־שָׁלוֹם. Sym. *Sit pax*] Priùs erat, Γενέσθω δὴ εἰρήνη. Euthymius, *Alius autem Interpres in futuro dixit, Fiet.* ¶] בְּחֵילֵךְ. Sym. *in mœnibus.* Alius, ἐν τῷ προτειχίσματί σȣ, *in antemurali tuo.* Alius, ἐν τῷ περιβόλῳ σȣ, *in ambitu tuo*] *In mœnibus*; alibi, *in muris tuis.* Prius legitur in Theodoreteis. ¶] שַׁלְוָה בְּאַרְמְנוֹתָיִךְ. Alius, ἡσυχία ἐν τοῖς βασιλείοις σȣ. Alius, εὐπάθεια. Alius, ἠρεμία] Interpres Theodoreti, *Symmachus autem ſic vertit*, Robur in regiis domibus. Euthymii, *Alius etiam Interpres* in regiis tuis *dixit*, *& alius* in ſeptis tuis.

8. אֲדַבְּרָה־נָּא שָׁלוֹם בָּךְ. Alius, λαλήσω εἰρήνην ἐν σοὶ, *loquar pacem in te.*

AMAMA.

PUtant hunc Pſal. à Davide ſcriptum ſub perſonâ populi deportati. Verſ. 1. & 2. Profitetur ſuam lætitiam quâ afficiatur ex cultu Dei Hieroſolymis celebrari ſolito. Dein laudat Urbem 1. à pulchr. verſ. 3. à cultus divini celebrat. verſ. 4. A judiciis ibi exerceri ſolitis. verſ. 5. Deinde hortatur ut civitati voveant proſpera. verſ. 6. 7. Ultimo ſuam operam promittit in procreanda ejus proſperitate.

Lætor בְּאֹמְרִים] Jun. *De eo quod dicitur mihi.* Plane ut Vulg. *in his quæ dicta ſunt mihi.* Pag. *Cum dicentibus mihi*, Jun. in marg. *de dicentibus mihi.* Græci εὐφράνθην ἐπὶ τοῖς εἰρηκόσι μοι. Vatab. *propter dicentes mihi.*

בית pro בְּבֵית vel אל בית. Intell. aut *ſacrum tabernaculum*, ubi tunc erat *arca fœderis.* 1 Chr. 16. 1.

2. *Stantes.*] Subint. *Lætor quod*, ſtent, vel ſtare poſſint.

Intra portas tuas] i. e. Intra te. Portæ pro ipſis civitatibus. Sic in Decal. præc. 4.

יְרוּשָׁלִַם] Ridiculi ſunt qui diphthongum fingunt in *Laim.* Ebræi omnino non habent Diphthongos. Habent tamen quaſi diphthongos, הַיָּשָׁר הַמְּצָא · גֵּו גּוֹי פְּנֵי. At poſt hos nunquam ponitur conſonans. Quin & hoc inauditum ut ſub unâ conſonâ ponantur duo puncta & vocales. Quid ergo? לִַם eſt dyſſyllabum, eſtque eliſio literæ Jod, quod ad oculum apparet, ſi inſpiciuntur ea loca ubi plenè ſcribitur. Illud certæ veritatis eſt, loca defectiva ex plenis judicanda, non contra. Sic ſcimus in דָּוִד ſub ו eſſe hiric longum, quia alibi plenè ſcribitur דָּוִיד. Sic alibi, vid. quinquies ſcribitur יְרוּשָׁלַיִם. Unde Maſſ. magna *Jeruſalajim*] ה ſunt plena & recenſentur Jirm. 26. verſ. 18. Et 2. Chr. 25. 1. Atque hæc ſunt duo ex illis V. ubi ſcribitur plena. Cætera tria hæc ſunt, 1 Chr. 3. 5. 1 Chr. 26. 5. Eſth. 2. 6.

Cabaliſtæ in hac ſcriptura deſertâ quærunt Myſterium, ut & in forma, quæ dualis eſt. Communis ſententia eſt eſſe duale, ideo quod Civitas diſtributa fuerit in duas partes & quaſi Civitates. Una pars fuit in monte Moria, ubi Templum & Arx Davidis. Hic habitabant Sacerdotes & Levitæ. 2 Mach. 4. Ἀκρόπολις & ἡ ἄνω πόλις. Ἀλωσ. 6. 6. Civitas David. 1. Mach. 1. Et ἄκρα. Joſ. Cap. 1. 1. Ἄκρα, quod in modum arcis munita erat חַקְרָא Chald. *arx.* Interpr. τȣ̃ מְצוּדָה. Inferior, ἡ κάτω πόλις ad pedem montis ſita, ubi habitabat plebs, quæ ad ſacra palatia aſcendebat. Hæc fuit Umbra duplicis ſtatus Eccleſiæ. Militantis, quæ in hac terreſtri Jeruſalem, & Triumphantis, quæ in cœleſti, ad quam aſcendendum nobis eſt.

Sed ut ad Cabaliſtas redeam, Illi per hanc formam dualem innui voluerunt duplicem illam Jeruſ. Cœleſtem, ἐπȣράνιον, & Terreſtrem. Atque homini amplius, deletione literæ Jod ex hac voce deletionem terreſtris Jeruſ. fuiſſe prænunciatam. Certe in Apoc. & ſcriptis Proph. paſſim, *Sion* & *Jeruſalem* pro *Cœlo.*

3. *Jeruſalem* הַבְּנוּיָה] *Optime conſtructa*, Jun. dicitque ad verbum eſſe, *conſtructiſſima.* Quod ego non video.

כְּעִיר] *Ut civitas.* Jun. *Plane civitas. Vere.* Ut ſit כ' אֱמֶת ἀληθινὸν. Alias ordinariè eſt כ' ςοχαςικὸν ſeu ἀπορητικὸν, כַּף הַדִּמְיוֹן Caph. ſimilitud. Caph. veritatis, Joh. 1. *Vidimus gloriam ejus* ὡς μονογένȣς ἀπὸ πατρὸς. Hoſ. 5. *Sudor Chriſti erat ſicut guttæ ſang. Erat Chriſtus docens* ὡς ἐξȣσίαν ἔχων. In his omnibus ὡς pro ὄντως vel ἀληθῶς poſitum.

Coagmentata pariter] Non ut ante hac ſtructura oppidorum, diverſitate Relig. ſejuncta & diviſa, ſed omnibus modis juncta, religione & concordia animorum in unam quaſi reducta.

Obſerv. pleonaſmum. In voce חבר enim eſt ſignif. τȣ *pariter.* Similis in הִשְׁכִּים & נסג retroceſſit; quorum hoc fere ſemper cum אחור retro, illud cum בֹּקֶר jungitur. Sic Pſalm. 49. Job. 30. 12. Rom. 9. 29. in voce aſſimilandi. Sic apud Plautum, Exempla vide in Cenſ. noſtra. *Aſſimilare ſimiliter adverſari contra; reverti rurſus, ſuppilare clam.*

Tribus] XII. Bifariam eas numerari docuimus in Cenſura ad Num. 17.

4. *Teſtimonium Iſraël*] i. e. Ad teſtimonium, i. e. Arcam quæ vocatur Teſtimonium quod ibi aſſervatentur Tabulæ Legis, quæ vocantur *Teſtimonium.*

5. *Ibi ſedent throni*] i. e. Sitæ ſunt, poſitæ. Sic Nah. 3. 8. de Alexandria, *quæ ſedet in fluminibus.* Vel *ibi ſedent (in) thronis.* Joſ. 2. 15. *Domus ſedebat in muro.*

Throni] Juridica omnis adminiſtratio, juridicina Eccleſ. & Politica. Erat enim ibi ſupremum illud Conſilium LXXII. Seniorum, Synedrium Majus.

7. בְּחֵילֵךְ] *In antemurali tuo.* Sic Nah. 3. 8. de Alex. חֵילָה הַיָּם. R. D. *Foſſa quæ circa murum vocatur* חיל

אַרְמְנוֹת] *In Palatiis.* Alii *Caſtellis*, R. D. בָּתֵּי הַמִּשְׂגָּב *domus arcium*, vel *edito loco poſitæ.* LXX. πύργοις, Vulg. *Turribus.* Symm. πυργοβάρεσι, *Turribus mœnibus cinctis.* Euthym. vel *turribus munitis*, *propugnaculis.* Sic Suidas.

GROTIUS.

5. QUia illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David] *Ibi eſt* magnum Synedrium, jus dicens toti regno, quæ eſt velut domus Regis.

6. *Quæ ad pacem ſunt*] Id eſt, ſalutaria.

7. *Fiat pax in virtute tua*] In Hebræo, *in antemurali tuo*: quod Græci quidam ἐν προτειχίσματι σȣ verterunt.

Abundantia in turribus tuis] Ἐν πυργοβάρεσί σȣ [*in domibus turritis*,] quomodo vocari domos turrium inſtar ſtructas, ait Hieronymus. Hebræi quoque ארמנות exponunt *palatia.*

PRICÆUS.

2. SIcut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, &c.] Cicero Tuſcul. 5. *Ad menſam eximiâ formâ pueros juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare.*

Idem

Idem hoc Pſalmi loco valet, *in manibus*: i.e. prompti, paratique. In Additamentis Eſtheris 14. 4. *Periculum meum in manibus meis eſt*: i. e. obvium paratumque.

3. *Repleti ſumus deſpectione*] Opponitur ſuprà 89. 14. *Repleti ſumus miſericordiâ tuâ.*

4. *Multùm repleta eſt anima noſtra,* (*deſpectione*)] In Græco, ἐπὶ πλεῖον, &c. quod hic clariùs *multùm* vertit; alibi *ampliùs*, obſcuriùs paulo. Vide ad Pſal. 50. 4. annotata.

Ibid. *Opprobrium abundantibus*] De cujuſmodi Pſal. 143. 12, 13, 14. diſtinctiùs vide.

PSALM. CXXIII.

MUNSTERUS.

2. *Sicut oculi ſervorum*] Servi, inquit, qui toti juris ſunt dominorum ſuorum, refugium aliud non habent, nec aliò reſpiciunt quando injuriis laceſſuntur, quàm ad dominos ſuos, qui eos vindicent: ità nos opprobria noſtra atque calumnias tibi Domino Deo noſtro querimur, ut tu nos pro tui nominis gloria vindices & liberes ab his qui in hoc mundo regnare & felices eſſe quærunt.

VATABLUS.

1. *Levo* נשאתי] Præt. Heb. pro præſ. *levo*, *elevo*, *attollo.*

2. *Ad manum* אל יד] i. e. Ad opem: q. d. ut ſervi exſpectant opem ab heris ſuis.

3. *Deſpectione* בז] *Contemptu*; *ignominiâ.*

4. *Multum ſaturata eſt* רבת שבעה לה] *Plurimùm* [vel, *Admodum*] *ſatiata eſt ſibi.* Redundat iſtud *ſibi*, ut & Pſal. 120. 6. Alii, *Multo jam tempore ſatiata eſt.* Alii, *Magnâ* ſaturitate *ſatiata eſt.* ¶ *Deſpectione* הבוז] *Contemptu*; ut præcedenti verſu, contemptu eorum qui ſuperbè dicunt nos eſſe à te derelictos.

CLARIUS.

2. *Sicut oculi ſervorum*] Servi inquit, qui toti juris ſunt dominorum ſuorum, refugium aliud non habent, nec aliò ſpectant cùm injuriis laceſſuntur quàm ad dominos ſuos, qui eos tueantur: ità nos opprobria noſtra atque calumnias apud te Dominum Deum noſtrum querimur, ut tu nos pro tui nominis gloria ulciſcaris & liberes ab iis qui in hoc mundo regnare & felices eſſe quærunt, quos appellat *abundantes* & *ſuperbos.*

DRUSIUS.

4. רַבַּת שָׂבְעָה־לָּהּ נַפְשֵׁנוּ הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים הַבּוּז לִגְאֵיוֹנִים. Sym. Πολλῶν ἐχορτάσθη ἡ ψυχὴ ἡμῶν, ἐπιλαλέντων τῶν εὐθηνέντων καὶ ἐξευτελιζόντων τῶν ὑπερηφάνων. A. πολλὰ ἐνεπλήσθη.--- Alius, τῦ μυχθισμῦ τῶν ὑπερφερῶν] Interpres Theodoreti, *Symmachus hoc pacto interpretatus eſt*, *Anima noſtra ſatiata eſt*, *obloquentibus his qui abundant*, *deſpicientibus ſuperbis.*

AMAMA.

1. *Ad te*] *Non expectans aliunde auxilium.* Kimchi.

הַיּשְׁבִי] ה pro articulo *qui*, *quæ*, *quod*, quando præfigitur participiis Jod eſt paragog. יוד נוֹסֶפֶת vocant Ebræi. Dupliciter vertunt, *qui habitas.* Sic apud Poëtas, *Incola cæli*, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει· ὃς ναίει ὑψερεφὲς δῶ· χαλκοβατὲς δῶ. Dixerunt enim Veteres δῶ pro δῶμα, & Latini *Endo do* pro, *in domum. Endo* pro *in*, unde, *Endogredior*, *Endoverſus*, &c.

2. *Qui ſedes.* Vid. ut Judex, ut Gubernator. Unde *Sedens in portis* Periphraſis eſt Judicis. 2 Chr. 20. 6. hæc Epith. explicatur, *Nonne tu Deus es in cælis & tu dominaris in omnia regna gentium*, *ita ut in manu tua ſit vis & potentia?* Sic principio orat. Dom. *Pater noſter qui es in Cælis*, reſpondet, hæc δοξολογία, clauſula, *Tuum eſt Regnum & Potentia.* Hinc *ſedere in ſolio* dicuntur Reges. Pſ. 9. *Sediſti in Solio Rex juſte.* Joel. 3. *Ibi ſedebo ut judicem omnes gentes.* Leges negant ratam eſſe ſententiam quæ profertur à Judice non ſedente. Pſ. 29. *Dominus in diluvio ſedit.* Pſ. 55. Vocatur Deus *ſedens ab initio*, qui ab initio mundi Judicem egit.

2. *Sicut oculi ſervorum intenti ad manum.*] Variè explicant.

I. Joſephus Kimchius, qui fuit Pater Davidis K. putat *Jad* eſſe pleonaſticum, ut אל יד אדניהם nihil aliud ſit quam, אֶל אֲדֹנֵי ut cum dicimus בְּיַד משה *per manum Moſis*, i. e. per Moſem. Sed non eſt ſimile. Ibi enim *Jad* ſign. *Miniſterium*, *inſtrumentum*, *per Miniſterium Moſis*, vel *per Moſen* ceu *inſtrumentum.* Appoſitè magis Gen. 44. *Vir in cujus manu inventus fuerit ſcyphus.*

II. D. Kimchii, ut *manus* ſumatur in malam partem. Sicut ſervi vapulantes, manum Domini ſpectant & expectant mœſti ipſo miſerabili & demiſſo aſpectu quaſi miſerationem moventes, dum non præſtò ſunt alii ad quos confugere queant, hic nos à te percuſſi & in captivitatem traditi, non habemus quò confugiamus, illud tantum reſtat, ut ad manum tuam percutientem, reſpiciamus, ſi forte commiſeratio noſtri te moveat. Nota יָד pro *plaga.* Unde *Aggravare manum*, & *alleviare*, 1 Sam. 6. Pſ. 38. *Deſcendit ſuper me manus tua.* Job. 13. *Remove à me manum tuam.* Act. 13. *Ecce manus Domini ſuper te.* Job. 23. *Manus mea gravior eſt meo gemitu.*

III. Eorum qui ſumunt in bonam partem. 1. *Cibationem.* Cum non habeant aliunde victum, & cibum, reſpiciunt ad manum & liberal. Dominorum, *Tu aperis manum tuam*, *Manus aperta*, *Manus clauſa* vel *contracta.* 2. *Tutelam*, *Patrocinium.* *Juſtorum animæ in manu Dei*, *In manus tuas commendo ſpiritum tuum.* 3. *Auxilium.* Servi ſunt inermes, inopes, perſonæ miſerabiles & indefenſes. Ergo protegi non poſſunt niſi herili manu. 2 Sam. 3. *Manus mea erit tecum ut reducam Iſraëlem ad te.* 1 Sam. 22. *Quia etiam* יָדָם *cum Davide.* 2 Reg. 15. *Dedit Regi Phul M. Talenta arg. ut eſſent manus ejus ſecum.*

Donec miſereatur.] Etiam dum nondum miſeretur. Non excludit tempus futurum poſt terminum, ſed affirmat vel negat de eo tempore, de quo dubitari poſſet. Sic Pſ. 110. *Ero vobiſcum uſque ad conſumm.* Jeſ. 22. *Donec moriamini.* Ergo עַד in talibus poſitum pro ועד, etiam donec, etiam tum dum videmur à te derelicti, &c. Vide ad Pſ. 110.

חָנֵּנוּ] Κύριε ἐλέησον. Hæc formula in Eccleſia veteri fuit retenta, unde Monachos imperitos *Kurieleys. Kurgaleiſon*, &c. Extant ejus veſtigia apud Virg.

Faune precor, *miſerere.*

Arrianus in Epict. 2. 7. *Nunc autem timentes augurium*, *munimur*, καὶ Θεὸν ἐπικαλέμενοι δεόμεθα αὐτῦ, Κύριε ἐλέησον.

הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים] *Multum ſaturata eſt anima noſtra.* הַלַּעַג *ſanna*, repete, לַעַג *ſannâ*, *inquam*, *tranquillorum.* Sic Hieron. Alias nomen constructum non ſolet eſſe cum articulo. Vel, *Sanna hæc ſit tranquillorum* vel *tranquillis* ut ſit ה pro ל. Devolvatur hæc ſanna in ipſorum caput. Per *tranquillos*, vel, *Multum ſ. eſt anima noſtra: ſubſannatio tranquillorum* ſc. fuimus *& contemptus ſuperborum.* Atque hic itidem repetendum eſt לַעַג & בוז. Mediam Interpret. ſequitur Junius, Vulg. & Lxx. ſunt differentes ad utramque ſent. *Opprobrium abundantibus*, *& deſpectio ſuperbis.* Sub. *ſit.* Vel *fuimus.*

לִגְאֵיוֹנִים] Ecce ל. ubi ante שאננים erat ה. Unde labor ad 2. Opin. Compoſitum & גָּאֶה &. יון. He mutata in Jod.

Tranquillos vocat, non *tranquillitate Conſcientiæ*, ſed *Carnali*, licet in improbis ſæpe tranquilla ſit ad Tempus. Tranquillitas & proſperitas multis ſunt proxenetæ ſuperbiæ.

GROTIUS.

4. *Quia multum repleta eſt anima noſtra in opprobrium abundantibus*, *& deſpectu ſuperborum*] Meliùs ex Hebræo ſic: *Tædio enim affecta eſt anima noſtra*, *opprobrio abundantium & deſpectu ſuperborum.* שאננים πλεσίοις, [*divites*] vertunt Lxx. Eſai. 32. 9. 33. 20.

PRICÆUS.

3. *Fortè vivos deglutiſſent nos*] Sub dentibus eorum tepidi noſtri artus tremuiſſent. Sic Proverb. 1. 12. *deglutiamus eum vivum.*

4. *Forſitan aqua abſorbuiſſet nos*] *Aqua* ſæpe hoc in libro, & alibi, maxima pericula ſignificat.

5. *Forſitan pertranſiiſſet anima aquam intolerabilem*] Legit ergò in Græco exemplari ſuo, ἀνύποιςον· i. e. Heſychio exponente, ἀφόρητον ἀνυπομόνητον. Veriorem autem puto communem lectionem ἀνυπόςατον· aquam *in qua non erat ſubſtantia:* i. e. limoſam, in qua neutiquam meus pes conſiſtere valuiſſet. In Gloſſario, Ἀνυπόςατον, τὸ μὴ ὑφεςός, *ſine ſubſtantia.* Quin & Pſal. 68. 3. habemus, *Infixus ſum in limo profundi*, *&* (i. e. *ubi*) *non eſt ſubſtantia.* Quo loco Lxx. ſeniores, καὶ ὐκ ἔςιν ὑπόςασις.

6. *Qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*] *Captionem* vertit, quod in Græco hic, θήραν. In Gloſſario, Θήρα, *captatio.* Indè & ibidem, Θηρευτὴς, *captator*; & in vetere Onomaſtico, *Captioſus*, ἀγρευτικός.

7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo*, &c.] Similia 27. com. 21. & 22. apud Sirachidem vide.

PSALM. CXXIV.

MUNSTERUS.

PUtant hunc Pſalmum compoſitum de reliquiis Iſraël quæ in captivitate Babylonica mortis diſcrimen evaſerunt, debacchante hoſte in urbem Jeruſalem, in Templum atque in populum.

VATABLUS.

1. NIſi, &c. לולי יהוה שהיה לנו] Ad verb. *Niſi* fuiſſet *Jehova qui fuit nobis*: i.e. pro nobis, & à parte noſtra ſtetit.

3. *Cùm iraſceretur furor eorum in nos* בחרות אפם בנו] Infinitivum, *in excandeſcere eos*; vel *in excandeſcendo eis*. Quidam volunt eſſe nomen, vertentes, *in inflammationibus ira ſua*. Vel, *in excandeſcentiis*, &c. i.e. dum exardebat, vel exardeſceret, ſive excandeſceret, aut incenderetur.

4. *Inundaſſent* שטפונו] i. e. Inundatione factâ, rapuiſſent nos, ſive obruiſſent, aut involviſſent nos.

5. *Tranſiſſet*, &c. עבר על נפשנו המים הזידונים] Ad verb. *tranſiſſet ſuper animam noſtram aqua ſuperbæ*. Hîc verbum ſingulare nomini plurali jungitur more Hebræorum, pro *tranſiſſent aquæ*. *Aquas ſuperbas* vocat magno impetu fluentes, vel tumidas, ac ſubitò inundantes. Per ſubitas autem inundationes & violenta flumina hoſtilis impetus ſignificatur ab Hebræis: q. d. Tunc inimicorum noſtrorum hominum petulantium ac inopinantes opprimentium ſævitia intolerabilis nos totos vaſtaſſet.

6. *Benedictus* ברוך] *Laudetur*.

CLARIUS.

PUtant hunc Pſalmum compoſitum de reliquiis Iſraël quæ in captivitate Babylonica mortis diſcrimen evaſerunt, debacchante hoſte in urbem Jeruſalem, in Templum atque in populum.

4. *Torrens pertranſiſſet*] Metaphora eſt. Undæ malorum, inquit, obruiſſent nos.

LUCAS BRUG.

5. DEclinantes autem in obligationes] *In nonnullis exemplaribus vetuſtioribus*, Titelmannus ait, *repertum eſt haberi pro Obligationes, Obliquationes:* nos noſtris in MSS. nequaquam id reperire potuimus; tantùm in Bibliis à Pariſienſibus emendatis atque excuſis ad hunc invenimus modum, *Declinantes autem in obliquationes*. Sed iis in Bibliis quæ cum emendationum ſuarum comprobatione ediderunt, nullum, cujus hæc lectio eſſet, exemplar ſignatum vidimus. Nec antiquus noſter Epanorthotes aliquorum codicum qui *obliquationes* legant, meminit; duntaxat multitudinis numero *obligationes* legendum eſſe, non *obligationem*, monet. Fuit itaque noſtra hæc opinio, non ex codicibus, ſed quorundam conjectura, *obligationes* cum *obliquationes* mutatum eſſe. Græcè eſt τὺς δὲ ἐκκλίνοντας εἰς τὰς ϛραγγαλίας. Στραγγαλία Auguſtini verſio *ſtrangulationem* transfert: nam ϛραγγαλεῖν, *ſuffocare* & *ſtrangulare* ſignificat. Græca Onomaſtica *obligationem* exponunt, & ϛραγγαλίδες, *nodos nexuſque intricatos*. Eundem ad modum Hieronymus explicat in Iſa. 58. enarrans illud verſionis Septuagintaduorum διάλυε ϛραγγαλίας βιαίων συναλλαγμάτων· Autor ejus verſionis quæ in Græco Pariſienſium Pſalterio, ex S. Victoris codice emendato, exſtat, *obliquationem* tranſtulit. Similiter is qui Græcis Bibliis, Baſileæ anno 1550. impreſſis, Latinam addidit interpretationem: ϛραγγαλιώδης enim *obliquum* & *tortuoſum* denotat. Eundem ad modum Euthymii Interpres *tortuoſitatem* reddidit, ipſum ſecutus Euthymium, qui εἰς τὰς ϛραγγαλίας, *in perverſa atque obliqua* interpretatur. Aquila *ſimultates* explanavit; *obliquitates* Symmachus, & Theodotion *perverſa*. Autor eſt Theodoritus. Hâc autem potiùs ratione transferendum hoc loco videtur; primùm, quòd *declinandi* vocabulo aptiùs *obliquatio* ſeu *obliquitas* vel *tortuoſitas* congruat: tum quòd *rectis corde*, *in obliquitatem declinantes* à Propheta oppoſiti videantur: denique quòd Hebraïca vox עקלקלות, non *ſtrangulationes*, neque *obligationes*, ſed *obliquitates*, *tortuoſitates* & *perverſitates* denotet. Itaque Latinis noſtris codicibus pro *obligationes*, *obliquationes* ſcribendum eſſe nonnulli, haud vanis ducti argumentis, exiſtimarunt. Verùm cùm legant conſtanter *obligationes*, & Latina Manuſcripta quæ quidem nos vidimus omnia, & Latini tractatores primæ, [Arnobius, Hilarius, Hieronymus, cùm in proprio loci commentario, tum manifeſtiùs in 58. Iſaiæ cap.] mediæ, poſtremæque ætatis [Proſper, Caſſiodorus, Haymo, Remigius, &c.] videtur ad eum modum Interpres ex Græco tranſtuliſſe. Neque hoc longè ab Hebræo recedit. Nam *pravitates perverſitateſque*, quibus ferè modis Hebræam hoc loco vocem interpretantur, *obligationum* nomine meritò deſignentur, quòd in deplorandam ſervitutem autores ſuos redigant, neque facilè exſolvendo debito obnoxios reddant.

DRUSIUS.

2. לוּלֵי יְהוָה שֶׁהָיָה לָנוּ. Sym. εἰ μὴ Κύριος ὃς ἐγένετο ἡμῖν, *niſi Dominus qui fuit nobis*.

4. אֲזַי הַמַּיִם שְׁטָפוּנוּ נַחְלָה עָבַר עַל-נַפְשֵׁנוּ. Alius, Τότε ἂν τὰ ὕδατα παρέκλυσεν ἡμᾶς, ὡς Φάραγξ παρελθόντα κατὰ τῆς ψυχῆς ἡμῶν, *Tunc aquæ proluiſſent nos, ut in convalle tranſeuntes contra animam noſtram.*

5. אֲזַי עָבַר עַל-נַפְשֵׁנוּ הַמַּיִם הַזֵּידוֹנִים. Alius, Τότε παρῆλθον ὑπὲρ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὡς τὰ ὕδατα οἱ ὑπερήφανοι, *Tunc tranſierunt ſuper animam noſtram, velut aquæ, ſuperbi*] Hier. in Comment. ad h. l. *Aq. & Sym. & Th. & omnes Interpretes pari voce conſentiunt*, aquas ſuperbas & arrogantes *pro* ἀνυπόϛατον, *transferentes.*

AMAMA.

1. NIſi Dominus שֶׁהָיָה] Aut ש redundat, aut ſub. *feciſſet*, *Niſi Dominus feciſſet qui fuit nobiſcum.*

2. *Cum ſtarent contra nos*] Id eſt, inſurgerent Vel, *pugnarent*, ut Eurip. πρὸς ἀσπίδα ϛῆναι. Eſth. 8. *Ut ſtarent pro anima ſua*. Dan. 12. *Princeps M. qui ſtat pro filiis populi tui*. Pſ. 94. *Stare cum maleficis*, i.e. pugnare cum iis.

3. *Vivos*] Metaph. *à Mari*, inquit, Bell. *Non à beſtiis, nullæ enim tam feræ*, inquit, *ut vivos homines degluttant*. Sed *ſtare* poteſt Metaph. *à beſtiis*. Et ſciendum חי non tantum opponi מת *mortuo*, ſed & מְבֻשָּׁל *cocto*. Hoc ſenſu *Vivum* ſign. *crudum*. 1 Sam. 2. 15. *Non accipiet à te carnem coctam ſed vivam.* Prov. 1. *Devoremus eos vivos ſicut ſep.* Aliter ſumitur in eo, *aqua viva*, *fons vivus*, *perennis*, *vinum vivum*, i.e. non mixtum. *Deus vivus*, *æternus*, Job. 19. *Scio redemptorem meum vivere*, ἀεννᾶον εἶναι. LXX. *Tempus vivum*, i.e. præſens. Soph. χρόνῳ ζῶντι. Vide Druſ. ad loca difficil. 1 Sam. 2.

NB. Hic notari *ſummum deſiderium necis Judæorum*. Homo vorax qui expectare non poteſt donec cibus coquatur, crudo veſcitur præ ſumma aviditate. R. David. *Homo non ſolet comedere carnes niſi coctas. At ipſi præ nimio deſiderio devorandi nos, crudos abſorpſiſſent nos.*

Tunc] אֲזַי pro אָז. Turpiter hic impegit Vulg. vertens *Fortè*. Nam neque Græcum quidem expreſſit, ἄρα, *utique*, *certe*. Genebr. dicit *Forte* hic accipi pro adverbio, modeſte aſſeverandi. Atqui hic certiſſimè affirmatur. Bell. ait plus credendum Hieronymo quam omnibus Dictionariis & Rabbinis. At hæc Pſ. verſio extra omne dubium non eſt Hieronymi.

4. נַחְלָה עָבַר] Non eſt anomalia in conſtruct. quia ה non eſt nota fœm. ſed Parag. ut in לילה. נַחֲלָה eſt *poſſeſſio*, נַחַל *vallis* & *torrens*. Num. 34. 5. ab Hatzmon נַחְלָה Ægypti. Pag. putat hic quoque ה eſſe paragog. ſed Mercerus mavult eſſe locale. Ezech. 47. 19. נַחְלָה putat eſſe pro נחל.

5. עָבַר מַיִם] Subintell. נחל *torrens*, *torrens aquarum amariſſimarum.*

7. *Anima noſtra ſicut Avis*] Peucero hic verſus occurrit ſecundum quietem. Cum enim Principiſſa Saxoniæ infenſiſſima ejus hoſtis & perſecutrix orthodoxorum moreretur, eâdem hora viſus ibi Peucerus in ſomnio, pulſare campanam, & dum funem trahit, eum ruptum, atque hunc mox ſuccurriſſe verſum. Nec fefellit augurium. Paulò pòſt enim cum ad ſecundas nuptias tranſiiſſet Elector, liberatus eſt interceſſione Landgravii Haſſen.

GROTIUS.

5. TOrrentem pertranſivit anima noſtra] Rectiùs ex Hebræo, *Torrens ſuperaſſet animam noſtram*, id eſt, nos merſiſſet: quod & ſequentia exponunt.

7. *Laqueus contritus eſt*] *Ruptus eſt.*

PRICÆUS.

1. QUi confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, &c.] Proverb. 10. 25. *Juſtus quaſi funda-*

fundamentum ſempiternum: & com. 30. *Juſtus non commovebitur in æternum.*

IDEM.

2. *MOntes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui*] Circuitur montibus quidem, plus autem habet præſidii in Dei tuitione. Vide Pſal. 126. 1.

3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas*] Id eſt, nec patietur juſtos manus (ſupplices nempe) extendere ad iniquos: vel hoc modo, (quem & præfero) ſuper ſortem juſtorum, nè nimis preſſi afflictique dent manus iniquitati: i. e. à fide in Deum deſciſcentes, malè facere incipiant. Amicus Jobi 36. 21. *Cave nè declines ad iniquitatem, hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.*

5. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*] Imò *abducet*, & ità hic Græci, ἀπάξει Κύριος. *In obligationes*, pro eo quod in Græco, εἰς ϛραγγαλιάς· i. e. ut ibi Scholiaſtæ, *in curvas ſemitas.* Heſychius, Στραγγαλιαὶ, &c. συϛροφαὶ, διαϛροφαὶ, παγίδες, ἢ πλοκαί. Cur autem ità heic verterit Vulgatus, ulteriùs diſquirendum.

PSALM. CXXV.

MUNSTERUS.

3. *NOn dimittitur virga impietatis*] h. e. Violentia & tyrannis peſſimorum hominum non perpetuum ſuſtinetur à Deo, nè juſti à recti ſtudio detorqueantur. Permittit quidem Deus ad tempus, exigentibus peccatis populi, tyrannos graſſari in populum ſuum, ſed tandem liberat.

VATABLUS.

1. *QUi non commovetur*, &c. [לא ימוט לעולם ישב] Fut. Heb. *non nutabit*, ſub. *mons Sion*: q. d. *Qui confidunt in Domino, non nutabunt, ſicut nunquam nutabit mons Sion, qui in ſeculum perſtat.* Quidam referunt ad quemcunque confidentem, vertentes, *Non nutabit*, ſed *in æternum ſedebit.* Vel, *non movebitur*; nam *in æternum permanebit*, ſive *ſtabit.*

2. *Jeruſalem montes in circuitu ejus*] [ירושלים הרים סביב לה] Antecedens cum ſuo relativo, pro, *montes in circuitu Jeruſalem.* Hebraïſmus: q. d. Ut Jeruſalem optimè munita & cincta montibus, ità Jehova munit & tuetur populum ſuum.

3. *Requieſcet* ינוח] Ità Hebraïce. Quidam, *permanebit.* ¶ *Virga* שבט] Pro *ſceptro* uſurpant Hebræi: q. d. Nullus tyrannus diu juſtis imperabit. ¶ *Nè mittant*, &c. [למען לא ישלחו וגו׳] *Ut non extendant*, &c. i. e. nè admoveant, *manus iniquitati.* Hebraïſmus, pro, *nè fiant iniqui, neve ſectentur tyrannorum iniquitates.*

5. *Declinantes autem in perverſitates ſuas* [והמטים עקלקלותם] Chald. *Et declinantes poſt pravitates ſuas.* Alii, *declinare facientes* [vel, *pervertentes*] *pravitatibus ſuis.* Alii, *pervertentes* vias ſuas *pravitatibus ſuis.* Aut, *Pervertentes* vias ſuas ut ambulent in *pravitatibus ſuis.* Alii, *Et declinantes* à via recta, & ambulantes in viis *perverſitatum ſuarum*: i. e. perverſis quas elegerunt. ¶ *Ambulare facit* [יוליכם] Ad verb. *ambulare faciet eos.* Redundat pronomen *eos* more Hebræorum. Quidam vertunt *ducet*: vel, *deducet.* Alii, *abducet*, ſive *abducat.*

CASTALIO.

3. *NOn enim reſidebit impietatis ſceptrum in juſtorum ſortem*] Non dominabuntur impii in bonos. Vide Pſal. 73.

5. *Ducet Jova cum maleficis*] Puniet ut maleficos.

CLARIUS.

2. *JEruſalem, montes in circuitu ejus*] Jeruſalem montes quidem habet in circuitu; verùm illi non hoc poſſunt in defenſionem civitatis quod Dominus, qui adeſt populo ſuo à prima hora uſque in perpetuum.

3. *Non relinquet Dominus*] h. e. Violentia & tyrannis peſſimorum hominum non in perpetuum tolerabitur à Deo, nè & juſti à recto ſtudio avocentur. Appellat autem *ſortem juſtorum* ea loca quæ veluti Divinâ ſorte obvenerunt juſtis.

5. *Declinantes autem in obligationes*] Vel, *in perverſitates.*

LUCAS BRUG.

6. *EUntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*] Quod plerique hodie codices legunt, *Mittentes ſemina ſua*, ſcribunt antiqui Epanorthotæ, & Brugenſis ex noſtris, cum emendatis à Pariſienſibus Bibliis, *Portantes ſemina ſua.* Priori lectioni Græca antigrapha volunt, βάλλοντες τὰ σπέρματα ἀυτῶν, alteri Hebraïca ſuffragantur, נשא משך הזרע, quod eſt, *Portans caniſtrum ſeminis*, ut quidam; vel, *Portans pretioſum ſemen*, ut alii interpretantur. Eadem eſt vox quæ proximo verſu, quo Græci habent αἴροντες τὰ δράγματα ἀυτῶν, Latini *Portantes manipulos ſuos.* Itaque pulcre ſibi reſpondent ſententiæ partes, Triſtes portabant ſemina, læti manipulos portabunt. Doctor Henteniius ex *portantes*, *mittentes* caſtigavit, tanquam ea ſit editionis noſtræ lectio. Porrò, aliud Epanorthotes judicavit: *Noſtra*, inquit, *translatio non habet* mittentes, *ſed habet* portantes, *juxta Hieronymum & Hebræum, qui habent* portantes, *& reſpondet ei quod infrà dicitur*, *PORTANTES MANIPULOS SUOS.* Antiquitate & integritate præſtantiſſima monaſteriorum Lobienſis & Tornacenſis manuſcripta, & Jacobi editio, unanimiter, Gallico Pſalterio *portantes*, Romano *mittentes*, attribuunt: annotatque Jacobus, *MITTENTES SEMINA SUA, ex translatione Romano id mutuamus: nam translatio noſtra habet, PORTANTES SEMINA SUA, paulo vinciniùs ad Hebraïcam*, &c. Eſt quidem & noſtra editio, quam Gallicum Pſalterium vocant, ex Græco deducta (nam Græco convenit, uti diximus, quod in Romana eſt editione *mittentes*) ſed ex Hebræo multis mutata eſt locis. Cæterùm parùm ſenſu diſcriminis eſt, ſive *portantes* ſit, ſive *mittentes*; imò verò hoc illius explicatio eſt. Nam portaſſe intelliguntur ſemina quæ in terram aut mittebant aut miſſuri jamjam erant. Conati hoc loco videntur LXXII. ſenes non tam verba reddere quàm ſenſum. Hinc enim etiam ſingularis numeri verba in pluralia commutarunt (nam de pluribus intelligendum eſt quod uno pronunciatur (& τὸ משך, quod alii *caniſtrum*, alii *pretioſum* vertunt, interprerando prætermiſerunt. Niſi fortè non נשא ſed נשא, aut ad alium ſimilem modum, legerint, ità ut eſſet, נשא משך הזרע, *Portans trahens ſemen*, id quod expoſuerint, *Mittens*, ſeu *mittentes, ſemina ſua*: quo ferè modo Latinus Interpres, Amos 19. 13. משך הזרע expoſuit *mittentem ſemen.*

DRUSIUS.

1. לא־ימוט לעולם ישב ירושלם. Alius, ἀπερίτρεπτον εἰς τὸν αἰῶνα δυνάμενον περὶ Ἱερουσαλὴμ] Suſpicor eſſe Symmachi. Suprà 121. 3. למוט. Sym. περιτραπῆναι.

3. למען לא־ישלחו הצדיקים בעולתה. Alius, διὰ τοῦτο οὐκ ἐκτείνωσιν οἱ δίκαιοι εἰς ἀνομίαν, *propterea non extendent juſti ad iniquitatem*] Supple χεῖρας ἀυτῶν, *manus ſuas.*

5. עקלקלותם. A. διαπλοκὰς, *ſimultates.* Sym. σκολιότητας, *obliquitates.* Th. διεϛραμμένα, *perverſa*] In Comment ſuper hunc librum falsò attributis Hieronymo, *Pro* obligationibus *Aquila interpretatus eſt*: *Symmachus*, *Quinta editio.* Deeſt aliquid: id ſuppleri poſſet ex hoc loco, *Aquila interpretatus eſt* ſimultates; *Sym. & quinta editio*, obliquitates.

AMAMA.

1. *QUi confidunt ſunt ut mons Sion, non* ימוט] Sunt qui τὸ ימוט & ישב ad montem referunt: Sunt qui ad confidentes, hâc reſolutione, *Quiſque confidentium non dimovebitur.* Prov. 28. 1. צדיקים ככפיר יבטח

ציון] Mons Jeroſolymæ proximus verſus Meridiem, in cujus vertice erat arx quæ à Davide capta, multiſque ædificiis aucta, Civitas Davidis eſt vocata. Habuit à latere Aquilonari collem, dictum Moria, cui inædificatum fuit Templum. Hinc ponitur pro *Jeruſalem* Synecd. pro *Templo, Eccleſia.*

Differt à ציון qui alias שריון (Sidonii) & שניר (Emorrhæi) & חרמון Deut. 3. 9. At 5. 5. שין per ſyncopen pro *Shirjon*, ut vult Junius.

ישב] Si ad montem; ישב, *permanebit.* Si ad fideles, *ſecure agent, quiete, feliciter aget.* Zach. 14. 10. *Exaltabitur & ſedebit Jeruſalem in loco ſuo.* Sic Jirm. 49.

2. *Jeruſalem*] Sub. quod attinet. Nominat. abſolute poſitus. Talia alibi notavimus ex Apocal.

Dicit eam munitam duplici munimento, Naturali & ſpirituali. Alii ſic, ut circa Jeruſalem ſunt montes, ita circa populum ſuum eſt Deus.

A nunc] A præſenti tempore. A עת quod propriè τὸ νῦν ſit tempus,

tempus, Unde vocatur Ebræis עֵת חַי *tempus vivum*, Sophoc. *χρόνῳ ζῶντι.*

3. *Non requieſcet*] Non ſemper manebit. Eſt occupatio objectionis. Affliguntur ſubinde Pii, nunquam deſeruntur.

שֵׁבֶט] *Sceptrum, virga, tyrannica dominatio.* Malunt Interp. *Virgam*, i.e. מַטֶּה ut diſtinguatur à regia dignitate. Contra Pſ. 110. מַטֶּה vertunt *ſceptrum.* Erat apud Judæos genus officiariorum dictum שׁוֹטְרִי, quos Ebræi ajunt inſtructos fuiſſe loris & virgis, ut homines publica authoritate coërcerent & in ordinem redigerent. Alii *plagas*, *flagella* vertunt, quod non eſt alienum. Sed illud accommodare velle loco Gen. 49. ridiculum eſt.

Sors juſtorum] i. e. Eccleſia & hæreditas piorum. R. D. *Jeruſalem.* Ex Jeſ. 4. 2. Eſtq. *Jeruſalem* paſſim pro *Eccleſia.* OEcum. Ἱερὸν σύστημα τῶν ἁγίων.

Sic in N. T. *Grex Domini* vocatur *Clerus*, & *Cleri* 1 Pet. 5. 3. *Non dominantes Cleris*, verſ. 2. vocavit *Gregem Dei*; & verſ. 3. ut ſiris *Exemplaria Gregis.* Male ergo ex hoc loco Bell. infert fundamentum diſtinct. in Clericos & Laïcos. Non eſt oppoſitio ſed expoſitio. Coloſ. 1. 12. *Gratias agentes Patri qui idoneos nos fecit εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί.* Ubi obſervo locutionem ἐκ παραλλήλου.

Ne extendant manum] Vel deſperatione, vel, *Ne diſcant opera ipſorum.* Alludit ad Gen. 3. 22. *Manibus* tribuitur *iniquitas.* Jeſ. 56. *Qui cuſtodit manum ſuam ne faciat ullum malum.*

NB. *Mittere manum ad aliquid* eſt *aliquid conari, agere.* Similis locus Act. 4. Ubi petunt Pii ut Deus *manum extendat ad mir. & ſanationes*, i.e. operetur. Act. 12. *Miſit Rex Herod. manus ut afflig. aliquos in Eccl.*

בְּלוֹתָם] ב pro מ Pſal. 15 Contra מ pro ב. Prov. 25. 17. Pſal. 72. 16. מֵעִיר Deut. 33. מִבֵּינֵי 21. קְקָן

5. *Qui inclinant*] Sub. *corda ſua. Ad itinera tortuoſa ſua.* Sic Jun. Alii, *ad tortuoſitates ſuas*, ut ſit abſtr. pro perverſitates. עָקַל *obliquavit.* Alii, *qui declinant*, ſub. à via recta, ב *in tortuoſis ſuis viis.* Hab. 1. *Improbus circumvenit juſtum, ideo egreditur judicium* מְעֻקָּל *perverſum.*

יוֹלִיכֵם] *Abire faciet eos.* i. e. Perdet. הֹלֵךְ de rore Hoſ. 13. Gen. 15. 12. de Abraham. Job. 10. Sic apud Feſtum *Abitio* pro *morte.* Tertull. Pſalm. 58.

GROTIUS.

5. D*Eclinantes autem in obligationes*] In Hebræo: *Declinantes ad tortuoſa.* Symmachus: εἰς σκολιότητας [*ad obliquitates.*] Theodotio: εἰς διεστραμμένα [*ad diſtorta.*]

PRICÆUS.

5. Q*Ui ſeminant in lacrymis, in exſultatione metent*] Ex hoc fortaſſe loco deprompta Chriſti ea, *Beati qui lugent, quia conſolabuntur.* Vide Tobiæ Scriptorem 3. 21. & quæ ad Luc 16. 25. annotavimus.

IDEM.

1. I*N convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*] Id eſt, conſolati ſumus. Sic infrà 143. 4. *Homo vanitati ſimilis factus eſt*: id eſt, vana res eſt. Quin & *ſicut* heic (quod quibuſdam tenebras offundit) eſt mera abundatio; ut in illis ſuprà 86 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*: & Thren. Jerem. 2. 5. *factus eſt Dominus velut inimicus.* Adde Pſal. 87. 5. adeoque hîc infrà com. 3.

3. *Magnificavit facere nobiſcum*] *Mirificavit nobis* (ut 30. 22.) *miſericordiam ſuam. Magnificavit*, ſubaudi, *nomen ſuum, facere nobiſcum*: pro nobis faciens, nempe magnalia, mirabilia. Non diſſimilis 64. 10. locutio, *multiplicâſti locupletare eam.*

4. *Converte captivitatem noſtram, ſicut torrens*, &c.] *Converte c. n.* (nempe in libertatem:) fac tranſeat ſicut torrens, &c.

5. *Qui ſeminant in lacrymis, in exſultatione metent*] Vide Tobiæ 3. 21. & quæ ad 2 Tim. 2. 12. annotata.

6. *Portantes manipulos ſuos*] *Manipulos* pro ſingulis ſeminibus, quod præceſſit. Oppoſitione ſimili ἐλαφρὸν θλίψεως & αἰώνιον δόξης βάρος, 2 Cor. 4. 17.

PSALM. CXXVI.

MUNSTERUS.

1. E*Ramus ſicut ſomniantes*] Præ lætitiæ, inquit, magnitudine, cùm ſolutâ captivitate Babylonis, reduces venireMus in terram noſtram, videbamur nobis ſomniare eam felicitatem, & non reipſa cernere, & uſque adeo exuberavit cor noſtrum gaudio ut *lingua quoque & os ſolverentur in jubilum.*

4. *Sicut rivos in Meridie*] Senſus eſt, Si converteris captivitatem noſtram, non minus erit facinus illud quàm ſi in deſerto ſqualido & exuſto rivos facias currere aquarum. Eſt autem magna quædam exuſta ſolitudo ad Meridiem terræ Promiſſionis.

5. *Qui ſeminant in lacrymis*] Putant hâc Allegoriâ ſignificari lætam meſſem pacis & ubertatis poſt reparatam non ſine mœrore & afflictione Jeruſalem. Porrò מֶשֶׁךְ quidam accipiunt pro יְקָר *pretioſo*, alii pro *vaſe ſeminario.*

VATABLUS.

1 Q*Uando redire fecit* בְּשׁוּב יהוה אֶת שִׁיבַת] *Cùm reduceret Jehova*, &c. i. e. Cùm revocaret Dominus in patriam nos qui è Judæa abducti fueramus captivi in Babylonem, videbamur ſomniare præ lætitia. Quidam vertunt verba hujus Pſalmi per futurum. Docti inter Hebræos vertunt, *Cùm reduxit Jehova reverſionem Sion*, i. e. illos qui reverſi ſunt in Sion.

2. *Laude* רִנָּה] *Jubilatione, ovatione.* ¶ *Res maximas Jehova egit* הִגְדִּיל יהוה לַעֲשׂוֹת] Ad verb. *magnificavit Jehova facere*, vel *ad faciendum*: pro, *magnificè egit.*

4. *Sicut torrentes* כַּאֲפִיקִים] Aliquid ſubaudiendum, cujuſmodi, *& erit id nobis tam gratum quam torrentes in Auſtro*, plagâ ſcilicet Meridionali quæ eſt ſicca. Alii, *ut torrentes auſtro*, ſub. *ſiccos reducis.*

5. *Qui ſeminaverunt* הַזֹּרְעִים] *Qui ſeminant.* Similitudo eſt ab iis qui quòd annona ſit cara, cum mœrore animi ſeminant.

6. *Eundo*, &c. הָלוֹךְ יֵלֵךְ וּבָכֹה] Fut. Heb. pro præſ. Hebraiſmus, *Ire ſolet flendo.* Idem dicit quod præcedenti verſu, ſed aliis verbis. ¶ *Pretioſum ſemen* מֶשֶׁךְ הַזָּרַע] Quidam Hebræorum vertunt *vas ſeminis*, ſive *caniſtrum in quo eſt ſemen.* Alii, *pretioſum ſemen*, & exponunt, Ut qui fert ſementem magno pretio emptam ob caritatem annonæ, it ſeminatum triſtis; verùm poſtea revertetur à metendo lætus, quod afferat plures manipulos quam ſperaſſet: q. d. Piorum non erit perpetua triſtitia: ſimiles ſunt agricolis, quibus ſementis ſi fuerit triſtis, meſſis erit ſuaviſſima.

CASTALIO.

1. C*Um revocaret Jova Sionios captivos*] Iſraëlitas qui nunc ſunt Sionii.

Revoca Jova noſtros captivos, amnium ritu meridianorum] Ut olim ex Ægypto, cùm quidem in meridiana & ſiticuloſa regione fontem eis elicuiſti.

5. *Qui ſerunt cum lacrymis, cum cantu meſſuri ſunt*] Vide 1 Cor. 15.

CLARIUS.

C*Anit lætitiam populi è Babylonico exſilio liberati, quod tu ad ſpiritualem transfer liberationem.

1. *Facti ſumus ſicut conſolati*] Alius vertit, *quieti reſtituti ſumus.* Plures tamen verterunt, *ſicut ſomniantes*, h. e. videbamur nobis præ magnitudine lætitiæ ſomniare eam felicitatem, cùm ſolutâ captivitate reduces veniremus in terram noſtram.

4. *Sicut torrens in Auſtro*] Vel, *in Meridie.* Precatur Deum ut pergat: tam enim gratam fore liberationem, quàm eſſe poſſet ſi flumina contingerent habitantibus aridas ſolitudines, quales ſunt vaſtiſſimæ in Meridionali plaga Jeruſalem, unde *deſertum* ſæpe pro *Meridie* illis accipitur. Alius tamen vertit, *Vertiſti, Domine, captivitatem noſtram, non ſecùs quàm cùm Auſtro flante torrens exſiccatur.*

5. *Qui ſeminant in lacrymis*] Conjungitur ſuperiori ſic; Tam grata eſt hæc liberatio quàm cùm terra ſitiens accipit fluentes per eam rivulos aquâ plenos; in quam qui ante irrigationem jecerant ſemen, deſperantes propemodum & cum fletu, illi metent quæ provenerunt, de improviſo cum gaudio ſummo, &c.

LUCAS BRUG.

2. F*Requentior hoc loco Latinorum codicum ſcriptura eſt, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis:* quam Græci plerique codices, cum Apollinaris Pſalterio, probant, εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι τὸ ὀρθρίζειν, ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι, & multi veterum Patrum explicant, Hilarius, Hieronymus in Pſalmorum commentariis, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, Gregorius lib. 8. Moralium cap. 3. Haymo, Remigius, Bruno, quanquam ſimplex illa, quam Hieronymi commentarius

rius addit, hujus loci intelligentia *ſurgite* non agnoſcat. Sunt quidam editionis noſtræ codices qui pro *ſurgite*, *ſurgere* repetant, *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis*; ex noſtris Brugenſis, Lobienſis, Stapulenſis; ex Lugdunenſium, quidam; & antiqui Epanorthotæ, eujus hunc in locum hæc notatio eſt, *Antiqui juxta Hebræum.* Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis. *Hieronymus*, Fruſtrà vobis eſt de manè ſurgere poſtquam ſederitis. *Secundum hòc non videtur huic ſenſui convenire litera quæ habet* ſurgite, *quam habet Græcus minùs correctus. Nam correctores habent ſecundo loco* ſurgete. *Unde dicit gloſſa Cheodoris*, Non impetativo, ſed infinitivo eſt ibi *ſurgere.* Hactenus Corrector, qui quod dicit, eorrectiones Græcorum codices habere ſecundo loco *ſurgere* (ſic enim videntur legenda intelligendaque ejus verba) nos à vero non alienum eſſe obſervaviſſe videmur; nam Græcum Vaticanæ Bibliothecæ codicem ἐγείρεσθαι, non ἐγείρεσθε, legere comperimus. Euthymium etiam Græcum enarratorem ad eundem modum ἐγείρεσθαι legiſſe, cùm ex Interpretis in margine annotatione, tum ex ipſis autoris commentariis, animadvertimus. Denique & Theodoritum, Euthymio longè antiquiorem, notaſſe invenimus, *SURGERE, & non SURGITE legendum eſt, ut infinitus ſit modus, & non imperandi.* Inſuper quod habet Corrector, Hebræo conſonam eſſe hanc antiquorum codieum lectionem, verum id nobis eſſe videtur. Non eſt enim Hebraïcè קומו, quod eſt *ſurgite*, ſed שוא לכם משכימי : קום קום מאחרי שבת, id quod vertunt Neoterici Interpretes, *Vanum vobis eſt maturantibus*, ſeu *diluculo prævenientibus*, *ſurgere*, *tardantibus ſedere.* Quin & Chryſoſtomus atteſtatur, alium tranſtuliſſe *tardantibus ad ſedendum*, alium *differentibus ſedere.* LXXII paulò aliter diſtinxerunt. Priorem ſententiæ iſtius partem, hanc intelllexerunt, שוא לכם משכימי, *vanum eſt vobis maturantibus*, quam per infinitivum explicuerunt, εἰς μάτην ὑμῖν ἐςι τὸ ὀρθρίζειν, *in vanum vobis eſt maturare*, ſeu, ut eircumloeutus Interpres tranſtulit, *ante lucem ſurgere.* Neque enim eſt Latinis vox una quæ Græcæ ὀρθρίζω, aut Hebraïcæ השכים perfectè reſpondeat, niſi velis fortè *manicare* dicere, id quod Lucæ 21. 38. in Latinis pleriſque codicibus legitur. Pro altera ſententiæ parte acceperunt LXX. quod ſequitur, קום מאחרי שבת: verùm non מְאַחֲרֵי, quod eſt tertiæ conjugationis participium, ſed מֵאַחֲרֵי legerunt, quod eſt *à poſt* ſive *poſt.* Itaque ad verbum converterunt ἐγείρεσθαι μετὰ τὸ καθῆσθαι, *Surgere poſt ſedere*, nec convertiſſe potuerunt ἐγείρεσθε *ſurgite*: eſt enim קום infinitivus, non imperativus numeri pluralis. Ecce igitur ex Hebræo *ſurgere* pro *ſurgite*: id quod comprobat D. Hieronymi ad Marcellam explicatio, quæ hujuſmodi eſt, *prophetice populus arguitur ad Templum diluculo fruſtrà ſurgere, & poſt quietem ad ſanctuarium feſtinare, cùm idola Dei honore venerentur.* Notant autem poſterius *ſurgere* Lobienſis codex, Tornacenſis & Herbipolenſis obelo, tanquam quod Hebraïcè non legatur: id quod oecaſionem aceepiſſe exiſtimo ex D. Hieronymi translatione, quà *ſurgendi* vocabulum non repetitur; *Fruſtrà vobis eſt de manè ſurgere* [*conſurgere* 6. MS.] *poſtquam ſederitis.* Hinc Jacobus annotavit, *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſurgeritis. Hoc SURGITE ex translatione Romana mutuatum eſt, quòd etiam habeatur Græce. At Gallica habet, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis. Sed & illud SURGITE, & ſecundo loco SURGERE, ſuperfluum ex Hebræo videtur, unde habetur, Fruſtrà vobis eſt de mane ſurgere poſtquam ſederitis.* Hucuſque ille. Junxit Hieronymus קום cum משכימי, ut noſtri; legit מֵאַחֵר ut LXXII. Interpretes, totumque unam intellexit ſententiam. Illud autem משכימי קום, quod ad verbum vertas, *de manè ſurgentibus ſurgere*, eodem ſenſu tranſtulit *de manè ſurgere*, omiſſo *ſurgentibus*, pro Latinæ linguæ decoro. Quamobrem non videtur ex Hebræo ſuperfluum eſſe, aut obelo eonfodiendum, *ſurgere*, multoque minùs poſterius quàm prius; poſterius enim expreſsè, prius implicitè legitur, tum Græcè tum Hebraïcè. Brugenſi manuſcripto nulla eſt obeli figura. Verumenimvero potuit Hieronymus vocem משכימי ut nomen, non ut participium, aceepiſſe. משכים enim nomen deſignat *manè* vel *matutinum.* In Hoſeæ Prophetia, quod ſemel atque iterum legitur כטל משכים הולך, Hieronymus ipſe cap. 6. 4. *Quaſi ros mane pertranſiens*, & 13. 3. *Sicut ros matutinus prætertiens*, interpretatus eſt. Facilè igitur quod hoc loco eſt משכימי קום, potuit eonvertiſſe, *De mane ſurgere* vel *conſurgere*, nec aliud quidquam intellexiſſe comprehenſum. Hoc autem modo Hebraicis dictionibus acceptis, priùs indè *ſurgere* non habetur; verùm aliter videntur intellexiſſe LXXII-viri, à quibus duo verba tranſlata ſunt; ὀρθρίζειν, quod exponat משכימי, ἐγείρεσθαι, quod reſpondeat קום. Hujus autem lectionis quæ duobus infiniti modi verbis utitur, *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis*, ſenſus commodus eſt; Fruſtrà bene manè ſurgitis, fruſtrà interdiu, modicà refocillatione contenti, ad aeeeleranda negotia veſtra rediris, ſub. niſi Dominus veſtris conatibus adſpiret, veſtra ſtudia feeundet.

DRUSIUS.

1. בְּשׁוּב יְהוָה אֶת־שִׁיבַת צִיּוֹן הָיִינוּ כְּחֹלְמִים. Alius, Ὅταν ἐπιςρέψει Κύριος τὴν αἰχμαλωσίαν Σιὼν, ἐσόμεθα παρακεκλημένοι, *Quando reſtituet dominus captivitatem Sion, conſolationem accipiemus.* Alius, ——— ὡσεὶ ἐνυπνιαζόμενοι, *quaſi ſomniantes.*

2. רִנָּה. A. αἰνέσεως, *laude.* Sym. εὐφημίας, *fauſtâ prædicatione*] Interpres Theodoreti, EXSULTATIONEM, *Aquila* laudem, *Symmachus* gloriam *interpretati ſunt.*

4. כַּאֲפִיקִים. A. καταῤῥοίας, *defluxus.* Sym. ὀχετοὺς *canales*, vel *aquaductus*, vel *rivos.* V. ed. ἀφέσεις] Lex. V. Ὀχετὸς, *rivus, canalium, clabata.*

AMAMA.

ENcomium de ſoluta Captiv. non vaticinium de ſolvenda. Calv.

שִׁיבַת] Vulg. *Captivitatem*, i. e. שְׁבוּת. At cum ſit שִׁיבַת melius, *reverſionem*, i. e. multitudinem reverſorum. Sic ἐκλογὴ, περιτομὴ, pro electis, circumciſis. R. D. עִנְיָן תְּשׁוּבָה

Sicut ſomniantes.] Vulg. *ſicut conſolati.* Malè. Opponit ſomnium rei veritati. Jeſ. 29. 8. Act. 12. 9. Joſeph. K. *Moleſtia captivitatis fuit nobis inſtar ſomnii quod avolat, idque præ gaudio quo affecti fuimus annunciato reditu in terram.* Alii, *ſicut ſanitatem conſecuti.* חוּלִים Rabb. *ſanus.* Aq ἐν ὑπνιαζόμενοι.

4. *Id erit nobis tanquam flumina in terra Merid.*] אפיק *alveus.* Met. *torrens, fluenium.* Vulg. *Sicut torrens in Auſtro.* Geneb. agnoſcit נגב *non dici de vento ſed plaga tantum.* שמאל pro *plaga Sep.* Job. 23. 7.

מֶשֶׁךְ זָרַע] *Protractionem ſeminis*, i. e. ſemen extrahendum vid. ex ſitula Am. 9. 13. *& calcatur uv. attinget trahentem ſemen.* 2. *Acquiſitionem ſeminis.* 3. *Pretium ſeminis.* Job. 28. 18. *Et Meſchech ſap. ſuper Marg.* Kimchi יָקָר i. e. *ſemen pretioſum.* 4. *Parum ſeminis.* Sic enim locum Jobi exponunt quidam. 5. *Ut ſit vas* כלי שיש בו הזרע.

GROTIUS.

1. IN *convertendo Dominus captivitatem Sion*] Eſdræ videtur eſſe, aut alicujus coævi.

Facti ſumus ſicut conſolati] Ὡσεὶ παρακεκλημένοι, *ut illi qui ex morbo ſubitò ſaneſcunt.* Chaldæus hîc interpretatur *convaleſcentes.* Nam חלם eam ſignificationem habet Eſaiæ 38. 16. ubi Græci παρακληθεὶς ἔζησε (*conſolatus*, id eſt *ſanatus*, *vixit*.] Eundem ſenſum habet idem verbum Jobi 39. 4. & apud Syrum Novi Teſtamenti Interpretem aliquoties. Syrus hîc: *qui lætantur.*

PRICÆUS.

1. IN *vanum laboraverunt*, &c.] Gr. εἰς μάτην ἐκοπίασαν. Ità Paulus Philipp. 2. 16. εἰς κενὸν ἐκοπίασα.

Ibid. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*] Niſi timor Domini (i. e. purus & aſſiduus eultus ejus) eivitatem euſtodierit, fruſtrà, &c. Plutarchus adversùs Coloten, Ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ τῶν θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύςασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι. Cicero in de N. D. 3. *Diligentius Urbem religione quàm ipſis mœnibus cingitis.*

Ibid. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem*, &c.] Apulejus, ubi de Jovis (i. e. Dei) cognominibus variis, libello De mundi opificio, *Plures eum frugiferum vocant, multi Urbis cuſtodem*, &c.

5. *Cum loquetur inimicis ſuis in porta*] *In porta*, ubi ſolent deriſores tempus terere. Suprà Pſal. 68. 13. Quin & καθέδραν λοιμῶν Pſal. 1. 1. (ubi Aquila χλευαςῶν) libenter hunc in ſenſum expoſuerim: καθέδραν nempe in porta poſitam

IDEM.

1. NIſi *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*] Ità Sapientiæ Scriptor 14. 2. de navi loquens, *Illam artifex fabricavit ſapientiâ ſuâ; tua autem, Pater, providentia gubernat*: at *ædificaverit* in Pſalmo eſt metaphoricum. *In vanum laboraverunt*, eſt, in vanum eos laboraſſe, exitu patebit.

3. *Hæreditas Domini, filii*] Hæreditas ſervientium Domino ſunt filii.

Ibid. *Merces, fructus ventris*] Vide 127. 3. 4.

4. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ità filii*, &c.] Sicut ſagittæ à manu hominis validi excuſſæ, ità filii robore & virtute pollentes.

5. *Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis*] Felix ille cujus vota hâc parte adimpleta fuerint. Vide 25. 13. Sirachidem.

Ibid. *Non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis*] Non timebit: habet in promptu enim qui ei opem tulerint.

PSALM. CXXVII.

MUNSTERUS.

1. *FRuſtrà laborant*] Fruſtrà erit omnis conatus & labor, *ſi Dominus non exſtruxerit* tam *domum* manſionis quàm familiam inhabitantem. Suâ enim benignitate donatur & domus & familia. Sic, ut reſp. ſalva ſit, & *civitas* in tuto ſit, à Domino eſt petendum. Præterea *vanum eſt manè ſurgere ad labores, & tardè redire ad quietem*, niſi Dominus incrementum dederit. Quot enim ſunt qui fruſtrà anxiis torquentur laboribus & parùm efficiunt, quòd cor eorum non pendeat à Deo? Hi hìc dicuntur *comedere panem dolorum.*

2. *Sic dabit dilecto ſuo ſomnum*] h. e. Deus ſuppeditat electis ſuis omnia neceſſaria quaſi per ſomnum, qui non tam anxiè laboribus vacant: ſed quia pendent à Deo, habet Deus eorum, ut filiorum, curam. Laborandum quidem eſt, ſed fructus laboris à Deo ſperandus.

3. *Hæreditas Domini filii ſunt*] Dantur liberi à Deo veluti liberaliſſimum munus, & *fructus ventris* veluti *merces* quædam, non debita, ſed ex gratia donata. Sed & Deus fortiſſimus dat illis vivacem valetudinem & alia munera ſua: id quod ſimilitudine *ſagittarum in manu potentis* exſiſtentium explicatur. Et *beatus eſt vir ille* cui tales contingunt *ſagittæ*, i. e. filii: nam *non pudeſiunt cùm in portis* ad judicium venerint, *diſceptaturi cum hoſtibus ſuis.* Sunt enim prudenter educati; ideo prudenter omnia adminiſtrabunt.

VATABLUS.

1. *IPſi Selomoh* לשלמה] *Ipſius Selomoh*: vel, *pro Selomoh*, i. e. in gratiam Selomonis.

2. *Fruſtrà* &c. שוא לכם וג׳] Quidam ſubaudiunt *ut*, & vertunt, ut *fruſtrà vobis* eſt *manè ſurgentibus ſurgere*, & *differentibus ſeſſionem ſedere, comedentibus panem dolorum*; *ſic dabit*, &c. Comparatio facta per contraria. q. d. Ut fruſtrà laboratis qui benè manè ſurgitis, & ſerò admodum vos ſomno datis & comeditis panem partum cum maxima animi anxietate, quia nunquam eritis voti compotes; *ſic Jehova dabit dilecto ſuo ſomnum*, i. e. omnimodam tranquillitatem. Vel potiùs, *dabit in ſomno dilectis ſuis.* Aut, *per ſomnum*, i. e. citra laborem: perinde acſi dicat, Ut fruſtrà laboratis; ſic citra laborem dilecti à Deo aſſequentur quæ vos ſummo labore aſſequi non poteſtis. ¶ *Maturantibus ſurgere* משכימי קום] *Quòd maturatis manè ſurgendo.* ¶ *Tardantibus ſedere* מאחרי שבת] *Moram faciatis ſedendo.* Alii, *quòd tardatis ſedere*: vacantes ſcilicet totâ die operibus uſque ad veſperam, ſerò ſedetis ut quieſcatis. ¶ *Dolorum* העצבים] *Moleſtiarum*: i. e. plenum ærumnarum & maximis moleſtiis partum.

3. *Merces, fructus ventris* שכר פרי הבטן] Repetitio, idem bis dicit, q. d. quod à Deo tanquam jure hæreditario accipimus, ſunt liberi; & donum quo afficit pios Jehova, quodque ab ejus liberalitate proficiſcitur, eſt ſoboles. *Fructum ventris* vocat liberos.

4. *Juventutum* הנעורים] i. e. Qui naſcuntur in juventute hominis: q. d. ut ſagittæ auxilio ſunt forti, ſic illi erunt patri ſeni ut eum juvent.

5. *Pharetram ſuam* אשפתו] Annotant Hebræi *pharetram* pro *domo* poni. ¶ *In porta* בשער] *Porta* pro *ſenatu* & *tribunali*: quòd in portis urbium collocaretur: i. e. defendent patrem ſuum acerrimè, ſi in jus vocetur.

CASTALIO.

1. *NIſi Jova domum inſtruat*] Scilicet liberis.

2. *Fruſtrà & ſummo manè ſurgitis*, &c.] Fruſtrà laborat qui Deo charus non eſt. Liberi quidem, quorum causâ laboratur, proveniunt piis, quaſi virgulâ Divinâ, ſine ipſorum ſolicitudine.

5. *Non illi fruſtrabuntur cùm diſceptabunt cum adverſariis in curia*] Defendentur à ſuis natis in litibus.

CLARIUS.

1. *ÆDificaverit domum*] In ſcriptura *ædificare domum* eſt augere rem familiarem & familiam. Sic dicitur *Dominum ædificaſſe domum obſtetricibus*, vel, ut alii volunt, *Iſraëlitis*, quando animum dabat obſtetricibus nè infantes illorum perderent.

2. *Vanum eſt vobis*] Vanum eſt ſummo manè ſurgere ad labores, & parùm quieſcere, ac ſerò redire ad quietem, & parto laboribus maximis pane veſci, niſi Dominus dederit incrementum. ¶ *Sic dabit dilectis*] *Dare ſomnum* eſt ſecuram omnium & cunctis bonis affluentem quietem dare. Videtur autem Salomon per illud verbum *ſic* ſeipſum in exemplum propoſuiſſe, quem etiam Nathan vocavit JEDIDIA, i. e. *Dilectum Domini.*

3. *Ecce hæreditas Domini*] Diſtingue ſic, *Hæreditas Domini filii ſunt; & merces, fructus ventris*: i. e. Hæreditas quam Dominus dat, filii ſunt; & præmium præcipuum fructus ventris: ut ſint munus quoddam liberaliſſimum Dei, & donum quoddam gratis datum. Quibus liberis dat etiam vivacem valetudinem & alia munera ſua: id quod ſimilitudine *ſagittarum quæ in manu potentis alicujus ſint* explicatur.

5. *Qui implevit pharetram*] Perſtat in Metaphora: *Beatus*, inquit, *vir ille cui tales* contingunt *ſagittæ*, i. e. filii: nam *non pudefient cùm in portis* ad judicium venerint, *diſceptaturi cum hoſtibus ſuis.* Sunt enim prudenter educati; ideo prudenter omnia adminiſtrabunt.

DRUSIUS.

2. שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת. A. Εἰκῆ ὑμῖν ὀρθρίζουσιν ἀνίςασθαι, βραδύνουσι καθῆσθαι, *Fruſtrà vobis qui manè ſurgitis & tardè ſedetis.* Sym. Μάταιον μάταιον ὑμῖν ἐξ ὄρθρου ἀνίςασθαι εἰς τὸ οἰκῆσαι. Alius, χρονίζουσι τοῦ καθῆσθαι. ¶ לֶחֶם הָעֲצָבִים. A. ἄρτον διαπονημάτων, *panem elaborationum.* Sym. ἄρτον κακοπαθούμενον, *panem ærumnoſum.* Th. & V. ed. ἄρτον εἰδώλων, *panem idolorum.* VI. ed. ——— πλάνης] Deſcripſi ex Hieronymo. Vide ſis epiſt. 126. quæ ad Marcellam ſcripta. In ed. Rom. *Sym. Th.* εἰδώλων. *VI. ed.* πλάνης. ¶ *Elaborationum*: ſuprà 115. עצביהם. A. διαπονήματα αὐτῶν, *elaborationes eorum.* Hic eſt העצבים *haatzabim* quod interpretantur *dolorum*; cùm *idola* potiùs עצבים dicantur, aliis punctis; quæ olim aberant: unde non mirum ſi Aquila utrobique reddat διαπονημάτων. Sic dico, *Idola* עֲצַבִּים vocantur, *dolores* verò עצבים per (·) & ſine Dages.

3. שְׂכָר פְּרִי הַבָּטֶן. Alius, μισθὸς ὁ καρπὸς τῆς γαςρὸς, *merces fructûs uteri.*

4. כְּחִצִּים בְּיַד־גִּבּוֹר כֵּן בְּנֵי הַנְּעוּרִים. Th. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ſic filii juventutis*] *Secundùm hunc ſenſum Aq. & Sym. explanarunt.* Hæc Theodoretus. In ed. Rom. נעורים. Sym. τῆς νεότητος. Alius, τῶν πεδητῶν, i. e. *vinctorum*, ſive *compeditorum.* Hieron. epiſt. 126. ad Marcellam, *Ubi nos habemus*, ſicut filii excuſſorum, *ibi legitur* כן בני נערים, *quod Aquila interpretatus eſt*, ſicut filii pubertatum. *Sym. & Th.* ſicut filii juventutis. *Sexta* ἠκονηθέντος νοῦ, *quod nos dicere poſſumus* exacuti ſenſûs.

5. אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר אֲשֶׁר מִלֵּא אֶת־אַשְׁפָּתוֹ מֵהֶם. O. *Beatus vir qui replevit pharetram ſuam ex ipſis*] Hieron. epiſtolâ memoratâ, *Denique in ſequentibus, exceptis Lxx. qui aliter tranſtulerunt, & in Ebræo & in cunctis editionibus ità reperi*, Beatus vir qui replevit pharetram ſuam ex ipſis: *ut quia Metaphoram ſemel ſumpſerat ex* Sagittis, *& in* Pharetra *quoque tranſlatio ſervaretur.* ¶ *Beatus vir*; in ed. Rom. *A. & Sym.* ἀνήρ. ¶ *Pharetram ſuam*; ibidem, *Alius*, τὴν φαρέτραν αὐτοῦ.

AMAMA.

לִשְׁלֹמֹה] Putant Pſ. conſcriptum à Davide *pro Salomone*, i. e. in gratiam, vel ad inſtit. Salom. vel בעבור *propter Salom.* ut Pſ. 20 & 72. Sic Gen. 20. 13. *Dic* לִי *propter me, in mei gr.*

Pſ. eſt didaſcalicus. Habet documenta 3. 1. De ſucceſſu adminiſtrationis privatæ, OEconomicæ. 2. Politicæ publicæ. 3. De ſingulari ſobolis propagatione. Atque hic eſt ſenſus literalis.

1. *Domum*] Familiam, totumque ordinem OEconomicum.

Ædifi-

Ædificare non tantum opponitur τῷ *deſtruere*, ſed & τῷ *minui & paulatim diſſipari*, *niſi Dominus conſervaverit & auxerit domum*, i. e. familiam, i. e. rem familiarem & omnia eò pertinentia, opes, divitias, liberos, ut Ex. 1. *Ædificavit iis domos*, i. e. auxit eos, ſobole & divitiis locupletavit eos. 1 Reg. 2. *Dominus fecit mihi domum.* Sic *ædificatio Eccleſiæ.* Non ſolum *collectionem ejus* ſign. ſed & *augmentum.*

שָׁוְא] Pro לַשָּׁוְא *in vanum.*

Civitatem] Remp. Politiam.

Vigilat] Per *Vigiliam & cuſtodiam*, *omnis labor & ſtudium* intelligitur, *omnia munia boni Magiſtratus.* Eſt enim Magiſtratus officium *vigilare*, quod quam conſiſtere queat cum inveterato hoc ambitu vel pueri videant. Transferri hæc poſſunt ad Eccleſiam, nec qui rigat, nec qui plantat quicquam eſt, ſed Deus qui dat increm.

2. *Fruſtra vobis ſint qui ſummo diluculo ſurgunt qui tarde ſedeant* &c.] Sic Jun. *Fruſtra vobis eſt ſurgere, tardè ſedere*, &c. Piſc. Hoc ſequor, & puto participia eſſe poſita pro Infinit.

מַשְׁכִּימֵי קוּם] Hinc patet הִשְׁכִּים ſign. *matutinavit*, *diluculavit*, *manicavit*, ut alibi vertit Vulg. Unde fere perpetuus Pleonaſmus in ejus uſurp. וישכים בבקר. De quo in Cenſura noſtra.

Obſerva Regulam, Nomina & Participia regere Infinitivos tanquam nomina in Genitivo Caſu, conſtructione Regiminis. בְּיוֹם עֲשׂוֹת Gen. 2. בִּימֵי שְׁפֹט הַשֹּׁפְטִים Ruth. 1. בִּימֵי צֵאתְךָ Mich. 7. Participia. אֹהֲבֵי לָנוּם Jeſ. 56. 10. מֵיטִיבֵי לָכֶת Prov. 30. 29.

מְאַחֲרֵי. Eadem conſtr. *Tardantes ſedere*, qui labores ſuos ad multam noctem protrahunt. Alii, *qui tardatis ad ſedendum*, i. e. comedendum, qui tarde & ſerò accumbitis vel aſſidetis menſæ. Vel, quieſcendum à laboribus. Senſus idem. Præſupponitur enim tunc longa protractio penſi. Hæc duo Partic. ſimul junguntur Jeſ. 5. *Væ* מַשְׁכִּימֵי בַבֹּקֶר *ut perſequantur Siceram*, מְאַחֲרֵי בַנֶּשֶׁף *donec vinum incendat eos.*

Comedere panem עֲצָבִים *dolorum*] Id eſt, dolore & moleſtia requiſitum Gen. 3. 17. vel *laborum.* Et ſic obſerv. phraſin. *Comedere panem laborum* eſt *laborare*, ſic *comedere panem pigritiæ*, i. e. pigrum eſſe.

כֵּן] Sub. כִּי nam certè. כן pro אָכֵן affirmantis.

שֵׁנָא] Pro שֵׁנָה. Alii *Somnum*, i. e. quietem, tranq. animi. Alii ſub. *Panem* in *ſomno.*

3. Idem repetitur aliis verbis, *Liberi: Fructus ventris: Hæreditas*, *merces*, ſc. hæreditaria.

4. *Ut ſagittæ*, &c.] Scil. ſunt hoſtibus terribiles, ſicut emiſſæ eos vulnerant & terrent, ſic Juvenes bene educati ſubſidio ſunt parentibus ad repreſſionem adverſariorum. Proles non ſolum eſt orn. ſed & columen & præſidium familiæ.

בְּנֵי נְעוּרִים] Lxx. ἐκτετιναγμένων. Vulg. *Filii Excuſſorum.* Reſpicit ad Etymon vocis, de quo in Cenſ. Genebr. exponit, *piorum vexatorum.* Jun. ſimpliciter, *Pueri*, ut ſit Περίφρασις. Piſc. *Juvenes.* Ad verbum *Filii pueritiæ* vel *juventutis.* Nam נְעוּרִים *totam ætatem creſcentem* complectitur, Inf. puerit. adoleſc. juventutem. Atque ita Jun. & Piſc. refert ad *ipſos filios.* Ego ſequor Druſ. qui refert vocem נעורים ad *Patres*, *Filii juventutis*, i.e. in Juvenili ætate procreati. Quod autem dicit Genebr. vocem Ebr. non ſignif. *juventutem* ſed *pueritiam*, quæ ætas nondum apta procreationi, ridiculum eſt, & nititur falſa hypoth. Ecce enim Prov. 5. *Lætare cum uxore* נעוריך Eſai. 54. Malach. 2. 14. 15. Joel. 1. 8. *Sicut virgo acc. ſacco ob maritum adoleſcentiæ ſuæ* נְעוּרֶיהָ

Sic, *filius ſenectutis*, i. e. ſenili ætate procreatus, de Joſeph & Benjamin. Res ipſa eò nos trahit. *Filii* enim *ſenectutis* vix poſſunt patribus eſſe ſubſidio, antequam enim adoleverunt, illi moriuntur. Cauſam ergo habuit cur dixit. *Filii adoleſcentiæ*, i. e. qui ſenili ætate procreati.

5. אַשְׁפָּתוֹ] *Pharetram*, i. e. domum, ut ſagittis filios: Ita pharetræ domum comparat.

יְדַבְּרוּ אֶת] Dupl. interp. 1. *Loquentur cum inimicis.* 2. *Perdent*, ſic Jun. cum Kimchio, nam דִּבֵּר quoque *perdere*, ſic Pſ. 2. quidam, *Tum perdet* אֵלֵימוֹ *fortes eorum* 2 Chr. 23. וַתְּדַבֵּר *Athalia omne ſemen regium.*

R. D. Duas præterea hujus Pſalmi affert explanationes. I. Ut *omnia de Salomone* intelligantur, ejus regno & ædificatione Templi.

Domum] Templum.

Urbem] Jeruſalem, quia erat ראש הממלכה Metropolis אם

II. *Fruſtra vobis*] Alloquitur Abſolon & Adoniam.

Matutinantibus] Hoc dicit in Abſolon, qui aſpiravit ad Regnum florente adhuc Patre, qui maturè inſtituit rebellionem. De quo dicitur 2 Sam. 15. והשכים & *Mane ſurrexit & ſtetit juxta viam portæ & prenſabat ſingulos & furabatur cor populi*, &c. Alloquitur autem eum in plur. num. quod ſimul ejus aſſeclas comprehendat.

Tardantibus] Qui ſerò laboratis. Alloq. Adoniam cum ſuis conſectaneis, qui in veſpera ætatis Davidis jam decrepiti aſpirabat ad imperium.

Dabit dilecto ſuo] Salomoni. Alludit manifeſte ad ejus cognomen ידידיה *Jedidiah dilectus Domini.* 2 Sam. 12. Certe Salomoni quieſcenti & q. dormienti obtigit Regnum. Deſtinatum enim erat ei à Numine.

Cætera accommodat Davidi cui fuerunt liberi multi & omnes præclaræ indolis, quod probat ex 2 Sam. 8. *Et Filii D. erant* כֹּהֲנִים *Sacerdotes*, i. e. q. Sacerdotes quoad vitam, fortè quod ii debeant eſſe meliores aliis. Excipit tamen duos Abſ. & Adoniam, Oblitus eſt Ammonis qui ſorori ſuæ ὁμοπατρίῳ ſed ὁμομητρίῳ Abſolonis Stuprum intulit.

Altera expoſitio Kimchiana eſt de Meſſia & Templo denuo ædificando. *Niſi Dominus per Meſſiam ædif. fruſtra laborabunt alii. Ex quo*, inquit, *Iſraël migravit*, *ſemel ædificata*, *ſemel diruta. Fuit enim primo in manu Rom. deinde Turcarum. Magnaque bella geſta ſunt propter eam. Matutinantibus*] Romani. *Tardantibus*] Turcæ. *Dilecto*] Meſſia. Ignorant Judæi ſuæ urbis hiſtoriam. Quoties enim Dominos ſuos mutârit docent Præfatores in Bib. Anglicana.

Anno 615. à nato Chriſto Romanis eam eripuere Perſæ ad 22. annos.

Anno 637. Saraceni ad 372. annos.

Anno 1009. Turcæ & paulo poſt Sultanus Ægypti ad 90. annos.

1099. Godofredus Bullionæus Chriſt. cepit eam ad 88. annos.

1187. Salladinus Rex Perſiæ cepit & tenuit 330. annos.

1517. Selimus Turc. Imp. uſque ad hunc diem.

GROTIUS.

4. *Sicut ſagittæ in manu potentis*, *ità filii excuſſorum*] Illud quidem הנעורים hanc expoſitionem patitur, quam Lxx. vertunt ἐκτετιναγμένων, [*excuſſorum*,] alii τῶν πεδητῶν, [*vinctorum*,] nonnulli exponunt ἠκονηθέντος νῦ, [*mentis quæ acuta reddita eſt.*] Sed optima eſt interpretatio Symmachi, qui vertit τῆς νεότητος, [*juventutis.*] Oppoſitum habemus Geneſ. 35. 18. & 37. 3. Filii in juventute geniti robuſtiores eſſe ſolent.

5. *Non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta*] Nemo illi audebit injuſtas lites impingere præ metu tot ultorum. Hæc ſunt ſpiritûs Legis veteris.

PRICÆUS.

3. *Uxor tua ſicut vitis abundans*] Id eſt, fœcundiſſima. Talis matrona apud Apulejum illa, quæ decimo partûs ſtipendio familiam viri ſui fundaverat. Plinius 14. 1. de Vitibus, *Nullo fine creſcunt*, &c. *villas & domos ambiri ſingularum palmitibus*, &c. *memoriâ dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius exiſtimavit.*

4. *Filii tui ſicut novellæ olivarum*, &c.] Ità & infrà 143. 12. In Græco, ὡς νεόφυτα. Vide Homerum & Theocritum ad 1 Tim. 3. 6. adductos. Heſychius, Πεταλίδων, υἱῶν μετήχθη (nempe ἡ μεταφορὰ) ἀπὸ τῶν μόσχων, πέταλοι γὰρ οὕτω λέγονται.

IDEM.

2. *Bene tibi erit*] *Anima tua* (ut 24. 13.) *in bonis demorabitur: renovabitur* (ut 102. 5.) *velut aquilæ juventus tua. Eſſe bene* alicui, locutio eſt lautitias & affluentiam indicans. Sic in Decalogo, *ut bene ſit tibi.* Numer. 11. 18. *bene nobis erat in Ægypto.* Apud Petronium ille,

—— *Vivamus dum licet eſſe bene.*

Suprà hîc 91. 15. eodem ſenſu, *bene pati* habuimus.

3. *Filii tui*, *ſicut novellæ olivarum*, &c.] In Gr. ὡς νεόφυτα, Vide 143. 12. In vetere Onomaſtico, *Novellus*, νεόφυτος.

6. *Et videas filios filiorum tuorum*] Proverb. 17. 6. *Corona ſenum filii filiorum.*

Ibid. *Pacem ſuper Iſraël*] Et pace in Iſraël durante moriaris. Felicitas duplex, quali fetè uſus ille de quo 1. epiſt. 12. Plinius junior, *Deceſſit ſuperſtitibus ſuis*, *florente Republicâ.*

PSALM. CXXVIII.

MUNSTERUS.

3. *Ut vitis frugifera*] Licet debile & deſpectum lignum ſit Vitis, quæ ſeipſam nequit ſuſtentare, dulcem tamen

profert

profert fructum: ſic uxor imbecille eſt organum, quæ abſque viri præſidio vix vivere poteſt, parit tamen dulces liberos, qui *plantulis olivarum* comparantur, quod ſanctorum filii more olivarum ſemper optimâ floreant famâ, &c.

5. *Et videas bonum Jeruſalem*] Quia felicitas privata non ſatis firma ſtat ſine publica, rogat ut Deus benefaciat toti civitati, ut in ea vivere poſſent colentes Deum.

VATABLUS.

2. QUia comedes כִּי תֹאכֵל] Mutatio perſonæ à tertia ad ſecundam: pro, *nam veſcitur*. Iſtud *quia*, ſive *nam*, ſecundo loco poſitum, debuit primo loco poni, *Nam laborem manuum tuarum comedet*.

4. *Ecce certè ſic* הִנֵּה כִּי כֵן] *Ecce quia ſic*. Alii, *Ecce nam ſic*. Alii, *utique res ità habet quòd ſic*, &c.

5. *Benedicit tibi* יְבָרֶכְךָ] *Benedicat tibi. Felicem te reddat.* ¶ *Et videbis bonum Jeruſalem* וּרְאֵה בְּטוּב יְרוּשָׁלִָם] *Et vide in bono Jeruſalaim*. Vel, *bonum* pro *bona*, i.e. & fruaris felicitate Jeruſalem quâ hodie eam florere vides. Quidam imperativum pro futuro eſſe volunt, *Et oblectaberis videndo bona Jeruſalem*. Alii, *Et videas commoda Jeruſalem*.

CLARIUS.

DIcit colentem Deum privatim ac publicè bene beateque habitaturum.

3. *Sicut vitis abundans*] Licet debile ac deſpectum lignum ſit Vitis, quæ ſeipſam nequit ſuſtentare, dulcem tamen profert fructum: ſic Uxor imbecillum eſt organum, quæ abſque Viri præſidio vix vivere poteſt, parit tamen dulces liberos, qui *plantulis olivarum* comparantur, quòd ſanctorum filii more olivarum ſemper optimâ floreant famâ. ¶ *In lateribus domûs tuæ*] Reſpicit ad morem vitis, quæ ſeſe propagare ſolet per omnia latera.

5. *Videas bona Jeruſalem*] Quia felicitas privata non ſatis ſtat ſine publica, rogat ut Deus benefaciat toti civitati, ut in ea tuti vivere poſſint colentes Deum.

DRUSIUS.

2. יְגִיעַ כַּפֶּיךָ. A. *κόπων ταρσῶν σου*, *laborum palmarum tuarum.* Sym. *κόπον χειρῶν σου*, *laborem manuum tuarum*] Sic etiam V. ed. Hieron. epiſt. ad Marcellam, *Quod in Ebræo ponitur* כפיך, *Sym. Quintaque ed. tranſtulerunt* manuum tuarum, *ut ambiguitatem prioris ſermonis effugerent.* Priùs erat in LXX. *καρπῶν σου*, quod malè convertunt *fructuum tuorum.* Debet converti *manuum tuarum.* Nam *καρποὶ*, teſte Hieronymo, *manus* quoque dicuntur. Propriè *καρπὸς*, *junctura manûs cum cubito.* Sic 1 Reg. 5. *ἀμφότεροι οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ*, *ambo carpi manuum ejus.* Huc facit Scholion quod in ed. Rom. *οἱ ό. καρπὸν οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν·* quod ex Theodoreto ſumptum. Verba ſunt apud Interpretem, *Porrò Sym.* Labores manuum tuarum manducans beatus es; *ut planum ſit Lxx. Interpretes καρποὺς, non fructuum perceptionem vocaſſe, ſed manuum partem.* ¶ כִּי תֹאכֵל אַשְׁרֶיךָ. Sym. *manducans beatus es.*

3. בְּיַרְכְּתֵי בֵיתֶךָ. Alius, *ἐν τοῖς ἐσωτάτοις*, *in interioribus.* Alius, *ἐν τοῖς μηροῖς*, *in femoribus*] *Interioribus* puto Symmachi eſſe. In Fragmentis à me editis antea, *in penetralibus domûs.*

5. וּרְאֵה בְּטוּב יְרוּשָׁלָ͏ִם. Alius, *καὶ ὅρα ἐν ἀγαθοῖς Ἱερουσαλήμ*, *& vide in bonis Jeruſalem.*

AMAMA.

ESt ſuperioris Pſalmi q. Appendix.

1. Kimchi, *Timet Dominum qui abſtinet ab iis quæ Dominus fieri vetuit* שנזהר במצות לא תעשה; *Ambulat in viis ejus* שהזהיר במצות תעשה *qui obſervat præcepta affirmantia.* Pſ. 91. 11. *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, non opponuntur ibi viæ hominum & Dei ſed viæ hominis opponuntur *πολυπραγμοσύνῃ*, i.e. ſignificant legitimam cujuſque vocationem.

2, יְגִיעַ כַּפֶּיךָ *Laborem manuum*] i.e. Cibum labore manuum partum. Met. Efficientis. Ebræa clara ſunt, ut & Vulg. & Aq. *κοπῶν ταρσῶν σου*, *palmarum tuarum.* & Sym. *κόπον χειρῶν σου.* Sic & V. Editio. At Lxx. ambigui, niſi conferantur cum fontibus, *τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου*, quod Latinus Interpres, *labores fructuum tuorum.* Nullo ſenſu. Verti debet *Labores manuum tuarum.* *Καρπὸς* enim non modo fructum. Sed & *ἄρθρον τῆς χειρὸς καὶ βραχίονος* ſignificat teſte Ariſt. de Part. Anim. 1. & Heſychio. i.e. juncturam manus cum brachio, unde *περικάρπιον*, *μεσοκάρπιον*, *προκάρπιον* &c. Hinc ſynecd. *pro tota manu.* Huc pertinet Scholion Græcum *καρπὸν οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν.* *Καρπὸν* non vocarunt *fructum*, ſed *partem manus.* Quæ ex Theodoreto hauſta ſunt.

3. *Sicut olea*] R. D. K. *Homines plantant oleam in medio domus ſuæ, quæ ubi excrevit, ramos ſuos foras promittit & extendit.* Hoc accommodat poſtea ad bonam uxorem. *Olea eſt ſempiterna fronde*, loquitur Plinius, *nunquam cadunt ejus folia.* 2. Ut olea plantari poteſt & ſolet in domo media, ſic bona uxor ut & pudica virgo eſt *οἰκουρὸς* domi manens. Pſ. 68. 13. *honeſta Matrona* vocatur *habitatrix domus.*

Tim. 2. 5. Inter alias dotes bonæ uxoris ponitur ut ſint *οἰκουροί.* Sic Phidias pictor pinxit Elienſibus Venerem, quæ pedibus calcabat teſtudinem, quæ vocatur *domiporta*, in ſignum *οἰκουρίας.* Sic עַלְמָה *virgo* à עלם *Μαχάβ.* Contra inhoneſta fœmina paſſim in Prov. deſcribitur *à curſitatione.* Prov. 7. 11. 12. Unde Chaldæis vocatur נַפְּקַת בָּרָא *prodiens foras.*

בְּיַרְכְּתֵי] *Ad latera.* Quidam *in penetralibus.* Sic Jon. 1. 5. *Jonas deſcendit ad* יַרְכְּתֵי *navis*, Vulg. *ad interiora navis*, Lxx. *εἰς κοίλην, in concavum.* Symm. *ἐν τοῖς ἐσωτάτοις.*

Sicut plantæ] *Quæ inſitionem non ferunt*, inquit Kimchi, i.e. erunt ſine ulla ſuſpicione ſpuriatus, erunt genuini. Notat Kimchi hoc loco, *oleam non pati* הרכבה *inſitionem* מעץ אחר *ex alia arbore, nec conſeri nec inſeri.* Scalig. Exerc. 101. §. 11. *In arbore pingui non vivunt inſita*, Theophraſtus, *Inſitio ſurculorum oleaſorum in arbore non pingui proficit.* Non ergo proficit in arbore pingui. Quomodo ergo Apoſtolus Rom. 11. 24. *Tu ex naturali exectus eo oleaſtro & præter naturam inſitus es in oleam veram.* An tantum Parabolice hoc accipiendum ut *de aſpide* Pſ. 58? Non putarem Apoſtolum ſic locuturum fuiſſe, niſi oleæ inſitionem paterentur. Certe Plinius 17. 14. tradit rationem inſerendi oleas.

Circa menſam tuam] Ut miniſtrent tibi. *Circa menſam, ergo ſemper domi, non ergo ibunt foras ad tabernas & caupones*, inquit K. *Non erunt* זוללים וסובאים *Epulones & potatores.* Utraque vox extat Deut. 21. 20.

Olea eſt non tantum *ſignum fœcunditatis* ſed & *pacis.*

5. *Et vide*] i.e. Videbis, frueris. Imper. pro fut. Gen. 20. *Orabit pro te & vive.* Deut. 32. *Aſcende in montem & morere. Hoc fac & vive.* Virg.

Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto, i.e. eris.

בנים לבניך] Videtur eſſe Regimen quoad ſenſum. Non quoad vocem. NB. ל Aliquando impedit conſtructionem, ut hic & Pſ. 90. תְּפִלָּה לְמֹשֶׁה Aliq. non, 1 Chr. 23. 8. עַל־טָהֳרָה לְכָל־קֹדֶשׁ.

GROTIUS.

2. LAbores manuum tuarum quia manducabis] Vives honeſto labore partis, nemini ſupplex.

PRICÆUS.

7, 8. DE quo non implevit manum ſuam qui metit, &c. & non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos] Simillima de torrente turbido & lutulento Ovidius,

Quis te unquam potuit ſitiens haurire viator?
Quis dixit gratâ voce, Perennis eas?

IDEM.

2. SÆpe expugnaverunt me, &c. etenim non potuerunt mihi] Vox ultima heic abundat planè, ut *ſibi* & *tibi* plus ſemel in hoc libro. *Etenim non potuerunt*, eſt, non potuerunt autem: ſubaudi, *proficere*, vel, *prævalere. Sagittæ parvulorum* (ut ſuprà 63. 9.) *factæ ſunt plagæ eorum.* Jeremias 1. 19. & 15. 20. *Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt.* Cum elleipſi autem, quaſi hoc in Pſalmi loco, Idem 5. 22. *commovebuntur, & non potuerunt*: & infrà hîc 138. 6. *Non potero ad eam.*

3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*) Superpoſuerunt, & quaſi inædificaverunt mihi, irriſiones, machinationes, & calumnias ſuas. Metaphorâ à re fabrica deſumptâ uſus eſt & Seneca, ubi Marcellum aptum dixit ad ſuſtinendum quodcunque ei Auguſtus imponere & inædificare voluiſſet: quem locum ex memoria adduxi. Lxx. quos ſequitur Vulgatus, *ἐτέκταινον* & huc pertinere puto Heſychii illa, ſed corrupta, Ἐτέκτονον, *κατεσκεύαζον οἱ τέκτονες.* Scribendum dixerim, Ἐτέκταινον, & *ὡς τέκτονες.*

6. *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit*] Quod evulſum ſubitò exareſcit. Locutio proverbialis iſta eſt & Eſaiæ 37. 27. & 51. 12. ſuprà hîc 36. 2. & 14. 18. apud Sirachidem.

8. *Et*

8. *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos*] Mos idem iſte viget in Brittannia mea, nec dubito quin & alibi gentium.

PSALM. CXXIX.

MUNSTERUS.

2. NOn *prævaluerunt mihi*] Agnoſcitur in hoc magna benignitas Dei, qui populum ſuum, numero & viribus exiguum & imbecillem, ſemper ſervavit, quantumlibet impii ſæpe tentarint illum exſtinguere.

3. *In dorſo meo araverunt*] Aſſimilat injurias quas Dei populus in captivitate Babylonica pertulit *arationi & ductis in dorſo ejus longis ſulcis*, volens ſcilicet ſignificare diuturnam moleſtiam.

4. *Incidit funes*] h. e. Dominus virtute ſuâ fregit potentiam impiorum, liberavitque ſuos à tyrannide eorum.

6. *Sint ſicut herba creſcens in tectis*] Optat fieri impios, qui cultores Dei perſequuntur, ſimiles *herbæ quæ naſcitur è rimis & fiſſuris tectorum* (quæ plana habentur in Palæſtina) & *exareſcit* defectu humidi ſoli *antequam evellitur & demetitur: nec meſſor facilè implet manum ſuam: & tranſeuntes non bene precantur* his qui talem reſecant herbam, &c.

VATABLUS.

1. ANguſtiis *affecerum* צררוני] *Infeſtarunt: coartarunt me:* vel, *adverſati ſunt mihi.*

3. *Prolongaverunt ſulcum ſuum* האריכו למעניתם] Sing. pro plur. *produxerunt ſulcos ſuos*, i. e. longos fecerunt ſulcos. Metaphora ab arantibus; quâ ſignificat nullam datam illi fuiſſe requiem ab adverſariis, quin ſemper afflixerint. *Aratores* vocat hoſtes.

4. *Præcidit* קצץ] Præteritum Hebr. pro futuro. *Funes* vocat conſilia & artes nocendi. q. d. Amovebit jugum eorum à nobis.

5. *Pudore afficientur* יבשו] *Confundantur. Pudeſiant.*

6. *Erunt* יהיו] *Sint.* ¶ *Egrediatur* שלף] *Educta ſit, erumpat.* Quidam, *evellatur.* ¶ *Aruit* יבש] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. *areſcit.*

7. *Implevit* מלא] Præt. Heb. pro præſ. *implet:* i. e. quæ ad meſſem non pervenit, ut metendo impleret manum meſſoris. ¶ *Nec brachium ſuum* וחצנו] *Et ſinum ſuum.* Alii, *& oram veſtimenti ſui.*

8. *Dicent* אמרו] Præt. Heb. pro fut. vel præſ. *dicunt.* ¶ *Benedictio* ברכנו] Præt. Heb. pro præſ.

CLARIUS.

1. SÆpe *oppugnaverunt me*] Vox eſt populi commemorantis beneficentiam Dei erga ſe, quem numero & viribus exiguum ſervaverit, quantumlibet impii ſæpe tentarint illum exſtinguere.

3. *Supra dorſum meum*] Dorſo meo tantum oneris impoſuerunt ut ſigna in eo apparuerint qualia aratores agris imprimere ſolent, & veluti *ſulcos longos induxerunt.* Videtur hic Pſalmus de Babylonico exſilio compoſitus: ideo dicit hoſtes *prolongaſſe ſulcos.*

4. *Concidit funes*] Dominus virtute ſuâ confregit potentiam impiorum, atque ab eorum tyrannide liberavit ſuos.

6. *Sicut fœnum tectorum*] Optat fieri impios, qui cultores Dei perſequuntur, *ſimiles herbæ* quæ naſcitur è rimis & fiſſuris *tectorum* (quæ plana habentur in Palæſtina) & *exareſcit* deficiente humore *ante quam evellatur & demetatur, nec meſſor facilè implet manum ſuam:* unde & *tranſeuntes non bene precantur* his qui talem reſecant herbam, ut dicant, Proſperè eveniat hæc ſeges, &c.

DRUSIUS.

2. גם לא־יכלו לי. Alius, ἀλλ᾽ οὐκ ἠδυνήθησάν μοι. Alius, ἀλλ᾽ οὐχ ὑπερίσχυσάν μου, *ſed non prævaluerunt mihi.*

3. חרשו. A. & Th. ἠροτρίασαν, *araverunt.* ¶ האריכו למעניתם. Sym. *protraxerunt malo afficientes.* A. *produxerunt*] Theodoretus, *Aq.* produxerunt; *ſed Sym.* protraxerunt malè afficientes; *h. e. diutiùs mihi bellum inferre perſeverarunt & ſuam iniquitatem augere.*

4. עבותו. A. & Sym. βρόχους, *laqueos.* Th. & V. ed. κλοιούς, *torques.*

5. יסגו. Alius, ἀνατραπήτωσαν.

6. שקדמת שלף יבש. A. ὃ ἀρχῆθεν ἀνέθαλεν ἐξηράνθη, *quod ab initio regerminavit, exaruit.* Sym. ἐκκαυλῆσαι. Th. & V. ed. ἐκσπασθῆναι. VI. ἐκστερεῶσαι] Ἐκκαυλῆσαι πρὸ τοῦ ἐκκαυλῆσαι, *priusquam caulem emiſerit*, ſive, *in caulem eruperit.* Ità uſurpatur verbum *decauleſco* apud Latinos. ¶ Ἐκστερεῶσαι. Verbum eſt στερεόω, quod ſign. *durum & ſolidum reddo:* unde quod hic legitur ἐκστερεῶσαι, q. d. *antequam penitus induruerit firmatumque ac ſolidatum fuerit.* ¶ Ἐκσπασθῆναι, *evellatur.* Sic etiam LXX. Quædam tamen exempl. hujus ed. habent ἐξανθῆσαι.

7. כפו. Alius, δράκα αὐτοῦ, *pugillum ſuum.*

8. ברכנו אתכם. Sym. εὐλογοῦμεν, *benedicimus.*

AMAMA.

1. רבת. Iterum Adverbialiter ut ſupra. Notaricon, רב״ת, ר רומיים *Romani*, ב *Babylonii*, ת *Thogorma*, *Turca.* Sic Pſ. 3. ריים Cabaliſtæ interpretantur *Romanos*, *Babylonios*, *Ionios*, i. e. Græcos & Medos.

צררוני] Vulg. *Expugnaverunt me.* Geneb. fatetur, impropriè poſitum pro *oppugnarunt*, Bell. quoque reprehendit Vulg.

A pueritia] Alii pueritiam deſumunt à temporibus Abel, alii à ſervitute Ægypti.

Eccl. comparat terræ quæ cæliatur Jeſ. 51. ult. *Dicebant hoſtes animæ tuæ, abjice te ut tranſeamus, quibus exponebas tanquam humum corpus tuum & tanquam plateam tranſeuntibus.* In N. T. comparantur terræ ratione culturæ, 1 Cor. 3 9. *Vos eſtis Dei* γεώργιον.

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui
Repente exortus ſum, repente, concidi.

GROTIUS.

1. SÆpe *expugnaverunt me*] Voluit dicere *oppugnaverunt*; ἐπολέμησάν με [*bellum mihi fecerunt.*]

3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*] In Hebræo, *araverunt.* Aquila & Theodotion benè ἠροτρίασαν, *laceraverunt me ut terram quæ proſcinditur.*

Prolongaverunt iniquitatem ſuam] Legerunt LXX. לעלותם [*iniquitatem ſuam.*] In Hebræo meliùs למענותם, continuatâ metaphorâ; *protraxerunt ſulcos ſuos*, diu me vexarunt.

4. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum*] Domuit eorum ferociam.

6. *Fiant ſicut fœnum tectorum*] Fiant ſimiles herbæ (id enim χόρτον vocant Helleniſtæ) quæ in tectis naſcitur, & humore deſtituta citò admodum perit.

8. *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos*] Ut mos erat in agris, Ruth. 2. 4.

PRICÆUS.

3. SI *iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?*
Si quoties peccant homines ſua fulmina mittas,
Exiguo mundus tempore inermis erit.
——*Magni cuſtos clementia mundi*,
dixit inter Poëtas ille. Vide ſuprà 77. 39. & 102. 10.

PSALM. CXXX.

MUNSTERUS.

1. E *Profundis*] Subaudi *malis*, quibus ſum oppreſſus, inter adverſarios conſtitutus. Putan. autem Pſalmum hunc dictum de captivitate Babylonica.

4. *Timeberis*] Non ut tyrannus, ſed ut pius pater, qui poſcentibus ex corde non denegas veniam.

6. *Ante cuſtodes*] Dicit *cuſtodes* vigiles, qui totâ nocte per vices urbem cuſtodiunt. Hos dicit ſe antevertiſſe, manè conſurgens ad orationem. Vel eſt ſenſus, *Ab agentibus vigilias uſque ad agentes vigilias matutinas.*

VATABLUS.

1. DE *profundis* ממעמקים] *E profunditatibus*, ſub. *aquarum*, i. e. rerum adverſarum. ¶ *Clamo* ad te קראתיך] Præt. pro præſ. *invoco te.*

3. *Stabit* יעמד] *Subſiſtet, conſiſtet?* ſub. *in conſpectu tuo.*

4. *Quia tecum eſt*, &c. כי עמך הסליחה למען תורא] *Verum apud te eſt clementia, ut timearis.* Alii, *Certè apud te eſt clementia*, quâ uteris *ut colaris:* ſub. *alioqui homines te non timerent*, ſive *colerent;*

rent: aut, *Profectò aliqui ante te conſiſtent; nam penes te eſt clementia.*

5. *Exſpectavi Jehovam* קויתי יהוה] Præt. Heb. pro præſ. *Exſpecto Jehovam.* Alii, *Exſpectavi* [ſub. *opem tuam*] *ô Jehova.* ¶ *Exſpectavit anima mea* קוּתה נפשי] Hebraïſmus, quo ſignificat ſe ex animo exſpectaſſe, non ſimulatè neque fictè. ¶ *Et in verbo ejus ſperavi* ולדברו הוחלתי] Præt. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *Et verbum ejus exſpecto.* Vel, *in verbo ejus ſpem habeo.*

6. *Magis quam,* &c. משומרים לבוקר שומרים לבוקר] *Ardentiùs quàm excubitores tempus matutinum:* exſpecto, inquam, ardentiùs quàm *illi vigiles diem;* quo ſcilicet illis dormire liceat: noctu enim illis dormire non licet. Vel *cum his* [ſive *inter eos*] *qui obſervant quando dies fuerit, ut manè ſurgant ad orandum: ardentiùs, inquam, quàm,* &c. Alii, *Ante cuſtodes matutinos, ante cuſtodes,* inquam, *matutinos.* Ad verbum legitur Hebraïcè, *à cuſtodientibus* [ſive *obſervantibus*] *manè, obſervantibus mane.* Utitur repetitione, ut fervorem explicet.

7. *Exſpectet Iſraël Jehovam* יחל ישראל אל יהוה] *Speret Iſraël in Jehova.* ¶ *Et multa,* &c. והרבה עמו פדות] Hebraïſmus, pro, *frequenter & abunde nos liberare ſolet ab adverſis.*

CLARIUS.

1. DE *profundis*] Cùm tantùm non obrutus eſſem profundiſſimis malorum undis, tuum, Domine, auxilium imploravi. Putant & hunc Pſalmum dictum de captivitate Babylonica.

6. *Ante cuſtodiam matutinam*] Ut ſignificet ſe maturè conſueſſe ſurgere ad precandum. Intelligit autem cuſtodes qui totâ nocte per vices urbem cuſtodiunt. Vel hic ſenſus eſt, *Anima mea ardentiùs exſpectat adventum Domini quàm vigiles nocturni tempus matutinum; vigiles, inquam, qui ſomno gravati matutinum exſpectant tempus, quo dormire eis liceat.*

LUCAS BRUG.

2. SIcut ablactatus eſt ſuper matre ſua.] Quod plerique codices maſc. genere habent *Sicut ablactatus,* id nonnulli neutro ſcribunt, *Sicut ablactatum,* Hunnæi duo, D. P. & qui Lovanii excuſus eſt Proſperi textus. Atque ad hunc modum Græcè eſt, ὡς τὸ ἀπογεγαλακτισμένον. Ex Hebræo כגמול utrumque translatum reperi. Lobienſe exemplar, Tornacenſe & Stapulenſe *ablactatum* Gallico, *ablactatus* Romano Pſalterio adſcribunt. D. Hilarius legit, *Sicut ablactato;* jungitque cum eo quod in altera ſententiæ parte habet, *ità retribues.* Malè Atrebatenſis Collegii manuſcripta legunt, unum *ablatum,* alterum *ablatus:* & quidem hoc habet Auguſtini lectio, at ſubnectit *à lacte.*

Quod ſequitur, ſubſtantivum verbum *eſt* à multis MSS. tollitur, viginti noſtris: neque Hebraïcè legitur, aut Græcè additur. Hieronymi lectio addit, relativo antecedente, *Sicut qui ablactatus eſt;* ſimiliter Auguſtini, *Quemadmodum qui ablatus eſt à lacte.* Quòd ſi verò abſque relativo addatur, commodè referri poteſt ad id quod ſequitur, *ſuper matre ſua,* vel, ut habent alii multi libri, *ſuper matrem ſuam.*

DRUSIUS.

1. מִמַּעֲמַקִּים קְרָאתִיךָ יְהֹוָה. A. Ἐ βαθέων ἐπεκαλεσάμην σε, Κύριε, *E profundis invocavi te, Domine.* Sym. Ἐκ βαθυτάτων ἐκάλεσά σε, Κύριε, *E profunditatibus vocavi te, Domine.* Th. Ἐκ βαθέων ἐκέκραξά σε, Κύριε, *E profundis clamavi ad te, Domine.* V. & VI. ed. ſimiliter --- ἐκέκραξά σε, Κύριε.

4. לְמַעַן תִּוָּרֵא. Alius, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, *propter nomen tuum.* Alius, ἕνεκεν τοῦ γνωσθῆναι τὸν λόγον σου, *ut cognoſcatur * verbum tuum.* Alius, ἕνεκεν Φόβου, *propter timorem.* Alius, ἕνεκεν νόμου, *propter legem*] *Propter legem,* למען תורה. Symmachi eſt. Theodoretus, NOMEN *Aq. & Th.* timorem *explanarunt, Sym. autem* legem. Græca habentur in ed. Rom. ἀντὶ τοῦ ὀνόματος, Ἀ. καὶ Θ. Φόβον ἡρμήνευσαν, Σ. νόμον. Sequitur in eadem ed. ἡ ἑ. ὅπως ἐπίφοβος ἔσῃ, *ut metuaris:* ἡ ἑ. i. *V. editio.* Epiſtola ad Suniam, *Pro* nomine *enim ſive* lege *apud eos legitur* תירא, *quod A. interpretatus eſt* Φόβον, *h. e.* timorem; *Sym. & Th.* νόμον, *i.e.* legem; *putantes* תורה, *propter literarum Joth & Vau ſimilitudinem & formam, quæ tantùm magnitudine diſtinguuntur. Quinta editio* terrorem *interpretata eſt, Sexta* verbum.

5. קִוִּיתִי יְהֹוָה. Alius, ὑπέμεινα Κύριος. Alius, διέμεινα Κύριον] Hæc verba convertunt cum verſu qui proximè antecedit. Quòd ſi conjecturæ locus, Aquila vertit ἕνεκεν Φόβου ὑπέμεινεν Κύριον. Sym. verò, ἕνεκεν νόμου διέμεινεν Κύριον. Hæc conjectura mea nitatur iis teſtibus quos modò produximus. ¶. קִוְּתָה נַפְשִׁי וְלִדְבָרוֹ הוֹחָלְתִּי. A. ὑπέμεινεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ ῥῆμα αὐτοῦ ἐκαραδόκησα. Alius, προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου τῷ ῥήματι αὐτοῦ.

6. נַפְשִׁי לַאדֹנָי מִשֹּׁמְרִים לַבֹּקֶר. A. Ψυχή μου εἰς Κύριον ἀπὸ φυλασσόντων τὴν πρωΐαν, *Anima mea ad Dominum magis quàm cuſtodientes mane.* Καραδοκέω, *ſolicite exſpecto.*

AMAMA.

1. E *Profunditatibus*] i.e. Profundiſſimis calamitatibus. Profundæ, i.e. magnæ, ſic Latinis *profunda gula, libido, avaritia.* Hoſ. 5.4. הֶעְמִיקוּ שַׁחֲטָה *profundarunt mactationem,* i.e. magnam fecerunt. Statius, *Tædetque profundæ cædis,* i.e. magnæ. Hoſ. 9.9. *Profundarunt, Corruperunt,* ſub. vias ſuas, i.e. Profunde peccarunt. Regula, cum duo verba junguntur ſine copula, alterum reſolvendum in adverb. Porrò, *profunde peccârunt,* i.e. valde, multum, Chald. *adauxêre corrupt.*

Profunda nequitia, Apulejus, *Profunda ærumna cupidinis.* Metaph. à foveis & puteis qui quo profundiores eò majores.

2. אֲדֹנָי] קל״ד i.e. 134. vicib. occurrit in Textu V.T. alias ſemper יְהֹוָה. (· ſub Nun eſt διακριτικόν. Thema אֶדֶן *baſis.* Ab *Adon* decurtatum eſt *Don,* quod hodie extat apud Hiſpanos. Et *Pænos,* unde in Pœnulo Plauti,

AG. *Saluta hunc rurſum Pænicè verbis meis.*
M. *Haudoni. i. e. Salve, Have Domine.*

Don, Doni cum Aff. *Hau* eſt חַי. hoc pro חֲיֵה ut גַּל pro גַּלֵּה Imp. Piel. ad verbum *vive,* i.e. felix eſto. Hinc Latinum *Have,* pro quo in libris multis *Habe.* B. & V. alternabunt. Atque ita diſtinguitur ab *Ave* deſidera, ab *Aveo,* deſidero.

In tertio Anthologiæ, Epigr. in Meleagrum Tyrium,

Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ Σαλάμ; εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ
Αυδονις; εἰ δ' ἕλλην χαῖρε, τὸ δὲ αὐτὸ φράσον.

Ita correxit Scal. Antea erat *Vaudios,* tranſpoſitis literis. Dixit autem Αυδονις pro αὐδονι, quia magis alludit ad deſinentiam Græcorum. Ergo *Audoni* idem quod Σαλαμ Syrorum, χαῖρε Græcorum

3. *Obſervaveris*] Imputaveris, vel ſervaveris ad pœnam. Sirach. 28. 1. *Qui vindicat, à Domino inveniet vindictam, & peccata ejus.* Διατηρῶν, διατηρήσει, *diligenter aſſervabit,* ſc. ad pœnam. Ergo *ſervat,* qui *punit; non ſervat,* qui *condonat.*

Quis ſtaret, ſubſiſteret] Oppoſitum ejus eſt נָפַל. *Cadere in judicio.* Sic Pſalm. 1. Synonymum קוּם. Alii ſub. *in die furoris tui.* Atque huc ſpectavit Vulg. *quis ſuſtinebit?*

4. כִּי] *Nam.* ut ref. ad verſ. 2. Vel, *Sed.*

Apud te] Joſeph K. *Deus Angelis & creaturis multa demandavit, ſunt enim* πνεύματα λειτουργικά, *ut exequantur voluntatem ſuam in terra, ſed condonationem peccatorum ſibi reſervavit ſoli. Quod & Judæi noverant, ſolus Deus remittit peccata.* Quare, Reſpondet, *Ne dicerent homines in cordibus ſuis, Quando peccamus, conciliabimus nobis, & placabimus Angelos, & tollent iniquitates noſtras; ſed ut ipſum ſolum timerent, utpote penes quem ſolum remiſſio.*

Aben-Ezra, *Niſi tu condonares, niſi penes te unicum propitiatio, Non timerent te homines, ſed incederent in ſuis cupiditatibus & peccarent.* Non video cohærentia, niſi hoc velit, *Penes te eſt condonatio, Ergo & punitio. Tu habes poteſtatem condonandi & puniendi, niſi hoc eſſet, nihil curarent te homines* Vel ſic, *ut timearis, filiali timore, ut te colant in timore & tremore, i.e. filiali reverentia.* Sic noſtri Interp.

Mittimus ergo Lxx. ἕνεκεν (Alii CC. νόμου) ὀνόματός σου ὑπέμεινά σε Κύριε. Vulg. *ob Legem tuam ſuſtinui te Domine.* Symm. νόμου. Aq. & Th. Φόβου. V. Editio optime, ὅπως ἐπίφοβος ἔσῃ *ut metuaris.*

7. Vulg. *A cuſtodia matutina in noctem ſperet Iſraël in Domino.* Peſſimè. Alii, *ante cuſtodes matutinos.* Alii, *cum* Malè. מִן ſic non uſurpatur. Sic enim Ebræa, *Anima mea Dominum (expectat) magis quam cuſtodes (expectant) matutinum tempus, magis, inquam, quam cuſtodes* &c.

Junius priori loco *excubias,* poſteriori, *excubitores* vertit eodem ſenſu. Intelligit autem excubitores vigiliæ quartæ quæ terminatur ortu Solis.

Redemptio] Non agit *de liberatione ex exilio,* ut Kimhi, ſed *de redemptione proprie ſic dicta,* quæ facta eſt intercedente Sanguine & Satisfactione Salvatoris.

GROTIUS.

1. DE *profundis clamavi ad te*] Id eſt, merſus malis. Hanc interpretationem confirmat Pſ. 69. 2. & 3.

3. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?*]

Multa

Multa in illo tempore, ut imperfectiore, diſſimulabantur quæ non diſſimularet Deus ſub fœdere Chriſti, ubi tanta eſt certitudo vitæ æternæ, tanta exemplorum & præceptorum ſanctitas, tanta vis Spiritûs; ſed in utroque tempore, cum diſtinctione, tamen verum eſt quod dicit Philo libro Ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον [*Deum eſſe immutabilem,*] ad hanc rem appoſitè: Εἰ γὰρ βουληθείη ὁ Θεὸς δικάσαι τῷ θνητῷ χωρὶς ἐλέου, τὴν καταδικάζουσαν ψῆφον οἴσει, μηδενὸς ἀνθρώπων τὸν ἀπὸ γενέσεως μέχρι τελευτῆς βίον ἄπταιστον ἐξ ἑαυτοῦ δραμόντος, ἀλλὰ τοῦ μὲν ἑκουσίοις, τοῦ δὲ ἀκουσίοις χρησαμένου τοῖς ἐν ποσὶν ὀλισθήμασιν [*Si enim Deus vellet de mortali genere judicare ſine miſericordia, certè damnantem ferret ſententiam, cùm nemo ſit hominum qui ab ortu ad finem vitam ſine lapſu per ſe decurrerit, ſed partim voluntarias, partim non voluntarias paſſus ſit lapſationes.*]

4. *Quia apud te propitiatio eſt*] כי ſæpe valet *ſed*: & ità hîc ſumi par eſt. הסליחה eſt *venia, indulgentia.*

4 5. *Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine*] Connectunt finem commatis 4. cum initio quinti, ut eſt in Hebræo, & pro תורא (*timeberis*) legerunt תורה [*legem.*] Senſus Hebræi eſt, *ut timearis*; (quaſi dicat, non immeritò enim bonus es: quia deſperatio veniæ homines à pœnitentia abſtraheret) *Exſpectavi Dominum*, &c.

5. *A cuſtodia matutina uſque ad noctem*] Hoc in Hebræo non novum comma incipit, ſed cum ſuperioribus cohæret, neque noctis eſt mentio, ſed ſic habent verba: *Anima mea* (intenta eſt) *ad Dominum, magis quàm excubitores matutini, excubitores* (inquam) *matutini*: qui ſcilicet attentè diem exſpectant, ut ab excubiarum labore & inſomnia leventur. Repetitio autem vocum in canticis ſuavitatem quandam habet.

8. *Et ipſe redimet Iſraël*] Liberabit Iſraëlem.

Ab omnibus iniquitatibus ejus] A pœnis peccatorum. Peccatis populi totius faciliùs ignoſcit Deus. Neceſſaria venia eſt ubi totus peccavit exercitus.

PRICÆUS.

1. **N***Eque elati ſunt oculi mei*] In Gr. οὐδὲ ἐμετεωρίσθησαν οἱ ὀφθαλμοί μου. Hinc Sirachid. 23. 4. ὀφθαλμῶν μετεωρισμός.

Ibid. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*] Theodotion hîc, ἐν, &c. ὑπερβάλλουσιν ὑπὲρ ἐμέ. Tale Catilinæ ingenium, de quo ſic Saluſtius, *Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.* Vel, *in magnis & mirabilibus* intellige, quæ ſunt ſupra intellectum meum. Pindarus Pyth. γ'.

Μή, φίλα ψυχά, βίον ἀθάνατον
Σπεῦδε, τὰν δ' ἔμπρακτον ἄντλει μαχανάν.

Qui & ſenſus 3. 31. apud Sirachidem. Sophocles,

Τὰ μὲν διδακτὰ μανθάνω, τὰ δ' εὑρετὰ
Ζητῶ ——

Apollonius apud Philoſtratum 6. 6. Τὰ μὲν ἐμαυτῷ δυνατὰ θηρεύω, ξὺν ἐπαίνῳ τε αὐτῶν καὶ ἔρωτι· ὅτι μηδὲ ἐφικτὸν εἴη μοι, καταλιπὼν αὐτὸ ἄχραντον ψόγου. Adde 7. 1. Eccleſiaſtæ.

2. *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam, ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua*] Ordo eſt, Si exaltavi animam meam, & non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus, &c. Sic Apoſtolus ad Theſſalonicenſes, *Facti ſumus parvuli* (i. e. ſicut parvuli.) *in medio veſtrûm. Super matre ſua*, eſt, in gremio, ſive ſinu, matris ſuæ.

IDEM.

1. **N***Eque ambulavi in magnis & mirabilibus ſuper me*] Non rimor conſilia tua, in tuæ providentiæ arcana non inquiro. Vide Sirachid. 3. 22. & 24. & quæ in alteris Annotatis noſtris.

PSALM. CXXXI.

MUNSTERUS.

1. **N***On ambulavi*] Senſus eſt, Faſtui & arrogantiæ non dedi locum, atque ideo nihil tentavi quod fuit ſupra captum meum.

2. *Si non poſui*] Verè, inquit, ego ſic demiſi animam meam & coercui eam ut nihil audeat præſumere inhoneſtum, ſed tota pendet à Deo, ſicut puer qui jam eſt *ablactatus*, & tamen adhuc opus habet ut foveatur à *matre.* Alii exponunt hæc duo verba pro *comparare* & *aſſimilare.*

VATABLUS.

1. **E***St exaltatum* גבה] *Superbivit.* ¶ *Exaltati ſunt oculi mei* רמו עיני] Hoc dicit quòd faſtus appareat in oculis hominis. ¶ *Neque in mirabilibus*, &c. ובנפלאות ממני] *Neque in occultis à me.* Hebraïſmus, ac ſi dicat, neque arduas res aggreſſus ſum, nec tentavi aliquid quod eſſet ſupra vires meas: vel nec aggreſſus ſum intelligere occultiora & obſcuriora quàm ut à me intelligi poſſent.

2. *Si non poſui*, &c. אם לא שויתי ודוממתי] Hebraïcum dicendi genus. Confirmat autem ſuperiora jurejurando: q. d. *Fruſtrer ſpe meâ*, ſive, *Nunquam Deus mihi adſit, ſi non coercuerim*, ſive *compeſcuerim quietumve reddiderim animum meum, tanquam nuper ablactatum puerum*: omnia exſpectans à Deo, ut ille à matre ſua, cùm ex ſe nihil poſſit. Quidam ſecundum verbum, tanquam eſſet à radice דמה, quod *ſimilem eſſe* ſignificat, & etiam *ſilere*, vertunt, *Si non æquiparavi & ſimilem eſſe feci animam meam.* Ut hæc duo verba pro *æquiparare* & *aſſimilare* ponantur; ac ſi vertas, *Si non adæquavi & ſimilem reddidi animam meam ablactato.* ¶ *Sicut ablactatus* כגמל] Repetitio, & velut præcedentium expoſitio.

3. *Exſpecta Iſraël Jehovam* יחל ישראל אל יהוה] *Spera Iſraël in Jehova.*

CLARIUS.

1. **N***Eque ambulavi in magnis*] Non ambivi magna & faſtui, atque arrogantiæ non dedi locum, ut tentarem quod ſupra me eſſet.

2. *Si non humiliter*] Heb. *Si non poſui & ſilere feci* (vel *compeſcui animam meam.*) ¶ *Sicut ablactatus, in me eſt anima mea*] Eo affectu ſum quo infans ab uberibus matris ſuæ recèns depulſus, qui ſolus figere greſſus non poteſt, ſed matris ſuſtentatur manu. Juratio autem eſt, more Hebræorum, cui non addit quid ſibi imprecetur: deeſt enim *fruſtrer ſpe meâ penitus, ſi ità non eſt.* Sic eſt illud, *Si David mentiar*, &, *Si introibunt in requiem meam.*

DRUSIUS.

1. וְלֹא רָמוּ. Alius, οὐδὲ ὑψώθησαν, *neque elati fuerunt.* ¶ בִּגְדֹלוֹת. Sym. ἐν μεγαλειότησιν. Th. ἐν μεγαλωσύναις] Sic ed. Rom. In Fragmentis meis, *Sym. In majeſtatibus. A. In magnificentiis.* Id ſumpſi ex Comment. Theodoreti. Ponam ipſa verba, fidei meæ cauſâ, *Sym. autem, In majeſtatibus*; *Aq. verò, In magnificentiis.* ¶ וּבְנִפְלָאוֹת מִמֶּנִּי. Th. οὐδὲ ὑπερβάλλουσιν ὑπὲρ ἐμέ. Sym. *neque tranſcendentibus me*] Prius hauſtum ex ed. Rom. alterum ex Theodoreti Commentariis.

2. אִם לֹא שִׁוִּיתִי וְדוֹמַמְתִּי נַפְשִׁי כְּגָמֻל עֲלֵי אִמּוֹ כַּגָּמֻל עָלַי נַפְשִׁי. Sym. εἰ μὴ ἠξίωσα καὶ ὡμοίωσα τὴν ψυχήν μου ἀπογαλακτισθέντι πρὸς μητέρα αὐτοῦ, οὕτως ἀνταποδοθείη τῇ ψυχῇ μου] In Theodoreteis, *Niſi dignam cenſui & comparavi animam meam infantulo à lacte depulſo apud matrem ſuam, ſic retribuatur anima mea.*

GROTIUS.

MUltum de Euangelico ſpiritu trahit hic Pſalmus. Et ſanè inter Davidis virtutes fuit magna quædam modeſtia.

1. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*] In Hebræo: *Non arrogavi mihi magna & inconceſſa.* Id eſt, non affectavi regnum meopte inſtinctu. Theodotio: ἐν μεγαλωσύναις, οὐδὲ ὑπερβάλλουσιν ὑπὲρ ἐμέ, [*in rebus magnis & quæ ſupra me erant.*]

PRICÆUS.

14. **Q***Uoniam elegi eam*] Gr. ὅτι ᾑρετισάμην αὐτήν quem locum puto reſpici in Heſychii iſtis, Ἡρετισάμην, ἠγάπησα. ἐπεθύμησα, ἠθέλησα, ἠράσθην.

IDEM.

3. **S***I aſcendero in lectum*, &c.] Ità 2. Apuleji, *grabatulo aſcenſo.*

4. *Si dedero ſomnum oculis meis*, &c.] Nota cum ſummo ſtudio rei alicui incumbentis. Vide Proverb. 6. 4.

Ibid. *Et requiem temporibus meis*] In Gr. κροτάφοις. In Gloſſario, Κρόταφοι, *hæc tempora.*

Ibid. *Donec inveniam locum Domino*] *Inveniam*, præparem.

15. *Pau-*

15. *Pauperes ejus ſaturabo panibus*] Suprà 21. 27. *Edent pauperes, & ſaturabuntur.*

PSALM. CXXXII.

MUNSTERUS.

1. M*Emento, Domine, David*] Precatur Propheta ut Deus promiſſa ſua præſtet, & Numinis ſui ſedem in Zijon urbe regia figat, Regnum poſteris ejus confirmet, donec veniat qui orbi ſalutem adferat.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata*] Subaudi *manſionem arcæ Domini*. Per *Ephrata* verò & *campos ſilvæ* putant intelligendum locum areæ Araſnæ: de quo habetur 2 Sam. 24.

14. *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi*] Cùm autem Deus in terrena Zijon benevolentiæ ſuæ ſedem perpetuò non habuerit, ſatis claret Prophetam reſpexiſſe ad ſpiritualem Zijon, h. e. ad Eccleſiam ſanctorum.

16. *Veſtiam ſalute*] h. e. Conſpicuos faciam converſatione & doctrinâ, ut nihil niſi ſempiternam ſalutem præ ſe ferant: quod etiam eſt *juſtitiam eſſe indutos*.

17. *Faciam florere cornu David*] h. e. Permanebit Regnum David uſque ad Chriſtum, non in exteriori pompa; ſed in poſteris ejus erunt aliqui qui populo præerunt donec veniat Chriſtus, qui *regnabit in domo Jacob in æternum*. Significatur autem per *ordinatam lucernam* idem quod per *cornu David*. Ut enim cornu David ſemper germinavit, ſic lucerna ejus uſque ad Chriſtum luxit, juxta intellectum jam expreſſum.

VATABLUS.

1. D*Avid cum omni afflictione ejus* לדוד ארת כל עׇנוּתוֹ] *Ipſi Davidi* [vel *ipſius Davidis*] *univerſæ afflictionis ejus. Ipſi Davidi*, i. e. in favorem Davidis.

2. *Jehovæ* ליהוה] Mutatio perſ. i. e. tibi. ¶ *Potenti ipſius Jaacob* לאביר יעקב] i. e. Qui potenter eripuiſti Jaacob à periculis. Alii, *fortiſſimo* (ſub. *Deo*) *Jaacob*. Alii, *magnifico* Deo *Jaacob*.

5. *Jehovæ* ליהוה] i. e. Ubi reponatur arca Jehovæ: h. e. donec conſtruxero Templum in quo reponatur Arca Dei potentis quem coluit Jaacob, vel qui potenter ſervavit Jaacob. ¶ *Manſiones* משכנות] *Habitationes, tabernacula*. Sing. pro plur. aut plurali utitur quòd tres eſſent partes Templi, ut Pſal. 68. 36. ¶ *Fortis ipſius Jaacob* לאביר יעקב] Vide v. 2.

6. *Audivimus eam* שמענוה] Sub. *manſionem*, vel *requiem*. Quidam vertunt, *audivimus eum*, ſub. *locum*. Vel, *audivimus de eo*, nempe *loco*, à Senioribus Iſraël qui erant in Bethlehem cùm adhuc pueri eſſemus. ¶ *In campis ſilvæ* בשדי יער] i.e. In agris ſilvoſis. Arcam Ornam videtur intelligere, 2 Sam. 24. 20.

7. *Introibimus in*, &c. נבואה למשכנותיו וגו'] *Introeamus tabernacula ejus, adoremus ſcabellum pedum ejus*. Alii, *Adeamus habitacula ejus, proſternamus nos ad ſcabellum pedum ejus*. Hortatur omnes ut intrent in Templum. Fut. Heb. pro imperat.

9. *Juſtitiam* צדק] i. e. Veſtes Sacerdotales, quæ adumbrant & deſignant omnimodam bonitatem. ¶ *Et ſancti tui* וחסידיך] *Et miſericordes tui*. Sic infra v. 16. Levitas intelligit. ¶ *Exſultent* ירננו] *Cantent, ovent*.

12. *Chriſti tui* משיחך] *Uncti tui*.

11. *Avertetur* ישוב] *Deflectet, diſcedet*.

15. *Eſca ejus* צידה] *Victui ejus; Cibo ejus*, ſub. *Sionis*: acſi dicat, Mittam majorem benedictionem in frugibus ac fructibus ejus quam in aliis terris Iſraël, ad gloriam domûs meæ quæ eſt in medio ejus.

16. *Induam ſalute* אלביש ישע] Hebraïſmus, pro *ſervabo & protegam*.

17. *Oriri faciam* אצמיח] i. e. Florere, germinare aut propagare faciam. ¶ *Parabo* ערכתי] Præt. Heb. pro fut. *Inſtituam, diſponam*: q. d. floridum efficiam illic robur, regnum, regiam dignitatem: nam illic collocabo aliquem è poſteris Davidis, qui ſemper erit populo velut lucerna; idque in gratiam ejus. Poſteritas Davidis vocatur *lucerna*, 1 Reg. 11. 36. & 15. 4.

18. *Induam pudore* אלביש בושת] Hebraïſmus, pro, *obruam pudore, pudefaciam*.

CASTALIO.

6. E*Cce autem id Ephratæ audivimus, id in ſilveſtribus agris invenimus*] Hujus loci ſententiam non intelligo.

17. *Lucernam uncto meo componens*] Poſteritatem concilians.

CLARIUS.

CAnit de ſempiternitate & felicitate Regni Chriſti & præſentia Dei in Eccleſia ejus, ſub typo Regni David & Arcæ in Sion repoſitæ.

1. *Memento, Domine, David*] Precatur Propheta ut Deus promiſſa ſua præſtet, & numinis ſui ſedem in Sion urbe regia figat, regnumque poſteris ejus confirmet, donec veniat qui orbi ſalutem afferat.

2. *Juravit Domino*] Hoc votum putant Hebræi fuiſſe nuncupatum cùm ſæviret peſtilentia. 2 Sam. 24. & 1 Par. 21.

6. *Audivimus eam in Ephrata*] Hic verſus plurimùm Hebræos fatigat, cùm non legatur Arcam perlatam fuiſſe Ephrata, i. e. Bethleem: quare quidam ſic interpretantur, *Audivimus eam per David, qui fuit ex Ephrata*. Alius ſic, *Audivimus ex ore Prophetarum locum Arcæ debere eſſe Bethleem, verùm revelante Angelo invenimus eam in campis ſilvæ*, i. e. in area Araunæ Jebuſæi. Poteſt autem idem appellaſſe *Ephrata* & *campos ſilvæ*, ut prædium Araunæ hoc nomen habuerit ob fertilitatem: nam EPHRATA *fertilem terram* ſignificat. Poteſt & ſic intelligi; David in Bethleem accepiſſe promiſſionem de certo Templi loco inveniendo. De hac area habetur 1 Par. 21.

7. *Introibimus in tabernaculum ejus*] Eamus ergò, inquit, in tabernacula quæ ipſe elegit ſibi, proſternamus nos ſupplices ante ſcabellum pedum ejus.

8. *Surge, Domine*] Precatur Deum ut eat ad eum locum quem ſibi ad hoc elegerat ut præ cæteris peculiariter requieſceret in eo.

10. *Nè avertas faciem*] *Nè averſeris unctum tuum*.

14. *Hæc requies mea in ſeculum*] Hic manifeſtè Propheta ad ſpiritualem Sion aſpexit. Cùm enim Deus in terrena Sion ſedem perpetuò non habuerit, neceſſe eſt ut Eccleſiam Chriſti intelligamus.

16. *Induam ſalutari*] Vel *ſalute*. Conſpicuos, inquit, faciam converſatione & doctrinâ, ut nihil niſi ſempiternam ſalutem præ ſe ferant: quod etiam eſt *juſtitiâ eſſe indutos*.

17. *Florere faciam cornu David*] h. e. Permanebit Regnum David uſque ad Chriſtum, non in exteriori pompa; ſed in poſteris ejus erunt aliqui qui populo præerunt donec veniat Chriſtus, *qui regnabit in domo Jacob in æternum*. ¶ *Paravi lucernam*] Vocat *lucernam* poſteritatem David in Regno; ut idem ſit quod *cornu David*. De hac habes 3 Reg. 11. 36. & 15. 4. & 2 Par. 21. 7.

DRUSIUS.

1. עׇנוּתוֹ. A. κακȣχίας, *malæ tractationis*. Sym. κακώσεως, *vexationis*. V. ed. ταπεινώσεως, *dejectionis*] Pſal. 44. 24. ענינו. Sym. κακȣχίας ἡμῶν. Forſan & hîc leg. A. κακώσεως. Sym. κακȣχίας. Sed nihil decerno. Nam Pſal. 89. 22. לא יעננו. Sym. ȣ̓ κακώσει & Th. ȣ̓ κακȣχήσει.

4. לְעַפְעַפַּי תְּנוּמָה. Th. τοῖς κροτάφοις μȣ νυςαγμόν Cæteri, τοῖς βλεφάροις μȣ νυςαγμὸν, *palpebris meis dormitationem*] Τοῖς κροτάφοις, *temporibus*. Nam κρόταφοι, *tempora*. Hoc membrum in LXX. quondam obelo prænotatum fuit. Vide ſis ed. Rom.

6. בִּשְׂדֵי־יָעַר. A. & Sym. ἐν χώρᾳ, *in regione*. V. ed. ἐν ἀγρῷ *in agro*. Plenum eſt ἐν χώρᾳ τȣ̃ δρυμȣ̃, *in regione ſilveſtri*.

8. אֲרוֹן עֻזֶּךָ. Alius, κιβωτὸς τῆς ἰσχύος σȣ, *arca roboris tui*. Alius, τȣ̃ κράτȣς σȣ, *fortitudinis tuæ*.

9. יִלְבְּשׁוּ צֶדֶק. Alius, ἐνδυσάσθωσαν δικαιοσύνην, *induant juſtitiam*. Alius, ἀμφιεσθήτωσαν. ---

10. אַל־תָּשֵׁב פְּנֵי מְשִׁיחֶךָ. A. μὴ ἐπιςρέψῃς τὸ πρόσωπον τȣ̃ χριςȣ̃ σȣ, *nè convertas faciem uncti tui*. Sym. μὴ ἀποςραφῇς τὸ πρόσωπον τȣ̃ χριςȣ̃ σȣ, *nè averteris faciem uncti tui*. Th. μὴ ἀποςρέψῃς τὸ πρόσωπον τȣ̃ χριςȣ̃ σȣ, *nè avertas faciem uncti tui*.

15. צֵידָהּ בָּרֵךְ אֲבָרֵךְ. A. ἐπισιτισμὸν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω, *cibaria ejus benedicens benedicam*. Sym. τὴν σίτησιν αὐτῆς. Th. & V. ed. θήραν αὐτȣ̃, *venationem ejus*] Θήραν αὐτȣ̃. Sic etiam Lxx. ediderunt. Vide Comment. qui in operibus Hieronymi ad hunc locum.

16. רַנֵּן יְרַנֵּנוּ. A. αἰνέσει αἰνέσȣσιν, *laudando laudabunt*. Sym. εὐφημȣ̃ντες εὐφημήσȣσιν, *fauſta prædicando fauſta prædicabunt*: vel, *bene ominando bene ominabuntur*. Ad verb. *bene ominantes*. Sic αἰνέσει ad verbum ſonat *laude*.

18. נִזְרוֹ. Sym. ὁ ἁγιασμὸς αὐτȣ̃, *ſanctificatio ejus*. Alius, τὸ κέρας, *cornu*. Alius, ἀφόρισμα αὐτȣ̃, *ſeparatio ejus*. Alius, τὸ ἀφωρισμένον αὐτȣ̃] Autor commentariorum in Pſalmos qui in operibus Hieronymi, נזרו *Aquila* conſecratum *interpretatur; &*

ſig.

ſig. laminam ex auro quæ in fronte Pontificis ligabatur ſculptum habens nomen Domini.

A M A M A.

PIſc. vult eſſe precationem qua Deum oret David ut juvet Salomonem in Templo ædificando, ubi collocetur Arca fœderis. Jun. vult Pſ. eſſe conſcriptum, cum Arca ex Domo Obed-Edom deducenda eſſet in Jeruſalem 1 Chr. 15.

אֵת כָּל־עֻנּוֹתוֹ] *Cum omni afflictione ejus.* Alii, *Davidi omnem afflictionem ejus.* LXX. Vulg. *& omnis manſuetudinis ejus* עַנְוְתוֹ Sic ſæpe variant Keri & Kethib in עני, quod juxta puncta עָנִי *afflictus:* juxta conſ. עָנָו *manſuetus.*

Forti Jacob] Gen. 49. 24. Sic *Sanctus Iſraëlis.*

3. אִם] Juram. Negat. quia ſine negatione. Simile, *ſi introibunt, ſi dabitur iis ſignum.* Imprecatio ἐλλείπει. Male ſupplent, *Diſpeream*, Non ſolent ita loqui Pii. Hæc enim locutio, *ſic mihi Deus faciat, ſic addat*, quæ tamen εὐφημισμὸν continet, non ſolet uſurpari niſi à militantibus.

Tentorium domus meæ] Eſſet votum temerarium, ſi ſimpliciter intelligeret, ſe ſub dio cubaturum & inſomnes noctes cubaturum, donec veniret Arca &c. Itaque commode per *domum* intelligemus *Domum novam*, quam ædificavit David in civitate ſua. 2 Sam. 5. 9. 1 Chr. 15. 1.

4. לִעַפְעַפַּי] Malè Lxx. τοῖς κροτάφοις, Vulg. *Temporibus.*

5. *Stratorum meorum*] Quæ in domo nova. Somnum, In domo nova.

6. *Audivimus eam*] Arcam ſub. fuiſſe. In Ephratha, In Silo urbe Ephraim, ubi fuit Arca cum Tabernaculo à tempore Joſuæ uſque ad obitum Eli, quo tempore capta fuit à Philiſth. 1 Sam. 4.

אפרתה Vox ambigua, eſt enim ſynonymum τῦ *Betlehem*, unde ſimul legantur Mich. 5. ad διάκρισιν alterius Bethlehem. Hinc David vocatur *vir Ephrathi.* Sic Ruth. 1. *Machlon* & *Chiljon* dicuntur אפרתים, *ex Bethlehem Juda.*

II. *Ephratha* videtur poni pro *Ephraim*, *& Ephrathi* pro *Ephraimita*, Jud. 12. 5. 1 Reg. 11. 26. manifeſte.

In agro Sylvæ] Περίφρασις civitatis Kirjath Jearim, ubi collocata fuit Arca poſtquam reſtituta à Philiſthæis 1 Sam. 7. unde fuit deportata à David in civitatem ſuam. 2 Sam. 6.

7. *Accedimus*] Sic Jun. narrativè, & intelligit domum Obed-Edom. Alii *accedamus*, intelligentes tentorium & locum quem David fecerat Arcæ, 1 Chr. 15. Alii ut ſint verba Iſraëlitarum quibus ſuum ſtudium in Deo colendo oſtendunt poſt Ædif. Templum.

לַהֲדֹם] Vid. Pſ. 69. 5. 1 Chr. 28. 2. Arca vocatur *ſcabellum pedum Dei.* Objectum adorantis, non adorationis.

9. *Sancti tui*] i.e. Sacerdotes. Græci quoque ſuos Sacerdotes ὁσίυς vocârunt teſte Plut. in libro de defectu Oracul.

1 Timoth. 1. 11. Deus vocatur μακάριος alias קָדֹשׁ.

10. *Ne avertas faciem uncti tui*] Vide Calv. Confer. 2 Reg. 2. 20. In verbis Batſebæ ad Salom.

11. *Propter David*] i.e. Me. Alii Chriſtum intelligunt Hoſ. 3. 5. Kimchi ad Pſ. 21. 1. *De David*, i.e. Chriſto qui David vocatur, ubi? Hoſ. 3. 5. *Quærent Dominum Deum ſuum & D. Regem ſuum.* Jirm. 30. 9. *Et ſervient Domino Deo ſuo & Dav. R. ſuo.* Ezech. 34. 24. *Ego Dominus ero eis Deus & ſervus meus David Princeps in medio eorum.*

14. *Hæc requies mea*] Non amplius vagabor de loco in locum, ut antea.

15. צֵידָהּ] *Viatico ejus, eſca, commeatui.* ציד צֵיד ut à בַּיִת fit בֵּית. Dicimus & צֵידָה Gen. fœm. Eſt Meton. effic. & Synecd. ſpeciei. *Venatio* pro *carne venatione capta*, *caro venatione capta* pro *quavis eſca.*

Ejus] Jeruſalem, refertur ad Tzijon quatenus per eum intelligitur Jeruſalem.

Vulg. *Viduam ejus benedicam*, i.e. אַלְמְנָתָהּ. Ubi unquam auditum τὸ ציד ſignif. *Viduam*? Quis unquam ex Eſca viduam fecit? Ridiculum ergo interpretamentum. Sed quis ejus erroris fons? Ex Calvino, *Coppenus* putat, Monachos legiſſe *&* pro unâ litera *d.* (*Vidum*) ac deinde ſuppleviſſe literam (*Viduam:*) Genebr. putat eos legiſſe in Græco χῆραν, pro eo quod illi optimè verterunt θηρὰν, idque inconſulta Ebraïca veritate. Et tamen Genebr. ne γρὺ de corrigendo hoc errore. Quidam Codices legerunt θύραν, ita Lat. Interpres in Edit Baſil. *portam ejus.* Clem. VIII. & Sixt. V. ὐδὲ γρὺ. Etiamnum hodie in templis eorum ita canitur. Quid ergo miramur eos in magnis eſſe pertinaces, qui tales ſunt in parvis.

Et ſic Auguſt. Apollinarius, Proſper legerunt decepti hâc verſ. Hilarius tamen legit, *Captionem*, & interpretatur ac ſi *de venatoribus & piſcatoribus* hominum eſſet locutus, i.e. Apoſtolis, quorum venationi & Capturæ ſe benedicturum promittat.

16. *Induam ſalute*] i.e. Miniſterium eorum reddam ſalutare populo meo. Vel ſalute, i.e. pietate & ſanctimonia ſalutari.

17. *Germinare faciam*] Alludit ad nomen Meſſiæ qui vocatur צֶמַח *Germen.*

Cornu Davidi] R. D. *Cornu*, i.e. חֹזֶק וּמַלְכוּת, *Robur & regnum ſpirituale.*

Aptavi lucernam] i.e. Apparavi majeſt. & gloriam. Sic 1 Reg. 11. 36. *Ut ſit lucerna Davidi uncto meo*, ubi Chald. vertit *regnum.* Jun. interp. *dignitatem & ſplendorem Regium.* Sic *Lucerna impiorum extinguetur*, i.e. dignitas. 2 Chr. 21. ſub Joram, noluit Dominus diſperdere domum David ob pactum quod inierat cum eo & quia promiſerat ei dare lucernam & filiis ejus.

נִזְרוֹ *Coronamentum ejus*] Intelligit Regnum & Majeſt. cujus inſigne eſt corona. Saul in ultimo prælio cum Philiſth. *gerebat coronam*, 2 Sam. 1. 10. De *Coronâ Davidis* Pſ. 21. 4. 1 Chr. 20. 2. Jirm. 13. 18. Ezech. 21. 26.

NB. Laminam auream ſummi Pontificis quæ ordinarie vocatur ציץ Ex. 39. 30. Scriptura quoque vocat נֵזֶר Levit. 8. 9. Ex. 39. 30. Eò quod in modum coronæ efformatata eſſet, unde Chald. כְּלִילָא, Joſephus ςεφάνην vocat. Et Philo, χρυσῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ ςέφανος ἐδημιυργεῖτο, τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος. Quò alludit Hier. Epiſt. ad Fabioliam, ubi agit de Veſtibus Sacerd. Agens de Lamina, Lamina aurea rutilat in fronte, nihil enim nobis prodeſt omnium rerum notitia, niſi Dei ſcientia coronemur.

G R O T I U S.

1. MEmento Domine David] Solomonis eſt carmen patri deſtinata implentis. Vide 2 Sam. 7. Confer verſum 8. & 16. cum 2 Paralip. 6. 41. videbis eadem eſſe verba.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata*] *Audivimus de eo* (ſupple *Tabernaculo*) *in Ephrata:* id eſt, Bethleemi puer cum eſſem audiveram ubi aſſervaretur Arca. Verba hæc ſunt Davidis quæ Solomo repetit.

Invenimus eam in campis ſilvæ] In Hebræo: *In campis Jahar*, id eſt, in urbe à *locis ſilvoſis* dicta *Cariathiabarim*, ubi habitabat Abinadab 1 Paralipomen. 13. 6.

11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*] Id eſt, aliquem natum ex aliqua uxorum tuarum. Nam בטן in hoc ſenſu de fœminis dici ſolet. Uterus autem uxoris ad maritum pertinet cum omni ſuo fructu.

15. *Viduam ejus benedicens benedicam*] Meliùs, *Eſcæ ejus.* Aquila, ἐπισιτισμὸν ἀυτῆς, [*victum ejus:*] Symmachus τὴν σίτησιν ἀυτῆς. Vox Hebræa ציד, & *eſcam & venationem* ſignificat. Lxx. in poſteriori ſignificatu ſumſerunt, & vertunt θήραν [*venationem*,] ut citat Hieronymus. Sed librarii literâ unâ mutatâ fecerunt χήραν, [*viduam*,] quod ſequuntur Hilarius, Apollinaris, Arabs, Æthiops, Pſalterium Romanum & Gallicum. Tam facilè fluunt errores.

16. *Et ſancti ejus exſultatione exſultabunt*] Ad hunc locum videtur reſpicere Chriſtus apud Johannem 5. 35.

17. *Paravi lucernam Chriſto meo*] Id eſt, poſteros regnaturos; qui dicuntur genitorum *lucerna*, quod ab eis lucem, id eſt, dignitatem trahant, 1 Reg. 11. 36. 15. 4.

P R I C Æ U S.

1. ECce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum!] Gr. ἐπὶ τὸ ἀυτό· id eſt, ut Act 4. 32. ἐν καρδίᾳ καὶ ψυχῇ μιᾷ· vel, ut Philipp. 2. 2. σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονῦντες. Sic Homerus,

——— Οὐ μὲν γὰρ κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε. ———

de viro & uxore loquens Iliad. 9. & Dio in Oratione de Concordia, Ποῖον θέαμα κάλλιον πόλεως ὁμοφρονύσης; Civitas autem eſt magna quædam domus: quin & *jucundum* in Contextu Pſalmi eſt καλὸν θέαμα. Micipſa apud Saluſtium, *Quis amicior quàm frater fratri?* De fratribus ſuis neſcio quis ille in vetere epigrammate,

Sic illos vincam, ſic rurſus vincar amando.
Mutuus inter nos ſic bene certet amor.

Ibid. *Habitare fratres in unum*] Concordi voluntate. *Nam utique & filii Noe ſimul habitabant, & non erat in his morum concordia: habitabant etiam in domo patris Eſau & Jacob, ſed diſcrepabant.* Sunt verba D. Ambroſii Offic. 1. 33.

2. *Sicut unguentum in capite*, &c.] Suidas in Μῦρον ἐπὶ κεφαλῆς, ad hunc Pſalmi locum, Τὸ ἀρχιερατικὸν ἔλαιον ἐξ ἡδυσμάτων συνέκειτο, ἀλλ' ὐδὲν ἐκεῖνο (lege ἐκείνων) τὸ καθ' ἑαυτὸ τοσαύτην ἐυοσμίαν ἠφίει, ἡ δὲ πάντων μίξις καὶ κρᾶσις πλείςην ὅσην τὴν ἐυωδίαν εἰργάζετο· τύτῳ τὴν ἀδελφικὴν συμφωνίαν ἀπείκασεν·

ἡ γὰρ τῶν πλειόνων κατορθωμάτων συνεισφορὰ τῆς τελείας ἀρετῆς τὴν εὐσεμίαν ἐργάζεται.

Ibid. *Quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*] Ità infrà 134. 12. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraël populo ſuo.*

IDEM.

1. *QUàm jucundum habitare fratres in unum!*] Proverb. 18. 19. Sirachid. 25. 2. Vide & Plutarchi Tractatum περὶ Φιλαδελφίας.

2. *Quod deſcendit in barbam*, &c.] Τὴν ἥνην μύροις καταβρέχειν eſt apud Anacreontem.

PSALM. CXXXIII.

MUNSTERUS.

INtelligitur Pſalmus iſte de his qui Spiritu Dei renati veram inter ſe habent fraternitatem, quâ nihil eſt jucundius. Aſſimilatque Propheta eam pretioſo illi *unguento* quo ſoli Sacerdotes & vaſa Tabernaculi inungebantur, quod *effuſum* immenſum ſpargebat odorem. *Effuſum* autem *ſuper caput Sacerdotis*, *diſtillabat in barbam ejus*, *atque in os veſtimentorum ejus.* Utitur & aliâ ſimilitudine, nempe *roris*, qui fœcundat montem *Hermon* paſcuoſum, & *montana Zijon*: ſic ubi vera eſt concordia, ibi eſt *benedictio Dei* & omnium gratiarum affluentia, *vitaque* planè beata.

VATABLUS.

1. *ETiam ſimul* [גם יחד] i. e. Unanimes.

2. *Super caput* [על הראש] Sub. *effuſum.* Dicit concordiam fratrum ſuaviorem eſſe unguento illo odoratiſſimo quo ungebantur Reges & Sacerdotes.

3. *Illuc præcepit* [צוה שם] Præt. Heb. pro præſ. & Hebraïſmus, pro, *mandat*, ſive *mittit Jehova benedictionem illuc*, h. e. in tales: i. e. felices reddere ſolet eos qui ità vivunt: curat ut ubi eſt vera fraternitas, omnes ſuâ beneficentiâ fruantur.

CASTALIO.

2. *AHaronis*] Pontificis: ut Latinè *Cæſares* appellantur à primo Cæſare.

CLARIUS.

INtelligitur Pſalmus iſte de iis qui Spiritu Dei renati veram inter ſe habent fraternitatem; quâ nihil eſt jucundius. Aſſimilatque Propheta eam pretioſo illi *unguento* quo ſoli Sacerdotes & vaſa Tabernaculi inungebantur, quod effuſum immenſum ſpargebat odorem. Effuſum autem *ſuper caput Sacerdotis*, *diſtillabat in barbam ejus*, *atque in oras veſtimentorum ejus.* Utitur & alia ſimilitudine, nempe *Roris*, qui fœcundat montem *Hermon* paſcuoſum, & *montana Sion.* Sic ubi vera eſt concordia, ibi eſt *benedictio Dei*, omnium gratiarum affluentia, *vita*que planè beata: & idcirco addit, *Illuc mandavit Dominus benedictionem.*

3. *Ros Hermon*] Bis repetendum eſt, ſic, *Ros qui deſcendit in Hermon*, *& ros qui deſcendit in montem Sion.*

DRUSIUS.

1. הִנֵּה מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים שֶׁבֶת אַחִים גַּם־יָחַד. Alius, Ἰδοὺ δὴ τί ἀγαθὸν, καὶ τί καλὸν, ἀλλ᾽ ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπιτοαυτό; *Ecce verò quid bonum & quid pulcrum quàm habitare fratres ſimul?*

2. כַּשֶּׁמֶן הַטּוֹב עַל־הָרֹאשׁ יֹרֵד עַל־הַזָּקָן זְקַן־אַהֲרֹן שֶׁיֹּרֵד עַל־פִּי מִדּוֹתָיו. A. Ὡς ἔλαιον ἀγαθὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, καταβαῖνον ἐπὶ τὸν πώγωνα, τὸν πώγωνα Ἀαρὼν, τὸ καταβαῖνον ἐπὶ ςόμα ἐνδυμάτων αὐτοῦ, *Sicut oleum bonum ſuper caput*, *deſcendens in barbam Aharonis*, *deſcendens*, *inquam*, *ſuper os indumentorum ejus.* Sym. Ὡς τὸ μῦρον τὸ κάλλιςον ἐπὶ κεφαλὴν καταῤῥέον, ἐπὶ πώγωνα τὸν Ἀαρὼν, τὸ καταῤῥεῦσαν ἐπὶ τὴν ὤαν τῶν περιμέτρων αὐτοῦ, *Sicut unguentum præſtantiſſimum ſuper caput defluens*, *ſuper barbam Aharon*, *defluens ſuper oram ambientium ipſum veſtimentorum*] Τὸν Ἀαρών. Suſpicor leg. τοῦ Ἀαρών. Suſpectum mihi & illud τὸ καταῤῥεῦσαν. Pro τῶν περιμέτρων αὐτοῦ alius edidit ἐνδυμάτων αὐτοῦ. Theodoretus, ORAM *vocavit quem* torquem *appellamus.* *Hoc autem Aquila* veſtimentorum os *dixit.* Sudas ſive Suidas, Τὸ περιςόμιον ὤαν ἐκάλεσεν ὁ Δαβὶδ, ὃ καλοῦμεν περιτραχήλιον· οἱ δὲ, ςόμα ἐνδύματος, εἰρήκασιν· οἱ δὲ, τὴν ἀνάκλασιν τοῦ ἱματίου. Autor Comment. in Pſalmos qui exſtant inter opera Hieronymi, *A. quod deſcendit ſuper os veſtimentorum ejus.* In ed. Rom. *Theodotio*, *ut* LXX. ὡς μῦρον ἐπὶ κεφαλῆς, &c.

AMAMA.

COmmendat concordiam duobus arg. ab utili & dulci. Dulcedinem ſeu ſuav. declarat ſimilitudine unguenti. Utilitatem à Rore.

R. Davidis Pater expoſuit de toto Iſraël. 2. Aben. de Concordia Ordinis Sacerdotalis quem vult deſignari per Aharon tamquam caput ejus. 3. R. David. de conc. futura inter Meſſiam & Summum Pontificem illius Temporis. Dicit enim manſurum diſcrimen Sacerdotis S. & Regis, ejuſque rei typum à Zacharia fuiſſe propoſitum in Zerubabel & Jeſum.

Fratres] Frater V. modis dicitur, Cognatione, Natura, Religione, Gente, Affectu.

2. *Sicut unguentum*] De ejus confectione Ex. 30. 23.

[על פי מדותיו] *Ad oram.* Jun. i. e. extremitatem, limbum. Aug. *Ora veſtimenti finis eſt.* Piſc. *Ad os.* Foramen cui inditur collum. Sic Genebr. quoque *in oſtium & introitum*, Kimchi בית הצואר. Aq. ἐπὶ ςόμα ἐνδυμάτων, Symm. & LXX. ἐπὶ τὴν ὤαν, *oram*, explicant *ſuperiorem.* Theodoretus, *Oram* vocavit quem *torquem* appellamus; hoc Aquila *os veſtium* dixit. Suidas, τὸ περιςόμιον ὤαν ἐκάλεσεν ὁ Δαβιδ. ὁ καλοῦμεν περιτραχήλιον οἱ δὲ ςόμα ἐνδύματος εἰρήκασιν, οἱ δὲ αγάκλασιν τοῦ ἱματίου.

GROTIUS.

ECce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum] Menander,

Ὡς ἡδύ γ᾽ ἐν ἀδελφοῖσιν ὁμονοίας ἔρως.

[*Quàm dulcis eſt res fratrum concordans amor.*]

3. *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*] At longè Hermon à Sione, non minùs quàm

Πόῤῥω τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα.

[*Myſûm Phrygumque diſſident fines ſatis.*]

Sion eſt Hieroſolymis; Hermon propè lacum Galilææ: quomodo ergò ros hinc illuc defluit? Eruditi probabile putant vocem minùs frequentem שיאן [*Schion*] mutatam in vocem ſimilis ſoni ציון [*Tſion* aut *Sion.*] Eſt autem mons שיאן idem qui Hermon Deuter. 4. 48. Bis ergò hîc idem dixit ut ſæpe Hebræi. De rore in vertice montium vide Deuteronom. 33. 13. 14. 15.

PRICÆUS.

1. *QUi ſtatis in domo Domini, in atriis domûs Dei noſtri*] Vide 121. 2.

PSALM. CXXXIV.

MUNSTERUS.

1. *QUi ſtatis in domo Domini per noctes*] Per hos intelliguntur nedum Levitæ, quorum officium erat excubias agere *in domo Domini*, verùm & reliqui ex populo, quorum plerique *per noctes* in Templo Domino ſupplicaturi manebant, *attollentes manus ſuas ad ſanctitatem*, i. e. ad Arcam fœderis, unde Dominus reſponſa dabat, quæ & typus fuit Chriſti, per quem veluti Mediatorem Pater cœleſtis nos exaudit.

VATABLUS.

1. *BEnedicite Jehovæ* [ברכו את יהוה] *Prædicate Jehovam.* ¶ *Qui ſtatis*, &c. [העמדים בבית יהוה בלילות] Annotant Hebræi hoc loco, Levitarum partes fuiſſe in domo Jehovæ excubias agere: multos etiam ex reliquo populo fuiſſe qui dies noctesque Templo adhærebant, & nocturno tempore laudes Deo canebant, quos hîc *ſtantes in domo Jehovæ* dicit. De his etiam in Pſalmo ſequenti loquitur, v. 2.

2. Ad *Sanctuarium* [קדש] Versùs *Sanctitatem*: i. e. ad Sancta ſanctorum, ubi erat Arca, è qua Dominus promiſerat ſe reſponſa daturum.

3. *Be-*

3. *Benedicat tibi* יברכך] Nempe qui id feceris, i. e. qui laudaveris Deum.

CLARIUS.

1. QUi *ſtatis in domo Domini*] Per hos intelliguntur non ſolùm Levitæ, quorum officium erat excubias agere in domo Domini; verùm & reliqui ex populo, quorum pleriquc per noctes in Templo Domino ſupplicaturi manebant.

2. *In ſancta*] Vel *ad ſanctitatem*, i. e. ad Arcam fœderis, unde Dominus reſponſa dabat, quæ & typus fuit Chriſti, per quem veluti Mediatorem Pater cœleſtis nos exaudit.

DRUSIUS.

2. קֹדֶשׁ. Alius, ἁγίως. Alius, ἡγιασμένως.

GROTIUS.

1. 2. IN *noctibus extollite manus veſtras*] Nam Iſraëlitæ multi dies noctesque in Templo continuabant, ut apparet ſuprà 92. 3. & 119. 147. Vide quæ ad Lucam 2. 37. In horum gratiam factus hic Pſalmus & ſequens.

PRICÆUS.

14. ET *in ſervis ſuis deprecabitur*] In Gr. παρακληθήσεται quæ vox cùm ſit πολύσημος, fortaſſe hic non malè verti potuit, *conſolabitur*: i. e. ut Luc. 18. 7. ποιήσει ἐκδίκησιν αὐτῶν. Ità 2 Maccab. 7. 6. ille juvenis à ſatellitibus Antiochi excarnificatus, *Aſpiciet Deus veritatem, & conſolabitur in nobis:* quaſi Deus nempe de vindicta ſervorum ſuorum ſolatium capiat. Nec multò aliter in Comœdia ille,

Ego hanc macharam mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, neve animum deſpondeat,
Quia ſe jam pridem feriatam geſtitem.

15. *Simulacra Gentium argentum & aurum*] De iiſdem Paulus Act. 17. 29. χρυσὸς, ἄργυρος, λίθος.

16. *Oculos habent, & non videbunt*] Non poſſunt videre.
Viſus abeſt oculis præſentibus ——

IDEM.

4. ET *elegit Iſraël in poſſeſſionem ſibi*] In Gr. εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ· id eſt, ut 1 Pet. 2. 9. εἰς περιποίησιν. Ità Exod. 19. 5. Ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος.

6. *Omnia quæcunque voluit, fecit*, &c.] Vide ad 113. 11.

7. *Educens nubes ab extremo terræ*] Ab omni latere. Vide infrà 146. 8. Baruch. 6. 61. Job. 36. 28, 29. Jerem. 10. 13.

8. *Producit ventos è theſauris ſuis*] Ex inferioribus terræ, Job. 37. 9. Sic ſuprà heic 32. 7. de eodem, *Ponens in theſauris abyſſos*: id eſt, aquarum immenſas congregationes. Servius ad Georg. 4. *Theſauris, apothecis, repoſitionibus.*

13. *Simulacra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum*] Vide ſuprà ad 113. 12. adde Baruch. 6. 7.

18. *Similes illis fiant qui faciunt ea*] Vide quæ jam dicto loco.

PSALM. CXXXV.

MUNSTERUS.

2. QUi *ſtatis in domo Domini*] Invitat ad laudem Dei peculiares miniſtros ejus, ut erant Sacerdotes, Levitæ, & alii ſancti homines, qui per noctes excubias agebant in Templo.

7. *Elevat nubes ab extremo terræ*] h. e. Miniſterio cœlorum educit vapores è viſceribus terræ, quæ longiſſimè diſtat à cœlis, & coagulat in nubes, unde naſcuntur flatus, tonitrua, fulgura, & fulmina: & non ſine magno miraculo in magnis æſtivis tempeſtatibus, jungit *fulgura pluviis*, & ignem aquis, & tamen aquæ non exſtinguunt ignem coruſcantem.

VATABLUS.

2. QUi *ſtatis* שעמדים] Vide eadem Pſal. 134. 2.

3. *Jehova* יהוה] Antecedens pro relativo *ipſe*.

4. *In peculium ſibi* לסגלתו] i. e. Ut ſit peculiaris & proprius ſibi.

6. *Voraginibus* תהומות] *Abyſſis.*

7. *Aſcendere facit nubes*] מעלה נשאים] *Elevat vapores; exhalationes:* ſub. *ab irrigua terra*, quæ poſtea vertuntur in nubes: nam ab exhalationibus ſiccæ terræ gignuntur venti, flatus, tonitrua. ¶ *Cum pluvia* למטר] i. e. Pluviæ permiſta: quod eſt mutare naturam rerum; nam proprium eſt aquæ exſtinguere ignem: videntur verò ſæpe ampliſſima fulgetra inter largiſſimos nimbos emicare. ¶ *De theſauris ſuis* מאצרותיו] *E reconditoriis ſuis*; nam ſunt inviſibiles, neque ſcimus unde veniant, & quò eant.

8. *Ab homine uſque ad jumentum* מאדם עד בהמה] *Tam hominum quàm pecorum.* Alii, *pariter in genere hominum & in pecore.*

14. *Judicabit*, &c. ידין יהוה עמו] Fut. Heb. pro præt. *judicium fecit populo ſuo*: i. e. liberavit à ſervitute Ægyptiaca. ¶ *Pœnitentiâ ducetur* יתנחם] *Pœnitentiâ ductus eſt*: i. e. pœnituit eum tam multis malis affeciſſe populum ſuum, & rediit cum eo in gratiam. Alii, *erga ſervos ſuos placatus fuit.* Alii, *conſolabitur ſuper ſervis ſuis.*

19. *Benedicite Jehovæ* ברכו את יהוה] *Prædicate Jehovam; laudate*: ſic in ſequentibus.

CLARIUS.

INvitat ad laudem Domini peculiares miniſtros ejus, ut erant Sacerdotes, Levitæ, & alii ſancti homines qui per noctes excubias agebant in Templo.

7. *Ab extremo terræ*] h. e. A terra, quæ eſt extrema pars orbis. Alii intelligunt de mari. Sed etiam à terra aſcendunt exhalationes; à ſicca quidem, quæ in fumum conformatæ gignunt Ventos, Flatus, Tonitrua, Turbines, Fulgura, Fulmina, & id genus; ab irrigua verò humidæ, à quibus oriuntur Nebulæ, Rores, & Gelu omne genus, Nubes, Pluviæ, Nives, & Grandines; quæ omnia majeſtatem Dei ingentem referunt atque potentiam. ¶ *Fulgura in pluviam fecit*] Fulgura vertit in pluviam, vel fulgura inter pluviam fecit, ut miro modo aquæ non exſtinguant ignem coruſcantem. ¶ *De theſauris ſuis*] Educit ventos è locis abditis, tanquam theſaurorum ſuorum repoſitoriis.

14. *Judicabit Dominus*] Suſcipiet patrocinium cauſæ populi ſui contra adverſarios.

DRUSIUS.

3. כִּי־טוֹב יְהוָה. Alius, ὅτι χρηστὸς Κύριος. ¶ כִּי נָעִים. A. ὅτι εὐπρεπὲς, *quia decorum.*

4. יִשְׂרָאֵל לִסְגֻלָּתוֹ. Sym. *& Iſraëlem in electionem ſibi.*

7. מַעֲלֶה. Alius, ἀναβιβάζων. Alius, ἀναστῶ. ¶ מִקְצֵה. Alius, ἐπ' ἄκρων. Alius, ἐκ τελέσματος. ¶ מוֹצֵא. A. V. & VI. ed. ἐξάγων *educens.* Sym. προφέρων, *proferens.* Th. ὁ ἐξάγων, nempe ut Lxx. ¶ מֵאוֹצְרוֹתָיו. A. Sym. Th. V. & VI. ἐκ θησαυρῶν αὐτῶν.

12. לְיִשְׂרָאֵל. A. Sym. Th. τοῦ Ἰσραήλ.

13. זִכְרְךָ. Alius, ἡ ἀνάμνησίς σου, *recordatio tui.*

18. כֹּל אֲשֶׁר בֹּטֵחַ בָּהֶם. A. πᾶς ὁ πέποιθεν ἐπ' αὐτοῖς, *omnis qui confidit in eis.* Sym. πᾶς ὁ πεποιθὼς αὐτοῖς, *omnis fidens* (aut *fretus*) *illis.* Th. καὶ πάντες οἱ ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτὰ, *& omnes ſperantes in eis.* V. ed. πᾶς ὁ ἐλπίζει ἐπ' αὐτοῖς, *omnis qui ſperat in eis.* VI. ed. πᾶς ὁ ἐλπίζων ἐπ' αὐτὰ, *omnis ſperans in illa.*

AMAMA.

TRes priores verſus ſunt coronis præcedentium gradualium, continentque adhortationem ad laud. Deum.

Qui ſtatis] *Perſeveratis.* Aug. Joh. 8. *Diabolus in veritate non ſtetit.* Vel *miniſtratis*, de quo alibi. Stabant enim miniſtrantes, unde forte Belgæ dicunt Miniſtrum hic vel illic *ſtare*, i. e. verſari in Miniſterio.

In atriis] Intelligit Laïcos & Iſraëlitas quibus aſſignatum erat atrium, quod ſubdiviſum in atria virorum & fœminarum. 2 Chr. 4.

סְגֻלָּה] κειμήλιον. *Peculium* aliud eſt vid. ſubſtantia ſive poſſ. ſervorum quam parſimonia ſeu liberalitate Dominorum obtinent. Lxx. vertunt περιούσιος Ex. 19. περιουσιασμός hic & Eccl. 2. 8. R. Abr. *eſt res deſiderabilis, in quâ quis gloriatur.* Tit. 2. 14. *Ut purif. ſibi* λαὸν περιούσιον, 1. Petr. 2. λαὸς εἰς περιποίησιν.

יַמִּים] Diſt. à. יָמִים & יָמִּים. Vide Cenſ. Gen. 36.

6. *Quicquid vult facit*] Generale Axioma.

In cœlo & in terra &c.] Amplif. à diſtribut. locorum. Nam per *Abyſſos* intelligo *infernum.* Vide Dictata noſtra.

7. נְשִׂאִים] Alii *vapores*, alii *nubes.* Appl. ab elevando.

Fulgura לַמָּטָר] *Pluviæ*, i. e. in ſignum pluviæ ſecuturæ. Sic

 Gen. 1.

Gen. 1. *In tempora & annos.* Kimchi, *cum Pluvia.* Magnum Miraculum ex nubibus Ignem & Aquam exire. Ignem non abſumere aquam, aquam non extinguere ignem.

8. *Ventum è theſauris*] i. e. Abditis terræ cavernis, ſpeluncis, in quam ſententiam Virg. 1. Æn.

Sed Pater Omnipotens ſpeluncis abdidit atris.
Ni faciat; maria, ac terras, cœlumque profundum,
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Hoc metuens molemque & montes inſuper altos
Impoſuit.

GROTIUS.

7. EDucens ab extremo terræ] Id eſt, ab omni parte horizonti

PRICÆUS.

4. QUi facit mirabilia ſolus] Ὁ μόνος δυνάςης, (1 Tim. 6. 15. ubi dicta vide.) Ὀβριμοεργός. quam vocem Homericam, ἰσχυρὰ ἢ μεγάλα ἐργαζόμενος Heſychius exponit. Vide ſuprà 85. 10.

6. *Qui firmavit terram ſuper aquas*] Fecit ut terra mari ſuperior eſſet, & ſic finibus id contineret ſuis. Seneca Natur. quæſt. 3. 29. de Aqua loquens, *Habet quo ambiat terras, non quo obruat.* Vide ſuprà 23. 2. & 130. 9. Zeno Veronenſis Serm. de Patientia, *Tamen extremorum pallido recurſu voluminum, quaſi jus terræ cognoſcens, ac violare devitans, mirâ patientiâ in ſe frangitur, iiſdemque fluctibus quibus cogitur refrænatur.*

15. *Et excuſſit Pharaonem*] Excuſſit quia de curru pugnabat. Gr. hic ἐκτινάξαντι. In Gloſſario, *Excuſſit*, ἐξετίναξεν.

25. *Qui dat eſcam omni carni*] Suprà 103. 27. *Omnia à te exſpectant ut des illis eſcam.* Vide & infrà 145. 14. item ad Matth. 6. 26. annotata.

IDEM.

5. QUi fecit cœlos in intellectu] In ſapientia ſua. Vide Scriptorem Sapient. 9. 9. Suprà hic 103. 25. *Omnia in ſapientia feciſti.* Hoc ſuprà 32. 6. & 67. 35. *facere in virtute* dixit.

8. *Solem in poteſtatem diei*, &c. *Lunam*, &c. *in poteſtatem noctis*] Servius ad Æneid. 4. *Per diem Sol lucet, Luna per noctem.*

25. *Qui dat eſcam omni carni*] Sirach. 18. 12.

PSALM. CXXXVI.

MUNSTERUS.

1. QUoniam in ſeculum pietas ejus] Senſus eſt, Sicut omnia ſuperat virtute & potentiâ, ſic omnia excellit pietate & bonitate. Laudandus igitur eſt, confitendus & celebrandus (hæc enim omnia ſignificat verbum הודה) ab omnibus piis hominibus.

2. *Deo Deorum*] Hoc dicitur, non quòd multi Dii, ſed quòd imago aliqua potentiæ Dei reluceat in his qui ſummâ videntur pollere poteſtate.

6. *Qui expandit terram ſuper aquas*] h. e. Denudavit terram ab aquis, & aquas ſeorſum in abyſſis contra naturam earum manere cogit. Et hoc Divinum *beneficium ſtat in ſeculum*, ut homines, animalia & plantæ convenienter in ſuperficie terræ manere poſſint. In diluvio tamen propter impietatem hominum, ſed ad breve tempus, permiſit aquas redire ad locum ſuum, donec ultionem ſumeret de impietate hominum. Sed nec tunc pietatem ſuam omnino ſuſtulit, cùm de omnibus ſpeciebus animalium aliqua individua in vita conſervaverit.

9. *Lunam & ſtellas*] Beneficia Dei in Luna & ſtellis exhibita ſentiunt hi qui noctu per deſerta gradiuntur invia aut navibus per mare ambulant.

15. *Impulit Pharaonem*] h. e. Renitentem cocgit intrare mare, cùm ille diceret, *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eo.*

VATABLUS.

2. QUoniam in ſeculum miſericordia ejus כי לעולם חסדו] Hæc repetitio (ut ſcribunt Hebræi) in fine ſingulorum verſuum commonefacit nos miſericordiæ Dei, invitatque ut celebremus eum ex conſideratione creaturarum.

5. *Cum intelligentia* בתבונה] Pſal. 104. 24. dicit, *Omnia in ſapientia feciſti. Cum intelligentia* igitur, i. e. ſingulari ingenio & ſummâ induſtriâ, ut quidam vertunt.

6. *Extendit* לרוקע] *Expandit:* ità enim terra aquas continet ut aquis ſuperior eſſe videatur.

8. *In dominium* לממשלת] *Ut dominium habeat. Ut præſit diei.*

13. *Suph in diviſiones* סוף לגזרים] *Rubrum ſectionibus*, i. e. in partes. SUPH *caricoſum* ſive *arundinoſum* ſignificat.

18. *Potentiſſimos* אדירים] *Inclytos, inſignes, magnificos, præſtantes.* Eadem & Pſalmo præcedenti, v. 10. leguntur.

23. *Qui in dejectione noſtra* שבשפלנו] *Qui in humilitate noſtra*, i. e. cùm eſſemus oppreſſi.

24. *Et vindicavit nos* ויפרקנו] *Et redemit nos. Et aſſeruit nos.*

CLARIUS.

1. QUoniam in æternum miſericordia ejus] Senſus eſt, Sicut omnia ſuperat virtute & potentiâ, ſic omnibus antecellit pietate & bonitate. Laudandus igitur eſt, memorandus & celebrandus ab omnibus piis.

2. *Deo Deorum*] Non quòd multi ſint Dii, ſed quòd imago aliqua potentiæ Dei reluceat in iis qui ſummâ videntur præditi poteſtate.

5. *Qui fecit cœlos in intellectu*] h. e. Singulari ingenio & arte.

6. *Expandit terram ſuper aquas*] h. e. Denudavit terram ab aquis, & aquas ſeorſum in abyſſis contra earum naturam manere coegit, & hoc Divinum beneficium ſtat in ſeculum, ut homines, animalia & plantæ in ſuperficie terræ aptè manere poſſint. In diluvio tamen propter impietatem hominum, ſed ad breve tempus, permiſit aquas redire ad locum ſuum, donec eos ulciſceretur.

8, 9. *In poteſtatem*] h. e. Ut præeſſent, *Sol* quidem *diei*, *Luna* verò *& ſtellæ nocti*, quarum utilitatem ii ſentiunt qui noctu per deſerta & invia gradiuntur, aut navibus perambulant mare.

15. *Excuſſit Pharaonem*] Alius vertit *impulit*, h. e. renitentem coegit intrare mare cùm ille diceret, *Fugiamus Iſraëlem; Dominus enim pugnat pro eo.*

DRUSIUS.

6. לרוקע. Alius, πιλήσαντι, *cogenti.*

7. אורים גדלים. A. & Sym. Φῶτα μεγάλα, *lumina magna.* Th. τὰ ἄςρα, *aſtra.*

8. לממשלת ביום. Alius, ἐπικρατεῖν τῆς ἡμέρας, *ad imperandum diei.*

13. לגזרים. A. Εἰς ἀποτμήματα, *in ſciſſuras.* Sym. εἰς τομὰς, *in ſectiones.*

25. נותן לחם לכל־בשר. Alius, διδὰς ἄρτον πάσῃ σαρκὶ, *dans panem omni carni.* Alius, ὃς δίδωσιν, *qui dat.*

AMAMA.

KImchi. Pſ. habet 26. verſus, omnes clauduntur כי לעולם חס׳ Dixereque DD. noſtri eos reſpondere 26. doroth hagnolam. Quæ fuere à Creato M. ad datam Legem. Senſus hemiſtichii intercalaris eſt אין לא הפסק. Ejuſque repetitio eſt להגדיל השבח.

Terna repetitio τῦ הודו refertur à quibuſdam ad triadem perſonarum, quarum 1. vocatur יהוה abſoluta, 2. *Elohe Elohim*, 3. *Adone Adonim.* Si ita eſt, quomodo Elohim vi pluralis numeri innuit pluralitatem perſonarum? An etiam uni perſonæ tributum ut hic ex hypotheſi & Pſ. 45. erit ſignificatu plurale? Hoc eſſet ad Sabellii caſtra tranſire.

Dominus Dominorum] Locutio ut *Cant. Canticorum*, *Servus ſervorum.* Sed qui ſunt illi Dii? Angeli, Judices, Principes. Qui vocantur Dii, vel quicquid homines ſuperſtitioſi pro Deo habent, ſive ſint Entia, ut Angeli, Cœlum, Sol, Luna, Stellæ, Piſces, &c. ſive ficta, ut Venus, Mercurius, Jupiter, Juno, &c. Atque hæc vocantur Dii, putativè, ex opin. colentium.

4. *Solus*] Abſque ullo cauſarum naturalium apparatu. Secus, Dæmones & Magi, quorum opera aut ſunt præſtigiæ, & imaginaria, vel habent cauſas phyſicas licet latentes & vulgo ignotas.

5. *In intelligentia*,] Id eſt, intelligenter, non enim referendum ad cœlos.

6. רוקע] Vulg. *Qui firmavit* LXX. τῷ ςερεώσαντι. Sic alibi per ςερεῦν verterunt. Unde רקיע ςερέωμα. Unde Lat. *Firmamen-*

mentum. Vide Cenſuram noſtram. Gen. 1. Genebr. hic ingenuè. propriè ſign. *extendere, expandere & exporrigere.* Sic ſupra non potuit excuſare Vulg. qui יתנחם vertit *deprecabitur*, niſi dicendo eum catachr. dixiſſe *deprecabitur*, i. e. exorabitur, exorabilis erit. Cæterum de fundatione vide quæ notavimus ad Pſ...... quibus adde Kimchii gloſſam ad hunc locum, *Deus mutavit naturam aquarum, olim erant altiores terra & obtegebant terram. At Deus ex miſericordia depreſſit eas, & congregavit in ſua loca, & apparuit arida in uſum hominum & beſtiarum. Ita Deus poſuit* שטח *ſuperficiem terræ ſupra aquas. Et ut in aqua vel mare in medio altius ſit terra, tamen juxta littora depreſſius eſt & ſtatuit ipſi terminos vid. arenam.*

Terra refert ſpeciem globi cujuſdam lignei in quo ſint multæ concavitates.

7. אורים] In Gen. מארת *luminaria.* Intelligit Solem & Lunam. Stellæ enim ab his duobus contra diſtinguuntur. Vocantur *magna* etiamſi ſint multa ipſis majora. Sed ita 1. ob luminis excellentiam quod Mundo affundunt, 2. ob effectus efficaciores & evidentiores. Solis acceſſu omnia virent, receſſu flacceſcunt & emoriuntur. Lunæ varietate, humores, medullæ etiam ipſæ, augentur & minuuntur. 3. Ex apparentia. Luna enim omnium ſtellarum minima, quia terræ proxima omnibus aliis apparet major. Calv. *Non eſt propoſitum S. P. S. Aſtronomiam aut Phyſicam docere, ideo populariter loquitur.*

IV. Dominia luminarium, 1. Dividere inter diem & noctem. 2. Prognoſtica & præſagia eventuum Phyſicorum Agric. Nautis, Med. 3. In tempora, i. e. 4. anni tempora, dies, menſes, annos. 4. Illuminare.

GROTIUS.

1. *QUoniam in æternum miſericordia ejus*] *Benignitas ejus*, in Hebræo.

5. *Qui fecit cælos in intellectu*] Miro ordine res cœleſtes diſpoſuit.

6. *Qui firmavit terram ſuper aquas*] Depreſſit maris fundum, ut mare littoribus contineri poſſet.

15. *Et excuſſit Pharaonem*] Id eſt, præcipitavit.

Et virtutem ejus] *Exercitum ejus.*

23. *Quia in humilitate noſtra*] In miſeria noſtra.

Qui dat eſcam omni carni] Omni animanti.

PRICÆUS.

1. *SUper flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus*]

Auximus aſſiduo lacrymarum flumine flumen,
Vix tulit adjectas alveus altus aquas.

Tò *illic* (ut ſuprà 22. 2. & alibi) abundat.

Ibid. *Et flevimus, cùm recordaremur Sion*] Cùm recordaremur priſtinæ libertatis noſtræ. Apulejus 9. *Veteris Lucii fortunam recordatus*, &c. *ſubmiſſo capite mærebam.* Vide quæ plura eam in mentem ad librum Ejuſdem 7. pag. 332. adnotavimus.

2. *In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra*] Ut planè tali in tempore noſtro inutilia. Sirachides 22. 6. Μουσικὴ ἐν πένθει ἄκαιρος διήγησις. Sappho apud Ovidium,

Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.

In Gloſſis, Ὄργανον, *fiſtula.* Ibidem, Ὄργανον μουσικὸν, *ſambuca. In ſalicibus in medio ejus*, eſt, in medio ſalicum ejus. Sic Joh. 2. 23. Vulgatus idem, *In Paſcha, in die feſto:* pro, in die Paſchatis feſto. Tale & Joh. 6. 66. illud, *Hæc dixit in ſynagoga docens in Capharnaum.* Joh. 8. 20. *Hæc locutus eſt in gazophylacio docens in templo:* & Joh. 11. 24. *In reſurrectione, in noviſſimo die.* Quibus locis, & id genus aliis, ad exemplum Græcorum priore aut poſteriore loco præpoſitio illa in genitivum tranſit evaneſcitque. Ut conſtet autem Vulgatum Interpretem, etiam heic ubi incomptiùs loqui videri poteſt, loqui admodum Latinè, exemplum non petam ab iis in l. 11. § ff quod vi aut clàm, *In publico loco, in municipio*; aut à Plauto, qui in Perſa (Sc. *Satin'*) *In angulo, in culina* dixit; nec verò ab Apulejo, (ſummo Ciceronis imitatore) qui lib. 5. *In quadam proxima quercu, in ſummo ejus cacumine ſedit:* ſed ab eloquentiæ magiſtro, Cicerone ipſo, in cujus Epiſtolis famil. 7. 16. iſta verba habentur, *In Equo Trojano, ſcis eſſe in extremo.* Legimus & in Plinii Epiſtolis 3. 6. de ſigillo quodam Corinthio, *Emi autem, non ut haberem domi*, &c. *verùm ut in patria noſtra celebri loco ponerem:* ubi & *in celebri loco* legendum, aut præpoſitio illa ſubaudienda.

3. *Hymnum cantate nobis*] Elleipſis τοῦ *dixerunt.*

4. *Quomodo cantabimus*, &c. *in terra aliena?*] Sic de paupere Juvenalis,

——— Cantare ſub antro
Pierio, thyrſumve poteſt contingere? ——

& Horatius,

——— Roma mene poëmata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas atque labores?

Et pòſt,

——— Hic ego rerum
Fluctibus in mediis, & tempeſtatibus Urbis,
Verba lyræ motura ſonum connectere digner?

Philoſtratus de Scopeliano Sophiſta, Δεομένων τῶν Κλαζομενίων τὰς μελέτας αὐτὸν οἴκοι ποιεῖσθαι, &c. παρῃτήσατο, τὴν ἀηδόνα φήσας ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδειν· quo loco putem ἐκεῖ, non οἴκοι legendum. Virgilius 1 Eclogâ,

Carmina nulla canam: ——

ubi Servius, ad mentem Pſalmi appoſitiſſimè, *Non libet canere carenti poſſeſſione.* Ibidem Ecl. 9.

——— Vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa. ——

Ad quæ Servius idem, *Oſtendit vigorem cantandi quem priùs habuerat, perdidiſſe: & per allegoriam obſeſſum malis animum demonſtrat.* Propertius 4. 1.

Accerſis lacrymis cantus, averſus Apollo.
Poſcis ab invita verba pigenda lyra.

Sidonius 8. 11. *Te miror*, &c. *aliquid à me veterum efflagitare cantilenarum*, &c. *Intempeſtiva videtur jocorum recordatio dolendi tempore.* Sappho apud Ovidium,

——— Dolor artibus obſtat:
Non mihi reſpondent veteres in carmina vires;
Plectra dolore tacent, muta dolore lyra eſt.

5. *Oblivioni detur dextera mea*] Hypallage, pro, detur dexteræ meæ oblivio, nempe artis pſallendi.

6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis*]

Ipſa mihi interiùs cum duro lingua palato
Congelet. ——

Vide ſuprà 21. 15, 16.

7. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom*] Ut retribuas illis quæ in die excidii Urbis noſtræ in nos miſeros operati ſunt. Nehemias 6. 14. *Memento mei, Domine, pro Tobia & Sanballat juxta opera eorum.* De hujuſmodi imprecationibus vide quæ ad 2 Tim. 4. 14. annotavimus.

Ibid. *Qui dicunt*] Quando dixerunt.

8. *Filia Babylonis*, &c. *beatus qui retribuet tibi retributionem quam tribuiſti nobis*] Æneid. 4.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos.

Beatus heic, eſt, laudabilis, benedictus.

9. *Qui*, &c. *allidet parvulos tuos ad petram*] Vide quæ ad Luc. 19. 44. annotata.

IDEM.

2. *IN ſalicibus, in medio ejus*, &c. In medio ſalicum ejus. Ut ſuprà 53. 16. *in habitaculis eorum, in medio eorum.* Jerem. 17. 6. *in ſiccitate, in deſerto:* 1 Maccab. 11. 37. *in monte ſancto, in loco celebri:* & Apulejum, *in Accii Philocteta, in ejus principio.* Quibus adde quæ in cæteris Annotatis.

4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*] Vide jam dicta Annotata.

Ibid. *In terra aliena*]

——— Ubi jam patriam antiquam ſpes nulla videndi,
Nec dulces natos exoptatoſque parentes.

8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam*] Jerem. 50. 15. & de Babylone, *ultionem accipite de ea: ſicut fecit, facite ei:* & ibid. com. 29.

PSALM. CXXVII.

MUNSTERUS.

PRædicit Pſalmus iſte captivitatem Jehudæorum & injurias quas in Babylonia erant paſſuri. Nam Sacerdotes, Levitæ & Cantores juxta flumina conſidentes à Babyloniis rogantur ut cantent carmina illa quæ Jeroſolymis in Templo canere conſueverant.

2. *Cùm ſuſpendiſſemus*] Hebraïca vox תוללינו apud Hebræos duplicem habet expoſitionem. Quidam enim putant idem eſſe quod הלינו, ſicut nos vertimus. Alii putant radicem ejus eſſe ילל *ululavit*, ut ſit ſenſus, *Cùm inter hoſtes ulularemus, ipſi inſultantes incitabant nos ad cantum & gaudium.*

5. *Si*

5. *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem*] Senſus eſt, Ego in captivitate poſitus Jeruſalem obliviſci non poſſum, & ſi ejus obliviſci poſſem, tum arriperet dextera mea citharam, & exerceret artem ſuam. Eandem ferè habet ſententiam quod ſequitur, *Adhæreat lingua mea fauci meæ*, h. e. malo eſſe mutus quàm in terra aliena canere carmina Templi: nec accidere poteſt occaſio alicujus lætitiæ, quin ſemper memoria excidii Jeroſolymitani illam excludat & mœrorem ingerat.

7. *Memor eſto filiorum Ædom*] Precatur Ædomitis viciſſitudinem, qui fraternitatis obliti (fuerunt enim Jacob & Eſau, qui & *Ædom*, fratres) lætati ſunt de excidio Jehudæorum, & incitaverunt hoſtes ut urbem radicitus exſtirparent.

8. *Filia Babylonis devaſtata*] Precatur hîc talionem urbi Babyloniorum, quam vocat *filiam devaſtatam*, cognoſcens in Spiritu eam meritò devaſtandam, quæ tantam crudelitatem exercuit contra Jehudæos.

VATABLUS.

1. *Sedimus, etiam flevimus* ישבנו גם בכינו] Fut. & præt. Heb. pro præt. Quidam vertunt per præt. imperf. *ſedebamus & flebamus*: vel, *ſedentes flebamus*. Videntur fuiſſe verba Levitarum, & eorum qui ſolebant laudes Deo canere.

2. *In medio ejus* בתוכה] *Intra eam*: ſub. *Babylonem*, per cujus medium fluit Euphrates.

3. *Verba cantici* דברי שיר] Hebraïſmus, pro *cantica*. ¶ *Et citharis noſtris ſuſpenſis* verba *lætitiæ* ותוללינו שמחה] Ad verb. *&* *in ſuſpenſionibus noſtris lætitiam*. Quidam, *cum ſuſpendiſſemus* inſtrumenta *lætitiæ*. Alii, *& ſuſpenderamus lætitiam*: à verbo תלה. Nonnulli deducunt à ילל *ululare*, ut ה redundet, vertentes, *Et homines ejulatuum noſtrorum peterent lætitiam*, i. e. cùm authores luctuum & lamentationum noſtrarum peterent, &c. Sive, pro *ululatibus noſtris* fuit illis *lætitia*. Alii ab הלל *inſanire* vertunt, *Et deridentes nos, lætitiam*, ſub. *petebant à nobis*. Alii à תלל derivantes, convertunt, *Et qui velut in acervos nos redegerunt, lætitiam*.

5. Pulſationis ſuæ] Alii ſubaudiunt, *artis muſicæ*. Alii, *operis ſui*: i. e. poſthac pulſare non poſſim.

6. *Si non aſcendere fecero*, אם לא אעלה את ירושלם] Ità Hebraïcè ut vertimus. Quidam Paraphraſticè vertunt, *Si non poſuero Jeruſalem in cacumine ſummo lætitiæ meæ*. Alii, *Si non omni lætitiæ meæ prapoſuero Jeruſalem*: i. e. niſi præcipuum meum gaudium ponam in recordatione Jeruſalem: vel, ſi non ſemper verſetur ob oculos meos Jeruſalem, quandocunque lætitiæ occaſio ſe ingeſſerit; ut antequam lætari incipiam, luctum & fletum mihi excitet recordatio Jeruſalem tam turpiter vaſtatæ.

7. *Recordare, Jehova* זכור יהוה] Ita Hebraïcè; ut vertimus. Quidam velut exponentes Hebraïſmum, vertunt, *Memento, Jehovah, ut ſe geſſerint filii Edom cùm Jeruſalem vaſtaretur, dicentes*, ſub. *Babylonus*. ¶ *Filiorum* לבני] *Filiis*: i. e. in perniciem filiorum Edom. ¶ *Diſcooperite, diſcooperite* ערו ערו] *Nudate, nudate*. Alii, *Evacuate, Evacuate*, i. e. funditus evertite eam. Repetitio ejuſdem vocis Diligentiam ſignificat.

8. *Vaſtata* השדודה] *Vaſtanda*. Alii, *miſera*. Precatur Idumæis & Babyloniis talionem. Vide Eſa. 13. ¶ *Retributionem tuam*, &c. את גמולך שגמלת לנו] Hebraïſmus, pro, *reddet tibi malum pro malis illis quibus nos affeciſti*.

CASTALIO.

5. *Quando ſimus obliti*] Cauſam reddunt cur canere neſciant: Poſtquam Hieroſolymam amiſimus, omnem & fides pulſandi & ore canendi ſcientiam amiſimus, *hæretque nobis lingua palato*, h. e. muti ſumus (nam hic loquendi modus eſt Job. 29.) neque magis cantare poſſumus quàm ſi nobis lingua palato adhæreret: propterea quòd *Hieroſolyma noſtræ lætitiæ caput* eſt, quâ privati caremus lætitiâ, ut aves libertate privatæ canere neſciunt. Quod autem eſt *ſimus obliti*, verbum hoc ſignificat hoc loco *amittere*, ut Gen. 41. ubi ſic ad verbum legitur, *Exſiſtent ſeptem anni famis poſt illos, & oblivioni dabitur omnis ubertas*. Non enim ubertatis oblivio eſt vigente fame, ſed potiùs memoria & deſiderium. Ex quo apparet id verbum hìc ſignificare *perdi & obliterari*, ut & Deut. 31. ponitur, & Job. 9. & 28. & Lam. 3. ubi alio, ſed ejuſdem notionis, verbo, Hieroſolymitana reſp. dicit *ſe oblitam eſſe bonum*, h. e. jam neſcire bonum, & id amiſiſſe, non enim oblita erat eam rem quam deſiderabat. Atque eodem modo locutus eſt Virgilius,

Pomaque degenerant, ſuccos oblita priores,

h. e. amiſſo ſapore. Et Juvenalis,

——*Vinum toto neſcire Decembri*,

h.e. non uti. Hæc cauſa fuit ut in hoc Pſalmo verbum quod *meminiſſe* ſignificat verteremus *compotem eſſe*, contrarii ſecuti rationem.

CLARIUS.

Prædicat Pſalmus iſte captivitatem Judæorum, & injurias quas in Babylone erant paſſuri. Nam Sacerdotes, Levitæ, & Cantores *juxta flumina conſidentes*, ut tumultum populi vitarent, à Babyloniis *rogantur ut cantent carmina illa* quæ Jeroſolymis in Templo canere conſueverunt.

1. *Super flumina*] Irrigatur regio Babyloniorum multis fluminibus, quorum maxima ſunt Tigris & Euphrates.

5. *Oblivioni detur dextera mea*] Obliviſcatur operis ſui dextera mea. Poteſt & ſic diſtingui. *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, & dextera mea officii ſui oblita*, citharam pulſaverit in gratiam alterius quàm unius Dei mei, opto ut ſic *hæreat lingua mea* nè poſſim loqui, imò & *palato meo affigatur*, *ſi non* quoad vixero *memor fuero tui*, *& ſi non præpoſuero laudes ipſius Jeruſalem ſummo gaudio* quod unquam contingere poterit mihi.

7. *Filiorum Edom*] Precatur Idumæis viciſſitudinem, qui fraternitatis obliti (fuerunt enim Jacob & Edom, i. e. Eſau, fratres) lætati ſunt de excidio Judæorum, & incitaverunt hoſtes ut Urbem radicitus exſtirparent; & quod ait *in die Jeruſalem*, h. e. in calamitate, vel in die deſolationis Jeruſalem.

8. *Filia Babylonis miſera*] Vel *devaſtata*. Precatur & Babyloni talionem, quam vocat *filiam devaſtatam*, cernens in Spiritu eam devaſtandam meritò, quæ tantam crudelitatem exercuit contra Jeruſalem. Et vide ingenium. Priùs Idumæis precatus eſt ultionem, quòd, ut fratres, multò viſi ſunt iniquiùs ſe geſſiſſe hoſtibus Babyloniis.

DRUSIUS.

2. תְּלִינוּ כִּנֹּרוֹתֵינוּ. Alius, ἐκρεμάσαμεν κιθάρας ἡμῶν, *ſuſpendimus citharas noſtras*. Alius, λύρας ἡμῶν, *lyras noſtras*.

3. וְתוֹלָלֵינוּ. Οἱ κωταλαζονευόμενοι ἡμῶν, *qui inſolenter inſultant nobis*.

6. עַל רֹאשׁ שִׂמְחָתִי. A. ἐπὶ κεφαλὴν εὐφροσύνης μου. Sym. ἐν ἀρχῇ εὐφροσύνης, *in principio lætitiæ*. Th. V. & VI. ed. ut LXX. ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς εὐφροσύνης μου.

7. לִבְנֵי אֱדוֹם. Alius, τοῖς υἱοῖς Ἐδώμ.

8. הַשְּׁדוּדָה. A. ἡ προνενομευμένη, *deprædata*. Sym. ἡ λῃςρὶς, *prædatrix*. Th. ἡ διαρπασθησομένη, *direpta*] Malè apud Interp. Theodoreti, *Aquila pro* MISERA inclinata *dixit*, tanquam à ταπεινόω. ¶ שֶׁגָּמַלְתְּ לָנוּ. Alius, ὃ προεποίησας ἡμῖν, *quod priùs feciſti nobis*.

AMAMA.

LXX. & Hier. aſcribunt Jeremiæ, forte quia ejuſdem argumenti cum Threnis. Kimhi dicit eſſe ſcriptum ſub perſona Levitarum & Sacerdotum.

1. *Super flumina*] i. e. Juxta. יְאֹר. duale נַהֲרַיִם *duo fluvii* unde אֲרַם נַהֲרַיִם Syria duorum fluminum, interamnana & interamnis. Intelligit hic per *Babel* ſeu *Babylonem integram Babyloniam* ſeu *Chaldæam*, vel *integram Monarch. Babylonicam*, cujus Metropolis fuit *Babel*, quæ variis fluminibus irrigua erat, præcipuè Tigri & Euphrate. Euphrates Ebr. פְּרָת, *à*u additum ex voce הוּא, Gen.

Sedimus,] Lugentes, quod explicatur poſtea per *flevimus*. *Seſſio* tribuitur *lugentibus*. Jerem. 15. Propter יָדְךָ *ſedi*. Thr. 3. *Sedebit ſolitarius & lugebit*. Thr. 1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo?* Eſ. 3. *Civitas deſolata in terra ſedebit*. Ezech. 8. 14. *Erant ibi mulieres ſedentes plangentes Adonidem*. Sic Virg.

Sedet æternumque ſedebit, Inf. Theſeus

Tibul. lib. 3.

Illius ad tumulum fugiam ſupplexque ſedebo.

Æn. 9.

Luco tunc forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle reſedit.

2. *Ad ſalices*] Sitas in ripis fluminum. Ingentes ſalices naſcuntur ad ripas, unde Ovid. Metam. 10.

Amnicolæque ſimul ſalices & aquatica lotus

Suſpendimus] Quaſi renunciantes. Sic *Suſpendere calamum, arma*.

3. *Cum ibi rogarent nos*] Vel peterent à nobis captivatores noſtri. וְתוֹלָלֵינוּ] Alii à תלל, alii à ילל: qui à תָּלַל vel in ſignif. contumulandi, accipiunt, *contumulatores noſtri* תֵּל Deut. 13. Joſ. 8. eſt *een ſteenhoop*, in quem urbe, & ædificia dejecta rediguntur, vel in ſign. ſuſpendendi ut ſit idem quod תְּלָה *ſuſpenſiones noſtras*, i. e. ut R. Menachem, *Inſtrumenta Muſica*, ſic dicta quod *ſuſpendantur à paxillis*. Sic & Aben-Ezra.

Alii ab הלל *inſanivit*, *inſanientes contra nos*.

Alii à יָלַל, *ululavit*. Hi iterum diſſentiunt. Quidam, *ululatores noſtri*, i. e. noſtrorum ululantium auctores. Sic תּוֹשָׁב *incola*.

Alii, *Ululatus noſtri* lætitia ipſis erat. Alii ſubaudiunt ב, *in ululatibus noſtris*, ſc. poſtulabant *verba* lætitiæ, שִׂמְחָה pro דִּבְרֵי שִׂמְחָה

LXX.

Lxx. Οἱ ἀπαγάγοντες ἡμᾶς, Vulg. *qui abduxerunt nos*, Hier. *qui affligebant nos.*

Chald. בּוֹזְזָנָא *qui diripuere, ſpoliàrunt nos* pro שׁלל.

4. *Tum diximus, quomodo in luctu canemus.*] Proverbium, *Muſica in luctu.* De re abſurda. Miſeris & afflictis non libet canere aut pſallere. Alios autem ſæpe admittunt canentes & pſallentes in levamen doloris. *In domo* ἀρχισυναγώγυ, *erant* ἀυληταὶ, *tibicines.* Putârit aliquis eos adhibitos ad levandum dolorem. Ego puto adhibitos eidem fini, cui præfici & præficæ. Videlicet ad excitandum luctum. Eſt enim miſeris voluptas quædam revocare & quaſi renovare per intervalla dolores. Illud Muſicam præſtare quoque poſſe experientia docet. Nihil tam affectus ciere poteſt ac Muſica. Affectibus hominum maximè reſpondet Muſica. Vide hâc de re memorabilem diſcurſum & inſigne exemplum in Rainoldo Tom. 1.

In terra נֵכָר ſub עַם. Sic, *Filii* בְּנֵי נֵכָר *populi alieni.* Sic אֱלֹהֵי נֵכָר ſub. עַם. Gen. 17. Ex. 12. Pſal. 18.

5. *Obliviſcatur*] Sub. ſui, vel artis ſuæ, ne amplius pulſare poſſit citharam & inſtrumenta.

6. *Adhæreat lingua*] Ne amplius canat.

Si non eveham aſcendere faciam Jeruſalem ſuper caput lætitiæ] Si non pluris fecero Jeruſalem quam ullam vel maximam lætitiam. Si non recordatione lamentariâ iſtius urbis omne lætitiæ materiam deleam & obliterem. Niſi potiorem rationem habuero Hieroſolymæ ad deflendum quam materiæ gaudii ad lætandum.

Caput lætitiæ] i. e. Maxima lætitia. ראש & ראשית confunduntur. Dicimus ראש שמ' & שְׁכִחַת ראש. Sic Ezech. 27. ראש כָּל בֹּשֶׂם Cant. 4. רָאשֵׁי בשמים. Contra Ex. 30. בְּשָׂמִים ראש & Pſal. 141. שמן ראש

Recordare] In malum.

Edomæis] Contra Edomæos. Ii quomodo ſe geſſerunt in deletione urbis. Jirm. 49. 7.

Diei Jeruſalem] i. e. Temporis quod Deus deſtinârat vaſtandæ urbi. Sic *Dies mali, calamitatis.* Jirm. 17. 18. & 18. 17. Ezech. 30. 2. 3.

ערו] Imperf. Piel. à עָרָה *nudatus eſt.* עֵרָה *nudavit* עָרְוּ. &c.

Filia Babel] i. e. Babel. Sic *Filia Sion.* Matth. 21. *Dicite filiæ Sion.* Euthym. *ut filius hominis eſt homo, ſic Filia Babel eſt Babel.*

Vaſtata] i. e. Vaſtanda. Solent Prophetæ vaticinia rerum futurarum exprimere verbis præteriti temporis ac ſi narrarent res geſtas. Sic Jeſ. 53. Videtur autem is modus loquendi à Sp. S. introductus ad ſignificandum maximam rerum expectandarum certitudinem.

Alii pro שׁוּדָּה *vaſtans, vaſtatrix.* Partic. paſſ. ſæpe induunt naturam part. act. Symm. λῃςρὶς.

8. *Retributionem quam retribuiſti nobis*] Poſteriori loco, ſumitur pro *malefacere.* Diximus alibi. Optime Interp. Vetus, ὁ προεποίησας ἡμῖν, *quid prius feciſti.*

Tres poſteriores verſus Kimchi ait eſſe verba cantoris, cætera Levitarum & Sacerd. Chald. Putat eſſe verba Archangeli Michaëlis. Unde tanquam magnum conſect. colligit Genebr. Ergo credebant Veteres *Cælites orare pro nobis.* Quaſi nos negemus Sanctos Cœlites pro Eccleſia orare.

GROTIUS.

JEremiæ] Non eſt in Hebræo: nec Jeremias in illis locis fuit, ſed potuit abituris dediſſe hunc hymnum, ſanè περιπαθῆ [*plenum affectuum.*]

1. *Super flumina Babylonis*] Alii ad Tigrim, alii ad Euphraten, alii ad Eulæum aut Chaboram. Nam *Babylon* totum imperium Babylonicum ſignificat.

3. *Et qui abduxerunt nos, hymnum*] In Hebræo, *Qui nos in acervos redegerunt*: id eſt, urbem noſtram. illud *hymnum* in Hebræo eſt שמחה, id eſt, *lætum carmen.*

5. *Oblivioni detur dextera mea*] Meliùs ex Hebræo, *Obliviſcatur dextera mea*: ſupple artem *pſallendi.*

6. *Si non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ*] In Hebræo, *Si non aſcendere fecero Jeruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.* id eſt: ſi non pluris fecero recordationem urbis noſtræ everſæ quàm, ſumma quæ mihi in exſilio obtingere poſſint gaudia.

7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Jeruſalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*] *In die Jeruſalem*, id eſt, cùm Jeruſalem exſcinderetur. Idumæi Eſavi ſoboles genuina lætati ſunt in malis Iſraëlitarum, ut apparet Ezech. 25. 12. Judicia autem Dei in Idumæos propter hanc ἐπιχαιρεκακίαν [*lætitiam ex alienis malis*] habes Jeremiæ 49. 7. Thren. 4. 21. 22.

8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam*] Simile 79. 12.

9. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram*] Ex more illius ſeculi ſatis inclemente, ſed qui odio impiarum gentium pro illo tempore excuſabatur. Vide quæ diximus de Jure Belli ac Pacis lib. 3. cap. 4. §. 9.

PRICÆUS.

6. ET *humilia reſpicit*] Vide ad Luc. 1. 48. dicta.

Ibid. *Et alta à longè cognoſcit*] Apul. in De mundo, *Procul poſita cuncta contingit, & maximis intervallis disjuncta complectitur.*

7. *Si ambulavero in medio tribulationis*, &c.] Simile ſuprà 22. 4.

IDEM.

7. SUper *iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam*] Super inimicos meos irâ efferveſcentes. Adde quæ idem David iſte 2 Reg. 22. 18.

PSALM. CXXXVIII.

MUNSTERUS.

1. IN *conſpectu Deorum*] h. e. Præſentibus illis qui poteſtate aliquâ ſublimi ſunt præditi: unde Chald. vertit קבל דיינא, i. e. *coram Judicibus.*

4. *Omnes Reges*] Loquitur de Regibus vicinioribus, qui David noverant, & audierant ei promiſſum Regnum à Deo, atque ob id excitati ad laudandum Deum, *cantaverunt in viis ejus*, h. e. *gratias egerunt pro operibus ejus mirabilibus*, ut Kimhi exponit.

VATABLUS.

1. COram *Diis* נגד אלהים] *In conſpectu Potentium*, vel, *Judicum.* ELOHIM ſignificat *Deum, Angelos, poteſtate aliquâ ſublimi præditos*, & *Judices.* Sæpius autem David dicit ſe coram Regibus & Principibus & Sapientibus res Dei agere.

2. *Incurvabo me versùs Templum* אשתחוה אל היכל] *Adorabo coram Templo. Procumbam ad Templum*, &c. manus ſcilicet ſupplices tendens versùs illud. ¶ *Magnificaſti ſuper omnia*, &c. הגדלת על כל שמך אמרתך] *In omnibus* [ſive, *per omnia* facta tua] *magnificaſti nomen tuum*, & *verbum tuum.* Subaudita eſt conjunctio &. Alii, *magnificaſti* in *omnibus verbis tuis nomen tuum*, i. e. præclarum reddidiſti nomen tuum, adimplendo promiſſiones tuas.

3. *Roboraſti me*, &c. תרהבני בנפשי עז] *Roboraſti me*, & *in anima mea* fuit *virtus*: i. e. animum meum reddidiſti fortem. Alii, *roborans me*, & *anima mea* adjiciens *virtutem.* Alii, & *animo meo robur indidiſti.*

5. *In viis* בדרכי] *Vias.* Alii, *de viis*: i. e. de his quæ aguntur à Jehova.

6. *Et excelſum è longinquo cognoſcit* וגבוה ממרחק ידע] *Et quod altum eſt, eminus cognoſcit.* Alii, & *altus longè nota facit*, vel, *eminus*: i. e. è cœlo nota facere ſolet geſta ſua hîc in terra. Alii, *altum* [vel, *ſuperbum*] *è longinquo conterit*, vel, *frangit.*

7. *Vivificabis me* תחייני] Hebraïſmus, pro, *incolumem me ſervabis.* ¶ *Mittes* תשלח] *Extendes.*

8. Opus ſuum] Subaudiunt alii, *quæcunque mihi eſt pollicitus.*

CASTALIO.

2. QUi *promiſſa tua facias majora quàm eſt tuum tantum nomen*] h. e. Qui majora præſtes quàm de te fama eſt, quæ tamen eſt magna. Eſt autem intelligendum, quemadmodum *Dei judicium* pro *actione* ſæpe ponitur, quoniam quicquid agendum judicat, id agit, quippe qui nullâ re poſſit impediri; ità etiam *verbum* ſive *promiſſum* in hoc Pſalmo poni pro *promiſſi præſtatione*, quoniam nihil promittit quod non præſtet: quemadmodum in Pſal. 56. ubi dicit *ſe in Deo promiſſa laudare*: nam ità demum laudantur promiſſa, ſi præſtantur. Ejuſdem generis eſt & illud Eſaiæ 44. *Qui Hieroſolymam incoli, urbeſque Judææ refici impero*, &c. nam ibi *imperare* pro eo quod eſt *faciendum curare* atque adeò *facere* ponitur: ut & illud Chriſti, *utrùm facilius*

cilius eſt dicere, Remittuntur tibi peccata, an dicere, Tolle grabbatum tuum, & ambula? Nam ibi *dicere* pro *jubendo efficere* ponitur, alioquin jubere vel quivis poſſit, ſed confidenter, & ideo efficaciter jubere non poſſit. Eodem modo locutus eſt Juvenalis Satyrâ 6.

—— Minùs ergò nocens erit Agrippinæ
Boletus: ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum:

h. e. coëgit Claudium mori. Et Virgilius,

Hectoris ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori.

h. e. Juſſu occiſa.

C L A R I U S.

1. *IN conſpectu Angelorum*] h. e. Præſentibus illis qui poteſtate aliquâ ſublimi ſunt præditi. Unde Chaldæus vertit *coram Judicibus*: vel, laudabo te palàm, & invitis aliarum nationum omnibus Diis.

2. *Super miſericordia*] Celebrabo te propter benignitatem quâ uſus es erga nos, & conſtantiam tuam in ſervandis promiſſis, multò namque plura quàm tu verbis tuis promiſeras, præſtitit nobis auguſtiſſimum illud nomen tuum.

4. *Omnes Reges terræ*] Auditis ſcilicet quæ Davidi Deus præſtiterit. Et tunc quidem de vicinioribus Regibus, qui David noverant, & audierant ei promiſſum Regnum à Deo; at in vero David meritò omnes totius orbis terrarum Reges intelliguntur.

8. *Dominus perficiet pro me*] Vel *circa me*, nempe *pietatem ſuam.*

L U C A S B R U G.

16. *DIes formabuntur.*] *Dies* legunt plerique hodie codices, id quod expoſuerunt Enarratores, Caſſiodorus, Haymo, Remigius, & alii ex poſterioribus. Huic legendi modo Græca Regis editio, quæ habet ἡμέραι πλασθήσονται, ſuffragatur. Nec refragatur quæ aliorum Græcorum exemplarium lectio eſt, ἡμέρας πλασθήσονται. Poteſt enim *dies* quartus caſus ex numero plurali eſſe, ut ἡμέρας, cui ſubaudiatur *per* præpoſitio, ut huic κατὰ, ad quem modum DD. Auguſtinus & Proſper legunt *per diem*, *Per diem errabunt.* Cæterùm poteſt ἡμέρας ſecundo caſu numeri ſingularis intelligi, quod Latinè vertas *die.* Atque hoc pacto Latini quidam codices ſcribunt, *Die formabuntur*; Brugenſis, Buſcoducenſis, atque ex his D. Lindani Pſalterium. Lobienſe exemplar, in Gallici Pſalterii deſcriptione, *Dies* vel *Die* legi notat. Goticum Romani Pſalterii antigraphum *Die firmabuntur* habet. Inter veteres Tractatores D. Hilarius *Die replebuntur* legit. Idem ipſe, & poſt eum Proſper, *Die formabuntur*, in quibuſdam codicibus invenerunt. S. Hieronymi commentarius, *Tu omnes in die formas, tu cunctos vis eſſe filios Dei* [*diei*] exponit. Eſt autem de Brugenſi codice notandum, ità in eo *die* ſcribi ut non ſatis queas diſcernere an ex *dii* factum ſit, adjecto retractoque ſemicirculo, *die*; an è contra ex *die*, raſo ſemicirculo, *dii.* Fortaſſe Scriba, quod non eſt vero abſimile, vocem ex induſtria ſic pinxit, ut dubiam lectionem oſtenderet: certè enim Epanorthotes antiquioribus quibuſdam exemplaribus *dii* legi annotavit, atque ea eſt exemplaris noſtri P. notati aperta lectio. Verùm ea nullam habet aut ex Græcis aut ex Hebraïcis libris autoritatem. Hebraïci libri habent [יוצרו 2 MS.] ימים יצרו ימים *dies* ſignificat plurali numero, non *deos.* Verti autem poteſt & ἡμέραι ſeu *dies* primo caſu, & ἡμέρας ſeu *dies* quarto caſu. Redditur etiam aptè *diebus*, id quod vicinum eſt τῷ ἡμέρας ſecundo caſu accepto, & ei quæ huic reſpondet Latinæ lectioni, *die.* Vox altera יצרו vel præteritum eſt ex quarta conjugatione, vel futurum ex ſexta à themate יצר, quod *facere*, *fingere*, *formare* ſignificat. Patet igitur *formabuntur*, Latinè legendum eſſe; non *firmabuntur*, ut habent, cum Caſſiodoro, quædam Romani Pſalterii exemplaria. Manifeſtum etiam eſt πλασθήσονται Græcè ſcribendum eſſe, non πλησθήσονται, ut mutant nonnulla Græca antigrapha. Denique clarum eſt πλασθήσονται à πλάττομαι deducendum eſſe, non à πλάζομαι, ut S. Auguſtini Interpres, qui vertit *Per diem errabunt*, deduxiſſe videtur. D. Hilarii Interpres ex ἡμέρας πλησθήσονται reddidit *Die replebuntur.* Euthymius Zygabonus, Græcanicus ſcholiaſtes, ἡμέρας πλασθήσονται legit, atque ut à πλάττομαι deductum exponit.

D R U S I U S.

1. לְדָוִד. Th. τῷ Δαυὶδ] Hoc in A. & VI. ed. deſideratur; quod docent verba illa quæ in R. παρὰ Ἀ καὶ ς' ἀνεπίγραφος.

¶ נֶגֶד אֱלֹהִים אֲזַמְּרֶךָּ. Alius, ἔναντι θεῶν μελῳδήσω σοι, *coram Diis canam te.* Alius, --- παῤῥησιάσω σε] Scholion, κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ἔκδοσιν, θεοὺς τοὺς ἱερέας καλεῖ.

2. כִּי־הִגְדַּלְתָּ עַל־כָּל־שִׁמְךָ אִמְרָתֶךָ. Alius, ἐμεγάλυνας γὰρ ὑπὲρ πάντα τὰ ὀνόματά σου τὴν ῥησίν σου. Alius, τὸ λόγιόν σου, *eloquium tuum*] Euthymius, *Alius verò Interpres, Quia magnificaſti ſuper omne nomen.*

3. בְּיוֹם קָרָאתִי וַתַּעֲנֵנִי. Alius, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπεκαλεσάμην σε, ἐπήκουσάς μου, *quo die invocavi te, exaudiviſti me.* ¶ תַּרְהִבֵנִי בְנַפְשִׁי עֹז. Alius, συνέστησας τῇ ψυχῇ μου δυνάμεις. Sym. *conſtitiſti in potentia animæ tuæ*] Græca ſunt in ed. Rom. συνέστης τῆς ψυχῆς μου δυνάμει. Ergò Scholion illud ſumptum ex Theodoreto.

5. וְיָשִׁירוּ בְּדַרְכֵי יְהוָה. Alius, καὶ ᾀδέτωσαν τὰς ὁδοὺς Κυρίου, *& canant vias Domini.*

6. וְגָבֹהַּ מִמֶּרְחָק יְיֵדָע. Alius, καὶ ἐπηρμένον μακρόθεν γινώσκει, *& elatum procul cognoſcit.*

7. אִם־אֵלֵךְ בְּקֶרֶב צָרָה תְּחַיֵּנִי עַל אַף אֹיְבַי תִּשְׁלַח יָדֶךָ וְתוֹשִׁיעֵנִי יְמִינֶךָ. Sym. Ἐὰν πορευθῶ διὰ μέσου θλίψεως, περισώσεις με κατὰ τῆς ἀναπνοῆς ἐχθρῶν μου ἐκτενεῖς χεῖρά σου, καὶ σώσει με ἡ δεξιά σου, *Si vero per mediam afflictionem, ſervabis me: contra reſpirationem hoſtium extendes manum tuam, & ſervabit me dextera tua*] Κατὰ τῆς ἀναπνοῆς, i. e. iram. Nam ἀναπνοὴν ποιεῖ qui iraſcitur.

8. יְהוָה יִגְמֹר בַּעֲדִי. Alius, Κύριος ἐπιτελέσει ὑπὲρ ἐμοῦ. Alius, Κύριος συντελέσῃ, *Dominus perficiet.*

A M A M A.

1. *EX toto corde*] בְּכָל לִבָּא בְּיָא. Et Deus requirit cor & oculos, qui aliàs duo proxenetæ peccati. Opponitur, hypocriſi & ſimulationi, quod dicitur, corde & corde. Sic pondus & pondus &c.

Coram Elohim] Chald. דַּיָּנִין *Judicibus.* Sic R.D. & confert cum Exod. 22. *Diis non maledices.* Alii, *Angelis*, nam & illi conventibus ſacris interſunt. Sic *Adorent eum omnes Angeli.* Sic Aben. Alii *Sacerdotibus.* Mal. 1 Cor. 11. 10. Jun. *Poteſtatibus.*

Cum toto nomine tuo ſermonem tuum.] Alii, *Præter omne nomen tuum.* Alii, *Super nomen tuum ſermone tuo.*

In die] Statim. Prov. 12. 16. *In die cognoſcitur ira ſtulti.*

3. *Feciſti ut efferret me animo meo robur.*] Alii, *Feciſti ut — in me animo meo, propter robur.*

G R O T I U S.

HIc in Græco additur quod nec in Hebræo eſt, nec in Latino, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου, [*Pſalmus Davidis, Aggæi & Zachariæ,*] ſignificans hunc Davidis eſſe Pſalmum, ſed uſurpatum etiam Aggæo & Zachariæ: quales inſcriptiones & ſuprà habuimus.

1. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*] אלהים, quod hîc in Hebræo eſt & *Angelos* poteſt ſignificare, & *magni Synedrii Senator.* Ego hoc prætulerim.

6. *Et alta à longè cognoſcit*] Meliùs, *& altus è longinquo cognoſcit*: ut bis idem dicatur aliis vocibus.

P R I C Æ U S.

7. *QUo ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?*] Cicero 10. 12. ad Atticum, *Quò me nunc vertam? undique cuſtodior.* Pſyche apud Apulejum 6. *Quorſum*, &c. *tantis laqueis incluſa veſtigium porrigam? quibus tectis, vel etiam tenebris abſcondita, inevitabiles magnæ Veneris oculos effugiam?* Adde quæ infrà hîc com. 11. & 12. ubi & de tenebris mentio. Vide & Job. 34. 22. Theodoretus ex perſona Jonæ, Τοῦτον, ὃν οἶδα οὐ μόνον γῆς καὶ θαλάσσης, ἀλλὰ καὶ τῶν οὐρανῶν δεσπότην καὶ ποιητὴν, ἀνοίᾳ χρώμενος διαφεύγειν ὑπέλαβον. Plutarchus ſuperſtitioſum alloquens, Ποῦ μεταστῇ; ποῦ φύγῃ; ποίαν γῆν ἄθεον εὕρῃ; ποίαν θάλασσαν; εἰς τί καταδὺς τοῦ κόσμου μέρος, καὶ ἀποκρύψας σεαυτὸν, ὦ ταλαίπωρε, πιστεύεις ὅτι τὸν θεὸν ἀποπέφευγας;

8. *Si aſcendero in cœlum, illic es*]

—— Æthereas ſi affecto attingere ſedes,
Ad me abſcondendum non ſatis apta via eſt.

Jerem. 51. 53. *Si aſcenderit Babylon in cœlum*, &c. *à me venient vaſtatores ejus.*

Ibid. *Si deſcendero in Infernum, ades*]

Si me omnes verto in facies, ſi contraho quicquid
Sive animis, ſive arte datur, ſi opto ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſumve cavâ me condere terrâ.

Plato 10. de Legg. ad quemvis, Deorum & Juſtitiæ contemptorem

rem, Οὐκ ἀμελνθήσῃ ποτὲ ὑπ' αὐτῆς, (divinâ vindictâ nempe) οὐχ οὕτω μικρὸς ὢν δύσῃ κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος, οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσῃ.

11. *Et dixi, Forſan tenebræ conculcabunt me*] Mirus loquendi modus, mihi certè non intellectus. Vide an legendum *concelabunt me*: negabit nemo quidem concinniùs hoc de tenebris dici, aut facilè affirmabit id vocis apud Latinos non inveniri. A. Gellius 15. 2. *Et ſimul, ſi qui penitus in iis affectionum cupiditatumque errores ineſſent, quos aliquis pudor reverens concelaret*, &c. Idem 11. 9. de Demoſthene, *Non id poſtea concelavit, quin gloria quoque hoc ſibi aſſignavit*. Eſt quidem hîc in Græca verſione καταπατήσει· at ibi notat Chryſoſtomus, ἄλλος, καλύψει με.

12. *Tenebræ non obſcurabuntur à te*] Tibi non obſcuræ erunt, non poterunt me tibi inviſum efficere. Vide ad citatum libri 6. Apuleji locum annotata.

Ibid. *Sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus*] Perinde ſunt illi lux & tenebræ, apud eum nullum diſcrimen eorum. Tale ſuprà 90. 4. illud, *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna.*

18. *Dinumerabo eos*] Id eſt, Si eos dinumeravero.

21. *Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam*] Id eſt, animam meam (ut 2 Pet. 2. 8.) iniquis (eorum) operibus cruciabam.

22. *Perfecto odio oderam illos*] Catullus,
Odiſſem te odio Vatiniano.

IDEM.

2. TU *cognoviſti ſeſſionem & reſurrectionem meam*] Id eſt, ut infrà com. 23. ſemitas meas.

3. *Intellexiſti cogitationes meas de longè*] Ut ſuprà 137. 6. *Et alta à longè cognoſcit*. De eodem Minucius in Octavio, *Intereſt cogitationibus noſtris*. *De longè* heic, ut & ſuprà 37. 13. Proverb. 31. 14. Eſaiæ 49. 1. & 12. Jeremiæ 25. 26. Alibi *à longe* dixit, ut citato 137. 6. loco. Sirachid. 21. 8. Tobiæ 11. 16. In Gloſſario, *A longè*, πόῤῥωθεν.

Ibid. *Semitam meam*, &c. *inveſtigâſti*] Infrà hîc 141. 4. *Cognoviſti ſemitas meas*. Jobus 13. 27. *Obſervâſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſiderâſti.*

4. *Omnes vias meas prævidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea*] Vel me tacente ſcis quid in mente verſem: noviſti vias, id eſt, conſilia mea. Vide ad Matth. 6. 8. dicta.

5. *Tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*]
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque,
Uno mentis cernis in ictu.

Noviſſima & antiqua quoad ſenſum abundant: jam omnia enim complexus erat in verbo *omnia*: at multæ ſimiles redundantiæ ſunt in ſacris libris. Ità Joh. 21. 17. *Tu noſti omnia, noſti quòd te amo*: & 1 Cor. 2. 10. τὸ πνεῦμα ἐρευνᾷ πάντα, καὶ τὰ βάθη τῦ θεοῦ.

Ibid. *Tu formâſti me*] Suprà 99. 3. *Ipſe fecit* (id eſt, formavit) *nos*. LXX. heic, ἔπλασάς με. Lactantius 1. 11. *A quo fingimur*, &c. Idem 2. 12. *Ipſe corpus noſtrum effinxit*. In Græco Proverb. 24. 12. Ὁ πλάσας ζωὴν πᾶσιν· & 2 Maccab. 7. 23. Ὁ πλάσας ἀνθρώπυ γένεσιν. Unde & Rom. 9. 20. in eadem re, πλάσμα.

6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*] E formatione mei in utero materno. Vel, *ex me*, pro *in me*, & infrà 141. 4. utroque modo autem idem ſenſus efficitur.

Ibid. *Et non potero ad eam*] Ad ejus cognitionem ſcrutando pervenire. Vide ſuprà 91. 6. Eccleſiaſtes 1. 8. de Dei rationibus, *Res difficiles: non poteſt eas homo ſermone explicare.*

7. *Quò ibo à ſpiritu tuo?*]
——— *Nam cœlum ac terras campoſque liquentes*
Spiritus ille implet, totoſque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Mancipia quidem à dominis ſuis aufugere poſſunt, atque ità ut ampliùs non inveniantur: ego à te, qui ubique es, quò potero fugere? Vide & quæ in cæteris Annotatis noſtris.

8. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es*] Eſt enim propriè ſedes tua. *Si aſcendero* cogitationibus nempe: ità & quæ ſequuntur intelligenda de deſcendendo in infernum, habitando in extremis maris, &c. Origenes in librum Job, *Frequenter ſenſibus noſtris illò pergimus, ubi nunquam corpore præſentes fuimus: ſive in cœlum, ad Deum; ſive in terram, ad homines.*

Ibid. *Si deſcendero in infernum, ades*] Job. 26. 6. *Nudus eſt infernus coram illo.*

9. *Si ſumpſero pennas meas*, &c.] Pennas mihi.

11. *Forſitan tenebræ conculcabunt me*] Vide in cæteris Annotatis.

12. *Tenebræ non obſcurabuntur à te*] Tibi non obſcuræ erunt. Boethius lib. 5.
Huic ex alto cuncta tuenti
Nullâ terra mole reſiſtunt,
Non nox atris nubibus obſtat.

Ibid. *Sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus*] Apud te nullum diſcrimen. Tale ſuprà 89. 4. *Mille anni*, &c.

13. *Suſcepiſti me de utero matris meæ*] Suprà 70. 6.

16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*] Cùm in alvo materna coagularer, tu inſpexiſti. Sirachides 23. 29. *Domino, antequam crearentur, omnia ſunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.*

21. *Super inimicos tuos tabeſcebam*] Suprà 118. 158. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam.*

PSALM. CXXXIX.

MUNSTERUS.

DOcetur in hoc Pſalmo Deo formatori noſtro omnia eſſe cognita & perſpecta, ubique ipſum adeſſe, nec quicquam oculis ejus eſſe abſconditum, etiam interiora cordis illi patere. Unde dicit, *Tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem*, h. e. ut Propheta exponit per ſubjecta verba, Tu noſti quæ ſim cogitaturus & quæ conſilia agitaturus ad agendum & ceſſandum. Intelligitur enim per *ſedere* & *ſurgere*, per *ingredi* & *egredi*, in Hebraïſmo actio ipſa & converſatio. Eadem autem ſententia mox repetitur, licet aliis verbis, quando ſubnectitur, *Semitam meam & accubitum circumdas*, h. e. ades & vides cunctas operationes meas. Verbum זרית putant eſſe à זר, quod *circulum* & *cincturam* in Exodo ſignificat.

5. *A tergo & à facie formaſti*] h. e. Undique finxiſti me: non eſt ergò mirum quòd nihil te latet in tuo figmento. ¶ *Poſuiſti ſuper me manum tuam*] Senſus eſt, Formaſti me manu tuâ, & compegiſti me ab exordio conceptionis meæ, quandò ex pauculo liquore coagulato formaſti carnem & oſſa, caput & corpus, cor & cerebrum, ſenſus & tot meatus, atque infinita ferè membra. Et verè hujus rei cognitio mirabilis eſt & longè ſuprà captum noſtrum.

7, 8, 9. *Quo ibo à ſpiritu tuo*] Docet hîc Deum ubique eſſe præſentem. ¶ Per *ſtratum inferni* intelligi poteſt ſepulcrum, in quo dormiunt mortui. ¶ Et per *alas auroræ* accipiuntur radii Solares, qui ſubitò ab Oriente micant ad *noviſſimum mare*, h. e. ad Occidentem.

11. *Nox quaſi lux erit*] Nox & tenebræ perinde ſunt Deo, atque dies & lux. Nihil ergò poteſt eum latere, qui etiam penetralia cordis & *renum*, i. e. affectuum, *poſſidet* & intuetur. ¶ *Operuiſti me in utero*] Heb. *veluti tabernaculo contexiſti me*: intelligiturque de corpore animam contegente.

15. *Subſtantia corporis mei*] Kimchi hîc vertit עצם pro גוף *corpore*; Chaldæus pro גרם *oſſe*. ¶ Per *inferiora* verò *terræ* intelligitur uterus maternus. Porrò רקמתי quod ſignificat *veſtem diſtingui variis coloribus*, hîc capitur pro *formatione corporis & diſtinctione tam multiplicium membrorum*. Et גלם eſt טיפה הקפאה קודם שנצטירו בה האברים *ſemen coagulatum, antequam in eo figurata ſunt membra*, quod *embryonem* vocant, & nos *maſſam informem* vertimus. Hanc videt Deus, & qualis homo hinc futurus ſit novit; quippe qui omnia futura ejus *membra*, *quæ ſucceſſivè per dies ſunt formanda*, veluti *in libro deſcripta* habet.

17. *Cogitationes tuæ*] Exponunt hîc Hebræi רעך pro מחשבותיך, & ראשיהם pro כלליהם, ſicut nos quoque vertimus. Et eſt ſenſus, Tam multiplicia & mirabilia ſunt Dei ingenia in conditione hominis ut ea numerari non poſſint: & ego uſque adeò in horum meditationibus diſtineor, ut etiam in ſomnis mihi vigilare videar & *agere cum Deo*. Alii verò Chald. Interpretem ſequentes hunc verſum ſic reddunt, *Et mihi quàm pretioſi ſunt amici tui, Deus!* q. dicat Propheta, Celebrandus es tu, Domine, ſuper omnia, qui tam mirâ ratione me formaſti: ſed *& pretioſi ſunt in oculis meis amici tui*: & rurſum *impii*, quos tu *interficies*, & quos ego veluti *viros ſanguinum arceo à me*, hos æquè ut tu *odio habeo*, animum ſcilicet illorum impium & mores perverſos exſecrans.

24. *Per viam ſempiternam*] h. e. Quæ ducit ad vitam perpetuam.

VATABLUS.

1. VIctori למנצח] Vide Pſal. 4. ¶ *Probaſti me & cognoviſti* חקרתני ותדע] *Scrutatus es me, & pernoviſti*. Alii, *exploratum & cognitum me habes.*

2. *Et ſurrectionem meam* וקמי] *Et ſtationem meam.* Alii, *ſive ſedeam, ſive ſurgam:* q. d. Omnes actiones meas quas ago, ſive ſedendo, ſive ſtando. ¶ *Cogitationem meam* לרעי] *Voluntatem meam.*

3. *Cingis* זרית] Præt. Heb. pro præſ. Hebraiſmus, pro *Semper mihi ades iter facienti & jacenti.* ¶ *Aſſueviſti* הסכנתה] i. e. Noſti omnes vias meas, ut homo novit opus ſuum cui aſſuevit. Alii, *& omnes vias meas exploratas habes.* Alii, *utiles feciſti:* aut, *proficere feciſti: felices & proſperas reddidiſti.*

4. *Quia necdum eſt ſermo*, &c. 'כי אין מלה וגו] i. e. Antequam loquar, noſti quæ dicturus ſum.

5. *Formaſti me* צרתני] *Obſediſti me:* i. e. circumdediſti me undique ſcientiâ tuâ inſtar exercitûs obſidentis civitatem. Metaphora. ¶ *Et poſuiſti ſuper me manum tuam* ותשת עלי כפכה] *Et mihi admolitus es* [vel, *admoviſti*] *manum tuam*, ſub. *formando me.*

6. *Mirabilior eſt ſcientia à me* פלאיה דעת ממני] *Occulta ſcientia à me.* Hebraïſmum ſic quidam vertunt paucis additis, *Admirabilem in me formando ſcientiam exhibuiſti, & ſublimiorem quàm ut eam poſſim intelligere.* Alii, *Mirabilior eſt hujus rei cognitio quàm ut ego conſequar. Sublimior eſt quàm*, &c.

8. *Et ſi ſtratum fecero in inferno* ואציעה שאול] *Si ſternam ſepulcrum.* Vel, *ſi ſternam in ſepulcro.* Hebraïſmus, pro, *ſi etiam* deſcendam *ad ima: ſi degam in ima terra.* Alludit ad id quòd ſepulcrum mortuis eſt pro lecto.

9 *Auroræ* שחר] Alludit ad celerrimam radiorum Solis excurſionem, qui momento ab Oriente ad Occidentem perveniunt: q. d. Si ab Oriente ad Occidentem me celerrimè proripere velim. ¶ *In noviſſimo* באחרית] *In extrema parte.*

11. *Cùm dixi* ואמר] Ad verb. *Et dico.* Quidam vertunt, *Et ſi dixero*, ſive *dicam:* i. e. cogitem apud me. Alii, *Dicam ergo.* ¶ *Saltem tenebræ occultabunt me* אך חשך ישופני] *At* [vel *fortè*] *tenebræ occultabunt me.* A radice נשף, quod ſignificat *crepuſculum.* Alii vertunt eodem ſenſu, *forſitan tenebræ contererent me:* à verbo שוף quod *contundere* & *frangere* ſignificat. ¶ *Propter me* בעדני] *Circum me:* i. e. vertetur in diem, ut meas cogitationes detegat in conſpectu Domini.

12. *Etiam tenebræ* גם חשך] *Siquidem tenebræ.* Alii, *ſed nè tenebræ quidem.* ¶ *Occultant* יחשיך] Futura Heb. pro præſ. *obtenebrant:* i. e. occultant. ¶ *Lucet* יאיר] *Lucida erit:* vel, *lucida eſt:* ſub. *Coram Deo.* Quater idem repetit ad majorem expreſſionem, ut doceat, Deum nihil latere poſſe. ¶ *Tenebræ ſunt*, &c. כחשכה כאורה] Ad verb. *ſicut tenebræ, ſicut lux.* Hebraïſmus eſt breviſſimus, pro, *Apud Deum tenebræ ſunt ſimiles luci, & lux tenebris eſt ſimilis.*

13. *Poſſediſti* קנית] Præt. Heb. pro præſ. *poſſides:* i. e. tui ſunt, quia eos formaſti: q. d. Tu noſti omnes affectus meos. Quidam, *in poteſtate tua habes.* ¶ *Texiſti me* תסכני] Job. 10. 11. *Pelle & carne veſtiſti me, oſſibus & nervis cooperuiſti me.*

14. *Terribilia ſunt* opera tua, *mirabilis ſum* נוראות נפליתי] Ad verb. *mirabilia ſunt, mirabilis ſum.* Adjectivum primo loco ſine ſubſtantivo: propterea quidam ſubaudiunt *opera tua:* q. d. Cauſæ plaſmationis meæ ſunt miræ, & mirabile eſt opificium corporis mei. Quidam vertunt, *Tibi confiteor quòd miris & ſtupendis modis formatus ſum.* Alii adjectiva vertunt in adverbia, hoc modo, *Quia terribiliter & mirificè formatus ſum.* Alii, *propterea quod tremendis modis mirabiliter formatus ſum.* ¶ *Cognoſcit abunde* יודעת מאד] Ad verb. *eſt cognoſcens valde:* vel, *exactiſſime.*

15. *Corpus meum* עצמי] *Os meum.* q. d. Nè unum quidem ex oſſibus meis latuit te quando, &c. Quidam vertunt, *ſubſtantia corporis mei.* Alii, *fortitudo mea;* vel, *potentia*, aut *robur meum:* h. e. quid potentiâ eſſem, quamvis non eſſem actu: i. e. quid futurus eſſem. ¶ *Variis membris*, &c. רוקמתי בתחתיות ארץ] *Variè effictus ſum in inferioribus terræ:* vel, *formatus inſtar ſcilicet veſtis Phrygionicæ.* Alii, *contextus ſum.* Alii, *mirâ arte diſtinctus ſum membris. Aſſimilavit*, inquit Hebræus quidam, *opus creationis*, (ſive *formationis*) *in nervis, oſſibus, carne, & cute, operi Phrygionico: & alvum* (ſive *vulvam*) *matris ſuæ comparavit inferioribus terræ.*

16. *Imperfectum meum* גלמי] *Informe meum:* i. e. materiam illam rudem & informem unde formatus ſum. ¶ *Acſi in libro*, &c. ועל ספרך כלם יכתבו ימים יצרו ולא אחד בהם] Fut. Heb. pro præt. Hebraïcè ſic ad verbum, *& ſuper librum tuum univerſa ſcripta erant, diebus formata ſunt, & non unum ex eis:* i. e. imò omnia membra mea erant tibi perinde nota acſi deſcripta fuiſſent in libro poſito ante oculos tuos: & longo poſt tempore formata ſunt ea membra, & nè unum quidem ex eis membris exſtabat adhuc. Vel, & nè unum quidem ex eis membris erat tibi ignotum. Legitur etiam Hebraïcè in poſteriore parte verſûs ולו, *& illi unus erat in eis*, i. e. & illi Deo omnes dies erant velut unus dies. Quidam vertunt, *Et in libro tuo omnia* membra *ſcripta erant*, quæ per *dies formata ſunt, cum adhuc nullum eorum exſtaret.* Alii, *Et in libro tuo omnes conſcripti erant*, cùm *dies formarentur, & nè unus quidem in eis eſſet.* Alii, *cuncta* membra quæ per *dies formata ſunt, velut in libro habebas deſcripta, cùm adhuc nè unum quidem exſtaret.*

17. *Quam pretioſæ ſunt* מה יקרו] *Quàm eximiæ ſunt, quàm præclaræ ſunt.* Quidam Hebræorum exponunt, *quàm raræ*, ut 1 Sam. 3. 1. *Et verbum erat rarum.* ¶ *Cogitationes tuæ* רעיך] Quidam Hebræorum vertunt *quàm pretioſi* [vel *glorioſi*] *ſunt amici tui.* Alii, *quàm pretioſæ ſunt voluntates tuæ.*

18. Si *numerem eas, præ arena multiplicatæ ſunt* אספרם מחול ירבון] Ad verb. *Numerabo eas, plures ſunt quàm arena.* ¶ Etiamſi, &c. הקיצותי ועודי עמך] Ad verb. *evigilavi, & adhuc tecum.* q. d. Dum recordor tuarum cogitationum, in ſomnum vertor: & expergefactus, adhuc contemplor illas tuas cogitationes. Quidam vertunt, *vigilabo* propter iſta, *& hucuſque ago tecum.*

19. *Si occideris* אם תקטל] Quidam volunt optantis orationem eſſe, & vertunt, *O ſi tu*, vel *Utinam tu, Deus, interficeres impios, & viros ſanguinarios:* quibus dico, *Faceſſite à me.* Alii, *Si occideris, Deus, impium, tum viri ſanguinum declinarent à me.* Alii, *Poſtquam perdidiſti improbos, faceſſite* ergò *à me vos, viri ſanguinarii.* Alii ſubaudiunt, *ſemper tecum ero.* q. d. Si interfeceris, ô Deus, improbum, &c. contemplor conſilia tua, & id ſemper ſum facturus.

20. *Dixerunt* contra *te abominationem* יאמרוך למזמה] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. *loquuntur contra te nefariè;* vel, *impiè*, aut *ſceleſtè.* Alii, *Qui rebellant tibi nefariè.* Alii, *Qui loquuntur contra te ad ſcelus.*

21. *Et inſurgentium in te tædet me?* ובתקוממיך אתקוטט] *Et contra inimicos tuos contendo?* vel, *litigo?* Alii, *& inſurgentibus contra te indignor?* Alii, *Et in eos qui adverſum te inſurgunt excandeſco?* vel, *moleſtiâ afficior.*

22. Et *pro inimicis*, &c. לאויבים היו לי] *Acſi mihi hoſtes fuiſſent.* Aut, *velut inimici eſſent mihi.*

24. *Via irritationis* דרך עצב] *Via rebellionis.* Alii, *via perverſa.* Alii, *via idoli:* i. e. num ſecter impiam vivendi rationem: num rebellis ſim, nec lubens feram quod immittis: aut, num ſecter idola. Nonnulli, *via iræ:* vel, *doloris*, aut *triſtitiæ:* i. e. an dolore afficiar propter mala quæ eveniunt mihi. ¶ *Per viam mundi* בדרך עולם] *Per viam ſempiternam:* vel *per viam ſeculi.* Hebraïſmus, pro, *Et ſi ità res habet, moriar.* Joſ. 23. 14 & 1 Reg. 2. 2. dicitur *via univerſæ terræ*, i. e. quâ gradiuntur omnes homines à ſeculo.

CASTALIO.

13. R*Enes*] Affectus.

15. *In ima terra*] In utero ignoratus, ut ea quæ ſub terra ſunt.

16. *Mei rudimenta vidiſti tuis oculis*] Me in utero inchoatum.

18. *Adhuc tecum hæream*] Ad tuam naturam contemplandam attentus, eam nondum pernoſcere queam.

24. *Meque in viam ducito durabilem*] Rectam. Nam recta & proba durant, cùm prava pereant, ut eſt in Pſal. 1.

CLARIUS.

Docetur hoc Pſalmo, Deo formatori noſtro omnia eſſe cognita & perſpecta, ubique ipſum adeſſe, nec quicquam oculis ejus eſſe abſconditum; etiam interiora cordis illi patere.

2. *Tu cognoviſti ſeſſionem*] Omnes hominis actiones ſub Allegoria quatuor appellationum, *ſedendi, ſurgendi, eundi, cubandi*, quibus tota hominis vita conſtat, complectitur. Clavis Allegoriæ eſt quod ſubdit, *Intellexiſti omnes cogitationes meas, & omnes vias meas prævidiſti.* Et quod ait *de longè*, id eſt, antequam nobis in mentem veniant.

4. *Non eſt ſermo*] Nè voculam quidem ullam ſonare poterit lingua mea quin tu, Domine, (dictu mirum) ſcias per omnia meliùs me, quid velint illa. Vel, priùs quàm noſtra verba in linguam veniant, noſti quid velint.

5. *Retro & ante*] h. e. Undique finxiſti me, non eſt ergò mirum quod nil te in tuo figmento lateat. ¶ *Poſuiſti ſuper me manum tuam*] Senſus eſt, Formaſti me manu tuâ, & compegiſti me ab exordio conceptionis meæ, quando ex pauculo liquore coagulato formaſti carnem & oſſa, caput & corpus, cor & cerebrum, ſenſus & tot meatus, atque infinita ferè membra. Et verè *admiranda* eſt res, & quæ omnium intelligentiam ſuperet.

6. *Mirabilis facta eſt*] Hæc ſcientia & cognitio humani opificii mirabilior eſt quàm ut illam ego conſequi poſſim.

9. *Pennas diluculi*] Alluſit ad celerrimam radiorum Solis excurſionem, qui momento ab Oriente ad Occidentem uſque perti-

tingunt. *Per extremitatem* namque *maris* intelligit Occidentem: dum enim Sol occidit, videtur ſubire Oceanum.

13. *Renes meos*] Nempe ſecretiſſimas corporis mei partes, & affectuum ſedes. ¶ *Operuiſti me in utero*] Compegiſti me incredibili artificio in abditiſſima parte ventris genitricis meæ. Heb. *veluti tabernaculo contexiſti me:* & intelligunt de corpore animam contegente.

15. *Non eſt occultatum os*] Non eſt ullum os intra me loco tam occulto ut te lateat. ¶ *Contexuiſti me in inferioribus terra*] h. e. In utero matris, loco magis abdito quàm ullum eſt antrum terræ.

16. *Imperfectum meum*] Vel *informe meum*. i. e. Rudem fœtum & informem maſſam, quaſi *in libro deſcripta eſſent omnia membra*, tu noſti. ¶ *Per dies formantur*] Hæc membra etſi non niſi multis diebus in juſtam magnitudinem excreſcere poſſunt, apud te tamen non eſt ea dierum varietas, ſed unus perpetuus dies. Variè tamen hic locus exponitur: nam quidam hunc ſenſum afferunt, *per dies formata ſunt & non ullum in eis*, i. e. cùm nè unum quidem exſtaret ex membris quæ ſuis diebus fingenda erant. Alius ſic, *& ipſi*, ſcilicet Deo, *unum* (ſubaudi *omnia ſunt*) *in eis*, *nempe diebus*, *quibus membra paulatim ſuam formam accipiunt*. Vel, *nullum inter ea membrum eſt quod Deus non antè cognoverit quàm eſſet natum*.

17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt*] Sic & Chaldæus, ait enim, *Et mihi quàm pretioſi ſunt amici tui, Deus*: quaſi dicat Propheta, Celebrandus es tu, Domine, ſuper omnia, qui tam mirâ ratione me formaſti; ſed *& pretioſi ſunt in oculis meis amici tui:* & rurſum *impii*, quos tu *interficies*, & quos ego veluti *viros ſanguinum arceo à me*, hos æquè ut tu *odio habeo*, animum ſcilicet illorum impium & mores perverſos exſecrans. Alii tamen ſic interpretantur ut pro *amicis* dicant *conſilia*, in hunc ſenſum, *Interim mihi quàm incomprehenſibilia facta ſunt conſilia tua, omnipotens Deus! quam ſupra modum ingentes facta ſunt ſumma illorum! Si numerare coner ea, ſuperant numerum arena maris: & ſi pervigil duravero totâ vitâ mea in enumerandis illis, idem egero.*

18. *Exſurrexi & adhuc ſum tecum*] h. e. Et nocte ſomnio, & cùm evigilavero, adhuc apud te ſum animo in tuis operibus occupato.

24. *Deduc me in via æterna*] h. e. Quæ ducit ad vitam perpetuam. Quidam tamen hunc verſum ſic exponunt, *Si tale ſtudium fuerit in me quale eſt impiis, patiar æquo animo ut more aliorum impiorum occidas me.*

DRUSIUS.

3. אָרְחִי. Sym. τὴν ὁδόν μου. Th. *ſemitam meam*. ¶ וְרִבְעִי זֵרִיתָ. Th. *& viam meam inveſtigaſti.* ¶ דְּרָכַי. A. Sym. V. & VI. ὁδούς *vias*. Th. τρίβους *ſemitas*.

4. מִלָּה. A. λαλιά, *ſermo*. Sym. ἑτερολογία, *ſermo diverſus*. Th. δόλος, *dolus*. V. ed. λόγος] Deſcripſi ex ed. Rom. Aliter eſt in Fragmentis meis, & apud Hieronymum epiſt. ad Suniam, cujus verba fidei meæ causâ nunc adſcribam, *Pro eo quod eſt*, quia non eſt ſermo in lingua mea, *vos in Græco inveniſſe dicitis*, ὅτι οὐκ ἔστι δόλος ἐν γλώσσῃ μου, *i. e.* quia non eſt dolus in lingua mea; *quod ſolùm Sexta editio interpretata eſt. Cæterùm & apud Lxx. & apud omnes Interpretes & ipſum Ebraicum vel λαλιὰν, vel λόγον, i. e.* eloquium *&* verbum, *ſcriptum habet: denique Ebraicè dicitur* מלה Milla.

6. פְּלִאיָה דַעַת מִמֶּנִּי. Sym. ὑπερβάλλει με ἡ γνῶσίς σου, *ſuperat me ſcientia tua*] In comment. Hieronymo attributis ad h. l. *Sym.* Prætergreditur me ſcientia tua. *Alius Interpres*, Magna facta eſt ſcientia tua ſuper me. Magna facta eſt, ἐμεγαλύνθη. ¶ נִשְׂגְּבָה. Alius, ὑπερεχύρθη. ¶ לֹא־אוּכַל לָהּ. A. οὐ δυνήσομαι αὐτήν. Sym. πρὸς ἣν οὐ δύναμαι. Th. V. & VI. οὐ δυνήσομαι πρὸς αὐτήν.

9. אֶשְׁכְּנָה. A. σκηνώσω, *habitabo*. Sym. κατα μενῶ, *manebo*. Th. κατασκηνώσω.

11. וָאֹמַר אַךְ־חֹשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי. Sym. Ἐὰν εἴπω, Ἴσως σκότος ἐπισκεπάσει με, *Si dixero, Forſan tenebra obtegent me.* Alius, καλύψει με. ¶ וְלַיְלָה אוֹר בַּעֲדֵנִי. A. καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμὲ, *& nox lux circa me.* Sym. ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμὲ, *ſed & nox lucida circum me.*

12. גַּם־חֹשֶׁךְ לֹא־יַחְשִׁיךְ מִמֶּךָּ וְלַיְלָה כַּיּוֹם יָאִיר. Sym. ὅτε σκοτεινὸν ἔσαι ὑπὲρ σε, ἀλλὰ καὶ νὺξ ὡς ἡμέρα φανεῖ. ¶ כַּחֲשֵׁיכָה כָּאוֹרָה. Alius, ὅμοιον τὸ σκότος καὶ τὸ φῶς αὐτῆς] Hos duos verſus ità verſos reperi apud Interp. Theodoreti A. Caraffam, *Si dicam, Fortaſſe tenebra operient me, tamen nox lucida me circumſtat. Neque tenebra tenebricoſa erunt ſuper te, ſed & nox ſicut dies apparebit.* ¶ מִמֶּךָּ. Alius, *apud te*] Euthymius, A ΤΕ *dixit pro* apud te, *quemadmodum alius etiam Interpres reddidit.*

14. נִפְלָאִים מַעֲשֶׂיךָ. A. & T. θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου, *admiranda opera tua*. Sym. παράδοξα, *admirabilia*, ſive *incredibilia*] Θαυμαστά, aliàs θαυμάσια.

15. לֹא־נִכְחַד עָצְמִי מִמֶּךָּ אֲשֶׁר־עֻשֵּׂיתִי בַסֵּתֶר. A. Οὐκ ἐπεκαλύφθη ὀστᾶ μου ἀπὸ σοῦ, οἷς ἐποιήθην ἐν ἀποκρύφῳ, *Non abſcondita ſunt oſſa mea à te, quibus factus ſum in occulto.* Sym. Οὐκ ἔλαθέν σε ἡ κραταίωσίς μου ἣν ἐποιήθην ἐν τῷ κρυπτῷ, *Non latuit te robur meum quo factus ſum in abſcondito.* Th. ut Lxx. ¶ רֻקַּמְתִּי בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ. Sym. ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς. A. *effictus ſui ſicut in infima parte terra.*

16. גָּלְמִי רָאוּ עֵינֶיךָ. A. Ἀκατέργαστόν μου εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Sym. Ἀμόρφωτόν μου εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, *Informe meum viderunt oculi tui.* ¶ וְעַל־סִפְרְךָ כֻּלָּם יִכָּתֵבוּ, Sym. σὺν τοῖς ἐν τῷ βίβλῳ σου πᾶσι γεγραμμένοις, *cum omnibus qui in libro tuo ſcripti ſunt.* ¶ יָמִים יֻצָּרוּ וְלֹא אֶחָד בָּהֶם. Sym. ἡμέρας πλασθησόμενος οὐκ ἐνδεήσας οὐδεμιᾶς. Th. ἡμέραι πλασθήσονται, καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς. A. - - - καὶ οὐ μία ἐν αὐτοῖς, *& nè una quidem in eis.* Symmachi exſtant apud Interpretem Ant. Caraffam, in Latinam converſa hoc modo, *Informem me praviderunt oculi tui cum omnibus qui in libro tuo ſcripti ſunt, nullâ die deficiente ad creationem*: & in Comment. Hieronymo attributis, *dies quibus formati ſunt nè una quidem ex iis deeſt.*

17. וְלִי מַה־יָּקְרוּ רֵעֶיךָ. Alius, - - - τίμιοι ἐγένοντο οἱ ἑταῖροί σου. Alius, καὶ ἐμοὶ τί ἐτιμήθησαν. - - - ¶ מֶה עָצְמוּ רָאשֵׁיהֶם. Alius, τί παμπληθεῖς αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν; *quàm multa ſunt capita eorum?* Th. - - - οἱ πένητες αὐτῶν, *pauperes ipſorum*] Euthymius, *Alius Interpres* capita eorum *dixit, h. e. ipſi amici Dei.*

18. הֱקִיצֹתִי וְעוֹדִי עִמָּךְ. Sym. ἐξυπνίσω, καὶ εἰς ἀεὶ ἔσομαι μετὰ σοῦ, *expergiſcar, & ſemper ero apud te.* Alius, ἐξυπνίσω, καὶ εἰς ἀεὶ ἔσομαι παρὰ σοί.

19. רָשָׁע. Alius, παραβάτην. ¶ אַנְשֵׁי דָמִים סוּרוּ מֶנִּי. Sym. ἄνδρες μιαιφόνοι ἀπονεύσατε ἀπ' ἐμοῦ, *viri homicida abſcedite à me.*

20. אֲשֶׁר יֹמְרֻךָ לִמְזִמָּה נָשׂוּא לַשָּׁוְא עָרֶיךָ. A. ὅτι ἀντιλέξουσί σοι εἰς ἐπίνοιαν, ἦραν εἰς εἰκῆ ἀντίζηλοί σου. Sym. οἵτινες ἀντελάλησάν σοι διαλογισμῷ, ἐπάρθησαν ματαίως οἱ ἐναντίοι σου. Th. ὅτι ἐρίσουσί σοι εἰς διαλογισμόν. - - - - V. ed. ὅτι παρεπίκρανάν σε ἐν κακοβουλίᾳ. - - -

AMAMA.

Subdifficilis eſt ob voces aliquot ἅπαξ λεγομένας & ex Chaldaïſmo petitas. *Multa hic eſſe ambigua* fatetur Bucerus, Jun. ait *eſſe difficilem ob orationis μέγεθος & figurarum Poëtic. frequentiam.*

Continet doctrinam de omniſcientia, omnipræſentia & omnipotentia Dei, quam omnipotentiam declarat ſingulari exemplo à formatione corporis humani.

Piſc. *Eſt Pſalmus διαμαρτυρητικός, in quo conteſtatur Deum de innocentia ſua adverſus Calumn. Ejus teſtimonii divini certitudinem amplificat à Dei omniſcientia, omnipræſentia & omnipotentia.*

Ad titulum addunt Lxx. Ζαχαρίου ἐν τῇ διασπορᾷ. Sic ſupra Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου.

1. *Perveſtigas*] Jirm. 17. חֹקֵר לֵב וּבֹחֵן כְּלָיוֹת unde vocatur καρδιογνώστης, Act. 1.

2. *Sedere & ſurgere*] i. e. Omnes actiones meas, vitam meam. Sic alibi, *Exire & ingredi. Deus cuſtodiat introitum & exitum tuum.* Jeſ. 37. 28. *Sedere tuum & exire tuum & ingredi tuum novi.* Vide ſupra. Tota vita hominis exhauritur vel ſtando vel ſedendo, ſub quo cubatio comprehenditur.

לְרֵעִי διαλογισμούς μου, *cogitationem meam*] Ex uſu Chald. & quidem bis hoc cap. hic & verſ. 17. Chald. dicunt רַעְיוֹן. Kimchi, מַחְשָׁבִי.

A longè] Qui referunt ad diſtantiam locorum. *Tu qui in cælo es* &c. Melius Kimchi, *antequam cogitem*, Genebr. *ab æterno.*

3. אָרְחִי] *Iter, ſemitam* vel *viam*. רִבְעִי *accubitum* רבע proprie, *quadratum eſſe*, 2. *Inire* in Chald. ץ & ע permutantur רבץ & ארע dicitur de quadrupedib. Sed hic ex uſu Chald. ponitur pro רבע *accubuit*, & dicitur proprie de quadrupedibus, *Leone* Gen. 44. 9. & Avibus Deut. 22. 6. unde Catachr. transfertur ad homines hic & Pſ. 23. Ad Peccatum Gen. 3.

זֵרִיתָ] Piel à זָרָה. Lxx. ἐξιχνίασας, *inveſtigaſti*, Kimchi melius סָבַבְתָּ, *circumdediſti*, unde Jun. *Circumplecteris*, 1. Sign. *ventilare, diſpergere.* 2. *Circumdare.* Unde זֵר *limbus* Ex. 25. 25. *Et facies ei.* זֵר זָהָב סָבִיב.

Lxx. Τὸ רִבְעִי vertunt τὴν σχοῖνον. Vulg. *funiculum.* Genebr. putat eos ſcripſiſſe κοίτον, *cubile.*

Iterum diſtinguit *vitam* in *humanam*, in *ambulationem* ſeu *motum* & *quietem*. Per ארח enim juxta Kimchi intelliguntur מהלכי ביום. Per רבע, autem שכיבה *quietem*. Atque ita jam me-

moravit quatuor ſitus corporis humani ut Pſ. 1. tres, *ambulare*, *ſedere*, *ſtare*.

הִסְכַּנְתָּה] סכן in Kal. *profuit*. Job. 15. 3. In Niphal *periclitari*. Koh. 10. 9. unde Rabbinis סַכָּנָה *periculum*. In hiphil, *ſolere*, *aſſueſcere*. *Aſſueviſti viis meis & per conſ. notas eas habes*, unde Jun. *peritus es*. Lxx. προεῖδες. Malè. Num. 22. 30. הַהַסְכֵּן הִסְכַּנְתִּי. Kimchi הִרְגַּלְתָּ.

4. כי אין מ׳ *Cum nondum eſt ſermo*] Lxx. & Vulg. referunt ad verſ. præc. & מלה vertunt δόλος & ſic legitur in Pſ. Rom. Senſus, *Dum adhuc in corde ſunt*, *tu noſti quid prolaturus ſim*. Sic Buc. Calv. putat ſic quoque accipi poſſe, *etſi nihil proferam*, *ſed ſilentio legam cogitata*, *nihil tamen te latet*.

5. צַרְתָּנִי] Bifariam exp. 1. In ſig. *Premendi*. 2. *Obſidendi*. 3. *Formandi*. Ut ſit cum יצר ſynonymum. Qui in ſignif. *premendi* accipiunt vel pro *opprimendo*, *tu oppreſſiſti me*, *anguſtiis affeciſti me*, *ante & poſt*, i. e. undequaque, atque hæc interpret convenit cum Exp. 2. *Obſides me*, ut Jun. Obſidione enim maximè premitur urbs. Vel in ſignif. *premendi*, ut ſit Metaph. à Caſeis qui premendo conficiuntur & formantur. Atque hæc expoſitio convenit cum 3. Ut in hac expoſit. non opus ſit recurrere ad יצר Kimchi ככו שעושין לגבינה *ſicut faciant caſeo*. Job. 10. 10. *Nonne ſicut caſeum coagulaſti me? Ante & poſt*, id eſt ab omni parte, *membra mea anteriora & poſteriora tu formaſti*. Firmat quod à צור eſt τυρέω *premo* & τῦρος, *caſeus*, *preſſi copia lactis*.

Sed Calv. & Jun. ſeq. ſign. *obſidendi*, ut dicat ſe ita conſtrictum ante & poſt, ut effugere non potuerit.

Manum tuam] Utrique expoſ. aptari poteſt. Si primæ, eſt Metaph. à figulo, ſi ſecundæ, *manus* pro *plagâ*.

6. *Mirabilis eſt ſcientia*] Jun. ſub. *tua*. Piſc. *hac*. Poteſt aptari utrique exp.

Sic Kimhi, חכמה הזאת יצירת הגוף.

Si primæ, *ex me*, i. e. ex mea formatione, ex mei opiſicio vel ſtructura, vel *præ me*, *Illa tua ſcientia quâ tam artificioſe me formaſti excedit captum meum*.

Si ſecundæ, *Illa tua ſapientia qua me affligis in bonum meum*, *excedit meum captum*.

Sed Junius ſeparat hunc verſum à ſuperioribus & jungit cum ſequentibus, ut hæc ſit propoſitio de mirifica Dei ſapientiâ, quam explicat 2. Circumſtantiis, *Loci*, verſ. 8, 9, 10. *Temporis*, verſ. 11, 12.

פִּלְאִיָּה ק׳ פלאיה hoc eſt à פִּלְיָא illud à פלאי פִּלְיָא ſ. נְבִיא in fœm. נְבִיאָה. Obj. ergo ſcientiæ hujus eſt vel conform. fœtus, vel Afflictio, vel omniſcientia & providentia & ſic poteſt ſub. aſſ. tua.

יָכוֹל] Jun. *Quam ut fallam*, Piſc. *Quam ut aſſequar*.

Non potero ei] i. e. Non prævalebo illi. יכל cum Dat. conſtr. eſt *prævalere*. Num. 13. 30. Pſ. 129 2. Jirm. 1. 19. Abd. 7. Alii, *Non poſſum eam attingere*.

7. *Quo ibo à Spiritu tuo*] Juxta Piſc. Declarat omnipræſentiam Dei enumeratione locorum Mundi longiſſime diſſitorum.

Enter præſenter Deus eſt & ubique potenter.

Et Poëtæ,

——Jovis omnia plena.
Quo fugis Encelade, quaſcunque acceſſeris oras
Sub Jove ſemper eris.

Juxta Jun. & Coppen. (Calv.) declarat ſolummodo ejus omniſcientiam, quam ſtatuminat remotione duorum impedimentorum. 1. Diſtantiæ locorum, 2. Obſcuration. tenebrarum. Calv. *Summa eſt non poſſe Dav. locum mutare quin D. animadvertat*, *imo fugientem perſequatur oculis ſuis. Itaque ad probandam eſſentiæ Dei immenſitatem male detortus fuit hic locus.*

A Spiritu tuo] i. e. A te qui es ſpiritus. Sic Kimchi, nam dicit idem repeti alio verbo מִפָּנֶיךָ. Alii, *Spiritum Sanctum* intelligunt. Euthym. Per *Spiritum Dei* & *faciem Dei ipſum Deum* circumloquitur. Buc. *virtutem*, Calv. *ſcientiam*, *mentem*, & *intelligentiam Dei* intelligit. Qui per *Spiritum* intell. *Spiritum Sanctum*, per *faciem* 2. *Perſonam* intelligunt.

Conferantur hæc cum Sirach. 16. 19.

8. אִם אֶסַּק] i. e. אֶעֱלֶה) Maſſ. ל. Chaldaiſmus. Solet enim in Tharg. eſſe interpretamentum τοῦ עלה. Senſus, ſi præſumpſero, ſi cogitavero aſcendere, vel me poſſe aſcendere & ita te effugere.

ואציעה] Sub. *Si ſtratum poſuero* שְׁאוֹל *infernum* vel *in inferno*. Jun. *Sepulcrum*. Et ſic Kimchi, atque hanc dat rationem cur uſu ſit voce אציעה, quod *ſepulcrum* ſit מַצָּע הָאָדָם במותו *ſtratum hominis in morte*. Egregiè. Hinc enim Græcorum Κοιμητήριον. Sed Piſcator, *inferno*, ut major ſit oppoſitio, vid. inter cœlum locum mundi altiſſimum & infernum locum infimum. Nec eſt dubium quin שְׁאוֹל *infernum* ſignificet. Job. 11. 8. & 26. 6. Rarius tamen, quod contra Pontificios eſt, vide Cenſ. Gen. 37.

9. אשא] Sub. *Si*, *Si aſſumſero*, i. e. voluero & ſi poſſem.

Alas auroræ] Radii Solis comparantur alis, quia celerrime volant per hemiſphærium & diffundunt lucem. שחר per Antiphraſin, per *auroram* aëris nigror, i. e. caligo pellitur. R. D. *Aurora diffundit ſe in momento ab Or. in Occid.* ut *Sol* ita & *Aurora* dicitur *ſuos* habere *radios*. Ut *Sol* ita & *Aurora* dicitur *aſcendere*, Gen. 19. 15. *Et cum aſcenderet aurora*.

In extremo Maris] In fine & extremitate Mundi. R. D. *extremum Maris eſt Occidens*, *atque intelligit finem mundi. Ergo extremitas Maris eſt extremitas Mundi. Mare* pro *termino occidentali* paſſim. Eſtque mare Mediterraneum, non quod ultra illud non ſint aliæ terræ, ſed quod in S. L. ſit terminus Terræ S. qui termini ſolent adhiberi in Script. pro terminis Mundi, de quo in Cenſ. Exod. Vide Pſal. 72. 8.

10. *Deducet me*] Non ut dux vel ſocius, ſed ut Dominus ducit & prehendit ſervum fugitivum.

11. Alterum impedimentum. (*Si*) *dixero*, *utique tenebræ*.

יְשׁוּפֵנִי] *Obſcurabunt me*, vel *velut crepuſculo involvent me*. Lxx. καταπατήσει με, Vulg. *Conculcabunt me*. Maſſ. ב, hic & Job. 9. 17. licet ibi ſit in alia ſign. שוף proprie *conterere* Gen. 3. *Ipſe* ישוף *caput Serp*. At ea ſign. hic non quadrat, niſi ita mollias conculcabunt, i. e. legent, operient. Genebr. *Quod pedibus culcatur*, *oculis ſubducitur*. Agnoſcit tamen in Ebr. eſſe *Obſcurabit*. Certe Symm. ἴσως σκότος ἐπισκεπάσει με, *obteget me*. Neſcio an alibi occurrat. Alius, καλύψει. Kimchi, *Mutuatur* ſignif. à נשף *crepuſculum*. Sic כול & נָפַל diverſa themata ſed ſign. una. Sic נפץ & פוץ

ולילה] *At nox* &c. *Mihi & creaturis nox obſcura eſt & cæca*, *tibi vero omnia ſunt nuda*, *patentia oculis. Tibi*, *tuo reſpectu nox eſt lux circa me*. Druſius mavult אור eſſe verbum, *Nox lucet*. Per *noctem* intelligit *Tenebras*, *Tu tam vides me & actiones meas in tenebris quam in luce*.

בַּעֲדֵנִי] Ex abſol. בַּעַד *circa*. Lxx. *Nox illuminatio mea eſt* ἐν τῇ τρυφῇ μου· Vulg. *in deliciis meis*. *Dum putabo me in tenebris tuto frui deliciis*, *nox clarum & perſpicuum exhibebit me tibi*. Genebr. divinat eos legiſſe בְּעֶדְנִי aliis punctis. עֵדֶן unde Græcum ἡδονή. Excuſarem niſi & Aq. & Sym. legiſſent iſtis, queis nos utimur vocalibus. Aq. καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμέ. Sym. ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ.

12. *Ne tenebræ quidem ita obtenebrare poſſunt* (ſc. דבר quicquam) מִמְּךָ *a te*, i. e. ut tu non pervideas.

Kimchi duplicat imo triplicat & quadruplicat idem ad majorem aſſeverationem rem ita ſe habere.

Sicut tenebræ, *ſicut lux*] Nec Gr. nec Latini ſic loquuntur. Eſt reciproca ſimilitudo. Sicut tenebræ ita lux, ſicut Lux ita tenebræ. Kimchi, דרך קצרה׳ רוצה לומר זה כזה וזה כזה. Similia, Gen. 44. כָמוֹךָ כְּפַרְעֹה. Jeſ. 24. 2. והיה כעם ככהן כעבד כאדניו כשפחה כגברתה כקנה כמוכר כמלוה כלוה

13. *Tu poſſides*] Αἰτιολογία ſuperiorum & ſimul tranſitio ad ſequentem partem de mirifica hominis genitura.

Et contexiſti me] i. e. Involviſti ſecundis.

Renes meos] Cur renes? Sedes affectuum in renibus ut cogitationum in corde, unde *principium cogitationum & conſiliorum* Scriptura tribuit *renibus*, complementum & perfectionem cordi, unde Deus *ſcrutator renum*. Alii, *quod primo formentur Renes*, ſic R. D. & Buc. Medici negant. Atque id affirmant de Cerebro, Jecore, & Corde.

Jun. *Omnia interiora mea*, per Synecdochen.

14. *Eò quod* נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי, Jun. *Suſpiciendis* (*operibus iſtis*) *in admirationem traducor*. Piſc. *Eò quod ſuſpiciendis* (*modis*) *creatus ſum*, ad verb. *Mirificatus*. Tig. *Quod miris & ſtupendis modis formatus ſim*. Kimchi quoque ad נפלאות ſubaudit תּוֹלָדוֹת. Male Lxx. ὅτι φοβερῶς ἐθαυμαστώθης, Vulg *quia terrib. magnificatus es*.

נפלאים] Jun. Iterum repetit *celebro*.

Et anima mea novit (*hoc*) *valde*.] Jun. *Quam maxime novit* (i. e. poteſt) *animus meus*. Caſt. *Id quod animo meo præclare recognoſco*. Kimchi vult illud מְאֹד non referendum eſſe ad *novit*, ſupra enim ſuam cognitionem extenuavit, ſed ad *mirabilia. Diſcernit ſe à beſtiis. In creatione beſtiarum multa elucent mirabilia*, *at iſta non agnoſcunt*, *non intelligunt quicquam*, *mihi autem dediſti animam rationalem præ cæteris animalibus*, *illa autem novit admirabilia tua opera & celebrat*. Sic R. D. K.

15. עָצְמִי] Alii, *vis mea*, ut Jun. & Sym. οὐκ ἔλαθέν σε ἡ κραταίωσίς μου. Aben. כחי Tig. *robur*. Certe עָצַם *robuſtus fuit*, עָצוּם *robuſtus*. Sic accipitur עֹצֶם Deut. 8. 17. Intelligit autem vim animi ſui, quam ex verſ. Junii ſuperiore verſu totam occupari profeſſus eſt in laudibus Dei celebrandis. Alii, *vis mea*, *quam exigua & tenuis ea fuerit cum me primum formares*.

Alii *os meum*, i. e. *Oſſa mea*, collectivè. Vel ad verbum, *Oſſeitas mea*, vel *compages oſſium meorum*. *Os* vocatur Ebr. עֶצֶם

עָצְמִי à *robore*, ſunt enim *robur corporis*. Lxx. ὐκ ἐκρύβη τὸ ὀςῦν μυ ἀπὸ σῦ. Aq. οὐκ ἐπεκαλύφθη ὀςᾶ μυ ἀπὸ σῦ.

Kimchi ait quoſdam exponere ac ſi eſſet ף pro גופי *corpus meum*. עֶצֶם enim ſynecdochicè *corpus*.

אשר] Jun. *ex quo* ſc. tempore. Piſc. *Quando* pro כאשר quod melius.

רֻקַּמְתִּי] Tig. *Opere Phrygio effingerer*. Jun. *Artificioſe confe-ctus*. Repete *quando*. Lxx. Peſſimè καὶ ἡ ὑπόςαϲίς μυ. 1. Enim non eſt nomen ſed Pual. 2. in themate nulla *ſubſtantiæ* ſignificatio. Et tamen id ſecutus eſt Vulgatus. Genebrardus nihil adfert quo excuſet. Id ſolum dicit, in Ebr. locutionem eſſe magis Poëticam, quam bene ſatis explicat. רקם eſt *variegare*, *acupingere*, *opere* ſeu *arte Phrygionica pannum lineum* ſeu *ſericum* & *aulæum eleganti imaginum* & *colorum varietate depingere*. Senſus ergo, quando juxta varias imagines & colores pulcra varietate artificioſiſſime factus ſum, de quo Galen. libris de uſu part. Lact. de Dei opif. Cicero 2. de Nat. & Anatomici, itaque Sym. ἐποικίλθην.

Kimchi putat reſpicere potiſſ. venas & nervos quorum tam diverſi & perplexi ſunt ductus, ut videre eſt corpore excoriato & in Anatomicis picturis quando exhibent corpus excoriatum.

Tres voces חושב אֹרֵג & רוקם ſic diſtinguunt Ebræi ut אֹרֵג ſit *textor*, מַעֲשֵׂה אוֹרֵג *opus quod texendo fit*, רוקם *acupictor*, מעשה חושב *quod nec per acum, nec per texturam, ſed eo modo fit quo hodie veſtes è ſerico parantur*.

Ego malim ſic diſtinguere, רוֹקֵם *acupictor*, *Phrygio. plumarius*. חושב *Polymitarius*, qui multitudine filorum diverſi coloris aliquod aulæum contexit variis imaginibus & coloribus decoratum. à πολὺς & μυτ *filum*.

Eſt ergo inter רוקם (*Borduurder*) & חושב (*Tapeetwerker*) differentia, 1. Quod is *acu* hic *telâ* laboret. 2. Quod חושב conficiat *opus barbaricarium*, i. e. διπρόσωπον, *biface*: utrinque eandem faciem referens: רוקם vero unius faciei. Sic enim Ebræi מעשה חושב שנים פרצופין : מעשה רוקם פרצוף אחד, i. e. *Opus Choſcheb duorum προσώπων: Opus Rokem vero προσώπυ, unius.* Vide Pinedam p. 396. & Cenſ. ad Jud. 5.

Quæ cum ita ſint, merito taxavimus Vulgatum dum מעשה חושב Ex. 26. vertit *opere plumario*. Cum tamen 28. 6. & 36. 8. 39. 8. & 23. verterit *polymitarium* & רוקם *plumarium*. Certe חושב utrumque non poteſt ſignificare, multo minus *plumarius* & *polymitarius unum* & *idem* ſunt. Melius vertiſſet generaliter, *opere artificioſiſſimo* vel *ingenioſiſſimo*. Vel cum Lxx. ἐργαςίᾳ ὑφάνυ, *opere textoris textili*. *Polymitaria* enim eſt *ſpecies textoriæ* ſeu *artificioſa textoria*. Et Cajet. *non ſuendo ſed texendo cortinæ iſtæ factæ ſunt*, *opere Polymitario*.

Plumarius ab Interprete Vulg. ejuſque Interpretibus, Turnebo &c. accipitur pro *phrygione*, *acupictore*. Lyra ad opere Plumario] *Quod figuræ illæ erant acupictæ in cortinis juxta* Auguſt. Sciendum tamen *plumarium* longe alium eſſe & abuſive pro acupictore uſurpatum. Gloſſ. V. *Plumarius* Πτιλοβάφος, *qui novit plumas multiplici colore pingere*. Cort. de novo urbe narr. 3. docet eam licet in noſtro orbe defierit, ibi adhuc exerceri, *Ex plumis tam mirabilia habuimus ut ſcriptis demonſtrari nequeant, nec eorum excellentia comprehendi poſſe videatur*.

In inferioribus terræ] Idem aliis verbis. (Sic quoque Genebrardus) i. e. *in utero matris*. Kimchi intelligit *Matricem*, qui eſt locus שפל ואפל *humilis* & *obſcurus ſicut inferiora terræ*. Chald. בכריסא דאמי *in utero Matris meæ*. Hinc lux eſt Epheſ. 4. 9. ubi Chriſtus deſcendiſſe dicitur εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Pontificii ad *limbum* & *infernum* trahunt. Beza exponit *ipſam terram*, *utpote*, inquit, *infimam mundi partem*. Sed notandum non dici, κατώτερα μέρη τῦ κοσμῦ ſed τῆς γῆς. Optime ergo exponas, *in uterum matris*, quam expoſitionem Beza quoque ſubjicit meditationi Lectoris. Certe ἐνσάρκωσις Chriſti à Patribus appellatur συγκατάβασις.

16. גָּלְמִי] Piſc. *Embryo*. Jun. *Maſſa*. LXX. Τὸ ἀκατέργαςόν. Vulg. *imperfectum*. Sic & Aq. Sym. ἀμόρφωτόν μυ, *informe meum*. *Glomis*, *glomeris*. Vocatur *glomis* quod *ſemina parentum* in illo quaſi *glomerentur*, Thema, גלם *convolvit*, *involvit* גְּלוֹם *pallium* Ezech. 27. 24.

גֹּלֶם eſt גוף בלא צורה *corpus informe*, ſic quoque vocat *materiam* primis.

Et in libro tuo hæc omnia ſcribebantur] Vel ſcripta erant, i. e. adeo accuratè cognita tibi erant omnia ad figurationem mei ſpectantia, ac ſi in libro ſcripta eſſent.

ימים יצרו] Jun. *Ex quibus diebus formabantur*. Piſc. *Diebus quibus formabantur*. Plenum eſſet ימים אשר יצרו בהם.

Cum nondum ullum eorum eſſet] Piſc. *Imo cum nondum Angeli, ſubſtantiam meam informem videbant oculi tui* & *omnia* (*membra*) *in libro tuo ſcripta erant*, *quæ ſucceſſive* (Ebr. diebus, non uno momento) *figurabantur*, *tum cum nullum eorum adhuc exiſteret*. Plane ad Tigurinam.

17. *Quamobrem* לִי *apud me Cogitationes tuæ*] i. e. de te Vox רֵעַ quæ ſupra, ex Chaldaiſmo, רְעָא *cogitavit*. Kimchi מחשבותיך

מה יקרו, *quam pretioſæ fuerunt?*] Male alii ſine interrog. *quam* pro *valde*. Aliq. pretioſum pro raro 1 Sam. 3. *in diebus illis verbum Domini erat* יָקָר. unde in Prov. הֹקַר *pretioſum fac pedem tuum in domo amici*, ubi & ה pro ב in voce בֵּית, i. e. raro eas ad amicum, nimiâ enim converſatione viléſcunt amicitiæ, & occaſiones præbentur inimicitiis, quæ eo ſolent eſſe pertinaciores, quo amicitia fuit arctior. Ita quippe natura comparatum eſt humanum ingenium, ut maxima odia non fere niſi inter eos, qui aliquando conjunctiſſimi fuêre, reperiantur. Sicut enim poſt amara vinum videtur dulcius & aqua prius calefacta frigus poſtea melius contrahit ſi in puteum demittatur; ita acerrima odia plerumque amant ſuccedere intenſiſſimo amori. Unde Ariſt. quaſi ex Tripode, οἱ τοι πέρα ςέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισῦσι: *Inter quos amor fuit vehementiſſimus, inter eos ſolent oriri odia vehementiſſima.* Non ergo ſpernendum eſt monitum Salomonis. Convenit cum Adagio Arab. *Viſita raro* & *augebis amorem*.

Ex hoc ſenſu, ut ad viam redeam ex diverticulo, exponunt Tigurini, *quam paucas cogitationes tuas aſſequar*. Calvinus dicit eos obſcuraſſe ſententiam Kimchi, tamen ſequitur & adducit locum 1 Sam. 3. Senſus, non poſſum eas aſſequi. Quod enim pretioſum eſt & rarum id quivis non poteſt aſſequi. Sed præſtat manere in propria vocis ſignif.

אֵל] Nomen Dei. Aliàs eſt nomen profanum, illi אֵל & אֵלֶּה Maſſ. Gen. 19. 8. ח' לשון חול, octo ſignif. profanâ ſignif. κατ' ἀκριβ. ἰσχὺν καὶ δύναμιν. Unde lux Tob. & Math. 27.

עָצְמוּ] R. D. רַבּוּ בְּמִסְפָּר *multiplicatæ ſunt numero*, ut ſeq. verſu explicatur, Idem, לשון עָצֵם נִמְצָא בְּעִנְיַן הַחוֹזֶק וּבְעִנְיַן הָרִבּוּי i. Vox עצם reperitur in ſign. *roboris* 2. & in ſign. *multitudinis*. Jirm. 15. עָצְמוּ *multiplicabuntur mihi viduæ ejus ſicut arena maris*.

רָאשֵׁיהֶם] *Capita*, *ſummæ earum*. Tantum abeſt ut ſingulas poſſem recenſere, ut ne ſummas quidem poſſim. Tuæ cogitationes nequidem ſummatim mihi innoteſcunt, multo minus particulatim. Kimchi כְּלָלֵיהֶם. כלל *univerſale*. פְּרָט *particulare*, *ſingulare*. Exod. 13. *Cape* ראש *ſummam filiorum Iſraël*.

CENSURA.

Lxx. Ἐμοὶ δὲ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι συ, ὁ θεός, λίαν ἐκραταιώθησαν αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν. Vulg. *Mihi vero nimis honorificati ſunt amici tui ô Deus* & *nimis confortatus eſt principatus eorum.* Ubi quæſo ראש *principatum*, multo minus ראשים. Interpres vetus vertit αἱ κεφαλαὶ, quod Euthym. ex falſa hypoth. hîc de *amicis* agi, exponit, *ipſos amicos*. Hier. ſecutus Symm. οἱ πένητες αὐτῶν *pauperes* acſi eſſet ſine א

18. *Si numerare velim* &c.] Hyperbole qualis Gen. 22. 17. *Mult. ſemen tuum ſicut ſtellas cæli* & *arenam quæ in litore maris.* Et cap. 32. 12. *Reddam ſemen tuum ut arena maris quæ numerari non poteſt præ mult.* Hoſ. 1. 10. *Sicut arena maris quæ nec menſurari nec numerari poteſt.*

הקיצתי] *Cum evigilavi*, dicit ſe ſemper defixum eſſe in cogitat. divinis. *Die* & *nocte*. Jun. *invigilo*, *operando ut ſemper ſim tecum*.

19, 20, 21. *Si intercmpturus es improbos* (*dicendo*) *recedite à me*, 20. *Qui ol loquuntur tibi ſcelerate*, &c. 21. *Annon oſores tuos odi?* Non video quomodo cohærere hæc poſſint, niſi ad verſ. 21. ſubaudias, *juſte*, *meritò*, quod innuere videtur Jun. Piſc. ad verſ. 21. hæc ſubaudit, *Tum ego ſic dicam.* Sed omnis difficultas tollitur ſi אם accipias pro כי אם *utique certe*. *Certe occides improbum. Recedite à me, viri* &c.

Malim hîc. *Certe occides improbum Domine* & *viros ſanguinarios dicendo*, *Recedite à me ſolo nutu* & *verbo profligabis hoſtes tuos.*

20. Deſcribit hos improbos. יֹמְרֻךָ cum defectu literæ א Quidam *obloquuntur tibi*, i. e. אמרו עליך, vel *Loquuntur de te*, V. Edit. i. παρεπίκραναν σε יַמְרוּךָ בָּךְ

לִמְזִמָּה Kimchi exponit dupl. i. למחשבה *cogitatione*, *ex cogitatione ſua quæ mala eſt erga te.* 2. ex loco Hoſ. 6. זמה עָשׂוּ, *ſcelus fecerunt* i. e. תועבה unde Jun. *ſcelerate*. מְזִמָּה à cap. 1. Prov. ad to- uſurpatur in bonam partem, pro *cogit.* & *ſolertia*. At à cap. 10. ad finem & alibi paſſim in Script. pro *ſcelere* Prov. 12. *Vir Mezimmoth*, *ſcelerum*. Et Jirm. 11. 15. cum ה gemin. מְזִמָּתָה *ſcelus graviſſ.*

נשוא לשוא עָרֶיךָ] 1. *Extollunt vanè hoſtes tuos.* Jun. Piſc. &c. 2. *Aſſumunt in vanum hoſtes tui*, ſub. שִׁמְךָ *nomen tuum*, ſic Angli & Pagn. ut in Decal. Prov. 3. Sic & K.

עָרֶיךָ] עָר *hoſtis*. 1 Sam. 28. 16. Mich. 5. 14. Si eſt Ebr. eſt à צור *vigilavit*, q. d. vigilans in malum ejus quem odit. Si eſt Chald. poſſet deduci à צור צ mutato in ע, ut ab ארץ fit אֲרַע à

צַר fit צָר Et nota צָרִים ſign. in Ebr. *urbes*. Chald. *hoſtes*. Contra in Chald. עִיר eſt *vigil*, עִירִין *vigiles*. Dan. 4. 10. & 14.

Maſſ. notat צָרִים octo locis poni pro צָרִים ח׳ כלשון רְבִּי *inimicitia*.

נְשׂוּא] A נָשָׂא. א Thematis *perit*. Sic Ezech. 39. Alterum א eſt παραγωγ. ut in אָבוֹא. הָלְכוּא.

בִּתְקוֹמְמֶיךָ] Pro בִּמְקוֹמְמֶיךָ

22. *Conſummatione odii*] Hyp. *Odio perfectiſſimo*. Kimchi *ad quod nihil poteſt accedere*, *cujus incrementa conſumta ſunt*, Lxx. quoque, τέλειον μῖσος.

In hoſtes] ל aliq. *veritatem*, aliq. *ſimilitudinem* notat.

23. שַׂרְעַפַּי] Videtur eſſe à סְעִיף interpoſita litera ר. סְעִיף *ramus*. 2. *cogitatio*. Kimchi הַמַּחְשָׁבוֹת לַלֵּב כְּמוֹ הַבָּרִים לָאִילָן *cogitationes ſe habent ad cor, ut rami ſe habent ad arborem*.

24. *An via doloris*] Vel *Moleſtiæ*; i. e. improbitatis, *Via doloris*; quod dolore afficiat Deum & homines, quod contriſtet Sp. Sanctum.

Deduc me viâ עוֹלָם *ſeculi*] Quidam quia עוֹלָם apud Rabb. uſurpatur pro *mundo*, ut & Ebr. 1. αἰῶνες, exponunt, *deduc me per viam hujus mundi*. Mundus immundus eſt & fieri non poteſt ut quis inter tot ejus illecebras & tot muſcipulas Diaboli, ſuo marte penetret ad Patriam cœleſtem, Tu igitur me duc ut innoxius tranſeam. Sed עולם in ſcriptura non accipitur in S. L. pro *mundo*.

II. *In viam ſeculi*, i. e. mortem, *Tu eſto meus dux*. Sic Aben-Ezra. Ut *ſepulchrum* vocatur *domus ſeculi*. Convenit cum hâc phraſi, *via terræ*, *via univerſæ carnis*, Joſ. 23. 14. *Ingrediar viam univerſæ terræ*. 1 Reg. 2. 2. Paulo aliter Gen. 19. de *coitu*.

III. עוֹלָם Pro *æternitate* & *perpetuitate*. Jun. *in via perpetua*, *quæ durat in perpetuum*, i. e. Pietatis via. Recta & proba durant, prava pereunt, Jun. in notis *conſtante* & *perſev. in obſequio tuo*.

Alii *in viâ æternitatis*, i. e. quæ ducit ad æternitatem, vitam æternam. Lxx. ἐν ὁδῷ αἰωνίᾳ. Sic *via vitæ*, *quæ ducit ad vitam*. Atque hoc ſequor. Eſtque pulcra antitheſis inter *viam anguſtam* & *latam*. Matth. 7. 13. Chald. *in via rectorum hujus ſeculi*.

GROTIUS.

1. TU *cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam*] Senſus eſt, *ſive ſedeam*, *ſive ad eundum ſurgam*: id eſt, omnia mea otia & negotia mea noſti.

3. *Et funiculum meum inveſtigaſti*] רבע *cubatum* ſignificat. Itaque Lxx. credibile eſt κοῖτον, [*cubile*] vertiſſe, pro quo librarii σχοῖνον, [*funiculum*] ſcripſerint, unde hæc verſio.

4. *Quia non eſt ſermo in lingua mea: Ecce, Domine, tu cognoviſti omnia*] Optimè vertas, *Cùm nondum ſermo in lingua mea*, *ecce jam omnia tu noviſti*. Non opus eſt ut cogitationes eloquar: jam in animo conceptas tu vides. Hîc quoque λόγος, [*ſermo*] ſcripſerunt Lxx. quomodo legendum docet nos Hieronymus in epiſtola. Aquila λαλία, [*loquela*] ſed librarii pro λόγος, [*ſermo*] ſcripsêre δόλος, [*dolus*,] quod ſequuntur Pſalterium vetus, Hilarius, Auguſtinus.

5. *Noviſſima & antiqua: tu formaſti me*] In Hebræo, *Retro & ante tu me formaſti*, vel *circumſediſti*; nam צור utrumque ſignificat: & poſterior ſignificatio magis huic loco convenit. Rabbini qui *formaſti* interpretantur, referunt hoc ad ſuam quam ſomniant animarum προΰπαρξιν, [*præexiſtentiam*.]

6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*] Pro *ex me*, rectiùs ponas *præ me*; ut ſenſus ſit, *Admirabilior eſt ſcientia tua*, *quàm ut ego ei lateam*. Hoc optimè convenit cum ſequentibus.

15. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto*, & *ſubſtantia mea in inferioribus terræ*] *Os meum* intellige *oſſa*. Ità enim habet Hebræum, quanquam & *corpus* verti poteſt. Lxx. pro רקמתי [*acu pictus ſum*] legêre רכשי [*facultates meæ*.] At רקמתי bene huic loco convenit: ſignificat enim velut *acu pictus ſum*. Diſtinctionem pulcherrimam membrorum comparat operi Phrygionico. Illud *in inferioribus terræ* ſignificat *in utero*, ut Epheſ. 4. 9. Eſt mutua metaphora; nam & inferiora terræ *uterus* dicuntur & *cor terræ*.

17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum*] Οἱ φίλοι σου, [*amici tui*.] Ità verterunt רעיך: & fert quidem vox illum ſenſum. Sed & alterum *cogitationes tuæ*, quod loco huic magìs convenire videtur: ut ſenſus ſit, *quàm ſunt ſublimes ſupra me cogitationes tuæ*, *quàm numeroſæ ſunt earum ſummæ?* nam ראשיהם quod Græci verterunt αἱ ἀρχαὶ, [*principia* vel *principatus*] vertitur per ἀριθμὸν, [*numerum*] Numer. 1. 49. συλλογισμὸν, [*computationem*] Exodi 30. 12.

18. *Dinumerabo eos*, & *ſupra arenam multiplicabuntur*] Eſt futurum pro ſubjunctivo. *Si numerem*, nempe *illas cogitationes tuas*, *numerum ſuperabunt*, *ut arena*.

PRICÆUS.

4. ACuerunt *linguas ſuas ſicut ſerpentis*] Heſychius, Γλωσσαλίδας, τοὺς τῇ γλώσσῃ ὅπλῳ χρωμένους, ὥσπερ ἀσπίδι. Vide ſuprà 10. 3. In Epiſtolis quæ Heracliti dicuntur, de Epheſiis, Ἐν ταῖς γλώσσαις τὰ ὅπλα ἔχετε.

6. *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi*] *Mihi*, eſt, in perniciem meam. Hinc, *laqueis mortis inſidiari* apud Apulejum. Vide infrà 141. 9. & ſuprà 34. 7.

12. *Vir linguoſus*] *Linguax*, ut Veteres, teſte Gellio, loquebantur. In vetere Onomaſtico, *Linguax*, λάλος, ἀθυρόγλωττος.

Ibid. *Virum injuſtum mala capient in interitu*] Videtur *in interitum* legendum: i. e. in perniciem ejus. Græci heic, εἰς καταφθοράν. Suprà 55. 24. *Deduces eos in laqueum interitûs*.

13. *Faciet Dominus judicium inopis*, & *vindictam pauperis*] Vide Luc. 18. 8.

IDEM.

3. QUi *cogitaverunt iniquitates in corde*] Iniqua moliebantur, nempe in perniciem meam. Ex Aſpero Servius ad Virgilii illud, *armati ferro*; *Ferrea corda habentes*, *id eſt*, *dura*, *cruenta cogitantes*. Lxx. heic, ἐλογίσαντο κακίας vide & in Græco Pſalmi 41. 7. Et fortè oppoſito ſenſu intelligendum 1 Cor. 13. 5. κακὸν οὐ λογίζεσθαι at illud Viri ſummi de malum non facilè ſuſpicando accipiunt.

Ibid. *Totâ die conſtituebant prælia*] Lxx. παρετάσσοντο πολέμους. Heſychius, Παρετάξαντο, ἐπολέμησαν. Idem, Παρατάσσεται, ἐν πολέμῳ ἀνθίςαται. Ad verba Pſalmi appoſita Apuleji iſta de ſororibus Pſyches, *Sexus infeſtus*, & *ſanguis inimicus*, *jam ſumpſit arma*, & *caſtra commovit*, & *aciem direxit*, & *claſſicum perſonavit*: ubi & *aciem dirigere*, eſt παρατάττεσθαι.

4. *Acuerunt linguas ſuas*] Linguas nocentes, mendaciorum & amaritudinum præminiſtras, ut idem Apulejus locutus.

8. *Obumbrâſti ſuper caput meum*] Ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti me; ſuprà 5. 13.

10. *Labor labiorum ipſorum operiet eos*] Suprà 58. 13. *Delictum oris eorum*, *ſermonem labiorum ipſorum*, (ſupple, *redde illis*) & *comprehendantur in ſuperbia ſua*.

Ibid. *Labor labiorum ipſorum*] Suprà 9. 28. *Sub lingua eorum labor* & *dolor*.

11. *Cadent ſuper eos carbones*, *in ignem dejicies eos*, *in miſeriis non ſubſiſtent*] Græci hoc modo, *Cadent ſuper eos carbones ignis* (id eſt ignei;) deinde, *Dejicies eos in miſeriis*, & poſt, *non ſubſiſtent*. Ego ſic legerim & interpunxerim, *Dejicies eos in miſerias ubi non ſubſiſtent*, (id eſt, non poterunt conſiſtere) particulâ οὐ quoad accentum tantùm in οὗ mutatâ. Sic ſuprà 68. 3. *Infixus ſum in limo* (h. e. in miſeriis) *ubi non eſt ſubſtantia*, id eſt, ſubſiſtendi modus: quo loco Lxx. καὶ (id eſt, οὗ) οὐκ ἔςιν ὑπόςασις.

12. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*] *Linguoſus* hic eſt qui *linguax*, ἀθυρόγλωσσος, in vetere Onomaſtico. De verbis *non dirigetur* vide ſuprà ad 100. 7. dicta: at hic per μείωσιν fortè dicta ſunt, pro, *cadet in perniciem*. Vide Proverb. 17. 20. Æſchylus,

Γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προσρίβεται.

Euripides,

Ἀχαλίνων ςομάτων
Τὸ τέλος δυςυχία.

14. *Veruntamen juſti*, &c.] Juſti autem, &c. Sic paſſim vox *veruntamen* in hoc libro.

PSALM. CXL.

MUNSTERUS.

PUtant hunc Pſalmum compoſitum contra Doeg & alios adulatores Saulis, qui tot tendiculas poſuerunt ipſi David, atque in tot adduxerunt pericula. Cogitaverunt contra eum mala, excitaverunt prælia, traduxerunt eum apud populum *ſerpentinâ linguâ*, & ubique locorum *poſuerunt laqueos* & *extenderunt retia*, ut illum caperent. Sed Dominus fuit illi *galea ſalutis*, &c.

9. Capi.

9. *Caput eorum*] Senſus eſt, *Caput eorum* qui animæ meæ inſidiantur, eſt Doeg: *labor* igitur & moleſtia quam *labiis ſuis* moliuntur contra me, recidat in eos. Ultio Sodomorum, h. e. ignis, deſuper cadat & conſumat eos.

11. *Vir linguæ*] h. e. Doeg ille linguax & mendax nunquam habeat ſucceſſum proſperum in terra; ſed malum quod alteri molitur, comprehendat eum.

VATABLUS.

1. *Victori* למנצח] Vide Pſal. 4.

2. *Violento* חמסים] Ad verb. *iniquitatum*; *injuriarum*.

3. *Congregant bella* יגורו מלחמות] Fut. Heb. pro præſ. *concurrunt ad bella*; *conveniunt*: i. e. excitant homines ad contentiones.

4. *Exacuunt* שננו] Præt. Heb. pro præſ.

5. *Violento* חמסים] Ad verb. *iniquitatum*; *injuriarum*.

In loco ſemitæ ליד מעגל] Ad verb. *ad manum tramitis*, vel *ſemitæ*. Quidam diſtinguunt poſt *ſemitæ*: ut hoc ad præcedens referatur, *extenderunt rete in loco ſemitæ*. Alii ſequentibus jungunt.

8. Qui *operis* סכותה] Infinit. Heb. pro futuro, ut dicunt Hebræi: *operies*, vel *munies*, &c. i. e. eris mihi inſtar galeæ tempore quo arma à me ſumentur.

9. *Cogitationem ejus nè perficias* זממו אל תפק] *Nefarium cogitatum ejus* [vel, *quod conatus eſt*] *nè educas*, *producas*: vel, *ne facias prodire*; i. e. nè perficias. ¶ Nè *exaltet ſe* ירומו] Ad verb. *exaltabuntur*; pro, nè *exaltentur*: i. e. nè ſuperbiant, ſub. *improbus cum ſociis*. Ex præcedenti ſubauditur *ne*.

10. *Perverſitas* עמל] *Labor*; *injuria*. Hebraïſmus eſt, pro, *mendacium labiorum principis eorum qui me perſequuntur*, *obruat ipſum*: q. d. Suis conſiliis & mendaciis pereat.

11. *Cadere faciat eos* יפילם] *Dejiciat*. Alii, *igne illos proſternat*; de cœlo ſcilicet miſſo. ¶ *Nè reſurgant* בל יקומו] *Nè emergant*; id eſt, è quibus emergere non poſſint. Alii *ut non conſiſtant*.

12. *Vir linguoſus* איש לשון] Ad verb. *Vir linguæ*; i. e. delator, inguax. ¶ *Nè firmetur* בל יכון ¶ *Nè ſit ſtabilis*; *nè dirigatur*: i. e. nihil ſuccedat linguaci, quamdiu degit in hoc ſeculo. ¶ *Violentum* חמס] Ad verb. *iniquitatis*; *laboris*; *injuriæ*; *violentiæ*: i. e. virum pronum ad injuriam inferendam calamitas ità rapiat ut decidat in miſeriam ſempiternam.

13. *Pauperis* עני] *Afflicti*: i. e. quod ſit vindicaturus afflictos; & aſſerturus egenos.

14. *Cum vultu tuo* את פניך] *Coram facie tua*: in conſpectu tuo: i. e. perpetuò vivent.

CLARIUS.

PUtant hunc Pſalmum compoſitum contra Doeg & alios adulatores Saulis, qui tot tendiculas poſuerunt ipſi David, atque in tot adduxerunt pericula. *Cogitaverunt* contra eum *mala*, *excitaverunt prælia*, traduxerunt eum apud populum *ſerpentinâ linguâ*, & ubique locorum *poſuerunt laqueos & extenderunt retia* ut illum caperent: ſed *Dominus* fuit illi *protectio & galea ſalutis* in omnibus.

8. *Nè tradas, Domine*] Nè ſinas votorum ſuorum compotem fieri impium. ¶ *Cogitaverunt*, &c.] Heb. *Sceleratum cogitatum ejus nè perficias*.

9. *Caput circuitus eorum*] h. e. *Caput eorum qui* animæ meæ inſidiantur & *me circundant*, eſt Doeg: *labor* igitur & moleſtia quam *labiis ſuis* moliuntur contra me *recidat in eos*.

10. *Cadent ſuper eos carbones*] Ultio videlicet Sodomorum.

11. *Vir linguoſus*] Doëg, h. e. ille linguax & mendax nunquam habebit ſucceſſum proſperum in terra; ſed malum quod alteri molitur comprehendet eum.

DRUSIUS.

3. כל־יום. Sym. *quotidie*] Καθ' ἑκάϛην ἡμέραν. Vide Pſal. 86. 3. & 71. 8.

8. עז. Alius, κράτος, *robur*.

9. אל־תתן יהוה מאויי רשע. Alius, μὴ δὸς, Κύριε, τὰς ἐπιθυμίας τοῦ παρανόμου. A. —— ἐπιθυμήματα ἀσεβοῦς] *Alius*, Symmachus. Theodoretus ex interpretatione Ant. Caraffæ, *Porro Symmachus ſic dixit*, Nè des, Domine, deſideria injuſti. *Similiter autem Aq. & Th.* ¶ Ἐπιθυμίας παρανόμου· τουτέϛιν ἃ ἐπιθυμεῖ κατ' ἐμοῦ. ¶ אל־תפק ירומו. Alius, μὴ ἀποβαίη, μήποτε ὑψωθῶσι.

10. ראש מסבי עמל שפתימו יכסימו. Sym. ὁ πειρασμὸς τῶν κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν ἀλωπάτωσαν αὐτούς. A. κεφαλὴν καταστρεφόντων με. Th. ut Lxx. ἡ κεφαλὴ τοῦ κυκλώματος αὐτῶν, &c.] Πειρασμός. Leg. πικρασμὸς, & mox πωμασάτω αὐτούς. Theodoretus, *Hoc autem planius Symmachus interpretatus eſt*, *Acerbitas eorum qui circumdederunt me*, *labor labiorum ipſorum operiat ipſos*. Æmulatus eſt Hieronymus, qui libenter Symmachum ſequitur, *Amaritudo convivorum*, *labor labiorum eorum operiet eos*. In ed. Rom. Ἄλλος, Ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν πωμασάτω αὐτούς. Abſque dubio Symmachum innuit. Eſt autem πωμάζειν propriè *operculo tegere*, quod uno verbo *operculare* dicunt. Nam πῶμα *operculum*.

11. ימטו. A. πτωματίσῃς αὐτοὺς, *cadere facies* (ſive *præcipitabis*) *eos*. Sym. καταβληθήτωσαν, *dejiciantur*. Th. V. & VI. ed. καταβαλεῖς αὐτοὺς, *dejicies eos*] Puto leg. πτωματίσῃ, *præcipitabit*; & mox καταβαλεῖ, *dejiciet*. Nam πτωματίσῃς αὐτοὺς, i. e. הפילם. ¶ בל יקומו. במהמרות. Sym. εἰς βοθύνους ὧν μήποτε ἀναστῶσιν. Alius, πεσόντων εἰς βοθύνους, μήποτε ἀναστῶσιν. Alius, ἐστενωμένως, καὶ οὐ μὴ ἀναστῶσιν. Alius, μετὰ πολλοῦ τοῦ τάχους.

12. בל־יכון. Alius, οὐχ ἑδρασθήσεται, *non firmabitur*, *non ſtabilietur*] Pſal. 8. 3. כוננתה. VI. ed. ἥδρασας. ¶ חמס רע יצודנו. Sym. παρανομίαι ἄνδρα ἀγρεύσουσιν.

14. ישבו. A. καὶ καθεδοῦνται. Sym. διαμενοῦσιν. Th. καὶ κατοικήσουσιν, *& habitabunt*] Καθεδοῦνται, *ſedebunt*. Fut. à καθέζομαι, *ſedeo*. ¶ Διαμενοῦσιν, *permanebunt*. ¶ את־פניך, Sym. παρὰ τῷ προσώπῳ σου, *apud vultum tuum*.

AMAMA.

PSalmus partim εὐκτικὸς, partim παραμυθητικὸς. Conſcriptus ut vult R. D. K. adverſus Doeg & Ziphæos, 1 Sam. 21.

חמסים] *Violentiarum*. חמס, *violentia*, *latrocinium*. Ebræi admodum exaggerant hoc חמס dum dicunt Deum non punire gentes niſi ob חמס. Eſt & unum ex 7. præceptis Filiorum Noæ.

Cogitant בלב] Pleonaſmus. Non item, *Loqui ore*. Eſt enim & *loquela cordis*, Pſ. 14 λόγος ἐνδιάθετος.

1. LXX. ἐξελοῦ με κύριε, ἐξ ἀνθρώπου πονηροῦ ἀπὸ ἀνδρὸς ἀδίκου ῥῦσαί με.

2. Οἵτινες ἐλογίσαντο ἀδικίας ἐν καρδίᾳ ὅλην τὴν ἡμέραν παρετάσσαντο πολέμους.

יגורו מלח'] R. D. נאספו *congregantur*. Ergo ſub. אל *ad*. Hab. 1. 15. Ponitur tranſitive, *congregare*, vel ut Piſc. vult, *contrahere*. Qui enim *congregat*, *contrahit*. Unde vertit ſic, *contrahunt bella*. Livius lib. 5. *Tribuni*, *quorum temeritate bellum contractum erat*, *ſumma rerum præerant*. Vulg. *conſtituebant*

3. LXX. ἠκόνησαν γλῶσσαν αὐτῶν ὡσεὶ ὄφεως ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. οἵτινες δ' ἐλογίσαντο ὑποσκελίσαι τὰ διαβήματά μου.

3. *Serpens*] Pſalm. 58. 5.

עכשוב] Jun. *Ptyados*, Nomen à πτύειν, *ſpuo*. Eſt enim ſpecies ſerpentis qui venenum ſuum procul expuit.

6. מכנו] Hinc מכמון *Theſaurus* Gen. 43. 23. Hinc derivant *Mammon*. Melius ab אמן. Ut alibi. Vide Druſ. ad voces Ebr. N. T.

ליד מעגל *ad latus*, *juxta*, *ſecus*, *ad*. Sic Prov. 8. ליד שער *juxta portam*. 1 Sam. 19. 3. *Stabam* ליד אבי. 2 Sam. 15. *Abſolon ſtabat* ליד השער.

מוקשים] *Laqueos*, *tendiculas*. Lxx. & Vulg. *ſcandalum* à σκάζω, *claudico*, Eſt proprie lignum incurvum quo ſuſtinetur tendicula, in quod impingens animal ipſam tendiculam ſuper ſe ſubita ruina proſternit. Habet Synonymum πρόσκομμα, & ſimul uſurpatur Metaph. Rom. 14. μὴ τιθέναι ἀδελφῷ σκανδ. ἢ προσκ. 2 Petri 2. λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου.

ביום נשק] 1. *Bellum*, unde Chald. קרבא *belli*, 2. *armatura*, *arma bellica*. Sic 1 Reg. 10. *Et veſtes* נשק *& armaturam*, Lxx. ὅπλα. Sic Kimchi hoc loco, *quando adorientur me* בכלי נשק *armis bellicis*, *clypeis*, *ſagittis & lanceis*, *tu teges caput meum*, *tu mihi eris* כובע *galea*.

9. זממו] *Cogitationem ejus ſceleratam*. Vide quæ ſupra de זמם. מזמה. Abſ. eſt.

אל תפק] Kimhi אל תוציא לאור *ne proferas in lucem*, vid. ſecundando & perficiendo. Piſc. *ne provehas*. Senſus, *premas in herba*. unde Chald. תפיק *perficias*. Simile Prov. 18. *Qui invenit uxorem*, *invenit bonum* ויפק *& elicuit favorem à Domino*. Prov. 3. 13. *homo qui* יפיק תבונה. Eſt Chaldaïſmus, nam פוק ſignificat Ebraïcè, *vacillare*, *titubare*, & Metaph. *hallucinari*, *impingere*, *errare*. Confunduntur que duo ordines פוק & נפק *exiit*, Hiphil אפק. Poſt מפיק *educens*, *proferens*.

10. *Venenum*] Petit retorqueri in ipſos hoſtes mala quæ ipſi machinabantur. ראש *venenum*. Deut. 32. 33. ראש פתנים, antecedit חמת תנינים

11. ימוטו] *Demittantur*, נוט

Dejiciat

Dejiciat eos] ſc. Dominus in ignem. Vel *dejiciat ignem ſuper eos.* Hypall. Pſal. 79. *Projecit civitatem in ignem.*

בְּמַהֲמֹרוֹת] Kimchi שוחות עֲמֻקּוֹת

12. *Vir linguæ*] Malæ, calumniantis. Jirm. *Percutiamus eum linguâ.* Cicero, *Vitemus oculos hominum quando linguas non poſſumus.* Chald. *Vir linguæ tertiæ.* Vide quæ alibi notavimus.

Virum violent. quod attinet malum venabitur eum cum impulſionibus. &c. הרע שהוא עושה יצוד אותו עד

Selah] Bis in medio verſu Pſal. 55. 19. Et Habac. 3.

אֶת פָּנֶיךָ] i. e. *In perpetuum.* Sic alibi, *coram Deo, coram Luna, Sole. Cum Sole, cum Luna.* Vide ad Pſal. 10.

GROTIUS.

4. V*Enenum aſpidum ſub labiis eorum*] Romanor. 3. 13.

10. *Caput circuitûs eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos*] ראש & *caput* & *venenum* ſignificat. Senſus ſuperioribus bene congruet talis: *Venenum circumvenientium me, opus labiorum ipſorum ipſos operiat.* id eſt, In ipſos recidant calumniæ quibus exitium mihi ſtruunt.

11. *Cadent ſuper eos carbones*] *Cadant*, nempe ut ceciderunt ſuper Sodomitas.

PRICÆUS.

2. E*Elevatio manuum mearum*] In Gr. ἔπαρσις τῶν χειρῶν μȣ. Sic 1 Tim. 2. 8. ἐπαίρειν χεῖρας ad quem locum quæ dixi vide.

3. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*] Eſt metonymia continentis pro re contenta: vult dicere enim, Pone cuſtodiam linguæ meæ, & oſtium circumſtantiæ ſermonibus meis. Et quidem poſuit Deus quaſi naturalem quandam humano ori cuſtodiam ipſa labia denteſque: indè ἕρκος ὀδόντων Græcis, & *vallum dentium* Latinis, de quo olim ad Apuleji Apologiam egimus. Gellius 1. 15. de Homero, *Petulantiæ verborum coërcendæ vallum eſſe dentium oppoſitum luculentè dixit, ut loquendi temeritas non cordis tantùm cuſtodiâ atque vigiliâ cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur.* Hic ergò Pſalmiſta petit interioris illius cuſtodiæ poteſtatem, nempe, *ut lingua non ſit libera & vaga, ſed vinculis de pectore imo ac de corde aptis moveatur ac quaſi gubernetur:* ſunt verba Gellii ejuſdem Nimirum ſine interna iſta cordis cuſtodia, exterior illa altera eſt fragilis & immunita. *Oſtium circumſtantiæ*, eſt Græcis hoc loco, περιοχῆς θύρα. Eos fortè reſpiciens Heſychius, Περιοχῆς, τετειχισμένης· quantum video, corrupte. Perpende an Περιοχῆς, περιτειχειώσεως legendum. Idem Heſychius, Ἕρκος. ἀσφάλεια, ΤΕΙΧΟΣ, &c. ὡς τὸ τῶν ὀδόντων τὰ χείλη. Pollux 2. 4 §. 25. de Lingua, Ὑπὸ τὸ τῶν ὀδόντων ἕρκος καὶ ΠΡΟΤΕΙΧΙΣΜΑ ἱδρυμένη.

4. *Et non communicabo cum electis eorum*] Ut non communicem cum e. e. id eſt, ut non communicem peccatis eorum: de quo genere loquendi ad 1 Tim. 5. 22. diximus. Græci heic, οὐ μὴ συνδοιάσω. In Gloſſis, Συνδοιασμὸς, *colluſio:* eodem ferè ſenſu D. Auguſtinus, hic, *non combinabo. Cum electis eorum*, puto eſſe, cum iis qui viribus & audaciâ præſtantes à cæteris ſociis ſuis deligi ſolent ad aliquod malum facinus patrandum. Locutio eſt à re militari ſumpta. Vide 1 Maccab 4. 1. Jud. 20. 16. & ſuprà heic 78. 31. Apulejus, & de malorum collegio, lib. 4. *Quorum præ cæteris Thraſileon optionis factione delectus*, &c.

5. *Corripiet me juſtus in miſericordia*, &c.] Ἐν πνεύματι (ut Galat. 6. 1.) πρᾳότητος καταρτίσει με.

Ibid. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*] Optimè heic *impinguet*: hinc

—— *pingui diſtillent tempora nardo*,

apud Poëtam. Senſus autem hujus & præcedentis membri hic videtur eſſe, Malim boni viri amicas correptiones, quàm in cœnis & dapibus improborum meum caput madefieri. Convivas unguentis pretioſis ungi ſolitos compertiſſimum eſt.

10. *Cadent in retiaculo ejus peccatores*] Pro *ejus* malim *ſuo* legi, ut itidem αὐτῶν, pro αὐτȣ͂, in Græco repoſuerim. *Retiaculum* puto per συνίζησιν pro *rete jaculum* poni: ut Θεοχόλωτος, *deiratus:* in Gloſſario. Græci heic ἐν ἀμφιβλήστρῳ. Servius ad Georg. 1. ea,

Atque alius latum fundâ jam verberat amnem:

Genus retis dictum à fundendo: id eſt, jaculum, quod dicitur βόλος. Βόλος item δίκτυον exponitur ab Heſychio.

IDEM.

2. D*Irigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*] Preces meæ velut incenſi odor recto curſu ſurſum ferantur. Legimus in Heſychio, Ἀναφορὰ, δέησις, παράκλησις quæ puto hinc poſſe illuſtrari, ut preces ἀναφοραὶ dicantur ἀπὸ τȣ͂ ἀναφέρεσθαι, quòd ſurſum ſive eant, ſive ferantur: indè & προσευχὰς ἀναφέρειν 12. 15. Tobiæ. Ex iſto autem Pſalmi loco locutio illa Apocal. 5. 8. deſumpta videtur.

3. *Pone*, &c. *oſtium circumſtantiæ labiis meis*] Nè linguâ nempe (ut Sirach. 28 30.) labar, & cadam in conſpectu inimicorum meorum. De *oſtio circumſtantiæ* vide in cæteris Annotatis.

4. *Nè declines cor meum in verba malitiæ*] Nè patere cor meum declinare in compoſitos malorum ſermones. Puto ſenſum eſſe qui in illis Proverb. 1. 10. *Si te lactaverint peccatores, nè acquieſcas eis.*

Ibid. *Ad excuſandas excuſationes in peccatis*] Aut culpæ meæ excuſationes prætexere; quales illæ, Abrepta fuit ſimplicitas mea: Peccavi cum multis aliis me peritioribus. In Gloſſario, *Excuſatio*, πρόφασις.

5. *Corripiat me juſtus in miſericordia*] Suprà 89. 10. *Supervenit miſericordia, & corripiemur.*

8. *Ad te, Domine, oculi mei*] Tob. 3. 14. *Ad te, Domine*, &c. *oculos meos dirigo.*

10. *Cadent in retiaculo ejus peccatores*] In retiaculo ſuo.

Αὐτῶν γὰρ σφετέραισιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο.

Apud Jobum 18. 8. & de impio, *Immiſit in rete* (nempe ſuum) *pedes ſuos.* Prov. 13. 6. *Impietas peccatores ſupplantat.* De voce *retiaculo* vide in alteris Annotatis.

Ibid.° *Singulariter ſum ego donec tranſeam*] Solus ſum, (ſic *ſingulariter* 4. 10. & alibi) exſpecto donec tranſeam.

PSALM. CXLI.

MUNSTERUS.

2. F*Iat ſicut ſacrificium veſpertinum*] David in exſilio agens, ſemotus à Tabernaculo, ubi ſacrificia matutina & veſpertina fiebant, loco illorum ſacrificiorum levabat puras manus ad Deum.

4. *Non inclines cor meum*] Precatur Propheta hîc nè Deus eum tradat in reprobum ſenſum, ſed potiùs faciat vas gratiæ, in quo ſe Dei gloria beneficiis, non ultionibus, exſerat. *Inclinat* autem *Deus cor ad res noxias* quando Satanæ permittit ut illud impellat ad ea quæ juſtam Dei exigunt ultionem: quale exemplum in Pharaone habemus. ¶ *Ut non comedam de his*] h. e. Nè ſeducar proſperitate eorum quæ illos ad interitum perduxit.

5. *Oleum autem præcipuum*] Quidam Hebræorum putant his verbis hunc ſubeſſe ſenſum, *Opto ut me potiùs percutiant juſti quàm ut impii oleo optimo, cujus uſus in ſummis habetur deliciis, caput meum inungant; nè deliciis eorum ineſcatus, impiis eorum conſentiam conſiliis. Unguentum enim eorum non ſanat ſed frangit & turbat caput.* Eſt autem hujus verbi יני radix נוא, mutaturque Aleph in He. Alii hunc verſum ſic vertunt, *Percutiat me juſtus in pietate, & redarguat me, & erit quaſi unguentum primarium, quod nemo prohibeat à capite meo. Contra impios autem & mala eorum eſt oratio mea: tantum abeſt ut optem illorum gratiam & beneficia; ut etiam optem Judices & præcipuos eorum præcipitari in ſcopuloſa ſaxa, ut vel ſimplices ſaltem auſcultent verbis meis, qui per ſuos Principes dementantur, ut ego & mei ſimiles pii homines nullibi tuti ſimus, quippe qui nos frangunt & diſſecant, ſparguntque oſſa noſtra, & in tanta inducunt vitæ diſcrimina, ut in ore ſepulcri & inferorum ſimus.*

10. *Simul ego in ſeculum tranſibo*] Ipſi *cadant in retia* & foveas quas mihi paraverunt, *ego autem in ſeculum evadam* inſidias eorum.

VATABLUS.

1. A*D te clamabo* קְרָאתִיךָ] Præt. Heb. pro præſ.

2. *Sit ſtabilis* תִּכּוֹן] *Firmetur. Præparetur*, i. e. ut quidam vertunt, *Valeat oratio mea pro incenſo:* aut *Grata ſit ſicut ſuffimentum quod tibi offerri ſolet.* Vide Exod. 30. 1. David ſummotus à tabernaculo Dei, ſuffitum ac ſacrificium conatur precibus ſarcire. ¶ *Munus* מַשְׂאַת] *Donum.* Alii, *elevatio.* Oblatio fiebat manè & veſperi. Num. 28. 4. & 8. 29.

4. *Et nè veſcar* cibo *voluptatum eorum* וּבַל אֶלְחַם בְּמַנְעַמֵּיהֶם] Ad verb. *& nè comedam voluptates eorum.* Vel, *de voluptatibus*, aut *delectabilibus eorum*; ut ב ſit pro מ: i. e. de cibo voluptatum eorum; i. e. cibis delicatis. Quidam totum verſum ſic vertunt, *Nè flectas cor meum ad rem quamcunque pravam, nè quid moliar cum impietate conjunctum, utens operâ facinoroſorum hominum, neque fruar deliciis ipſorum.*

5. *Miſe-*

5. *Miſericordia* חסד] *Beneficium*. Præfert hic bonorum reprehenſionem ſceleſtorum favori & beneficiis. ¶ *Oleum præcipuum*, &c. שמן ראש אל יני ראשי] Iſtos Hebraïſmos ſic quidam convertunt, *Id erit mihi vice unguenti optimi & fragrantis*, & nullum mihi *detrimentum afferet*, *ſed plurimum emolumenti: quia quamdiu vixero, preces fundam, ne ſinat Dominus me labi in ſcelera eorum.* Quidam Hebræorum ſic intelligunt, *Opto ut me cædant juſti potius quàm ut impii primario unguento reddant me delibutum*, *i. e. ſummis deliciis demulceant, & omni genere beneficiorum afficiant: cùm enim illi cædunt, beneficium eſt, corripiunt enim me: at horum unguentum frangit caput meum, ac perdit, & non demulcet.* Quidam vertunt poſteriorem partem ſine conjunctione, & juxta poſteriorem hanc expoſitionem, *Oleum autem præcipuum non frangat caput meum: quia adhuc oratio mea contra mala eorum.*

6. *Dejiciantur in locis petroſis* נשמטו בידי סלע] Præt. Heb. pro fut. imper. *Demittantur in manibus petræ*; vel *ſaxi*: i. e. præcipitentur è ſaxo. Quidam, *Præcipitentur in locis petroſis.* Alii, *Dejiciantur in loca petræ*: i.e. pereant *judices*, ſive *principes eorum* qui eos non caſtigant.

7. *In ore ſepulcri* לפי שאול] *Juxta ſepulcrum*: i. e. In ea diſcrimina nos adduxerunt ut propè ad mortem acceſſerimus.

8. *Ne effundas animam meam* אל תער נפשי] Hebraïſmus, pro *Nè citò perire me ſinas.*

9. *A locis laquei* מידי פח] Ad verb. *à manibus laquei*, i.e. à laqueo.

10. *In retinacula ejus* במכמריו] *In retia ejus*, nempe Saülis. Vel eſt ſing. pro plurali, *uniuſcujuſque ipſorum.* ¶ *Simul, dum ego tranſibo* יחד אנכי עד אעבור] *Simul, donec ego tranſeam*, i. e. interim dum evadam. Sic vertendo, verborum Hebraïcorum ordo eſt paulùm immutatus: & *ſimul* præcedentibus jungitur. Alii jungunt ſequentibus, hoc modo, *Simul* [vel *pariter*] *ego in ſeculum progrediar.* Vel, *ſimul ego uſque tranſibo.* Aut, *pariter ego perpetuo tranſeam*: i.e. vadam illæſus, & non capiar tendiculis illius.

CLARIUS.

SUbmotus David à Tabernaculo fœderis, & incenſum atque ſacrificium precationibus ſarciens, orat primùm ſibi Spiritum dari, quò præferat ſanctorum amicitiam & caſtigationem, quæ ſæpe aſpera eſt, gratiæ impiorum quamlibèt felicium: deinde, dignam impiis hoſtibus ultionem, & ſuam liberationem.

4. *Non declines cor meum*] Precatur Propheta hic nè Deus eum tradat in reprobum ſenſum, ſed potiùs faciat vas gratiæ, in quo ſe Dei gloria beneficiis, non ultionibus, exſerat. *Inclinare* autem dicitur *Deus cor ad res noxias* quando Satanæ permittit ut illud impellat ad ea quæ juſtam Dei exigunt ultionem; quale exemplum in Pharaone habemus. ¶ *Et non communicabo*] Alius vertit, *Ut non comedam de iis quæ eis ſunt jucunda*, h. e. nè ſeducar proſperitate eorum quæ illos ad interitum perduxit.

5. *Non infringat caput meum*] Appoſitè non dixit *ungat*, ſed *infringat*. Malo, inquit, ut *percutiant me juſti*, & hoc *beneficii* loco habiturus ſum, quàm *impii oleo optimo*, cujus uſus in ſummis habetur deliciis, *caput meum inungant.* Unguentum enim eorum non ſanat ſed *frangit* & turbat *caput*. Quidam tamen ſic interpretantur, *Percutiat me juſtus in miſericordia, & redarguat me, & erit quaſi unguentum primarium, quod nemo prohibeat à capite meo.* ¶ *Quoniam adhuc*] Non deterrebor, inquit, à propoſito, ſed pergam potiùs orare Dominum ut ſervet me quàm alieniſſimum à ſceleratis impiorum operibus.

6. *Abſorpti ſunt in locis petroſis*] Supplicium ſumetur, & veluti de rupibus præcipitabuntur Judices eorum: tunc ſentient quantò fuiſſet illis ſatius auſcultare ſermonibus meis, gratioſè conditis, & à maledicentia diverſis. Vel ſic, *Tantum abeſt ut optem illorum gratiam & beneficia, ut etiam optem Judices & præcipuos eorum præcipitari in ſcopuloſa ſaxa, ut vel ſimplices auſcultent verbis meis, qui per ſuos principes dementantur, ut ego & mei ſimiles pii homines nullibi tuti ſimus, quippe qui nos frangunt & diſſecant, ſparguntque oſſa noſtra, & in tanta inducunt vitæ diſcrimina ut in ore ſepulcri & inferorum ſimus.*

10. *Simul ego in ſeculum tranſibo*] Ipſi *cadant in retia* & foveas quas mihi paraverunt, *ego autem in ſeculum evadam* inſidias eorum.

DRUSIUS.

2. תכון תפלתי קטרת לפניך. Alius, ταχθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἔμπροσθέν σου. Alius, ἑτοιμασθήτω. ¶ מנחת ערב. Alius, δῶρον ἑσπέρας, *munus veſpertinum.* Alius, προσφορὰ ἑσπερινή, *oblatio veſpertina.*

3. על־דל שפתי. A. & Th. ἐπὶ τὰ χείλη μου. Sym. ἐπὶ τοῖς χείλεσίν μου.

4. אל־תט לבי לדבר רע להתעולל עלילות ברשע. Alius, μὴ παρατρέψῃς τὴν καρδίαν μου εἰς λόγους πονηροὺς ἐννοεῖν ἐννοίας παρανόμους] Videtur eſſe interpretamentum Symmachi. In Theodoreteis, *Sym. dixit, Ad cogitandum cogitationes iniquas.* ¶ ובל־אלחם במנעמיהם. Μὴ συμφάγομαι τῶν ἡδέων αὐτῶν, *nè unà comedam dulcia ipſorum.* Alius, μὴ συναλισθῶ ἐν ταῖς τερπνότησιν αὐτῶν, *nè unà veſcar deliciis eorum*] Συναλίζομαι, *conveſcor*, à *ſalis communione*, q. κοινωνῶ ἁλῶν καὶ τραπέζης. Notum illud, *Salem & menſam nè prætereas.* Videſis Eraſmum. Uſus eſt hoc verbo Euangeliſta Lucas Act. 1. 4.

5. יהלמני צדיק חסד ויוכיחני. Alius, Κατελεησάτω με δίκαιος ἐλέους, καὶ ἐλεγξάτω, *Commiſereatur mei juſtus miſericordia, & reprehendat* me. ¶ כי עוד ותפלתי ברעותיהם. A. ὅτι ἔτι καὶ προσευχή μου ἐν κακίαις αὐτῶν, *quoniam adhuc & precatio mea in malitiis ipſorum.* Sym. ἔτι γὰρ καὶ ἡ προσευχή μου ἐντὸς τῶν κακιῶν αὐτῶν, *adhuc enim & precatio mea intra malitias ipſorum.* Th. —— ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν] Ἔτι γὰρ in Theodoreteis, *adhuc autem* ἔτι δέ. ¶ Ἐν εὐδοκίαις Reſpexit ad verbum Chaldaïcum רעיא, quod idem cum רצה εὐδοκέω, unde רצון εὐδοκία.

6. נשמטו בידי־סלע שפטיהם. Sym. Ἐκτιλήσονται ἐν χειρὶ πέτρας οἱ κριταὶ αὐτῶν, *Evellentur manu petræ Judices eorum.* Alius, ὑπεσπάσθησαν —— *ſubtracti fuerunt: ſubducti fuerunt.* ¶ ושמעו אמרי כי נעמו. Sym. ἀκούσονται ῥήσεις μου ἡδίστας, *audient verba mea dulciſſima.* A. —— ὅτι εὐτρεπίσθησαν. Th. ἡδυνάσθησαν. Alius, ὅτι ἐδορυφορήθησαν. Alius, ὅτι εὐπροσωπίσθησαν. Εὐτρεπίζω, *apparo*: non quadrat huic loco. Puto igitur leg. εὐπρεπίσθησαν. Prov. 2. 10. ינעם. A. εὐτρεπίσει. ¶ Ἡδυνάσθησαν. Sic etiam LXX. Suſpicor tamen initio fuiſſe ἡδύνθησαν, quod nunc legitur in ed. Rom. ¶ Ἐδορυφορήθησαν, *ſtipati fuerunt ſatellitibus*, qui δορυφόροι nuncupantur.

7. כמו פלח ובקע בארץ נפזרו עצמינו לפי שאול. A. Ὁμοίως ἀποκλῶντι καὶ διασχίζοντι ἐν τῇ γῇ ἐσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν εἰς τὸν ᾅδην, *Ut qui diffringit ac diſcindit in terra, diſperſa ſunt oſſa noſtra in ſepulcro.* Sym. Ὥσπερ γεωργὸς ὅταν ῥήσσῃ τὴν γῆν, οὕτως ἐσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν εἰς στόμα ᾅδου, *Ut cum agricola diffringit terram, ſic diſperſa ſunt oſſa noſtra in ore inferni.* V. ed. Ὡς καλλιεργῶν καὶ σκάπτων ἐν τῇ γῇ, διεσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν παρὰ τὸν ᾅδην, *Ut qui pulcrè opus facit & fodit in terra, diſperſa ſunt oſſa noſtra apud inferos*] Legitur & διασχίσοντι τὴν γῆν.

8. אל־תער. A. μὴ ἐκκενώσῃς, *ne evacues.* Th. μὴ ἀποκενώσῃς.

10. יפלו במכמריו רשעים. Sym. ἐμπέσοιεν εἰς τὰ δίκτυα αὐτῶν οἱ παράνομοι, *cadant in retia ſua iniqui.*

AMAMA.

חושה] מהר *Feſtina.*

Ut ſuffitus] Quem adolebat Pontifex quotidie bis ad altare aureum, thymiamatis Ex. 30. *Pone eam ante velum quod ante arcam teſtimonii.* Lev. 16. 18. *Poſtea exibit ad altare* &c. Hoc altare erat in Sancto non in Sancto ſanctorum. Contra Auguſtinum. Vide Good. Cun. Rib. Pinedam &c.

Elevatio manuum palmarum] Precatio, ex adjuncto geſtu. Virgil.

—— *Duplices tendens ad ſidera palmas.*

מנחה] *Munus*, δῶρον, Μαναά, θυσία. *Oblatio*, ſub. ב. Cur *veſperi*. Forte quia Pſalmus *veſpertino tempore* ſcriptus. Piſc. accipit pro jugi ſacrificio per Synecd. generis Ex. 29. 39. *Offerebatur veſpertinum ſacrificium* בין ערבים. Unde uſurpatur pro *tempore veſpertino*, pro illo tempore quo ſolebant offerri. 1 Reg. 18. Dan. 9. 21. *Tempore oblationis veſpertinæ* Ezr. 9. *Sedebam triſtis uſque ad oblationem veſpertinam.* Unde Rabbinis תפלה מנחה *precatio oblationis veſpertinæ*, quæ ab ipſis fit hora 3. Atque hinc intelligimus quid ſit in hiſtoria Agni Paſchalis *inter duas veſperas.* Ab omni ævo Judæi obſervarunt tres horas precationis diurnæ. Dan. 6. *Tribus vicibus in die orabat orationem ſuam.* Pſ. 55. 18. *Mane, veſperi & meridie perſtrepam.* Manè, tempore oblationis matutinæ, Act. 2. 15. hora 3. meridie. Hora ſexta. Act. 10. *Aſcendit Petrus ad ſuperiora ut oraret, hora 6.* Veſperi, tempore oblationis veſpertinæ Act. 10. *Eram jejunus & hora nona precabar domi meæ.* Act. 3. 1. *Petrus & Joh. ſimul aſcendebant in Templum, ſub horam precationis nonam.* Ergo inter duas Veſperas, eſt hora IX. diei. Atque eâ ipſâ hora verus ille Agnus Paſchalis mortuus eſt. Conſentiunt Joſephus Ἀλωσ. 7. 17. Inſtante autem feſto, quod Paſcha dicitur, καθ' ἣν θύουσι ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι τὴν ἑνδεκάτην. Et Joſephus Scaliger Emend. lib. 6. oſtendit non poſſe intelligi niſi *ſpatium trihorii.* Sic & Junius.

Rabbini dicunt תְּפִלַּת מִנְחָה ſine adj. ערב טוֹב. NB. *Mincha* abſol. poſitum pro *tempore* ſumptum, ſignif. *tempus veſpertinum. Fuit tamen* מִנְחַת בֹּקֶר 2 Reg. 3. Num. 28. 8. De *Mincha magna* & *parva*. V. Buxt. Lexicon.

IV. Quadrantes diei ἧως μέσον ἥμαρ cujus duo fuêre κόμματα patentis lucis, unam à 3. ad 6. alteram à 6. ad 9. δείλη.

Cum oblationibus in T. jungeb. preces Luc. 1. Deſtructo Templo ſubſtitutæ ſunt ſolæ preces.

3. שָׁמְרָה] *Cuſtodiam formæ* חָכְמָה. נצרה. f. שִׁפְחָה Dages in צ ad ornatum. נצרה poſſet exponi per *cuſtodi*. על דל *ad oſtium*, pro דֶּלֶת. Piſcator, ut בת pro בַּיִת. Non convenit. Dicendum eſſet דת. Alii volunt eſſe ὑποκοριςικὸν, *oſtiolum. Oſtio labiorum*, i. e. labiis quæ ſunt quaſi oſtium, valvæ aperiuntur & clauduntur. Sic *urbs Roma*. Joſeph Kimchi, *elevationi*, *aſſumptioni*, *quicquid aſſumo ſuper labia mea*. Aben. R. Sal. *labium ſuperius*, *labrum*. Rejicio itaque verſ. Junii; *Compone*, *obſerva os meum*, *cuſtodiens (moderare) quicquid efferunt labia mea*. Ad verbum, *cuſtodi ſuper haurire labiorum meorum*. Ergo accepit דל pro דלה exemplo inuſitato.

4. אַל תַּט] *Ne ſinas inclinari*. Sic Jun. & Piſc. Angli, *inclines*. Malo prius. Verba Piel & Hiphil ſæpe permiſſionem ſignificant.

דָּבָר] *Rem & verbum*. NB. Quantum ſit vinculum & quam arcta conjunctio rerum & verborum ſermo Ebr. Indicat. unica voce & *rem* & *verbum* ſignificat. Exper. quoque id docet quanti errores circa res orti ſint ex ignoratis vocibus imo vocula. Quod linguarum oſores perpendant. *Linguæ*, inquit Lutherus, *ſunt capſæ quibus incluſæ artes & omnis ſapientia. Linguæ originales ſunt vagina cui gladius ſpiritus verbum Dei inſertus. Thecæ repoſitoriæ quæ incomparabile hoc κειμήλιον conſervant*, *pocula*, *quibus ſalubris potio continetur*, *Cellæ promptuariæ*, *è quibus Euangelica cibaria depromimus*, *Cophini*, *in quibus panes & piſces cuſtodiuntur.*

לְהִתְעוֹלֵל עֲלִלוֹת] *Ad faciendum opera*, Pag. *Ad agitandum actiones*, Jun. Kimchi לַעֲשׂוֹת מַעֲשֵׂי רֶשַׁע, Thargum לְמִחְשַׁב מַחְשְׁבָן *ad cogitandum cogitationes.*

CENSURA.

Vulgatus, *ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Secutus τοὺς LXX. τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις ut *prætexam prætextus*. Qui aliter vertunt, inquit Genebr. neſciunt quid ſit עלל & עלילה, nec enim ſign. ſolum *operari*, ſed *cum cauſa*, *prætextu*, *occaſione*. Miſeret me ergo Hier. qui fere ſemper τὸ עלילה reddit *adinventiones*, & hoc loco vertit *volvere cogitationes impias*, Scio עלה à Rabb. uſurpari pro *cauſa*, & עלילה Deut. 22. 8. vertit Vulg. *Occaſio*, at pro *excuſatione* & *prætextu* nunquam extat. Imo aliud eſt *cauſa* & *occaſio*, aliud *Prætextus* qui ſolet adhiberi & obtendi ad excuſandum.

Itaque benè ſit Bell. qui agnoſcit עלל ſign. *operari*, aitque verti potuiſſe, *ad operandas operationes*.

NB. התעלל, *illudere*, ſoletque conſtrui cum ב, cum ו autem, *cogitare*, *moliri*, *facere*, *operari*.

Cum viris] Tig. *Utens operâ virorum* Ebr. אישים. Noſtri Emphaſin ponunt in voce, dum vertunt *ſtrenuis*, Piſc. *cum Magnatibus*. Ut Pſ. 49.

בַּל אֶלְחַם] *Ne veſcer*, Jun. At Piſc. Pagn. *ne comedam*. Tig. *ne fruar*. Kimchi שלא אתאוה לאכול מאכלם *non concupiſcam comedere cibum eorum*. Senſus eſt, inquit, *Ne alligata ſit mens mea deliciis mundi ut ipſorum eſt*, *ne ſaginer iſtis deliciis*, *queis illi.*

CENSURA.

Vulg. *Non communicabo cum electis ipſorum*, LXX. μὴ συνδυάσω μετὰ τῶν ἐκλέκτων αὐτῶν, *non communicabo*. Nullum veſtig. iſtarum ſign. eſt in vocibus iſtis. Genebr. fatetur ita in Ebr. eſſe ut nos vertimus, & Bell. agnoſcit quoſdam vulgatâ verſ. deceptos accepiſſe de viris Electis, cum accipi debeat, inquit, de cibis: Atque propterea lib. 2. Contr. bene monet in talibus recurrendum ad fontes.

5. *Contundat me*] Feriat. Vulg. *corripiat*. Hinc הלמות *malleus* & יַהֲלֹם *Adamas*, quod alios lapides contundat, vel quod contundi nequeat aut emolliri niſi ſanguine hircino, per Antiphraſin.

Kimchi jungit cum ſup. verſu per Antith. Illorum deliciæ me non delectant. Sed reprehendat me juſtus id delectabit.

חסד] Vulg. *In Miſericordia*. Melius, *Miſericordia erit*, Kimchi, אֶחְשֹׁב לוֹ לְחֶסֶד *imputabo ei pro beneficio*. חֶסֶד *beneficium* Gen. 32. 10. *Minor ſum omnibus* חֶסֶד. Jun. *benignitas*.

Increpet me & (erit) oleum, pro ſicut oleum, *Capitis*.] Convenit cum loco Prov. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera amici præ oſculis hoſtium.*

Oleum capitis] Dupliciter poteſt accipi, vel oleum quo ungitur caput. Solebat enim præ cæteris membris ungi caput in lætitia. Matth. 6. 16. ut contra in luctu deformari caput aſperſione pulveris. Job. 2.

Vel *oleum capitis*, i. e. præſtantiſſimum. Atque hoc modo promiſcuè ראש vel anteit vel ſequitur. Ex. 30. 23. ſequitur. At Jez. 27. 22. בראש כל בשם Cant. 4. ראשי בשם Itaque Jun. *præſtantiſſimum*, Pag. *præcipuum*, Tig. *optimum*. Kimchi, נִבְחָר, טוב adducitque locum Ex. 30. 27.

אַל יָנִי] יני pro יניא à נוא *fregit*, *irritum fecit*, *impediit*. Hinc duplex interpretatio, אל pro לא *non franget caput*, *me non ſauciabit*, *ſed ſanabit.*

II. *Ne impediat*, vel *ne irritum faciat*. Jun. vel *ne avertat*, *amoveat* ראשי pro כראשי *à capite meo*. Num. 30. *Si pater* הֵנִיא *eam*. Tharg. אעדי *abſtulerit.*

Quia adhuc ותפלתי *in malis eorum*,] *In afflictionibus eorum*, Angli Vau negligunt, *Quia adhuc precatio mea erit*, *precabor*. Piſc. & Jun. *Quo amplius id fecerint*, *eò amplius oratio mea in malis eorum erit*. Quo ſtudioſius me corripuerint, eo ardentius pro iis orabo.

Joſeph Kimchi dividit verſum, *Perc. me juſtus & benef. erit. At ſi impius ungat me oleo vel præſt. clamabo*, *ne frangat caput meum.*

CENSURA.

LXX. In poſteriori hemiſt. plane exorbitarunt & conſtituunt Antith. ἔλαιον δὲ ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλήν μου, *ne impinguet caput meum*. Vulg. *Unguentum veneni*, i. e. hominis venenati *Ne impinguet*, i. e. deturpet, inquit Bell. at oleum adhibetur non ad deturp. ſed ad nitorem. Liquet ex conſ. Ebr. & antitheſi Matth. 6. 16. *Ne ſitis ut hypocritæ* σκυθρωποὶ, ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες.

בְּרָעוֹתֵיהֶם] Vulg. *in beneplacitis eorum*. LXX. ἐν εὐδοκίαις αὐτῶν. Genebr. fatetur propriè eſſe, in *malis eorum*, i. e. ut Deus eos liberet à malis eorum vel contra mala eorum; ut Deus me conſervet à malis eorum. Lyra, In Ebr. hab. *in malis eorum*, cui concordat tranſl. Hier. quæ ſic habet, *pro malitiis eorum.*

6. נִשְׁמְטוּ] Jun. *At dimovent ſe per latera Petrarum*, q. d. At adverſarii mei non agunt ita mecum, ſed perſequuntur me quem ſciunt innocentem. *Dimovent ſe*, i. e. deducunt copias ſuas, ut ex diverſis locis me aggrediantur. *David autem latebat in Petris*, 1 Sam 23. 6.

II. Pagn. *Derelicti ſunt in locis petroſis*, Ar. *dimiſſi*, id eſt, *derelinquentur*. Vult dicere, poſtquam illiſi erunt Petræ, & contriti, Derelinquentur. Vel dimiſſ. ſunt à Saül ad exequendam vol. ejus. Vulg. *abſorbebuntur juncti Petræ*, alliſi Petræ, triſte ſupplicium & extremum *allidi Petræ*. Pſ. 137. 9.

III. *Demittentur*, *præcipitabuntur*. Sic Tig. Sic R. D. *Et tunc audient qui ſecuti ſunt duces iſtos*, *tunc intelligent*, *vel tunc obedient ſermonibus meis quia dulces.*

Hinc שְׁמִטָּה *annus ſeptimus (ſabbaticus)* ab intermiſſione culturæ. Et complexum totius hebdomadis annalis apud Rabb. ut Sabbath pro 7. die, & integro ſeptendio.

ושמעו] *Quamvis audiant*, i. e. intelligant.

CENSURA.

כִּי נָעֵמוּ] *Quod jucundi*, *dulces*. Vulg. *Audiant verba mea quia potuerunt*. Geneb hyſterologia, *audiant*, *quoniam verba mea potuerunt*, i. e. efficaciam habuere, & per conſ. Deo grata & dulcia fuere. Probaret aliquis niſi monſtrari poſſet fons hujus verſionis. Ecce enim Græci reddidere ὅτι ἠδύνήθησαν ut legitur in Edit. Rom. Antiqui codices corrupte ἠδυνάσθησαν vel ἐδυνήθησαν. Hanc ſecutus eſt Vulg. Vera lectio ἠδύνθησαν. ἡδὺς. *Dulcis.*

7. *Quaſi diſſecaret quis & diffinderet* ſupp. *ligna*. Sic quoque Angli. Jun. Piſc. Tigur. Kimchi. פולח ובוקע עץ אחד בכמות שונות, *ſicut findente aliquo ligno*, *fragmina diſperguntur huc & illuc*, *ita* &c. פלח. 2 Reg. 4. 39. *Invenit aliquis Colocynthidas* וַיְפַלַּח *&* אֶל סִיר הַנָּזִיד *concidit*, *diſſecuit in ollam pulmenti*. Job. 16. יְפַלַּח פולח *diffindit renes meos*. Prov. 7. dicitur *ſagitta diſſecare* יְפַלַּח. R. D. dicit eſſe hyperbolem in ἀποδόσει. Et confert cum Pſ. 22. 15. *Et* והתפרדו *diſparata ſunt omnia oſſa mea*. Jun. *Jam jam diffringendi & membratim diſcerpendi ſumus*, *ita nos circumſtant & tanta rabie aguntur*. *Itaque ſub. vocem*, TRUDENDA.

Alii ad Agricolam referunt. *Sicut Agricola cum ſcindit terram*. Ita Hier. Alii, *ſicut ſindens & proſcindens terram*, i. e. ut ſolet agricola aratro glebas diſſipare, ita &c. ut os ſepulcri ingreſſus ejus orci janua.

CEN-

CENSURA.

Vulg. *Sicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.* LXX. ὡσεὶ πάχος γῆς ἐῤῥάγη ἐπὶ τῆς γῆς. Miror, quid viderint. Nam Aq. ὁμοίως ἀποκλῶντι καὶ διασχίζοντι ἐν τῇ γῇ, ἐσκορπίσθη τὰ ὀςᾶ μȣ. *Sicut diffringenti & diſcindenti* &c. Sym. ὥσπερ γεωργὸς ὅταν ῥήσσῃ τὴν γῆν ὅτως ἐσκορπίσθη τὰ ὀςᾶ μȣ. Edit. v. ὡς καλλιεργῶν καὶ σκάπτων ἐν τῇ γῇ *ut qui pulcrum opus facit & fodit in terra.*

NB. Genebr. hic exponit שְׁאוֹל vel *infernum* vel *ſepulcrum*, *Sheol* denotat ſæpe *ſtatum mortuorum.* Is autem eſt ſtatus ut corpus condatur ſepulchro, unde pro *ſepulchro* ponitur. Ut anima deferatur in locum ſuum, unde volunt viri docti pro utroque ſumi. De Inferno non eſt dubium. De *Paradiſo* accipiunt quoque Jun. Merc. Alſt. Helw. Brougth. Et utrumque comprehendet vox. *Inferi* non dicti ab *Infra*, ſed *inferendo* locus in quem inferentur animæ. Diphilus Comicus. Hier. Tertull. Chryſoſt. Græcorum Ἅδης quoque utrumque comprehendit, niſi quod Ethnici *Inferos Beatorum*, i.e. *campos Elyſios*, poſuerint infra terram. Nos ex S.L. novimus eos eſſe in cœlo. Sed non vidi ullum locum qui evidenter doceat, pro *ſolo Paradiſo* poni. Multa autem ſunt in quibus generaliter *de ſtatu mortuorum* uſurpetur. Et ſic interpretantur multi locum Gen. 37. Sed alii aliter. Nos in Cenſ. duas reſp. attulimus in queis manet ſign. *Sepulchri.*

8. אַל־תְּעַר] *Ne nudes* ſic Jun. Piſc. *Ne deſtituas ope tua, ne nudes auxilio, ontblooten.* Hoc viderunt Angli, *ne Linquas animam meam deſtitutam.* Tig. *ne profundas* vel *effundas.* Kimchi, ſignificationem habet שְׁפִיכָה וציקה *effuſionis.* Gen. 24. וַתְּעַר כדה *& deplevit, effudit hydriam ſuam.* Ergo ſenſum expreſſere LXX. & Vulg. *ne auferas.* Cum enim anima exit è corpore, videtur quaſi effundi. Tac. aliorum diſceſſione deſolatus lib. 1. & 12. deſolatus paulatim ſervilibus miniſteriis. Μονωθείς.

9. מִכְמָר & מִכְמֹר *rete*, מִכְמֶרֶת *rete jaculum* Gr. ἀμφίβληςρον. Vide Jun. ad Eſ. 19. 8. Thema eſt כָּמַר *æſtuare, incaleſcere*, 2. *atratum eſſe, contrahi*, ut ſolent illa quæ igni torrentur. Thr. 5. 10. *Pelles noſtræ* כְּתַנּוּר נִכְמָרוּ *ſicut fumus, contractæ ſunt* vel *atratæ.* Hinc כֹּמֶר & pl. כְּמָרִים *ſacrificuli idolorum.* Quod *atra veſte incederent.* Unde Jud. ubi in Ebr. *& fuit ei* לְכֹהֵן, *quia idololatra fuit.* Tharg. vertit לְכֻמְרָא. Soph. 14. Hoſ. 10. 5. 2 Reg. 23. 5. *Præterea abolevit atratos quos conſtituerant Reges Judæ ut adolerent in excelſis per civitates.*

Druſius eleganter expreſſit voce Latina *Camillus* quæ vox videtur ab Ebr. derivata, ut à *puer puellus.* F. Pomp. *Rerum ſacrarum adminiſtri camilli vocabantur.* Serv. Æn. 11. *Camilla* q. *miniſtra, dicta eſt.* Miniſtros enim & Miniſtras impuberes camillos & camillas in ſacris vocabant. Unde & Mercurius Hettuſca lingua *camillus* dicitur, q. d. *Miniſter Deorum.* Varro de Lingua Lat. *Camilla, adminiſtra in his quæ occultiora.* Sunt qui volunt & כמר & *camillum* fuiſſe *miniſtrum ſacerdotum.* Id ex his locis colligi non poteſt, nam *ſacerdotes* dicuntur *Miniſtri Deorum ſuorum.* At locus Soph. eo inclinat, nam junguntur cum Sacerdotibus, & Macrob. Sat. 3. 8. *Romani pueros puellaſque nobiles & inveſtes, camillos & —as vocabant, Flaminicarum & Flaminum miniſtros.* Ego ſic ſentio כמר *ſacerdotem* eſſe, *camillus* diminut. *Miniſtrum ſacerdotum.* Pomp. Læt. *Camillos priſca ætas vocabat adminiſtros ſacerdotum.* Hanc puto cauſam quod Druſ. verterit in Hoſ. 10. & Soph. 1. *Camaros* non *camillos*, licet Soph. 1. non videatur uſque adeo malè quadrare. Vulg. in Hoſ. & Soph. *æditúos.* 2 Reg. 23. *Aruſpices.* Sed an *aruſpices* ſacrificabant?

1 Reg. 23. non poteſt de miniſtro ſacerdotum accipi. Et in Soph. per *cohenim* malim cum Rubera intelligere *Sacerdotes veri Dei.*

NB. Hodie Judæi *Monachum* vocant כּוֹמֶר & *Monialem* כּוֹמֶרֶת & *monaſterium* מוֹשַׁב הַכּוֹמְרִים. *Sacerdotes* vocant גַּלָּחִים *tonſos, raſos. Cardinales* חַשְׁמַנִּים

יַחַד עַד אֶעֱבוֹר] *Unà ego dum tranſiturus ſum*] *Unà*, i. e. cum meis, evaſurus periculum. Metaph. à beſtiis. Sic Jun. Piſc. Angli. *Donec ego tranſeam.* Druſ. *donec tranſiero*, i. e. obiero Pſ. 37. 36. *Tranſiit & ecce non eſt.* Sic *cœlum & Terra tranſibunt.*

Tig. τὸ יַחַד jungit cum hemiſt. primo, & ſequentia ſic reddit, *Ego autem uſque progrediar*, עד pro לָעַד *Ego in æternum tranſibo in ſecuritate.*

בְּמַכְמֹרָיו] Affixum ejus Calv. refert ad Deum. R. D. ad Saul. Alii reciproce, *in retia ſua.* Non benè, nam affixum יו non eſt pluralis ſignif. E. G. *Conſidera verba ejus* Ebr. דבריו. Reciprocè, *Revocavit* דְּבָרָיו *verba ſua.* At non licet mihi dicere, *Revocarunt* דְּבָרָיו ſed דִּבְרֵיהֶם. Ergo Junius per diſtrib. *quiſque in ſua retia.*

GROTIUS.

5. *OLeum autem peccatoris ne impinguet caput meum*] Videntur LXX. pro ראש [*capitis*] legiſſe רשע [*impii*,] & pro ינִי [*frangat*] legiſſe יְנִיף [*impinguet.*] Ut nos nunc Hebræum legimus, videtur hæc interpretatio optima. *Contundat me juſtus* (caſtigationibus ſuis:) *& benignitas* (à me habebitur:) *increpet me &* (erit ut) *oleum optimum: non franget caput meum* (non dolebit mihi:) *imò oratio mea* (nempe ad Deum perſtabit) *in malis eorum:* id eſt, dum mala mihi dicent. שמן ראש [*unguentum præcipuum*] hic *unguentum præſtantiſſimum*, ut Cantic. 4. 14. ראשי בשמים [*præcipuis aromatibus*,] & Ezechiëlis 27. 22. ראש כל בשם [*præcipuum aromatum.*]

6. *Quoniam potuerunt*] Legit in Græco ἠδυνήθησαν. Cùm nunc ibi rectè legatur ἡδύνθησαν נעמו [*dulcia fuere.*]

PRICÆUS.

1. *VOce meâ ad te clamavi*, &c.] Jonas in ſpelunca ventris ceti, ut heic David in ſpelunca ſylvæ nemorumque, *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*, &c. 2. 3. cum ſeqq.

4. *Et tu cognoviſti ſemitas meas*] Tu ſcis, &c. (ut Suſannæ com. 43.) quòd nihil horum fecerim quæ iſti malitioſè commenti ſunt adverſùs me.

8. *Educ de cuſtodia animam meam*, &c.] *De cuſtodia*, i. e. de carcere iſto, de quo nondum exire audeo. *Carcer eſt undecunque prohibemur exire*, inquit Servius ad Virgilium.

Ibid. *Exſpectant juſti donec retribuas mihi*] Nempe, ſecundùm innocentiam meam.

IDEM.

4. *IN deficiendo ex me ſpiritum meum*] Locutio qualis 125. 1. illa, *in convertendo Dominus captivitatem Sion*: ubi malim *Dominum* legi, ut hoc loco *Spiritum.* *Ex me*, ut ſuprà 138. 6. pro, *in me.*

Ibid. *In via quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*] *Juxta iter* (ut 139. 6.) *poſuerunt ſcandalum mihi.* Vide Job. 18. 10.

5. *Et non erat qui cognoſceret me*] Me omnes pro ignoto habebant. Ità Job. 34. 29. *nec cognovit tyrannum.* Vide ad Pſal. 100. 4. dicta.

Ibid. *Periit fuga à me*] Nullum patet effugium mihi. Sic Jobi 11. 19. *Effugium peribit ab iis:* Jerem. 25. 35. *peribit fuga à paſtoribus:* & Ejuſdem 49. 7. *periit conſilium à filiis*, pro, *periit conſilium filiis*, vel, *conſilium filiorum.*

Ibid. *Et non eſt qui requirat animam meam*] Ut liberet eam. *Requirere* Latinè loquentibus ſæpe eſt præ affectu quærendo circumſpicere. Senſu non multùm abſimili ſuprà 118. 175. *quære ſervum tuum.*

7. *Libera me à perſequentibus me*] Jerem. 15. 15. *Tuere me ab his qui perſequuntur me.*

Ibid. *Confortati ſunt ſuper me*] Ità & ſuprà 17. 18.

8. *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi*] *Juſtos* hic vocare videtur qui cauſæ ejus probè æquitatem noſſent. *Me exſpectant*, eſt qualem exitum habituræ ſint res meæ: quo ſenſu Jacob. 5. *finem Domini* habemus: id eſt, quid Deus in fine fecerit.

PSALM. CXLII.

MUNSTERUS.

4. *REſpiciens ad dexteram*] Eſt hic tam הביט quàm ראה infinitivi modi, ego autem ſenſum magis reddidi quàm verba. Kimhi ſic exponit, *Cùm reſpicerem ad dexteram & ſiniſtram, nemo erat qui me agnoſceret, quæreretque animam meam ad liberandum eam.*

7. *Educ de carcere animam meam*] *Carcerem* vocat ſpeluncam in qua latitabat. ¶ *Me cingent juſti*] i. e. *Si me liberaveris ab hac neceſſitate*, & *retributionem* hanc, h. e. beneficium, *feceris mihi, ſtipabunt me juſti* quique, & *confitebuntur nomini tuo.*

VATABLUS.

1. *INtelligentia* משכיל] Vide Pſal. 32. ¶ *Clamo* אזעק] Futura Heb. pro præſ. vel imperf. *clamabam, & deprecabar*, ſub. *cùm nullum mihi ſupereſſet effugium.*

2. *Effundo* אשפך] *Effundebam.* Fut. Heb. pro præſ. aut imperf. i. e. prolixè & profusè exponebam illi mentem meam. ¶ *Commentationem meam* שיחי] *Preces meas, ſermonem meum, eloquium meum.*

3. *Cùm deficeret* בהתעטף] *Dum diſtorqueretur.*

4. *Aſpiciebam ad dexteram & videbam* הביט ימין וראה] Infinitivi Heb. pro præt. imperfecto, aut perfecto: i. e. reſpexi, vel reſpiciebam. ¶ *Perierat effugium à me* אבד מנוס ממני] Hebraiſmus pro, *quò fugerem non habebam.* ¶ *Qui requireret* דורש] Sub. *ut eriperet.* Nemo ſatagebat me eripere.

6. *Attenuatus ſum* דלותי] *Miſer factus ſum.*

7. *Propter me coronabunt ſe* בי יכתרו] *Me cingent.* Alii, *coronam facient ſibi de me*: i. e. ero juſtis vice coronæ, vice exempli, ut cui tu ſummopere faveris in periculo: ad quod reſpicientes, laudabunt te. Alii, *jactabunt ſeſe de me*, ſub. *tanquam de corona quadam inſigni.* Alii, *reputabunt me ſibi coronam.* Quidam, *me exſpectabunt.* Chald. *de me tibi facient coronam laudis*: i. e. in cœtu laudabunt te propter me. ¶ *Retribueris* תגמל] Fut. Heb. pro præt. *rependeris*, vel *benefeceris.*

CLARIUS.

3. **C**Um deficeret] Quo tempore animus meus mœrore conficiebat ſeſe, tu ſciebas me inſontem illa perpeti: eſt enim *notiſſima tibi omnis ſemita* & vita *mea.*

4. *Conſiderabam ad dexteram*] Reſpiciebam nunc in partem dextram, nunc in ſiniſtram, &c. ¶ *Periit fuga à me*] Deſperabam poſſe me aufugere: nullus enim aderat cui curæ eſſet vita mea.

5. *Portio mea in terra viventium*] Dixi non eſſe inter viventes in ullo alio ſpem ullam reliquam mihi.

7. *Educ de cuſtodia*] Vel *carcere.* Vocat *carcerem* ſpeluncam in qua latebat. ¶ *Me cingent juſti*] Si *me*, inquit, *liberaveris ab hac moleſtia atque anguſtia*, & *retributionem* hanc, h. e. beneficium, in me contuleris, *ſtipabunt me juſti* omnes, & *celebrabunt nomen tuum.* Vide autem ut ſancti viri finem ſuarum cogitationum Dei gloriam ſtatuant.

DRUSIUS.

4. וְאֵין־לִי מַכִּיר . Alius, σὺ γὰρ οἶδας.

7. הַקְשִׁיבָה אֶל־רִנָּתִי כִּי־דַלּוֹתִי מְאֹד . Sym. Ἀκρόασαι τῆς λαλιᾶς μου, ὅτι ἠτόνησα σφόδρα, *Audi ſermonem meum, quoniam valde languidus ſum*] Apud Interp. Theodoreti, *Hoc Sym. declaravit, Intende loquelas meas, quoniam nimis oblanguì.*

8. הוֹצִיאָה מִמַּסְגֵּר נַפְשִׁי . Sym. ἔξω ποίησον ἀπὸ συγκλεισμοῦ τὴν ψυχήν μου. A. ἐξ ἀποκλεισμοῦ] Sic eſt in ed. Rom. Theodoretus, *Sed Aq. ſic, Educ ex carcere animam meam.* ¶ אֶת־שְׁמֶךָ בִּי יַכְתִּרוּ צַדִּיקִים כִּי תִגְמֹל עָלָי . Sym. τὸ ὄνομά σου στεφανώσονται δίκαιοι ὅταν εὐεργετήσῃς με, *nomen tuum coronabunt juſti cum benefeceris mihi.* Alius, ὅτι εὐεργέτησάς με, *quia beneficus affeciſti me.* Aq. ut eſt apud Euthymium, *me exſpectabunt juſti, donec remuneratus fueris me.* Sed ambigo: nam ſi Græci reddunt, ἐμὲ ὑπομενοῦσι δίκαιοι ἕως οὗ ἀνταποδῷς μοι.

AMAMA.

תפלה] Alii איש תפלה *precationi operam dans.*

שיחי] Hic Lxx. Τὴν δέησίν μου. Alius τὴν ἀδολεσχίαν μου. & τὸ השיח ἀδολεσχεῖν. Ἀδολεσχέω apud Græcos ſign. Lex. V. ἀδολέσχης, *fabuloſus, garrulus*, ἀδολεσχία, *garrulitas, argutia*, ἀδολεσχῶ, *arguto, garrio.* Heſych. ἀδολεσχεῖ, Φλυαρεῖ, μακρολογεῖ. At longe aliter ſumitur in Sacris. Hoc vidit Suidas ἡ ἀδολεσχία παρὰ τῇ γραφῇ ἡ συνεχὴς μελέτη καὶ ἀδολεσχήσω ἀντὶ τοῦ διηνεκῶς μελετήσω.

בהתעטף] Piſc. Jun. *cum obrueret ſe.* Lxx. ἐν τῷ ἐκλείπειν ἐξ ἐμοῦ τὸ πνεῦμά μου. Pſalm. 102. vertunt ἀκηδιάζειν.

נתיבתי] Τὴν τρίβον μου, *callem meum.* Alii, *ſemitam*, i. e. ארחי *Callis* à *callo*, ſemita callo pedum trita, prædurata. Idem eſt τρίβος, ὁδὸς τετριμμένη.

5. הביט וראה] *Deſideratur*, שָׁאַל poſt ראה per Ellipſin contrarii דרך קצרה כמנהג המקרא. Alii *aſpice & vide.* Kimchi *aſpiciebam & videbam*, ut utrumque ſit Infinit. non imperat. Jam Infinit. pro præt. imperf. *aſpiciebam & videbam.* ראה infinit. ut Ezech. 21. 10. הֱיֵה eſſe ex Chaldaiſmo. Id ſecuti ſunt Lxx. & Vulg.

Agnoſcens] Curam habens. De eo alibi. Joh. 13.

Periit fuga] Omnis ſpes fugæ, omnis occaſio fugæ mihi prærepta.

Non eſt qui quærit animam] Ad ſalvandum. 'דרש נפ ſumitur in bonum; at בקש נפש in malum & in bonum. Sumitur quidem plerumque, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον in malum ut. Pſalm. 38. & 61. Pſalm. 54 3. Ex. 4. Pſalm. 7. at Prov. 29. 10. in bonum. *Viri ſanguinum oderunt integrum; at recti* יְבַקְשׁוּ נַפְשׁוֹ, *quærunt animam ejus.*

Poteſt & hic Ellipſis eſſe, non enim dicitur לנפשי ſed לְנַפְשִׁי ut ſubintelligas טוב, bonum.

In terra viventium] In hoc mundo, in hac vita, ſic Eſ. 53. dicitur Chriſtus *exciſus ex terra viventium.* Rabbini reſtringunt *ad terram Iſraël*, quam ajunt ſitam in medio Climatum Mundi, unde vocatur in Ezech. *Umbilicus terræ*, & per conſeq. fuiſſe ſaluberrimam, iſta enim cœli inclinatio de calore & frigore æqualiter participat, ut ſit regio temperatiſſima, valetudini ac vitæ accommodatiſſima. Vel reſpicit ad Religionem veram in qua vera eſt vita.

Ex carcere] Spelunca. Alii remotius *ex hoc corpore quod mihi eſt career.* Stultè Genebr. *ad limbum.*

בִּי יַכְתִּרוּ] כֶּתֶר *cidaris.* Vulg. *Nam expectant me juſti donec retribuas mihi.* Piſc. & Jun. *me cingent juſti q. in corona circumſtabunt.* Latinis enim *corona* quoque ſignificat *conventum hominum circumſtantium.* Pſalm. 22. *Tauri Baſan* כִּתְּרוּנִי Th. אַקְפּוּנִי. Significat tamen in Piel quoque *expectare*, Job. 36. 2. כַּתַּר *expecta me paululum*, Chald. אוֹרִיךְ. כֶּתֶר *cidaris*, quam Chald. & Rabb. vocant *coronam* כְּלִילָא. Unde Rabbini dicunt *tres* eſſe כְּתָרִים *coronas*, 1. *ornamenta*, כֶּתֶר תורה 2. כֶּתֶר כְּהֻנָּה *ſacerdotii*, 3. כֶּתֶר מַלְכוּת *regni*, ſed illas omnes excellere כֶּתֶר שֵׁם טוֹב *coronam boni nominis.*

תגמל] *Benefeceris.* Lxx. ἀνταποδῷς. Sym. ὅταν εὐεργετήσῃς με.

GROTIUS.

CUm eſſet in ſpelunca oratio] Ità & in Hebræo & in Græco. Repræſentatur hiſtoria quæ eſt 1 Sam. 24.

5. *Conſiderabam ad dextram, & videbam*] Supple, *ad ſiniſtram.* Reſpectabam in omnem partem, num quis mihi eſſet adjutor: nemo erat.

8. *Educ de cuſtodia animam meam*] De carcere hoc. Ità appellat ſpecum in qua latebat.

PRICÆUS.

7. **D**Efecit ſpiritus meus] Suprà 4.
Ibid. *Et ſimilis ero*, &c.] Nè ſimilis fiam.

IDEM.

1. **E**Xaudi me in tua juſtitia] In tua miſericordia.

2. *Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis* (id eſt, ullus) *vivens*] Sub. *ſi in judicium intraveris.* Suprà 129. 3. *Si iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit?*

4. *Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus*] *Super me*, in me: ità hìc Græci, & infrà 146. 11.

5. *Memor fui dierum antiquorum*] Id eſt, operum tuorum (ut ſtatim additur) in diebus antiquis. In Additamentis Eſtheris 13. 8. de Mardochæo, *Deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum ejus.* Suprà hìc 88. 50. *Ubi, Domine, ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ?* Vide & 118. 52.

Ibid. *In factis manuum tuarum meditabar*] In operibus potentiæ tuæ.

6. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*] Te ſitit, ſuprà 41. 2.

9. *Doce me facere voluntatem tuam*] Demetrius ille philoſophus apud Senecam, *Hoc primum, Dii immortales, de vobis queror, quòd ante a voluntatem veſtram mihi notam non feciſtis.*

11. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*] Imò in viam rectam. Lxx. hic, ἐν τῇ εὐθείᾳ· ſubaudi (ex uſu Linguæ) ὁδῷ· ità Luc. 5. 19. διὰ ποίας. Hic locus autem illuſtrabit fortè paulò obſcuriorem illum 50. 14. *& ſpiritu tuo principali confirma me*: ubi *ſpiritus principalis* in Græco eſt πνεῦμα ἡγεμονικόν, ità dictum fortè quòd ἡγεμόνος (id eſt, *ducis*) ritu viam monſtret, vel (ut hìc de eodem ſpiritu dicitur) deducat (aberrantem nempe) in viam rectam.

PSALM. CXLIII.

MUNSTERUS.

PUtant hunc Pſalmum ejuſdem eſſe argumenti cujus ſuperiori nempe quòd factus ſit à David cùm in ſpecu anxietate plenus Dominum invocaret.

2. *Non intres in judicium*] Orat nè jure ſecum agat: alioquin nemo erit qui non reus & immundus in oculis Dei inveniatur.

tur. Appellat tamen Deum judicem propter adverſarios, quos ſciebat non tam ſuos quàm pietatis eſſe hoſtes.

5. *Recordatus ſum dierum*] Memoria, inquit, *dierum priſtinorum*, & *facta* quæ Dominus geſſit, illa puſillanimem & dejectum erexerunt, ſpem firmaverunt, & bonitatem Domini ob oculos poſuerunt: quippe qui ſuos in neceſſitate nunquam deſeruit.

8. *Ut manè audiam pietatem tuam*] i. e. Ut celeriter ſentiam bonitatem tuam, & ſciam quâ viâ elabar hoſtem.

V A T A B L U S.

2. J*Uſtificabit ſe* יצדק] *Juſtificabitur.* Alius, *juſtus erit.*

3. *Perſequitur* רדף] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Attrivit* דכא] *Confregit.* Alii, *proſternit.* Alii, *attritam dejecit.* ¶ *In obſcuris* במחשכים] *In tenebricoſis*: i. e. coegit ut habitarem in ſpelunca tenebroſa. ¶ *Sicut mortuos ſeculi* כמתי עולם] *Sicut qui ab olim mortui ſunt*: vel, *jam pridem.*

4. *Et defecit* ותתעטף] *Et diſtortus eſt*: vel, *diſtorquebatur.* ¶ *Deſolatur* ישתומם] *Deſtituitur, attonitum eſt.* Alii, *obſtupuit*: vel, *obſtupebat.*

5. *Recordar dierum* qui fuerunt *à principio* זכרתי ימים מקדם] Præt. Heb. Ad verb. *Recordatus ſum dierum priſtinorum.* Alii, *dies anteactos*, quibus ſcilicet affuiſti patribus noſtris. ¶ *Commentor* אשוחה] Fut. Heb. pro præſ. *verba facio, diſſero.*

6. *Expando* פרשתי] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Siticuloſa* עיפה] Sub. *quæ imbrem exſpectat.*

7. *Velociter* מהר] *Feſtina. Propera.* Verbum pro adverbio.

8. *Manè* בבקר] i. e. Tempeſtive. *Manè* dixit, quia orationi aptum; *Miſericordiam*, i. e. vocem tuam quæ teſtetur miſericordiam tuam erga me. ¶ *Spero* בטחתי] Præt. Heb. pro præſ. *tibi fido.* ¶ *Scire fac me* הודיעני] *notam fac mihi*, *monſtra mihi.*

9. *In te ſpero* אליך כסיתי] *Ad te* latitaturus, vel protegendus, *confugi.* Alii, *apud te obtego*, vel *abſcondo*, ſub. *me.* Alii, *tibi abſcondi*, ſub. *cauſam meam.* i. e. tibi uni, non alii cuiquam expono cauſam & calamitatem meam, ut ei à quo ſolo opem exſpecto.

10. *In terra recta* בארץ מישור] *Per terram rectitudinis*: i. e. per iter rectum.

11. *Vivificabis me* תחייני] Fut. Heb. pro optandi modo, *vivifica*, i. e. fac incolumis evadam hoc periculum, ut te laudem.

12. *Diſperdes* תצמית] Fut. Heb. pro optandi modo, *diſſipa*, *diſperde conſice.* Sic mox.

C A S T A L I O.

2. N*Eve in jus mecum, qui tuus ſum, venito*] Nè mecum jure agito.

C L A R I U S.

PUtant hunc Pſalmum ejuſdem eſſe argumenti cujus ſuperior, nempe quòd factus ſit à David cum in ſpecu anxietate plenus Dominum invocaret.

2. *Non intres in judicium*] Orat nè illo ſummo jure ſecum agat: alioqui nemo erit qui non reus & immundus in oculis Dei inveniatur. Appellat tamen Deum judicem propter adverſarios, quos ſciebat non tam ſuos quam pietatis eſſe hoſtes.

3. *Collocavit me in obſcuris*] Habitare me cogit in locis obſcuriſſimis, quæ mortuorum ſepulcris ſimillima ſunt.

5. *Memor fui dierum antiquorum*] *Memoria*, inquit, *dierum priſtinorum*, & *facta* quæ Dominus geſſit, illa puſillanimem & dejectum erexerunt, ſpem firmaverunt, & benignitatem Domini ob oculos poſuerunt: quippe qui ſuos in afflictione nunquam deſeruit.

7. *Et ſimilis ero*] Nè *ſimilis ſiam illis qui decidunt in puteum.*

8. *Auditam fac mihi manè*] h. e. Celeriter ſentiam bonitatem tuam, & ſciam quâ viâ elabar & effugiam hoſtes.

10. *Doce me facere voluntatem tuam*] Nihil cupio, inquit, in mediis afflictionibus niſi quod tibi placitum ſit. ¶ *In terra recta*] Per viam bonam.

D R U S I U S.

1. בֶּאֱמֻנָתְךָ. Alius, *ἐν τῇ πίστει σου*, *fide tuâ.* Alius, *ἐν τῇ βεβαιότητί σου.*

4. וַתִּתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי. Alius, *καὶ περιεκεῖτο ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου*, *& volvebatur in me anima mea.*

5. בְּמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ. Alius, *τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου*, *opera manuum tuarum.*

7. אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ. Alius, *μὴ κρύψῃς τὸ πρόσωπόν σου*, *ne abſcondas faciem tuam.*

8. בַּבֹּקֶר. Alius, *ἐξ ὄρθρου*] Τουτέστι ταχέως, Chryſoſt.

10. בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר. Alius, *διὰ γῆς ὁμαλῆς*, *per terram planam.*

11. בְּצִדְקָתְךָ. Alius, *ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου*, *in miſericordia tua.*

A M A M A.

N*E intres in judicium*] i. e. Ne ſummo jure mecum agas, ne trahas me ad thronum juſtitiæ & miſericordiæ, non age mecum ex ſummi & exacti juris formulâ & præſcripto.

Ullus vivens] i. e. Homo. Sic *Eva mater viventium.* Sic alibi. *Caro*, *omnis caro corruperat viam.* Joel 2. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* *Non omnis*, i. e. *nullus.* Vide ad Pſalm. 49.

Hier. Eph. 1. hunc locum ſic exponit, *Non juſtific. in conſpectu tuo omnes ſed aliqui.* Male.

דִּכָּא לָאָרֶץ] *Contrivit & dejecit* לארץ. Verbum prægnans. Sic *accipies carbones ſuper caput ejus. Accepiſti dona inter homines.* Apoſt. ἔδωκας.

חַיָּתִי] *Vitam meam.* Jun. *catervam meam.*

בְּמַחֲשַׁכִּים] Formæ מַעֲמַקִּים. R. D. בִּמְעָרוֹת הַחֲשׁוּכוֹת

שאין שם אורה] Intelligit autem ſe eſſe quaſi in ſepulcro, quod Ebr. vocant מְקוֹם חֹשֶׁךְ & בֵּית חֹשֶׁךְ

כְּמֵתֵי עוֹלָם] *Sicut mortui olim*, qui jam olim mortui ſunt, qui jam putrefacti, quorum reſurrectionis ſpes apud homines Ethnicos omnino decollavit. Qui heri mortuus eſt, tam abeſt à vita quam qui ante 100 annos: tamen rationes humanum advocantes in conſilium magis deſperamus de reſurrectione cadaveris quod jam exeſum à vermibus & in pulverem redactum & ventis fluviiſque expoſitum eſt, quam ejus quod adhuc recens à nuperâ morte.

Dierum ab ante] Priſcorum, priorum, anteacti temporis, quo liberaſti me, & patres meos. De קדם vide Cenſuram noſtram. Gen. 2.

Anima mea ut terra arida ad te] Sc. anhelat, γῆ ἄνυδρος.

7. *Feſtina exaudi me*] i. e. Citò exaudi. Vide Reg.

נִמְשַׁלְתִּי עִם] Vide Pſal. 49. & Cenſ. noſtram Exod.

Ad te levo animam meam] Phraſis Ebr. ſignificat ita aliquid concupiſcere & deſiderare, quaſi totus inde dependeas & quaſi ſine eo vivere non poſſis. Jirm. 22. Hoſ. 4. 9. Deut. 24. Vide Pſalm. 86.

DE VALLE JOSAPHATH.

Joel. 3. 2. & verſ. 12. At verſ. 14. vocatur עֵמֶק הֶחָרוּץ *vallis deciſionis.* Si ſpectes literalem ſenſum quæritur quæ fuerit vallis Joſaphath. Reſp. alii eſſe *vallem benedictionis*, 2 Chr. 20. ubi Joſaphath egregiam victoriam reportavit contra Ammonitas & Moabitas. Ea diſtiit aliquantulum ab Jeruſalem, fuitque mari mortuo proxima. Alii itaque volunt eſſe *vallem inter Templum & montem Oliveti.* Sed cur ea ſic vocata ſit, neſciunt. R. D. *Forte ob opus aliquod & ædificium quod ibi ſtruxit Joſaphath.* Sed nec vallis Joſaphat ullibi memoratur, nec ædificii ejuſmodi ulla mentio. Beda ait *quod ibi fuerit Turris ab Joſaphato conſtructa eamque ſepulcrum ejus continuiſſe.* At dicitur in hiſtoria ſacra *ſepultus in urbe David*, 2 Chr. 21. Itaque Ribera aſſerit *vallem aliquam certam fuiſſe, ſed dari non poſſe certam nominis rationem.*

Et tamen tam fragili fundamento ſuperædificarunt Papiſtæ hanc opinionem, in hâc valle Chriſtum erecturum ſuum Tribunal in ultimo judicio hùc congregandos omnes homines. Thom. Matth. 25. Alb. M. Matth. Paludanus, Dom. Sotus, Lyra, Dionyſius, opinantes ad gloriam Chriſti pertinere, ut juxta illum locum ſedeat Judex ubi condemnatus & ignominiâ affectus eſt. Ut ibi redeat ad Jud. unde aſcendit in cœlos.

R. פצה יהי מבעלי דבבי

Longe melius illi ſentiunt, *qui vallem Joſaphat nullam literalem agnoſcunt, ſed accipiunt appellative pro quovis loco ubi Deus exercet ſua judicia*, nam vox Ebræa valet *Dominus judicabit.* *Vallis* ergo *Joſaphat* eſt *vallis judicii Domini.* Juvat verſ. 14. ubi vocatur eadem vallis, *vallis deciſionis.* Itaque R. Sal. *deſcendam cum eis in profunditatem judicii.* Chald. *In vallem diviſionis judicii.* Rabbini itaque aliàs egregii fabularum architecti nihil tale hic commenti ſunt. R. D. *aut nominatur vallis Joſaphat de nomine judicii quia ſeq.* וְנִשְׁפַּטְתִּי &c.

Aut ſi putes talem vallem fuiſſe, erit ea vallis typus exitii hoſtium Eccleſiæ, aut ſenſus erit, in conſpectu Eccleſiæ. Ut vallis Joſaphath erat vicina Jeruſalem & quicquid ibi fiebat, fiebat quaſi

 in

in conſpectu Jeruſalem, ita dicit hæc judicia à Deo exercenda in conſpectu Eccleſiæ quæ adumbratur per Jeruſalem.

9. אֵלֶיךָ כִסִּתִי] Jun. *Apud te tectum contineo (illum)* ſc. animum. Id eſt, depono apud te conſervandum. Piſc. *Ad te confugio & tego me.* Kimchi per contr. *Apud te retexi me. tibi revelavi cauſam meam non hominum ulli.*

10. למדני] Ch. אַלֵּף יָתִי לְמֶעְבַּד רְעוּתָךְ רוּחַ קֻדְשָׁךְ טָבָא תְּדַבַּר יָתִי בְּאַרְעָא תְּרִיץ Lxx. δίδαξόν με τοῦ ποιεῖν τὸ θ. σου. τὸ πνεῦμά σου ἀγαθὸν ὁδηγήσει με, ἐν γῇ εὐθείᾳ.

Facere voluntatem tuam ut tu iterum facias voluntatem meam] Vide R. Judæ Sententiam apud Druſ. in Apoth.

Spiritus tuus bonus תַּנְחֵנִי] *deducet me.* Alii *Spiritus tuus bonus eſt: Deduces me*, Jun. *Spiritu tuo bono deduc me*, רוּחַ eſt gn. comm. contra Hieron. 1 Reg. 19. 11. רוּחַ גְּדֹלָה וְחָזָק

GROTIUS.

QUando perſequebatur eum Abſalom filius ejus] Græci hoc argumentum ſatis convenienter appoſuerunt.

5. *Memor fui dierum antiquorum*] In memoriam mihi revocavi pericula, è quibus olim divino beneficio evaſeram. Vide 1 Sam. 17. 34. 35. 36. 37.

PRICÆUS.

2. QUi ſubdit populum meum ſub me] Qui ſubdidit: vult dicere,

——— Religata catenis
Nunc tandem noſtro ſub pede bella jacent.

Suprà hîc 46. 4. *Subjecit populos nobis, & Gentes ſub pedibus noſtris.*

8. *Dextra eorum dextra iniquitatis*] Id eſt, ſanguinis. Apulejus 4. de eo cui dextra unà cum brachio abſciſſa fuerat, *Cur enim manui, quâ ſolâ rapere & jugulare poſſet, fortem latronem ſupervivere.* Idem 10. de medico illo improbiſſimo, *Multa dexteræ ſuæ trophæa numeraverat*: nimirum, noxiis poculis quæ dextrà porrexerat. Vel, *dextram iniquitatis*, intellige, iniquè aliena rapientem: unde & commodè *dextram*, non *ſiniſtram*, dixit. Apulejus idem lib. 11. de manu ſiniſtra, *Genuinâ pigritiâ, nullâ calliditate, nullâ ſolertiâ prædita, videtur æquitati aptior quàm dextra*

12. *Quorum filii ſicut novellæ plantationes in juventute ſua*] *Viridi florentes ætatulâ*, ut idem Apulejus locutus. Vide ſuprà ad 128. 4. dicta, & Jobi 29. 5, 6.

Ibid. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ*, &c.] *Auro, veſtibus, gemmis, omnique cætero mundo exornatæ:* ſunt verba ejuſdem Apuleji 2. *circumſpectè circumpoſitèque indutæ*, A. Gellius diceret.

13. *Promptuaria eorum plena*] Suidas in Ῥύδην,
Ῥυδὸν ἀφνειόντασι———
ἀντὶ τοῦ, ῥευστικῶς πλουτοῦσιν, ἢ κεχυμένως.

Ibid. *Eructantia ex hoc in illud*] Vide quæ ad Luc. 12. 16. ea, ἀνθρώπου τινὸς πλουσίου, &c. annotavimus.

Ibid. *Oves eorum fœtoſæ*] Græci heic πολύτοκα. In Gloſſario, Πολύτοκος, *fertilis, fœcunda.*

14. *Neque clamor in plateis illorum*] Alta quies & tranquillitas.

15. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt: beatus populus cui Dominus Deus ejus*] *Dixerunt*, nempe, aliæ gentes. Poſterius membrum poteſt accipi aut κατὰ μίμησιν, aut (quod fortaſſe melius) κατ᾽ ἐπανόρθωσιν· q. d. Beatum prædicant populum cui tot bona mundana ſuppetant; imò potiùs, beatus populus ille, cui Dominus Deus ejus. Ità Luc. 11. 27. ad ea, μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, reſpondet Chriſtus, μενοῦνγε μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, &c. & Pſalm. 146. 5. cùm præceſſerat, *Nolite confidere in Principibus*, ſequitur, *beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus.*

IDEM.

3. DOmine, quid eſt homo?] Ut ſuprà 8. 5. Vide ad 118. 84. dicta adde Job. 7. 17.

4. *Dies ejus ſicut umbra prætereunt*] Sapient. 2. 5. Σκιᾶς πάροδος ὁ βίος.

6. *Fulgura coruſcationem*] Mitte fulgura coruſca. Lxx. ἄστραψον ἀστραπήν. In vetere Onomaſtico, *Coruſcare*, ἀστράπτειν· & in Gloſſis, Ἀστραποειδής, *coruſcus.* Suprà 76. 19. *Illuxerunt coruſcationes tuæ.*

8. *Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis*] *Rapinas* (ut Proverb. 24. 2. *meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Dextera iniquitatis: repleta* (ut ſuprà 25. 10.) *muneribus.*

12. *Quorum filii ſicut novellæ plantationes in juventute ſua*] *In filiis* (ut Sirachid. 25. 10.) *jucundantur. Semen eorum* (ut Job. 21. 8.) *coram ipſis permanet, propinquorum & nepotum turba in conſpectu eorum.* In Gr. Pſalmi eſt, *ſicut novellæ plantati* (vel ſtabiliti) *in juventute ſua* florent *membris præviridantibus.*

——— Integer ævi
Sanguis adeſt, ſolidaque ſuo ſtant robore vires.

13. *Promptuaria eorum plena*] *A fructu* (ut 4. 8.) *frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt. Lavant* (ut Job. 29. 6.) *pedes ſuos butyro, & petra fundit illis rivos olei. Inebriantur*, &c. Pſal. 35. 9.

Ibid. *Eructantia ex hoc in illud*] *Tantum* (ibi) *frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias coacervatarum:* ut Senecæ verbis loquamur, 2. 29. de Beneficiis. *Ex hoc*, nempe latere, *in illud* latus: i. e. omni ex parte. Et ut ità hunc locum exponam facit alter ille Pſal. 74. 4. *Inclinavit* (calicem plenum) *ex hoc in illud*, nimirum latus: ubi Græci, ut & hoc loco, ἐκ τούτου (ſubaudi μέρους) εἰς τοῦτο.

14. *Oves eorum fœtoſæ*] Lxx. πολυτόκα.

Ibid. *Abundantes in egreſſibus ſuis*] Numeroſæ cùm in paſtum educuntur.

Ibid *Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitûs*] *Non accedit* (ut ſuprà 90. 10.) *ad eos malum, non appropinquat flagellum tabernaculis eorum. Vallantur* (ut Jobi 1. 10.) *per circuitum domus eorum, & univerſa ſubſtantia. Ruina maceriæ* eſt quod in Græco, Φραγμοῦ κατάπτωμα· ità in Gloſſario, *Ruina*, κατάπτωσις. Opponitur infrà 88. 41. *Deſtruxiſti ſepes ejus*, &c. *diripuerunt eum omnes tranſeuntes.*

Ibid. *Neque clamor in plateis eorum*] Ut ſolet in direptionibus Vide Eſai 15. 3. Jirm. 20. 16.

15. *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus*] Suprà 32. 12. infrà 145. 5. vide.

PSALM. CXLIV.

MUNSTERUS.

1. QUi docet manus meas ad prælium] Laudat Deum Propheta quòd eum liberavit ab infeſtatione hoſtili, ſuperioremque fecerit hoſtibus in prælio, robur & induſtriam ad devincendum hoſtes ſuppeditans.

5. *Inclina cælos tuos, & deſcende*] Sic oravit David cùm opem Dei imploraret contra in ſe ſævientes hoſtes.

9. *Deus, canticum novum cantabo*] Adjutus, inquit, à te, novo carmine celebrabo nomen tuum, nempe *quòd tu ſis qui ſalutem das Regibus*, &c.

12. *Ut ſint filii noſtri*] Precatur ut ſe regnante Dominus promiſſam felicitatem populo præſtet, nempe numeroſam ſobolem, pecora multa & fœcunda, frumenti abundantiam, incolumitatem & pacem, de qua promiſſiones habes Deut. 28. Comparat autem filios *elegantibus plantulis*, & filias *exornatis angulis palatii*, vel *templi.* Ornatus enim peculiariter eſt puellarum.

13. *Penuaria noſtra*] Kimhi exponit פאות הבית *angulos domûs*, ut ſit ſenſus, *Omnes anguli domûs ſint pleni variis ſpeciebus frumenti, ut ſpeciem miſceant cum ſpecie.* Sic זן Interpretatur pro מין, ſicut nos quoque vertimus. Alii verò vertunt *annonam.*

14. *Ad onus aſſueti*] h. e. Qui validi ſint ad agriculturam & trahenda plauſtra onerata. ¶ Portò per פרץ *interruptionem* quidam intelligunt urbis ab hoſte deſtructionem, alii ſterilitatem, quâ homines patriis ſedibus coguntur cedere.

VATABLUS.

1. BEnedictus Jehova rupes mea ברוך יהוה צורי] *Laudetur Jehova fortitudo mea:* vel, *Omni laude dignus.*

2. *Et arx mea; elevatio mea* ומצודתי משגבי] *Et munimentum meum, & arx mea.* Iiſdem nominibus uſus eſt & Pſal. 18. 2. & aliis locis. ¶ *Subdit* הרודד] *Expandit; ſternit.* Alii, *ſubjicit.*

3. *Et agnoſcis eum* ותדעהו] *Quòd cognoſcis eum*; vel, *ut agnoſcas eum:* i. e. curam illius agere digneris. ¶ *Et reputas eum* ותחשבהו] *Quòd cogites de eo?* vel, *ut cogites de eo?*

7. *Filiorum alienorum* בני נכר] Ad verb. *filiorum alieni*; pro, *alienorum:* i. e. eorum qui alienum Deum colunt.

8. *Loquitur* דבר] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Dextera mendax* ימין שקר

ימין שקר] Ad verb. *dextera mendacii*, i.e. quorum robur fallet eos.

10. *Qui dat* הנותן] Perſonæ mutatio, à ſecunda ad tertiam.

11. *Loquitur* דבר] Præt. Heb. pro præſ.

12. *Ut ſint filii noſtri* אשר בנינו] Ità quidam vertunt, ut ſit imprecatio. Alii, *Nam filii noſtri*, &c. q.d. Quod ad alia pertinet, res omnes aliæ noſtræ bene habent, tantùm nobis opus eſt ut nos liberes: nam filii à teneris diligenter exculti ſunt, & filiæ noſtræ formoſæ ſunt, ut lapides, &c. ¶ *Auctæ* מגודלים] *Adultæ*; *ſummâ curâ enutritæ*. ¶ *In adoleſcentia ſua* בנעוריהם] Plur. Heb. *in adoleſcentiis ſuis*. Alii, *in juventute ſua*. ¶ *Anguli exciſi* כזוית מחוטבות] *Anguli ornati*; vel *politi*: i.e. ut ſunt angulares lapides eleganter politi, ad ſimilitudinem lapidum quibus conſtruuntur palatia.

13. *Anguli noſtri pleni* מזוינו מלאים] Vox Hebræa ſignificat *angulos*: pro qua Interpretes vertunt, *Penuaria noſtra plena ſunt*; ſive *Cellæ noſtræ ſunt plenæ*. Hebræi pro *angulo domûs* accipiunt, exponentes, *In omni angulo domus eſt aliqua frugum ſpecies*. ¶ *Producentes de ſpecie ad ſpeciem* מפיקים מזן אל זן] Ad verb. *educentes*, [i.e. producentes, vel ſuppeditantes] *de genere ad genus*: h.e. varia genera annonæ. Alii intranſitivè vertunt, *exeuntes* [i.e. redundantes] *de ſpecie ad ſpeciem*: q.d. Præ frugum copia miſcent ſe ſpecies; nempe triticum avenæ miſcetur, aut hordeo, aut leguminibus quæ juxtà fuerint. ¶ *Parientes mille* מאליפות] Hebraïcè unica eſt dictio, q.d. *millenantes*. ¶ *Decem millia* מרובבות] Unicum eſt verbum Hebraïcum, quod ſignificat *quæ decies mille pariunt*: q.d. *parientes millenos & decem millia*; adeò ut ex illis repletæ ſint, vel repleantur plateæ noſtræ. Sive, *ad millenos & decem millia facientes fructum*. Chald. *parientes mille*, *multiplicantes decem millia*. Quidam vertunt hanc poſteriorem verſûs partem, *Greges noſtri millibus myriadibuſque aucti repleant vicos noſtros*. Vel, *millibus*, *imò myriadibus repleverunt plateas noſtras*.

14. *Onuſti* מסובלים] Sub. *ſint*, vel *ſunt carne*, i.e. pingues & craſſi. q.d. Boves noſtri fortes ſint, vel ſunt, & robuſti ad ferendum onus ſuum. Quidam vertunt, *Boves noſtri robuſti*, vel *onerarii*: i.e. ferendis oneribus idonei. Alii, *pingues ſint*. ¶ *Ruptura* פרץ] *Irruptio*, ſub. *hoſtis*: q.d. Summa ſit, vel eſt pax. ¶ *Qui egrediatur* יוצאת] *Egreſſus*, vel *emigratio*, ſub. *in captivitatem*. ¶ *Clamor* צוחה] Sub. *luctuoſus ob cladem ab hoſtibus acceptam*.

15. *Cujus Deus*, &c. שיהוה אלהיו] Ad verb. *cujus Jehova eſt Deus ejus*; altero relativo redundante.

CLARIUS.

LAudat Deum Propheta quòd eum liberarit ab infeſtatione hoſtili, ſuperioremque fecerit hoſtibus in prælio, robur & induſtriam ad devincendos hoſtes ſuppeditans.

3. *Quòd innotuiſti ei*] Heb. *quòd cognoviſti eum*.

5. *Domine, inclina cœlos*] Sic oravit David cum opem Dei imploraret contra hoſtes in ſe ſævientes, & videtur ſignificare terrificam tempeſtatem, de qua ratione opis Divinæ dictum eſt Pſal. 18.

9. *Deus, canticum novum cantabo*] Adjutus, inquit, à te novo carmine celebrabo nomen tuum, nempe *quòd tu ſis qui ſalutem das Regibus*, &c.

12. *Ut ſint filii noſtri*] Precatur ut ſe regnante Dominus promiſſam felicitatem populo præſtet, nempe numeroſam ſobolem, pecora multa & fœcunda, frumenti abundantiam, incolumitatem & pacem, de qua promiſſiones habes Deut. 28. Comparat autem filios *elegantibus plantulis*, & filias *exornatis palatiis ac templis*, vel *ſicut columnæ angulares ſummo ſtudio exornatæ*, quales in templis & Regum domibus conſpiciuntur.

13. *Eructantia ex hoc in illud*] Alius vertit, *& efferant de ſpecie in ſpeciem*. Sint, inquit, penuaria noſtra plena ſuppeditantia omnis generis annonam. Vel, *omnes anguli domûs ſint pleni variis ſpeciebus frumenti, ut ſpeciem miſceant cum ſpecie*. ¶ *Oves noſtræ*] Heb. *Oves noſtræ millia producant & decem millia in plateis noſtris*.

14. *Non ſit interruptio*] Intelligunt urbis ab hoſte deſtructionem: alii ſterilitatem, quâ homines patriis ſedibus coguntur cedere. Sunt qui ſic interpretentur, *Nihil eorum quæ noſtra ſunt aberret, nec ulla audiatur lamentabilis vox in plateis noſtris*.

LUCAS BRUG.

7. QUædam manuſcripta legunt *Et juſtitiam tuam exſultabunt*, Pariſienſium Ge. ar. & V. cum Haymone, & Brunone Carthuſianorum inſtitutore: quo modo & in Hilarii commentariis, & in textu Proſperi expoſitionibus addito, legitur, & eſt ſenſus, Juſtitiam tuam exſultando celebrabunt, ſicut & in 50. Pſalmo dicitur, *Exſultabit lingua mea juſtitiam tuam*. Pleraque verò exemplaria cùm ſcripta tum excuſa, cum Ludolpho & aliis, ſcribunt, *Et juſtitiâ tuâ exſultabunt*, id quod Auguſtinianæ enarrationi conſentanum, & Græcæ lectioni conforme eſt: *καὶ τῇ δικαιοσύνῃ σου ἀγαλλιάσονται* habent Græci codices. Senſus, præpoſitione additâ, patet; In juſtitia tua exſultabunt: quam præpoſitionem Latinum Hunnæi exemplar, V. notatum, & Græcum Apollinaris Pſalterium, expreſſere. Ex Hebræo utrovis licet modo transferre וצדקתך ירננו; רנן & *exſultare*, & *laudare*, *cantare* atque *clamare*, ſignificat. Habent nonnulli libri, *Et judicia tua exſultabunt*: ſed id mendum eſſe vix eſſe dubium poteſt. Certè in adjuncto Euthymii commentariis textu vitium eſt manifeſtum. Quidam Coloniæ impreſſus codex, *Et juſtitiâ tuâ eructabunt*, ſcribit, verbo proximè antecedenti repetito; qui error eſt apertus. Goticum manuſcriptum legit, *Et juſtitiam tuam exaltabunt*. Verùm Græca vox *ἀγαλλιάομαι*, *exſulto*, non *exalto*, propriè denotat. Facilè ſcriptor mutandum judicavit *exultabunt* cum *exaltabunt*, tum quòd ſibi invicem ſimillimæ ſint voces, tum quòd nonnullum ſit orationis incommodum.

DRUSIUS.

1. לדוד. Alii, *τῷ Δαυίδ*.

3. מה־אדם ותדעהו. Alius, *τί ἄνθρωπος, καὶ γνώσῃ αὐτόν;* Sym. - - - *γνωρίζεις αὐτόν; agnoſcis ipſum?*

4. אדם להבל דמה. Th. *Ἄνθρωπος ἀτμίδι ὡμοιώθη*, *Homo auræ aſſimilatus eſt*. Sym. *ἀτμῷ*, *vapori*.

5. הט־שמיך ותרד גע בהרים ויעשנו. Alius, *κλίναντός σου οὐρανοὺς καὶ καταβάντος καὶ ἀψαμένου τῶν ὀρέων, ἐκαπνίσθησαν*, *inclinante te cœlos & deſcendente ac tangente montes, in fumum evanuerunt*.

12. מגדלים. A. *μεμεγαλυμμένα*. Sym. *ηὐξημένα* *aucta*. ¶ מחטבות] כזוית. A. *ὡς ἐπιγώνια διεσκευασμένα*. Sym. . . . *κεκοσμημένα*, *ornata*.

14. אין פרץ ואין יוצאת ואין צוחה ברחבתינו. Sym. *οὐκ ἔστι διακοπή, οὔτε ἐκφορά, οὔτε κωκυτὸς ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῶν*, *non eſt interciſio, neque funeris elatio, neque ploratus in plateis eorum*. Alius, *ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν*, *in caſis eorum*] Theodoretus, *Sym. ſic dixit*, Nec percuſſio, nec funeris elatio, nec luctus in plateis eorum. *Sic etiam & alii Interpretes explanarunt.*

AMAMA.

1. צורי] *ὁ θεός μου*. Ch. תקפי.

2. *Ἔλεός μου, καταφυγή μου, ἀντιλήπτωρ μου, καὶ ῥύστης μου, καὶ ὑπερασπιστής μου, ἐπ' αὐτῷ ἤλπισα, ὑποτάσσων τὸν λαόν μου ὑπ' ἐμέ.*

הרודד עמי] *Qui expandit, extendit*, Metaph. *Qui ſternit, ſubſternit, ſubdit*, Maſſora ג׳ סבירים עמים tria ſunt quæ falsò creduntur legenda עמים. Falsò, quia quædam plur. terminantur in IM. Cætera duo ſunt 2 Sam. 22. 44. Thr. 3. 14.

Ut cognoſcas eum] i.e. Curam habeas. Proverb. Hoſ. 13 Joh. 13. Sic homo dicitur *noſcere Dominum quem* Joh. 1. *Mundus non cognovit eum*. Amos 3. 2. Ex. 1. *Qui non novit Joſephum*.

Cura tangit numinis] i.e. Qui Deum colit & timet. Deum non timet niſi qui pietati & bonis operibus ſtudet. Seneca id novit, *Deum colit qui novit*. Et Propheta *notitia Dei eſt facere judicium & juſtitiam*. Nuda enim notitia non eſt vera Notitia. Diaboli & Reprobi ſæpe magis illuminati ſunt ſcientia quam electi. Quod notabunt Studioſi SS. LL. Non tam laborandum ut doctiores quam ut meliores evadant. Ebræi eleganter, *Cujus ſapientia major eſt quam opera ejus, ejus ſapientia non erit ſtabilis*, & contra. Vide ſupra. Job. 18. talis eſt deſcriptio impii. Locus ejus qui non novit Deum. Jud. 2. *Donec ſurgeret ætas alia quæ non noverat Dominum ſed ſerviebant Baalibus*.

Deſcende] Vide in clavi in Aſc. Jeſ. 64. *O utinam Cœlos diſcindas* &c. Pſ. 7. & 68.

הבל] נשמת הפה *habitus oris*. Pſ. 91.

Sicut umbra tranſiens] Vel tranſeuntis ſc. avis viatoris. Malim, *avis* quæ velociter volat. Odyſſ. ρ.

Οὐ μὲν γάρ τι που ἐστὶν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς,
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Sicut umbra. Unde, *volat irrevoc. tempus*. Job. 7. 6. Comp. cum radio textoris. Facit ad abſterrendum à peccatis. Seneca. *Quicquid facies reſpice ad Mortem*. Syrach, *memento noviſſ.* &c. Et maximè ad pœnitentiam, *nullus ſalv. niſi pœn. at poſt vitam non eſt locus pœn. Cum ergo hora mortis ſit incerta, hodie, hodie*. R. E. Seneca, *Incertum eſt quo loco te mors ex. Quis*

ſcit

ſcit an adjiciat. Muſar, *non eſt reſipiſcentia poſt diem mortis.* Simile à viatico. Vide Apoph. Druſ. 18.

Tange, בְּרָקִים] i.e. *Percute.* Sic Pſ. 105. *Ne tangatis* בִּמְשִׁיחָי *unctos meos.* Zach. 2. 2. In Piel. Gen. 12. וַיְנַגַּע *& percuſſit Dominus Pharaonem plagis multis.* Unde נֶגַע *plaga*, & *plaga lepræ*, κατ' ἐξοχὴν.

Montes] Reges qui ſunt fortes ſicut montes.

Et fumabunt] i.e. Extinguentur, ut titio extinctus fumigat & candela.

Vel *Tange*, i.e. tange fulmine, ſidera, Cic. Catil. 3. *Tactus eſt ille qui hanc urbem condidit*, i.e. cœleſti igne ſideratus.

Fulgura fulgur] Immitte fulgur. Kimchi, בְּרָק עִם בָּרָק יָבֹא הַקֹּל ; Sic הוּא לְחוֹק הַזֶּה כַּצִּיץ כַּצִּיץ Jer. 12. 1. Et Jeſaiæ 42. 17. יֵבֹשׁוּ בֹשֶׁת. Videtur locutio gemina anadiploſi verborum, *videte videndo.* Nam Græci ptomiſcue illam locutionem vel per participium vel per nomen exprimunt.

Ch. נְצַח יַת וּשְׁבַב יַת כְּאוֹכְלִין דִּמְהַלְּכִין לְמִין כַּעִין

7. פְּצֵנִי] פצה eſt *aperire* Gen. 4. Jud. 11. verſ. 15. & 56. Et conſtr. cum פה *os.* At in Chald. eſt *liberare.* Quod habet aliquid apertionis, ut ſi quem liberes ex carcere vel compedibus. Nam tam ligatum quam clauſum Ebraicè dicitur *aperiri.* Pſ. 7. הַצִּילֵנִי Chald. פְּצָא יָתִי Math. 6. פצא *libera nos à malo.*

Ab aquis multis] i.e. Hoſtibus qui exprimuntur per aquas ob copiam & vehementiam, ſenſus, ab irrumpentibus torrentibus hominum malorum Pſ. 124. 4. *Tunc aquæ inundaſſent nos, torrens ſuperaſſet nos, torrens aquæ ſuperbiſſimæ.* Jer. 47. *Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone eruntque in torrentem exundabuntque terram.* Alias *aqua* ſimp. pro *calamit.* Pſ. 18. *Aſſumpſit me ex aquis multis.* Pſ. 66. *Tranſivimus per ignem & aquam.*

9. *Canticum novum.*] Aliud diverſum à prioribus. Vide Jun. Pſ. 33. 4. *Præceptum NOVUM.* Vide Druſ. p. 205. ad Lib. Judicum & Genebr. David. pag. 590. Sic Exod. 1. Marc. ult. Eſ. 62. *Appellaberis nomine novo*, at cap 65. in ſimili materia, *ſervos ſuos vocabit nomine alio.* Chriſtus in ultima cœna, *Non bibam amplius de genimine vitis donec bibam illud novum in regno Patris mei.* Hinc Joh. 13. 34. *Præceptum novum do vobis*, vid. de Charitate. Quomodo *novum.* Annon in Lege, *diliges prox. tuum ſicut te ipſum*? *Novum*, i.e. aliud diverſum à priori, quod erat de fugienda ambitione. At Beza, *novum*, *non quoad rem ipſam ſed novam tradendi obſervandique præcepti iſtius formulam.* Illud enim *ſicut dilexi vos*, longe expreſſius quid eſt quam ſicut teipſum.

נבל] Lxx. νέβελ, ψαλτήριον ὄργανον κιθάρα, ναβλὴ & ναυλὴ. עָשׂוֹר ſupple vau Pſ. 92. 4.

Quod ſi novum] i.e. Quod nunquam antiquabitur, quod ſemper durabit, vide Jun. Pſ. 33. 4. *Canticum novum.* Alii *novum*, ob novis vel de novis beneficiis. Alii *novum*, i.e. non vulgare, Virg. Ecl. 3.

Pollio & ipſe facit nova carmina.

12. אשר] *Ut filii noſtri.* De his verſibus magnæ contentionis funem ducit Genebrardus, non propter dogma aliquod quod vel ipſe ex ſua, vel nos ex noſtra verſione poſſimus exſculpere, ſed ideo tantum ut Vulgatæ verſioni & decreto Trident. ſua conſtet authoritas & æſtimium. Contendit itaque non poſſe hæc aliter accipi quam Mimeticè, ſub perſona impiorum, ut non ſit oratio Davidis ſed impiorum. Ac proinde optime feciſſe Interpretem quod Mimeſin Ebraïci contextus converterit in propriam & ſimplicem narrationem, ſic videlicet,

Quorum filii ſicut novæ plantationes, in juventute ſua.
Filiæ eorum compoſitæ, circum ornatæ ut ſimilitudo Templi.
Promptitudo eorum plena, Eructantia ex hoc in illud,
Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis boves eorum craſſæ.
Non eſt ruina maceriæ neque tranſitus, nec clamor in plateis eorum,
Beatum dixere populum cui hæc ſunt, (Imo) beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

Ebr. ergo dicit debere ſubint. לֵאמֹר *dicendo, quod filii noſtri* &c. ut אשר ſit continuat. Putatque hæc verba explicare, quænam ſit iſta vanitas, cujus præc. verſu meminit.

At Jun. & omnes Interpretes Euangelici, imò Pagn. quoque & Arias hæc exponunt tanquam votum ſeu petitionem qua pii petunt terreſtrem felicitatem circa tria, *prolem*, *pecudes & agros*, ut vid. expetant, *prolem lætam, pecudem lætam & ſegetes lætas.*

Kimchi, petit benedict. ſuper פְּרִי בֶטֶן, פְּרִי בְהֵמָה, פְּרִי אֲדָמָה.

Bellarminus quoque in eo diverſus abit à Geneb. quod agnoſcat Ebræi textus connexionem adverſari textui Latino.

Junius τὸ אֲשֶׁר accipit pro ut cum Pagn. ut denotet tertiam cauſam petitionis ſuæ Vid. *bonum populi.* Petitio eſt bimembris, ut perdat hoſtes & liberet ipſum. 1. Cauſa ab hoſtium improbitate. 2. à Prædic. gloriæ Dei. 3. Bonum populi ut pendeat אשר ab erue me verſ. præc. ubi eſt repetitio petitionis.

Piſc. Putat hos 3. verſus pendere à ſubintellecto תן *da, ut filii noſtri.* Hoc nos ſequemur.

Da ut filii noſtri ſint ſicut plantæ grandes factæ in p. ſ. filiæ enim ſint ſicut lapides antarii exciſi (in) ſtructura palatii.

Junius paululum diſcrepat, *ut filii noſtri ſicut plantæ & filiæ ſicut lapides* (ſint) *ſtructura templi*, i.e. ædificentur & coagmentati aſſurgant in T. Sanctum Domino.

Piſc. Interp. longè ſimplicior eſt, magiſque conveniens ut היכל ſig. *palatium* quam Templum, quia tempore Dav. necdum erat Templum.

In pueritia ſua] i.e. Tenera ætate. Eſt continuatio Metaphoræ ſeu allegoriæ. Multæ plantæ tarde adoleſcunt ſeu incrementa ſumunt, ſeu quod ſolum & terra ſit inidonea, ſeu quod tempeſtatibus aliiſque caſibus præpediantur: ſic pueri ſæpe lente adoleſcunt ob morbos aliaſque adverſitates, hoc non optat, ſed ut adoleſcant in ipſa pueritia.

כְּזָוִיֹּת] Th. זָוִית unde pl. fœm. hic & Zach. 9. 15. extans, nec alibi. Ch. & Syr. זויתא & זויא & Arab. *Zavija*, ſign. *angulum domus*, ſeu *lapides angulares*, quos Latini eleganter vocant, *Lapides antarios*, *frontatos* & Græc. διατόνους. Ger. *Eckſtein.* Belg. *Hoeckſteen.* τὸ *antarius* in Nomencl. Junii non extat. Sing. analogum eſſet זוית. K. פִּנּוֹת הַבַּיִת.

K. כפכלות היטב במלאכה דקה. Levigatæ benè opere ſubtili donec ob lævigationem & induſtriam omnes lapides anguli videantur eſſe unus lapis. Ita filiæ noſtræ ſint ornatæ nam Bell. Calv. & K. exponunt de nativitate, elegantia formæ, & membrorum compoſitione.

מְחֻטָּבוֹת] *Exciſi artificioſè, uitgehouwen.* Vel *inciſi behouwen, lævigati, dedolati*, ut æquabili proportione inter ſe reſpondeant. חטב propr. de *lignis* uſurpatur *cædere*, *putare*, *ligna.* Ut חצב propr. de *lapidibus.* Hic confund.

תַּבְנִית pro בָּנָה vel לְבַיִת vel אל הבנית. Malim enim *in ſtructuram.* בנה *ædificare*, *ſtruere.* Sign. & *exemplar*, *ſimilitudinem.*

Atque ita petit *lætam & pulcram prolem.* Pulcram non tam ornatu corporis quam animi, Kimchi, *ut plantæ feliciter creſcunt juxta aquas in loco pingui & fertili, ſic filii noſtri in pueritia ſua adoleſcunt in omni bono, in vera fide & operibus bonis.*

13. *De fructu terræ* מְזָוֵינוּ] Ab eodem th. *anguli*, K. פִּנַּת הַבַּיִת *anguli domus*, i.e. promptuaria, cellæ, penaria, quæ ſolent collocari in angulis. Cato vocat *Promptuarium.* Cic. *Cellam penariam*: Pl. *Cellam promptuariam*, & *armarium.* Gr. ταμεῖον, *Cella penaria* à *Penu.* *Penus* & *penu* dicitur *omne eſculentum & poculentum*, *voorraet*, *proviſie van koſt.*

מְפִיקִים] Kimchi מוציאי *educant, proferant.*

De alimento in alimentum] i.e. Juge alimentum, continuum alimentum Kimchi annotat *quoſdam ex. de ſpecie in ſpeciem*, i.e. omnis generis commeatum. Pro ſpecie author concord. & Pagn. Sic & 2 Chr. 16. 14. Sic in Chald. ſumitur ac ponitur pro Ebr. מין. Sic Dan. 3. 5. Si erit à זן erit ſyn. τῷ זנים. Hinc eſt זונה juxta quoſdam Joſ. 2. Vide Druſ.

מַאֲלִיפוֹת] *Millenis pariant.* Millificent ad verb. *millecuplantes.*

מְרֻבָּבוֹת] *Miriadibus auctæ* Junius. *Per myriadas multiplicatæ*, Piſc. *Parientes* 10. *Millia* Pagn. רבוא & רְבָבָה *mirias*, *decies mille.*

In Chortibus] *Chors* ſive *Cohors.* Junius in Nomencl. dicit eſſe *Gallinarium* ὀρνιθοβοσκεῖον, ubi Gallinæ ſaginantur. Sed Varro extendit paulum, *In urbana domo*, inquit, *quoque chortem facere poſſumus, in qua paſcere ciconias, grues, anſeres, gallinas, pavones & ſimilia dabitur ad uſus quotidianos.* Mart. *Raucæ Chortis aves.* Ovid.

Abſtulerat multas illa cohortis aves.

Hinc *cohortales Gallinæ*, quæ tali loco aluntur. Videturque *Cohors* vel *Chors* eſſe à *coercendo* vel *coarctando*, vel à χόρτος *ſeptum.* Erant enim loca *ſeptis* & *parietibus* circumdata. Necdum invenio pro *ovili.* Putem ergo melius retineri uſitatam vocis notionem, *in plateis noſtris*, i.e. in urbibus noſtris, per Syneed. ut *porta* pro *urbe.*

14. *Boves noſtri onuſti*] Jun. ſub. *Millenis pariant.* Piſc. *Ut boves noſtræ ſint fœtæ.* Bos eſt c. g. unde *Bos lactaria* Colum. *Een Melck-Koe.* Deut. 7. 13. ſub form. maſc. (אֲלָפִים) tribuitur *vaccis.* Kimchi duas tradit expoſ. 1. *Sint onuſta carne*, i.e. quod Junius, *præpingues*, ſic quoque Pagn. *onuſti carne.* 2. Sint *fortes & robuſti*, ut poſſint portare onera ſervitii ſui, ut poſſint arare & trahere currus &c.

Nulla irruptio, nulla eruptio] R. Abraham *nulla ruptura in muris noſtris*, פרץ *irruptio*, i.e. inquit Jun. *Nihil mali invadat nos & noſtra*, vel *nulla irruptio hoſtium*, *ad abigendas pecudes noſtras.* *Nulla eruptio*, ad verb. *nullum exiens*, *nihil boni evadat*, *omnia ſint jucunda.* Vel, *Non ſit exiens*, *pecus aliqua noſtra.*

ſtra. Kimch. פרץ *ſterilitas*, *orbitas*, quæ eſt *percuſſio*, *plaga*, 1 Chr. 13. *irrupit Deus irruptione in Uzam.* Verſ. ult. Genebr. ſic dividit, *Beatum dixere populum cui ſic eſt.* Hactenus Mimeſis Ebr. reducta in ſermonem proprium. Sequitur correctio Prophetæ, *Imo beatus populus cui Dominus Deus eſt.*

NB. Eſt hic ergo duplex felicitas, *terreſtris* & *ſpiritualis*, cujus *Dominus Deus* eſt.

Atque hoc eſt præcipuum arg. Genebrardi quod deſumit ex contradictione verſ. ultimi.

II. Arg. noſtrum ſenſum eſſe pinguem, carnalem Epicuræum. Reſpondet ipſi R. D. dum affert locum Deut. 28. 14. *Benedictus fructus ventris tui*, *Benedictus fructus terræ tuæ & fructus jumentorum tuorum fœtus boum & greges pecudum tuorum.* Deinde totus Pſ. 128. agit de felic. temporali. Et nos ſcimus hunc eſſe typum ſpiritualis felicitatis.

III. De אשר, quod dicit eſſe continuativam. At in Vulg. neceſſ. redundabit. Agnoſcit tamen aliq. poni pro *ut.* Et certe Hier. hîc vertit *Ut.* Poteſt & exponi per *Imo.* 1 Sam. 15. 20. אֲשֶׁר *certe audivi vocem Domini.*

GROTIUS.

ADverſus Goliath] In Hebræo non eſt; ſed fuit olim in Hexaplis, & eſt nunc in Græco quo utimur. Memoriam iſtius periculi hoc carmine poſtea celebravit David.

5. *Domine inclina cælos tuos*] Vide 2 Sam. 22. 10. quaſi dicat. Complana tibi viam.

13. *Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*] Sic Græci: *ἐκ τούτου εἰς τοῦτο* [*de hoc in hoc*,] id eſt, *de ſpecie in ſpeciem*, quomodo optimè hîc interpretantur Abeneſdra & David Kimchi. Chaldæus mavult *de anno in annum.* Pro illo *eructantia* in Hebræo eſt *emittentia*, ſive *de ſe edentia.*

PRICÆUS.

13. REgnum tuum, regnum omnium ſeculorum] Βασιλεὺς τῶν αἰώνων, 1 Tim. 1. 17. Vide quæ diximus ad Luc. 1. 33. ea, *τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.*

Ibid. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*] Paſtor Hermæ 2. 3. *Deus verax eſt in omni verbo, & non mendacium in ipſo.* Vide 2 Tim. 2. 13. & ibi annotata.

15. *Oculi omnium in te ſperant, Domine*] Oculi omnium animantium. Simplicius in cap. 38. Epicteti, *Φύσει οὐκ ἄνθρωποι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλογα ζῶα*, &c. *κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἕκαστον ἐπέστραπται πρὸς τὸν θεόν.* Vide ſuprà 108. 27.

Ibid. *Das illis eſcam in tempore opportuno*] Vide ſuprà 136. 25. & de illis *in tempore opportuno*, confer quæ ad Matth. 24. 47. & Luc. 12. 42. annotata.

IDEM.

3. MAgnitudinis ejus non eſt finis] Ut infrà 146. 5. *Sapientiæ ejus non eſt numerus.*

18. *Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum*] Suprà 85. 5. *Suavis tu, Domine, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te:* & 84. 10. *Prope timentes eum ſalutare ipſius.*

Ibid. *Omnibus invocantibus eum in veritate*] Non (ut 16. 1.) *in labiis doloſis.* Siraclid. 2. 13. *Protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.*

19. *Voluntatem timentium ſe faciet*] *Deſiderium ſuum juſtis dabitur*, Proverb. 10. 24. Judith. 16. 19. *Qui timent te, Domine, magni erunt apud te per omnia.*

PSALM. CXLV.

MUNSTERUS.

TItulus hujus Pſalmi eſt, *Laus*, quòd per totum Propheta canat laudes Dei, celebretque beneficia ejus, quæ largiſſima ſunt in omnes creaturas ejus. Incipit autem primus verſus ab Aleph, ſecundus à Beth, & ſic conſequenter ſervato per ſingulos verſus ordine Alphabeti.

14. *Omnes qui corruunt*] h. e. Qui periclitantur & caſui, i. e. morti, proximi ſunt. *Depreſſos* verò & *incurvos* vocat eos qui vel injuriis vel morbis ſunt preſſi.

20. *Cuſtodit Dominus omnes qui ipſum diligunt*] Conſolatur Propheta per hæc verba diligentes Deum, quòd quantæcunque incidant mala, ſe ità cuſtodiri Divinitus ut nihil ipſis poſſit nocere. Improborum autem felicitatem brevi ſempiternis cruciatibus commutandum, illis exterminatis.

VATABLUS.

1. LAus ipſius David תהלה לדוד] Hebraïſmus pro, *Pſalmus laudatorius compoſitus à Davide.* ¶ *Et benedicam nomini tuo* ואברכה שמך] *Et prædicabo nomen tuum.*

3. *Et laudabilis* ומהלל] *Et laudatus.* ¶ *Inveſtigatio* חקר] *Exploratio:* i. e. cujus magnitudo imperveſtigabilis eſt.

4. *Et fortitudines tuas annunciabunt* וגבורתיך יגידו] *Et potentias tuas commemorabunt:* i. e. egregia tua facinora.

5. *Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ* הדר כבוד הודך Hebraïſmus, pro, *Splendidam & glorioſam magnificentiam tuam.* ¶ *Et res mirabilium tuorum loquar* ודברי נפלאותיך אשיחה] *Atque geſta tua mirabilia meditabor.*

7. *Eructabunt* יביעו] *Effundent: effabuntur:* i. e. plenis buccis prædicabunt. ¶ *Vociferabuntur* ירננו] *Jubilabunt:* vel, *ovantes prædicabunt.*

8. *Tardus ad iraſcendum* ארך אפים] Ad verb. *longus furore.*

10. *Celebrat te* יודוך] *Celebrent te.* Futura Heb. pro præſ. etiam v. ſequenti.

12. *Fortitudines ejus* גבורתיו] *Potentias ejus.* Mutatio perſonæ, pro *tuas:* h. e. egregia geſta tua.

13. *Omnium ſeculorum* כל עולמים] i. e. Quod durat per omnia ſecula, & eſt ſempiternum. Verſus qui à litera נ inciperet, deeſt in Hebraïca & Chaldaïca ſcriptura: Græci autem Interpretes in ſuo codice habuerunt, cujus principium erat נאמן i. e. *Fidelis.*

14. *Suſtentat* סומך] *Fulcit.* Alii, *auxiliatur corruentibus:* ¶ *Incurvatos* הכפופים] i. e. Oppreſſos morbis, aut quavis oppreſſione.

15. *In te ſperat* אליך ישברו] Fut. Heb. pro præſ. i. e. ad te ſperantes reſpiciunt, ſive ſuſpiciunt.

16. Ad *voluntatem* רצון] i. e. Cibo gratis dato. Alii, *beneplacito.* Alii, *pro voluntate.* Alii, *deſiderio:* i. e. cibis optatis, & quos deſiderant. Quidam Hebræorum, *ſecundum voluntatem ſuam.* Alius, *quantum ſufficit.*

18. *In veritate* באמת] *In fide:* vel, *ex fide:* i. e. ex vera religione, & ex animo.

19. *Facit* יעשה] Futura Heb. pro præſentibus toto verſu.

20. *Diſperdet* ישמיד] *Devaſtabit: exterminabit.*

CLARIUS.

TItulus hujus Pſalmi eſt *Laudatio*, quòd per totum Propheta canat laudes Dei, celebretque beneficia ejus, quæ largiſſima ſunt in omnes creaturas ejus. Scriptus eſt autem Pſalmus per ordinem Alphabeti.

17. *Fidelis Dominus*] Hic verſus in Hebræo deeſt; & invenitur veteres Hebræos dixiſſe, tempore Meſſiæ hunc verſum, qui tum deerat, reponendum: quod cernimus factum.

19. *Voluntatem timentium ſe faciet*] Ingentem dignationem! ut illa Majeſtas polliceatur ſe voluntati eorum qui illam reveriti fuerint obſecuturam. Sed quo pacto id fit? Quando Deus omnia, quæcunque ſano conſilio optare quiſque deberet, præſtat, quæque majori utilitati ſint quàm poſcere quiſquam ſciret: id enim omnes tandem volumus, tametſi conſilia noſtra in quotidianis eventibus impediri interdum videantur.

DRUSIUS.

1. תְּהִלָּה לְדָוִד. A. *ὕμνησις τοῦ Δαυΐδ.* ¶ לְעוֹלָם וָעֶד. Alius, *εἰς τὸν αἰῶνα διηνεκῶς*, *in ſeculum continuá & perpetuá ſerie.*

3. חֵקֶר. Alius, *ἐξεύρεσις.*

5. הֲדַר כְּבוֹד הוֹדֶךָ וְדִבְרֵי נִפְלְאוֹתֶיךָ אָשִׂיחָה. Alius, *ὡραιότητα τοῦ ἐπαίνου σου καὶ τοὺς λόγους τῶν παραδόξων σου διηγήσονται.* Alius, *τὴν μεγαλοπρέπειαν τῆς δόξης τοῦ ἐπαίνου σου*, *magnificentiam gloriæ laudis tuæ*

6. וּגְדוּלָּתְךָ אֲסַפְּרֶנָּה. A. *καὶ μεγαλωσύνας σου διηγήσομαι αὐτάς.* Th. *καὶ τὴν μεγαλωσύνην σου διηγήσομαι αὐτήν.* Sym. --- *καταλέξω αὐτήν.* V. ed. *διηγησόμεθα.* VI. ed. *ἀριθμήσομεν.*

7. טוּבְךָ. Alius, *τῆς ἀγαθωσύνης σου.* ¶ וְצִדְקָתְךָ יְרַנֵּנוּ. Alius, *καὶ τὰς ἐλεημοσύνας σου εὐφημήσουσιν*, *& miſericordias tuas laudabunt.*

9. לַכֹּל. Alii, *τοῖς σύμπασιν.*

A M A M A.

HI ſex Pſ. ſequentes ſunt Encomiaſtici. Tanti hunc faciunt Rabbini ut dicant, eum qui quotidie ter hunc Pſ. legit, eum debere eſſe certum de vita altera. *Quod non intelligendum dicit* R. D. *de eo qui tantum lingua eum pronunciat, ſed qui id facit lingua, corde & ore.* Longe melius quam Papiſtæ qui vernacula ſacra defendunt. Miſericors cor requirit.

Eſt ſcriptus ordine Alph. præterquam quod non ſit Nun. Sp. S. non aſtringit ſe alphabetho. Sic Pſ. 34. omiſſa Vau, verſuſque ultimus fuit extra ordinem literarum.

1. *O Rex*] Κατ᾽ ἐξοχὴν, unde *Rex Regum* & *Rex magnus* vocatur. *Tu es Rex in veritate, cæteri ſunt Reges in vanitate.* Æthiopes *Deum* vocant *Amlech.* De cæteris Regibus uſurpant נגיש

4. *Generatio generationi* יְשַׁבַּח] *Laudabit, dilaudabit, laudibus commendabit.* Sim. Pſ. 19. *Dies diei & nox nocti annunciat ſcientiam.* Ubi Græci & Vulg. quoque νὺξ νυκτὶ ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ. Hic vero, *Generatio* & *generatio*, γενεὰ καὶ γενεά. Ac ſi eſſet ודור. Stare poteſt quoad ſenſum. Nam Gen. & Gen. i. e. ſingulæ generationes. Sic *Generatio ad generationem*, i. e. continuæ generationes. Sic *gratia ad gratiam*, continua gratia.

5. Tria ſynon. locutio ἐν παραλλήλῳ. Cuj. gemina eſt Eph. 1. 19. ὑπερβ. μέγεθος τῆς δυν. τῆς κράτος τῆς ἰσχύος αὐτῦ.

Jun. plur. vertit *omnimodam potentiam tuam.*

גדלותיך] וּגְדֻלָּתְךָ Sic eſt כְּתִיב i. e. ſi puncta addas convenientia גְּדוּלֹּתֶיךָ plurale. At קְרִי eſt גְּדֻלָּתְךָ remotis Vau & Jod. R.D. affert rationem Theol. hujus Grammaticæ obſervationis, Scribitur pluraliter, inquit, quia multa ſunt reſpectu accipientium. Ipſo effectu & ſenſu Dei beneficia ſunt multa. אֶלָּא הַכֹּל הֵם כְּאַחַת אֵצֶל הָאֵל יִתְבָּרַךְ at reſpectu Dei unum ſunt, ſicuti Deus eſt unus & ſimpliciſſimus actus. Attributa Dei abſolute conſiderata ſunt ipſa Dei eſſentia & per conſequens unum, at reſpective conſiderata, ſeu cum reſpectu ad diverſa objecta, numerantur multa, vel ſi accipiantur pro effectis ſunt multa.

7. רב חסד *amplitudinis*, non eſt Thoar ſed ſchem, inquit, K. nomen ſubſt. idem quod גֹּדֶל

9. *Super omnia opera ejus*] Non eſt abſ. inquit, Calvinus nec durum. Nam cum peccata noſtra totum Mundum involvant maledictioni, ubique locus eſt miſericord. Dei ut brutis quoque ſuccurrat. Zanch. de nat. Dei lib. 4. c. 4. qu. 4. Hinc K. docet non debere nos abuti creaturis aut perdere extra caſum neceſſ. caſus enumerat duos, 1. Victus, amictus. 2. Ad depellendas noxas, & damna quæ inferuntur.

Super opera ejus. Quidam *ſuper* comparative accipiunt, *majores omnibus operibus.* Jacob. 2. *Super exaltat miſericordia judicium*, vid. quoad effectus, non proprietatem & naturam. Juxta quam omnia attributa ſunt æque magna. R. S. Ex. 34. *Major eſt proprietas bonitatis Dei quam ultionis proportione unius ad* 500. Probat ex Decal. F. miſ. millibus, & viſitans in tertianos & quartanos. Videtur accepiſſe *Millia* pro 2000. nam *binarius* eſt primus pluralitatis, jam ut 4. ſe habent ad 2000. ita 2. ad 1000. ita 1. ad 500. At alii aliter etiam ad *Gehennam* extendunt, *Etiam erga damnatos ſupplicia damnatorum magis mitia ſunt quam ſcelerum atrocitas mereatur.* Sic Ebræi. Unde quæri poſſet, an illic Deus aliquid remittat de ſua juſtitia. Hoc Theol. linquo, an in reprobis damnatis quæri poſſunt aliqua divinæ miſericordiæ veſtigia.

Hic deſid. Nun. LXX. ſuppleverunt, Πιςὸς ὁ Κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτῦ. Ebr. נֶאֱמָן יהוה בְּכָל דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל מַעֲשָׂיו או פְּעָלָיו. Sic & Vulg. Lat. Sed exemplaria nulla hunc verſum in Ebr. habent. Si vel unum exemplar extaret, inclinarem excidiſſe. Sic Joſ. 21. verſ. 36. & 37. in multis exempl. Ebr. deſunt.

> *De tribu Ruben Boſor & ſuburbana ejus: & Jahaſa & ſuburbana ejus.*
> *Cademoth & ſuburb. ejus & Mephaath & ſuburb. ejus. Urbis* 4.

Hi verſ. non habentur in Maſſ. nec in Edit. Veneta poſt. nec in ea quam Buxtorf. edidit. In quibuſdam Edit. ponuntur in Marg. Maſſ. *Hic quidam codices interſerunt duos verſus, at in libris correctiſſ. & vetuſtiſſ. non invenimus eos.* Attamen Plant. eos edidit & in antiquo Ex. MS. Edit. Chald. reperiuntur, unde & Pag. & Jun. eos verterunt. Certe debent neceſſariò recipi, quia alias urbium ſumma confici non poteſt. Atqui de hoc verſu quid ſentiendum eſt. An dicemus excidiſſe. Ebræorum nullus id dicit, Kimchi non memorat Nun & neſcimus quare. At dicunt DD. noſtri omiſſam quod per eam expreſſa ſit extrema Iſraëlis Everſio Amoſ. 5. נפלה cecidit & non addet reſurgere virgo Iſraël, quâ mala ominatione ne quaſi contaminaret Pſ. hunc conſolatorium per εὐφημισμὸν tranſiliiſſe ac immediate tanquam ſolamen ſubjeciſſe, ſuſtentat Dominus omnes Nophelim cadentes, ut illud נופלים reſpiciat ad illud נפל quod erat in mente Davidis quodque inchoare debuiſſet verſ. omiſſum. Genebr. ait, Pſaltem concepto divinitus reprobationis Judæorum myſterio & agnitis de ea oraculis, voluiſſe quidem idem canere quod hoc verſu poſuere LXX. at perturbatum prætercurriſſe quoniam vellem, cogitabat, ne hæc fidelitas & conſtantia locum haberet & vim in rejectione mei populi. Atque ita dicit LXX. prophetico Sp. hunc verſum poſtea reſtituiſſe. Plane ut Aug. vult pro, *diebus* XL. eos poſuiſſe 3. Scil. LXX. non interpretationis ſervitute ſed prophetiæ authoritate, in verſ. SS. LL. verſati ſunt. Quæ opinio pernicioſiſſima eſt & Sp. S. ſibi ipſi facit contrarium.

Tempore ſuo] Id eſt, oportuno, nec enim refertur ad animalia. Sic Tempus non ſuum eſt tempus, intempeſtivo LXX. ἐν εὐκαιρίᾳ.

Aperis] Munifice, liberaliter, large, copioſe das. Contra, *contrahere manum, manus contracta. Tu das ipſis* בהשפעה

[רצון] Vulg. *benedictione.* Male, eſſet enim בְּרָכָה Melius *ex beneplacito*, ſc. tuo, *pro beneplacito tuo.* Vel ſic, *ſaturas beneplacito*, i. e. cibo qui ipſis placet, quo illi delectantur, cibo, ad quem cujuſque animantis natura aurigatur. Ut ſit Met. adj. Hoc voluit K. כָּל אֶחָד לְפִי רְצוֹנוֹ

18. *In veritate*] Id eſt, vere, ſerio, ex animo. Papinius Statius dixit, *bona fide.* Qui bonâ fide Deos colit, amat & ſacerdotes. Includit omnes conditiones bonæ precationis.

21. *Omnis Caro*] Omnis homo, ſed latius extendi poteſt. Beſtiæ enim ſuo modo laudant Deum. Sed Calv. repudiat eam extenſ. atque hanc dat regulam, *Ubicunque Caro ſine ſigno univerſ. non niſi ad homines refertur.* Non repugno. Hoc tantum moneo ne quis credat contrarium ſemper eſſe verum, ubi additur ſignum ibi extendi ad alia animantia. E. G. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem.* R. D. quoque reſtringit quia hæc accipit *de reſurrectione mortuorum.*

G R O T I U S.

EST alphabeticus per verſus ſingulos.

13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*] Ex Græco, πιςὸς Κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτῦ. Idem habent & Syrus & Arabs. Non eſt dubitandum quin verſus hic in Hebræis codicibus librariorum culpâ exciderit: nam deeſt verſus qui à litterâ Nun incipiat. Is autem fuerit:

> נאמן יהוה בדבריו וקדוש במעלליו.
> [*Fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.*]

Quomodo ad hoc reſpondebunt qui nos jubent per omnia Maſoretarum ſtare decretis?

P R I C Æ U S.

4. EXibit ſpiritus ejus, &c. *in illa die peribunt omnes cogitationes ejus*] Ἐν ταῖς πορείαις αὐτῦ (ut Jacob. 1. 11.) μαρανθήσεται· ad quem locum annotata vide. Adde quæ & ad Luc. 12. 20. attulimus.

6. *Qui fecit cœlum & terram; mare, & omnia quæ in iis ſunt*] De Eodem Paulus Act. 17. 24. Ὁ ποιήσας τὸν κόσμον, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ· ubi plura hanc in mentem notavimus.

I D E M.

8. DOminus ſolvit compeditos] Suprà 101. 21. In Gloſſario, Πεπεδημένος, *compeditus*, &c.

PSALM. CXLVI.

M U N S T E R U S.

3. IN *filio hominis*] h. e. Licèt ſint *Principes* & magni eſſe videantur, adhuc tamen ſunt *homines*, ſunt mortales, & qui ſeipſos in ſumma neceſſitate juvare non poſſunt, quantumlibet ſint divites & potentes, ſed nolint velint in uno momento *emigrat ſpiritus eorum, & tunc intereunt omnia ſtudia, inſtituta & conſilia eorum.* Sperandum igitur eſt in ſolum Deum, cujus potentia eſt ſumma, opes immenſæ, ſalus perpetua, *qui creator eſt*

cœli

cœli & terræ atque maris, & inconcuſsâ ſuâ *veritate* hæc omnia *cuſtodit* & conſervat. Ipſe *injuriam paſſos vindicat*, ipſe cunctis viventibus *cibum adminiſtrat*, *captivos vinculis eripit*, *morbis fractos erigit*, *advenæ*, *pupilli & viduæ tutor exſiſtit*, &c.

VATABLUS.

4. *Egreditur* תצא] Fut. Heb. pro præſentibus, *Emigrat ſpiritus ejus*, *revertitur in humum ſuam*: q. d. Homines ſunt mortales, & ſpiritum ſuum retinere non poſſunt; Deo illum repetenre, tunc omnia eorum inſtituta remanent infecta.

7. *Injuriâ affectis* לעשוקים] *Calumniam patientibus*: *oppreſſis*.

8. *Illuminat cæcos* פקח עורים] Ad verb. *aperit cæcos*: id eſt, oculos cœcorum.

9. *Sublevat* יעודד] *Evehit*, *attollit*, *exaltat*, *erigit*: Fut. Heb. pro præſ.

CASTALIO.

3. *Cui ſalus non eſt*] Nè ſe quidem, nedum alios ſervare poteſt.

CLARIUS.

3. *In filiis hominum*] Licèt ſint *Principes*, inquit, & magni eſſe videantur, adhuc tamen ſunt *homines*, ſunt mortales & qui ſeipſos in ſumma neceſſitate juvare non poſſunt; ſed velint nolint, *emigrat* uno momento *ſpiritus eorum*, *& tunc intereunt omnia ſtudia*, *inſtituta & conſilia eorum*. Spes igitur eſt in ſolo Deo collocanda, cujus potentia ſumma, opes immenſæ, ſalus perpetua, *qui creavit omnia*, & inconcuſsâ ſuâ *veritate cuſtodit* & ſervat. Ipſe *injuriam paſſos vindicat*, ipſe cunctis viventibus *cibum adminiſtrat*, *captivos vinculis eripit*, *morbis fractos erigit*, *advenam*, *pupillum*, *viduam tuetur*, *& peccatores* demum, qui ſe hic aliquid eſſe credunt, *diſperdit*.

DRUSIUS.

3. שֶׁאֵין לוֹ תְשׁוּעָה. Alius, τῷ οὐκ ἔχοντι σῶσαι, *qui non poteſt ſervare*.

4. יָשֻׁב. A. & Th. ἀποςρέφει, *revertitur*. ¶ אָבְדוּ. A. Sym. V. & VI. ἀπώλοντο. ¶ עֶשְׁתֹּנֹתָיו. Alius, αἱ προθέσεις ἀυτῦ.

8. פֹּקֵחַ. Alius, φωτίζει, *illuminat*] באיר.

AMAMA.

1. *Anima mea lauda D.*] Bell. accipit tanquam Dialogum. 1. All. animam, 2. Anima reſpondet. Deinde refert hæc ad vitam æternam, ita tamen ut admittat & alteram, de ſpatio hujus vitæ.

In vita mea] Nam poſt mortem non eſt memoria Dei ſc. quoad corpus Pſalm. 6. 6. *Non eſt in morte recordatio tui*. *Corpus anima caſſum* inquit K. *jacet & ſilet*, *anima volat ad Deum ipſumque æternum celebrat*. Videatur Apocal. Deinde in morte deſinit laus Dei quoad ſolennem & publicam prædicationem inter viventes.

בעודי Hinc Pſal. 20. 9. הִתְעוֹדֵד ὑπάρχω, *ſuperſtes ſum*

3. נְדִיבִים] Vide Pſal. 102.

Filio hominis] Simil. Jirm. 17. 5. *Maledictus qui ponit fidem in homine & ſtatuit carnem brachium ſuum*. Hoc exagitant Judæi, ajunt Chriſtum in Euang. vocari *Filium hominis*. Addo ego, *& carnem*, *verbum caro factum eſt*. Stultè ergo Chriſtiani in eo ſperant ſalutem, Pſ. dicit in iis non eſſe ſalutem, *Maledictos eſſe qui* &c.

Reſpondemus. Chriſtum eſſe quidem filium Hominis ſed & hominem ἀναμάρτητον; ſed eſſe etiam filium Dei. Si tantum eſſet filius hominis etſi purus, valeret argumentum. Similiter, eſt caro, ſed manſit Verbum. Sermo, λόγος increatus. Imò neceſſario hoc coguntur admittere ipſi Judæi, niſi velint Scripturam ſibi ipſi eſſe contrariam, Pſalm. 2. de Meſſia agit ipſis Ebræis teſtibus, atqui ibi dicitur, *Beati ſunt qui confidunt in eo*. Jirm. dicit eſſe *maledictos qui confidunt in homine*. Ergo Meſſias aut non eſt homo, aut ſimul etiam eſt Deus, Non dicent non eſſe hominem, Ergo agnoſcant etiam Deum, atque ita locus Jirm. retorquetur in ipſos, collatus vid. cum Pſal. 2. Sic ergo dicimus. In uno filio hominis eſſe ſalutem non tam quia filius hominis, quam quia ſimul quoque eſt Filius Dei, Non tam propter id quod ſuſcepit ex ſe i. e. humanam naturam, quam ob id quod ſervavit in ſe.

4. *Exit ſpiritus ejus*] R. D. Non poteſt ſuum ſpiritum ſuamque animam retinere, quominus migret ex corpore, hora fatali adveniente, quomodo ergo alios liberabit à morte. Si ne à morte corp. liberabit quemquam, quomodo à morte ſpirit.

Spiritus ejus] Anima. Sic in Coh. Pſ. & Euang. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*. Alibi videntur diſtingui. Dan. 3. 85. in hymno 3. puerorum, *Bened. Deo Spiritus & animæ juſtorum*. Sic 1 Theſ. 5. 23. *Spiritus veſter & anima & corpus veſtrum inculpatè conſerventur in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Sic paſſim Ebræi. Sed quid ſi in talibus (&) ſit exegeticum pro id eſt?

Et redit in terram ſuam] Quid? an Spiritus? Illud eſt contra Anal. fidei, atqui non poteſt aliud colligi ex verſionibus; in textu Ebr nulla eſt diff. Manifeſtè enim apparet non referri ad רוח nam רוח eſt gn.] fœm. idcoque conſtruebatur fœm. תֵּצֵא. Atqui יָשֻׁב eſt maſcul. Ergo referendum vel ad corpus ſubintellectum, vel ad totum hominem, & ponenda Synecdoche, revertetur ſc. is quoad corpus.

In terram ſuam] Ex qua ſumptus. Unde γηγενὴς in Triſmegiſto.

Cogitationes ejus] Principis. Vulg. *eorum*. Vid. *qui in Principibus ſperavêre*. עָשַׁת *nitidum eſſe*, Chad. *cogitare*, Dan. 6. 3. unde Jon. 1. 6. יִתְעַשֵּׁת Juxta quoſdam *cogitabit*.

6. *Omnia quæ in iis*] Quod alibi, *Et plenitudo eorum*. Vide Pſalm. 96. 98.

8. *Aperit cæcos*] i. e. Oculos cœcorum. R. D. 1. exp. *cæcos corporaliter*. 2. Metaph. *Cæcos præ calamitate*, *miſeria*. *Cæcos*, ergo, i. e. *calamitoſos*, *qui ſemper verſantur in tenebris*, i. e. rebus adverſis. Nam *tenebræ* pro *rebus adverſis*, ut *lux* pro *ſecundis*. Egregie Kimchi in comment. הַצָּרָה רוֹמָה לְחֹשֶׁךְ וְהַיְשׁוּעָה לְאוֹר Ergo ſenſus, *triſtes exhilaret*. In rebus adverſis *debilitantur vires* & *caligant oculi*, ut & *in fame*, unde *illuminare oculos* pro *refocillare cibo*, 1 Sam. & Proverb.

יְעוֹדֵד] *Statuminat*, *ſublevat*, יְשָׁעֵא Kimchi *conſervat*. Melius, *ſuſtentat*, *adhuc eſſe facit* à עוד

Regnabit] *Super omnia poſtquam fecerit judicium in valle Joſaphat*. Kimchi.

GROTIUS.

Alleluja] Hæc vox erat velut ſuſcitabulum cantantium in ſumma lætitia. Tobiæ 13. 22. Apocal. 19. 1. 3. 4. 6.

Aggæi & Zachariæ] Hoc quoque ex Græco. Et fuit in Hexaplis.

7. 8. *Domninus ſolvit compeditos*: *Dominus illuminat cæcos*: *Dominns erigit eliſos*] Mirè hæc congruunt in Chriſti tempora: nam *compediti* dicuntur qui morbis tenentur, Luc. 13. 16. Pro *eliſos* in Hebræo eſt *curvatos*, quales ſunt παραλυτικοὶ [*ſiderati*,] item, ἡ συγκύπτουσα [*illa inclinata*] Luc. 13. 11. & alii.

PRICÆUS.

4. *Et omnibus eis nomina vocat*] Hypallage, (ut & in Græco hic,) eas omnes nominibus vocat.

6. *Suſcipiens manſuetos Dominus*, *peccatores autem humilians*] Jacob. 4. 6. Prov. 3. 34.

8. *Qui operit cœlum nubibus*, *& parat terræ pluviam*] Heſychius, Νεφεληγερέτης, ὁ τὰς νεφέλας ἀγείρων, &c. ὁ τὰς ὄμβρους ποιῶν. Vide quæ diximus ad Act. 14. 17.

9 *Et (eſcam) pullis corvorum*] Id eſt, omni avitio. De re vide ad Matth. 6. 26. & ad Luc. 12. 24. dicta.

17. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut bucellas*] Vide Sirachid. 43. 21. quo loco *acumina* in Vulgato, non *cacumina*, ſcribendum monuimus ad Apulejum. *Cryſtallum*, glaciem. Gloſſarium, Κρύςαλλος, &c. *glacies*. *Bucella* hic in Gr. ψωμία. Ità *Buccella*, ψωμίον, invetere Onomaſtico.

Ibid. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*, &c. *emittet verbum ſuum*, *& liquefaciet ea*] Similia ſuprà 103. 29. 30. illa, *Auferes ſpiritum eorum*, *& deficient*, &c. *emittes ſpiritum tuum*, *& creabuntur*.

IDEM.

1. *Deo noſtro ſit jucunda decoraque laudatio*] In Gr. ἡδυνθείη αἴνεσις & huc pertinet Heſychii illud, Ἡδυνθείη, γλυκανθείη.

4. *Et omnibus eis (ſtellis) nomina vocat*] Καλεῖ (ut Joh. 10. 4.) κατ' ὄνομα. Eſt autem hîc Hypallage, qualis ſuprà 48. 12. illa, *vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*.

6. *Suſcipiens manſuetos Dominus*] Infrà 149. 4. *Exaltabit manſuetos in ſalutem*.

Ibid. *Et humilians peccatores*] Id eſt, ſuperbos. Proverb. 3. 32. *Abominatio Domini omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus:* & 34. *Illuſores deludet, & manſuetis gratiam dabit.* Adde Pſal. 36. 10, 11. & 14. 4. & quæ ad 4. 6. Jacobi annotata.

7. *Præcinite Domino*] Lxx. ἐξάρξατε. Heſychius, Ἐξάρξατε, προκατάρξατε, καταλέξατε.

Ibid. *Pſallite Deo in cithara*] *Laudate eum* (ut 150. 3.) *in pſalterio & cithara.*

9 *Et pullis corvorum*, &c.] Species pro genere.

10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*] Judith. 9. 16. *Neque in equorum viribus voluntas tua eſt.*

PSALM. CXLVII.

MUNSTERUS.

1. O*Ptabilis eſt laus*] Quidam putant נאוה eſſe paſſivum ab אוה *deſideravit, optavit:* alii putant derivari à נאוה, quod *pulcrum* & *decorum* ſignificat.

4. *Supputat numerum ſtellarum*] Hoc dicitur quod eâdem facilitate quâ ſtellas in cœlo diſperſas numerat, congregare poſſit diſperſos Iſraëlitas in captivitate Babylonica.

8. *Facitque germinare in montibus herbam*] Ut ſcilicet habeant beſtiæ ſilveſtres unde vivant. Vel, *pluviis fœcundos reddit montes*, nè degeneres ſint ab irriguis planitiebus. *Paſcet* & implumes *pullos corvorum cùm* derelictæ à matribus *clamant* in cœlum, Deuſque ex benignitate ſua audit crocitationem eorum veluti precem ad ſe fuſam: & quantò magis exaudiet populum ſuum ex fide ad ipſum clamantem?

13. *Confortavit vectes portarum tuarum*] Hortatur his verbis Jeroſolymitanos ut Deum collaudent, quòd reſtauraturus ſit civitatem eorum poſt captivitatem, & filiis eorum benedicturus, pacem & victualium abundantiam daturus.

15. *Ipſe mittit eloquium ſuum in terram*] Significatur per id, Felicitatem non diu differendam, quippe qui ſolo verbo quicquid vult ſubitò efficere poteſt. Id quod patet in *nive*, *pruina* & *grandine*, quam veluti buccellas ſubitò dejicit, & flante vento tepidiore rurſus diſſolvit.

16. *Annunciat verba ſua Jacob*] h. e. Præ cæteris nationibus dedit legem ſuam populo Iſraëlitico, &c.

VATABLUS.

1. D*Ecora eſt* נאוה] *Pulcra eſt*, à נאה Chaldaïco verbo, quod *pulcrum* & *decorum* ſignificat. Alii, ab אוה *deſideravit, optavit*, vertunt *optabilis, deſiderabilis*; ut ſcilicet dignè laudetur.

3. *Et alligat* ומחבש] *Velut faſciis*, ſcilicet more medici, aut chirurgi. Per tranſlationem dixit *alligat dolores:* quia dixerat *ſanat contritos corde.*

6. *Sublevat* מעודד] *Evehit, attollit.*

9. *Filius corvorum* לבני עורב] More Hebraïco *filios* pro *pullis* dixit.

10. *Voluntatem habet* יחפץ] Fut. Heb. pro præſ. *complacet ſibi, delectatur, amat.* ¶ *Delectatur* ירצה] Etiam Fut. Heb. pro præſ. *afficitur, voluntatem habet, beneplacitum eſt illi, complacet ſibi.*

11. *Diligit Jehova*, &c. רוצה יהוה את יראיו] *Complacet Jehova in his qui ipſum timent.* Alii, *Propenſo eſt affectu Jehova erga timentes ſe.*

13. *Roborat* חזק] Præterita Heb. pro præſ.

14. *Qui ponit terminum tuum pacem* השם גבולך שלום] Hebraïſmus, pro *Terminos tuos donat ſummâ pace.* Quidam ſubauditâ præpoſitione vertunt, *in pace.* ¶ *Adipe frumenti ſaturat te* חלב חטים ישביעך] *Medulloſo tritico ſatiat te*, i.e. optimo tritico. Tritici abundantiâ aliarum quoque rerum copia ſignificatur. Fut. Heb. pro præſ.

15. *Qui mittit* השולח] *Qui immittit:* vel, *demittit:* i.e. qui jubet terræ. ¶ *Celerrimè* עד מהרה] Ad verb. *uſque ad celeritatem:* i.e. ſummâ celeritate perficiuntur quæ jubet. Metaphora à curſoribus.

17. *Ut buccellas* כפתים] *Tanquam fruſta*, aut *fragmenta:* tunc enim guttæ pluviæ nimio frigore vertuntur in fruſta.

18. *Mittit* ישלח] Futura Heb. pro præſentibus. Hebraïſmus, *mittit verbum ſuum*, pro *jubet*, ſive *præcipit.*

20. *Et judicia*, &c. ומשפטים בל ידעום] Ad verb. *& judicia non noverunt ea:* i.e. & judicia quæ dedit eis, non noverunt ea gentes: h.e. non fecit eis nota, ſive manifeſtavit. Alii pronomen affixum verbo jungunt nomini, vertentes, *neque noverunt judicia eorum*, ſub. *Iſraëlitarum.*

CASTALIO.

15. C*Onfeſtim currunt ejus dicta*] Fiunt ejus juſſa.

17. *Jacit ſuam glaciem fruſtulatim*] Grandinem, quæ eſt aqua glaciata.

18. *Fluit aqua*] Liqueſcunt.

CLARIUS.

1. D*Eo noſtro ſit jucunda*] Vel ſic, *jucundus & gratioſiſſimus eſt, & ipſum maximè decet laus.*

4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum*] Hoc dicitur quòd eâdem facilitate quâ ſtellas in cœlo diſperſas numerat, *congregare* poſſit *diſperſos Iſraëlitas.* Quod verò ait, *Deum ſtellas ſingulas ſuis nominibus appellare*, ſignificat eum noſſe vim cujuſque earum: nam illud cujuſque rei duntaxat proprium nomen eſt quod ejus naturam exprimat. Et cùm dicitur *Adam impoſuiſſe nomina animalibus*, ſignificatur eum agnoviſſe cujuſque animalis naturam: quod nemini contigiſſe poſt eum credendum eſt ob corruptam poſtea naturam noſtram. Idcirco videtur Plato dixiſſe *exiſtimare ſe eam naturam quæ rebus nomina impoſuerit majorem fuiſſe homine.*

8. *Qui producit in montibus*] Ut ſcilicet habeant beſtiæ ſilveſtres unde vivant.

9. *Pullis cervorum*] Quo ſcilicet tempore à parentibus adhuc implumes deſtituuntur. *Quantò* igitur *magis paſcit nos puſillæ fidei?*

10. *Non in fortitudine equi*] *Fortitudinem equi nihil æſtimabit; nec quæ videntur eſſe fortia crura viri ad amorem invitabunt illum. Sed amat Dominus qui eum reverenter colunt, & qui ſpem ſuam ponunt in clementia ipſius.*

15. *Qui emittit eloquium ſuum terræ*] Significatur per id, eum ſolo verbo quicquid vult ſubitò efficere poſſe. Juſſu enim ejus decidit in terram pluvia, & ejus mandatis parent ſubitò omnia. *Tribuit nivem ſimilem lanæ, & pruinam tanquam cinerem diſpergit. Mittit fruſtatim grandinem ſimilem glaciei, tam frigidam ut nemo non horreat à frigore ipſius.* Rurſus *illo jubente*, Solis ardor *liquefacit* glaciem *illam*; *ſpirare facit ventum* quemcunque voluerit, *& producere pluviam.* Cernis unde occaſiones quærant viri ſancti laudandi Deum? & ſtupidi homines in tanta rerum copia excogitare neſciunt quicquam unde ſe gratos ex aliqua parte oſtendant.

19. *Annunciat verbum ſuum Jacob*] h. e. Præ cæteris nationibus dedit legem ſuam populo Iſraëlitico.

DRUSIUS.

1. הַלְלוּיָהּ כִּי־טוֹב זַמְּרָה. Sym. *Halleluja, quia bonum eſt canticum.* Th. *Laudate Ja*---] *Quia bonum eſt canticum*; Sic eſt apud interp. Euthymii. In Theodoreteis verò habetur, *quoniam bonus eſt Pſalmus*, ὅτι ἀγαθὸς ψαλμός. ¶ *Laudate Ja*] Αἰνεῖτε Ἰά. Eſt autem unum ex nominibus Dei. Theodoretus Quæſt. 2. 15. in Exodum, Καλοῦσι δὲ αὐτὸ (loquitur de nomine tetragrammo) Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰά. *Jabe*, i.e. יהוה, aliis punctis vocalibus, & mutatione *V* in *B.* Ἰὰ autem, i. יה, nomen contractum ex יהוה. Sed יה non eſt tetragrammon. Puto igitur Theodoretum ſcripſiſſe Ἰαὼ, i. יהוה. Vide ſis Euſebium Ἀποδείξ. 10. Cæterùm in Commentariis qui inter opera Hieronymi pro *Laudate Ja* reperio Αἰνεῖτε Θεὸν, i. e. *Laudate Deum.*

2. בּוֹנֵה. Sym. οἰκοδομήσει, *ædificabit.* ¶ נִדְחֵי. Idem, τοὺς ἐξωσμένους, *expulſos.*

3. לִשְׁבוּרֵי. Idem, τοὺς κεκλασμένους, *fractos.* ¶ לְעַצְּבוֹתָם. Alius, τὰ κατεαγμένα.

4. לְכֻלָּם שֵׁמוֹת יִקְרָא. Alius, τοῖς πᾶσιν ὀνόματα καλῶν, *omnibus nomina imponens.* Alius, πάντας αὐτοὺς ὀνόμασι καλέσει, *omnes illos nominatim appellat.*

6. מְעוֹדֵד. Sym. ἀνακτώμενος, *recuperans.*

7. עֱנוּ. Alius, καταλέξατε. ¶ בְכִנּוֹר. Alius, διὰ λύρας.

8. חָצִיר. Οἱ λοιποὶ, χόρτον καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων.

10. יֶחְפָּץ. A. βούλεται, *vult.* Sym. εὐδοκεῖται. Th. V. & VI. θελήσει, *volet.*

11. אֶת־הַמְיַחֲלִים לְחַסְדּוֹ. Alius, τοῖς ἀναμένουσι τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *iis qui exſpectant miſericordiam ejus.*

12. הַלְלִי אֱלֹהַיִךְ. A. ὕμνει Θεόν σου, *hymnis celebra Deum tuum.*

tuum. Sym. αἴνει τὸν Θεόν σε, *lauda Deum tuum.* Th. ὕμνει τὸν Θεόν σε.

16. כַּפּוֹר. Alius, δρόσον πεπηγμένην, *rorem concretum.*

17. לִפְנֵי קָרָתוֹ מִי יַעֲמֹד. Alius, εἰς πρόσωπον ψύχες τίς σήσεται; *coram frigore quis ſtet?*

18. דְּבָרוֹ. A. ῥῆμα αὐτȣ̃. Th. & VI. ed. τὸν λόγον αὐτȣ̃. V. ed. λόγον αὐτȣ̃, *ſermonem ſuum.*

19. חֻקָּיו. Alius, ἀκριβασμὸς. Alius, προςάγματα, *præcepta.*

20. לֹא־עָשָׂה כֵן. Alius, ȣ̓κ ἐποίησεν ὅμοια, *non fecit ſimilia*, vel *talia.*

A M A M A.

E*Xpulſos Iſraël*] Τȣ̀ς ἐξωσμένȣς, Symm. τȣ̀ς ἐν διασπορᾷ, Lxx. τὰς διασπορὰς τȣ̃ Ἰσραήλ.

NB. Judæi habuêre *unam Metropolim* τῆς θρησκείας, i.e. religionis vid. Jeruſalem. At τῆς πολιτείας *tres* habuêre *Metropoles*, *Jeruſalem*, *Babylonem* & *Alexandriam.* Qui habitarunt *in Palæſtina*, habuêre Metropolin *Jeruſalem* & vocantur ἑβραῖοι, Act. 6. 1. Cæteri qui habitarunt *extra Palæſtinam* vocantur οἱ ἐν διασπορᾷ, & ſimpl. διασπορὰ, *diſperſio*, i.e. diſperſi, ut *circumciſio*, *Electio.* Jac. 1. 1. ταῖς δώδεκα Φυλαῖς ταῖς ἐν διασπορᾷ. *Duæ* autem erant *diſperſiones*, *Aſiana* & *Europæa.* *Aſianæ Metropolis* fuit *Babylon*, ad quam ſcribit *Petrus ex Babylone* Epiſt. 1. cap. 1. verſ. 1. ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις τῆς διασπορᾶς πόντȣ, καππαδοκίας, Ἀσίας. *Europæa*, cujus Metrop. *Alexandria*, Joh. 7. 35. μὴ εἰς διασπορὰν τῶν ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, *Judæi Aſianæ* διασποραῖ in ſuis Synagogis alebantur. *Thargum Oncelos Judæi* qui attributi fuere *Metropoli Jeroſolymitanæ*, utebantur *Thargum Jeroſolymitano.* At *Judæi* διασποραῖ *Europææ* utebantur verſione *Lxx. Interp.* Ideoque dicti ἑλληνίςαι quod uterentur lingua græcâ, illud enim eſt ἑλληνίζειν non vetò, habitare in Græcia. Atque hinc *lingua Helleniſtica*, i.e. Ebræo-Græca, Ebræa quoad Phraſin, Græca quoad voces & Grammaticam.

Qui numerat ſtellas] Sic Gen. 17. Job. 25. At præter 7. Planetas Aſtronomi poſuere 48. aſteriſmos ſeu ſidera ſeu ſiderationes, ſingulisque ſuas ſtellas aſſignarunt. Ex. Gr. Urſæ majori tribuunt, 27. ſtellas & 8. informes. Unde facile computus poſſet initi. Veteres numerarunt 1122. Albo ſerm. 3. aut ut Aben-Ezra 1022. quem numerum quoque citat Metius, quemque puto ex illius calculo reſultare. Qui perſpicilla illa nova invenerunt, mera referunt de via lactea. Itaque Kimchi ait eſſe *innumerabiles ſtellas parvas* quæ à nobis conſpici non poſſunt, quæque lucem nullam præbent, *nec enim omnes*, inquit, *creatæ ſunt ad lucendum*, *ſed & quædam ad dominandum & influendum.* Ebræi multum tribuunt influxibus, unde ajunt אין לך כל עשב ועשב מלמטה שאין לו מזל מלמעלה *Non eſt ulla herba infra*, *quæ non habeat ſuam ſtellam ſupra.*

Lxx. Καὶ πᾶσιν αὐτοῖς ὀνόματα καλῶν. Alii, καὶ πάντας αὐτȣ̀ς ὀνομαςὶ καλέσει.

Omnes vocat nominibus] Nominat imperat cuique. Alii, *novit uniuſcujuſque vires & proprietates*, *nam creavit eas.* Sapiens ὀνομοθέτης ſolet nomen imponere ex natura rei.

6. מְעוֹדֵד ἀναλαμβάνων πραεῖς. Alii, ἀνακτώμενος, recuperans. VII. ἐξάρξατε, *incipite*, Alii, καταλέξατε.

9. *Filiis corvorum.*] Albertus de hiſtoria animalium narrat pullos corvorum, qui albi ſunt, tanquam ſpurios deſeri à parentibus immani ἀςοργίᾳ. Tunc Deum ex ſtercoribus eorum producere vermiculos qui ſponte ſua ſe ingerant in roſtra eorum. Job. 38. 41. *Quis dat corvo eſcam cum nati ejus ad Deum clamant?* Luc. 12. 24.

10. Hoc vult, in ſalvandis & beneficio afficiendis hominibus non attendit ad potentiam equorum, quos habent, nec ad curſus velocitatem quâ vigent, ſub quibus omnia humana præſidia complectitur, ſed ad interiorem animi pietatem. *Equo* tribuitur *fortitudo* Job. 39. 19. Frequens uſus eorum in bellis & firmiſſimum præſidium, unde in equitatu & curribus præcipua fiducia. Pſ. 20. 8. *Hi in equis, hi in curru, nos vero nomen Domini noſtri memorabimus.* Amos 2. 15. *Velox pedibus non liberabit neque aſcenſor equi liberabit animam ſuam.*

R. David, non ſic intellige quaſi Deus non delectetur robore equi quod dedit ipſi, ſed ita, non delectatur homine, qui fiduciam collocat in eo & in velocitate pedum ſuorum.

לֹא יִרְצֶה] *Non accepta habet*, *non acceptat*, *acquieſcet.*

In tibiis] שוק *tibia*, *crus.* Jud. 15. *Percuſſit eos plaga magna* שוק על ירך *tibia ſuper femur.* Vide Cenſ. noſtram. Aug. & Hil. legunt, *in tabernaculis viri.*

12. *Lauda Jeruſalem.*] Hic apud Lat. & Gr. incipit Pſ. novus qui ipſis 147. Hic enim in quo verſamur qui incipit Halelujah ipſis eſt 146. Credo hoc ab iis factum ut compleretur numerus 150. Pſalmorum. Si enim ita perrexiſſent numerare ad finem Pſ. ultimus noſter fuiſſet ipſis 149. Nam à 9. adhunc uſque ſemper fuit diverſitas in numerando, & Græci & Latina ſemper unitate minores ſunt. Ex. Gr. quia nobis 22. ipſis eſt 21. qui nobis Pſ. 119. Ipſis eſt 118. qui nobis eſt 117. ipſis eſt 116.

Cauſa hujus diverſ. eſt quod Pſ. 9. & 10. ab ipſis in unum ſit conflatus, habeturque pro uno Pſ. vid. 9. Unde ſequens Pſ. nobis 11. ipſis neceſſario fuit 10. & ſic porro. Eſt tamen alia quædam adhuc numeri interruptio, quæ tamen cito redigitur in ordinem. Nam Græci & Latini Pſalmum nobis 115. jungunt cum 114 atque ita dico iſti Pſ. conſtituunt Pſalmum Græcis 113. Hinc fit ut ſequens noſter 116. *Dilexi quoniam exaudivit me*, ipſis ſit 114. ubi binario numero diſcrepant à nobis. Sed mox redeunt ad priſcam differentiam, nam Pſ. iſtum dividunt in duos, & ab iſto verſu, *Credidi ideo locutus ſum*, inchoant novum Pſalmum, qui ipſis eſt 115.

13. *Filiis tuis*] Id eſt, civibus tuis.

14. *Ponit pacem termino tuo*] Id eſt, Dat. nota Enallage horum verborum.

Adipe tritici orum] Id eſt, præſtantiſſimo tritico. חלב ponitur pro *optimo & præſtantiſſimo alicujus rei*, pro *præſtantia cujuſque rei.* Latini ſic utuntur *Flos*, *flos veteris Vini*, *flos juvenum.* Num. 18. 12. *Omnem adipem olei*, ad. muſti & frumenti רֵאשִׁיתָם, eſt Exegeſis, nam & ראשית ponitur pro *præſtantiſſimo in ſuo genere* Deut. 32. 14. memoratur חֵלֶב כִּלְיוֹת חִטָּה, i.e. tritico optimo & craſſo, cujus genicula exuberant formâ renibus perſimili.

15. Per *ſermonem* & *verbum* intelligit *mandatum.* Sic, *decem verba*, i.e. præcepta, unde δεκάλογος. & Ebr. עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *Docet Dei nutu & imperio omnia regi.* Totus naturæ curſus nihil aliud eſt quam *mandatorum Dei emiſſio & executio.*

16. *Ut lanam*] Sc. albam. Sic Jeſ. 1. Eſt enim & *lana nigra*, Hor.

Nigræ lanarum nullum colorem imbibunt,
Neque amiſſos colores Lana refert medicata fuco.

Id eſt, Lana ſemel tincta non recipit iterum priſtinum colorem. Dicimus τὸ εἶρος εἴριον & ἔριον. Lxx. διδόντος χιόνα αὐτȣ̃ ὡσεὶ ἔριον ut lanam. Hinc Poëtæ Græci veteres *nivem* vocant ὕδωρ ἐριῶδες, *aquam lanatam* ſeu *lanarem*, quod ei quaſi lana inſit: vel potius quod flocci nivis ſimiles ſint. Floccis lanæ albæ colore, levitate, & forma. Euſtath. ad περιήγησιν Dionyſii, τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀςείως οἱ παλαιοὶ Φασὶ, τȣ̃ σοΦȣ̃ βασιλέως Δαβὶδ ἀΦορμὴν διδόντος αὐτοῖς ὅτε εἴπῃ διδόντος, &c. Mart. Epig. lib. 4. Ep. 3.

Aſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæſaris inque ſinum.

Vellus aquarum, i.e. nix. Dicitque tacitarum, quod nix cadens non eum ſonum edat, quem pluvia. Sic Pind. mutuatus eſt illud σκιὰν θανάτȣ ex Davidis צַלְמָוֶת. Sic Mercurius ſua fere omnia ex Moſe & S. L. Sic Homerus, Heſiodus quampl. vide Capelli vindicias.

Alii hanc ſimilitud. referunt ad effecta, ut lana & vellera corpus calefaciunt & fovent, ita nix etſi ſit frigidiſſima tamen terram calefacit & fovet & fœcundat. Dum enim halitus & expirationes terræ cohibet, conciliat ei calorem internum, atque italætat, i.e. fœcundat ſegetes, inquit, Poëta.

Pruinam] Differt à nive, ut pluvia à rore. *Nix* eſt *pluvia concreta*, Pruina concretus ros, Gelu matutini temporis, *rijm rijpe.* Ut vapor in aquam mutatus, priuſquam aſcendat altius, ros dicitur, ita conglaciatus, pruina.

Projicit קַרְחוֹ *grandinem*] Non *glaciem.* Ea enim projicitur ſupernè. קרח *glabrare ſe*, *calvitium ſibi inducere*, קֵרֵחַ *Calvus*, Φαλακρὸς. קָרְחָה *Calvitium*, קַרַחַת *calvitiis.* Hinc קֶרַח *glacies* & קרח & *grando*, quod terram gramine, plantas foliis dejectis q. glabret. קַרְחוֹ à קר Dicimus קר & קַר & קָרָה. Hinc מְקֵרָה *refrigeratio* עֲלִיַּת מְקֵרָה *cœnaculum æſtivum* Jud. 3.

Et liquefacit ea] Id melius quadrat gelu quam grandini itaque hoc movere poſſit ut vertatur ſupra *glaciem.* Itaque oportebit ibi exponere יַשְׁלֵךְ *mittit.*

G R O T I U S.

2. **Æ***Dificans Jeruſalem*, *diſperſiones Iſraëlis congregabit*] Optimè congruit in tempora Nehemiæ.

10. *Nec in tibiis viri beneplacitum erat ei*] Non curat celeres curſores.

P R I C Æ U S.

5. **V***Elociter currit ſermo ejus*] Ipſum quod incipit velle, ſtatim, quaſi pridem præcepiſſet, non moratur creaturæ obſequium. Suprà heic 118. 90. *Omnia ſerviunt tibi.*

7. *Mittit cryſtallum ſuam*, &c.] Job. 37. 10. *Deo concreſcit gelu.*

Ibid. *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?*] E converſo apud Virgilium,

——— *Solemque potentem:*

ubi Servius, *Gravem*, *intolerabilem*.

PSALM. CXLVIII.

MUNSTERUS.

1. DE *cœlis*] h. e. Vos, Angeli, qui eſtis de natura cœleſti, & qui agitis in ſupernis, expertes corporeæ molis.

4. *Cœli cœlorum*] Sunt apud Hebræos qui per *cœlos cœlorum* intelligunt השמים אשר תחת השמים i. e. *cœlos qui ſunt ſub cœlis*, h. e. regionem ignis & aëris. Deſcendit enim Propheta à ſupremis cœlis, obſervato ordine naturæ, uſque ad terram, cujus paulò poſt meminit.

7. *Laudete Dominum de terra*] h. e. *Vos qui eſtis terreni*, & habitatis atque vivitis in terra, ſed & *dracones* ſive *immanes belluæ atque omnia maria*, & quicquid in eis continetur, *laudate Dominum*.

8. *Ignis*] Per *ignem* intelligit hic tonitrua, fulgura & fulmina, quæ naſcuntur in aëre proximo terræ: & per *vaporem* intelliguntur exhalationes ſiccæ, unde generantur venti & flatus. Quod autem omnia condita hîc ad laudem Dei invitantur, quorum multa & ratione & voce carent, magis nobis in exemplum proponuntur, utpote quæ faciunt id ad quod inſtituta ſunt, oſtendendo miris operationibus ſuis incredibilem Dei ſapientiam, potentiam & bonitatem, quæ tam mirificè relucent in eis. Nos igitur hîc præcipuè invitamur ut conſideremus magnificentiam Creatoris in creaturis, & aſſurgamus in laudem Dei.

VATABLUS.

3. LUminis אור] *Lucis*, i. e. lucidæ: Hebraïſmus.

6. *Et ſtare fecit ea* ויעמידם] *Et conſtituit ea*: vel *ſtabilivit*. ¶ *Et non præteribit* ולא יעבור] Non delebitur, non abrogabitur, non ceſſabit. Sic hoc verbo uſus eſt Matthæus 24. 35. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*

8. *Ignis* אש] *Ignem* pro *fulminibus* & *fulgetris* poſuit. ¶ *Ventus turbinis* רוח סערה] *Spiritus procellæ*, i. e. ventus procelloſus.

13. *Gloria ejus* הודו] *Magnificentia ejus*, *celebritas*, *dignitas*.

14. *Et extulit cornu populo ſuo* וירם קרן לעמו] *Et attollet* [vel, *exaltabit*] *cornu populi ſui*. *Cornu* ſignificat vires, robur, virtutem. q. d. Reſtituet vires populo ſuo. ¶ *Laus omnibus*, &c. תהלה וג] *Laus* decet *omnes pios ejus*, *atque filios Iſraël*, *populum illi propinquum*. Vel, *laus* erit *omnibus ſanctis ejus*, *filiis Iſraël*, *populo appropinquanti ei*. Affixum pronomen pro ſeparato, i. e. qui accedit ad eum, & ejus cultui addictus eſt.

CASTALIO.

4. HUnc *aqua laudate cœleſtes*] Pluviæ.

CLARIUS.

1. DE *cœlis*] h. e. Vos, Angeli, qui eſtis è natura cœleſti, & qui agitis in ſupernis, expertes corporeæ molis.

4. *Cœli cœlorum*] Sunt apud Hebræos qui per *cœlos cœlorum* intelligant cœlos qui ſunt ſub cœlis, h. e. regionem Ignis & Aëris. Deſcendit enim Propheta à ſupremis Cœlis obſervato ordine naturæ, uſque ad Terram, cujus paulò pòſt meminit. Idem intelligunt de eo quod ſequitur, *& aquæ quæ ſuper cœlos ſunt*.

7. *Laudate Dominum de terra*] h. e. *Vos* qui habitatis & vivitis *in terra*, ſed & *dracones* ſive *immanes belluæ*, *atque omnia maria*, & quicquid in eis continetur, *laudate Dominum*.

8. *Ignis*] Per *ignem* intelligit hic tonitrua, fulgura & fulmina, quæ naſcuntur in aëre proximo terræ: & per *vaporem* intelliguntur exhalationes ſiccæ, unde generantur venti & flatus. ¶ *Spiritus procellarum*] Ventus turbinem excitans.

DRUSIUS.

2. כָּל־צְבָאָו. Sym. πᾶσαι αἱ ϛρατιαὶ αὐτοῦ, *omnes copiæ ipſius*.

3. הַלְלוּהוּ כָּל־כּוֹכְבֵי אוֹר. Sym. *Laudate eum omnes ſtellæ luminis*] Sic etiam cæteri. Vide Theodoretum. In ed. Rom. *Alius*, ἀϛέρες φωτὸς *ſtellæ luminis*, i. e. luminoſæ, lucidæ.

6. וַיַּעֲמִידֵם לָעַד לְעוֹלָם. Alius, ἔϛησεν αὐτὰ διαμένειν αἰωνίως, *ſtatuit ea ut manerent æternum*.

8. רוּחַ סְעָרָה. Alius, ἄνεμος καταιγίδος, *ventus turbinis*. Alius, τυφῶνες, *typhones*.

11. וְכָל־לְאֻמִּים. Alius, πάντα φῦλα, *omnes gentes*.

12. בַּחוּרִים. Alius, ἐκλεκτοὶ, *electi*.

13. כִּי־נִשְׂגָּב. Alius, ὅτι ὑπερέχον. ¶ הודו. Alius, καὶ ὁ ὕμνος αὐτῶ, *& hymnus ipſius*.

14. תְּהִלָּה. Alius, ἔπαινος, *laus*.

AMAMA.

KImchi ait, hic memorari omnes creaturas, & initium fieri בְּעֹלָם הגדול finirique בְּעֹלָם הַקָּטֹן Alii intell. *mundum ſuperiorem* quem vocet *mundum M.* & *inferiorem* quem vocet *parvum*. Ego per *mund. minorem* intelligo, *Microcoſmum hominem*.

1. מִן השמ, *qui eſtis de cœlo*] i. e. Cœleſtes vel cœleſtia. Sic, *panis è cœlo*, i. e. cœleſtis.

2. *Angeli ejus*] Supernales. Ebr. diſtinguunt inter *angelos ſupernales* & *infernales*. *Infernales* ſunt. *Prophetæ*, Hag. 1. 13. *Et dixit Aggæus*, מלאך יהוה. Malach. 2. 7. *quia angelus Domini exercituum eſt*. Sic Jud. 2. 1. *aſcendit angelus è Galgal*. *Supernales* non aſcendunt ſed deſcendunt ad nos. Moſes, *Miſit angelum ſuum & eduxit eos ex Ægypto*. Inter ſupernales iterum diſc. Omnes creati præter unum, qui angelus fœd. Magn. conſ. Increatus.

Inanimata & bruta laudant Deum per Proſopopœian, vid. ſecundum naturæ ſuæ ſubſiſtentiam effectus, vires, motus, proprietates.

צְבָאָיו] Lxx. Δυνάμεις αὐτῶ: Vulg. *Virtutes*. Intelligit *ſtellas*, nam angelos jam dixit. Alias & ang. & ſtellas comprendit.

3. Jam ad Planetas, ex quibus duos nominat ſpeciatim. *Solem* & *Lunam*, quæ vocantur *luminaria magna*, cæteros quinque compr. ſub. כּוֹכְבֵי אור Ita Kimchi. *Iſti enim* inquit *magis lucent quam ea quæ in* 8. *orbe ſunt*, *utpote qui propiores ſunt terræ*.

כּוֹכְבֵי אור] Vulg. *Stellæ & lumen*. Lxx. τὰ ἄϛρα καὶ τὸ φῶς. Legere כוכב ואור

4. *Cœlum Cœlorum*] Non cœli cœlorum. Kimchi, *ſupremum cœlum*, ut *Rex regum*. עולם הנשמות *mundus animarum*. Vide Cenſuram noſtrum ad Deut.

Vulg. *Cœlum cœli*] Jun. *Cœli cœlorum*. Non *cœlum cœlorum*. *Aquæ quæ ſupra cœlos*, i. e. Infimam aëris Regionem.

5. *Et creata ſunt*] Ergo etiam angeli. Etſi non conſtet quo die. Nam in Gen. nulla mentio. Unde Veteres credidere, *Angelos diu ante cœlum & terram creatos*. Vide Cenſ.

6. *Decretum*,] Legem ſtatam & fixam.

7. *Terreſtria*] Creaturæ terreſtres.

Abyſſi] Aquatilia animantia, τὰ νηκτὰ, quæ Levit. 11. vocantur שֶׁרֶץ הַמַּיִם

Draconus] תַּנִּין in plur. תנינים & תַּנִּים Mich. 1. Job. 30. & תַּנּוֹת Mal. 1. Eſt *draco ſerpens magnus* ſeu fuerit *marinus* ſive *terreſtris* ſive *amphibios*. *Marinus* eſt *cete*, *thynnus balæna*. Tribuitur iis vox flebilis Mich. 1. unde quidam exponunt Jud. 11. לְתַנּוֹת ad plangendum. Vide Cenſ.

8. קִיטוֹר] *Exhalatio*, ἀναθυμίασις, קָטַר *ſuffire*. *Suffumigare*. Lxx. κρύϛαλλος, *glacies*. à קְטַר *conſtringere* Chald. eſt enim *aqua conſtricta*.

Ventum turbinis] Vide Pſalm. 104. 4.

רֶמֶשׂ] Τὰ ἑρπετὰ· *Reptilia*, alii *calcatilia*, quæ elevatis pedibus incedunt, ut שרץ ſit reptile quicquid trahit ſe quaſi & repit, R. Sal. *quod non multum ſuper terram elevatur*. Malo ſic, ut שרץ ſit generale ad ea quæ dixit R. Sal. eaque diſtingui *in reptilia aquatica*, νηκτὰ, *terreſtria*, quæ ſpec. vocantur רֶמֶשׂ & *volatilia* quæ Lev. 11. 10. vocantur שֶׁרֶץ הָעוֹף

צפור כנף. Pſal 78. עוֹף כָּנָף. Prov. 1. בַּעַל כָּנָף. Ennius, *genus pennis condecoratum*.

GROTIUS.

4. AQuæ *omnes quæ ſupra cœlos ſunt*] Nam etiam aër hic infimus *cœlum* Hebræis.. Vide Gen. 1. 7.

5. *Ipſe mandavit & creata ſunt*] Omnia quæ jam nominata ſunt. Etiam Angeli: contrà quàm ſentiunt Rabbini quidam. Ideo in Nicæna Synodo additum eſt: *Creatorem viſibilium & inviſibilium*.

PRICÆUS.

9. L*Igna fructifera*] *Arbores pomiferâ ſobole fœcundæ*, ut loquitur Apulejus. In Græco, ξύλα καρποφόρα. 1 Maccab. 14. 8. Ἡ γῆ ἐδίδυ τὰ γεννήματα αὐτῆς, καὶ τὰ ξύλα τῶν πεδίων τὸν καρπὸν αὐτῶν.

IDEM.

6. S*Tatuit ea in æternum*] Legem ſingulis initio dedit ad finem uſque permanſuram.

Ibid. *Præceptum poſuit, & non præteribit*] Non irritum reddet, non evacuabit. Lxx. ὐ παρελεύσεται. Heſychius (fortè eò reſpiciens,) Παρελεύσεται, &c. παρέλθῃ.

10. *Beſtiæ, & univerſa pecora*] Beſtiæ ſunt *urſi*, *pantheræ*, &c. l. 2. ff. ad leg. Aquil.

Ibid. *Et volucres pennatæ*] Ità & ſuprà 77. 27. ſunt enim multæ pennatæ, non volucres.

13. *Quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius*] *Exaltatum* hîc eſt altum, vel excelſum.

14. *Populo appropinquanti ſibi*] Ità ſuprà 31. 9. *qui non approximant ad te*: id eſt, per metonymîam, qui te non amant.

PSALM. CXLIX.

MUNSTERUS.

AGit hic Pſalmus de reſtitutione Iſraëlis ex captivitate, invitatque ob novum Dei beneficium ad novum carmen, ut nè quidem *in cubilibus ſuis* ceſſent à laudibus Dei, qui populum abjectum & diſperſum iterum in unum *congregavit* & ſibi adoptavit, concedens etiam eidem magnificas contra hoſtes victorias, ut pugnarint feliciter aſſiſtente Deo, *gladios utrinque exacutos in manibus tenentes*, & *ultionem in gentibus* incredulis *facientes*, ſecundùm quod Deut. 32. de hoc ſententia à Deo fuit lata & à Propheta conſcripta, *Cùm acuero gladium meum*, *reddam ultionem hoſtibus meis*, &c. Hanc autem vindictam putant factam ſub Machabæis, quando Reges & populi à Jehudæis fuerunt devicti & in eorum poteſtatem redacti. Hæc autem omnia umbra fuerunt eorum quæ poſtea facta ſunt ſub Chriſto, cujus fideles Miniſtri armis ſpiritualibus mundum oppugnare cœperunt, & felices triumphos reportaverunt, vincentes Reges & nationes, & Chriſti Euangelio ſubjicientes.

VATABLUS.

1. M*Iſericordium* חסידים] *Piorum*; *benignorum*; *ſanctorum.*

3. *In choro* במחול] *Chorum* ſignificare videtur præſertim Exod. 32. 19. Significare etiam *fiſtulam* vel *tibiam*, ex Ex. 15. 20. Judic. 11. 34. & 21. 22. ac aliis locis, ſatis liquet.

4. *Complacet ſibi* רוצה] *Beneplacet ſibi*; i.e. maximè amat populum ſuum. ¶ *Glorificabit* יפאר] Fut. Heb. pro præſ. *ornat*; i.e. nam id honoris exhibet manſuetis ut eos dignetur ope ſuâ.

5. *In gloria* בכבוד] *De gloria*; i.e. ob gloriam liberationis. Alii, *in decore.* ¶ *Exſultabunt in cubilibus ſuis* ירננו על משכבותם] *Jubilabunt ſuper cubilibus ſuis.* Alii, *ovabunt de cubilibus ſuis*: i.e. de alta quiete & tranquillitate ſolida.

6. *Exaltationes* רוממות] i.e. Summæ laudes: q.d. De magnificis factis Dei ſemper loquuntur. ¶ *Anceps* פיפיות] Ad verb. *duarum acierum*, i.e. utrinque incidens. Sing. pro plur. q.d. Invictam potentiam adepti ſunt.

7. *Increpationes* תוכחות] *Caſtigationes.*

8. *Ad alligandum* לאסר] *Ut vinciant.* ¶ *Et nobiles eorum* ונכבדיהם] *Et proceres eorum*; *dignitate pollentes*; *magnates.*

9. *Ad faciendum in eos judicium ſcriptum* לעשות בהם משפט כתוב] Hebraïſmus, pro, *ut ſumant de eis pœnas juxta ſcriptum Legis.*

CLARIUS.

AGit hic Pſalmus de reſtitutione Iſraëlis ex captivitate: invitatque ob novum Dei beneficium ad novum carmen, ut nè *in cubilibus* quidem *ſuis* ceſſent à laudibus.

6. *Gladii ancipites*] *Utrinque acuti.* Ait Deum conceſſiſſe illis magnificas contra hoſtes victorias.

9. *Judicium conſcriptum*] h. c. Præſcriptum à Deo Deut. 32. *Cùm acuero*, inquit, *gladium meum*, *reddam ultionem hoſtibus meis* &c. Hæc autem omnia umbra fuerunt eorum quæ poſtea facta ſunt ſub Chriſto, cujus fideles Miniſtri armis ſpiritualibus mundum oppugnarunt, & felices triumphos retulerunt victis Regibus, & ſubactis Chriſti Euangelio nationibus.

LUCAS BRUG.

9. SEptimus, octavus & nonus hujus Pſalmi verſus, qui de exercenda in Dei adverſarios vindicta loquuntur, ambiguè cùm in Hebræo tum in Græco ſcripti ſunt, ità ut & ſingulari & plurali numero verti poſſint, ut vel ad Deum vel ad ſanctos Dei miniſtros referantur. לעשות נקמה τῦ ποιῆσαι ἐκδίκησιν. לאסר מלכיהם τῦ δῆσαι τὺς βασιλεῖς αὐτῶν. לעשות בהם משפט τῦ ποιῆσαι ἐν αὐτοῖς κρῖμα. Chaldæus Paraph. eâdem ubique ambiguitate tranſtulit. Latinus noſter Interpres priores duos verſus dubio ſimiliter ſermone reddidit. *Ad faciendam vindictam. Ad alligandos Reges eorum.* Tertium verò non ipſe quidem dubiè interpretatus eſt, ſed dubiè codices legunt. Quidam enim *ut faciat in iis judicium*, alii *ut faciant in eis judicium*, ſcribunt. Nos quidem nullum invenire potuimus codicem qui *ut faciat* ſcriberet: ſed Reverendiſſimum Dominum Lindanum veriſimile eſt reperiſſe: neque enim contra unanimem exemplarium conſenſum Pſalterium correxiſſet, *Ut faciat in eis judicium.* Hoc autem modo, numero inquam ſingulari, Euthymius Græcus Enarrator tum iſtud tum præcedentia intelligit. Sic ferè & Græcus Poëta Apollinaris reddit carmine. Latini verò Tractatores, quotquot videre licuit, priora quidem exponunt, tertium autem planiùs & legunt & exponunt; plurali numero Arnobius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Haymo, Remigius, & cæteri, quibus inter Græcos Chryſoſtomus & Theodoritus adſtipulari videntur. Plerique etiam Latini ex Hebræo Interpretes eodem multitudinis numero tranſtulere, Hieronymus, Pratenſis, Campenſis, Flaminius, & alii. Pagninus dubia dubiè interpretatus eſt. Cæterùm eodèm redit ſive hoc, ſive illo transferatur modo. Deus enim per ſanctos hoc exercere judicium intelligitur: & ſancti non niſi operante Deo, cujus exaltationes in gutture eorum, has referre victorias intelligendi ſunt. Quòd ſi ea in tranſlatione quæ ſingularem habet numerum *gladium* placeat ſubaudire (eſt enim Hebraïcè, *Et gladius anceps in manibus eorum*) nec illud aliter intelligendum erit quàm quòd per gladium hæc patraturi ſint ſancti. Græci & Latini multitudinis numero legunt, *Et gladii ancipites in manibus eorum.* Itaque *eorum* in ſequentibus verſibus, pluralis quidem numerus, ad *gladios* referri poteſt; ſingularis verò non commodè: ſed quocunque fiat modo, eodèm ſententia redit. Miratus ſum Caſſiodori commentarium exponentem, quòd bis acutus gladius Reges compedibus liget, & vincula ferrea nobilibus injiciat. An, *Et gladius anceps in manibus eorum*, ſingulari numero legerit; an ex plurali ſingularem ſubaudiendo repetiverit; an quid aliud adſit, non ſatis colligere poſſim: hoc ſaltem, quod maximè ad nos ſpectat, patet, *Ut faciant in eis judicium* ab ipſo lectum.

DRUSIUS.

6. רוֹמְמוֹת אל. Alius, ὑμνολογίαι.

9. מִשְׁפָּט כָּתוּב. Alius, κρῖμα γεγραμμένον, *judicium perſcriptum.* Sym. κρίσιν γεγραμμένην.

AMAMA.

N*Ovum*] Vide Pſ. 144.

בִּקְהַל] Ἐν συναγωγῇ. Lxx. Ἐκκλησίᾳ, *in Eccleſiâ ſanctorum.* Contra Papiſtas. Vide alibi.

בְּעֹשָׂיו] Ratione *terminationis* τῦ Elohim Job. 32. Eſ. 54. & cap. 44. 1. & 14. Joſ. 24. 19. Deus קְדֹשִׁים Gen. 35. 7. Elohim נִגְלוּ

5. בְמָחוֹל] Vulg. *in choro.* Id eſt, cœtu gaudentium & ſaltantium: vel, *in tibia*, nam & hoc vox Ebr. ſign. à חלל *perforari.*

בְּתוֹף Vulg. *Tympanum*, quod eſt inſtrumentum utrinque membranâ clauſum, quod bacillo feritur תוף *Thuppo*, *Thumpo*, *Thumpanum.* Sed videtur aliud fuiſſe Inſtrumentum Muſicum תָּפְתֶּה Eſ. 30. Hinc תֹּפֶת Epith. *Vallis Gehennom*, quod ibi tympana pulſarentur, ne parentes exaudirent ululatus infantium. Utraque vox traducta ad locum damnatorum. Nam in N. T. ex Thalmudiſmo infernus vocatur *Gehenna.* Ob cruciatus & ob ignem perpetuum, perpetuumque fœtorem. Nam & Joſijas ut profa-

profanaret locum iſtum, ſordes, *cadavera* &c. eò curavit projici atque ne ea ſuo fœtore aërem inficerent accendit ibi ignem perpetuum.

פיפיות] *Duorum orum. Gladius anceps.* ῥομφαία δίστομος. Apoc. 1. 17. & 2. 12. & Ebr. 4. 12. Dicunt & ἀμφίστομος.

Ante vocem רוממות ſub. שירות.

Increpat] Pœnas, ſupplicia. Sic contrà *Vires facere* pro *ardenter invitare.* Jud. 13. 15. עצר vertunt per βιάζειν. Sic Gen 33. & 19. 3. פצר pro *ardenter inſtare.* Sic Luc. 24. παραβιάζεσθαι. Sic Luc. 14. ἀνάγκασον εἰσελθεῖν.

זקים] זְקַק in Chald. *ligare*, *vincire.*

Jus ſcriptum] R. D. ſolet ſententiam recitari *in ſcripto.* Vel *ſcriptum*, *in Moſe & Prophetis.* Imò *antiquiore Moſe*, *Enocho.* Vide Epiſt. Judæ.

GROTIUS.

8. AD *alligandos Reges in eorum compedibus*] Ut factum Adonibeſeco, Jud. 1. 7.

9. *Ut faciant in eis judicium conſcriptum*] Similitudo ſumta ex ſententiis quæ deſcriptæ recitari ſolebant. Deus *deſcribere* dicitur quod decernit. Judæ 4. Apocal. 13. 8. 20. 15.

PRICÆUS.

8. AD *alligandos Reges eorum in compedibus*] Ovidius, vel (ut alii) Pedo Albinovanus,

Aſpiciam Regum liventia colla catenis;

Elegiâ ad Liviam. Vide Pſal. 2. 9.

IDEM.

2. I*Neo qui fecit eum*] Suprà 99. 3. *Ipſe fecit nos.*

5. *Lætabuntur in cubilibus ſuis*] Dum in ſtratis Dei opera magnifica in mente volvunt. Diverſum ſuprà 4. 5. *in cubilibus compungi.*

7. *Increpationes in populis*] Opprobrium, confuſionem.

8. *In manicis ferreis*] Simile 2. 9. in virga ferrea regere Lxx. hic, ἐν χειροπέδαις. In Gloſſario, Χειρόδεσμος, *manica*, *copula.*

9. *Ut faciat in eis judicium conſcriptum*] Judicium pridem in mente ſtatutum. Jobus 13. 26. *ſcribis contra me amaritudines*: id eſt, amara judicia.

PSALM. CL.

MUNSTERUS.

1. IN *ſanctitate ejus*] Intelligitur hic per *ſanctitatem*, ſacrarium Dei cœleſte, non illud quod in monte Zijon habebatur, ubi intra Sanctorum ſanctum Arca Dei continebatur. Unde & altera hujus verſiculi particula habet, *Laudate eum in firmamento potentiæ ejus*, i. e. ubi potentia ejus & fortitudo viſenda electis apertè exhibetur.

6. *Omnis ſpiritus*] i. e. Quicquid ſpirat, ſonare debet laudem Dei, à quo tanta accepimus beneficia.

VATABLUS.

1. IN *ſanctitate ejus* אל בקדשו] *In ſancto ejus*; vel, *in ſacrario ejus*, i. e. in Templo; aut vos, Angeli, qui verſamini ſemper in cœlo. ¶ *In firmamento* ברקיע] *In expanſo*: i. e. vos, homines, qui continemini ejus firmamento, in quo ejus potentia relucet.

2. *In fortitudinibus ejus* בגבורותיו] *Propter fortitudines ejus*: i. e. ob egregia facinora ejus. ¶ *Secundùm multitudinem*, &c. כרוב גדלו] *Juxta excellentem magnitudinem ejus.* Alii, *pro eximia magnitudine ejus.* Alii, *pro amplitudine magnitudinis ejus.*

5. *Sonoris* שמע] Ad verb. *auditus*; vel *auditionis*: i. e. ſonoris, vel canoris.

CLARIUS.

1. IN *ſanctis ejus*] *In ſanctuario ejus*, vel, *in ſanctitate ejus.* Et intelligitur ſacrarium Dei cœleſte, non illud quod in monte Sion habebatur, ubi intra Sanctum ſanctorum Arca Dei continebatur: unde & altera hujus verſiculi particula habet, *Laudate eum in firmamento virtutis* (vel *potentiæ*) *ejus*, i. e. ubi potentia ejus & fortitudo viſenda electis apertè exhibetur.

2. *In virtutibus*] Vel *propter fortitudinem ejus.*

6. *Omnis ſpiritus*] Quicquid ſpirat, inquit, ſonare debet laudem Dei, à quo tam ingentia accipimus beneficia.

DRUSIUS.

1. בְּקָדְשׁוֹ. A. ἐν ἡγιασμένῳ αὐτοῦ. Sym. ἐν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, *in ſancto ſuo.* ¶ עֻזּוֹ. A. κράτους αὐτοῦ, *roboris ejus.* Sym. τῷ ἀκαθαιρέτῳ αὐτοῦ, *inexpugnabili ejus*] In Theodoreteis, *Sym. autem ſic Laudate eum in firmamento inexpugnabili ejus.*

2. בִּגְבוּרֹתָיו. Alius, διὰ τῶν δυναστειῶν αὐτοῦ, *per virtutes ejus.*

3. בְּתֵקַע שׁוֹפָר. Sym. δι' ἤχου κερατίνης, *per ſonum corneæ buccinæ* ¶ בְּנֵבֶל וְכִנּוֹר. A. ἐν ναυλῷ καὶ λύρᾳ, *nablio & lyrâ.* Alius, διὰ ναύλας καὶ λύρας.

4. בְּמִנִּים וְעֻגָב. Alius, διὰ χορδῶν καὶ κιθάρας.

5. תְרוּעָה. Sym. σημασίας.

6. כֹּל הַנְּשָׁמָה. Alius, πᾶσα ἀναπνοή.

AMAMA.

R. D. ait hic eſſe 13. laudes reſpondentes 13. Middoth quibus hunc mundum gubernat.

בְּקָדְשׁוֹ] Lxx. Ἐν ἁγίοις αὐτοῦ. Benè, ſi bene intelligatur. Nam in Epiſt. ad Ebr. τὰ ἅγια pro τὸ ἅγιον, ut δεξιὰ pro δεξιᾷ, αἰῶνες. &c. Erit ergo Dat. ab abſoluto τὰ ἁγιὰ, non ἅγιοι. Hinc Latinus, *in ſanctis ejus.* Quod eodem modo intelligendum, aut non convenit cum Ebræo. Veteres Interpretes verſione hâc decepti ad Sanctorum invocationem retulêre. q. d. *Laudate Sanctos ejus*, & ſic *laudate Dominum.* Hoc eſt quod volunt Papiſtæ, per laudes Sanctorum tantum abeſſe ut contumelia afficiatur Deus, ut contrà laudetur. Caſſiod. *in ſanctis ejus*, qui glorificati, ſine fine laudant Deum. An de Sanct. invocat. accipiat ex figmento ejus quod citatur in Gl. Ordin. non percipio. At Lyra bene expoſuit per *Sancta* hic intelligi *primam partem Templi.* Sed alii per *Sanctuarium* ſeu *ſanctitatem* intelligunt *Cœlum*, quod vocatur קֹדֶשׁ. Ergo alloquitur Angelos & beatas animas. Alii, *propter* vel *de Sanctitate ejus.*

קדש pro מקדש Sanctuarium Pſ. 20. 3. *Mittat auxilium tibi* מקדש *& ex Tzijon fulciat te.* Alii *Tabernaculum*, alii *Cœlum* intelligunt.

In Sanctis ejus] Aug. *utique in iis quos glorificavit.*

בִּרְקִיעַ עֻזּוֹ] *In expanſo robuſto, ſolido ejus.* Intelligit Cœlum empyreum ſeu locum Spirituum. De רָקִיעַ in Cenſura. Lyra, vocatur *firmamentum* eò quod immobile ac firmum eſt. Nihil tale in Ebræo.

Jun. *De expanſo laudato ejus.* עז pro *laude* Pſ. 8. Pſ. 96. 7.

2. *In fortitudine*] i. e. Propter potentias ejus, i. e. Potentia facta & res geſtas. Vel, omnimodam potentiam ejus. Vulg. *In virtutibus ejus.* Ubi Virtus accipitur quidem congruè Etymo ſuo, ſed non ex uſu communi. *Virtus à viro* nomen habet, unde *virtus* propriè opponitur *virium infirmitati* & puſillanimitati, unde Virg.

Tunc pudor incendit vires & conſcia Virtus.

Hinc transfertur ad vires aliarum rerum, ut cum dicimus *herbæ iſtius*, *iſtam* vel *iſtam eſſe virtutem.* Sed non ex uſu communi, nam ita vitio opponitur.

Clangore buccinæ] תֵּקַע *fixio*, quod fieret per infixionem vocis. שופר eſt *buccina* quæ fit ex cornu recurvo, κερατίνη. חֲצֹצְרָה *tuba*, ex ære vel alio Metallo. Genus utriuſque eſt σάλπιγξ. Pſ. 98. *Laudate Dominum in tubis & voce buccinæ.* Lxx. ἐν σάλπιγξιν ἐλαταῖς καὶ φωνῇ σάλπιγγος κερατίνης. Ubi manifeſtum apparet diſcrimen, *Tubam* vocat σάλπιγγα ἐλατὴν, *tubam ductilem*, *Buccinam*, σάλπιγγα κερατίνην.

Nebel,] *Nablio.* Si literas ſpectas, Ovid.

Diſce etiam geminâ genialia vertere palma Nablia.

Si, Etymon, eſt *fiſtula utricularis*, *Tibia.* Gallicè *corne Muſa.* Nam נבל eſt *utris*, *lagena.* Græci dicunt Νάβλα & Ναυλὰ. Sunt qui *Lyram* interpretantur. Sed male, verſus Græcus, οὐ ναῦλα κωκυτοῖσιν οὐ λύρα φίλα. Joſephus ait habuiſſe 12. chordas, & tangi conſueviſſe digitis, quod vocant *canere intus*, ut *plectro percutere*, *canere foris.* Hieron. *Pſalterium*, quod vulgo creditur fuiſſe *decachordum*; Quia ſimul leguntur נבל עשור Pſ. 33. ſed alibi Pſ. 92. 4. eſt נבל׳ וַעֲשׂוֹר. Sunt qui *Harpam* interpretantur cum quo inſtrumento ſolet pingi David, cui paſſim tribuitur נבל. Hier. ait habuiſſe formam literæ Δ.

כנור]

כנור] *Cithara*, κίνυρα. Aq. hoc loco & ναύλῳ καὶ λύρᾳ.

4. תף] *Tympanum* de quo ſupra. Forte intelligit *aheno-tympanum*, vid. ahenum tenſo cario perſonans,

Æraque taurinos ſonitu vincentia pulſus,] ubi per *taurinos pulſus* intelligit *comploſa tympana*.

מחול.] *Lyra* putat eſſe Tibiam utricularem.

במנים] Lxx. ἐν χορδαῖς V. chordis. Aq. δεκ. χορδῶν. Kimchi dicit *certum fuiſſe inſtrumentum nobis ignotum*. Rab. Saad. & Aben. multis generibus ſeu ſpeciebus inſtrumentorum, ut ſit pro מינים. Nam מין ſpecies. Chald. הירדבלין ὑδραύλεσι, *hydraulicis organis*. Sic Jun.

עגב] *Organon* vertunt. Sed an late accipitur ut dicat, organis, i. e. inſtrumentis muſicis? an certam aliquam ſpeciem ſignificat? Sic videtur, licet ignotum ſit qualis fuerit. Gen. IV. 21. *Ipſe fuit pater omnium terentium citharam & organon*. Aug. obſervat *organon*, licet vox generalis ſit, ad omnia inſtrumenta reſtringi, ad illa ſolum quæ follibus inflantur. Sic & apud nos. Ergo Auguſtini ævo notum fuit illud inſtrumentum; ſed non in Eccleſia. Floruit ſeculo V.

Notetur diſtinctio inſtrumentorum muſicorum in ψηλαφητὰ ſeu κρουστὰ i. e. pulſatilia, & πνευματικὰ quæ flatu complentur. Chryſ. in ἐμφυσώμενα ſeu ἔμπνευστα, qualia, *tuba*, *tibia*, *fiſtula utric. lituus*, *organon*. In ἐντατὰ ſeu ἔγχορδα, quæ nervis intenduntur, ut *Lyra*, *cithara*, *teſtudo*, *harpa*, *pandura* &c. Et κρουστὰ quæ pulſantur bacillis, ut *tympanum*, *ſiſtrum*, *cymbalum*. Poſſet addi & alia ſpecies ὑδραυλῶν.

6. נשמה] *halitus*, quicquid halitum habet. Synechd. *Omnes homines*. Alii *ſpiritus angelicus* & *humanus*. Probarem ſi eſſet רוח. *Neshama* nunquam de Angelis.

GROTIUS.

L*Audate Dominum in Sanctis ejus*] *In ſanctuario ipſius*: id eſt, in Templo.

4. *Et organo*] In Hebræo, עגב: de qua voce vide quæ ad Geneſ. IV. 21.

PRICÆUS.

4. L*Audate eum in tympano*, &c. *laudate eum in cymbalis*] In Cantico Judithæ 16. 2. *Incipite Domino in tympanis, cantate ei in cymbalis*, &c. Plinius 2. epiſt. 14. *Sola cymbala ac tympana illis cantibus deſunt*. Ovidius Art. Am. I.

—— *Sonuerunt cymbala toto*
Littore, & attonita tympana pulſa manu.

Ibid.

In cymbalis bene ſonantibus] Virgilius 6.

—— *Fidibuſque canoris*:

ubi Servius, *Bene ſonantibus chordis*. Heſychius, Εὐπεροσθίσκτας, εὐήχους. Videtur Εὐπεροσφθόγγους legendum: imo & ſic ſatis inſolens verbum puto pro εὐφθόγγους· quomodo & ſcribendum putaſſem: at vocum circumjectarum ſeries refragatur.

IDEM.

1. L*Audate Dominum in ſanctis ſuis*] Sub. *locis*: id eſt, ἐπουρανίοις. Ita & 67. 36. Alibi ſingulari numero *ſanctum*, nec ſemel, dixit. *In ſanctis*, habitantem nempe.

Ibid. *Laudate eum in firmamento virtutis ſuæ*] Idem quod in priore membro, at aliter enunciatum. Aquila hic, ἐν τῷ ἀκαθαιρέτῳ αὐτοῦ. Heſychius, Ἀκαθαίρετον, τὸ μὴ, &c. ἀφανιζόμενον.

2. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus*] Nempe quantum intellectus humanus capit: *virtutem* (enim) *magnitudinis ejus quis* (digne) *enunciabit*? Sirach. 18. 4.

6. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*] *Cuncta quæ* (ut Gen. 7. 22.) *habent ſpiraculum vitæ*: vel (ut ibid. 6. 17.) *omnis caro in qua ſpiritus vitæ eſt*: nec enim hic agi puto de incorporeis ſpiritibus.

AUGUSTINI JUSTINIANI GLOSSEMATA SIVE ANNOTATIONES SPARSÆ & INTERCISÆ IN OCTAPLUM PSALTERII.

AUGUSTINI JUSTINIANI

Genuenſis Prædicatorii Ordinis Epiſcopi Nebienſis

IN

OCTAPLUM PSALTERII

AD

LEONEM X. PONTIF. MAXIM.

PRÆFATIO.

SCio Pater beatiſſime perlatum ad aures tuas jam diu laboraſſe nos, quo utrumque Sacræ Legis Inſtrumentum quinque præcipuis linguis, Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica, in unum redactum corpus, conſpicua verborum ſibi invicem reſpondentium ſtructura ederemus. Opus nimirum, ut meis viribus impar, ita noſtræ profeſſioni, vel maxime congruens. Nihil enim æque ſacerdoti convenit, quam ſacrarum literarum expoſitio & interpretatio. Hujuſmodi autem ſacræ interpretamenta Scripturæ, olim tentata ſunt & à Græcis, & à Latinis, quinetiam Hebræi, Chaldæi, & Arabes, ejus conatus indicia poſteris reliquere, quorum venerandæ vetuſtatis & fidei apud me adhuc exſtant monimenta. Græci quidem una interpretatione, minime contenti, ſex edidere, quas poſtmodum diligentiſſimus Origenes in unum collegit, appellavitque ex re Hexapla, quod ſex editiones una tamen duntaxat lingua in eodem folio continerentur. Nos vero non ſolum Hexapla, verum Octapla, perficere contendimus, nec una ſolum lingua, verum omnibus illis, quibus perdiſcendis, haud ſine magna cauſſa, impendi operam, ſacri canones jubent. Acceſſerunt (qui fuit præcipuus labor) novæ ex Hebræo & Chaldæo interpretationes. Sed & Scholia quædam, in maxime neceſſariis locis addidimus, quibus omnibus ſi lepor & elegantia verborum deſiderabitur, cogitet quilibet æquus rei arbiter contendiſſe nos, non tam ut eleganter, quam ut ex fide, verba reſponderent verbis, ſenſaque ſenſibus. Ipſæ enim barbaræ figuræ, inciſaque & circuitus, quæ omnia noſtri hujus Latii candor reſpuit, fœta ſunt myſteriis & ſacramentis. An vero noſter hic labor fructum aliquem ſit pariturus, in catholica matre, cui ipſæ dignæ præſides, libuit periculum facere hoc Davidico Pſalterio, quod ex toto opere nunc quaſi delibamus

bamus tuo dicatum nomini. Quod ſi tu cujus authoritate nihil inter humana ſublimius, rem ipſam probaveris, & dignam editione duxeris, in promptu erit nobis univerſo operi manum extremam imponere, & tam Novum quam Vetus inſtrumentum, iiſdem diſtinctum linguis, eademque ſerie & ſtructura, tradere impreſſoribus formandum. Sit ergo tibi hoc quaſi primitiæ quædam totius operis, & meæ erga apoſtolicam ſedem obſervantiæ monimentum, tuque id ſuſcipe qua ſoles fronte laborantium in vinea Domini lucubrationes. Et ſi hebetudo noſtri ingenii, quod in votis erat aſſequi non potuit, benignitate tua, qua ſemper præſtitiſti apud omnes, accipe ac ſi undecunque perfectum eſſet. Agnoſcere enim certum & verum beneficium etiam vulgaris hominis eſt. At voluntatem pro opere æſtimare, divinum potius cenſendum.

Genuæ Calendis
Auguſti M. D. XVI.

Venerando in Chriſto,

F. AUGUSTINO JUSTINIANO.

JACOB. ANTIQUARIUS,

Salutem.

Literarum ſtudia humano generi divinitus conceſſa, mirum eſt qua cenſuræ varietate quove æſtimatu, nunquam eodem aguntur, alia aliis ſubinde probantibus. Potiora tamen illa merentur haberi quæ nec tanquam lucripeta ſe in vulgus demittunt: neque valde ambitioſa evolant in ſublime, ut caput inter nubila condant. Equidem ſolebam tuæ vitæ inſtitutum prius laudare, quod religionem ſanctiſſime complexus meditationibus aſſidue indulgens: & tamen à docendi ſcribendique labore nunquam ceſſans, tuum id atque proprium arbitrareris eſſe quod ocium cum negotio, & cum utroque parem laudem conjungere ſoleat. Nunc vero admirari non deſino, quo pacto ſucciſivi temporis ratio, eo abs te fuerit producta, ut occupationibus maximis implicitus, Græcam, Hebræam, Chaldæam, Arabicamque linguam repente adeptus videare & ne ſine teſtibus res acta credatur, nuper eas ad Novum, quod ajunt, Inſtrumentum contuliſti. Ut quod Latinis politum literis habebatur, nunc adjunctis ipſarum quoque gentium linguis appareat Euangelium in omnem creaturam, juxta Domini mandatum, olim exiiſſe. Nam uno volumine multifariam loquente palam invitas diſcendi cupidos. Teque ducem & authorem facis ad ea commertia, quæ ornamentum afferant & utilitatem. Sed quid erit inde tibi præmii? Porro quantum præ moderatione tua qui de fluxis & caducis rebus tibi nihil uſurpas, non concupiſceres, aut potius quale inter cœleſtes animos æternitatis plenum meritò ſemper deſideraſti. Mihi vero is ex tua benevolentia, quam ſingulari virtute ſemper augere viſus, fructus evenit qui ſit jucundiſſimus, quando tuæ laudis ad me quoque pertinet poſſeſſio. Non arrogo quicquam. Sed quod tribuiſti, meum judico ſine ullius controverſiæ ſuſpicione, quoniam herciſcundæ familiæ aut communis dividundi actionem Chriſtiana non novit charitas. Vale.

Mediolani. VIII. Kalend.
Aprilis. M. D. VI.

AUGUSTINI JUSTINIANI GLOSSEMATA SIVE ANNOTATIONES SPARSÆ ET INTERCISÆ IN OCTAPLUM PSALTERII.

PSAL. I.

INcipit Pſalterium] Quemadmodum præfati ſumus in principio Matthæi, nolumus nunc juſtos condere commentarios in Pſalterium: ſicut nec in reliquos ſacræ Scripturæ libros. Caſſus ſiquidem & vanus exiſtimari poſſet labor noſter, ſi poſt Didymum, Origenem, Euſebiumque Græcos, aut poſt noſtros Hilarium, Auguſtinum: Hieronymum, Ambroſium, Caſſiodorum, aut etiam poſt Salomonem Abraham Davidem & multos alios Hebræos, magnamque juniorum turbam, Pſalmos explanare aggrederemur. At qui paucula quædam adducemus, quibus neoterici Hebræi redargui poſſint, noſtri vero & delectari & in dogmate Chriſtiano confirmari. Quanquam quæ martyrum ſanguine & Romanorum Pontificum authoritate roborata ſunt, confirmatione non indigent. Itaque Pſalterium, ut à libri nomine ordiamur, Græcum verbum eſt, quod Latine *laudatorium organum* dici poteſt. Eſt autem ut Hieronymus ad Dardanum ſcripſit, *vas in modum quadrati clypei cum decem chordis, ſecundum quod ſcriptum eſt in Pſalterio decem Chordarum pſallite illi.* In commentariis vero Pſalmorum idem Hieronymus quid ſit Pſalterium magis exprimit, dicens, *illud eſſe genus organi muſici melius ſonantis quam cithara, ſimilitudinemque habere citharæ, ſed non eſſe citharam, interque pſalterium & Citharam hoc intereſſe, quod Cithara deorſum percutitur, Pſalterium ſurſum; hoc pluribus conſtare chordis i. decem, illam tantum ſex, hoc ſuperius habere concavitatem, illam vero inferius.* Auguſtinus vero Pſalterium ſic deſcripſit: *Pſalterium eſt organum quod quidem manibus portatur percutientis, & chordas diſtinctas habet, ſed illum locum unde ſonum accipiunt chordæ, illud concavum lignum quod pendet & tactum reſonat, quia recipit aerem, pſalterium in ſuperiore parte habet. Cithara vero hoc genus ligni cavum & reſonans, in inferiore parte habet. Itaque in pſalterio chordæ deſuper ſonum accipiunt. In cithara chordæ ex inferiore parte ſonum accipiunt.* Hieronymo ex authoribus Hebræorum conſentiunt plures, & inprimis Simeon, *qui*, ut refert commentor Salomon, *Pſalterium à cithara diſtinguit, quod pſalterium plures quam cithara contineat chordas.* Appellant vero Hebræi hoc inſtrumenti genus נבל *nevel*, tametſi aliquibus eorum *nevel* ſignificet *tympanum utriculariamque fiſtulam*, uti Emanueli & Authori Dictionarii quem ערך *Aruc* vocant. Chaldæi autem tum *naulia* tum *pſanterin* nominant, & inde fortaſſis ſumptum eſt verbum Græcum ψαλτήριον jam pridem receptum à cunctis Latinis Eccleſiaſticis ſcriptoribus, quibus etiam Pſalterium ſignificat librum divinorum hymnorum, quos *Pſalmos* appellant, quibus continenter Deum laudant religioſi viri. Hunc autem librum Hebræi vocant ספר תהלים *cepher tehilim.* Sed plura de re hac in aurea noſtra Catena, in qua habentur omnium ferme antiquorum opiniones & ſententiæ.

1. *Beatus vir*] Vir iſte eſt Chriſtus Jeſus verbum Dei, verus Deus, veruſque homo, quem deſcendiſſe de cœlis, pro ſalute humani generis, ſumpſiſſeque hominis corpus, de femina, cujus ſanctitas comparationem non admittit, non ſolum prædixere Prophetæ, quamvis aliquantulum ſubobſcure, quod moris fuit omnium qui vaticinati ſunt, apud omnes gentes, ſed etiam manifeſtiſſime ſcriptum reliquere authores Hebræi, quod maxime liquet ex his, quæ hoc loco inſerere operæ pretium putavimus. Ex commentariis libri Geneſeos Jeroſolyma ſecretiore lingua conſcriptis, cujus author creditur R. Simeon Ben Jochai ſuper illud, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* ותנא בצניעותא דספרא כיון דאירת בכמו לעילא כללא דאדם גופא קדישא ונוקבא אתחברו זמנא תליתאה ונפק איתכסותא תלא ואיתב כמו עלמין עילאין ותתאין ומיכאן אשתכלל עלמא דלעילא ולתתאה כמתרא דגופא קדישא וכתבקאן עלמין ומתאחון דא ברא ואתעבידו גופא חד ובגין דלהו חד גופא שכנתא לעילא שכנתא לתתא קבה לעילא קברה לתתא ומשלפא רוחא ועייל בחד גופא וכלהו לא אתחזו אלא חד קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות מלא כל הארץ כבודו דכלא הוא חד גופא תאנא כיון דאיתכסמו דא בגוא דכתיב תורי זהב נעשה לך עם נקודות הכסף איתקשרת דינא ורחמי ואתכנשת ברחימותא ובגין לא סלקא דא בלא דא ועל האי תנינן מן דאפיק גרמיה מהאי עלמא בכללא דאדם לבתר כדנפקין מהאי עלמא לא עייל בכללא דאדם דאקרי גופא קדישא אלא באירן דלא איקרו אדם ונפקין בכללא דגופאי תניא תורי זהב ונקודות כסף ואיתב כמו דיני ורחמי דלירה דינא דלא הוו כירח תחכי ועל דא כתיב נאוו לחייך בתורים צוארך בחרוזים בתורים כדא׳ תורי זהב בחרוזים דכתיב נקודות הכסף צוארך דבכללא דנוקבא דאמטרוניתא אשתכח בי מקדשא דלעילא ירושלם ומקדשא וכל דא כדאבסימת ברבורא ואיתעביד מלא אדם כללא כהימנותא סא כהימנותא תבגויה אשדרת כל מהימנותא i. Traditum nobis eſt, in libro בצניעותא דספרא *ſeniota deciphra*, i. pudoris & occultationis כא מהימנותא תבגוית אשדרת כל מהימנותא quantum infra. „Poſtquam in ſupernis determinatum „eſt, in univerſum de hominis formatione, ſanctum corpus & „femina incorporata ſunt. In tempore autem tertio, quod vi„delicet conſequitur primum ſanctorum patrum tempus, & ſe„cundum tempus prophetarum completa eſt hæc maxima copula, „& conjuncti ſunt & incorporati, mundi ſuperiores & mundi in„feriores. Ab hinc vero incorporatus eſt mundus ſuperior, „mundo inferiori, mediante corpore ſancto, quodammodo vero „ridebant mundi & congratulabantur ſimul, efficiebanturque „unum corpus, quoniam corpus, quod erat ſuperius erat etiam „inferius, Deus ſanctus & benedictus ſuperius, Deus ſanctus & „benedictus inferius. Et proſiliens ſpiritus de vagina venit in „corpus, & in his omnibus unus tantum videbatur, ille nimirum „cui dicitur, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Deus exercituum, im„plet terram totam gloria ſua.* Et hoc totum unum eſt corpus. „Traditum item eſt, Poſtmodum conjunxerunt ſe veluti duo cor„pora, quando unum penetrat aliud, hoc & illud, ſicut ſcri„ptum eſt: *Torquem auream faciemus tibi cum notis argenteis, „colligatæ ſunt juſtitia & miſericordia, & unita ſunt verbo in „amore, nec altera ſine altera aſcendit.* Quapropter ſic nobis „traditum eſt. Quando dividitur corpus à mundo hoc, i. quando „in univerſum moriuntur homines, totum quod eſt hominis ne„quaquam ſuperius aſcendit, quemadmodum aſcendit hoc quod „ſanctum vocamus corpus, tantæ certæ dignitatis quod non vo„catur אדם *Adam* i. terreſtris, ſed איש *Is* i. vir, & hoc utique differt

„ differt à cunctis aliis corporibus. Legimus quoque, Torquem „ aureum & cellaturam argenteam, quum unum fiunt juſtitia & „ miſericordia, non enim eſt in illo juſtitia ſive miſericordia. Et „ propterea ſequitur pulcra facta eſt gena tua propter torquem, „ & collum tuum pulchrum factum eſt propter margaritas, quan„do inter cunctas feminas in matrona hac reperitur ſanctitas imo „ divinitas, quæ conſueverat deſcendere ſuper Jeruſalem ſuper„que ſanctuarium. Et omnia hæc poſtquam verbum in ea „ corpus aſſumpſit factumque eſt de hominum univerſitate i. ho„mo, plenus fide. Et quid eſt plenus fide, quoniam ſc. in illo „ invenitur tota fides.“

PSAL. II.

2. **A** *Stabunt*] Patres Hebræi ſine controverſia hunc Pſalmum de Chriſto Domino dictum intellexerunt. Quod primo atteſtatur etiam R. Salomon, cujus verba in commentariis hujus Pſalmi ſunt hæc רבו' אמ' דרשו על מלך המשיח, i. *doctores noſtri expoſuerunt de Rege Meſſia:* In libro quoque qui inſcribitur *Midras Tehilim* (eſt vero hic liber commentarius pſalmorum conflatus ex dictis authorum Hebræorum, ex quo multa adducemus in ſequentibus) ſuper illud: *Narrabo præceptum*, ſic habetur: מספרים הם בחוקה של תורה ובחוקה של נביאים וכתובים בחוק של תורה בני בכורי ישראל בחוקה של נביאים הנה ישכיל עבדי ירום ונשא' בכתוב' נאם יהוה לאדני, i. *Narrata ſunt myſteria ejus in Scriptura Legis, Prophetarum & Agiographorum. In Scriptura Legis Exod.* 4. *filius meus primogenitus Iſrael. In Scriptura Prophetarum Iſai.* 4. *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur. In Agiographis Pſam.* 110. *Dixit Dominus Domino meo.* Ubi advertendum quod in præcedentibus doctores locuti ſunt de Chriſto & narrationem ſeu expoſitionem continuantes adducunt quam præmiſimus ſententiam.

3. *A nobis*] *à nobis* ſive *ab illo*. Utrumque enim exprimere poteſt daghes intentivus punctus incluſus in litera מ Mem.

12. *Oſculamini*] נשקו בר *Naſſequ bar*, interpretati ſumus, *oſculamini filium*, ita authoritatem Hebræorum ſecuti, inprimis אברהם אבן עזרא dicentis: *Ecce ſervite Deo in timore*, contra id quod ſupra dixit: *Adverſus Deum*. Et *oſculamini filium*, contra id quod ſupra dixit: *Et adverſum Meſſiam ejus*. Interpretatio vero hujus dictionis בר *bar* eſt talis qualis ejus quæ habetur Proverb. cap. 31. מה ברי *ma beri*, i. *qualis filius meus* מה בר בטני, *& qualis filius uteri mei*. Ad idem quoque habetur autoritas Rabbi libro Midras Tehilim, נשקו בר משל למלך א' שכעס על בני המדינה ופייסו את בן המלך שיפייס את המלך הלך הבן ופייס את אביו כיון שנתפייס לו בנו הלכו בני המדינה לומר היכנון למלך אמר להם אלי אתם אמרים היכנון לבנו ואמרו לבני שאלולא הוא הייתי מחריב המדינה כאבר הדינה והו נשקו בר: i. *Oſculamini filium. Simile eſt hoc Regi, qui ira percitus eſt in cives. Iverunt itaque cives & rogaverunt filium regis, ut ſedaret regis iram. Ivit filius & placavit patrem. Cum vero placatus fuiſſet à filio, convenerunt cives ut gratias agerent Regi. Dixit autem eis Rex, Mihi agitis gratias? Ite & agite gratias filio meo. Nam ſi ille me non rogaſſet, jam evertiſſem civitatem. Et hoc eſt, oſculamini filium.* Sed videre eſt quam aperte antiqui Hebræorum ſcripſerint, hunc filium, quem Meſſiam diximus, verum eſſe Dei filium. Libro Midras Tehilim ſuper illud: *Dixit Deus ad me, filius meus es tu*, ר' הונא אמר שלשה חלקים נחלקו היסורין אחת נטלו אבות העולם וכל הדורות ואחת דורו של שמד ואחת דורו של משיח וכד הגיע שעתו אומר הקב"ה עלי לבראתו בריה חדשה וכן הוא אומ' אני היום ילדתיך: i. *Rabbi Huna dixit: Tribus diviſionibus diviſæ ſunt tribulationes. Unam ſuſtinuerunt patres ſeculi, & omnes generationes: Unam generatio deſtructionis: & unam generatio Meſſiæ. Et cum venerit hora ejus, dicet: Deus ſanctus & benedictus, ut creet ipſum creaturam novam vel potius ut conſtituat vel generet eum filium filiatione nova; & hoc eſt quod dicit: Ego hodie genui te.* Non ſcilicet ut reliqui generantur, ſed novo generationis modo, ſive de æterna, ſive de temporaria loquaris generatione. Quod totum exprimunt iſtæ Hebrææ voces, לבראתו בריה lebarato berita, quæ & creari & generari & etiam filiari, modo ſic loqui liceat, ſignificare poſſunt.

PSAL. III.

1. **I** *Nfeſtatores mei*] Intellige hæreticos omnes, qui non ceſſant filio Dei præbere moleſtias, & quodammodo ei in via tribulos ſpargere, qui vix ullo tempore ab agro ſanctæ matris Eccleſiæ exſtirpari potuerunt, veluti tenaces zizaniæ, renaſcenſque lotium. Sed & juniores Hebræi, qui divinitatem Meſſiæ inficiantur, virginitatemque beatiſſimæ matris Dei negant, à numero moleſtantium & infeſtantium Dei filium non ſunt excluſi. Et mirum medius fidius illos audere teſtibus adeo probatis contradicere, tam claris tamque apertis reſiſtere authoribus & his quidem Hebræis. Et quantum ad Chriſti divinitatem & ad virginitatem beatiſſimæ matris attinet, neſcio quid clarius Hebræi noſtri expetere poſſint quam quæ habentur in jam memoratis commentariis libri Geneſeos remotiore Jeroſolymorum lingua conſcriptis, quorum autor creditur R. Simeon Ben Jochai, dum exponitur illud, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, in quibus hæc verba leguntur: חוטמא בחוטמא אשתמודע פרצופא דאחזיתא בן עתיקא לזעיר אפין דא כארי דחוטמא חיין דנוקבא חיין דחיין הא חוטמא הוא פרישהא רביה נשיב רוחא לזעיר אפין וקריעת כליחה נחת רוח דרוחא דנפיק מהכא מאנון נוקבין חד דהוא נפיק לזעיר יומין לאתער בגנתא דעדן וחד רוחא דחיי דביה זמינין בנטא דבוידה דהור למנדע חכמתא וכההיא נוקבא אתער ונפיק רוחא סתימאה וזמין לשראה על' מלכא משיחא וכתיב ונחה עליו רוח יהוה רוח חכמה ובינה רוח עצה וגבורה רוח ודעת ויראת יהוה הרי ארבעה רוח יי ורא חרא אמרין תלתי ר' יוסי אמר ביומי דמלכא משיחא לא יומרון חד לחד אליף חכמתא דהכי כתיב ולא יומדו עוד איש את אחיו וגו' כי כלם ידעו אותי מקטנם ועד גדולם ובההוא זימנא יתער עתיק יומין רוחא ונפיק מן מוחא כתימאה וכדשליף דא כל רוחין דלתתא יתערון עמיה ומאן אינון כתרין קדישין דזעיר אפין, i. *Vultus de vultu, ſive imago de imagine manuducit in cognitionem facierum. Adverte tu. Quidnam intereſt inter antiquum & juniorem facierum? Hic eſt Dominus qui poſuit faciem viventem in fœmina, quæ quidem facies eſt vita procedens à vita. Hæc inſuper facies eſt Paradiſus in quo habitat Spiritus junioris facierum. At vero femina genu flectit petitque veniam à ſpiritu qui immittitur in illam, qui ſpiritus proceſſit ab altiſſimo throno Divinitatis, ad feminam unam. Et ſpiritus qui egreſſus eſt ſive qui proceſſit, eſt ſpiritus junioris dierum quieſcens in deliciis Paradiſi. Hic autem vitarum ſpiritus, præparatus fuit olim etiam ante tempus filio Davidis, ad percipiendum ſapientiam. Ab illa autem fœmina magna virtute quaſi experrectus Spiritus egreſſus eſt de vulva ſigillata ſive clauſa, paratus & aptus eſſe princeps altiſſimus. Is vero eſt Rex* MESSIAS. *De illo ſiquidem ſcriptum eſt, Et quieſcet ſuper eum ſpiritus Dei, ſpiritus ſcientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſapientiæ & timoris Dei. Hi ſunt quatuor modi quibus venturus eſt hic Spiritus, & unus tantum ſpiritus, eſt Dominus noſter diſtinctus à tribus. Dixit R. Joſi: In diebus Regis MESSIÆ, nequaquam dicet alter ad alterum doce me ſcientiam, quoniam omnes cognoſcent Deum à parvo uſque ad magnum. In tempore vero illo expergiſcentur antiquus dierum, & ſpiritus qui egreſſus eſt de vulva clauſa. Cum vero ipſe ſurget, omnes etiam ſpiritus ſurgent cum illo. Et quinam ſunt illi? Hi nimirum qui corona donati ſunt, ſancti junioris facierum.*

3. *In ſempiternum*] De verbo סלה *cela*, pro quo Septuaginta & Theodocion & Symmachus in Græco poſuerunt *diapſalma*, quodque primum hic ſcribitur, diſſident nedum Latini & Græci ſed & Hebræi inter ſe. Ego vero cum illis Hebræis ſentio qui cela סלה ſemper, ſive æternum: ſive perpetuum interpretati ſunt. Quod & ſacer Hieronymus ſentire viſus eſt, & Origines, ac etiam Chaldæus interpres.

4. *Gloria mea & exaltans caput meum, &c.*] Libro Midras Tehilim כבודי ששכנת שכינתך בתוכינו שנ' ועשו לי מקדש ושכנתי בתוכם ומרים ראשי תחת שהיינו כחוייבין לך הרמת ראש נתתלנו תלוי ראש שנ' כי תשא את ראש בני ישראל, i. *Gloria mea quoniam habitare feciſti divinitatem tuam in medio noſtri, ſicut dictum eſt Exod.* 25. *Et facient mihi ſanctuarium & habitabo in medio eorum, & exaltans caput meum. Pro eo quod nos eramus obligati tibi levare caput dediſti nobis ſuſpenſionem capitis ſicut dictum eſt Exod.* 30. *Quoniam ſuſpendam caput filiorum Iſrael.* Sunt ex noſtris qui conſtanter affirmant ex hac autoritate elici poſſe ſuſpenſionem in cruce MESSIÆ filii Dei, quam perpetrarunt impii Hebræi, roborantque opinionem ſuam ex cap. 28. Deuteronomii, ubi ſic legitur: והיו חייך תלאים לך מנגד ופחדת לילה ויומם ולא תאמין בחייך: i. *Et erit vita tua ſuſpenſa è regione tibi, & timebis nocte ac die & non credes vitæ tuæ.*

PSAL. IV.

7. **E** *rige* &c.] Libro Midras Tehilim רבים אומרים אלו אומות העולם שאומרים לישראל מי יתן לנו לכפורה עם ישראל בטובה של עולם הבא וישראל אומי' להן בכמה צורות בכמה שעכורין בכמה הריגות מסרנו עצמינו על קדושת השם ואתם באים לטוב אותה מן הקב"ה נסה עלינו אור פניך יי ר' הונא בשם ר' אחא אמ' לאותו הקלע אגן כצפין שנ' הנה אשא

אשא

אשא אל גוים ידי ואל עמים ארים נסי i. *Multi dicentes: Iſti populi ſunt ſeculi qui dixerunt Iſraeli, quis det nobis ut addamur Iſraeli in bonis futuri ſeculi. Iſrael autem dicent eis, per quot tribulationes, per quot ſervitutes, per quot etiam mortes dedimus nos ipſos ad ſanctitatem nominis. ſcil. Dei: & vos venitis accipere ipſam ex abrupto. Signa, vel leva ſuper nos lumen vultus tui Deus. ſic dictura ſunt gentes. R. Huna in nomine R. Aba dixit: Ad illam conjunctionem nos ſpeculantes ſicut ſcriptum eſt: Ecce levabo ad gentes manum meam & ad populos exaltabo ſignum meum.*

8. *Frumentum eorum* &c.] Hoc vinum hocque frumentum, quod credentes auget atque multiplicat, illud eſt quod indeſinenter tractatur in ſacris Eccleſiæ altaribus, ſolam ſpeciem vini atque frumenti retinens. Eſt enim jam in verum corpus verumque ſanguinem Chriſti converſum. Hujus vero tam miti tamque ineffabilis ſacramenti multa tradita ſunt Hebræis patribus ſigna, uti videre eſt tota fere veteris inſtrumenti ſerie. Verum id quod legitur apud interpretem Chaldæum libri ſanctiſſimi Job, quicunque is fuerit, non eſt inter poſtrema ſigna interque poſtremas figuras computandum. Eſt autem hujuſcemodi: ושמעו תלתא חברי איוב ית כל בישתא הדאתי אתת על והי כד חמון ארגי פירו כחין דיבישו ולחם סעור תהון די איתהפיך דביכרא חיא וירת חמר כשתיהון די איתהפיך לדמא ואתו גבר מן אתריה וביתוא וכותא איתפציו מן אתרא דמזמן והון בגיהנם אליפז דמן תימן ובלדד זמן שוח וצופר דמן נעמה אנן איתחברו כחדא למיתי למינד ליה ולנחמותיה i. *Et perceperunt tres ſocii Iob omnia mala quæ evenerunt ei, ubi ſcilicet viderunt arbores quæ erant in hortis eorum aruiſſe, videruntque panem quo ſuſtentabantur converſum in carnem viventem; & vinum quod bibebant converſum in ſanguinem. Et receſſerunt unusquiſque de loco ſuo, & hujus officii gratia liberati ſunt à deſcenſu ad locum qui deputatus erat eis in gehenna. Heliphaz de regione Teman, quæ, ut placet multis, inſula eſt in ſinu Arabico, Bildad de provincia Suha, quam credunt eſſe partem Ægypti ſuperioris. Zophar de regione Naama; ea eſt terra Iudææ quam promiſſionis appellant. Et ipſi quidem convenerunt in unum, ut accederent ad Iob conſolaturi & confortaturi eum.*

PSAL. V.

13. B*Enedices juſto* &c.] Deus Pater benedixit juſto filio ſuo, donavitque eum corona manſuetudinis, qua veluti fortiſſimo clypeo, tueretur ſe à jaculis inimicorum. Ipſe vero donat ſanctos milites ſuos corona fortitudinis ad reſiſtendum impiis tyrannis qui extrinſecus oppugnant, adque reſiſtendum congenitis paſſionibus, intrinſecus acrius bellum inferentibus. Secundo & ſancti milites Chriſti juſti. ſcil. & qui meruerunt integritate vitæ. cœleſtem patriam, ſuis optimis operibus imponunt coronam Chriſto filio Dei, & his concinnit quod legitur libro בצניעותא דספרא Beſeniota de ciphra, i. cellati pudoris, his verbis, וכאין אינון צדיקיא דמשלפין נשמתהון כהאי גופי קדישא דאקני ארעא וכליל כלא אתר דעטרין וכתרין קדישין מתחברין המן בצחורא דאהכלא וכאין אנין צדיקייא וכל הני מני קדישין ואת אמרו ברוח קדישא עילאה רוח וכל רוחין קדישין איתכלילן ביה רוח דעילאין ותתאין ציתין ליה וכאין אתון מאריהון דכרין מחצרי חקלא דכלין הלין הגדעין והכהכלון בית ותנדעין למאריהון אפין באפין עינא בעינא ובהני מילי הוכון לעלמא דאתי הח״ד וידעת היום והשבות אל לבבך כי יי הוא האלהים בשמים ממעל ועל הארץ מתחת אין עוד i. *Puri, ſive qui meruerunt præmium, ſunt juſti illi qui recuperaverunt animas ſuas mediante corpore illo ſanctiſſimo, quod vocatur homo, quod implet totam terram, & donatur corona ab illis. Accipiunt vero coronam ſancti, atque conjunguntur ibi, in illa ſcil. caterva in quam conveniunt puri ſive merentes. Juſti illi quos appellat ſanctos ſunt commorantes cum ſpiritu ſancto altiſſimo. Spiritus hic eſt in quo clauduntur omnes ſancti Spiritus: Spiritus ſuperiorum & inferiorum. Exceperunt vero ipſum puri illi & bene meriti, dominum eorum dominumque dominorum, in agro illo, qui arboribus plenus eſt, fecerunt ſui notitiam, & acceperunt intellectum ab eo, & viciſſim cum eorum Domino ſe cognoverunt, facies cum facie & oculus cum oculo, & hujus rei gratia meruerunt præmium in futuro mundo, & hoc eſt quod ſcriptum eſt, & cognoſces hodie reverſus ad cor tuum, quod qui dat eſſe, ipſe eſt Deus in cœlis deſuper, & quod in terra deorſum non ſit præter eum.*

PSAL. VI.

7. L*Iqueſaciam*] Sumpta metaphora à ſolis calore quo liquefiunt & diſſolvuntur concreta.

8. *Tinea corroſus*] Carie attritus aut tinea corroſus. עשש enim tineam ſignificat, à qua voce deducitur verbum עששה, quod ſonat *tineavit*, pro quo auribus conſulentes vertimus *tinea corroſus eſt.*

PSAL. VIII.

6. M*Inuiſti eum paulo minus ab angelis &c.*] Lapſus eſt hoc loco, quantum ego ſentio, Chaldæus interpres ſuper verbo אלהים ELOHIM: quod vertendum fuerit DEO, uti Hieronymus vertit, & ipſe inſuper. Quod perperam an recte factum ſit, manifeſtum fiet legenti quam ſubjicimus Fabri noſtri de re hac diſputationem: Hieronymus ex Hebræo, *Minues eum paulo minus à DEO.* In ceteris tralationibus habetur, *Ab angelis:* In Hebraica autem, quemadmodum & David ſcripſit, *à Deo.* Hic recte, illic perperam. Sed ſeptuaginta duo interpretes dicentes *ab Angelis*, veriti ſunt dicere *à Deo*, ne plus homini quam par eſt tribuerent, non intelligentes hunc locum non intelligi debere de ſimplici homine, ſed de DEO homine. Simili errore lapſus eſt, qui epiſtolam Pauli ad Hebræos Hebraico ſermone ſcriptam, vertit in Græcum. Utebatur enim vocabulo Paulus quo & David, & *à DEO* dicebat. Quomodo enim *ab angelis* diceret: cum hunc locum ubique intelligat de Chriſto, & de eo ad Hebræos dicat: *Sedet ad dexteram majeſtatis ejus in excelſis, tanto melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit. Et cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quomodo igitur legendum eſt, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis?* Sed quia, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens; idcirco recte dicitur *minoratus paulo minus à DEO.* Præterea ad Epheſios de Patre & eo locutus, *conſtituens*, inquit, *ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem.* Quomodo igitur minoratus jure ſcribetur ab Angelis, qui conſtitutus eſt ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem. Sunt enim principatus, poteſtates & virtutes Angelis ſuperiores. Ad de quod adjungit *& ſuper omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.* Ne credas eum minorem thronis, Cherubim aut Seraphim. Cæterum Johannes de Chriſto loquens, *qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Et pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus.* Qua igitur ratione qui ſuper omnes eſt, & cui pater dedit omnia, minor aſſeretur angelis? Ad hæc, ſi Paulus in epiſtola ad Hebræos ſcripſit, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, qui fit ut dicat, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus? In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.* Et ad Corinthios, *omnia ei ſubjecit ſub pedibus ejus. Cum autem dicit, omnia ſubjecta ſunt ei, procul dubio præter eum qui ſubjecit ei omnia:* Vides igitur non velle eum minoratum paululum ab Angelis, (alioqui ruit ejus argumentatio) ſed ubique legendum eſſe *à DEO.* Quid enim abſonum, ei qui paulo minus à DEO minoratus eſt, ſubjecta eſſe omnia, præter eum qui ſubjecit ei omnia, id eſt patrem & divinitatem ipſam, & qua paulo minus minutus eſt ab eo, qui ſubjecit ei omnia, illi ſubjectum eſſe. Vides etiam quomodo non paſſibiliter, non carnaliter divinus Paulus intelligit oves & boves, & quod ſequitur, ſed vivifice & intellectualiter, ut par rationabileque eſt, pro cœleſtibus, terreſtribus & infernis. Alioqui non colligat ex hac prophetia, omnia ei ſubjecta eſſe, præter eum qui ſubjecit ei omnia. At dicet forſitan quiſpiam contentioſus, minutus eſt paulo minus ab Angelis ſecundum humanitatem. Verum illum noſſe oportuit, filium hominis hypoſtaſeos & perſonæ nomen eſſe, non naturæ. Sic apud Matthæum Dominus de ſe, *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati.* Et in Marco: *Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico, ſurge, tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam. Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabbato abiit inde coram omnibus.* Et in Luca: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate.* Et in Johanne de ſe dicit ad Nicodemum: *Nemo adſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo.* Si ergo puram naturam dicit non hypoſtaſin, quomodo dicit *filius hominis, qui eſt in cælo*, cum ſecundum humanitatem

tem & in terra eſſet, & loqueretur in terra, & nondum conſcendiſſet in cœlum. Et cum ſe nominat filium hominis, nos illuminat ad intelligendas ſcripturas & prophetias, filium hominis continentes non de puro homine, ſed de ſe intelligi debere. Certum eſt igitur *filium hominis* de perſona intelligi debere & nullo pacto quadrare poſſe quod dicitur, *Minuiſti eum paulo minus ab angelis.* Sed & de natura vide, ne etiam id, *paulo minus ab angelis*, non congruat. Legimus enim in Apocalypſi: *Dignus eſt qui occiſus eſt accipere virtutem & divinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem & omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & agno, benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Quid enim per *ſedentem in throno* niſi divinitas, & per *agnum* niſi humanitas deſignatur, cui nihilominus omnis creatura in cœlo, in terra & mari dat benedictionem, honorem, gloriam & poteſtatem. Qui fit igitur, ut aliter quam Spiritus S. locutus eſt per prophetam dicamus, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, qui adoratur ab omnibus Angelis? & non potius dicamus ut veritas habet, *minuiſti eum paulò minus à DEO.* At forte rurſum inſurges: ubi habemus *Angelis*, Hebraice ELOHIM habetur, quod nomen Dei plurale eſt: quare *Diis* potius quam *Deo* erit dicendum. Noſſe etiam oportet conſuetudinem eſſe tranſlatorum, ſive unice ſive plurative nomen Dei ponatur, per ſingularem numerum transferre, ut Pſalm. 44. v. 9. *Propterea unxit te Deus.* Ubi *Deus* ELOHIM. Pſalm. 50. v. 11. *Cor mundum crea in me Deus.* Pſalm. 66. v. 6. Poſt *benedicat nos*, continuo duobus in locis ſubjungitur ELOHIM: Et Pſ. 71. *Deus judicium tuum regi da*, ab illo vocabulo incipit. Vides igitur quomodo ELOHIM ſingulariter transferunt, non pluraliter. Et myſterium continet ea vocis pluralitas, non divinitatis ſed divinarum hypoſtaſeon pluralitatem inſinuans. Quo quidem ſacramento nihil fuerit ab orthodoxæ fidei integritate alienum, ſi hoc in loco exinanitus paulò minus à pluribus, patre ſcilicet & Spiritu Sancto Filius deſignetur; quorum neuter carnem aſſumpſit, ſed ſolus Filius. Unde inſani hæretici Noetiani & Sabelliani, & qui Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in unam hypoſtaſin confundunt, & æquè Patrem & Spiritum Sanctum ut Filium natum, & paſſum volunt, redarguuntur & eorum retunditur inſania. Nam alioqui & Pater & Spiritus imminuti eſſent formam ſervi accipientes, aut Filius non eſſet parumper imminutus ab eis. Quid igitur vetabit quo minus legere audeamus, *minuiſti eum paulò minus à Deo*, ut & veritas habet & Spiritus Sanctus per prophetam intonuit. Quare vos per JHESUM & hoc dulce & benedictum nomen oro, ut à modo in Eccleſiis & congregationibus ſanctorum pſallatis ſapienter, *minuiſti eum paulo minus à Deo, gloria & honore coronaſti eum & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Mendas codicum eluite, & ad incudem locum beatiſſimi Pauli ad Hebræos revocate legentes, *minuiſti eum paulò minus à Deo.* Et paulò poſt: *Et eum autem qui modico à Deo minoratus eſt, videmus JHESUM propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Audete, nihil veremini, faceſſat vetus error. Ei vero qui largitus eſt intelligentiam, omnis honor & gloria per immenſa ſecula. Amen.

PSAL. IX.

1. C*Onfitebor Deum in toto corde.* &c.] Libro MIDRAS TEHILIM, ביצר הטוב וביצר הרע שלא יהא בלבי נקף i. „cum concupiſcentia bona & cum concupiſcentia mala, adeo „quod non ſit in corde meo diviſio.

19. *Non peribit*] Addita hæc negotio, quod prima apud Hebræos, tam primum quam ſecundum neget verbum.

PSAL. X.

NUmerus Pſalmorum non eſt idem apud omnes. Nam & patres Hebræi, uti conſtat ex antiquis eorum codicibus, diverſimode Pſalmis numerant. Chaldæi quoque huic diverſitati concinnunt & plerique aliarum linguarum homines, qui Pſalterium propria lingua legunt. Diverſitas vero quæ eſt inter nos & Hebræos, hoc loco incipit. Quare hinc uſque ad calcem quaſi Pſalterii numerus Pſalmorum communium unitate minuitur à numero Hebræorum.

1. *Abſconderis*] Libro midras Tehilim א״ר יוחנן שלש שנים ומחצה היתה שכינה עומדת בהר הזתים ומכרזת דרשו יי׳ בהמצאו ולא היו משגיחין שנא׳ נדרשתי ללא שאלו נמצאתי ללא בקשת׳ כשל לשיירה שהיה מהלך בדרך כיון שהחשיך בא לא הבורגן אמ׳ לו הכנס עצמך לבורגן מפני חיה רעה הליסטים אמ׳ לו אין דרכו של שייר להכנס לבורגן בלילה כיון שהלך בא עליו אישון לילה ואפלה חזר ובא לו אצל הבורגני והיה מבקש ממנו שיפתח לו אמ׳ לו הבורגן אין דרכו של בורגן להפתוח בלילה לפי שאין דרכו לקבל אדם בלילה בשעה הזו כש׳ בקשתי להכניסך לא רצית עכשו שתרצה איני רוצה להכניסך כך אמ׳ הב״ה דרשו יי׳ בהמצאו שובו בנים שובבים ולא היו מבקשים לשוב אמ׳ להם הבה אלכה ואשובה אל מקומי הראשון כיון שנמסרו למלכיות שנמשלו לחיות התחילו צועקים למה יי׳ תעמוד ברחוק אמ׳ הב״ה כשבקשתי לא בקשתם עכשו אתם מבקשים ממני ואיני שומע לכם מדה כנגד מדה שנא׳ ויהי כאשר קרא שמא חס ושלום עד עולם עד עידן ופלג עידנין: i. *Dixit R. Jochanan: Tribus annis cum dimidio fletit divinitas in monte olivarum, & clamavit, Quærite Deum dum inveniri poteſt, & non fuit eis curæ. Sicut dictum eſt Iſai. 66. Feci ut inquirerer ab his qui non interrogaverunt: Inventus ſum à non quærentibus. Simile hoc eſt comitatui viatorum qui ambulabat per viam, cum autem adveſperaſceret, acceſſit ad eos hoſpes, dicens, Recipite vos in hoſpitium propter feras & propter latrones. At illi dixerunt ei, non eſt nobis conſuetudo nocte in hoſpitio commorari. Poſtquam autem receſſiſſent, irruit ſuper eos intempeſta nox & tenebræ, & revertentes petebant aperiri ſibi ab hoſpite hoſtium. Ille autem dixit ſibi, non conſuevit hoſpes aperire hoſtium nocte, quoniam non admittit hominem nocturno tempore, quo tempore quæſivi recipere vos hoſpitio, non voluiſtis, nunc autem vos quæritis, ipſe autem nolo admittere vos. Sic dixit Deus ſanctus & benedictus, Quærite Deum dum inveniri poteſt, revertimini filii prævaricatores, & non fuit qui quæreret & reverteretur. Dixit eis Deus ſanctus & benedictus, Vadam & revertar ad locum meum primum. Poſtquam vero traditi ſunt regnis, aſſimilati ſunt animalibus & cœperunt clamare, Quare Deus ſtas à longe. Dixit eis Deus ſanctus & benedictus, quando ego quæſivi, vos non quæſiviſtis, nunc autem vos quæritis me, & ego non audiam vos, viciſſitudo pro viciſſitudine, ſicut dictum eſt, Factum eſt ſicut vocavit & non audierunt. Nunquid hoc erit perpetuo miſericordia & pax. i. abſit. Uſque ad tempus & tempora & uſque ad dimidium temporis.*

PSAL. XI.

1. I*N monte &c.*] Particulæ *in* & *ſicut* in Hebræo minime leguntur. Quod ipſe rationem metri in cauſa eſſe arbitror. Hebræi tamen interpretes ſubintelligendas præcipiunt. Poſſetque æque verti *de monte* ſicut *in montem.*

7. *Videbunt facies*] Libro Midras Tehilim ר״א יחזו פנימו אילו שבע כיתות של צדיקי׳ שכן נאמר והמשכילים יזהרו כזוהר הרקיע שהן עתידין להיות כאידון פניהם כחמה וכלבנה כרקיע וככוכבי כברקים כשושנים וכלפידים כחמה שנא׳ כצאת השמש בגבורתו׳ כלבנה שנא׳ כירח יכון לעולם כרקיע שנא׳ כזוהר הרקיע ככוכבים ש״נ ומצדיקי׳ ארבים ככוכבים כברקים ש״נ כברקי ירוצו כשושני׳ ש״נ למנצח על שושני׳ כלפידים ש״נ ומראיהם כלפידי׳ כת ראשונה לפני המלך יושבת ורואה את המלך ואת הפניו׳ שנא׳ ישבו ישרים את פניך ואומ׳ ישר יחזו פנימו כת שניה אומרת אשרי יושבי ביתך שלישית מי יעלה בהר יי׳ רביעית אשרי תבחר ותקרב חמישית יי׳ מי יגור באהלך ששית מי ישכון בהר קדשך שביעית ומי יקום במקום קדשו וכל כת וכת יש לו מדור בגן עדן וכנגדן שבע בתי דירות בגיהנם לרשעים ואלו הן. שאול ואבדון גיא רופה וצלמות וארץ תחתית וארץ ציה הרי שבע בתי דירות לרשעים ושבע לצדיקי׳ לכל אחד ואחד לפי מעשיו בתי דירתן: i. *Sermo alius, videbunt faciem ejus. Hæ ſunt ſeptem Iuſtorum diverſitates de quibus dictum eſt Danielis* XII. *Et intelligentes ſplendebunt ſicut ſplendor cœli. Futurum ſiquidem eſt ut facies juſtorum fulgeant tanquam ſol, tanquam luna, tanquam cœlum, tanquam ſtellæ, tanquam fulgura, tanquam lilia, & tanquam lampades. Tanquam Sol, ſicut dictum eſt Iud. 5. Sicut egreſſus ſolis in fortitudine ſua. Tanquam luna, ſicut dictum eſt Pſalm* 88. *Sicut luna præparata in æternum. Sicut cœlum, ut dictum eſt Dan.* 12. *Tanquam ſplendor cœli. Ut ſtellæ, ſicut dictum eſt Daniel.* 12. *& juſti ſplendeſcent ſicut ſtella. Ut fulguræ, ſicut dictum eſt Naum.* 2. *Tanquam fulgura diſcurrent. Sicut lilia, ſicut dictum eſt in Pſalm. Ad victoriam ſuper liliis. Tanquam lampades, ſicut dictum eſt Naum.* 2. *Viſio eorum ſicut lampadarum primi ante faciem Regis habitant & intuentur Regem & faciem ejus, ſicut dictum eſt, Habitabunt recti coram facie tua, & dictum eſt Recti videbunt faciem eius. Secundi, dicunt: Beati qui habitant in domo tua. Tertii, quis aſcendet in montem Dei. Quarti, beatus quem elegiſti & appropinquaſti. Quinti, Deus, quis hoſpitabitur in tabernaculo ſuo. Sexti, quis habitabit in monte ſancto ejus. Septimi, & quis ſurget in loco ſancto*

ſio ejus. Qualibet autem harum diverſitatum habet manſionem per ſe in horto deliciarum, & econtra ſeptem quoque habentur manſiones in gehenna pro impiis, & ſunt iſtæ, ſeol i. infernus, abadon, i. perditio, ghe i. vallis vel profundum, duma i. taciturnitas. Zalmavet i. umbra mortis, erez tahtit, i. terra inferior, & erez cia, i. terra ſitiens. Hæ ſunt ſeptem manſiones juſtorum & ſeptem impiorum. Cuilibet autem manſio deputatur juxta opera ejus.

PSAL. XIII.

6. E*Go autem in miſericordia tua &c.*] Libro Midras Tehilim. אמ׳ הכה לדוד דוד באי זה טור כזכיא אתה אומ׳ דברים הללו אמ׳ לו שאני בוטח על חסדי׳ דושג׳ ואני בחסדך בטחתי באותו החסד שנ׳ בן חסרה מלאה הארץ ואומ׳ אם׳ אמרתי מטה רגלי חסרך ה׳ יסעדני רא ואני בחסדך בטחתי בתורה כרא ותורת חסד על לשונה יגל לבי בישוע זה אחד מן המקראות הקשין שישועתו של הכה היא ישועתן של ישראל ישועתנו אין כתיב אן אלא ישועתך אמ׳ דוד ישועתנו היא ישועתך: i.
„ Dixit Deus ſanctus & benedictus Davidi: David quomodo præ-
„ ſumis tu dicere verba hujuſcemodi? Dixit ei: Quoniam ego con-
„ fiſus ſum in miſericordia tua, ſicut dictum eſt: Ego autem in
„ miſericordia tua confiſus ſum, in illa, ſcil. miſericordia de qua
„ dictum eſt, Miſericordia Dei plena eſt terra; de qua etiam di-
„ ctum eſt. Si dixi motus eſt pes meus, miſericordia tua Deus ſu-
„ ſtentabit me. Sermo alius, Et ego in miſericordia tua confi-
„ ſus ſum, in lege. ſ. ſicut dictum eſt in Et lex pietatis in lingua
„ ejus. Exultavit cor meum in ſalvatione tua. Hæc eſt una de
„ ſcripturis duriſſimis, quod ſc. Salvatio Dei ſancti & bene-
„ dicti ſit ſalvatio Iſraelis, ſalvatio noſtra, non eſt ſcriptum ſic,
„ ſed ſalvatio tua. Dixit itaque David Salvatio noſtra ipſa eſt ſal-
„ vatio tua.“ Hinc ex noſtris multi elicere nituntur divinitatem Meſſiæ, intelliguntque ſalvationem Dei eſſe ſalvationem Iſraëlis, & è contra, quoniam ſalvato Meſſia vero Deo, qui eſt caput & princeps Iſrael, ſalvatur & Iſrael & Deus ſimul. Et hunc intellectum habuerunt antiqui Hebræorum, uti magis declaravimus in ſcholiis libri Levitici & in ſcholiis Iſaiæ. Nec mirum ſi videbatur arduum eis & difficillimum myſterium iſtud, quoniam filii Dei incarnatio ſuperat non ſolum omnem ſenſum, ſed omnem intellectum.

PSAL. XIV.

1. D*Ixit ingratus*] אמר נבל, i. dixit ingratus. נדיב & נבל i. nabal & nadib, apud Hebræos voces oppoſitæ, in quarum interpretatione variant interpretes. Nam Jonathas Chaldæus interpretatur nadib *juſtus*, nabal vero *impius*. Abenezra vero ſuper illud Deuteronomii עם נבל ולא חכם quod nos legimus *popule ſtulte & inſipiens*, dicit נדיב eum ſignificare qui libere & voluntarie & gratis bona tribuit, quem nos beneficium dicere poſſumus: נבל vero eum, qui bonorum, quæ accepit, obliviſcitur, & in hunc ſenſum interpretatur verba prædicta Deuteronomii. Populus enim Hebræorum, ut ipſe ait recte, Nabal, i. ingratus appellatur, quod innumerabilibus bonis à Deo acceptis nequaquam (ut decebat) gratias egit, quin potius blaſphemus & injurius in Deum ſemper fuit. Et pari modo Nabal ille, de quo legitur in libris Regum multis à Davide bonis donatus, nullam gratitudinem oſtendit. Unde merito נבל i. ingratus dictus eſt. Libuit proinde autoritatem Abenezra ſecutus, quæ etiam ratione fulcitur, magis interpretari quod hic legitur אמר נבל *dixit ingratus*, quam *dixit ſtultus*. Verbum etiam Arabicum huic correſpondens, immanem potius & impium ac immitem quam ſtultum ſignificat. Verba autem Abenezra ſtudioſis Hebrææ linguæ hoc loco ſubjicimus, ר״א אמר נבל בכעשיו ולא חכם בלבו ולפי דעתי העשה טובה אם יקרא נדיב ומשלם רעה למי שהטיב עמו יקרא נבל והוא שאמר לא יקרא עוד לנבל נדיב כי הוא הפנו לכן אמר על נבל הכרמלי כי כשמו כן הוא נבל שמו ונבלה עמו כי דוד עשה עמו טובה גדולה ושכד כל אשר לו והוא לאר צרה לשלם לו כגמול ויעט במלאכי חי בזהו.

5. Tres hujus Pſalmi verſus, quintum videlicet, ſextum & ſeptimum non habet Hebræus nec Chaldæus contextus. Græcus etiam nunc illos non habet, olim tamen forſan habuit eos Græcus, quod ſuſpicari licet, tum ex utraque Arabica interpretatione, Syra videlicet & Ægyptia, quas è Græco deſumptas non dubito, in qua etiam nunc viſuntur, tum ex tertio capite Epiſtolæ Pauli ad Romanos, ubi Græcam literam, quæ, ut arbitrantur nonnulli, LXX. duorum fuit interpretum, cum his inſerit verſibus.

PSAL. XVI.

1. D*Ixi Deo, Deus meus*] Libro Midras Tehilim אמ׳ דוד לפני הכה רבונו של עו״ם שהייתי מלך המלכתיך עלי א״ם לו הכה אני מחזק לך טובה טובתי בל עליך ולמי אני מחזק טובה לקדושי אשר בארץ הכה שאין הכה קורא לצדיקים קדושים עד שינתנו בארץ עד יום מותם למה שיצר הרע מצרב אדם בעולם הזה ואינו מאמין בהם עד יום מותם וכן אמ׳ שלמה כי אדם אין צדיק בארץ לפיכך אינו נקרא קדוש עד שינתן בארץ ואפילו האבות לא נקראו קדושים עד שניתנו בארץ שנא הן בקדושיו לא יאמין ואימת האמין בהן בשעה שנאמ׳ למשה לך ואספת את זקני ישראל מסך משה ואמ׳ זכור לאברהם ליצחק ולישׂ׳ עבדיך א״ר פינחס אפילו בקשו האבות שתהא דירתן למעלה יכלין היו ואעפ״כ לא נקראו קדושי עד שניתנו לארץ תכסת׳ הגולל׳ בפניהם א״ר אחא בר פפא מאי קראה משך אברים בכחו זה יצר הרע שמשך אבירי׳ בכחו כגון דורו של׳ אנוש ודור המבול ודור הפלגה וסדומי ירבו עצבותם כמו שכתו בעצבון תאכלנה ואומ׳ הרבה ארבה עצבונך והרה הרבה עצבונך לאבות העולם דשמא הפקידו תל כל אבין ניסהם מרם: i. Dixit David coram Deo
„ ſancto & benedicto: Domine orbis, quamvis ego eſſem Rex,
„ tamen conſtitui te Regem ſuper me. Dixit ei Deus ſanctus &
„ benedictus, nequaquam ego confirmo tibi bonum, ſequitur bo-
„ nitas mea non eſt ad te, i. de bonitate mea nihil ad te. i. non curas
„ de ipſa, & cuinam ego confirmo bonum, ſcis qui intra ſunt Deus
„ ſiquidem ſanctus & benedictus non vocat juſtos ſanctos donec
„ tradantur terræ uſque nimirum ad diem mortis eorum. Quare?
„ Quia fomes pravus formatur in homine in mundo iſto, &
„ non eſt ſecurus de ipſo uſque ad diem mortis ſuæ. Propterea
„ dixit Salomon, Quoniam non eſt homo juſtus ſuper terram.
„ Nam & patriarchæ non ſunt vocati ſancti donec traditi ſunt
„ terræ: ſicut dictum eſt, Ecce in ſanctis ejus non confidit.
„ Quando igitur confidit in eis. In tali hora, qualis fuit illa qua
„ dixit Moſſe, Vade & deſcende ad ſeniores Iſrael, reſpondit Moſ-
„ ſe & dixit, Memento Abraham, Iſaac & Iſrael ſervorum tuo-
„ rum. Dixit R. Pinchas: ſi quæſiviſſent patres dari eis habita-
„ tionem ſupernam, utique impetraſſent, & nihilominus non
„ ſunt vocati ſancti uſquequo traditi ſunt terræ & cooperta eſt
„ vello facies eorum. Dixit R. Aba Bar Papa, quid ſibi vult
„ quod ſcriptum eſt, traxit robuſtos in fortitudine ſua, hic eſt
„ fomes pravus. Robuſtos in fortitudine ſua, hoc eſt,
„ generationem Enos, generationem diluvii, generationem di-
„ viſionis i. turris Babyloniæ, & generationem Sodomorum, mul-
„ tiplicabuntur labores eorum ſicut ſcriptum eſt, & dixit multi-
„ plicans multiplicabo labores tuos.

9. *Lætatum eſt cor &c.*] Libro Midras Tehilim א״ר אבהו שמח לבי בדברו תורה ויגל כבודי במלך המשיח שעתיד לצאת ממנו כי על כל כבוד חופה *Dixit Rabbi Ababu, Lætatum eſt cor meum, ſc. in verbis legis, & exultavit gloria mea in Rege ſive MESSIA, qui erat egreſſurus de ipſo, quoniam de ipſo dictum eſt Jeſ. 4. Quia ſuper omnem gloriam cooperimentum.*

PSAL. XVII.

3. N*On inveniſti cogitationes meas tranſire os meum*] Duæ negationes apud Græcos nequaquam affirmativam efficiunt orationem quemadmodum apud Latinos: ſed quod una negatione negativum redditur, altera nihilominus ſuperveniente etiam negatum permanet quod Græce ſcientibus notiſſimum eſt. Ita eſt etiam per omnia apud Hebræos, uti maxime liquet hoc quarto verſiculo, in quo duæ habentur negativæ negationes, בל המצא זמתי בל יעבור פי, i. *Non inveniſti cogitationes meas: non tranſire os meum.*

14. *A viris manus tua &c.*] ממתים notatum (:) ſceva ſignificat *viros*; notatum vero (¨) zere ſignificat *mortuos*, uti liquet ex ordinaria Hebræorum gloſſa.

15. *Cum evigilavero*] Non in hoc ſeculo ſicut impii, quorum pars eſt in hac vita, ſed in ſeculo futuro, inque æterna vita, ubi evigilavero à ſomno mortis: videboque ſimilitudinem tuam, imo gloriam tuam, imo te ipſum: quies tota gloria mea.

PSAL. XVIII.

1. S*Ervi Dei*] Libro Midras Tehilim כך ישראל בשינגא מלך המשיח במהרה בימינו אין אומ׳ שירא עד שיתחרף מלך המשיח שנ׳ אשר חרפו אויבך יי׳ וגו ועד שיפלו לפניו ארבעה מלכיות שנ״א ואספתי את כל הגוים אל׳ ירושלם מיד ויצא יי ונלחם בגוים ההם אותה שעה אומ׳ שירה מזמור שירו לי׳ שיר חדש כי נפלאות עשה:
i. Sic

i. „Sic Iſraël cum venerit Rex MESSIAS in feſtinatione, in „diebus ejus nequaquam dicent canticum, donec exprobratum „fuerit Regi MESSIÆ ſicut dictum eſt, Pſalm. 88, quod „exprobraverunt inimici tui Deus &c. Et donec corruant coram „eo quatuor regna ſicut dictum eſt Zach. 14. Et congregabo „omnes gentes contra Jeruſalem &c. & egredietur Deus & præ- „liabitur contra gentes illas &c. Tunc autem dicent canticum „ſicut dictum eſt Pſalm. 99., Cantate Deo canticum novum, „quoniam mirabilia fecit.

Superſtitioſi Hebræorum inceſſanter carpunt invehunturque in auctores Novi Teſtamenti, quod non allegent teſtimonia veteris Sacræ Scripturæ, ea verborum ſerie eoque ordine, quo leguntur in libris Prophetarum, inſimulantque eos corruptionis Scripturarum, & cum dicitur ad excuſandos autores noſtros, ſatis fuiſſe quod viri Dei Spiritu acti inſeruerint ſuis ſcriptis, ſenſa legis & prophetarum, non etiam verba, non admittunt hoc pervicaces & duræ cervicis Hebræi, minime animadvertentes idem feciſſe autores Veteris Inſtrumenti, quod tamen male à noſtris factum prædicant. Quæ res maxime ex hoc Pſalm. 18. patet. Si enim diligenter legatur hic Pſalmus apud Samuëlem prophetam 2 Reg. 22. deprehendetur Hebræam Samuelis literam in locis novem & quadraginta à litera Davidis differre. Poſſumus itaque Hebræis reſpondere ubi in noſtros inſurgunt, ea quæ à ſcriptoribus Novæ Legis edita ſunt, non ſolum divina inſtigatione & magna ſapientia elucubrata fuiſſe, ſed & data opera ita edita ad imitationem eorum, qui Veterem ſcripſerunt Legem.

De auctore Chaldææ editionis quæ habetur ſexto libri hujus ordine, non eſt una omnium ſententia. Siquidem ſunt ex Latinis, qui editionem hujuſcemodi Jonathæ benoziel aſcribunt, quibus tamen ipſe nequaquam aſſentio. Conſtat namque & pro confeſſo habetur, tum apud Latinos, tum apud Hebræos, Jonatam edidiſſe Chaldæam interpretationem librorum Samuelis prophetæ, quos noſtri primum & ſecundum Regum appellant, ſtilus vero Chaldæus hujus XVIII. Pſalmi, qui ibidem legitur, permultum diſſimilis habetur ab eo, quem in Pſalterio habemus, quo fit ut non ab eodem autore manaſſe utramque editionem credendum ſit. Alioqui nihil cauſæ erat, quod idem autor in re unius & ejuſdem ſenſus ſe tam varium tamque ſui diſſimilem exhiberet. Conſequens proinde hanc Davidicam Pſalmorum interpretationem ab alio quam à Jonatha Manaſſe. Quod ſi Hebræis credimus, quanquam ſuæ aſſertionis juratos non afferant teſtes, dicemus, R. Joſeph cæcum, qui ferme annis trecentis floruit poſt ſecundam templi deſtructionem, hujus editionis autorem, virum citra controverſiam multæ eruditionis, theologiamque apprime callentem, qui etiam meminit de attributis (quos appellant) divinis, ſed & de verbo Dei in innumeris locis honorificam facit mentionem, & multa adducit electiſſima & rara in favorem Chriſtianæ religionis ex quibus Hebræi redargui & convinci poſſunt.

26. 27. Chald. *Interturbaſti illos in cogitationibus eorum*] Proprietas ſermonis Chaldæi.

27. *Pervertes*] *Cum perverſo perverteris.* Rectius *Pervertes* quam *perverteris*, ut ſermo ad Deum dirigi intelligatur. Nam hic Deus cum ſancto ſanctus, quia ſanctificat, & cum viro perfecto perfectus quia perfectionem præſtat, & cum mundo mundus quia munditiam cordis tribuit, & cum perverſo pervertens, quia ultor & vindex malorum. Et hæc ni fallor & Hieronymi & patrum Hebræorum intelligentia, & Bernardi inſuper ſic ſuper cantica ſcribentis: „Qualem te paraveris Deo, talis opor- „tet appareat tibi Deus cum ſancto ſanctus erit, & cum viro in- „nocente innocens erit, quidni? æque & cum amante amans, „& cum vacante vacans, & cum intento intentus, & cum ſoli- „cito ſolicitus.

32. *Quoniam quis eſt Deus &c.*] Magnum nomen DEI יהוה tetragrammaton hoc loco interpretati ſumus *eum qui dat eſſe*, alioqui dicendum nobis fuerat, *quis eſt Deus præter Deum*, quæ oratio abſona admodum & intelligibilis videbatur.

36. *Et dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ,*] Vel, *dabis mihi clypeum ſalutem tuam.* Libro Midras Tehilim ר' יודן בשם ר' חייא אמר לעתיד לבא והקב"ה מושיב למלך המשיח לימינו שנ' נאם יי' לאדני שב לימיני, i. *Rabbi Joden in nomine Rabbi Chia dixit, Futurum eſt quod Deus ſanctus & benedictus ſedere faciat Regem MESSIAM ad dexteram ſuam, ſicut dictum eſt Pſ. 110. Dixit Dominus Domino meo ſede ad dexteram meam.*

51. *Meſſiæ tuo Davidi &c.*] Libro Midras Tehilim in calce hujus Pſalmi ומהו מגדול שנעשה להם מלך המשיח במגדל שני מגדול ישועות ומגדל עז שם יי' בו ירוץ צדיק ונשגב, i. *Et quod eſt caſtrum, vel quæ eſt turris, quæ facta eſt eis? Rex MESSIAS, quemadmodum dictum eſt, Turris ſalutis, & ſcriptum eſt Turris fortitudinis nomen DEI, in ipſum curris juſtus & ſuſtolletur.*

PSAL. XIX.

1. *Extenſio*] Secundum ex ſeptem nominibus quibus Hebræi cœlum ſignificant, impoſitum verius ab extendendo quam à firmando.

4. *Non auditur vox eorum*] Juxta illud: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et hic literalis ille ſenſus, qui cum ſpiritali coincidit, uti ſcripſit Faber principio commentationum ſuarum.

5. *In omnem terram exivit filum ſive linea eorum*] Eo intellectu, quo linea proprie ſignificat filum illud, quo materiarii utuntur fabri ad ſignandam materiam, perinde ac ſi dixiſſet propheta, *exivit ſtructura* ſive *ædificium eorum.*

Ibid. *Et in fines mundi verba eorum*] Saltem temporibus noſtris, quibus mirabili auſu Chriſtophori Columbi Genuenſis, alter pene orbis repertus eſt, Chriſtianorumque cœtui aggregatus. At vero quoniam Columbus frequenter prædicabat ſe à Deo electum ut per ipſum adimpleretur hæc prophetia, non alienum exiſtimavi, vitam ipſius hoc loco inſerere. Igitur Chriſtophorus cognomento Columbus, patria Genuenſis, vilibus ortus parentibus, noſtra ætate fuit, qui ſua induſtria, plus terrarum & pelagi exploraverit paucis menſibus, quam pene reliqui omnes mortales univerſis retro actis ſeculis. Mira res, ſed tamen plurium jam non navium modo, ſed claſſium & exercituum euntium redeuntiumque teſtimonio explorata & certa. Hic puerilibus annis vix prima elementa edoctus, pubeſcens jam rei maritimæ operam dedit, dein profecto in Luſitaniam fratre, ac Uliſſippone quæſtum inſtituente, pingendarum tabellarum ad uſum maritimum effigiantium maria & portus & litora, hujuſmodi maritimos ſinus atque inſulas didicit ab eo, quæ ibi tum forte is à plurimis acceperat, qui ex regio inſtituto ibant quotannis ad explorandas inacceſſas Æthiopum terras, & Oceani intra meridiem & occaſum, remotas plagas. Cum quibus is plurics ſermonem ſerens, quæque ab his acceperat conferens cum his quæ & in ſuis ipſe jamdudum fuerat meditatus picturis, & legerat apud Coſmographos, tandem venerat in opinionem poſſe omnino fieri, ut qui Æthiopum ad Libicum vergentium litora linquens, rectus dirigat inter Zephyrum & Libicum navigationem, paucis menſibus aut inſulam aliquam, aut ultimas Indorum continentes terras aſſequeretur. Quæ ubi ſatis exacte percepit à fratre, ſerio intra ſe rem examinans, nonnullis Regis Hiſpani proceribus oſtendit, eſſe in animo ſibi, modo Rex neceſſaria rei conficiendæ ſubminiſtret, longe celerius quam Luſitani feciſſent, novas terras, novoſque adire populos, regiones poſtremo ante hac incognitas penetrare. Fit celeriter de re hac verbum Regi, qui tum Regum Luſitanorum æmulatione, tum ſtudio hujuſmodi novarum rerum & gloriæ, quæ ſibi ac poſteris poſſet de ea re accedere pellectus, diu re cum Columbo tractata, navigia tandem exornari duo jubet, quibus ſolvens Columbus ad inſulaſque fortunatas navigans, curſum inſtituit paululum ab Occidentali linea ſiniſter inter Libicum ſcil. ac Zephyrum, remotior tamen longe à Libico & ferme Zephyro junctus. Ubi complurium dierum curſus exactus eſt & computata ratione cognitum quadragies ſeſe jam centena paſſuum millia eſſe permenſum recto curſu, cæteri quidem ſpe omni lapſi: referendum jam eſſe pedem, & curſum in contrariam partem flectendum eſſe contendebant, ipſe vero in incepto perſiſtere, & quantum conjectura aſſequi poſſet, promittere haud longius diei unius navigatione abeſſe vel continentes aliquas terras, vel inſulas. Haud abfuit dictis fides. Quippe ſequenti luce terras neſcio quas conſpicati nautæ eum laudibus efferre, & maximam in hominis opinione fiduciam reponere. Inſulæ erant, ut poſtea cognitum eſt, ferme innumeræ, non longe à continentibus quibuſdam terris, ut præ ſe ferebat aſpectus. Ex hujuſmodi inſulis nonnullas animadverſum ferre homines incultos cognomento Caniballos, humanas ad eſum carnes minime abhorrentes, ac vicinos populos latrociniis infeſtantes, cavatis quibuſdam magnarum arborum truncis, quibus ad proximas trajicientes inſulas homines quaſi lupi in cibum venentur. Nec defuit fortuna ex his unam naviculis cum ſuis hujuſmodi ductoribus comprehendendi, idque haud incruenta pugna, qui poſtmodum uſque in Hiſpaniam ſoſpites vecti ſunt. Quæ prima eſt inventa ex inſulis Hiſpana eſt nuncupata: in eaque inventi mortales innumeri, paupertate & nuditate conſpicui, quos primo nutibus ad congreſſum comiter invitatos doniſque allectos, ubi propius acceſſerunt, facile apparebat & diſſimilem ſuo candorem, & habitum & inauditum antea ad eos acceſſum, cæteraque omnia quaſi è cœlo advenientium obſtupeſcere & mirari, quippe color illis longe diſſimilis noſtro, minime tamen niger, ſed auro perſimilis, lacerna illis

collo pendebat hærebatque pectori contegens pudenda quaſi velamen, cui modicum annexum eſſet aurum, eaque communis marium & feminarum, non amplius virginum. Nam virgines nudæ prorſus incedunt, donec à viris quibuſdam ejus rei peritis, oſſeo quodam veluti digito, virginitatem exuantur. Nulla apud eos animalia quadrupedia, præter canes quoſdam puſillos, alimenta illis radices, ex quibus panes conficiuntur, haud diſſimilis ſaporis triticeo, tum glandes alia figura quam noſtræ, ſed eſui jocundiores. Voti compos jam factus Columbus, remeare in Hiſpaniam conſtituit, communitoque loco quem primum occupaverat, ſoliſque quadraginta ad cuſtodiam relictis in Hiſpaniam navigat, proſperamque ſortitus navigationem, ubi primum ad fortunatas appulit inſulas, nuncios cum literis ad Regem præmittit, qui de his omnibus factus certior, mirum in modum gaviſus eſt, præfectumque eum totius rei maritimæ conſtituens, magnis honoribus ornat. Procedunt ei venienti obviam univerſi proceres, magnoque gaudio excipitur novi orbis inventor. Nec mora, parantur aliæ naves & numero & magnitudine priores longe excedentes, omniumque rerum genere implentur. Mittit Hiſpania jam ſua in innocuum orbem venena, oneratur plurima & ſerica & aurata veſte, & cui non ſatis erat de hoc noſtro orbe triumphaſſe, navigat in puros & innocuos populos luxus, & quæ vix noſtram ſatiare ingluviem poterant ſilvæ, quamvis inceſſantibus pene exhauſtæ venationibus, in remotiſſimas plagas mittunt ſuem aptumque illorum ante hac neſcios ventres diſtenturos. Sed navigant cum his qui ex parata & populos jam jam captura ingluvie, proventuris morbis Æſculapii invento medeantur. Deferuntur ſemina & plantæ arborum. Nam triticum, ut poſtea cognitum eſt, ubi terræ conditum fuerat, primo ſtatim ad grandiuſculam altitudinem creſcens, paulo poſt evaneſcebat, quaſi damnante natura nova cibariorum genera, & eos ſuis radicibus eſſe contentos jubente. Solvens igitur Columbus claſſem duodecim navium, armis viriſque & omni rerum copia inſtructam, non amplius viginti dierum navigatione ad inſulam Hiſpanam appellit, offendit quos reliquerat ad unum omnes à barbaris ſtrangulatos, cauſa prætenſa quod in eorum mulieres impudici & injurii fuiſſent. Igitur accuſata eorum ſævitie & ingratitudine, ubi videt eos ad pœnitentiam verſos, veniam eis edicit indulturum, modo fideles in poſterum & dicto audientes ſint. Deinde miſſis inquiſitoribus in quaſcunque partes, ubi videt inſulam eſſe & magnitudine & aëris temperie & ſoli fœcunditate, & populorum frequentia inſignem, ſimulque aſſeritur inveniri certis in locis, aquarum in præruptis, puriſſimum aurum, nec deeſſe in campis ſemen quoddam piperi perſimile & figura & ſapore, ſtatuit omnino oppidum condere. Undique igitur conquiſita materie, adhibitiſque earum rerum peritis, brevi erectum eſt oppidum, cui *Heliſabeth* inditum nomen. Ipſe profectus duabus ſibi navibus aſſumptis, inſulam ipſam circuit. Deinde continentis illius ſoli, quod *Joannæ* nomine nuncupaverat, litus legens, dies unum & ſeptuaginta adnavigat ei littori, jugiter occiduum ſolem verſus proram tenens, circiterque ſexagies centena millia paſſuum, vir navigorum curſus peritiſſimus æſtimator, ſe eſſe progreſſum ex dierum noctiumque ſupputatione cognoſcit. Id quod conſtitit promontorium *Evangeliſtam* appellat, retroque flectendi curſum conſilium capit, rediturus eo paratior & inſtructior. Inter navigandum vero, ſignantur in tabula & ſinus & litora & promontoria. Retulitque hoc mundi latus poli arctici decem & octo graduum elevationem habere, cum quatuor tamen & viginti ſeptentrionale litus inſulæ Hiſpanæ, poli ipſius altitudinem oſtendit. Cognitum eſt autem ex obſervatione ſuorum, ſi modo veram inire rationem potuerunt, eam quæ anno Domini quarto & nonageſimo poſt milleſimum & quadringenteſimum eclipſim apparuit menſe Septembri, quatuor fermis horis ante apud Hiſpanam inſulam, quam Hiſpali, quæ vulgo Sibilia nuncupatur, viſam. Ex ea autem computatione colligebat Columbus eam inſulam horis quatuor, *Evangeliſtam* vero decem à Gadibus diſtare, nec complius duabus horis, hoc eſt duodecima parte totius circuli terrarum, ab eo loco, quem Ptolomæus *Catigara* vocat & ultimum habitabilis in Oriente ſole conſtituit abeſſe. Quod ſi non obſtiterit navigantibus ſolum, brevi futurum, ut ultimum Oriens omni decurſo inferiore noſtro hemiſphærio, contrario curſu conjunctus fuerit à tendentibus ad Occidentem. His tam miris peractis navigationibus, regreſſus in Hiſpaniam Columbus, fati munus implevit. Rex ipſe qui viventi multa privilegia contulerat, mortuo dedit, ut filius in patris locum ſuccederet, præfecturamque Indorum, mariſque Oceani ageret, qui in hodiernum uſque vivit, ſumma amplitudine, ſummiſque opibus. Nec primores Hiſpaniæ dedignati ſunt illi conjugio copulare, juvenem nobilitate & moribus inſignem. Moriens autem Columbus, haud oblitus eſt dulcis patriæ, reliquit enim officio Sancti Georgii quod appellant, habentque Genuenſes præcipuum & veluti totius Reipublicæ decus & columen, decimam partem proventuum univerſorum quos vivens poſſidebat. Hic fuit viri celeberrimi exitus, qui ſi Græcorum Heroum temporibus natus eſſet, procul dubio in Deorum numerum relatus fuiſſet.

13. *Ab arrogantiis quoque &c.*] i. à temeritatibus & à peccatis quæ perpetrantur ex propria malitia, quæ Hebræi זדים vocant, nos, temeritates, arrogantias, petulantias, ſuperbiaſque appellare poſſumus.

PSAL. XXI.

1. D*Eus in fortitudine tua lætabitur,*&c.] Libro Midras Tehilim, *Deus in fortitudine tua lætabitur Rex* אי׳ חנינא אין מלך המשיח בא אלא ליתן לאומות העול׳ שש׳ מצוות כגון סוכה ולולב ותפלין ולמה בשביל אליו גוים ידרשו אבל ישראל לומדין תורה מן הקבה שנ׳ כל בנך למודי יי׳ ר׳ חנינא בשם ר׳ אחא אמ׳ מהו והיתה מנוחתו כבוד שהוא נותן למלך המשיח מן הכבוד של מעלה שנ׳ ובישועתך מה יגל מאד: ת״ר בעוז ישמח מלך : Et paulo inferius, בשר ודם אין רוכבין על סוסו ואין יושבין על כסאו ואין משתמשין בשרביטו ומשה רבינו נשתמש בשרביטו של הקבה שנ׳ ויקח משה את מטה האלהי׳ ואליהו רכב על סוסו ומה סוסו של הקבה סופה וסער וכתי׳ ויעל אליהו בסערה השמי׳ מלך בשר ודם אין לובשין עטרה שלו והקבה נתנה למלך המשיח שנא׳ תשית לראשו עטרת פז מלך בשר ודם אין לובשין פורפירא שלו וכל ומהו הוד והדר לבשתו למלך המשיח כתו׳ הוד והדר תשוה עליו מלך בשר ודם אין יושבין על כסאו ושלמה ישב על כסאו שנ׳ וישב שלמה על כסא יי׳ מלך בשר ודם אין קוראין לכנו שלו בשמו והקבה קרא למשה בשמו שנ׳ ראה נתתיך אלהים לפרעה וכן ישראל אני אמרתי אלהי׳ אתם וקראן קדושי׳ שנא׳ קדושים תהיו כי קדוש אני יי׳ וכתיב כי עם קדוש אתה וקורא למלך המשיח על שמו ומה שמו יי׳ איש מלחמה ובמלך המשיח מה שמו אשר יקראו יי׳ צדקנו וירושלם נקראת על שמו שנא׳ ושם העיר מיום יי׳ שמה i. „Dixit Rabbi Hanina Non „eſt venturus Rex Meſſias, niſi ad dandum præcepta gentibus „mundi, quemadmodum ſunt Zucha, Lulab & Thephilim, „& quare, quia propterea dictum eſt Jeſ. 2. Ad eum gentes „ſtudebunt. Iſrael auten diſcent Legem à Deo ſancto & bene„dicto, ſicut dictum eſt Jeſ. 54. Et omnes filii tui erunt docti à „Deo. R. Hanina in nomine R. Aha dixit, Quid eſt quod ſta„tim ſequitur & erit menuhatho. i. requies ejus, cabod i. honor „vel gloria, quia ipſe ſcil. Deus ſanctus & benedictus tribuit Regi „Meſſiæ de honore ſuperno. Et hoc eſt dictum, Domine in „virtute tua lætabitur Rex. Traditio eſt magiſtrorum noſtro„rum. Regis carnis & ſanguinis currum nullus aſcendit, & nul„lus inſuper ſedet ſuper ſellam ejus, nec aliquis utitur ſceptro „ejus. Moſſe autem magiſter noſter uſus eſt ſceptro Dei ſancti „& benedicti ſicut ſcriptum eſt, Et accepit Moſſe virgam Dei. „Helias quoque curru ejus vectus eſt, Et quis eſt currus Dei ſan„cti & benedicti? ventus nimirum & turbo. De Helia namque „ſcriptum eſt, Et aſcendit Helias per turbinem in cœlo. Regis „carnis & ſanguinis corona nullus utitur, Deus autem ſanctus „& benedictus dedit eam Regi Meſſiæ, ſicut dictum eſt, Pones „capiti ejus coronam auri & gemmarum. Regis carnis & ſan„guinis purpura nemo veſtitur. Et quæ eſt illa? confeſſio & de„cor pro indumento. Et de Rege Meſſia ſcriptum eſt, Confeſſio„nem & decorem poſuiſti ſuper eum. Super thronum Regis „carnis & ſanguinis nullus ſedet: Salomon vero ſedit ſuper thro„num ejus, ſicut dictum, Et ſedit Salomon ſuper thronum Dei. „Regis carnis & ſanguinis nullus ſubditorum ejus vocatur nomine „ipſius. Dei autem ſancti & benedicti vocavit Moſſe nomine „ejus: ſicut dictum eſt, Vide, dedi te pro Deo Pharaoni & ſi„militer Iſrael. Ego dixi, Dii eſtis vos. Et vocabimini ſancti, „ſicut dictum eſt, Sancti eritis, quoniam ſanctus ego Deus. Et „ſcriptum eſt, Quoniam populus ſanctus eſt, & vocavit Regem „Meſſiam nomine ejus, & quod eſt nomen ejus? Deus vir pu„gnator: Et de Rege Meſſia ſcriptum eſt, & hoc eſt nomen, „quod vocabunt eum, Deus juſtus noſter. Et Jeruſalem vo„cata eſt nomine ejus, ſicut dictum eſt, Et nomen civitatis à die „illa, Deus ibidem &c.

4. *Quoniam prævenisti*] כי תקדמנו ברכות טוב ר׳ אומ׳ ברכות משה שני׳ קרא טוב שנ׳ ותרא אותו כי טוב הוא רבנן אמרי ברכותיה של תורה שנ׳ כי לקח טוב נתתי לכם תורתי אל תעזבו כי בן הייתי לאבי רך ויחיד לפני אמי. i. „Quoniam prævenient eum „benedictiones boni, Rabbi dixit, Benedictiones Moſſe, qui „appellatus eſt bonus, ſicut dictum eſt Exod. 2. Et vidit eum, „quoniam bonus ipſe, magiſtri dixerunt, quoniam benedi„ctiones Legis ſanctæ prævenerunt regem Meſſiam, ſicut dictum „eſt Prov. 4. quoniam donum bonum dedi vobis, Legem meam „non derelinquatis, quoniam filius fui Patri meo, tenellus & „unicus coram matre mea.

PSAL.

PSAL. XXII.

A *Ielet*] Rectius quantum mea fert opinio verbum Hebræum אילת vertitur *cerva* fœminino genere, quam *cervus*, propter literam ת, quæ plurimum deſignativa eſt feminei ſexus. Quod etiam comprobatur libro Midras Tehilim, in ipſo ſtatim principio expoſitionis hujus Pſalmi על אילת השחר נשה אלהי׳ יי׳ חילי ומשורה רגלי כאילות אר׳ פנחס כאילי אין כתוי כאן אלא כאילות כי רגלי הנקבות יותר עומרות מן הזכרים i. „Super cerva matutina, hoc eſt quod ſcriptum eſt, Deus Deus virtus mea & ponet „pedes meos tanquam cervarum. Dixit R. Pinehas, ſicut cervorum, non eſt ſcriptum ſic, ſed ſicut cervarum. Quoniam „pedes femellarum habentur firmiores pedibus marium. Sunt tamen multi Hebræorum qui contendunt hoc totum אילת שחר, quod nos interpretati ſumus *cerva matutina*, nomen eſſe inſtrumenti Muſices, inter quos R. Salomon, autorque Gallici vocabularii, & pleriqueali, quemadmodum refert Chimchi, ſed & non deſunt qui dicant, אילת eſſe nomen ſtellæ.

1. *Deus meus, Deus meus*] *Hoc nimirum* (ut ait Robertus in libro de victoria verbi Dei) *ita recte intelligit, ac ſi diceret*, „ô habitans in me omnis pulchritudo divinitatis corporaliter, cur „te intus contines, cur me moriente ſiles, paulo ante unica vo„ce tua projeciſti retrorſum quærentes me, nuper quoque mul„titudinem ingentem radiando ex his oculis, qui nunc languent, „terruiſti, & quod juſtus exercitus facere non potuiſſet, uno „flagello facto de reſticulis ejeciſti de templo, ut quid ô tam po„tens, tam fortis divinitas verbi me carnem tuam dereliquiſti intus „continens, tanquam gladius in vagina.“ Libro Midras Tehilim, דא׳ עורה כבודי מדבר בארבע מלכיות עורה בבבל שהעמדת רני׳ חנניה מישאל ועזריה עורה במדי שהעמדת לנו מרדכי ואסתר עורה ביון העמדת לנו חשמונאי ובניו עורה באדום שאתה עתיד להעמיד לנו מלך משיח i. „Sermo alius, Surge gloria mea, loquitur de quatuor „regnis, ſurge in Babylonia, ubi aſtare feciſti nobis Miſaelem, „Ananiam & Azariam: Surge in Medis, ubi aſtare feciſti nobis „Mardochæum & Heſter. Surge in Græcis, ubi aſtare feciſti „nobis Haſmonai, i. Machabæos & filios ejus. Surge in Edom, „i. Romanis, quoniam futurum eſt ut aſtare facias nobis Re„gem Meſſiam.“ Volunt nonnulli ex hoc haberi, quod Meſſias naſciturus erat tempore regni Romanorum.

18. *Sicut leo, manus mea & pedes mei*, ſive *manus meas & pedes meos*] Conſtructio defectiva, ſubaudiendumque impii tanquam leo manus meas & pedes meos foderunt, perforaverunt, male habuerunt, fixerunt aut male tractaverunt. Siquidem verbum Hebræum כארי *caari* quod aliqui interpretati ſunt *foderunt*, compoſitum eſt ex litera ſimilitudinem ſignificante, & ex nomine ſignificante *leonem*. Nec aſſentio dicentibus, Hebræos hunc locum corrupiſſe, quod ex noſtris arbitrantur multi, qui dicunt, legendum apud Hebræos כרו *caru*, deducta voce à verbo כרה *cara* quod *fodio* ſive *figo* ſive *vincio* ſignificat. Loca enim omnia quæ Hebræi corruperunt, ſtudioſos hujus linguæ non latent, & ipſe in noſtris ſcholiis diffuſe de illis diſſerui, inter quæ hic locus nequaquam numeratur. Verum quod hic verborum ſtructus defectivus habeatur liquet ex Chaldæo textu, qui defectui occurrens addidit verbum נכתין *naſtin*, quod mordentes ſeu vulnerantes ſeu ferientes ſignificat.

31. *Et anima ejus non vivet*] *Non vivet*, recte legitur etiam autore Hieronymo propter particulam לא negativam. Concinit Iſaiæ oraculum: *Ideo diſpartiam ei plurimos & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt*.

Quemadmodum fideles omnes hunc Pſalmum de Chriſto intelligunt, eliciuntque hinc multa, tum de divinitate, tum de humanitate ipſius, ita è contra Hebræi contendunt elicere hinc multa, quæ contraria ſunt poſitioni Chriſtianorum. Itaque non ab re putavi adducere, quæ illi in nos garriunt, & imprimis R. David Chimchi, qui in Commentariis Pſalmorum, hæc quæ ſequuntur, contra Chriſtianos ſcripſit, וזה המזמור יפרשו אותו הנוצרים על ישו והוא מספר כל הרעות שעשו לו ישראל והיה צועק הבן לאב מכל הצרות ואומר אלי אלי למה עזבתני וכן כל המזמור תבשומלת כארי ידי ורגלי ואמרו כרו לשון כי כרה איש כרשתקעו מסמרות בידיו וב רגליו כשתלו אותו והטעה אתם הפסוק ונפשו לא חיה ואמר כי זה הוא אלוה שכרעו אליו כל יורדי עפר והוא לא רצה לחיות נפשו כי בתנאי ירד למחות הבשר שיהרגו הבשר ויושעו בזה יורדי גיהנם לפיכך לא רצה לחיות נפשו אלא מסר עצמו ביד ההורגי אותו ועתה ישמעו אזנם מהשפיתים מדבר הם אמרי כי לא רצה לחיות נפשו ולא צילה מיד ההורגי אותו אם כן למה היה צועק אלי אלי למה עזבתני רחוק מישועתי והוא לא רצה להיות נושע הנה שכח תנאו ואמ׳ ולא תענה והוא לא רצה להיות נענה ועוד אם הוא אלוה הוא עצמו יושיע עצמו ועוד שאמ׳ תהלות ישראל והם הכריעם לו ואיך אמ׳ שהם מהללי האל ועוד אמ׳ בך בטחו אבותינו ואם הוא במושהם אומרים לו היה אל אחד ישר האלוה ואמר ואנכי תולעת ולא איש והנה אמ׳ גול אל יי׳ יפלטהו יצילהו ואם על הבשר לא פלטהו ולא הצילהו ואם על האלהות לא היה צריך הצלה ואמ׳ כי אתה גוחי הוא עצמו הוא המוציא מבטן ואמ׳ אספרה שמך לאחי והאלוה אין לו אחים והנה גנב כי הכפור וההלל וההודאה אחר ההצלות היא והנה היא לא נצל ואמ׳ כל זרע יעקב כבדו והו גורו ממנו כל זרע ישראל כי לא בזה ולא שקץ וישראל היו מריעים לו ועשו בוז האב ישקץ והסתיר פניו ממנו ובשועו אליו לא שמע הנה כל דבר יו שקר ואמ׳ כל משפחות גוים והנה היהודי והישמעאלים לא יאמינו בו׃ Quæ verba ſic interpretari poſſunt. „Pſalmum iſtum expo„nunt Nazareni i. e. Chriſtiani de Jeſu, & illi numerant omnia „mala, quæ fecit ei Iſrael. Et introducunt filium clamantem ad „Patrem quo liberet eum de cunctis moleſtiis, & dicentem Deus „meus, Deus meus quare dereliquiſti me, uſque ad Pſalmi finem. „Corrumpunt autem ſcripturam verbi כארי *carai*, & legunt כרו „*caru*, quod ſignificat fodere puteum, quoniam nimirum fixe„runt clavos in manus ejus & in pedes ejus, quoniam ſcil. ſuſpen„derunt eum. Fuit autem illis cauſa erroris hic verſus, Et ani„mam ejus non vivificabit. Et dicunt quod ipſe eſt Deus, quia „ei inclinari debent omnes qui deſcendunt in pulverem, & ipſe „noluit vivificare animam ſuam, quoniam hoc pacto deſcendit „carnem ſumere, quod caro occidenda eſſet, & propterea ſal„vandi eſſent omnes qui deſcendunt in gehennam, ideo noluit „vivificare animam ſuam, ſed potius tradidit ſe ipſum in manus „interfectorum ejus. Verum audiant quæ dicunt, intelligant„que Chriſtiani ſe ipſos. Ecce dicunt quod noluit vivificare „animam ſuam & noluit erui ab interfectoribus, quomodo ex„clamabat Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me, longe „eſt ſalus mea, ſi noluit ſalvari? Ecce quomodo oblitus eſt pacti „ſui, quæritque exaudiri & non vult exaudiri. Præterea, ſi ipſe „eſt Deus in eſſentia, ſalvet ipſe eſſentiam ſuam. Præterea, „Laus Iſrael; & tamen Iſrael vituperat illum, & dicunt, quod „ipſi laudant Deum. Præterea, In te ſperaverunt patres noſtri, „qui tamen aſſeruerunt Deum unicum eſſe. Præterea, Deus S. „dicit de ſe ipſo, Vermis ſum & non homo. Ad hæc, dicunt „vertit ſe ad Deum, eripiat eum & liberet eum. Et quidem qua „Chriſtus Jeſus carnem habebat, non eripuit nec liberavit eum, „qua vero divinitatem, divinitas moleſtias pati non potuit ut li„beratione indigeret. Præterea, Quoniam tu es, qui extraxiſti „me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ. Poteſtne „aliquis idem & unus eſſe extrahens & extractus. Præterea, „Narrabo nomen tuum fratribus meis, Deo autem fratres nequa„quam ſunt. Præterea, Dicuntur laudes & aguntur gratiarum „actiones poſt liberationem, Jeſus tamen non fuit liberatus. Ec„ce quomodo omnia quæ aſſerunt falſa comprobantur. Præ„terea, Omne ſemen Jacob glorificate eum & metuite ab illo omne „ſemen Iſrael, quoniam non ſprevit nec deſpexit deprecationem „pauperis Iſrael, nihilominus afflixit illum & contemptui ha„buit. Ecce falſa omnia. Præterea, Adorabunt coram te uni„verſæ familiæ gentium. Et ecce falſum. Nam nec Hebræi „nec Arabes adorant eum.“ Hæc ille, quæ adeo craſſe adeoque ruditer ſunt dicta, ut reſponſione digna non ſint.

PSAL. XXIV.

1. D*Ei eſt terra*] Libro Midras Tehilim, ר׳ לולייאני אמ׳ מפני מה לא נבראו המלאכי׳ בראשון שלא יאמרו מיכאל היה מותח מן המזרח וגבריאל מן המערב והקב״ה ממדד באמצע אלא אני יי׳ עושה כל נוטה שמים לבדי רוקע הארץ מאתי מי אתי כתיב מי היה שותף עמי בברייתו של עולם אמ׳ דוד האל ואתה בראת את השמים ואת הארץ לשכן אני קורא אותו שנאמ׳ ליי׳ הארץ ומלואה, i. „R. Luliani dixit propter quid non ſunt creati „angeli à principio? Ne fortaſſis dicerent, Michael extendebat „ab Oriente & Gabriel à Meridie. Deus autem ſanctus & bene„dictus tantum menſuram adinvenit. Ego Deus faciens omnia, „inclinans cœlos ſolus, extendens terram ex me, me *iſti* ſcriptum „eſt, i. ex me, ſive me ſolo. Quis fuit ſocius mecum dum „crearem orbem? Dixit David, Fortitudo ſive potentia tua, „& tu creaſti cœlos & terram. Itaque nomini tuo ego tri„buam illa ſicut dictum eſt, Dei eſt terra & plenitudo „ejus.

PSAL. XXV.

14. S*Ecretum Dei timentibus eum*] Secreta quæ docet Deus timentes eum, ſunt ea quæ continentur Lege Euangelica, partus virginis, verbi Dei incarnatio, filii Dei mors, ejus à mortuis reſurrectio, Corpus ejus in ſanguinem & potum, & reliqua id genus ſecreta.

PSAL. XXIX.

6. *Filius narïicornis*] *Rhinoceros* Græce, Latine *naricornis* animal, quod duo gerit cornua, unum in nare & alterum quod ſuperne erumpit, exiguum quidem ſed validiſſimum. Hujus animalis nuper pictam vidimus imaginem referentem ex hoc genere unum. Quod per hæc tempora Luſitano Regi ex India allatum eſt.

11. *In pace*] id eſt in MESSIA. Nomen enim Meſſiæ, *pax*. Jeſ. 9. *pater æternus*, *princeps*, *pax*.

PSAL. XXX.

6. *IN beneplacito ejus*] in repropiciatione, in voluntario, in volito, in voluntate, ſi ſumatur pro actu, omnia enim hæc fert vocabulum Hebræum.

Ad veſperum commorabitur fletus &c.] Ex Libro Meclita, אמר ר׳ משה הדרשן כי רגע באפו חיים ברצונו נאמר על משיח צדקנו כי יהיה ברגע המות והחיים ברצונו לתת לאחרים ולקבלה הוא לעצמו וסמך ליה בערב ילין בכי ולבוקר רנה כי כשיתן המיתה לשום אחר יבכו בעת וכשיחיה אותו ירננו והוא כשימות יתאבלו כל רודפי שמו וכשיחיה ירננו ונסמך לוה יחינו מיומים וביום השלישי יקימנו ונחיה לפניו, i. „dixit R. Moſſe Hadarſan, Quoniam „momentum in ira ejus, vita in voluntate ejus, hoc dictum eſt „de Meſſia noſtro juſto. Quoniam erunt in momento mors & „vita ejus pro voluntate ſua ad dandum aliis & ad recipiendum in „ſemetipſo. Et huic conjungitur illud, Ad veſperum com„morabitur fletus & in matutino laus ſive læticia, quando „enim alicui inferet mortem, flebunt ſuper illo, & cum ad vi„tam reſtituet illum, laudes canent. Cum vero ipſe morie„tur triſtes erunt de morte ejus omnes ſectatores nominis ejus, „& cum ad vitam redibit ſive cum reſurget, gaudebunt & „canent. Et huic conjungitur illud, Vivificabit nos poſt „duos dies, & in die tertia reſurgere faciet nos & vivemus cum „illo.

PSAL. XXXI.

10. *QUoniam tribulor*, &c.] Nicolaus de Cuſa, homo in omni ſcientia eminentiſſimus, propter ea, quæ hoc loco à Propheta dicuntur, tum propter multa alia, credidit Chriſtum Dominum ſuſtinuiſſe in anima dolores inferni, quam ſane opinionem ipſe nec amplector nec aſpernor. Habentur vero paſſim ſermones ejus in quibus de re hac doctiſſime diſputat.

PSAL. XXXIII.

15. *FOrmans ſingulatim*, &c.] Singulatim, à ſingulo derivatum, idem quod ſingillatim, ſeorſum, ſingulariter, ſolitarie. Atqui ſigillatim à ſigno & ſigillo dicitur, aliamque habet intelligentiam nequaquam huic loco accommodatam. Redarguuntur vero ex hoc facile Averoici, qui contendunt, omnium hominum eandem mentem unicamque animam eſſe. Sed & qui ſecuti Origeniſtarum & aliquorum Hebræorum fabulas prædicant omnes animas ſimul à principio creatas, & in corporibus poſtmodum delapſas.

PSAL. XXXIV.

9. *GUſtate & videte*, &c.] In commentariis R. Moſſe Hadarſſan in Pſalmo 135. qui incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus*, aliquantum infra, עוד שאמר דבר ידוע נותן לחם לכל בשר הודו הוא דאמרי טעמו וראו כי טוב יי׳ כי הלחם נתנו לכל והוא בשרו וכטעם הלחם שב לבשר זהו שאמר וראו כי טוב יי׳ והיה פלא גדול: „Amplius dictum eſt verbum notum: „Qui dat panem ſive cibum omni carni. Hoc eſt illud quod „dictum eſt Pſalm. 34. Guſtate & videte quoniam bonus eſt „Deus, quoniam cibus quem dat omnibus, ipſe eſt caro ejus. „Et dum guſtatur cibus ſive panis convertitur in carnem. Et „hoc eſt quod dictum eſt: Et videte quoniam bonus Deus. „Hoc vero mirabile eſt magnum.“ Quæ paucula verba ſi bene examinentur, illuminare poſſunt cæcutientes Hebræos de Sacramento Euchariſtiæ.

15. *Inquire pacem* &c.] Id eſt, Chriſtum.

23. *Redimet Deus animas ſervorum ſuorum*] Libro Midras Tehilim, א״ר שמואל בר נחמני אם רעב שונאך האכילהו לחם ביצר הרע סכתו׳ מדבר אדם הולך עם חבירו שעה אחת עושה אוהבו ויצר הרע נולד עם האדם וגדל עימו בכל ימיו שנא׳ כי יצר לב האדם רע מנעוריו אם מצא מקום להפילו בן כ׳ בן מ׳ בן ע׳ בן פ׳ הוא מפילו יש לך שונא גדול מזה, i. „Dixit R. Samuel filius „Nachamani, Si eſurierit inimicus tuus ciba eum pane, Prov. „35. De figmento malo Scriptura loquitur. Homo ambulat „cum ſocio ſuo una hora, & efficitur amicus ejus. Figmentum „autem malum natum eſt cum homine, circuitque cum illo cun„ctis diebus ſuis ſicut dictum eſt Gen. 8. Quoniam concu„piſcentia cordis hominis mala ab adoleſcentia ſua. Si tamen „invenerit locum ad præcipitandum eum, quando fuerit æta„tis viginti, ſive quadraginta, ſive ſeptuaginta, ſive octogin„ta annorum, præcipitabit eum. Quis igitur inimicus eſt tibi, „major iſto.

PSAL. XXXVI.

2. *IN medio cordis mei*] Id eſt, ut arbitror, in corde meo.

Timor Dei ante oculos ejus] proprietas Hebræi ſermonis.

10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo, &c.*] Libro Midras Tehilim, א״ר יוחנן עובדא הוה בחד בר נש שהיה מדלי את הנר בלילה והיתה כבה ומדליקו אמ׳ עד מתי אהיה מתייגע והולך כמתין אני עד שתזרח השמש ואני אלך לאור החמה׳ כן ישראל נשתעבדו במצרי׳ עמדו משה ואהרן וגאלום חזרו ונשתעבדו בבבל וחזרו ונגאלו על ידי חנני׳ מישאל ועזריה חזרו ונשתעבדו באדום אמרו ישראל הרי נתייגענו נגאלין ומשתעבדין אין אנו מבקשין שיאיר לנו בשר ודם מעתה אלא הקב״ה בעצמו שנ׳ אל יי׳ ויאר לנו׳: i. „Dixit R. Jochanan, Evenit ut homo quiſpiam niteretur ac„cendere lucernam nocte, lucerna vero frequenter exſtingue„batur. Dixit itaque, Uſquequo fatigabor in opere hoc. Ex„pectabo ortum ſolis, & ambulabo in lumine ſolis. Ita & Iſrael „oppreſſi ſunt ſervitute in Ægypto. Surrexerunt Moſſe & „Aharon & liberaverunt eos. Oppreſſi ſunt ſervitute in Baby„lonia & liberati ſunt per manus Chananiæ Miſaëlis & Azariæ. „Iterum oppreſſi ſunt ſervitute in Edom, & dixerunt, Uſque „quo gravamur ſervitute, & modo ſervimus, & modo liberamur. „Non quærimus à modo quando illuceſcat nobis caro & ſanguis, „ſed Deus ſanctus & benedictus in ſubſtantia ſua. Sicut dictum „eſt, Deus Deus & illuceſcet nobis.

PSAL. XXXVII.

3. *ET fac bonum*] Libro Midras Tehilim אין טוב אלא תשובה ש״נ כל תשא עון וקח טוב, i. *Non aliud bonum hoc loco ſignificat quam pœnitentiam. Sicut dictum eſt, Ne imputes mihi iniquitatem, ſed accipe, tob*, i. e. bonum.

3. *Et paſcere fide*] Hebræum verbum æque fidem ſicut divitias ſignificat, quo datur intelligi divitias in hoc mundo eſſe fidem Dei. Qui enim fide caret pauperrimus & miſer eſt.

20. *Sicut pretioſiora arietum*] precioſius in arietibus & vervecibus eſt pinguedo.

PSAL. XXXVIII.

PSalmus Davidis ad recordationem] להזכיר quod communiter *ad recordationem* interpretatur, putat Chimchi nomen eſſe inſtrumenti muſices.

PSAL. XXXIX.

IDutum] Idutum aut proprium nomen unius ex cantoribus, aut nomen inſtrumenti muſices. Ambo enim hæc ſignificare videtur hæc vox & R. Salomoni & reliquis Hebræis præceptoribus.

1. *Dixi cuſtodiam vias meas*] Libro Midras Tehilim, לצרה מענה רך ישיב חימה ודבר עצב יעלה אף קשה לשון הרע מינו שהרי כשחטאו ישראל במדבר לא נחתם עליהם גזר דין עד שחטאו בפיהם והוא וישמע יי׳ את קול דבריכם ואומ׳ חי אני נאם יי׳ אם לא כאשר דברתם באזני כן אעשה לכם ואומ׳ הוגעתם יי׳ בדבריכם במעשיכם אינו אומ׳ אלא בדבריכם והוא כי כשלה ירושלם ויהודה היתה לי נחלתי כאריה ביער נתנה עלי בקולה על כן שנאתיה וכי בקולה נטמה והלא בקולה אהבה ש״נ השמיעיני את קולך בקולה אהובה ובקולה שנואה אמור מעתה מות וחיים ביד לשון מעשה היה במלך פרס שנטה למות אמרו לו אהובאי׳ אין לך רפואה עד שיביאו לך חלב לביאה ונעשה לך:

לך רפואה ענה אחד מהם אם רצונך אלך אני ותן לי עשרה עזים
אמ' לעבדיו ונתנו לו והלך לגוב אריות והיתה שם לביא מינקת גוריה יום
ראשון עמד מרחוק והשליך לה אחת ואכלה יום שני נתקורב לה מעט
והשליך אחרת כן בכל יום ויום עד שהיה משחק עמה ולקח מחלבה
ונתן והלך לו וכשהיה בחצי הדרך ראה בחלום שהיו איברי מדברים
זה עם זה אמרו הרגלי' אין בכל האברי כמונו שאם לא היינו הו
כי לא היה יכול להביא מן החלב ענו הידים אין בכל האברים כמותינו
שאם לא אנו שחלבנו לא היה הדבר כלום אמרו העיני אנו למעלה
מן הכל שאם מלא היינו מראין לו הדרך לא עשה כלום ענה הלב
אני למעלה. מן הכל שאל מלא נתתי לו העצה לא הועלתם כלום
ענה הלשון ואמר להם אם לא הייתי אני מה הייתם עושין ענו כל האברים
ואמרו לו אין לא יראת להדמות אלינו ואת סגורה נתונה במקום
חשך ועוד שאין בך עצם כשאר כל האברי ענה להם הלשון היום תאמרו
שאני מלך שלכם שמע האיש את הדברים ופחד והלך לו אצל המלך
אמר לו הילך חלב כלבה מיד קצף המלך וצוה לתלותו כשהלך ליצלב
היו כל האברי בוכין אמ' להם הלשון הלא אמרתם שאין בי ממש
ואם אני מציל אתכם תודו לי שאני מלך עליכם אמרו לו הן אמ'
הלשון השיבוני אצל המלך השיבוהו אמר מפני מה צוית לתלותי אמר
לו מפני שהבאת לי חלב כלבה אמר לו מה איכפת לך ויהא לך
רפואה ממני ועוד לביא קורין אותה כלבה לקחו ממנו ונסוהו ונמצא חלב
לביא אמרו לו כל האברים עכשו אנו מודין לך הוי או מות וחיים ביד לשון

„ i. Hoc eſt quod ſcriptum eſt, Reſponſio mollis compeſcit iram, „ verbum autem durum excitat furorem. Pejor eſt lingua prava „ quam idololatria. Siquidem quando peccaverunt filii Iſrael „ in deſerto, non eſt lata in eos ſententia judicii, donec perpe- „ trarunt peccatum oris. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt, Et au- „ divit Deus vocem ſermonum eorum. Dixit autem, Vivus ego „ dicit Deus, ſi non ſicut locuti eſtis in auribus meis ſic faciam vo- „ bis. Et dixit, irritaſtis Deum verbis veſtris, verbis inquit veſtris, „ non autem dixit operibus veſtris. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt, „ Quoniam ceſpitavit Jeruſalem & Juda. Erat mihi hæreditas mea „ ſicut leo in ſylva, dedit adverſum me vocem ſuam, propterea „ odi eam. Sed nunquid propter vocem ejus eam odio habuit? Vi- „ detur enim quod propter vocem ejus dilexerit eam. Nam ſcrip- „ tum eſt, Fac me audire vocem tuam. Sed ſolvitur, Eſt vox amari „ digna, & eſt vox digna haberi odio. Proin dicito nunc, mortem & „ vitam repoſitam eſſe in poteſtate linguæ. Evenit ut Rex Perſa- „ rum detineretur mortali ægritudine. Cui dixerunt medici, Rex „ nunquam poteris convaleſcere niſi adhibeas tibi leænæ lac, quod „ ſolum valet ad curam tuam. Reſpondit ex ſervis ſuis quiſpiam, „ Si placet majeſtati tuæ, jube ut dentur mihi decem capræ & „ ipſe afferam lac leænæ. Quibus acceptis acceſſit homo ad „ ſpelæum leonum, reperitque leænam lactantem catulos ſuos. „ Et prima quidem die ſtetit vir à longe, ſecundo vero die pro- „ pius acceſſit, deditque leænæ unam ex capris quam comedit. „ Cum vero ſic feciſſet multis diebus, cicureſcente nimirum „ fera, emunxit ab ea lac. Revertens vero priuſquam in domo „ ſe reciperet vidit per ſomnium concertationem ſingulorum „ membrorum ſuorum. Etenim pedes dicebant, niſi nos fun- „ cti fuiſſemus officio, non poterat hic ire & portare lac, nos „ igitur primatum tenemus inter omnia membra. At vero ma- „ nus, imo nos principes ſumus. Nam ſola noſtra opera lac „ emunctum eſt. Sed & oculi exclamabant, Nos cuncta exſu- „ peramus membra. Niſi enim nobis iter monſtrantibus, nihil „ factum eſſet. Cor vero dicebat, imo ipſe cunctis ſum antepo- „ nendus, quod ſolo me conſulente res hæc tentata & perfecta „ eſt. Ultimo ſurrexit lingua dicens, Si ego locuta non fuiſſem, „ nihil facere potuiſſetis. Excanduerunt in linguam ſingula „ membra & dixerunt, Tu quæ obligata es & clauſa in loco ob- „ ſcuro, careſque oſſe quaſi in vituperium, audes mutire contra „ nos. Illa vero reſpondit eis : Hodie vel inviti confitebimini „ me eſſe principem & reginam omnium veſtrum. Hac viſa per „ ſomnium concertatione, timuit homo, accedenſque ad Regem „ dixit, En quod tibi attuli, canis lac. Succenſus eſt ira Rex, „ & juſſit hominem cruci affigi. Cum vero duceretur ad patibu- „ lum plorabant & triſtabantur nimis ſingula alia membra. Dixit „ autem ad ea lingua : Nonne dixiſtis me infimam inter vos, „ imo nihili eſſe, atqui ſi ipſa hodie vos liberavero, num con- „ fitemini principatum meum ſuper vos ? Quibus reſpondenti- „ bus utique, dixit lingua, revertamur ad Regem. Cui cum „ adſtaret, dixit, Cur jubes me ſuſpendi? Quod, inquit, lac „ canis pro lacte leænæ mihi attuleris. At illa, quid tua hæc „ res intereſt, modo curam admittas mea opera. Sed & neſcis „ leænam canem nonnunquam appellatam. Inventum eſt autem, „ experimento facto, quod lac leænæ eſſet. Revocata vero „ ſententia mortis, membra ſingula confeſſa ſunt, eſſe princi- „ patum linguæ, quod citra dubium mors & vita in poteſtate „ linguæ conſtituta ſunt.

6. *Exigua menſura poſuiſti dies meos*] Verbum Hebræum ſignificat quatuor digitorum menſuram, quanta ſcilicet eſt palma manus, & quod ipſi dicunt, *palmares dies.*

7. *In imagine ambulat vir*] *In imagine*, quia in hoc mundo non eſt veritas vitæ hominis, ſed quædam umbra, quoddam veſtigium & tenuis imago in comparatione ad eam vitam, quam finita peregrinatione habiturus eſt apud Deum.

PSAL. XL.

6. *COgitationes tuas pro nobis, non eſt proportio ad te*] Senſum è ſenſu.

PSAL. XLI.

10. *LEvavit contra me calcaneum*] Sic & Johannes in Euangelio, *qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.*

PSAL. XLII.

INtellectus filiorum Corah] *Maſquil*, inſtrumentum Muſices, quod interpretatur *intellectus*. Pſalmum edidit David, canendumque tradidit tribus filiis Quorah, Aſir, Helquana, & Avi Aſap, qui inter divos Pſaltas & ſanctuarii miniſtros numerati ſunt. Et hæc illorum Hebræorum ſententia, qui melius mihi ſentire viſi ſunt.

5. *Tranſibo in numero*] Id eſt, ſtipatus magno numero, & magna caterva militantium, tralatio apud Hebræos admodum apta.

8. *Cataractarum tuarum*] Cataractæ proprie ſunt canalia & impluvia per quæ de tecto aquæ derivantur in domo.

PSAL. XLIII.

4. *IN cithara*] *In cithara quaternarius deſignatur. Eſtque ſecundum Spiritum trigona & cithara peculiaris ſolis Chriſti cultoribus. Nam ipſi ſoli canunt canticum novum. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula.* Ex commentariis Fabri noſtri.

PSAL. XLIV.

29. *NOn eſt converſum retro cor noſtrum &c.*] Hebræa ſtructura affirmativa eſt, tametſi Hieronymus & poſt illum Faber noſter negative legant.

PSAL. XLV.

1. *SErmonem bonum*] De quo nimirum ſcriptum eſt, „ Dum „ medium ſilentium tenerent omnia, ſermo tuus Domine à „ regalibus ſedibus venit.

6. *Et filii arcuum tuorum*] Id eſt, ſagittæ.

PSAL. XLVII.

10. *POpulo Dei Abraham*] Populi Dei Abraham ſunt Chriſtiani. Ipſe ſiquidem principium fuit credendi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

PSAL. XLVIII.

2. *IN civitate Dei noſtri*] Civitas Dei noſtri, Mons ſanctus, Speciosum germen, Exultatio univerſæ terræ, Mons Cion, Latera Aquilonis, Civitas magni regis, Septem Eccleſiæ nomina, ut ſentiunt eruditiores.

PSAL. XLIX.

3. *ET filii hominis*] In Hebræo, *& filii Adam*, ſuper quo verbo Libro Midras Tehilim, ומהו גם בני אדם בני איש
בני אדם זה אברהם שנקרא האדם הגדול שבענקי' גם בני איש
אילו בניו של ישמעאל ובני קטורה איש אילו בניו של נח שנקרא
איש צדיק רא' אילו שבעים אומות שיורדין לגהינם יחד עשיר ואביון
עשיר בתורה ואביון בתורה כולם יורדין לגיהנם עשיר בתורה זה
דואג ואחיתופל לפי שלא שמרו את התורה ירדו לגיהנם אעף
שהן

שהן ראשי סנהדרין ואביון בתורה כל מי שיש ספק בידו ללמוד ולא למד
i. „Et quid illud, & filii Adam & filii viri? Filii Adam hic eſt „Abraham, qui vocatus eſt homo magnus in gigantibus, Joſ. 14. „Etiam filii, *Is*, hi ſunt filii Iſmaël & Ceturæ, quod ſequitur vi-„ri, hi ſunt filii Noah, qui vocatus eſt vir juſtus. Et ſunt qui „dicunt hos eſſe ſeptuaginta populos, qui deſcendunt in gehen-„nam, ſimul dives & pauper. Dives in Lege & pauper in Lege, „omnes deſcendunt in gehennam. Dives in Lege Doeg & Achi-„tophel, quoniam non ſervaverunt legem, deſcenderunt in ge-„hennam, etiamſi fuerint capita judicum ordinariorum. Pau-„per vero in Lege omnis qui habet facultatem in manu ſua ad di-„ſcendam Legem & non diſcit.

7. *Qui confidunt in virtute ſua*] Libro Midras Tehilim,
שהיו בוטחין על חילם שנא׳ הבוטחים על חילם אותו שעה מה הן יכולין
לעשות אין עשרם עומד להן וכן הוא אומר גם כספם גם זהבם לא יוכל להצילם
אל יאמר אדם אבי כשר היה כוכותו אם נמלט אין אברהם מציל לבנו
ישמעאל ולא יעקב לעשו אחיו וכן הוא אומר אח לא פדה יפדה איש כה
הצדיקים אומר על אותו היום את כה קשה אח לא פדה יפדה איש ולמה יקר פדיון
נפשם i. „Qui confidunt in virtute ſua, ſicut dictum eſt, confi-„dentes in virtute ſua, quid valebunt facere. Divitiæ ſiquidem „eorum non remanebunt eis, & ſic eſt dictum, Sopho i. ar-„gentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos. Non „dicat homo, Pater meus fuit dives multitudine meritorum, „& propter meritum ejus liberabor. Nam Abraham non va-„lebit liberare filium ſuum Iſmaëlem. Nec Jaacob Eſau „fratrem ſuum, & propterea dictum eſt Frater non redimet, re-„dimet vir, &c.

8. *Fratrem nequaquam redemptione &c.*] Sunt ex Hebræis qui interpretantur, Unus non redimit, redimant ſinguli, vel redimat quiſque, ut ſit poſitum אח pro אחר ſicut alibi חד pro אחר.

Ib. *Redimet vir, nec dabit Deo pretium &c.*] Ex libro Ciphræ,
אני אמית ואחיה וגו׳ כה אמר יי׳ מלך ישר וגואלו יי׳ צבאות אני
ראשון ואני אחרון אני אמית ואחיה זה אחר שנתן להם הכן להחיות
המתים אני אמית ואחיה תמות נפשי במות ישרים יחי ראובן ואל
ימות יחיינו מיומים ר״א אני אמית ואחית שוכין אני מיתה
באחד וחיים באחד הלי׳ מחצתי ואני ארפא כדרך כך מיתה וחיים
באחד ואין מידי מצילאין אבות מצילין את הבנים לא אברהם מציל
את ישמעאל ולא יצחק מציל את עשו אין לו אלא אבות שאין
מצילין את הבנים אחין את אחין מניין הל׳ אח לא פדה יפדה איש
ולא יצחק מציל את יעקב ולא יעקב מציל את עשו אפי׳
נותן לו ממון שבעולם אין נותנין לו כופכן שנ׳ אח לא פדה יפדה
איש ולא יתן לאלהי׳ כופרו ויקר פדיון נפשם וגו׳ יקירה היא נפש ח
i. „Ego occidam & ego vivere faciam, &c. Hæc enim „ait Deus Rex Iſrael & redemptor eorum Deus exercituum: „Ego primus & ego noviſſimus: Ego occidam & ego vivere „faciam. Hoc quidem poſtquam data eſt eis Manna pro vivi-„ficatione mortuorum. Ego occidam & ego vivere faciam. „Morietur anima morte rectorum. Vivet Ruben & non mo-„rietur, Vivificabit nos, poſt dies tres. Ego occidam & ego vi-„vere faciam, uti ſentio ipſe. Quod mors quidem in uno, & „vita in uno & eodem, quemadmodum dictum eſt. Ego vul-„nus inſeram, & ego medebor, ita mors & vita in uno erunt, „& non eſt qui de manu mea poſſit evadere. Patres ſal-„vabuntne filios? nequaquam. Nam Abraham non ſal-„vabit Iſmaël, nec Iſaac ſalvabit Eſau. Quoniam mors & „vita ad me ſolum pertinent. Fratres etiam non poterunt „ſalvare fratres ſuos. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt, Frater „non redimet, ſive non ſalvabit, ſalvabit autem vir. Et „Iſaac non ſalvabit Iſmaëlem, & Jaacob non ſalvabit Eſau. „Et ſi darent pro ſalvatione eorum omnes mundi divitias, non „ſufficiunt, ſalvare illos, nec ſunt dignum animarum eorum „pretium, & hoc eſt quod ſcriptum eſt, Frater non redimet, „redimet autem vir, & non dabit Deo pretium redemptionis „eorum.

9. *Et vivet ultra in ſempiternum*] Ex commentariis R. Moſſe Hadarſan, אמר ר׳ משה הדרשן זה הפסוק נאמר על
מלך המשיח שימות כדי לפדות את האבות ואחר יהיה לנצח
לא יראה שחת כמו החכמים שימות, *Et vivet ultra &c. Sive & vivet ſemper & non videbit infernum, uti videbunt ſapientes morientes*, uti aliqui interpretati ſunt. „Dixit R. Moſſe „Hadarſan, hic verſus dictus eſt de Rege Meſſia, qui morie-„tur propter ſalvandos patres. Et poſtmodum vivet in ſem-„piternum. Nec videbit infernum quemadmodum ſapientes „qui moriuntur.

PSAL. L.

ANgeli nomen prius Chaldæum, quam Græcum fuiſſe ſuſpicati ſunt nonnulli, quod pluribus in locis apud Chaldæos legatur, uti liquet ex hoc Pſalmo, ubi bina vice Chaldæus interpres dixit *Angeli*.

1. *Deus, Deus, DEUS locutus eſt*] Libro Midras Tehilim,
למה הזכיר שמו של הב״ה שלשה פעמים ללמדך שבשלשה שמות הללו
ברא הב״ה העולם כנגד שלש מדות שבהן נברא העולם ואלו הן החכמה
הדעת והתבונה חכמה מנין שנ׳ יי׳ בחכמה יסד ארץ דעת מניין שנ׳
בדעתו תהומות נבקעו תבונה שנ׳ כונן שמים בתבונה וכן הוא אומ׳ כי
אנכי יי׳ אלהיך אל קנא הרי שלש מדות שבהן נברא העולם וכן בני גד
ובני ראובן אומ׳ אל אלהי׳ יי׳ הוא יודע ומה ראו לומ׳ שני פעמי
אל אלהי׳ יי׳ שבהן נברא העולם אל אלהי׳ יי׳ שבהן ניתנה התורה
יכול אחד לעצמו לאו אלא שניהם ביחד נבראו וכן הוא אומר
אף ידי יסדה ארץ וימיני טפחה שמים הוי ממזרח שמש עד מבואו:
i. Quamobrem memoratum eſt nomen Dei ſancti & benedicti „tribus vicibus? quo doceret iſtis tribus nominibus Deum ſan-„ctum & benedictum creaſſe mundum è regione trium proprie-„tatum quibus mundus creatus eſt, & iſtæ ſunt ſapientia, ſcien-„tia, & intellectus, de quibus dictum eſt Proverb. 3. Deus „ſapientia fundavit terram, ſcientia ejus erumpunt abyſſi. Con-„cinnavit cœlos intellectu. Ipſe quoque ſic ait Exod. 20. Ego „Deus Deus tuus Deus zelator. Ecce tres loco trium proprieta-„tum quibus mundus creatus eſt. Sic etiam filii Gad, & filii „Ruben dixerunt, Deus, Deus, Deus ipſe ſcit, Joſ. 22. Quid-„nam viderunt, ut hoc idem repeterent duabus vicibus, „Deus, Deus, Deus, quia eis creatus eſt mundus. Deus, „Deus, Deus, quia eis data eſt lex &c. Sed nunquid potuit „alter eorum ELOHIM S. ſe ſolo & alter etiam JOVA S. „ſe ſolo, ſeparatimque omnes ſupple dediſſe Legem, aut creaſſe „mundum? Nequaquam. Sed duo in unum ſive unite, neceſſa-„rio creaverunt. Et ſic eſt ipſe dicens, Utique manus mea jecit „fundamenta terræ, & dextera mea concinnavit cœlos. Et hoc „eſt illud, Ab ortu ſolis uſque ad occaſum laudabile ſc. eſt no-„men Dei, &c.

Ibid. *Locutus eſt*] Deus Pater locutus eſt, tum alibi, tum ibi, *Hic eſt filius meus dilectus.* Deus Filius locutus eſt, ut paſſim habetur in Euangelio. Deus Spiritus Sanctus locutus eſt, tum per Apoſtolos, tum per eorum ſucceſſores.

Ibid. *Et vocavit terram*] Iterum ex commentariis Hebraicis,
אמר ר׳ נחום מפימבריה מאי והחוט המשולש לא במהרה ינתק זה
נאמר על תשובת העולם כמו שאמר דוד אל אלהים יהוה דבר ויקרא
ארץ כי יבוא הא׳ עם נביאיו להוכיח את עמו והם יכרוהו ויחזור
להיותם נכח אלהים אשר הוא מדת הדין ולא יאמנו עד שיבא
הוא ברחמיו אשר הוא שם יי׳ ויקרא לכל הארץ והודיעם משפטיו
וחוקיו אשר היא הפעם השלישית וזה הוא אומרו אל אלהים יי׳
דבר שהוא החוט המשולש ופעל בהם בעולם בשלשה כחות ובעצם
אחד והשלישי יהיה קיים, i. „Dixit R. Nahum Mipum, bedita, „quid eſt dictum id quod ſcriptum eſt, Filum triplicatum non „facile rumpetur. Hoc dictum eſt pro pœnitentia & conver-„ſione mundi, quemadmodum dixit David, Deus, Deus, „Deus, locutus eſt & vocavit terram, quoniam veniet Deus „cum Prophetis ſuis pro emendatione populi ſui & ipſi nega-„bunt. Et rurſum veniet ad corrigendos illos virtute divini-„tatis, quæ eſt regula judicii, & non credent in eum, donec „veniat ipſe in miſericordia ſua, quod quidem eſt ipſum nomen „Dei tetragrammaton i. יהוה JOVA. Et vocabit totam ter-„ram ut cognoſcere eos faciat judicia ejus & præcepta ejus, quod „erit vice tertia, & hoc eſt quod dicitur Deus Deus Deus lo-„cutus eſt, ipſe ſiquidem eſt filum triplum, & eo operatus „eſt in mundo terna virtute & unica ſubſtantia. Et hæc trini-„tas erit firmiſſima.

PSAL. LI.

B*Atſaba*] Berſabee: Legendum, *Batſaba*: citra dubium, non *Berſabee*, quod corruptum eſt & apud Latinos & apud Græcos.

PSAL. LV.

21. CHald. *non timent ab aſpectu &c.*] Defectiva ſtructura.

PSAL. LVI.

P*Ro columba muta*] Ideo columba muta juxta David Chimchi in commentariis, quia dum detineretur in Gad urbe Palaſtinorum nequaquam auſus fuit vel verbum ex ſententia animi loqui.

PSAL.

PSAL. LVIII.

5. *Sicut aſpidis*] Regulus, incantationibus minime patens. Aſpis autem patere incantationibus arbitror notum.

PSAL. LIX.

6. *Deus exercitus*] Exercitus, tanquam unum nomen Dei, nominativi vel vocativi caſus. Qui licet ſit in ſe unus, tamen dicitur pluraliter exercitus, ſicut dicitur adonai, quod interpretatur pluraliter *Domini mei*. Et hæc ſententia R. Moſſe Ægyptii.

10. *Fortitudo eorum, te obſervabo*] Admirativus ſermo & defectivus, quaſi dicat, propter immenſam eorum fortitudinem obſervabo te.

PSAL. LX.

2. *Syriam fluviorum*] i. Meſopotamiam ſecundum aliquos. Non deſunt tamen qui contendant Syriam fluviorum eſſe Damaſcum, propter duo flumina quæ per civitatem tranſeunt, inter quos Avenezra, Chimchi & autor Midras.

Ibid. Chald. *Aram*] id eſt Syriam.

Ibid. *Syriam Soba*] id eſt Phœniciam.

Chald. *ſuper Prat*] id eſt, Euphraten.

Chald. *Aram Soba*] i. Syriam Phœniciam.

PSAL. LXI.

9. *Complevero*] i. perſolvero vota.

PSAL. LXIII.

1. *Deus Deus meus*] Primo hoc verſu inſinuatur Trinitatis myſterium. Siquidem primum verbum אלהים Elhoim, pluralis eſt numeri, ſecundum vero אלי Eli, numeri eſt ſingularis, poſſetque non abſurde ſic verti, *Dii ſunt Deus meus*: Dii inquam diſcreti tribus perſonis, uniti autem eſſentia, ſunt Deus meus quem inquiram.

PSAL. LXIV.

10. *Et timebunt omnes homines & annunciabunt*] In ſecunda templi deſolatione pluſquam undecies centena millia judæorum deſiderata ſunt. Mater pietatis maternæ oblita, proprium mandit filium, &, ut Hieremias habet, *qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora*, ut quæque egerebant præ nimia fame, cogebantur paulo momento ad vitam retinendam in ventrem iterum ingerere. Hæc omnia videntes gentes timuerunt & annunciaverunt opus Dei, ut habetur circa Pſalmi finem.

PSAL. LXV.

Tibi ſilentium] Hinc divinus ille Dionyſius libro de Myſtica Theologia exclamavit: *Neque veritas eſt, neque regnum, neque ſapientia, neque unum, neque unitas, neque Deitas aut bonitas, neque Spiritus eſt, quantum ſcire ipſi poſſumus, neque filii, neque patris eſt denominatio, neque aliud aliquid ex his quæ nobis aut alteri cuiquam in mundo ſunt cognita, neque aliquid eorum quæ non ſunt, neque eorum quæ ſunt, eſt, neque ea quæ ſunt illam ſciunt, ſicut ipſa eſt, neque ſcit ipſa quæ ſunt ſicuti ſunt, neque ſermo ipſius eſt, neque nomen neque ſcientia, neque tenebræ neque lux, neque error, neque veritas, neque eſt ipſius ulla omnino poſitio neque ablatio.* Vera proinde Dei laus ſilentium, quod negativam reſpicit Theologiam. In qua poſt Paulum, Bartholomæum, Joſephum, Dionyſium, Hierotheum & Antiphatum, valuit Nicolaus Cuſanus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalis.

6. *Finium terræ & maris longinqui*] Libro Midras Tehilim, ר׳ חנינא בר פפא שאל לר׳ שמואל בר נחמני מהו סכותה בענן לך אמ׳ לו שערי תפלה פעמים פתוחי׳ פעמים נעולים אבל שערי התשובה אינן נעולים שני׳ מבטח כל קצוי ארץ וים רחוקים מה הים הזה אינו ננעל לעולם אלא כל מי שמבקש לרחוץ בו רוחץ בכל שעה שהוא רוצה כך התשובה בכל שעה שאדם רוצה לעשות תשובה עושה והקבה מקבלו „ i. R. Chanina filius Papa interrogavit R. Samuel filium Nachmani, Quid ſibi vult illud quod ſcriptum eſt, Cooperuiſti in nube tibi? Dixit ei, Portæ orationis quandoque ſunt apertæ, quandoque ſunt clauſæ. Portæ vero pœnitentiæ nunquam ſunt clauſæ in æternum, ſicut dictum eſt Spes omnium finium terræ & marium longinquorum. Quemadmodum mare iſtud nunquam clauditur. Sed quicunque vult lavat ſe ibi in omni hora qua vult: ſic & pœnitentia in omni hora qua homo vult pœnitere, pœnitet, & Deus ſanctus & benedictus recipit eum.

PSAL. LXVII.

8. *Benedicat nos Deus Deus noſter &c.*] „ Ter vides Deum „ repeti, tum ad hyperthεæ triados ſuperque divinæ Trinitatis myſterium, quod in adventu Meſſiæ, & in receptione „ fidei ejus à gentibus cognitum eſt, & quod illico ſubjungitur Et „ metuant eum omnes fines terræ, per id ſingulare eum non minus declaratur myſterium trinitatis, i. ſubſtantia & natura, „ quod & ita eſſe confirmat Alexander, non è longinquo Petro „ in ſede ſuccedens, hinc de Trinitate & unitate argumentum ſumens. Si Trinitas inquit non eſt, quare David tertio dixit, „ benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat nos Deus. Si „ unitas non eſt, quare cum tertio Deum nominaſſet, benedicat dixit, & non benedicant adjunxit, ex verbo benedicat idem „ (quod & relativum *eum* oſtendit) colligens.“ Hæc ex Fabri commentariis. Et quidem de beatiſſima Trinitate Deo Patre & Filio & Spiritu Sancto, multa habentur in remotiſſimis commentariis Cabaliſtarum, & in univerſum in commentationibus Hebræorum, qui ante vel prope adventum Chriſti ſcripſerunt. Illud tamen quod legitur in epiſtola Neumiæ filii Haccana ad Haccanam filium quam אגרת הסודות *agheret haſodot*, i. epiſtolam ſecretorum appellat, comprobatumque ex libro גלי רשיא *gale raſaia*, quodque hoc loco inſerere operæ pretium judicavimus, mihi ſemper inter omnia manifeſtiſſimum viſum eſt, & quod à junioribus Hebræis nequaquam negari poſſit, i. בספר אגרת
הסודות בקש פעם אחת אנטונינוס נגיד על עיר רומה כד״ הקדוש
שילמדהו אמתת הדבית שם ד׳ אותיות ושם יב אותיות ושם מ׳ב אותיות
תשובה בעבור שתשאל היות נלמד מהאמת ר״ל מהוראת שם ד׳ אותיות
ושם יב אותיות ושם מ׳ב אותיות אני מודיע לך אותם היותם סודות אלהים
אשר ראוי היותם נסתרי מכל איש אבל בעבור שאני מכיר היותך
מתלמידים המאושרים והוא דבר קרוב אל ההכרה לגלות להם אלו
הדברים לפי שלאנשי אותה הדורגה אין ראוי להסתיר דברים כאלו
לפיכך אודיעך שאין לאלהים אשר אנו יוכל להשיג הכרה לפי שעצמיותו
הוא שמו ושמו עצמיותו וכמו אםעצמיותו לא נוכל להשיג שום הכרה לפי
שעם אותה הידיעה הינו דומים לו כך משמו לא נוכל להשיג ידיעה עם
כל זה כל שכותיו יגלהם הוראה לפי ששם ד׳ אותיות היא יותר עצמי לפעולותיו
ומראות ידיעה יותר שלמה ולו יותר עצמית כפי כח שאנו כולים לקבל
כוח משהעפים כל שכותיו ולפי כן זה השם נקרא שם המפורש לא שהוא יהיה
שמו העצמי אבל אנו אומרים אותו לפי שזה הוא כל מה שנוכל להשיג
יותר נכוה לא נוכלל עלות והדע משכים באותיות ושם מ׳ב שאתם שכות אשר
תיבה אחת התורה נעשת מ׳ב אותיות אבל באי זה שם שיהיה
ישרוב מלות שונות שהור אתה אות ואחר שפתחתי לך זה הכם ששם ד׳
אותיות כפי תואר כתבתו אשר היא כלשוננו העברית הוא זה יהוה
שר״ל הוא אלוה מוליד ולפי שלא יוכל להיות מוליד בלתי מולד
ראוי הוא לה שתתף האהבה מן המוליד למולד ולתת הפך מהמולד
למוליד לפי שאם לא היה זה לאהיה מוליד ואם לא היה משתתף
אהבה מהמולד למוליד היה המולד נפרד ומהמוליד והיו שני עצמי אבל
אנחנו נודעה המוליד והמולד הוית עצם אחד ולפיכך הוא נצרך
להאחד לאחר תשתתף האהבה ולפיכך מזה שם המפורש הוא נגזר
שם יב אותיות כי הוא אב בן ורוח הקודש אשר בלשוננו העברית
שם יב אותיות נכתב כך כלעל ולפי שאינו נמצא שום דבר באל
אשר לו יהיה אל משם יב אותיות משתתף שם מ׳ב אותיות אשר הוא
אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה
אשר בעברית הם מ׳ב אותיות מראות השם הנזכר ודע אלו השמות
הזות מתכוורות האלהים אשר ראוי להסתירם מכל אחר עד שיבוא
כשיח צדקנו ואני גליתים לך ואתה חקם בסוד i. „ Quæſivit „ aliquando Antoninus conſul urbis Romæ à Rabbeno Hacchados ut eum de veritate inſtrueret, ejus videlicet quod ſignat „ nomen 4 literarum i. tetragrammaton & nomen 12 & 42 literarum. Reſponſio: Quod petis te de veritate informari ejus ſcilicet „ quod demonſtrat nomen 4, nomen 12, & nomen 42 literarum, notum tibi facio hæc eſſe arcana divina quæ omnes homines clam eſſe debent. Verumtamen quia te ex ſcholaſticis „ bene meritis eſſe cognoſco, conſentaneumque eſt rationi, detegere illis hujuſmodi res, quoniam hujuſce generis hominibus „ haudquaquam occultanda ſunt talia. Idcirco notum tibi facio,

cio, Deum non habere nomen, cujus nos cognitionem habere poſſimus. Quandoquidem ejus ſubſtantia eſt nomen ipſius & è contra, & quemadmodum ejus ſubſtantiæ noticiam ullam habere non poſſumus, quoniam ea cognita illi ſimiles efficeremur, atque ita ſui nominis cognitionem habere nequimus, nihilominus omnia ejus nomina ſunt attributiva. Et quia nomen quatuor literarum operationibus ejus eſt peculiarius oſtenditque noticiam perfectiorem & illi accommodatiorem prout eſt nobis poſſibile captu, ex hoc autem procedunt omnia ſua nomina, ideo hoc nomen dictum eſt Semhameforas, non quod ipſum ſit ejus nomen ſubſtantiale, ſed nos id dicimus, quoniam hoc eſt quantum noſtra facultas comprehendere poteſt, & altius aſcendere non poſſumus. Notare autem debes nomen duodecim, nomenque XLII. literarum, non eſſe nomina quorum unumquodque verbum duodecim literis conſtet, aut XLII. ſed quodlibet eorum ſunt verba diverſa quod unum oſtendunt. Poſtquam autem hoc tibi aperui, animadverte nomen quatuor literarum, prout ſcriptum eſt, & ſic ſcribitur in Hebraico יהוה i. Jova, ipſum Deum generantem ſignificare. Et quia non poteſt eſſe generans abſque generato, neceſſario procedere debet amor à generante ad gnatum & è converſo, quia ſi hoc non eſſet, non generaret, & non procederet amor à generato ad generantem, diſtingueretur que ab ipſo, & eſſent duæ ſubſtantiæ. Nos autem volumus generantem & generatum unam eſſe ſubſtantiam. Idcirco neceſſario ex uno ad alterum proceſſurus eſt amor. Et propterea ex hoc ſemhameſoras derivatum eſt nomen duodecim literarum, eſtque Pater, Filius & Spiritus almus, qui Hebraice duodecim literis continetur hujuſmodi אב בן ורוח הקדש ab, ben, veruha haccodes. Quoniam autem non invenitur aliquid in Deo quod non ſit Deus, ex nomine duodecim literarum emanat nomen quadraginta duarum literarum quod eſt אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה Ab, ELOHIM, ben, ELOHIM, ruha haccodes, ELOHIM Seloſſa, Bechad Ehad Beſeloſſa, quæ Hebraice ſunt quadraginta duæ literæ, ſignificantque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate. Notare autem debebis hæc nomina eſſe ex divinis arcanis quæ à quocunque occultari debent quouſque veniat Meſſias juſtus noſter. Illa tibi pateſeci, ea occule.“ Quoniam vero liber *ageret haſodot* rariſſimus eſt, & fortaſſis unicus tota Europa, ne cauſentur Hebræi nos iſta confinxiſſe ad corroboranda myſteria Chriſtianæ religionis, ſubnectenda duxi, quæ de nomine duodecim literarum, deque nomine quadraginta duarum literarum ſcripta reliquit R. Moſſe Ægyptius, libro primo *More Hanevochim*, i. directionis mutantium cap. 62. cujus liber ad manus cuilibet eſſe poteſt, tametſi olim igni combuſtus fuerit à Gallis Hebræis, quod nimis favere videretur rationibus Chriſtianorum. Igitur Ægyptii verba hæc ſunt, בספר כיהה הנבוכים אמ ר
טרפון פעם אחת עליתי אחר אבי אימא לדוכן והטיתי אזני אצל
כהן ושמעתי שהבליעו בנעימות אחיו הכהנים והיה אצלם גם כן
שם בן שתים וארבעים אותיות ודוע אצל כל אדם בעל ציור
שאי אפשר בשם פנים שיהיו שתים וארבעים אותיות מלה אחת
אמנם היו אלו מלות רבות כללי אותיותיהם שתים וארבעים ואין
ספק שהמלות ההם מורים על ענינים בהכרת הענינים ההם יקרבו
לאמתת ציור עצמו י״ת כפנים אשר אמרנו ואמנם נקראו אלו
המלות הרבות האותיות שם להיותם מורים על ענין אחד לבד
כאשר השמות המיוחדים ואמנם רבו המלות ההם להבנת הענין כי
הענין האחד אפשר שיובן במלות רבות והבן זה ודע שזה הדבר
אשר ילומד היה למוד הענינים שמורים עליהם השמות ההם
לא הדבור לבד באותיות הערוכות מכל ציור ולא נקרא כלל שם
בן שתים עשרה אותיות זה ולא שם בן ארבעים ושתים אותיות
שם המפורש אבל שם המפורש הוא השם המיוחד לו כמו שבארנו
אמנם אלו השנים האחרים היו מלמדים קצת חכמה האל והיה
בהכרת והראיה על היותו מלמד חכמה אמרו עליו שם בן ארבעים
ושתים אותיות קדוש ומקודש ואין מוסרין אותו אלא למי שצנוע
ועומד בחצי ימיו ואינו כועס ואינו משתכר ואינו מעמיד על מדותיו
ודבורו בנחת עם הבריות וכל היודע וזהיר בו ומשמרו בטהרה
אהוב מלמעלה ונחמד מלמטה ואימתו מוטלת על הבריות ותלמודו
מתקיים בידו ונוחל שני עולמים העולם הזה והעולם הבא וזה
כתוב בתלמוד ומה מאד רחוק מה שיובן מזה המאמר מכוונת אמרו
וזה כי הרוב יחשבו שהם אותיות ידובר בהם לא דבר אחר ולא
יפורש להם ענין ויגיעו בהם אל אלו הענינים העצומים וצריך להם
מי שירצה ללמדם להכנות המדות האלו והתחזקה הרבה אשר זכר
ומבואר הוא שזה כלו אינו רק הודעת ענינים אלוהיים מכלל
הענינים שהם מסתרי תורה כמו שבארנו וכבר התבאר בספרים
המחוברים בחכמה האלוהית שזאת החכמה אי אפשר לשכחה
ר״ל השגת השכל הפועל וזהו ענין אמרו ותלמודו מתקיים בידו
i. Dixit R. Tarphun, Aſcendi aliquando poſt patrem meum in templum, & adhibui aurem meam ſacerdoti, & percepi quod exigeret horam magna delectatione, cum reliquis fratribus ſacerdotibus. Erat autem apud illos nomen duarum & quadraginta literarum. Novit autem quicunque intellectu viget, non poſſe aliquo modo fieri, ut nomen unum conſtet duabus & quadraginta literis, verum erant multa nomina compoſita ex literis duabus & quadraginta. Nec dubium quin illa nomina ſignificarent aliquas rationes producentes hominem ad veritatem ſubſtantiæ creatoris, eo modo quem diximus. Dicebantur vero illa multa nomina, unum nomen, propter unam rem quam ſignificabant, ſicut alia nomina ab operibus ſumpta. Sed erat illorum nominum multitudo ut intelligeretur ratio, quæ fortaſſis non poterat intelligi niſi per multa verba. Itaque notato hæc, & advertas quod res quam demonſtrat ſcientia rationum, quas illa nomina ſignificant, non erat ſimplicis ſermonis literarum, nunquam enim dictum eſt nomen duodecim & nomen duarum & quadraginta literarum, eſſe nomina ſeparata. Atqui nomen ſeparatum, eſt per ſe ſeparatum, ſicut jam declaravimus. Alia autem nomina magno adjumento erant homini ad cognoſcendum creatorem. Cujus rei argumento eſt, quod dicunt ſapientes, nomen quadraginta duarum literarum, eſt ſanctum & ſanctificatum, & non panditur niſi humili & qui proceſſit ultra dimidium ætatis ſuæ, minime iracundo aut ebrio vel perverſis moribus, ſed affabili. Quicunque vero ejus nominis ſcientiam habet, & cavet ſibi in illo, cuſtoditque illud cum munditia, diligitur à ſuperis, & deſideratur ab inferis, & timetur à creatura, & diſciplina ejus eſt perpetua in manu ipſius, & obtinebit duos mundos, præſentem & futurum. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt in Talmud. O quantum diſtat quod intelligunt homines ex his verbis ab eo quod fuit in mente dicentis. Nam multi arbitrantur, quod ſint ſolum literæ de quibus loquantur, non etiam quod ſit in eis ratio qua acquirantur dicti gradus ſublimes, quodque ſint neceſſariæ ad componendos modos illos, de quibus ſapiens, quem ſupra nominavimus, fecit mentionem. Clarum vero eſt, quod hoc totum non eſt, niſi ſcientia divinarum rationum, de numero rationum quæ ſunt arcana legis ſicuti expoſuimus. Jam autem monſtratum eſt in libris compoſitionis ſapientiæ ſpiritalis, quod iſtius ſcientiæ non poteſt oblivisci, qui peritus in ea fuerit, quoniam eſt apprehenſio intelligentiæ agentis. Et propter hoc dictum eſt, ſcientia hujus perpetua in manu ipſius.

PSAL. LXVIII.

5. IN *cælis*] Nonum cœlum appellant Hebræi proprio nomine plurali numero *Aravot*, quod *deſerta* pluraliter ſonat. Deſertum autem dicitur, quod ſtellis *omnino* careat.

9. *Hoc eſt Sinai*] i. Hoc factum fuit in monte Sinai.

12. *Annunciatricibus*] Fœminino genere. Nam Hebræus habet המבשרות, quod fœmininum eſt.

13. *Retrovertentur*] *Retrovertentur* aut *movebuntur*, rectius quam *fœderabuntur*, etiam autoritate Gallici Dictionarii.

28. *Juda lapis eorum*] i. cordis roboratio contra periculum,

32. *Æthiopia feſtinet*] *Et de feſtina converſione, oblatione que Ægyptiorum Chriſto Domino oraculum iſtud impletum eſt, Eccleſius à Marco Euangeliſta Alexandriæ & circa Alexandriam mira ſanctimonia inſtitutis, quarum etiam Philo Iudæus mirifica cum laude meminit. Et de Æthiopia idem impletum eſt, Matthæo Apoſtolo eodem & Euangeliſta ibi prædicante & Euangelium relinquente. Et hæc & ſimilia ex hiſtoria Africani quam poſt Abdiam reliquit, manifeſta ſunt.* Ex Fabro.

PSAL. LXIX.

1. SAlva me Deus] Apud noſtrates pro comperto habetur & pro conſtanti, hunc Pſalmum prophetiam eſſe de Chriſto, quod & ipſe Salvator & diſcipuli ejus, & Apoſtolus inſuper Paulus nobis aperuerunt multis in locis.

PSAL. LXXI.

9. IN *tempore ſenectutis*] Precatur hoc loco Chriſtus, modo vera ſit temporum ſupputatio, non de ſua ipſius ſenecta & ſenio, quod ſentit Hirenæus Martyr libro quem contra hæreſes

reſes ſcripſit, verum de ſenecta, & ſenio corporis ſui, hoc eſt Eccleſiæ, ne in ultimis diebus rejiciatur, juxta illud Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.

PSAL. LXXII.

S*Alomonis*] Antiqui Hebræi hunc Pſalmum de Meſſia dictum intellexerunt, quod etiam refert R. Salomon, qui tamen à patrum ſententia aberravit. Verba ejus ſunt hæc, פיצרת בר לשון פיסיון תוספ׳ וריבוי ורבו. פי׳ לשון גלוסקאורת ליכות המשיח וכל המומור בימות המשיח, ideſt, *Pizat bar* (quod nos vertimus *placentula frumenti*) *loquela eſt abundantiæ & multiplicationis. Atqui magiſtri noſtri expoſuerunt ſermonem eſſe placentularum in diebus Meſſiæ, totumque Pſalmum expoſuerunt de diebus Meſſiæ.* Libro quoque Midras Tehilim ד״א משפטיך למלך תן זו מלך המשיח שנ׳ והריחו ביראת יי ונו׳, i. *Sermo alius, Iudicia tua Regi da. Hic eſt Rex Meſſias ſicut dictum eſt, Et odor ejus cum timore Dei.* Libro etiam Cifra, ſuper illud Deuteronomii XXXII. *Et non erit cum eo Deus alienus* ד״א יי ברר ינחנו ונו׳ עתיר אני להושיבכם בנחת בעולם ואין עמו אלנכר שלא יהיא בכם בני ארם שעוסקין בפרקמטיא של כלום בענין שנ׳ יהי פיסת בר בארץ ונו׳ שיהו חטין מוציאין גלוסקאות בכלא פיסת יד ירעש כל בנון פריו שיהן חטין שפות זו בזו ונושרות סולתן בארץ ואתה בא ונולטן תוטל כמנה מלא פיסת היר כרי פרנסתרת, i. *Sermo alius. Dixit Deus ſanctus & benedictus, futurus ſum ego ut convertam vos in manſuetudinem ſpiritus in mundo iſto. Et non erit cum eo Deus alienus, quia non erunt in vobis filii Adam exercentes negociationem aliquam, ſicut dictum eſt Pſalmo 73. Erit pizat bar, id eſt, placentula frumenti in terra in capite montium. Erit Pizat bar, quoniam frumenta producent in diebus Meſſiæ placentas, ſicut eſt plenitudo vola ſeu palma iſtius. Sequitur, Turgeſcet ſicut Libani fructus ejus, quoniam frumenta confricabunt ſe invicem, & dejicient ſimilam ſuam in terram, & tu veniens accipies inde plenitudinem vola ſeu palma iſtius ſecundum refectionem tuam.* Ex commentariis Rabbi Moſſe Hadarſan, ד״א מלכי צרק כרכתיב נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צרק ומי הוא והמלך צריק ומושע מלך המשיח ש״נ הנה מלכך יבא לך צריק ונושע ומה הוציא לחם ויין ש״נ יהי פסת בר בארץ והוא שכתוב והוא כהן לאל עליון: *Alius ſermo Machiſedec hoc eſt, ac ſi dixerit ſcriptura quod dictum eſt Pſalm. 110. Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum verbum Malchiſedec. Et quis eſt iſte? Iſte eſt Rex juſtus & ſalvator Rex Meſſias, ſicut dictum eſt Zach. 9. Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvator. Et quid docet dicendum, protulit panem & vinum? quaſi dicat, erit placentula tritici in terra, & hoc eſt quod ſcriptum eſt, Et ipſe Sacerdos Deo altiſſimo.*

10. *Tarſis*] Tarſis, ut aliqui opinantur, Ciliciæ civitas, ut alii Cartago, ut alii India, ut alii mare.

11. *Omnes gentes ſervient ei*] Ex commentariis R. Moſſe Hadarſſan, דרש ר׳ משה הדרשן לא יסור שבט מיהודה ומחוקק מבן רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהלו עמים יראה שאם שיהיה גבר באחיו ושבט מלכות בידו כאריה שהוא מלך על החיות כי נב׳ יקרה לו כמקרא האריה שיסבול הרביעית כי עם כל כחו הוא כורע ורובץ ואין לו כח לעמוד על עמדו ועצמותו גם הוא יכרע ויפול תחת משאו וישכב גרולתו וישתעבר ביד מלכי אומות העולם ואמר ומי יקימנו על זה הגלות הארוך שנכשכה הכריעה והנפילה הכל כן עד שיאמרו הגויים צורם הסגירם ומי יקימנו ויחיה וכמו שאמר הנביא מי יקום יעקב כי קטון הוא נטשה על אומת ואין מקים ולוה אמר שבט ולא אמר מלך בינלוי וידוע לפניו שלא יעמדו מלכים תמיד עד כי יבא שילה והוא הבן הקטן הצעיר להיות לו באחרית ימים רבים כמו שת״א ובשליתה ובזעירותה כי הוא אשר יקהלו אליו כל הגויים וימלוך עליהם מלכות שלמה כמו ש״נ וישתחוו לו כל מלכים כל גויים יאשרוהו וכשם ואלך לא יוסיף לכרוע לפני זולתו אבל כולם לפניו יכרעו ויפלו ש״נ לפניו יכרעו ציים ואויביו עפר ילחכו, i. „Expoſitio R. Moſſe Hadarſſan. „Non auferetur Sceptrum de Juda, nec ſcriba de pedibus ejus „donec veniat Silo, i. MESSIAS, & ei aggregabuntur po„puli. Demonſtrat, quod, quamvis ſit potentiſſimus fratrum „ſuorum & ſceptrum regni ſit in manu ejus veluti leo qui eſt „Rex cunctorum animalium, nihilominus eveniet ei quemad„modum evenit leoni, qui quartanam patitur, & quamvis „ſit validiſſimus, tamen flectit genua & proſternitur, nec po„teſt conſiſtere in perſona & ſubſtantia ſua. Sic & ipſe genua „flectet & cadet ſubtus ſarcinam ſuam, & proſternetur magni„ficentia ejus, & erit ſervus in manu regum gentium mundi. „Et dicit Scriptura, Et quis ſurgere eum faciet, nimirum pro„pter captivitatem hanc longam, ex qua conſequitur & genu„flexio & proſtratio, in tantum quod exclamabunt gentes, Crea„tor eorum carceri incluſit illos, & quis liberabit eos & vivent. „Et quemadmodum dictum eſt à Propheta, Quis ſurgere faciet „Jaacob, quoniam minimus ipſe relictus eſt ſuper terram, & „non eſt qui ſurgere eum faciat, & propterea dixit Sceptrum „& non Regem, quoniam notum & manifeſtum eſt apud eum, „quod reges ejus non ſunt ſemper permanſuri, ſed ſolum uſ„que veniat Silo, i. MESSIAS, qui eſt filius parvulus, qui „erit ei, poſt multos dies, ut i expoſuit Anchelos, de Prophe„tia & de parvitate ejus, quoniam is eſt cui aggregabuntur „omnes gentes, & regnabit ſuper illas regno juſtitiæ & pacis, „ſicut ſcriptum eſt, Et humiliabuntur ei omnes reges, cunctæ „gentes ſervient ei, & poſtea ipſe nemini humiliabitur, imo „coram eo procident & proſternentur omnes. Et hoc eſt quod „ſcriptum eſt, Coram eo humiliabuntur populi ſive Æthiopes & „inimici ejus pulverem lingent.

16. *Erit placentula frumenti &c.*] Quam plures ex noſtris, qui Hebraicis literis navaverunt operam, ſcripſerunt, in textu Chaldæo huic verſiculo correſpondente, ſic haberi, *Erit ſacrificium frumenti in terra in capite montium Eccleſiæ.* Ipſe vero, qui plures textus, & quidem antiquos perſcrutatus ſum, nequaquam reperi ſicut illi ſcripſerunt. De quo admonuiſſe lectorem non ab re mihi viſum eſt.

17. *Filius nomen ejus*] Huic interpretationi Hebræi conſentiunt, & inprimis R. David Chimchi libro radicum.

PSAL. LXXIII.

4. C*Olligati de morte ſua*] Aliqui ſic vertendum cenſent, *quoniam non eſt nodoſa mors eorum*, i. penoſa.

10. *Hic*] Ad verbium.

PSAL. LXXIV.

3. I*N ſanctuario*] Sunt qui locum iſtum de impio exponant Mahumete, quem adulteraſſe & temeraſſe Euangelium & Legem Chriſti omnibus manifeſtum eſt. Quibus & ego aſſentio. In Mahumetem vero, & in inſanum ejus dogma, abunde ſcripſimus in noſtris ſuper Apocalypſim ſcholiis.

9. *Non eſt nobiſcum qui ſciat uſque quo*] Ex commentariis R. Moſſe Hadarſſan, שאל ר׳ נטרוני מהוא דכתי אותותינו לא ראינו אין עוד נביא ולא אתנו יודע עד מה אמר לו רב אחה זה נאמר על פריצי הדור שלא יאמינו לאותות שיעשה משיח צדקנו ויאמרו עליו כי הוא פועל במכשפות ובשמות הטומאה וכי אותם האותות לא היו אותם שהיו נתנבאות על המשיח ואם היו כי הם לא היו יודעים וגם לא היה להם נביא שיגיר להם שהיו אמיתיות ולכן היה לו מן הראוי שיביא ראה באמיתות דבריו ואם לא שיהרגוהו ולות אמר הנביא עד מתי אלהים יחדף צר ינאץ אויב שמך לנצח לומר שלא יסבול דברים כאלו: id eſt, „Interrogavit R. Natronai quidnam illud eſt, quod „ſcriptum eſt, Signa noſtra non vidimus, non eſt amplius Pro„pheta & non eſt nobiſcum qui ſciat uſque quo. Dixit ei R. „Acha: Hoc dictum eſt de Phariſæis, de quorum genere erunt „aliqui qui non credent ſignis quæ faciet Meſſias juſtus noſter, „& dicent de illo quod operetur, magica arte & nominibus in„cantationis, & quod ſigna quæ ipſe dabat non ſunt ſigna illa, „quæ prophetizaverunt Prophetæ de Meſſia. Et quod ſi ipſa „erant latebat eos, & quod non erat inter eos Propheta qui „poſſet illis veritatem manifeſtare, quapropter neceſſe illi erat „probationem verborum ſuorum afferre, alioqui ipſi interfice„rent eum. Et ideo exclamat Propheta, uſquequo Deus impro„perabit inimicis, blaſphemabit inimicus nomen tuum ſem„per? ac ſi dicat Deo, quod non patiatur ſimilia verba.

PSAL. LXXV.

11. E*Xaltabuntur cornua juſti*] Libro Midras Tehilim, עשר קרנות הן שנתן הב״ה לישראל קרן אברהם ש״נ אשירה נא לידידי קרן בן שמן קרן יצחק ש״נ נאחז בסבך בקרניו וקרנו של משה ש״נ כי קרן עור פניו וקרנו של יוסף ש״נ וקרני ראם קרניו וקרן של נבואה ש״נ ותתפלל חנה ותאמר רמה קרני של תורה ש״נ וקרני׳ מידו לו וקרנה של כהונה ש״נ קרנו תרום בכבוד וקרן לויה ש״נ כל אלה בני להרים קרן וקרן ירושלם ש״נ מקרני ראמי׳ עניתני וקרנו של מלך המשיח ש״נ וירם קרן משיחו והא שם אצמיח קרן לדוד כיון שחטאו ניטלו מהן וניתנו לאומות העולם ש״נ וקרנים עשר לה שנכשר ואומות העולם בחזות הללו וכל זמן שקרני אומות העולם קיימין קרני ישראל גדועים ש״נ גדע בחרי אף כל קרן ישראל: i. „Decem ſunt cornua quæ dedit Deus ſanctus & benedictus „Iſraeli. Cornu Abraham, ſicut dictum eſt Jeſ. 5. Vinea fuit „dilecto

„ dilecto meo in cornu filio olei. Cornu Iſaac de quo dictum eſt „ Gen. 22. Detentus in denſitate per cornua, & cornu Moſſe „ de quo dictum eſt Exod. 34., Quia cornuta cutis faciei ejus. „ Et cornu Joſeph de quo dictum eſt Deuteron. 33. & cornua „ rhinocerotis cornua ejus. Cornu Prophetiæ ſicut dictum eſt „ 1 Reg. 20., & oravit Anna & dixit, Exaltatum eſt cornu meum. „ Cornu Legis de quo dictum eſt Abacuc. 30., Et cornua de ma„ nu ejus ei. Et cornu Sacerdotii de quo dictum eſt Pſalm. CXI. „ Cornu ejus exaltabitur in gloria. Cornu Leviticum, de quo „ dictum eſt 1 Paralip. 25. Omnes iſti filii Heman ad extollen„ dum cornu. Cornu Jeruſalem, ſicut dictum eſt Pſalm. 21. A „ cornibus naricornium exaudiſti me. Et cornu Regis Meſſiæ, de „ quo dictum eſt 1 Reg. 2. Et exaltabit cornu Meſſiæ ſui, & illud „ Pſalm. 131. Ibi germinare faciam cornu David. Quando vero „ peccaverunt, ablata ſunt eis, & data ſunt nationibus ſeculi. „ Sicut dictum eſt Daniel. 7. Et cornua decem habebat. Aſſimu„ latæ ſunt enim gentes ſeculi hujuſmodi feris. Et omni tempo„ re quo cornua nationum ſive gentium, ſeculi ſtabunt, cornua „ Iſrael abſciſſa erunt, ſicut dictum eſt Thren. 2. Confregit in „ ira furoris omne cornu Iſrael.

PSAL. LXXVI.

3. IN *Salem*] Salem idem quod Jeruſalem, tum ex textu Chaldæo, tum auctoritate Gallici Dictionarii. Verum plura de re hac in annotamentis Geneſeos & Euangeliorum, ubi lectoribus non ſolum ſcripto ſed etiam pictura urbem ipſam monſtravimus. Libro Midras Tehilim, בשעה שאתה עושה חסד עם יהודה כאלו אתה עושה חסד עם כל ישראל שכל ישראל נקראו על שבט יהודה : i. *In hora qua Deus ſanctus & benedictus facit miſericorditer cum Juda, perinde eſt ac ſi miſereatur univerſo Iſraeli. Omnis ſiquidem Iſrael comprehenditur ſive nominatur nomine tribus Juda.*

PSAL. LXXVII.

15. QUis *Deus magnus ut Deus*] Melius ſonat in Hebræo, quod ipſi duabus diſtinctis vocibus El ſcilicet & Elhoim hoc loco Deum exprimant, quibus nos caremus.

PSAL. LXXVIII.

Στίχοι εἰς τὸν θεῖον Δαβίδ.
Σίγησον ὀρφεῦ, ῥίψον ἑρμῆ τὴν λύραν.
Τρίπους ὁ δελφοῖς, δῦνον εἰς λήθην ἔπι.
Δαβὶδ γὰρ ἡμῖν, πνεύματος κρέκων λύραν
Τρανεῖ τὰ κρυπτὰ τῶν θεοῦ μυστηρίων,
Πληθὺν παλαιῶν, ἱστορεῖ τεραστίων.
Κινεῖ πρὸς ὕμνον τοῦ κτίσαντος τὴν κτίσιν,
Σώζων ἅπαντας, μυσταγωγεῖ καὶ γράφει.
Ἁμαρτάνοντας, εἰς ἐπιστροφὴν φέρει.
Πολλοῖς σὺν ἄλλοις, καὶ κριτοῦ δηλῶν κρίσιν.
Σμήχειν διδάσκει, ψυχικὰς ἁμαρτάδας.

Hæc ſupraſcripta carmina paſſim habentur in cunctis Græcis codicibus in principio hujus Pſalmi, quæ & ipſe etiam noſtro octaplo inſerere volui, additis duabus Latinis interpretationibus, quarum alteram ex tempore luſit Jacobus Furnius Jureconſultus inſignis, & in Græcis literis etiam Hermolai teſtimonio nemini ſecundus, qui in caſtigatione Græca mihi maximo fuit adjumento. Alteram vero etiam extemporaneè cecinit Baptiſta Cigala Orator & literarii ludi præceptor doctiſſimus, quem in correctione Latina mihi adjutorem adſcivi.

Furnii.

Orpheu ſileto, abjicito Mercurii lyram
Et tu tripus, obliterare Delphice.
Nam David ad nos ſpiritus pulſans lyram
Myſteriorum operta patefacit Dei
Miraculorum ſignat veterum copiam
Creata cit creantis in laudem ſui
Præſervat omnes, initians myſteriis
Labare non ſinit, & jam lapſos erigit
Inter futura, aperit judicium judicis
Anima reatum eluere ſordentis docet.

Cigalæ.

Orpheu jam reticeto, lyram confringito & Hermes
Tuque tripus ſortes Delphice conde tuas:
Nam citharam David cæleſti pectine pulſans
Æterni nobis pandit operta Dei.
Plurima & antiqui ſignat miracula ſæcli:
Inque Dei laudem cuncta creata canit.
Imbutos omnes ſacris cuſtodit, & auget,
Erigit & lapſos, atque labare vetat.
Judicium reſerat venturi judicis, idem
Sordentes animas elui ab igne docet.

12. *In regione Tanis*] Tanis civitas Ægypti, de qua Ptolemæus, Strabo, Stephanus & reliqui: cujus ſinus & ager *Taniticus* dicitur ab auctoribus. Chaldæus vero hic interpres & nauticum vulgus *Tenes* vocant.

37. *Dimidium*] Diligentiſſimi Hebræi aut potius ſuperſtitioſiſſimi quemadmodum literas legis numeraverunt notaveruntque quænam eſſet medietatis litera, pari modo numeraverunt verſus Pſalterii quos ipſi *Paſuchin* vocant, notaveruntque hoc loco haberi dimidium eorum.

39. *Et recordatus es quia caro*] Libro Midras Tehilim ויזכר כי בשר המה רוח הולך ולא ישוב סברי ואמרי איש כי דלית מתין חיין רוח הולך ולא ישוב אלא זה יצר הרע שהולך עמו בשעת מיתה ואינו שב עמו השעה שיעלו המתים : i. „ Et recordatus eſt quia caro „ ſunt ſpiritus vadens, & non rediens. Opinati ſunt aliqui pro„ pter hoc quod hic dictum eſt, quod mortui non vivent, di„ citur enim ſpiritus vadens & non rediens. Sed hic eſt *jeceer ara*, „ i. fomes pravus, qui vadit cum homine in hora mortis, & non „ revertetur cum eo in hora qua reſurgent mortui.

PSAL. LXXIX.

1. DEus *venerunt gentes*] Joſephus, qui Machabæorum hiſtoriam conſcripſit & ejuſdem temporis Hebræi, intellexerunt hunc Pſalmum de illis concuſſionibus Hebræorum quæ in hiſtoria illa leguntur.

In acervis lapidum] Sub Antiocho hoc factum eſt. Biennio ſiquidem poſt Antiochi ingreſſum princeps tributorum Antiochi, diripuit Jeruſalem, & ſuccendit eam igni, & deſtruxit domos ejus & muros ejus in circuitu.

12. *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum*] Septupla punitio apud Hebræos perfecta & conſummata punitio intelligitur.

PSAL. LXXX.

14. APer *de ſilva, & fera agri*] Singularis ferus. Varii habentur doctores Hebræorum in interpretatione *hujus* vocis זז *ziz*, nam alii interpretantur *motionem*, alii *pulchritudinem*, alii *avem ignotam*, alii generale nomen ad omnes feras, alii, *gallum ſilveſtrem*.

PSAL. LXXXII.

1. DEus *ſtetit*] Libro Midras Tehilim ר״א ותתן לי מגן ישעך מדבר באברהם אבינו עה׳ שהיה אברהם יושב והשכינה עומדת לו ר׳ ברכיה בשם ר׳ לוי אמר בקשה אברהם לעמוד אמר לו הקב״ה שב ואתה סימן לבניך שיהו יושבין ואני עומד שנא׳ אלהים נצב בעדת אל ר׳ שמואל בר חייא ור׳ יודן בשם ר׳ חנינא, i. *Sermo alius, & dabis mihi clypeum ſalutem tuam, loquitur de patre noſtro Abraham, de quo ſcriptum eſt, Et erat Abraham ſedens & divinitas aſtabat ei. R. Barchia in nomine R. Levi dixit, Voluit ſive quæſivit Abraham pater noſter ſtare, Dixit autem ei Deus ſanctus & benedictus, Sede, optimum quippe hoc ſignum erit filiis tuis. Nam ipſi ſedebunt & ego ſtabo ante eos. Sicut dictum, Deus ſtetit in concilio Deorum.* Quod autem legitur & Abraham ſtabat coram Domino, non eſt ſecundum Scripturæ veritatem, imo à ſcribis & ſapientibus Hebræorum correctum aut potius depravatum eſt, uti teſtatur liber Midras Tehilim ubi ſupra his verbis א״ר סימון תיקון סופרים הוא וזה שהשכינה עומדת וממתנת לו היו וענותך תרבני, i. *Dixit R. Cimon, Aptatio ſeu correctio ſcribarum eſt id quod legitur Abraham ſtabat coram Domino. Nam Divinitas ſtabat & confortabat eum juxta illud, Et humilitas tua ſive & manſuetudo tua confortabit me.* De correctione vero ſcribarum in libris Legis & Prophetarum diffuſe egimus.

PSAL. LXXXIV.

11. E*Legi abjectus eſſe*] i. Mallem eſſe vilis portarius, mallemque ſervire in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculis impietatis.

PSAL. LXXXV.

1. V*Oluntas tua Deus &c.*] Sunt qui putant, ex primo hujus Pſalmi verſiculo poſſe manifeſtum validumque elici argumentum ad demonſtrandum beatiſſimam virginem Mariam nequaquam contraxiſſe maculam originalis peccati. Sed difficilior hæc quæſtio, quam ut poſſit brevi ſermone determinari, in quam tot præclariſſimorum virorum ingenia inſudarunt. Nec ſolius ſancti Hidelphonſi auctoritas, præferenda eſt auctoritati Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Gregorii & ceterorum omnium ſanctorum. Verum hæc obiter & in tranſcurſu. In noſtris vero ſcholiis ſuper Pauli epiſtolis, ex profeſſo de re hac egimus. Præſtat vero magis hoc loco noſtris communicare quæ de virginitate beatiſſimæ Virginis oſtendi in commentariis Hebræorum patrum. Ex annotationibus R. Moſſe Hadarſſan אמרת מארץ הצמח וצדק משמים נשקף אמר ר׳ יודן זאת הוא השועתינו שת צמח מארץ באמצעות אלהי ויהיו בקשורות שניהם יחד ולמה אמר תצמח ולא אמר תולד לפי שלא תהיה הוכה לתולדת בריות העולם אלא נפרדת בלתי חבור וזה יהיה מושיעני וצדקנו אשר ישלחנו אלהים וזה הוא שאמר גם יי׳ יתן הטוב וארצנו תתן יבולה והאמת הוא כאין כי מגיד שם אביו ושירעו אלא הוא נבתר מעני ההמון עד שיבוא הוא ויגידהו i. „Veritas de terra germinabit ſive creſcet, & juſtitia de cœlis protendetur. Dixit R. Joden, Hæc eſt ſalus noſtra quæ de „terra orietur, mediante Deo, eruntque conjunctæ ambo ſimul. Et cur dixit Creſcet ſive orietur, ſive pullulabit, & non „dixit Naſcetur? Quoniam nimirum generatio ſive nativitas „ejus, non erit ſimilis generationi ſive nativitati creaturarum „quæ ſunt in mundo, imo diverſa & diſtans, abſque ſocio & „conjunctione: Et hic erit ſalvator noſter & juſtus noſter, quem „mittet Deus, & hoc eſt quod dicit Utique Deus dabit bonum, „& terra noſtra dabit germen ſuum. Conſtat autem non reperiri „& non eſſe qui enarret nomen patris ejus, neque qui illud ſciat. „Verum hoc occultum eſt ab oculis vulgi, donec veniat ipſe & „manifeſtum faciat illud.

PSAL. LXXXVII.

1. D*Iligit Deus portas Cion &c.*] Libro Midras Tehilim אמר ר׳ פנחס בשם ר׳ ראובן עתיד הקב״ה להביא לתבור ולכרמל וליתן ירושלם בראשן שנא׳ נכון יהיה הר בית יי׳ בראש ההרים i. *Dixit R. Pinchas in nomine Rabbi Rauben, Futurum eſt ut Deus ſanctus & benedictus adducat Tabor & Carmellum, & dabit Jeruſalem in capite eorum, juxta illud quod dictum eſt Jeſ. 2. & Mich. 4. Paratus erit mons domus Dei in capite montium.* Vulgus Hebræorum innifus his quæ ſupra dicuntur, credidit in adventu Meſſiæ civitatem Jeruſalem fore à loco proprio movendam ponendamque in verticibus montis Tabor & montis Carmelli. Horum vero fatuum & reprobum ſenſum reprehendit R. Salomon in commentaris Jeſaiæ, dicens, והיה באחרית הימים לפי שכלו הפושעים כמו שאמר למעלה נכון יהי כל הענין עד לכו ונלכה באור יי׳ כי נטשת הנני מכב הדבור אל השכינה כי כל מה שנשטת את עמך בעונם היה כי עד מלאו וכל הענין כל הפרשיות מוכבל זו על זו עד אשירה נא לפיכך באחרית הימים כשיכלו פושעים להטיב להם נכון מתוקן בראש ההרים כחר שהוא ראש לכל ההרים בחשיבות ונשא וגבעות יגדל יי׳ נס שיעשה בו מניסי סיני וכרמל ותבור ונו׳, i. „Et erit in noviſſimis diebus, poſtquam ſcil. deficient „peccatores quemadmodum ſupra dictum eſt, Præparatus erit, „totum eodem modo, uſque ibi, ambulantes ambulabimus in „lumine Dei, quoniam derelictum eſt. Hanc ſententiam Pro„phetæ ad divinitatem referendam cenſeo. Nam quod derelictus „ſit populus, in cauſa fuerunt peccata eorum, uſque ibi, Com„pleti ſunt. Et omnia quæ ibi habentur, omniaque capitula „invicem conjunguntur uſque ibi, Canam nunc. Itaque in no„viſſimis diebus, quando ceſpitabunt peccatores, benigne cum „illis facies præparatus erit in capite montium, in monte ſcili„cet qui eſt caput omnium montium, quantum ad dignitatem, „ſive quantum ad pretium & exiſtimationem. Et elevabitur ſu„per colles. Quoniam ſcilicet magnificabitur Deus ſigno quod „fiet in eo, majore ſignis quæ facta ſunt in monte Tabor & in „monte Carmelli.“ R. quoque Abraham Avenezra vir emunctæ deſæcatæque doctrinæ in commentariis Michez ſpiritaliter interpretatur, & demum ſubjungit verba hæc ויעבר מלכם לפני הם בגלות בשביל שנסתלק הקב״ה מראש משום מעשיהם הרעים Et Paulo inferius ויפתר אחר כך הפרשה לימות המשיח, i. *Et tranſivit Rex eorum coram eis in captivitate, quoniam ſegregavit ſe ab eis Deus ſanctus & benedictus à principio propter operationes eorum malas. Et completur poſtmodum reſiduum capituli pro diebus MESSIÆ.*

Libro Midras Tehilim אמר ר׳ יוסי בר סימון עתידין אומות העולם להביא דורונות למלך המשיח שנא׳ תשורי מראש אמנה, i. *Dixit R. Joſi filius Simon, Futurum eſt ut nationes ſeculi adducant munera Regi Meſſiæ, ſicut dictum eſt Cant. 4. Munera dabis de capite Amana.*

PSAL. LXXXVIII.

1. D*Eus Deus ſalutis meæ*] Libro Midras Tehilim אמרה כנסת ישראל לפני הקב״ה אין לי ישועה אלא בך ואין עיני מיחלות אלא לך אמר לה הקב״ה הואיל וכן הוא אני מושיעך שנ׳ ישראל נושע ביי׳ תשועת עולמי׳, i. *Dixit Eccleſia Iſrael coram Deo ſancto & benedicto, Non eſt mihi ſalus niſi in te, & non excitatur oculus meus niſi in te. Dixit ei Deus ſanctus & benedictus, quoniam res ita ſe habet, & ipſe ſalvabo te, ſicut dictum eſt Jeſ. 45. Iſrael ſalvatus eſt in Deo ſalute æterna.* Advertendum in Chaldæa editione ſic háberi, *Iſrael redemptus in verbo Dei redemptione æterna.* Idemque interpreti Chaldæo ſignificare *Deum & verbum Dei.*

PSAL. LXXXIX.

1. M*Iſericordias Dei æternum cantabo*] Libro Midras Tehilim אמר להם אני אמרתי עולם חסד יבנה אף שמים תכין ולא השמי׳ בלבד אלא אף הכסא אינו עומד אלא בחסד ש״נ והוכן בחסד כסא למה הדבר דומה לכסא שיש לו ארבע רגלים והיה האחד מהם מטנטל צרור וסמכו כך היה הכסא של מעלה כביכול שמתמוטט עד שתקברה סמכו ובמה סמכו בחסד הוי עולם חסד יבנה אף שמים וכן דוד אומר לעושה השמי׳ בתבונה ועל ידי מי הם עומדין על החסד ש״נ כי לעולם חסדו לרוקע הארץ על ידי מי כי לעולם חסדו, i. „Dixit „eis, ſcilicet David Iſraeli, Quoniam dixi Mundus miſericordia „ædificabitur, inſuper & cœlos concinnabis, ſupple tu Deus, mi„ſericordia, & non tantum cœli, verum & ipſe thronus non ſub„ſiſtit niſi miſericordia, ſicut dictum eſt Jeſ. 16. Et præpara„bitur in miſericordia thronus. Hoc autem ſimile eſt ac ſi ha„beretur thronus quatuor pedum, quorum unus fractus eſſet, „ſuppoſuit autem ei quiſpiam lapillum & firmavit illum. Sic „& thronus ſupernus commotus eſt, firmavit autem illum Deus „ſanctus & benedictus, & qua re firmavit illum? nimirum mi„ſericordia, ut dictum eſt: Mundus miſericordia ædificabitur & „inſuper cœli. Et ſic dixit David Pſalm. 136. faciens cœlos in „intellectu, & cujus virtute perſiſtunt. Miſericordiæ ſicut di„ctum eſt: Quoniam in ſeculum miſericordia ejus. Extendit „terram, per cujus manum, quoniam in ſeculum miſericordia „ejus.

39. *Tu autem repuliſti & projeciſti &c.*] Chaldæi omnes codices quos duntaxat videre potui, manci & defectivi habentur hoc loco, nec habent interpretationem verſus, qui è regione conſcriptus eſt, in cunctis Hebraicis libris. Quæ vero hujus defectus ſit ratio, non ſatis conjectura aſſequi datur. Placuit proinde locum vacuum relinquere, ut, ſi alicujus diligentia reperiri contingat hujus verſus Chaldæam interpretationem, quam myſterio & ſacramento non carere arbitror, poſſit quiſque illam ſuo inſerere libro. Nam quod Hebræi omnes conſpiraverint, eamque de cunctis voluminibus toto orbe abraſerint, non ſatis noſtro facit ingenio.

52. *Extrema Meſſiæ tui*] *Veſtigia* ſive *extrema Chriſti tui.* Tempus, ſive ultimum & præfinitum adventum Meſſiæ. Quod magna obſtinatione inficiantur nondum adveniſſe noſtri temporis Hebræi. Significatur etiam quod mortuo Domino priuſquam ſurgeret à mortuis, improperatum fuiſſe Apoſtolis, diſcipulis & amicis ejus, quod ſecuti eum fuerant, quod eum imitati ejuſque doctrinam audierant, & reliqua.

PSAL. XC.

1. O*Ratio Moſſe viri Dei*] Ubicunque apud Hebræos legitur *Moſſe vir Dei*, intelligunt ſine controverſia Moſſen legiſlatorem.

6. *Somnia erunt*] Hominum vita poſt diluvium, ſi conferatur

 vitæ

vitæ hominum, qui diluvium anteceſſerunt, ſomnium jure dici poteſt.

10. *Octoginta anni*] Non eſt brevior noſtri temporis hominum vita, quam fuerit tempore Davidis. Multi ſiquidem nunc attingunt octogeſimum annum. Nec Petrus Apponenſis, quem *Conciliatorem* appellant, hujus rei, quantum ego ſentio, eſt veritatem aſſecutus.

PSAL. XCI.

Hieronymus in commentariis Prophetarum, & in expoſitione Pſalterii, negare videtur hunc Pſalmum dictum de Chriſto, cui ipſe nequaquam aſſentio.

Libro Midras Tehilim וכן כשאמ׳ לו הקב״ה צוה את בני ישראל את קרבני לחמי אמ׳ משה זל כנגן אין די בער וחייתו אין די עולם מי יוכל לספק אילים לקרבנות אמ׳ לו הקב״ה חייך לא כשאתה סבור אני מבקש מהם אלא שני׳ כבשי׳ אחד תעשה בבקר i. *Et pari modo quando dixit ei, ſcil. Moſſe Deus ſanctus & benedictus, Præcipe filiis Iſrael, Sacrificium meum caro mea: Dixit Moſſe Jeſ. 40. Et Libanus non erit ſufficiens ad incendium, animaliaque ejus non ſatis erunt ad holocauſtum. Quis ergo poterit ad ſufficientiam arietum ad ſacrificia. Dixit ei Deus ſanctus & benedictus, Vivus tu, non quemadmodum tu opinaris, ego requiro ab eis. Non enim requiro ab eis niſi unum tantum arietem.* Hæc, quando ad literam verificari nequeant, notat Prochetus eſſe intelligenda myſtice, refertque verba Dei, ad unicum & verum ſacrificium Jeſu Chriſti filii Dei, qui verus eſt aries, veruſque agnus immaculatus, cujus ſanguis quotidie in altari inviſibiliter immolatur, videturque à ſolo Deo, ut etiam habent Hebræi libro Mechilta his verbis, ודם נקי תרשיעו זה הוא שאמר וראיתי את הדם הנראה לי ולא לאחרים דברי ר׳ ישמעאל וכיוצא בו והיה הדם לכם לאות לאות לכם ולא לאחרים לאות i. *Et in ſanguinem inſontis impie egiſtis. Hoc eſt quod dictum eſt, Et videbo ſanguinem qui quidem videbitur à me, non autem ab aliis. Verba R. Iſmael, & huic annexum eſt illud, Et erit ſanguis vobis in ſignum: in ſignum inquam vobis, non autem aliis erit in ſignum.*

Libro Midras Tehilim, ר׳ נחמיה אומ׳ שלשה אבנים היו ואמ׳ אם אלהי׳ מיחד שמו עלי כשם שיחד על אבותי יעשו כולן אחד עמד ומצאן כולן אחד שנ׳ ויקח את האבן מלמד שנעשו כולן אחד, i. *R. Nachmia dixit, Tres lapides accepit ſcil. Jaacob, & dixit, ſi Deus unit nomen ſuper me quemadmodum univit ſuper patres meos fiant omnes unus, ſtetit & invenit omnes unus ſicut dictum eſt Gen. 28. Et accepit lapidem. Hoc enim verbo docet quod omnes facti ſunt unus.* Volunt nonnulli hinc argumentum elici poſſe ad adſtruendum beatiſſimæ Trinitatis myſterium.

15. *Invocabit me, & reſpondebo ei*] Libro Midras Tehilim אמ׳ ר׳ יהושע בן לוי בשם ר׳ פנחס בן יאיר מפני מה מתפללי׳ ישראל בעולם הזה ואינן נענין על ידי שאינן יודעין בשם המפורש אבל לעתיד לבא הקב״ה מודיען ש״נ כי ידע עמי שמי באותה שעה הן מתפללין ונענין שנ׳ יקראני ואענהו, i. *Dixit R. Jeoſua filius Levi in nomine R. Pinchas filii Jair, Quamobrem orationem fundunt Iſraelitæ in mundo iſto & nequaquam exaudiuntur? Propterea nimirum quod neſciunt nomen Hamephoras ſive nomen quatuor literarum. Futurum eſt autem ut Deus ſanctus & benedictus doceat eos illud ſicut dictum eſt Jeſ. 52. Sciet populus meus nomen meum. Tunc vero orabunt & exaudientur, ſicut dictum eſt, Invocabit me & ego reſpondebo ei.*

16. *Longitudine dierum ſaturabo eum*] Libro Midras Tehilim ארך ימי׳ אשביעהו זה אחד מן המקראות הקשין שישועתן של ישראל הוא ישועתו של הקב״ה ש״נ ואראהו בישועתי, i. *Longitudine dierum ſaturabo eum. Hæc eſt una de ſcripturis gravioribus, quod ſcil. ſalus Iſrael ſit ſalus Dei ſancti & benedicti, ſicut dictum eſt, Et oſtendam ei in ſalute mea.*

Ibid. *Et oſtendam ei ſalutare meum*] Ex libro tertio More Hanevochin R. Moſſe Ægyptii cap. 51. התכונן בשיר שלפגעים תראה שהוא מספר ההשגחה ההיא הגדולה והמחסה והשמירה מכל הרעות הגופניות הכוללות והמיוחדות באיש אחד ולא שאר בני אדם לא מה שהוא נמשך מהם אחר טבע המציאות ולא מה שהוא נמשך מהם מצער בני אדם כי הוא יצילך מפח יקוש מדבר הוות באברתו יסך לך ותחת כנפיו תחסה צנה וסוחרה אמתו לא תירא מפחד לילה מחץ יעוף יומם מדבר באופל יהלך מקטב ישוד צהרים יפל מצדך אלף ורבבה מימינך אליך לא יגש רק בעיניך תביט ותניע מספור השמירה מצער בני אדם שאמר שאתה אילו יקרה שתעבור במלחמת חרב פושטת ואתה על דרכך עד שיהרגו אלף הרוגים משמאלך ועשרת אלפים מימינך לא יגע בך רע בשום פנים אלא שתראה ותביט משפט השם ושלומו לרשעים ההם שנהרגו ואתה בשלום הוא אמרו יפל מצדך אלף ורבבה מימינך אליך לא יגש רק בעיניך תביט ושלומת רשעים תראה וסמך לזה מה שסמך מן ההגנה והמחסה ואחר כן נתן טעם לזאת השמירה הגדולה ואמר כי סבת בואת השמירה הגדולה באיש הזה כי בי חשק ואפלטהו אשגבהו כי ידע שמי וכבר בארנו בפרקים הקודמים שענין ידיעת השם הוא השגתו ובא׳ ואמר זאת השמירה באיש הזה הוא בעבור שידעני וחשק בי אחרי כן וכבר ידעת ההפרש בין אוהב וחושק כי הפלגת האהבה עד שלא ישאר מחשבה בדבר אחר אלא באהוב ההוא הוא החשק וכבר בארו הפילוסופים כי הכחות הגופניות בימי הבחרות ימנעו רוב מעלות המדות כל שכן כזאת המחשבה הזכה העולה ביד האדם משלמות המושכלות המביאות לחשק הש״ית כי מן השקר שתעלה ביד האדם עם רתיחת הליחות הגופניות כי כל אשר יחלשו כחות הגוף ותכבה אש התאות יחזק השכל ויגדל אורו ויזך השגתו וישמח במה שהשיג עד שיבא האיש השלם בימים ויקרב למות תוסיף ההשגה תוספת עצומה ותרבה השמחה בהשגה ההיא והחשק למושג עד תפרד הנפש מן הגוף או בעת התענוג ההוא אל זה הענין רמזו החכמים במות משה ואהרן ומרים שלשתם מתו בנשיקה ואמרו שאמרו וימת שם משה עבד יי׳ בארץ מואב על פי יי׳ מלמד שמת בנשיקה וכן נאמ׳ באהרן על פי יי׳ וכן אמר במרים אף היא בנשיקה מתה אבל לא זכר בה על פי יי׳ להיותה אשה ואין טוב לזכור זה דמשל בה i. „Adverte Pſalmum, cujus principium eſt, Qui „habitat in adjutorio Altiſſimi, quoniam in eo agitur, de providentia & de cura & de adjutorio atque protectione Dei, in „cunctis quæ eveniunt corpori, tum univerſalia tum particularia, quæ inveniuntur in uno individuo & non in alio, „in accidentibus etiam quæ eveniunt, à natura compoſitæ ſubſtantiæ, nec non in illis quæ perpetrant & commentantur homines pravi moribus, & propterea dixit, Ipſe liberabit te de „laqueo venantium, & à pernicie adverſa. Et iterum, ſcapulis ſuis obumbrabit tibi & ſub pennis ejus ſperabis. Et rurſum, Non timebis à timore nocturno, nec à ſagitta volante „per diem, & à pernicie ambulante in tenebris. Loquitur inſuper de cuſtodia ſua, ab his quæ eveniunt ab hominibus & „dicit, quod quamvis tranſires per medium acriter pugnantium „ita quod viri interfecti caderent à dextris & a ſiniſtris tuis, & „ad lævam quidem caderent mille, ad dextram autem myriades, ad te nihilominus pernicies non appropinquaret. Et „ſubintulit, Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum inſpicies: Et demum intulit, quod jam allatum eſt, de gloria & de honore, poſuitque rationem & cauſam hujus curæ & providentiæ erga hominem hunc, & dixit, „quoniam me vehementer dilexit liberabo eum, & protegam „eum quoniam ſcit nomen meum. Nos vero jam monſtravimus in præcedentibus rationem ſcientiæ nominis comprehenſionem eſſe creatoris. Dicimus itaque, providentiam & „curam divinam ideo adhærere & conjungi huic homini, quoniam ſcivit Deum atque dilexit eum. Differentia vero eſt inter אוהב Oheb & חושק Choſec. Nam quando amor multum „intenditur & oculi amantis & cor & cunctæ cogitationes feruntur in rem quæ amatur adeo quod nihil aliud cogitat præter illam, hic talis vocatur חושק Choſec. Philoſophorum autem documentum eſt, quod paſſiones corporeæ tempore juventutis „impedimento ſunt homini ne aſſequatur bonos mores, quanto „ergo magis impedimento erunt ad aſſequendam hanc clariſſimam cognitionem, quam aſſequitur homo perfectionibus intellectus, quæ inducunt hominem ut ſit חושק Choſec i. diligens creatorem. Vanum vero & fatuum eſt opinari quod „ſpeculationes iſtæ limpidæ homini ineſſe poſſint dum fervent „corporeæ paſſiones. Siquidem quantum remiſſæ fuerint corporeæ paſſiones, & exſtinctus ignis concupiſcentiæ, tantum vigebit intellectus & lumen ejus augebitur, & comprehenſio illius clariſſima erit & lucida, adeo quod cum homo pervenerit „ad ætatem maturam & morti propinquus fiet, intendetur operatio intellectus intentione maxima, & creſcet delectatio & lætitia in apprehenſione ſive operatione illa & intendetur amor rei „apprehenſæ, tantum quod ſeparabitur anima à corpore in hac „delectatione. Propter hanc autem rationem dixerunt ſapientes, „in morte Moſſe Aharon & Mariæ quod de duobus illorum dictum ſit peculiari carmine, mortuus eſt ex ore Domini, id eſt „dicto Domini. Verum ſapientes adhæſerunt huic verbo, „quod dicitur ex ore Domini, & dixerunt quod mortui ſunt „oſculo. Et de Maria inſuper dixerunt quod mortua ſit oſculo „non autem ex ore Domini quoniam mulier erat &c. Oſculum „ſapientibus ſignificat actionem hominis intenſo amore affecti „erga creatorem, ſecundum quod dictum eſt in Canticis Canticorum, Oſculetur me oſculo oris ſui &c.

PSAL. XCVI.

10. *DEus regnavit*] Quod legitur in Romana Pſalmodia, *regnavit à ligno Deus*, non eſt de Hebraica veritate, ſed Chriſtiana devotione, ut arbitror, additum. Secutus eſt vero hanc paraphraſticam additionem Theodulphus, qui nobile paſſionis carmen ac devotum compoſuit, ubi dixit,

Impleta ſunt, quæ concinit
David fideli carmine
Dicens in nationibus
Regnavit à ligno Deus. Ex Fabro.

PSAL. XCIX.

3. C*Onfiteantur nomini tuo magno & timendo*] De magno Dei nomine יהוה, quod & Hebræi & Græci quatuor literarum nomen appellant, multa ſcripſimus tum in ſcholiis libri Exodi, tum in libello duorum & ſeptuaginta nominum (quamvis libellus ipſe imperfectus & mancus circumferatur abſque Hebræo ſermone) quem dicavimus nominatim Stephano Saulo Protonotario Apoſtolico, nobiſque conſobrino, juveni magnæ ſpei, qui breviſſimo tempore & in Græcis & in Latinis literis mirum in modum profecit, adeo quod de ſe dicere poteſt (nec me fallit naturale affinitatis vinculum) illud Apoſtoli Pauli, Profeci ultra multos coætaneos meos, in ſacris philoſophiæ ſtudiis.

PSAL. C.

P*Salmus ad confeſſionem*] Libro Midras Tehilim, אר׳ יעקב א״ר אבהו בשם ר׳ אחא מיטור לתודה יודו בי כל האומות ואני מקבלן שנ׳ כי לך תכרע כל ברך תשבע כל לשון אני מקבלן, i. *Dixit R. Jaacob Dictum eſt à R. Abahu in nomine R. Aha, Pſalmus ad confeſſionem. Confitebuntur mihi omnes gentes & ego recipiam eas, ſicut dictum eſt Ieſ. 45. Quoniam mihi flectetur omne genu, & jurabit omnis lingua & ego recipiam eos.*

3. *Ipſe fecit nos & non nos*] Quanquam durior ſermo, reſpondens nihilominus Hebraicæ veritati. Nam in Hebræo & negativa particula ponitur לא lo, i. *non*, & pronomen pluralis numeri primæ perſonæ אנחנו enachanu, i. nos.

PSAL. CII.

1. D*Eus exaudi orationem meam*] Hunc Pſalmum non ab re de filio Dei interpretatum intelligas. Nam & Paulus capite primo Epiſtolæ ſuæ ad Hebræos vigeſimum ſextum verſum & obiter duos ſubſequentes, adducit ad filium Dei dirigi.

PSAL. CIII.

1. B*Enedic anima mea Deo*] Libro Midras Tehilim רבנן אמרי מה הנפש מכלאה את הגוף כך הקבה מכלא את עולמו מה הנפש סובלת את הגוף כך הבה סובל את העולם ומה הנפש יחידה בגוף כך הבה יחיד בעולמו ומה הנפש אינה אוכלת ואינה שותה כך הבה אינו אוכל ואינו שותה ומה הנפש טהורה בגוף כך הבה טהור שהוא למעלה מעולתו ומה הנפש רואה ואינה נראית כך הבה רואה ואינו נראה אמ׳ דוד תבא הנפש שיש בה כל המדות הללו ותהלל לקבה שיש בו כל המדות הללו i. *Magiſtri dixerunt, ut anima implet corpus, ſic Deus ſanctus & benedictus implet mundum ejus, ut anima regit corpus, ſic Deus & ſanctus & benedictus regit mundum, ut anima eſt una in corpore, ſic Deus ſanctus & benedictus eſt unus in mundo ejus, ut anima non manducat & non bibit, ſic Deus ſanctus & benedictus nec manducat, nec bibit, ut anima habitat in corpore, ſic Deus ſanctus & benedictus habitat in ſuperiori mundo. Ut anima videt & non videtur, ita Deus Sanctus & benedictus videt & non videtur. Dixit David, Accedat anima, cui inſunt omnes iſtæ proprietates. Laudetque Deum ſanctum & benedictum, cui etiam inſunt omnes proprietates.*

7. *Notas fecit vias ſuas Moſſe*] Viæ Dei quas ipſe docuit Moſſe, ſunt, uti ego ſentio, dilectio Dei & proximi, quibus duabus viis patet iter ad cœleſtem patriam. Doctiſſimi vero Hebræorum cabaliſtæ, numerant duas & triginta vias, quas vocant vias ſcientiæ Dei, quibus edoctos fuiſſe à Deo optimo maximo non ambigunt patrem Abraham, Moſſe & reliquos patres, qui fuerunt ante Chriſti adventum. Comprehenduntur vero hæ duæ & triginta viæ decem Sephirot, ut ipſi vocant, & duabus & viginti Alphabeti literis. De decem Sephirot ſic habetur in libro Formationis quem Hebræi vocant Cepher Icira עשר ספירות בלימה א׳ רוח אלהים ברוך ומבורך שמו של חי העולמים קול ורוח ודבר זה רוח הקדש ב׳ רוח מרוח חקק וחצב בהכ׳ באותיות יסוד ג אמות ז כפולות יב פשוטות ורוח אחת מהם ג מים מרוח חקק וחצב בהם תהו ובהו רפש וטיט חקקן כמין ערוגה והציבן כמין חומה וסככן כמין מעזיבה ד׳ אש ממים חקק וחצב בה כסא הכבוד ואופנים ושרפים וחיות הקדש ומלאכי השרת ומשלשתן יסד מעונו שנא׳ עושה מלאכיו רוחות משרתיו אש לוהט ה חתם רום ביוד שלש אלות וקבען בשמו הגדול יהו והתם בהם שש קצוות פנה למעלה וחתמו ביהו ו׳ חתם תחת ופנה למטה וחתמו ביוה ז׳ חתם מזרח ופניו לפניו וחתמו בהיו ח חתם מערב ופנה לאחריו וחתמו בהוי ט חתם לצפון ופנה לימינו וחתמו בויה י חתם דרום ופנה לשמאלו וחתמו בוהי אלו עשר ספירות בלימה רוח אלהים רוח מרוח ורוח מים ואש רום ותחת מזרח מערב צפון ודרום, i. „Decem Sephirot, i. decem incorporei abſtractique numeri ſeu potius decem incorporeæ ſecretæque unitates, una, Spiritus Dei, ſive Spiritus Deus, „benedicens & benedictum nomen ejus, qui eſt vita mundi, vox, „& Spiritus, & verbum, hic eſt Spiritus ſanctus, cujus (ut habent „aliqui libri) principium perſcrutari non poteſt, & cujus finis „nullus eſt terminus. Duæ, Spiritus de Spiritu, exſculpſit in„ciditque in eis duas & viginti literas pro fundamento, tres ma„tres, ſeptem duplices, & duodecim ſimplices, & ſpiritus unus „de eis. Tres, aqua de Spiritu, ſculpſit inciditque in eis, „inane & vacuum, cœnum & lutum. Eas ad areolæ ſimilitu„dinem ſculpſit, utque murum ſtatuit, & eas pavimenti inſtar „contexuit. Quatuor ignis de aqua, ſculpſit inciditque in eis „thronum gloriæ & rotas, Seraphim, & animalia ſanctuarii, & „angelos miniſterii & ex tribus his regiam ſuam fundavit ut di„ctum eſt, Qui facit angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos „ignem urentem. Quinque ſigillum altitudinis in myſterio „trium matrum, ex ſimplicibus conſtituitque eas in magno ſuo „nomine יהו, ex quibus ſex ſigillavit extrema, aſpexit ſuperius, „& ſigillavit ipſum, cum יהו. Sex, aſpexit deorſum & ſigillavit „ipſum cum יוה. Septem, ſigillum orientis aſpexit, anterius, & „ſigillavit ipſum cum היו. Octo, ſigillum occidentis, aſpexit „poſterius & ſigillavit ipſum cum הוי. Novem, ſigillum ſepten„trionis aſpexit dextrum & ipſum ſigillavit cum ויה. Decem, ſi„gillum meridiei aſpexit ſiniſtrum & ipſum ſigillavit cum והי. „Hæc ſunt decem abſtractæ unitates, Spiritus Dei, ſpiritus de „ſpiritu, ſpiritus aquæ, ignis, ſuperius, inferius, oriens, oc„cidens, ſeptentrio & meridies.“ Duas vero & viginti literas trifariam partiuntur patres Hebræi. Tres matres, ſeptem duplices, duodecim ſimplices. Ex quarum varia combinatione conſtituunt fere innumerabiles portas, innumerabileſque ſcientiæ domos & hac alphabetaria revolutione volunt elici poſſe verum ſenſum verumque intellectum Legis & Prophetarum, & has dicunt eſſe vias de quibus hoc loco loquitur divinus vates. Sed de his alias & majore ocio, & non in ſcholiis, ſed juſto commentario.

Quod in Deo ſit pluralitas. Ex libello R. Abraham Pici, de ſignificatione taghin i. apicum quæ ſuperſcribuntur literis Legis, & hæc quidem Hebraice ſcientibus ſcribimus, nam qui Hebræarum literarum rudes habentur, hæc ſine commentario vix odorari valebunt, והנה אני מעורר על ענין סוד זה הסימן הגדול משבעה אותיות ועיין בהם ותמצא עליהם כא׳ כתרים והוא סוד אהיה והסימן זה כלול עם השם הגדול ועלות רמז ויאמר אלהים אל משה אהיה אשר אהיה וחותם הפסוק אהיה שלחני אליכם רל שלשה פעמים אהיה כנגד שלשה כתרים על כל אות ואות וכדי שתצחדף בכל הסימן סוד חשבונו רבר אחר שלשה כתרים על כל אות כנגד שלשה האבות אברהם יצחק ויעקב הנזכרים מיד ש״נ ויאמר אלהים אל משה אהיה אשר אהיה כה תאמר לבית יעקב יי׳ אלהי אבותיכם אלהי יצחק ואלהי יעקב שלחני אליכם זה שמי לעולם וזה זכרי לדור דור ועיין באותיות שמות האבות ותבין סוד יג מדות כמו שפירשנו נכ׳ בשת ודקדק תבין סוד יה כי תמצא ט׳ כתרים למעלה משמות האבות הרי לך סוד יג מדות וסוד אהיה וסוד שם הגדול המפורש ואמנם על כל שם ושם מן האבות וכו האלהות שאמר אלהי אברהם אלהי יצחק ואלהי יעקב וכשת ודקדק שם אלהי תמצא השם רמוז בשני פעמים והמבין יבין וזה כה שאמר זה שמי לעולם כתי רל זה שמי לעלם שאין ראוי לגלותו אלא לאדם צנוע ומבין בקבלה ות״ל זה רמז בנביאים ויהודה בהיכל קדשו הס מפניו כל הארץ וכאן רמז סוד יהוה אתי הם ומלבר בשם הגדול ואמנם כן תמצא וכח שם הגדול בזרת הפסוק ואמרו לי מה שמו מה ונראה על דרך פסוקים אלו שעל שם אהיה נאמר זה שמי לעולם כמו אהיה שלחני אליכם, i. „Ecce „doceo te quid ſecreti contineatur in ſigno magno ſeptem lite„rarum ז ג נ ש ע ט ש. Tu vero adverte & reperies ſuper eas „unam & viginti coronam, & eſt ſecretum nominis אהיה cujus „nimirum literarum numerus conſurgit in unum & viginti, & „hoc quidem ſignum eſt comprehenſum cum nomine magno „tetragrammaton. Et propterea adverte quod dixerit Deus „Moſſe אהיה אשר אהיה & terminatur verſus ſcripturæ in ver„bo אהיה miſit me ad vos. Ter autem dictum eſt אהיה è „regione trium coronarum quæ inſunt ſingulis ſeptem ſupra„ſcriptis literis, & jam edoctus es rationem numeri earum. Et „rurſum: Tres coronæ in ſingulis ſeptem literis, è regione „trium patrum Abraham Iſaac & Jaacob, quemadmodum dic„tum eſt & rurſum dixit Deus Moſſe ſic dices domui Jaacob, „Deus, Dii patrum veſtrorum Dii Abraham, Dii Iſaac, Dii „Jaacob miſit me ad vos, hoc eſt nomen meum ſempiternum, „& hæc nominatio mea in omni generatione. Et ſi conſidera-

„veris literas nominum patrum, percipies ſecretum tredecim articulorum ſicut declaravimus. Percipies inſuper ſecretum nominis יה, quoniam reperies coronas quindecim ſuper nominibus „patrum. Ecce habes ſacramentum tredecim articulorum, ſacramentumque אהיה eſt ſacramentum nominis magni Hamephoras. „In quibus quidem nominibus & in nominibus patrum fit mentio „divinitatis, quoniam dicit Dei Abraham, Dei Iſaac, Dei Jaacob. „Et quando ſpeculatus fueris in nomine אלהי reperies divinitatem „pluraliter ſignatam, & intelligens intelligat, & hoc eſt quòd dicit Hoc eſt nomen meum æternum, & ſcriptum eſt ſic לעלם „leholam quod occultum ſignificat, nec licet hoc ſacramentum „patefacere niſi homini miti, & qui incumbat doctrinæ receptivæ, & ſignatur hoc in prophetis, quando dicitur Deus in tabernaculo ſanctitatis ejus, timeat ab eo omnis terra. Et hic „ſignatur ſecretum יהוה & ſecretum ארני, & comprehenduntur in illo nomine. Et in hoc verſiculo quem nunc tractamus „invenies declarationem nominis Hamephoras, quoniam dixit „ואמרו לי מה שמו מה. Ecce quomodo in litera י dictionis לי „& in litera ה dictionis מה & in litera ו dictionis שמו & in litera „ה dictionis מה detegitur magnum amen יהוה & propterea reſpondit Deus, hoc eſt nomen meum occultum. Sed dices filiis Iſrael אהיה miſit me ad vos. &c.

PSAL. CV.

12. *Viri numerabiles*] i. adeo pauci quod facile numerari poterant.

40. *Et pane cœli ſaturavit eos*] Ex commentariis Harambam, השליך משמים ארץ תפארת ישראל כלומר שמן השמים השליך לארץ את התפארת וכנר ידעתה סורם ולא תזוז מינה ששאגה עתה בעת תרצון כאשר תבין כה שנשה השם פניו אליך בנרכת הכנים ותהיה מקבל בו תבין זה, i. „Projecit in terram pulchritudinem „Iſrael, ſignificare volens quod Deus deſcendere fecit de cœlis „ſummam & ſupremam pulchritudinem in terram. Et notato ſecreta ejus hujuſcemodi, nec diſcedas ab eis. Et ipſe ad ſe accipiet ſupremam pulchritudinem cum ſibi beneplacitum fuerit, „quemadmodum intelliges ex benedictione ſacerdotum in qua „dicitur, Aſcendere faciet Deus facies ſuas ad ſe, & ſi hoc bene „intellexeris, etiam quod ſupra dictum eſt intelliges.“ Adverte ſummam pulchritudinem Chriſtum ſignificare, cujus cœleſtis manna cœleſtiſque panis figura fuit.

PSAL. CVI.

6. *Peccavimus cum patribus noſtris*] De peccato Hebræorum ex libro Ciphre ואין בהם תבונה אין בהם אחד יסתכל ויאמר עכשיו אחד מסנו ירדוף אלף ושנים יניסו רבבה אם לא כי צירם מכרם i. „& non eſt in eis intellectus, non erit in eis qui intelligat & dicat, Nunc ex noſtris unus, perſequetur mille, & „duo compellent fugere decem millia, quoniam vendiderunt creatorem ſuum ſive fictorem ſuum, aut ſi mavis, eum qui formam dedit eis.

10. *Et redemit eos de manu inimici*] Quod redemptor eſſet futurus Deus & homo. Ex commentariis R. Abraham Pici, quæ inſcribuntur de ſignificatione apicum qui ſuperſcribuntur literis libri Legis quos Hebræi Taghin vocant רמז שלמה עליו השלום ראיתי את כל החיים המהלכים תחת השמש עם הילד השני אשר יעמוד תחתיו ואמנם דרך האדם בזמן שנולד הוא ילד והולך ונדל עד כי נדל מאד ועל זה אמר ראיתי את כל החיים המהלכים תחת השמש עם הילד השני ר״ל עם השני שהכנתה בענין השכל הילד השני אחר תחתיו משכל הראשון ודי בזה למשכיל ואין ראוי לגלותו אלא למבין מדעתו וזהו משאמר פעמים שלש עם גבר וכמין לית להשיב נפשו מיני שחת ולהרת לה נוף אחר לאור באור החיים בהתיים בעולם הבא i. „Dictum eſt à Salomone, Sit pax ſuper eum. Vidi cunctos „viventes qui proficiſiuntur ſub ſole, cum adoleſcente ſecundo qui „manebit loco ejus, Eccl. 4. Certum eſt homini proprium eſſe, naſci „puerum & adoleſcentem, & in dies proficere, accipereque incrementum, donec veniat ad perfectionem, & hoc eſt quod dicit, Omnes viventes proficiſcentes, i. proficientes ſub ſole, „cum adoleſcente ſecundo. Eſtque hujus verbi ſenſus, juxta „doctrinam meam, ſecundum quam jubeo te intellectu percipere hoc, quod adoleſcens ſecundus, eſt intelligentia prima, „i. Deus. Nec licet hæc pandere & revelare, niſi illi duntaxat „qui per ſe ipſum hæc intelliget. Et hoc eſt quod habetur Job. „cap. 33. Duabus vicibus ſc. à Deo remiſſio facta eſt. Tertiam „vero fecit homo. Et mox ſubjungit, ut redimeret animas de „inferno, daretque eis corpus aliud lucidum, ut luceret in „vita, & vita intelligitur vita æterna“ Hæc ibi.

31. *Mirabilia in terra Cham*] Ægyptum nominant Hebræi *Miſraim*, ſumpta denominatione à filio Cham, qui *Miſraim* appellatus eſt. Nominant inſuper, terram Cham, ſumpta etiam nomenclatura ab alio filiorum Noha, qui, ut ſatis conſtat, Cham appellatus eſt. Chimchi nihilominus in expoſitione Pſalmorum contendit terram Cham & Ægyptum diſtingui tanquam totum & pars & tanquam continens & contentum, ut Ægyptus ſcilicet contineatur veluti pars à terra Cham.

28. *Baalpehor*] Beelphegor. Id idolum ignominiæ, & erat, ut plerique arbitrantur, quem ſtulta gentilitas Deum hortorum colebat, nunc Alcinoum, nunc Veturnum, nunc Janum, nunc Priapum appellans.

41. *Et dedit eos in manu gentium*] Ex libro Ciphre, מחמס בני יהודה אשר שפכו דם נקי בארצם באותה שעה ויהודה לעולם תשב ותיקיתי דמם לא ניקיתי וכפר אדמתו עמו מניין את או׳ שהריגתו שלהם ביד אומות העולם כפרה היא להן לעולם הבא שנ׳ מזמור לאסף אלהים. באו גוים בנחלתך, i. „De vi filiorum Juda, qui fuderunt ſanguinem juſti in terra eorum in illa hora. Et Judas ſemper manebit & parcam, ſanguini vero ejus non parcam, parcet tamen terra ejus i. cadaver ejus populo ſuo. Et undenam habes „quod mors eorum ſit in manus gentium mundi hujus, & remiſſio ſive indulgentia eorum ſit futura mundo venturo? Quia „nimirum dictum eſt, Deus venerunt gentes in hæreditatem „tuam.“ Adverte quod dictum eſt, *Cadaver parcet populo ſuo*, quod de cadavere divinitate præſtante tantum intelligi poteſt, quale fuit cadaver Chriſti. Remittere ſiquidem peccata, ſolius divinitatis eſt.

PSAL. CVII.

2. *Dicant quod redempti ſunt à Deo*] Libro Midras Tehilim אר יהודה בר שלום יפה הוא אומ׳ לפי שמאמרו של הבה מעשה אמר ר׳ הונא בשם ר׳ דוסתאי בשם ר׳ שמואל בר נחמן וממקום אחר למר שמאמרו של הבה׳ מעשה הוא וממי את למד מאברהם כה כתי׳ ביום ההוא כרת אברהם ברית לזרעך נתתי אתן אינו אומ׳ אלא נתתי ועד עכשו לא הוליד בני אלא שמאמרו של הבה׳ מעשה אם הק׳ב׳ה׳ אמרתי דבר נעשה מעשה אף כאן הוא אומ׳ גאולי שכבר גאלם: i. „Dixit R. „Juda filius Salom. Pulchre dictum eſt, Redemit & congregavit, „quamvis futurum eſſet, quoniam dictum Dei ſancti & benedicti „tanquam factum eſt. Dixit R. Huna in nomine R. Duſtai, in „nomine R. Samuel filii Nachman: Ex alio quoque loco docemur quod dictum Dei tanquam factum eſt, ubi ſcilicet de Abraham ſcriptum eſt, In illa die ſcidit Deus cum Abraham pactum dicens, Semini tuo dedi hanc terram, non autem ait, „dabo, ſed dedi. Cum enim adhuc non genuiſſet filios, non potuit ſic dici, niſi quia dictum Dei tanquam factum eſt. Et illud, „Ego Dominus locutus ſum & feci, & quando fecerat illud? Sed „ideo ſic dixit, quia dictum Dei, factum reputatur. Bene ergo, „dictum eſt, *redemit*, quamvis futurum eſſet.

20. *Mittet verbum ſuum & ſanabit eos*] Ex commentariis in librum Numeri R. Iſaac Arama quibus titulus eſt *ſacrificium Iſaac* ישלח דברו וירפאם וימלט משחיתותם ר׳ שמואל הלוי אומר דבר יי׳ הוא שלוחו דכתיב הלא כה דברי כאש נאם יי׳ וזהו שאמר יבא דברך ונכבדך כשיבא דבר האלהים אשר הוא שלוחו אונכבדהו אמ׳ רב שאול וכי לא באו הנביאים והרגנום ושפכנו דמם אין נקבל עתה מדברו או נכבד נאמין אמר ליה שירפאם וימלטם משחיתותם ועם אלו המופתים נאמינהו ונכבדהו אמ׳ ליה למה לא אמר ישלח דברו וירפאכם אלא וירפאם בעבור כי נראה לי כי היה מדבר פרטי ענה לו אמת דברת כי הדבור באלכלם אבל לא קבלוהו כי אם הפרטים אשר היו היותר נבי שכל מין תכללות דייגים עברי הים וזה הוא שאמר יורדי הים באניות עשה מלכה במים רבים המה ראו מעשה יי׳ אותם שכן הראוי לא היו כנת לקבל שום דבר שכלי מצר גסותם קבלו אמיתות הנבואה הסראה מצר שרה אמינו לדברו וזה הוא שאמר והאמין ביי׳ ויחשבהא לו צדקה, i. „Mittet verbum ſuum & ſanabit eos, & eripiet eos de plagis eorum. Dixit R. Semuel Levita: Verbum „Dei, eſt nuntius ſive orator ejus, de quo ſcriptum eſt, Profecto tale verbum meum, qualis eſt ignis, dixit Deus. Et hoc „eſt quod dictum eſt, Veniet verbum tuum & honorificabimus „te. Utique cum veniet verbum Dei, quod eſt nuntius ejus, „tunc honorabimus eum. Dixit R. Saul, Nonne venerunt Prophetæ & occidimus illos, fudimuſque ſanguinem eorum, quomodo ergo nunc accipiemus verbum ejus, aut quamobrem credemus ei? Reſpondit ei R. Semuel: Quoniam ſanabit eos, & „liberabit eos à plagis eorum, propter hæc inquam ſigna credemus ei, & honori eum habebimus. Dixit tunc illi, Quare præterea non dixit, mittet verbum ſuum & ſanabit vos, ſed dixit, „& ſanabit illos. Reſpondit, Hoc ideo eſt, ut ego ſentio, quoniam loquebatur de parte deque aliquibus duntaxat, non etiam „de omnibus, quod ſignatur ſcilicet ſecundum proprietatem Hebræi ſermonis in dictione, *illos*. Dixit illi, Verum certe dicis, „nam verbum venit ſanare omnes in univerſum, non tantum „aliquos, & in parte. Verum non fuit acceptus niſi ab aliquibus „particularibus, qui cenſebantur inter omnes craſſioris ingenii, „viri piſcatores, exercenteſque ſe in mari. Et hoc eſt quod dictum

„ctum eſt: Conſcendentes in mare navibus, facientes opera in „aquis magnis ipſi viderunt opus Dei. Illi profecto qui ſi recte „conſideres, non videbantur apti poſſe admittere quicquam intel„lectivum ſive quod ad intellectum pertinet, ob ruditatem ſen„ſus eorum, illi inquam acceperunt veritatem Prophetiæ & vi„ſionis, quoniam crediderunt verbo ejus. Et hoc eſt quod dictum „eſt, Credidit Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

23. *De nautis; Jonæ filii*] Ut Jonas figura fuit Chriſti Domini noſtri, ita nautæ ejus figura fuerunt Apoſtolorum Chriſti, qui & ipſi nautæ, maritimique homines fuerunt, quos intellexiſſe inter omnes ſui temporis, opera Dei, incarnationis ſive redemptionis, teſtati ſunt patres Hebræi, quod maxime liquet ex his, quæ immediate præmiſimus. Ad quæ quid reſpondere, aut potius quid mutire valeant juniores Hebræi non ſatis conſtat.

PSAL. CIX.

1. D*Eus laudis meæ*] Sunt qui vano & ſuperſticioſo, aut potius magico deteſtabili ritu, uti Faber ſcribit ſe noviſſe, luminibus exſtinctis à ſacris altaribus vultibus averſis, ſe turpiter pulveribus volutantes hunc Pſalmum execrandi devovendique ſtudio immurmurant, homines alioqui peſſimi & de medio tollendi.

PSAL. CX.

3. E*X matrice ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ*] Ex commentariis R. Iſaac Arama in librum Geneſeos, in expoſitione capituli 47. vel circa, ubi fit ſermo de loco qui datus eſt Jaacob in quo commodo habitare poſſet, מרחם משחר לך
טל ילדותיך לא מצינו אדם ונביא שיתנבא ילידתו קודם ילדת אביו ואמו כי
אם משיח צדקנו ולזה רמז מרחם משחר לך קודם שיברא רחם יולדתך
נתנבאה יולדתך ולזה רמז לפני שמש ינון שמו כי אפילו קודם בריאת
השמש היה חוק וקיים שמו שלמשיחנו והיה יושב כימין האל וההוא
שאמר שבלל ימיני ואמר גכ׳ והוכן בחסד כסא וישב עליו באמת
i. „De vulva bona annunciatio, ſive ortus eſt, ſive ex aurora, „tibi ros ſive terminus adoleſcentiæ, ſive nativitatis tuæ. Non „invenimus hominem etiam prophetam, cujus prophetata ſit „nativitas ante nativitatem patris & matris, niſi tantummodo „MESSIAM juſtum noſtrum, & propterea dicit: A vulva „euangelizatus eſt tibi terminus nativitatis tuæ, hoc eſt, ante„quam crearetur vulva genitricis tuæ, prophetata fuit nativitas „tua. Et huic concinit illud, Ante ſolem filius nomen ejus, cu„jus ſenſus eſt, quod antequam crearetur ſol ſubſiſtens ac fir„mum erat nomen MESSIÆ noſtri, & ſedebat ad dexteram „Dei. Et hoc eſt quod dicit, Sede à dexteris meis. Et alibi dicit, „Concinnabit miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud veritate.

PSAL. CXI.

10. P*Rincipium ſapientiæ timor Domini*] Ex commentariis R. Iſaac ben Schola ראשית חכמה יראת יי׳ שכל טוב לכל
עשהם תהלתו עומדת לעד החכמה אשר רמז אליה בפסוק הזה כי היא
החכמה אשר מאין תמצא והיא הנרמזת במלת ברא שית רל באורת הבית
ואמרו אל תקרא בית אלא בית שנ׳ בחכמה יבנה בית והמדה הזאת סמכה
ונעלמת בחותם התעלומה נחתמת כענין שנ׳ ונעלמה מעיני כל חי ומעוף השמים
נסתרה ואומר אלהים הבין דרכה והוא ידע את מקומה ר״ל שאין אחר
זולתו יודע הנתיבות החקוקות בה ובכל מקום שמנו חרמים המדות מטו
החכמה כאלו היה ראשונה מפני שהיא נמשכת ממקור החיים והיא
התחלת המנין וכנו המדה הפנימית שהיא המוצא והמקור בה נרמז כענין
כי יש לכסף מוצא ואומ׳ כי בצל החכמה בצל הכסף ובעל החכמה
מכנים המדה הפנימית הזאת בשמות הרבה מהם מי שמכנה אותו כתר מפני
שכל המדות מוכתרות בה והיא בהן ומי שמכנה אותה בלשון אין מפני
שאין יד המחשבה תופשת בה ונכנכו בזה ללשון הכתוב שאמר מאין יבוא
עזרי ואם תזכה במאמר זה עור תדע סוד ההרים הרמים ותשתמר ותדירה
תמים אמנם שאר השמות המכונים אל המדה הזאת כולם מכונים לזה הדרך
ישכון אור ובפסוק הזה רמז אל המדה הזאת במלת ראשית ונכללה החכמה
בה ואמרו ז״ל כל הנביאים כולם נתנבאו באספקלריא שאינה מאירה ומשה
רבינו ע״ה מסתכל באספקלריא אחת המאירה שנא ומרא׳ ראשית לו ועוד הוסיף
בזה הפסוק יראת יי׳ והוא ביאור אל הראשית כמו והאלהים עשה שיראו
מלפניו ובהיות שלש המדות שזאתו נקראות פנים כללן ונ בזו ואמר
ראשית חכמת יראת׳ יי׳ ואמר החכם הן יראת יי׳ היא חכמה ואמר קנה
חכמה קנה בינה הא למדתה כי אלו השלש עטרות לכתר יי׳ חוד שלם
נבחרות והם שלש אמות לעולם מתאימות ונרות העולות אחריהם רועות
עליהן והן אמרות יי׳ אמרות טהורות ותשובות שבע שבולים בקנה אחד
מלאות וטובות גבהותם קשר אמיץ וחזק כללם כולם כיחד באמרו
שכל טוב לכל עושיהם ר״ל המתכונים בהם והוא בלשון כי אם אלהים עשה
היום ואמר תהלתו עומדת לעד על המדה הפנימית שזכרנו וכן הוא
אומ׳ יראת יי׳ טהורה עומדת לעד ואמרו הוא תהלתך והוא אלהיך והבן
i. „Sapientia de qua hoc loco intelligit Scriptura, eſt ſapientia „quam continet, ſive quæ egreditur de מאין meain, i. de in„tellectu ſupremo & abſtractiſſimi, hic eſt Deus, hæc enim „omnia præ ſe fert dictio meain, & reperitur in dictione בראשית „berelit, ſive in principio, hoc eſt in litera bet, & propterea „dixerunt, ne voces illam bet, ſed bait, i. domum, ſicut di„ctum eſt; Sapientia ædificabitur domus, & proprietas hæc eſt „cooperta & occulta atque ſigillata ſigillo ſecretorum, ſicut di„ctum eſt, Cooperta & occulta eſt ab oculis omnium viventium, „& ab avibus cœlorum abſcondita. Et dicit, Deus intelligit vias „ejus & ipſe ſcit locum ejus, ac ſi dicat, nullus præter eum ſcit „ſemitas quæ ſculptæ ſunt in ea. Et ubicunque enumeraverunt „ſapientes proprietates poſuerunt tanquam principem ſapien„tiam, quoniam extrahitur de fonte vitæ, & eſt principium o„nis numeri. Et dixerunt illam eſſe proprietatem interiorem, „quæ eſt exuberantiſſima æris vena quam vulgus mineram vocat, „& fons ſive emanatio in ea deprehenſa eſt, ſiquidem & argenti „profluentes venæ ſunt. Et dicitur, quod qualis umbra ſapien„tiæ, talis & umbra argenti. Et authores ſapientiæ nominave„runt hanc interiorem proprietatem multis nominibus. Alii „enim nominaverunt eam coronam, quod ſingulæ proprietates „coronentur ab illa, & illa à ſingulis. Et alii nominaverunt eam „ain, quod nullus ſit qui imaginatione deprehendere eam poſſit. „Eſt enim ſolo intellectu attingibilis. Et huic alludit quod dictum „eſt meain, i. Unum veniet auxilium meum, meain ſiquidem ſi„gnificare videtur quid incorporeum, abſtractum, ſecretum & „intelligibile. Et ſi fueris fortunatus in dictis meis ſcies ſecreta „montium altiſſimorum, quoniam hæc proprietas eſt veluti lux „qua coronantur omnes aliæ proprietates in via lucis. Itaque in „hoc textu adverte proprietatem hanc in dictione principium, in „qua continetur ſapientia. Dixerunt itaque auctores, Omnes „Prophetæ prophetizaverunt in viſione non lucida, Moſſe vero „prophetavit viſione lucida & clara, ſicut dictum eſt, Et viſum eſt „principium ei. Et ſequitur timor Dei, & hoc inſuper declarati„vum eſt principii, ſicut dictum eſt, & Deus fecit quod time„rem à facie ejus & ſunt iſtæ tres proprietates vocatæ facies, con„tinenturque invicem una ab alia. Et dictum eſt: Principium, „ſapientia, timor Dei. Et dicit ſapiens, Profecto timor Dei eſt „ſapientia, & dictum eſt, ecce ſapientia, ecce intellectus. Ecce „didiciſti quomodo tres iſtæ coronæ ſunt una corona, unitæ „unitate admodum æquali. Et ſunt quid electiſſimum, treſque „firmitates quibus firmatur mundus, ſuntque luminaria aſcen„dentia, & ſupereminentia, quod reliquum eſt in tantum quod „luce eorum cuncta illuminantur. Et ſunt verba Dei verba mun„da & precioſa, ſignificatio ſeptem ſpicarum in canna una, quæ „plenæ ſunt & optimæ, & quoniam ſunt ligamen unum forte at„que inſeparabile omnes comprehenduntur in unum, ſicut di„ctum eſt: Intellectus bonus omnibus facientibus ea, i. illis qui „intendunt in ea, ſicut etiam alibi dicitur, Certe Deus fecit hodie, „& dixit Laus ejus perſeverat jugiter propter proprietatem interio„rem quam ſupra memoravimus, & etiam dicit, Timor Dei mun„dus permanet jugiter & dixit, Ipſa laus tua & ipſe Deus tuus, Et „intelligas tu.

PSAL. CXII.

10. D*Entibus ſuis frendet &c.*] Ex commentariis R. Iſaac ben Schola רשע יראה וכעס שניו יחרוק ונמסתאות רשעים
תאבד הפסוק הזה דומה למדת הדין שלמטה כי הרשע בועט ביסורין
וחורק שניו כלפי שכינה ומפני זה תאות רשעים תאבד ועל כיוצא
בזה נאמר כי יי׳ אלהיך אש אוכלה הוא ואומר אש לפניו תאכל וסבי
ביו נסערה מאד היותם כדמין מה שפתח במזמור הראשון להודיע כי
הכל אחד והמדות האל והנפרות הם שמו של הבה ושמו הוא יתן
ומפני זה הוא פועל כפי דותיו במדה הצריכה להם כפי כחם גבלל
במדות תמגה עמהם אבל כצר עצמו הכל הולך אמ׳ מקום אחד והכל הוא
יחוד שלם והמדות האלה אינן סוג כלותו לא נפרדות והמבדיל אותם פריד מדה
אחת מהן אוהמוסיף עליהם אוהגרע מהם נקרא קוצץ בנטיעות
ועונשו גדול כאלישע אחר אמנם מן המדות האלה ולמטה עולם
הנפרדים אע״פ שאין ראיה לדבר זכר לדבר ונהר יוצא מעדן להשקות
אותהן ומשם יפרד ואם תתבונן במה שרמזתי לך תזכה לסוד הפסוק הזה
i. „Impius videbit & iraſcetur, dentes ſuos avellet & perdet, de„ſiderium impiorum peribit. Verſus hic ſignificativus eſt pro„prietatis infernalis ſententiæ, quam impius pedibus calcitrabit, „& movebit dentes ſuos contra divinitatem. Et propter hoc de„ſiderium impiorum peribit. Unde dictum eſt, Quoniam Deus „Deus tuus ignis ardens eſt, & inſuper, Ignis coram eo exar„deſcet, & ea quæ in circuitu ejus ſunt, comburet penitus. Ecce „expreſſit ſignificatum ejus quod habetur præcedenti Pſalmo, „quo doceret quod omnes unum ſunt. Et proprietates iſtæ quas „commemoravimus ſunt nomen Dei, & nomen ejus exaltatum „eſt. Et quoniam operatur circa creaturas ſuas ſecundum pro„prietatem eis congruentem juxta virtutem earum, ideo ipſe „continetur in iſtis proprietatibus & numeratur cum eis. Verum ſi con-

„ſi conſideres eum, qua ſubſtantia eſt, omnia tendunt ad locum unum & omnia ſunt unitas una, undequaque æqualis. „Et proprietates iſtæ non ſunt definitæ nec ſeparatæ. Quod „ſi quis aut diffiniret aut ſepararet aut adderet, aut diminueret vel „unam dictarum proprietatum, jure appellaretur plantæ abciſor. „Et punitio ejus magna eſſet ſicut Heliſei poſtremi. Ab iſtis vero „proprietatibus infra conſiſtit mundus rerumque definitæ & ſeparatæ ſunt, quamvis hanc rei auctoritatem non habeamus niſi „illam tantummodo qua dicitur, Et fluvius egreditur de paradiſo ut irriget hortum, & idem dividitur. Et ſi advertes ea de quibus te admonui fortunatus eris ad intelligendum ſacramentum „hujus verſus.“

PSAL. CXV.

9. H*Alleluja*] Libro Midras Tehilim א"ר יהודה תנפיא חבל על דמוכרין ולא משכחין שאליתי תהלד אלעזר ולא אמרה לי בן אלאכך אמ׳ לי נתכירה שמו בשני אותיות הללו ברא הקב״ה שני עולמי שנא׳ כי ביה יי׳ צור עולמים ואין אנו יודעין אם העולם הזה נברא כהאם העולם הבא נברא בי מסרה שנא׳ אלה הולדות השמים והארץ בהבראם בה בראם העולם הזה נברא בה׳ ולמה מהעיסקא שלה פתוחה למטה וכתום מכל צדדיה כך העולם הזה כל מה שנברא בו יורדין לשאול ואותה תעקיצא שיש בה רמז לתחיית המתים והעול׳ הבא נברא בגלמה מה עיסקא של קומתה כפופה כך פניהם של רשעים עתידין להיות כבורכמות לעתיד לבא וא׳ מה עיסקא של י׳ קטן בקומתה כך הרשעים לעתיד לבא שנא׳ ושח גבהות האדם משראה דוידך בשתי אותיות הללו ברא הקב״ה שני עולמות התחיל מקלס בהם הללו יה, i. „Dixit R. Juda, „Funis illorum qui inquirunt & non reperiunt. Sciſcitatus ſum „quidnam hoc eſſet à R. Eleazar, & non dixit mihi verum. Sed „taliter dixit mihi, Quidnam illud beja, i. in Deo, i. in יה jod he „nomen ejus. Duabus iſtis literis creavit Deus ſanctus & benedictus duos mundos, ſicut dictum eſt quoniam in יה Deus formavit mundos. Et nos neſcimus ſi hic mundus ſit creatus cum „ה & mundus futurus ſit creatus cum י. Et quid fecit nos neſcire „hoc quoniam dictum eſt, Hæ ſunt generationes cœli & terræ, „quando creata ſunt, ubi ſecundum proprietatem Scripturæ Hebraicæ, videtur quod cum ה uterque mundus creatus ſit. „Verum cum ה hic præſens mundus creatus eſt, & quoniam „litera ה à parte inferiori aperta eſt, & clauſa ab omnibus lateribus, ſic omnis hujus mundi creatura deſcendit ad infernum. „Et illud modicum apicis, quo una partium ה alteri conjungitur, denotat vivificationem ſive reſurrectionem mortuorum. „Mundus vero futurus creatus eſt cum י. Quemadmodum vero „figura literæ י curva eſt, ſic facies impiorum mundo venturo „erunt pallidæ & propter erubeſcentiam recurvæ. Sermo alius, „ſicut litera י parva undique eſt, ſic & impii minimi vileſque „erunt in futurum, ſicut dictum eſt, Deprimens arrogantiam hominis. Cernens autem David duabus literis iſtis creaſſe Deum „ſanctum & benedictum mundos duos, cepit magnificare cum „eis & laudare Deum, dixitque הללו יה Allelu ja, i. laudate Deum „cujus dictionis duæ ultimæ literæ ſunt יה jod he.

PSAL. CXVIII.

PAulus Epiſcopus Burgenſis refert, ſex Pſalmos, hunc ſcilicet & quinque præcedentes, apud Hebræos magnum & ſolennem hymnum appellari, quem in neomeniis & in tribus præcipuis feſtis cum majori celebritate quam ceteros hymnos canunt, & inſuper moris eorum fuiſſe, nocte Paſchæ ſumpto paſchali agno hunc hymnum recumbentes in menſa ſolenniter recitare. De quo vult & illud Matthæi intelligi, *& hymno dicto exierunt in montem oliveti.*

22. *Lapis quem reprobaverunt &c.*] De Chriſto dictum eſt, tum ob ejus in Euangelio teſtimonium, tum ob teſtimonium R. Salomonis, ſuper illud, quod ſcribitur Mich. 5. *Ex te mihi egredietur*, ita dicentis זה משיח בן דוד וכן נא׳ אבן מאסו הבוני וגו׳ i. *Meſſias filius Davidis, ſicut dictum eſt, Lapis quem reprobaverunt ædificantes &c.*

25. *Salva obſecro*] In Hebræo reſpondet הושיעה נא hoſiah na. Hebræum verbum, duabus comprehenſum dictionibus, quarum prima verbum eſt ſalvationem ſignificans, ſecunda vero particula deprecativa.

28. *Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.* ἐξομολογήσομαί σοι ὅτι ἐπήκουσάς μου, καὶ ἐγένου μοι εἰς σωτηρίαν.

Hic ſupraſcriptus verſus habetur in communi Latina interpretatione, habeturque in Græca & in utraque Arabica, nihilominus eſt obelo confodiendus, quando nec Hebræa nec Chaldæa, quæ archetypus cenſentur, illum minime habeant.

PSAL. CXIX.

1. B*Eati perfecti in via*] Hæc quæ ſubjicimus octo carmina edita ſunt ad ſimilitudinem octo primorum verſuum hujus Pſalmi, Beati immaculati, quorum uti omnium principium apud Hebræos eſt א Aleph, prima Hebræorum litera, ita horum principium eſt A, prima Latinorum litera.

Ambulat in Domini quicunque eſt lege beatus.
Atque ejus ſequitur conſtanti pectore juſſa.
Avius à recto declinat tramite iniquus.
Arcta Deus nimium quam tu ſervanda dediſti.
Ad mandata tamen tua ſit mea prompta voluntas.
Alme in te genitor nunquam confundar amando:
Addictuſque tuæ legi te corde fatebor.
At tu ſervantem me ne tua verba relinquas.

Fuere ex noſtris latinis tum antiquis tum junioribus, qui obſervarunt nullum eſſe verſum in his duabus & viginti ogdoadibus, uno duntaxat excepto, in quo non ponatur aliquid horum duodecim verborum, *via, lex, teſtimonium, mandatum, juſtificatio, judicium, juſtitia, ſermo, eloquium, verbum, veritas, & bonum:* dixeruntque, omnia hæc in unum conſpirare, & pro Lege divina accipienda eſſe, ut res quidem eadem ſit, nomina plura, ſubſtantia una, rationes nominum diverſæ. Et ingenioſe quidem & docte. Sed & hoc idem etiam primitus obſervatum eſt à patribus Hebræis, qui nihilominus non contenti pro dignitate Legis ſuæ illam duodecim tantum nominibus coartari, afferunt ſeptuaginta legis nomina, ſeptuagintaque nomina Synagogæ, ac ſeptuaginta nomina Dei, voluntque tria hæc quantum ad nomen attinet paria eſſe. Quæ quidem nomina operæ pretium recenſenda duxi, omiſſis plurimis quæ illi adducunt de diviſione hujus Pſalmi in duas & viginti partes, juxta numerum Hebraicarum literarum, & cur quælibet ſectionis pars octo contineat verſus, vendicentque ſibi ſinguli octonarii ſingularem literam ſecundum alphabeti Hebraici ſeriem. Itaque in caballiſticis fragmentis hæc leguntur. Nomina Dei ſeptuaginta אל אלהים אחד אדני אדון אדיר אהיה אמיץ אמתי ארך־אפים אחרון אשכול־הכופר ברוך בורא גדול גאה גאל גבור גדול הודיע ועד וזכר חי חכיד חנון חוקר חסין חכם טוב טהור ענים ישר יושב בכתר כביר כח מלך מסתתר נורא נשגב נצח נאמן נושא־עון נושא־פשע נושא־חטא גאמן נוהם נוטר סולח עזוז עיזר עיזוז פארה צור צדיק צבי צבאות־ישראל קדוש קנוא קרוב רחום רם ראשון שלא־קבל־מלכות־מאחר רב־חסד שוכר שופט שלטן שדי שוכן עד תמים תקף הרי באן שבנים לגבורה i. „Deus, Dii, Unus, Domini mei, Dominus, Terribilis, „Futurus, Firmus, Verax, Diſtans ab ira, Ultimus, Botrus Camphoræ, i. vir pro omnibus ſatisfaciens, Benedictus, Creator, „Magnus, Sublimis, Redemptor, Gigas, Cui antefertur vexillum, Sciens, Teſtis, Memor, Vivus, Pius, Miſericors, Scrutator, „Suſtinens, Sapiens, Bonus, Mundus oculis, Rectus, Sedens in „occulto, Multus, Præditus virtute, Rex, Cellator, Qui timetur, Exaltatus, Æternus, Retributor mercedis, Remittens Scelus, Remittens iniquitatem, Remittens peccatum, Fidelis, Ferox, Ultor, Parcens, Altus, Capreolus, Vigens, Pulchritudo, „Fortis, Juſtus, Politus, Exercitus Iſraëlis, Sanctus, Zelator, „Propinquus, Compatiens, Excelſus, Primus, Qui non accepit regnum ab alio, Multus bonitate, Cuſtos, Judex, Poteſtas, „Sufficiens, Habitator in æternum, Perfectus, Fortitudo.“ Et hæc quidem ſeptuaginta fortitudinis nomina. Atqui Iſrael, Synagoga ſcilicet & populus etiam ſeptuaginta amoris nominibus donatus eſt: ישראל נקראו בשבעים שמות של אהבת־אלוהים אשה־נעורים איש הצדק אלופים אחים אהובים אום אם אפרים אשים אדירים אצילים אגוז אגודה איומה בנים בני אל־חי ברוכי ברך בתי בחורים ברה בתולה גוי גדול גן נעול. גפן העצומים ונעימים גרע קדש חכמים טובים יחידים יקרים ישראל ישורון יעקב יוסף יהודים ילד ידידים כלה כנה כרם כהנים משרתים מלכים מעין חתום נחלה נדיבים נאוה נער נטע סגולה עליונים ענוים עמים עדה עם עבדים פדוים צאן צדיקים קדושים קנוים רבים רבים שבטי יה תמימים i. „Uxor adoleſcentiæ, Vir, Juſtus, Duces, Fratres, Amici, Gens, „Mater, Ephraim, Proceres, Fortes, Liberati, Nuces, Vinculum, „Exaltata, Filii, Filii Dei vivi, Benedicti, Benedictus, Filia, Electi, „Chara, Conjugata, Gens, Magna, Ortus clauſus, Vitis, Deſiderati, Sublimati, Semina ſanctitatis, Sapientes, Boni, Singulares, Lucidi, Pretioſi, Iſrael, Rectus, Jaacob, Joſeph, Judæi, „Adoleſcens, Dilecti, Sponſa, Poſſeſſio, Vinea, Sacerdotes, Servi, Reges, Fons ſignatus, Hæreditas, Liberales, Gratioſi, Adoleſcens, Planta, Secretum, Alti, Modeſti, Populi, Societas, Populus, „Servi, Redempti, Oves, Juſti, Sancti, Empti, Multi, Augmentati, „Tribus Dei, Perfecti. Sequuntur totidem nomina Legis תנו הכ״ה התורה שנקראת בשבעים שמות ואלוהן אמת אור־חיים אורח אילת־אהבים אמרי־נעם

אמרי־נועם אמון בר ברית בינה גבורה דעה דת דבש הליכות־עולם ואוצרות זהב יקוקת חכמה תוק חלב חיים טהרה־טוב יקרה יין יופי יעלה־חן. ירושה יראה בבור כסף לקח־טוב לויה־חן לחם מנוקה מוצרות מים משיבת־נפש מרים משפט מזימה מחכימת־פתי מצוא משל מליצה מאירת עינים משמחי־לב נאמנה נחמדים נועם נופת נגידים נור ערכה עדות עקים עושר פקודים פז פאר צדק קנין ראשית שכן שלישים תמימה תבונות תושיה תורה תעודה i. „ Veritas, Lux vitarum, Semitæ, Cerva amoris, Eloquia ſuavia, „ Fides, Clara, Pactum, Intellectus, Fortitudo, Scientia, Mel, Semitæ mundi, Theſauri, Aurum, Conjugata, Sapientia, Regula, „ Lac Vitæ, Mundities, Bonitas, Pretioſa, Vinum, Pulchritudo, „ Capreolla Gratiæ, Hæreditas, Hæres, Timor, Honor, Argentum, Lex bona, Societas Gratiæ, Panis, Purificata, Retinens, „ Aqua, Redemptio animæ, Rectitudines, Juſtitia, Cogitabunda, „ Dans Sapientiam perfidis, Præceptum, Exemplum, Rethorica, „ Illuminans oculos, Lætificans cor, Fidelis, Deſiderium, Dulcedo, Favum mellis, Nuntia, Secretum, Ingenium, Teſtamentum, Torques, Divitiæ, Præcepta, Obrizum, Gratia, Juſtitia, „ Emptio, Principium, Deus, Oleum, Trinitas, Perfecta, Ars, „ Subtilitas, Lex, Experrectio.

Furnii noſtri, octonarii quadrati, Græce & Latine ad imitationem primæ & ultimæ ogdoadis hujus Pſalmi, cujus principium eſt, *Beati immaculati.* Ἀλλὰ καὶ τὴν τῦ א πρώτην ὀγδόαδα μετὰ τῦ ἁγίυ καὶ μελωδήσαντος προφήτυ. γμνήσαντες ἐπαίξαμεν ὕτως ἐλλάδι, τῶν Λατινικῶν φεισάμενοι τῶν ἐπέων ἐκεῖνα τῦ πολυμαθεστάτυ φαβρῦ ἤδη εὐδαιμόνως ἅτε τ' ἄλλα ξύμπαντα προπεφθακότος.

> Ἀν' ὁδὸς ἄμωμοι μάκαρες βάντες ἐν νόμῳ Θεῦ.
> Ἀπλόοις φρεσὶ θεῖα μαρτύρι ἰχνεύοντες, ὄλβιοι
> Ἄβατοι γὰρ εἰσι παρανομῦσιν αἱ θεῖαι τρίβοι
> Ἄγαν ἔμεναι φυλακτὰς ἐντολὰς τὰς σὰς ἔθυ
> Αἱ βάσεις ἐμῦ κομίσαιντ' εἰς φυλακὴν τῶν σῶν δικῶν.
> Ἀναίσχυντος ἴσομ' ἅπαντα σίθεν ἐφορῶν προστάγματα
> Ἂν μάθω δίκης σε κρίσιν τὴν ὀρθ' ἐξομολογήσομαι
> Ἀεὶ σὰς φυλάξαντ'. ἐντολὰς μηδαμῦ μὲ λιμπάνῃς.
>
> *Te Domine da precer coram inſtruar eloquiis tuis.*
> *Tibi vota praſto ſint mea, verba me ſervent tua.*
> *Tua me doce mandata, rumpar in laudes tuas*
> *Tua verba promet os meum, æqua namque lex tua.*
> *Tua dextra ſervet me, mandata ſi elegi tua.*
> *Tu mihi ſalus, mihi unica cura, lex ſemper tua*
> *Tibi vivo, te laudabo judiciis nixus tuis*
> *Trahe me ovem abactam ceu, haud tamen immemo-*
> *(rem legis tuæ.*

Beati immaculati in via] Ex libro תורת כהנים Torat Choanim, אמר רב אחא מאי דא ואמר דוד תמימי דרך היה לו לומר תמימי לב אלא תא שמע דיקרי ליה תמימי דרך צפיר קרי ליה לפי שאלו היו הולכים מפה ומפה כדי להודיע תורת יי׳ ולא היו קימים במקום אחד אלא דורשים בכל המקומות תורתו וצרתיו ונהרגים על קרושת שמו לפי שנמסרו לו בכל לבם ולא היו חששים רמיתא וזה הוא שאמר בכל לב ידרשוהו וסמיך ליה אף לא פועלו עולא בדרכיו והלכו ר״ל כי תמימותם לא היתא לבד בהבתל קותם מפועל הרע אבל היו נכנעים כה וינו ורשים הטוב ויניר כי היו סובלים כל תצרות שבעולם כדי לחנך העולם בתורה ובאמת וארת היא מדת התמימות שלמה ודי לך בואה ההערא i. „ Dixit R. Acha, „ quidnam illud eſt quod dixit David, Beati immaculati ſive beati „ perfecti in via, nonne magis conveniens erat dicere, perfecti „ corde quam perfecti in via. Verum audi quamobrem appellaverit eos perfectos in via, quod & rationabiliter factum eſt. „ Iſti ſiquidem fuere homines qui diſcurrebant circumquaque „ per omnes vias docentes legem Dei, nec quieſcebant in loco „ aliquo, verum ſine intermiſſione diſcurrebant prædicantes legem & teſtimonia Dei, & propter ſanctum nomen Dei mortem libenter amplectebantur, quoniam devoverant ſe Deo in „ toto corde nec mori formidabant propter eum, & hoc eſt quod „ dicit in toto corde exquirunt eum. Et huic concinit quod ſequitur, Etenim non operantes iniquitatem in viis ſuis ambulant. Cujus dicti ſenſus eſt, quod perfectio horum non erat „ quod recederent à malo tantum, imo quod recedentes à malo „ operabantur bonum, & ſufferebant quæcunque adverſa mundi „ tametſi multa & mala, quo dirigerent mundum in via legis & „ in via veritatis. Et citra dubium hæc eſt vera proprietas perfectionis, quæ perducit ad beatitudinem. Et ſatis ſit nunc „ tibi hac modica excitatione.

PSAL. CXXVI.

1. *Cum converteret Deus captivitatem &c.*] Ex Libro Tanchuma תנחומא: תנא בשוב יי׳ את שיבת ציון היינו כחולמים מאי בשוב יי׳ מאי היינו בחולמים אמר ליה זאת היא במלחמת משיח בן אפרי׳ כי כשי כתלק מיגוור את בני ישראל יהיו כולם כחולמים לא ישנים ולא מת עורים וכשישוב המשיח להואית להם אז ימלא שחוק פיהם וישמחו ויתאמתו שליחותו הראשון בבכת הראותו שניה ויאמרו הגדיל יי׳ לעשות עמנו i. „ Legimus, Dum „ converteret Deus captivitatem Sion eramus ſicut ſomniantes. „ Quid eſt, eramus ſicut ſomniantes? Reſponſum eſt ei, Hoc „ erit in bello MESSIÆ filii Ephraim, qui cum ſubtrahet ſe, „ ne ſit in auxilium filiorum Iſrael, erimus omnes veluti ſomniantes, non dormientes, nec vigilantes, quando vero revertetur MESSIAS oſtendetque ſe ipſum eis, tunc implebitur „ riſu os eorum eruntque gaudentes & verificabunt primum adventum, ratione hujus ſecundæ oſtenſionis, & dicent, Magnificavit Deus facere pro nobis.“ Hæc quamvis juniores Hebræi in alienum torqueant ſenſum, commode tamen morti & reſurrectioni Chriſti Domini noſtri applicari poſſunt.

PSAL. CXXVII.

3. *Filii recti*] i. mundi, puri & legitimi.

PSAL. CXXX.

1. *De profundis clamavi ad te*] Epos Maphæi Vegii:

> *Exaudi Deus intentis atque auribus hauri*
> *Fundimus ex alto quas tibi corde preces.*
> *Et quis ſubſtineat: Si tu obſervaris iniqua:*
> *Si tu obſervaris ſi malefacta Deus.*
> *Tu bonus atque tuis miſerans quemque excipis ulnis,*
> *Te propter legem ſuſtinuique tuam.*
> *Confidant in te populi ſperentque fideles.*
> *Speravi in te equidem, ſuſtinuique Deus.*
> *Namque te apud pietas eſt longa redemptio longa eſt*
> *Et redimes noſtris nos Deus ipſe malis.*

PSAL. CXXXI.

1. *Et non ambulavi in magnis*] In magnis ambulant, qui nituntur ad ea, quæ ſuperant virtutem eorum ut ſcripſit R. Moſſe Ægyptius libro More Hanevochim capite XXXI, quales ſunt qui poſt deliramenta magica commerciaque dæmonum inſaniunt, ſicut olim Xoroaſter, Oſtanes, Apuſcorus, Zaratus, Marmaridius, Hippocus, Zarmocenides, Simon magus, Apollonius, Carpocrates, monſtroſa nomina, Chiromantici quoque & Genethliaci, Alchimici vel potius Chalchimici. Et qui nova ementiuntur miracula, oſtentantes ſtigmata manuum & pedum ac lateris, quæ non à Deo aut à beato Angelo acceperunt, ſed ipſimet ſibi ipſis intulerunt, quo perſuadeant ſe frui Dei conſortio ac ſanctorum, cum tamen membra ſint Diaboli.

PSAL. CXXXII.

14. *Hæc requies mea in ſempiternum*] Ex Libro Bereſit Raba, ſuper illud Geneſ. 22. *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum.* i. Deum procul, אמר ר׳ יצחק מהו מרחוק עתיד המקום לירחק כביכליו יכול לעולם תל ואת מנוחתי עדי עד עד פה אשב כי איתה צרה כרך אמרך ואביוניה אשבי עלחם לכשי בא אותו שכתיב בז עני ורוכב על חמור ואני והנער אלכה עד כה אר יהושע בן לוי נר כה בסוף כה יהיה זרעך ונשתחוה ונשובה אליכם בישרו שהוא חוזר מהר המוריה בשלום אמר ר׳ יצחק והכל בזכות השתחויה אברהם אבינו לא חזר אלא בזכות השתחויה שנ׳ ונשתחוה ונשובה אליכם ישר לא נגאלו ממצרים אלא בזכות השתחויה שנ׳ ויאמן העם וישמעו כי פקד התורה לא נתנה לישר׳ אלא בזכות השתחוית שנ׳ והשתחויה מרחוק ונגש משה חנה לא נפקדת אלא בזכות השתחויה שנ׳ וישתחו ליהוה וזכרה יי׳ הגליות לא מתכנסות אלא בזכות השתחויה שנ׳ והיה ביום ההוא יתקע בשופר גדול בית המקדש לא נבנה אל בזכות השתחויה שנ׳ רוממו יי׳ אלהינו והשתחוו אף המתים לא חיין אלא בזכות השתחויה שנ׳ בואו נשתחוה ונכרעה ונבירכה לפני יי׳ עושינו i. „ Dixit R. Iſaac quid „ eſt vidit Deum procul? ſive manentem à longe? Nimirum „ quoniam tenetur Deus elongari ab amicis ſuis. Erit ne hoc „ ſemper? Docemur reſponſionem ex eo quod ſcriptum eſt, Hæc „ requies mea in æternum, hic manebo quoniam expetii illam. „ Viaticum ejus benedictionibus benedicam, pauperes ſive egenos ejus ſaturabo pane. Quando veniet ille de quo ſcriptum „ eſt, Pauper & equitans ſuper aſinum, revertetur Deus ad amicos ſuos, ſequitur, Ego & puer ibimus uſque illuc. Dixit R. „ Joſua filius Levi, Quare dictum eſt in fine horum verborum, „ ſic erit ſemen tuum. Et adorabimus & reverterimus ad vos. „ Quoniam revelatum erat illi quod reverſurus eſt à monte Mo-

„ ria

„ria in pace reque, bene peracta. Dixit R. Iſaac Cuncta hæc propter meritum adorationis, Abraham pater noſter non eſt reverſus niſi propter meritum adorationis ſicut dictum eſt, Et adorabimus & revertemur ad vos, Iſrael non fuit redemptus ex Ægypto niſi propter adorationis meritum, ſicut dictum eſt, Et adorabitis à longe, & prope accedet Moſſe. Lex data non fuit, niſi propter meritum adorationis ſicut dictum eſt, Et credidit populus & audivit quod redemptionem feciſſet Deus, & incurvatæ ſunt & adoraverunt. Anna non fuit exaudita, niſi propter meritum adorationis, ſicut dictum eſt, Et adoravit coram Deo & recordatus eſt ejus. Transmigrationes ſive captivitates non ſunt redemptæ, niſi propter meritum adorationis, ſicut dictum eſt, Et erit in illo die clangetur tuba magna & venient qui diſperſi erant de regione Aſſur, & qui non erant in via, de terra Ægypti, & adorabunt Dominum in habitaculo ſanctuarii & in Jeruſalem templum ædificatum non fuit niſi propter meritum adorationis, ſicut dictum eſt, Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in templo ſancto ejus. Mortui non reſurgent niſi propter meritum adorationis, ſicut dictum eſt, Venite, adoremus, & genu flectamus & benedicamus coram te qui feciſti nos." Et quidem de reſurrectione mortuorum hæc leguntur in libro Helle hadevarim Rabba ר׳ סימאי אומר כל בריות שנ׳ בראו מן השמים נפשן וגופן מן השמים וכל שנ׳ בראו מן הארץ נפשן וגופן מן הארץ לפיכך עשה אדם תורה ועשה רצון אביו שבשמי׳ הרי הוא כבריו של מעלה שנ׳ אני אמרתי אלהים אתם וגו׳ לא עשה תורה ולא רצון אביו שבשמים הרי הוא כבריות של מטה שנ׳ אכן כאדם תמותון וכן היה ר׳ סימאי אומר לך פה פרשה שאין בה תחיית המתים אלא שאין בנו כח לדרוש שנ׳ יקרא אל השמים מעל וגו׳ יקרא אל השמים מעל זו נשמה ואל הארץ לדין עמו זה הגוף מי דיין עמו ומניין שאין מדבר אלא בתחיית המתים שנ׳ מארבע רוחות באי הרוח כי שם יהוה אקרא נמצינו למידין שלא הזכיר משה שמו של מקום אלא לאחר עשרים ואחד דבר ממי למד ממלאכי השרת למד שאין מלאכי השרת מזכירין את השם אלא לאחר שלש קדושות שנ׳ וקרא זה אל זה ואמר קדוש קדוש קדוש i. „Dixit R. Cimai, Omnium creaturarum quæ de cœlo creatæ ſunt, anima & corpus ad cœlum pertinet. Creaturarum vero quæ de terra creatæ ſunt, anima & corpus ad terram pertinet. Itaque ſi obſervat homo legem ac voluntatem patris ſui qui in cœlis eſt, citra dubium efficitur de numero creaturarum ſupernarum, ſicut ſcriptum eſt, Ego dixi, Dii eſtis vos. Atqui ſi non obſervat legem ac voluntatem patris ſui qui in cœlis eſt, efficitur de numero creaturarum inferiorum ſicut ſcriptum eſt, Profecto ſicut homines moriemini. Quapropter eſt dictum à R. Cimai, non extare aliquod Scripturæ capitulum in quo non fiat mentio de reſurrectione mortuorum, tametſi vis noſtra non poſſit illud penetrare. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt, A quatuor partibus veniet ſpiritus quem nomen Dei vocabit. Repertum eſt autem in commentariis judicum quod non protulit Moſſe nomen Domini, niſi poſt unum & viginti verba. Sed à quo didicit hoc? Ab angelis miniſtrantibus. Quandoquidem angeli ipſi miniſtrantes non proferunt Dei nomen, niſi poſt ternam ſanctitatem, quemadmodum dictum eſt, Vocabit hunc & illum, & dicet Sanctus Sanctus Sanctus &c."

PSAL. CXXXVI.

7. QUi *fecit luminaria magna*] Ex fragmentis Cabaliſticis לשני המאורות שכתוב בהן יהי מאורות ברקיע השמי׳ ופרשו לנו ז׳ לפה שידועהו בלי ספק עליהם ואמרו מאורות כתי׳ והם השמש אחד והל כברה אחר אשר סודם ברמ״ז קו׳ ירוק ולב מ״ך סוף דבר יודע לך באמרת כי סבת כל עבודה זרה ה״ת שניהם ודע זה ואמרם ז״ל מאורות כתיב הוא סוד השלוש שקראוהו אותו ס״ת״אר בתוספת על עצמו וראיתם מצד השמש ומצד הלבנה אשר בפעלתם תם כל העולם i. „De duobus luminaribus ſcriptum eſt, Sint luminaria in extenſione cœlorum. Et quidem ſapientes auctores noſtri declaraverunt nobis citra dubium quantum datum eſt eis intelligere de re hac, dixeruntque Luminaria ſcriptum eſt, & alter eorum eſt ſol, alter vero luna, quorum occultus ſenſus denotat ſive ſignificat lineam praſinam, & cor tenerum. Et demum jubeo te veraciter ſcire, quod cauſa totius idololatriæ fuit dualitas, & bene advertito hoc. Id vero quod dixerunt ſapientes Luminaria ſcriptum eſt, continet myſterium ſive ſecretum trinitatis, quam vocaverunt adornatum ſive pulchritudinem cum conjunctione ad ſuam propriam ſubſtantiam, perſpicies autem tum ex ſole tum ex luna, quod operibus ejus comprehendit totum mundum."

15. *Et convolvit Parao*] *Parao.* Sic enim proferunt Hebræi, nec reperitur ſcriptum *Pharao* in tota ſerie Sacræ Scripturæ niſi ſemel tantum.

PSAL. CXXXIX.

5. R*Etro & ante formaſti me*] Ex fragmentis Cabaliſticis והבין את כל אשר אני דובר אליך ודע כי הבורא ית׳ ברא אנשים התחתונים בצלם אנשים העליונים וברא את האדם בשני פרצופין פנים ואחור כמו שאמר אחור וקדם צרתני וגו׳ ונמצאים בו יצר טוב ויצר רע והם שני מלאכי׳ אע״פ שהם שד ומלאך שכל מי שהמציאו האל הנקרא מלאך ועל כן אמרו ז״ל מלאך טוב ומלאך רע מלאך טוב הוא המנ׳ הי״נ את האדם לעשות טוב בחייו ואם הוא כהפך בהתהפך בעצמו והוא גהינם ולכן יקרא חצי כלו חצי עגלה טוב וחצית רע והוא סוד פנים ואחור וממנו ימצא חמ׳ זן המחיה והממית וממנו הנובע הטוב או הפכו וכן אמר האנש׳ כי הפעלה בתחתונים היא מן שכל שני נסתר שהוא מנהיג כל המציאות כאשר אמרתי ומפני זה נשפענו ממנו שני יצרים וסודו השתי והערב צבאות צבאות כלו יכין ושמאל והשם עטרו בשמו ית׳ ואמר לו יקרא שכן שמי והוא אמרו כי שמי בקרבו ולפיכך קראוהו אישים שהוא משפיע על האישים ומפני שימצא הרע בהעדרו הטוב i. „Tu vero advertito omnia quæ ipſe loquor tibi. Scire te volo, quod creator Deus, creavit homines inferiores ad imaginem hominum ſuperiorum, creavitque hominem duos habentem vultus, anteriorem & poſteriorem, ſicut dictum eſt: Ante & retro formaſti me, & invenitur in illo appetitus bonus & appetitus malus, & ſunt duo angeli, licet alter eorum ſit ſatanas, & alter angelus. Atqui intellectus qui dedit eis eſſe, eſt Deus, & vocatur angelus, & propterea dictum eſt à ſapientibus, angelus bonus & angelus malus. Angelus bonus ille qui dirigit hominem in bonum in vita ſua. Et ſi homo operatur contrarium vertit ſe in ipſum & eſt homini infernus & propterea vocatur medium, ſignificans quod medietas ſphæræ eſt bona, & medietas mala, & hoc eſt ſecretum contentum in eo quod dicitur ante & retro &c. Ab eo autem procedit eſſentia præbens vitam præbenſque mortem, & ab eo inſuper eſt natura bona & natura contraria, i. mala. Et dixerunt quod opus inferiorum eſt intellectus ſecundi occulti, qui præpoſitus eſt toti univerſo & dirigit illud ſicut jam prædiximus & propterea ab illo facti ſumus habentes duas concupiſcentias quarum ſecretum eſt crux, & innuit Cevaot Cevaot. (Computantibus enim Arithmetica ratione literas quibus ſignificant crucem & literas quibus ſcribitur bis Cevaot, reſultat idem præciſe numerus ex utraque ſupputatione) ſignificans dextrum & ſiniſtrum. Et nomen i. Deus donavit eam corona quæ eſt nomen ſuum altiſſimum, & dixit ei Vocetur nomen tuum nomine meo, & hoc eſt quod dictum eſt Nomen meum eſt in ea, & propterea vocavit illam hominem, quoniam influit ſuper omnes homines. Et inventum eſt quod fomes pravus ſive concupiſcentia corrupta eſt oppoſitum ejus, quoniam ipſa eſt ſummum bonum." Hæc ibi. Quomodo autem intelligendum ſit crucem eſſe ſummum bonum, influereque in omnes homines donatamque coronam, eſſeque in ea nomen Dei altiſſimi, callentibus Theologiam arbitror non difficile.

12. *Et nox quaſi dies lucet*] Oculis divinis qui non ex objectis pendent, ſed omnia in veritate vident, ubi omnia coincidunt diſcretæ & diſcernuntur conjunctæ, non aliud & aliud lux & tenebræ, neque ibi tenebræ privatio, ſed ſumma lux, neque lux poſitio, ſed eminens negatio, atque idem lux & tenebræ, & ut odorans in luce & tenebris æque cognoſcit, ſuntque ei tenebræ ad adorandum ut lux, & lux ut tenebræ, ita Deus æque in luce & in tenebris cognoſcit, & ſi ſurgis, ut lux & tenebræ nihil faciunt ad odorandum, ita nulla creatura, nullum intervallum, nulliuſque creaturæ poſitio aut privatio Deo ad intelligendum.

PSAL. CXL.

3. QUia *cogitaverunt malitias in corde*] Malitias cogitant impii, qui providentiam negant divinam, quique dicunt res hominum ſiderum poſituræ fatoque & fortunæ ſubditas eſſe. Hi non ſolum redargui poſſunt, ex his quæ leguntur apud Theologos Chriſtianos, ſed & ex his quæ habent auctores Hebræi, & imprimis commentator Libri Geneſis, quicunque is fuerit, quem tamen conſtat Jeroſolyma lingua uſum, qui ſuper illud, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, quæ ſequuntur contra impios iſtos ſcripta reliquit קם ר׳ אלעזר פתח ואמר הכלתלוי בכז״ל ואפי׳ ספר תורה בה׳כל כלא דא תקונה ספרא רצני עותא והכי אמר וכי בכול הכל הל״ והגינן ספר תורה הוא קדש נרתיקן והוא קדש ההיכל קדש וכתיב וקרא זה אל זה ואמר קדוש קדש הלתאה אינון וספר תורה לקבליהון ההיכל קדוש נרתיקו קדוש הוא קדוש התורה ניתנה בשלש קדושות בשלש מעלות בימים שלשה שכינה בשלש לוחות וארון שלש והכל ספר תורה תליא ואדהו תליא בכז״ל ותנ׳ ב׳השמות העמים אל תחתו כאן דאדהו בקדושין הללו ליהוי תליא בכולא אלא הכי אוקמית בספרא דצניעותא הא תוטא יקירא קדישא וכל שער דיקנא תליין כיה אתקרי כולכא שקלא משום וכל קדושי קדושין דקדישא כהא כולא תליין i. „Surrexit R. Eleazar, orſus eſt & dixit, Cuncta ſubjecta ſunt

„ſunt fortunæ etiam volumen Legis quod in altari reconditum eſt. „Hoc enim reperimus in Seniota de Ciphra, hoc eſt in libro cel- „latæ pudicitiæ, in quo ſic habetur. Eſtne verum omnia ſubjecta „eſſe fortunæ? Nobis traditum eſt, volumen Legis eſſe ſanctita- „tem, arcam quoque ejus eſſe ſanctitatem, altare etiam eſſe ſan- „ctitatem. Et ſcriptum eſt, Vocabit hunc & hunc, & dicet ſanctus, „ſanctus, ſanctus. Tres ſunt, & volumen Legis è regione eo- „rum. Altare ſanctum & arca ſancta, & ipſum ſanctum. Sed & „Lex data eſt in tribus ſanctitatibus, in tribus gradibus, in tribus „diebus. Divinitas quoque in tribus. Tabulæ & arca tres. In „cunctis autem continetur volumen Legis, qua ergo ratione eſt „ſubjectum fortunæ? Adde quod ſcriptum eſt, A ſignis cœli „non timeatis. Res itaque quæ conſiſtunt in ſanctitate, ſicut iſtæ „non videntur comprehendi ſub fortuna. Audi quid determina- „tum ſit in libro Ceniota de Ciphra ſupra memorato. Corpus il- „lud honore dignum & ſanctum, in quo comprehenduntur om- „nes odornatus, ipſum vocatum eſt Mazal, i. fortuna ſive fatum, „quoniam omnis ſanctitas ſanctitatis ſanctitatum continetur & „comprehenditur in ipſo. Quod fortunam ſive fatum dicimus.

PSAL. CXLIII.

10. S*Piritus tuus deducet me &c.*] De ſpiritu ſancto ex fragmentis Cabaliſticis. Poſtquam auctor ingenioſe admodum multa dixit de materia, de forma, de anima intellectiva & de ſeparatis ſubſtantiis, exclamans ait, ואלו הסודות כלם הם מרגליות ופנינים ומי ששת דל לדעתם יהיה השם עמו והוא עם השם והם כשי םים שלום בינו וכין הנכצאים בהוריעם לוהאכת בכל ולפיכך המצא עצם רוח הקדש וכרע נברל איש ואשה כיניהם שלום ואמ״ת והם ראשית ראשית i. „Et myſteria hæc omnia ſunt margaritæ & „gemmæ. Quicunque vero ſtudium adhibuerit quo ſciat illa, erit „Deus cum eo, & ipſe cum Deo. Faciunt autem hujuſcemodi „ſecreta pacem inter eum & Deum, quandoquidem virtutem illo- „rum novit homo omnimodam veritatem. Itaque reperies ſpiri- „tus ſancti ſubſtantiam, eſſentiam ſeparatam, virum & mulie- „rem, & inter illos pax eſt & veritas, ſuntque principium de „principio.

PSAL. CXLIV.

15. B*Eatus populus cujus talia ſunt*] Ex ſæpe memoratis commentariis Libri Geneſeos Jeroſolyma lingua perſcriptis קם ר׳ יוסי פתח ואמר אשרי העם שככה לו אשרי העם שיהוה אלהיו אשרי העם שככה לו כהו שככה כרא׳ וחכת המלך שככה שכך מרוגזא דא׳ שכך כרוגזא חחר ואם ככה אתה עשה לי הרגני נא דא הוא דינא דדינין אשרי העם שיהוה אלהי רחמי דרחמי׳ ד׳א שככה שמא דכליל שמי הן וקודשא בריך הוא מעבר רוגזיה ואגח ליה לזעיר אפין ומעבר על כל אינון לבר דתניא אורחא דתיקונא וקריסא עילאה עתיקא דעתיקין דאיהו נהירת בדי קנירה תמורה, עקבי חוטבא וחאי אורחא דלתתא שקילו אינון בכלא דאית לעילא דא דלתתא i. „Stetit „R. Joci, orſus eſt & dixit, Beatus populus cui ſic eſt: Beatus „populus cujus qui dat eſſe eſt Deus ejus. Beatus populus cui ſic „eſt. Quid eſt cui ſic eſt? Hoc eſt quod dictum eſt, Ceſſavit „furor Regis, i. mutatus eſt Rex à furore quo percitus erat. Alia „expoſitio, cui ſic eſt, i. qui ſuffert, ſuſtinetque iram & furorem, „ſicut dictum eſt, Etſi ſic mecum te habes, interfice me nunc, „hæc eſt juſtitia juſtitiarum. Beatus populus cujus qui dat eſſe eſt „Deus ejus. Pietas pietatum. Alia expoſitio, cui ſic eſt. Hoc eſt „nomen quod comprehendit ſanctum & benedictum, i. Deum „cujus quidem ceſſat ira, & dat poteſtatem juniori facierum & „jubet tranſire omnes has poteſtates ad filium quemadmodum „nobis traditum eſt. Via adornatus ſanctitatis ſupremæ eſt anti- „quus antiquorum, qui illam ponit concinne ſub fœminino vul- „tu. Et hæc via inferior tanti pretii eſt quanti omnes viæ ſuperio- „res. Et quæ ſunt ſuperius, ſunt etiam inferius.

PSAL. CXLV.

15. E*T tu das eis eſcam* &c.] Inter cunctas eſcas, quibus Deus paſcit creaturas ſuas, principatum tenet extra omnem controverſiam, eſca illa, qua fideles ſuaviſſimo guſtu in ſpiritu nutriuntur, omnium ſacramentorum caput, omniumque miraculorum maximum. Cujus inſtitutionis ſacramenti quamvis multæ offerantur cauſæ, illa tamen, quam adducit Robertus libro de victoria verbi Dei, his quæ ſubjunximus verbis, non eſt inter poſtremas computanda. Quod ſcilicet primi homines Deo increduli, Diabolo nimis male creduli fuerunt: Quia cum non viderent niſi pomum, quantumlibet ſuave redolens, & viſu pulchrum, crediderunt in illo eſſe divinitatis effectum, crediderunt Diabolo dicenti, Nequaquam ita erit ut Deus dixit, ſed erit quod dico ego: videlicet eritis ut Dii. Contra cibum illum qui cibus fuit mortis, dictante ratione juſtitiæ dari oportebat cibum alium, quieſſet cibus vitæ, & ſimili ordine, ut ſcilicet ineſſe illi mentem crederet: Quod oculus non vidit, crederet eſſe cibum & potum veraciter communicandæ divinitatis effectivum: eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, quod ſentire non poſſunt ſenſus carnis & ſanguinis, per hanc fidem ſibi Deus ab homine ſatisfactum eſſe judicat, dum non minus ſibi creditur ab homine, quam Diabolo creditum fuit.

19. *Voluntatem timentium ſe faciet*] Diligit enim Deus timentes ſe. Eſt ſiquidem ſimilitudo, ut conſtat, dilectionis cauſa. Inter timentes vero Deum & Deum ipſum, non ignobilis intercedit ſimilitudo, quando Deus ipſe, inter reliqua nomina etiam timoris nomine donatus eſt. Appellatur autem recte timor, quod dignum ſit ut ab omnibus timeatur. Hic vero timor, i. Deus ille eſt qui gratia timentium ſe non horruit fœminæ corpus, uti legimus in commentariis libri Geneſeos Jeroſolyma lingua conſcriptis, cujus auctor creditur R. Simeon ben Jochai, ſuper illud Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus.* Verba ejus ſunt hæc: וכיון דאתפשט אמ״ה דא אתפשט כתר גבורה מאינון גבוראן כשמאלא דנוקבא ואשתקע בנוקבא באתר חד ורשים בעידנא כסותא דכל גופא דנוקבא ובההוא אתר איתקרי עורה דכלא לאצנעת אתר דההוא אמה דאיקרי חסד בגין לאתבסמא גבורא דא דכליל חמש גבוראן והאי חסד כליל בחמש חסד חסד ימינא גבורה שמאלא את דא ברא ואת קרי אדם כליל מתרין סטרוי ובגיז בך בכולהו כתרין עד לא זמן הקונא מלכא עתיקא דעתיקין ובנא עלמין ואתקין תקונין לאתקיימא תהיא נוקבא לאתבסמא ולא אתקיימו עד דנחית חסד עילאה ואתקיימו לאתבסמו תקוני נוקבא בהאי אמ״ה דאיקרי חסד, i. „Et quoniam declaratum eſt, quiſnam „eſſet timor iſte, declaratum eſt ratione fortitudinis, illarum ſci- „licet fortitudinum quæ venerunt in latus ſiniſtrum fœminæ, & „conjunctus eſt fœminæ in loco uno. Signavit autem ſive potius „reſedit primo, in membro illo occulto, quod eſt in cunctis fœ- „minarum corporibus. Locus vero ille appellatus eſt matrix, eſt- „que apud omnes occultus. Eſt vero matrix hæc fabrefacta, quo „incorporaretur in ea timor hic, qui etiam appellatus eſt miſeri- „cordia, conjungereturque fortitudini illi, quæ comprehendit „quinque fortitudines. Sed & miſericordia hæc quinque com- „plectitur miſericordias. Miſericordia à dextris, fortitudo à ſini- „ſtris. Veniet hæc in hanc & vocabitur homo qui complectitur „ſingulas partes, i. attributa omnia, quapropter omnibus co- „ronabitur in perpetuum, donec permaneat Rex antiquus anti- „quorum. Ædificabit autem mundos & concinnabit adornatus, „ut reſideat fœmina pro incorporatione, nec perfecti erunt do- „nec quieſcat in illa miſericordia altiſſima. Firmus vero erit & „incorporabitur concinne in fœmina hic timor, qui etiam mi- „ſericordia vocatus eſt.

PSAL. CXLVII.

1. B*Eneplacitum eſt Deo in his qui timent eum*] Ex Fragmentis Cabaliſticis ידוע כי ביד מטטרון תחית המתים וכן אמר לפנים ושפט בצדק דלים והוכיח במישור לענוי ארץ והכה ארץ בשבט פיו וברוח שפתיו ימית רשע הורה על יי׳ הוביא כי לא ילחם בידיו אלא בכח השם וכל אשר יברך יבורך וכל אשר יאור יואר כי אין ליהוה מעצור להושיע ברב או במעט דל שלא יצטרך לקבון מלחמה בתחלתו גם לא בחרב ובחנית יהושיע יהוה לא בגבורת הסוס יחפץ ולא בשוקי האיש ירצה רוצה יהוה את יראיו את המיחלים לחסדו אשרי בלחובי לו והמצא אברו בשבט פיו היא אות׳ פי הגבורה פיו ורוח שפתיו חצי השם ו״ה דולל חכמה תבונה דעת כמו שאמרו ול שלשתם יותנו למלך המשיח כסהרה יבא בימינו, i. Conſtat vivificationem mortuorum „poſitam eſſe in manu Matraton i. Meſſiæ, ſicut ſcriptum eſt, Et „judicabit in juſtitia pauperes & corripiet in æquitate manſuetos „terræ, & percutiet terram virga oris ſui & ſpiritu labiorum ſuo- „rum interficiet impium. Oſtendit hoc loco Propheta quod non „ſit bellum geſturus manibus ſuis propriis, ſed virtute divina, & „quod omnia quæ benedicet, erunt benedicta, & omnia quæ „maledicet, erunt maledicta. Quoniam non mutabit Deus ſive „augendo ſive diminuendo ſalutem quam ipſe operabitur. Inten- „dit etiam Propheta, quod non erit neceſſarium ei movere bel- „lum. Quoniam Deus ſalutem præſtat non enſe aut lancea ſicut „dictum eſt, Non in viribus equi beneplacitum eſt Deo, nec in „coxis viri complacet ſibi, beneplacitum eſt Deo in his, qui ti- „ment eum. Beationes qui expectant eum. Et repertum eſt in „eo, quod dicit virgam oris ſui, quod os eſt ſignum oris intelli- „gentiæ. In eo vero quod dicit os ſuum & ſpiritum oris ſui con- „tinetur medietas nominis Dei. Et demum comprehendit ſcien-

 „tiam,

„tiam, intellectum & ſapientiam. Et ut dicunt ſapientes, tria hæc
„data erunt Meſſiæ noſtro, utinam cito veniat diebus noſtris.

18. *Mittet verbum ſuum & ſanabit &c.*] Libertatis (ſic
enim eſt viro nomen) Commineti Hiſpani, nuper à Judaiſmo ad
fidem converſi, quatuordecim linguarum periti expoſitio non
ſpernenda, ישלח דברו וימסם היה לו לומר ידבר דברו ולא ישלח דברו
כי בדיבור הוא יותר נאות אמירה משליחות כמו שנ׳ ויאמר אלהים יהי אור
ויהי אור ולא אמר וישלח אלהים דברו לעשות או לבראות את האור לפי
שאינו לשון נופל שליחות בלתי שליח כמו שאמר הנני שולח לכם את
אליהו הנביא ר״ל כי האלהים היה שולח הנביאים להגיד דברו ולהראות
נפלאותיו. ואנחנו רואים וזה נכ׳ מנחש הנחושת שצוה האלהים לעשותו על יד
משה נבי או כדי לרפאות את ישראל נהכמתם אליו כי מן הראוי
היה יותר ראוי באותם הזמנים שירפאם בדיבור לבד בדי שיראו העם
נפלאותיו ויאמינוהו ולא עם אותו הנחש אשר היה מביא חשש בלב
העם היותו מעשה כישוף ותקיאת היום מגי׳ האמרה שאם היה
מרפאם בדיבור לבד היה מכיר כל החששים מלבם אבל מה שנראה
לי מורה הפסוק כי דוד ניבא ביאת ישועה משיח צדקנו באומרו דברו
כי האמת הוא שהיה דברו ומגיד דברית וכמו שהדיבור אינו דבר נפרד
מעצמיותו כן הוא אינו נפרד מהאל וזה הוא שאמר יבא דברך
וכבדונך כי היה לו לומר יבא דברך וכבדוהו אלא שמראה היותו הוא ית
ודיבורו דבר אחד כי בכבודם הדיבור מכבדים אותו וכבכבדם אותו
מכבדים הדיבור והם בלתי נפרדים בעצמיותם וזה הוא הדיבור אשר
נתנבא לבא לרפאות חולים ולהחיות מתים בדיבור והיה עצמו
הדיבור כמו שנראה בישוע משיח צדקנו שרפא כמה וכמה חולים
והחיה את אלעזר שלשה ימים אחרי מותו ואלו הדברים אינם נאותים כי
אם לאל וסמיך לזה ישב רוחו יזלו מים ונראה שאין קישור ורפואת הגופים
עם נזילת המים כלל אבל הבין אין ניבא דוד האמיתות באומרו ישב
ולא אמר ישיב שהאל יושיב את רוחו הקדוש אצלו ולימינו אחר
זה יזלו מים ר״ל שישארו המים הקדושים כדי להושיע את עמו והם סבת
ישועתינו כמו שנ׳ ושאבתם מים בששון ממעייני הישועה אשר באמצעותם
האל נדבק בנו כמו שאמר כי תעבור במים אתך אני ולא אמר
בימים אלא במים של מים הקדושים, i. „Mittet verbum ſuum
„& ſanabit eos. Videtur dicendum fuiſſe, loquetur verbum
„ſuum, non autem mittet verbum ſuum. Verbo ſiquidem ma-
„gis convenit pronunciari & proferri, quam mitti, quod videtur
„proprium eſſe oratoris. Et huic rei concinit Scriptura, Dixit
„Deus ſit lux & fuit lux: Non autem dixit miſit Deus verbum
„ſuum ad creandam lucem, quoniam legatio ſine legato impleri
„nequit. Quapropter dictum eſt, Ecce mitto ad vos Heliam Pro-
„phetam: innuens Deum mittere Prophetas ad annunciandum
„verbum ſuum & ad manifeſtandum mirabilia ſua. Præterea au-
„get dubium, æneus ſerpens, quem præcepit Deus fieri per ma-
„num Moſſe Prophetæ ſui, quo ſanaretur populus Iſrael cum
„proſpexiſſent in eum. Rationabilius enim apparet & convenien-
„tius præcipue illis temporibus debuiſſe Deum verbo curare po-
„pulum, quam ſerpentis aſpectu, quæ res inducere poterat in
„ſuſpicionem incantationis & magicæ, & nihilominus tunc non
„ſanavit verbo. Quomodo ergo quadrat quod dicit Propheta,
„Mittet verbum ſuum & ſanabit eos? Sed ſolvitur. Nam, quan-
„tum ipſe ſentio, David hoc loco vaticinatus eſt adventum Jeſu
„Meſſiæ juſti noſtri, qui recte dictus eſt verbum ejus, quoniam
„veritas eſt, Jeſum eſſe verbum Dei, eſſeque nuncium verbo-
„rum Dei, & ſicut verbum Dei non eſt quid diſtinctum ab eſſen-
„tia Dei, ſic & Meſſias non eſt penitus diſtinctus à divina ſub-
„ſtantia, & hoc eſt quod ſcriptum eſt, Veniet verbum tuum &
„honorificabimus te. Quod ſi eſſet ab eo penitus diviſum,
„dixiſſet, & honorificabimus illud, quibus verbis aperte mon-
„ſtratur, unum & idem eſſe Deum & verbum Dei, quando pro
„eodem habetur honorare Deum & verbum Dei, utpote nequa-
„quam in eſſentia diſtinctos. Et hoc eſt verbum de quo Prophe-
„tatum fuit, quod venturum eſſet curare infirmos, ſuſcitare
„mortuos. Et hæc quidem omnia operatur verbo, cum nihilomi-
„nus ipſum etiam verbum ſit. Quæ omnia completa ſunt in Jeſu
„Meſſia juſto noſtro, cujus opera pene innumerabiles infirmi
„curati ſunt, & Lazarus à mortuis ſuſcitatus etiam poſt quartum
„diem mortis ſuæ. Et hæc ſoli Deo conveniunt. Concinit no-
„ſtræ expoſitioni quod immediate ſequitur, Quieſcere faciet ſpi-
„ritum ſuum & fluent aquæ. Etſi enim nullam videantur ha-
„bere communionem ſanare infirmos & fluere aquas; eſt nihi-
„lominus veriſſimus Prophetæ ſenſus, qui etiam non ſine my-
„ſterio dixit, quieſcere faciet ſpiritum ſuum, non autem reverti
„faciet ſpiritum ſuum, demonſtrans quod Deus ſedere facere de-
„beret Spiritum Sanctum ſuum apud ſe, & ſubintulit, Et fluent
„aquæ: ſignificans quod remanebunt aquæ ſanctæ ad ſalvan-
„dum populum ſuum, quæ quidem aquæ ſunt cauſa ſalutis no-
„ſtræ, quemadmodum ſcriptum eſt, Haurietis aquas de fonte
„ſalutis. Interventu enim aquarum ſanctarum Deus nobiſcum
„conjungitur, ſicut ſcriptum eſt, Cum tranſieris per aquas, ego
„tecum ſum, & non dixit, per aquas, tantum, ſed per aquas
„illas, demonſtrans ſe locutum non de quibuſcunque aquis, ſed
„de aquis ſanctis, quæ ſunt aquæ baptiſmatis, &c.

PSAL. CL.

4 *Laudem nomen ejus in choro*] Nomen, ad cujus laudes
Propheta invitat, intelligas nomen divinitatis, quo nomi-
ne ſuper cuncta creata præſtat Jeſus Meſſias noſter, uti patet
ſæpe memorato libro Commentariorum Geneſ. Jeroſolyma lin-
gua conſcriptorum, autore, ut creditur, R. Simeon ben
Jochai, dum tractatur illud, *Hæ ſunt generationes Noha*
ומבשרי אחזה אלוה כאי ומבשרי ומעצמי מיבעי ליה אלא ומבשרי
ממש ומאי היא דכתיב ובשר קדש יעברו מעליך וכתיב והיתה בריתי
בבשרכם ותניה בכלל ויומא דאיתרשים בר נש בהאי רשימא דהאי
איחזי מיניה חמי לקב״ה ממש ונשמתא קדישא את אחד ביה וכו
ולא נטיר האי את מה כתיב מנשמת אלוה יאבדו דהא רשימא
דקב״ה לא איתנטיר ואי זכי ונטיר ליה שכינתא ולא אית פרשא מיניה אימתי
אז קדישא בית בראי תכסיב והאי את עייל באתריה דאזמין בההיא דתניא
מאי טעמא אלין בחדא אלא חד דכר וחד נוקבא אשתתפו כחדא ואיקרי
חד טבא ברין תבר עילאה שריא עייל עילויהו כאן אתר הוא שריא בכסרא
דיכורא ומאן חסד אלא דאתי ונפיק מחכמה עילאה ואיתעטר בדיכורא
מגיני כן אית בכלת נוקבא תו תנינן אלוה הרי הוא אל נהירו ד׳ דכו
כמא דלית דכר׳ והא׳ נקבה אשתתפו בחדא אלוה איקרי ונשמתא קדישא
כה אחר את אחדא ודלא תליא בהאי ועל דא כתיב ומבשרי אחזה אלוה דהא
עלימותא דכלא מבשרי מהאי את ממש ועל דא זכאין אינון ישראל קדישין
דאמרין בית דקב״ה זכאין בעלמא הדין ובעלמא דאתי עליהו כתיב ונצרית
ליה מכאן אוליפנא מאן דנטיר להאי את קיימא מלכו איתנטרית ליה
מאלן מבועז דכתיב חי יהוה שכבי עד הבקר דהוה מקטרג בו יצריה עד
דאמי אומאה ונטר להאי ברית בגיני כך זכה דנפקו מיניה מלכין
עלימין על כל שאר מלכין ומלכא משיחא דאיתקרי בשמיה דקב״ה
i. „Et de carne mea videbo Deum Job. cap 19. Quid nam ſibi
„vult de carne mea? Conveniens enim magis erat dicere, de ſub-
„ſtantia mea, tamen dixit de carne mea propria. Hoc autem eſt
„quod ſcriptum eſt, Et caro ſanctitatis tranſibit ſuper te, & in-
„ſuper ſcriptum eſt, Et erit fœdus meum in carne veſtra, quod
„ſignificat ſignum quod datum eſt nobis. Quotieſcunque vero
„ſignatus erit homo hoc ſigno, quod procedit ab illo, videbit
„Deum ipſum, & anima ipſius ſancta unum fiet cum illo, quoties
„vero non ſervabit fœdus hoc, in eum ſcriptum eſt, Aflatu Dei
„peribunt. Siquidem ſignum iſtud Dei eſt, & non obſervant il-
„lud. Quod ſi fueris de eo ſigno bene meritus, & cuſtodies illud,
„Divinitas nequaquam à te recedet, & in tempore iſto colligabe-
„ris ſanctitati & aſcendes in præparatum locum. Sed quænam eſt
„ratio ejus quod legimus ſupra de unione animæ ſanctæ, hoc
„eſt, Dei ad hominem? Non alia certe, niſi quod maſ unus &
„fœmina una jungentur in unum, quod vocabitur nomine uno,
„veluti juſtitia procedens à ſuperna miſericordia quæ requieſcet
„ſuper eos. In hoc vero loco eſt requies claritatis ſive ſplendoris
„maſculi. Et quænam eſt miſericordia? Miſericordia inquam,
„quæ veniet à ſapientia altiſſima, & coronabitur à verbo, & pro-
„pterea incorporabitur fœminæ. Sed & ſic nobis traditum eſt:
„Deus, ecce Deus illuminator fortis, littera ד Dalet maſculina,
„littera ה fœminina, junctæ ſunt in unum quod vocatur Deus.
„Et anima ejus ſanctiſſima in hoc loco poſita eſt, non tamen alli-
„gata in eo. Et propterea ſcriptum eſt, Et de carne mea videbo
„Deum. Quandoquidem felicitas hæc univerſalis cenſetur. Se-
„quitur & de carne mea, ac ſi dicat, de hac ipſa carne mea propria.
„Propter hoc autem bene meriti erunt illi de populo Iſrael Sancti
„duntaxat, qui dicent hunc eſſe Deum. Bene meriti erunt tum in
„mundo hoc, tum in mundo venturo. Et hujus rei gratia ſcriptum
„eſt, Qui cuſtodiet fœdus hoc. Et hinc didicimus, quod qui
„cuſtodiet pactum iſtud, Deus cuſtodiet illum. Sed quæ hujus
„rei probatio? Liquet hoc in Boaz qui dixit Moabitidæ mulieri,
„Vivus Deus. Jaceas uſque mane, & cum eſſet pellectus à con-
„cupiſcentia, tamen cuſtodivit fœdus iſtud. Quapropter meruit
„ut de illo egrederentur Reges potentiſſimi reliquorum Regum
„omnium, & Rex inſuper MESSIAS, qui vocatur nomine Dei
„ſancti & benedicti, i. qui eſt Deus.

JOHANNIS DRUSII IN VERSIONEM HIERONYMI SCHOLIA.

PSAL. I.

1. IN conſilio impiorum] ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. Lxx. Quidam, *in concilio.*

2. *In cathedra deriſorum*] ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν. A.

3. *Voluntas ejus*] *Oblectatio ejus.*

Lignum] arbor.

Tranſplantatum] μεταφυτευόμενον. A.

4. *Pulvis*] ὁ χνοῦς. Lxx. Alii, *gluma.* malim *palea*, proprie *palea tenuiſſima.* Vid. notata Pſ. 35. ad verſ. 5.

Projicit] Propellit.

5. *Non reſurgunt*] Ad vitam. Dicunt Ebræi, *reſurrectio eſt piorum, non impiorum.* i. תְּחִיָּה *reſurrectio ad vitam.* Aut, *non reſurgunt* in congregatione paſtorum. Aut, ubi ſemel ceciderint, non amplius reſurgunt. Contra legimus, *ſexties in die cadit juſtus & ſurgit.*

6. *In congregatione*] ἐν συναγωγῇ. A.

Novit] probat, approbat.

PSAL. II.

1. TUrbabuntur] Mutavit tempus. nam in Aquila ἐθορυβήθησαν : *turbata ſunt.* Et in Symm. κυκᾷ *turbantur*, vel certe *turbant.* i. ταράσσει ut quidem explicat Heſychius.

Tribus] φῦλα i. φυλαὶ *tribus.* Interpretamentum hoc Aquilæ eſt. Exponitur etiam φῦλον *gens.* unde apud Homerum, κατὰ φῦλα, Euſtathius explicat, κατὰ ἔθνη, *per gentes.* Lexicon Vetus, φῦλον *gens.* alias φύλος.

2. *Conſurgunt*] יָקוּמוּ. Malim ego *conſiſtunt.* Id Symm. dixit συνίσταντο. Ceterum in fonte eſt יִתְיַצְּבוּ.

Principes] οἱ ἄρχοντες. Lxx.

Tractabunt] Alii, *conſultant.* Symm. συσκέπτονται, *ſimul deliberant, conſiderant*, perpendunt, diſpiciunt.

3. *Laqueos eorum*] *Funes denſos eorum.*

6. *Unxi*] Alibi eſt, *ordinavi.* *Unxi.* i. ἔχρισα. Sic olim Symm. vertit.

7. *Dei præceptum*] Θεοῦ πρόσταγμα. Legit אֵל pro אֶל. Probarem, ſi eſſet אֵל חֹק in Ebræo. אֶל. Aquila. Theod. ἰσχυροῦ, quod inter epitheta Dei. Lxx. יהוה, quod eſt nomen tetragrammaton. חֹק potius *ſtatutum, conſtitutio.* Nam præceptum מִצְוָה dicitur. Sed ſecutus eſt τοὺς ό. Etiam Theodotio heic habet πρόσταγμα.

9. *Paſces eos*] Ποιμανεῖς αὐτοὺς i. תְּרֹעֵם.

Adorate pure] προσκυνήσατε καθαρῶς. Symm. Vide Fragmenta.

12. *In eo*] Alias, *in eum.*

PSAL. III.

2. QUare multiplicati ſunt] מָה pro לָמָּה.

Conſurgunt] Potius *inſurgunt.*

3. *Anima mea*] Sequentia docent magis vertendum eſſe *de anima mea.*

Huic] ei.

Sela] Libri quidam, *ſemper*, quod ex editione Aquilæ ſumtum. Nam Aquila hic & alibi edidit, ἀεί. Notavit hoc Hieronymus Epiſt. 138. quæ Marcellæ inſcripta. Vide Fragmenta.

De monte ſancto ſuo] ἐξ ὄρους ἁγίου αὐτοῦ. Symm.

Sela] Et heic plerique libri habent *ſemper.* Sic & alibi *ſemper.* Sic dico : ubicunque *Sela* in Ebræo, ibi Hieronymi codices, quos Plantinus excudit, habent *ſemper.* Nos ſecuti ſumus Fabri Pſalterium Ebraicum. *Quod Hiero.* inquit, *nulla media intercedente lingua, ex Ebræo ad Sophronii preces, Latina donavit colonia.*

6. *Soporatus ſum*] ὕπνωσα redditum in Pſalterio Gallico, *Soporatus ſum* : & in Romano, *ſomnum cepi.* Nam *ſopor* idem quod *ſomnus.* Aliquando differt à ſomno, & tunc Ebraice תַּרְדֵּמָה dicitur. Hic eſt וָאִישָׁנָה in fonte.

Evigilavi] Lectio varians, *Et vigilavi*, minus ſe probat mihi.

Millia] Imo *Myriades* i. duum millia.

Circumdederunt me] *Circum circa poſuerunt contra me* i. circumdederunt me. Nam *ponere* & *dare* permutantur. Sed melius *poſuerunt caſtra.* Sic Virgilius dixit *tendere*, pro tendere caſtra.

PSAL. IV.

1. VIctori] νικητῇ ſive νικοφόρῳ. Aquilæ interpretamentum eſt τῷ νικοποιῷ, quod magis denotat eum *qui victoriam dat* ſive tribuit. Hoc eſt τῷ τὴν νίκην ποιοῦντι, ἤτοι τῷ ποιοῦντι νικᾶν, *qui facit vincere.*

In canticis] ἐν ᾠδαῖς. Thren. 3. 14. נְגִינָתָם idem, *canticum eorum.* Aquilas hoc loco edidit ἐν ψαλμοῖς. Theodotio autem ἐν ὕμνοις, *in hymnis* vel *carminibus.*

Pſalmus David] Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. Theod.

2. *Exaudiſti me*] עֲנִיתַנִי, ſic eſt in Pſalterio Rom. quod fortaſſe Hieron. nunc ſecutus fuit. Nam in Gallico legitur *exaudivit me*, ut in Græca vulgata, εἰσήκουσέ μου i. עָנָנִי quod nunc legunt עֲנֵנִי *exaudi me.* Olim etiam præter Lxx. ceteri omnes, ut notatum in ſcholio, habebant ἐπήκουσε. Non ergo nupera hæc lectio, aut à Maſſoritis primum excogitata.

In tribulatione dilataſti mihi] ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς μοι. Lxx.

Dilataſti] Latum exitum feciſti.

Incliti mei] Ἔνδοξοί μου. Omnes, præter Lxx. qui ſoli hic habent βαρυκάρδιοι, *graves corde* i. כבודי לב. Qui ex hoc loco diſputant contra textum Ebræum, eis opto meliorem mentem. Videtur autem Hieron. legiſſe aliis apicibus, כְּבוּדַי, ut idem ſit cum נִכְבָּדַי. Aut, *gloria mea* i. glorioſi mei. Lexic. Vetus, ἔνδοξος *glorioſus, inclytus.*

Ignominioſe] לִכְלִמָּה *ignominioſe.* ut לָבֶטַח *ſecure* לַשֶּׁקֶר *falſo. fallaciter.* לָרִיק *vane, in vanum.*

Vanitatem] Potius *inanitatem*, i. רִיק nam *vanitas* proprie הֶבֶל dicitur. Innuit autem regnum Abſolomi filii ſui.

Sela] Notabis, in Pſalterio Gallico legi *ſemper*, pro eo quod in Romano *Diapſalma.* Vide quæ ſcripſimus Pſal. 3. 3. *ſemper* i. ἀεί. Declaramentum eſt Aquilæ. Διάψαλμα vero τῶν ό.

4. *Mirabilem reddidit*] ἐθαυμάστωσε. Lxx.

Miſericordem ſuum] In editis à Plantino *ſanctum ſuum.* Magis hoc ſe probat mihi. חָסִיד ſanctus i. ὅσιος, *qui pietatem & religionem colit. Pius, miſericors.* i. ἐλεήμων. Nam חֶסֶד antiqua declaratione *miſericordia.*

5. *Iraſcimini*] ὀργίζεσθε. Lxx. ὀργίσθητε. Symm. Alii *commoveamini.* Sic Aquila κλονεῖσθε.

Tacete] i. quieſcite.

6. *Sacrificium*] θυσίαν. Lxx. In aliis editionibus; *ſacrificia.* Cui ſcripturæ firmandæ eſt veritas Ebraica.

7. *Quis oſtendit*] Potius, *quis oſtendet?* τίς δείξει; quod pro eo habendum, ac ſi dixiſſet: *Quis reddere faciet? Videre bonum* eſt eo frui. Senſus ergo, *Quis faciet, ut fruamur bono?*

Lucem vultus tui] Vultum tuum lucidum, quo favor innuitur.

tur. Nam cui favemus, eum lucido ac ſereno vultu reſpicimus.

Leva] ἔπαρον. Aq.

In tempore frumentum & vinum eorum] Malim, *à tempore frumenti & vini eorum.* Sed vera interpretatio, *quam tempore.* Indidiſti, inquit, cordi meo lætitiam majorem, quam ſolet eſſe tempore meſſis ac vindemiæ, quando vini & frumenti magna copia & abundantia eſt. Qua de re pridem vos monui in Quæſtionibus meis.

Specialiter] κατ' ἰδίαν. A. Lexicon Vet. ἰδικὸς, *peculiaris, ſpecialis.* ἰδικῶς *ſpecialiter.* Idem κατ' ἰδίαν.

PSAL. V.

1. S*Uper hæreditatibus*] Alibi, *pro hæreditatibus.*

2. *Verba mea*] Eſt cur malim, *ſermones meos.*

Audi] Auribus percipe, ἐνώτισαι.

Murmur meum] Lxx. τὴν κραυγήν μου. Alii, *meditationem meam* i. μελέτην μου. Aliſ, *locutionem:* nam הגה etiam *loquor.* i. φθέγγομαι, quomodo fere Aquila interpretatur, ut Job. 37. 2. & Jeſ. 59. 11. & alibi.

3. *Intende voci*] πρόσχες τῇ φωνῇ, Lxx. Libri alii, *adverte ad vocem.*

Quoniam ad te] Alibi, *quia te.*

Deprecor] Elegerim *precor* i. εὔχομαι, aut προσεύχομαι. hoc habent οἱ ό. illud οἱ λοιποὶ i. ceteri interpretes.

4. *Audies*] *Exaudies.*

Præparabo ad te] אערך אליך. Verior interpretatio, *inſtruo tibi.* ſub. orationem. tralatio à ſacrificiis.

Et contemplabor] καὶ σκοπεύσω & *ſpeculabor.* Senſus eſt: tanquam in ſpecula conſtitutus expectabo unde mihi à te veniat auxilium.

5. *Volens*] *Delectans, qui delecteris.

Habitabit] Commorabitur. proprie tanquam advena, nam גר *advena.* Docte Aquila, οὐ προσηλυτεύσει σοι: *non commorabitur apud te tanquam proſelytus.*

6. *Non ſtabunt*] i. Permanebunt, διαμενοῦσι. Sed melius alii ex Ebræo, *non conſiſtent.*

Iniqui] ἄνομοι. Tales ſunt qui ſe ipſos laudant, alios ſemper vituperant. Unde הוללים dicti ἀπὸ τοῦ הלל, ut quidam volunt, i. *laudavit.* Verior interpretatio nupera meo judicio, *inſanos.* nam הוללות *inſania.* Sane improbitas eſt quaſi mentis quædam inſania.

Operantes iniquitatem] *Operarios iniquitatis,* & quaſi τέκτονες κακῶν.

7. *Virum ſanguinum*] Homicidam.

8. *In templo ſancto tuo*] Rectius alibi: *ad templum ſanctum tuum.*

In timore tuo] Prætulerim *in timore tui.*

9. *Propter inſidiatores meos*] διὰ τοὺς ἐφοδεύοντας. A. Id Latine ſonat, *propter obſervatores.* Pſal. 92. 12. בשורי Hiero. *in eos qui inſidiantur mihi.*

Dirige ante faciem meam viam tuam] κατεύθυνον εἰς πρόσωπόν μου ὁδόν σου. A. Vide Fragm.

10. *Interiora eorum*] קרבים. Alii, *medium eorum.* Alii, *cor eorum:* nam *cor* & *medium* ſe mutuo explicant. Santes, *intimum eorum.* Abenezra, *cor latens* ſive *abſtruſum.*

Inſidiæ] Pſal. 94. 20. כסא הוות. A. Θρόνος ἐπιβουλῆς. Hiero. *thronus inſidiarum.* Si divinare licet, etiam hoc loco Aquila poſuit ἐπιβουλή. Quem deinde Hiero. ſecutus vertit *inſidiæ.* nam id ἐπιβουλή Græcis auctoribus ſignificat.

Linguam ſuam lævificant] *Levem* i. blandam reddunt. Alii, *lingua ſua blandiuntur.*

11. *Condemna*] Reos perage.

Juxta multitudinem] An legit כרב? hoc eſt Chaph pro Beth.

Expelle] Eſt cur malim, *impelle.* Quanquam Lxx. ἔξωσον αὐτούς.

Provocaverunt te] παρεπίκρανάν σε. Lxx. Proprie *ad amaram iram provocarunt,* quod uno verbo redditum in Pſalterii Rom. *exacerbaverunt te.* Alii ex Ebræo referunt, *rebellarunt in te.*

12. *Laudabunt*] αἰνέσουσι. Deut. 32. 43. הרנינו A. αἰνοποιήσατε, *laudes dicite.* Hiero. *laudate.* Job. 39. 13. רננים idem Aquila αἰνούντων *laudantium.* Jeſ. 52. 8. ירננו Symm. αἰνέσουσι. Rurſum A. Jeſ. 45. 13. &c. 54. 1. רנה αἴνεσιν.

Et proteges] In quibuſdam deſideratur copula (&) ſed perperam.

Lætabuntur] γαυριάσουσι. A. Lexic. Vet. γαῦρος, *lætus, alacer.* γαύρως *lætanter.* γαυριῶ *exulto, geſtio.*

Ut ſcuto placabilitatis] Veritas, *placabilitate.* Ordo & conſtructio; *Coronabis eum placabilitate ut ſcuto.* i. εὐδοκίᾳ.

Coronabis eum] στεφανώσεις αὐτόν. A. vult dicere, *undique cinges.*

PSAL. VI.

1. I*N canticis*] Vide quæ ſcripſimus. Pſal. 4. 1.

Super octava] Alii *ſuper octavam,* & chordam ſubintelligunt.

2. *In furore tuo*] τῷ θυμῷ σου. Lxx. Hiero. Epheſ. 5. *Furor eſt incipiens ira & fervens in animo indignatio.* Idem Ezech. 41. *Furorem, qui ſignificantius Græce* θυμὸς *appellatur, non eum dicimus, qui perturbationi & vitio proximus eſt; ſed qui mentis conſolidat mollitiem & fortiorem facit animum dimicantis.* Furor pro nimia ira poni notatur in illo Lucani: *Quis furor ô cives! quæ tanta dementia?*

In ira tua] τῇ ὀργῇ σου. Iidem. Ceterum in Pſalterio Romano hic habetur *in furore tuo,* & ibi, *in ira tua.* Quod magis quadrat cum textu Ebraico, ut אף ſit *ira,* & חמה *furor,* i. θυμὸς, quem Horatius *animum* appellat in illo: *Ira furor brevis eſt, animum rege* &c.

4. *Turbata*] Alias, *conturbata.*

6. *Recordatio tui*] ἀνάμνησίς σου. Symm.

In inferno] ἐν τῷ ᾅδῃ. Lxx.

Quis confitebitur tibi?] τίς ἐξομολογήσεταί σοι; Lxx. ſenſus eſt: *Quis laudabit te?*

7. *Laboravi in gemitu meo*] Pro eo habendum ac ſi diceret: *defeſſus ſum gemendo.*

8. *Caligavit*] Alii, *tanquam à tineis corroſus fuit.* Nam עש *tinea,* unde verbum עשש: quod etiam oſſibus tribuitur Pſal. 31. 11. Unde minus aptum videtur *caligandi* verbum.

Præ amaritudine] ἀπὸ πικρασμοῦ. Symm.

Conſumptus ſum] Secutus eſt Interpretes: nam & Senes hic habent ἐπαλαιώθην, *inveteravi,* & Aquila, μετηνέχθην, *tranſlatus ſum;* & Symm. denique ἐτριβανώθην *attritus ſum.* Omnes uſi ſunt, niſi mendum in libris, perſona prima, licet in fonte ſit tertia, *inveteravit* ſive *conſumptus eſt* nempe *oculus.*

Ab univerſis] מכל.

10. *Suſcipiet*] In aliis eſt, *ſuſcepit.*

Confundantur] αἰσχυνθείησαν. *pudeſiant, pudore afficiantur.* Sic uſurpant hoc verbum Patres Latini, Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus & alii.

Revertantur & confundantur] Iterum *confundantur.*

Subito] ἐξαίφνης, A.

PSAL. VII.

1. I*Gnoratio*] ἀγνόημα. Genus erat carminis, quod Ebraice *Siggajon* vocatur. Hinc intelliges, quid ſit Hab. 3. 1. *Pro ignorantiis.* nam in Ebræo, *Sigjonoth.* Sunt interpretes, qui hic habent ὑπὲρ ἀγνοίας, *pro ignoratione.* Vide Fragmenta. Hiero. eum ſecutus videtur, qui verterat ἀγνόημα τῷ Δαυίδ. quanquam in editis à Plantino: *Pſalmus David quem cecinit. Pſalmus,* inquam (non *ignoratio*) i. מזמור.

Chuſi] Ebraice *Chus. Chuſi* i. Æthiopis: quod in editione Aquilæ Αἰθίοπος. Sunt qui Saulem ita vocari putant, eo quod pravis moribus eſſet, juxta illud: *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.* Etiam Lxx. habent Χουσί: quos Hiero. nunc ſecutus videtur. Sed verius ut dicamus eum initio ſcripſiſſe *Chus:* quemadmodum habetur in libris à Plantino cuſis. Sic dico, *Chus* germana Hiero. ſcriptura eſt, non *Chuſi,* quæ ut credibile eſt in ejus verſionem irrepſit ex edit. τῶν ό.

Capiat] Malim *rapiat,* nam Ebraicè יטרף, ſed permutari hæc ſcias. Ergo Gen. 34. 2. ויקח idem Hiero. *& rapuit.*

Eripiat] Legitur & *eruat.*

5. *Retribuentibus mihi*] τοῖς ἀνταποδιδοῦσί μοι. Lxx. Alii, *pacem colenti mecum,* & melius. nam *retribuere* potius שלם dicitur, unde משלם *retribuens.*

Et demiſi] ואשלחה & *ſi dimiſi,* nam אם repeti poteſt ex præcedentibus. Alii rectius, *imo erui.* ſive, *quin eripui:* nam חלץ *eripio,* non *dimitto.* A. εἰ ἀνήρπασα, *ſi rapui ad pœnam.*

Vacuos] ריקם *vacue* i. *vacuos.* Sic alibi, *vacue dimiſiſti me,* i. vacuam, reperies in hiſtoria Ruth. Alii, *immerito, ſine cauſa, fruſtra,* & eſt locutio ut *hoſtis circa* i. circumvicini.

6. *In terra*] Ebraice *in terram,* & eſt ſenſus, *projiciat in terram, deinde conculcet.*

Gloriam] i. animam.

Collocet]

Collocet] Hic deſideratur *Sela*, pro quo in nonnullis exemplaribus Hiero. *ſemper*. & in Edit. Aquilæ ἀεὶ. Conſule Fragmenta.

7. *In furore tuo*] Hic rurſum אף redditur *furoris* vocabulo. Vide quæ ſcripſimus Pſal. 6. ad verſum 2.

Indignans ſuper hoſtes meos] בְּעַבְרוֹת צוֹרְרָי *in* (i. cum) *indignationibus hoſtium meorum.* Alii, *propter indignationes hoſtium meorum.* *Indignatio hoſtium* utroque verſu dicitur, ut *metus hoſtium* & quo metuuntur & quem metuunt. Sic *injuria Jacobi*, & quam facit, & quæ illi fit. Priorem ſententiam ſecutus eſt Hiero. etiam Theodotio, qui tranſtulit, ἐν θυμῷ ἐπὶ τῶν ἐχθρῶν μου, *In excandeſcentia ſuper hoſtes meos.* Vide, Fragmenta.

Conſurge] In aliis, *& conſurge*, וְקוּמָה, melior interpretatio, *& exſurge*, nam in fonte ועורה, & apud interpretes Lxx. ἐξεγέρθητι. Quidam, *& evigila.*

8. *Judicio*] ἐν κρίματι. Alii, *propter judicium.*

Congregatio] συναγωγὴ. Lxx.

Tribuum] φύλων. Vide quæ notavimus ad verſum 1. Pſalmi 2.

Circumdet te] κυκλωσάτω σε. Vide Fragmenta.

Pro eo] Alibi, *pro hac.* Sed hoc leve.

In altum] In cœlum. Sic alibi : *reſpexit nos germen ex alto.* Id lucem accipit ex illo, DOMINUS *in cælo ſedet.* Inter Græca Fragmenta reperio καὶ ἐπὶ ταύτης εἰς ὕψος ἐπίστρεψον. Hoc Hiero. mihi expreſſiſſe videtur. Nam alius habebat : καὶ ἐπάνω αὐτῆς εἰς τὸ ὕψος ὑπόστρεψον, quod aliam ſententiam continet.

9. *Judicabit*] κρινεῖ Lxx. Alius δικάζει *judicat.*

Secundum juſtitiam meam] i. juſtam meam cauſſam.

Et ſecundum ſimplicitatem meam quæ eſt in me] καὶ κατὰ τὴν ἁπλότητά μου τὴν ἐπ' ἐμοί. Symm.

Simplicitatem] Alius, *integritatem.* Alius, *innocentiam.* Santes, *perfectionem.*

Conſumatur] ἀπαρτισθήτω, Symm. Hic omiſſum נא δὴ i. *nunc* aut *quaſo*, *obſecro.*

Malum] Symm. κάκωσις i. *vexatio.*

Iniquorum] Malim, *impiorum.* Senes habent *peccatorum* ἁμαρτωλῶν, nam *peccatores & improbi* ſe mutuo explicant. Quanquam in Epiſtola Judæ Apoſtoli ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. Quidam, *conſumat nunc malum improbos.*

Et confirmetur juſtus] Melius, *& confirmes*, ſive *ſtabilias juſtum.* Quanquam ad ſententiam parum refert, hoc an illo modo legas. Videtur hic Hiero. ſecutus eſſe alios interpretes. nam A. Symm. Theod. καὶ κατευθυνεῖς δίκαιον, *& dirigis juſtus.* Sed alia verſio habet, καὶ ἱδρύσεις δίκαιον, quam potius ſequi debuiſſet; nam in omnes partes melior eſt.

Et renum] καὶ νεφρῶν.

Deus juſtus] ὁ θεὸς δίκαιος אלהים צדיק, ita dicitur ut אֱלֹהִים חַי *Deus vivus.* Jeſ. 37. 4. Conſtructio ſenſu congrua, non voce.

12. *Et fortis*] καὶ ἰσχυρὸς Lxx.

Comminans tota die] ἀπειλούμενος καθ' πᾶσαν ἡμέραν. A. Ordo & conſtructio. *Deus judex juſtus & fortis* i. *Deus comminans tota die.* Sic Pſal. 22. אֵלִי אֵלִי ἰσχυρέ μου ἰσχυρέ μου. Alii legunt, *juſtus & fortis*, quod minus ſe probat mihi fontem inducenti.

13. *Non convertenti*] Ebraice, *ſi non convertatur.*

Gladium ſuum acuet] τὴν μάχαιραν αὐτοῦ ἀκονήσει. Symm.

14. *Et in ipſo*] Melius, *& ſibi.*

Paravit] Alias, *præparavit.*

Vaſa mortis] Arma lethifera.

Ad comburendum] εἰς τὸ καίειν. Symm. Alia verſio, *Ardentibus* i. ardenter perſequentibus, melior verior eſt.

15. *Concepto dolore*] συνέλαβε πόνον. Lxx. καὶ κυήσας Alius. πόνος hic non ſignificat *dolorem* ſed *laborem*, ut vox Ebræa עָמָל *moleſtiam*, i. laborem moleſtum.

16. *Mendacium*] ψεῦδος Aquila.

Lacum] λάκκον Lxx. In veteri Gloſſario ſcriptum offendi *laccum* cum duplici *cc* quæ ſcriptura mihi non diſplicet ; nam *lacus* unica c aliud eſt. Hiero. tamen ita ſcripſit, quod alias docebo, ſi Deus permiſerit.

Aperuit] *Fodit.* ὤρυξε

In interitum] ἐν διαφθορᾷ. Alii, εἰς βόθρον, *in foveam.* Id ſequentia firmant.

Operatus eſt] Fecit.

17. *Dolor ſuus*] ὁ πόνος αὐτοῦ, quod in Lxx. reddi potius debet, *Labor ejus*; nam in Ebræo, עֲמָלוֹ *moleſtia ejus.*

18. *Confitebor* DOMINO] *Celebrabo* DOMINUM.

Et cantabo] Potius, *Et pſallam*, καὶ ψαλῶ. *cantabo* proprie אָשִׁיר.

PSAL. VIII.

1. PRo *torcularibus*] ὑπὲρ τῶν ληνῶν. Lxx. legerunt גתות hoc eſt Vau pro Joth, ex ſingulari גת *torcular.* Aliis גִּתִּית eſt *cithara Gettbæa*, vel aliquid tale.

Dominator noſter] Alii, *Domine noſter*, Ebraice eſt אֲדֹנֵינוּ terminatione plurali. ſæpe dixi, quia ſæpe dicendum eſt propter imperitos, tria eſſe nomina, videlicet *Elohim*, *Adonim*, & *Bealim*, quæ terminatione multitudinis ſenſum habent unitatis. Sic אֲדֹנָיו de rege Aſſyrio, Jeſ. 37. 4. אֲדֹנֵיכֶם de Ezechia, v. 6. Sic Mal. 1. *Si Dominus ego* i. אֲדוֹנִים.

Quam grande eſt nomen tuum] τὶ μέγα τὸ ὄνομά σου. Vide Fragmenta.

Gloriam tuam] הוד *gloria* i. δόξα. Sic interpretantur Lxx. Pſal. 21. 6.

3. *Perfeciſti laudem*] κατηρτίσω αἶνον. Lxx. Ebraice *fundaſti robur.* Quod A. dixit, ἐθεμελίωσας κράτος, i. firmam ac ſolidam laudem.

Ut quieſcat] ὥστε παῦσαι. Edit. VI.

Et ultorem] καὶ ἐκδικητὴν, in Pſalterio Gallico redditum, *& ultorem* : in Romana autem, *& defenſorem.* Eadem VI. Editio, καὶ τιμωροῦντα ἑαυτῷ *& ulciſcentem ſe.*

4. *Videbo enim*] Eadem Editio, ὁρῶ γὰρ; *video enim.*

Cælos tuos] τοὺς οὐρανούς σου. Theod.

Quæ fundaſti] ἃ ἐθεμελίωσας. Lxx. Aquila, ἡτοίμασας *præparaſti*, vel potius, *firmaſti.* Sic alibi, ἕτοιμος ὁ θρόνος σου, *firmum ſolium tuum.* VI. Edit. ἥδρασας, *ſtabiliviſti.*

5. *Quid eſt homo*] τί ἐστιν ἄνθρωπος; Lxx.

Quoniam recordaris ejus] ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ.

Aut filius hominis] ἢ υἱὸς ἀνθρώπου, &c. ut in Lxx.

6. *Minues*] ἠλαττώσας. Melius alii ex Ebræo : *Et deficere feciſti.*

Paulo minus à Deo] βραχύτι παρὰ θεόν. Theod. & V. Edit. Alius: ὀλίγον παρὰ θεὸν, *parum à Deo.* Prius erat in Lxx. παρ' ἀγγέλους, *ab angelis.*

7. *Dabis ei poteſtatem ſuper opera manuum tuarum*] ἐξουσιάζειν ἐποίησας αὐτὸν τῶν ἔργων τῶν χειρῶν σου, *feciſti ut poteſtatem haberet*, ſive, *dediſti ei poteſtatem in opera manuum tuarum.* Vide Fragmenta.

8. *Armenta*] Sic etiam Tremellius & Arias. Alii, *boves*, ut Lxx. Santes & R. David.

Animalia] Sic etiam Arias. Alii, *beſtias*, alii, *pecora.*

Agri] i. ἄγρια, *agreſtia.*

Ponti] Ebraice, *marium.*

PSAL. IX.

1. SUper *morte filii*] ὑπὲρ θανάτου τοῦ υἱοῦ. Symm.

Canticum David] ᾆσμα τοῦ Δαυίδ. idem.

3. *Confitebor*] ἐξομολογήσομαι i. *celebrabo*, *laudabo.*

Et gaudebo] καὶ γαυριάσω. A. Symm.

Canam nomini tuo altiſſime] ᾄσω τῷ ὀνόματί σου ὕψιστε. Symm.

4. *Cum ceciderint*] Melius alii, *cum reverſi fuerint.* nam שוב *revertor*, non *cado.*

5. *Judex juſtitiæ*] i. Juſtus. Alii, *judicans juſtitiam.* Sic Græci, ὁ κρίνων δικαιοσύνην. Verba Ebræa ambigua ſunt ad utramque interpretationem.

6. *Increpaſti*] Profligaſti.

Periit impius] Verior interpretatio, *perdidiſti impium.* i. ἀπώλεσας. Adi ſis ad Fragmenta. Forte Hiero. legit אבד הרשע hoc eſt ה pro ת. nam in Ebræo, אִבַּדְתָּ רָשָׁע.

Et jugiter] Proverb. 29. 13. לָעַד. Symm. εἰς ἀεί. Sed ἀεὶ, *ſemper*, *jugiter* i. διηνεκῶς, *continue.*

7. *Inimici*] τοῦ ἐχθροῦ Lxx. Alii, ὁ *inimice.*

Solitudines] ἔρημα. A. Alius, *gladii*, i. αἱ ῥομφαῖαι חֳרָבוֹת. Vide Quæſtiones meas.

In finem] εἰς τέλος. Id valet, *in ſempiternum*, ſive *in æternum.* Quod in Editionibus nuperis. Quanquam Santes, *in ſeculum.*

Cum ipſis] σὺν αὐτοῖς. Vide Fragmenta.

8. *Sedebit*] καθήσεται.

Stabilivit] ἥδρασεν. Aq. Symm.

Ad judicandum] לַמִּשְׁפָּט *ad judicandum*, ut Jeſ. 37. 3. לְלֵדָה *ad pariendum.* & alibi, לְמִשְׂרָה *ad dominandum.* Verbum è verbo, *ad judicium.*

10. *Elevatio*] Sic etiam Santes Pſ. 18. 3. Hic vertit *exaltatio.* Quidam, *Editus locus.* Alius, *arx ſublimis.* Satis erat *arx*, quæ defi-

definitur à Pediano, *editus in civitate & munitior ad ſalutem civium locus.*

Oppreſſo] τῷ ἐπιτεθλιμμένῳ *contrito, attrito.* τεθλασμένῳ *fracto, contuſo.* Pſ. 10.18. דך idem Hieron. *oppreſſus.* Alius τεθλασμένος.

Oportuna] לעתות *in oportunitatibus*, i. oportuna. Ex Symmacho hic laudatur εὐκαίρως i. *oportune*, niſi legendum, ἐν καιροῖς, pro quo in Lxx. ἐν εὐκαιρίαις. Sed ἐν εὐκαιρίᾳ videtur legiſſe Clemens Strom. 6.

11. *Et confident*] καὶ πεποιθήσουσι. A.

Habitatori Sion] *Habitans Sion* i. habitator. Lxx. τῷ κατοικοῦντι ἐν Σιὼν, *habitanti in Sion.* Alius τῷ καθημένῳ *ſedenti, habitanti.*

Cogitationes ejus] Alii, *actiones.* Alii, *molitiones.* Sed *cogitationes* vertit idem Hieron. Sophon. 3. 7. *adinventiones* v. 11. A. hoc loco ἐπιτηδεύματα. Symm. μηχανάς. Alius, μηχανήματα.

13. *Requirens ſanguinem*] Alibi, *quærens.*

Eorum recordatus eſt] Conſtructio ſenſu congrua, non voce; nam pronomen *Eorum* referri debet ad *ſanguinem.* Quod nomen hic in Ebræo plurale eſt, *requirens ſanguines* (vel, ſi mavis, *cruores*) *eorum recordatur.* Santes, *Quærens ſanguinem, ejus recordatur.* Quid, ſi pronomen referatur ad *pauperes*, de quibus mox?

Clamoris] κραυγῆς. Sic eſt in Pſalterio Gallico. Nam in Rom. δεήσεως *deprecationis.*

Pauperum] τῶν πενήτων.

15. *Laudes tuas*] Omnes laudes tuas.

In ſalutari tuo] ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ σου, quod idem cum illo, *in ſalute tua.*

16. *In interitu*] ἐν διαφθορᾷ. Vide Pſ. 7. 16. Innuit autem foveam à fine, nam interitum adfert iis, qui cadunt in eam.

17. *Agnitus eſt DOMINUS judicium faciens*] ἐγνώσθη κύριος κρίματα ποιῶν i. עשה aliis vocalibus.

Corruit] Pſ. 38. 13. ינקשו. Idem Hier. *& irruebant.* Alii, *irretitus eſt.*

Impius] Sequitur in aliis, *meditatione ſemper*: pro quo in Edit. Aquilæ, ᾠδὴ ἀεί. in Symmachi vero, μέλος διάψαλμα.

18. *In infernum*] εἰς τὸν ᾅδην. Lxx.

Quæ oblitæ ſunt] In aliis, *quæ obliviſcuntur.*

19. *In æternum*] Id ſupra dixit, *in finem.*

Oblivioni erit] ἐπιλησθήσεται.

Pauper] ὁ πτωχός. Lxx.

Expectatio] ἡ προσδοκία.

Pauperum] τῶν πενήτων. Lxx. Alii, πραέων, *mitium, manſuetorum.* Vide Fragmenta.

Pone DOMINE terrorem eis] θὲς κύριε φόβημα αὐτοῖς. A.

PSAL. X.

A *longe*] ברחוק.

Deſpicis] ὑπεροςᾷς, Lxx. Alii, *abſcondis*, & ſubintelligunt oculos, aut aliquid tale.

In temporibus anguſtiæ] ἐν καιροῖς θλίψεως. Symm.

In ſuperbia] *Propter ſuperbiam.*

2. *Ardet*] καίεται, A. φλέγεται, Symm. Alii, *ſuperbia impius ardet* i. ardenter perſequitur pauperem. Verbum pro verbo; *in ſuperbia impii*, & eſt antiptoſis, ut, *de fructu oris viri* i. vir *veſcitur bono.* Quidam explicant, *propter ſuperbiam.* Alii, *præ ſuperbia.*

In ſceleribus] Confundit מזמה cum זמה. Sic Pſ. 139. 20. למזמה idem, *ſcelerate.* Alii, *in cogitationibus*, & melius.

3. *Laudavit*] ᾔνεσεν, aut ὕμνησεν.

Deſiderium animæ ſuæ] πόθον ψυχῆς αὐτοῦ. Alius, ἐπὶ πόθῳ *de deſiderio.*

Et laudat ſe] i. gloriatur.

Avarus] πλεονέκτης.

Applaudens ſibi] εὐλογήσας. Alii, *Avaro benedicit* i. bene precatur.

Blaſphemavit] Sic interpretantur verbum נאץ Pſal. 74. 10. Jeſ. 37. 3. & alibi. Idem 2 Sam. 12. 14. נאצת vertit, *blaſphemare feciſti.* Alii aliter. Nam Aquila hoc loco διέσυρε, *obtrectavit*, & alius, παρώξυνε, *irritavit, acerbavit.* Mercerus, *Hoc verbum in Kal eſt averſari, in Piel vero, irritare.*

4. *Impius*] ἀσεβής.

Secundum altitudinem furoris ſui] κατὰ μετεωρισμὸν θυμοῦ αὐτοῦ.

Non requiret] οὐ μὴ ἐκζητήσει.

Nec Deus in omnibus cogitationibus ejus] οὐδὲ θεὸς ἐν πάσαις ἐννοίαις αὐτοῦ. Alii, *non eſſe Deum, omnes cogitationes ejus.* Eodem recidit.

5. *Parturiunt*] ὠδινοῦσι. Ita Senes Hab. 3. 10. & eſt ſenſus; *vehementi dolore cruciantur inſtar parturientis.* Viæ dolent, quia dolore afficiunt alios. Sic, *Pallida mors*: nam pallidos homines reddit.

Viæ ejus] Actiones ejus.

Longe ſunt] Imo, *alta ſunt.* ad verbum, *altitudo.* Senſus idem; nam quæ alta, eadem *longe* à nobis abſunt.

A facie ejus] Alius, *à conſpectu ejus.* Ad verbum, *à coram eo.*

Deſpicit] deflat in eos. i. deſpicit. Adi, ſis, ad Quæſtiones meas.

6. *Ero ſine malo*] *Qui non in malo*, ſub. ſum aut ero. Quidam pro *qui* ſubſtituunt *quia.* Santes, *Quia non eveniet mihi malum.* Symm. *Neque in malis ero.*

7. *Avaritia*] Fraudulentia. *ſine fraude*, alii, & melius.

Dolor] Imo *labor.* Nam πόνος ad utrumque ambiguum eſt. Vox autem Ebræa *laborem*, non *dolorem* deſignat. Græci Lxx. hic habent κόπος καὶ πόνος.

Sedet inſidians juxta veſtibula] ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλάς; Symm. Verbum è verbo: *Sedet in inſidiis veſtibulorum, atriorum.*

Interficit] Libri alii, *ut interficiat.* Symm. ἐν ἀποκρύφοις ἀποκτεῖναι ἀναίτιον. Lxx. τοῦ ἀποκτεῖναι. Vid. Fragm.

Robuſtos tuos] Alibi, *robuſtos* tantum. חל *robuſtus*, ut עד *teſtis.* Durum hoc in oculis meis. Uſitate ſignificat *robur*, item *exercitum*, & quandoque *populum*: ut poſſis vertere חלכה *in populum tuum.*

10. *Viribus ſuis*] Alii, *validis ſuis*, & ſubaud. *membris.*

Valenter] Partim interpretum, *in turbam attritorum*: ut ſit nomen compoſitum ex חל *populus, turba* & כאים *attriti.* *Valenter* i. בעז aut בחזקה. Vetus editio, ἐμπεσεῖται αὐτὸς μετὰ τῶν ἰσχυρῶν αὐτοῦ τοὺς ἀσθενεῖς. Apparet eſſe Symm.

Confractum ſubjiciet] Melius, *atteret ſe, deprimet.* Alius, ὁ δὲ θλασθεὶς καμφθήσεται. *Fractus incurvabitur.*

12. *Leva manum tuam*] ἔπαρον τὴν χεῖρά σου. ex Fragm.

13. *Blaſphemat*] נאץ ut ſupra v. 3. Alii, *irritat.*

Dicens] אמר.

14. *Laborem*] πόνον, Lxx. μόχθον, Symm. πόνον etiam laudatur ex Edit. Aquilæ.

Furorem] θυμὸν, Lxx. Quanquam in utroque Pſalterio tam Gallico, quam Latino, *dolorem.*

Reſpicis] ἐπιβλέπεις. A.

Ut detur] Alii, *ut ponas.*

Tibi relinquuntur] Ebraice, *ſuper te relinquunt.*

Fortes tui] ſupra *robuſtos tuos* v. 8. Vide quæ ſcripſimus ad illum locum.

Tu es factus] σὺ ἐγένου.

17. *Pauperum*] τῶν πενήτων, Lxx. Alii, *manſuetorum*, & melius: nam eſt ענוים in Ebræo, non עניים.

Ut audiat] Alii, *attendat.*

18. *Nequaquam ultra ſuperbiat*] Ebraice, *non addet amplius terrere.* Jeſ. 13. 11. עריצים. Lxx. ὑπερηφάνων, *ſuperborum.* Iidem hic habent μεγαλαυχεῖν, *magnificare ſe.*

PSAL. XI.

1. D*Avid*] τῷ Δαυὶδ, & ſubintelligitur Pſalmus. Latine, *Davidis.*

Ut avis] כמו צפור. Vox Ebræa etiam *paſſerem* ſignificat: unde in Lxx. ὡς στρουθίον. Quanquam reddi poſſet *ut avis.* Nam στρουθίον aliquando latius accipitur. Vide Caſtigationes meas in Tobiam. Ebraice, *in montem veſtrum avis*; Plenum eſt, *ut avis.* Simile: *Nec excitatur claſſico miles gravi.* ut miles.

2. *Poſuerunt*] Aptarunt.

Sagittam ſuam] i. *ſagittas ſuas.* A. & Symm. ἡτοίμασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευράν.

Ut ſagittent] τοῦ κατατοξεῦσαι. Lxx.

In abſcondito] Melius, *in caligine.* Symm. ὡς ἐν ζόφῳ.

3. *Leges*] *Fundamenta* i. leges. Nam legibus fundantur urbes. Quidam *retia.* Porro ſecutus eſt Symmachum, qui hic edidit, οἱ θεσμοί. Nam in Aquila prius erat, οἱ θεμέλιοι i. *fundamenta.*

Diſſipata ſunt] κατελύθησαν. Symm.

Quid operatus eſt] τί κατηργάσατο, A.

5. *Odit anima ejus*] Odit ex animo.

6. *Super peccatores*] ἐπὶ ἁμαρτωλούς. Lxx.

7. *Juſtitias*] i. Juſtos.

Facies

Faciet eorum] τὸ πρόσωπον αὐτῶν. Alii, *facies ejus*, videlicet *Dei*.

Juſtum probat] δίκαιον δοκιμάζῃ. S.

Odit anima ejus] ἐμίσησεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ.

Diligentem iniquitatem] τὸν ἀγαπῶντα ἀδικίαν. Quidam, ὁ ἀγαπῶν ἀδικίαν μισεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

P S A L. XII.

1. PRo *octava*] ὑπὲρ τῆς ὀγδόης. Lxx.

2. *Defecit*] ἐκλέλοιπεν.

Sanctus] ὅσιος i. *pius*.

3. *Fideles*] πιστοί.

Fruſtra] שָׁוְא pro לַשָּׁוְא, ut alibi בֶּטַח pro לָבֶטַח *ſecure*.

In corde & corde] i. duplici corde.

Locuti ſunt] Alias *loquentur*.

Labium ſubdolum] χεῖλος δόλιον.

Labia doloſa] χείλη δόλια.

4. *Labia noſtra nobiſcum ſunt, quis Dominus noſter eſt*] τὰ χείλη ἡμῶν πάρεσιν ἡμῖν, τίς δεσπότης ἡμῶν; Aquila.

6. *Propter vaſtitatem*] ἀπὸ προνομῆς.

Inopum] πενήτων. idem.

Et gemitum] Ebraice, *ob gemitum*, quod in Lxx. καὶ ἀπὸ στεναγμοῦ. Aqu. ἀπὸ οἰμωγῆς. Symm. διὰ οἰμωγήν. *Propter ejulatum*. Placet autem præ ceteris, *ob gemitum*. Quanquam in Sante, *propter clamorem*.

Pauperum] πτωχῶν. A.

Ponam in ſalutari] θήσομαι ἐν σωτηρίῳ. Quod pro eo habendum ac ſi dixiſſent, ἐν σωτηρίᾳ, *in ſalute*.

Auxilium eorum] Quid vidit cum ita verteret? Nam in fonte, יָפִיחַ לוֹ quod alii explicant; *ab eo, qui illaqueat eum*. Alii, *Ab eo, qui deflat eum* i. putat ſe flatu poſſe dejicere ac proſternere, & *eum*, i. unumquemque eorum pauperum. Alii denique, *eum, qui ſibi*, vel *apud ſe, loquitur*. Nempe id quod mox ſequitur. Hanc poſtremam interpretationem invenies in Commentariis Abenezræ.

7. *Igne probatum*] πεπυρωμένον. Lxx.

Separatum à terra] i. à terreſtri materia, quæ in argento è terra effoſſo eſſe ſolet. Aquila hic habet, χωρῶν τῇ γῇ, quod poſſis vertere, *remotum à terra* i. ἀναχωρῶν vel ἀποχωρῶν. Sed nihil affirmo. In Edit. Rom. χωρῶν τῇ γῇ διυλισμένον. quod ibi redditur, *permeans in terra defæcatum*. Chryſoſtomus, *Ebræus*, inquit, *habet* τὸ ῥέον ἐν τῇ γῇ, *fluens in terra*.

Colatum] διυλισμένον. A.

Septuplum] ἑπταπλασίως. Lxx.

8. *Cuſtodies ea*] φυλάξεις αὐτά. Melius alii, αὐτούς, i. *eos*. Vide Fragmenta.

Servabis nos] תִּצְּרֶנּוּ quod nunc legunt & ſcribunt תִּצְּרֶנּוּ *ſervabis eum*. i. *quemlibet eorum*.

A generatione hac] Ab hoc genere hominum.

9. *Ambulant*] Malim *obambulant*. In quibuſdam libris ambulabunt i. περιπατήσουσι. Vide Fragmenta.

Cum exaltati fuerint] ὅταν ὑψωθῶσιν.

Viliſſimi filiorum hominum] οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. Verbum è verbo, *Vilitates filiorum hominum*.

P S A L. XIII.

2. OBliviſceris mei] ἐπιλανθάνῃ μου. In aliis præcedit DOMINE, quod in Lxx & in Ebræo nomen eſt, quod vocant Joth, He, Vau, He, ſive Tetragrammaton.

Penitus] πάλιν. Vide Fragmenta.

Abſcondes faciem tuam à me] Ei æquipollet, *non reſpicis me*. Vult dicere; non es mihi propitius.

Abſcondes] κρύψεις, A. Theod. Symm.

3. *Ponam conſilia*] θήσομαι βουλάς, Lxx.

Dolorem] Alii, *mærorem*.

Per diem] ἡμέρας. A. Theod. Ceterum in Lxx. hodie ὀδύνας, *dolores*: Sed in Pſalterio tam Gallico quam Rom. *dolorem* i. ὀδύνην. Aquila vero ac Theodotio ut Lxx.

4. *Convertere*] שׁוּבָה. Melius οἱ ὁ. ἐπίβλεψον. Nam in fonte הַבִּיטָה *aſpice, reſpice, intuere*.

Ne unquam obdormiam in morte] μήποτε ὑπνώσω εἰς θάνατον. Lxx. Senſus eſt; ne quando moriar, μήποτε melius redditur, *ne quando*.

6. *In miſericordia tua*] ἐπὶ τῷ ἐλέει σου. Lxx. *In ſalutari tuo*, ἐν τῷ σωτηρίῳ σου.

Qui reddidit mihi] Quid reddidit? Nam, *bonum meum*, inquit alibi, *nequaquam ad te*. Melius Lxx. τῷ εὐεργετήσαντί με, *qui benefecit mihi*. Quanquam verbum גָּמַל ad utrumque ambiguum ſit.

P S A L. XIV.

1. STultus] ἄφρων. Lxx.

Corrupti ſunt] διεφθάρησαν, Iidem.

Abominabiles facti ſunt] ἐβδελύχθησαν. Iidem.

Studioſe] *In ſtudiis* i. ſtudioſe. Quod Græce legitur in Edit. Rom. ἐν ἐπιτηδεύμασιν. Quanquam in Pſalteriis Gallico & Rom. *In voluntatibus ſuis*. Sunt etiam, qui hoc cum ſequentibus connectunt; *Studioſe non eſt qui faciat bonum*. Editio, qua uſus ſum, *Et abominabiles facti ſunt*, cum copula, quæ abeſt in cuſis à Plantino & in Ebræo; legitur autem in utroque Pſalterio memorato, unde, ut credibile eſt, irrepſit in Verſionem Hieron.

2. *Si eſt*, An eſt. Sic in Latio, *Si domi eſt rogas*.

Requirens] In aliis, *aut requirens*. Quod huc tranſlatum ex Edit. τῶν ὁ. Vide, ſi placet.

3. *Conglutinati ſunt*] Nove interpretatur נֶאֱלָחוּ *conglutinati ſunt*, ut ſit verbum à glutine deductum, quod in Lingua Arabica *Alach* dicitur. Apud Sylvaticum reperio *Alach*. *Alacum & Alulech, gluten*. Quæramus amplius. Stephanus Arabicarum vocum collector, *Gon, colla* i. gluten, ſive glutinum: *Alac & Alacum, idem*.

Non eſt uſque ad unum] Latine, *ne unus quidem*. Male quidam exponunt: *uſque ad unum Chriſtum*. Non ea mens Davidis.

4. *Cognoſcent*] יֵדְעוּ, quod nunc legunt יָדְעוּ *cognoverunt*.

Populum meum] Pauperes populi mei.

Ut cibum panis] כְּאָכְלוּ לֶחֶם In Pſalteriis Gallico & Romano; *ſicut eſcam panis*. *Cibum*, legitur in Auguſtino. Græce eſt in Edit. Rom. βρώσει ἄρτου. Ex ex Symm. citatum invenio ὡσεὶ ἄρτον. Nunc legunt אָכְלוּ quod reddunt; *ac ſi comederent panem*. Sententia in idem recidit. Ferme exciderat, ubi Hieron. *Nonne cognoſcent*, ibi Symm. antea ediderat μὴ γνώσονται; videtur ergo hunc ſecutus eſſe: nam in Aquilæ, μὴ οὐκ ἐπέγνωσαν; *Nunquid non cognoverunt*.

5. *Ibi*] Tunc. ut apud Terentium: *Ibi homo cœpit me obſecrare*.

Timebunt] Ebraice, *timuerunt*.

6. *In generatione juſta*] Pro genere hominum juſto.

Confudiſtis] κατῃσχύνατε, *pudore affeciſtis*.

Salutare] τὸ σωτήριον, i. ſalutem.

Captivitatem] Captivos.

Exultabit & lætabitur] ἀγαλλιάσεται καὶ εὐφρανθήσεται. In aliis codicibus abeſt copula, ut etiam in Ebræo.

P S A L. XV.

1. QUis peregrinabitur] τίς παροικήσει. Lxx. Id in Pſalteriis Gallico & Rom. redditum, *Quis habitabit?* Sed apud Auguſtinum legitur, *Quis peregrinabitur?* & eſt ſenſus: Quis habitabit ut peregrinus & advena?

Habitabit?] κατασκηνώσει, *Figet tabernaculum*.

2. *Qui ingreditur ſine macula*] Melius, *ambulans integer* i. integre. Quale illud, *matutinus agebat* i. mane.

Sine macula] ἄμωμος. Lxx.

Et operatur juſtitiam] καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην. Vult dicere; qui facit opera juſtitiæ.

In corde ſuo] ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. Quid ſi; *ex corde ſuo*: ut ſenſus ſit; *ex animo, bona fide*, non ficte aut ſimulate.

3. *Qui non eſt facilis in lingua ſua*] לֹא רָגַל. *Non eſt facilis*. i. promptus, velox, præceps. Id enim רגל ſignificat in Lingua Chaldæorum, ubi eſt interpretamentum קְּחִיר זְרִיז *feſting*. Pſal. 45. Vide Theſbiten Eliæ.

Amico ſuo] Alteri. Hinc intelligentiam habet; *Diliges amicum tuum*. & fruſtra ſunt, qui ex eo concludunt; *Odio habete inimicos veſtros*. Hanc falſam & Phariſaicam interpretationem Chriſtus olim refutavit. Pro *amico ſuo* alii habent, *proximo ſuo*: Alii, *ſocio ſuo*. Eodem recidit.

Non ſuſtinuit] Alii, *non tulit*: alii, *non accepit*. Sic Græci Lxx. οὐκ ἔλαβεν, לֹא נָשָׂא.

Super vicino ſuo] Melius alii, *contra proximum*, aut, *propinquum ſuum*. קָרוֹב *proximus* uſurpatur de propinquitate loci, temporis & ſanguinis. Hic idem valet quod *alter*, ſive, *alius quivis*. Vicinus autem proprie שָׁכֵן dicitur.

4. *Oculis*

4. *Oculis ejus*] Libri alii, *in oculis ejus*. Latine hoc diceremus, judicio ejus.

Improbus] Quidam; *Deſpicabilis eſt in oculis ſuis, abominabilis*. Se nihili facit, alios contra æſtimat & in precio habet.

Glorificat] Honorat. Plantini codex, *glorificabit*.

Jurat ut ſe affligat] Prius A. Theodotioque, τῷ κακῶσαι, *ut ſe vexet*, ut affligat. Alius; *ut ſibi malo ſit*; i. damno ac fraudi. Symm. nove interpretatur, ὀμόσας ἑταῖρος εἶναι, *jurans amicus eſſe*. Quæ ſignificatio in voce רע *ſocius, amicus*.

5. *Pecuniam ſuam*] Bene ita reddit כֶּסֶף, quod de quavis pecunia dicitur, ut Græce ἀργύριον.

Non accepit] Ita legendum potius, quam ut in quibuſdam; *non accipit*: quanquam & hoc ſe tueri poſſet.

PSAL. XVI.

1. *Humilis & ſimplicis*] ταπεινόφρονος καὶ ἀπλοῦ. A. מך *humilis*, תם *ſimplicis*. Sive, ut eſt in Symm. ἀμώμου *immaculati*. Supra תָּמִים Hieron. *ſine macula*.

David] i. τῷ Δαυὶδ, vel juxta ceteros interpretes τοῦ Δαυὶδ i. *Davidis*.

Dicens] Alibi, *Dixi*. ut Græce in Lxx. εἶπα. Forte legit, אָמַרְתִּי, quod nunc in Ebræo אָמַרְתְּ *dixiſti*. Subint. autem *anima mea*: Nam eſt verbum fœmininum. *Dixiſti anima mea*, idem cum illo, ego dixi.

Bene mihi non eſt ſine te] ἀγαθόν μου οὐκ ἔστιν ἄνευ σοῦ. Symmachus.

3. *Sanctis*] τοῖς ἁγίοις. Alibi *ſanctus* eſt ὅσιος i. *pius*.

Magnificis] אדירי pro אדירים. A. ὑπερμεγέθεσί μου אדירי. Supra Pſal. 8. 1. מה אדיר Hieron. *Quam grande eſt*. Symm. hic, εἰς τοὺς μεγάλους.

4. *Poſt tergum ſequentium*] Quid legit, cum ita transferret? Agnoſco אחר pro אחר. Paulo aliter Theod. nam interpretatur εἰς τὰ ὀπίσω ἐτάχυναν, *retro feſtinarunt*, i. אָחֵר aliis vocalibus. Idem edidit, ἐπληθύνθησαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν, *multiplicata ſunt idola eorum*.

Non libabo libamina eorum de ſanguine] οὐ μὴ συνάξω συναγωγὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων. A. אחר מהרו. Symm. ἀκολουθοῦσι ταχέως: *ſequentes cito*. Theodorus Antiochenus huic tribuit Theodotionis interpretamentum, de quo ſupra.

Multiplicabuntur] πληθυνθήσονται. A.

5. *Pars hæreditatis meæ*] Alii, *portio partis meæ*. Sed etiam Lxx. habent μερὶς τῆς κληρονομίας μου. Jam vero *pars* & *hæreditas* ſe invicem explicant. Quanquam ſimul leguntur *pars* & *hæreditas*. Hæc proprie נחלה dicitur, illa חלק.

Calicis mei] Vel, *calix meus*.

Poſſeſſor ſortis meæ] Tenens ſortem meam. i. poſſeſſor ſortis meæ. Hinc *poſſeſſio* Ebraice אחזה dicitur, & Græce κατοχὴ *detentio* aut *retentio*. Alii, *ſuſtentans ſortem meam*.

6. *Lineæ*] Funiculi, quibus utuntur in dividendis agris. Alii, *funes*. Santes, *hæreditates*.

In pulcherrimis] ſubint. locis, aut agris; Alius, *in amœnis*: Alius, in *jocundis*.

Specioſiſſima mea eſt] Verbum è verbo, *pulchruit ſuper me*. Id alii explicant, *ſpecioſa eſt mihi*: Alii, *elegans eſt pro me*. Plane hoc dicit; hæreditas perpulchra obtigit mihi: Senſum explicat; nam ante obſcurius idem dixerat: *Lineæ in pulcherrimis ceciderunt mihi*. Quæ locutio ſumpta eſt ab antiqua conſuetudine agros dividendi per funiculos.

7. *Benedicam Dominum*] εὐλογήσω τὸν κύριον. De hoc verbo Laurentius: *Nec Benedico invenitur, licet eo Priſcianus utatur, & hoc tempore utamur more Græcorum, quorum auctoritate dedimus huic verbo accuſativum præter naturam ſuam, quum poſtulet dativum, ſicut maledico: quod & ipſum nunc ad imitationem Græcorum habet etiam aliquando accuſativum*. Cum pace Laurentii, ante hæc tempora ita locuti ſunt patres, etiam interpres Aſclepii, apud Apulejum.

8. *Propoſui*] Poſui.

Semper] *Jugiter*.

A dexteris meis] ἐκ δεξιῶν μου. Lxx. Hic notabis, δεξιαὶ dici de una dextera, quem Helleniſmum Hieron. retinuit: nam in Ebræo מִימִינִי *à dextera mea*.

Ne commovear] ἵνα μὴ σαλευθῶ. Lxx. *Non emovebor*, Alii.

9. *Gloria mea*] i. anima mea.

Caro mea] Corpus meum.

Confidenter] Secure. Pro *gloria mea* Lxx. habent ἡ γλῶσσά μου. unde interpretes viri docti colligunt: *gloria* vocabulo linguam aliquando ſignificari. Mihi aliter videtur. Fruatur quiſque judicio ſuo.

10. *Animam meam*] τὴν ψυχήν μου. Gallice, *ma perſonne*.

In inferno] εἰς ᾅδην, Lxx. *In ſepulchro*, Santes & alii.

Sanctum tuum] τὸν ὅσιόν σου. i. *pium tuum*. Qui videlic. te pie ac religioſe colit. Alii, *benignum tuum*.

Videre corruptionem] ἰδεῖν διαφθοράν, Lxx. i. *corrumpi*. Vox Ebræa etiam foveam denotat: unde in quadam Edit. *videre foveam*. Quod verum non eſt, niſi *videre foveam* exponas, in ea corrumpi & conſumi.

11. *Plenitudinem lætitiarum*] Alii, *ſatias lætitiarum*. A. Theod. πλησμονὴ εὐφροσυνῶν. Symm. ἐπλα εὐφροσύνας i. שִׂבְעָ, aliis punctis.

Plenitudinem] Satietatem. Sic, *Plenus dierum* & *ſatur dierum*. Sic Jeſ. 1. 11. שָׂבַעְתִּי. A. Symmach. ἐμπέπλησμαι. Lxx. πλήρης εἰμι. Hier. *Plenus ſum*. Santes, *Satur ſum*.

Ante vultum tuum] Prius erat in Lxx. μετὰ προσώπου σου, *cum vultu tuo*. Quod Symm. ſuo more manifeſtius dixit: παρὰ τῷ προσώπῳ σου, *apud vultum tuum*. Ex nuperis interpretibus unus habet; *ante faciem tuam*.

Decores] Alii, *Jocunditates*, & in Lxx. τερπνότητες, *delectationes*.

Æternos] ad verbum, *in æternum*. Aut ordo & conſtructio: *in dextera tua decores æternitatis*. i. æternos.

PSAL. XVII.

1. *David*] τοῦ Δαυίδ. Lxx.

Deus] Malim, *Domine*: nam in Ebræo יהוה, & apud alios interpretes κύριε.

Juſtum] δίκαιον, A. Scholion, δίκαιον ἀντὶ τοῦ δικαίως, i. *juſte*. In Edit. Rom. ex Hiero. citatur, *Audi DOMINE juſtitiam*. Theodot. & Symm. κύριε δικαιοσύνης, *Domine juſtitiæ*. i. juſte. Supra, *Deus juſtitiæ meæ*, i. juſtæ meæ cauſæ. Quo accommodari poſſet interpretamentum Aquilæ, ut ſit τὸ δίκαιον *juſtitia*. i. δικαιοσύνη. Sed novum non eſt, ut צֶדֶק exponatur δίκαιος: ad quod exemplum pertinent אֶרֶךְ *longus*, כָּבֵד *gravis*, יָתֵר περισσός. סָכָל *ſtultus*, & alia ejus generis. Sane Coheleth. 3. 16. מְקוֹם הַצֶּדֶק Lxx. interpretantur τόπον δικαίου. Sic in libro Nom. *Sedecias*, *juſtus DOMINI*: *Melech ſedec*, *rex juſtus*. i. βασιλεὺς δίκαιος. Quomodo Joſephus Ant. hiſt. lib. 1. cap. 18. Clemens Strom. lib. 4. Sed & Jonathan retulit מלכא צדיקא Gen. 14. 18.

Intende deprecationem meam] Idem habetur in Pſalterio Gallico. Græce eſt πρόσχες τῇ δεήσει μου. quod redditum in Romano, *intende deprecationi meæ*, melius & rectius. Subintelligitur autem *aures* aut *animum*. A. Edit. αἰνέσει μου, i. *laudi meæ*, vel certe, ad *laudem meam*. San. *clamori meo*.

Auribus percipe] ἐνώτισαι.

Abſque labiis mendacibus] Libri alii, *abſque labiis mendacii* i. doli. Nam & in fonte מִרְמָה & in Edit. τοῖς δολίοις i. *doloſis*. Sic *mentiri* pro fallere uſurpatur. Alioqui, *mendacium* שֶׁקֶר & כָּזָב dicitur.

2. *De vultu tuo*] ἐκ προσώπου σου, Lxx. Eſt cur malim, *à conſpectu tuo*. Quanquam in Sante, *à facie tua*, מפניך.

Prodeat] ἐξέλθοι, Lxx.

Æquitates] εὐθύτητας.

4. *In opera hominum*] Legitur & *in opere hominum*. Sed *in opera* quidam emendant, *quoad opera*.

Propter verba labiorum tuorum] Partim codicum, *propter verbum labiorum tuorum*. Quæ ſcriptura convenit cum veritate Ebraica. Prior ex Græca Edit. manavit, διὰ τοὺς λόγους, &c.

Vias latronis] Sic vocem פריץ interpretatur Hiero. Ezech. 18. & Jerem. 7. Ubi Lxx. σπήλαιον λῃστῶν, *ſpelunca latronum*. Symm. heic habet, ὁδοὺς παραβάτου.

5. *In callibus tuis*] Alii in orbitis tuis.

Et non labantur] Lectio varians, *& non labentur*. Lxx. ἵνα μὴ σαλευθῇ; *ut non dimoveantur*.

Veſtigia mea] Santes & alii, *pedes mei*. Sic etiam interpres Chaldæus. Sed Jeſ. 26. 6. פַּעֲמֵי דַלִּים Tremellius, *Veſtigia tenuium*. Hiero. *greſſus*. Lxx. πόδες.

6. *Mirabilem fac miſericordiam tuam*] An legit חסדך? Nam hodie in Ebræo חסדיך, quod etiam Senes legerunt, vertunt enim certe, θαυμάστωσον τὰ ἐλέη σου: *mirabiles fac miſericordias tuas*.

A reſiſtentibus dextera tua] ἐκ τῶν ἀνθεστηκότων τῇ δεξιᾷ σου Lxx.

Sperantium] *ſperantium in te*, i. piorum.

8. *Intus in oculo*] בת *intus*. Sic בית uſurpatur in lingua ſapientum: unde מבית *intrinſecus*.

Pro-

Protege me] σκεπάσεις με, Lxx. Id ſonat, *proteges me.* Sed in Pſalteriis Gallico & Romano, *protege me.* Ebraice eſt, *abſcondes me.*

9. *A facie impiorum*] Propter impios.

Vaſtantium me] Ebraice, *qui vaſtarunt me.*

Animam meam circumdederunt] Verbum è verbo, *in anima circumdederunt me*; & eſt ſenſus; propter animam: vult dicere; ad tollendum animam meam. Quidam; *hoſtes mei in animam* i. capitales. Notum ut *anima* pro vita ponatur.

Adipe ſuo concluſerunt] Delevi copulam, quæ in codice à Fabro edito. Symm. τῷ στέατι αὐτῶν ἀπεφράγησαν, *Adipe ſuo obſtruxerunt.* In Edit. Rom. *concluſi ſunt*, *vel concluſerunt.*

Et ore ſuo locuti ſunt] Etiam heic abeſt copula in Ebræo. *Ore ſuo* i. בְּפִימוֹ. Quod ſi accentus non obſtaret, vertendum putarem; *concluſerunt os ſuum.*

Superbe] *In ſuperbia*, i. ſuperbè.

11. *Incedentes adverſum me*] Videtur legiſſe אַשֻּׁרֵנוּ *Incedentes*, ſive *gradientes adverſum me.* Sic etiam legit Symm. quod interpretatur, μακαρίζοντές με: *beatum prædicantes me.* Quæ eſt altera ſignificatio verbi אָשַׁר.

Nunc] Symm. παραχρῆμα, *ſtatim.* Expende.

Declinare in terram] τοῦ ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ. A.

12. *Prædam*] לִטְרֹף Aliis apicibus, quod nunc legunt, לִטְרוֹף *rapere*, ſive, prædari.

Quaſi catuli Leonis] ὡσεὶ σκύμνος, Lxx. כפיר magis denotat *juvenem leonem*, quem nonnulli *leunculum* appellant: *catulus* autem leonis גור אריה dicitur.

13. *Præveni faciem ejus, incurva eum*] πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, κάμψον αὐτόν. A. πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ καὶ ἔκλασον αὐτόν. Symm. quod tamen in Edit. Rom. Latina tribuitur Aquilæ.

Qui eſt gladius tuus] Sic etiam Santes, ad verbum, *ab impio gladio tuo.* Quod alius enarrat; *ſalva animam meam gladio tuo ab homine improbo.* i. בחרבך. ita Symmachus.

14. *A viris manus tuæ*] Alii, *à mortalibus manu tua*, vult dicere: qui ſunt manus tua, per quos plagam infligis iis quos caſtigare vis. Alii: *eripe animam meam manu tua* (בירך) *à mortalibus.* Santes, *à viris, qui ſunt flagellum tuum.*

Qui mortui ſunt in profundo] Legit מֵתִים ut etiam Aquila, qui tranſtulit, ἀπὸ τεθνηκότων, & Symm. qui habet ἀπὸ τῶν νεκρῶν. hoc primum. Deinde חלד interpretatur, *profundum*: ut Pſal. 89. 48. Aquilæ interpretamentum eſt, ἐκ καταδύσεως, quod reddunt, *de profunditate.* A me olim redditum fuit, *ex immerſione*, nam κατάδυσις *immerſio.* Symm. ἐνδεδυκότων, *qui occiderunt.* quanquam in Edit. Rom. *à depreſſis.*

In vita] In hac vita. A. & Symm. ἐν ζωῇ, Sed in Ebræo, ἐν τῇ ζωῇ.

Quorum pars] Hoc A. dixit, μέρος αὐτῶν. Symm. vero ἡ μερὶς αὐτῶν, *pars eorum.*

Saturabuntur filiis] χορτασθήσονται υἱῶν.

Et dimittent reliquias ſuas parvulis eorum] καὶ ἀφήσουσι τὰ λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν. Symm.

15. *In juſtitia*] ἐν δικαιοσύνῃ. Lxx.

Videbo faciem tuam] ὄψομαι τὸ πρόσωπόν σου.

Implebor] Satiabor. Supra Pſal. 16. שֹׂבַע idem Hieron. *plenitudinem.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

Cum evigilavero ſimilitudine tua] ἐξυπνισθεὶς τῇ ὁμοιώσει σου, Symmachus. Sic interpretor quod in Edit. Aquilæ, ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοιώσεώς σου: *quum expergeſiam ſimilitudine tua.* Idem dicit, cum *evigilavero.* Vide ſi placet, Fragmenta mea.

P S A L. XVIII.

2. E*T dixit*] Initium eſt v. 2. apud Ebræos & in Editis à Plantino.

DOMINUS] In iiſdem eſt *DOMINE*, quod minus ſe probat mihi.

Robur meum] Pſ. 91. 2. מְצוּדָתִי idem Hiero. *fortitudo mea.* Alii, *munitio mea*; Alii, *propugnaculum meum*: Santes, *arx mea.*

Salvator] Liberator, erutor, ereptor, nam *ſalvator* i. מוֹשִׁיעַ Græce σωτήρ. quod Latino vocabulo commode non poteſt explicari, ſiquidem *ſalvator* Latinum non eſt. *Liberator*, i. מְפַלֵּט aut potius מַצִּיל, Græce ῥύστης, quod hîc in Lxx.

Fortis meus] Alii, *petra mea*: Alii, *rupes mea.* Jeſ. 26. 4. צור עולמים Jonathan תַּקִּיף עָלְמַיָּא, *fortis ſeculorum.* Vide Davidem Camium & Abenezram. Job 22. 24. בְּצוּר Symm. ἐν τῷ ἀκροτόμῳ. Hoſ. 9. 13. צור A. Theod. Symm. *petra duriſſima.*

Suſceptor meus] ἀντιλήπτωρ μου. Lxx. ſupra 9. 19. משגב Hier. *elevatio.* Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. Santes hic, *elevatio mea.*

Funes mortis] Santes habebat, *dolores mortis.* Id Arias correxit, *funes mortis.* Sciendum, *funes* proprie חֲבָלֵי dici, & *dolores* חֶבְלֵי, Ergo Græci heic habent ὠδῖνες θανάτου, cave ſpernas. Hinc elucidabis, *ſolutis doloribus mortis*, nam *dolores* non ſolvuntur proprie, ſed *funes.*

Torrentes Diaboli] Ebraice, *torrentes Belial* i. hominum nequam. Ceterum *Diabolus* in Novo Fœdere *Belial* vocatur. quanquam in codicibus Græcis βελιάλ. Mihi vix dubium, quin eo reſpexerit Hiero.

6. *Funes inferni*] Hic rurſum Lxx. habent ὠδῖνες; & in fonte eſt חֶבְלֵי quod ita ſcribebant Maſſoritæ, cum *dolores* innuere vellent. Fruſtra ergo Santen emendat Arias, *dolores* in *funes* mutando; nam tunc eſſet potius חַבְלֵי in Ebræo. Huc reſpexit Apoſtolus Petrus, Actor. 2. 24. ubi Vetus interpres; *ſolutis doloribus inferni.* Vide ſi vacas.

8. *Commota eſt & contremuit*] καὶ ἐσαλεύθη καὶ ἔντρομος ἐγενήθη, Lxx. Id Aquila retulit; καὶ ἐκινήθη καὶ ἐσείσθη, *& mota fuit & concuſſa.* Vide Fragmenta.

Concuſſa ſunt] ἐσείσθησαν.

Iratus eſt] *Ira eſt ei*, idem cum illo, *iratus eſt.* Legitur &, *iratus eſt eis.* Quod ſumptum ex Edit. τῶν ό, nam in ea ὠργίσθη αὐτοῖς.

9. *De furore ejus*] Santes, *in furore ejus.* Græci quoque legunt ἐν ὀργῇ αὐτοῦ. Id Arias emendavit, *in naſo ejus*, prætulerim, *ex naſo ejus.* Simile בכל לבך *ex toto corde tuo.* בכל נפשך *ex tota anima tua.* Vide Parallela mea.

Devorans] *Devorat* eſt in Ebræo, non *devorans.* & A. heic poſuit, ἀπὸ στόματος αὐτοῦ φάγεται. Sed in Symmacho ἀναλίσκον, *conſumens.*

11. *Aſcendit*] ἐπέβη, i. *equitavit*, aut, *vectus eſt.* Sane *aſcenſor* pro *equite* aut *vectore* ponitur. Dicam hac de re alias, ſi Deus permiſerit.

Volavit] Melius in aliis, *& volavit.*

12. *Tenebroſas aquas*] Quidam codices, *tenebroſa aqua.* Ad verbum, *tenebroſitas aquarum.* Lxx, σκοτεινὸν ὕδωρ.

Ætheris] αἰθέρος, ita Symm. Job. 36. 28. Pſal. 89. 7. Prov. 8. 28. *Cælorum*, eſt in aliis editionibus, & *aeris* in Lxx. i. ἀέρων.

13. *Nubes*] αἱ νεφέλαι, Lxx. quod noto, quia in fonte, *nubes ejus.*

In cælis] Alibi, *in cælo*, perinde eſt.

14. *Grandinem & carbones ignis*] χάλαζαν καὶ ἄνθρακας πυρός. Theod.

15. *Miſit*] In aliis, *emiſit.*

Et diſſipavit eos] καὶ ἐσκόρπισεν αὐτούς. Lxx.

Fulgura] Leg. ex aliis, *& fulgura.*

Multiplicavit] ἐπλήθυνε, Lxx. *jaculatus eſt*, alii.

Conturbavit eos] συνετάραξεν αὐτούς. Lxx.

16. *Effuſiones aquarum*] Melius, *alvei aquarum.* Santes, *profunda.* Alius, *Imi alvei.* Lxx. αἱ πηγαί, *fontes*, i. מַעְיְנֵי.

Ab inſpiratione ſpiritus] ἀπὸ ἐμπνεύσεως πνεύματος. Lxx. נשמה ἔμπνευσις, alibi eſt πνοή, i. *flatus* ut Pſal. 150. 6. & in Vulgata Latina, Jeſ. 30. 33. Hiero. in Comm. Jeſ. 58. *Naſamoth flatus ſonat.* Reperio & ἀναπνοή, *reſpiratio*, ex Veterum Græcorum Editionibus.

Furoris tui] Alii, *naris tuæ.*

17. *Miſit*] Alibi eſt, *mittet*, ut mox, *accipiet & extrahet*; quæ ſcriptura quadrat cum veritate Ebraica. Puto veram eſſe & Germanam Hieronymi.

De alto] E cœlo.

Liberavit me] Codices alii, *liberavit*, & melius: nam etiam in Græca Edit. Rom. ῥύσεταί, quanquam in utroque Pſalterio, *Eripuit.*

De inimicis meis potentiſſimis] In Ebræo eſt, *de inimico meo potente.* Sed Hiero. videtur legiſſe אֹיְבַי, numero multitudinis: cui lectioni adverſatur nomen ſingulare עָז, quod ſequitur; aut ad ſenſum reſpexit. Nam certe videtur non unum duntaxat inimicum innuere, ſed multos. Notum autem ut ſingularis pro plurali uſurpatur. Quale illud in Latio: *Romanus cedendo vicit* i. Romani. Sic *miles* pro militibus. Vide Auguſtini Libros locutionum, ſi habes.

19. *Prævenerunt me*] Legendum ex aliis libris, *prævenient me*: nam eſt verbum futurum in Ebræo. *Prævenerunt* i. προέφθασαν. Sic Græci Lxx. unde domo hæc ſcriptura.

Afflictionis meæ] κακώσεώς μου. Lxx.

Firmamentum meum] ἀντιστήριγμά μου, Lxx.

20. *Et eduxit me*] Melius in aliis, *& educet me*, ut mox.

Libe-

liberabit me. Ubi Græca Romana, ῥύσεταί με, *eruet me.* Quanquam in utroque Pſalterio, *ſalvum me fecit.*

Quia placuit ei] Lectio varians: *Quia placuit ei.* Poſſet ex Ebræo vertere; *Quia voluit mihi.* i. favit, bene voluit. ad verbum, *voluit in me.* Quidam, *delectatus eſt me.* Sic alibi; *Non eſt Deus volens iniquitatem*, qui delectetur iniquitate.

21. *Retribuit*] Corrige, *retribuet:* & mox, *reddet:* nam verba ſunt temporis futuri apud Ebræos: nec ulla cauſſa eſt, cur hic fut. mutari debeat in præt. *Juſtitiam* autem dicit juſtam cauſſam; & *munditiem manuum*, innocentiam & vitæ puritatem.

Munditiam] καθαριότητα. Lxx.

22. *Non egi impie à Deo meo*] Plenum eſt, *deficiens à Deo meo.* Græce eſt in Lxx. οὐκ ἠσέβησα ἀπὸ τοῦ θεοῦ μου.

Præcepta ejus] Malim, *Statuta ejus.* Sed חק *præceptum* redditur etiam Pſal. 2.7. Ubi Græce eſt πρόσταγμα. Vide quæ notavimus ad illum locum.

Non amovi] Sic etiam Santes.

24. *Immaculatus*] ἄμωμος. Lxx.

25. *Reſtituit*] Reddidit.

26. *Cum ſancto ſanctus eris*] μετὰ ὁσίου ὅσιος ἔσῃ. Lxx. Quanquam in pleriſque libris, ὁσιωθήσῃ, quod non nemo reddit, *ſanctificaberis.* *Sanctus* i. pius. ut ibi; *Non ſines ſanctum tuum videre corruptionem.*

Cum viro innocente] μετὰ ἀνδρὸς ἀθώου. Lxx.

Innocenter ages] ἀθώως πράξεις. An ſecutus eſt Symm. qui ſupra תתמם verterat, ὁσίως πράξεις, *pie ages?*

27. *Cum electo electus eris*] μετὰ ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς ἔσῃ Lxx. Alii, *cum puro purus eris.* Sive, *purum te exhibes.* Sed בַּר vetuſta interpretatione, *electus.* unde Amos 5.11. משאת בר. Lxx. δῶρα ἐκλεκτά. Hieron. *prædam electam.* Idem Zach. 12. *Bar filius appellatur, aut frumenti manipulus, aut electus, aut* οὖλος i. *criſpus.*

Cum perverſo] μετὰ στρεβλοῦ.

Pervertes] Partim codicum, *perverteris.* Græce autem eſt διαστρέψεις; quod in Pſalterio Rom. redditum. *Subverteris:* in Gallico autem *perverteris.*

29. *Illuminabis*] Legitur & *illumina*, nempe ex Græco φωτιεῖς, quod nunc in Lxx. Ceterum in Ebræo eſt *illuminabit.*

Tenebram meam] Alias, *tenebras meas.* Hoc Latinum; illud barbarum eſt.

30. *Accinctus*] Gen. 49.19. גְּדוּד Aquila, εὔζωνος, *accinctus*, ſive *expeditus.* Idem *Gad.* Hieron. in Quæſt. Ebraicis. גָּד *Aquila interpretatur, venit accinctio. Nos autem dicere poſſumus, in procinctu. Ab eventu ergo ſive procinctu, qui Gad dicitur, Zelpha filius Gad vocatus eſt.*

31. *Deus immaculata via ejus*] Latine, Dei via immaculata eſt: & *immaculata* i. ἄμωμος. ita Lxx.

Igne examinatum] πεπυρωμένος.

32. *Fortis*] Ita etiam Santes. Supra v. 3. צוּרִי *fortis meus.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

34. *Coæquans pedes meos cervis*] Ut pares ſint velocitate pedibus cervarum. Alii, *Ponens pedes meos tanquam cervarum*; nam cervæ, quia cornibus carent, velociores ſunt.

Coæquans] Conſundit מְשַׁוֶּה *ponens*, cum שָׁוָה *æquans*, unde & *Scheva* dictum putatur, eo quod ſyllabas æquet: quanquam ſunt, qui ſcribant שבא per *Beth.*

Super excelſa] ἐπὶ τὰ ὑψηλά. Ebraice eſt, *ſuper excelſa mea*, & in Symm. ἐπὶ τὰ ὑψώματά μου.

Statuens me] In Ebræo, *ſtatuet me*, στήσει με. Sed ſecutus eſt Lxx. qui habent ἱστῶν με, *ſtatuens me*; quanquam in Pſalterio Romano, *ſtatuit me.*

35. *Et componens quaſi arcum æreum brachia mea*] Alii, *& conteritur* (ſive, *ita ut conteratur*) *arcus æreus brachiis meis.* Lxx. καὶ ἔθου τόξον χαλκοῦν βραχίονάς μου. An legerunt וְנִחַתָּה? Sed in Pſalterio Rom. *& poſuit*, καὶ ἔθηκε. Sententia verborum Hieron. Reddidiſti brachia mea tam ſolida quam eſt arcus æreus.

36. *Confortavit*] *Fulcit, ſuſtentavit.* Alii per futurum reddunt, *fulciet*, & mox *multiplicabit.*

37. *Greſſus meos*] τὰ διαβήματά μου. Lxx.

Non deficient] Alii, *non nutabunt.* *Non vacillant.*

Tali mei] Sic & alii: Santes, *crura mea.* Quem juvat Chaldæa Paraphraſis, ubi קרסלין interpretamentum eſt τοῦ ברעים quæ vox indubitate *crura* ſignificat.

38. *Et apprehendam*] Veritas lectionis *& apprehendam eos*, extat in editis à Plantino.

Cædam eos] Hab. 3.13. מָחַצְתָּ idem Hier. *percuſſiſti.*

40. *Incurvabis*] κάμψεις. A.

Reſiſtentes mihi] τοὺς ἐπανεστηκότας μου. In Aquila, niſi mendum eſt, ἐπανεστηκότα μου, *inſurgentem in me.* Dubito, an legerit קָמִי numero ſingulari.

Sub me] Alibi, *ſubtus me.*

41. *Dorſum*] νῶτον eſt in Lxx. quos nunc ſecutus eſt, quanquam in Ebræo, *cervicem*, eadem ſententia.

Diſperdidiſti] ἐξολόθρευσας, iidem. mirum, cur ita verterint אַצְמִיתֵם *excindam*, ſive *ſuccidam eos.*

43. *Delebo eos*] Melius Lxx. λεπτυνῶ αὐτούς, *comminuam eos.*

Projiciam eos] Iidem hic habent, λεανῶ αὐτούς, quod reddunt, *delebo eos.* Malim, *conteram eos:* nam λεαίνω, *conterendo in lævem pulverem redigo.* Proprie, lævo. Licet etiam vertere, *friabo eos.* Quidam ex Ebræo, *frio eos*; Santes, *evacuabo eos:* alius, *diducam eos.* Quid ſi *delævo eos?* cujus fut. *delævabo:* nam etiam *lævo* dicimus, & *delævo*, & *lævigo* i. λεαίνω.

44. *Salvabis me*] διασώσεις με. A.

A contradictionibus] ἀπ' ἀντιλογιῶν. Symm.

Populi] i. Populorum.

Quem ignoravi] ὃν οὐκ ἔγνων, *quem non cognovi.* Lxx.

Serviet mihi] Ad verbum, *ſervient mihi.* *Populus ſervient*, ut, *Turba ruunt in me luxurioſa proci.* Nam eſt nomen collectivum.

45. *Auditione auris*] Alii, *ad auditionem auris.* Id Græci dixerunt, εἰς ἀκοὴν ὠτίου.

Obediet mihi] Alii ex Scholiis Ebraicis, *congregabitur mihi:* vel ſi mavis, *congregantur mihi* aut, ut Santes, *congregabunt ſe.* Hoc ſignificatu verbum שמע accipitur. 1 Sam. 15.4. in illo: *& congregavit Saul populum* וַיְשַׁמַּע in Piel.

Filii alieni] ſub. Populi, aut Dei, aut υἱοὶ ἀλλότριοι. Hoc Græci ediderunt; illud Ebraica veritas habet. Latina ad utrumque ambigua ſunt.

Mentientur mihi] Ficte ac ſimulate ſe dedent mihi: aut, mentitum cultum exhibebunt. Quædam Editiones; *mentiantur mihi.*

46. *Contrahentur*] ſic Galli; *ſe ſont reſerres.* Alii aliter interpretantur. Ceterum in Samuele pro eo eſt ויחגרו litteris tranſpoſitis. Id forte movit interpretes Græcos, ut verterent hoc loco ἐχώλαναν, *claudicaverunt:* nam חִגֵּר *claudus*, χωλός. Chaldaice, חגירא *Hagira:* unde Græcum ἀχιρός, aſpiratione, ut fit, in tenuem verſa.

In anguſtiis ſuis] Ebraice eſt: *è clauſtris ſuis.* id Santes enarrat, *è carceribus ſuis.* Alius, *è conclavibus ſuis.* Alius, *in receſſibus ſuis occultis.*

47. *Deus meus*] ὁ θεός μου. Lxx. hic eſt צוּרִי in Ebræo, quod alibi reddit; *fortis meus:* ut ſupra verſ. 3. Santes quoque hoc loco habet, *fortis meus*, ſed Arias emendavit, *petra mea.*

48. *Qui das*] Vel potius, *qui dat.* Ebraice eſt ad verbum, *dans.*

Et congregas] Emendant, *& ducit*, ſive, *adducit*, mihi non diſplicet, *& ſubdit.* Quod Græce eſt ὑποτάξας. ut ut ſit, male Hiero. vertit; *& congregas*, cum ſit verbum tertiæ perſonæ in Ebræo.

49. *Quoniam ſervas me*] Melior lectio in aliis: *Qui ſervas me:* quod Græce ὁ ῥύστης μου.

Liberabis me] Alias, *Libera me.*

Et à reſiſtentibus mihi] Ebraice, *etiam à reſiſtentibus mihi.* ſive ut alii referunt; *ab inſurgentibus in me.*

50. *Confitebor tibi*] ἐξομολογήσομαί σοι. Lxx. Senſus eſt; Laudabo te.

Cantabo] Ψαλῶ, *pſallam.* Lxx.

Magnificanti & facienti] In aliis eſt, *magnificans & faciens.* Sic etiam Græci Lxx. μεγαλύνων καὶ ποιῶν.

PSAL. XIX.

1. *Firmamentum*] τὸ στερέωμα, Lxx.

2. *Eructat verbum*] ἐρεύγεται ῥῆμα, iidem.

Indicat] ἀναγγέλλει. Ceterum ex Symm. laudatur *indicat ſcientiam*; cum in Græco ſit apud Theodoretum, ἀναγγελεῖ, *indicabit.*

3. *Sermo*] Ante אֹמֶר reddidit, *Verbum*, & mox דברים Symm. λόγους, i. *ſermones.* Scire licet, veteres promiſcue uſurpaſſe hæc duo vocabula.

Qui-

Quibus non audiatur vox eorum] *Quibus* additum à Hiero. ergo alii legunt : *non auditur vox eorum*. Symm. *quorum non audiuntur voces*.

4. *Sonus eorum*] ὁ φθόγγος αὐτῶν. Lxx. ὁ ἦχος αὐτῶν. Symm. Alii, *regula eorum*. & Aquila, ὁ κανὼν αὐτῶν.

Soli poſuit tabernaculum in eis] τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς. A. Theod. Symm. ἐν αὐτοῖς ἔθετο τοῦ ἡλίου σκήνωμα. Editio Syra. Pro ἔθετο σκήνωμα, quod Euſebius etiam Quintæ tribuit, idem citat ex Symm. ἔταξε σκηνὴν, *ordinavit tabernaculum*. Sententia in idem recidit.

6. *Exultavit*] Malim *exultat*. Vel, ſi placet, *gaudio geſtit*.

Ut fortis] Ut fortis miles.

7. *A ſummitate*] ἀπ' ἄκρου. Lxx. Id reddi etiam poteſt, *ab extremitate* : nam ἄκρον non tantum *ſummitas*, ſed etiam *extremitas* quævis. Unde Hag. 2. 13. ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ἱματίου, *in extrema veſte*. Sic mox ἕως ἄκρου αὐτοῦ, *ad extremum ejus*. Pſal. 135. 7. מקצה הארץ Lxx. ἐξ ἐσχάτου. Alius, ἀπ' ἄκρων: alius, ἀπὸ τελέσματος. 1 Macc. 1. 3. ἕως ἄκρων τῆς γῆς, *ad extremas uſque terras*.

Curſus ejus] Revolutio ejus.

Qui ſe abſcondat] ὃς ἀποκρυβήσεται, Lxx. Santes : *quod abſcondatur*, Alii.

8. *Immaculata*] ἄμωμος. Lxx.

Convertens animas] ἐπιστρέφων ψυχάς. Iidem.

Sapientiam præſtans parvulis] σοφίζουσα νήπια. Iidem.

9. *Præcepta*] Sic etiam Santes. Paullo poſt מצוה Chaldæus interpretatur פִּקּוּדָא. Appellatio ab eo, quod ſint quaſi depoſita penes nos.

Mandatum] *Præceptum*. hoc πρόσταγμα, illud, ἐντολὴ dicitur. Sed confundi ſcias. nam מצוה à Hiero. hic redditur, *mandatum*. & ἐντολὴ, quod in edit. τῶν ό. in utroque Pſalterio exponitur *præceptum* i. πρόσταγμα.

Lucidum] τηλαυγής, Lxx. בָּרָה *ſplendens*. R. Salomo. τηλαυγὴς exponitur ab aliis; *eminus ſplendens*, longe ſplendorem emittens aut ſpargens. Alii ex Ebræo; *purum*.

10. *Perſeverans*] Stans, permanens.

Vera] Ebraice, *veritas*.

Juſtificata] δεδικαιωμένα. Alii, *juſta ſunt*.

In ſemet ipſa] ἐπὶ τὸ αὐτό, Lxx. Alii; *ſimul*, *pariter*.

11. *Et obriſum pretioſum*] Vox *pretioſum* ſupereſſe videtur ex lectione aliorum librorum, *lapidem pretioſum*. Nam in Ebræo פָּז quod interpretantur *aurum*, vel *obriſum*. alii, & alii, *lapidem pretioſum* i. λίθον τίμιον, quod legitur hic in Lxx. Prov. 8. 19. מִפָּז Hieron. *lapide pretioſo*. Chaldæus אובריזין i. *obriſum*, ſive *obruſum*. A. τοπάζιον κιῤῥόν. Symmach. ὠφάζ. Lxx. ὑπὲρ λίθον τίμιον. In libro nominum *Ophaz*, *obriſum*, *& eſt genus auri*, *quod Græci* κιῤῥὸν *vocant*. Perperam *Cairon* in libris. R. David in libro Radicum; פז eſt *aurum optimum & defæcatum*. Abenezra, עטרות פז *eſt corona aurea cum lapidibus pretioſis circum eam*. Perſpicue ſentit פז denotare lapides pretioſos. Sed & *aurum* in genere ita vocatur; Argumento eſt *Feſſa*, quam dictam opinantur à cinnulo auri ibidem reperto, quod Arabibus, teſte Joanne Leone, *Fes* dicitur. Jeſ. 13. 12. פָּז Hieron. *aurum*. Lxx. χρυσίον τὸ ἄπυρον, *aurum nondum coctum*, quod *apyron* vocant, tam purum, ut coctionis non egeat.

Et favum redundantem] Prius erat in Lxx. κηρίον, Hiero. adjecit *redundantem* i. ſponte & per ſe fluentem. Quod genus Græci *acoëton* vocant. Santes, *& favo placentis melle confectis*. Arias, *& liquore favorum*.

12. *Unde & ſervus*] Alibi, *unde ſervus*.

Docebit ea] Santes, *illuſtratur eis*. Alius, *admonetur eis*. Alius denique, *cautior evadit per ea*.

Fructus multus] Libri alii, *retributio multa*. Quod Græce eſt in Lxx. ἀνταπόδοσις πολλή. Santes, *merces multa*. Alius, *emolumentum multum*. עֵקֶב proprie *calx* : metaphorice autem *præmium* aut *merces*, ex ſimili ſimile. Ut enim calcaneus eſt extremum corporis; ita merces eſt extremum operis.

14. *A ſuperbis*] i. ſuperbiis. Simile, *qui odit fidejuſſores*. i. fidejuſſionem. Aut זֵד etiam *ſuperbia*, *inſolentia*, *contumacia*. cujus generis ſunt עֵד *teſtis* & *teſtimonium* : עָז *potens* & *poteſtas*, דַּל *pauper* & *paupertas*. Sic צַר *adverſarius* & *adverſitas*, ſive *anguſtia*. אֱמוּנִים *veraces* & *veritates*.

Libera] Prohibe. cohibe. Ceterum videtur nunc Aquilam ſecutus (Symm. alii hoc tribuunt) è cujus Edit. laudatur à Patribus, καί γε ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σου. Idem poſuit ἀγνοίας i. *errores* vel *ignorantias* : ubi Lxx. παραπτώματα i. *delicta quis intelligit?*

Si non fuerint dominati] ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, Lxx. Ebraice eſt; *Ne dominentur in me*.

Tunc immaculatus ero] τότε ἄμωμος ἔσομαι. Iidem.

A peccato maximo] Sic interpretantur è Græco. ἀπὸ ἁμαρτίας μεγάλης. Quanquam ἁμαρτία proprie *peccatum*. hic autem eſt פֶּשַׁע in Ebræo, quod alii *ſcelus* : alii, *defectionem*. Alii aliter reddunt. Licet etiam vertere, *à crimine multo* : vult dicere, *à criminibus multis*: nam פֶּשַׁע *crimen*, ut ibi: *in multitudine verborum non deerit crimen* : ubi *mendacium* פֶּשַׁע appellatur.

15. *Sint placentes*] i. *placeant*. Ebraice eſt verbum è verbo: *ſint in beneplacitum*, quod Græci dicunt; εἰς εὐδοκίαν.

Fortitudo mea] Ut parum ſibi conſtat. Supra צוּרִי reddidit, *fortis meus* : & alibi, *Deus meus* : nunc interpretatur, *fortitudo mea*. Recens omnis interpretatio; *rupes*, aut, *petra mea*. Senes hic habent βοηθέ μου, i. *adjutor meus*.

PSAL. XX.

2. *Tribulationis*] θλίψεως, i. *afflictionis*. nam *tribulo* affligo : quod tamen eo ſenſu apud probatos auctores non invenitur, quod ſciam.

Protegat te] ὑπερασπίσαι σου, Lxx. ad ſenſum non male : nam, *elevet te*, collocet te in loco edito ac proinde tuto. Huc reſpexit Salomo, cum ait : *Turris valida nomen DOMINI*, *eo currit juſtus & elevatur*.

3. *De ſancto*] ἐξ ἁγίου, Lxx. קֹדֶשׁ pro *ſanctitas*. Idem τὸ ἅγιον. Et erat locus hoc nomine in templo : item ipſum *cœlum* hoc nomine vocatur, ut Pſal. 150. 1. *Laudate DOMINUM in ſancto ejus*. hoc eſt, *in mundo angelorum*, ait R. David. Sic hoc loco enarrant *è ſancto*, hoc eſt, è cœlo.

Roboret] Fulciat, ſuſtentet.

4. *Omnis ſacrificii tui*] πάσης θυσίας σου. Lxx. Ebraice eſt, *omnium ſacrificiorum tuorum*.

Pingueſiat] πιανάτω. Iidem. Santes hic habet, *incineret*: hoc eſt, in cinerem redigat. Symm. καὶ τὴν ἀναφορὰν σου πίονα ποιήσῃ. Hic duo notanda. Primum עֹלָה reddi ἀναφορὰν, i. *oblationem*, nam העלה *obtulit*. Deinde recte ab eo correctum πιανάτω in πίονα ποιήσῃ, *pinguem reddat*, quippe verbum eſt in conjugatione altera, quam vocant *Piel*. Reperio in ſcholio φαιδρυνάτω, *fauſtum reddat*, &, πιανάτω, *pinguefaciat*. Idem aliter.

Sela] In aliis eſt, *ſemper*.

5. *Omnem voluntatem tuam*] Quem nunc ſecutus eſt? nam in Ebræo, *omne conſilium tuum*, & in Lxx. πᾶσαν τὴν βουλήν σου.

6. *Laudabimus*] αἰνέσομεν. Ita fere A. Sed & Symm. Jeſ. 52. 8. יְרַנֵּנוּ αἰνέσουσιν i. *laudabunt*.

In ſalutari tuo] ἐν τῷ σωτηρίῳ σου. Lxx.

Ducemus choros] Mirum unde hauſerit. nam non ſumpſit, ut credibile eſt, è pollice ſuo. Recentior interpretatio, *ſigna tollemus*, aut, *vexillum elevabimus*. Sane *vexillum* דֶּגֶל dicitur : Unde verbum quod nunc in Ebræo. Etiam Chaldæus ita vertit.

Salvabit] Ebraice, *ſalvavit*.

In fortitudine] Ad verbum, *in fortitudinibus*.

Salus dexteræ ſuæ] Non dubito quin Hiero. initio ſcripſerit : *ſalutis dexteræ ſuæ*. Quanquam in Lxx. ἡ σωτηρία τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ. unde, *ſalus* in quibuſdam libris, cum in aliis recte ſit *ſalutis*. Alioqui ſcripſiſſet meo judicio, *ſalus dexteræ ejus*: *ejus*, inquam, non *ſuæ*. ita mihi videtur.

In curribus] *In curru*; eſt in Ebræo, pro *in curribus*. Sing. pro plur.

Nominis DOMINI Dei noſtri recordabimur] ואנחנו בשם יהוה אלהינו נזכיר Ebraice eſt ad verbum, *in nomine DOMINI Dei noſtri memorabimus*. Quod Santes enarrat, *Nomen DOMINI Dei noſtri memorabimus*: & alius, *Nominis DOMINI Dei noſtri recordamur*. Gallica Editio : *nous nous vanterons du nom*, i. gloriabimur de nomine, &c. Lxx. μεγαλυνθησόμεθα. Sed in Pſalterio Gallico : *invocabimus*.

9. *Et erecti ſumus*] καὶ ἀνωρθώθημεν. Lxx. Santes quoque, *& ereximus nos*. Alii, *& adhuc ſubſiſtimus*, ſive, *ſuperſtites ſumus*.

Rex exaudies nos] Id in viam reduces, hoc eſt ad veritatem Ebraicam, unius litteræ immutatione : ſi legas,

exaudiet nos; in tertia perſona : Quod ſi ſecunda uſus eſt, erit ſenſus; *O rex, tu exaudies nos*, &c.

Qua invocaverimus] Lectio varians, *qua invocaverimus te.*

PSAL. XXI.

2. *Salutari tuo*] Salute tua.

Exaltavit] Puto Hieronymum ſcripſiſſe, *exaltabit*: nam certe præcedit verbum fut. *Lætabitur*: Græci quoque legunt, ἀγαλλιάσεται. Ceterum Ebraice eſt ad verbum, *quam exultabit valde.*

3. *Voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum*] τὴν θέλησιν τῶν χειλέων αὐτοῦ οὐκ ἐστέρησας αὐτόν. Lxx. quanquam in Edit. Rom. τὴν δέησιν i. *petitionem*, aut, *deprecationem*. Alii ex Ebræo, *prolationem labiorum ejus non prohibuiſti.* Sequitur in quibuſdam.

Semper] & in Paraphraſi Chaldaica לעלמין *in ſecula.*

4. *Prævenisti*] προέφθασας. Lxx.

Bonitatis] i. bonis. Sic interpres Chaldæus. Alii, *benedictionibus boni*: nam eſt טוב in Ebræo non טוב.

Coronam de obriſo] Scribe, *obryzo*; nam Græce ὄβρυζον. eſt autem aurum purum ex crebra coctione. Chaldaice hoc loco vocatur דהב כנינא *aurum purgatiſſimum* vel purum putum. Lxx. maluerunt ἐκ λίθου τιμίου. Vide quæ ſcripſimus Pſal. 19. ad v. 11.

6. *Gloriam*] δόξαν, Lxx.

7. *In benedictionem ſempiternam*] Ebraice eſt, *benedictiones in ſempiternum.*

Hilarabis eum lætitia apud vultum tuum] χαιροποιήσεις αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ σὺν τῷ προσώπῳ σου. Symm. quædam exemplaria; *exhilarabis eum in lætitia apud vultum tuum* : & ita citatur hic locus in Edit. Romana.

Non decipietur] Quanto melius alii, *non nutabit*: & Lxx. οὐ μὴ σαλευθῇ, & Chaldæus לא יזוע *non emovebitur?*

Inveniet manus tua omnes inimicos tuos] Symm. explicat; καταλήψεται ἡ χείρ σου πάντας τοὺς ἐχθρούς σου : i. comprehendet. Alii, ut Santes; *ſufficiet manus tua omnibus inimicis tuis.* Quomodo & Scholia Ebraica. Cui firmando, quod in Ebræo, לכל *omnibus inimicis tuis.*

10. *Vultus tui*] i. iræ tuæ. Ebraiſmus : Sic alibi; *& facies non erant ei amplius.* Vult dicere; non amplius irata erat; nam in vultu ira potiſſimum apparet.

Præcipitabit eos] Alii, *perdet eos*, ex metaphora *deglutiendi*, ſive *abſorbendi*. Sed Hiero. fere interpretatur בלע *præcipitavit*, i. καταπόντισε, quo verbo uſi ſunt Lxx. Pſal. 55. 10. Cohel. 10. 12. Thren. 2. 5. & alibi. Aquila quoque Job 2. 3. & 10. 8. Ubi etiam Theodotio הבלעני καταπόντισας με, *præcipitaſti me.*

12. *Scelus*] Confundit זמה cum מזמה; Ergo alii melius *cogitationem*, quanquam מזמה interdum, *cogitatio mala.*

Non potuerunt] Subint. *perficere*. Symm. ſuo more manifeſtius, ἐλογίσαντο ἐννοίας ἀδυνάτους : vult dicere; quæ ad exitum perduci nequeunt.

13. *Pones eos humerum*] Senſus eſt interprete Symm. τάξεις, (alias θήσεις) αὐτοὺς ἀποστρόφους; *pones eos averſos.* Reperio &, *quoniam facies eos averſos*, i. ποιήσεις. Alii, *humerum* interpretantur *aggerem*, quem etiam à Virgilio *dorſum* vocari dicunt. Sane Græci Lxx. hic habent; θήσεις αὐτοὺς νῶτον, *pones eos tergum*, ſive *dorſum.*

Funes tuos] Nervos arcus tui. Alii, *finibus tuis*; nam in fonte במיתריך, quod non nemo interpretatur, *nervis tuis.*

Firmabis] ἑτοιμάσεις, Lxx. Id alii reddunt, *præparabis.* Sed ἕτοιμος, *firmus*, *ſtabilis*, ut ibi : ἕτοιμος ὁ θρόνος σου, quod Hiero. quoque interpretatur, *firmum ſolium tuum*, & in Ebræo eſt נכון. Similiter Pſal. 8. 4. כוננתה Aquila, ἡτοίμασας. VI. Edit. ἥδρασας. Rurſum Pſal. 7. 10. ותכונן צדיק Hieron. *& confirmetur juſtus.* Alius, καὶ ἑδράσεις δίκαιον, *& ſtabilies juſtum.*

Fortitudines tuas] Ebraice, *fortitudinem tuam*; vel ſi mavis, *potentiam tuam.* Numero multitudinis uſi ſunt etiam οἱ ἑ. qui habent τὰς δυναστείας σου : quod redditum in utroque Pſalterio, *virtutes tuas.*

PSAL. XXII.

1. *Pro cervo matutino*] Elegerim, *pro cerva matutina.* Nam אילת *cerva.* An etiam *cervus*? Græci dicunt ὁ καὶ ἡ ἔλαφος, & Latini antiquitus dicebant, *lupus fœmina*, *agnus fœmina.* An etiam *cervus fœmina*? Si hoc eſſet; debuiſſet dicere, *pro cervo matutina*, ὑπὲρ τῆς ἐλάφου τῆς ἑωθινῆς.

Longe à ſalute mea] μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου. Lxx. Aquila.

Verba rugitus mei] ῥήματα βρυχήματός μου. Aquila. Id reddi etiam poteſt; *verba fremitus mei*, nam βρύχημα *fremitus.*

Silentium] σιωπή. V. Edit. σιγή ceteri.

4. *Sancte*] vel *Sanctus*, & ſubint. *es.*

Laus Iſrael] ὁ ἔπαινος τοῦ Ἰσραήλ. Lxx. Ebraice eſt, *laudes Iſrael*, quod non caret emphaſi : nam innuit res plurimas eſſe, ob quas Deus laudandus ſit Iſraeli. Quidam explicant, *perfecta laus.*

Et ſalvaſti eos] Hic eſt פלט in Ebræo; paullo poſt נמלטו *ſalvi facti ſunt.* Alibi etiam הושיע ita reddit. *Salvo* autem mediæ ætatis verbum eſt, ut & *ſalvator*, qui Græce σωτὴρ dicitur. Theologi Veteres crebro utuntur.

7. *Deſpectio*] An legit בזוי? Quæ forma nominis Rabbinica, ut גלוי *retectio.* Aut expreſſit Græcum ἐξουθένημα λαοῦ, quod tamen alii reddunt, *abjectio populi*, ſive *plebis.* בזוי עם ab aliis exponitur, *contemptus populi*, i. populo, ſive, à populo : eſt enim participium generis paſſivi à בזה.

8. *Dimittunt labium*] Alii, *diducunt labium*, quod eſt ſignum irridentium. Sed פטר in lingua ſapientum *dimitto*, i. ἀπολύω, & de morte uſurpatur, ut in Euangelio; *nunc dimitte ſervum tuum* : & apud Apoſtolum; *cupio diſſolvi* (i. להפטר) *& eſſe cum Chriſto.* Ebraice eſt בשפה *in labio.* Annotat autem Abenezra (ב) additum eſſe דרך צחות per modum elegantiæ : cui ſimile eſſe ait, ut cum dicimus, לחמו בלחמי *comedite panem meum.*

9. *Confugit*] In verbo eſt, *devolvit ſe.* Quanquam ſunt, qui emendarunt, *volve.* Sic Pſal. 37. 5. גל Aquila interpretatur κύλιε i. *volve.* thema גלל *volvo*, *devolvo*, κυλίω, *roto*, *voluto.* Sunt, qui nomen eſſe putant.

Vult eum] *Delectatur eo.* aut lege, *vult ei. velle alicui*, pro favere, & bene velle, elegans Latinæ linguæ dictio eſt. In Orat. Metelli : *Dii immortales plurimum poſſunt, nec tamen plus velle nobis debent quam parentes.* Græce eſt, ὅτι θέλει αὐτόν.

Propugnator meus] Alii, *eductor meus*; Alii, *extractor meus.* Sed Hiero. in mente habuit אגיחה, quod in lingua Chaldæorum ſignificat *pugnare* ſive *præliari* : unde in libro nominum, *Gio lucta aut certamen.* Ebraice eſt גיח, nomen loci. 2 Sam. 2. 23.

Fiducia mea ab uberibus matris meæ] ἡ ἐλπίς μου ἀπὸ μαστῶν τῆς μητρός μου. Lxx. מבטיח *fiducia*, ut משכיל *erudita cantio.* Alii vertunt; *confidentem faciens me ſuper ubera matris meæ.* Vult dicere, cum adhuc ab uberibus matris meæ penderem.

11. *In te*] Super te.

Ex utero] Alias, *à vulva.* Græce eſt ἐκ μήτρας, quod verſum in utroque Pſalterio, *ex utero.* Lexicon Vetus, μήτρα *vulva.* In Theſ. Stephani, μήτρα, *matrix*, *uterus.*

13. *Vituli multi*] μόσχοι πολλοί, Lxx. Alii, *juvenci multi.*

Tauri pingues] ταῦροι πίονες. In Ebræo eſt ad verbum, *potentes Baſan.* Quod Græce olim legebatur in quadam Edit. δυνάσται Βασάν. Prius in Lxx. fuerat, ταῦροι πίονες. Id Aquila correxit, λιπαροί, *opimi.* Symm. vero σιτιστοί, *altiles.* Vide Fragmenta.

Vallaverunt me] Alii, *corona cinxerunt me*, quod Græce legitur, ἐδιαδημάτισαντο, ſed corruptum id eſt in διηδιγματίσαντο, i. *traduxerunt.* כתר *Diadema*, *cidaris*, *corona.* Græce κίταρις & κίδαρις. Utitur Joſephus Ant. Hiſtor. Lib. 11. cap. 4. ubi כתר in textu Ebræo. paullo poſt idem *cidarim* διάδημα vocat. Sic Plutarchus κίταριν & διάδημα pro eodem ponit, ut obſervat Baifius de Veſtibus, cap. 20.

14. *Quaſi Leo*] Particula *quaſi* deſideratur in Ebræo, qui defectus frequens eſt in ea lingua. Eum ſupplet etiam interpres Chaldæus. Sic apud Salomonem ipſa ſapientia

pientia dicit, *fui ei alumnus* id explico, *tanquam alumnus.* Alii aliter explicant.

15. *Sicut cera liquefacta*] ὡσεὶ κηρὸς τηκόμενος, Lxx. Alii, *cor meum ut cera liqueſcit* &c. quos juvant accentus, qui nunc in Ebræo.

In medio ventris mei : Ventris mei] τῆς κοιλίας μου, Lxx. Alii, *viſcerum meorum.* R. David, *omnia membra interiora vocantur* מעים. Ceterum Gen. 25. 25. ממעי idem Hiero. *ex ventre tuo*, ut Lxx. ἐκ τῆς κοιλίας σου.

Effuſus ſum] ἐξεχύθην, Omnes. Sic etiam in Pſalterio Gallico. Sed & in Arabico & apud Didymum.

16. *Fortitudo mea*] Humor nativus, in quo vita hominum & robur ſenum, nam eo exſtincto, ſtatim moriuntur.

Palato meo] Alii, *faucibus meis.* Si non fallunt nos ſcholia Ebraica, ſignificat id quod ſupra & infra linguam; hoc eſt, palatum ſuperius & inferius. Lxx. λάρυγξι reddunt.

In pulverem mortis] In ſepulchrum.

Detraxiſti me] κατήγαγές με, Lxx. Nec aliter interpres Chaldæus. Recentior omnis interpretatio, *ponis*, aut *collocas me.* Videtur autem alluſiſſe ad morem antiquum collocandi cadaveris in ſepulchro : nam etiam Chaldæus *pulverem mortis* interpretatur, *domum ſepulchri* i. בית קבורתא.

17. *Venatores*] Alii, *canes.* Forte legit κυνηγοὶ pro eo quod nunc in Edit. Græca, κύνες πολλοί, *canes multi.* Infra, *è manu canis animam meam.* Vide Proverbia mea. [Fallor; nam in A. & Theod. κυνηγέται : quos ſecutus fuit, meo judicio.]

Fixerunt] Alii *foderunt*, i. ὤρυξαν. A. ᾔσχυναν *confuderunt.* Omnes legerunt כארו vel certe כארי & non, ut nunc in libris כארי *tanquam leo.* Quæ lectio nullam commodam ſententiam continet. Ceterum Aquila videtur in mente habuiſſe כעור, unde כעור, *turpe*, *obſcœnum*, pro quo in uſu כאור Ain in Aleph converſa : amant enim litteræ gutturales inter ſe permutari : qua de re dictum in tabulis Chaldaicis.

18. *Numeraverunt*] ἐξηρίθμησαν, Lxx. Legitur & *numeravi*; quam ſcripturam puto veram eſſe: quanquam in Ebræo, *numerabo*, quod explicant *numerare poſſem*, in modo potentiali. Conſule libellos meos.

20. *Ne longe fias*] Sic potius legendum, quam, ut in quibuſdam libris, *ne longe facias.* Quod è Græca editione, ubi vulgo, μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν μου, alias, σου : *ne longe facias auxilium meum*, alias, *tuum.*

Fortitudo mea] Sic etiam Santes & alii : nam *virtus mea*, quod in Trem. eandem ſententiam continet.

21. *Erue*] Similiter Santes.

Solitariam meam] τὴν μοναχήν μου, A. i. omni humano auxilio deſtitutam. Sic Theodoretus explicat.

22. *Exaudi me*] In Ebræo eſt ad verbum, *exaudiſti me.*

24. *Glorificate eum*] δοξάσατε αὐτόν.

Neque contempſit] לא שאץ, Sic Interpres Chaldæus. Senes quoque οὐ προσώχθισε, quod reddunt, *non deſpexit* : Sed à Lexicographis exponitur per verbum βδελύττω, item, *offendit*, *tædet me*, &c.

Modeſtiam pauperis] Alii, *afflictionem pauperis.* Putarem Hieronymum legiſſe ענוה à recto ענוה *manſuetudo*, *modeſtia*, ejuſdem thematis eſt ענות, quod οἱ ό reddunt, τῇ δεήσει, *deprecationem* & ſunt ex Ebræis, qui exponant in ſignificatione *reſponſi*, ſive *ſermonis* i. מענה.

Pauperis] τοῦ πτωχοῦ, Lxx.

26. *Apud te*] Melius Lxx. παρὰ σοῦ, i. *à te.* Nam in fonte מאתך (Id habetur in Pſalterio Gallico & Romano & apud Auguſtinum.) *Apud te* i. παρὰ σοι, Ebraice אתך, ut ſupra, Pſal. 16. *Satias lætitiarum* (את פניך) *apud vultum tuum.*

27. *Mites*] Ita vertendum hoc loco; non *pauperes*, ut eſt apud Santem. Sic dico ענוים ſunt *mites* עניים *pauperes.* quod fortaſſe legerunt Græci dum verterent, πένητες.

Cor eorum] Legendum ex aliis exemplaribus & ex veritate Ebraica, *cor veſtrum*, i. καρδία ὑμῶν. quanquam in Lxx. αὐτῶν non ὑμῶν.

28. *Coram eo*] Ebraice, *coram te.* Sed in Lxx. ἐνώπιον αὐτοῦ.

Cognationes] αἱ συγγένειαι, A. Symm.

30. *Omnes pingues terræ*] πάντες οἱ πίονες τῆς γῆς, Lxx. Quanquam in Pſalterio Rom. *omnes divites terræ*, quod in ſententia non in verbis.

Qui deſcendunt in pulverem] Morituri : hinc eliciunt divinitatem apparere morientibus.

In pulverem] εἰς χοῦν, Theod.

Et anima ejus non vivet] Ebraice, *& animam ſuam non vivificavit*, i. conſervavit in vita. Etiam Græci Lxx. legerunt חיה pro חיה nam vertunt ζῇ. Iidem לו accipiunt pro לו αὐτῷ *ei*, vel, *ſibi.* Sic etiam Aquila referens, αὐτῷ ζῇ : Quid ſi; *& animam ſuam ſibi conſervaverit?* Cave ſpernas; hoc ſenſu לא accipitur Jeſ. 9. 3. & 49. 5. item Pſal. 100. 3. & 139. 16. & 2. Reg. 8. 10.

31. *Semen*] Semen Abrahæ. Interpres Chaldæus.

In generatione] Malim, *ingenerationem*, vel, ſi magis probas, *in ætatem.*

32. *Juſtitias ejus*] Alibi, *juſtitiam ejus.* Sic etiam eſt in Ebræo, & in Lxx. τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ.

Quem fecit] ὃν ἐποίησε, Lxx. Lectio varians, *quæ fecit.* Malim, *quas fecit* : ſed putarim Hieronymum ſcripſiſſe, *quia fecit*, quod in Aquila & Theodotione, ὅτι ἐποίησε.

DOMINI] Non eſt in Ebræo, ſed legitur in Editione τῶν ό. *quia fecit* i. operatus eſt, aut, fecit judicium. Sic alibi; *Et erunt mihi in die, qua ego facio, peculium.*

P S A L. XXIII.

1. *Paſcit me*] Vel, *paſtor meus eſt.* Græce eſt, ποιμαίνει με: quod redditum in Gallico & Romano; *regit me.* malim hoc loco, *paſcit me.* Lege ſequentia.

Nihil mihi deerit] οὐδέν με ὑστερήσει, Lxx. Verbum è verbo, *non deficiam.*

In paſcuis herbarum] i. Herbidis. Sign. virentia herbis loca, quæ paſcua præbent ovibus & capris. Alii, *in caulis herbidis.* Sed נאות *paſcua* interpretantur Pſal. 61. 13. etiam Tremellius & Arias. Mirum autem cur hic Santes poſuerit, *in tuguriis* : nam oves non cubant in tuguriis, ſed in caulis, aut in locis paſcuis.

Acclinavit me] Emendant, *accubare facit me*, malim *cubare*, aut *recubare facit*, nam *accubat* proprie, qui juxta aliquem cubat. Tamen Gen. 49. 9. רבץ Hiero. *accubuiſti.* Aquila vero κατεκλίθης, *reclinatus es* : hic habet κατασκηνώσει με. Sic etiam Symmachus & οἱ ό, nec aliter interpres Chaldæus.

Super] Juxta, prope. Sic Livius dixit, *ſuper Numicum amnem.*

Aquas] vel *aquam*, ut eſt in Lxx. ἐπὶ ὕδατος.

Refectionis] *Aquæ requietum* i. lenis, placida. *Quietum* ſive *requietum*, eſt in Ebræo, i. placide ac leniter fluentis. Sed Græci legunt ἀναπαύσεως, quod interpretantur, *refectionis.* Id Hiero. nunc ſecutus fuit.

Enutrivit me] ἐξέθρεψέ με, Lxx. Alii, *ducit me*, ego, *agit me.* Virg. *Et potum paſtas age Tityre*, proprie *aquatum agere*, ad aquarium ducere. Barbari *minare* dicunt, quo verbo uſus eſt Feſtus; *Agere*, *ante ſe pellere i. minare.* reperio & *ingere* eodem ſignificatu. Chaldæus hic habet דברני *ducit me.*

3. *Refecit*] ἀνεκτήσατο. E Symm. laudatur ἀνεκτήσατό με; quod idem cum illo ἀνεκτήσατο τὴν ψυχήν μου, *refecit animam meam.*

Per ſemitas] δι' ἀτραπῶν, *per calles.* Symmachus.

4. *In valle mortis*] Legendum, *in valle umbræ mortis.* Sic eſt diſerte in Hiero. Plantini. Græci quoque legunt σκιᾶς θανάτου.

Baculus] Scipio, pedum paſtorale, Græce eſt, ἡ βακτηρία σου.

5. *Pones*] Inſtrues.

Ex adverſo] ἐξ ἐναντίας. Lxx. Santes, *contra*; Alius, *è regione* : alius, *inconſpectu*: nam in Ebræo eſt נגד.

Impinguaſti] Pingueſeciſti, ἐλίπανας *pingue ac delibutum reddidiſti.*

Oleo] Alibi eſt, *in oleo*, & Græce, ἐν ἐλαίῳ. *Oleum* autem dicit *unguentum*, quod hic in nonnullis editionibus nuperis.

Calix meus] ποτήριόν μου. Theod. V. & VI. editiones. קליד interpres Chaldæus. Quod noto, propter affinitatem, quam habet ea vox cum Latina *calix*, ut neſcias, ſitne dictus *calix* à Chaldaico קליד an contra Chaldaicum à Latino.

Inebrians] μεθύσκον, Lxx. Theod. Symm. V. & VI. Alii, *exuberans.* Santes, *ſaturus.*

6. *Sed &*] אך Geneſ. 20. 12. Lxx. ἀλλά : recentior interpres, *ſed.* Symmach. πλὴν, *veruntamen*, Alii, *profecto*, *utique.*

Benignitas] Alii, *bonum* i. ἀγαθόν. Sic etiam Symmachus.

Subſequentur me] Alii, *proſequentur.* Alii, *ſequentur* : alii *perſequentur*; nam etiam in bonis eo verbo utuntur.

Et habitabo] Sic etiam Santes, verbum è verbo, *& ſedere meum*;

meum; ut poſſis vertere, & ſedes mea i. habitatio: ita Symm. ἡ κατοίκησίς μου. Arias, & revertar: quod minus placet.

In longitudine] Malim, *in longitudinem*. Vult dicere, in longum tempus.

PSAL. XXIV.

1. *Pſalmus David*] Alii codices legunt, *David Pſalmus*: qui ordo etiam eſt in Ebræo.

Prima Sabbathi] Non eſt in aliis codicibus: ut nec in Ebræo: ſed & aberat olim, teſte Theodoreto, in Exaplo. Vulgata exemplaria Græca variant: nam in aliis τῆς μιᾶς σαββάτου, i. *prima Sabbathi*. & in aliis, τῆς μιᾶς τῶν σαββάτων, i. *prima Sabbathorum*: perinde eſt; nam τὰ σάββατα, *ipſum Sabbathum*.

2. *Super maria*] Juxta maria. Sic mox, *ſuper flumina*. juxta flumina. Expoſitio auro contra non cara.

Eum] Orbem. Ebraice eſt *eam*; nam etiam *orbis* vocabulum fœmin. eſt in ea lingua.

Super flumina] Symm. σὺν ποταμοῖς, quod reddunt, *cum fluminibus*. ego, *apud flumina*. Sic alibi, σὺν τῷ προσώπῳ σου, *apud vultum tuum*. Notum ut עַל pro עִם ſive אֵת accipiatur.

Stabilivit eum] ἡτοίμασεν αὐτήν. Symm. Eadem vis in illo, ἡτοίμασεν αὐτήν: nam ἕτοιμος, *firmus*, *ſtabilis*. Sic uſurpatur ea vox in lingua Helleniſtica.

4. *Innocens*] ἀθῷος, Lxx.

Mundo corde] καθαρὸς τῇ καρδίᾳ. Iidem.

Non exaltavit fruſtra animam ſuam] Alii, *non ſuſtulit in vanum animam ſuam*. Alii, *non extulit ad vanitatem animam ſuam*. Prius enarrant; *non juravit temere aut levi de cauſa*; quæ expoſitio firmatur lectione Maſſoritarum, nam legunt; *animam meam*. *Tollere animam*, ut *tollere nomen*. Sic in Decalogo; *non tolles nomen Dei tui in vanum*. Chaldæi hic legunt, *non juravit mendaciter damnando animam ſuam*.

Fruſtra] Sic interpretatur & Pſal. 127. 2. ubi Aquila εἰκῇ. Symm. μάταιον, Lxx. εἰς μάτην. hic habent, ἐπὶ ματαίῳ לַשָּׁוְא A. reddit Prov. 30. 8. εἰκαιότητα, *vanitatem*, *futilitatem*.

Animam ſuam] Vel, *animam ejus*, nempe Dei: verba Ebræa ad utramque interpretationem ambigua ſunt.

Doloſe] Id Græce legitur, ἐπὶ δόλῳ, & Chaldaice, לִנְכְלָא *fraudulenter*.

Et juſtitiam à Deo] Hæc verba deſiderantur in Edit. Plantini.

Juſtitiam] Lxx. ἐλεημοσύνην, quod reddunt, *miſericordiam*. Notum, ut צדקה pro *eleemoſyna* ponatur. Hic potius *benignitatem*, ſive *liberalitatem* deſignat.

A Deo ſalutari ſuo] Melius alii ex Ebræo, *à Deo ſalutis ſuæ*. Neque recte Lxx. παρὰ θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ: nam σωτὴρ potius מוֹשִׁיעַ dicitur.

6. *Generatio*] ἡ γενεά, i. *genus hominum*.

Faciem Dei] Lxx. πρόσωπον θεοῦ. Mirum ſi non ex σου, factum θεοῦ. ut ut ſit, ceteri codices habent *faciem tuam* τὸ πρόσωπόν σου. Quæ lectio convenit cum veritate Ebraica.

Sela] Alibi eſt *ſemper*. Rabbi David, Pſal. 3. *Dictionem Sela plerique dicunt ſignificare, in ſeculum; & ſic interpretatur eam Jonathan in precatione Habacuc, & hoc ſignificatu claudit preces noſtras.* Vide quæ ſcripſimus ad illum Pſalmum.

Erigimini] Alias, *elevamini*. A. ἐπάρθητε.

Janua ſempiterna] ἀνοίγματα αἰώνια. Idem qui ſupra.

Rex gloriæ] Arca fœderis.

8. *Fortis in prælio*] Libri alii, *potens in prælio*, quæ ſcriptura melior eſt; nam in Ebræo גִּבּוֹר & in Græco δυνατός. fortis i. עִזּוּז κραταιός.

9. *Janua ſempiterna*] Portas templi ſignificat juxta illud; *hæc eſt requies mea in ſeculum ſeculi*: nam ut templum æternum erat, ita portæ & januæ, quæ in eo. *Æternum* autem dicitur aliquando, quod in multos annos durat.

10. *Exercituum*] τῶν δυνάμεων. Hinc intelliges, quid ſit, *DOMINUS virtutum*, quod in antiquis edition. quæ ex Græco.

PSAL. XXV.

1. *Aleph*] Nomina litterarum, quæ in Fabri edit. abſunt ab ea, quam Plantinus excudit. Significat autem, eos verſus incipere ab illis litteris.

Levabo] Levo, tollo.

2. *Ne confundar*] Alibi, *non confundar*, prius quadrat cum Ebræo.

Ne lætentur] Alii, *ne exultent de me*.

3. *Sed &*] καὶ γάρ, Lxx. Ebraice eſt *etiam*.

Non confundantur] Diverſa lectio, *non confundentur*. Græce autem eſt, οὐ μὴ καταισχυνθῶσι: & in Pſalterio Gallico *non confundentur*; in Romano autem, *non confundantur*. Hinc varietas, quæ in Hiero. ut opinor.

Qui iniqua gerunt] Idem cum illo, *qui iniqua faciunt*, quod Græce legitur in Lxx. οἱ ἀνομοῦντες, i. *inique agentes*. Ceteri emendarunt, οἱ ἀποστατοῦντες, i. *deficientes*, aut *perfide agentes*, aut *prævaricatores*.

5. *Salvator meus*] ὁ σωτήρ μου. Lxx. Vera interpretatio, *Deus ſalutis meæ*. Vide quæ notavimus 24. 5.

Te exſpectavi] Supra v. 3. קוֶֹיךָ Aquila, *qui exſpectant te*, ὑπομένοντες.

6. *Ex ſempiterno*] Alias, *à ſempiterno*.

Zai] Hæc littera hodie *Zain* vocatur cum Nun in fine: ſed antiqua ſcriptura *Zai* damnanda non eſt penitus. Ei firmandæ eſt interpretatio vetus, *Zai*, *hac*: tum etiam elementum Græcum ζῆτα. *Zai*, *Zeta*, ut *Beth*, *Beta*: ut לֵוִי Λευὶ, יְרוּשָׁלַיִם *Jeruſalem*. Conſule Alphabetum vetus.

Heth] Abeo eſt ἦτα Græcum. *Heth*, ἦτα, ut *Beth*, *Beta*, ut *Teth*, *Theta*, ubi & tenuis in aſpiratam mutatur.

9. *Modeſtos*] Hos paullo ante *manſuetos* appellavit; nam eadem vox in Ebræo, etiam apud Græcos πραεῖς.

Joth] Unde ἰῶτα, aſpirata in tenuem verſa. Hodie ſcribunt *Jod*, dubito an recte.

10. *Teſtificationes ejus*] *Teſtimonia ejus*.

Caph] Malim *Chaph*.

11. *Grandis*] Alii *multa*, πολλή.

Lamech] Repone *Lamed*.

14. *Secretum*] κραταίωμα. A. μυστήριον. Theod.

15. *Oſtendet eis*] δηλώσει αὐτοῖς.

Semper] Jugiter.

16. *Solus*] μόνος, Symm.

17. *Tribulationes*] αἱ θλίψεις.

Multiplicatæ ſunt] ἐπληθύνθησαν. Theod. In Pſalterio Rom. *dilatatæ ſunt*. ita etiam eſt in Graduali Miſſæ. Videtur aliquando ſcriptum fuiſſe in Edit. τῶν Lxx. ἐπλατύνθησαν, nam etiam Symm. vertit, πλατεῖαι, credo etiam Hieron. vertiſſe, *dilatatæ ſunt*.

De anguſtiis meis] ἐκ τῶν συνοχῶν μου. A. Idem dicit, ἐκ τῶν ἀνάγκων μου: nam ἀνάγκη *anguſtia* i. צוק. Vide Quæſt. meas.

18. *Humilitatem meam*] τὴν ταπείνωσίν μου. Alii, *afflictionem meam*.

Porta] ἄφες, *condona*, *dimitte*; aut, *fer*, *tolera*. Idem verbum in eo; *agnus Dei*, *qui tollit peccata mundi*, qui tollit è medio, aut, qui condonat.

19. *Multiplicati ſunt*] Multi ſunt.

Odio iniquo] μῖσος ἄδικον, Lxx. Alii, *odio violento*.

20. *Non confundar*] *Ne confundar*.

21. *Simplicitas*] ἁπλότης. mox 26. 1. בְּתֻמִּי A. ἐν ἁπλότητι, *in ſimplicitate*.

Æquitas] εὐθύτης.

Exſpectavi te] ὑπέμεινά σε.

22. *Anguſtiis ſuis*] Prætulerim, *ejus*. Sic Græce θλίψεων αὐτοῦ.

PSAL. XXVI.

1. *Pſalmus David*] Codices alii non habent dictionem *Pſalmus*, quæ etiam abeſt in Ebræo. Supra 25. 1. ubi Fabri editio, *Pſalmus David*. Alia, quam Plantinus excudit, tantum habet *Pſalmus*, licet in fonte ſit *David*, ut hic quod ceteri tranſlatores dixerunt τοῦ Δαυίδ, i. *Davidis*, & ſubint. *canticum* aut *Pſalmus*.

Judica me] κρῖνόν με, A. Theod. Symm.

In ſimplicitate mea] ἐν ἁπλότητί μου. A.

Non deficiam] οὐκ ἀτονήσω, Idem. Lexicon Vet. ἀτονῶ, *caſſo*, *deficio*: ἀτονία, *defectus*. Pſal. 18. 37. מָעֲדוּ Hieron. *deficient*. Santes quoque ita interpretatur hoc loco. Alii, *non nutabo*: Alii, *non vacillabo*, quod Græce legitur in Edit. Rom. οὐ μὴ σαλευθῶ. Chaldæus, *non emovebor*.

2. *Ure*] πύρωσον, Lxx. Id reddunt, *ure*. Idem verbum ſignificat, *igne proba*, aut *purga*: unde πεπυρωμένος χρυσός, *aurum igne excoctum & probatum*. Sic interpretatur Hieron. Pſal. 12. 9. πεπυρωμένον, *igne probatum*: alius, *purgatum*: alius, *excoctum*. Ebraice enim eſt צָרוּף. Rurſum Pſal.

Pſal. 105. 19. צרפתהו, Lxx. ἐπύρωσεν αὐτὸν. Hieron. *probavit eum.*

Non ſedi &c.] Capiendum ut Pſal. 1. 1. *& in cathedra deriſorum non ſedit.*

Vanitatis] i. vanis ac mendacibus.

Cum ſuperbis] Quærenda cauſa hujus interpretationis; nam alii aliter interpretantur. Nota eſt Græca verſio παρανομούντων. Vox Ebræa appellationem habet ab *occultando.* Unde quidam *ſimulatores & hypocritas* denotari putant, qui videlicet occulta & latentia homines crimina committunt. Abenezra homines mundanos ſignificari putat, quia mundus in lingua ſapientum עלם appellatur. Tales à Theologis etiam *ſeculares* dicuntur. עולם autem *ſeculum* ſignificare notius eſt, quam ut probari debeat.

Non ingrediar] Vel, *non ibo.* בא enim etiam *eo* ſignificat.

5. *Odivi*] Præteritum ab indicativo *Odio*, *odis*, quo uſi ſunt veteres. Legitur in Pſalterio Gallico & Rom. Cicero quoque in tertia Philipp. *Mihi quidem*, inquit, *conſtat non deſerere partes, quas Pompejus odivit.* Hinc etiam *odirem* apud Chariſium lib. 3. & *oſi ſunt* apud Feſtum.

Cum iniquis] Græce eſt μετὰ ἀσεβῶν, *cum impiis.* Sic etiam hodie interpretantur ex Ebræo. Quanquam ſunt qui reponant, *cum improbis*, nam id latius patet.

7. *In innocentia*] ἐν ἀθωότητι A. Prov. 1. 11. לנקי A. ἀθῶον. Hieron. *inſontem*, eadem ſententia in illo, ἐν ἀθώοις, *inter innocentes.*

8. *Ut clara voce prædicem laudem*] Aliquot libri, *ut audiam vocem laudis.* Quod ſumptum putarim è Pſalterio Gallico; Nam in Romano, *laudis tuæ.* Ebraice eſt, *ut audire faciam vocem laudis.* Sed Græci videntur legiſſe לשמע quod tamen pono, non ſtatuo.

Laudem] αἰνέσεως. Sic fere Aquila.

Et narrem] Alibi, *& enarrem.*

9. *Ne auferas*] Ebraice eſt, *ne colligas*: cui lux ex illo; *collectus ad populum ſuum.* Santes hic habet, *ne conſumas.* Sic alibi, *& piſces maris colligentur*, i. morientur, exſtinguentur.

Viris ſanguinum] Homicidis.

Animam meam] Mox ſe explicat cum ait, *vitam meam.*

10. *Muneribus*] *Munere*, eſt in Ebræo. Hoc eſt ſingul. pro plur. שחד proprie *munus quod datur ad corrumpendum judicem.*

11. *In ſimplicitate mea*] ἐν ἁπλότητί μου.

12. *In recto*] *In æquo & plano.* Hoc eſt ἐν ὁμαλῷ. Quod Symm. tribuitur. Vide Fragmenta.

PSAL. XXVII.

1. *Pſalmus David*] Dele vocem *Pſalmus*, quæ abeſt in alio codice, quo uſus ſum, nec legitur in Ebræo, nec etiam in editione Romana τοῦ ὁ.

Salutare meum] *Salus mea.* mirari lubet, cum in Græca ſit σωτήρ μου, in Latina Romana & in utroque Pſalterio haberi, *Salus mea*, i. σωτηρία μου. nam *ſalutare* i. σωτήριον.

3. *Si ſteterint*] חנה *caſtra loco* aut *pono.* unde מחנה *caſtra*, quod mox ſequitur. Sic παρεμβάλλω *caſtra metor*, & παρεμβολή, *caſtra.* Gen. 33. 18. ויחן Lxx. καὶ παρενέβαλε, *& caſtra poſuit.*

Non timebit cor meum] Idem cum illo, *non timebo ego.* Sic Ennius; *quem credidi eſſe meum cor*, pro, quem ego credidi.

4. *Ut habitem*] Vel, *ut ſedeam* i. maneam. Verbum pro verbo, *Sedere meum.*

Pulchritudinem DOMINI] Pſal. 90. 17. Idem interpretatur, *decorem* DOMINI. Senes hic habent, τερπνότητα, *delectationem.* Sed in utroque Pſalterio, *voluntatem*, ut fortaſſe legendum ſit, *voluptatem.* Sunt qui referant, *amœnitatem.* In edit. Rom. Symm. pro τὴν τερπνότητα τὸ κάλλος, i. *pulchritudinem decorem.*

Attendam templum ejus] Alii, *ut inquiram in templo ejus.* *Attendam* i. conſiderabo, attente contemplabor aut quæram. In Pſalterio Gallico, *& viſitem templum ejus.* Quod Græce eſt, καὶ ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν αὐτοῦ. Sed in Romano legimus, *ut protegar à templo ſancto ejus*: cujus interpres forte legit ἐπισκέπεσθαι. nihil affirmo. Hoc tantum, בקר aliquando ſignificare *viſito.* unde בקור החולים *viſitatio ægrotorum*: Ergo Arias hic repoſuit, *ad viſitandum.* Sunt, qui à בקר derivant. Id ſignificat *matutinum tempus*, ut בקר ſit, *mane* i. *diligenter & cum cura aliquid inquiro.* Docti expendent.

In umbra ſua] Sic interpres Chaldæus. Siquidem טללא *umbra.* uterque autem intellexit, *umbraculum.* Sic *umbra* vocabantur Neptunalibus, Auctore Feſto, *caſa frondea* pro tabernaculis. Græce eſt; ἐν σκηνῇ αὐτοῦ. eſt autem σκηνή *tabernaculum*, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, ut quidam volunt. Notabis etiam in Ebræo eſſe סכה pro סכו ut Pſal. 10. 9. ubi de *luſtro ferarum* uſurpatur.

6. *Exaltavit*] Prætulerim, *exaltabit.* Nam forte legit ירים, aut ſecutus eſt Lxx. in queis ὕψωσε legitur. Ceterum in fonte eſt ירום, quod melius ab Aquila redditur ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου, *exaltabitur caput meum.*

Qui ſunt in circuitu meo] τῶν κύκλῳ μου. A. Th. Symm.

Hoſtiam jubili] θυσίαν ἀλαλαγμοῦ, Lxx. Partim codicum, *hoſtias jubili.* & ſic eſt in Ebræo.

7. *Invocantis*] Senſum expreſſit, non verba: nam in Ebræo ad verbum, *clamabo*, ſive *clamo.* Quidam, *voce me clamantem*: alii, *vocem meam qua clamo.* Sic fere Lxx. Licet etiam exponere; *vocem meam, dum clamo.*

Tibi dixit cor meum &c.] Verſum hunc male verſum ita in viam reduces: *De te dixit cor meum. Quærite faciem meam: faciem tuam* DOMINE *quæram.* Quanquam aliter alii. fruatur quiſque judicio ſuo. Nos nemini præſcribimus.

Quæſivit vultus meus.] Legit בקש immutatione unius apicis. Sic etiam legerunt A. & Symm. nam ille transfert; ἐζήτησαν πρόσωπά μου, *quæſiverunt facies meæ.* Hic vertit; σε ἐζήτησε τὸ πρόσωπόν μου, *te quæſivit vultus meus.* Cui conſonat, quod in Pſalterio Gallico: *exquiſivit te facies mea.*

9. *Ne declines à ſervo tuo*] μὴ ἐκκλίνῃς ἀπὸ τοῦ δούλου σου. Lxx. interpretantur אל תט, quod nunc in fonte, אל תט *ne declinare facias ſervum tuum.*

A ſervo tuo] מעבדך.

In furore tuo] Pronomen additum à Hieron. qui etiam *furorem* pro *ira* uſurpat; nam Ebraice eſt באף, & Græce ἐν ὀργῇ.

Deus ſalvator meus] ὁ θεὸς ὁ σωτήρ μου. Lxx. Alii ex Ebræo, *Deus ſalutis meæ*, quod probo.

10. *Collegit me*] *Colliget.* eſt in Ebræo. Hinc אסופי in lingua ſapientum, *puer è platea collectus*, incertoque patre natus, quem vulgo *expoſititium* appellant. Adito ſis ad Quæſt. meas.

11. *Oſtende mihi*] ὑπόδειξόν μοι, Symm. Sic Exod. 4. 12. הוריתך, idem Symm. ὑποδείξω, *oſtendam*, *demonſtrabo*: & Pſal. 119. 33. הורני Symm. ὑπόδειξον. Hieron. *oſtende.* Aquila hic habet, φώτισόν με, *illumina me.* Sic etiam Theodotio. Lxx. νομοθέτησόν μοι, *legem pone mihi.*

Inſidiatores] Obſervatores.

In ſemita recta] Per ſemitam rectam.

12. *Animæ*] i. libidini.

Tribulantium me] θλιβόντων με. Quanquam in Pſalterio Gallico, *perſequentium me.*

Teſtes falſi] Sic etiam Aquila. Alii, *teſtes mendaces.* & Symm. μάρτυρες ψευδεῖς.

Et apertum mendacium] A. *Et apparuit injuſtitia.* Symm. καὶ ἐξεφάνη ἡ ἀδικία. יפח error in Ain & Heth. Alii, *& qui ſpirat* ſive *efflat violentiam.* Sed חמס vetuſta interpretatione *iniquitas* non *mendacium* aut *violentia.* Vide Pſal. 7. 17. Quanquam eo vocabulo denotetur omne ſceleris genus ad intervertendum res alienas comparatum. Unde *rapinam* alii, & alii, *injuriam* interpretantur. Sic Prov. 8. 36. חמס A. Symm. ἀδικεῖ *injurius eſt.*

13. *Ego autem*] Male ita interpretatur לולא cum ſignificet *niſi.* eſt enim particula, ut videtur, compoſita ex לו *ſi* & לא *non.*

Credo] πιστεύω. ita Lxx. nam in Aquila ἐπίστευσα, *credidi.* & in Symm. ἐπίστευον, *credebam.*

Quod videam bona DOMINI] Ebraice, *videre bonitatem* DOMINI. Quod Symm. tranſtulit ἰδεῖν τὴν ἀγαθωσύνην Κυρίου. A. τοῦ ἰδεῖν ἐν ἀγαθῷ Κυρίου. Forte legit בטוב pro טוב.

14. *Suſtine* DOMINUM] Idem cum illo, *expecta* DOMINUM. Græce eſt utrobique, ὑπόμεινον τὸν Κύριον. Hinc ὑπομονή *expectatio cum ſpe.*

PSAL. XXVIII.

1. *Clamabo*] κεκράξομαι.

Fortis meus] Alibi vertit, *Deus meus*; ut Pſ. 18. 42. i. ὁ θεός μου. quod heic & alibi poſuerunt οἱ ο΄.

Ne obſurdeſcas] μὴ κωφώσῃς A.

Mihi] Ebraice ad verbum, *à me.*

In lacum] i. in foveam; ſign. autem ſepulchrum. Porro cauſa eſt cur ſcribi malim, *in laccum*. nam Græce ſcribitur λάκκος; & ita ſcriptum Latine hoc nomen in Gloſſario veteri. *Lacus* per unicum (c) aliud eſt.

Iis qui] Alias, *his qui*. Sed hoc leve.

2. *DOMINE*] Non erat in alio codice, quo uſus ſum; nec habetur etiam in Pſalterio Romano. Forte huc tranſlatum ex Gallico, ubi diſerte additum eſt.

Deprecationem meam] Emenda ex aliis libris, *vocem deprecationis meæ*. Quanquam in fonte; *deprecationum mearum*.

Oraculum] Adytum templi. Hieron. Epheſ. I. *Debirnos oraculum ſive reſponſum poſſumus appellare, & ut contentioſius verbum exprimamus è verbo*, λαλητήριον, *id eſt locutorium.* Oraculum i. χρηματιστήριον, locus in quo redduntur oracula. Theodotio hic retinuit nomen Ebraicum Δαβίρ. Sed 3 Regum 6. 19. notatum ex Aquila & Theod. χρηματιστήριον *oraculum*. Hinc lucem facies Eſdræ I. ἐκάθισεν ἐν τῷ χρηματιστηρίῳ: quod reddunt *ſedit in concilio*. Expende: nam χρηματίζω aliquando *jus reddo*, reſponſum do poſtulatis aliorum.

3. *Ne tradas me*] ſuſpicor Hieron. ſcripſiſſe, *ne trahas me*, unius litteræ immutatione. Qui error etiam in Pſalteriis Gallico & Romano. Nam Græce eſt, μὴ συνελκύσῃς: quod redditum ibi; *ne ſimul tradas*. Sic eſt quoque in Vulgata. Quanquam in libris emendatioribus, *ne ſimul trahas me*. de qua ſcriptura dubitare non debemus, nos præſertim, qui ſcimus, verbum מָשַׁךְ non ſignificare *tradere* ſed *trahere*. Sane ſi hoc voluiſſet prophetes, dixiſſet, meo judicio אַל־תִּתְּנֵנִי vel אַל־תַּסְגִּירֵנִי. nam מָסַר *trado*.

Cum amicis ſuis] Senſus eſt, ut ſi diceret, *cum aliis*. Græci legunt, μετὰ τῶν πλησίον αὐτῶν, *cum proximis ſuis*, eadem ſententia. Sic legem illam, *diliges proximum tuum*, Apoſtolus interpretatur, τὸν ἕτερον i. *alium*.

4. *Secundum malum*] An legit רַע? Nam רֹעַ magis denotat *malitiam* ſive *nequitiam* i. πονηρίαν, ut recte Senes interpretantur.

Adinventionum ſuarum] Sic interpretatur idem vocabulum Hoſ. 7. 2. & Zach. 1. 4. In priore loco A. & Symm. habent ἐπιτηδεύματα, ut etiam hic Lxx. quod reddunt *ſtudia*, *inſtituta*. Sed Malach. 2. 11. ἐπετήδευσεν εἰς θεοὺς ἀλλοτρίους exponitur, *adinvenit Deos alienos*.

5. *Deſtrues eos & non ædificabis*] In Ebræo eſt ſine ulla ambiguitate, *deſtruet eos & non ædificabit*, in tertia perſona: quam fortaſſe Hieron. etiam poſuit, ut corrumpendo loco fuerit primum Edit. Græca τῶν ό. Deinde verſus ſuperior, ubi legimus, *Da eis ſecundum opus ſuum*, &c.

6. *Qui audivit*] in diverſa ſcriptura eſt *quoniam*, ut in Ebræo כִּי, & in Græcis ὅτι i. *quia*. Forte corrumpendo loco fuit eadem littera ſequens, quod in Græcis editionibus crebrum.

Deprecationis meæ] τῆς δεήσεώς μου. Lxx. Quod noto, quia in fonte eſt, *deprecationum mearum*.

7. *Habui adjutorium*] i. Adjutus ſum. Quod Græce legitur in Lxx. ἐβοηθήθην. *Habere adjutorium* ita dixit ut *habere præſidium*. Cæſar de bello Gall. lib. I. Porro *adjutorii* vox invenitur cum alibi, tum in Fragm. operum Cic. Quod ante me Victorius obſervavit.

Gaviſum eſt cor meum] ἠγαυρίασεν ἡ καρδία μου, A. ἠλαφρύνθη ἡ καρδία μου, Symmach. *exultavit cor meum*, Santes. Jeſ. 22. 2. עַלִּיזָה Jonathan *læta* ſive *lætabunda*. Sic etiam Abenezra. In hoc eſt שְׂמֵחָה: in illo autem חֲדוָה. In Procopio ad marginem, πόλις γαυριῶσα, *exultans* vel *exultabunda*. Dicitur de equo exultante.

In cantico meo] i. *Cantico meo*. Quod Symm. dixit ἐν ᾠδαῖς μου, *in odis meis*. Alias *in canticis meis*. Ebraice eſt, *è cantico meo*. & in Aquila, ἀπὸ ᾄσματός μου. *E cantico* i. *è canticis*. & eſt ſenſus, cantico aliquo eximio. Vide libellos meos.

Confitebor illi] ἐξομολογήσομαι αὐτῷ. Lxx. Sic etiam Aquila. Nam in Symm. ὑμνήσω αὐτόν. *hymnos dicam ei*, אֲהַלְלֶנּוּ.

8. *Fortitudo mea*] Non *mea* eſt in fonte. Sed *eis* i. לָמוֹ vel certe, *ei*. Santes habet *eorum*: ad ſenſum non male. *mea* i. לִי.

Salutarium] Melius, *Salutum*.

PSAL. XXIX.

1. *Pſalmus David*] Ita legendum non ut in aliis, *David Pſalmus*. Quanquam parum refert, hoc an illo ordine legatur.

Filios arietum] υἱοὺς κριῶν, eſt in Lxx. quos nunc ſecutus eſt etiam Santes. Alii maluerunt, *filii fortium*: Alii, *filii deorum*. Euſebius legit ex Ebræo, *filii arietum*, quod exponit, *patriæ gentium*, aut, *cognationes populorum*.

Imperium] κράτος, A. Lexicon Græco-Latin. Vet. κράτος, *hoc imperium*. & Lat. Græc. *Imperium*, ἡγεμονία, κράτος, βασιλεία.

2. *Nomini ejus*] ὀνόματι αὐτοῦ. Lxx. Alii, & melius, *nominis ejus*. Sic Editiones antiquæ, ἐντρέπειαν ὀνόματος, *decus nominis*.

5. *Confringens*] Alibi eſt, *confringentis*. quod ex Græco, ut videtur, irrepſit in textum Hieron. nam ibi eſt, συντρίβοντος: quod minus probo.

6. *Diſperget eas*] Inepta verſio. Nam רקד etiam interprete Hieron. *ſubſilire*. Pſal. 114. 4. Cur hic aliter vertit? Melius V. Edit. σκιρτοποιήσει, *exultare faciet*: vel, ſi mavis, *ſubſilientes faciet*. Id A. extulit σκιρτήσει. & Symm. ὀρχήσασθαι ποιήσει, *ſaltare faciet*. Prius erat in Lxx. λεπτυνεῖ, *comminuet*. & hoc male.

Quaſi vitulus Libani] In aliis eſt, *Quaſi vitulus: Libanus* &c. Quæ lectio in omnes partes melior eſt. Sed quid diſpergit vitulus? Vulgo dicimus, *Vara vibicem ſequitur*. Debuiſſet vertere, *ſubſilire faciet eas tanquam vitulus*. Senſus eſt, ut vitulus ſubſilire ſolet. Nec improbo, *tanquam vitulum*, quod in Sante; & in V. ὡσεὶ μόσχον. In Edit. Romana citatur hic Hieron. locus *tanquam vitulum*, quod de vitulo aureo intelligunt, qui in fruſta diſperſus & comminutus fuit. Sed vide ſis Edit. illam.

Quaſi filius rhinocerotis] vel *monocerotis*. aliud *rhinoceros*, & aliud *monoceros*. Hæc confundenda non erant à viro docto. Monoceros Latine unicornis dicitur. Unde in Pſalterio Gallico, *unicornium*, & in Romano, *unicornuorum*. Pro eo quod Græce legitur μονοκερώτων; Ebraice autem eſt רְאֵמִים, quod etiam Santes reddit, *unicornium*. Sed forte Hieron. Aquilam ſecutus eſt, qui Job 39. 9. רים interpretatur ῥινόκερως, ut etiam Santes. Scire licet, hæc duo nomina apud ſacros ſcriptores confundi, ut etiam apud nonnullos medicos. Tertullianus quoque *rhinoceros unicornis* dixit, cum is non unum ſed duo gerat cornua, alterum in nare, alterum ſuperne in fronte.

7. *Dividens*] διαιρῶν. Prius in Symm. erat κατακόπτοντος, *dividentis*. Sed eſt cur malim, *ſecantis*. Græce eſt in Lxx. διακόπτοντος.

8. *Deſertum*] Feras deſerti.

Parturire faciet] σεισθήσεται. Symm. ὠδινήσει Aquila. Paullo ante *parturire faciens*, idem Symm. σείοντος, *parturire facientis*. & A. ὠδίνοντος, quæ duo eandem ſententiam continent.

Caddes] ſcribe *Cades*, unica (d) i. Καδής. Quanquam *Caddes* ſcriptum in Pſalteriis Gallico & Romano.

9. *Obſtetricans*] μαιουμένη. Secutus autem videtur Quintam, in qua μαιουμένου, i. *obſtetricantis*. Duntaxat obliquum caſum in rectum mutavit. Ceterum Ebraice eſt יְחוֹלֵל, quod Aquila reddit ὠδινῶσαι ἐλάφους, *parturire facientis cervos*. Symmachus nove interpretatur πληθύνοντος πεδία, *multiplicantis campos*. de quo alias.

Revelans] ἀποκαλύψει. Alii, *detegit*. Alii, *denudat*.

Loquetur] *Loquens erit* i. loquetur. Ceterum non eſt מדבר in fonte: ſed אֹמֵר *dicens*.

10. *Diluvium inhabitat*] τὸν κατακλυσμὸν κατοικιεῖ. Lxx. Quidam, *in diluvio ſedebat*. Alii, *ad diluvium ſedet*. Quod A. dixit εἰς κατακλυσμὸν ἐκάθισεν i. *ſedit*. Symm. vero, ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐκάθισεν, *in diluvio ſedit*.

PSAL. XXX.

1. *Pſalmus Cantici ad dedicationem domus David*] Ordo & conſtructio: *Pſalmus cantici David* i. Davidis, *ad dedicationem domus*. Pro quo in Ebræo & in Lxx. *dedicationis domus* i. ἐγκαινισμοῦ, & τοῦ οἴκου cum articulo, non

quamvis

quamvis domum, ſed eam quæ Dei erat innuente, hoc eſt *domum ſanctuarii.*

2. *Salvaſti me*] Alii, *extuliſti me*; alii, *evexiſti.* Symm. ἀνεβίβασας, *aſcendere feciſti.* Verbum Ebræum ſignificat, interdum *extrahere aquam è puteo.* Unde דְּלִי *ſitula, hauſtorium. Extraxiſti* ergo *me* quaſi è puteo calamitatum i. ſalvaſti me.

Dilataſti] Mendum, ut videtur, ex *delectaſti*, quod in Gallico & Romano. Videlicet ex Græco ηὔφρανας. Aut, *dilataſti* i. הִרְחַבְתָּ, quod aliquando ſignificationem habet *delectandi*, ut 119. 32. *quoniam dilataſti cor meum.* i. exhilaraſti me. nam in gaudio cor dilatatur, ut contra in mœrore contrahitur.

Super me] De me.

4. *Eduxiſti*] ἀνήγαγες, Lxx.

Vivificaſti me] ἀνεζώωσάς με. Symm.

Ne deſcenderem] Legit מִיָּרְדִי quæ lectio firmatur auctoritate Maſſoritarum. Ceterum in ſcriptura eſt מִיּוֹרְדֵי, quod Græci vertunt, ἀπὸ τῶν καταβαινόντων; & Santes, *à deſcendentibus.*

In lacum] εἰς λάκκον.

5. *Cantate*] Lxx. Ψάλατε, *Pſallite.* Sic & alii. Santen excipio, qui hic habet, *canite.* ut Pſal. 9. 3. אֲזַמְּרָה Symm. ᾄσω, & Hieron. *canam.* Differre autem videntur *pſallere* & *cantare.* Sueton. in Tito. *Ne muſica quidem rudis, ut qui cantaret & pſalleret jocunde ſcienterque.* Spartianus in Adriano. *Pſallendi & cantandi ſcientiam præ ſe ferebat.* Gellius, lib. 19. cap. 9. *Qui canerent voce, & qui pſallerent. in verbo pſallerent ineſt cantus: præterea pſaltriam & fidicinam aque dici non ignoramus, & Græce eſt* ψάλλω *canto,* ψαλμὸς *cantus.* Pſal. 98. 5. זִמְרָה *carmen quod ore canitur,* ait R. David. Locus eſt; *Pſallite,* ſive ut Hieron. *cantate cithara & voce carminis.*

Sancti ejus] οἱ ὅσιοι αὐτοῦ. Lxx. Id redditum, *ſancti ejus,* in Romano & Gallico. Alii, *benigni ejus*, alii, *miſericordes ejus.* Vult dicere, quos benignitate vel miſericordia ſua complectitur.

Memoriæ] τῇ μνήμῃ, Lxx. Nam μνημόσυνον, quod in Aquila potius *memoriale* denotat.

6. *Ad momentum eſt ira ejus*] Bene ſic explicat, quod in Ebræo ad verbum; *momentum eſt in ira ejus.* Lxx. hic pro רֶגַע videntur legiſſe רגז, nam vertunt, ὅτι ὀργὴ ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ: *quoniam ira in furore ejus.* Sine ulla commoda ſententia.

Vita] i. vita longa, aut vita jocunda.

In repropiciatione ejus] בִּרְצוֹנוֹ. Sic alibi idem רָצוֹן interpretatur, *reconciliationem.* ut Pſal. 69. 14. Vide Notat. ad v. 8. Lxx. hic ediderunt; ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. & Sant. *in voluntate ejus.* malim, *in benevolentia ejus.* Prov. 11. 20. רְצוֹנוֹ A. Theod. εὐδοκία, Symm. θέλημα αὐτοῦ. Hieron. *voluntas ejus.* 12. 2. Aquila, εὐδοκίαν. Eſt autem εὐδοκία proprie τὸ ἀγαθὸν τοῦ θεοῦ θέλημα. ita Græci definiunt.

Commorabitur] αὐλισθήσεται. Lxx. Alii, *pernoctabit.*

In matutino] Mane, εἰς τὸ πρωΐ.

Laus] αἶνος vel αἴνεσις. Sed αἴνεσις proprie *laudatio.* Eſt autem interpretamentum Aquilæ. Jeſ. 49. 13. & 54. 1.

7. *In abundantia mea*] ἐν τῇ εὐθηνίᾳ μου, Lxx. Alii, *in tranquillitate mea.* Symm. ἐν τῇ ἠρεμίᾳ μου. Santes, *in quiete mea.* Sunt etiam qui referant, *in proſperitate mea.*

Non commovebor] Alias, *non movebor.*

8. *In voluntate tua*] ἐν τῷ θελήματί σου, Lxx. Vide quæ ſcripſimus ſupra ad verſ. 6. E Symmacho hic laudatur, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου: unde forte in Romano, *in bona voluntate tua.* Nam εὐδοκία, *bona voluntas.* Quidam *beneplacitum* reddunt. In alio Scholio eſt. Symm. ἐν τῇ διαλλαγῇ, *in reconciliatione,* Sic עֵת רָצוֹן Hieron. exponit, *tempus reconciliationis.*

Monti] τῷ ὄρει. A. Th.

9. *Ad DOMINUM clamabo*] Ebraice eſt, *ad te DOMINE clamabo.* ut etiam Græce, πρὸς σὲ κύριε κεκράξομαι.

10. *In corruptionem*] εἰς διαφθοράν. Lxx. i. *in foveam.* Notamus alibi.

Pulvis] Homo in pulverem redactus, mortuus. Alia ſignificatio, cum dicimus; *homo pulvis.* Sic, *terra & cinis.* In priore accipies Pſal. 22. 16. *In pulvere mortis ponis me.* Sic dico; *pulverem mortis* ſignificat: non illum, ex quo factus Adam primus noſter parens.

11. *Adjutor*] In Ebræo additum, *mihi*; quod ut credam à Hieron. omiſſum fuiſſe, vix adduci poſſum.

13. *Ut laudet te gloria, & non taceat*] ἵνα ᾄδῃ σε δόξα, καὶ μὴ παρασιωπήσῃ. Symm.

PSAL. XXXI.

3. *IN lapidem fortiſſimum*] Malim, *in petram fortiſſimam:* nam lapis communiter אֶבֶן vocatur. צוּר potius eſt *petra* vel *rupes.* Etiam *Deum* ſignificat. Unde hic Lxx. εἰς θεόν, &c.

Munitum] ad verbum, *munitionum.*

4. *Petra mea*] vel, *rupes mea.*

Dux meus eris] Idem cum illo; *duces*, ſive, deduces me.

Et enutries me] De hoc verbo Pſal. 23. 2. Symm. hoc loco habet, τημελήσεις με, *curabis me.* Idem כִּלְכֵּל vertit πέτρα μου. Sic etiam Aquila.

Enutries me] Græce legitur in Lxx. διαθρέψεις με.

7. *Odiſti*] ἐμίσησας, Lxx. Forte mendum eſt pro ἐμίσησα. nam in Ebræo שָׂנֵאתִי *odi.* aut legerunt שָׂנֵאתָ abſque Joth.

9. *Poſuiſti*] Legitur &, *ſtatuiſti.*

10. *Tribulor*] θλίβομαι. Lxx. ad verbum; *tribulatio mihi eſt.* Alii, *anguſtia.* A. ὅτι στενὸν μοι.

Caligavit] Sic etiam Santes. Pſal. 6. 8. & hoc loco apud Euthymium Symmachus. Sed vide ſis Fragmenta, & quæ ſcripſimus ad illum locum Davidis. Ceterum anima non caligat, ut nec venter. Ideo pro *caligavit* alii poſuerunt, *contabuit*: alii, *tanquam à tinea corroſus fuit.* A. ἠυχμώθη; *ſqualuit.* Symm. ἐθολώθη, *turbatus fuit.* Santes, *computruit.*

In furore] In ira. & Pſal. 6. 8. *præ ira* vel *indignatione,* מִכַּעַס.

Conſumpta ſunt vitæ meæ] Peccat in Latinitatem: nam *vitas* dicimus, non *vitæ*, niſi cum aliud ſignificat; ut cum dicimus, *vitæ* Plutarchi.

Infirmata eſt] ἠσθένησεν. Lxx. Alii; *labefactata eſt*: alii, *corruit.* Pro *conſumptæ ſunt* A. edidit ἀνηλώθη, *conſumpta eſt.* Lxx. ἐξέλιπεν, *defecit.* Sic etiam Santes & alii recentiores.

In iniquitate] Ebraice, *in iniquitate mea.* i. quam patior.

Fortitudo mea] Libri quidam; *virtus mea.* Græce eſt, ἡ ἰσχύς μου. Gallicum & Romanum, *virtus mea.* unde forte diverſa lectio. Quis hoc negare auſit?

Contabuerunt] Tanquam à tineis corroſa fuerunt. Hoc verbum ſupra vertit, *caligavit.* videlicet verſ. 10. Vide ſi vacas.

12. *Apud omnes hoſtes meos*] Melius *propter omnes hoſtes meos*: nam מִן non ſignificat *apud*, quod ſciam παρὰ πάντας. Lxx. i. *apud* vel *propter omnes*: item, *ab omnibus.*

In plateis] Foris.

Opprobrium] ψόγον eſt in Lxx. quod reddunt, *vituperationem.* Sic etiam Santes ex Ebræo. Alii, *infamiam.* Ferme exciderat, ſupra ubi Hieron. *apud omnes hoſtes meos,* A. tranſtulit παρὰ πάντων *ab omnibus.* Forſan eo reſpexit Hieron. nam παρὰ etiam *apud* ſignificat, ſed tum cum dativo conſtruitur, παρὰ πᾶσι, *apud omnes.* Quis ſcit, an Hieron. hoc ſciverit? Paullo ante, *in iniquitate mea*, poteſt exponi, ob pœnam iniquitatis: ſic alibi, *major eſt iniquitas mea, quam ut ferre poſſim.* Symm. διὰ τὴν κάκωσίν μου, בַּעֲוֹנִי. Idem, καὶ τὰ ὀστᾶ μου εὐρώτιασαν i. *putruerunt* aut *cariem ſenſerunt.* Jam ad rem.

Congregationem] Codices aliquot, *congregatione*: nam גור *congregavit.* Sane Pſal. 56. 7. יגורו Hieron. *congregabuntur.* & Chaldæus יִכְנְשׁוּן. Similiter Pſal. 140. 20. R. David אספו. Santes, *congregaverunt.* Ceterum מָגוֹר alii *metum*; alii, *pavorem* interpretantur. A. vero, συστροφῆς, i. *conjurationem.*

Cum inirent conſilium] Partim codicum, *dum inirent conſilium.* Santes, *dum conſultarent*: tralatio à fundamentis ædium; nam conſilia in actionibus, quod fundamenta in ædificiis. Verbum pro verbo; *fundarunt ſe.*

Ut auferrent] Auferre, tollere è medio.

16. *Tempora mea*] οἱ καιροί μου. Aquila & ceteri. *Tempora mea*, lectum, ſcriptum in Pſalterio Romano.

17. *Oſtende*] Confundit הַרְאֵה cum האירה quod melius redditur; *fac ut luceat.* Lxx. ἐπίφανον: & in Gallico, *illuſtra*: In Romano autem, *illumina.*

In miſericordia tua] i. propter miſericordiam tuam. Alii, *pro benignitate tua.*

18. Et

18. *Et taceant in inferno*] Copula in alio exemplari aberat, nec etiam eſt in fonte ſacro. Sunt qui reponant; *excidentur in ſepulchro.* Alii corrigunt, *ſilebunt in ſepulchro:* unde *ſilentes* mortui, & *ſilet rex ipſe ſilentium.* i. mortuorum. Verbum è verbo, *in ſepulchrum.* Completa oratio erit ſi legas; *ſilebunt deſcendentes in ſepulchrum:* nam unum verbum pro duobus ponitur. Porro Symm. & A. hic habent σιωπησάτωσαν εἰς ᾅδε, *taceant in ſepulchro.* Jam videbimus, quos auctores hujus verſionis Hieron. habuerit.

19. *Vetera*] In alio codice, *dura.* Sic etiam Santes interpretatur. *Vetera* i. παλαιά. Proverb. 8. 18. הון עתק Symm. βίος παλαιός. Theod. ὕπαρξις παλαιά. Rurſum Pſal. 94. 4. עתק Hieron. *antiquum*, quo ſignificari putant, inveteratam nequitiam. Dan. 7. עתיק *antiquus dierum.* Idem valet in lingua Arabica. Unde apud Sylvaticum, *Geldal-atic* coricum vetus, גלד אלעתיק.

Quam multa eſt bonitas tua] τί πολὺ τὸ ἀγαθόν σε. Symm.

Abſcondiſti,] Elegerim, *recondidiſti.* Symm. ὃ ἔκρυψας ἀπόθετον τοῖς φοβεμένοις σε, *quam repoſitam timentibus te occultaſti.*

Operatus es ſperantibus] ἐξειργάσω τοῖς ἐλπίζουσιν. Lxx.

21. *In protectione*] ἐν σκέπῃ. Melius Lxx. ἐν ἀποκρύφῳ: *in abdito*, ſive occulto, aut abſcondito; nam eſt סתר in Ebræo. Paullo poſt בסכה Symm. (niſi mendum in libris) ἐν σκέπῃ, *in protectione.*

A duritia viri] In Lexico Chaldaico Munſteri, רכס *roboravit*, quod ex Aruch deſumpſit. Nam in eo ענין חוזק i. ſignificationem habet roborandi. Sic accipitur etiam in Ilmedenu. חזק etiam *durum* deſignat, ut cum de arboribus dicitur. Ergo רכס *duritia.* Alii aliter interpretantur. R. Salomo, *à conſpirationibus:* nam רכס in Gemara *ligare.* & רכסאי *ligamenta parva.* Sic Galli, *ligam* vocant conſpirationem, & Ebræi קשר. Santes, *ab elationibus.* Sic etiam R. David.

Viri] Virorum nobilium. Nam איש aliquando nomen eſt κρείττω, & virum fortem denotat; ut in dicto illo; *in loco ubi non ſunt viri, ibi te virum praſta.* Aut *viri* i. hominum, ἀνθρώπων, ita Lxx.

In umbra] i. Umbraculo. Vide quæ ſcripſimus Pſal. 27. ad v. 5.

A contradictione linguarum] ἀπὸ ἀντιλογίας γλωσσῶν. Lxx. Recentior interpretatio, *à contentione.*

22. *Qui mirabilem fecit miſericordiam ſuam mihi*] ὁ παραδοξάσας τὸ ἔλεος αὐτῦ ἐμοί. Symm.

In civitate munita] ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ: *ut in civitate circummunita.* Idem. Sed particulam ὡς omiſit Hieronym. quia non erat in textu Ebræo. Quanquam fieri poteſt, ut Symmach. legerit כעיר, Chaph loco Beth.

Dixi in ſtupore meo] εἶπον ἐν τῇ ἐκστάσει μυ. Sym. εἶπον ἐν θαμβήσει μυ. A. quod poſtremum reddi etiam poteſt, *in obſtupefactione mea.*

Projectus ſum] ἀπέῤῥιμμαι. Lxx. Pro *in ſtupore meo* quidam reponunt, *in præcipiti fuga mea.* Verbum è verbo, *in præcipitatione mea.*

Ergone] Santes, *vere.* Alius, *veruntamen.*

Deprecationis meæ] *Deprecationum mearum* eſt in Ebræo: τῆς δεήσεώς μυ, in Lxx.

24. *Omnes ſancti ejus*] πάντες οἱ ὅσιοι αὐτῦ, i. omnes pii ejus.

His qui ſatis operantur] τοῖς περισσῶς ποιῦσι. על יתר ſatis, abundanter. Alii, *reſiduo* ſive in reliquos: ego, *ad nervum*; quaſi dicat, ad amuſſim.

Operantur ſuperbiam] Faciunt opus ſuperbiæ. ad verbum: *facienti ſuperbiam.*

PSAL. XXXII.

1. E*Ruditio*] i. Erudita cantio. משכיל *eruditio.* ut מבטח *fiducia.* Malim, *cantio erudiens.* Sic משחית nepos, qui bona ſua perdit ac dilapidat, ad verbum, *perdens.* Sic מבוש pudendus.

Dimiſſa] Condonata.

Iniquitas] ἀνομία. Alii, *levatus ſceleris*; vult dicere, cui levatum eſt ſcelus. *levatus ſceleris*, ut, *levatus curarum.*

Abſconditum eſt peccatum] κατὰ πόδα, *tectus peccati.*

2. *In ſpiritu ejus*] ἐν πνεύματι αὐτῦ. A. Th. Lxx. & alii. Excipio Symm. in quo, ἐν στόματι αὐτῦ. unde Romanum Pſalterium, *in ore ejus*: nam Gallicum habet, *in ſpiritu ejus.* Videndus Hieronym. in Epiſtola ad Suniam & Fretelam.

3. *Tacui*] ἐσίγησα, Lxx. ἀπεσιώπησα, Symm. ἐκώφευσα, quod poſtremum magis denotat *obmutui.* & ſic eſt in Ebræo.

Attrita ſunt] κατετρίβη. A.

Tota die] πᾶσαν ἡμέραν, Symm.

4. *Manus tua*] Plaga tua.

Verſatus ſum in miſeria mea] Alii, *Verſus eſt humor meus.* Sed in Aquila ἐστράφην, ſi locus à mendo vacat. Senes quoque ita habent. in quinta eſt ἐστράφη. & in Symm. μετεστράφη μοι, *converſus eſt mihi.*

In miſeria mea] ἐν ταλαιπωρίᾳ μυ. Aliis punctis legit לשדי nam שד ταλαιπωρία, *miſeria.* Sic etiam legit Auctor Quintæ, εἰς ταλαιπωρίαν. Sed & A. qui habet hoc loco, εἰς προνομήν μυ: nam huic interpreti שד eſt προνομή, ut Prov. 21. 7. & Job 5. v. 21.

Cum exardeſceret meſſis] In aliis eſt *æſtas*, quod magis probo. Ebraice, *in ſiccitates æſtatis.* An קיץ *meſſem* ſignificet neſcio: hoc ſcio, *meſſem* communiter & uſitate קציר dici. Symm. hic habet ὡς καῦσος θερινός, *ut ardor æſtivus.* A. ἐν ἐρημώσει θερείᾳ *in vaſtitate æſtiva.* V. Editio, ἐν τῷ ἐρημωθῆναι ὀπώραν, *cum deſolarentur fructus autumnales.* Alias, *cum vaſtaretur pomum.* Verſionem Hieron. juvat Eſai. 16. 9. קציר Lxx. ἐπὶ τῷ θερισμῷ σε, *in meſſe tua.* Quanquam Latina Vulgata, *vindemiam tuam.* Lxx. hic, ἐν τῷ ἐμπαγῆναι ἄκανθαν, i. קץ.

Jugiter] *Sela* eſt in fonte, quod alibi reddit, *ſemper*: & A. ſemper ἀεί. Paullo poſt; *iniquitatem peccati mei, Sela.*

5. *Notum facio*] Alibi eſt, *notum faciam.* & mox *non abſcondo.*

Non abſcondo] Non tego, non operio.

Scelus meum] Legit פשעי, hodie eſt פשעי *ſcelera mea.*

Tu dimiſiſti] σὺ ἀφῆκας. Theod. Alii, *tu abſtuliſti.* & A. σὺ ἦρας.

6. *Pro hac*] ὑπὲρ ταύτης. Lxx.

Omnis miſericors] Sic hoc loco & alibi fere Santes. Sic חסד vetuſta interpretatione, *miſericordia.* Sed idem Hieron. alias חסיד *Sanctus*, & Lxx. ὅσιος i. *pius.*

Orat] alias, *orabit.*

Tempus inveniens] i. oportunitatem nactus. Secutus autem eſt Symm. in quo καιρὸς εὑρεῖν, quod in Fragmentis à me redditum, *oportunitate inventa.* Ceterum in Ebræo eſt מצוא verbum infinitum: unde melius alii, *tempore inveniendi*, i. quo inveniri poteſt. Lxx. ad ſenſum non male, ἐν καιρῷ εὐθέτῳ, *in tempore oportuno.*

Ut cum inundaverint aquæ multæ] ὥστε ἐπικλύζειν ὕδατα πολλά. Symm. Lexicon Vetus, ἐπικλύζω, inundo.

Ad illum non accedant] πρὸς αὐτὸν μὴ ἐγγίσαι. idem.

7. *Protectio mea*] Alii, *latibulum mihi*: alii, *abſconſio*, Pſal. 91. 1. בסתר עליון Hieron. *in abſcondito excelſi.* Lxx. ἐν βοηθείᾳ τῦ ὑψίστε. Job 14. 15. סתר Symm. σκέπαστρον, tegumentum, opertorium, aut protectio, i. σκέπη.

Ab hoſte] Alii, *ab anguſtia.* Sic Græci, ἀπὸ θλίψεως, quod in Pſalterio Gallico exponitur, *à tribulatione.* in Rom. autem, *à preſſura.* צר utrumque ſignificat Ebræis. Sic מר *amarum* & *amaritudo.* עד *teſtis* & *teſtimonium.*

Laus mea ſervans] Legit רני quod interpretatur ac ſi eſſet ὁ ἔπαινός μυ, & פלט accipit pro מפלט *ſervans, liberans*, ut ſit infinitum participii loco. Nunc legunt רני פלט *cantionibus liberationis*, ſive laudibus, &c.

8. *Docebo te*] συνετιῶ σε, Lxx. & Symm. quod vulgo reddunt, *intellectum tibi dabo.* Poteſt etiam reddi, *faciam te intelligere*, aut *intelligentem reddam.* A. ἐπιστημώσω, ſcientem te reddam, ſcire te faciam.

Monſtrabo tibi viam per quam ambules] ὑποδείξω σοι ὁδόν, ἣν ὁδεύσεις. Sym.

Cogitabo de te oculo meo] βουλεύσομαι περὶ σε τῷ ὀφθαλμῷ μυ. Idem, qui ſupra, Symm. quem Hieron. nunc ſecutus videtur.

Oculo meo] Providentia mea. Alias interpretationes invenies in Quæſtionibus meis. Vide ſi otium eſt.

9. *In camo & freno*] Satis erat, *camo & freno.* Sed (*in*) redundat ex Ebraiſmo. *Camus* i. κημός, genus freni. Sunt

qui

qui cum freno confundant. Sane רֶסֶן eſt frenum. Ceterum *in camo & freno* legitur etiam in Pſalterio Gallico. Contra in Rom. eſt *in freno & camo*, ut Græce in Edit. Rom. ἐν χαλινῷ καὶ κημῷ.

Maxillas eorum] τὰς σιαγόνας αὐτῶν. Lxx. Veritas, *maxillam ejus*. Quanquam in Sante, *os ejus*.

Conſtringe] ἄγξαι, Lxx. Alii, *os ejus conſtringendum eſt*: nam in Ebræo, לִבְלוֹם. Id alibi reddunt per φιμόω, *obturo, capiſtro*.

Qui non accedunt] Melius, *ne accedant*.

10. *Impii*] Eſt cur malim, *impio*.

11. *Laudate*] αἰνεῖτε. Sic A. ſolet vertere, cum eſt רָנַן in ſecunda conjugatione: ut mox Pſal. 33. 1. hic vertit αἰνοποιήσατε, nam eſt הַרְנִינוּ in Ebræo. Similiter Deuter. 32. 43. ubi etiam Hieron. *laudate*. Sed quid αἰνοποιέω? utrum *laudes dico*? an potius, *laudare facio*?

PSAL. XXXIII.

1. L*Audate*] αἰνεῖτε. A.

Laudatio] αἴνεσις, Lxx. Locus integer: τοῖς εὐθέσι πρέπει αἴνεσις, rectis decet laudatio. Sic Plautus, *habitum qui potis decet*.

2. *In Pſalterio decachordo*] ἀσύνδετον. nam eſſet, *in Pſalterio & decachordo*. Sic Græca enarrabis, ἐν ψαλτηρίῳ καὶ δεκαχόρδῳ. Male igitur in Rom. & Gall. *in Pſalterio decem chordarum*. Quos refellit locus ille; *ſuper decachordo & ſuper Pſalterio*. Is habetur Pſal. 92. 4.

Cantate ei] Alii, *Pſallite ei*. Sic Græci, Ψάλατε αὐτῷ. Santes, *canite ei*. Vide quæ notavimus Pſal. 30. ad verſ. 5. Locum Gellii, *Qui canerent voce & qui pſallerent*, interpretatur Budæus, citharam pulſarent. Hinc Pſaltria i. fidicina, quæ inſtrumento aliquo muſico canit. Ceterum inter שִׁיר & זמר ita diſtinguit vir doctus. שִׁיר, inquit, *eſt ſimpliciter cantare, ut* זמר *carmen numeris diſtinctum canere i. pſallere*. Lex. Vet. ψάλλω, *Nablizo, Pſalmizo*.

3. *Cantate ei*] ᾄσατε αὐτῷ. Hic eſt שִׁירוּ in Ebræo. Id proprie ſignificat, ore ſeu aſſa voce canite.

Diligenter pſallite] Alii, *bene canite*: alii, *bene pſallite*. Sic enim certe οἱ ό. καλῶς ψάλατε. *Bene* i. diligenter. Prætulerim, *bene pulſate*, ut נגן ſit *pulſare inſtrumenta muſica*: שִׁיר *canere*: זמר autem, *pſallere*, de fidium cantu. Sed confundi ſcias.

In jubilo] Cum jubilo.

4. *In fide*] ἐν πίστει, Lxx.

Quam rectum] Corrige, *Quoniam*.

6. *Firmati ſunt*] ἐστερεώθησαν, Lxx. Veritas, *facti ſunt*. Id A. dixit ἐποιήθησαν: & Sym. ἐγένοντο.

Omnis ornatus eorum] πᾶσα ἡ διακόσμησις αὐτῶν, Symm. Sic Gen. 2. 1. כָּל צְבָאָם Lxx. πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. Hieron. *omnis ornatus eorum*. Quanto melius hic Aquila, πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν, *omnis exercitus eorum*.

7. *Quaſi in utre*] ὡς ἐν ἀσκῷ, Sym. Id ſe inveniſſe teſtatur Baſilius, in quibuſdam exemplaribus edit. Lxx. Extat etiam in Gallico & Romano. Hæc interpretatio confundit נֵד cum נאד. licet illud magis acervum aut cumulum denotet. נאד legitur Pſal. 119. 83.

8. *Formidem*] εὐλαβηθήτωσαν. Sym. Lex. Vet. εὐλαβοῦμαι, *formido*. Aut ſecutus eſt Aquilam, qui ante tranſtulerat ὑποσταλήσονται, *formidabunt*. Quanquam aliqua varietas.

9. *Mandavit*] *Dixit* i. mandavit, juſſit.

Et factus eſt] Orbis videlicet. In Ebræo eſt, *& fuit*.

Diſſolvit] Job 5. 12. מֵפֵר Symm. διαλύοντα, diſſolventem. Alibi eſt in Hieron. *irritum fecit*, ut Geneſ. 17. 14. *& diſſipatum*, in Jobi loco citato. Sed idem Pſal. 85. 5. הָפֵר *ſolve* reddit.

Irritas fecit] Sic etiam Santes. Codex alius *irritas facit*. Idem dicunt Græci; nam ἀθετῶ, *irritum facio*. Quanquam in utroque Pſalterio, *reprobat*. Lex. Vet. ἀθετῶ, *reprobo*.

11. *Stabit*] Vel *ſtat* i. μένει, manet. ut recte Lxx.

In generatione & generatione] Malim, *in generationem & generationem*.

13. *Reſpexit*] Sic etiam Santes & Pſalterium Gall. nam in Romano, *proſpexit*. nempe ex Græco ἐπέβλεψεν, *intuitus eſt*.

Omnes filios Adam] i. Omnes homines. Porro in fonte eſt הָאָדָם, cum articulo. ideo malim, *hominum* i. τῶν ἀνθρώπων. Sic editio τῶν ό.

14. *De firmiſſimo ſolio ſuo*] ἀπὸ ἑδράσματος καθέδρας αὐτοῦ A. Quod non inſcite reddes, *à firmiſſima cathedra ſua*. Ceterum *ſolium* potius כִּסֵּא dicitur. Hic eſt שֶׁבֶת in Ebræo i. *ſedes*, ἕδρα, quod poſtremum offendes in Sym.

Univerſos] Alibi, *ad univerſos*.

15. *Pariter*] ἅμα A. & V. ὁμοῦ. Symm.

16. *In multitudine*] Per multitudinem, quod Sym. dixit διὰ πλῆθος, vitato Ebraiſmo.

Fortis] Miles.

Virtutis] i. Roboris.

Exercitus] Aut roboris. Mox ubi legimus; *& in multitudine roboris ſui, non ſalvabit*. Idem nomen in Ebræo.

17. *Roboris ſui*] Liber alius, *virtutis ſuæ*.

18. *Et expectantes*] Lectio varians, *ad expectantes*.

19. *Animas eorum*] *Animam* eſt in fonte, non *animas*, & vitam hoc loco denotat.

Vivificet] i. Alat, nutriat, in vita conſervet. Docte Lxx. διαθρέψαι αὐτούς. Sic Iſ. 7. 21. יְחַיֶּה iidem θρέψει. Santes & Hieron. *nutriet*. R. David, יגדל educabit.

Sit] legitur &, *fiat miſericordia tua*.

22. *Sicut expectavimus in te*] Delendum putarim (in), ut ſit; *ſicut expectavimus te*. Niſi mavelis, *ſicut ſperavimus in te*. Quod in Græco, καθάπερ ἠλπίσαμεν ἐπὶ σέ. Prius verius meo judicio. nam idem ſupra 18. למיחלים לחסדו vertit; *expectantes miſericordiam ejus*. i. ὑπομένοντες.

PSAL. XXXIV.

1. O*S ſuum*] *Guſtum ſuum*, eſt in Ebræo, i. mentem ſuam. Vult dicere, cum ſe amentem ſimularet. *Guſtum ſuum*, i. τὸ γεῦμα αὐτοῦ, Sic A. & V.

Et ejecit eum] Abimelech videlicet.

2. *Benedicam* DOMINO] Partim exemplarium; *benedicam* DOMINUM. Sic Græci εὐλογήσω τὸν Κύριον.

Semper] Jugiter.

3. *Laudabitur*] ἐπαινεθήσεται. Lxx. Alii, *jactabit ſe*. Licet etiam vertere, *gloriabitur*.

Manſueti] Alias, *mites*. Græce eſt πρᾳεῖς.

Audiant & lætentur] ἀκουσάτωσαν, καὶ εὐφρανθήτωσαν. Alii, *audient & lætabuntur*.

4. *Pariter*] ὁμοθυμαδὸν. A.

5. *Ex omnibus anguſtiis meis*] ἐκ πασῶν τῶν θλίψεών μου, Lxx. In Symm. eſt, περιστάσεών μου, quod vertunt; *neceſſitatibus meis*, aut, *anguſtiis*. Sic ἀνάγκη neceſſitas in lingua Helleniſtica, pro anguſtia ponitur, quæ à Magiſtris צער dicitur. Poſſes etiam vertere; *à circumſtantibus malis*: nam περίστασις proprie *circumſtantia*. Ebraice eſt, *à pavoribus meis*.

6. *Reſpicite*] Diverſa lectio habet, *Aſpicite*. Videtur autem Hieron. legiſſe הַבִּיטוּ (Sic etiam A. legit. nam vertit, ἐπεβλέψατε.) quod nunc in libris הִבִּיטוּ *aſpexerunt*, *intuiti ſunt*.

Et conſluite] וּנְהָרוּ ut legit, ita vertit. Hodierna lectio וְנָהָרוּ *& conſluxerunt*. Santes, *& illuminati ſunt*. Sic Græci Lxx. καὶ φωτίσθητε.

Non confundemur] Non afficientur pudore.

7. *Exaudivit*] Ebraice, *audivit*, ſimplex pro compoſito.

De omnibus tribulationibus] Deſideratur pronomen *ejus*, quod ſupplendum ex aliis codicibus, in quibus diſerte legitur.

8. *Circumdat*] Ebraice, *Caſtra ponit* aut metatur. Quod Græci referunt παρεμβαλεῖ, *caſtra locabit*. Male vertunt hoc loco, *Immittet*. Sic Geneſ. 33. 18. וַיִּחַן Lxx. παρενέβαλε, *caſtra locavit*. Hinc παρεμβολὴ, caſtra. Imperitia linguarum & præſertim Helleniſticæ, multos errores invexit in Verſiones antiquas.

In gyro] In circuitu, circumcirca.

10. *Sancti ejus*] οἱ ἅγιοι αὐτοῦ.

Inopia] ὑστέρημα, defectus.

11. *Leones*] Juvenes leones.

Indiguerunt] Alii, *depauperati ſunt*. Sic Græce eſt ἐπτώχευσαν. Quanquam in Rom. & Gallico, *eguerunt*. πτωχεύω proprie *mendico*, mendicus ſum. Lexicon Vet. πτωχὸς, *mendicus, pauper, egenus*.

Omne bonum] Latine, ullum bonum. Sic Græce, παντὸς ἀγαθοῦ.

12. *Audite me*] Vel, *obedite mihi*.

13. *Qui velit vitam*] Qui delectetur vita.

Vitam] Vitam longam. Sic, *dies longos*.

Videre bonos] Heu pravam verſionem. Corrige, *ut videat bonum*; Senſus eſt; ut fruatur bono. Sed Græci ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθὰς: quos temere nimis æmulatus eſt.

16. *Ad clamorem eorum*] Minus recte in aliis; *ad clamores eorum*; nam eſt ſingularis in Ebræo. Græce autem, εἰς δέησιν αὐτῶν. & in Rom. & Gallic. *ad preces eorum*. Hoc leve.

17. *Vultus DOMINI*] Ira DOMINI. nam ira in vultu apparet. Sic alibi de Hanna matre Samuelis: *Et vultus non erat ei amplius*. Senſus eſt; non amplius irata erat. Rurſum in hoc libro, *Vultus DOMINI excindet eos*. Poſſumus etiam proprie accipere, ut cum dicimus; *Oculus DOMINI in facientes mala*: quos ita reſpicit ut puniat. Sane legimus; *Oculus DOMINI ſuper eum in bonum*: & alibi, *in malum*. Reſpicit ergo & in quos animadvertit & quibus propitius eſt.

Super facientes] Ebraice, *in facientes*.

18. *Clamaverunt juſti*] Dictio, *juſti*, nec in Ebræo legitur, nec in aliis codicibus verſionis Hieron. addita vero videtur ex Edit. τῶν ό. in qua; ἐκέκραξαν οἱ δίκαιοι.

19. *Juxta*] קָרוֹב, *juxta, prope*: ut רָחוֹק *longe*.

Contritis corde] τοῖς συντετριμμένοις τὴν καρδίαν: qui contrito ſunt corde: quanquam in Romano & Gallico; *qui tribulato ſunt corde*. q. συντεθλιβομένοις.

Confractos ſpiritu] Elegerim, *confractis corde* & contritos ſpiritu: nam שבר *confringo*, & דכא *attero*.

20. *Multæ tribulationes*] πολλαὶ αἱ θλίψεις. Idem dicit, quod in aliis editionibus ex Ebræo, *multa mala*; nam *afflictio* & *malum* ſive *malitia*, ſe mutuo explicant.

22. *Malitia*] Improbitas; nam eſt cauſa mortis ipſius, juxta illud, *improbi non perveniunt ad dimidium dierum ſuorum*. Aut *malitia* i. afflictio, vexatio, ut ibi; *ſufficit diei malitia ſua*.

Culpabuntur] Reierunt. Vel ut alii; *deſolabuntur*. Sed in Græco, πλημμελήσουσι, delinquent.

23. *Redimet*] λυτρώσεται. Lxx. In Ebræo eſt, *Redimit*.

Animas] Animam i. vitam.

Non peccabunt] οὐ μὴ πλημμελήσουσι, Lxx. Senſus eſt; non peccabunt ad mortem: nam ſane legimus alibi; *ſepties in die cadit juſtus*. Sed melior interpretatio, *non deſolabuntur*.

In eo] ἐν αὐτῷ, A. ἐπ᾽ αὐτῷ, Symm.

PSAL. XXXV.

1. DAvid] τῷ Δαυΐδ.

Judica] δίκασον, Lxx. quod etiam *litiga* ſignificat. Lex. Vetus, δικάζω, *judico, litigo*.

Adverſarios meos] Qui mecum litigant & judicio contendunt, diſceptant. Minus bene Lxx. ἀδικοῦντάς με, quod reddunt, *nocentes me*. cave ſpernas; nam etiam Plautus dixit, *nocere aliquem*. conſule Grammaticos.

Pugna contra impugnantes me] πολέμησον τοὺς πολεμοῦντάς με. Lex. Vet. πολεμῶ *bello, pugno, expugno, ineo bellum*. Adde, ſi placet, *impugno*. Ebraice eſt; *pugna cum iis, qui impugnant me*.

2. *Scutum*] ὅπλον. Quod reddunt *arma*; nam ea vox etiam ſcuta denotat, ut, *Tarpeia tecta armis Sabinorum*, i. ſcutis: & *ancilia arma*, dicta ab armo, quia in eo portarentur. Armus proprie commiſſura brachiorum ab humeris.

Et haſtam] καὶ θυρεός, i. clypeum, ſic etiam Tremellius; ſed Hieron. *haſtam* interpretatur, cum alibi, tum 2 Paralip. 9. 15. & *contos*. Amos 4. 2. Ubi Theod. δόρασι. Eſt autem *contus* genus haſtæ. Rurſum Hieron. Num. 33. 55. vertit, *lanceas*, & Joſ. 23. 13. *ſudes*.

3. *Evagina gladium*] Alii, *expedi lanceam*. הָרֵק educ e theca. A. Th. Sym. γύμνωσον λόγχην, i. nuda.

Gladium] ῥομφαίαν, Lxx. Id reddunt *frameam*. eſt autem framea gladius. Auguſtinus Epiſt. 120. ad locum; *erue a framea animam meam. Framea gladius eſt*. Lex. Vet. ῥομφαία, *framea, gladium*. Sed forte aliud hoc loco ſignificat. Calepinus, *Framea Germanicum vocabulum eſt, quo haſtam ſignificabant*. Juvenal. Satyr. 3. *& Martis frameam*. Eucherius pag. 286. Frameæ haſtæ longiſſimæ; *ſunt qui iis etiam nunc armorum vice utentes hoc nomen tribuunt. Quidam etiam gladios ita ſignificari putant*. Sane Zachar. 13. 7. ubi legimus; *Framea ſuſcitare*, חֶרֶב eſt in Ebræo, i. gladius aut enſis. Heſychius: ῥομφαία, θρᾳκικὸν, ἀμυντήριον. (Vulgo perperam, ἀρχαῖον) μάχαιρα, ξίφος ἢ ἀκόντιον μακρόν. Uſus eſt hoc vocabulo Ennius, Gell. lib. 10. cap. 25. Quod Ebræam vocem attinet, ea legitur & Job 41. 17. Ubi Symm. λόγχη, lancea. Hieron. *haſta*. Lxx. δόρυ.

Præoccupa] Emendant, *claude*. Alii, *præclude*, ego, *conclude* i. σύγκλεισον, ita Lxx. *Concludere* Venatorum: verbum eſt circumretire, indagine claudere. Terent. *ut ab illa excludar, hac concludar*: & alibi; *Tot me nunc rebus miſerum concludit pater*. & concluduntur, quibus exitus alicunde nullus patet. Plautus: *concludere in feneſtram firmiter*.

Perſequentes me] In alio codice erat, *perſequentem me*; quod minus probo.

4. *Confundantur & revereantur*] αἰσχυνθήτωσαν καὶ ἐντραπήτωσαν, Lxx. Eſt cur malim; *pudefiant & ignominia afficiantur*; nam כְּלִמָּה *ignominia*.

Qui quærunt animam meam] Intelligentiam habet ex illo; *Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri*.

Convertantur] Malim, *vertantur* ſive agantur aut cedant; nam *convertantur* i. ישובו. Cedant retrorſum, uno verbo dicunt Latini, *retrocedant*.

Confundantur] Erubeſcant, pudore ſuffundantur.

Malum mihi] ad verbum, *malum meum*. & eſt ſenſus; qui mihi malum moliuntur.

5. *Sicut pulvis*] ὡσεὶ χνοῦς. Lxx. Sic interpretantur eandem vocem Pſal. 1. Alii, *tanquam gluma*; ut מוץ ſit gluma ſive acus, hoc eſt, tenue illud ſpicæ involucrum, aut tenues paleæ quæ frumento permixtæ, dum trituratur, ventilando ab eo ſegregantur. Græci ἄχνην vocant. Ælianus de Formicis, lib. 6. cap. 43. *Non egent*, inquit, *ventis ad purganda à ſordibus grana ex frumentis*, μηδὲ μὴν ἐπειγομένων πνευμάτων ἀποκρίναι χρῆ διαστῆσαι τάς τε ἄχνας καὶ τὸν καρπόν.

Impellat] Quemadmodum ventus impellit ἄχνην.

6. *Et lubricum*] καὶ ὀλίσθημα, Lxx. In Ebræo eſt ad verbum, *& lubricitates*; quidam, *& lubriciſſima*.

7. *Fruſtra*] Melius, *gratis*. Sic Græci δωρεάν. id Symm. explicat, ἀναιτίως; & mox Hieron. *ſine cauſſa*. *Fruſtra* i. incaſſum & nequicquam.

Abſconderunt] ἔκρυψαν, Lxx. Nec aliter Symm. nam pro ὤρυξαν, quod in quodam Scholio, legendum ex aliis libris, κατέκρυψαν. Vide Rom. edit. Lat.

Inſidias retis ſui] *Foveam retis ſui*, eſt in Ebræo, quam Lxx. & Sym. διαφθορὰν interpretantur. Olim foveis, quas frondibus & ramis tegebant, inſidias ponebant lupis & aliis feris. An igitur eo reſpexit Hieron.?

Foderunt] ὤρυξαν, Sym. Alias, ἐπώρυξαν, ſuffoderunt; & eſt ſenſus; foderunt foveam, ſive inſidias ſtruxerunt.

Sine cauſſa] ἀναιτίως, Sym.

8. *Calamitas*] Sic interpretatur idem eandem vocem Jeſ. 10. 3. Paullo poſt, *laqueum* reddit, ut etiam Lxx. utrobique & R. David in Commentariis ſuis exponit ברשת *in rete*.

Quam ignorat] ὃ μὴ οἶδεν. Symm.

10. *Eruens*] Alias, *eripiens*.

Inopem] Pauperem.

Et mendicum] & egenum.

A violento] A diripiente ipſum. Sic Græci, ἀπὸ διαρπάζοντος αὐτόν. (διαρπαζόντων eſt in libris.) Porro *violentum* dicit qui vi aliquid aufert. Geneſ. 21. 25. Idem גָּזְלוּ *vi abſtulerant*, reddit.

12. *Mala*] πονηρά. Lxx. Ebraice, *malum*.

Pro bono] ἀντὶ ἀγαθοῦ. Symm.

Sterilitatem] ἀτέκνωσιν, *orbitatem*, A. ἀτεκνίαν, Lxx. *ſterilitatem*, Gallicum & Romanum.

Cum infirmarer ab eis] Rectius; *Cum ipſi ægrotarent*.

Induebar cilicio] Optime ad ſenſum. Nam in verbo, *indumentum meum cilicium erat*. Alias, *ſaccus*. A. καὶ ἐγὼ ἐν ἀῤῥωστίᾳ αὐτῶν ἔνδυσίς μου σάκκος.

Humiliabam] ἐταπείνουν, Lxx. Alii, *affligebam*. Hinc *jejunium* תַּעֲנִית dicitur, i. humiliatio vel afflictio.

Animam meam] Me ipſum: aut appetentiam meam, quæ tum affligitur, cum ei cibus ſubtrahitur.

Revertetur] Alii, *revertebatur*. In edit. Rom. citatum inveni hoc loco ex Hieron. *convertebatur*. Quod hodieque legitur in Pſalterio Romano.

14. *Quaſi ad amicum &c.*] ὡς πρὸς ἑταῖρον, ὡς πρὸς ἀδελφὸν ἀνεστρεφόμην, ut cum ſocio, ut cum fratre converſabar. Tremell. *Tanquam ad proximum, tanquam ad fratrem mihi continenter ſtarem*. Alii, *ac ſi ſocius, ac ſi frater meus eſſet, ſic ambulabam cum eo*.

Quaſi lugens mater] Verius, *quaſi lugens matrem*. In Scholio quodam Græco; ὁμομήτριον, i. uterinum, ex eadem matre natum.

Triſtis

Triſtis incurvabar] σκυθρωπὸς ἐκύφϑην. ex eodem ſcholio.

15. *In infirmitate mea*] Ebraice, *in claudicatione mea.* Senſus autem eſt; in morbo meo; aut, in calamitate mea. Prius amplexus eſt Hieron. Ebraiſmum retinuerunt A. & Symm. quorum ille tranſtulit, ἐν σκασμῷ μου, in claudicatione mea; hic edidit, σκάζοντός μου, claudicante me.

Lætabantur] ηὐφραίνοντο. Symm.

Et congregabantur] καὶ ἠθροίζοντο. Idem.

Collecti ſunt] συνελέγησαν. A.

Percutientes] πλῆγες, *percuſſores.* Symm. Locus plenior extat apud Theodoretum, συνελέγησαν ἐπ' ἐμὲ πλῆκται καὶ οὐκ οἶδα. Alias, συνήγοντο congregabantur, coibant.

Scindentes] ῥήξαντες, vel ἀπορρήξαντες. Hoc Symm. illud Aquila tranſtulit, niſi quod in eo ἔρρηξαν, ſciderunt, lacerarunt.

Et non tacentes] A. καὶ οὐκ ἐσιώπησαν. Sym. οὐκ ἠρέμουν, non quieverunt. Verbum Ebræum utrumque ſignificat. Quod locis aliquot probat R. David. Pſal. 4. ad locum, *Et ſilete.*

16. *In ſimulatione verborum fictorum*] Paullo aliter Symm. ἐν ὑποκρίσει ῥήμασι πεπλασμένοις: in ſimulatione, verbis confictis. Pro ῥήμασι alibi eſt φθέγμασι. Sic variant exemplaria in verſu, qui hunc antecedit. Nam ubi nos poſuimus ἀπορρήξαντες, alia habent ἀποσπάσαντες, proſcindentes.

Frendebant] Mutavit tempus. Nam in Lxx. ἔβρυξαν, quod in Gallico redditum, *frenduerunt*, in Romano autem, *ſtriderunt.*

17. *Quanta*] Alii, *quamdiu.*

Converte] Reduc.

A calamitatibus ſuis] Rectius, *eorum.* Hic rurſum שׁאה reddit *calamitatem.*

A leonibus] ἀπὸ λεόντων.

Solitariam meam] μοναχήν μου, A. id eſt, omni humano auxilio deſtitutam.

18 *Forti*] Valido. i. numeroſo, multo. Eadem ſententia in illo, ἐν λαῷ βαρεῖ, in populo gravi; quod in Lxx. & utroque Pſalterio. Sic כבד uſurpatur in lingua Ebræorum.

Super me] De me.

Mendaces] *Inimici mendacii*, i. mendaces: & eſt brevis ſermo, pro inimici mei, *inimici mendaces.* Alii, *inimici mei mendaciter* i. falſo, falſis de cauſſis. In Lxx. ματαίως, alias, ἀδίκως.

Fruſtra] Gratis, abſque cauſſa.

20. *Non enim pacem loquuntur*] ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσι. V. Edit.

In rapina terræ] Alii, *in quietos terræ.* Sed magna obſcuritas in vocabulis Ebraicis; unde variæ interpretationes. A. vertit, ἐπ' ἀθρόας γῆς: in locis confertis terræ. V. Edit. ἐπὶ συντελείᾳ γῆς, in conſummatione terræ, Symm. quem Hieron. ex parte videtur ſecutus, περὶ συναρπαγῆς ἐν τῇ γῇ: de correptione in terra. συναρπαγή, correptio. nam συναρπάζω, corripio. Santes, *contra humiles.* Arias, *tranquillos.*

Verba fraudulenta concinnant] λόγους δολίους λογίζονται. Symm. ῥήματα δόλια λογίζονται. V. Edit. ῥήματα ἐπιθέσεων, A. i. impoſturarum.

Concinnant] Apte componunt, συναρμόζουσι.

21. *Vah, Vah*] Sic interpretatur האח Pſal. 40. 16. & 70. 4. & eſt vox inſultantis. Terent. *Vah, ſeno iniqua me non vult loqui.* An *euge* ita uſurpetur, videndum. Id amplexi ſunt poſt Lxx. Santes & Arias, nec non Tremellius. Gallica edit. *Aha.* Caſtalio, *Oho.*

22. *Ne ſileas*] Alibi, *ne taceas.*

23. *Conſurge*] i. הקיצה. Sic etiam העירה interpretatur Pſal. 108. 3. & אעירה, *conſurgam.* ibid. Lxx. hic habent, ἐξεγέρθητι, exurge; Alius, *evigila*; alius, *excita te.*

Et evigila] Diverſa lectio, *& vigila.* Prior vera eſt, quam etiam Santes retinuit.

In judicium] Potius, *ad judicium.* & mox, *ad cauſſam.*

Cauſſam meam] τὴν δίκην μου, Lxx. Alii, *litem*: alii, *contentionem.*

24. *Juſtitiam meam*] Legendum ex aliis libris, *juſtitiam tuam*, ita poſcente veritate Ebraica. Nam etiam Græci legunt, κατὰ τὴν δικαιοσύνην σου.

Ne inſultent mihi] Ne lætentur de me.

25. *Vah. Vah.*] Alibi ſemel tantum legitur *Vah*: quæ lectio convenit cum veritate Ebraica.

26. *Confundantur & revereantur*] αἰσχυνθείησαν καὶ ἐντραπείησαν. Lxx.

In afflictione mea] *In malo meo*, hoc eſt, in afflictione mea. Sic, *ſufficiat diei* רעתו i. afflictio ſua.

Verecundia] Ignominia.

27. *Gaudeant*] Verior ſcriptura, *laudent.* quæ in codice Antverpiano.

28. *Meditabitur*] Loquetur.

PSAL. XXXVI.

1. PRo *victoria*] Cur hic vertit, *pro victoria*, & alibi, *victori*, cum eadem vox ſit in Ebræo?

2. *Impii*] Alii, *impio*: quod ad verbum *dixit* referunt; ut ſenſus ſit; ſcelus dixit impio, ſive ad impium. Sed Hier. interpretationem Galli retinuerunt, quæ firmatur aliis exemplis: ut *Pſalmus Davidis*, לדוד: *Oratio Moſis*, למשה: *precatio* Habacuci, לחבקוק &c.

In medio cordis ejus] Utrum legit לבו hoc eſt Vau pro Joth: nam in fonte, לבי *cordis mei.* Symm. *dixit de prævaricatione impii intrinſecus cor meum.* Nove interpretatur בקרב ἔνδοθεν, intus, intrinſecus.

3. *Doloſe egit*] ἐδόλωσεν, Lxx.

Adverſum eum in oculis ſuis] Melius, *adblanditur ei in oculis ejus.*

4. *Cogitare*] להשכיל. Lxx. συνιέναι, & Santes, *intelligere*; Alii, *erudire.* R. David, *erudire cor ſuum & bonam facere viam ſuam.* Proprie *prudentem reddere*, ſupra 32. 8. אשכילך Lxx. & Symmach. συνετιῶ σε. Hieron. *docebo te.* A. ἐπιστημώσω σε, ſcientem te reddam, nam ἐπιστήμη, *ſcientia.*

Benefacere] Lxx. τοῦ ἀγαθῦναι, quod reddunt, ut bene ageret. Alibi: ἀγαθύνου, bonus, ſive beneficus eſto.

5. *Stabit*] Vel, *ſtat.* Sic alibi; *in via peccatorum non ſtetit*; ſed verior interpretatio; *conſiſtit juxta viam.* nam על juxta, ſecus, prope.

Non bona] i. peſſima.

Non abjecit]. Alias, *Non abjiciet*; Santes, *Non abjicit.* Alius, *non ſpernit*, alius, *non reprobat.* Quod in Symmach. οὐκ ἀποδοκιμάσει, non reprobabit. Theod. οὐκ ἀπώσατο, non repulit. A. οὐκ ἀπέῤῥιψε, quod Hieron. retinuit, ſi modo ejus vera lectio, *abjecit.*

In cælo] Vel potius, in cœlum. vult dicere, in cœlum uſque pertingit. Id firmant conſequa verba.

Fides tua] Alii, *veritas tua.* Sic Græci, ἡ ἀλήθειά σου. Symm. ἡ βεβαιότης σου, firmitas tua.

Uſque ad nubes] ἕως τῶν νεφελῶν, Lxx. Pſal. 108. 5. Hiero. *uſque ad æthera.* Symm. hic, ἕως τῶν αἰθέρων. alias, αἰθέριον, i. ætherea. Sed idem Hieron. *nubes* interpretatur eandem vocem. Job 36. 28. Mercerus, *Nunc cœlum, nunc nubes à tenuiſſima eorum ſubſtantia. nam & שחק interdum eſt pulvis minutiſſimus, unde & cœlum dicitur. Æthera potes dicere: verum omnes aëris partes Ebræum nomen complectitur, quum ros in infima aëris regione gignatur.* Sane legimus, *Cœli*, i. שחקים, *ſtillant rorem*, &c.

7. *Quaſi montes DOMINE*] Peccat interpretando bifariam. Primum, quia nomen אל, quod *Deum* ſignificat, reddit *Domine*: Deinde, quia in Ebræo eſt, *montes Dei*, qua locutione ſignificant montes altiſſimos & celſiſſimos. Deo enim tribuitur, quicquid in ſuo genere excellit. Vide Quæſt. meas.

Et judicia tua] Lectio varians non habet copulantem, quæ etiam in Ebræo abeſt.

Homines & jumenta] Libri aliquot; *hominem & jumentum.*

8. *Domine*] Non *Domine*, ſed *Deus* legitur in fonte.

Filii Adam] i. homines.

Quam pretioſa] τί τίμιον, Sym.

In umbra alarum tuarum] ἐν σκιᾷ τῶν πτερύγων σου: pro quo Symm. elegit vertere, ὑπὸ σκιάν, ſub umbra. Vide Rom. Edit.

Sperabunt] i. interprete Symmach. ἀμεριμνήσουσι, ſecuri ſunt.

9. *Potabis eos*] Uſurpat *potare*, pro potum dare aut præbere, quod Græce dicitur ποτιεῖς. Hoc novum non eſt apud interpretes antiquos.

10. *Fons vitæ*] πηγὴ ζωῆς, Lxx. Licet etiam vertere, *fons vivorum.* ſub. aquarum, ut ſit plurale חיים à ſingulari חי *vivus.* aqua viva i. perennis. Qua de re alias.

11. *Attrahe*] Pro *ſcientibus te*, malim, *ad ſcientes te.* Videtur hoc velle; *protende miſericordiam tuam*, vel certe

 continue

continue ac perſeveranter exerce benignitatem tuam *erga* &c. Eadem phraſis obvia. Pſ. 109. 12. Cogitemus amplius.

Scientibus] Noſcentibus i. piis: nam colit Deum qui novit. Unde & illud ſequitur, non recte colere, qui non ſecundum ſcientiam colit.

Juſtitiam tuam] Beneficentiam tuam.

Rectis corde] τοῖς εὐθέσι τῇ καρδίᾳ. Lxx.

Ne veniat] Ne adveniat, ne accidat. Legitur &, *non veniat.* Quidam explicant, ne invadat me, ne aggrediatur me. expende.

Ne commoveat me] μὴ σαλεύσαι με. Lxx.

Superbiæ] ſuperbi.

Expulſi ſunt] Malim, *impulſi ſunt.* Symm. ὠθοῦνται, impelluntur.

PSAL. XXXVII.

1. *NOli contendere*] μὴ φιλονείκει. Symm. Sic etiam V. & VI. Editiones. Quanquam ex Quinta Euſebius laudat, μὴ ἐρεθίζεσθαι. חחר contendo. Unde apud Chaldæos, תַּחְרוּ & תַּחֲרוּתָא contentio. Aquila hic habet, μὴ διαμάχου, ne dimica, noli concertare; quod fere in idem recidit. Theod. μὴ παροξύνου, noli irritari, tanquam à חרה, in quo ſignificatio *iræ.*

Æmulaveris] Alias, *æmuleris.* Nam exemplaria variant. Lxx. ζήλου, & in Pſalterio Romano, *æmulatus fueris:* In Gallico autem, *Zelaveris*, quod Santes amplexus eſt.

2. *Sicut herba*] ὡσεὶ χόρτος. Lxx. quod transferunt, *ſicut fœnum*, cum χόρτος etiam herbam denotet. quo ſignificatu hic accipi debet: nam fœnum non ſucciditur. Eſt enim herba reſecta & ſuccïſa.

Contererentur] Melius, *ſuccidentur.* nam herba ſucciditur, non conteritur. Sed alibi Pſ. 58. 8. ימלו כמו idem Hier. vertit, *conterantur.*

Sicut olus viride] Symm. ὡσεὶ χλωρά, ut virentia; ſub. olera, aut aliquid tale. Lxx. ὡσεὶ λάχανα χλόης; quod reddunt, *ſicut olera herbarum;* nam דשא *herba.* Proprie, herba tenera & primum è terra erumpens.

Marceſcent] Alii, *decident:* & Lxx. ἀποπεσοῦνται. Verbum Ebræum utrumque ſignificat. Sic variant interpretes Pſal. 1. 4. Nam alii, *cujus folium non decidit.* Alii, *non marceſcit.* Hieron. *non defluet.* Quod Græci verbo ἀποῤῥεῖσθαι ſignificant; amant enim folia, cum marcida ſunt, decidere.

3. *Spera*] Malim, *confide.*

Peregrinare in terra] Habita tanquam peregrinus in terra. Verbum שכן aliquando ſignificat, peregrinantis more pernoctare in aliquo loco. ut Mich. 4. 10. Malim tamen quod in Lxx. κατασκήνου τὴν γῆν, habita terram.

Et paſcere fide] καὶ ποίμαινε πίστιν. A. id reddunt, *paſcere fide:* ego, *paſce fidem:* Santes, *& paſce veritatem.* Symmach. νέμου διηνεκῶς, paſce aſſidue.

4. *Delectare*] Deſideratur copula, quæ addi debet ex alio codice, ut ſit, *& delectare.*

5. *Volve*] κύλιε, A. ἐπικύλισον, Symm. *devolve ad*, Sant.

Curam tuam] In alio codice, quo uſus ſum, *viam tuam.* Sic etiam Græci legunt, τὴν ὁδόν σου. Forte Hieron. ad ſenſum reſpexit.

7. *Tace DOMINO*] Silentio eum cole; noli murmurare adverſus eum.

Expecta] In Ebræo, *& expecta.* A. hunc locum ſic interpretatur; σίγησον τῷ κυρίῳ καὶ ἀποκαραδόκει αὐτόν: quæ verba in Latinum convertit Hieron. *Tace DOMINO & expecta eum.*

Qui proficit in via ſua] Cui proſpere ſuccedit iter quod ivit.

Proficit] Profectum facit.

In via ſua] in actionibus ſuis, aut in vita ſua. nam *via* eſt vitæ genus, quod quiſque inſtituit.

Qui facit quæ cogitat] Qui facit cogitata, i. quæ cogitat. Sed מזמות aliquando ſignificat male cogitata. Unde, איש מזמות *vir malarum cogitationum.*

8. *Dimitte iram*] Verbum è verbo, *ab ira.* Itaque alii referunt; *abſiſte ab ira:* & Lxx. παῦσαι ἀπὸ ὀργῆς. deſine ſive deſiſte ab ira.

Relinque] Legitur & *derelinque.* Græce eſt, ἐγκατάλιπε.

Furorem] θυμόν.

Ut malefacias] Ebraice, *ſaltem ut malefacias.* Videtur hoc velle; ſi contendendum eſt cum aliquo, vide etiam atque etiam ne pecces.

9. *Qui malefaciunt*] ſupra eandem vocem reddit *malignos*, videl. v. 1. hujus Pſalmi.

Interibunt] Excindentur.

Hæreditabunt] Hæreditate poſſidebunt.

10. *Cogitabis de loco ejus*] Conſiderabis locum ejus advertes ad locum ejus.

Non ſubſiſtet] Melius, *non extabit.* Verbum pro verbo, *non erit:* & locus ſubintelligitur. Docte Lxx. ad ſenſum, *Quæres locum ejus, & non invenies.* Quod alibi obvium non ſemel. Vide Proverbia mea.

11. *Hæreditabunt terram*] Hæredes erunt terræ. *Hæredito* verbum ætatis illius pro hæres ſum, aut hæreditate poſſideo, frequens eſt apud interpretes.

12. *De juſto*] Imo, *contra juſtum.* Aut, *cogitat male de juſto.*

13. *Veniet*] Alias, *veniat.*

Dies ejus] Dies exitii ejus.

14. *Evaginaverunt*] Eduxerunt è vagina. Græce eſt, ἐσπάσαντο. Santes, *acuerunt:* ad verbum *aperuerunt.*

Intenderunt] ἐνέτειναν, tetenderunt.

Percutiant] Dejiciant, deturbent, proſternant, cadere faciant. Quod Græci exprimunt verbo καταβάλλω: Melius ſane quam Hieron.

Interficiant] Mactent, jugulent.

16. *Quam divitiæ*] ὑπὲρ πλοῦτον. Lxx. המון divitiæ i. ממון. Sic etiam Santes & R. David. Sic eandem vocem exponit Hieron. Cohel. 5. 9.

17. *Sublevat*] Suſtentat, fulcit.

18. *Novit*] γινώσκει. Lxx.

Dies immaculatorum] τὰς ἡμέρας τῶν ἀμώμων. Sym. Idem pro γινώσκει tranſtulit, προοῖδε, prænovit. alias, προεῖδε prævidit. Ceterum in meo exemplari erat *diem:* quod emendavi ex aliis: nam etiam in Gallico legitur, *dies.* Quanquam in Romano, *vias* i. ὁδούς. Unde forte Heſychius, *Dies*, inquit, *poſuit pro vias.* Dies in Sacris denotat adjuncta diei tam læta quam triſtia: item tempus vitæ.

20. *Gloriantes ut monocerotes*] יְקַר gloria כרים Job 39. 9. Lxx. μονόκερως. כרים ut monoceros. Solet autem ſingularis poni pro plurali: ideo Hieron. vertit, *monocerotes.* Cave ſequaris. Vera interpretatio extat apud alios; *tanquam pretioſum quod in aquis.* alias, *campus.* כר agnus: unde κάρ. Heſychius, κάρ, πρόβατα. Eadem vox campum denotat, ſive planitiem.

Sicut fumus] ὡσεὶ καπνός. Lxx. legerunt כעשן. Sic etiam Santes interpretatur: An ita legerit neſcio; hoc ſcio: in Ebræo eſſe בעשן in fumo, i. fumo, & eſt ſenſus; ſicut fumo.

Conſumitur] Melius alibi, *conſumentur.* Tam in Gallico quam in Romano eſt, *deficient:* quanquam Græca exemplaria habeant, ἐξέλιπον, defecerunt.

21. *Fœnus accipit*] Alii, *mutuum accipit.* Sic etiam Hier. Jeſ. 24. 2. Sed & Lxx. hoc loco, δανείζεται referunt. Unus recentiorum, *mutuo accipit.* In Romano, *mutuatur* i. mutuum vel mutuo accipit.

Donat & tribuit] Alii, *miſeretur & dat*, i. οἰκτείρει. Vide infra. v. 26.

22. *Qui benedicti fuerint ab eo*] οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ. Symm.

Qui maledicti] οἱ καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ. Idem.

Interibunt] Excindentur.

23. *Firmabitur*] Veritas lectionis, *firmantur:* quæ in editis à Plantino.

Viam ejus volet] i. Delectatur ea.

24. *Non alliditur*] οὐ καταῤῥαχθήσεται, Lxx. Quod redditum in edit. Rom. *non colliditur.* Sic etiam habet Gallicum. Thema eſt καταῤῥάσσω, ſive καταῤῥάσσω, collido, impetuoſe deturbo. Roman. Pſalterium; *Non conturbabitur:* οὐ ταραχθήσεται. Frequentius ſcribunt, καταῤῥάσσω, (ρ) geminato.

25. *Siquidem ſenui*] Etiam *ſenui* eſt in Ebræo. Sym. ἀλλὰ καὶ ἐγήρασα: ſed & ſenui.

Quærens panem] Ut mendici ſolent.

26. *Tota die donat*] ὅλην τὴν ἡμέραν δωρεῖται. A. Alii, *miſeretur*, i. οἰκτείρει, aut ἐλεεῖ.

Et commodat] i. utendum dat. Sed Hieron. videtur in mente habuiſſe, δανείζει, mutuo dat. Eo verbo, præter Lxx. uſus eſt etiam Aquila. Ambroſius interpretatur, *fænerat;* nam δανείζω, mutuo do ad uſuram. Quæ interpretatio aliena ab hoc loco.

In

In benedictione] Eſt cur mavelim, *in benedictionem*, quod Græce legitur εἰς εὐλογίαν.

27. *In ſempiterno*] Et hic malim, *in ſempiternum* ; nam Græce εἰς αἰῶνα. Sed obſervanda conſuetudo Hiero. quæ ſæpe hoc modo caſum cum caſu permutat.

Inhabita] κατασκήνου. Id Symm. elucidat, καὶ ἠρέμησον, & quieſces.

28. *Sanctos ſuos*] τοὺς ὁσίους αὐτοῦ. Lxx.

29. *Habitabunt*] Alias, *inhabitabunt*.

Super eam] In ea.

30. *Meditabitur*] Meditatam eloquetur.

31. *Non deficient*] Supra 26. 1. לֹא אֶמְעָד, A. οὐκ ἀτονήσω, *non deficiam*. Sic etiam ibi Santes; qui hic transfert, *non nutabunt*.

32. *Conſiderat*] κατανοεῖ, Lxx. In Scholio eſt, περισκοπεῖ, undique ſpeculatur, circumſpicit.

33. *Cum judicatur*] ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτόν. A. Senſus eſt; cum ipſe judicio contendet aut litigabit, hinc intelligentiam habet; *cum judicabitur exeat improbus*, *cum judicabitur* i. litigabit: *exeat improbus*, i. reus, ſons, i. רָשָׁע à quo verbum hic in Ebræo הִרְשִׁיעַ condemno.

34. *Cum interibunt*] Cum excindentur.

35. *Robuſtum*] Sic interpres Chaldæus, nam עָרִיץ robuſtus. nec aliter Hieron. Pſal. 84. 16. Prov. 11. 16. rurſum Pſal. 86. 14. Eſt tamen ubi *fortem* interpretatur, quod eodem recidit. Vid. Jeſ. 13. 11. Idem Job. 27. 13. habet, *violenti*, ubi Symm. Theod. ἀκαμπεῖς, i. rigidi, duri, præfracti, inflexibiles.

Et fortiſſimum] Sic & Chaldæus, ſive is Aquila fuerit, ſive Joſeph Cœcus; nam de eo mihi non conſtat. Hoc tantum, עָרִיץ denotare, fortem, robuſtum. Senes hic habent, ὑπερυψούμενον. Santes, *vireſcentem*. Alii, *diffundentem* aut *explicantem ſe*. Ad verbum, *nudantem ſe*.

ſicut indigenam] Arborem videlicet. optima interpretatio & auro contra non cara. Alii, *ut laurus*. Sed ſane אֶזְרָח indigena, & tam de homine uſurpatur quam de arbore. Chaldaice אִילָן יְצִיב.

36. *Et tranſivi*] καὶ παρῆλθον, Lxx. niſi legendum παρῆλθεν, nam Ebraice, *tranſivit* : & proclivis ſane lapſus de (ו) in (י). Talia plurima ſunt in his libris. Sic alibi; *Verte improbum*, *& non erit*, q. dicat, citius quam vertas eum peribit.

37. *Cuſtodi ſimplicitatem & vide rectum*] φύλασσε ἀπλότητα καὶ ὅρα εὐθύ. Sym.

Quia erit ad extremum viro pax] Alii; *Quia erit extremum* (i. merces) *viro pacis* i. pacifico. Vocatur merces *extremum*, quia eſt extremum operis.

Extremum] i. ἔσχατον, A. paullo poſt; *noviſſimum improrum peribit*: ubi idem vocabulum in Ebræo.

38. *Iniqui*] Melior ſcriptura codicis Antverpiani, *prævaricatores*. Santes, *prævaricantes*. A. quoque Jeſ. 57. 4. פֶּשַׁע ἀθεσία. & Sym. Pſ. 36. 2. ἀσυνθεσία. Sed & Theod. Jeſ. 53. 8. ut Aquila. Exponitur autem ἀθεσία *prævaricatio*, *tranſgreſſio*. Videtur autem ſecutus Sym. qui antea tranſtulerat; οἱ δὲ ἀθετοῦντες ἐξαλειφθήσονται ὁμοῦ, quod reddunt; *prævaricatores autem delebuntur pariter*.

Noviſſimum] ἔσχατα, A.

39. *Salus*] Alibi, *ſalus autem*, quod probo.

PSAL. XXXVIII.

1. IN *commemoratione*] Græce eſt, εἰς ἀνάμνησιν, quod reddunt, *in commemoratione*, malim; *in commemorationem*. Ebraice, *ad commemorandum* : & eſt ſenſus, ut ſi dicas; dignus memoratu, aut memorandus, aut, memoria perpetua celebrandus ἀείμνηστος.

2. *In ira tua*] בְּקֶצְפְּךָ. Vide quæ ſcripſimus de hoc vocabulo Obſervat. lib. 1. cap. 24.

In furore tuo] Alii, *in excandeſcentia tua*.

3. *Quia*] Alias, *quoniam*.

Infixæ ſunt mihi] ἐνεπάγησάν μοι, Lxx.

Mihi] Ebraice, *in me*. Santes, *deſcendit ſuper me*. Paullo ante, ubi Hiero. *infixæ ſunt mihi*, Sym. habet, καθίκετό μου (alias καθίκοντό μου) id reddunt; *attigerunt me*. Porro idem verbum in Ebræo.

Manus tua] Plaga tua.

4. *Sanitas*] ἴασις, Lxx. Alii, *integritas*, i. integra valetudo. Ita Cicero. *Quinctum vidi integrum* i. ſanum & recte valentem. Sic, *vita carnium* i. bona valetudo. Huic interpretationi firmandæ eſt interpres Chaldæus; nam in eo שְׁלָם id eſt, Sanitas.

In carne mea] In corpore meo.

A facie indignationis tuæ] ἀπὸ προσώπου τοῦ ἐμβριμήσεώς σου. A. Symm. & eſt ſenſus; propter indignationem tuam. Sic exponas, *à facie peccati*; propter peccatum.

Pax] Sanitas, tranquillitas. Gen. 29. 6. *An pax ei eſt?* ὑγιαίνει; valetne, 43. 25. *Interrogavit eos de pace* i. de valetudine. Lxx. πῶς ἔχετε.

5. *Quia*] Alibi, *quoniam*.

Tranſierunt] Tranſcenderunt.

Super me] Quam ut ferre queam. eſt cur malim, *ſupra me*.

Aggravatæ ſunt] Graves fuerunt, ἐβαρύνθησαν.

6. *Computruerunt*] vel, *putruerunt*. Hoc habetur in Gallico, illud in Romano. Græce eſt, προσώζεσαν; quod reddi etiam poteſt; *fœtuerunt*. In Theſauro exponitur προσόζω, *oleo*. Lexicon Vet. προσόζω *computeo*. הִבְאִישׁ proprie, *male oleo* : item, *fœtere facio*.

Tabuerunt] ἐσάπησαν. Lex. Vet. σήπω, *tavo*, *putro*. Alii, *putruerunt*. nam σήπομαι, putreſio, putreſco. Apud Ambroſium legitur, *computruerunt*. Quod noto, quia in Romano, *deterioraverunt* : in Gallico autem, *corruptæ fuerunt*.

Cicatrices meæ] οἱ μώλωπές μου, Lxx. Alii, *livores mei*.

A facie inſipientiæ meæ] Propter inſipientiam meam. Græce eſt; ἀπὸ προσώπου τῆς ἀφροσύνης μου.

7. *Afflictus ſum*] Mirum ſi non legit נַעֲוֵיתִי, hoc eſt (ו) loco (י). Sic Jeſ. 24. 1. עִוָּה idem, *afflixit*, i. עָנָה. Sed Jeſ. 21. 3. נַעֲוֵיתִי interpretatur, *corrui*. afflictus ſum i. עֻנֵּיתִי quod ſcribunt עניתי. Santes hic habet, *incurvatus ſum* : Alius, *diſtorqueor*. Lxx. ἐταλαιπώρησα, quod redditum in Gall. *miſer factus ſum* : & in Rom. *miſeriis afflictus ſum*.

Incurvatus ſum] κατεκάμφθην. Lxx.

Mœrens] σκυθρωπάζων, Lxx. mœrens, aut mœſto vultu; quod etiam legitur Pſal. 42. 10. ubi Hiero. *triſtis*, Lex. Vet. σκυθρωπὸς *meſtus*, *triſtis*, *contriſtis*. Alii, *pullatus*, *atratus*. Σκυθρωπάζω, *Sum vultu mœſto*, *mœſtitiam vultu ſimulo*. Symmachus hoc loco, σκυθρωπὸς περιεπάτουν, triſtis deambulabam.

8. *Lumbi mei impleti ſunt ignominia*] αἱ ψόαι μου ἐπλήσθησαν ἀτιμίας. Symm.

In carne mea] Editio Chaldaica, בְּגוּפִי *in corpore meo*. Sic, *erunt duo caro una* i. unum corpus.

9. *Evigilavi*] Alii, *debilitatus ſum*. Gen. 45. 26. וַיָּפָג. Hiero. *quaſi de gravi ſomno evigilans*. Quem ſecutus eſt, cum ita transferret?

Afflictus ſum] Fractus & attritus ſum. Ipſe Hiero. Pſal. 74. 21. דַּךְ interpretatur, *confractus*.

Rugiebam à gemitu cordis mei] ὠρυόμην ἀπὸ στεναγμοῦ τῆς καρδίας μου. Lxx. Alii, *propter rugitum cordis mei*. Paullo poſt : *& gemitus meus à te non eſt abſconditus*. hic eſt אַנְחָה in Ebræo.

11. *Fluctuabat*] Agitabatur huc illuc, nec quieſcebat ob continuas afflictiones.

Fortitudo mea] ἡ ἰσχύς μου. Lxx.

Etiam ipſa] Vel, *etiam ipſi*. Sub. oculi. Senſus eſt, *& lux oculorum meorum deſeruit me* : *etiam ipſi oculi non ſunt mecum*. q. d. ita cœcutio, quaſi oculis carerem, quod fieri ſolet in magnis calamitatibus, quando homo non eſt apud ſe, & Sol ei obſcurari videtur.

12. *Chari mei & amici mei*] Melius Symm. οἱ φίλοι μου καὶ ἑταῖροί μου: amici mei & ſocii mei.

Quaſi contra lepram meam] *Quaſi* redundat; non enim certe legitur in Ebræo. Satis ergo, *contra lepram meam*. quod alii referunt; *ex adverſo plaga meæ*. *Lepra* i. ἀφή. Sic interpretantur A. & Sym. Exod. 11. 1. Quanquam ſic Sym. habet ἐξεναντίας τῇ πληγῇ μου : ex adverſo plagæ meæ. Idem ἀφή. Sed Hieron. *lepram* eo nomine ſignificari putavit. Vide, ſi placet, illum in quarta commentatione ſuper Jeſ. cap. 53. Eſt autem breviter dictum ἀφή pro ἀφὴ λέπρας i. plaga lepræ : aut κατ' ἐξοχὴν, lepra ita vocatur : nam ἀφή, *ictus*, *plaga*, *percuſſio*, proprie, *tactus*. Sic נגע *tango*. Unde נֶגַע, quod Græci hic reddunt, ἤγγισαν. Fallitur enim ille qui putat, duas interpretationes eſſe, ἤγγισαν & ἔστησαν. Vid. Rom. Edit. Idem vocabulum Pſal. 91. 10. Ubi Hieron. *lepra non appropinquabit tabernaculo tuo* : alii, *plaga non*, &c.

Steterunt] ἔστησαν. Sym.

Vicini mei] Ebraice *Propinqui mei*; quod latius patet, nam dicitur etiam de affinitate conjunctis.

Longe] De longe, quod an Latine dicatur neſcio. *De longe*, &, *de ſub*, quod poſtremum invenies in Floro. *Longe* i. μακρόθεν, ita Lxx. quanquam in Gallico, *de longe*: & in Romano, *à longe*, ἀπὸ μακρόθεν.

13. *Et irruebant*] An leg. *irretiebant*? Probarem ſi alibi ſic vertiſſet, Pſal. 9. 17. idem, *corruit*, *Jog.* 11. *ſcrutetur*. Santes hoc loco, *laqueos tetenderunt*.

Inveſtigantes mala mihi] οἱ ζητοῦντες τὰ κακά μοι. Lxx. Recentior interpretatio, *quærentes malum meum*. A. κακίαν μου, κακόν μου. Suntne duæ interpretationes? Forte in una poſuit κακίαν & in altera κακόν: aut τὸ κακὸν Sym. eſt.

Inſidias] Sic interpretatur Pſal. 5. 10. & 52. 4. Rurſum Pſal. 94. 20. כסא הוות. A. θρόνος ἐπιβουλῆς. Sym. ἐπηρείας. Hiero. *thronus inſidiarum*. Hinc elicies auctorem, quem ſecutus eſt in hac voce interpretanda.

14. *Non aperiebam*] Alibi, *non aperiens*.

17. *Ne forte inſultet mihi*] μήποτε ἐπιχαρῶσί μοι. Lxx. Id redditum in Romano; *ne aliquando inſultent mihi*. An eo reſpexerit Hiero. neſcio: hoc ſcio, in Ebræo eſſe ad verbum: *ne lætentur de me*.

Pedes mei] Videtur legiſſe, רַגְלִי, aut ſecutus eſt Græcos Lxx. Qui habent, ἐν τῷ σαλευθῆναι πόδας μου.

Super me] ἐπ' ἐμέ.

Magnificentur] Symm. hic edidit, καταμεγαλύνονταί μου, contra me magnificantur.

18. *Ad plagas*] Ebraice eſt, *ad claudicationem*: quod Symmach. dixit εἰς τὸ σκάζειν, ad titubandum, aut, vacillandum.

19. *Pro peccato meo*] Propter peccatum meum.

20. *Viventes*] Bene valentes, facile agentes.

21. *Adverſabantur mihi*] A verbo, quod hic in Ebræo, *Satan* dictus eſt, quem *adverſarium* interpretantur. Nomen cum re convenit; eſt enim adverſarius generis humani. Græce ἀντικείμενος: & Symm. hoc loco, ἀντέκειντό μοι, adverſati ſunt mihi.

22. *Sequebar*] Perſequebar.

Elongeris] Longe diſceſſeris.

23. *Feſtina*] σπεῦσον. A. Theod. Sym.

PSAL. XXXIX.

1. *Victori pro Idithun*] Codex alius; *victoria pro Idithun*: & mox, *David Pſalmus*.

Pro Idithun] ὑπὲρ Ἰδιθούν. A. Sym. Theod.

2. *Silentio*] Melius, quod in edit. Sym. φιμῷ i. capiſtro. nam מַחְסוֹם teſte Camio, vinculi genus, quo ferarum ora obligantur, ne mordeant: id *capiſtrum* appellant, aut *fiſcellam*. Plinius lib. 18. cap. 19. *fiſcellis capiſtrari boves oportet, ne germinum tenera præcerpant*.

Contra me] ἐναντίον μου. Lxx. Alii, *coram me*. Symmachus hunc locum ita interpretatus eſſe perhibetur. Εἶπον, φυλάξω τὰς ὁδούς μου, μὴ ἁμαρτεῖν διὰ τῆς γλώσσης μου, φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ, ἔτι ὄντος ἀσεβοῦς ἐξεναντίας μου: *Dixi, cuſtodiam vias meas, ne peccem per linguam meam, cuſtodiam os meum capiſtro, dum adhuc eſt impius è regione mei*.

3. *Obmutui*] ἐκωφώθην, Lxx. nam in Sym. ἄλαλος ἐγενόμην.

Silentio tacui] σιγῇ ἐσιωπήθην. Sym.

De bono] Idem, μὴ ὢν ἐν ἀγαθῷ, cum non eſſem in bono.

4. *Incaluit cor meum in medio mei*] ἐθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου. Lxx. ἐξεθερμάνθη. Sym.

Incenſus ſum igni] ἐνεκαιόμην πυρί. Sym. In Ebræo eſt, *exarſit ignis*.

In lingua mea] ἐν γλώσσῃ μου i. lingua mea, Ebraiſmus, quem retinent etiam οἱ ό.

5. *Ut ſciam quid deſit mihi*] Alias, *quid mihi deſit*, ſed hoc leve. Græce eſt in Lxx. ἵνα γνῶ, τί ὑστερῶ ἐγώ.

6. *Breves*] *Palmos* i. breves. Dies palmus, ut σπιθαμὴ ὁ βίος, Proverbiale. In Edit. Græca, παλαιὰς, veteres. Sed eſt manifeſtum mendum pro παλαιστὰς, i. palmos, quæ menſura eſt quaternum digitorum. Idem טֶפַח apud Ebræos. Unde miror Sym. qui verterit, ὡς σπιθαμάς, nam ea eſt menſura duodecim digitorum. Mens Davidis: Feciſti dies meos tam breves quam palmus. Vide Proverb. mea. In Pſalterio Gallico eſt; *Menſurabiles poſuiſti dies meos*.

Et vita mea] καὶ ἡ βίωσίς μου. Sym.

Quaſi non ſit in conſpectu tuo] ὡς οὐκ ἔστιν ἐναντίον σου. A.

Omnia vanitas] τὰ σύμπαντα ματαιότης, Lxx.

Enim] Rectius Lxx. πλὴν, veruntamen.

Stans] ἑστώς, Sym. In alio codice additum *ſemper*: cui reſpondet *ſela* in fonte.

Tantum] אַךְ *tantum*. Sic interpretantur hanc particulam. Gen. 7. 23. ubi R. Salomo exponit לְבַד *ſolum, tantummodo*: Alii, *veruntamen*. Lxx. hic, μέντοιγε, quod reddunt *veruntamen*.

In imagine ambulat homo] ἐν εἰκόνι διαπορεύεται ἄνθρωπος, Lxx. Nota איש, ἀνήρ, pro אדם ἄνθρωπος.

Fruſtra] μάτην, vane, in vanum, ματαίως.

Turbatur] Alias, conturbatur. In Ebræo eſt, *perſtrepunt, tumultuantur*.

Cui dimittat ea] Ebraice, *quis collecturus ſit ea*, niſi מִי poſitum pro לְמִי. Tum vertendum erit: *cui colligat ea*. Priorem ſententiam expreſſerunt A. & Theod. vertentes; τίς συλλέξει αὐτά; nam אסף συνάγω i. colligo.

8. *Nunc ergo quid expecto Domine*] καὶ νῦν τί προσδοκῶ δέσποτα; Sym.

Præſtolatio mea] ἡ καραδοκία μου. A.

Tu es] Alii, *in te eſt*: quod in idem recidit.

9. *Ab omnibus iniquitatibus meis libera me*] ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνομιῶν μου ῥῦσαί με, Lxx.

Opprobrium ſtulto ne ponas me] ὄνειδος ἀφρονι μὴ θῇς με. A. niſi quod pro ἄφρονι poſuerit, ἀπορρέοντι, i. defluenti; eſt enim נבל in textu Ebræo, παρὰ τὸ נָבַל *defluo*.

10. *Obmutui*] ἐκωφώθην. Lxx.

Non aperui os meum] Partim exemplarium; *non aperiam os meum*; & in Symm. οὐκ ἀνοίξω στόμα μου. Prius habetur in Lxx. καὶ οὐκ ἤνοιξα τὸ στόμα μου.

Feciſti] Feciſti judicium.

11. *Tolle*] Amove, aufer.

Plagas tuas] In Ebræo eſt, *plagam tuam*.

A contentione manus tuæ] תִּגְרָה contentio. Chaldæi ſcribunt תִּגְרָא & in plurali תִּגְרִין *contentiones*: unde & אִתְּתָא תִּגְרָנִיתָא Prov. 27. 15. *mulier contentioſa*. In lingua ſapientum eſt תִּגֵּר eodem ſignificatu. Elias negat ab eo verbum poſſe deduci. Poteſt ita eſſe: tamen in Lexico Chaldaico Munſteri; תְּגַר *idem quod* דָּן *diſceptavit, contendit*. Pſal. 22.

12. *In increpationibus*] ἐν ἐλεγμοῖς, Lxx. Alibi eſt, *increpationibus*, quod Hiero. ſcripſiſſe putarim.

Pro iniquitate] ὑπὲρ ἀνομίας, Lxx.

Corripuiſti] ἐπαίδευσας, caſtigaſti.

Virum] i. *hominem*. ita Lxx.

Et poſuiſti] An legit ותשם? nunc ſcriptum in fonte וַתֶּמֶס, quod reddunt, *liqueſcere feciſti*. Alii, *diſſolviſti*. Ita Symm. καὶ διαλύεις. Prius erat in Lxx. καὶ ἐξέτηξας, & *tabeſcere feciſti*.

Quaſi tineam] Optime ſic interpretatur עָשׁ. quanquam in Symm. ὡς εὐρῶτα, *tanquam cariem*; & in Lxx. ὡς ἀράχνην, *ut araneam*. Aliquando latius patet. Itaque A. Jeſ. 50. *vermem* interpretatur; & Ebræi utuntur in deſcriptione araneæ generis loco. Dicunt enim certe vermem eſſe i. עָשׁ, qui texit & ædificat domum ſuam in trabibus.

Deſiderabilia ejus] Ad verbum, *deſiderabile ejus*, i. חֲמוּדוֹ quod Sym. convertit, τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ.

Veruntamen] πλήν.

Sela] Lectio varians, *ſemper*.

13. *Exaudi*] Auribus percipe, ἐνώτισαι.

Peregrinus] παρεπίδημος, Lxx. Vox Ebræa magis denotat *incolam*, ſive inquilinum i. ἔνοικον, qui in alieno ſolo habitat.

Apud te] παρὰ σοί.

Parce mihi &c.] Sym. ἀπόσχου μου, ἵνα μειδιάσω, πρὶν ἀπελθεῖν με καὶ μὴ ὑπάρχειν. Cetera ut Hiero. ἀπόσχου μου, magis ſignificat, *abſiſte à me*. ἵνα μειδιάσω, *ut ſubrideam*. Sic Amos 5. 9. המבליג, Hieron. *qui ſubridet*, poſt Aquilam, in quo, μειδιῶν. *Proprie autem*, inquit, *μειδίαμα dicitur, quod nos ſubriſionem poſſumus appellare, quando quis iraſcitur & apertis paullulum labiis ſubridere ſe ſimulat, ut ira oſtendat magnitudinem*. Hæc Hiero. in Comment.

PSAL.

P S A L. XL.

1. P*Ro victoria*] ὑπὲρ τῆς νίκης. Cur hic ita, & alibi aliter vertit?

2. *Expectans expectavi DOMINUM*] ὑπομένων ὑπέμεινα τὸν Κύριον. Lxx.

Inclinatus eſt] Inclinavit ſe.

3. *De lacu famoſo*] Vix adducor ut credam, eum ita vertiſſe. Codex alius; *de lacu ſonitus.* optima interpretatio. nam שְׁאוֹן ſonitus, tumultus, ſtrepitus. *Lacum* autem dicit pro ciſterna vel puteo aut fovea. Itaque Santes, *è ciſterna ſonitus.*

De luto cœni] i. cœnoſo.

Supra petram] Alibi eſt, *ſuper petram.*

4. *Dedit*] Poſuit.

Sperabunt] ἐλπιοῦσιν, Lxx. Alii, *confident.*

5. *Confidentiam ſuam*] Elegerim, *fiduciam ſuam*, nam *confidentia* conſuetudine loquendi in vitio ponitur.

Non eſt averſus] *Non avertit ſe* i. reflexit aut reſpexit.

Ad ſuperbias] Alii, *ad ſuperbos.* Sed רְהָבִים ambiguum eſt: nam cum eſt à ſingulari רָהָב, tunc ſignificat *ſuperbos*: cum à רַהַב tum denotat, *ſuperbias.* Sic interpretatur Hieron. Jeſ. 30. 7. & Pſal. 89. 11. & Symm. ἀλαζόνεια Job 9. 13. Poſſumus etiam exponere; *ſuperbias* i. ſuperbos. Sic alibi; *diligit juſtitias* i. juſtos.

Pompaſque mendacii] Alii, *declinantes ad mendacium.* Quærenda ratio verſionis Hieronymianæ; nam eam adhuc indagare non potui.

6. *Pro nobis*] Erga nos.

Non invenio ordinem coram te] ſenſum aliquo modo expreſſit; nam in Ebræo: *non eſt ordinare ad te.* vult dicere; non licet ea ordinate recenſere apud te, tantus eſt eorum numeru s.

Si narrare voluero & numerare] Ebraice, *indicabo & eloquar.*

Plura ſunt quam &c.] πλείω ἐστὶν τοῦ διηγηθῆναι, Sym.

7. *Victima & oblatione non indiges*] Codex alius, *victimam & oblationem non voluiſti.* Sic Græci, θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας.

Et pro peccato] καὶ περὶ ἁμαρτίας, Lxx. i. hoſtiam pro peccato. Ebraice eſt ad verbum, *& peccatum.* Sic Chriſtus dicitur pro nobis factus eſſe peccatum. Sic legimus in Hoſea; *Peccatum populi mei comedunt.*

8. *In volumine*] ἐν εἰλήματι. A. Sym.

9. *Ut facerem placitum tibi*] τοῦ ποιῆσαι. Satis erat ποιῆσαι, facere voluntatem tuam.

Et legem tuam in medio ventris mei] Deſideratur quippiam. Alii, *& lex tua in medio viſcerum meorum.* ſub. eſt. Codex Plantini: *legem meam.* Sed minus bene.

10. *Annunciavi*] εὐηγγελισάμην. Lxx.

Juſtum tuum] In alio codice eſt, *juſtitiam*, & in Ebræo, צֶדֶק quod A. reddit, δίκαιον; & noſter Hiero. *Juſtum.* Pſal. 17. 1. Sic Cohel. 3. 16. מְקוֹם צֶדֶק, Lxx. τόπον δικαίου. צֶדֶק *juſtus*, ut יֶלֶד *puer*, הֵלֶךְ *viator*, בַּעַר *ſtultus*, כָּבֵד *gravis*, יֶתֶר περισσός. Gen. 49. 3. Interprete A. Jeſ. 41. 2. *Quis excitavit ab oriente juſtitiam?* Quid ſi, *Juſtum:* nam in Ebræo צֶדֶק. expende ſodes. *Juſtum* i. Abrahamum: nam Patriarchæ peculiariter *juſti* vocabantur. Sed hoc pono, non ſtatuo.

11. *Fidem tuam*] Alii, *veritatem tuam.* Sic etiam οἱ ϛ.

Salutare tuum] τὸ σωτήριόν σου. i. ſalutem tuam.

Miſericordias] i. Miſerationes.

15. *Mihi mala*] Alias, *mala mihi.* Sed in Ebræo; *malum meum.* A. κακίαν μου. Sym. κάκωσιν.

16. *Pereant poſt confuſionem ſuam*] Alii; *deſolentur pro mercede pudoris ſui.* ſcil. quo me affecerunt.

17. *Qui quærunt*] Alibi, *omnes qui quærunt*, & ſic eſt in Ebræo.

P S A L. XLI.

2. Q*Ui cogitat de paupere*] Alii, *qui attendit ad pauperem*, vel ſi mavis, *tenuem.*

In die mala] ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ Lxx. Id Sym. tranſtulit, ἐν ἡμέρᾳ κακώσεως, in die vexationis.

Cuſtodiet eum] φυλάξει αὐτόν. Sym.

Et vivificabit eum] καὶ ζωώσει αὐτόν, i. nutriet, alet: aut, in vita conſervabit. Quod Symm. dixit, καὶ περισώσει αὐτόν. Alioqui *vivificare* Græcis eſt ζωῶσαι, quo verbo uſus eſt hoc loco. A.

Et beatus erit] καὶ μακαριστὸς ἔσται. Sym.

Animæ] i. Libidini.

4. *Confortabit eum*] Alii, *fulciet*, aut, *ſuſtentabit:* alii, *adjuvabit*, ſive, *opem feret.* Sic Græci & Chaldæus. Pſal. 119. 117. סְעָדֵנִי, Lxx. βοήθησόν μοι. Hiero. *auxiliare mihi.* 104. 15. יִסְעָד, de pane, Hiero. *roborat.* Lxx. στηρίζει.

Vertiſti] Verſaſti, nam ita fieri ſolet ægrotis.

In ægrotatione ſua] Malim, *ejus.* Sunt qui referant, *in morbo ejus.*

6. *Loquentur malum mihi*] Dicent malum de me.

Et periet] Liber alius, *peribit.* *Periet* etiam legitur in Pſalterio Rom. Sic *floriet*, dicebant pro florebit. *De me* i. περὶ ἐμοῦ, ita Sym. Conſule Fragmenta.

7. *Ut viſitet*] ἐπισκέψασθαι. Symm. Ebraice eſt, *ad viſendum.*

Vana loquetur cor ejus] Sym. ματαιὰ ἐλάλει ἡ καρδία αὐτοῦ i. loquebatur.

Congregabit iniquitatem ſibi] Rurſum Sym. ἤθροιζεν ἀδικίαν ἑαυτῷ i. congregabat aut coacervabat.

Et egrediens foras detrahet] ἐξερχόμενος ἔξω, κατελάλει, i. detrahebat. Idem, qui ſupra. Ceterum copula (&) aberat in alio codice, ut etiam in Ebræo.

Detrahet] Ebraice, *loquetur.* A. priorem partem hujus verſus ita tranſtulit, ἐὰν ἔλθῃ τοῦ ἰδεῖν, εἰκῆ λαλήσει: *ſi venerit viſum, inaniter loquetur.*

8. *Murmurabant*] Alibi, *murmurabunt.* Sed mox ſequitur, *cogitabant:* niſi ibi quoque legendum, *cogitabunt*; nam utrobique verbum fut. in Ebræo. Ceterum ex Edit. Sym. citatum invenio, ἐψιθύριζον, ſuſurrarunt.

9. *Verbum Diaboli*] Ebraice, *verbum Belial*, i. nequam. Sed quoniam Apoſtolus, ut opinor, Diabolum *Belial* appellat, ideo Hieron. tranſtulit, *Verbum Diaboli*, cum antea in Sym. eſſet, λόγος παράνομος: etiam in Lxx.

Infundebant ſibi] Melius, *infuſum eſt in eo*: quod Sym. dixit ἐκκέχυται ἐνδὸν αὐτῶν, ſingularem cum plurali permutans.

Qui dormivit] ὃς ἂν κοιμηθῇ, qui dormierit, i. mortuus fuerit. interpretamentum hoc Aquilæ eſt: nam in Lxx. ὁ κοιμώμενος, qui dormit. Verior interpretatio, *qui decumbit*, nempe in lecto infirmitatis, ut ſupra locutus eſt.

Non addet ut reſurgat] Hoc eſt verbum nequam, quod effuſum in eo. Dicebat, Davidem decumbentem non amplius ſurrecturum è lecto; ſed ex morbo illo moriturum eſſe. Quocirca male additur interrogationis nota in libris. Nam qui hoc modo interrogat, affirmat, illum aliquando ſurrecturum, quod pugnat cum mente verborum Prophetæ. A. hic habet; ὃς κοιμηθῇ οὐ προσθήσει τοῦ ἀναστῆναι, qui dormierit non addet ut reſurgat.

10. *Pacificus meus*] εἰρηνικός μου, vult dicere: qui mecum pacem habebat, quod in Symm. ὃς εἰρήνευέ μοι. Ceteri ad verbum interpretantur, ἀνὴρ εἰρήνης μου, vir pacis meæ.

In quo habui fiduciam] ᾧ ἐπεποίθειν. Symm. ᾧ ἐπεποίθησα, A. Theod.

Levavit] Proprie, ἐμεγάλυνεν. Sed hic הגדיל poſitum videtur pro הֵרִים, ſuſtulit, extulit. Itaque Joan. Euangeliſta interpretatur ἐπῆρεν.

Plantam] Calcem, ſive, calcaneum. A *planta* eſt verbum *ſupplanto*, quod Ebræi per עקב efferunt. Alioqui *planta pedis* communiter & uſitate כף רגל dicitur.

Tu autem] Alibi, *& tu.*

11. *Eleva me*] Erige decumbentem, ut ſurgam & revaleſcam ex hoc morbo. Contrarium illius; *non addet amplius ut ſurgat.* Ebraice, *fac ut ſurgam.*

Ut reddam eis] Alibi, *& reddam eis.*

12. *Quod velis me*] Sic alibi, *quoniam vult eum.* Latini potius dicerent, quod *velis mihi*: *velle alicui*, pro favere & bene velle, antiquæ notæ dictio eſt. Græce eſt ὅτι τεθέληκάς με.

Non inſultabit mihi] Verbum è verbo, *non jubilabit ſuper me*: & eſt ſenſus, ut ſi diceret; non inſultabit mihi, vel certe, non triumphabit de me.

13. *In ſimplicitate mea*] ἐν τῇ ἁπλότητί μου. Pro eo Sym. & A. poſuerunt, διὰ τὴν ἁπλότητά μου: propter ſimplicitatem meam.

Adjutus ſum à te] ſenſum expreſſit, non verba. nam in Ebræo, *ſuſtentaſti me.*

Statues me ante faciem tuam in perpetuum] παρέστησάς με ἔμπροσθέν σου δι' αἰῶνος. Sym.

Amen, Amen,] ἀμήν, ἀμήν. Sym.

PSAL.

PSAL. XLII.

2. I*Ntellectus*] Dubitari poteſt, ſitne caſus rectus σύνεσις, an obliquus συνέσεως, quod in quibuſdam libris Græcis. Quanquam in aliis, εἰς σύνεσιν, ad intellectum. Santes habet *erudiens*, & ſubint. cantio aut carmen.

Sicut areola præparata] איל areola, quod ſcribunt אֵיל, unde, איל פארן, *campus ſive planicies Pharan*. A. ὡς αὐλών. Lex. Vet. αὐλών. *Averca*, ὁ τινὸς τόπος ἢ ἐπιμήκης. Area potius ערוגה dicitur, & Græce πρασιά. unde A. πρασιάσαι, & VI. Edit. πρασιωθῇ. Vid. Fragmenta. Hiero. confundit ערג & ערך. nam id præparare ſignificat, & ab eo ערוך inſtructus, præparatus. Forte legit כאילת ערוג cum apices abeſſent. Paullo poſt תערג idem interpretatur; *præparata eſt*. Quod me in ſententia mea plane confirmat.

Ad irrigationes aquarum] Pſal. 18. 16. idem habet, *effuſiones aquarum*. Sed vox Ebræa potius denotat, *alveos*.

Præparata eſt] Lxx. ἐπιποθεῖ, concupiſcit, deſiderat. Sic etiam interpres Chaldæus. Porro in alio codice abeſt verbum, *eſt*.

3. *Deum*] Alibi legitur: *ad Deum*. forte ex edit. τῶν ό. nam ibi eſt, πρὸς τὸν θεόν. *Sitire* hic eſt vehementer cupere: ut cum dicimus; ſitire honores, gloriam, ſanguinem &c. Sic, *ſitire Deum*.

Fortem, viventem] Liber alius, *Fortem, vivum*. *Fortem* hic eſt אֵל quod reddunt ἰσχυρὸν: item *Deum*. alii; *Deum fortem*.

Et parebo] Lectio varians, & *apparebo*.

Ante faciem tuam] In alio codice, *ante faciem Dei*, quæ lectio convenit cum veritate Ebraica.

5. *Veniam ad umbraculum*] Interpretatur בסך ac ſi eſſet סֻכָּה. Ita Sym. εἰσελεύσομαι εἰς τὴν σκηνήν. Senes vero; διελεύσομαι ἐν τόπῳ σκηνῆς: quod in Gallico redditur; *tranſibo in locum tabernaculi*. Sed A. elegit, ἐν συσκίῳ, in umbroſo; Alii, *in numero*, *in turba*.

Tacebo] Forte legit אדרם, ſtertam; nam qui ſtertit, etiam tacet. Hoc pono, non ſtatuo. Jeſ. 38. 15. אֶדַּדֶּה vertit, *recogitabo*. Alii, *gradiar*, *incedam*. & אֶדַּדֵּם *incedam cum eis*. Verbum eſt, ut quidam opinantur, à mammis deductum: matres enim cum infantes incedere docent, ad ſe eos vocant apertis mammis.

In voce laudis] ἐν φωνῇ αἰνέσεως. A.

Et confeſſionis] καὶ ἐξομολογήσεως. Lxx. Sym. Senſus autem eſt, ſecundum Aquilam, εὐχαριστίας, i. gratiarum actionis, hinc, *confeſſionem perſonare* in cantionibus Eccleſiaſticis.

Multitudinis feſta celebrantis] πλῆθος πανηγυρίζοντων. Sym. ὄχλου ἑορτάζοντος. A.

6. *Quid incurvaris*] τί κατακάμπτῃ; Sym. ex Euſebio, τί κατακύπτεις. A.

Conturbas me] συνταράσσεις με; Lxx. θορυβῇ κατ᾽ ἐμοῦ; Symm.

Expecta Deum] ἀνάμεινον τὸν θεόν. Sym.

Adhuc] Sym. διηνεκῶς, continue, aſſidue. Alii codices Aquilæ hoc tribuunt. Vide Fragm.

Salutaribus vultus ejus] Pro eo in alio loco reperitur, *Salutibus vultus ejus*. Symm. quoque hic retulit; τὰς σωτηρίας τοῦ προσώπου αὐτοῦ.

7. *Anima mea incurvatur*] ἡ ψυχή μου κατακάμπτεται. Sym. quanquam in Edit. Rom. κατατήκεται, *liqueſit*, aut, *contabeſcit*. Sic ſupra v. 6. ubi Euſebius, ex Sym. citat, κατακάμπτῃ, incurvaris: ceteri laudant κατατήκῃ, contabeſcis.

Propterea recordabo tui] διὰ τοῦτο μνησθήσομαί σου. Lxx.

De terra Jordanis & Hermoniim monte minimo] ἀπὸ γῆς Ιορδάνου καὶ ἀπὸ ἑρμωνιεὶμ ὄρους μικροτάτου. Symm. Non dubito, quin ſit legendum, καὶ ἑρμωνιεὶμ ἀπὸ ὄρους μικροτάτου. Quod evincunt Latina Symm. citata in Fragmentis meis; *à terra Jordanis & Hermonym à monte minimo*.

8. *Invocat*] ἐπικαλεῖται. Lxx. In alio codice offendi, *vocat*: quod magis ſe probat mihi.

In voce cataractarum tuarum] εἰς φωνὴν τῶν καταρρακτῶν σου. Lxx.

Omnes gurgites tui & fluctus tui] Melius; *omnes fluctus tui & unda tua*. Sane משברים ſunt *fluctus*, qui ſic à frangendo appellati: unde ab A. σύντριμμοι vocantur, nam vel ad littus franguntur, unde *fluctifragum littus*; vel ſe mutuo allidunt.

Eſt in nocte] Alias, *nocte*.

Canticum ejus: mecum oratio] Hæc alii libri aliter diſtinguunt: *Canticum ejus mecum*: *oratio*: & melius meo judicio. Sane juvantur auctoritate accentuum, qui nunc in codicibus Ebræorum: tum etiam editione Aquilæ Pontici; in qua, καὶ ἐν νυκτὶ ᾆσμα αὐτοῦ μετ᾽ ἐμοῦ.

Oratio Deo vitæ meæ] προσευχὴ τῷ θεῷ τῆς ζωῆς μου. Lxx.

Triſtis] σκυθρωπός. Sed & σκυθρωπάζων, quod in Lxx. Interpretes reddunt, *triſtis*.

10. *Affligente inimico*] Alii, *propter oppreſſionem inimici*. Sed Hiero. videtur legiſſe בִּלְחֹץ, ut & Lxx. qui transferunt; ἐν τῷ ἐκθλίβειν, &c. Dum affligit inimicus, aut ſecutus eſt Sym. qui prius verterat: ἱνατί σκυθρωπὸς περιπατῶ θλιβόντος ἐχθροῦ. Hoc malim.

11. *Cum*] Alias *dum*.

Me interficerent in oſſibus meis] ἐν τῷ φονεῦσαί με ἐν ὀστέοις μου. A.

Hoſtes mei] οἱ ἐχθροί μου, eſt in quibuſdam libris edit. τῶν ό.

12. *Salutaribus*] Liber alius, *ſalutibus*. Sic variant codices Græci: nam in his σωτηρία, & in illis σωτήριον, i. ſalutare.

PSAL. XLIII.

1. D*Iſcerne cauſam meam*] δίκασον τὴν δίκην μου. Lxx.

Sancta] Pia.

Iniquo & doloſo] Inverte, ut ſit; *doloſo & iniquo*: ita enim reſpondebit Ebræo. Sed forte Hiero. deſcripſit ex edit. τῶν ό. in qua ἀδίκου καὶ δολίου. Pro *diſcerne cauſam meam*, quidam habent; *litiga litem meam*, quod proprie eorum eſt, qui vulgo advocati vocantur. Vult ergo, Deum eſſe judicem ſuum, & ſimul advocatum ſive patronum.

2. *Deus fortitudo mea*] ὁ θεὸς κραταίωμά μου. Lxx. Ebraice eſt, *Deus fortitudinis meæ*. In Pſalterio Rom. *Deus meus & fortitudo mea* אֱלֹהֵי מָעוּזִּי.

Quare triſtis &c.] ἱνατί σκυθρωπὸς περιπατῶ θλιβόντος ἐχθροῦ. Vid. ſupra 42. 10.

3. *Introducent in montem*] In alio codice; *introducent me ad montem*.

In tabernaculum tuum] Ebraice, *In tabernacula tua*, quem numerum Senes expreſſerunt; etiam ceteri, qui hunc verſum ita tranſtulerunt; ἀπόστειλον τὸ φῶς σου καὶ τὴν ἀλήθειάν σου, ἅτινα ὁδογήσει με καὶ ἄξει με εἰς τὸ ὄρος τὸ ἅγιόν σου, καὶ εἰς τὰς σκηνώσεις σου.

4. *Ad altare tuum*] Ebraice, *ad altare Dei*, & eſt nomen loco pronominis. Sic alibi: & *dixit DOMINUS, adſcende ad DOMINUM*. Vide libellos meos.

Lætitiæ & exultationis meæ] Ebraice, *lætitiæ exultationis meæ*, neque poteſt eſſe ἀσύνδετον: nam prius nomen in Ebræo conſtructum eſt; hoc eſt, ponitur in regimine.

Expecta Deum] ἀνάμεινον τὸν θεόν. minus recte in alio codice; *expecta Dominum*.

Salutaribus] Lectio varians, *ſalutibus*.

PSAL. XLIV.

1. F*Ilii Core*] Cur hic poſuit; *filii Core*; & alibi; *filiorum Core*? An quia in Lxx. repperit, τοῖς υἱοῖς Κορὲ: & in aliis, hoc eſt in A. & Symm. τῶν υἱῶν Κορέ? Verum puto.

Eruditio] Supra poſuit, *intellectus*, & Santes hoc loco, *intelligentia*. Sed Arias emendavit; *erudiens*: & cantio ſubintelligitur.

2. *In diebus antiquis*] ἐν ἡμέραις ἀρχαίαις Lxx.

Auribus noſtris] τοῖς ὠσὶν ἡμῶν. Sym. abſque præpoſitione: quæ in Lxx. & Theodotione.

Quod operatus es] ὁ εἰργάσω. Lxx.

3. *Deleſti*] Alii, *expuliſti*.

Eos] Iſraelitas videlicet.

Afflixiſti populos] ἐκάκωσας λαούς, Lxx.

Et emiſiſti eos] καὶ ἐξαπέστειλας αὐτούς. A.

Quia complacuiſti tibi] Locus manifeſte corruptus. Legendum, *Quia complacuiſti in eis*: vel certe; *quia complacuit tibi in eis*. Græce eſt apud Lxx. & alium interpretem; ὅτι εὐδόκησας ἐν αὐτοῖς. Vide ſis Edit. Rom.

5. *Rex*

Rex meus] Vel, quia me regem feciſti; vel certe quia mihi ut rex imperas. Qua ratione Deus vocatur *rex Jacobi*: Jeſ. 41. 21. Sym. σὺ εἶ ὁ βασιλεύς μου ὁ θεός: tu es rex meus Deus.

Præcipe pro ſalutibus Jacob] Idem: ἔντειλαι περὶ τῆς σωτηρίας Ἰακώβ. i. de ſalute. Ebraice; *manda ſalutes* i. mandato procura. q. d. præcipe angelis tuis, ut curam illius habeant.

6. *In te*] Ope tua.

Ventilabimus] κερατιοῦμεν. Lxx. Id verſum in Rom. *ventilabimus*, in Gallico autem, *ventilabimus cornu*. Recentior interpretatio, *cornu petemus*, aut, *feriemus*.

Conculcabimus] συμπατήσομεν. A. Sym.

8. *Confudiſti*] Pudore affeciſti.

In DOMINO] Ebraice, *in Deo*: quod A. & Senes dixerunt, ἐν τῷ θεῷ.

Gaudebimus] Verbum è verbo; *laudabimus*. Sed A. tranſtulit, καυχησόμεθα, gloriabimur. & Sym. τὸν θεὸν ὑμνήσομεν, Deo hymnos dicemus. Obiter obſervo, Apud Ambroſium, *A. tamen poſuit, in Deo gloriabimur tota die.* Sic ſæpe veteres nomina hæc permutant.

Tota die] ὅλην τὴν ἡμέραν. A.

Sela] Alias, *ſemper*.

Verum] ἀλλά. Ebraice eſt, *etiam*.

10. *Projeciſti*] ἀπέβαλες, abjeciſti, rejeciſti. Adi ſis ad Rom. edit.

Confudiſti] Ignominia affeciſti, κατῄσχυνας.

In exercitibus] Cum exercitibus: Ebraiſmus, Lexic. Vet. *Confuſa*, αἰσχυνομένη. Porro, *in exercitibus noſtris*, Græce legitur, ἐν ταῖς δυνάμεσιν ἡμῶν: quod minus bene redditum, *in virtutibus noſtris*: nam δύναμις exercitum denotare notiſſimum eſt iis, qui ſcripta mea triverunt. Sane Sym. hoc loco poſuit; ἐν τοῖς στρατεύμασιν ἡμῶν, quod nullam omnino ambiguitatem habet.

11. *Vertiſti terga noſtra hoſti*] Senſum aliquo modo expreſſit; nam in verbo eſt; *redire feciſti nos retro ab hoſte*. Sym. edidit; ἔταξας ἡμᾶς ἐσχάτους παντὸς ἐναντίου: *poſuiſti nos ultimos*, ſive *noviſſimos omnis adverſarii*, i. omnium adverſariorum.

Et qui oderunt nos diripuerunt ſibi] καὶ οἱ μισοῦντες ἡμᾶς διαρπάζουσιν ἑαυτοῖς. Symmach. i. diripiunt; & ſubaud. opes noſtras.

12. *Dediſti nos*] ἔδωκας ἡμᾶς, Sym. i. poſuiſti. Sic δοῦναι & τιθέναι permutantur apud Græcos.

Quaſi gregem ad vorandum] Qui ab hominibus voratur. Ebraice, *ut oves cibi*. niſi mavis, *ut pecudes*. Quod in Sym. ὡς βοσκήματα βρώσεως, ut pecora comeſtionis i. quæ comeduntur. צאן generale eſt ad oves & capras. Sic Græce μῆλον. *Pecoris* vocabulum pro ove uſurpavit non uno in loco Plinius.

Diſperſiſti nos] διέσπειρας ἡμᾶς, Lxx. quod noto, quia in Sym. ἐλίκμησας ἡμᾶς, ventilaſti nos. Quod verbum Ebræum etiam ſignificat.

13. *Vendidiſti*] ἀπέδου. Lxx. & Symm. Id alius dixit, πέπρακας.

Sine precio] ἄνευ τιμῆς, Lxx. Sed melius Sym. οὐχ ὑπάρξεως, *abſque ſubſtantia* i. opibus: nam הון *opes*. proprie de auro & argento, ut שלל de veſtibus, ait Abenezra.

Nec grandis fuit commutatio eorum] Ebraice, *nec auctus es ex pretiis ipſorum.* Verbum è verbo: *nec auxiſti*: ſubintelligitur autem, rem tuam: &, *in pretiis*, ubi (*in*) ex Ebraiſmo redundare poteſt. Sym. tamen, οὐ πολλὴν ἐποίησας τὴν τιμὴν αὐτῶν, nec multum feciſti precium eorum, ut הִרְבִּיתָ ſit, *multum feciſti*. Cave rejicias, nam רב multus; etiam magnus; unde verti poſſet; *nec magni feciſti*. Senſus eſt, ut ſi diceret; vilipendiſti precium, quod pro iis potuiſſes accipere, ſi voluiſſes. Idem aliter.

14. *Subſannationem*] μυκτηρισμόν. Lxx. Dicitur & μυκτηρισμός. Lexicon Vet. μυκτηρισμός, *deſannacio*, *ſubſannatio*. Edit. Symm. περιπλακισμόν. Eſt autem περιπλακισμός, contumelioſa deriſio ſive probroſa illuſio, aut læſio quæ fit per contumeliam.

Et irriſum] καὶ καταγέλωτα, Lxx. καὶ χλευασμόν, Theod. μετὰ χλευασμοῦ. Sym. *Et deriſum*. Pſalterium Gall. πομπήν, pompam. A.

Iis qui erant in circuitu noſtro]. Ad verbum, *circuitibus noſtris*, res pro hominibus.

15. *Similitudinem*] Alii; *parabolam*: Alii, *proverbium*. Vox Ebræa hæc omnia ſignificat.

Commotionem capitis] κίνησιν κεφαλῆς, Lxx. Sym. μετακίνημα: alius.

In tribubus] ἐν ταῖς φυλαῖς. Sym. Pſal. 7. 8. עֲדַת לְאֻמִּים. Idem Hieron. *congregatio tribuum.* Sic Gen. 27. 29. Sed Lxx. ἐν τοῖς λαοῖς, in populis. לְאֹם, λαός, ut בְּרָכָם, χειρός.

16. *Tota die confuſio mea contra me eſt*] Ambroſius annotat, Symm. ita vertiſſe. In Edit. Rom. Sym. δι' ὅλης ἡμέρας ἡ ἀσχημοσύνη μου ἀντικρύς μου: quod reddunt; *per totam diem confuſio mea contra me.*

Et ignominia faciei meæ operuit me] καὶ ὁ καταισχυμμὸς τοῦ προσώπου μου καλύπτει με, i. operit me.

17. *A voce exprobrantis & blaſphemantis*] ἀπὸ φωνῆς ὀνειδίζοντος καὶ βλασφημοῦντος. Sym.

A facie inimici & ultoris] ἀπὸ προσώπου ἐχθροῦ καὶ τιμωροῦντος ἑαυτόν. Id eſt, *ulciſcentis ſe*. Idem qui ſupra. Pſal. 8. מִתְנַקֵּם. VI. Edit. καὶ τιμωροῦντα ἑαυτόν. Hieron. *& ultorem*. Lxx. καὶ ἐκδικητήν, quod in Gallico verſum, *& ultorem*. Lxx. hic, καὶ ἐκδιώκοντος. Vide ne mendum ſit. Lexic. Vet. τιμωρός, *ultor*, *ultrix*.

18. *Omnia hæc venerunt ſuper nos*] ταῦτα πάντα ἦλθεν ἐφ' ἡμᾶς. Lxx. Alii; *totum hoc venit nobis*, i. evenit, accidit.

Nec mentiti ſumus in pacto tuo] Pro eo habendum ac ſi diceret; nec violavimus pactum tuum. Quidam referunt: *Nec fallaciter* (alias *mendaciter*) *egimus contra pactum tuum.*

19. *Nec declinaverunt greſſus noſtri*] καὶ ἔκλινε βήματα ἡμῶν. Vide Roman. edit. Debet autem repeti negatio ἀπὸ κοινοῦ ex præcedenti membro. Sic etiam in textu Ebræo.

20. *Dejeciſti nos*] Ebraice, *contriviſti nos*, i. contritos dejeciſti: & eſt unum pro duobus; qualia ſunt: *capies carbones ignis ſuper caput ejus*; pro, capies & pones: *accepiſti dona in hominibus*, pro, accepta diſtribuiſti: *Accepit eum in pinnaculum templi*, pro, acceptum tranſtulit.

In loco draconum] Eſt cur prætulerim, *in locum draconum*; quanquam in fonte, *in loco*. תַּנִּים autem *dracones* denotare, patet ex Abicenna medico, qui draconem marinum appellat, *Thennin al bahare*. Dicitur autem contracte תַּנִּים dictum pro תַּנִּינִים: aut eſt nomen ſingulare תַּנִּים draco, idem videlicet quod תַּנִּין, qua de re alias.

Operuit nos umbra] Verior lectio in alio codice; *operuiſti nos umbra*: nam in fonte, *in umbra*, ergo *umbra* recte accipies in caſu obliquo. Ceterum *operuit* irrepſit in Verſionem Hiero. ex Edit. τῶν ό. nam in ea diſerte, ἐπεκάλυψεν. Credibile autem eſt, Hiero. potius A. ſecutum eſſe, in quo: καὶ ἐκάλυψας ἡμᾶς ἐν σκιᾷ θανάτου. Quanquam in Euſebio totus iſte verſus ex A. producitur in hunc modum; συνέθλασας ἡμᾶς ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ καὶ ἐπεπώμασας ἡμῖν σκιὰν θανάτου. Vide ſodes editio. Roman. Pſal. 140. 10. יְכַסֵּמוֹ, Lxx. καλύψει αὐτούς. Alius, πωμασάτω αὐτούς. Eſt autem πωμάζω, operculo tego, quod uno verbo dicunt, *operculare*; nam πῶμα, operculum i. כִּסּוּי. Symm. ἀλωσάτωσαν. emendo, πωμασάτω. nam in Theodoriteis. Sym. *operiat ipſos*. Quare ſuſpicor, apud Euſebium pro Ἀκύλας reponendum eſſe Σύμμαχος. In qua ſententia me amplius confirmat, quod Ambroſius ex Aquila laudat, ἐν τόπῳ σειρήνων. Nec obſtat ſcholion, *V. Edit.* ἐπεπώμασας. nam quid prohibet, ita etiam Symm. tranſtuliſſe, cum in multis interpretes inter ſe conveniant.

22. *Inveſtigabit*] ἐξιχνιάσει. A.

Cogitationes cordis] Ebraice, *abſcondita cordis*, & in Lxx, τὰ κρύφια τῆς καρδίας.

23. *Mortificati ſumus*] i. morte affecti, occiſi. Græce eſt, θανατούμεθα, quod verſum in Gallico, *mortificamur*. Sic 1 Petr. 3. θανατωθεὶς μὲν σαρκί, *mortificatus quidem carne*. Lexicon Vetus, θανατῶ, *mortifico*. Verbum Græcum ſignificat etiam, *morti adjudico*, *capitis damno*. Quod huic loco non male quadrat, meo judicio.

Ut grex] Alii, *ut oves*: alii, *ut pecudes*.

Occiſionis] Vel, ſi placet, *mactationis*. Quod Græce eſt σφαγῆς, vult dicere; ut oves, quæ ad mactandum adducuntur, ſive mactationi deſtinatæ.

24. *Conſurge*] Ita Hiero. Pſ. 7. 7. & 35. 23. & 108. 3. Lxx. ἐξεγέρθητι, *exurge*. Alius, ἐξυπνίσθητι *expergiſcere*: alius, ἐξύπνισον, *evigila*.

Quare dormitas] Melius, *quare dormis?* nam illud Ebraice potius diceretur למה תנום. Senes hoc loco habent, ἱνατί ὑπνοῖς; Sym. vero, ἱνατί ὡς ὑπνῶν εἶ; *quare ut dormienſes?* i. ſimilis dormienti.

Evigila] ἐξύπνισον. Sym.

Quare projicis nos] Ebraice, *ne projicias*. Id quod Symm. dixit;

dixit, μὴ ἀποβάλῃς. Senes, μὴ ἀπώσῃς, ne rejicias, repellas.

In ſempiternum] Hinc intelligentiam habet quod in Lxx. & Sym. εἰς τέλος, & vulgo interpretantur, *in finem.*

Quare faciem tuam abſcondis] ἱνατί τὸ πρόσωπόν σου κρύπτεις; Symm.

Afflictiones] In Ebræo eſt, *afflictionem noſtram.* quod Sym. dixit; τῆς κακώσεως ἡμῶν. quanquam in ſcholio, κακουχίας, malæ tractationes.

Et anguſtias noſtras] καὶ θλίψεως ἡμῶν. idem. Sic etiam Lxx. Interpretes reddunt, *tribulationis noſtræ.* Ambroſius autem admonet, pro, *tribulatione* Sym. dixiſſe, κακώσεως. Alius, τῆς κακίας ἡμῶν.

26. *Incurvata eſt*] κατεκάμφθη. Sym.

In pulvere] εἰς χοῦν. Quidam, *dejecta eſt in pulverem.* Quid ſi *vergit ad pulverem?* hoc pono, non ſtatuo. Idem verbum in illo; *vergit ad mortem domus ejus.*

27. *Auxiliare nobis*] βοήθησον ἡμῖν. Lxx. In Ebræo, *ſurge auxilium nobis*, i. βοήθεια ἡμῖν.

Propter miſericordiam tuam] διὰ τὸ ἔλεός σου. A. Sym.

PSAL. XLV.

1. V*ictori*] τῷ νικοποιῷ.

Pro liliis] ἐπὶ τῶν κρίνων. A. Theod. Ita Baſilius citat. Alibi eſt ἐπὶ τοῖς κρίνοις, de liliis.

Filiorum Core] τῶν υἱῶν Κορέ. A. Sym.

Eruditionis canticum amantiſſimum] Non, *eruditionis canticum*: (nam hoc Ebraice diceretur שיר משכיל) ſed, *canticum amorum* i. amantiſſimum & dictio *eruditionis* per ſe legenda, pro qua in aliis locis eſt συνέσεως, intelligentiæ, ſive, intellectus, ut etiam hoc loco in Symmachi; nam in Aquilæ eſt, ἐπιστήμονος, i. ſcientis, qui etiam edidit ᾆσμα προσφιλίας, *canticum amoris*, i. amabile.

2. *Eructavit cor meum verbum bonum*] ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. Lxx. Quod autem Symm. vertit; *commotum eſt cor meum verbo bono* i. ἐκινήθη, in eo adſtipulatorem habet Davidem Camium, qui verbum Ebræum per הֵנִיעַ interpretatur.

Stilus ſcribæ velocis] ὡς γραφεῖον γραφέως ταχινοῦ. i. ut ſtilus. Sym.

3. *Decore pulchrior es filiis hominum*] κάλλει καλὸς εἶ παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Sym.

Diffuſa eſt gratia in labiis tuis] Alibi, *effuſa eſt.* Lxx. ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου. Alius, ἀνεχύθη, refuſa eſt.

4. *Accingere gladio tuo ſuper femur*] ζῶσαι τὴν μάχαιράν σου ἐπὶ μηρόν.

Et decore tuo] Deſideratur initium verſus ſequentis, quod ſupplendum ex alio exemplari, *Et decore tuo proſpere* &c.

5. *Aſcende*] Conſcende, equita. ad verbum; *proſperare, aſcende. In decore tuo*, ἐν τῇ εὐπρεπείᾳ σου.

Propter veritatem] Lectio varians; *propter verbum veritatis.* In Ebræo eſt, *ſuper verbum veritatis.*

Manſuetudinem & juſtitiam] In alio codice, *manſuetudinem juſtitiæ*: quæ ſcriptura in omnes partes melior eſt, & convenit cum Ebræo, niſi quod ibi ſit ענוה cum He in fine.

6. *In corde inimicorum regis*] Malim, *in cor.* Sed Græcos ſecutus eſt, qui vertunt; ἐν καρδίᾳ τῶν ἐχθρῶν τοῦ βασιλέως. Quum *Græcos* dico, intelligo τοὺς ό.

7. *Æquitatis*] εὐθύτητος. Lxx.

Sceptrum] σκῆπτρον. A.

8. *Iniquitatem*] ἀνομίαν, Lxx. Ebraice eſt, *impietatem*, vel ſi mavis, *improbitatem.* Impietatem i. ἀσέβειαν.

Exultationis] ἀγαλλιάσεως. Lxx. In utroque Pſalterio eſt, *oleo lætitiæ*: & ex A. citatur in edit. Rom. ἐλαίῳ χαρᾶς, oleo gaudii. Chryſoſtomus; ὁ δὲ Ἑβραῖος φησὶν, τουτέστι καλλωπισμοῦ, δόξης, κόσμου. expende.

Præ participibus tuis] παρὰ τοὺς μετόχους σου, Lxx. Quanquam in Pſalteriis Gallico & Romano, *præ conſortibus tuis.* Lexicon Vetus μέτοχος, *particeps*, μετοχὴ, *hoc participium.* Editio Symm. παρὰ τοὺς ἑταίρους σου, præ ſociis tuis; nam חָבֵר *ſocius.*

9. *Et ſtacte*] Lxx. καὶ στακτὴ, quod *guttam* interpretantur. Lex. Vet. στακτὴ, *gutta.* Baſilius annotat, eſſe genus myrrhæ. Verba ſunt homil. in hunc Pſal. ἡ δὲ στακτὴ καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος τὸ λεπτότατον. ἐκθλιβέντος γὰρ τοῦ ἀρώματος, ὅσον μὲν αὐτοῦ ῥυτὸν, εἰς τὴν στακτὴν ἀποκρίνεται. τὸ δὲ παχὺ ἀπομεῖναν σμύρνα προσαγορεύεται. Hæc de *ſtacte.* Ceterum Ebræum vocabulum hodie *aloën* interpretantur, *myrrha & aloë & caſia.* ita Santes.

In cunctis veſtimentis tuis] Ebraice, *omnia veſtimenta tua*: quod Græce legitur apud unum ex interpretibus antiquis, πάντα τὰ ἱμάτιά σου.

De domibus eburneis] Lxx. ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων; quod vulgo redditur; *à gravibus eburneis.* malè: nam βάρεων obliquus eſt à recto βάρις, quæ vox Palæſtinæ peculiaris proprie ſignificat domos in modum turrium ædificatas. Eadem *templum* denotat. unde alius; ἀπὸ ναῶν ἐλεφαντίνων: à templis eburneis, quod Theodoretus Aquilæ & Symm. tribuit. Verbum è verbo; ἀπὸ βάρεων ſive ναῶν ὀδόντος. Vide Fragm. noſtra.

Quibus] Alii, *ex quibus*: Alii, *unde.*

In honore tuo] Alius, ἐν ταῖς ἐνδόξοις σου. vult dicere; in honoratis tuis ancillis. Tales Galli vocant *Filias honoris*, & Belgæ mei, Staatdochters.

In dextera tua] Ad dexteram tuam.

In diademate aureo] ἐν διαδήματι χρυσῷ. Theod. Sed addit, ἐκ σουφείρ. eſt autem σουφείρ corruptio ſcripturæ pro οὐφείρ, ſive ὠφείρ i. Ophir: unde *obryzum*, ut quidam volunt, quaſi *Ophirizum.* Ergo כֶּתֶם diadema aureum: & אופיר ἐξ ὠφίρ: ex quo forte imperitia fecit, ἐκ σουφίρ. Quis hoc negare auſit? Mendum hoc perantiquum eſt: nam legitur etiam in Sapientia Jeſu Sirach. אופיר aliquando purum putum, ſive primæ notæ aurum: unde Symm. ἐν χρυσῷ πρωτείῳ, *in auro primo*: hujuſmodi enim aurum erat, quod ex Ophir adſerebatur. A. hic habet; ἐν βάμματι Ὠφίρ: *in tinctura Ophir.* Sed idem alibi כֶּתֶם σπίλωμα interpretatur. Videlicet Jeſ. 13. 12. Adito ſis ad Lexicon Chaldaicum, nam in ea lingua *macula* כתמא dicitur. nihil verius.

12. *Dominus Deus tuus*] Nomen *Deus* non habetur in textu Ebræo, nec in exemplari, quod editum Romæ ad Vaticanum codicem. habetur tamen in Pſalteriis Rom. & Gall. Item in Græca Vulgata legitur, κύριος ὁ θεός σου. Vix adduci poſſum, ut credam Hiero. illud poſuiſſe. Ceterum in Ebræo eſt ad verbum; οἱ κύριοί σου, i. Domini tui. Tria enim nomina, *Elohim*, *Adonim* & *Baalim*, cum terminatione ſint pluralia, ſæpe tamen ſenſum habent ſingularem, ut cum de uno individuo uſurpantur.

Filia fortiſſimi] θυγατὴρ κρατίστου. Ex Sym. laudant κρατίστου. Alias, κραταιὰ, i. fortis. Pro κρατίστου vide num legendum ſit κρατίστη. Sane Hiero. affirmat Sym. vertiſſe κρατίστη: Ceteros *Sor* aut Tyrum. Vide Fragm. Recens omnis interpretatio, quam probo, *filia Tyri* i. eccleſia Tyri.

In muneribus] Ebraice, *in munere.* quod Latini dicerent, *cum munere*, & ſub. venient, aut aliquid tale. Symm. δῶρα οἴσει, dona feret. Sed Lxx. habent, ἐν δώροις, ut Hiero.

14. *Omnis gloria filiæ regis*) Alii, *tota honorata filia regis.* Sed Hiero. videtur legiſſe כְּבוּדָהּ *gloria ejus*, ut perſpicue Lxx. qui vertunt δόξα αὐτῆς.

Faſciis aureis veſtita] i. לְבוּשָׁהּ ἐνδεδυμένη, aut, ut eſt in alia verſione, ἠμφιεσμένη, amicta. Idem interpres, διὰ συσφιγκτήρων χρυσῶν, vertit, quod Hiero. *faſciis aureis.* Receptam hodie lectionem expreſſit, qui vertit, ἔνδυσις αὐτῆς. Vide Rom. edit.

15. *Amicæ ejus*] Sociæ ejus. In Fragm. Græcorum, αἱ φίλαι αὐτῆς. Id ſine dubio ſecutus eſt Hiero.

Ducentur illuc] Non *illuc* eſt in Ebræo, ſed *tibi* i. לָךְ.

Erunt tibi filii] Alius codex, *erunt filii tui.* Sic etiam veritas Ebraica. In Scholio quodam Græco, ἔσονταί σοι υἱοί σου: erunt tibi filii tui.

PSAL. XLVI.

1. J*Uventutibus*] Νεανιοτήτων, A.

Pſalmus] Alias, *canticum.* Sic etiam eſt in Ebræo: nam Pſalmus מזמור dicitur; quanquam in Lxx. ψαλμός.

2. *Noſtra ſpes*] Interpretatur מַחְסֵנוּ. nam in Ebræo, *nobis ſpes*, eadem ſententia. Sic alibi eſt ad verbum, *in anguſtia mihi*, pro mea. Contra fit in, *Si fuerit propheta veſter*: nam *veſter* ibi ponitur pro *vobis.* Conſule libellos meos.

Validum] Sic etiam Santes. Verbum è verbo; *inventus es valde* i. σφόδρα, quod Ebræi dicunt מְאֹד, pro quo interpretum nonnulli legiſſe videntur מָצָא. quod reddunt, εὑρισκόμενος. Nota locutionem, *Auxilium valde* pro validum. Sic *via longe*, pro longinqua; *hoſtes circa*, i. circumvicini.

3. *Cum fuerit tranſlata*] Cum mutaverit locum.

Et concuſſi montes] Et commoti fuerint montes, quod A. ſignificat verbo σαλευθῆναι.

In cor] Legitur &, *in corde.*

Maris]

Maris] Ebraice, *Marium.*

4. *Sonantibus & intumeſcentibus*] ἠχούντων καὶ θολωθέντων, *ſonantibus & turbatis*, cœno videlicet fœculento excitato: nam tum etiam intumeſcunt.

Gurgitibus] Ebraice, *aquis ejus.* & Sym. ὑδάτων.

Et agitatis montibus] Ebraice, *contremiſcent*, ſive, *concutientur montes.*

In potentia ejus] ἐν τῇ κραταιότητι αὐτοῦ. Lxx. pro quo A. V. & VI. ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ αὐτοῦ. Alii, *in elatione ejus.* ſignificat autem elationem fluctuum.

5. *Diviſiones*] Divergia, ſive divortia, vel rivi.

Civitatem Dei] Jeroſolymam.

Sanctum tabernaculum] In Ebraiſmo eſt, *ſanctum tabernaculorum*, vel ſi mavis, *habitaculorum. Diviſiones* i. διαιρέσεις. Sic Edit. V. In Fragm. nondum editis, A. Symm. Theod. *fluminis diviſiones lætificant civitatem Dei:* Quæ Græce leguntur in edit. Rom. ὁ ποταμοῦ αἱ διαιρέσεις εὐφραίνουσι, &c. Verſu, qui hunc antecedit, pro *Sela* in alio codice eſt *ſemper*, & in Fragm. *alius*, ἀεί. Paullo poſt, Sym. τὸ ἅγιον τῆς κατασκηνώσεως ὁ ὑψίστου, ſanctum habitationis altiſſimi, alias τῆς σκηνώσεως, habitaculi.

In ipſo ortu matutino] Senſum expreſſit; nam verba ſonant, ut ſi dicas; *reſpiciente mane*, aut, *cum ipſum mane reſpiceret.* Id A. dixit, ὁ νεῦσαι πρωΐαν: alius περὶ τὸ ὄρθρον, circa diluculum. Innuit autem tempus ſalutis.

Non commovebitur] οὐ σαλευθήσεται. Lxx.

7. *Conturbatæ ſunt gentes*] ἐταράχθησαν ἔθνη. Lxx.

Concuſſa ſunt] Mota, ſive commota ſunt.

Proſtrata eſt terra] Alii, *defluxit*, alii, *liquefacta eſt.* Lxx. ἐσαλεύθη, i. נָמוֹג. Sed Jeſ. 14. 31. נמוג Hieron. ſimiliter, *proſtrata eſt.* Lxx. πεπτωκυῖα, turbata. Interpres Chaldæus; *Diſſoluti ſunt habitatores terræ*, i. metu conſternati.

8. *Protector noſter*] Pſ. 9. 10. *elevatio.* & 18. 3. *ſuſceptor.* Sic Græci hoc loco ἀντιλήπτωρ ἡμῶν. Lexicon Vet. ἀντιλήπτωρ, *ſuſceptor, adjutor.* Quidam, *arx noſtra*, nam *arx* eſt editus in civitate & munitior ad ſalutem civium locus. Auctor Aſconius Pedianus.

Sela] In alio codice, *ſemper.*

Ego ſum Deus] Alibi, *ego Deus.*

Et exaltabor] Copula (&) abeſt, & in Ebræo, & ab alio codice quo uſus ſum.

Plauſtra comburet igni] ἁμάξας ἐμπρήσει ἐν πυρί. Vide Fragmenta.

Fortitudo noſtra] Supra, verſ. 8. *protector noſter.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Interpres Chaldæus utrobique תְּקוֹף i. fortitudo. Verbum è verbo, *fortitudo nobis.* Vide quæ ſcripſimus ad verſ. 2. hujus Pſalmi.

Sela] Semper.

PSAL. XLVII.

1. F*Iliis Core*] Alias, *filiorum Core.* Ceteri quoque interpretes τῶν υἱῶν Κορέ, Prius legitur in Lxx. τοῖς υἱοῖς.

2. *Manibus*] Ebraice, *manu* i. χειρί.

4. *Laudis*] αἰνέσεως. A.

Congregavit] Tanquam in caulam. Sic interpretatur idem verbum Pſal. 18. 48. Alii, *ducet* i. יַנְהִיג. Sic Abenezra, Santes & alii.

Et tribus] Sic etiam Santes.

5. *Gloriam Jacob*] Santes retinuit. Sed Arias emendavit, *excellentiam Jacob.* Sic etiam A. τὸ ὑπερφερὲς Ιακώβ. alias, ὑπερήφανον. Intelligit autem Jeroſolymam aut templum.

6. *In jubilo*] ἐν ἀλαλαγμῷ. Lxx.

Buccinæ] βυκάνης, ſive, βυκάνης. Lex. Vet. *Buccinum*, βυκάνη. Minus bene Santes, *in voce tubæ*, i. σάλπιγγος. nam *tuba* Ebraice חֲצֹצְרָה dicitur.

7. *Canite*] Santes, *cantate.* Alii, *pſallite* i. ψάλατε. ita Lxx.

8. *Erudite*] Lxx. συνετῶς, intelligenter.

9. *Super gentes*] ἐπὶ τὰ ἔθνη. Lxx.

10. *Principes populorum*] ἄρχοντες λαῶν. Lxx. Sym.

Congregati ſunt] συνήχθησαν. Lxx. ἠθροίσθησαν. Sym.

Populus Dei Abraham] λαὸς ὁ θεοῦ Ἀβραάμ. Sym. Perperam in meo codice ſcriptum, *populi.*

Dii] Putarim Hiero. initio ſcripſiſſe *Dei*, nam in Lxx. ὁ θεοῦ, & in utroque Pſalterio, *Dii.*

Scuta terræ] θυρεοὶ τῆς γῆς. A.

Vehementer elevati ſunt] σφόδρα ἐπήρθησαν. Lxx. Ebraice eſt: *valde elevatus eſt.* vel, ſi mavis, *vehementer exaltatus eſt.* alias, *excellit.*

PSAL. XLVIII.

1. P*Salmus cantici filiis Core*] Repone veram lectionem ex alio libro: *Canticum pſalmi filiorum Core.*

2. *Monte*] Alibi, *in monte.*

3. *Specioſo germine*] καλῷ βλαστήματι. A. Confundunt נוף cum נוב, fructus, proventus, germen. Ex Ebræorum doctoribus quidam R. Dones interpretatur *ramum*, & enarrat de monte Sion, qui ſit veluti ramus Jeroſolymorum. Sane *ramum* Chaldæi נוף appellant. Ceteri fere exponunt, *tractum, clima, regionem, terminum* i. פתח, cujus plur. נופות climata mundi, quæ ſeptem memorantur. Videndus R. David in comment. ad hunc locum.

Gaudio univerſæ terræ] χάρματι πάσης τῆς γῆς. Aquila.

Civitatula] πολίχνη. Vide Hiero. Jeſ. 26. In alio libro erat, *civitatula.*

Regis magni] Dei.

4. *In domibus ejus*] ἐν ταῖς βάρεσιν αὐτῆς, Lxx. quod male interpretantur; *in gravibus ejus.* Ita verſum repperi in Pſalteriis Gallico & Romano. Idem error ſupra, *in gravibus eburneis:* ubi noſter, *in domibus.* nam βάρεις ſunt domus inſtar turrium ædificatæ. Verbum ἐπιχώριον Palæſtinæ. Pſal. 122. 7. in Lxx. ἐν πυργοβάρεσί σου. Euthymius; *ſunt mœnia turribus circumſepta & munita.* Scholion: βάρεις ἐπιχωρίως λέγονται παρὰ Σύροις, αἱ μεγάλαι οἰκίαι. Hieron. in comment. Jer. 17. ait, eſſe *turritas domus.* Vide quoque ad Suniam & Fretelam. Amos 1. 12. ארמנות. A. Sym. βάρεις. Ceterum V. edit. hic habet, ἐν τοῖς βασιλείοις αὐτῆς: in palatiis ejus. Sunt etiam, qui ἐν ταῖς βάρεσιν vertunt, *in palatiis.* Vide Rom. edit. Lat.

In auxiliando] Ebraice eſt, *pro arce* ſive *loco edito.* Verbum è verbo, *in elevationem:* quod A. dixit; εἰς ὑπερέπαρσιν. Alius, εἰς ὀχύρωμα.

5. *Congregati ſunt*] συνήχθησαν, Lxx. quod emendant, *convenerunt.*

Venerunt] ἦλθοσαν. Lxx. ἦλθεν, Symm. Ebraice eſt, *tranſiverunt*, διῆλθοσαν. Sic codices quidam edit. Lxx. Gen. 33. 3. *Ipſe tranſibat ante eos* i. ibat. *Tranſeo* pro *eo* etiam Terentius uſurpat. Sic παρελθεῖν pro ἰέναι καὶ πορεύεσθαι Luc. 2. 15.

6. *Obſtupuerunt*] ἐθαμβήθησαν, A. alia interpretatio, ἐθαύμασαν, admirati ſunt, habetur in edit. τῶν ό. Symm. quoque, citante Euſebio, αὐτοὶ ἰδόντες ἐθαύμασαν: ipſi videntes admirati ſunt.

Admirati ſunt] Symm. ἐξεπλάγησαν, obſtupefacti ſunt. Alii, *feſtinaverunt.* Chaldæus, *fugerunt.* Poſſes vertere, *maturarunt fugam: accelerarunt abitum.* hinc חִפָּזוֹן *præceps fuga.*

7. *Horror poſſedit eos*] φρίκη κατέσχεν αὐτούς. Sym.

Poſſedit] Tenuit, apprehendit, occupavit. Ab hoc verbo deducitur nomen אֲחֻזָּה, *poſſeſſio:* proprie κατοχή, i. detentio.

Ibi dolor] Diſtingue ſecundum Ebræos, *poſſedit eos ibi* &c. Sed accentus qui nunc in Ebræo, olim aberant. Unde non mirum, ſi Græci Lxx. aliter diſtinxerunt.

8. *Invento uredinis*] πνεύματι καύσωνος. A. in edit. Rom. citatur hic locus ex Hieron. *in ſpiritu uredinis.* Alii vertunt; *vento orientali.* Symm. δι' ἀνέμου βιαίου, per ventum violentum.

Confringes naves Tharſis] κατεάξεις ναῦς θαρσεῖς. Sym. συντρίβεις νῆας θαρσεῖς. A. συνέτριψας πλοῖα θαρσίς. Lxx. i. conteres.

9. *Sic audivimus*] Cauſæ nihil eſt, cur emendari non debeat, *ſicut audivimus:* præſertim cum in alio exemplari, quo uſus ſum, ita ſcriptum inveniatur. Græci quoque habent, καθάπερ ἠκούσαμεν.

Sela] Semper.

10. *Æſtimavimus*] εἰκάσαμεν. Vide Rom. edit.

Templi tui] ναοῦ σου. A. Theod. Sym. V. VI.

12. *Et exultent*] Copula nec eſt in fonte, nec in alio exemplari, quod Plantinus excudit: legitur tamen in edit. τῶν ό. unde huc tranſlata, ut credibile eſt. Symm. quoque, nec non Theodotio, καὶ ἀγαλλιάσονται αἱ θυγατέρες τῆς Ιουδαίας.

Filiæ Judæ] i. Judææ. Sic in Euangelio Matthæi.

Bethlehem terra Judæ] i. Ιουδαίας. Ebraice יהודה.

 Propter

Propter judicia tua] ἕνεκεν τῶ κριμάτων σȣ. Lxx. διὰ κρίσεις σȣ. alius.

13. *Numerate*] ἀριθμήσατε. Sym. ψηφίσατε. A.

Turres ejus] πύργους αὐτῆς. A.

14. *Ponite cor veſtrum* &c.] θέσθε τὴν καρδίαν ὑμῶν.

In mœnibus] Alibi eſt, *in mœnibus ejus*: quomodo indubitanter legendum. Sym. hic habet, εἰς τὸ περίβολον αὐτῆς, quod ſimiliter reddunt, *in mœnibus ejus*. Santes, *ad antemurale ejus*. Περίβολος potius notat ambitum muri.

Separatè] Separatim, ſive, ſeorſim conſiderate.

In generatione noviſſima] γενεᾷ μεταγενεστέρᾳ. Sym. i. poſt futura.

15. *Quoniam*] Alias, *quia*.

In morte] Alii, *uſque ad mortem*. ut ſit על pro עד. Vide Scholia Ebraica.

PSAL. XLIX.

1. **F***iliis Core*] Legitur &, *Filiorum Core*.

2. *Audite hoc*] ἀκούσατε τȣ̃το. Vide Fragmenta.

Occidentis] Alii, *orbis*: alii, *terræ*: alii, *ſeculi*. Quid autem moverit Hiero. cur ſeorſim ab aliis interpretaretur, *occidentis*, ejus rei cauſſam nondum indagare potui.

3. *Tam filii Adam, quam filii ſingulorum*] ὅτι ἀνθρωπότης, συλλήβδην ἢ καὶ οἱ υἱοὶ ἑκάστου ἀνδρὸς Sym. Conſule Fragm. Melius alii: *tam filii hominum, quam filii viri*. Vide Quæſtiones meas.

Simul] ὁμοῦ.

Meditatio cordis mei] ἡ μελέτη τῆς καρδίας μου. Lxx.

Prudentiæ] Alii, *intelligentiæ*. Sic ex Græco; alii, *prudentiam*; alius, *intelligentiam* i. σύνεσιν. Vide ſis, edit. Rom.

4. *Ad parabolam*] εἰς παραβολὴν. quod in Pſalterio Rom. redditum, *ad ſimilitudinem*: quomodo & ſupra Hiero. משל reddit, *ſimilitudinem*.

In cithara] Cum cithara.

Ænigma meum] αἴνιγμά μου.

6. *Calcanei mei*] τῆς πτέρνης μου Lxx. Nunc legunt, *calcaneorum meorum*. Id Sym. retulit τῶ ἰχνίων μου: veſtigiorum meorum.

7. *In fortitudine ſua*] ἐν τῇ δυνάμει αὐτῶν. Lxx. ſenſus eſt; in opibus ſuis. Sic alibi; *multæ filiæ fecerunt potentiam*, ἐποίησαν δύναμιν, i. compararunt opes: nam in opibus potentia hominis potiſſimum conſiſtit.

Superbiunt] Jactant ſe, gloriantur. Lxx. καυχώμενοι. Alius, ἀλαζονευόμενοι.

8. *Propitiationem*] ἐξίλασμα, quod alii *placationem* reddunt. כפר autem proprie eſt *redemptionis pretium*, quod λύτρον & ἄποινον vocant. Exod. 30. 12. Lxx. λύτρα. Alius, ἐξίλασμα, placamen. Prov. 21. 18. A. Theodot. Symmach. ἐξίλασμα. Amos 5. 12. Hieron. *munera*. Ceteri omnes, ἀλλάγματα; i. interprete Hiero. *propitiationem*, ſeu, *commutationem*. Ἄλλαγμα autem pretium dicitur: unde Matth. 16. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua*. Hucuſque Hiero.

9. *Nec pretium redemptionis animæ eorum*] Lxx. καὶ τὴν τιμὴν τῆς λυτρώσεως τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. Legerunt, ut apparet, ויקר pro eo quod nunc in Ebræo ויקר *& pretioſa*, ſive, *cara eſt*. יקר *honor*, item *pretium*. Utrumque τιμὴ Græcis. יוקר *caritas*. יקר *carum aliquid reddere*.

10. *Sed quieſcet in ſecula, & vivet ultra in ſempiternum*] ἀλλὰ παυσάμενος τῷ αἰῶνι τούτῳ ζῶν ἀεὶ διατελεῖ. Symm. Paullo aliter A. καὶ ἐπαύσατο εἰς αἰῶνα καὶ ζήσεται εἰς νῖκος.

Non videbit interitum] οὐκ ὄψεται καταφθοράν. Lxx. *Videre interitum*, ut hoc obiter notem, eſt interire. Aut *interitum* poſuit pro fovea & ſepulchro. Sic alibi; *cecidit in interitum, quem fecit* i. in foveam. Vocatur fovea *interitus* à fine, quia interitum adfert iis, qui in eam cadunt.

11. *Indoctus*] ἀνεπιστήμων. Ita Symm. reddit Pſal. 73. 22. ubi Hiero. *inſipiens*, eſt autem ἐπιστήμων, ſciens, peritus, unde ἀνεπιστήμων, imperitus. Hic habet, ἀμαθὴς, indoctus, litterarum rudis, indocilis. Ergo Symmach. ſecutus eſt, cujus locum integrum non pigebit adſcribere. Eſt autem hujuſmodi: ἐμοῦ ἀνόητος καὶ ἀμαθὴς ἀπολοῦνται, *ſimul amens & indoctus peribunt*. Senes maluerunt dicere, ἄνους, quod reddunt *ſtultus*. Contra *ſapiens* ponitur pro perito, qua de re diximus alibi.

Alienis] Eſt cur malim, *aliis*. Quanquam in Lxx. ἀλλοτρίοις.

Divitias ſuas] Idem nomen ſupra vertit, *fortitudinem*. videl. verſ. 7. Vide quæ notavimus ad illum locum. Lxx. hic habent, τὸν πλȣ̃τον αὐτῶν: ibi, τὴν δύναμιν; horum exemplo variat etiam Hiero.

12. *Interiora ſua, domos ſuas in ſeculo*] Sub. *relinquunt*. Hoc alius dixit, teſte Chryſoſtomo, τὰ ἐντὸς τῶν οἰκιῶν αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα: *interiora domorum ſuarum in ſeculum*. Senes habent: οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα. Cave damnes; nam etiam Scholia Ebraica hoc loco agnoſcunt tranſpoſitionem litterarum in Ebræo, ut ſit קברם pro קרבם *ſepulchrum eorum*. Sic dicimus כבש & כשב eodem intellectu.

In ſeculo] Id Hieron. valet, *in ſeculum*. Aut *in ſeculo* i. in hoc ſeculo, in mundo. q. d. omnia hic relinquunt: nihil ſecum auferunt.

Tabernacula] σκηνώματα, Lxx. κατασκηνώσεις. Alius.

In generatione] εἰς γενεάν. Melius redditur, *in generationem*.

Vocaverunt nominibus ſuis] ἐκάλεσαν ἐν ὀνόματι αὐτῶν. alias, ἐπ' ὀνόμασι αὐτῶν.

Terras ſuas] In Ebræo eſt; *ſuper terras*. Quod A. tranſtulit, ἐπὶ χθόνας. Sed alius edidit, τὰς γαίας. Hiero. autem adjecit pronomen ex edit. τῶν ό. Ita mihi videtur.

13. *Non commorabitur*] Non diu manebit, non pernoctabit.

Aſſimulatus eſt] Alibi, *& ſimilatus eſt*, quod non probo.

Et exæquatus eſt] Sic Græci Lxx. καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς, & ſimilis factus eſt illis. Melius alii: *exciſi ſunt*: ſed malim, *exciſa ſunt*: ut hoc dicat, Jumentis, quæ exciſa ſunt, i. mortuis.

14. *Hæc eſt via inſipientiæ eorum*] Ebraice; *Hæc via eorum inſipientia eſt illis*. E Symmacho laudatur ἄγνοια, ignoratio. niſi legendum ἄνοια: nam vox Ebræa ſignificat, *ſtultitiam*. Heſychius, ἄγνοια, ἀμαθία i. imperitia. Supra pro *ſtulto*, Symmachus habet ἀμαθὴς, & Hieron. *indoctus*.

Et poſt eos] *Et qui poſt eos*, i. poſteri eorum.

Juxta os eorum] Juxta præſcriptum, ſive ad exemplum eorum, videlicet, parentum.

Sela] Semper. Quod etiam legitur in Pſalterio Gallico.

15. *Quaſi grex in inferno poſiti ſunt*] i. Ponentur. Verbum è verbo, *poſuerunt*. ſub. homines: & *eos* ſubintelligitur. *In inferno*, hoc eſt in ſepulchro ſive in fovea. Hic perſpicue שאול pro *ſepulchro* ponitur; nam oves non collocantur in inferno, cum pro loco damnatorum accipitur, hoc qui non videt nihil videt.

Grex] Alii, *pecudes*: alii, *oves*, i. πρόβατα. Symmach. autem tranſtulit, ὡς βοσκήματα ᾅδου ἔταξεν αὐτούς. alias, ὡς πρόβατα. Apud Auguſtinum, *ſicut oves in inferno poſitæ*.

Mors paſcet eos] θάνατος ποιμανεῖ αὐτούς. Lxx. νεμήσει. Symm.

Subjicient eos] Hoc interpretamentum citat Euſebius ex Symmacho in *Catena Barbari*, quam mihi nondum videre contigit. Alii, *dominabuntur in eos*. Sic Græci Lxx. κατακυριεύσουσιν αὐτῶν.

Recti] εὐθεῖς i. juſti.

Figura eorum] צירם pro צורתם, notatum in Scholiis Ebraicis. Affine eſt quod A. retulit χαρακτὴρ αὐτῶν, *character eorum*: nam Symm. qui vertit τὸ κρατιαιὸν αὐτῶν, *fortitudo eorum*, aliud ſpectavit. צור *petra*, *fortitudo*, & tranſlate βοήθεια: quod nunc habetur in edit. τῶν ό.

Conteretur in inferno] A. κατατρίψαι ᾅδην, conterat infernum. Sym. τὸ κρατιαιὸν αὐτῶν παλαιώσει ᾅδης: *robur ipſorum antiquabit infernus*. Locus obſcurus, ſi quis alius in hoc libro. Lxx. παλαιωθήσεται ἐν τῷ ᾅδῃ, *veteraſcet in inferno*.

Poſt habitaculum ſuum] Interpretatur מ *poſt*. Sic reddimus מיומים *poſt biduum*, quod Latini etiam dicunt, *à biduo*. Sic, *à cœna*: *à ſomno*: *à meridie*. Alii, *ex habitaculo ſuo*. & A. ἐκ τοῦ κατοικητηρίου αὐλῶν.

16. *De manu inferi*] Alias, *inferni*. Græce eſt ἐκ χειρὸς ᾅδου, quod in utroque Pſalterio, *de manu inferi*: Malim, *inferorum*.

Se-

Sela] Semper.

17. *Gloria domus ejus*] Gloriam opum intelligit: ut Gen. 31. 1. *Ex iis quæ fuerunt patris noſtri fecit omnem gloriam iſtam*: ubi Onkelos, *comparavit omnes opes iſtas*: Jonathan, *fecit ſibi omnem gloriam opum iſtarum.* Rurſum Gen. 45. 13. *Indicabitis patri meo omnem gloriam meam in Ægypto.* i. omnes opes, quas ibi comparavi. Sic forte capiendum & illud; *Salomo in omni gloria ſua.*

18. *Tollet omnia*] Auferet quicquam.

Gloria ejus] Divitiæ aut opes ejus. hic perſpicue per *gloriam* opes deſignat.

19. *Quia*] Alii, *quamvis.*

Animæ ſuæ] Sibi ipſi.

Benedixerit] Benefecerit. *Animæ ſuæ benedicere*, eſt quod Latini auctores dicunt, *genio indulgere.*

Laudabunt te] In Ebraiſmo eſt, *confitebuntur tibi.*

20. *Uſque ad finem*] In æternum.

Intrabunt] Alii, *intrabit*: alii, *intrabis*, ſive, *introibis.* Sic vertunt A. Theod. Sym. & ita eſt in Ebræo.

Non videbunt] οὐκ ὄψονται. A. Theod. VI. edit.

21. *Et ſilebitur*] Quæ exciſa ſunt.

P S A L. L.

1. FOrtis Deus] ἰσχυρὸς θεός. A. Theod. Sym.

DOMINUS] Κύριος. Iidem.

Locutus eſt & vocavit] λαλήσας ἐκάλεσεν. Iidem. Pro, *fortis Deus* Senes habent, θεὸς θεῶν. & Santes, *Deus Deorum.*

2. *Perfecto decore*] Ad verbum, *perfectione decoris.* vult dicere, quæ eſt perfecte decora & pulchra.

3. *Tempeſtas valida*] καταιγὶς σφόδρα eſt in Lxx, & *tempeſtas valida* in utroque Pſalterio. Ceterum נשערה verbum eſt vocis paſſivæ. Ideo A. interpretatur ἐλαιλαπίσθη σφόδρα, multum turbinis excitatum fuit. Theod. & VII. edit. κατῃγίσθη, tempeſtas excitata fuit. Vid. Fragm.

5. *Congregate mihi ſanctos meos*] συναγάγετέ μοι τοὺς ὁσίους μου, i. *pios meos.* Sic Ebræus & ceteri, hoc eſt A. Theod. Sym. &c.

In ſacrificio] Per ſacrificium.

7. *Popule meus*] Eſt cur malim, *popule mi*: aut, *populus meus.*

Conteſtabor te] Diverſa lectio, *teſtificabor in te.*

Holocautomata tua] Scribo, *holocautomata*; nam Græce ὁλοκαυτώματα dicuntur, etiam, *holocauſta.*

9. *Vitulum*] *Juvencum* potius, i. פר nam *vitulus* עגל dicitur.

Hircos] τράγους, Lxx. Quanquam in edit. Rom. χιμάρους. A. Symm. & V. edit. χειμάῤῥους. an legendum κριοὺς? nam etiam arietes complectitur. Romanenſes divinant, κεράστας i. cornutos. Suſpendamus judicium? videatur Mercerus. Geneſ. 31. 10.

10. *Pecudes*] Beſtiæ aut jumenta.

In montibus millium] Recens interpretatio, *in montibus mille.* Quid Hieron. velit, fateor me non intelligere.

11. *Univerſitas agri*] Pſal. 8. 14. זיז שדי. A. παντοδαπὴν χώρας, i. interprete Hieron. *omnimodam regionis.* Jeſ. 66. in comment. *omnes beſtiæ agri.* R. David ait, eſſe generale ad omnes beſtias agreſtes & feras. Edit. Chaldaica, *Gallus agreſtis.* Lxx. ὡραιότης ἀγροῦ: legerunt, ut mea fert opinio, זיו pro זיז hoc eſt, *Vau* pro *Zain.*

13. *Taurorum*] ταύρων. Lxx.

14. *Immola*] θῦσον.

Laudem] αἴνεσιν. in Lxx. eſt θυσίαν αἰνέσεως.

15. *Et glorificabis me*] καὶ δοξάσεις με. Lxx. Ut à δόξα verbum eſt δοξάζω; ſic à nomine *gloria* Eccleſiaſtici ſcriptores fecerunt *glorifico*, i. gloriam tribuo, vel glorioſa celebratione colo. Dicunt etiam *clarifico* eodem ſignificatu: quanquam inter *gloriam* & *claritatem* differentia ponatur. In Pſalterio Gallico repperi, *honorifico.* Sed *honor* proprie τιμή. Utrumque ſig. Ebræi vocabulo כבוד, quod deductum videtur à verbo כבד *honoravit*, ἐδόξασε, *celebravit*: niſi potius, ut verbum ſit à nomine.

16. *Cum narratione*] Alibi eſt, *cum enarratione* & in Ebræo; *ut narres*, ſive, *enarres.* Quod poſtremum Santes elegit.

Præceptorum] Statutorum.

Pactum meum] Legem meam.

17. *Qui odiſti*] Ebraice, *Et tu odiſti.*

Verba mea] Præcepta mea. Græce, λόγους μου. Hinc *Decalogi* nomen.

18. *Conſentiebas ei*] Optima interpretatio. Nam eſt verbum futur. temporis à רצה. quaſi dicat, *favebas ei*, *beneque volebas*, aut, *placebat ille tibi*: nam Græci, qui vertunt, συνέτρεχες αὐτῷ, *currebas cum eo*, videntur legiſſe תרץ aliis punctis vocalibus. aut רצה acceperunt eodem ſignificatu. Quod inter doctores Ebræorum Abenezra fecit. Chaldæus quoque interpretatur; *currebas cum eo.* Quam interpretationem juvat præpoſitio עם quæ ſequitur.

19. *Diviſiſti ad malitiam*] Alii, *mittebas ad malum.* Trem. *adhibebas.*

Concinnavit] Vel *concinnat*, vel, ſi placet, *concinnas*: nam verbum Ebræum ad utrumque ambiguum eſt.

20. *Loquebaris*] Sic Hieron. verti poſſe putat κατελάλεις, quod alii reddunt, *detrahebas.*

Fabricabaris opprobrium] דפי Alii, *probrum*; alii vero *infamiam* interpretantur. Scholia Ebraica enarrant ענין חירוף גידוף. Quod autem תתן reddit, *fabricabaris*, quem magiſtrum ejus interpretationis habeat nondum obſervavi.

21. *Proponam te*] Alii, *ordinabo.* vult dicere, ordinate proponam: & ſubintelligitur, rationes meas, aut, argumenta mea.

22. *Intelligite hæc*] Alibi, *hoc.* Omiſit autem, ut ſæpe alias, particulam נא, quæ ſignificat, *nunc*, aut, *quæſo.*

Capiam] i. Rapiam.

23. *Confeſſionem*] i. Laudem. Hinc intelliges, quid ſit, *confeſſionem perſonare*, in cantionibus eccleſiaſticis. *Confeſſionem*, ἐξομολόγησιν: *laudem* αἴνεσιν. Sym. θυσιάζων ὑπὲρ αἰνέσεως: *ſacrificans ſuper laude.* Lxx. autem legerunt זבח pro זבח.

Qui ordinat viam] Id eſt, interprete Symm. τῷ ἐντάκτως ὁδεύοντι, *qui ordinate incedit.*

Oſtendam ei ſalutare Dei] δείξω αὐτῷ σωτήριον θεοῦ. Lxx. Sym.

P S A L. LI.

1. CAnticum] Pſalmus.

2. *Intravit*] Liber alius, *ingreſſus eſt.* Græce eſt, εἰσῆλθε. *Ingredi ad uxorem alicujus*, eſt rem & conſuetudinem habere cum ea.

Berſabee] Mendum ex libris Græcis, ubi perperam Βηρσαβεέ. etiam in Sym. pro eo quod in Ebræo Βηθσαβεέ. Id A. & Theod. βηθσαβεέθ, ut *Nazareth* & *Genneſareth*, & alia pauca. In alio meo exemplari ſcriptum repperi *Bethſabet*: cui ſimile in antiquitate, γλωσσοκρὲτ item ναζαρὲτ & ἰωιλάτ.

4. *Multum lava*] הרב pro הרבה quod in communi uſu ſignificat *multum*: & ita enarrant Scholia Camii Ebræi.

5. *Contra me*] Alii, *coram me.* Sic variant interpretantes ἐνώπιόν μου; alii; *contra me*: alii, *coram me*: prius habetur in Pſalterio Gallico; alterum in Romano.

6. *Ut juſtificeris*] Vis in hoc verbo, ut ſi diceret; ut abſolvaris; nam juſtus eſt in judicio, qui abſolvitur, ſive inſons ſit, ſive non, nihil refert.

In ſermonibus tuis] ἐν τοῖς λόγοις σου. Lxx. Videtur ſenſus eſſe, cum loqueris in judicio i. cum cauſſam tuam diſceptas: nam דבר interdum *cauſſa* i. δίκη. Sane דברך in Hoſea vetuſta interpretatio, ἡ δίκη σου. Vide Parallela mea.

Et vincas cum judicaberis] καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Lxx. Theod. Verbum è verbo, *& purus ſis.*

Cum judicaberis] Cum judicio contendes. Sic alibi, *cum judicabitur, exeat improbus.* eadem ſententia.

7. *Conceptus ſum*] συνελήφθην. Lxx. Id nunc mutant vertentes, *formatus* aut *genitus ſum.*

Peperit me] ἐκίσσησέ με. Lxx. Quod in Gallico, *concepit me.* & in Rom. *peperit me.* Sym. autem vertit, teſte Euthymio, *genuit me.* Santes, *caleſacta eſt de me*: alius, *fovit me.*

8. *Diligis*] Ex Græco ἠγάπησας: tantum tempus mutavit. A. olim, ἐθελήσας, *voluiſti.* & Symm. θέλεις *vis.*

Abſconditum] Id hodie reddunt, *in renibus.* Sic etiam Scholia Ebraica. Sed in Lxx. τὰ ἄδηλα, *incerta.* Quærenda ratio harum interpretationum; mihi nunc non vacat, propero enim ad alia.

Et arcanum ſapientia tuæ] καὶ τὰ κρύφια τῆς σοφίας σου. Lxx. Melius alii, *in occulto ſapientiam.*

9. *Aſperges me hyſſopo*] ῥαντιεῖς με ὑσσώπῳ. Lxx. Verbum Ebræum potius ſignificat, *à peccato purgare*, *expiare.*

Super nivem] Præ nive, ſupra nivem, magis quam nix.

10. *Auditum facias*] Alias, *facies.*

Quæ confregiſti] Ebraice, *contriviſti.*

12. *Spiritum ſtabilem*] Aut *firmum.* Alii, *ſpiritum rectum.* Sic Græci Lxx. πνεῦμα εὐθὲς. Sed נכון potius ſignificat, id quod Hieron. vertit, habeturque in illo: *Firmum ſolium tuum, Deus, in ſeculum & æternum.*

In viſceribus meis] ἐν τοῖς ἐγκάτοις μου. Lxx. Ebraice eſt, *in medio mei:* quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet, *intra me.* Sed forte Senes & Hieron. legerunt בקרבי.

13. *A facie tua*] ἀπὸ τοῦ προσώπου σου. Lxx. Eſt cur malim, *à conſpectu tuo.* nam *à facie tua* i. מפניך. Quæ differre inter ſe ſciunt qui ſcripta mea legerunt. Vide lectiones in Jonam. *A facie tua* notat providentiam univerſalem, quæ ad omnes ſe extendit. *A conſpectu tuo* i. מלפניך particularem, quæ peculiaris populo Dei & olim in Judæa. Ergo Jonas fugit *à conſpectu* & non *à facie.* nam à facie Dei nemo fugere poteſt, dicente Davide; *à facie tua quo fugiam?*

14. *Jeſu tui*] Antiqui putarunt ישעך ſignificare *Jeſum:* falſo; nam *Jeſus* ישוע dicitur & contracte ישע. Hoc nomen proprium, illud appellativum eſt. Si proprium, ergo non componitur cum pronomine affixo. Melius ergo, ut ſit appellativum, quod etiam Græci opinati ſunt, qui vertunt; σωτηρία σου. Quanquam declaratione priſca Ἰησοῦς, σωτήριον.

Spiritu potenti] Alii, *voluntario:* alii, *ingenuo.* alii denique, *principali*, i. ἡγεμονικῷ. Siquidem princeps נדיב dicitur. unde fœmin. נדיבה. Forte an eo reſpexit Hieron. Poſſes etiam vertere, *ſpiritu ultroneo*, vel, *ſpontaneo.* Significat autem Spiritum ſanctum, qui potens eſt hominem promptum reddere ad Dei obſequium.

Confirma me] Ebraice, *fulcias me.*

15. *Iniquos*] ἀνόμους, Lxx.

Revertentur] Alias, *convertentur.*

18. *Ut victimam feriam*] Ebraice, *victimam & darem.* q.d. ſi velles, darem i. ferirem, mactarem, aut offerrem. Id Græci dicunt, θυσίαν, ἔδωκα ἄν. Potes etiam vertere: *non enim vis ſacrificium* &c.

19. *Sacrificium*] θυσία. Lxx. Quod noto, quia in Ebræo, θυσίαι, *ſacrificia.*

Contribulatus] i. contritus, συντετριμμένον. Idem vocabulum in illo, *cor contritum*, quod mox ſequitur. Obiter noto, in utroque Pſalterio, πνεῦμα συντετριμμένον redditur *ſpiritus contribulatus*, quod expoſitionem meam ita firmat, ut nihil magis.

20. *DOMINE*] Nec in Ebræo legitur, nec in alio exemplari, quo uſus ſum. Habetur tamen in edit. τῆς ὁ. unde huc tranſlatum.

In voluntate tua] ἐν εὐδοκίᾳ σου, quod reddunt, *in bona voluntate.* Recentior interpretatio ex Ebræo, *pro voluntate tua*, malim, *pro benevolentia tua.*

21. *Suſcipies*] Ebraice, *voles.* Quidam, *delectaberis ſacrificiis.*

Sacrificium] Sacrificia.

Imponent] Offerent.

Oblationes & holocauſta] Idem in Gallico & Romano. Quanquam in edit. τῆς ὁ. ἀναφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα, i. oblationem. Hic ſimul ponuntur holocauſtum & עולה, quod reddunt, *oblationem:* nam העלה *obtulit*, alibi redditur *holocauſtum*, παρὰ τὸ עלה, quod totum in fumum aſcendat.

Vitulos] Juvencos. Sed in Lxx. μόσχους.

PSAL. LII.

1. *Eruditio*] Erudita cantio.

2. *Doec*] Veritas ſcripturæ in alio codice, *Doeg.* Mendoſi etiam ſunt libri Græci, nam in iis Δωὴκ pro Δωήγ.

Idumæus] ὁ Ἰδουμαῖος.

Abimelech] Repone ex alio libro, *Achimelech.* quod in Sym. & Theod. ἀχιμελέχ: in A. vero ἀυμέλεχ. Id Latine ſcribes *Abimelech.* Talia ſunt *Rahab* & *Rachab*: *Hebron* & *Chebron*, & alia ſexcenta.

3. *Potens*] ô potens.

Tota die] ſub. mecum eſt, aut aliquid tale.

4. *Inſidias*] ἐπιβουλήν. Sic Aquila interpretatur Pſal. 52.2. & Prov. 19.13.

Cogitavit lingua tua] Sic alibi, *lingua meditatur, & manus intelligit.* Ita linguæ tribuitur, quod cordis proprium eſt.

6. *Omnia verba ad devorandum*] *Verba ad devorandum*, ut, *canes ad venandum* i. venatici. Ebraice, *verba devorationis.* Innuit autem calumniam, quæ quia tribus nocet, à Chaldæis vocatur לישן תליתי i. γλῶσσα τρίτη. Vide Quæſtiones meas. Græce eſt, ῥήματα καταποντισμοῦ.

7. *Deſtruet*] καθελεῖ. Lxx.

Torrebit te] Sunt etiam ex Ebræis, qui יחתך exponant, *comburet te.* Vide Scholia Davidis Camii. Alii, *tollet*, *abripiet te:* ego, *capiet te:* quod quandoque idem valet, ac *rapiet te.*

De tabernaculo tuo] Pronomen non eſt in Ebræo, nec in alio libro meo.

Eradicabit] Radicitus tollet.

E terra viventium] Ex hac vita.

8. *Super eum*] De eo.

Ridebunt] Ridentes dicent. Hoc Græce diceretur εἰρωνευόμενοι, ſive *per Ironiam dicent.* Sed melius *per riſum & contemptum*; nam non eſt ironia in verbis eorum.

9. *Confortatus eſt*] ἐκραταιώθη, A.

In inſidiis ſuis] Alii, *in pravitate ſua:* alii, *in habentia ſua.* Senſus eſt, in divitiis ſuis. Vide, ſi otium eſt, Quæſt. meas.

10. *Ego ſicut*] Alibi, *Ego autem ſicut.* Sic Græce, ἐγὼ δὲ ὡσεί.

Oliva virens] Alii, *viridis*; alii, *frondoſa.* Lxx. κατάκαρπος, *fructifera.*

11. *Feciſti*] *Facere* abſolute, pro, facere judicium. Notavi in Quæſitis meis.

Nomen tuum] Pro eo habendum ac ſi diceret, te.

Sanctorum tuorum] τῶν ὁσίων σου.

PSAL. LIII.

1. *Per chorum*] διὰ χοροῦ. Symm.

2. *Corrupti ſunt*] διεφθάρησαν. Idem. Alii, *corruperunt*; & ſubint. vias ſuas. Sic, *abominabiles fecerunt.*

In iniquitate] i. עול. i. Ita R. David. Diverſa lectio, *iniquitate*, abſque præpoſitione.

3. *Proſpexit*] διέκυψεν. Lxx.

Ut videat] Alias, *ut videret.*

4. *Averſi ſunt*] Retroceſſerunt.

Adhæſerunt] Pſal. 14. *conglutinati ſunt.* Vide quæ ſcripſimus ad illum locum.

Non eſt uſque ad unum] οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. Lxx. i. *ne unus quidem.* Cave ſequaris eos, qui exponunt; *uſque ad unum Chriſtum.*

5. *Ut cibum panis*] Sic etiam eſt in Pſalterio Gallico & in Vulgata, & apud S. Hilarium.

6. *Circumdantium te*] Qui te caſtris circumdant & undique obſident. Hoc Aquila dixit παρεμβαλλόντων περί σε, caſtra habentium circa te.

Confunderis] Pudore afficieris. Alii, *pudore affeciſti*, ſive, ut cum interprete noſtro loquar, *confudiſti.* Livius: *adeo ut ipſum quoque confunderent dicentem.*

7. *Salutare*] Ebraice, *Salutes.*

PSAL. LIV.

2. *Cum veniſſent & dixiſſent*] Alibi, *quando venerunt & dixerunt.*

3. *Ulciſcere me*] Alii, *Judica me.* Quod hinc intelligentiam accipit. Sic Geneſ. 30. 6. Ubi vulgo, *judicant me*, quidam interpretatur, *vindicant me:* & eſt idem verbum in Ebræo.

5. *Et fortes*] καὶ κραταιοί, Lxx. Alibi Hieron. eandem vocem reddit, *robuſti*, & alibi, *violenti*, ut Lxx. ἀνδρεῖοι, *ſtre-*

ſtrenui. ἰσχύοντες, δυνατοί, *potentes.* Sym. Theod. ἀκάμπτοις, *rigidi, duri, præfracti, inflexibiles.*

6. *Suſtentans*] Ad verbum, *in ſuſtentantibus.* Vide Quæſt. meas.

7. *Inſidiatoribus meis*] Pſal. 5. 9. לְמַעַן שׁוֹרְרָי. A. διὰ τῶν ἐφοδευόντων. Hier. *Propter inſidiatores.* Rurſum Pſal. 92. 12. בְּשׁוּרָי idem Hieron. *in eos qui inſidiantur mihi.* Tales à Lxx. ἐχθροὶ vocantur; ab aliis, *obſervatores.*

Diſperde eos] ἐξολόθρευσον αὐτούς.

8. *Voluntarie*] ἑκουσίως. Lxx. Poſſes etiam vertere, *ultro, ſponte.*

9. *Inimicos meos*] Conveniunt libri: Sed tamen eo labor, ut credam Hieron. ſcripſiſſe; *in inimicos meos:* Græce ſiquidem eſt, ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου. & eſt ſenſus: *De inimicis meis vidit oculus meus.* ſub. quæ volebam. Vide quæ ſcripſimus de verbo ἐπιδεῖν in Obſervat.

PSAL. LV.

1. I*Ntellectus in carminibus*] Diverſum exemplar habet, *in Pſalmis eruditio.* Quæ lectio germana mihi videtur.

2. *Exaudi*] ἐνώτισαι. Melius redditur, *auribus percipe.* Id Ebræi enunciant per הַאֲזִינָה. Nam *exaudi* i. שְׁמַע.

Et ne deſpicias] καὶ μὴ ὑπερίδῃς. Lxx. Ebraice eſt, *& ne abſcondas te à deprecatione mea.*

3. *Attende mihi*] πρόσχες μοι. Lxx. Quod reddunt, *intende.* Quidam explicant, *attende aurem.*

Humiliatus ſum] κατενύχθην, Sym. Quod interpretantur, *collapſus ſum.* ego, *dejectus ſum.* Quidam, *ſomno correptus ſum.* nam καταφέρομαι abſolute ponitur pro *dejici ſomno,* ſive *in ſomnum collabi.* Quod Ebræum verbum attinet, ab aliis redditur, *conqueror, ejulo, lamentor, plango, clamo præ dolore.* Sed in Lex. quodam offendi, *dejicior in querela mea.*

In meditatione mea] Sic etiam Tremellius, nec diverſi abeunt οἱ ό. nam vertunt; ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου. eſt enim ἀδολεσχία interpretibus illis *continua meditatio.* Quod ſignificat Theodoretus per hæc verba; ἀδολεσχίαν *Divina ſcriptura vocat* τὴν συνεχῆ μελέτην. Scribit eadem Suidas, ad quem te adire volo.

Et conturbatus] καὶ ἐταράχθην, Lxx.

4. *A facie perſequentis impii*] Senſum expreſſit: nam in Verbo eſt, *à facie tribulationis impii.* Quod poſſes reddere, *à tribulatione impii.* Sic Græci ἀπὸ θλίψεως ἁμαρτωλοῦ. nam *impius* & *peccator* ſe mutuo explicant in ea editione.

Projecerunt ſuper me] Alii, *cadere,* ſive, *labi fecerunt:* alii aliter. Sed Pſal. 140. 11. יִמֹּטוּ. Lxx. πεσοῦνται. Hiero. *cadent.*

In furore] *In ira* i. irati.

Adverſabantur mihi] Alii, *odio proſequebantur me.* שטם & שטן ſynonyma ſunt. ab hoc poſtremo verbo eſt *Satan* i. adverſarius.

5. *In vitalibus meis*] *Vitalia,* inquit Budæus, *dicuntur, cor, jecur, pulmo, cerebrum, in quibus quatuor vitæ ſumma conſiſtit.* Alibi idem habet, *interiora.* ut Pſal. 5. 10. i. ἐνδοθεν, ſive ἐντόσθια. Vide Camium Pſal. 103. 1. Quod fugit non effugit; ſupra v. 4. Symm. ὅτι ἀπέῤῥιψαν κατ' ἐμοῦ εἰς ἀσέβειαν, καὶ μετ' ὀργῆς ἐναντιοῦνταί μοι: *quoniam projecerunt contra me, & cum ira adverſati ſunt mihi.* Quæ conferri debent cum Verſione Hieron. Nam, ut alia omittam, illud *projecerunt* Hieron. accepit à Symmacho, aut ego in magno errore ſum.

6. *Caligo*] σκότος, Lxx. Obvia hæc vox & Jeſ. 21. 4. ubi Hieron. *tenebræ:* Chaldæus, *conſternatio:* alius, *horror.*

7. *Columbæ*] Ebraice, *ſicut columba:* quod Græce legitur ὡς περιστερᾶς.

Ut volem & requieſcam] Aut, *avolarem & requieſcerem.* vult dicere, ubi requieſcere poſſem.

Et requieſcerem] καὶ καταπαύσω. Pſal. 15. 1. מִי יִשְׁכֹּן. Hier. *quis requieſcet?* Prov. 7. 11. לֹא יִשְׁכְּנוּ Lxx. οὐκ ἡσυχάζουσιν. 1. 33. יִשְׁכָּן. Scholia, ἀναπαύσεται, *requieſcet.*

8. *Ut procul abeam*] Ebraice ad verbum: *Ecce elongarem me vagando.* Latini dicerent, *procul evagarem,* aut *fugerem.*

Et commorer in deſerto] καὶ ηὐλίσθην ἐν τῇ ἐρήμῳ. Lxx. Verum Santes & alii, *commorarer.* Pſal. 91. יִתְלוֹנָן Hieron. *commorabitur.* Lxx. αὐλισθήσεται. hinc מָלוֹן quod A. αὐλισμὸν: Symm. αὐλισμός interpretatur. Theod. κατάλυμα, i. *diverſorium.*

9. *Feſtinabo ut ſalver* &c.] Sic etiam A. Theod. Sym. Vide Fragm. Alii vertunt ex Ebræo: *accelerarem fugam mihi.*

A ſpiritu tempeſtatis & turbinis] Licet vertere, *quam ſpiritus tempeſtatis, quam turbo;* ut *magis* ſubintelligatur.

A ſpiritu] A vento.

10. *Præcipita*] καταπόντισον, Lxx. Ebraice, בַּלַּע quod *perdere* ſig. ex metaph. abſorbendi. Sed Hieron. fere reddit, *præcipito.* Ut Cohel. 10. 12. & Pſal 21. 10. & alibi. Idem tamen Thren. 2. 8. מִבַּלֵּעַ interpretatur *à perdendo.* & Pſ. 52. 6. דִּבְרֵי בָלַע *verba ad devorandum.* Job. 2. 3. לְבַלְּעוֹ. A. καταποντίσαι αὐτόν. Lxx. ἀπολέσαι. 10. 8. וַתְּבַלְּעֵנִי. A. Theod. κατεπόντισάς με. Senes fere interpretantur καταποντίζω: aliquando, καταπίνω, *abſorbeo.* ut Gen. 41. 7. & Jeſ. 25. 7.

Et contradictionem] καὶ ἀντιλογίαν. Lxx.

Iniquitatem] ἀνομίαν. Iidem. Vocem Ebraicam alii *rapinam;* alii *violentiam* interpretantur.

11. *Circumeuntes muros ejus*] Ebraice, *circumdabit eam ſuper muros ejus.* Quod Lxx. Græce extulerunt, κυκλώσει αὐτὴν ἐπὶ τὰ τείχη αὐτῆς.

Scelus] Supra v. 4. *iniquitatem* vertit, & etiam hic Lxx. ἀνομίαν. Sym. autem interpretatus eſt ὀδύνη, *dolor.* Aquila ibi ἀνωφελὲς i. *inutile.*

Et dolor] Imo, *labor.* nam Ebræum nomen hoc, non illud ſignificat, Græcum autem πόνος ad utrumque ambiguum eſt. Sym. hic habet ταλαιπωρία, i. *miſeria.*

12. *Inſidiæ*] ἐπιβουλή. Vide quæ notavimus ad verſ. 4. Pſal. 52.

In vitalibus ejus] Dura tranſlatio ab homine ad urbem. Quæ ſint *vitalia* in homine jam diximus. *Vitalia urbis* appellantur partes eæ, in quibus ſalus civitatis conſiſtit: aut ſimpliciter ita vocatur medium ejus; nam vitalia ſunt in medio hominis. Sane ex Ebræo alii vertunt, *in medio ejus.*

De plateis ejus] ἐκ πλατειῶν αὐτῆς. Ebraice, *de platea ejus.*

Damnum] Alii, *fraus,* aut *dolus,* & melius. Sic Græci Lxx. Pſ. 10. 7. δόλος. hic reddunt τόκος, i. *uſura.* Appellatio à medio; nam *fraus* intra hominem latet. Sane תּוֹךְ *medium:* unde dicunt תוכו כברו, de homine candido ac ſincero: & contra תוכו הפך מברו de ficto & ſimulatore, cujus animus cum vultu non conſentit.

13. *Exprobravit mihi*] ὠνείδισέ με, Lxx. i. *probris affecit me.* An *exprobrare* accipiatur hoc ſenſu apud Auctores Latinos, aliis diſcutiendum relinquo.

Ut ſuſtineam] Ebraice, *ut ſuſtinerem,* ſive, *ferrem.* Id non nemo explicat, *quod ferrem.* Senſus eſt; ſi hoſtis eſſet, qui probra in me jacit, ferrem patienter. Sic mox: *Si oſor meus ſe contra me efferret, abſconderem me ab eo.*

Qui me oderat] *Me* aberat in alio exemplari, ſed perperam.

Magnificatus eſt] Ebraice, *magnificavit:* & ſubintelligunt *os ſuum;* quem ſenſum Græci expreſſerunt vertendo, ἐμεγαλοῤῥημόνησεν. i. *magna locutus fuiſſet.* Ita Pſalterium Gallic. & Rom. Porro autem ὠνείδισέ με, etiam Auguſtinus interpretatur, *exprobravit mihi:* alius, *improperaſſet:* alius, *maledixiſſet.* Vide Rom. edit. In eadem eſt, ὁ μισῶν, *qui oderat,* abſque pronomine. Sed in aliis, ὁ μισῶν με.

Ut abſcondar ab eo] Vel, *abſconderem me ab eo.* Sic Græci Lxx.

14. *Sed tu*] σὺ δὲ σύ. Sym.

Homo unanimis meus] ἄνθρωπος ἰσόψυχός μου. Pro eo Symm. retulit, ὁμότροπος, i. *iiſdem, quibus ego, moribus præditus.* Poſſes etiam legere ἄνθρωπε ἰσόψυχέ μου. Quo vocabulo uſi ſunt hoc loco Lxx. omiſſo pronomine. Reperio etiam ἄνθρωπε ὁμότροπέ μου. Ebraice eſt כְּעֶרְכִּי quod interpretantur, *ſecundum æſtimationem meam,* ſive, qui tanti ſis, quanti ego. hoc eſt, *par mihi.*

Dux meus & notus meus] ἡγεμών μου καὶ γνωστέ μου. Lxx. Laudatur hoc loco Sym. qui verterit; καὶ συνήθης μου, καὶ γνώριμος, *& familiaris meus, & notus.*

Dux meus] Dux amicorum meorum, amicus primus & intimus. Sic accipitur in illo: *ſuſurro disjungit duces.* i. intimos amicos.

Notus meus] i. Familiaris meus.

15. *Qui ſimul habuimus dulce ſecretum*] οἱ ἅμα ἐγλυκαίνομεν ἀπόῤῥητον. A.

In terrore] Alii, *conjunctim:* alii, *cum frequentia:* alii, *cum ſtrepitu.* Interpres Chaldæus, *cum feſtinatione.* Lxx. ἐν

ἐν ὁμονοίᾳ, concorditer. Vulgo reddunt, *cum conſenſu.*

16. *Veniat mors ſuper eos*] ἐλθέτω θάνατος ἐπ' αὐτούς, Lxx. Vix auſim dicere, eos legiſſe, יבוא quod tamen interpretantur; nam ישי quod in Ebræo aliud ſignificat. Sunt qui reddant, *exigat debitum ab eis.* Alii, *tanquam exactor invadat eos.*. Trem. *Decipiat invadens eos*: nam השיא *decepit.* Sic interpretatur Hieron. Pſal. 89. 23. ubi ישיא ſcriptum cum Aleph, quod hic deſideratur. Quidam, *aget exactorem contra eum.*

In interitum] Emenda ex alio codice, *in infernum*; nam eſt שאול in Ebræo, & εἰς ᾅδου, in Græco. *In interitum* i. בשחת ita Hieron. alibi.

Nequitia] πονηρίαι ἤτοι κακίαι. Lexic. Vet. *nequitia*, κακία. Græce eſt πονηρία. & in Pſalterio Romano, *nequitia*: Sed in Gallico, *nequitiæ.*

In congregatione eorum] Sic etiam interpretatur Pſ. 31. 14. Alii, *in commemoratione ipſorum.* Sic Græci, ἐν παροικίαις αὐτῶν. Theodoretus, Παροικίαν *vocat præſentem vitam, in qua commoramur, non habitamus.*

Et in medio] Copula abeſt in textu Ebræo.

Ego autem ad] Alibi, *ego ad.* Quæ ſcriptura quadrat cum veritate Ebraica.

18. *Loquar*] Sic etiam Santes. Alii, *meditor.* Pſal. 77. 4. אשיחה. Sym. διελάλουν ἐμαυτῷ. Hieron. *loquebar in me ipſo.* Amos 4. 13. שחו Theodor. τὸν λόγον αὐτοῦ *ſermonem ejus.* Job 7. 11. אשיחה Sym. διαλεχθήσομαι. Hieron. *confabulabor.* Rurſum Pſ. 77. 6. עם לבבי אשיחה. Hieron. *cum corde meo loquebar.* 105. 2. שיחו idem, *loquimini.*

Reſonabo] Alii, *perſtrepam, tumultuabor.*

19. *Redimet*] λυτρώσεται. Lxx.

Ab appropinquantibus mihi] ἀπὸ τῶν ἐγγιζόντων μοι. iidem מקרב infinitum à קרב *appropinquavit.* Uſurpatur etiam, cum acies conflicturæ ſibi invicem appropinquant: unde קרב *prælium*, quod & קרב, ſi credendum Ebræis hoc in loco. Ergo Trem. vertit; *a bello mihi illato.* Santes, *à bello quod eſt contra me.*

Multi enim fuerunt adverſum me] πολλοὶ γὰρ ἐγένοντο πρὸς με, Sym. Quod Latine citatum offendi, *multi in me fuerunt.* Vide Fragmenta interpretum Veterum.

20. *Qui judex eſt*] Docte interpretatur, *qui ſedet*: nam *ſedere* judicum eſt. Sic enarrabis Pſal. 2. *qui ſedet in cælo*, qui ſedet pro tribunali. Alia expoſitio; *qui ſedet*, qui manet. In Pſalterio Rom. *qui eſt ante ſecula & manet in æternum.* Videntur duæ verſiones eſſe. Sane illud, *& manet in æternum*, abeſt in Gallico.

Ab initio] Sic etiam Santes. Sic apud Moſen מקדם quidam interpretantur ἀπ' ἀρχῆς. Sed Trem. hoc loco, *in æternum.*

Non mutantur] Verbum pro verbo, *quibus non ſunt permutationes ejus.* Quod A. Græce extulit, οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς. Sed Hieron. Symmachum ſecutus eſt, qui ad ſenſum vertit, οὐ γὰρ ἀλλάσσονται οὐδὲ φοβοῦνται τὸν θεόν. *non mutantur neque timent Deum.*

21. *Extendit*] ἐξέτεινε, Lxx. A. Symm. Theod. Alibi ex A. citatur, ἀπέστειλε, *miſit.* Quod Ebræum verbum proprie ſignificat: ſed hoc loco pro *extendere* ponitur.

Ad pacifica ſua] *Sua* deſiderabatur in alio exemplari. A. ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ: quod reddi etiam poteſt, *in pacificos ſuos.* Sym. Th. εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτόν.

Contaminabit] Mirum ni ſcripſit, *contaminavit.* Sæpe (*b*) & (*v*) hoc modo permutantur in ſcriptura veteri.

22. *Appropinquat*] Lectio varians, *pugnat.* Quod è Sym. hauſtum: nam in eo πολεμεῖ. Prius è Lxx. ſumptum ἤγγισεν ἡ καρδία αὐτῶν. De verbo קרב diximus ſupra v. 19.

Nitidius butyro os ejus] λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν. Symm. Sed in Ebræo, *os ejus.* ergo vertunt, *lenierunt præ butyro os ſuum.*

Lanceæ] λογχάρια: quod in Scholio quodam. Lxx. βολίδες, *jacula.* alius, ἀκόντια, *tela.* Recens interpretatio, *ſtricti gladii.* A. λόχους, niſi legendum, λόγχας i. *lanceas*: nam λόγχη, *lancea.* λόχους, i. *inſidias.*

23. *Charitatem tuam*] An legit יחבך? hoc eſt Heth pro He. ab eo verbo eſt חבא *charitas, amor, dilectio*, & חביב *dilectus.* Forte putavit (א) cum (י) permutatum eſſe: nam id fit aliquando. Ceteri vertunt, *onus tuum, curam tuam.*

Enutriet te] διαθρέψει σε. Lxx.

Fluctuationem] σάλον. Iidem.

24. *Deduces*] Ebraice, *detrudes, deturbabis, deſcendere facies.* Sed in Græco κατάξεις. Id ſecutus eſt Hieron.

In puteum interitus] εἰς φρέαρ διαφθορᾶς. Lxx.

JOHAN-

JOHANNIS DRUSII
COMMENTATIO
In
PRIORES XIX. PSALMOS
In qua
Veterum Editiones examinantur, corriguntur, explicantur.

PROLEGOMENA.

De auctoribus Pſalmorum, & cur David ſit in ordine Hagiographorum.

DAvid Ebræus, cognomento Camius, procemio in hunc librum: *Dicunt* οἱ μακάριοι διδάσκαλοι ἡμῶν; *David ſcripſit librum ſuum per decem Senes, hi ſunt homo primus, Melchiſedec, Abraham, Aſaph, Heman, Iduthun, Moſes, tres filii Core, Aſir, Elkana, & Abiaſaph. Item dicunt; Pſalmum, cui titulus, Canticum in diem Sabbathi, ab Adamo dictum eſſe, qui creatus fuit in veſpera Sabbathi: in ipſo autem Sabbatho mane ſurrexiſſe, & ceciniſſe hunc hymnum.* (Pſal. 92: 1. citatur hoc ex Dras; *Nam doctores expoſuerunt de futuro tempore,* id eſt, de temporibus Meſſiæ). *Item dicunt; Ethan Ezraitam eſſe Abrahamum patrem noſtrum; & Pſalmum, Dixit DOMINUS Domino meo, Melchiſedecum compoſuiſſe: reliquos intitulari nominibus ſuis.* Quæ quo loco habenda ſunt, nunc non diſputo. Quæ de Melchiſedeco ſcribunt, facile refelli poſſunt, primum, ex ipſo titulo לדוד: deinde ex teſtimonio minime dubio, *David dicit in libro Pſalmorum.* Luc. 20: 42. Ethan oriundus fuit a Muſi, filio Merari, filii Levi; imo filius erat Zare filii Juda. Vide Camium ad Pſalmum illum, & Onomaſticon ſacrum. Hoc apud me controverſia caret, de Pſalmi auctore non male judicari ex titulo, niſi ubi ל ſignificat בעבור, ut Pſal. 72: 1. *Pſalmus* לשלמה *de Salomone:* non etiam certe fuit conſcriptus à Salomone, ſed de illo. Sunt autem Pſalmi cum titulo & nomine auctoris XCVII: cum titulo & ſine auctore XXXV: ſine ullo penitus titulo XVIII. Plerique omnes Davidis nomen præferunt: quo circa liber iſte vocatur *David,* & *Pſalmi Davidis.* De iis, qui titulo carent, aut titulum habent ſine auctore, quæri nunc poteſt. Nam ſunt, qui eos omnes Davidis eſſe putant: Sunt alii, qui referendos eſſe cenſent ad eum, qui proxime præcedit titulum habens cum auctore: ut exempli gratia Pſalmus XC. inſcribitur, *precatio Moſis viri Dei,* ad quem referunt reliquos undecim ſequentes. Cujus opinionis auctorem laudant Patriarcham Huillum, hominem Judæum, qui tempore vixit Originis. Verba Hiero. hac de re ſunt in Apologia prima adverſus Rufinum; *Origenes Pſalmum octogeſimum nonum* (is eſt nonageſimus Ebræus) *qui inſcribitur Oratio Moſi hominis Dei, & reliquos undecim, qui non habent titulos, ſecundum Hulli expoſitionem, ejuſdem Moſi putat.* De Davide quæritur, cum *Propheta* fuerit, vel teſtimonio ejus, qui nec ipſe falli nec alios fallere poteſt, cur ab Ezra & ſociis ejus, viris Synagogæ magnæ, poſitus ſit in ordine *Hagiographorum*? Et reſpondeo, ſalvo tamen aliorum judicio, id eo factum eſſe, quia miſſione, munere aut officio, Propheta non fuit; ut nec Daniel, qui propterea non legitur apud Ebræos in ordine Prophetarum. Cur Latini & Græci hoc fecerint, me latet. Nam in alio gradu fuit, quam Jeſaias, Jeremias, & illi, qui proprie *Prophetæ* vocantur. Ut hoc intelligas, ſciendum, gradus Prophetiarum eſſe plures. Primus eſt, Prophetia proprie dicta. Secundus eſt Spiritus Sanctus. In illo fuerunt, quos modo memoravi: in hoc David, Daniel, & qui Hagiographorum nomine circumferuntur. Cui firmando ὁ Σωτὴρ, inquiens, *Dixit David in ſpiritu;* & alibi, *in Spiritu Sancto:* nam ideo vocantur *Hagiographa,* quia ſcripta per Spiritum Sanctum. Ebræi ſimpliciter כתובים appellant id eſt *ſcripta.* Id explicant כתובים ברוח הקדש, *ſcripta per Spiritum Sanctum.* Dices; hæc non docuerunt nos præceptores noſtri. Quid ad rem, ſi ea docuit nos ſpiritus Prophetarum, qui errare non poteſt? Haggæus, Zacharias, & Malachias teſtimonium pro me dicerent, ſi viverent, nec Daniel reclamaret: quos opponimus adverſariis noſtris in hac lite; qui, ſi nobis objiciunt conſuetudinem tot annorum, reſpondemus cum Tertulliano, *conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.* Partitio Teſtamenti Veteris in tres ordines, nota eſt. Ea vel bona vel mala eſt. Si bona; cur nobis adeo infeſti ſunt, qui tantum rationem indicavimus, cur Daniel non ſit in ordine

Prophetarum? an crimen eſt ſcitorum veterum cauſas indagare? Si mala eſt; tunc ſequitur codices Ebræos corruptos eſſe. Quod illi non facile concedent; nam pugnat cum principio eorum, corruptos non eſſe. Pro clauſula, videtur partitionem illam comprobaſſe Chriſtus, cum Scripturam dividit, in *Legem*, *Prophetas*, & *Pſalmos*; nomine *Pſalmorum*, reliquos omnes Hagiographos comprehendens. Quin etiam Joſephus adverſus Appionem ſcribens, librum hunc è numero Propheticorum excludit. Unde & illud ſequitur; *aliquos libros Canonicos non eſſe Propheticos.* Audiamus nunc doctiſſimum Ebræum, hac de re ita diſſerentem: *Ajunt in Spiritu Sancto dictum eſſe librum Pſalmorum; ideo poſuerunt eum inter Hagiographos, & non inter Prophetas: non enim dicta ſunt verba ejus in prophetia, ſed in Spiritu Sancto. Nos autem declarabimus differentiam, quæ inter Prophetiam & Spiritum Sanctum. Ea eſt, quod Prophetia res ſit, quæ evenit homini, qui eſt ſapiens, perfectus in moribus ſuis; evenit ei Prophetia in ſomnis; & quo tempore venit ei Prophetia, abolentur vires ejus ſenſuales, & abducuntur ab omnibus viis ſeculi hujus; & videt in viſione Prophetica, ac ſi vir aliquis loqueretur cum eo, qui ei dicat ſic & ſic: aut videt ſimilitudines in viſione illa, aut non videt ullam ſimilitudinem, ſed audit vocem loquentis ſecum. Spiritus vero Sanctus eſt, quod videt homo integer, occupans ſe in verbis Dei, perfectus in omnibus ſenſibus ſuis, non aboletur unus ex illis, & loquitur, id quod loquitur, juxta morem hominum, niſi quod excitat eum ſpiritus ſupernus, & apparere illi facit res: in lingua ejus verba ſunt laudis & confeſſionis, quibus confitetur Deo ſuo, laudans eum. Etiam loquitur de futuris ope divina per virtutem loquentis, & cunctis viribus eorum, qui loquuntur, hoc eſt, rationis participes ſunt. Et in hac virtute dictus liber Hymnorum iſte, Et, quanquam vocentur Prophetæ, qui dixerunt eos, prout dicitur de Davide, qui vocatur vir Dei, quod non dicitur niſi de Propheta; & legimus, Iduthun Propheta, & Heman videns regis in verbis Dei; item, filiis Aſaph, & Heman, & Iduthun Prophetis: Nihilominus prophetia eorum fuit eo modo, quo diximus. Nam Prophetia dividitur in gradus, quorum hic illum excedit. Et licet Daniel viderit viſiones in ſomnis; tamen cum expergiſceretur, non pervenit virtus ejus & ſcientia ejus ad illas viſiones, juxta virtutem Jeſaiæ, Ezechielis & reliquorum Prophetarum. Ideo non eſt ſcriptus liber ejus in ordine librorum Propheticorum, ſed ſcriptus eſt in ordine librorum qui vocantur* כתובים, *Hagiographi, quia fuerunt ſcripti per Spiritum Sanctum.*

Libri Pſalmorum variæ inſcriptiones. Partitio ejus in libros quinque. Id auctoritate Veterum probatur.

Liber iſte a Syro interprete vocatur *Liber Pſalmorum*, Actor. 1: 20. *Pſalmus* autem dicitur ἀπὸ τοῦ ψάλλειν, quod *citharam pulſare* ſignificat. Ebræi eum vocant *Sepher Thehillim*, id eſt, *laudum*, quod contractius dicunt *Thillim*, media gutturali, eliſa, more apud Aramæos tralatitio. Sic *Soda* dicunt pro *Sohada*, *munus*, & *Bel* pro *Beel*, & *Tona* pro *Tohana*, id eſt, טעונא *onus.* Reperio etiam in Euſebio, σφὲρ pro *ſepher*, quod originem habet ex dialecto Syriaca ſive Chaldaica, צְלָם pro צְלָם uſitantibus, & סְפַר σφὲρ, ut בת βὲθ *filia*, nam βὴθ eſt *domus*, quæ & βαὶθ. Sic גת γὲθ, nomen urbis: & alia ejus generis. Σφὲρ θελλὶμ ergo eſt, *liber hymnorum*, ſive, *laudum*, nam ſic antiqui legebant pro *Thillim.* Sic *Hellel* dicebant pro *Hillel*, & *Nemrod* pro *Nimrod.* תְּהִלִּים plurale eſt, ut & תהלות à ſingulari תהלה, *laus.* Optime autem ſic inſcribitur hic liber: nam quicquid in eo, pertinet ad laudem Dei. Vide Quæſtiones meas, Lib. II. 31. Aut appellatio eſt a majore parte. Sic, *liber Proverbiorum.* Vocatur a Græcis etiam ψαλτήριον. Quid *Pſalterium*? inſtrumentum eſt, ad quod hymni iſti canebantur, נֶבֶל Ebræis appellatum, unde ναῦλα, & *nabla*, & *nablium.* Sunt qui *lyram*, alii, *harpam* eſſe putant. *Lyra* & *naula* ſimul apud Sophoclem leguntur: Ὅυ λύρα κωκυτοῖσιν, inquit, ὀυ ναῦλα φίλη. Quamobrem *naula* poteſt eſſe *lyra.* Hiero. in prologo galeato, *ſecundus à David incipit.* Sermo eſt de Hagiographis, & *Davidem* appellat hunc librum, quoniam ejus pars major a Davide compoſita. Quocirca & *liber Davidis* nuncupatur; ut *Job* vocatur ejus liber, ſic etiam *David.* Dividitur ab Ebræis in libros quinque, quos *Inciſiones* vocat Hiero. in prologo memorato, inquiens; *quem quinque inciſionibus, & uno Pſalmorum volumine comprehendunt.* Non *inciſionibus*, ô bone, ſed libris. Sic enim vetuſtiſſimi Ebræi eos appellant. *Inciſio* פרשה dicitur, *liber* ספר: unde & *Liber laudum.* Volumen eſt מגלה, quæ vox de hoc libro non uſurpatur, quod ſciam. Quinque libri ſunt, qui *Volumina* vocantur, & unus peculiariter *volumen*, id eſt, *magella.* Is eſt liber Eſther, de quo alias. Liber eſt apud Ebræos, qui vocatur *Medras Thillim*; in eo ſcriptum lectum; *Moſes dedit ipſis quinque quinarios legis: conſimiliter David dedit ipſis librum hymnorum, in quo ſunt quinque libri.* Vide Quæſt. lib. 2. quæſt. 57. Hic eſt ספר תלים, ut apud Euſebium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 6. cap. 65. σεφὲρ θιλλὶμ, id eſt, βίβλος ψαλμῶν, *liber Pſalmorum*: cum tamen *Pſalmi* potius מזמורים dicantur. Proinde Hiero. epiſtola ad Sophronium interpretatur, *Liber hymnorum.* Epiphanius in libro de Menſuris & Ponderibus, meminit hujus diviſionis, ut & Hilarius, prologo in hunc librum. Sed & auctor comment. qui extat inter opera Hiero. in fine Pſalmi 40. Hilarius tamen auctoritatem Apoſtolicam ſecutus, unum tantum agnoſcit. Sic etiam Hiero. præfatione in Pſalterium. Vide Quæſtiones meas, nam dicta ibi nolo repetere. Hoc tantum obſervo; licet Apoſtolus, *librum Pſalmorum* nominet, non tamen inde ſequi, quod vult Hilarius. Nam quid obſtat, quo minus unus liber dividi poſſit in plures? Sane inſcriptio Ebræa eſt, *liber laudum*; tamen apud eos liber ille dividitur in quinque libros. Primi libri finis eſt Pſal. 41. cujus clauſula, *amen & amen.* Secundus incipit a Pſal. 42. uſque ad Pſal. 72: 20. *finiunt* תפלות *preces David filii Jeſſæ*: à 73 eſt initium tertii, qui extenditur uſque ad 90. Ab hoc quartus liber exordium ſumit, & protenditur uſque ad 107. Reliqui Pſalmi quintum volumen conſtituunt. Tres priores in fine habent *amen, amen*, pro quo Lxx. verterunt γένοιτο, γένοιτο. In fine quarti *amen* non iteratur. In quinto & ultimo nullum eſt. Vocatur quoque *liber Soliloquiorum.* Vide Prothemata Pſalmorum in Lirano.

De

De ordine Pſalmorum Davidicorum.

OLeum & operam perdet, qui ordinem certum quæret in Pſalmis; nam neque temporis ordo ſervatus eſt in iis, neque etiam rerum geſtarum. Nam Pſalmus tertius in titulo habet; *Cum fugeret a facie Abſolomi filii ſui*: Quinquageſimus autem primus; *Cum ad eum Nathan veniſſet*, & reprehendiſſet ob crimen adulterii. 142, *Quando latebat in ſpelunca* metu Saulis. 144, Quando cum Goliath gigante pugnavit. Pſalmus 72. ſcriptus cum jam Salomo regnare inciperet. Videndus R. David ad Pſal. 2. ubi docet, non eſſe ſervatum ordinem rerum geſtarum, id eſt, הכתובים. In numero Pſalmorum conveniunt omnes: ſed Græci & Latini ab Ebræis variant non parum. Nam qui his eſt nonageſimus, illis eſt 89. & ſic de reliquis. Pſalmus quoque primus olim idem erat cum ſecundo; unde varietas in Actis, aliis legentibus, *Pſalmo ſecundo*, & aliis, *Pſalmo primo.* Ante Lxx. nullis numeris prænotatos fuiſſe putat Hilarius: quod mihi non perſuadet: nam qui nunc ſunt numeri in codicibus Ebræorum non ab heri, aut nudiuſtertius ſunt, cum Hieronymi tempore hæc varietas obtinuerit.

De Metris Pſalmorum.

HIero. Præfat. in Chronicon Euſebii; *denique quid Pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci & Græci Pindari, nunc Jambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.* Vide de hoc loco judicium Scaligeri, Animadv. Euſebian. p. 7. ubi de rhythmo & metro ex Beda, & inter alia; *Nullum in Pſalterio canticum eſt metricis legibus adſtrictum, ſed mere ſoluta oratio eſt, charactere Poëtico animata.* Ab hoc judicium Maſii nonnihil diverſum, quod invenies, comment. in Joſuam. pag. 185. Mercerus in Comment. Job. 3: 3. *Conatus ſum, juxta ea quæ monet Hieronymus, multos verſus ad dimenſionem pedum revocare. Sane pleroſque dimenſus Hexametros comperi; verum ubi pro Dactylo & Spondæo paſſim alii pedes juxta linguæ idioma, ut dicebat Hieronymus, occurrant. Multi ſunt verſu ſpondaici, ut primus ſtatim, qui deſinit in* הורה גבר. *Sed hoc ſæpe hic turbat, quod metra plerumque a fine verſuum, at ab Ebræis ſunt diſtincti, incipiunt: quod argumento eſt, eos carminum rationem non intellexiſſe, niſi ſenſum magis, quam dimenſionem ſint ſecuti. Accepi D. Vatablum, laudandæ memoriæ, rationem intellexiſſe verſuum omnium Jobi & Pſalterii, & quoſdam canones, ad facilius eorum rationem intelligendam præſcripſiſſe: ut, quod nulla ſit Ebræis poſitio; quod Schewa, ne geminum quidem, pro aliquo computetur: & alia ejusmodi, quæ ſperamus aliquando proditura: nec deſpero, ſi quis diligenter attenderit, quin poſſit metrorum ratio inveniri.*

Examinata opinio Veterum Ebræorum de Auctoribus.

QUi Ebræos legunt, debent diſtinguere inter veteres, qui vocantur ab eis οἱ διδάσκαλοι ἡμῶν; & recentiores, qui vixerunt ante annos quadringentos, plus minus; ut ſunt: R. Salomo, Aben Ezra, Tres Camii, Joſeph pater, Moſes & David filii, R. Levi, Moſes Ægyptius, Gerundenſis & alii. Nam ut hi accuratiores ſunt & ſolidioris doctrinæ, ita illi, præſertim, qui vocantur בעלי דרש, multa temere ſatis audacter effutiunt. Utrumque genus cum judicio legendum, ſed imprimis illud.

Expenſus locus Hieronymi ex Prologo Galeato.

HIeronymus in Prologo Galeato:

Tertius ordo Hagiographa poſſidet. Et primus liber incipit a Job. Secundus a David, quem quinque inciſionibus, & uno Pſalmorum volumine comprehendunt. Inciſiones dicit, quos Ebræi libros appellant. Nam partiuntur Pſalterium in libros quinque. Unus ergo liber Pſalmorum continet libros quinque. Quocirca ratio Patrum, qua docent, unum duntaxat eſſe librum Pſalmorum, & non quinque, admodum infirma eſt. Quid enim obſtat, quominus unus liber dividi poſſit in plures? Ceterum *inciſio* in oratione pars membri eſt, quod Græci κόμμα vocant. An *inciſio* dici poſſit, quæ Ebræis פרשה vocatur, neſcio. Nos *ſectionem* alibi eam vocem reddidimus. Tot autem ſunt ſectiones in hoc libro, quot Pſalmi: Verbi gratia, Primus Pſalmus, qui olim idem erat cum ſecundo, *ſectio* vocatur, quam David charam habuit, ac propterea incipit ab *Aſre*, & deſinit in *Aſre*, id eſt, *beatus.* Vide Quæſtiones meas hac de re.

Quod Aſaph, Iduthun, Heman, Ethan Ezraita, & filii Core Prophetæ fuerint.

ASaph Prophetam fuiſſe aſſerit Hiero. Comment. in Matthæum, cap. 13. nam ubi antiqui codices habebant, *per Eſaiam Prophetam*, legendum cenſet, *per Aſaph Prophetam.* Putat enim errore ſcribarum locum corruptum eſſe, cum in libris vulgatis non ſit nomen Jeſaiæ, ſed tantum, *per Prophetam*: quam lectionem ego Germanam eſſe non dubito. Hieronymi ſententiam roborat locus, qui eſt 1 Paralip. 25, 2. *Per manum Aſaph, qui prophetavit ad manus regis.* De Iduthun, Heman & filiis Aſaph, certum

que-

JOHANNIS DRUSII COMMENTATIO IN PRIORES XIX. PSALMOS

In qua

Veterum Editiones examinantur, corriguntur, explicantur.

PSAL. I.

1. *BEatus vir qui non ivit in conſilio improborum & in via peccatorum non ſtetit & in cathedra deriſorum non ſedit.*

2. *Sed in Lege DOMINI voluntas ejus, & in lege ipſius meditatur die ac nocte.*

Beatus vir] μακάϱιος ἀνὴρ, ſic Græci; nec aliter Hiero. Æmulatus eſt interpres Jeſu Filii Sirach. Eccleſiaſt. 14. 1. *μακάϱιος ἀνὴρ ὃς οὐκ ὠλίσθησεν ἐν στόματι αὐτοῦ: beatus vir qui non lapſus fuit ore ſuo*; nec vidi qui aliter verterent. De veteribus loquor: nam Scholion Græcum ἄμεμπτος ὁ ἀνὴρ ὃς οὐ πϱοσπέπτωκεν ἐν συνεδϱίῳ παϱανόμων, merito mihi ſuſpectum eſt, ut illud quod in edit. Rom. *Theod.* v. & vi. *edit.* Vide Annot.

Beatus] אַשְׁרֵי ſi nomen eſt, ſonat *beatitates* ſive *beatitudines*: ſi adverbium, erit vertendum; *bene ſit viro.* Adverbium autem eſſe, arguunt אַשְׁרָיו & אַשְׁרֶיךָ quæ ſimiliter notantur, atque אַחֲרָיו *poſt illum*: ſic תַּחְתֶּיךָ *ſub te.* nec obſtat רַחֲמֶיךָ *miſerationes tuæ*, quod à רַחַם derivatum; niſi dixerimus, hujus quoque ſingularem eſſe אֶשֶׁר *beatitudo*, à quo ſit אַשְׁרָיו *beatitudines illius*, אַשְׁרֶיךָ *beatitudines tuæ*, dages excidente, ut fit, cum ponitur ſub litteris ſcheva notatis. Sic אַשְׁרֵי הָאִישׁ *beatitudines, viri*, quod explicant vir beatiſſimus, aut, omnibus modis beatus. genus loquendi, ut, *ſuperbia viri*, pro, vir ſuperbiſſimus: *vilitates hominum*, pro, homines viliſſimi: Qualia ſunt in Latio, *ſcelus viri*, *flagitium hominis*, *deliciæ pueri.* Omitto duas beatitudines, quarum una in hoc ſeculo temporaria: altera eſt ſeculi futuri beatitudo ſempiterna.

Vir] Non eſt nomen ἀϱετῆς, ut quidam volunt, nec ſexum ſignificat hoc loco; ſed *vir* i. homo, ut recte Tertullianus explicat, Lib. 2. adverſus Marcion. cap. 19. qua appellatione etiam fœmina comprehenditur: & הָאִישׁ emphatice poſitum, ut ſi dicas, *ille vir*, quod Græce eſt ὁ ἀνήϱ.

Qui non ivit in conſilio improborum] Qui non verſatur cum improbis, nec intereſt conſiliis ipſorum; aut, qui non inſtituit vitam de conſilio ac ſententia improborum. Porro uſus ſum præteritis, *non ivit*, *non ſtetit*, *non ſedit*, quando is demum vere beatus eſt, de quo poſt obitum dici citra mendacium poteſt, *non ivit*, &c: Si quis tamen mavelit, *non it*, *non ſtat*, *non ſedet*, cum eo non contenderim. Fruatur quiſque judicio ſuo.

In concilio improborum] Vide Annot.

In conſilio] Vir doctus, qui me in his litteris erudivit, *in concilio*, i. בַּעֲדַת.

Improborum] Vetus verſio, *impiorum*, i. ἀσεβῶν. Hos ab animi inquietudine dictos cenſent Grammatici, (videlicet à verbo הרשיע, & ab ea ſignificatione in qua ponitur Job. 34. 29. ubi in adverſo habet השקט *quievit*) quales ſunt omnes avari, voluptuarii, ambitioſi, imperiti rerum, rapaces, fures, homicidæ. Poteſt ita eſſe: tamen à foro credibilius ſumptam eſſe appellationem, in quo רָשָׁע vocatur *reus*, *ſons*, ὑπόδικος, ut Pſal. 109: 7. *quum litigabit, exeat improbus*: contra, צַדִּיק *juſtus* i. reus, inſons.

In via peccatorum non ſtetit] Aut, *viam peccatorum non inſtitit*, (tum non ſtamus in via peccatorum, cum peccantes ſtatim reſipiſcimus & ad rectum vitæ curſum redimus.) *Viam* appellat genus vitæ quod quiſque inſtituit. *Peccatores* autem dicit homines improbos, quæ ſtricta eſt hujus nominis ſignificatio, quomodo ſumitur aliquoties in Euangelio, ut Matt. 9: 10. *Publicani & peccatores*, & Luc. 7: 37. *erat in civitate mulier peccatrix.* Alioqui nemo eſt ſine peccato (ſolus enim Deus ἀναμάϱτητος) & *optimus ille minimis urgetur.*

Peccatorum] Hoc ſignificatu *peccator* & *improbus* ſe mutuo explicant, & legimus in epiſtola Judæ Apoſtoli, v. 15. ἁμαϱτωλοὶ ἀσεβεῖς, *peccatores impii*, ſive improbi.

Non ſtetit] Auget orationem magis, cum dicit; *non ſedit*: nam *ſtat*, qui perſiſtit ac manet: *ſedet*, qui perſeverat ac diu manet. Similis gradatio, ut apparet, in nominibus *conſilii*, *viæ*, *cathedræ.* Intelligens intelligit quid velim.

In cathedra deriſorum] LXX. ἐν καθέδϱᾳ λοιμῶν. Ea vox ſignificat *peſtes*: tum etiam *homines peſtiferos* ſive *peſtilentes.* Forte locutio eſt, ut cum *ſcelus* pro ſceleſto ponitur. Sic *dolus* pro doloſo uſurpatur. Figuram hanc Grammatici metonymiam vocant. Ut ut ſit, minus bene vertit, qui vertit; *in cathedra peſtilentiæ*, quod eſſet λοιμοῦ, non λοιμῶν. Vidit hoc olim Tertullianus adverſus Marcion. Lib. 2. cap. 19. in quo *peſtilentium*: & alibi *peſtium.* Amant autem interpretes iſti pro לֵץ, λοιμὸν transferre, ut Prov. 21: 24. & alibi. A. maluit, ἐν καθέδϱᾳ χλευαστῶν: quod Hiero. ſecutus eſt referens, *in cathedra deriſorum.* Vide Annot.

In cathedra] Vel, *in ſede.* Sed melius, ut vertamus, *in conſeſſu.* Cicero *circulos* vocat hujuſmodi ſeſſiones in quinto de finibus. *Quoſdam*, inquit, *videmus, cum non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos aut ſemicirculos conſectari.*

Deriſorum] vocantur ἐμπαῖκται. Jud. 18. & 2 Pet. 3. Auctor David Ebræus, cui neſcio an credendum ſcribenti, hoc nomine contineri homines verſipelles, ſuperbos, maledicos, calumniatores, ſuſurrones, arcana revelantes, &c.

Non ſedit] Sym. οὐ κεκοινώνηκεν, non communicavit. V. & VI. οὐχ εὑϱέθη, non eſt inventus, לא נמצא ex edit. Rom.

2. *Sed in lege DOMINI voluntas ejus*] Bene addit *DOMINI.* nam leges humanæ neminem beatum reddunt. Jam vero non dicit, *in Ariſtotele*, aut *in Plauto*, quibus majorem partem otii ſui, quo abundant, multi hodie tribuunt, neglecto, imo ſpreto ſtudio Legis Divinæ, quæ ſola eſt omnis regula virtutis; quocirca Sirachi filius eam *ſapientiæ* vocabulo ſignificat, nam ait: μακάϱιος ὃς ἐν σοφίᾳ μελετήσει, *beatus qui in ſapientia meditatur.* Sirach. 14. 1.

In lege] Quidam reſtringunt ad Legem Moſis; ego latius ſumpſerim, ut etiam doctrinam Euangelii comprehendat: ſic dico, extendi debet ad omnem doctrinam divinitus inſpiratam. Juvat me תורה nominis etymon, quod a *docendo*, nam radix ירה unde הורה *docuit.*

DOMINI] Uſus ſum litteris majuſculis, quia in Ebræo nomen tetragrammaton, quod nunc legunt *Adonai* i. *Dominus.* conſulto autem abſtinui me à nomine *JEHOVA*, quod ei lectioni multi hodie contradicant, nec deſunt eis rationes, quas alibi proferemus, videlicet in eo libello, quem adfectum domi habeo de *recta lectione linguæ ſacræ.*

Voluntas ejus] Oblectatio ejus. Hinc intelliges quid ſit, *non Deus volens iniquitatem tu es:* nam ſenſus, qui delecteris iniquitate.

Et in lege ejus meditatur die ac nocte] Satis erat, *& in ea meditatur.* reſpexit autem, ut videtur, ad locum Joſ. 1. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* i. aſſidue, ita ut neque dies neque nox abeat, quin aliquam partem ei rei ac ſtudio tribuas: quod faciendum per omne tempus vitæ, ut præcipitur Deut. 17. 18.

Meditatur] Verbum Ebræum ſignificat etiam, *meditata eloqui.* nam tribuitur linguæ, Pſal. 35. 28 & gutturi, Pſal. 115. 7. & palato, Prov. 8. 7. tribuitur etiam ori, ut in illo: *os juſti meditatur ſapientiam.*

Die ac nocte] Proverbiale, ſicut illud, *nocturna verſate manu, verſate diurna.* Similiter Homerus dixit, νυκτάς τε καὶ ἤματα πάντα. conſule Proverbia mea.

Die] יוֹמָם magis ſonat *interdiu*, ut חִנָּם *gratis*, רֵיקָם *fruſtra*, אָמְנָם *vere.* Qualia ſunt apud auctores Latinos, *clam, palam, donicam*, aliaque hujuſmodi adverbia in (*am*) deſinentia. Mollerus ad Pſal. 23: 2. annotat, geminationem litteræ ultimæ ſignificare continuationem dierum: itaque interpretatur, *quotidie.* Non perſuadet; nam *quotidie* dicunt יום יום geminata voce, non littera.

3. *Et erit tanquam arbor plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo, foliumque ejus non deſluet, & omne quod faciet proſperabitur.*

Et erit tanquam arbor] Eadem ſimilitudine uſus eſt Propheta Jeremias cap. 17. 8. Vide ſi vacas & ſi vis. Ceterum palma, laurus, olea, abies, natura ſemper virent: ſed ſunt aliæ arbores, quæ tametſi natura ſemper virere nequeunt, tamen ex loci cauſſa folia nunquam dimittunt; ad quod regio ſolumque humidum plurimum conferre putantur: quæ enim in ſiccis locis exſtant, citius folia deperdunt.

Et erit] Quidam exponunt, *ſane erit:* alii, *nam erit:* ego, *hic erit*, nam copula quandoque vim habet pronominis demonſtrativi. Sic καὶ exponitur Sirach. 13. 16. & alibi.

Tanquam arbor] Hiero. *tanquam lignum.* Prius erat in editione Græca ὡς τὸ ξύλον; id mutatum eſt à recentioribus: nam licet vox Ebræa ad utrumque ambigua ſit, tamen hoc in loco *arborem* deſignat, non lignum, niſi lignum pro arbore accipias, ut ſane accipitur apud interpretes priſci ævi. Chaldæi diſtinguunt, ſiquidem arborem אִילָן, lignum vero אָעָא vel etiam קִיסָא vocant.

Plantatum] Hieron. *tranſplantatum.* Prius A. ediderat μεταφυτευόμενον. Similiter Pſ. 92. 14. שְׁתוּלִים, Lxx. πεφυτευμένοι. ceteri, μεταφυτευθέντες: & Hiero. *tranſplantati.* nam planto, i. נְצַב. Lexic. Græco Lat. vetus, μεταφυτεύω δένδρος, *tranſplanto.*

Juxta rivos aquarum] Expono, juxta plures rivos, aut, juxta unum aliquem rivum: nam ſic etiam loquuntur Ebræi, quoties è duabus aut pluribus rem quampiam certam incerte ſignificant, qualia ſunt: *ſepultus eſt in urbibus Juda: ſcriptum eſt in prophetis: pullus aſinarum:* pro eo quod eſt, in una aliqua urbe; in uno aliquo propheta; unius alicujus aſinæ. Sic, *latrones exprobraverunt ei.* i. alteruter latronum. Licet etiam vertere, *ad divortia*, ſive, *divergia aquarum:* nam פלג *dividere.* Sunt autem divergia aquarum, ubi aqua in diverſas partes vergit.

Dabit] Dare ſolet. Quidam hic utuntur verbis præſentibus, *dat, non deſluit, proſperatur:* quod non improbo.

In tempore ſuo] Quo tempore fructum ferre conſuevit: quod fit citius aut tardius, pro natura cujuſque arboris.

Non deſluet] Folium deſluit: arbor defrondeſcit: & eſt defrondeſcere in arboribus, quod in avibus, depenneſcere, in homine calveſcere. Ariſtoteles dixit φυλλοῤῥοεῖν. Pro *non deſluet*, quædam editiones habent, *non marceſcet*, nam decidua folia ferè ſunt etiam marcida. R. Salomo יבול. *barbare, fleſtrir*, vox eſt linguæ Gallicæ, nam Gallus erat: ſignificat autem marceſcere, nec aliud כמש in lingua Magiſtrorum. Hoc poſtremum ſecuti ſunt interpretes è Sabaudia. Mihi religio fuit diſcedere à Hiero. præſertim cum etiam Græci ediderint, οὐκ ἀποῤῥυήσεται.

Quicquid faciet] Homo, an arbor? Si homo, erit ſenſus; omnia, quæ faciet, proſpere faciet; ſive, quicquid aget, felicem ſucceſſum habebit. Si arbor; erit capiendum de fructu ejus; nam Ebræi dicunt, *facere fructum*, pro edere, aut, ferre. Jam verò verbum הצליח, quo hic uſus eſt David, de arbore uſurpatur, cum alibi, tum Joel. 2: 22. in editione Chaldaica.

4. *Non ſic improbi, ſed tanquam gluma quam diſpellit ventus.*

Non ſic improbi] Tantum abeſt, ut improbi ſint ſicut arbor perpetuo virens, ut contra ſimiles ſint glumæ, quam ventus agitat à tritico ſeparatam. In Græca verſione vulgata repetitum legitur οὐχ οὕτως, quod à ſcribis eſſe, vel hinc licet colligere, quia olim abfuit à ceteris editionibus Græcis, Exaplo inſertis.

Tanquam gluma] Lxx. ὡς χνοῦς, quod reddunt, *ſicut pulvis.* male: nam *pulvis* χοῦς dicitur, non χνοῦς. affinitas vocum decepit interpretes, ipſumque adeo Hiero. Heſychius; χνοῦς τὰ λεπτὰ τῶν ἀχύρων. alibi eſt, ἄχνη. ut Hoſ. 13. 3. כמוץ ὡσεὶ ἄχνη. eſt autem ἄχνη tenuiſſimum illud, quod ex ſpicis excuſſis evolat. Ebræi ſic definiunt; מוץ *eſt palea tenuior*, vel ſic: מוץ *eſt tenue illud quod de palea excutitur.* non ergo ipſa palea, quæ תֶּבֶן dicitur. Sed & *gluma* ſignificatio anguſtior videtur. forte *acus, aceris.* Varro de re ruſtica. lib. 1. cap. 52. *Eſt acus, quod leviſſimum foras evannatur extra aream.* Dicitur & עור in Daniele, Syri מוזא appellant, Tzade in Zain verſo.

Diſpellit] Diſcutit ac propellit foras extra aream, granis remanentibus propter gravitatem. Ælianus de formicis Hiſt. anim. lib. 6. cap. 43. *non egent*, inquit, *ventis ad purganda à ſordibus grana e frumentis.* Græca ſunt, ſi quis forte deſideret; μήτε μὴν ἐπειγομένων πνευμάτων ἀποκαθῆραι καὶ διαστῆσαι τάς τε ἄχνας καὶ τὸν καρπόν. ubi ἄχνας vocat τὸν χνοῦν, i. מוץ; alioqui χνοῦς eſt lanugo.

Ventus] Auctiores hic ſunt codices Græci; nam addunt ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, *à facie terræ.*

5. *Propterea non reſurgent improbi in judicio, neque peccatores in cœtu juſtorum.*

6. *Quia novit DOMINUS viam juſtorum, & via improborum peribit.*

Non reſurgent in judicio] Repeto ex ſequentibus, *in judicio juſtorum.* nam reſurgent illi quidem, ſed non una cum juſtis, qui ad vitam æternam reſurgunt. Aut, *non reſurgent in judicium;* quia jam judicati ſunt. Euthymius monachus Zigabenus: *Non ſimpliciter dixit, non reſurgent; ſed appoſuit, in judicium. reſurgent quippe & impii, non ut judicentur, utpote qui jam condemnati ſunt: ſed ut ſuppliciis plectantur.* [In hanc ſententiam plura Theodoretus, quem te adire cupio.] Lactant. Lib. 7. cap. 20. *Qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati ſunt. Sanctis Litteris conteſtantibus, non reſurrecturos eſſe improbos in judicium.* & cap. 21. *Nec tamen quiſquam putet, animas poſt mortem protinus judicari: nam omnes in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata juſtitia, ii præmium immortalitatis accipient. Quorum autem peccata & ſcelera detecta fuerint, non reſurgent, ſed cum impiis in eaſdem tenebras, retrudentur ad certa ſupplicia deſtinati.* Dicam eadem apertius. In judicio, qui ſontes ſunt, condemnantur: qui inſontes, abſolvuntur. Unde *judicare* & pro abſolvere ponitur, & pro condemnare: neutro modo reſurgent improbi; non ad abſolutionem, quia ſontes; nec ad condemnationem, quia jam condemnati. Sententia quidem in eos feretur, ſed abſque judicio, ut fieri ſolet, ubi aliquem in ipſo crimine judex deprehenderit. Dicunt etiam eos, qui malas uxores habent, non venturos in judicium. Quapropter? Quia ſcil. in hac vita ſatis ſupplicii ſufferunt. Forte hoc ſenſu dictum à veteribus Ebræis: *Reſurrectio à mortuis non eſt improborum, ſed juſtorum tantum.* Sane reſurrectio ibi תְּחִיָּה vocatur, ut ſi dicas, reſtitutio, ſive revocatio ad vitam: nam non reſtituuntur vitæ, ſed tranſeunt ab una morte ad aliam. Ut ut hæc intelligenda ſint, video recentiores Judæos non uno modo, de hac re omnes ſenſiſſe & ſcripſiſſe. Quidam enim dubitarunt, ſintne omnes reſurrecturi, nec ne: alii tradiderunt, probos duntaxat reſurrecturos: alii ſcripſerunt, una cum juſtis aliquos improbos, non tamen omnes, vitæ reſtitutum iri. Quod dico, clarum faciam verbis ipſorum. R. David, quem Camium cognominant, in commentariis ad hunc Pſalmum ait: *Juſti poſt mortem reſurgent: verum improbi non reſurgent, ſed peribit anima ipſorum una cum corpore ipſorum in die mortis.* Idem Pſal. 88. ad v. 11. *Reſurrectio*, inquit, *non erit omnium; nam juxta ſententiam plerorumque doctorum noſtrorum, quorum fauſta ſit memoria, ſoli juſti reſurgent: dicunt enim; reſurrectio à mortuis juſto-*

rum

rum eſt, & non improborum. Et Pſal. 104. 30. *Magna diſſenſio eſt inter ſapientes noſtros de reſurrectione, ſitne omnium, nec ne: major autem pars Thalmudicorum cenſet, juſtos reſurrecturos & non improbos.* Libellus eſt, qui inſcribitur, *Fides Judæorum*; in eo ſcriptum habetur: *Videtur, quod non ſint reſurrecturi niſi omnes juſti, & quidam improbi.* Hæc quicunque leget, non mirabitur Chryſoſtomum, cur ſcripſerit, dogma de reſurrectione in Vet. Teſtamento ignoratum fuiſſe. Hoc ſcribit concione prima de Lazaro. Credo, quia non habuerunt definitam de hoc articulo ſententiam, ut hodie. *De reſurrectione*, inquit, *non potuit philoſophari* (eccleſia illa) *eo quod non adveniſſet tempus hujuſmodi dogmatum: Sed hujus vitæ res credebat ſine terminari.* Redeo nunc ad Davidem, quem nonnulli interpretantur hoc loco; *non conſiſtent*: nam perſiſtit (ſic illis videtur) in metaphora, qua improbos cum gluma & acere comparavit. Eam disjicit ventus, non item grana, quæ in area manent. Similiter improbi, ſimul ac flaverit ventus judicii divini, illico profligantur. Sic dico, ut gluma à vento diſpellitur, ſic reprobi in judicio divino non conſiſtent. Nah. 1. 6. מי יקום בחרון אפו *Quis conſiſtet in excandeſcentia iræ ipſius?* Vidi etiam, qui redderent, *non ſtabunt*: ut ſit tralatio à foro ſumpta, ubi *cadere* dicuntur cauſſa, qui eam amittunt.

In judicio] Ebræa ſonant, ut ſi dicas; ἐν τῇ κρίσει. Chaldæus enarrat; *in die judicii magni.* Scholia vero Camii; *in die mortis*: nam tunc etiam judicium, ut ajunt, de cujuſque factis, dictis, cogitatis exercetur.

Novit viam juſtorum] i. probat, & quia probat, ideo non perit, ut via improborum. *noſſe* autem pro approbare ſumitur apud Apoſtolum; *quod facio non novi*: & in Euangelio, *non novi vos.* Licet aliter exponere, ut hoc dicat; curæ *DOMINO* ſunt juſti, eorumque actiones remuneratur, & recte agentes præmio afficit; novit enim, & quia curat, rationemque habet, ut ibi, *non eſt, qui me novit*: & Pſal. 144. 3. *Quid homo, ut nôris eum?* idem dicitur verbis *meminı* & *viſito*, Pſal. 8. Hujus loci eſt Exod. 3. 7. *novi ejus dolores.*

Via improborum peribit] Improbi, ait, non ferent præmium actionum ſuarum aliud, præter interitum & damnationem æternam.

Peribit] Ut *arbor defluere* foliis, cum ejus folia defluunt: ſic *via perire* dicitur, cum illi pereunt, qui eam inſiſtunt. Idem ergo dicit, quod infra 2. 12. *& peribitis via.* Aut *perire* dicitur, quia pereuntes facit homines. Simile, ut cum mors dicitur palleſcere: nam pallidos homines facit.

PSAL. II.

SUnt è veteribus, ut diſerte hic Camius notat, qui hunc Pſalmum unum faciant cum primo. Verba Camii ecce ut ſonant Latine. *Partim doctorum noſtrorum aſſerunt, BEATUS VIR; & QUARE FREMUERUNT, unum Pſalmum eſſe: Item dixerunt, omnes ſectiones, quas David charas habet, incipit ab ASRE, & claudit in ASRE, qualis eſt hæc ſectio, cujus initium, Beatus vir, & clauſula, Beati omnes, qui eum ſperant.* Hæc ille: quæ conſonant cum verbis Hieronymi Commentar: in hunc Pſalmum. *Apud Ebræos & primus & ſecundus unus eſt Pſalmus: quod in Apoſtolorum Actibus comprobatur. Denique quia à beatitudine cœperat, in beatitudinem deſinit, dicens: Beati omnes, qui confidunt in eum.* Scribit eadem Euthymius Monachus Zigabenus: *Sunt*, inquit, *qui hunc Pſalmum cum ſuperiore conjungendum putant, atque illinc maximè probationis vires ſumunt; quod Beatus David à beatitudine exorſus in beatitudinem deſinat.* Quod locum attinet ab Hieronymo ſupra citatum, is habetur Actor. 13. 33. Ubi Græca aliquot exemplaria excuſa, ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ: & nonnulla Latina, teſte Beda; *ſicut & in primo Pſalmo ſcriptum eſt.* Porro citatur ibi teſtimonium ex hoc Pſalmo, quem hodie conſentientibus libris, in ordine ſecundum numeramus. Hilarius quoque commentario in hunc Pſalmum apud Lucam legit, *in Pſalmo primo*, aitque credi, errore ſcribentium fieri, ut in ordine ſecundus numeretur, cum primus eſſe, ipſo doctore Gentium teſtante, noſcatur. Eo tandem labitur, ut dicat; *ſecundum Ebraicam cognitionem & fidem, Pſalmum hunc primum eſſe, qui tranſlatorum diſtinctione ſecundus ſit.* Vide ſodes Annotationes Eraſmi ad illum locum. Scholion eſt apud Græcos, de his duobus Pſalmis, ἐν ἑβραϊκῷ συνημμένοι.

1. *Quare tumultuantur gentes & populi meditantur inania?*

2. *Conſiſtunt Reges terræ & principes conſultant ſimul, adverſus DOMINUM & adverſus unctum ejus.*

Quare tumultuantur gentes] vel *tumultuatæ ſunt*, quod olim Aquila dixit: ἱνατί ἐθορυβήθησαν ἔθνη. nam θορυβοῦμαι *tumultuor*: idem videlicet quod θορυβῶ. Vera interpretatio. Prius erat ἐφρύαξαν. Lexic. Vet. φρυάσσω *fremo*. uſitatius eſt φρυάσσομαι. à Suida exponitur ἐταράχθησαν, *turbatæ fuerunt.* In Lexico Heſychii, ἐφρύαξαν, συνήχησαν. forte legendum, συνήχθησαν. unius literæ additione. Niſi ſcripſit συνήχησαν *conſonant*, *reſonant*, à συνηχέω. Scholia Ebraica רגשו *congregantur, coeunt frequentes, ſocietatem ineunt.* Symmachus, ἵνα τί ἔθνη κυκᾷ. *Quid turbantur gentes?* Hinc forte Hieronymus, *Quare turbantur gentes?* Lexic. Heſychii, κυκᾷ, ταράσσει. Dicitur & κυκέω.

Tumultuantur] Tumultuarie coeunt. ab hoc verbo nomen eſt Pſalm. 55. 16. quod ſtrepitum ſignificat. Solent autem, qui tumultuarie conveniunt, ſtrepitum edere.

Gentes] alienæ à fœdere.

Et populi] Tribus Iſrael. Sane Hieronymus vertit, *& tribus.* Prius Aquila ediderat καὶ φῦλα i. *tribus* vel *nationes.* nam φῦλον utrumque ſignificat. Uſitatius autem tribus φυλὴ dicitur. Lxx. καὶ λαοὶ לאמים. ideo prætulerim, *& nationes*; ut לאום ſit *natio*, & עם *populus*, & גוי *gens.* Docti expendent.

Meditantur inania?] Eſt cur malim, *loquuntur inania* i. res inanes & vanas, & quæ nullum effectum ſortientur, ut cum dicunt: *Abrumpamus vincula eorum* &c. Sane Aquila hic edidit φθέγξεται, & verbum Ebræum utrumque ſignificat. Vide quæ ſcripſimus ſupra Pſalm. 1. v. 2.

Meditantur]. יֶהְגּוּ *meditabuntur.* Ita Ebræi, Hieronymus. Meo judicio uſurpat futurum pro præſenti, ut ante præteritum uſurpavit: nam uſitata eſt apud Ebræos Enallage. Græci maluerunt ἐμελέτησαν, *meditati ſunt.* Cave damnes: nam idem tempus uſurpant & pro præterito: præſertim ubi ſubjicitur verbis præteritis.

Inania] vel *inane.* Sed ריק magis ſonat *inanitatem.* Aquila tranſtulit κενῶς i. *vane, inaniter*, acſi eſſet רֵיקָם. Forte ריק poſitum pro לריק: quis hoc negare auſit: nam ellipſis τοῦ ל inſolens non eſt. Sic בָּמָה pro לְבָמָה.

Conſiſtunt] i. συνίστανται. quomodo Symmachus olim vertit. Prius erat, παρέστησαν, quod reddunt *adſtiterunt.* Malim ego; *ſtiterunt, ſiſtunt ſe.* Nam παριστάω ſive παρίστημι *ſiſto*; ut Act. 23. 33. παρέστησαν τὸν Παῦλον ἡγεμόνι. *Adſto* autem id eſt παρίσταμαι. Hiero. *conſurgent*, יקומו, minus placet. Porro *ſiſtent* i. ſtare facient. *Stare adverſus aliquem*, nota phraſis eſt. Sic Græci dicunt συνίσταμαί σοι, *ſto a partibus tuis.* Jam vero qui neſcit, *ſtare* pro *pugnare* uſurpari, adeat libros Obſervationum mearum.

Reges terræ] Qui in terra regnum obtinent.

Et principes conſultant ſimul] Lxx. καὶ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *Et principes convenerunt ſimul* i. נוסדו, Hieron. *tractabunt pariter.* Symmachus, καὶ ὕπαρχοι συνεσκέπτοντο ὁμοθυμαδὸν, *& præfecti conſultant unanimiter.* Proprie συσκέπτομαι *una delibero*, ſive *conſulto.* Nam σκέψις, *conſilium, conſultatio, deliberatio.* Alioqui σκέπτομαι, *circumſpicio, diſpicio, perpendo.*

Principes] רוזנים *principes* i. שרים. Sic Ebræi quoque interpretantur. Gorionides tamen utrumque in Hiſtoria ſua conjungit; ut videantur alii eſſe שרים *principes*, & alii רוזנים, quos nonnulli *conſiliarios* vocant. Chaldæus hoc loco reddit שִׁלְטוֹנַיָּא, unde *Sultani* nomen. Mihi non diſplicet interpretamentum Symmachi, καὶ ὕπαρχοι i. *rectores provinciarum* aut *ſatrapæ.* Proprie, οἱ ὑπὸ βασιλεῖ ἄρχοντες, cujuſmodi ſunt vicarii regum, quos *locum tenentes* vocant. Sed & *præſides* denotat, qualis erat Pilatus procurator Judææ, qui una cum rege Herode conſpirabat contra DOMINUM atque ejus Unctum.

Conſultant]. *conſilium ineunt.* In נוסדו Metaphora eſt ab ædificiis. Nam יסוד *fundamentum.* unde ad conſilia transfertur. Sic alibi, *Quoniam fundamenta deſtructa ſunt* i. leges aut conſilia. Ut ſignificet, conatus conſiliorum irritos fuiſſe; aut, nullum conſiliu amplius locum eſſe; nam conſilia ſunt in actionibus, quod fundamenta in ædificiis.

Unctum ejus] Unctus Ebraice *Meſſias*, Græce autem *Chriſtus* dicitur. Quo nomine & reges veniunt; & aliquando Sacerdotes. Peculiariter autem *unctus* vocatur *Chriſtus DOMINI*, ſimul & rex, & ſacerdos, nec non propheta. De quo hunc Pſalmum enarrant, teſte R. Salomone, doctores Ebræorum.

3. *Dirumpamus vincula ipſorum & abjiciamus a nobis funes denſos ipſorum.*

Dirumpamus vincula ipſorum] Vis in hoc ſermone. Ut, ſi diceret: *Excutiamus jugum ipſorum. Jugum* autem *excutere* dici-

dicitur, qui detrectat imperium, nec ſubeſſe amplius vult dominio regis aut principis ſui. Transfertur inde ad religionem. Unde, *Jugum meum leve eſt*: &, *jugum cæli.*

Vincula ipſorum] Nam boves ad jugum vinculis alligantur.

Funes denſos ipſorum] quibus jugum ipſorum hactenus traximus. Cum autem *funes denſos* dicunt, videntur innuere, jugum illud grave admodum fuiſſe: nam talia juga funes denſos requirunt. Hanc ſententiam non expreſſit ille, qui vertit: *funes ipſorum*, ſimpliciter. Minus Hieronymus, in quo lectum non *Funes*, ſed *Laqueos ipſorum.* Græci quoque ad ſenſum non optime, τὸν ζυγὸν αὐτῶν, *jugum ipſorum.* Nam plus dicunt Ebræa verba.

4. *Sedens in cælo ridet, DOMINUS ſubſannabit eos.*

Sedens in cælo ridet] Sic alibi, *Tu DOMINE rides eos, ſubſannas omnes gentes.* & Pſalm. 37. 13. *Dominus ridebit eum, cum videbit adveniſſe diem ejus.*

Sedens in cælo] vel, *qui ſedet in cælis. Sedere* autem dicitur Deus, quum ceu judex pro tribunali ſedet jus dicturus. *Sedens* ergo i. præſidens. Sic alibi, *Sedes in ſolio judex juſtus.* Scivit hoc Hieronymus. Nam Pſalm. 55. 20. pro *qui ſedet:* vertit, *qui judex eſt.* Quanquam nunc edidit *habitator cæli*, Græcos autores ſecutus, in quorum verſione ὁ κατοικῶν. *Sedere* enim & *habitare* ſignificat. Quod tritum adeo, ut nihil ſupra. Ebræi his locis interpretantur, *qui ſedet, qui permanet.* Addit R. David, quod tamen verum non eſt, ita ſemper ſignificare, quando de Deo dicitur. Gallica editio poſterior, *qui reſidet* i. aſſiduus ſedet, quadrat cum expoſitione Judæorum.

Ridet] ridet conatus & conſilia ipſorum. Græci hic legunt, ἐκγελάσεται αὐτούς. Quod interpretantur, *irridebit eos*, In Theſauro linguæ Græcæ ἐκγελάω: *riſum effundo* ſive *emitto, in riſum erumpo.* in lingua Belgica, Uemant uitlachen / eſt cum riſu ſive ridendo aliquem explodere.

Dominus] Non eſt tetragammaton, ſed *Adonái* quod unum ex nominibus Dei; ideo ſcripſi per majuſculum D. in principio, atque hoc deinceps facturus ſum, ſi Deus volet, quoties nomen illud occurret.

Subſannabit eos] Verbum a ſannis deductum; eſt autem *ſanna* genus irriſionis, quæ fit diſtorto ore & labiis contractis dentibuſque retectis: vel cum dentium anteriorum oſtentatione, ut ſcribit Hieronymus. An eadem ſit ratio nominis לַעַג, quod *ſannam* reddunt, & a verbo, quo David hic uſus eſt, deducitur, neſcio: hoc ſcio; ſchema eſſe in his verbis, quod ἀνθρωποπάθειαν vocant. Nam Deus neque ridet neque ſubſannat. Humano autem more ridere dicitur eos, quos contemnit, vel quos ridendos aliis propinat. Græca editio, ἐκμυκτηριεῖ αὐτούς *naſo eos ſuſpendet.* Nam μυκτὴρ *naris.* ab eo μυκτηρίζω, &, quod idem, ἐκμυκτηρίζω. Sic forte γελάω & ἐκγελάω, quanquam præpoſitio vim aliquam ſignificationi addere videtur.

5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua & excandeſcentia ſua conturbabit eos.*

Tunc loquetur ad eos] Aliqui Ebræorum explicant, *tunc perdet fortes eorum*; ut ſit verbum a *peſte* deductum, quæ דֶּבֶר appellatur. Sic 2 Paral. 22. 9. ותדבר את כל זרע הממלכה *Et delebit omne ſemen regni.* Jam vero legimus 2 Reg. 15. אֵילֵי הָאָרֶץ quod enarrant תקיפי הארץ, *fortes terræ.* Simplicior ac verior eſt vulgata verſio, quam ſolicitari nolim.

Ad eos] אלימו dixit pro אֲלֵיהֶם, quemadmodum עלימו dicimus pro עֲלֵיהֶם, *contra eos.*

In ira ſua] Cujus tanta vis eſt, ut nemo eam ſuſtinere poſſit. Nah. 1: 6. Quid autem ſit ira Dei, ſignificat Auguſtinus per hæc verba: *Ira Dei non perturbatio animi ejus eſt, ſed judicium, quo irrogatur pœna peccato.* De Civit. Dei Libr. XV. cap. XXV.

In excandeſcentia ſua] Secutus ſum Græcos, qui hic legunt ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ. Nam θυμὸς, *excandeſcentia.* Conſulto autem abſtinui me a voce *furoris*, quam tamen hoc loco Hieronymus uſurpat; & apud Herodianum Politianus. Deterruit me, ut dicam, quod res eſt, illud Ciceronis: *Furorem autem rati ſunt mentis ad omnia cæcitatem.* Alio tamen ſignificatu uſurpant Scriptores Eccleſiaſtici, nempe pro θυμῷ. Hieronym. Epheſ. 5. *Furor eſt incipiens ira, & fervens indignatio.* Similiter in Stoicorum definitionibus legimus; θυμὸν eſſe ὀργὴν ἀρχομένην. Sed חָרוֹן alii *æſtum*; alii, *iram*; alii, *ardorem* interpretantur, & ajunt, inter nomina, quibus Ebræi ſignificant iram, quæ octo aut novem numerantur, nullum eſſe vehementius. Non ergo *ira* ſimpliciter; quod etiam conficitur ex Pſalmo 85. 4. Vide ſi placet. Scribenti hæc in mentem venit illud Horatii: *Ira furor brevis eſt.* Quod parum juvat Hieronymum, & alios furoris patronos. Nam *excandeſcentia* potius חֵמָה dicitur. Quid multis? *ira* חָרוֹן dicitur ab *ardore.* Nam חָרָה, *exarſit.* Proprie igitur *ira exardeſcens:* & legimus בחרון אפו *in ardore iræ ejus.*

Conturbabit eos] Ita Hieron. nec diſſident Græci, qui habent ταράξει αὐτούς. Senſus eſt: *attonitos reddet*, aut *celeriter conſumet eos*; ut Pſ. 90. 7. *conturbati ſumus*, id eſt, celeriter conſumpti. Idem verbum in Ebræo. Sed & in Græco ἐταράχθημεν. Placet magis; *attonitos reddet eos.* Aquila, κατασπουδάσει. *feſtinabit* ſive *feſtinanter aget.* Lexic. Vet. σπουδάζω. *feſtino, propero.* Idem κατασπουδάζω, quod & κατασπεύδω. Dubito an ediderit, κατασπουδάζει αὐτούς. tum vertendum putarim: *præcipites aget eos.* Sic Cohelet 5. 1. אל תבהל על פיך *Ne præcipites os tuum. Atqui ego ordinavi regem meum ſuper Sion, montem meum ſacroſanctum.*

Ordinavi] vel, *inauguravi.* Verbum eſt נָסַכְתִּי de quo interpretes non idem omnes ſentiunt. Græci LXX. accipiunt ἀνεπιστάθως, ut ſumitur Proverb. 8. 23. ἐγὼ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ, *ego conſtitutus ſum rex ab eo.* Nam legerunt, ut apparet, מַלְכּוֹ *rex ejus.* Ebræi accipiunt ἀναπτάθως *ego conſtitui regem meum.* Proprie, *conſtitui principem.* Nam petita hæc ſignificatio a nomine נְסִיכִים, quo *principes* innuunt. Sed alii aliunde petunt. נסך inter cætera etiam *fundere* notat. Quoniam autem oleum, quo reges inungebantur, ſuper caput ipſorum fundebatur, ideo vertunt: *Ego autem unxi regem meum.* Sic Hieronymus, in quo Symmachum æmulatus eſt, qui verterat, κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου. Aquila interpres, itemque auctor editionis, quam quintam vocant, καὶ ἐγὼ διασάμην τὸν βασιλέα μου. Quid hic διασάμην? Scire licet δίασμα eſſe *licium.* Ita ſumptum in Editione Vulgata Judic. 16. 13. ubi in fonte eſt מַסֶּכֶת, nomen a verbo, de quo nunc agitur. Ergo διάζομαι *licio circumdo.* Forte *diadema* ſignificat; nam erat *candida faſcia*, quam a Libero Patre inventam Plinius notavit. Lexicon Vet. διάζεται *orditur.* Joſ. 21. 7. וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה Editio Latina Vet. *Et telam, quam orditus eſt.* Rurſum Jeſ. 30. 1. וְלִנְסֹךְ מַסֵּכָה eadem Editio, *Et ordiremini telam.* Non dubito, quin interpretum aliquis veterum his in locis uſus fuerit verbo διάζεσθαι, quem Hieronymus, ut ſolet, poſtea ſecutus ſit. Auctor VI. Edit. κἀγὼ διέχευσα τὸν βασιλέα μου. Quid legit, cum ita verteret?

Regem meum] Qui ex me rex eſt. Aut, quem ego regem mihi proſpexi. Vide 1 Sam. 16. 2. Alibi, *Rex meus*, qui me regit, ſive, qui jus regium in me obtinet. ut ibi, *Deus rex meus a ſeculo. Vult dicere*, inquit R. David, *qui regnat ſuper me.*

Super Zion] Nomen eſt montis in quo arx erat, quam primus expugnavit David rex, cum teneretur a Jebuſæis, ideo vocata fuit *civitas David.* Hic mons priſco nomine vocabatur *Moria*, ut quidam volunt. Alii dicunt, *Moria* nominari collem alterum montis Sion, in quo templum poſtea extructum fuit: erat enim mons iſte bijugus, & figura ſive typus Eccleſiæ, quam hoc loco præcipue intelligit.

Montem meum ſacroſanctum] Hoc adjecit propter arcam, quæ *Sanctitas DOMINI* nuncupatur. Porro in Ebræo ad verbum: *ſuper montem ſanctitatis meæ.* quaſi diceret: in quo ſanctitas mea habitat, quod idem cum illo; *in quo ego habito.* Sane Arca, *Dei* appellatione venit; nec injuria; nam erat ſymbolum præſentiæ divinæ in terra.

7. *Narrabo ex ſtatuto, DOMINUS dixit mihi: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Ex ſtatuto] vel *de more.* ac ſi diceret; ſæpe narravi, iterumque narrabo, & quaſi morem ſolennem narrationis inſtituam. Alii; *Narrabo ſtatutum.* Eſt apud me Venetum exemplar, quod in quarto folium complicat, in ejus margine ſcriptum reppeti אֵל per (e) longum, ut videri poſſet diverſa olim lectio fuiſſe in hoc loco, de quo dubitare nos non ſinunt interpretes priſci ævi, qui, ad unum omnes hanc poſtremam lectionem ſecuti ſunt. Quanquam illi adverſatur ordo verborum, qui in Ebræo: Nam eſſet potius; חק אֵל *decretum Dei.* Si hoc movit Maſſoritas, cur legerint אֶל per ſegol? Seniores tamen referunt; τὸ πρόσταγμα κυρίου i. *præceptum DOMINI.* Hieronym. quoque, *Dei præceptum*, & Theodotio, ἰσχυροῦ πρόσταγμα i. *Dei fortis.* ut Pſalm. 22. אֵלִי אֵלִי ἰσχυρέ μου, ἰσχυρέ μου. Auctor VI. Edit. καταγγέλλων εἰς θεὸν διαθήκην. Alius ἀνώνυμος, ἀναγγέλλων ἰσχυροῦ ἀκριβασμόν. *Annuntians Dei exactam præceptionem.* Videtur eſſe interpretamentum Aquilæ. Prov. 8. 29. ἐν τῷ τιθέναι τῇ θαλάσσῃ ἀκριβασμὸν αὐτοῦ. *cum poneret mari exactam limitationem.* Quæ tamen verba deſiderantur in Editione Rom. Forte olim addita fuerunt ex Aquila, de quo dixi. Utrobique eſt חק in textu Ebræo. Ibid. v. 27. בְּחוּקוֹ, Aquila, ἐν τῷ ἀκριβάζειν. Valde hoc firmat conjecturam meam.

Filius meus es] Aliquis dicitur *filius Dei* tribus modis; natura, imitatione, dignitate: *Natura*, ut Chriſtus; *imitatione*,

tione, ut omnes pii; ex quo illud, *Quotquot eum receperunt, dedit iis poteſtatem filios Dei fieri.* R. David ad hunc locum; *Omnis, qui obtemperat Deo, colendo eum ut oportet, vocatur filius ejus. Dignitate*, ut reges, qui cum imperio ſunt: item Angeli. Secundum modum accommodant ad Davidem. Ego tertium ei potius convenire exiſtimarim, propter ſequentia; cum ſemper fuerit religioſus Dei cultor.

Ego hodie genui te] i. genitum eſſe declaravi, ut *Hodie* referatur ad tempus illud, quo Chriſtus a mortuis reſurrexit: tunc enim declaratus fuit verus Dei Filius eſſe. *Gignere* igitur non eſt *a mortuis excitare*, ut quidam volunt, ſed eum, quem ab æterno genueris filium tuum in tempore *declarare atque omnibus patefacere.* Vid. Act. 13. 30. & 33. ubi illud *Hodie* Apoſtolus refert ad diem reſurrectionis. Quidam explicant *hodie* i. ab æterno. Nam ſymbolum, inquiunt, eſt æternitatis, in qua perpetuum hodie nullo initio inchoatum, nullo fine concluſum. Alii, *genui te*, interpretantur, naſci feci te & produxi ſine ſemine humano de Virginis ſubſtantia. *Gigni* enim dicitur & quod in lucem novo quodam modo profertur, ut Ebræi obſervant. Sunt etiam, qui de Davide hæc dicta proprie accipiunt, & innui tempus illud putant, quo is unctus fuit a Samuele, vel potius, quo conſtitutus fuit rex in Sionem; nam tunc, quaſi de novo, genitus fuit a Deo; dicitur enim is *gignere*, quando, itidem ut parentes, lucis dat fruendæ copiam. Itaque genuit Iſraelem, cum eum ex Ægypto educeret.

Genui te] ילד magis ſonat *peperit*, quam *genuit*, quod הוליד. Sic Homerus ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς: & Cæcilius apud Nonium: *Chalcis ait hic vicinus ſe eas peperiſſe nobis.* Quale & illud, *Oenei partu edita.* Conſule ſis quæſtiones meas.

8. *Poſtula a me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.*

9. *Conteres eos virga ferrea, tanquam vas figuli comminues eos.*

Dabo gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem] Latine, *Dabo tibi gentes in hæreditatem, & in poſſeſſionem.* Elegans locus de vocatione gentium, nam ad ſolum Davidem ea reſtringere jejunum eſt. Quanquam ille pleraſque gentes vicinas imperio ſuo adjecerit.

Et poſſeſſionem tuam] Poſſeſſio proprie נחלה dicitur. Hic eſt אחזה in Ebræo. Vox a retinendo dicta. Non ergo quælibet poſſeſſio, ſed ea tantum quæ à Græcis κατοχὴ dicitur. Seniores κατάσχεσιν vocant: qua voce uſi ſunt & Euangeliſtæ. Quid autem differant κατοχὴ *retentio*, & νομὴ, quam proprie *poſſeſſionem* vocant, docet Jacobus Curtius εἰκασῶν libr. 1. cap. 11. & libr. 2. cap. 1. Antonius Cevallerius, qui me in his literis erudivit, quem honoris & amoris cauſa nomino, אחזה vertebat, *fundum*. Eſt autem fundus, ager cum ædificio. Sunt etiam, qui omnem poſſeſſionem a Græcis κατοχὴν vocari dicunt, inde ſumpta origine, quod, quæ a nobis poſſidentur, ea in noſtra tenemus poteſtate; vel, quod, ſi qua ex communibus nobis incipiunt propria fieri, illa obtinere vi quadam videamur: vel quod, quæ noſtra ſunt, non niſi per vim nobis poſſunt eripi. Nam certe τὸ κατέχειν violentum quiddam ſonat.

Fines terræ] vel *terminos terræ*. Sed *terminus* גבול dicitur. אפס autem eſt finis rei, ultra quem nihil eſt: id quod אפס proprie ſignificat. Græce eſt τὰ πέρατα τῆς γῆς. Lexic. Vet. πέρας. *terminus*, *finis*.

Conteres eos] Vel *confringes eos.* id nunc legunt תרעם, cui firmando eſt membrum, quod ſequitur. Olim aliter. Nam in Lxx. αὐτοὺς ποιμανεῖς; & apud Hieronymum, *paſces eos*, i. תרעם aliis vocalibus. Sciendum autem, notas illas, quibus hodie vocalium loco utimur, raro aut nunquam adſcriptas fuiſſe: hoc juxta mecum ſciunt, qui triverunt Hieronymum. Ceteris adducam unum locum fidei meæ cauſa. In Epiſtola ad Euagrium ait, *Nec refert, utrum Salim, an Salem nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Ebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba, diverſis ſonis atque accentibus proferantur.* Hæc, quæ ad ſenſum verborum Davidis minus pertinent, ſupervacanea fortaſſe videbuntur, ſed aliena non ſunt; nam eo ſpectant, ne quis miretur, cum idem verbum non eodem modo veteres declaraverint.

Virga ferrea] i. duriter ac ſevere. Proverbiale. Aut, *virga ferrea* i. gladio. Sic explicant R. Salomo & Abraham Ezræ filius, qui Sophus cognominatur. Sic Mich. 5. 6. *& paſcent terram Aſſur gladio.* Quod ibi *gladio*, hic dicit, *virga ferrea.* pro quo alii repoſuerunt, *Sceptro ferreo.* eodem redit. Nam virga & poteſtatis inſigne & verberationis inſtrumentum eſt.

Tanquam vas figuli] Similitudo proverbialis de irreparabili clade: nam figulini operis vas, ſi ſemel confractum fuerit, iterum refici nequit. Uſus eſt hac eadem ſimilitudine Propheta Jeremias. Vide ſodes Proverbia mea. Ceterum Græca Exemplaria hic variant. Nam quod in aliis ὡς σκεῦος, in aliis legitur ὡς σκεύη *tanquam vaſa.* Quod ediderunt legentes כְּלֵי pro כְּלִי, aliis punctis vocalibus.

Comminues eos] i. συντρίψεις αὐτούς, ut habet Editio Lxx. Senum, quod tamen reddunt, *confringes eos.* Auctor operis imperfecti in Matthæum, diſcrimen ponit hujuſmodi: *Aliud confringi, & aliud comminui: quod confringitur, aliquid remanet de eo, quum fuerit fractum: quod autem comminuitur, minutatim quaſi in pulverem convertitur, & nihil invenitur ex eo.* Hæc ille ad locum: *Qui ceciderit ſuper eum, confringetur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet eum.* Lex. Vet. συντρίβω *concutio*, *contero* &c. Verbum eſt תנפצם in Ebræo. Quod Hieron. interpretatur, *conteres eos.* Et alius; *diſſipabis eos.* Dicitur autem ubi confractæ comminutæque partes diſſipantur huc illuc diſſilientes, ut fieri ſolet in fractione fictilium. Aquila, προσρήξεις αὐτούς i. *allides eos.* Nam προσρήγνυμι, ſive προσρηγνύω *allido.* Pſalm. 137. 9. ונפץ Hieron. *allidet* i. προσρήξει.

10. *Nunc ergo Reges intelligite, erudimini Judices terræ.*

11. *Servite DOMINO in timore, & exultate cum tremore.*

Nunc ergo] Quaſi dicat; *Nolite differre in aliud tempus.* Hic valet illud: *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* & illud: *Nocuit differre paratis.*

Reges] Reges terræ, de quibus ſupra.

Intelligite] Quod eſt σύνετε in Lxx. nam Aq. convertit: ἐπιστημώθητε, *ſcientes eſtote.* Verbum fictum ex nomine ἐπιστήμη *ſcientia.* Unde & ἐπιστήμων *ſciens*, *gnarus*, *peritus.* Thema eſt ἐφίστημι *appono*, *admoveo*, *adhibeo.* Sirach. 12. 14. ἐπίστησον τὴν ψυχήν σου, *adverte animum.* Quod alii dicerent ἐπίστησον τὴν διάνοιάν σου. ergo ἐπιστήμων *un homme arreſté.* ut verti poſſit ἐπιστημώθητε *ſoyes arreſtés.*

Erudimini] Sinite vos erudiri. παιδεύθητε *admittite diſciplinam.*

Judices terræ] i. qui terram judicatis, regitis, regnaque & reſpublicas gubernatis.

Servite DOMINO in timore] Hic *timorem* poſuit pro *reverentia*, quæ non abhorret a ſocietate gaudii, quin una ferme ſunt; nam quem reveremur, ei libenter inſervimus. Proinde legimus Pſ. 100. 2. *Servite DOMINO cum lætitia.* Duplex igitur timor, *Unus qui ex metu oritur*, qui ſemper habet comitem juſtitiam. *Alter qui ex reverentia manat*, qui optime convenit cum lætitia.

Servite DOMINO] vel, *colite DOMINUM.* Verbum עבד utrumque ſignificat.

Exultate cum tremore] *Exultat* qui nimio gaudio geſtit; *tremit*, qui nimio timore corripitur. Nam tremor timorem arguit. Quomodo iſta ſimul eſſe poſſunt? Dicam. Alio reſpectu homo exultat, & alio idem contremiſcit. Exultat, quod ei, cui favet, bene ſit; contremiſcit, quod aſpiciat perſonam tremendam. Porro, tremenda regum majeſtas. *Exultate* igitur ob ſucceſſum Filii, & *contremiſcite* ad ejus majeſtatem, qui ſimul & rex & Deus ſit. Macarius homilia 15. οἱ δὲ εἰσερχόμενοι τῷ λογισμῷ εἰς τὸ βῆμα τοῦ Χριστοῦ, ὅπου ἐστὶν ὁ θρόνος αὐτοῦ, καὶ κατέναντι αὐτοῦ διὰ παντὸς ὄντες ὑπὸ φόβον καὶ τρόμον εἰσὶν ἀεὶ, τοῦ μήποτε σφαλῆναι περὶ τὰς ἁγίας αὐτοῦ ἐντολάς.

12. *Oſculamini Filium, ne quando iraſcatur & pereatis via; quoniam exardeſcet perbrevi ira ejus. Beati omnes qui ſperant in eo.*

Oſculamini Filium] Quid viderunt Senes, cum verterent: δράξασθε παιδείας? an legerunt נשאו pro נשקו? Sic apparet. Chaldæus quoque vertit: קבלו אלפנא *recipite doctrinam.* In Sanhedrin cap. XI. אין בר אלא תורה שנאמר נשקו בר פן יאנף. Sed tamen בר non ſignificat παιδείαν. Ergo Aquila repoſuit καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, *oſculamini electe.* & Symmach. προσκυνήσατε καθαρῶς, *adorate pure.* Quod poſtremum ita placuit Hieronymo, ut illud ceteris prætulerit ac editioni ſuæ antiquæ inſeruerit. Idem Apologia prima adverſus Ruffinum, quod poſuerat *adorate* pro *deoſculamini*, tuetur ac defendit per hæc verba: נשקו *verbum è verbo ſi interpreteris*, deoſculamini *dicitur: quod ego nolens transferre putide, ſenſum magis ſecutus ſum, ut dicerem*, adorate; *qui enim adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere (quod ſe beatus Job elementis ac idolis feciſſe negat, dicens: Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare. Et lætatum eſt in occulto cor meum & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ iniquitas eſt maxima & negatio contra Deum altiſſimum). Et Ebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem, deoſculationem pro veneratione* po-

ponunt, *id tranſtuli quod ipſi intelligunt*, *quorum verbum eſt.* Hujus moris, quo Veteres uſi ſunt in adorando, meminere A-pulejus, & Minutius Felix, itemque Plinius lib. 28. cap. 2. Sed & Hieron. in commentariis ad hunc locum. Idem Hoſ. 13. *Qui adorant*, *ſolent deoſculari manum.* Vide ſis quæ ſcripſimus Obſerv. libro 1. cap. 20.

Oſculamini] Servi olim Dominos, & ſubditi reges ſuos deoſculabantur. Qui mos hodieque obtinet in India, ut Abenezra obſervat. Dabatur autem oſculum in ſignum obſequii, quod vulgo *homagium* vocant. Senſus ergo, ut ſi diceret: recipite hunc Filium pro Domino ac rege veſtro & præſtate ei obſequium fidemque clientelarem. Quod autem Hieronymus poſt Symmachum pro *deoſculamini* ſubſtituit *adorate*, ut dicam quod res eſt, non placet. Scio ſervis ſolitum oſculari manum Domini ſui, ſed hoc nihil juvat Hieronymum; nam ritus iſte mere civilis ſuit. Mos autem ille, quem in adorando ſervabant, longe alius erat. Ibi enim qui adorabat, non alienam manum deoſculatur, ſed propriam ori admovebat, ad oſculumque referebat.

Filium] Si dixiſſet בן, nulla eſſet ambiguitas: nunc, quum בר dixerit, jam poteſt reddi æque *purum*, aut *electum*, ac *filium*. Quod notatum in ſcholiis Ebræorum. Ceterum pro filio uſurpatur & Prov. 31. 2. Alioqui Syrum eſt magis, quam Ebraicum. Hieron. Zach. 12. *Bar filius appellatur*, *aut frumenti manipulus*, *aut electus*, *aut* οὖλος *criſpus.* Rurſum Apologia contra Rufinum. *Bar & filius dicitur*, *& electus ac purus*: &c. Vide Annot.

Ne quando iraſcatur] Pater an Filius? Græci ſupplent Κύριος, quod mihi non diſplicet. Quanquam alii malunt ad Filium referre. Fruatur unuſquiſque judicio ſuo.

Ne pereatis via] *Perire via* dicitur, cujus via perit: ſicut arbor *decidua foliis* nuncupatur, cujus folia decidunt: Sic *laceratus veſtibus* dicitur, cujus veſtes laceratæ ſunt: *raſus barba*, cujus barba deraſa eſt. Eſt tamen diſcrimen aliquod; nam arbor, cum folia decidunt, ipſa manet: homo, cujus via perit, ſimul & ipſe perit. Quidam expoſuerunt *in via*, in hoc *vitæ inſtituto* veſtro. ac ſi diceret; in hac rebellione ac contumacia veſtra. Alii, *in via*, *dum adhuc eſtis in via*, priuſquam ad metam conſiliorum veſtrorum perveniatis. Alii, *propter viam* i. vivendi rationem, quam inſtituitis. Sed ſciendum, deeſſe in Archetypo dictionem, cui apud Latinos (*in*) aut (*propter*) reſpondet.

Quoniam exardeſcet perbrevi] Vel, *quum exardeſcet paululum*: aut, *ſi exarſerit vel tantillum.*

Exardeſcet] Verbum in igne proprium, eleganter ad iram tranſtulit. Nam ira quaſi quidam ignis eſt. Fit enim inflammato corde, ideoque ciet humorem ardentiſſimum (bilem rubram videlicet) quo effuſo reliquus ſanguis inficitur, præterquam quod alias à ſpiritibus irati cordis accenditur: ſicut Virgilius de irato Hercule canit. Æn. 8.

Hic vero Alcidæ furiis exarſerat atro
Felle dolor.

Ob quam cauſam Damaſcenus *iram* eſſe dicit, *ſanguinis circa cor accenſionem.*

Qui ſperant in eo] Ita quondam Hieron. & patrum memoria Santes. Alii maluerunt: *qui ſe recipiunt ad eum.* Neſcio quem bene: nam in חסה ſignificatio *latendi cum fiducia & ſpe.* ſic dico, ſignificat latere ſub alicujus tutela ac præſidio eoque tegi ac abſcondi: quod in lingua Barbara *Alberger.* Græca Editio Vulgata οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτῷ, *confiſi aut freti eo.* Plura de hoc verbo alias.

PSAL. III.

1. P*Salmus Davidis cum fugeret à facie Abſolomi filii ſui.*

Pſalmus Davidis] Græci legunt τῷ Δαυίδ. Haud ab re: nam in fonte לְדָוִד quod explicant, ipſi Davidi à Spiritu dictatus, ſiquidem auctor Pſalmorum Deus, ſcriptor ſive compoſitor David. Scire licet, *auctorem* interdum pro ſcriptore dici, ut apud Aulum Gellium Lib. 1. cap. 11. *Auctor hiſtoriæ Græcæ graviſſimus Thucydides.* Quod cum ita ſit, nihil peccat, qui dicit, Davidem hujus Pſalmi auctorem eſſe. Non tam quid ab aliquo dicatur, quam quo ſenſu, videndum eſt. cave aliter accipias verba mea in quæſtionibus Lib. 1. quæſt. 23. *Pſalmus* τῷ *David cujus auctor David*: *pro quo Latine dici poteſt*: *Pſalmus Davidis.* Quæ præterea ibi notavi, non revoco; adhuc ſum in ea ſententia, ut exiſtimem (ל) iſtud expreſſum fuiſſe ab Euangeliſtis per (κατὰ) idemque eſſe κατὰ Ματθαῖον, atque id quod Ebræi dicunt, לְמַתַּי: pro quo Syrus tranſtulit דמתי i. Ματθαίου. Ut hic לְמַתַּי κατὰ Ματθαῖον; ſic alibi לְמִינָהּ κατὰ γένος. *ſecundum genus ſuum.* Vid. Gen. 1. 25.

Pſalmus] i. ψαλμός. ita LXX. alius, cujus nomen proditum non eſt, ᾠδή edidit. Sed differunt: nam ᾠδή i. שיר nos *canticum* dicimus. *Pſalmum* definit Euthymius, *carmen eſſe*, *quod cum Pſalterii inſtrumento profertur.* Nimis anguſte, ſiquidem aliis etiam inſtrumentis pſalli ſolitum, liquet ex Pſal. 148. & 149. Quin ſcriptum habetur Pſ. 98. 5. *Pſallite cum cithara & voce pſalmi*, i. cantici: hic perſpicue ψαλμός ponitur pro ᾠδή, quæ ore canebatur. Sciendum autem in fonte eſſe ultimo hoc loco non מזמור, ſed זמרה, quod eandem cum illo habet originem. nam utrumque à זָמַר derivatur.

Cum fugeret à facie Abſolomi] Quod Ebræi *fugere à facie alicujus*, id Latini dicunt, *fugere ab aliquo*, aut, *fugere aliquem*, ergo in hoc ſermone nomen *facies* redundat. Nam qui convertunt, *metu Abſolomi*, ſcire debent, *faciem* non ſignificare *metum* in hac lingua, *iram* quidem ſignificat, ſed non *metum*, quod ſciam.

2. *DOMINE quam multi ſunt adverſarii mei*, *multi conſurgunt adverſus me.*

3. *Multi dicunt animæ meæ*, *non eſt ſalus ei in Deo*, *Sela.*

Adverſarii mei] צָרַי Hieron. *Hoſtes mei* אֹיְבַי.

Multi conſurgunt] Ita Hieronymus. malim *inſurgunt*, quod Græce eſt πολλοὶ ἐπανίστανται ἐπ' ἐμέ.

Dicunt animæ meæ] Sequens verbum poſcit, ut exponamus, *de anima mea*, quod idem cum illo, *dicunt de me*, ut Sirach. 16. 15. τίς γὰρ ἡ ψυχή μου; *quis enim ego ſum?* Quo ſenſu legimus Gen. 20. 13. *Dic mihi*, *frater meus eſt* i. de me. Sic Pſalm. 91. 2. *Dicam DOMINO* i. de DOMINO. Quale illud Plauti Bacchid. *Immo ſi audias*, *quæ dicta dixit me adverſum tibi.* quod exponunt *de te*, vel *in te abſentem.*

Non eſt ſalus ei] Deus in quo ſpem ſalutis ponit, non ſervabit eum. Obſervant, *ſalutem* hic ישועתה dici, voce auctiore, quam ſit ישועה, quæ paſſim obvia: ergo exponunt; *illa ſalus.* q.d. nec in hoc ſeculo ſervabitur nec in futuro: actum eſt de illius ſalute penitus.

Ei] animæ. nam *anima* vox quandoque maſculina eſt, ut Jeſ. 32. 6. נֶפֶשׁ רָעֵב *anima famelica.*

Sela] Symmachus & Theodotio poſt LXX. διάψαλμα. Eſt autem διάψαλμα, ut Suidas ait, μέλους ἐναλλαγὴ *mutatio cantus.* Addit Heſychius, ἢ διανοίας ἢ δυνάμεως λόγου ἐναλλαγή. Vide ſis Euthymium præfatione in Pſalmos, & Iſidorum. Quinta Editio, διὰ παντός. Sexta, εἰς τέλος. i. לָנֶצַח. Sic Ebræorum quoque filii exponunt, improbante id Aben Ezra; cui placet, ut ſit dictio confirmandi, tanquam ſi dicas: *vere* aut *profecto*, vel, *ſic eſt ſane.* לָנֶצַח i. *in perpetuum.* Vulgo reddunt *in finem.* Quod priſci illi patres (pace illorum dictum hoc ſit) non certe intellexerunt. Aquila, ἀεί. Hieronymus Epiſtola 138. quæ Marcellæ inſcripta, hanc Aquilæ declarationem præ ceteris probat. Vide Annot. R. David, *Vocem Sela*, inquit, *plerique interpretum enarrant dicentes idem eſſe atque* לְעוֹלָם *in ſeculum*, *quomodo ſane utimur nos Judæi in precibus noſtris. Ego autem dico*; *dictionem eſſe nihil ſignificantem*, *dictam* παρὰ τὸ סלל *elevo*: *nam hac quaſi nota indicabant*, *elevandam intendendamque eſſe vocem.* Quod ſi verum, mirum, cur non ſcripſerint סֶלָּה *Sella*, (ל) geminato. Clauſula erit, ſi notavero, hoc verbum non inveniri niſi apud Davidem & in cantico Habacuci, ubi Quinta Editio Ebraicum *Sela* retinuit.

4. *Atqui tu DOMINE clypeus es circa me*, *gloria mea*, *& extollens caput meum.*

Clypeus es circa me] Plus eſt quam ſi dixiſſet, *clypeus meus.* nam clypeorum alii partem corporis tegunt, alii totum corpus muniunt. *Tu autem mihi es*, inquit, *vice clypei*, *qui me undiquaque tegit ac munit.* Alioqui clypei vox uſurpatur in ſignificatione præſidii & protectionis Pſal. 18. 3. *Clypeus meus & cornu ſalutis meæ*, & 33. 2. *Auxilium meum & clypeus meus ipſe eſt.* rurſum Pſalm. 119. 114. *Latibulum meum & clypeus meus tu es.* Item Gen. 15. 1. *Ne timeas*, *Abraham*, *ego clypeus tuus ſum*: ubi Vetus editio Latina, *protector tuus.*

Gloria mea] Auctor gloriæ meæ, ſive, qui me evexiſti ad gloriam; vult dicere, ad dignitatem regiam: nam *gloria* nuncupatur majeſtas regum, vel ipſum regnum. Unde *veſtis gloria* pro regia. Eſth. 14. 2. καὶ ἀφελομένη τὰ ἱμάτια τῆς δόξης αὐτῆς. Latina Vetus: *cumque depoſuiſſet veſtes regias.* Sic acceperim Matth. 6. 29. *Nec Salomo in omni gloria ſua.* Licet etiam exponere, *gloria mea* i. Deus meus, ut Pſalm. 106. 20. *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bovis.* Ebræus David, qui Camius cognominatur, conſtruit hunc locum ita:

Clypeus

Clypeus circum me, & gloria mea. Idem *gloria meæ* interpretatur *animæ meæ.* *Clypeus circa me & clypeus animæ meæ*, ac ſi diceret: Clypeus qui tegit corpus & animam meam.

Et extollens caput meum] Ex humilitate ſive dejectione, hoc dicit, quia ex infimo loco, ad altiſſimum regiæ dignitatis gradum fuerat à Deo evectus: nam *extollere caput* dicitur, qui aliquem ad honores perducit. Sirach. 11. 1. *Sapientia humilis extollit caput ipſius*, & ℣. 16. *& extulit caput ipſius.* Rurſum Sirach. 20. 11. *Eſt qui ex humilitate caput extollit.* Nec aliter ſumes Pſal. 27. 6. *Nunc extollit caput meum contra hoſtes meos*, & 110. 7. *Ideo extollit caput.* & 2 Reg. 25. 27: *Extulit caput Joachin regis Juda de carcere.* Hujus loci eſt & illud, Gen. 40. 13. *Intra tres dies extollet Pharao caput tuum*; Scholia Ebraica enarrant; *Qui extollis caput meum, qui facis, ut erecto vultu incedam, lætus ac hilaris.* Hujus contrarium, *Cur cecidit vultus tuus?* quod valet ac ſi dicas; *Cur triſtis adeo ac demiſſo vultu incedis?* Hinc intelliges, quid ſit Zachar. 2. 4. *Adeo ut nemo ſuſtulerit caput*, nam ſenſus: Adeo ut omnes capite demiſſo & in terram dejecto incederent. Eundem ſenſum habet Job. 10. 15. *Non levabo caput meum ſatur ignominia.* Hic eſt לֹא אֶשָּׂא in Ebræo, geſtus hominum miſerorum atque infelicium.

5. *Voce mea ad DOMINUM clamabo, & exaudiet me ex monte Sancto ſuo. Sela.*

Voce mea clamabo] ut hic *Voce mea clamabo*, ſic alibi; *auribus audietis, & oculis veſtris videbitis.* Figura eſt, quam Grammatici Pleonaſmum vocant.

Clamabo & exaudiet me] vel *clamavi & exaudivit me.* Sic Græci ἐκέκραξα καὶ ἐπήκουσέ μου. Poſſet etiam legi, *clamo & exaudit me*, ut dicat, quoties clamo, exaudit me.

Et exaudiet me] וַיַּעֲנֵנִי *& exaudivit me.* præt. pro fut. ſolens enallage Ebræis. Ad verbum, *& reſpondit mihi. Reſpondere*, dicere ſignificat quod rogatur, & aliquando *exaudire*, ut modo.

Ex monte ſancto ſuo] E cœlo ſive cœlitus. Sic alibi; *Quis habitabit in monte ſancto tuo?* aut, è Sione, ubi tunc Arca erat. Supra: *in Sionem montem ſanctum meum.* Quidam innui putant montem *Moria*, in quo templum poſt exſtructum fuit; ideo *mons DOMINI* vocatur, & *mons domus DOMINI*, & *mons domus*, ſimpliciter. Ut *mons DOMINI*, ſic *mons ſanctitatis DOMINI.* Aquila hic habet ἐξ ὄρους ἡγιασμένου αὐτοῦ. Qui locus plenius legitur apud Hieronymum, neſcio ubi. *Et exaudivit me ex monte ſancto ſuo tempore.* Sed ἡγιασμένου magis ſonat *ſanctificato.* *Mons ſanctificatus*, ita dicitur, ut alibi, *civitas ſanctificata*, pro *ſancta*; & apud Catullum, *mens juſtificata* pro *juſta.* Symmachus nihil variat à Lxx. niſi quod ἑαυτοῦ ediderit, ſi recte notatum in Edit. Rom. pro αὐτοῦ.

6. *Ego cubui & dormivi, experrectus ſum, quia DOMINUS ſuſtentat me.*

Cubui] שָׁכַבְ. *cubo dormiendi gratia.* idem κοιμῶμαι ſignificat, male igitur vertunt ex Græco ἐκοιμήθην, *dormivi*, cum ſequatur καὶ ὕπνωσα: nam ὑπνόω *dormio, ſomnum capio*, Lex. Heſychii, κοιμηθέντι, κατακλιθέντι, οἱ πάντες ὑπνώσαντι. Hinc lucem facies interpreti noſtro Deut. 6. 7. *Narrabis ea filiis tuis & meditaberis dormiens & reſurgens.* nam in fonte בשכבך, *cum cubabis*, ſive, *cum te ſomno dabis*, aut *ad ſomnum compones.* Quod Græci ibi dicunt κοιταζόμενος, *cum eris in cubili.* Sane dormiens non poteſt loqui de præceptis Dei aut meditari ea.

Dormivi, experrectus ſum] Proverbiale eſt, *dormit & expergiſcitur*, de eo qui vitam ducit vacuam omni cura. Sic infra *in pace ſimul cubabo & dormiam*, & Marc. 4. 26. *& dormit, & expergiſcitur.* Vide Proverbia mea.

Et dormivi] ואישנה. Hieron. *& ſoporatus ſum.* וָאִירָדֵם Aliud ſopor, & aliud ſomnus. Hic ישן dicitur; ille vero תרדמה quibus addi ſolet נִשָּׁה i. *dormitatio.*

Experrectus ſum] Evigilavi, expergefactus ſum.

Suſtentat me] Libri Græci vulgati, ἀντιλήψεταί μου, Vaticanum exemplar, ἀντελάβετό μου. Juſtinus in Dialogo ἀντιλαμβάνει μου. Eſt autem ἀντιλαμβάνομαι, *ſuſcipio, ſublevo, manum porrigo.* Verbum frequens in Sirachide.

7. *Non timebo myriades populi, qui circumcirca poſuerunt caſtra contra me.*

Myriades populi] vel *à myriadibus populi*, quod Græce legitur ἀπὸ μυριάδων λαοῦ. Senſus eſt, ab innumeris populis. numerus finitus pro infinito. Euſebius, [illegible]. Lib. 7. εἰώθαμεν ὀνομάζειν καθ' ὑπερβολῆς ἔμφασιν τὰ πολλὰ καὶ ἄπειρα, μυρία. Latini dicunt, mille & ſexcenta. Virgil. *Mille trahens alios adverſo ſole colores.* Terent. *ſexcentas perinde potius ſcribito jam mihi dicas.* Ad quem locum Donatus: *Perſpicere hinc liquet*, inquit, *conſuetudinem utriuſque ſermonis. Nam Apollodorus* μυρίας *dixit pro multis. Et ut apud Græcos* μυρία*: ita apud nos ſexcenta dicere pro multis, uſitatum eſt. Cicero, ſexcenta poſſum decreta proferre.* Hactenus ille.

Qui circumcirca poſuerunt caſtra contra me] *Caſtra* non eſt in textu Ebræo; uſurpant enim abſolute *ponere* pro eo quod eſt *caſtra ponere.* Virgilius *tendere* dixit, in illo: *Ferus hic tendebat Achilles.* i. tendebat caſtra. Ita enarrabis verbum שת Jeſ. 22. 7. & Job. 38. 11. Græci hic legunt: τῶν κύκλῳ ἐπιτιθεμένων μοι, *qui undique me invadunt*, vel *adoriuntur*, aut *impreſſionem faciunt in me.* Quod defendi poteſt: nam *ponere* & *dare* permutantur. Sic alibi; *Quia poſuit mihi ſemen pro Habel* i. *dedit.* Prius tamen verius, meo judicio.

Circumcirca] סביב *circum*, adverbialiter.

8. *Surge DOMINE, ſalvum me fac mi Deus, qui percuſſiſti omnes hoſtes meos maxillam, dentes improborum confregiſti.*

Surge] i. *agedum*, adverb. hortantis, aut *ſurge*, quia & ſedere videtur, cum quieſcit. ita *ſurgere* dicitur, quum ſe ad opus aliquod accingit.

Salvum me fac] σῶσόν με, ſerva me ſalvum & incolumem in hoc bello.

Qui] hic accipio כי pro אשר. Alii, *Equidem percuſſiſti.* Alii; *Quia percuſſiſti.*

Percuſſiſti omnes hoſtes meos maxillam] Id eſt εἰς σιαγόνα, quale illud; *victima collum percuſſa ſecuri*, nam in fonte לחי pro בלחי. Interpretamentum Hieronymi, *Percuſſiſti omnium hoſtium meorum maxillam*, eandem ſententiam continet. Nec male reddiderit, *Percuſſiſti omnibus inimicis meis malam.* Sic Comicus, Aſinaria. *Pugno malam ſi tibi percuſſero.* Significat autem pœnam cum ignominia atque dedecore conjunctam, proverbiale.

Maxillam] Lxx. ματαίως i. לשוא. Annotat quidam, in לחי apocopen eſſe pro לְחַיִּם ſicuti dicimus דַּל *oſtium*, pro דלת, & סַף pro כפא *ſolium.* Non perſuadet.

Dentes improborum confregiſti] Poteſt mala verberari, ſic tamen, ut dentes non lædantur. Sed tua alapa, inquit, etiam dentes improborum excuſſit. Hoc modo loquendi ſignificat gravitatem & magnitudinem pœnæ ſive ſupplicii improborum. Aut, *dentes* i. vires ac robur, id à feris mutuo ſumptum, quæ ſe dentibus tuentur.

9. *DOMINI eſt ſalus: ſuper populum tuum benedictio tua. Sela.*

DOMINUS eſt ſalus] vel *à DOMINO ſalus.* Hoc modo enarrat interpres Chaldæus; illo, Græci & Hieronymus: Eodem redit. *Non eſt*, inquit, *ſperanda ſalus ab ullo homine, niſi à Deo tantum, qui ſolus omnis eſt auctor ſalutis.* Vide Pſalm. 146. 3.

Salus] Victoria, ut ibi: *Equus inſtruitur ad bellum, ſed DOMINI eſt ſalus.*

Super populum tuum benedictio tua] Subintelligitur *ſit* vel *eſt*, ſi *ſit*; erit ſenſus, ut ſi diceret: benedic populo tuo. Benedicit autem Deus cum benefacit. Sic, *benedicat tibi DOMINUS è Sion* i. benefaciat. Si *eſt*; tum ſententia erit hæc: qua es benignitate ac benevolentia erga populum tuum, dabis ei ſalutem, ſcio, quam à te ſolo, (quippe a nullo alio dari poteſt) expectat.

Populum tuum] Stricte accipio pro piis, qui erant in populo & partes regias ſequebantur.

PSAL. IV.

1. *Magiſtro cantorum in Neginoth, Pſalmus Davidis.*

Conciſa oratio, qualis eſſe ſolet in titulis & inſcriptionibus: tu ſupple & conſtrue: *Pſalmus Davidis tradendus magiſtro cantorum*, ſive *phonaſco*, aut *archimuſico in Neginoth*: vel, *qui eum decantari faciat cum inſtrumento muſico Neginoth*: aut, *ad modos cantilenæ, cujus initium erat, Neginoth.* Porro cantorum alii canebant ore ſive aſſa voce; alii manu aut plectro pulſabant inſtrumenta muſica. Qui canebant aſſa voce; משררים dicebantur: qui vero manu aut plectro pulſabant inſtrumenta, מנגנים vocabantur; his præerat מְנַצֵּחַ dictus ita ἀπὸ τοῦ נִצַּח, quod eſt verbum fabrorum, ſignificans; *operas urgere, moraſque ceſſantium caſtigare.* Ergo מְנַצֵּחַ proprie, ἐργοδιώκτης vel ἐργοδιώκτης. Quidam aſſerunt, cuique inſtrumento præfuiſſe quendam, qui מנצח vocabatur: itaque interpretantur: *Magiſtro Cantorum in Neginoth*, qui præerat inſtrumento Neginoth dicto. Sed hæc quam affirmantur facile, tam facile negari poſſunt; nam rationem antiquæ muſicæ ſcire putem hodie neminem: ac ne olim quidem nota erat, cum viri docti Libros Sacros in Græcum ſermonem transferrent.

Magiſtro cantorum] למנצח Lxx. εἰς τέλος i. לנצח, *in perpetuum.* Aquila τῷ νικοποιῷ, hoc eſt, τὴν νίκην ποιοῦντι. Quomodo Macarius Ægyptius τὴν νίκην σοι ποιῶ, dixit pro *facio te vincere*, i. ποιῶ σε νικᾶν. Theodotio, εἰς τὸ νῖκος. huic etiam tribuitur νικοποιῷ, ut liquet ex fragmentis à me vulgatis. Vertunt *victori*, ita Hieronymus. Citat & Euſebius Lib. 10. Ἐπιδεῖξ.

 Vi-

videndus Hieronymus, prooemio in Danielem. Porro Hab. 3. 19. in Græca vulgata; τοῦ νικῆσαί με. Εἰς τὸ νῖκος Latine ſonat, *ad victoriam:* nam νῖκος, *victoria.* Editio Symmachi, ἐπινίκιον. Vide Annot.

In Neginoth] Hieron. *In canticis* בשירים Lxx. Aquila, & Theodotio ἐν ψαλμοῖς i. בְּזְמִירוֹת nam זִמֵּר *pſallo, unde* ψαλτὴς *cantor*, & *Pſaltria.* Fidicina quæ inſtrumento aliquo muſico canit. Symm. διὰ ψαλτηρίων. Alibi ψαλτήριον interpretamentum eſt vocis נֶבֶל unde *Naula* ſive *Nablium.* Theodotio ἐν ὕμνοις, *in hymnis* i. בתהלים. Erat autem *Neginoth* inſtrumenti muſici genus; aut certus quidam pulſandi modus, aut cantilena, cujus initium Neginothi aut aliquod tale.

Pſalmus Davidis] Lxx. & Symmach. ᾠδὴ τῷ Δαυὶδ שירה לדוד. Aquila: μελῴδημα τῷ Δαυὶδ i. *modulatio:* nam μελῳδέω, *cano cum modulatione*, qualis eſt carminum, quæ μέλη vocantur. Theodot. ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. Hieron. *Pſalmus David*, quod ambiguum eſt, ut neſcias, utrum dicere voluerit, *Pſalmus Davidis*; an, *Pſalmus* τῷ Δαυὶδ.

2. *Quum invocavero, exaudi me, Deus juſtitiæ meæ, in anguſtia dilataſti mihi, miſerere mei & audi precationem meam.*

Quum invocavero exaudi] Invocantem aut clamantem me exaudi. i. עֲנֵנִי. Quod Græci legerunt עָנָנִי, εἰσήκουσέ μου. Sic etiam legit Hieron. Ceteri interpretes receptam lectionem ſecuti ſunt: quod indicat Scholion; οἱ πάντες, ἐπάκουσόν μου. *reliqui omnes vertunt: Exaudi me.* Verb. è verbo; *Reſponde mihi.*

Deus juſtitiæ meæ] Judex juſtæ meæ cauſæ: nam eſt ELOHIM in Hebræo, unde principes & qui in magiſtratu ſunt, *Dii* vocantur. Scholia Camii; *Omne ELOHIM ſignificat judicem.*

In anguſtia dilataſti mihi] Tu, qui mihi in maximas periculorum anguſtias adducto, latam ſalutis viam patefacere, meque in tuto ac tranquillo collocare ſolitus es.

Dilataſti mihi] Subint. viam, aut greſſus. Sic Proverb. 18: 16. *Donum hominis dilatat ei*, Hieron. *Dilatat viam ejus.* Aut verte; *Dilataſti me.* Exemplo Hieronymi idem facies, qui Gen. 26. 22. הִרְחִיב לָנוּ vertit; *Dilatavit nos.* Eandem ſententiam habet Pſal. 18. 20. *Eduxit me in latitudinem*, i. in locum latum. Aut, *dilataſti cor meum*, ut Pſ. 119. 32. *Quia dilataſti cor meum* i. magno gaudio affeciſti animum meum. Idem ſenſus eſt in illo; *Splendida domus dilatat cor hominis.* Arabs certe vertit: *Lætificaſti me.*

In anguſtia] Lxx. ἐν θλίψει, & Hieron. *in tribulatione.*

Dilataſti] Dilatare ſoles. Quidam exponunt: *dilatabis:* & alii, *dilata*; nam & præt. pro fut. ponitur, & rurſus fut. pro imperativo.

Miſerere mei] חָנֵּנִי magis denotat, *gratiam fac mihi*; ac ſi diceret תן לי חנך, *da mihi gratiam tuam.* Quomodo R. David explicat Pſ. 67. 2. ubi in fonte יְחָנֵּנוּ *gratiam faciat nobis.* Significat etiam; gratuito donare. Pſal. 119. 29. תּוֹרָתְךָ חָנֵּנִי i. interprete Hieronymo; *Legem tuam dona mihi:* Antiqui locum reddunt verbo *miſerendi:* ut hic Hieron. & Lxx. οἰκτείρησόν με. Et mox Pſalm. 6. 3. ἐλέησόν με.

Audi precationem meam] vel *exaudi orationem meam*, quod Hieron. olim edidit. Prius erat in Græcis: εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου. שמע ergo *audio* & *exaudio.* Sic קום *ſurgo* & *reſurgo.* קרא *voco* & *invoco*, בנה *ædifico* & *reſtauro.*

Precationem meam] תפלתי, quæ ſic dicta, ut opinantur, quod in precatione homo ſe reum faciat coram Deo, damnans commiſſa & perpetrata a ſe crimina, quæ ſibi remitti à Deo poſtulat. Quo docemur, eos, qui rite precantur ante omnia ſe ipſos judicare, opeque ac gratia divina indignos ducere, ſicut de publicano Dominus apud Lucam dicit. Hujuſmodi mentis affectio conveniens eſt pietati, cui ſe fides, quæ ſola preces reddit efficaces, comitem adjungit; nam id hominem primum in ſui cenſuram, deinde in fiduciam & gratiam opis divinæ inducit.

3. *Filii viri, quouſque gloriam meam in ignominiam: diligetis inania & quæretis mendacium? Sela.*

Filii Viri] בְּנֵי אִישׁ. Olim erat, *Filii hominum*, i. υἱοὶ ἀνθρώπων. Emendavit Hieron. *Filii viri.* i. υἱοὶ ἀνδρός. Et recte: nam filii hominum i. בְּנֵי אדם. Diſcrimen ecce clarum. *Filii* enim *viri* appellantur nobiles & honeſtiores cives: *Filii hominum*, vulgus promiſcuum. Vide Quæſt. meas.

Quouſque gloriam meam in ignominiam?] ſubint. *vertetis.* *Gloriam* autem dicit gloriam regni. Quale illud; *Salomo in omni gloria ſua.* Quouſque, inquit, id operam dabitis, ut me regno ſpolietis, quod mihi ignominiæ ſit. Hunc locum Græci Lxx. longe aliter legerunt, nam interpretantur: ἕως πότε βαρυκάρδιοι, ἵνα τί i. עד מה כבודי לב למה. In qua lectione *Beth* cum *Caph* permutatum. Ceteri omnes כבודי reddunt; ἔνδοξοί μου, quod æmulatus eſt Hieron. *inclyti mei.* Idem לכלמה vertit *ignominioſe*, & cum ſequentibus conjungit. Sed quid *inclyti mei?* Puto ſenſum eſſe; *Filii viri, quouſque gloria mea* ſub. eritis i. ἔνδοξοί μου. ac ſi diceret; quouſque apud me in pretio & honore eritis?

Diligetis inania] aut *inanitatem* i. regnum Abſolomi filii mei, quod mox *mendacium* appellat, quia per fraudem occupatum; & ſimul, ut innueret, non ſtabile futurum. Nam ita *mendacium* quandoque uſurpatur, ut Jeſ. 58. 11. *cujus aquæ non ſunt mentitæ*, i. non defecerunt, q. d. perennes fuerunt. Senec Epiſtol. 7. Lib. 10. *Ponat honores, & alia fortunæ mendacia.*

Inania] Idem vocabulum eſt ſupra 2: i. in illo; *& populi meditantur inania.* Vulgo reddunt; *vanitatem.* Sed *vanitas* שָׁוְא dicitur i. ματαιότης; ריק magis eſt κενότης i. *inanitas*, idem τὸ κενόν ſignificat.

4. *Atque ſcitote, quod ſegregaverit DOMINUS benignum ſibi: DOMINUS exaudiet cum clamabo ad ipſum.*

Et ſcitote] redundare hic (&) Auguſtinus & Euthymius me docuerunt. Alioqui poſſet converti per *enim*, ut rationem reddat ejus, quod dixerat. *Diligetis inania* &c. Quidam legunt; *Scitote itaque.*

Quod ſegregaverit DOMINUS benignum ſibi] Quod me, quem benignitate ſua ſingulari proſequitur, à caulis, ab agendo pecore ſumptum, præ ceteris omnibus fecerit, ut eſſem rex in Iſrael. הפלה Græce reddunt Lxx. ἐθαυμάστωσε, & Latine Hieron. *mirabilem reddidit*, quod eſt הפליא in ſermone Ebræo.

Segregaverit] ἀφώρισε.

Benignum] vel *pium* i. ὅσιον.

Sibi] Segregaverit ſibi: vel חסיד לו pro חסידו ut alibi צרה לי *anguſtia mihi*, pro צרתי anguſtia mea, quod ſecuti ſunt interpretes antiqui ævi. Primum Lxx. qui vertunt: τὸν ὅσιον αὐτοῦ i. *ſanctum ſuum.* Deinde Hieron. interpretans, *miſericordem ſuum.* Sic alibi; *non ſines ſanctum tuum videre corruptionem*, τὸν ὅσιόν σου.

DOMINUS exaudiet] Qui me ſelegit ad regnum, idem me exaudiet clamantem & opem ipſius implorantem.

5. *Iraſcimini & ne peccetis: dicite in corde veſtro ſuper cubile veſtrum, & ſilete. Sela.*

Iraſcimini & ne peccetis] vel, nolite peccare. Utrum hoc dicit; Iraſcimini quoad licet? ſicut Poeta Vetus ait: *Ni tantum amarem talem merito patrem, iratus eſſem, ad quo liceret*, i. *in ira temperamentum adhiberem.* Vide Lact. de ira Dei, cap. 21. Licet etiam vertere: *commovemini & ne peccetis:* nam רגז *commoveor.* Id fit *metu* aut *ira.* De *metu* capiunt hoc loco Ebræi. De *ira*, Hieron. poſt Apoſtolum & Lxx. ſeniores, quos viſum mihi nunc ſequi, quamvis Ebræorum expoſitionem non rejiciam. Sic enim certe idem verbum uſurpatur Deut. 2. 25. Jerem. 33. 9. Et alibi paſſim. *Timete*, inquit, *peccare:* ſive, *abſtinete vos à peccando vel metu numinis.*

Iraſcimini] Aquila, κλονεῖσθε. Vide Annot.

Et ne] ואל. Symm. ἀλλὰ μή, *ſed ne.*

Dicite in corde veſtro] i. cogitate. Sic, *Dixit inſipiens in corde ſuo* i. cogitavit. *In corde veſtro.* i. apud vos; ſive, apud animum veſtrum. Nam *cor* pro animo uſurpant; credo, quod in eo animi ſedem collocarent: Id quod olim quoſdam feciſſe, diligentiſſime monuit Athen. Lib. 14. Atque ita Homerus κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει i. interprete Ennio, *animus ei in pectore latrat.*

Super cubile veſtrum] Cum ſomno & quieti vos dabitis; nam nox apta cogitationibus, ut dies rebus agendis. Sumpſi autem ex Hieron. qui ſic dixit: *Super cubile veſtrum*, ut Plinius Junior, *ſuper cœnam loqui:* & Q. Curtius: *ſuper cœnam & epulas.* Senſus, in cubili, cœnæ tempore, inter epulandum.

Et ſilete] i. quieſcite. Sic uſurpatur illud verbum Joſ. 10. 13. וידם השמש *& ſiluit ſol.* Recte igitur Aquila expoſuit; καὶ ἡσυχάσατε. Prius erat κατανύγητε: quod reddunt; *compungimini.* Verum Heſychius: κατανύγητε, ἡσυχάσατε. Idem: κατάνυξις, ἡσυχία. Sed & Suidas κατανυγῶ exponit, σιωπήσω: in illo Davidis: ὅπως ἂν ψάλλῃ σοι ἡ δόξα μου, καὶ οὐ μὴ κατανυγῶ. Rurſum Heſych. κατανένυγμαι, ἡσύχασα. Ergo κατανύγητε, *quieſcite, tacete.*

6. *Sacrificate ſacrificia juſtitiæ, & confidite DOMINO.*

Sacrificate ſacrificia juſtitiæ] Vitam inſtituite ſapienter & ſecundum virtutem. *Sacrificia juſtitiæ*, dixit, ut alibi, *ſacrificia laudis.* Non male etiam vertas: *immolate hoſtias juſtitiæ.* Sic *hoſtia gratiarum actionis*, pro ipſa gratiarum actione.

Juſtitiæ]. virtuti. Sic uſus eſt hoc nomine Salomo, cum ait: *Corona decora canities in via juſtitiæ invenietur.* Hinc *virum juſtum* appellant, qui in Latio audit *vir bonus.*

Con-

Confidite DOMINO] Verſio Hieronymi: *fidite in DOMINO*. Prius erat in Lxx. ἐλπίσατε ἐπὶ Κύριον. Sed minus bene: itaque correctum olim ab aliis πεποίθατε. Docet hoc Chryſoſtomus per hæc verba: ἐλπίσατε· ἕτερός φησι πεποίθατε. Videtur eſſe interpretamentum Aquilæ.

7. *Multi dicunt; quis oſtendet nobis bonum? Leva ſuper nos lumen vultus tui DOMINE.*

Quis oſtendet nobis bonum] malim: *Quis oſtendat?* Quis poteſt, inquit, facere, ut fruamur bono? q. d. Nemo præter te, qui ſolus auctor es omnis boni. Vel, *Quis oſtendat*. Utinam aliquis oſtendat. ut ſit dictum per modum optandi, ut Pſal. 14. 7. *Quis det ſalutem*. Vid. notata ad hunc locum. Ad verbum; *Quis videre nos faciat bonum? Videre bonum*, ut Sirach. 15. 5. *Videre ſapientiam*. quod ſignificat; ea potiri aut compotem eſſe. Sic dicunt, *Videre malum*, pro, in malis verſari. Sophon. 3. 15. *Videre periculum*, pro in periculo eſſe. Tobit. 4. *Videre mortem* pro mori: *Videre corruptionem*, pro corrumpi. Hoc ultimum extat Pſ. 16. 10.

Leva ſuper nos lumen vultus tui] Vel, *Attolle ſuper nos lucem faciei tuæ*. Mens horum verborum: Appare nobis vultu placido ac ſereno. Sive; aſpice nos vultu lucido i. adſit nobis favor tuus, eſto nobis propitius. Sic apud Gentes *læti dii* vocabantur propitii: & contra, *triſtes* dicebantur, qui minime propitii erant: Nempe quia *Lætos & triſtes homines faciunt*. Ceterum reſpexit, meo judicio, ad formulam illam, qua ſacerdos bene precabatur populo, quæ habetur Num. 6. 24. & 25. Græce autem extat apud Theodoretum in Num. quæſt. 11. Εὐλογήσαι σε Κύριος καὶ φυλάξαι σε· ἐπιφάναι Κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ σὲ καὶ ἐλεήσαι σε· ἐπάραι Κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ σὲ καὶ δῴη σοι εἰρήνην.

Leva] נְסָה nove dixit pro נְשָׂא. *Sin* littera, ut fit, in *ſamech* verſa: quod Aquila olim vidit, cum verteret: ἔπαρον i. *attolle*. Prius fuerat in Lxx. ἐσημειώθη i. *ſignatum eſt*. Vidi etiam, qui ex Ebræo verterent: *ſuſtolle tanquam vexillum*. Sane נֵס, *ſignum militare*, a quo fit נסס, de horum ſententia. Non admodum placet. Symmachus maluit; ἐπίσημον ποίησον. Lexic. Vetus: ἐπίσημον *conſpicuum, notabile*. ἐπίσημος, *inſignis, nobilis*.

Lumen vultus tui] ut Pſal. 44. 4. humanitus dictum. Nam quibus bene volumus, eos vultu ſereno aſpicimus. Sic Prov. 17. 15. *In lumine vultus regis vita eſt*; ubi quidam referunt; *in ſerenitate vultus regis*. eodem redit. Scholia Ebraica Camii, hunc verſum cum ſequenti ſic elucidant: *Plerique horum deſiderant bona terrena, nos autem optamus, ut nobis propitius ſis; quod ſi conſequeremur, cetera omnia facile contemneremus. Ac tantum abeſt ut invideamus fortunæ hoſtium noſtrorum, ut etiam voluptati nobis fuerit, ſi quando aliquid illis obtigit: hoc ſignificat, cum ait; Dediſti lætitiam in corde meo, a quo tempore frumentum eorum & muſtum eorum multiplicata ſunt*. q. d. *Voluptatem cepi ex rebus eorum proſperis. Videlicet ex uberi proventu frugum & copioſa vindemia ipſorum*. Sic ille. Alius ſenſus eſt in me, quem puto germanum eſſe. verto;

8. *Dediſti lætitiam in corde meo* (magis) *quam tempore frumenti eorum & muſti eorum, cum multa fuerint.*

Dediſti] i. dabis. Hoc dicit: Si me benigne ac vultu ſereno reſpexeris, næ lætitiam mihi conciliabis, quæ ſuperet lætitiam meſſis ac vindemiæ ipſorum. Videtur autem alluſum ad proverbiale: *Gaudium in meſſe*: quo ſignificatur gaudium magnum. Id extat apud Prophetam Jeſaiam.

Magis quam tempore] Eadem ſententia erit, ſi legas; *majorem quam tempore*. Porro (*magis*) dictio abeſt Ebræo, ut in illo Taciti, *Clarus majoribus quam vetuſtus*. Plautus quoque dixit: *Tacita mulier eſt bona quam loquens* i. magis bona, vel melior. Sic alibi in hoc libro: *Maturarem fugam mihi, quam ventus & turbo*: magis quam ventus. Sexcenta exempla hujus locutionis proferre poſſem, ſi opus eſſet: nec enim aliter fere Ebræi loquuntur.

Tempore frumenti eorum] *Tempus frumenti* appellat meſſem: *tempus* autem *muſti* vindemiam. Lxx. hic ediderant ἀπὸ καιροῦ σίτου: quæ corrupta in libris; nam pro καιροῦ ſcriptum καρποῦ, etiam in editione Rom. ex quo Gallicum Pſalterium; *a fructu frumenti*. Sed veram lectionem invenies in Pſalterio Romano; *a tempore frumenti*.

Et muſti] Lxx. καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου. In quo gloſſema a ſcribis ἐλαίου: quod perſpicuum vel ex Hieronymo, qui ſcribit; nec apud Lxx. interpretes extare hoc, nec in Pſalterio, Origenis manu emendato, nec in ceteris editionibus. Hoc primum: deinde, תירוש οἶνον reddunt. Sic etiam Hieron. atqui οἶνος יין dicitur: תירוש autem potius eſt *muſtum* i. vinum recens expreſſum.

Quum multa fuerint] vel, *cum multa ſunt*. Quando eorum, inquit, meſſis & vindemia copioſa ſunt. tum enim voluptate homines afficiuntur incredibili; at ego afficiar ex divini vultus tui ſerenitate, lætitia majore.

9. *In pace ſimul cubabo, & dormiam: quia tu DOMINE ſolus, fidenter habitare facis me.*

In pace] Quiete ac ſine cura. Nam curarum plenus non facile dormire poteſt. Curæ enim ſomnum impediunt. Vid. ſupra 3. 6.

Solus] לְבָדָד. Lxx. κατὰ μόνας i. *ſolum* aut *ſolus* ut Marc. 4. αὐτὸς ἐγένετο κατὰ μόνας, *ſolus erat*. Scribitur etiam καταμόνας conjunctum & unica dictione. Aquila, κατ' ἰδίαν. Lexic. Græco Lat. Vetus κατ' ἰδίαν *ſeorſim, privatim, ſecretim*. Unde κατ' ἰδίαν ζῆν, *ſolum vivere*. Hieron. *ſpecialiter*.

Fidenter] Tuto & cum fiducia. tuto, imo ſecure. Nam tuta etiam ſcelera eſſe poſſunt. Symmachus ἀσφαλῶς. Lxx. ἐπ' ἐλπίδι *in ſpe*. A. εἰς πεποίθησιν. Hieronym. *ſecure*.

Habitare facis me] vel, *ſedere facis*. aut *collocas me*. Quod Aquila dixit; καθίσεις με. Prius erat κατῴκισάς με, i. interprete Hieronymo, *Habitare feciſti me*. Huc facit proverbium illud: *Sedebunt fidenter quiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua*. De quo ſuo loco.

PSAL. V.

1. *Magiſtro Cantorum ad Nehiloth. Pſalmus Davidis.*

Ad Nehiloth] אל הנחילות A. S. Theod. ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, *pro ea quæ heres eſt*: aut, *hereditatem adiit*. Sic & Lxx. Retinent ergo declarationem veterem, nec abſurdum erit, ſi dicamus; fuiſſe olim genus cantilenæ aut carminis, cujus initium נחלה, in quo ſignificatio *Hereditatis*. Quocirca etiam Hieron. interpretatur: *ſuper hereditatibus*. Hoc interpretamentum damnat R. Salomo: cui magis placet, ut reddatur; *de turmis*, ſive, *catervis*, aut, *copiis hoſtium*. Siquidem נחיל, eodem interprete, eſt *examen apum*. Alii exponunt נחיל, *examen* aut *bombus apum*, dicentes, ita dici bombum, quem apes edunt. Inde Hajus, homo Ebræus, dictum cenſet hoc inſtrumentum, nempe a ſono quem imitabatur: niſi appellatum ab aquæ ſuſurro per vallem leniter defluentis; nam נַחַל *vallis*, item *torrens*.

2. *Sermones meos auribus percipe DOMINE; intellige meditationem meam.*

Sermones meos] אֲמָרַי, alii, *Verba mea*, דְּבָרַי; Græci quoque τὰ ῥήματά μου. Malim, τοὺς λόγους μου. Quidam; *dicta mea*: nam אמר, *dico*.

Auribus percipe] ἐνώτισαι, *auſculta*.

Intellige meditationem meam] Id quod animo meditor: & benedicit; *intel lige*. Nam quod quis apud ſe meditatur, intelligentia, non auribus percipi poteſt.

Meditationem meam] הֲגִיגִי, thema eſt הגה *meditor*. Ad quod exemplum, *coruſcatio* חזיז dicitur, a חזה *vidit*: & *ſcortationes* זנונים vocantur a זנה *ſcortatus eſt*. Santes, *Locutionem meam*: nam הגה *meditata eloqui*. Hiero. *Murmur meum*. Non omnino diſplicet, quippe & הגה de columbis uſurpatur. Latini *gemere* dicunt. Intellige autem de *murmure*, quod miſeri faciunt, cum Deum precantur. Lxx. τῆς κραυγῆς μου. minus placet.

3. *Attende voci clamoris mei, mi rex & mi Deus: quoniam ad te precor.*

Attende voci] Sub. *aures*. Quod expreſſum Pſal. 10. 17. ſimilis defectus in verbo προσέχειν. Nam τὰ ὦτα ſubintelligunt, aut τὸν νοῦν. Sic Latini abſolute uſurpant *attendo*, pro attendo aures vel animum.

Voci] לְקוֹל. alii, *ad vocem*: אל קול, legitur etiam הִקְשִׁיב דְּבָרוֹ *attendit verbum ejus*.

Mi rex] Vid. ſupra 2. 6. Eundem ſenſum habet Jeſ. 41. 21. *Rex Jacobi*. Rex, Ebraice מלך dici creditur a nonnullis a *conſulendo*, ut exponi poſſit: qui me conſilio tuo juvare ſoles. Sed præſtat accipere, ut verba ſonant; nam ſi rex: ergo exaudire debes. Nam regis eſt querelas ſuorum audire. Fabula narratur de Hadriano Imperatore, cui mulier interpellans, cum ſibi non vacare dixiſſet, ergo noli, inquit, imperare. Hiſtoria nota eſt.

Mi Deus] אלהי, Vindex atque judex meus, cui ſolitum vindicare factas mihi ab aliis injurias.

Ad te precor] אֵלֶיךָ אֶתְפַּלָּל. Sic Livius Lib. 8. *Quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent*. Olim erat in Hiero. *ad te deprecor*. אֵלֶיךָ אַתְּחִנָּן quomodo locutus eſt Pſal. 142. 2. Legitur etiam, *ad te oro*. Et Lxx. πρὸς σὲ προσεύξομαι, & apud reliquos -- εὔχομαι. Laudatur è Xenophonte, εὔχεσθαι πρὸς τοὺς

θεούς. Quod idem cum illo, προσεύχομαι τοῖς θεοῖς. Rectum ergo, πρὸς σὲ εὔχομαι, *ad te precor.*

4. *DOMINE mane audis vocem meam; mane inſtruo tibi & ſpeculor.*

Mane] Quo tempore preces haberi ſolent, quas poſterior ætas *matutinas* vocavit. Nam quæ a meridie hora nona fiunt, *veſpertinæ* dicuntur i. ἑσπεριναί.

Vocem meam] Vocem precum mearum.

Inſtruo tibi] Sub. *orationem.* Verbum frequens in ſacrificiis; quod & *facere* dicitur; unde: *Cum faciam vitula pro frugibus.* Notum illud, *ſacrificate ſacrificia juſtitiæ.* In mundo etiam eſt, *ſacrificium laudis.* Sed & pueri didicimus ex Hoſea, quid ſit, *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Hinc lucem faciet huic loco, qui non malit eum exponere cum Hiero. *Præparabor*, ſive, *præparabo me tibi.*

Et ſpeculabor] Tanquam in ſpecula conſtitutus exſpecto, unde mihi a te auxilium veniat. Hoc Græce olim extulit quidam ex priſcis interpretibus, καὶ σκοπήσω: alius dixit: ἀποσκοπεύσω, ſi non fallunt nos Scholia Græca. Prius erat in Lxx. ἐπόψομαι, & in Hiero. *contemplabor.* Quanquam exemplaria nonnulla ἐπόψει με. Vide ſis Hiero. in Comment. ad hunc locum.

5. *Nam non es Deus volens improbitatem tu: non commorabitur apud te malus.*

Non es Deus volens improbitatem tu] Vel, *Non es, o Deus, volens improbitatem tu.* Senſus eſt: Qui delecteris improbitate, ſive cui placeat improbitas. Nam alioqui abſolute vult ut fiant mala; ſi enim nollet, nec fierent utique: Deus enim quæcunque vult facit, quippe nihil eſt, quod reſiſtat abſolutæ voluntati ejus. ideo vocatur *omnipotens* i. παντοκράτωρ. Loquor de voluntate abſoluta, qua etiam ea vult, quæ improbat; imo quæ odit.

Deus] Hic eſt אֵל in Ebræo, quod reddunt θεὸς, & aliquando ἰσχυρὸς vel δυνατὸς. Novi, qui perpetuo convertant, *Deus fortis.* Poſſet etiam reddi, אֵל *fortiſſimus*, ut עֶלְיוֹן *Altiſſimus.* Sed non eſt temere diſcedendum ab Antiquis.

Volens improbitatem] Studioſus improbitatis, aut, oblectans te improbitate. Sic, *In lege DOMINI voluntas ejus* i. ſtudium, oblectatio ejus.

Non commorabitur apud te.] יְגֻרְךָ dixit pro יָגוּר עִמְּךָ. Id Hiero. convertit: *Habitabit juxta te.* Male. Nam *habitare* יָשַׁב dicunt: גור autem potius eſt *commorari.* Sed differunt παροικεῖν & κατοικεῖν. Recte igitur Lxx. hoc loco: οὐ παροικήσει σοι. Nec abſurde A. προσηλυτεύσει σοι, *commorabitur apud te, ut advena*, ſive *proſelytus.* Nomen eſt προσήλυτος, quod *advenam* ſignificat. inde verbum προσηλυτεύω, *advena fio.* Stricte autem uſurpatur de iis, qui à gentilium religione ad Judaiſmum tranſeunt.

Apud te] In domo tua, quæ eſt eccleſia fidelium. Sic apud Ciceronem in iis, quæ ad Atticum ſcripſit; *Ivit ad Pompejum*, pro ad domum Pompeji.

Malus] vel *Malum.* Prius elegerunt interpretes veteres: nam in Hiero. *malignus.* & in Lxx. πονηρευόμενος *nequitia præditus*, ut Sirach. 19.26. ἔστι πονηρευόμενος, i. πονηρός. Nam participia hoc modo interdum nominaſcunt: Verbum eſt πονηρεύομαι, quod & πονηρεύω *nequiter ago, improbus ſum.* Origo a πονηρός, quod a πόνος deducitur: ut μοχθηρὸς a μόχθος. Ergo πονηρός, homo ad dolorem inferendum totus comparatus. Dolor autem ex injuria. Huic opponitur χρηστὸς, qui eſt uſui omnibus.

6. *Non conſiſtent inſani coram oculis tuis: odiſti omnes operarios iniquitatis.*

Inſani] הוֹלְלִים verto *inſani.* Neſcio an recte: nam vetus omnis declaratio, *iniqui* i. ἄνομοι ἢ παράνομοι. Sic הלל Pſal. 75.5. Lxx. παρανομεῖν, & Hiero. *Inique agere.* Sed interpretes nuperi, *inſanire.* Peccant meo judicio, qui ſignificationem petunt ab הָלַל *laudavit.* Videtur potius denotare maleſanos ab animo, quales ſunt homines nequam, quos μωροκάκους appellant Græci. Certe in verbo ſignificatio *inſaniæ*, ut Cohel. 2:2. *De riſu dixi* מְהוֹלָל *inſanus eſt:* jam vero quis neget nequitiam ſpeciem quandam inſaniæ eſſe.

Non conſiſtent coram oculis tuis] Non audebunt ſe ſiſtere coram oculis providentiæ tuæ, aut, Avertes ab eis oculos, non dignaberis eos adſpectu tuo. Quod eſt ſignum odii. Ideo ſequitur, *Odiſti omnes* &c.

Omnes] Non pleroſque, ſed ad unum omnes.

Operarios iniquitatis] τοὺς ἐργαζομένους τὴν ἀνομίαν. Eſt autem ἐργάζεσθαι, *quæſtum ex aliquo opere facere.* Latini ſimpliciter *facere* dicunt; ut, *facere medicinam, facere mercaturam, facere argentariam.* Sic *facere iniquitatem.* Ergo פֹּעֲלֵי אָוֶן *qui faciunt iniquitatem.* Tales ab Euripide τέκτονες κακῶν appellantur: ab aliis, κακοῦργοι ἢ κακοποιοί. Cujus tamen vocabuli ſignificatio anguſtior mihi videtur.

7. *Perdes loquentes mendacium: virum ſanguinarium & doloſum abominatur DOMINUS.*

Loquentes mendacium] Eos qui verbis mentiuntur, i. mendaces. Nam *mendacium dicere* aliud eſt. Sunt etiam, qui re mentiantur: tales mox ſignificat, cum ait, *& doloſum.*

Virum ſanguinarium] איש דמים, *virum ſanguinum* i. ſanguinarium. Græci Ebraiſmum retinent, ἄνδρα αἱμάτων. Sic etiam Hieronymus. Symm. alibi μιαιφόνον reddit, quod ſignificat eum, qui ſe ſanguine polluit, ὁ μιαίνων αἵματι ἑαυτόν. Alioqui homicida ἀνδροφόνος ἢ ἀνθρωποκτόνος dicitur. Notum autem, ut Ebræi *ſanguines* dicant, cum ſignificare volunt cædes. Ergo *vir ſanguinum*, qui cædem commiſit aut homicidium perpetravit.

Et doloſum] Senſum expreſſi: nam מרמה proprie *dolus:* ut *ſcelus* pro *ſceleſto* ponitur: Ita *dolus* pro *doloſo.* figura nota. Licet etiam vertere; *Virum ſanguinum & doli. Vir doli* i. doloſus, δόλιος.

Abominatur] βδελύσσεται. Sirach. 19.23. Ἔστι πονηρία καὶ αὕτη βδέλυγμα. Non ergo deteſtatur omnem malitiam. Ut gradus ſunt vitiorum, ita unum altero magis averſabile. Id locum habet non modo apud Deum, ſed etiam apud homines.

8. *At ego in multitudine benignitatis tuæ veniam domum tuam; adorabo ad templum tuum ſacroſanctum in timore tui.*

In multitudine] Pro multitudine, aut, fretus multitudine.

Benignitatis tuæ] Qua uti ſolitus es erga me tuum.

Veniam domum] Pro in domum. Sic Virgilius. Eclog. 1. *Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.* Varro Lib. 2. de re Ruſtica. *cum portum ſeſſum veniſſemus.*

Domum tuam] Ita templum circumloquitur.

Ad templum] πρὸς ναὸν i. *verſus templum:* Nam adoraturi olim faciem vertebant ad templum. Quod notatum in Scholiis Camii ad hunc locum. Verſio Hiero. *in templo.* Cave ſpernas. Siquidem אל & ב permutantur. Facit pro hac interpretatione membrum præcedens, *Veniam domum tuam:* nam templum ingreſſus, quomodo poteſt verſus illud adorare?

In timore tui] Cum reverentia tui. *Timere* uſurpant pro, *vereri.* Alioqui *timet* proprie ſuperſtitioſus.

9. *DOMINE deduc me in juſtitia tua propter obſervatores meos; dirige coram me viam tuam.*

Deduc me] Hinc diſcimus, opus eſſe ductore Deo, qui velit viam virtutis ingredi.

In juſtitia tua] In via tua juſta. Sic loquendo ſignificat vitam illam, quæ cum virtute traducitur. Vocatur autem *juſtitia Dei*, tum, quia Dei donum eſt; tum, ut opponatur juſtitiæ hominum, per quam nemo juſtificari poteſt.

Propter obſervatores meos] Senſum reddunt Lxx. ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν μου. Scholia Ebraica Davidis Camii, שוררים *hoſtes, inimici.* Appellatio ab *obſervando:* nam tales obſervant, quid faciamus dicamuſve. Aquila etymon accerſit a *muro*, qui שור appellatur. Nam vertit: διὰ τοὺς ἐφοδεύοντας. Sunt autem ἐφοδεύοντες proprie, qui murum civitatis aut caſtra obeunt vigiliaſque perluſtrant. Hiero. *Propter inſidiatores meos.* Symm. διὰ τοὺς ἀποθλίβοντάς με. i. צורר per *S, Sade.*

Dirige coram me viam tuam] Quo videlicet inoffenſo pede in ea ambulare poſſim. Quod eſt ſingulare donum piis tantum conceſſum. Hoſ. 14.20. Sirach. 39.30.

Dirige] κατεύθυνον. Lxx. Aquila. Hiero. pro eo Symm. dixit, ὁμάλισον, *plana, complana*, ſive *planam fac.* Lexic. Vetus. ὁμαλὸς *planus.* ὁμαλίζω *plano.*

Coram me] לפני. Hiero. *ante faciem meam.* Aquila, εἰς πρόσωπόν μου i. ἐνώπιόν μου. Symm. ἔμπροσθέν μου.

Viam tuam] ὁδόν σου, Aquila. Symm. & exemplaria quædam Græca ed. Lxx. ut teſtatur Theodoretus; nec aliter olim erat in Hexaplis. Vide Hieronymum epiſtolis quæ ad Suniam & Fretelam. Sirletus quoque obſervat; hanc lectionem hodieque extare in codice Vaticano. Vulgo tamen ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, *coram te viam meam.* Sic omnia exemplaria impreſſa, quæ vidi; meminit & Hiero. loco citato. Locus iſte ex iis eſt, quos imperitia temere mutavit. Vide Annotat.

Viam] Legem, ſeu eam vivendi rationem, quam a me requiris, quamque ſanctiſſimo tuo verbo præſcripſiſti. Pſ. 25.4. *Vias tuas notas mihi fac, ſemitas tuas doce me.*

10. *Nam non eſt in ore ipſorum rectum; medium eorum pravitates; ſepulchrum patens guttur eorum; lingua ſua blandiuntur.*

In ore ipſorum] בפיהו, *in ore ipſius* i. ullius aut cujuſque ipſo-

ipſorum. Pronomen enim referri debet ad *obſervatores.* Hac enallage frequenter utuntur Ebræi, quoties ſignificant *unumquemque*, ubi plures ſunt.

Rectum] Sermo rectus, aut verus. ἀλήθεια.

Medium ipſorum] *Medium* pro *corde* poſuit: proinde Lxx. ἡ καρδία αὐτῶν. Nam cor in medio animantis, quanquam in homine magis ad ſiniſtram vergit. Pſal. 39. 4. *Incaluit cor meum in medio mei.*

Pravitates] Aquila & Hiero. *inſidiæ.* Sic Pſal. 57. 2. הוות, Aquila ἐπιβουλὴ. & 94. 20. כסא הוות idem, θρόνος ἐπιβουλῆς. Hieron. *Thronus inſidiarum.*

Sepulchrum patens] certa pernicies. Proverbiale. Aben Ezra explicat אין מיד *interitus e manu* i. *repentinus.*

Patens] *Apertum.* τάφος ἀνεῳγμένος.

Guttur eorum] Sermo eorum.

Lingua ſua blandiuntur] Ita Lxx. niſi quod pro *blandiuntur* repoſuerunt ἐδολιοῦσαν. Hiero. maluit: *linguam ſuam leviſicant* i. blandam reddunt. Nam חלק *levis*, λεῖος. & in metaphora, *blandus.* Quidam: *lingua ſua doloſe blandiuntur.* Porro ἐδολιοῦσαν Chalcidica dialectus eſt pro ἐδολίουν: ut ἤλθοσαν pro ἦλθον *venerunt.* Sic εἴδοσαν *noverunt.* ἐμάθοσαν *didicerunt.* ἐλάβοσαν Ruth. 1. 4.

11. *Reos perage illos Deus: decidant de conſiliis ſuis; ob multitudinem ſcelerum ipſorum impelle illos, quia rebellarunt in te.*

Reos perage illos] Age eos reos debiti, quod אשם vocatur: unde verbum האשימם, quod nunc Hieronymus vertit: *condemna eos:* alii *vaſta, perde eos.* Nam אשם & שמם cognata ſunt. Lxx. κρῖνον αὐτοὺς i. *condemna.*

Deus] ELOHIM. Vid. ſupra 4. 2.

Decidant de conſiliis ſuis] יפלו ממעצותיהם, *cadant a conſiliis ſuis* i. fruſtrentur eventu conſiliorum ſuorum, in caſſum cadant omnia conſilia eorum. Quomodo Plautus dixit: *Incaſſum cadent omnia tua promiſſa.* Elegans loquendi genus. Poſſumus vertere: *cadant conſiliis ſuis:* quale illud apud Ciceronem: *Non debemus ita cadere animis.* ut *cadere animis*, ita *cadere conſiliis* dicuntur, quorum conſilia cadunt in irritum.

A conſiliis ſuis] In Lxx. ἀπὸ τῶν διαβουλιῶν αὐτῶν, quod reddunt: *a cogitationibus ſuis*; prætulerim, *a conſultationibus*, vel *a conſiliis ſuis.* Nam διαβούλιον *conſilium.* Sapient. 1. 9. ἐν διαβουλίοις ἀσεβοῦς. Dicitur & διαβουλία. Unde varietas in libris. Sirach. 44. 5. Nam quod in his ἐν διαβουλίαις, in illis legitur, ἐν διαβουλίοις. Vide notationes meas.

Ob multitudinem] ברב *in multitudine* i. propter multitudinem. Lxx. Hieron. videntur legiſſe כרב. Nam vertunt κατὰ τὸ πλῆθος, *juxta multitudinem.* Senſus, Ob tot eorum ſcelera impelle eos in ruinam & exitium. Quidam legunt: *In multitudinem ſcelerum ipſorum impelle eos.* Sicut dicimus, *impellere aliquem ad ſcelus.*

Impelle] Lxx. ἔξωσον. Hieronymus, *expelle.* Alius: *depelle.*

Quia rebellarunt in te] Rebelles & contumaces fuerunt in te. Olim in Lxx. παρεπίκρανάν σε. & in Hiero. *provocarunt te.* Eſt autem παραπικραίνω, *ad amaram iram provoco, exacerbo.* Videndum, an מרה hoc potius ſignificet.

13. *Et lætentur omnes qui ſperant in te: in ſeculum canant, cum proteges eos: & exultent in te amantes nominis tui.*

Verſus iſte reddi poteſt & hoc modo.

Tum lætabuntur omnes ſperantes in te, in ſeculum canent, etenim proteges eos: & exultabunt in te amantes nominis tui.

Qui ſperant in te] οἱ ἐλπίζοντες ἐπὶ σέ. Hæc eſt vetus declaratio, quam hodie mutant in, *ſe recipientes ad te.* Cui interpretationi repugnat conſtructio: non enim eſt אליו *ad eum*, in Ebræo; ſed בו *in eo.* ſignificat ergo potius *latere cum fiducia in ſpe*, quam *recipere ſe ad aliquem.* tamen ſi quis hoc malit, nolim cum eo contendere.

In ſeculum] εἰς αἰῶνα. in æternum. ſemper. quamdiu vivent. Huc facit: *ſerviet æternum, qui parvo neſciet uti* i. uſque ad vitæ finem.

Canant] vel, *canent* ירננו, Lxx. ἀγαλλιάσονται, ילילו Hieronymus poſt Aquilam, *laudabunt.* Verbum eſt רנן in Ebræo: id ſignificat modo vocem læti clamoris. Quem exprimunt e nuperis interpretibus alii verbo *jubilandi*: alii *ovandi* verbo. Ego in Latio, quod huic proprie reſpondeat, non puto reperiri. Nam eſt ubi doloris vocem ſignificet. Dicitur etiam cum præco aliquid promulgat juſſu magiſtratuum.

Cum proteges eos] ותסך עלימו *Et proteges eos.* ita Hiero. quem nunc ſecutus ſum, niſi quod pro (*ut*) ſcripſerim (*cum*). Poteſt etiam reſolvi in *nam.* Verbum e verbo; *& quaſi umbraculo teges eos.* Hinc nomen attegiarum vel umbraculorum, quod eſt סכה notum in vulgus. Nam feſtum tabernaculorum Ebraice vocatur חג סכות, Eris, inquit, eis, quod umbraculum eſt hominibus fervente æſtu. Minus recte Lxx. καὶ κατασκηνώσεις ἐν αὐτοῖς. ותשכן בהם.

Exultent] יעלצו, Lxx. καυχήσονται. *gloriabuntur.* Hiero. *lætabuntur*, A. γαυριάσουσι, id eſt, *lætabuntur, exultabunt.* Lexic. Vetus. γαυριῶ, *exulto, geſtio.* γαυρίαμα *exultatio:* γαῦρος *lætus, alacer:* γαῦρως *lætanter.*

13. *Quia tu benedices juſto, DOMINE, tanquam ſcuto benevolentia coronabis eum.*

Benedices] benefacies.

Juſto] Viro bono ac probo.

Tanquam ſcuto] כצנה Lxx. ὡς ὅπλῳ. bene reddunt, *ut ſcuto:* Lexic. Græco Lat. Vetus. ὅπλον, *telum, ſcutum.* Amos 4. 2. צנות A. *clypeos.* Symmachus, ὅπλα, non *arma*, ut vult Hiero. ſed *ſcuta.* Proprie *ſcutum oblongum*, a ſcaphæ ſimilitudine. Sic etiam מגן interpretantur Nach. 2. 5. מגן גבוריו. Lxx. ὅπλα δυναστείας αὐτῶν. Hoſ. 11. 8. אמגנך Aquila ὅπλῳ κυκλώσω σε, id eſt, interprete Hiero. *ſcuto circumdabo te*, Theodotio, ἀφοπλίσω σε. *auferam a te* ὅπλον, i. *ſcutum, quo te ante protexeram*, ait Hiero. Satis probatum eſſe opinor, ὅπλον *ſcutum* ſignificare. De צנה, quid proprie ſignificet, & unde appellationem habeat, jam dixi. Sunt alia nomina apud Ebræos *ſcutum* ſignificantia, quæ non pigrabor recenſere. Ergo *ſcutum* מגן dicitur *a protegendo.* & שלט, a quo Belgicum Schild. & סחרה, quod eſt genus ſcuti forma rotunda. Quapropter Chaldæis עגילא exponitur. Eſt etiam כדר *clypeus a propellendo.* & תריסא unde Græcum θυρεός; Arabicè אלתרס; ex quo *torſis* herba, quæ Græcis ἀσπίδιον, *herba clypealis.* Hujus linguæ eſt & דרקא, quod affinitatem habet cum Gallico *targe.*

Benevolentia] Accipio, ac ſi eſſet ברצון; nam errant, qui legunt; *ſcuto benevolentiæ.* Conſtructio id non patitur. רצון εὐδοκία. Sic Græci explicant. & bene, meo judicio. Hiero. *placabilitas*, ἐξιλασμός. Alii *beneplacitum* reddunt.

Coronabis eum] Sic Hiero. Prius Aquila verterat, στεφανώσεις αὐτόν. Senſus, Undique cinges ac proteges eum itidem ut corona caput cingit. Ceterum Græci Lxx. aliis punctis legerunt תעטרנו, nam vertunt: ἐστεφάνωσας ἡμᾶς. maluiſſem, στεφανώσεις ἡμᾶς. Qui Ebraice callent, ſciunt, cum vocales abſunt, (ut olim plurimum aberant,) ſtare poſſe utramque lectionem. Libet ſuſpicari, Prophetam hoc loco alluſiſſe ad morem Veterum Ebræorum, qui in triumphis corona oleagina ornati incedebant: cujus moris exemplum habes Judith. 15. circa fin.

PSAL. VI.

1. MAgiſtro Cantorum in Neginoth ſuper Seminith. Pſalmus Davidis.

In Neginoth] Perperam Lxx. ἐν ὕμνοις. Nec melius Hiero. *in canticis.* Nam canticum שיר vocatur: ὕμνος autem תהלה dicitur. Supra 4. 1. ἐν ψαλμοῖς. Verbum eſt נגן proprium in nervorum fidiumque cantu. Unde Pſalm. 68. 26. נגנים, *Pſaltriæ, fidicines.* R. David Pſalm. 33. 3. ſcribit, etiam uſurpari de iis, qui ore canunt. Quod an verum ſit, neſcio: dicam hac de re alias.

Super Seminith] Vox Ebræa ſonat ὀγδόην, i. *octavam*: ut intelligi poſſit de octava chorda citharæ. Vid. 1 Paral. 15. 21. Alii dicunt, eſſe *muſicum inſtrumentum, a numero fidium ſic nominatum:* quibus adſtipulatur interpretatio quæ ab urbe nomen habet (Jeroſolymitanum enim vocant) quæ ſic hunc locum tranſtulit; *ſuper Cithara octo chordarum.*

2. *DOMINE ne in ira tua arguas me, neque in excandeſcentia tua caſtiges me.*

In ira tua] Quæ intolerabilis eſt. Nah. 1. 6. *Ante indignationem ejus quis conſiſtat: & quis ſtet in furore iræ ipſius?* Hæc *ira* in oppoſito habet *judicium* Jerm. 10. 14. *Caſtiga me DOMINE, veruntamen in judicio, non autem in ira tua*, i. moderate.

Arguas me] ἐλέγξῃς με. *Arguimus* verbis tantum; *caſtigamus* etiam flagris ac verberibus. Talis differentia eſt in verbis Ebraicis, quæ tamen ſæpe confunditur, ut hoc loco.

Neque in excandeſcentia tua] Vetuſta interpretatione חמה eſt

Digitized by Google

eſt ὀργὴ *ira* : & אף θυμὸς, *furor*, *excandeſcentia*. Nos contra אף interpretati ſumus *iram*, & חמה *excandeſcentiam* : cujus origo à יחם *incaluit* : nam in furore homo incaleſcit & ſanguis circa cor accenditur. *Excandeſcentia* etiam חרון dicitur, & legimus בחרון אפו, *in excandeſcentia iræ ipſius* Nah. 1. 6.

Caſtiges me] παιδεύσῃς με. Unde παιδεία, quæ eſt proprie puerorum diſciplina, cum virgis caſtigantur. Proinde malim exponere, *caſtiges me*, quam, ut alii, *corripias me*.

3. *Miſerere mei DOMINE, quoniam infirmus ſum : ſana me DOMINE, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

Miſerere mei] vel, *gratiam fac mihi*, ſcilicet delicti: nam ex delictis omnes morbi, omniaque adeo mala. Quo pertinet illud : *niſi eſſent peccata, non eſſent flagella*. Eodem facit Chriſti dictum ad eum quem ſanaverat. *Surge fili, remiſſa ſunt tibi peccata*. Non dicit, *ſanatus es* ; ſed, *remiſſa ſunt peccata*, ex eo, quod præcedit, id quod ſequitur, more in his tralatitio.

Infirmus] Debilis, imbecillis, ἀσθενής, invalidus, defectus viribus, cujus vires fractæ & enervatæ ſunt.

Sana me] ἴασαί με.

Oſſa mea] In quibus robur corporis præcipuum, unde & nomen habent : nam עצמה, *robur*. Aut *oſſa* dixit, ut *corpus* denotaret, partem pro toto ponens.

4. *Et anima mea conturbata eſt valde : Tu autem, DOMINE, quouſque?*

Et anima mea conturbata eſt] Non ſolum corpore, ſed etiam animo perturbatus ſum : corpore ; videlicet ex morbo : animo ; ex recordatione admiſſi à me ſceleris.

Quouſque?] ſub. auxilium differes meque deſtitues? ut Pſ. 89. 47. עד מה יהוה, *Quouſque DOMINE?* Aut ; Quouſque me ita punies? aut ; Quouſque mei obliviſceris? quod expreſſum Pſ. 13. 2.

DOMINE] Recte uſus eſt hoc loco nomine tetragrammo, in quo, ut Ebræi obſervant, מדת רחמים *proprietas miſericordiæ*, ut in nomine ELOHIM, *judicii*.

5. *Revertere DOMINE, erue animam meam : ſerva me propter benignitatem tuam.*

Revertere] Redi mecum in gratiam ; reconciliare mihi. Hoc dixit ex tranſlatione eorum, qui placati redeunt, unde irati diſceſſerant. Sic ait ; *cur procul ſtas à me?* Aut, *revertere* dixit, pro *agedum* ; quod eſt adverbium hortandi. Sic alibi : *Venite, faciamus nobis lateres* i. agitedum. Sane legimus Ruth 1. *Quæ reverſa erat ex agro Moab*, pro eo, quod eſt ; *quæ venerat*.

Erue] Eripe. ῥῦσαι, exime, libera ex hoc periculo mortis. חלצה proprie *extrahe*, ut cum lapides è muro extrahuntur, Lev. 14. 40. aut calceus ex pede, Deut. 25. & Jeſ. 10. Legimus quoque Thren. 4. 3. חלצו, *eduxerunt ubera*, ſeu *mammas*.

Animam meam] Me ipſum, aut, vitam meam.

Propter benignitatem tuam] Benignitas Dei excludit merita hominum. Quis enim eſt, qui de Deo bene mereri poteſt? Hoc alibi ſignificat apertius, cum ait : *Bonum meum haudquaquam ad te pertingit*.

6. *Quoniam non eſt in morte recordatio tui : in ſepulchro quis celebret te?*

In morte] In ſtatu mortuorum. Nam mortui, quatenus mortui ſunt, nullam uſurpant memoriam Dei. Vide Pſ. 88. 12. & 13. item Pſal. 115. 17. Jeſ. 38. 18. & Sirach. 17. 27.

Recordatio tui] זכרך, Aquila, μνήμη σε : *memoria* ſive *mentio tui*. Symm. ἀνάμνησίς σε. *recordatio tui*. Hoc recte. Prius erat ὁ μνημονεύων σε, *qui memor ſit tui*. Seniores enim legerunt זכרך aliis punctis vocalibus. Poſſet exponi *in morte*, in ſepulchro : Nam in ſepulchro nullius rei memoria eſt. Quocirca vocatur *terra oblivionis*.

In ſepulchro] ubi cadaver, quod eſt corpus anima caſſum, nam anima, quæ in cœlo, Deum ibi celebrat. Vetuſtate interpretationis ἐν τῷ ᾅδῃ *in inferno* : quam non penitus rejicio : interdum enim per *infernum* ſignificant ſtatum mortuorum, ut Gen. 42. 38. *Deduces canos meos ad infernum*. Quæ de loco damnatorum accipi nullo modo poſſunt. Prætuli tamen *in ſepulchro*. Primum ; quia infernus proprie vocatur שאול מטה *ſepulchrum infra*. Prov. 15. 24. Deinde, quia doctiores locum hunc de corpore, non de anima capiunt : Poſtremo, quia legimus Job 14. 9. *Utinam in ſepulchro abſconderes me*, בשאול. Certe non vult in inferno abſcondi, ſed potius in ſepulchro, ubi qui ſunt, Dei iram non ſentiunt. Huic ſententiæ robur addunt Ebræi cum שאול pro *ſepulchro* uſurpant : ut, cum dicunt, corpus, ubi anima exceſſerit, deſcendere שאול i. *in ſepulchrum*.

Celebret te] vel, *Laudet te*. Hoc obſcurius tranſtulit Hier. *confitebitur tibi?* Et Græci LXX. ἐξομολογήσεταί σοι ; Licet etiam exponere ; τίς εὐχαριστήσει σοι ; nam הודה *gratias ago*. Hinc Juda Joſephus Orig. libr. 1. cap. 27. *Juda* εὐχαριστία. Sic in Euangelio : *Confiteor tibi pater* i. gratias ago.

7. *Defatigor in gemitu meo, natare facio tota nocte lectum meum, lacryma mea ſtratum meum liquefacio.*

Defatigor in gemitu meo] Feſſus ſum gemendo aut ſuſpirando. Sic Græce ἐκοπίασα ἐν στεναγμῷ μου, quod reddunt : *Laboravi in gemitu meo*. Prætulerim *laſſus ſum* : nam κοπιάω utrumque ſignificat. Hinc κόπος, *labor* & *laſſitudo ex labore*. Idem יגע. Ergo Pſal. 69. 4. יגעתי בקראי aptius redditur *fatigor clamando*, quam *laboro*. Joan. 4. κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, *laſſus de via*.

Natare facio lectum meum] Hyperbolice ſignificat ſe profudiſſe magnam vim lacrymarum. Pro *natare facio*, ſive, ut eſt apud Hieron. *Natare faciam*, Seniores ediderunt λούσω *lavabo* i. ארחץ ; cujus interpretamentum Chaldaicum Gen. 43. Levit. 22. & alibi, אסחי. Putarunt ergo idem hoc loco eſſe אשחה, quod alii acceperunt in ſignificatione *natandi* : atque ita hyperbole eſt eminentior.

Lacryma mea] Lacrymis meis.

Stratum meum] Lectum meum. Sic Græci & Hiero. nam στρωμνή *ſtratum*. Poſſit legi, *torum meum*. Sunt enim ſynonyma ערש & מטה, ut *lectus* & *torus*. *Stratum* autem proprie יצוע vocatur. Aliis ערש eſt *ſponda*. Itaque vertunt : *Lacrymis meis ſpondam meam liquefacio*.

Liquefacio] אמסה in liquorem fundo, liquefacio. ut Joſ. 14. 8. המסו *Liquefecerunt cor populi*. Minus dicunt, qui vertunt *rigabo*, vel, βρέξω. Nec placent admodum interpretationes nuperæ, *humecto*, *macero*, *madefacio*.

8. *Contabuit præ indignatione oculus meus, conſenuit propter omnes adverſarios meos.*

Contabuit] Sic contabuit ut ſi à tineis exeſus eſſet, à tinea corroſus i. σητόβρωτος. ut Jac. 5. ἱμάτια σητόβρωτα : *à tineis corroſa*. Nam עש tinea : à quo verbum עששה, quod nunc legitur in Ebræo, ut & Pſal. 31. 11. Ubi Hieron. *contabuerunt oſſa mea*. Scholia Ebraica enarrant רקבה i. *computruit* aut *velut à coſſo teredineve corroſus fuit*. Nam רקב *teredo*. Vermis eſt, qui oſſa corrodit. LXX. ἐταράχθη *turbatus fuit*. Aquila, ἠυχμώθη *ſqualuit*. Symm. ἐφλέγμανεν, *intumuit ex inflammatione*. Hieron. *caligavit*. Id Græci dicunt ἀμβλυώττειν.

Præ indignatione] Symm. ἀπὸ πικρασμοῦ. & Hieron. *præ amaritudine*. Notatum etiam è Symmacho eſſe *caligavit*, de quo vehementer dubito. Porro ſequentia indicant, hæc intelligenda eſſe de indignatione, quam ei movebant hoſtes, cum gauderent malo ipſius.

Oculus meus] Male colligunt ex numero de *oculo mentis*, qui ſimplex eſt, cum potius ſit ἐναλλαγὴ *oculus meus*, pro *oculi mei* : nam mens non tabeſcit.

Conſenuit] עתקה, proprie *veteravit*. id ſignificat *vetuſteſcere*, ſive *veterem fieri* ; ut apud Celſum : *In his autem febribus, quæ veteraverunt, utilis fames non eſt*, i. veteres factæ ſunt. Græce hoc diceretur ; ἐπαλαιώθη : nam παλαιὸς *vetus* i. עתיק. Sed & Senes παλαιοὶ vocantur. In lingua magiſtrorum reperio hoc ſenſu נתישנה. Quo verbo utuntur nonnulli in explicatione ꝫ עתקה. Alii exponunt : *loco motus fuit* : quod עתק interdum deſignat, ut ibi *petra transferetur è loco ſuo* צור יעתק ממקומו. Job 18. 4. Quo reſpexit Aquila, dum verteret μετήχθη *tranſlatus fuit* ; ſcio in Edit. Rom. eſſe μετήχθην, *tranſlatus ſum*. Sed credo legendum μετήχθη : Imo vix dubito, quin interpres Aquila ita ſcripſerit ; nam ad oculum refertur. Similis error in verſione Symmachi ἐπεσβαιώθην. Nam ſcripſit, ut opinor, ἐπεσβαιώθη. Idem dici poſſet de interpretamento τῶν LXX. ἐπαλαιώθην, niſi legeretur in ipſo Hieronymo, *conſumptus ſum*. Qua de re viderint, qui omnia Hieronymi tantum non pro oraculis habent. Forte ; *conſenuit oculus meus*, dictum pro *ego conſenui*. Quale illud Ennii : *Quem credidit eſſe meum cor*, pro quem ego credidi.

Propter omnes adverſarios meos] LXX. ἐν πᾶσι τοῖς ἐχθροῖς μου. Quod melius redditur ; *ob omnes hoſtes meos*, quam, *inter omnes hoſtes meos*. Nam ex Idiotiſmo linguæ (ἐν) etiam *propter* deſignat. Aquila maluit ; ἐν πᾶσιν ἐνδεσμοῦσί με. Propter *omnes vincientes me*. Quod eſt צרר in lingua Ebræa. unde צורר *hoſtis*, à vinciendo. quem alii à premendo ſive affligendo dictum putant. ut Symmachus qui vertit ; διὰ τοὺς θλίβοντάς με. in Editione Hieron. *ab univerſis hoſtibus meis*. מכל צוררי. Vide infra, Pſ. 7. 7.

9. Re-

9. *Recedite à me omnes operarii iniquitatis, quoniam audivit DOMINUS vocem fletus mei.*

10. *Audivit DOMINUS deprecationem meam, DOMINUS orationem meam accepit.*

11. *Pudefiant & conturbentur valde hoſtes mei, revertantur, pudefiant momento.*

Recedite] diſcedite, faceſſite.

Operarii iniquitatis] Qui operamini iniquitatem, i. ἀνομίαν, quod Aquila tranſtulit in ἀνωφελὲς, i. *inutile.*

Vocem fletus mei] Vocem meam flebilem.

Deprecationem meam] vel, *ſupplicationem meam.*

Accepit] Admiſit, acceptam habuit, προσεδέξατο.

Orationem meam] τὴν προσευχήν μου: *deprecationem meam*, τὴν δέησίν μου. Utrumque ſimul habetur 1 Tim. 2. 1. Scholiaſtes ita diſcriminat. Δέησις inquit, *eſt ſupplicatio, qua petimus liberari ab iis, quæ nobis moleſtiam adferunt:* προσευχὴ *vero precatio, qua beneficium aliquod petimus.* Adjecit ἔντευξιν; *qua eſt accuſatio eorum, qui nos injuria affecerunt:* & εὐχαριστίαν i. תודה *gratiarum actionem.*

Conturbentur valde] i. ταραχθείησαν σφόδρα. Sed Aquila maluit; καταπλαγείησαν σφόδρα. Vide Annot.

Revertantur, pudefiant] i. Denuo pudefiant. Verbum, ut fit, pro adverbio. Exemplum aliud extat Jud. 2. 20. Aut lege *convertantur*, nempe ad ſaniorem mentem.

Momento] רגע. Lxx. διὰ τάχους. Aquila, ἐξαίφνης. Hieron. *Subito.* Alius, ἀθρόως. Lex. Vet. Ἀθρόως, *ſummatim, repentim.*

PSAL. VII.

1. *Siggaion Davidis, quod cecinit DOMINO ſuper verbis Chus filii Jemini.*

Siggaion Davidis] Lxx. Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. Vide Annot. Porro *Siggaion* videtur potius eſſe genus carminis dictum à שגה *erro.* Itaque interpretantur: *Ode erratica* i. varia. Idem verbum uſurpatur de eo qui multus eſt in aliqua re; ut exponi poſſit: *carmen elaboratum & multa cura compoſitum.* Vidi etiam, qui exponerent: *Carmen elegans* ἀπὸ τοῦ שגה *oblecto*, ut quidam interpretantur ibi. Prov. 5. 19. *In amore ejus oblectaberis jugiter.* ubi nos mallemus, *errabis* i. *multus eris.* Qui de muſico inſtrumento conjiciunt, refelli poſſunt ex relativo, *quod cecinit:* niſi vertendum putes; *qui cecinit;* quod animadverto Aquilæ olim placuiſſe.

Super verbis] De rebus & negotiis. Alia interpretatio, *contra verba* i. calumnias. ea commodum mihi venit in mentem, cum iſta ſcriberem.

Chus filii Jemini] vel, *Chus Benjaminitæ.* Significari putarim vel ipſum Saulem, vel unum aliquem ex aulicis ipſius, qui falſum crimen Davidi objecerit, intentaveritque, puta quod quæreret malum ipſius, ut habetur 1 Sam. 24. 10. aut aliquid tale. Qui *Saulem* ipſum ſignificari exiſtimant, dicunt, ita appellatum ob morum improbitatem, juxta illud: *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

Chus] Gloſſæ Philonis, *Chus Æthiops.* Aliquid requiro in hac interpretatione: nam Æthiops *Chuſi* dicitur non *Chus.* Neque recte Hieron. meo judicio: *Chuſi, Æthiops meus.* Utrumque reperitur inter nomina propria virorum. *Chus* inſuper *Æthiopiam* notat, & μετωνυμικῶς *ipſos æthiopes.* Sed de viro Æthiope non memini legere. Lxx. χουσὶ i. כושי & Scholia: αἰθίοπος: quomodo fortean & Aquila & Symmachus legerunt. Quod valde labefactat interpretamentum Aquilæ, à me ſupra productum.

2. *DOMINE mi Deus, in te ſperavi: ſerva me ab omnibus perſequentibus me, & libera me.*

3. *Ne quando rapiat ut leo animam meam: laceret, & non ſit qui liberet.*

Mi Deus] אלהי. Vide quæ notavimus ad locum, *Deus juſtitiæ meæ*, Pſ. 4. 2.

In te ſperavi] ἐπὶ σοὶ ἤλπισα.

In te] Non in ullo homine.

A perſequentibus me] à Saule, & ejus aſſeclis, qui me perſequuntur.

Ne quando rapiat] Hieron. *ne forte capiat.* *Capiat* dixit pro *rapiat*, ut alibi *capis* pro *rapis.* Notat Iſidorus, *rapiat* i. *ἁρπάσῃ.*

Ut leo] cui ſolitum in obviam prædam ſævire, quam unguibus diſcerpit & in fruſta dilacerat.

Animam meam] Me ipſum, aut, vitam meam. Infra: *& conculcet in terram vitam meam.*

Laceret] dilaceret, diſcerpat, dirumpat. Verbum פרק in lingua Chaldæorum ſignificat etiam *redimere:* unde Græca interpretatio manavit: μὴ ὄντος λυτρουμένου ואין פרק.

Qui liberet] vel potius; qui *eripiat:* nam leoni præda ægre eripi poteſt. Joh. Leo; *Credat qui volet, quicquid leo rapuerit, etiamſi camelus foret, aufert.* Unde proverbiale: *ex ore Leonis.* Pro eo quod eſt, *è ſummo periculo.*

4. *DOMINE mi Deus ſi feci hoc, ſi eſt iniquitas in manibus meis.*

5. *Si reddidi pacem habenti mecum malum, imo erui hoſtem meum fruſtra.*

Si feci hoc] Quod me feciſſe criminatur Chus Benjaminita.

Si eſt iniquitas in manibus meis] Si quid iniqui feci aut perpetravi. Dicit autem *in manibus meis*, quia manus ſunt inſtrumenta actionum. (Alii; *in manibus meis* i. *in me.* minus placet, malim, *in actionibus meis.*) Unde manus puras habere dicitur, qui nihil turpe aut mali commiſit.

Si reddidi malum] Quomodo dicit *reddidi?* nam qui lædit, qui cum pacem habet, non reddit, ſed dat malum. Solve nodum ex Ebraiſmo: Verbum enim גמל uſurpatur & de eo, qui malum aliquid primus infert. Itaque cum in nonnullis editionibus legatur; *ſi retribui malum*, in aliis eſt, *ſi intuli malum.* Ego uſus ſum verbo *reddidi*, quod interdum idem cum ſuo ſimplici *dedi. Si reddidi ergo malum* i. ſi dedi. Celſus Juriſconſultus de Verborum ſignif. *Reddendi verbum, quanquam ſignificatum habet retrodandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.*

Pacem habenti mecum] שולמי Scholia Ebraica enarrant שהיה עמי בשלום *qui pacem mecum colebat.* Quidam, ſed male, *retribuentibus mihi* i. משלמי ἀνταποδιδοῦσί μοι.

Erui] Extraxi è periculis. De hoc verbo diximus ſupra Pſ. 6. v. 5. Vid. Mollerum, *Tantum abeſt*, inquit, *ut injuria quenquam affecerim, aut bonum malo rependerim, ut eum, qui mihi ſine cauſa hoſtis erat, è periculo manifeſto eripuerim.* Quidam ואחלצה, *& ſpoliavi hoſtem meum ſine cauſa.*

Hoſtem meum fruſtra] *Hoſtis fruſtra* ὁ μάτην ἐχθρὸς: Sic, *hoſtes circa*, οἱ κυκλόθεν ἐχθροί; *Domus longe*, ὁ πόῤῥω οἶκος. *Ægyptus hodie*, ἡ σήμερον Αἴγυπτος, *Odium gratis.* Aquila hunc locum ſic olim Græcum fecit: εἰ ἀνήρπασα τοὺς θλίβοντάς με ματαίως: *Si ad pœnam rapui eos, qui me affligunt fruſtra.* Ita Symmachus ſolet transferre צורר. Vide infra v. 7. & ſupra Pſal. 6. 8. Hieron. videtur legiſſe ואחלצה pro ואחלצה. Sane transfert: *& dimiſi hoſtes meos vacuos.* Prius legebatur, ἀποπέσοιμι ἄρα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενός, *Decidam ab inimicis meis inanis.*

Fruſtra] Poteſt aliquis cuipiam hoſtis eſſe, & non injuria, ut qui cauſam juſtam habet: Sed iſti, inquit, nullam ob cauſam mihi hoſtes ſunt: tantum libidine quadam nocendi adverſantur mihi.

6. *Perſequatur inimicus animam meam, & aſſequatur eam, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in pulverem collocet, Sela.*

Perſequatur] καταδιώξαι. In textu Ebræo verbum habetur compoſitum ex duabus conjugationibus, quod ſignificat, ut ſi dicas: *perſequatur ipſe, & perſequi faciat alios.* Obſervat interpres Ebræus, qui Camius cognominatur.

Animam meam] *Me* aut *vitam meam.*

Conculcet in terram] Plenum eſt, *Conculcet proſtratam in terram.* Sic dico: *primum proſternat in terram; deinde conculcet eam.* Tale eſt: *Capies carbones ignis*, pro *capies & pones.* Nec alienum: *accepiſti dona in hominibus:* pro *accepta diſtribuiſti.* Sæpe ita loquuntur Ebræi.

Vitam meam] Vita non poteſt conculcari pedibus. Quid igitur? Ut alibi: *adhæſit pulveri anima mea:* ſic nunc dicit: *conculcet vitam meam*, pro eo quod eſt, *me vivum.* Aut, tunc *vita conculcatur*, cum alicui turpiter & ignominioſe adimitur.

Et gloriam meam in pulverem collocet] Ita Hieron. à quo non diſſentiunt Græci, qui referunt: καὶ τὴν δόξαν μου εἰς χοῦν κατασκηνώσαι. Eſt autem hoc loco κατασκηνοῦν, *in tabernaculo collocare* ſive *habitare facere.* Alibi idem verbum ſignificat *habitare* ſimpliciter, & de iis dicitur quorum corpora humata in ſepulchro jacent, ut Pſ. 15. qui Ebræis eſt 16. καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ᾽ ἐλπίδι. *Et caro mea habitabit in ſpe.* Hic ישכן in Kal. ibi ישכן in Hiphil. Gloriam meam ſempiterna oblivione ſepeliat; ponat eam in monumento oblivionis, ubi æternum ſepulta non amplius celebretur.

Gloriam meam] animam meam, aut regii faſtigii ſpem.

In pulverem] Qui *gloria* vocabulo intelligunt regii faſtigii ſpem, hic *pulverem* dici interpretantur, humilem & abjectam con-

conditionem. Sic accipitur in illo: *Qui erigis è pulvere tenuem* i. ex infima ſorte. Meo judicio *pulverem* vocat *ſepulchrum*; & alluſit ad ſolennem in ſepulchro poſitionem. Nam mos funebris fuit, ut corpus unctum & linteis obvinctum in monumento ſolenni ritu collocarent: quod Græco ſermone Euangeliſta dixit τιθέναι, Johan. 19.42. Ergò *in pulverem collocet*, valet ſepeliat, morti tradat, aut, dejectum in pulverem ibi habitare faciat.

Sela] Aquila, ἀεί. Vide ſupra 3.3.

7. *Surge DOMINE in ira tua, attolle te contra indignationes adverſariorum meorum, & evigila ad me judicio quod præcepiſti.*

Surge, attolle te] Hoc dixit ex tranſlatione judicum, qui cauſas graviores judicaturi conſcendunt locum altiorem: Nam leviores de plano cognoſcunt.

In ira tua] Hujus contrarium; *Ne in ira tua redarguas me*: &, *caſtiga me DOMINE in judicio, non in ira tua.* Hoc modo animadvertit in ſuos: illo, in alios.

Contra indignationes adverſariorum meorum] vel, propter indignationes hoſtium meorum. Sunt, qui convertant: *in iſtis indignationibus hoſtium meorum.* Ebræa ſunt; בְּעַבְרוֹת צוֹרְרָי quæ Hieron. nove interpretatur: *indignans ſuper hoſtes meos*, nec omnino incommode: nam *indignatio hoſtium*, & quam conceperunt hoſtes; & quæ in eos concepta eſt. Sic, *metus hoſtium*, quem habent hoſtes; & qui de illis habetur. Lxx. ἐν τοῖς πέρασι τῶν ἐχθρῶν μου, *in finibus inimicorum meorum.* Nam עֵבֶר πέραν. Sophon. 3.10. מעבר לנהרי כוש Lxx. ἐκ περάτων ποταμῶν Αἰθιοπίας. Aquila: ἐν ἀνυπερθέσίαις ἐνδεσμεύντων με. In Commentariis Hieronymo falſo attributis; בעברות A. *in celeritate.* forte legit, ἐν ἀνυπερθεσίᾳ: quomodo poſuimus olim in fragmentis Antverpiæ cuſis. Sed placet, ἐν ἀνυπερθεσίαις. Vide Notat. ad v. 6. Supra v. 5. צוררי A. θλίβοντάς με. Cur nunc ita, & alibi aliter reddit? Forſan erratum ibi in nomine, & pro *Aquila* reponendum *Symmachus*, qui hoc loco habet: ἐν χόλῳ τῶν θλιβόντων με. Theodotio maluit; ἐν θυμῷ ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς μου, quod valet *in excandeſcentia*, vel, ut Vetus habet, *in furore*, & ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς μου. ut Abd. 20. מחמס אחיך ἀδικίαν κατ' ἀδελφοῦ σου. Vide ſupra.

Evigila ad me] Matura venire ad me. vult dicere; in auxilium meum. Sic è contrario Latini auctores dicunt, *indormire*, pro morari, cunctari, lente agere. Quidam, *Evigilans attende ad me.*

Ad me] אֵלַי legit etiam Hieron. Quod noto, quia in Edit. Græca ὁ θεός μου i. אֵלִי. non variant conſonantes, ſed vocales tantum.

Judicio quod præcepiſti] Ita Hieron. Prius erat, ἐν κρίματι, quod Lxx. ediderunt ἐν προστάγματι. Verbum pro verbo, *judicium præcepiſti.* Poſſet verti: *Excita mihi judicium, quod mandaſti.* Feſtina, inquit, ſtabilire jus meum, quod habeo in hoc regno; nam *judicium* vocat *jus regni.* Quod notatum in Scholiis Ebraicis. Latiore ſignificatu ſumunt, qui vertunt: *Evigila ad me, qui judicium præcipis.* Par & æquum eſt, inquit, ut mihi jus reddas, cum ipſe jus præcipias fieri. Sane peſſimum exemplum præbet, qui, cum aliquid mandat, id non facit.

8. *Et congregatio nationum circumdabit te, & propter eam in altum revertere.*

Congregatio nationum] Lxx. συναγωγὴ λαῶν i. cœtus populorum. Sunt autem in Judæa *populi*, quos alio nomine tribus appellant. Quare Hieron. explanat: *congregatio tribuum.* Similiter Pſal. 2.1. לְאֻמִּים. Lxx. λαοί. A. φῦλα. Hieron. *tribus.* Sed λαὸς ex לְאֹם quod antiqui veteres LAOM legebant. LAOM, λαός; ut כַּרְכֹּם, κρόκος i. crocus aut crocum. Potuiſſet dicere; *Nationes circumdabunt te*: ſed elegit, *congregatio nationum*; ut ſimul indicaret, ſe loqui de nationibus Judæorum, qui pariter congregati unum cœtum efficiunt.

Circumdabit te] Cum jus meum aſſerueris, tunc omnes confluent, ut fit, ad coronationem meam, ubi me regem tuum undique cingent & circumdabunt. Edit. Hieron. *circumdet te*: quod non diſplicet. Sic Græcorum interpretum alii; κυκλώσει σε. & alii, κυκλωσάτω σε.

Et propter eam in altum revertere] Lxx. καὶ ὑπὲρ ταύτης εἰς ὕψος ἐπίστρεψον. Alius, καὶ ἐπὶ ταύτῃ εἰς ὕψος ἐπιστράφηθι. Alius, καὶ ὑπὲρ αὐτῆς εἰς τὸ ὕψος ὑπόστρεψον. Hiero. *Et pro ea in altum revertere.*

In altum revertere] Vel, *in altum* i. in cœlum, ubi ſolium Dei, ſecundum illud; *Qui ſedet in cœlo.* Vel, *in altum revertere* dixit, pro conſcende tribunal: tralatio à foro deſumpta, ubi judex jus dicturus locum editum conſcendit. Auctor operis imperfecti Hom. 54. in Matth. *Criminoſas perſonas judex auditurus in publico tribunal ſuum collocat in excelſo, circa ſe conſtituit vexilla regalia, ante conſpectum ſuum ponit ſuper menſam culliculum, unde tribus digitis mortem hominis ſcribat aut vitam.*

9. *DOMINUS judicat populos: judica me DOMINE ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum integritatem meam, quæ in me eſt.*

Judicat populos] vel, *judicabit populos.* Populum non judicat populus, ſed Deus, qui propterea *judex populorum* vocatur: quanquam enim omnes homines judicat, peculiariter tamen dicitur *judicare populos*, cum inter ſe belligerant, quia populi non habent alium judicem. V. G. Cum tribus inter ſe contenderent de regno, & aliæ Davidi faverent, aliæ adhærerent Saulitis, eam controverſiam non potuit decidere alius præter Deum, qui Davidem regem fecerat; ac proinde juſtiorem cauſam habebant illæ tribus, quæ Davidis partes ſequebantur, quam aliæ: ideo ſubjecit, *Judica me DOMINE ſecundum juſtitiam meam*; haud obſcure innuens; cauſam ſuam, quam tuebatur, juſtam & æquam eſſe. Nam errant graviſſime, qui hæc de juſtitia operum intelligunt, cum alibi dicat: *Ne venias in judicium cum ſervo tuo, quoniam non juſtificabitur coram te ullus vivens.* Pſ. 143.2.

Judicat] Lxx. κρινεῖ, judicabit. alius; δικάζει. Lexic. Vet. δικάζω, *judico, litigo.* δικαζόμενος *litigator.*

Populos] Tribus Iſrael.

Secundum juſtitiam meam] Omnes: κατὰ τὴν δικαιοσύνην μου. μου inquit, non σου.

Secundum integritatem meam, quæ in me eſt] Symmach. κατὰ τὴν ἁπλότητά μου, τὴν ἐπ' ἐμοί. Hieron. *ſecundum ſimplicitatem meam, quæ eſt in me.* Lxx. κατὰ τὴν ἀκακίαν μου ἐπ' ἐμοί. *ſecundum innocentiam meam in me.*

In me] Idem cum illo, *in manibus meis.* Supra; *ſi eſt iniquitas in manibus meis.* i. in me.

10. *Conſumatur nunc malitia improborum, & ſtabilias juſtum, probans corda & renes Deus juſtus.*

Conſumatur nunc malitia improborum] vel, *Conſumat nunc malum improbos.* Id proverbio dicunt: *peccatorem perſequitur malum.* Quale & illud Catonis: *noxa caput ſequitur*: & Horatii; *Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.* Prov. 5.22. *Iniquitates ſuæ capient improbum, & funibus peccati ſui comprehendetur.* Hoc etiam facit adagium Vetus, מרשעים יצא רשע. *Ab improbis exit improbitas.* Symmachus hunc locum ſic olim tranſtulit, ἀπαρτισθήτω κάκωσις τῶν ἀσεβῶν i. perficiatur vexatio impiorum. Antea fuerat: συντελεσθήτω δὴ πονηρία ἁμαρτωλῶν: conſumatur nunc malitia peccatorum. Edit. Hieron. *conſumetur malum iniquorum.*

Conſumatur] Ceſſet, vel deficiat, finem accipiat, ut Pſ. 12.2. גמר חסיד, *deſiit eſſe pius.*

Malitia] Malum, nequitia, perverſitas.

Et ſtabilias juſtum] Malim, *ut ſtabilias.* Novum non eſt, ut (&) pro (ἵνα) ſumatur. Varie redditur hic locus; à Hiero. ita: *& confirmetur juſtus.* Senſum expreſſit aliquo modo; nam confirmatur à Deo cum is facit ceſſare nequitiam, pœnas exigendo de magiſtris ejus. A Lxx. autem redditur hoc modo: καὶ κατευθυνεῖς δίκαιον, *& diriges juſtum.* Ab aliis tribus, καὶ κατευθυνεῖ δίκαιος, *& dirigit juſtus.* à quibuſdam, quorum nomen proditum non eſt: καὶ ἑδράσεις δίκαιον i. *ſtabilies, confirmabis.* Lexic. Vet. ἑδράζω, *colloco, ſedo, ſtabilio.* Vera interpretatio, *dirigit juſtus.* hic ſubaudio, *viam ſuam*, aut aliquid tale. Scholia Ebraica Camii, הצדיק תכונן דרכו. ubi tamen ſcribi malim יכונן, ut dicat; *juſtus diriget viam ſuam.*

Probans corda & renes] Olim erat in Lxx. ἐτάζων καρδίας καὶ νεφρούς i. ſcrutans. Id alius maluit dicere, ὁ ἐτάζων καρδιῶν καὶ νεφρῶν, *ſcrutator cordium & renum.* Editio Hieron. Latina: *probator cordis & renum.* Ceterum in fonte eſt וּבֹחֵן, *& probans*: ubi copula redundat ex Ebraiſmo, aut ſignificat verbum abeſſe, *noſcens & probans corda.*

Corda] Animos, eorumque affectiones.

Et renes] Ebræi renibus attribuunt conſilia. Vide quæ ſcripſimus ad locum: *Noctes erudierunt me renes mei.* Alioquin in renibus ſedes eſt cupiditatum; unde & nomen habent: nam dicuntur כליות ἀπὸ τοῦ כָּלָה, *concupiſco.* Hiero. Mich. 2. *In lumbo coitus ſignificatur, & omnia opera, quæ ad commixtionem pertinent, renum appellatione monſtrantur.* Alii per *renes* ſignificari putant *cogitationes.* Theodoretus in his eſt, qui Jer. 11. ad locum, *probas renes & corda*, ita ſcribit: *Renes vocat cogitationes, eo quod concupiſcendi vis in renibus ſita frequenter incitat cogitationem.* In libro formularum Eucherii, *Renes, interiora ſenſus*: & mox, *nihil occul-*

tius

tius in homine, *quam cor & renes : unde ſcrutans corda & renes.* Ut hic, *probator renum*; ita Sapient. 1. 6. Deus vocatur μάρτυς τῶν νεφρῶν, i. *teſtis renum*; quia videlicet conſcius eſt cupiditatum noſtrarum, & affectus omnes interiores probe novit.

Deus juſtus] In nonnullis Editionibus legitur, *Deus juſte* : quod non eſt adverbium, ſed nomen adjectivum in caſu penultimo, quem vocativum vocant. Aliæ habent : ὁ θεὸς δίκαιος ὁ ὑπερασπιστής μου, *Deus juſtus protector meus.* Verior lectio; ὁ θεὸς δίκαιος, ἡ βοήθειά μου. Sic habent & exemplaria quædam editionis Lxx. In aliis eſt; ὁ θεός. Δικαία ἡ βοήθειά μου : in aliis; ὁ θεὸς δικαίως. Vide Annot. Chryſoſtomus annotat, ſeniores ediziſſe, ὁ θεός. δικαία ἡ βοήθειά μου. & alius; ὁ θεὸς δίκαιος. Adi ſis ad Rom. Edit. *Probans corda Deus juſtus*, idem cum illo, *Deus juſte.* genus loquendi, ut, *qui ambulat integer*, pro integre. Cui ſimile in Latio, *Veſpertinus agebat*, pro veſpere agebat. Nomen pro adverbio.

11. *Clypeus meus in Deo, ſervante rectos corde.*

Clypeus meus in Deo] Alibi eſt : *Clypeus meus Deus*; nunc mutat locutionem, ut ſimul fiduciam ſuam, quam in Dei præſidio habebat, demonſtraret.

Clypeus] Protectio, præſidium.

In Deo] In Deo ELOHIM, qui vindex eſt ſuorum, & ultor hoſtium.

Servante rectos corde] Qui ſervat omnes eos, qui cor i. animum rectum gerunt. & *ſervat* è periculis, ſive eripit periclitantes. Alioqui vocatur σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, nempe, quia omnes homines in hac vita conſervat, dum eos nutrit atque alit.

12. *Deus judicat juſtum, & Deus indignatur tota die*] Hic verſus varie redditur. Alii reddunt : *Deus judex juſti, & Deus iraſcentis tota die*: Alii, *Deus judex juſtus, & valide iraſcens tota die*, [אֵל pro בְּאֵל, non probo] Alii; *Deus judex juſtus & fortis, comminans tota die.* hoc modo Hiero. reddit. Alii, *Deus judicat juſtum, & Deo ſuccenſentem tota die.* Hoc poſtremum hauſi è commentario Davidis Camii. Græca hic luxuriant à gloſſemate; ὁ θεὸς κριτὴς δίκαιος καὶ ἰσχυρὸς καὶ μακρόθυμος. hoc primum : deinde plures editiones coaluerunt. Nam ſequitur; μὴ ὀργὴν ἐπάγων καθ' ἑκάστην ἡμέραν : Quis non videt, hoc ab iis eſſe, qui legerunt אַל pro אֵל? *Deus*, inquit, *eſt judex juſtus, & fortis, & patiens : nunquid iram inducit per ſingulos dies?* Licet etiam legere abſque interrogatione : *non iram inducit quotidie* i. pœnam, ſupplicium. ac ſi diceret : non ſemper punit peccata, quæ homines committunt.

Deus] Appoſite uſurpat hoc loco nomen ELOHIM, in quo ſignificatio judicii, ut dictum eſt.

Judicat juſtum] Jus reddit juſto : vel, vindicat ac defendit eum. Nam *judicare* & pœnam, & defenſionem includit: Itaque alibi ſignificat *punire*, & alibi *defendere.*

Juſtum] Virum bonum.

Indignatur tota die] A. ἀπειλούμενος κατὰ πᾶσαν ἡμέραν i. interprete Hiero. *comminans tota die.* alius: ἐμβριμώμενος καθ' πᾶσαν ἡμέραν, *infrendens tota die.* Puto Symmachi eſſe. Infra 38. 7. מפני זעמך A. & Symm. ἀπὸ προσώπου ἐμβριμήσεώς σου. Lexic. Vetus. βριμῶμαι, *frendo.* Conſtantini : ἐμβρίμημα, *indignatio*, τὸ μετ' ὀργῆς λάλημα. Rurſum Pſal. 38. 4. זעם Aquila & Sym. ἐμβρίμησις i. fremitus aut ἐμβριμώμενος, comminans iracunde.

Indignatur] Stomachatur cum impiis. magis probo, *iracunde tractat* improbos. Eſt enim verbum, quod hic uſurpat David, in communi ſermonis Ebraici uſu ἀλλοπαθὲς, & cum eo accuſativus jungitur. Jeſ. 66. & alibi.

Tota die] Perpetuo, aſſidue.

13. *Si non convertatur, gladium ſuum acuat, arcum ſuum tendat, & dirigat illum.*

Si non convertatur] *Converti* hic eſt, in viam redire, vitamque in melius commutare, & ſubint. impius. Poſſet legi; *quum non convertatur* : nam (*ſi*) interdum valet (*quum*) ut 34. *ſi erit Jubilaus.* Plautus *Aſinaria*: *mercedem ſi erit nactus.* Idem *Captiveis* : *Jam ego revortar intro, ſi ex his, quæ volo, exquiſivero.* Huc refer : *ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* Non enim dubitans hoc extulit Apoſtolus; quum nihil tam certum ſit, quam Deum ſtare à partibus ſuorum.

Gladium ſuum acuat] Deus an hoſtis? ſi hoſtis; figura eſt, quam *conceſſionem* vocant. q. d. Acuat ſe quantum poteſt, & faciat quod poteſt, conatus ipſius plane in irritum abibit, atque adeo ei perniciem adferet.

Acuat] Lxx. στιλβώσει i. nitidum reddet, ſive, poliet. male vulgo *vibrabit.* Symm. ἀκονήσει i. acuet. Sic etiam Hiero. Verbum לטש utrumque ſignificat; nam qui ferro nitorem conciliat, ſimul illud acuit.

Gladium ſuum] Lxx. τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ, quam vocem uſurpant paſſim pro enſe. nec Ebræum חרב aliud ſignificat : proinde Symm. convertit, τὴν μάχαιραν αὐτοῦ. Lexic. Heſych. ῥομφαία, μάχαιρα, ξίφος ἢ ἀκόντιον μακρόν. dicitur & framea.

Arcum ſuum tendat] Gladium & arcum poſuit pro quovis genere armorum. ut Gen. 48. 22. *Partem, quam accepi è manu Amorræi gladio meo & arcu meo.* Rurſum Pſal. 44. 7. *Non in arcu meo confidam, non meus me ſervabit gladius*; nam arma Veterum præcipua erant gladius & arcus.

Tendat] דרך proprie, *tetendit*, quod Græce legitur ἐνέτεινε. Sed in alia quapiam editione habetur, ἐντενεῖ i. tendet, ſive, intendet.

Et dirigat illum] Arcus non dirigitur, ſed ſagitta arcu emiſſa; ideo malim : *& paret illum*; Sic Editiones veteres. Vel, *aptet illum*; ut aptare arcum intelligatur, qui nervo ſagittas aptat. expende.

14. *Et ſibi paret inſtrumenta mortis, ſagittas ſuas ardentibus faciat.*

Et ſibi paret] Græca hic legunt ἐν αὐτῷ : ſed ſuſpicor, interpretes ediziſſe, ἑαυτῷ. Lubricus quidem ſane lapſus de hoc in illud, nec plane inſolens. tamen id pono, non ſtatuo.

Paret] Alii *præparet* : alii, *comparet.*

Inſtrumenta mortis] i. mortifera, vel lethalia, ut quæ veneno tincta ſunt, aut, *arma bellica*, cujuſmodi ſunt arcus, gladii, lanceæ, & alia ad perniciem hominum inventa excogitataque. כלי מות ad verbum, *vaſa mortis*; quod non auſus fui ponere : poſui ſenſum; nam *vaſa* nuncupata Ebræis quævis inſtrumenta, qualia ſunt in bello, arma; in navibus armamenta: in domo veſtes reliquaque ſuppellex.

Ardentibus] Ardenter perſequentibus. Sic Gen. 31. 36. כי דלקת אחרי, *quod tanto me ardore inſecutus ſis.* Virg. Æneid. 1. *Inſtant ardentes Tyrii* i. *multum feſtinantes*, inquit Servius. Rurſum Æneid. 12. *ardet in arma magis.* Græci legunt καιομένοις : ſane melius haud paullo, quam poſt à Symm. verſum fuit, εἰς τὸ καίειν, & à Hiero. *ad comburendum.*

Faciat] i. paret, aut conficiat. ſic *facere navem* dicitur qui navem ædificat.

15. *Ecce parturiet iniquitatem, poſtquam conceperit moleſtiam, & pariet mendacium.*

Ecce] Proprie loquitur in re, quæ hoſti, quem tangit, improviſa erit. Hic ſenſus eſt : Faciat quantum poteſt, quantum velit; ecce quicquid molietur, *fruſtra erit & in fumum abibit.* eſt autem proverbium, *concepit moleſtiam & peperit mendacium* : quo ſignificant, maximi conatus caſſum & inanem eventum.

Poſtquam conceperit moleſtiam] והרה verto; *poſtquam conceperit*, ſenſu ita poſtulante, nam conceptus partum præcedit, quo appropinquante parturiunt mulieres. Non male vertes etiam; *concepta moleſtia.* Auctore Hiero. id facies, in cujus editione legimus, *concepto dolore.* Prius erat in Lxx. συνέλαβε πόνον; & apud alium, καὶ κυήσας. aut ordo verborum perturbatior ita collocandus erit : *concipiet moleſtiam, & parturiet iniquitatem, & pariet mendacium.*

Parturiet iniquitatem] Sic vocat laborem iniquum & improbum. Senſus ergo, ut ſi diceret : ſummo cum labore & nixu improbo parturiet.

Pariet mendacium] *Mendacium* vocatur, quando res exitum habet alienum à ſpe noſtra : ſive, quando aliter ac putabamus, evenit, nec procedit ex animi ſententia, quod molimur. Hinc intelligentiam habet Pſ. 144. 8. *Dextera eorum dextera mendax* i. fallax. *Fallax* autem *dextera*, quæ fallit eum, qui ea fretus fuit, aut fiduciam in ea poſuit.

Mendacium] שקר. Seniores hic convertunt, ἀνομίαν & alibi, Pſ. 144. 8. ἀδικίας. Sed A. emendavit, ψεῦδος, & poſt eum Hiero. edidit, *mendacium.* Quæ vox obvia & Prov. 31. *Mendacium eſt pulchritudo* : quod manifeſtius alii reddunt; *fallax eſt pulchritudo.*

16. *Puteum fodit, & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit.*

Puteum fodit] *Puteum fodere* dicitur, qui alicui inſidias ſtruit, metaphora ſumpta ex conſuetudine eorum, qui puteos fodiunt capiendis lupis aut feris aliis : unde Comicus; *Decipiemus fovea lenonem Lycum.* alluſit ad nomen *Lyci*, quod in Græcorum lingua *lupum* denotat.

Puteum] בור proprie puteus, in quo aquæ pluviæ colliguntur; unde *ciſternam* interpretantur. Græci λάκκον reddunt, &

Hiero. *Lacum.* Uſurpatur & pro ſepulchro & pro loco ſubterraneo carceris, in quo vincti aſſervantur.

Et effodit eum] terram fodiendo egeſſit, quo ſic eum profundiorem faceret. *Fodit & effodit* Euangeliſta dixit. Luc. 6. 48. ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, quod interpretantur, εἰς βάθος ἔσκαψε, profundum fodit. Seniores reddunt: ἀνέσκαψεν αὐτόν, *refodit eum:* nam ἀνασκάπτω *refodio*, idem ἀνορύσσω dicitur; ſignificat etiam effodio.

Et incidit in foveam quam fecit] O factum bene! Neque enim lex juſtior ulla eſt, Quam necis artifices arte perire ſua. Celebre adagium eſt apud Ebræos; *Qui foveam fodit, in eam cadet:* quod uſurpant de eo, qui propriis inſidiis capitur, ſuaque ipſius fraude miſer perit. Extat Ebraice Cohel. 10. 8. חוֹפֵר גּוּמָּץ בּוֹ יִפּוֹל. Et Græce apud Sirach. Eccleſ. 27. 29. ὁ ὀρύσσων βόθρον, εἰς αὐτὸν ἐμπεσεῖται. Vide ſodes Proverbia mea.

In foveam] εἰς βόθρον, ita Lxx. Symm. maluit, ἐν διαφθορᾷ; nam eſt שחת in Ebræo; cujus appellatio, ut quidam volunt φθείρω τὸ שחת corrumpo. Pſal. 16. qui Græcis eſt 15. οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν: לִרְאוֹת שָׁחַת. cur nunc aliter convertunt? An quia ſermo eſt de ſepulchro, in quo cadavera corrumpuntur?

17. *Revertetur moleſtia ejus in caput ipſius, & in verticem ejus violentia ipſius deſcendet.*

Revertetur moleſtia ejus in caput ipſius] Ita Cœlius dixit: *quod illorum capiti ſit:* imitatus, ut creditur, Græcos: apud quos εἰς τὴν αὐτοῦ κεφαλήν; genus eſt imprecationis, quo in alium malum retorquemus.

Moleſtia ejus] vel, *labor ejus.* Sed עָמָל proprie *labor moleſtus*; nam labor עֶצֶב dicitur. Eadem vox *dolorem* ſignificat: ſic πόνος & *labor*, & *dolor*. Uſi ſunt hoc loco Lxx. ὁ πόνος αὐτοῦ, quod vertendum; *labor ejus*, & non, ut vulgo reddunt, *dolor ejus*. Ambigua ſignificatio decepit interpretes. Quid mirum? nam etiam Hiero. ex Ebræo in Latinum convertit, *dolor ejus.* Atqui עָמָל id non ſignificat: recte igitur emendarunt alii, reponentes, *labor ejus.*

Violentia ejus] Alii, *injuria ejus:* alii, *iniquitas ejus:* & Græci Lxx. ἀδικία αὐτοῦ. Sed *iniquitas* עולה dicitur. חמס potius eſt cum aliquid per vim alicui adimitur; quocirca exponitur ab Ebræis גזל ועשק *rapina & oppreſſio.*

Deſcendet] Nempe cœlitus à Deo, à quo mala & bona omnia deſcendunt, ut Abenezra obſervat.

18. *Celebrabo DOMINUM ſecundum juſtitiam ejus, & pſallam nomen DOMINI ſupremi.*

Celebrabo DOMINUM] Hinc diſces, quid ſit apud Veteres interpretes, ἐξομολογήσομαι κυρίῳ i. *confitebor DOMINO.* Quod adeo crebrum, ut etiam *confeſſionis* nomen in uſu ſit, pro laude & gratiarum actione. Qui legerunt hymnos Eccleſiaſticos, ſciunt, me verum dicere.

Secundum juſtitiam ejus] Ut dignum eſt juſtitia ejus, qua uſus eſt erga me, ſive quod idem, in cauſa mea.

Pſallam] Edit. Hiero. *Cantabo* i. אזמרה. Apud A. Gellium, *Qui canerent & qui pſallerent* i. cithara pulſarent, inquit Budeus. Mihi crede זמר latius patet, nam etiam de oris cantu uſurpatur.

Nomen DOMINI] vel, *Nomini DOMINI.* Sic Græci, ψαλῶ τῷ ὀνόματι Κυρίου.

Supremi] Sunt qui legunt: *nomen DOMINI excelſum:* placet magis *DOMINI excelſi.* Notum inter epitheta Dei עליון, quod ſonat, *ſupremus, altiſſimus, excelſus*, i. ὕψιστος. Notum hoc epithetum in ipſas gentes. Sane Ἐλιοῦν Deus, memoratur apud Sanchuniatonem, ſcriptorem rerum Phœniciarum.

PSAL. VIII.

1. **M***Agiſtro Cantorum ad Githith, Pſalmus Davidis.*

Ad Githith] Pſalmus canendus ad genus carminis quod *Getthæum* vocant: ſicut dicimus, carmen Sapphicum aut Phaleucium. Aut, inſtrumentum erat, ita dictum ab urbe *Geth* ſive *Gath*, quæ una eſt ex quinque oppidis Paleſtinæ proprie appellatæ. Sane Chaldæus paraphraſtes interpretatur in hanc ſententiam, *de cithara* inde advecta. Quidam putant, hunc Pſalmum compoſitum fuiſſe à Davide, cum in ea urbe commoraretur, idque titulo iſto innui. Alii ſcribunt; initium fuiſſe alicujus cantilenæ, ad cujus modulos hæc ode canenda fuerit. Erat inter Leviticas familias quædam *Gethæa*, cui hunc hymnum attribuunt nonnulli. Moſes Judæus cenſet, inſtrumentum fuiſſe familiæ Obed Edom, qui *Gethæus* cognominatur, proprium. R. Salomo ait; nomen habere ex urbe *Gath*, ubi artifices erant inſtrumentorum talium. Sunt qui putant; melodiam eſſe cani ſolitam ab iis, qui uvas calcabant in torculari, quod *Gath* nuncupant; aut carmen, quod tempore vindemiæ caneretur, quod genus ληναῖον vel ἐπιλήνιον vocant Græci. Quo accommodari poſſet Græcum interpretamentum, ὑπὲρ τῶν ληνῶν, à Hiero. Latine converſum; *pro torcularibus.* nam *Gath* ληνός, ut diximus, in quo uvæ calcantur; item urbs ejus nominis, à quo Gentile גִּתִּי *Getthæus*, & fœmininum גִּתִּית Gethæa vel Githæa, nam utrumque dicitur. Adde ſi placet *Gathæa*, nam hodie ſcribunt גַּת *Gath*, quod antiqui legebant *Geth*, per (e) brevem vocalem.

2. *DOMINE Domine noſter, quam magnificum eſt nomen tuum in univerſa terra, qui poſuiſti majeſtatem tuam ſupra cælos.*

DOMINE] Hic eſt nomen JHVH quod tetragrammaton vocant.

Domine noſter] Hiero. *Dominator noſter.* Sic אדון כל הארץ *Dominator totius terræ.*

Magnificum] Gloſſæ veteres Philoni attributæ, *Adar*, *magnificus, ſublimis.* Alii *potens, illuſtre, inclytum, grande.* Hoc poſtremum Hiero. uſurpat, ut è Græcis non nemo, τὸ μέγα. Editio Chaldaica, *quam ſublime:* Græca τῶν Lxx. ὡς θαυμαστόν, *quam admirabile:* i. פֶּלֶא.

Nomen tuum] i. fama, laus, reputatio tua, quam pepererunt potiſſimum virtus & potentia. Sane in Euangelio ſynonyma ſunt *Dei nomen, ſpiritus, digitus, virtus.* Quanquam ſimul leguntur Act. 4. 7. ἐν ποίᾳ δυνάμει ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι; Huc pertinet, quod apud Juſtinum hiſtoricum Lib. 24. ubi, tantum fuiſſe terrorem *Gallici nominis*, memorat, ut etiam reges non laceſſiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Sunt ex Ebræis, in queis R. David, qui *nomen Dei* ſumunt pro ipſo Deo: & in hanc ſententiam dictitant, שמו הוא והוא שמו, *nomen ſuum ipſe eſt, & ipſe eſt nomen ſuum.*

Qui poſuiſti] Uſus eſt enallage temporum תְּנָה pro נָתַתָּ i. *dare* pro *dediſti*, hoc primum, deinde *dare* uſurpavit pro שִׂים, *poſuiſti.* Sic contra *ponere* pro *dare* uſurpatur in illo; *quia poſuit mihi ſemen aliud pro Habel.* Sic apud Græcos δοῦναι & τίθεσθαι ſe mutuo explicant, & viciſſim permutantur.

Majeſtatem tuam] vel ſi placet, *decus tuum* i. ἐπιπρέπειαν σου. Græci hic reddunt μεγαλοπρέπειάν σου *magnificentiam tuam.* Alibi eſt in declaratione hujus vocis, ἐνδοξότης, *claritudo*, ἀρετή, *virtus*, δόξα *gloria.* Pſ. 21. 6. in Lxx. Quod poſtremum retinuit hoc loco Hiero. Reperio & ἔπαινος i. *laus.* Sane quidem ex Græcorum editionibus laudatur in Edit. Rom. ὃς ἔταξας τὸν ἔπαινόν σου, *qui ordinaſti laudem tuam.* Ita redditur à nonnullis Zach. 10. 3. כסוס הודו במלחמה *Sicut equus, cujus laus eſt in bello.* Dan. 11. 21. הוד מלכות *decus regni*, vel *majeſtas.*

Supra cælos] Hab. 3. 3. *Texit cælos majeſtas ejus.* ubi Lxx. ἡ ἀρετὴ αὐτοῦ, & Hiero. *gloria ejus.* Ebræi explicant, כחו והדרו *potentia ejus & decus ejus.*

3. *Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur propter adverſarios tuos, ut ceſſare facias hoſtem & ulciſcentem ſe.*

Ex ore] Voce ac teſtimonio. Paulo aliter Perſius: *nec erit qui recuſet os populi meruiſſe. Os populi* dixit pro approbatione, laude.

Infantium] Lxx. νηπίων. A. βρεφῶν.

Fundaſti robur] Id Aquila dixit interpretans ἐθεμελίωσας κράτος. Sexta editio habebat, κατέστησας ἰσχύν, *conſtituiſti robur.* Antea erat in libris Græcis κατηρτίσω αἶνον. Poſt etiam Hiero. convertit ex Ebræo: *perfeciſti laudem:* nam receptam, credo, in Eccleſia lectionem mutare noluit, cum Apoſtoli eam immutatam reliquiſſent. Vide ſis Matt. 21. 16. Quanquam & verba alia ſint, res tamen eadem eſt: quippe opera perfecta etiam firma ſunt. quod innuit verbo *fundandi*, ſiquidem firmiſſima pars ædificii fundamentum eſt. *Robur* autem vocat Dei potentiam, ex qua ei laus: aut firmam ac ſolidam laudem, ut Exod. 15. 2. *Robur meum & canticum Iah.* Sic acceperim Pſalm. 29. 1. *Date DOMINO gloriam & robur.* Similiter Pſ. 96. 7. & 118. 14. Itaque Græci alicubi reddunt τιμή, *honor*, videl. Pſ. 28. 1.

Propter adverſarios tuos] Ita Hiero. Prius erat in editione Aquilæ Pontici, διὰ ἐνδεσμοῦντάς σε. & in edit. τῶν Lxx. ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν σου. *propter inimicos tuos.*

Ut ceſſare facias hoſtem & ulciſcentem ſe] Sexta Edit. extulit Græce ὡς τὸ παῦσαι ἐχθρὸν καὶ τιμωροῦντα ἑαυτόν. nam παύω *ceſſare facio.* Minus recte Hiero: *ut quieſcat inimicus & ultor.* i. לְהַשְׁבִּית.

Ut ceſſare facias] Ut compeſcas, reprimas, coerceas. Rectius forte; *ut quieſcere facias* i. ſilere; nam *quieſcere* & *ſilere*

re ſe invicem explicant. Vult dicere, Ut ſilentium imponas iis qui male ſentiunt de Providentia tua. Quales ſunt omnes impii, & qui nihil quam ultionem ſpectant, nec acceptæ injuriæ memoriam ex animo delent.

Ulciſcentem ſe] Qui injuriam ſibi factam ulciſci properat, ac ſi non eſſet Deus in cœlo, qui id facere poſſet, cum ſcriptum ſit; *mihi vindicta*, *&* *ego retribuam.*

4. *Quum video cœlos tuos, opus digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quas firmaſti.*

5. *Quid eſt mortalis, ut memor ſis ejus? & filius hominis, ut viſites ipſum?*

Quum video] (כִּי) accipio pro *quum*, *quando*, *quoties*, ut Hab. 1. 5. כִּי יְסֻפָּר *quum numerabitur.* & Mich. 5. 6. כי יבוא *quum venerit.* Nam *enim*, aut *quoniam*, aut ὅτι, quæ in aliis editionibus, huic loco minime conveniunt.

Cœlos tuos] Malim, *cœlum tuum.* Nam cum tres cœli memorantur in ſacris, hic tantum agit de illo, in quo ſunt ſtellæ, quod firmamentum vocant.

Tuos] A te conditos. Condidit autem non ſolum illud cœlum, de quo dixi, ſed etiam alios duos: in quorum altero peculiariter habitat, juxta illud: *Cœlum cœli DOMINO, terram autem dedit filiis hominum.*

Digitorum tuorum] Potentiæ tuæ. Idem videlicet cum illo, *manuum tuarum*, quod notum in vulgus. Hinc intelliges, quid ſit *digitus Dei*; pro quo alibi legitur *virtus Dei*, & alibi *Spiritus Dei*: ſic Exod. 31. 18. *tabulas lapideas ſcriptas digito Dei*, interpretatum ab Aquila, *Potentia Dei.*

Lunam & ſtellas] Cur ſolem omiſit? an quia noctu non videtur? Verum puto, nam ſimul *luna & ſtellæ* noctu conſpiciuntur: ſol duntaxat interdiu apparet.

Quæ firmaſti] i. ἥδρασας, ut habebat olim VI. Edit. ſupra 7. 10. eadem, ut hinc colligo, καὶ ἑδράσεις δίκαιον, *& ſtabilies juſtum*; idem verbum כונן in fonte, quod hic Aquila tranſtulit ἡτοίμασας, *præparaſti.* Poteſt etiam verti: *quas ſtatuiſti* aut *condidiſti.* ut Pſ. 107. 36. ויכוננו עיר Lxx. συνεστήσαντο πόλεις i. *conſtituerunt* aut *condiderunt.* Sic Virgilius niſi fallor: *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt* i. condo. Aliud ἐθεμελίωσας i. יִסַּדְתָּ Quo magis miror Hier. ex Ebræo convertere, *fundaſti.* Quod fugit non effugit; כי אראה VI. Edit. ὁρῶ γὰρ: & שָׁמֶיךָ Theodotio, τοὺς οὐρανούς σου i. *cœlos tuos.* Adjecit ergo pronomen, quod aberat in Lxx.

Quid homo, ut memor ſis ejus?] Sic Græci, τί ἐστιν ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ; *Quid eſt homo, quod memor ſis ejus?* Poſt alius edidit: τί ὁ κατ' ἄνδρα, ὅτι μνημονεύεις αὐτοῦ; ubi notabis elegantem locutionem, ὁ κατ' ἄνδρα, pro ἄνθρωπος: nam איש & אדם ſe explicant, ſic ἀνὴρ & ἄνθρωπος. Ergo ὁ κατ' ἄνδρα i. *homo.* Hic verſus legendus eſt cum admiratione, & connectendus cum ſuperiore verſu, in quo mentionum fecit corporum cœleſtium, ad quæ homo comparatus, adeo eſt vilis & contemptus, ut mirum ſit, Deum tot quotidie beneficia in ipſum conferre, tantamque ejus curam habere. Sic Macarius Ægyptius Homil. 26. ἴδε πόσος ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, καὶ οὐκ ηὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ Θεὸς, εἰ μὴ μόνον εἰς σε. *Vide*, inquit hominem alloquens, *quantum cœlum & terra, & tamen non acquievit in eis, ſed ſolum in te.*

Quid eſt mortalis] אנוש dictum alii putant *à dolore*; alii *ab oblivione.* Sane Euſebius Pamphili προπαρ. lib. 11. pag. 303. ἐπιλήσμονα interpretatur. Sed prior originatio aptior ad locum præſentem. *Quid*, inquit, *ærumnoſum ac miſerrimum hoc animal: quid habet memoria aut viſitatione tua dignum?* q. d. nihil plane.

Ut memor ſis ejus] Ut ejus memoriam uſurpes, quotidie bene merendo de illo? Pſ. 144. 3. pro eo eſt, *ut cognoſcas eum.* Sed operæ pretium eſt, adſcribere locum integrum, quem ſi velis cum iſto contendere, deprehendes, אדם inter & אנוש nullum omnino diſcrimen eſſe: Locus hic eſt; *Quid eſt homo ut cognoſcas eum? & filius mortalis, ut reputes eum? Homo vanitati ſimilis eſt, dies ejus ut umbra tranſiens.*

Filius hominis] i. homo. Reddi poſſet; *filius Adæ*; nam אדם primi parentis proprium, & commune hominum nomen. Sed placet magis *filius hominis.* Cui firmando eſt בן אנוש, *filius mortalis.* Appellatio à terra, quæ אדמה dicitur. Sic *homo* ab *humo*; quam etymologiam ſatis temere ridet Quintilianus lib. 1. cap. 6. *Etiamne hominem*, inquit, *appellari, quia ſit humo natus? quaſi vero non omnibus animalibus eadem origo? aut illi primi mortales ante nomen impoſuerint terræ quam ſibi?*

Ut viſites ipſum] Ut ejus rationem habeas, aut, ei facias bene; vel, ut eum adſpicias; ei ſis propitius. Sic, *Viſitavit populum ſuum, dando eis panem. Viſitavit nos germen ex alto*, i. reſpexit.

6. *Nam feciſti eum pauliſper minorem angelis, gloria & decore coronaſti eum.*

Feciſti eum minorem] i. ἠλάττωσας αὐτὸν, ut recte Lxx. interpretantur; ſignificat enim ἐλαττόω, *minuo, imminuo*, idem חִסֵּר quod nunc reddunt, *deficere feciſti eum à Deo:* qui ſermo ambiguus eſt, nec ſatis clare mentem explicat Davidis. Quocirca ſtudio ac data opera eum vitavi.

Minorem] aut, *Inferiorem*; vult dicere; ut eſſet inferiore conditione; nam dum in hac vita eſt homo, ab angelis ſuperatur, primum, quod mortalis ſit; deinde, quod peccare poſſit, atque adeo peccet quotidie; poſtremo, quod non tam prompte nec tam alacriter Deo inſerviat.

Pauliſper] βραχύ τι. Ita Seniores. Sic etiam Apoſtolus Ebr. 2. 7. ſed nunquid poteſt מעט ad tempus referri? Poteſt. & exemplum eſt in hoc libro 37. 10. *adhuc pauliſper, & non eſt improbus.* Theodotio & VI. Edit. conveniunt cum Lxx. niſi quod pro παρ' ἀγγέλους, converterint, παρὰ θεόν. Alius tranſtulit, ὀλίγον παρὰ θεόν. De παρὰ θεόν dicam mox. ὀλίγον i. *parum* aut *paululum.* Non male vertes: *feciſti eum aliquantulum inferiorem Deo.* q. d. Parum abeſt, quin eum Deo parem feceris. Vide Annotat.

Angelis] Sic enarrant hunc locum Lxx. Apoſtolus, Chaldæus paraphraſtes, & David cognomento Camius; qui etiam ſcribit, hominem *inferiorem* dici *Angelis* propter corpus, quod Angeli nullum habent. Sane anima extra corpus conſiderata non eſt inferiòr Angelis. Hieronym. ſeorſim ab iis, quos modo memoravi, convertit ex Ebræo in Latinum; *minues eum paullo minus a Deo.* Ante ipſum Theodotio, & auctor Edit. quæ VI. nuncupatur, βραχύ τι παρὰ θεόν: ut alius ὀλίγον παρὰ θεόν; ut diximus. Dubito utra interpretatio melior, verior ſit: Nam ex ambiguo ELOHIM nihil juvamur; tam enim *Deum* ſignificat, quam *Angelos*, nec ſententia Deum ſpernit, ſive ad Chriſtum referatur, ſive ad ſtatum hominis regenerati.

Gloria & decore] Ita Hiero. Olim erat, *gloria & honore* i. δόξῃ καὶ τιμῇ. הָדָר *decor*, vel, *decus* i. εὐπρέπεια. Qua declaratione uſi ſunt Lxx. Pſ. 104. 2. ubi Aquila, διαπρέπεια, & Symm. εὐδοξία, & Theodot. μεγαλοπρέπεια. Hiero. Amos 1. הָדָר *eſt εὐπρέπεια, quam nos decorem poſſumus dicere.*

Coronaſti eum] Ornaſti eum itidem ut corona caput ornare ſolet: aut *coronaſti* dixit pro, cinxiſti undique, nempe ut corona caput cingit. Supra; *ut ſcuto benevolentia coronas eum.*

Coronaſti] Editio Hiero. *coronabis*, quod referunt ad futuram vitam, quando pii æterna felicitate in cœlo fruentur. Non admodum placet: malo ut ſit fut. pro præterito; quæ enallage frequens eſt in his libris.

7. *Dominantem feciſti eum in opera manuum tuarum, omnia poſuiſti ſub pedibus ejus.*

8. *Oves & boves univerſos, atque etiam beſtias agreſtes.*

9. *Aves cœli & piſces maris, quicquid tranſit ſemitas marium.*

10. *DOMINE Domine noſter, quam magnificum eſt nomen tuum in univerſa terra!*

Dominantem feciſti eum] Sic Plautus; *qui te flentem fecit.* Vulgo, *dominari feciſti eum.* Lxx. κατέστησας αὐτὸν, *conſtituiſti eum.* Malim; *conſtituiſti eum Dominum.* Alius, ἐξουσιάζειν ἐποίησας αὐτὸν τῶν ἔργων τῶν χειρῶν σου. Quod Hiero. expreſſit: *dediſti ei poteſtatem ſuper opera manuum tuarum.* niſi quod pro *dediſti* habet *dabis*, nam eſt verbum futurum in Ebræo. Ceterum reſpexit meo judicio ad locum, qui eſt Gen. 1. 28. nam homo omnes beſtias domare poteſt, ipſe autem domatur a nulla, licet robore vincatur a nonnullis. Vide ſis Auguſtinum de Geneſi ad litteram contra Manichæos libr. 1. cap. 18.

In omnia opera manuum tuarum] An etiam in ſuperna corpora? omnino. Nam Deus creavit ea hoc fine, ut nobis ſervirent. Vid. Deut. 4. 19.

Omnia poſuiſti ſub pedibus ejus] Omnia ſubjeciſti ei, cuncta ſubdidiſti ſub poteſtatem ipſius.

Et boves] Hiero. *& armenta.* quo nomine boves appellari ſcribit Pomponius lib. VI. ad Senatuſconſultum. Sic *bucera* de bobus dicimus, *& bucera greges* i. בקרים. Ergo אלפים malui reddere *boves*, cum Lxx. qui & אלופים Pſal. 144.

Univerſos] כֻּלָּם *omnes ipſos*, niſi ſane adverbium eſt; quod genus ſunt חִנָּם *gratis*, רֵיקָם *fruſtra*, אָמְנָם *vere.* Vidi, qui converterent: *quotquot ſunt.* Lxx. καὶ βόας πάσας.

Beſtias agreſtes] Etiamne baſiliſcum, qui hominem viſu occidit? בהמות שדי Lxx. τὰ κτήνη τοῦ πεδίου, *pecora campi.* Alius τὰ ἄγρια. Hiero: *animalia agri.* Nove autem poſuit

שְׁדֵי pro שָׂדֶה, littera (ה) in (י) verſa; nam litteræ quieſcentes, quas vocant, de facili commutantur inter ſe.

Aves cœli] i. aëris. Ita Veteres loquebantur ſæpiſſime. Varro de Lingua Lat. lib. 4. *Cœlum dicitur duobus modis: & pars ejus ſummum ubi ſtellæ, & id quod Pacuvius demonſtrat cum dicit:*

Hoc vide circum ſupraque quod complexu continet terram.

Cui ſubjungit;

Id quod noſtri cœlum memorant, Græci aëra.

Lucretius lib. 4. *In hoc cœlo qui dicitur aer.* Auguſtinus de natura boni cap. 33. *Aër quandoque & cœlum dicitur, non illud, in quo ſunt ſydera, ſed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant. Nam & cœlum nubilum dicitur & volatilia cœli appellantur.* Idem de agone Chriſtiano cap. 3. *Et nos in conſuetudine hunc aërem cœlum appellamus; nam cum de ſereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus; Qualis eſt aer? aliquando; Quale eſt cœlum.* Horat. *Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.* i. aërem.

Quicquid tranſit ſemitas marium] Quicquid natat in aquis. Vel hoc dicit, quia homo mare quoque ſibi pervium fecit, fabricatis in eum uſum navibus.

PSAL. IX.

1. M*Agiſtro cantorum ſuper Muth-labben, Pſalmus Davidis.*

Magiſtro cantorum] Aquila, Theodot. & V. Edit. τῷ νικοποιῷ, *victoria auctori.* Symm. ἐπινίκιος. Lxx. & VI. Edit. εἰς τὸ τέλος. Hiero. *victori.*

Super Muth-labben] Quot interpretes, tot ferme ſunt expoſitiones hujus tituli. Symm. περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ: quem ſecutus poſtea fuit Hiero. referens: *ſuper morte filii.* Cujus filii? an Abſolomi? R. Salomo: *Sunt, qui enarrant de morte filii ejus Abſolomi: ſed perperam; nam eſt* לבן *& non* הבן. *Neque in hac ode occurrit, quod huic expoſitioni firmandæ.* Lxx. ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ, *pro occultis filii,* על עלמות הבן. Aquila, νεανιότητος τοῦ υἱοῦ i. *juventutis filii.* VI. Edit. νεανιότης *juventus* i. עַלְמוּת. Theodot. & V. Edit. ὑπὲρ ἀκμῆς. Lexic. Vetus. ἀκμὴ *maturitas, vigor.* Alibi eſt; *Theod. de florida ætate filii.* ὑπὲρ ἀκμῆς τοῦ υἱοῦ. Sic fere Græci. Ebræi non minus variant. Quidam *de morte Labbeni,* quem arbitrantur fuiſſe principem aliquem inter gentes, qui bello vexaverit Iſraelitas. In hac ſententia fuit R. Adonim Halevi, quam Abenezra, qui Sophus cognominatur, ita probat, ut ceteris omnibus præferendam putet. Auctor Edit. Chaldaicæ, *de morte Benii,* alias, *de morte ejus, qui egreſſus eſt inter duos exercitus.* Hoc modo legunt Biblia Veneta, illo Regia, quæ Antverpiæ cuſa. Alii convertunt, *de morte illius duellatoris,* eo nomine gigantem Goliath intelligentes, qui in Hiſtoria Sacra איש בינים vocatur, quod μονομαχῶν cum Davide, medius ſtaret inter duo caſtra. Idem hoc loco, ut ajunt, eademque de cauſa בן dicitur, quod plene ſcriberetur בין *inter.* Quam opinionem qui oppugnant, argumentum petunt ex v. 12. hujus hymni, in quo ita legimus; *Pſallite DOMINO habitanti in Sion.* Ecce, inquiunt, Deus vocatur habitator Sionis, cum Goliathi ævo Sion a Jebuſæis adhuc teneretur; minus ſolidum eſt, quod de metatheſi litterarum nugantur alii, *Labenum* pro *Nabalo* poſitum eſſe aſſerentes, cum hic Pſalmus conſcriptus fuerit de eo, qui clade aliqua inſigni affecerit Iſraelitas. Sane a Nabalo Carmelita nemo damnum accepiſſe uſpiam legitur. Joſeph Camius, pater Davidis, arbitratur, *Lamed* articulum eſſe, & *Ben* nomen cantoris, qui memoratur 1 Paral. 1. hac ſententia: *Pſalmus de morte Goliathi, dandus Benio cantori* &c. Sunt etiam, qui exponunt *Almuth, ad intelligendum.* Acſi eſſet להבין. Poſt recitatas varias opiniones, juvabo te, lector, aliquantum, judicio meo. Duæ interpretationes præ cæteris mihi placent. Una eſt, *de morte Labeni. Labenum* autem judico fuiſſe Satrapam ejus nominis, a quo cladem acceperint Iſraelitæ, unde occaſio Davidi carmen iſtud in ejus obitum componendi. Aut ſi hoc minus placet, vertendum cenſeo; *ſuper Muth-Labben;* ut ſit initium *cantilenæ Muth-Labben,* ad quam hic Pſalmus decantandus fuerit.

Super Muth] על מות, ita legendum præter optimorum codicum fidem arguit declaratio Veterum Ebræorum, & Chaldæi paraphraſtæ, & Symmachi Epheſini, & B. Hieronymi, qui ſane aliter non legerunt. Quomodo & Abenezra legendum eſſe contendit, quanquam in nonnullis codicibus עַלְמוּת ſcriptum ſit conjunctim & unica dictione. Quam lectionem ſecuti ſunt præter ſeniores, Aquila & Theodotio. Nec aliam agnoſcit R. Salomo, eamque probare conatur ex magna Maſſora. Vid. quæ ſcripſimus Pſalm 48. 15. Ebræus quoque David, etſi diviſim ſcribatur, tamen legendum cenſet *Almuth* continua voce. Ad eam rem citat alios locos, ubi dictiones ſimiliter ſcribuntur, & nihilominus conjunctim leguntur. Idem *Almuth* accipit eo ſenſu, quo accipitur Pſ. 46. 1. עַל עֲלָמוֹת שִׁיר ubi certum modum muſicum ſignificat, vel eſt carminis genus, vel certe inſtrumentum muſicum, id eſt כלי הנגון, ut utar verbis ipſius.

Pſalmus Davidis] Aquila, μελῴδημα τοῦ Δαυὶδ *modulatio Davidis.* Symm. ᾆσμα τοῦ Δαυὶδ i. *cantio* vel *canticum Davidis.* ab hoc poſtremo diminutivum eſt ᾀσμάτιον i. *cantilena.*

2. *Celebrabo DOMINUM toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

3. *Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo, Supreme.*

Celebrabo DOMINUM] Lxx. ἐξομολογήσομαί σοι Κύριε i. אוֹדְךָ. Si hoc modo legerunt, Hiero. aliter legit; nam vertit; *confitebor DOMINO.* Quid ſi, *Celebrabo, DOMINE, toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua?* Sed non eſt temere diſcedendum a recepta verſione: nec te moveat, quod ab una perſona ſubito ad aliam tranſit. Ita ſolent Ebræi: quod Exemplis infinitis probare poſſem, ſi opus eſſet.

Narrabo omnia mirabilia tua]. Poteſtne aliquis narrare omnia Dei mirabilia? nam infinita ſunt. Ideo legimus Sirach. 18. 5. *Nulli conceſſit enarrare opera ſua.* Hos locos ita conciliabis. Poteſt aliquis narrare omnia opera Dei, ſed non ſufficienter, quod Græce dicitur ἐξαγγεῖλαι, eoque verbo uſus eſt Sirachides. Aut, *omnia* dixit, non ſingula, ſed *quævis,* q. d. *miracula omnis generis.* Quomodo ſane Chriſtus legitur curaſſe *omnes morbos.*

Mirabilia tua] τὰ θαυμάσιά σου, *miranda tua facta, miracula tua,* quo nomine veniunt omnia ea, quæ Deus facit contra ſolitum cognitumque nobis naturæ curſum. Auguſtinus contra Fauſtum, lib. 27. cap. 3. Alii dicunt quæ præter naturam fiunt. Naturam autem vocant ſolitum curſum rerum, aut, cauſas occultas eventuum, quarum ratio reddi poteſt. Hinc emergit alia ſolutio ſuperioris difficultatis, ſi videlicet dicamus; hominem narrare poſſe *omnia Dei miracula,* quod David affirmat; ſed *non omnia Dei opera,* quod Sirachides aſſerit: ſi modo opera ejus infinita ſunt, & non etiam miracula.

Et exultabo] Pro ἀγαλλιάσομαι, quod Lxx. poſuerunt, Aquila & Symm. maluerunt dicere, καὶ γαυριάσω quod, me auctore, reddes, *& exultabo.* Lexic. Vetus. γαυριῶ *exſulto, geſtio.* Edit. Hiero. *& gaudebo,* minus placet.

Pſallam nomini tuo Supreme] Sic Græci Lxx. ψαλῶ τῷ ὀνόματί σου ὕψιστε: quos melius vertiſſe puto, quam Symm. verterit, ᾄσω τῷ ὀνόματί σου ὕψιστε: & eum ſecutus Hiero. *Canam nomini tuo Altiſſime.* Quanquam זַמֵּר. etiam oris ſit. Sic in verbo *Pſallam* ineſt cantus, proprie tamen de fidium tactu dicitur.

Nomini tuo] vel, *nomen tuum:* & *pſallam:* pſallendo extollam, laudabove.

4. *Quum verſi fuerint hoſtes mei retro, impegerint & perierint a facie tua.*

Symmachus hunc verſum ita convertit, ἀνατραπέντων τῶν ἐχθρῶν μου εἰς τὰ ὀπίσω, προσκοψάντων καὶ ἀπολομένων ἐκ προσώπου σου *converſis inimicis meis retrorſum, & colliſis atque perditis a facie tua.*

Quum verſi fuerint hoſtes mei] Lxx. ἐν τῷ ἀποστραφῆναι τὸν ἐχθρόν μου, quod reddunt, *in convertendo inimicum meum.* Satis obſcure. Senſus eſt; *cum converſus fuerit inimicus meus:* nam legerunt, ut apparet, אֹיְבִי pro אֹיְבַי, τοὺς ἐχθρούς μου. Hieronymus, *cum ceciderint* בִּנְפֹל. Verbum ἀνατρέπομαι, quo hic uſus eſt Symm. magis ſignificat *evertor, ſubvertor,* ut ſuſpicari quis poſſet, ipſum initio ſcripſiſſe ἀναστραφέντων i. *reverſis.*

Retro] vel, retrorſum. Vult dicere, cum terga verterint, cum in fugam ſe dederint.

Impegerint & perierint] Rectius fortaſſe; *impingent & peribunt.* Quidam, *impingunt & pereunt;* quod non improbo. Pro *impingent* Lxx. ἀσθενήσουσι. Sed ἀσθενεῖν אכשל; hic autem eſt יכשלו in Ebræo. Recte igitur Symm. correxit προσκοψάντων: Sic enim legendum, non προσκοψάντων, ut eſt in Edit. Rom. nam προκόπτω, *procedo, proficio.* προσκόπτω *impingo, offendo.* Nihil verius. Hiero. *& corruerint* ונפלו.

Et perierint à facie tua] Perditi aut occiſi fuerint a te. Sic Plinius, *Marco Marcello circa mortem, quum periit ab Annibale, jecur in extis defuit.* Sic 1 Cor. 10. 9. ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώ-

ἀπώλοντο. Quod genus ſunt; *ardens a coquente* Hoſ. 7. 4. *Mortuus a milite*, pro, accenſus, interfectus. Vid. Obſerv. lib. 2. cap. 2.

A facie tua] A te, vel, ab ira tua; nam *facies* Dei quandoque *iram* ejus denotat; ut, ubi; *facies DOMINI diviſit eos.* Forte Arcam innuit, quæ olim in bellum educebatur. Ex quo illud: *Quærito faciem ejus ſemper.*

5. *Feciſti enim judicium meum & cauſam meam; ſediſti ſuper ſolium judex juſte.*

Feciſti judicium meum & cauſam meam] Valet illud; *Judicaſti cauſam meam.* Tropum hunc Grammatici *Tmeſin* vocant: qualis eſt in illo Virgilii, *Arma virumque cano*, quod explicant, armatum virum. aut, *feciſti judicium meum*, ut judex, *& cauſam meam*, ut patronus. Latine diceremus, *Egiſti cauſam meam.*

Judicium] *Judicium* & pœnam ſignificat, & vindictam. Nunc ergo vindictam intelligimus, ſenſu ita poſtulante: facto, inquit, judicio ultus es me, & vindicaſti mihi factam injuriam.

Et cauſam meam] Ita Hiero. poteſt legi *& jus meum:* nam דין etiam *jus.* Lxx. τὴν δίκην μου, non tollunt ambiguitatem; nam δίκη & *jus* & *cauſa.* *Feciſti judicium meum* iidem reddunt; ἐποίησας τὴν κρίσιν μου: ſed alius elegit; ἐξεδίκησάς με, *ultus es illatam mihi injuriam.* Credo Symmachum fuiſſe.

Super ſolium] In ſolio, ἐπὶ θρόνου, *pro tribunali.* לכסא Kim. exponit בכסא. Poteſt etiam reddi על כסא; ſenſus in idem recidit.

Judex juſte] vel, *qui judicas juſtitiam.* i. juſte. Sic Græci Lxx. ὁ κρίνων δικαιοσύνην i. δικαίως. Quidam legunt; *Judex juſtus*, in caſu recto. Hiero. *judex juſtitiæ.* Retinuit Ebraiſmum, notum jam lippis & tonſoribus.

6. *Increpaſti gentes, perdidiſti improbum; nomen eorum deleviſti in ſeculum & ſempiternum.*

Increpaſti] Profligaſti. *Increpare* interdum eſt perdere, vaſtare. ut Pſ. 68. 31. *Increpa feram arundinis.* & Pſ. 119. 21. *Increpaſti ſuperbos.* Sic alibi: *Ecce increpo vobis ſemen* i. vaſto. Ebræi ſic cenſent *Increpo* i. גער hoc verbum quando cum (ב) conſtruitur, tum ſignificat, verbis aliquem increpare; quando aliter conſtruitur, tum ſignificat id, quod jam dixi.

Perdidiſti improbum] אִבַּדְתָּ רָשָׁע. ſic legit olim e Græcis interpretibus, qui vertit; ἀπώλεσας τὸν ἀσεβῆ; nam antea erat in Lxx. ἀπώλετο ὁ ἀσεβής, & in Edit. Hiero. *periit impius*, ut videantur mihi legiſſe אָבַד הָרָשָׁע, error in He & Thau.

Nomen eorum deleviſti] Poteſt aliquis profligari, ſic tamen, ut nomen ejus & memoria remaneat apud poſteros. Secus accidit iſtis, quos ita, inquit, profligaſti, ut ſimul nomen eorum deleveris. Sic Abd. 17. *Erunt ac ſi non fuiſſent* i. ut Saluſtii verbis utar, *De eorum vita juxta ac morte ſilebitur.*

In ſeculum & ſempiternum] vel, *in ſeculum ſempiternum.* Nam eſt ſeculum, non ſempiternum: additum ergo hoc epitheton differentiæ cauſa. In Ebræo eſt ad verbum; *in ſeculum & æternitatem.* Si modo עד eſt *æternitas*, de quo mihi nondum clare liquet. Genus loquendi, ut; *Arma virumque cano* i. armatum virum: Sic, *ſeculum & æternitas* i. ſeculum æternum. Tmeſin vocant Grammatici, ut jam dixi.

7. *O Hoſtis, completæ ſunt vaſtationes in perpetuum? & urbes evertiſti? periit memoria eorum cum ipſis?*

O Hoſtis, completæ ſunt vaſtationes?] Cum interrogatione legendum. Senſus autem eſt, ut ſi diceret: An opere perfeciſti, quod verbis minatus fueras? Quippe minatus fuerat, ut apparet, ſe vaſtaturum & everſurum urbes Judææ earumque memoriam perpetuo deleturum. Quidam: *Hoſtis completæ ſunt vaſtitates* i. τοῦ ἐχθροῦ, ut Græca Eccleſia legit; ſed minus bene; quod arguunt ſequuta verba, tum etiam abſentia pronominis, in חרבות *vaſtitates.* Alioquin poſſet enarrari: *quantum ad hoſtem; completæ ſunt vaſtationes ipſius.* &c.

Completæ ſunt vaſtationes in perpetuum] An vaſtationes, quas jactare ſolitus es, ad finem perductæ? q. d. Itane vaſtaſti urbes noſtras, ut deſierint eſſe in perpetuum? Alii legunt: *Finitæ ſunt vaſtationes in perpetuum:* ſine interrogatione, hac ſententia: Vaſtationes, quas feciſti hactenus, non facies poſt hac amplius.

Completæ] Finitæ, conſummatæ, ad finem perductæ.

Vaſtationes] aut *vaſtitates* i. חֳרָבוֹת quod Hiero. ita legit, ac vertit *deſolationes.* Aquila quoque, qui tranſtulit ἐρήμωσις i. *deſerta, deſolata*, ſed & Symm. Nam ex ejus edit. laudatur ἐρείπια i. *parietinæ.* Lexic. Vetus: ἐρείπιον, *ſemirutum, ſemirutus.* Pſ. 101. 7. כחרבות, Lxx. οἰκόπεδα. Vide Annot. Quæri poſſet, cur nunc eandem vocem reddant, αἱ ῥομφαῖαι? & reſpondeo, eos legiſſe חֲרָבוֹת i. *gladii*, quam lectionem Dones Labrati ſe reperiſſe ſcribit in libro quodam pervetuſto. Meminit Abenezra. Porro αἱ ῥομφαῖαι antiquus interpres ex Græco convertit, *frameæ*, ut Pſ. 21. 21. *Erue a framea animam meam*; ubi alii: *a gladio.* Auguſtinus hunc poſtremum locum enarrans Epiſt. 102. cap. 26. *Framea*, inquit, *eſt gladius.* Sed Eucherius: *frameæ haſtæ longiſſimæ ſunt, qui iis etiam nunc armorum vice utentes hoc nomen tribuunt. Quidam etiam gladios ita ſignificare putant.* Lexic. Græco Lat. Vetus: ῥομφαία, *framea, gladium.*

In perpetuum] לנצח, cujus antiqua declaratio, εἰς τέλος i. *in finem.* Quomodo etiam Hiero. hoc loco declarat.

Et urbes evertiſti?] Hoſtis, ut monui, comminatus fuerat, ſe ita everſurum urbes Judææ, ut earum memoria periret una cum ipſis. Sed contra evenit; nam, *Ecce*, ait, *deleviſti nomen eorum in perpetuum.* Igitur cum interrogatione hæc legenda, in qua eſt amarulenta irriſio.

Memoria eorum] An potius, *earum*? nam ad urbes refertur. Forte an conſtructio eſt ſenſu congrua non voce: nam ipſos incolas intelligit. Quid hæremus? In commentariis Davidis Camii ad hunc locum; ערים בנוים *urbes ædificata.* Ubi ecce ערים jungitur participio maſculino, cum alias conſtructione fœmininum ſit, ut videre eſt, 1 Reg. 4. 13.

Cum ipſis] הֵמָּה Interpretatus ſui, ac ſi eſſet עם הֵמָּה pro quo Græci Lxx. legerunt הֵמָּה, quod docet interpretatio eorum, μετ' ἤχου, *cum ſonitu*; hanc è Græcis reſtituit, qui vertit: σὺν αὐτοῖς, & Hiero. *cum ipſis.* Quod autem in Chryſoſtomo; ὁ δὲ ἑβραῖος ἦμ, mendum eſt pro ἦμμα, vel potius ἥμμα. Quale alibi eſt in σὶλ, pro σελᾶ.

8. *Et DOMINUS in ſeculum ſedet, ſtabilit ad judicium ſolium ſuum.*

Et] Enimvero. Alii, *at*; alii, *autem.*

In ſeculum] εἰς τὸν αἰῶνα, *in æternum.*

Sedet] Sedet in ſolio ut judex. Supra, *ſediſti ſuper ſolio judex juſte.* aut, *ſedet* i. permanet. Nam verbum ישב hoc quoque ſignificat. In comment. Chryſoſt. μένει ὁ ἑβραῖος ἐν τῷ ἄλλῳ καθεδεῖται. Mens horum verborum: Quod Lxx. ediderunt interpretantes; μένει, *manet*; id alius dixit referens, καθεδεῖται. Hunc Hiero. æmulatus poſtea mihi videtur; nam vertit, *ſedebit*, quanquam καθεδεῖται, ne quid diſſimulem, reddi poteſt, *manebit:* nam καθέζομαι, *ſedeo, maneo.* unde fut. 2. Med. καθεδεῖται. Id alibi extulit per יעמד i. *ſtat* videlicet in illo: *Ipſi peribunt, tu autem permanes.* Quomodo etiam enarrant ſcholia Ebraica Davidis Camii.

Ad judicium] Ad faciendum judicium, *ad judicandum.* Sic Hiero.

Stabilit] aut, *firmat:* quod Aquila & Symm. verterunt ἥδρασεν; & eos imitatus Hiero. *ſtabilivit.* Nam prius legebatur in Lxx. ἡτοίμασεν, *paravit*, ut in nupera quadam verſione, *comparavit.*

9. *Et ipſe judicabit orbem in juſtitia, judicabit nationes in æquitatibus.*

Judicabit] ישפט, reget, gubernabit.

Orbem] Orbem habitabilem, quem οἰκουμένην vocant Græci.

In juſtitia] Juſtè. Ebraiſmus.

Judicabit] יָדִין. Jus reddet populis. aut, cauſam eorum aget. Nam דין & *jus* & *cauſa* i. δίκη, ut poſſis convertere ex Ebræo in Græcum ſermonem. δικάζει.

Nationes] לְאֻמִּים. Alii *populos* i. עַמִּים, λαούς.

In æquitatibus] æquiſſime. Hoc modo Hiero. vertit. nam in Lxx. ἐν εὐθύτητι, *in æquitate.* Quod Latine potius reddas, *recte*, aut *rectiſſime.*

10. *Et erit DOMINUS arx ſublimis attrito, arx, inquam, ſublimis temporibus adverſis.*

Arx ſublimis] מִשְׂגָּב *eſt editus in civitate & munitior ad ſalutem civium locus*; nos *arcem* dicimus; nam arces fere in edito extruuntur, quod proprie vox Ebræa ſignificat. itaque Hieron. vertit *elevatio.* Senſum autem expreſſerunt Lxx. cum redderent, καταφυγή, *refugium*, ſive *perfugium.*

Attrito] Cujus res fractæ & attritæ ſunt i. ἐκτετριμμένῳ, quod derivatur ab ἐκτρίβω *detero.* Sic olim vertit, qui vertit; nam nomen proditum non extat. Alius maluit reddere: τῷ τεθλασμένῳ i. *contuſo*, recte; nam דך *contundo.* Idem θλάω. Lex. Vet. θλῶ *tundo.* Editio Hieron. *Oppreſſo*; & Lxx. τῷ πένητι i. *egeno*, ſive *inopi.*

Temporibus adverſis] Cum exercitus hoſtilis civitatem aliquam corona cingit, prima ſpes eſt in muris, proxima in arce, ſi muros hoſtis perruperit. לעתות בצרה Verbum è verbo ſonat, *temporibus in adverſitate.* vult dicere: quibus eſt in adverſitate. Genus loquendi; ut, *vigilia in nocte*, pro nocturna: *placenta in melle* i. mellea: *dominatus in die*, pro diurnus. Quem

ego

ego ſenſum & loquendi modum ſecutus, expoſui; *temporibus adverſis.* Græce diceretur; ἐν χρόνοις ἐπὶ θλίψεως. Quale eſt, ἀνὴρ ἐπ' ὀλίγων χρημάτων. Sic apud Ciceronem, *homo in tenui re*, pro, homo tenuis.

Temporibus] לעתות. Quod Aquila olim expoſuit, *in tempore* i. εἰς καιρόν. Symm. *opportune* i. εὐκαίρως, niſi legendum, ἐν καιροῖς: nam facilis lapſus de hoc in illud. Vid. infra Pſ. 10. 1. *Abſcondis te temporibus in anguſtia* i. adverſis. Lxx. ἐν εὐκαιρίαις *in opportunitatibus:* Sed ἐν εὐκαιρίᾳ videtur legiſſe Clemens Stromat. 6. Hieron. *elevatio oportuna in anguſtia* משגב לעתות, *elevatio in oportunitatibus* i. oportuno. Cave damnes aut rejicias temere. Præfero tamen, ἐν εὐκαιρίαις, quod Latine non male reddes, *temporibus oportunis:* ut, quod ſequitur, בצרה *in anguſtia:* nam adverſitas hoc ſignificatu apud auctores Latinos non invenitur, quod ſciam.

11. *Et confident in te noſcentes nominis tui, quia non dereliquiſti quærentes te DOMINE.*

Et confident in te] Ita Hieron. vertit, Aquilam ſecutus, qui ediderat; καὶ πεποιθήσουσι. Vide Annotat. Laudatur ex Chryſoſtomo, ἄλλος πεποιθήσουσι, αὐτὸ, ὃ θαῤῥήσουσι: Nam in Lxx. καὶ ἐλπισάτωσαν, *&* *ſperent.* Quorum auctoritatem ſequendo, reddemus ex Ebræo: *Quare confidant in te.* Ne diſpliceat.

Noſcentes nominis tui] Qui noverunt nomen tuum i. te. Deum autem novit, qui vivit ex præſcripto verbi ejus: ex quo illud; *In omnibus viis tuis noſce ipſum.* Licet etiam vertere: *Scientes*, aut *periti nominis tui*, eſtque periphraſis piorum, qui ſoli Deum rite colunt; colunt autem qui noverunt: Imo non colunt, niſi qui norunt. Præclare Seneca Epiſt. 46. *Vetemus*, inquit, *ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum. humana ambitio iſtis officiis capitur: Deum colit qui novit.*

Non dereliquiſti] vel, *non derelinquis*, non deſtituis in adverſis.

Quærentes te] Qui anguſtia oppreſſi tuam, & non aliorum Deorum opem implorant: aut, eos qui pietati ſtudent. Sic alibi; *Non eſt, qui quærat Deum*; quod expoſuerim; *qui pietati operam det.* Lxx. utrobique uſurpant verbum ἐκζητεῖν, quod magis denotat, *exquirere.* Sic דרש in lingua Ebræorum eſt, *diligenter, & cum cura aliquid quærere.* Malim ego, דורשיך *exquirentes*, vel ſi placet, *requirentes te.*

12. *Pſallite DOMINO, habitatori Sionis, nunciate in populis facta ejus.*

Pſallite] ψάλατε. Hieron. *cantate.* minus placet.

Habitatori Sionis] יושב ציון, Qui ſedem habet in Sion. Nam ibi erat arca fœderis. Secutus autem ſum Hiero. qui interpretatur, *Habitatori Sion.* Nam quod Lxx. reſerunt τῷ κατοικοῦντι ἐν Σιών, ei reſpondet in Ebræo יושב בציון. Eadem ſententia erit ſi legas, τῷ καθημένῳ ἐν Σιών. Quod notatum à Chryſoſtomo, ex alia quapiam editione.

Nunciate] Antiquæ verſiones, ἀναγγείλατε *annunciate.*

Facta ejus] עלילותיו, Opera, ſive, actiones ejus. i. τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sic reddunt hanc vocem Pſalm. 105. Heic vertunt τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ, *ſtudia* vel *inſtituta ejus.* De Lxx. loquor. Alii aliter, non diſſimulabo. Hieron. *cogitationes ejus.* Aquila, ἐναλλαγὰς αὐτοῦ, *commutatas actiones ejus.* Symm. μηχανὰς αὐτοῦ. i. *machinationes ejus.* Vide Annot. Reperio & θελήματα αὐτοῦ, Vid. in Lxx. Pſ. 103. 7.

13. *Nam requirens cruores, eorum recordatur, non obliviſcitur clamoris pauperum.*

Requirens cruores] Quæſtione habita repoſcit cædes ab iis qui eas commiſerunt. Alibi reperitur in hoc ſenſu verbum בקש. Hic uſus eſt verbo דרש, quod diximus ſignificare ἐκζητεῖν i. *inquirere* & poſt diligentem inquiſitionem *vindicare* aut *ulciſci.*

Cruores] Mutavi *ſanguines* in *cruores*, quod illa voce Latini non uterentur in numero multitudinis. Ideo Hieron. vertit; *requirens ſanguinem*, quod in Ebræo דמים, & in verſione Græca, τὰ αἵματα, ſign. autem *cædes.* Quanquam autem cædes fieri poſſunt, atque adeo fiunt quandoque ſine ſanguine, ſæpius tamen in cæde ſanguis effunditur: quapropter eo vocabulo cædem deſignaverunt. Adi ad Auguſt. Locut. lib. 4.

Eorum] cruorum, non pauperum.

Recordatur] Tum recordatur, cum vindicat. Sic *recordari* dicitur *peccata*, quæ punit. Apoc. 18. *Recordatus eſt DOMINUS iniquitatum ejus.*

Non obliviſcitur clamoris pauperum] Idem cum illo: *Recordatur clamoris pauperum.* Et eſt ſenſus, exaudit eos clamantes, alioqui non cadit in Deum ulla oblivio.

Clamoris] vel, *vociferationis.* Græca exemplaria hoc loco variant 3. nam in aliis, δεήσεως, *ſupplicationis*; & in aliis κραυγῆς i. *clamoris.* quam lectionem reperiri annotant in LL. AA.

Pauperum] Sic Hieron. Legit ergo עניים quod nunc exponunt *afflictorum.* Eodem modo legerunt Lxx. Doceo ex verſione πενήτων. Hodie legunt, auctoribus Maſſoritis, ענוים per (ו) id ſonat *manſuetorum.* Quam lectionem ſecutus eſt Paraphraſtes Chaldæus. Scholia Ebraica Camii, *Scriptum*, עניים *pauperes, & lectum* ענוים *manſueti, quia fere pauperes manſueti ſunt.* Sic eſt profecto; paupertas hominem modeſtum facit, ut opulentia ferocem.

14. *Miſerere mei DOMINE, vide afflictionem meam ab oſoribus meis: ô qui exaltas me è portis mortis.*

15. *Quo enarrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, exultem in ſalute tua.*

Miſerere mei] vel, *Gratiam mihi fac.* Verba pauperum, ut quidam volunt: quod non eſt temere admittendum.

Vide afflictionem meam] Sic alibi; *Vidi, vidi afflictionem populi mei*; Videtur autem ſumi, ut Pſal. 106. 44. *Vidit cum anguſtia eſſet illis* i. reſpexit, propitius fuit, opem tulit.

Afflictionem] aut *vexationem.*

Ab oſoribus meis] ab oſoribus meis mihi illatam. Alii, *ab inimicis meis:* perinde eſt. Ceterum *Oſoris* vocabulo, ne quis ut minus Latinum illud rejiciat, uſus eſt Tacitus auctor Latinitatis non malus. *Afflictio ab inimicis.* θλίψις ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν. Ebræa & Græca phraſis eſt.

Et qui exaltas me è portis mortis] vel, *extollens me è portis lethi.* Hoc prætulerim; nam vocandi nota in Ebræo nulla eſt. Lxx. legunt ὁ ὑψῶν με ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ θανάτου & Hier. *qui exaltas me de portis mortis.*

E portis mortis] ab inſtante mortis periculo. *Mortem* enim Ebræi dicunt mortis periculum: *portam* autem id quod inſtar. Sic, *pro foribus eſt* & *ad januam cubat*, de eo, quod in propinquo eſt. Alii exponunt *è portis mortis*, è poteſtate aut juriſdictione mortis; quo accommodant illud: *portæ mortis non prævalebunt adverſum te:* nam olim judicia exercebant in portis: quod notum ipſis pueris. Vide tropos *in porta.* Poſſet etiam exponi; *E portis lethi* i. inferni. Nam mors pro inferno ſumitur interdum: Et Plautus dixit, *Orci janua*, eodem ſenſu. Non ſic deponam manum de hoc verſu. Vos litteratores arrigite aures: Nam quod notabo, mere Grammaticum erit. Ubi nos legimus *miſerere mei*, ibi exemplaria Ebræa variant in חָנְנֵנִי, quod alibi ſcribunt חָנֵּנִי, cum ea vocali, quæ quarta eſt in ordine parvarum. Priorem ſcripturam diſerte approbat R. David, cum ait, eſſe verbum ſecundæ conjugationis, ex quo dages exciderit, ut fieri ſolet ſub litteris, quæ Scheva notantur. Abenezra ſcribit eſſe dictionem זָרָה i. *anomalam.* Quomodo anomalam, ſi prima vocalis parva ſub Heth? an quia dages deſideratur? Sed hoc frequenter fit. Eo labor, ut credam, ipſum legiſſe in prima conjugatione חָנְנֵנִי, quæ forma imperativi licet analoga & uſitata ſit in verbis integris; tamen in hoc ordine verborum anomala videtur cum uſitate dicimus חָנֵּנִי cum duabus tantum *Nun* & Dages in priore, quod cum in vicem (נ) ibi ponatur, quid mirum ſi nunc ejus loco littera ſubſtituta, quam indicabat? Satis de re levicula.

Quo enarrem omnes laudes tuas] Quod fieri non poteſt in morte, ubi nulla memoria tua. Vide ſupra Pſal. 6. 6.

Omnes laudes tuas] Omnia facta tua laudabilia. Uſurpat autem *omnes* pro, *pleraſque omnes*, ut Jerem. 9. 26. *Omnes gentes præputium habent*; Dicit *omnes*, cum tamen aliquæ circumciderentur, ut Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes, quos enumerat Hiero. in comm. ad illum locum. His adde Colchos & Iberos, quorum Herodotus meminit. Sic apud Apoſtolum legimus: *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti:* & in Euangelio; *omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt & latrones.* Zacharias in unum de quatuor ex Hieronymo, *Unus canon Scripturarum eſt, omnia non ad totum referri, ſed ad partem maximam; ut ibi: Omnes declinaverunt.* Quæ notavi propter alium locum Davidis, qui huic repugnare videtur, ſed non repugnat; nam ibi *omnes* proprie & univerſaliter accipitur. Locus eſt Pſal. 106. 2. Vide ſodes, & Pſal. 40. 6. Aliter conciliat hanc pugnam R. David, ut jam pridem docui, conſule ſis Obſervat. meas.

In portis filiæ Sion] *Portas filiæ Sion* appellat ipſam *Hieroſolymam:* nam *filia Sion*, Eccleſia vel Reſp. Jeroſolymitana. Sic Pſ. 87. 2. *Diligit DOMINUS portas Sion præ omnibus tabernaculis Jacob.* Aut, *in portis* dixit, ut forum Judæorum ſignificaret, ubi frequens erat populi conventus propter Judicia, quæ ibi fiebant. Hujus contrarium, *è portis lethi.*

Filiæ Sion] Filia Sion ita dicitur ut *filia Jeruſalem, filia Edom, filia populi mei.* Vide Quæſtiones meas.

In

In ſalute tua] Quam tua ope ac præſidio adipiſcar.

16. *Demerſæ ſunt gentes in foveam, quam fecerunt; reti, quod abſconderunt, captus eſt pes eorum.*

Demerſæ ſunt] plus eſt *demerſæ ſunt* quam *ceciderunt*: nam qui cecidit, ſurgere poteſt; qui demerſus eſt, non poteſt. Gentes, inquit, propria fraude interierunt, malum, quod mihi ſtruxerunt, ipſas perdidit. Pro *demerſæ ſunt*, quod ſumpſi ex Edit. Hieron. Lxx. ediderunt ἐνεπάγησαν, *infixæ* vel *defixæ fuerunt*. Nam טבע hoc etiam ſignificat. Alius repoſuit, teſte Chryſoſtomo, ἐβαπτίσθησαν i. *immerſæ vel demerſæ ſunt*: nam βαπτίζω, *mergo, immergo*, ut, cum tingendi aut lavandi gratia aliquid aquæ immergimus. Ab hoc Hieron. habuit, ut credibile eſt: nam alias idem verbum reddit *infigendi* voce, ut Pſal. 69. 15. 1 Sam. 17. 50. Santes quoque ita vertit iis in locis.

In foveam] שחת *fovea*, i. βόθρος. Deducunt alii à שוח, ad quod exemplum eſt רחת *vannus*, à רוח. Alii ab שחה, eſt enim locus humilis ac depreſſus. Sunt etiam, qui dictam putant ita foveam, ἀπὸ τοῦ שחת *corrumpo* i. διαφθείρω: nam lapſum in eam hominem διαφθείρει; *corrumpit* etiam cadaver. Sane Græci heic legunt ἐν διαφθορᾷ, & Hieron. *in interitu*. Sed διαφθορὰ etiam *foveam* denotat, & pro *ſepulchro* uſurpatur Pſ. 29. 10. Vide quæ ſcripſimus Pſ. 7. 16.

Quam fecerunt] Quam cavarunt aut paraverunt. Tralatio ab iis, qui foveas parant, capiendis feris aut hoſtibus, quas herbis & frondibus tegunt, quo ſic incautos fallant. Quod indicat Prudentius Poëta Chriſtianus per hæc verba, in Pſychomachia.

Sed cadit in foveam præceps, quam callida forte
Fraus interciſo ſuffoderat æquore furtim:
Fraus deteſtandis vitiorum è peſtibus una,
Fallendi verſuta opifex, quæ præſcia belli
Planiciem ſcrobibus violaverat inſidioſis,
Hoſtili de parte latens, ut foſſa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina merſa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere poſſet
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et ſuperimpoſito ſimularat ceſpite campum.

Quod abſconderunt] *Abſcondere rete* dicitur auceps, quod in abſcondito tendit aut expandit, ne aves illud videre, ac proinde cavere poſſint. Significat ergo, occultas inſidias, quas aliis ſtruxerant, ipſis exitio fuiſſe.

17. *Notus eſt DOMINUS, judicium fecit: opere manuum ſuarum illaqueatus eſt improbus. Higaion: Sela.*

Notus eſt DOMINUS, judicium fecit] Ideo notus, quia pœnas ab adverſariis meis debitas exegit. Quidam hunc locum ſic reddunt: *Notus eſt DOMINUS judicio, quod fecit.* Veteres videntur mihi legiſſe עשה aliis punctis. Primum Lxx. qui legunt: γινώσκεται κύριος κρίματα ποιῶν. Deinde Hieron. qui tranſtulit, *agnitus eſt DOMINUS judicium faciens.* Excipio illum, qui vertit: ἐγνώσθη κύριος κρῖμα ποιήσας· quod Latine reddes, *innotuit DOMINUS judicio facto*: nam hunc puto legiſſe עָשָׂה. quod nunc habent exemplaria Ebræa omnia, quæ vidi.

Notus] clarus, celebris.

Judicium] Ita vocatur interdum animadverſio in malos, ſive pœna, quæ judicium ſequitur. Aut, *fecit judicium plebis ſuæ* i. ultus eſt injuriam ipſi factam. Supra v. 5. *feciſti judicium meum & jus meum.*

Manuum ſuarum] כַּפָּיו Lxx. τῶν χειρῶν αὐτοῦ. Alius, ταρσῶν αὐτοῦ i. *palmarum ejus.* Nam ταρσὸς, in manu palma, cui reſpondet in pede *planta*, quam ταρσὸν τοῦ ποδὸς vocant, ut apud Danielem legimus ταρσοὺς τῶν χειρῶν, quos male interpretantur, *articulos manuum.*

Illaqueatus] Laqueo conſtrictus. Lxx. συνελήφθη, *comprehenſus fuit.* Hiero. *corruit* i. נִכְשַׁל quomodo & R. Salomo explicat, נוקש alii à יקש derivant, alii à נקש; parum refert, cum utrumque ſignificet *illaqueare*. Laqueo, inquit, quem aliis poſuit, ipſuſmet captus fuit.

Improbus] רָשָׁע valet ἀσεβὴς antiqua declaratione. Nam ἁμαρτωλὸς, quod nunc in Lxx. i. חוטא. quæ duo ſe invicem explicant. Aliquando conjunctim leguntur, ut in Epiſt. Judæ Apoſtoli, ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς, *peccatores impii.* παράλληλοι.

Higaion Sela] Lxx. ut quidem legitur in Edit. Romana ΩΔΗ ΔΙΑΨΑΛΜΑΤΟΣ. Aquila, ᾠδὴ ἀεί. Symmach. μέλος διαψάλματος. Hier. *Meditatio ſemper.*

Higaion] הִגָּיוֹן i. *meditatio.* q. d res digna, quam pii omnes meditentur & meditatam prædicent. Alii tamen *Higaion* volunt eſſe genus carminis. Quod præter ſeniores, Aquila & Symm. confirmant.

18. *Redeant improbi ad ſepulchrum, omnes Gentes oblitæ Dei.*

Redeant ad ſepulchrum] Prius erat in Hiero. *Convertantur in infernum*, & in Lxx. ἀποστραφήτωσαν εἰς τὸν ᾅδην. id mutavi propter verbum ישובו, ſane nemo *reverti* poteſt ad locum ubi nunquam fuit, aut igitur שאול hic denotat *ſepulchrum*, aut *redeant* dixit, pro abeant, faceſſant. Sic erit proverbiale: *abeant ad inferos.* quod Græce dicimus, εἰς μακαρίαν i. pereant. Salomo dixit: *Ad gigantes.* Recentior ætas; *Abi ad Satanam.*

Redeant] Nam ex terra ſumpti ad eam *redire* dicuntur, cum ſepeliuntur & humantur.

Ad ſepulchrum] vel potius, *in ſepulchrum.* q. d. in terram, unde prodierunt. In לשאולה pleonaſmus eſt particularum; ſatis enim erat לשאול, quod Ebræus David exponit hoc loco לקבר; ergo שאול *ſepulchrum*: & errant, qui hoc negant; nam de *morte* accipi non poteſt, cum ad mortem nemo redire dicatur.

Oblitæ Dei] Quæ oblitæ ſunt Deum. Senſus eſſe videtur: Quæ Deos falſos colunt. Sane natura inſevit omnibus aliquam cognitionem Dei, quam oblivioni tradunt, qui Deos alios à vero colunt.

19. *Non enim in perpetuum oblivioni erit egenus, expectatio pauperum peribit in æternum.*

In perpetuum] vel, *perpetuo.* Quod Græci referunt, εἰς τέλος. Sic uſurpat Nazianzenus. Dicitur & διὰ τέλους. Lexic. Heſychii, διὰ τέλους, διὰ παντός. Vet. Græco Lat. εἰς τέλος, *uſque finem*: malim, *ad finem uſque.* nam τέλος *finis.* idem נֶצַח interprete Hiero. Thren. 3. 18. Ergo לָנֶצַח *in finem*: ſenſu vero convenit cum eo, quod Latini dicunt, *ſine fine.* Quod roborat hoc loco Hiero. referens, *in æternum.*

Egenus] Egens, inops, πένης, ut אביון ſit πένης, & עני πτωχός. Quam differentiam hoc loco confundunt; de Græcis loquor; nam Hieronymus utrobique *pauperis* vocabulum uſurpat.

Exſpectatio pauperum] Ita Hiero. & ante illum alius ſine nomine, προσδοκία πρᾳέων, *expectatio manſuetorum*: nam ſcripturam ſequendo legit עֲנָוִים pro עֲנִיִּים, quæ invicem permutantur in hoc libro. Fere enim cum paupertate conjuncta eſt manſuetudo. Libet nunc medicinam facere interpreti anonymo, cujus modo mentionem feci. In verſione Græca vulgata, locus iſte ita legitur: ὅτι οὐκ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται ὁ πτωχὸς, ἡ ὑπομονὴ τῶν πενήτων οὐκ ἀπολεῖται εἰς τὸν αἰῶνα. Ad eum Chryſoſtomus notavit: ἄλλος, οὐ γὰρ εἰς τέλος ἡ προσδοκία πρᾳέων ἐπιλησθήσεται. Quis hic erratum eſſe negare auſit? Emendo: οὐ γὰρ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται . . . . προσδοκία πρᾳέων. Emendatio certa, & cui firmandæ verbum amplius faciendum non eſt.

Peribit] Non peribit. Negatio repeti debet ἀπὸ κοινοῦ, ex præcedentibus: *perire* autem *expectatio* dicitur, quando aliter ac exſpectabamus res evenit.

20. *Surge DOMINE, ne roboretur mortalis: judicentur gentes coram facie tua.*

Surge] *Agedum*, ut Jon. 1. 2. *Surge, vade Niniven*, aut *ſurge* humanitus dictum, quia acturus aliquid, ſi ſedet, ſurgere ſolet; alioqui Deus nec ſedet, nec ſurgit. Infra Pſal. 68. 2. *Surgat Deus, diſpergantur hoſtes ejus.* R. David ad h. l. *Deus ſurgere dicitur, cum declarat potentiam ſuam.* Hieron. Zach. 2. *Surgere dicitur Deus quando conſurgit in vindictam populi ſui.*

Ne roboretur] Ne confirmetur in pravitate, aut in opinione, quam habet de providentia tua. vel, ne invaleſcat & roboret ſe contra plebem tuam.

Mortalis] Homo mortalis, qui eſt ipſa συμφορὴ, ut cum Herodoto loquar. Ad hoc ſignificandum, uſurpat nomen ENOS, quod ab ANAS, *doluit.*

Judicentur] Damnentur, pœnas dent.

Coram facie tua] Poteſtne accipi ut in Decalogo, *non habebis Deos alios coram facie mea?* Quod exponunt: nullo neque loco, neque tempore. Nam Deus ubique & ſemper eſt: ideo quæ fiunt, omnia coram eo fiunt. Mirum vero cur ita maluerit loqui, cum potuiſſet dicere, *à te*? Hem ferme excederat אל יעז אנוש A. *ne temere agat homo.* Chryſ. ἄλλος, μὴ θρασυνέσθω. Lexic. Vetus θρασὺς *temerarius.*

21. *Pone DOMINE timorem illis, ſciant gentes mortales eſſe ſe. Sela.*

Pone timorem illis] Incute illis metum & formidinem pœnæ: nam hujuſmodi metus improbos in officio continet, juxta illud: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Ut hic, *ponere timorem alicui*; ita Cicero dixit, *ponere formidinem improbis* i. incutere, injicere, afferre. Aquila hoc Græce poſuit, θὲς κύριε

φόβημα αὐτοῖς : *pone DOMINE terrorem illis.* Theodotio autem; κατάστησον κύριε φόβον αὐτοῖς, *conſtitue, Domine, metum illis.* At Symm. τάξον κύριε νόμον αὐτοῖς : *ordina DOMINE legem illis:* i. תּוֹרָה, Alius, neſcio quis : ἐπίλαμψαι i. *illuce.* Quod verbum Ebraicum non ſignificat.

Timorem] vel, *metum* i. מוֹרָה, ſic legit etiam Hier. Sed Græci Lxx. κατάστησον νομοθέτην ἐπ᾽ αὐτοὺς i. מוֹרֶה. Unius vocalis mutatio vide quid faciat. Quanquam מוֹרֶה magis denotat *doctorem*, quam *legiſlatorem.*

Mortales eſſe ſe] Tenendum, in fonte rurſum eſſe ENOS, de quo dixi. Ergo ſenſus : ſciant homines eſſe ſe, qui humanis caſibus obnoxii, imo ærumnarum pleniſſimi ſint. Sic dico : experti diſcant, conditionem ſuam miſerrimam eſſe.

PSAL. X.

1. C*Ur DOMINE ſtas è longinquo, abſcondis te temporibus adverſis?*

Cur ſtas è longinquo] Deus *ſtare* dicitur è *longinquo*, quoties differt auxilium: contra, *prope eſt omnibus invocantibus ipſum.* Vid. Deut. 4. 7.

Stas] An *manes?* ut Gen. 45. 9. *Deſcende ad me, quid manes?*

E longinquo] ברחוק *in longinquo*, ſub. loco i. μακρόθεν, *procul*, aut *longe* : quod Hiero. dixit, *à longe* מֵרָחוֹק.

Abſcondis te] Deus abſcondit ſe ab eo, quem negligit; ac in calamitate quaſi deſerit ac deſtituit auxilio ſuo. Ceterum pronomen in Ebræo nullum eſt : unde potes legere; *abſcondis oculos tuos*, quod in idem recidit, eſtque negligentis aut averſantis. Sane Græci explicant ὑπεροράς : & Hiero. *deſpicis*; ad ſenſum non male. *Abſcondere oculos* plene legitur, 1 Sam. 12. 3. Jeſ. 1. 9. Prov. 28. 27.

Temporibus adverſis] A. εἰς καιρὸν. Symm. ἐν καιροῖς θλίψεως. & Hieron. *temporibus anguſtiæ.* Senſum expreſſerunt, non phraſin; nam in Ebræo ad verbum, *temporibus in anguſtia.* Vid. quæ ſcripſimus Pſ. 9. 10.

Temporibus] Lxx. ἐν εὐκαιρίαις i. temporibus opportunis. vult dicere : cum maxime oportunum eſt ſuccurrere. Valde diſplicet : nam licet Deus ſe abſcondat aliquando, tamen id non facit oportuno tempore, ſive, cum tempeſtivum eſt: tunc enim ſemper ſuccurrit ſuis. Supra 9. 18. לעתות Symm. *oportune*, i. εὐκαίρως. Vide Annotat.

2. *Cum faſtu improbus perſequitur pauperem, comprehendantur cogitationibus quas cogitaverunt.*

Cum faſtu improbus] In fonte eſt; *cum faſtu improbi* : cui geminum eſt, *de fructu ejus viri comedet bonum*, pro, vir comedet bonum. Grammatici, *antiptoſin* vocant. Tale eſt, *ſcin' me, in quibus ſim gaudiis?*

Cum faſtu] In ſuperbia, ſuperbe. Sunt, qui referant, *ob ſuperbiam* : vel, *præ ſuperbia.* Impius, inquit, qua eſt ſuperbia, perſequitur pauperem. quaſi dicat : nullam aliam cauſam habet, cur eum perſequatur.

Perſequitur] ידלק *Ardet*, i. ardenter perſequitur; ut ſupra: *ſagittas ſuas ardentibus fecit.* Aut, *ardet*, i. urit, vexat, cruciat. Virg. Georg. 4. *Ardebat Syrius Indos.* Hiero. *In ſuperbia impii ardet pauper.* Explico *in ſuperbia*, propter ſuperbiam : & *ardet*, perſecutionem ſuſtinet. Id Aq. dixit καίεται, & Symm. φλέγεται. Quidam; *In elatione impii perſecutionem patitur pauper.* Senſus eſt : cum ad honores evehitur. Hæc interpretatio coacta eſt, ſi verba Ebræa recte expendas. Lxx. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper.* ἐμπυρίζεται i. *ira inflammatur.*

Pauper] עָנִי, afflictus.

Comprehendantur] vel, *capiantur.* nempe improbi illi. Votum hoc eſt Davidis, ſi modo David auctor eſt hujus Pſalmi. Sed alii; *comprehenduntur* i. συλλαμβάνονται; quod ad pauperes referunt.

Cogitationibus] *Cogitationibus fraudulentis*, Chaldæus paraphraſtes; *ſceleratis*; quæ ſignificatio nominis מזמה extat Prov. 12. 2. & 14. 17. item 24. 8. Sane quidem Hier. interpretatur : *in ſceleribus.* Sic Pſ. 139. 20. למזמה idem reddit *ſcelerate* i. בְּזִמָּה.

Cogitaverunt] vel, *Cogitant* i. διαλογίζονται. hic זו poſitum eſt pro אֲשֶׁר.

3. *Quia laudat improbum de deſiderio animæ ipſius; & avaro benedicit, irritat DOMINUM.*

Quia laudat improbum de deſiderio &c.] vel, *Qui laudat improbum*, ut כִּי pro אשר accipiatur. Vulgo : *Quia ſe laudat improbus de deſiderio animæ ſuæ*, vult dicere; quod voti compos fiat, aſſecutus id quod deſiderat. Hiero. *Quia laudavit impius deſiderium animæ ſuæ*, ac ſi eſſet לתאות נפשו. Lxx. ὅτι ἐπαινεῖται ὁ ἁμαρτωλὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ψυχῆς αὐτοῦ : *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ.* An legerunt הֻלַּל ? Poteſt aliter excuſari; nam *laudat peccatorem*, ſub. homo : idem cum illo; *laudatur peccator.* Alius, ὅτι αἰνίοις παρήγορος κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν .... Lexic. Vetus, παρήγορος, *contrajuris*, *contralegis.* Alius, ὅτι ὕμνησεν ..... ἐπὶ πόθῳ ψυχῆς αὐτοῦ : *Quoniam hymnos dixit* ...... *pro deſiderio animæ ſuæ.* Idem Lexic. πόθος *deſiderium*, *cupido.* Sunt, qui legant : *Quoniam gloriatur improbus de deſiderio animæ ſuæ* : quod æquivalet illi: *laudat ſe.* i. מהלל עצמו, ut R. David explicat. Videndum nunc, an הִלֵּל abſolute poſitum hoc ſignificatu alibi reperiatur.

De deſiderio animæ ſuæ] De cupiditate, aut libidine ſua, vid. quod ea, quæ cupit, quorumque deſiderio tenetur, facile obtineat, aut proficiat.

Et avaro benedicit, irritat DOMINUM] Lxx. καὶ ὁ ἀδικῶν εὐλογεῖται. παρώξυνε τὸν κύριον, ὁ ἁμαρτωλός : *& iniquus benedicitur : exacerbavit DOMINUM peccator.* Alius, καὶ πλεονέκτης εὐλογήσας παρώξυνε τὸν Κύριον, *& avarus benedicens irritavit DOMINUM.* Lex. Vet. παροξύνω, *acerbo*, *irrito.* Alius, καὶ πλεονέκτης εὐλογήσας διέσυρε τὸν κύριον. *Et avarus benedicens obtrectavit DOMINO.* In his locis εὐλογήσας videtur poſitum eſſe, pro κακολογήσας, i. maledicens : niſi explicandum potius : *benedicens ſibi ipſi* : quod Hiero. exiſtimavit, qui vertit : *& avarus applaudens ſibi, blaſphemavit DOMINUM.*

Avaro benedicit] Avaro bene precatur & omnia bona exoptat. aut, eum laudat. Priore ſignificatu dixit Cicero; *Cui bene dixit unquam bono?* Nam *benedicit* Latino ſermone, qui ut bona eveniant precatur. Qui interpretantur, *Avarus benedicit*, accipiunt in contraria ſignificatione, & exponunt : *maledicit.* Ita ſumitur hoc verbum 1 Reg. 21. 10. *Benedixiſti Deo & regi.* & ibi : *benedic Deo & morere.* Fit hoc κατ᾽ εὐφημισμὸν, ut loquuntur.

Avaro] בּוֹצֵעַ hominem deſignat lucrari undique cupientem, quem Latini veteres *lucrionem* appellabant, lucri cupidum, aut lucro inhiantem.

Irritat] παροργίζει, ſive παροξύνει, i. irritat, ad iram provocat; aut, διασύρει i. נִאֵץ, lacerat probris & conviciis, quod Hiero. dixit *blaſphemat.* Quibuſdam placuit interpretari, *averſatur*, *ſpernit*, *deteſtatur* : quæ ſignificatio eſt verbi נָאַץ, quando ponitur in prima conjugatione, ut Grammatici obſervant. Forte idem ſignificat hoc loco, ut ſenſus ſit : Lucrionem, inquit, impius ille beatum & felicem prædicat, eique fauſta omnia precatur, &, quod dictu horrendum, Deum, qui tales odit, averſatur.

4. *Improbus pro altitudine naris ſuæ non requirit : non eſſe Deum omnes cogitationes ejus ſunt.*

Pro altitudine naris ſuæ] כְּגֹבַהּ אַפּוֹ. *Secundum altitudinem naris ſuæ.* Latine, *pro ſuperbia ſua.* ſive, *qua eſt arrogantia & faſtu.* Sumptum à geſtu hominis ſuperbi, qui elato vultu, in quo naſus potiſſimum eminet, incedit. Eadem ſententia erit, ſi legas : *pro altitudine faciei ſuæ:* nam in facie pars eminentior, ut dixi, & maxime conſpicua eſt naſus, ideo pro tota facie ponitur. Vetus omnis interpretatio, *iræ* vel *excandeſcentiæ ſuæ*, cujus ſedes eſt in naribus. unde illud Theocriti; καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Tantum varietas eſt in declaratione τοῦ כְּגֹבַהּ. Nam Lxx. κατὰ τὸ πλῆθος, *ſecundum multitudinem* : Alius κατὰ μετεωρισμὸν. Hieron. *ſecundum altitudinem* : Alius, ὅταν ὑψωθῇ. ſcilicet *altum* & *magnum* viciſſim permutari. Unde legimus apud Salomonem, *exaltat ſtultitiam*, pro, magnam ſtultitiam deſignat: & contra, *magnam calcem mihi impegit*, quod Græce dicitur, ἐμεγάλυνε, & explicatur in Euangelio ἐπῆρε, *extulit.*

Non requirit] Plenum eſſet, *Non requirit Deum*; quod expreſſum in illo, *Non eſt requirens Deum*; vult dicere, qui pietati ex animo ſtudeat, ſive, qui rebus Divinis & ſimul virtuti operam det. Qui hæc faciunt, vocantur דֹּרְשֵׁי יְהוָה *DOMINI requirentes* i. pietatis ſtudioſi. Seniores hoc membrum ita reddunt : κατὰ τὸ πλῆθος τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, οὐκ ἐκζητήσει. Quod Theodoretus enarrat, *non requirit Deus*, diſtinctionem ponens poſt αὐτοῦ, & ſubintelligens λέγων. *Irritat*, inquit, *Deum*, dicendo; *non exquires*, *ſive non animadvertes in maleficia.* Cave ſequaris. Alius interpres; ἀσεβὴς κατὰ μετεωρισμὸν θυμοῦ αὐτοῦ οὐ μὴ ἐκζητήσῃ. Alius; ὅταν ὑψωθῇ ὁ θυμὸς αὐτοῦ οὐκ ἐκζητεῖ. Hieron. *Impius ſecundum altitudinem furoris ſui non requiret.* Ὅταν ὑψωθῇ, ὁ θυμὸς αὐτοῦ, reddi poteſt; *Quando ſublatus fuerit animus ejus*; idem fere cum illo, κατὰ μετεωρισμὸν θυμοῦ αὐτοῦ, *ſecundum elevationem*, ſive, *pro elatione animi ſui.*

ſui. hic *animum* accipio, ut in illo; *Ira furor brevis eſt, animum rege.*

Non eſſe Deum omnes cogitationes ejus ſunt] vel, *Non eſt Deus, omnes ejus cogitationes.* q. d. nihil aliud cogitat, quam non eſſe Deum, qui res humanas adminiſtret; nam in Ebræo אֱלֹהִים, quod proprie ſignificat *Deum judicem.* Aliud eſt, negare Deum judicem; & aliud, negare Deum ſimpliciter. quod poſterius concedunt, qui tamen prius illud negant, ut Epicuræi & ſimiles. Qui Deum eſſe negant ſimpliciter, proprie Athei vocantur. Lxx. οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς ἐνώπιον αὐτοῦ: quod emendarunt, qui ſecuti ſunt interpretes, hoc modo. Hieron. *Nec Deus in omnibus*, (i. ullis,) *cogitationibus ejus*, q. d. nunquam de Deo cogitat. Alius, οὐκ ἔστι θεὸς πάσαις ἐννοίαις αὐτοῦ. Alius..... δι᾽ ὅλων τῶν ἐνθυμημάτων αὐτοῦ. *In omnibus* i. בְּכָל־, Non omnino diſplicet.

5. *Dolore afficiunt omnes viæ ipſius omni tempore; altiſſime abſunt judicia tua ab illo, in omnes adverſarios ſuos ſufflat.*

Dolore afficiunt] Tenere debemus, verbum heic eſſe יחילו, à quo nomen חיל כיולדה, quo ſignificatur *dolor parturientium.* Adeo, inquit, moleſtus eſt viris bonis probiſque, ut mulier parturiens non majorem dolorem ſuſtineat, quam ipſi ſuſtinent ex moribus ipſius. Proba veraxque interpretatio præ illa, quam Lxx. habent, βεβηλοῦνται αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ i. *polluuntur viæ ejus*, quod dicerent יחולו nempe ἀπὸ τοῦ חלל, *polluo.* Hiero. maluit, *parturiunt viæ ejus*, & interpres Chaldæus, מַצְלְחִין i. *proſperantur*, quod è nuperis interpretibus nonnulli æmulati ſunt.

Viæ ipſius] Actiones ipſius.

Omni tempore] Quovis tempore, ſemper.

Altiſſime abſunt judicia tua ab illo] Senſum reddidi, ut potui; nam verba ſonant è verbo: *Altitudo ſunt judicia tua à coram illo.* Quod Hiero. dixit referens: *longe ſunt judicia tua à facie ejus.* Ante illum Lxx. ediderant ἀνταναιρεῖται τὰ κρίματά σου ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, quod redditum invenio: *auferuntur judicia tua à facie ejus.* Forte leg. ἀνταναίρεται, *ſuſtolluntur.* nam ἀνταναίρω, *ſuſtollo*, proprie, *contra attollo.* Sic docte redderent particulam מנגד, *è regione*, ſive *ex adverſo.* In his duobus verbis Græca exemplaria variant Pſ. 45. 10. Nam quædam habent ἀνταναιρῶν πολέμους, & alia non ſpernendæ auctoritatis, ἀνταναίρων, ubi fons Ebraicæ veritatis משבית מלחמות *ceſſare faciens bella.* Sed redeamus eo unde digreſſi ſumus. Alius è Græcis, ἦρται ἡ κρίσις αὐτοῦ. *Sublatum eſt judicium ejus.* Aliqui hunc locum ſic interpretantur: *O Deus* (nam מרום inter epitheta Dei) *judicia tua longe ſunt à conſpectu illius!* littera enim *mem*, quæ in מנגד, elongationem ſignificat, ut Grammatici obſervant.

Altiſſime abſunt] Sic alibi: *Alta eſt ſtulto ſapientia*, nam non poteſt eam comprehendere. Sic dico; nequit pervenire eo ubi ipſa eſt. ideo ei alta & ardua videtur.

Judicia tua] Quibus hunc mundum gubernas. Alii, *præcepta tua*; Alii, *pœnæ tuæ.* Cui firmando eſt interpretatio: *proſpere ſuccedunt viæ ipſius omni tempore:* nam quia ad illum non pertingunt ſupplicia tua, ideo ſumma utitur proſperitate, non damno.

Ab illo] vel *à conſpectu ejus:* niſi potius vertendum, *præ illo*; ut dicat: altiora ſunt, quam ut ea poſſit comprehendere; vel, certe putat altiora eſſe, quam ut eo pertingere queat. Ecce, inquit, vexat me quotidie & gravi moleſtia afficit, nec quicquam veretur te vindicem; nam, quia in cœlo es, exiſtimat, te res humanas non curare.

In omnes adverſarios ſuos ſufflat] Quotquot habet adverſarios, ſufflat in ipſos: qui geſtus eſt contemnentium. Valet autem à Patre Hiero. *deſpicit eos*; meo arbitratu potius vertendum, *difflat eos.* Quod ut dextre intelligas, capiendum ex opinione improbi; ac ſi diceret: Confidit ſe poſſe flatu profligare omnes hoſtes ſuos. Hæc difflatio etiam in noſtris moribus, ubi elevamus quid aut aſpernamur. Sic Comicus: *Quojus tu legiones difflaviſti ſpiritu, quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.* Dicitur etiam *deflare.* nec alio verbo melius expreſſeris ſuperbum habitum illum reſpuentis vel contemnentis. Sueton: *Prolata divorum Julii & Auguſti diplomata, ut vetera & obſoleta deflabat.* Adi ad Quæſtiones meas lib. 3. quæſt. 22.

Sufflat in eos] Alii, *Illaqueat eos*; quam ſignificationem petunt à nomine פח *laqueus.* Priorem interpretationem, ne quis novitiam eſſe putet, è Veteribus Aquila in mente habuit, cum verteret teſte Theodoreto; *Quaſi flatu dejicit, ac proſternit eos.* eique firmandæ eſt locus, qui habetur Sap. 11. 21. *Adde, quod ſine his uno flatu dejici poterant, urgente pœna, afflatu potentiæ tuæ ventilati.* Ubi *uno flatu* poſitum pro, quam facillime.

6. *Dicit in corde ſuo; haudquaquam emovebor in ætatem & ætatem, quia non eſt in malo.*

Hoc ſtatuit apud animum ſuum, non poſſe ſe unquam in malum incidere, quia modo non eſt in malo; aut quia fortaſſe antea in malo non fuit. Quid ſtultius? homo non eſt, qui ſe hominem eſſe non meminit. Cadere, errare, decipi, hominis ſunt, in eodem ſtatu permanere ſolus Deus poteſt.

Haudquaquam emovebor] Non movebor loco meo, aut de ſtatu felici in quo jam ſum. Ita ſumitur hoc verbum Prov. 25. 26. *Juſtus emotus coram improbo.* Aliter accipies paulo Pſ. 15. 5. & 16. 8. Editio Græca τῶν Lxx. οὐ μὴ σαλευθῶ, quod eſt proprie *concuti* & *loco moveri.* Symm. οὐ περιτραπήσομαι, *non titubabo.* Lexic. Vet. περιτρέπομαι, *titubo.*

In ætatem & ætatem] In omnes ætates. Latine, *Non emovebor ulla ætate*, aut *nunquam emovebor.* Hoc Sym. tranſtulit, εἰς γενεὰν καὶ γενεάν, & melius quam Lxx. ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν. Hiero. *in generationem & generationem.*

Quia non in malo] Subint. *eſt*, aut *verſatur:* & אשר accipio pro כי, *quia, quoniam.* Alii ſubaudiunt *ero* aut *verſabor.* *Quia non verſabor in malo.* Alii, *quia non videbo malum* i. אראה. Sic fere Ebræi. Hiero. *Ero ſine malo.* & Lxx. ἄνευ κακοῦ.

7. *Maledictione os ejus plenum eſt, fraudibusque & dolo: ſub lingua ejus moleſtia & labor.*

Maledictione os ejus plenum eſt] Sic omnes interpretes, quos vidi. Caninius tamen nos admonet de alia verſione, nam ait: כלא verbum eſſe & interpretatur ממלא *implens*, hac ſententia; *maledictione os ſuum replet.* Ita ſumitur idem verbum Jer. 23. 24 & alibi.

Maledictione] Execratione, diritate, perjurio. Si modo אלה eſt *perjurium*, quod multi putant. Alii dicunt, ſignificare *juramentum* duntaxat. *Os ſuum plenum habent juramento* i. pleno ore jurant, aut frequenter jurant. Porro qui frequenter jurant facile pejerant. Itaque legunt nonnulli Pſ. 59. 13. *de perjurio & mendacio*; ubi alii, *de maledictione & macie.*

Et dolo] καὶ δόλου. Ita Lxx. & recte. Dictus eo nomine dolus, quod in animo lateat utentis, quippe qui vultu eum tegit, proprie תוך, *medium*, item *cor*, ut cum dicunt; תוכו כברו *internum ejus ſicut externum ejus.* Nos diceremus: *cor ejus cum vultu conſentit.* Contra dictitant; תוכו הפך בר *aliud vultu præ ſe fert, & aliud in animo clauſum habet.*

Sub lingua ejus] Sub lingua, qua jurat i. in corde ejus (nam cor eſt ſub lingua) latent moleſtia & labor.

Moleſtia & labor] Lxx. κόπος καὶ πόνος. Id vertunt, *labor & dolor.* prætulerim *defatigatio & labor.* nam πόνος & *dolor*, & *labor.* Hiero. *Dolor & iniquitas*, quod עמל nunquam ſignificat. Sic dico, עמל eſt *labor*, non *dolor.*

Labor] A. ἀνωφελές, i. *inutile.*

8. *Sedet in inſidiis pagorum, in latebris, occidit innocentem: Oculi ejus pauperem clam obſervant.*

Sedet in inſidiis pagorum] *Inſidias pagorum* vocat loca pagorum inſidiis apta. Qui in talibus locis ſedent, eos Latini proprie appellant *inſeſſores, latrones*, quod circa viam inſidientur *ſedentes*, ut Feſtus ſcribit.

In inſidiis pagorum] Hiero. *inſidians juxta veſtibula*, & ante illum Symm. ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλάς, *Sedet inſidians circum atria.* Lexic. Vetus, αὐλή, *atrium.* idem חצר, cujus plurale חצרים, quod nunc *pagos* interpretamur, ſenſu id mirifice comprobante. Sunt autem *pagi*, vici ruſtici, quos ערי הפרזות & ſimpliciter פרזות nuncupant. Santes *villas* reddit; neſcio an bene: nam villæ ex una domo conſtant: in pagis plures ſunt domus. Ideo prætuli *pagorum.* Sic Jeſ. 42. חצרים verto, *per pagos*, & non *per villas*, pro quo Zach. 2. פְּרָזוֹת i. *pagatim.*

In latebris] במסתרים, *in occultis*, ſive *in abſconditis locis.* quod Symm. dixit ἐν ἀποκρύφοις.

Occidit innocentem] vel *Occidit in latebris innocentem*, vel, *ſedet in latebris occiſurus innocentem*, ſi quem forte prætereuntem viderit. Hiero. *In abſconditis interficit innocentem.* Symm... ἀποκτεῖναι ἀναίτιον, quod reddi poteſt, *interficit* i. ἀποκτείνει, aut, *ut interficiat*, τοῦ ἀποκτεῖναι.

Oculi ejus pauperem clam obſervant] Lxx. οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ εἰς τὸν πένητα ἀποβλέπουσιν. *Oculi ejus egenum reſpiciunt.* Hiero. *Oculi ejus robuſtos tuos circumſpiciunt.*

Pauperem] חֵלְכָה *pauperem* i. לעני, ut exponunt Ebræi, vel τὸν πένητα i. *inopem*, ut Græci. Sunt qui putant dictionem eſſe compoſitam ex חל & כא *attritus*, unde pluralis חלכאים *turba attritorum*; nam ה pro א poni tritum eſt. Sic מורה, *formido*, quod eſſet מורא. Alii componunt ex eadem voce חיל & pronomine: ut ſit חֵלְכָה *copias tuas* vel *populum tuum* i. pau-

 peres.

peres. nam ita interdum vocantur ſtricta ſignificatione, cum alioqui ſit periphraſis piorum ac fidelium.

Clam obſervant] Sunt ex Ebræis, qui (*Nun*) paragogicum eſſe dicant, & à צפה deducunt. Hanc ſententiam juvat Saadias Hagaon. Vide Abenezram. יִצְפֹּנוּ: *abſconduntur*, ſive *abſcondunt ſe* in pauperem i. limis & quaſi ſemiclauſis oculis obſervant; quod uno verbo dicunt, *collimare*. Quod autem Græci reddunt ἀποβλέπουσιν, in eo Santes, quod mirum, ipſos ſecutus eſt, cum צפן hoc nunquam ſignificet. Quapropter eo labor, ut credam, eos legiſſe יצפו, in quo ſignificatio *ſpeculandi*, quod eſt צפה. docti viderint.

9. *Inſidiatur in occulto ut leo in cubili ſuo, inſidiatur, inquam, ut rapiat pauperem: rapit pauperem, poſtquam attraxerit eum in rete ſuum.*

In occulto] ἐν ἀποκρύφῳ, *in abſcondito* i. occulte, abſcondite, κρυφίως.

In cubili ſuo] vel *in luſtro ſuo*: nam luſtra proprie ferarum ſunt. Lxx. ἐν τῇ μάνδρᾳ αὐτοῦ, quod reddunt, *in cubili ſuo*. Sed reddi poteſt *in ſpelunca ſua*. nam μάνδρα, *ſpelunca*. *Spelæum* dixit Virgilius, unde; *Spelæa ferarum*. Significat eadem vox *ſeptum*. Lexic. Vetus μάνδρα, *hic ſeptum*. Alius interpres, ἐν τῷ περιφράγματι αὐτοῦ. idem Lexic. περίφραγμα, *ſeptum*, περιφράγματα, *ſepes*. Videtur in ea ſententia fuiſſe hic interpres, ut exiſtimarit, סך idem eſſe cum כסוכה, cujus radix שך, nam (ס) & (ש) alternant. Alii סֻכֹּה dici putant compendio quodam ſermonis pro סֻכָּתוֹ *tugurium ejus*, ut alibi פִּנָּה, *angulus ejus*, pro פִּנָּתוֹ. Hanc ſententiam tuetur Moſes quidam homo Judæus.

Ut rapiat] לחטוף. Verbum hoc ſignificat, *celeriter aliquid abripere*: eoque ſenſu legitur & Jud. 21. 21. Nec alibi exſtat, quod ſciam.

Poſtquam attraxerit eum in rete ſuum] Sic Hiero. *cum attraxerit eum ad rete ſuum*. Poſſet reddi *trahendo eum*, quod Græce legitur in Lxx. ἐν τῷ ἑλκύσαι αὐτόν. Alius hic poſuit, ἐν ἑλκυσμῷ αὐτοῦ, quod Latine ſonat, ut ſi dicas: *tractione ſua*. Primum, inquit, ei dolum & inſidias ſtruit, ut auceps: deinde captum dolo, ubi ſucceſſerint inſidiæ, rapit ut leo.

In rete ſuum] Lxx. ἐν τῇ παγίδι αὐτοῦ. alius ἐν τῇ σαγήνῃ... Lexicon Vet. σαγήνη, *verriculum*. σαγηνεύω *irretio*. tralatio ab iis, qui aucupium faciunt; nam tales ex inſidiis capiunt aves pertractas in retia, quæ tetenderunt.

10. *Atterit ſe, deprimit ſe, & cadit validis ejus turba attritorum.*

Atterit ſe, deprimit ſe] ſcriptum ודכה per (Vau). Lectum ידכה per (Jod). Utrobique eſt (ה) pro (א). Scripturam interpretatur Hiero. *& confractum ſubjiciet*. Licet etiam vertere: *& attritus deprimit ſe*. Cur ſpernis? namque in Græcis editionibus legitur: ὁ δὲ θλασθεὶς καμφθήσεται, *ille vero fractus incurvatur*: ut in nuperis, *atterit ſe, incurvat ſe*. quod eſt יִדְכֶּה יָשֹׁחַ. Santes apertius & manifeſtius; *contritum humilemque ſe oſtendit*: nam ſimulat duntaxat, non ſe atterit aut deprimit revera.

Deprimit] humiliat, incurvat. Quod in Græca vulgata eſt κύψει; nam κύπτω, *inclino me*, & ὦτα κεκυφότα, *humeri incurvati*.

Et cadit validis ejus turba attritorum] Deinde cadit in terram proſtrata validis ipſius lacertis turba contritorum. Aliter exponas: *Poſtea irruit validis ſuis in turbam attritorum*: quod è Græcis interpretibus quidam retulit, ἐπιπεσόντος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἰσχυρῶν αὐτοῦ τοῖς ἀσθενέσιν, *irruente eo cum validis ſuis* (membris) *in debiles*. & Hiero. *irruet viribus ſuis* &c. quod eſt eorum qui cum impetu aliquem invadunt. Ab hac ſignificatione gigantes dictos putamus *Nephilim* q. ἐπιπεσόντες, ut interpretatur alibi Hiero. i. *irruentes*. Quidam elegerunt: *donec ceciderit in robuſta ejus* (membra) *turba*, ſive *cœtus attritorum*.

Cadit] Nempe, ut in bello cadunt, qui occumbunt ibidem, & occiduntur ab adverſa parte.

Validis ejus] בעצומיו ſubint. *lacertis* aut aliquid tale; Epitheton abſque re.

Turba attritorum] vel *cœtus attritorum*. ad verbum, *copia attritorum*. nam חֵל *exercitus*, *copia*. Redditur & *populus*, ut legi poſſit, *populus attritorum* i. pauperes & debiles: nam tales maxime expoſiti ſunt injuriis validorum.

11. *Dicit in corde ſuo; oblitus eſt Deus, occultavit faciem ſuam, non vidit unquam.*

Oblitus eſt Deus] Pauperum, vel eorum quæ patravi, & *oblitus eſt* dixit, pro, non meminit: nam obliviſcimur proprie eorum, quæ vidimus aut novimus. Sed hæc omnia de Deo figurate dicuntur. Rectius, *Oblitus eſt* pauperum & *abſcondit oculos ſuos* ab iis: *non reſpicit* miſeriam eorum. Vide ſequentia.

Deus] Deus *fortis* i. אֵל, non, Deus *judex* i. אלהים quem nullum eſſe credit. Supra: *non eſſe Deum, omnes cogitationes ejus*.

Occultavit faciem ſuam] Idem cum illo, *abſcondit oculos ſuos*. Quippe tam *facies*, quam *oculi*, providentiam notant: mox ſe explicat, cum ait: *non videbit unquam*. Alii: eorum, quæ feci; non meminit, aut ſi meminit, diſſimulat, ut homo, qui avertit vultum ſuum ab aliqua re, ne videat eam.

Non vidit unquam] Nunquam eos reſpexit, quomodo igitur nunc id faceret? Alii, *non videbit*, & Hiero. *non reſpiciet*, בל יראה. Græci Lxx. τοῦ μὴ βλέπειν *ne videat*; non diſplicet. Occultavit faciem ſuam, inquit, à pauperibus, ne videret miſeriam eorum.

Unquam] לנצח, εἰς τέλος, *in perpetuum*. Hoc Hiero. habet, illud Lxx.

12. *Surge DOMINE Deus, leva manum tuam: ne obliviſcaris pauperum.*

Leva manum tuam] Levat manum, qui jurat, qui benedicit, qui vocat, & qui ferit, ut modo. Nam qui ferire aliquem volunt, prius manum levant. Lxx. heic legunt ὑψωθήτω ἡ χείρ σου. Sed alius emendavit olim, ἔπαρον τὴν χεῖρά σου, *attolle manum tuam*.

Ne obliviſcaris pauperum] Memor eſto pauperum i. עניים, quod ita ſcriptum in codicibus Ebræis nunc legunt, עֲנָוִים *manſuetorum*.

Deus] אֵל, ut ſupra, *Oblitus eſt Deus*.

13. *Quare irritavit improbus Deum? Dixit in corde ſuo, non inquiris?*

Quare irritavit] vel, *Cur irritet?* & mox, *dicat in corde ſuo?* Licet etiam vertere per præſens, *Quare irritat, & dicit in corde ſuo?*

Irritavit] נִאֵץ: Vide quæ ſcripſimus ad verſ. 3. Lxx. reddunt παρώξυνεν *exacerbavit*. ita Rom. Edit. ſed Complut. παρώργισεν, *irritavit*. Hiero. *blaſphemat*.

Deum] אלהים.

Dicit in corde ſuo] Nam palam non audet.

Non inquiris] Te non inquirere in facta hominum, nedum ut in ea animadvertas. Vide quam improbe de te ſentiat: Hocne erit ei impune? non erit profecto. nam vidiſti quia tu moleſtiam & indignationem aſpicis. Aliter, *Quare ſpernit improbus Deum? Dicit in corde ſuo non inquiris?* Ideo, inquit, Deum ſpernit, quia credit te non inquirere aut animadvertere in ſcelera hominum, q. d. ſola patientia tua in cauſſa eſt, cur Deum contemnat.

14. *Vidiſti, quia tu moleſtiam & indignationem aſpicis, ut ponas in manu tua, tibi relinquit pauper: pupillo tu fuiſti adjutor.*

Vidiſti, quia tu &c.] Lxx. βλέπεις, ὅτι σὺ πόνον καὶ θυμὸν κατανοεῖς, *vides, quia tu laborem & excandeſcentiam conſideras*. Vide Annot. Hiero. *Vides quia tu laborem & furorem reſpicis*.

Vidiſti] aut, *Vides*, nempe, quæcunque homines faciunt, dicunt, cogitant.

Moleſtiam] Conatus & molitiones improbi, in quibus labor cum difficultate conjunctus. Ideo aſſentior potius Sym. qui μόχθον, quam aliis, qui πόνον reddunt.

Et indignationem] Graves ex indignatione offenſas; aut, quæ tibi ſtomachum faciunt, ea quoque pervides & punis.

Aſpicis] Soles aſpicere. Falſum ergo, quod impius cogitat; te, videlicet, abſcondere faciem, ne videas.

Ut ponas in manu tua] Ut cauſam ejus q. manu prehendas, i. complectaris & tuearis. Quod vulgo dicimus *in manu capere*. Aut, ut eum in tutelam recipias, & curam ejus habeas. Notum ut *manus* pro cura ſumatur; ex quo illud *in manum Hege Eunuchi*. Sic mihi videtur, ſed illud mecum ſervo, nihil ut affirmem, tantum teſtatum relinquam, quod ſentiam. Illud quidem omni aſſeveratione affirmo; nullum pronomen eſſe in Ebræo; itaque tum poteſt referri ad ſequentia, quam ad præcedentia: ſi ad præcedentia; ſenſus erit: *ut ponas ea* nempe moleſtiam & indignationem, *in manu tua*: & eſt dictum *ut ponas ea, in manum tuam*, quaſi ordine converſo, *ut ponas manum tuam in ea*. Nam *manus Dei* plagam ſignificat ab eo inflictam. Quamquam hoc duriuſculum videtur. Fortean rectius exponemus: *ut ponas eos* &c. videlicet, qui moleſtiam aliis exhibent. Vult dicere: ut pœnas ab iis pro merito exigas; ut pro factis eorum dignam mercedem rependas. Quo facit Græca editio τῶν Lxx. τοῦ παραδοῦναι αὐτοὺς (alias αὐτὸν) εἰς χεῖράς σου, *ut tradas eos in manus tuas*. Nec alienum quod Symm. edidit, ἵνα δοθῶσιν εἰς χεῖράς σου, *ut tradantur in manus tuas*. Hiero. maluit: *ut detur in manu tua*.

Tibi

Tibi relinquit pauper] Subint. res & negotia ſua, cauſam ſuam. vel, *tibi relinquit* ſe ipſum. Cui æquilibre, quod in veterum editionibus, *tibi relinquitur.*

Pauper] ὁ πτωχὸς explicatum eſt ſupra. v. 10. Hiero. *fortes tui*, ſed inepte: nam fortis אֵל dicitur, non חַיִל quod potius δύναμιν ſignificat, i. *virtutem* aut *exercitum.*

Tu fuiſti] vel, *es.* Nam continuum tempus deſignat. Lxx. σὺ ἦσθα. Alius, σὺ ἐγένου: Alius, σὺ ἔσῃ, *tu eris.* Hiero. *tu factus es.*

Pupillo] Ei, qui aliorum ope, itidem ut pupillus deſtituitur.

15. *Frange brachium improbi & maligni; quæ res improbitatem ejus, haudquaquam invenies.*

Brachium] Vires & potentiam.

Improbi & maligni] vel, *Impii & mali*; ut *impius* referatur ad primam; & *malus* ad ſecundam tabulam.

Maligni] πονηροῦ. Sunt, qui hoc nomen cum ſequentibus conſtruunt, quos adjuvat conſtructio, quæ in codicibus Ebræorum, hac ſententia: Quod malignum attinet, ſi quæres improbitatem ejus, &c. vel, Maligni quæres improbitatem ejus. ut ſit pleonaſmus Ebraica, pro eo quod eſt, *improbitatem maligni.*

Quæres improbitatem ejus, haudquaquam invenies] Lxx. ζητηθήσεται ἡ ἁμαρτία αὐτοῦ καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ. *Quæretur peccatum ejus, nec invenietur.* Alius, ἐκζητηθήσεται ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ, ἵνα μὴ εὑρεθῇ αὐτός. *requiretur impietas ejus, ne inveniatur ipſe.* Hieronymus, *Quæres impietatem ejus, & non invenies.*

Quæres] Plenum eſt, *ſi quæres.* Vult dicere: Si quæſtione habita punies eam. Supra: *Dicit in corde ſuo quod non quæras.* Ita quidem impius ille de te cogitat: ſed tu oſtende, ipſum falli ac decipi. Sic dico; inquire in facta ipſius impia: Quod ſi feceris, penitus abolebitur improbitas ejus, nec invenietur amplius in terra.

Haudquaquam invenies] Genus loquendi proverbiale eſt id quod dicimus, *non eſt inventus amplius locus ejus*; quod uſurpatur de eo, qui penitus deletur, & eſt a ſtirpibus tranſlatum, vel, ab ædificiis, quæ ita vaſtantur, ut locus ubi fuerint, non agnoſcatur.

16. *DOMINUS Rex ſeculi & æternitatis, perierunt gentes è terra ipſius.*

Seculi & æternitatis] i. Seculi ſempiterni. figura nota. Poteſt legi: *DOMINUS Rex eſt in ſeculum & ſempiternum:* cui æquivalet, *in ſecula ſempiterna.* Sic, *Rex ſeculi & æternitatis* idem cum illo, *Rex omnium ſeculorum.*

Perierunt gentes è terra ejus] ut probet, Deum regem eſſe omnium ſeculorum, narrat hiſtoriam veterem, quæ talis eſt. Septem gentes incolebant terram Chanaan, eas expulit Deus in gratiam populi ſui. Expulit? imo perdidit & profligavit penitus. Hæc terra ſeptem gentium, vocatur *terra Dei*, propterea quod Iſraelitæ a Deo eam quaſi hæreditario jure poſſidendam acceperant. Sic alibi: *aſcendit gens contra terram meam* i. contra Judæam. Quidam gentium nomine innui putant, improbos populi Iſrael.

17. *Deſiderium manſuetorum audis DOMINE, præparas cor eorum, attentam reddis aurem tuam.*

Deſiderium] Id quod deſiderant & imis precibus a te petunt. Nam alioqui deſiderium nudum niſi oratione ſignificatum fuerit, non poteſt exaudiri.

Manſuetorum] עֲנָוִים. Antiquitas verſionum *pauperum* i. עֲנִיִּים.

Audis] Exaudire ſolitus es.

Præparas cor eorum, attentam reddis &c.] vel, potius: *Præpara cor eorum, attentam redde aurem tuam.* Græci hunc locum ſic expoſuerunt: τὴν ἑτοιμασίαν τῆς καρδίας σου προσέσχε τὸ οὖς σου, *præparationem cordis eorum attendit auris tua.* Alius: τὴν πρόθεσιν τῆς καρδίας αὐτῶν προσέσχεν οὖς σου. *Propoſitum cordis eorum attendit auris tua.* Hiero. *Præparaſti ut cor eorum audiat auris tua.*

Præparas] vel, *confirmas*: & *præparas*, ad tuum obſequium videlicet.

Attentam reddas aurem tuam] Ad preces eorum. Supra dixit *audis.* nunc plus dicit; nam qui audit, non ſemper aurem attentam habet.

18. *Judicando pupillum & attritum: non addet* (vel *addat*) *amplius terrere mortalis è terra.*

Judicando] vindicando; aut lege, *ut judices.* Deſiderium, inquit, manſuetorum eſt, ut vindices pupillum & attritum. Hoc ipſorum votum Deus exaudire ſolitus, nunc etiam audi cum attentione: quod ſi fiat, non audebit poſthac terrere eos homo è terra.

Attritum] Malis & calamitatibus i. τεθλασμένῳ, ut ex Græcis interpretibus quidam reddit; nam prius erat ταπεινῷ, & in Hiero. *oppreſſum.* Obiter noto: Græci legunt, κρῖναι ὀρφανῷ, acſi aliud eſſet *judicare pupillum*, & *judicare pupillo.* De quo vos amplius cogitare volo; nam *judicat pupillum*, qui eum condemnat, aut abſolvit: *judicat pupillo*, qui ei reddit jus.

Non addit amplius terrere mortalis è terra] Non deinceps amplius terrebit eos homo è terra. Elegans paronomaſia, quam interpretes prætereunt, cum alii teferant: *Nequaquam ultra ſuperbiat.* Et alii: *Non pergat amplius violentiam afferre.* Talis figura extat apud Plautum Bachid. *Dei immortales, potiſne eſt terra, ut terat hominem?* Pro *terrere*, eſt cur malim, *terrori eſſe*, i. tyrannidem exercere. Sane gigantes, qui tyranni erant, אֵימִים vocantur, quod aliis terrori eſſent.

Mortalis è terra] Ut, *aper è ſilva*; *Mercenarius è villa*; *panis è cœlo*: Sic, *mortalis è terra*, i. terreſtris, in terra degens: vel potius *terreus*, i. è terra factus, aut genitus, terrigenus: nam terra communis omnium mater eſt. Paronomaſia vero, de qua dixi, eſt in ערץ & ארץ, quæ una tantum littera conſonante differunt.

PSAL. XI.

1. *MAgiſtro Cantorum Davidis. In DOMINO ſperavi, quomodo dicitis animæ meæ, commigra in montem veſtrum avis.*

Magiſtro Cantorum Davidis] Defecta oratio: plena erit, ſi addas: *Pſalmus Davidis, dandus magiſtro cantorum*, ſive, *Archimuſico.*

In DOMINO ſperavi] Ita Hiero. & poſt eum Santes. Ex Græcorum libris potius vertendum eſſet: *In DOMINO confiſus ſum:* nam id ſonat ἐπὶ Κυρίῳ πέποιθα.

Anima mea] i. Mihi.

Commigra in montem veſtrum] Non in unum aliquem montem, ſed in montes, in quibus tu & ſocii latere ſoletis. Licet etiam vertere: *emigra è monte veſtro.* Solitum enim Davidi fugere in montes, cum Saul eum perſequeretur. Sunt autem verba non hoſtium, ſed amicorum; quod arguunt conſequi verſus: Noli, inquiunt, amplius fidere montibus, in quibus hactenus delituiſti; non enim ibi tutus eris aut evades inſidias tibi ſtructas: alia via conſulendum ſaluti. Ceterum in omnes partes melior eſt lectio, quam antiqui omnes exprimunt. נודי הר כמו צפור *Demigra in montem, ut avis.* Primum Lxx. qui habent: μεταναστεύου ἐπὶ τὰ ὄρη ὡς στρουθίον, *tranſmigra in montes, ut avicula.* Deinde alius, qui vertit, ἀνάστατε εἰς ὄρη --- *exula in montes.* Tum Hiero. cujus hæc ſunt: *tranſvola in montem, ut avis.* Poſtremo Chaldæus Paraphraſtes; is enim edidit

אטלטלי לטורא היך צפורא

Vagare in montem, ſicut avis.

Commigra] נוּדִי, lectum, & ſcriptum נודו *commigrate.* Scripturam firmant ſequentia; lectionem ea, quæ præcedunt. Sunt è Veteribus, qui hic legunt μετακινοῦ, *tranſmove te.* & è Veteribus, qui elegerunt *fuge* i. ברח. Verbum Ebræum non tam ſignificat *migrare*, quam exilii cauſa *ſolum vertere* & *incertis ſedibus vagari.* Unde נָד ἀνάστατος καὶ σαλευόμενος, *extorris & fluctuans, inſtabilis & ſedis incerta*, ut ait Hieronymus.

In montem] In montana ſive montoſa loca.

Avis] Ut avis i. quam ocyſſime. Sic Jeſaias, *Ecce adducam*, inquit, *Cyrum regem meum ut avem:* vult dicere; faciam ut veniat tam cito quam avis. *Ut avis* i כְּצִפּוֹר. Id Græci reddiderunt, ὡς στρουθίον, quod vertunt, *ut paſſer.* Sed eſt cur malim, *ut avicula:* nam στρουθίον etiam *avicula.* צפור apud Ebræos aliquando *paſſerem* notat.

2. *Quia ecce improbi tetenderunt arcum, aptarunt ſagittam ſuam ad nervum, ad jaculandum in caligine in rectos corde.*

Quia ecce improbi tetenderunt] Conſilii ſui cauſam & rationem reddunt: ſi modo verba ſunt amicorum Davidis, ac non potius ipſius Davidis, ut nonnulli arbitrantur, qui etiam vertunt: *Profecto, ecce improbi tetenderunt.* Quæ autem præcedunt, ea dicta cenſent ab inimicis ejuſdem.

Tetenderunt arcum] ἐνέτειναν τόξον. Aliquæ verſiones, *tendunt arcum*, quod in idem fere recidit. Porro tendere arcum Ebræi dicunt *calcare arcum*, & *calcare* ſimpliciter, propte-

rea

rea quod alterum cornu in tendendo pedibus premi, & quaſi calcari ſolet.

Aptarunt ſagittas ſuas ad nervum] Aq. & Symm. ἥδρασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευρὰν. *firmarunt ſagittam ſuam ad nervum.* Hiero. *Poſuerunt ſagittam ſuam ſuper nervum.* Lxx. ἡτοίμασαν βέλη εἰς φαρέτραν, *paraverunt ſagittas in pharetra.* An legerunt מיתרם pro יתרם? Pſalterium utrumque, hoc eſt, tam Rom. quam Gallicum, *ſagittas ſuas.*

Sagittam ſuam] Ut ante, *in montem veſtrum*, pro, *in montes veſtros:* ſic nunc *ſagittam ſuam* dixit, pro, *ſagittas ſuas*, uſus enallage numerorum.

Ad nervum] vel, *nervo.* Quod Homerus dixit ἐπὶ νευρῇ Iliad. 10. Virgil. *nervoque aptare ſagittas.* καταλεγομένων δ' πτερὰ ἐπὶ νευρῇ.

Ad jaculandum] Ut jaculentur; ut ſagittis petant. Quod Græce eſt, τοῦ κατατοξεῦσαι. & apud Hiero. *ut ſagittent.* Lexic. Vet. τοξεύω *ſagitto.* VI. Edit. εἰς τὸ ἐπιδεῖξαι τὸ σκότος εἰς φῶς. heu pravam interpretationem! κατατοξεύω non ſolum eſt, *jaculis peto.* ſed etiam *ſagitta configo* vel, ſi mavis, *conficio.*

In caligine] בְּמוֹ אֹפֶל, Lxx. reddunt, ἐν σκοτομήνῃ, id ſonat proprie *nocte obſcura*, ſeu, *illuni.* Sed late ſumitur pro quavis caligine. ut σκοτόμαινα & σκοτομηνία. Interpres, certe Latinus, olim expoſuit, *in obſcuro.* Symm. ὡς ἐν ζόφῳ. An legit, כְּמוֹ אפל? nam facilis error de (ב) in (כ). Hiero. *in abſcondito.* Sic etiam enarrant Scholia Ebraica & omnino ſenſus eſt, ut ſi diceret: clam & ex inſidiis. Mirum ni in mente concepit, cum hæc ſcriberet, caliginem ſpeluncarum, in quibus comites Davidis, quos heic appellat *rectos corde*, una cum ipſo latitare conſueti.

In rectos corde] κατὰ τοὺς εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ. In eos, qui animum rectum gerunt i. integrum ac ſincerum, minimeque fictum aut ſimulatum.

3. *Quoniam fundamenta deſtructa ſunt: Juſtus quid fecit?*

Quoniam fundamenta deſtructa ſunt] Hunc locum varie interpretantur. Lxx. ὅτι ἃ κατηρτίσω καθεῖλον, *quoniam, quæ perfeciſti, deſtruxerunt* i. הַשָּׁתוֹת vel certe, הִשַּׁתִּית *fundaſti.* Verbum doctoribus frequentatum. Sic dicunt, צדיקים השתיתו עולמך *juſti firmarunt mundum tuum.* Jam vero Pſalm. 8. ubi, ex Ebræo, alii, *fundaſti robur*, Græci legunt, κατηρτίσω αἶνον, *perfeciſti laudem.* Aq. ὅτι οἱ θεμέλιοι καθῃρέθησαν. *Quoniam fundamenta deſtruentur.* Symm. ὅτι οἱ θεσμοὶ κατελύθησαν. *Quia leges diſſolutæ ſunt:* interpretatus eſt Hiero. *Quia leges diſſipatæ ſunt.* Alius, ὅτι αἱ διδασκαλίαι συντριβήσονται, *Quoniam doctrinæ conterentur.* Ad verbum, *poſitiones* i. θέσεις, quæ ſunt capita doctrinæ alicujus. VI. Edit. αἱ διαδοχαὶ i. *ſucceſſiones.* Santes, *Quoniam retia deſtruentur:* quod hauſit ex Scholiis Ebraicis, ubi שָׁתוֹת exponitur per רשתות ומצודות i. *retia, caſſes, hami.* Ex iiſdem habent qui שתות transferunt, *in fundamenta.* Significat eadem vox *nates* vel *podicem*, quem nos Belgæ *fundamenti* vocabula afficimus: etiam Itali, dicunt enim, *il fundamento*, cum eam partem corporis indicare volunt.

Fundamenta] Exponunt *conſilia:* nam conſilia ſunt quaſi fundamenta rerum gerendarum. Sic Pſ. 2. 1. נוסדו *fundarunt ſe* i. conſultarunt, conſilium inierunt. Quod autem ait, *fundamenta deſtructa eſſe*, valet, ac ſi diceret, nullum amplius conſiliis locum eſſe. aut eſt proverbiale, *Fundamenta collapſa ſunt:* mutuo ſumptum ab ædificiis. Quo uti licebit, ſi quando res ad extremam deſperationem devenerit. Neque diſplicet interpretamentum Hiero. quod a Symm. habuit, ut dixi; *Quoniam leges diſſipatæ ſunt:* nam leges ſunt fundamenta regnorum & rerumpublicarum, iiſque ſalus civium innititur, itidem ut fundamento reliqua domus: Unde a Poeta dictum eſt, *Primus qui legibus urbem fundavit.*

Juſtus quid fecit?] Lxx. ὁ δὲ δίκαιος τί ἐποίησε; A. δίκαιος τί κατειργάσατο; Symm. δίκαιος τί ἔδρασεν; Hiero. *Juſtus quid operatus eſt?* Opinor te agnoſcere interpretamentum Aquilæ, quem nunc ſecutus videtur; nam פעל proprie *operor.* *Facio* autem id eſt עשה. ſed confundi ſcias.

Quid fecit?] Quid commeruit, aut peccavit, cur tanto ardore ipſum perſequantur? Rectius fortaſſe: *Quid faciat?* nempe in iſta confuſione & perturbatione rerum omnium. q. d. conſultiſſimum eſt, ut ſolum vertat, & alio ſe conferat. Sic eſt profecto. Ut cum peſtis graſſatur, ita in tali ſtatu reipubl. optime ſibi conſulit, qui fugit. Scholia Camii: *Juſto id quod fecit*, ſubint. *erit.* q. d. feret præmium factis dignum. Non placet.

4. *DOMINUS in templo ſuo ſacroſancto, DOMINUS in cælo ſolium habet: oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum.*

In templo ſuo ſacroſancto] Mox ſe explicat, cum ait *in cælo:* nam cælum vocatur *templum Dei*, etiam a Poetis Latinis. Ennius *Contremuit templum magni Jovis altitonantis.* Legimus etiam *cæli templa*, pro eodem. Lucretius lib. 2. *Suſpicere in cæli dignatur lucida templa.* היכל etiam *palatium* deſignat: Sic Ennius dixit, *palatium cæli.*

Solium habet] Ad verbum, *ſolium ejus:* & poſſet legi; *DOMINI in templo ejus ſancto, DOMINI in cælo ſolium eſt.* Sed interpretes retinent Ebraiſmum; Κύριος ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτοῦ. *DOMINUS in cælo thronus ejus.* Senſus: Quamvis habitat in cælo, tamen videt homines, qui in terra. Hoc ſignificat, cum ait: *Oculi ejus vident* &c. Sic alibi: *Altus DOMINUS, at humilia videt.*

Oculi ejus vident] Similiter Sophus, *Ubique ſunt oculi DOMINI ſpeculantes tam bonos quam malos.*

Vident] יֶחֱזוּ i. ὁραματίζονται, ut Aquila olim vertit. nam חזון ὅραμα i. *viſum* aut *viſio.* quanquam *viſio* potius ὅρασις dicitur. Theodot. ἐπιβλέπουσιν. quod nunc lectum in Edit. τῶν Lxx. olim aberat, ſi credendum Græcis, qui annotarunt, ἐν τῇ σελίδι τῶν ό. poſitum eſſe ſolummodo, εἰς τὸν πένητα. Sive hoc de ſuo adjecerint, ſive ab aliis poſt additum fuerit. Nam in fonte non habetur.

Palpebræ ejus] τὰ βλέφαρα αὐτοῦ. Idem aliter, & eſt Synecdoche. Sic Prov. 6. 26. *Ne capiat te palpebris ſuis* i. oculis. *Oculi* autem in Deo ſignificant vim Dei cuncta cernentem, intelligentem, &, ſi placet, adminiſtrantem.

Probant] ἐξετάζει, δοκιμάζει. Quorum illud habetur in Lxx. & redditur, *interrogant.* Melius redderetur, *explorant* aut *probant.* ut ſupra, ἐτάζων καρδίας, *probans corda*, potius quam *ſcrutans*; cum in fonte ſit בחן; idem videlicet verbum quod hoc in loco. Nota ſimplex ἐτάζω à Lexicographis citatum ſine exemplo. Locus eſt Pſ. 7. 10.

Filios hominum] Ita vocant genus hominum; quem Ebraiſmum Chriſtianæ aures non reſpuunt; ideo eum retinui & poſthac retinebo, ſi ita videbitur: nam liberum hoc mihi relinqui volo.

5. *DOMINUS juſtum probat & improbum, & diligentem violentiam odit anima ejus.*

Retinui ambiguitatem, quæ in Ebræo, quam tolles hoc modo: *DOMINUS probat juſtum & improbum: at diligentem violentiam odit anima ejus.* V. iſto: *DOMINUS juſtum probat: impium autem & diligentem violentiam odit anima ejus.* Quidam, ſed minus bene; *Improbus autem* &c. *odit animam ſuam.*

Juſtum probat & improbum] Tam juſtum quam improbum i. omnes homines, nullo excepto. Sic Græci Lxx. ἐξετάζει τὸν δίκαιον καὶ τὸν ἀσεβῆ. Et alius, κύριος δίκαιος δοκιμάζει καὶ ἀσεβῆ, *DOMINUS juſtum probat & impium.* Reperio etiam, ἄλλος. κύριος δίκαιος ἐξεταστής, *DOMINUS juſtus explorator*, vel *examinator*, niſi legendum δικαίου ἐξεταστὴς, *juſti explorator.* Hieron. *DOMINUS juſtum probat; impium autem* &c. Hoc modo diſtinguunt quoque Ebræi.

Probat] Sirach. 2. 1. *Fili, ſi acceſſeris ad ſerviendum DOMINO Deo, præpara te ipſum ad tentationem. Fac ut rectum ſit cor tuum, & perdura, & ne feſtina tempore adverſo.*

Diligentem violentiam odit anima ejus] Alius, καὶ ἀγαπῶντα ἄδικα ἐμίσησεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Sic etiam Abenezra. Secus Lxx. qui legunt: ὁ δὲ ἀγαπῶν ἀδικίαν μισεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, *qui autem diligit injuſtitiam, odit animam ſuam.* Et alius: ὁ ἀγαπῶν ἀδικίαν, μισεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. *Qui amat injuſtitiam, odit animam ſuam.* Nihil verius: ſe enim odit, qui vitia diligit. Tob. 12. 10. *Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Prover. 8. 36. *Qui peccat in me, violentiam infert animæ ſuæ.*

Violentiam] Alii, *rapinam:* alii, *iniquitatem*; alii, *injuriam.*

Odit anima ejus] Odit ex animo. Hæc eſt vera verſio. Nam altera illa, *odit animam ſuam*, contra ſe habet verbum fœmin. שָׂנְאָה. Nam eſſet שנא, *odio proſequitur.*

6. *Pluet ſuper improbos laqueos ignis & ſulphur, & ventus tempeſtatum pars poculi eorum.*

Placet ſuper improbos laqueos] Hæc eſt interpretatio veterum. Nam Lxx. ἐπιβρέξει ἐπὶ ἁμαρτωλοὺς παγίδας. & Hieron. *pluet ſuper peccatores laqueos.* Excipio illum, qui vertit; ὕσει ἐπὶ παρανόμους ἄνθρακας, *pluet ſuper iniquos prunas.* Sunt hodieque, qui פח ſignificare dicunt *prunam*; quibus hac in parte aſſentiendum non eſt. Quid igitur? Carbo vocatur פֶּחָם, & in alia forma nominis, ut quidam volunt, פַּחִים: ſicut dicimus ... & ... pro eodem. Jam vero פחים אש [*carbo*

bo ignis i. pruna, quæ nihil aliud eſt, quam carbo ignitus.

Pluet] Deus, vel natura pluet, vel cœlum pluet: aut Deus faciet, ut cœlum pluat. nam eſt ימטר in Ebræo. Et *pluet* i. effundet ut pluviam: quæ vox copiam denotat.

Laqueos] Mala inopinata, quibus capiantur ut avis laqueo, aut unde ſe non magis expedire poterunt, quam avis ex laqueo. פח *laqueus*, פחים *laquei*. Multæ ſapientiæ vir Abenezra ſcribit; *eſſe quiddam cum imbre cadens ſimilitudine lapidum ardentium.*

Ignis & ſulphur] vel *Ignem & Sulphur*, ut referatur ad verbum *pluet*: Utro modo legas, alluſum videtur ad ſupplicium Sodomæ & vicinarum urbium, quæ ſulphure & cœleſti igne deflagrarunt. Quod eo factum putant, quia per graviorem ſulphuris naturam ignis ad terram labitur, quod alioqui ſurſum fertur naturaliter, nec per ſemetipſum poteſt deſcendere. Conſule Auguſtinum de mirabilibus Scripturæ lib. 2. cap. 18. Sulphur vero admixtum fuiſſe Sodomæ ignibus, liquet ex Deut. 29. 23.

Sulphur] Plinius lib. 35. cap. 15. *Non alia res facilius accenditur, quo apparet ignium vim magnam ei ineſſe: fulmina & fulgura quoque ſulphuris odorem habent, ac lux ipſa eorum ſulphurea eſt.*

Ventus tempeſtatum] i. tempeſtuoſus; aut ex Græco, πνεῦμα καταιγίδος i. *procelloſus.* Licet vertere, *ventus horrorum* i. horribilis; nam זלעפה *horror*, interprete Hiero. Pſ. 119. 53. Sunt, qui ſignificari putant *ventos urentes*, quales illi ſunt in Africa, qui arenas, ardentes calore ſolis, excitant, & homines involantes ita mox adurunt, quaſi ad ignem corpora eorum toſta eſſent. Sane זלעפה exponitur in Scholiis Ebraicis, שריפה i. *aduſtio.*

Pars poculi eorum] vel *Portio calicis eorum.* Græce ἡ μερὶς τοῦ ποτηρίου αὐτῶν, & eſt παραφύλλον, ut *terra pulveris, lutum cœni*; nam ſynonyma ſunt in hoc quidem ſenſu, *pars* & *poculum.* Unde, *idem poculum bibere*, eandem ſortem ſubire. Utrumque ſumptum à conviviis.

7. *Nam juſtus DOMINUS, juſtitias amat: rectum vident facies ejus.*

Nam juſtus DOMINUS &c.] Argumentum à natura Dei: Quia juſtus eſt, ideo juſtos amat: ſimilis enim ſimili gaudet, ut eſt in proverbio; nec quicquam virtute juſtitiaque efficacius ad conciliandum Deum.

Juſtitias] Homines juſtos, figura nota. Sic *dolus*, pro doloſo: *aviditas*, pro avaro. Juſtos autem appellant, quos Latini *viros bonos* vocant; nam *juſtitiæ* vocabulo ſignificant omnem virtutem.

Rectum vident facies ejus] *Facies ejus videns* idem cum illo, *Ipſe videt* i. reſpicit, & *rectum* i. homines rectos. Sed Græci Lxx. εὐθύτητα εἶδε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ i. *æquitatem &*, ut ita loquar, *rectitudinem.* Alii, εὐθύτητας ὄψεται τὸ πρόσωπον αὐτῶν, *Æquitates videt facies eorum. Eorum* poteſt referri ad nomen פנימו, ut ſit conſtructio ſenſu congrua & non voce. Ita Japheth quidam opinatur, nec diſplicet Abenezræ. Hieron. *Rectum videbunt facies eorum.* Alii, *Recti videbunt faciem ejus*; Sic ait; *ego in juſtitia videbo faciem tuam.* Alii, *Deum, qui eſt rectus, vident facies eorum*, nempe juſtorum.

Facies ejus] פנימו. Ambigue dicitur, ideo explicant alii, פניו *facies ejus.* Alii פניהם *facies eorum.* Pronomen enim מו commune utrique numero eſt.

PSAL. XII.

1. MAgiſtro Cantorum ſuper SEMINITH, Pſalmus Davidis.

2. *Serva DOMINE, quoniam defecit pius, quoniam deſierunt eſſe fideles ex filiis hominum.*

Super SEMINITH] Explicatum eſt Pſ. 6. 1.

Serva] Lxx. σῶσόν με, *ſerva me*, quod ſignificantius redditur à Veteribus, *Salva me*, aut, *ſalvum fac me.*

Defecit] ἐκλέλοιπεν.

Pius] i. ὅσιος. Nam *ſanctus*, quod in edit. Hieron. magis ἅγιος denotat; ille, Ebræis קדוש, hic, חסיד dicitur. Sed חסיד ab A. interpretatum ὁσιος i. *caſtus*: ab aliis *benignus*; nam חסד *benignitas.* Quædam ſunt, quæ leges nec jubent nec vitant facere; in his eſt materia benignitatis. Ergo חסיד qui facit, quod potuit ſine reprehenſione non facere.

Deſierunt eſſe] Minus dicunt Lxx. ὠλιγώθησαν, & Hieron. qui vertit, *imminuti ſunt*: nam eſt פסו in Ebræo, quod explicant אפסו *deſierunt.* Quam ſententiam expreſſit è Græcis, qui edidit, ἐπερρύησαν. Verbum eſt περαίνεσθαι, id à πέρας deducunt: Eſt autem πέρας *finis, terminus*: idem אפס in lingua Ebræorum. ergo ἐπερρύησαν i. אפסו *deſierunt eſſe.* Galli dicerent, *ils ont prins fin.* Videtur eſſe interpretamentum Aquilæ, ut & illud, quod ſequitur.

Fideles] i. πιστοί, quod citatum offendi è Græcis Editionibus abſque nomine. אמונה proprie *fides*, & interdum *veritas.* Unde Symm. πίστεις, & Lxx. αἱ ἀλήθειαι. Sic alibi, איש אמונים *virum fidum.* Ergo אמונים proprie πίστεις, aut *veritates*: plenum eſſet, אנשי אמונים, *homines fidi*, aut *veraces*, ut ſupra, *juſtitias amat* i. homines juſtos: Sic nunc *deſierunt fidelitates*, i. fideles, aut *veritates*, i. veraces. figura nota in vulgus.

Ex filiis hominum] q. d. Inter homines hujus ætatis pauci, imo nulli ſunt, qui pietatem colant, aut quibus fides cordi ſit, aut qui verum loquantur ex animo, ita ut ſentiunt.

3. *Vanum loquuntur quiſque cum proximo ſuo, labio blandiloquo, corde & corde loquuntur.*

Vanum] שוא *vanitatem.* Hieron. *Mendacium.* Quod ita dicitur, ut *loqui veritatem* i. verum. Recteque Lxx. μάταια ἐλάλησαν, i. *vana.* Non ita probo interpretamentum Hiero. *fruſtra loquuntur*, i. לשוא.

Quiſque cum proximo ſuo] Alter cum altero.

Labio blandiloquo] Sermone blandiſſimo. חלקות ad verbum, *blandorum*, & ſubint. דברות i. *ſermonum.* Eſt autem חלק proprie *lævis*, uſurpaturque de eo, qui lævi cute & ſine pilis eſt. cujus contrarium שעיר *piloſus.* Transfertur inde ad blanditiam orationis. Sumitur etiam pro *lubrico*: unde apud interpretem Theodoreti, שפתי חלקות Symm. *labia lubrica* i. homines doloſi ac fraudulenti. Quod noto, quia in Edit. Rom. Symm. χείλη δόλια, *labia doloſa.* id eſt, homines doloſi ac fraudulenti, quomodo & Lxx. Sed & Hieron. *Labium ſubdolum.* Sane quidem blanda oratio dolum tegit ut plurimum.

Corde & corde loquuntur] *Corde & corde* i. corde duplici. Sed quomodo *loquuntur*; Nam loquimur ore non corde? An loquuntur *labium* i. ſermonem, *blandum*, vel *ſubdolum*? Libri Græcorum antiqui, ἐλάλησαν κακὰ *loquuntur mala.* Aut *loquuntur in corde* i. cogitant; Quale illud, *Dixit in corde ſuo*, nuſquam non obvium. Symm. huic loco lucem dat hujuſmodi; ἐν καρδίᾳ ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ λαλεῖ, *In corde aliter atque aliter loquitur.* Apud interpretem Theodoreti; Symm. *In corde aliud eſt & aliud loquuntur* ἄλλη ἐστὶ καὶ ἄλλη λαλεῖ, *aliter eſt, & aliter loquuntur.*

4. *Exſcindat DOMINUS omnia labia blandiloqua, linguam loquentem magna.*

Excindat] Utinam excindat. Aut eſt dictum per modum vaticinii, *excindet DOMINUS.* Edit. Lxx. ἐξολοθρεύσαι, & Hieron. *diſperdat.*

Omnia labia blandiloqua] Omnes blandiloquos, ſive, qui blandidicis verbis alios circumveniunt. Nota *labium*, de homine dici. Sic *Os* accipitur in Latio: Nam *os durum, os impudens*, aliud nihil eſt, quam homo duri oris, homo impudens; Contra *molliꝯ frontis dicuntur, qui ſunt reverentes*, ait Donatus.

Blandiloqua] Alii, δόλια, i. *doloſa, ſubdola.*

Loquentem magna] i. magniloquum, quod Hieron. vertit ex Græco, μεγαλοῤῥήμονα. Tales dicuntur ἀμαξιαῖα, loqui, & in eos quadrat adagium: *Qui fores ſuas* (oſtium oris ſui) *extollit, cladem quærit.* Dan. 7. 8. De parvo cornu quartæ beſtiæ; *& os quod loquebatur grandia.*

Magna] vel *Magnifica.* גדלות, ut חלקות, epitheton ſine re. Cyprianus, *Non loquimur magna, ſed vivimus.* Sic Lucret. *acerba tueri.* & Tertull. *qui cæca vivunt.*

5. *Qui dicunt, lingua noſtra prævalebimus: labia noſtra penes nos ſunt, quis eſt Dominus nobis?*

Lingua noſtra prævalebimus] ללשננו interpretatus ſum, acſi eſſet בלשוננו, nam enallage harum particularum inſolens non eſt. Hieron. maluit, *linguam noſtram roboremus*: & Lxx. γλῶσσαν ἡμῶν μεγαλυνοῦμεν. Sed præfero quod in alia editione, δυναστεύσομεν, *potentes evademus, poteſtatem obtinebimus.* Tales vocantur δυνατοὶ ἐν γλώσσῃ, *potentes ex lingua*, vel *lingua viribus præſtantes.* Sirach. 21. 8. γνωστὸς μακρόθεν ὁ δυνατὸς ἐν γλώσσῃ. Licet etiam vertere, *ob linguam noſtram.* i. בעבור לשוננו. Vide ſcholia Camii.

Penes nos ſunt] אתנו *Nobiſcum.* Sic ad verbum Hieron. & eſt ſenſus; noſtri juris, aut in poteſtate noſtra ſunt. Nam את valet *apud*, ut ibi, *ſatietas lætitiarum cum vultu tuo* i. apud te. A. χείλη ἡμῶν σὺν ἡμῖν, *labia nobis adſunt.* Alius, σὺν ἡμῖν ἐστιν, *nobiſcum ſunt.* Minus recte Lxx. παρ' ἡμῖν ἐστι.

Quis eſt Dominus nobis?] vel *Dominus noſter*: ut ſit אדון לנו, pro אדוננו. Sic alibi in hoc libro צרה לי, *ex anguſtia quæ mihi*

mihi eſt, i. mea. Hoc poſtremum Vett. interpretati ſunt. Nam LXX. τίς ἡμῶν κύριός ἐστιν; & Aquila, τίς δεσπότης ἡμῶν; & alius, τίς κυριεύσει ἡμῶν; & Hieron. *Quis Dominus noſter eſt?* Similiter legimus apud Sirachidem cap. 5. τίς με δυναστεύσει; quod potius diceretur, τίς μοι δυναστεύσει; *Quis in me poteſtatem obtinebit?*

6. *Propter vaſtitatem pauperum, propter gemitum inopum nunc ſurgam, dicit DOMINUS: ponam in ſalute quem difflat.*

Propter vaſtitatem pauperum] i. illatam pauperibus. Alibi, *vaſtitas hoſtium*, quam hoſtes effecerunt. Simile, *propter violentiam Jacobi* i. Jacobo factam. Græce id legitur apud Aquilam, ἀπὸ προνομῆς πενήτων. nam προνομὴ, *vaſtatas, direptio.* quod Latine ita expreſſit Hieron. *propter vaſtitatem inopum.* Nec male ad ſenſum. LXX. ἀπὸ τῆς ταλαιπωρίας τῶν πτωχῶν, *ob miſeriam pauperum.* Quem & Symm. attigit, cum verteret, διὰ κακοπάθειαν πτωχῶν, *propter vexationem pauperum.*

Pauperum] Alii, *afflictorum.*

Propter gemitum inopum] i. ἀπὸ τοῦ στεναγμοῦ τῶν πενήτων, ut LXX. vertunt. pro quo Aquila repoſuit, ἀπὸ οἰμωγῆς πτωχῶν. & Symm. διὰ οἰμωγὴν πενήτων, *obejulatum*, ſive, *ululatum egenorum.* In ἀπὸ οἰμωγῆς, Ebraiſmus eſt, quem Symm. declinavit, cum verteret διὰ οἰμωγήν. Sic, ἀπὸ στεναγμοῦ, à patre, Hier. redditur, *propter gemitum*, i. διὰ στεναγμόν. particula enim מן ἀπὸ, etiam pro διὰ uſurpatur.

Inopum] vel, *Egentium*, aut *egenorum.*

Nunc ſurgam] q. d. Non differam diutius.

Ponam in ſalute] θήσομαι ἐν σωτηρίᾳ, magis implet aures meas, quam *dabo ſalutem*, aut *ſervabo.* Vide Annot. Ut heic, *ponam in ſalute*, ita ſupra dixit, *ut ponas in manu*, pro, ut punias: nam *manus* i. pœna. Igitur, quod tum fugit obſervare, *ponere in manu*, aliud nihil eſt, quam *ponere in pœna*, & dictum, ut hic *ponere in ſalute.* Hoc pono, non ſtatuo.

In ſalute] LXX. ἐν σωτηρίῳ. & Hiero. *in ſalutari.* Alius, ἐν σωτηρίᾳ σου, *in ſalute tua.* ἐν σωτηρίῳ reddi poteſt, *in ſalute.*

Quem difflat] Sub. Improbus, aut ætas illa. Vult dicere; Quem tantopere contemnit, ut putet ſe flatu eum profligare poſſe. Aut, *Quem deflat.* Qui eſt habitus ſuperbe aliquem rejicientium à ſe. Hæc *deflatio* etiam noſtris moribus, ubi elevamus quid, aut aſpernamur. Supra, *quotquot habet adverſarios, deflat eos.* Vide quæ annotavimus ad illum locum. Licet etiam vertere; *ponam in ſalute eum quem illaqueat*, ſive, *cui laqueos tendit*, (niſi magis, *qui illaqueatur.*) vult dicere: cujus ſaluti genus illud hominum quotidie inſidiatur.

7. *Eloquia DOMINI, eloquia munda, argentum excoctum Domino terræ, defæcatum bis ſepties.*

Eloquia DOMINI] λόγια κυρίου. Alii *dicta DOMINI*; alii *ſermones DOMINI.* Hæc eo pertinent, ut oſtendat; nihil eſſe in eloquiis DOMINI, quod merito culpari poſſit: nam hominum dicta ſæpenumero in irritum abeunt; non ita quæ Deus promittit aut minatur: tam certa ſunt, quam quæ certiſſima.

Munda] aut *pura.* videl. à falſitate ac mendacio. Græce ἁγνά, quod reddi debuit *pura*, hoc loco, non *caſta.* nam טהורים id non ſignificat.

Argentum] Ut argentum.

Excoctum] vel, *expurgatum*, i. צרוף, quod è Veteribus alius χωνευόμενον vertit, i. *conflatum.* Alii, πεπυρωμένον, ut LXX. *Igne probatum aut examinatum:* nam ignis vitium argenti emendat, atque adeo tollit penitus.

Domino terræ] i. Deo. nam inter nomina Dei ארון כל הארץ *Dominus univerſæ terræ.* Et eſt proverbiale, quod valet, ut ſi dicas; *magna cura excoctum.* Tale eſt, *Civitas magna Deo*; nam quæ in ſuo genere excellunt, Deo attribuimus. Aut *Domino terræ*, id eſt, principi alicui. Quippe opera, quæ principibus apparantur, accuratiora, adeoque & metalla purgatiora eſſe ſolent. Igitur בעליל *Dominus* i. בעל; ad quod exemplum eſt כגרי *pluvia.* Aliis (ב) eſt præpoſitio, & עליל *catinus*: itaque vertunt *in catino terræ* i. terreo. Qui hanc ſententiam ſequuntur, ſe tuentur vocabulo עלי, quod tamen non mortarium, ſed *piſtillum* ſignificat. Ideo alii maluerunt, *in terra laudatiſſima.* Ceterum catini fiebant ex terra pingui & ſpiſſa, qualis eſt argilla & creta Taſconia: nam hujuſmodi opera vis ignium non cito frangit, nec etiam ſorbent aut exſudant liquorem. Auctores hujus ſententiæ עליל deducunt à עלה, unde & מעלה *dignitas.* Qua forma nominis occurrit הגיג *meditatio*, ab הגה *meditor*; & חזיז *coruſcatio*, à חזה, *aſpexit, vidit.* Edit. τῶν LXX. δοκίμιον τῇ γῇ: Aquilæ, χωρίζον τῇ γῇ: Hieronym. *ſeparatum à terra.* In commentar. Chryſoſtomi. ἡ δὲ ἑβραϊκή, τὸ ῥέον ἐν τῇ γῇ, *fluens per terram.*

Defæcatum] i. διυλισμένον, quod Aquila olim vertit: nam LXX. κεκαθαρισμένον i. *purgatum*, & Hiero. *colatum.* Lexic. Vetus: διυλίζω *defæco, ſeco, ſacco, percolo.* Igitur διυλισμένον, interprete Hiero. *colatum.* Nam, quin hoc in mente habuerit, nullus dubito.

Bis ſepties] i. Quam ſæpiſſime. Numerus certus pro incerto. Alibi, *ſepties in die cadit juſtus* i. שבע. hic eſt, *bis ſepties* i. שבעתים, quod LXX. reddunt, ἑπταπλασίως, & Hiero. *ſeptuplum.* Lex. Vet. ἑπταπλασίως, *ſeptuplum.* Eodem ſignificatu legimus Sirach. 20. ἑπλαπλασίονα, & 35. 9. ἑπλαπλάσια. Liber eſt inter opera Hieronymi, qui inſcribitur *Quæſtiones* ſive *traditiones in Geneſin.* In eo habetur: שבעתים, *Aquila, ſeptempliciter.* Puto in Græcis fuiſſe ἑπλαπλασίως. Miror autem, viros doctos, cum ſit nomen duale, tamen ex Ebræo convertere, *defæcatum ſepties*: in quo errore ſunt, ſi error eſt, non unus aut alter, ſed interpretes, quos quidem mihi videre contigit, ad unum omnes.

8. *Tu DOMINE cuſtodies eos, conſervabis eum ab ætate iſta in ſeculum.*

Cuſtodies eos] vel, *cuſtodias eos.* & mox, *conſerves eum.* LXX. φυλάξεις ἡμᾶς, id alius correxit, φυλάξεις αὐτοὺς: & alius, φυλάξεις αὐτά, *cuſtodies ea.* Quomodo ſine Hieron. vertit.

Eos] Pauperes & egenos, de quibus ſupra.

Conſervabis eum] Hiero. *ſervabis nos*: legit תצרנו abſque dageſ, ut prius LXX. διατηρήσεις ἡμᾶς.

Conſervabis] Id malui quam *ſervabis*: Nam *ſervo* i. הושיע.

Eum] Quemlibet eorum.

Ab ætate iſta] vel, *A generatione hac*, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης. Senſus, ab hoc hominum genere tam vano & perverſo. Græca quædam Edit. ſi credimus Chryſoſtomo, quondam hic habuit; ἅμα τῇ γενεᾷ τῇ εἰς τὸν αἰῶνα, *una cum generatione, quæ in ſeculum*: i. עם הדור זו לעולם, ut זו pro אשר ſumatur.

9. *Circumcirca improbi obambulant, cum extolluntur vilitates filiorum hominum.*

Obambulant] LXX. περιπατοῦσι: alius, περιπατήσουσι, i. *ambulabunt.* Sed reddi poteſt, *ambulant* i. ambulare ſolent; nam futuro ſignificant tempus continuum.

Cum extolluntur vilitates filiorum hominum] Hoc veterum aliquis Græce extulit, ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. In quo ſermone ſchema eſt, quod *Helleniſmum* vocant. *Viles hominum*, ut, *canum degeneres, nigræ lanarum.* Quale illud in Ebraiſmo, *ſapientes mulierum.* Alius edidit, κατὰ τὸ ὕψος ἐξουθενημένοι τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, *ſecundum altitudinem viles ſunt filiis hominum.* Videtur hoc velle; Quanto ſunt altiores aut ſublimiores, eo magis vileſcunt apud homines. Lex. Vetus εὐωνος *vilis*, εὐωνία, *vilitas.* Edit. Hiero. *Cum exaltati fuerint viliſſimi filiorum hominum.* Vide Annot. Ebræi hunc locum aliter & diſtinguunt & interpretantur: *cum extolluntur*, i. ad honores evehuntur improbi; *vilitas eſt filiis hominum* i. vilipenduntur homines, &c. probi & juſti. Sic, *mulier*, pro, *mulier bona.* In hanc ſententiam Salomo quoque dixit; *Quando improbus dominatur, ingemiſcit populus.* Hi ſubaudiunt nomen *improbi* ἀπὸ κοινοῦ, ex præcedentibus: nos nihil ſubaudientes, diſtinctionem, ut putamus, meliorem ſecuti ſumus.

Vilitates] זלות Quomodo lectum olim fuiſſe patet ex loco Chryſoſtomi ſupra citato, nunc in codicibus pleriſque eſt, זלות i. *vilitas*, aut, *comiſſatio.* Quid ſi, *Cum extolluntur epulones*, aut, *comiſſatores inter filios hominum?* Verti, *vilitates filiorum hominum*: quod alii mallent, *inter filios hominum*: & *vilitates* i. viliſſimi. Sententia in idem recidit: nam *viliſſimi inter homines*, & *viliſſimi hominum* ſe mutuo explicant. LXX. ἐπολυώρησας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, id reddunt, *multiplicaſti filios hominum.* male. puto reddendum; *multa cura dignatus es filios hominum.* Id Græce legitur apud Suidam, πολλῆς φροντίδος ἠξίωσας. Sumpſit autem ex commentariis Vet. Patrum, qui ſic enarrant verbum ἐπολυώρησας. Theodoretus tamen aliter enarrat; πολυωρίαν λέγει, inquit, τὴν πολυχρονιότητα. ἵνα ᾖ τὸ λεγόμενον τοιοῦτο. διὰ τὴν σὴν ἰσχύν πολυχρονιότητα καὶ αἰώνιον ζωὴν ἡμῖν δίδωσι. Sequendo hanc interpretationem, vertendum potius erit: *Multo ævo*, aut, *multa vita dignatus es filios hominum.* Auctor Editionis, quæ ſexta nuncupatur, ἐξουθένησας i. *nihili feciſti filios hominum.* Lexicon Vetus ἐξουθενῶ, *ſperno, reſpuo, adnihilo, aſperno.*

PSAL.

PSAL. XIII.

1. M*Agiſtro cantorum, Pſalmus Davidis.*
2. *Quouſque DOMINE oblivîſceris mei in perpetuum? Quouſque occultabis faciem tuam à me.*

Quouſque DOMINE &c.] Quidam hoc membrum dividunt in duo, & ita interpungunt; *Quouſque DOMINE? Oblivîſceris mei in perpetuum?* Verba poſtrema pronunciatione juvanda, & per interrogationem legenda ſunt; ac ſi eſſet; *Oblivîſcerisne mei?* Priora defectum habent, qualis Pſal. 6. 4. *Tu autem DOMINE quouſque?* Et Pſal. 89. 47. *Quouſque DOMINE?* Sed ne recedamus temere à recepta interpunctione.

Oblivîſceris mei] Lxx. ἐπιλήσῃ μου. Alius, ἐκλαθήσῃ μου. *Oblivîſci* autem dicitur, quos deſtituit in malis conſtitutos.

In perpetuum] i. tam diu, tam longo tempore. in Ebræo eſt נצח, pro לנצח; Sic dicimus *æternum*, & *in æternum*. Id reddunt Lxx. εἰς τέλος, *in finem*; Alius, τέλεον, *i. penitus, omnino, prorſus*: Alius, εἰς νῖκος. Quo referri poſſet illud Apoſtoli, κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. 1 Cor. 15. Sane apud Jeſaiam eſt, לנצח, cap. 25. Eſt autem νῖκος *victoria*, quæ & νίκη & למנצח Aquila, τῷ νικοποιῷ. Hiero. *victori* Thren. 3. 18. נִצְחִי Lxx. νῖκός μου. Ergo נצח *vinco*. Editio Hieron. *Quouſque oblivîſceris mei penitus?* Hoc Galli expreſſerunt referentes, *du tout*.

Occultabis faciem tuam à me?] vel, *Abſcondes*. Minus bene Lxx. ἀποστρέψεις *avertes*. Quocirca tres alii, videl. A. Symm. & Theodotio repoſuerunt κρύψεις: nam plus dicit hoc quam illud. Supra, *dicit in corde ſuo, oblitus eſt Deus, occultavit faciem ſuam, non videbit in ævum.* Vide, quæ ſcripſimus ad illum locum.

3. *Quouſque ponam conſilia in animo meo, mœrorem in corde meo interdiu? Quouſque extolletur inimicus meus contra me?*

Quouſque ponam conſilia in animo meo] Quamdiu ero in hoc ancipiti rerum ſtatu, in quo ad animum ſubinde redeundum conſilii cauſa?

Ponam conſilia] Lxx. θήσομαι βουλάς. Alius, τάξω γνώμας, *ordinabo ſententias*; nempe ut in prælio milites ordinare ſolemus pugnaturos in hoſtem.

In animo meo] בנפשי, ἐν τῇ ψυχῇ μου, *in anima mea*. Hic perſpicue *anima* ponitur pro *animo*. Contra *animus* ponitur pro *anima*, ut in illo Ciceronis, *retinendus animus eſt in cuſtodia corporis.* Compoſitor libri *de Spiritu & Anima*. *Animam & animum idem dicimus: ſed anima vitæ; animus eſt conſilii.*

Mœrorem in corde meo] Lxx. A. & Theod. ὀδύνας ἐν τῇ καρδίᾳ μου. Symm. μερίμνας ἐν τῇ διανοίᾳ μου, *ſolicitudinem in mente*, aut, *cogitatione mea*.

Interdiu] A. & Theod. poſt Lxx. καθημέραν, quod diviſim ſcribitur, καθ' ἡμέραν, *cottidie*, in Lexic. Vet. *Quotidie* i. יום יום. Symm. ἡμέρας, & Hiero. *per diem*. Melius. Diem, inquit, quem aliis rebus tribuere deberem, in mœrore & luctu traduco; hoc eo, quia inſultat mihi hoſtis, & ſimul, quia conſilia, quæ contra eum capio, non ſuccedunt.

Extolletur] ὑψωθήσεται, *exaltabitur*.

4. *Reſpice, exaudi me DOMINE, mi Deus: illumina oculos meos, ne dormiam mortem.*

Reſpice] ἐπίβλεψον, *intuere*. Ei reſpondet ex adverſo, *Quouſque abſcondis faciem tuam? Reſpicere* in Latio quoque uſurpant, pro opem ferre: unde *fortuna reſpiciens* apud Romanos. Terent. *Charine, me & te, niſi quid Dii reſpiciunt, imprudens perdidi.* Virg. 2. Æneid. *Juppiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis, Aſpice nos.* Ubi Servius, *Aſpice nos, quia intuentes Dii adjuvant.* Proprie *reſpicit*, qui flexo collo aſpicit quæ à tergo ſunt: *adſpicit*, qui ſimpliciter intuetur. Quod verbum הביט potius deſignat.

Illumina oculos meos] Inter caliginem rerum adverſarum, aut anxietatem, in qua nunc ſum: nam in magna anxietate oculi caligant. Quod etiam in magna fame fieri ſolet. Unde Jonathas poſt guſtatum mel 1 Sam. 14. 29. *Vidiſtis*, inquit, *illuminatos eſſe oculos meos*: Et paraſitus eſuriens in Plauti *Curculione*: *Perii, proſpicio parum, os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.*

Illumina] φώτισον, *illuſtra*.

Ne dormiam mortem] Sic in Ebræo ad verbum; & eſt ſenſus, *ne moriar*, nam homini ſæpe mors ex mœrore: quod teſtatur ſapiens per hæc verba: *Ne dederis cor tuum mœrori: multos enim occidit mœror. Dormire mortem*, ut *induere regnum*: quod ita breviter dicitur pro induere indumenta regni. Sic, *dormire dormitionem mortis*; nam in verbo incluſum verbale: ut poſſis vertere, *ne capiam ſomnum mortis*. Jeremias dixit *dormire ſomnum ſeculi* aut *ſempiternum* cap. 51. 39. Et Catullus; *Nobis cum ſimul occidit brevis lux, Nox eſt perpetua una dormienda.*

Mortem] המות, τὸ θάνατον. Hiero. *ne obdormiam in morte* במות. Lxx. μήποτε ὑπνώσω εἰς θάνατον, למות. quæ in idem recidunt quoad ſenſum.

5. *Ne quando dicat hoſtis, prævalui ei: adverſarii mei exultent, quum emotus fuero.*

Ne quando] μήποτε. Alii *ne forte*. Reddi poteſt & *ne*, ſimpliciter; quod modo factum à nobis: nam eadem particula in illo, *ne dormiam mortem*.

Prævalui ei] vel, *adverſus eum*: ut habet Hiero. Id Græci dicunt interpretantes, ἴσχυσα πρὸς αὐτόν; & eſt ſenſus; vici eum, aut fortior eo evaſi. Sic Hoſ. 12. *De principatu contendit cum eo, & prævaluit.*

Quum emotus fuero] vel, ſi *motus fuero*: nam כי & אם, ſe interpretantur mutuo. Sane Græca Eccleſia hic legit: ἐὰν σαλευθῶ, quod eſt proprie *concuti & loco moveri*. Sed Hiero. *Cum motus fuero*. Vide quæ ſcripſimus Pſal. 10. 6. Contra, *ſtare* dicuntur, quæ eodem ſtatu manent.

6. *Ego vero in benignitate tua confidam, exultabit cor meum in ſalute tua: Canam DOMINO qui retribuit mihi.*

Ego vero &c.] vel, *Quod me attinet, confido benignitati tuæ*; te videlicet, qua es benignitate, me ex his malis aliquando liberaturum; licet nihil in me ſit, quo hanc tuam gratiam demereri poſſim.

Exultabit cor meum] Si emotus fuero, exultabunt adverſarii mei: contra, ſi me reſpexeris, ego exſultabo lætitia, & adverſarii mei mœrore conficientur.

Canam] Ore.

Qui retribuit mihi] *Retribuit* proprie, qui beneficium accepit; Deus à nobis non accipit beneficium: quomodo igitur dicit, *qui retribuit mihi?* Sententia poſcit, ut exponamus; qui benefecit mihi. Sic Græci Lxx. τῷ εὐεργετήσαντί με. Licet etiam vertere, *quia retribuit mihi.*

PSAL. XIV.

1. M*Agiſtro cantorum Davidis. Dixit ſtultus in corde ſuo; non eſt Deus; corruperunt, abominabiles fecerunt actiones, non eſt, qui faciat bonum.*

Dixit ſtultus in corde ſuo] Stultus & ſapiens opponuntur. Quis ſapiens? Qui ſapienter vitam inſtituit. Sic ſtultus, qui ſtulte vitam inſtituit: ſtulte autem vitam inſtituit, qui nequiter vivit. Igitur, ſtultus eſt omnis improbus. Quod firmabis duobus locis ex Pſal. 10. ubi רָשָׁע vocatur, qui hic נָבָל dicitur. unus eſt v. 4. *Improbus præ altitudine naris ſuæ non inquirit; non eſſe Deum, omnes cogitationes ejus ſunt.* Alter eſt v. 13. *Quare irritat improbus Deum, dicit in corde ſuo, te non inquirere?* Avicenna Arabs, *Qui Deum*, inquit, *negat & providentiam ejus in omnibus & ſingulis non videt, non caret modo mente, ſed & ſenſu.*

Stultus] vel, *inſipiens*, i. ἄφρων. Gloſſæ Philonis *Nabal inſipiens*. Joſephus Antiquit. Hiſt. lib. 6. cap. 14. Νάβαλος ἦν, κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν, ἀφροσύνην δηλοῖ. Non *inſipientiam*, ô bone; ſed *inſipientem*: nam ἀφροσύνη נְבָלָה dicitur. Quæ vox uſurpatur de ſtupro virgini illato, Deut. 21. de adulterio, Jerem. 29. de inconceſſa libidine ratione conſanguinitatis, 2 Sam. 13. & de furto anathematis, Joſ. 7. 15. Ubi Lxx. ἀνόημα & Theod. ἀφροσύνην reddunt. Proprie *Nabal*, juxta Ebraici nominis etymon, *qui de mente decidit*; à verbo, quod in ea lingua *defluere* ſive *decidere* ſignificat; ut cum folia decidunt ex arboribus; quod tum fit, cum humore nativo deſtituuntur. Unde quidam reddunt per verbum Latinum, *marceſco*.

Non eſt Deus] Non negat omnino Deum eſſe, ut olim Diagoras Melius, Atheos ea de cauſa dictus. Quid igitur? In fonte; *non eſt ELOHIM* i. *Deus judex*. Negat ergo Deum animadvertere in peccata hominum, quod ſupra dixit *requirere*. Nec id negat aperte, ſed tantum ita cogitat de Deo: nam palam non audet hoc profiteri: metuit enim homines, quos ſcit aliter ſentire. Loquor de communi hominum, quam de Deo imbuerunt omnes, opinione.

Corrumpunt] Sub. *viam ſuam*: quod expreſſum Gen. 6. 12. nam השחית, in communi ſermonis uſu, verbum eſt

αἰκοντεθῆς. Aut *corruperunt* עלילה i. *opera ſua.* aut, *corruperunt ſe ipſos.* Id Hier. dixit, *corrupti ſunt*, & Lxx. διέφθειραν. vel, ut eſt in LL. AA. διεφθάρησαν. ita ſumitur hoc verbum Jud. 2. 20.

Abominabiles fecerunt actiones] Senſus eſt, fecerunt opera abominanda. vel, ita vixerunt ut eorum vita Deo abominationi fuerit. Nam in vitiis gradus ſunt, & aliud alio gravius. Abominatur autem Deus, verbi cauſa, ſuperbiam, & fraudem, quæ committitur in menſuris & ponderibus. Licet etiam vertere; *Abominabiles facti ſunt opere* i. operibus ſuis. Sic Græci ἐβδελύχθησαν ἐν ἐπιτηδεύμασιν.

Actiones] עלילה, actionem, opus, factum, q. d. Nullum factum eorum eſt, quod non ſit abominabile coram Deo. Editio Hieron. *Abominabiles facti ſunt ſtudioſe* i. σπουδαίως. Non male etiam expones; *corruperunt, abominabiles fecerunt*, i. corruperunt abominandum in modum.

Qui faciat bonum] Qui virtuti operam det. Sic explico in ſententiis Ben Siræ, *eſto bonus*: nam bonus eſt, qui bonum facit.

2. *DOMINUS è cœlo proſpexit ad filios hominum, ut videret, num eſſet intelligens, requirens Deum.*

Proſpexit] i. διέκυψεν. malim *deſpexit. Proſpicimus* proprie per feneſtram, aut per clathros cancelloſve: *deſpicimus* è loco ſuperiore. eſt enim deorſum aſpicere, quod Græci dicunt, καθορᾷν. Utrumque ſignificant verbo השקיף Ebræi. Virgil. *Sideream in ſedem, terras unde arduus omnes, Caſtraque Dardanidum aſpectat, populoſque Latinos.* id eſt, deſpicit, vel è longinquo videt.

Ad filios hominum] Videtur ſtricte capiendum de vulgo hominum: nam ſequitur, *non eſt, qui faciat bonum, ne ad unum quidem.* Sane pietatis cultores vocantur filii Dei, Gen. 6. *Viderunt filii Dei filias hominum*, qui locus hanc expoſitionem perſpicue confirmat. Moſes quoque Ægyptius ſcribit: nomine *Adam* aliquando denotari multitudinem gentium; cui rei reprobandæ addunt locum modo citatum, & propterea etiam alium ex hoc libro, *Attamen ſicut homines moriemini.*

Intelligens] συνιῶν.

Requirens Deum] Qui ejus vel conſilium petat in dubiis, vel opem imploret in adverſis. Etiam hic locus juvat ſuperiorem ſententiam meam: nam niſi eſſent inter homines, qui Deum requirerent, non diceret Pſal. 9. 11. *Confident in te noſcentes nominis tui, quia non dereliquiſti requirentes te DOMINE.*

3. *Omnis receſſit, ſimul rancidi facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, ne ad unum quidem.*

Omnis receſſit] Duriuſcule poſitum pro, omnes receſſerunt. Sic in Epiſtol. ad Atticum, *omnis debet*, pro, omnes debent.

Receſſit] Receſſerunt, ſive declinaverunt à via recta i. ἐξέκλιναν, pro quo Pſal. 53. 3. סג, *retroceſſit*, aut ſumptum à vino acido, quod vinum *recedens* vocatur in vappam reſolutum. Sane in lingua Chaldæorum סר eſt *computreſcere*; & legimus apud Propheten Hoſeam; *receſſit vinum ipſorum.* Hinc Gallicum, *Sur*: quo etiam Belgæ utuntur. Quid ad hæc bonus ille vir, qui ſatis temere negat, verbum סר hanc vim habere. Græce hujuſmodi vinum dicitur ἐξεστηκὼς, & Latine *vinum fugiens*, & Belgice, afgaende wijn.

Rancidi facti ſunt] Ex rancore putidi evaſerunt. Quod accidit carnibus nimium vetuſtis, aut putrefactis; vel etiam male conditis, aut non deſpumatis: nam *rancida* nuncupantur, quæ oculis & auribus ingrata ſunt. Scholia Ebraica exponunt *fatuerunt*, & ei contrarium ſtatuunt, quod legitur Ezech. 24. 6. *Væ ollæ, cujus ſpuma in ea eſt.* Quam recte, viderit R. David, qui hoc ſcripſit: nam non contrarium, ſed potius affine eſt. Lxx. ἠχρειώθησαν, ad ſenſum non male; nam & *rancida inutilia* ſunt ad uſum hominum, & ἀχρεῖος vocatur in ea lingua, *homo nequam*, qui nec ſibi, nec aliis utilis eſt: ut poſſis vertere, *nequam facti ſunt.* Hiero. *conglutinati ſunt.* Quid movit eum, ut ita verteret?

Ne ad unum quidem] vel *Ne unus quidem.* ad verbum, *non etiam ad unum.* Quod Auguſtinus non intellexit, cum exponeret, *ad unum Chriſtum.*

Ad unum] in Hiero. *uſque ad unum*: quod, ut minus Latinum, rejeci.

4. *An non agnoſcunt omnes operarii iniquitatis, qui comedunt populum meum, ac ſi comederent panem: DOMINUM non invocant?*

An non agnoſcunt] הֲלֹא יָדְעוּ. Sic olim Aquila legit; nam interpretatur, μὴ οὐκ ἐπέγνωσαν; *nonne cognoverunt?* Ceteri, quos quidem viderim, legerunt יֵדְעוּ in fut. Primum Lxx. qui habent, οὐχὶ γνώσονται; Tum Symmachus, nihil omnino varians à Lxx. niſi quod pro οὐχὶ repoſuit μή. Poſtremo Hiero. in quo, *Nonne cognoſcent?* Juvant aliquantum hanc lectionem conſequa verba, *Ibi pavebunt* &c. Nam, quum Deus, inquit, aderit juſtorum generi, tum pavore corripientur, & experientia cognoſcent, eſſe in cœlo numen aliquod, cui humana curæ ſint. Quid ſi, *An neſciunt* ſc. Deum è cœlo proſpectare? q. d. mirum eſt, ſi hoc neſciunt aut ignorant. Alii, *An ſcientia, an ſenſu carent?* Nam דעת, Græca interpretatione αἴσθησις i. *ſenſus.*

Operarii iniquitatis] Qui operantur iniquitatem, eſtque ἐμφατικώτερον, quam ſi dixiſſet; *qui faciunt iniquitatem*, quamvis *operor* & *facio* ſe invicem interpretantur. Poſſumus etiam vertere, *opifices iniquitatis*, ut apud Auctores Græcos, τέκτονες κακῶν.

Comedunt populum meum] i. Bona ac facultates populi mei. Sic Terent. *quem aſſidue exedent.* Legimus quoque apud Salomonem; *Eſt, qui abſumitur abſque judicio*, pro cujus facultates abſumuntur.

Populum meum] i. homines pios ac pauperes? Nam pauperes peculiariter vocantur *populus Dei*, ut Mich. 2. 9. *Uxores populi mei expelletis*, & manifeſtius, Exod. 22. 25. *Si mutuo dederis argentum populo meo, pauperi, qui eſt apud te.*

Ac ſi comederent panem] Tam avide populum meum vorant, quam avide panem vorant. Hinc factum adagium; *Avidius quam panem vorat.* Lxx. interpretati ſunt, βρώσει ἄρτου. & Symm. ὥστε ἄρτον. Et Hiero. *ut cibum panis*: ſenſum exprimentes, non verba. Ceterum voces (*ac, ſi*) non habentur in Ebræo: Ideo quidam legit ac diſtinguit: *Neſciunt ſe comedere panem DOMINI* (i. ali à DOMINO) *quem non invocant.* Sed perperam. Poteſt etiam ſenſus eſſe: *ac ſi comederent panem*: q. d. tam ſecure, quam ſi comederent panem. Quod proprium eorum, qui in nullo ſunt metu numinis.

DOMINUM non invocant] Ideo non invocant, quia non metuunt: non metuunt autem, quia credunt, eum in cœlo otium agere, nec humana curare negotia.

5. *Ibi pavebunt pavore, quia DOMINUS eſt pro ætate juſta.*

Ibi] i. tunc, ut apud Terent. *Ibi homo cœpit me obſecrare, ut ſibi liceret diſcere id de me.* Sic Homerus ἐκεῖ, pro τότε, uſurpat.

Pavebunt pavore] Verbum è verbo, *paverunt pavorem*, quod ita dicitur, ut *gaudere gaudium, pugnare pugnam.* Hoc primum. Deinde *paverunt* dixit, pro *pavebunt*, præt. loco fut. uſurpans. Quidam explicant, *pavebunt ſerio.* In Edit. Lxx. ſequitur, οὗ οὐκ ἦν φόβος, *ubi non erat, quod paverent.* Quæ ex Pſal. 53. 6. huc tranſlata, nec in Ebræo habentur, nec apud reliquos interpretes.

Quia DOMINUS eſt pro ætate juſta] vel *Quum DOMINUS erit pro ætate juſta.* Tunc, inquit, vehementer pavebunt, quum DOMINUS juſtis aderit eorumque cauſam aget ac tuebitur.

Pro ætate juſta] Pro genere hominum juſto. Eadem ſententia erit, ſi legas; *pro generatione juſta.* Sic *generatio prava, generatio adultera.* Quidam, *pro ætate juſti*; quod minus arridet.

9. *Conſilium pauperis pudefacitis, quia DOMINUS ſpes ejus eſt.*

Conſilium pauperis] Quodnam conſilium? Haud dubie, quo Dei opem, in quo uno ſpem habet, patienter exſpectat. Hoc ſignificat, cum ait; *Quia DOMINUS ſpes ejus.*

Pauperis] עני i. *afflicti.*

Pudefacitis] Quum in anguſtia verſatur illico clamatis, ipſum deſertum à Deo. Scelera hominum; Ubi, inquitis, eſt Deus tuus, in quo ſpem ponis, & à quo liberationem expectas? Hujuſmodi ſarcaſmus eſt Pſ. 22. 9. & Matt. 27.

Spes ejus] ἐλπὶς αὐτοῦ: Sic Græci & Hiero. Alii, *receptus ejus.*

7. *Quis det è Sione ſalutem Iſraelis? Quum reduxerit DOMINUS captivitatem populi ſui, exſultabit Jacob, lætabitur Iſrael.*

O ſi contingat nobis Salus!

Quis det ſalutem] Utinam Deus det! quod Græci dicunt; ὤφελον; quanquam Lxx. nunc reddunt τίς δώσει; & Hiero. *Quis dabit?* eſtque formula optandi ſæpe obvia in his libris, ut Pſ. 55. 7. *Quis det mihi alas?* Deut. 28. 67. *Quis det veſperam?* Job. 11. 5. *Quis det, ut tacendo taceretis?* Sic Exod. 16. 3. Ubi vetus Edit. *Utinam mortui eſſemus in terra Ægypti!* Huc referri poſſet ex Pſ. 4. 7. *Quis oſtendat nobis bonum?* Ut ſenſus ſit: utinam aliquis oſtendat!

R Sio-

E Sione] Jeſa. 2. 3. *E Sione prodibit Lex, & verbum DOMINI è Jeruſalem.* Proprie Sion arx erat in monte, vel potius ipſe mons, ad cujus radicem ſita erat urbs, olim Jebus & Salem dicta, poſt Jeruſalem appellata, cum mons urbi eſſet incluſus, qui Sion dicitur, & pro tota urbe ſæpe ponitur, quæ metropolis erat Judææ, ubi & Arca DOMINI quieſcebat. Ideo, ut opinor, Chriſtus, *ſalus*, inquit, *ex Judæis eſt.* Nam Sion caput erat Judææ, ut dixi modo. Aliter, *è Sione*, i. è cœlo, quod mox vocatur *mons Dei Sanctus.*

Salutem] τὸ σωτήριον. Lxx. i. ἡ σωτηρία. Sic τὸ εὐηθὲς *ſimplicitas.* Hiero. tamen vertit *ſalutare*; nam σωτήριος *ſalutaris.*

Quum reduxerit] בְּשׁוּב, ad verbum ἐν τῷ ἐπιστρέψαι. שוב *Revertit & reduxit*, vel, *redeo & redire facio.* Sic ἐπιστρέφω. Sed & ἀποστρέφω. ut Ruth. 1. 21. κενὴν ἀπέστρεψέ με, *Vacuam redire fecit me.* & Sirach. 17. 1. πάλιν ἀπέστρεψεν αὐτὸν εἰς αὐτήν. *fecit ut rediret*, ſive reducem fecit i. הֵשִׁיב. Sic exponunt quoque ipſi Ebræi. Licet etiam interpretari: *quum quieſcere fecerit*, quod in idem fere recidit. Nam quietem conciliat captivis, qui eos reduces facit poſtliminio in patriam; nulla enim requies in exilio degentibus.

Captivitatem] i. captivos; res pro hominibus: ut cum *ſervitia* & *conjugia* dicimus ſervos & conjuges ipſos.

Exultabit Jacob] Qui huc uſque in luctu fuit & etiamnum eſt. Pro *exultabit*, *lætabitur*, ſunt, qui ediderunt, *exultet*, *lætetur.* Utraque verſio extat in libris Græcis. Nam in his, ἀγαλλιάσθω Ἰακὼβ καὶ εὐφρανθήτω Ἰσραήλ: in illis; ἀγαλλιάσεται καὶ εὐφρανθήσεται.

PSAL. XV.

1. PSalmus Davidis. *DOMINE, quis commorabitur in tabernaculo tuo? Quis habitabit in monte tuo ſancto?*

Quis commorabitur in tabernaculo tuo?] Lxx. τίς παροικήσει ἐν τῷ σκηνώματί σου; Hiero. *Quis peregrinabitur in tentorio tuo?* Videtur hic abuſus eſſe verbo גור pro verbo שכן. Nam cœlum non eſt commorandi, ſed habitandi locus. Niſi ſequentia intelligenda de vera Dei Eccleſia in terris, ubi potius commoramur, quam habitamus. Ut ut ſit, גור proprie eſt παροικεῖν, i. *commorari:* & שכן κατοικεῖν, i. *habitare.*

In tabernaculo tuo] In cœlo. Sic explicant Scholia Ebraica: nec male meo judicio. Dicitur enim cœlum, ut domus, ita *tabernaculum Dei.* Nam in tabernaculis olim habitabant. Unde *tabernaculum* aliquando pro domo ponitur. Sed & Arca erat in tabernaculo ante extructum templum. Forte huc potius reſpexit: nam & ſupra *cœlum* vocavit *templum Dei*: ut ibi *templum*, ita heic *tabernaculum.* Aut quia expanſum eſt ad inſtar tabernaculi: Sicut alibi ait; *Qui expandit cœlum tanquam cortinam.* Quicquid ejus ſit, hujuſmodi morem loquendi David communem habet cum Poetis profanis, cœlum *Jovis regiam*, vel ſimpliciter *ædes*, διὸς aut ζηνὸς δώματα *vocantibus.* Dicunt etiam; ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει, Deum ſignificantes: qui, ut David idem loquitur, *in cœlo habitat*, quod ſæpe מָרוֹם appellat a ſitu. Unde *Germen ex alto*, i. è cœlo.

Quis habitabit?] Verbo habitandi reſpondent, duo Ebraica, ישב & שכן, quorum hoc Græci κατασκηνοῦν, illud reddunt, κατοικεῖν. Eſt autem κατασκηνοῦν proprie *figere tabernaculum* aut *tentorium*, vel *habitare in tabernaculo*: idem שכן Ebræis; nam משכן *tabernaculum.* Unde & σκῆνος & σκήνωμα. & *ſcenitæ* Arabes, dicti ſic, quod in tentoriis habitarent, nec alias domos haberent. Quod obſervo, quia hoc loco textus Ebræus habet, מי ישכן, & Græcus, τίς κατασκηνώσει?

In monte tuo ſancto?] Ita loquendo *Sionem* ſignificat aut collem ejus alterum proprie *Moria* dictum, in quo templum poſtea ædificari curavit Salomo rex. ut ſupra, *In Sionem montem meum ſacroſanctum.* innuit autem cœlum; & ſic forſan in Pſalmo, qui hunc antecedit; *Quis det è Sione ſalutem Iſraelis?* ut ſenſus ſit: Quis det è cœlo: nam ſalus fidelium è cœlo. Expende: non enim hoc affirmo, ſed pono tantum.

2. *Qui ambulat integer, & operatur juſtitiam, & loquitur veritatem ex corde ſuo.*

Qui ambulat integer] i. integre. nomen pro adverbio. hac Antimeria utuntur ſæpe Græci, & eorum imitatione Latini. Homerus, Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Virg. *Nec minus Æneas ſe matutinus agebat* i. mane. Idem, *Nec gregibus nocturnus obambulat*, pro noctu. Plenius, *Hæc ſingula & matutina & veſpertina dantur*, pro mane & veſperi. Poſſumus etiam legere: *Qui ambulat integra*, ſub. via. aut, *Ambulat in integritate* i. בְּתָמִים. Quomodo locutus eſt Pſ. 84: 12. Qui hoc modo *ambulat*, i. e. vivit dicitur ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν. Tob. 4. 9. id eſt, interprete Cypriano, *Agere ex veritate* i. vere, integre, ſincere: cui opponitur *mentiri*, quo omnis fraus ac fallacia ſignificatur. 1 Joh. 1. 6. *Mentimur & non facimus veritatem.*

Integer] Lxx. ἄμωμος. & Hiero. *ſine macula.* Sic Exod. 12. 5. *Agnus integer.* R. Salomo explicat בלא מום *abſque macula.* Nec aliter Abraham Ezræ filius, qui σοφὸς cognominatur.

Operatur juſtitiam] Facit opera juſtitiæ. Sic *operari iniquitatem:* facere opera iniquitatis. Quod alibi aliter explico. Nunc hoc magis arridet. *Opera juſtitiæ* i. juſta. Dicunt etiam *facere juſtitiam*, eodem ſenſu.

Juſtitiam] i. Omnem virtutem. Sane Plato ait, juſtitiam omnes virtutes in ſe complecti. Quo Theogenis ſpectat, cum inquit, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστιν. Hier. in Comment. Jeſ. 56. *Nomine juſtitiæ omnis virtus ſignificatur, quod, qui unam juſtitiam fecerit, impleſſe omnes virtutes dicatur, quæ invicem ſe ſequuntur & ſibi hærent: ita ut qui unam habuerit, omnes habeat, & qui una caruerit, cunctis careat.* Hæc ille. *Qui operatur juſtitiam*, poſſet etiam exponi; qui ſe exercet in opere juſto; aut, qui operam dat virtuti; ut *facere veritatem* dicitur, qui operam dat veritati. Sirach. 27. 9.

Veritatem] i. Verum.

Ex corde ſuo] Ex animo. Ut loquitur, ita cogitat; & contra. בלבבו verti, *ex corde ſuo.* Sic alibi ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, *ex toto corde tuo.* Ut ita verterem, me movit etiam res ipſa: nam corde non loquimur proprie, ſed ore. Supra, *corde & corde loquuntur.* Vide, an melius ſit, *ex corde & corde*; ut ſententia ſit; ex corde duplici: nam cui cor duplex, ejus oratio quoque talis eſt; quippe oratio ex corde proficiſcitur. Unde homo δίγλωσσος, qui aliud loquitur & aliud cogitat. Sive, cujus oratio ab animo diſſentit. Sunt, qui malint, *loquitur in corde ſuo*; Quod verba Ebræa proprie ſonant. Id explicant: cogitat veritatem. q. d. non ſolum loquitur eam, ſed etiam cogitat. Sic alibi legimus, ποιοῦντος σοῦ τὴν ἀλήθειαν, *agente te ex veritate:* & ἐργαζόμενοι τὴν ἀλήθειαν, *operam dantes veritati.* His tribus potiſſimum conſtat ratio hominis, qui vel cogitat, vel loquitur, vel agit.

3. *Non detraxit lingua ſua, nec fecit ſocio ſuo malum, nec probrum ſuſtulit adverſus proximum ſuum.*

Non detraxit lingua ſua] De fama alterius ſcilicet. Rectius fortaſſe: *Non detulit lingua ſua*: non fuit delator. Nam רגל *defero de uno ad alium.* Verbum eſt a *pedibus* declinatum, nec alibi repertum. Id apud Syros ſignificat, *mentiri* aut *fallere.* Quem ſignificatum expreſſerunt Lxx. cum verterent: οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ. *non decepit*, aut *egit doloſe lingua ſua.* Mirum autem cur Hiero. ediderit: *Non eſt facilis.* Puto rectum eſſe, *non detulit:* niſi mavelis, *non defert.* Quæ audivit de uno, ſive vera ſint, ſive falſa, ea non defert ad alios. Affinitatem habet hoc verbum cum רכל, unde רָכִיל *delatio*, aut *delator*, qui in lingua Magiſtrorum מוסר vocatur. Dicitur & נרגן, *ſuſurro.* & אָכַל קַרְצִין. Quod poſtremum hic poſuit interpres Chaldæorum.

Non fecit ſocio ſuo malum] Neque dicto, neque facto quenquam læſit aut offendit.

Socio ſuo] vel, *proximo ſuo.* i. τῷ πλησίον αὐτοῦ. Licet etiam vertere *animo ſuo.* Nam רֵעַ, *amicus.* Hoc Hiero. illud Lxx. habent. Senſus autem eſt, ut ſi diceret: non fecit alteri malum. Vide quæ ſcripſimus Obſervat. lib. 7. cap. 12. & 13.

Non ſuſtulit probrum] *Tollere probrum* ita dicitur, ut, *tollere nomen DOMINI*, *tollere canticum*, *næniam* ſive *lamentum.* Sic *tollere proverbium.* Conſule ſodes Quæſtiones meas. Latine *Non intulit probrum alteri*; dicunt etiam, *objicere probrum.*

Probrum] Lxx. ὀνειδισμὸς, *opprobratio*, *opprobramentum*, *opprobrium*, *contumelia*, *dedecus.*

Adverſus proximum ſuum] Adverſus alium quemvis, ſive is amicus ſit, ſive inimicus, nihil refert. Quid ſi aliquis ei probrum objiciat? Tacet juxta dictum illud Ebræorum: *Sapientes ferunt injuriam, non inferunt: audiunt convicia & tacent.*

Proximum ſuum] Eſt cur malim; *propinquum ſuum*: nam *proximus* רע dicitur, קרוב autem magis denotat *propinquum*, quem Græci dicunt τὸν ἐγγὺς αὐτοῦ; nam *vicino ſuo*: quod in Edit. Hiero. i. עַל שְׁכֵנוֹ.

4. *Contemptus eſt in oculis ejus reprobus, & timentes DOMINI honorat: jurat in malum ſuum, nec mutat.*

Contemptus in oculis ejus reprobus] Sunt, qui legant, *con-*

temptus in oculis ſuis & abjectus eſt. Imo *abjectus eſt*, q. d. adeo humiliter de ſe ſentit, ut dignum ſe putet, quem homines contemnant, atque adeo pro rejectamento habeant. Ita fere Camius, homo Ebræus. Bernardus: *Beatus homo, qui ſe poteſt cognoſcere & deſpicere, probare & improbare: nam qui ſibi diſplicet, Deo placet; & qui ſibi vilis eſt, Deo charus eſt.* Huc refer Senecæ illud; *Diſce contemnere & contemni:* quod ſic explico; diſce contemnere te ipſum, & contemni ab aliis; nam qui ſe ipſe contemnit, minus ægre feret, ſi ab aliis contemnatur.

Contemptus] i. Contemptibilis. Sic καταγνωστος, condemnabilis; nam etiamſi honoretur, tamen dignus eſt, qui contemnatur.

Reprobus] נמאס, *rejectus, abominandum in modum improbus.* Lxx. πονηρευόμενος, *nequiter agens.* Hiero. *improbus* i. רָשָׁע.

Timentes DOMINI] Qui Deum verentur, i. homines pios ac religioſos. *Timere* uſurpant pro *vereri.* Veretur proprie pius; timet religioſus. Hoc diſcrimen non obſervant interpretes. Quod autem vertimus, *timentes DOMINI;* id fecimus imitatione Perſii, apud quem *metuens divum matertera.* Ut *metuens divum*, ita *timens DOMINI.* Sic *fugitans litium, appetens vini;* & ſi quæ alia Grammatici notarunt.

Honorat] יְכַבֵּד Lxx. δοξάζει. Hiero. *glorificat.* Lex. Græco Lat. Vetus. δοξάζω, *glorifico, honorifico, magnifico* &c. His adde *clarifico.* Auguſtinus contra ſermonem Arrianorum, cap. 31. *Glorificare, & honorificare, & clarificare, tria quidem verba, ſed res una eſt; quod Græce dicitur* δοξάζειν*: interpretum autem varietate aliter atque aliter poſitum eſt in Latino.* Idem Tract. 100. in Johann. *Verbum Græcum, quod eſt* δοξάσει, *alius, clarificabit, alius glorificabit, Latini interpretes, in ſua quiſque tranſlatione, poſuerunt; quoniam ipſa quæ Græcè dicitur* δόξα, *unde dictum eſt verbum* δοξάσει, *& claritas interpretatur & gloria. Gloria namque fit quiſque clarus, & claritate glorioſus, & per hoc, quod utroque verbo ſignificatur, id ipſum eſt. Sicut autem definierunt antiqui Latinæ linguæ auctores, gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.*

Jurat in malum ſuum, & non mutat] Symm. ὀμνύων ἑταῖρος εἶναι, καὶ μὴ ἀλλάσσων: *Jurans fore, ut ſocietatem colat, & non mutans* i. להתרועע.

Jurat in malum ſuum] Hiero. *Jurat ut ſe affligat*, להתענה. Malim, *ut ſibi malum accerſat.* Vult dicere, unde ſibi malum accerſit; unde damnum accipit. In fonte eſt לְהָרַע, *ad malefaciendum.* Id Aquila & Theodotio dixerunt, τοῦ κακῶσαι, *ut vexet*, ſive, *malefaciat*, *& ſubint. *ſibi ipſi*, ita poſcente ſententia. Quod ſe, inquit, facturum juravit, id non mutat, ne quidem ſi malum aut incommodum inde accipiendum ſit. Lxx. ὁ ὀμνύων τῷ πλησίον αὐτοῦ, *qui jurat proximo ſuo.* Legerunt לָרֵעַ, mutata vocali. Nos ſenſum, ut putamus, prioris lectionis expreſſimus, quem miro conſenſu, codices Ebræi omnes præferunt.

Jurat] נִשְׁבַּע, *juratus eſt*, i. juravit. Sic Plautus *Rudente. Nunc tu juratus mihi es.* L. *Juratus ſum, & nunc jurabo.* Et mox: *De talento nulla cauſa eſt, quin feras, quod iſti ſum juratus.* Auctor libri ad Herennium conſcripti: *Ait, ſe non potuiſſe adeſſe, ita ut fuerat juratus.* Cicero: *Juratus eſt in legem Voconiam.*

5. *Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munus contra innocentem non accepit. Qui facit iſta, non emovebitur in ſeculum.*

Pecuniam ſuam] כסף proprie *argentum.* Sumitur autem pro pecunia argentea, & pro alia quavis pecunia, ut hic: nam etiam aurea vocatur כסף i. ἀργύριον. Ideo malui reddere *pecuniam*, quam *argentum.*

Ad uſuram] Fœnori. *Uſura* heic appellatur נשך à *mordendo*, ut intelligi poſſit incrementum pecuniæ, quod gravat eum, a quo exigitur. Vid. Camium in hunc locum. Nicolaus à Lyra Deut. 24. ad locum, *ſcribet libellum repudii*, ait; Davidem hoc loco γενικῶς loqui, & neminem excipere; tametſi lege permiſſum eſſet, extraneo dare. Ejus verba ſunt: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, indefinita juris æquipollet univerſali. Unde in libro Machſor, qui apud Judæos eſt authenticus, ubi exponitur locus iſte, dicit Gloſſa, etiam gentili.*

Munus] שֹׁחַד proprie *munus*, quod datur ad corrumpendum judicem.

Contra innocentem] vel, *Adverſus innoxium*; quod olim Hiero. edidit. Lxx. ἐπ' ἀθώοις. Aquila ..... ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ. Symm. .... ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου. Hoc Latine ſonat .... *ejus, qui eſt animo humili & integer.* illud, *ejus qui eſt animo humili & ſimplex.* Mentiar, ita me Deus amet, ſi negem iſta mihi ſuſpecta eſſe. Vide notata ad titulum Pſ. 16. 1.

Non emovebitur] *Emoveri* hic eſt rerum adverſarum ictu concuti, aut, in ſtatu eodem non permanere, calamitatibus frangi ac debilitari. Aliud eſt *cadere:* nam cadere dicitur, qui in calamitates incidit. Poteſt aliquis *cadere*, qui tamen non movetur loco. Itaque legimus Prov. 10. 30. *Juſtus in ſeculum haud emovebitur.* & alibi: *ſepties in die cadit juſtus.*

PSAL. XVI.

1. *Aurea cantio Davidis. Cuſtodi me Deus, qui ſperavi in te.*

Aurea cantio] מִכְתָּם, *carmen aureum:* appellatio à כֶּתֶם, quod eſt genus auri optimi. Quidam inſtrumentum muſicum fuiſſe dicunt. Alii cantilenam notam, quæ incipiebat, *Machtham.* [*Machtham* antiqua lectio pro Michtham. Uti *Mariam, Magdal;* unde *Magdalene*, & alia ejus generis. Eſt autem *Mach humilis*, & *tham, integer.*] Græci reddunt Στηλογραφία τῷ Δαυίδ. Interpres vetus, *tituli inſcriptio.* Lexicon vetus, στηλογραφία *titulus, ſcriptio;* verius, *inſcriptio in cippo* ſive *ſtele.* Verbum eſt στηλογραφῶ *ſcribo in ſtele.* στήλη autem lapis erat è terra extans, munitionis aut ſigni gratia erectus. כתם præter notam ſignificationem, etiam *maculam* denotat: item *ſignum alicujus rei* i. רושם הדבר, ut Ebræi tradunt. Hinc נִכְתָּם, Jer. 2. *maculata*, vel, *ſignata.* Sane R. David interpretatur, נרשם. Sed ad propoſitum. מכתם, Hiero. valet *humilis & ſimplicis:* Hoc eſt, quod Aquila dixerat ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ. & Symm. ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου. Secutus eſt igitur dictos interpretes; ut illi Ebræos veteres, quibus creditum, מכתם compoſitum eſſe ex מך *humilis*, & תם *ſimplex*, ſive *immaculatus.* Vide Annot.

Cuſtodi] Ab injuria inimicorum.

Me] Salutem meam.

Deus] אֵל A. ἰσχυρέ. Prius erat κύριε i. אֲדֹנָי. Edit. Hiero. *Deus*, & aliæ nonnullæ, *Deus fortis.* Hoc vult: ſi velis, potes me cuſtodire; es enim fortis adeo: velle autem, non dubito. nam eo ingenio es, ut ſperantes in te nunquam deſeras.

In te] Et non in alium.

2. *Dixi DOMINO, Dominus tu es, bonum meum haudquaquam ad te (pertingit.)*

Dixi] Senſum expreſſi. Nam libri Ebræi, *dixiſti*, per verbum fœminin. quod ad animam referunt. *Dixiſti o anima*, idem cum illo, *ego dixi.* Dicunt etiam, *dixit anima mea* eodem ſenſu. Quale illud Ennii; *Quem credidit eſſe meum cor* pro quem ego credidi. Sic, *credit animus*, credit quiſquam & in animum inducit. Ceterum ſuſpicari libet, ſcriptum aliquando fuiſſe in textu אמרתי, & lectum in margine, אָמַרְתְּ. Scripturam ſecuti ſunt Lxx. & Hieron. ea nunc exulat à libris. Quod accidit & alias, ut Pſ. 22. in כארו *foderunt.* Adi ſis ad Quæſita mea, & Jerm. 3. 5. in דִּבַּרְתְּ quod ſcriptum דברתי in nonnullis codicibus. Sed in aliis, ut in altera Edit. Veneta, deſideratur. David certe Camius id notat & explicat. Suſpicionem meam juvat liber manuſcriptus, qui in Anglia, in quo אָמַרְתִּי, ſi credendum Livelæo, profeſſori apud Cantabrigenſes regio, viro ſane docto & in his litteris apprime verſato. Poſſumus etiam dicere antiquos legiſſe, אָמַרְתְּ abſque Joth. Ut ut ſit, receptam lectionem ſecutus eſt è veteribus interpres, vel ſi placet, Paraphraſtes Chaldæus. Quod noto, ne quis exiſtimet, eam novitiam ac proinde adulterinam eſſe.

DOMINO] τῷ κυρίῳ i. לַיהוָה. Sic Lxx. Sed Hieron. *Deo*; videtur legiſſe לֵיהוִה i. LELOHIM, quod alias fit, quando ſequitur nomen *Adonai*, ut hic. Ubi tamen codices Ebræi omnes לַיהוָה i. LADONAI. Ratio in promptu eſt; nam oratio ex obliqua in rectam mutata, ſimul lectionem mutat. Sic dico; poſt membrum *dixi DOMINO*, continuo quidem ſequitur aliud, *Dominus tu es;* ſed tamen ita, ut interponatur aliqua diſtinctio, quæ facit, ut hæc duo membra quodam modo disjungantur, i. disjunctim & non conjunctim, ut alias, legantur.

Dominus tu es] Interpretes, quos vidi, *Dominus meus tu es*, acſi eſſet אֲדֹנִי, ſive אֲדֹנָי: quomodo fortaſſe legerunt Lxx. & Hieron. Quid recentiores? an opinati ſunt, Joth in אֲדֹנָי pronomen eſſe? Fieri poteſt, ut Veteres in hac opinione fuerint, nam eodem modo reddunt Pſ. 35. 23. Alibi tamen idem nomen reddunt *Dominus* ſimpliciter. Nec male. Siquidem eſt Joth tale, quale in חַלּוֹנַי *feneſtra*, גובי *locuſtæ*, שָׂדַי *agri*, שַׁדַּי παντοκράτωρ, *omnipotens.*

Bonum meum haudquaquam ad te] Sub. pertingit aut pervenit. Lxx. hoc eleganter declarant, τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις, *bonorum meorum non indiges.* Benefacta mea, inquit, haud ejus generis ſunt, ut ex iis fructum aut emolumentum percipias, aut ut iis favorem tuum promerere poſſim. Alius ſenſus apud Hieron. qui, Symmacho præeunte, transfert ad hunc modum; *Bene mihi non eſt ſine te.* Verba Symmachi ſunt, ἀγαθὸν μοι οὐκ ἔστιν ἄνευ σοῦ, *bonum mihi non eſt ſine te.* Aquila prius ediderat, ἀγαθωσύνη μου οὐ μὴ ἐπὶ σοί. Quod ut dextre capias, notanda locutio Ebræis uſitata, qui dicunt ἐπὶ σοὶ εἶναι i. עליך, quod tu ex officio facere teneris. Ergo hoc vult: Bonum, quod mihi facis, gratuito facis; nullo enim beneficio mihi devinctus es. Hoc modo enarrat hunc locum præter alios, R. David, qui Camius cognominatur.

Bonum meum] vel quod ego facio; vel quod mihi fit. Quidam, *bonum à me profectum.* eodem redit.

3. *Ad ſanctos qui in terra ſunt, & erga magnificos univerſa voluntas mea eſt.*

Ad ſanctos qui in terra ſunt] Bonum meum non ad te pertingit, ſed *ad ſanctos, qui ſunt in terra.* Sic quidam explicant hunc locum. Alii vertunt: *Sanctis qui in terra ſunt, & magnificis, omnis voluntas mea in eis.* Sic fere Hieron. & Santes. Eſt autem pleonaſmus Ebraica, quam evitabis vertendo, *In ſanctis* &c. *omnis voluntas mea eſt.* Alii referunt לִקְדשִׁים *quod ſanctos attinet.* Sic alibi in hoc libro, לִפְעֻלֹּת אָדָם, *quod opera hominum attinet.*

Sanctos] Id eſt τοὺς ἁγίους. Nam קדושים in Ebræo. Euthymius, ἅγιος *dicitur, qui per ſemitam virtutum, divinitatis efficitur particeps.* David Camius, Pſ. 34. 10. *Sanctus vocatur in ſimilitudine ejus, qui ſe abſtinet à vino: nam qui ſe abſtinet à mundanis cupiditatibus, ſanctus dicitur.* Hinc apud Tertullianum, *fœmina ſancta*, i. Chriſtianæ: & *permiſerat ſanctis vulgo nubere.* Nam antiquitus *ſancti* vocabantur Chriſtiani, & anguſtiore ſignificatu ipſi ſacerdotes, quia Deo conſecrati & quaſi devoti erant: Unde *ſanctiſſimi* dicti Epiſcopi: quem titulum ex antiquitate retinuit Epiſcopus Romanus.

Qui in terra ſunt] Hoc adjecit diſcriminis cauſa; nam *ſancti* vocantur etiam angeli, qui in cœlo ſunt; ut Zach. 14. 5. *Et omnes ſancti tecum.* & Dan. 8. 13. *unus ſanctus* i. angelus.

Sunt] i. degunt aut habitant. Sic *Pater noſter, qui es in cælo.* Sententia poſcit, ut exponamus, *qui habitas.* nam alioqui Deus ubique eſt.

Erga magnificos univerſa voluntas mea eſt] Verbum pro verbo: *Et magnificis omnis voluntas mea in eis eſt.* Sic interpretatur Hieron. niſi quod vocem *magnificis* videatur cum præcedentibus jungere. Cui adverſatur diſtinctio accentuum Ebraicorum: quanquam fieri poteſt, ut Hieron. aliter diſtinxerit. Quod ut potius credam, faciunt interpretes Græci, quos Hieron. libenter ſequitur. Sane Aquila vertit ὑπερμεγέθεσί μου πᾶν θέλημα ἐν αὐτοῖς. Utrum legit אדירי? ita videtur. ὑπερμεγέθης, *ſupra modum magnus*, vel *magnus ſupra quam dici poſſit. In his*, inquit, *omnis voluntas mea eſt.* Symm. maluit, εἰς τοὺς μεγάλους πᾶν τὸ θέλημά μου ἐν αὐτοῖς: *in magnos, omnis voluntas mea in eis*, i. erga eos. Nam ἐν αὐτοῖς poſuit, pro εἰς αὐτοὺς, ut conjicio. Theodotio, θαυμαστόν μοι, πάντα τὰ θελήματά μου ἐν αὐτοῖς: *mirabile mihi eſt, omnes voluntates mea in eis.*

Magnificos] Alii *inclytos.* Alii *fortes.* R. David exponit אדירי לב *qui cor habent grande & magnificum.* Ceterum uſurpat hoc loco ſtatum conſtructum pro abſoluto: hoc eſt אַדִּירֵי pro אַדִּירִים, quod inſolens omnino non eſt in hac lingua.

Voluntas mea] Ut ſupra, *In lege DOMINI voluntas ejus* i. ſtudium, oblectatio. Plus enim eſt, quam id quod Latini dicunt *velle alicui*, pro cupere & favere. Sic Gen. 34. 19. חפץ בבת יעקב, valde illi placebat Jacobi filia, vehementerque amabat eam.

4. *Multiplicant dolores ſuos, qui ad alium feſtinant; haudquaquam libabo libamina eorum ex ſanguine: & haudquaquam tollam nomina eorum labiis meis.*

Multiplicant dolores ſuos qui ad alium feſtinant] vel *Multi erunt dolores eorum*: & *ad alium*, ſub. Deum, vel *ad alium* poſuit pro, ad alios. Non paucæ, inquit, moleſtiæ manent eos, qui feſtinant ire ad eos, qui alii ſunt à ſanctis. Hoc eſt, qui ſe ſocios adjungunt improbis & nequam hominibus: mihi quidem certe cum talibus, nihil erit rei aut commercii. Id ſignif. cum ait: *Non libabo libamina eorum ex ſanguine.* Huc pertinet, *Væ improbo, & væ vicino ejus.* Vide ſodes *Proverbia* Ben Siræ, à me recens edita.

Multiplicant dolores ſuos] Lxx. ἐπληθύνθησαν αἱ ἀσθένειαι αὐτῶν, *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* Quorum? haud dubie inimicorum. Poſitum ergo relativum ſine antecedente. A. correxit, πληθυνθήσονται διαπονήματα αὐτῶν, *multiplicabuntur dolores eorum.* Symm. πολλαὶ αἱ κακοπάθειαι αὐτῶν, *multæ ſunt vexationes eorum.* Theodotio, ἐπληθύνθησαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν, *multiplicata ſunt idola ipſorum.* Hiero. *Multiplicabuntur idola eorum.* Fuit aliquando tempus, cum ex Ebræo vertendum putarem; *Multa ſint idola eorum*; vel *multiplicent idola ſua*: vel potius, *Quorum multa ſunt idola, quique ad alium properant, eorum libamina non libabo &c.* Nunc muto ſententiam; quia in fonte: עַצְּבוֹתָם nam *idola* עֲצַבִּים dicuntur, quæ eſt alia forma nominis. Tamen verſio Chaldaica hoc loco צלמניהון, i. *ſimulachra eorum.* Cogitemus amplius.

Dolores ſuos] vel *Labores ſuos.* עֶצֶב enim utrumque ſignificat. Sic πόνος, & *labor* & *dolor.* Vide quæ ſcripſimus Miſcell. cent. 1. cap. 4. Hujuſmodi labores Latini ſign. *curationis* vocabulo: unde *curationem facere* dicuntur, qui circa idola occupati ſunt. Tertull. *de jejuniis. Unde & qui in idolis comendis, & in hac re ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, curationem facere dicuntur.*

Qui ad alium feſtinant] vel *Qui alium munerant* i. muneribus afficiunt: proprie, *dotant.* nam מֹהַר *dos.* Nota אַחֵר, *alium*, hoc loco dici pro Deum alium; quod ſignificat *alium à vero*, id eſt falſum, aut externum, peregrinum: ut *res alia* i. peregrina. Lxx. μετὰ ταῦτα ἐτάχυναν, *poſtea feſtinaverunt.* i. אַחַר aliis vocalibus. Symm. ἀκολουθοῦσι ταχέως *ſequentes cito*, i. מַהֵר, Theod. εἰς τὰ ὀπίσω ἐτάχυναν, *retro feſtinarunt.* Hieron. *poſt tergum ſequentium.*

Feſtinant] מָהָרוּ Nove dixit & ſine exemplo, pro מִהֲרוּ, uſurpans verbum in prima conjugatione, quod magis uſitatum in altera. Ideo ſunt, qui maluerunt reddere hoc loco, *muneribus donant.*

Haud quaquam libabo libamina eorum ex ſanguine] vel *Non libabo libamina eorum de ſanguine, neque* &c. Hoc modo Hieron. convertit: prius Aquila ediderat, οὐ μὴ σπείσω σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων, *Non libabo libamenta eorum ex cruoribus* i. cruenta. Videtur hoc velle: Nihil divini aut humani cum illis commune habebo. *Nihil divini*, hoc innuit, cum ait: *non libabo* &c. *Nihil humani.* Hoc innuit cum ait; *neque tollam nomina eorum* &c.

Ex ſanguine] q. d. Non ex vino, ſed ex ſanguine. Notatum eſt, quaſdam gentes ſanguinem libare in loco vini. Quod an verum ſit, neſcio: ſi verum, poteſt fieri, ut eo reſpexerit.

Neque tollam nomina eorum labiis meis] Abſtinebo me ab eorum nominibus uſurpandis. Dictio quaſi proverbialis, qua declarant, nihil ſibi rei aut commercii eſſe cum altero. Simile; *vel tunicam ipſius odit.* Alii, *Non tollam nomina eorum*, ſc. *idolorum*, ut *tollere nomen DOMINI*, quod valet, jurare per DOMINUM. Sic ait: *Neque jurabo per Deos illos*; vult dicere, nullam venerationem illis exhibebo, à parte cultum univerſum denotans. Vide quæ habentur Exod. 23. 13.

5. *DOMINUS eſt portio partis meæ & poculi mei: tu ſuſtentas ſortem meam.*

Portio partis meæ] Dictum ἐκ παραλλήλου, ut *lutum cæni, terra pulveris, fructus proventus*: nam *portio* & *pars* ſe mutuo explicant. Utrumque ſumptum à conviviis: cui firmando nomen *poculi*, quod ſequitur. Quocirca minus bene Lxx. μερὶς τῆς κληρονομίας μου: nec melius Hieron. *Pars hæreditatis tuæ.* Quanquam ſolitum Veteribus hæreditates in certas partes dividere, quæ partes etiam חלקים appellantur. Sunt, qui referant *portio prædii mei.* Sed חלק, *pars*, non *prædium.* A conviviis tranſtulit & ille, qui rogatus, quiſnam ſapiens eſſet, reſpondit: *qui gaudet parte ſua*: nos diceremus, *qui contentus eſt ſorte ſua.* Ben Sira quoque, cum ait: *Os, quod cecidit in parte tua, rodito.* Vide *Tropos* in *Pars.*

Portio] מְנָת poſuit pro מָנָה, in quo vocalium permutatio minus uſitata, non tamen inſolens omnino.

Et poculi mei] καὶ τοῦ ποτηρίου μου. Licet etiam vertere cum Hieron. *& calicis mei.* Sic alibi, *portio calicis eorum*; Alioqui poſſet legi, *& calix meus*; nam *pars & calix* ſynonyma ſunt; niſi quod hoc à *potu*; illud, à *cibis* mutuatum. Atque hinc proverbium illud: *poteſtis ne bibere eundem calicem, quem ego bibiturus ſum? Eundem calicem bibere* i. eandem ſortem ſubire: vulgo exponunt; eadem mala perferre. Nimis anguſte; nam *calix* non denotat magis adverſa, quam *portio*, aut *partis* nomen: quod ita eſſe vel hic locus liquido demonſtrat, ut non ſit opus alia probatione.

Suſtentas] Suſtines, tueris, foves.

Sortem meam] Partem, quæ mihi forte obvenit i. hæreditatem meam; quomodo ſane Græci vertunt, τὴν κληρονομίαν μου.

6. *Funes ceciderunt mihi in amœnis; etiam hæreditas perpulchra obtigit mihi.*

Funes ceciderunt mihi in amœnis] Hieron. *Lineæ.* Alius, *funiculi.* Hic notandus mos antiquorum, qui agros funibus metiebantur, quos deinde ſorte dividebant: quod Joſuam olim feciſſe, cum Chananæam partiretur populo, certum eſt. Hi *funes* vocantur ab Ebræis חבלי מדדה, *funes menſorii.* Agri autem in certas partes diſtribuebantur: unde *partis* vocabulum pro *hæreditate*, item pro certa *portione agri.* Severus Hiſt. lib. 1. *Inde in parte turris Gader tabernaculum fixit*: vult dicere; in tractu illo, ubi turris Gader erat. Eodem ſenſu חֶבֶל uſurpatur, quod nunc *funem*, & alibi *funiculum* reddunt: ut, Deuter. 3. 5. & 23. *Omnis funiculus Argob* i. omnis regio. Sophon. 2. 5. *Væ habitatoribus funiculi maris* i. tractus maritimi.

Ceciderunt] Quippe menſor eos projiciebat. Mich. 2. 5. *Ideo non erit tibi projiciens funiculum in ſortem, in cœtu DOMINI.*

In amœnis] vel, In *præclaris*, & ſubintelligitur locis, aut regionibus. Mox ſe explicat, cum ait, *etiam hæreditas perpulcra obtigit mihi.* idem repetens verbis clarioribus & minus obſcuris.

Hæreditas] נחלת, *poſſeſſio.* Hic eſt נַחֲלָת ad quod exemplum alibi legitur זִמְרָת *canticum*, pro זִמְרָה, & עֶזְרָת *auxilium*, pro עֶזְרָה, ſic תְּהִלַּת *laus, hymnus.*

Perpulchra obtigit mihi] aut, *Venit mihi. Venire hæreditas* venuſte admodum dicitur, & eſt dictio juris. Plautus, *Mihi haud ſæpe veniunt tales hæreditates.* Ceterum in Ebræo eſt ad verbum, *pulchruit mihi.*

7. *Benedicam DOMINO, qui conſuluit mihi: etiam noctibus erudierunt me renes mei.*

Benedicam DOMINO] In Edit. Hieron. *benedicam DOMINUM.* Quomodo ſæpe Theologi veteres. Sic Græci, εὐλογήσω τὸν κύριον. Fertur eo modo locutus & Apulejus in Aſclepio.

Benedicam] Gratias agam.

Qui conſuluit mihi] Qui conſilio ſuo providit, ut hanc partem præ cæteris eligerem: nam quotuſquiſque ea contentus eſſet?

Conſuluit] Conſilium dedit. Ita Hieron. Olim Lxx. τὸν συνετίσαντά με, *qui me intelligentem fecit.* Pro *Benedicam* eſt, cur malim *Benedico*, ut ſit fut. pro præſenti. Qua enallage nihil uſitatius.

Noctibus] Per noctes. Noctium meminit, quia tempus aptiſſimum eſt ad meditandum. Curæ enim diurnæ diſtrahunt animum, à quibus interno ſtu homo vacat.

Erudierunt me renes mei] Tenent Ebræi in renibus ſedem conſilii eſſe; nam dicunt, *cor intelligit, renes conſulunt. ſplen ridet.* Rurſum, *Renes conſilium dant, & cor perficit.* Alii in renibus ponunt affectus & cupiditates. Hiero. Mich. 2. *Omnia opera, quæ ad commixtionem pertinent, renum appellatione monſtrantur.* Theodor. Jerem. 11. *Renes vocat cogitationes, eo quod concupiſcendi vis, in renibus ſita, frequenter incitat cogitationem.* Unde forte Suidas νεφροὺς exponit λογισμούς. Hi adjuvantur nomine כְּלָיוֹת *renes* denotante, quod à כלה *concupivit.*

8. *Poſui DOMINUM coram me jugiter; quia ad dextram meam eſt, haud emovebor.*

Poſui coram me] vel, propoſui in conſpectu meo. Nempe, ut is, qui rem aliquam ob oculos habet propoſitam, ne ex animo, aut memoria ipſius excidat.

Jugiter] διαπαντὸς, *ſemper.*

Ad dextram meam eſt] ut advocatus, vel ut comes itineris; nam qui alteri comes erat, ad dexteram illius ibat exterior; cui vero comitatus præſtabatur, ibat interior ad ſiniſtram: qui locus & honoratior erat & tutior, ſi non fallit nos Antonius Nebriſſenſis. Exteriores quoque ibant ſtipatores ſive latrones, qui latus Domini comitis ſui tegere dicebantur. Ergo cum latus meum tegat DOMINUS, haudquaquam emovebor. Sic alibi: *Umbra mea ad manum dexteram meam.*

Ad dexteram meam] מימיני, *à dextera mea.* Mirum autem cuiquam videri poſſet, cur Hiero. libuerit, hoc loco uti numero multitudinis, *à dexteris meis*; cum una tantum ſit homini dextera. An quia legerat apud Seniores ἐκ δεξιῶν μου? verum videtur.

Haud emovebor] Vetus editio Lxx. ἵνα μὴ σαλευθῶ: & Hieron. *ne commovear.* Sic alibi; *abſcondit oculos ſuos, ne videat*, בַּל־יִרְאֶה. Ceterum, *Haud emovebor*, R. David exponit hoc loco, לא אפול, *non cadam.* Sed vide ſodes, quæ ſcripſimus ad verſum ultimum Pſalmi quinti ſupra decimum.

9. *Propterea lætatum eſt cor meum, & exultavit gloria mea: etiam caro mea habitabit confidenter.*

Lætatum eſt cor meum] Lætatus ſum ex animo.

Gloria mea] i. Anima mea. Eſt enim anima βέλτιον καὶ ἐνδοξότερον μέρος τοῦ ἀνθρώπου: i. *melior & honoratior pars hominis.* quin imo ut Deus eſt gloria animæ, ita anima eſt gloria corporis. Edit. Græca pro ἡ δόξα μου habet ἡ γλῶσσά μου. unde Scholion, *Gloria pro lingua*; quod non nemo germanum eſſe putat: ſed fallor ego, aut aptius ad *animam exultandi* verbum, ut Pſ. 35. 9 *Et anima mea exultat in DOMINO*, nam quos pro ſe adducit locos Scripturæ, in iis ipſis declaratio *animæ* optime quadrat. Qua de re dixi alias, quæ non repeto. Libri editi ſunt, indepetat, qui volet.

Caro mea] Corpus meum. ut ibi: *erunt duo una caro* i. unum corpus. Porro corporis pars eſt lingua; ſi ergo præcedens membrum de lingua capietur, vitioſa erit partitio, *cor, lingua, corpus.*

Habitabit] In ſepulchro *ſtabilsvit* i. κατασκηνώσει, non κατοικήσει. Supra. 7. 6. *Et gloriam meam in pulvere habitare faciat.* Idem verbum in Ebræo.

Confidenter] i. cum fiducia, πεποιθότως. Alii, *tuto*, alii, *ſecure.* Sed *tuta* etiam ſcelera eſſe poſſunt: malim ergo *ſecure.*

10. *Nam non derelinques animam meam in inferno, non ſines pium tuum videre corruptionem.*

Animam meam] i. me. Quod intelligendum eſſe de corpore docent conſequa verba; nam anima non corrumpitur. Ex quo & illud ſequitur; *animam* poni pro *corpore mortuo*; non quidem ut pars, ſed ut totum; nam *anima* & pars & totum eſt. *Pars*, cum proprie ſumitur: *totum*, cum pro homine accipitur. Sic interpretor, *Gloriam meam in pulvere collocet* i. me. Quod ad corpus reſtringendum, veluti cum dicimus; *hic jacet ampliſſimus vir*: nam non *anima* jacet in ſepulchro, ſed *corpus* anima caſſum, i. cadaver. At impium eſt Chriſti *corpus* cadaver appellare. Quid audio? non ipſe Chriſtus id facit, cum ait; *ubi cadaver, ibi aquilæ?* Sed *anima* non ſignificat uſpiam cadaver. Hoc aperte falſum eſt, & nos id jam pridem oſtendimus prolatis cum exemplis Scripturæ, tum teſtimoniis Veterum Patrum. Vide Obſerv. lib. 2. cap. 2.

In inferno] In ſepulchro. vel ſi mavis, in morte. nam eſt, ubi per שאול ſignificetur *ſtatus mortuorum.* Etiamne *ſepulchrum*? Omnino: Idque docent cum alia loca, tum unus Job. 14. 13. *Quis det ut in ſepulchro aliquis abſcondat me!* Quis enim optaret abſcondi apud inferos? Et alter, Cohel. 9. 10. *In ſepulchro, quo tu vadis.* Cum enim ibi ſermo ſit non de improbis tantum, ſed de hominibus in genere; quis mentis ſanæ neget שאול ibi *ſepulchrum* denotare potius quam ipſos *inferos.* Opinionem meam amplius firmant additiones illæ שְׁאוֹל מָטָּה, *ſepulchrum infra*, Prov. 15. 24. שאול תחתית, *ſepulchrum inferum.* Deut. 32. 22. שאול תחתית. Idem Pſal. 86. 13. His adde, ſi vis, ex libro *Muſar*, שאול עליון, *ſepulchrum ſuperum*; nam hoc eſt, quod abſolute *ſepulchrum* vocant: *Inferos* autem ſignificant, cum dicunt *ſepulchrum infra*, ſive *inferum.* hoc ſepulchrum animarum, illud corporum eſſe dicunt. Quid opus eſt multis verbis? Ipſe Chaldæus Paraphraſtes שאול interpretatur בֵּי קְבוּרְתָּא i. *domus ſepelitionis.* Job. 17. Et Ebræi exponunt קבר i. *ſepulchrum.* Nathan Mardochæus in Concordantiis Ebraicis; R. David in comment. Pſal. 9. 18. ad locum, *redeant improbi*, לשאולה i. inquit, לקבר *in ſepulchrum*, q. d. in terram unde ſumpti fuerunt: cui firmando eſt verbum *redeundi*, cum nemo dicitur redire ad inferos, ubi nunquam fuit. Idem de morte ſentiendum. Neceſſario igitur שאול ibi pro *ſepulchro* ponitur. Quod interdum fieri, affirmat è recentioribus Hieron. ab Oleaſtro, Num. 16. ad locum, *deſcenderunt viventes in infernum*: & è Veteribus Albinus Caroli Magni olim præceptor. Cujus verba, ut habentur Quæſt. in Geneſin pag. 465. hæc ſunt: *Quomodo intelligendum, deſcendam ad filium meum lugens in inferno? Perturbati & dolentis verba ſunt, mala ſua etiam hinc exaggerantis: vel, etiam inferni nomine ſepulchrum ſignificat. q. d. in luctu maneo, donec me terra ſuſcipiat, ſicut illum ſepulchrum.*

Non ſines] לא תתן ad verbum, *non dabis.* Quod retulit olim Hiero. & ante ipſum Lxx. οὐδὲ δώσεις, *neque dabis.* hoc ſignificatu נתן poſt ſe habet verbum infinitum, ut Hoſ. 5. 4. לא יתנו לשוב *Non permittunt* (opera eorum) *ut revertantur.*

&

& Num. 21. 24. לֹא נָתַן עֲבוֹר *non permiſit tranſire.* Vide quoque Job 9. 11.

Pium tuum] Prius erat in Edit. Hiero. *Sanctum tuum.* nuperi interpretes repoſuerunt, *benignum tuum* : ego, *pium tuum.* quod Græci dixerunt τὸ ὅσιόν σου. In *medras* hujus libri: *Quiſquis audit maledictum, & ſilet, vocatur* חסיד. Alibi: *Omnis, qui audit maledictum, & ſilet in judicio* &c. In libro *Avoth. Quis* חסיד*? Qui intrat & facit* : ſenſus eſt; qui intrat templum, & facit quod ibi præcipitur. pro חסיד Syri Antiocheni dicunt חסי, unde Græcum ὅσιος, ut apparet. Ab eodem *Eſſeni* appellationem habent, ſi credimus Philoni Judæo. hinc etiam *Haſidai* dicit, quorum mentio in libris Machabæorum. Neque diſplicet omnino, *benignum tuum.* Nam חסיד etiam vocatur, qui beneficentiam ſine ſpe præmiorum exercet. R. David Pſal. 103. 17. ex Dras ita diſtinguit à צדיק *juſtus* : חסיד, inquit, *dicitur, qui plus facit, quam jubeatur facere* : צדיק *qui juſſa Dei exequitur.*

Videre corruptionem] i. corrumpi. Sunt, qui legunt, *videre foveam* : Sed quam recte, viderint. Nam Chriſtus certe vidit foveam i. ſepulchrum : niſi foveam accipias pro effecto foveæ, i. pro corruptione. Sic *videre mortem,* & *mori,* cum differentia dicuntur, licet nonnulli ea confundant.

Corruptionem] διαφθοράν, i. שחת, videl. ἀπὸ τοῦ שחת, *corrumpo.* Alii à שוח deducunt. Alii à שיח, unde & שוחה *fovea,* & שוחה idem. ad quod exemplum eſt רוח, *vanus* : nam thema רוח.

11. *Notam facies mihi ſemitam vitæ; ſatias lætitiarum cum vultu tuo : amœnitates in dextera tua æternum.*

Notam facies] γνωρίσεις. Sed forte melius, ut vertamus; *notam facias* : ut hæc dicantur per modum precationis, quod video placuiſſe Davidi Ebræo, qui Camius cognominatur.

Semitam vitæ] Quæ ducit ad vitam.

Satias lætitiarum] Aquila & Theod. πλησμονὴ εὐφροσυνῶν. Antea erat πληρώσεις με εὐφροσύνης: quam interpretationem in viam reduces, ſi deleas pronomen με, ut ſit πλήρωσις εὐφροσύνης, nomen à ſingulari πλήρωσις, *impletio.* Certe Hieron. edidit, *plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum.* Edit. Sym. ἑπτὰ εὐφροσύναι, *ſeptem lætitias* i. שֶׁבַע, quod nunc legunt alii punctis vocalibus שֹׂבַע, ut poſſis vertere, *ad ſatietatem lætitiæ ſunt cum vultu tuo,* שבע pro לְשֹׂבַע : ut alibi בֶּטַח pro לָבֶטַח: *fidenter.* Sic שָׁוְא pro לשוא *vane.*

Cum vultu tuo] apud te. Sic alibi, *ſedebunt juſti cum vultu tuo,* tecum, vel apud te : aut *cum vultu tuo,* i. in benevolentia tua : ſicut ait, *vita in benevolentia ejus* : quod exponunt; vita longa, aut vita jucunda. Symm. hic edidit ἐν τῷ προσώπῳ σου, *apud vultum tuum*; ſenſum expreſſit : ut verba Lxx. qui verterunt, μετὰ τοῦ προσώπου σου. Quod autem in Edit. Hiero. *ante vultum tuum*; id Ebraice potius diceretur, נגד פניך vel ſane, לפניך.

Amœnitates] *Jocunditates.* τερπνότητες, *delectationes.* Hujus contrarium, *amarores,* ſive *amaritudines.* Unde Noomi: *Nolite me vocare amplius Noomi, ſed vocate me Mara. Noomi* i. jocundam. Quod inter nomina mulierum, ut inter nomina virorum *Jocundus.*

In dextera tua] Cujus uſus potiſſimum in dando. Dictum ergo, *in dextera tua,* ut alibi; *in manu tua.* Sic legimus: *Longævitas in dextera ejus, & in ſiniſtra ejus divitiæ & gloria.* Tralatio ab hominibus, qui dona porrigunt manu dextera, & interdum utraque. Minus placet, quod in Scholiis Camii : *In dextera tua; in gloria tua, in majeſtate tua.*

PSAL. XVII.

1. PRecatio Davidis. *Audi DOMINE juſtitiam, attende clamorem meum : Auribus percipe precationem meam abſque labiis doloſis.*

Precatio] προσευχή, *oratio.*

Audi DOMINE juſtitiam] i. Juſtam meam petitionem. aut, querelam, aut cauſam. Lxx.... κύριε τῆς δικαιοσύνης μου. ut 4. 2. אלהי צדקי ὁ θεὸς τῆς δικαιοσύνης μου : *Deus juſtitiæ meæ.* Symm. & Theod. κύριε δικαιοσύνης, *DOMINE juſtitiæ* i. juſte. Aquila, εἰσάκουσον κύριε δίκαιον: ἀντὶ τοῦ δικαίως. Hiero. *Audi Deus juſtum.* Nam *ſedec* antiqua declaratione *juſtus.* In libro nom. Ebraico; *Sedechias, juſtus DOMINUS, aut DOMINI. Melchiſedec, rex juſtus.* Idem legitur apud Joſeph. Orig. lib. 1. cap. 18. & apud Clementem Alexandrinum, Stromat. lib. 4.

Attende clamorem meum] Attende aurem tuam ad clamorem meum. Licet etiam vertere, *Attende clamori meo.*

Clamorem meum] רִנָּתִי Interpretatus ſum ex ſcholiis Ebraicis, *clamorem meum* i. צעקתי, niſi malis *vociferationem meam.* Alii, ut Lxx. & Hieron. τῇ δεήσει μου, *deprecationem meam.* Aq. αἰνέσει μου, *laudationem meam.* Quod nomen Ebræum etiam ſignificat. Scholia Davidis Camii, *Qui orant, interdum ſubmiſſa voce id faciunt, interdum vocem extollunt & clamant. Sane nomen* רנה *ubique ſignificationem habet clamoris; diciturque de clamore lætantium & canentium, ut contra flentium ſuſpirantiumque : item de clamore precantium & rogantium. Significat etiam clamorem illum quem edunt præcones, cum aliquid nomine magiſtratus promulgant.*

Precationem meam abſque labiis doloſis] Sub. prolatam. *& abſque labiis doloſis* i. ſermone minime doloſo, ficto aut ſimulato. *precatio abſque dolo,* quæ dolo caret; genus loquendi : ut, *fides abſque operibus,* pro eo quod eſt, operibus vacua; extat alibi apud Apoſtolum Jacobum. Edit. Hiero. *abſque labiis mendacibus,* בְּלֹא שִׂפְתֵי שָׁקֶר.

2. *A conſpectu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitates.*

A conſpectu tuo] מִלְּפָנֶיךָ. Hiero. *De vultu tuo.* & Lxx. ἐκ προσώπου σου. Sunt etiam, qui convertunt, *à facie tua* : Dubito an recte. nam *à facie tua* eſt מפניך, quo ſignificant providentiam illam generalem, quæ ſe extendit ad omnes ubique, ut ibi; *à facie tua, quo fugiam?* Aliud מלפניך, *è conſpectu tuo* : nam ita loquendo magis ſignificant providentiam, quæ propria & peculiaris eſt populo Dei. Hoc ſenſu Cain legitur fugiſſe *è conſpectu DOMINI.* Sic etiam legimus Jon. 1. 3. *Et ſurrexit Jonas, ut fugeret è conſpectu DOMINI. E conſpectu,* inquam, non *à facie,* aut *de vultu DOMINI.*

Judicium meum] Defenſio mea, ſive patrocinium cauſæ meæ. aut ſententia eſt, ut ſi diceret : malo à te judicari, quam ab hominibus : potius enim eſt incidere in manus Dei, quam in manus hominum : *quanta enim eſt majeſtas ipſius, tanta eſt miſericordia ipſius.* Sirach. 2. 18. Quidam enarrant, *judicium meum,* i. pœna mea: & *prodeat,* exeat, abſcedat: q. d. noli me condemnare aut punire ob hoc crimen. Quodnam *crimen?* Alii aliter. Camius pater accipit, de fœdo Davidis adulterio cum uxore Uriæ commiſſo.

Prodeat] ἐξέλθοι, *exeat.* Ita Lxx. poſt Symm. ἐξελεύσεται *exibit, egredietur.*

Oculi tui videant æquitates] *Oculi tui videant,* idem cum illo; vide oculis tuis, aut reſpice : & *æquitates,* i. cauſam meam æquiſſimam, vel recte facta mea, quod Græce dicitur εὐθύτητας.

3. *Probaſti cor meum, viſitaſti, examinaſti me, non inveniſti : cogitatio mea non tranſiit os meum.*

Probaſti me &c.] Licet vertere : *Probaveris me, viſitaveris me, excoxeris me, non invenies : cogitatio mea non tranſibit os meum.* Supple quod deficit, erit; *ſi probaveris* &c. Quale illud; *Graculus eſuriens, in cœlum, juſſeris, ibit.* Quod explent, *ſi juſſeris.* Defectus iſte frequens eſt apud Ebræos.

Probaſti cor meum, viſitaſti] Tu qui audis atque adeo es probator cordium, probaſti & viſitaſti *cor meum* i. animum meum. Deus *viſitat,* primo, quos *punit* propter peccata : ſecundo, quos reſpicit, quibuſve propitius eſt : tertio, quos probat & examinat, ut hic. Senſus ergo, acſi diceret : *probando viſitaſti cor meum.*

Nocte] Quo fere tempore Deus viſitare ſolet ſuos : unde viſiones nocturnæ, quarum mentio crebra apud prophetas. Quidam capiunt, de nocte rerum adverſarum. Sed inepte meo arbitratu.

Examinaſti me] Nempe ut metallum per ignem examinatur. Id Lxx. dixerunt, ἐπύρωσάς με q. *per ignem examinaſti me.* Unde χρυσίον πεπυρωμένον *aurum igne probatum.* Hieron. & Santes, *conflaſti me.* Alius, *probaſti me.* i. e. בחנתני. Alius, *excoxiſti me.* metalli enim vitium per ignem excoquitur.

Cogitatio mea non tranſivit os meum] vel, *Non tranſgreſſa eſt os meum.* Nihil aliud, inquit, ore locutus ſum, quam id, quod animo ſenſi aut cogitavi : oratio mea nihil à mente mea diſcrepavit. זַמֹּתִי ad verbum *cogitare meum.* Tale *ſcire tuum nihil eſt,* pro, ſcientia tua nulla eſt. Poſſumus etiam vertere: *quod cogitavi, non tranſivit os meum*; ut זמתי ſit verbum præteriti temporis; & אשר ſubaudiatur, quod tritum adeo ut nihil ſupra. Edit. Hiero. *Non inveniſti cogitationes meas tranſire os meum,* à ſenſu non aberrat, à verbis multum. Piget dicere,

dicere. hoc tantum. Negatio, quæ ante verbum *tranſivit*, hanc interpretationem penitus evertit. omitto accentum majorem diſtinguentem, qui poſt verbum *invenisti*.

Non invenisti] Nullum in me vitium aut crimen deprehendiſti. Hic locus in cauſa eſt, cur verterim *examinaſti me*, potius quam, *excoxiſti me*. Nam *excoquimus* vitium auri, *examinamus* etiam illud, quod purum putum eſt.

4. *Quantum ad facta hominum, propter verbum labiorum tuorum, ego cuſtodivi ſemitas effractorum.*

Quantum ad facta hominum &c.] Senſus hic eſt; ut appareat: Quod opera hominum attinet, ego cavi diligenter, quia verbo tuo ita præcepiſti, ne quis latronum & effractorum viam impune ingrederetur.

Propter verbum labiorum tuorum] Ita Hiero. nec aliter Lxx. qui habent διὰ τοὺς λόγους τῶν χειλέων σου. Alii, *ex verbo*. Alii, *pro verbo*. In Ebræo eſt ad verbum, *in verbo*.

Verbum labiorum tuorum] Pro eo eſt, ac ſi dixiſſet, *verbum oris tui*; ſignificat autem legem, quæ Dei ore prolata, digitoque ſcripta.

Cuſtodivi ſemitas effractorum] Arcui homines, quantum in me fuit, à viis & ſemitis, quas improbi & effractores inſiſtunt. *Cuſtodire ſemitas effractorum* ita dicitur, ut Gen. 3. *Ad cuſtodiendam viam arboris vitæ*: quomodo & *cuſtos Paradiſi* vocatur, qui ab eo arcet animalia noxia, atque adeo qui prohibet, ne quis illum temere ingrediatur. Sic ergo ait, *cuſtodivi ſemitas* &c. Quod eſt officium boni magiſtratus videl. ſeveritate ac pœnis arcere homines à vita improba. Quidam vertunt, *cavi ſemitas effractoris*: quod non ita placet. Nam *cavi* potius diceretur, נשמרתי. Ad hæc minus eſt *cavere vitia*, quam *cuſtodire ac prohibere illa*. Si velis, poteris ad hanc ſententiam accommodare verſionem Lat. Hiero. *ego obſervavi vias latronis*: Sed & Græcam Lxx. ἐγὼ ἐφύλαξα ὁδοὺς σκληράς, *ego cuſtodivi vias duras*. Symm. quoque ἐγὼ ἐφυλαξάμην ὁδοὺς παραβάτου, *ego obſervabam vias transgreſſoris*.

Effractorum] פריץ proprie, qui irruptionem facit in ipſa vitia, quod Galli dicunt *faire breche*. Talis à Lxx. vocatur λῃστής, Jerem. 7. & à Hiero. *latro* Ezech. 18. Ubi Lxx. & Theod. λοιμὸν *peſtilentem*: Symm. *transgreſſorem* i. παραβάτην, & Aquilæ ſecunda editio *peccatorem* i. ἁμαρτωλόν. Hic quoque Hiero. ut vidimus, *latronem* reddit, à quo facit Joſephus, Orig. lib. 14. cap. 17. ubi Ezechias quidam ἀρχιλῃστής appellatur, quem Gorionis filius in hiſtoria ſua Ebraica שר הפריצים vocat. Ut ut ſit, putarim in hoc loco late accipiendum, pro *quovis nequam & improbo*.

5. *Suſtenta greſſus meos in orbitis tuis, haudquaquam nutabunt pedes mei.*

Suſtenta] vel *Contine*. quod Symm. extulit Græce συγκράτησον. Lexic. Vet. συγκροτῶ *contineo*, *ſuſtento*. Puto leg. συγκρατῶ. Vide ſi vacat. Prius Lxx. verterant κατάρτισαι, & Theod. τελείωσον, i. *perfice*. Sed minus bene. תָּמֹךְ *ſuſtenta*, eſſet תְּמֹךְ. Sic alibi, זָכוֹר, *memento*. שָׁמוֹר *obſervato*, ſive *cuſtodito*. הָלוֹךְ *ito*. Σπεύσειν *ſervio*. Nam Ebraica & Græca conſuetudo in eo conveniunt. Grammatici vocant enallagen modorum; ſiquidem infinit. pro imperat. uſurpatur.

Greſſus meos] Iter meum, vel pedes meos.

In orbitis tuis] In præceptis tuis, in lege tua. *Via Dei* eſt ea vivendi ratio, quam Deus requirit à nobis: Sumitur etiam pro ratione agendi, qua uti erga ſuos conſuevit. *Orbita* proprie impreſſum rotæ veſtigium, & ipſa rota. מעגל potius ſignificat *viam orbitoſam*, aut *callem*, aut *ſemitam*, i. τρίβον.

Haudquaquam nutabunt] vel *Emovebuntur*. Poſſumus etiam legere, *ne dimoveantur*. Sane Hiero. Edit. habet, *& non labuntur*, & Scholia Camii שלא ימוטו.

Nutabunt] נמוטו. Quædam exemplaria ſcribunt cum *Dagheſ* in *Theth*; alia ſcribunt abſque *Dagheſ*: quæ diverſitas notata eſt in comment. Ebræorum.

Pedes mei] Hiero. *Veſtigia mea*, & Lxx. διαβήματά μου. Sed *pedes* interpretatur idem Hiero. Pſ. 58. 11. item 74. 3. Quod ſecutus nunc ſum eo libentius, quia etiam Ebraica ſcholia ibi exponunt פְּעָמָיו i. רַגְלָיו *pedes ejus*.

6. *Ego invocavi te, quia exaudies me, Deus: inclina aurem tuam ad me, audi ſermonem meum.*

Quia exaudies me] Ideo invocavi te, quia confido, te exauditurum me, aut, quia ſolitus es me exaudire.

Deus] אֵל, ἰσχυρὸς, Quod inter epitheta Dei; ut שַׁדַּי *omnipotens*. Quidam utrumque ſimul jungunt, referentes, *Deus fortis*. Sed אל antiqua declaratione *Deus*, quod ſecutus ſum. Plenum eſſet, ὁ Θεός.

Ad me] vel *mihi*, i. in commodum meum. Ita Hiero. vertit; ſed & Lxx. in quibus ἐμοί. nam *ad me* Græcè diceretur potius πρὸς με, & Ebraice אֵלַי.

Audi] Ex udi.

Sermonem meum] vel *Eloquium meum*. Quod pro eo habendum, ac ſi diceret, *orationem meam*, aut *preces meas*.

7. *Segrega benignitates tuas, ſervator ſperantium, ab inſurgentibus in dexteram tuam.*

Segrega] Separa, aufer. Olim erat in Lxx. θαυμάστωσον: & in Hiero *mirabilem fac*. Vide quæ ſcripſimus Pſ. 4. ad locum, *ſegregavit DOMINUS benignum ſibi*.

Servator ſperantium] Edit. Hiero. *Salvator ſperantium*. Id, ut minus Latinum, rejeci. Tamen audivi exſtare apud Livium; an ita ſit, neſcio. Certe Cicero negat, Græcum vocabulum σωτὴρ Latino uno verbo exprimi poſſe: *is eſt enim ſoter*, inquit, *qui ſalutem dedit*.

Sperantium] Eorum qui ſperant in te. Quidam conſtruunt hunc verſum ſic: *O Servator ſperantium in dexteram tua, ſegrega benignitates tuas ab inſurgentibus*. Vult dicere; ab iis, qui contra te inſurgunt; ab hoſtibus tuis.

In dexteram tuam] In majeſtatem tuam, adverſum te. *Dextera* enim majeſtatem denotat, ut ibi: *Sede ad dexteram meam*. Sed præſtat exponere, *in potentiam tuam*: nam ea ſæpius ſignificatur per *manum dexteram*. Sic Virg. *Dextra refellere* dixit pro, virtute refellere. Nam pro rei officio ipſam rem poſuit; dexteram ſic. pro virtute, ait Servius. Sententiam Hiero. expreſſit, dum refert; *à reſiſtentibus dexteræ tuæ*: Et Græci Lxx. qui habent, ἐκ τῶν ἀνθεστηκότων τῇ δεξιᾷ σου.

8. *Cuſtodi me ut nigrum pupillæ oculi, in umbra alarum tuarum abſconde me.*

Ut nigrum pupillæ oculi] Ut rem longe chariſſimam; nihil enim charius oculorum ſenſu, unde Saraceni dicunt in communi ſermone, *Corat al ain* i. *pupilla oculi*: quo ſermone maxime mulieribus adblandiuntur, ut Simon Januenſis annotat.

Nigrum pupillæ oculi] Neſcio an bene verterim. In Ebræo eſt, אישון בת עין. De quo non omnes unum idemque ſentiunt. Sunt qui putant אישון & בת עין ſynonyma eſſe, dictum autem ἐκ παραλλήλου, velut ſi diceretur Latine *pupula pupillæ oculi*, & Græce κόρη γλήνης ὀφθαλμοῦ. nam γλήνη, *pupilla*, itemque κόρη. *Pupula* etiam idem quod *pupilla*. Utrumque diminutivum eſt à *pupa*, puella parva & tenera. Sic pro בת עין quod ſonat, *pupa oculi*. Zach. 2. 8. habetur בָּבַת עֵינוֹ *pupula oculi*: in quo littera extrita, ut in nomine בכל, nam eſſet בלבבל, ſi plene ſcriberetur: ſimiliter בבה contrahitur ex בנבנה, repetitio autem ſyllabarum diminuit, ergo בבה, *pupula*. nam בת *pupa* i. puella. Sic בָּנוֹת, *puella*. איש quoque ita diminuitur, ut fiat אישון, quaſi ἀνδρίσκος dicas, i. parvum virum. Sane *Nun* littera in fine ὑποκοριστικὸς eſt, ut in שבתון *Sabbathulum*. Sic אמנון, *Amnonulus*. nam in oculo apparet imago parvi viri. Sed potius, ut *pupilla* dicta ſit eo nomine *à nigredine*, id quod אישון ſignificat Prov. 7. 9. Hanc etymologiam ſecutus verti; *ut nigrum pupillæ oculi*. Igitur אישון proprie *nigrum oculi*, quod vulgo שחור, & in Gemara אוכמא dicitur. Idem ἡ κόρη Græcis. nam κόρος *niger* i. μέλας. Unde definitur τὸ ἐν μέσῳ μέλαν, i. acies qua cernimus. Hujus ἀυγὴ, ſi Polluci credimus, vocatur γλήνη. Ebræus David ſcribit בת עין denotare proprie ipſam *ſubſtantiam pupillæ*; אישון autem eſſe nomen adjectivum, quod tribuitur pupillæ propter imaginem illam, de qua dixi.

In umbra alarum tuarum abſconde me] vel *Abdas me*. Tranſtulit hoc ab avibus pullos ſuos alis protegentibus; ſicuti gallinam facere videmus, quum pulli, viſo milvo, ſe condunt ſub alis ejus. Aut ſumpſit mutuo à Cherubinis, qui alis ſuis Arcam tegebant.

9. *Propter improbos, qui me vaſtant: hoſtes meos, qui me in animam cingunt.*

Propter improbos, qui me vaſtant] Cuſtodi me *propter improbos*, vel ſi placet, *à facie improborum*; quod proprie ſonat מפני, & Græci reddunt, ἀπὸ προσώπου ἀσεβῶν. Hoc loco ש valet אשר, i. *qui*.

Qui me in animam cingunt] Scholia Ebraica enarrant, *Ad auferendam animam meam*. Senſus eſt: ut mihi vitam adimant. Quod Salluſtius dixit *animam adimere*; *animam*, pro vita uſurpando. Poſſet etiam exponi *in animam*; cum periculo vitæ meæ, ſicut de anima periclitер. Genus loquendi Ebraicum valde concinnum. Sic alibi: *venerunt aquæ uſque ad animam*. Quidam conſtruunt; *hoſtes mei in animam* i. capitales. Minus placet. Malim exponere; *qui pro libidine cingunt me*. Infra in hoc libro Pſ. 105. 22. לֶאְסֹר שָׂרָיו בְּנַפְשׁוֹ *ad vinciendum principes ſuos, pro libidine ſua*. ad verbum, *in anima ſua*.

Cingunt] vel *Circumdant* i. undique obſident, vexantque.

10. *Adipe ſuo concluſerunt ſe, ore ſuo locuti ſunt ſuperbe*. Vel, ut alibi,

Adipe

Adipe ſuo clauſerunt os ſuum, locuti ſunt ſuperbe. Quod pro eo eſt, ac ſi diceret: præ adipe ac pinguedine occluſum fuiſſe os ipſorum. hyperbola pinguedinis ſive obeſitatis. Contra idem David: *numerare*, inquit, *poſſem omnia oſſa mea*; quo dicto extremam maciem innuit, ut Comicus, cumait: *Os atque cutis ſum miſer à macritudine.*

Adipe ſuo concluſerunt ſe] Græcè Lxx. τὸ στέαρ αὐτῶν συνέκλεισαν, *Adipem ſuum concluſerunt*, id eſt, clauſum & obſtructum habuerunt; farcti obeſitate fuerunt. Sed Hiero. *adipe ſuo concluſerunt*; & Symm. τῷ στέατι αὐτῶν ἀπεφράγησαν, *adipe ſuo obſtruxerunt*: Quæ verſio mihi non diſplicet, ut legamus; *Adipe ſuo clauſerunt* vel *obſtruxerunt ſe*. Sic Jud. 3. 22. ויסגר *Et clauſit ſe adeps circa verutum.* Pſ. 73. 7. *ejus oculi præ adipe prominent.* Job. 15. 27. *Obtexit faciem ſuam adipe ſuo.*

Ore ſuo locuti ſunt] Nam etiam corde loquimur. Non ergo τὸ *ore* omnino πλεονάζει. Ceterum qui hoc ad præcedens membrum referunt, vel non adverterunt animum ad accentus Ebraicos; vel, ſi adverterunt, non tanti nunc fecerunt accentum Athnach, atque alias conſueverunt.

Superbe] בגאות *in ſuperbia* i. ſuperbe. Huc facit proverbium illud Græcum, κόρος ὕβριν τίκτει, *ſatietas ferociam parit.*

11. *Greſſu noſtro nunc circumdant nos, oculos ſuos ponunt ad declinandum in terram.*

In greſſu noſtro nunc circumdant nos] vel, *Greſſum noſtrum nunc circumdant nobis*, Aut, ſi mavis, *mihi*. Nam eſt סבבוני in ſcriptura. Nos lectionem expreſſimus a Maſſoritis notatam. Scriptum autem hoc loco אשרנו cum *dages* in *ſin*: pro quo Hiero. videtur legiſſe, אשרני, nam vertit: *incedentes adverſum me.* Quomodo & Symm. legit, cum verteret: μακαρίζοντες με παραχρῆμα περιεκύκλωσαν: *beatum prædicantes me ſtatim circumdederunt.* Nam אשרני, hoc etiam ſignificat. Quid Lxx. qui habent ἐκβαλόντες με?

Greſſu noſtro] Abeſt præpoſitio: *in greſſu noſtro*. Quidam *greſſum noſtrum obſervantes, nunc circumdant nos.*

Circumdant nos] Ita vertendum docent nos Maſſoritæ, vocales, & interpres Chaldæus: tamen in ſcriptura eſt pronomen ſingulare, quod interpretati ſunt Lxx. & Hieronymus *circumdederunt me.* Qui Biblia Veneta terunt, ſciunt me verum dicere.

Circumdant nos] Præter Chaldæum paraphraſten, Veteres omnes, quos vidi, reddiderunt *me* pro *nos*. Quod, ut diximus, litteræ conſonantes præ ſe ferunt, cum in punctis vocalibus ſit *nos*, ut hodie omnes interpretantur.

Oculos ſuos ponunt] Lxx. τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἔθεντο. i. *poſuerunt.* Sic etiam Hiero.

Poſuerunt oculos in terra ad declinandum] Sub. à via recta, vel, *ad extendendum*, ſub. rete ſuum. aut, *ut declinet* greſſus noſter. Sic ait אם הטה אשרי מני הדרך Job 31. 7. Vide.

Ad declinandum in terram] In hoc intenti ſunt, ut nos inclinatos in terram dejiciant. Quidam explicant; *oculos ſuos apponunt ad vias noſtras, quo nobis explicent & extendant rete ſuum ad capiendum nos.* Ita fere R. David. Aquilas olim vertit τοῦ ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ, Sym. vero ἐπιστηκλινῶν ἐν τῇ γῇ, apud Theodoretum: *ſtatuerunt oculos ſuos torquere in terram.* Videndum an in Græco ſit ἐπισκλινῶν. Hiero. *Oculos ſuos poſuerunt declinare in terram.* Quid ſi exponamus; *oculos ſuos poſuerunt in terra, ut extenderent eos*? ut reſpexerit ad morem eorum, qui ex inſidiis viatorem prætereuntem obſervant. Supra dixit; *In pauperem abſcondunt ſe*; nam oculos abſcondunt & in terram inclinant, ne priores conſpici poſſint. Qui hoc faciunt, vocantur à Latinis *inſeſſores viarum.* Vel, *Oculos ſuos poſuerunt in terra ad extendendum* rete ſuum: *Ut explicarent*, ſub. rete ſuum. Vult dicere: Quæſiverunt locum idoneum, in quo expanderent plagas ſuas & retia, quæ mihi tendunt.

12. *Similis plane eſt unusquiſque eorum leoni, qui deſiderat rapere: & juveni leoni ſedenti in latibulis.*

Similis plane eſt unuſquiſque ipſorum] Ad verbum, *Similitudo ejus*, i. cujuſque ipſorum, *quaſi leonis, qui rapere appetit*, ſive, prædæ avidi, aut rapiendi cupidi.

Qui deſiderat rapere] Relativum *qui*, cum deeſſet in fonte, nos adjecimus. כסף autem eſt *deſiderare, appetere.* unde pecunia כסף dicta, quod omnes eam deſiderent.

Juveni leoni] כפיר eſt *leo junior*, quem nonnulli *leunculum* vocant. qua forma diminutionis a *leno*, dicitur *lenunculus.* Sed *leunculus* non puto extare apud probatos auctores: ideo verti *juvenis leo.* Appellatio a *condendo*; nam ſe in latibulo condit, nec tam ſæpe foras prodit, ut leo adultior: ideo ſequitur *ſedens in latibulis.* Sic Amos. 3. 4. *Num edit junior leo vocem ſuam ex habitaculo ſuo?* Edit. Hiero. *Quaſi catuli leonis*; putavit *catulum* ſignificare, inductus forte à Lxx. in queis ὥσπερ σκύμνος. Idem in libro nomin. Ebr. *Chiphaphara, catulus ejus, aut, manus diſſipati. Quod autem diximus catulum leonis ſignificat, quem Græci ſcymnon vocant.* ita legi non, ut in vulgatis *Dimeon.*

Sedentis] i. manentis vel habitantis.

In latibulis] Quæ plura uno habent leones. Aut, *in latibulis*, dixit pro, *in uno aliquo latibulo.* Talia ſunt, *Pullus aſinarum*; *ſepultus eſt in urbibus Juda*; & quæ alia nobis obſervata. Conſule libellos meos.

13. *Surge DOMINE, præveni faciem ejus, incurva eum: eripe animam meam ab improbo, gladio tuo.*

Præveni faciem ejus] Ita Hiero. id Græcè protulerunt A. & Symm. πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Nam prius erat in Lxx. πρόφθασον αὐτούς: ad ſententiam non male. Quum in eo ſit hoſtis meus, inquit, ut meritu leonum diſcerpat ac diripiat, anteverte & incurva eum, ſic ut non poſſit mihi nocere, etiamſi maxime velit.

Præveni] Anteverte, præoccupa. præverte, anticipa.

Faciem ejus] i. Ipſum, aut, iram ejus. Sic, *facies non erat ei amplius* i. ira. Et alibi; *facies DOMINI diviſit eos.*

Incurva eum] Antiquitus erat ὑποσκέλισον αὐτούς. Sed Aquila repoſuit, καὶ κάμψον αὐτόν: & poſt Symm. καὶ ἔκλασον αὐτόν. Utrumque ſonat: *& incurva eum.*

Incurva] Subige, doma, proſterne, percelle.

Eripe.] פלטה, *eripe.* Santes, *erue* חלצה. Hiero. *ſalva.* הושיעה. Lxx. ῥῦσαι.

Animam meam] Me, aut vitam meam.

Ab improbo, gladio tuo] vel *ab improbo, qui eſt gladius tuus*; quo tanquam gladio uteris. Vel *Eripe animam meam gladio tuo.* i. בחרבך. Hoc Symm. in animo habuit, cum verteret, *in gladio tuo.* Illud Hiero. interpretatus eſt, *ab impio, qui eſt gladius tuus.* Sic etiam enarrant hunc locum Scholia Ebraica. Ut hic *gladius Dei*; Sic *virga Dei* Jeſ. 10 5. *Aſſur virga furoris mei, baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.* Forte *gladii* vocabulo notare voluit & morum aſperitatem. Certe Plutarchus auctor, *Ochum* Perſarum regem crudeliſſimum *gladium* vocatum. *Non ſane*, inquit, *ut ſubſtantiam ejus ita exprimerent, ſed morum aſperitatem ac malitiam, inſtrumento cædibus parato, adſimilantes.*

14. *A mortalibus manu tua, a mortalibus è mundo, pars eorum in hac vita; theſauro tuo imples ventrem eorum. Saturantur filii, & relinquunt reſiduum ſuum parvulis eorum.*

A mortalibus manu tua] Senſus eſt, a mortalibus qui ſunt manus tua i. plaga tua. intelligit autem improbos, qui ſunt velut inſtrumenta Dei, quibus utitur vel ad probandum, quos charos habet; vel ad puniendum, quos odit ob morum nequitiam. Sæpe enim improbum unum per alium punit. מתים ſunt *mortales*, quod nomen licet omnibus animantibus commune ſit, utriuſque linguæ uſus ad homines tantum ſignificandos adſtrinxit. Ebræi inſuper reſtringunt ad viros; & ad paucum numerum. Illud ſecutus eſt Hieronymus qui vertit: *a viris manus tuæ.* Hoc Græcus ille, qui edidit, ἀπὸ ὀλίγων, *à paucis.* Vide ſequentia.

A mortalibus è mundo pars eorum in hac vita] Lxx. ἀπὸ ὀλίγων ἀπὸ γῆς διαμέρισον αὐτοὺς ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν. Sic Edit. Rom. in aliis eſt, ἀπ᾽ ὀλίγων. & in utroque Pſalterio, Gallico videlicet & Romano, *à paucis de terra.* Suidas, ἀπολλύων τῷ θανάτῳ ἁμαρτήματα. Δαυὶδ Κύριε ἀπολλύων ἀπὸ γῆς, ἄλλος δὲ ἑρμηνευτὴς, ἀπὸ ὀλίγων, φησί. Hinc diſcimus, veram lectionem eſſe ἀπολλύων. Hoc primum. Deinde, ἀπὸ ὀλίγων, quod in libris ferme omnibus, ſumptum eſſe ex alia quapiam editione. Si opinari licet, puto Theodotionis fuiſſe. Nam Aquila vertit, Κύριε ἀπὸ τεθνηκότων ἐκ καταδύσεως, μέρος αὐτῶν ἐν ζωῇ. *DOMINE a mortuis ex immerſione, pars eorum in vita.* Et Symm. Κύριε ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἀποδεδυκότων ἡ μερὶς ἐν ζωῇ. *DOMINE, à mortuis, qui profundum ſubierunt, pars in vita.* Hiero. *Qui mortui ſunt in profundo, quorum pars in vita.* Quod verbum ἀπολλύων attinet, capiendum ut in illo: *Nunc dimitte ſervum tuum.* Nam in Græco ἀπολύεις. Ebræi uſurpant נפטר hoc ſignificatu.

A mortalibus è mundo] i. Mundanis, ſive, qui mundi deliciis toti addicti ſunt. Hæc interpretatio hauſta eſt ex ſcholiis Ebræorum, ubi חלד exponitur per עולם, quæ vox & *mundum* ſignificat, & *ſeculum*; ut poſſis reddere; *à mortalibus à ſeculo.* Sed eſt, cur malim, *è terra* i. ἀπὸ γῆς; quod Lxx. ediderunt. Thargum quoque habet בארעא, & legimus in Medras hujus libri; אין חלד אלא ארץ, *nihil aliud eſt* חלד *quam terra.*

terra. Quam ſententiam confirmat autor libri Avoth, חלד inter ſeptem nomina terræ numerando. Dicit autem, *mortales è terra*, ut ſupra אנוש מן הארץ *homo è terra* i. terreus vel terrenus. Ceterum Hiero. videtur mihi reſpexiſſe ad Aquilæ interpretamentum, ἐν καταδύσεως, cum verteret, *in profundo.* Nam καταδύνω ſive καταδύω, *ingredior in profundum.*

Pars eorum in hac vita] Quorum pars & hæreditas in hac vita, non in altera, ubi piorum pars eſt. Lxx. διαμέρισον αὐτούς. legerunt חַלְּקֵם. aliis punctis.

Theſauro tuo] Bonis è cella tua depromptis. Symm. hoc dixit, ἀποθέτων σου, *repoſitis tuis.* Lxx. τῶν κεκρυμμένων σου. Hiero. *De abſconditis tuis.* צפן proprie *quod in cella conditum ſervatur.* Nam צפן *recondere* potius, quam *abſcondere.*

Saturantur filii &c.] Symm. χορτασθήσονται υἱοὶ καὶ ἀφήσουσι τὰ λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν. Hiero. *Saturabuntur filiis* (*filii* ἴσως) *& dimittent reliquias ſuas parvulis eorum. Saturantur filiis*, id eſt, filios ad ſatietatem procreant, in quo conſiſtit ex parte benedictio temporalis.

Filii] Ex Græco vertendum *Filiis*, id eſt, υἱῶν, quod in pleriſque codicibus, ut etiam apud Suidam legitur ὑείων, i. *porcinis* ſive *ſuillis*, ſc. carnibus. Quam lectionem ſequendo Apollinarius in metaphraſi ſua poſuit πλησθέντες σιάλων λίπον ὑείοισι λείψανα δαιτός. Vide quid ſit, *è lacunis potare.*

Reſiduum ſuum parvulis eorum] vel, *reſiduum eorum parvulis ſuis.* i nepotibus. לעולליהם, Symm. cum Lxx. vertit τοῖς νηπίοις αὐτῶν, i. *infantibus ſuis.* Hoc modo ipſi reddidimus Pſal. 8. in illo, *ex ore infantium.* Ubi & Lxx. τῶν νηπίων.

Reſiduum ſuum] vel, *Reliquias ſuas.* Quidam, *excellentiam ſuam.*

15\. *Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor, cum evigilavero, ſimilitudine tua.*

In juſtitia] Juſtitiam & virtutem colens. aut; quia juſtam cauſam habeo.

Videbo faciem tuam] Fruar gratia & benevolentia tua. Conſimilis locus Pſ. 4. 7. *Multi dicunt; quis faciet, ut videamus bonum? attolle ſuper nos lumen vultus tui DOMINE.* Nam ex hoc quaſi fonte omnis manat felicitas; de vera felicitate loquor, non illa falſa & umbratica, qua impii in hoc mundo fruuntur. Hic notabis, *faciem Dei* accipi, pro favore numinis. Sic accipiunt Pſ. 42. 7. *Salutes faciei ejus.* Nam ſalutes ſunt effecta favoris ejus. Similiter in Pſalmo, qui hunc antecedit, *ſatias lætitiarum cum vultu tuo*: Poſſet exponi; in gratia & benevolentia tua. Interdum *facies Dei* vocatur Arca fœderis. ut ibi; *Quærite faciem ejus ſemper.* & in Exodo, *Non comparebis coram facie mea vacuus.* Id Auguſtinus enarrat, *in tabernaculo meo:* Nec male, mea ſententia: nam Arca erat in tabernaculo. Forte ſenſus eſt de futuro, ut hoc membrum cum ſequenti cohæreat. Ubi evigilavero, inquit, fruar conſpectu vultus tui, in quo ſumma hominis beatitudo conſiſtit. tunc enim, ut Apoſtolus teſtis eſt, videbimus Deum facie ad faciem, quem nunc duntaxat videmus in ænigmate, & quaſi per nebulam.

Satiabor cum evigilavero ſimilitudine tua] Lxx. χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δόξαν σου. *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Aquila..... ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοιώσεώς σου: .... *cum experrectus fuero, ſimilitudine tua.* Symm..... ἐξυπνισθεὶς τῆς ὁμοιώσεώς σου: ..... *expergefactus ſimilitudine tua.* Theod...... ἐν τῷ ὀφθῆναι γὰρ τὴν δεξιάν σου: ..... *enim, ubi conſpicua erit dextera tua.* i. ימינך. Hiero. *Implebor, cum evigilavero, ſimilitudine tua.*

Satiabor] Referendum ad illud, *Satiantur filii.* q. d. Illi bonis caducis ac temporariis; ego duraturis atque adeo æternis ſatiabor.

Quum evigilavero] Cum experrectus fuero è ſomno ſeculi ſive mortis, cum reſurrexero. Ut mortem *dormiendi* verbo, ita reſurrectionem ſignificant verba *evigilandi* aut *expergiſcendi.*

Similitudine tua] Valet interpretatione Chaldaica, *Gloria vultus tui.* Quæ interpretatio pro iis facit, qui arbitrantur, ſignificari *gloriam vitæ æternæ*, qua fruentur pii in altero ſeculo, quando Dei ſimilitudo, ad quam creati ſunt, in Adamo deformata, priſtino nitori reſtituetur. vel *ſimilitudine tua*, ut Num. 12. *Similitudinem Dei videbit*; quo in loco intelligunt id, quod de Deo mente complectimur, & oculis quaſi animi cernimus. Ad quem ſenſum capiendum Johan. 5. 37. *Neque ſpeciem ejus vidiſtis.* Ubi per *ſpeciem ejus* deſignat, non corporalem aliquam formam, ſed veram ac germanam Dei cognitionem. Moſes Ægyptius in libro Perplexorum: *Similitudo Dei tribus modis dicitur. Uno modo dicitur de veritate rei quæ comprehenditur intellectu; & ſecundum hunc modum dicitur de creatore: ſimilitudinem Dei vidit i. veritatem Dei apprehendit.* Hactenus ille. Sunt, qui conſtruant; *cum evigilavero in ſimilitudine tui* i. tui ſimilis. Nam in reſurrectione tales erimus, quales fuimus ante lapſum, nempe Deo ſimiles; quæ ſimilitudo potiſſimum conſiſtit in ſanctimonia vitæ. Chryſ. Hom. 9. in cap. 1. Geneſeως ad locum, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ad ſimilitudinem noſtram.* Hoc declarat per hæc verba: *Sicut imaginem dixit ob principatus rationem, ita & ſimilitudinem, ut pro viribus humanis ſimiles fiamus Deo: manſuetudine, inquam, & lenitate, & virtutibus Deo ſimiles efficiamur.*

PSAL. XVIII.

1\. *MAgiſtro cantorum, ſervi DOMINI, Davidis, qui locutus eſt DOMINO verba cantici hujus, in die qua liberavit eum DOMINUS de manu omnium hoſtium ejus & de manu Saulis.*

Servi DOMINI Davidis] Græce elegantius, τῷ παιδὶ κυρίου τῷ Δαυίδ, niſi mavelis, τῷ δούλῳ κυρίου. Sic alibi τῷ υἱῷ μου τῷ Ἰσαάκ.

Servi DOMINI] Cultoris DOMINI. Nam *ſervire* interdum eſt *colere*, ut ſupra 2. 11. *Servite DOMINO cum timore.* Scholia Ebraica: *Qui à ſolo Deo pendet, vocatur ſervus DOMINI.* Aut, ſe ita vocat ratione officii, ut vel hinc diſcant reges, ſe ita imperare aliis, ut tamen Deo ſerviant: cui ſervire, ut ille ait, vere imperare eſt.

Davidis] ſub. Pſalmus.

Locutus eſt] Cecinit. Judicum 5. *Loquere canticum.*

Verba cantici hujus] Canticum iſtud. *Verba cantici*, ut *verba fraudum; verba iniquitatum.* Sic *verba convicii*, Sirach. 23. 18. Vid. Obſervat. meas lib. 8. c. 22.

In die qua] Quo tempore.

Hoſtium ejus & Saulis] Generi ſpeciem ſubjicit. Quod uſitatum in his litteris. Exemplis id clarum faciam. 3 Reg. 11. 1. *Amabat fœminas alienigenas & filiam Pharaonis.* 2 Reg. 2. 30. *Deſiderabantur è ſervis Davidis novendecim viri & Aſael.* In Evangelio, *Dicite diſcipulis & Petro.* Ibid. *Tota Judæa & Jeruſalem.* Sic, *Videte terram & Jericho.* In quibus toti ſubjicitur pars. Fit hoc non promiſcue, ſed in parte aut ſpecie ſingulari & eximia. Sane quidem Saul inter hoſtes Davidis facile princeps erat.

2\. *Et dixit; intime diligam te, DOMINE, fortitudo mea.*

Intime diligam te] vel *Ex intimis viſceribus diligam te.* Plus eſt quam *diligam te.* Nam declarat amorem quo ſolent matres complecti ſua viſcera i. ſuos natos. Sane רחמים vetuſta declaratione, *viſcera* i. σπλάγχνα. Prov. 12. 10. Hinc Luc. 1. 78. σπλάγχνα ἐλέους, quod Ebraice reddes, רחמי חסד, *intima & ipſis viſceribus inhærens miſericordia.* Qui vertunt, *diligam te*, ut Hieron. & ἀγαπήσω σε, ut Lxx. reſpexerunt ad linguam Chaldaicam, in qua hujus verbi uſus pro Ebraico אהב, *amo, diligo.* Quod notatum tum ab aliis, tum à Camio Ebræo in comm. ad hunc locum, qui etiam ſcribit: *amorem Dei omnium eorum, quæ homo in hac vita præſtare poteſt, ultimum ac poſtremum eſſe. Quo duce*, inquit ille, *ad Deum appropinquat. Hujus quaſi anteambulo timor eſt. Qui autem in timore ſe aliquatenus exercuit, inde pervenit ad amorem. Amor facit ut creatorem ſuum colat, vel ſine ſpe præmii.*

Fortitudo mea] Sic Virgilius. *Nate mea vires, mea magna potentia ſolus.* Hic eſt, חֵזֶק ab inuſitato חֵזֶק, quod nunc חֹזֶק dicimus.

3\. *DOMINUS rupes mea & propugnaculum meum, liberator meus, Deus meus, Petra mea, in quo ſpero, clypeus meus & cornu ſalutis meæ, arx mea ſublimis.*

Rupes mea] *Rupes* eſt ſaxum editum & inacceſſum. Ad hujuſmodi ſaxa confugere ſolent homines belli tempore, quoties hoſtis regionem eorum invaſerit: nam tutum ſic ſatis perfugium iis præſtant. Ergo *rupes mea* i. refugium meum. q. d. Non aliud refugium habeo. Sic Pſ. 31. 4. *Rupes mea & propugnaculum meum tu es.* Rurſum Pſ. 42. 10. *Quæ dicit Deo, o rupes mea;* & 40. 3. *Qui ſtatuit ſuper rupem pedes meos.*

Propugnaculum meum] Qui pro ſalute mea propugnas. Alii, *arx mea:* alii, *munitio mea.* Tralatio à locis arte vel natura munitis, qui hominibus propugnaculo ſunt. Uſurpat hanc metaphoram David & Pſ. 31. 4. ut vidimus. item 31. 3. & 71. 3. & 91. 2. & 144. 2.

Li-

Liberator meus] ῥύςης μȣ, *ereptor meus.* Hieron. *Salvator meus,* מוֹשִׁיעִי. Non contentus dixiſſe *rupes mea & propugnaculum meum*, adjecit *ereptor meus*; quia rupes & propugnacula non ſemper homines eripiunt ex periculo.

Deus meus] אֵלִי, *fortis meus*, aut *fortitudo mea.* nam אֵל κατ' ἀνεξοχὴν ſignificat, ἰσχὺν καὶ δύναμιν, ut annotat Euſebius Pamphyli.

Petra mea, in qua ſpero] Deus, in quo ſpem ſalutis meæ pono. Æmulatus eſt, ut videtur, locum Moſis Deut. 32. 37. *Ubi Deus ipſorum, petra in qua ſperaverunt?*

Petra mea] Ut *rupes mea.* Alibi eſt, *petra ſalutis meæ.* Seniores explicant, βοηθός μȣ, *adjutor meus.* Hieron. *fortis meus.* Sic vertit Pſal. 28. 1. Ubi Lxx. ὁ θεός μȣ, *Deus meus.* nam צוּר inter epitheta Dei. Ergo ubi legimus Deut. 32. 31. *Non ſicut petra noſtra, petra eorum eſt*, non male redditur ab aliis, *Non ſicut Deus noſter, Deus eorum eſt.* Moſes Ægyptius ait; Deum Petram dici, quia eſt principium & cauſa rerum omnium. Petra enim, inquit, ſignificat originem rei, ut ibi; *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis.* Tribuitur idem nomen Chriſto. Cauſam reddit Auguſtinus hujuſmodi: *Chriſtus petra dicitur; quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præſtat.* Scribit hoc Sermone cxc. de tempore. Sed hæc aliena ſunt. Nam non vocatur hic *petra* ſimpliciter, ſed *petra mea:* quod tranſtulit à petris, quæ in Judæa plurimæ erant, ad quas confugiebant ingruente hoſte, ut ibi tuti eſſent, & extra periculum. Quo alluſit & Pſal. 27. 5. cum ait: *in petram extollit me.*

Clypeus meus] Protector meus.

Cornu ſalutis meæ] κέρας σωτηρίας μȣ. Idem cum illo; *robur ſalutis meæ.* Ita vocat Deum, quia ejus potenti auxilio ſalutem obtinuerat. Notum, ut animalium quorundam robur in cornibus ſit. inde metaphora.

Arx mea ſublimis] מִשְׂגַּבִּי, vel ſimpliciter *arx mea:* nam *arx*, auctore Pediano, eſt *editus in civitate & munitior ad ſalutem civium locus.* Idem nomen ſupra. *DOMINUS arx eſt tenui, arx temporibus adverſis.* Appellatio ὑψηλὸν τὸ שגב, unde & נִשְׂגָּב apud Salomonem, ubi ait; *Arx valida eſt nomen DOMINI, eo currit juſtus & exaltatur.*

4. *Laudatum invocabo DOMINUM, & ab hoſtibus meis ſervabor.*

Laudatum] Laudabilem, ſive, laude dignum. Talia ſunt נבזה, *contemptibilis*, κατάγνωςος, *condemnabilis*, &c.

Servabor] Salvus ero, vel, ſi placet, *ſalvabor.* Quo verbo uſus eſt præter Ciceronem, Fabius Quintilianus; uſurpat idem interpres Aſclepii, ſive Apulejus is fuerit, quod non puto: ſive alius, quod magis credo. Pro *laudatum*, Græci ediderunt αἰνῶν, i. מְהַלֵּל. Litteræ non variant, ſed puncta tantum, quæ olim aberant in libris Ebræorum.

5. *Circumdederant me dolores mortis, & torrentes hominum nequam perterruerant me.*

Dolores mortis] ὠδῖνες θανάτȣ. ita Lxx. Hieron. maluit, *funes mortis*; id quod vox חֶבְלִים etiam ſignificat: ſed in regimine diſtinguunt, ut חֶבְלֵי ſint *dolores*, & חַבְלֵי *funes.* Sic fere Ebræi. Multi tamen hodie interpretes, *funes* reddunt hoc loco, quod non puto penitus rejiciendum eſſe. Nam *funem* Ebræi ponunt pro *cohorte:* *mortem* autem vocant *mortis pericula:* ut exponi poſſet: *Pericula mortis turmatim circumdederant me.* Dicam eadem apertius. חֶבֶל ϛοῖχος i. *cohors* vel *caterva*, ſive *turma.* חבלי מות, *turmæ mortis*; i. periculorum aut calamitatum. Proprie מות, *pericula mortis.*

Torrentes hominum nequam] נחלי בליעל i. interprete Hieronymo, *torrentes Diaboli.* Nam *Belial*, ſive, ut eſt apud Apoſtolum, *Beliar*, Diabolus. Hoc in Novo Fœdere. An etiam in Veteri? Non opinor. Quamobrem elegi, *hominum nequam:* niſi mavelis *hominis nequam*, ut de uno aliquo ſingulari loquatur ex hoſtibus Davidis. Nam בליעל, *nequam*, ſive *exlex & abſque jugo*, aut ἄχρηςος, *qui nec ſibi nec aliis utilis eſt.* Lxx. χείμαῤῥοι ἀνομίας *torrentes iniquitatis.* Si modo ἀνομία eſt *iniquitas*; nam ubi ſine lege vivitur, tum potius ἀνομία dicitur. Significat autem vim ac multitudinem iniquitatum, eſtque proverbiale, ut, *mundus iniquitatis: mare malorum*, & alia ejus generis.

Torrentes] Vexationes aut impetus; nam torrentes cum impetu decurrunt. Unde *torrentium in morem*, pro citate ac rapide. Sic dico: *Torrentes* appellat mala, quæ inſtar torrentium ingruunt. Cui cognatum, cum *aquarum* nomine ſignificant res adverſas.

6. *Dolores inferni circumdederant me, prævenerant me laquei mortis.*

Dolores inferni] ὠδῖνες ᾅδȣ. Idem cum illo *dolores mortis.* Nam *mors* quandoque per *infernum* ſignificatur. Si legas *dolores ſepulchri*, eadem ſententia erit. Sunt, qui referant, *funes ſepulchri.* In libro Samuelis, ubi hæc eadem verba occurrunt, Jonathan interpretatur, *caterva improborum.*

Prævenerant me] Si verum, quod vulgo dicitur, *jacula prævisa minus feriunt:* verum quoque erit ejus contrarium, *jacula improviſa magis feriunt.*

Laquei mortis] i. Inſidiæ periculoſiſſimæ. *Laquei mortis* vocantur aliquando peccata ipſa; ut intelligi poſſint, homines ſcelerati ac nefarii, vid. res pro hominibus.

7. *In anguſtia mea invoco DOMINUM, & ad Deum meum clamo: qui exaudit è palatio ſuo vocem meam, & clamor meus coram ipſo venit in aures ejus.*

In anguſtia mea] בצר לי *In anguſtia mihi*, ſive, *quæ mihi erit* i. mea. vult dicere: quum me prement adverſa, non reſpiciam alium, quam ad DOMINUM Deum meum.

Invoco] Invocare ſoleo.

Deum meum] Vindicem meum.

E palatio ſuo] vel *E templo ſuo.* Senſus eſt, è cœlo. Lxx. ἐκ ναȣ̃ ἁγίȣ αὐτȣ̃. & Hieron. *De templo ſancto ſuo*, מהיכל קדשו.

Vocem meam] Vocem precum mearum. In hoc verſu reddendo, quidam utuntur verbis præt. temporis, *invocavi, clamavi, exaudivit, & venit.*

8. *Concuſſa eſt & contremuit terra, & fundamenta montium commota & concuſſa ſunt, quoniam excandeſcentia fuit ei.*

Concuſſa eſt & contremuit terra] A. *Mota & concuſſa eſt terra.* Hieron. *commota eſt & contremuit.* Lxx. ἐσαλεύθη καὶ ἔντρομος ἐγενήθη. Ab hoc verſu uſque ad decimum ſextum David interpres Ebræus putat ſignificari *cladem hoſtium Davidis*, quam Poetice & Metaphoricῶς indicat nominibus *terræ motus, fumi, prunarum, ignis, caliginis, tenebrarum, tonitru, fulgurum.*

Concuſſa eſt] ותגעש, *& concuſſa eſt.* Copulam omiſi, quod minime neceſſaria videretur; cum in Ebræo fut. in præt. ex uſu linguæ convertat.

Fundamenta montium commota ſunt] Montes à fundamentis commoti ſunt; quod accidit in magno terræ motu. Quandoque etiam montes ex uno loco in alium transferuntur. 2 Sam. 22. *Fundamenta cœlorum.*

Excandeſcentia fuit ei] חָרָה *excandeſcentia*, ut כָּלָה *conſummatio.* Hæc forma nominis coincidit cum tertiis vocibus præteriti. Aut חרה *excanduit* ſive *exarſit*, & ſubauditur, æſtu vel ira. Hieron. *Quoniam iratus eſt.* Poſſet legi: *Concutitur & contremiſcit &c. quando excandeſcentia eſt ei.*

9. *Aſcendit fumus per narem ejus, & ignis ex ore ejus devorat, prunæ accenſæ ſunt ab eo.*

Aſcendit fumus per narem ejus] Signum hominis vehementer irati. Unde, *fumat naris tua* Pſ. 74. 1. & abſolute, *Fumare* pro iraſci. Pſ. 80. 5. *Fumum* autem dicit ſpiritum qui è naribus exhalat. Sunt, qui denotari putant vapores ac nebulas denſiores, quæ cum flatu exſurgunt, & cœlum obnubilant, tenebraſque ac caliginem inducunt.

Per narem ejus] vel *E nare ejus.* Sic *Beth* redditur in illo; *Diliges DOMINUM Deum tuum ex toto corde tuo:* nam in fonte, בכל לבך. Vetus interpretatio Græca, ἐν ὀργῇ αὐτȣ̃, & recentior Pagnini, *in ira ejus.* Pro quo Hieron. maluit, *in furore ejus.* Sic vertunt Pſal. 74. *fumat ira tua:* nam iræ concitatioris comes eſt fumus, quem homo è naribus efflat. Sententia in idem recidit.

Ignis ex ore ejus devorat] vel *Ignis ex ore ejus vorans.* Hoc Symm. tranſtulit, πῦρ ἐκ ϛόματος αὐτȣ̃ ἀναλίσκον, *Ignis ex ore ejus conſumens.* Illud A. ..... ἀπὸ ϛόματος αὐτȣ̃ φάγεται *ab ore ejus devorat.* vult dicere, ab ore ejus manans. Ad lucem hujus loci facit proverbium πῦρ πνεῖ, i. *ignem ſpirat*, quod uſurpatur de homine ſupra modum irato; nam ira calor quidam eſt, qui per ignem declaratur & per ſumum ignis. Huc pertinet; *ſpirantes naribus ignem*; quod habetur in ſecundo *Georgicorum.*

Prunæ accenſæ ſunt ab eo] Pro eo habendum, atque ſi diceret, *prunas efflat*, vel *ſpirat carbones ardentes.* Idem aliter. Sunt, qui *ab eo*, ad ignem referant: quod ſe mihi non admodum probat.

Prunæ accenſæ ſunt] Hieron. *carbones accenſi ſunt*: nam *pruna*, eſt carbo accenſus. Proprie tamen גַּחֶל eſt *pruna*; *carbo* autem פֶּחָם dicitur.

Accenſæ ſunt ab eo] vel, *Ardent ab eo.* Sic; *clibanus ardens à coquente* i. ſuccenſus à piſtore.

10. *Et inclinavit cœlum & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus.*

Inclinavit cælum] *Cælum inclinari* dicitur, quando aer, qui ſubter eſt, nubibus obductus ita deprimitur, ut capitibus noſtris imminere videatur: *cælum* enim & pro *aëre* ponunt. Lucret. lib. 4. *In hoc cælo, qui dicitur aër.* Auguſtin. *Cælum dicitur & iſte aër, ubi venti, & nubes, & procellæ, & turbines fiunt, ſicut etiam Scriptura dicit in multis locis; Et intonuit è cælo DOMINUS; & aves cæli, & volatilia cæli: cum manifeſtum ſit, aves in aere volare. Et nos in conſuetudine hunc aerem cælum appellamus; nam cum de ſereno vel nubilo quærimus, dicimus; Qualis eſt aër; & aliquando; quale eſt cælum?* Idem de Natura boni cap. 33. *Aer quandoque & cælum dicitur, non illud, in quo ſunt ſidera, ſed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant.* Hieron. Comm. in Jeſ. *Induitur cælum tenebris, vel ſacco, quando obtexitur nubibus.* Et mox: *Ajunt Philoſophi, non amplius decem ſtadiis à terra nubes in ſublime ſuſtolli; & ſolis ſplendorem abſcondere. Ergo non cælum ſacco obvolvitur; ſed intercluſo cæli lumine, aër, qui ſubter eſt, nubium tenebris obſcuratur.*

Inclinavit] Depreſſit, demiſit.

Et deſcendit] Una cum nubibus. Videtur etiam Deus deſcendere, cum humanos actus inſpicit, vel eorum ſenſibus appropinquat, ut Proſper Aquitanicus ait. Aut denique, quum vel bonos præmio, vel malos pœna ac ſupplicio afficit. Mos autem Dei, cum exerit hoc modo potentiam ſuam, ut nube tectus id faciat. Itaque legimus Exod. 34. 5. *Deſcendit in nube*: & alibi, *vectus nube levi.* Apud Græcos Poëtas καταιβάτης Ζεὺς, quod epitheton peculiariter Jovi tribuitur: item fulmini. In proſa oratione καταβάτης i. *deſcenſor.*

Caligo ſub pedibus ejus] Nubes enim ſolem obſcurant & caliginem inducunt. Simul per caliginem ſignificant Ebræi res adverſas. unde *calamitoſis occidere ſol* dicitur, & *in tenebris verſari*, qui in anguſtia eſt.

11. *Et equitavit ſuper Cherub & volavit: volavit, inquam, ſuper alas venti.*

Equitavit ſuper Cherub] i. Velociſſime, ut volaſſe ipſum dicas non equitaſſe. Sumptum à Cherubinis, quibus alas adfingunt, ac ſi volucres eſſent. Aliter Theodor. ad Geneſ. Quæſt. 40. Χερουβὶμ, inquit, καλεῖ πᾶν τὸ δυνατόν. οὕτως λέγει, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ, ἀντὶ τοῦ, ὁ δυνατῶς βασιλεύων: καὶ ἐπέβη ἐπὶ χερουβὶμ καὶ ἐπετάσθη, ἀντὶ τοῦ, μετὰ πολλῆς περιεφάνη τῆς δυνάμεως. Non recedo à priore ſententia.

Super Cherub] Ita Hiero. Sed Græci ἐπὶ χερουβίμ. עַל כְּרֻבִים. Quam vocem ſic reſolvunt, כרביא, *tanquam pueri.* nam forma humana erant, & pueros magis referebant, quam viros, quanquam Joſephus hoc inficiari videtur; negat enim habuiſſe imaginem rei ullius ab hominibus conſpectæ. Verba ejus ſunt Orig. lib. 3. cap. 6. τῷ δὲ ἐπιθέματι κιβωτοῦ ἦσαν προσγλυπτοὶ δύο, Χερουβεῖς μὲν αὐτοὺς Ἑβραῖοι καλοῦσιν: ζῶα δ᾽ ἐστὶ πετεινά, μορφὴν δ᾽ οὐδενὶ τῶν ὑπ᾽ ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. Μωυσῆς δέ φησιν, τῷ θρόνῳ τοῦ θεοῦ προσγλυπτοὺς ἑωρακέναι. Hactenus ille.

Volavit inquam] וידא & *volavit.* In Samuele legitur וירא, & *conſpicuus fuit.* Sic Pſ. 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim, appare.*

Super alas venti] *Alis venti* celeritatem indicat: ut, *alis Aquilonis.* Similiter, *à vento vinciri* dixit propheta Hoſeas, ut ſignificaret celerem abductionem: aut, *volavit alis venti*, quæ à vento juvabantur. Vide Proverbia mea. Edit. Hieron. *ſuper pennas venti.*

12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ſuo umbraculum ſuum: tenebroſas aquas, nubes cælorum.*

Poſuit tenebras latibulum ſuum] Nam ſe tegit nubibus, quæ tenebras inducunt. Alii per *tenebras* ſignificari putant, occulta judicia Dei. Sic dicimus, principum libros obſcuros eſſe, propterea quod conſilia ipſorum tecta ſint & paucis cognita. Deus legem dedit in caligine, quo ſignificaret, obſcuritatem judiciorum ſuorum. Nam ut Salomo ait: *Gloria Dei celare verbum.* Sane quidem ignoratio religioni auctoritatem conciliat.

In circuitu ſuo] Circum ſe. Ad verbum; *In circuitibus ſuis.* Poteſt etiam legi: *In circuitu ejus umbraculum ejus*: & mox, *tenebroſitas aquarum, nubes cælorum.*

Umbraculum ſuum] Repete *poſuit* ex præcedentibus. Mox ſe explicat, cum ait, *tenebroſas aquas* &c.

Tenebroſas aquas] חשכת מים, *tenebroſitatem aquarum.* In Samuele eſt חשרת מים, *colligationem aquarum.* Idem aliter. Nam colligatæ aquæ etiam obſcuræ ſunt & tenebricoſæ.

Nubes cælorum] i. Aeris, vel, ut Lxx. habent, ἀέρων. Sic *aëres* plurali numero dixit Vitruvius. Quidam, *nubes atheris*, ferri poteſt; nam *ather* pro *aëre* ponitur. Sunt, qui שחקים, *nubes* dici exiſtimant ἐκ παραλλήλων; ut *lutum cæni, terra pulveris, fructus proventus.* Sane Pſal. 36. 6. עד שחקים, Hieron. *Uſque ad nubes.* Sic etiam Lxx. Eſt tamen diſcrimen aliquod: nam עבים, proprie *nubes denſiores*, aut *nubes nubium*, i. nubes denſæ. Sic *nubes teſtium* i. multitudo.

13. *Præ fulgore coram eo nubes ejus tranſierunt, grando & prunæ ignis.*

Præ fulgore coram eo] Qui eſt coram eo. נֹגַהּ *ſplendor, fulgor*, τηλαύγησις. intelligit autem, *ſplendorem fulguris*, quo emicante obſcuritas nubium diſcutitur, & ſimul grando decidit cum fulmine.

Nubes ejus] Quæ ipſum tegebant. Aut, *Nubes aëris.* Sic dicimus, *ſub Jove frigido*: per *Jovem* ipſum aerem intelligentes.

Tranſierunt] Huc facit Plinii locus. Libr. 2. cap. 43. *Si in nube luctetur flatus, aut vapor, tonitrua edi: ſi erumpat ardens, fulmina: ſi longiore tractu nitatur, fulgetra, his findi nubem, illis perrumpi.*

Prunæ ignis] i. fulminis. Eſt autem fulmen expreſſus è nubium conflictu ignis: cujus quaſi particulæ carbones aut prunæ appellantur. In Samuele eſt, *præ fulgore, qui ante eum, incenſæ ſunt prunæ ignis.*

14. *Et intonuit in cælo DOMINUS, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grandinem & prunas ignis.*

In cælo] In aëre.

Altiſſimus] Excelſus, ſupremus.

Dedit vocem ſuam] Idem aliis verbis. nam *edere vocem ſuam* dicitur Deus, cum tonat. *Vox* enim *Dei* eſt tonitru.

Grandinem & prunas ignis] χάλαζαν καὶ ἄνθρακας πυρὸς i. *grandinem & carbones ignis.* Vide Annot.

15. *Et emiſit ſagittas ſuas, & diſperſit eos: & fulgura jaculatus eſt, & contrivit eos.*

Sagittas ſuas] Fulgetra, aut fulmina ſua. Sic Poëtæ fulmen, Διὸς βέλος, i. *Jovis telum*, aut *ſagittam* appellant. Hab. 3. 11. *Ad lucem ſagittarum tuarum.* Paulo poſt: *ad ſplendorem fulgurantis haſtæ.* Idem aliis verbis.

Eos] Hoſtes meos videlicet.

Fulgura] aut, *Fulmina.*

Jaculatus eſt] רב *jaculatus eſt.* i. ירה. Sic explicant Scholia Ebraica. Olim erat, *multiplicavit.* Quid ſi *multa jecit*? nam in רבב ſignificatio copiæ & multitudinis.

Contrivit eos] וַיְהֻמֵּם fut. eſt ab המם. non ab הום quod exiſtimaſſe videntur, qui verterunt: *& conturbavit eos.* In queis Lxx. & Hiero. Forte hæc duo verba unum & idem ſignificant.

16. *Et apparuerunt alvei aquarum, & retecta ſunt fundamenta orbis: increpatione tua, flatu ſpiritus naris tuæ.*

Apparuerunt] ὤφθησαν, *conſpecti fuerunt.*

Alvei aquarum] Valles aquam continentes, aut, alvei fluminum. Apparent autem poſt exſiccatam aquam. Quod præter alia ventus interdum efficit.

Retecta] Siccata.

Fundamenta] Imi alvei.

Orbis] τῆς οἰκουμένης.

Increpatione tua] Intelligentiam habet ex illo: *increpavit mare Suph, & exaruit.* Quod invenies in Pſal. 78. niſi fallor.

Flatu ſpiritus] נשמת verti *flatum.* Auctore Hieron. id feci. Nam in comm. Jeſ. 58. *Naſamoth*, inquit, *flatus* ſonat. In Græcis eſt πνοὴ, & alibi ἀναπνοὴ, & hic ἐμπνεύσεως, ut apud Hiero. *inſpiratio.* Parum aut nihil differt à רוח *ſpiritu.* Ut hæc dici videantur ἐκ παραλλήλων. Qualia ſunt *terra pulveris.* &c. Proprie נשמה, *anima ratione prædita.* Exponitur etiam per *halitum*, quo ſignificatu Plautus dixit: *Nequid animæ forte amittat dormiens* i. halitus, venti.

Spiritus naris tuæ] Quem è naribus efflas. humanitus hoc dictum. nam certe Deus non habet nares. Quidam innui putant *iram*, cujus inſtrumentum eſt *naſus.* Qui Lxx. & Hiero. referunt: *ſpiritus iræ tuæ.* nam אף etiam *ira.* Intelligit autem ventum vehementiorem, & à Deo irato excitatum.

17. *Mittit ex alto, aſſumit me: extrahit me ex aquis multis.*

Mittit, aſſumit, extrahit.] In Ebræo eſt ad verbum: *mittet, aſſumet, extrahet.* Quæ futura nonnulli in præterita mutant. ut Hiero. & Lxx.

Mittit] Angelum ſuum. Sic ait: *præcepit angelis ſuis de*

te

te, ne offendat ad lapidem pes tuus. Alii, *mittit manum ſuam:* quod minus arridet : nam dixiſſet potius *extendit*, ſi hoc voluiſſet. *Mittere manum* alio ſenſu dicitur, ut in Abdia: *Non debuiſſes immittere manum tuam in facultates ejus.*

Ex alto] E cœlo, cœlitus.

Aſſumit me] Mittit, qui ſuſcipiat & manu prehenſum extrahat.

Ex aquis multis] E calamitatibus & periculis multis. *Aquarum* vocabulo ſignificari *pericula* & *res adverſas*, ita notum eſt, ut exemplis probare nihil ſit opus. Editio Chaldaica, *de populis multis* : nam per *aquas* etiam *populos* ſignificant. Apoc. 17. *Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt & gentes.* Prior expoſitio verior.

18. *Liberat me ab hoſte meo valido, ab oſoribus meis, quoniam robuſtiores me ſunt.*

Ab hoſte meo valido] vel, *potentiſſimo.* Saulem ſignificat, ut cauſa non ſit mutandi numerum, quod fecit Hiero.

Ab oſoribus meis] משנאי. Alii, *ab inimicis meis.* מֵאֹיְבַי.

Quoniam robuſtiores me ſunt] Ita Hiero. Sic etiam Lxx. Alii, *Quum robuſtiores me ſint.* Alii, *Quamvis robuſtiores me ſint.* Poſſet etiam legi, *qui robuſtiores me ſunt*, ut כי pro אשר accipiatur.

19. *Prævenerant me in die calamitatis meæ : tum fuit DOMINUS pro ſcipione mihi.*

Prævenerant me] Hujuſmodi mala, quia improviſa ſunt, magis nocere ſolent.

In die calamitatis meæ] Tempore meo calamitoſo. Symm. τῇ ἡμέρᾳ ταλαιπωρίας μου, *in die miſeriæ meæ.* minus eſſet ſi alio tempore ipſum præveniſſent : nam calamitoſo non eſt addenda calamitas. Porro *calamitas* hoc loco אד appellatur, i. vapor, eo tropo quo ſupra *aqua*, & alibi *tenebræ.*

Fuit pro ſcipione mihi] למשען, *in ſcipionem* i. pro ſcipione, aut ſcipio. Sic, *fuit mihi in uxorem*, pro uxore, vel uxor revera.

20. *Et eduxit me in latum locum, eruit me, quoniam voluit mihi.*

Eduxit me in latum] Ex arcto ſive anguſto loco eduxit me in latum. hoc Ebræus dicit, *in latitudinem.* Sententia eſt : liberavit me ex anguſtia in qua eram. Supra; *In anguſtia mea dilataſti mihi.*

Eruit me] Extraxit è periculo.

Voluit mihi] *Velle alicui*, pro *cupere* & *favere* elegans & Latina phraſis eſt. Ebræa ſonat, ut videtur, aliquid amplius: nam Gen. 34. 19. חפץ בבת יעקב, ideſt, *valde eam deſiderabat*, atque amabat; aut, *delectabatur ea.*

21. *Retribuit mihi DOMINUS ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum reddat mihi.*

Secundum juſtitiam meam] *Juſtitiam* ſibi tribuit reſpiciens adverſarium, non conſcientiam. Nemo alioquin invenitur, qui ſe poſſit abſolvere, ut idem alibi ait : *Non erit juſtus coram te ullus homo.* Salomo quoque ait: *Quis dicat, mundus ſum, purus à peccato meo?*

Secundum puritatem manuum mearum] i. actionum mearum. *Puritas* ergo *manuum* eſt morum integritas. Sic alibi; *lavi in innocentia manus meas.*

Reddat mihi] vel, *Reddet mihi*, Ita Lxx. & paullo ante, *retribuet mihi.* Poteſt etiam legi, *retribuit & reddidit.* Sic Hiero. Dignum, inquit, juſtitia & innocentia mea præmium rependit.

22. *Quia cuſtodivi vias DOMINI, nec improbe defeci à Deo meo.*

Vias DOMINI] Præcepta DOMINI : nam ea nos dudunt ad Deum.

Nec improbe defeci] רשעתי, *improbe egi.* Senſus eſt, nec improbe egi deficiens à Deo meo; quod faciunt, qui per improbitatem & ſuperbiam aliquid in Deum committunt.

23. *Nam omnia judicia ejus in conſpectu meo ſunt, & ſtatuta ejus non amovi à me.*

Omnia judicia ejus] Sub hoc nomine etiam præcepta continentur. Nam *judicia* proprie ad forum pertinent. *Statuta* vero, i. חקת, in ſtricta ſignificatione ſunt cæremoniæ legis: δικαιώματα vocant Græci.

In conſpectu meo] Malim, *ante me ſunt.* nam *in conſpectu meo* potius dicitur לפני. Judicia ejus, inquit, verſantur mihi ob oculos, & recordor ea.

Non amovi à me] Idem cum illo, *cuſtodivi ea.* nam *amovere* & *cuſtodire* contraria ſunt.

24. *Et fui integer cum eo, & cuſtodivi me ab iniquitate mea.*

Fui integer cum eo] Vixi cum eo, ut virum ſincerum decet : non ut hypocritæ, qui Deum colunt mala fide, hoc eſt ficte & ſimulate.

Cuſtodivi me] vel, *Cavi mihi.*

Ab iniquitate mea] Non dicit *ab iniquitate* ſimpliciter, ſed *ab iniquitate mea:* Quænam eſt illa iniquitas? An pravitas naturæ, quæ hominem ad quævis flagitia impellit? An crimen quod ei objectum ab aulicis Sauli? Dicebant enim, ipſum ſeditioſum eſſe, & regis ſui vitam petere eique inſidias ſtruere.

25. *Ideo reddidit mihi DOMINUS ſecundum juſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum coram oculis ejus.*

Ideo reddidit mihi] vel, *Ideo reſtituit mihi.* Sic ſupra verſ. 20. *Secundum puritatem manuum mearum reſtituat mihi.*

Reddidit] vel, *Reddat.*

Secundum juſtitiam meam &c.] Dignum juſtitia & innocentia mea præmium rependat.

Coram oculis ejus] Quæ eſt coram oculis ejus. Sive, quam videt ac novit. Videt enim certe oculus animi, quæ novit & intelligit.

26. *Cum benigno benigne agis, cum viro integro integre agis.*

Benignum te oſtendis & integrum erga eos, qui benigni & integri ſunt.

Cum benigno benigne agis] vel, *Erga benignum benignus es; ſive, benigno benignum te exhibes.* חסיד, qui plus facit quam tenetur facere. Significat etiam, hominem pium. Ex quo Lxx. μετὰ ὁσίου ὁσιωθήσῃ : ſive, ut alia exemplaria legunt, ὅσιος ἔσῃ. Nam ὅσιος, *pius*, quem & *ſanctum* dicunt. Unde Hiero. *Cum ſancto ſanctus eris.* Sym. autem vertit, πρὸς ὅσιον ὁσίως προσέξεις, *erga pium piè te geres.* Alius, μετὰ κεχαριτωμένου χαριτωθήσῃ; *cum gratioſo gratioſus eris.* Nam חֶסֶד *gratia*, præſertim apud Chaldæos, ubi legimus, רִיצָא חסדא, quod Latine reddunt, *caprea gratioſa.* Sane in fonte eſt, יעלת חן, *caprea gratiæ.* Id invenies in libro Proverb. Salomonis, cap. 5. v. 19.

Benigne agis] Hoc Dei proprium : nam quicquid homini præſtat, benignitas eſt; non enim tenetur ad hoc. In homine alia ratio, qui multa facit ex officio, aut ex imperio. Beneficentia ex voluntate præſtatur. Senec. de Benef. lib. 3. c. 18. *Quamdiu præſtamus, quod à nobis exigi ſolet, Officium eſt: ubi plus, quam debemus, beneficium.*

Cum viro integro integre agis] Erga virum integrum, integrum te præſtas, vel ſi mavis, *exhibes* aut *declaras.* In ſumma talis eſt Deus erga nos, quales nos ſumus erga alios. Unde ſequitur; *perverſo perverſum te exhibes.*

27. *Puro purum te præſtas, & perverſo perverſum te exhibes.*

Puro purum te præſtas] נָבָר *purus* i. καθαρὸς. Bona hæc interpretatio quam illa vetus, ἐκλεκτὸς i. *electus*, quanquam בר id etiam ſignificat.

Perverſo perverſum te exhibes] Reddis ei mercedem dignam perverſitate ipſius. Vid. Levit. 26. 23. & 24. Alioqui Deus non eſt perverſus, nec perverſe quicquam agit. Sed melius, ut vertamus : *cum perverſo diſtorques te*, vel ſi mavis, *colluctaris:* nam perpetua Deo lucta cum talibus. unde legimus, *Qui capit ſapientes in aſtutia ipſorum.* Metaphora à luctatoribus, qui, ut ἀντίπαλον pervertant, ſe in omnes partes vertunt, flectunt, torquent, obliquant; id quod Ebræi פתל dicunt.

28. *Quoniam tu populum manſuetum ſervas, & oculos elatos humilias.*

Manſuetum] Cum in oppoſito ſint *oculi elati*, malui reddere, עני *manſuetum*, quam *pauperem* aut *afflictum.* Auctores habeo hujus meæ interpretationis, primum Lxx. qui reddunt ταπεινὸν i. *humilem* : Deinde Symmachum, qui edidit πρᾶον: poſtremo, ipſos Ebræos, qui ſcribunt עני interdum uſurpari pro ענו; quo nomine *mitem* ac *manſuetum* proprie ſignificant. Sic interpretantur Sophon. 3. 12. עם עני ודל *populum manſuetum ac tenuem.* ubi Lxx. λαὸν πλοῦν καὶ ταπεινόν; niſi legendum λαὸν πρᾶον, ſive, πρᾶον, καὶ ταπεινόν. Hoc ſignificatu ſumitur & Zach. 9. 9. *Ecce rex tuus manſuetus & equitans ſuper aſinum.* Nam eſt עני in fonte Ebræo.

Oculos elatos] i. Homines ſuperbos. Dicunt etiam *elatos oculis* eodem ſenſu. Sic *oculus malus*, & *malus oculo*, pro invido aut avaro. Infra 131. 1. *Non ſunt elati oculi mei.* Ita eſt profecto : animi ſuperbia de elatione oculorum cognoſcitur. *Oculi elati* aliquando impudicitiam notant Sirach. 26. 10. *Scor-*

tatio mulieris de elatione oculorum cognoſcitur, nam pudicæ mulieres oculos demittunt.

Humilias] Deprimis, dejicis.

29. *Quia tu illuminas lucernam meam: DOMINUS Deus meus illuſtrat tenebras meas.*

Tu illuminas lucernam meam] Tu illuſtrem ſalutem mihi præſtas: aut, ſalutem meam illuſtriorem reddis. *Lux* i. ſalus; ut ibi: *lux affulſit.* Sic *lucerna.* ut, *lucerna improborum extinguetur*, i. felicitas. 2 Sam. 22. 29. *Tu es lucerna mea DOMINE.* Pars autem pietatis eſt uni Deo acceptam referre felicitatem ſuam.

Illuminas] vel *Illuſtras.* Minus recte alii, *accendis*: nam accendimus proprie lucernam, quæ non lucet; illuminamus etiam, cum lucenti lumen inſuper addimus, ſive cum lucentem lucidiorem facimus. Hoc igitur vult: Tu felicitatem meam, cujus origo & fons es, non conſervas modo, ſed etiam auges magis magiſque. Et aliter, *lucernam meam* i. dignitatem meam, aut majeſtatem regiam, ut 2 Sam. 21. 17. Vide & 1 Reg. 11. 36.

DOMINUS Deus meus illuſtrat] Secutus ſum conſtructionem codicum Ebraicorum, quam è Veteribus Chaldæus Paraphraſtes expreſſit. Reliqui aliter hæc & diſtinguunt, & legunt. Nam Lxx. ὅτι σὺ φωτιεῖς λύχνον μου κύριε, ὁ θεός μου φωτιεῖς τὸ σκότος μου: Hiero. *Quoniam tu illuminas lucernam meam DOMINE Deus meus: illuminabis tenebram meam* i. יַגִּיהַּ.

Illuſtrat tenebras meas] Lumine & auxilio ſuo diſcutit tenebras calamitatum mearum. Poteſt etiam per *tenebras* intelligi vita impia, ut ibi; *qui me ſequitur, non ambulat in tenebris* i. in vanis ſtudiis hujus vitæ.

Illuſtras] יַגִּיהַּ proprie, *ſplendere facit.* Siquidem נֹגַהּ eſt *ſplendor*: *Lux* autem אור dicitur: unde הֵאִיר, *illumino, illuſtro.*

30. *Siquidem in te percurram cuneum, & in Deo meo tranſiliam murum.*

In te] Ope & auxilio tuo. Latine hoc dicas, *per te* aut *tecum.* Sic mox, *cum Deo meo.*

Percurram cuneum] Pervadam curriculo cuneos hoſtium meorum. Sic dico; *perrumpam celeriter*, ut ſi currerem. *Currere* certe dicitur, qui celeriter aliquo abit.

Percurram] vel *perrumpam*, ut ſit fut. à רצץ, *quaſſo, frango*: ad quod exemplum occurrit יָרֹץ *vaſtabit*; nam ejus radix, שדד *vaſto.* Hanc ſententiam ſecutus eſt Santes, qui vertit; *conteram exercitum.* Sumpſit autem ex commentariis Ebræorum.

Cuneum] Alii *turmam*; alii, *exercitum.* Elegi *cuneum.* Quod capiendum de cuneo ſeu globo militum. Peculiariter de iis uſurpatur, qui prædandi cauſa excurſiones faciunt. *Turmæ* autem vocabulum rejeci, quod id proprie ſit equitum. Quin exercitus חיל dicitur. Editio Hiero. *curram accinctus*, i. εὔζωνος. Sic Aquila interpretatur, Gen. 49. 19. Idem Hier. גדוד *Aquila* εὔζωνος i. *accinctus vel expeditus.*

Tranſiliam murum] Murum obſeſſæ urbis videlicet, quem tranſilire divinæ virtutis eſt. Significat ergo, ſe urbes expugnare non propria virtute, ſed ope divina, quæ tantas homini vires, tantam audaciam addit, ut in bello ſit plane imperterritus. Conciliat etiam felicitatem, quæ in præliis plurimum valet. Sic adeo, ut ei primas partes nonnulli tribuant.

In Deo meo] Deo meo opitulante. Idem cum illo; *in nomine Dei mei.*

31. *Dei via integra eſt, ſermo DOMINI excoctus, clypeus eſt omnibus ſperantibus in eo.*

Dei via integra eſt] Quicquid agit integrum ac ſincerum eſt. In Ebræo eſt verbum è verbo; *Dei integra via ejus.* Pleonaſmus iſte Latinis auribus inſolens eſt. Vel, *Deus integer eſt in via ſua*, ut (ב) ſubaudiatur. Sunt qui reddant, *Deus integra via ejus*: idque explicant & enarrant: *quod Deum attinet.* Sic non erit pleonaſmus.

Dei via] Hic *via Dei* ponitur, pro ratione agendi, quam Deus tenet erga ſuos: aut pro vivendi ratione ea, quam requirit à nobis, quamque ſanctiſſimis ſuis legibus præſcripſit. Sic dico, *via Dei*, quæ ducit ad Deum; ut *via Paradiſi*, quæ ducit ad Paradiſum.

Integra] ἄμωμος, *immaculata.*

Sermo DOMINI excoctus] Promiſſa ipſius ſincera ſunt, nihil in iis fictum aut adulterinum. Aut intelligit verbum ſcriptum i. legem. Lxx. τὰ λόγια κυρίου πεπυρωμένα. Symm. ῥῆσις τοῦ κυρίου δόκιμος, *ſermo DOMINI probatus.*

Excoctus] qſ. igne purgatus & examinatus. Tralatio à metallis, quæ ſic examinata & excocta, pura puta evadunt.

Clypeus eſt] Utrum Deus, an ſermo ejus? De Deo legitur Gen. 15. 1. *Ego clypeus tuus ſum*, i. protector tuus. & Pſ. 119. 114. *Latibulum meum & clypeus meus tu es.* & ſupra v. 3. *Clypeus meus & cornu ſalutis meæ.*

Omnibus ſperantibus] vel *Omnium ſperantium.*

32. *Nam quis eſt Deus præter DOMINUM? & quis eſt petra præter Deum noſtrum?*

Deus] אֱלוֹהַּ i. *vindex, ultor, judex.* Aut capiendum, ut ſonat. Nam nemo eſt Deus revera præterquam DOMINUS: Ceteri nomine tantum Dei ſunt; unde idola vocantur. Idolum autem nihil eſt. Sic dico: Quos gentes colunt, non ſunt dii, niſi nomine tenus. ac propter ea vocantur *Dii falſi*: nam unus tantum verus eſt. Nec enim poteſt multiplex eſſe Deus. Pro אֱלוֹהַּ 2 Sam. 22. 32. eſt אֵל, quod valde firmat hanc poſtremam ſententiam.

Quis eſt petra] Quis tutum perfugium præſtat cultoribus ſuis? צור, *petra, rupes.* De Deo uſurpatur. Unde Lxx. ὁ θεός. Hiero. autem, *quis eſt fortis* i. אֵל, quod legitur in priore membro. 2. Sam. 22. ut diximus.

Præter Deum noſtrum] vel *Præterquam Deus noſter.*

33. *Deus qui accingit me robore & ponit integram viam meam.*

Deus] הָאֵל, ὁ ἰσχυρὸς ſive ὁ δυνατός. i. *fortis*, aut *potens ille.*

Qui accingit me robore] Qui mihi robur conciliat. Proprie lumbi ſuccinguntur. Porro in lumbis ſedes eſt virium. Igitur, accingit lumbos meos fortitudine tanquam baltheo aliquo. Ut hic *accingi robore*: ſic alibi, *indui fortitudine*, & Pſal. 29. *accingi lætitia.* Forte in verbo latet verbale, ut ſolet, *accingit me cingulo roboris.* Sic *indui regno*, pro veſte regia. Infra 39. *Et accingit me robore ad bellum.*

Ponit integram viam meam] Conciliat mihi quoque perpetuam & nullis interruptam malis felicitatem. Alibi per *viam integram* ſignificantur mores ingenui & nullo ſimulationis fuco tecti. Scholia Ebraica Camii hunc locum ita explicant: *Ponit integram viam meam.* i. facit ut in prælio non deſideretur unus è militibus meis.

Ponit] vel *Reddit.* nam eſt יִתֵּן in fonte.

34. *Ponit pedes meos ut cervarum, & ſuper excelſa mea ſtatuit me.*

Ponit pedes meos ut cervarum] *Pedes cervarum*, in proverbio ſunt de velociſſimis. Græce ἐλάφων πόδες. Quod ſumptum ab ejus animantis velocitate. unde Ægyptii in Hieroglyphicis, cum velocitatem ſignificare vellent, pingebant cervum currentem. Vide quæ ſcripſimus, in Proverbio, *Pedes cervini.*

Ponit] Alii, *adæquat*; ſive *coæquat.* Priorem interpretationem roborat Propheta Habacuc, uſus verbo שם cap. 3. 9. *Et poſuit pedes meos tanquam cervarum.* Nec aliter declarant ſcholia Ebraica. Rei firmandæ eſt nota ſimilitudinis, quæ ſequitur. Sic eſt profecto. Verbum שִׁוָּה in hac conjugatione, potius ſignificat *ponere*, quam *æquare.*

Ut cervarum] Lxx. ὡσεὶ ἐλάφου. Ceteri, ὡσεὶ ἐλάφων i. *cervarum* an *cervorum?*

Cervarum] Cur *cervarum?* an quia cervæ velociores ſunt? nam minus gravantur cornibus, quam cervi; quod ad velocitatem facit. Aut *cervarum*, dixit pro *cervorum.* Sic Attici *cervum marem*, τὴν ἔλαφον vocant. Porro pedum velocitas in bello laudata olim, ut ex Homero colligimus; apud quem aliquoties occurrit, ὠκύπους Ἀχιλλεύς. Quod Epitheton ei non tribueret, niſi pedum pernicitas laudi data fuiſſet.

Super excelſis meis] In loco edito, ubi ſalutis cauſa ſim. Solent enim, qui è pugna fugiunt, ubi locum editiorem nacti fuerunt, conſiſtere & rurſum pugnare cum hoſte.

Statuit me] Facit ut ſtem, i. ut in ſtatu maneam. Plautus hoc dixit *in ſtatu ſtare.* Seneca, *in gradu conſiſtere.* Satur. lib. 2. cap. 40. Hujus contrarium, *moveri.* Aquila hunc locum interpretatus eſt; καὶ ἐπὶ τὰ ὑψώματά μου ἵστησί με. Ita legendum, & non, ut in Edit. Rom. ἵστησι με, *ſtatues me.* Plautus Milite. *in ſtatu ſtat ſenex, ut adoriatur mœchum.*

35. *Docens manus meas ad prælium, & deprimitur arcus æreus brachiis meis.*

Ad prælium] i. præliari.

Et deprimitur] Sic ut deprimatur i. curvetur: nam cum incurvatur, deprimitur. Eſt autem נִחֲתָה præt. Niphal à נחת *deſcendit, depreſſus eſt.* i. tenſus. Nam tales arcus manibus tendi non poſſunt. Significat ergo, ſe inſigni robore præditum fuiſſe. Alii, *Et frangitur*: quod a חתת deducunt, ac ſi eſſet נִחַתָּה. Solet hoc modo *Dages* interdum excidere. Tantum, inquit, robur mihi a te, ut potuerim frangere arcum æreum. Hyperbola proverbialis: *Vel arcum æreum frangit*, de homine ſupra modum robuſto, & à viribus firmo, validoque.

Arcus æreus] Quidam mutarunt hoc in *arcus chalybeus*: quibus favet David ſcholiaſtes Ebræus. Nam, quod nos *æris* vocabulo reddimus, affirmat eſſe ferrum durum. Idem *chalybeum* accipit pro *forti*, conſenſu ut alibi *ferreum*. Sed ſciendum, arma antiquitus ex ære fabricata fuiſſe, propter ferri penuriam. Teſtatur clare Heſiodus. τοῖς δ', inquit, ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, & mox μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος. Quem locum explicans Proclus ita ſcribit: *in armorum fabricatura ære utebantur, quodam ad id ſolidandum temperamento adhibito. quod temperamentum quum defeciſſet, ad ferrum tandem deventum.* Eadem ſcribit Tzetzes, alter Heſiodi interpres. Quin Alcæus Poeta apud Athenæum meminit tibialium, quæ *ex ære* fiebant, & enſium quoque. Herodotus libr. I. in extremo: *Maſſagetæ haſtas, pharetras, & ſagares ex ære parant, nam ferro & argento carent.* Liv. lib. I. *Arma his imperata galea, clypeus, ocrea, lorica, omnia ex ære.* Vid. quoque 1 Sam. 17. Iſidorus lib. 8. ubi de Veſta. *Cymbalorum autem æreorum ſonitus, & ferramentorum crepitus in colendis agris; & ideo ære, quod terram antiqui colebant ære, priuſquam ferrum eſſet inventum.* Lucretius:

Arma antiqua manus, ungues, denteſque fuere,
Et lapides, & item ſylvarum fragmina rami.
Poſterius ferri vis eſt æriſque reperta:
Et prior æris erat quam ferri cognitus uſus.

Brachiis meis] Interpretatus ſum ac ſi eſſet זרועתי. Hiero. & Lxx. videntur legiſſe ונתתה pro ונחתה, hoc eſt *Thau* pro *Heth.* levi errore: nam verterunt, καὶ ἔθου τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μου. *& componens quaſi arcum æreum brachia mea.* Vult dicere: tam robuſta reddens. Legimus, quod huc facit in monumentis Ebræorum veterum. *David portabat arcum æreum, & incurvabat eum.* Item, *Facilius erat homini, curvare arcum æreum, quam curvare brachia Davidis.*

36. *Dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextra tua fulcivit me, & manſuetudo tua auxit me.*

Verſus iſte reddi poteſt ſic: *Nam das mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextra tua fulcit me, & manſuetudo tua auget me.* Vel ſic: *Dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ: ideo dextera tua fulciet me, & manſuetudo tua augebit me.*

Scutum ſalutis tuæ] Licet vertere; *dediſti mihi ſcutum ſalutem tuam.* Senſus autem eſt: *ut ſcutum.* Simile: *Nec excitabit claſſico miles gravi*: ut miles. VI Edit. καὶ ἔδωκάς μοι ὑπερασπισμὸν τὸν σωτῆρά μου: *& dediſti mihi protectorem ſotera meum.*

Scutum] vel *Clypeum.*

Salutis tuæ] Lxx. σωτηρίας μου. In idem redit: nam eadem ſalus & Dei eſt, & noſtra, diverſa conſideratione. *Dei* eſt, quia a Deo profecta: *noſtra*, quia nobis obtingit. In VI. Edit. forſan legendum: τὸν σωτῆρά σου. Gallicum quoque Pſalterium; *dediſti protectionem ſalutis tuæ. Tuæ* inquam, non *meæ*, quod in Pſalterio Romano. Porro autem *ſoter*, ישע dicitur, unde nomen *Jeſus.*

Dextera tua fulcivit me] vel *dextra tua fulcies me*: & mox, *manſuetudine tua adaugebis me.*

Dextera tua] Potentia tua. Sic Virg. Æneid 12. *dextera refellere* dixit, pro virtute refellere: nam pro rei officio, ipſam rem poſuit. Dextram ſc. pro virtute, ait Servius.

Fulcivit me] Suſtentavit me, ne videlicet caderem in prælio. i. ne cladem acciperem.

Manſuetudo tua auxit me] Q. d. Non meis meritis, ſed humanitati tuæ acceptum fero, quod ita auctus ſim.

Manſuetudo] Humanitas, benignitas.

Auxit me] Opibus & dignitate. Græci hic legunt: καὶ ἡ παιδεία σου ἀνώρθωσέ με εἰς τέλος. Quam lectionem germanam eſſe paret ex commentariis Græcorum: unde etiam diſcimus illud, quod in vulgatis libris, καὶ ἡ παιδεία σου αὐτή με διδάξει, Theodotionis eſſe. Conſule ſis editionem Romanam. Με διδάξει i. *docebit me.* Nam רב. διδάσκαλος. Hinc deduxit תרבני, quod alii à רבה deducunt; & melius. Hiero. quoque transfert, *multiplicavit me.* Sunt, qui exponant: *manſuetudo tua*, qua me donaſti. (Sic *juſtitia Dei*, qua Deus nos juſtificat) *auxit me honore.* Quemadmodum Salomo dicit, *Ante gloriam manſuetudo.*

37. *Dilataſti greſſum meum ſub me, & non nutarunt mei tali.*

Dilataſti greſſum meum ſub me] Intelligentiam habet ex illo Prov. 4. *Cum iter facies, non arctabitur greſſus tuus.* Alibi dicit: *in anguſtia dilataſti mihi*, i. latum exitum feciſti. Significat ergo, Deum acta ſua fortunare, & ad optatum finem perducere: aut potius, ex difficultatibus, quæ ipſum in arctum cogebant, res ſuas explicare.

Non nutarunt] Non vacillarunt, non moti ſunt.

Mei tali] Mei pedes. Pars pro toto. Grammatici Synecdochen vocant. Alii; *mea crura*: alii, *malleoli pedum meorum.* eodem redit. Nomen Ebræum eſt, קַרְסֻלַּיִם, quo etiam Chaldæi utuntur, cum videlicet vocem, כרעים, *crura* denotantem, interpretantur. Quanquam, qui Davidem Chaldaice convertit, non *crura* hoc loco, ſed *genua* poſuit, referens; רכובתי. Cæterum תרחיב Symm. olim vertit, *ampliaſti.* Prius erat ἐπλάτυνας, *dilataſti.* Id Hiero. vertit, *dilatabis.* Lexic. Vet. *ampliat*, ἀποτείνεται. *Ampliatus*, ηὐξημένος.

38. *Perſequebar hoſtes meos, & aſſequebar eos, & non revertebar, donec confeciſſem eos.*

Perſequebar hoſtes meos &c.] Præterita hæc alii in futura convertunt, & ad Chriſti victorias referunt. Quod, ut non culpo, ita confirmo vobis, fut. in hac lingua ſæpe per præteritum exponi: Quod a me factum hoc loco, ſententia id mirabiliter comprobante.

Non revertebar, donec confeciſſem eos] Hoſtem ſuum penitus conficere & internecione delere, ut glorioſum, ita crudele videtur. David autem hoc memorat non alio fine, quam ut oſtendat, ſe non propriis viribus, ſed Dei ope ac præſidio tam inſignes victorias adeptum fuiſſe.

39. *Cædebam eos, nec poterant ſurgere, cadebant ſub pedibus meis.*

Nec poterant ſurgere] Nempe ex plaga. *Surgere* autem ex plaga vel morbo dicitur, qui convaleſcit. Aut lege: *Nec poterant ſtare*: cujus contrarium cadere. *Cadere* autem in prælio eſt occumbere. Sic legimus Joſ. 7. 12. *Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet.* Mox ſe explicat, cum ait: *cadebant ſub pedibus meis.* Græci certe vertunt, οὐ μὴ δύνωνται στῆναι. Locus iſte plenius legitur 2 Sam. 22. 39. *Conſumebam eos, & cædebam eos, & non ſurgebant*, &c.

40. *Nam accinxeras me robore ad bellum, incurvaveras inſurgentes in me, ſub me.*

Me] lumbos meos. Porro in lumbis virium ſedes.

Ad bellum] vel *ad prælium*, quod Hiero. olim poſuit ac vertit.

Incurvaveras inſurgentes in me] A. κάμψεις ἐπανισταμένους μοι, *incurvabis inſurgentem in me.* i. קמי. Si ſic legit, nunc legunt, קמי, quod reddi poteſt, *ſtantes contra me. Stantes* i. pugnantes. Nam *ſtare* uſurpant pro eo, quod Græci dicunt, πρὸς ἀσπίδα στῆναι. Ennius dixit, *ſub armis cernere.* Ceterum pro *incurvaveras*, ſunt, qui legunt reddentes *proſtraveras*: vidi etiam qui verterent, *ſubjeceras mihi.*

41. *Et hoſtium meorum dederas mihi cervicem, & oſores meos delebam.*

Hoſtium meorum dederas mihi cervicem] *Dat cervicem*, & qui fugit & qui fugat. Qui fugit: ut 2 Paral. 29. 6. *Verterunt faciem ſuam à tabernaculo DOMINI, & dederunt cervicem.* Qui fugat, ut hic, & Exod. 23. 27. *Dabo omnium hoſtium tuorum tibi cervicem.* In hoc poſtremo loco legitur articulus quarti caſus את, qui arguit potius vertendum eſſe, *dabo omnes tuos.* Quod autem ſequitur אליך ערף ejus ſenſus eſſe poteſt, *ut ad te cervicem vertant.* Sic in iſto loco: *Et hoſtes meos eo redegiſti, ut cervicem mihi obvertant.* Latini dicunt, *tergum dare*: quod extat in antiquis editionibus, ut mox oſtendam. Licet etiam exponere; *dederas mihi cervicem* i. tradideras aut expoſueras eos mihi necandos & mactandos. cui firmando eſt, quod legitur Gen. 49. 8. *Manus tua in cervicem inimicorum tuorum.*

Cervicem] Senſum expreſſerunt Græci, reddendo νῶτα, & Hieronymus, qui vertit, *dorſum.* Ceterum *dat tergum* proprie, qui fugit. Hic paullo aliter ſumitur; nam *dediſti mihi tergum*, vult dicere: feciſti ut mihi tergum darent, ſive, ut coram me fugerent.

Et oſores meos delebam] Ad verbum, *delebam eos.* Pleonaſmus Ebraica. In Samuele, *oſores meos, & delebam eos*: ſubint. *dediſti mihi.*

Delebam] Conficiebam, excindebam, diſperdebam.

42. *Clamabant, & non erat, qui ſervaret: ad DOMINUM, & non reſpondit eis.*

Clamabant] Ut ſolent, qui in adverſis ſimulant pietatem, quam nullam habent.

Ad DOMINUM] על יהוה. In Samuele אל יהוה. Nam hæ particulæ ſe invicem explicant. Sic alibi, ויתפלל על יהוה, *Oravit ad DOMINUM*, πρὸς Κύριον.

Et non reſpondit eis] vel *Et non exaudivit eos.* Sic alibi, *Ipſi clamabunt, & non exaudiam.* Reſpondet enim, quum exaudit.

43. *Et comminuebam eos ut pulverem coram vento, ut lutum platearum diducebam eos.*

Ut

Ut pulverem coram vento] vel, Ut pulvis comminuitur; vel ita ut eſſent quaſi pulvis. Sic dico: Comminuendo reddebam eos ſimiles pulveri terræ. q. d. Redigebam eos in pulverem. Hyperbola.

Pulverem coram vento] i. Vento expoſitum. In Sam. *pulverem terræ.* Idem aliter.

Ut lutum platearum] Quod in plateis invenitur. Et adjecit *platearum*, differentiæ cauſa; nam eſt aliud lutum ab hoc diverſum, quod *lutum figuli* dicitur, ex quo figulini operis vaſa conficiuntur.

Diducebam eos] אֲרִיקֵם poſuit, pro אֲדִקֵּם, quod è Samuele diſces. Thema eſt רָקַק, unde nomen apud Magiſtros, quod eſt רֶקֶק. Id *lutum* denotat. Græcum interpretamentum λεανῶ, melius redditur, *ſubigam eos*, quam *delebo eos.* Nam λεαίνω, *ſubigo.*

44. *Liberaſti me à contentionibus populi, poſuiſti me caput gentium: populus, quem non novi, ſerviunt mihi.*

Populi] i. Populorum, ſive tribuum, quæ diu inter ſe bello decertarunt propter Davidem. Sed in Samuele: *populi mei*, ut poſſet exponi de bello Abſolomi filii, quem ſequebantur plerique populares, atque adeo ſubditi Davidis.

Poſuiſti me caput gentium] Liberatum bello inteſtino conſtituiſti me principem gentium profanarum, quales erant Ammonitæ & Moabitæ, ſic adeo, ut mihi nunc ſervitutem ſerviant populi, quos antea non noveram.

Populus quem non novi] Idumæi, Syri, aliique. Hos ſe noviſſe negat, quoniam erant alieni a fœdere, ac proinde ignoti Judæis magna ex parte. Aut, *Populus, quem non novi*; cujus nullam curam aut rationem habui ante hæc tempora: nam ſubditos curamus: ceteros negligimus, tanquam nihil ad nos pertinentes.

Item, pene exciderat, *Liberaſti me a contentionibus.* Aquila olim convertit. διασώσεις με ἀπὸ δικασιῶν, *ſervabis me a litigiis.* Symm. vero ῥύσῃ με ἀπὸ ἀντιλογιῶν, *liberabis me a contradictionibus.* Prius erat ῥῦσαι in Lxx. *Salvabis me a contradictionibus.* Hiero.

45. *Ad auditum auris audientes dicto ſunt mihi, filii alieni mentiuntur mihi.*

Ad auditum auris] Simul ac auribus accipiunt mandata mea; ſimul ut audierunt edicta mea. Verſio Hieronymi, *auditionem auris.* Eam in ſviam reduces, ſi legas; *ad auditionem.*

Audientes dicto ſunt mihi] Obediunt mihi. Scholia Ebraica enarrant, *congregantur mihi*: nam שמע hoc etiam ſignificat. ut 2 Sam. 15. וישמע שאול את העם *Et congregavit Saul populum.*

Filii alieni] Alias, *Filii ignoti.* Utro modo legas, poſterius nomen accipi debet in caſu gignendi, ut liquet ex codice Ebræo, & ſubintelligitur, *Populi* aut *Dei.* Si *populi*, ſignificat gentes alienas à fœdere: ſi *Dei*, ſignificat gentes, quæ falſos Deos colebant.

Mentiuntur mihi] Mentitum cultum exhibent mihi, ſimulatam obedientiam præſtant mihi. ut infra Pſal. 66. 3. *Ob multitudinem roboris tui, mentiuntur tibi hoſtes tui.* Aut *Mentiuntur mihi*, i. fallunt fœderatos ſuos mea cauſa. Sic ſane Syri deſeruerunt Ammonitas, cum quibus fœdus habebant, poſtquam à Davide cæſi fuiſſent. Videndus ad hunc locum David Camius.

46. *Filii alieni defluxerunt, & pavidi fugerunt e clauſtris ſuis.*

Filii alieni] בְּנֵי נֵכָר, υἱοὶ ἀλλοτρίων, quanquam in Græco υἱοὶ ἀλλότριοι.

Defluxerunt] Perierunt ut folia, quæ *defluere* dicuntur, quum decidunt ex arbore. ut Pſ. 1. 4. *Et folium ejus non defluet.* Reddi etiam poteſt, *emarcuerunt*: nam marcida folia decidere ſolent. Symm. ἠτιμάσθησαν *dehoneſtati fuerunt.* Alias ἀτιμασθήσονται, *dehoneſtabuntur.* Hiero. *defluent.* Lxx. ἐπαλαιώθησαν i. יִבְלוּ aliis vocalibus.

Pavidi fugerunt] וְיַחְרְגוּ. Alii vertunt, *expaveſcent.* Alii, *contrahentur*, ut Hiero. Symm. καὶ ἐντραπήσονται *& reverebuntur*, vel potius; *pudore afficientur.* R. David in comm. ſuper libros Samuelis ait, eſſe ענין תנועה ממקום. Significat ergo non *pavere* ſimpliciter, ſed *pavidum fugere.* Quam interpretationem firmat ſequens præpoſitio מן, quæ motum è loco innuit, niſi pro ב accipiatur, quod interdum fieri conſuevit. In Chaldaicis Editionibus reperio, חִרְגַת מוֹתָא ubi declarat nomen Ebraicum אימה, *terror, pavor, formido.* Scire licet, in Samuele legi וְיַחְגְּרוּ litteris tranſpoſitis; & hic in Lxx. ἐχώλαναν, quod *claudicare* ſign. nam חגר *claudus*, qui & חַגִּירָא, unde ἀγέρωχος, id eſt χωλός.

E clauſtris ſuis] Ex oppidis vel arcibus ſuis, quæ *clauſtra* vocantur, quod muris cincta & undique clauſa ſint.

47. *Vivit DOMINUS, & benedicta petra mea, & extollatur Deus ſalutis meæ.*

Vivit DOMINUS] Non eſt jurantis hoc loco, ſed potius laudantis, & gratias agentis; ut 1 Sam. 20. *Vivit DOMINUS & vivit anima tua. Vivi* autem epitheton Deo tribuitur, quia æternus eſt. Sic *aqua viva* i. perennis. Quidam legunt *vivat DOMINUS.* Quod unde ſumptum ſit, non eſt obſcurum. Nota enim acclamatio illa, *vivat rex*: dicebant etiam; *Rex in æternum vive.*

Benedicta petra mea] Lxx. εὐλογητὸς ὁ θεός μου. Sic etiam Hiero. *benedictus Deus meus.* Sic & alii. Videndus Hiero. in epiſt. ad Suniam. Nam צור inter nomina Dei. Proprie *petram* denotat, aut *rupem.* Sic autem vocatur Deus, quod tutum perfugium præſtet iis, qui ad ipſum confugiunt. In Samuele, ubi eadem verba habentur, Græci vertunt, εὐλογητὸς ὁ φύλαξ μου, *benedictus cuſtos meus.*

Deus ſalutis meæ] In Samuele אֱלֹהֵי צוּר יִשְׁעִי, quod vertunt; *Deus petra ſalutis meæ*: cum potius vertendum ſit, *Deus petræ ſalutis meæ*, ſive, *petræ ſalutaris meæ*, in qua videlicet ſalutem optatam conſequor, quoties in eam me recipio, aut ad eam confugio.

48. *Deus eſt qui dat ultiones mihi, & ducit populos ſub me.*

Deus] הָאֵל, ὁ δυνατὸς, ὁ ἰσχυρός.

Qui dat ultiones mihi] Qui dat mihi robur ſufficiens ad ultionem capiendam de hoſtibus meis.

Ultiones] Ἐκδικήσεις. Numerus indicat, non ſemel ſed ſæpius factum eſſe, ut ultionem ſumpſerit de hoſtibus, Deo ita volente, qui dicit: *Mihi vindicta, & ego retribuam*: nam non tam David ulciſcebatur hoſtes ſuos, quam Deus per Davidem.

Ducit populos ſub me] Adductos populos è ſedibus ſuis ſubdit mihi. יַדְבֵּר *ducit, adducit.* Quæ ſignificatio eſt verbi דבר apud Chaldæos. Unde מדבר, de ſententia quorundam, a *ducendis* pecoribus. Nam paſcua erant in deſertis Judææ. Favet huic interpretationi Græcum ὑποτάξας. Hiero. aliud in mentem habuit; nam transfert: *qui congregat.* An *congregare pecora in caulam.* הַדְבִּרוּ dicitur? perpende. Sunt qui ſenſum petant ex illo, וידבר כל זרע הממלכה *Et delevit omne ſemen regium.* Vide ſis, 1 Paralip. 22. & 2 Reg. 15.

49. *Qui liberas me ab hoſtibus meis, etiam ab inſurgentibus in me extollis me: a viro violento eripis me.*

Ab hoſtibus meis] aut, *Inimicis meis.*

Extollis me] Tranſtulit ab iis, qui in locum editum extolluntur, ubi tuti ſunt: aut, Non ſolum liberas me, ſed etiam extollis ſupra eos, & evehis me ad regiam dignitatem.

A viro violento] A Saule. In antiquis editionibus eſt, *à viro iniquo.* Sic ſane Hiero. & ἀπὸ ἀνδρὸς ἀδίκου Græci. Ceterum hic legimus אִישׁ חָמָס, at in Samuele אִישׁ חֲמָסִים q. d. *a viro iniquitatum* i. iniquiſſimo, aut, ſequendo priorem interpretationem, violentiſſimo.

50. *Propterea celebrabo te in gentibus, DOMINE, & nomini tuo pſallam.*

Propterea] Propter hæc, tot tantaque, quæ in me contuliſti beneficia.

Celebrabo te] Profitebor laudes nominis tui.

In gentibus] Inter gentes a me devictas, & nunc mihi ſubjectas. Dicam hæc omnia tuo beneficio mihi contigiſſe.

51. *Magnificanti ſalutes regis ſui, & facienti benigne uncto ſuo Davidi, & ſemini ejus in ſeculum uſque.*

Magnificanti] Magnas reddenti i. illuſtres, eximias. Alibi *magnificare*, eſt magnifice extollere; ut, *Magnificat anima mea DOMINUM.* Dicunt etiam *magnifica facere*, pro magnifice agit. Quomodo hic nonnulli reddunt: *magnifice ſervanti regem ſuum.* Id Græci exprimunt verbo μεγαλύνων.

Salutis] Victorias, proſperitates.

Facienti benigne] Ad verbum, *facienti benignitatem.* Vetus omnis interpretatio, *facienti miſericordiam. Facere benignitatem*, an Latine dicatur neſcio. Hoc ſcio, quoſdam id mutare in *Exercere benignitatem.*

Uncto ſuo] Chriſto ſuo, Meſſiæ ſuo. Nam ab eo unctus erat. In quo miniſter ei fuerat Samuel. Hic articulus (ל) duplicatur admodum venuſte: ut apud Græcos, τῷ χριστῷ αὐτοῦ τῷ Δαβίδ.

Semini ejus] Poſteritati ejus.

In ſeculum uſque] Hiero. *Uſque in æternum.* Et Lxx. ἕως αἰῶνος. Senſum reddunt: nam *ſeculum* hic pro æternitate ſumitur.

PSAL. XIX.

1. M*Agiſtro cantorum. Pſalmus Davidis.*
2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expanſum.*

Cognitio Dei duplex; una *ex natura* eſt, altera *ex lege.* De utraque agit hoc Pſalmo, ac primo loco de notitia, quæ ex natura.

Cœli enarrant] Corpora cœleſtia, licet ſint inanimata, contra ac nonnulli putarunt, (Doctor Juſtitiæ ſapiens Moſes & Philoſophi Ebræi) tamen quodam modo enarrant gloriam Dei: puta motu perpetuo, eleganti ſtructura, denique aliis rebus, quæ in cœlo divinam ſapientiam ac potentiam oſtendunt. Hunc modum declarat, cum ait: *Nullus eſt ſermo, nulla ſunt verba* &c. quod autem dicit *enarrant*, in eo metaphora eſt ab homine. Nam proprie *narrat*, qui oratione ſua aliquid exponit. Sic alibi lectum: *Germen terræ docebit te*; &, *ſciſcitare beſtias, & docebunt te.* Item: *lapis de tigno clamabit*: &, *lapides loquentur*: &, *ipſa res loquitur*: &, *Præſentem loquitur qualibet herba Deum.*

Opus ejus] i. Solem, Lunam, aliaque corpora cœleſtia, vel ſequendo eos, qui per רקיע, *aerem* intelligunt, meteora. Græci hic habent, non ἔργον αὐτοῦ. Sed ποίησιν αὐτοῦ. q. *facturam ejus* i. fabricam & operationem. Sed melius redditur, *opus ejus*, ut Jacob. 1. 25. μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ, *beatus in opere ſuo.* Sic ποίημα uſurpatur Sirach. 16 cap. 25. Senſus eſt: Elegantia expanſi prodit opus Dei, q. d. à Deo factum eſſe, & non ab alio. Scitum autem illud; *Opus artificem indicat.*

Indicat] Ἀναγγέλλει *annunciat.*

Expanſum] Aër an cœlum, in quo ſtellæ? Nam aer etiam cœlum dicitur, & Ebraice רקיע *expanſi* argumento, quod expanſum in modum cortinæ. Græce στερέωμα q. à firmando, i. *firmamentum.* Hæc interpretatio adverſatur iis, qui hunc locum de *aëre* accipiunt, in queis Chaldæus Paraphraſtes & Abraham is, qui Abenezra cognominatur.

3. *Dies diei eructat ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam.*

Dies diei] Dies unus alterum docet; aut potius materiam ſuppeditat, unde Deum laudare poſſint homines. Idem viciſſitudo noctium facit. Quidam explicant; dierum ac noctium vices argumento ſunt, res omnes providentia numinis gubernari. Forte hoc dicit: *Expanſum eructat ſermonem die ad diem* i. continuis diebus. *& indicat ſcientiam nocte ad noctem* i. continuis noctibus, ut repetatur רקיע Σεπὶ κοινοῦ. Sic *plaga ad plagam* i. continuis plagis, quod eſt יד ליד, *manu* pro plaga poſita. Extat alibi apud Salomonem.

Eructat] ἐρεύγεται i. emittit, & eſt tranſlatum ab aqua, quæ ex fonte profluit; in qua re verbum proprium, quod nunc in Ebræo. Proinde copiam denotat; nam hujuſmodi aqua copioſe profluere ſolet: unde quidam enarrant, *copioſe loquitur.*

Sermonem] Tacitum & ſine voce.

Indicat ſcientiam] Scientia hæc non eſt noctium proprie, ſed hominum, qui ex nocte una occaſionem arripiunt laudandi Deum, nocte altera. Sic dico; qui ex iis, quæ accidunt nocte una, ſcientiam comparant, & inſtructiores redduntur ad celebrandum Deum nocte altera.

4. *Non eſt ſermo, non ſunt verba: haudquaquam exauditur vox eorum.*

Hunc verſum Græci aliter reddunt, nempe hoc modo: Οὐκ εἰσὶ λαλιαί, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. i. *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sic etiam interpres Chaldæus. Poſt Symmach. vertit; οὐ ῥήσεσιν, οὐ λόγοις, ὧν οὐκ ἀκούονται φωναί; *Non verbis, non ſermonibus, quorum non audiuntur voces.* Apud interpretem Theodoreti: *Non verba, neque ſermones.* οὐ ῥήματα οὐδὲ λόγοι. Et Hieronym. *Non eſt ſermo, & non ſunt verba, quibus non audiatur vox eorum.* Ceterum *ſermo* eſt, ut, verbi gratia, *Johannes currit*: *Verba* ſunt, ut, *Johannes*, ut, *currit*; Quæ *voce* proferuntur, ita tamen, ut poſſit *vox* eſſe ſine *verbis*, ſic ut *verba* eſſe poſſunt abſque *ſermone.* Hoc igitur vult: Non ſermo imo ne verba quidem, immo ne vox quidem eorum auditur. *Vox* inquam; qualis eſt animalium, vel etiam rerum inanimatarum, ne quis ſomniet harmoniam corporum cœleſtium, quam perpetuam eſſe in cœlo, ac proinde non exaudiri, quidam litteris prodiderunt. Joachimus Fortius Inſtitut. Aſtronom. *Quemadmodum ex aëre virga percuſſo, ſtrepitus quidam audiri ſolet: ita ex velociſſimo ſingularum orbis, partium curſu ſingulos edi concentus vel ſonitus antiquitas putavit, quas muſas appellamus. Sunt igitur Muſæ concentus qui eduntur à circumactu ſiderum.* Hæc ille pag. 437.

Non eſt ſermo, non ſunt verba] Sermo non eſt ſine verbis, nec verba ſine voce: quocirca ſi vocem non emittunt, nec verba poſſunt facere, nedum ut ſermonem habere queant. Plerique per *verba* intelligunt hominum dialectos: iidem paulo poſt legunt, *ubi non audiatur vox eorum.* nam ſubaudiunt אשר. Sed אשר non ſignificat, *ubi.* Debet ergo amplius quid ſubaudiri; nempe, אשר שם, quæ ellipſis an recepta ſit, neſcio. Hoc ſcio non eſſe admodum uſitatam. Deinde, *verba* pro hominibus durum videtur, meis certe auribus inſolens eſt; tamen non plane damno. Expecto dum aliquis me doceat, quod neſcio.

Haudquaquam auditur] *Haudquaquam* i. non. Sic בלי pro לא, ſumitur, & ſimplicem negationem includit Hoſ. 8. 7. & alibi. Aliquando excluſive ponitur, ſed tum fere poſt ſe nomen habet.

5. *In univerſam terram exivit regula eorum, & in fines orbis verba eorum: ſoli poſuit tabernaculum in ipſis.*

In univerſam terram exivit regula eorum] Symm. olim ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν: *ſed in omnem terram exivit ſonus eorum.* Aquila . . . . . ὁ κανὼν αὐτῶν i. *regula eorum.* LXX. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν. Hieronym. *In omnem terram exivit ſonus eorum.*

Regula eorum] i. Fabrica eorum; nam fabrica ad regulam fit. Alii, *ſcriptura eorum* i. מכתבם. Sic Abenezra. Eſt ubi Aquila citetur, qui verterit, *ordo ipſorum.* Multi putant, hunc locum in Ebræo corruptum eſſe. Si vere putant, corruptus fuit vel ante tempora Hieronymi, vel poſt. Si ante, mirum cur ipſe verterit, *ſonus eorum*: ſi poſt; quid cauſæ eſſe dicemus, cur Aquila verterit ὁ κανὼν αὐτῶν? Nam קולם hoc non ſignificat. Quid, an credibile eſt, Græcos LXX. ita legiſſe? Non opinor: nam ſi legiſſent קולם, vertiſſent meo judicio, ἡ φωνὴ αὐτῶν i. *vox eorum.* Hæc etiam pugnant cum iis, quæ præcedunt; *non auditur vox eorum.* Immo contradictionem includunt. Quid igitur? Suſpicor, in ea ſententia fuiſſe, ut exiſtimarint קו hoc loco ſignificare φθόγγον; in qua videtur fuiſſe Symmachus quoque, nec non Hieronymus.

Orbis] τῆς οἰκουμένης.

Verba eorum] Supra, *non ſunt verba.* Sed diſcrimen in archetypo. Nam ibi דברים, hic eſt מלים. *Verba* דברים, cum voce emittuntur; *verba* מלים, ſine voce fiunt. ut Prov. 6. 13. מלל ברגליו *loquitur pedibus ſuis.* Nam qui geſtu manuum pedumve aliquid indicat, loquitur quidem, ſed ſine voce. Eadem eſt ratio cœlorum, quod noto, ne quis Davidem ſibi contradicere putet. Quidam interpretantur, *verba eorum*, effecta eorum, operationes eorum.

Soli poſuit tabernaculum in ipſis] A. Symm. Theodot. τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς. Juſtinus Martyr. Quæſt. ξγ'. *Syra interpretatio*, ἐν αὐτοῖς ἔθετο τοῦ ἡλίου σκήνωμα, *in ipſis poſuit ſolis tabernaculum.* Prius erat, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα αὐτοῦ: *in ſole poſuit tabernaculum ſuum* i. בשמש שם אהלו.

6. *Qui eſt tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo, geſtit ut robuſtus currere viam.*

Qui eſt] והוא *& ipſe*: verbum è verbo. Licet etiam exponere; *hic ipſe tanquam ſponſus.* Sic Pſalm. 1. והיה כעץ *hic erit quaſi arbor.* Et Sirach. 13. 16. καὶ οὐ μὴ φείσηται, *hic non parcet.*

Tanquam ſponſus] Tam ornate quam ſponſus. Moris antiqui erat, ut ſponſus comitatus parentibus & amicis, obviam prodiret ſponſæ, idque è thalamo, ad eam rem parato quem חֻפָּה vocant, *tecti* argumento. Nam חפף, *tegere.*

E thalamo ſuo] LXX. ἐκ παστοῦ αὐτοῦ. Eſt autem παστὸς, *thalamus*, quem eundem παστάδα dicunt. David Camius חֻפָּה interpretatur dicens, *eſſe locum, ubi ſe abdit ſponſus cum ſponſa.* Hodie vocatur eo nomine pannus ille, ſub quo ſponſalia fiunt.

Geſtit currere] ישיש לרוץ. Græci olim verterant, *ἀγαλλιάσεται δραμεῖν*. & Hieron. *exultavit ad currendum*. Id alii emendarunt, *gaudebit ad currendum*. Sed minus recte. Nam *gaudebit* i. ישמח. Plus autem ſignific. ישיש. Unde melius redditur, *exultat*. Sed id pro יגיל dicitur. Ideo repoſui *geſtit*, quo ſignificatur lætitia cum motu corporis, qualem canes oſtendunt, cum advenienti peregre Domino occurrunt & adulantur. Sic uſus eſt iſto verbo Joſephus ille, qui Gorionem patrem habuit, Hiſt. ſuæ lib. 1. cap. 3. *Et geſtiebant illi occurrentes, quemadmodum canes geſtiunt obviam facti Domino ſuo ex agro redeunti.* Loquitur autem de Leonibus, quibus Daniel objectus erat.

Ut robuſtus] vel *Ut miles.* Nam גִּבּוֹרִים *milites.* Appellatio à robore. *Currit ut miles*, Proverbiale, quo celerem curſum innuunt: nam milites celerrime conficiunt iter, unde *militaris gradus*, pro celerrimo. Uſus eſt hoc proverbiali & Propheta Joel, de locuſtis mentionem faciens; *ut milites*, inquit, *current.* Affine eſt in Proverbiis Salomonicis; *veniet ut vir clypeo munitus.* Nam ita militem circumloquitur. Lxx. *ὡς γίγας*, ſiquidem in lingua Chaldæorum *gigantes* גִּבָּרִין vocantur, nec eſt mihi ullum dubium, quin eo reſpexerint.

Currere viam] Ita conficit iter, ut currere videatur, & quidem curſu militari, i. quam celerrime. Sol, teſte Fortio, horæ ſpacio quindecim in mundo partes percurrit; quarum ſingulæ tam ſunt amplæ, ut quinquaginta terræ globi ne unam quidem implere poſſint.

7. *Ab extremo cœlo egreſſio ejus, & converſio ejus ad extrema ejus, & nihil abſconditum eſt à calore ejus.*

Ab extremo cœlo] Ab extremitate cœli. i. ab extrema parte, ſive ab ultimis carceribus cœli. Idem ſenſus erit, ſi legas, *à ſummo cœlo.* Sicut dicimus *æſtas ſumma*, pro ultima. Hier. *à ſummitate cœli.* Quod Græce legitur *ἀπ' ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ.* Porro autem *ἄκρον* & *extremitas*, & *ſummitas*, i. ſumma vel ſuprema pars.

Egreſſus ejus] Ortus ejus.

Converſio ejus] תקופה, *converſio.* תקופת השנה; *exitus anni.* Exod. cap. 34. verſ. 22. Judæi poſteriores תקופות vocarunt, *exitus quatuor anni temporum.* Græci *τροπὰς*, i. *converſiones* dicerent. Vulgus Aſtronomorum *revolutiones* vocant, qua voce hic uſi ſunt interpretes nonnulli: Dicitur etiam תקופה, *circuitus ſolis*, quem conficit ſpacio 24 horarum. Ut legi poſſit, pro *converſio ejus*, *circuitus ejus.* Sane David Scholiaſtes Ebræus exponit סבובו. Hieron. *curſus ejus*; מרוצתו.

Ad extrema ejus] Circuit extrema cœlorum peragrans, & ampliſſima ſpacia conficiens Sol: nam ab extremo, ubi oritur, pergit ad auſtrum; inde ad occidentem; ab occidente currit ad Septentrionem, anhelans eo unde digreſſus fuerat; ut Salomo ait. Poſſumus etiam iſta intelligere de circuitu Solis annuo, de quo in capite. Rabbi Eliezer. *Vadit ad meridiem in exitu menſis Theſri, & in exitu menſis Tebeth, & currit ad ſeptentrionem in exitu menſis Niſan, & in exitu menſis Thammuz.* Ceterum per *extrema cœli* ſignificat extrema ſpacia noſtri hemiſphærii, quatenus ea oculis conſpicua ſunt. Alioquin in cœlo, cujus forma teres ac rotunda eſt, nihil extremum aut ultimum.

A calore ejus] Non dicit *à lumine ejus*, ſed *à calore ejus*; quia calor penetrat, quo lumen non penetrat.

8. *Lex DOMINI integra, convertens animam: teſtimonium DOMINI fidele, ſapientem faciens ſimplicem.*

Ut cognitio Dei duplex eſt, ita etiam doctrina; nam *naturæ* una, & *legis*, altera. De priore hactenus; nunc agit de ſecunda. Theodoretus addit tertiam, quæ eſt *gratiæ*, quam promulgavit Servator, propoſita vita æterna omnibus iis, qui in ipſum credunt. Hanc ſignificat, cum ait; *errores quis intelligat? Lex* Ebraice תורה dicitur à docendo, nam הוֹרָה, *docuit.* Unde quidam legunt hoc loco, *Doctrina DOMINI.* Ebræi definiunt, *Lex eſt, quæ aliquid docet per certa ſigna.* Vel, *Lex eſt, quæ docet, quid fieri conveniat: ut lex jumenti, lex avium, lex leproſi, lex puerperæ, lex Nazaræi. Teſtimonium* eſt, quod teſtificatur de fœdere pacto inter Deum & populum ipſius; ut arca teſtimonii, tabernaculum conventus, tabulæ lapideæ: item, obſervatio Sabbathi & ſolennitatum, annus jubilæus, & alia. *Depoſita*, quæ apud animum noſtrum Deus depoſuit, de quibus mens, æqua an iniqua ſint, judicare poteſt. *Timor DOMINI* eſt ipſa pietas, radix & fons ſapientiæ: aut ea pars legis, quam ſæpe *ſtatuti* vocabulo ſignificant, in quo ritus ſacri, & quicquid ad Ceremonias ſpectat. *Præceptum*, quicquid obſervandum præcepit, proprie comprehendit eam partem, quam *moralem* vocant: in qua præcipitur, quid Deo, quid proximo debeatur. *Judicia* pertinent ad forum & civilem Politiam. Vocant משפטים, in queis de pœnis ſontium. Hæc fere Ebræi, à quibus nonnihil diſſentio, ut ſuis locis dicam.

Lex DOMINI] *Lex DOMINI* multis modis dicitur; nam ita vocantur decem præcepta decalogi, & quinque libri Moſis, & omnis doctrina divinitus inſpirata, ſive quæ à Deo per Prophetas & Apoſtolos tradita. Quo ſignificatu nunc accipitur, ſi credimus interpretibus Chriſtianis.

Integra] Perfecta & omnibus ſuis numeris abſoluta, cui nihil addi, nihil demi poteſt. aut *ἄμωμος* i. *immaculata*, ſincera, vitio omni carens, erroriſque plane vacua.

Convertens animam] Senſus eſt, aut hic; revocans animum ab errore in viam, corrigens vitia innata: aut hic; inſtaurans animam, nempe in priſtinum ſtatum, emendata vitioſitate naturæ. Hi duo ſenſus in unum & idem recidunt. Sunt & aliæ interpretationes. Quidam *recreans*, ſive *reficiens animam.* Alii, *tranquillans animam.* Vidi etiam, qui exponerent, *reducens animam.* i. faciens ut redeat ad ſeſe. Sic Comicus: *remigrat animus nunc demum mihi.* Ideo autem probari poteſt poſterior hic ſenſus, quoniam infra etiam ita locutus eſt, 35. 17. *Reduc animam meam à deſolationibus eorum.* Lxx. *ἐπιστρέφων ψυχάς* i. animos aut homines. Sic alibi, *capit animas ſapiens.*

Teſtimonium DOMINI] Idem aliter. Nam lex de Deo ejuſque voluntate teſtificatur. Alibi ſtrictius id nomen accipitur, pro certa ſpecie legis, ſive mandatorum Dei, ut dictum eſt.

Fidele] Fidum, ratum, firmum, certum; aut *verum*, ſive *verax*; nam hæc duo ſe invicem explicant. Sic Johan. 8. 17. *Duorum hominum teſtimonium verum eſt*, i. ratum, ſtabile, ſufficiens, idoneum.

Sapientem faciens ſimplicem] Hieron. *ſapientiam præſtans parvulis.* Id brevius extulerunt Lxx. *σοφίζουσα νήπια.* Sunt autem *νήπια pueruli* ſive *infantes*, qui עוללים vocantur Pſ. 8. & imperiti rerumque inexperti, qui hic & alibi פתאים dicuntur. Hoc ſenſu ſumpſerim Matth. 11. 25. *καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις*; ut non infantes, ſed *parvulos ac ſimplices* denotet, i. imperitos rerum minimeque malos; quos *ἀκάκους* vocant Græci. Homo *ſimplex* etiam, *εὐήθης καὶ χρηστοήθης* appellatur. Ceterum פתי de puerulis quoque dici, teſtis mihi eſt R. Aquiba in Sanhedrin, cap. 9. quod Helec vocatur. קרן בכרכי הים לינוק פתיא. *In civitatibus maritimis vocant infantes* פתאים i. *parvulos.*

9. *Mandata DOMINI recta, lætificantia cor: præceptum DOMINI purum, illuminans oculos.*

Mandata DOMINI] i. *Ἐντολαὶ κυρίου.* Sic reddunt hanc vocem Pſ. 119. 4. פִּקֻּדֶיךָ *τὰς ἐντολάς σου.* hic reddunt, *τὰ δικαιώματα κυρίου*, quæ vox ſacros ritus, totamque adeo ceremonialem legem deſignat.

Recta] *Εὐθεῖα.*

Lætificantia cor] Nam pacatam reddunt conſcientiam, unde animi lætitia non vulgaris.

Cor] Animum.

Purum] i. *καθαρόν.* Sed Græci hic legunt, *τηλαυγὴς* i. *eminus ſplendens*; longe ſplendorem ſuum emittens, aut ſpargens. nam *purum* i. טהור, aut ברה, aut נקיא. Eadem vox ſignificat, electum, ut reddi poſſit; *præceptum DOMINI electum.* Hiero. *mandatum DOMINI lucidum.*

Illuminans oculos] Oculos mentis videlicet; nam qui nulla notitia legis præditi ſunt, quaſi perpetuis in tenebris verſantur. Aut *illuminat oculos* dixit, ut prius, *lætificat cor*: Siquidem oculi in magna triſtitia caligant, ut in fame. פקודים verti, *mandata*; cui firmando eſt lingua Chaldaica, in qua *præcepta* פקודיא vocantur, cujus ſingularis פקודא, interpretamentum eſt τοῦ תורה, in hoc ipſo loco. Sed quum ſequatur *præceptum DOMINI*, id in cauſa eſt, cur quidam vertendum putent, *depoſita DOMINI.* Siquidem *depoſitum* פקדון dicitur.

10. *Timor DOMINI mundus, permanens in perpetuum: Judicia DOMINI vera, juſta ſunt pariter.*

Timor

Timor DOMINI mundus] Cur *mundus*? Quia, qui Deum timet, nullo ſcelere ſe contaminat. Quale aurum purum putum, talis eſt religio vera, talis pietas, quam gignit metus numinis. Quo qui præditus eſt, etſi poſſit impune peccare, non tamen peccat. hic timor initium eſt ſapientiæ. Sapientia vero ars bene vivendi. Nemo igitur ſapiens vere, niſi qui Deum veretur.

Mundus] In Græcis quidem Editionibus, quas mihi videre contigit, eſt ἁγνὸς. Sed interpres legiſſe videtur ἅγιος, dum verteret ex Græco; *Timor DOMINI Sanctus*. Siquidem ἁγνὸς potius *caſtum* denotat, aut *purum pudicumque*.

Permanens in perpetuum] Qui nullo unquam tempore interit, non incendio, non naufragio amittitur; cujus demum fructum in altera vita uberrimum percipimus. Aut hoc dicit propter ceremonias, quæ aliquando abolendæ erant, tantum ad tempus præceptæ.

Permanens] διαμένων. Senſum expreſſi, ut etiam Hiero. qui vertit, *perſeverans*. Verbum è verbo, *Stans*. Sic alibi; *Terra in perpetuum ſtat*. i. permanet.

Judicia DOMINI] τὰ κρίματα κυρίου. Proprie ea *præcepta*, *quæ ad forum* pertinent. interdum, *pœnæ*, *ſupplicia*.

Vera] ἀληθινά. Imo, ipſa veritas. Nam אמת, *veritas*. Vis autem in abſtracto major, quam in concreto, ut apparet.

Juſta ſunt] Nihil omnino continent, quod ſit iniquum aut injuſtum.

Pariter] Aut, ſimul vera & juſta. aut juſta ſimul omnia; ne uno quidem excepto.

11. *Deſiderabiliora auro & obryzo multo; & dulciora melle & favo ſtillante.*

Deſiderabiliora auro] Rectius; *Quæ deſiderabiliora ſunt auro*. nam in fonte הנחמדים cum articulo præpoſitivo, qui ſæpe vim eandem cum relativo אשר habet.

Obryſum] וּפז *Obryſum*, Quod eſt aurum optimum, aurum purum putum. Sic Hieron. cui favet Arabicum *Fez*, unde *Feſſa* nominata. Johannes Leo in deſcriptione Africæ: *Feſſam dictam opinantur ex eo, quod, quum prima ejus fundamenta jacerentur eo loco inventus fuerit auri cumulus, quod Arabibus Fes appellatur*. Sunt, qui *lapides* pretioſos hoc nomine ſignificari putant, in queis Lxx. nam vertunt, λίθον τίμιον. Scholia Davidis Camchi: פז *eſt aurum optimum purum; vel ſequendo alios expoſitores, ita vocantur lapides precioſi*. Ceterum ſuſpicari libet, ex hoc nomine & articulo Græco, factum eſſe τοπάζιον, aſpirata in tenuem verſa. Cui ſimile, ut cum τέφραν *cinerem* appellant, nomine ex אפר conflato; ut credibile eſt.

Multo] vel, *Copioſo*, vel *præſtanti ac pretioſo*. Utrumque legitur in Edit. Hiero. *Et obryzum pretioſum multum*. Ratio hujus dicti manifeſta eſt: ſiquidem lex ſapientiam conciliat; ſapientia in ævum durat, non item aurum: Nec amittitur, ut divitiæ. Poſtremo, qui ſapientiam impertit aliis, nihil ei decedit; quin potius aliquid accedit. Secus fit in opibus, quas, qui donat, amittit. Sic dico; Quanto plus homo profundit inconſulte largiendo, tanto pauperior evadit.

Dulciora melle] Judic. 14. 18. *Quid dulcius melle?* Sirach. 11. 3. *Minima volucrium eſt apicula, & fructus ejus primas tenet inter dulcia*. Hinc Proverbiale, *melle dulcior*. Sirach. 24. 27. *Spiritus meus melle dulcior*. Apocal. 10. 9. γλυκὺ ὡς μέλι. Rurſum Sirach. 49. 2. *Joſiæ memoria in omni ore dulcis eſt ut mel*. Pſal. 119. 103. *Dulcuerunt palato meo ſupra mel*.

Favo ſtillante] נפת צופים, *diſtillatione favorum*. ſignificat aut mel, quod per ſe fluit, & ultro è favo ſtillat. Quod genus maxime laudatur. נֹפֶת, *deſtillatio*, thema eſt נוף. Pertinet ad formam בֹּשֶׁת *pudor*, quod à בוש deducunt. Aliis נֹפֶת eſt *favus*. Græci κηρίον vocant. Iidem נפת צופים interpretantur, *favo fluido*. eadem ſententia. צופים *fluores*. Editio Hieronym. *ſuper favum redundantem*. nam צוף *redundo*. Santes, *favo placentis melle confectis*. Deeſt copula, ut ſit *favo & placentis*. In libro radicum, צופים הם חלות הדבש. Editio Chaldaica, כבריתא חליאתא. Id Latine ſonat, *favo dulci*. Uſurpat hanc vocem Syrus interpres, Luc. 24. 42. כבריתא דדובשא, *favus mellis*. In Græco eſt μελισσίου κηρίου, *favus apiarius*.

12. *Etiam ſervus tuus admonetur illis, in cuſtodiendis eis merces multa.*

Etiam ſervus tuus admonetur illis] Admonetur ſui officii. Tantumne? etiam admonitu eorum evadit melior. Non ſolum imperiti, inquit, ac ſimplices cautiores redduntur præceptis tuis: ſed etiam ego, qui ſervus tuus ſum, qui te pie ac religioſe colo. Quidam reponunt *illuſtratur*, pro *admonetur*. Quibus favet illud: *illuminans oculos*. Senſus eſt: non modo ſapientes dulciſſimum lucrum capiunt ex præceptis tuis, ſed etiam ego ſervus tuus.

Admonetur illis] vel, *In illis*. Ita Cicero dixit, *multa in extis admonemur*.

In cuſtodiendis eis] *Cuſtodire mandata* dicitur, qui ea obit, & ſecundum illa vitam inſtituit. Quidam legunt, *in obſervatione ipſorum*, eadem ſententia.

Multa] vel; *Ampla*. Merces hæc à Deo eſt, & partim in hac vita, partim in altera perſolvitur. In hac vita præmio datur piis bona conſcientia, divitiæ, longævitas, liberi &c. In altera eſt gaudium, quod percipiunt, qui in cœlo vitam degunt & æterna beatitate fruuntur. Ceterum *merces* hoc in loco עֵקֶב appellatur. Quid עקב? Proprie *calcem* ſignificat. Inde tranſtulerunt, qui pro *mercede* uſi ſunt; nam merces in opere, quod calcaneus in pede, videlicet extremum & finis. Ideo nonnulli hanc mercedem peculiariter pertinere annotant ad illud ſeculum, quod *ſeculum mercedis* appellatur, eſt autem ſeculum futurum. nam præſens vocatur *ſeculum operis*. Sane propria merces piorum eſt æterna vita, cum alia præmia fere illis communia ſint cum impiis.

Merces] Lxx. ἀνταπόδοσις. Hiero. *fructus*.

13. *Errores quis intelligit? ab occultis munda me.*

Errores] Lxx. παραπτώματα. Aquila; ἀγνοίας. Significat autem delicta per errorem, ſive per ignorantiam commiſſa.

Quis intelligit?] Nemo intelligit. nam, ſiquidem intelligerent, non facerent ea.

Ab occultis] maculis & delictis.

Munda me] Qui veſtes mundat, maculas eluit; ſed Deus hominem mundat, quando condonat delicta ejus: condonat autem, quando non punit ea.

14. *Etiam à ſuperbiis cohibe ſervum tuum, ne dominentur in me: tunc integer ero, & mundabor à ſcelere multo.*

Etiam à ſuperbiis cohibe ſervum tuum] Symmachus; καί γε ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σου: *à ſuperbis quoque cuſtodi ſervum tuum*. Prius erat, ἀπὸ ἀλλοτρίων φεῖσαι τοῦ δούλου σου. Legerunt זרים pro זדים; hoc eſt *Reſch* pro *Daleth*. Hieronym. *à ſuperbis quoque libera ſervum tuum*. i. à ſuperbiis, homines pro re ipſa. Quale illud: *Qui abſtinet à fidejuſſoribus*.

A ſuperbiis] זד, *ſuperbus & ſuperbia*. ut עד *teſtis & teſtimonium*. צר *adverſarius*, & *anguſtia*. אמונים *veritates & veraces*. Exemplorum talium pleni ſunt libri. Porro autem *ſuperbias* dicit crimina per ſuperbiam & contumaciam commiſſa.

Servum tuum] Me, qui tibi, non vitiis ſervitutem ſervio.

Ne dominentur in me] ô miſerum ſervum, qui tales habet Dominos! hic non poteſt eſſe ſervus Dei: nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire; Quocirca, quum ſim tuus ſervus, effice ne unquam dominentur in me peccata ſuperbiæ; ſic enim tuus ſervus eſſe deſinerem.

Tunc integer ero] Nove dixit אֵיתָם pro אֶתַּם, nam eſt futurum conjugationis primæ, quam vocant Kal, à themate תמם, unde & nomen, תָּם, *integer*, *perfectus*, ἄμωμος; *ſine macula*. Dicimus & תמים eodem ſignificatu.

Mundabor à ſcelere multo] Innocens ero è multis criminibus; quæ fere ſuperbiam comitantur. Quippe mater eſt multorum ſcelerum. פשע autem interdum de levioribus criminibus dicitur, ut Proverb. 11. *In multitudine verborum non deeſt ſcelus* i. mendacium. Proprie tamen *defectionem* notat, cum quis à Deo ſuo deſciſcit, eique inobediens fit: in quod crimen facile delabuntur homines arrogantes & ſuperbi. Scitum enim illud; *Peccatum trahit peccatum*; & *Merces peccati peccatum*.

Multo] vel potius, *magno* ſive *maximo*. Quod poſtremum interpretatus eſt Hieronym. Prius Græci ediderant, ἀπὸ ἁμαρτίας μεγάλης. Et Scholia Ebraica enarrant hoc loco, רב i. גדול. Notandum quoque, pro פשע, in declaratione Hieronymi legi *delictum* : & apud paraphraſtem Chaldæum חובא i. *debitum*. Ita Syri & Chaldæi *peccata* nuncupant. Ut poſſit ſenſus eſſe : *à peccato maximo* i. à defectione. Nam majus aut gravius peccatum nullum eſt.

15. *Sint accepti ſermones oris mei, & meditatio cordis mei coram te DOMINE, petra mea & redemptor meus.*

Sint accepti] Placeant. Ad verbum ; *ſint beneplacito* : quod ita dicitur, ut *odio ac ſenio eſſe* : Sic dicimus, *DOMINO abominationi eſt* : *Magiſtratui curæ eſt*. Lxx. ἔσονται εἰς εὐδοκίαν : Quod ſonat Latine, *erunt in beneplacitum*. Hic ſermo ἑβραΐζει. Sic, *eſſe in benedictionem*.

Meditatio cordis mei] Quæ animo meditor & cogito apud me.

Petra mea] Chaldæus תקפי, & Hieronym. *fortitudo mea*. Sed Græci Lxx. βοηθέ μου. Poteſt etiam reddi, *Deus meus*, nempe cui fido. Et

Redemptor meus] Qui me vindicas ab erroribus & ſuperbiis.

FINIS.

RO-

RODOLPHI BAYNI CANTABRIGIENSIS

ET

Sanctæ Linguæ Regii Profeſſoris Lutetiæ

AD

HENRICUM REGEM GALLIARUM

PRÆFATIO.

PRæclarum magnis principibus præbens exemplum Rex Salomon, etiamnum adoleſcens & penè puer, à cultu numinis regnum auſpicatus. Aſcendens enim ad altare æneum coram tabernaculo fœderis Domini hoſtias obtulit. Et in ipſa nocte cœlitus conceſsâ facultate petendi, *Da mihi*, inquit, *ſapientiam & intelligentiam ut populum tuum judicare poſſim, & diſcernere inter bonum & malum. Quandoquidem hanc rem poſtulaſti* (Divinum reſpondet oraculum) *non vitam longævam, non opes, non ultionem ex inimicis, ecce* (inquit) *dedi tibi cor ſapiens & intelligens, ut nullus ante te tui ſimilis fuerit, neque poſt te ſurrecturus ſit.* Et ut ſcribitur in antiquis annalibus, *dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam valde multam, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Erat* (inquit ſacer hiſtoriographus) *ſapientior cunctis hominibus.* Et quando, inquit Paulus, *Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem,* Salomon omni poſteritati prodeſſe cupiens, hunc Parabolarum librum nobis reliquit לדעת חכמה *ad ſciendam ſapientiam*, ut eſt in exordio libri, dubitare poterit nemo, quin rara quædam & cœleſtis ſapientia ſit in hoc opuſculo prodita. In quo is qui reliquos mortales ſapientiâ præceſſit, ſapientiam ex profeſſo tradere inſtituit. Mirata eſt olim antiquitas hoc nomine Thaletem, Solonem, Biantem, & aliquot alios: ſed Socratem imprimis, Apollinis oraculo judicatum omnium ſapientiſſimum; vel quòd conſtanter aſſereret ſe nihil ſcire, vel quòd primus philoſophorum relictâ cœleſtium rerum inveſtigatione, nempe de ſiderum curſu, magnitudine & intervallis, philoſophiam è cœlo in urbes avocaſſet, & à ſapientum gymnaſiis in privatas deduxiſſet domos, neque omnium rerum divinarum humanarumque ſcientiam eſſe philoſophiam (ut veteres illi) exiſtimavit; ſed mortis meditationem potiùs, cum Paulo Apoſtolo hac in re conſentiens, qui quotidie moritur per noſtram ſalutem, & cui mori lucrum eſt. Meritò igitur Socrates primus obtinuit inter philoſophos, ut qui de mortalibus optimè mereri ſtuduit, & eam artem tradere, quæ ad bene beateque vivendum imprimis ſpectare & valere ſibi videretur. De virtute totus fuit illi ſermo, in qua ſola beatam collocavit vitam. Nam rogatus de magno Perſarum Rege, beatuſne eſſet, ut eſt apud Platonem in Gorgia, Non poſſum dicere, reſpondet, cùm ignorem quàm ſit vir bonus. Prorſus exiſtimans bonos beatos, improbos miſeros. Miſer eſt ergò Archelaus, qui tunc temporis fortunatiſſimus habebatur: Certè, inquit, ſi injuſtus. Præclara quidem ſunt iſta, ut pleraque Stoicorum placita, qui unà nobiſcum negant vel corporis dotes, vel fortunæ bona, ad animi felicitatem eſſe requirenda. Cæterùm iſtos, quamlibèt præclarè philoſophantes, à ſapientia quam profitebantur alieniſſimos fuiſſe conſtat, ut qui nè principium quidem ſapientiæ noverant. *Initium* (inquit) *ſapientiæ, timor Domini*; & unius veri Dei vera & caſta religio. Multa ex noſtris libris hauſerant. Nam apud Platonem, Deum mundi fabricatorem reperias: apud Zenonem, inferos, & immortales animos, unum & ſummum bonum honeſtatem. Magño ſtudio circa veritatis inveſtigationem occupati, &, ut inquit Paulus, γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Sed *cùm Deum*, ipſam veritatem, *cognoverunt, non ſicut Deum glorificaverunt, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti fuerunt:* hæc ille, *qui ſapientiam loquitur inter perfectos, non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur. Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio* (inquit) *quam prædeſtinavit Deus.* Hanc Salomon ut longè excellentiùs quàm ullus philoſophorum intellexit, ità ſenſibus hominum objicere & pectoribus inſtillare modis omnibus conatus eſt. Nam apud hunc velut in theatrum prodiens Sapientia, imò in ſuggeſtum aſcendens, concionabunda, *O viri, ad vos clamito* (inquit) *& vox mea ad vos, ô filii hominum: intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animadvertite. Audite, quia de rebus magnis locutura ſum.* Quod ſi quæ ſim quæras, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum: quando præparabat cœlos, aderam. Per me reges regnant & principes imperant: mecum ſunt divitiæ & gloria: melior eſt fructus meus auro: ego diligentes me diligo:* &, *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Sed antequam has magnas ſapientiæ dotes, & ſublimitatem proponat nobis Salomon, à magnis ſceleribus & flagitioſis criminibus auditorum animos purgare graviſſimâ doctrinâ ſtudet. In principio libri, à furto, rapinis, libidine, & aliis id genus flagitiis vehementer deterret: rem familiarem rectè inſtituere & adminiſtrare docet in ſeptem primis libri capitibus. Ut honeſtate morum & omni probitate ornati accedamus ad Sapientiam ſuas virtutes in octavo & nono capite prædicantem, & ut mirificos illius concipiamus amores, ac denique aures libenter accommodemus Sapientiæ præceptis, quæ à principio decimi capitis ad trigeſimum uſque denſiſſimè conſtipantur, ſubobſcuris loquendi ſchematibus, & tanquam mella in favis reconduntur, variis ſtultitiæ ge-

neribus è regione collocatis, quò ex tenebrarum horrore gratior ſit lucis aſpectus, miro & incredibili planè artificio. Ad hæc omnibus ferè rebus, ſive à natura productis, ſive ad uſus humanos inventis, abutitur Salomon, ad varias ſapientiæ partes explicandas. Non ſolùm omnes hominum conditiones, Reges & ſubditos, parentes & liberos, conjuges, amicos, divites & pauperes, opifices, agricolas, doctos & imperitos, probos denique & improbos, omnes in theatrum accedere, & Sapientiæ audire præcepta magnopere invitat. Noverat enim nullam vitæ partem, neque in privatis neque publicis rebus, Sapientiæ præceptis poſſe carere. Porrò temerarios eſſe mortales, ſeriis rebus ferè non vacare, gravibus ſapientum elogiis vulgus hominum non delectari haud ignorans, in omnes ſe vertit formas Salomon. Nunc blandè, nunc aſperè caſtigat, puераſcens pene cum pueris, jocatus cum imperitis, & cum impudicis mulierculis propemodum laſciviens: ſtertit cum ſomnolentis & pigris, cum laborioſis agricolis copioſam colligit annonam. Cum bonis parentibus virgis cædit liberos, cum judicibus populi jura decernit, & civibus æquitatem legum deſcribit: cum regibus denique, & ducibus juſtitiam colentibus, timorem incutit contumacis & præfracti ingenii hominibus, quos imperio facile parere cogit: unicuique patello dignum coaptans operculum. Novit etiam cum fabris frabilia tractare: rudes & ignaros non ſtatim in ſapientiæ conclave intromittere voluit, neque nudas porrigere margaritas illotis contrectandas manibus, ſed veluti per cancellos obſcuro lumine ſpectandas primò; imò verborum ambagibus, & ſermonis coloribus auditorum pectora percutiens, è lapideis hominum imperitorum cordibus, tanquam è ſilice, ſcintillas ſapientiæ cogit emicare. Sed de his hactenus: nam ad ſapientiam Salomonis digne decorandam ac depingendam non mediocri ſapientiâ opus eſſe videmus. Suſcepimus hunc librum interpretandum, ut pauca de noſtro dicamus inſtituto, non ſolùm quòd reconditam videretur habere doctrinam, & tanto authore non indignam, ſed etiam quòd concionatoribus ad plebem, & corruptiſſimis noſtri ſæculi moribus caſtigandis vehementer accommodus. Qua in re ſi quando aliàs, nunc maxime eſt elaborandum: Nam ex quo tempore de dogmatibus fidei, de ritibus eccleſiæ, & myſteriis Chriſtianæ religionis dubitare & digladiari cœperunt iſti, quantum fide promovimus, doctorum hominum eſto judicium. Quanta vero clades morum, quanta probitatis & pudicitiæ jactura, quanta denique totius diſciplinæ & ſanctorum Canonum ſubverſio ſubſecuta ſit, heu nimiùm clare vident omnes! De dogmatibus vel retinendis vel recuperandis, quæ ab importunis hominibus labefactari cœperant, à quamplurimis ſtudioſe & magna cum laude deſudatum eſt, & libris editis pro veritatis defenſione pugnatum eſt egregie. Ipſe vero in hoc pernicioſo Chriſtiani orbis incendio, unà cum aliis cupiens operæ manus admovere, ſuſcepi hanc Salomonis philoſophiam moralem explicandam, ut ex fontibus Hebræorum reconditis leviter & quàm fieri poteſt lympide, in legentium animos defluat. Utcunque, ſi non eruditis, tamen lucidis illuſtrare commentariis, & commentandi ratione longe ſejunctâ ab omnibus illis qui priùs huic operi manus admoverunt: ne quis me dicat rem actam agere, & hoc opus poſt magnos viros velut ad incudem fruſtrà revocare. Nam præter aliorum, inter opera D. Hieronymi docti exſtant commentarii, quos doctorum conſenſus jamdudum Bedæ tribuit. Cujus autoritas, & patria communis, mihi quoque calcar addiderunt, cupienti illam operis partem abſolvere, quam ab eo viro fere prætermiſſam video, nempe hiſtoricum & craſſiorem ſenſum, quem ego fuſiùs proſecutus ſum juxta proprietatem linguæ Hebraïcæ, variis modis pro ambiguitate ſive (ut ego interpretor) pro ubertate Scripturæ eundem explicantes locum, ſuum lectori relinquentes judicium, noſtrum quoque interponere ſæpiſſime non dubitavimus. Novam verſionem adjecimus quibuſdam in locis, ubi noſter Interpres Septuaginta potiùs quàm veritatem Hebræam ſecutus eſt. Allegoriam & ſenſum ſublimiorem minime neglexìmus. Ante omnia dedimus operam, ne noſtris intelligendis aliis eſſet opus commentariis: ſed ut graviſſimas ſententias & magnâ difficultate impeditas, quantâ potuimus luce claras efficeremus. Id quod ſi ſumus aſſecuti, non noſtram, ſed poſt Deum linguæ Hebraïcæ laudem eſſe cupimus; Imo tuam, Rex Henrice, cujus nominis Majeſtati hos noſtros labores conſecramus: non ſolùm quod in celeberrima Academia tuo ſalario literas Hebræas publice profitemur; ſed quod præter alias inſignes virtutes & vere heroicas, quas in te admiramur, etiam literarum & artium Profeſſoribus magnifice pergas illuſtrare tuum regnum, ſecutus exemplum Parentis tui feliciſſimæ memoriæ Franciſci, qui hoc nomine immortalitatem per orbem conſecutus, perinde hominum memoriâ vivit hodie, ac cùm ſtipatus ſuorum turmis ſuper terram mortalis incederet. Alia laudum encomia, ſive belli ſive pacis artibus comparata, erunt tibi, Rex, cum aliis Galliarum Regibus communia: verum hic literarum honos, & artium liberalium decus, quibus non tuum regnum ſolum, ſed orbem Chriſtianum illuſtras, tuum erit & Parentis tui duntaxat; ut quorum magnificentiâ denuo ditatus videatur mundus, & varia linguarum genera conſecutus, ut olim naſcente eccleſiâ Chriſti. Tuo igitur jure vendicare potes, non ſolùm ſi quid à tuis Profeſſoribus adminiculo literarum lucubratum fuerit; ſed quotquot hac ætate prodeunt literarum monumenta, Chriſtianiſſimi Regis Galliarum ſubſidia agnoſcant oportet. Quare macte virtute perges (nemo dubitat) indies hanc nominis tui celebritatem pene pluſquam regiam augere: adjutus præſertim opera, prudentia invitatus, & firmatus conſilio Reverendisſimi & Illuſtrisſimi Cardinalis Lotharingi. Qui cum tuæ Majeſtati ubique adſit, mira dexteritate in omnibus rebus gerendis, tum in hac parte laudis inſignem navat operam, & Profeſſoribus literarum & artium addit animos, humanitate invitans, & autoritate calcaria ſubjiciens, ut hoc vel totius orbis lumen accenſum ſemel, indies longius & ſplendidius porrigat radios, volente Domino Jeſu, qui tuam Majeſtatem diu ſervet incolumem. Lutetiæ.

ANNO-

ANNOTATA
AD LIBRUM
PROVERBIORUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. Titulus hujus libri more Hebræorum cohæret cum reliquo contextu. Eſt autem hic titulus PROVERBIA SALOMONIS FILII DAVID, REGIS ISRAEL. UNDE DISCAS SAPIENTIAM ET ERUDITIONEM, &c. Hebræi Proverbium ſic definiunt, הוא דבר נאמר על צד הרמזין לתת ציור בדבר הנרצה כמו האשה הטובה משל לתורה והזונה לעבודה זרה. Verùm neſcio an hæc deſcriptio ſatisfaciat curioſo lectori, cùm Salomo magis Sententias vulgares in hoc proponat libro quàm Similitudines. Porrò ſententiæ iſtæ proditæ ſunt de variis rebus & eventibus humanis atque communibus caſibus, etiamſi plurimæ ad formas virtutum & vitiorum referri poſſint. Eſt enim libellus hic compoſitus ut ratio quædam ſit inſtituendæ vitæ.

2. *Sapientiam*] Noſtri accipiunt *ſapientiam* pro *cognitione Dei.* Aben-Ezra exponit *timorem Domini*; & Kabuenaki עיון *ſpeculativam cognitionem*, ſicut מוסר accipit pro *caſtigatione* מדות המגונות *turpium morum.* ¶ Per *verba intelligentiæ* accipe cognitionem retruſiorum ſententiarum Scripturæ.

3. *Eruditionem prudentiæ*] Aben-Ezra putat legendum, *eruditionem & prudentiam.* Alii verò advertentes Pathah ſub Samech, h. e. ſtatum regiminis, ſic legendum contendunt, *Ut ſuſcipias caſtigationem à rectè inſtituta ratione.* Per מישרים intellige יושר *rectitudinem in judicio ſervandam.*

4. *Simplicibus*] Sunt פתיים qui veluti arundo mobiles ſunt & non ſolidati, citò perſuaſibiles & flexibiles in malum.

5. *Cognitionem*] Eſt לקח *augmentum ſcientiæ*, quod diſcipulus acquirit ex doctrina eruditi præceptoris. תחבולות verò definit Kimhi eſſe *ratiocinationes & preſſas conſiderationes ſublimium cogitationum.*

7. *Timor Domini initium ſapientiæ*] Quidam ſic interpretantur, *Fundamentum & baſis veræ ſcientiæ eſt timor Domini:* alii ſic, *Prima & præcipua ſcientia eſt timor Domini.*

8. *Legem matris tuæ*] h. e. inſtitutionem & formationem in moribus, quibus puer ornatur & fit gratus hominibus.

17. *Fruſtrà itaque expanditur rete*] h. e. Sicut innocenter & ſine earum culpa capiuntur aves, ità accidit bonis quibuſque viris, quibus peſſimi inſidiantur uſque ad mortem.

19. *Qui inhiat ſubſtantiæ*] Capitur hîc בוצע pro גזל *raptore*, & בצע pro ממון *ſubſtantia*, atque *anima* pro *vita*, quæ ſuſtentatur per exteriora bona, quæ raptor tollit.

22. *Ignavi*] R. Levi exponit hîc פתיים pro *his quorum cognitio eſt parva, & qui facilè ſeduci poſſunt.* Eſt autem querela contra eos qui contemnunt verbum Dei.

30. *Non acquieverunt*] Verbum אבו ſuprà v. 10. ſcribitur converſis literis, תבא pro האבה.

32. *Quies ignavorum*] Aben-Ezra exponit hîc משובת pro מנוחה *otio. Otium*, inquit, *eſt cauſa quòd multi cadunt in impietatem.* Alii accipiunt pro *averſione*, quâ ignavi ſe à Deo avertunt.

VATABLUS.

Librum iſtum LXX. Interpretes inſcripſerunt ΠΑΡΟΙΜΙΑΙ ΣΟΛΟΜΩΝΤΟΣ, PROVERBIA SOLOMONIS. Hebræi autem משלי שלמה, quod ſignificat *Similitudines* & *Comparationes*, quas Græci παραβολὰς vocant.

2. *Ad ſciendum* לדעת] Ad verb. *Ad intelligendum*, ſub. *aptè & accommodè.* Quidam vertunt *unde diſcas.* ¶ *Et eruditionem* ומוסר] *Et caſtigationem*, ſive *correctionem.* Alii, *diſciplinam.* Vox Hebræa ſignificat etiam *mores.* ¶ *Intelligentiæ* בינה] *Prudentiæ.*

3. *Eruditionem* מוסר] Eadem vox quæ præced. verſu. ¶ *Intelligentiæ* השכל] *Prudentiæ.* Alii, *intelligendi*; ut ſit infinitivus: i. e. prudenter agendi. ¶ *Et rectitudines* ומישרים] *Et æquitates.* Alii, *& ea quæ æqua ſunt.*

4. *Simplicibus calliditatem* לפתאים ערמה] Sub. *bonam.* Alii, *aſtutiam*, ſive *ſolertiam. Simplices* vocat qui facilè huc & illuc impelluntur, à verbo פתה quod *inflectere, malè perſuadere*, & *ſeducere* ſignificat. ¶ *Scientiam & cogitationem* דעת ומזמה] *Intelligentiam & conſilium.* Alii, *ſcientiam atque rectam cognitionem*, ſive *perſpicientiam.*

5. *Audiet* ישמע] Subaudiunt quidam, *quas cùm audiet.* ¶ *Et addet doctrinam* ויוסף לקח] Chald. *addet ſcientiam.* Hebraïſmus, pro *fiet doctior*; ſive, *cognitione promovebit.* ¶ *Et intelligens conſilia poſſidebit* ונבון תחבלות יקנה] *Et præditus intelligentiâ artes acquiret.* Alii, *& qui judicio pollet ingenioſa conſilia conſequetur.* Alii, *ſolertiam*, vel *induſtriam*, ſive *inventa ſubtilia.*

6. *Parabolam* משל] i. e. Sermonem parabolicum. Vide tituli expoſitionem. ¶ *Et elocutionem* ומליצה] *Et enarrationem, interpretationem*, ſive (ut loquuntur Hebræi) *menſuram & pondus verbi.* ¶ *Et ænigmata eorum* וחידתם] Vox hæc, ut & Græca, *obſcuros & involutos ſermones* ſignificat. Exemplum ænigmatis & parabolæ habes apud Ezechielem, 17. 2.

7. *Et eruditionem* ומוסר] *Et diſciplinam*: vel, *correctionem.* ¶ *Deſpexerunt* בזו] Præt. Heb. pro præſ. *contemnunt, deſpicere ſolent.*

8. *Eruditionem* מוסר] *Diſciplinam, caſtigationem, correctionem.*

9. *Adjectio gratiæ* לוית חן] *Additamentum* [ſive *augmentum*] *gratiæ*: vel *copulationem.* Alii, veluti *ſuperaddita gratia.* Alii, *Ea gratiam addent.* Alii, *ſertum gratiæ*; i. e. gratioſum & elegans: vel, *coronam gratiæ.* Similia verba habes infrà 4. 9. ¶ *Gutturi tuo* לגרגרתיך] Ad verb. *gutturibus tuis*, i. e. collo tuo. Pluralis eſt vox Hebraïca, quòd colli duæ ſint partes.

10. *Seducere voluerint te* יפתוך] *Decipere voluerint te.* Alii, *perſuadere voluerint.* ¶ *Nè acquieſcas* אל תבא] Ad verb. *nè velis, nè deſideres*, ſive *concupiſcas* aut *complaceas.*

11. *Sanguini* לדם] Pro *hominibus* poſitum eſt. ¶ *Inſidiemur innocenti*, &c. נצפנה לנקי חנם] *Abſcondamus* [ſub. *retia*] *innocenti nullâ cauſâ*: i. e. etiam non laceſſiti. Alii, *abdamus nos contra innocentem* [vel *mundum*] *fruſtra.* Alii, *abſconditi latitemus contra inſontem abſque cauſa.*

12. *Deglutiamus eos ſicut ſepulcrum* נבלעם כשאול] *Devorabimus eos inſtar inferorum*, vel *barathri.* ¶ *In foveam* בור] *In voraginem*: ſignificat *foveam in qua non eſt aqua.*

14. *Inter nos* בתוכנו] Ad verb. *in medio noſtri.* Quidam, *Sortire tu nobiſcum.*

15. *Prohibe* מנע] Quin potiùs *arceto*, &c. Repetitio.

16. *Currunt, & feſtinant* ירוצו וימהרו] Futura Heb. pro præſ.

17. *Certè ut ſine cauſa*, &c. כי חנם וגו'] Variè hic locus vertitur ab Interpretibus. Primò ut hic vides; cujus verſionis ſenſus eſt, *Certè* (vel *Quia*) ut *ſine cauſa avibus innocuis expanditur*

rete,

rete, ità hi ſine cauſa inſidiantur vitæ eorum quos occidere cupiunt, ut illorum rapiant bona. Simplicior hæc videtur opinio, cui etiam quadrat ſequens verſus, *Tales ſunt viæ omnium illorum qui lucro inhiantes, ſine cauſa alios occidunt.* Secundò, *Quia* ut *fruſtrà ſparſum eſt rete ante aves, quòd illud non percipiant præ aviditate cibi ſuprà illud jacti, quæ cauſa eſt ut non ſibi caveant à reti; ſic iſti nullo periculo deterriti, ſed avaritiâ illecti, ſanguini ſuo, ſive ſibi ipſis, inſidiantur, & contra vitam ſuam abſcondentes ſe, inſidiantur aliis.* Tertiò, quidam ſecundum verſum referunt ad *habentes alas*, & exponunt, *Et ipſi homines inſidiantur ſanguini eorum qui habent alas*, i.e. volatilium; *& abſcondunt ſe contra animam eorum volatilium, ut occidant ea.* ¶ *Spargitur* מזרה] Particip. paſſivum fœm. *ſparſum eſt, diſpoſitum, jactum*; pro *ſpargitur.* ¶ *Omnis avis* כל בעל כנף] Ad verb. *omnis præditi alá*, vel *habentis alam.*

18. *Sic hi* והם] Ad verb. *Et hi.* Annotant Hebræi, in hoc libro ו ſæpe poni pro *ſic.* ¶ *Sanguini eorum* לדמם] Nempe eorum quos occidere conantur. Ità vertendum juxta priorem interpretationem. Si ſequaris ſecundam, vertes *Sanguini ſuo*, & *contra vitam ſuam*, per pronomen reciprocum. Si tertiam, vertendum eſt, *& ipſi ſanguini eorum* [ſub. *volatilium*] *inſidiantur, & abdunt ſeſe contra vitam eorum*: i.e. ut volatilia occidant: & ſequitur, *Sic ſemitæ*, &c.

19. *Tales* כן] Ad verb. *Sic*, pro *Tales.* ¶ *Lucro inhiantis* בוצע בצע] Ad verb. *cupientis cupiditatem*: vel, *concupiſcentis concupiſcentiam*: i.e. qui avidè ſtudet divitiis. Alii, *qui inhiat ſubſtantiæ.* ¶ *Dominorum illius* בעליו] Plur. pro ſing. Relativum ſine antecedente *illius*, nempe *theſauri* quem concupiſcunt lucro inhiantes. Alii, *poſſidentis ipſum.* Sunt qui referunt ad *animam*, vertentes, *animam tollit ab illis qui eam poſſident.* ¶ *Capit* יקח] Fut. pro præſ. *auferre ſolet, capit*: i.e. occidit, nempe impius. Sic Elias dicebat, *Cape animam meam*, i.e. occide me, 1 Reg. 19. 4.

20. *Sapientia* חכמות] Plurale eſt Heb. *ſapientiæ*, quo uſus eſt non quòd ſit multiplex ſapientia, ſed quòd (ut quidam ex Hebræorum commentariis ſcribunt) à multis doceri ſoleat, à Moſe, Prophetis, & aliis. ¶ *Foris* בחוץ] *In vico*, ſive *vicis.* ¶ *Dat* תתן] Fut. Heb. pro præſ. *edit.*

21. *In capite tumultuantium* בראש הומיות] Sub. *multitudinum.* Alii, *In loco editiore turbarum.* Alii, *In præcipuis comitiis.* Alii, *In capite* platearum *ubi turbæ ſunt.* ¶ *Portarum* שערים] i.e. Urbium: ità capitur Deut. 12. 12. Alii ſubaudiunt *judicii*, quòd in portis urbium Judices jus dicerent.

22. *Simplices* פתים] Vide ſuprà, v. 4. Quidam, *Imperiti diligetis imperitiam.* Alii, *ſtolidi ſtoliditatem*, vel *ignavi ignaviam diligitis.* ¶ *Et deriſores deriſionem* ולצים לצון] *Callidi calliditatem*: vel, *ſuperbi*, ſive *elati, ſuperbiam.* Alii, *detractores detractionem.*

23. *Convertimini* תשובו] *Advertite.* Alii, *Reſipiſcite.* ¶ *Depromam* אביעה] *Effundam, efflabo*: Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Spiritum meum* רוחי] i.e. Mentem & voluntatem meam. ¶ *Scire vos faciam*, &c. אודיעה דברי אתכם] Hebraïſmus, pro, *ſententiam meam vobis exponam.*

24. *Extendi manum meam* נטיתי ידי] More ſcilicet indicentis ſilentium.

25. *Et ceſſare feciſtis* ותפרעו] Ità Hebraïcè: pro quo vertunt quidam, *Et* propterea quòd *reſpuiſtis*, vel *neglexiſtis.* Alii, *irritum feciſtis.*

26. *In contritione veſtri* באידכם] *In calamitate veſtra.* Vox Hebræa איד ſig. *vaporem*, & *caliginem*, & *calamitatem*: quia qui ſunt in calamitate videntur eſſe in caligine. Alii vertunt *in dolore veſtro.* Alii, *in perditione veſtra.* Quidam, *ad perniciem veſtram.* ¶ *Timor veſter* פחדכם] i.e. Id quod timebatis.

27. *Sicut deſolatio* כשואה] *Sicut vaſtitas.* Quidam vertunt *ſicut clamor*: ſubitò ſcilicet. ¶ *Et contritio veſtri* ואידכם] *Et calamitas.* Vide præcedenti verſu.

28. *Invocabunt* יקראנני] Mutatio perſonæ, pro *invocabitis.*

30. *Nec acquieverunt* לא אבו] *Nec voluerunt*, ſub. *obedire.* Idem verbum quod priùs, v. 10.

31. *Viæ ſuæ* דרכם] Sic Heb. i.e. ſtudiorum & operum ſuorum. ¶ *Saturabuntur* ישבעו] Hebraïſmus, pro, *ad ſaturitatem uſque utentur conſiliis ſuis.* Deus enim eos deſeret, ut ſuo ſe conſilio regant.

32. *Requies* משובת] q. d. Rebus ſecundis perdi ſolent ſtulti. Alii vertunt, *averſio, defectio*, ſive *rebellio.* ¶ *Simplicium* פתים] Vide v. 4. & 22. ¶ *Interficiet eos* תהרגם] Fut. Heb. pro præſ.

33. *Mali* רעה] *Afflictionis.* Exponit quod dixerat *confidenter*, ſive *in confidentia.*

CASTALIO.

17. F*Ruſtrà autem tenditur rete ante oculos cujuſquam alati*] Ut avis viſum rete volatu, ſic tu malorum inſidias præmonitus facilè potes effugere.

18. *Illi quidem ſuo ipſorum ſanguini inſidiantur, ſuam ipſorum vitam inſidentes*] Malum conſilium conſultori peſſimum.

30. *Itaque ſuarum actionum fructu veſcentur, ſuiſque ſaturabuntur conſiliis*] Dignas ſuis conatibus pœnas dabunt.

CLARIUS.

1. CUm titulus hujus libri ſit PARABOLÆ SALOMONIS, appellatione *Parabolarum* non comprehenduntur in Scriptura ſimilitudines tantùm, verùm etiam ſapienter dicta: ut illud, *Aperiam in parabolis os meum.* Hîc autem ſententiæ iſtæ proditæ ſunt de variis rebus & eventibus humanis atque communibus caſibus, etiamſi plurimæ ad formas virtutum & vitiorum referri poſſint. Eſt enim libellus hic compoſitus ut ratio quædam ſit vitæ inſtituendæ.

2. *Ad ſciendam ſapientiam*] Quidam Hebræorum exponunt *timorem Domini.* ¶ Per *verba prudentiæ* accipe cognitionem abſtruſiorum ſententiarum Scripturæ. Sed videtur appellatione *ſapientiæ, diſciplinæ, prudentiæ, eruditionis*, &c. idem voluiſſe intelligere, videlicet Inſtitutum eſſe hoc opus ad formandum ad meliora animum.

4. *Ut detur parvulis aſtutia*] Vel, *ſimplicibus calliditas*; iis ſcilicet qui veluti arundo mobiles ſunt & minimè ſolidi, quibus citò perſuadeatur ut inclinent ad malum.

7. *Timor Domini*] Quidam ſic interpretantur, *Fundamentum & baſis veræ ſcientiæ eſt timor Domini*: alii ſic, *Prima & præcipua ſcientia eſt timor Domini.*

8. *Legem matris tuæ*] h.e. Inſtitutionem & formationem in moribus, quibus puer ornatur & fit gratus hominibus.

17. *Fruſtrà jacitur rete*] h.e. Sicut aves innocentet & ſine culpa earum capiuntur, ità accidit viris bonis, quibus peſſimi inſidiantur uſque ad mortem. Sed videtur hic propriè ſenſus, *Fruſtrà ſpargitur* (ſive *aſpergitur*) *rete*: ut dicat, Aucupes ſpargunt ſuper rete grana ſeminum, ut capiantur aves; & aves putant illa ſemina carere dolo, non advertentes rete. Sed aucupes *ſanguini eorum inſidiantur*, &c.

19. *Animam poſſidentium rapiunt*] Intellige *eorum qui illam habent.*

20. *In capite turbarum*] h.e. Ubi conveniunt turbæ.

22. *Uſquequo parvuli*] Alius vertit, *Quouſque, ignavi, diligitis ignaviam, & deriſores illuſionem ſibi vendicant?* Accipitur tamen pro iis quorum cognitio eſt parva, & qui facilè ſeduci poſſunt. Eſt autem querela contra eos qui contemnunt verbum Dei.

27. *Cùm irruerit repentina calamitas*] Heb. *Cùm venerit quaſi vaſtitas timor veſter*: i.e. id quod timuiſtis.

32. *Averſio parvulorum*] Alius vertit *quies ignavorum*: ut ſit ſenſus, *Otium cauſa eſt cur multi cadant in impietatem.* Accipitur tamen & pro *averſione*, quâ ignavi ſe à Deo avertunt.

R. BAYNUS.

1. P*Arabolæ Salomonis filii David, Regis Iſraël*] Tres libros compoſuiſſe Salomonem citra controverſiam aſſerunt omnes. Rabbinorum ſententiâ Canticum Canticorum etiamnum adoleſcens conſcripſit: Proverbia, jam grandis natu, ac ætate virili: Coheleth, ſive Eccleſiaſten, conſeneſcens. Atqui hujus rei conjecturam faciunt ex variis iſtorum operum inſcriptionibus. Nam in Cantico nominis ſui duntaxat fecit mentionem: Proverbiis, Regem Iſraël adſcripſit: in Eccleſiaſte denique, Rex in Hieruſalem vocari voluit. Proverbia משלי vocant Hebræi: quæ vox *Similia* potiùs ſignificat, ſive *Metaphoras*, cùm unum dicitur, & aliud intelligitur. Id quod duplici de cauſa fieri ſolet: quandoque ut detur cogitandi ratio, & ut meliùs intelligatur quod dicimus, cùm ſimilitudine propoſitâ docemus aliquid: quandoque ad excitandos auditorum animos parùm attentos; ut cùm non ſatis intelligant quod dicitur, anſam perſcrutandi habeant. Atqui hac de cauſa Chriſtus à diſcipulis rogatus, ut eſt in Evangelio Lucæ c. 8. *Quare in parabolis loqueris eis?* Reſpondet, *Ut videntes non videant, & audientes non intelligant*: omnes, videlicet; ſed hi ſolùm qui ſtudioſè audientes cum Apoſtolis, latentem inveſtigarent ſenſum. Non ſunt tamen hujus generis omnia Salomonis proverbia: ſed ut inter adagia, à profanis

nis auroribus uſurpata, quædam clara ſunt, neque ullà ſimilitudine ſenſum obumbrant, cujus generis eſt illud, *Filius ſapiens latum reddet patrem, ſtultus vero filius eſt mæſtitia matris ſua*: utcunque, nullum ferè reperies quod ad inſtitutionem morum, & moderationem vitæ atque prudentiam non pertineat. Quare tradita à Græcis adagii deſcriptio, his proverbiis non minùs quadrare deprehenditur quàm profanis parœmiis, nempe, *παροιμία ἐςὶ λόγος ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ, ἐπικρύψει μετρίᾳ πολὺ τὸ χρήσιμον ἔχων*, h. e. *Proverbium eſt ſermo ad vita rationem conducibilis, moderatâ quadam obſcuritate multam in ſe continens utilitatem*. Sunt præterea ex his quæ nihil *γνωμικὸν* habere videntur, neque quidpiam ſenſûs ſecretioris: ubique tamen plus in receſſu continent, quàm primâ facie præ ſe ferunt. Neque ullum vel ex univerſo proverbiorum numero reperias, quantumvis humile aut obvium eſſe videatur, quod non eximium ſapientiæ dixeris elogium, & ſapientiſſimo Salomone dignum, ſi modò veram & germanam aſſecutus fueris intelligentiam. *Parabolæ Salomonis filii David Regis Iſraël*] Primus verſiculus operis inſcriptionem & nomen autoris continens, more Hebræorum veluti pars totius operis initium libello præbet, quem משלי שלמה vocant Hebræi, à משל *aſſimilavit*, Græci verò *ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν*, *parabolas*; tamen LXX Interpres *παροιμίαι Σολομῶντος*, *adagia Salomonis*, reddiderunt. Latinè *Similia*, vel, quod uſus magis obtinuit, *Proverbia*, vel *Exempla* dici poſſunt. Denique ſunt pleræque ex his parabolis, *γνῶμαι* graveſque ſententiæ, aut Sapientiæ præcepta, ad vitiorum fugam, & virtutis amorem ſpectantia. *Filii David*, non ſolùm ad dignitatem autoris ſpectat, ſed ad commendationem operis, cujus autor fuit vir ſapiens, & filius viri ſapientis. Ultima verſiculi clauſula, nempe, *Regis Iſraël*, juxta diſtinctionem lectionis Hebraïcæ, non ad Davidem, ſed ad Salomonem refertur. Contextus denique hunc habet ordinem; Hæc ſunt Proverbia, vel hæ ſunt ſimilitudines, quas dixit vel conſcripſit Salomon, in eum uſum & finem, qui ſequentibus verſiculis continetur, nempe

2. *Ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ*. Hebræum, *Ad intelligenda verba intelligentiæ*] Poſt titulum, in quatuor primis verſiculis, operis proponitur utilitas, quæ eſt planè maxima, ut ex his quæ dicenda ſunt ſtatim apparebit. Per חכמה *ſapientiam*, Hebræi ſpeculationem, ſivè vitam contemplativam, intelligunt. Nos diſtinctiùs virtutes quæ mentem illuſtrant & intellectum: cujuſmodi ſunt, fides & ſpes, & reliquæ quæ ad Deum dirigunt. Per מוסר *diſciplinam*, *caſtigationem*, *eruditionem*, ſive *morum correptionem* intelligimus. Sunt ex Hebræïs, qui ſatis doctè per hæc duo חכמה ומוסר *ſapientiam & diſciplinam*, timorem Dei & obſervationem mandatorum intelligunt. Et eſt ſenſus clauſulæ pendens à primo verſiculo, *Parabola Salomonis ſunt*, *ut ſcias ſapientiam*, h. e. virtutes quibus intellectus ornatur, quas in ſapientia intelligimus, & *diſciplinam*, h. e. virtutes quibus ornatur voluntas, h. e. quibus effrænæ & brutæ voluptates cohibentur, quas in מוסר comprehendit Sapiens. Sequitur, *ad intelligendum verba prudentiæ*, אמרי בינה *verba* ſive *ſermones intelligentiæ*: nam ab *intelligendo* deducitur nomen בינה. Et Aben-Hezra ex Rabbinis facilè doctiſſimus, clauſulam refert ad diſtinctionem inter rem & rem, juxta præſcriptum legis, *inter bonum & malum, mundum & immundum, ne ponamus* (inquit) *tenebras lucem, neque lucem tenebras*. Aliter, *ad intelligenda verba intelligentiæ*: h. e. verba quæ præbent intelligentiam, & prudentem efficiunt auditorem, ut de futuris rationem habeat, longeque cætera vincat animalia quæ intelligentià carent. Porrò *ad intelligenda verba intelligentiæ*, geminatio Intelligentiæ ad ſeipſum & alios referri poteſt, h. e. non ſolùm ut ipſe intelligas, ſed ut etiam alios docendi facultatem habeas. Denique, *ad intelligenda verba intelligentiæ*, h. e. verba quæ duplicem habent intelligentiam, alteram extrinſecùs & hiſtoricam, alteram intrinſecùs & ſecretiore ſenſu reconditam: q. diceret, ex his parabolis diſces arcanorum eloquiorum intelligentiam.

3. *Ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, juſtitiam & judicium & æquitatem*. Heb. *Ad ſuſcipiendam eruditionem intellectûs*] מוסר eadem vox Hebræa, quam priori verſiculo vertit Interpres noſter *diſciplina*, in ſecundo reddit *eruditionem*, utrumque ſignificat. Aben-Hezra ſubaudit copulam ad hunc modum, *ad ſuſcipiendam eruditionem & doctrinam*, ſive *intellectum*, (ut eſt in Hebræo) ut quod in genere dictum eſt priùs de ſapientia & diſciplina, per partes explicari intelligamus. Ac ſi diceret, Non tam hanc vulgarem & profanam eruditionem ſuſcipies ex his proverbiis, quàm eruditionem intellectûs vel cum intellectu, h. e. non eruditionem, ſive virtutes morales quales tradunt philoſophi, ſed eas quæ cum intellectu & fide ſunt conjunctæ. Aliter, *ad ſuſcipiendam eruditionem ſive diſciplinam*: ut quod priùs dictum eſt *ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam*, referatur ad ſeipſum. Ex his proverbiis vel diſcet quiſque ſeipſum caſtigare, ſibi ipſi legem imponere, quæ omnium longè jucundiſſima eſt diſciplina: vel diſcet aliis obtemperare, acceptâ intellectione hujus operis: vel denique *per intellectum ſuſcipiet diſciplinam, juſtitiam, & judicium, & æquitatem*. *Juſtitia in genere comprehendit cultum Dei, & omne opus bonum*, inquit Aben-Hezra *Judicium*, ut rectè judicet inter virum & virum, & recta in judicio loquatur; & ſubauditur ex præcedentibus, *ad ſciendam, juſtitiam & judicium, & æquitatem*, ſive *rectitudines*. Aliter ex hoc libello ſuſcipiet quis intellectum, ut faciat juſtitiam, judicium & æquitatem: *Judicium* refert Beda ad diſcretionem boni & mali: ut in genere intelligamus dictum, vel ad ea *quæ rectâ diſcretione cum proximis, agimus*, inquit,

4. *Ut detur parvulis aſtutia, & adoleſcenti ſcientia & intellectus*] Hebræa veritas non utitur iſtâ varietate, ſed priore loquendi phraſi, nempe, *ad dandum*: ut ſuperius *ad ſciendum, ad ſuſcipiendum*: & ſubauditur *finis*, ſeu *utilitas, operis hujus erit, ad dandum parvulis*. Vox Hebræa פתאים à verbo פתה *ſuaſit, attraxit, pellexit*. Et ferè in malam partem accipitur, pro his qui facilè perſuaſionibus ducuntur, h. e. rudibus & imperitis. LXX. *ἀκάκοις πανουργίαν*, *puris, innocentibus, minimè doloſis*, in bonam partem. Hoc loco auditores ſuos ſibi præparat Salomon, dum neminem in his Parabolis neglexiſſe videatur; imò omnium habuiſſe rationem, & imprimis eorum qui maximè indigent ſapientiâ: cujuſmodi ſunt ætate moribuſque juvenes, & quos ad ſuam doctrinam moralem inidoneos judicat Philoſophus. Hos inter primos admittit Salomon, Chriſtum adumbrans, qui dicit Matth. 19. *Sinite parvulos ad me venire, talium eſt regnum cælorum*. Et ſapientiæ Euangelicæ maximè ſunt capaces qui parvuli ſunt, & de ſe humiliter ſentiunt. Qui ſunt *ſimplices ſicut columbæ*, his neceſſaria eſt aſtutia, h. e. profunda cogitatio, aſtuta inventio, ingenii exercitatio in rebus judicandis, ut cum ſimplicitate columbina ſerpentis jungatur prudentia: quam in hoc libello accipient, ut his proverbiis inſtructi, malorum perſuaſionibus & technis non capiantur; imò ut aſtutiâ ſerpentinâ (Hebraïcè ערום) dolos, inſidias, & circumventiones animadvertere, prudenterque cavere poſſint: q. d. imperiti & parvuli hoc libello diligenter perlecto, prudentes evadent. Aben-Hezra ſic; *Hæ parabolæ ſubminiſtrabunt*, ſup. *intelligentiam*, *ut per eas detur aſtutia imperitis, ut deponant ſtultam ſimplicitatem, quæ impedit quò minùs ad ſapientiam queant attingere. Et adoleſcenti ſcientia & intellectus*, vel potiùs *ſcientia & cogitatio*.] Indocta eſt ferè adoleſcentia, neque novit inter bonum & malum diſtinguere. Ex his parabolis omnium ferè virtutum & vitiorum ſcientiam accipiet, & intellectum ſive cogitationem, quâ quod honeſtum eſt eligat. Non enim ſcire virtutes laus eſt, ſed ſequi: דעת *ſcientia*, juxta Hebræos, diſtinguit inter veritatem & mendacium; מזמה *cogitatio* vel *conſilium*, honeſtum ſecernit à turpi, quamvis parvulis & adoleſcentibus hæ parabolæ ſint neceſſariæ, & hos imprimis ſibi præparat auditores Sapiens, ſunt etiam quamlibèt ſapientibus utiles, juxta id quod ſequitur,

5. *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*. Heb. *Audiet ſapiens & addet doctrinam, & intelligens conſilia poſſidebit*] In his proverbiis hujuſmodi doctrina eſt, quæ non ſolùm parvulis, ſed etiam ſapientibus poſſit eſſe uſui, ſi modò velint audire, vel potius ſi velint obtemperare, & opere implere quæ docentur. Nam hæc pars philoſophiæ in actione conſiſtit, in qua doctiſſimus eſt, qui maximè obtemperat. Sapiens igitur, vel qui omnino eſt ſapiens, vel qui habetur ſapiens inter homines, magnam acceſſionem ſapientiæ faciet, ſi Salomonem noſtrum ſtudiosè audire velit. Aliter, *Si audiat ſapiens has parabolas, addet doctrinam*: h. e. multa diſcet, & doctior evadet. Aliter, *Addet doctrinam*, quia magis erit idoneus ad docendum, & ut aliis addat doctrinam. Ex his tribus, ſecunda mihi maximè placet expoſitio. Poteſt denique intelligi, quaſi in genere dictum, *Audiens ſapiens*, ut non ſolùm ad auditum proverbiorum hujus libri referatur, ſed ad auditum cujuſcunque ſapientiæ. Nemo uſque adeò ſapiens eſt, ut ſapientior non poſſit eſſe audiendo. Imò quantò quis ſapientior fuerit, tantò paratior ad audiendum, & tardior ſolet eſſe ad loquendum. Jac. 1. Sequitur *& intelligens gubernacula*, Heb. *conſilia, poſſidebit*. Interpres LXX. ſecutus eſt qui *κυβέρνησιν* vertentes, metaphoricè *gubernacula* pro *conſiliis* poſuiſſe videntur, quibus res agendas moderantur viri prudentes, ut clavo navem dirigit nauclerus. תחבלות *ſunt conſilia, vel cogitationes* (inquit David Chimchi) *quas ſecum volvit homo ac verſat, quò meliores eligat*: ſolent enim poſteriores cogitationes eſſe meliores, juxta proverbium. *Intelligens* ſive *cogitabundus*, *poſſidebit* ſive acquiret ſibi ex his proverbiis cogitationes non quaslibet, ſed verſatiles & prudentes. In ſenſum non multum differt à priore clauſula, Nempe *ſapiens cùm audierit, ſapientior erit*, ut vertit Interpres, vel *addet do-*

ctrinam, ut nos, quam verſionem defendimus etiam noſtri Interpretis autoritate, qui Deut. 32. eandem dictionem Hebræam לקח vertit, ut nos hoc in loco, *Concreſcat ut pluvia doctrina mea.* Cui Chaldæus aſtipulatur Interpres pro לקח ut eſt in Hebræo, מדעא *ſcientiam* reddens. Ab *accipiendo* nomen habet, propriè *doctrinam* vel *legem, quam à majoribus traditam accepimus*, ſignificat, vel לקח *vocatur ſcientia*, inquit Hezra, *propter ſuavitatem quam capit aliquis ex ſcientia*; לקח enim ſignificat *dulceſcere.* Poteſt ſenſus referri ad moderationem affectuum, & totius vitæ tenorem, ut in hujus mundi fluctibus, neque proſperitate nimiùm elatus, neque adverſitate depreſſus clavum amittat. Poteſt denique ad eos referri, *qui præſunt in ſolicitudine*, ut inquit Paulus Rom. 12. qui veluti per mare hujus mundi trajicientes, alioſque ſecum tranſmittentes, per has parabolas edocti, & intelligentiam aſſecuti, gubernacula poſſidere digni habebuntur.

6. *Animadvertent parabolam & interpretationem, verba ſapientum & ænigmata eorum.* Heb. *ad intelligendam parabolam*, &c.] Mihi placet ut retineatur Latinè ſicut Hebraïcè idem ſermonis color, & loquendi modus, ut faciliùs intelligamus ſenſum pendere à primo verſiculo huc uſque, ad hunc modum; Non ſolùm ad ea quæ diximus utilis eſt parabolarum libellus, verumetiam ad intelligendam quamcunque parabolam & interpretationem, h. e. ex his intelliget ſapiens quivis, & alias ſcripturas parabolicas, & interpretationem earum. Sunt ex Hebræis qui vocem מליצה, *interpretationem*, non ad parabolam, ſed ad proprietatem linguæ & elegantiam referunt, quaſi ex hoc libello optimè diſcatur Hebræa lingua. Et משל *parabola eſt*, (inquit Aben-Hezra) *ex qua verbum aliud egreditur, cùm unum dicitur & aliud intelligitur. Ænigma* verò verbum occultum ſive tectum, quod intelligi non poteſt niſi explicetur. Interpretes ferè omnes *verba ſapientum, & ænigma eorum*, ad verba Prophetarum referunt, quæ ſunt ænigmatibus involuta, juxta illud Pſal. 49. *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in cithara ænigma meum.* In Hebræo חידתי *ænigma meum* vox eadem quæ hoc in loco legitur. Aliter, *ad intelligendum parabolas*, ut ex præcedente pendeat verſiculo, Ubi audierit ſapiens noſtras parabolas, tantum doctrinæ adjiciet, ut intelligat alias Scripturas parabolicas cum interpretatione earum. *Verba ſapientum cum ænigmatibus*, h. e. quantumvis obſcura & difficilia. Porrò quatuor illa quæ in contextu ponuntur, nempe *parabola*, & *interpretatio, verba ſapientis*, & *ænigmata*, reducimus ad duo, idque duplici ratione: vel ut intelligatur ſecunda clauſula replicare primam (quod frequens eſt cùm in hoc, tum in Pſalmorum libro,) & erit ſenſus, ad intelligendam parabolam, & interpretationem, h. e. verba ſapientum & ænigmata eorum: vel ut idem ſit *parabola* & *ænigma*, idem *interpretatio* & *verba ſapientum*, & ſit ſenſus non multum diverſus à priore, viz. *ad intelligendum parabolam*, h. e. ænigma parabolæ, & *interpretationem*, h. e. verba ſapientum: vel denique ut per *parabolam* & *interpretationem* unum intelligas: nam *parabolam* non *animadvertit* neque intelligit, qui eandem interpretari nequit; *verba ſapientum animadvertet*, h. e. intelliget ænigmata eorum. Si quis quatuor diſtincta malit intelligere, abundet quiſque ſuo ſenſu: mihi verò ſecunda combinatio maximè placet.

7. *Timor Domini principium ſapientiæ: Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Heb. *Timor Domini principium ſcientiæ: ſapientiam & eruditionem ſtulti deſpexerunt*] De duplici timore diſtinctionem nemo ferè ignorat, quorum *altero* (ut inquit Auguſtinus) *timetur ne judicetur in tormentum ſupplicii, ſed hunc foras mittit charitas*; *altero, nè amittatur gratia beneficii*, juxta illud Pauli, Rom. 11. *Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Multiplex eſt hujus verſiculi intelligentia; Prima, timere Deum, h.e. revereri & colere unum Deum, eſt principium & radix omnis ſcientiæ: q. d. qui hoc ignorat, nihil novit. Omnis ſapientiæ ſive ſcientiæ (ut eſt in Hebræo) eſt ignarus. Et juxta hunc ſenſum loquitur Abraham Gen 20. *Forſitan non eſt timor Dei in iſto loco*: h. e. non credunt neque colunt Deum. Et Deut. 4. *Congrega ad me populum ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me.* Poteſt ad præſentem Salomonis ſcientiam referri quod dicitur, Initium ſcientiæ, initium ſcientiæ noſtræ quam in hoc opere tradere decrevimus, ſumatur à timore Domini. Nam ut timor Domini cujuſcunque ſcientiæ eſt initium, ſic eſt etiam ſapientiæ & diſciplinæ, quas omnes ſequuntur & amplectuntur, præter ſtultos. Soli ſtulti deſpiciunt ſapientiam, quâ Deus cognoſcitur, & diſciplinam, quâ mores corriguntur. Tertia expoſitio, Initium ſcientiæ quam ex Scripturis haurimus ſacris, eſt timor Domini, quem lex Moſaica maximè docet. Ex lege igitur tanquam principium diſcimus timere Deum: Ex Euangelio verò, ſapientiam & diſciplinam, h. e. fidem & integritatem vitæ. Denique ſi voces Hebræas perpendimus, alium quodammodo ſenſum inveniemus: ראשית enim, non tam *principium* quàm *primitias*, & *præcipuam cujuſque rei partem* ſignificat. Primitias frugum offerre Deo lex Moſaica paſſim jubet, ubique hâc voce Hebræâ ראשית uſa. Juxta quem ſenſum *primitias dormientium* vocat Chriſtum Paulus. 1 Cor. 15. h. e. non ſolùm primam, ſed præcipuam & electam partem. Et erit ſenſus verſiculi, *Principium ſcientiæ*, h. e. præcipua inter ſcientias eſt timor Domini, cognoſcere Deum eſſe timendum, tanquam omnium Dominum: & hic ſenſus mihi maximè placet. *Sapientiam & diſciplinam ſtulti diſpexerunt.* Juxta ambiguitatem ſermonis Hebraïci ſic verti poteſt, *Timor Domini eſt initium ſcientiæ, initium ſapientiæ, & initium diſciplinæ*, quem timorem *ſtulti* hactenus *contempſerunt.* Hebræorum commentarii tradunt דעת *ſcientiam* in genere comprehendere ſapientiam & eruditionem, ut ſit ſenſus, Timor Domini eſt principium ſcientiæ, h. e. ſapientiæ, & eruditionis; & ſupplere oportebit, quam ſtulti deſpexerunt. Quòd ſi vulgarem verſionem ſequamur, quam ſequuntur hoc in loco omnes Interpretes, erit ſenſus, Stulti deſpiciunt ſapientiam & diſciplinam, quia non timent Deum: h. e. cùm principium & præcipuam partem ſapientiæ non amplectantur, neque ſapientiam & diſciplinam, quas nos tradituri ſumus, magni faciunt. Sed illis omiſſis, qui ſapientiam Dei ſpreverunt in ſemetipſis, filium ſuum erudire aggreditur Sapiens,

8. *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ*] Ut filii patres libenter auſcultent, & correptionem, ſive admonitionem libenter admittant, æquum eſt. Primò quòd liberos ſuos monendo & inſtituendo ſuo fungantur munere: deinde quòd nemo eos majore proſequatur amore quàm parentes. Porrò cùm ſint majores natu, nobis ſcire plura illos veriſimile eſt: ideo dicit Salomon, *Fili mi*, quiſquis es, *audi patris tui diſciplinam.* Obſervant Hebræi, non dixiſſe Salomonem *Sequere veſtigia patris*, ſed, *audi diſciplinam*: ſolent enim patres etiam mali rectè filios admonere, juxta illud Euangelii, Luc. 11. *Vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter cœleſtis?* Juxta ſimpliciſſimum ſenſum de ſeipſo loquitur Sapiens, qui animo verè paterno omnes, maximè juvenes, inſtruere volens, inquit, *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui.* Per אם *matrem*, אם *populum*, & *cœtum* ſive *congregationem* alicubi intelligunt Hebræi. Si Deum omnium patrem intelligamus, [*numquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, fecit & creavit te?* Deut. 32. 6.] erit ſenſus, juxta Paulum, Hebr. 12. *Patres quidem carnis eruditores habuimus, & verebamur eos, num multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum & vivemus?* De matre non dixit, *Audi diſciplinam matris*, nam ex priori clauſula ſubauditur, viz. *audi diſciplinam matris.* Et quod ſequitur ad utrumque poteſt etiam referri, *Nè projicias legem*: poteſt verti, *nè evellas legem matris.* Solent enim matres magnâ ſedulitate, veluti plantare monitiones & legem præſcribere, quæ ſi creſcere permittantur, fructum aliquando ferent. Quòd ſi *evellere* juxta Hebræum vertatur, erit metaphora ſumpta ab hortulanis, qui ſimul evellunt & projiciunt malas herbas. Porrò opportunè poſt timorem Domini, & cultum unius Dei obiter commendatum, in quo præcepta primæ Tabulæ poſſumus intelligere, ad paternum deſcendit honorem, patri filium obtemperare jubens, etiam caſtigationem & diſciplinam imponenti: ſimul monens patrem ſui officii, quaſi ad paternam ſpectaret autoritatem & prudentiam, filium corrigere. Matris eſt monere, & præcepta ſalubria potiùs inſtillare quàm corrigere, ut quæ nimiùm tenerè filium ferè diligit. *Projicere legem matris* eſt, juxta ſenſum ſubliniorem, Eccleſiæ præcepta contemnere, majoribus non obtemperare, quorum autoritate mores ſubditorum moderatos eſſe oporteret.

9. *Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Heb. *Quia additio vel conjunctio gratiæ ſunt capiti tuo, & torques gutturi tuo.*] *Hoc eſt primum mandatum in promiſſione*, inquit Paulus, Epheſ. 6. nimirum, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Cæterùm Salomon præmium quod debetur juvenibus, qui parentibus libenter obtemperant, his rebus confert quibus illa ætas maximè ſolet oblectari, nempe ſplendido ornatui, coronis & diademati, auro & gemmis ſplendentibus, torquibus denique qui pendent ex humeris nobilium, quibus rebus oculis vulgi plurimùm commendari putantur. Et ſenſus erit verſiculi (ut in Hebræo habetur) *Erunt*, ſupple *diſciplina patris, & lex matris, tanquam collectio* vel *cumulus gratiæ, & additio chariſmatum capiti tuo, & tanquam torques collo*: q. d. Gratioſus omnibus videberis, ſic ornatus favore & gratiâ, ut omnes te libenter aſpiciant, omnes complectantur & exoſculentur, & maximi te faciant; ut qui patris diſciplinâ & lege matris juvenis morigerus & ſtudioſus evaſeris. Verbum Hebræum לוה duo ſignificat, nempe *addere* ſive *copulare*, & *fœnerari*, ſive *dare ad fœnus.* Priorem interpretationem ſequuntur Interpretes, nempe *ut addatur*, ſive *copuletur*.

In

In Hebræo *additio gratiæ*, vel *additio earum rerum quæ gratiam & favorem conciliant capiti. Et quaſi torques collo:* h. e. undique, ex omni parte, quocunque te vertas, ſi diſciplinam patris audiveris, & legem matris retinueris, omnibus virtutum ornamentis decorus & conſpicuus eris. Denique juxta ſenſum hiſtoricum, per *gratiam* vel *favorem & laudem*, quam omnes tali tribuunt juveni, poſſumus intelligere vel honores inſignes, quos facilè in republica bene inſtituta aſſequentur juvenes, qui à pueritia patris diſciplinam, & matris legem ampleɛtuntur. Alioqui *capitis gratia* ſive *diadema*, & *torques colli*, qui dependet in pectus, regum ſunt ornamenta, & victoriam promittunt. Nam qui ſtatim à teneris annis hujuſmodi virtutibus fuerint præditi, de mundo, de carne, & de diabolo victoriam facilè reportabunt. Juxta Hebræos, qui *additionem gratiæ* legunt, omnium virtutum cumulus intelligitur, ut dictum eſt.

10, 11, 12. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, nè acquieſcas eis, vel ſi te decipere velint, nè conſentias. Si dixerint, Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà, deglutiamus eum ſicut infernus viventem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum.* Heb. *Fili mi, ſi alliciant te peccatores, noli. Si dixerint, Veni nobiſcum, inſidiabimur ſanguini innocentis gratis. Deglutiemus eos ſicut infernus vivos & integros, ſicut deſcendentes in puteum*] Inter patris admonitiones primum eſt, ut filios à malorum declinet colloquiis & ſocietate. Nam *ſenſus & cogitatio hominis prona eſt ad malum, à nativitate ſua*, Geneſ. 6. præſertim ſi improbus perſuaſor ad naturæ fragilitatem accedat. Porrò juvenilis ætas malis conſiliis admodum eſt obnoxia, à quibus ſuum filium deterrere ſtudens Salomon, exemplum proponit de latronibus & ſicariis, qui publicas obſident vias, qui prædantur, & ſtrangulant homines innocentes. De hujuſmodi inquam potiſſimùm proponit exemplum, quòd maximè ſoleant alios allicere ad ſimilia facinora, quò faciliùs efficiant quod moliuntur. Solent præterea hujus farinæ homines certis quibuſdam uti perſuaſionibus, quibus imperiti juvenes faciliùs pelliceantur ad malum. Primùm pollicentur fore ſecretum quod agunt, nam pudore & verecundiâ cohibentur juvenes à flagitiis, *Inſidiabimur ſanguini, abſcondemus nos contra innocentem gratis:* ſic Heb. nam *tendiculas* adjecit Interpres, nihil enim huic voci reſpondet in Hebræo. Sunt ex Hebræis qui putant voces illas, לנקי חנם *contra innocentem gratis* ſive *fruſtrà*, non eſſe ex verbis latronum, ſed ſcripturam adjicere per parentheſim; q. d. iſta abſconſio quæ fit contra innocentem, fruſtrà fiet: res ad lucem aliquando veniet, & de vobis ob effuſum ſanguinem innocentis ſupplicium ſumetur: vel ſunt verba latronum, *contra innocentem gratis*, contra eos qui nobis non nocuerunt. Deinde à facilitate perſuadent, nam difficultas multos deterret à vitiis, *Deglutiemus eos ſicut infernus, vivos & integros, ut qui deſcendunt in lacum.* Vox Hebræa שאול ambigua eſt, ſignificans *ſepulcrum & infernum.* Similitudo quibuſdam meliùs quadrare videtur, ſi legamus *ſepulcrum.* Nobis ſatis arridet verſio vulgaris, eò quod in contextu legamus, *Et devorabimus eos ſicut infernus vivos:* videtur alludere ad hiſtoriam, ubi legitur aliquos vivos cum rebus omnibus fuiſſe receptos in abyſſum. Eritque unus ſenſus primæ clauſulæ & ſecundæ hujus verſiculi: Nam per *vivos & integros*, eoſdem intelligimus: Per *infernum* quoque ſive *ſepulcrum & lacum*, idem; i. e. non minore negotio deglutiemus eos, etiamſi multi fuerint innocentes, quàm ſi in foſſam inopinantes aliquis detrudat. Nolunt mutilare quenquam, aut vulnerare, nè prodantur: ſed totum hominem è medio ſubitò tollere, & veluti ſubitaneo ſepulcro claudere, & in abyſſum ſubmergere, ut nullum hujus facinoris ſuperſit veſtigium: h. e. magnâ facilitate & nullo noſtro periculo. Denique ex lucro ſolent peccatores lactare juvenes, ut ſequitur,

13. *Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus: implebimus domos noſtras ſpoliis*] Prædam capiemus opulentam, ædes implebimus & ornabimus ſpoliis. Te moveat ſaltem prædæ magnitudo, cùm juvenis ſis, & multis indigeas rebus, inquiunt peccatores, qui imperitos juvenes ad barathrum malorum ſecum trahere moliuntur: quamvis ipſi ſint veluti duces, & in illis rebus jam aſſuefacti, ut ſuo jure poſſint vindicare ſibi primas partes in præda; tamen omnem æqualitatem pollicentur, uſque adeò ut in communem velint conferre loculum, & ut ſorte ac æquiſſimo jure fiat partitio, juxta ea quæ ſequuntur,

14. *Sortem mitte nobiſcum, marſupium ſit unum omnium noſtrùm.* Heb. *Sortem tuam projicies inter nos, loculus unus erit omnibus nobis*] q. dicerent, Si volueris ſtatim partem tuam capere ex præda, æquâ ſorte tua portio tibi cedet, ut liber abeas cum ingente pecunia. Quòd ſi unà nobiſcum manere volueris, in commune conferemus omnia, ut ſumma ſit æqualitas, & marſupium commune omnium noſtrûm. Sed juvat hanc malorum hominum orationem, & perſuaſionem ad malum repetentes, perpendere propius, juxta contextum Hebræum. Fili, ſi perſuadeant tibi peccatores ut ſocietatem ineas cum illis, nè conſentias quamvis magna promittant, & dicant, *Veni nobiſcum, inſidiabimur*, vel, *inſidiemur, ſanguini*, h. e. per inſidias effundamus ſanguinem, vel inſidiemur ſanguini humano: *abſcondemus*, ſup. *noſmetipſos*, h. e. ſecretò agemus, *contrà innocentem gratis*; q. dicerent, ponemus inſidias non ſolùm inimicis noſtris, ſed etiam innocentibus, qui nobis nullâ re nocuerunt. Aliter, *abſcondemus noſmetipſos ad innocentiam, gratis*, vel *ſine cauſa:* utrumque enim vox Hebræa ſignificat: h. e. eâ ratione faciemus omnia, ut innocentes habeamur, ut nemo poſſit nos accuſare. Quod ad facilitatem negotii ſpectat, *Abſorbebimus eos vivos*, ſicut ſepulcrum abſorbet cadavera integra. Quæ à feris devorantur, paulatim conſumuntur; ſed ſepulcrum vel foſſa unico morſu corpus totum devorat. Facilitatem operis nefarii hâc ſimilitudine expreſſit, *Abſorbebimus eos integros ſicut qui deſcendunt in foveam:* h. e. abſque negotio erimus viribus ſuperiores, & primo ſtatim impetu ſuperabimus. *Omnem ſubſtantiam pretioſam*, omnimodas opes, non ſolùm ad neceſſitatem victûs noſtri, ſed etiam *ædes implebimus ſpoliis.* Hebræorum commentarii referunt hoc quod dicit, *vivos & integros deglutiemus eos*, ad opes & vires: q. dicat, Quamvis validi & potentes fuerint, ſuperabimus eos, & integras opes accipiemus. Locus hic ad Chriſti tempora refertur, cujus ſanguini innocentiſſimo inſidias poſuerunt peccatores, vivum & integrum eum doctrina & nominis fama deglutire feſtinaverunt: ſed de ſenſu myſtico, quem & nos obiter attingemus, Bedæ doctiſſimos habemus commentarios: nos hiſtoricum potiſſimùm proſequimur, idque juxta veritatem Hebræam.

15, 16. *Fili mi, nè ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem.* Heb. *Fili mi, non ambulabis in via cum illis. Prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Nam pedes eorum ad malum current, & feſtinabunt ad effundendum ſanguinem*] *Noli ambulare in via cum illis*, h. e. noli habere commercium cum illis: & quamvis ſocietatem frequenter jungamus cum ignotis hominibus in itinere, tamen cum hujuſmodi tantum abſit ut jungas amicitiam, ut nè per viam quidem publicam velis cum illis incedere: vel potiùs metaphoricè dixit, *nè ambules in via*, pro, *nè ſequaris eorum vivendi rationem*, juxta id quod ſequitur, *Sed prohibe pedem tuum à ſemita eorum:* ne diſcas opera & ſtudia eorum. Nam *via* in ſcripturis mores & conſuetudines ſignificat. Geminat *viam & ſemitam*, ad majorem energiam: vel juxta Hebræos, neque publicè neque ſecretò cum illis quidquam negotii tractes. *Nam pedes eorum ad malum currunt.* Longè alius erit exitus rei quàm primâ fronte præ ſe ferunt hi qui te lactare volunt: ingentem pollicentur prædam, ſed in omne nefas ruunt & feſtinant; h. e. celerrimè currunt, & incidunt in homicidium, quod ex latrociniis ſolet ſequi. *Ad malum current*, & damnum inferendum innocentibus, vel *ad malum quod ſibi inferunt ipſi*, juxta Hebræos: quaſi dicat, Feſtinant dare occaſionem, ut ſanguis ipſorum proprius effundatur: & juxta hunc ſenſum bene quadrabit ſimilitudo ſequens, de rete quod ſuſpenditur ad capiendas aves.

17, 18, 19. *Fruſtrà autem jacitur rete ante oculos pennatorum.* Heb. *Fruſtrà* vel *gratis ſpargitur rete in oculis omnis pennati. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Heb. *Et ipſi ſanguini eorum inſidiabuntur, abſcondentur contra animas eorum. Sic ſemitæ omnis avari, animas poſſidentium capiunt.* Heb. *Sic ſemitæ omnis avarè cupientis lucrum*, vel *laborantis avaritiâ, animam dominorum illius capient*] Juxta ſententiam Hebræorum, duobus prioribus verſiculis ſimilitudo proponitur, & in tertio ſimilitudinem ad ſuum accommodat inſtitutum. Hebræi ſimilitudinem diverſis explicant modis: primò, ut vox Hebræa חנם vertatur non *fruſtrà*, ut Interp. vertit, ſed *ultro & gratuitò*, & referatur חנם *gratis*, ad eos qui aucupantur, non ad aves, & ut ſuppleantur aliquot verba, ad hunc modum: Ultro ſpargitur, granum ſupple, aut eſca, circa rete, vel prope rete, in oculis pennatorum, quod faciunt aucupes ut aves capiant, & nihilominus inſidiantur ſanguini earum, & abſcondunt ſeſe contra animas avium, quibus granum gratis ſparſerunt. Sic, ſubaudi iſti latrones & ſicarii, qui erga te tantam præ ſe ferunt benevolentiam, quaſi velint ſine negotio & ſine periculo te locupletem facere, cogita non minùs illos inſidias ponere animæ tuæ, quàm aucupes avibus quibus eſcâ diſperſâ blandiri videntur. Imò cujuſcunque avari, ſive prædonis animæ ipſa avaritia & deſiderium inexplebile ponit inſidias, & capit animam illius, qui deditus eſt lucro, cum rapina & homicidio. Aben-Hezra vertens locum, ut D. Hier. nempe, *fruſtrà jacitur*, vel *extenditur rete*, ad ſtoliditatem & aviditatem avium

refert,

refert, non ad eos qui extendunt, ut ſit ſenſus, Ante oculos pennatorum fruſtrà extenditur rete, quod ad aves ſpectat, cùm illæ non animadvertant rete extenſum, ſed prædâ illectæ capiuntur, & non vident, quod illi ſcil. aucupes, inſidiantur animabus illarum: q. d. eſcam vident, & rete non vident. Sic multi flagitioſi prædam reſpiciunt: *Omnem ſubſtantiam pretioſam capiemus*, inquiunt, ſed non vident pericula, non vident rem eſſe capitalem, & morte plectendam, & dum alieno inſidiantur ſanguini, ipſi pœnas morte luunt. Juxta ſenſum tertii verſiculi, Sic eſt via omnis avari, ſive raptoris, ipſa avaritia tandem ad necem ducit animam rapientis. Tertiam explicationem habemus à Levi Bengerſoni, qui vertit adverbium חנם *fruſtrà* & *ſine cauſa*, & refert ad innocentiam avium: q. dicat, Aviculæ nihil tale meruerunt, neminem læſerunt, & proinde, ut ſine cauſa extendere ſolent aucupes rete ad capiendas aves, ſic iſti peccatores inſidiantur ſanguini alieno, & occultè agunt ut interficiant innocentes qui nihil tale meruerunt; ut ad exaggerationem & amplificationem referatur, & ut magis deterreat ſuum filium à conſortio eorum: q. diceret, Sanguinem humanum effundere graviſſimum crimen eſt, verùm innocentium ſanguinem ſine cauſa effundere eſt immane flagitium. Et juxta hanc intelligentiam ſimilitudinis, ſequetur ſenſus tertii verſiculi, Sic eſt via prædatoris, ut non ſit contentus lucro, niſi animam accipiat poſſeſſoris. Ad hunc modum ferè Hebræi hos tres verſiculos explicant, ut in duobus primis proponatur ſimile, & in tertio intelligamus per *aucupes*, qui extendunt rete, latronum inſidias contra innocentes, quorum prædâ non ſunt contenti, niſi ſanguinem quoque & vitam capiant: vel ut ſanguinem proprium effundant, & animam perdant. Noſtri Interpretes longè aliter hunc locum explicant, nempe ut metaphoricè intelligatur Salomon loqui potiùs quàm ſimilitudinem proponere, quaſi his verbis *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*, revocaret ſuum filium ab amore rerum terrenarum, & à rapina, *Fruſtrà jacitur rete*: q. diceret, Aves quæ vident rete ſuſpenſum non capiuntur, ſed videntes periculum cavent; ſic juvenes qui rebus cœleſtibus ſeſe oblectant, qui mente & cogitatione ſurſum volant, ab iſtis malis hominibus decipi non poſſunt, ſed ſtatim intelligunt pericula, & quàm horrendum ſit ſanguini innocentium inſidiari. Id quod nemo poteſt facere, niſi periculo vitæ ſuæ & ſalutis. Mihi optimè placet expoſitio Hebræorum. Secunda, quæ eſt Aben-Hezra, cui ſubſcribit autor commentariorum Hebræorum, inquiens, *affert ſimilitudinem, quæ docet quâ ratione iſti peccatores ſunt ſibiipſis cauſa malorum*, & tertius verſiculus claudens ſimilitudinem, reciprocum habet ſenſum; Omnis avarus, qui alienas rapit opes, animam propriam capit, h. e. ad mortem deducit ſeipſum, ut נפש ſenſum habeat, juxta illum locum, *Cape animam meam*, 3 Regum. Nos tertium denique verſiculum, quo totum hunc locum claudit, in genere dictum intelligimus contra avaritiam, quæ, ut inquit Paulus, *mergit homines in interitum & perditionem*, 1 Tim. 6. Eſt enim radix omnium malorum, & auſert animas eorum qui eam poſſident, aut potiùs ab avaritia poſſidentur.

20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam.* Heb. *Sapientiæ foris clamabunt, in plateis dabit vôcem ſuam*] Peſſimorum hominum audivimus conſilia, quæ quantumvis pulcra & blanda videantur in principio, tamen imperitos ad extremam pertrahunt miſeriam: quos ad longè diverſa conſilia flectere conatur Salomon. Cæterùm quò plus ponderis habeat illius monitio, Sapientiam ipſam loquentem introducit, & in confuſionem humanæ ſtultitiæ & ignorantiæ, quæ tot erroribus ſeſe implicat, oſtendit ſapientiam omnibus eſſe obviam: non latere in tenebris, neque in deſertis aut longinquis locis, quaſi ad eam non pateret aditus; imò palàm prædicare cum magna voce, omnibus locis, præſertim publicis, in plateis, in vicis, in ipſis foribus & portis civitatis, in foro ubi concurſus fit hominum, nè quis ſuæ ſtultitiæ prætexat difficultatem aſſequendi ſapientiam. Poſſumus intelligere per *vicos* & *plateas*, ignobile vulgus hominum, per *portas civitatis*, judices & magiſtratus, per *medium urbis*, divites & potentes, qui civitatis optima quæque loca incolunt: q. diceret, ſapientiam eſſe communem omnibus ordinibus hominum, qui clamantem & concionabundam volunt audire Sapientiam. *Omnibus debitor ſum* (inquit Paulus) *ſapientibus & inſipientibus.* Sed quid tandem intelligimus per iſtam ſapientiam, tam obviam & familiarem? Hebræi libenter intelligunt legem Moyſis, cujus intelligentiam & memoriam voluit eſſe vulgarem & publicam, ſcribi in foribus ædium, in fimbriis veſtimentorum. *Meditaberis*, inquit, *ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua; eruntque & movebuntur ante oculos tuos, ſcribeſque ea in limine domûs tuæ*, Deut. 6. Nos potius *Chriſtum Dei ſapientiam* intelligimus, *qui factus eſt nobis ſapientia & juſtificatio*, juxta Paulum: qui palàm locutus eſt mundo, & in occulto locutus eſt nihil, ſed ſuis juſſit, quæ audiviſſent in aure, prædicare ſuper tecta; quorum ſonus in omnem terram exivit: hæc eſt igitur Sapientia Euangelica, quæ in apoſtolicis viris mulriplicata, & in diverſis eccleſiis enunciata. Juxta Hebræum, in plurali *Sapientiæ* vocantur. Sic enim hunc legunt verſiculum Hebræi, *Sapientiæ foris vociferabitur, in plateis dabit vocem ſuam*: in futuro, ut per formam ipſam loquendi magis ad Chriſtum referatur locus, quemadmodum & præcedentia; Chriſto Dei ſapientiæ inſidiati ſunt, & necem ejus machinati ſunt Scribæ & Phariſæi, & innocentiſſimum fuderunt ſanguinem. Quamvis hæc tam concinnè Chriſto coaptentur, ut vel hiſtoricus ſenſus videri poſſit, quem nos in primis aſſequi conamur, tamen poteſt locus aliter, juxta ſenſum hiſtoricum exponi; nempe multiplicem ſapientiam quæ foris vociferatur, aut hanc quam in hoc opere complexus eſt Sapiens, & divulgandam curavit: aut ſapientias intelligimus, quibus ſeniores & prudentiores viri paſſim pollent, & qui non deſinunt monere imperitos, & caſtigare imprudentes; aliqui exemplo vitæ, aliqui ſanâ doctrinâ, alii denique autoritate legum & caſtigatione: qui etiam antiquitus in portis civitatum, & locis publicis, ad corripiendos malorum mores, omnibus ſeſe offerre ſolent. Denique ſi videatur, per *ſapientiam*, quæ tantâ curâ clamitat, & dat vocem ſuam, naturalem cognitionem, & legem ſcriptam in cordibus hominum intelligemus; quam ex creatura mundi & orbis fabrica haurire licet, dicente Paulo, *Invisibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Aben-Hezra vult eſſe parabolam, neque neceſſum eſſe ut intelligamus clamantes ſapientias; ſed non minùs obtemperandum ſuis verbis docet Salomon, quàm ſi Sapientiam clamantem audiret filius. Mihi placet, ut ſapientias varias intelligamus hoc in loco, juxta interpretationem Sapientiæ quam ſecundo verſiculo hujus capitis poſuimus: nempe ut per *ſapientiam*, fidem & cognitionem unius Dei intelligamus, quæ cognitio ubique clamat, *in vicis*, & *plateis*, h. e. inter ignobiles, *in portis*, h. e. inter magiſtratus. *In medio civitatum*, inter nobiles, clamat (inquam) cum Salomone, Prohibe pedem tuum à conſortio & commercio peſſimorum hominum, quorum pedes feſtinant ad effundendum ſanguinem. Sapientiæ igitur variæ, & unaquæque ex prædictis ſapientiis foris in vico clamitat, ut jam nemo ignorantiam prætexere poſſit.

21. *In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua, dicens.* Heb. *In capite tumultuantium clamabit, in oſtiis portarum in urbe verba ſua loquetur*] Ex hoc verſiculo & præcedente intelligimus, quàm ſit ſolicita æterna illa Sapientia de ſalute noſtra, quæ modis omnibus conatur revocare nos à vanitatibus hujus mundi, à caducis rebus ad permanſuras. Omnibus in locis clamat ſapientia, ſive illa quæ ſacris codicibus auditur, ſive illa quæ cordibus noſtris loquitur: quæ non ceſſat pulſare conſcientias eorum, qui ſpretâ verâ & ſolidâ felicitate, ſectantur vana hujus vitæ gaudia. *In capite turbarum*: vel in loco præcipuo & eminentiore, ut eſt in Hebræo, ubi ſtrepitus, ſive tumultus, h. e. ubi *turba* populi, ut rectè vertit Interpres: in portis ſolet eſſe concurſus populi, intrantium & exeuntium. Chſiſtus cum publicanis & peccatoribus verſatus in urbe, verba ſua prædicavit, non ut Joannes in deſerto ſolum. Quamvis juxta allegoriam, de prædicatione ſive Prophetarum, ſive Apoſtolorum & Epiſcoporum, rectè intelligatur locus indicans excuſatione carere eos qui ſapientiæ non conſultant.

22. *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam?* Heb. *Quouſque imperiti imperitiam diligetis, & deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi, & ſtulti odio habebunt ſcientiam?*] Non ſine cauſa ſtultitiam hominum miratur Sapientia, ſecundùm illud Pſal. 4. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Mirabitur quoque quiſquis ſecum perpendit hominum ſtudia, quiſquis ob oculos ponit occupationes illas, quibus majorem partem, nè dicam univerſam ætatem, conſumunt plurimi qui rebus caducis, & hujus temporis commodis aut incommodis, metiuntur ſingula. Qui hæc, inquam, ſecum diligenter perpendit libentiùs Sapientiæ monitionibus aurem accommodabit, quæ aliquot verſiculis ſequentibus continentur: in quibus eſt obſervandus ordo quem mox aperiemus. *Uſquequo parvuli diligetis infantiam?* vel *ſimplices ſimplicitatem?* ut alii vertunt, ſed meliùs *ignari ignorantiam?* quaſi dicat, Jam deceptione & errore, in quo hactenus verſati eſtis, depoſito, amplectamini aſtutiam, de qua ſuperiùs dictum eſt, *Uſquequoque ſtulti ea quæ ſunt noxia cupient?* Heb. *Et deriſores deridere concupiſcent ſibi*, vel *inter ſe deridere, & ſanam doctrinam contemnere*: peſſimi verò omnium ſunt, qui tantâ ſtultitiâ laborant, tam procul abſunt à ſapientia, ut ſcientiam odio proſequantur.

Triplex

Triplex eſt ordo eorum qui ſapientià carent, quorum Primi mundum, & ea quæ in mundo ſunt, diligunt: Secundi Euangelicam doctrinam & eccleſiaſticam derident, quod hæretici ſolent: Tertii etiam odio habent & proſequuntur, quod infidelium eſt & Judæorum: quorum partim ignorantiam & ſtoliditatem, partim levitatem & inſaniam, aliorum denique malitiam & odium admirans Sapientia, ad reſipiſcentiam & ſanam mentem revocare omni benignitate laborat. Deinde ſegnitiem & tarditatem miratur humanam, quæ cunctatur tam pio præceptori obtemperare; acriter demum objurgat, perniciem minatur & interitum. In quo tantum aberit ut conſolationem inveniant, aut ad miſericordiam flectant Sapientiam, ut etiam ipſa irrideat & ſubſannet ſubſannatores, ſi quando ſerà ducantur pœnitentià, ut ſequitur,

23, 24. *Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea: Quia vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*] *En proferam vobis ſpiritum meum.* In Hebræo metaphora tracta eſt à fontibus vivis qui perpetuò fluunt, & verti poteſt *fluere*, vel *ſcaturire*, *faciam vobis ſpiritum meum*: q. d. Non impertiar vobis parvam partem ſapientiæ meæ, nolite contemnere doctrinam meam, quam copioſiſſimè vobis effundam, juxta illud Moyſi, Deut. 32. *Fluet ut ros eloquium meum*; & in Euangelio, Joan. 7. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: ut totus locus, non ſolùm ad Sapientiam Salomonis, & hujus libri menſuram referatur, ſed potiſſimùm ad doctrinam Euangelicam, in qua Divina Sapientia non ceſſat clamare, addens minas & increpationem, *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*, Luc. 13. Increpationis principium eſt, *Clamavi & renuiſtis, extendi manum meam*: h. e. adjuvi ad converſionem. *Extenſio manûs*, promiſſio & collatio gratiarum intelligitur: vel *extenſio manûs*, paternam correctionem & emendationem ſignificat. Denique *porrectio manûs*, indicat ſtudium docendi, & tamen nemo attendit, neque curat. *Proferre ſpiritum* vel *effundere*, eſt mentem depromere, & *oſtendere verba*, eſt doctrinam exponere ut locum habeat, *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent*, Joan. 15. non adhibentes fidem, ſed quod in illis fuit, irritam fecerunt illius doctrinam, & ſapientiam ſpreverunt, juxta id quod ſequitur,

25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*] *Deſpexiſtis*, Heb. פרעו, quod verbum Exod. 5. reddidit Interpres noſter, *ſolicitare ab operibus*, *otioſum reddere & inutilem*: q. d. Per vos effectum eſt ut conſilium meum ſit irritum, neque ad effectum perveniat. Hanc juſtam Sapientiæ querelam utinam in ſolos Judæos rejicere liceret, qui, quod Euangelica teſtatur hiſtoria, & Paulus Act. ult. ſemper Spiritui Sancto reſtiterunt, & non etiam in Chriſtianos aliquot, qui poſt tot miracula, tot juſtorum & martyrum exempla, tot correptiones & caſtigationes, nolunt Sapientiam audire Euangelicam. Aliquos omnino incorrigibiles eſſe ſignificat, & nec promiſſionibus nec minis poſſe ad ſapientiam pertrahi.

26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum vobis id quod timebatis advenerit.* Heb. *Etiam ego in calamitate*, ſive *fractura*, *veſtra ridebo*, *ſubſannabo cum venerit terror veſter*] Non quòd Sapientia Divina ſubſannet vel rideat aliquem, ſed talis finis malorum ut judicio æquiſſimo videantur irridendi & ſubſannandi, qui ſalutem propriam contempſerunt. Vel *deridere* & *ſubſannare Sapientiæ* eſt ſubſannandos aliis tradere. Et ea tandem extrema eſt miſeria, cùm non ſit neque qui doleat vices miſerorum, neque qui ſuccurrat infelicibus. Quòd ſi fuerint qui gaudeant de calamitate noſtra & ſubſannent, malum erit omnino intolerabile. *Subſannare Dei* eſt ſtultitiam malorum palàm oſtendere omnibus, conatuſque eorum irritos reddere, comprehendere aſtutos in aſtutia ſua, cujuſmodi videmus hodie Judæos, quamvis ipſi non videant. Senſus proverbii eſt; Fletum & ſtridorem dentium manere eos, qui in tempore pœnitentiæ pœnitentiam noluerunt agere. Porrò quantus futurus ſit timor eorum qui Sapientiæ non obtemperant, ſimilibus quibuſdam exprimit & metaphoris, comparans pœnas & ſupplicia malorum vaſtitati hoſtili & deſolationi civitatis, ubi omnia incendio & rapinis tradunt, ubi crudelitatem hoſtium nemo effugit.

27. *Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia.* Heb. *Cum venerit quaſi deſolatio metus veſter, & calamitas veſtra velut turbo venerit, cum venerit ſuper vos afflictio & anguſtia*] Explicat in hoc verſiculo quantus ſit futurus ille timor, de quo ſuperiùs locutus eſt. Erit veluti deſolatio quæ repentè & præter exſpectationem ſolet irruere; ut inquit Paulus, 1 Theſ. 5. 3. *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Si ſimplicem ſequamur ſenſum, proverbium indicat ad ſummas miſerias redigi, ſi non rerum externarum, at certè ad anguſtias animi, quotquot ſapientiam ſpernunt; horrenda & inexſpectata ſupplicia manere eos qui Sapientiam non complectuntur Euangelicam. Alioqui hæc aptiſſimè quadrant in Judaïcæ gentis ruinam, exſilii & ſervitutis anguſtias, quæ teſte non ſolùm eorum conſcientià, ſed univerſo orbe ſuper eos venerunt, quòd Chriſtum Dei Sapientiam noluerint audire. A quibus liberari & eripi quotidie clamant, ſed fruſtrà; imò ſunt juxta præſentem locum ludibrio, ſuntque riſui omnibus, in quibus vera ſapientia viget: tantum abeſt ut quiſquam eorum doleat vices, aut miſeriis ſuccurrere laboret.

28, 29, 30. *Tunc invocabunt me & non exaudiam, manè conſurgent & non invenient me, Eò quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint; Nec acquieverint conſilio meo, & detraxerint univerſæ correptioni meæ.* Heb. *Tunc vocabunt me, & non reſpondebo, manè quærent me, & non invenient me, Eò quod oderunt ſcientiam, & timorem Domini non elegerunt: Noluerunt conſilium meum, ſpreverunt omnem increpationem meam. Tunc invocabunt*, vel *vocabunt*, *me*] Sunt verba Sapientiæ, quæ vocat ad pœnitentiam; objurgando, minando invitat ad ſanam mentem. Porrò tranſacto pœnitendi tempore, non ampliùs dignatur eos alloqui, ſed mutatà perſonà quid futurum ſit prædicit; futurum, inquam, ut illi clament. Nam hactenus ego clamavi, inquit Sapientia, & noluiſtis audire; poſthac illi clamabunt, & ego non exaudiam, vel non reſpondebo. In Hebræo *quærent* aut *inveſtigabunt* potiùs, quàm *manè ſurgent*: ſed in defenſionem Interpretis noſtri aſſerunt Hebræi hoc verbum שחר *manè quærere* ſignificare; h. e. cum ſtudio & ſolicitudine: q. d. Ante omnia tunc quærent me, qui nunc conſilium meum contemnunt. Iſta non ſolùm damnatis animabus poſt mortem quadrant, quæ aliquando ſerà ducentur pœnitentià, ut ſcribitur Sap. 5. intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes; neque ſolùm traditis in ſenſum reprobum in hac vita, qui locum pœnitentiæ non invenient etiamſi cum lacrymis quærant, ut Eſau Heb. 12. ſed omnibus quotquot juvenili ætate bonas & honeſtas artes ſpernunt, majores natu & gravati ſenio ſeipſos accuſabunt, & ſerà pœnitentià doctrinam quærent, *Eò quòd exoſam habuerint ſcientiam.* Hujuſmodi eſt ſermonis contextus: In anguſtiis conſtituti vocabunt me, ut opem illis feram, & ego non reſpondebo, non juvabo, ut pœna reſpondeat culpæ: nam odio habuerunt ſcientiam, quà Deus cognoſcitur, ſcientiam prophetarum & legis, quæ eſt *ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, Joan. 17. Hæc notitia potiſſimùm naſcitur ex timore Dei; hinc addit, *& timorem Domini non ſuſceperunt*, *non elegerunt timorem Domini*, *quod eſt principium ſapientiæ*: ut ſuperiùs dictum eſt. *Non acquieverunt conſilio meo.* Heb. *noluerunt conſilium meum*, vel potiùs *noluerunt audire conſilium meum*, quod fuit hujuſmodi, Convertimini ad correptionem meam. Sequitur, *Detraxerunt univerſæ correptioni meæ*, vel, *ſpreverunt omnem correptionem meam*, quod ferè ſolent imperiti & ignari, qui ſapientiæ ſunt expertes, qui hujus vitæ commodis & amœnitate ſeſe oblectant; hi, inquam, ſolent floccifacere Divini ſermonis & cœleſtis philoſophiæ correptionem, & ſubinde meritas pœnas luunt, juxta id quod ſequitur,

31. *Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur*] Metaphorica locutio accepta ab agricolis, & quadrat in eos qui ſibi ſunt ipſis cauſa malorum & autores. Neque eſt ſenſus alienus ab illo Pauli ad Cor. elogio, *Quæ ſeminat homo, hæc & metet*, 2 Cor. 9. Adjectis duabus vocibus, nempe *viâ* & *conſiliis*, apparuit ſenſum eſſe de moribus, & cibo animæ, h. e. de his rebus quibus ſuum appetitum paſcunt homines, dum ſua ſtudia & conſilia ſequuntur; quibus aliquando ſaturabuntur, & ad faſtidium & nauſeam uſque pervenient. Eſt enim omnium rerum mundanarum ſaturitas, quantumvis amœnæ videantur in principio; quemadmodum ſcribitur, *Extrema gaudii occupat luctus. Comedere* denique *de fructu viæ ſuæ* eſt dignam factis mercedem recipere; *conſiliis ſuis ſaturari*, pœnas dare pro peccatis, quæ cum conſilio & animo deſtinato perpetraverunt; vel, pernicioſis conſiliis quibus aliis machinabantur malum, ſibi ipſis conciliant interitum.

32. *Averſio parvulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos*] *Averſio* vox Hebræa משובת, pro *quiete* capi poteſt, & erit idem ſenſus primæ & ſecundæ clauſulæ hujus verſiculi, ad hunc modum, *Pax & requies parvulorum perdet eos*: dum abutuntur proſperitate, mala committunt plurima, quibus interficientur: adverſâ fortunâ, & hujus vitæ moleſtiis ſapere coguntur plurimi; nam *vexatio dat intellectum*, Eſa. 28. & huic ſenſui reſpondet ſecunda clauſula, *& proſperitas ſtultorum perdet eos.* Quòd ſi juxta Aben-Hezra pronomen *eos* non refe-

ratur ad *parvulos* & *ſtultos* reciprocè, ſed ad *peccatores*, de quibus ſuperiùs locuti ſumus, erit ſenſus, Quies parvulorum & proſperitas ſtultorum, h.e. malorum hominum & peſſimorum felix ſucceſſus in hac vita, plurimos ad perniciem & interitum perducit: q d. eò quòd non ſtatim puniuntur qui ſtultè agunt, multi pereunt: & hoc eſt quod conqueritur Sapiens, Eccleſ. 9. *Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub Sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt, unde & corda filiorum hominum implentur malitiâ.* Prior expoſitio eſt melior; hanc poſteriorem tamen ſequitur Nic. de Lyra. Manifeſta ſatis eſt intelligentia quam noſter reddit Interpres, nempe *Averſio parvulorum*, ſupple *à ſapientia*, *interficiet eos*, cauſa erit interitûs & perditionis illorum. Sed ſtulti non prævident mala futura, præſentibus bonis libenter fruuntur: nempe ſanitate, divitiis, honoribus, ex quibus damna capiunt ſtulti, h.e. Divinæ Sapientiæ expertes.

33. *Qui autem me audierit abſque terrore requieſcet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum ſublato.* Heb. *Qui obtemperat mihi, habitabit cum fiducia*, vel *confidenter*, *& proſpere aget, procul à timore mali*] Id quod ſola Sapientia Divina præſtare poteſt. Alioqui qui maximâ hujus mundi felicitate fruuntur, maximis ferè terroribus concutiuntur, timentes videlicet nè amittant ea quæ malis artibus ſunt aſſecuti. Sunt ex Hebræis qui exponunt, *proſpere aget à timore mali*, *quod veniet ſuper eum*; h.e. non minorem ſecuritatem ſentiet, aut etiam felicitatem in rebus adverſis quàm proſperis, ſemper ſui ſimilis. Adverſa ſive mala hujus mundi, quæ alios reddunt infelices, non minuunt proſperitatem aut quietem illorum qui Sapientiæ auſcultant; vel requieſcent abſque timore, pacato animo à ſupervacaneis curis, & tentationum tumultibus, quaſi perpetuum agentes ſabbatum in timore Domini. Senſus denique eſt, Solam Sapientiam præſtare tranquillitatem animæ, & metum mali expellere.

DRUSIUS.

1. מִשְׁלֵי. A. ΠΑΡΑΒΟΛΑΙ, PARABOLÆ] Hieron. PARABOLÆ SALOMONIS.

2. לְהָבִין אִמְרֵי בִינָה. Sym. ἐννοεῖν ῥήσεις συνετὰς, *ad intelligendum dicta prudentiæ*] *Dicta*: *orationes*, *ſententias*. ¶ *Ad intelligendum.* Novè uſurpat ἐννοεῖν pro *intelligo*. Nam ſign. potiùs *cogito*, *mente concipio*. ¶ *Prudentia*: *intelligentia*.

3. לָקַחַת מוּסַר הַשְׂכֵּל. A. τοῦ λαβεῖν παιδείαν ἐπιστήμης, *ad capiendum diſciplinam ſcientiæ*. Sym. ——— παιδείαν φρονήσεως, *diſciplinam prudentiæ*] Hieron. *ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ*.

4. לִפְתָאיִם. A. θελγομένοις, *delinitis*. Sym. νηπίοις, *parvulis*. Th. ἠπατημένοις, *deceptis*] *Delinitis*, aut *permulſis*. Nam θέλγω, *mulceo*. Vult dicere, *quos facilè delinias permulceaſve*. ¶ *Parvulis*: vel potius *infantibus*. Sed Hieronymus elegit *parvulis*, quem nunc ſecutus ſum, ut ille Symmachum Pſal. 19. 8. פתי LXX. νήπια. Hieron. *parvulos*. Νήπιος propriè *infans*. Ad animum relatum ſign. *imprudentem* & *imperitum ſimplicemve*, *qui non plus ſapiat quam infans*. Aliquando *ſtultum* denotat; ut in illo,

——— ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Ut νήπιος ad animum, ſic פתי etiam ad ætatem refertur. In Sanhedrin cap. Helec ait R. Aquila, *In civitatibus maritimis appellant infantes* פתאים, i.e. νηπίους. Hieron. forte Gallicum *petit*, quod *parvulum* denotat. Expende. ¶ *Deceptis*. ἠπατημένος non tam *deceptum* ſignificat quàm *deceptu facilem*, quod uſitatiùs εὐαπάτητος dicitur. Sic acceperim Hoſ. 7. 11. פותה. Sym. ἠπατημένη, *deceptu facilis*. LXX. h. l. ἀκάκοις, *minimè malis*. ¶ דַּעַת. Sym. αἴσθησιν, *intellectum*. Th. συλλογισμὸν, *ratiocinationem*. Lex. V. Αἴσθησις, *ſenſus*, *intellectus*. Exponitur etiam *cognitio*, *notitia*. LXX. ἔννοιαν, quod reddunt *cogitationem*, ego *intelligentiam*. Suprà ἐννοεῖν, *ad intelligendum*. Præcedit in hoc verſu דעת ubi LXX. habent αἴσθησιν, i.e. *notitiam*. Συλλογισμὸς, *Syllogiſmus*, *collectio quæ ratiocinando fit*. Alibi eſt διαλογισμὸς, ut Pſal. 139. 20. למזמה. Sym. διαλογισμῷ. Th. εἰς διαλογισμόν. A. εἰς ἐπίνοιαν. Eſt autem διαλογισμὸς, *cogitatio hominis ſecum ratiocinantis*, *ratiocinatio*.

6. מְלִיצָה. A. ἑρμηνείαν, *Interpretationem*. Sym. πρόβλημα, *problema*, ſive *propoſitum*, aut *quæſtionem*.] Hæc in ed. Rom. malè notata ſunt ad νοήσει τὴν παραβολὴν, cui vocabulo reſpondet משל in Ebræo. Id LXX. ſuprà παροιμίαν, *parœmiam*, A. παραβολὴν, *parabolam*, ſive *comparationem* expoſuerunt.

7. יִרְאַת יְהוָה. LXX. Φόβος Κυρίου. Schol. Θεοῦ] Κυρίου, i.e. יהוה. Θεοῦ, i.e. אלהים, ſive אל. Sed hæc nomina ſæpe ab Interpretibus confunduntur: quod hîc quoque factum neſcio à quo. ¶ אֱוִילִים. A. S. Th. ἄφρονες, *inſipientes*] Hieron. *ſtulti*. Prov. 10. 21. LXX. ἄφρονες. 14. 1. ἡ δὲ ἄφρων. 3. ἐκ στόματος ἀφρόνων. Pſal. 69. 5. אולת, LXX. ἀφροσύνη. Lex. Vet. Ἄφρων, *demens*, *vanus*, *imprudens*. Ἀφροσύνη, *amentia*, *inſipientia*.

9. כִּי לִוְיַת חֵן הֵם לְרֹאשֶׁךָ. A. Ὅτι προσθήκη χάριτός εἰσι τῇ κεφαλῇ σου, *Quoniam additamentum gratiæ ſunt capiti tuo*] Hieron. *ut addatur gratia capiti tuo*. ¶ עֲנָקִים. A. περιτραχήλια, *torques*. Schol. περίθεμα] Περιτραχήλια, *ornamenta colli*, *monilia collaria*. Lex. V. Περιτραχήλιον, *monile*, *hic ſalarus*, *collare*. Cæterùm inter colli ornamenta etiam *Torques* eſt. ¶ Περίθεμα, *id quod circumponitur*, ut περίθεσις, *circumpoſitio*. Sig. videtur περίθεμα τοῦ τραχήλου, *ornamentum collo circumpoſitum*, *circumductum*. Cujus hoc ſit interpretamentum, aliis diſquirendum relinquo: mihi nunc non vacat.

11. נֶאֶרְבָה לְדָם. A. S. Th. ἐνεδρεύσωμεν εἰς αἷμα, *inſidiemur in ſanguinem*] Hieron. *inſidiemur ſanguini*. ¶ לְנָקִי. A. ἀθῷον, *innocentem*] Hieron. *inſontem*: alii *innoxium*.

13. הוֹן. Sym. πλοῦτον, *divitias*. A. & Th. ὕπαρξιν, *ſubſtantiam*] *Divitias*, עשר. ¶ *Subſtantiam*: *bona & facultates*. Lex. V. Ὕπαρξις, *ſubſtantia*, *opes*. הון, ut Aben-Ezra cenſet, propriè denotat *opes auri & argenti*. *Subſtantiæ* vocabulo uſus eſt hoc ſenſu Hieronymus, ὑπάρξεως verò Euangeliſta Act. 2. 45. & Apoſtolus Ebr. 10. 34. ¶ יָקָר. A. S. Th. τιμίαν. Hieron. *pretioſam*] Sic eſt in ed. Rom. Cæterùm non dubito quin Sym. τίμιον ediderit, cùm prius הון πλοῦτον expoſuerit. ¶ שָׁלָל. A. λαφύρων, *ſpoliis*] Lex. V. Λάφυρα, *exuviæ*, *ſpolia*, *præda*. LXX. σκύλων. Hieron. *ſpoliis*. Prov. 31. LXX. καλῶν σκύλων. Schol. λαφύρων quod ex Aquila ſumptum, ut hinc liquet.

14. גּוֹרָלְךָ תַּפִּיל. Schol. κλῆρός σου πεσέτω, *ſors tua cadat*] *Cadat*, הפול. Error ex ſimilitudine literarum Joth & Vau. ¶ בְּתוֹכֵנוּ. Schol. ἐν μέσῳ ἡμῶν, *inter nos*] Hoc in ed. Rom. notatum ad γενηθήτω ἡμῖν cui reſpondet in Ebræo לכלנו, quod magis denotat *omnibus nobis*, i.e. πᾶσιν ἡμῖν.

15. בְּנִי אַל תֵּלֵךְ בְּדֶרֶךְ. Schol. υἱὲ, μὴ πορευθῇς ἐν ὁδῷ, *Fili, ne abeas in via*. ¶ מְנַע. A. Th. κώλυσον, *prohibe*. Sym. ἀπόστρεψον, *averte*] Prov. 11. 26. מנע. Sym. Th. κωλύων, *prohibens*.

19. כָּל־בֹּצֵעַ בָּצַע. A. S. Th. παντὸς πλεονεκτοῦντος πλεονεξίαν. Hieron. *omnis avari*. Hab. 2. 9. בצע בצע, LXX. πλεονεκτῶν πλεονεξίαν. Hieron. *qui congregat avaritiam*. Sig. *lucrionem*, h.e. lucri cupidum plùs æquo, ſive qui lucro inhiat ultra modum, & cruciatur libidine augendi divitias. Jud. 5. 19. בצע כסף. LXX. πλεονεξίαν ἀργυρίου. Pſal. 119. 36. LXX. πλεονεξίαν. Hieron. *avaritiam*. Eſt autem *plus habendi cupiditas ſuprà quàm æquum eſt*. Job. 27. 8. כי יבצע, οἱ λοιποὶ, ὅτι πλεονεκτεῖ; *quod plus habeat*, vel potiùs, *quod avarus ſit*. Hieron. *ſi avarè rapiat*. ¶ אֶת נֶפֶשׁ בְּעָלָיו יִקָּח. Sym. τὴν ψυχὴν αὐτῶν παρ' αὐτῶν λήψεται, *animam ipſorum ab ipſis capiet*] *Rapiet*, *auferet*.

20. תִּתֵּן קוֹלָהּ. A. S. Th. δώσει φωνὴν αὐτῆς, *dabit vocem ſuam*.

22. עַד מָתַי פְּתָיִם תְּאֵהֲבוּ פֶתִי. A. Ἕως πότε, νήπιοι, ἀγαπᾶτε νηπιότητα; *Quouſque, infantes, diligetis infantiam?*] *Infantes*, *animo infantis præditi*. Sic νηπιότης, *infantia* pro *imprudentia* vel *ſtultitia* ponitur. Vide quæ ſcripſimus ſuprà ad v. 4. ¶ וּכְסִילִים יִשְׂנְאוּ דָעַת. Sym. καὶ ἀνόητοι μισήσουσι γνῶσιν, *& ſtulti odio habebunt ſcientiam*] *Stulti*, *inſipientes*. Lex. V. Ἀνόητος, *ineptus*, *mente captus*. Ἀνόητος πάνυ, *ſtultus*, *ſtolidus*.

23. תָּשׁוּבוּ לְתוֹכַחְתִּי. Sym. ἐπιστράφητε ἐπὶ τὸν ἔλεγχόν μου, *convertimini ad redargutionem meam*] Hieron. *Convertimini ad correptionem meam*. ¶ אַבִּיעָה לָכֶם רוּחִי. A. Th. ἀναβλύσω ὑμῖν πνεῦμά μου, *ſcaturire faciam vobis ſpiritum meum*] *Effundam ſcaturiginis more*.

24. נָטִיתִי יָדִי. LXX. ἐξέτεινον λόγους. A. S. Th. χεῖρά μου. Hieron. *extendi manum meam*.

25. וַתִּפְרְעוּ. Schol. ἀκύρους ἐποιήσατε, *irrita feciſtis*. Sym. Th. καὶ διεσκεδάσατε, *& diſſipaſtis*.

26. בְּאֵידְכֶם. LXX. τῇ ὑμετέρᾳ ἀπωλείᾳ, *in veſtro interitu*. A. ἐπιβλυσμῷ. Sym. συντριβῇ] Gen. 3. 6. איד. A. ἐπιβλυγμός. Alius, ἐπιφλυγμός. Job. 30. 12. אידם. LXX. ἀπωλείας αὐτῶν. Sym. ἐπιβλυσμῷ. ¶ אֶלְעַג. A. S. Th. μυκτηριῶ *naſo ſuſpendam*, ſive *ſubſannabo*. Sic & LXX. interpretantur Pſal. 2. 4. Hic reddunt καταχαροῦμαι.

27. כְּסוּפָה. LXX. ὁμοίως καταιγίδι. A. συσσεισμῷ] Συσσεισμὸς exponitur à Budæo *turbo* ex 4 Reg. 2. Suidas quoque interpretatur λαῖλαψ καὶ συστροφὴ ἀνέμου. Job. 37. 9. סופה. A. συσσεισμός. Vide Fragmenta mea in h. l. ¶ וְצוּקָה. ¶ A. καὶ ἐπίχυσις. Th. κατάστασις] Ἐπίχυσις, *infuſio*, videlicet τῶν θλίψεων, ſicut dicimus, ἐπίχυσις τῶν πολιτῶν, quod interpretatur *redundans civium numerus*. Κατάστασις à verbo κατασείω, quod inter alia ſig. *premo*, *conturbo*, *perterreo*, ut Dan. 4. τὸ ἐνύπνιον μὴ κατασειέτω σε, *inſomnium nè terreat* (aut *conturbet*) *te*.

28. אָז יִקְרָאֻנְנִי. Schol. τότε ἐπικαλέσονταί με, *tunc invocabunt me*.

29. שנאו

29. תַּחַת כִּי שָׂנְאוּ. A. Th. ἀνθ' ὧ ἐμίσησαν, *pro eo quòd odio habuerunt.* ¶ וְיִרְאַת יְהוָה. Schol. τὴν δὲ θεοσέβειαν, *cultum autem Divinum*] Suprà v. 7. יראת יהוה ἐυσέβεια εἰς Θεὸν, *pietas erga Deum.* Auguſtinus in Enchiridio, cap. 2. ad locum Jobi, PIETAS EST SAPIENTIA, *Si quæras*, inquit, *quam dixerit eo loco* pietatem, *diſtinctiùs in Græco reperies* θεοσέβειαν, *qui eſt* Dei cultus. *Dicitur etiam Græcè* pietas, *& aliter idem* ἐυσέβεια· *quo nomine ſignificatur* bonus cultus.

30. לֹא־אָבוּ. A. S. Th. ὐκ ἐξεδέξαντο, *non receperunt*] Vel, *non ſuſceperunt*, *non deviſerunt.* Hieron. *nec acquieverint.* ¶ נָאֲצוּ. A. διέσυρον, *detractaverunt.* Sym. Th. παρώξυνον, *exacerbarunt*, *irritaverunt*] Pſal. 10. 3. נאץ. Alius, παρώξυνε, *acerbavit*, *irriſavit.* Alius, διέσυρε, *detractavit*, *obtrectavit.* Hieron. *blaſphemavit.* 2 Sam. 12. 14. נאצת. A. παρώξυνας. Lxx. παρώργισας. Sic ibi: hic vertunt ἐμυκτήριζον, *ſubſannarunt.*

31. מִמֹּעֲצֹתֵיהֶם. A. βελευμάτων, *conſultationum*, vel *conſiliorum.* Sym. Th. διαβελιῶν, *conſiliorum.*

32. כִּי מְשׁוּבַת פְּתָיִם תַּהַרְגֵם. Sym. Ὅτι ἀποςροφὴ νηπίων ἀνελεῖ ἀυτὲς, *Quoniam averſio infantium interimet eos*] Hieron. *Averſio parvulorum interficiet eos.* ¶ וְשַׁלְוַת כְּסִילִים תְּאַבְּדֵם. A. S. καὶ ἐυθηνία ἀφρόνων ἀνελεῖ ἀυτὲς, *& proſperitas amentium interimet eos*] Vel *evertet eos.* Nam ἀναιρέω, *everto.* Hieron. *perdet illos.*

33. יִשְׁכָּן־בֶּטַח. Schol. ἀναπαύσεται ἐν εἰρήνῃ πεποιθὼς, *requieſcet in pace confidens*] Vel *quieſcet.* Pſal. 55. 6. ואשכנה. Hieron. *& requieſcerem.* Lxx. καὶ καταπαύσω. 15. 1. מי ישכן. Lxx. τίς κατασκηνώσει; Interpres, *quis requieſcet?* Prov. 7. 11. לא ישכנו, Lxx. ὐχ ἡσυχάζυσιν. ¶ Ἐν εἰρήνῃ. בשלום: gloſſema eſt. ¶ *Confidens: fidens, fretus, ſecurus.*

AMAMA.

VOx משל hic ſignificat quaſvis ſententias aut γνώμας, quævis breviter, graviter & ſcitè dicta. Ejuſmodi MESCHALIM tria millia Salomo elocutus, cantica verò mille & quinque 1 Reg. 4. pertractavit & de animantibus & plantis, à Cedro Libani, uſque ad hyſſopum quæ in pariete. Quis hæc in ordinem redegerit, dubium. Rabbi Moſes Kimchi putat Jeſaiam ſcripſiſſe librum ſuum & Prov. & Eccleſ. & Cant. Thalmudici putant Ezechiam & ejus cœtum ſcripſiſſe libros ימשק, id eſt, Jeſaiam, Prov. Cant. Koheleth. Ii nituntur loco Prov. 25. 1. *Etiam hæ ſunt ſententiæ Salomonis, quas deſcripſerunt viri Ezechiæ Regis Juda.* Sed vide Lyram ad principium hujus libri.

2. חכמה eſt ſapientia, certa rei cujuſque & accurata cognitio. מוסר eſt diſciplina, eruditio, inſtitutio & veluti εἰσαγωγή. Hæc præcedit τὴν חכמה. בינה eſt prudentia, quæ oritur ex חכמה, cùm ope ſcientiæ facultatem conſequimur de rebus judicandi & rem cum re conferendi, rem ex re percipiendi. Aben. להבדיל בין דבר לדבר שלא ישים חשך לאור ואור לחשך.

3. שכל intellectus; השכל, ipſa vis intelligendi.

4. *Ad dandum*] Id eſt, docendum. Sic poſt לקחת ad accipiendum, i. e. diſcendum: Unde לקח doctrina. Sic Prov. 9. 9. *Da ſapienti & amplius ſapiet.* Virg.

Sed tamen ille Deus quis ſit da Tytire nobis.

Et,

Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno
Diſce omnes.

Simplicibus] Fatuis. Sumitur in malam partem. Contra ἀκέραιος Matth. 10. 16. in bonum. ἀκέραιος ab α & κέρας cornu, vel α & κεράω, cui nihil alienum ſit admixtum, quo adulteretur. Hic in Prov. opponitur prudenti. In Euangelio opponitur duplicitati & hypocriſi, & jungitur cum prudentia, jubet enim illic Dominus τὸν ὄφιν τῇ περιςερᾷ μιγνύειν. In פתאים eſt א loco jod, ut in רפאים à רפה.

ערמה] Ponitur paſſim in bonam partem, de qua voce diximus alibi. Vide & Druſ. ad loca difficiliora Geneſ. cap. 3. R. Levi ait eſſe פלפול בדברים הנדינים, acrimoniam, aſtutiam ſeu prudentiam in rebus Politicis. מזמה abſque מ ſemper in malum pro nefaria cogitatione, ſcelere. Hoc verò eſt anceps. A princip. ad cap. X. in bonum pro ſolerti & acuta cogitatione.

5. *Audiet ſapiens*] Ab. ſubintelligit אם, *ſi.* *Si ſapiens hæc audierit*, aut, *ſi ſapiens ſit qui hæc audiet, is augebit doctrinam.* Si prudens fuerit &c.

תחבלות] Jun. *induſtria conſilia.* Græci κυβέρνησιν. Quia חֹבֵל κυβερνήτης, à חֶבֶל funis. Gubernator enim funes veli tractat, attrahendo & remittendo. Interpp. Vulgati de rerum gubernaculis accipiunt. Malè. Transfertur enim ad quamcunque ſolertiam & acutam rationem aliquid faciendi.

9. מליצה interpretatio, unde מליץ Interpres, המליצה Rhetorica. Alii elegantiam vertunt, i. e. elegantem & venuſtum ſermonem, Lxx. λόγον σκοτεινόν.

דבר מכסה חידה eſt דבר מכסה ſermo tectus, qui non intelligitur, donec eſt expoſitus. Hactenus Prologus.

7. *Timor Domini* ראשית] Vulg. *Principium.* Melius, *caput*, i. e. baſis, fundamentum. Si vis in ſtudio ſapientiæ proficere, jacias primo hoc fundamentum, ni facias, infeliciter tibi cedet quicquid acquires. Sub timore Dei continetur & obſervatio mandatorum. Eſt enim timor filialis.

In primo hemiſt. eſt Ellipſis, ac proinde pii illum magnifaciunt, operam dant, ut eum ſicut fundamentum ſubſternant ſtudiis ſuis. At ſtulti contemnunt ſapientiam, quia non curant hoc fundamentum. Jun. *Fons.* Ex eo ceu fonte promanant eruditio & ſapientia ſicut rivi.

8. אל] לשון פיוס particula deprecandi.

תטש] Deſeras] תתש evellas. Lxx. μὴ ἀπώσῃ θεσμὲς τῆς μητρός σε. Porro *ne deſeras*, i. e. conſtantiſſimè teneas. Vid. Reg.

9. לוית, additio, adjectio. Supple כ ſicut. Eſt autem קשוט ornamentum. Lxx. ςέφανον. Chald. שופרא pulcritudo.

10. אם יפתוך] Si pellexerint, ſeduxerint te, i. e. pellicere, ſeducere voluerint. Manifeſtè ſic verbum activum conatum duntaxat & voluntatem ſignificat. Vide Regulas noſtras Textuales.

11. נצפנה abdamur, abſcondamur, vel, *abdamus nos.* Vel, occultemus (laqueos.)

Innocenti & ſine cauſa] Ex judicio Sp. Sancti utrumque dicitur. Quamvis חנם exponi poſſit, *impune*, q. d. nullus percipiet pœnaſve repoſcet.

12. תמימים *& integros*] i. e. totos.

13. *Spoliis*] Aben. בגדים *veſtibus*, de laxiori ſignificatione vocis שלל diximus ſæpius ad Pſalmos.

16. Monuit hactenus juvenem ut vitet prava conſortia, quæ efficaciſſimæ ſunt Diaboli machinæ, utque armavit eum adverſus omnia irritamenta & illicia, queis ſceleratum illud ſeductorum genus juvenes incautos ſolet à regia via abducere. Subjungit jam tria argumenta queis porro confirmat monitum ſuum. Primum eſt, quod ruant ad malum & exitium aliorum, quæ maxima in juſtitia & publica vis eſt. Id autem ſeorſim inculcat (ipſi enim hoc profitentur dicentes *inſidiemur*) quod juvenes ſolius lucri ſpei intenti ad id vix animum advertant.

17. חנם *panditur rete in oculis* &c.] Argumentum ſecundum, ſed variè expoſitum. R. Levi exponit, *ſine cauſa*, ut ſit iterum argumentum ab injuſto & iniquo, ut avibus ſine cauſa aut merito ullo aucupes tendunt retia, ita & improbi innoxiis ſine ullo ipſorum merito inſidiantur. Junius, *Fruſtra*, ut ſit argumentum ab incerto, q. d. utcunque ſibi certo promittant prædam tamen non magis certi de ea eſſe poſſunt, quam eſt auceps de capienda ave prætervolante & retia obſervante. Mercerus jungit hunc verſum cum ſequenti, כי *certe* (ut) *fruſtra panditur rete in oculis omnium*, *alitum*, ſic illi לדמם ſanguini ſuo inſidiantur & abſcondunt ſe contra animas ſuas, ut ſit argumentum à funeſto ipſorummet exitio. Aves etſi rete videant, ſi tamen eſcam juxta appoſitam videur, tanta in eſcam cupiditate feruntur, ut retis & laquei obliviſcantur; ita homines improbi tanto pecuniæ & lucri deſiderio flagrant, ut dum iſti duntaxat inhiant, laqueos extenſos, i. e. carceres, patibula, cruces & equuleos non videant. Ita vox *fruſtra* non ad aucupem, qui capit, ſed avem quæ capitur, referenda eſt. Sic dico, Aucupi fruſtra non eſt laqueum tetendiſſe, ſed avi fruſtra eſt rete vidiſſe. Oleaſtrius in Canonibus Commentario ſuo ad V. libros Moſis præfixis, putat hunc verſum per hyperbaton quoddam referendum eſſe ad verſ. 11. *Inſidiemur* &c. Atque hic dari rationem, cur non aperto Marte, ſed inſidiis & dolis cum viatoribus agendum ſit, quia alias non ſuccederet. Sed illud durius & violentius puto.

18. Jun. quoque accipit affixa hæc pro reciprocis. Sic & Vulg. & Lxx. περιφραςικῶς, ἀυτοὶ γὰρ οἱ Φόνε μετέχοντες θησαυρίζυσιν ἑαυτοῖς κακά.

לנפשתם] *Contra animas ſuas.* ל *contra*, ſic Abd. 5. vel ſervari poteſt dativus, *animabus ſuis*, ſi verbum יצפנו exponas, *abſcondunt* tendiculas.

19. *Sic ſunt viæ*] Eſt Epiphonema & concluſio dehortationis. q. d. Hi ſunt fructus talium actionum. Talis ſementis, talis meſſis. Tales aquæ tales piſces edunt.

Viæ, *ſemitæ*] Id eſt, ita accidere & evenire ſolet &c. Jun. *Ita ſe habent cœtus omnium deditorum quæſtui.* Sic Gen. 37. 25. *Semitæ Iſmaëlitarum*, i. e. turmæ, cœtus.

בוצע בצע] בצע inter alia, *vulneravit.* Et quia nihil tam vulnerat & fauciat animam quàm avaritia, hinc, pro *avarus fuit, lucri ſtudioſus ac cupidus fuit*, ponitur. בצע autem & avaritiam & rem quæ per avaritiam paratur, i. e. lucrum, quæſtum ſignificat. Ergo, בוצע בצע eſt ſtudioſus ſeu cupidus, lucri, quæſtus את נפש בעליו יקח Aben. *Id quod rapitur capit eum qui rapit.*

 Angli.

Angeli ſubaudiunt, אשר, *quod lucrum capit, intercipit animam eorum qui poſſident illud.* Jun. *qui dediti ſunt ipſi.*

20. Locus alius continens generalem invectivam in eos, qui vocem Sapientiæ contemnunt.

חכמות תרנה] Vox חכמות extra controverſiam plur. num. eſt. De תרנה diſputant. Ego audacter pronuncio eſſe ſingulare cum ה paragogico, pro תרן. Ecce ſequentem quoque vocem תתן, quæ ſing. eſt. Nec hic audio Mercerum, diſputantem adverſus Rabvenak, qui negat poſſe eſſe plurale. Dicit Mercerus, *Ea quæ deſinunt in Nun qualecunque, ſequente altero Nun, elidere prius Nun & compenſare illud per Dages.* Si per *qualecunque Nun* intelligit Nun tam Dageſſatum quam Raphatum, dubito an verè dixerit. Nec enim ullum exemplum in memoriam revocare queo, ubi id fiat. Pergit Mercerus & dicit, *Dicendum ergo erat* תרננה *pro hoc dicitur* תרנה. At ſic confunduntur duo ordines, nam in Quieſc. Ain ſic ultima vox futuri formari ſolet, תאינה, תשננה. At in duplic. תסבינה ſic תרנינה. Nec ullum dari poterit, ubi Kamets ſub ה maneat, exemplum. Ergo *Tharonna* ſingulare eſt. Sed quid hoc eſt, *Sapientia clamat.* An locutio, qualis, *filia incedit, Beſtia clamat*, quæ per diſtributionem exponunt Grammattici, i. e. *unaquaque Filiarum incedit, unaquaque beſtia clamat.* Ita Mercerus exponit, *unaquaque ex ſapientiis. Nullis enim temporibus*, inquit, *deeſt in Eccleſia vox divina ſapientia per Doctores à Deo miſſos qui homines de Dei cultu & bonis operibus inſtituant.* Expoſitio nimis meo judició frigida. An locutio qualis *Elohim bara*, ex qua myſterium Trinitatis perſonarum & unitatis Eſſentiæ exſculpunt quidam Interpretes? Ne hoc quidem. Quid ergo? Obſervamus hic inſignem modum auxeſeos Ebraïcè: *Sapientia*, i. e. maxima, præſtantiſſima, ſumma & increata illa ſapientia, Chriſtus, ipſiſſima Sapientiſſimi Dei Sapientia, in qua reconditi ſunt omnes Sapientiæ theſauri. Sic Junius, qui hæc addit, *Quamobrem honoris causâ plurali numero dicitur ſapientia, q. d. tota ſapientia atque omnis ſapientiæ auctor.* Hoc illi expendant, quibus abſurda videtur hæc obſervatio, Ebræos honoris causâ aliquando unum aliquem plurali numero exprimere. Certe ארנים & בעלים & אלהים id docent, quæ non tribuuntur ſingularibus aliis, quàm quæ revera honorari debent vel ab hominibus ſolent, quod poſterius adjeci, ob idola & Deos falſos, queis nomen Elohim aliquando in SS. Literis communicatur. Angli *Wiſdome.* At in marg. *Ebr. Wiſdoms that is excellent Wiſdome.*

21. *In capite*, המיות *perſtrepentium*] Epitheton vicorum frequentium. Jun. *In ſummo turbarum*, i.e. ex edito loco, ubicunque eſt maxima frequentia, ſumpta locutio à concionum ritu.

22. תְּאֵהֲבוּ] Fut. Kal pro תֶּאֱהָבוּ vel תֶּאֱהֲבוּ. Alii putant eſſe Piel pro תְּאַהֲבוּ amare facietis alios.

כסיל eſt in quo eſt ſtultitia העדרי privativa, אויל in quo eſt ſtultitia קנינית qui falſis opinionibus eſt imbutus.

24. *Et renuiſtis*] Sc. לשמוע.

Extendi manum meam] Ad vocandum. Alibi eſt geſtu indicentis ſilentium & petentis audientiam, Act. 21. 40. *κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ*, Beza, *manu ſilentium poſtulavit à plebe.* Syrus, *agitabat iis manum ſuam.*

שואה] à שאה. Cum tumultu & ſtrepitu vaſtari. Jun. *tanquam fremebunda vaſtatio* כ veritatis.

איד Vapor & interitus, quod quæ evaporant, in nihilum quaſi abeant & intereant.

סוף Turbo.

יאתה] Hinc *Maranatha.* 1 Cor. 16. Anathema, Maranatha, Anathema, i. e. חרם, nomen generis. Aliquando eſt ſpecies, *Herem, Niddui & Maranatha.* Gal. 6. *Quod quis ſeminat hoc & metet.* Prov. 22. *Qui ſerit iniquitatem, metet calamitatem.*

משובה] Jun. *Quies, conſtans & pervicax eorum in malo reſidentia.* Alii *averſio cum tranquillitate conjuncta.*

GROTIUS.

GRæcè dicitur hic liber Παροιμίαι, [*Proverbia.*] Nimitum Hebræum משלי propriè *comparationem* ſive παραβολὴν ſignificat. Et quia ex comparationibus curtatis plerumque fiebant Proverbia, indè cœpit ſumi in ſignificatu παροιμίας, [*proverbii:*] deinde latiùs, ut fit, protendente ſe vocis uſu, omnis Γνώμη [*ſententia*] ſic cœpit dici. Non repetemus hic quæ de ea re diximus tum in Prolegomenis ad dicta Poëtarum è Stobæo, tum ad Matth. 13. 3. Videtur autem hic liber eſſe ἐκλογὴ, [*ſelectio*] optimarum ſententiarum ex plurimis qui ante Solomonem fuêre ſcriptoribus, quales ἐκλογὰς, [*ſelectiones*] multi Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſcribi in ſuos uſus fecêre. Sunt autem quæ hic ſunt ἠθικὰ [*moralia*] omnia, pertinentia aut ad morum, aut ad prudentiæ præcepta, ſic tamen ut hæc & illa ſemper ad Dei cultum reſpiciant; quæ virtus cæteras omnes ex ſe parit, neglecta multis gentibus, maximè autem facta ab Hebræis ſapientibus, ut Joſepho notatum eſt. Atque hinc initium ducitur hujus libri.

3. *Juſtitiam, & judicium, & æquitatem*] צדק [*æquitas*] eſt id quod bonitati convenit. משפט [*judicium*] jus συναλλακτικὸν, [*commerciorum*,] quod circa contractus & delicta exerceri ſolet. Quidquid præter hæc rectum eſt & ad aliquam virtutem pertinet, venit ſub nomine מישרים [*rectitudines.*]

6. *Ænigmata eorum*] Αἶνος, [*Apologos*] multùm frequentes Orientalibus. Vide quæ in dictis jam Prolegomenis, & in Annotatis ad librum 3. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

32. *Averſio populorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos*] Hoc ex Symmacho ſumſit Interpres: ὅτι ἀποστροφὴ νηπίων ἀνελεῖ αὐτούς, [*incuria inſipientium perdet eos*,] ubi ἀποστροφὴ eſt id quod Græcis elegantioribus dicitur ἀπροσεξία, [*incuria.*] פתים ſunt ἄνοι [*amentes*] Oſ. 7. 11. κεκφυθέντες, [*leviter circumacti*] infrà 7. 22. Et quia tales eſſe ſolent pueri, ideo ſæpe vertitur νήπιοι [*pueri.*]

CAP. II.

MUNSTERUS.

3. PRudentiæ dederis vocem tuam] h. e. Si *clamaveris* pro ea, & poſtulaveris eam ex fide & toto corde, *quæſierisque eam veluti nobiliſſimum theſaurum, invenies eam*, nempe *timorem Dei & cognitionem ejus.* Eſt enim hæc ſumma doctrinæ Chriſtianæ, Timere Deum & Noſſe Deum. *Noſſe Deum* eſt noſſe voluntatem ejus erga nos, quòd ſcilicet iraſcitur peccato, & ignoſcit pœnitentibus, quodque adſit credentibus & illos cuſtodiat.

7. *Abſcondit pro rectis ſalutem*] Deſcribuntur hic fructus qui naſcuntur ex Sapientia, nempe *Salus, Protectio, Juſtitia, Æquitas*, &c. Hebræi tamen intelligunt per תושיה *diuturnitatem temporis* ſive *longævitatem.* Eſt enim hexmanticum à dictione יש, quod *eſſe & exſiſtere* ſignificat.

11. *Conſilium*] Hebræi exponunt מזמה pro *ſapiente cogitatione.*

13. *Qui deſerunt vias rectas*] Subaudiendum *errant, & nihil aliud agunt quàm quod in tenebris ambulant, & deſtituuntur omni luce.* Vel referendus eſt hic verſus ad præcedentia, ut ſit ſenſus, *Si quæſieris ſapientiam illa liberabit ab hominibus perverſis, qui deſerunt vias rectas*, &c. *Eruet quoque te à muliere procaci, quæ deſerit maritum ſuum primum*, qui hîc אלוף *dux & præceptor* vocatur.

18. שחה, pro quo *inclinat* vertimus, propriè ſignificat *incurvare.*

VATABLUS.

1. ABſconderis תצפן] *Repoſueris*, nè ſcilicet illorum obliviſcaris.

2. *Ut attendere facias* להקשיב] *Ut accommodes.* ¶ *Intelligentiæ* לתבונה] *Prudentiæ, inſtitutioni.*

3. *Ad intelligentiam clamaveris* לבינה תקרא] Hebraïſmum ſic quidam convertunt, *Intelligentiam accerſieris*, vel *prudentiam*, ſive *inſtitutionem advocaveris:* i. e. ſi clamaveris pro ea ad Deum. ¶ *Dederis vocem tuam* תתן קולך] Hebraïſmus, pro *evocaveris ad te intelligentiam.* Vel, *voce tuâ inſtitutionem accerſiveris.* Repetitio eſt: idem enim bis dicit.

7. *Et recondet rectis eſſentiam* יצפן לישרים תושיה] *Et reponit* [vel *ſervat*] *rectis doctrinam veram.* Alii, *Abſcondit pro rectis ſalutem.* Annotant quidam Hebræi תושיה hic ſignificare *diuturnitatem temporis*, ſive *longævitatem.* ¶ *Perfectè* תם] In *integritate, immaculatè, innocenter.*

8. *Semitas judicii* ארחות משפט] More Hebræorum dicitur pro *ſemitis juſtis.* ¶ *Miſericordium ejus* חסידו] i. e. Quos miſericordiâ ſuâ proſequitur. Alii vertunt *ſanctorum*, alii *beneficorum*, alii *piè colentium.* ¶ *Cuſtodiet* ישמר] Fut. Hob. pro præſenti, ut quidam vertunt, *cuſtodit*, ſive *cuſtodire ſolet.*

10. *Et cognitio animæ tua dulcis fuerit* ודעת לנפשך ינעם] *Et ſcientia* [vel *intelligentia*] *tibi placuerit.* Ad verb. *pulcra fuerit*, aut *jucunda.* Quidam, *& ſcientia animum tuum delectaverit.*

11. *Cogitantia* מזמה] *Conſilium. Prudentia. Proſpicientia.*

14. *Mali* רע Sub. *viri.* Quidam, & *malitia.*

15. *Quorum ſemita* אשר ארחתיהם] Ad verb. *Quorum ſemita*

mita eorum. Redundat pronomen *eorum.* ¶ *Perverſæ ſunt* עקשים] *Obliquæ ſunt.* ¶ *Et perverſi* נלוזים] *Et perverſitates.* Repetitio, idem bis dicit.

16. *Emollit* החליקה] Præt. Heb. pro præſ. *lenificat, blanda facit:* i. e. blanditiis allicere ſolet. Quidam, *quæ verbis ſuis blanditur.*

17. *Ducem adoleſcentiæ ſuæ* אלוף נעוריה] *Principem pueritiarum ſuarum*, i. e. maritum. Nomina ætatum in plurali declinantur apud Hebræos.

18. *Inclinat* שחה] Quidam Hebræorum referunt ad mulierem; *Inclinata eſt* [*mulier illa* ſcilicet] *ad mortem*; *quæ mors eſt domûs ejus.* Alii, *mortem minatur domus ejus.*

19. *Apprehendunt* ישיגו] Fut. Heb. præſ. ut quidam vertunt.

20. *Ut ambules*, inquam למען תלך] *Propterea ambula.* Vel, *Idcirco bonorum itinere incedito.* ¶ *Cuſtodias* תשמר] *Obſerves.*

21. *Et integri* ותמימים] *Et inculpabiles*, *immaculati.*

22. *Eradentur* יסחו] *Eradicabuntur*, *evellentur*, *deſtruentur.*

CASTALIO.

17. J*Uventutis ſuæ ducem*] Primum maritum. ¶ *Fœderis Dei ſui oblita*] Fidei conjugalis.

19. *Vnæ vias aſſequatur*] Mortem evadat.

CLARIUS.

3. P*Rudentiæ dederis vocem tuam*] h. e. Si *clamaveris* pro ea acquirenda, & poſtulaveris eam toto corde, *quæſieriſque eam veluti nobiliſſimum theſaurum*, *invenies eam*, nempe *timorem Dei & cognitionem ejus.* Eſt enim hæc ſumma Chriſtianæ philoſophiæ, Timere Deum, & Noſſe eum. *Noſſe Deum* eſt noſſe voluntatem ejus erga nos, quòd ſcilicet iraſcitur peccato, ignoſcit pœnitentibus, adeſt credentibus, & illos cuſtodit.

7. *Cuſtodit rectorum ſalutem*] Deſcribuntur hic fructus qui naſcuntur ex Sapientia, nempe *Salus*, *Protectio*, *Juſtitia*, & *Æquitas*, &c. Heb. *Abſcondet pro rectis ſalutem.* Sed Interpres ſcitè & hic & ſæpiſſime aliàs ſenſum quærit eruere, verba non curans.

11. *Conſilium cuſtodiet te*] Intelligunt ſapientem cogitationem.

13. *Qui relinquunt iter rectum*] Subaudiendum *errant, & nihil aliud agunt quàm quod in tenebris ambulant, & deſtituuntur omni luce.* Vel referendus eſt hic verſus ad præcedentia, ut ſit ſenſus, *Si quæſieris ſapientiam, illa liberabit te ab hominibus perverſis, qui relinquunt iter rectum*, &c. *Eruet quoque te à muliere procaci, quæ deſerit maritum ſuum primum*; quem vocat *ducem pubertatis*

R. BAYNUS.

1. F*Ili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & man data mea abſconderis penes te*] Hactenus avaritiam cavere docuit, & rapinas, & alia horrenda peccata, ad quæ juvenes peccatorum conſuetudine & conſilio nonnunquam pertrahuntur: quibus manet exitus peſſimæ vitæ dignus. Sed his relictis convertit ſermonem ad filium. In hoc capite Sapientiæ inculcat laudem, ſtudium, & amorem, qui nos ad res cœleſtes perducit, mundum conculcare docet. *Fili mi*] Sunt verba Sapientiæ. Nemo meliùs ad ſapientiam pertrahit homines, nemo meliùs Sapientiæ laudes celebrare poterit, quàm ipſa Sapientia. Quibus ergò veſtigiis, & quo ſtudio ad ſcientiam perveniatur; porrò quæ vitia juvenibus potiſſimùm obſtant, quò minùs ſapientes evadant, principio hujus libelli veluti præfatione quadam enumerat Salomon. Et primò, *Fili mi, ſi acceperis verba mea*] Accipienda ſunt verba Sapientiæ, quod ad voluntatem audiendi, ad obedientiam, & intelligentiam verbi Divini referri poteſt. *Si ſuſceperis ſermones meos*] q. d. Sapientia quod ad eam ſpectat, facit, clamat, dat vocem ſuam in loco eminentiore, omnes invitat, à ſua doctrina neminem excludit: imò veluti unicum filium unumquemque vocans, Fili mi (inquit) ſi ſuſceperis, quod meum eſt feci, vocavi, porrigendo manum opem tuli, & gratiâ præveni: nunc tuum eſt obediendo ſuſcipere ſermones meos & abſcondere penès te, tanquam ingentem theſaurum, & res quaſque chariſſimas. In *capiendo* & *recondendo* oſtende quàm chara ſint tibi Sapientiæ præcepta. Hebræi referunt ad jugem præceptorum memoriam hoc quod dicit *abſcondes tecum*, vel *apud te.* Quibus modis ſint *arripienda* verba, & quo loco *occultanda* præcepta, in ſequenti verſiculo oſtendit.

2. *Ut audiat Sapientiam auris tua, inclinabis cor tuum ad cognoſcendam prudentiam.* Heb. *Ut attentam præbeas Sapientiæ aurem tuam, inclinabis cor tuum ad intelligentiam.*] Ex proprietate linguæ in verbis, *ut audias* & *inclinabis*, eſt aliquid energiæ, quam Latinus ſermo non aſſequitur, quà magnum ſtudium & ſedulitas in audiendo commendatur, & humilitas cordis, dum aurem inclinat. Si audieris, inquit, ſic ut attendere facias aurem tuam Sapientiæ: hoc eſt quod Chriſtus toties repetit, *Qui habet aures audiendi audiat.* Valde difficile eſt juvenibus oblectari ſeſe rebus ſeriis, habere aurem attentam Sapientiæ præceptis, habere cor inclinatum ad intelligentiam, ſup. eorum quæ Sapientia docet: vel potiùs *inclinare cor ad intelligentiam* eſt applicare animum ad res quæ mente & intelligentiâ præcipiuntur: q. d. remove cor, & deſiderium tuum à rebus quæ vides, quæ audis, & quæ reliquis ſenſibus hauriuntur; & attentum habe ad res cœleſtes, quæ cogitatione comprehenduntur & intelligentiâ: uſque adeò difficile eſt ut humanas quodammodo ſuperet vires, & proinde ad preces confugiendum eſt, juxta id quod ſequitur,

3. *Si enim ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ.* Heb. *Sed ſi ad intelligentiam clamaveris, ad prudentiam dederis vocem tuam.*] Septuaginta ſic, Ἐὰν γὰρ τὴν σοφίαν ἐπικαλέσῃ, καὶ τῇ συνέσει δῷς φωνήν σου, *Si enim ſapientiam invocaveris, & intellectui dederis vocem tuam*: ut ſit ſenſus, Si clamaveris ad intelligentiam, ſi clamaveris ad Deum pro intelligentia. Vel intelligentiam Dei, qui ſpiritus Dei eſt, invocandam docet, quò intelligentiam nobis neceſſariam aſſequamur. Prior expoſitio eſt melior, ut cui ſecunda clauſula reſpondet, ſecundùm Hebr. & Lxx. Sunt ex Hebræis qui duas voculas כי אם *nam ſi* exponant per כאשר *quando* vel *cùm*; & erit ſenſus, Cùm invocaveris, vel oraveris, Deum, æquum eſt ut ores eum, quò te juvet in acquiſitione intelligentiæ. Poteſt verbum קרא *vocavit, invocavit, oravit*, in alio ſenſu intelligi: nempe ſenſu *eligendi*, inquit autor commentariorum, juxta illum locum Eſa. 48. ישראל מקראי *Iſrahel*, non, *vocatus meus* (ut noſtri legunt) ſed, *electus meus*: atque juxta hanc ſignificationem hujus verbi קרא videtur Rom. 1. *electus Apoſtolus* potiùs legendum quàm *vocatus Apoſtolus.* *Et intelligentiæ*, ſive *prudentiæ, dederis vocem tuam.*] Hoc eſt, oraveris pro intelligentia ut Deus opem tibi ferat in acquirenda intelligentia. Et hæc quod ad neceſſitatem gratiæ ſpectat, cui etiam noſtra induſtria accedat oportet juxta omnium etiam Judæorum ſententiam: in quem ſenſum facit ſequens verſiculus.

4. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam.* Heb. *Si quæſieris eam quaſi argentum, & ſicut theſauros eam ſcrutatus fueris.*] Effoderis illam ſcrutando, videlicet ut invenias eam, ſicut avidiſſimè ſcrutari ſolent & effodere, qui pecunias vel theſauros alicubi abſconditos norunt. Sermo noſtri Interpretis eſt obſcurior, ſed Lxx. & Heb. habent pro *effoderis*, *ſcrutatus fueris*, καὶ ὡς θησαυροὺς ἐξερευνήσῃς· ut idem ſit ſenſus in utraque clauſula, nempe, *ſi quæſiveris eam ſicut argentum*, h. e. tanto ſtudio, tanto deſiderio, quanto ſolent homines divitias quærere: q. d. rem eſſe indignam homines ad ſapientiæ cognitionem natos, ſtudio ſapientiæ neglecto, opibus congerendis tantâ aviditate vacare. Ad hunc locum alludere videtur parabola Euangelii, *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Inexhauſtam videlicet indicans eſſe Divinarum rerum & Scripturarum intelligentiam, ut quam nulla ætas aut hominum induſtria poſſit exhaurire aut penetrare. Similitudines iſtæ de argento & theſauro huc ſpectant, ut oſtendat labores magnos & animum invictum exigi à juvenibus in ſapientia inquirenda. Vel ſimilitudo refertur ad voluptatem, quam capiunt homines invento theſauro; vel denique refertur ad invictum ſtudium & ſedulitatem eorum qui lucro dediti ſunt, qui totis viribus & omnibus ſtudiis illò reſpiciunt, qui omnem opportunitatem captent opes augendi: ſimile aliquid exigit Sapiens in ſtudio ſapientiæ, ut quamvis magnus ſit labor in acquirenda ſapientia, virtus enim verſatur circa difficile, tamen præ magnitudine amoris levis apparebit. Atqui ex omnibus his tandem conditionibus, nempe *ſi acceperis verba mea, ſi præcepta abſconderis penès te*, & cætera quæ à principio capitis recitata ſunt, infert,

5. *Tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies*] Niſi magnâ humilitate & induſtriâ, niſi ſedulis precibus & aliis officiis modò recitatis, nunquam intelliges timorem Domini quod eſt initium ſapientiæ. Magnâ diligentiâ & promptâ voluntate & gratiâ Dei opus eſt, alioqui de ſapientia Dei nihil penitus intelliges, nè rudimenta quidem ſapientiæ. A timore Dei, qui primus gradus eſt, ad ſcientiam Dei pervenies: inveniesque ſcientiam Dei. Duplex eſt ſenſus; vel ubi omnia hæc feceris, & prædictis modis & laboribus nactus fueris ſcientiam, quam Deus largitur hominibus, tanquam à Deo datam inveniſti eam, ut gratiam Dei cum humano jungat conamine: vel, ſcien-

tiam Dei invenies, quâ Deus cognoſcitur; q. d. à timore Domini ad cognitionem Dei pervenitur, quod donum Dei eſſe ſequens docet verſiculus.

6. *Quia Dominus dat ſapientiam, ex ore ejus prudentia & ſcientia*] Non eſſe virium humanarum hanc inveſtigare & invenire ſapientiam frequenter dictum eſt: unde potiſſimùm petenda ſit, præſens locus aperit. Dominus dabit ſapientiam illam quam quæris, juxta illud Jacobi, *Si quis indigeat ſapientiâ, poſtulet à Deo:* ut intelligas ubi quærenda ſit ſapientia, non in ethnicorum & infidelium libris, ſed in his oraculis quæ Deus ore proprio locutus eſt. Aliter, quærenda eſt velut theſaurus, non qui in terris abſconditur, ſed *ubi fures non effodiunt, neque furantur*: perennis eſt, non conſumitur, non contrahit rubiginem, nam ab ore Dei defluit. In contextu tria nomina ponuntur: *ſapientia*, quæ ad cœleſtia refertur; *ſcientia*, ad cognitionem rerum in hac vita neceſſariarum; *intelligentia* ſive *prudentia*, ad mores & integritatem converſationis inter homines: quarum unamquamque tanquam ex ore Dei inſtructi & edocti habent quotquot his virtutibus ſunt præditi. Non ſunt autem vulgares hæ virtutes, aut omnibus collatæ; ſed iis duntaxat qui inculpatè vivunt, & ambulant in perfectione, juxta id quòd ſequitur,

7 *Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter.* Hebr. *Abſcondet rectis ſalutem, ſcutum ambulantibus in perfectione*] Et LXX. *theſaurizabit: καὶ θησαυρίσει τοῖς κατορθοῦσι σωτηρίαν.* Quod ad ſenſum ſpectat, non eſt tanta diverſitas quanta eſt in verbis; nam qui abſcondit & teponit, diligentiſſimè cuſtodit. *Dabit Dominus ſapientiam ex ore ſuo*, ſed non omnibus dabit, ſed occultat quibuſdam, & ſecretam ſervat rectis: h. e. his qui rectè ambulant in fide & charitate, juxta id quod ſequitur; *Proteget gradientes ſimpliciter*] Vel, ut eſt in Hebræo, *ambulantes in perfectione*, in hac vita præſente, juxta Hebræos. Subinde verba ſapientiæ occultat ubi non eſt opus; ſed parata eſt ſapientia, velut clypeus in defenſionem eorum qui rectè ambulant. Obſervandum eſt hoc in loco poni vocem Hebræam תושיה, quam noſter Interpres vertit *ſalutem*. Hebræi, quos alii ſequuntur Interpretes, vertunt *ſapientiam*. Ad ſenſum haud ità multùm refert; nam dubium non eſt quin ſalus illa, ſive ſapientia, quam Deus abſcondit pro rectis, ſit ſalus Novi Teſtamenti, & æterna ſapientia. A nonnullis *eſſentia* vertitur; nam vox Hebræa à verbo יש, quod *eſſe* ſignificat, habet originem, ſolidam firmamque ſubſtantiam, h. e. perſeverantiam in bono ſignificare poteſt. Hebræi, ſuo more, legem intelligunt Moſaicam, quam hoc nomen ideo ſortitam inquit D. Kimchi, quòd cùm alia ſint caduca & vana, ſola Lex (inquit) perpetuò durat. Sed quantò certiùs Paulus, qui ad Corinth. ſcribens de Chriſto & Euangelica ſapientia, *Loquimur Dei ſapientiam*, inquit, *quæ abſconditur in myſterio*: & pòſt, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Sunt autem recti, qui faciunt voluntatem Patris, in qua nihil eſt obliquum. Fuit igitur diu recondita iſta, ſive ſapientia æterna, ſive ſalus æterna, quæ eſt protectio & clypeus, ſive *ſcutum*, juxta Hebræum, contra omnia hujus mundi adverſa, his qui perfectè vivunt, juxta id quod ſequitur;

8. *Servans ſemitas juſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens.* Hebr. *Ad ſervandum ſemitas judicii, & viam ſanctorum cuſtodiet*] Declarat hoc verſiculo quid ſit ambulare perfectè, vel in perfectione: nimirum *cuſtodire ſemitas juſtitiæ.* Verſiculus præcedens cum præſente connectitur ad hunc modum, Salus, vel ſapientia, æterna, quæ abſconditur rectis, erit protectio gradientibus in perfectione ad ſervandum vias judicii. Sed cùm hoc ſit ſupra vires noſtras, addit, *Et viam ſanctorum ſuorum ſervabit*; ſup. *Dominus.* In Hebræo *ſupplicum* potiùs legitur quàm *ſanctorum*, h. e. illorum qui miſericordiam implorant. Et, ut inquit quidam ex Hebræis, eſt menſura pro menſura, h. e. præmium reſpondet merito: ſi is qui ambulat in perfectione ſervat ſemitas judicii, tribuens unicuique quod ſuum eſt, Deus cuſtodiet viam ejus, ut ſcriptum eſt, *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Pſal. 91.

9, 10. *Tunc intelliges juſtitiam, & judicium, & æquitatem, & omnem ſcientiam bonam, Si intraverit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit.* Hebr. *Tunc intelliges juſtitiam, & judicium, rectitudines, omnem ſemitam bonam, Cùm intraverit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ ſuavis fuerit*] *Tunc* referri poteſt vel ad præcedentia, ut ſit ſenſus, Cùm perſeceris ea quæ prædicta ſunt de invocatione & inveſtigatione ſapientiæ; ſed meliùs ad ſequentia: & particula כי non debet verti *ſi*, ſed *cùm*, & erit ſenſus, Non ſolùm has virtutes, *juſtitiam, judicium & æquitatem intelliges*, ſed *omnem viam bonam*, h. e. omnes bonos mores, *cùm intraverit ſapientia in cor tuum, & ſcientia placuerit*: vel, ut eſt in Hebræo, *amœna & dulcis fuerit animæ tuæ.* Non puto nimis anxiè laborandum in diſtinctione harum virtutum, Juſtitiæ, & Judicii, & Æquitatum ſeu rectitudinum, cùm in S. literis non ſimilis ubique habeatur diſtinctio. Utcunque, hoc in loco ſecundùm quoſdam *Juſtitia* ad ſpeculationem & contemplationem, h. e. ad Deum refertur; *Judicium* ad actionem, præſertim eorum qui autoritate præditi ſunt; *Æquitates* ad eos qui privatim agunt vitam. Æquitas eſt nemini malè velle, proximis facere quod tibi fieri optares. Aliter, *Tunc intelliges juſtitiam*, h. e. fidem, ſpem, & charitatem, quibus à Deo juſtitiam conſequimur, *Judicium* juſtum erga proximum, eadem illi faciendo quæ tibi fieri velis. Denique *rectitudines intelliges in omni via bona:* ſi ſapientia ſemel intraverit cor tuum, eris idoneus ut quamcunque degas vitam. Equidem ſimpliciter intelligendum puto, *Intelliges juſtitiam & judicium*, h. e. poteris diſtinguere inter veram juſtitiam Euangelii, & fictam ſive umbratilem & legalem. Et ità de cæteris virtutibus, *& iſta ſcientia erit amœna animæ tuæ*, ut quæ conſcientiam hominis ſola reddit tranquillam. Cæterùm quàm dulcis ſit iſta animæ quam intraverit ſapientia, ſoli norunt qui ſunt experti. *Guſtate*, inquit, *& videte quoniam ſuavis eſt Dominus.*

11. *Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te*] Ut ubique eandem vocem Hebræam eodem modo Latinè redderet, Interpres curioſus minimè fuit; nam vocem תבונה quam ſuperiùs vertit *intellectum*, hoc in loco *conſilium* reddit. Alii ſecundùm Hebræos *cogitationem* conſtanter vertunt. Ad ſenſum non uſque adeò refert: ſunt enim mentis functiones, intelligere, cogitare, & conſultare. Senſus verſiculi dependet ex præcedentibus, & proſequendo explicat beneficia quæ ſequuntur ex inhabitante ſapientia; quorum eſt illud quòd *cogitatio ſervabit te*: vel potiùs juxta Hebræos, *excubias & vigilias aget ſuper te, & intelligentia ſervabit te*: q. d. quorum corda ſapientia non intravit, ſalubres cogitationes vel conſilia non habent, quibus tuti eſſe poſſint; nam humanæ mentis mira eſt inconſtantia, magna cæcitas, & fragilitas; ſæpius de vanis & perniciosis rebus cogitant quàm de honeſtis, niſi adſit ſapientia, quæ ſuppeditat cogitationes cordatas & cœleſtes, quæ hoſti noſtro aditum excludant, quemadmodum ſequitur,

12. *Ut eruaris à via mala, & ab homine qui perverſa loquitur*] *Ad eruendum te* potiùs *à via mali*, ſup. *hominis*, vel refertur ad id quod proximè præceſſit, nempe *intelligentia ſervabit te*, ut eripiat te à via mala; vel denique refertur ad illum locum, ubi dictum, *Cum intraverit ſapientia in cor tuum*, ſup. *tecum erit ad eripiendum te à via mali*, h. e. ab his qui malè vivunt, *& à viro loquente perverſa*, h. e. contraria veritati. Ac ſi dicat, niſi cogitatio, ſive conſilium ſapientiæ, tanquam cuſtos, intraverit cor tuum, quomodo converſatus inter homines, qui ferè ambulant per viam malam, h. e. quæ ducit ad malum, poteris eſſe immunis à corruptiſſimis illorum moribus qui etiam perverſa loquuntur, alios ſubvertere conantur, corruptis illorum ſermonibus & dogmatibus? ut ad hæreticos referatur, qui relictâ veritate & luce tenebras ſequuntur, juxta id quod ſequitur;

13. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant ſuper vias tenebroſas.* Heb. *Relinquentes ſemitas rectitudinis, ad tranſeundum per vias tenebrarum*] *Quibus*, ut inquit Petrus, *melius erat non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti, ab eo quod illis traditum eſt ſanctum mandatum*, 2 Pet. 2. Sunt idololatræ, inquit autor Commentariorum Hebræorum, & hi qui credunt opinionibus mendacibus, qui fidem habent verbis ſcientiæ vanæ, quæ *tenebræ* vocantur, ut putà ſapientiæ contrariæ, quæ vocatur *lux*. Magna cæcitas eſt relictâ luce ſequi tenebras, ſed tamen hoc illis evenire ſolet qui ſapientiâ carent, qui fidem Chriſti non ſervant, qui claritate non fruuntur lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, quæ lucet duntaxat his qui domo Dei, h. e. Eccleſiâ verâ & unicâ, continentur, non his qui ad malam vitam mala dogmata adjunxerunt, qui tenebris obcæcati lætantur in malis, ut ſequitur;

14, 15. *Qui lætantur cùm malè fecerint, & exſultant in rebus peſſimis: Quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Heb. *Qui lætantur ad faciendum malum, & exſultare ſolent in ſubverſionibus malis: Quorum ſemitæ perverſæ, & obliquitates in viis eorum*; *exſultant in rebus peſſimis*, vel *in perverſitatibus*] Senſus pendet ex eo quod ſuperiùs dictum eſt, *ut eruaris à via mala*, & totus hic locus ad laudem ſapientiæ ſpectat, oſtendens à quibus malis eruat ſapientia. Quod ad intelligentiam prioris verſiculi ſpectat, poſſunt prima & ſecunda pars ad diverſa referri, ut ſit ſenſus, Gaudent in eo quod ipſi malè faciunt, & exſultant cùm audiunt recitari perverſa, ſive perverſitates & ſubverſiones malas aliorum; vel potiùs ſubverſiones mali hominis, quibus ſubvertit bonos. Non ſolùm ipſi

malè

malè facere gaudent, ſed exſultant audire aliorum mala. Iſti in miris tenebris verſantur, qui gaudent ubi dolere & erubeſcere oporteret: ſed hujuſmodi ſolet eſſe exitus eorum qui malis moribus imbuuntur, ut paulatim ad pejora declinantes, donec penitus exſtinctâ luce ſapientiæ in tenebris errorum ambulantes nequeant inter bonum & malum judicare. Imò ſummo deſiderio ſequuntur mala. De quibus Paulus Eph. 4. *Tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum. Quorum ſemitæ perverſæ*] Poſtquam reliquerint viam rectitudinis, quæ non declinat, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, viæ eorum ſunt nihil aliud quàm perverſitates: q. d. nemo putet ſe poſſe eum illis verſari, & rectè incedere per ſemitas juſtitiæ & æquitatis. Sed ſi amplexus fueris ſapientiam, ipſa ſervabit te, & ſecurum reddet, non ſolùm ab his hominibus malis & perverſis, ſed etiam à muliere aliena, à qua majus nonnunquam eminet periculum, præſertim juvenibus, quos inſtituendos ſuſcepit Salomon in hoc libello.

16. *Ut eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos.* Heb. *Ad eripiendum te à muliere aliena, ab extranea quæ verba ſua polìit*] Supple, *ſi intraverit ſapientia cor tuum, intelligentia cuſtodiet te, Ad eripiendum te à muliere aliena, ab extranea quæ ſermones ſuos fecit blandos*, ut eſt in Hebræo. Ab hujuſmodi mulieribus, quantum tibi emineat periculi, exemplo Samſonis & Salomonis licet intelligere, quarum blandiciis, ille corporis oculis, hic mentis captus fuit. Mulier aliena quæ non eſt conjunx legitima, *extranea* vocatur: Hebræis, quæ non eſt Iſraëlitica, ſed infidelis & impia. Aben-Hezra vocem Hebræam נכריה metaphoricè intellectam ſic explicat; *Extranea & aliena, quæ non didicerunt opus bonum, ſunt quaſi eſſent ex ſemine extraneo & alieno.* Quàm blandi autem ſint ſermones mulieris extraneæ oſtendit Salomon loco haud diſſimili inquiens, *Favus diſtillans labia meretricis:* non quod ità ſint, ſed juxta affectum eorum qui blandiciis trahuntur, loquitur Scriptura: alioqui omni felle amarulentiores ſunt hujuſmodi blandiciæ. Poſſunt hæc referri juxta allegoriam, ad perverſam doctrinam, quæ ſuavitate quadam ſermonis ſolet imperitorum animos ad ſe allicere, dum jucunda quædam & carni adblandientia pollicentur, cùm vera & catholica doctrina carni minimè laxat habenas. Sed cujuſmodi ſit hæc mulier externa, à qua eripit ſapientia, videamus.

17. *Quæ relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt*] Magnum impudicitiæ & impudentiæ argumentum. Solent virgines propenſiores eſſe ad fidum amorem ſervandum: iſta tamen impudica, relicto duce & marito, cui fuerat nupta virguncula, adulterum ſecuta eſt, oblita & contemnens *fœdus Dei*, h. e. ſacramentum & ſponſionem, quæ Dei invocato nomine inter ſponſum & ſponſam celebrari ſolet: vel *fœdus Dei*, legem Moſaïcam intelligit, quæ fornicarios & adulteros condemnat. Juxta allegoriam mihi videtur illa ſecta *ducem pubertatis relinquere, & oblita videtur pacti Dei*, quæ novâ conceptâ opinione fidem relinquit, per quam Chriſto copulata fuerat in baptiſmate, contemnens pactum & fœdus, quod ſub duobus aut tribus teſtibus inivit. Sed hujus infelicis mulieris infelix eſt exitus: nam rectà in perditionem tendit ipſa, unà cum his qui ingrediuntur ad eam.

18. *Inclinata eſt ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius.* Heb. *Cùm declinaverit ad mortem domus ejus, & ad mortuos*, vel *gigantes, viæ ejus*] Relictâ mariti ſui domo videbatur ſplendidas aliquas ædes adulteri ingreſſura, ſed hallucinata eſt vehementer: nam declinando à domo mariti declinavit ad mortem, quâ veluti domo perpetuò manſura eſt: & ſemitæ, per quas à fœdere Dei elapſa eſt, ad mortuos tendunt. Aliter, *declinavit ad mortem*, qui declinavit ad domum illius: *& ſemitæ illæ*, quæ ducunt ad domum illius mulieris, *ducunt ad mortuos*, ſive *gigantes* (ut alii volunt) & dæmones tortores intelliguntur, ut de æterna morte animæ fiat ſermo. Sed cùm crebrò fiant homicidia ob inſanos muliercularum amores, poſſumus ad temporalem mortem locum referre: nam cauſa exſtitit interitûs & ruinæ totius familiæ.

19. *Ingredientes ad eam non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Heb. *Omnes qui ingrediuntur ad eam*, vel *omnes qui rem habent cum ea, non revertentur, non apprehendent ſemitas vitæ*, vel *viventium*] Qui ad hanc impudicam mulierem, quæ reliquit thorum mariti, ſive revera adulteram intelligimus, ſive ſectam aliquam & doctrinam adulteram, non revertentur. Non ſolent reverti per pœnitentiam qui eam amplexi fuerint: nam ſubverſi ſunt hujuſmodi, neque ſolent *apprehendere vias vitæ* qui hujus mulieris ingreſſi ſunt ſemitas quæ ducunt ad mortem: nam paucos ex hæreticis pœnitentiam agere novimus. *Non reverti* eſt rarò difficulterque deſerere ſive ſectam malignam, ſive ardentes inſanaſque libidines, quæ exeæcant corda fornicatorum, ut non niſi magnâ & rarâ gratiâ reſipiſcant.

20. *Ut ambules in via bona, & calles juſtorum cuſtodias*] Pendet ſenſus ex eo quod dixerat, intelligentia cuſtodiet te ab iis qui relinquunt vias rectas, & à muliere adultera. *Ut ambules in via bona*, ſive, *in via bonorum*, ut in Hebræo legitur. Virtutes & exempla Patriarcharum & Prophetarum intelligemus: *Et juſtorum ſemitas cuſtodias* in quibus nullus eſt error, ſed ſpes præmii, ut ſequitur;

21. *Qui enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea.* Heb. *Nam recti habitabunt terram, & perfecti relinquentur in ea*] Juxta morem Legis Moſaïcæ, ſub qua vixit autor, loquitur. Sic enim legimus, *Ut cuſtodiatis univerſa mandata quæ ego præcipio vobis hodie: & poſſitis introire & poſſidere terram, multoque in ea vivatis tempore*, Deut. 11. à qua Cananæi peccatores fuerunt exterminati. Porrò Judæos ob peccata migraſſe captivos à terra teſtatur hiſtoria: rectos verò & juſtos vel relictos fuiſſe in terra promiſſionis, vel in terra peregrinationis conſolationem accepiſſe: quamvis ſub Lege poſſeſſio terræ promittatur juſtis, ſub Euangelio tamen, cujus perfectio eſt omnibus renunciare, terram viventium intelligimus. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: mites*, inquam, qui ſolent eſſe obnoxii injuriis, & à juſtis poſſeſſionibus expulſionem æquo animo tolerantes, neque ſectantes lites, ipſi maximè poſſidebunt terram viventium, à qua impii exterminabuntur, unde ſequitur,

22. *Impii verò de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.* Heb. *Sed impii à terra excidentur, & tranſgreſſores abradentur ab ea*] Secundus hic verſiculus cogit nos quodammodo utrumque ad literam intelligere de terra præſente, à qua impii ſolent exſcindi & abradi, non à terra viventium, quam nunquam poſſederunt: abradi, inquam, ut neque poſteri eorum, neque nominis fama permaneat: ſed *periit memoria eorum cum ſonitu*, Pſalm. 9. Contrà *qui reliquerit agros propter me, centuplum in præſenti accipiet*, Matth. 19. Quem ſenſum ſi quis non recipiat, alterum ſequatur, ut non de præſente terra, ſed viventium & futura intelligatur. Nam id genus ſupplicii Judæis accidit, diſperſis videlicet per orbem, ut prædictum fuerat per Prophetas: & manet omnes impios, qui tum ferè auferuntur à terra cùm maximè velint vivere.

DRUSIUS.

2. לְהַקְשִׁיב לַחָכְמָה. A. Sym. Th. τοῦ προσέχειν τῇ σοφίᾳ, *attendere ſapientiæ*] Sub. ὦτα. Sic Græci dicunt προσέχειν ſimpliciter ἀντὶ τοῦ προσέχειν νοῦν. Pſal. 5. 2. הקשיבה לקול. LXX. πρόσχες τῇ φωνῇ. Hier *intende voci*. Mich. 1. 2. הקשיבי. LXX. προσεχέτω. Hier. *attende*. Rurſum 130. 2. קשבות, προσέχοντα ὦτα, *aures intenta*, ſive *attenta*. ¶ תַּטֶּה. A. ἀνακλινεῖς, *reclinabis*.

3. לַתְּבוּנָה. Schol. σύνεσιν, *intelligentiam*: Φρόνησιν, *prudentiam*] *Prudentiam*, להבונה.

4. כַמַּטְמוֹנִים. Sym. Th. τὰ ἀπόκρυφα, *occulta, abdita*] LXX. θησαυρούς. Hier. *theſauros*.

6. מִפִּיו. Sym. Th. ἀπὸ στόματος αὐτοῦ, *ex ore ejus*.

8. אָרְחוֹת. Schol. ὁδοὺς, *vias*] Vide Rom. ed.

9. מַעְגָּל. A. καμπτοὺς. Sym. ἐπικυλισμοὺς] Καμπτοὺς, *flexiles*. Infrà v. 15. במעגלותם. A. ἐν καμπαῖς αὐτῶν. Eſt autem καμπὴ, *flexus, inflexio, flexura*. Uſus eſt eodem interpretamento Aquila & v. 18. Vide, ſi placet. ¶ Ἐπικυλισμοὺς, v. 18. מַעְגְּלֹתֶיהָ. Sym. ὁδοὺς. Th. κυλισμούς. Eſt autem κυλισμὸς, *volutatio*, & ſignificare hoc in loco videtur *viam contortam & in ſe quaſi convolutam*.

10. בְלִבֶּךָ. Lxx. εἰς τὴν διάνοιαν. A. S. Th. καρδίαν. Hier. *cor tuum*. ¶ יִנְעָם. A. εὐπρεπήσει, *decora erit*] Pſal. 141 6. כי נעמו. A. ὅτι εὐπρεπίσθησαν. Lego εὐπρεπίσθησαν. Emendatio tam certa quàm quæ ad Sagram.

11. תְבוּנָה. A. S. Th. Φρόνησις, *prudentia*] Sic etiam Hier.

15. עִקְּשִׁים. Sym. σκαμβαὶ, *obliquæ, diſtortæ*. Th. στρεβλαὶ *incurvæ, tortuoſæ*] Infrà 11. 20. עקשי לב. A. Sym. Th. στρεβλοκάρδιοι, *perverſo corde præditi, verſuti, doloſi*. 8. 8. עקש. A. Th. διεστραμμένον. ¶ וּנְלוֹזִים בְּמַעְגְּלוֹתָם. A. καὶ θρυλοῦσιν ἐν καμπαῖς αὐτῶν. Th. καὶ μυκτηρίζουσιν ἐν τοῖς ἐπικυλισμοῖς αὐτῶν] Θρυλοῦσιν videtur poſitum pro θρυλοῦνται, ut ſenſus ſit, *celebrantur in flexuris ſuis*: vult dicere, *ex viis ſuis flexis & tortuoſis*. Sed nihil ſtatuo. Nam poteſt eſſe verbum perſonale, ut loquuntur Grammatici, pro imperſonali, *Celebrant flexuras eorum*, ſcilicet *homines*, i. e. celebrantur. Hoc adeò tritum in his literis ut exemplis probare putidum ſit. ¶ Μυκτηρίζουσιν, *naſo ſuſpendunt, ſubſannant*. ¶ Ἐν τοῖς ἐπικυλισμοῖς. Vide notata ad v. 9. & hic locus, & alius qui eſt v. 18. à me ſuprà productus, faciunt ut incipiam dubitare de fragmento illius verſûs, ubi vulgò, מַעְגָּל.

gò, מעגל. *Sym.* *ἐκκυλισμὸς.* Nam inclino ut credam pro *Symmacho* reponendum *Theodotio*: quæ nomina tam ſæpe permutantur ut mirum id nemini videri debeat.

16. מֵאִשָּׁה זָרָה מִנָּכְרִיָּה אֲמָרֶיהָ הֶחֱלִיקָה. Sym. *ἀπὸ γυναικὸς ἀλλοτρίας, ἀπὸ ξένης ἧς οἱ λόγοι ὀλισθηροὶ, à muliere aliena, ab extranea, cujus ſermones lubrici ſunt*] *Lubrici*, חלקים: nam חלק *lubricus*.

17. אַלּוּף. A. *ἡγεμόνα, ducem.* Sym. *μάθησιν, doctrinam* Th. *ἡγούμενον, ductorem*] Euſebius, Ἀλφ, ſive ἀλὴφ, *μάθησις*. Hier. epiſt. 155. ad Paulam Urbicam. *Aleph, doctrina.* Vide connexiones Alphabeti. ¶] בְּרִית אֱלֹהֶיהָ. Lxx. *διαθήκην θείαν.* A. S. Th. Θεοῦ, *fœdus Dei.*

18. כִּי שָׁחָה אֶל־מָוֶת בֵּיתָהּ. Sym. *ὤρισεν.* Alius, *ἔκυψε γὰρ εἰς θάνατον οἶκος ἀυτῆς, vergit enim ad mortem domus ejus*] *Prona eſt, inclinat, propendet.* Ὤρισεν, *finit*: q.d. Ibi mortis eſt terminus & finis. ¶] מַעְגְּלֹתֶיהָ. Lxx. *τὰς ἄξονας ἀυτῆς.* A. *καμπὰς, flexuras.* Sym. *ὁδὺς, vias.* Th. *κυλισμὺς.* Vide quæ notavimus ad v. 9. Schol. *αἱ τροχιαὶ ἀυτῆς.*

19. לֹא יְשׁוּבוּן. A. S. Th. *ὐκ ἐπιςρέψυσιν, non convertentur*] Vel *non referent pedem.*

20. אָרְחוֹת צַדִּיקִים. Schol. *ὁδὺς δικαίων, vias juſtorum.*

21. יִשְׁכְּנוּ. Sym. *κατακληρονομήσυσιν, hereditabunt*] Meliùs Lxx. *κατασκηνώσυσι*, & Hier. *habitabunt.* Licet etiam vertere *requieſcent in terra.* Sic alibi, *in domo non habitant pedes ejus*, pro *quieſcunt*, aut *diu manent.*

22. רְשָׁעִים. A. S. Th. *ἀσεβεῖς, impii.*

A M A M A.

7. R*Econdit* ſc. Dominus rectis, vel repoſitum habet pro rectis, Lxx. *θησαυρίζει.*

תושיה] Ad verbum *Eſſentiam.* Ab. Eb. יש *Eſt*, in genere omne quod conſtanter perſiſtit & non citò perit, cùm cætera omnia ſint fluxa & vana. Aben. exponit חכמה *Sapientiam*, ſic dictam quod revera ſit & duret in æternum. R. David ait per eam intelligi תורה וחכמה וכל מעשה טוב וישר, i. e. *Legem, Sapientiam, & omne opus bonum.* Illa enim durant in Eſſentia ſua בישותה in æternum. Alii putant Sapientiam dici *Eſſentiam κατ᾽ ἐξοχὴν*, quod rerum exiſtentium prima ac præcipua ſit. R. Levi exponit, *Ritum & conſuetudinem juxta quam homo debet vivere.* Lxx. *σωτηρίαν, ſalutem.* Infra 8. 14. *ἀσφάλειαν ſecuritatem.* Eodem ſenſu 8. 21. uſurpatur יש juxta quoſdam. Huc referunt alii ישיש Senex decrepitus, à Sapientia & prudentia, quam ea ætas multo rerum uſu conſecuta eſt. R. David, *quod extiterit diebus multis, nec evanuerit in flore ætatis ſuæ.*

Clypeus] Vel ad Sapientiam vel ad Deum referri poteſt.

הולכי תם] Supple ב. Nec ſic impeditur conſtructio. Vid. Jeſ. 5. 11. bis Chald. בלא מום *ſine macula.* Alii, *perfecte.* Vulg quii alias ita quoque vertere ſolet, hic *ſimpliciter.* Vid. Cenſur. noſtram.

8. חסיד hinc *ὅσιος.* Sanctus reſpondet duabus Ebraïcis קדוש & חסיד, Jun. *eos quos benignè accipit*, paſſive. Meliùs *active*, qui benefici & pii erga alios ſunt. Vulg. Sæpe per *Sanctus* vertit. Hinc Haſidæi dicti, fraternitas quædam apud Judæos.

9. *Omnem callem bonum*] עגל rotundus fuit. עגלה *Plauſtrum* à rotunditate rotarum, & circulari rotarum motu. מעגל plauſtrorum ambitus, Plauſtriburgium, & orbita, via plauſtralis, habens orbitas & rotarum veſtigia. Uſurpatur ſæpe ut דרך via & ארח ſemita.

10. Accingit ſe propoſitioni promiſſionum de propulſatione malorum omnium ſpiritualium & corporalium, quæ aliàs metuenda bonis, tum propter maleficia tum propter allectamenta, quorum illa viro adv. 16. hæc fœminæ tropicè attribuuntur. q. d. ſi Deum timeas, & Sapientiam hanc advocaveris inſtruet te Deus ejuſmodi ſolertiâ, ut cavere tibi poſſis ab omnibus malis, quæ totam vitam ita labefactare ſtudent, ut ganeones & ſcorta provocare ſolent lubricum adoleſcentiæ.

13. *Per vias tenebrarum*] Id eſt in malis operibus, quæ patrari ſolent in tenebris. Rom. 13. 12. *quæ arguuntur à luce.* Epheſ. 5. 13. Ovidius: *Nox & amor &c. Illa pudore caret, Liber amorque metu.* 1. Theſſ. 5. *Omnes vos filii lucis eſtis ac filii diei, non ſumus filii noctis aut tenebrarum. Nempe igitur ne dormiamus ut reliqui, ſed vigilemus & ſobrii ſimus, nam qui dormiunt noctu dormiunt, & qui ebrii ſunt, noctu ebrii ſunt.* Plautus in Pſeud.

Quæ iſthæc audacia, te ſic interdiu cum corolla
Obvium incedere.

Accius,

Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu,
Neque turbam facere, neque fores exurere.

Nero quoque teſte Tacito Ann. 13. *potabat, lupanaria ac diverticula urbis pererrabat, comitantibus qui raperent ad vendendum expoſita, & obviis vulnera inferrent, ſed NOCTU.*

16. *Ab muliere extranea*] Ebræi quidam ut & Chriſtiani per mulierem extraneam intelligunt hæreſin & idololatriam. R. Levi, *animam concupiſcentem, quæ rationi & ſapientiæ in nobis reluctatur aſſiduè.* Ego ſimpliciter de adultera, quæ adultera eſt extranea. Sic Prov. 23. *Oculi tui reſpicient* זרות i. e. adulteras & meretrices. Licet alii, *oculi tui videbunt extranea.* Terent. *Adeon' es demens ex peregrina?* Chald. נוכראה.

החליקה] *Emollit*, verba ſua. Alii, *blanditur verbis ſuis.*

17. *Ducem adoleſcentiæ ſuæ*] i. e. juſtum & legitimum maritum, cui adoleſcentula nupſit. Ducem quia maritus caput uxoris. Sic Joel. 1. 8. בעל נעריה, *maritus adoleſcentiæ.* Atque ibi *maritus* pro ſponſo ponitur, ut contra *uxor* pro ſponſa. Math. 2. & Mal. 2. 14. *Uxor adoleſcentiæ tuæ.* Ut & infra 5. 18.

Pacti Dei ſui] Quod Deus inſtituit, cujus Deus auctor eſt, Malach. 2. 14. R. Abraham, *oblita eſt pacti Dei ſui, qui poſuit nomen ſuum inter eos, quo remoto remanet* אש אש *ignis, ignis diſſidiorum & litium.* Nomen illud eſt יה.

18. שחה] à שוח, propendet, vergit, inclinat. Eſt velut vallis ad Gehennam ducens. Lxx. *ἔθετο παρὰ τὸν θάνατον τὸν οἶκον αὐτῆς.*

אל־רפאים] Παρὰ τῷ ᾅδῃ μετὰ τῶν γηγενέων. Lxx. Egregiè. Vult dicere ad locum ubi ſunt Gigantes, i. e. ad inferos. Ad generum Cereris. Jun. *ad expertes vitæ*, i. e. ad mortuos & ſepultos. רפאים primò Gigantes à רפה remitti, deficere, remiſſum eſſe, ab effectu, quod illis qui videbant eos deficeret cor & remitterentur manus. 2. Mortui, מתים, quod in iis omne robur & vires elanguerint, vel, ſi à רפא per antiphraſin, quod nullâ medicinâ ſint ſanabiles. Sic accipitur Jeſ. 26. *Terra ejiciet Rhephaim.* 3. Specialiter pro Gigantibus mortuis, qui cum homines athei fuerint, in inferno cruciantur. Sic hoc loco acceperim. Lxx. alibi *γιγάντας*, hic per *γηγενεῖς* reddidère. Eſt enim etymon ejus. Suidas, *γίγας, γηγενής.* Heſych. *γηγενὴς, ὁ ἐκ τῆς γῆς τὴν γένησιν ἐσχηκώς. Καὶ ὕτως κατὰ κοινὸν πάντες οἱ ἄνθρωποι καλῦνται.* Et paulò ante, *γηγενῶν, τῶν τὰ γήϊνα ἐργαζομένων καὶ ἁμαρτανόντων.* Hoc ſenſu Gigantes vocantur *γηγενεῖς.* Alibi *γίγας* eſt adjectivum. Unde Heſych. *γίγας, δυνάςης, ἰσχυρός.* Hinc Nimrod à Lxx. vocatur *γίγας κυνηγός.* Ubi *γίγας* eſt adjectivum.

19. *Non revertentur*] Quia in domo ejus mors. Miſerè pereunt. Poteſt & de morte æterna & temporali accipi.

Nec aſſequentur] Non reviviſcent. Vel, non poterunt unquam ſalvari.

Facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum &c. Hic labor.

Imò hic ſimpliciter impoſſibile.

20. *Ut ambules*] Refer ad verſ. 11.

21. *Habitabunt terram*] Matth. 5. *Beati mites, quia terram obtinebunt.* Et Pſalm. 37. 29. *Juſti poſſidebunt terram & habitabunt in æternum ſuper eam.* Hilar. & Ambroſ. & Bern. per *terram* intelligunt *corpus quod ex terra. Poſſidebunt corpus ſuum & dominabuntur ei.* Hieronymus *cœlum*, quod dicit vocari *terram viventium.* Pſ. 27. *Credo me fruiturum bonitate Domini in terra viventium.* Sed per *terram viventium* non poſſe intelligi cœlum liquet ex Jeſ. 53. *Exciſus eſt ex terra viventium* de Chriſto. Ergo habitare *terram*, eſt diu in ea manere. Longævitas Dei donum eſt.

22. *Exſcindentur.*] à כרת eſt כריתות & liber *cherituth*, liber repudii, excidii, Rabb גט cum ברית eſt paciſci, Jer. 34.

בוגדים] בגד, prævaricari, conſtruitur cum ב & מ. Hinc בגד prævaricatio, perfidia & veſtis, quod ſit teſtimonium & indicium primæ primi hominis perfidiæ.

G R O T I U S.

16. U*T eruaris à muliere aliena, & ab extranea*] Id eſt, à fœmina non Hebræa, quales ferè omnes à vera pietate alienæ erant, & facilè juvenum animos poterant corrumpere, ut olim Madianitides.

17. *Et relinquit ducem pubertatis ſuæ*] Adoleſcentiæ ſuæ. Deum qui ipſi vitam dedit & alimenta à prima ætate.

Et pacti Dei ſui oblita eſt] Pacti ejus quod Deus cum Noa & poſteris ejus iniit, in quo pacto comprehenditur unius Dei cultus, fuga adulteriorum, homicidiorum, & alia ejuſmodi.

18. *Inclinata eſt enim ad mortem domus ejus*] Ità viventibus Deus nè in hac quidem vita quicquam boni eſt pollicitus.

Et ad inferos ſemita ejus] In Hebræo: *& ad vitâ caſſos ſemita ejus.* Id eſt, currit ad idola, in quibus nihil eſt vitæ.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. N*E obliviſcaris legis meæ*] Loquitur autem de 1 præcepto Decalogi, quod paulò poſt ſubjungit, *Time Dominum*; *Agnoſce eum*; *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* q. d. *Dilige Dominum Deum tuum, & obedi voci ejus, atque adhære ei: ipſe enim eſt vita tua & longitudo dierum tuorum*, Deut. 30. Hæc ſi feceris, *pietas & veritas Dei te non deſerent*, h. e. beneficentia ejus & fidelitas ejus jugiter aderunt tibi perinde ac ſi collo eas habeas affixas.

8. *Sanitas erit umbilico tuo*] h. e. Optimè habebis, & nullus erit tibi in his quæ corpori ſunt neceſſaria defectus. Dicit autem *umbilico tuo*, quòd homo prima fomenta ſuſcipiat per umbilicum.

9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*] h. e. Agnoſce & confitere in oblatione Primitiarum omnia bona tua eſſe beneficia Dei, & pro illis age gratias Deo. Et non tantùm de victu, ſed de omnibus bonis, vitâ, prudentiâ, eruditione, juſtitiâ, ſentire debemus quòd ſint dona Dei. ¶ Et quod de *caſtigatione* addit hunc habet ſenſum, Quòd in omnibus afflictionibus ſentiamus Deum nos vocare ad pœnitentiam, & non cogitemus cum mundo, calamitates temere & ſine voluntate Dei nobis accidere.

13. *Beatus homo qui invenit ſapientiam*] Docet hic beatitudinem non eſſe in his rebus quæ à carne cernuntur, & quæruntur, ſed in ſapientia verbi Dei. Vocat etiam eum *beatum* qui, cùm invenerit ſapientiam Dei, candidè docet illam proximum, & profert eam ex corde ſuo. *Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.*

19. *In ſapientia fundavit terram*] Sic quoque Pſaltes cecinit, *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* ¶ Per *interruptas abyſſos* intellige ſeparationem aquarum à ſuperficie terræ, quam Dominus à principio creationis fecit pro commoda habitatione hominum & animalium in terra.

27. *Nè ſubtrahas bonum*] Notandum quòd אל hic non capitur pro Deo, ſed pro יכולת *potentia*, & בעליו pro בעליו ראוים להיות *qui digni ſunt ut habeant* (ſeu *ut detur illis*) *bonum illud quod eſt in tua poteſtate.*

31. *Non æmuleris virum iniquum*] Senſus eſt, *Si videris aliquem diteſcere ex rapinis & fraudibus, cave nè vias illius ſequaris.*

35. *Tolle ignominiam*] Hebraïſmus habet *levat*, cum מרים ſit participium ſingulare; & eſt ſenſus, *Quilibet eorum levat ſuper ſe ignominiam.*

VATABLUS.

2. A*pponent* יוסיפו] *Afferent, adjicient, advehent.*

3. *Miſericordia & veritas* חסד ואמת] *Beneficentia & fides*, ſive *fidelitas.* ¶ *Liga eas* קשרם] *Alliga eas*, nempe *miſericordiam & veritatem.* Vel, *ea*, *præcepta* ſcilicet, i. e. habe ea ſemper præ oculis tuis tum animi tum corporis.

4. *Et invenies gratiam & intellectum bonum* ומצא חן ושכל טוב] Imperat. Heb. pro fut. *Nanciſceris gratiam & mentem eximiam*, vel *bonum ingenium.*

5. *Et intelligentiæ tuæ* ואל בינתך] *Et prudentiæ tuæ.*

6. *In omnibus viis tuis recognoſce eum* בכל דרכיך דעהו] *In omnibus negotiis tuis cogita illum.*

8. *Sanitas* רפאות] *Medela, medicina.* Per *umbilicum* totum corpus intelligit. ¶ *Et medulla* ושקוי] *Et irrigatio*, vel *pinguedo.*

10. *Saturitate* שבע] *Satietate*: i. e. bonis ad ſatietatem uſque.

12. *Diligit* יאהב] Futura Heb. pro præſentibus. ¶ *Filium quem valde amat* את בן ירצה] *Filium valde amat.* Fut. eſt Heb. propterea quidam vertunt *filium valde amabit*, aut *gratum habebit.* Vel, *in filio delectabitur.*

13. *Producit* in lucem יפיק] *Eruit.* Alii, *haurit*, i. e. aſſequitur.

14. *Et auro* ומחרוץ] *Et lapidibus pretioſis.*

15. *Deſiderabilia tua* חפציך] *Quæ expetere potes*, vel *quæ habes in deliciis.*

17. *Delectabiles* נעם] *Voluptatis, ſuavitatis, delectationis*: i.e. ſuaves. ¶ *Pax* שלום] Subaudiunt quidam ex præcedentibus, [*via*] *pacis*, h. e. felices & proſperæ.

18. *Et qui tenent eam, beati* ותמכיה מאשר] Ad verb. *& ſuſtentantes eam, beatificatus*: i. e. Quiſque eorum beatus erit. Quidam, *beatus eſt quiſquis eam nactus fuerit.*

20. *Ruperunt ſeſe* נבקעו] *Eruperunt, dehiſcent.*

21. *Cuſtodi legem & cogitationem* נצר תושיה ומזמה] *Obſerva ut fruaris longævitate & intelligentiâ.* Alii, *obſerva eſſentiam & proſſicientiam.* Alii, *cuſtodi ſummam doctrinam & prudentiam.* Vide ſuprà 2. 7.

22. *Gutturi tuo* לגרגרותיך] Ad verb. *gutturibus tuis.* Vide ſuprà 1. 9.

24. *Si accubueris* אם תשכב] *Cùm dormies.* ¶ *Cùm quieſces, ſuavis* ושכבת וערבה] Ad verb. *& dormies, & dulcis erit.*

25. *Et à deſolatione* ומשואת] *Et à clamore, tumultu, internecione.*

26. *Fiducia tua* בכסלך] Ad verb. *in fiducia tua*: i. e. fiducia tua erit in Deo. ¶ *A captione* מלכד] *Nè capiaris.*

27. *A dominis ſuis* מבעליו] Hebraïſmus, pro, *ab eo qui opus habet tali beneficio, ut poſſideat beneficium illud tanquam dominus.* ¶ *Cùm fuerit facultas manui tuæ* בהיות לאל ידך] *Cùm ſit in poteſtate manûs tuæ.* Vel, *cùm fuerit fortitudo manui tuæ.* Hebraïſmus, pro, *quando habebis quod manu tuâ poſſis porrigere.*

28. *Amico tuo* לרעך] *Proximo tuo*, vel, *ſocio.* ¶ *Cùm quod petit, ſit apud te* ויש אתך] Ad verb. *& eſt tecum.*

29. *Ne cogites* אל תחרש] *Nè machineris.* ¶ *Securè* לבטח] *In ſecuritate, confidenter*: i. e. ut quidam vertunt, cùm ipſe ſibi à te nihil tale metuat.

31. *Nè æmuleris* אל תקנא] *Nè imiteris.* ¶ *Injuſtum* חמס] Ad verb. *injuſtitiæ, rapinæ.* ¶ *Ullam viarum ejus* בכל דרכיו] *Omnes vias ejus.*

32. *Perverſus* נלוז] *Declinans, recedens*, ſub. *ab eo.* Propterea quidam vertunt, *Abominatur Jehova deſertorem.* ¶ *Secretum ejus* סודו] i. e. Communicat rectis ſua ſecreta.

33. *Benedicit* יברך] Fut. Heb. pro præſenti.

34. *Profectò illuſoribus*, &c. אם ללצים הוא יליץ] *Certè ſannones ipſe ridiculos reddit.* Alii per interrogationem, *Annon illuſoribus*, &c.

35. *Suſtinent* מרים] Sing. Heb. junctum plurali, quod ſic vertendum, *& unuſquiſque ſtultorum ſuſcipit* [vel *ſuſtinet*] *ignominiam.* q. d. Stulti omnes afficiuntur ignominia.

CASTALIO.

18. E*A vitalis arbor*] Salutaris.

20. *Ejuſdem ſcientiâ finduntur profunda*] Terra fruges per meatus ſuos parit.

27. *Nè alteri ſuum bonum denega, cùm tibi ſit in manu facere*] Et benefaciendum & citò benefaciendum eſt.

CLARIUS.

1. N*E obliviſcaris legis meæ*] Loquitur in primis de primo præcepto Decalogi, quod paulò pòſt ſubjungit, *Time Deum.*

8. *Sanitas quippe erit*] h. e. Optimè habebis, & nihil tibi in iis quæ corpori ſunt neceſſaria defuerit. Dicit autem *umbilico tuo*, quòd Homo prima fomenta ſuſcipiat per umbilicum.

9. *Honora Deum de tua ſubſtantia*] h. e. Agnoſce & confitere in oblatione Primitiarum omnia bona tua eſſe beneficia Dei, & pro illis age gratias Deo. Neque tantùm de victu, verùm & de bonis reliquis omnibus, vita, prudentia, eruditione, juſtitia, ſentire debemus quòd ſint dona Dei, neque dicamus cum iis qui Deum ignorant,

Det vitam, det opes; æquum mi animum ipſe parabo:

& illud, *Virtutem nemo unquam Deo acceptam retulit.*

11. *Diſciplinam Domini*] *Caſtigationem.* Docet ut in omnibus afflictionibus ſentiamus Deum nos vocare ad pœnitentiam, & non cogitemus, cum mundo, calamitates temere & ſine voluntate Dei nobis accidere.

13. *Beatus homo qui invenit ſapientiam*] Docet hic beatitudinem non eſſe in his rebus quæ à carne cernuntur & quæruntur, ſed in ſapientia verbi Dei. Vocat enim eum *beatum* qui, cùm invenerit ſapientiam Dei, candidè illam docet proximum, & profert eam ex corde ſuo. *Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.*

19. *Sapientiâ fundavit terram*] Sic quoque Pſaltes cecinit, *Verbo Domini cæli firmati ſunt.*

20. *Eruperunt abyſſi*] Alius vertit *interruptæ ſunt abyſſi*; & intelligitur ſeparatio aquarum à ſuperficie terræ, quam Dominus à principio creationis fecit pro commoda habitatione hominum & reliquorum animantium in terra. Sin legis *eruperunt*, intelligunt de diebus Noë, cùm *rupti ſunt fontes abyſſi magnæ*, vel

vel cum quotidiano progreſſu fontes & flumina de abyſſo per terræ venas emanant. ¶ *Nubes rori concreſcunt*] Vel, *æther ſtillat rorem.*

27. *Noli prohibere*] Alius vertit, *Nè ſubtrahas bonum ab iis qui eo opus habent, quando manus tua potens eſt ut benefaciat.* Heb. *Noli prohibere bonum ab eo qui eſt dominus ejus*, h. e. qui dignus eſt illo bono, *cùm poteſt manus tua id facere.*

31. *Nè æmuleris hominem injuſtum*] h. e. Si videris aliquem diteſcere ex rapinis & fraudibus, cave nè vias illius ſequaris.

35. *Stultorum exaltatio, ignominia*] Vel, *Stulti attollunt ſuper ſe ignominiam.*

R. BAYNUS.

1, 2. *FIlli mi, legem meam nè tradas oblivioni, & præcepta mea cuſtodiat cor tuum. Nam longitudinem dierum & annos vitæ, & pacem addent tibi*] Superiore capite à quibus malis eripiat Sapientia dictum eſt: in hoc verò, quanta præmia conferat his qui ſapientiæ ſunt ſtudioſi. Verba ſunt vel Salomonis, vel Sapientiæ. *Legem* & *præcepta ſua* intelligit quæ ſequuntur, nempe miſericordia & veritas non deſerant te: quæ ut majore ſtudio amplectatur filius, præmia proponit teneræ ætati maximè chara, videlicet diuturnam & felicem ſive tranquillam vitam. Tria nomina, *Longitudinem dierum*, *annos vitæ*, & *pacem* ſic diſtinguunt Hebræi: ut *longitudo dierum* referatur ad præſentem vitam, quam juxta naturæ periodum ſit impleturus; *annos vitæ* ad ſeculum animorum & æternæ vitæ felicitatem: *pacem addent*, q. d. ſuper pacem corporis & animæ pacem addent, nam non eſt ulla pax impiis, & ultra pacem in proſperis addent pacem in adverſis hujus vitæ & pacem cum Deo: nam in additione multiplicem pacem ſignificat. Magna promittit, ſed eà lege ut legem ſervet non oſcitanter, ſed jugi memorià retineat, & non ore tenus, ſed ex animo, & toto effectu adimpleat. *Præcepta:* miſericordiæ & veritatis, ut *memoria* referatur ad ſtudium & meditationem, & *obſervatio* ad opus.

3, 4. *Miſericordia & veritas non deſerant te, circumda eas gutturi tuo, ſcribe illas ſuper tabulas cordis tui; Invenies gratiam & intellectum bonum in conſpectu Dei & hominum.* Heb. *Miſericordia & veritas nè te derelinquant, liga eas ſuper guttura tua, ſcribe eas ſuper tabulam cordis tui, & invenies gratiam & intellectum bonum in oculis Dei & hominum*] Legem accepit Moyſes in tabulis lapideis ſcriptam; ſuam legem in tabulis cordis ſcribi vult Sapientia. Poſſunt verba *liga* & *ſcribe* referri ad *miſericordiam & veritatem*, vel ad *legem* & *præcepta*, ut ſit ſenſus, Miſericordia & veritas non deſerent te, ſi ligaveris legem & præcepta mea ſuper guttur tuum, & ſcribas ea ſuper tabulam cordis tui. Aliter, ut intelligamus legem miſericordiæ & veritatis ligandam collo, & ſcribendam in tabulis cordis. Sapientis enim præceptum, de miſericordia & veritate collo ligari & tabulis cordis vult inſcribi. Per *veritatem* noſtri Interpretes confeſſionem fidei; per *miſericordiam* opera intelligunt. Hebræi preſſiùs, per *veritatem* officia debita proximo, quæ jure illi debentur; per *miſericordiam* officia quæ ſponte & liberalitatis ſtudio impendimus, intelligunt: unde Raab dixit exploratoribus, *Facietis cum domo patris mei miſericordiam, ſicut ego feci vobiſcum, & dabitis mihi ſignum veritatis*, Joſ. 2. Quamvis in hoc loco meliùs quadrat, ut *miſericordiam* intelligamus non quamlibet, ut putà naturalem aut civilem, ſed eam quæ veritati, h. e. veræ religioni, innititur. Nam hæc ſola eſt quæ non hominibus tantùm commendat juventutem, ſed etiam Deo, qui ſanam mentem & intellectum bonum talibus virtutibus impertit, tanquam præmium incomparabile. *Et invenies gratiam.* Sunt ex Hebræis qui legunt imperandi modo, quaſi admoneret Sapientia, ut per eas virtutes daret operam invenire gratiam. Apud Deum veritas nos commendat, apud homines verò miſericordià gratiam inimus: ſed cùm ex favore hominum nonnunquam naſcatur arrogantia, præceptum ſecundum de humilitate ſubjicit Sapientia, inquiens,

5, 6, 7. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & nè innitaris prudentiæ tuæ, In omnibus viis tuis cogita illum* (in Heb. *cognoſce* vel *agnoſce*) *& ipſe diriget greſſus tuos, Nè ſis ſapiens apud temetipſum* (Heb. *in oculis tuis*) *time Deum, & recede à malo*] Eodem ſpectant hi tres verſiculi, oſtendentes quid ſoleant facere qui intellectum bonum à Deo accipiunt, nempe longè aliter quàm qui ſapientià mundanà tument. Nam hi in ſua confidunt prudentia, ſuam jactant peritiam: ſed tu (inquit Sapiens) qui intellectum à Deo cognoſcis te accepiſſe, fiduciam etiam habe in Deo. Inter prima præcepta Sapientiæ commendatur humilitas, confidentia in Deo, quam ſemper ob oculos habere, illius implorare opem, ſumma ſapientia eſt: propriæ verò inniti prudentiæ ſumma ſtultitia. *Quid enim habes* (ut inquit Paulus 1 Cor. 4) *quod non accepiſti? In oculis ſuis ſapiens* eſt qui rectè monentibus non obtemperat. *In omnibus viis tuis cogita illum*, vel, ut eſt in Hebræo, *ſcito illum*, h. e. agnoſce illius beneficia, ſi quid prudenter agas, & agnoſce illum dirigere greſſus tuos, *Ut nè ſis ſapiens apud temetipſum.* Heb. *nè ſis ſapiens in oculis tuis*: totus locus ad commendationem humilitatis ſpectat. *Time Deum & recede à malo.* Si vis eſſe ſapiens, à principio ſapientiæ incipias, nempe à timore Dei: time Deum & declina à malo.

8. *Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum.* Heb. *Sanitas erit umbilico tuo, & irrigatio*, vel *ſuccus oſſibus tuis*] Pendet à priori verſiculo, nempe timere Deum & declinare à malo erit *ſanitas umbilico tuo, & irrigatio oſſibus tuis.* Juxta ſimplicem ſenſum videtur *umbilicum* poſuiſſe (quòd ſit in meditullio corporis) pro ventriculo & aliis internis corporis partibus, in quibus ſanitas corporis maximè ſpectatur: *oſſa* autem pro exterioribus, in quibus robur & vires conſiſtunt. *Sanitas* igitur *umbilici* eſt totius corporis optima conſtitutio, quod ad temperaturam humorum ſpectat: *rigatio oſſium* quibus nervi adhærent, & omnium membrorum agilitas & promptitudo ad opus, tropicōs verò interioris hominis virtutes & exteriora opera intelligimus, juxta Davidis planctum, Pſal. 6. *Sana me, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde.* Similitudinem denique ad hunc modum licet explicare: Ut ſanitas ventriculi totum corpus reddit incolume, ſic timor Dei refrænat concupiſcentias & libidinem, quæ per *umbilicum* intelliguntur, & quæ ſanitati animæ in juvenibus maximè adverſantur. *Irrigat* etiam *oſſa* timor Domini, h. e. omnia corporis membra reddit apta & agilia ad virtutum opera.

9, 10. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Et implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Heb. *Honora Dominum de divitiis tuis, & de primitiis totius annonæ tuæ, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & muſto torcularia tua redundabunt*] Vel *muſto torcularia tua defluent*, vel denique *muſtum torcularia augebunt:* Hebræi הון *ſubſtantiam*, opes eſſe volunt quibus neque in victu neque in veſtitu utimur, תבואה *fruges*, autem, quæ ex agris, vel proventus qui ex pecoribus capiuntur, aut denique fructus qualeſcunque: hæc omnia Domini ſunt beneficia, & ex illis honor Domino eſt referendus. Et obſervandum eſt honorem Dei non ſolùm conſiſtere in humilitate confeſſionis, & confidentia in illius bonitate, de quibus ſuprà dictum eſt, ſed etiam in externo cultu, & rebus corporeis, quas à Deo accepimus, impendendus eſt honor Deo; id quod facere oportet quoties his rebus utimur, & quoties egenis opem porrigimus, non noſtram, ſed illius gloriam ſpectantes, *qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum*, 1 Tim. 6. Imò qui divites œconomos ſuos eſſe voluit, ſuorum videlicet bonorum diſpenſatores. Quod de primitiis additur, ad legem alludit, quæ non qualeſcunque fruges, ſed de primis fructibus Domino, templo, ſacerdotibus & Levitis offerri jubet, Deut. 26. exemplo Abel, qui de grege pinguiora mactavit pecora, Gen. 4. Et hodie in nova lege, *presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant verbo & doctrinà*, 1 Tim. 5. Quos quicunque alit, quòd *Chriſti* ſint *miniſtri & diſpenſatores myſteriorum Dei*, Deum de ſuis ſubſtantiis honorat: neque eſt quòd quis timidus diſpenſator vereatur nè ſibi deficiant neceſſaria, vel nè ad egeſtatem liberalitate deveniat, præſertim eà liberalitate quà Domini honorem quærit: Imo hàc vià augebis potiùs tua; ſolet enim Deus implere horrea, & augere incrementa frugum juſtitiæ, 2 Cor. 9 eorum qui eleëmoſynas de juſtis laboribus in Dei laudem largiuntur. Juxta allegoriam, non ſolùm ex caducis & exterioribus opibus, ſed ex talentis animæ cœlitus collatis, liberali quadam diſpenſatione & uſurà diſtributis quærenda eſt gloria Domini, non noſtra. Sed reliqua Sapientiæ præcepta proſequamur.

11, 12. *Diſciplinam Domini, fili mi, nè abjiciat, nec deficias cùm ab eo corriperis: Quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Hebr. *Diſciplinam Domini, fili mi, nè reſpuas, neque moleſte feras caſtigationem illius: quem enim diliget Dominus caſtigabit, & ut pater filium caſtigat, cui bene volet*, vel *quem unicè diliget*] Superius præceptum propriè ad ditiores ſpectat, quibus nihil deeſt, ſed hoc quod nunc tractamus magis ad eos pertinet, qui vel egeſtate vel quocunque damno premuntur, quæ omnia inter flagella ſive caſtigationes Domini ſunt connumeranda, quocunque modo vel occaſione nobis eveniant, ut Jobi exemplo docemur, qui in ſingulis malis à Satana inflictis, ſive per turmam Chaldæorum, ſive denique per vim ventorum, tolerantià armatus conſolationem accepit, inquiens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit:* ſic in hoc loco ſub *caſtigationis* nomine omnia genera morborum, ſive quodcunque malum

lum hujus corporis & temporis, intelligamus: quæ omnia dum velut è manu Domini porrecta accipimus, æquo animo feremus, ut inquit Paulus, Hebr. 12. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat omnem filium quem recipit.* *In multis offendimus omnes*, Jac. 3. Ingratum eſt ferè mortalium genus, Creatoris ſui facilè obliviſcitur, dum proſperitate hujus mundi gaudet: cui morbo remedium quærens pius pater filium ingratum ad ſe revocat, dum nunc egeſtate nunc morborum & ægritudinum varietate, nunc aliis quibuſcunque afflictionibus caſtigat: quæ *omnia, diligentibus Deum, cooperantur in bonum*, Rom. 8. & ex magna Dei miſericordia proveniunt, ac ex paterno planè affectu, *ne cum hoc mundo damnemur*, 1 Cor. 11. Nè igitur murmures aut deſpondeas animum à Domino caſtigatus: Notandum eſt verbum Hebræum יסר, unde deſcendit nomen מוסר *diſciplina*, utrumque ſignificare, *erudire* ſcilicet & *caſtigare*; utrumque enim ex æquo ad patrem amantem ſpectat: neque cum vulgo putes felicitatem conſiſtere in proſperitate hujus vitæ, in qua difficile eſt Deum, ut oportet, cognoſcere & honorare, ſed potius in Dei caſtigatione & vexatione, quæ intellectum ſolet dare, & cognitionem Dei, quibus in rebus magna eſt felicitas: unde ſequitur,

13, 14, 15. *Beatus homo qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ: Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione auri & argenti, primi & puriſſimi fructus ejus: Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari.* Heb. *Beatus qui invenit ſapientiam, & homo qui educet intelligentiam; nam melior eſt negotiatio illius negotiatione argenti, & quàm aurum puriſſimum proventus illius: pretioſior eſt unionibus, & omnia a te deſiderata non æquabunt eam*] Poſt præcepta quæ nos ad Divinam ſapientiam erudiunt, illius laudes decantat Sapiens, ut quæ ſola homines felices poſſit reddere, non hujus mundi ſplendor, non opes quas magno ſtudio quærunt multi, putantes ſe hâc ratione fore felices, & in otia tuta recedere. Verùm ſoli felices evadunt hi, qui prædictis inſtructi virtutibus, pietatis operibus Dei gloriam quærunt, qui æquis animis adverſa tolerant, tanquam patris diſciplinam amplectentes, tales ſapientiam inveniunt, Dei videlicet filium, *qui pulſantibus aperit*, Luc. 11. Imò clauſtra cordis noſtri pulſat & intromitti cupit, Apoc. 3. Solus igitur beatus qui talem hoſpitem habet, hic *affluet prudentiâ*, ſive, ut in Hebræo eſt, hic *intelligentiam proferet de theſauro ſuo, & egregium proventum ſuæ ſapientiæ oſtendet*: cui collata mercatura ſeu negotiatio, quâ argentum coacervatur & aurum, quamlibèr fulgens nihili æſtimari debet: eſt ipſis unionibus, Regum deliciis, pretioſior hæc ſapientia: margarita pretioſa, quâ inventâ negotiator Euangelicus vendit omnia quæ habet, & emit eam. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, inquit prudens negotiator Matth. 19. Denique quicquid optabile, quicquid deſiderabile excogitari poteſt, huic ſapientiæ collatum ſordeſcit: momentanea enim ſunt argentum & aurum, neque vitam prolongare poſſunt poſſeſſorum, imò nec febriculam quidem ſanare, ut inquit ille,

—— Non æris acervus & auri,
Ægroto domino deduxit corpore febres.

Sed Sapientiæ dotes audiamus;

16, 17, 18. *Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra ejus divitiæ & gloria. Viæ ejus, viæ pulcræ, & omnes ſemitæ ejus pacificæ. Lignum vitæ eſt iis qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam beati*] Nè putes ſapientiam de qua loquimur, ullius rei eſſe indigam, novit quid humana indigeat infirmitas, jam in promptu habet quod quæris. Mortem times, vitam perennem exoptas; in dextera ſua longitudinem dierum habet: *Qui vivit & credit in me, non morietur in æternum*, Joan. 11. Immortalis eſt, mortem ſuperavit: immortali dexterâ immortalitatem porrigit. Quòd ſi interim opes & gloriam quæras, ſiniſtram extentam conſidera: quæ populo Iſraëlitico terram lacte & melle manantem largita eſt, inſigni honore eam provinciam afficiens, cùm *non eſſet alia natio ſub cælo, quæ haberet Deos ſuos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*, inquit Moyſes Deut. 4. In Chriſto ſapientiâ Patris, per *ſiniſtram* Humanitatem poſſumus intelligere, quâ incredibili honore genus humanum affecit, eam collocans ad dexteram Dei, *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi*, Col. 2. Aliter, *dexteram* & *ſiniſtram*, Euangelium intelligimus & Legem. Licet in dextera, cœleſtia præmia; in ſiniſtra, temporalia intelligere, quæ nemo niſi ſapientiâ divinâ porrigente recipit, dicente eâdem, *Per me Reges regnant*, Prov. 9. Quæ Hebræorum commentarii habent de lege Moſaïca, quam *ſapientiam* appellatam putant in hoc loco, & de *dextera*, quæ ſit vera ex amore obſervatio legis, & *ſiniſtra*, obſervatio qualiſcunque pro præmio temporali, nobis parùm arrident. Cæterùm noſtræ, h. e. Chriſtianæ ſapientiæ, quàm ſunt viæ pulcræ, quæ ad lucem perducant, & ſemitæ quibus pacem aſſequimur, *quam mundus dare non poteſt*, nemini dubium eſſe puto, qui exitum non exordia rerum conſiderat. Alloqui *arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* Viæ ſapientum ſunt præcepta Euangelica, *jugum* videlicet *ſuave & onus leve*, Matth. 11. Quod maculas & ſordes omnes delet, unde in Hebræo habetur דרכי נעם *viæ amœnitatis*, ſive *ſuavitatis*, priſtinam pulcritudinem, quam in Adam perdidimus, reſtituentes, aut angelicam potiùs; neque enim Adam ex ligno vitæ immortalitatem eſt aſſecutus, ſed quotquot Chriſtum vivâ fide tenent, ex ligno vitæ comedunt, præſertim *qui perſeveraverit uſque ad finem*, nam hic *ſalvus erit. Qui apprehenderint eam, beati*] Heb. *Fulcientes eam*, tenentes aut ſuſtentantes eam, *beatus*, vel *beatitudine donatus*, ſup. *erit* unuſquiſque eorum qui ſuſtinent. Et nè quis putet eum de terrena aliqua ſapientia loqui, aut Moſaïca lege, ut illi volunt, quæ ſequuntur videamus;

19, 20. *Dominus ſapientiâ fundavit terram, ſtabilivit cœlos prudentiâ: Sapientiâ illius eruperunt abyſſi, & nubes rore concreſcunt.* Heb. *Dominus ſapientiâ fundavit terram, ſtabiliens cœlos per intelligentiam: Per ſcientiam illius ruptæ ſunt abyſſi, & nubes ſtillabunt rorem*] Magnas laudes ſapientiæ audiviſti, audi majores, quò magis in illius amorem accendaris. Non eſt res humanitus inventa, ut Philoſophi putaverunt, qui ex ſuis præceptis ſapientiam pendere exiſtimabant, & humanâ induſtria comparari poſſe. Sapientia de qua tractamus, ipſo mundo longè eſt antiquior, ut putâ per quam jacta ſunt ipſius fundamenta. Mirum in modum diſpoſuit cœlos intelligentiâ: nam verbum כון ratione conjugationis Hebraicæ plus aliquid ſignificat quàm *paravit*, vel *ſtabilivit.* Abſolutè per *terram* omnia elementa & quæcunque hâc mundi parte inferiore proveniunt intelligimus, quorum terra veluti fundamentum inferiùs collocatur ineffabili ſapientiâ; ut nunquam de ſuo moveret loco, nè concuſſo fundamento corruere videretur reliquum ædificii. Cœlos autem ſic diſpoſuit, ut in perpetuo motu nullam neque laſſitudinem, neque diminutionem aut diſſolutionem paterentur, ſed perenni quadam virtute ubertatem in hæc inferiora transfunderent, neque unquam diſtillare aut influere ceſſarent. Dei ſcientiâ (quæ à ſapientia non eſt diverſa) ruptæ ſunt abyſſi ob concava terræ loca, quibus aquæ, quæ alioqui ſuperficiem terræ tegerent, ſunt receptæ, quò liceret etiam homini & cæteris animantibus vivere, dicente Deo, *Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida*, Gen. 1. Hoc Dei duntaxat ſapientiâ eſſe factum coguntur Philoſophi confiteri, ut qui non ignorant aquæ naturam eſſe univerſam terram tegere, ut aëris naturæ eſt univerſam aquam circuire. Sed ſcientiâ ſapientiſſimâ Cœli ſubinde diſtillare ſolent rorem, nè terra humore deſtituta ſterilis remaneat. Alii per *abyſſos* intelligunt ingentia flumina, quæ paſſim per orbem erumpunt. Alii *abyſſos* intelligunt, quas in ſubmerſione orbis novo quodam impetu voluit Deus erumpere. Quòd ſi conſtat iſta non potuiſſe fieri niſi per Dei ſapientiam, per hæc opera uſque adeò magna & ſtupenda uſque adeò firma & ſolida, cogita quàm magna ſit hæc ſapientia, per quam facta ſunt, quò faciliùs illius amore capiaris, & cave nè ullâ perſuaſione humanâ ducaris, ut credas hæc quæ vides corpora cœleſtia aliunde habuiſſe principium, ſed revera habuiſſe principium à ſapientia, ut ſequitur.

21. *Fili mi, nè effluant hæc ab oculis tuis, cuſtodi legem meam atque conſilium meum.* Heb. *Fili mi, nè recedant ab oculis tuis, cuſtodi ſapientiam & cogitationem*] Hanc de ſapientia opinionem cave nè aliquando dimittas ab oculis mentis tuæ, ſed dimiſſâ vanâ ſapientiâ permanentem & ſtabilem ſapientiam amplectere: hoc enim ſignificat vox תושיה, quæ rurſum hoc in loco repetitur, & quæ ab *eſſendo*, ut diximus, habet originem. Nam in Hebræo, *Cuſtodi ſapientiam & cogitationem*, intelligimus dignam hâc ſapientia, omnia videlicet per ſapientiam eſſe creata. Verùm juxta noſtrum Interpretem, *Cuſtodi legem & conſilium*, erit ſenſus, Cuſtodi legem quæ tradit mundum à Deo creatum. *Et conſilium meum*; quod eſt, ut quàm optimè erga ſapientiam ſis affectus, eam videlicet eſſe præferendam omnibus opibus, unionibus magis pretioſam. In poteſtate illius vitæ longitudinem, gloriam & divitias, & cætera quæ præcedens lectio continet: hujuſmodi, inquam, cogitationes ſi animo volvas, magna aſſequeris, quæ ſequens lectio complectitur.

22, —26. *Et erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis: Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis, quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus. Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum nè capiaris.* Heb. *Et erunt vita animæ tuæ & gratia gutturi tuo: Tunc ambulabis cum fiducia vias tuas, & pes tuus non impinget. Si dormieris non pavebis, imò dormies, & dulcis erit ſomnus tuus. Non timebis terrorem repentinum, neque deſolationem impiorum* (vel *vaſtitatem ab impiis*) *cùm venerit. Nam Dominus erit fiducia tua; & ſervabit pedem tuum nè capiatur*]

Priùs numeravimus magna ſapientiæ munera, quæ fortaſſis ad futuram vitam magis referri debent: audi etiam quanta præſentis vitæ commoda amatoribus ſuis largitur ſapientia: ſecuritatem ſanè magnam contra omnia hujus vitæ pericula, & in primis animæ ſanitatem & vitam, quæ ſine ſapientia omnino mortua eſt. Ut animo igitur vivas & intellectu, & non veluti pecore hanc vitam tranſigas, Sapientiæ hujus de qua loquimur munus eſt. Quod in Hebræo legitur *erunt vita*, exponunt Hebræi, erit fides hæc, mundum videlicet eſſe ſapientiâ Dei conditum & providentiâ gubernatum, vita animæ tuæ, nam *juſtus ex fide vivit. Et gratia faucibus tuis erit ſapientia*] Senſus eſt juxta interpretationem ſimilis loci, cap. 1. *torques collo tuo*, h. e. ut gratiam conferre putatur torques aureus collo ſuſpenſus, ſic amabilem vitæ ornatum confert ſapientia: vel *gratia gutturi tuo*, h. e. verbis tuis, quæ per *guttur* intelliguntur. Denique erit ſapientia *vita animæ tuæ*, h. e. alimentum & cibus quo vivit anima tua: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendit*, & dat vitam mundo, cujus guſtus per fidem miram gratiam faucibus dignè comedentium tribuit, quantam verò ſatis norunt, qui in menſa ſapientiæ dignè recumbunt. Porrò in hujus vitæ periculis te ſecurum reddet, ſive domi maneas, ſive peregre profectus viam ignotam capias, quâ ſolent multa adverſa timeri, at tibi nè tantillum quidem mali contingit, imò nè leviſſima quidem pedis offenſio: nam *angelis ſuis mandavit de te* ſapientia, *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, nequando offendas ad lapidem pedem tuum*, Pſal. 91. Peregrini ſumus in hac vita, & ſine offenſione pedum, h. e. affectuum, non ingredimur per vanitates hujus mundi, niſi fide conditoris & providentiâ gubernatoris, quæ ſapientia eſt patris, muniti. Quòd ſi cubitum ibis, quando hoſtes ſolent maximè vigilare, inſidias ſtruere, tibi quod paveas nihil erit: imò ſecurus dormies, & ſecuriſſimum ſomnum capies, cuſtoditus videlicet à ſapientia, quam amplexus es. A quocunque igitur malo, quod ſive vigilantibus ſive dormientibus, ſive peregre ſive domi gentibus evenire ſolet hominibus, te ſecurum reddet ſapientia. Juxta altiorem intellectum hæc non tam de pedibus corporis & ſomno palpebrarum quàm de vita vel morte ſunt accipienda, aut ſi mavis de activa vita & ſolitaria, quæ negotiis vacua ſomno comparatur. Alicubi in Scripturis, nempe Cant. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat*, poteſt & ad ſomnum mortis referri, qui tranquillus & placidus futurus eſt his qui in Dei ſapientia ſpem habent, timentes Deum videlicet non *eos qui occidunt corpus. Non timebis repentino terrore, & irruentes potentias impiorum*] h. e. non timebis denique, nè ab his quæ mortalibus maximè horrenda occurrent, utputa ab hoſtili incurſione & impiorum violentia, quæ omnia vaſtare ſolent ferro & igni quibus maximè conſternuntur animi hominum; ab his omnibus, inquam, ſecurus eris ſapientiæ innixus. Cùm Dominus ſit ſpes tua, te ſervabit: quis enim ſperavit in Domino, & derelictus eſt? *Et cuſtodiet pedem tuum nè capiaris*, vel *nè capiatur pes tuus*, ut eſt in Hebræo. Juxta altiorem intellectum, *in medio laqueorum tranſis*, ut ait alius ſapiens, & imprudentibus nobis quaſi laquei tenduntur à dæmonibus, quibus pedes, hoc eſt, affectus infirmorum, facilè innectuntur, & repentè magna virtutum deſolatio fit, & vaſtitas pudicitiæ & integritatis morum. Poſt egregias ſapientiæ laudes & magna præmia quæ ſapientia largitur ſive in hac vita ſive in futura, revertitur ſapiens ad id quod paulò ſuperiùs inceperat tractare, nempe miſericordiæ & veritatis opera, quæ in egentibus amicis & alienis ſpectantur. Primò quod ad egenos attinet ſubdit,

27. *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt: ſi vales, & ipſe benefac.* Heb. *Nè prohibeas bonum ab eo qui dominus illius eſt, cùm ſit fortitudo manûs tuæ ut facias*] Ambiguus eſt Hebræorum ſermo, & multiplicem ſenſum admittit. Aut enim rem alienam detinere prohibet; aut nè quis unquam alteri ſit impedimento quò minùs ſit beneficus; aut denique ne ipſe detineas egentis bonum, h. e. eleemoſynam quæ ad eum, tanquam dominum illius, ſpectat: quaſi non noſtra, ſed pauperum ſint bona, quæ illis largiri poſſumus & debemus: unde ſequitur in Hebræo, *Cùm in virtute manus tuæ ſit ad faciendum*, ut ad ſingulos priores ſenſus referatur, Si penès te ſit alterius boni reſtitutio, ſi in tua poteſtate ſit egentium neceſſitati ſubvenire, ſive quenquam impedire quò minùs officium præſtet. Hunc verſiculum peculiariter ad ſubventionem pauperum ſpectare volunt Interpres. Sublimior ſenſus eſt ſi referatur ad doctrinam, ad rectam inſtitutionem ignorantium, quibus ex officio debetur à doctioribus cibus animæ, & talis doctrina quæ unicuique maximè ſit idonea, & quæ ad ſingulos jure quodam pertinere poteſt, nè margaritas porcis ſpargere videamur, ut ait unus ex Hebræorum magiſtris, volens exprimere vim illius vocis בעליו, h. e. *domini illius*, ſupple *beneficii*. Secunda pars miſericordiæ & beneficentiæ ad charos & familiares amicos ſpectat, quibus nihil negare poſſumus.

28, 29. *Nè dicas amico tuo, Vade, & revertere, & cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare. Nè moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam.* Heb. *Nè machineris malum contra amicum tuum, cùm ipſe habitet confidenter tecum*] Quod ad amicos & charos ſodales ſpectat, tantum abeſt ut quicquam illis deneges, ut nè in craſtinum quidem opem deferas quam hodie poſtulant, ſi modò penès te fuerit præſtare quod petitur. Quamvis ultimam particulam verſiculi quidam referant ad primam, ut ſit ſenſus juxta veritatem Hebræam, *Nè dixeris amico, Vade*, &c. neque dixeris, *eſt tibi*, quaſi contumeliâ afficiens eum qui petit, dum negas illum egere eâ re quam petit, in loco panis videlicet lapidem porrigens, Luc. 11. Prima pars beneficentiæ in amicum eſt omnibus viribus illius votis annuere: Secunda eſt, integram ſaltem ſervare amicitiam, nihil amico indignum moliri, illius opinionem de te minimè fallere, qui tecum unà cohabitat fretus fide & amicitiâ tuâ. Prætereundum non eſt, quendam ex Hebræis ſecutum aliam ſignificationem illius verbi תחרש *machineris*, ſenſum voluiſſe mitigari, quaſi abſurdum eſſet monere nè quis malum machinetur in amicum, cùm hoc tam longè abſit ab amici officio ut ſummam crudelitatem præ ſe ferat, & proinde תחרש exponit non *moliri*, ut D. Hieronymus, neque *machinari*, ut nos, ſed *ſuſpicari*: q. d. Nè habeas amicum, qui tecum habitat, ſuſpectum alicujus mali, ſed quemadmodum confidenter habitat tecum, ità tu habitabis cum illo cum fiducia, abſque ſuſpicione mala. Sequatur prudens lector utram velit lectionem: mihi prima non diſplicet. Fideliter colendam amicitiam docet proverbium.

30. *Nè contendas adverſùs hominem fruſtrà, cùm ipſe tibi nihil mali fecerit.* Heb. *Nè contendas cum homine fruſtrà, ſi non ingeſſerit tibi malum*] Hæc præcedentia miſericordiæ officia non poſſunt eſſe omnibus communia, videlicet opibus aut doctrinâ quàm plurimos juvare: quod ſequitur ad omnes ſpectat, nempe neminem injuria afficere. Hoc præceptum cæteris multùm diſſimile videtur. Sunt ex noſtris Interpretibus qui ad fraternam correctionem referunt ſenſum. Lyranus ſimpliciter intelligit, quaſi bene habeat contendere, ſi juſta ſubſit cauſa: & tamen ſunt aliqui Hebræorum Interpretes nonnihil offenſi hoc loco, quaſi contrario præceptis Moſaïcis, Lev. 19. ubi legitur, *Non quæras ultionem*, aut, *nè memor ſis injuriæ civium tuorum.* Juxta Hebraïcam veritatem, *Non ultionem ſumes, neque ſervabis odium filiis populi tui.* Quam in ſpecie repugnantiam conantur aliqui tollere, dicentes hunc locum ſic eſſe intelligendum; videlicet, non licere contendere neque litigare, niſi reddiderit tibi malum: & jam qui tranſgreſſus eſt præceptum, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, pro inimico habendus eſt, & talem licet odio habere. Sed in longè alium ſenſum, & meo judicio magis pium, vertunt alii Hebræorum magiſtri, *non litigabis, neque facias malum alicui gratis*, vel *ſine cauſa*; *ſi non*, ſupple *ità feceris*, *rependet malum, & ulciſcetur ſe*: & hæc eſt uſitatiſſima hujus linguæ phraſis ut ante hanc particulam אם לא *ſi non* intelligatur aliquid, ut in juramenti formam redigatur ſermo, ut v. g. *mentiar*, *mihi nè credas*, aut aliquid hujuſmodi; ſenſus tandem erit, Sim mendax, niſi rependat tibi malum: & hæc germana hujus loci interpretatio eſſe videtur. Sequitur,

31, . . . 35. *Nè æmuleris hominem injuſtum, nec imiteris vias ejus: Quia abominatio Domini omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Egeſtas à Domino in domo impii, habitacula autem juſtorum benedicentur. Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exſultatio ignominia.* Heb. *Nè æmuleris virum iniquum, neque elegeris ullas vias illius. Nam abominatio eſt Domini, perverſus: & cum rectis ſecretum ejus. Maledictio Domini in domo impii, & habitationi juſtorum benedicet. Nonne cum illuſoribus ipſe illudet, & manſuetis dabit gratiam? Gloriam ſapientes poſſidebunt, & ſtulti exaltant ignominiam*] Poſt prolixam admonitionem qua filium ſuum inſtruxit Sapiens, de variis ſapientiæ & miſericordiæ officiis, quæ bonis & malis, amicis & inimicis præſtare oportet, quò majori ſtudio aurem accommodemus, eum non impunè evaſurum qui hujuſmodi officia negligit, oſtendit, inquiens, *Nè æmuleris hominem injuſtum* & oppreſſorem, qui rapinis pro tempore diteſcunt, qui imperitis & vulgo fortunati habentur, cùm illis omnia ex animi ſententia ſuccedunt. Cave tamen nè hujuſmodi velis imitari, neque eligas omnes vias eorum, h. e. nè ſimilis illis eſſe velis, neque ſocium te adjungas viis illorum & moribus. Succeſſus & proſperitas iſta non eſt à Domino. Nam Dominus exſecratur & abominatur hanc quam vulgus felicitatem putat. Exſecratur, inquam, omnem perverſum, ſive declinantem à lege, quæ recta eſt. Et quamvis judicia Dei ſint inſcrutabilia, tamen *cum ſim-*

ſimplicibus ſermocinatio ejus. Heb. *Cum rectis ſecretum ejus:* hoc ſecretum eſt rectis notum, nempe non idcirco gratum eſſe hominem perverſum quòd proſperitate gaudeat, neque ſtatim puniatur; imò tantò magis exſecrabilem eſſe judicio Dei quantò felicior mundo apparet. Neque enim eſt Dei benedictio, copia rerum malè parta, ſed ut ſequitur in contextu, *Maledictio Dei eſt in domo impii*, tametſi proſpera fortuna interim fruatur. Non ſolùm familia, ſed etiam conſcientiæ domus, quæ nullum fructum boni operis gignit, maledicta eſt: ut inquit Paulus, *Infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia*, ad Tit. 1. Contrà, habitationem juſtorum benedicere ſolet Dominus, qui ipſa eſt juſtitia, & *unicuique* (ut inquit David) *reddet juxta opera ſua.* Unde ſequitur, *Cum illuſoribus ipſe illudet*; dum per irriſionem aut per jocum aliena rapiunt, & rapinis diteſcunt, Dominus ſubſannabit eos, vel facillimè puniendo, vel irridendos hominibus proponens, ut qui nihil poterunt contra illius potentiam, neque diutiùs pauperes opprimere quàm à Domino permittantur: ſed humilibus & manſuetis, qui iniquorum violentiis ſunt obnoxii, gratiam copioſam & cœleſtia dona largiri ſolet, quæ præſentibus rebus collata centupli rationem habent. Idcirco amplexanda eſt ſapientia, non ſequendæ viæ impiorum, per illam enim gloriam aſſequeris, per has autem ignominiam. *Gloriam*, inquit, *ſapientes poſſidebunt*, vel *pro hæreditate capient* potiùs, h. e. non ad momentum temporis, ſed jure hæreditario. *Stultorum exaltatio ignominia*; vel, ut eſt in Hebræo, *ſtulti extollunt ignominiam*, vel (ſupple *virum*) *ignominioſum:* & juxta idioma & phraſim Hebræam, non dicit *ſtulti extollunt*, ſed ſtultorum unuſquiſque extollit, & laudat virum ignominia dignum.

LUCAS BRUG.

13. B*Eatus homo qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ*] Quatuor vetera exemplaria, Ge. o. l. Di. o. l. legere à Pariſienſibus deprehenſa ſunt accuſandi caſu *prudentiam:* quibus nos unum Eccleſiæ D. Donatiani, & alterum Cardinalis Beſſarionis, obſervavimus eſſe conformia, quanquam litera *m* in illo raſa conſpiciatur, in hoc ſuperflua judicetur. Hinc ſumpta eſt conjectura, ſcriptores corruptè *affluit* per *a* primam vocalem, pro *effluit* per *e* ſecundam, ſcripſiſſe: nullo enim ſenſu dici poteſt *affluit prudentiam* (niſi fortè ſubaudias, quod ſæpe Græci, *ſecundùm*) ſed ſuum, qui tolerari poſſit, & loco convenit, habet *effluit prudentiam.* Atque ex hac conjectura profluxiſſe exiſtimo quod ad Vulgatæ interpretationis marginem in Hebraïcis Scholiis annotatur, *Legitur, & effluit prudentiam.* Poſt Pariſienſes Lovanienſis Doctor Hentenius quinque codices *effluit prudentiam* legere ſignavit, id quod in prima & poſterioribus editionibus conſpicere licet. An autem hos omnes ipſe repererit, & quidem *effluit prudentiam* ſcribentes, an verò quatuor illis Pariſienſium unum qui ſimiliter legeret adjecerit, ea quam diximus probata conjectura, ignoro. Hoc ſcio, nulli ex noſtris 32. MSS. *effluit* legi. Porrò in ipſo quod à D. Hentenio impreſſioni paratum fuit prototypo invenio lectionem hanc abſque omni codicum numero ſcriptam. Unde dubitari fortaſſe poſſit, utrùm ab alio quinarius ille numerus adjectus ſit, ab ipſo autem ſine numero ſcriptum, ut oſtenderet aut adulterinam, aut non tam ex codicibus quàm ex codicum corruptelis probabilem eſſe lectionem, *Effluit prudentiam.* Sed quidquid Hentenius invenerit, ſcripſerit aut voluerit, dubium eſſe vix poteſt depravatam illorum codicum eſſe ſcripturam qui *affluit prudentiam* habent. Veruntamen cùm emendatiſſima ſint exemplaria, non facilè ſunt rejicienda: quin potiùs inveſtigandum eſt, reſervarintne germanæ ſcripturæ, quæ vulgò ignota ſit, veſtigium. Non parùm autem veriſimilitudinis ex Hebraïco fonte accipere poſſit τὸ *effluit prudentiam.* Nam תבונה יפיק quod ibi legitur, Latini Interpretes *educit*, ſeu *profert, intelligentiam* ferè transferunt: quibus Chaldæus conſentiens, בינתא מביע *eructat*, ſive *profert, intelligentiam* interpretatus eſt. Cæterùm transferunt nonnulli, *haurit intelligentiam*; id quod non parùm auxilietur vulgatæ lectioni, quæ plerorumque & codicum & enarratorum eſt, *affluit prudentiâ. Haurire* namque *prudentiam* eſt prudentiam abunde aſſequi. Atque ad hunc modum Hebraïcam illam vocem יפיק & noſter Interpres vertit c. 8. verſ. 35. *Et hauret ſalutem à Domino.* Potuit igitur & hoc loco *haurire* intellexiſſe, ejuſque ſenſum expreſſiſſe, *affluere prudentiâ:* quod eò fiat veriſimilius, quòd ſubjunxerit, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti.* Hinc enim intellexiſſe videtur, hominem hoc loco beatum prædicari ex eo duntaxat quòd ſapientiam aſſecutus ſit. Nam ſi ex utroque intellexiſſet beatum prædicari, quòd ſapientiam & ſibi ſit aſſecutus & aliis effundat (id quod ſignificari videtur ſi legas, *effluit prudentiam*) vertiſſet quod ad utrumque congrueret, *Melior eſt negotiatio ejus negotiatione argenti:* eadem enim vox סחר Hebraïcè reperitur, quæ, ſicut *negotiationis* vocabulum, & vendenti competit & ementi. Græca tranſlatio huic noſtræ accedit, *Beatus homo qui invenit ſapientiam, & mortalis qui novit prudentiam. Melius enim eſt eam mercari quàm auri aut argenti theſauros.* D. Bernardus, ſermone quem in hunc locum ſcripſit, *Sic invenies corde ſapientiam*, inquit, *ore afflues prudentiâ: ſed affluere, non effluere vel evomere, cura.*

14. Quædam exemplaria ad hunc modum legunt, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auro primo fructus ejus;* quædam ad iſtum, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi fructus ejus.* Illo modo habent, cum uno Pariſienſium, quinque Hentenii, Regiſque & Clarii editio; iſto quatuordecim noſtra. Ex Hebræo utroque modo transferre liceat, כי טוב סחרה מסחר כסף ומחרוץ תבואתה, i. e. *Quia bona negotiatio ejus præ negotiatione argenti, & præ auro fructus ejus*, vel, *& præ* negotiatione *auri fructus ejus.* Noſter Interpres vocem חרוץ hoc loco non ſimpliciter *aurum*, ſed *primum aurum*, vel *primum & puriſſimum aurum*, interpretatus eſt, quemadmodum Chaldæus Paraph. [o. יגניבא] הגינא ״ דכבא, i. e. *aurum purgatum*, reddidit. Potuit itaque tranſtuliſſe, vel, ut prior habet lectio, *Et auro primo fructus ejus* (ſc. melior eſt) vel ut poſterior, *Et auri primi & puriſſimi fructus ejus.* Utra ejus germana ſit verſio nolim ego definire: ſed hoc habeo, priorem in noſtris MSS. non inveniri, poſteriorem verò in emendatiſſimis quibuſque eſſe, ut etiam in V. Bedæ commentario. Atqui malè nonnullis ità diſtinguitur, *ut primi & puriſſimi* ad *fructus* referatur, quaſi *fructus* ſit numeri pluralis primus caſus, ejuſque attributa ſint *primi & puriſſimi*, quæ & Richelii, Carenſis ac Lyrani nec non Bedæ, expoſitio eſt. Singularis enim numeri eſt *fructus*, & ad genitivum *auri* referenda ſunt adjectiva *primi & puriſſimi*, ſubaudiendumque *negotiatione melior eſt*: hâc nempe ratione, *Et auri primi & puriſſimi* negotiatione, melior eſt *fructus ejus.* Nec enim *fructus* cum eo quod ſequitur jungendum eſt *fructus ejus pretioſior eſt cunctis opibus*, quæ quorundam exemplarium diſtinctio eſt; præcedentibus enim nectunt cùm Hebraïci & Chaldaïci codices, tum Latini enarratores. Buſlidiani Collegii antigraphum ſcribit, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argento, & auro primo & puriſſimo fructus ejus*, quod corruptè quidem ſcribit *argento*, ſed quod deinceps, *auro primo & puriſſimo fructus ejus*, habet, contemnendum non eſt: imò ſincerius fortaſſis eo eſt quod in quibuſdam codicibus haberi diximus, *Auro primo fructus ejus.* Nam neque in noſtris MSS. libris, neque ab iis quos conſulere licuit ſuperioris ætatis Tractatoribus, *puriſſimo* prætermiſſum vidi. Indicat autem Buſlidianum antigraphum, *i* literæ figuris *o* ſuperpoſitis, eam lectionem quam cum ſecundo caſu antè protulimus, quæ inter omnes ſit veroſimillima. Illa enim proculdubiò notha eſt quam in pleriſque codicibus, tum ſcriptis, tum impreſſis, invenimus, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione auri, & argenti primi & puriſſimi fructus ejus.* Refert enim *primi & puriſſimi*, aut ad *fructus* aut ad *argenti*, quò Interpres non retulit: turbatque gradationis ordinem, quà Sapiens hic paulatim à pretioſis ad pretioſiora progreditur. Stabilit autem eam ſcripturam quæ nobis probabilior eſt, *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi fructus ejus.*

25. *Nè paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum*] Quinque ſcripta *timore* habent: ſed magis placet, quod pleraque ſervant, *terrore.* Eſt autem hic *à* præpoſitio ſubaudienda, quæ Hebræis & Chaldæis exprimitur, *A repentino terrore*: vel ſubaudiendum participium *oborto*, aut ſimile. Buſlidiani Collegii liber *repentinum terrorem* habet: ad ſimilem modum emendatum eſt D. Hunnæi exemplar, I notatum, adjectis S literæ figuris, ità ut ſit *repentinos terrores.* Atque hoc modo conformis ſit prior hujus verſûs pars poſteriori, *Et irruentes tibi potentias impiorum*, quæ & Hebraïcè conſimiliter ſcribuntur: *nè paveas*, vel *non pavebis, à terrore repentino, & à deſolatione impiorum cùm venerit.*

Hâc poſteriori verſûs parte manuſcriptum O prætermittit & conjunctionem: quaſi ſit totius verſûs una ſententia, Nè facilè terrearis ob irruentes in te potentias impiorum. Atqui non eſt ad hunc modum legendus locus: eſt enim & conjunctio, cùm in pleriſque omnibus Latinis libris, tum in Hebraïcis, Chaldaïcis & Græcis. Rurſus Buſlidianum exemplar contra alia omnia *irrumpentes* ſcribit, pro *irruentes*, minùs rectè, ut opinor. Certum porrò eſt, adulterinum eſſe quod habet M. *intuentes*. Error ex eo admiſſus eſt, quòd codices antiquiores *inruentes* ſcribant, ut in pleriſque compoſitis verbis integras præpoſitiones. Nonnulli typis excuſi codices legunt, *Et irruentes tibi ruinas impiorum.* Complutenſis, atque ex eo Regius & Pariſienſis anni 1551. *ruinas* habent pro *potentias*: contra MSS. exemplaria univerſa, quæ, poſt Hentenium & Pariſienſes, nos conſuluimus,

contraque Enarratores, Bedam, Carenſem; Richelium. Hebraïca vox eſt שאה, quæ *deſolationem*, *devaſtationem*, *tumultum* ſignificat. Lxx. tranſtulerunt ὁρμήν, i. e. *impetum*; *Et non timebis terrorem ſupervenientem*, *neque impetus impiorum irruentes. Potentias*, generalius id eſt: *ruinas* ad deſolationem, devaſtationem atque impetum propiùs accedit.

DRUSIUS.

3. חֶסֶד וֶאֱמֶת. A. ἔλεος καὶ ἀλήθεια, *miſericordia & veritas.* ¶ קָשְׁרֵם. A. σύνδησον, *colliga.* ¶ עַל־לוּחַ. Sym. ἐπὶ τῦ ςήθȣς, *ſuper pectus*] *Pectus* חזה dicitur: לוח magis eſt *tabula*, i. e. πλάξ. Fortè quod in Ebræo על לוח לבך Sym. tranſtulit ἐπὶ τῦ ςήθȣς, ut *tabula cordis* ſit periphraſis *pectoris*.

4. וְשֵׂכֶל. A. S. Th. περινοῆσαι, *animo concipere* ſive *mente complecti*] Putarim eos legiſſe וְשַׂכֵּל. Nam & Lxx. ità legerunt dum verterunt καὶ προνȣ̃, *animoque provide.* ¶ בְּעֵינֵי אֱלֹהִים. A. S. Th. ἐν ὀφθαλμοῖς Κυρίȣ, *in oculis Domini*] Malim Θεȣ̃, nam Κυρίȣ יהוה. Priùs erat ἐνώπιον Κυρίȣ, & in L. V. *coram Deo* לפני אלהים.

5. בְּטַח אֶל־יְהוָה. Sym. ἔλπισον Κυρίῳ, *ſpera in Domino.* ¶ אַל תִּשָּׁעֵן. Th. μὴ ἐπερείδȣ, *nè innitere.* Sym. μὴ ἴσθι πεποιθὼς, *nè fretus eſto*] i. e. אל תבטח sive אל בטח.

6. יְיַשֵּׁר. Sym. εὐθεῖς ποιήσῃ, *rectas facias.*

7. חָכָם. A. S. Th. σοφός.

8. שִׁקּוּי. A. ποτισμὸς, *irrigatio.* Sym. πιότης, *pinguedo.* Th. καταβροχὴ, *madefactio*] Πιότης, anne potiùs ποτής, i. e. *potio*, *potus*? Nam *pinguedo* שמן dicitur. Cave mutes. Quidam *medulla*.

9. כָּל־תְּבוּאָתֶךָ. A. S. Th. παντὸς γενήματός σȣ, *omnis proventus tui.*

10. אֲסָמֶיךָ. A. αἱ ἀποθῆκαι, *apothecæ.* Sym. θησαυροὶ, *theſauri.* ¶ יִפְרֹצוּ. Schol. ὑπερεκβλύζωσιν.

11. אַל־תִּמְאָס. A. μὴ ἀποδοκίμασον, *nè rejice.* Sym. μὴ ἀπωθῇς, *ne repellas.* ¶ וְאַל־תָּקֹץ. Th. μηδὲ ἐγκακήσῃς] Num. 21. 5. קצה. Sym. ἐνεκάκησεν.

13. יָפִיק. Schol. ἔσχεν.

17. נְתִיבוֹתֶיהָ. Schol. οἱ ἄξονες] Ἄξων propriè *axis*. Hoc ſignificatu ſumitur id nomen Sirach. 33. 5. Alio uſurpant Interpretes antiqui, videlicet pro *calle* ſive *orbita* aut *ſemita*: ut ſuprà 2. 9. כל מעגל טוב, quod reddunt *omnem orbitam bonam*, Lxx. expoſuerunt πάντας ἄξονας ἀγαθȣ́ς. Sic v. 18. מעגלותיה ἄξονας αὐτῆς, ubi Aquila retulit καμπὰς, & Sym. ὁδȣ́ς, & Th. κυλισμȣ́ς. Alibi eandem vocem τροχιὰς reddunt, ut v. 15. & τρίβȣς Pſal. 17. 5. Etiam נתיבות τρίβȣς interpretantur, hic & Pſal. 142. 3. & Job. 38. 20. ubi Sym. ἀτραπȣ́ς, & Hier. *ſemitas*. Loquor de loco hoc ultimo: nam alios non conſului.

20. בְּדַעְתּוֹ. Schol. ἐν γνώσει, *ſcientiâ*] Utrùm lectum בדעת? an addendum pronomen αὐτȣ̃, ut ſit ἐν γνώσει αὐτȣ̃, *ſcientiâ ſuâ.* ¶ טָל. Schol. δρόσῳ, *rore.*

25. אַל־תִּירָא מִפַּחַד פִּתְאֹם. οἱ λοιποὶ, ἐὰν πτοηθῇς, ȣ̓ φοβηθήσῃ, *ſi terrefactus fueris*, *non metues.*

26. שָׁמַר. Schol. τηρήσει, *ſervabit.* ¶ מִלָּכֶד. Schol. ἵνα μὴ ἀγρευθῇς, *nè capiaris*] Propriè *nè venatu* (ſive *venando*) *capiaris.* Nam ἀγρεύω, *venor*, *venatu capio.*

30. אַל־תָּרִיב. Schol. μὴ δικάζȣ, *nè litiga.*

31. אַל־תְּקַנֵּא. Schol. μηδὲ ζήλȣ, *neque æmulare.*

AMAMA.

2. ET *annos vitæ*] i. e. Vitam annorum, i. e. longævam, annoſam. Lxx. μῆκος βίȣ, καὶ ἔτη ζωῆς καὶ εἰρήνην προσθήσȣσί σοι.

Pacem] Omnis generis bona, omnem bonum ſucceſſum, omnem felicitatem, tam corporalem quàm ſpiritualem. Συλλήβδην πᾶν ἀγαθὸν ἐςι. Luc. 18. *Utinam ſcires*, *quæ ad pacem tuam pertinerent.* In Geneſ. *Eſtne pax patri meo?* Exod. 18. rogare ſe mutuò de pace. Hinc ſalutationis formula apud Ebræos, *Pax tibi* 2 Sam. 18. Ezr. 5. Init. Epiſt. Hinc in N. T. *Pax ſit huic domui* Math. 10. & in epiſtolis Paulinis.

3. *Heſed & Emeth* אל יעזבך] Quidam accipiunt ut præceptum. Vide ne relinquant te beneficentia in proximos & fides in Deum. Vel, ſic age, ne te deſerant benignitas Dei & fides ejus in ſervandis promiſſis, quæ hactenus expertus es. Alii promiſſionem eſſe volunt, ut אל ſit pro לא negantis, Prov. 3. 25. אל תירא non timebis à pavore repentino. Et juxta Michlol quoque Gen. 49. 6. Ex. 12. 9. Pſ. 121. 3.

Alliga ea collo tuo] i.e. Sermone & animo eas frequenter recole, ut obſequaris animo. Similis locutio Ex. 13. 9. *Ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam & in monumentum inter oculos tuos.* Deut. 6. 8. *Alligabis ea in ſignum*, *manui tuæ*, *& erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Id eſt, accuratè & perpetuò ea obſervabis. Hæc tamen Judæis ad literam intellecta phylacteriis & frontalibus occaſionem præbuère. Et certè video hic concurrere inter ſe frontibus adverſis viros magnos. Sunt enim qui putant, inter quos Hieronymus, hoc tantum voluiſſe Moſen, præcepta Dei corde portanda eſſe & ſemper recolenda, ſicut memoriæ obverſari ſemper id ſolet, quod manui vel fronti alligatum eſt, atque eſſe tantum locutiones figuratas. Alii volunt Moſen præcepiſſe ut talia frontalia & brachialia geſtarentur in μνημόσυνον Legis & beneficiorum. Vocantur in Textu Ebr. *Totaphot*, voce, ut Scaliger vult, Ægyptiaca, erantque duæ membranæ vel laminæ cono incluſæ, quæ vel Decalogum, vel, ut alii, quatuor Legis ſententias (*ſanctifica mihi omne primogenitum* Ex. 13. 2. *Eritque cum introducet* &c. Ibid. 3. *Audi Iſraël*, Deut. c. 6. 4. *Eritque ſi audiendo audiveritis* Deut. 11.) minuto charactere habebant inſcriptas, quarum una fronti, altera manui ſiniſtræ alligabatur. Judæi *Thephillim* vocant, quod eas oraturi applicent, & quidem hanc תפלין של יד, illam תפ׳ של ראש. Quod dixi de manu ſiniſtra liquet ex Cant. 8. *Ego ligo Thephillin in manu dextra mea & in capite meo.* In Thargum. Apud Lxx. vocantur ἀσάλευτα i. e. Ex communi Græciſmo, *inconcuſſa*, *immobilia.* Sed quid hoc eſt? Melius Scalig. vertit, *amuleta*, vel *amoleta*, ἀποτροπαῖον, Amolimentum. Namque tempore Lxx. Interpretum, hæc jam abierant in ſuperſtitionem, putabantque, ſedum hæc geſtarent adverſus omne malum tutos & ſacroſanctos eſſe. Planè ut hodie Papiſtis & Mahumedanis perſuaſum eſt, qui, Euangelii Johannis initium in περιάπτοις geſtant & de collo ſuſpendunt, quod damnavit Synodus Antiochena. Math. 23. 5. vocat φυλακτήρια· πλατύνȣσι τὰ φυλακτήρια αὐτῶν. Cur Phylacteria? Beza, *Conſervatoria*, *quod ſummam Legis conſervarent.* Ego & hic aſſentior Scaligero, hanc appellationem ſuperſtitioſo jam ævo natam, eamque ut notiorem Euangeliſtam uſurpaſſe. Nec enim dubium eſt, quin Chriſtus uſurparit vocem *Thephillin*, quam Syrus hoc loco habet. Ergo ἀσάλευτον & φυλακτήριον ſunt Synonyma. Gloſſ. vetus, φυλακτήριον, ſervatorium, amolimentum, amoletum. Prævia, convenit cum re ipſa. Amoleta ab amoliendo, avertendo mala φυλακτήρια παρὰ φυλάττειν, quod cuſtodiant à malo. In Synodo Antioch. exprimitur hoc ipſum nomen φυλακτηρίων. Nota, in Gloſſ. pro *pravia* legendum eſſe *proëbra* à prohibendo, ut *enebra* ab inhibendo. *Aves ſi fauſtæ*, *præpetes: ſi adverſæ*, *enebræ vocantur.* Servius. Atque hæc vox *proëbra* apud Varronem occurrit pro amuleto. Ergo, hæc Phylacteria, licet ſequioris ævi ſuperſtitione fuerint conturpata, ab ipſo Deo ſunt inſtituta. Theoph. Τὸ ἔχειν ἐπὶ τῆς χειρὸς τὸ φυλακτήριον, ἐσήμαινε τὸ δεῖν ἐργάζεσθαι τὰς ἐντολάς. Ita quoque Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. Itaque Chriſtus non damnat illa, ſed illorum abuſum. 1. Superſtitionem, quod ea in alios converterent uſus. 2. Ambitionem, quod ea latiora quam cæteri Judæi geſtarent, ut ſanctiores haberentur.

In tabulis cordis tui] ἐγγράφȣ αὐτὰ δέλτοις φρενῶν. Sic locutus eſt Æſchylus in Prometheo, & Pindarus. Terentius. *Etiam nunc dicta illa ſcripta ſunt in animo Chryſidis.* Hanc Macarius Ægyptius locutionem mutuatus eſt, hom. 15. εἰς τὰς πλάκας τῆς καρδίας τι ἐγγράφειν. Forma locutionis quâ firmam & accuratam comprehenſionem denotamus.

Sanitas umbilico tuo] Aben. ait, umbilicum eſſe fundamentum nervorum. Sed vide hic Junii Notas.

Irrigatio] Contra, *Spiritus mæſtus exiccat oſſa.*

12. *Sicut Pater filium* (caſtigat quem) *diligit*, ἐν ᾧ εὐδοκεῖ, vel ὃν εὐδοκεῖ.

14. כחרוץ] Vide Waſerum de Nummis.

מכחר] Præ negotiatione. סחר. סָחַר & מִסְחָר negotiatio, סֹחֵר *mercator*, à סחר quod primario ſignif. *circumire*, *vagari.*

Omnes deſiderabiles res tuæ) Ebr. *Omnia deſideria tua.* Sic *cuſtodia* pro re cuſtodita.

18. *Lignum vitæ*] Alludit ad Gen. 2. 9. Memorantur ibi ſpeciatim duæ arbores, Arbor vitæ, & Arbor Scientiæ boni & mali. Cur autem utraque ſic dicta, vide in Junii Notis.

כאשר] Suprà fuit אשרי, quod non eſt nomen ſed adverbium. Ratio certiſſima, quia in affixis ſervat punctationem ſuam, non enim dicitur אַשְׁרֶךָ. אַשְׁרֵי, ſed אַשְׁרֵי אֲשֶׁרֶךָ. ut ab אֹשֶׁר &c.

19. *Fundavit terram*] *Fundavit*, quia eſt quaſi fundamentum & baſis & centrum mundi. Sed quod fundatur propriè ſuper aliud fundatur. Accedit locus Pſ. 24. *Fundavit terram ſuper maria.* Vid. Pſ. 104.

Abyſſi] Intelligit fontes & flumina ex ſubterraneis aquarum voraginibus erumpentia.

שחקים] *Nubes ſuperiores.* Piſc. vertit, *cœlum*: *Quia*, inquit, Pſ. 18. *Legitur* עבי שחקים *nubes cæli*, ut ibi vertit. At poſſet eſſe locutio ἐκ παραλλήλȣ. Melior ratio quàm deſumit ab Etymo & loco Job. 37. Vide eum ad Pſ. 39.

23. *Pedem*

23. *Pedem tuum non offendes*] Eſt enim רגל נגף. Lxx. tamen, ὁ δὲ πούς σου μὴ προσκόψῃ.

24. Lyra, *homines mali ob mala quæ aliis fecêre, ſemper timent mala, & ideo ipſis in ſomno occurrunt ſæpe phantaſmata terribilia, ob quæ nec ſuaviter nec quietè dormiunt.*

26. *Dominus erit in fiducia tua*] Id eſt, fiducia tua. Vide reg. text. ibi notavimus ב aliquando addi prædicato propoſitionis. Sed in exemplis quæ ibi produximus ſunt adjectiva. Hic eſt ſubſtantivum.

27. *Ne prohibeas bonum* מבעליו] A dominis ejus, ab iis qui eo indigent. בעל טוב ex Ebr. dici poteſt & qui dat bonum & qui accipit, pauper ut בעל נס, is in cujus gratiam Deus edit miraculum & Deus qui edit. Sic בעל דין uterque adverſarius in judicio. בעל חוב & creditor & debitor. Aben. per בעל טוב intelligit עני. Lxx. μὴ ἀπόσχῃ εὖ ποιεῖν ἐνδεῆ, ἡνίκα ἂν ἔχῃ ἡ χείρ σου βοηθεῖν. Pauperes vocantur *Domini boni*, Divites, *diſpenſatores*. Unde Eleēmoſyna & Beneficentia vocantur *juſtitia* infra 11. 18. *Serentis juſtitiam merces erit fida*. Et in Dan. 4. Et Math. 6.

לאל] Pro באל. Sic Pſ. 16. אל poteſtas, robur. Hoc firmat ſententiam Euſebii, qui ait אל in SS. ſignificare ἰσχὺν καὶ δύναμιν. Sed puto quoque ſignificare ἰσχυρὸν καὶ δυνατὸν, ut עד teſtis & teſtimonium. Unde Aquila Pſ. 22. ἰσχυρέ μου.

28. *Vade, revertere*] R. Sal. exponit de mercede mercenarii non retardanda, Levit. 19. 13. Generalius accipi debet, non tantum benefacias, ſed citò, ne differas beneficentiam.

Ne ares] Id eſt, ne moliaris, ne machineris. Lxx. μὴ τέκταινε. Arare malum, ſerere iniquitatem, metere calamitatem, phraſes Ebr. ſunt. Syrach. μὴ ἀροτρία ψεῦδος ἐπ' ἀδελφῷ σου. *Noli arare mendacium*. Ubi Codices multi, *amare*.

Amicum tuum] Id eſt, alterum. Vide Cenſuram. חנם, excludit cauſam, meritum, precium, mercedem, effectum.

גמלך] Ch. עבר לך. Signif. bene aut male alicui facere primò. Deinde retribuere alicui bonum vel malum. Unde Prov. 11. v. 17. *Juſtus* גמל לנפשו. Lxx. ἀγαθὸν ποιεῖ, Pſ. 13. *Cantato Domino, quia* גמל עלי Lxx. τῷ εὐεργετήσαντί με. Pſ. 116. *Dominus* גמל עליך. Lxx. εὐεργέτησέ σε.

GROTIUS.

5. **E**T *nè innitaris prudentiæ tuæ*] Quaſi ſcilicet omnes eventus indè pendeant, & non à Deo.

7. *Nè ſis ſapiens apud temetipſum*] Nè ſis δοκησίσοφος, [*tuâ opinione ſapiens.*]

12. *Et quaſi pater in filio complacet*] Bene ex Hebræo. Neque enim noſter Interpres Lxx. Senes addictè ſequitur, niſi in Pſalmorum verſione ea quæ nunc recepta eſt. At Lxx. legerunt non וכאב [*velut pater*,] ſed ויכאב: id enim eſt μαστιγοῖ, [*flagellat*,] & inter בן [*filium*] & ירצה [*diligit*] ſubintellexerunt *quem*, quales ἐλλείψεις, [*defectus*] frequentes Hebræis.

15. *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari*] פנינים, quòd hic *opes* tranſtulit, aliis ſunt *margaritæ*, aliis *gemmæ*. Facit locus Thren. 4. 7. ut gemmæ rubentis genus eſſe credam.

16. *Longitudo dierum in dextra ejus*] Ambabus manibus Sapientia hominibus bona largitur. Ac primùm per prudentiam multa evaduntur pericula, ſuprà 2.

Et in ſiniſtra illius divitiæ & gloria] Sic Græci; Menander,

——— Ὁ' διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει
[——— *Cuncta habet cui mens adeſt.*]

Chæremon:

Ὁ' γὰρ φρονῶν εὖ πάντα συλλαβὼν ἔχει
[*Qui ſapere didicit, cuncta complexus tenet.*]

18. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam*] Arbor vitæ in Paradiſo non à morte tantùm, ſed & à morbis ſervabat. Confer quod infrà 13. 12. 15. 4.

28. *Nè dicas amico tuo*] *Proximo tuo*, id eſt, homini cuivis tuæ opis egenti.

Vade & revertere, cras dabo tibi] Nè ſis ὁ δώσων, [*daturus.*] Multi ſemper differunt beneficia; & ut non ſemper diſtèrant,

Α' χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.
[*Quod ſero bene fit non fit bene.*]

30. *Ne contendas adverſus hominem fruſtra, cùm ipſe tibi nihil mali fecerit*] Noli eſſe vitilitigator.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. **E***Ruditionem*] R. Levi exponit hîc מוסר pro *lege Moſaica*, in qua pater cœleſtis incredulos increpat.

12. *Non artabitur greſſus tuus*] h. e. Si habueris veram ſapientiam quæ eſt in verbo Dei, inoffensè ambulabis, nec quicquam erit quod te in diſcrimen adducere poſſit.

15. *Exſecrare eam*] Hebræi exponunt hic verbum פרע per השבית & בטל, ut ſit ſenſus, *Diſſipa malum illud quod impii conantur perficere: & ſi non poteris impedire, tu non acquieſcas eis, ſed declina ab eorum via.*

17. *Comederunt panem impietatis*] Senſus eſt, Incorporata eſt quodammodo illis impietas, & obſtinati ſunt in malo atque inebriati iniquitate, ut nihil aliud poſſint agere & loqui quàm impietatem.

18. *Uſquequo perfectus eſt dies*] h. e. Creſcit lux diei donec Sol ad ſummum hemiſphærii pervenerit gradum; quod fit in meridie. Sic R. Levi hîc exponit נכון היום.

21. *Non recedant ab oculis tuis*] Eſt hîc verbum לוז idem quod סור: & eſt ſenſus, Non avertas oculos tuos ab eis: ſunt enim vita animæ, & ex conſequenti largiuntur etiam robur carni, cùm corporis vita pendeat à vita animæ.

25. *Oculi tui in directum aſpiciant*] Hæc ſententia alibî ſic ſcribitur, *Tene regiam viam, ut ſcilicet non reſpicias ad dexteram*, i. e. ad proſperitatem impiorum, *vel ad ſiniſtram*, h. e. adverſitatibus frangaris in via Dei. *Recta* autem *via* eſt fiducia in Deum.

26. *Librare ſemitam pedum*] Hebræi exponunt pro *menſuram & modum tenere in omnibus, & non plus ſapere quàm oporteat ſapere.*

VATABLUS.

1. **D***Iſciplinam* מוסר] *Correctionem, caſtigationem, eruditionem.* ¶ *Ad ſciendam* לדעת] *Ut ſciatis.*

2. *Do* נתתי] Præt. Heb. pro præſ. i. e. propono.

3. *Quando filius* כי בן] *Quia fui filius.* Vel, *Nam cùm eſſem filius.* ¶ *Inter filios matris meæ* לפני אמי] Varia eſt lectio Hebraïcè, לבני *In filiis matris meæ.* Et לפני *coram matre mea.*

4. *Teneat* יתמך] *Fulciat, Suſtentet, Capiat.*

7. *Principium*, &c. ראשית וגו'] Quidam Hebræorum ſubaudiunt ב, & legunt, *In principio*, ſive *In primis ſapientiam poſſide, ſapientiam*, inquam, *& in omni*, &c. Alii, *Ante omnem cognitionem compara ſapientiam.* Alii, *Initio ſapientiæ*, in ablativo: i. e. per principium ſapientiæ. ¶ *Et omni ſubſtantiâ* ובכל קנינך] *Et præ univerſis quæ poſſides*, &c.

9. *Augmentum gratiæ* לוית חן] *Sertum gratiæ elegans.* Vide ſuprà 1. 9. ¶ *Tradet tibi* תמגנך] Sic vertunt Hebræi, à verbo מגן quod *tradere* ſignificat. Quidam exiſtimantes radicem eſſe גנן, quod *protegere* ſignificat, vertunt, *corona pulcritudinis proteget te.* Vel, *corona magnifica muniet te.*

11. *Per viam ſapientiæ docui te incedere* בדרך חכמה הוריתיך] *In viam ſapientiæ direxi te*, ſive *dirigam.* Alii, *Ob viam ſapientiæ docebo te.* Præt. Heb. pro fut. Vel, *De via ſapientiæ*, &c. ¶ *Calcare feci te* הדרכתיך] *Gradi te faciam* [vel *ducam te*] *per ſemitas rectas.*

13. *Correctionem* במוסר] *Diſciplinam, eruditionem.*

16. *Et rapitur*, &c. ונגזלה וגו'] i. e (ut quidam vertunt) *Fugit ab iis ſomnus, ni ruinam aliquam dederint.* Alii repetûnt præcedentem negationem ſic, *nec rapitur ſomnus eorum, niſi*, &c. pronomen affixum pro ſeparato. Bis idem dicit, mutato genere dicendi.

17. *Comedunt*, &c. לחמו לחם רשע ויין חמסים ישתו] Præt. Heb. pro præſ. *Victitant enim cibo impiè quæſito, & bibunt vinum vi extortum.*

18. *Luciferi* נגה] *Splendens*, ſive, *ſplendet*, aut, *inclareſcit.* ¶ *Progreditur, & illuminat* הולך ואור] i. e. (ut quidam vertunt) *Quæ ſubinde fit illuſtrior uſque*, &c. Alii, *fit illuſtrior & ſplendeſcit.* ¶ *Uſque ad perfectum diem* עד נכון היום] Ad verb. *uſque ad paratum diei*: i. e. (ut habet Chaldæus P.) *donec paratus ſit dies*; aut, *ſtabilis*, acſi dicat, *in fortitudine diei.*

22. *Carni ſuæ* בשרו] *Carni ejus*, ſub. *hominis*

23. *Præ omni cuſtodia* מכל משמר] i. e. Summâ curâ.

26. *Pondera* פלס] *Libra, Complana, Dirige.* Ad verb. *Rectifica*, ſive *rectam fac.* *Ponderare* (ſive *librare*) *ſemitam pedum*

dum. Hebræi exponunt, Menſuram & modum tenere in omnibus, & non plùs ſapere quàm oportet. ¶ *Dirigantur* יכנו] *Stabiliantur*, *rectè apparentur*, aut *diſponantur.*

CASTALIO.

17. *VEſcuntur enim pane impietatis, & injuſtitiæ vinum bibunt*] Vivunt impie.

24. *Pravitatem oris, labrorumque perverſitatem*] Pravam orationem.

27. *Abſtine pedes tuos à maleficio*] Gr. *malâ viâ.*

CLARIUS.

12. *NOn arctabuntur greſſus tui*] h.e. Si habueris veram ſapienriam quæ eſt in verbo Dei, inoſſensè ambulabis, neque quicquam erit quod te in diſcrimen adducere poſſit.

17. *Comedunt panem iniquitatis*] q. d. Trajecerunt in ſua viſcera & in ſanguinem ac ſuccum ſuum converterunt impietatem, & obſtinati ſunt in malo atque inebriati iniquitate, ut nihil aliud poſſint agere vel loqui quàm impietatem.

18. *Uſque ad perfectum diem*] Creſcit lux diei donec Sol ad ſummum hemiſphærii pervenerit gradum; quod fit in meridie.

21. *Ne recedant ab oculis tuis*] Sunt enim vita animæ, atque ità etiam largiuntur robur carni, cùm corporis vita à vita animæ pendeat.

25. *Oculi tui recta videant*] Hæc ſententia alibi ſic ſcribitur, *Tene regiam viam*, &, quod infrà ait, *ut ſcilicet non aſpicias ad dexteram*, i.e. ad proſperitatem impiorum, *vel ad ſiniſtram*, i.e. adverſitatibus frangaris in via Dei. *Recta* autem *via* eſt fiducia in Deum.

26. *Dirige ſemitas*] Vel, *libra ſemitam*, quod Hebræi exponunt, *menſuram & modum tenere in omnibus, & non plùs ſapere quàm oportet ſapere.*

R. BAYNUS.

UT eruditè traditum eſt à pluribus, primus gradus eſt ad pietatem & ſapientiam ex animo velle eſſe pium & ſapientem: & idcirco Sapientiæ præcepta tradens Salomon ſubinde hortatur juventutem ad ſtudium & amorem ſapientiæ, non ignarus quantum aggravat animam corpus quod corrumpitur, quàm faciles, quàm proclives ſint ad malum ſenſus & cogitatio humani cordis ab adoleſcentia ſua. Juventutem ad meliorem mentem revocare, & ſapientiæ imaginem ante oculos depingere vehementer conatur, *cujus pulcritudinem*, ut inquit Plato, *ſi oculis contemplari liceret, vileſceret facilè aliarum rerum quamlibet amœnus aſpectus.* Atqui ut faciliùs ſtudium ſapientiæ & amorem perſuadeat, ſeipſum exemplum proponit, inquiens,

1,.... 6. *Audite, filii, diſciplinam patris, attendite ut ſciatis intelligentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne relinquatis. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & unicus ante matrem meam. Et docebat me, atque dicebat, Suſcipiat verba mea cor tuum, obſerva præcepta mea & vives. Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam, nè obliviſcaris, neque declines à verbis oris mei, neque dimittas eam. Dilige eam & conſervabit te.* Heb. *Audite, filii, diſciplinam patris, & attendite ad cognoſcendam intelligentiam, Cùm doctrinam bonam dederim vobis, legem meam nè deſeratis. Fui equidem filius patri meo, tenellus & unicus coram matre mea. Et cùm doceret me, dixit mihi, Fulciat verba mea cor tuum, ſerva præcepta mea & vives. Compara ſapientiam, compara intelligentiam, neque tradas oblivioni verba mea, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam & cuſtodiet te, ama eam & ſervabit te*] Priùs filium ſuum docuit (inquit Aben-Hezra) hoc in loco alienos & juventutem omnem, ut *pater* pro *majore* juxta idioma Hebræorum capiatur: & ſecundùm Rabbinos, admonitio eſt ad Legem Moſaïcam diligenter auſcultandam. *Audite, filii, diſciplinam patris*, æterni, & auſcultate ad ſciendum intelligentiam legis, non ſolùm juxta literam, ſed juxta altiorem ſenſum, quam *cabalam* vocant Hebræi, & quam Moyſen in monte accepiſſe credunt, ſed literis non mandaſſe, imò veluti per manus à majoribus ſemper ad minores perveniſſe. Quod ſequitur, *Donum bonum dedi vobis*, לקח *donum* vel *acceptio* verti poteſt; *doctrina* etiam alicubi vertitur, ut ſuperiùs oſtendimus. Et ſecundùm Hebræos, verba ſunt Dei cauſam reddentis quare debeant auſcultare: nempe quòd ſana & ſalubris ſit doctrina Legis, & proinde relinquenda non eſt. Mihi magis arridet ut accipiantur verba Salomonis, *Donum bonum dedi* (ut eſt in Hebræo) *vobis*, doctrinam bonam dedi vobis, & refertur ad doctrinam ſequentem, ut ſit præteritum pro futuro. Et nè quis exiſtimet eum præceptorem parùm idoneum aut ignarum, oſtendit ſe à ſapientiſſimo Rege Davide didiciſſe, & hoc ſtatim à pueritia, quæ eſt ætas magis docilis. Et proinde mallem vertere particulam כי, non per rationalem particulam *nam*, ſed per adverbium *quando* vel *cùm*, & in hoc ſenſu frequenter accipitur in Scripturis. Et erit ſenſus, Cùm eſſem *filius*, h. e. parvus apud patrem, vel in ædibus paternis, & cùm eſſem *tener*, hoc eſt in deliciis, ac ſi eſſem unicus filius apud matrem meam, & tunc ſtatim docuit me pater (nam juxta proprietatem ſermonis Hebraïci, qui genere diſtinguit perſonas in verbis, non poteſt aliò referri quàm ad patrem) *docuit me pater* ſtatim in tenera ætate, *& dixit mihi, Suſcipiat verba mea cor tuum*, h. e. Memoria tua retineat verba. Quòd ſi juxta uſitatam ſignificationem capiatur verbum Hebræum יתמך, quod *fulcire* vel *ſuſtentare* ſignificat, erit ſenſus, *Suſtentabit verba mea cor tuum*; eritque Enallage Hebræis familiaris, quâ caſum pro caſu ponunt: ut, *Miſit in ignem Sanctuarium tuum*, pro *Miſit ignem in Sanctuarium tuum*: ſic, *Fulciet verba mea cor tuum*, pro, *Fulcient verba mea cor tuum tenerum & fluctuans*; vel juxta alium Hebraïſmum frequentiſſimum, *Fulciet verba*, h. e. unumquodque ex verbis meis fulciet *cor tuum.* ¶ *Obſerva præcepta mea & vive*] Pro *vives.* Nam frequentiſſimum eſt in hac lingua ut imperativus ponatur pro futuro: ſic enim exponit D. K. illum locum, CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, *Creſcetis & multiplicabimini. Eſt*, inquit, *benedictio, non præceptum: nam quorſum erat brutis animantibus præceptum dare, aut arboribus & plantis?* Hoc in loco fuerit operæpretium admonere lectorem, quod etiam ſuperiùs fecimus, Hebræos hunc locum & ſimilia referre ad populum Iſraëliticum, qui veluti *tenellus & unicus* Dei *filius* ſtatim poſt egreſſum ab Ægypto Legem accepit, velut in pueritia. De qua Lege totum hunc locum intelligunt: intelligunt, inquam, per obſervationem Legis ſe vitam aſſequi, & ejus acquiſitionem omnibus rebus eſſe præponendam. Nos multò rectiùs Dei Patris ſapientiam, quam in Chriſto & Euangelica doctrina tenemus relucentem, intelligimus; velut *margaritam*, cujus gratiâ Euangelicus *negotiator vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit eam atque poſſidet.* Et huic ſenſui plurimùm favet contextus Hebræus, in quo habemus verbum קנה, quod *emere* & *poſſidere* ſignificat. Si utramque ſignificationem intelligamus, *Eme & poſſide ſapientiam*, plenior erit ſenſus & ſapiente Salomone magis dignus; & pendet ex priore verſiculo, *Serva præcepta mea:* ut ſint verba Salomonis juxta ſimplicem ſenſum; Legis, juxta Hebræorum Magiſtros aliquot; aut denique Chriſti & Euangelii, juxta ſublimiorem ſenſum: *& vives*, quoniam *juſtitiam quæ ex Lege eſt qui fecerit homo, vivet in ea.* Et Chriſtus in Euangelio, *Hoc fac & vives. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Luc. 10.

7. *Principium ſapientiæ poſſidere ſapientiam: & in omni poſſeſſione tua poſſide intelligentiam*] Senſus proverbii eſt, Sapientiæ primam curam habendam, & non, ut inquit ille,

——— *quærenda pecunia primùm eſt*,
Virtus poſt numos ———

& verbum קנה, cùm *comparare* & *poſſidere* ſignificat, hìc meliùs vertitur *compara*, vel *eme:* cui, ni fallor, alludit parabola Euangelica priùs citata: q. d. Multi impendunt ſedulam operam opibus comparandis & aliis rebus vanis; tu te totum & primò impende ſapientiæ acquirendæ. Et quamvis donum ſit Altiſſimi, ut alibi inquit, tamen ſocordibus non datur, ſed eos qui ad fores ejus vigilant, felices efficit: Non ſolùm autem ante alias poſſeſſiones acquire ſapientiam, quam Solomon rebus omnibus prætulit, ſed *in omni poſſeſſione poſſide intelligentiam*, ut nihil vel poſſidere velis vel diſcere quod ab intelligentia fuerit alienum. Qui ſunt oculatiores ex Hebræis, alios duos ſenſus hujus verſiculi eliciunt: quorum prior hic eſt, Antequam ſtudio ſapientiæ indulgeas & contemplationi, ut noſtri loquuntur, quæ in cognitione conſiſtit, da operam ut ſapientiam illam, quæ in moribus & integritate vitæ conſiſtit, acquiras. *Et in omni poſſeſſione*, h. e. Etiamſi omnes poſſeſſiones tuæ eſſent impendendæ in acquiſitione intelligentiæ & ſanæ doctrinæ, tamen nè cuncteris, ſed poſſide eam. Alius ſenſus eſt, In principio ſapientiæ poſſide, & diſce ſapientiam ab aliis, juxta illud Jacobi, *Sit omnis homo velox ad audiendum*; & poſtea eris magis idoneus ut res omnes cum intelligentia & prudenter tractes, & tuopte ingenio intelligentiam augebis.

8, 9. *Arripe illam, & exaltabit te, & gloriaberis ab illa cùm illam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & coronâ inclytâ proteget te.* Heb. *Exalta eam, & exaltabit te. honorabit te cùm eam fueris amplexus. Dabit capiti tuo multiplicem gratiam, & coronam ornatûs dabit tibi*] Pendet à præcedente verſiculo, Nè cuncteris quamlibèt magnos vel labores vel ſumptus in acquirenda ſapientia impendere: nam vices

repen-

rependet tibi cum fœnore, ſummis honoribus honorabilem te faciet ſi exaltaveris eam. Sic enim ferè exponunt hoc verbum Hebræi סלסלה *exalta eam.* Aben-Hezra exponit hunc locum per alium locum. Pſal. 68. סללו לרוכב, quo in loco juxta Lxx. legimus, *Iter facite ei qui aſcendit ſuper Occaſum.* Et quamvis hoc verbum videatur aliquibus Hebræorum Magiſtris multa ſignificare, tamen juxta D. K. *elevare* ſignificat ubique, & ferè intelligitur, vel etiam exprimitur, *via*, ut Eſa. 62. סללו סללו המסלה nos legimus, *Planum facite iter*, ſed potiùs, *Cumulate & altiorem facite viam.* Significat *viam ſternere* vel *aggerem & cumulum jacere*, conſentientibus Lxx. qui hoc in loco legunt, περιχαράκωσον αὐτὴν, καὶ ὑψώσει σε, *Aggeribus circumda illam.* Et juxta hunc ſenſum exponunt hunc locum Hebræi aliquot, nominatim Levi Bengerſon, *Si iter facias ſapientiæ, & incedas aſſidue in Lege, honorem tibi conciliabit.* Aliter, ut intelligantur omnia hæc eſſe verba Davidis ad Salomonem filium ſuum dicentis, *Sterne iter ſapientiæ, & fac expeditam & ſublimem viam, ut poſſit facile vagari per Regnum tuum, & ipſa exaltabit te.* Quod in Salomone veriſſimum fuiſſe ex illius hiſtoria novimus, qui inter Reges maximos honores eſt aſſecutus, quòd poſthabitis aliis rebus omnibus ſapientiam poſtulavit quâ Dei populum regeret. Et *ſapientia*, juxta ea quæ ſequuntur in textu noſtro, *dedit capiti illius*, tanquam digniſſimæ totius corporis parti, *additionem gratiæ: coronam præterea decoris dedit ei ſapientia.* Et hæc juxta eos qui intelligunt Salomonem hactenus recitaſſe patris ſui Davidis verba. Quæ ſequuntur, haud multùm diſſimilia prioribus, Salomonis ſunt præcepta.

10, 11, 12. *Audi, fili mi, & ſuſcipe verba mea, & multiplicentur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo, & ducam te per ſemitas æquitatis: Quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui; & currens non habebis offendiculum.* Heb. *Audi, fili mi, & accipe verba mea, & multi erunt anni vitæ tuæ. In via ſapientiæ docui te* ambulare, *duxi te in ſemitis rectitudinis. Cùm ambulaveris, non arctabitur greſſus tuus; & ſi cucurreris, non impinges*] Hoc in loco videtur Salomon, poſtquam narravit patris ſui admonitionem, ſic hortari ad ſtudium ſapientiæ, ut cum factis impiorum conferat probitatem, hujus beneficia & improbitatis difficultatem amplificans, ut urgentiſſima ſit admonitio, in condemnationem ſtultitiæ humanæ; Homines videlicet, ad ſapientiam & intelligentiam natos, tot labores & ærumnas ſuſtinere ut impiè vivant, & recuſare per viam virtutis incedere, quæ, cùm ſit amœna & jucunda, ad maximos perducit honores. Haud diſſimilia ſunt quæ præ manibus habemus iis quæ priùs expoſuimus. Quanta pericula morum immineant juventuti, probè novit vir prudentiſſimus; idcirco non ceſſat variis monitionibus & exemplis eadem inculcare: Nempe ut filius, quem informandum ſuſcepit, illius verba & ſaluberrimam doctrinam amplexando, malorum hominum improbitatem & exempla peſſima ſubterfugiat. Iterum, *Fili mi, audi, & accipe verba mea*] *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, Luc. 11. ¶ *Multi erunt anni vitæ tuæ*] Superiùs enim dictum eſt, *in dextera ſapientiæ eſſe longitudinem dierum, imò vitam perennem.* Etiam in hoc ſeculo ſtudioſè viventibus ſolet prolongari vita. Tene igitur illa verba, ſc. quibus ambulare in via ſapientiæ docui te: & duxi te, ambulare feci te in ſemitis rectis. Vel pendet à præcedente verſiculo, ut ſit ſenſus, *Multiplicabuntur tibi anni vitæ*, in via vel propter viam ſapientiæ quam docebo te, & per quam te deducam veluit manu apprehenſum. *Si illa verba*, inquam, *tenueris, cùm ambulaveris, non anguſtabitur greſſus tuus; imò curres, & non offendes*: q. d. Nè verearis capeſſere viam virtutis, quæ lata & expedita & facilis eſt aſſuetis, quamvis imperitis videatur arcta & plurimùm impedita, juxta id quod ſuperiùs expoſuimus: ſed in hoc certamine conſtantiâ & robore opus eſt. Nam difficile videtur admodum primâ ſtatim facie juvenibus, imò fragilitati humanæ, affectus cohibere, per arctam viam cum paucis comitibus incedere, tot incitamentis & illecebris carnis aliò trahentibus, nempe à virtutibus ad vitia: tot exempla malorum hominum proponuntur; proinde iterum atque iterum hortatur nè à via diſciplinæ declinet ad viam impiorum.

13. *Tene diſciplinam, nè dimittas eam, cuſtodi illam, quia illa eſt vita tua.* Heb. *Tene diſciplinam, nè langueſcas: ſerva eam, nam ipſa eſt vita tua*] Nè quis putet parvi momenti quod agitur, ſubinde inculcat vitam in his præceptis conſiſtere, & non eſſe temere dimittendam viam diſciplinæ, per quam Hebræi legem Moſaïcam ſuo more intelligunt, nos rectiùs Euangelicam, à Dei Sapientia, qui Chriſtus eſt, nobis traditam. החזק *apprehende*, verti poterat *robuſtus eſto & validus*, vel *robur ſerva in diſciplina, & nè fueris remiſſus aut languidus. Nam magnum certamen ſuſtines adversùs hæreticos & Epicureos*, inquit quidam ex Hebræorum Magiſtris ſuper hunc locum, h. e. adversùs homines corruptos moribus ac doctrinâ: neque enim ſolent hujuſmodi minùs conari quò in ſuam ſectam pertrahant imperitos quàm conatur Sapiens ſanam doctrinam inſtillare, dicens,

14, — 17. *Nè delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nè tranſeas per eam, declina & deſere eam. Non enim dormiunt niſi cùm malefecerint, & rapitur ſomnus ab eis niſi ſupplantaverint. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Heb. *In viam improborum non venies, neque incedas per viam malorum. Deſere eam, nè tranſeas per eam; declina ab ea, & pertranſi. Non dormient niſi malefecerint; imo rapitur ſomnus eorum niſi corruere fecerint* alios. *Comedunt enim panem iniquitatis, & vinum opreſſionum bibunt*] Per *ſemitam impiorum* & *malorum viam* opiniones pravas & mores corruptos eorum qui malè vivunt & pejus credunt intelligimus: à quorum conſuetudine quàm procul abeſſe hortatur Sapiens. Primus gradus eſt *non venire ad ſemitam impiorum*; ſecundus eſt, *non perſeverare in via eorum*; tertius, *deſerere* vel *recedere procul ab ea.* Sic enim interpretatur hoc verbum פרעהו D. K. & huic interpretationi quadrat quod ſequitur, *declina ab ea, & tranſi*, juxta Hebræum. Non ſine cauſa tot verbis hortatur à malis hominibus eſſe fugiendum. Sunt enim pejores quàm quiſquam credat: Imò *ſomno, pane & vino*, rebus ad ſuſtentationem corporis maximè neceſſariis, nonnunquam præferunt malefaciendi ſtudium. Atqui utinam hoc noſtro ſeculo minorem hujus rei haberemus experientiam. Paſſim reperias quibus vel pane ſuavius eſt & quovis nectare dulcius, imperitorum animis perniciosiſſima inſtillare dogmata, atque illis ſtudiis crebras vigilias & inediam diuturnam impertiri. Obſervandum eſt verbum תאשר, *non ambulabis in via malorum*, poſſe exponi ;in alia ſignificatione, nempe *beare*: quem ſenſum exprimere volens Interpres noſter *nec tibi placeat* vertere auſus eſt: q. d. Neque ſequere, neque felicem pures eorum vitam, ſed exſecrare potius. Et ad hunc ſenſum exponi poteſt verbum פרעהו, i. e. *abominare eam & exſecrabilem reputa.* ¶ Quod ſequitur, *Non dormient* (non ſolent dormire) *niſi malefecerint*, vel vehemens ſtudium indicat & conſuetudinem, quæ in naturam quodammodo vertitur; quaſi in malefaciendo ſummam voluptatem habeant: vel potiùs indicat eos non aliâ arte vivere quàm rapinis & latrociniis aut rerum aut animatum. Et huic ſenſui quadrat ſequens verſiculus, *Comedunt panem iniquitatis*] q. d. Hinc victum ſibi parant; & neceſſum habent noctu vigilare, *& ſomnus rapitur ab eis*] Heb. *rapitur ſomnus eorum*, vel *ſubducit ſeſe ſomnus eorum.* Poteſt ad amplificationem referri quod dicit, *panem comederunt impietatis*, quaſi eam habeant malefaciendi conſuetudinem ut in naturam ſit verſa, & eâ ſolâ ſeſe oblectent. Poteſt denique Metaphoricè ad dogmata referri; q. d. Verbo Dei non paſcuntur, ſed malâ doctrinâ, quaſi pane & vino. Et quod ſequitur, continenter & affirmativè legendum eſt, *niſi corruere fecerint* aliquem, h. e. niſi proſtraverint aliquem ſpoliandum, vel offendiculum poſuerint alicui, quieſcere non poſſunt. Miſerrimum genus hominum, qui ruinâ & perditione gaudent alienâ, & qui noctu & tenebris victum ſibi parant. Qui modus vivendi præterquam quòd impius ſit, eſt etiam moleſtus, Sublimiorem ſenſum ſuperiùs indicavimus, nempe ſi per *panem* dogmata intelligantur, quæ ſedulò aliis propinare ſtudent hæretici: & juxta hanc expoſitionem ſequitur,

18, 19. *Juſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem. Via impiorum tenebræ, neſciunt ubi corruant.* Heb. *Semita juſtorum velut lux tranſiens, & ſplendens uſque ad robur diei. Via impiorum velut caligo; non noverunt in quod corruant*] Vel *impingant.* Velut lux diei quæ ſplendet manè, & paulatim procedens & lucens, vel augens lucem, uſque ad meridiem; talis eſt vita juſtorum, qui de virtute in virtutem progredientes, tandem eò perveniunt ut de illis dicatur, *Tunc juſti fulgebunt tanquam ſol*, Matth. 13. ¶ *Via impiorum tenebræ*] Heb. *tanquam caligo: & non vident* malum *in quod impingunt. Qui ambulat in tenebris neſcit quò vadit*, 1 Joh. 2. Per *lucem* Legem intelligunt Hebræi; nos, Chriſtum, qui eſt *Lux hujus mundi*, quem *qui malè agunt, fugiunt, neque veniunt ad lucem, nè arguantur eorum opera.* Contrà via juſtorum, qui in Chriſtum credunt, in dies clarior Scripturarum intelligentiâ procedit, velut *per ſpeculum, in ænigmate*, donec tandem ad meridiem perveniatur, quæ veſperam neſcit: *tunc* enim *facie ad faciem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, 1 Corint. 13. Proverbium ſignificat Vitam ſtudioſam eſſe expeditam & ſine periculo; Malorum verò converſationem, quæ jucunda videtur his qui nihil ſapiunt præter carnem, eſſe amaram, periculis & offendiculis plenam: hoc enim ſignificat quod dicit, *neſciunt ubi corruant*: q. d. Semper periclitantur, & perditio imminet illis.

20, 21, 22, *Fili mi, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui. Vita enim ſunt invenientibus ea, & univerſæ carni ſanitas.* Heb. *Fili mi, verbis meis attende, & eloquiis meis inclina aurem tuam. Ne effluant ab oculis tuis, obſerva ea in medio cordis tui. Nam vitæ ſunt invenientibus ea, & univerſæ carni illius ſanitas*] Quantâ difficultate ſanam & ſalubrem doctrinam admittant juvenes, imò fragilitas humana, haud ignarus Salomon crebras admonitiones admiſcet, & veluti ſomnolentos excitat. Et quoniam quæ dicturus eſt vitam conferunt & ſanitatem, (quæ duæ res opinione hominum ſunt maximæ) maximopere ſunt auſcultanda. *Aurium*, *oculorum* & *cordis* fit mentio quòd his tribus potiſſimùm ad cognitionem perveniamus: Quæ membra ſi malis artibus aut dogmatibus ſunt imbuta, ſalubrem doctrinam facilè non admittunt. Audiendus eſt igitur ſummo ſtudio Sapiens, & firmâ memoriâ ac ſincero corde ſunt retinenda illius præcepta, ſi vel animâ perpetuò vivere, vel interim hâc mortali carne valere cupimus. Primum eſt aures habere ad audiendum, ſecundum cavere, *ne effluant* (ſic enim in Hebræo legitur) *ab oculis*, h. e. crebrâ memoria ruminare oportet, & oculos mentis non deflectere ad hujus vitæ illecebras, à quibus hæc præcepta revocant. Tu ſi aliò cogitationes & deſideria trahas, ſtatim verba ſapientiæ oblivioni tradis. Habeant præcipuum locum inter cætera quæ animo revolvis, medio & digniſſimo cordis loco ſerventur, ut undecunque inſurgentes & animam oppugnantes cupidines malas repellant, ac clauſtris & penetralibus procul ejiciant: quò verba vitæ retinens in corde, cœleſtem vitam agas in terris, quam corporis ſanitas plerumque comitatur; & morbi carnis ex animi vitiis ferè pullulant, dicente Chriſto, *Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat*, Joan. 5. Sed quæ tandem ſunt illa verba tanto ſtudio audienda ſequens ſermo declarat,

23, —27. *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita tua procedit. Remove à te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram, averte pedem tuum à malo.* Heb. *Præ omni cuſtodia cuſtodi cor tuum: nam ab ipſo ſunt exitus vitæ. Remove à te perverſitatem oris, & pravitatem labiorum fac procul à te. Oculi tui in rectum proſpiciant, & palpebræ tuæ incedant ante te. Pondera ſemitam pedis tui, & omnes viæ tuæ dirigentur*, & alia juxta Interpretem noſtrum] Hæc ſunt verba medio cordis & imo pectore reponenda, in quibus *cordis*, *linguæ*, *oculorum* & *pedum* magnam curam habendam eſſe ſignificat. Primum ex his verſiculis vertere poſſumus, *in omni cuſtodia*, vel *per omnem*, ut litera Mem pro Beth ponatur. Sed meliùs, meo judicio, litera Mem comparationem indicat. q. d. Præ omnibus rebus, quas oculatiſſimè ſervare ſolemus, oportet cor & animam ſervare, nè vel errore ullo inficiatur, vel ad vitia declinet. Nam *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile*, & ſuapte naturâ, niſi gratia Dei præveniat, ad malum revolvitur: undique obſeſſum facillimè expugnatur ab adverſario, *qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1. Pet. 5. Porrò *quicquid eſt in hoc mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, 1 Joan. 2. Quæ omnia bellum gerunt adversùm nos, & animæ noſtræ fores obſident, caſtrumque rationis expugnare conantur. *Vigilandum eſt* igitur; *nam neſcimus quâ horâ fur venturus ſit*, Matth. 24. O ſi paulò diligentiùs cogitare velimus quanta pericula, quanta mala nobis imminent, & inſidiantur animabus noſtris, porrò quàm facilè vincimur, quàm nullo negotio huc & illuc impellimur, in quanta peccatorum barathra ſæpe detrudimur & collabimur, dum omnia potiùs meditamur quàm ſalutem animæ, non ſine cauſa à ſapientiſſimo Salomone dictum eſſe videbitur, *Omni cuſtodiâ cuſtodi cor tuum*; ut *à quo* (ut eſt in Hebræo) *exitus vitæ procedunt*. A corde, quod primum animatur juxta Phyſicos, in reliquos ſenſus & partes corporis vita defluit: & proinde niſi convaleſcat cor, langueſcunt cætera membra. Quod in corpore fieri videmus, idem in animo cogitare oportet, qui ſi capiatur ab illecebris, ſi captivus ducatur quocunque genere vitiorum, de ſalute penitus deſperatur: nullam virtutem, nullum opus bonum ibi poteris exſpectare. Atque hactenus de cuſtodia cordis; quæ ut facilior fiat, ſumma cura habenda eſt aliarum corporis partium, & in primis linguæ, oculorum & pedum. *Remove à te os pravum*] Quamvis Hebræi exponant de ore noſtro, quo perverſitatem loqui prohibemur, tamen de alieno intelligi poteſt, ſecundùm Pſal. 10. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo cum hoc non edebam*: veritas recta, falſitas perverſa, labia perverſitatis. Locus non eſt diſſimilis Paulino præcepto, *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: & omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat*, Epheſ. 4. Et, *Perfectus eſt vir qui non offendit in verbo*, Jac. 3. Nihil mobilius, nihil inconſtantius linguâ. *Quis eſt homo qui vult vitam, & dies videre bonos? Prohibeat linguam ſuam à malo, & labia ſua non loquantur malum*, Pſal. 34. Hebræorum aliquot ſatis doctè referunt *cuſtodiam cordis* ad cuſtodiam animi, *os* verò *rectum* ad confeſſionem oris. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, Rom. 10. Porrò quod ſequitur, *Oculi tui è regione* (vel *in rectum*) *proſpiciant*, ad virtutis ſtudium referunt, quæ inter duo extrema conſiſtit, & priuſquam opus aliquod aggrediaris, circumſtantias rerum & actionum cognoſcere oportet. *Oculus* animæ judicium indicat, juxta illud, *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*, Lucæ 11. ¶ *Et palpebræ tuæ rectè dirigant*] Scilicet intuitum coram te. Eundem ſenſum habet, nempe, Sincerum in rebus habendum judicium, nè quid ſtudio virtutum vel curſum remoretur, vel in diverſum trahat: ſed ut *per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Jeſum qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dextera ſedis Dei ſedit*, Heb. 12. Hic tandem oculos mentis dirigit rectè qui cœleſtium rerum amore ex æquo proſpera & adverſa hujus mundi contemnit. Ex hac ſincera rerum æſtimatione & æquiſſimo oculorum intuitu facile erit *dirigere ſemitas*, ſive ut eſt in Hebræo, *librare greſſus pedum*, affectionum pondera æquis bilancibus trutinare. *Pedes* affectus indicare nemo ignorat qui vel mediocriter in ſacris Literis verſatus eſt, qui ad vitam rectè vel ſecùs gubernandam plurimum momenti habent, *trahit* enim *ſua quemque voluptas* Monet igitur Sapiens nè affectibus nimiùm indulgeas. Quòd ſi nihil amplius quàm quod æquum eſt, & quod ratio mentis exigit, tribuas affectibus, omnes actionum & officiorum ſemitæ facilè dirigentur. *Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram*] h. e. Neque proſperis neque adverſis rebus ſuccumbas; vel neque amicorum ſtudio neque inimicorum odio nimium tribuas. His Metaphoris S. Scripturæ admodum familiaribus habes ſaluberrimam Sapientis doctrinam, quæ cor, os, & oculos, pedum denique greſſus exornat, & in virtutum ſemita ad deſtinatum ſcopum dirigit: h. e. perfectam rerum Divinarum ac humanarum cognitionem, quam *ſapientiam* etiam Philoſophi profani vocant: tametſi illis deſint oculi quibus abſque omni obliquitate, decernant, & idcirco, *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, Rom. 1. cùm quod vera ſapientia dictat *non ſicut Deum glorificaverunt*. Salomon igitur ab hujuſmodi fucata ſapientia filium ſuum revocans, ſub accommodatiſſimis legitimæ Uxoris & Scorti Maphoris in exordio capitis ſequentis diligenter admonet, nè ſapientiâ ingenuâ relictâ, quæ fortaſſe juvenili animo duriuſcula videatur, adulterinam illam quamlibèt blandam amplectatur, nam fucata illa blandities tandem ad perniciem tendit. Sed ipſum Salomonem loquentem audiamus.

LUCAS BRUG.

16. N*On enim dormiunt niſi malefecerint: & non rapitur ſomnus ab eis niſi ſupplantaverint.*] Manuſcriptorum noſtrorum quindecim, & quidem antiquiora atque emendatiora, cum Hugone Cardinali, abſque negatione legunt, *Et rapitur ſomnus ab eis*; id quod Græco textui conſonat, ἀφῄρηται * ὕπνος ἀπ' αὐτῶν, [* ὁ Gq.] *tollitur ſomnus ab eis.* Conſonat & Chaldaïco, ופרידה שנתהון *& dividitur ſomnus eorum.* Denique conforme eſt Hebraïco ונגזלה שנתם, quod eſt ad verb. *Et rapitur ſomnus eorum.* Quidam interpretantur, *Et fugit ſomnus ab eis.* Hoc itaque modo, abſque negatione, inquam, *Et rapitur ſomnus ab eis*, legendum cenſet Epanorthotes, cujus judicium propterea ſemper facimus magni, quòd comperiamus eum antiquos, ut ſolet appellare, eoſque integerrimos, codices ſecutum. Porrò quia exiſtimatum eſt iſtud, *Et rapitur ſomnus ab eis*, priori verſûs iſtius parti, *Non enim dormiunt*, repugnare, judicatum eſt à mendo vindicandum additâ negatione, *Et non rapitur ſomnus ab eis* (cujus meminit Cardinalis) quod quidam ſcripſerunt, *Nec rapitur ſomnus ab eis*, quæ Richelii eſt lectio. Quia verò incommoda viſa eſt hæc ſententia, quod inuſitata appareat loquendi forma, *ſomnum rapere*, mutatum eſt *rapitur* cum *capitur*: id enim legunt nonnulli tum ſcripti tum impreſſi libri. Ità errorem traxit error. Verumenimvero etſi erroris meritò arguenda videatur iſta in Vulgata editione ſcriptura, *Et non rapitur ſomnus ab eis*, tamen Hebraïco textui non refragatur: imò verò quidam ex Hebræo Interpretes, & nominatim Santes Pagninus, hoc ipſo modo tranſtulerunt (*Nec rapitur ſomnus eorum*, Pagninus habet.) Negationem enim, quæ eſt in priore verſûs parte, in poſteriori ſubaudiverunt, quod Hebræis non rarum eſt. Similis eſt huic locus Prov. 30. 3. *Non didici ſapientiam, & novi ſcientiam ſanctorum*: ubi etiam & codicum Vulgatæ editionis

tionis & Interpretum quidam cum negatione poſteriorem partem ſcribunt, quidam ſine negatione; id quod ibi annotatum eſt in margine Bibliorum. Senſus verò iſtius, *Et non rapitur ſomnus eorum*, ſeu *ab eis*, is eſt qui præcedentis partis, *Et non dormiunt*, mutato enim dicendi genere idem dicitur iterum. Amplius tamen aliquid hâc repetitione ſignificatur, nimirum quòd cùm etiam proſtraverint aut circumvenerint aliquem impii, ſomnum non tam capiant quàm rapiant. *Rapiunt* verò *ſomnum*, quia aut interdiu dormiunt, noctu inſontibus perniciem machinati; aut brevem & quaſi furtivum dormiunt ſomnum, ut quamprimum ad ſua negotia redire poſſint. Non enim ſibi ſomno vacandum putant quibus ea ſunt aſſidua ſtudia, quæ & dies facilè deſiderent & noctes; dies ut conſilia capiantur, noctes ut capta conſilia perficiantur. Porrò quando ſine negatione legitur, *Et rapitur ſomnus ab eis*, non tam ſignificare videtur quòd ipſi ſomnum rapiant (nam id fortaſſe ſignificari poſſit) quàm quòd ſomnus ipſis violenter abripiatur præ eo quo fervent malè agendi deſiderio. Etſi autem iſta lectio, *& non rapitur ſomnus ab eis*, commodè poſſit & intelligi & ex Hebræo transferri, non ideo tamen in Vulgatæ editionis textum recipienda eſt, quippe quæ, quod fide digniores loquuntur codices, non Vulgati Interpretis ſcriptura ſit. Sed ſi cui omnino ea placeat, poterit iſtam quæ germana eſt, noſtrâ ſententiâ, vulgati Interpretis ſcriptura, *Et rapitur ſomnus ab eis*, Hebraïcâ phraſi intelligere ſubaudiendo in poſteriore parte prioris negationem. Et idcirco fortaſſis Hebræo conformiter Interpres tranſtulit, ut ſicuti ipſum pluribus poteſt modis intelligi, ità poſſet & tranſlatio.

DRUSIUS.

1. בינה. A. σύνεσιν, *intelligentiam*, Sym. φρόνησιν, *prudentiam*] Sic reddunt vocem הבנה, quæ ejuſdem eſt cum בינה originis.

3. יחיד. A. S. Th. μονογενὴς, *unigenitus*] Alii *unicus*. Sed unicus eſſe poteſt qui tamen non ſit unigenitus. Priùs erat in Lxx. ἀγαπώμενος. Cave rejicias. Salomo enim plures fratres habuit. Non ergò unigenitus propriè. Vide 1 Paral. 3. 5. Videndus & Lyra.

4. וירני. A. ἐφώτιζόν με, *docebant me*] Arbitror legiſſe ויורו, h. e. (ו) pro (י) φωτίζω paſſim in editione Aquilæ *illumino, doceo*, ut Exod. 4. 12. והוריתיך φωτίσω σε, *docebo te*. Pſalm. 119. 33. הורני *doce me*. A. Th. φώτισον. Significat etiam *patefacio*, *in lucem profero*. Epheſ. 3. 9. φωτίσαι πάντας τίς ἡ κοινωνία, *in lucem proferendi omnibus quæ ſit*, &c. ¶ יתמך דברי Sym. κατεχέτω λόγους μου, *retineat ſermones meos*. ¶ וחיה. A. Sym. Th. καὶ ζῆθι, *& vive*] i.e. Vives. Talia ſunt, *Hoc fac, & vive. Aſcende in montem, & morere.*

Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

i.e. Eris.

5. ואל תט. A. S. Th. μηδὲ ἐκκλίνῃς, *& nè declinaveris*. ¶ מאמרי פי. Ἀπὸ ῥημάτων στόματός μου, *à verbis oris mei*] Reperitur in quibuſdam libris editionis τῶν ό.

6. ותשמרך. A. S. Th. καὶ φυλάξει σε, *& cuſtodiet te*.

8. סלסלה. A. ἀνάλαβε αὐτὴν, *ſuſcipe illam*. Sym. βάσταξε αὐτὴν, *bajula illam*] *Suſcipe illam*, vel *aſſume*, aut *ſubſtolle*. Verbum Ebræum סלסלה. Abenezra quoque interpretatur הגביהה *evehe*, ſeu *extolle*, *illam*. Thema eſt סלל, unde סלו לרוכב. V. Interpres *arripe illam*. Santes *exalta eam*. ¶ *Bajula*: vel *porta*. Sed βαστάζω, propriè *bajulo*. Id bajulorum eſt qui onera portant: unde & ſimpliciter pro *portare* uſurpatur. Ab eadem origine סלות dicuntur *caniſtra quibus uva deportantur in vindemia*. Cæterùm quia vindemiator ſubinde redit ad caniſtra, ideo R. S. סלסלה exponit, *ſubinde redi ad eam*. Quid ſi *tere illam*? nam מסלה *via trita*. Sic *terere libros*, in Latio. Quid dico? מסלה propriè *via elevata*, non *trita*. Interpretamentum quod ex Nazir laudat Nathan Juſtus Johielides non eſt contemnendum: eſt autem הפוך בה והפוך בה, *ſubinde verſa eam*, כלומר התעסק בה תמיד, *ac ſi diceret, Exerce te in ea jugiter, Studeto ei perpetuo*.

9. עטרת תפארת. Lxx. στέφανω δὲ τρυφῆς. A. αὐχήσεως, *glorationis*. Sym. δόξης, *gloriæ*. Th. ὡραιότητος, *decoris*] Αὐχήσεως, vel καυχήσεως. Hieron. Ezech. 16 12. CORONA DECORIS, *cæteri Interpretes* THEPHERETH, *i.* καύχησις, *gloriatio*. ¶ *Gloria*, כבוד. ¶ *Decoris*: nam ὡραιότης, *pulcritudo & decor formæ*.

11. הדרכתיך. A. ὡδήγησά σε, *deduxi te*] Hoc interpretamentum citatur in ed. Rom. ad verbum διδάσκω σε cui reſpondet in fonte הורתיך, quod Aquilas amat reddere per verbum φωτίζω, *illumino*. ¶ במעגלי ישר. A. ἐν καμπαῖς εὐθύτητος, *per ſemitas rectas*. Sym. ἐν τρίβῳ εὐθείᾳ, *in calle recto*] Καμπὴ propriè *flexura* ſive *flexus*. Lex. V. Κάμψις ὁδοῦ, *flexura*, *amfractus*. Suprà 2. 9. מעגל. A. καμπτός. Idem Lexicon, Καμπτὸς, *flexus*, *hac meta*. 2. 15. במעגלותם. A. ἐν καμπαῖς αὐτῶν. 2. 18. καμπὰς, ubi Sym. ὁδὸς, *vias*. ¶ *In calle* ἐν τρίβῳ. Pſal. 17. 5. במעגלותיך Lxx. ἐν ταῖς τρίβοις σου, Hieron. *in callibus tuis*. Suprà 2. 9. מעגל. Sym. ἐπικυλισμὸς quod potiùs Theodotionis eſſe videtur. Sanè v. 18. ejuſdem capitis, ubi textus Ebræus habet מעגלותיה, Theodotio κυλισμὸς edidit. Sym. autem ὁδὸς, ut diximus.

12. לא יצר. Sym. μὴ θλιβήσεται, *non premetur*. Schol. στενωθήσεται, *arctabitur*] i.e. In artum ſive anguſtum cogetur. Putarim ſumptum eſſe ex ed. Aquilæ. ¶ לא תכשל. A. οὐ σκανδαλισθήσῃ, *non offenderis*] Vel *non impinges*. Licet etiam vertere *non offendes*. Nam σκανδαλίζομαι, *offendo in via ad ſaxum aut lapidem*, & quaſi *in ſcandalum impingo*. Verbum Helleniſtarum proprium. Mal. 2. 8. הכשלתם. A. S. Th. eoſque ſecutus Interpres noſter, *ſcandalizaſtis multos in Lege*, i.e. offendere feciſtis, ſcandalo fuiſtis multis. Suſpicor Græcè fuiſſe ἐσκανδαλίσατε πολλοὺς ἐν νόμῳ. Cæterùm ea efficiunt ut impingamus quæ impediunt quò minùs inoffenſo curſu pergamus in via Domini, cujuſmodi ſunt peccata, ad quæ tanquam ad ſcopulos aut ſaxa impingimus.

14. אל תאשר בדרך רעים. A. Th. μηδὲ μακαρίσῃς ὁδοὺς πονηρῶν, *nè beatas prædices vias malorum*] Priùs erat μηδὲ ζηλώσῃς אל תקנא. Hieron. *Nec tibi placeat malorum via*. Placet autem iis qui eam beatam ducunt. Ergò idem aliter extulit. Hodie interpretantur, *nè incedas per viam malorum*. Verbum è verbo, *nè gradiaris*. Nam אשרים *greſſus*.

15. תעבר. A. S. Th. πάρελθε, *præteri*, ſive *tranſi*.

17. לחם רשע. A. Ἄρτον ἀσεβείας, *panem impietatis*. ¶ יין חמסים ישתו. A. Sym. καὶ οἶνον ἀδικιῶν πίονται, *& vinum iniquitatum bibunt*.

18. כאור נגה הולך ואור. Th. ὡς φῶς φέγγους πορευόμενον καὶ φωτίζον, *ut lux ſplendida magis magiſque illuminans*. ¶ עד נכון היום. A. ἕως ἑτοίμης ἡμέρας, *uſque ad paratum diem*. Sym. ἑδραίας ἡμέρας, *firmum diem*. Th. ἕως ἑτοιμασίας ἡμέρας, *uſque ad firmitudinem diei*] *Paratum*: *firmum*, *ſtatum*, *perfectum*. Sic alibi, *paratum ſolium tuum*, i.e. *firmum*, *ſtabile*. Sic ἡτοιμάσθη, *ſtabilitum eſt*. Mox ἑτοιμασία, *præparatio*, i.e. firmitudo, perfectio. Hunc ſenſum Sym. expreſſit.

19. במה יכשלו. Sym. ἐν τίνι ἀσθενήσουσιν] Sic ferè hoc verbum interpretantur οἱ ό. Ut Pſal. 105. 37. כושל ὁ ἀσθενῶν & 107. 12. כשלו ἠσθένησαν. Hic tamen reddunt προσκόπτουσι, *offendunt*, *impingunt*. Zach. 12. נכשל *qui facilè offenditur*, i.e. ἀσθενὴς, *infirmus*, *imbecillis*, *debilis*. Sic R. D. poſt Interpretem Chald. qui חלש exponit.

20. הט. A. S. Th. κλῖνον, *inclina*.

21. אל יליזו מעיניך. Sym. μὴ παραρρυησάτωσαν ἐξ ὀφθαλμῶν σου, *ne diffluant ex oculis tuis*. Th. μὴ χλευασθήτωσαν ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου, *ne ludificentur ab oculis tuis*] *Diffluant*: *recedant*; tralatio à rebus fluidis. ¶ *Ludificentur*: *ſubſannentur*, *irrideantur*. Utrùm legit יליצו? nam לז aliud eſt.

23. מכל משמר. A. Th. ἀπὸ παντὸς φυλάγματος, *ab omni re cuſtodienda*] Vult dicere, *quam cavere & à qua nos cuſtodire debemus*. Innuit autem Vitia & Peccata. Licet etiam interpretari *ſupra omnem rem cuſtodiendam*. ¶ תוצאות. Sym. προσέλευσις, *acceſſus*.

24. הסר. A. ἀπόστησον, *abſiſtere fac*] ¶ עקשות פה. A. Th. στρεβλότητα στόματος, *tortuoſitatem oris*. ¶ הרחק. A. S. Th. μάκρυνον, *procul remove*.

25. ישרו לנכח. A. Th. εὐθυνέτωσαν κατεναντίον. Sym. εἰς τὸ εὐθύ] Plenum eſt, ni fallor, εἰς τὸ εὐθὺ βλεπέτωσαν, quod ſenes dixerunt ὀρθὰ βλεπέτωσαν. Hieron. *recta videant*.

26. פלס מעגל רגלך. A. ὁδοποίει καμπὴν ποδῶν σου, *ſterne viam pedum tuorum*. Sym. διατήρησον τοῖς ποσί σου] *Sterne*: vel *muni*, vel *redige ad methodum*, *libra*. ¶ *Viam*: *ſemitam*, *flexum*. ¶ Διατήρησον. *Obſerva viam*. ¶ יכנו. Th. A. S. ἑτοίμαζε, *præpara*] Vel *firma*, *ſtabili*. Meliùs Interpres noſter, *& omnes viæ tuæ ſtabilientur*: nam יכנו futurum eſt in voce paſſiva, quam vocant Niphal.

AMAMA.

PArtes 3. 1. Exordium dociles & attentos Lectores reddens, uſque ad 5. 2. Hortatio ad ſapientiam ad v. 14. 3. Dehortatio à communicatione cum improbis & converſatione mala.

Diſciplinam] De Moribus.

Legem] i.e. Doctrinam.

Thora, 1. Significat, ordinem, diſpoſitionem, modum, ordinationem alicujus rei.

2. Pentateuchum κατ᾽ ἐξοχήν.

3. Totum Vet. Teſtam. Joh. 10.

4. Quamvis doctrinam, inſtitutionem. Sic Prov. 13. *Doctrina ſapientis, fons vitæ.* Sic Paulus Euangelium vocat, νόμον χριςȣ̃.

3. *Cùm filius eſſem*] Ab Exemplo ſuo.

רך] Tener, 2. Mollis, delicatus. 3. Puſilli & abjecti animi fuit cùm jungitur cordi, Deut. 20. Mollis corde. De Lingua, *blandiri* Pſ. 55. רכו *molliora ſunt præ oleo verba eorum.* Hinc quidam deducunt אברך Gen. 41.43.

יחיד] Unicus. Lxx. jam μονογενὴς jam ἀγαπητὸς vertunt. Hic ἀγαπώμενος. 1 Chron. 3. 5. Liquet quatuor filios ſuſcepiſſe Davidem ex Batſeba. Jud. 11. 34. והיא יחידה, Lxx. καὶ ἦν μονογενής. Schol. ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει ποθητή. Ἀπὸ δέ τινος συνηθείας ἢ ἰδιώματος τὴν ποθητὴν ἕτως ὀνομάζει. Gen. 22. *Accipe filium tuum* יחידך. Lxx. τὸν ἀγαπητόν. Aq. τὸν μονογενῆ. Sym. μόνον. Pſ. 22.21. *Libera à gladio animam meam, è manu canis* יחידתי, *dilectam meam.* Ergo μονογενὴς pro ἀγαπητός. Contra ἀγαπητὸς pro μονογενής. Philoth. contra Nicephorum, τὸ δὲ ἀγαπητὸς ἴσον τῷ μονογενής. Citatque Homerum, qui in Odyſſ. de Telemacho,

Μȣ̃νος ἐὼν ἀγαπητός.

Chriſtus vocatur μονογενὴς & πρωτότοκος. Μονογενὴς patris quoad Deitatem. *Vidimus gloriam ejus* &c. Primogenitus Mariæ. Poteſt etiam Unigenitus Mariæ vocari. Omnis Unigenitus eſt primogenitus, non contra. Hier. *Primogenitus non tam poſt quem alii, quàm ante quem nullus alius.*

7. ראשית חכמה] Jun. *Quæ caput eſt ſapientiæ, eam acquire ſapientiam.* i.e. Timorem Domini 1.7. Alii, *Principium eſt ſapientiæ. Acquire ergo ſapientiam.* ראשית & ראש ita accipiuntur Amos 6. Sic Amalec *Principium gentium.* Contra Jer. 50. 12. *Poſtremum gentium.* Jer. 27. ראש כל שכן. Et Cant. 4. q. d. ἐξαίρετόν τι ἐςὶν ἡ σοφία.

8. סלסלה] A סלל elevavit, exaltavit, de via, lapidibus ſtravit. Hinc מסלה via trita, via eminentior, ſtrata. Ab. *extolle eam.* R. Levi, *Texe illam.* R. Sal. *Subinde redi ad eam.* Ut vindemiator ſubinde ad caniſtra & cartallos, quos Ebr. Salſilloth vocant.

9. תמגנך] Pro לך ת'. Gen. 14. 20. Et Hoſ. 11. 8. איך אתנך אפרים אמגנך ישראל. Ergo מגן eſt dare. Sic Lxx. Gen. 14. 20. παρέδωκε. Chald. מסר. At hic Vulg. *proteget te.* Ille quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Reſp. ad מגן.

14. אל תבא] Ne ingrediaris, ne intres quidem. Μὴ ἐπέλθῃς ὁδὸς ἀσεβῶν. Vulg. *Ne acquieſcas.* Legit תאבה. Sed hoc verbum cum ל ſolet conſtrui.

תאשר] Gradiaris. אשר 1. recto inceſſu ambulavit, recto pede ingreſſus eſt, ut conveniant cum ישר. Unde אשר greſſus & אשור. Jezech. 27. 6. שן בת אשרים *Ebur filia greſſuum*, i.e. greſſibus tritum, quod diu in terra defoſſum fuit, & id ſolum Ebur eſſe Plinius vult 8. 3. 2. Signif. per Metaph. inceſſit feliciter, felicem rerum ſucceſſum habuit. In Piel, beatificare. Inde אשר & אשרי, hinc ἄριςος & ἀριςεύω, nam boni ſoli felices ſunt. Hinc Interpretes quidam vertunt, *ne beatum te judices in via malorum.* Hoc Vulg. ſpectavit, *nec placeat tibi via malorum.* At verba Piel non ſolent ſignificare reciprocè. Sunt qui putant utrumque ſignificatum complecti voluiſſe Salomonem. *Ne beatum te judices ambulando in via malorum.* Solet vox una aliquando in eodem verſu diverſa ſignificare, ſed repetita. Ut Jud. 10. 4. עירים quod urbes & pullos aſinorum ſignificat. πόλεις & πῶλες. Sic מורה & Doctorem & pluviam ſignificat. Sic סיר & ollam & ſpinam. Hinc judicari poteſt & de veteri verſione Junii Gen. 4. ult.

15. פרעהו *averſare eam.* פרע. 1. *Nudare, diſcooperire.* Dicitur de capite cùm removetur tegmen ejus Num. 5. 18. ופרע ראש האשה, Lxx. ἀποκαλύψει, *removebit peplum.* 2. *Irritum reddere, ſpernere, removere.* 3. *Liber fuit à jugo ſervitutis & liberavit, vindicavit, ultus fuit.* Significat &, *feriari, otioſum eſſe*, unde *feriæ.* Et Frey & *Pharao*, i.e. homo privilegiatus & exemptus, unde vocem *Baro* porro deducunt.

17. *Comedunt panem impietatis*] Non hoc vult comedunt panem per impietatem partum, ut Proverb. 20. *Suavis eſt panis mendaciorum:* ſed juxta quoſdam, comedunt, i.e. *patrant impietatem ex voluptate*, ac ſi panem comederent, i.e. impiè facere ipſis quibuſvis epulis & lautitiis gratius eſt. Supra ſomni meminerat, qui gignitur ex vaporibus poſt cibum in cerebrum adſcendentibus. Ipſi ergo non ante ſuaviter dormiunt, quàm poſt hunc cibum ſumptum. Præterea ut cibus in ſubſtantiam convertitur & alimentum ejus quod alitur, ita illi impietate aluntur. Alii quia non dicitur כלחם, putant idem eſſe, quod *improbe vivere*, ut Prov. 31. de muliere ſtrenua, *Et panem pigritiæ non comedit.* Et Pſ. 127. *comedere panem doloris*, i.e. dolere. Alii de pœnis intelligunt, & fructibus impietatis. Et vertunt, *certe comedunt*, i.e. *pœnas dabunt* &c.

18. *Lux* נגה *ſplendens*] Alii, *ſplendentis*, ſc. diei aut auroræ. R. Immanuel, *Luciferi*, Φωσφόρȣ. Rabb. ita vocant Stellam Veneris, quæ veſperi ſubſequitur, mane antegreditur Solem. Vox ea extat 2 Pet. 1. de clariore luce Euangelii. In Vet. Teſt. extat Jeſ. 14. & Pſal. 110. Atque ex loco Jeſ. 14. ortum videtur ut Diabolus vocetur Lucifer, *Quod cecidiſti de cælo* הילל *fili auroræ.* At ibi non agitur de Diabolo, ſed de Nebucadnez. Hujus ſtellæ ea eſt claritas, ut ea ſola præter Solem & Lunam umbram faciat.

Et lucet] הלך uſurpatur de rebus ſenſim creſcentibus vel decreſcentibus. Sic Gen. 8. *Aqua erant* הלוך וחסור. Ubi & infinit. pro partic. Jon. 1. *Et mare* הולך וסוער. Lxx. καὶ ἐξήγειρεν μᾶλλον κλύδωνα. Hic vertunt πορεύεται καὶ φωτίζει.

20. Meminit cordis, oculorum, & aurium quæ nobis membra ſunt, ut doceat omnes noſtros ſenſus huc eſſe intendendos.

In medio cordis tui] Id eſt, in corde. Sic paſſim, *in medio* pro, *in aliquo.* Sic & לב uſurpatur Prov. 30. Math. 12. Deut. 4. 11. Ezech. 28. de Tyro. Sic & 2 Sam. 18. *adhuc vivebat in corde quercus.* Sic Hier. de Michæa. Sic contra Jerem. 31. *In medio eorum ponam legem meam.* Ebræi dicunt, Deum cor requirere. Et cor & oculi ſunt סרסורי, i.e. proxenetæ, pararii peccati.

23. *Cuſtodi cor*] Ab omni inſito malo purga, & ab adventitio abſtine.

Ex eo exitus vitæ] Id eſt, prodeunt actiones vitæ. Ut fons eſt vitæ, ita & fons eſſe debet bene vivendi. Alii, *Ex eo* ad ſenſum referunt.

Ex omni cuſtodia] Alii, *ab omni*, i.e. omni cautione, ab omni eo quod eſt cavendum. Alii, *præ omni cuſtodia.* Supra omnem cautionem. Alii, *in omni cautione*, totis viribus. Sic Lxx. πάσῃ φυλακῇ.

GROTIUS.

3. ET *unigenitus coram matre mea*] Id eſt, *quaſi unigenitus, tenerrime dilectus.* Nam plures ex Davide liberos habuit Bethſabea. Notæ comparationis ſæpe ſubticentur.

7. *Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam*] Meliùs: *Per principium ſapientiæ* (id eſt, timorem Domini, ſuprà 1. 7.) *acquire ſapientiam.*

Et in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam] Quovis pretio redime.

16. *Non enim dormiunt, niſi malefecerint*] Virgilius:

Et ſi non aliqua nocuiſſet, mortuus eſſet.

CAP. V.

MUNSTERUS.

2. UT *cuſtodias conſilia*] Senſus eſt, Opus eſt ut in ſumma cuſtodia habeas animum & linguam cùm aurem accommodare volueris ſapientiæ meæ. Nec minùs cavendum eſt à mulieribus procacibus, quæ dulcibus verbis ſuis animum virilem effeminant, & veluti ſpiculis veneno tinctis cor ipſum ad perditionem ſauciant. Et ſi dixeris, *Quid ſi viam vitæ libravero* atque immaculatum teneo *converſans cum eâ?* reſpondet, *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Et præterea *tam vagi & varii ſunt greſſus ejus* ut non poſſis evadere laqueos ejus niſi penitus ſegregaveris te ab ea.

9. *Robur tuum*] Exponunt hîc Hebræi הוד pro חיל & תקף, ſicut vertimus. Intelligunt autem per *robur* ſubſtantiam rerum, h.e. prodigalitatem. Qui enim adhæret meretrici, exponit periculo & res ipſas atque vitam: quemadmodum ſubditur, *& annos tuos crudeli.*

11. *Caro tua*] Chaldæus vertit hunc locum ſic, *Cùm defecerit caro tua & corpus tuum.* Alii exponunt שאר pro לחות השרש *humido radicali.*

14. *Pene fui in omni malo*] Senſus eſt, Parùm abfuit quin omnem abſterſerim pudorem, non verens etiam publicè omnia committere peccata.

15. *Bibe aquam è fontibus*] h.e. Ut Hebræi exponunt, *Derelinque alienam, & adhære uxori tuæ: & tunc fontes tui derivabuntur foràs*, h.e. filii tui cum honore egredientur in publicum: *eruntque illi tui ſolius*, cùm nothi & tui & aliorum ſint, ſi ad alienam acceſſeris.

18. *Gaudium habeto cum uxore*] Gaudium admittit, ſed quod à Domino benedicitur, quò conjugii leviùs ferantur moleſtiæ. Ponit etiam exemplum mutui amoris de Hinnulo & Cerva; quem

quem locum Hebræi ſic exponunt, *Ut cerva amorum invenit gratiam apud hinnulum, ita uxor maritum ex corde diligens viciſſim à marito redamari debet.* ¶ Quod autem de *inebriatione uberum* ſequitur, Aben-Ezra putat ſic intelligendum, ut etiam amor uxoris ſit reſtringendus, nè erres in præceptis Dei ſi nimiùm uxori animus tuus ſit affixus. R. Levi quoque in eundem ferè ſenſum exponit, *Si errare*, inquit, *poteris in uxore, quantus erit error ſi alienæ ſis affixus?*

VATABLUS.

2. C*Ogitatus* מזמות] *Conſilia.*
4. *Biceps* פיות] Ad verb. *orum*, pluralis genitivus ab *os oris:* i. e. qui habet multa ora: h. e. *acies.*
5. *Suſtentant* יתמכו] *Suſtinent*, i. e. opem ferunt inferno: Fut. Heb. pro præſ. Alii, *tenent*, vel *apprehendunt:* i. e. ducunt ad mortem.
6. *Ponderes* תפלס] *Expendas*: Fut. Heb. ſecundæ perſ. conjug. Pihel, i. e. Si fortè expendas quam viam in ſua vivendi ratione teneat extranea, *non potes cognoſcere quòd mobiles ſint viæ ejus.* Doctus inter Hebræos dicit ſenſum hujus verſûs eſſe per interrogationem, Numquid *ſemitam vitæ forſitan expendet?* ſub. *ipſa*, ut ſit futurum tertiæ perſonæ fœmineum. *Putas forte ponderabit ſemitam vitæ?* non faciet, ſed *mobiles erunt viæ ejus: neſciet*, h. e. non ſentiet reipſa, donec moveantur greſſus ejus ad mortem. Alius ex Hebræis exponit פן *forſitan* per לא *non*, ut & Eſa. 27. 3. *Ne forte viſitet*, pro *non viſitabit.* Legit igitur, *Semitam vitæ extraneæ non expendes: nam mobiles ſunt greſſus ejus, & tu non cognoſcis.* ¶ *Mobiles*, &c. [נעו מעגלותיה לא תדע] *Vacillant greſſus ejus; ut non cognoſcas.* Vel, *tam mobiles ſunt ſemitæ* (aut *viæ*) *ejus ut ſcire non poſſis.*
9. *Decorem tuum* הודך] *Honorem tuum*, vel, ut alii, *robur tuum*: utrumque ſignificat vox Hebræa. ¶ *Crudeli* לאכזרי] i. e. Meretrici, quæ enecat animam. Quibuſdam eſt Sing. pro plur. i. e. *in manu crudelium.*
11. *Cùm conſumpſeris* בכלות] *Cùm defecerint* (vel, *conſumpta fuerint*) *caro*, &c.
12. *Eruditionem* מוסר] *Caſtigationem, correctionem.*
14. *Fuerim in omni malo* [הייתי בכל רע] i. e. Parùm abſuit quin obrutus fuerim omnimodâ afflictione.
15. *Et fluenta* ונזלים] *Et fluentes*, ſub. *aquas.*
16. *Rivi aquarum* פלגי מים] Sub. *ſpargantur*, vel *deriventur.*
18. *Scaturigo tua benedicta* [מקורך ברוך] *Fons tuus benedictus.*
19. *Cerva amorum* [אילת אהבים] Sub. *Quæ eſt velut:* ut per appoſitionem præcedentibus jungatur. *Cervam amorum* dicit quam amamus & gratiſſimam habemus. ¶ *Gratia* [וחן] Pro *gratioſa & grata.* Solent enim magnates habere cervas in deliciis, & capreas. ¶ *Inebrient te* ירוך] *Irrigent te ad ſufficientiam.* ¶ *Delecteris* תשגה] *Verſeris, oberres, implicitus ſis.* Alii, *hallucineris*, ſub. *in alienis præ amore tuæ uxoris.*
20. *Delectaberis* תשגה] *Hallucinaberis:* idem verbum quod in fine præcedentis verſûs legitur. ¶ *Et amplecteris* ותחבק] Fut. Heb.
21. *Ponderat* מפלס] *Dirigit*, vel *expendit* & *examinat?*
22. *Tenebitur* יתמך] Fut. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *irretitur, irretiri ſolet & teneri.*
23. *Eò quod*, &c. [באין מוסר] Ad verb. *in non eruditione*, id eſt, ſine diſciplina, correctione & emendatione. ¶ *Errabit* ישגה] *Hallucinabitur.* Idem verbum quod eſt in fine 19. verſûs.

CASTALIO.

3. A*Lienæ*] Mulieris non tuæ.
15. *Bibe ex tuis ciſternis aquam, & latices ex medio tuo puteo*] Contentus eſto uxore tuâ, ex qua liberos non ſpurios procrees.

CLARIUS.

2. U*T cuſtodias cogitationes*] Senſus eſt, Opus eſt ut ſummam cuſtodiam adhibeas animo & linguæ, cùm aurem accommodare volueris ſapientiæ meæ. Nec minùs cavendum eſt à mulieribus procacibus, quæ dulcibus verbis ſuis animum virilem effeminant, & veluti ſpiculis veneno tinctis cor ipſum ad perditionem ſauciant. Et ſi dixeris, *Quid ſi viam vitæ libravero* atque immaculatam tenuero *dum verſor cum ea?* reſpondet, *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Et præterea *tam vagi & varii ſunt greſſus ejus* ut non poſſis evadere laqueos ejus niſi penitus ſegregaveris te ab ea.
9. *Honorem tuum*] Alius vertit *robur tuum*; & intelligunt per *robur* ſubſtantiam rerum. Qui enim adhæret meretrici, exponit & res ipſas & vitam jacturæ; quemadmodum ſubditur, *& annos tuos crudeli.*
14. *Penè fui in omni malo*] h. e. Parùm abſuit quin omnem abſterſerim pudorem, non verens etiam publicè in omnia me dare ſcelera.
15. *Bibe aquam*] Hebræi exponunt, *Derelinque alienam, & adhære uxori tuæ: & tunc fontes tui derivabuntur foràs*, hoc eſt, filii tui eum honore prodibunt in publicum, *eruntque illi tui ſolius*, cùm nothi ſint & tui & aliorum, ſi ad alienam acceſſeris.
18. *Lætare cum muliere*] Gaudium admittit, ſed quod à Domino accipit benedictionem, quò conjugii leviùs ferantur moleſtiæ. Ponit etiam exemplum mutui amoris, de Hinnulo & Cerva: quem locum Hebræi ſic exponunt, *Ut cerva amorum invenit gratiam apud hinnulum, ita uxor maritum ex corde diligens viciſſim à marito redamari debet.* ¶ Quod autem de *inebriatione uberum* ſequitur, quidam putant ſic intelligendum, ut etiam amor uxoris ſit reſtringendus, nè erres in præceptis Dei ſi nimium uxori animus tuus ſit affixus. Alius ſic, *Si errare poteris in uxore, quantus erit error ſi alienæ ſis affixus?*

R. BAYNUS.

1, 2. F*Ili mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam; Ut cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſervent.* Heb. *Ad cuſtodiendas cogitationes, & ſcientiam labia tua ſervabunt*] Ad moralem Philoſophiam invitat, cujus difficilis & moroſus auditor eſt juvenis, ut ſuprà diximus, & proinde excitat auditores crebris hujuſmodi clauſulis, inquiens, *Fili mi, ad ſapientiam meam attende*] In Hebræo non ſimpliciter dicit *attende*, ſed cum emphaſi, *ſummo ſtudio & diligenter attende* (energiam hujuſmodi in Hebræo verbo habemus) *intelligentiæ meæ libenter aurem accommoda*, cujus præcipua pars eſt, ut omni cuſtodiâ animam ſerves à cogitationibus malis & ſapientiæ meæ repugnantibus. Cogitationum prima habenda eſt ratio: & primò concipienda eſt in animo per prudentes cogitationes hæc ſapientia: Per quam Hebræi legem Moyſi intelligunt, nos Euangelicam, cujus ſcientia *cogitationibus & labiis*, h. e. fide & confeſſione, *ſervanda eſt.* Aliter, *ſapientia* Salomonis & *ſcientia* rectè intelligitur, quam partim audivimus, partim mox audiemus: nam admonitio ad ea quæ ſequuntur referenda videtur, de Muliere fallaci cavenda.
3, 4, 5, 6. *Ne intenderis fallaciæ mulieris: favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & lingua ejus acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant: vagi ſunt greſſus ejus & inveſtigabiles.* Heb. *Quamvis favum diſtillent labia alienæ, & oleo lenius ſit palatum ejus, Tamen noviſſimum ejus amarum ut abſinthium, acutum velut gladius. Pedes ejus deſcendunt ad mortem, ad infernum greſſus qui eam ſuſtentant. Viam vitæ forte ponderabis: mota ſunt viæ ejus, non cognoſces*] Ex LXX. non ex Hebræa veritate, ſunt hæc verba, nempe, *Ne intenderis fallaciæ mulieris*, μὴ πρόσεχε φαύλῃ γυναικί. Qui, ni fallor, offenſi hâc particulâ rationali כי *nam*, *Nam favum diſtillant*, cùm nihil præceſſerit cujus rationem redderet, aliquid ſupplendum putabant. Nos non citra doctiſſimorum autoritatem aliter vertendo, nempe *quamvis diſtillent*, voluimus huic incommodo occurrere; quamvis alioqui rectè refertur hæc clauſula, *Nam labia alienæ diſtillabunt*, ad id quod proximè præceſſit, nempe, *Labia tua ſcientiam ſervabunt, ne* ſub. *decipiaris blanditiis, nam labia alienæ*, & quæ ſequuntur. Per *alienam*, cujus tam blanda ſunt labia ut vel favo mellis comparari poſſint, alii inanem & infrugiferam Philoſophiam, alii Hæreſim, alii denique Carnis illecebras intelligunt. Poteſt locus juxta ſenſum hiſtoricum de inſano Mulierculam amore & libidine non ineptè intelligi. Hæc omnia Sapientiæ Dei vel ex diametro pugnant, quem in Salomone loquentem audimus, cùm dicat, *Attendite ſapientiæ meæ*, non deliciis carnis, nec voluptatibus hujus vitæ, non opibus cumulandis, non honoribus, quæ ex mundana ſunt ſapientia & carnali: quibus in rebus ſtatim mira nonnunquam amœnitas offertur, quæ videatur vel *favo* vel, *oleo*, quod ſine ſtrepitu & ſtridore defluit, conferenda. Quaſi diceret Salomon, Imprudens juventus deliciis ſeduci ſolet; tu, mi fili, exitus rerum, non initia perpende. Omnia amœna, omnia jucunda nobis pollicetur caro: cujus

deſideria ſi ſequamur, poſtrema illius quovis abſinthio amariora experiemur. Fæces enim peccatorum & vermem conſcientiæ poſt mundanas voluptates relinquit. *Lingua ejus acuta velut gladius biceps*] h. e. Tentationes ſunt vehementes, quibus ad voluptatem trahimur, quovis gladio utrinque acuto magis lacerant ac cruentant animum rebus impudicis & inhoneſtis deditum. *Cujus pedes ad mortem properant*] Miſerrima conditio eorum qui brutam & voluptuariam agunt vitam, qui deſideriis & affectibus veluti pedibus ad mortem animæ deſcendunt: & qui ſequuntur greſſus hujus mulieris à vera ſapientia alieniſſimæ, ad infernum trahuntur, unà cum epulone Euangelico, Luc. 16. qui cùm nihil aliud quàm genio & carni indulgeret, extraneam mulierem videlicet amplexatus, ſepultus eſt, &c. *Per ſemitam vitæ non ambulant*] Viam arctam & parùm tritam pedes carnis non frequentant, ſed latam viam quæ ducit ad perditionem. *Vagi ſunt greſſus ejus*] Voluptatis & deſideriorum carnalium varietatem & inconſtantiam ſignificat. Quòd ſi cui magis arrideat iſta deflectere ad doctrinam à recta fide & ſapientia Euangelica alienam, quæ blanda ſolet eſſe, & Turcarum more multa carni tribuere, ſuo utatur quiſque judicio. Ultimus ex his verſiculus longè aliter ſe habet in Hebræo, ut ex noſtra verſione patet. Aben-Hezra putat aliquid deeſſe ad plenum hujus verſiculi ſenſum, & ſupplet ad hunc modum, *Semitam in qua vita reponitur ſi fortè ponderaveris, ab illa ſemita moti ſunt qui ſequuntur greſſus illius extraneæ*, vel *via illius remota eſt ab illa via vitæ; non cognoſces*: q. d. Nulla eſt ſimilitudo inter viam vitæ & viam hujus alienæ. Alius ſic, *Nè ponderaveris vias illius*, quaſi ex illis poſſis eligere ſemitam vitæ: nam omnes *viæ illius movent* (ut eſt in Hebræo) producunt ad mortem, & nihil habent commercii cum vita, neque poteris ex illis quicquam boni elicere. Alii non ad externam Mulierem ſed ad Legem referunt & ad veram Sapientiam; *Semitam vitæ* quam vera Sapientia tradit *ſi fortè ponderaveris*, ut intelligas, *viæ illius motæ ſunt*, & longè à ſenſibus humanis abſunt, *neque poſſunt* privato judicio & juvenili animo ponderari neque *cognoſci*. Non cognoſces quamvis ponderaveris, ſed Spiritu Dei opus eſt. *Neque voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti homines*, 2 Pet. 1. Levi Bengerſon ſic, *Si cogitaveris, & ſit ſpes ut ponderes ſemitam vitæ, ut dirigaris ad eam, certe longe recedendum eſt à viis alienæ, quæ omnino remotæ ſunt à viis vitæ, & non poteris ſcire illas*: hæc ille. Locus eſt difficilis ut in Hebræo habetur: utcunque ſenſus bene quadrat ſi legantur hæc verba, *ne forte ponderes*, vel *ſi fortè ponderaveris*, per parentheſim, & erit ſenſus, *A ſemita vitæ (ne forte ponderaveris aut cogitaveris aliquid boni ex illis) viæ hujus externæ ſunt remotæ; non cognoſces aliquid*, ſup. *bonum* vel *honeſtum*, *in illis*, quantumvis dulcia & amœna videantur verba illius, quibus ad mala pertrahuntur homines. D. K. per interrogationem vel admirationem legendum putat: & ad mulierem alienam refert verbum Hebræum תְּפַלֵּס, quod eſt ambiguum, & vel ſecundæ vel tertiæ perſonæ intelligitur. Et erit ſenſus juxta eum, *Viam vitæ num forte ponderabit?* q. d. *Putaſne fore ut ponderet*, vel *expendat*, *greſſus ſuos*? *Nequaquam*, &c.

7, 8, 9. *Nunc ergò, fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domûs ejus. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena*, vel, *& ſubſtantia tua ſint in ædibus alienis.* Heb. *Sed nunc, filii, audite me, & ne declinetis à verbis oris mei; & ne prope accedas ad portam domûs ejus: Ne forte dederis alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli*] Æquum eſt ut filii adhuc rerum imperiti patri obediant, & à majoribus natu doctrinam capiant. Nullis igitur technis aut fraudibus vel blandiciis illecti recedatis à verbis oris mei. Moneo iterum atque iterum ut unuſquiſque veſtrûm quàm longè abſit ab hac extranea muliere, quæ cum Sapientia nihil commercii habet: ſive Externum hominem & animalem, qui *non ſapit quæ Dei ſunt* 1 Cor. 2. intelligas, h. e. eam animæ portionem & potentiam quam cum brutis habemus communem; ſive hæreſim, ut diximus; aut eam Philoſophiam quæ Dei ſapientiæ adverſatur; ſive denique, juxta literam, Mulierem adulteram & impudicam, quæ juvenibus maximam cladem virtutis & honeſtatis morum ſolet afferre. De his omnibus veluti malorum omnium una matre & una extranea muliere licet intelligere quod dicitur, *Longe fac ab ea viam tuam*] Noli vel in publica platea cum aliena hac muliere incedere: aut potiùs, quam plateam frequentare noveris eam, tu declina, tu per aliam quàm remotiſſimam incede, neque unquam ad fores illius accedas. Multum eſt hâc imbutum eſſe opinione juvenem, Uſque adeò peſtiferam, uſque adeò impudicam eſſe hanc mulierem, veræ ſapientiæ inimicam, ut obviam habere, vel ædes illius conſpexiſſe ſit nefas. Neque enim aliud ſatis efficax remedium imperito juveni adhiberi poteſt, niſi ut quàm longiſſimè fugiat impudicam mulierem & hæreticam pravitatem, *Fugite fornicationem*, inquit Paulus 1 Cor. 6. nè victus & ſuccumbens carnis deſideriis, dederis robur tuum non rebus honeſtis, h. e. non ſapientiæ neque virtutum ſtudiis, quibus ut incumberes ingenii vires accepiſti, ſed has dotes alienis impertias, non domeſticis: q. d. In paternis ædibus honorem es aſſecutus, & ingenii vires & corporis dotes & animæ à pientiſſimo Patre, qui egregiam ſubſtantiæ portionem tibi largitus eſt, quam peregre profectus & luxurioſè vivendo cum filio prodigo & hoſti humani generis, videris *honorem tuum alienis*, quantum in te eſt, *largiri*, Patrem dedecore afficere. Vel *alienis honorem dare* eſt honorem amittere, dum rebus vel hominibus alienis à ſapientia inſervis; vel denique honorem in repub. tibi debitum amittere, & aliis facultatem occupandi præbere, dum relictis honeſtis artibus meritricio vacas amori, *& annos tuos*, h. e. juventutis tempus, quo nihil habes pretioſius, *dare crudeli*, h. e. infenſiſſimo humani generis inimico, dum uni ex civibus externæ civitatis adhærens, ad ſiliquas porcorum adigeris. Si ſimplicem literam malis ſequi, intelligens Salomonem ſuum filium deterrere ab illicitis mulierum amplexibus, ſic habe, Qui legitimo conjugio contempto cum fornicaria vivit, non legitimis liberis procreandis vires inſumere videtur, & pretioſum tempus, quod ſuis educandis & erudiendis oportuerat impendere, totum crudelis mulieris imperio largitur: ſuis ædibus vacuis relictis, omnes opes in alienas cogitur transferre. Nam ſunt ex Hebræis qui per *annos* opes quas annis anteactis cumulaſti, aut vitam ipſam quam crudeli marito adultera cogitur dare, aut crudeli ſententiæ judicis, qui juxta præſcriptum legis adulteros condemnat, intelligunt. Atque ità tandem ſerâ pœnitentiâ ductus quòd doctrinam meam ſpreveris, ad hunc modum fruſtrà conqueri cogèris, ut ſequitur,

11, . . . 14. *Et gemas in noviſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas, Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum? nec audivi vocem docentium me, & magiſtris non inclinavi aurem meam. Penè fui in omni malo, in medio eccleſiæ & ſynagogæ.* Heb. *Et rugias in noviſſimis tuis, cùm conſumpta fuerit caro tua & corpus tuum, & dicas, Quomodo odio habui diſciplinam, & increpationem ſprevit cor meum? Et non audivi vocem doctorum meorum, neque inclinavi præceptoribus meis aurem meam? Parùm aberat quo minùs fuerim in omni malo, in medio eccleſiæ & congregationis*] Quid ſupereſt, cùm honore, viribus & opibus te deſtitutum cernis, cùm tempus tuum malè collocatum, neque ullum ex laboribus fructum te conſecutum eſſe vides, ſed ad egeſtatem, ad inediam te redactum, imò conſumptam eſſe ætatem, carnem emarcuiſſe, corpus effœtum, viribus deſtitutum, animam virtutibus & bonis artibus ac ſapientiâ penitus vacuam (quæ mala contingere ſolent his qui juventutem luxu & libidine corrumpunt) Quid ſupereſt, inquam, niſi ut *gemas in noviſſimis*, vel juxta Hebræum, *rugias*, *atque dicas*, *Cur deteſtatus ſum diſciplinam?* quare non obtemperavi optimi patris monitionibus? quare diſciplinam exoſam habui, ſecutus mulierem extraneam? *Quare nolui audire vocem doctorum, neque præceptoribus aurem accommodare volui?* Nè vocem quidem doctorum meorum potui audire: tantum aberat ut parerem bene monentibus. Futurum eſt, fili, ut hujuſmodi pœnitentiâ, ſed ſerâ, poſt hanc vitam ducaris, *niſi* ſup. *ſtatim admonitus pericula priùs intelligas quàm experiaris*, & ſup. *priùs quàm dicas*, *Ferè fui in omni malo*: Parùm aberat quin funditus perierim, non inter infideles & hoſtes fidei, imò *in medio eccleſiæ & in congregatione* fidelium. Hic verſiculus nempe, *Fui in omni malo*, aliter ab omnibus ferè exponitur, nihil ſubaudiendo, ſed ut ſit oratio continuata patris, qui recitat & ob oculos ponit filio quid olim dicturus ſit ſi amoribus extraneæ captus diſciplinam ſpreverit: nempe dicturus eſt, inquam, Pater illa quæ præcedens ſermo complectitur, & illud, *Penè fui in omni malo*, propemodum incidi in extraneam calamitatem. Sed hæc expoſitio reddit locum difficilem & ſuperioribus ferè contrarium. Nam qui jam faſſus eſt ſe periiſſe funditus, quod ad honorem, h. e. animam, ſpectat, quod ad corpus & fortunas, quomodo quadrat ut dicat *ſe ferè incidiſſe in omne malum?* Huic igitur difficultati triplici expoſitione occurrimus: Quarum prima eſt quam attulimus, videlicet ut ſint verba patris ex ſua perſona loquentis & hortantis filium, non ampliùs recitantis quid olim dicturus ſit filius; & ut ſubaudiantur hæc verba, *Meliùs eſt, fili, ut dicas, reſipiſcens tempeſtivè, & periculum videns, Ferè incidi in hæc omnia mala, avulſus de medio Eccleſiæ & piorum hominum cœtu.* Secunda expoſitio erit ut intelligatur pater recitare verba filii quæ dicturus eſt in hac vita & in ultima ſenectute, viribus deſtitutus, &

ad pau-

ad paupertatem & miſeriam hujus vitæ redactus, tandem dicturus, inquam, quæ ſuperiùs recitata ſunt, temporaneam videlicet luens pœnam, gratulatur ſibi quòd gehennam evaſerit, quam intelligit, dicendo, *Penè fui in omni malo*, & vix ſupplicium æternum, quod omnibus malis pejus eſt, effugi. Tertia denique expoſitio, quæ mihi videtur contextui maximè quadrare, erit, ſi exponamus dictionem כמעט, non *fere*, ut in verſione vulgati habetur, vel *parum abſuit*, ut cæteri Interpretes, *ſed brevi*, ut ad tempus referatur; ut Pſal. 2. eandem dictionem legimus verſam, *cum exarſerit in brevi ira ejus.* Vox ipſa Hebræa מעט *parum* vel *modicum* ſignificat, cui annectitur hoc in loco litera ſimilitudinis Caph, i. e. *ſicut* vel *quaſi*, & ad modicum tempus referendo, ex præcedentibus duobus verſiculis optimè pendet hic tertius ſequens; ut ſit ſenſus, *Quomodo non auſcultavi voci doctorum*, &c. *quomodo tam brevi & quaſi modico tempore fui* (pro *incidi*) *in omne malum*, ut putà bonis omnibus ſpoliatus, animæ & corporis, externiſque rebus, idque *in medio eccleſiæ & cœtûs?* q. d. Nec monitiones præceptorum, neque exempla bonorum quibuſcum unà vixi, mihi profuere. Abraham Ben-Hezra verbum præt. pro fut. exponit, ut ſit ſenſus, Brevi ero in omne malum: quæ quidem expoſitio omnem tollit ſermonis ambiguitatem. Sunt denique (nè quid omittamus) qui *omne malum* pro malo culpæ accipiunt: q. d. Penè commiſi omne nefas: quorum ſententiæ non ſubſcribo, quòd in præcedentibus ſiat ſermo duntaxat de miſeriis in quas fatetur ſe incidiſſe.

15, ... 19. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Cerva gratiſſima, & gratiſſimus hinnulus: ubera illius inebrient te omni tempore, & in amore illius delectare jugiter.* Heb. *Bibe aquas de ciſterna tua, & fluenta de medio putei tui. Dividentur fontes tui foras, in plateas rivi aquarum. Erunt tibi ſoli, & non alienis tecum. Erit vena tua benedicta, & lætaberis de uxore adoleſcentiæ tuæ. Damula amorum capreaque gratiſſima. Ubera ejus inebriabunt te omni tempore, in amore ejus errabis jugiter*] Alienæ mulieris amor ad quantas miſerias adoleſcentes perducat audivimus, in quas nè filius ſapientis incidat, *honorabilis connubii & immaculati thori*, Heb. 13. laudes proſequitur. Omnia jucundis & aptiſſimis metaphoris adumbrans, quæ tametſi à pleriſque transferantur ad ſenſum ſublimiorem, ut putà ad ſapientiæ ſtudium, vel ad cœleſtium rerum amorem, & ſapientiam Euangelicam, nihilominus tamen ſapienti Salomoni res indigna non videbitur, neque illius inſtituto alienum (dum filium inſtituit) utramque vitam depingere; nempe eorum qui ſpreto legitimo conjugio impudicè & libidinoſè vivunt, & eorum qui liberorum amore & poſteritatis caſtitatem conjugalem ſequuntur: nam harum rerum curâ juvenum animos ſtatim ſolicitari quis ignorat? Atqui quàm neceſſaria ſit ſana & ſalubris his de rebus inſtitutio, ut vel cum Paulo perſuaſum habeant omnes, *Bonum eſſe mulierem non tangere*, 1 Cor. 7. aut cum *non omnes capiunt hoc verbum*, eundem audiant detonantem, *Adulteros & fornicarios perdet Deus*, ut unuſquiſque donum ſuum amplectatur, & non quod hodie, proh dolor! paſſim fieri videmus, unuſquiſque ad alienas, velut equus, hinniat uxores, Hier. 5. ut hîc omittam aliam fuiſſe ſub Lege, aliam ſub Euangelio vivendi rationem: illa enim in ſervitutem, hæc in libertatem generat. Salomon utriſque ſcribens, & utriuſque temporis homines erudiens, ſic ſermonem temperavit ut & nobis quadret, quibus *figura hujus mundi tranſiit*, *ut* jam *qui uxores habent*, *ſint tanquam non habentes*, 1 Cor. 7. & illis quibus ſummum opprobrium fuit ſterilitas. Nos literalem ſive hiſtoricum, h. e. craſſiorem, ſed magis neceſſarium proſequimur ſenſum, altiorem ſubinde noſtro more ſubindicantes. *Bibe aquam de ciſterna tua*] Honeſtiſſimis verbis Scripturarum more conjugii opus & legitimam carnalem copulam indicat, quæ ut ciſternarum aquæ & puteorum ſcaturientium pura & caſta eſſe debet, abſque omni luto zelotypiæ aut inſani amoris ebrietate. Rectè aquis limpidiſſimis conferuntur nuptiæ, quòd & ſtultum amorem exſtinguant, & quòd non niſi per aquas fertilitas proveniat. Quemadmodum enim cœlitus irrigata tellus fructuum cujuſvis generis copioſiſſimam profert meſſem, ſic ex honeſta maris & fœminæ copula ſuaviſſima liberorum pignora, aut potiùs populorum nationes, creviſſe & inundaſſe videmus, qui vel ſcaturientibus aquis meritò comparari poſſunt. Hinc illud quod ſequitur, *Deriventur fontes tui forâs, & in plateis aquas tuas divide*: [vel *per plateas diviſiones aquarum*, ut eſt in Hebræo: q. d. Si pro conditione carnis muliebres amplexus concupiſcas, non alia de cauſa opus conjugii exerce, niſi ut è tuis ædibus liberorum turba veluti fontium ſcaturigines deriventur foràs; qui vicos & plateas civitatis tuæ repleant, ex quibus ingens ſolatium & felicitatem capias, ut quos verè tuos eſſe noveris, nempe ex caſtiſſima conjuge procreatos, non ex aliena muliere aut fornicaria, quæ alienos filios tibi fortaſſis obtruderet. *Erit vena tua benedicta, fœcunda conjunx, & benedictionibus uteri felix*] De qua meritò dici poterit Davidicum illud Pſal. 127. *Uxor tua tanquam vitis fructifera in lateribus domûs tuæ, filii tui velut novellæ plantationes olivæ*: *vena* enim fœcunditatem indicat, quæ Dei benedictio eſt: & cauſam habebis ingentis lætitiæ, tandem grandævus & provectæ ætatis, de uxore quam juvenilibus annis acceperas: ſic enim in Hebræo legimus, *Et lætaberis de muliere juventutis tuæ.* Alii, juxta compendium Hebræi ſermonis ſic intelligunt, *Lætaberis*, ſup. *de filiis*, & *de uxore juventutis tuæ*: vel lætaberis in filiis de uxore juventutis tuæ procreatis: ut reſpondeat ſuperioribus, ubi dictum, *Et gemas in noviſſimis tuis, cùm conſumpſeris carnem tuam.* Cum legitima uxore gaudebis, videns carnem tuam in filiis ſuo modo renaſcentem: ut jam neque prolis gratiâ ſit opus pluribus uxoribus (id quod patribus antiquis aliquando conceſſum fuerat) neque parùm jucundæ aut invidioſæ libellum repudii dare cogaris; imò *Erit tibi unica velut cerva amoris, & caprea gratioſa*, ut eſt in Hebræo, quæ moribus omnino ſimilibus tibi fidem ſervat. Cervæ & capreæ, ſive ibicis (ut Hier. hanc vocem יעלים vertit, 1 Sam. 24.) ſimilitudinem proponit, vel quòd in deliciis ſolet eſſe magnatibus hæc animalium ſpecies, vel quòd proditum ſit memoriæ in cervino genere maris & fœminæ congreſſum nunquam fieri palàm, ſed eſſe ſecretum loco obſcuro. Sequitur, *Ubera illius inebriabunt te*] Et quemadmodum illa numeroſâ prole te beatiorem ſubinde reddit, ità tuus erga illam amor augebitur: ut jam omnium aliarum oblitus uſque adeò te cum unica ſponſa oblectabis, ut videaris illius uberibus, h. e. amore & amplexibus, ebrius; hoc enim *ubera* ex proprietate linguæ ſignificant; neque more eorum qui ſomno excutiant temulentiam, ſed omni tempore & jugiter, ut difficillimum ſit modum tenere, & jam non ſit periculum nè alienam quæras, imò cavendum nè nimio amore erres (ut eſt in Hebræo) & pecces in amore illius. Cùm tam latum igitur ſit diſcrimen inter inſanas mulieris alienæ blanditias & honeſtiſſimæ conjugis amorem,

20, ——— 23. *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foveris in ſinu alterius? Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum conſtringitur. Ipſe morietur quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.* Hebr. *Quamobrem errabis, fili mi, cum aliena, &* quare *amplexaberis ſinum extraneæ? Cùm coram oculis Domini* ſint *viæ viri, & omnes ſemitas ejus ponderet. Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccati ſui tenebitur. Ipſe morietur abſque diſciplina, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ errabit*] Factâ comparatione & collatione vitæ cum extranea muliere, & cum legitima uxore, utriuſque commodis & incommodis ſuo filio ob oculos propoſitis, infert, Cùm ità res ſe habeat, quam ob rem, fili mi, cum aliena errare malis & delinquere, quàm cum tua conjuge felicem ducere vitam & honeſtam? Non initia, ſed finis rerum eſt ſpectandus. Exitus impudici amoris, qui mellis dulcedinem præ ſe fert in principio, quovis abſinthio eſt amarior, & ad extremam miſeriam perducit, quemadmodum ſuperiùs expoſuimus. Quòd ſi inobediens filius noſtra verba contempſeris, ſi boni & mali, honoris & dedecoris, nullam rationem habeas, poſteritatis nullum deſiderium, at ſaltem oculos Dei, quibus nihil eſt occultum, time, illius judicium contremiſce. *Reſpicit Dominus vias hominis*] In Hebræo ſermo eſt luculentior, *coram oculis Domini*, è regione vel in præſentia oculorum Domini, ſunt viæ cujuſvis viri, nè putes vel te latere ſi inhoneſtè vivas, vel Dominum laborare inveſtigando quid agant homines. Nam ſi Soli huic, quæ creatura Dei eſt, omnia ſint expoſita, ut illius radios nihil lateat eorum quæ ſuper terram aguntur, quantò magis infinitæ Divinæ cognitioni omnia aperta eſſe credendum eſt? *Omnes greſſus hominis conſiderat*, vel *vias ponderat*] h. e. Actiones velut æquâ librâ trutinat, mox redditurus unîcuique juxta opera ſua. At tu fortaſſe vix credibile putas ut in tantam malefactorum turbam manus injiciat; illi deeſſe ſatellites putas qui ſuo tribunali ſiſtant maleficos: aut vincula & cuſtodias, quibus impiorum multitudinem coerceat. Suis ſceleribus veluti quibuſdam truculentis ſatellitibus capietur impius, & funibus ſuorum peccatorum veluti compedibus conſtringetur. Noli cogitare de fuga: nam quomodocunque incedit iniquus, vinctus ſuis iniquitatibus incedit ad certum ſupplicium, non leve aliquod, quod pretio poſſit redimi, aut facilè condonari favore judicis. Non agitur de fortunis aut corporis aliqua parte truncanda, ſed de animi vita aut interitu. Quicunque enim ad poſtremum illud Dei O. M. judicium venerit, iniquitatibus ſuis col-

colligatus morte plectetur æterna, quòd diſciplinam contempſerit, rectè monentibus non obtemperaverit. Inſignis ſtultitia & multiplex, pro momentanea voluptate vitam amittere. Quod nè tibi, fili, uſu veniat, oculum Dei & judicium time. Quæ juxta ſenſum hiſtoricum de conjugio honeſto explicavimus, ad ſpirituales nuptias facilè poterunt applicari, quas vel mens cum carne, vel filius Dei cum natura humana contraxit, aut denique ad ſapientiæ & ſacrarum literarum ſtudia, quibus copulati copioſam prolem procreare poſſimus, idque cum ſolida & ſemper virente voluptate. Id quod ut omnibus concedatur, & ſingulis pro talentorum ratione & functione, quam in eccleſia Dei obtinent, orandus eſt potentisſimus & amantisſimus animarum noſtrarum ſponſus Dominus Jeſus, cui ſit omnis honor & gloria.

DRUSIUS.

1. לִתְבוּנָתִי הַט אָזְנֶךָ. Th. τῇ Φρονήσει μȣ κλῖνον τὸ ȣ̓͂ς σȣ, *ad prudentiam meam inclina aurem tuam.*

2. מְזִמּוֹת. A. Sym. Th. γνῶσιν *ſcientiam*] Sic ed. Rom. Mihi ſuſpicio de menda. Nam ſequitur ודעת, quod Senes reddunt αἴσθησιν δέ· credo cæteros hîc edidiſſe γνῶσιν δέ. Suſpicionem meam juvat quod alibi מזמה aliter interpretantur, ut ſuprà 1. 4. Th. συλλογισμόν & Pſal. 139. 20. למזמה. A. εἰς ἀπένοιαν. Sym. διαλογισμῷ. Th. εἰς διαλογισμόν. Job. 42. 2. מזמה. A. S. Th. ἐνθύμημα. Hier. *cogitatio.*

3. זָרָה. A. S. Th. ἀλλοτρίας, *aliena.* ¶ וְחָלָק מִשֶּׁמֶן חִכָּהּ. S. Th. καὶ λεῖος ὑπὲρ ἔλαιον Φάρυγξ αὐτῆς, *& lævius oleo guttur ejus.*

4. כַלַּעֲנָה. A. ὡς ἀψίνθιον, *ſicut abſinthium.*

5. מָוֶת. LXX. μετὰ θανάτȣ. Schol. μετ᾽ ὀδύνης, *cum dolore.*

6. מַעְגְּלֹתֶיהָ. A. καμπαὶ, *ſemitæ.* Sym. ἐπικυλισμοὶ, *viæ rotundæ & in orbem actæ*] *Semitæ.* καμπαὶ, *viæ flexæ.* Nam καμπὴ, *flexus, flexio, flexura.* Notavi ſuprà. ¶ Ἐπικυλισμοὶ Prov. 2. 18. מעגלותיה. Th. κυλισμὸς· ubi Sym. ὁδὸς. Ergò ἐπικυλισμὸς genus viæ. Vocabulum Ebræum appellationem habet à *rotunditate.*

7. אַל־תָּסוּרוּ. A. μὴ ἀπόςητε] Vide ſuprà 4. 24.

9. פֶּן־תִּתֵּן לַאֲחֵרִים הוֹדֶךָ. Sym. μή ποτε δῷς ἑτέρῳ τὴν δόξαν σȣ, *nè quando des alii gloriam tuam.* ¶ שְׁנוֹתֶיךָ. A. S. Th. τὰ ἔτη σȣ, *annos tuos.*

10. נָכְרִי. Schol. ἀλλοτρίων] i. e. נכלים, quod ità compendio dicitur pro נכריים, à ſing. נכרי *extraneus, externus, ignotus.* Aut eſt ſing. pro plur. quæ Enallage frequens eſt in libris.

11. וְנָהַמְתָּ. A. S. Th. ςενάξεις, *gemes*] Sic etiam Hier. *& gemas.* Priùs erat καὶ μεταμεληθήσῃ ונחמת ¶ בִּכְלוֹת. Sym. ἐν τῷ ἐκλείπειν, *cùm defecerit*] Pro eo habet Græca vulgata, ἡνίκα ἂν κατατριβῶσι. Malè igitur in ed. Rom. notatum hoc eſt ad ἐπ᾽ ἐσχάτων, cui reſpondet באחריתך in Ebræo, & proximè antecedit.

12. נָאַץ. Th. παρώξυνεν, *exacerbavit*] Legit fortè נִאֵץ. Siquidem נָאַץ potiùs denotat *averſari.* Mercerus, *Hoc verbum in Kal eſt* AVERSARI, *in Piel vero* IRRITARE, PROVOCARE. Pſal. 10. 3. נאץ יהוה. Alius, παρώξυνε τὸν Κύριον, *acerbavit Dominum:* alius διέσυρε, *detractavit, laceravit probris ac conviciis.* Pſal. 74. 10. ינאץ. LXX. παροξυνεῖ. Proverb. 1. 30. נאצו. A. διέσυρον. S. Th. παρώξυνον. 2 Sam. 12. 14. נאצת. A. παρώξυνας.

13. מוֹרָי. A. S. Th. Φωτιζόντων, *illuminantium*] i. e. Docentium. Pſal. 119. 33. הורני, *doce me.* A. Th. Φώτισον. S. ὑπόδειξον. Proverb. 4. 4. וירני. A. ἐΦώτιζόν με. Exod. 4. 12. הוריתך. A. Φωτίσω σε. ¶ הִטִּיתִי. A. S. Th. ἔκλινα.

14. כִּמְעַט הָיִיתִי. A. ὡς ὀλίγον ἐγενόμην. Schol. ἐν βραχυτάτῳ] Ὡς ὀλίγον. i. e. *parum.* In quo particula ὡς redundat, ut cùm dicimus ὡς ἀληθῶς, pro ἀληθῶς *vere.* Sic ὡς ἑτέρως *aliter.* Aut verte *propemodum.* Sic vertimus ὡς δέκα *ferme decem.* Minùs hoc ſe probat mihi. ¶ Ἐν βραχυτάτῳ· *breviſſimo tempore, perbrevi.*

15. מִבּוֹרֶךָ. A. S. Th. ἐκ λάκκȣ σȣ, *è lacu tuo*] i. e. Puteo aut ciſterna. Græcum λάκκος utrumque ſignificat. Lex. V. Λάκκος, *lacuna, laccus, ciſterna.* Hinc *lacus* pro *puteo.* Sulpitius, *Si quis defoſſum lacum non cooperuerit.* i. e. λάκκον. Exod. 21. 33. בור. LXX. λάκκος. Hier. *ciſterna.* Pſal. 88. 4. Hier. *lacus.* Lex. Lat. Græc. *Lacus,* ὕδριον, λάκκος.

16. יָפוּצוּ מַעְיְנֹתֶיךָ חוּצָה. A. μὴ διασκορπιζέσθωσαν αἱ πηγαίσȣ ἔξω, *nè diſpergantur fontes tui foras*] Aquila μὴ adjecit de ſuo; an potius ut ſit additum à librariis ex editione τῶν ό. Hoc poſtremum probabilius mihi videtur: non enim certè legitur in Ebræo.

18. בָרוּךְ. A. S. Th. εὐλογημένη, *benedicta.*

19. וְיַעֲלַת־חֵן. S. Th. καὶ ἔλαφος χάριτος, *& cerva gratioſa*] i. e. אלה. Paulò antè אלת אהב. LXX. ἔλαΦος Φιλίας. Hier. *cerva chariſſima.* יעלה potiùs eſt *caprea.* ¶ דַּדֶּיהָ יְרַוֻּךָ. A. τιτθοὶ αὐτῆς μεθυσκέτωσαν, *mamillæ ejus inebrient,* ſub. *te.* Licet etiam vertere *inebrientur:* nam eſt verbum medium.

21. נֹכַח. S. Th. κατέναντι. ¶ מַעְגְּלֹתָיו. A. καμπάς. S. ἐπικυλισμὸς.

22. עֲוֺנוֹתָיו. A. S. Th. ἀνομίαι. ¶ בְּחַבְלֵי חַטָּאתוֹ. A. ἐν σχοινίοις ἁμαρτίας αὐτȣ̃, *funiculis peccati ſui.* ¶ יִתָּמֵךְ. Sym. συλληΦθήσεται, *comprehendetur.*

23. בְּאֵין מוּסָר. S. διὰ ἀπαιδευσίαν, *propter inſcitiam*] Huc retulerim quod in ed. Rom. ἐν τῷ μὴ εἰδέναι παιδείαν, *quia non novit diſciplinam.* ¶ אִוַּלְתּוֹ יִשְׁגֶּה. S. ἀΦροσύνης αὐτȣ̃ πλανηθήσεται, *inſipientia ſua errabit.*

AMAMA.

3. כי נפת] Græci adjiciunt ad meliorem cohærentiam, μὴ πρόσεχε Φαύλῃ γυναικὶ. Vulg. *nè attende malæ mulieri,* μέλι γὰρ ἀποςάζει ἀπὸ χειλέων γυναικὸς πόρνης. At non erat neceſſe. Ideo hæc te moneo inquit Sal. ut me ita ſollicitè audias, quia labra meretricis favo mellis ſunt ſimilia, & Jun. *Quamvis favum ſtillent,* &c.

4. כלענה] LXX. πικρότερον χολῆς. Fel, abſynthium, amaritudo confunduntur. Act. 8. εἰς χολὴν πικρίας. Marcus meminit vini ἐσμορνισμένȣ. Math. οἶνȣ μετὰ χολῆς μεμιγμένȣ. Quicquid amarum eſt felle infectum dicitur. Plautus

In melle ſunt linguæ veſtræ ſitæ & orationes,
Corda in felle ſunt ſita ac acerbo aceto.

Ab מרר eſt מור myrrha, amarus, & Mars. Amarus pro *triſti,* 1 Sam. de Anna, de Iſraël Ex. 1. 2 Reg. 4. de muliere orbata filio. Ruth. 1. Thr. 3. *Satiavit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.*

2. Pro *crudeli.* Hab 1. *Excitabo contra vos Chaldæos, gentem amaram.* Jud. 18. 25. *Ne irruant in vos viri amaro animo.* Sic Col. 3. *Viri ne ſint amari contra uxores.* Jacob. 3. *Zelus amarus.*

3. *Noxium.* Sic hic & Jer. 2. 19. *Scies quod malum & amarum ſit dereliquiſſe Dominum.*

חדה acutum, noxium. Hab. 1. 8. *Acutior lupo veſpertino.* i. e. magis noxius, qui præ fame quam toto die toleravit magis irruit in caulas. Licet alii, *velocior.* Certe ὀξὺς Græcis etiam velox, pro ὠκύς. Unde Lucian. ὀξὺς εἰς ὀργήν. Et Cicero, *motus animi celeres & acuti.*

פיות] Gr. ξίΦος δίςομον, ἀμΦίςομον, & ἄμΦηκες. Jun. *gladius bipennis.*

6. *Iter vitæ ne extendas, moventur orbitæ ejus te imprudente*] Id eſt, toto conſilio callido hoc providet & agit, ne ad vitam reſpectes aut fraudes ſuas animadvertas.

Alii פן exponunt, *ſi forte.* Alii, aliter.

Moventur orbitæ] Id eſt, agilitate & volubilitate ſumma temperantur omnes actiones ejus ad fallendum te.

כחך] Facultatibus tuis. τῆς ἰσχύος σȣ. LXX. A כח eſt Græcum κικὶς potentia, robur. Κικὺς potens. Signif. & humidum radicale, humorem nativum. Pſ. 22. *Aruit ut teſta* כחי. Pro opibus ſumitur Hoſ. 7. *comederunt alieni* כחו. Job. *Date pro me munus* מכחכם. Nah. 1. *Dominus eſt longanimis & magnus* כח. i. e. Qui poteſt frænare iram ſuam. Nam, *fortior eſt qui ſe* &c. Sic Num. 14. 17. *Nunc itaque magnificetur virtus Domini,* explicant de longanimitate, hæc enim eſt maxima fortitudo.

Alieni] Vide Clavem. Aliquando alienus eſt *hoſtis.* Hoſ. 7. Jeſ. 1. Sic *hoſtis* veteribus Latinis idem quod *alienus.* Cic. Offic. 1. *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, qui nobis peregrinus: Sed translatum fuit ad inimicos perduelles, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante.* Plaut. Curcul. *hoſteſne an cives comedis?* Et in Trinum.

Et rugies] Proprium Leonum. ערג cervorum, שקק urſorum, נהק onagrorum, *rudere* נבח canum, צהל equorum, געה boum & vaccarum. נער camelorum & Elephantum, *barrivit,* צפצף avium. פעה ovium, *balare,* Druſ.

LXX. Καὶ μεταμεληθῇς ἐπ᾽ ἐσχάτων σȣ. Legit, וְנִחַמְתָּ.

12. *Et dicas*] Alii hæc ad ſero reſipiſcentem: alii ad mortuos & jam damnatos referunt.

מורי. מורה Doctor. Apud Rabb. titulus recens: Infra annos 200. natus ad imit. Chriſtianorum. Hi majores ſunt quàm Rabbanim; Hi majores quam Rabbim רבי. Rabbi major quàm Rab. At ſupra hæc omnia eſt ſimplex nomen ejus.

Sirach. 23. ȣ̓͂τος ἐν πλατείαις ἐκδικηθήσεται.

13. *Bibe aquam*] i. e. Bene utere bonis, & augeſce benedictionibus Domini.

16. *Fon-*

16. *Fontes tui*] i. e. Beneficè bona tua communica cum aliis.

17. *Sint tibi ſeorſim*] i.e. Cave ne per prodigalitatem dilapides tua.

18. *Sit vena tua*] i. e. Sit fauſtum ac felix connubium tuum. A נקר effodit venas eſt κρουνὸς aquæ ductus.

שמח. Συνευφραίνου μετὰ γυναικὸς τῆς νεότητός σου. Sirach. Γυνὴ παρθενίας. Herod. γυνὴ κουριδίη.

19 *Sit ut cerva*] כ nota ſimilitudinis, ſæpe ἐλλ.

יעלת] Aliis *ibex*, aliis *caprea*, aliis *dama*, aliis *rupicapra*. Lxx. πῶλος, pullus. Vulg. *hinnulus*.

In amore ejus errabis] Lxx. ἐν τῇ ταύτης φιλίᾳ περιφερόμενος πολλοστὸς ἔσῃ. *In amore ejus huc illuc delatus & quaſi oberrans multus eris.* Sic Proverb. 20. *Qui errat in vino, non erit ſapiens.*

GROTIUS.

3. F*Avus enim diſtillans labia meretricis*] Pro *meretricis* in Hebræo eſt זרה, id eſt, *aliena*, ſcilicet *uxoris*. Vide infrà 18. 19. 20. & 6. 29.

5. *Pedes ejus deſcendunt ad mortem*] Menander:

Οὐκ ἔςι μοιχοῦ πρᾶγμα τιμιώτερον·
Θανάτου γάρ ἐςιν ὤνιον.
[*Adulter eſt res, crede, pretioſiſſima:*
Nam morte conſtat.]

15. *Bibe aquam de ciſterna tua*] Fruere voluptate licitâ. *Ciſterna* hic dicitur σεμνῶς [*honeſte,*] ut *fons ſignatus* Cant. 4. 12. λάκκον [*ciſternam*] hîc habent Aquila, Symmachus, Theodotion. Diphilus Gnathænæ, Ψυχρὸν ἔχεις τὸν λάκκον [*frigidum habes puteum.*] Vide & infrà 23. 27. & Num. 25. 8. Eſai. 51. 1.

16. *Deriventur fontes tui foràs*] Ibi ſere ubi prolem metas.

17. *Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui*] *Eas* nempe *aquas*, id eſt, uxorem. Diligens eſto tui matrimonii cuſtos. Rabbini ἀλληγορικῶς [*per ſenſum reconditum*] interpretantur de abſcondita Theologia, quam מרכבה [*Amorem*] vocant.

19. *Cerva cariſſima, & gratiſſimus hinnulus*] Multi enim talia animalia in deliciis habent. Indè illæ ſimilitudines Cant. 2. 9.

Ubera ejus inebrient te] Hebræi *ubera* דוד [*amorem*] vocant ut amorum ſedem.

In amore ejus delectare jugiter] In Græco, ἐν γὰρ τῇ ταύτης φιλίᾳ συμπεριφερόμενος πολλοστὸς ἔσῃ [*nam in ejus dilectione verſans eris magni.*] Apparet legiſſe Lxx. Senes שגה cum ſiniſtro puncto in prima littera; ſic enim ſignificat *multiplicari*. At cum puncto dextro inter alia *delectari* ſignificat. Et ſic vertunt quidam שגיונות *delectationes* Hab. 3. 1.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

3. P*Roſterne te*] Si, inquit, pro altero te obligaſti, & advenit tempus ut ſolvas debitum creditori, vade & humilia te ante creditorem, & lauda illum; te fac parvum, illum verò magnum; & tunc facilè illum placare poteris. Kimhi exponit hic התרפס pro *proſternere ſe in pavimentum*, & רהב pro *delinire verbis mitibus*.

6. *Vade ad formicam*] Hortatur hic hominem ad laborem, qui & in Geneſi præcipitur: cura autem prohibetur ſupervacanea.

10. *Modicum dormiendum*] Modicus, inquit, ſomnus ſufficit naturæ, per quem corpus laſſum vigoroſum redditur; & modica dormitatio exhauſta membra reformat: ſic *temperatè manus ſunt conſerendæ*, h.e. amplectenda uxor, ut quidam exponunt. Aben-Ezra accipit *complexum manuum* pro quiete manibus in labore danda. Id ſi egeris & *irruerit egeſtas*, illa non durabit, ſed *veluti viator pertranſibit*. Idem putat R. Levi ſignificari per *virum armis tectum*, qui non manet, ſed ſemper procedit donec venerit ad aciem belli.

13. *Annuit oculis*] Perverſus homo, ubi loqui non audet, prodit oculis & reliquis membris impietatem ſuam.

16. *Et ſeptimum*] Quidam putant ſic legendum, *Imò ſeptem ſunt quæ ſunt abominationes animæ ejus.* ¶ Per *oculos ſublimes* intellige impudentiam frontis.

26. *Propter mulierem meretricem*] Capitur hîc בעד pro בעבור, & eſt ſenſus, Qui ſcorto ſeſe aſſociat, in tantam veniet egeſtatem ut cogatur mendicare *fruſtum panis*; & nedum exterioribus privatur bonis, verùm & *pretioſam animam* venalem Diabolo exponit.

31. *Septuplum*] h. e. Perfectam facit reſtitutionem.

34. *Zelus eſt furor viri*] Senſus eſt, Vir cujus uxorem alius violavit, tanto agitatur furore & zelo, ut nec poſſit nec velit parcere adultero, quantumlibet ille magnifica offerat munera.

VATABLUS.

1. P*Ercuſſiſti*, &c. תקעת לזר כפך] Et *defixeris pro altero manum tuam*, i. e. attactu manûs ſtipulatus ſis & fidejuſſeris. Alii, *manuque tuâ ſtipulatus fueris pro alieno*.

3. *Poſtquam incidiſti in manum* כי באת בכף] *Etiamſi veneris* [vel *incideris*] *in poteſtatem*, &c. q. d. Tametſi amicus & proximus ſit in cujus manus incideris, propere tamen libera te ab ea obligatione: quantò magis feſtinandum tibi eſſet ſi incidiſſes in manus alieni? ¶ *Proſterne te*, &c. התרפס ורהב רעך] Ad verb. *conculca te*, & *robora amicum tuum*: i. e. conculcandum te præbe coram illo: q. d. *Projice* (ſive *proſterne*) *te* ad pedes ejus, & te humilia illi cui promiſeris; & *robora*, ſub. *exhortatione*, i. e. inſta, incita, *amicum tuum*, ut tuo amico cui ſpopondiſti ſolvat debitum. Quidam pro *robora* vertunt *apprehende*, vel *retine eum*, verbis ſcilicet blandis & placabilibus, unà cum amicis tuis. Alii, & *magnifica* creditorem unà cum *amicis tuis*: i. e. lauda illum, teipſum fac parvum, illum verò magnum, & tunc facilè illum placare poteris.

5. *Et ſicut avis* וכצפור] Sub. *eripere ſe ſolet*.

6. *Et ſapiens eſto* וחכם] *Ut ſapiens fias*; vel, *ſapienter adverte*, i. e. diſce.

10. *Parùm ſomnorum* מעט שנות] Ità Hebraïcè ut vertimus. Significat autem hoc Hebraïco dicendi genere, acſi dicat, *Parvus & frequens erit tibi ſomnus, parva & frequens manuum complicatio ad dormiendum*: i. e. Si paululùm dormitaveris, *veniet egeſtas* ex improviſo, *ut viator*: neque illi reſiſtere poteris, ut homo inermis viro armato reſiſtere non poteſt. Quidam Hebræorum ſic exponunt, *Si parùm dormias, & irruerit egeſtas, illa non durabit, ſed veluti viator pertranſibit; & ut vir armatus qui non conſiſtit, ſed ſemper procedit, donec perveniat ad belli aciem.*

12. *Impius* בליעל] *Belial*; i. e. inutilis, nihili, impius, apoſtata, & ſui inſtituti deſertor, qui nihil promovet. ¶ *Iniquus* און] Ad verb. *iniquitatis, mendacii, doloris.* ¶ *Ambulat in perverſitate oris* הולך עקשות פה] Hebraïſmus, pro *mentitur*, & *eſt in eo aſſuetus*.

13. *Annuit*, &c. קרץ בעינו] i. e. Componit ſeſe totum, fingit vultum, geſticulatione pedum utitur, ut facilius imponat. ¶ *Docet* מורה] *Significat*.

15. *Contritio ejus* אידו] *Calamitas ejus*. Vide cap. 1. 26.

16. *Abominatio animæ ejus* תועבת נפשו] Hebraïſmus, pro *abominatur ipſe*.

17. *Sublimes* רמות] *Elatos*; *ſuperbos*.

19. *Eum qui*, &c. יפיח כזבים עד שקר] Per appoſitionem dictum, *teſtem mendacem*: acſi dicas, *teſtem mendacem qui loquitur falſa*.

23. *Eruditionis* מוסר] *Caſtigationis*; *correptionis*. ¶ *A blanditiis*, &c. מחלקת לשון נכריה] *A blanditia* mulieris *linguæ extraneæ*, i. e. quæ linguâ loquitur alienâ.

25. *Splendoribus ſuis* בעפעפיה] *Palpebris ſuis*, i. e. oculis; amatores enim pulcritudine oculorum capiuntur. Alii, *pulcritudine pupillarum ſuarum*, quæ ſic dicuntur à *ſplendore* & *luce*.

26. *Uſque ad fruſtum panis* עד ככר לחם] Phraſis eſt Hebræa, pro *decoquet omnia, ità ut cogatur buccellam*, vel *tortam*, ſive *libum panis, oſtiatim mendicare*. ¶ *Et mulier viri* ואשת איש] Hebraïſmus, pro *uxore adultera*. ¶ *Venabitur* תצוד] Fut. Heb. pro præſ. *venatur*. Alii, *occidit*, ut Ezech. 13. 18. acſi dicat, non ſolùm divitias ſed etiam vitam tollit.

27. *Numquid accipiet vir* היחתה איש] *Num excipiet aliquis*. *Vir* pro *aliquo* more Hebræo accipitur.

29. *Non erit innocens* לא ינקה] *Non erit mundus*; *non erit innoxius*: i. e. multabitur.

30. *Spernunt* יבוזו] Fut. Heb. pro præſ. *ſpernere ſolent*, ſub. *homines*. ¶ *Animam ſuam* נפשו] Pro *deſiderio* accipitur *anima*. Quidam vertunt, *ut ſuſtentet vitam ſuam*.

31. *Et inventus* ונמצא] *Et deprehenſus*.

32. *Corrumpit* משחית] *Perdit*; *interficit*. ¶ *Qui fecerit illud* הוא יעשנה] Et *ipſe faciet eam*, ſub. *corruptionem*, ſive *interfectionem animæ ſuæ*: nam in omni verbo intelligitur nomen

verbale

verbale à ſe deductum. Alii, *corrumpens* [vel *qui corrumpere volet*] *animam ſuam, ipſe faciet hoc.*

33. *Plagam & ignominiam inveniet* נגע וקלון ימצא] Phraſim iſtam exponunt Hebræi, *Vulnerabitur, & ignominiâ afficietur à propinquis mulieris.*

34. *Zelus* eſt *furor viri* קנאה חמת גבר] i. e. Zelotypia excitat iram & indignationem. Quidam verſum paraphraſticè ſic vertunt, *Maritus enim zelotypiæ impatientiâ accenſus, cum ei vindicandi occaſio offertur, non parcit.*

35. *Redemptionis* כופר] *Pretii; placationis*: i. nullum pretium redemptionis libens accipiet. Quidam, *interceſſoris.* ¶ *Neque volet* ולא יאבה] Sub. *audire vocem adulteri.* Alii, *nec acquieſcet*; i. e. recuſabit. ¶ *Munus* שוחד] Sing. pro plur. Propriè eſt *munus quod datur Judicibus quo pervertatur judicium.*

CASTALIO.

10, 11. P*Auliſper dormiendo, pauliſper dormitando, pauliſper manus ad quietem complicando, Veniet tibi more viatoris aut hominis ſcutati indigentia ac egeſtas*] Si paululùm dormies, & item paululum, & item paululum, multum dormies; quâ pigritiâ fiet ut tibi de improviſo egeſtas obrepat.

26. *Nam meretrix & libidinoſa mulier, cum valeat ipſa unum panem*] Cùm ſit ipſa viliſſima.

30. *Non tractatur contumelioſè vir qui furatus eſt ut appetitioni ſatisfaceret cùm eſuriret*, &c.] Periculoſius eſt adulterare quàm furari. Nam fur tantùm pecuniâ, at adulter honore mulctatur & vapulat.

31. *Deprehenſus quidem reddit ſeptuplum*] *Septuplum* ponitur pro *graviſſima pœna.* ¶ *Solvit vel omnes ſuæ domûs opes*] Scilicet ſi tantum eſt furatus ut quadruplum ſolvens impendat omnia.

CLARIUS.

3. P*Roſterne te*] Si pro altero, inquit, te obligaſti, & advenit tempus ut ſolvas debitum creditori, vade & humilia te ante creditorem, & lauda illum; te fac parvum, illum verò magnum; & tunc facilè illum placare poteris.

6. *Vade ad formicam*] Hortatur hic hominem ad laborem, qui & in Geneſi præcipitur: cura autem prohibetur.

10. *Paululum dormies*] Alii ſic interpretantur, *Modicum dormiendum eſt:* modicus enim ſomnus ſufficit, ut corpus laſſum recreetur; & modica dormitatio exhauſta recreat membra, ſic *temperatè manus conſerendæ*, h. e. ut quidam exponunt, complectenda uxor. Alii accipiunt *complexum manuum* pro quiete manibus in labore danda. Id ſi tegeris, inquit, & *irruerit egeſtas*, illa non durabit, ſed *veluti viator pertranſibit*, & *veluti vir armatus*, qui non manet, ſed ſemper progreditur donec venerit ad aciem belli.

12. *Homo apoſtata*] Vel *impius.* Heb. *Belial.*

13. *Annuit oculis*] Significat perverſum hominem, ubi loqui non audet, prodere oculis & reliquis membris impietatem ſuam.

16. *Et ſeptimum*] Quidam putant ſic legendum, *imò ſeptem ſunt quæ abominatur anima ejus.* ¶ Per *oculos ſublimes* intellige impudentiam frontis.

26. *Ob ſcortum mendicabit homo*] Qui ſcorto ſeſe aſſociat, in tantam veniet egeſtatem ut cogatur mendicare *fruſtum panis*; & non externis ſolùm privatur bonis, verùm & *pretioſam animam* venalem Diabolo exponit.

31. *Reddet ſeptulum*] h. e. Perfectam faciet reſtitutionem.

34. *Zelus & furor*] Vir, inquit, cujus uxorem alius violavit, tanto agitur furore & zelo ut nullo modo pareat adultero, quantumlibet ille magnifica offerat munera.

R. BAYNUS.

1,—5. F*Ili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergò quod dico tibi, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Nè dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis.* Heb *Fili mi, ſi fide juſſeris pro amico tuo, ſi ſtipulatus fueris alieno manu tuâ. Illaqueatus es per verba oris tui, captus es per verba oris tui. Fac hoc nunc, fili mi, & eripe te, quamvis veniſti in manum amici tui. Vade, pedibus illius projice teipſum, & honora amicum tuum. Non dabis ſomnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis. Eripe temet velut damula de manu, & velut avicula de manu aucupis*] Juxta commentarios Hebræorum cum prioribus ſic connectuntur quæ præ manibus habemus. Non ſolùm ab externa & aliena muliere labefactantur juvenum mores & integritas vitæ, verumetiam per commercia cum externis & ignotis hominibus ſolent multa damna incautis & parùm ſolicitis provenire: idcirco poſt admonitionem illam, hanc ſubnectit, qua filium ſuum adhuc imperitum & rerum ignarum diligenter inſtruit, nè ſe conjiciat imprudens in alterius poteſtatem aut aliorum litibus ſeſe implicet. Id quod ſi fortè aliquando uſu veniat, ſumma cura eſt habenda, nihil non tentandum ut quàm minimo diſpendio liber evadat. Quandoquidem de conjugio & filiorum procreatione diſſeruit Sapiens, quæ res ſine cura rei familiaris rectè diſpenſari nequeunt; & cùm æs alienum & otium ſoleant homines ad inopiam redigere, iis de rebus per opportunè ſuum inſtituit filium, poſt legitimi conjugii mentionem, inquiens, *Fili mi, ſi ſpoponderis*, vel *fide juſſeris, pro amico*] Contextus iſte triplici patet expoſitioni, pro ambiguitate Hebraïci ſermonis. Nam primò verti poteſt, *ſi ſpoſponderis externo homini pro amico.* Secundò, *ſi ſpoponderis amico tuo pro extraneo.* Tertiò denique ſic reddi poteſt, *ſi ſpoponderis amico tuo, & ſi affixeris manum*, h. e. ſi ſtipulatus fueris etiam, *externo*: ut ſit ſenſus, Si es obnoxius & obligatus tam amico quàm externo. Primum ſenſum ſequuntur omnes Interpretes (quos ego vidi) Hebræi & noſtri: nam pro amicis ſolemus fidejubere, non pro ignotis & extraneis hominibus. Solus Levi Bengerſon ſequitur ſecundam expoſitionem, nempe, Si ſpoponderis amico pro externo & alieno. Atque huic ſenſui quæ ſequuntur ſatis quadrant, videlicet *captus es, illaqueatus es:* plus enim periculi habet fidejuſſio quam pro externo facimus, quàm illa quæ fit amici causâ, pro quo etiam libentiùs ſolvimus, ſi fuerit opus. Cæterùm mihi tertius non diſplicet ſenſus, nempe ut particula אם, h. e. *ſi*, in ſingulis clauſulis ſubaudiatur, ad hunc modum, *ſi fidejuſſeris amico, ſi affixeris manum extraneo, ſi illaqueatus es, ſi captus es*, &c. Porrò debet, meâ quidem ſententiâ, litera לכר *lamed* utroque in loco in propria ſignificatione capi, videlicet ut ſit ſignum dandi casûs, & non, ut primo loco ſignificet *pro*, ſecundo loco *apud*, quemadmodum reddidit Interpres noſter, nempe *pro amico*, & *apud extraneum*; cùm utrobique ſit litera לכר *lamed.* Atqui ità ſenſus maximè quadrabit, qui talis erit; *Si amico tuo ſpoponderis* ſub. *pro aliquo*: *aut ſi extraneo ſtipulatus fueris, pro teipſo*; (vel *pro alio* ſub.) *& manum illi dederis. Si illaqueatus es verbis oris tui, ut avis laqueis: vel ſi captus es verbis, ut damula retibus:* h. e. obnoxius es, & ære alieno vel uſurâ obligatus; liber non es, non es tui juris, periclitaris, nè vel ad paupertatem vel ad ſervitutem redigaris: quod potiùs quàm tibi eveniat, omnia priùs ſunt tentanda. Fac hoc nunc quod dico, utere meo conſilio, ante omnia da operam ut liber ſis: ſub manu veniſti amici tui, penès eum eſt tua libertas, tu imperitus rerum putabas te verbis non poſſe ligari, ſed obligatus es verbis oris tui. Magnâ cautione opus eſt, lites ſectari non debes, neque ex amico inimicum facere, ſed ſummam oſtende humilitatem: uſque adeò ut vel illius pedibus proſtratus ores eum. Sic enim in Hebræo legimus, לך התרפס ורהב רעך *vade, procumbe*, vel *pedibus illius projice te, & honora amicum tuum.* Alii interpretantur ורהב non *honora*, ſed *multiplica amicos tuos* (Hieron. *ſuſcita*) h. e. multos alios interceſſores tecum adduces: ſuborna amicos plurimos qui pro te interpellent, vel preces multiplica, ut poſſis impetrare quod moliris. Poſſunt hæc referri vel ad *amicum* pro quo fidejuſſiſti, vel ad *externum* meliùs, cui es pro amico obligatus. *Non dabis ſomnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis*] q. d. hæc ſunt ſummo ſtudio & vigilantiâ agenda, & tempore opportuno: nam qui rebus urgentibus occaſionem prætermittit, nihil aliud quàm dormire ſocordiâ dicitur. *Eruere quaſi damula, & quaſi avis de manû aucupis*] Sunt hæc animalia timidiſſima, quæ niſi ſuâ libertate in ſylvis vivant, nè vivere quidem ſe putant, & capta totis viribus die ac nocte avolare & ſeſe eripere ſtudent. Tu non minore ſtudio da operam te in libertatem aſſerere ab ære alieno aut uſura, aut hujuſmodi rebus geſtis & contractis quibus ad inopiam redigaris. Sed nè quis hanc expoſitionem noſtram reprehendat, quaſi nimis humilem, & mundanam potiùs reſipientem prudentiam quàm cœleſtem, cujuſmodi à ſapientiſſimo Salomone traditam aſſetimus, hoc adjicimus; hujus admonitionis ſcopum eſſe ut lites fugiamus, humilitatem ſectemur in rebus agendis, alios honore præveniamus, juxta Paulum, quavis aliâ viâ ab ære alieno nos eripere ſtudeamus quàm litibus & odiis mutuis noſmet implicemus: quâ doctrinâ quæ poſſit pro conditione rei eſſe ſalubrior? Quod ſi ſenſum ſublimiorem quæris, ſpondet unuſquiſque pro amico, h. e. pro appetitu ſuo & exteriore homine; ſtipulamur in Baptiſmate Legi ſervandæ, quæ extranea eſt. Aliter, *amico*, h. e. Chriſto, *contra extraneum*, h. e. diabolum, *affiximus manum*,

num, quâ obligatione quantum periclitamur, nè non præſtet mens & animus debitum ad diem præſcriptum, nemo eſt qui neſciat: & proinde vigilandum eſt. Juxta allegoriam, Qui curam animarum ſuſceperunt, amico ſpoponderunt pro extraneo: defixerunt manum, illaqueati verbis ſuis cùm ſint, pro liberatione ſua omnia facere debent, quæ lectio præſens complectitur: *diſcurrere* videlicet & *feſtinare*: *non dare ſomnum oculis nec dormitationem palpebris*, *diſcurrere*, *feſtinare*, vel, ut Hebræi legunt, *projicere ſe ad pedes amici*, nempe Chriſti, pro quo ſponderunt, illum ſedulis precibus orando honorare, & dare operam eripi, nè ſanguis ovium quæ pereunt, de manibus illorum requiratur.

6, 7, 8. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Heb. *Vade ad formicam, ô piger, vide vias illius, & ſapiens eſto. Cui non eſt præfectus, exactor, aut dux. Solet parare in æſtate panem ſuum, colligit in meſſe cibum ſuum*] Facilis eſt intelligentia horum verſuum, quibus ab otio & pigritia revocat ſuum filium Sapiens. Atqui in hunc ſermonem poſt ſuperiora rectè divertit, in quibus de ſolicitudine & vigilantia facta eſt mentio, virtutibus videlicet patrifamilias maximè neceſſariis. A formica capit exemplum, à qua ſuperari turpe fuerit hominem præditum ratione, natum ad laborem. *Vade*, inquit, quiſquis es otio torpeſcens, nullo aliorum hominum exemplo, neque agricolarum, neque artificum provocatus, *ad formicam* ſaltem, minimum inter cætera animantia: *vide vias ejus*, quanta ſedulitate victum tempeſtivè parat in ſequentem hyemem: *ut* ſi non meis verbis, non aliorum exemplis, ſaltem illius induſtriam conſiderans, *ſapiens evadas*: vel, *ſapiens eris*, imperandi modus pro futuro: ut tua ſponte & nulla neceſſitate coactus honeſtis ſtudiis & bonis operibus animum applicare queas, antequam egeſtate premaris & inopia. Si hoc animal uſque adeò exiguum, cùm *ducem* non habeat qui viam præmonſtret, neque *exactorem* (ut eſt in Hebræo) qui penſum operis cogat reddere, nec denique *principem*, qui caſtiget & torqueat inertem; nihilominus *parat in æſtate panem ſuum*, provida futuri, *congregat in meſſe cibum ſuum*, ut partis fruatur rebus, cùm —*contriſtarit Aquarius annum* (ut inquit Horatius) magno ſtudio undique colligens grana, & recondens tanta providentia, ut ſervari poſſint: ſubinde ad Solem exponens annonam, ſi quando putrefactionem timet: & ſub tempore ſementis vetita nè renaſcantur grana, molliter corrodere perhibetur: neque omnia ſtatim devorat, ſed paulatim, temporis rationem habens, nobis in memoriam revocans illud. *Venit nox quando nemo poteſt operari*, Joan. 6.

9, 10, 11. *Uſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, ut dormias. Et veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.* Heb. *Parùm ſomnorum, parùm dormitationum, parùm complexûs manuum ad jacendum. Et veniet ut viator paupertas tua, & indigentia tua ut vir clypei*] מעט *paululum* poteſt verbaliter accipi & verti, *Minue ſomnos, minue dormitationem, minue complexum manuum.* Exemplo formicæ fugiamus oportet otium, niſi velimus ad paupertatem & inediam redigi. Quod nè ſuo filio uſuveniat, acriter commonefacit, & quaſi dormienti aſtaret, è ſomno excitaturus hominem clamat, *Uſquequo piger dormies? quando è ſomno tuo ſurges?* egregiè ob oculos ponens ſomnolenti & pigri hominis ſocordiam, qui nullum ſibi præſcribit jacendi tempus, ſed frequenter expergefactus rurſum in ſoporem labitur: & dum nullis rebus honeſtis intendit animum, totos dies ſtertit atque noctes. Cùm tamen ità naturâ comparati ſumus ut haud ità magno aut prolixo ſit opus ſomno; imò *parùm ſomni* (ut eſt in Ebræo) ſup. *opus eſt*, *parum dormitationum*, *exigua complicatio manuum*; *ad dormiendum*, *cum conjuge* ſubaudiunt Hebræi, ut alibi ſcriptum eſt, *Tempus amplexandi*, Eccleſ. 3. vel ſimpliciter morem pigri hominis expreſſit, qui in alios uſus manus non videtur habere quàm ut dormiendo ſua latera complectatur. *Et veniet quaſi viator egeſtas*] Hujus verſiculi duplex eſt ſenſus. Primus, ut ex præcedentibus pendeat, ad hujus hominis pigri ædes & familiam venit paupertas & inopia omnium rerum, *quaſi viator*, h. e. magnâ feſtinatione. *Quaſi vir armatus*] Sive, ut eſt in Hebræo, *quaſi vir clypei*, aut *vir ſcutatus*, h. e. magnâ audacia & impetu, ut non poſſis obſiſtere, præſertim diſſolutus & molli ſomno aſſuetus: q. d. Si per negligentiam & inertiam tuam obrepat tibi egeſtas, qui poſſis paupertatis tyrannidem ex ædibus ejicere ſomno indulgens, neque ullam artem honeſtam exercens? Alia erit hujus verſiculi intelligentia, ſi priorem quaſi admonitionem intelligamus, ſic, Noli ſomno indulgere, nam modico opus eſt ſomno, modica dormitatione, &c. Quod ſi feceris, non veniet egeſtas vel defectus niſi rarò, & obiter tranſiet *ut viator*, qui non venit commorandi cauſa, ſed ut ulteriùs proficiſcatur. Neque rerum defectus veniet, niſi *velut vir belli*, qui vel nos excitat & cautiores reddit, vel nos propugnandi causa & defendendi venit. Sic indigentia rerum, & annonæ caritas laborioſis agricolis quandoque contingit, quæ bonis viris nihil aliud quàm virtutis materiam ſubminiſtrat. Prior explicatio eſt melior.

12, 13, 14. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, Corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat. Huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam.* Hunc locum Hebræi ſic diſtinguunt per verſiculos, *Homo Belial*, *vir iniquitatis*, *incedens perverſitatibus oris*, *annuit oculis ſuis*, *loquitur pedibus ſuis*, *docet digitis ſuis. Perverſitates in corde ſuo machinatur malus omni tempore, lites mittet. Idcirco ſubitò veniet calamitas ejus, repentè conteretur, & non erit ſanitas*] *Homo apoſtata*, בליעל *Belial*, Hebraïcè compoſita dictio eſt, & variam habet etymologiam: *ſine utilitate*, vel juxta alios *ſine honore*, ſignificare poteſt, ut in ſequentibus latiùs dicemus. Talis eſt piger de quo ſuperior ſermo tractavit. Sed ferè qui piger eſt & inutilis ſibi & aliis, in alia majora vitia prolabitur, præſertim obtrectationem, quod Paulus vitio vertit junioribus viduis, quæ *circumeunt domos*, *non ſolùm otioſæ*, ſed & verboſæ *& curioſæ*, *loquentes quæ non oportet*, 1 Tim. 5. Verboſi, detractores, irriſores ferè ſunt qui nullis honeſtis occupationibus applicant animum. Hinc Sapiens ocioſo & inutili homini hæc vitia attribuit, inquiens, *Homo inutilis* (eſt etiam ferè iniquus) *graditur ore perverſo*; vel *tranſiens*, ut eſt in Hebræo, h. e. de malo in malum progreditur, uſqueadeo ut non ſolùm corde & ore ſed ſingulis ferè corporis partibus perversè loquatur, nihil pium, nihil modeſtum præ ſe ferens; ſed oculo nutat, pede loquitur, etiam digitis docet. Quamvis perverſitates loquatur ore & mendacia ad ſubverſionem audientium, 2 Tim. 2. nihilominus tamen more eorum qui veritatem aſſerunt, oculis ſuis & vultûs conſtantia ſermonem nititur confirmare, & pedum ſuorum inceſſu, h. e. modeſti corporis habitu, & gravitate perſonæ, digitorum denique motu veritatem tegit. *Homo* iſte *Belial*, h. e. *ſine utilitate*, vel *ſine honore*, vel juxta D. Hieronymum, *ſine jugo*, aut *apoſtata* denique, & ſui deſertor inſtituti, nullus rectiùs intelligitur quàm Hæreticus, qui *oculis ſuis*, h. e. ſcientiâ Scripturarum, *pedum inceſſu*, i. e. piis affectibus, & *digitorum motu*, h. e. bonis operibus, quæ ſunt veſtimenta ovium, pietatem ſimulare noverit, cùm in corde perverſitates habeat & malum machinetur, lites & diſſenſiones facilè mittet inter fideles. Quod ſequitur (juxta Hebræum) *perverſitates in corde ſuo machinatur malus*, veritati videlicet contrarias, idque non leviter, neque per occaſionem, ſed ſemper & perpetuò talibus ſtudiis incumbit. En tibi finem & exitum quò pertrahit pigritia, nempe ad ſeminandum diſcordias inter fratres. Sed ulteriùs non proficient, imò *ſubitò veniet illius perditio*, *repentè conteretur* ad inſtar vaſis fictilis ut nullo modo poſſit *ſanari*, h. e. inſtaurari: q. d. honeſtis ſtudiis & artibus impiger animum applica ſi non virtutis amore, quod boni faciunt, at ſaltem formidine pœnæ, nè paulatim ad vitia declinans ad extrema malorum pervenias. Quorum aliquot ſequens lectio declarabit.

15,—18. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus; Oculos ſublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſſimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia teſtem fallacem, Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Heb. *Sex iſta odit Dominus, & ſeptimum abominatio animæ illius*, vel *ſeptem abominationes animæ ejus*] Cùm ſuperiùs facta ſit mentio malorum viri Belial, ad quæ per otium & pigritiam ſolent homines devenire, & meritas pœnas luere, catalogum graviſſimorum criminum ſubjicit, inter quæ vel omnium graviſſimum & quod Dominus exſecratur maximè, eſt *lites ſeminare inter fratres.* Sunt qui ſic exponunt locum, *Et ſeptimum deteſtatur anima ejus*] Septem eſſe abominationes, videlicet, ubi ad ſex priora ſeptimum illud accedit, omnia prorſus reddit exſecranda. In *oculis elatis* ſuperbiam exprimit, quòd oculis faſtus quidam & arrogantia potiſſimùm declaretur: quod malum vel in quovis homine, quamlibèt cæteros ſeu corporis dotibus ſeu animi bonis præcellat, vehementer deteſtandum eſt: nam terra & cinis qui poſſit ſuperbire? Ab oculis, qui inter ſenſus ſupremum locum obtinent, ad *os* & *linguam* deſcendit, quam juxta Hebraïſmum, non *linguam mendacem* ſed *mendacii* appellat, quod vitium Deo maximè adverſatur, qui eſt ipſa veritas. Tertium locum habent *manus*, quas habemus ad juvandos alios, ad tuendos innocentes, quibus ſi quis uſqueadeo abutatur ut non ſolùm damnum inferat ſed homicidium perpetret, & innoxium ſanguinem effundat, graviſſimum crimen committit, & Divino præ-

ſequendum odio. Sed nè quis manibus duntaxat patrari homicidium exiſtimet, & cætera flagitia externaque opera ſolùm damnari, de malis cogitationibus ſtatim ſubjicit, *Cor machinans cogitationes peſſimas*] Neque ſine cauſa quartum locum cordi tribuit, ſeptem annumerans flagitia, quorum omnium à corde, tanquam à fonte, initium eſt & origo: quod innuens Sapiens medium locum tribuit cordi, utrinque tribus ſceleribus collocatis: neque ſimpliciter dicit *cor cogitans malum*, nam *quis poteſt dicere mundum eſt cor meum?* Prov. 20. ſed illius animum exſecratur Dominus qui ex induſtria & deditâ operâ malum comminiſcitur. Quintum locum pedes ſortiuntur, qui *feſtinant ad malum:* velocitas & curſus affectionem animi & intentionem corruptiſſimam indicant. Labi in malum carnis fragilitate, ac mundi blanditiis trahi, & violentiâ quadam impelli, humanæ infelicitatis eſt, & hominis venundati ſub peccato ſtatûs eſt & conditionis, Rom. 7. Summâ verò alacritate lætari cùm malefeceris, & plenis affectibus ad malum currere, Deo eſt exſecrabile & *odioſum Dei.* Mendacii & vanitatis multæ ſunt ſpecies, quarum duas maximè peſtiferas in hoc malorum catalogo connumeravit Sapiens, nempe *linguam mendacii*, quæ veritatem ipſam qui Chriſtus eſt, aut omnino, ut Judæi, aut in parte, ut Hæretici, non confitentur; ſed loco veritatis mendacium confingit: altera quæ cum damno & ruina proximi mentitur, quam Dominus meritò odio habet. Quid enim refert, manu an lingua ſanguinem innocentem fundere? Nam qui teſtimonio falſo judicium ſubvertit, & vel bonis externis vel vita innocentem ſpoliat, latro & homicida eſt habendus: dum judici ſpoliandum aut interficiendum tradit, non ſolùm in privatum hominem peccat, ſed in publica civitatis jura graviter delinquit. In lege Moſaïca multa ſunt præcepta quibus effrænatos obſtinatæ gentis animos à ſceleribus cohibere voluit Deus: ſed nulla ſunt prorſus à quibus magis cavere oportet quàm ab his criminibus quæ ſeveriſſima Dei ſententia damnata ſunt, & quæ ille clementiſſimus & ab omni odio longè alieniſſimus, gravi tamen odio proſequitur; ut putà ab inimico in agro Dominico ſeminata, Matt. 13. Tu, fili, nè quid committas eorum quæ illius odium merentur. Et ante alia, nè lites & diſcordias ſemines inter fratres: quorum unus eſt Dominus, una fides, qui unico charitatis vinculo ſunt conjuncti, qui uno lavacro ſunt renati, qui de uno pane & uno calice participant, qui uno matris Eccleſiæ gremio foventur. Hos inquam vel pernicioſis dogmatibus, vel obloquiis, aut quacunque arte divellere ac diſtrahere veluti membra à capite, & reliquo corpore dilaniare, omnium eſt graviſſimum ſcelus, & Divinæ clementiæ maximè repugnans, quæ nos omnes tanquam filios in gloriam adducere molitur unanimes: proinde illius animo hoc malum maximè diſplicet; quare cùm reliqua odio proſequatur, hoc exſecratur & abominatur malum. Vide tandem quò ſermonem de inertia inſtitutum deduxit Sapiens, nempe ut oſtenderet ex otio quanta mala naſcantur, juxta illud, *Multam malitiam docuit otioſitas*, Eccl. 33. Sequitur,

19, 20, 21. *Conſerva, fili mi, præcepta patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris gradiantur tecum: cùm dormieris cuſtodiant te, & evigilans loquere cum eis.* Heb. *Cuſtodi, fili mi, præceptum patris tui, & nè declines à lege matris tuæ. Liga illa ſuper cor tuum jugiter, colliga ea gutturi tuo. Cùm ambulaveris duces tecum: cum dormieris cuſtodies ſuper te, & cùm expergefactus fueris, ipſa loquetur tecum*] In poſtremo ex his tribus verſiculis ambiguus eſt ſermo: nam תנחה (juxta ambiguitatem Hebraïci ſermonis) verti poteſt, vel *ducet*, ut ad legem referatur, vel *duces*, ſupple *legem matris*: & אותך *te* pro אתך *tecum* accipitur: verbum quoque *cuſtodiet* ſimiliter in Hebræo eſt ambiguum, nam vel in tertia perſona, vel in ſecunda reddi poteſt. Et hæc interpretatio, nempe *cùm ambulaveris, duces tecum, & cùm dormieris, cuſtodies ſuper te Legem*, magis mihi placet: quamvis ſecunda clauſula rectè poteſt ad Legem referri, juxta Interpretem noſtrum, ad hunc modum, *Cùm dormieris, cuſtodiet*, vel *excubias ponet, ſuper te*, ſupp. *lex:* & hunc ſenſum ſecuti ſunt Lxx. *ἡνίκα ἂν περιπατῇς, ἐπάγου αὐτὴν, καὶ μετὰ σοῦ ἔστω, ὡς δ᾽ ἂν καθεύδῃς φυλασσέτω σε, ἵνα ἐγειρομένῳ συλλαλῇ σοι.* Quod ad ſenſum ſpectat & orationis ſeriem, haud ignarus Sapiens quanta pericula juventuti immineant à mulieribus impudicis, ut ſuprà diximus, nunquam ſatis ſuum filium ea de re admonuiſſe videtur. Et proinde poſt brevem de Legis laude & obſervatione, qua tuti poſſimus eſſe à tantis criminibus, & etiam à muliere adultera, quæ ſolet multis machinis, veluti inſtructa acie, juvenum animos expugnare; ſequitur, *Obſerva, fili mi*, per univerſam vitam, *præcepta patris*, quæ etiamnum infantulo tibi inſtillavit, ut non minùs virtutibus quàm ætate creſcas. Solent inſolentiores filii ſtatim ubi adoleverint, matris imperium (quæ pro filio ſemper eſt ſolicita) rejicere, imbecillum ſexum haud ità magni æſtimare. Verùm tu, mi fili, legem quam præſcripſit tibi mater, nè rejicias. Sunt ex Hebræis qui *patrem* Deum O. M. intelligant, *matrem* verò ſapientum & doctorum hominum cœtum: nos matrem Eccleſiam, qua renaſcimur, cujus lege & ordinationibus veluti lacte nutrimur infantes in Chriſto. Nam *perfectis non eſt lex poſita*, ut qui ſua ſponte plura præſtant quàm lex Eccleſiæ matris præſcribat. Atqui hunc eſſe hujus verſiculi ſenſum ſequens confirmat, qui monet pari aut etiam majori ſolicitudine hujus patris ſervanda eſſe præcepta quàm Moyſes Dei præcepta ſervare voluit, *Erunt*, inquiens, *verba quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua.* Hæc ille Deut. 11. Haud diſſimilia Sapiens hoc in loco: *patris præceptum* videlicet & *legem matris, cordi* & *gutturi conſtricta & colligata* monet *ſervare*, vel quòd his partibus potiſſimùm vivat & reſpiret homo; vel quòd in pectore & collo ſolent homines ſuſpendere geſtamina quædam gratiſſima, quæ maximi momenti & pretii eſſe putant. Tu, mi fili, charius nihil habe, nihil honorificentius tecum circumferre aut geſtare poteris quàm patris præcepta quæ vitam præſtant, quàm legem matris quæ ſummum ubique decus collo tuo conferet, dum te tantæ fœminæ, quæ omni maculâ & rugâ caret, filium dilectum & morigerum oſtendis. Aliter in *corde & gutture*, aſſidua præcepti & legis memoria ac meditatio intelligitur, juxta illud Pſal. 1. *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Juxta ſenſum ſublimiorem; *colligare in corde*, & *collo ſuſpendere*, ad fidei conſtantiam & oris confeſſionem referuntur. In his verò quæ ſequuntur, operis exſecutio intelligitur, *Cùm ambulaveris ducet te.* Id quam ob rem dicat, ſequens verſiculus oſtendit. Nam *lex eſt lux* (inquit) præmonſtrans viam, ſine qua in tenebris ambulant quotquot præſentem vitam tanquam ſemitam ingrediuntur. Chriſtus qui *via, veritas, & vita eſt*, & finis legis, poſt ingentes ignorantiæ tenebras in fine temporum exortus, verus ſol juſtitiæ, rectam vivendi & ambulandi viam commonſtrat, & ſe ducem itineris præbet his qui patris præceptum in corde ligatum, & matris legem in collo ſuſpenſam circumferunt. Energiam quandam exprimit verbum תנחה, quod non ſolùm *ducere*, ſed *perducere, conducere*, aut ſi quod aliud verbum in hoc ſenſu vim majorem indicat: ut intelligamus patris mandatum per Chriſtum, qui lux eſt legis, etiam vires incedentibus per ea præſtare: ſi patris ſervaveris præceptum, & matris legem non contempſeris, nunquam illius ope eris deſtitutus, ſive vigiles ſive dormias. Imò ut in contextu noſtro ſequitur, *Cùm dormieris cuſtodiet te*] Vel cuſtodias prope te ponet contra inſidiatores dæmones, ut jam aliis ſatellitibus non ſit tibi opus: *& evigilans loquere cum eis*, vel ut eſt in Hebræo, *Cùm expergefactus fueris, ipſa loquetur tecum:* q. d. Illius præcepti jucunda meditatio frequenter in ſomnis occurret tibi; & experfacto ſtatim aderit illius conſolatio. Si ligatum in animo patris præceptum retineas, nullâ moleſtiâ poſſis affici, ſive domi ſive foris, dormiens ſeu vigilans, ubique eris tutiſſimus.

22. *Quia mandatum lucerna, & lex lux: & via vitæ, increpatio diſciplinæ.* Heb. *Nam lucerna præceptum, & lex lux: & via vitæ, increpationes diſciplinæ*] Hunc verſiculum ferè ſatis explicavimus; Quod in Hebræo legitur דרך חיים *via vitæ*, poteſt eſſe ſenſus ſubaudiendo præpoſitionem *in*, ut legatur *in via vitæ*: q. d. Quod præſtat lucerna ambulantibus in tenebris, & lumen Solis interdiu, hoc lex & præceptum his qui viam vitæ ingredi volunt. Nam qui carent lege per Moyſen data, & præcepto de quo ſcribitur, *Mandatum novum do vobis*, Joan. 13. in tenebris ambulant. Quorum de numero ſunt Judæi, & infidelium turba. Sunt & alii qui nec lucerna Prophetarum, nec Euangelii ſole carentes, viam vitæ non ambulant, quòd caſtigationem diſciplinæ recuſant, neque moribus volunt imitari quem linguâ confitentur, id quod in *corde* & *gutture* ſuperiùs ſignificavit Sapiens. Quare, mi fili, præceptum patris veluti Solis lumen, & legem matris veluti lucernam in tenebris hujus vitæ circumferens, diſciplinam quæ correptionibus majorum conſiſtit cave nè aliquando recuſes. Alii ſic, *In via vitæ eſt diſciplina, eſt increpatio diſciplinæ:* utcunque, ſenſus eodem ferè redit.

23, 24, 25. *Ut cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiſcat pulcritudinem ejus cor tuum, nè capiaris nutibus illius. Pretium enim ſcorti vix eſt unius panis, mulier autem viri pretioſam animam capit.* Heb. *Nè capiant te ſupercilia illius: Nam propter mulierem meretricem uſque ad buccellam panis, & mulier viri pretioſam animam venatur*] Quod dicit *à muliere mala*, in Hebræo eſt diverſum, nempe *à muliere mali*, vel *malitiæ*, juxta phraſim linguæ. Porrò *extraneæ* referri poteſt vel ad *mulierem*, vel ad *linguam*, quæ alienam &

extra-

extraneam religionem profitetur. *Mulier* vocatur *extranea*, aut quæ non ſit legitima conjunx, aut quæ reliquerit maritum & alienata ſit ab eo. *Ut cuſtodiant te à muliere* refertur ad præcedentem verſiculum, nempe, *Obſerva, fili mi, præceptum patris tui*, &c. q. d. Si ſervaveris præceptum, ſervabit te. Et inter cætera beneficia quæ ex obſervatione Legis aſſequeris (de quibus jam ſuperiùs tractavimus) accedit illud, quòd in juvenili ætate te ſervabit à muliere quæ ad malum faciendum omnino dedita eſt & inſtructa, ut putà quæ ſuadelam habet in lingua, & blanditiis nolentem invitat & pertrahit ad malum, dum ſe facilem ac familiarem reddit, quamvis alioqui extranea fuerit. *Non concupiſcat pulcritudinem illius cor tuum*] Inſtructus à lege & edoctus *non concupiſces uxorem proximi tui*, Exod. 20. non concupiſcas pulcritudinem ejus in corde: nam *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, Matth. 5. *Nec nutibus illius capiaris*, ſive (ut eſt in Hebræo) *ſupercilio & fronte illius*, h. e. oculorum inconſtantiâ & pulcritudine, ut exponunt Hebræi. Ego ad frontis & capitis ornatum & torturam crinium puto referendum: his enim artibus potiſſimùm juventuti inſidiantur impudicæ mulieres. Nempe blanditiis linguæ, corporis pulcritudine, & ornatu laſcivo: quæ res cùm uſque adeò amœnæ & in ſpecie jucundæ apparent, ad extremam nihilominus miſeriam homines pertrahunt; & non ſolùm ad inediam & omnium rerum penuriam, ſed etiam ad interitum perducunt. *Pretium enim ſcorti vix eſt unius panis*] In Hebræo, *Nam propter mulierem fornicariam, ad buccellam panis*, h. e. mendicitatem, deveniſſe multos conſtat, nè levem malum exiſtimes; imò cogita gravius reſtare ſupplicium. *Nam mulier viri pretioſam animam capit*] In Hebræo, *venatur*, & ſubauditur *mulier fornicaria.* Hebræi tamen ſic diſtinguunt lectionem. *Mulier viri, animam pretioſam venatur*, & ſubauditur *mulier viri alterius*, ut nos habemus. Nomen *viri* referri videtur ad *animam*: & ſenſus bene quadrat cum præcedenti clauſula, quæ in Hebræo ſic habet, *Propter mulierem fornicariam ad buccellam panis* ſæpe ventum eſt, ſup. *& mulier viri animam pretioſam venatur*; q. d. ad inediam & mentis inopiam ſæpe deveniunt homines per fornicationem & adulterium. Aliter, propter mulierem fornicariam, & propter mulierem viri alterius, *ad buccellam panis* ſæpe ventum eſt, ut utrumque vitium paupertate puniri intelligamus in hac vita. Et quod ſeq. *Animam pretioſam venabitur*] æternum ſupplicium intelligitur, & ad mœchum aut adulterum refertur. Hæc juxta ſenſum allegoricum, quemadmodum non minùs graphicè hæreticorum artes & fraudes deſcribunt quàm meretricis, ità poſſunt à quovis vel mediocriter docto illò referri præſertim hoc ſeculo, quo, proh dolor! ubique ingens talium numerus occurrit, qui eloquentiâ pluſquam mundanâ & fictâ aliquamdiu vitæ ſanctimoniâ (nam hypopriſis mera eſt quæcunque operum pulcritudo extra eccleſiam) vario denique doctrinarum ornatu, ab eccleſia Chriſti ſponsâ legitimâ infinitas animas rapientes, ad proſtibulum ſuum petraxerunt. Et proinde ſummo ſtudio ſervanda eſt lex matris Eccleſiæ, ut à muliere blanda & compta tutus eſſe poſſis.

26, 27, 28. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui non erit mundus cùm tetigerit eam.* Heb. *Num ponet quis ignem in ſinum ſuum, & veſtes illius non adurentur? Num incedet aliquis ſuper prunas, & pedes ejus non comburentur? Sic qui ingreditur ad uxorem proximi ſui, non erit innocens quicunque tetigerit eam*] Si neque ad hujus vitæ miſeriam & extremam rerum inopiam, quod multis accidit, neque ad animæ tuæ jacturam (quæ ut eſt pretioſa, & ab ore Dei afflata, ità à te magna cautelâ ſervanda) pervenire non vis, principiis obſta, neque tibi licere puta quicquam commercii habere cum uxore alterius. Tu fortaſſis rem fore ſecretam putas, & maritum illius celare poſſe, atque ità culpâ carere: ſed erras, hoc enim minùs poſſibile eſt, quàm ſi quis ignem velit ſinu geſtare abſque læſione veſtium: aut ſi quis ſuper prunas ardentes incedere nudis pedibus ſe poſſe putaverit, & plantas non comburere. Æquè impoſſibile eſt, ut quis congreſſum habeat cum muliere alterius, & ſine culpa habeatur, innocenſque penès maritum illius. Non eris mundus ſive innocens, quicunque tetigeris eam, ſi in manus mariti incideris aut conſanguineorum, qui tantum familiæ opprobrium ferre nolunt. Aliter, non erit mundus ſive innocens (ut eſt in Hebræo) Dei videlicet ſententiâ, ſed reus, tanquam transgreſſor præcepti, *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Atqui hujuſmodi eſt ſenſus hujus loci, ſi per *ingredi* & *tangere* crimen adulterii intelligatur: verùm cùm nihil gravius dicat Sapiens quàm *non erit innocens qui tanget eam*, videtur non de eo loqui qui graviſſimum peccatum committit, ſed de eo qui cum uxore proximi ſui libenter verſatur, ædes alienas frequentans, quaſi de ſua pudicitia ſecurus. Quod alius Sapiens prohibet; *Cum aliena uxore non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum*, Eccl. 9. Et erit ſenſus, *non erit innocens*, quòd id fieri non ſolet citra maculam & pudicitiæ periculum, vel citra offendiculum aliorum: q. d. fieri non poteſt ut innocens ſis & abſque macula: nam præter hoc quòd offendiculum præbes, etiam periclitaris, nè illicito accendaris amore & veſtimenta, quæ hactenus munda ſervaveris, ignis contactu corrupta malè oleant; h. e. nè integritas prioris vitæ offuſcata ſiniſtros rumores tanquam malum odorem diſpergat, & pedes tui ſuper ardentes prunas gradientes aduſti lædantur, ut poſtea per viam virtutum & pudicitiæ non valeant incedere. *Pedes*, affectus animæ ſuperiùs expoſuimus, qui facillimè ſordes vitiorum contrahunt, tantâ videlicet agilitate ubique curſitantes, ut jam ſi ex animo caſtus eſſe velis, & ab omni perverſæ doctrinæ libidine immunis, tutiſſimum fuerit nec corporis nec animæ pedibus ad Synagogam Satanæ & hæreticorum turbam accedere.

29.——34. *Non grandis eſt culpa cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut eſurientem impleat animam. Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domûs ſuæ tradet, & liberabit ſe. Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam perdet animam ſuam. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus & furor viri non parcet in odio vindictæ. Nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Heb. *Non contemnent furem ubi furatus fuerit ad implendam animam, cùm eſurierit. Et inventus reſtituet ſeptuplum, omnes divitias domûs ſuæ dabit. Qui adulterium committit cum uxore, deficit corde: corrumpit animam ſuam qui fecerit hoc. Plagam & ignominiam inveniet*, &c. *Non accipiet faciem cujuſquam redemptionis, neque volet, cùm multiplicaveris munus*] Quò intelligas quàm grave ſit crimen adulterii, ſive corporis, ſive animæ, cum furto graviſſimo alioqui peccato factâ collatione, multis nominibus magis exſecrandum malum adulterium oſtendit, & hoc partim quod ad ignominiam rei, partim quod ad ſatisfaciendi difficultatem ſpectat, & damni reſtitutionem: fur enim ſi fuerit inops, & egeſtate ac fame coactus tantum furatus quantum famelico & vacuo ventri ſufficiat, magnâ ignominiâ non ſolet affici ab hominibus: imò ignominia potiùs eſt divitum, qui ſuâ tenacitate ſinant quempiam è civibus eò neceſſitatis pervenire. Et quis uſqueadeo crudelis eſt, ut malit hominem fame perire, quàm tantillum de rebus ſuis diſtrahi, quantulum unus ventriculus capere poſſit? Cæterùm ſi dives furatus fuerit, ut ab ignominia eximi non poteſt, ità à ſupplicio ſeptemplici ſatisfactione, juxta præſcriptum legis, ſeſe eripiet. Lex in aliquibus rebus duplum duntaxat voluit reddi, ſi furtum in manibus furis integrum reperiatur. Alioqui pro ove quatuor, prò bove quinque: vel, ſi aliter non poſſit placari cui facta fuerat injuria, reddet ſeptuplum, h. e. univerſam ſubſtantiam domûs ſuæ dabit, & à ſupplicio graviore erit immunis. Quòd ſi adulterium cum hoc crimine conferas, modis omnibus gravius invenies. Primò quod ad occaſionem mali ſpectat, unde pendet bona pars veniæ, qui committit adulterium, non ventris inediam patitur, ſed cordis indigentiam, h. e. ſtultitiâ & dementiâ quadam laborat, nec ſuæ vitæ conſulit ut fur, ſed fratrem defraudans animam ſuam corrumpit, & non ſolùm in corpus ſuum peccat: ille ex furto utilitatem capit, hic ex adulterio damnum graviſſimum. Fur (ut diximus) rebus ſatisfaciens, pœnam corporis non ſuſtinet, ſi dives fuerit; ſi pauper, nè ignominiam quidem. At adulter utrumque inveniet, plagam & vindictam à marito, aut ſaltem à Deo cujus legem transgreditur, & lapidari jubetur ex præſcripto legis: præterea illius opprobrium nullo delebitur ævo, imò ſemper excors habebitur, qui tanta injuria fratrem affecerit, cujus zelus & furor nullum miſericordiæ locum relinquet, neque parcet cùm ſeſe obtulerit occaſio ulciſcendi. Quamvis longanimis Deus (qui hoc in loco juxta allegoriam *vir* dicitur) videatur connivere aut ignorare flagitia & ſtupra animarum, tamen cùm acceperit tempus, quod miſericordiæ locum non habet, ſed juſtitiæ & vindictæ; non clementem patrem ut nunc, ſed ſeverum judicem aget, quando ſatisfactioni aut expiationi nullus erit locus. Et qui per chariſſimam conjugem contumelia intolerabili affectus eſt, nulla re placari poteſt, niſi extremo adulteri ſupplicio. Chriſtus, inquam, Eccleſiæ ſponſus, non tam facilè reconciliari ſolet hæreticis, qui Eccleſiæ caſtimoniam commaculare ſeu corrumpere conantur perverſa doctrina.

DRUSIUS.

1. לרעך. LXX. σὸν φίλον. A. ἑταῖρον, *ſocium.* S. Th. πλησίον, *proximum.* ¶ תקעת לזר כפך. Schol. ἐνέπηξας εἰς ἄλυσιν χεῖρά

σου,

σϑ, *infixiſti in catenam manum tuam*] *In catenam*, לזר, Quanquam ז exponitur *corona*, περιφέρεια.

2. נוקשת באמרי־פיך. Sym. ἐπαγιδεύθης ἐν ῥήμασι ςόματός σϑ, *illaqueatus es verbis oris tui.* ¶ נלכדת באמרי. Sym. καὶ ἑάλως ἐν ῥήμασιν, *& captus es verbis.*

3. לך. A. S. Th. πορεύϑ, *vade.* ¶ התרפס. S. Th. παρόρμησον, *incita.* ¶ רעיך. Lxx. τὸν Φίλον σϑ. Schol. πολίτην, *civem.*

4. תנומה. A. S. Th. νυςαγμὸν, *dormitationem*] Pertinet ad ἐπινυςάζειν: malè autem in ed Rom. ponitur in ὕπνον, cui reſpondet שנה *ſomnus.* Mihi non dubium quin cæteri Interpretes etiam ὕπνον hanc vocem reddiderint.

5. מיד יקוש. S. ἐκ χειρὸς ἰξευτϑ, *è manu aucupis.*

6. לך אל נמלה. A. Th. Πορεύϑ πρὸς τὸν μύρμηκα, *Vade ad formicam.*

7. שטר. A. T. ἐκβιαςὴν, *qui vi aliquem compellit.* Sym. γραμματέα, *ſcribam*] i.e. Præfectum, ut Num. 11. 16. ושטריו. Lxx. καὶ γραμματεῖς αὐτῶν, *& ſcribæ ipſorum.* Hoc ſignificatu accipies 1 Mach. 5. 42. γραμματεῖς τϑ λαϑ. item Act. 19. 35. καταςείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, &c. ubi Syrus *præfectus civitatis.* ¶ *Qui vi aliquem compellit.* Lxx. hic habent ἀναγκάζων, & alibi γραμματοεισαγωγεῖς, q. *publicarum literarum promulgatores*, ut Aquila ἐκδικητὰς, i.e. *vindices*, *ultores.* Fusè de hac voce Maſius Joſ. 1. 10. Vide, ſi vacas.

8. אגרה בקציר מאכלה. Sym. συνάγει ἐν ἀμητῷ τὰ δέοντα αὐτϑ, *congregat in meſſe quæ illi opus ſunt.* Schol. συςρέφει ἐν θερισμῷ βρώματα αὐτϑ, *colligit in meſſe cibaria ſua.*

9. עד־מתי. Schol. ἕως πότε. ¶ תשכב. A. S. Th. κοιμηθήσῃ, *cubabis*] Vel *dormies.* Κοιμάομαι propriè *cubo dormiendi gratiâ.* Interdum de *morte* dicitur: unde *Cœmeteria*, quæ Latinis autoribus *ſepulcreta* dicuntur. ¶ תקום. A. S. Th. ἀναςήσῃ, *ſurges.*

10. חבק. A. περιλαμβάνεις, *complecteris.*

11. ובא. A. καὶ ἐλεύσεται, *& veniet.* S. T. καὶ ἥξει, *& veniet.* ¶ כאיש מגן. Sym. ὡς ἀνὴρ ἀσπίδος, *ut vir clypei*, i.e. clypeo munitus. Th. ὡς ἀνὴρ δορυφόρος, *ut vir haſtatus*] i.e. Satelles aut ſpiculator. Lex. V. Δορυφόρος, *ſtipator, ſatelles.*

12. עקשות פה. Sym. ςρεβλεύμασι ςόματος, *tortuoſitatibus oris.*

13. קרץ. A. Th. κνίζει, *vellicat*] Κνίζω, *vellico*; item *uro*, *pungo*, *mordeo*; item *ſcrupulum injicio*, *ſolicitudinem affero.* Κνίζειν τὸν ἐραςὴν dicitur amica cùm fingit ſe eum averſari. ¶ מולל. A. τρίβων, *terens.* Sym. προςρίβων, *atterens*] Hier *terit.* ¶ מורה באצבעתיו. Sym. δακτυλοδεικτῶν, *digito monſtrans.* Schol. συμβιβάζει δὲ τοῖς δακτύλοις αὐτϑ, *docet autem digitis ſuis.*

14. תהפכות. Schol. ςρεβλότητες. ¶ מדנים Schol. ἀντιδικίας, *lites.*

15. פתאום. A. παραχρῆμα, *ſtatim.* Sym. ἄφνω, *ſubitò*, *repente.*

16. יהוה. * ὁ Κύριος. ¶ ושבע תועבת נפשו. S. Th. καὶ ἑπτὰ βδελύγματα ψυχῆς αὐτϑ, *& ſeptem abominationes ſunt animæ ipſius.*

17. עינים רמות. A. S. ὑψηλὸς, *elatus*] *Oculi elati*, i.e. homo elatus ac ſuperbus. Sic *lingua mendax* pro *homo mendax.* Phraſis nota. ¶ דם נקי. A. αἷμα ἀθῷον, *ſanguinem innoxium.* Sym. ἀναίτιον, *inſontem.*

18. ממהרות לרוץ לרעה. A. S. Th. ταχύνοντες δραμεῖν εἰς κακίαν, *feſtinantes currere ad vitia.*

19. יפיח. S. Th. ἐκφαίνει, *profert*] *Profert in lucem*, *patefacit*, *evulgat.* ¶ מדנים. Lxx. κρίσεις. Schol. ἀντιδικίας, *lites*] Thema eſt דן *judicavit.* Sic *jurgium* & *jurgo* à *jure*, ut annotat Scaliger.

21. קשרם. A. Th. σύνδησον. ¶ על לבך. καρδίᾳ] Exſtat in Scholiis. Lxx. habent ἐπὶ σῇ ψυχῇ על נפשך. Puto cæteros edidiſſe ἐπὶ σῇ καρδίᾳ, vel certè ἐπὶ καρδίᾳ σϑ. ¶ ענדם. Sym. σφίγξον, *conſtringe.*

22. תנחה אתך. A. S. Th. ὁδηγείτω σε, *deducat te*] Vel, *ſit tibi dux viæ.* והקיצות. Schol. ὡς δ' ἂν διεγερθῇς, *cum experrectus fueris.*

23. ותורה אור. A. S. Th. καὶ νόμος φῶς, *& lex lux.* ¶ תוכחות מוסר. A. S. Th. ἔλεγχοι παιδείας, *redargutiones diſciplinæ.*

24. מאשת רע. Lxx. ἀπὸ γυναικὸς ὑπάνδρϑ. A. ἑταίρϑ σϑ, *ſodalis tui.* Th. πόρνης, *meretricis.* Schol. τϑ φίλϑ σϑ, *amici tui*] *Sodalis tui*: vel *ſocii tui*, i.e. רעך. Legit ergò רע pro רע. Sic etiam legit qui τϑ φίλϑ σϑ tranſtulit. Nam רע *ſocius*, *amicus.* ¶ *Meretricis.* Interpretamentum τϑ, γυναικὸς ὑπάνδρϑ, quæ Ebraïcè אשת איש *mulier viri.* In Hoſea אהבת רע *dilectam ſodali.* ¶ מחלקת לשון נכריה. Sym. Th. ἀπὸ λειογλώσσϑ ξένης] Λειόγλωσσος, *levem linguam habens*, ut λειοκάρηνος, *caput glabrum habens.* *Levem*, i.e. blandam. ξένης, *peregrina*, i.e. meretricis. Sic Terentius,

Adeon' es demens ex peregrina?

Nam olim meretrices ferè peregrinæ erant.

25. אל־תחמד יפיה בלבבך. A. S. Th. μὴ ἐπιθυμήσῃς κάλλος αὐτῆς ἐν καρδίᾳ σϑ, *ne concupiſcas pulcritudinem ejus in corde tuo.* ¶ ואל־תקחך. Schol. μηδὲ ἕλῃ σε, *neque capiat te.*

27. היחתה. A. S. Th. ὑποτύψει, *num accendet*] Ab ὑποτύφω, *uro*, *accendo.* Priùs erat μὴ ἀποδήσει, & in Hier. *abſcondat.* Hodie reddunt *num capiet?*

29. אל אשת רעהו. Lxx. πρὸς γυναῖκα ὕπανδρον, *ad mulierem maritatam.* A. Th. ἑταίρϑ αὐτϑ, *ſodalis tui.* S. τϑ πλησίον, *proximi.*

30. לא יבוזו לגנב. A. ὐκ ἐξουδενώσουσι τὸν κλέπτην, *non vilipendunt furem.* S. ὐκ ἐξευτελίσουσιν, *non floccifaciunt*] *Vilipendunt*: *nihili pendunt*, aut *faciunt.* *Vilipendo* potiùs eſt, ἐξευτελίζω, *contemno aliquid tanquam* εὐτελὲς, i.e. *vile.* ¶ נפשו כי ירעב. Schol. ψυχὴν αὐτϑ ὅταν πεινάσῃ, *animam ejus cùm eſurierit.*

32. אשה חסר־לב. A. γυναῖκα, ςερεῖται καρδίας, *mulierem*, *deficit corde.*

33. נגע וקלון ימצא. S. μάςιγα καὶ ὕβριν εὑρήσει, *flagellum & contumeliam inveniet.*

34. ביום נקם. A. Th. ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως, *in die ultionis.*

35. לא־ישא פני כל־כפר. Th. ὐ λήψεται πρόσωπον πάσης λυτρώσεως, *non accipiet faciem ullius redemptionis.* ¶ שחד. A. δωροκοπίᾳ, *corruptelâ munerum.*

AMAMA.

1. *SI ſpoſponderis*] Tres partes ſeu tria documenta prudentiæ in adminiſtratione noſtra. 1. de imprudentibus & inconſideratis officiis, usque ad 6. 2. de omiſſis & neglectis veris officiis, uſque ad 12. 3. de nequitia à juſtis officiis diſcedente.

לרעך] Sunt qui ל utrobique accipiunt in Dativo. Sunt qui utrobique pro *pro.* Sunt qui primo loco pro Dativo, poſteriori pro *pro.* Sunt qui contra, quos ſequor. Lxx. ἐὰν ἐγγυήσῃ σὸν φίλον, παραδώσεις σὴν χεῖρα ἐχθρῷ לזר ἐχθρός. aliquando ita ſignificat, ſed hic ponitur pro ἀλλοτρίῳ. Vide ſuprà.

ערב miſceri, commiſceri, dicitur de fidejuſſionibus & negotiationibus ſeu contractibus, quia in iis miſcentur manus, ritus antiquus, quo data manu ſtipulabantur.

Hinc ערב de filo quod ex tranſverſo ſtamini immiſcetur, vocant ſubtegmen. Hinc שתי ערב Crux.

2. De mixtione diverſorum populorum.

3. De mixtione lucis & tenebrarum. Hinc ערבים tempus ab hora 9 ad 12. Hinc Græcum ἔρεβος ἐρέβεννος, & à ערב ἀῤῥαβὼν, ἀῤῥαβωνίζω.

תקע figere, infigere, imprimere, 1. clavum vel paxillum. 2. Spiritum, unde pro clangere. 3. manum: Idque dupliciter, vel manui ſuæ vel alterius. Infigere manum manui ſuæ eſt geſtus lætantium. Pſal. 47. *Omnes populi* תקעו כף. At כף. Prov. 11. *Qui odit* תקעים *confidet.*

לזר] Diximus ſupra.

2. נוקש propriè de avibus. Hinc ἰξεύω aucupor, ἰξευτήριον, aucupium.

לכד. Hinc λήχω, unde λαγχάνω deſumit quædam tempora.

3. *Fac iſtud jam*] i.e. Quàm celerrime, ut Pſal. 4. & 5.

Conveniſti in manum] Alii, *poteſtatem.* Alii, *contractum iniiſti.* Sic *convenire in fœdus*, Jer. 34. 10.

Erue te] Et quidem duobus modis, 1. Submitte te ei apud quem fidejuſſiſti, demulce eum verbis ne te obruat. 2. Robora ſocium tuum. Dupliciter exponunt, urge & interpella eum pro quo ſpoſpondiſti, רהב dominum agere, Jeſ. 3. 5. ירהבו *puer in ſenem, contemptus in nobilem.* Vel *robora*, i.e. Jube bono eſſe animo, ne de diſſolutione dubitet. Quia רע in priori verſu ponitur pro eo, qui mutuo dedit, hic quoque ſic accipi videtur.

Qui ante ז jam רע. Nam omnis cum quo nobis negotium eſt, eſt proximus noſter.

רהב Superbire, invaleſcere & roborare. Hinc רהב Ægyptus, at רחב nomen fœminæ.

5. כצבי] Hinc צ in ט mutato Syr. טביא & צבי & טביתא δορκὰς caprea Act. 9. 36. Aliud eſt *Talitha* Marc. 5. 4. Ταλιθὰ κουμὶ, κοράσιον ἔγειρε. טלי & טליא Puer, טליתא puella. Hic quidam Codices legunt *Tabitha.* Malè. Chryſoſt. vertit Κουμὶ, *Surge mihi.* Surge mihi, non tuo merito, ſed mea gratia. Hoc admodum urget, cùm nihil tale ſit in Originali.

עצל] Hinc *Eſel*, pigrum & iners animal. Sic à פגר, piger.

6. A ſpeciali præcepto de excutienda ſegnitie tranſit ad generale, atque introducit formicam, cujus exemplum proponit. Sic & Horatius:

Exemplum

Exemplum magni tibi ſit formica laboris
Dum calor eſt & læta dies &c.

Formica à ferendis micis. Gr. μύρμηξ. Ebr. à præmorſu & præciſione granorum.

Ἴθι πρὸς τὸν μύρμηκα ὦ ὀκνηρὲ, καὶ ζήλωσον ἰδὼν τὰς ὁδὺς αὐτῦ, καὶ γένυ ἐκείνυ σοφώτερος. Ἐκεῖνος γὰρ γεωργίυ μὴ ὑπάρχοντος, μηδὲ τὸν ἀναγκάζοντα ἔχων, μηδὲ ὑπὸ δεσπότην ὢν, ἑτοιμάζεται θέρυς τὴν τροφὴν, καὶ πολλὴν ἐν τῷ ἀμητῷ ποιεῖται τὴν παράθησιν.

Vias ejus] Id eſt, rationes agendi ſingulares, de quibus Ariſt. de hiſt. anim. 9. 38. & Plin. 11. 30.

קצין. Lxx. legerunt קציר. Alibi vertunt ἀρχηγὸς, ἄρχων, ἡγύμενος, βασιλεύς.

שטר ἐργοδιώκτης, exactor populi. Ex. 5. 6. Qui præeſt operibus. Ibid. Erant publici miniſtri in Ægypto auctoritate publica coërcendi & in ordinem redigendi inſtructi. In deſcriptione Politiæ Judaïcæ adduntur τοῖς שפטים, Deut. 16. Ebræi volunt fuiſſe miniſtros publicos, qui mandata exequebantur. Unde Aq. ἐκδικητὰς vertit, i. e. facinorum vindices. Lxx. hoc tantum loco vertunt ἀναγκάζοντας. Alibi paſſim γραμματεύς. γραμματεὺς reſpondet duabus Ebraïcis ספר & שטר. Unde Act. 19. 35. Καταςείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, Syrus habet, *caput urbis, primarius civitatis.* Quod noto, ne quis miretur hanc interpretationem. Nam γραμματεὺς non unam habet ſignificationem. Vid. Bez. Math. 2.

A שטר eſt ςρατὸς, ςρατιὰ, ςρατεύω, milito. Illi enim revera ſunt exactores. Hinc *ſtrijd.*

A משל eſt βασιλεὺς, מ in ב ex regula.

8. לחם, cibum, victum quemvis. *Tu das panem omni carni.* De melle 1 Sam. 14. Lacte, Prov. 27. Pomis Jer. 11.

קציר, θερισμὸς, ἀμητὸς. A קצר abbreviari, decurtari, abſcindi ſeu cultro ſeu falce, unde & pro metere & demetere, & קציר meſſis, quæ conſiſtit potiſſimum in abſciſsione ſegetum. Hinc eſt *Kurtz* & *Kurtzen*, hinc *kort*, *korten*, *curto*, *decurto*, *Ketzer*, quaſi abſciſſus à vera religione.

13. קרץ] Convenit cum קצר, eradere, evellere, & breviter raptimque movere oculos, annuere, nictare. Hinc Græcum κορσῦν radere, κόρσος truncus, abſciſſus, κορίζω lacero, χρισσὸς ſciſſum, *Kratzen*, *auskratzen.*

Senſus eſt, nihil rotundè eloquitur, omnia corporis membra ad falſitatem componit.

Ponit tria membra velociſſimi motus, Sirach. 27. 25. *διανεύων ὀφθαλμῷ τεκταίνει πονηρά.*

Σημαίνει ποδί] Ebr. *loquitur pedibus*, unde מלל & ὁμιλέω & ὁμιλία.

Διδάσκει νεύμασι τῶν δακτύλων.

Id eſt, fraudulentis & pernicioſis machinamentis & conſpirationibus alii movere exitium. Nam qui prava conſilia volvunt, tum propter injuſtitiam conatus, tum ne alii reſciſcant, ſolent non apertè agere, ſed clam geſtibus nutibuſque, aliiſque occultis indiciis uti.

Digitis] אצבע Exod. 8. 19. *Digitus Dei eſt.* Alii, *plaga quam Deus levi motu & quaſi digito inflixit.* Melius, *potentia, virtus & operatio.* Brachio enim & digitis, qui actionum inſtrumenta ſunt, potentiam & actionem innuunt Ebræi, Pſ. 8. *Opera digitorum.* Licet enim in Deo ſit una virtus operativa, eadem tamen multiplex eſt & multiformis ratione effectuum.

14. חרש Arat. Sic. 3. 29. *Ne ares malum adverſus ſocium tuum.* Et Sirach dixit ἀροτριᾷν ψεῦδος, *arare mendacium*, ubi malè *amare.* Sed quia hinc eſt חרש Faber, inde Lxx. τεκταίνεται. Hinc ὀρύσσω.

15. *Et ſeptem*, i. e. Septimum. Vide Reg. Textualem.

Anima ejus] i. e. Ipſi.

21. תמיד] Hinc θαμίζω frequento, θαμὰ & θαμινὰ frequenter, θαμεῖος frequens.

22. *Ἡνίκα ἂν περιπατῇς ἔξω μετά σου, ὡς δὲ ἂν καθεύδῃς φυλασσέτω σε, ἵνα ἐγειρομένῳ συλλαλῇ σοι. Ὅτι λύχνος ἐντολὴ νόμου καὶ φῶς, καὶ ὁδὸς ζωῆς, καὶ ἔλεγχος, καὶ παιδεία.*

23. *Lucerna*] Sic Pſ. 119. *Lucerna pedibus meis eſt verbum tuum & lux ſemitæ meæ.* Qui hanc lucernam ſequitur, nunquam impinget.

אור] Hinc, Aurum, orum, ut olla, aulla. Hinc orior, hinc orus, Sol apud Ægyptios. Hinc ὡραΐζω, luceo, ſplendeo. Hinc Aurora. Hinc ὠρανός. Hinc אור focus, & ignis, *vier.*

Lex] Aliquando pro Pentateucho, aliquando pro toto Vet. Teſt. ponitur. Hinc quæritur an Saducæi rejecerint totum V. T. an Legem Moſis tantum. Omnes ajunt eos Legem tantum rejeciſſe; ſed an Lex opponitur traditionibus an Prophetis Math. 7. *Hæc enim Lex & Prophetæ. Ab his duobus præceptis pendent Lex & Prophetæ.* Omnes patres ajunt eos Prophetas rejeciſſe. At Ebræi plerique ita loquuntur, ac ſi Prophetas quoque recepe-rint. Comment. libri Aboth dicit eos tantum inniti Scripturæ, ſub qua Prophetæ. Lucas ubi narrat eos negâſſe Angelum, Spiritum & Reſurrectionem, hujus hæreſeos non meminit Joſephus, cujus ævo floruit ea ſecta, dicit eos πάντα τὰ γεγραμμένα amplexos, τὰς δὲ παραδόσεις ἀγράφυς rejeciſſe. Ita Scal. Elen. 16. *Sacrificarunt una cum cæteris in Templo, crediderunt ergo locum illum à Deo electum, quod non ex Moſe, ſed Prophetis.*

27. Duplici ſimilitudine docet damnum vitare non poſſe adulteros & ſcortatores.

חתה eſt ignem tollere ex foco, ut שאב aquam haurire. Aliis, *fovere ignem.* Hinc eſt αἴθω incendo, ardeo.

שרף Convenit cum צרף, exuſſit, excoxit metalla, & צרב aduſtus eſt calore, & צרב radiis ſolis. Hinc πρήσσω, comburo, πρηςὴρ ſerpens ignitus vel urens. Nam שרף ſerpens urens; inducebat enim calorem quendam præter naturam. Junius, *præſter.* Græci itidem. Ut & aliquando δίψας quod inexſtinguibilem ſitis ardorem morſu ſuo inferret. Hinc *Seraphim* Angeli, quod ardeant amore Dei & hominum.

30. Hæc comparatio exaggerat indignitatem adulterii à conſequentibus malis. Furi, qui furatur, ut animam eſurientem expleat neque vita neque honor adimitur, ne tum quidem, ſi manifeſtè in furto deprehendatur aut in idem ſæpius recidat. Satis eſt Domino rei ablatæ ut reddat rem ſuam ex lege, honorem verò & vitam ejus non perſequitur. At adulteri conditio planè alia. Nam petitur illius vita & honor, publico & privato jure, ſi vel ſemel fuerit deprehenſus.

Septuplum] Lex Exod. 22. Conſtituit duplum in bove mactato aut vendito, quintuplum, in ove quadruplum. Hic ergo *ſepties*, i. e. ſæpius, quoties peccaverit.

32. *Perditurus ſe ipſum, ipſe faciat iſtud*] Conceſſio. Alii, *perdit ſe ipſum, qui facit illud.* Alii, *perdit animam ſuam: ipſe facit illud non eſt quod alteri imputet.*

GROTIUS.

1. D*Efixiſti apud extraneum manum tuam*] In Hebræo, *comploſiſti.* Eo enim ritu apud Hebræos fiebant ſponſiones. Infrà 17. 18. 22. 26.

2. *Illaqueatus es verbis oris tui*] Græca ſententia, ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτα, [*ſponde, præſtò malum eſt.*] infra 11. 15.

3. *Et ſuſcita amicum tuum*] *Appella mandatorem tuum.* Licebat enim, ni id fieret, creditori convenire fidejuſſorem non convento principali: infrà 20. 16. 27 13.

6. *Vade ad formicam, ô piger*] Horatius:

Parvula (nàm exemplo eſt) magni formica laboris,
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum
Non uſquam prorepit, at illis utitur antè
Quæſitis patiens.

7. *Quæ cum non habeat ducem*] Sicut in apibus regni formam molita Natura eſt, ità in formicis δημοκρατίας, *popularis regiminis.*]

10. *Paululum dormies*] Οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγυ [*Non paullum eſt quod paulatim fit.*]

22. *Cum ambulaveris gradiantur tecum; cum dormieris cuſtodiant te; & evigilans loquere cum eis*] In Hebræo verba ſunt ſingularis numeri, & futuri temporis, hoc ſenſu, *Cùm ambulaveris tecum ibit* (nempe lex Dei quam à patre & matre diſces,) *cùm dormieris cuſtodiet te; & cùm experrectus fueris te alloquetur.* In omni actu vitæ tibi proderit. Cæterum liber Pirke Avoth intelligit hæc tria tempora, vitæ hujus, mortis, & reſurrectionis.

26. *Pretium enim ſcorti vix eſt unius panis*] In Hebræo: *Propter ſcortum* (id eſt, adulteram, ut præcedentia & ſequentia oſtendunt) *ad buccellam panis* (id eſt, ad ſummam egeſtatem, ſupple, *devenitur.*)

Mulier autem viri pretioſam animam capit] *Mulier viri*, id eſt, alteri nupta. Ea cauſa ſæpe eſt cur adulter vitam amittat. Ac viciſſim adulter adulteræ, ut modò dicentem Menandrum audivimus.

30. *Non grandis eſt culpa cùm quis furatus fuerit*] In Hebræo, *Non afficitur probro fur*; non cæditur flagris, ſed compellitur ad reſtitutionem cum augmento. At adulter occiditur.

31. *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum*] Ex Hebræo meliùs vertas, *Deprehenſus rependit ſepties:* id eſt, etiamſi ſepties furti convincatur, non ultrà tenetur quàm ad reſtitutionem, qualem jam diximus. Sic vox שבעתים [*ſepties*] ſumitur Pſal. 12. 7.

Et omnem ſubſtantiam domûs ſuæ tradet] Quamdiu res habebit unde ſolvat non ducitur in nervum.

34. *Quia*

34. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*] Sive ex dolore, deprenſo fortè adultero:

exigit autem
Interdum ille dolor plus quàm lex ulla dolori
Permiſit,

ut ait Juvenalis Satyrâ x. ſive etiam re in judicium adductâ, ubi convictus adulter non repetet crimen, quod fures interdum faciunt, ſed ſtatim capite luet.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

9. *IN caligine noctis*] Eſt אישון propriè *nigredo illa quæ apparet in oculo*, capiturque hîc pro *caligine ipſa & primis tenebris quæ ſequuntur occaſum Solis.*

10. *Apertis ſignis*] Capitur hîc שית pro ערוה. Et eſt ſenſus, *Totam ſe diſcooperuit præter fallax cor, quod erat munitum*: vel, ut Kimhi exponit, שמורה *Cuſtodita erat corde, potens alios ſeducere; ipſa autem à nullo decipi potuit.*

14. *Sacrificia pacificorum*] Hoc dicit ut juvenem alliciat & invitet ad epulas: q. d. Eſt mihi domi multa caro, quoniam feci hodie ſacrificia pacificorum: indulgebimus igitur genio, comedentes & bibentes. Alii ſic exponunt, Veni mecum, & in tantum vacabimus deliciis ac ſi ſacrificia exhiberemus pacificorum. ¶ Porrò מרבדים v. 16. exponitur à Kimhi pro *tapetibus auro textis.* Et חטובות accipit pro *cælaturis in lecto factis*, & אטון pro *fune pretioſo in Ægypto facto, quo tabulæ lecti conſtringuntur.*

23. *Donec ſagitta transfigat*] Senſus eſt, Non quieſcit miſer, nec abſtinet ſe à ſcorto donec maritus ſcorti ſpiculo confodiat jecur ejus.

VATABLUS.

5. *LEnit* החליקה] *Mollificat.*

6. *Cum per feneſtram* כי בחלון] *Quoniam de feneſtra*, &c. ¶ *Per feneſtram* בעד אשנבי] Quidam vertunt *per cancellos*: quod rectum eſſe non poteſt, cùm dicat caput ſe protuliſſe; quod per cancellos fieri nequit.

7. *Inter ſimplices* בפתאים] Vide ſupra 1. 4. ¶ *Carentem cor* חסר לב] i.e. *Deſertum animo, mente captum, vecordem.*

8. *Angulum ejus* פנה] *Angulum* domûs *ejus*, nempe *mulieris alienæ.* ¶ *Domûs ejus* ביתה] Pronomen refert *ſcortum*, i.e. per viam quæ ducit ad domum ejus.

9. *In crepuſculo* בנשף] Sub. *veſpertino.* Significat primam partem noctis. Eſt autem duplex crepuſculum, matutinum & veſpertinum. Unde dicunt Hebræi quòd eſt initium noctis, cùm tenebræ incipiunt, & principium diei, cùm deſinunt tenebræ. Eſt ergò *crepuſculum* lux dubia quæ eſt poſt occaſum Solis, & ante ipſius ortum. ¶ *In tenebris* באישון] *In nigrore*; vel *obſcuritate.* Propriè ſignificat *nigredinem illam quæ apparet in oculo*, propterea hîc accipitur pro *caligine ipſa & primis tenebris quæ ſequuntur occaſum Solis.*

10. *Ornatu meretricio* שית זונה] Ad verb. *præparatione meretricis*, vel *diſpoſitione meretricis*, i.e. habitu meretricio. ¶ *Et cauta corde* ונצורת לב] Ad verb. *ſervata corde*; h.e. habens cor ſervatum: i.e. non mente capta, ſed aſtuta & cauta. Alii vertunt, *anxia corde*, vel *deſolata*, aut *deſtructa*: i.e. deficiens corde, ſive intellectu.

11. *Tumultuoſa* הומיה] *Clamoſa.*

12. *Omnem angulum* כל פנה] *Singulos angulos*; vel, *quemcunque angiportum.*

13. *Roboravit vultum ſuum* העזה פניה] Hebraïſmus, pro *perfricuit frontem*: i.e. impudenti vultu, vel impudenter allocuta eſt.

14. Carnes, &c. זבחי שלמים] Sub. *relicta ex ſacrificio pacificorum.* Alii, *Sacrificia pacificorum*: & ità Hebraïcè.

15. *Ut quærerem faciem tuam* לשחר פניך] Quidam vertunt, *ut maturè vultui tuo apparerem*: vel, *tempeſtivè præoccuparem faciem tuam.*

16. *Ornamentis ornavi* מרבדים רבדתי] Ad verb. *Tapetibus tapetiavi*, i.e. ſtravi, vel adornavi. Alii, *pannis mutatoriis ſtravi.* ¶ Conſtantem lignis *affabrè*, &c. חטובות אטון מצרים] Quidam Hebræorum referunt ad ornamenta, vertentes, *elevatis fune Ægyptio.* Sing. pro plur. *funibus Ægyptiis.*

17. *Suffivi* נפתי] *Conſperſi*; vel, *Odoratum reddidi.* Alii, *Fluere feci in cubili meo myrrham.*

18. *Inebriemur* נרוה] *Inebriabimur*, i.e. ad ebrietatem uſque amori indulgebimus. ¶ *Lætemur amoribus* נתעלסה באהבים] *Exhilarabimus nos dilectionibus.*

19. *Longinqua* מרחוק] Ad verb. quæ eſt è *longinquo*, ſub. *loco.*

20. *Ligamen* צרור] i.e. Sacculum, quòd nodo ligetur ſive conſtringatur. ¶ *Conſtitutum* הכסא] *Temporis conſtituti.* Alii, *certæ ſolennitatis.* Alii, *novilunii*, à כסה *abſcondit*, quòd tum Luna ſe abſcondat.

21. *Declinare fecit eum* הטתו] Sub. *à rectâ via.* Alii, *Stravit*, vel *expugnavit eum.* Alii, *Flexit illum.* ¶ *Blanditiis* בחלק] *Lenitate, ſuavitate, blanditiâ.*

22. *Ad victimam ire ſolet* אל טבח יבוא] *Ad lanienam* [vel *macellam*, aut *occiſionem*] *ire ſolet.* Fut. Heb. pro præſ. *veniet.* ¶ *Ad caſtigationem ſtulti* אל מוסר אויל] i.e. Quæ ſolent indui à ſtulto ut caſtigetur. q. d. *Ac veluti compedibus injectis quibus fatui vincti coercentur, pergit, donec*, &c. nam ſequenti verſui jungi debet.

23. *Quòd contra animam ſuam eſt* כי בנפשו הוא] *Quòd vita ejus paratus ſit.*

25. *Declinet* ישט] *Divertat*; ſectando ſcilicet illam.

26. *Multos enim vulneratos cadere fecit* כי רבים חללים הפילה] Sic Hebraïcè ut vertimus. Quidam, *Multos enim vulneravit ac ſtravit.* Alii, *Quoniam multos in vulnera ruere fecit.* ¶ *Occiſi ejus* הרוגיה] Affixum pronomen pro הרוגים ממנה i.e. interfecti ab ea. Hebraïſmus, *interfecti ſunt propter eam.*

27. *Ad cubicula* אל חדרי] *Ad penetralia*; vel, *interiora cubicula.*

CLARIUS.

10. *APertis ſignis meretricis*] In Hebræo vocabulum obſcænum eſt; ſed eſt ſenſus, *Totam ſe diſcooperuit, præter fallax cor, quod erat munitum.*

14. *Victimas pro ſalute*] Hoc dicit ut juvenem alliciat atque invitet ad epulas: q. d. Eſt mihi domi multa caro; nam feci hodie ſacrificia pacificorum: indulgebimus igitur genio.

23. *Donec transfigat*] h. e. Non quieſcit miſer, nec abſtinet à ſcorto, donec maritus ſcorti ſpiculo confodiat jecur ejus.

R. BAYNUS.

1, 2. *FIli mi, cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea recondetibi. Serva mandata & vives, & legem meam quaſi pupillam oculi tui: liga eam in digitis tuis, & ſcribe illam in tabulis cordis tui.* Heb. *Fili mi, cuſtodi verba mea, & præcepta mea abſconde tecum. Cuſtodi præcepta mea, & vives, & legem meam ut pupillam oculorum tuorum: ligabis ea ſuper digitos tuos, ſcribe eadem ſuper tabulam cordis tui*] In his crebris monitionibus de verbis & præceptis ſuis ſervandis, quæ & Dei ſunt præcepta, oſtendit Sapiens nos aliter non poſſe per hujus vitæ tenebras dirigere curſum, & inoffensè ad æternam pervenire vitam, niſi verbo Dei iter præmonſtrante, tanquam vero lumine & lucernâ pedibus noſtris, ut ſuperiùs dictum eſt. Atqui eò diligentiùs ſemper hujuſmodi admonitiones inculcat, quoties de majoribus dicturus eſt criminibus, in quæ vulgò impingunt homines, qui futuræ vitæ nullam rationem habere videntur. Superiùs à duobus maximis criminibus, nempe fornicatione & adulterio, vehementer deterruit, quibus de rebus nunquam ſe ſatis dixiſſe putat pro fragilitate juventutis, & meretricum impudentia: contra quæ mala, Dei præceptis & crebris majorum admonitionibus muniendos juvenum animos indicat. *Cuſtodi, fili mi, verba mea*] Neque tradas oblivioni, ſed operibus imple, & præcepta mea abſconde tecum, veluti pretioſiſſimum theſaurum. Solent enim homines hujus vitæ amatores in futurum multum annonæ recondere, magnas opes in omnem eventum reponere, nè quid illis ad vitæ videlicet neceſſitatem deſit. Tu, mi fili, ſerva penès te præcepta mea, ut æternam vivas vitam: neque utcunque ſunt ſervanda hæc præcepta, ſed ut res maximè chara & ſummopere neceſſaria. Ex omnibus corporis partibus ut nullam habemus majoris momenti quàm pupillam oculi, ità nullam tuemur majori curâ, utputà quam natura non ſolùm in honeſtiſſimo loco collocavit, ſed palpebris, ciliis & ſuperciliis ſolicitè munivit: cui etiam ſi aliquid periculi immineat, in illius defenſionem nullius membri recuſamus jacturam. Pari diligentiâ & curâ ſunt mea præcepta ſervanda tibi, mi fili, ut quæ lumen univerſæ vitæ tuæ præbeant, & ſine quibus in tenebris verſamur quamlibèt ſapientes & apud ſeculum docti. Sed quo loco ſervanda ſunt, inquis? num munitis arcibus, aut capſis ferreis recludenda? *Ligabis ea ſuper digitos tuos*] Duplex eſt ſenſus, vel quòd opere & ſtudioſa actione ſint implenda, quæ per *digitos* intelliguntur, vel quòd præſente memo-

memoriâ & numeratò, non minùs quàm digiti, ſunt recolenda: non Judaïco more chartis ſcribenda, quæ digitis circumferantur, aut colligentur brachiis; imò tabulis cordis carnalibus non lapideis ſunt iſta nova Euangelii præcepta inſculpenda. Eſt enim intellectus humanus (ut inquit Philoſophus) ſtatim ab infantia, *tanquam tabula raſa*, in qua nihil depingitur. Tu, mi fili (inquit Salomon) etiamnum juvenis, in hac tabula, piâ intelligentiâ, & ſolidâ memoria, ante omnia ſcribe hæc mea verba & præcepta, ut nulla poſſint obliterari ſeu falſâ doctrina, ſeu mulierculárum amore, & ſuaviloquentia carnali. Quòd ſi juvenis cùm ſis, omnino fœminarum colloquiis & pulcritudine frui juvat, omnium pulcerrima eſt ſapientia, omnium maximè affabilis eſt intelligentia: da igitur operam cum illis inire gratiam, & loco ſororum habere. Si ſapientiam non minùs charè diligas quàm ſororem, ſi intelligentiam habeas in loco cognatæ vel propinquæ, quarum in amore ſi te oblectaveris, omnem facilè amorem impudicum declinabis, ut eſt in contextu.

3, —— 11. *Dic Sapientiæ, Soror mea es, & prudentiam voca Amicam tuam: Ut cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba ſua dulcia facit. De feneſtra enim domûs meæ proſpexi juvenem, Et video parvulos, conſidero vecordem juvenem, Qui tranſit per plateas juxta angulum, & prope viam domûs illius graditur in obſcuro, Adveſperante die, in noctis tenebris & caligine. Et ecce mulier illi occurrit in ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas. Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Nunc foràs, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians.* Heb. *Dic Sapientiæ, Soror mea tu es, & cognatam intelligentiam vocabis, ad cuſtodiendum te à muliere extranea, ab aliena* (quæ) *verba ſua polivit. Nam per feneſtram domûs meæ, per feneſtram meam* (inquam) *proſpexi. Et vidi inter imperitos, animadverti inter filios, juvenem deficientem corde. Tranſeuntem per plateam juxta angulum ejus, per viam adsum ejus erat iturus. In crepuſculo, ſub veſpera diei, in nigredine noctis, & caligine. Et ecce mulier in occurſum ejus habitu meretricis, & anxia corde. Clamoſa illa & perverſa, in domo ſua non manſerunt pedes ejus. Nunc foris, nunc in plateis, & prope omnem angulum inſidias poſitura*] Quod ſuperiùs monuit de muliere extranea, quæ miris artibus juvenilibus inſidiatur annis, hoc in loco narratione, veluti re geſtâ doctrinam confirmat, ut intelligas niſi Sapientiæ des operam, & intellectum ſalubri doctrinâ excolas etiamnum juvenis, à procacibus mulierculis tutus eſſe non poteris. Quod rectè (ut antè monuimus) ſive de impudica juvenum vita, juxta ſenſum hiſtoricum intelligere licet, ſive tropicè de ſenſitiva parte, quæ mentem in nobis tanquam virilem partem ad mala ſubinde ſollicitat. Atqui eodem ferè ſenſus redit, cùm utraque moralis ſit interpretatio. Poſſumus de doctrina locum intelligere hæreticorum, contra quam ſapientiâ Dei eſt opus, ſive ut rem geſtam, ſive exempli causâ confictam à Salomone intelligamus narrationem, parùm refert: graphicè certè depingit impudicæ mulieris ingenium & mores, à quibus quàm longiſſimè abeſſe oportet, uſque adeò ut nè ædibus quidem illius appropinques, aut in eam plateam venias quâ habitat illa, ut ſuperiùs dictum eſt. Nam olim per feneſtras & cancellos proſpiciens, *vidi* inter alios (ſic Hebræa habet veritas) juvenes, unum cæteris magis vecordem, cui cor defecerat, qui ubi ſe in periculum conjecerat, in caſſes illius incidit, cùm non ſolùm in plateam, ſed prope illius ædes acceſſiſſet. In Hebræo enim legimus, *prope angulum ejus*, h. e. angulum domûs ejus. Quod dicit, *vidi*, non eſt neceſſum ad corporis oculos referre, neque rem geſtam intelligere, ſed fictam potiùs velut in proſcenium producit narrationem. Menre igitur conſideravit quid utrinque fieri ſolet, & à meretricum impudentia, & à parùm conſtantibus viris, & interim oſtendit quibus tentationum gradibus ad crimen perveniatur. Per *crepuſculum, veſperam diei, noctis nigredinem & caliginem* (nam hæc quatuor diſtincta leguntur in Hebræo) primùm נשף quod tempus ſignificat non ſatis clarum, cujuſmodi eſt vel ſtatim poſt ſolis occaſum, vel ſub ortu ſolis, univerſæ vitæ mortalium referens imaginem, ut in qua cum luce fidei variæ tentationum ſpecies miſcentur. ערב יום *veſpera diei*, quæ multò plus noctis habet, ſenſum & oblectationem ad crimen ſignificat: cui ſi *nigredo noctis* (ut eſt in Hebræo) accedat, h. e. plenus conſenſus, qui lumen gratiæ rejicit, omnino nihil ſupereſt, niſi ut ad caliginem, & malorum operum tenebras, quæ lucem oderunt, perveniatur, & non ſolùm gratia recedat, ſed lumen quoque intellectûs naturale obſcuretur. Quò cùm veniſſet ſtultus ille, jam obſcurâ luce, & ingruente noctis caligine, occaſionem obſervans mulier, in occurſum illius feſtinat, omnibus modis ad decipiendum hominem inſtructa, non ſolùm verbis politis, de quibus ſuperiùs diſſeruimus, ſed etiam habitu meretricio: & his modis reddimur obnoxii tentationibus, dum (ut excors iſte) nullis honeſtis laboribus vacamus, dum temporis & locorum circumſtantias, & occaſiones peccandi ſequimur. *Præparata ad decipiendas animas*] Pro quo, *anxia corde*, in Hebræo legitur, ſive *ligata corde*, h. e. anxietate cordis amorem ſimulans, ut ſit à verbo צור, i. e. *coartare*, non à נצר *ſervare* Poſſunt hæc verba נצורת לב *corde ligata* ſive *anxia*, referri ad cordis ſecreta, & diſſimulationem: ego mallem referre ad habitum corporis & ornatum, quem laxum & laſcivum geſtabat, ſed circa præcordia ſtrictum & colligatum, ut corporis elegantiam oſtentaret. Chaldæus alio ſenſu vocem Hebræam צורת interpretatur nempe pro *fortitudine*, ut ſit ſenſus, fuit habitu meretricio diſſoluta & effeminata, ſed corde robuſto & virili, utputa inverecunda & impavida. Poteſt denique exponi *deſolata*, ſive *deſtituta corde*, h. e. ſine intellectu, juxta illum locum, כעיר נצורה, *tanquam civitas deſolata*, Eſa. 1. Levi Ben-Gerſom ad habitum ſive ornatum meretricium refert locum: q. d. *erat nudo collo & pectore corde tenus*, quod veſtitum & tectum habebat. Et hunc ſenſum ex Chaldæo licet intelligere, cùm vox Chaldæa utrumque ſignificet, *fortitudinem* & *abſconſionem*. David Kimhi *obſervata corde*, à verbo נצר, ut ſit ſenſus, Erat cauta, quæ cùm alios deciperet ipſa decipi non potuit. Porrò quod ad mores illius ſpectat, erat garrula, inquieta, non valens in ædibus conſiſtere. Hebræum, *clamoſa & recedens* ſive *declinans*, ſup. ab imperio & obedientia mariti, vel ab omni honeſtate & virtute aliena. Sequitur in Hebræo, *In ædibus illius non manſerunt pedes ejus*] Vel, *non ſolent manere*. Cùm pudicæ mulieris ſit rarò in publicum apparere, hæc contrà foris viſa eſt nunc ante ædes, nunc etiam longiùs in plateam progreſſa. Quàm aptè quadret hæc in doctrinam adulterinam, & in magiſtros hæreticæ pravitatis, quid attinet admonere? qui pudore ſemel depoſito ſuam ignominiam & damnata dogmata modis omnibus publicare conantur, præſertim apud indoctam ſeu juvenum ſeu vulgi turbam, quæ non ſatis claram Scripturarum lucem eſt aſſecuta, ſed crepuſculo inter diem & noctem obambulant: id quod negligentiâ paſtorum ferè fit, qui veluti oves abſque paſtore populum Chriſtianum relinquunt, & cùm paſtoris vocem non audiunt, alienum ſequuntur plurimi. Cæterùm quantâ impudentiâ & pluſquam meretriciâ procacitate oſtentant hodie & per plateas, ſed tectè & in tenebris, venalem exponant corruptiſſimam doctrinam, & quanto ſtudio evigilant, ut à ſinceritate doctrinæ catholicæ, & à caſtitate matris Eccleſiæ revocent homines indoctos, utinam magis eſſet ignotum! ſed dabit his quoque finem aliquando Chriſtus. Noſtra verò ad inſtitutum revertatur oratio, oſtenſura quanta ſit hujus mulieris impudentia, non minùs factis quàm verbis procax & audacula. Ultra omnem pudorem fœmineum proſilit in amplexus & oſcula: nam comprehenſum juvenem oſculatur. En tibi, fili, quibus gradibus ad crimen deſcenditur; caro ſuis illecebris mentem & rationem apprehendit, & oblectationibus veluti quibuſdam oſculis demulcet, ut ad peccandum conſentiat. Sed quæ ſequuntur audiamus.

12, —— 16. *Apprehenſumque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens, Victimas pro ſalute devovi, hodie reddidi vota mea. Idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aſperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinamomo.* Heb. *Porro tenuit eum, & oſculata eſt eum, corroboravit faciem ſuam, & dixit ei. Hoſtiæ pacificæ apud me, hodie perſolvi vota mea. Quamobrem egreſſa ſum in occurſum tuum ad quærendam faciem tuam, & inveni te. Ornamentis ornavi lectum meum, trabibus cælatis, funibus Ægypti. Suffumigavi cubile meum myrrhâ, aloë, & cinamomo*] Quibus artibus pudicitiæ juventutis inſidiantur impudicæ mulieres, quæ interim ſummum amorem & aliquam honeſtatis ſpeciem præ ſe ferunt, præſens locus oſtendit. Nam quamvis omnia libidinis & lucri causâ faciat hæc mulier, nihilominus compoſito vultu & robuſtâ facie, h. e. oculorum conſtantia longè diverſum ſimulat, & inquit, *Victimæ pacificæ ſunt mihi* (ut eſt in Hebræo) *hodie reddidi vota mea*; q. d. Convivium tuâ causâ paravi, quod alioqui facere oportuerat, cùm eſſem voto conſtricta Et hodie me feciſſe mihi gratulor poſteaquam te invenerim. Aliter nunc ſum obnoxia & obligata pacificis reddendis victimis (quas votorum compotes ſolent homines facere) poſteaquam te invenerim. Jamdudum votum feceram de victimis pacificis ſolvendis, quàm primò tui compos eſſem: eas, ut vovi, hodie libenter ſolvam, poſteaquam mihi occurriſti. Prior expoſitio eſt melior, nam nihil aliud quàm paratas dapes & lautam cœnam domi ſe habere ſignificat: & quamvis illa nullum hominem recuſaſſet, neque amore ſincero quenquam proſequatur, tamen imperito & vecordi juveni perſuadere conatur, ſe illius amore flagrare. Nullâ levitate ex ædibus egreſſa ſum, ſed tuâ causâ duntaxat, inquit, veni, domi habens epulas multas, quarum te participem eſſe volui; quæ hoc nomine gratiores erunt,

erunt, quòd ex victimis pacificis ſuperſunt. Cogita (inquam) quàm mihi charus ſis, cùm non miſerim quenquam, ſed ipſa te quæſitum veni. In Hebræo legimus לשחר פניך *ad inveſtigandum, cum cura & ſolicitudine, faciem tuam* ſive *perſonam:* q. d. nihil aliud volui niſi te, non tua. Interpres qui vertit *deſiderans te videre*, ſecutus eſt LXX. qui ſic habent *ποθῦσα τὸ σὸν πρόσωπον.* At nè fortaſſis jam ſub veſperam de cubili aut lecto ſis ſolicitus, habeo lectum elegantiſſimum, ut putà ſtragulis & ſumptuoſis ornamentis ſtratum, funibus byſſinis ex Ægypto ſuſpenſum. Chaldæus hunc locum, in quo magna eſt varietas Interpretum, ſimpliciter vertit ſic, *Stramentis & lecticis ſtravi lectum, & ornamentis ex Ægypto ornavi.* Poteſt dictio Hebræa אטן, quam Hieronymus ſecutus LXX. *tapetibus* vertit, [*ἀμφιτάποις διέστρωκα τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου, διέῤῥαγκα τὴν κοίτην μου κρόκῳ, τὸν δὲ οἶκον μου κινναμώμῳ*, *Tapetibus ſtravi quæ ſunt ab Ægypto, aſperſi cubile meum croco, at domum meam cinamomo*, ſic LXX.] Poteſt inquam vox אטן *funes* ſignificare, qui ex optimo lino, ſeu byſſo, nempe Ægyptio, contexti ſunt. Et nè quid deſit ad voluptatem, *ſparſi* vel potiùs *ſuffivi*, odoratum feci, *cubile meum myrrhâ, aloë, & cinamomo.* Quidam ex Hebræis exponit aquis roſarum & aromatibus.

17, 18, 19. *Veni, inebriemur uberibus, & fruamur concupitis amplexibus, donec illuceſcat dies.* Heb. *Veni, inebriabimur amoribus uſque manè, exſultabimus in amoribus. Non eſt enim vir in domo ſua, abiit viâ longiſſimâ: Sacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam*] Hàc nocte, inquit, uſque manè voluptatibus indulgeamus: opera tenebrarum oderunt lucem. Sequitur, *Vir non eſt in domo ſua*] Ut omnem metum eximat; & ſenſus ſimplex, Non eſt domi, ſed procul peregrè profectus; neque brevi reverſurus, nam in ſumptus viæ tulit non parvam pecuniam. *Ante diem abſconſionis*, ſup. *lunæ* (ut eſt in Hebræo) h. e. ante novilunium non eſt reverſurus, nè quid ab eo timeas: vel, *non eſt in domo ſua vir*, h. e. nihil habet autoritatis in domo ſua, etiamſi domi eſſet, ego primas in familia partes teneo: ad ſecuritatem omnem accedit, quòd domi non ſit. Myſticè in humana anima, cùm intellectus & mens gratiâ Dei imbuta viriles partes non agit, ſed procul peregrinatur à cuſtodia conſcientiæ, ad voluptates & deſideria inutilia deflectit ratio à carne pertracta. Chriſtus quoque animarum noſtrarum ſponſus eſt, quem conſcientiæ domûs ſi cuſtodem non habeamus, facilè cum mundo & dæmonibus fornicamur. O infelix animus & miſerrimus, qui in domo patris tantâ abundantiâ ſaluberrimi panis relictâ, quiſquilias porcorum in domo metricia malit edere, quàm cum Abraham, Iſaac & Jacob recumbere, & ſanctorum epulis intereſſe!

20, 21, 22. *Irretivit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit eum.* Heb. *Declinare fecit illum per multitudinem dulcis ſermonis, blanditiis labiorum ſuorum impulit eum. Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens & ignorans. Et neſcit quod ad vincula ſtultus trahatur.* Heb. *Vadit poſt eam ſubito, ut bos ad victimam veniet, & ſicut compes ad caſtigationem ſtulti. Donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur*] Tandem hujus ſeu rei geſtæ, ſeu exempli cauſâ confictæ narrationis finem & exitum vide. Stolidus juvenis qui otioſus & ſolus obſcurâ luce per vicos obambulat, poſtcaquam ad hunc modum eſt illectus, & tractus ad crimen, ſummâ videlicet voluptate cum ſecuritate propoſitâ & ſolitudine, propriæ voluntatis compos vix eſſe poteſt. Perſuaſus igitur & impulſus hujus mulieris adulteræ blanditiis, nihil reſpondet, nihil cauſatur, nec parentem nec Dei timorem ob oculos habens, non corporis ſui, non animi damnum: ſubitò ſequitur, ſpecie ad delicias invitatus, revera autem ad interitum. Velut bos, qui non novit quando ad præſepe, quando ad macellum ducitur; putat, inquam, ſe ad lautum convivium, ad mollitiem cubilis ire, revera autem ad mortem trahitur, vel temporalem, quæ frequenter mœchis infligitur, vel ad mortem animæ feſtinat, & velut ſtultus & ignarus ad compedes trahitur, non ampliùs liber aut ſui juris futurus. Quod nos habemus *Neſcit quòd ſtultus ad vincula trahatur*] In Hebræo legitur cum litera ſimilitudinis, *Et velut compes ad caſtigationem ſtulti.* Et ſunt qui nullam differentiam ponant inter duas illas ſimilitudines: nempe *ſicut bos ad victimam*, & *ſicut ſtultus ad compedes*, quia neuter poteſt exitus rei cogitare, neque bos mortem, neque ſtultus caſtigationis acerbitatem videt: vel eſt ſenſus ſimilitudinis, quòd ſubitò ſequatur Ignarus periculi, ignarus ſe ad mortem trahi, & non ire ad convivium, ſed duci ut ſtultus ad vincula. In Hebr. clauſula illa, *& ſicut compes ad caſtigationem ſtulti*, ſenſum efficit obſcurum, cùm nec præcedentibus nec ſequentibus videatur cohærere. Abrabam filius Hezra ſic locum explicat, non quaſi ſimilitudinem novam afferret Salomon, ſed quaſi per epiphonema clauderet narrationem, ad hunc modum ſubaudiendo quædam; Sicut ad compedem ſive vincula venitur, h. e. moleſtè & cum difficultate, ſic ad diſciplinam ſtultus venit. Commentarii Hebr. locum exponunt per figuram quam Græci vocant *ὕστερον πρότερον*, quæ etiam Hebræis eſt frequens: & erit ſenſus juxta verborum ordinem immutatum, viz. Sicut ſtultus venit ad caſtigationem compedum, qui nihil aliud quàm jocatur cùm compedibus conſtringitur. Aliter, Stultus qui rectam virtutum viam negligit, & ſuo more pro libidine vivit, veniet tandem ad vincula & carceres pœnaſque dabit ſuæ ſtultitiæ, quamvis ille nihil minùs à principio cogitat. Idem uſu veniet huic juveni. Sequens verſiculus, *Donec transfigat cor* vel *jecur illius, ſagitta*] A principio prioris verſiculi pendet, videlicet *ibit poſt eam ſicut bos ad mactationem, & ſicut ſtultus ad compedes, donec ſagitta transfigat jecur ejus.* Quod exponunt Hebræi de plaga mortifera, quam maritus mulieris infliget illi, ut certa mors & repentina ſequatur, ac ſi ſagitta transfigeret cor illius. Alii referunt ad clauſulam proximè præcedentem: nempe, ſtultus toties veniet ad compedes, donec tandem ſagitta transfigat jecur ejus, h. e. donec tandem morte plectatur. Aliter, ut ad ſequentia referatur, *ſicut avis feſtinat ad laqueum, donec tandem ſagitta transfigat cor illius*, & *ad laqueum*, h. e. ad eſcam ſub laqueo. Porrò juxta hunc ſenſum ultima clauſula, nempe, *Et non novit quod de vita illius ſit*] Ad omnes tres ſimilitudines, & ad juvenem refertur, ad hunc modum; Ut bos non novit quòd de vita ſua agitur, ut ſtultus ductus ad compedes non novit quòd de vita ſua agitur, denique ut avis feſtinans ad laqueum non novit quòd de vita ſua agitur, ità neque iſte adoleſcens novit tractus amore mulieris adulteræ, quantam jacturam animæ ſuæ faciat. Non novit ſe rectà tendere ad mortem animæ ſuæ, ut corporalem mortem evadat, quam frequenter ſubeunt adulteri. Quæ ſequuntur obſcuriùs indicant non fuiſſe rem geſtam, nec Salomonem conſpexiſſe oculis corporeis, neque audiviſſe hujuſmodi verba, ſed monitionem eſſe in genere poſitam: quâ muliercularum impudentiam depingit, & ſuo filio ponit ob oculos fraudes quibus uti ſolent adversùs incautos & imprudentes juvenes. Quantum denique ſit nefas, vel ullam familiaritatem cum hujuſmodi inire; uſque adeò ut vel per earum incedere plateam, aut prope ædes acceſſiſſe, ſit periculoſum, ut ſequitur,

23, —— 26. *Nunc ergò, fili mi, audi me, & attende verba oris mei. Nè abſtrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris ſemitis illius.* Heb. *Non declinabit ad vias illius cor tuum, neque errabis in ſemitis illius. Multos enim vulneratos dejecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus ejus penetrantes interiora mortis.* Heb. *Via inferni domus illius deſcendentes ad cubicula mortis*] Haud ità multùm refert quòd in Hebræo legatur, *Nunc filii audite me*, & ſummâ diligentiâ *verbis oris mei attendite.* Unius exemplum propoſui, quo teipſum velut in ſpeculo tuearis, non eſt quòd tuis viribus fidas, aut conſtantiæ, imò procul fugiendum eſt ſi velis eſſe tutus: [*Fugite*, inquit, *fornicationem*, 1 Cor. 6.] *Nè flectat cor tuum ad vias quibus incedit*, nè fortè factus obvius non poteris reſiſtere ſermonibus & blanditiis illius: imò potiùs, quàm longiſſimè circuibis, ab inſtituto itinere deflecte, quaſi errares in plateis civitatis, *nè incidas in ſemitas illius* adulteræ: vel *nè erraveris, nam ſi cor tuum declinet ad vias*, h. e. ad ullam ex iis hujus adulteræ, *plurimùm erraveris. Nam illa plurimos graviter vulneratos proſtravit*, non hunc ſolùm de quo locutus ſum, quem tu fortaſſis putas tam facilè perſuaſum & victum, quòd imbecillis eſſet & parùm conſtans: *imo omnes*, h. e. plurimi, & ingens numerus robuſtiſſimorum virorum, *fuerunt ab ea interfecti, & ad inferos dejecti:* non enim eſt via magis compendioſa ad infernum & gehennam quàm illa quæ ducit ad domum hujus mulieris. Sic igitur exiſtima, te, ſi petas illius ædes, rectà ad infernum tendere: ſi illius cubile, quod omnia aromata redolet, adire pergas, te eàdem operâ *deſcendere ad cameras mortis* (ut eſt in Ebræo) *æternæ* ſupple. Quare ſi corporis jacturam & periculum non times, at ſaltem animæ mortem & interitum formidans, omnem fornicationem, adulterium, & illicitum concubitum fuge. Non ſine cauſa vehementer laborat Salomon in principio ſui libelli, ut filium adhuc innocentem ad amorem caſtitatis pertrahat; haud ignarus quanta mala ex luxu & libidine huic ætati perveniant. Quod ſi de ſpiritûs fornicatione locum intelligere malis, ſemel copulatus es Chriſto, & illius corporis, nempe Eccleſiæ, factus es membrum. Tollens membra Chriſti, faciens membra meretricis, damnatæ ſectæ videlicet, abſit. Porrò ad reliquos ſenſus ex præcedentibus facilis erit loci applicatio, nos ad ſequentia properamus.

D R U.

DRUSIUS.

2. וֶחְיֵה A. S. Th. *καὶ ζῆθι & vive*] i. e. Vives. Senſum ergò expreſſerunt Lxx. *καὶ βιώσεις*, & Hieron. dum interpretatur *& vives*.

3. קָשְׁרֵם. A. *σύνδησον, colliga*. S. Th. *ἄφαψαι, alligato*] Vel *ſuſpende*. Nam *ἀφάπτω, ſuſpendo*, item, *applico, admoveo*. In Theſauro Stephani, Ἐνάπτω, *alli o, adalligo*. ¶ כָּתְבֵם. Schol. *ἀπόγραψαι, deſcribe*. ¶ עַל־לוּחַ לִבֶּךָ. Sym. *ἐπὶ τῦ ςήθυς, in pectore*] Sic etiam interpretatur ſuprà 3. v. 3. Lxx. hîc habent *ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς καρδίας σῦ*, ſed legendum eſſe divino *ἐπὶ πλακὸς καρδίας σῦ, in tabula cordis tui*. Quanquam apud Hieron. Hab. 2. *deſcribe ea ſuper latitudinem cordis tui*. Sic variant codices cap. 3. Nam pro eo quod in cæteris *ἐπὶ πλακός*, in uno legitur *ἐπὶ τὸ πλάτος*. Conſule ſodes ed. Rom. ad hunc poſtremum locum.

4. אֲחֹתִי אָתְּ. A. S. Th. Ἀδελφή μῦ εἶ σὺ, *Soror mea tu es*. ¶ וּמֹדָע לַבִּינָה תִקְרָא. A. Th. *καὶ γνωςὴν τὴν σύνεσιν καλέσεις, & notam Prudentiam vocabis*] *Notam*, i. e. *amicam*, aut *cognatam*. Illud Hieronymus, hoc alii interpretantur.

5. אֲמָרֶיהָ הֶחֱלִיקָה. Th. *ἧς ῥήματα αὐτῶν ὀλισθηρά, cujus verba lubrica ſunt*.

8. אֵצֶל פִּנָּהּ. Schol. *παρὰ γωνίαν*] i. e. פנה abſque Mappic. Nam פנה, quod contractum ex פנתה, interpretatur *γωνίαν αὐτῆς, angulum ejus*. Παρὰ γωνίαν hodie legitur in textu ed. Rom. ſed in annotationibus obſervatum in aliis libris eſſe *ἐν γωνίᾳ*, & in Scholio *παρὰ γωνίαν*. Hoc Scholion quin ex alia quapiam editione ſumptum ſit vix dubito.

10. שִׁית זוֹנָה. A. *θέσιν πόρνης, theſin meretricis*. Sym. *τάξιν πόρνης, ordinem meretricis*] Θέσις propriè *poſitio*. Idem שית: quippe שת *poſuit*. Hîc ſumi videtur pro *habitu* aut *veſtis genere*, quæ & *σύνθεσις*· qua voce Latini quoque autores utuntur. Suetonius Nerone, *Ac plerumque ſyntheſin indutus*, &c. Martialis,

Syntheſibus dum gaudet eques dominuſque ſenatus.

¶ *Ordinem, conditionem*, aut *ſtatum*. Gallicè *l'eſtat, ou la qualité*. Quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet *ordinis meretricii*; ſicut dicimus *ſenatorii ordinis, equeſtris ordinis*.

11. הֹמִיָּה. A. *σχολάζυσα, otioſa*. ¶ וְסֹרָרֶת. A. Ἀφιςαμένη, *deficiens*. Sym. *ἀφεςηκυῖα, rebellis*] Vel *ad defectionem ſolicitans*, vel potiùs *fide deducta* ſive *abducta*, i. e. rebellis, proterva.

13. הֵעֵזָה פָנֶיהָ וַתֹּאמַר. Sym. Ἐτόλμησε πρόσωπον αὐτῆς, *καὶ εἶπεν, obduravit faciem ſuam, & dixit*. Th. *ἠναιδεύσατο ἐν προσώπῳ αὐτῆς, impudenter ſe geſſit vultu ſuo*.

16. מַרְבַדִּים רָבַדְתִּי. A. Th. *περιςρώμασι περιέςρωσα, ſtragulis ſtravi*] Περιςρώματα, *tapetia & aulæa quibus triclinia vel lecti circumquaque ſterni ſolent*. Utuntur hac voce Latini autores, ut Plautus, & alii. Cicero, *Conchyliatis Cn. Pompeji periſtromatis ſervorum in cellis lectos ſtratos videres*. Rectiùs igitur vertes *periſtromatis ſtravi*. ¶ חֲטֻבוֹת אֵטוּן מִצְרָיִם. Th. *διαγεγραμμέναι ζωγραφίαν Αἰγύπτυ, delineata picturâ Ægyptiâ*.

17. נַפְתִּי. Th. *ἐκαλλώπισα, adornavi*.

18. נִרְוֶה דֹדִים. A. S. Th. *μεθυσθῶμεν τιτθῶν, inebriemur mamillis*. *Mamillis* דַּדִּים. Nunc legunt דֹּדִים, i. e. *amoribus*. Hieron. *uberibus*. Cant. 1. 4 דדיך. Lxx. *μαςοί σῦ*. Hieron. *ubera tua*. Ezec. 16. דדים. Aquilæ prior editio *συναλλαγῆς*, i. e. *ſponſalium* ſive *nuptiarum*, poſterior *μαςῶν, uberum*. Sic etiam Theodotio. ¶ נִתְעַלְּסָה בָּאֳהָבִים. A. Th. *συμπεριπλακῶμεν ἐν ἀγάπαις, unà circumplicemur amoribus*] *Circumplexemur nos*.

20. צְרוֹר. Schol. *βαλάντιον, crumenam*. ¶ לְיוֹם הַכֶּסֶא. A. *εἰς ἡμέραν πανσελήνυ, in diem plenilunii*. Alius, *ἐν ἡμέρᾳ εὐσήμυ, die inſignis feſti*] Nam ſubintelligitur *ἑορτῆς* aut aliquid tale.

21. הִטַּתּוּ. Lxx. Ἀπεπλάνησε δὲ αὐτόν. Sym. *ἐξέκλινεν, declinare fecit*. A. *ἤγξεν, conſtrinxit*] Ἐκκλίνω, *declino*. Sed Interpretes uſurpant pro *declinare facio*, i. e. הטה, ut Amos 5. 12. *ἐκκλίνειν τὺς πτωχὺς* ſign. non *declinare pauperes*, ſed *facere ut declinent & opprimantur, eorumque cauſa corrumpantur*. Ità uſus quoque eſt Sirachides 8. 3. *καρδίας βασιλέων ἐξέκλινε, fecit ut declinarent à recto*, i. e. correxit, pervertit, depravavit. ¶ *Conſtrinxit*. Hieron. *irretivit*. Job. 24. 2. ישו. Sym. *παρέτρεψαν*. Hieron. *pervertunt*. Lxx. *ἐξέκλιναν*. Cæterùm *ἄγχω* vulgò exponitur *ſuffoco, ſtrangulo*. ¶ בְּרֹב לִקְחָהּ. Th. *ἐν πλήθει δομάτων, multitudine donorum*] Sic alibi לקחת *accepiſti dona in hominibus*. Apoſtolus habet *ἔδωκας, dediſti*, propriè *accepta dediſti*. ¶ תַּדִּיחֶנּוּ. A. S. Th. *ἔξωσεν, expulit*] Malim *perpulit*. Hieron. *protraxit*. Lxx. *ἐξώκειλεν αὐτόν*.

22. פִּתְאֹם, A. *παραχρῆμα, ſtatim*. Sym. *ἐξαίφνης, derepente*. ¶ כְּעֶכֶס אֶל־מוּסַר אֱוִיל, Sym. *σκιρτῶν ἐπὶ δεσμῶν ἄφρων, ſaliens ad vincula ſtultus*] Vel *exſultans*. Vult dicere *cum exſultatione properans*. ¶ *Stultus: inſipiens*.

23. עַד יְפַלַּח חֵץ כְּבֵדוֹ. Th. Ἕως διασπαρῇ βέλος ἧπατι αὐτῦ] Hieron. *donec transfigat ſagitta jecur ejus*.

26. עֲצֻמִים כָּל. S. Th. *ἰσχυροὶ πάντες, validi omnes*] Hieron. *fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea*. Lxx. *ἀναρίθμητοί εἰσιν ὓς πεφόνευκεν*. Cave ſpernas.

AMAMA.

1. Κρύψον παρὰ σεαυτῷ. 2. —— *καὶ βιώσεις καὶ τὺς λόγυς μυ ὥσπερ κόρας τῶν ὀμμάτων*. 3. Aq. *σύνδησον*. Th. *ἄφαψαι· περίθυ αὐτὺς τοῖς δακτύλοις συ, καὶ ἐπίγραψον ἐπὶ πλακὸς* (malè *πλάτος* latitudo) *τῆς καρδίας συ*. 4. *γνώριμος*. 5. *ἵνα τηρήσῃ σε ἀπὸ* —— *ἐὰν σε λόγοις τοῖς πρὸς χάριν ἐμβάληται*.

זבחי] *θυσία εἰρηνική ἐςι μοι, σημ. ἀποδίδωμι τὰς εὐχάς μυ*. In pacificis cedebant ſacerdoti pectus & crus, cætera offerentibus. In עלה neutri quicquam. In אשם & חטאת, nihil offerenti, ſed omnia ſacerdoti, adeps & ſanguis altari. Intelligit autem Synecdochicè convivium, vel carnes de ſacrificiis reliquas. Ἕνεκα τῦτο ἐξῆλθον εἰς συνάντησίν συ, *ποθῦσα τὸ πρόσωπόν συ*, &c.

מרבדים] Περιςρώμασι περιέςρωσα τὴν κλίνην μυ. Lxx. *ἀμφιτάποις διέςρωσα, καὶ χειρίαις τέτακα*. Sym. *διαγεγραμμέναι ζωγραφίαν* Αἰγύπτυ. Th. *ἐκαλλώπισα, διέρραγκα τὴν κοίτην μυ κρόκῳ, καὶ τὸν οἶκόν μυ κινναμώμῳ*· Ἐλθὲ, *ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρυ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι*. V. Πεπόρευται ὁδὸν μακράν. *βαλάντιον ἔνδεσμον ἀργυρίυ λαβὼν δι' ἡμερῶν πολλῶν ἐπανήξει*.

20. כסא] Extat & Pſ. 81. Vulg. hic vertit *Plenilunium* ſecutus Aquilam, *εἰς ἡμέραν τῆς πανσελήνυ*. Pſ. 18. 4. Inſigni die ſolennitatis. Alii, *neomeniam* ſeu *novilunium* ſignificari putant. Aben. *tempus* שתתכסה *quo obtegitur Luna*. Jun. *die ſtato*. Chald. idem.

21. לקחה. Dulci ſermone, ſuaviloquo. Alias *doctrinam* ſignificat. Hic ſermonem accommodatum ad capiendum juvenem.

22. וכעכס, velut compes. Sub. נעל, i. e. Compeditus, compede vinctus. Gradatio allegorica, q. d. miſer dum meretrici morigeratur, neſcit ſe lanienam ingredi, & ingreſſum catenis ligari, ut ſolent boves laniandi ligari.

Compes pro compeditus. Ut cuſtodia pro cuſtodita re. Prov. 4. 23. *Præ omni cuſtodia ſerva cor tuum*. Act. 27. 1. apud Vulg. *cum reliquis cuſtodiis*, i. e. Cuſtoditis, captivis. Sic Senec. Ep. 5. *Ut eadem catena & cuſtodiam & militem copulat, ſic iſta quæ tam diſſimilia ſunt pariter incedunt*. Erat hæc militaris cuſtodia, de qua Lipſ. ad Tac. 3. librum. Tali cuſtodia cuſtoditus Paulus. Catena autem alligata fuit dextræ rei, & ſiniſtræ militis. Aliquando duo milites appoſiti & duæ catenæ, Act. 12. 6. *Petrus dormiebat inter duos ςρατιωτῶν, δεδεμένος ἁλύσεσι δυσί*.

Alii, ut Vulg. *Sicut agnus laſciviens*. Alii ut Græc. & Ch. *ſicut canis ad vincula, ὡς κύων ἐπὶ δεσμὺς*.

At עכסים Jeſ. 3. Inter ornamenta mulierum recenſetur, eſtque ornamentum pedum. *Illo die auferet Dominus ornatum* העכסים *periſcelidum*. Unde עכס hic vinculum pedum ſignificat, quod ornamento iſti non admodum fuerit abſimile.

Alii exiſtimant, tranſpoſita eſſe verba, *& ſicut ſtultus qui venit ad compedem, ad eruditionem* &c.

Ad eruditionem ſtultorum] i. e. Ad pœnam, quâ demum ſero ſapiunt ſtulti. Periph. ſupplicii.

23. *Donec jecur ejus*] Donec ſagitta viam aperiat effundendo ſanguini. Vel, donec vulnus lethale acceperit.

Jecur] à Gravitate. Gal. vocat *omnium viſcerum graviſſimum & denſiſſimum*.

עצמים] Numeroſi. Jer. 15. 8. עצמו robuſtæ ſunt, i. e. multiplicatæ ſunt viduæ. Sic Pſ. 40. עצמו, *quàm ut numerari queant*.

GROTIUS.

10. G*Arrula & vaga*] Sic *vagum ſcortum* dixit Horatius.

12. *Nunc juxta angulos inſidians*]

Cunctis in triviis & angiportis,

ut ait Catullus.

14. *Victimas pro ſalute vovi*] Pro tua ſalute.

16. *Aſperſi cubile meum myrrhâ & aloë & cinnamomo*] Odoravi illud. אהלים quod hic *aloë* vertitur, *ſandalum* interpretantur Judæi.

20. *In die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam*] Sic vocem hanc vertit ex Hebræo Hieronymus Pſalm. 80. 4. in verſione ex Græco, *neomeniam*. Et eodem modo hic interpretatur

Abeneſdra. Propius vero eſt eſſe à כסס *ſupputare*, & ſignificari *tempus ſupputatum*, ſive *certum*, *condictum*, *conſtitutum*. Hoc dicit mœcha, nè adulter deprehendi metuat.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. S*Apientia clamat*] Nomine *Sapientiæ* accipe cognitionem Dei, quam habemus ex verbo Dei. Per *prudentiam*, verò accipe cognitionem, quâ facta Dei & judicia ejus cognoſcuntur. Hebræi tamen exponunt hîc *ſapientiam* pro *viris ſapientibus*, qui homines vocant ad ſapientiam Legis, idque in locis publicis, ut nemo ſit qui ſe abſcondat à luce ejus & excuſationem habeat. Extollit autem Sapiens Dei ſapientiam in ſeptem. 1. Eſt *inſignis*, & longè excellit ſapientiam hominum, ſicut נגידים *Principes* vulgares excellunt homines. 2. Eſt *recta*, per rectam ducens viam. 3. Eſt *vera*, nullum habens admixtum errorem. 4. Quietum reddit hominis animum. 5. In nulla re adverſatur ſibi ipſi. 6. Rectum tenet ordinem, id quod ex dictione נכח colligitur. 7. Non habet annexum faſtidium, ſed quantò plus in ea profeceris, tantò ardentiùs eâ oblectaberis. Hæc ordinatè in textu deſcribuntur.

12. *Cohabito aſtutiæ*] h. e. נתחברתי *adjuncta ſum aſtutiæ*.

14. *Rerum conſervatio*] Potentia ſcilicet illa quâ Deus omnia gubernat & conſervat, poſtquam illa eſſe fecit in rerum natura. Id תושיה ſignificat.

16. *Munifici*] Eſt נדיב generale vocabulum, *Duces* & *Magiſtratus* ſignificans. Et eſt ſenſus, *Per me Magiſtratus ſiunt recti, & juſti Judices terræ*. Judicis autem eſt eſſe munificum & liberalem.

22. *Dominus poſſedit me in initio*] Verbum Dei & potentia ejus ſunt æterna: & ſicut verbo omnia ſunt condita, ità omnia reguntur & diſpenſantur verbo Dei. Unde qui crediderit omnia pendere à Deo, is credit ſe quoque in manu Dei eſſe cum deſerenda ſunt omnia. Vocat autem hîc Sapiens *initium viæ Domini* creationem mundi.

26. *Quæ ſunt extra eum*] Per id intelligitur portio terræ habitabilis quæ extra aquam apparet, quam & mox *caput pulverum orbis* appellat. Alii intelligunt per *exteriora* illa elementum Aëris, & per *caput pulverum* ſphæram ignis, quæ ſupremum inter elementa tenet locum.

27. *Cum deſcriberet circulum ſuper faciem abyſſi*] Per *faciem abyſſi* Hebræi hîc intelligunt מרכז *centrum mundi*, ſuper quo omnes ſphæræ elementares & cœleſtes veluti circino ſunt formatæ.

28. *Æthera*] Hebræi intelligunt hîc per שחקים *immutabilitatem cælorum*. Nihil enim in illis eſt corruptionis aut generationis, ut in his quæ ſunt infra ſphæram Lunæ.

29. *Legem ſuam*] Per *legem mari præſcriptam* intelligitur גבול *limes*, qui alibi arena ejus eſſe perhibetur, h. e. littus.

30. *Veluti educata*] Sunt qui hîc אמון exponunt pro אומן *pædagogo*, ſine cujus nutu puer nihil agit, ſic Deus nihil egit ſine ſua ſumma & excellenti ſapientia, h. e. incomprehenſibili ratione. R. Levi idem fere ſentit, qui אמון exponit pro מגדל ומנהיג *directrice*. Kimhi ſic exponit, *Fui cum eo vice educationis*. *Ludere* præterea dicitur *in orbe terræ*, quòd Sapientia, quæ habetur per verbum Dei, regit, ſervat, terret, conſolatur & viviſicat filios hominum, adfert vitam æternam, defendit nos adverſùs Satanam & adverſùs portas inferorum.

VATABLUS.

1. C*Lamat* תקרא] Fut. Heb. pro præſ. *clamare ſolet*.

2. Locorum *excelſorum* מרומים] *Tumulorum*. ¶ In *loco ſemitarum* בית נתיבות] Hebraïſmus, pro *in quadriviis*, ſive *compitis*. Ad verb. in *domo ſemitarum*. Locum ſignificat quo concurrunt multæ viæ. Quidam vertunt *inter ſemitas*. Alii, *in præcipuo loco ſemitarum*. ¶ *Stat* נצבה] Præt. Heb. pro præſ.

3. *In loco portarum* ליד שערים] Ad verb. *ad manum portarum*: i. e. in platea quæ adjacet portis. Nam יד ſignificat etiam *locum quem habemus ad manum*, ut eſt platea. ¶ *In oſtio* לפי] Ad verb. *in ore*: i. e. in ingreſſu, ſive introitu. ¶ *Clamat* תרונה] Fut. Heb. pro præſ. *intonat*.

4. *Ad filios hominum* אל בני אדם] i. e. Obſcuros & plebejos: nam per *viros* Hebræi nobiles intelligunt.

5. *Simplices* פתאים] Vide ſuprà 1. 4. ¶ *Intelligite corde* הבינו לב] *Intelligite ſcientiam*; ità quidam Hebræi. Alii vertunt, *facite ut cor veſtrum intelligat*: ut verbum præcedens ſit tranſitivum: i. e. reddite cor veſtrum intelligens. Quidam exponunt, *reſipiſcite*.

6. *Honorabilia* נגידים] *Nobilia*, *eximia*, *inſignia*. Alii, *præcipua quædam*. Alii, *verba honorabilium virorum*. Quidam Hebræorum exponunt, *verba bona & ſapientia*. ¶ Erit *rectitudines* מישרים] Proferet *rectitudines*: i. e. ſermo meus erit de rebus æqualibus: h. e. planis & facilibus.

7. *Loquetur* יהגה] *Meditatur*. Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et abominatio*, &c. ותועבת שפתי רשע] Quidam Hebraïſmum ſic convertunt, *& abominantur labia mea impium*: vel *impietatem*. Alii, *impietas eſt abominanda labiis meis*.

8. *In juſtitia* בצדק] Hebraïſmus pro *juſta ſunt*. ¶ *Pravum, nec perverſum* נפתל ועקש] *Diſtortum* quid, *aut pravum*: i. e. res diſtorta, aut prava.

9. *Recta ſunt* נכוחים] *Plana ſunt*, vel *obvia*: i. e. intellectu facilia. ¶ *Invenientibus ſcientiam* למוצאי דעת] *Sectantibus ſcientiam*, vel *ſectatoribus ſcientiæ*: nam rectos eos reddunt.

10. *Eruditionem meam* מוסרי] *Caſtigationem meam*, vel *diſciplinam*. ¶ *Et non argentum* ואל כסף] Hebraïſmus, *præ argento*: nam ſequitur, *potiùs quàm aurum*. ¶ *Potiùs quàm*, &c. מחרוץ נבחר] Quæ eſt *auro eligibilior*: i. e. Cùm ſcientia ſit auro eligibilior, ſive optabilior.

11. *Deſiderabilia* חפצים] *Quæ habentur in deliciis*: *quæ expeti poſſunt*. Similia habes ſuprà 3. 15. ¶ *Æquabuntur ei* ישוו בה] *Æquabunt eam*: i. e. non poſſunt ei conferri.

12. *Invenio* אמצא] Fut. Heb. pro præſ. aut præt. *aſſequor*, vel *aſſecuta ſum*: q. d. Nunquam me deſerit aſtutia; ſola invenio ſanctos cogitatus.

14. *Et ſapientia* ותושיה] *Et doctrina vera*. Alii, *eſſentia*. Alii, *& rerum conſervatio*: potentia ſcilicet illa quâ Deus homines gubernat & conſervat, poſtquam omnia eſſe fecit in rerum natura. Vide eandem dictionem ſuprà 2. 7.

15. *Et Principes* ורוזנים] *Et Conſiliarii*.

16. *Dominantur* ישרו] Ad verb. *principabunt*. Fut. Heb. pro præſ. i. e. officio dominorum funguntur. ¶ *Et Principes* ונדיבים] *Et Nobiles*; vel, *& munifici*, ſive *liberales*. נדיב generale vocabulum eſt, *Ducem* & *Magiſtratum* ſignificans. Quidam hanc verſùs partem vertunt, *& Principes omnes judicant terram*. Alii, *& Judices terræ munifici ſunt & liberales*.

18. *Subſtantia ſtabilis* הון עתק] *Opes duraturæ*. Alii, *ſubſtantia multa & magna*.

20. *Deduco* אהלך] Fut. Heb. pro præſ. *deducam*, ſub. *eum qui adhæſerit mihi*. Ad verb. *ire faciam*. Poteſt etiam eſſe intranſitivum, *ambulabo*, ſive *ambulo & incedo*.

21. *Eſſe perpetuum* יש] *Bonum permanens*. Quidam, *Ut bonorum* [vel *opum perpetuarum*] *hæredes reddam diligentes me*. Alii, *Ut poſſeſſionem ſubſtantiæ parem diligentibus me*.

22. *Viæ ſuæ* דרכו] i. e. Operum ſuorum.

23. *Principatum habui* נסכתי] *Princeps facta ſum*. Alii, *diſpoſita ſum*, ſive *conſtituta*, aut *ordinata*. ¶ *Ante terram* מקדמי ארץ] Ad verb. *ab initiis terræ*: i. e. à primordio terræ; ſive antequam crearetur terra.

24. *Abundantes* נכבדי] Ad verb. *prægravati*: i. e. nondum fontes aquis redundabant. Alii vertunt, *multiplicatæ aquæ*: i. e. dum non eſſent abyſſi & aquæ multæ.

25. *Fundati eſſent* הטבעו] Ad verb. *immerſi*, *aquis* ſcilicet, inſtar rei gravis aut potiùs, *immerſi aquis, & in terram defixi*, i. e. collocati. ¶ *Formata ſum* חוללתי] *Parturiebar*. Vel, *concepta eram*. Chald. *genita eram*.

26. *Et plateas* וחוצות] *Et quæ extrà ſunt*. Per id intelligitur portio terræ habitabilis, quæ extra aquam apparet, quam & mox *caput pulverum orbis* appellat, acſi dicat, Nondum diſcooperuerat faciem terræ, necdum fecerat eam habitabilem. ¶ *Et ſummitatem* וראש] Ad verb. *& caput*.

27. *Circulum* חוג] i. e. Cùm diſponeret centrum terræ quod eſt in medio ejus: dum redigeret aquam & terram in figuram circularem.

28. *Cælos* שחקים] Chald. *nubes*. ¶ *Quando roborabat* בעזוז] *Cùm ſtabiliret*, *ſolidaret*, *firmaret*.

29. *Statutum ſuum* חוקו] *Limitem ſuum*, præſcriptum ſcilicet: *terminum ſuum*. Quidam *legem ſuam*, ſive *præceptum ſuum*, eodem ſenſu. ¶ *Ne tranſirent littus ſuum* לא יעברו פיו] Quæ *non prætergredientur os ejus*: i. e. mandatum Dei. Vel *os ejus*, i. e. orificium & ingreſſum ejus maris. ¶ *Quando deſcribebat* בחוקו] *Cùm conſtitueret*.

30. Veluti *alumnus* אמון] i. e. Velut is qui alit & educat iſta inferiora. Quidam, *in educatione*, eodem ſenſu. ¶ *Et eram in lætitiis quotidie* ואהיה שעשועים יום יום] Fut. Heb. pro præſ. vel imperfecto, *ſum in deliciis*, [vel *deliciæ*, nempe *Patris*] *per ſingulos dies*. Ad verb. *die die*.

32. *Cuſtodient* ישמרו] Fut. Heb. pro præſ. *obſervant*.

33. *Eru-*

33. *Eruditionem* מוסר] *Diſciplinam, correctionem.* ¶ *Et ſapientes eſtote* חכמו] Imperat. Heb. pro fut. *ſapientes eritis*, vel *ſapientiam conſequemini.* ¶ *Repellatis eam* תפרעו] Ad verb. *elongetis vos ab ea*, vel *retrocedatis.* Alii, *ne negligatis eam*, vel, *repudietis.*

35. *Invenit vitam* מצא חיים] Pro *aſſequitur vitam*, ſub. *æternam.* ¶ *Et haurit voluntatem* ויפק רצון] Præt. Heb. pro præſ. vel futuro: i. e. obtinebit, ſive aſſequetur quicquid vult & optat. Vel, *gratus erit Domino, & favore illum proſequetur.* Vide idem genus dicendi infrà 18. 22.

36. *Spernit animam ſuam* חמס נפשו] *Injurius eſt animæ ſuæ.* Ad verb. *rapit* [*opprimit, ſive exſpoliat*] *animam ſuam.* ¶ *Diligunt* אהבו] Præt. Heb. pro præſ.

CASTALIO.

26. H*Umi mundanæ caput*] Terram, quæ eſt in quoddam quaſi caput & globum formata.

27. *Globum ſupra profunda circinaret*] Scil. cœlum.

CLARIUS.

1. S*Apientia clamitat*] Nomine *ſapientiæ* accipe cognitionem Dei, quam habemus ex verbo Dei. Per *prudentiam* verò accipe cognitionem, quâ facta Dei & judicia ejus agnoſcuntur. Hebræi tamen exponunt hic *ſapientiam* pro *viris ſapientibus*, qui homines vocant ad ſapientiam Legis, idque in locis publicis, ut nemo ſit qui ſe abſcondat à luce ejus & excuſationem habeat. Obſervatur autem in textu, Sapientiam Dei extolli in ſeptem. 1. *Inſignis* eſt & longè antecellit ſapientiam hominum, ſicut Principes antecellunt vulgares homines. 2. Eſt *recta*, per rectam ducens viam. 3. *Vera*, nullum habens admixtum errorem. 4. Quietum reddit hominis animum. 5. In nulla re adverſatur ſibi ipſi. 6. Rectum tenet ordinem. 7. Non habet adnexum faſtidium, ſed quantò plus in ea profeceris, tantò ardentiùs eâ oblectaberis.

22. *Dominus poſſedit me*] Verbum Dei & potentia ejus ſunt æterna, & ſicut verbo omnia ſunt condita, ità omnia aguntur & diſpenſantur verbo Dei. Quare qui crediderit omnia pendere à Deo, is credit ſe quoque in manu Dei eſſe, cùm deferenda omnia. Vocat autem hic *initium viæ Domini* creationem mundi.

26. *Et cardines orbis*] Alius vertit, *& quæ ſunt extra eam.* Et intelligunt portionem terræ habitabilem quæ extra aquam apparet, quam & mox *caput pulverum orbis* appellat. Alii intelligunt per *exteriora* illa elementum Aëris, & per *caput pulverum* ſphæram ignis, quæ ſupremum inter elementa tenet locum.

27. *Vallabat abyſſos*] Hebræi intelligunt centrum mundi, ſuper quo omnes ſphæræ elementares & cœleſtes, veluti circino ſunt formatæ. Unde alius vertit, *Cùm deſcriberet circulum ſuper faciem abyſſi.*

28. *Librabat fontes aquarum*] Alius vertit, *Cùm ſolidaret fontes abyſſi.*

29. *Terminum ſuum*] Vel *legem ſuam*, nempe arenam, quam poſuit mari Deus limitem, quem non tranſiliret.

30. *Ludens coram eo*] *Ludere* dicitur *in orbe terræ*, quòd ſapientia, quæ habetur per verbum Dei, regit, ſervat, terret, conſolatur, & vivificat filios hominum, affert vitam æternam, defendit nos adversùs Satanam & adversùs portas inferorum; ut *ludere* dicatur, dum nos omnibus modis refocillat & recreat. Quid verò ſi dicatur *ludere* ut ſignificet omnem hanc rerum fabricam, ſi cum Deo & artifice ipſo conferatur, ludum quendam eſſe? Illud verò *delectabar* poteſt etiam verti *eram ei oblectamento.*

R. BAYNUS.

1, 2, 3. N*Umquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus, ſupra viam in mediis ſemitis ſtans. Juxta portas civitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens.* Heb. *In capite excelſorum ſuper viam inter ſemitas ſtetit. Ad latus portarum juxta os civitatis, in introitu portarum vociferabitur*] Sapientiam & prudentiam ſive *intelligentiam*, ut eſt in Hebræo, pro eodem ferè accipiunt Hebræi expoſitores. Differunt tamen, ut inquit quidam illorum, ut ſcientia & praxis: nam intelligentia ſive prudentia in moribus conſiſtit. Quod ad ſenſum hujus loci ſpectat, poſtquam per filium ſuum omnes revocavit, & deterruit à domo mulieris, ſive, juxta ſenſum hiſtoricum, fornicariæ & adulteræ, ſive carnis & cujuſcunque corruptionis, ſive denique à commercio eorum eorum qui aliena à fide catholica ſequuntur dogmata; nunc cujuſnam doctrinam, & cujus voces audire debeamus, oſtendit: nempe illius qui neque falli neque fallere novit. Abruptus loquendi modus & Hebraïſmus ſignificat aliquid deeſſe, & aliquid ſupplendum: q. d. Fili, ſi mihi non credis, ſi meis verbis non libet attendere, ut putà ſolius hominis, cui non poſſit quis ſatis tutò credere, eſt enim omnis homo mendax, ſapientiæ autem accommodare debes. Quòd ſi dixeris, libenter auſcultarem, ſi illius vocem liceret audire, ſed cùm ipſa nuſquam compareat, nuſquam audiatur, quo pacto illi obtemperabo? *Quid* (inquit Salomon) *nonne ſapientia clamabit?*] Ut Hebræi legunt, & nos tanquam prophetiæ verba intelligimus, ut de Chriſto Dei ſapientia, & Dei virtute intelligatur locus, de quo certum eſt hoc caput & ſequens tractare: in quibus omnia de Chriſto clariſſimè licet exponere, etiam hiſtorico ſenſu, præſertim nobis qui luce Euangelicâ illuſtramur. Licet præterea juxta alias *ſapientiæ* acceptiones, priùs à nobis explicatas, locum interpretari, ut propriùs reſpiciat eos qui Chriſtum præceſſerunt; qui neque vocem ejus, ut Apoſtoli & Judæi illius ætatis, neque ipſum in Euangelio loquentem, ut nos hodie, audire potuerunt, quos tamen Salomon participes hujus doctrinæ eſſe voluit. Nè quis igitur nos Judaizare exiſtimet, ſi in Lege aut Prophetarum oraculis, aut etiam piorum hominum vita ac doctrina, aut denique in operibus Dei, *ſapientiam clamare* interpretemur. Et quod ad ſenſum ſpectat hiſtoricum, concionandi ſive perorandi locus ſapientiæ præparatur ac diſtribuitur, *Nonne ſapientia clamitat?*] Quis uſqueadeo ignarus eſt imperitus, ut ignoret *ſapientiam clamare & intelligentiam dare vocem* non ſolùm per hanc doctrinam meam, quæ anguſto angulo orbis docetur (inquit) quæ paucis paginis continetur? imò me tacente nihilominus Sapientia clamabit, & intelligentia dabit vocem non hæreticorum more, qui latebras quærunt, & Eccleſiæ judicium recuſant, non Philoſophorum ſcholis, qui de dogmatibus digladiantur, *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, Rom. 1. ſed in vertice excelſorum, in ſummis montibus, & editiſſimis Patriarcharum & Prophetarum oraculis. *Super*, vel *juxta, domum ſemitarum*] Hebraïſmus eſt, pro *inter duas ſemitas*, vel *in concurſu duarum ſemitarum ſtetit Sapientia:* quod rectè in conſenſu Legis & Prophetarum, aut meliùs Veteris & Novi Teſtamenti, intelligimus. Ad montem domûs Dei ſi quis accedat, in montium, h. e. doctorum hominum, cacumine, Sapientiam clamantem audiet. Præterea *ad locum portarum ante civitatem, & in introitu portarum* (ut eſt in Hebræo) *vociferabitur*] Omnibus obvia eſt ſapientia, non ſolùm his qui ad montem aſcendere poſſunt, & ſublimia ſpeculari, ſed etiam indoctæ plebeculæ & quotquot civitatem ingrediuntur, in ipſis portis, ubi ſolet antiquitus jus dici à Senioribus & Magiſtratibus, qui nihil aliud quàm intelligentiam præbent hominibus; cùm malos coërceant, & ſtudia virtutum & obſervantiam Legis doceant. Cogita igitur, quoties Doctorum inſignem & Divinæ Legis Interpretem, quoties pium concionatorem à terrenis rebus ad cœleſtia excitantem audis, toties Sapientiam clamantem auſculta. לפי קרת *ad os civitatis* (ut eſt in Hebræo) vel *juxta os*, vel *in ore*, h. e. loco publico ubi Præcones verbi Dei declamare ſolent, qui meritò *os civitatis* dici poſſunt. Quoties (inquam) ſtudioſum aliquem, exemplar virtutum, vel viâ publicâ obvium habes, quoties de juſtitia & æquitate Judicem diſſerentem & decernentem intueris, toties Sapientiam clamantem in prædictis locis cogita, inquam, ac ſi ipſa propriâ voce diceret quæ ſequuntur,

4, ... 9. *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animadvertite.* Heb. *Date operam ignari intelligere, & ſtulti intelligite corde:* vel, *facite cor intelligere. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum, & aperientur labia mea ut recta prædicent.* Heb. *Apertio labiorum meorum rectitudines. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium.* Heb. *Nam veritatem meditabitur palatum meum, abominatio labiorum meorum impietas. Juſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum.* Heb. *In juſtitia omnia verba oris mei, non eſt in illis obliquitas. Recti ſunt intelligentibus, & æqui invenientibus ſcientiam*] Quos auditores ſibi proponit, & quem ordinem doctrinæ velit ſequi, quodammodo præfatur Sapientia. Quorum utroque ſuam benevolentiam & ſtudium erga mortales commendat. Porrò per doctrinæ ſuæ ingens & incredibile encomium, dociles & attentos reddit auditores: quos quadrifariam diſtinguit hoc in loco, quoſdam *viros* appellans, alios *filios hominum*, *imperitos* alios, alios denique *ſtultos:* & univerſum mortalium genus complectitur. Qui ſapientiâ ſuâ & bonitate omnes homines ſive *viros* virtute excellentes, ſive *filios hominum* qui nihil ſublimius ſapiunt, ſive *ignaros* & omnium

rerum imperitos, ſive denique *ſtultos* qui pro bono malum eligunt, qui hos omnes (inquam) ad imaginem ſuam finxit, omnes hos ſapientiæ ſuæ vult eſſe participes. *Ad vos ô viri clamabo, & vox mea ad filios hominum*] Quæ eſt inter *virum* & *hominem* differentia juxta proprietatem Romanæ linguæ eam inter איש & אדם Hebræorum idiomate intelligere licet: quamvis ſi quis eundem ſenſum his adverſis clauſulis exprimi contendat, non repugnabimus, ſcientes eum eſſe morem Scripturarum, præſertim in hoc libello, & in Pſalmis, idem videlicet diverſis verbis repetere. Hebræi aliquot familiarius quidpiam ſonari volunt in eo quod dicit, *Ad vos ô viri vocabo*, quàm in illo, *Vox mea ad vos filii hominum:* q. d. Non ſolùm viri & filii hominum, ſed incauti & indocti intelligite aſtutiam, date operam ut intelligatis, animadvertite ut intelligatis: vel tale aliquid juxta energiam conjugationis intelligendum eſt in hoc verbo הבינו. Quamvis uſqueadeo expoſita & obvia ſit omnibus ſapientia, & omnibus locis accurrat, ab otioſis & negligentibus tamen non percipitur, ut qui cœleſtium rerum curam non habent; multò minùs à ſtultis, qui ſtudiis Divinæ ſapientiæ contrariis mentem occupant. Satius eſt imperitum eſſe & ignarum, quàm vitiis depravatam habere intelligentiam. *Et ſtulti* (inquit) *intelligite corde*] q.d. Cor habetis, ſed ſenſu carens, aut rebus alienis ab intelligentia occupatum. Et hæc hactenus quod ad auditores diſtinguendos & admonendos ſpectat. Deinde doctrinam ſuam magnis laudibus meritò extollit. Primò quòd magnis de rebus dictura ſit, *audite*, inquiens, *nam magna ſunt*, h. e. bona & utilia ſunt, *quæ dicam:* magnà præterea facilitate & apertè, quæ duo ex illo verſiculo intelligimus. *Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum, & aperientur labia mea, ut recta prædicem*] In Heb. *apertio labiorum meorum rectitudines:* alioqui nihil facilius quàm labia aperire. Ad hæc quòd veritati conſona ſit ſua doctrina, & ab omni errore aliena, confirmat nè malè intelligatur quod præceſſit, quaſi apertione labiorum & facilitate dicendi, quicquid in buccam venerit velit effutire. *Veritatem meditabitur guttur meum*] In Heb. *palatum meum*: Linguam & cætera locutionis inſtrumenta intelligimus. *Meditari* vel lingua intelligitur, & ad diligentiam & ſedulitatem docendi ſpectat: vel *meditari* mente poteſt intelligi, & ad gravitatem & maturitatem doctrinæ refertur, ſecundùm ea quæ ſequuntur, *Et labia mea deteſtabuntur impium*] Sapientiæ enim nihil magis odibile quàm impietas, & quicquid à vera religione eſt alienum. *Juſti ſunt omnes ſermones mei*] Vel *in juſtitia omnia verba oris mei.* Nihil perverſum vel tortuoſum noſtra continebit oratio, ſed in juſtitia, vel de juſtitia & æquitate, quæ hominem homini conciliat; h. e. de his quæ juſtos & rectos facit auditores. Omnia hæc quàm ad amuſſim Chriſto conveniant, manifeſtius eſt quàm ut opus ſit admonere. Porrò de myſticis Scripturis & Euangelica lege intelligi poſſunt, in quibus ſi quid obliquum aut perverſum tibi videatur, ſcias te non intelligere quod ſcribitur. Sunt, inquit Sapientia, hæc verba mea recta intelligenti, & recta his qui ſcientiam illorum inveniunt. Latent enim nonnunquam Scripturarum ſenſus, & ſignatus eſt liber, quem qui volunt aperire, ab eo quærant *qui aperit & nemo claudit*, Apoc. 3. & ab iis quibus eum aperuiſſe conſtat, nempe venerabilibus Eccleſiæ Doctoribus, antiquis & veris Scripturarum Interpretibus, *qui carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis ſuis?* Gal. 5. Hebræi in hoc verſiculo, *Omnia ſunt recta intelligenti*, נכחים *recta* ad docendi ordinem, & intelligendi facilitatem referunt: q. d. eo ordine ſunt Sapientiæ verba connexa, & tam concinnè diſpoſita, ut ſtudioſè quærentibus facilè ſcientiam commonſtrent.

10, 11. *Accipite correptionem meam, & non pecuniam, doctrinam magis quàm aurum diligite. Melior eſt enim ſcientia cunctis opibus pretioſis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Heb. *Melior eſt ſapientia gemmis, & omnia deſiderabilia non æquabunt eam*] Poſt meritas ſuæ doctrinæ laudes, quibus dociles & attentos auditorum animos voluit efficere, quid in primis proponat audiamus. *Accipite diſciplinam*, ſive *correptionem*] Æqua & prudens rerum æſtimatrix Sapientia novit quàm malè conveniat rerum mundanarum ſtudium ſuis auditoribus. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, Matth. 6. Qui terrenis curis & cumulandis opibus ſtudent, à ſapientia ſunt alieni. Unde quidam dives & avarus in Euangelio audivit, *Stultè, hâc nocte repetent animam tuam*, Luc. 12. Ab hac ſtultitia in primis alienos eſſe oportet, ſi Sapientiam volumus audire, ſi in ſchola Sapientiæ diſcipuli eſſe volumus, ſi corripi & caſtigari ab ea æquo feramus animo, quod ipſa in primis monet, inquiens, *Accipite* quotquot eſtis ſive *viri*, ſive *filii hominum*, *ignari* & *ſtulti*, *meam diſciplinam*, *accipite potius quàm argentum*] Quandoquidem ſapientiam hujus mundi, quæ ſplendet velut argentum, & famam apud vulgus ſibi acquirit, cum hac ſapientia quam ego trado complecti non poteſtis, relictâ igitur pecuniæ acquirendæ ſcientiâ, meam diſciplinam amplectimini: neque vos moveat aurum quantumvis ſelectum, ſed potiùs ſcientiam meam eligite, quæ melior eſt ullis rebus terrenis, quantumvis pretioſis, ut cujus poſſeſſio animam ornat, paſcit & nutrit, & vitam perpetuam præſtat. Quare nulla quamlibet deſiderabilia ex rebus terrenis poſſunt cum hac ſcientia, quam Sapientia largitur, conferri.

12. *Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Heb. *Ego Sapientia habitavi in aſtutia, & ſcientiam cogitationum inveniam*] Senſus eſt, ſapientiam non eſſe abſque aſtutia & conſilio in rebus agendis, non ſolùm ad ſpeculationem ſeſe extendere: imo ſapientiam omnes prudentiæ & conſilii ſive calliditatis circumſtantias habere notas, ac ſi in medio earum maneret, & ſummam familiaritatem haberet cum illis: ſic Aben-Hezra. Poſterior pars verſiculi, quæ in Hebræo ſic habet, *Aſtutiam ſcientiamque cogitationum inveniam*] Habet ambiguam intelligentiam: vel, quòd Sapientia dicat ſe *inventuram ſcientiam cogitationum*, quaſi ſcrutator cordium; & Chriſtus legitur vidiſſe multorum cogitationes: vel, *cogitationes ſcientiæ*, h. e. non vulgares neque vanas ſuggerere cogitationes, ſed eruditas, quæ ad inventionem ſcientiæ ſpectant. Nè quis rudem & rerum humanarum expertem ac ignaram fingat ſapientiam: & proinde futuro tempore utitur, ut oſtendat, inquit Aben-Hezra, *ſapientiam præcedere, & autorem eſſe omnis ſcientiæ & cogitationum gravium.*

13, 14. *Timor Domini odit malum, arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pravam, & os bilingue deteſtor.* Heb. *Timor Domini odire malum, ſuperbiam & arrogantiam*, (vel *ſuperbiâ tumeſcentem*) *& viam mali, & os perverſitatum odi. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.* Heb. *Meum eſt conſilium & lex, ego intelligentia ſum, mea eſt fortitudo*] Poſt exordium, in quo (ut diximus) in magnam ſuæ doctrinæ exſpectationem erexit auditorem, ſequitur narratio, ſive recitatio & commemoratio bonorum, quæ à Sapientia proveniunt: inter quæ primum eſt, *Timor Domini initium ſapientiæ*, ex quo naſcitur odium mali, quod in genere dictum eſt. Nam præcipuè arrogantiam odit & ſuperbiam, per quam peccatum intravit in mundum, per quam creatura rationalis à ſuo receſſit conditore: non ſine cauſâ igitur Sapientia, quæ timorem Domini piis mentibus transfundit, non ſolùm ſuperbiam, ſed ſuperbiâ tumentem, vel eum qui ſuperbia totus eſt, h. e. autorem ſuperbiæ diabolum, odio habet. Quantò magis timorem Domini amplectimur illius bonitatis & majeſtatis conceptâ magnitudine immenſâ & majeſtate, tantò clarius etiam noſtram imbecillitatem & indigentiam intelligimus, & cogimur illius revereri celſitudinem, noſtram deplorare miſeriam. Timor Dei (qui humilitatem ſociam & amicam habet) alieniſſimus eſt ab omni ſuperbia. Et quamvis malum non poſſit humana fragilitas ex ſeſe penitus declinare, ab omni peccato ſuis viribus pura, & prorſus incontaminata abſque Dei gratia conſiſtere, tamen ex ſapientia Dei timore concepto, omnem viam mali & conſuetudinem peccandi odio habebimus: ſic enim vocem Hebræam דרך *viam* pro frequentatione accipiunt Hebræi. Secundo in loco, *Os perverſitatum ipſa odi*] Inquit ſapientia; *recta loquor & vera*, ut ſuperiùs lectum eſt. Pater mendacii perverſa & falſa loquitur, & quotquot ex patre diabolo ſunt veritati reſiſtunt, & doctrinam Spiritûs S. calumniantur. Id quod utinam in ſolos Judæos, qui Chriſto Dei ſapientiæ, dum in terris ageret, reſtiterunt, referre liceret; & non etiam in magiſtros errorum noſtri temporis, qui ore perverſo conantur ſubvertere quæ hactenus à primordio naſcentis Eccleſiæ ſapientiam Dei docuiſſe conſtat per ora Patrum, imò per corda credentium. Sunt qui jungunt *os* cum præcedentibus, ut ſit ſenſus, Timor Domini odit viam malam, & timor Domini odit os malum, perverſitates verò ego odio habui. *Meum eſt conſilium & æquitas*] Sive *lex*, (ut in Hebræo legitur) Cùm angelus Satanæ transfiguret ſe in angelum lucis, 1 Cor. 10. & difficile ſit deprehendere perverſitates oris in multis, conſilio eſt opus, opus eſt lege, h. e. cognitione legis Divinæ, quâ nobis præſcribuntur recta & vera, quæ quidem virtutes non aliunde petendæ ſunt quàm à Sapientia, quæ inquit, *Mea ſunt conſilium & lex*, ſive *æquitas*. Vox Hebræa תושיה, quæ ab *eſſendo* deducitur, *rem ſtabilem* & *firmam* ſignificat, ut ſæpe monuimus. Sunt igitur dotes ſapientiæ conſilium & ſolida cognitio. *Mea eſt prudentia* ſive *intelligentia*] בינה Hebr. quâ piorum hominum illuminantur animi. *Mea eſt fortitudo*] A ſapientia non ſolùm intelligentiam recepimus, & cæteras virtutes, quibus vias malas & oris perverſitates diſcernimus, ſed fortitudinem quoque, quâ armati vincamus mala, nec locum demus perverſitatibus quas odit ſapientia. Atqui hactenus facta eſt mentio de virtutibus his quæ ſapientiæ ſunt peculiares, & quæ de illius ſubſtantia eſſe putantur:

tur: ſecundum locum habent quæ ſunt circa ſubſtantiam, aut ſi mavis Attributa vocare.

15,—— 19. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Heb. *Per me Reges regnabunt, & Gubernatores decernent juſtitiam. Per me Principes principatum obtinebunt, & Nobiles erunt omnes Judices terræ. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me. Mecum ſunt divitiæ & gloria: opes ſuperbæ & juſtitia* (In Heb. *divitiæ antiquæ & juſtitia*) *Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.* Heb. *Melior eſt fructus meus auro & obrizo, & proventus meus argento electo*) Maximæ ſunt Sapientiæ dotes, quas ſuperiùs recitavimus, ſed tamen his cancellis aut finibus non coarctatur ſapientia: neque ſolùm ad futuram vitam eſt neceſſaria, imò nulla pars præſentis converſationis ſapientia carere poteſt. Et qui minimè omni ſubſidio alterius videntur egere, ſapientia maximè egent, neque alia ratione poſſunt ſupremi Magiſtratus & Reges regio fungi munere, cum æquitate & clementia moderari Remp. niſi ſapientia ſuggerente prudentiam, & animum Principe dignum, quo non ſuam ſolùm ſed Dei gloriam, non ſua ſolùm ſed populi & Reip. commoda quærat. Quòd ſi legibus & ſtatutis æquis malorùm inſolentiam coërcere oporteat, nemo Principum aut Magiſtratuum hoc munus præſtare poterit, niſi ſapientia edoctus, ut proſpicere poſſit quid omnibus conducat. Æquas enim non condit leges, qui aliò quàm ad omnium legum ſcopum, nempe juſtitiam, dirigit oculos. Et ut Regibus, & Ducibus, qui ſub Regibus moderantur & regunt plebem, ſatis non eſt quocunque modo imperium accepiſſe, ſed quemadmodum *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, ut inquit Paulus, Rom. 13. ità à Deo ſapientiam accipere oportet, ſi modò boni Principes eſſe volunt, & populum cum imperio ſubditum tenere legitimo, ſi ut Principes haberi volunt, & nominis famam tueri: hoc enim ſignificat נדבים *laudabiles & clari*, ab avaritia alieni, quales ſine ſapientia eſſe non poſſunt. Judices præterea, qui in terris Dei benedicti locum ſuo more occupant, abſque ſapientia cauſas decernere liteſque dirimere non poterunt. Sed dicet aliquis fortaſſis, Quibus modis aut qua arte acquiritur iſta ſapientia omnibus ordinibus uſque adeò neceſſaria? num regiis opibus comparatur, aut viribus belli & copiis acquiritur? minimè gentium. Imò ut omnibus maximopere eſt neceſſaria, ità eſt omnibus obvia & facilis, non rigida, non tetrica, non elata faſtu, ſed benigna, generoſa & humilis; inquiens, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matth. 11. Non arte aliqua eſt opus ad ſapientiam comparandam, ſed ſolo amore, quo nihil eſt humano generi convenientius. *Ego* (inquit) *amatores meos diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me*: vel, *qui quærunt me, invenient me*] Vox Ebræa שחר *auroram* ſignificat, unde deducitur verbum שחר ſignificans *manè quærere.* Senſum bene reddidit Interpres, utramque ſignificationem vocis Hebrææ complexus. *Manè vigilare* ſive *quærere*, ſignum ſolicitudinis & curæ eſt. Qui ſomno dediti ſunt & otio, ſapientiæ non ſunt amatores, ſed qui manè quærunt, h. e. ante omnia alia. *Primùm quærite regnum Dei*, Matth. 6. Et unà cum ſapientia invenietis opes & gloriam: & hoc eſt quod Euangeliſta adjecit, *Et hæc omnia adjicientur vobis.* In Heb. legitur, *Antiquas opes*, vel *divitias antiquitatis*, *invenient*, h. e. permanentes & ſtabiles: non *opes ſuperbas*, ut nos legimus. Quamvis ſenſum habeat non abſurdum quod noſter reddidit Interpres, ſed myſticum magis quàm hiſtoricum. *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia*] Cum ſapientia ſunt opes unà cum juſtitia. Qui divites ſunt hujus mundi plerique *mammonam* habent *iniquitatis*, quam frequenter vel acquirunt, vel ſervant injuſtè. Amatores ſapientiæ cum juſtitia ſtabiles & antiquas habent opes, quas *fures non effodiunt nec furantur*, Matt. 6. Et quamvis vox Hebræa *juſtitiam* ſignificet propriè, Aben-Hezra tamen hoc in loco, ut perpetua ſervetur metaphora, *felicitatem* vertit ſive *proſperitatem*: q. d. Omnia à ſapientia recipiunt illius amici, quæ ſtulti & indocti homines in mundo quærunt, opes, gloriam & felicitatem: aut hæc, inquit, aut his majora; unde ſequitur, *Melior eſt fructus meus auro & obrizo*] In Hebræo, *& proventus meus argento electo* Explicat ſeſe, metaphoricè videlicet fuiſſe locutam de diviciis & gloria, non fallacibus neque vana hujus mundi gloria. Sed divites ſunt bonis operibus ſapientiæ amatores, & coram angelis Dei *coronam gloriæ* habent *immarceſſibilem*, 1 Pet. 1. Hebræi diſcrimen obſervant inter has voces פרי *fructus*, & תבואה *proventus.* Nam תבואה, i. e. *annona*, ut inquiunt, ex ſemente & agricultura provenit, & annuo aut potiùs crebro & ferè quotidiano cultu eget. פרי autem, i. e. *fructus*, qui ſponte ex arboribus naſcitur, ſemente non eget annua, per quem ſtabilem ſcientiam & fidem intelligere licet: per *annonam* verò integritatem morum, & vitam frugiferam, quæ quotidiano labore & pœnitentia, quaſi cultura & ſtercoratione indiget. Sequitur,

20, 21. *In viis juſtitiæ ambulabo, in medio ſemitarum judicii, Ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Heb. *Ut in hæreditatem*, vel *jure hæreditario accipere faciam amatores meos eſſe, quod eſt*, vel *eſſentiam & theſauros eorum implebo*] Inter juſtitiam & judicium ſic diſtinguunt Hebræi, ut illâ in genere & ſimpliciter intelligatur omnis probitas; judicium verò referatur ad æquitatem, quæ eſt inter virum & proximum ſuum. Quod ad ſenſum ſpectat horum verſuum, à ſuperioribus pendet; priùs enim de divitiis & gloria facta eſt mentio, ad quas juſtitiâ & æquitate pervenire in hoc mundo facile non eſt. Ferè enim qui avarè & immodicè congerunt opes, aliorum damno diteſcunt: ſed longè alia ratio eſt opum, honoris, fructuum & annonæ, quæ bona ſuis largitur Sapientia, quæ in viis juſtitiæ ambulat, & ſuos ambulare facit, ut primo rectè ſibi privatim vivant, deinde in medio ſemitarum judicii quod ad alios ſpectat. *In medio*, inquam, neque favore ad dexteram, neque odio ad ſiniſtram declinantes. Primam clauſulam ad vitam contemplativam referunt etiam Hebræi, ſecundam verò ad activam. *Ut ditem diligentes me*] Vel, *ut hæreditatem conferam amicis meis eſſe, eſſentiam*, vel *id quod eſt*, יש, Hebraïcè *quod verè eſt*, non fallaces divitias quæ pluribus modis pereunt, ſed ſolidas, veras & perennes, quas in cœlis recondunt ſapientes, copioſè eleëmoſynis in pauperes, & beneficiis in omnes collocatis.

22,—— 31. *Dominus poſſedit me, initium viarum ſuarum, antequam quicquam faceret.* Heb. *Ante opera ſua ex tunc. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Heb. *A ſeculo coronata ſum, à principio antequam terra. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, nondum fontes aquarum eruperant.* Heb. *Cùm non eſſent fontes gravidi*, vel *redundantes aquis. Necdum montes gravi mole conſtiterant, ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrarum.* Heb. *Adhuc non fecerat terram, neque plateas, neque principium glebarum orbis terræ. Quando præparabat cœlos aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos.* Heb. *Dum præpararet cœlos, ibi eram, dum deſcriberet circumferentiam ſuper faciem abyſſi. Quando æthera firmavit, ſurſum librabat fontes aquarum.* Heb. *Cùm roboraret nubes ſurſum, dum fortificaret fontes abyſſi. Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis nè tranſirent fines ſuos.* Heb. *Cùm ſtatueret mari terminum ſuum, ut aquæ non tranſirent littus ſuum, dum ſtabiliret fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore.* Heb. *Equidem fui prope eum nutricius, & fui in deliciis quotidie ridens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Heb. *Ridens*, vel *faciens ridere, alios, in orbe terrarum, & gaudia vel jucunditates meæ cum filiis hominum*] Hactenus in hoc capite poſt exordium, quo ad audiendum provocamur, nihil aliud ferè proſecutus eſt Sapiens quàm inſignes ſapientiæ laudes: quas hoc triplici genere colligere licet, nempe ut primò intelligamus connumerari illa quæ ſapientiæ ſunt propria, idque uſque ad illum verſiculum, *Per me Reges regnant.* Deinde ab eo loco, *Per me Reges regnant* hucuſque, quanta mortalibus conferat beneficia, quamque ſit neceſſaria omnibus omnium hominum conditionibus, ſive privatam, ſive publicam geras perſonam, oſtenſum eſt, illius videlicet officia & qualitates deſcribendo, quæ circa ſubſtantiam conſiſtunt, tanquam ornamenta quibus videatur hominibus maximè commendari. Nunc tandem quoniam antiquitas res commendat, & dignitates auget, res præterea geſtæ olim cum laude commendant eum qui præclarè egit: opera denique affabre facta celebritatem conferunt opifici. Hoc tertio loco ab æternitate ſapientiam laudat, & ab operibus quibus innotuit ſapientia, non amicis ſolùm ſed omnibus, quotquot unà cum oculis animum ad cœlum levare volunt; hi, inquam, nolentes volentes coguntur ſapientiæ Divinæ agnoſcere majeſtatem & potentiam; quæ, ut ipſa teſtatur, *à Deo poſſeſſa fuit in principio viæ ſuæ*, h. e. operationis ſuæ internæ & ineffabilis, qua filius à patre generatur, Verbum à mente, ſecundùm quod ſcribitur, *Et verbum erat apud Deum*, Joan. 1. tanquam *principium* ſive *primitiæ*, *viæ ſuæ* (ut in Hebræo legitur) per quam vel ipſa ad creaturas deſcenderet pro infinita bonitate ſua, vel per quam nobis ad Deum pateret aditus. Nam nemo aſcendit in cœlum, niſi per eum qui deſcendit de cœlo, Joh. 3. Hoc, inquam, *viarum ſuarum principium poſſedit* Deus pater, ſive *acquiſivit* (verbum enim Hebræum קנה utrumque ſignificat) æterna generatione. *Antequam quicquam faceret à principio*] Vel, *ex tunc*, ante opera ſua quæcunque ad extra, ut Theologorum utamur verbo. *Ab*

æterno

æterno ordinata ſum] A ſeculo, vel ante ſecula, regiam poteſtatem obtinui, electa ſum, ſive conſtituta, & uncta ſum in reginam & dominatricem, oleo lætitiæ, Pſal. 45. Ut æqualem cum Deo patre majeſtatem & auctoritatem intelligas. *Pater & ego unum ſumus*, Joan. 10. Obſervandum eſt hoc in loco, ſcribi illud verbum Hebræum נסכתי, quod ſecundo Pſalmo ſcriptum (ſed hic patientis voce, illic verò agentis legitur) à Lxx. vertitur, *Conſtitutus ſum Rex ab eo*: à D. Hier. ibidem vertitur, *Ego ordinavi Regem meum*: hoc in loco creationem rerum narrans, nihil abſque ſapientia factum indicat, ut non ſolùm æternitate ſua antiquiorem quavis creatura, ſed etiam creaturarum opificem ſapientiam intelligas. Nec eſt quòd quiſquam Judaïco more hæreat in verbis aliquot, quæ à creaturis ad creatorem transferuntur, viz. cùm *concepta* aut *formata* dicitur Divina ſapientia; ſed morem Scripturarum obſervet, quæ verbis humanis, h. e. quæ ab hominibus intelligi poſſunt, res ſublimes & cœleſtes omnemque humanum intellectum ſuperantes, conatur explicare. Cæterùm Judæorum errorem, & Arrianorum de filio Dei ſatìs alioqui redarguit Sapiens, dicendo, *Ante opera ſua in principio poſſedit me Dominus*, nè de quacunque creatura, quæ opera Dei ſunt, & non ante opera, ſermonem eſſe putares. Quod etiam in verbo נסכתי *principatum obtinui*, vel *uncta ſum*, intelligitur, cùm Divina ſapientia ſe non temporis ſucceſſione adoleviſſe, aut paulatim ad perfectionem perveniſſe, ſed ſtatim ab initio principatum & ſummam autoritatem tenuiſſe: *A ſeculo* (inquit) *ordinata ſum in Principem*. Porrò in commemorandis operibus creationis, quibus omnibus longè antiquior fuit Divina ſapientia, hunc ordinem obſervare licet. Primò infima connumerat elementa, atque ſenſim ad ſuperiora & cœleſtia corpora aſcendit. *Antequam terra fieret*] Et *terram* intelligimus, ut ibi, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, Gen. 1. pro materia omnium elementorum, *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram*] Heb. *Cùm non eſſent abyſſi, ego formata fui, & cùm non eſſent fontes gravidi*, abundantes, aut ſcaturientes, *aquis*: quibus verbis omnem aquæ naturam, ſive ſtagnantem, ſive decurrentem, expreſſit. Hier. *Nondum fontes aquarum eruperant.* Sequitur, *Priuſquam montes fuiſſent fixi, & colles*, (qui ob ſtabilitatem in reliquam terram radices egiſſe videntur) *nata ſum*] Sic optimè vertitur hoc verbum חוללתי quod *parere* ſignificat: & eſt ex eorum verborum claſſe quæ actionem & paſſionem ſignificant. Hier. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Sequitur, *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrarum*] Heb. ut nos vertimus, *non fecerat terram & plateas.* Quidam urbes intelligunt, ſed meliùs loca aperta & ſpatioſa ſignificantur, & vaſtum aëris elementum, quod revera latum & ſpatioſum videbitur, ſi ad aquæ & terræ anguſtias conferatur. Et hanc potiſſimùm interpretationem ſequimur, quòd apud Moyſen in creatione mundi nulla fiat urbium aut platearum memoria. Alioqui per חוצות *plateas*, terram habitabilem & plateis idoneam licet intelligere. Et quod ſequitur, *& cardines orbis terræ*] Heb. *Caput* (vel *initium*) *orbis terrarum*, vel *præcipuas terras orbis.* Aben-Hezra vertit vocem ראש *caput*, per מראש *ante*, ut ſit ſenſus, Ante terras, vel pulveres orbis, h. e. aridam. Si verbis iſtis quartum mundi elementum, ignis viz. poſſit intelligi, juxta Hebræorum commentarios, non ſatìs video. Neque puto neceſſarium ſcrupuloſiùs hac de re diſſerere, ſed potiùs Scripturæ ſcopum eſſe intuendum, quæ hoc in loco docet Divinam ſapientiam antiquiorem eſſe quavis creaturâ, & non ut illa principium habuiſſe, aut eſſe poſt non eſſe: imò rerum creationi præfuiſſe tanquam omnium autorem & cauſam, juxta quem ſenſum ſequitur, *Quando præparabat cœlos aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos*] Heb. *Dum deſcriberet velut circino circumferentiam ſuper faciem abyſſi*: q. d. hæc me præſente & opifice ſive autore facta & ordinata ſunt. Hæc rerum pulcerrima deſcriptio nonniſi à ſapientia Divina eſt, non ab æterno ſine origine, ut Philoſophi putant, ſed ordine mirabili ſunt Dei providentiâ digeſta. Energiam quandam ſubindicat verbum הכין *præparavit, fecit*, vel *curavit præparari*, actionem in alium transferens: h. e. Per me, quæ aderam (inquit Sapientia) præparavit, mihi delegavit Deus pater munus præparandi & ornandi cœlos ſideribus: *Pater* enim *amat filium, & omnia dedit in manu ejus*, Joan. 3. Porrò cùm deſcriberet circumferentiam ſuperiùs in ſuperficie abyſſi, mundum hunc inferiorem, qui ex elementis & rebus obnoxiis corruptioni & generationi ſucceſſivæ, *abyſſum* vocat, qui veluti centrum ad circumferentiam ſe habet. חוג vel *circinus* eſt, quo deſcribitur circulus (quamvis grammatici מחוגה *circinum* vocant) vel *circumferentia veluti circino deſcripta* (Hier. *gyro vallabat*) per quam corpora cœleſtia, in quibus nulla hactenus fit mutatio, ſtabilita dicuntur. Hebræi ad cœlum angelorum referunt, quod illis eſt tertius mundus. Nam apud Judæos infimus mundus eſt elementorum, ſecundus corporum cœleſtium & ſtellarum, tertius angelorum: ad quam opinionem alluſiſſe videtur Paulus Apoſtolus, cùm dicat ſe ad tertium cœlum fuiſſe raptum, 2 Cor. 12. Nempe inter choros angelorum. Et tunc erit ſenſus, Dum roboraret cœlos deſuper, & fortificaret fontes abyſſi, ſc. deorſum, ut perennes videlicet ſcaturigines effunderent. Niſi mavis ad aquas quæ ſuper cœlos ſunt referre: quod Hieronymus videtur intellexiſſe, vertens, *librabat fontes aquarum*, ut ſit hiſtoricus & ſimplex ſenſus hujus loci, non alius quàm aquarum deſcriptio diverſarum, quæ mirabili artificio per ſapientiam Divinam ſunt diſpoſitæ & præparatæ, non in una collectione aquarum quod mare vocamus, & reliquis fluminibus, ſed mirabili quoque potentiâ in nubibus ſurſum conſolidatæ, quæ *fontes abyſſi*, h. e. omnium aquarum, dici poſſunt: ex nubibus enim, quæ nullâ humanâ ſed Dei duntaxat potentia ſurſum in aëre pendent, hæc inferiorum aquarum abyſſus veluti ex fontibus aquas recipit. Atqui huic expoſitioni quadrant quæ ſequuntur, *Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis nè tranſirent fines ſuos*] Cùm poneret mari ſtatutum ſuum aut terminum, nè aquæ littora egrederentur, & deſcriberet fundamenta terræ, vel ſtabiliret. Hier. *appenderet*; neque enim perſeverare poterat immobilis tam gravis natura, niſi collocatis fundamentis & ſtabilitis. Omnia hæc, quæ de terra & aquis bis poni videntur, ſic ſunt accipienda, ut primò de creatione, ſecundò de diſpenſatione & conſervatione creaturarum fiat ſermo. Quæ omnia à Patre per Filium fiunt: *Pater meus uſque modò operatur & ego operor*, Joan. 5. conſervando videlicet, & diſpenſando quæ condita ſunt in principio; id quod non minoris potentiæ videtur & bonitatis quodammodo majoris, ut ſequitur; *Cum eo eram cuncta componens*] Heb. *& fui prope eum nutricius.* Cujus hic ſenſus eſt, juxta quoſdam ex Hebræis; Quemadmodum ſolent proceres procreatis liberis, nutriciis & præceptoribus tradere ut educentur & inſtruantur, haud aliter productis Dei potentia rebus & ex nihilo creatis, non poſſunt ad finem deſtinatum pertingere, niſi à Divina ſapientia moderatè gubernentur: non poteſt, inquam, præſertim rationalis creatura ſibi relicta, cujus unicè curam accepit Divina ſapientia, non ſolùm in fine ſeculorum ex virgine nata, ſed ſub Lege & ante Legem crebris viſionibus & umbris Patribus apparens, ut Euangelium teſtatur, Joan. 8. *Abraham vidit diem meum*; & alibi, *Moyſes ſcripſit de me*, Joan. 5. non igitur Eccleſiæ ſolùm, ſed prioris populi paſtor & nutricius, ſive alumnus fuit Dei ſapientia, ſubinde rebelles caſtigans eorum mores, juxta illud Eſa. 65. *Sed in omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei ejus ſalvavit eos in dilectione ſua & in indulgentia ſua: ipſe redemit eos*, & quæ ſequuntur. Quod dicit *apud eum*, vel *prope eum*, ſignificat non aliter Sapientiam Dei gubernare, quàm ipſius Patris fuerit voluntas. *Et delectabar per ſingulos dies*: vel, *fui in deliciis*] Ego Sapientia, quæ per os Salomonis familiariùs loqui cum hominibus incipio, apud Patrem fui ab æterno in delectationibus more chariſſimi filii, cujus amplexibus mirificè delectatur pater. *Fui ſemper ridens*] Vel ludens cum eo, ut quocum nunquam ſuccenſet pater, ſed ſemper clarificat, inquiens, Joan. 17. *Omnia mea tua ſunt*: Quâ, quæ poſſit cogitari major lætitia, majoreſque deliciæ? Hæc Sapientiæ Divinitatem manifeſtiſſimè oſtendunt, quantumvìs reclamante populo duræ cervicis; nempe Judaïco, quorum tamen aliqui fatentur delicias hoc in loco repræſentare dulcedinem & lætitiam illam, quam in ſui ipſius apprehenſione capit Deus benedictus, & quaſi dicat, inquiunt commentarii Hebræorum, quòd Sapientia ſit eadem in ſemetipſa cum Deo benedicto. Quamvis quod ſequitur, *Ludens in orbe terrarum*] ad utramvis naturam in Chriſto referri poſſit, tamen apertiùs ad naturam humanam quam ex homine accepit, cujus clementiam admiratus David, & obſtupeſcens, inquit, *Quid eſt homo quòd memor es ejus, aut filius hominis*, &c. Pſa. 8. Summæ delectationi fuit ſapientiæ Divinæ verſari cum filiis hominum, & impertiri illis cœleſtes delicias & gaudia, quibus ab æterno fruitur cum Patre. Ex his infert ſapientiam eſſe neceſſariam filiis hominum ad veram felicitatem aſſequendam, & neceſſarium viciſſim amare ſapientiam, illius in primis ſtudioſos eſſe, per quam ſolam Dei conſequimur amorem, & æterna ſupplicia evitare poterimus, juxta ea quæ ſequuntur.

32,—36. *Nunc ergò, filii, audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas: Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: Qui autem in me peccaverit, lædet animam ſuam.* Heb. *Audite correptionem*, vel *diſciplinam, & eritis ſapientes, non habebitis ſupplicium. Nam qui me invenit, invenit vitam ſuam, & educet*

volun-

voluntatem à Domino: Et qui peccat in me, facit injuriam animæ ſuæ: qui me oderunt, diligunt mortem] Frequens in ore Sapientiæ nomen *filii*, nomen charitatis, ut quæ malit amore provocare, quàm pœnis terrere. Et hoc verſiculo 34. idem ferè dicit quod Chriſtus Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Audite diſciplinam & eſtote ſapientes*] Inter vias ſapientiæ vel prima eſt, diſciplinam accipere, mores corrigere, virtutum ſtudia amplecti, & non illotis (quod ajunt) pedibus velle ſapientiam poſſidere: *Non* enim *intrabit in animam malevolam, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis*, Eccleſ. 1. *Et eritis ſapientes*] Verti poteſt imperativus pro futuro, quamvis ſenſus eodem redeat; nempe diſciplinam accipere, mores caſtigare, eſſe magnam partem ſapientiæ humanæ; q.d. Idem eſt inculpatè vivere & ſapere. *Audite diſciplinam*] Obedite, filii, his qui vos caſtigant & ſapite: hac ratione oſtendes te ſapere. Quod ſequitur, *Nolite abjicere eam*] In Hebræo אל תפרעו ambiguum ſenſum habet, propter multiplicem hujus verbi ſignificationem: ſignificat enim *irritare, abjicere, pœnitere, vindicare, ſolvere*: in quo ſenſu, nempe *ſolvendi*, poſſe accipi hoc in loco à quibuſdam putatur: q.d. Audite correptionem meam & ſapietis, vel ſapientes eritis, gratis & abſque pretio, nihil ſolvetis. Pronomen, *eam*, in Hebræo non legitur. Aliter, *accipite diſciplinam*, h.e. corrigite mores, & non luetis pœnas. Ut cum illo Pauli conveniat, *Si noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, 1 Cor. 11. Mihi verò germanus hujus loci, & qui maximè quadrat, ſenſus videtur, ſi pro *impedire* accipiatur verbum Heb. פרע, ut ſit ſenſus, audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite fruſtrare vel impedire, ſc. diſciplinam meam: irrita enim eſt diſciplina patris, ſi filius non corrigatur. Atqui hic eſt primus gradus ad ſapientiam, caſtigatio morum. Præter integritatem vitæ, magno ſtudio & induſtriâ opus eſt, ſi volumus ſapientiam invenire. *Quærite*, inquit, *& invenietis, pulſate & aperietur vobis*, Lucæ 11. Quid enim aliud eſt *pulſare*, quàm vigilare ad fores ſapientiæ, & obſervare ad portas, quàm in eccleſia Dei, cui datæ ſunt claves Regni Cœlorum (contra quam portæ inferi non prævalebunt) crebris precibus, vigiliis & jejuniis inſiſtere, & cæteris piis operibus, quibus Chriſtus invenitur? Cæterùm nè quis tantis laboribus deterritus recuſet & ſpernat ſapientiam, ampliſſima præmia pollicetur, *Qui me invenerit, inveniet vitam*] Molleſcunt & levia videntur quantumvis gravia, magnis propoſitis muneribus. Non maxima ſuis amicis pollicetur præmia, ſed hoſtibus extrema ſupplicia comminatur, inquiens, *Beatus homo qui audit me*] & uſqueadeo mei ſtudioſus fuerit, ut quotidie vigilet ad fores meas. Aliter, *vigilare ad fores*, & *obſervare ad poſtes oſtiorum*, metaphoricè dixit, pro eo quod eſt totum pendere à ſapientia, in ea totam ſpem collocare, aſſiduè opem illius implorare, & tanquam optimo patrono ſeſe dedere. Alioqui *portæ & fores Sapientiæ*, ſunt Doctores ſacri, qui Scripturas aperiunt: *poſtes portarum* Scripturas ipſas, aut Apoſtolos & Euangeliſtas intelligimus, qui reliquos ſuſtentant, & quibus adhærent quotquot januam Regni cœleſtis intrare volunt; qui ad hos poſtes & januas vigilant, & obſervant, & quærunt ſapientiam in Eccleſia Dei, non in conventiculis hæreticorum. Qui quærunt Scripturarum intelligentiam à Doctoribus ſacris, quos tanquam columnas habet Eccleſia, ſuo inſtituto fruſtrari non poterunt. *Quicquid petieritis patrem nomine meo accipietis*, inquit Joan. 13. Sequitur, *hauriet ſalutem à Domino*] Heb. *Educet voluntatem* vel *benevolentiam, à Domino*: h.e. à Domino impetrabit quod petit, & ſuæ voluntatis erit compos: vel *voluntas* ac *benevolentia* refertur ad Dominum, ſed ſenſus eodem redit; q.d. erit gratus Domino, & illius gratia munitus, nè quam ſemel eſt aſſecutus vitam, denuo perdat. Non ſolùm vitam inveniet, ſed benevolentiam à Domino educens, nullius rei indigus erit. Quid enim aliud quærimus pauperes, quàm Regi innoteſcere, quàm illius favore & benevolentiâ beari? Cæterùm ut nihil eſt felicius amicis Sapientiæ, ità nihil eſt miſerius illius inimicis. Nam quemadmodum amicis largitur vitam, ità ſi qui odio proſequuntur vel ſpernunt Sapientiam, nihil aliud quàm ſe diligere mortem oſtendunt. Odio autem habent non ſolùm Judæi infideles, de quibus ſcribitur, *Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & patrem meum*, Joan. 15. ſed etiam qui *malè agit, odit lucem*. Denique falſorum dogmatum autor veritatem ſpernit & odit, quæ Dei ſapientia eſt, dicente eadem, *Ego ſum via, veritas, & vita*: quam in Chriſto & in Euangelio invenerunt omnes ſancti, de quibus ſcribitur, *Vos amici mei eſtis*.

DRUSIUS.

1. הֲלֹא חָכְמָה תִקְרָא וּתְבוּנָה תִּתֵּן קוֹלָהּ. Th. Ἰδοὺ ἡ σοφία κεκράξεται, καὶ ἡ σύνεσις δώσει φωνὴν αὐτῆς, *Ecce Sapientia clamat, & Prudentia edet vocem ſuam*] *Ecce* הנה. ¶ *Clamat*: verbum è verbo *clamabit*, ut mox, *edet vocem ſuam*, vel potiùs *dabit vocem ſuam*.

3. מְבוֹא פְתָחִים. Th. Εἴσοδον θυρῶν, *introitum oſtiorum*.

5. הָבִינוּ לֵב. Sym. Νοήσατε τῇ καρδίᾳ, *intelligite corde*.

6. נְגִידִים. Sym. Th. Ἡγεμονικὰ, *imperatoria*] i.e. *Imperatori*, aut *Duci, convenientia*. Nam ἡγεμὼν, *Dux, Imperator*, qui & ϛρατηγός. Interdum enim hæc nomina confunduntur.

8. עִקֵּשׁ. A. Περιπεπλεγμένον, *perverſum*. ¶ נִפְתָּל וְעִקֵּשׁ. Th. Περιπεπλεγμένον καὶ διεϛραμμένον, *circumplicatum & perverſum*.

9. נְכֹחִים. Th. Εὐθεῖα, *recta*. Schol. εὔκοπα ſive εὔσκοπα. Sym. ἐλεγξώμεθα] Εὔκοπα, *facilia, expedita*. ¶ Εὔσκοπα, *circumſpecta, provida*. ¶ Ἐλεγξώμεθα, *arguemur, convincemur*. Aliàs ἐκλεξώμεθα, *eligemur*. Prior ſcriptura meliùs convenit cum voce נכחים, in qua ſignificatio *arguendi* ſi à יכח deducatur, unde in Benoni Niphal נוכח, & in plur. נוכחים *convicti argumentis*. Sed melius ut ſit à נָכַח; unde & נכח *coram, è regione*.

11. מִפְּנִינִים. Lxx. λιθῶν πολυτελῶν. Sym. τῶν ἐσωτάτων, *penitiſſimorum*] Vel *intimorum*. Nam ἐσώτατος, *intimus*. Hæc ſignificatio eſt in nomine פניי *interior*. Job. 28. 18. מפנינים. Lxx. ὑπὲρ τὰ ἐσώτατα. Hieron. *de occultis*. A. τὰ περίβλεπτα, *circumſpicua*.

12. עָרְמָה. Sym. Πανουργίαν, *calliditatem*. ¶ וְדַעַת מְזִמּוֹת אֶמְצָא. Th. καὶ γνῶσιν διαβουλιῶν εὑρήσω, *& ſcientiam cogitationum inveniam*] Potiùs *deliberationum, conſultationum*. Prov. 1. 4. מזמה, idem Th. συλλογισμὸν, *ratiocinationem*. Job. 42. 2. A. S. Th. ἐνθύμημα. Pſal. 10. 2. במזמות. Lxx. ἐν διαβουλίοις. Hieron. *in conſiliis*. Verbum eſt μέσον.

13. רָע. Schol. κακίαν. ¶ תַּהְפֻּכוֹת שָׂנֵאתִי. S. Th. καὶ ϛόμα ϛρεβλὸν ἐμίσησα, *& os diſtortum odi*.

14. תוּשִׁיָּה. A. Εὐνομία, *bona legum conſtitutio*] Vel *bonarum legum conſtitutio; bonæ leges; ſtatus rerum ſub bonis legibus*. ¶ גְבוּרָה. Sym. Κράτος, *potentia*.

15. יְחֹקְקוּ צֶדֶק. A. S. Th. ἀκριβάσονται δίκαιον, *accuratè decernunt quod juſtum eſt*.

16. שָׂרִים יָשֹׂרוּ. A. S. ἄρχοντες ἄρξουσιν, *Principes principatum gerunt*. ¶ וּנְדִיבִים. A. Th. ἐκουσιαζόμενοι, *qui ultro ac ſponte liberales ſunt*] Significat Principes, quos imprimis decet liberalitas ac munificentia, qui propterea εὐεργέται cognominantur. Itaque Lxx. alibi ἄρχοντες reddunt, ut Pſal. 47. 9. & 83. 11. Hîc reddunt τύραννοι, quod in idem redit: olim enim *tyranni* vocabulum in bonis uſurpabant. Cæterùm Pſal. 51. 12. רוח נדיבה vertunt, πνεύματι ἡγεμονικῷ, *Spiritu imperatorio*, quo qui præditi ſunt ultro ac ſpontè Dei laudes concelebrant.

18. אִתִּי. A. σὺν ἐμοὶ, *mecum*. Sym. παρ᾽ ἐμοῦ, *apud me*. Th. μετ᾽ ἐμοῦ, *mecum*. ¶ הוֹן עָתֵק. Sym. βίος παλαιός, *vita vetus*, Th. ὕπαρξις παλαιὰ, *ſubſtantia vetus*. A. ὕπαρξις μετ᾽ εἰρήνης. *ſubſtantia cum pace*] *Vita*, i.e. victus. Sic accipitur βίος in illo,

Βίος βίῳ δεόμενος οὐκ ἔϛι βίος,

Vita ſine vita, i.e. victu ſive rebus neceſſariis ad vitam deſtituta, *non eſt vita*. ¶ *Subſtantia: opes*. Sic τὰ ὑπάρχοντα, *bona & facultates*.

19. טוֹב פִּרְיִי מֵחָרוּץ וּמִפָּז. A. ἀγαθὸς καρπός μου παρὰ χρυσίον καὶ παρὰ κιῤῥὸν, *Bonus fructus meus ſupra aurum & ſupra fulvum*. S. Κρείσσων καρπός μου χρυσίου Ὠφάζ, *Præſtantior eſt fructus meus auro Ophaz*] *Aurum fulvum* eſt aurum optimum, quod Græci κιῤῥὸν vocant. Hieron. etiam *obryzum* vocari ait. In libro Nom. *Ophaz, obryzum, eſtque genus auri quod Græci* κιῤῥὸν *vocant*. In Iſidoro, ubi hæc verba referuntur, perperàm *Ophax* legitur & *cairon*. Pridem id notavi. Vide, ſi vacas. ¶ *Auro Ophaz*. Legit, ut apparet, inverſis literis מחרוץ מופז, ut 1 Reg. 10. 18. זהב מופז, quod Hieron. interpretatur *aurum fulvum*, i.e. χρυσίον κιῤῥὸν, Aquilam aut Symmachum æmulatus. Sanctes *aurum obryzum*, זהב אפיר צרוקה. Schol. δικαιώματος.

21. לְהַנְחִיל. A. S. Th. τοῦ κληροδοτῆσαι, *ut hæreditatis loco dem*.

22. יְהוָה קָנָנִי. A. Κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus poſſedit me*] Vel *acquiſivit me*. ¶ רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ. A. ἀρχῆθεν κατεργασμάτων αὐτοῦ, *ab initio factorum ſuorum*. Sym. ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, *initia viarum ſuarum*] *Factorum, operum*. ¶ קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז. Sym. πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ, *ante operationem ſuam*... Th. πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ ἀπὸ τότε, *ante operationem ſuam ab eo tempore*] Vel *ante opera ſua*. ¶ Ἀπὸ τότε, *à tunc*, ſive, ut alii ex Ebræo reddunt, *ex tunc*, i.e. jam olim. Pro ἀπὸ τότε legitur & ἐκ τότε *ex tunc*: In ed. Rom. ſimul leguntur ἀπὸ τότε καὶ ἐκ τότε, ſed alterutrum redundat aut potiùs ſuperat ex alia quapiam verſione.

23. מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי, Th. πρὸ αἰῶνος προκεχείρισμαι, *ante ſeculum editus ſum.*

25. לִפְנֵי גְבָעוֹת חוֹלָלְתִּי. A. Th. πρὸ βουνῶν ὠδινήθην, *ante colles genita ſum*] Verbum è verbo *parita* ſive *parta ſum*: nam ὠδίνομαι, *parior*, *parturior*. ¶ חוֹלָלְתִּי. Sym. ἐμαιώθην. Verbum à μαῖα deductum, i. e. *obſtetrix*, *nutrix*, ut poſſis vertere *enutrita ſum.*

26. עַד־לֹא עָשָׂה אֶרֶץ וְחוּצוֹת. A. S. πρὶν ἢ ἐποίησε γῆν καὶ ἐξόδους, *antequam feciſſet terram & exitus.*

27. בְּחוּקוֹ חוּג עַל־פְּנֵי תְהוֹם. A. Th. ἐν τῷ ἀκριβάζειν γῦρον ἐπὶ πρόσωπον ἀβύσσου, *cùm accuratè deſcriberet circulum in ſuperficie terræ*] Γῦρον, *gyrum*, *circulum*, *ambitum*. Hic notatum reperio, A. Sym. πύργον puto errorem eſſe.

28. שְׁחָקִים. A. ῥοπὰς, *momenta*. Sym. αἰθέρα *atherem*] שחק *pulvis minutiſſimus*, unde & pro *athere* ſumitur à tenuiſſima ejus ſubſtantia. Jeſ. 40. שחק מאזנים *momentum bilancium*, i. e. ῥοπή. ¶ *Ætherem*. Pſalm. 89. 6. בשחק. Sym. ἐν αἰθέρι, *in athere*. 108. 5. עד שחקים. Hieron. *uſque ad athera*. Job. 36. 28. שחקים. Sym. ἐκ τοῦ αἰθέρος, *ex athere.*

29. בְּשׂוּמוֹ לַיָּם חֻקּוֹ וּמַיִם לֹא יַעַבְרוּ פִיו. Ἐν τῷ τιθέναι τῇ θαλάσσῃ ἀκριβασμὸν αὐτοῦ, καὶ ὕδατα οὐ παρελεύσεται στόματος αὐτοῦ, *Cùm poneret mari legem ſuam, & aqua non tranſirent os ejus*] Aliàs στόμα αὐτοῦ.

30. אָמוֹן. A. Τιθηνουμένη, *nutritia*. S. Th. ἐστηριγμένη *firmata*] Τιθηνουμένη, *nutriens*, τιθηνοῦσα, niſi paſſivè accipiendum, *nutricata. enutrita*. ¶ מְשַׂחֶקֶת. A. S. Th. παίζουσα, *ludens.*

32. וְאַשְׁרֵי דְּרָכַי יִשְׁמֹרוּ. Th. καὶ μακάριοι οἳ ὁδούς μου φυλάξουσιν, *& beati qui vias meas cuſtodient*] Hæc in quodam libro habentur ſub aſteriſco, unde ſuſpicor ſumpta eſſe ex ed. Theodotionis: ſimiliter & ſequens verſus.

33. שִׁמְעוּ מוּסָר וַחֲכָמוּ וְאַל־תִּפְרָעוּ. Th. Ἀκούσατε σοφίαν, καὶ σοφίσθητε, καὶ μὴ ἀποφράξητε, *Audite ſapientiam, & ſapite, & ne obſtruite*] Hieron. h. l. *nolite objicere*, unde in veteribus Lexicis, Ἀποφράσσω, *objicio*. Non adhuc ſe probat mihi.

34. מְזוּזֹת פְּתָחָי. Th. φλιὰς θυρῶν μου, *poſtes oſtiorum meorum.*

35. כִּי מֹצְאִי מָצָא חַיִּים. A. S. Th. ὁ γὰρ εὑρών με, εὑρήσει ζωὴν, *nam qui invenit me, inveniet vitam*. ¶ וַיָּפֶק רָצוֹן מֵיְהוָה. Sym. καὶ ἀρύεται εὐδοκίαν παρὰ Κυρίου, *& haurit benevolentiam* (ſive *favorem*) *à Domino.*

36. חֹמֵס נַפְשׁוֹ. A. Sym. ἀδικεῖ ψυχὴν αὐτοῦ, *injuria afficit animam ſuam*] i. e. Seipſum.

AMAMA.

HIſce tribus poſterioribus capitibus adhibet confirmationem documentorum ſapientiæ & prudentiæ. Confirmatio duplex, 1. Ab exemplo quod confirmat teſtimonio ſuo Cap. 7. 2. Ab ipſius Dei & Sapientiæ æternæ teſtimonio Cap. 8. 9. Itaque hic tranſit ad alterum confirmationis locum, per antitheſin Sapientiæ & Cœleſtium ejus documentorum cum procaciſſima meretrice illiuſque lenociniis. Habet hoc caput duo, 1. Brevem narrationem oculis quaſi ſubjicientem occurſantem Dei ſapientiam, ad v. 4. 2. Sacram illius concionem ad finem capitis.

An non] Cum interrogatione ad pondus orationis.

Clamat] Summâ fiduciâ & libertate, non ut meretrix ſuſurris, tempore veſpertino, clarus locis abſtruſis.

חכמה] Vid. Druſ. ad Sirach.

קרת] Hinc Ch. Kartha, & Tigrano Kartha, Vologeſo, Kartha. Carthago, Καρχηδὼν, καινήπολις ἢ νεάπολις. In Solino Carthada à קרת & חדתא ab Ebr. חדשה, vel Arab. חדת *novus*.

בני ארם] De plebejis. Sic Pſ. 49. & 82. & Jud. 16. Opponitur aliquando *Filiis Elohim*, Gen. 6. Ubi alii *per filios Elohim* intelligunt *pios*. Quibus opponuntur filii Adam, impii, terrena tantum ſpectantes. Ut Gen. 11. 5. *Turrim quam ædificabant filii hominum*. Alii intelligunt ac ſi eſſet בני איש. Per ASTUTIAM intelligitur bona illa & eximia calliditas, quâ per ſapientiam & verbum Domini intelligimus quid ſequendum, quid fugiendum, & nobis ab inſidiis Satanæ, carnis & mundi cavemus.

Sacra concio conſtat 4. partibus. Exordio à v. 4. ad 12. 2. Propoſitione dignitatis, efficacitatis & utilitatis ſuæ ad v. 22. 3. Confirmatione ab auctoritate ſua ſempiterna & divina ad 30. Concluſio ad finem.

פתי־ערום פתי־ערמה Φρόνιμος ἀπαίδευτος ἤγουν πανοῦργος.	Simplex vox μέσος	תמים חנף ἀκέραιος ἁπλοῦς.

Math. 10. Utrumque requirit in ſuis, ſimplicitatem & calliditatem, χρηστότητα συνέσει κεκραμένην, utraque voce in bonam partem accepta. Baſil. vocat καλὴν καὶ ἀγαθὴν πανουργίαν. Paulus, volo vos ſapientes eſſe in bono καὶ ἀκεραίους ἐν κακῷ. Prudens ſimplicitas & apud veteres μιγνύειν τὸν ὄφιν τῇ περιστερᾷ.

6. נגידים] Putant quidam eſſe pro נגידים Principalia, Principe digna, ἡγεμονικά. Alii ſupplent, דברי verba Principum. Lxx. σεμνά, gravia.

Et apertura] Labiorum meorum, ſub. eloquar recta. Lxx. καὶ ἀνοίσω ἀπὸ χειλέων ὀρθά.

7. *In juſtitia*] i. e. Juſti. Vide Reg. Text.

עקש] Lxx. στραγγαλιῶδες. στραγγαλόω, diſtorqueo.

10. *Et non argentum*] Potius quam. Vide Reg. Tex. 11.

Ego ſapientia] Hæc non intelligi poſſunt, niſi de ſapientia increata, de æterno Dei ſermone, qui eſt Dei potentia & ſapientia, qui nobis factus eſt ſapientia; ſine quo nemo ſapit, in quo & per quem ſapientes ſunt & efficiuntur quicunque ſapiunt.

אמת Veritas. Eſt rectitudo ſola, mente perceptibilis, cujus propria vis eſt convenientia & concordia medii cum principio & fine. Unde ſcribitur אמת, ubi prima, media & ultima litera Alph. conveniunt. מ enim eſt media ſi literæ finales addantur Alphabeto. Ad firmitudinem & ſtabilitatem veritatis illud quoque obſervant Ebr. quod conſtet literis quadratis habentibus firmos pedes.

15. *Per me*] ב per, vel inſtrumentale. At Hoſ. 12. בנביא, Pſ. 78. בכשל. Sic Ebr. 1. 1. ἐν τοῖς προφήταις. Vel jurandi, Jeſ. 45. בי per me, בקדשי. Sic Matth. 5. ὀμόσαι ἐν οὐρανῷ, γῇ, κεφαλῇ. At hic non ſignificat inſtrumentaliter. Nec enim hic de creata ſed increata Sapientia agitur. Senſus enim hic eſt, à me eſt omnis auctoritas, Ego communico Regibus hanc auctoritatem, mihi debent quod regnent, nam non eſt poteſtas niſi à Deo Rom. 13. 1.

Ergo *per* hic ſignificat cauſam potius efficientem. Sic διὰ in Nov. Teſt. aliquoties, quod notandum ob Arianos qui ex locis iſtis Ebr. 1. 2. & ſimilibus ubi Pater dicitur per Chriſtum condidiſſe ſecula, colligebant Chriſtum fuiſſe inſtrumentum creationis, At Ebr. 2. 10. Patri tribuitur, *Decebat enim eum* δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα *multos filios in gloriam adducentem authorem ſalutis ipſorum per paſſionem conſecrare*. Rom. 11. 36. ὅτι ἐξ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν πάντα.

ב ergo hic efficientem notat, unde reddi poſſet per *ex*. Quomodo aliquando accipitur. Sed & *per* apud Profanos ſic accipitur, *per me ſtat*, *per me hoc factum*, *per ſervulum falli* apud Terentium.

16. נדיבים] נדב liberalis fuit, ſpontaneè obtulit, Gr. δαπανάω, inſumo, expendo liberaliter, δαπανή ſumptus, δαπανηρὸς conſumptor. Hinc נדיב Princeps, quod talem deceat beneficentia. *Qui in poteſtate ſunt* εὐεργέται *vocantur*, inquit Chriſtus. Vid Pſ. 113. 8. Lxx. vertunt *tyrannos*. Vox ea olim in bono uſurpata. Virg. Horat. &c.

הן conatus eſt omnibus viribus, intendit nervos. Deut. 1. 6. התחזו. Hinc הון quod paretur labore, vel quod homo ad nullam rem ita nervos intendat. Hinc ὄνημι juvo, ὄνιος, utilis.

19. מפז] VII. Synonyma auri, פז ſive מופז. 2. חרוץ. 3. כתם. 4. Ophir. 5. בצר. 6. סגור. Phas dictum volunt quidam à loco אופז Jer. 10. 9. *Argentum de Tharſis adducetur & aurum de Uphaz*. Alii putant ita dici aurum ſolidum, Græci κιῤῥὸν, q. d. aurum rutilantis ſeu ignei coloris. Arabes vocant aurum *Fes*. Joh. Leo in deſcript. Afr. Inde *Feſſam* civitatem dictam notat. Vertunt communiter *Obryzum*, quod putant dictum quaſi *Ophiriſum*. Alii aliter.

22. *Poſſedit me*. Ergo tunc erat. *Poſſedit*, i. e. genuit קנה aliquando parere, aliquando gignere, Gen. 4. 2. de Eva. Zach. 13. 5. הקנני Lxx. ἐγέννησέ με de Patre. Lxx. ἔκτισε &c. בראני. Miror, cùm addita hic ſint talia quæ creationem elidunt, niſi dicamus eos eandem ſententiam foviſſe, quam multi patres, videl. ante hunc mundum creatum alium inviſibilem, & in eo angelos, quæ ſententia meritò exploſa Athan. Baſil. Cyril. Tertull. Hilarius, Zanch. Bell. Janſenius reſponderunt, eos accepiſſe *creare* pro *gignere*, quod apparere ajunt ex ſeq. γεννᾷ με, *genuit me*. At ſolidior reſponſio in Ebr. eſſe קנני quæ vox hic non poteſt aliter accipi quam pro *gigno*.

Viæ ſuæ] i. e. Operum.

מאז] i. e. Ab æterno. Sic Pſal. 93. 2. *Stabile eſt ſolium tuum* מאז *ex tunc*, i. e. ante ullum tempus.

23. נסכתי *inuncta*] i. e. Inſtituta ſum in officio meo ſempiterno Dei decreto, ut agerem Regem, Prophetam & Sacerdotem.

מראש *ante principium*. Jeſ. 43. 13. מיום ante diem, antequam eſſet dies.

מעינות נכבדי] Eſt ut חטאת רובץ pro חַטָּאָה & נִכְבָּדֵי eſt pro נִכְבָּד ut נְקִיִּים.

27. *Cùm aptaret*] Pertinet ad figuram, formam, magnitudinem, motumque cœli atque alia admiranda quæ in eo.

חוג]

חוג] Circulum, ambitum. מחוגה Circinus Jun. *Cùm ſtatueret ambitum in ſuperficie abyſſi*, i. e. cùm terram faceret orbiculari figura. Ebræi referunt ad ſuperiora, quaſi altero pede circini ſuper terram & faciem abyſſi poſito, in orbem ſuperiora omnia corpora, eadem cum terra figura circumquaque fecerit. Vulg. *Cum certa lege & gyro vallaret Abyſſos*, i. e. concavitatem & receptacula aquarum. Alii hunc gyrum ſeu vallum terram intelligunt, quæ orbicularis.

28. באמצו cùm fortificaret. שחקים alii nubes, i. e. verbo potente conſtitueret nubes, ut quaſi doliis & utribus continentur firmæ. Mirum Dei opus eſt & ſublimis contemplationis, nubes ex vaporibus gravibus conſtantes ſuperne poſſe conſiſtere. Philoſophi dant cauſas, quas poſſunt. At revera captum noſtrum res illa excedit.

Et librabat fontes] Ebr. *cùm roboraret*.

29. *Mari ſtatutam*] Aqua naturaliter obrueret terram tanquam elementum magis depreſſum. Deus proſpexit. Terminus eſt terra mollis & arenoſa. Jer. 5. *Audi popule ſtulte, an me non reverebimini, qui poſui arenam terminum mari ſtatuto perpetuo quòd non tranſgredietur, intumeſcunt fluctus ejus, at non prævalebunt.* Job. 38. *Quis concluſit mare oſtiis, Ego circumdedi illud terminis meis, poſui vectes & oſtia & dixi, hucuſque venies & non procedes amplius, hic franges tumentes fluctus tuos.*

Os ipſius] *Os*, i. e. præſcriptum. Unde facere aliquid juxta os alicujus & tranſgredi os alicujus. Exod. 17. *Profectus eſt Iſraël juxta os Domini.* 1 Sam. 15. *Peccavi quia tranſgreſſus ſum os Domini.* Eccl. 10. *Os Regis obſerva.* Alii, *terminum ſuum, fines ſuos.* פה extremitas, ora. 2 Reg. 21. *Manaſſe fudit ſanguinem innoxium ita ut impleret civitatem ab ore ad os.* Vid. ut poculum impletur. Ezr. 9. *Propter abominationes eorum, quibus impleverunt terram de ore ad os*, i. e. confertim.

Fundamentum terræ. Lyra & Carth. intelligunt partes interiores circa centrum. Vide ad Pſ. 104.

Sequitur ultima pars capitis, Concluſio, continens 1. ἀνακεφαλαίωσιν præcendentium, 2. hortationem ad ſuſcipiendam ſapientiam.

30. ואהיה] Cùm ſim apud ipſum.

אמון] Aliis eſt nomen, *alumnus.* Sub. כ. Quod quidam accipiunt paſſivè. Alii activè. Nutritius, nutritor, i. e. director & gubernator rerum omnium. LXX. ἁρμόζουσα ἤμην componens eram. Ita & Vulg. legerunt אמן. Chald. מהימן fidelis. Junius accepit pro infinit. *educando*, i. e. educans, i. e. res creatas conſervans, ac nominatim Eccleſiam alens verbo & ſpiritu.

Et ſim deliciæ. Ipſe eſt veritas & vita &c.

משחקת] Lætificans, i. e. ſummâ lætitiâ perfundens homines.

31. *Lætificans in orbe* ſub. terram ejus] Id eſt, rebus omnibus creatis benedicens. *Et deliciis meis*] שעשעי pro שַׁעֲשֻׁעַי.

GROTIUS.

1. NUmquid non Sapientia clamitat] Hæc de ea ſapientia quæ in Lege apparet exponunt Hebræi: & ſanè ei, ſi non ſoli, at præcipuè, hæc attributa conveniunt.

4. *O viri*] Proceres.

Ad filios hominum] Plebejos.

14. *Meum eſt conſilium*] Mihi debetur.

22. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*] Græcum Aquilæ eſt ἐκτήσατό με [*poſſedit*,] ut & Symmachi & Theodotionis, reſpondetque bene Hebræo קנני, & corrigendus ex eo locus Chryſoſtomi in Ambiguis Tomo 6. At Chaldæus habet ברא, & LXX. ἔκτισε [*creavit*,] ſenſu non malo, ſi *creare* ſumas pro *facere ut appareat*. *Viæ Dei* ſunt operationes ipſius. Senſum hujus loci & ſequentium non malè exprimas cum Philone De Coloniis: ὁ λόγος ὁ πρεσβύτερος τῶν γένεσιν εἰληφότων, ὃ καθάπερ οἴακος ἐνειλημμένος ὁ τῶν ὅλων κυβερνήτης πηδαλιουχεῖ τὰ σύμπαντα, καὶ ὅτε ἐκοσμοπλάστει χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ πρὸς τὴν ἀνυπαίτιον τῶν ἀποτελουμένων σύστασιν [*Verbum primum inter ea quæ genita ſunt, quod tanquam gubernaculum apprehendens Gubernator omnium cuncta dirigit, & hoc ipſo uſus eſt inſtrumento cùm Mundum finxit, ut res omnes faceret exſiſtere ſine vitio.*]

25. *Ante colles ego parturiebar*] Chaldæus, *genita eram.*

27. *Quando præparabat cælos aderam*] Id eſt, ἦν πρὸς τὸν Θεὸν [*erat apud Deum*,] ut infrà 30. Joh. Euangelio 1. 1.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. SApientia ædificavit domum,] *Domus* illa eſt Eccleſia: *columnæ ſeptem*, i. e. multæ (ſic enim plerumque capitur Septenarius numerus in S. Scriptura) ſunt Apoſtoli & ſancti Doctores. *Menſa* verò eſt prædicatio verbi, unde paſcuntur eſurientes & ſitientes.

3. *In excelſis locis*] i. e. In locis publicis, capiturque על pro גבי. Alii legunt, *miſit puellas ut invitarent ad ſummam arcem civitatis.*

7. *Ignominiam ſuam*] h. e. Ut quidam exponunt, נשא ממנו קלון *reportat ab eo ignominiam.*

9. *Da ſapienti*] Subaudi *caſtigationem*: vel *Doce ſapientem.* Ubi enim non eſt auditus, non eſt ſermo Dei effundendus; *nec margaritum objiciendum porcis & ſanctum canibus*, Matth. 7.

10. *Cognitionem rerum*] Hebræi hunc locum ſic legunt, *& principium cognitionis Dei eſt intelligentia rerum ſanctarum.*

13. *Mulier ſtulta*] Quidam Hebræorum intelligunt per hanc *mulierem* Stultitiam ipſam, quæ diverſos à Sapientia habet mores. Alii intelligunt per eam Corpus hominis inſipientis. Ex noſtris quidam intelligunt per eam Rationem cæcam, quæ Deum neſcit, & humanas opiniones de juſtitia, de gloria & aliis rebus quas caro ſapit effert. Hic enim multò impudentior eſt ratio quacunque muliere ſtultâ & procaci, non verens ſibi arrogare doctrinam Legis; cùm tamen *non intelligat quid loquatur* 1 Tim. 1. 7. Arripit quod ſibi jucundum eſt, & non videt judicium & voluntatem Dei. Videt enim quas impoſturas excogitavit humana ratio in indulgentiis. Subditur igitur,

17. *Aquæ furtivæ dulces ſunt*] q. d. Omnibus Dei rebus abutimur, ſanctis & profanis, non juxta voluntatem Dei, ſed noſtram, arripientes quæ nobis libent & commoda eſſe videntur, propria eligentes opera, & quæ Dei ſunt negligentes.

VATABLUS.

2. MIſcuit מסכה] i. e. Temperavit aquâ.

3. *Vocavit* תקרא] Fut. Heb pro præſ. vel præt. *ut vocaret*, vel *inclamaret.* Alii, *invitatum miſit.* ¶ *Summitates excelſorum* גפי מרומי] *Latera* [*extrema*] *arcium.* Quidam, *ad ſummam urbis arcem.*

4. *Simplex* פתי] Vide ſuprà 1. 4. ¶ *Carenti corde* חסר לב] *Vecordi, mente capto.*

6. *Simplices* viam veſtram פתאים] *Stultitias*: ut nihil ſubaudiatur. Alii, *ſtultos*: ut ſit adjectivum. Vide *Simplex* ſuprà 1. 4. ¶ *Et vivetis*: *& incedite* וחיו ואשרו] Imperativa pro futuris, *& vivetis, & ambulabitis.* Vel, *& vita continget vobis, & ingrediemini*, &c.

7. *Corripiens deriſorem* יסר לץ] *Caſtigans* [*Erudiens*] *ſuperbum.* ¶ *Accipit ſibi-ipſi ignominiam* לוקח לו קלון] Hebraiſmus, pro, *ignominiâ afficietur à deriſore.* ¶ *Maculam ſuam* מומו] Sub. *accipit*, i. e. contaminatur.

9. *Et addet doctrinam* ויוסף לקח] *Et adjiciet eruditionem*, i. e. doctior erit.

10. *Et ſcientia*, &c. ודעת קדשים בינה] *Et ſcientia ſanctorum* eſt principium *intelligentiæ.* Alii, *& cognitionem* rerum *ſanctarum* præcedit *intelligentia.* Alii, *& intelligentia eſt, ſancta cognoſcere*, i. e. res ſanctas, nempe voluntatem Dei.

13. *Stulta* כסילות] Ad verb. *ſtultitiæ.* ¶ *Simplex* פתיות] Ad verb. *ſimplicitatis*, ſub. *mulier*: i. e. imperita eſt.

15. *Qui dirigunt*, &c. המישרים ארחותם] *Qui rectâ incedunt vias ſuas.*

17. *Furatæ* גנובים] *Furtim potæ.* Futura in hoc verſu pro præſentibus. ¶ *Abſconditus* סתרים] Ad verb. *abſconſionum*, i. e. abſconſionis, pro *abſconditus.*

18. *Invitati ab ea* קראיה] Ad verb. *invitati ejus.* Pronomen affixum pro קרואים ממנה vel לה: i. e. quos invitavit ipſa, & ejus conſilio obedierunt. Verſus ſequens in veteri Interprete, *Qui enim applicabitur*, &c. non legitur neque Hebraïcè neque in vetuſtioribus ſcriptis Latinis.

CASTALIO.

1. EXciſis ſeptem ejus columnis] Quid ſint hæ columnæ ego neſcio.

12. *Filius eruditus ſapiens erit, & veſano utetur famulo*] Veſanus homo ſerviet ſapienti.

CLARIUS.

1. ÆDificavit ſibi domum*] *Domus* illa eſt Eccleſia: *columnæ ſeptem*, i. e. multæ (ſic enim plerumque capitur Septenarius numerus in Scriptura) ſunt Apoſtoli & ſancti Doctores. *Menſa* eſt prædicatio verbi, unde paſcuntur eſurientes & ſitientes. Per *immolationem victimarum* intellige apparatum convivii.

3. *In excelſis locis*] h. e. In locis publicis.

10. *Scientia ſanctorum, prudentia*] Hebræi ſic legunt, *Principium cognitionis Dei eſt intelligentia rerum ſanctarum.*

13. *Mulier ſtulta*] Quidam Hebræorum intelligunt per hanc *mulierem* Sultitiam ipſam, quæ diverſos à Sapientia habet mores: alii intelligunt per eam Corpus hominis inſipientis: ex noſtris quidam intelligunt Rationem cæcam, quæ Deum neſcit, & humanas opiniones de juſtitia, de gloria, & aliis rebus, quas caro ſapit, effert. Hîc enim multò impudentior eſt Ratio quacunque muliere ſtultâ & procaci, non verens ſibi arrogare doctrinam Legis, cùm tamen non intelligat quid loquatur. Arripit quod ſibi jucundum eſt, & non videt judicium & voluntatem Dei.

17. *Aquæ furtivæ*] Dum ſcilicet arripimus quæ nobis libent & commoda eſſe videntur.

R. BAYNUS.

1, 2, 3. *SApientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* Heb. *Sapientia ædificavit domum ſuam, excidit columnas ejus ſeptem. Mactavit victimam ſuam, miſcuit vinum ſuum, etiam inſtruxit menſam ſuam. Mittit puellas ſuas, vocat ad eminentiora & excelſiora urbis loca*] Ad laudem Sapientiæ ſpectant etiam quæ in hoc capite traduntur, in quo ea potiſſimùm recitat Salomon quæ circa diſpenſationem Eccleſiæ, in fine ſeculorum à Sapientia geſta ſunt, quotidieque geruntur. Et ut in ſuperiore capite continentur ea quæ de creatione mundi tradita creduntur; ſic in hoc quæ ad reſtaurationem ſpectant. Ante omnia Hebraïſmus eſt obſervandus, qui talis eſt; *Sapientiæ* (numero multitudinis) *ædificavit domum ſuam*, quem Hebræi ſuo more ſic exponunt, Unaquæque ex ſapientiis ædificavit. Nos hanc loquendi formam ad perſonarum pluralitatem in Divinis, & unitatem ſubſtantiæ referre poſſumus: vel unam ſapientiam intelligimus, quæ multiplicem in ſe complectatur. Imò in quo ſunt (ut inquit Paulus) *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, Coloſ. 2. Sapientiæ creatæ & increatæ, naturalis & ſupernaturalis, Legis & Prophetarum. In Chriſto enim duas naturas in unitate ſuppoſiti confitemur. Hæc ergò *ſapientia* una & multiplex, *ædificavit domum*, h. e. Eccleſiam, & templum ſuum in cordibus credentium, juxta ea quæ ſcribit Paulus, *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, 1 Corint. 3. Et alibi, *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*, 1 Tim. 3. *Excidit columnas ſeptem*] Septenarius numerus, juxta noſtros, ad 7. dona Sp. quibus corda fidelium ſuſtentantur, vel ad 7. Eccl. Sacramenta optimè refertur; alioqui pro magno & incerto numero ſeptenarius in Scripturis ponitur. Et per *columnas exciſas*, non ſolùm Prophetarum, in quibus *dolare* ſe dicit Deus, Oſeæ 6. intelliguntur oracula, ſed Apoſtoli quoque & martyres, quorum teſtimonio & fide, quaſi columnis quibuſdam, infirmorum in Eccleſia fides ſuſtentatur ac corroboratur. Imò quid aliud ſunt Doctores in Eccleſia, qui ſacris concionibus populum in fide & virtutum ædificatione inſtruunt, quàm columnæ quibus indocta plebs innititur? Has ſeptem, h. e. plurimas, columnas olim excidit Sapientia, nè Eccleſia, quæ eſt domus Dei, aliquando corruat, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Moyſes olim conſtructo Tabernaculo, in cujus locum ſucceſſit Salomonis Templum, crebras victimas fieri inſtituit, quæ umbram habebant futurorum, ut inquit Paulus, Heb. 10. Templi videlicet à Chriſto conſtructi, qui ex ſuo corpore victimam fieri voluit, & ſanguinem ſub vini ſpecie & colore ità temperari, ut ex his rebus inſtructiſſimam pararet menſam; non ex corpore ſuo & ſanguine ſolùm, quemadmodum expoſuimus, ſed etiam ex Euangelica doctrina quam velut novum muſtum in utres novos mitti voluit, Matth. 9. Vinum ſcilicet quod in nuptiis hauriri juſſit, Joan. 3. ex aqua, h. e. inſipida & Judaïca Legis intelligentia, quo repleti Apoſtoli inebriari infidelibus Judæis videbantur, Act. 2. qui cùm in hac menſa æternæ ſapientiæ noluerunt recumbere, ſed indignos ſe judicaverunt æternæ vitæ, Act. 13. Ancillas ſuas miſit ſapientia ad altiora civitatis loca, ut dicerent invitatis, Venite, non ad taurorum & agnorum ſanguinem & carnes, ut olim, ſed ad lautiſſimam Scripturarum menſam, ad cœleſtem panem veri corporis Chriſti & ſanguinis poculum. *Miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem.* Heb. שלחה נערתיה תקרא *miſit ancillas ſuas, vocavit*; vel potiùs, *mittit ancillas ſuas, & vocat*, in præſenti; vel denique, *miſſis ancillis ſuis vocat.* Cujus ſenſus eſt, vel quòd ipſa ſapientia vocavit unà cum ancillis ſuis, vel quòd unaquæque ex ancillis vocavit. Frequens enim Hebraïſmus eſt, diſſonantia nominandi caſûs cum verbo, per quem vel loquendi compendium habet Scriptura, vel pleniorem ſenſum. Pleniùs enim dicitur, miſit puellas ut unaquæque ex illis vocaret, quàm ſi diceret, miſit puellas ad vocandum. Compendium ſermonis, ſi cùm dicat, miſit puellas vocare, intelligi poſſit, etiam ipſam ſapientiam unà cum illis vocaſſe, ſicut in Hebræo habetur, *Miſit puellas ſuas, vocavit*, ſc. unà cum illis. Hæc adjecimus, ut intelligat prudens lector longè aliud eſſe Scripturas in ſua quàm in aliena lingua legere. Quod ad ſenſum loci ſpectat, nihil humile ſonat, ſed verè propheticum & Euangelicum de Chriſto & ejus Eccleſia ſenſum habet; ut ſcribitur Eſa. 40. *Super montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion, eleva in altum vocem tuam qui Euangelizas Hieruſalem.* Non enim viros bellicoſos ut urbes ſubvertant mittit Sapientia, ſed tales qui ob innocentiam, puritatem & ſedulitatem, ancillis ſive puellis poſſint comparari, nempe ſimplices verbi præcones, & ab omni fraude alienos, ut alio loco inquit, Eſa. 52. *Quàm pulcri pedes Euangelizantium bona! Super montes*, ad altiora loca mittuntur ut vocarent omnes gentes ad unitatem catholicæ fidei, ad ardua ſperanda tanquam à terrenis ad cœleſtia revocantes, quod Chriſtus ſubindicans aſcendit in montem concionem habiturus, Matth. 5. ut ſequitur;

4, 5, 6. *Si quis eſt parvulus veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Relinquite infantiam & venite, & ambulate per vias prudentiæ.* Heb. *Quiſquis ſimplex* (*imperitus*, vel *obnoxius deceptionibus*) *huc divertat, corde deſtituto dixit, Venite, comedite de pane meo, & bibite de vino quod miſcui. Derelinquite imperiti, & venite & incedite per viam intelligentiæ*] *Sinite parvulos venire ad me*, inquit Chriſtus Matth. 19. Et ſapientia dirigit ſermonem vel inprimis ad parvulos, ſive ſimplices, ut qui maximè ſapientiâ indigent, & illius magis ſunt capaces. *Abſcondiſti hæc*, inquit, *à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, Luc. 10. Unicuique ex his clamando dixit Sapientia, per os ancillarum, *Veniat ad me*; vel, ut in Hebræo habetur, declinate huc ad ſapientiæ ædes, magnificas quidem illas, ſeptem columnis innixas, ad eccleſiam Dei, *columnam & firmamentum veritatis*, 1 Tim. 3. Huc, inquam, deflectat oportet, quicunque panis Euangelici & muſti ſpiritualis velit eſſe particeps. Ad menſam quam paravit Sapientia vocamini: non ſibi, ſed vobis, ô parvuli, panem propoſuit, vobis vinum temperavit, *venite, comedite de pane meo* (legunt Hebræi) qui confortat cor hominis. *Relinquite infantiam & venite*] Aliter, *relinquite imperiti*, ſ. vias veſtras, & venite manducantes & bibentes de menſa mea, *& ambulate per viam intelligentiæ*: ut referatur ad illam clauſulam, *inſipientibus locuta eſt.* Obſervandum eſt, vitam & intelligentiam nobis dari ex hac menſa Euangelica; priùs enim mortui peccatis, & ignorantiæ tenebris, & verè imperiti, imò ſtulti, & deceptionibus obnoxii, juxta energiam vocis Hebrææ פתאים. Filii Evæ (quæ uſqueadeo leviter à ſerpente decepta fuit) toto cœlo erravimus, *unuſquiſque in viam ſuam*, Eſaiæ 53. Sed Sapientiæ voce auditâ, ingreſſique domum Dei, pro morte vitam, pro pomo mortifero cœleſtem panem, pro maledictione peccatorum remiſſionem, & adoptionem filiorum Dei conſecuti, ſequamur viam intelligentiæ, & *nolite* ampliùs *eſſe inſipientes, ſed* ſapientes & *intelligentes quæ ſit voluntas Dei*, Eph. 5.

7, 8, 9. *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam generat. Noli arguere deriſorem nè oderit te: argue ſapientem & diliget te. Da ſapienti occaſionem & addetur ei ſapientia: doce juſtum & feſtinabit accipere.* Heb. *Qui corripit deriſorem, accipit ſibi ignominiam, & qui reprehendit improbum, maculam ejus. Da Sapienti, & ſapiens erit adhuc: doce juſtum, & addet ſcientiam*] Non omnes eſſe convivas idoneos, neque dignos tantis beneficiis oſtendit. Myſteria fidei noſtræ derident infideles Judæi, pagani & hæretici, & proinde tanquam indignos prætereundos cenſet Sapientia, neque à ſuis ancillis invitandos, inquiens, *Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas porcis*, Matth. 7. Simplices & humiles corde facilè corriguntur, ſi quid deliquerint; contrà deriſor, qui *non ſapit ea quæ Dei ſunt*, Matth. 16. qui ſapientiam crucis tanquam ſtultitiam deridet, qui mendacium ponit ſpem ſuam, qui corrigi poteſt aut caſtigari, cùm culpam non agnoſcat? Deriſor non admittit correptionem neque diſciplinam: imò quiſquis eum caſtigare velit, *accipit ignominiam*, ludibrio videlicet habitus à deriſore; vel, *ignominiam*

nimam

niam capit, cùm pejor evadet is quem corrigere conatur. *Et qui impium reprehendis, maculam ſibi generat*] Interpres ſupplevit verbum *generat*, juxta Hebræos ſubauditur verbum *accipit*, ut ſit ſenſus idem repetitus aliis verbis. Sic enim legitur, *Qui corripit deriſorem accipit ignominiam, & qui reprehendit impium, maculam illius*, ſupple *accepit*. Quaſi tutiſſimum eſſet nihil commercii habere cum impiis traditis in reprobum ſenſum. Verùm cùm pro ambiguitate ſermonis Hebraïci non ſatis conſtet quò referantur pronomina quæ in hoc verſiculo habentur, in contrarium ſenſum accipi poteſt. Nempe qui caſtigat deriſorem, occaſionem illi præbet ut errore cognito capiat ſibi ipſi ignominiam, ob id quod deriſit & ignominiâ affecit alios. Et qui ſimiliter reprehendit impium, in cauſa eſt ut maculam ſuam agnoſcat impius, Et cùm huic expoſitioni obſtare videatur quod ſcribitur, *Ne reprehendas deriſorem*, &c. reſpondent qui hunc ſenſum afferunt, hoc non eſſe cujuslibet, neque quovis tempore aut loco faciendum ſed magnam adhibendam eſſe moderationem, nè ſi intempeſtiva fiat objurgatio, in rixas & in odium non in caſtigationem res emergat. Nam alioqui non prohibet Sapientia irriſores eſſe reprehendendos. Sed ut prior expoſitio quæ melior eſt ſuum habeat locum, juxta circumſtantias hujus loci quem tractamus, quo videlicet ancillas miſit Sapientia, ut vocarent ad convivium Euangelicum, hoc adjicimus. Statim ab initio non erant nimiùm ſeverè caſtigandi deriſores, neque reprehendendi impii, nè ancillæ miſſæ à Sapientia paterentur ab illis quod contextus continet; ſed omni manſuetudine & lenitate ſimplices primò revocandi erant ab erroribus, juxta illud Pauli, *Videte vocationem veſtram, non multi ſapientes, non multi potentes, ſed infirma elegit Deus, ut fortia confundat*, 1 Cor. 3. Quòd ſi non ſolùm ad illud tempus quo à ſapientia Dei, qui Chriſtus eſt, miſſi ſunt Apoſtoli, ſed ad quodcunque tempus locum referre malis, per *deriſorem* pertinacem & deploratæ malitiæ hominem intelligas licet, de quo Paulus, *Hæreticum hominem poſt unam aut alteram admonitionem devita*, ad Titum 3. *Da ſapienti occaſionem*] Longè alia eſt conditio ſapientis, qui datâ occaſione ſapientior evadit. In Hebræo legimus, *da ſapienti*, & ſubauditur, *diſciplinam* ſeu *correptionem*: q. d. Nihil inter ſapientem & inter illuſorem diſtinguit meliùs quàm diſciplina, quâ hic pejor, ille ſapientior efficitur Secundùm illud Euangelii, *Omni habenti dabitur & abundabit*, Lucæ 19. Et alibi, *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*, Apoc. 22. Docet præterea hic locus non eſſe à munere Apoſtolico aliquandò ceſſandum, imò convocatis ad convivium Euangelicum, ſubinde ſunt novæ dapes apponendæ. Qui ab ignorantia ſunt converſi, ubi Sapientiæ ædes ſunt ingreſſi, meritò ſapientes vocari poſſunt; ſed in dies magìs caſtigati, ſapientiam ſibi augent & ſcientiam rerum cœleſtium addunt, incipientes à timore Dei, qui primus eſt ad ſapientiam gradus, ut ſequitur;

10, 11, 12. *Principium ſapientiæ timor Domini, & ſcientia ſanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Si ſapiens fueris, tibi ipſi eris: ſi autem illuſor, ſolus portabis.* Heb. *Et ſcientia ſanctorum intelligentia, per me multiplicabuntur dies tui, & addent tibi annos vitæ. Si ſapuiſti, ſapuiſti tibi: & ſi illuſiſti, ſolus portabis* (vel *feres*.) Frequens ejuſdem ſententiæ repetitio in hoc libello Salomonis confirmat eorum opinionem qui putant proverbia non ab ipſo Salomone in ordinem fuiſſe redacta, ſed collecta ab aliis, quæ fuerant in membranis relicta, ſparſimque in illius colloquiis diſſeminata: quanquam hujus proverbii repetitio, nempe. *Initium ſapientiæ timor Domini*, ſupervacanea videri non debet, ſed potiùs ad laudem timoris Domini referri, rei in primis mortalibus neceſſariæ. Nam poſt conſtructas ædes, paratâ menſâ, convivis vocatis aliis, aliis rejectis tanquam indignis, ex Scripturarum dapibus, primò omnium timorem Domini proponit, quò Dei magnitudinem & noſtram infirmitatem agnoſcere cogimur: q.d. omni maſuetudine ad ſapientiæ menſam accedendum eſt, quam duplicem hoc in loco intelligimus; alteram Sacramentorum Eccleſiæ, & in primis venerabilis Euchariſtiæ, cujus myſterium hoc in loco revelatur; alteram Scripturarum Divinitus inſpiratarum, ad quam qui faſtu aut ſupercilio, qui illotis manibus pedibuſve accedunt, quò ſibiipſis aut rem aut famam augeant, operam ludunt. Ante omnia ad Sapientiæ menſam, ſive hanc Scripturarum, ſive illam Sacramentorum, accedentes, timorem Domini ob oculos habere debemus. Ecce tutiſſimum & ſolidum illius ſapientiæ quam quærimus fundamentum, à quo ad ſublimiora facilè conſcendentes, nempe ut ſequitur, ad *ſcientiam ſanctorum, quæ intelligentia eſt*, ſanctorum (inquan) hominum ſive angelorum, qui omnes per timorem Domini ad ſcientiam pervenerunt & cognitionem Dei, quâ mens & intellectus illuſtratur, ut poſſit inter res humanas & Divinas diſtinguere. Aliter, *à timore Dei*: h.e. à Lege quæ timorem incutit, *ad ſcientiam ſanctorum* Apoſtolorum procedendum. Nam talem *gratiam pro gratia recepimus*, Joan. 1. *Per me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ*] Vel diverſis verbis geminavit eundem ſenſum, vel dies in præſenti multiplicari intelligimus, & in futuro annos vitæ ſuperadditos. In Dei ſapientia vitam conſequimur per timorem Dei. Vitam in Adamo, qui Deum non timuit, perdidimus. De ligno ſcientiæ comedens primus homo, ſcientiam ſanctorum non invenit: ſed qui timet Deum, & principium ſapientiæ amplectitur, ſcientiam ſanctorum & æternam vitam facilè aſſequitur, duce Sapientiâ. Aliter, dies multiplicantur illius qui in timore Dei vivit, & diutiſſimè vivere putabitur, *conſummatus in brevi, explevit tempora multa*, Sapient. 4. Non ſolùm in futuro ſeculo perpetuò vivens, ſed felici memoriâ, veriùs vivens poſt mortem quàm cùm mortali corpore incederet ſuper terram. Huic ſenſui in primis quadrat verbum יוסיפו *addent*, quod activæ ſignificationis eſt & tranſitivæ, *addent annos* ſuper dies præſentis *vitæ*, *addent annos vitæ* futuræ, vel *addent*, ſupple *hi qui addent*, h.e. hi qui celebrem & felicem memoriam ſervabunt. *Si ſapiens fueris, tibi ipſi eris*] Vel jactantiam ſapientiæ prohibet, vel indicat verſiculus non in futuro ſolùm ſed in præſenti quoque tempore ſapientiam habere præmium: q. d. ſi fueris ſapiens, hinc ipſe ſummum bonum capies, quod non eſt aliud quàm ipſa Sapientia. *Si illuſor, ſolus portabis*] Vel, ut eſt in Hebræo, *ſolus lues pœnas*. Sapiens, quamvìs ſibi maximè, aliis nihilominus ſapit, & alios participes ſuæ bonitatis efficiet: ſed illuſor ſeipſum lædet ſolum. Hebræi ſic legunt, *Si illuſeris*, vel *ſubſannaveris, alios, ſolus dabis pœnas*. LXX. Ἐὰν δὲ κακὸς ἀποβῇς, μόνος ἀντλήσεις τὰ κακά, *ſi autem malus evaſeris, ſolus hauries mala*. Proverbium indicat maledicos & ſubſannatores ſeipſos potiſſimùm lædere, non nocere aliis, qui maledicta norunt æquanimiter ferre. Verſiculus pendet à præcedentibus, oſtendens denique differentiam inter eos qui vocati ad menſam Sapientiæ cum timore libenter veniunt, & participes epularum fiunt; & eos qui verbis puellarum contemptis myſteria fidei Chriſtianæ derident. Hi enim ſibi ipſis non Sapientiæ filiis damnum inferunt, illi verò, quantum in ipſis eſt, plurimùm proſunt. Sequitur,

11, ... 18. *Mulier ſtulta & clamoſa, plena illecebris, & nihil omnino ſciens: Sedet in foribus domûs ſuæ, ſuper ſellam in excelſo urbis loco: Ut vocaret tranſeuntes per viam, & rectè pergentes in itinere ſuo. Quis eſt parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta eſt. Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior. Et ignoravit quòd ibi ſunt gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus.* Heb. *Mulier ſtultitiæ, tumultuoſa, ignorantiæ, & non novit quicquam: Sed ſedit ad oſtium domûs ſuæ, ſuper ſolium excelſorum urbis* (vel *in excelſis locis urbis*:) *Ad vocandum tranſeuntes per viam, qui rectas faciunt vias ſuas* (vel, *qui incedunt per ſemitas ſuas*) *Quiſquis eſt imperitus, declinet huc, & qui eſt deficiens corde vocabit eum. Aquæ furtivæ dulces erunt, & panis occultationis amœnus erit. Et non novit quòd gigantes ibi* (vel *interfecti*) *in profundis inferni invitati ab ea*] *Mulier ſtulta*, in Hebræo *Mulier ſtultitiæ, tumultuoſa & deceptionis* (vel *ignorantiæ*) *& nihil ſciens*. Hæc mulier, juxta ea quæ priùs expoſita ſunt, perverſa doctrina intelligitur, & Eccleſia malignantium, quæ cùm nihil ſciat ut oportet ſcire, tamen ſapientiam imitari conatur, domum & congregationem vult habere, ad quam prætereuntes convocat, ſed non *ancillis*, h. e. humilibus & ſedulis concionatoribus, miſſis, ad ſublimitatem virtutum vocat, ſed ipſa ſublimis *ſed & in foribus domûs ſuæ, ſuper ſellam in excelſo urbis loco*] Quibus verbis hæreticorum arrogantiam & oſtentationem externam intelligimus. Cùm omnis *gloria filiæ Regis ſit ab intus*, Pſal. 45. iſta ab hominibus gloriam quærit. Aliter *ſella in excelſo urbis loco* famam popularem ſignificat, quam ubique venantur magiſtri mendaces. Sapientia vocat ad arcem, iſta *ſedet in excelſo loco urbis*, rebus mundanis elevari gaudet, ſapientia ſuos ad ſublimes virtutes ſubvehere ſtudet. *Quis eſt parvulus declinet ad me*] Et ſapientia ſuperiùs eiſdem ferè verbis eſt uſa. *Si quis eſt parvulus, veniat ad me*] *Cavete ab his qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, Matth. 7. Fallere nunquam poterunt hæretici, niſi veram doctrinam & religionem præ ſe ferrent, niſi verbo tenus veritatis doctores ſeſe ſimularent: ſed *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Nam non ad panem cœleſtem vocat, qui confirmat & roborat cor hominis, neque ad vinum, quod lætificat corda mœſtorum & lugentium pro peccatis, ſed ad aquas furtivas, & panem abſconditum. Hæreticorum dogmata ſunt diluta & inſipida, ut quæ carnis delicias & libertatem ſapiunt terrenam; quibus vulgus hominum maximè alliciuntur, & à recta via abducuntur. Atqui his potiſſimùm rebus, nempe libertate carnis, & ſecretâ doctrinâ, ſimulatâ ſanctitate, multos fallunt, atque ad perniciem & interitum trahunt, qui quò tendant

dant eorum fallaciæ non ſatis perſpiciunt. Qui dum ſe putant *ad aquas furtivas*, h. e. ad occulta carnis refrigeria, & ad panem novæ & abſconditæ doctrinæ vocari, revera vocantur ad interitum. Nam ut ex Sapientiæ menſa quæ in Eccleſia celebratur, vitam aſſequimur fideles, & longitudinem dierum; ità ex poculo aquarum doctrinæ furtivæ, & ex abſcondito pane quem ignorat Eccleſia ſanctorum, mors præſentiſſima ſequitur. *Et ignorat quòd ibi ſunt gigantes* (Heb. *cadavera*, vel *interfecti*) *& in profundis inferni conviva illius*] q. d. Hæc mulier ſtulta ſuos convivas interfectos transmittit ad infernum. Sed repetentes, paulò apertiùs de hac muliere loquamur, cujus impudentia his verbis, *ſtulta & clamoſa*, notatur. *Stulta*, quæ ſapientiæ reſiſtit. *Verboſa & tumultuoſa* à ſapientia parvulos ad ſe retrahere non ceſſat, verboſitati fiſa, cùm nihil ſolidè ſciat. Impudicitia ferè comes eſt hæreſeos; impudicitiæ verò ſignum, *ſedere in foribus*, neque in ædibus ſeſe continere: arrogantia præterea in ſolio, & ſublimioribus urbis locis: fraus denique & dolus intelligitur, dum eos qui rectè incedunt, & *rectè pergentes in itinere ſuo*, pervertere conatur. Quòd ſi ad inanem Philoſophiam aut exteriorem hominem, vel demum ad Judaïcam Legis intelligentiam, malis iſta referre quam ad hæreticorum inſaniam, omnia facilè eò poteris coaptare. Sunt qui allegoricè per *domum quam ædificavit ſapientia* intelligant mundum ipſum, qui in Dei ſapientia creatus eſt: *parvulus* verò ſive *ſimplex* fuit Adam, qui vocatus à ſapientia ad lignum vitæ, maluit potiùs ſerpenti & ſtultæ mulieri obtemperare, atque edere furtivum panem de ligno prohibito ſcientiæ boni & mali, &c. Prudens lector ſequatur intelligentiam quæ maximè placet. Atqui hic primi libri Commentariorum in Proverbia Salomonis modus eſto.

DRUSIUS.

1. חָצְבָה. A. S. *ἐλατόμησε*, *incîdit è lapidibus.*

2. עָרְכָה. *παρέταξεν*, *inſtruxit.* S. *προσέθηκεν*, *appoſuit.* Th. *ἐσοίβασεν*, *ſtruxit.*

3. נַעֲרֹתֶיהָ. A. *παιδίσκας*, *puellas.* S. *κοράσια*, idem. Th. *νεάνιδας*, *adoleſcentulas.* ¶ עַל־גַּפֵּי מְרֹמֵי. A. *ἐπὶ ὕψεων*, *in celſis locis.* ¶ קָרֶת. S. T. *πόλεως*, *urbis.*

4. פֶּתִי. S. *νήπιος*, *infans*] Mente, non ætate.

6. עִזְבוּ. A. S. Th. *καταλίπετε*, *derelinquite.* ¶ וְאִשְׁרוּ בְּדֶרֶךְ בִּינָה. A. S. *καὶ κατευθύνθητε ἐν ὁδῷ συνέσεως*, *& dirigite vos in via intelligentiæ.*

12. וְלַצְתָּ. Sym. *κἂν λοιμὸς γένῃ*, *& ſi peſtilens fueris.* ¶ לְבַדְּךָ תִשָּׂא. S. Th. *μόνος βαςάξεις*, *ſolus feres.*

18. כִּי רְפָאִים. A. S. *Ῥαφαεὶν θεομάχοι*, *Raphain, cum Deo bellum gerentes.* Th. *γίγαντες*, *gigantes.* ¶ בְּעִמְקֵי שְׁאוֹל קְרֻאֶיהָ. A. S. Th. *καὶ ἐπὶ τοῖς βαθέσι τοῦ ᾅδου οἱ κλητοὶ ἀυτῆς*, *& in profunditatibus* (i. e. locis profundiſſimis) *ſepulcri vocati ejus.*

AMAMA.

PArtes duæ, 1. de cœleſti ſapientia, 2. de humana inſipientia, quæ cum muliere comparatur à verſ. 13. ad finem.

Ut cap. 8. Oppoſitum fuit blandæ & illecebroſæ orationi meretricis, ita hæc parabola de convivio opponitur convivio meretricis Ubi duo conſideranda. Inſignis theſaurus quem ſapientia præparavit, 2. Ratio eum communicandi, verſ. 3. 4. 5.

Præparatio conſiſtit in 2. ſtructura palatii & menſa.

1. חכמות] Vid. ſupra cap. 1.

Domum] Id eſt, Spiritualem Eccleſiam, quam Deus hic inchoat, poſtea perficit.

Septem] Firmitas hujus palatii notatur VII. i. e. infinitis. Numerus ſeptenarius in operibus Dei perfectionem notat. Hæc allegoricè de domo Dei dicta, ut quæ ſequuntur de Epulis vitam æternam & gloriam figurant.

Per columnas 7. alii intelligunt 7. Sacramenta. Ineptè. Alii ut Ab. 7. artes liberales, alii 7. dona Spiritus S. Alii ſeptem dies creationis ut R. Sal. Senſus eſt quem diximus, Fundavit, ſtabilivit ac ornavit eam abſolutiſſimè.

2. *Immolavit animalia*] Sic in Nov. Teſt. per nuptias, convivium, menſam adumbratur nobis æterna felicitas, Deo ita condeſcendente & accommodante ad noſtrum captum. Hinc *Sinus Abrahæ* Luc. 16.

טבח mactare animalia & coquere. Unde טבח lanius & coquus 1 Sam. 9. Metaph. Satelles, qui mactat ſontes in ſupplicium. Hinc Princeps *Tabbachim* Gen. 36. de Potiphare, i. e. quæſtor rerum capitalium. Talis fuit Benajas. Talis fuit Nebuzaradan, Jer. 39. quem miſit Nebucadnezar ut capitalem ſententiam contra reliquias populi exſequeretur. Atqui conſtat eum fuiſſe Principem militiæ. Reſp. tunc temporis munus jugulandi vel occidendi ſontes demandatum fuiſſe militiæ Principibus, ut hodie in Anglia Laniis, & apud Romanos Centurionibus & Tribunis, unde formulæ renunciandi factum quod imperaveras. Claud. 29.

Alii ſic, טבח eſt qui jugulat & ſcindit rem morituram vel beſtias, eſtque Lanius vel coquus, vel ſontes, eſtque ſatelles, vel hoſtes, eſtque miles. Sed illa ſæpe conjuncta.

3. Sequitur ratio communicandi hæc beneficia. Ea eſt in verbi miniſterio & promulgatione. Invitantur ad hoc convivium per adminiſtros verbi. Ita Rex Math. 22. vocat ad convivium per ſervos. Qui illic ſervi, hic ancillæ vocantur, non quod fœminæ concedatur obire miniſterium 1 Tim. 2. 12. ſed ut allegoriæ continuatione decorum obſervet.

על גפי] Super pinnas, alas. Sic Dan. 7. 4. Alii pro גבי eminentiis. Ac ſic erit locutio *ἐκ παραλλήλου*. Jun. accepit גף pro corpore & vertit *per collegia.* Collegia enim ſunt quaſi quædam corpora. גו & גף corpus. Ex. 21. 3. *Si venerit ſervus* בגפו, *exibit* בגפו, i. e. cum corpore ſuo, i. e. ut LXX. *μόνος.* Sic & Ch. Ubi Vulg. *cum veſte.* Vide Cenſ.

4. Pars altera de ſubjecto hujus munificentiæ, quod duplex conſtituitur, 1. homo ſimplex, 2. Sapiens. Utriſque velut in medio opponitur לץ.

פתי] Simplex, *ἄκακος*, qui ita religionis & ſapientiæ expers eſt, ut interim nulla malitia in veritatis profeſſione laboret. Habet in oppoſito ערום & חכם.

חסר לב] Sub. מי, quiſquis eſt demens.

5. *Miſcui*] Id eſt, infudi. Obtinuit phraſis ob morem calidiorum iſtarum regionum Jeſ. 5. 22. Hinc & in N. T. Apoc. 14. 10. *Bibet de vino iræ Dei τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς ἀυτοῦ. Infuſo mero.* Eſſet enim aliàs contradictio in adjecto. *Κεράννυσθαι* ergo ibi eſt, infundere in calicem.

7. Docet quæ perſonæ omittendæ ſint, quæ vocandæ.

Deriſor] Qui dicit ſe perſpicacem, nec tamen eſt, qui ſuatim ſapit, qui peccatis ſuis ita adhæreſcit, ut nudis documentis & admonitionibus ſe admoneri non patiatur, qui ridet omne id, quod animi ſui libidini adverſatur. Si potamus, inquiunt, potamus de noſtro. Egregiè, Jeſ. 5. Rom. 13. Luc. 21. Deut. 21. Gal. 5. 1 Cor. 6. Lex Academica.

13. II. Pars capitis ſuperiori parti oppoſita, ubi exponuntur de operibus inſipientiæ verſibus 3. invitatio verſ. 16. & Eventus conſeq. verſibus 2. ultimis.

15. LXX. *τοὺς παριόντας ὁδὸν, τοὺς εὐθύνοντας ἐν ταῖς ὁδοῖς ἀυτῆς.* Jun. *Qui recta eunt in itineribus ſuis.* Druſ. *rectas facientes ſemitas ſuas.* Hic eſt conatus Satanæ ut pios abducat, de cœteris ſecurus non magnopere laborat. Hæc eſt cauſa cur Academias & Scholas maximè oppugnet, & in iis bonos. In quo conatu tam magnos progreſſus fecit, ut horribilia etiam peccata vix pro peccatis habeantur etiam apud eos, qui videri volunt boni. Potare & ſtrenuè potare laudi ducitur, ſi admoneas incurris in odia, dum plerique ſe re ipſa deriſores oſtendunt, juxta illud quod Lect. hod. audivimus. Hoc experior quotidie.

16. *Quis fatuus*] Loquitur ex judicio Spir. S. ut ſupra cap. 1. *inſidiemur innocenti*, vel loquitur ſuâ dialecto, ex ſtulto animi ſui ſenſu de aliis judicat. Mundus opinatur illos ſtultos & ſtolidos qui pietatem urgent, qui carnem ſuam crucifigunt, qui præſentis vitæ delicias, honores & commoda ſpernunt, qui ob res, ut illi putant nihili in odia hominum incurrunt. Contra docet Scriptura.

17. *Aquæ furtivæ*] Pertinet ad ſermonem meretricis. Intelligit autem res improbe præter leges partas. Extenditur denique ad omnia peccata, quæ clam committuntur.

GROTIUS.

1. S*Apientia ædificavit ſibi domum*] Corpus humanum.

Excidit columnas ſeptem] Quot erant poſtes in Templo ſub gazophylaciis. Intelligit autem quinque ſenſus, & duos præterea quos addunt alii, vocem & memoriam.

2. *Immolavit victimas ſuas*] Plurima bona præparavit hominibus, ſi uti norint. Hæc ſenſu eminentiore ad Euangelium optimè referuntur. Matth. 22. 4.

8. *Noli arguere deriſorem*] Planè impium. *Deſperatis non adhibendam medicinam*, ait Hippocrates. Vide quæ ad Matth. 7. 6.

13. *Mulier ſtulta & clamoſa*] Voluptas

18. *Et ignoravit quod ibi ſunt gigantes*] רפאים potiùs *exanimes* ſignificat hoc loco & aliis.

PARABOLÆ SALOMONIS] Quæ præceſſerunt exhortationes ſunt generales ad ſapientiam & ducem ejus pietatem. Sequuntur nunc præcepta ſpecialia, pleraque per antitheta: quia oppoſita inter ſe comparata magis luceſcunt.

CAP.

CAP. X.

MUNSTERUS.

INcipiunt in hoc capite MISLE SALOMONIS, h.e. *Sententiæ.* Quæ autem præmiſſa ſunt, ſunt communes quædam adhortationes, & הקדמה *præfatio quædam*, ut Hebræi dicunt.

1. *Filius ſapiens*] Vocat *filium ſapientem* qui parentibus obtemperat, & ſeſe ſinit gubernari juxta mandatum Dei.

2. *Non proſunt theſauri impietatis*] Theſauri congregati per fraudem & prædam non liberant tempore tribulationis.

3. *Opes impiorum ſuſtollet*] Quidam putant hic הוה idem eſſe quod הון *opes:* alii interpretantur שבר *oppreſſionem*; ut ſit ſenſus, *Pellet Dominus impios à bonis quæ concuſſione aliorum congregaverunt.*

4. *Manus remiſſa*] Heb. *manus doloſa*, quæ ſcilicet nihil agit, ſed tantùm fallere cupit.

5. *Filius prudens congregat in æſtate*] Docet hæc ſententia, Obſervandum tempus & occaſionem in rebus agendis, ut ſuum quiſque pro tempore faciat officium: quæratur victus dum vires ſunt integræ, ſtudeant juvenes dum optimos habent præceptores, &c.

8. *Stultus labiis*] h.e. Præceps eſt in lingua & vult docere antequam didicit.

9. *In integritate*] Seu *in perfectione.* Perfecti autem ſunt, & proinde ſecuri, qui rectè de Deo ſentiunt, ſciuntque ſe ei curæ eſſe, credentes ſe ab eo regi & ſervari. *Qui autem has vias* Domini *invertit*, facilè *cognoſcitur*, qui ſcilicet in viribus ſuis & bonis ſuis confidit.

10. *Qui annuit oculo*] Exponit hic Aben-Ezra קורץ pro לועג, ut ſit ſenſus, *Sunt qui nutibus oculorum alios ſubſannant & irritant*, &c.

12. *Charitas operit iniquitates*] Amicitia mutua conſtare non poteſt ſi quis ad amici vitia nolit alicubi connivere, & oculatior eſſe voluerit in obſervandis erratis proximi: ſed charitate plerumque ſufferendæ ſunt aliorum imperfectiones. Non eſt autem hic locus intelligendus ſic, quòd per charitatem remiſſio fiat peccatorum, cùm illam ſolùm per fidem in Chriſtum conſequamur: ſed loquitur Salomo hic de alienis delictis ferendis.

15. *Opes divitis*] Hebræi putant id dici contra ignavos homines & otio deditos ut & ipſi ad labores excitentur, & non egeſtate conſumantur.

22. *Dolorem*] Sunt qui hic exponunt עצב pro דאגה *ſolicitudine*; ut ſit ſenſus, *Dominus ſuppeditat piis neceſſaria vitæ abſque eorum ſolicitudine.*

25. *Quando pertranſit tempeſtas*] h.e. Quando imminet tribulatio vel tentatio; impius ſubitò ruit; juſtus autem firmus manet ut fundamentum mundi, ſolidatus ſupra firmam petram.

26. *Sic ignavus*] Ignavi homines ad nulla officia quæ gerant & exſequantur ſunt idonei. Taxat igitur locus iſte potiſſimùm Magiſtratus negligentes.

VATABLUS.

1. PARABOLÆ משלי] Vide principium hujus libri. Quia mutatur ſtylus, ideo inſcriptionem hanc addidit: quodque communes exhortationes, & quandam Decalogi narrationem tradidit: nunc primùm incipit recitare Parabolas ſive Sententias.

2. *Proderunt* יועילו] Fut. Heb. pro præſ.

3. *Propter pravitatem*, &c. והות רשעים יהדף] *Propter divitias impios expellet:* ſic ח eſt loco ה in הוה, & deficit ב. Alii, *& calamitatem* [*damnum*, *perniciem*] *prævaricatorum impellit*, ſub. *ut citiùs veniat.* Quidam, *opes impiorum ſuſtollet.* Alii, *improba conſilia impiorum perdet.*

4. *Fraudulenta* רמיה] Ad verb. *doli*, *fraudis*: i.e. quæ nihil agit, ſed tantùm fallere cupit.

5. *Intelligens eſt* משכיל] *Prudens eſt.* ¶ *Confundens* מביש] Sub. *patrem & matrem.* Alii, *confundetur.* Alii, *confuſione dignus eſt.*

6. *Operit iniquitatem* יכסה חמס] Fut. Heb. pro præſ. *tegit*, vel *abſcondit:* i.e. ſemper cogitat malum: juſtus contrà benedicitur.

7. *In benedictionem* לברכה] Hebraïſmus, pro *fama juſti eſt celebris & plauſibilis.* ¶ *Putreſcet* ירקב] *Exoleſcet*, *ſordebit.* Vel per præſens, *putreſcit.*

8. *Impinget* ילבט] *Corruet*, *vapulabit*, *perverſus efficietur*, *feſtinabit*, *claudicabit.* Chald. *capietur*, ſive *apprehendetur.* *Stultum labiis* vocat qui nonniſi ſtulta loquitur, & nè verbo quidem ſtultitiam ſuam celare poteſt.

9. *Perfectè* בתום] *In integritate.* ¶ *Conteretur* יודע] *Cognoſcetur*, *deprehendetur*, ſub. *in flagitiis ſuis: manifeſtus erit.*

10. *Qui annuit oculo* קורץ עין] i.e. Multum fingit, & fucatus eſt. ¶ *Punietur* ילבט] *Corruet.*

11. *Operit iniquitatem* יכסה חמס] Fut. Heb pro præſ. *celat injuriam:* quam ſcilicet meditatur in corde ſuo. Vide v. 6.

13. *Intelligentis* נבון] *Prudentis*, *ſapientis.* ¶ *Erit corpori*, &c. לגו חסר לב] *Dorſo menite capti*, ſub. *convenit.* Alii, *in tergo ſtulti.*

14. *Eſt contritio propinqua* מחתה קרובה] *Eſt terror propinquus.* Alii, *accerſit ſibi perniciem.*

15. *Conſternatio* מחתת] *Contritio*, *pavor:* i.e. inopia facit pauperem pavidum.

17. *Cuſtodiens correctionem* שומר מוסר] *Cuſtodiens eruditionem:* i.e. qui eruditus eſt, ambulat per viam vitæ. Vel, ut alii, *Perferre caſtigationem conducit ad vitam.* Quidam, *qui obſervat diſciplinam.* Alii, *Semitam* quæ ducit *ad vitam cuſtodit caſtigatio.* ¶ *Errat* מתעה] Quidam vertunt tanquam tranſitivum ſit verbum, *errare facit*, ſub. *animam ſuam.* Alii, *ſeducit*, ſub. *ſeſe.*

18. *Operiunt odium*, &c. מכסה שנאה וגו'] *Qui odium gerit*, *operit illud labiis mendacibus.* Quidam ſequentibus jungunt hoc modo, *Qui celat odium labiis mendacibus, & qui infamiam prodit*, æquè *ſtultus eſt.* ¶ *Detractionem* דבה] *Convitium*, *infamiam.* Alii vertunt, *Et ſtultus profert convitium*, ſive *contumeliam.*

19. *Prævaricatio* פשע] *Iniquitas*, *tranſgreſſio.* Quidam, *Garrulus non vitat peccatum.* ¶ *Intelligens eſt* משכיל] *prudens eſt: prudenter agit.*

20. *Tanquam modicum* כמעט] *Velut pauxillum*, ſup. *argenti:* vel, *eſt nullius aut parvi momenti.*

21. *Ob defectum cordis moriuntur* בחסר לב ימותו] *In vecordia morientur.* Præterita pro fut.

22. *Dolorem ei* עצב עמה] *Triſtitiam* [ſive *moleſtiam*] *cum ea*, ſub. *benedictione.* Alii, *ſolicitudinem cum ea:* vel *anxietatem.* q.d. Deus ſuppeditat piis neceſſaria vitæ abſque eorum ſolicitudine, diviteſque facit citra moleſtiam.

23. *Viro intelligentia* לאיש תבונה] *Viro intelligentiæ:* i.e. ſiquis advertat, id ſapientia eſt: ità quidam vertunt. Alii, *ſapientia autem* dirigit *virum intelligentem.*

25. *Ut tranſit*, &c. כעבור סופה ואין רשע] *Quando tranſit tempeſtas*, *non* manet *impius:* aut *nuſpiam eſt*, h.e. ſubitò ruit. ¶ *Perpetuum* עולם] *Mundi*, *ſeculi*: i.e. vivet juſtus.

27. *Apponit* תוסיף] Futura Heb. pro præſ. *augere ſolet.* ¶ *Breviantur* תקצורנה] *Breves eſſe ſolent*

29. *Fortitudo perfecto* מעז לתום] *Robur integro*, vel *probo.* ¶ *Et pavor* ומחתה] *Et animi conſternatio.*

31. *Proferet* ינוב] Ad verb. *fructificabit.* Per tranſlationem ponitur pro *loquetur*: quòd ſermo ſit fructus linguæ. Unde quidam vertunt, *producit fructum ſapientiæ.* Alii, *propagabit ſapientiam.*

32. *Cognoſcunt*, &c. ידעון רצון] Fut. Heb. pro præſ. i.e. Labia juſti ſcitè & appoſitè loquuntur quæ placent Deo & hominibus.

CASTALIO.

6. *IMpiorum os tegit inhumanitatem*] Impii maledici ſunt, ideoque infortunati.

8. *Cui verò labra deſipiunt*] Qui temere loquitur.

12. *Charitas omnia peccata tegit*] Condonat.

14. *Stulti ori imminet contuſio*] Stultus temere indicat quod ſcit, itaque ſibi malum accerſit.

15. *Divitis opes ſunt ejus urbs potentiæ*] Eis fidit ceu urbi munitæ.

23. *Homini prudenti res eſt ſeria*] Prudenter agit, nec temere ſcelus facit.

32. *Juſti labia favorem* [Dicunt favore digna.

CLARIUS.

1. PARABOLÆ SALOMONIS] Incipiunt hoc capite MISLE SALOMONIS, h.e. *Sententiæ.* Quæ autem præmiſſa ſunt, communes ſunt quædam adhortationes, & præfatio quædam, ut Hebræi dicunt. ¶ *Filius ſapiens*] Vocat *filium*

filium ſapientem qui parentibus obtemperat, & ſeſe Regi ſinit juxta mandatum Dei.

3. *Et inſidias*] Vel *oppreſſionem*, h. e. bona quæ oppreſſione aliorum congregaverunt. Alius vertit *opes*.

4. *Manus remiſſa*] Heb. *Manus doloſa*, quæ ſcilicet nihil agit, ſed tantùm fallere cupit.

5. *Qui congregat in meſſe*] Docet hæc ſententia, Obſervandum tempus & occaſionem in rebus agendis, ut ſuum quiſque pro tempore munus exſequatur: Quæratur victus dum vires ſunt integræ; ſtudeant juvenes dum optimos habent præceptores, dum ſufficit ætas, &c.

8. *Stultus cæditur labiis*] h. e. Qui præceps eſt linguâ, & vult docere antequam didicerit.

9. *Qui ambulat in integritate*] Seu *in perfectione*. Perfecti autem ſunt, & proinde ſecuri, qui rectè de Deo ſentiunt, ſciuntque ſe ei curæ eſſe, credentes ſe ab eo Regi & ſervari. *Qui autem has vias* Domini *invertit*, facilè *cognoſcitur*, qui ſcilicet viribus ac bonis ſuis fidit.

10. *Qui annuit oculo*] Quidam exponunt de iis qui nutibus oculorum alios ſubſannant & irritant.

12. *Univerſa delicta operit charitas*] Amicitia mutua conſtare non poteſt, ſiquis ad amici vitia nolit alicubi connivere & oculatior eſſe voluerit in obſervandis erratis proximi. Ferre ergò debet charitas & quaſi operire amici peccata tolerando.

15. *Subſtantia divitis*] Hebræi putant id dici contra ignavos homines & otio deditos, ut & ipſi ad labores excitentur.

25. *Quaſi tempeſtas*] Alius vertit, *Quando pertranſit tempeſtas, non manet impius:* h. e. Quando imminet afflictio & tentatio, impius ſubitò ruit; juſtus autem firmus manet, ut fundamentum mundi, ſolidatus ſuper firmam petram.

26. *Sic piger*] Ignavi homines ad nulla officia quæ gerant & exſequantur ſunt idonei. Taxat igitur locus hic potiſſimùm Magiſtratus negligentes.

29. *Fortitudo integri*] Via Domini fortem facit virum integrum; nam ex ea vires reſumit: at eam horrent & fugiunt, & quaſi ea conſpecta debilitantur, qui operantur malum.

32. *Conſiderant placita*] Qui ſcilicet Deo placeant.

R. BAYNUS.

QUamvis nullo certo docendi ordine præcepta tradidiſſe videatur Salomon, in his prioribus hujus libelli capitibus, in quibus multus eſt in præparandis & excitandis auditorum animis, multus in Sapientiæ laudibus, tamen ſub Metaphoris & Similibus, quandoque ex communi vita, quandoque ex occultatiore naturæ gremio petitis, ſed ubique aptiſſimis, graviſſimam Philoſophiam & ſingularem ſapientiam ubique congeſtam cernere licet. Sublimiorem præ ſe ferunt pompam Similia, quibus profani, ſeu Poëtæ ſeu Oratores uti ſolent, & elegantiores videntur, ſed his duntaxat qui haud ita multùm in S. literis ſunt verſati. Alioqui ſi quis *ἰδίωμα* Salomonis plenè ſit aſſecutus, ſi quis noverit Hebraïci ſermonis mollire duritiem, ſi dictionem Scripturis aſſuetam (quæ Græcis & Latinis hominibus ſubruſtica ſemper viſa eſt) ſibi familiarem effecerit, penitus reconditam in hoc libello & accumulatam cœleſtem doctrinam poterit pleniùs intueri: rem in primis neceſſariam omnibus, ſive privatam, ſive publicam gerentibus perſonam. Nam qui ſibi vivit & mundanum contemnit honorem, his perlectis faciliùs gloriam ſpernet & opes conculcabit. Paterſamilias verò, aut populi moderator, & ipſe minore negotio clavum tenebit, & ſuorum animos ad virtutis ſtudium & pietatis amorem faciliùs flectere poterit. Scopus enim huic ſapientiſſimo viro propoſitus fuit, omnes ordines & conditiones hominum ſuæ prudentiæ participes efficere. Poſteaquam paulò verboſiùs præcedentia capita tractaverimus, pro argumenti varietate & ſublimitate doctrinæ, quæ ſequuntur majore compendio proſequemur: ſed luce & facilitate pari, Chriſto Patris æterni ſapientiâ ſuggerente vires & ſenſus illuſtrante.

1. PROVERBIA SALOMONIS] Titulus libri hoc in loco repetitus eſt, indicans *Proverbia* dici propriè quæ ſequuntur. Nam hactenus Locos communes tractaſſe videtur ad varia vitæ munera ſpectantes, ſubinde exhortando ſuum filium, & invitans ad amorem ſapientiæ, cujus laudes incredibili artificio proſecutus eſt. Quæ ſequuntur, inquam, propiùs mores inſtruunt vitiaque caſtigant. Sed Sapientem ipſum audiamus. ¶ *Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mæſtitia eſt matris*] Quòd in hoc verſiculo *lætitiam* refert ad *patrem*, quam ex *filio ſapiente* concipit, & *mærorem* ad *matrem*, quæ graviùs dolere ſolet pro muliebri animo, non eſt ſic accipiendum quaſi ad matrem non perveniat lætitia, nec triſtitia ad patrem: ſed ad naturam rerum reſpiciens Salomon breviter, ſed non temere, hoc verborum ordine uſus eſt. Nam probitas filii & in rebus gerendis prudentia ac integritas morum patri potiùs cedit ad honorem, qui filium rectè educavit. Solet præterea in publicum progrediens conſcius magis fieri & ſpectator virtutis atque honoris quem ſua ſapientia filius aſſequitur: unde neceſſum eſt cum majori lætitia affici, ut putà ad quem maxima pars laudis redit. Ad matrem tamen de ſtulto filio ſolet major triſtitia redire, vel quòd domi torpeſcat, neque virtutem exerceat ullam, vel quòd ea quæ foris cum ignominia gerit & vituperatione ad matrem referri ſoleant, fama majori (quæ vulgi ſermonibus creſcit) quam pro rei malæ geſtæ magnitudine: ut omittam muliebre ingenium ſuſpicioſum, ſi vel paululum intellexerit dedecoris, ingens malum imaginatione concipit. Denique non eſt ſic accipienda clauſula ac ſi ſimplex narratio eſſet, ſed magis admonitio putanda eſt juvenum, ut honeſtatem morum ſectantes caveant nè quid ſtultè vel ignominioſè gerant: idque faciant etiam parentum causâ, ad quos magna pars laudis vel ignominiæ neceſſum eſt pervenire. Si Deum *Patrem*, & Eccleſiam *Matrem* exponamus, myſticus erit ſenſus.

2, 3. *Non proderunt theſauri impietatis, ſed juſtitia liberabit à morte. Non affliget Dominus fame animam juſti, & inſidias impiorum ſubvertet.* Heb. *Et perverſitatem improborum expellet*] Perpetua ferè eſt virtutum & vitiorum comparatio, quâ comparatione quis ſapiens & quis ſtultus dici debeat facilè intelligitur. Primam partem ſapientiæ in Parentum honore repoſuit, ſive in Dei Optimi Maximi laude, qui omnium Pater eſt, & Matris Eccleſiæ lætitiâ. Secundam partem in Divitiis colligendis, in quibus duo potiſſimùm ſpectare debemus, non ſolùm quâ arte & quibus viis comparentur, juſtè videlicet aut iniquè; ſed finem quoque & ſcopum ad quem ſervari debeant. Modis illicitis, ut per fraudem, rapinam, aut quamcunque improbitatem, opes reponere, in quoſcunque eventus, mera ſtultitia eſt. Nam *non proderunt*, neque poſſunt hominem eripere à morte. Juſtus Judex corrumpi non poteſt acceptis pecuniis. Si juſtè vixeris, morte non plectèris temporali, multò minus æternâ, ab illo Judice qui corda ſcrutatur. Quòd ſi tamem timens putas per fas aut per nefas opes congerendas, longè deciperis: nam *ne* hic quidem *proderunt divitiæ iniquitatis: ſed juſtitia* quoque *liberat* à fame & penuria, non ſolùm *à morte*, ut ſequitur, *Non affliget Dominus fame animam juſti.* Et ut fame ſit affectus vir pius (*caſtigat enim Dominus omnem filium quem recipit*) certè verbo Dei, qui panis eſt animi, nunquam deſtitutus, perpetuò epulabitur. ¶ *Inſidias impiorum ſubvertet*] Heb. *perverſitatem improborum expellet.* h. e. Opes quas per inſidias & perverſitatem congeſſerant improbi contra inediam, expellet & diſſipabit Deus. Nam providentiâ Divinâ fit ut malè parta pejùs pereant, ut jam in hujuſmodi nulla poſſit eſſe ſpes. Et proinde magna pars ſtultitiæ fuerit, hoc animo cumulandis opibus vacare. Juſtitiæ, quæ à morte & à fame liberat, nos ſtudioſos eſſe debere, docet proverbium. Nam *quid proderit homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 16.

4, 5. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium divitias parat. Qui congregat in meſſe filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* Heb. *Pauperem facit manus fraudulenta, & manus ſolicitorum ditabit. Colligens in meſſe filius intelligens eſt; ſtertens in Autumno filius pudore afficiens eſt*] *Manus doloſa* vel pro manu & operibus manuum accipitur, vel pro trutina, cujus bilances manuum cavitatem referunt. Nam vox Hebræa כף *volæ concavitatem* ſignificat; quamvis hoc in loco rectiùs pro *manuum opera*, quàm pro *ſtatera* accipiatur, propter ea quæ ſequuntur. *Manus fortium*, ſive *ſolicitorum*, *laborioſorum* vel *agilium* verti poteſt. Quod ad ſenſum ſpectat, ex præcedentibus pendet. Priùs enim de divitiis injuſtè acquiſitis locutus eſt, quæ poſſeſſoribus ſuis prodeſſe non poterunt, neque ad prolongandam vitam neque ad famam coërcendam. *Pauperem facit manus fraudulenta*] q. d. Si pauperiem metuas, vel ſi dives eſſe cupias, non dolo malo ſed induſtriâ eſt opus & ſolicitudine. Nam *manus robuſtorum* ſeu *ſolicitorum*, ſupple *artificum* aut *agricolarum* (Hebræi ſubaudiunt *mercatorum*) *divitias colliget.* Sed verſiculus ſequens magìs ad Agriculturam docet referendum. ¶ *Colligens in æſtate*] Oſtendit non ſolùm vigilantiâ eſſe opus, ſed temporis quoque occaſionem inprimis eſſe obſervandam. *Æſtas* præterea & *Autumnus* ad juventutis annos, qui calent, & ad dies virilis ætatis, qui maturos fructus producere ſolent, referuntur, non ſolùm ad anni tempora. Docet inprimis eſſe opus induſtriâ, vigilantia & labore unicuique tempori opportuno, cùm vires ſuppetunt, & cùm offertur occaſio. Nam ut æſtate ſtatim marceſcunt fructus æſtivi niſi colligantur, ità hebeſcunt juventutis vires, animi alacritas refrigeſcit, & ingenii dotes langueſcunt, niſi virtutis ope-

tis opere & honeſtis occupationibus exerceantur. Quod ſi *æſtate* & tempeſtivè laborum & virtutum fructum *colligas*, tanquam *filius prudens & intelligens* reputaberis, qui non ſolùm ſis ipſe ſapiens, ſed intellectum & prudentiam tuo exemplo doces alios. Hanc enim vim habere poteſt Hebræa vox משכיל, h. e. *intelligens*, ſive, *faciens intelligere*. Contrà, ſi neglecto juſto laboris ſudore, quem ob peccatum primi parentis inflixit humano generi Deus, otio & ſomnolentia florem ætatis tranſigas, vel fraude & illicitis artibus rem augere cogitas, eris tanquam *filius qui* non ſeipſum ſolùm ſed patrem quoque ſuum magna *ignominiâ afficit*, qui talem procreavit & rectè inſtruendum filium non curavit. Aben-Hezra exponit priorem verſiculum dupliciter; nempe, *Pauper erit qui facit ſtateram bilancis doloſam*, vel *Statera doloſa facit hominem pauperem*. Mihi magis placet intelligere *manum & operationem doloſam*, quæ ad paupertatem multos redegit. Cujuſcunque honeſti & tempeſtivi laboris laudem continet Proverbium. Juxta ſenſum Allegoriæ *extruduntur operarii in meſſem Domini*, dum *regiones albæ ſunt ad meſſem*, & antequam veniat tempus, cùm ſanam doctrinam nolint recipere. Eruditus lector intelligit quod dicimus.

6, 7. *Benedictio Domini ſuper caput juſti, os autem impiorum operiet iniquitas: memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcit.* Heb. *Benedictiones ſuper caput juſtorum, & os iniquorum operit injuriam. Memoria juſti in benedictionem, & nomen iniquorum putreſcet*] Oſtendit Salomon his duobus verſiculis in quem uſum debeat *manus fortis parare divitias*, nempe ut benedictionem faciens in pauperes benedictionibus à Domino repleatur. Quamvis *juſtitia* paſſim in Scripturis pro *univerſa virtute* accipiatur, ut *juſtus* non poſſit dici niſi qui omnibus virtutibus præditus fuerit, hodie tamen Hebræi eleemoſynam & miſericordiam in pauperes vocant צדקה *juſtitiam*, quaſi per Antonomaſiam. Quàm longiſſimè enim abſunt ab injuſtitia inferenda qui ſua diſtribuunt ſponte. *Super caput* igitur *juſti*, qui ſupremum gradum juſtitiæ videtur conſecutus, *benedictiones deſcendent*. De quibus Paulus 1 Cor. 10. *Et augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*: nam bonorum augmentatio *benedictio* intelligitur in Scripturis: alioqui honeſta fama, populi laus & fauſta acclamatio *benedictio* dicitur. Priorem expoſitionem ſequitur Beda, miſericordes *juſtos* appellans; quibus dicitur, *Venite benedicti Patris mei*. *Capiti* tanquam principali membro tribuit *benedictionem*, h. e. menti ſive rationi, quæ in capite ſedem habere putatur. Aliter, *Super caput juſti benedictio*: ut de cœlo deſcendiſſe intelligatur. Vel denique, *ſuper caput*, h. e. palam omnibus, non ſolùm in ſecreto. ¶ *Os autem impiorum operit iniquitas*] Vel, ut Hebræi interpretantur, *os impiorum operiet iniquitatem*. Ambiguitas Hebraiſmi utramvis verſionem admittit, quàmvis rariſſimè conſtructionis ordinem invertat linguæ proprietas. Haud ità multùm refert quod ad ſenſum ſpectat, qui eſt hujuſmodi, *Impios non eſſe participes illius benedictionis quæ cadit ſuper caput juſti, ſed maledictionis ſuâ ipſorum ſententiâ condemnantur, ut qui non poſſint os ſuum aperire in defenſionem propriam. Eſt enim os illius opertum iniquitate quam fecit.* Aliter, Is eſt virtutis honos, ea eſt vitiorum conditio, ut nemo velit malus aut injuſtus dici. Et proinde improbi, qui opprimunt pauperes, & vim inferunt, ſolent verbis ſua celare ſcelera, volentes juſti dici & haberi; quod ut ad tempus aſſequantur, ità perpetuò non durabit fucatæ juſtitiæ fama. Et hoc eſt quod ſequitur, *Memoria juſti in benedictionem*] Cujus ſenſus eſt, vel quòd creſcat & quotidie celebrior fiat memoria juſti, vel quòd ex memoria juſti ſoleant precationes amicæ & felicia vota ſumi, quæ *benedictiones* vocantur: ut cùm bene precamur alicui, optantes gratiam illi dari, qualem unicuique juſtorum largitus eſt Deus. Tertia denique expoſitio, *Memoria juſti erit in benedictionem*, dum illius poſteritas à Deo benedicitur, juxta illum locum, *Benedicentur in te omnes nationes terræ* Gen. 12. à Deo videlicet benedictiones Abrahæ & ſemini ejus donatæ participes erunt. Denique, *Memoria juſti cum laudibus*, vel, ut eſt in Hebræo, *in benedictionem*, h. e. Memoria juſti erit celebris. Et hæc ſimpliciſſima eſt intelligentia: cui quadrat quod ſequitur, *Nomen improborum marceſſet*. q. d. Fieri poteſt ut improbus dum ſcelus occultat, juſti & probi viri aliquandiu famâ nominis fruatur: ſed ut flos emarceſcit paulatim, & ut caro putreſcit quæ ſale non conditur, ſic fama quæ ſine fructu virtutis aut Divinæ ſapientiæ ſale ventilatur.

8, 9. *Sapiens corde præcepta ſuſcipiet; ſtultus caditur labiis. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit.* Heb. *Sapiens corde capiet præcepta, & ſtultus labiis corruet,* (vel *vapulabit*) *Qui ambulat in perfectione, ibit cum fiducia: & qui obliquat vias ſuas, cognoſcetur*] Prudentis & ingenui juvenis eſt indicium maximum, majoribus libenter obtemperare, ſive Parentibus ſive Magiſtratibus, eorum admittere præcepta, quibus non ſolùm inſtructior evadat, ſed damna, incommoda vitæ & pœnas faciliùs declinet. ¶ *Stultus & imprudens labiis caditur*] Vel *caſtigatur*, aut *labiis* propriis, garrulitate videlicet laborans, cùm ſtultus ſit, & *ex abundantia cordis os loquatur*. Subinde ſtulta verba profert, quibus læditur ſuperiorum autoritas, atque ità graviſſimas pœnas luit; non ſolùm quòd præcepta non accepit, ſed etiam quòd ſtultè locutus ſit. Quod ſi ad Dei præcepta referri mavis, *Sapiens* eſt admodum, qui non ore tenus ſed *ex animo* Dei *præcepta accipit*, opere implenda: *Stultus* autem *populus qui labiis me honorat, cor eorum longè eſt à me*, Eſa. 29. Sic ſtultus Judaïcus populus, qui verbis & labiis Legem tenens, in errores graviſſimos corruit, vel juxta aliam interpretationem, ob labiorum peccata quibus clamabant, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*. Verbum Hebræum ילבט, quod Interpres vertit *depravat*, æquivocum eſt, & vel *corruere* vel *punire* ſignificat. Verſiculus prior ad conſilium & animum obedientem refertur, ſequens verò ad opus. Sunt enim multi qui quamvis imperium non detrectent manifeſtè, tamen obliquè & perverſè, dum opera ſua & vias non dirigunt, & aliquandiu latentes, tandem tamen deprehenſi, tanquam Legis tranſgreſſores corripiuntur, frequentiſſimè in hac vita, ſemper autem in futura, niſi pœnitentiam egerint. Et hoc eſt quod ſequitur, *Qui obliquat* (aut *pervertit*) *vias ſuas, manifeſtus erit*] Cùm præ ſe fert ſe ſervare Legem, quam non ſervat; ſed vir duplex animo tandem, ut diximus, deprehendetur & *cognoſcetur*. Alii meliùs *confringetur* exponunt. Verbum enim Hebræum ירע utrumque ſignificat.

10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem, & ſtultus labiis verberabitur.* Heb. *Qui annuit oculo, dabit* (vel *faciet*) *moleſtiam, & ſtultus in labiis punietur*] Ambiguus eſt ſermo, cui videlicet dabit dolorem. Hebræi reciprocè intelligunt, *ſibi ipſi dabit dolorem*. Et numero eorum qui *pervertunt vias ſuas* & minimè ſibi conſtant vult eſſe eum Salomon qui *oculorum nutibus*, cùm palàm non audeat, ad malum provocat, & ad tranſgreſſionem legum inducit alios, etiamſi ipſe nihil mali fecerit, nihilominus tamen *dabit dolorem* (ut cum Hebræis loquar) *& punietur*. Quidam per *nutum oculorum* impudicos oculos intelligunt; alii deriſorem & ſubſannatorem, qui non manifeſtis conviciis ſed nutibus oculorum proximo dolorem infert. Nam vultu læditur pietas in parentes, & charitas in amicos. Iſte punietur ob oculorum nutus, quemadmodum is qui labiis offendit, & blaſphemat vias Domini rectas. Non minùs, inquam, punientur qui annuunt oculis, de quibus David Pſal. 22. *Omnes videntes me deriſerunt me; locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* Iſti illuſores Domini & Servatoris magnum *dolorem*, h. e. graves *dederunt* pœnas.

11. *Vena vitæ os juſti, os autem impiorum operit iniquitatem*] In lingua rectè inſtituta magna pars ſapientiæ conſiſtit. Nam *qui verbo non offendit, hic perfectus eſt*, Jac. 3. Et proinde de linguæ ſive oris tum virtute tum vitiis crebra Salomoni eſt mentio. In hoc loco jucundiſſimâ metaphorâ ex ore viri boni quanta bonitas effluat oſtendit: *Eſt*, inquit, *os viri juſti tanquam fons* (ſive *vena*) *vitæ*. Et ut indeſinenter effluunt aquæ vivæ ex fontibus, ità ſalubris doctrina & verba vitæ ex ore juſti ſcaturiunt. Neque enim ex tali radice, nempe juſtitia, poſſunt naſci niſi boni fructus, quibus ad æternam vitam nutriuntur auditores. Hoc in loco conſentit Interpres noſter cum Hebræis, vertendo hanc clauſulam, *Os impii operiet iniquitatem*, aliter quàm priùs. Et proinde ſcribis, non Interpreti, eſt imputandus error. Senſus eſt, *Os improborum operit & teget iniquitatem, dum ſimulant juſtitiam.* Juxta illud Pſal. 5. *Linguis ſuis doloſè agebant*, ſive, *Linguas ſuas politas & lubricas fecerunt*. Cùm de lingua cujuſvis juſti, tum potiſſimùm de ſermone juſti & fidelis concionatoris, & impii, intelligitur Proverbium.

12. *Odium ſuſcitat rixas, & univerſa delicta operit charitas.* Heb. *Odium excitare ſolet lites, & ſuper tranſgreſſiones operiet amor*] Ex communi hominum vita & vulgi moribus egregium Sapientiæ elogium colligit. Ubi eſt odium inter homines, vel leviſſima de cauſa oriuntur lites & jurgia: ubi eſt amor, etiam magnæ offenſæ teguntur, vel potiùs non cognoſcuntur. Candor enim amici omnia candidè interpretatur, imò celat amici commiſſa, & crimen pro crimine non habet. Contrà, odium in pejorem partem rapit omnia, & crimen nonnunquam, ubi nullum eſt, inſimulat, ex minimo graviſſimum molitur efficere. Quid ſi iſta quotidie fieri inter homines infideles videamus, qui vel naturali vel civili amicitiâ vivunt? quid de *Charitate Dei, quæ per Spiritum Sanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris*, ſentire debemus? quid de illa flamma quam Filius Dei *in terram miſſum venit, nihil aliud volens niſi ut ardeat*? Illa, inquam, non ſolùm texit mundi peccata ab oculis Dei, ſed

prorſus abſumpſit & lavit proprio ſanguine, & *delevit*, ut inquit Paulus Col. 2. *chirographum quod contra nos erat.* Hæc omnino magna *charitas* & ineffabilis utique magnam *peccatorum multitudinem operuit*, 1 Pet. 4. Hanc & nos imitari hoc in loco vult Sapiens, docens præcipuam charitatis partem eſſe, charitatem alere & fovere. Fovetur autem vel maximè placidis moribus & animi candore qui delicta quandoque pro delictis non habet, ſed veniam, quam quotidie à Deo petere neceſſarium habet, impertitur.

13. *In labiis ſapientis invenitur ſapientia, & virga in dorſo ejus qui indiget corde.* Heb. *In labiis intelligentis invenitur ſapientia, & virga ſuper corpus illius cui deeſt cor*] Crebra mentio nunc *juſtitiæ* nunc *ſapientiæ* indicat nullam eſſe ſapientiam quæ juſtitiæ, h.e. æquitati & integritati vitæ, non ſit annexa. Superiore verſiculo *venam vitæ* vocat *os juſti*; in hoc verſiculo oſtendit ſapientiam capiendam eſſe & diſcendam à viris qui intelligentiam habent Scripturarum, qui blanditias mundi & illecebras carnis noverunt ſpernere, & res ſingulas pro dignitate æſtimare. Qui ratione & intellectu cœlitus ſibi conceſſo regitur, hic rectè *intelligens* dicitur, non animalis homo, ſed qui cum Paulo Gal. 5. dicere poteſt, *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* In hujuſmodi viri verbis & labiis ſemper eſt reperire ſapientiam, & à viro, qui ſic omnia pro illorum conditione intelligit, petenda eſt ſapientia. Sed mira eſt & inſignis multorum amentia, qui corde omnino carere videntur, qui audire nolunt, neque verbis prudentis obtemperare, donec poſt magnos errores commiſſos cogantur pœnas luere in corpore, & brutorum animalium more ſenſu & flagris diſcunt ſapere, non intellectu & mente; quod hominis eſt. Talibus omnino *cor deficit* neque ſuo fungitur munere. Vide quàm latum ſit diſcrimen filii ſapientis & ſtulti. Juxta ſenſum myſticum *corde carent* Judæi & infideles, qui ob defectum fidei non inveniunt ſapientiam in labiis illius qui Chriſtum annunciat: *in dorſo*, h.e. in extremo ac in alio ſeculo, plagas ſuſtinebunt.

14. *Sapientes abſcondunt ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proximum.* Heb. *Sapientes recondent ſcientiam, ſed os ſtulti fracturæ vicinum*] Vel, *ori ſtulti clades vicina.* In moderamine linguæ magna pars ſapientiæ conſiſtit, ut diximus. Et ſapientis eſt cognoſcere loquendi vices, & tacendi, id quod nemo niſi admodum doctus præſtare poteſt, & niſi habeat in animo *reconditam ſcientiam*, ex qua veluti ex theſauro ſubinde proferat prudentem ſermonem & utilem auditoribus, inter quos magna ſolet eſſe varietas. Et nonnunquam quod uni prodeſt, aliis nocet: neque omnes ſunt capaces omnium. Chriſtus *habuit multa dicenda quæ tunc portare non poterant Apoſtoli*, Joan. 16. Et Paulus 1 Cor. 2. quoſdam *lacte potat*, qui *ſolidum cibum concoquere non valent.* Alioqui *inter perfectos ſapientiam loquitur.* Et Chriſtus prohibet *margaritas projici porcis*, Matth. 7. Recondenda eſt igitur ſcientia & doctrina in animo: quod ſapientes facere ſolent, ſcientiam, inquam, V. & N. Inſtrumenti, ut *ſimilis homini patrifamilias poſſis proferre de theſauro tuo nova & vetera*, Matth. 13. & cum Paulo, *ſanum ſermonem*, qui proſit omnibus, neminem offendat juſte. Porrò ſtultus, qui non habet ſcientiam, ſed temere profert quicquid in buccam venerit, magnam *confuſionem* ſive juxta Hebræum *fracturam* ſibi parat. מחתה *contritio*, conſentientibus LXX. qui vertunt, *ἐγγίζει συντριβῇ.* Poteſt intelligi de *contritione* quam aliis facit appropinquare; quia non novit hoc eſſe dicendum, illud tacendum: ſed *cùm loqui neſciat, tacere non poteſt.* Proverbium cùm illo Solonis elogio ferè convenit, *Nemo ſtultus tacere poteſt*; vel potiùs cum illo, *Locutum eſſe nocet, tacuiſſe nunquam.*

15, 16. *Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus, pavor pauperum egeſtas eorum.* Heb. *Opes divitis urbs roboris ejus, fractura pauperum paupertas eorum. Opus juſti ad vitam, fructus autem impii ad peccatum*] Ad ſapientiam ſpectat, omnium rerum conditiones & differentias cognoſcere. Nam ut illi errant qui divitias tanquam ſummum bonum affectant, & qui divites omnium feliciſſimos, pauperes verò miſerrimos exiſtimant; ſic etiam illi qui divitiarum nulla commoda neque paupertatis incommoda putantes, juſtos labores contemnunt, otio & pigritiæ ſe dedunt. Imò divites ſuis opibus quodammodo muniuntur, & veluti propugnaculis quibuſdam injurias facilè propellunt, ſi quid offenderint in repub. delicta faciliùs redimunt; contra omnia denique hujus vitæ mala ſuis ſe defendunt opibus. ¶ *Pavor pauperum egeſtas eorum*] Heb. *fractura tenuium paupertas eorum.* Pauperes multis malis & injuriis obnoxii, facilè conteruntur, & non ob aliud quàm quòd pauperes ſint oppreſſi corruunt. Divitiæ igitur, quas ex manu Dei juſtis laboribus accipiunt homines, tanquam mala habendæ non ſunt, ſi modò ad pios convertantur uſus; quod juſtorum eſt, unde ſequitur, *Opus juſti*] q. d. Quicquid in ſudore vultûs ſui comparant ſibi viri juſti & probi, ad victum & hujus vitæ neceſſarios uſus, vel ſuos vel aliorum, convertunt, *facientes ſibi amicos dè mammona iniquitatis.* ¶ *Sed fructus*, aut, ut in Hebræo eſt, *proventus, improbi ad peccatum*, ad luxum, ad arrogantiam, ad Dei contemptum; juxta divitis in Euangelio vanam ſpem, *cujus ager fructus afferebat plurimos*, Luc. 12. Poteſt prior verſiculus in malam partem intelligi, quaſi reprehendat Sapiens vanam fiduciam quam divites in ſuis collocant divitiis, quæ plerumque ſunt fallaces, neque præſidium adferunt aut ſecuritatem; & pauperum puſillanimitatem, qui rerum inopiâ deſpondent animum, & ſuâ ſententiâ confracti ſunt, cùm paupertatem æquo animo ferre non poſſunt. Vide quàm paucis verbis quantum cumulum ſapientiæ reconditum habes, nempe egregiam juſti divitis laudem, divitis verò iniqui & pauperis, qui per inertiam ad inopiam relabitur, reprehenſionem dignam, quam tamen non omnes accipiunt, juxta id quod ſequitur,

17. *Via vitæ cuſtodienti diſciplinam; qui autem increpationes relinquit, errat.* Heb. *Semita ad vitam qui ſervat diſciplinam: qui relinquit reprehenſionem, errat*] Verti poteſt pro ambiguitate ſermonis Hebraïci, *Semitam vitæ*, ſup. *ſervat*, *qui ſervat diſciplinam*, vel, *Velut ſemita vitæ eſt, qui ſervat diſciplinam.* Quamvis in genere dictum videri poteſt, tamen ad divitias & paupertatem, ad operis intentionem & rectum divitiarum uſum referri potiſſimùm videtur: quibus in rebus diſciplinâ & caſtigatione eſt opus, ſi volumus cum juſto opus noſtrum ad vitam dirigere, cujus arcta eſt via, & quam niſi majorum *diſciplinam ſervans* non poteris tenere. Libenter autem diſciplinæ majorum & correptioni verbi Dei te ſubjicias oportet, ſi ad vitam æternam tendere velis, ad quam ſolus pervenit qui *ſervat diſciplinam*, quæ in integritate morum conſiſtit. Contrà, *qui dereliquerit reprehenſionem* (ſive *correptionem*) *errat*; h.e. caſtigatus à Deo, ſive à majoribus, qui Dei vices in terris obtinent, is longè errat à via vitæ, & latam viam ingreſſus ad perditionem tendit. Vox Hebræa מתעה *errat* plus ſignificat, nempe *errare facit alios*, vel *cor ſuum*, vel *vehementer errat*: ut qui caſtigationem relinquit, per quam ad viam vitæ revocatus eſt. q. d. Primus gradus ſapientiæ eſt *ſervare viam vitæ*; ſecundus eſt, ſi quid erraverit, *reprehenſionem admittere.*

18, 19. *Abſcondunt odium labia mendacii, qui profert contumeliam inſipiens eſt. In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderabitur linguam ſuam, prudentiſſimus eſt.* Heb. *Qui celat odium, labia mendacii*, (vel *labiis mendacii*) *& qui profert obliquum eſt ſtultus. In multitudine verborum non ſolet deficere transgreſſio, ſed qui cohibet labia ſua, ſapiens eſt*] Cùm ex ſermone potiſſimùm deprehenditur ſapientia & ſtultitia, maximas linguæ virtutes & vitia paſſim oſtendit Salomon, ex quibus animæ virtutes aut vitia neceſſe eſt ſequi. Charitatis ſummam audivimus laudem, ut quæ proximorum vitia tegit & exſtinguit: viciſſim Odium quanta mala procreat audiamus: cujus duæ ſunt ſpecies. Eſt enim aliquod ſecretum & corde clauſum, quod multa fingere & mentiri facit homines. Et ubi in animo non eſt amor, ibi in lingua non eſt veritas, & hoc eſt quod dicit in Hebræo, *Qui celat odium, illius labia ſunt labia mendacia.* In ſpecie ſapientiam quandam præ ſe fert qui odium celat: verùm *qui* maledictis & detractionibus *palàm prodit ſuum odium*, omnino *ſtultus eſt.* Alii referunt hæc verba *ſtultus eſt* ad utrumque, nempe ad *eum qui profert convitium* vel *infamiam*, & ad *eum qui labiis mendacibus occultat odium.* Quod ad ſenſum ſpectat, detractorem ſtultitiæ notat, qui famam alterius lædere quadam libidine loquendi gaudet, & aliorum vitia palàm divulgare: quantò magis ſi labiis mendacibus falsò crimina cuiquam imponat, quàm longiſſimè à charitate eſt alienus, quæ multitudinem peccatorum ſedulò tegit? Atqui hunc ſenſum facit Aben-Hezra Hebræorum doctiſſimus Interpres. ¶ *In multiloquio non deerit peccatum*] Vel, juxta Hebræum, *In multis verbis non ceſſabit*: vel in genere dictum intelligimus contra loquacitatem inanem, ſicut illud, *De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines reddent rationem*: vel ſecundùm interpretationem Hebræorum, *Transgreſſio eſt detractio, quâ ſtultus transgreſſus eſt & in fratrem prævaricatus eſt.* Et proinde *qui labia cohibet*, ut neque mendacibus verbis cuiquam imponat, neque alienam famam lædat, *prudentiſſimus eſt*, aut *intelligens eſt.* Qui ſic labia moderari novit ut nè verbo quidem peccet, *hic perfectus eſt vir*, ut inquit Jacobus.

20, 21. *Argentum electum lingua juſti, cor autem impiorum pro nihilo. Labia juſti erudiunt plurimos, qui autem indocti ſunt in cordis egeſtate morientur.* Heb. *Argentum electum lingua juſti; cor improborum velut exiguum. Labia juſti paſcent multos, & ſtulti in defectu cordis morientur*] *Pro nihilo*, vel *quaſi exiguum*, ut nos vertimus, Hebraïcè כמעט, poteſt referri ad qualitatem,

vel

vel ad tempus, quaſi parvo tempore durat intellectus improbi, vel quaſi parùm boni ſensùs & cordis habent improbi. Vitia linguæ audivimus, virtutes denuo audiamus. *Multa meminiunt illius labia qui odium celat:* contrà, *lingua juſti* ab omni mendacio pura & munda eſt, & idcirco non immeritò *probato* confertur *argento*, quod ab igne non tantùm non conſumitur ſed etiam purius & ſplendidius redditur. Sic juſti & ſapientis viri ſermo tantum abeſt ut vel oſoris mendaciis vel ſtulti detractionibus inficiatur, aut maledictum rependat maledicto, convitium convitio, ut etiam juxta Paulum *bene precetur male dicentibus*; litibus ſeminandis inter fratres uſque adeo aliena ut multos ad concordiam reducat, eſurientes paſcat verbo vitæ, quo vivit homo, non in ſolo pane. O pretioſam & electam linguam, cui nulla perſecutionis flamma ſilentium imponere poteſt, quò minùs fidem Chriſti reſonet, odium à corde & mendacium à lingua dulciſſimo ſono expellat! Talis erat Chriſti Jeſu lingua, *in cujus ore non eſt inventus dolus: qui, cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*, 1 Pet. 2. cui *Dominus dedit linguam eruditam, ut ſciret ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo*, Eſa. 50. Quæ tamen lingua quamvis electa cor improborum Judæorum non penetravit: nam valde *parùm cordis* & intelligentiæ habent *improbi*; & ob defectum cordis verbo vitæ & pabulo hujus linguæ non ſunt paſti, ſed ut *ſtulti fame mortui ſunt*. Moriuntur & hodie heu nimis magna infidelium turba & hæreticorum qui hujus juſti linguam, quæ hactenus in Eccleſia Chriſti quotidie reſonat, audire contemnunt; & cùm ſe fame verbi Dei laborare præ ſe ferant, verè ſtulti cum fidelibus populis paſci nolunt. Moriuntur inediâ, cùm illis cor ad credendum deficiat. *Juſtus multos paſcit* ſuâ doctrinâ, ſtultus ſeipſum non paſcit. Proverbium paſtores injuſtitiæ condemnat qui neque gregem neque ſeipſos ad vitam inſtruunt.

22. *Benedictio Domini divites facit, nec ſociabitur ei afflictio.* Heb. *Benedictio Domini ipſa ditabit, & non addet laborem cum illa*] Quæ de divitiis ſuperiùs dicta ſunt, nempe, *Opes divitis quaſi civitas fortitudinis ejus:* poſſunt in malam partem accipi, ut expoſuimus: hoc in loco de alia divitiarum ſpecie ſive ratione loquitur, nempe de his quæ Dei benevolentiâ & benignitate conferuntur hominibus. Olim dictum eſt primo parenti, *In ſudore vultûs tui veſceris pane*: &, *Ex terra fructus abſque ingenti dolore non percipies.* Sed clementiſſimus Pater hanc legem quandoque immutat largam benedictionem omnium rerum pluribus concedens abſque ullo labore, aut quàm minimâ curâ. Accipimus, inquam, ſi fideles ſumus, abſque cura, ſolicitudine & dolore; dicente Chriſto, *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. Infideles, qui à Deo benedicto & omnium rerum Autore panem quotidianum non noverunt petere, aut inopiâ laborant, aut magnâ curâ & ſuffocante ſolicitudine opes acquirunt. Sed revertamur. Cùm dicat Salomon, *Benedictio Domini divites facit, & non addit laborem*, quid aliud quàm divites admonet quò ſimilem benignitatem in egenos oſtendant; atque ità futurum ut ſubinde novâ Domini benedictione potiantur? *Nam qui ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet*, 2 Cor. 9. q. d. Hâc ſolâ ratione de numero ſapientum poſſunt eſſe divites; primò, ſi divitias ex Domini benedictione magis quàm ex ſua induſtria ſe poſſidere cognoſcant; deinde, ſi liberalitate Domini benedictionem referant. Alioqui cum avaro Nabal & Euangelico divite in numero ſtultorum meritò cenſeri debent. Ponit proverbium diſcrimen inter cœleſtes divitias, quæ nunquam deficiunt, & terrenas, quas abſque omni moleſtia nemo poſſidet, nè Abraham quidem aut Iſaäc.

23. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt viro prudentia.* Heb. *Quaſi riſus ſtulto facere ſcelus, & ſapientia eſt homini intelligentia*] Ob ambiguitatem unius vocis זמה hujus verſiculi duplex ſenſus eſſe poteſt. זמה enim vel *ſcelus* & *rem abominandam* ſignificat, vel *cogitationem.* Juxta priorem interpretationem hunc ſenſum habet, *Stultus facillimè & quaſi per jocum in graviſſima nonnunquam ſcelera corruit*; ut putà qui *ſapientiâ & intelligentiâ*, h. e. humanarum & Divinarum rerum cognitione, ſit deſtitutus. Nam à magnis & horrendis flagitiis non ſolùm Divinâ lege & Dei timore, ſed lumine intellectûs naturali, autoritate legum & Philoſophorum præceptis cohibentur homines, ut jam nullâ ſapientiæ parte conſtet eum eſſe prædictum qui levi de cauſa magnum aliquod perpetrat malum, quod ſtultorum eſt, quandoque ex inſigni ſtultitia & ignorantia rerum, ut diximus, quandoque ex conſuetudine prava, quæ vitia principio horrenda paulatim jocularia ſolet efficere. Quod in Hebræo legitur כשחוק *quaſi riſus*, vel *quaſi ridere*, ad facilitatem aut amœnitatem referri poteſt. Et ſuppletur in ſecunda clauſula, *quaſi ridere eſt ſapientia*, h. e. facilis & amœna viro inteligentiæ. Quòd ſi זמה *cogitationem* interpretamur, alium ſenſum hauriemus, nempe hunc, *In rebus agendis* ſtultus nullâ deliberatione ſolet uti neque conſilio maturo, ſed quemadmodum riſus & jocus temere nonnunquam homines occupant, præſertim leves & ſtultos, qui nulla de cauſa nonnunquam reſolvuntur in riſum, talis eſt univerſa vita ſtultorum, qui temere aggrediuntur quod cogitant, & non præponderant ſuorum operum conſtantias. Contrà *ſapientia eſt viro prudentia*, vel *intelligentia.* Sapiens nihil non maturo & ſapienti conſilio molitur, ſed quæ ſuâ ſapientiâ facienda novit, eadem conſtanti prudentiâ exſequitur. Et hoc eſt quod dicit, *Sapientia eſt viro ſapienti*, juncta cum intelligentia, neque vita cum ſcientia & doctrina pugnat. Hæc poſterior expoſitio mihi non diſplicet.

24, 25. *Quod timet impius veniet ſuper eum, deſiderium ſuum juſtis dabitur. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius, juſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.* Heb. *Timor improbi veniet ad eum, & deſiderium juſtorum dabit. Sicut tranſit turbo, & non eſt improbus: ſed juſtus fundamentum ſeculi*] Quamvis improbus, qui priùs dictus eſt *ſtultus*, quaſi ridens ſcelera committat, tamen ità comparatum eſt, ſive ex natura rerum ſive Dei providentiâ, ut abſque metu & conſcientia perturbata non vivant qui magnis criminibus ſunt polluti. Flagitia committere res videbatur levicula; tamen perpetrato ſcelere, conſcientiæ ſtimulis veluti furiis infernalibus, juxta Poëtas, miſerè torquetur, & ſibi conſcius ſupplicium perpetuò timet, quod juſto Dei judicio aliquando ſuſtinebit. Hæc vulgatiſſima expoſitio eſt. Sunt & aliæ, quarum prima eſt hujuſmodi; Solent improbi homines multùm timere nè divulgentur eorum ſcelera, multaque perpetrare mala nè quàm ſint ipſi mali palàm fiat: ſed commiſſum ſcelus novo ſcelere diu celare non poterunt. David adulterii ignominiam timens, homicidio voluit occultare crimen: quod tamen Deus in oculis Solis exponi curavit. Aliter, Stultus impius incommoda timens & ventura mala, ſolet eventus rerum perpetrato ſcelere præcavere: id quod nunquam aſſequetur. Talis erat Herodes, tales erant Scribæ & Phariſæi, qui dixerunt Joan. 11. *Nè fortè veniant Romani, & tollant locum noſtrum & gentem*: id quod putabant ſe innocentis morte poſſe evadere. Denique ſunt qui hunc verſiculum ex priori procedere volunt, & pronomen *eum* referri ad *virum intelligentem*, de quo loquebatur præcedens verſiculus: ut ſit ſenſus, *Timor impii* (vel *improbi*) *veniet ad illum virum ſapientem & intelligentem, cùm multos oppreſſos alterius improbitate videat ſapiens. Sed diu non timebit, quoniam dabit Deus unicuique ex juſtis deſiderium ſuum, ut videat illius improbi ruinam & interitum:* juxta illud Pſal. 37. *Adhuc puſillum, & non erit peccator; & quæres locum ejus, & non invenies.* Poteſt tamen ſecunda pars verſiculi, nempe, *Deſiderium ſuum juſtis dabitur*, vel, ut eſt in Hebræo, *deſiderium juſtorum dabit*, abſolutè intelligi. Cùm juſti non deſiderent niſi quod eſt æquum & juſtum, deſiderium dabit illis Deus, ut votorum aliquando compotes fiant. Ex ipſo contextu tamen magis apparet debere referri ad præcedentem clauſulam; quaſi juſtus optaret venire ſuper impium quod impius timet, juxta illud Pſal. 119. *Quando facies de perſequentibus me judicium?* & huic ſenſui quadrat ſequens verſiculus, qui ſubitò ac præter omnem exſpectationem improborum venire ruinam & interitum indicat: id quod ſimilitudine quadam appoſitâ videtur ob oculos ponere. *Quaſi tempeſtas tranſiens* (vel, *ut turbo tranſit*) *non erit impius*] Ut nullus ventus eſt magis violentus nec majori timore concutit mortales quàm turbo, ità nullus eſt minùs diuturnus. Haud aliter Dei benignitate comparatum eſt ut improbi homines & nefandi quò majora damna juſtis inferant, eò celeriùs ad interitum & extremum ſupplicium corruant: quod ut ipſi non poſſunt non timere, ità juſtus, vel ſuâ vel ipſius juſtitiæ causâ, aut denique bonorum omnium gratiâ, non poteſt non optare. Cæterùm juſtus, qui ſui ſimilis ubique eſt, neque ullo circumfertur vento, ſeu proſpero ſeu adverſo, *columnæ* aut *fundamento* ædium meritò confertur: imò ipſius *ſeculi fundamento*, ut putà qui nullis adverſis hujus mundi commovetur. De præſenti vita frequentiſſimè locum habet; de futura, & nominis virtute ac fama, ſemper, & primò in Chriſto tanquam capite, deinde in ſanctis & juſtis omnibus, qui ad illius exemplum in fide radicati & fundati permanſerunt, & improborum turbines ac procellas conſtanti pertulerunt animo.

26. *Ut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt*] Sedulitatem & diligentiam docet eos qui res & negotia tractant aliena. Quemadmodum enim acetum ſuâ acredine corrodit dentes & obſtupeſcere facit atque inutiles inidoneoſque ad maſticandum reddit, & ut fumus oculos infeſtat & ad clarè perſpiciendum reddit hebetiores, non ſine gravi totius corporis detrimento; ſic qui dentium vice & oculorum funguntur in Eccleſia, dum verbum vitæ frangunt & præmaſticant cibum imbecilli multitudini, & lumen præmonſtrant cæcis, quorum fun-

ctioni maximè obſtat vel ſtupor dentium impediens quò minùs pabulo vitæ paſcantur ipſi, vel fumus, h. e. luxus & deliciæ rerum terrenarum, quibus eorum dentes & doctrina hebeſcit, & quibus oculi excæcantur eorum qui mittuntur & locum Apoſtolorum tenent. Quòd ſi ſimpliciter juxta literam duntaxat accipiendum putamus, mortalium in rebus caducis nimiam curam & exſpectationem eleganter reprehendit, qui niſi ſtatim voti reddantur compotes, niſi ſtatim de rebus quas ſcire deſiderant certiores fiant, nec cibum libenter ſumunt nec quicquam læti vident. Et interim miniſtrum ſui muneris commonefacit, ut quàm maxima diligentia feſtinet, ac ſui Principis negotia cum omni maturitate tractet; oſtendens jucundiſſimis Metaphoris, quàm impatientes moræ ſolent eſſe qui de longinquo nuncium exſpectant, præſertim Principes hujus mundi. Mihi ſublimior ſenſus magis arridet, quem ſub parabola hiſtoricum ſive literalem eſſe puto.

27, 28, 29, 30. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur. Exſpectatio juſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis via Domini, & pavor his qui operantur malum. Juſtus in æternum non commovebitur, impii autem non habitabunt ſuper terram.* Heb. *Fortitudo perfecti via Domini, & fractura operantibus iniquitatem*] Cauſas hoc in loco reddit illius quod ſuprà dixerat, *Ut tranſit turbo ſic non erit impius; juſtus autem ut fundamentum ſeculi*, nempe *Timorem Domini*, Fiduciam in Deum, & obſervationem Legis, quam per *viam Domini* intelligimus; has cauſas eſſe maximas quòd juſti diutiùs vivant, quòd cum lætitia cordis & tranquillitate animi vivant, quòd ſani & integri vivant. Contrà impii & iniqui aut paucos vivunt annos, aut ſic vivunt ut mori præſtiterit: In rebus videlicet caducis & vanis ſpem collocantes, in fracturam & interitum ob flagitia ſua frequenter incidunt. Ante omnia igitur ſapientis & juſti eſt *timorem Domini* ante oculos habere, quo facilè declinant à malo, innocentes & ſanctè vivunt. Innocentia vitæ & integritas morum, tranquilla denique conſcientia, ſanitatem corporis juvant & naturalem corporis conſtitutionem conſervant. Contrà, *qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*, 1 Cor. 6. qui gravantur crapula, qui flagitiis ſubinde perturbantur, naturales impediunt functiones, in morbos frequentiùs incidunt: ut omittam vindicem Dei manum flagitioſos homines citiùs exſtirpare ſolere. Habes, lector, ſimplicem verſiculi ſenſum. Sublimior erit ſenſus ſi ad juſtitiæ virtutiſque præmium referas, per quod qui Deum timent perpetuò vivunt, impiorum autem perit memoria cum ſonitu, & aut nullam aut peſſimam nominis famam poſt ſe relinquunt. ¶ *Exſpectatio juſtorum lætitia*] Juſti qui univerſam ſpem in Domini clementia & bonitate collocant, qui ſpe futurorum præſentia ſpernunt, qui præſentem vitam corruptibilem cum futura & æterna libenter commutant, cum ſumma lætitia erunt aliquando voti compotes. Verùm improbi, qui felicitatem ſuam vel in opibus, vel in voluptatibus collocant, qui ſibi prolixam pollicentur vitam, neque ſupplicium exſpectant aut Dei vindictam pro ſceleribus, longè falluntur: neque res ulla magis eorum interitum accelerabit quàm vana & impia contumacia ſive præſumptio, quæ pœnitentiæ remedia ſpernit & miſericordiæ januam claudit. ¶ *Fortitudo ſimplicis via Domini*] Vel, ut eſt in Hebræo, *perfecti*, vel *ad perfectionem.* Ex via Domini juſtus corroboratur & conſolidatur in juſtitia ſua. Per *viam Domini* intelligimus legem Dei, per quam incedens juſtus procedit de virtute in virtutem, & creſcit fidei & charitatis gradibus quibuſdam in virum perfectum, ut poſtea timorem deponat ſervilem, quem *charitas foràs mittit*, 1 Joan. 4. *Et pavor his qui operantur malum*] Vel *calamitas* מחתה *operantibus iniquitatem.* Contrà qui iniquè & flagitioſè degunt, indies magis ac magis pavore concutiuntur & ſtimulis conſcientiæ; aut certè timere deberent, ſi vel quanta tranſgreſſoribus lex Dei minatur ſupplicia, vel quantas jam olim dederint pœnas qui malè vixerunt, perpendant. Aliter, per *viam Dei* licet intelligere Dei favorem, gratiam & miſericordiam, per quas ad homines pro ſua clementia venit, peccata remittens pœnitentibus. Etiam Dei juſtitiam & ſeveritatem intelligimus, quam ſibi theſaurizant qui perſeverant malè agere Rom. 2. Quemadmodum enim *via Domini eſt fortitudo perfectis, ſic via Domini* (qua ſolet ſeverè punire malos) *pavorem flagitioſe viventibus* incutere deberet. ¶ *Juſtus in æternum non commovebitur*] Vel *non mutabit.* Juſtus nullis adverſis rebus aut proſperis concuti poteſt aut perturbari, ſed immobilis ad omnia, ſeu proſpera ſeu adverſa, in Dei timore & futurorum ſpe tanquam fundamentum ſpiritualis ſtructuræ conſiſtit. Nam *qui confidit in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur in ſeculum*, Pſal. 125. ſed juxta illum loquendi modum, *Qui comederit ex hoc pane vivet in æternum*, Joan. 6. h. e. non ſolùm in præſenti ſed in futuro. *Impii autem non habitabunt ſuper terram*] Improbi nè in hac terra quidem habitabunt, ſed, ut ſuperiùs dictum eſt, *ut turbo velociſſimè tranſibunt.* Et vel celerem mortem ſignificat, vel potiùs impiorum etiam in terra vitam non eſſe dicendam neque manſionem, cùm nullam certam normam aut vivendi legem ſequantur, ſed, ut inquit Eſaias c. 57. *Impii quaſi mare fervens.* Vel denique ſic intelligitur ut pendeat ex præcedentibus, *Spes impiorum peribit.* Nam cùm hic in terra felicitatem ſuam collocaverint, & jucundam hanc vitam ſibi polliceantur, ſpe ſua fruſtrati, nè in terra quidem habitabunt, vel ſemen non relinquent in terra.

31, 32. *Os juſti parturit ſapientiam, lingua pravorum peribit. Labia juſti conſiderant placita, & os impiorum perverſa.* Heb. *Os juſti loquetur ſapientiam, ſed lingua perverſitatum exſcindetur. Labia juſti cognoſcent voluntatem, ſed os impiorum perverſitates*] Juſtorum præmia & improborum ſupplicia diverſa hactenus recenſuit Salomon. Quorum cauſas partim ſuperiùs reddidit, nempe quòd ſcelus quaſi ridens perpetret ſtultus, vir intelligens nihil niſi maturo conſilio & ſapientiæ regulis agat. Partim hoc in loco, ſermonis virtutes & vitia nova commemorans, linguæ vel in primis ſapientem rationem habere oſtendit, ut qua commoda vel incommoda hominibus facillimè ingerimus. Obſervandum eſt verbum נוב, quod LXX. ἀποστάζει, *diſtillat*, Hieronymus *parturit*, alii *loquitur* tranſtulerunt, propriè *creſcere* aut *producere fructus* ſignificare: indè nomen ניב *fructus.* Quæ ſignificatio jucunda admodum Metaphora ad linguam transfertur. Senſus igitur erit, Non immeritò juſtus diu vivit fiduciamque habet bonam, neque commovebitur: nam admodum utilis eſt illius vita, ut putà cujus os ſapientiam profert ad eruditionem multorum: Juxta illud quòd ſuperiùs dixit, *Labia juſti paſcent multos*: q. d. Salomon, Præcepta ſapientiæ ex boni & juſti viri ore potiſſimùm hauriuntur. Nam os juſti producit ſapientiam, ut arbores novos fructus; & non ſolùm exemplo virtutis ſed linguâ quoque paſcet & ædificabit multos: lingua verò quæ loquitur ad ſubverſionem fidei & morum, exſcindetur. ¶ *Lingua pravorum peribit*] Vel, *lingua perverſitatum exſcindetur*, ut eſt in Hebræo. Cùm fructus non proferat, tanquam arbor non inutilis ſolùm ſed pernicioſa, cùm loquatur contraria ſapientiæ & veritati. Et verbum *exſcindetur*, ſicut & alia præcedentia, poſſunt intelligi bene vel malè ominantis: q. d. *utinam exſcindatur.* Utriuſque rationem & cauſam in ſequenti verſiculo reddit, Nempe, *Labia juſti conſiderant*] vel, ut eſt in Hebræo, *cognoſcunt*: h. e. Oſtendit juſtus ex ſermone ſe cognoſcere quod placet: ſed improbi, quemadmodum contraria ſentiunt & volunt, ità contraria loquuntur. Aliter, *Labia juſti noverunt voluntatem ſuam*; h. e. Non aliter loquitur quàm ſentiat & velit, ſed ex bona radice bonos fructus facit: improbus verò contraria loquitur his quæ ſentit, ut neque in corde neque in ore veritatem habeat.

LUCAS BRUG.

POſt verſum hujus capitis quartum multi Latini libri hoc Proverbium habent, *Qui* * *nititur*] * *autem* 6 MS. *innititur* 3 *MS.*] *mendacis, hic paſcit ventos* [*ventum* 1 MS.] *idem autem ipſe ſequitur* [*perſequitur* 1 MS.] *aves volantes*: id quod prætermittunt antiqui codices Hugonis Cardinalis, antiqui Epanorthotæ, antiqui F. Dominicanorum, qui ante annos 300. ex codicibus Caroli Magni juſſu conſcriptis, Biblia, aut Bibliorum partem, in Francia emendarunt; quidam Lugdunenſium, quidam Pariſienſium, octo Hentenii, & novem noſtri. Richelius cum Lyrano exponit: Beda presbyter, cujus eſſe nos cum multis doctis viris exiſtimamus eum commentarium qui in D. Hieronymi operibus exſtat, non agnoſcit. Hugo Cardinalis aliis hujus loci parabolis ſimilem non eſſe judicat. Græca pleraque antigrapha ſcribunt, non quidem hoc, ſed ſuperiori capite: Hebraica verò & Chaldaïca & Græca Regiæ editionis neque hoc neque illo capite legunt. Habent autem Græca illa pleraque antigrapha hunc ad modum, *ὃς ἐρείδεται ἐπὶ ψεύδεσιν, οὗτος ποιμανεῖ ἀνέμους, ὁ δ' αὐτὸς διώξεται ὄρνεα πετόμενα·* unde patet Latinè non legendum eſſe *ſpargit*, quo modo exemplar quoddam habuit, ſed *paſcit*; nec ſcribendum eſſe, *id eſt*, quæ quorundam ſcriptura eſt, ſed *idem*, ut quidam, vel *idem ipſe*, ut alii, vel *idem autem ipſe*, ut denique alii habent. Decimo capite legunt Græci libri, illius ſententiæ loco, aliam (decimo enim capite conſtanter legitur: nono autem ab emendatoribus, Vaticano & Complutenſi, omittitur) quæ hujuſmodi eſt *υἱὸς πεπαιδευμένος σοφὸς ἔσται, τῷ δὲ ἄφρονι διακόνῳ χρήσεται·* quam Hebraïca, Chaldaïca & Latina exemplaria concorditer conſtanterque, cùm nono tum decimo capite, prætereunt. Porrò D. Auguſtinus, qui ex Græco verſâ editione eſt uſus, & hanc & priorem illam citat; hanc lib. 5. in Julianum cap. 10. & lib. 16. De civitate Dei cap. 2.

Filius

Filius eruditus ſapiens erit: imprudente autem miniſtro utetur; illam lib. 3. Contra Creſconium cap. 9. *Qui fidit in falſis, hic paſcit ventos.*

DRUSIUS.

3. לֹא־יַרְעִיב. S. Th. ὀ λιμαγχονήσει, *non necabit fame*] Propriè *non ſtrangulabit*, aut *ſuffocabit*, *fame*. Nam *fame necabit*, i.e. λιμοκτονήσει. Quo verbo uſi ſunt h. l. LXX. Dicimus autem λιμαγχονάω & λιμαγκίω & λιμαγχονέω.

5. אֹגֵר בַּקַּיִץ בֵּן מַשְׂכִּיל. S. Συνάξας ἐν ἀμητῷ υἱὸς Φρόνιμος, *Congregans in meſſe filius prudens.* ¶ בֵּן מֵבִישׁ. A. υἱὸς αἰσχύνης, *filius pudoris*, i.e. pudendus.

6. חָמָס. A. S. ἀδικίαν, *injuſtitiam.* Th. ἁρπαγὴν, *rapinam.*

7. לִבְרָכָה. A. εἰς εὐλογίαν, *in benedictionem.* ¶ יִרְקָב. A. S. σαπήσεται, *putreſcet.*

8. יִלָּבֵט. A. δαρήσεται, *verberabitur.* S. βασανισθήσεται, *torquebitur.* Th. Φυρήσεται, *fœdabitur*] Δαρήσεται, *vapulabit*, fut. 2. paſſ. à δέρω, *verbero*, *cædo.* Hieron. *cæditur.* ¶ *Fœdabitur*, vel *inquinabitur.* Licet etiam vertere *turbabitur.*

9. בַּתֹּם. A. S. ἁπλότητι, *in ſimplicitate*] Puto leg. ἐν ἁπλότητι, *ſimpliciter.* ¶ מְעַקֵּשׁ. S. ςρεβλῶν, *diſtorquens.*

11. פִּי צַדִּיק. A. S. ςόμα δικαίȣ, *os juſti.*

12. מְדָנִים. S. Th. μάχας, *pugnas.* ¶ אַהֲבָה. A. S. ἀγάπη, *charitas.*

13. בְּשִׂפְתֵי נָבוֹן תִּמָּצֵא חָכְמָה. A. S. Th. Ἐν χείλεσι σοφȣ̃ εὑρεθήσεται σοφία, *In labiis ſapientis invenietur ſapientia*] Malim *intelligentis.* ¶ וְשֵׁבֶט לְגֵו חֲסַר־לֵב. Th. καὶ ῥάβδος ἐν νώτῳ ὑςερȣμένȣ καρδίας, *& virga in tergo deficientis corde.*

14. יִצְפְּנוּ־דָעַת. A. συγκρύψȣσιν γνῶσιν, *abſcondent ſcientiam.*

15. עֻזּוֹ. Th. κράτȣς αὐτȣ̃. ¶ מְחִתַּת דַּלִּים. Schol. δειλία ἀσεβῶν, *timiditas impiorum*] Ineptum ſcholion. Nam ἀσεβῶν, i.e. רשעים. דלים potiùs ſig. *tenues* aut *pauperes.* Pſal. 82. 3. דל. A. ἀραιὸς, *tenuis.* S. ἄγονος, *ſterilis.* Th. πτωχὸς, *pauper.* Job. 5. 16. A. ἄτονος, *invalidus*, *infirmus*, *languidus.* S. πτωχὸς, *pauper.*

16. תְּבוּאַת רָשָׁע. A. S. Th. γεννήματα, *proventus.*

17. אֹרַח לְחַיִּים שׁוֹמֵר מוּסָר. S. Τρίβος εἰς ζωὴν Φυλασσόντων παιδείαν, *Callis ad vitam cuſtodientium diſciplinam.* Schol. Ὁδὸς ζωῆς Φυλάσσει ἀκάκȣς, *Via vitæ cuſtodit minimè malos.* ¶ וְעוֹזֵב תּוֹכַחַת. A. S. Th. ὁ δὲ ἐγκαταλιμπάνων ἐλέγχȣς, *qui autem derelinquit reprehenſiones.*

18. שִׂפְתֵי־שָׁקֶר. A. Th. χείλη ψεύδȣς, *labia mendacii.* S. ἄδικα, *iniqua.* ¶ דִבָּה. A. Th. ψόγου, *vituperium*] Pſal. 31. 13. דבה. LXX. ψόγος, *vituperatio.* Lex. V. Ψόγος, *vituperatio*, *culpa.* Lexica vulgata, *Reprehenſio*, *vituperium.* דבה nomen eſt medium: nam & in bonis ponitur & in malis. Samariticum apud Davidem pro eo habet, Ὄνειδος, *dedecus*: quod etiam eſt ἐκ τῶν μέσων· nam legimus καλὸν ὄνειδος apud Euripidem.

19. פֶּשַׁע. S. παράπτωμα, *lapſus*] Vel *erratum.*

20. נִבְחָר. A. S. Th. ἐκλεκτός, *electum.* ¶ כִּמְעָט. A. ὡς ὀλίγον. Sym. εὐτελὴς, *leve.* Th. ὡς μικρὸν, *parvi eſt.*

21. יִרְעוּ רַבִּים. A. ποιμαίνȣσι πολλȣ̀ς, *paſcunt multos.* ¶ בַּחֲסַר־לֵב יָמוּתוּ. A. ἐν ἐνδείᾳ καρδίας ἀποθανȣ̃νται, *cum defectu cordis morientur*] *Inſipientiâ*, *vecordiâ.*

23. כִּשְׂחוֹק לִכְסִיל עֲשׂוֹת זִמָּה. A. ὡς γέλος τῷ ἀνοήτῳ ποιῆσαι ἀνομίαν, *quaſi riſus eſt amenti facere iniquitatem.*

25. וְצַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם. A. S. Th. ὁ δὲ δίκαιος θεμέλιος αἰώνιος, *Juſtus verò eſt fundamentum æternum.*

28. תּוֹחֶלֶת צַדִּיקִים. Th. προσδοκία δικαίων, *exſpectatio juſtorum.* A. καραδοκία, *ſolicita exſpectatio.* S. ὑπομονὴ, *tolerantia*, vel potiùs *patiens exſpectatio*, ut cùm ſpe præmii in malis duramus, noſque rebus melioribus ſervamus.

29. מָעוֹז. S. Th. κραταίωμα, *firmamentum.* ¶ לַתֹּם. A. τῷ ἁπλῷ, *ſimplici.* S. Th. τῷ τελείῳ, *perfecto.* Alius Interpres τῷ ἀκάκῳ, *minimè malo.* ¶ מְחִתָּה. S. δειλεία, *timiditas.*

30. בַּל־יִמּוֹט. A. ȣ̓ μὴ σφάλῃ, *non labetur.* S. Th. ȣ̓ σαλευθήσεται, *non commovebitur.*

32. יֵדְעוּן. A. Th. γνώσονται, *cognoſcent.* Schol. ἐπίςανται, *ſciunt.* ¶ תַּהְפֻּכוֹת. Schol. καταςραφήσεται, *ſubvertetur.*

GROTIUS.

7. NOmen *impiorum putreſcet*] Frequens in ore Hebræorum ſententia, quod breviatum ſic ſcribunt. ש. ר. י.

12. *Univerſa delicta operit charitas*] Condonat quidquid condonari poteſt, 1 Petri 4. 8. 1 Corinth. 13. 7.

25. *Juſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum*] Aquila, Symmachus, Theodotion, ὁ δὲ δίκαιος, θεμέλιος αἰώνιος. Maimonides intelligit *fundamentum mundi*; & dicit *mundum ſtare ob juſtos.*

CAP. XI.

MUNSTERUS.

2. QUando *venit ſuperbia*] Hebræi interpretantur זדון pro *homine ſuperbo*: is cùm ſurrexerit vel in Magiſtratu vel alio officio, ſequitur eum ignominia, cùm nihil gerere poſſit cum populi commodo. Vel, Ubi eſt homo ſuperbus, illic cæteri homines ab eo deſpiciuntur, ut ipſe ſolus aliquid eſſe videatur.

7. *Exſpectatio confidentium*] Quidam exponunt אונים pro בעלי און וחמס *iis qui injuriam & vim fecerunt proximo*; alii pro כסון, ſicut nos vertimus.

11. *Propter benedictionem rectorum*] Hæc ſententia ferè eſt eadem cum mox præcedenti, & eſt ſenſus, Reſpublica ſalva & felix eſſe non poterit niſi acceſſerit benedictio & bonitas Dei. Et quando Deus punire vult populum propter peccata ſua, dat ei inutiles Magiſtratus, qui verbis & conſiliis iniquis atque dolis evertunt Civitates & Regna.

12. *Tacet*] h. e. Non viciſſim reſpondet ſtulto juxta ſtultitiam ejus.

14. *Cadit populus*] Hebræi docent hanc ſententiam potiſſimùm intelligendam de bello, in quo niſi omnia cautiſſimè agantur populus cadit in manus hoſtium.

15. *Qui odit ſtipulatores*] h. e. Qui non ſpoſponderit pro alieno, ille ſecurè habitat. Monet autem, Pro alieno & quem non novimus non fidejubendum, nè incidamus in manus בלוה *creditoris.*

16. *Mulier*] Senſus eſt, Mulier quæ propter probitatem vitæ omnibus grata eſt, relinquit poſt ſe nomen glorioſum; & qui in ducenda uxore magis ſpectant ad divitias quàm ad probitatem vitæ, *nebulones* ſunt: id enim ſignificat עריצים.

21. *Quando plaga ſuper plagam venit*] Quidam ſic vertunt h. l. *Quando ſubitò immittuntur mala à Deo, impius non innocens erit, nec evadet malum illud*, ut ſit יד ליד idem quod כיר. Alii ſic intelligunt, *Quando impii manus jungunt*, i. e. auxilia conferunt, *non evadent malum.*

22. *Monile aureum*] Monet hîc Sapiens, mulieres magis ornari bonis moribus quàm formâ. Pro סרת טעם Hebræi intelligunt אשה כסלה *mulierem ſtultam, & quæ caret prudentia.* Ut enim ſus monile fœdat in luto, ità quoque ſtulta mulier abutitur pulcritudine ſuâ, ut verè plumbeus gladius ſit in aurea vagina, ſicut in proverbio dicitur.

24. *A recto*] Senſus eſt, Qui de ſuo aliis nihil largitur, privabitur etiam re quam poſſidere videtur. Quod quidam dictum volunt de exterioribus bonis, alii de eruditione & doctrina. Qui autem eſt *homo benedictionis*, h. e. qui liberaliter aliis tribuit, is *impinguatur* & cumulatur variis bonis.

25. *Etiam ipſe inebriabitur*] Kimhi ſic vertit, *etiam ipſe vocabitur pluvia animam irrigans.*

27. *Qui manè quærit bonum*] Alii ſic putant hunc verſum juxta Hebraïſmum vertendum, *Qui manè quærit bonum, is occupatur in rebus quæ Deo placent.*

29. *Qui perturbat domum ſuam*] h. e. Qui dilapidat bona ſua, hic *ventum* inanem *poſſidebit*, & cogetur eſſe *ſervus prudentioris ſe.*

31. *Juſtus in terra remuneratur*] h. e. Deus plerumque bonis in hac vita largitur præmia, & ſimiliter malis ante mortem reddit commeritam pœnam: vel, Deus punit juſtos quando vel leviter peccant, quantò magis impiis reddet vicem, qui ſine ullo fræno labuntur in ſcelera?

VATABLUS.

1. ET *pondus*, &c. ואבן שלמה רצונו] Ad verb. *Et lapis perfectus* [vel *integer*] *beneplacitum ejus*: i. e. placet ei pondus juſtum. Olim lapillis utebantur vice ponderum.

2. *Superbia* זדון] *Superbus*, ſub. *vir.* Hebraïſmus, pro *Ubi faſtus eſt, ibi & contumelia*, ſive *ignominia*: vel, *Superbiæ comes eſt ignominia.*

3. *Perfectio* תמת] *Integritas vitæ*, *Probitas.* ¶ *Deducit eos* תנחם] *Diriget eos*, in hac ſcilicet vita. Futura Heb. pro præſentibus, ut & in ſequentibus.

5. *Perfecti* תמים] *Integri*, ſub. *vitâ*: vel *probi.* Vide v. 20.

6. *At propter pravitatem* ſuam ובהות] *At in prævaricatione* ſua.

7. *Iniquorum* אונים] Ità vertimus ab און *iniquitas*. Alii, *mendacium*, ſub. *hominum*: Alii און pro הון accipientes vertunt *divitiarum*, i. e. amicorum qui exſpectant divitias poſt mortem impii. Juxta hanc ſignificationem quidam vertunt *confidentium in divitiis*. Significat etiam *lugentes*, ut legamus, *exſpectatio*, ſive *ſpes lugentium*, ſub. *propinquorum impii*, *ob ejus mortem*.

8. *Loco ejus* תחתיו] Ad verb. *pro eo*: i. e. ſuccedit in locum ejus, & pro eo perit.

9. *Corrumpit* ישחית] Futura Heb. pro præſ. etiam ſequentibus verſibus: *Perdit*, *evertit*, *lædere ſolet*. ¶ *Eruuntur* יחלצו] *Eripientur*, nè ſcilicet decipiantur ab hypocrita.

10. *Felicitate* בטוב] Ad verb. *In bonitate*. i. e. *Cùm bene eſt juſtis*, ut quidam vertunt: vel, *Proſperitate juſtorum*.

11. *Propter benedictionem rectorum* בברכת ישרים] i. e. Ob benedictionem quâ Deus benedicit civitati propter juſtos.

12. *Deſpicit amicum ſuum* בז לרעהו] *Infamat ſocium ſuum qui mentis captus eſt*. ¶ *Intelligens* תבונות] Ad verb. *intelligentiarum*. ¶ *Tacet* יחריש] Fut. Heb. pro præſ. i. e. proferre ſolet, ſive tegit probra.

13. *Qui ambulat fraudulenter* הולך רכיל] *Qui ambulat* in *delatione*: i. e. qui agit delatorem. Vel, *Ambulat* in *delatione* qui *revelat ſecretum*. Alii, *Verſutus*, ſive *ſuſurro*, *qui ambulat*, ſub. *in domum alterius*, *ut quicquid audierit*, *revelet*.

14. *Cùm non fuerint conſilia* באין תחבלות] Ad verb. *Sine induſtriis*: i. e. ſine varia & multiplici induſtria: h. e. ſine gubernatione.

15. *Contritione conteretur* רע ירוע] Sub. *homo*, *quia*, &c. Alii vertunt, *Malus confringetur*, *quia*, &c. Alii, *Malè affligitur qui*, &c. ¶ *Stipulantes* תוקעים] i. e. Eos qui contactu manuum aut alios, aut ſe obligant & obſtringunt.

16. *Mulier gratioſa*, &c. אשת חן תתמך כבוד] Ad verb. *Mulieri gratia adhærebit gloria*. i. e. Mulier quæ gratioſa eſt & modeſta, tuetur gloriam, ſive retinet. ¶ *Et fortes*, &c. ועריצים יתמכו עשר] Ad verb. *& robuſtis adhærebunt divitiæ*. Alii, *ſeveri apprehendent* [vel, *rigidi aſſequentur*] *divitias*. *Fortes* ſive *robuſtos* vocat eos qui animo ſunt infracto, & patientes laboris.

17. *Retribuit*, &c. גומל נו'] *Benefacit ſibi vir miſericordiæ*: ſive, *miſericors in alios*. Alii, *Ablactat deſiderium ſuum*: i. e. defraudat. q. d. Beneficus ſive miſericors ſuum ipſius genium defraudat, ut benefaciat proximo. ¶ *Turbat autem carnem ſuam* ועוכר שארו] *Vexat autem carnem ſuam*, i. e. ſeipſum. Vel, affligit proximum ſuum, quòd non miſereatur ejus, ſed claudat ei viſcera ſua.

18. *Mendax* שקר] Ad verb. *mendacii*: i. e. irritum, aut fallax. Alii, *prævaricationis*; vel *contemptûs*. ¶ *Stabilis* אמת] Ad verb. *veritatis*: i. e. fidelis, & certa, ſive perpetua aut ſolida.

19. *Sic juſtitia* כן צדקה] i. e. Hâc ratione juſtitia deducit ad vitam, ſive affert vitam. Alii, *Sicut juſtitia* perducit *ad vitam*, ità *qui ſectatur*, &c. Alii, *Firmum quiddam eſt juſtitia*. Alii, *Rectus juſtitiâ*. ¶ *Ad mortem ſuam* למותו] Sub. *id facit*: i. e. mortem ſuam ſectatur, ſive accerſit ſibi mortem.

20. *Et perfecti*, &c. ורצונו תמימי דרך] *Et beneplacitum ejus ſunt integri viâ*: vel *immaculati*, aut *perfecti*: i. e. delectatur integris. Quidam, *& juxta beneplacitum ejus* agunt *qui integra ſunt converſationis*. Variè vertitur תמם, aliquando *perfectus*, aliàs *integer*, nonnunquam *innocens*, aliàs *immaculatus*, & etiam *probus*: ſignificat verò *incorruptum*, *non vitioſum*: ut ſi quis dicat *pecudem ſine vitio*, *ſine morbo*, *nullâ parte mutilam*, *ſed integram & ſanam*: talem agnum eligi jubebat Dominus. Hoc dictum eſt ut rectè intelligi poſſit vocabulum.

21. Etiamſi *manus ad manum* יד ליד] Hebraïſmus eſt, q. d. Quantumvis conveniat inter illos, & datis dexteris ſeſe conſocient, ut adverſitatibus occurrant, nè affligantur, punientur tamen. Manus enim inſtrumentum auxilii eſt. Quidam dicunt hâc loquendi formulâ ſignificari accelerationem, vertentes, *Mox mox*, ſive *eveſtigio*, *reus erit apud Deum malus*: hoc eſt, ſtatim ut malum fecerit, punietur à Deo. Quidam vertunt, *Etiamſi plaga ſuper plagam venerit*, *non emendatur malus*.

22. *Et deficiens conſilio* וסרת טעם] Ad verb. *recedens à ſenſu*, id eſt, conſilio & ſapientia. Alii vertunt, *deficiens ratione*.

23. *Furor* עברה] *Indignatio*, *excandeſcentia*.

24. *Qui diſpergit* מפזר] *Qui liberaliter profundit*, [*qui largitur*] *nihilominus augeſcunt res ejus*. ¶ *Plus æquo* מישר] Ad verb. *à rectitudine*: i. e. plus æquo, ſive plus ſatis. ¶ *Sed ad inopiam* אך למחסור] *Veruntamen*, [vel, *certè*] *ad egeſtatem*: i. e. penuriâ & egeſtate opprimitur.

25. *Quæ benedicit* ברכה] Ad verb. *benedictionis*: i. e. liberalis. Hebraïſmum ſic quidam Latinè reddunt, *Qui munificus eſt*, *auctior reddetur*. Alii, *Qui liberalis eſt ac beneficus*, *id commodo ſuo facit*: nam majora beneficia à Deo accipere ſolet. ¶ *Et qui ſatiat*, &c. ומרוה גם הוא יורא] *Et inebrians* [ſive *irrigans*, ſub. *pauperes*,] *etiam ipſe pluvia*, ſub. *eſt*, vel *vocabitur*: i. e. erit vice imbris & pluviæ: nam ut pluvia inebriat terram, ac ſatiat eam, iidem & ipſe animam pauperum inebriat atque ſatiat. In יורא ponitur א pro ה, tametſi nonnulli codices habeant ה, & *pluviam* ſignificat. Quidam Hebræorum per Metaphoram מורה accipientes, & יורא tanquam tertiam perſonam futuri Hiphil, vertunt, *Et qui docet*, *ipſe quoque docebit*, ſub. *ſeipſum*.

26. *Prohibenti* מנע] i. e. Non communicanti. ¶ *Vendentis frumentum* משביר] q. d. *Frumentantis*.

27. *Qui quærit bonum* שוחר טוב] *Qui manè quærit bonum*. Alii, *Qui maturè ſectatur bonum*. ¶ *Benevolentiam* רצון] *Favorem*, *beneplacitum*. ¶ *Eveniet ei* תבואנו] *Obveniet ei*. Affixum pronomen pro תבוא אליו.

28. *At tanquam frons* וכעלה] i. e. Velut arbor frondibus ornata.

29. *Hæreditate accipiet ventum* ינחל רוח] *Erit hæres venti*: i.e. dilapidans rem familiarem, nihil tandem eſt habiturus. ¶ *Et ſtultus*, &c. ועבד אויל] *Et ſervus ſtulti*, erit ſervus *ſapienti corde*: i. e. quicquid ſtultus poſſidet, habiturus eſt ſapiens. Quidam, *ſervus ſtulti ad ſapientem corde* tranſit.

30. *Et qui docet* ולוקח] *Et qui capit*: i. e. qui ineſcat animos hominum ut Deo ſerviant.

31. *Reddetur* ישלם] *Remuneratio* [vel *retributio*] *dabitur*: i. e. punietur ob peccatum. Quidam, *juſtus in terra retributionem capiet*.

CASTALIO.

15. QUi *verò fidejuſſores odit*] A fidejubendo abſtinet. 17. *Bene de ſeipſo meretur homo benignus*] Beneficentia eſt illiipſi utilis qui benefacit.

21. *Manus manum comitans*] Conſpirantes inter ſeſe improbi.

25. *Qui irrigat*] Beneficia confert.

26. *Far*] Annonam.

29. *Qui fortunas ſuas conturbat*] Decoctor. ¶ *Servietque ſtultus cordato*] Suâ ſtultitiâ redigetur in ſervitutem, decocto patrimonio.

CLARIUS.

2. UBi *fuerit ſuperbia*] Superbum hominem comitatur contumelia vel ignominia, quia cùm in Magiſtratu & officio aliquo eſt, nihil agere poteſt cum populi commodo. Vel, Ubi eſt homo ſuperbus, illic cæteri homines ab eo deſpiciuntur, ut ſolus ipſe aliquid eſſe videatur.

8. *Traditur impius pro eo*] Vel, *venit impius in locum ejus*: ut ſit ſenſus, Juſtus emerget à malorum fluctibus: at in ea mala quaſi ſuccedens impius immergetur, neque erit qui opem ferat.

9. *Juſti autem liberabuntur ſcientiâ*] h. e. Scientes juſti viam prudentiæ & pietatis liberabuntur ab hoc malo, & illud vitabunt.

11. *Benedictione juſtorum*] Hæc ſententia ferè eſt eadem cum præcedenti; & eſt ſenſus, Reſpublica ſalva & felix eſſe non poterit niſi acceſſerit benedictio & bonitas Dei. Et quando Deus ulciſci vult populum ob peccata eorum, dat eis inutiles Magiſtratus, qui conſiliis iniquis ac dolis evertunt Civitates ac Regna.

12. *Vir prudens tacebit*] h. e. Non viciſſim reſpondet ſtulto juxta ſtultitiam ejus.

14. *Populus corruet*] Hebræi docent hanc ſententiam potiſſimum intelligendam de bello, in quo niſi omnia cautiſſimè agantur, populus cadit in manus hoſtium.

15. *Odit ſtipulatores*] h. e. Qui non ſpoponderit pro alieno, ille ſecurè habitat. Monet autem, Pro alieno, & quem non novimus, non fidejubendum, nè incidamus in manus creditoris.

16. *Mulier gratioſa*] Mulier quæ ob probitatem vitæ omnibus grata eſt, reliquit poſt ſe nomen glorioſum, at qui in ducenda uxore magis contemplantur divitias quàm probitatem vitæ, *nebulones* ſunt, quos Interpres *robuſtos* vocavit. Nam vox Hebræa ſignificat quidem *robuſtos*, ſed in malum.

21. *Manus in manu*] Quod alius vertit *mox mox*, qui Hebraiſmus

braiſmus

braïſmus vulgò etiam apud nos tritus eſt, cùm dicere ſolemus *ad manum*, *ad manum*, h. e. jam jam. Ait ergò ſi paulìſper exſpectaveris, videbis malum hominem non abire inultum; hoc enim eſt quod ait, *non erit innocens.* Conſuevit enim Scriptura uti *innocente* pro *inulto*, ut ſit antecedens pro conſequente; quod & Latini interdum faciunt.

22. *In naribus ſuis*] In naribus porci. Monet hic Sapiens, mulieres magis ornari bonis moribus quàm formâ. Nam forma cui deſit prudentia eſt *tanquam annulus aureus in naribus ſuis.* Sus enim aurum illud fœdat in luto, ſic ſtulta mulier abutitur pulcritudine ſuâ, ut verè plumbeus gladius ſit in aurea vagina, ut in proverbio dicitur.

24. *Qui autem parcus eſt*] h. e. Qui de ſuo aliis nihil largitur, privabitur etiam eâ re quam poſſidere videtur.

27. *Bene conſurgit*] Rectiùs ſit, *Qui manè quærit bonum, quærit favorem.* Et videtur is eſſe ſenſus, Citò eum aſſecuturum bona qui ea quærit.

29. *Qui conturbat domum*] h. e. Qui dilapidat bona ſua, hic *ventum poſſidebit*, h. e. inanis erit, & cogetur eſſe *ſervus prudentioris ſe*

30. *Qui ſuſcipit animas*] Videlicet *erudiendas.*

31. *Si juſtus in terra recipit*] Si Deus *punit juſtos* cùm vel leviter peccant, quantò magis impiis tandem aliquando reddet vicem, qui ſine ullo fræno labuntur in ſcelera?

R. BAYNUS.

1. S*tatera doloſa abominatio eſt apud Dominum, & pondus æquum voluntas ejus.* Heb. *Et lapis perfectus voluntas ejus*] In hoc capite varias juſtitiæ ſpecies cum vitiis contrariis proponit nobis Salomon. Injuriarum & fraudis multa ſunt genera; inter quæ Domino maximè diſplicet fraus illa quæ ſub ſpecie juſtitiæ & æquitatis committitur, quando videlicet iniquis ponderibus & doloſis utuntur rerum venditores. Res eſt magìs horrenda quòd in multitudinem peccatur, præſertim in pauperes, qui minutim res neceſſarias comparant; & quòd hujuſmodi fraudem rariùs deprehendant aut corripiant Magiſtratus Reipub. Idcirco Dominus exſecratur eam cui vehementer arridet *lapis*, ut eſt in Hebræo אבן שלמה, h. e. *pondus perfectum & juſtum.* Ad omnia commercia emptionis & venditionis referri debent, & ad quoſcunque contractus, in quibus quod ſibi fieri vellit unuſquiſque facere debet aliis, & Lydio uti lapide, non Lesbiâ regulâ. Quòd ſi ad judicia publica privataque referri volumus, juxta Bedam, latiſſimè patebit interpretatio: latiùs autem, ſi ad omnia referatur officia quæ invicem debent homines præſtare.

2. *Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: ubi eſt humilitas, ibi ſapientia.* Heb. *Venit ſuperbia, & veniet ignominia; ſed cum manſuetis ſapientia*] Diſtinguit proverbium inter ſapientiam hujus mundi, quæ cum arrogantia conjuncta eſt, & ſapientiam veram, quæ ſemper humilitati eſt annexa. Ben-Hezra intelligit *vir ſuperbiæ*, h. e. ſuperbus, qui (ſi quis alius) procul eſt à ſapientia, quæ dicit, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matth. 11. Superbus verò, ubicunque venerit, alios præ ſe contemnit, cùm ipſe ſit maximè contemnendus, qui conditionem ſuam non novit, qui ſe ex eodem pulvere conditum & in eundem pulverem cum aliis reverſurum non meminerit, ſed ſublimes animos & ſpiritus concipit, quòd vel corporis vel ingenii viribus vincat alios, quòd opibus aut quacunque dote vulgus ignobile videatur ſuperare; & cum contumelia & contemptu primos accubitus curat in cœnis, &c. quibus in rebus mera eſt ſtultitia. *Sapientia verò cum manſuetis & humilibus manet*, qui æquo animo tolerant injurias ſuperborum. Cujus rei exemplum habemus Dei Sapientiam Chriſtum Dominum, quæ non à ſuperbis Judæis ſed *à filiis ſuis juſtificata eſt*, Matth. 11.

3. *Simplicitas juſtorum diriget eos, & ſupplantatio perverſorum vaſtabit illos.* Heb. *Perfectio rectorum ducet eos, & perverſitas prævaricantium perdet eos*] Non ſolùm virtutis laudem & vitiorum reprehenſionem proſequitur Salomon, ſed ſubinde præmia proponit & ſupplicia, ut vel terrore diſcant ſapere imperiti rerum. De Fraude quæ menſuris ac ponderibus fit in damnum pauperum, deinde de Superbia quâ manſueti contemnuntur, priùs dictum eſt; quibus rebus per fas vel nefas multa lucrari videntur homines, honores videlicet ac divitias, ſed vanos omnino & fallaces. Multò ſatius eſt æquitatem ſervare per rectam Legis obſervantiam. Nam integritas vitæ & puritas abſque macula perpetuò ducet eos qui recti ſunt, qui non declinant neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, utrinque contraria relinquentes vitia; hæc, inquam, integritas & perfectio dux erit & comes his qui omni obliquitate carent, qui non ſolùm juſto pondere ſed recto & juſto judicio unicuique quod ſuum eſt reddunt. Integritate duce magnâ ſecuritate per hanc ærumnoſam vitam ad feliciſſimam illam ducentur. E regione *ſupplantatio perverſorum* (בגדים Heb. i. e. *qui fallunt*, vel *tranſgrediuntur*) *vaſtabit eos*, vel *perdet eos*; idque juſto Dei judicio. Nam qui Legem prævaricantur & tranſgrediuntur perverſitate quacunque, tandem ipſi peribunt eâdem fraude quam conabantur aliis inferre. Et jam non qui patitur ſed qui facit injuriam damnum indè capit, frequentiſſimè in hac vita præſente, in futura ſemper niſi reſipiſcat. Nunc qui ponderibus iniquis fraudem facit, non uni homini, ſed Reipub. & omnibus civibus, non aliud lucrum ſupputat quàm illud quod eum in perditionem detrudet: tantum abeſt ut ex divitiis malè partis ſolatium habeat. Et hoc eſt quod ſequitur,

4. *Non proderunt divitiæ in die ultionis, ſed juſtitia liberabit à morte.* Heb. *In die indignationis*] Tacitè occurrit objectioni malorum, qui divitiis quacunque arte acquiſitis tutos ſe fore putant *in die ultionis*, vel *indignationis*, cùm vel in hac vita vel in futura de prævaricatoribus ſit ſumendum ſupplicium. *Non proderunt*, inquit, *opes* malè congeſtæ, quibus ſententia juſti Judicis nequit flecti: ſed iram provocabunt tanquam criminum teſtes. ¶ *Sed juſtitia liberabit à morte*] Si mortem times corporis vel animæ, juſtitiam ama, quam Chriſtus de cœlis in terram deduxit, & cujus omnes homines participes eſſe voluit per fidem & imitationem. Illa ſola mortis & vitæ habet imperium; ſola ſententiam olim latam, Gen. 2. *Quacunque die comederis, morte morieris*, poterit revocare, & à morte corporis, qui ſomnus potiùs dicendus eſt, poſt depoſitam mortalitate in immortalem vitam reſtituet. Juſtitiæ & æquitati vacandum docet Proverbium, non cumulandis opibus; vel potiùs, opes per eleëmoſynas inſumendas. Nam meâ quidem ſententiâ hoc in loco *juſtitia* pro *eleemoſyna* capitur, ut alibi frequenter: & ſic ſecunda particula verſiculi priori reſpondebit, & erit ſenſus, *Divitiæ non eripient in die tremendi judicii & indignationis*, divitiæ vel malè partæ, vel cum avaro animo ſervatæ; *ſed ſi ex divitiis juſtè acquiſitis facias tibi amicos, illi te recipient in æterna tabernacula*, Luc. 16. Nam ut aqua exſtinguit ignem, ità eleëmoſyna ſupplicium peccati debitum, & Judicis iram placat faciliùs quam alia pietatis opera.

5. *Juſtitia ſimplicis diriget viam ejus, & in impietate ſua corruet impius.* Heb. *Juſtitia integri diriget viam ejus, & in impietate ſua corruet impius*] Nè quis Sapientis verba perversè interpretatus, ſufficere putet divitias bene diſpenſare, neque de reliquis virtutibus curam ullam habendam, *juſtitiam*, inquit, intelligimus eorum qui reliquâ vitâ ſunt *ſimplices*, vel *integri* ſine macula. Talium enim *juſtitia eripit à morte*, neque ſolum *à morte liberat*, ſed ad reliquam *vitam dirigendam* juvat. Nam cùm ea ſit humana fragilitas ut quamvis hodie perfectus & integer ſit, illius perfectionis tamen nulla eſt ſecuritas. Verùm juſtitia de qua locuti ſumus ſolet perfectorum & innocentium hominum vias dirigere, nè in aliquam hujus vitæ obliquitatem incidant. Contrà, *In impietate ſua corruet impius*] Vel *improbus per improbitatem cadet in aliam improbitatem.* Nam veluti catenulâ quadam connectuntur iniquitates & vitia, juxta illud Iſa. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis.* Aliter, *Quemadmodum juſtitia perfecti diriget viam ejus*, ut rectè & inoffensè progrediatur in hoc mundo, & tendat ad finem deſtinatum; *ſic improbus per ſuam improbitatem corruet*, & non pertinget ad finem ſibi propoſitum, h. e. proſperitatem quandam in hac vita diuturnam. Prior expoſitio magis placet.

6. *Juſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidiis ſuis capientur iniqui.* Heb. *Sed in perverſitate tranſgreſſores capientur*] Duæ voces Hebræorum תם *perfectus* & ישר *rectus* ſic diſtingui poſſunt ut prior ad innocentiam referatur, quæ *ſine macula* eſt; & non ſolum de homine dicitur, quantum ad corpus & quantum ad intellectum, ſed etiam de cæteris animantibus: ſecunda verò magis ad cogitationum vel operum moderationem refertur; ut *rectus* dicatur homo qui ſuam vitam juxta Dei legem, in qua nulla eſt obliquitas, dirigit. Porrò *juſtitiam* intelligimus vel pro ſpecie illa quâ quis bene & juſtè divitias comparat & diſpenſat, ut ad ſuperiora referatur; & erit ſenſus, *Eleëmoſyna rectorum*, h. e. rectâ intentione cum cæteris circumſtantiis collata, *liberabit à morte: ſed tranſgreſſores Legis in inſidiis capientur*: בהות *in pravitate.* Qui pravè & obliquè Legem intelligunt & tranſgrediuntur, illâ *obliquitate capientur*, h. e. vel conſcientiâ ſcelerum, vel pœnis à Lege præſcriptis. Aliter poſſumus per *juſtitiam* integritatem vitæ & merita operum intelligere, quibus rectè viventes in hac mortali vita diriguntur, & tandem ab æterna morte liberantur: *ſed impii* (ſive *improbi*) *in inſidiis capientur*, veluti laqueis & funibus peccatorum, quibus in æterno ſupplicio & carcere ſunt ligandi. Locus eſt moralis, virtutis præmium & iniquorum continens ſupplicium.

7. Mortua

7. *Mortuo homine impio nulla erit ultrà ſpes, & exſpectatio ſolicitorum peribit.* Heb. *In morte hominis improbi peribit ſpes, & exſpectatio divitiarum periit*] Hunc verſiculum longè aliter habet antiqua tranſlatio, inquit Beda, nempe, *Defuncti hominis juſti non perit ſpes: gloria impiorum peribit.* In Græco, *τὸ δὲ καύχημα τῶν ἀσεβῶν ὄλλυται.* In priore particula Hieronymus conſentit cum Hebræa veritate, in ſecunda verò conſentiunt LXX. cum Hebræo, ſed pro *ſpe divitiarum*, *gloriam* poſuerunt. Impii ſpem non habent neque lætititiam niſi in hac vita, cujus cum nulla ſit certitudo, quam miſeri ſint facile eſt cogitare: & ut quàm diutiſſimè vivant, tamen nihil eſt ſi ad æternam vitam conferatur. Quanta ſtultitia eſt igitur momentaneis & incertis rebus inhærere, ſpe futurorum amiſsâ? nam in morte penitus omnia pereunt iniquis, & præſentium & futurorum lætitia. *Cùm interierit, non ſumet omnia; neque deſcendit cum eo gloria ejus*, Pſal. 49. In Heb. תוחלת אונים *exſpectatio divitiarum*, vel *fortium.* Vox אונים vel pro *iniquis qui per violentiam agunt* accipitur, vel pro *divitiis per iniquitatem acquiſitis*, in quibus omnem ſpem collocant improbi. Eſt igitur ſenſus verſiculi, non tam narratio quid fututum ſit impiis, quàm admonitio ut reſipiſcant, & divitias ſuas bene diſpenſent, opera miſericordiæ exerceant. Nam tantiſper dum vivunt, patet miſericordiæ janua: ut Chriſtus in Euangelio, Joan. 9. *Operamini dum dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Si de morte animæ, quod eſt peccatum, intelligatur locus, erit ſenſus, *In morte animæ per quodcunque peccatum perit ſpes iniqui:* q. d. Reliqua pia opera non poſſe juvare hominem qui per unum flagitium mortuus eſt: niſi reſipiſcat & agat pœnitentiam, non poteſt bene ſperare. Prior expoſitio eſt melior.

8. *Juſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.* Heb. *Et venit impius pro eo*] Hic verſiculus ut in ſenſu quadrat cum prioribus ità ex illis pendet, & veluti colophonem imponit huic loco, qui de ſpe juſtitiæ ſive eleëmoſynæ tractat & de infelici exitu mammonæ iniquitatis, quæ ferè ſervatur in perditionem poſſeſſoris. Concludit, inquam, dicens, *Juſtus de anguſtia fuit ereptus*, ut eſt in Hebræo, h. e. *Multæ ſunt tribulationes juſtorum.* Et, *Qui volunt piè vivere cum Chriſto, perſecutionem patientur*, 2 Tim. 3. Sic Dei Opt. Max. diſpenſatione comparatum eſt ut juſti primò patiantur tribulationes, vel proprias vel alienas. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2 Cor. 11. Sed ab anguſtiis ad refrigerium venient. Nam *per multas tribulationes oportet intrare Regnum Dei*, Act. 24. Decet membra Caput ſuum, qui Chriſtus eſt, ſequi. Hæc eſt igitur conditio juſtitiæ, ut primò aſſlictiones ſuſtineat, primò juſtitiam Dei peccatis debitam ſentiat, poſtea verò ab anguſtia ad refrigerium transferatur: velut aurum cùm jam purgatum fuerit, de fornace tollitur. ¶ *Impius verò veniet pro eo*] vel *in loco illius*; h. e. Impius, qui nunc nullas patitur anguſtias, ſed tranquillitate fruitur, mutabit & ipſe vices, & locum anguſtiarum tenebit. Juſto infixit miſerias, ipſe ſuſtinebit. Temporali felicitate gaudens Deum omnium bonorum autorem non agnovit, tandem ſuppliciis traditus juſtum Judicem cogetur agnoſcere. Ut ſit rerum viciſſitudo; In juſtis mala præcedunt, in impiis ſequuntur. Idem in humano judicio frequenti uſu venit, nempe bonos & juſtos calumniam ſuſtinere, & pro alienis criminibus falsò accuſari. Sunt ex Hebræis qui per *anguſtias à quibus eripitur juſtus* intelligunt mala quæ juſto Dei judicio pro peccatis frequenter occurrunt, nempe famem, peſtem, vel gladium, & alias id genus miſerias hujus vitæ, à quibus juſti nonnunquam eripiuntur. Et ut meritis bonorum ira Dei aliquandiu defertur, ità tandem non reſipiſcentibus iniquis graviore ictu cadere ſolet vindicta, à qua tamen *juſtos eripere novit Dominus.*

9. *Simulator ore decipit amicum, juſti autem lætabuntur ſcientiâ.* Heb. *Per os hypocrita perdet ſocium ſuum, ſed in ſcientia juſti eripientur*] חנף *hypocritam* ſignificat, & *improbum*, ſed cum additione hujuſmodi, nempe נשא פנים *qui vultum extollit*, h. e. qui, cum improbus ſit, probitatem præ ſe fert vultu: quales fuerunt olim Scribæ & Phariſæi, qui mortem Chriſti machinati ſunt. Tales ſunt & hodie cùm alii Pſeudochriſtiani, tum hæretici inprimis, quibus nulli magis probitatem ſimulant, nulli majorem erga gregem Chriſti zelum præ ſe ferunt aut charitatem; quibus artibus heu quantam ſtragem pietatis & morum noſtro ſeculo vidimus! ſed ultrà non proficient. Nam *juſtorum hominum ſcientiâ eripietur* populus, & palàm fiet fraus hypocritarum. Aliter, *Juſti eripientur ſcientiâ ſuâ:* q. d. Non ſolum juſtitiâ & probitate opus eſt, ſed etiam ſcientiâ Scripturarum, ſi tuti volumus eſſe ab hypocritis. *Scientia juſtorum* ſunt oracula Prophetarum & majorum monumenta, quibus nos tueri docet contra Pſeudoapoſtolorum & hæreticorum fraudes. Poteſt verſiculus in hujus vitæ negotiis locum habere: multi enim damna ſubeunt adulatorum ſermonibus decepti: dum amicum putant, inimicum experiuntur, contra quos juſtorum & bonorum hominum conſiliis & experientiâ indigemus. Levi Ben Gerſon, *Improbus ad peccatum alios ſecum trahit verbis perſuadendo: à quo malo tantùm abeſt juſtus ut illius ſcientiâ à peccatis & corruptione eripiantur alii.*

10. *In bonis juſtorum exſultabit civitas, & in perditione impiorum erit laudatio*] In civitate rectè inſtituta ſecundùm leges decernuntur præmia virtutum probis hominibus, & ſupplicia improbis. Cùm igitur honor decernitur, vel magiſtratus & puplica munera juſtis diſtribuuntur, meritò exſultare ſolet univerſa civitas: Nam illorum bona ad omnium civium commoda defluunt. Et cùm nihil magis perturbet Rempub. quam improbi viri, nihil magìs optandum eſt quàm civitatem ab hujuſmodi fæce purgari. Quare cum tales vel Dei judicio vel legum autoritate de medio tolluntur & tanquam putrida membra de reliquo corpore præciduntur, erit reliquæ civitati jubilatio. Poſſumus per *bonum juſtorum* vel externa intelligere bona, vel potiùs bona animæ & cœlitus collata; quibus magis idoneus erit juſtus, ut civibus proſit conſilio, prudentiâ vel opibus, & improbos coercere. Aliter, *bonum juſtorum* ſunt pietatis opera & æquitatis, præſertim ea quæ in pauperes cives conferuntur: Bonitas enim juſtorum eſt non ſibi ipſis ſed multis bonum quærere, hæc inſignis eſt bonitas. Contrà improbi omni ſtudio damna conantur inferre pluribus cum Reipublicæ jactura: ut jam non ſit minùs è publico bono perire illos quàm juſtos vivere. *Civitas* quæ *exſultat in bono juſtorum* eſt illa *quæ ſurſum eſt mater noſtra*, Gal. 4. vel præſens Eccleſia, quæ viciſſitudine quadam bonis & juſtis Præpoſitis exſultat, regnantibus verò hypocritis luget, donec libertati reſtituta ſit, & triſtitia illis vertatur in gaudium & exſultationem.

11. *Benedictione juſtorum exaltabitur civitas, & ore impiorum ſubvertetur*] Videtur hoc verſiculo Salomon ſuperioris cauſam reddere, nempe quare *civitas exſultat in bono juſtorum*; nimirum quòd *benedictionibus quas juſti & recti accipiunt* à Deo magna commoda civitati univerſæ proveniant, ut non ſolùm ipſa ſublimior & altior ſit in oculis omnium, ſed in ſe reverà multis modis elevata, omnium rerum copiâ bonis legibus miniſtratâ, multitudine civium, pace, religione & aliis id genus rebus, quæ civitatem nobilem & celebrem faciunt. Poteſt *benedictio rectorum* intelligi illa quam civitati impertiuntur, vel preces quas pro Reipub. tranquillitate fundunt recti & pii homines, vel conſilia quibus viri recti Remp. adminiſtrant. Et huic ſenſui bene quadrat quod ſequitur, *Per os impiorum ſubvertetur*] Ut putà qui diſcordias ſeminant inter cives, qui pacem publicam perturbant, qui falſis teſtimoniis juſta judicia ſubvertunt, & cætera damna; atque ità civitatem paulatim ſubvertunt. Nam *omnis civitas in ſeipſam diviſa deſolabitur*, Luc. 11. Quantâ ſublimitate & virtutum culmine ſit civitas Dei, militans videlicet Eccleſia, ſublevata olim benedictione quam à Deo ſancti acceperant Apoſtoli, nemo fidelium ignorat. Quantam porrò cladem & omnium virtutum ruinam multis in locis paſſa ſit *improborum* hæreticorum *ore* & linguâ, deflere magis convenit quàm recitare.

12. *Qui deſpicit amicum indigens corde eſt, vir autem prudens tacebit*] Hactenus virtutes & vitia in hoc capite commemoravit quibus vel ſapientiam vel ſtultitiam ſuam oſtendunt homines, nunc propiùs ad Sapientiæ præcepta deſcendit; quorum eſt illud, *Neminem* videlicet *eſſe contemnendum*, *præſertim ex his quibuſcum familiariter vivimus, & quos pro amicis & ſodalibus habemus; quos honorare non contemnere decet*; dicente Paulo Rom. 12. *Honore invicem prævenientes*, maximè ſi talis fuerit qui ob ullam virtutem mereatur honorari. Quòd ſi te contumeliâ afficiat aut contempſerit, non eſt tamen *malum reddendum pro malo, ſed vincendum in bono malum.* Et cùm judicio ſapientis *deficit corde qui contemnit amicum*, non debes hunc imitari, neque retaliare malum pro malo, ſed potiùs *tacere*, quod *prudentiæ* maximum eſt argumentum. *Vir intelligentiæ tacebit*] Vel *vir intelligentiarum*, ut putà in quo multiplex eſt intelligentia: Ad contemptum proximi nunquam venire, ſed potiùs ex inimico amicum facere, vereri creaturam Dei contemnere, nè in factorem ejus videaris contumelioſus. Neque homo cùm ſis, poteris humanam naturam afficere opprobriis. Laceſſitus injuria tacuit, humanitate & patientiâ vincere voluit. Ecce quantus intelligentiæ cumulus in homine qui vel vitia celat aliena, vel provocatus & contemptus tacuit! Docet denique proverbium, Taciturnitate non contemptu ſuperandam quorundam importunitatem.

13. *Qui ambulat fraudulenter, revelat ſecretum: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.* Heb. *Ambulans detractor retegit ſecretum, fidelis ſpiritu celat verbum*] LXX. Ἀνὴρ δίγλωσσος ἀποκαλύπτει βουλάς. Vox Hebræa רכיל Levit. 19. *delator*

ver-

vertitur. Eſt propriè is qui ad inſtar negotiatorum, ab aliis audiens verba, aliis refert, & interim referendo depravat. Quæ ſecreta eſſe volumus, temere non eſſe cuiquam revelanda docet proverbium. Imò aliorum tegere ſecreta, ad ſidem & ſapientiam noſtram ſpectat. Denique quid inter fraudulentum criminatorem ac fidum amicum interſit, verſiculus oſtendit; & virtutem ſilentii commendat, loquacitatem condemnat, maximè eam quæ cum damno aliorum fit: Et ſic cum præcedenti conſentit. *Qui fraudulentus eſt non ciſſat*] Sed tranſit: criminando vel ſecreta narrando famam denigrat alienam, diſcordias & inimicitias ſeminat inter fratres: *ſed qui fidelis eſt*, h. e. qui fidus eſt amicus, non ſolùm non *revelat ſecreta*, ſed vel minimum *amici vitium celat*, vel *verbum tegit*, quod ſine damno narrari poſſit: taciturnitate gaudens, non facilè malè loquetur. Poſſumus hæc juxta Hebræum ad nos ipſos referre, ut ſit ſenſus, *Qui fidelis eſt ſpiritu*, h. e. conſtanti animo, ſeipſum nemini prodit. Nam qui ſua ſecreta revelat, tantò faciliùs aliena revelabit. Poſſumus denique ſecreta fidei & religionis noſtræ intelligere, quæ temere non ſunt revelanda paſſim omnibus: *Nolite*, inquit Chriſtus, *ſanctum dare canibus* Matth. 7. *Fidelis* igitur *ſpiritu* novit verbum Euangelii in tempore & loco celare ab his qui blaſphemant nomen Chriſti omnium noſtrûm Amici, cujus verbum *annunciant aliqui propter invidiam & contentionem*, ut inquit Paulus Phil. 1. Lxx. tamen legunt ut eſt in Hebræo, nempe, *πιςὸς δὲ πνοῇ κρύπτει πράγματα*, *fidelis ſpiritu celat res.*

14. *Ubi non eſt gubernator, populus corruit, ſalus autem ubi multa conſilia.* Hebr. *Cùm non ſunt conſilia corruet populus, ſed ſalus in multitudine conſultorum*] Lxx. juxta verſionem D. Hieronymi habent, *Οἷς μὴ ὑπάρχει κυβέρνησις, πίπτουσιν*, quibus Chaldæus aſtipulatur Interpres באתרא דלית מדברנא *In loco ubi non eſt dux*, vel *gubernator.* Hebr. *Ubi non ſunt conſilia*, vel *cogitationes*, aut *induſtria.* In ſenſu non eſt multum diſcriminis. Et verſiculus indicat civitatem vel Rempub. non poſſe conſiſtere ex confuſa populi multitudine, abſque prudenti & ſapienti gubernatore aut duce. Sunt ex Hebræis qui locum referunt ad vires in bello contra hoſtes; q. d. Quamlibet magna multitudo populi non ſufficit abſque prudente regimine: nam non tam viribus corporis quàm virtute animi res bellica miniſtratur. Poteſt non minùs aptè ad quamcunque partem Reip. adminiſtrandæ referri. Ubique conſilio & ſapientiâ opus eſt ad coërcendos improbos, ad ſedandas lites. Alioqui populus, qui eſt tanquam bellua multorum capitum, citò delabitur & per diſcordias diſſipatur. Cæterùm ſalus Reipub. & indoctæ multitudinis eſt, à viris prudentibus gubernari. Neque ſufficit unus, ſed in multis, qui conſilia ineunt prudentiæ & ſubminiſtrant, conſiſtit ſalus Reip. Proverbium denique indicat multitudinem omnia præcipitanter agere, ſive in bello, ſive in pace, & idcirco egere ubique ſapientum virorum conſilio.

15. *Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo, qui autem cavet laqueos, ſecurus erit.* Heb. *Conterendo conteretur cùm fidejuſſerit pro extraneo, & qui oderit ſtipulatores confidit*] Præcedentia ad publicum ſtatum ſpectare videntur, verùm quæ ſequuntur magis ad privatam referuntur vitam. Nullam partem vitæ reliquit intactam Salomon in tradendis ſapientiæ præceptis, nunc illa connumerans quæ propiùs ad animi ſalutem ſpectant, nunc ea quæ rem domeſticam vel augent vel conſervant, cujuſmodi juvenes à ſapientibus diſcere convenit. Superiùs 6. cap. dictum eſt quantum diſpendium rei familiari nonnunquam contingat ex ſtipulationibus ſive fidejuſſione pro homine ſive extraneo & ignoto, ſive ſectæ vel fidei extraneæ, quocum nullum tibi vinculum eſt amicitiæ veræ. Ab hujuſmodi fidejuſſione cavendum eſt, per quam ad inopiam ſolent redigi homines. Et hoc eſt quod dicit, *Affligetur*, ſive *contritione conteretur.* Familiàris admodum Scripturis Metaphora, quâ maximum damnum & extremam miſeriam innuit. Poteſt verti, *Malo conteretur*, ſive *affligetur cùm fidejuſſerit*, & referri ad inquietudinem animæ & curam quâ ſubinde moleſtatur & quodammodo frangitur vitæ tranquillitas, in his qui ſeſe aliis obnoxios eſſe cogitant & redactos ſub aliena poteſtate. Atqui hic ſenſus bene quadrat cum ſecunda particula, nempe, *Qui cavet laqueos; ſecurus eſt*, vel juxta Hebræum, *qui odit ſtipulatores*, vel *ſtipulationes*, *confidit*, i. e. confidentiùs & ſecurius vitam aget. Proverbium monet non debere litibus alienis noſmet immiſcere. Alienum vult eſſe Sapiens ſuum filium ab his qui per ſtultitiam & ſocordiam in ære alieno eſſe gaudent.

16. *Mulier gratioſa inveniet gloriam & robuſti habebunt divitias.* Heb. *Mulier gratiæ ſuſtentabit* (vel *comprehendet*) *honorem, & fortes ſuſtentabunt* (vel *apprehendent*) *divitias*] Aliter, *Mulierem gratioſam apprehendet decor, & fortes apprehendent divitias.* Oſtendit odibile eſſe genus hominum qui non ſuis laboribus vel induſtriâ victum quærunt, ſed alieno ære contracto aliena quærunt incommoda, & fallunt eos qui fidejubent pro illis. Debere juſtis laboribus comparare victui neceſſaria, quæ nemini unquam defuere qui ſibi ipſe non defuit. Nam quemadmodum *mulier gratioſa* & pulcra, h. e. non ſolùm formâ corporis ſed animi virtutibus gratiam oſtendit in oculis hominum, *honorem* facilè *aſſequitur* ab omnibus, ità viri *fortes* & *robuſti* ac *ſoliciti aſſequuntur divitias*, quæ ſuâ ſponte labores & induſtriam ſequi videntur, ut prior pars verſiculi pro ſimilitudine ponatur, nam alioqui nulla eſſet prioris partis cum ſecunda conſonantia; quod ferè fit in hoc autore. Aliter ad Conjugium referri poteſt: & erit ſenſus, *Qui gratioſam, pulcram & pudicam accepit uxorem, honorem habebit ex ea*, & juxta hunc ſenſum vertunt Lxx. *Γυνὴ εὔχρηστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν. Sed viri fortes*, ſive *robuſti*, h. e. ſoliciti & ad rem attenti, *magis quærunt divitias* cum conjuge, ex quibus honorem ſequi exiſtimant non minus quàm ex gratia uxoris. Simplex proverbii ſenſus eſt, A mulieribus & uxoribus pudicitiam & honeſtatem morum in primis exigi; à viris verò induſtriam & laborem, quibus parantur opes ad alendam uxorem & familiam neceſſariæ.

17. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors, qui autem crudelis eſt etiam propinquos abjicit.* Heb. *Qui retribuit animæ ſuæ vir miſericordiæ eſt, qui perturbat carnem ſuam crudelis*] Quod noſter Interpres expreſſit in verbo *benefacit*, ſubintelligunt Hebræi, ſic, *Qui retribuit animæ ſuæ*, ſup. *bonum.* Oſtendit verſiculus primam partem miſericordiæ noſtris animis eſſe impendendam, ſecundam verò corpori: & ex præcedenti pendere videtur ſenſus: Nam *fortes viri apprehendent divitias* potiſſimùm propter opera *miſericordiæ:* ſed ante omnia cavendum eſt nè in apprehendendis divitiis committamus aliquid contra ſalutem animæ. Nam qui poteſt eſſe miſericors in alios qui ſibi ipſi crudelis eſt? Nihil eſt crudelius quàm horrendis ſceleribus animum proprium trucidare, quibus etiam *carnis* ſanitas & bonus habitus corporis *perturbatur*, & inidonea efficitur non ſolùm ad virtutum opera ſed etiam ad functiones naturales quibus vitam protrahimus. Et hic ſenſus eſt ſecundæ clauſulæ hujus verſiculi ſecundùm Hebræos & Lxx. qui ſic legunt, *ἐξόλλυσι δὲ αὐτοῦ σῶμα ὁ ἀνελεήμων, perdit autem corpus ſuum immiſericors.* Hebræum, *Qui perturbat carnem ſuam crudelis.* Meritò, inquam, *crudelis* dici poteſt qui utrâque ſeſe privat vitâ, nempe *animæ* per peccata, & *carnis*, cujus mortem luxu, intemperantiâ & aliis id genus vitiis accelerat. Sunt qui locum interpretantur juxta aliam hujus verbi גמל ſignificationem, ſignificat enim verbum גמל *retribuere* (de quo ſenſu diximus copioſè) & etiam *ablactare*; ut Metaphoricè intelligatur, *Qui ablactat animam ſuam ab hujus mundi deliciis, miſericors eſt, ſuum defraudans genium, & in pauperes diſtribuens*, quod fecit S. Exſuperius Tholoſæ Epiſcopus, qui, ut inquit Hieronymus ad Ruſticum, *ore pallente jejuniis, fame torquetur alienâ, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit.* Qui verò indulget hujus vitæ illecebris, moleſtat corpus ſuum multis morborum generibus, vel, ut ſenſus poſterioris particulæ priori reſpondeat, *crudelis perturbat carnem ſuam*, dum claudit viſcera miſericordiæ ab his qui ſunt ejuſdem carnis. Senſus à priori non eſt multùm diſſimilis, uterque pius. Sunt qui per *animam* vitam præſentem intelligant; & proverbium dici putant contra eos qui uſque adeò tenaces ſunt ut nè neceſſaria quidem corpori ſumant, pluris facientes opes quàm corpus vel vitam; juxta illud Eccl. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex illis.*

18. *Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis*; Lxx. *Ἀσεβὴς ποιεῖ ἔργα ἄδικα.* Heb. *Iniquus facit opus mendacii; ſed qui ſeminat juſtitiam, merces veritatis*] Primam partem miſericordiæ, ut diximus, ſibi ipſi impendet vir juſtus; ſecundam verò aliis, quæ ſua mercede non carebit ſi modò abſque fraude fiat, h. e. ex animo bene faciendi, abſque ſimulatione, non ad oſtentationem. Vel *opus inſtabile* ſive *fallax* intelligimus quod ex fraude & malis artibus comparatum eſt: cujuſmodi ſolent eſſe opera in ſpecie pia quæ ab iniquis fiunt, h. e. aut ad vanam pompam ficta, aut ex rebus non bene acquiſitis: hujuſmodi operis nulla erit *merces fidelis & permanens. Qui ſeminat juſtitiam*, h. e. affluenter diſtribuit bona juſtè acquiſita, *fidelem & certam ac reconditam habet mercedem*, ſecundùm illud; *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.* Quòd ſi ad eos qui cordibus hominum ſeminant juſtitiam per bonam doctrinam aut per exemplum vitæ referatur, ſenſus erit myſticus; & *iniquus* juxta hanc expoſitionem intelligetur qui *ſuperædificat ſtipulam aut fœnum*, 1 Cor. 3. opus mendax quod *exploratum per ignem* non potuit ſubſiſtere, nec mercedem habere ſtabilem. Sunt qui *opus mendacii* referant ad agriculturam, in qua ſolent improbi alienos agros ſibi applicare, limites egredi, & per fraudem occupare, ob id quod ſequitur *ſeminans in juſtitia.* Prior expoſitio magis arridet.

19. *Clementia præparat vitam, & ſectatio malorum mortem.* Heb. *Sic juſtitia ad vitam, & qui ſequitur malum, ad mortem ſuam*] Particula כן aliquando Nomen, *rectum* ſignificans, frequentiùs Adverbium, ſignificans *ſic*, varium ſenſum efficit hujus verſiculi. Hebræi utroque modo exponunt. Juxta priorem ſignificationem ſubintelliguntur quædam, nempe, *Rectus qui facit juſtitiam, illius merces erit ad vitam; & qui ſequitur malum, ad mortem.* Juxta verò ſecundam erit ſenſus, *Sic qui*, ſupple *perſequitur*, *juſtitiam, pertingit ad vitam; ſicut qui perſequitur malum, pervenit ad mortem.* Uterque ex priori verſiculo pendet ſenſus, oſtendens illam *mercedem fidelem & ſtabilem juſtitiæ* eſſe *vitam.* Heb. לחיים *ad vitas*: h. e. Juſtitia cùm præſentis vitæ tum futuræ remunerationem habet, iniquitas verò utriuſque jacturam facit. Sunt qui referunt כן *ſic* ad ſuperiora, ubi dictum eſt, *Juſtitiæ merces eſt fidelis, vera*, vel *veritatis*, ſc. in hoc mundo: *ſic eſt merces juſtitiæ in vitam futuram ſervata.* Optima interpretatio & phraſi Hebraïcæ maximè conſona; quam Chaldæus quoque Paraphraſtes habet, *Ut ille qui facit juſtitiam cuſtos eſt vitæ, ſic qui facit improbitatem cuſtos mortis.* ¶ *Sectatio malorum mortem*] Heb. *Qui ſequitur malum.* Non ſimpliciter מרדף *ſequitur* vel *inſequitur* ſignificat, ſed cum emphaſi, eum videlicet qui ex animo & magno ſtudio inſequitur malum, vel qui inſequitur malum ut aliis inferat malum: q. d. *aliis malum inferre conatur, ſed interim ad ſuam mortem pervenit.* Breviter proverbium ſignificat, Tantam eſſe differentiam inter Juſtum & Iniquum quanta eſt inter Vitam & Mortem; Porrò Virtutem eſſe immortalem, iniquitatem ad interitum feſtinare; denique, Non juſtum, qui frequenter patitur, ſed impium, qui infert malum, malum recipere.

20. *Abominabile Domino cor pravum, & voluntas ejus in his qui ſimpliciter ambulant.* Heb. *Abominatio Domini perverſi corde, & voluntas ejus qui ſunt perfecti in via*] Cùm bonitas Dei & æquitas ubique in omnibus rebus luceat, eſt tamen in ſe infinitæ perfectionis & rectitudinis: & proinde cùm omnis obliquitas & perverſitas ſit à Deo aliena, tum maximè illa quæ eſt cordis humani. Eſt enim humanus animus ad imaginem Dei creatus, quam imaginem per pietatem & puram religionem in Deum ſervat formoſam; per perverſas opiniones & diſtortas cogitationes de Deo imaginem Dei commaculans, fit alienus à Deo: & abominatio tantò major quantò propinquior & charior ratione creationis debeat eſſe. Quod odio proſequimur, cernere non poſſumus, ſed quàm longiſſimè procul à nobis eſſe cupimus. Tale quidpiam apud Deum ſunt hi *qui perverſo ſunt corde.* ¶ *Sed qui ſimpliciter ambulant*] Heb. *qui integri & perfecti ſunt*, non in corde ſolùm & interiore homine, ſed etiam (ut Hebræi legunt) *in via* & exteriore converſatione, cum illis & in illis *eſt voluntas ejus.* Et jam verſiculus hic ſuperiorem exponit & explicat *juſtitiæ mercedem* quæ eſt *ad vitam*, & improbi pœnam, quæ eſt *ad mortem*; oſtendens cujuſmodi ſit illa *vita*, nempe Dei favor, voluntas & appropinquatio; *mors* verò malorum hominum eſt alienatio à Deo, illius odium & abominatio.

21. *Manus in manu non erit innocens malus, ſemen autem juſtorum ſalvabitur.* Heb. *Manus ad manum non erit innocens malus, ſed ſemen juſtorum eripietur*] vel *evadet.* Varia eſt interpretatio & expoſitio hujus verſiculi. Chaldæus ſupplet quædam, inquiens, *Qui extendit* (vel *mittit*) *manum contra ſocium ſuum, non eſt innocens à malo.* Alius ſenſus, *Ubi manus filii ad manum patris additur ad malum, pœnam ferè non evadit.* Vel ſimpliciter, *Ubi manus unius mali hominis jungitur cum manu alterius*, h. e. ubi mutua præſtant auxilia in malo, *non idcirco ſupplicium evadet malus quia ſocios habet in opere malo:* & huic ſenſui accedit verſio LXX. χειρὶ χεῖρας ἐμβαλὼν, ἐκ ἀτιμώρητος ἔςαι κακῶν. Tertius ſenſus erit, ſi יד non pro *manu* communi ſignificatione, ſed in alia ſignificatione capiatur, nempe pro *ſtatim*; q. d. *Non ſolùm proveniunt malis pœnæ quas recitavimus, ſed ſtatim* (vel *repentè*) *punitur malus*, i. e. ſolet puniri. Quartus denique ſenſus, *Si manus Dei ad manum hominis accedat*, h. e. Cùm opera Dei & quæ Deus juſſit fieri conferuntur cum operibus quæ facit malus, *erit reus, nec poterit ſupplicium evadere.* Mihi maximè arridet ut *manus ad manum* pro *patre & filio* ſive *poſteris* accipiatur, propter ea quæ ſequuntur, *ſemen juſtorum eripietur à pœna.* Oſtendit igitur verſiculus, Ad mercedem ſive merita juſtorum & ſupplicia malorum plurimum momenti habere majorum & parentum vel pietatem vel impietatem. Quibuſdam placet ut hic locus de conſpiratoribus loquatur, qui in malum ſolent dexteras jungere & fœdera inire; q. d. non futuros impunitos etiamſi omnes mali inter ſe conſpiraverint. Sunt qui *manum ad manum* pro *ſomnolentia* & *pigritia* accipiant; quæ ut multorum malorum eſt mater & nutrix, ità non erit impunita. Denique per *manus ad manum* intelligit Beda quietem ab externo opere, à quo quamvis ceſſaverit malus, tamen non erit innocens, cùm malè cogitet & corde ſit perverſo; quod Dominus abominatur & punit.

22. *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulcra & fatua.* Heb. *Inauris aurea in naribus ſuis mulier pulcra & deficiens ſenſu*] Ex proprietate linguæ litera כ Similitudinis frequenter omittitur, quam LXX. ſuppleverunt ad hunc modum, Ὥσπερ ἐνώτιον χρυσῦν ἐν ῥινὶ ὑός, ὅτω γυναικὶ κακόφρονι κάλλος, *Ut inauris aurea in naribus ſuis, ſic mulieri imprudenti pulchritudo.* Nè quis ad ſolos Viros ſpectare ſapientiam putet, ſubinde de Mulieribus mentionem facit Sapiens. Quod particulariter dicitur, in genere intelligitur. Nam per *pulcritudinem mulieris* quaſcunque corporis dotes aut naturales animi virtutes intelligimus, quæ ſine ſapientia non ſunt ornamenta, neque homini decora. Hic enim ſcopus eſt Sapientis in hoc libello ut oſtendat eſſe opus ſapientià in omnibus rebus: Et quò quis eſt à ſapientia magis alienus, eò minùs proſunt dotes naturales. Muliebre ingenium eſt præ cæteris formæ ſtudioſum, & pulcritudinis nomine ſolet ſuperbire; quæ ut ſapientes & caſtas matronas vehementer commendat, ità in ſtulta & vecordi muliere, quæ ad faſtum, ad pompam, ad libidinem ſuâ pulcritudine abutitur, nihil eſt minus decens. Nam *circulus aureus* (vel *inauris aurea*) *in naribus ſuis*, ſuam non ornat, ſed ipſa luto & ſordibus aurum contaminat, rem per ſe pulcerrimam: ſic mulier ſtulta, ineptiis, ſuperbia ac impudicitia pulcritudinem, rem in muliebri corpore maximè decoram, contaminat & fœdam reddit. Elegans admodum ſimilitudo, qua Mulier impudica Suibus confertur. Sunt qui aliter exponunt, nempe, *Quemadmodum ſus ſterquilinia fodiens annulum aureum aut gemmam inventam negligit, ſpurcitie ipſá magis delectata; ſic fatua mulier & ſtulta, cum formam corporis & oris pulcritudinem à Deo acceperit, quâ gratiam & honorem poſſit aſſequi, ſordibus vitiorum & libidinis indulgens, donum pulcerrimum ſpernit, neque autorem tanti beneficii agnoſcit.* Senſus à priori non eſt multùm diverſus. Si per *mulierem pulcram ſed ſtultam* intelligamus animam ſemel à peccatis lotam & *annulo aureo* Filio Dei per fidem deſponſatam, rurſum tamen veluti *ſuem ad volutabrum* carnis *reverſam* 2 Pet. 2. conculcata Dei charitate (quæ per *annulum aureum* rectè intelligitur, ut putà cujus ardor fine caret) ſublimior erit ſenſus.

23. *Deſiderium juſtorum omne bonum eſt, præſtolatio impiorum furor.* Heb. *Deſiderium juſtorum etiam bonum; ſpes improborum indignatio*] Pro particula אך *etiam*, vel *tantum* LXX. legerunt כל *omne*, ſic vertentes, Ἐπιθυμία δικαίων πᾶσα ἀγαθὴ, ἐλπὶς δὲ ἀσεβῶν ἀπολεῖται, *Deſiderium juſtorum omne bonum, ſpes verò impiorum perit:* quos noſter Interpres ſecutus eſt. Chaldæus videtur legiſſe אל, i. e. *ad*, ל Lamed videlicet in loco ך Caph finalis, inter quas literas eſt ſimilitudo ſi alterutram invertas: vertit enim ſic Chaldæus, רעוא דצדיקי בטבתא, *Deſiderium juſtorum in bonum*, vel *ad bonum.* Quod ad ſenſum ſpectat, juxta Hebræum cùm multa ſuperiùs dicta ſint de Juſtitia & Iniquitate quæ in opere externo perpenditur, addit clauſulam quæ ad affectum animi refertur, inquiens, *Bonitas juſtorum* non ſolùm in his quæ diximus conſiſtit, nempe Beneficentia & Miſericordia in alios, ſed etiam in animi Deſiderio & Affectu ubi vires non ſufficiunt. Aben-Hezra exponit אך *Ferè deſiderium juſtorum eſt ad bonum.* Illam particulam *ad* omnes ſubaudiunt: q. d. Juſti malis deſideriis non multùm moleſtantur, ſed ferè ſemper, vel tantummodo, bonum omnibus optant; omnibus autem præſtare ſolius Dei eſt; humanas vires ſuperat, niſi quis dixerit votis & precibus: ſed in hoc juſti quodammodo bonitatem Dei imitantur, dum optant id quod Deus præſtat. Improborum longè diverſum eſt ſtudium & deſiderium, qui optant & deſiderant facere plura mala quàm faciunt. Nam nihil aliud exſpectant niſi ſibi dari occaſionem tranſgrediendi, & vel Deum Opt. Max. vel homines ad iracundiam & indignationem provocandi. Maximopere idcirco fugienda eſt improbitas, quæ nullum modum neque finem iræ & indignationis facit. Aliter, ſunt qui non ad opera ſed ad præmium juſtorum & pœnas improborum ſenſum referant; ut per *deſiderium juſtorum* ſpes intelligatur: & erit ſenſus, Juſti ut nihil aliud quàm bene & ſtudioſè vivere deſiderant, ità bonum præmium meritò ſperant ſeſe recepturos: verùm improbi qui *theſaurizant ſibi iram in die iræ*, Rom. 2. non poſſunt aliud ſperare neque exſpectare quàm Dei furorem dicentis, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt*, &c. Matth. 25. Breviter indicat tam virtutes quàm vitia ex animi affectu potiſſimùm perpendenda.

24. *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt; alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Heb. *Eſt qui diſpergit, & augetur adhuc; & eſt qui cohibet ſe à rectitudine, etiam ad defectum*] Ad laudem Beneficentiæ locus ſpectat, & ad excitandum bonos ut quod animo concipiunt & deſiderant opere compleant;

pleant; oſtendens liberalitatem nonnunquam in hac vita remunerari; & maximum eſſe compendium ad augendas divitias, copioſè in pauperes effundere divitias: multos præterea ad indigentiam redigi quòd ſordidè & illiberaliter à recto divitiarum uſu ſeſe cohibeant. Salomon hoc loco alluſit ad illum locum Pſalmi, *Diſperſit, dedit pauperibus*: & Paulus 2 Cor. 9. latiùs aperiens Metaphoram *ſpargere* per *ſeminare* interpretatur, inquiens, *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti*, fortaſſis Lxx. ſecutus, qui ſic verterunt locum, *Εἰσὶν οἱ τὰ ἴδια σπείροντες οἳ πλείονα ποιοῦσιν· καὶ οἱ συνάγοντες τὰ ἀλλότρια, οἳ ἐλαττονοῦνται*, *Sunt qui ſua ſeminantes, plura faciunt; ſunt autem & congregantes aliena, qui diminuuntur.* Atqui hâc ſimilitudine D. Paulus expreſſit eleganter copioſum fructum qui ſolet provenire ex copioſa eleëmoſynæ ſemente: unde in hoc verſiculo intelligimus, opes augeri his qui ſpargunt. *Eſt qui ſpargit, & additur ei quod ſpargit; & eſt qui cohibet ſeipſum à recto:* ſic eſt in Hebræo; q. d. Rectum & æquum eſt ut ii qui habent diſtribuant: nam hac de cauſa acceperunt, & Domini diſpenſatores conſtituuntur: quòd ſi manum cohibeant, opibus parcere volentes, non ſolùm non diteſcunt, ſed *ad defectum* nonnunquam deveniunt, vel digni ſunt qui deveniant, juxta Lxx. *A recto cohibere ſe*, eſt aliena rapere. Prior expoſitio eſt melior.

25. *Anima quæ benedicit impinguabitur, & quæ inebriat ipſa quoque inebriabitur.* Heb. *Anima benedictionis* (vel *Anima quæ benedictionem facit*) *impinguabitur, & quæ ſatiat ipſa etiam ſatiabitur*] Conſentit cum ſuperiore verſiculo, & idem eſt ſenſus utriuſque, ut Hebræi interpretantur. Accipitur *anima* pro *homine*; *Qui benedicit*, h. e. benefacit, benedictionem & copiam quam accepit à Deo pauperibus diſtribuens, *impinguabitur*, h. e. incrementum bonorum accipiet. Mihi magìs arridet ut intelligamus quod dictum eſt in ſuperiore verſiculo de copia rerum, quod autem hîc dicitur de *ſaginatione animæ*, ut ſimpliciter intelligatur de gratia & donis ſpiritualibus, quæ cœlitus deſcendentia ad modum pluviæ animam miſericordem irrigant & velut pingue ſolum efficiunt, quo ſubinde novos beneficentiæ fructus producat. Et huic ſenſui quadrat D. Pauli explicatio in loco priùs citato, *Et augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ:* quæ potior eſt retributio benedictionis in pauperes, & quam potiùs exſpectare debemus, quàm incrementum divitiarum. Poteſt æquè ad doctrinæ diſtributionem applicari, ut *anima* pro *homine* intelligatur: *Qui anima*, non corporis aut externa *bona diſpenſando benefacit*, ſed cœleſtem doctrinam & animæ pabulum cum benedictione largitur & ſpargit more ſeminantis, *illa anima impinguabitur* veluti adipe & pinguedine. Et huic ſenſui magis quadrat ſecunda pars verſiculi, *Qui inebriat, ipſe inebriabitur*] quæ apud Hebræos eſt ambigua. Nam qui periti ſunt linguæ putant non poſſe ſic verti, *Qui irrigat irrigabitur ipſe*, cùm ſint duæ radices מרוה *rigans*, & יורה, quæ vox *pluviam* ſignificat: volunt ramen aliqui ex Rabbinis in dictione יורא eſſe *μετάθεσιν*, quæ frequens eſt in Scripturis, ut ſit יורא pro יורה. Chaldæus P. utramque dictionem in eodem ſenſu accipit, nempe pro *doctrina*; דמליף אף הוא יליף, *Qui docet, etiam ipſe doctrinam capiet*, vel *docebitur*. D. Chimhi ſic locum exponit, *Qui irrigat alios beneficiis, ipſe vocabitur pluvia illa tempeſtiva.* Quòd ſi libeat ſenſum verborum quæ in Hebræo ſunt audire, ſic accipe, *Qui irrigat*, vel ſatiat eleëmoſynis, juxta Hebræos, vel doctrinâ, juxta Chaldæum, docebit alios, ut idem faciant. Atqui ità non ſolùm ipſe pium opus facit, ſed autor eſt & doctor ut alii illius exemplo provocati idem faciant. Hæc expoſitio eſt optima & veritati Hebraïcæ maximè conſona.

26. *Qui abſcondit frumentum, maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium.* Heb. *Ei qui prohibet frumentum maledicet populus, ſed benedictio ſuper caput vendentis*] Magna eſt laus & præmium eorum qui ſua copioſè ſpargunt & diſtribuunt, à qua ſunt aliqui uſqueadeo alieni ut nè vendere quidem velint annonam juſto pretio aut tempore opportuno, ſed ex multorum damno commodum ſuum quærunt. Iſti multùm ſunt diverſi ab his de quibus locuti ſumus: illi enim propria gratis largiuntur; iſti malunt populum laborare fame, frumentum, quod uſibus hominum dedit Deus, corrumpi potiùs quàm cum populi commodo frumentum vendere. Non ſine cauſa igitur à populo malè audiunt hujuſmodi homines, malè imprecantur pauperes, quorum querelas juſtas Deus frequenter audit: Contrà, qui curant vendere frumenta tempore opportuno antequam fame opprimantur pauperes, magnam gratiam ineunt apud populum, & benedictionem Dei merentur, ut quorum induſtriâ & providentiâ Reipub. conſulitur. Non enim in ſuum lucrum ſed in populi utilitatem recondunt annonam, quam depromant ubi id Reipub. neceſſitas exigat. De doctrina & cibo animorum intelligi poteſt, juxta myſticum ſenſum, Qui abſcondit talentum, neque paſcit gregem ſibi commiſſum, maledictus eſt. Sub *frumenti* nomine res omnes victui & uſibus hominum neceſſarias intelligimus. Et oſtendit proverbium, Non ſolùm in diſtributione bonorum ſed etiam in legitima venditione tempore opportuno miſericordiæ opera fieri, quæ ſuâ mercede non carent.

27. *Bene conſurgit diluculo, qui quærit bona: qui autem inveſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis.* Heb. *Qui quærit bonum, quærit benevolentiam: ſed quærenti malum veniet ei*] Ambigua eſt prima dictio hujus verſiculi apud Hebræos שחר. Nam vel *manè ſurgere* ſignificat, quam ſignificationem ſequitur Chaldæus Interpres & D. Hieronymus; vel *inveſtigare*, & hanc ſignificationem ſecuti ſunt Hebræi omnes quos ego vidi. Lxx. *τεκταινόμενος ἀγαθὰ*, *fabricans bona*, ſive *comminiſcens.* Quod ad ſenſum Scripturæ ſpectat haud ità multùm refert: nam *manè ſurgere* induſtriam & diligentiam ſignificat. Ex præcedentibus inferre videtur Sapiens hanc clauſulam. Nam poſtquam de beneficentiæ ſtudio multa diſſeruit, tandem concludit, A Domino, qui autor eſt omnium bonorum, eſſe mercedem exſpectandam, non ab hominibus. Nam *qui quærit bonum*, Heb. *qui quærit benevolentiam*, ſive *voluntatem Domini*; ſic intelligunt omnes: q. d. Sapiens. Quiſquis es qui in beneficiis & miſericordiæ operibus es impiger & ſolicitus, uſque adeò ut hoc animo manè ſurgas & ſomnum excutias, ut omni induſtria quæras bonum aliorum, eadem opera voluntatem Dei quæras, à quo recipies cum fœnore laborum mercedem. Sunt præterea homines uſqueadeo nequam ut non ſolùm obiter & ex occaſione oblata malè faciant, damnum inferant vicinis, ſed magno ſtudio & veluti *lucratione* quadam, (hoc enim ſignificat vox Hebræa דרש) malum machinentur & excogitent. Sed cùm hoc ſit contra Dei Legem & illius voluntatem quod faciunt, ſeipſos maximè lædunt. Nam malum quod aliis inferre ſtudent, recidit in eorum capita; ſicut inquit David, *In verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet*, Pſal. 7.

28. *Qui confidit in divitiis ſuis corruet, juſtus autem quaſi virens folium germinabit.* Heb. *Quaſi folium juſti germinabunt*] Indicat verſiculus mala provenire & excogitari potiſſimùm propter divitias, & divites maximè audere alios injuria afficere, quòd fere elati ſint, & præ ſe alios contemnant: quibus Paulus jubet *non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*, 1 Tim. 6. nam quo altiùs per ſuperbiam mente aſcendunt, eò major erit eorum lapſus. ¶ *Juſti tanquam folium germinabunt*] Divitiæ ſunt diſpenſandæ per opera juſtitiæ & miſericordiæ, quæ ſemper vireſcit ad modum foliorum in arboribus. Tantiſper enim folium viret dum fructus in arbore matureſcit: ubi nullus eſt fructus, folia ſtatim defluunt: q. d. *In opibus vel male partis aut ſervatis nullam ſpem habere poſſumus, ſed in divitiis per Dei gratiam in pauperes diſtributis repoſita eſt merces: illa ſemper virent, & ſuo tempore fructum dabunt.* Quod dicit *tanquam folium*; vel intelligitur *tanquam arbores quæ ſemper foliis vireſcunt*, vel *tanquam folium in arboribus in quibus fructus pendet*, vel denique *tanquam folium quod fructus præcedens ad fructus muniendos à natura datur.* In hominibus juſtis divitiæ ſunt tanquam folia, quibus opera miſericordiæ ſemper virent. Et hoc eſt quod ſcripſit David Pſal. 1. *Et folium ejus non deſluet, ſed omnia quæ faciet proſperabuntur.*

29. *Qui perturbat domum ſuam poſſidebit ventum, & qui ſtultus eſt ſerviet ſapienti*] Ut de divitiis & magnis poſſeſſionibus non debemus ſuperbire, neque ſpem collocare in illis, ità prudentiam quandam & modeſtiam ſervare debent hi qui familiam habent: nam abſque neceſſariis rebus gubernari non poteſt; & proinde *qui perturbat*, aut *confundit*, *rem domeſticam*, dum nullam illius curam gerit, diſſipator omnium & decoctor *accipiet tanquam hæreditario jure ventum* & vanitatem; vel potiùs hæredibus relinquet vanitatem, familiam ad inopiam tandem redigens, ut ſervire cogantur. Poteſt enim *ſervus* ad ipſum referri qui domum evertit; vel ad hæredem, quem ad ſervitutem ſua ſtultitia perduxit; vel denique *ſervus viri ſtulti*, qui domum ſuam pervertit, dominum mutabit, & *ſapienti ſerviet.* Breviter ſenſus verſiculi eſt ex ſuperiori pendens, Ut magna improbitas eſt nimiùm amare divitias, in ipſis ſpem collocare: ità mera ſtultitia eſt rem domeſticam diſſipare, hæredes fraudare.

30, 31. *Fructus juſti lignum vitæ, & qui ſuſcipit animas ſapiens eſt. Si juſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?*] Chaldæus P. exponit *fructus juſti*, qui juſto datur, *eſt arbor vitæ*, non quam capiunt alii à juſto: cui Lxx. videntur ſubſcribere, *Ἐκ καρποῦ δικαιοσύνης φύεται δένδρον ζωῆς*, *Ex fructu juſtitiæ naſcitur arbor vitæ.* Contextus Hebræus utramvis expoſitionem admittit, & alludere videtur ad illud Gen. 3. de ligno Vitæ, à quo injuſtus & tranſgreſſor primus homo guſtare non meruit: cujus fructus eſt innocentiæ præmium & juſtitiæ. Quòd ſi *fructum juſti* intelligimus, quem à juſto colligere licet,

Similitudinis particula ſubaudienda eſt; ex juſto enim fructum carpere licet tanquam ex arbore vitæ: & huic ſenſui quadrat quod ſequitur, *Qui ſuſcipit animas* (vel *qui docet animas*) *ſapiens eſt*: q. d. *Non ſolum ex vita & converſatione juſti colliguntur fructus vitæ quibus ad vitam nutriuntur homines; ſed etiam juſtus, eruditus & doctus, qui animas ignorantes docet, ſapiens eſt*; vel juxta aliam interpretationem, *qui accipit animas*, ſive *lucratur animas*. Efficax eſt enim ſapientis viri ſermo, & facilè eruditâ concione multorum animas lucratur. Iſta juſtitia & ſapientia in Chriſto potiſſimùm intelligitur vita noſtra, per quam fructum vitæ capiunt qui illius juſtitiæ participes eſſe merentur. Et hic eſt *juſtus*, qui & *ſapiens* ſive *eruditus*, multorum *animas docuit* ſive *cepit*, juxta diverſos Interpretes. In utroque ſenſu reperitur verbum Hebræum לקח. *Accipit*, inquiunt Hebræi, *juſtus animas à conſuetudine & via hujus mundi, & transfert ad vitam cæleſtem*, ut juxta Paulum Rom. 12. *Non ſint conformes huic ſeculo.* Sunt denique qui pro CAPIET *poſſidere* intelligunt: q. d. *ſapiens poſſidet animas*, h. e. *ſervos & ancillas habet.* Sed hæc poſſeſſio non eſt *fructus* ejus, ſed *fructus* ejus eſt *lignum vitæ*, mors & crux Chriſti. Hic ſenſus non eſt alienus à loco, eò quòd quodammodo pendet ex priore verſiculo, videlicet, *ſtultus erit ſervus ſapienti.* Sequitur, *Si juſtus in terra recipit*] Vel, *Certè juſto in terra reddetur.* Hujus verſiculi varia eſt interpretatio propter ambiguitatem hujus verbi שלם, quod tria ſignificat, *retribuere*, *perficere*, & *pacificare* vel *pacem habere.* Sunt ex Hebræis qui ſequuntur ultimam ſignificationem; nempe, *Juſtus pacem habebit in terra cum omnibus, præterquam cum iniquis & peccatoribus.* Chaldæus P. ſic, *Certè juſtus in terris vim patitur, ſed improbi & peccatores delebuntur de terra.* Hunc ſenſum ſecuti ſunt Lxx. & Petrus Apoſtolus Epiſt. 4. quorum hæc eſt interpretatio, *Εἰ ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται; Si quidem juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi apparebit?* q. d. *Nuſquam*: quod Chaldæus ait, *de terra delebuntur.* Vulgatiſſima expoſitio loci, tum Hebræorum tum noſtrorum, non multùm abhorret ab hoc ſenſu, nempe, *Si quidem juſtus, ſi quid peccaverit in hac vita, recipit, & caſtigatur, etiam* (vel *tanto magis*) *impii & peccatores ſuppliciis afficientur, ſi non in hac vita, certè in alia.* Aliter, *Si viri probi & juſti, qui non delinquunt nec Legem tranſgrediuntur, recipiunt multas hujus vitæ miſerias, afflictiones & pœnas, quantò æquius eſt etiam improbos & peccatores puniri & caſtigari, vel in hac vita, ut reſipiſcant, vel ſi nolint ad meliorem venire mentem, æternis deputari ſuppliciis?*

LUCAS BRUG.

13. Q*Ui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum*] Quidam codices *amici*, quidam *animi* legunt: illud qui legant, paſſim obvii ſunt: hoc habent antiqui Epanorthotæ atque antiqui noſtri, Brugenſis, Lobienſis, Leodienſis (in hoc enim, quæ eſt poſteriorum ſyllabarum mutatio, recens eſt) duoque prætereà non contemnendæ antiquitatis integritatiſque literis P. & L. notati. Manuſcriptus liber, quem præceptori ac domino meo colendiſſimo D. Johanni Harlemio Chriſtophorus Plantinus donavit, & alter ipſius Plantini quem medium appellamus, ac tertius Buſlidiani Collegii, varietatem teſtantur. Dominicani illi ex Francia, in calce libri, hunc in modum adnotarunt, *Quidam dicunt*, Celat animi commiſſum; *alii*, Celat amici commiſſum. *Hebræus neutrum habet, ſed ſimpliciter*, Celat commiſſum. Hæc ibi. Utramque lectionem nonnulli hoc modo conjunxerunt, *Qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum*: ſic enim in Bibliis, & Dionyſii Carthuſiani commentariis Coloniæ excuſis, legitur. Et quidem ſatis arbitror eſſe certum, non utrumque legendum eſſe: ſed utrum, jam nobis eſt declarandum. Non obſcurè autem oſtendit correctiſſimorum illorum exemplarium conſenſus *animi* legendum, non *amici*: verùm ex prototypis commonſtrandum id eſt. Hebraïci codices habent ונאמן רוח מכסה דבר, quod eſt, *Et fidelis ſpiritu celat verbum.* Chaldaïci ſcribunt, ודמהימן ברוחה מכסי מלתא, h. e. *Et qui fidelis eſt in ſpiritu ſuo celat verbum.* Græci legunt, πιςὸς δὲ πνοῇ κρύπτει πράγματα, i. e. *Fidelis autem ſpiritu celat res.* Quænam hîc eſt *amici* mentio, & quæ non *animi* concors commemoratio? Sed in eo recedere videtur hæc latinorum lectio, quòd τὸ *animi* ad *commiſſum* referat (*Qui autem fidelis eſt, celat animi commiſſum*) quò nec Hebræa, nec Chaldæa, nec Græca referunt (eis enim, vel ad *fidelis* vel ad *celat*, reſpicit *ſpiritu*) niſi præter Grammatices regulas Hebræa intelligantur, id quod antiquis Interpretibus non infrequens fuit, dum rectam vocem regenti intellexerunt præpoſitam. Cæterùm huic incommodo facilè occurras, ſi dictionibus tranſpoſitis eo ordine legas quo Hebræi, Græci & Chaldæi, *Qui autem fidelis eſt animi celat commiſſum*: ſic enim *animi* ad *fidelis* referri poſſit, ità ut idem ſit quod, *Qui fidelis eſt ſpiritu.* Ac ſanè hoc ordine nonnulli Latini codices legunt, A. & Q. *Qui autem fidelis eſt amici celat commiſſum.* Lobienſis Abbatiæ antigraphum, atque alterum D. Hunnæi, L. literâ inſignitum, *Qui autem fidelis eſt animi celat commiſſum*; quanquam Lobienſe ità diſtinguat ut *animi* ad ſequentia referendum oſtendat, quo modo intelligi poſſit.

DRUSIUS.

1. מאזני מרמה. A. S. Ζύγια ἐπιθέσεως, *Statera fraudulenta*] Ἐπίθεσις, ad verb. *impoſtura*, i. e. *dolus*, *fraus*, *fraudulentia.* Gen. 27. 35. במרמה. S. ἐν ἐπιθέσει. Prov. 12. 17. ἐπίθεσις. S. δόλος. Pſal. 120. 3. לשון רמיה, *lingua doloſa.* Alius, γλῶσσα ἐπιθέσεως. ¶ אבן שלמה. Lxx. ςάθμιον δίκαιον, *pondus juſtum.* A. τέλειον, *perfectum.* S. πλῆρες, *plenum.*

2. ואת-צנועים חכמה. S. παρὰ δὲ τοῖς ἐπιμελέσι σοφία, *apud diligentes autem eſt ſapientia.* Th. καὶ μετὰ ἐπιεικῶν σοφία, *& cum æquis eſt ſapientia*] *Diligentes*: vel, *ſolicitos.* ¶ *Cum æquis: cum iis qui æquum bonum amant.*

3. תמת ישרים תנחם וסלף בגדים ישדם. * Τελειότης εὐθείων ὁδηγήσει αὐτοὺς, καὶ ὑποσκελισμὸς ἀθετούντων προνομεύσει αὐτοὺς, *Integritas rectorum deducet eos: ſupplantatio perfidorum deprædabitur eos*

4. לא יועיל הון ביום עברה וצדקה תציל ממות. * Οὐκ ὠφελήσει ὑπάρχοντα ἐν ἡμέρᾳ θυμοῦ. δικαιοσύνη δὲ ῥύσεται ἀπὸ θανάτου, *Non proderunt bona in die furoris: juſtitia verò liberabit à morte*] Hi duo verſus olim ſub aſteriſco legebantur: unde ſuſpicio mihi ſumptos fuiſſe ex alia quapiam editione.

5. וברשעתו יפל רשע. A. S. Th. καὶ ἐν ἀσεβείᾳ αὐτοῦ πεσεῖται ὁ ἀσεβὴς, *& in impietate ſua cadet impius.*

6. ישרים. A. S. Th. εὐθέων, *rectorum.* ובהות בגדים ילכדו A. S. Th. ἐν δὲ τῇ ἀδικίᾳ οἱ ἀδικοῦντες συλληφθήσονται, *in injuſtitia verò injuſti comprehendentur.*

7. תוחלת. Th. προσδοκία, *exſpectatio.*

8. מצרה נחלץ. S. Th. ἐκ θλίψεως ἐῤῥύσθη, *ex afflictione liberatus eſt.*

9. בפה חנף ישחית רעהו. A. S. Th. ἐν ςόματι ὑποκριτῶν διαφθείρει τὸν πλησίον αὐτοῦ, *ore hypocritarum corrumpit proximum ſuum*] Divino legendum ὑποκριτὴς, *hypocrita*, ut ſenſus ſit, *Hypocrites perdit proximum ſuum ore*, i. e. oratione ac verbis. ¶ ובדעת צדיקים יחלצו. καὶ ἐν γνώσει δίκαιοι ῥυσθήσονται, *& ſcientiâ juſti liberabuntur.*

10. תעלץ קריה. Sym. ἀγαλλιάσονται πόλεις, *exſultabunt urbes.* Th. εὐφρανθήσονται, *lætabuntur.* ¶ ובאבד רשעים רנה * καὶ ἐν ἀπωλείᾳ ἀσεβῶν ἀγαλλίαμα, *& in interitu improborum exſultatio.*

11. בברכת ישרים תרום קרת. * Ἐν εὐλογίᾳ εὐθέων ὑψωθήσεται πόλις, *In benedictione rectorum extolletur civitas.* ¶ תהרס. A. S. Th. καθαιρεθήσεται, *diruetur*, *evertetur.*

12. בז. A. S. Th. ἐξουδενεῖ, *nihili facit.*

13. הולך רכיל. A. διάβολος, *calumniator.* Sym. δόλιος, *doloſus.* ¶ סוד. A. ἀπόῤῥητον. Sym. μυςήριον, *ſecretum*, *arcanum.* ¶ ונאמן רוח. A. S. Th. πιςὸς δὲ πνεύματι, *fidelis animo.* ¶ מכסה דבר. S. σκοπεῖ λόγους, *ſpeculatur ſermones*] *Speculatur*, כצפה. Poſſumus etiam vertere *conſiderat.*

14. באין תחבלות יפל-עם. Th. ἐν ἀνοησίᾳ πεσεῖται λαός, *per inſipientiam cadit populus*] *Per ſtultitiam.* ¶ ברב יועץ. S. Th. ἐν πολυβουλίᾳ, *in multo conſilio.*

15. ושנא תקעים בוטח. S. ὁ δὲ μισῶν ἐμπαγὰς πέποιθεν, *qui autem odit defixiones ſecurus eſt*] *Sponſiones*, *fidejuſſiones.* Thema eſt ἐμπήγνυμι, *infigo*, *depango*, i. e. תקע, undè hîc תקעים, quod hodie reddunt *fidejuſſores.* Th. καὶ μισῶν παγιδευθῆναι πεποιθήσει, *qui non libenter illaqueatur confidet.* Ad verb. *qui odit illaqueari.*

16. אשת חן תתמך כבוד. S. Γυνὴ ἀγαθὴ ἀνθέξεται δόξης, *Mulier bona retinet gloriam.* ¶ ערצים יתמכו-עשר. Th. διακόπτοντες ἐπιλήψονται πλούτου, *perrumpentes accipient divitias.*

17. גמל. A. Th. ἀμείβεται, *remuneratur.* S. εὐεργετεῖ, *benefacit.* ¶ נפשו. S. ψυχὴν αὐτοῦ, *animæ ſuæ.* ¶ עכר שארו S. ταράσσει δὲ οἴκους ἑαυτοῦ, *turbat autem domos ſuas.*

19. ומרדף רעה למותו. A. S. Th. καὶ καταδιώκων κακίαν εἰς θάνατον αὐτοῦ, *& qui ſectatur vitioſitatem in mortem ſuam.*

20. עקשי-לב. A. S. Th. ςρεβλοκάρδιοι, *perverſo corde præditi*] i. e. Verſuti, doloſi. ςρεβλὸς propriè *tortuoſus*, *curvus.* Prov. 17. 20. עקש לב. Sym. Th. ςρεβλοκάρδιος. Hier. *Qui perverſi cordis eſt.* ¶ ורצונו. θέλημα δὲ αὐτοῦ, *voluntas autem ejus.* A. Th. εὐδοκία, *beneplacitum*] *Voluntas*: *delectatio*; ut Pſal. 1. 2. *in lege Domini voluntas ejus*: quanquam ibi חפץ *in fonte.* ¶ *Benepla-*

neplacitum: Sic vulgò reddunt Græcum εὐδοκία. Senſus eſt, *placent ei & accepti ſunt.*

21. יָד לְיָד. LXX. Χειρὶ χεῖρας ἐμβαλὼν ἀδίκως. Schol. συμβάλλων, *conjungens*] Sic dicimus συμβάλλειν δεξιὰς, *dexteræ dexteram conjungere*: Quomodo Virgilius locutus eſt. Ad quod exemplum χειρὶ χεῖρας συμβάλλον rectè vertes *manui manum conjungens*. ¶ וְזֶרַע צַדִּיקִים נִמְלָט. A. καὶ σπέρμα δικαίων περισωθήσεται, *& ſemen juſtorum ſervabitur*] i.e. Evadet.

22. נֶזֶם זָהָב. ἐνώτιον χρυσοῦν, *inauris aurea*] Ezec. 16. 12. S. ἐπιῤῥίνιον. Alii omnes ἐνώτιον. *Non quòd inauris ponatur in naribus* (verba ſunt Hieronymi ad illum locum) *quæ ex eo quòd de auribus pendeant* Inaures *vocantur*, *ſed quòd circulus in ſimilitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur. Et uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere & imminere auribus.* ¶ אִשָּׁה יָפָה וְסָרַת טָעַם. S. Th. γυνὴ καλὴ καὶ κακόφρων, *mulier pulcra & malitioſa*] *Cui mala mens eſt*, *malus animus*: aut *ſtulta*, *inſana*, *inſulſa*.

23. עֶבְרָה. Schol. ἀπόλλυται, *perit*: ἀπέρχεται, *abit*] i.e. עָבוּר, aliis punctis vocalibus.

24. מְפַזֵּר. A. S. Th. σκορπίζοντες, *diſpergentes*. ¶ וְחוֹשֵׂךְ. A. S. ὁ δὲ φειδόμενος, *qui verò parcit*. ¶ מִיֹּשֶׁר אַךְ לְמַחְסוֹר. Th. ἀπὸ εὐθύτητος εἰς ὑστέρημα, *ab æquo ad egeſtatem*] Vel *præter æquum*; ut ad præcedentia pertineat. *Qui parcit*, inquit, *præter æquum*, *ad egeſtatem perveniet*: optima interpretatio, & auro contrà non cara.

25. תְדֻשָּׁן. A. S. Th. πιανθήσεται, *pinguis fiet*. ¶ וּמַרְוֶה גַּם הוּא יוֹרֶא. Sym. ὁ δὲ μέθυσος καίγε αὐτὸς πρωϊνός, *ebrius verò etiam ipſe vernus erit*] Vel potiùs *matutinus*, & *imber* ſubintelligitur, qui Ebræis מורה dicitur, ut מלקוש *imber ſerotinus* ſive *autumnalis*. ¶ *Ebrius*: malim *qui inebriat*. Senſus eſt, Qui ſatiat & irrigat alios doctrinâ ſuâ. Huc refer, *Habenti dabitur*.

26. מֹנֵעַ. S. Th. ὁ κωλύων, *qui prohibet*] Prov. 1. 15. מנע. A. Th. κώλυσον, Hier. *prohibe*. S. ἀπόστρεψον, *averte*. Κωλύων σῖτον, *qui ſupprimit triticum*, *frumentumve*, quive non vendit juſto pretio. Tales dicuntur *attentare*, *onerare*, *vexare annonam* Ulpiano; *incendere* & *excandefacere* Varroni; *vaſtare* Lampridio; *flagellare* Plinio, ut in illo, *Arca flagellat opes*. Lxx. hîc habent, ὁ συνέχων σῖτον ſed in nonnullis cod. legitur ὁ τιμαλφῶν σῖτον, quod reddunt *captans pretia frumenti*. ¶ יִקְּבֻהוּ לְאוֹם. A. καταράσονται αὐτον - - - *exſecrabuntur eum* - - - S. λαοκατάρατος, *populo maledictus erit*. Th. δημοκατάρατος, *populo exſecrabilis & inviſus*: *à populo diris devovebitur*. ¶ מַשְׁבִּיר. A. Th. πιπράσκοντος, *vendentis*. S. πωλοῦντος, *vendentis*.

27. שֹׁחֵר טוֹב יְבַקֶּשׁ רָצוֹן. A. ὀρθρισμὸς ἀγαθοῦ ζητεῖ εὐδοκίαν, *feſtatio diligens boni quærit benevolentiam*] Puto Aquilam ſcripſiſſe ὀρθρίζων ἀγαθὸν, *qui manè quærit bonum*; idque ſequentia evincunt. ¶ *Benevolentiam*: favorem Dei & hominum.

28. כֶּעָלֶה צַדִּיקִים יִפְרָחוּ. S. ὡς θαλλὸς δίκαιοι βλαστήσουσι, *ut ramus virens juſti germinabunt*] Vel *ut germen*.

29. עֹכֵר בֵּיתוֹ. A. S. Th. ταράσσων οἶκον, *turbans domum*.

30. פְּרִי צַדִּיק עֵץ חַיִּים. A. S. Th. καρποὶ δικαίου ξύλον ζωῆς, *fructus juſti lignum vitæ*] *Lignum*, i.e. arbor.

A M A M A.

1. SEnſus, ſummè diſplicet Deo ſi quæ tanquam inſtrumenta ad jus & juſtitiam inſtituta ſunt à Deo, per fraudem inverſa eorundem incommodo cedant. Non dicit exoſum eſſe ſed abominandum. Et per Meton. per lances doloſas intelligi homines, &c.

Lapis] Eorum uſus in ponderibus. Deuteron. 25. Mich. 6. Nota eſſe hic tantum antitheſin Dei & hominum, q. d. etiamſi homines non tanti faciant hoc crimen &c. Extende ad omnes menſuras liquidorum, aridorum, & eorum quæ ſunt quantitatis continuæ, ut ulnæ &c.

2. *Venit ſuperbia*] Ubi videris aliquem faſtu ſeſe efferre & inſolentius intumeſcere, indica mox ei affuturam ruinam. Idem dicit Prov. 15. 33. ubi pro poſteriori hemiſt. *& ante gloriam manſuetudo*. Prov. 18. *Ante calamitatem extollit ſe cor hominis*. Prov. 16. *Ante calamitatem ſuperbia & ante caſum elatio Spiritus*. Ut venti deſituri vehementiſsimè ſolent ſpirare, ſic mortales, cùm maximè ſe efferunt, tum proximi exitio eſſe ſolent.

Tolluntur in altum, *ut lapſu* &c.

Plut. *Ut Deus iis iraſcitur qui fulmen & tonitru imitatur*, *eoſque in Tartara præcipitat*, *ut Salomonem apud Poëtas*, *ita ſuperbis & elatis indignatur*, *qui magnitudinem æmulantur*, *bonitatem non exprimunt*.

צנועים, Mich. 6. 8. הצנע modeſtè agendo ל. Diſcamus itaque juxta monitum Apoſt. Rom. 12. μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Et Rom. 11. μὴ ὑψηλοφρονεῖν ἀλλὰ φοβεῖσθαι.

3. Diſcamus ergo τὸν ὄφιν &c. Matth. 10. & pedibus proteramus illud Mach. *Exuviis leonis vulpinam pellem aſſuendam*: סלף ὑποσκελισμὸς ſupplantatio.

4. *Non proſunt*] Supra dixit de opibus iniquè partis. Hic in genere, ne quis putaret opes juſtè partas inſtar arcis eſſe tempore exundantis iræ. Senſus eſt, pacatis rebus aut leviter turbatis poteſt aliquantulum prodeſſe, at tempore iræ nihil. Hæc ira poteſt tribui vel homini vel Deo.

Homini, ut cujus uxorem quis temeravit Prov. 6. 35. Jeſ. 13. 17. Minatur ſe ejuſmodi milites immiſſurum, qui argentum non ſint æſtimaturi, nec acceptaturi aurum. Sic 2 Reg. 24. ubi docetur divitias veluti ineſcationis loco fuiſſe, quâ captivi abducti ſunt divites cùm interim pauperes patriæ relicti ſint.

Deo. Tum minùs proſunt. Dies iræ multiplex. 1. Cùm Deus illorum conſcientias excitat. 2. Cùm per mortem illos evellit. Pſal. 49.

Diſcamus ergo ſi divitiæ affluunt, fiduciam in illis non locare, utpote rebus fluxis & caducis.

5. *Juſtitia integri*] Nota non חנף hypocrita

6. *Juſtitia*] Ea duplex, imputata, quæ Chriſti, ea eſt arbor & veluti cauſa. Altera noſtra, quæ eſt effectus & velut fructus. De poſteriori loquitur fere in Proverb.

Supra dixit de integr. hic de juſtitia, quæ eſt omnium virtutum quaſi univerſitas, ἡ δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην &c.

Perit expectatio] Quicquid expectat, i.e. caducæ divitiæ &c. quæ cùm hujus vitæ ſpatio definiantur tantum, neceſſe eſt vita defunctos ſuâ ſpe excidere.

Contrà pii anchoram ſuam non in terra, ſed ſurſum in cœlum jaciunt.

תקות אונים, Spes valentiſſima, ad verbum *roborum*. Sic Jeſ. 40. 29. qui dat laſſo robur ולאין אונים עצמה ירבה robur auget. Aliis, בעלי און, i.e. iniquus.

9. *Hypocrita*] Dum aliud loquitur, aliud ſentit, proximum evertit, vel ſi in genere accipitur pro homine malo, extendi poteſt ad conſortia malorum.

10. *Cantus*] Lætitia. Vide ap. Suet. in Tiber. & Nerone.

12. *Silet*] Vel, quod non contemnat alterum. Vel, quod contemptum iſtum contemptu & ſilentio ulciſcatur, vel, quod *ſurdum agat* (nam & hoc vox Ebræa ſignificat) nec aurem præbeat ejuſmodi contemptori.

13. [רכיל] Pro ברכיל, cum delatione, detractione. Sic Jezech. 22. אנשי רכיל. רכל propriè eſt inſtitor, mercator, circumforaneus, ut is merces, ita hic rumores colligit. Tales fere ſunt omnes ocioſi. Vid. 1 Tim. 5. 13.

14. *Verbum*] Sc. tacendum. Sunt enim quædam quæ taceri non debent, ut blaſphemia, proditio, & quæ ad manifeſtum detrimentum Reipubl. tendunt, unde tale quid etiam in juramento Academico exigitur à ſtudioſis.

15. [תחבולות] Hinc eſt βουλή & βουλεύω. Sic Jeſ. 3. Propheta denuncians Eccleſiæ & Reipubl. internecionem minatur ſubtractionem prudentis conſiliarii.

[ברוב יועץ] i.e. יעצים. Arguitur ex priori membro. Et ita eſt ſi conſiliarii ſint boni. Jun. *in amplitudine conſiliarii*, i.e. ſi conſiliarius prudentia & pietate ſit inſtructus. Videtur non approbaſſe multitudinem conſiliariorum. Certe ſæpe in magnis cœtibus evenit, quod de duobus Florentinis Altovitio & Alemanno narrat Rainoldus.

15. *Conterendo conteretur*] Vide Regulas Text. In verbo eſt Metaphora à vaſe teſtaceo. Pſ. 2.

זר] Omnis qui vel cujus conditio nobis eſt ignota, vel pro, nec tutum nec conſultum ſit fidejubere.

Odit] Id eſt, fugit, abſtinet, vel abſtinendo à fidejuſſ. oſtendit ſe odiſſe eam. Eſt Meton. cauſæ.

16. *Gratioſa*] Intellige de gratia animæ.

תתמך] Continebit, retinebit. Subinnuitur qui hunc honorem illi ſtudebunt eripere.

עריצים Potentes, formidabiles, tyranni. Elias ait ſemper ſumi in malam partem. Jer. 20. 11. Dominus comparatur Giganti עריץ.

17. גמל. R. Levi putat opponi iis qui præcipuam partem cultus divini in eo ponunt, quod carnem ſuam affligant. Alii putant opponi Euclionibus. Ego puto opponi iis qui putant omne id perire quod pauperibus datur. Ergo, vir miſericors erga pauperes ſibi ipſi beneficus eſt. Alibi dicit *eos fœnerari Deo*.

Quomodocunque exponas גמל ſignificat benefacere, unde Lxx. ἀγαθὸν ποιεῖ. Vide Pſ. 103. 1. Prov. 3. 28.

Crudelis] Non ergo is tantum crudelis, qui alios ſpoliat & oppri-

opprimit, ſed ille quoque qui nihil de ſuo confert, qui claudit viſcera ſua.

18. *Opus mendacii*] Opus cui merces non reſpondet. Vel, comparat præmium falſum. פעלה pro mercede operis Levit. 19. 13. *Ne ſinas pernoctare* פעלת שכיר *opus mercenarii*, i. e. mercedem operis. Fallit ipſum quicquid præmii loco expectavit, & diverſum præmium conſequitur.

Serentis juſtitiam &c.] Id eſt, Eleëmoſynam diſtribuentis. Vid. ſupra.

31. *Juſto in vita* (*hac*) *rependitur*] In malum. Caſtigatur à Deo. LXX. *εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, ubi peccator & impius φανεῖται.* Sic Petrus Ep. 1. c. 4. Convenit cum hoc loco quoad ſenſum, ſi vox *σώζεται* ibi accipiatur non cum reſpectu ad vitam æternam, ſed afflictiones temporales. 1. In Salomone agitur de tali aliqua re, quæ accidit juſtis in hac vita. 2. Petrus citat hunc locum ut doceat, judicium incipere à domo Dei, ab iis qui credunt Euangelio. Judicium autem illud conſiſtit in afflictionibus. 3. Non poſſet ſtare expoſitio communis, niſi cum hyperbole. Sed vide Mercerum.

Σωτὴρ & *σώζεσθαι* non ſemper dicitur cum reſpectu ad vitam æternam 1 Tim. 4. Vocatur D. *σωτὴρ πάντων.* Pſ. 36. *Beſtias & homines* את תושיע יהוה.

אף כי *Quanto magis*] Quia præcedit ſententia affirmativa. Sic Prov. 15. 11. *Infernus & Abaddon ſunt coram* eo, אף כי *quanto magis corda hominum.* Contra præcedente ſententia negativa, *quantò minus* ſignificat, 1 Reg. 8. *Cœlum cœlorum non capit te*, אף כי *domus hac.* Nota in primo hem. addi בארץ. Perpende annon inde argumentum extrui poſſit contra purgatorium.

GROTIUS.

1. S*Tatera doloſa abominatio eſt apud Deum*] Similia infrà 20. 10. & 23. in una ſpecie omne genus injuſtitiæ vetatur. Omnis enim injuſtitia *ἀνισότης* [*inæqualitas.*]

10. *In bonis juſtorum exſultabit civitas*] Euripides Hecubâ

Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ.
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον.

[*Hinc civitatis publica ægrotat ſalus,*
Virtute quoties clarus & conſtans fide
Nil præmiorum peſſimos ſupra refert.]

14. *Ubi non eſt gubernator, populus corruet*] In Hebræo: *Sine induſtriis corruet populus.*

———— οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς,
Οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι.
Ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ,

———[*Non populi ſita eſt*
In mole vaſta corporis ſecuritas,
Sed mente quiſquis præſtat imperium obtinet,]

ait Sophocles Ajace.

17. *Qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit*] In Hebræo, *Crudelis verò carnem ſuam turbat:* id eſt, rationem nullam habet propinquitatis. Vide Deuteron. 23. 7. & quæ allata nobis de Jure Belli ac Pacis 2. cap. 7. §. 10. & in Annotatis.

22. *Circulus aureus in naribus ſuis*] Id eſt, *porca*, Habebant fœminæ monilia *ἐπίῤῥινα* [*ad nares.*] Vide Jobum 42. 11. & ibi dicta.

24. *Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt*]

Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι.
Τὰ δὲ ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις,

[*Aliena namque pro ſuis qui vindicant,*
Perſæpe non tantum improbâ ſpe decidunt
Victi, ſed apponunt & alienis ſua,]

ait Menander.

26. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*] Id eſt, *qui flagellat annonam, Dardanarius.*

Benedictio autem ſuper caput vendentium] In Hebræo *frangentis:* id eſt, aliis cummunicantis non iniquo pretio. Exemplum in Joſepho Ægypti Præſide.

29. *Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos*] Qui neque ordinem neque modum ſervat in adminiſtratione rei familiaris

CAP. XII.

MUNSTERUS.

4. M*Ulier ſedula*] Vocat Hebraïſmus mulierem fortem & ſtrenuam in actionibus ſuis, & quæ muliebri mollitie non diſſolvitur, *coronam & ornamentum mariti.* Et eſt hic אשת חיל idem quod אשה הזריזה, ſicut vertimus. Per *mulierem confuſibilem* intellige מתעצלת במעשיה *ignavam in rebus gerendis, & quæ non ſedulò facit officium ſuum.* Sunt qui hic מבישה exponunt pro מתאחרת *quæ ſcilicet tarda & ſegnis eſt in exſequendis domûs miniſteriis.*

5. *Judicia*] Nihil cogitant juſti quàm quod æquum & juſtum eſt, & quod æquitatem manu tenet.

6. *Inſidiantur ſanguini*] Impii cogitant, loquuntur & ſtudent effundere ſanguinem innocentem; juſti autem ſtudent liberare innocentem.

9. *Suipſius ſervus*] h. e. Qui fideliter in domo & in agro laborat, & prædia unde vivit colit, contentuſque eſt conditione ſuâ, hic præſtat glorioſo qui alios cogit in ſervitutem ſuam.

10. *Animam jumenti ſui*] Hebræi ſic exponunt, *Juſtus nedum in hominem eſt miſericors, verùm & in bruta animalia, quibus prævidet vitæ neceſſaria.*

12. *Rete*] Heb. *venationem.* Venatio autem malorum hominum eſt aſtutia illa, quâ per fas & nefas aliorum inhiant bonis: id quod juſti non faciunt, qui & ſua largiuntur.

14. *Reſtituetur ei*] Heb. *reſtituet ei*, ſub. *Deus*, ut Aben-Ezra exponit: ut ſit ſenſus, *Deus reddit homini juxta opera manuum ſuarum.*

16. *Cognoſcitur ex ira*] Quòd ſcilicet irritatus ſtatim ulciſcitur dolorem. Callidus autem reprimit ſe, nè quid ex ira faciat quod poſtea eum pœniteat.

18. *Quaſi puncturis gladii*] Pluribus nocet lingua quam gladius. Aben-Ezra exponit de falſis teſtibus.

19. *Uſque ad momentum*] Quidam hîc exponunt ארגיעה pro רגע, & זמן קצר, ſicut nos quoque vertimus: ut ſit ſenſus, Vix ad horam unam lingua falſa poteſt veritatem dicere, quippe quæ ſibi nunquam conſtat.

21. *Non accidet juſto*] i. e. Protegit Deus ſuos, ut malorum hominum mali conatus, quibus pleni ſunt, illis nocere non poſſint. Capitur autem hîc יאנה pro יזרכן & יקרה, licet ſit paſſivum Piel.

22. *Aſtutus operit ſcientiam*] h. e. Non temere neque ad oſtentationem effundit ſapientiam ſuam, ſicut ſtulti faciunt, qui priuſquam didicerint volunt eſſe magiſtri.

24. *Manus ſedulorum*] Sunt qui hîc חרוצים exponunt pro זריזים בבקשת מחייתם, *his qui ſeduli ſunt ad parandum victum manibus ſuis, & qui proximum non gravant, nec torquent ab eo injuſtum lucrum, ſicut faciunt qui remiſſâ ſunt manu aut doloſâ,* ut Hebraïſmus habet.

26. *Excellit juſtus proximum*] i. e. Juſtus qui Deum habet propitium, in omnibus eſt felicior homine injuſto.

27. *Non aduret*] i. e. Fraudulenti & doloſi homines ſæpe inhiant rei alicui, & aſſequuntur eam, ſed commodum ejus non percipiunt: fitque eis ſicut venatori cujus captam feram canes comedunt antequam ille eam aſſaverit. Quod autem homo juſtus habet, illud à Deo tanquam theſaurus cuſtoditur. Et nota quòd חרוץ hîc referendum eſt ad אדם, & יקר ad הון. Eſt autem חרוץ, ut priùs quoque diximus, *qui honeſto labore victum ſuum ſibi parat, neminem decipere cupiens.*

VATABLUS.

2. H*Aurit beneplacitum* יפיק רצון] Fut. Heb. pro. præſ. *educit* [ſive *exire facit*] *benevolentiam*, aut *gratiam*: i. e. accerſit ſibi benevolentiam. ¶ *Malarum cogitationum* מזמות] *Sceleſtum*: id hoc loco ſignificat vox Hebræa: alias ſimpliciter ſignificat *cogitationes.*

3. *Non erit ſtabilis* לא יכון] *Non ſtabilietur, firmus erit*: i. e. non perdurabit, ſed ſtatim peribit. ¶ *Homo in impietate* אדם ברשע] Hebraïſmus, pro *homo impius.*

4. *Fortis* חיל] Ad verb. *virtutis.* Quidam, *virtutibus prædita.* Alii, *ſedula*, vel *ſtrenua.*

5. Sunt *judicium* משפט] Sunt *jus*: i. e. juſtæ. ¶ *Conſilia* תחבולות] *Induſtriæ, ſtudia, cogitationes.*

6. *Ad inſidiandum* ארב] Infinitivus Heb. *inſidiari*, vel, *ad inſidiandum*, ut ſubaudiatur ל.

8. *Intellectum ſuum* שכלו] *Intelligentiam ſuam*, i. e. cognitionem.

9. *Ignobilis* נקלה] *Abjectus, deſpectus, obſcurus.* ¶ *Cui eſt ſervus* ועבד לו] *Et ſervus ſibi*: i.e. qui ſibiipſi inſervit, & ſuum officium facit.

10. *Cognoſcit*, &c. יודע צדיק נפש בהמתו] Hebraïſmus, pro *Curam gerit jumentorum ſuorum, quanto magis curæ ſuæ commiſſorum?* ¶ *Crudeles* אכזרי] Singulare eſt, *crudelis*: propterea ſubaudiunt Hebræi ex præcedentibus, *ſunt miſerationes hominis crudelis*: q.d. Non miſerentur.

11. *Vacuos* ריקים] *Otioſos, ignavos.* In V. Interprete ſequens verſus, *Qui ſuavis eſt*, &c. non loquitur in vetuſtioribus ſcriptis codicibus, ut nec Hebraïcè.

12. *Rete* מצוד] i.e. Artes malorum, à צוד. Alii vertunt *munitiones*, vel *præſidium*, à מצד, quo ſcilicet tutò poſſit alios lædere. ¶ *Radix*, &c. ושרש צדיקים יתן] *Radicem autem juſtus* (i.e. quiſque juſtorum) *dabit.* Alii, *radix autem juſtorum* etiam ſua *tribuit.*

13. *In prævaricatione labiorum laqueus* hominis *mali* בפשע שפתים מוקש רע] *Propter iniquitatem labiorum irretitur malus.* Quidam, *in prævaricatione labiorum laqueus malus.* ¶ *Egredietur autem* ויצא] *Evadit autem.*

14. *Oris* ſui *vir ſaturabitur bono* פי איש ישבע טוב] *Oris* ſui *quiſque bonis fruetur.* Vel, *unuſquiſque ſatiatur bono.* Alii, *oris cujuſque ſatiabitur bono.* Ad verb. *De fructu oris viri ſatiabitur bono*: ubi antecedens eſt in loco in quo debuit eſſe relativum; pro, *Quiſque de fructu oris ſui comedet bonum.* Quidam ſubaudiunt *ſapientis*, & vertunt, *De fructu oris* ſapientis *quiſque ſatiabitur bono.*

16. *Cognoſcetur ira* יודע כעסו] Fut. Heb. pro præſ. *nota ſit ira ejus.* Relativum redundans. i.e. Stultus ſtatim prodit iram ſuam datâ occaſione. ¶ *Ignominiam* קלון] *Injuriam*, ſub. *ſibi factam.* Quidam, *at cautus injuriam diſſimulat.*

17. *Annunciat juſtitiam* יגיד צדק] *Indicat juſtitiam*: i.e. loquitur quæ juſta ſunt qui verax eſt. ¶ *Mendax* שקרים] Ad verb. *mendaciorum.* ¶ *Doloſus eſt* מרמה] Ad verb. *fraus.* Sub. איש, i.e. *vir*: ut vertas, *vir eſt fraudis*, ſive *fraudulentus.*

18. *Veluti confeſſiones* כמדקרות] *Veluti punctiones.*

19. *Labium veracis* שפת אמת] Ad verb. *Labium veritatis*: i.e. Sermo verax. ¶ *Et ad momentum*, &c. ועד ארגיעה וגו׳] i.e. Lingua mendax ſtatim prodit ſeſe; & tunc ארגיעה eſt nomen, & א additum. Alii volunt eſſe verbum, & ועד ut ולעד, vertentes, *& in perpetuum ceſſare faciam linguam mendacii*: vel, *ſuccidam linguam mendacem.*

22. *Et in facientibus*, &c. ועשי אמונה רצונו] Ad verb. *& factores veritatis, beneplacitum ejus*; i.e. veraces ſunt Grati Deo.

23. *Operit* כסה] Ità Hebraïcè ut vertimus: i.e. non oſtentat; *diſſimulat*, ut quidam vertunt.

24. *Solicitorum* חרוצים] *Sedulorum*, i.e. qui ſtrenuè obeunt munia, erunt domini aliorum. ¶ *Doloſa verò* רמיה] *Fraudulenta verò*; i.e. otioſa: q.d. Ceſſatores erunt tributarii.

26. *Abundantior eſt* יתר] *Ditior eſt*; *copioſior.* Alii, *Excellit proximum ſuum.* Alii, *Præſtantior eſt proximo ſuo.*

27. *Non adurit vir doloſus* לא יחרך רמיה] Ad verb. *Non aduret fraus*: pro *vir fraudis*, i.e. fraudulentus: q.d. Etiam non eſt habiturus quod ſibi paret ut edat: h.e. etiam cibo carebit. ¶ *Divitiæ*, &c. והון אדם יקר חרוץ] i.e. *Pretioſum quod eſt inter ſubſtantias* (aut *opes*) *hominis, eſt ſolicitudo.* Alii vertunt, *ſubſtantia hominis pretioſa ſeduli*, inverſo dictionum ordine, pro, *divitiæ hominis ſeduli, diligentis & ſoliciti ſunt pretioſæ.*

28. *Semitæ ejus* נתיבה] Nempe *juſtitiæ.* Annotant Hebræi ה eſſe affixum ſine Mappic. Quidam ſine eo pronomine vertunt, *& hac ipſa via nequaquam ad mortem*, ſub. *ducet*; vel ſubaudito ב, *& in hac ipſa via non eſt mors.*

CASTALIO.

12. C*Upit impius*] Ità ſe gerit ut cupere videatur. ¶ *Quod venantur mali*] Exitium.

23. *Cautus homo tegit quod ſcit*] Arcana celat. ¶ *Inſanorum mens ſtultitiam prædicat*] Stulti effutiunt omnia.

27. *Non torrebit ignavia ferinam ſuam*] Nihil capit ignavus.

CLARIUS.

4. Q*Uæ confuſione res dignas gerit*] Vel, *confuſione digna*, h.e. ut quidam interpretantur, ignava in rebus gerendis & in exſequendis domeſticis officiis.

6. *Inſidiantur ſanguini*] Impii ſtudent effundere ſanguinem innocentem, juſti autem ſtudent liberare innocentem.

7. *Verte impios*] Alius vertit, *Subvertit Deus ſtatum impiorum, & non ſunt*, &c. vel ſic, *Subvertendi ſunt*, vel *digni qui ſubvertantur, & non ſint.*

9. *Sufficiens ſibi*] Qui ſtudioſè operatur, & agros, unde vivat, colit, contentus conditione ſuâ.

10. *Animas jumentorum ſuorum*] Juſtus non ſolùm in homines eſt miſericors, verùm & in bruta animalia. Vide Jacob quid ajebat; *Si greges meos nimium defatigari ambulando fecero, morientur cuncti unâ die.*

12. *Deſiderium impii*] Alius vertit, *Deſiderat impius rete malorum hominum: radix autem juſtorum etiam ſua tribuit*; ut ſit ſenſus, Venatio malorum hominum eſt aſtutia illa qua per fas & nefas aliorum inhiant bonis: id quod juſti non faciunt; qui etiam ſua largiuntur.

18. *Quaſi puncturis gladii*] Pluribus enim nocet lingua quàm gladius.

19. *Uſque ad momentum*] Quidam ſic exponunt, *Vix ad horam unam lingua falſa poteſt verum dicere, quippe quæ ſibi nunquam conſtet.*

21. *Non contriſtabit juſtum*] Alius vertit, *Non accidet juſto ulla iniquitas*: h.e. protegit Deus ſuos, ut malorum hominum mali conatus, quibus pleni ſunt, illis nocere non poſſint.

23. *Verſutus celat ſcientiam*] h.e. Non temere neque ad oſtentationem effundit ſapientiam ſuam, ſicut ſtulti faciunt, qui priùs quàm didicerint volunt eſſe magiſtri.

26. *Excellit juſtus*] Juſtus, qui Deum habet propitium, in omnibus eſt felicior homine injuſto.

27. *Non inveniet fraudulentus*] Fraudulenti non percipient commodum ex iis quibus inhiarunt; quod autem homo juſtus habet, illud à Deo tanquam theſaurus cuſtoditur. Pulcrè autem Interpres explicuit Hebraïſmum, qui ſic ait, *Non aduret fraudulentus venationem ſuam*: ut ſignificet id illi accidere quod venatori cujus captam feram canes comedunt antequam ille eam aſſaverit.

R. BAYNUS.

1. Q*Ui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam; qui autem odit increpationem, inſipiens eſt*] Quamvis hæc doctrina videatur ad juventutem peculiariter referenda, tamen ad omnem ætatem accommodari poteſt. Ut enim juvenes qui præceptorum diſciplinam non ferunt neque manum ferulæ ſubdunt, literas non amant (uſqueadeo inſolens & à labore ad otium proclivis eſt pueritia ut niſi caſtigata ad nullam frugem ferè pervenit) haud aliter res ſe habet in Scripturarum ſcientia & rerum Divinarum cognitione; Ab integritate morum (quemadmodum ſuperiùs diximus) incipiendum eſt. Nam niſi vitam mutaveris & increpationibus aures præbeas, non poteris Divina intelligere myſteria. Solus ille qui vitam corrigit, *amat ſcientiam*, eruditus in S. literis evadit: qui verò incorrigibilis eſt, *inſipiens* & indoctus habetur in ſchola Sapientiæ, etiamſi magno faſtu ſcientiam jactet.

2. *Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino, qui autem confidit in cogitationibus ſuis, impiè aget.* Heb. *Bonus educet voluntatem à Domino, & virum cogitationum malarum condemnabit*] Audivimus diſcrimen inter virum doctum & inſipientem: Hâc clauſula oſtendit latiſſimum diſcrimen inter bonum & malum. Obſerva, lector, *quod placitum eſt*, ſive *voluntatem*, poſſe referri ad *bonum* vel ad *Dominum*: ut ſit ſenſus, *Qui bonus & clemens eſt educet ſuam voluntatem à Domino*, h.e. impetrabit juxta ſuam voluntatem. Quemadmodum ille bonus eſt & aliorum ſe accommodat voluntatibus, ità quod vult à Domino accipiet, ut de bono beatus fiat, juxta definitionem illam, *Beatus eſt qui habet quicquid vult, & nihil malè vult.* Vel *voluntas* ad *Dominum* refertur; quod magis arridet: & erit ſenſus, *Bonus eſt ſimpliciter ille qui opere profert id quod Domino placet, quod ejus voluntati congruit.* Igitur ſi quærimus quis ſit bonus, vel qua ratione quis bonus evadat, facilis eſt reſponſio, *Ille nimirum qui Deo placet, omnis bonitatis fonti, & ex ſe bono*, Luc. 18. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, per cujus voluntatem & benignitatem bonitatis participes efficimur. Contrà, *Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.* Abſolutè malus eſt vir ille quem ob iniquitates vel iniquas cogitationes Deus iniquum judicabit: q.d. Poſſimus oculos hominum & judicium fallere, bonitatem oſtentare (nam ab hominibus innocens quandoque iniquus judicatur, & improbus abſolvitur) ſed abſolutè malus & iniquus eſt quem Deus condemnaverit: q.d. Ille Judex placandus eſt; quod illi placet quærendum eſt, non in operibus ſolùm, ſed in cogitationibus.

3. *Non roborabitur homo ex impietate, & radix juſtorum non commovebitur.* Heb. *Non dirigetur homo in improbitate, & radix juſtorum non mutabit*] Dictum eſt, *Vir cogitationum malarum*

rum à Domino habebitur pro improbo, h. e. condemnabitur & ſuppliciis afficietur, neque ſtabilietur in improbitate ſua: q. d. Sunt improbi uſque adeò potentes aliquando & fortes ut legibus non poſſint coërceri neque Judicem in terris agnoſcant, tamen diu perſeverare non poſſunt nullis cogitationibus aut iniquis conſiliis, quibus conantur ſeſe & poſteritatem ſuam in improbitate ſtabilire. Nam Divina providentia cautum eſt nè diutiùs duret is qui pauperes opprimit aut à veritate conatur homines avertere: *dies* enim illorum *propter electos breviabuntur*. Secunda particula duplicem habet expoſitionem, vel quòd *radix juſtorum*, h. e. poſteritas, *non mutabit neque deficiet*; vel quod *juſti tanquam radix non mutabunt*, ob ullas afflictiones improborum, aut falſam doctrinam eorum qui malè cogitant. Prior expoſitio eſt melior. Videtur præterea Metaphora *radicis* indicare illa duo verba *roborabitur* & *non commovebitur* debere referri ad poſteritatem impiorum & juſtorum.

4. *Mulier diligens corona eſt viro ſuo*; *& putredo in oſſibus ejus, quæ confuſione res dignas gerit.* Heb. *Mulier fortis corona mariti ſui*; *ſed tanquam putredo in oſſibus ejus, mulier confundens*] Quia dixit, *Radix juſtorum non movebitur*, h. e. poſteritas, ut expoſuimus, opportunè uxoris facit mentionem, per quam vir juſtus liberos bene inſtructos relinquit. Poſſumus interpretari, *mulier fortis*, vel *locuples*. Intelligitur ſtudioſa & ſedula, quæ familiam egregiè tuetur ac moderatur, quæ adulteros & omnem infamiam longè arcet ab ædibus, quæ rem domeſticam auget, denique quæ liberos liberaliter educat, *per quos ſalvabitur*, ut inquit Paulus, 1 Tim. 2. *ſi permanſerint in fide.* Talis mulier eſt veluti *corona marito*, h.e. ſummo honore & lætitiâ virum afficit. Contrà *mulier quæ confuſionem affert* marito, dum prædictis virtutibus contraria vitia ſectatur, *eſt tanquam putredo in oſſibus illius.* Cui malo aut nullum aut cum ſumma difficultate remedium adhibetur, vel quòd ſummo cruciatu & continuo laborat vir illius, tanquam morbo, non qui carnem aut ſanguinem exedat, ſed ipſa oſſa corrodat ut tinea lignum. Neſcio an ulla Metaphora domeſticum malum quod patitur maritus ab importuna & impudente muliere poterit aptiùs exprimere. Si per *mulierem fortem* Eccleſiam, quæ uſque ad mortem reſiſtit violatoribus & corruptoribus religionis, intelligamus, quæ ſit *corona* Sponſi Chriſti, ſenſus erit myſticus.

5. *Cogitationes juſtorum judicia, & conſilia impiorum fraudulenta*] Latiſſimum diſcrimen inter juſtum & iniquum; quorum ille ſtudium impendit & ſolicitus eſt non de privato ſuo commodo ſed de alienis; nè quis injuriam patiatur, ut unuſquiſque quod ſuum eſt poſſideat, ut tranquillam vitam degant homines, ſine fraude, ſine lite, cum pace & amicitia. O felix conſcientia quæ hujuſmodi cogitationibus vacat! Contrà, improbi tantum abeſt ut cuiquam prodeſſe velint ut illuc omnia conſilia conferant, ſtudium & induſtriam referant, quò per dolos circumveniant quos violentiâ & viribus ſuperare non poſſunt. Sunt qui ſenſum magis contrahunt, ut oſtendat verſiculus quid juſtus cogitet de improbis, & contrà quid improbi de juſtis: q. d. Totum ſtudium & *cogitationes juſtorum* circa improbos non aliò ſpectant niſi ut ad *judicium* & æquitatem revocentur, & ut deſinant eſſe iniqui: ob quam piam mentem illi malam gratiam referunt, cogitantes per fraudem juſtos opprimere, quando juſtè non poſſint, ut liberiùs iniquè agant, ſublatis videlicet juſtis, qui judicium quærunt inter virum & virum. Quàm *fraudulenta* fuerint olim Judæorum *conſilia* contra Chriſtum & Apoſtolos infidelium quoque & tyrannorum contra Chriſtianos juſtificatos in Chriſto, ſi quis ignorat, ex hiſtoriis licet intelligere. Quantas verò fraudes & dolos conſiliis ſuis machinantur hæretici contra Eccleſiam Chriſti, quæ juſtorum congregatio eſt, heu quotidianâ & nimis certâ diſcimus experientiâ.

6. *Verba iniquorum inſidiantur ſanguini, ſed os rectorum eripiet eos*] Neque fraude ſolùm & dolo conſilium ineunt improbi adversùs juſtos & probos, ſed capto conſilio de ſuſtollendis illis verba conferunt, aut ſeſe mutuò cohortantur ut ponant inſidias & interficiant illos. Aut falſa teſtimonia intelligimus per *verba*; aut abſolutè intelligimus *verba* pro *rebus*; q.d. *Inſidiari ſanguini* (ſic habet contextus Hebræus) *ſunt res peſſimorum.* Aliter, Iniquitate & injuſtitiâ multa in bona fortunæ committuntur, ſed qui *contra ſanguinem inſidias machinantur, ſunt impii*; per verba impiorum, vel juxta verba impiorum faciunt. Prior expoſitio magis placet, quia cum ſequentibus magis conſentit, nempe, *Os rectorum eripiet eos*] *juſtos* ſupple, quorum *ſanguini inſidiantur improbi*: vel, *os rectorum eripiet ſeipſos*, dum ſeſe coram Judice tuentur & innocentes oſtendunt contra improborum inſidias; nam melior erit cauſa rectorum quàm iniquorum coram probo & juſto Judice. Quòd ſi non ſe poſſunt tueri recti, neque à fraude aut inſidiis malorum liberare proprio ore, at coram æquo Judice ſemper causâ cadunt improbi. Unde ſequitur,

7. *Verte impios, & non erunt; domus autem juſtorum permanebit*] Juxta phraſim Hebraïcæ linguæ neceſſariò ſubintelligitur aliquid ad integritatem ſenſûs: nam in Hebræo legitur *vertere*; & aut ſubintelligitur, *Deus vult vertere improbos ab hac vita*, vel *vertere eos nè ampliùs inſidientur ſanguini*; *& non erunt ampliùs*, *aliqui* ſup. *qui inſidientur ſanguini.* Aut infinitivus modus pro imperativo ponitur, quod frequens eſt in Scripturis: q. d. *O Deus, verte improbos, ut non ſint.* Vel denique, *Tu quiſquis es qui ægre fers hanc improborum importunitatem, verte faciem tuam, & abſconde oculos. Nam ſtatim non erunt impii*, juxta illud Davidis Pſal. 37. *Tranſivi, & ecce non erat.* Lxx. quoque clauſulam hanc abſolutè intelligunt, Οὗ ἐὰν ςραφῇ ὁ ἀσεβὴς, ἀφανίζεται, *Ubicunque vertatur impius, deletur, de medio tollitur*: q. d. *leviſſimè & minimo negotio peribit*, ut expoſuimus. ¶ *Sed domus juſtorum*] h. e. Familia & poſteri remanebunt: quaſi dicat, Habet juſtitia ſuum præmium non ſolùm in futuro, ſed in hac vita quoque, dum in longam ſeriem propagatur illius familia. Erit alius ſenſus ſubaudiendo *ſi velis*, vel *coneris*, *convertere improbos ab improbitate ſua, non erunt converſi*, vel *non permanebunt, ſed ſtatim redeunt ad priſtina mala*; *ſed juſti ſunt ſtabiles, & permanent in juſtitia.* q.d. Ex fine & perſeverantia perpendimus bonos & malos, non ex converſione inſtabili. Senſus iſte non eſt alienus à loco, neque mihi diſplicet.

8, 9. *Doctrinâ ſuâ noſcitur vir, qui autem vanus & excors eſt, patebit contemptui. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus & indigens pane.* Heb. *Propter intellectum ſuum laudabitur vir, ſed obliquus* (vel *perverſus*) *corde, erit ignominioſus. Melior eſt contemptus qui famulum habet, quàm jactans ſe cum inopia panis*] Cohærent hi duo verſiculi, indicantes veram & ſolidam laudem pendere ex dotibus animæ, non in jactantia & oſtentatione boni quod non habes. לפי שכלו exponuitur, vel, *Ob doctrinam* (Heb. שכלו *intellectum* aut *prudentiam*) *laude dignus habetur unuſquiſque*; vel, *Secundùm intellectum ſuum*, vel *Secundùm menſuram intellectûs*, h. e. Pro ratione verborum vel operum quibus ſuam quiſque oſtendit intelligentiam, *laudari ſolet*; non quia dicit ſe eſſe prudentem, ſed juxta menſuram intellectûs ſui. Et hunc ſenſum exprimunt Lxx. Στόμα συνετοῦ ἐγκωμιάζεται ὑπὸ ἀνδρὸς, *Os prudentis laudatur à viro*: Non qui occultat prudentiam, ſed qui doctâ concione oſtendit ſe habere intellectum verum cœleſtium, laudatur ab unoquoque viro. Contrà *qui vanus & excors*, ſic Interpres ſecutus Lxx. vertentes νωθροκάρδιος, Heb. נעוה *obliquus corde*, qui videlicet jactat ſapientiam quam non habet, qui falſam & perverſam doctrinam in corde verſans, non ſolùm laudem amittit prudentiæ, ſed etiam contemptus erit, tantò magis quantò voluit intelligentiam oſtentare quam non habuit. Cohibet Sapiens hâc clauſulâ loquacitatem & temeritatem eorum qui docere volunt antequam diſcant, *neſcientes* juxta Paulum 1 Tim. 1. *neque quid loquantur, neque de quibus affirment*, quorum hodie, proh dolor! magnus eſt numerus. Sequens verſiculus ſimili compendio ſtultitiam eorum coarguit qui re familiari neglectâ & honeſtis laboribus vacare recuſantes, nobilitate generis & ſtemmatibus majorum ſibi placentes, ad ſummam inopiam deveniunt. His longè ſapientiores ſunt qui humiles apud ſemetipſos & contemti eſſe malunt, ſcientes ſe eſſe natos ad laborem, ſedulò domeſticis rebus vacant, & ſummâ diligentiâ atque induſtriâ non ſolùm inopiam fugiunt, ſed etiam ipſi ſervos & ancillas poſſidere merentur quibus imperent. Et ſic Chaldæus, טוב הוא דזליל ועבדי אית ליה, *Melior contemptus, & ſervus eſt illi.* Non igitur jactantiâ & otio ſed humilitate & induſtriâ ad ſolidam laudem pervenire ſolent homines. Aliter, *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi.* Heb. *Melior eſt contemptus & ſervus ſibi*, conſentientibus Lxx. Κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμίᾳ δουλεύων ἑαυτῷ. Illa verba *ſervus ſibi* intelligimus ut Lxx. vertunt, ad hunc modum, Melior eſt qui in oculis ſuis & ſuâ opinione vilis & humilis ſibi ipſi inſervit, neque labores neceſſarios recuſat, quamlibèt abjectos; is, inquam, melior eſt & majore laude dignus quàm qui, dum magni ſeipſum facit, artes exercere aut agriculturam recuſans, ad ſummam inopiam redactus quotidiano victu deſtituitur. Breviter, Sedula humilitas commendatur, otioſa jactantia damnatur.

10. *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia.* Heb. *Sed miſericordiæ impiorum crudeles*] Commendatur miſericordia & charitas quam hominibus debent homines naturæ legibus. Et in hominibus probis & juſtis tanta eſt & tam latè patet ut modum neſciat: tantâ plenitudine ſe diffundit ut perſonarum reſpectum non habeat, nullam viciſſitudinem exſpectat, nec recuſat conferre beneficia vel in eos qui quid ſit accipere beneficium ignorant. Sed ut *Pater cœleſtis ſuper bonos & malos Solem oriri facit*, Matth. 5. Ità juſti in homines vel brutis

bruiis animalibus magis ingratos bona conſerunt non rogati, ſed egentium neceſſitatem præveniunt: ut ſolent hi qui jumenta & bruta animalia gubernant, nimirum noſſe tempora quando opportunum fuerit præbere pabulum, aquatum ducere. Quod in pabulo animæ tantò ſolicitiùs faciet juſtus & pius paſtor, quantò hinc majus periculum emineat. ¶ *Viſcera impiorum crudelia*] Ut LXX. τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα, *viſcera autem impiorum abſque miſericordia*; ſive, ut eſt in Hebræo, *Miſericordiæ impiorum crudeles.* Improbi quàm longiſſimè ab hac clariſſima virtute abſint, neque ullam miſericordiam aut eleëmoſynam præſtant egentibus niſi ex rebus quas cum improbitate & crudelitate rapuerunt; ut *crudelitas* potiùs quàm *miſericordia* dici poſſit. Vel ſimpliciter, Crudeles omnino ſunt improbi & miſericordiam nullam oſtendunt. Aliter, Improbi nullam miſericordiam aſſequuntur, quia nullam facere conſueverunt, ut paſſivè accipiatur, *Miſericordiæ quæ fient improbo. Juſtitia ſine miſericordia erit illi qui non fecit miſericordiam*, Jac. 2. Et juxta hunc ſenſum oporteret ſuppleri in priore clauſula, *Juſtus qui promptus eſt ut faciat miſericordiam omnibus antequam petitum veniant*, ſupple *miſericordiam conſequetur: improbi verò pro miſericordia crudele ſupplicium debent exſpectare.* Poſſumus denique per *jumenta* domeſticos, ſubditos & gregem commiſſum intelligere; quos clementiâ & benignitate non auſteritate neque violentiâ tractare monentur hi *qui præſunt in ſolicitudine* Rom. 12. *Anima jumenti ſui* eſt anima ſenſitiva, cujus neceſſitati ſuccurrendum eſt: improbi nimiâ licentiâ laxantes fræna appetitui, & ſibi indulgendo, in ſemetipſos crudeles ſunt.

11. *Qui operatur terram ſuam ſatiabitur panibus, qui autem ſectatur otium ſtultiſſimus eſt.* Heb. *Sed qui inſequitur inania, deficit corde*] Inter omnes artes quas vel animi causâ vel neceſſitatis exercent homines meritò Agricultura primum locum obtinet, ut cujus beneficio non ſolùm ſibi ipſi ſufficit homo ſed plurimam beneficentiam in egentes conferre poteſt. Per *panem* hujus vitæ neceſſaria intelligimus, juxta Euangelicam Orationem Matth. 6. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* ¶ *Qui vana inſequitur*] Vel *inania.* LXX. οἱ δὲ διώκοντες μάταια, a quibus & ab Hebræo non tam ſenſu quàm verbo diverſum vertit Hieronymus, *Qui ſequitur otium.* Ad homines vel ad ſtudia hominum referri poteſt, ut ſit ſenſus, Qui curioſas inſequitur artes, vel earum magiſtros, quò majori compendio & minore ſudore non ſolùm victum ſibi paret ſed opes & delicias, otii & aliorum vitiorum fomites, ut panem ſibi acquirat, & ventrem impleat, corde & prudentiâ caret. Aliter, *Qui ſequitur vacuos & otioſos*, h. e. eos qui nullam honeſtam exercent artem (ſunt enim aliæ præter Agriculturam honeſtiſſimæ) ſed otio cum vanis hominibus indulget, hic non ſolùm pane ſubinde caret & frugali victu, ſed etiam corde, & extremæ ſtultitiæ homo habendus eſt. Tropicῶs per *terram* corpus humanum intelligimus, vel etiam Hominem ipſum, quem Scriptura *terram* frequenter vocat; Quam quiſquis ſtudio virtutum colit, abſtinentiæ vomere proſcindit, rigido continentiæ ſarculo fodit, & tolerantiæ cylindro æquabilem reddit, Scripturarum pane & cœleſtis ſapientiæ pabulo mirâ dulcedine ſaturabitur. Contrà qui variis corporis illecebris indulget, ſtultis deſideriis ſtudium impendit, neque cœleſtis panis guſtum novit, imò neque ſui cordis & intellectûs proprii uſum habet, non intelligens videlicet ſe ratione cordis & interioris hominis bruta animalia longè excellere.

12. *Deſiderium impii monumentum eſt peſſimorum, radix autem juſtorum proficiet.* Heb. *Deſideravit improbos rete malorum, ſed radix juſtorum dabit*] Superiore verſiculo *ſtultitiæ* & *vecordiæ* notantur qui nullis honeſtis artibus ſed *rebus inanibus vacant.* In hoc verſiculo *impietatis* condemnantur qui magno ſtudio & multo labore hominibus juſtis exitium moliuntur. Malorum autem machinationes contra probos apta admodum Metaphora Venationis exprimit. Nam ut miram voluptatem capiunt qui aviculis inſidiantur ubi prædam in rete concluſerint, ſic improbi & mali homines per fraudes & dolos gaudent innocentibus inſidiari. *Deſiderium impii monumentum peſſimorum*] Heb. *Rete impiorum deſideravit improbus.* LXX. ſecutus eſt Interpres, qui חמד nomen pro verbo חמד legentes verterunt Ἐπιθυμίαι ἀσεβῶν κακαί apud quos quòd nihil reſpondeat voci Hebrææ מצוד *rete*, ſcribarum errore commiſſum eſſe videtur. Hunc ſenſum habet verſiculus, Improbus libenter malorum artes & ſtudia imitatur, & rete quod in exitium juſtorum ſemper extendere ſolent mali deſiderat, quò faciliùs ſive iniquis legibus ſive clandeſtinis fraudibus juſtos penitus de medio tollat. Denique quicquid ſeu laboris impendunt venatores & aucupes, ſeu voluptatis capiunt in cæde & ſanguine captæ prædæ, ſimile aliquid ſub Metaphora *retis malorum*, quo iniquus contra juſtos utitur, intelligimus. Jam à principio quo Cain fratrem interfecit, malorum perſecutionem ſuſtinuerunt juſti; ſed deleri non poſſunt neque exſtirpari, cùm altiſſimè radices virtutum agant juſti, quæ fructum dabunt in tempore ſuo: ut ſit ſenſus, *Radix juſtorum dabit*, ſc. *fructum*: vel, *juſtorum unuſquiſque dabit radicem.* q. d. A malis juſti pati poſſunt, ſed ſuperari & exſtingui non poſſunt; imò relinquent poſteros, vel carnis vel ſpiritûs.

13. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem juſtus de anguſtia*] Vel, *ob prævaricationem labiorum laqueus capiet malum.* Verſio Interpretis reprehendi non poteſt, nam vox Hebræa מוקש utrumque ſignificat, *laqueum* & *ruinam*; & verbum aliquod ſupplere cogimur. LXX. ſic, Δι' ἁμαρτίαν χειλέων ἐμπίπτει εἰς παγίδας ἁμαρτωλός, *Ob peccatum labiorum incidit in laqueos peccator.* Longè alius eſt eventus rerum quàm improborum conatus ſibi proponit. Proponunt enim impii juſtorum exterminationem, ut in ſuperiori verſiculo dictum eſt; ſed Dei miſericordiâ longè aliter uſu venit, nempe ut mali illaqueentur ſuo reti quod contra juſtos expandunt, & juſto Dei judicio incidunt in foveam quam fecerunt. Nam falſa multa contra juſtos comminiſcuntur, & veluti rete multis filis, ſic multis verbis mendacia & calumnias connectunt, quibus frequenter humano, ſemper autem Divino judicio illaqueati tenentur, æterno ſupplicio reſervati. ¶ *Cæterùm effugiet juſtus de anguſtia*] Juſtorum & piorum hominum ſpes ſemper eſt integra, quicquid in hac vita patiantur, ſic enim legimus Pſal. 34. *Multæ tribulationes juſtorum, ſed ab omnibus his liberabit eos Dominus.* Saltem exiens de hoc corpore, ab omni anguſtia & tribulatione egreditur; ut pauper Lazarus, fame & ulceribus mortuus, in ſinum Abrahæ ſuſceptus eſt.

14. *De fructu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis, & juxta opera manuum ſuarum retribuetur ei.* Heb. *Et retributio manuum hominis revertetur ad eum.* Aliter, *Pro fructu oris ſaturabitur unuſquiſque bono, & pro retributione manuum reddet homini Deus*] Sic Aben Hezra. LXX. ſupplent, Ἡ ψυχὴ ἀνδρὸς πλησθήσεται ἀγαθῶν. Plurimum momenti ad univerſam vitam moderandam habere linguam frequenter dictum eſt: & ut in ſuperiore verſiculo audivimus, malos ob mala verba vinculis cohibitos & ad ſupplicia detentos, ità in hoc loco, non ſolùm operum ſed etiam verborum juſtam retributionem eſſe exſpectandam. Dei bonitate longè alia conditio eſt humana quàm inſenſibilium rerum. Nam Arbores quæ fructus ferunt, & fertiles Agri qui ſegeribus onerantur, ex propriis fructibus nullam utilitatem capiunt, neque ſuis pomis veſcuntur: verùm ſi quid fecerit Homo, imò ſi dixerit aliquid egregium, maxima pars utilitatis ad eum redit. Neque ſolùm ex magnis laboribus & difficillimis negotiis præmium exſpectabit, ſed ex levioribus. Quid enim facilius commotione linguæ? quam non ſine difficultate cohibent plurimi: & tamen hinc, ſi in laudem Dei & proximi utilitatem laxetur, ingens præmium exſpectabit, maximè ſi verbum Dei cum fide & honeſtate tractet, ſi cibum animæ diſpenſet, & fideliter in tempore tritici menſuram largiatur, quo gregis Chriſti paſcuntur pecora, illius potiſſimùm animus eodem ſaturatur alimentum & in aliena viſcera deſcendit, miniſtrantis paſcit affectum & famem exſtinguit, imò cœleſtium rerum appetitum vehementer accendit. Copioſè igitur paſcant qui Chriſti gregis curam agunt, ſi copioſè ſaturari cupiunt. Poteſt in utramque partem intelligi quod ſequitur, *Juxta opera manuum ſuarum retribuet ei*] Heb. *Retributio manuum hominis revertetur ad eum*, ut in utroque, ſermone videlicet & opere, præmium conſtituat. Neque de oris fructu ſaturari ſpirituali alimento poteſt qui operibus deſtruit quod rectè docet. Rectè factorum merita continet proverbium; & Lutheranam damnat impietatem, quæ bonis operibus nihil tribuit.

15. *Via ſtulti recta in oculis ſuis, ſed qui audit conſilium ſapiens eſt*] Cùm plurimis verſiculis quid inter ſapientem & ſtultum interſit oſtendat Salomon, tum in hoc verſu latiſſimum diſcrimen & certiſſimam differentiam ponit; nempe, Stultum & imprudentem hominem ſibiipſi placere, ſibi vehementer ſapere, alios præ ſe contemnere, nullius conſilio uti, aliis rectè monentibus non obtemperare, imò quicquid facit id optimè factum exiſtimare: quod non ſolùm ſtultum ſed periculoſum eſt. Nam præceps in rebus agendis judicium & non ſatis ponderatæ actiones humanæ omnium malorum cauſæ exſiſtunt, cùm corporis, tum animæ. Quare ſi notam ſtultitiæ effugere velis, & ſapiens evadere, cave nè quid agas tuo ſolius judicio innixus; prudentiſſimos quoſque in conſilium adhibeas, & non quod tibi ſoli ſed quod aliis rectum apparebit exſequere. Nam verè *ſapiens* libenter aliorum *audit conſilia* & rectè monentibus obtemperat, juxta id quod c. 1. ſcriptum eſt, *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Denique ſenſus eſt proverbii, Neminem ſuopte ingenio ſatis ſapere, ſed egere conſilio, præſertim in his quæ ad animæ ſalutem ſpectant. Stulti ſunt Judæi, qui in craſſa legis Moſaïcæ obſervatione ſibi placent, tanquam rectiſſimâ religionis viâ: Sunt infideles ſtulti,

quibus via recta videtur Creatoris loco creaturam colere: Solus ſapiens eſt inter homines qui Euangelii præceptis conſiliiſque auſcultans *ædificavit domum ſupra petram*, Matth. 7.

16. *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam; qui autem diſſimulat injuriam callidus eſt.* Heb. *Stultus in ipſo die iræ ſuæ cognoſcetur; ſed tegit ignominiam callidus*] Si rectè vertunt Lxx. Ἄφρων αὐθημερὸν ἐξαγγέλλει ὀργὴν, *Stultus ipſo die*, h. e. ſtatim. Idem in Hebræo intelligitur per articulum היום. Eſt & hoc magnum ſtultitiæ indicium, ſtatim ad iram proſilire, non poſſe injuriam vel opprobrium pati, malum pro malo reddere, pacem cum hominibus rumpere, lites ſectari, malle inferre quàm pati injuriam. Hæc non ſolùm Euangelicæ adverſantur doctrinæ ſed etiam civili prudentiæ, cujus magna pars eſt, poſſe hominibus improbis cedere nonnunquam, & uti foro, ad multa connivere, multa diſſimulare, & quod ſcimus interdum neſcire, affectos contumeliâ tacere, non quid mereantur ſed potiùs quid nos deceat meminiſſe. Oportet celare non ſolùm contumeliam nobis illatam, ſed malorum hominum petulantiam, quam cùm caſtigare & cohibere non poterimus, laceſſere nullo modo debemus, hoc enim noſtram eſt prodere ſtultitiam, non aliorum mederi affectibus. Poſſumus paulò aliter verſum exponere, ut ſit ſenſus, *Stultus maximè cognoſcitur cùm ipſe iraſcitur*, tunc enim omnia effundit, vel *cognoſcitur*, quòd facillimè ad iracundiam provocetur, præſertim cùm *ipſo die*, ſive *ſtatim, iraſcitur:* q. d. Si iram differat, ratione non perturbatione regi videbitur. ¶ *Sed qui diſſimulat injuriam, callidus eſt*] Heb. *tegit ignominiam callidus.* Sapientiæ magnum eſt argumentum dare locum iræ, nec ullum indicium oſtendere, ſed ſedulò diſſimulare, ſi quando pro fragilitate humana laceſſitus contra improbitatem hominum iraſci cogatur, vel injuriâ affectus & contumeliâ patienter tolerat, vel orat cum Chriſto pro perſecutoribus.

17. *Qui novit quod loquitur, judex juſtitiæ eſt: qui autem mentitur, teſtis fraudulentus.* Heb. *Loquetur veritatem, indicabit juſtitiam* (ſub. *teſtis verus*) *ſed teſtis mendax dolum*, ſup. *loquetur*] Juxta phraſim Hebraïcam in priori clauſula deeſt ſuppoſitum, in poſteriore deeſt verbum. Poſſumus ſupplere *verus*, *juſtus*, vel *fidelis*, *teſtis loquetur veritatem.* *Juſtus* ſubintelligunt Lxx. Ἐπὶ δεικνυμένην πίςιν ἀναγγέλλει δίκαιος. Utcunque ſenſus eſt conſtans & certus, oſtendit enim verſus quanti referat à teneris annis aſſueſcere veritatem loqui. Nam qui aſſuevit veritatem loqui, & hujus rei veluti habitum nactus eſt, ſemper amabit veritatem; & non ſolùm in privatis colloquiis ſed etiam in rebus majoris momenti, & in judiciis, ubi de ſalute & perditione agitur, libenter juſtitiam annunciabit, nemini damnum inferens, ſed æquitatem ipſam loqui & veritatem congaudens. Contrà, homo qui mendaciis eſt educatus & aſſuefactus, dolum & fraudem comminiſcitur, veritatem plerumque ſubvertit. Poſſunt hæc ad intelligentiam Legis referri; ut ſit ſenſus, Qui veritatem & rectam Scripturarum fidem tenet ac profitetur, juxta illam proferet & indicabit juſtam & æquam Legis interpretationem; ſed qui falſa pro veris tenet, & teſtis ac profeſſor eſt mendaciorum ac errorum, ille doloſè rectum Scripturarum ſenſum declarando ſubvertit, & imperitis auditoribus dolos ſtruit. Veritatis laudem continet Proverbium, quæ juſtitiæ ſemper eſt conjuncta.

18. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiâ: lingua autem ſapientum ſanitas eſt.* Heb. *Eſt qui profert verba quaſi confoſſiones enſis; ſed lingua ſapientum ſanitas*] Pendet à priore verſiculo, videlicet, *Teſtis mendax dolum machinatur, & profert verba quibus non minùs crudeliter pereunt innocentes quàm ſi enſibus ſicariorum confoderentur:* nam coram Deo nihil refert. Non minùs homicida eſt qui falſo teſtimonio interficit hominem quàm qui gladio confodit: imò fortaſſis iniquius fuerit alienam denigrare famam quàm ſanguinem fundere humanum. Cæterùm falſâ doctrinâ à recta fide avertere & animas letali veneno inficere & necare tantò gravius eſt crimen quàm corpora transfigere quantò anima corpori præſtat. Quàm præclara virtus eſt Sapientia, quæ tantis malis remedium præſens affert, dolos falſorum teſtium detegit, vulnera falsò inflicta famæ innocentium facilè curat, contra venena præcordiis hominum per falſam doctrinam infuſa antidotum feliciſſimè porrigit! Aliter, juxta vulgare Proverbium, *Conſilium malum conſultori peſſimum*, poſſumus intelligere hæc verba à ſtultis prolata ſibiipſis veluti enſium confoſſiones frequenter fieri; ſed ſapientum lingua, veluti medicina ſalubris, ſtatim curat ſi quid offenſi aut mali ſuboriatur. Juxta interpretationem D. Hieronymi damnat Proverbium eos qui quod promittunt non præſtantes, conſcientiam propriam graviter offendunt, non ſolùm alios; cùm *ſapientis lingua* neminem fallat, propriè conſcientiæ *ſanitatem* ſervat. Lxx. veritati Hebraïcæ conſentiunt, hoc in loco legentes, Εἰσὶν οἱ λέγοντες τιτρώσκουσιν ὡς μάχαιρα, *Sunt qui dicentes vulnerant quaſi enſis.* Hieronymus legebat, ni fallor, בוטה, quod verbum in una conjugatione *promittere* ſignificat, non בוטה *qui profert*, in qua voce He ſcribitur loco Aleph, ut teſtatur D. Chimhi.

19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum; qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacii.* Heb. *Labium veritatis ſtabilietur in perpetuum, ſed ad momentum lingua mendacii*] Vox Hebræa ארגיעה, quam *momentum* vertimus, ſecuti commentarios Hebræorum, ab Aben-Hezra vertitur *quieſcere faciam:* nam omnino formam verbi futuri habet. Et linguæ proprietas eſt, *labium veritatis*, *lingua mendacii*, pro *labio mendacis & lingua veracis.* Audivimus multa mala provenire ex pernicioſa lingua & falſo teſtimonio; ſed ità comparatum eſt Dei bonitate & rerum conditione ac natura ut fraus ſemper detegatur, veritas permaneat in perpetuum. *Verbum Domini*, quod ipſa veritas eſt, *manet in æternum*, 1 Pet. 1. Poteſt enim ad horam & modicum tempus mendacium ſeu falſum teſtimonium prævalere; ſed veritas in ſermone, in fide & operibus perpetuò durat. Simulatio, hypocriſis, ficta ſanctitas & religio ſimulata ſubitò detecta evaneſcit, non ſine ignominia illius qui mentitus eſt. Lxx. non לָעַד *in perpetuum*, ſed לָעֵד *in teſtem* legentes vertunt, Χείλη ἀληθινὰ κατορθοῖ μαρτυρίαν, *Labia vera dirigunt teſtimonium.*

20. *Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium.* Heb. *Dolus in corde cogitantium malum* (vel *fabricantium malum*) *ſed conſultoribus pacis, lætitia*] Obſervandum eſt *dolum lætitiæ* & *malum paci* ex adverſo poni hoc in loco. Et in ſecunda particula verſûs ex priori ſubauditur *cor:* ut enim nulla major eſt lætitia quàm illa quæ eſt cordis, ità nulla eſt major fraus illâ quam corde machinantur mali. *Ex abundantia cordis os loquitur*, Matth. 12. Qui malum malo conſilio machinantur, & malum illud quod paci adverſatur, h. e. odium, cogitant & fraudem in corde occultant. ¶ *Sed qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium*] vel, *conſultores pacis, lætitia.* Qui ſepoſita omni fraude juvare volunt & cupiunt, dum pacem alunt & fovent concordiam rectè conſulendo, magnam conſcientiæ tranquillitatem & lætitiam habent. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matth. 5. Quorum laudem continet hoc Proverbium, oſtendens eos qui pacem quærunt inter homines cum Deo pacem habere; quæ lætitia exſuperat omnem ſenſum.

21. *Non triſtabit juſtum quicquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo.* Heb. *Juſtus non dolebit ob ullam iniquitatem; at impii repleti ſunt malo*] Ambigua ſignificatio hujus verbi יאנה variam expoſitionem hujus verſiculi efficit: nam ſignificat *dolere*, vel *efficere.* Expoſitores Hebræorum ſequuntur poſteriorem interpretationem; ut ſit ſenſus, *Non fiet ulla iniquitas à juſto*; intellige *neque ſibi*, *neque aliis: ſed improbi malis redundant*, & non ſolùm ſibiipſis ſunt autores malorum, ſed omnes vicinos replent malis & miſeriis, ſive hujus vitæ, dum damna inferunt, ſive malis animi, ad quæ ſuo exemplo pertrahunt. Mihi vehementer arridet ut utramque hujus verbi ſignificationem intelligamus: ut ſit ſenſus, *Non erit cauſa doloris juſto ulla iniquitas*, ſup. *quæ fit ab impiis in eum:* Quantumvis graviter deliquerint iniqui contra juſtum: non dolebit, ſed æquo feret animo. Aliter, *Non erit dolor juſto ulla iniquitas*, quòd nulla horrenda crimina perpetrare ſolet juſtus, ob quæ vel in præſenti vita damnum aut pœnam ſuſtineat, aut ob quæ ſtimulis conſcientiæ & triſtitiâ mordeatur. Et hunc ſenſum ex noſtro habemus Interprete, ſi modò per *iniquitatem* pœnam intelligimus debitam iniquitati. Aben Hezra vult priorem partem verſiculi pendere à poſteriore: ut ſit ſenſus, *Quamvis improbi pleni ſint cogitationibus malis, non tamen poterunt efficere ullam iniquitatem* (vel potiùs *pœnam iniquitatis*) *juſto.* Chaldæus vertit aliter, nempe לא אפיר *Non erit pulcra juſto ulla iniquitas*, h. e. non placebit; cui ſubſcribunt Lxx. Οὐκ ἀρέσει τῷ δικαίῳ οὐδὲν ἄδικον, *Non placebit juſto ulla injuſtitia.*

22. *Abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Heb. *Abominatio Domini, labia mendacia; ſed facientes veritatem, voluntas ejus*] Verſiculo tertio præcedenti, nempe, *Labium veritatis firmabitur*, reſpondet hic verſiculus, reddens cauſam quamobrem non poſſit durare niſi *ad momentum* falſitas, videlicet quòd ſit *abominatio Domini*, ut putà res maximè contraria Domini voluntati, qui Veritas eſt ipſa perpetuò manens, & idcirco exſecratur falſa teſtimonia, falſam doctrinam, etiam in verbis ſolùm & labiis, quantò magis in opere? Cæterùm *qui faciunt & opere complent veritatem*, & non ſolùm contra Legem nihil loquuntur, imò nihil committunt, iſti faciunt quod placet Deo: ut bis repetitam intelligamus vocem *facientes.* Aliter, *Dominus abominabitur labia falſa*, h. e. teſtes mendaces; *ſed qui faciunt veritatem* ſunt judices qui

fidem

fidem illis non habentes examinando ad veritatem perveniunt, & *quod Dominus voluerit* juxta veritatem judicant. Innuit Proverbium, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris*, Matth. 7.

23. *Homo verſutus celat ſcientiam, & cor inſipientum provocat ſtultitiam.* Heb. *Homo aſtutus occultat ſcientiam* (vel *opinionem*) *ſed cor ſtultorum ſolet divulgare ſtultitiam*] Silentium commendat, tanquam certiſſimum prudentis viri indicium: procacitatem loquendi & fiduciam, velut ſtultitiæ ſignum, damnat. Prudentis igitur eſt *occultare opinionem ſuam* in conſeſſu ſapientum aut Principum; juxta illud Jacobi c. 1. *Sit omnis homo tardus ad loquendum.* Vel, *occultat ſcientiam* ab indoctis hominibus, nè videatur *margaritas dare porcis*, Mat. 7. Denique viri prudentis eſt ubique *ſuam occultare opinionem*, quò faciliùs aliorum ſententias exploratas habeat: *ſed mens ſtultorum* nihil ſecretum habet, ſtatim ſtultitiam indicat, ut qui nec tacere nec prudenter loqui novit, ſed quam in corde clauſam habet & ſecretam prædicando & divulgando ſtultitiæ opinionem ſibi comparat. *Aſtutus* in bonam partem accipi manifeſtum eſt ex clauſula ſequenti: nam ex contrariis ſententiis amœnâ quadam antitheſi plerique omnes verſiculi componuntur. Proverbium docet ſapientiam omnem jactantiam fugere, eſſe modeſtam, ut inquit Jacobus.

24. *Manus fortium dominabitur, quæ autem remiſſa eſt tributis ſerviet.* Hebræum, *Manus fortium dominabitur, ſed fraudulenta erit tributaria*] Ad ſapientem quoque ſpectat, ſummâ vigilantiâ & ſolicitudine honeſtâ victum comparare: contrà, ignominioſum eſt fraude quidpiam moliri. Unde, ut utriuſque conditionem exprimat, illius laudem videlicet & hujus ignominiam, hyperbolis utitur, inquiens, *Manus ſolicitorum*, ſeu *negotiatorum*, ſeu *quorumcunque qui providi ſunt & expediti in rebus agendis*, quas cum æquitate & juſtitia tractant; talium, inquam, *manus dominabitur*, ad Imperium & Regnum emerget: h. e. ad præclaras opes & veluti Regias facultates. Contrà, qui dolo malo diteſcere ſtudet, *ad tributum*, h. e. ſummam inopiam & ſervitutem, ſolet devenire. Id quod frequenter in fortunæ bonis, in animi verò virtutibus & divitiis ſemper eſt veriſſimum, in quibus regnant & univerſum mundum ſibi ſubjiciunt qui ſedulam operam impendunt. Contrà, qui parùm ſtrenuè ſed ſimulatione & hypocriſi virtutibus incumbunt, Mundo & Carni, imò Dæmonibus ſubditi & tributarii vivunt.

25. *Mæror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur*] Pro ambiguitate ſermonis Hebraïci verba *humiliabit* & *lætificabit* referri poſſunt ad *virum*, & pronomina ad *dolorem*: ut ſit ſenſus, *Dolorem qui eſt in corde viri prudentis humiliabit eum*, ſupple *dolorem*, h. e. mitigabit; *& verbo bono* ex lege Divina deſumpto *lætificabit*, h. e. in lætitiam convertet. Sic commentarii Hebræorum. Aliter, pro duplici triſtitia & lætitia poteſt verſiculus intelligi, de quibus Paulus 2 Cor. 7. *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia pœnitentiam ad ſalutem operatur; mundi triſtitia mortem operatur.* Et ſenſus erit, Verbum bonum, per quod remiſſionem peccatorum exſpectamus, vehementer lætificat cor hominis qui pro ſuis ſceleribus magno concepto dolore & ſummâ humilitate cordis proſtratus eſt. Sed hic ſenſus Allegoticus eſt: nam juxta literam videtur oſtendere, ad ſapientiam acquirendam multùm referre quibus affectibus quibuſque perturbationibus obnoxium ſit cor & animus. Nam cor hominis doloribus plenum nihil ſublimius, nihil excellentius poteſt concipere, ſed dejectum mœrore langueſcit; Quem nihil faciliùs diſcutit, nihil faciliùs mentem erigit & ad nativam lætitiam reſtituit, quàm verba bona fiduciæ & conſolationis plena; cujuſmodi ab amicis, à potentibus & Principibus afflicti libenter audiunt; Imò cujuſmodi contra adverſa hujus mundi, quibus ſimus obnoxii, ex Scripturis ſacris & Prophetarum oraculis libenter audire debemus, ut relictâ ſtultâ hujus vitæ triſtitiâ ad cœleſtem lætitiam properemus. Nam per *verbum bonum* (ſive *annunciationem bonam*, ut Lxx. legunt, *ἀγγελία δὲ ἀγαθὴ εὐφραίνει αὐτόν*) quod ad noſtram doctrinam ſcriptum eſt, conſolationem & ſpem habemus per patientiam, quâ humiliamur in hac vita.

26. *Qui negligit damnum propter amicum, juſtus eſt: iter autem impiorum decipit eos.* Hebr. *Honoratior eſt amico ſuo juſtus* (vel, *Honoratus ab amico ſuo eſt juſtus*) *ſed via improborum decipiet eos*] Priorem verſionem ex duabus poſterioribus ferè omnes ſequuntur; ut ſenſus ad maximam juſtitiæ laudem referatur, cui nullæ opes, nulla potentia conferri debet. Qui juſtitiam colit, & illâ præclarâ virtute ornatus eſt, quæ, cùm ſumma & generalis virtus ſit, particulares omnes complectitur virtutes, hic omnes vicinos ſuos & cives facilè ſuperat. Nam in virtute vera laus conſiſtit, in maxima virtute maximus honor: q. d. Juſtitiæ incumbendum eſt & vitæ integritati: his artibus certare decet, his reliquos cives vincere, non ambitione, non honorum titulis, non poſſeſſionibus amplis & claris: nam juſtitiæ ſtudium & amor hominem honorabilem facit omnibus, vel præ omnibus, non invidiâ aut livore ſuorum obnoxium; id quod in mundano honore fieri ſolet. Lectio D. Hieronymi alium facit ſenſum, nempe *Temporale damnum* (ut inquit Lyranus) *contemnendum ubi amicorum urget neceſſitas.* Sequitur, *Via improborum*, h. e. vivendi ratio & ſtudia, quibus per fas vel nefas ad honores tendunt & opes, ſeducere ſolent eos, dum in maximam ignominiam ſæpiſſime corruunt, etiam in hac vita, in futura ſemper, niſi reſipiſcant.

27. *Non inveniet fraudulentus lucrum, & ſubſtantia hominis erit auri pretium.* Heb. *Non aduret vir fraudis venationem ſuam, ſed divitiæ pretioſæ hominis ſoliciti*] Parabola Venationis oſtendit divitias fraude acquiſitas inconſtantes ac labiles eſſe; & contrà, quæ ſolicitudine & diligentiâ conquiruntur, eſſe ſtabiles. *Non inveniet*] Heb. *Non aduret.* Hieronymus Lxx. ſecutus eſt, qui ſic habent, *Οὐκ ἐπιτεύξεται δόλιος θήρας*, *Non fabricabit* (pro *non perficiet*, vel *non obtinebit*) *doloſus prædam.* Verſiculus hunc habet ſenſum juxta Hebræos, Ut aves, quarum alæ non comburuntur (quod ſolent aucupes facere) frequenter avolant & aucupem decipiunt, ſic divitiæ per dolum acquiſitæ, h. e. velut per aucupium, non juſtis laboribus. Vel poteſt intelligi, Divitiæ acquiſitæ per fraudem ſunt velut præda aucupum vel venatorum, quam cùm magno labore ceperint & fraude, *non comburent*: h. e. non aſſabunt neque comedent; ex illa nullam utilitatem capient: Cùm malè parta ferè pejùs pereant. Opes per juſtam ſolicitudinem comparatæ, ut paulatim coacervantur, ità ſunt poſſeſſori charæ & honorabiles, præſertim opes per manus pauperum in cœleſtes theſauros reconditæ. Nam inæſtimabilis erit honor his qui audient aliquando, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*, Matth. 25. Verſio D. Hieronymi eundem ferè facit ſenſum. Monet Proverbium, Juſtis & aſſiduis laboribus vivendum, non rapinis.

28. *In ſemita juſtitiæ vita, iter autem devium ducit ad mortem.* Heb. *In ſemita juſtitiæ vita* (vel, *Propter ſemitam juſtitiæ vita*) *& via ſemitæ ejus non mors*] אל מות aliter legebant Lxx. & D. Hieronymus, nempe אל מות *ad mortem.* Et in exemplaribus aliquot duplex notatur lectio: omnes tamen Interpretes Hebræi priorem ſequuntur lectionem. Neque eſt *iter devium*, ut Hieronymus, neque *ὁδοὶ δὲ μνησικάκων*, ut Lxx. ſed *via ſemitæ ejus*, ſc. *juſtitiæ.* Senſus verſiculi ad Juſtitiæ laudem ſpectat, ut præcedentes: nempe Juſtitia honorem confert, opes ſtabiles comparat; ſed præcipua laus ex fine pendet, is eſt *vita*, ad quam quaſi veſtigiis quibuſdam omnes humanæ actiones tendunt, & ad quam ſola juſtitia (quæ unicuique quod ſuum eſt reddit) abſque omni errore perducit. Quamvis multæ ſint ſemitæ (neque enim eadem juſtitia pauperis & divitis, Regis & ſubditi, populi & Sacerdotis) tamen ad vitam veluti Regiâ viâ ſpectantes, omnes ad vitam perducunt non ad mortem. Quiſque pro ſuo ſtatu per juſtitiæ viam incedat, ut ad vitam perveniat perpetuam benignitate Domini & Salvatoris, cui eſt omnis honor & gloria.

LUCAS BRUG.

11. Sententiam iſtam, *Qui ſuavis eſt vivit in moderationibus, in ſuis monitionibus relinquit contumeliam*, quam vulgares Latinorum codices poſt verſum hujus capitis undecimum habent, emendatiores aut transfigunt, aut penitus tollunt; tredecim noſtri, octo Henteni, quatuor Pariſienſium, quidam Lugdunenſium, antiqui Dominicanorum, & antiqui Epanorthotæ. Nec mirum: namque quam in Hebræo non habuit, Interpres non dedit. Quamobrem nec Chaldæus ſuâ Paraphraſi illuſtravit. Eſt autem ex Græcis libris ſumpta, quibus multæ hujuſcemodi *γνῶμαι* leguntur, quæ nec in Hebraïcis, nec in Chaldaïcis, nec in Latinis, ſincerioribus præſertim, reperiuntur. Ea verò de qua nunc agimus, in quibus reperitur Latinorum libris, tam eſt pleriſque omnibus depravatè ſcripta quàm quæ depravatiſſimè. Quam ob cauſam operæpretium erit Græca verba in medium proferre, ut quæ ex Latinis codicibus paucioribus colligi poteſt germana lectio, Græci fontis teſtimonio firmetur. Habenr igitur Græca hunc in modum, Ὃς ἐϛὶν ἡδὺς ἐν οἴνων διατριβαῖς, ἐν τοῖς ἑαυτȣ̃ ὀχυρώμασι καταλείψει ἀτιμίαν. Hinc manifeſtum evadit *vivit in* corrigendum eſſe, ut habent tria ex noſtris ſcriptis, & ſex ex impreſſis exemplaribus, *in vini.* Dein clarum fit pro *moderationibus* ſcribendum eſſe, tranſpoſitis prioribus ſyllabis, *demorationibus*, id quod habent Quenteliana Biblia. Poſtremò, elucet *monitionibus* cum *munitionibus* mutandum, quod in uno ſcripto tribuſque impreſſis invenimus. Mirum eſt in tanta mendorum frequentia nihil à Lyrano, Carenſi

aut

aut Richelio animadverſum. Eſt igitur, ſublato omni mendo, integra ſententia, *Qui ſuavis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam*: cujus ſenſus eſt, Quem delectat in vini potatione verſari, is familiæ ſuæ pro hæreditate ignominiam relinquit.

12. Hebraïcè legitur חמד רשע מצוד רעים: quod neoterici Interpretes ferè transferunt, *Deſideravit impius rete malorum*, h. e. rete quod in juſtorum exitium extendere ſolent mali, artes nempe quibus circumvenire ſolent juſtos, ut venatores feras, & aucupes aves. Noſter Interpres vertit, *Deſiderium* [חֶמֶד nomen eſt, ut חָמַד verbum.] *Impii munimentum eſt peſſimorum*: ſic enim R^mus D. Janſenius legendum exiſtimat, *munimentum* pro *monumentum*. מצוד enim *munitionem* ſeu *munimentum* denotat, ſi מ ut radicalis ſeu eſſentialis litera accipiatur. Nam ſi à צוד, quod *venari* eſt, deducatur, *rete* deſignat. Cæterùm non reperimus nos in manuſcriptis noſtræ editionis exemplaribus *munimentum*; duntaxat *monimentum*, vel, quod idem eſt, ſed eùm emendatius tum frequentius, *monumentum*. Neque aliud Hentenius, Pariſienſes, Lugdunenſes, aut S. Dominici fratres annotarunt. Epanorthotes habet, *Deſiderium impii monumentum eſt peſſimorum, vel ſecundùm eundem Bedam, Monumentum, vel ſecundùm Hebræum, Munimentum. Simile Iſa.* 33. 16. *Munimenta ſaxorum.* Hæc Epanorthotes, in quibus primo loco legendum opinor *monimentum*. Advertit Corrector diligentiſſimus *munimentum* ex Hebræo legendum eſſe; ſed non ſe dicit id in aliquibus Latinis codicibus repetiſſe. Porrò ſunt hodie impreſſi quidam libri, unus à Quentelio anno 29. alter, quod Janſenius habet, ab Euchario anno 30. qui *munimentum* diſertè habeant: quorum ſi ex ſinceris codicibus ſumpta eſt lectio, omnino eſt amplectenda; ſi verò eorum qui correctioni præfuerunt arbitrio eſt ſubſtituta, nihilominus magni eſt facienda: fit enim vero ſimillimum ab Interprete quidem hoc modo converſum, à ſcribis autem affine nomen affini commutatum. Non enim vox Hebræa *monimentum* ſed *munimentum* verè ſignificat: atque hoc eam modo tum aliis locis tum Eccleſ. 9. 14. Interpres tranſtulit, *Exſtruxitque munitiones per gyrum.* Græci ad eundem modum hoc Proverbiorum loco ὀχύρωμα reddiderunt: id quod Dominus Janſenius doctè animadvertit. Chaldæus Hebraïcæ ſimilem vocem dedit, מצודתא, ſimilem non literis tantùm ſed etiam ſignificatione, quæ poſſit & *munimentum* & *rete* exponi. Non poteſt igitur non eſſe probabile, Interpretis genuinam ſcripturam eſſe, *Deſiderium impii munimentum eſt peſſimorum*: cujus ſenſus non obſcurus eſt. Deſiderat impius ut quos habet in impietate ſocios muniti ſint ac tuti, itá ut prævalere nequeant eis juſti, ſed juſtis ipſi prævaleant. Verùm enimvero Beda, & poſteriores Vulgatæ editionis expoſitores, Lyranus, Carenſis, Richelius, *Deſiderium impii monumentum eſt peſſimorum*, manifeſtè legunt. Id autem non procul abſcedat ab ea quam primùm adduximus Neotericorum ex Hebræo interpretatione, ſi ea intelligantur anteceſſorum monumenta quibus ſuæ malitiæ artes tradiderunt.

DRUSIUS.

1. דַּעַת. A. S. Th. γνῶσιν, *ſcientiam.*

2. טוֹב יָפִיק רָצוֹן מֵיְהוָה. A. ἀγαθὸς ὑπερεκχέει εὐδοκίαν παρὰ Κυρίϐ, *bonus elicit favorem à Domino*] Ad verb. *ſuperelicit.* Nam ἐκχέω, *elicio*, ut ἐκχέειν δάκρυα, *elicere lacrymas.*

3. לֹא־יִכּוֹן אָדָם בְּרֶשַׁע. A. S. ὐχ ἑτοιμασθήσεται ἄνθρωπος ἐν ἀσεβείᾳ, *non firmabitur homo in impietate*] Aut *ſtabilietur.* Sic 1 Mach. 1. 17. ἡτοιμάσθη, *firmatum eſt.* Pſal. 93. 2. ἕτοιμος ὁ θρόνος σϐ, *ſtabile ſolium tuum.* ¶ צַדִּיקִים. Schol. εὐσεβῶν, *piorum.*

4. אֵשֶׁת חַיִל. S. γυνὴ εὐπορίας, *mulier opulentiæ*, i. e. opulenta. Th. ἰσχύος, *fortitudinis*, i. e. fortis.

5. תַּחְבֻּלוֹת רְשָׁעִים. Schol. καὶ ἐννοήματα ἀσεβῶν, *& cogitata impiorum.*

6. אֱרָב־דָּם. A. Th. ἐνεδρεύσϐσιν εἰς αἷμα, *inſidiabuntur ſanguini*] Vel *in ſanguinem.* ¶ יְשָׁרִים. A. S. T. εὐθέων, *rectorum.*

8. לְפִי שִׂכְלוֹ יְהֻלַּל־אִישׁ. S. Κατὰ τὴν Φρόνησιν αὐτϐ ἐπαινεθήσεται ἀνὴρ, *Secundùm prudentiam ſuam laudabitur vir.* ¶ יִהְיֶה לָבוּז. A. ἔςαι εἰς ἐξϐδένωσιν, *vilipendetur.* S. εἰς καταφρόνησιν, *contemptui*] *Erit contemptui*, i. e. contemnetur.

9. נִקְלֶה וְעֶבֶד לוֹ. S. Ἄτιμος καὶ δϐλεύων ἑαυτῷ, *Inhonoratus & ſerviens ipſe ſibi,* ¶ מִמְּתַכַּבֵּד. ἢ δοξαζόμενος, *quàm is qui celebratur.*

10. יוֹדֵעַ. A. S. Th. γινώσκει, *novit.* ¶ וְרַחֲמֵי רְשָׁעִים. A. καὶ οἱ οἰκτειρμοὶ - - - *& miſerationes.*

11. וּמְרַדֵּף רֵיקִים. Sym. ὁ δὲ ἐπισπεύδων εἰς ἀπραγίαν, *qui autem feſtinat ad otium.* A. Th. κενὰ, *inania*] Ἀπραγία, *ceſſatio à rebus agendis*, i. e. ἀπραξία, *otium, vita otioſa.*

12. צַדִּיקִים. Schol. τῶν δικαίων, *juſtorum.*

14. וּגְמוּל יְדֵי־אָדָם. A. S. καὶ ἀμοιβὴ χειρῶν αὐτϐ, *& retributio manuum ejus.*

15. וְשֹׁמֵעַ לְעֵצָה. S. ὁ δὲ ἀκϐων βϐλῆς, *qui verò auſcultat conſilio.*

16. יִוָּדַע כַּעְסוֹ. Schol. δηλώσει θυμὸν αὐτϐ, *manifeſtabit animum ſuum.* Th. γνωρίσει, *notum faciet*] יודיע. ¶ וְכֹסֶה קָלוֹן. S. ὁ δὲ σκέπων ἀτιμίαν αὐτϐ, *qui verò tegit infamiam ſuam.* Th. καὶ καλύπτων ὕβριν, *& occultans contumeliam.*

17. יָפִיחַ אֱמוּנָה יַגִּיד צֶדֶק. Sym. Ἐκφαίνων πίςιν ἀπαγγέλλει δικαιοσύνην, *Qui patefacit fidem, annunciat juſtitiam*] *In lucem profert.* ¶ עֵד שְׁקָרִים מִרְמָה. S. μάρτυς ψευδὴς δόλος, *teſtis mendax dolus.* A. - - - ἐπίθεσις, *impoſtura.*

18. יֵשׁ בּוֹטֶה כְּמַדְקְרוֹת חָרֶב. Th. ἔςι πεποιθὼς ἐν κεντήματι μαχαίρας, *eſt qui confidit in aculeo gladii.* S. ὥσπερ κέντημα, *ut ſtimulus*] *Qui confidit*, בוטח. Heth pro He. Ἐν κεντήματι, במדקרות. Beth pro Chaph.

19. תִּכּוֹן לָעַד. A. S. Th. ἑτοιμασθήσεται εἰς ἔτι, *firmabitur adhuc*] *Adhuc*, עוד. Cæterùm לעד magis denotat *in æternum.* Scribitur & unica dictione εἰσέτι, reddique poteſt *adhuc in poſterum.*

20. חֹרְשֵׁי־רָע. A. S. Th. τεκταινόντων, *fabricantium.* ¶ וּלְיֹעֲצֵי שָׁלוֹם. A. Th. συμβϐλεύϐσιν, *conſulentibus.* ¶ שִׂמְחָה. S. εὐφραίνονται, *lætantur.*

22. רצונו. A. S. Th. εὐδοκία, *beneplacitum*] Plenum eſt *beneplacitum ejus* εὐδοκία αὐτϐ quod Senes doctè interpretati ſunt δεκτὸς παρ' αὐτῷ, *acceptus ei eſt.* Hier. *placent ei.*

23. עָרוּם. Schol. πανϐργος, *callidus*] Aut *verſutus.* Sic Hier. Cæterùm *verſutos* Nonius ait *non ſolùm ad malitiam callidos; verùm & rectè peritos intelligi poſſe.* Plautus Aſinariâ, *Nec magis verſutum, nec quo caveas ægrius.* Idem alibi, *Homini verſuto, ſi quid rectè curatum velis, mandes.* Geneſ. 3. 1. ערום. A. Th. πανϐργος, h. e. Interprete Hier. *nequam & verſipellis.* Lxx. ibi σοφός hîc habent συνετός. Vide infrà 13. 1. ¶ כֹּסֶה דָּעַת. Sym. καλύψει γνῶσιν, *teget ſcientiam*] Prius erat in Lxx. θρόνος αἰσθήσεως, i. e. כסא *ſolium, thronus.* ¶ יִקְרָא אִוֶּלֶת. A. Th. καλέσει ἀφροσύνην, *vocabit amentiam.*

24. חָרוּצִים. A. συντεμνόντων, *concidentium.* Th. ἀνδρείων, *ſtrenuorum*] *Concidentium.* Vel *conſcindentium.* Nam חרץ συντέμνω, *conſcindo, exſcindo*: unde *aurum* חרוץ dictum, quòd è terra exſcindatur & eruatur. Συντέμνειν autem ſig. *decurtare, in anguſtum aliquid brevitatis causâ contrahere*, quod faciunt homines ſtrenui & induſtrii. ¶ תִּמְשׁוֹל. S. κυριεύσει *dominabitur.* Hem, penè exciderat, יד חרוצים תמשול. S. Χεὶρ πλϐσίων ἐξϐσιάσει. *Manus divitum cum poteſtate erit*] *Divitum*, עשירים. ¶ *Cum poteſtate erit*: idem cum illo, *dominabitur.* ¶ לָמַס. A. S. εἰς Φόρον, *ſub tributo*] *Erit ſub tributo*, i. e. tributaria, tributum pendet. 1 Mach. 1. 5. καὶ ἐγένοντο αὐτῷ εἰς Φόρον. Vide quæ notavimus ad h. l.

25. דְּאָגָה בְלֶב־אִישׁ יַשְׁחֶנָּה. Th. Μέριμνα ἐν καρδίᾳ ἀνδρὸς κατισχεῖ αὐτὸν, *Solicitudo in corde viri detinet ipſum*] Κατισχεῖ. i. e. κατέχει.

26. יָתֵר מֵרֵעֵהוּ צַדִּיק. A. περισσεύων τὸν πλησίον αὐτοῦ δίκαιος, *præſtat proximo ſuo juſtus*] Ut Cohel. 3. τί ἐπερίσσευσεν ὁ ἄνθρωπος; *quid præſtat homo?* licet etiam exponere *amplius habet?*

AMAMA.

1. בער] Stultus. Vide me ad Pſ. 49.

7. הפוך] Quidam *verte impios, & non erunt*, i. e. Converte & non manebunt tales. Inepte. Id enim eſſet הפך. Et tamen ita Gloſſ. Ordin. & Lyra. הפך hîc eſt *ſubvertere*, & eſt infinit. pro præſenti, *ſubvertit* (Deus) *impios.* Vel, ſubvertunt ſe ipſos impii, vel, ſubvertuntur impii. Perf. pro imperfect.

9. Κρείσσων ἄνθρωπος ἐν ἀτιμίᾳ καὶ δϐλεύων ἑαυτῷ. Legerunt, וְעֹבֵד לוֹ. Ebr. וְעֶבֶד & qui ſervum habet. Synecd. i. e. cui ſuppetunt ea quæ ad vitam commodi agendam ſunt neceſſaria. Ponitur adverſus pompaticos, qui domi eſuriunt, ut foris ſplendeant.

נקלה. Inhonorus.

10. *Novit animam jumenti*] Lyra ſtulte exponit *ſervorum*, ut eos vocet jumenta quaſi juvamenta. Lxx. οἰκτείρει miſeratur. Deus in Lege jumentorum quoque meminit, ut Præl. 4. & Deut. 25. 5. *Bovem triturantem ϐ Φιμώσεις. Non tolles matrem cum pullis.* &c. Porro de *Noſcendi* peculiari ſignificatione alibi.

Miſerationes crudeles] Ὀξύμωρον vocant Græci ejuſmodi locutionem,

cutionem, in qua videtur contradici in adjecto, locutio arguta. Sic Virg. in Culic. v. 410.

Tacitâ firmat quod litera voce.

Cic. in Verrem, *ſi tacent, ſatis clamant.* Catull. Carm. 6.

Nequicquam tacitum cubile clamat.

Claud. *Dixitque tacendo.* Horat. *Strenua nos exercet inertia.* Ita Scal. de pulcra Puella, *Monſtrum ſine vitio.* In Epitaph. Plauti, *numeri innumeri*, de pedibus Comœdiæ liberioribus. Apulejus 5. Mileſ. *Sine precio precioſa domus.* Et de Mundo, *inordinatus ordo.* Plin. in Epiſt. *Otioſa occupatio. Servum arbitrium* Cic. in Lælio, *Amici abſentes adſunt., & egentes abundant, & imbecilles valent & mortui vivunt. Vivum cadaver.*

Græca, Μήτηρ δυσμήτηρ. Homerus. Δύσδωρα δῶρα. Oppianus. Alibi δῶρα ἄδωρα. Eurip. ἀβίωτον βίον. Ἔργα ἄνεργα. Syneſ. χάριν ἄχαριν. Paulus Apoſt. de vidua ſalaci, Ζῶσα τέθνηκεν.

Compoſita μωρόσοφος, γλυκύπικρος, δικαιάδικος, ἀργότυφλος, πτωχοπλούσιος.

11. רקים] Vide Cenſ. Jud. 11. 3.

12. מצור, Alii rectè, à צור. Alii præſidium, ut מ ſit radicale מצר & מצור arx. Hoc ſenſu, *improbi deſiderant quidem præſidium malorum*, i. e. adverſus mala, *at radix juſtorum dabit* ſc. illud præſidium. Alii, *dabit* ſub. *fructum ſuum.* Alii, *juſtorum quiſque dabit radicem* למטה inferne, i. e. longe lateque propagat radicem ſuam, i. e. poſteritatem.

13. *Tendicula mali*] i. e. Malus ſibi ipſi mala parat.

16. ביום. LXX. αὐθήμαρ, *ipſo illo die*, i. e. ſtatim. Hoſ. 4. 5. Et corrues ביום *hodie*, *& quoque Propheta tecum nocte.*

Tegit ignominiam] i. e. Iram, quæ ipſi futura eſſet ignominioſa.

18. Eſt qui loquitur ſimilia gladio transfodienti, at lingua ſapiens ſimilia medicinæ.

19. לעד Εἰς τέλος, νῖκος, αἰῶνα. 1 Cor. 15.

ארגיעה *Momentum*] Pro ארגיע ut רגע. Multa verbalia inſtar verborum, אשך. אכזב & אכזיבה nomen urbis תלמיד. Jun. *Donec momentum transfigam, durat lingua mendax.* Ac ſi eſſet verbum. Extat quoque Jer. 49. 19. & 50. 44.

21. Non יאנה *Omne malum.* Apud Latinos, *Non omnis* eſt *aliquis*, *non omnis* & *non omnes* ſunt contradictoria. At Ebr. *omnis non* & *non omnis* contrariantur τῷ *omnis*, i. e. ſunt idem quod *nullus*. Negatio influit in verbum non in ſignum. Pſ. 59. 8. *Ne miſerearis omnium prævaricationum. Non juſtificabitur omnis caro. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.*

Omnis non] Dan. 7. *Omnis læſio non eſt inventa in eo.* Ex. 22. *Omnem pupillum & viduam non affligetis.* Vulg. *Non contriſtabit.* Hic impegit Hieron. ad Eph. 1. exponens illud, Pſ 143. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Vide Pſ 49. Exod. 21. 13. *Si Deus* אנה *in manum ejus.* Ab אנה eſt אני navis, quod impellatur à ventis.

Plem malo] Intus & foris, culpæ & pœnæ.

Una voce און, רע, חטאה, Ebræi utrumque comprehendunt malum pœnæ & culpæ, peccatum & peccati pœnam, ut ſciremus pœnam ſemper eſſe comitem culpæ.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Val. Max.

Tardo quidem gradu &c.

22. *Qui facit veritatem*] Sic Joh. 3. ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν.

רצונו] Sub. ad עשי literam ב, erga *facientes veritatem.* Ἡ εὐδοκία αὐτοῦ. Sic Luc. 2. καὶ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ἐν ἀνθρώποις Ebr. באדם. Ex Ebr. ergo poſitum ב *in*, pro, *erga.* Sic neceſſario exponendus ille hymnus, ſi trimembris. Alii malunt eſſe bimembrem, ac legunt εὐδοκίας. Rationes tres. I. Quod una ſit copula καὶ. II. Quod tria tribus opponantur δόξα καὶ εἰρήνη. 2. Ἐν ὑψίστοις καὶ ἐν γῇ. 3. Θεῷ, ἀνθρώποις. III. Quod poſterius membrum ratione tantum differat à ſecundo. Senſus ergo, *in hominibus beneplaciti*, i. e. in quibus beneplacitum Dei occupatur. Sic hic quoque exponi poteſt, *facientes veritatem ſunt beneplacita ejus.*

23. *Operit ſcientiam*] Non quovis tempore, loco, temere effutit, ſed circumſtantiarum habita ratione diſpenſat.

Cor ſtultorum] Eccl. 10. 3. Dicit omnibus ſe ſtultum eſſe.

24. רמיה] Poteſt eſſe adjectivum & ſubſtantivum. Adjectivum eſt Pſ 120. לשון רמיה. Uſitatius eſt Abſtractum. Significat propriè dolum, fallaciam. Opponitur hic ſedulitati, ac proinde Vulg. hic & paſſim vertit per *ignaviam.* Quia ignaviæ comes eſt dolus. Qui otioſus, plerumque etiam fraudulentus.

למס] Syn. ſerviet. Thr. 1. 1. eſt à מסס.

GROTIUS.

10. N*Ovit juſtus jumentorum ſuorum animas*] Novit, id eſt, curam gerit, ut Pſalm. 1. 6. Laudabile eſt etiam adversùs animantia muta aliquâ uti bonitate, quo longiùs à feritate in homines abſtineatur. Vide quæ diximus ad Deuteron. 25. 4. & ad Levit. 22. 28.

16. *Qui autem diſſimulat injuriam callidus eſt*] In Hebræo ſic potiùs: *Cautus injuriam diſſimulat.* Apud potentes id maximè neceſſarium, ubi ad ſenectutem non pervenitur, niſi accipiendo injurias, & diſſimulando. Sed & apud alios,

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

20. *Qui pacis ineunt conſilium, ſequitur eos gaudium*] Sic Euripides cogitari jubet:

Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς,
Ἡ πρῶτα μὲν Μούσαισι προσφιλεστάτη,
Γόοισι δ᾽ ἐχθρὰ, τέρπεται δ᾽ εὐπαιδίᾳ,
Χαίρει δὲ πλούτῳ.
[*Quantoque potior Marte pax mortalibus,*
Quæ docta nutrit ſtudia, quæ luctus fugat,
Fœcunditate gaudet, opulentat domum.]

24. *Manus fortium dominabitur; quæ autem remiſſa eſt, tributis ſerviet*] רמיה non malè tranſtulit *remiſſa*, nam רמה eſt *projicere.* Sic *projecta patientia* apud Tacitum. Erinna in hymno Fortitudinis:

Σοὶ μόνα πρέσβιστα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς.
[*Nam tibi ſoli tribuêre Parcæ*
Sceptra non unquam peritura regni.]

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

2. D*E fructu oris*] i. e. Qui ore ſuo fideliter docet, ille bonam à Deo accipiet remunerationem; anima autem quæ Deum negligit & proximum laceſſit injuriis, illa quoque reportabit fructum labiorum ſuorum iniquorum.

4. *Anima ſedulorum*] De vocabulo חרוצים diximus præcedenti capite.

7. *Eſt qui divitiis inhiat*] Ex Hebræis quidam hanc ſententiam ſic vertendam putant, *Eſt qui ſe divitem oſtendit, & tamen nihil habet domi: & eſt qui ſe pauperem ſimulat, cùm habeat opes multas.* Alii ſic exponunt, *Eſt qui multùm ſolicitatur & laborat pro divitiis, & tamen ſemper manet in egeſtate: & rurſum eſt alius pauper, qui ſine ſolicitudine ad grandes pervenit divitias.* Utraque autem eſt bona, opulentia & paupertas: opes enim liberant aliquem ex captivitate, & paupertas obſtat ut vir pauper non facilè à potentibus capiatur, cùm nihil habeat quod emungi poſſit, & ſic intelligendum eſt quod ſequitur, *Pauper non audit increpationem*, h. e. non timet capi propter opes, ſicut dives.

11. *Vanitate*] h. e. Bona acquiſita fraude & rapina citò dilapidabuntur: quæ autem acquiruntur labore manuum, his Deus dat incrementum.

13. *Qui vilipendit rem aliquam*] Contemptus ſæpe perducit contemnentem in diſcrimen, cùm in tempore licuiſſet periculum prævenire.

15. *Dabit gratiam*] h. e. Qui rectè utitur conceſſa ingenii perſpicacitate, inveniet gratiam apud Deum & homines: Et qui intelligentiam illam convertit in prudentiam carnis, durum eſt talem regnare in populo.

20. *Qui fovet ſtultos*] Vel, *qui paſcit ſtultos.* Sunt etiam qui hic רעה *roe* pro *ree* legendum contendunt; ut ſit ſenſus, *Qui ſocius eſt ſtultorum, ſimilis illis efficietur.* Similes enim evadimus illis cum quibus habemus conſuetudinem.

23. *Ille autem perditur*] h. e. Qui in agro ſuo tempore conſueto debita omittit facere officia, illius novale ſeu ager nihil profert. Alii ſimpliciter ſic vertunt, *Ubi non agitur cum judicio inopia eſt.*

24. *Qui parcit virgæ*] Per *virgam* intellige nedum plagas, verùm & totam inſtitutionem puerilem, doctrinam, honeſta exercitia, certa ſtudia & pœnas delictorum *Manè* autem ſunt pueri inſtituendi, h. e. à teneris annis. *Adoleſcens enim juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea*, ut alibi Salomo docet.

25. *Venter impiorum penuriam habebit*] Impiis, inquit, ni-

hil ſatis eſt, nec finis eſt quærendi opes, & tam non habent quod habent quàm quòd non habent. *Donum Dei eſt*, inquit Eccleſiaſtes, *poſſe frui ad ſatietatem bonis acquiſitis.*

VATABLUS.

1. *Sapiens* audit *eruditionem patris* חכם מוסר אב] *Sapiens eſt diſciplina patris.*

2. *De fructu oris* ſui, &c. מפרי פי וגו'] Vide ſuprà 12. 14. ubi ſunt eadem verba Hebraïca, præterquam quòd pro eo quod hic legitur *comedet*, illic eſt *ſatiabitur*. ¶ *Et* de fructu, &c. ונפש בוגדים חמס] Ad verb. *& anima prævaricatorum* comedet *injuriam*: i.e. prævaricatores afficientur injuriâ.

3. *Erit contritio* מחתה לו] Ad verb. *contritio ei.* Redundat pronomen. Alii, *erit pavor:* ſive *terror.*

4. *Et non eſt, anima pigri* ואין נפשו עצל] Ad verb. *& nihil, anima ejus pigri.* More Hebraïco relativum cum antecedente, ubi ſufficiebat antecedens. Quidam vertunt, *Et non* fit voti compos *anima pigri.* Alii, *deſiderat piger* cibum, *& nihil* habet *anima ejus.* ¶ *Solicitorum* חרוצים] *Sedulorum*: i.e. habebit quicquid optaverit.

5. *Fœtere facit* יבאיש] Fut. Heb. pro præſ. *putreſcere faciet*, ſub. *opera ſua*, vel *ſermonem ſuum.* ¶ *Et pudore afficit* ויחפיר] *Et confundit*, ſub. *& ſe & ſuos auditores.*

6. *Cuſtodit perfectum viâ* תצר תם דרך] *Conſervat integritatem viæ.* Alii, *obſervat viam integram.* ¶ *Peccatorem* חטאת] Ad verb. *peccatum.* Subaudiendum איש, & vertendum *virum peccati*, h. e. hominem peccatorem. q. d. Impietas fruſtratur voto ſuo hominem peccatorem.

7. *Se divitem oſtentat* מתעשר] *Præ ſe fert divitias*: vel, *qui ſimulat ſe divitem.* Annotant Hebræi, verba octavæ conjug ſignificare actionem & paſſionem, & aliquando illam actionem eſſe ſimulationem. Quidam, *Divites quidam ſunt, tametſi nihil habeant: pauperes alii ſunt, tametſi magnas opes habeant.*

9. *Exhilarat* ישמח] Fut. Heb. pro præſ. *lætum eſt*: i.e. Proſperitas juſtorum multiplicatur & creſcit: at anima impiorum, &c.

10. *Verè* רק] *Certè. Prorſus.* ¶ *Dabit* ſuperbus *litem* יתן מצה] Fut. Heb. pro præſ. Præterea *dare* pro *excitare. Excitat* ſuperbiens *contentionem.* Ubi participium ſubauditur, ſicut in verbis frequenter verbale, ut *Renunciavit Danieli*, ſub. *renunciator.* ¶ *At cum conſultis*, &c. ואת נועצים חכמה] i.e. Sapientia conſultos reddit.

12. *Infirmitas eſt cordis* מחלה לב] *Cruciat animum*: vel, *dolore afficit cor.* ¶ *Veniens* באה] Hebraïco more, pro *adimpletum:* i.e. ſi contigerit quod cupis.

13. *Contemnens verbum*, &c. בז לדבר יחבל לו] *Qui vilipendit rem aliquam, damno obnoxius erit propter eam.* Alii, *Qui contemnit aliquid, corrumpetur propter ipſum*, ſub. *contemptum.* Vel, *corruptio* [ſive *perditio*] *erit ei.* Alii, *Qui rem contemnit, damnum capiet.* ¶ *Et timenti*, &c. וירא מצוה הוא ישלם] *Et timens præceptum, in pace verſabitur.* Vel, *pace fruetur.*

14. *Vena* מקור] *Fons.*

15. *Intelligentia bona* שכל טוב] *Ingenium benignum*, aut *facile.* Vel, *Intellectus benignus.* ¶ *Dat gratiam* יתן חן] i.e. Conciliat favorem, & reddit hominem gratum. ¶ *At via*, &c ודרך בוגדים איתן] *Ac conſuetudo prævaricantium dura eſt*: i.e. prævaricantes, ſive contemptores, nihil condonant fratribus.

16. *Omnis callidus* res ſuas *faciet cum ſcientia* כל ערום יעשה בדעת] Fut. Heb. pro præſ. *Quiſquis prudens eſt, operatur* opus ſuum *cum prudentia.* Alii, *Aſtutus facit omnia cum ſcientia. Scientiam* vocat quod vulgò *diſcretionem* vocant. ¶ *Expandit* יפרש] Fut. Heb. pro præſ. Quidam per ש cum puncto dextero, vertunt, *exponet, manifeſtabit.*

17. *Verax* eſt velut *ſanitas* ציר אמונים מרפא] Ad verb. *veritatum medicina*: i.e. verax, ſive fidelis eſt inſtar medicinæ.

18. *Deſerenti* פורע] *Negligenti, removenti à ſe.* Alii, *qui ſe diſciplinæ ſubtrahit.*

19. *Deſiderium factum* תאוה נהיה] *Deſiderium quod præſens eſt.* Alii, *Cùm id adeſt quod deſideratur.* ¶ Eſt *recedere* סור] Ad verb. eſt *remotus.* Poteſt etiam eſſe infinitivus, i.e. *diſplicet ſtulto is qui deſerit facinora*: aut *ſtulti averſantur eum qui à ſcelere recedit.*

20. *Graditur* הולך] *Verſatur.* ¶ *Sed qui eſt amicus ſtultis* ורעה כסילים] *At qui ſe facit amicum* [vel, *jungit ſe*] *ſtultis*: ſive, *amicitiam jungit cum ſtultis.*

21. *Reddet* ישלם] *Retribuet*, ſub. *retributor, qui eſt Deus.*

22. *Hæreditare faciet*, &c. ינחיל וגו'] *Hæredes relinquet filios.* Vel, ut alii, *tradet hæreditatem nepotibus.* ¶ *Et reſervatur*, &c. וצפון לצדיק וגו'] Ad verb. *& abſcondita ſunt pro juſto divitiæ*, i.e. repoſitæ & reſervatæ.

23. *Pauperem* ראשים] Qui vertunt ut vertimus, docent א non eſſe radicale, ſed eſſe literam quæ intelligi ſolet in motione magna: ideo locum iſtum non intelligunt de magnatibus. Alii volunt à ראש, quod *Caput* & *Principem* ſignificat, deduci: ideo vertunt, *Multitudo cibi invenitur in agris magnatum*, i.e. divitum quibus eſt facultas colendi terram, & faciendi quæcunque illi ſunt neceſſaria. ¶ *Et eſt qui*, &c. ויש נספה וגו'] *Et eſt conſumptus ob non jus*: i.e. qui fame conſumitur, eò quòd non diſponit agrum ut par eſt, & ignorat leges colendi & ſerendi agri: vel, quòd non eſt ei facultas conducendi operarios, ut ejus terram colant.

24. *Quærit ei correctionem* שחרו מוסר] *Manè quærit illi caſtigationem*: i.e. ſingulo quoque die, ſive jugiter caſtigat eum. Affixum pronomen pro שחר לו. Alii, *maturè diſciplinam adhibet.* Alii, *manè caſtigat eum.*

25. *Egebit* תחסר] Fut. Heb. pro præſ. *penuriam patitur.*

CASTALIO.

2. *Perfidi homines inhumanitate*] Scilicet *veſcentur*: h.e. dabunt inhumanitatis ſuæ pœnas.

8. *Pauper non audit objurgationem*] Non objurgatur, ſed punitur.

12. *Vitalis arbor*] Res ſuavis.

15. *Perfidorum mores ſunt truces*] Sua truculentia inviſi ſunt.

19. *Adeptum eſſe quod optaveris recreat animum, inſani maleficiorum declinationem abhorrent*] Boni benefaciendi cupidi ſunt; mali contra.

23. *Abundant victu novalia pauperum: ſed ſunt quæ iniquè percipiantur*] Pauperum fructus interdum à divitibus intercipiuntur.

CLARIUS.

1. *Filius ſapiens*] Alius vertit, *Filius ſapiens audit caſtigationem patris.*

2. *De fructu oris*] Quidam ſic vertit, *De fructu oris ſapientis unuſquiſque comedit bonum, anima autem prævaricatorum comedet injuriam.* Ut ſit ſenſus, Qui ore fideliter docet, ille bonam à Deo accipiet remunerationem: anima autem quæ Deum negligit & proximum laceſſit injuriis, illa quoque reportabit fructum labiorum ſuorum iniquorum.

7. *Eſt quaſi dives*] Ex Hebræis quidam hanc ſententiam ſic vertendam putant, *Eſt qui divitem ſe oſtendit, & tamen nihil habet domi: & eſt qui ſe pauperem ſimulat, cùm habeat multas opes.* Alii ſic exponunt, *Eſt qui ſolicitus eſt & multùm laborat pro divitiis, & tamen ſemper manet in egeſtate: & rurſum eſt alius pauper, qui ſine ſolicitudine ad grandes pervenit divitias.*

8. *Redemptio animæ*] Quidam ſic conjungunt ſuperiori. Utraque eſt bona, opulentia & paupertas: opes enim liberant aliquem ex captivitate, & paupertas obſtat ut vir pauper non facilè à potentibus capiatur, cùm nihil habeat quod emungi poſſit, & hoc eſt quod ait, *pauper non ſuſtinet* (vel *non audit*) *increpationem.*

11. *Subſtantia ex vanitate*] h.e. Bona acquiſita fraude & rapinâ citò dilapidabuntur: quæ autem acquiruntur labore manuum, iis Deus dat incrementum.

13. *Qui contemnit rem aliquam*] Contemptus ſæpe ducit contemnentem in diſcrimen, cùm in tempore licuiſſet periculum prævenire.

15. *Doctrina bona*] Qui rectè utitur conceſſâ ingenii perſpicacitate, inveniet gratiam apud Deum & homines; at qui intelligentiam illam convertit in prudentiam carnis, durum eſt talem regnare in populo.

22. *Relinquet hæredes*] Vel *relinquit hæreditatem filiis & nepotibus.*

23. *Ille autem perditur*] Qui in agro ſuo in tempore omittit debita exercere officia, illius novale nihil proferet.

R. BAYNUS.

1. *Filius ſapiens doctrina patris; qui autem illuſor eſt non audit cùm arguitur.* Heb. *Et deriſor non audivit increpationem*] Non eſt innata ſed acquiſita ſapientia de qua loquimur.

Multò

Multo ſudore, magnâ diligentiâ & vigilantiâ non ſolùm propriâ ſed parentum quoque evadunt homines ſapientes. Accedat oportet & parentum induſtria & juvenum obtemperans animus. Verbum *audivit* in priore particula ſubauditur. *Filius qui ſapiens evaſit*, ſup. *audivit*, *doctrinam patris*, vel obedivit caſtigationi & diſciplinæ parentum & majorum, ſeu præceptorum. *Qui eluſor* vanus & excors eſt in juvenili ætate, aut *ipſe noluit obedire* majoribus *rectè monentibus*, aut ſocordiâ & vitio parentum *non audivit caſtigationem*. Uſqueadeo ineptè indulgent liberis aliqui patres ut *dum virgæ parcunt*, *liberos perdant*. Proverbium parentes hortatur ut caſtigent liberos, & hos ut parentibus obediant.

2. *De fructu oris homo ſatiabitur bonis*; *anima autem prævaricatorum iniqua.* Heb. *De fructu oris vir* (vel *unuſquiſque*) *comedet bonum*; *ſed anima tranſgreſſorum iniquitatem*] Aliter, *De fructu oris vir comedet bonus*, *ſed ex fructu animæ tranſgreſſorum comedet iniquus.* Juxta variam verſionem varium ſenſum habet verſiculus. Verbum *comedet* vel *ſaturabitur* bis accipitur, & Metaphoricè intelligitur; ut *fructus* etiam Metaphoricè pro *præmio*, vel *ſupplicio*, quod quiſque ex operibus ſuis capit. In genere dictum intelligi poteſt; vel pendet ex priori verſiculo, in quo non ſolùm reprehenſus eſt illuſor qui parentibus non obedivit, ſed parentes quoque qui liberos non increpant neque caſtigant. Non enim ſatis eſt filios procreare, nutrire corpus liberorum, carnis habere fructum; ſed rectam & ſalubrem diſciplinam inſtillare oportet in animas eorum: atque ità tandem ex optimis liberis optimum fructum capiunt: & juxta hunc ſenſum per *fructum oris* doctrinam intelligimus ab ore patris in pectora filiorum inſtillatam. Verùm quiſquis *tranſgreſſor* eſt Legis in liberorum educatione, rapinæ, violentiæ & iniquitatis liberorum erit particeps, metens & comedens ea quæ ſeminaverit. Quòd ſi in genere dictum intelligamus (quod mihi magis placet) quadrat ſenſus cum multis locis hujus operis, in quibus vitia linguæ reprehenduntur, & virtutes maximè commendantur: ut intelligamus non pro ſolis rebus à nobis geſtis ſed etiam pro lingua & ſermonis fructu nos eſſe remunerandos aut puniendos: ut ſit ſenſus, *Unuſquiſque comedet & percipiet bonum de doctrina bona, conſilio ſano & correctione ſalubri*; *contrà*, *anima quæ tranſgreditur in his*, *hominem iniquum facit.* Vel bis repetitur dictio *de fructu*; & ſenſus erit, *Ut de fructu viri ſapientis & docti accipiet bonus & comedet*, h. e. ſequetur doctrinam illius; *ità de fructu prævaricantium iniquus comedet.* Et huic ſenſui quadrat quod ſequitur,

3. *Qui cuſtodit os ſuum*, *cuſtodit animam ſuam*; *qui autem inconſideratus eſt ad loquendum*, *ſentiet mala.* Heb. *Qui laxat labia ſua*, *erit illi contritio*] Per linguam, tanquam per oſtium, ad animum ingreditur malum. Quicunque igitur animum caſtum & illæſum ſervare cupit, primò os ſuum firmum & clauſum ab impudico ſermone obſervet. Vel, *Qui cuſtodit os ſuum*, *animam ſervabit tranquillam & inconcuſſam:* nam per os & ſermonem ad animum, tanquam ad interiora domûs per oſtium, intrant commotiones & turbulentæ paſſiones. Juxta ſecundam clauſulam, *Qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala*] Vel juxta Hebræum פושק שפתיו, *qui laxat labia*, *contritio*, ſc. *erit illi*, h. e. animo fracto & contrito erit ac parùm tranquillo, juxta illud, *Locutum eſſe nocet*, *tacuiſſe nunquam.* Poteſt eſſe ordo præpoſterus, ut ſit ſenſus, *Qui ſervat animam*, *ſervat linguam*; juxta alium locum, *Omni cuſtodiâ cuſtodi cor tuum:* ut cum Euangelico quadret elogio, Matth. 15. *A corde exeunt quæ coinquinant hominem.* Sed juxta Aben-Hezra ſimplex ſenſus eſt, *Qui cavet ſibi & prudens eſt verbis*, *ſervabit animam ſuam ab anguſtia & ſera pænitentia. Nam ut facilis eſt linguæ lapſus*, *ità ſubita pœnitentia animam percutit.*

4. *Vult & non vult piger*, *anima autem operantium impinguabitur.* Heb. *Anima pigri deſiderat*, *& non habet* (ſub. *quod deſiderat*) *ſed anima ſolicitorum impinguabitur*] Oſtendit verſiculus induſtriam & diligentiam multa poſſe, otium & pigritiam inopiæ & paupertatis matrem eſſe. Qui nullis honeſtis artibus nec ſtudio ætatem tranſigunt, multa vana animo volvunt, & quantò pauciora habent tantò plura deſiderant: ſed nihil prodeſt vanis optionibus paſcere animum, & ventris inediam pati. Stulta ſunt hujuſmodi deſideria: nam ad laborem naſcimur & ad ſudorem vultûs. Quantò igitur ſatius & prudentius fuerit operi admovere manum & victum juſtis laboribus quærere, & eſurientem ſaturare ventrem? cujus ſaturitas nemini deerit niſi quis ſibi defuerit. Alioqui juxta canonem D. Pauli, *Qui non laborat non manducet.* Non ſolùm ad opum & panis materialis pinguedinem, ſed ad animi virtutes applicari poteſt; quas non otio ſed multâ ſolicitudine & labore comparaſſe ſibi optimos quoſque conſtat. *Soliciti* & negotioſi ſunt, non qui ventrem paſcere magnis laboribus curant, ſed qui quidvis facilè agunt & patiuntur quò animam favore Numinis & omnibus virtutum generibus lætam ac ſucculentam efficiant.

5. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur*, *impius autem confundetur*] Ut *qui malè agunt odio habent lucem*, tanquam contrariam illorum operibus tenebrarum; ſic juſtus, qui veritatem amat in ſermone & opere, mendacium exſecratur, idololatriam, falſam religionem, hypocriſim, hæreſim, aut quamcunque in moribus aut verbis diſſimulationem & deceptionem intelligimus. Secundam verſûs particulam obſcuram reddunt duo verba יבאיש ויחפיר *fœtere faciet & probro afficiet.* LXX. Ἀσεβὴς δὲ αἰσχύνεται καὶ οὐχ ἕξει παῤῥησίαν, *Impius pudore ſuffunditur*, *& non habebit loquendi libertatem:* quorum alterum ad opera, alterum ad animum referunt expoſitores Hebræi; ut ſit ſenſus, *Improbus corrumpet*, *& pudore digna opera faciet*, *unde ſuam ipſius animam confundet.* Poſſunt ad *juſtum* referri, q. d. *Juſtus*, *cum odio habeat mendacium*, *facilè pudore & ignominiâ afficiet impium*, *qui mendaciis innititur.* Denique juxta Chaldæum paſſivè accipiuntur hæc verba נבהית ומחפר *rubore & pudore affectus eſt:* & ſenſus erit, *Improbus*, *qui mendaciis gaudet*, *& nihil in veritate agit*, *tandem aliquando ignominiâ afficietur & confuſione opprimetur:* ut alterum ad hanc vitam, alterum ad futuram referatur. Quòd ſi de ignominia & pudore quem infert aliis intelligatur, magis ad conatum quàm ad rem refertur. Solent enim ſedulò operam dare improbi ut bonis viris opprobria inferant. Juxta quem ſenſum ſequitur,

6. *Juſtitia cuſtodit innocentis viam*, *impietas autem peccatorem ſupplantat*] Multa moliuntur improbi contra juſtos, ſive ut damnis & opprobriis eos afficiant, ſive ut penitus ſubvertant, ut ſuperiùs diſſeruimus. Sed cavendum eſt nè cogamur declinare vel ad dexteram vel ad ſiniſtram. Viam quam Lex Divina monſtrat ſervat juſtus & vir *perfectus in via*, h. e. in ratione vivendi, & viciſſim ſervatur ab ipſa juſtitia. Non quemlibet ſervat & protegit juſtitia, ſed *perfectum & integrum in via*, ut eſt in Hebræo, in fide & charitate. Non eſt nobis opus aliis munitionibus, aliis propugnaculis aut armis; iſta ad tempus fortaſſe corpus muniunt, juſtitia ſuos, quos *integros in via* reperit, integros perpetuò ſervat. Contrà, *improbitas ſubvertet peccatum*, h. e. hominem peccati; quem declinantem reperit, penitus ſubvertit. Aliter, Quemadmodum juſtitia efficit ut juſtus ſervet perfectionem vitæ, ſic impietas quodammodo impellit hominem de peccato in peccatum, ut ſit peccatum pœna peccati. Et proinde monemur hoc verſiculo principiis obſtare, ut cum improbitate nihil commercii habeamus: nam *impietas* tandem *ſubvertit* non hominem peccatorem, ſed *hominem peccatis deditum*, h. e. hominem peccati.

7, 8. *Eſt quaſi dives cùm nihil habeat*, *& eſt quaſi pauper cùm in multis divitiis ſit. Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ*, *qui autem pauper eſt*, *increpationem non ſuſtinet.* Heb. *Eſt qui ſe divitem facit & nihil habet*, *qui ſe pauperem oſtendit*, *& opes multas habet. Redemptio animæ viri ſunt divitiæ*, *ſed pauper non audivit opprobrium*] Nihil ferè refert ad ſapientiam quam docemus ſive quis dives fuerit ſive pauper: nam non ex ipſa re ſed ex animo habentium aut non habentium æſtimantur divitiæ. Videas aliquem qui divitis nomen affectat, & aſſequitur illum honorem quem à divitiis habent homines, & interim re verâ pauper eſt: ſed ſuo animo ſatisfacit, & aut apud ſe ſolum aut etiam apud vulgus pro divite habetur. Contrà, eſt alius qui cum re verâ dives fuerit, divitis honorem recuſat, modis omnibus ſe pauperem oſtendens, nè cogatur ſumptus quos nollet facere, tributa pendere Principibus & in publicos uſus multa inſumere, denique nè calumniam divitiarum cauſâ aut inſidias ſuſtineat, ſedulò paupertatem ſimulat ut tranquillitatem habeat & felicitatem illam æquabilem quâ divites à pauperibus ſuperantur. Aliter, à ſtudio & concupiſcentia augendarum opum deterret, cùm videamus magnopere laborare aliquos ut divites evadant, & tamen ſemper ſunt egentes; contrà, alios negligere opes, non inhiare divitiis, & nihilominus diteſcere. Vel eò ſpectat ut oſtendat inconſtantiam divitiarum, quò nos deterreat ab illis: ut ſit ſenſus, *Eſt qui dives evadit ſubitò*, *cùm penitus nihil haberet*; *& contrà*, *eſt qui repentè ad ſummam inopiam delabitur*, *cùm eſſet locuples.* Sed ut utramque fortunam æquo animo feramus, & ut oſtendat non uſqueadeo referre ad virum ſapientem & probum, utriuſque commoda infert, quæ ſunt quaſi eadem, ſi modò animus ſit idem. ¶ *Redemptio animæ viri*, *divitiæ illius*] q. d. Si quid dives delinquat, ſi cauſam ſuſtineat aut invidiam, nummis omnem redimet injuriam: & hoc commodi ab opibus capiet, ab injuriis & calumniis ſeſe tuebitur. ¶ *Qui autem pauper eſt*, *increpationem non ſuſtinet*] Vel, *Pauper non audivit opprobrium.* Pauperis par eſt aut ſuperior conditio: nam uti non habet divitias quibus damna illata redimat aut injurias propulſet, ità fere nullas ſuſtinet, juxta illud Poëtæ,

Sic

Sic reus ille ferè eſt de quo victoria lucro
Eſſe poteſt: inopis vindice facta carent.

Spiritualiter intelligitur *redemptio animæ*, juxta conſilium Danielis, *Redime peccata tua eleemoſynis*: & juxta hunc ſenſum monet divites nè pauperes afficiant opprobriis, ſed beneficiis juvent & eleëmoſynis, quibus exſtinguuntur peccata. Quod ſi de ſpiritualibus intelligamus divitiis, locus contra ſuperbiam & jactantiam facit: nam qui de virtutibus animæ aut chariſmatibus gloriatur, iiſdem deſtituitur. Sola humilitas cœleſtes divitias fideliter obſignat & cuſtodit. In quem ſenſum quadrant quæ ſequuntur,

9. *Lux juſtorum lætificabit, & lucerna improborum exſtinguetur*] Videtur ſubaudienda præpoſitio *in*, ut ſit ſenſus, *In luce juſtorum erit lætitia, ſed in lucerna improborum non erit*, quia parùm durabit, citò exſtinguetur. Metaphora eſt admodum frequens, ut per *lucem* proſperitatem, per *tenebras* adverſitatem intelligamus. Et erit ſenſus, Unà cum juſtitia, lux & vita; hæc ſunt amœna & læta quando non obnubilantur rebus adverſis. ¶ *Sed lucerna impiorum exſtinguetur*] h. e. Quamvis luce hâc & felicitate gaudere videantur improbi, tamen in illorum vita non poteſt eſſe lætitia, cùm brevi & adinſtar lucernæ ſit exſtinguenda. Si per *lucem* & *lucernam* utriuſque animum, nempe *juſti* & *improbi*, intelligamus, alius ſed non multùm diverſus erit ſenſus, hujuſmodi videlicet; Ut Sol exortus ſuo lumine mundum exhilarat, ſic juſtorum animi triſtitias hujus mundi & moleſtias facilè diſcutiunt: q. d. Mens ſerena juſtorum alios lætos efficiet, aut in ſuo lumine & pura conſcientia unuſquiſque juſtorum lætus erit, improborum nemo poteſt aut debet gaudere de ſuâ lucerna. Nam ut ſit quamlibet fulgens & reſplendens in loco obſcuro, & inter ſui ſimiles vel ignaros, non poterit tamen ſolidam conferre lætitiam, cùm ad momentum in hac vita ſplendeat, at ſubitò extinguatur. Aliter, *Lux juſtorum* eſt doctrina & pietas ſanctorum: de qua luce Chriſtus, Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra*; quæ mundo magnam lætitiam attulit. *Lucerna impiorum*, hæreticorum hypocriſis, quæ ſemper brevi fuit exſtincta.

10. *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſiliis, reguntur ſapientia.* Heb. *In ſuperbia nihil aliud quàm litem dabit aliquis, ſed cum conſultis ſapientia*] *Superbiam* opponit *conſilio*, & *litem ſapientiæ*: q. d. Si quis conſultè omnia agat, vel qui conſilia prudentium libenter audit & obtemperat, ſapiens erit. Cæterùm qui temere & audacter omnia facit, cùm per ſuperbiam ſeſe neminem plùs ſapere exiſtimet, in lites & jurgia ſolet incidere, aut aliis lites intentare. Aliter, Qui cum ſuperbis hominibus verſatur, inter quos nullus obtemperat alteri, nihil aliud quàm lites diſcere & ſectari ſolet: Qui verò verſatur cum conſultis & prudentibus hominibus, qui omnia cum judicio & maturo conſilio agunt, ſapientiam diſcet. זדון vel *ſuperbia*, & intelligitur *vir ſuperbiæ*, vel *ſuperbus* rectè vertitur; & זיד cum intelligunt Hebræi *qui ſponte & animo malevolo peccat.* Et ſic verti poteſt verſiculus, *Qui cum ſuperbo*, ſupple *verſatur*, *dabit litem & contentionem*, non alium proferet fructum: *Sed qui cum viris conſultis & prudentibus verſatur*, *dabit* (h. e. proferet) *ſapientiam.* Si litera Beth per præpoſitionem Lamed, h. e. *propter*, exponamus, erit ſenſus, *Propter ſuperbiam*, quâ ſuperbit homo contra proximum ſuum, *dabit jurgium: Cum iis qui conſulunt* nè quid per ſuperbiam agamus *eſt ſapientia.*

11. *Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Heb. *Divitiæ ex vanitate minuentur, ſed colligens per manum augebit*] Viro ſapienti curæ eſſe debet, non tam quantum acquirat quàm quibus modis & artibus paret ſibi divitias: nam *divitiæ quæ ex vanitate*, h. e. vel viis illicitis & artibus parùm honeſtis, vel etiam per fraudem & injuriam, *acquiſitæ ſunt*, *durare non ſolent.* Sed malè partæ, pejus frequenter pereunt. Cæterum qui juſto labore ſtudet ſibi parare divitias & paulatim congregare, ſtabiles augebit opes. Quod de divitiis diximus, ad honoris & autoritatis gradus, præſertim Eccleſiaſticos, referri poteſt. Proverbium nos docet moderari erga bona hujus vitæ & temporis affectus.

12. *Spes quæ differtur affligit animam, lignum vitæ deſiderium veniens.* Heb. *Spes protracta infirmitas cordis, lignum vitæ deſiderium veniens*] Opponit *ſpem protractam* & procraſtinatam *deſiderio venienti* ſive exhibito, *& dolorem cordis* opponit *ligno vitæ.* Denique Metaphora tranſlata eſt à corpore ad animam. Ut ſtomachus corporis deſtitutus cibo neceſſario affligitur ſive infirmatur & langueſcit, ſic *anima* ſive *cor* (ut eſt in Hebræo) in exſpectatione illius rei quam vehementer cupimus impeditur à reliquis functionibus: dum nihil aliud poteſt agere aut cogitare, patitur *infirmitatem*; id quod multis uſu venit ob res vanas, & nonnunquam illicitas. Narrando monet Sapiens, & docet nos tales cohibere affectus, neque ſpem collocare in illis rebus quarum deſiderio & abſentia affligitur animus & in quarum adeptione refici non poteſt: ſed deſiderio oportet langueſcere rerum talium ex quibus advenientibus non minus ſuavitatis capias quàm ſi ex arbore vitæ in paradiſo fructus carperes: q. d. Colloca fili, ſpem & deſiderium non in rebus mundi, quarum *ſpes* dum ſemper *differtur*, ſemper *animum affligit*, nunquam *advenit*; ut inquit Jacobus c. 4. *Concupiſcitis, & non habetis*; ſed in *deſiderio* ſapientiæ & aliarum virtutum, ex quibus quotidie fructum capias & tandem immortalis evadas, tanquam ſi ex fructu *ligni vitæ* comederes. Videtur Salomon hoc verſiculo à ſuo ſapiente, quem inſtruendum ſuſcepit, non auferre omnes paſſiones & affectus animæ, Stoïcorum more, ſed oſtendere ſapientem magno rerum cœleſtium deſiderio ſubinde teneri; vel ſucceſſus bonorum & incrementa virtutum in hominibus vehementer optare ſapientem, vel denique pacem Eccleſiæ & quæcunque ad honorem Dei & animarum ſalutem ſpectare poſſunt; quæ cum ſerius quàm pro ſua exſpectatione à Deo Opt. Max. concedantur, pro humana fragilitate animo torqueri, juxta id quod legimus in Abacuc. c. 1. *Uſquequo, Domine, clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens?*

13. *Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace verſabitur.* Heb. *Qui contemnit verbum, peribit ob id: qui timet præceptum, ipſe retributionem accipiet*] Multiplex eſt expoſitio pro varietate ſignificationum hujus vocis דבר, *verbum*, vel *res*; etiam illius verbi שלם, quod *retribuere* vel *pacem agere* ſignificat. Hebræi ferè intelligunt, *Verbum Principis & mandatum non eſſe contemnendum. Qui verbum Dei & mandatum contemnit nec obſervat, peribit*: erit illi ea res interitus aliquando; quamvis interim nihil mali ſentiat. *Cæterùm qui timet Dominum, & mandatum illius obſervat, retributionem accipiet.* Aut utrique ſua merces reponitur, contemnenti mandatum, & obſervanti, ſed varia. Et hic maximè germanus ſenſus videtur. Eſt & alius, ſi per דבר *rem* intelligamus *familiarem*; *quam qui contemnit damno afficietur, jactura erit illi.* Juxta interpretationem quam ex D. Hieronymo habemus, vix alius poteſt eſſe ſenſus, quàm, Eum videlicet eſſe obnoxium & obligatum ad pœnam qui rebus ſacris detrahit, culpando quæ à Deo ſunt ordinata; vel qui detrahit & obloquitur bonis hominibus, mandatum Dei tranſgreſſus, & pacem diſſolvens inter homines: contrà, qui amat proximum, ſervans mandatum Dei, pacem habet cum Deo & cum hominibus. Aliter, Qui rem contemnit, quæ revera vilis eſt & quæ corrumpitur, illi ſcilicet erit merces: nam talis ſolet etiam præceptum cum timore obſervare: quantò enim minùs curamus res vanas & corruptibiles, tantò magis nobis cordi erunt præcepta Dei, & utriuſque rei præmium habebit juſtus. Aliter, *Qui timet præceptum, pacem aget*, Pſal. 119. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et huic ſenſui quadrat quod ſequitur,

14. *Lex ſapientis fons vitæ ad declinandum à laqueis mortis*] Non de ſapientia hujus mundi loqui Salomonem vel ex hoc loco manifeſtum eſt. Rectè inſtructum eſſe præceptis & diſciplinis ſapientum, vehementer juvat ad univerſam vitam rectè tranſigendam. Nam qui ex lege ſapientis haurit quaſi de fonte perennium aquarum bibit, quo in ſingulis vitæ muneribus inſtructus facilè declinet ab incommodis & periculis hujus vitæ, quibus ſtulti veluti laqueis per imprudentiam capti & illaqueati ante diem pereunt. Sed quantò magis amœna erit Metaphora *fons vitæ*, ſi illas aquas intelligamus quæ ex fide in Chriſtum *ſaliunt in vitam æternam*, Joh. 7. *Lex* enim illius *Sapientis* vera *vena eſt vivarum aquarum*, quas qui hauriunt *non ſitient in æternum*, *neque* rerum mundanarum deſideriis, tanquam *illaqueatæ* aviculæ, *trahentur ad mortem.*

15. *Doctrina bona dabit gratiam; in itinere contemptorum vorago.* Heb. *Intellectus bonus dabit gratiam; ſed via transgreſſorum fortis*] Ex *lege ſapientis*, quæ *fons* eſt *vitæ*, *ſanum intellectum*, fidem & propoſitum concipiunt homines pii. Intellectus autem & mens digna Deo maximè nos illi commendat, illius *gratiam* & favorem nobis *conciliat.* Nam qui in intellectu rectè inſtitutus eſt (unde in omnes actiones lumen diffunditur) abſque errore vitam tranſigit; juxta illud Euangelii Luc. 11. *Vide nè lumen quod in te eſt tenebræ ſint.* Hinc enim tanquam à fonte actiones manant. ¶ *Cæterùm in itinere contemptorum vorago*] Sive, *via tranſgreſſorum dura.* Vita tranſgreſſorum, qui tenebris errorum habent obſcuratum oculum mentis, ut malè decernunt, ſic malè agunt, *fortis* eſt & *dura*, difficillimè corrigitur, ut qui in utroque errant intellectu, videlicet ſpeculativo, qui malè decernit, & practico, actionibus ſcilicet ex errore manantibus, dum non intelligit cœleſtium & terrenarum rerum quàm latum ſit diſcrimen. Aliter, *Intellectus bonus*, vel qui bonus eſt ſuo intellectu & prudentiâ, *dabit magnam gratiam aliis*, & ut ipſi con-

cipiant

cipiant rectam fidem, & gratiam inveniant in oculis multorum: ſed contra *viam* & conſuetudinem vivendi *transgreſſorum* non prævalebit *intellectus* quantumvis *bonus*, quantumvis *magna doctrina*, ubi *obduratum* fuerit cor eorum, ſive vivendi modus conſuetudine induruerit, ad modum ſemitæ ſæpiùs frequentatæ. Proverbium docet intellectum & fidem integram in primis neceſſariam ad ſapientiam, h. e. ad probitatem vitæ.

16, 17. *Aſtutus omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam. Nuncius impii cadet in malum, legatus autem fidelis ſanitas*] Docet prior verſiculus, Nihil temere agendum: ſecundus monet, Fideles habendos eſſe à ſecretis & adjutores. Et verti poteſt, *Omnia ſolet facere aſtutus* (vel, *Omnis aſtutus faciet*) *in conſilio*, vel *ſcientia*: q. d. Magnum ſapientiæ argumentum eſt accipiendum in hominibus à rebus quas moliuntur. Nam qui certo quodam conſilio, certâ ratione faciunt omnia, ſunt viri prudentes, ut qui antequam quicquam aggrediantur difficultatem rei & exitum perpendunt, atque ità voti compotes fiunt. Stulti, qui temere omnia agunt, & *antequam turrim ædificare incipiant*, juxta parabolam Euangelicam Luc. 14. *non ſupputant ſumptus*, dum conatus malè ſibi cadunt, palam fit illorum ſtultitia. Hæc non ſolùm in caducis rebus aſtutia tenenda eſt, ſed etiam in his quæ ad ſalutem ſpectant; nè de nobis dicatur, *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Et ad eos maximè locus ſpectare videtur quos Chriſtus monuit, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Matth. 10. cui quadrat verſus ſequens, *Iniquus* (ſive *improbus*) *nuncius*, qui malâ fide obit legationem Domini ſui, neque Apoſtolico functus eſt munere fideliter, *in malum corruet*, utpote qui multis ruinæ cauſa exſtitit. Quod ad hiſtoricum ſenſum propiùs ſpectat, ad utrumque referri poteſt *In malum corruet*, nempe vel ad eum qui improbum nuncium mittit, vel ad nuncium qui miſſus eſt; porrò quòd ſibi ipſi damnum frequenter conciliat nuncius qui fraudem aliis molitur, vel quòd ei à quo miſſus eſt inferat damnum. Denique & *nuncius improbi* verti poteſt: ut ſit ſenſus (qui maximè mihi arridet) *Nuncius* (ſive *Legatus*) *quem mittit improbus*, vel *cui mandantur impia, corruet*, i. e. fruſtrabitur ſuâ legatione, & tam ſibi quàm mittenti dedecus adferet, & de gradu honoris quem legatis & nunciis bonis habere ſolemus corruet. Contrà *legatus veritatis*, qui vera narrat, *velut ſanitas eſt*, dum utrimque læſos animos & offenſos calumniis & falſis rumoribus revocat ad concordiam, vel dum omnia ut ſeſe habent referens, ambiguitatem & errores, maximos animo morbos expellit. Hæc omnia bonis & fidis concionatoribus & magiſtris errorum rectiſſimè quadrant.

18. *Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur.* Heb. *Qui obſervat increpationem, honorabitur*] Quàm neceſſaria ſit caſtigatio paſſim in hoc libello oſtendit Sapiens, ut ſine qua ad frugem vix poſſit pervenire humana fragilitas, imò ferè ad ſummam egeſtatem & ignominiam, qui ſuorum parentum & præceptorum non ferunt correctionem, deveniunt. Cæterùm qui diligenter obſervant diſciplinam, quam vel acceperunt à parentibus & doctis hominibus, vel quam aliorum exemplo didicerunt, honorem facilè conſequentur apud Deum omnium Patrem, diſciplinam & correctionem contra vitia omnibus infligentem, juxta illud Pauli Rom. 2. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* ¶ פורע מוסר, i. e. *qui deſerit diſciplinam*, multis modis verti poteſt, *Qui ſubtrahit ſe à diſciplina.* Nam verbum Hebræum פרע *ſubtrahere, elongare, ceſſare* & (quod huic loco maximè quadrat) *rebellare* ſignificat, & erit ſenſus, *Egeſtas & ignominia erit ei qui rebellis eſt diſciplinæ & correctioni.* Chaldæus כריש כרוותא *qui conculcat diſciplinam.* Lxx. inverſo ſermonis ordine alium ſenſum reddiderunt, nempe, Πενίαν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρεῖται παιδεία, *Paupertatem & ignominiam aufert diſciplina.* Juxta id, quod ſæpiſſime uſu venire ſolet, loquitur Sapiens: admonitionem juvenibus proponit, oſtendens & quanta mala ſolent comitari illos qui non obtemperant caſtigationibus majorum: ſunt enim *paupertas* & *ignominia* mala quæ maximè refugiunt homines. Contrà, qui libenter admittunt caſtigationem majorum, aſſequuntur honores, ſupremum inter mortales gradum.

19, 20. *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam: deteſtantur ſtulti eos qui fugiunt mala. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Heb. *Deſiderium quod factum eſt animo dulceſcere ſolet, abominatio ſtultorum eſt qui recedit à malo. Qui ambulat cum ſapientibus, ſapientiam aſſequetur: ſed qui ſocius eſt ſtultorum, malè* (vel *infeliciter*) *aget*] Ex ſuperiore verſiculo pendet prior ex his duobus, quo oſtenditur quid conſequantur hi qui monitoribus & caſtigantibus non obtemperant, ſed ſuum magis ſequuntur *deſiderium*, brevem videlicet voluptatem, quæ pro tempore illorum *animis dulceſcit.* Sed hi vehementer *mali* evadunt & *ſtulti*: & tantum abeſt ut reſipiſcant poſteaquam aliquandiu juxta deſideria ſua vixerint, ut ea de re audire non ſuſtineant, ſed exſecrentur eos qui conantur reducere illos à malo cui jam aſſueverunt. Deſideria ſtulta ſectantes, ſtulti evadunt, ut jam inter bonum & malum diſcernere nequeant. Poteſt prior pars verſiculi in bonam partem intelligi, & ex ſuperiori verſiculo ſic pendere ut confirmet quæ dicta ſunt de fructu caſtigationis; Quæ tametſi amara videatur & aſpera, tamen ſi quis ſpontè obtemperet bene monentibus, & cum deſiderio faciat quæ per diſciplinam facienda didicerit, multâ amœnitate & dulcedine animi perfruetur: imprudentibus verò & ſtultis hominibus omnis voluptas eſt in malo, *à quo recedere* valde abſurdum illis videtur, nè dicam *abominandum.* Poteſt denique juxta proprietatem ſermonis Hebraïci in contrarium ſenſum intelligi prima clauſula, nempe, *Deſiderium ſi compleatur:* nam verbum נהיה Hebræis ſignificat non ſolùm *fieri*, ſed *rumpi* vel *confringi*: & ſenſus erit egregius, juxta Levi Ben Gerſon, *Deſiderium abruptum & voluptas cohibita dulceſcet*, & amœnitatem adferet animo ſapienti & rectè inſtituto per diſciplinam majorum. Huc ſpectat ſequens verſiculus, videlicet, *Qui graditur cum ſapientibus, ſapiens erit*] Hujus mundi ſapientes de ſe multa jactant, & veluti Deos inter homines ſeſe exiſtimant, cùm paucorum ſit ad ſummum Philoſophiæ faſtigium pervenire. Verùm facilis eſt admodum hæc Divina ſapientia, quæ nemini non eſt obvia, ad quam perdiſcendam neque ſubtili ingenio, neque magnâ librorum copiâ eſt opus; imò opere quotidiano & uſu maximè perdocetur & bonorum exemplo, ſuſceptâ diſciplinâ & caſtigatione ab his qui bene monent. Cum viris ſapientibus, qui *ædificandam domum ſuper petram* Matth. 7. indicaverunt, conſueſcas oportet, & eorum virtutes imitari, ac veluti gradibus quibuſdam eorum veſtigiis inſiſtere; atque eâ ratione ſapientiam facillimè aſſequeris. Ferè enim tales evadimus quales ſunt illi quorum conſuetudine nos oblectamur. Unde ſequitur in Hebræo, *Amicus ſtultorum confringetur*, vel *malè aget*] Eſt admodum jucunda alluſio in vocibus Hebræis, רעה ירוע, *amicus* & *confringetur.* q. d. Non ſolùm ſtultitiam acquiret, verùm etiam in damnum aliquod graviſſimum & extremum malum corruet, & more fictilis vaſis confractus, inutilis erit. Juxta alia ſignificata hujus verbi ירע paulò diverſus erit ſenſus, nempe, *Amicus & ſocius ſtultorum malis afficietur ab illis*, ſive etiam *ſocius erit & particeps ſtultitiæ illorum, ſicut qui graditur cum ſapientibus, ſapientiam capiet ab illis.* Beda per *amicos ſtultorum* eos qui mimis, hiſtrionibus, & aliis id genus hominum ferè gaudent, intelligit.

21. *Peccatores perſequitur malum, & juſtis retribuentur bona.* Heb. *Juſtis retribuet bonum*] Sup. *ille qui retribuit*, nempe Deus. Vehementer deterret peccatores & alios, nè illorum conſuetudine gaudeant, juxta ſenſum præcedentis verſiculi. Sunt multi potentes, qui, quamvis graviter peccent, ſe tamen ob potentiam à nemine quicquam paſſuros opinantur; ſunt qui occultè horrenda committunt peccata, quæ ad lucem ventura non exiſtimant; ſunt qui pœnam peccatis debitam non putant: omnes hos redarguit Sapiens, oſtendens *malum ipſum* quod faciunt *peccatores perſequi*, etiamſi nullus alius accedat vel judex vel vindex. Stimulis conſcientiæ, veluti furiis quibuſdam ſubinde vexati, ſcelerum ſuorum manifeſtiſſimas nonnunquam dant pœnas, & ceſſantibus aliis ſeipſos accuſant, & ad condemnationem perveniunt; aut, quod miſerius eſt, æterno judicio & condemnationi reſervantur, & proinde non ſolùm peccata committenda non ſunt, ſed etiam à peccatorum commercio fugiendum eſt, nè mali illius ſis particeps quod peccatores inſequitur quotidie & aliquando apprehendet. Si exponatur verſiculus velut à ſuperiore pendens, erit ſenſus, *Qui graditur cum peccatoribus, veniet malum illi: & bonum retribuetur illi qui cum juſtis graditur*, ut ſubaudiatur particula את cum חטאים, quemadmodum cum צדיקים in Hebræo legitur. Optimus & ſimpliciſſimus ſenſus eſt ut intelligamus peccatores aliquando puniendos, & quamvis aliquandiu ſupplicium fugiant, tamen malo eos perſequente aliquando capiendos. In ſecunda clauſula verſiculi conſtans opinio eſt Hebræorum ut ſubaudiatur, *Deus reddet juſtis bonum*, h. e. mercedem bonam, ut malorum pœna intelligatur ex ipſo malo quodammodo naſci: verùm præmium bonorum ex Dei benignitate, non ſolùm ex meritis juſtorum, pendere. Senſus denique verſiculi non erit multùm alienus ab illo Pauli Rom. 6. *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna.*

22. *Bonus relinquet hæredes filios & nepotes, & cuſtoditur juſto ſubſtantia peccatoris.* Heb. *Hæreditare faciet*, vel *hæreditatem relinquet filiis filiorum*] Oſtendit etiam hoc verſiculo quàm diverſus ſit exitus bonorum & malorum, quod ad poſteritatem ſpectat & nepotum ac pronepotum ſucceſſionem; in quibus quodammodo immortales videntur eſſe pii homines. Bo-

nis, inquam, ſpem præbet Sapiens, & ad pietatem ac probitatem vehementer hortatur, cùm non ſibi ſolùm ſed poſteris etiam profutura ſit, ut quæ hæreditatem ſtabilem & permanentem filiis eorum nepotibuſque relinquat. Nos non, ut Hebræi, de ſola terrena ſubſtantia & hujus mundi opibus putamus intelligendum quod ſcribitur, ſed etiam de animi bonis & virtutibus, quæ ob merita majorum transfundi ſolent in poſteros. O felicem *hæreditatem*, quam bonus ille nobis reliquit *incorruptibilem & incontaminatam, conſervatam in cœlis*, 1 Pet. 1. ut eſſemus *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti*, Rom. 8. Juxta ſenſum hiſtoricum, Bonus & probus vir quæcunque fecerit proſperabuntur, opes quas relinquit ſuis non hæredibus ſolùm ſed filiis & nepotibus proderunt. Contrà, opes peccatorum, quæ per rapinam aut malas artes ſunt acquiſitæ, neque filiis neque hæredibus prodeſſe ſolent; ſed quicquid reconditum eſt & in theſauris relictum à peccatore, *in uſus juſtorum ſervatur.* Aben-Hezra legit non, ut nos וצפון *& abſconditur*, ſed צפן *abſcondet*, & ſubintelligit *Deus, recondet juſto opes peccatoris*, & interpretatur per ſimilem locum, *Improbus præparabit, & juſtus induet*, Beda de terrena ſubſtantia intelligi non poſſe oſtendit, cùm mali frequenter rapiant bona juſtorum, juxta illud Pauli, *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Myſticè ſubſtantia cœleſtis, h. e. vinea Domini & Lex, cum cæteris bonis olim Judæis repoſita, ab eis tanquam malis agricolis ablata, Gentibus locantur in ſanguine Chriſti juſtificatis.

23. *Multi cibi in novalibus patrum, & aliis congregantur abſque judicio.* Heb. *Multus cibus in novalibus Principum, & eſt qui perit cùm non ſit judicium*, vel *ſine facultate*] Juxta ambiguitatem linguæ verti poteſt, *Multus cibus in novalibus pauperum*, ut Chaldæus מסכינא *pauperis.* Commendatur labor ruſticanus & agricultura ut res ſummopere neceſſaria, & reliquæ artes laudabiles, quibus parantur opes hæredibus relinquendæ, de qua hæreditate ſuperiore verſiculo diſſeruimus. Eâdem Metaphora uſus eſt Propheta Oſeæ 10. *Innovate vobis novale*, ſive *arate arationem*, ſignificans aſſiduum laborem peccatoribus neceſſarium, ſi ex corde tanquam ex agro meſſem aliquam virtutum facere velint. Si vertatur, *Novale Principum* (ſive *Ager pauperum*) *profert multum annonæ*, verſio reprehendi non poteſt. Quod ſequitur, *Aliis congregantur abſque judicio*] juxta veritatem Hebræam defendi poteſt. Nam verbum Hebræum ספה non ſolùm *perdere* ſed *addere* ſive *congregare* ſignificat. Et bene quadrabit ſenſus, ut intelligamus *abſque judicio collecta quæ à majoribus tradita ſunt*, quando (ut inquit Petrus 2 Ep. c. 3.) *indocti & inſtabiles illa depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Priorem ſignificationem poſteriores ſecuti ſunt Interpretes, & etiam antiqui, ut teſtatur Beda: quam Chaldæus quoque Paraphraſtes habet מתנגיר בלא דינא, *& eſt vir deficiens ſine judicio:* & poteſt referri ad *agrum* ſive *novale*, q. d. *Ager perit abſque judicio, quia ritè non colitur neque juxta conſuetudinem.* Sed meliùs juxta Chaldæum ad *hominem* refertur, qui *perit & ad egeſtatem pervenit eò quòd bono judicio ſive facultate colendis agris ſeſe non exerceat.* Sed optimè ad *cibum* refertur ſive *annonam*, quæ frequenter agricolis *perit, dum non legitimo tempore diſpenſatur*, vel *dum hæredibus parùm frugi relinquitur.* Doctorum denique & piorum hominum opuſcula, imò Scripturæ ſacræ quoque quodammodo perire videntur, dum ex illis fructus non accipiunt homines, aut dum depravantur abſque judicio intellectæ. Videtur Salomon pro ſingulari ſua ſapientia voluiſſe utramque ſignificationem hujus verbi comprehendere, *perire* & *congregare*, ut non ſit opus extrinſecùs aliquid ſupplere: *ſed eſt qui perit*, nempe *cibus collectus abſque judicio*, ſive reconditus præter æquum & bonum. Eſt enim vox ambigua ראשים *Principes* ſignificans, vel *pauperes*, qui ſolent magis vacare colendis agris quàm Principes.

24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit filium, illum inſtanter erudit.* Aliter, *Qui prohibet virgam*] Beda vult hunc verſiculum ſic ex ſuperiore dependere: q. d. Reverà multus cibus relinquitur poſteris à majoribus qui boni fuerunt agricolæ; ſed filiis eorum non proderit niſi rectè inſtituantur & caſtigentur etiamnum pueri. Neque dici poteſt charus & amans pater qui filio hæreditatem relinquit locupletem, qui horrea plena pro liberis collegit; ſed is tandem pater charè & unicè filium diligit qui caſtigatum & bonis moribus inſtructum relinquit filium. Bene vertit Interpres *inſtanter erudit eum.* Hebræa vox שחרו ab *aurora* ſignificationem habet; q. d. *ſingulis auroris erudiet eum*, vel *manè inſtillabit illi diſciplinam.* Chaldæus מקדם ליה מרדותא *prævenit eum diſciplinâ*; q. d. *ſingulis auroris prioris diei errores caſtigans:* quod maximi amoris argumentum eſt, cùm nullius rei majorem curam quàm filii rectè inſtituendi habeat. Hunc ſenſum de *caſtigatione matutina* ſequitur Aben-Hezra. Alii ab *inveſtigando* ſenſum loci deducunt. Significat enim שחר *inveſtigare*; & erit ſenſus, *Qui amat*, ſcilicet *filium, quæſivit illi diſciplinam:* q. d. quæſivit pro illo præceptorem, qui corrigat eum. Vel denique, *quæſivit modum corrigendi filium maximè idoneum.* Prior expoſitio eſt melior.

25. *Juſtus comedit, & replet animam ſuam; venter autem impiorum inſaturabilis.* Aliter, *venter impiorum deficiet*] Videtur etiam hic verſiculus ad ſuperiorem ſpectare ubi de *multo cibo* facta eſt mentio, quem juſtis nunquam deeſſe hoc loco oſtendit, imò ſemper eorum ſatisfieri ventri, præſertim cùm juſtus ſemper præſentibus ſit contentus, delicias non quærat, ſed de pauperibus magis ſit ſolicitus quàm de ſuo ventre: qui cum Paulo *didicit & ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati*, Phil. 4. *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*, Pſal. 37. Juſtus *omnem ſolicitudinem & curam ſuper Deum jactat*, qui eum enutriet utroque pane, corporis videlicet & animæ: qui cùm corvos paſcat, & per corvos Prophetas, potiùs ex lapidibus panes faciet quàm juſtum fame perire ſinat, niſi fortaſſis per martyrii tolerantiam, quò immarceſſibilem coronam gloriæ percipiat. ¶ *Sed venter impiorum inſatiabilis*] Ut enim juſtus juxta naturæ modum pauciſſimis eſt contentus, ità impii nunquam ſaturantur deſiderio habendi. Nam ad inſatiabilem theſaurizandi cupidinem verſiculum magis referunt Hebræi quàm ad comeſtionem cibi. Verùm cùm dicat Scriptura *Venter impiorum deficiet*, ut eſt in Hebræo, ſenſum habebit juxta Paulum 1 Cor. 6. *Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc & illum deſtruet:* q. d. Improbi viri, qui fiduciam & ſpem in Deo non collocant, pro præſenti vita vehementer ſunt ſoliciti. Simpliciſſimus ſenſus eſt hujus loci, *Juſtos ferè, qui moderatè vivunt, perpetuâ ventriculi ſanitate, animæ*, h. e. naturali deſiderio, *ſatisfacere in cibo: Improbos autem, qui ventri nimiùm indulgent, ſubinde langueſcente & deficiente ſtomacho etiam delicias faſtidire.* Beda ad cibum ſpiritualem traducit locum: Cujus magna copia eſt in *novalibus Patrum* & opuſculis Doctorum, quibus libenter *fruitur juſtus, & replet animum* cœleſti cibo & doctrinâ Apoſtolicâ: quam cùm ſine judicio colligant hæretici, *ſaturari* Eccleſiaſticâ ſcientiâ *nolunt*; utputa in qua digerenda eorum *venter deficit.* Non enim ſunt capaces Judæi *novi muſti, utres* videlicet *veteres*, Matth. 9.

DRUSIUS.

1. בֵּן חָכָם. A. S. Th. Υἱὸς σοφὸς, *Filius ſapiens*] Olim erat πανοῦργος, i. e ערום.

2. חָמָס. Schol. ἁρπαγήσονται, *diripientur.*

3. מְחִתָּה-לוֹ. Th αἰσχύνη αὐτοῦ, *pudor ei.*

4. מִתְאַוָּה וָאַיִן נַפְשׁוֹ עָצֵל. S. Ἐπιθυμεῖ καὶ οὐ θέλει ὀκνηρὸς, *Concupiſcit & non vult piger.* ¶ תְּדֻשָּׁן. S. πιανθήσονται, *pingues fient.*

5. וְיַחְפִּיר. S. καὶ ἀτιμασθήσεται, *dedecore afficietur.*

6. צְדָקָה תִּצֹּר תָּם דָּרֶךְ. * Δικαιοσύνη φυλάσσει ἀκάκους, *Juſtitia cuſtodit minimè malos.* ¶ וְרִשְׁעָה תְּסַלֵּף חַטָּאת. * τοὺς δὲ ἀσεβεῖς φαύλους ποιεῖ ἁμαρτία, *impios verò nequam reddit peccatum.* S. ἀδικία δὲ ἐπισπάσεται ἁμαρτίαν, *injuſtitia verò attrabit peccatum.*

7. מִתְרוֹשֵׁשׁ. S. πτωχευόμενοι, *qui ſe pauperes fingunt*, aut *ſimulant.* Th. πτωχοφανὴς, *pauper apparens*, ſive *qui pauper eſſe videtur.*

8. כֹּפֶר. A. S. Th. ἐξίλασμα, *placamen*, ſeu *placamentum, expiatio.* ¶ לֹא-שָׁמַע. Schol. οὐ φέρει, *non fert.* ¶ גְּעָרָה. A. S. Th. ἐπιτίμησιν, *increpationem.*

10. בְּזָדוֹן יִתֵּן מַצָּה. A. S. Th. ἐν ὑπερηφανίᾳ δώσει μάχην, *in ſuperbia dabit pugnam*] *Edet; excitabit.* ¶ *In ſuperbia: per ſuperbiam.* ¶ וְאֶת-נוֹעָצִים חָכְמָה. Th. καὶ ἐν συμβουλευομένοις σοφία, *& in conſultis ſapientia.*

11. מֵהֶבֶל. A. ἀπὸ ματαιότητος, *ex vanitate.*

13. יֵחָבֶל לוֹ. Schol. καταφθαρήσεται, *lædetur*] Sanè חבל *læſio, damnum.* Sic interpretor ex Thargum, מנה יתחבל *detrimentum*, ſive *noxam, accipiet ab eo.* ¶ יְשֻׁלָּם. A. S. εἰρηνεύει, *pacem habet, pace fruitur.*

14. לָסוּר מִמֹּקְשֵׁי מָוֶת. S. Th. τοῦ ἐκκλῖναι ἀπὸ σκανδάλου, θανάτου, *ut declinent à ſcandalo mortis.*

16. אִוֶּלֶת. A. S. Th. ἀφροσύνην, *amentiam.*

17. מַלְאָךְ רָשָׁע. A. S. Th. ἄγγελος ἀσεβὴς, *nuncius impius* ¶ וְצִיר אֱמוּנִים מַרְפֵּא. A. S. ὅμηρος πίστεως ἴασις, *obſes fidelis medela.* Th. φύλαξ πίστεως ἴασις, *cuſtos fidelis medela.* Schol. πίστεως ἰώμενος.

18. רֵישׁ וְקָלוֹן פּוֹרֵעַ מוּסָר. S. Πενία καὶ ἀτιμία διαλύει παιδείαν, *Paupertas & ignominiâ diſſolvit diſciplinam.*

19. וְתוֹעֲבַת כְּסִילִים סוּר מֵרָע. A. βδέλυγμα δὲ ἀνοήτων ἀποστῆναι ἀπὸ κακοῦ, *abominatio autem amentium deficere à malo.*

20. יֶחְכָּם. Schol. σοφισθήσεται, *ſapiens fiet.* ¶ וְרֹעֶה. Schol. συμπλα-

συμπλανώμενος] LXX. *συμπορευόμενος*, & in nonnullis exempl. *συμβεμβόμενος*, *unà vagans*. ¶ יִשְׂבַּע. A. Th. *κακωθήσεται*, *malo afficietur*. S. *κακουργηθήσεται*, *incommodabitur*, *damno afficietur*.

22. יַנְחִיל. Schol. *κληροδοτήσει*, *ſorte diſtribuet*. ¶ צָפוּן. S. *πεφύλακται*, *cuſtodita eſt*.

24. שִׁחֲרוֹ מוּסָר. Schol. *ὀρθρίζει αὐτῷ παιδείαν*, *manè adhibet ei diſciplinam*.

25. לְשֹׂבַע נַפְשׁוֹ. Schol. *ἐμπίμπλησι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ*, *replet ventrem ſuum*. ¶ בֶּטֶן רְשָׁעִים. Schol. *κοιλίαι ἀσεβῶν*, *ventres impiorum*.

GROTIUS.

7. E*St quaſi dives cùm nihil habeat*] In Hebræo: *Eſt qui ditat ſe*, (id eſt, ditem jactat ac prædicat) *& non eſt ei quicquam*. Hi ſunt quos Græci *πτωχαλάζονας*, [*in mendicitate ſuperbos*] vocant. Vide Theophraſtum, *περὶ ἀλαζονείας*, [*De arrogantia*,] & oſtentatoris characterem in libro 4. ad Herennium.

Et eſt quaſi pauper cùm in multis divitiis ſit] Hic eſt *εἴρων* Ariſtoteli, *diſſimulator opis propriæ* Horatio.

8. *Redemtio animæ viri, divitiæ ipſius: qui autem pauper eſt increpationem non ſuſtinet*] Poſtrema hæc apud LXX. ſic ſunt: *πτωχὸς δὲ οὐχ ὑφίσταται ἀπειλήν*, [*at pauper non ſuſtinet minas.*] Alii, *οὐ φέρει ἐπιτίμησιν*, [*non fert objurgationem.*] Videntur pro שמע legiſſe חכן hoc ſenſu, *Vir dives, ſi quid ei ab inimico periculum immineat, pecuniis id à ſe avertit: & pauper, ſi quis ei minetur, non manet, ſed fugit.* Poteſt & vulgata lectio ſic exponi: *non audit*, id eſt, *non ſuſtinet audire*.

20. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit*] Ut Græci dicunt:

> Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.
> [*Dat ſapere Regi turba ſapientum comes.*]

Theognis:

> Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
> Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
> [*Sæpe bonis junctus diſces bona: ſi comiteris*
> *Sæpe malos perdes quod tibi mentis erat.*]

Amicus ſtultorum ſimilis efficietur] Nam

> Φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί.
> [*Colloquia mores prava corrumpunt bonos.*]

Quod ex Menandro deſumſit Paulus Apoſtolus.

24. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum*] Id eſt, eundem habet exitum quaſi eum odiſſet. Sic multa dicimur velle, non quòd propriè ea velimus, ſed quòd ea agimus, unde talia conſequuntur. Exempla vide Matth. 26. 12. Johan. 12. 7. Lucæ 11. 48. Ezechiel. 18. 31. & 33. 11. ubi *moriemini* eſt poſitum pro *vultis mori*. Simile Pſalm. 106. 24. ſuprà hic 8. 36. infrà 17. 19.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1. I*Nſtaurant domum ſuam*] h. e. Curam habent domeſticam & nè quid pereat ſolicitè præcavent.

3. *Virga ſuperbiæ*] Quâ ſcilicet ſæviunt contra proximum, & baculus ille ſecundùm Aben-Ezram eſt lingua ipſa, quâ percutiunt & ſauciant proximum: at *labia ſapientum* etiam benè loquuntur proximo; tantum abeſt ut illi ſint nocumento.

4. *Ubi boves non ſunt*] Senſus eſt, Qui laborat, ille habet unde manducet: & qui otium ſectatur, ille egeſtatem habet in domo. Accommdari poteſt hoc proverbium etiam ad ſtudioſos literarum, ſicut quidam Hebræorum transferunt ad ſtudium Legis.

7. *Cognoviſti*] Sunt qui hìc præteritum accipiunt loco futuri; ut ſit ſenſus, *Fuge conſortium ſtulti, nè addiſcas ſtulta verba ejus.*

9. *Derident*] Quidam accipiunt hìc יליץ pro מליץ *loqui* & *interpretari*: ut ſit ſenſus. Stulti omnia interpretantur in deterius; ideo non poteſt cohærere inter eos amicitia.

10. *Cor cognoſcit*] Quidam ſic exponunt hanc ſententiam, *Non eſt verus mæror qui non ex corde procedit, aut verum gaudium quod ſolùm foris fingitur.* Aben-Ezra verò ſic exponit, *Durum eſt negare animæ corporalem delectationem: ſed gaudium futuri ſeculi animo conceptum immenſum eſt: ideo qui timet Deum nihil extranei mæroris immiſcet huic gaudio.* Noſtri hunc eliciunt ſenſum; *Immenſam habent conſolationem quibus mortua eſt caro.*

13. *In riſu dolet cor*] In his rebus, inquit, ubi potiſſimùm quæritur gaudium, non invenitur gaudium ſine afflictione & dolore. *Non* enim *eſt pax impiis, dicit Dominus.* Sic Chriſtus dicebat, *In mundo non habebitis pacem ſed in me.*

14. *De viis ſuis ſatiabitur*] *Unicuique datur juxta opera ſua.* Ubi notat Aben-Ezra סג eſſe Paul ejuſdem formæ cum מל *circumciſus*.

19. *Incurvantur mali*] Magna, inquit, eſt dignitas juſtorum, ut impii qui in impietate eos contempſerunt, converſi procedant ante eos, requirantque conſilia eorum ante limina domorum ipſorum.

23. *Verbum autem labiorum*] h. e. Ubi res verbis vanis tantùm agitur & labori non inſiſtitur, ibi nunquam emolumentum aliquod acquiritur.

24. *Corona ſapientum*] i. e. Divitiæ ſapientibus proſunt, quippe qui eis veluti donis Dei utuntur; ſtultis verò obſunt.

28. *Formidat Princeps*] Heb. *dejectio eſt Principis*, vel *humiliatio*, ut Kabuenaki exponit. Sunt etiam qui hìc רזון exponunt pro כחש *macie* ſeu *debilitate*.

32. *Abjicitur impius*] Abjicitur in morte ſua in æternam damnationem: at juſti in hora mortis ſpem certiſſimam habent æternæ vitæ.

33. *In medio ſtultorum cognoſcetur*] Sub. *ſapientia*: & eſt ſenſus, Si ſtulti quid ſapientiæ habent, temere illud profundunt, & non habet locum apud eos: ſicut *apud ſapientes quieſcere* dicitur *Sapientia*, & manſionem apud eos facere.

34. *Juſtitia exaltat gentem*] Videtur hunc habere ſenſum, *Quicquid non fit ex fide, peccatum eſt.* Juſtitia autem ex fide facta exaltat populum, & pietas ſine fide in quacunque gente non ſalvat. Sunt qui hìc per חסד intelligunt *culturam idolorum*, ſicut & apud Latinos *pietas* accipitur pro *cultu Divino*.

VATABLUS.

1. S*Apiens mulier* חכמות נשים] Ad verb. *Sapientes mulierum ædificat*, &c. i. e. ſapientes mulieres, ſive unaquæque ex ſapientibus mulieribus. Quoties Hebræi de re particulari loquuntur, jungunt plurale ſingulari: vertere potes, *Sapiens inter mulieres.* ¶ *Ædificat* בנתה] Præt. Heb. pro præſ.

2. *Sed pervertens vias ſuas* ונלוז דרכיו] Ad verb. *& perverſus viis ſuis.*

3. *Baculus ſuperbiæ* חוטר גאוה] *Baculum* pro *lingua* accipit, ut annotant Hebræi: quia loquitur ſuperba & magna. Quidam Hebræorum exponunt, *Propter verba quæ loquitur ſtultus, veniet ſuper eum virga ſuperbiæ*, i. e. cædetur magnis plagis ob verba ſua.

4. *Præſepe* אבוס] *Horreum*: ſignificat locum ubi fruges reponuntur, ut quidam Hebræorum annotant. Subauditur autem negatio præcedens, אין אבוס *non eſt in horreo*, &c. ¶ *Bovis* שור] Sing. pro plur. q. d. *Quando non ſunt boves, vacuum eſt horreum: at quando ſunt boves, eſt copia frugum.*

5. *Mendax* שקר] Ad verb. *falſitatis*: i. e. falſus.

6. *At ſcientia* ודעת] *At cognitio.*

8. *Callidi* ערום] *Aſtuti, cauti.* ערום in bonam partem accipitur in Proverbiis: aliàs ſæpius in malam partem. ¶ *Dolus* מרמה] Quidam ſubaudito verbo vertunt, *occupatur fraude.* Alii repetunt verbum ex proximo vertentes, *eſt intelligere dolum*: q. d. Nihil aliud cogitant ſtulti quàm quomodo imponere poſſint.

9. *Stulti loquuntur* אולים יליץ] Ad verb. *Stulti loquitur.* Singulare plurali junctum, pro *Unuſquiſque ſtultorum loquitur*: i. e. ſi quid malè fecerit ſtultus, palàm loquitur. Alii, *deridet*, aut *illudet*: Alii, *teget*, ſive *palliabit*.

10 *Cor cognoſcit*, &c. לב יודע מרת נפשו] *Mens ipſa cognoſcit amaritudinem conſcientiæ ſuæ.* ¶ *Et in lætitia*, &c. ובשמחתו וגו'] Hebraïſmus, pro, *& mens ipſa cognoſcit lætitiam conſcientiæ ſuæ, & non alius.*

12. *Eſt via recta*, &c. יש דרך ישר לפני איש] *Eſt via quæ videtur homini recta, cujus tamen noviſſimum* ducit ad *itinera mortis.*

13. *Etiam in riſu*, &c. גם בשחוק וגו'] *Etiam cùm riſerit, dolebit*, &c. Vetus Interpres, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* ¶ *Et exitus lætitiæ* ואחריתה שמחה] Ad verb. *& exitus ejus lætitia.* Hic relativum & antecedens ſunt ſimul, cùm alterum ſufficeret: elegans tamen Hebræis.

14. *Viis ſuis ſatur* מדרכיו ישבע] *De viis ſuis ſatiatur.* Fut. Heb.

pro

pro præſ. i. e. corde averſus à Deo dabit pœnas: q. d. Unicuique datur juxta opera ſua. ¶ *Averſus* סוג] *Fœdus*, *ſordidus*, *ſpurcus.* ¶ *Et ab eo*, &c. ומעליו איש טוב] *Et* bonis quæ *erant ei*, ſatiabitur *vir bonus*. Alii, *& ex fructibus ſuis* vivet *vir bonus.* Alii, *& præ illo* [vel, *plus quàm ille*] ſatiabitur *vir bonus*. Nonnulli, *& de iis quoque vir bonus.*

15. *Simplex* פתי] *Inexpertus.* Vide ſuprà 1.4.

16. *Et confidit* ובוטח] *Et ſecurus eſt*: quando ſcilicet perperàm agit.

17. *Qui citò iraſcitur* קצר אפים] Ad verb. *Brevis iris*: i.e. Iræ impatiens, & animi impotens. ¶ *Et vir cogitationum* ואיש מזמות] Hebraïſmus pro *cunctatore*, viro nimirum cogitabundo, qui ſemper cogitat quid agendum & nihil agit.

18. *Coronabuntur* יכתירו] Veluti *coronam imponent* [ſub. *capiti ſuo*] *ſcientiam.*

19. Sunt *ad portas juſti* על שערי צדיק] Hebraïſmus, pro, *juſti coluntur ab impiis.*

22. *Nonne* הלא] Dictio eſt interrogativa quæ requirit reſponſionem affirmativam: ideo ſæpe ſumitur pro *ſane.*

23. *Eſt abundantia* יהיה מותר] *Eſſe ſolet profectus* quidam: vel *emolumentum.* Alii, *amplitudo & dignitas.* ¶ *Ad inopiam* למחסור] i. e. Nullus fructus provenit ex ſermone vanè prolato.

24. *Stultitia* אולת Chald. *decor*, vel *gloria.*

25. *Doloſus* מרמה] Ad verb. *dolus*, pro *vir doli.*

26. *Fortitudinis* עז] i. e. *Firma.*

28. *Attritio Principis* מחתת רזון] *Attritio imperii.* Quidam vertunt *Terror Principis.* Alii, *ignominia Principis.*

29. *Tardus irâ* ארך אפים] Ad verb. *longus iris.* ¶ *Eſt multus intelligentiâ* רב תבונה] *Multâ* gubernatur *ſapientiâ*: *multum* habet *intelligentiam.* ¶ *Et brevis ſpiritu* וקצר רוח] Hebraïſmus, pro *iracundo, qui facilè irritatur.* ¶ *Exaltat* מרים] i. e. Oſtendit: nam cùm aliquid exaltamus, præbemus id aliis videndum.

30. *Vita carnium* חיי בשרים] Hebraïſmus, pro *ſalubritate corporis.*

32. *Propter malititiam ſuam expelletur* ברעתו ידחה] *In afflictione* [vel *calamitate*] *ſua depellitur*: vel *depelli ſolet*, ſub. *à fiducia ſua*: i. e. ſuccumbit.

33. *In corde intelligentis* בלב נבון] *In animo cordati.* ¶ *Requieſcet* תנוח] Fut. Heb. pro præſ.

34. *At ignominia*, &c. וחסד לאומים חטאת] *Et miſericordia populorum* eſt velut *ſacrificium pro peccato.*

CASTALIO.

3. IN *ore ſtulti baculus eſt ſuperbiæ*] Stultus ſuperbiloquentiâ efficit ut vapulet.

4. *Abſque bubus præſepe mundum eſt*] i. e. Vacuum.

7. *Hominis inſani præſentiam evita*, &c.] Apud inſanos prudenter loquendum.

10. *Sua cujuſque mens animi triſtitiam novit, nec ejus lætitiæ conſors eſt alius*] Animi dolorem aut lætitiam novit ſola mens cujuſque.

14. *Suis moribus & vecors ſatiabitur & vir bonus*] Pro ſuis cuique meritis præmia reddentur.

15. *Cautus greſſus ſuos perpendit*] Quo pacto ſe gerat.

19. *Summittentur mali bonis, & impii ad juſtorum fores*] Mali pauperes, boni divites erunt.

23. *Omnem laborem comitatur abundantia: labiorum verba tantum ad egeſtatem ſpectant*] Labore non verbis parantur opes.

26. *In Jovæ metu tuta eſt potentia, ejuſque filiis erit perfugium*] *Ejus*, i. e. Jovam metuentis.

29. *Iracundus ſtultitiam evehit*] Perſpicuam reddit; h. e. manifeſtè ſtultus eſt.

33. *In mente prudentis reſidet ſapientia: in inſanorum pectoribus ignoratur*] Negationem ex Græco adjeci.

34. *Populorum benignitas eſt piaculum*] Peccata expiat.

CLARIUS.

1. ÆDificat *domum*] h. e. Curam habet rei domeſticæ; & nè quid pereat ſtudioſè cavet.

2. *Ambulans recto itinere*] Alius vertit, *Qui ambulat in rectitudine ſua, timet Dominum: qui autem ſe avertit à viis ejus, deſpicit eum.*

3. *Virga ſuperbiæ*] Quâ ſcilicet ſuperbi ſæviunt contra proximum quemque, percutientes eum linguâ: at *labia ſapientium* etiam bene loquuntur proximo, tantum abeſt ut illi ſint nocumento.

4. *Ubi non ſunt boves*] Senſus eſt, Qui laborat, is habet unde vivat: at qui otium ſectatur, ille egeſtatem habet in domo. Accommodari hoc etiam poteſt ad ſtudioſos literarum, ſicut quidam Hebræorum transferunt ad ſtudium Legis.

6. *Quærit deriſor*] Videtur hic eſſe ſenſus, Quò magis deluſor contendit vel eſſe vel haberi ſapiens, eò magis inſipiens deprehenditur: At quicunque ex animo quærunt eam, ii facilè inveniunt.

9. *Stultus illudit peccatum*] Sunt qui interpretentur hunc locum in hunc ſenſum, Stulti omnia interpretantur in deterius, ideo non poteſt cohærere inter eos amicitia: quod contrà fit in juſtis. Poteſt etiam eſſe hic ſenſus, Sic delectat inſanos ſua enumerare & jactare flagitia ut viros ſanos juvat memorare aliorum benefacta.

10. *Cor quod novit*] Quidam ſic exponunt hanc ſententiam, *Non eſt verus mœror qui non ex corde procedit, aut verum gaudium quod ſolùm foris fingitur*; ut ſic vertas, *Cor cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ, nec miſcebitur in gaudio ejus alienus.* Alius Hebræus ſic exponit, *Durum eſt negare animæ corpoream delectationem: ſed gaudium futuri ſeculi animo conceptum immenſum eſt, ideo qui timet Deum nihil extranei mœroris immiſcet huic gaudio.* Noſtri hunc eliciunt ſenſum, *Immenſam habent conſolationem quibus mortua eſt caro.* Neque opinor aberrabis ſi ſic interpretere, Eum qui in ſeſe inquiret aſſiduè ut ſe optimè agnoſcat, aſſecuturum id gaudium quod nemo intelligere poſſit niſi is qui experitur. Alius ſic interpretatur, *Nemo certe ſcire poteſt utrùm quis ex animo gaudeat, aut doleat, niſi is qui gaudet, aut dolet*: & tunc ſic vertetur, *Cor cognovit amaritudinem animæ ſuæ; nec miſcebitur in gaudio ejus alienus.*

13. *Riſus dolore miſcebitur*] Heb. *Etiam in riſu dolet cor.* In his rebus, inquit, ubi potiſſimùm quæritur gaudium, non invenitur gaudium ſine afflictione & dolore.

14. *Viis ſuis replebitur ſtultus*] *Unicuique datur juxta opera ſua.*

18. *Exſpectabunt aſtuti ſcientiam*] Poteſt etiam verti, *Coronabuntur aſtuti ſcientiâ.*

19. *Jacebunt mali*] Magna, inquit, eſt dignitas juſtorum, ut impii, qui in impietate eos contempſerunt, converſi procidant ante eos, requirantque conſilia eorum ante limina domorum ipſorum.

24. *Corona ſapientum*] Divitiæ ſapientibus proſunt, quippe qui eis velut donis Dei utuntur; ſtultis verò obſunt

32. *Repelletur impius*] Impius abjicitur in morte ſua in æternam damnationem, at juſti in hora mortis ſpem certiſſimam habent æternæ vitæ.

33. *Et indoctos quoſque erudiet*] Alius vertit, *& in medio ſtultorum cognoſcetur*, ſub. *ſapientia*, ut ſit ſenſus, Si ſtulti quid ſapientiæ habent, temere illud profundunt, & non habet locum apud eos: ſicut *apud ſapientes quieſcere* dicitur *ſapientia*, & manſionem apud eos facere.

35. *Iracundiam ejus*] Vel, *ira ejus eſt contra ſervum ignominioſum.*

R. BAYNUS.

1. SApiens *mulier ædificat domum ſuam: inſipiens exſtructam quoque manibus deſtruet.* Heb. *Sapientes mulieres ædificavit*] q.d. *Ex ſapientibus mulieribus unaquæque.* Quamvis ſapientia potiſſimùm ad Virum ſpectat, qui *caput eſt mulieris*, & qui in mulierem, propter transgreſſionem, imperium accepit à Deo, tamen mulieris ope in re domeſtica vir indiget plurimùm, præſertim ſi filios rectè educare & caſtigare velit, ſi filiis nepotibuſque hæreditatem copioſam relinquere: quibus de rebus ſuperiùs diſſeruimus. Sapiens Metaphoricè per *ædificationem* & *deſtructionem domûs* rectam rei domeſticæ adminiſtrationem indicat: ac ſi diceret, Præſtaret ædes non habere, familiam non alere, quàm ſtultæ & vecordi mulieri illius curam committere. Nam familia lignis & lapidibus non conſtruitur, ſed rectâ filiorum educatione ac moderatione rei domeſticæ: quæ res ad uxorem maximè ſpectat, juxta illud Pauli 1 Tim. 2. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.* Nam juxta ſuas virtutes filios inſtruet. Quem ſenſum ex Paulo ſi capiamus, qui eſt ſenſus ſanus, non admodum refert ſive legamus *ſi permanſerit*, ut ad *matrem* referatur, ſive *permanſerint*, ut ad *filios*. Quod dicit, *manibus ſuis ſubvertit eam*, indicat familiam non poſſe gubernari neque conſiſtere quæ ſtultæ mulieri committitur, quæ dum neque auget opes ſuâ induſtriâ, neque conſervat, perinde facit ac ſi admotis manibus domum paulatim demoliretur. Si ad Mentem referatur, cujus ſapientiâ inferiores potentiæ refrænantur,

nantur, ſive ad Eccleſiam, quæ domus Dei eſt, cujus ſalus in prudenti moderatione Paſtorum & Doctorum conſiſtit, ſenſus erit ſublimior.

2. *Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur viâ.* Heb. *Ambulans in rectitudine ſua timet Dominum; ſed perverſus viis ſuis deſpicit eum*] LXX. ὁ δὲ σκολιάζων ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ ἀτιμασθήσεται, *at qui tortuosè incedit in viis ſuis inhonorabitur.* Cùm cap. 1. ſcribitur, *Initium ſapientiæ timor Domini*, verti poteſt verſiculus ad hunc modum, *Timens Dominum ambulat in rectitudine ſua*, h. e. in præceptis Domini, non declinans neque ad dexteram neque ad ſiniſtram. Et huic ſenſui quadrabit ſecunda clauſula verſiculi, ſic verſa, *Qui deſpicit Dominum, perverſus eſt in viis ejus*; ut pronomina *in rectitudine ejus* & *in viis ejus* ad *Dominum* referantur. Et probatio Dilectionis & Timoris erit oſtenſio operis. Quod ſi *in rectitudine ſua* ad *ambulantem* referas, meliùs habet filum contextûs ſequi, h. e. ordinem verborum, & dicere, *Si quis rectè ambulat, hinc provenit quòd timeat Deum: & contrà, qui pervertit vias ſuas & malè vivit, contemnit Deum*, quaſi res mortalium non careret: ac ſi dicat, Nemo ſe jactet quòd Deum timeat, quòd in Deum credat, cùm vias rectas, quæ Dei ſunt mandata, non obſervet, nè mendax reperiatur. Non obſtat Hebræum quominus ſenſus eliciatur ille quem reddit Interpres noſter, ut intelligamus *illum qui per timorem Dei rectè incedit, contemptum eſſe ab eo qui pervertit vias ſuas.* Ea eſt enim improborum hominum perverſitas ut niſi omnes tales efficiant quales ipſi ſunt, non quieſcant, neque in pretio habeant alios, juxta id quod ſequitur,

3. *In ore ſtulti virga ſuperbiæ; labia ſapientum cuſtodiunt eos*] Bene agitur quòd ſtultis hominibus, qui rectè gradientes contemnunt, vires nonnunquam deſint, nam alioqui, quos contemnunt, injuriâ afficerent. Sed quamvis vires & autoritas nonnunquam deſint, perverſam tamen linguam, quâ veluti *virgâ* ſeu *baculo* (ut eſt in Hebræo) vapulant optimi quique, ſemper geſtant in ore: & quamvis mali ſint, tamen ſeipſos linguâ veluti baculo defendunt, & alios infamiâ aſpergunt; quod longè eſt arrogantiſſimum. Metaphora *virgæ* ſive *baculi* indicat continuam nocendi facultatem & promptitudinem. Propter id quod ſequitur, intelligi poteſt ſtultos & imprudentes homines *baculum* ſecum geſtare, nempe *linguam ſuperbiæ*, quâ ſe jactant & laudant, alios contemnunt & vituperant: verùm nonnunquam ſuâ linguâ veluti baculo caſtigantur, & dant pœnas ſtultitiæ ſuæ; & dum damnum aliis inferre conantur, ipſi meritò patiuntur. Ità ferè fit: nam loquacitas ſine prudentia multa adfert incommoda. Contrà, *Labia ſapientum cuſtodiunt eos*] Viri prudentes per ſermonem doctum ubique tuti ſunt, cùm verbis & lingua nemini damnum inferant, multò minùs ſibiipſis; imò ſermone ſapientiæ contra ſtultorum linguam ſeſe defendunt.

4. *Ubi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt: ubi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo bovis*] Aliter, *Multitudo* (vel *copia*) *annonæ eſt in fortitudine bovis.* LXX. Οὗ μὴ εἰσὶ βόες, φάτναι καθαραὶ, *Ubi non ſunt boves, præſepe mundum eſt.* Haud ità multùm refert: nam *præſepe mundum* dici poteſt *vacuum.* Verſiculus oſtendit, ut agricultura non poteſt eſſe abſque labore boum, ità neque armenta boum rectè nutriri niſi ubi fuerit copia annonæ. q. d. Patribus familiarum, qui agros bene colere volunt, danda eſt opera ut bene boves nutriant: nam ex his duabus rebus altera alterius eget ope. Qui amat videre *præſepe mundum*, h. e. qui nutriendis bobus operam nolit dare, fruſtrà ex agris copioſum proventum exſpectabit. Si vox בר, quæ *triticum* ſignificat, in eo ſenſu capiatur, erit intelligentia paulò diverſa, nempe hujuſmodi, *Ubi non ſunt boves, non eſt in præſepe triticum*, vel *ſegetes*: h. e. Qui non alit boves, caret annona in ædibus. Nam per *præſepe* intelligit Levi Ben-Gerſon *apothecam frumenti*, ſive *granarium.* Non ſolùm aratur terra ſed ſtercoratur quoque dum boves in præſepe paſcuntur. In ſenſu ſublimiore doctiſſimè interpretatur Beda de Paſtoribus, qui dum Eccleſias vacuas eſſe non ſinunt, ſed doctis ſermonibus populum veluti in præſepe retinent, ſua virtute & labore copioſam virtutum & bonorum operum meſſem colligunt, ex qua & ipſi cœleſtem capiunt alimoniam. Et in talibus locum habet quod modò lectum eſt, *Labia ſapientum cuſtodient eos*, dum in opere & verbo ſapienter ſubditum ſibi populum gubernant. Sunt ex Hebræis qui hunc verſiculum exempli cauſa proponi exſtimant à Salomone his qui ſapientiæ & Legis Moſaïcæ ſunt ſtudioſi, ut ab agricolis diſcant nullos recuſare neque ſumptus neque labores, ſed præceptores veluti boves nutriant, & ipſi ſudores veluti agricolæ ſubeant.

5. *Teſtis fidelis non mentietur; profert autem mendacium doloſus teſtis*] Simplex ſermo videtur nihil habere altioris ſenſûs aut proverbialis, niſi ad varia referantur hæc duo verba, *verum dicere* & *teſtificari*, ut verſiculus doceat nullo modo eſſe mentiendum. Nam qui aſſueſcunt mentiri (quod leve putatur ſi fiat citra injuriam & damnum alterius) tamen conſuetudine mentiendi eò malorum veniunt aliquando ut ad falſum teſtimonium ferendum accedant: quod cùm ubique deteſtandum ſit, tum maximè in re ſacra. Et proinde cùm omnes homines veritatem loqui deceat, tum eos præcipuè qui ſacris concionibus deſtinantur: in quibus tantò periculoſiùs falſum profertur teſtimonium quantò ſalus animorum quàm corporum aut rerum temporalium diſpendium nobis charior eſſe debet. *Non mentietur* qui vult eſſe & haberi *teſtis veritatis*: h. e. Qui ſibi fidem haberi vult in rebus majoris momenti, ab omni mendacio pura labia ſervet: nam qui frequenter *loquitur mendacia*, habebitur *teſtis mendax.* Verbis diverſis eandem rem bis expreſſit Salomon: & juxta hunc ſenſum D. Chimhi, *Qui vult haberi teſtis fidelis, ab omni mendacio & dolo debet eſſe alienus.* Vulgò enim dicimus, *Hoc ſolum lucrari mendaces, ut cùm verum dicant nemo illis credat.*

6. *Quærit deriſor ſapientiam & non invenit, doctrina prudentium facilis.* Heb. *Scientia intelligenti eſt levis*] Seriis rebus & honeſtis diſciplinis ſtatim ab ineunte ætate vacandum eſt iis qui ad frugem pervenire volunt: nam ubi *deriſor* evaſit quis, *non inveniet ſapientiam.* Qua in re parentes ſolent eſſe negligentes, qui cùm permiſerint liberis ad annos aliquot nugas agere, ad ſanam mentem & ſtudium bonarum artium reducere non poſſunt. ¶ *Cæterùm doctrina prudentium eſt facilis*] Heb. *Scientia intelligenti eſt facilis.* Cordati juvenes, qui valent mente & intelligentia, h. e. quorum animi non ſunt vitiis imbuti, faciliimè diſcunt ſcientias honeſtas & utiles ad reliquam vitam tranſigendam. Poteſt intelligi quaſi admoneret omnes quotquot ſapientiæ participes eſſe volunt, ut relictis nugis omnia cum moderatione & judicio agant. Nam fieri non poteſt ut quis in ſapientiæ ſtudio promoveat niſi relictis omnibus vitiis totus huic rei ſe dedat. Juxta LXX. qui ſic vertunt hunc verſum, Ζητήσεις σοφίαν παρὰ κακοῖς, καὶ οὐχ εὑρήσεις· αἴσθησις δὲ παρὰ φρονίμοις εὐχερής, *Quæres ſapientiam apud malos, & non invenies; ſenſus autem apud prudentes facilis*, Monemur *nè quæramus ſapientiam*, vel *doctrinam, ab illuſoribus & malis hominibus, apud quos non poteſt inveniri, ſed à prudentibus & doctis*, qui bene vivunt & rectè credunt, *& facilè inveniemus.* Quod ſi per *ſapientiam* Chriſtum intelligamus, quem deriſores Judæi & Pagani non poſſunt invenire, quamvis ſedulò ſuum Meſſiam quærant, & per *intelligentem* fideles quibus ſcientia Euangelica facilis eſt, juxta illud, *Omnia poſſibilia ſunt credenti*, erit Allegoria ſatis amœna.

7. *Vade contra virum ſtultum, & neſcito labia prudentiæ*] Quando ſtulti deriſores neque ſciunt neque diſcere poſſunt ſapientiam, non eſt quòd quis eorum quærat conſuetudinem, quam Salomon fugiendam in hoc verſiculo monet. Et vocem מנגד, quam Interpres reddit *contra*, *procul* & *è longinquo* exponunt Hebræi, & hunc ſenſum reddunt, *Vade procul à viro ſtulto, & nè acceſſeris ad eum; & procul ab omni homine quem noveris non habere labia ſcientiæ: nam ab hujuſmodi nihil diſces niſi malum.* Vel illud, *Neſcito labia ſcientiæ*, hunc habet ſenſum, Contine & ſerva labia ſcientiæ, & abſconde ſcientiam, ſimulate ſcientiam non habere, & ſtatim cognoſces quis ſtultus ſit: nam alioqui non cognoſces niſi tuo ſilentio dederis illi facultatem loquendi. Juxta noſtrum Interpretem & aliquot ex Hebræis ſimplex eſt expoſitio, *Si quis vadat è regione ſtulti & frequenter illi occurrat, & ſeſe illius oblectet conſuetudine, ignorabit labia ſcientiæ*: h. e. doctè & prudenter loqui non poterit. Sicut *de ſpinis non colligunt ficus*, Matth. 7. ità de ſtultis hominibus, qui Deum ignorant, diſcere non poſſumus ſcientiam Dei & bene vivendi præcepta. Docet Proverbium, Declinandam ſocietatem ſtultorum hominum, ut à quibus nullum fructum licet carpere.

8. *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam, & imprudentia ſtultorum errans.* Heb. *Stultitia ſtultorum dolus*: vel ſcilicet, *intelligere dolum, eſt ſtultitia ſtulti*] Quod omnes ferè Scripturæ ſonant, docet verſiculus, nimirum Sapientiam veram conſiſtere in actione & praxi, non in ſcientia ſolùm: nam *ſcientia inflat.* *Via* conſuetudinem morum & actiones ſtudioſas ſignificat; quas rectè *intelligere*, ut cum omni debita circumſtantia fiant, præcipua pars eſt *ſapientiæ.* Cæterùm quemadmodum ſapiens oſtenditur qui rectè novit vias ſuas & actiones moderari, ſic *ſtultitia ſtultorum*, h. e. infidelium & hæreticorum, maximè apparet dum *dolos* nectunt & alios decipere ſtudent, dum non ſatis habent ipſi ſtultè vivere, à veritate errare, ſed *intelligere* laborant *dolos & technas*, quibus in errores ſimplices deducant: hæc ſumma ſtultitia & impietas eſt. Quæ diximus modò, bonis & malis Doctoribus maximè quadrant, inter quos illi ſapientes habentur & valde *callidi* ſive *cauti*, h. e. prudentes, (nam in bo-

nam partem vox [illegible] Hebræis accipitur) ſi præter hoc quod ſapienter docent, etiam *ſuam vitam intelligant* & corrigant. Cæterùm malorum ſtultitia Doctorum non tam ex operibus eorum & externa vita (quam per hypocriſim frequenter occultant) apparet, quàm quòd ſoli errare & ſtulteſcere nolunt, niſi aliorum fidem per fraudem ſubvertere moliantur. Non erit ſenſus abſurdus ſi juxta Hebræorum aliquos exponamus, *Quemadmodum ſapientia callidi juvat eum ad intelligendum viam ſuam, ſic ſtultitia ſtulti ad dolum adducit, ut ſeipſum maximè decipiat*, & Proverbii ſpeciem habet magis concinnam.

9. *Stultus illudet peccatum, & inter juſtos morabitur gratia.* Heb. *Inter rectos benevolentia*] Duplex ſignificatio unius verbi ליץ, quod *deridere* & *loqui* ſive *interpretari* ſignificat, duplicem ſenſum efficit hujus Proverbii. Priorem ſignificationem ſecutus eſt Interpres, poſteriorem omnes Hebræi. Et per ſermonem diſtinguit Scriptura inter bonos & malos, ſive *ſtultos* & *rectos*, h.e. juſtos. Nam *ex abundantia cordis os loquitur*, & ſtulti libenter loquuntur verba delicti & offenſionis. Aliter, Apud ſtultos facilè diſcet aliquis loqui de his peccatis *quæ nè nominari quidem decet inter ſanctos*, Epheſ. 5. & proinde ſocietatem malorum fugere docemur, nè cogamur audire ſermones qui ad delinquendum provocant. Imò quantò ſatius eſt verſari cum *rectis* & piis hominibus, inter quos verba audias *benevolentiæ*, ſive *dilectionis*? Juxta noſtrum Interpretem latiſſimum diſcrimen oſtenditur inter iniquos, quos *ſtultos* vocat, & juſtos, quos *rectos* appellat: nam illi *derident* cùm peccaverint, *pro ludo habent delinquere* & Deum offendere; *recti* verò modis omnibus Dei voluntatem quærunt. Poteſt *gratia* vel *benevolentia* ad homines referri, ut ſit ſenſus, *Stulti derident cùm deliquerint & offenderint homines*; *juſti verò omnibus conantur ſatisfacere*, juxta illud Pauli, *Cum omnibus hominibus pacem habentes quantum in vobis eſt*, Rom. 12.

10. *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcetur extraneus.* Heb. *Cor cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ, & in lætitia ejus non miſcebit ſeſe extraneus*] Relativum *quod* redundat: in Hebræo non habetur, nec in LXX. ſed illi longè recedunt ab Hebræo, ſic vertentes, Καρδία ἀνδρὸς αἰσθητικὴ, λυπηρὰ ψυχὴ αὐτοῦ, *Cor viri ſenſitivum, mæſta anima ejus.* Verſiculus ad pœnitentiam invitat ſtultos, de quibus in ſuperiore verſiculo facta eſt mentio, ut non loquantur cum irriſione de peccatis, neque lætentur cùm malefecerint, ſed magis ex animo doleant, quò poſſint aliquando ex animo gaudere; juxta illud Pauli 2 Cor. 7. *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; ſeculi autem triſtitia mortem operatur.* לב *cor* pro ſuperiore portione animæ, נפש *animam* verò pro ſenſitiva parte intelligunt Hebræi. *Mens hominis cognoſcit libenter & amat amaritudinem animæ*, & triſtitiam de peccatis: vel, *cor*, h. e. intellectus & animus, *cognoſcit & particeps eſt triſtitiæ & amaritudinis ſuſceptæ voluntariè pro peccatis*, per quam ſalutem aſſequitur & *lætitiam*, *in qua non miſcebitur alienus.* Lætitiam futuri ſeculi intelligunt etiam Hebræi, quæ pura eſt: nam in hoc mundo nullum eſt gaudium *cujus extremum non occupet luctus.* Ad illud verò gaudium Angelorum per amaritudinem pervenitur, cujus participes ſunt duntaxat domeſtici fidei, non profani cultûs aut religionis ſectatores. Aliter, *Extraneus* vel *alienus ab amaritudine & triſtitia* quam cordatus homo de peccatis ſuis libenter concipit in animo, *non miſcebitur*, inquam, *in gaudio illius* qui nunc non triſtatur de peccatis. In eos propriè quadrat verſiculus qui triſtitiam & contritionem in peccatoribus damnant, cujus cùm participes eſſe nolunt, neque gaudiorum aliquando erunt participes quæ præparantur his qui pœnitentiam agunt. Sic enim legimus, *Majus gaudium erit Angelis Dei de uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15.

11. *Domus impiorum delebitur, & tabernacula juſtorum germinabunt*] *Rectorum* pro *juſtorum* habet Hebræa veritas. Impii ex ſpoliis pauperum & rapinis, ex opibus malè partis ædificant ſplendidas ædes & robuſtas, quæ durent quàm diutiſſimè, volentes perpetuò hoc mundo frui: ſed tamen *delebitur domus* eorum & familia. Nam *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*, Pſal. 127. *Tentorium verò rectorum*, ut eſt in Hebræo אהל ישרים, quod ad tempus erigitur, dum cognoſcunt ſe *non habere hic civitatem manentem*, Heb. 13. non ſolùm non delebitur, non veteraſcet aut corruet, ſed *florebit* ſive *germinabit*, ſubinde ſtabiliùs & ſolidiùs collocatum. Et quamvis juſti & recti non curant res mortales neque in terris ædificare gaudent, tamen Deus faciet *germinare tabernaculum rectorum*, ut immortalitatem quandam in terris videatur dare, in ſpem futuræ & ſolidæ immortalitatis. Nos ſub verbis Metaphoricis *domûs* & *tabernaculi* filios & Nepotes intelligimus, quibus *hæreditatem relinquet ſtabilem bonus vir*, ut ſuperiùs explicatum eſt: *quod verò peccatores coacervant*, non ſuis hæredibus ſed *juſto reſervatur.* Allegoricè *tabernaculum juſtorum*, Apoſtolorum eſt Eccleſia, quæ *germinabit ſicut lilium*, Hoſ. 14. *domus* verò *impiorum* & infidelium Judæorum *deleta eſt* ſecundùm verba Euangelii, *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Matth. 23.

12. *Eſt via quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Heb. *Et noviſſima ejus eſt viæ mortis*] Lyranus exponit hunc verſiculum ſimpliciter de via peccatorum, quæ recta videtur & judicatur ab unoquoque peccatore, pro affectione ſua: id quod locum habere poteſt potiſſimùm in Judæis & infidelibus & quibuſdam hæreticis; nam via ſcelerum vix cuique recta videtur. Alii locum exponunt de his vitiis quæ affinitatem cum virtutibus habent, quaſi via hujuſmodi vitiorum videatur recta: Nos ad hunc modum, Qui feliciter & proſperè agit in hac vita, cui omnia ex animi ſententia ſuccedunt, putat ſe tenere *viam rectam*, putat ſuam vitam gratam eſſe Deo, dum omnia ex temporali proſperitate metitur: *noviſſima tamen* ſuæ vitæ *ſunt ſemitæ mortis æternæ*, ad quam fallaces hujus mundi divitiæ & deliciæ eum perduxerunt, more divitis Euangelici, qui audivit, *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: & proinde tu cruciaris meritò, ille conſolatur*, Luc. 16. Aliter, Quamvis *recta* & jucunda *videatur* præſens vita hominibus, *tamen noviſſima illius mors eſt*, nè quis ſeſe nimiùm delectet hâc vitâ præſente, quæ jucunda eſſe non poteſt, neque ſimilis viæ rectæ & planæ, ſed ſimilis viæ aſperæ & abruptæ, ut quæ *ad mortem tandem* nos *perducit.* Aliter, Eſt via mandatorum Dei valde recta, & ſic videtur hominibus multis, qui eam libenter & alacriter ſequuntur, ſed dum bene incipiunt non perſeverant, & idcirco ad vitam non perveniunt. Nam *qui perſeveraverit uſque ad finem ſalvus erit*, Matth. 25. Et huic poſtremæ expoſitioni bene quadrat ſequens verſiculus;

13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Heb. *Etiam in riſu dolebit cor, & extrema lætitiæ dolor*] Velut propiùs ad ſenſum ſuperioris verſiculi accedat, Propter riſum & delicias, quas habent homines, dum immodicè fruuntur rebus temporariis, dolebunt corda illorum: & cùm finem impoſuerint lætitiæ præſentis vitæ, & morte ſuperveniente, veniet triſtitia, quæ eſt finis mundanæ lætitiæ. Non eſt igitur ſpectandum quàm amœnam agas vitam, ſed quàm piam & legi Divinæ conſentaneam, nè dum quæ nobis placita ſunt ſectamur, finis vitæ Principio non reſpondeat. Particulam Hebræam גם, i.e. *etiam*, à noſtro Interprete omiſſam, otioſam eſſe non putamus, ſed duplicem Proverbii ſenſum indicare, ut non ſolùm in morte extrema gaudii temporalis occupare luctum intelligamus, ſed etiam, quod experientia quotidiana docet, in hac vita nullam eſſe lætitiam diuturnam, neque eos qui maximè quærunt in deliciis ſemper vivere, aſſequi quod cupiunt, ſed ſemper amœna hujus vitæ miſcentur triſtibus.

14. *Viis ſuis replebitur ſtultus, & ſuper eum erit vir bonus.* Heb. *De viis ſuis ſatiabitur retrocedens corde, ſed ab eo vir bonus*, ſup. *retrocedet*] Non eſt ſenſus alienus à ſuperioribus, indicans omnium rerum eſſe ſatietatem & faſtidium mundanarum. Aliter, Oſtendit verſiculus mercedem debitam tam bonis operibus quàm ſupplicium malis aliquando eſſe dandum. *Vir ſtultus*, qui *ædificat domum ſuam ſuper arenam* hujus mundi, Matth. 7. ſive, ut Hebræi legunt, *Vir qui avertit cor ſuum* à via recta, ad eam quæ ſibi videtur recta, *viis ſuis ſatiabitur* aliquando, ubi riſus verſus eſt in triſtitiam; *& vir bonus ſatiabitur etiam viis ſuis*, cùm præmium acceperit, *metens* videlicet uterque *quæ ſeminaverit homo*, Gal. 6. *Oportet enim omnes ſtare ante tribunal Chriſti*, Rom. 14. *ut accipiat unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum*, 2 Cor. 5. Aliter, *Vir bonus recedit ab eo qui avertit cor ſuum à via recta.* Poſſumus exponere de viis hujus vitæ, quas ſequitur vir qui declinat & avertit cor ſuum à præceptis Dei, dum comparat ſibi divitias & honores, explet animum ſuum deliciis hujus vitæ, recipiens bona in vita ſua, à quibus declinat bonus ſpe melioris præmii.

15. *Innocens credit omni verbo, aſtutus conſiderat greſſus ſuos* (vel *intelliget greſſum ſuum*) Heb. פתי *ſimplex* (vel *indoctus*) *credit omni verbo*] LXX. ἄκακος, quos ſecutus eſt Interpres noſter. Dum narrat Sapiens quid ſoleat fieri, admonet ſuum filium quid facere debeat, videlicet non omnibus temere fidem habere; juxta illud 1 Joh. 4. *Nolite omni ſpiritui credere.* Nam ut manifeſtæ, probatæ & receptæ veritati repugnare obſtinati & contumaci eſt ingenii, ità ſimplicitatis nimiæ eſt & puerilis levitatis aurem præbere quibuſlibet, etiam fabulis. Verùm quod *callidi* & *aſtuti*, imò prudentes viri faciunt, danda eſt opera bene *intelligere* quæ legimus vel audimus antequam *fidem adhibeamus.* ¶ *Intelligere greſſum illius*, ſup. *ſermonis*, intelligunt Hebræi, h. e. quorſum tendat, ad virtutem videlicet an ad vitium, ad vitam an ad perditionem. Poteſt relativum *greſſum ejus* referri

ad

ad *callidum*, qui non temere perſuaſus omnia credit, ſed greſſum ſuum moderatur juxta intelligentiam. Nam ex eo quòd quis bene credit aut malè pendet totius vitæ prudens aut imprudens moderatio. Erit ſermonis tenor perpetuus & ex ſuperioribus pendebit ſi ſubaudiamus cum Aben-Hezra, *Simplex & indoctus facile credit omni verbo*, *& perſuaſus*, ſupple *recedit à via recta*, & proinde prudentis conſilio indiget & doctorum virorum, qui intelligunt quorſum tendant hæreticorum dicta quibus imperitis imponere ſolent.

16. *Sapiens timet*, *& declinat à malo*; *ſtultus tranſit*, *& confidit.* Aliter, *Stultus iraſcitur*, *& confidit*] Lxx. aliam hujus verbi עבר ſignificationem ſequentes ſic vertunt, adjectis aliquot dictionibus, ὁ δὲ ἄφρων ἑαυτῷ πεποιθὼς μίγνυται ἀνόμῳ, *at ſtultus ſibi confidens miſcetur iniquo.* Chaldæus videtur Lxx. ſubſcribere, *Stultus implicatus in ſtultitia*, *confidit in ea.* Quamvis verbum Hebræum עבר *tranſire* ſignificat, tamen in poſtrema conjugatione per *iraſci* interpretantur Hebræi, juxta verſionem Hieronymi. In hac vita fragili, quæ periculis & animæ & corporis obnoxia eſt, non ſolùm ſapientiâ & doctrinâ opus eſt ſed etiam ſagacitate & timore. Nihil temere agendum, omnia etiam tuta timenda ſunt. Sub omni lapide latet ſcorpio, &, juxta id quod ſcriptum eſt, Eccl. 9. *in medio laqueorum tranſis.* Plurimùm *timere*, noſtris viribus diffidere, *Dei timore à malo recedere* debemus: *ſtultus* verò *confidens*, temere quodvis negotium aggreditur, etiam cum *ira* (quæ *impedit animum*, *nè poſſit cernere verum*) ægrè ferens ſeſe impediri: ut utramque ſignificationem verbi עבר intelligamus, nempe *iraſcens tranſit*, iraſcens videlicet contra eos qui timendam peccatoribus iram Dei admonent, tranſit & progreditur peccando, ſecurus abjecto timore. *Timens* Deum, vel *timens* mortem, *declinat à malo ſapiens. Recordare*, inquit, Eccl. 7. 36. *noviſſima*, *& in æternum non peccabis.* Stultus confiſus de vita ſua, neque judicia Dei veritus, vitam tranſigens multa mala committit.

17. *Impatiens operabitur ſtultitiam*; *& vir verſutus*, *odioſus.* Aliter, *vir cogitabundus odio habetur*] Si quid eſt ſapientiæ in Ethnicorum libris, in noſtris longè antea præceſſit.

——*Qui non moderabitur ira*, inquit Flaccus,
Infectum volet eſſe dolor quod ſuaſerit & mens.

Deus opt. max. frequenter in S. literis vocatur ארך אפים, h. e. *longanimis*, *patiens.* Qualis Deus eſt per naturam, tales nos eſſe per imitationem hortatur Sapiens hoc in loco, & Jacobus in Epiſtola, *Sit omnis homo velox ad audiendum*, *tardus autem ad loquendum*, *& tardus ad iram.* Nam *Ira impedit animum*, *nè poſſit cernere verum* & decorum. Et proinde quàm longiſſimè recedit à ſapientia qui hanc perturbationem cohibere non novit: nihil poteſt facere cum moderatione. Contrà, ſunt aliquot valde *verſuti* ſive (ut eſt in Hebræo איש מזמות, *vir cogitationum cogitationibus dediti*, & ingenioſi ut malum faciant, quos *odit Dominus*; nec immeritò, cùm non ſolùm ſenſibus & appetitu (quibus maximè trahimur ad vitia) ad malè agendum abutuntur, ſed etiam ingenio & intellectu, videlicet cogitando meditandoque, machinantur malum; & non ex infirmitate neque ex ignorantia ſolùm peccant, ſed deſtinatâ quadam malitiâ peccatorum funiculos trahunt. Hos præ cæteris peccatoribus meritò *odio habet Dominus.* Et hic ſenſus ac expoſitio poſterioris clauſulæ, nempe ſubaudiendo *Dominum* (ut ſit ſenſus, *Vir verſutus*, ſive *cogitabundus*, *eſt odioſus Domino*) mihi magis placet quàm ut juxta quoſdam ſubaudiamus *iracundus*, ſive (ut Scriptura loquitur) *brevis irâ*, vel *citò iratus*, *odit virum cogitabundum*, ut puta ſui diſſimillimum: *vir verſutus* (ſive *vir cogitationum*) *eſt odioſus*, ſc. *iracundo.* Lyranus in genere dictum intelligit, *odioſus erit omnibus.* Nihil agendum neque per iram neque per dolum malum, docet Proverbium.

18. *Poſſidebunt parvuli ſtultitiam*, *& exſpectabunt aſtuti ſcientiam.* Heb. *Acceperunt per ſucceſſionem*, vel *hæreditario jure*, *ignari ſtultitiam*, *ſed aſtuti coronabunt ſcientiam.* Vel, *coronabunt alios ſcientiâ*, vel denique, *corronabuntur ſcientiâ*] פתאים *parvuli*, *ignari* ſive *ſimplices*; aliquando *innocentes* reddit Interpres. Hoc in loco in malam partem accipitur, pro *ſtultis* & *malis. Parvuli* ſive *decepti*, qui *omni vento circumferuntur*, dum omnia facilè credunt, *ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, poſt magnos labores & ſtudia nihil aliud quàm ignorantiam diſcentes & ea quæ dediſcenda ſunt, meram *ſtultitiam* ex laboribus veluti *hæreditatem aſſequuntur.* Nam à vera Sapientia (qui Chriſtus eſt) alieni, cum alioqui vel ex divitiis hujus mundi vel honoribus plurima aſſequuntur, ſtulti habentur: *relinquent* enim *alienis divitias*, *& ſepulcra illorum*, *domus eorum in æternum*, Pſal. 49. Et quod ſequitur quadrabit illis, *Homo cùm in honore eſſet*, *non intellexit*, *comparatus eſt jumentis inſipientibus*, *& ſimilis factus eſt illis.* ¶ *Aſtuti exſpectant ſcientiam* & cognitionem Dei, tanquam laborum præmium; vel juxta Hebræum, *Aſtuti coronabuntur ſcientiâ.* Non lauro aut myrto coronantur, quod Poëtis & militibus magnificum videbatur olim, ſed ſcientiâ Dei & Chriſti Jeſu, tanquam coronâ vitæ. *Hæc eſt enim vita æterna*, *ut cognoſcant te ſolum Deum*, *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, Joh. 17. q. d. Verè ſapientibus in lege Dei ſuus non poteſt deeſſe honor: ſed hoc nomine quòd *in lege Dei meditantur die ac nocte* immortalem gloriam aſſequuntur. Aliter exponitur poſterior verſiculi clauſula, ſi juxta Hebræum legatur verbum *coronare*, nempe ad hunc modum, *Aſtuti coronabunt ſcientiam*, h. e. plurimos ad ſtudium ſapientiæ pertrahere ſolent, ut jam non deſtituta ſed ſepta diſcipulorum turbâ videatur ſcientia Scripturarum, ſi prudens & doctus Magiſter ſive Concionator cathedram poſſideat. Aliter, *aſtuti coronant ſe doctrinâ & ſcientiâ*, per quam honorem aſſequuntur apud homines. Et hic ſenſus maximè genuinus videbitur his qui Hebraïcè norunt.

19. *Jacebunt mali ante bonos*, *& impii ante portas juſtorum.* Heb. *Incurvabunt ſe mali coram bonis*, *& impii ad portas juſti*] Non multum à ſenſu prioris verſiculi recedit, nempe, Juſtos ſive bonos & ſapientes ſolidam laudem habere, malos vero & impios tandem cogi ut agnoſcant ſuam miſeriam, & exhibeant honorem iis quibus debetur, tametſi ad tempus magnis fulgeant honoribus & vel regiam dignitatem obtineant: hoc, inquam, fiet olim, quando implebitur illud, Sap. 5. *Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt.* Aliter, Admonet verſiculus malos & impios ut reſipiſcant, oſtendens quid facere debeant ad ſanam mentem revertentes, nempe *incurvare ſeſe coram bonis*, quos injuriâ affecerunt. Opprimunt ferè bonos viri improbi per ſuperbiam: æquum eſt tamen ut verſâ vice mali bonorum agnoſcant autoritatem & portas ac ædes eorum frequentent. Nam per Metaphoram *incurvationis* & *portarum* inſinuat Scriptura honorem bonis & juſtis viris debitum. *Honor* enim *præmium eſt virtutis*, juxta Philoſophum.

20. *Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit*, *amici verò divitum multi.* Heb. *Etiam ab amico* (vel *ſocio ſuo*) *ſolet odio haberi pauper*] Quàm grave ſit paupertatis onus, & quàm amœna ſit opulentia in hac vita, indicat hoc verſiculo Sapiens; ſimul divitum ingratitudinem, qui perituras opes magis honorant quàm naturam communem, reprehendit. Denique ad eleëmoſynam & miſericordiam hortatur, quæ tantò gratior eſt quantò ſit pauperum major indigentia, qui non ſolùm à ſuis deſeruntur, ſed odio habentur etiam à chariſſimis & domeſticis. Ab alienis igitur quid exſpectent? nimirum id quod ſcribitur Pſal. 10. *Tibi derelictus eſt pauper*, *orphano tu eris adjutor.* Nam qui paupertatis nomine odioſus eſt hominibus, tantò charior & ſimilior eſt illi qui *non habuit ubi caput ſuum reclinaret*, Math. 8. & qui dixit per Prophetam Pſal. 69. *Ego ſum pauper & dolens*, à ſuis relictus. Verſiculus iſte oſtendit quid ſoleat facere ingratitudo humana, nempe pauperes & pauperiem odio habere, divitias verò & divites honorare; ſequens verò verſiculus, quid facere ſapientes deceat.

21. *Qui deſpicit proximum ſuum*, *peccat*: *qui autem miſeretur pauperis*, *beatus erit*] Ut alibi ſcriptum eſt, *Unicuique mandavit Deus de proximo*, Eccleſ. 17. Impii Cain vox illa fuit, Gen. 4. *Numquid cuſtos fratris mei ego ſum?* Porrò *proximum* ſive *amicum* aut *ſocium* denique (ſic enim verti poteſt vox Hebræa רע) juxta definitionem Euangelicam poſſumus intelligere *qui facit miſericordiam in illum.* Mutuò ſe reſpiciunt proximus proximum, & amicus amicum: nam quicunque poteſt vel facere tibi vel recipere à te miſericordiam vel opem quamcunque, ille tuus proximus eſt & amicus. Et jam ſenſus erit Proverbii, *Eum peccare in Deum qui amicum pauperem contemnit.* q. d. Non, quod vulgò faciunt, ſunt per divitias aut paupertatem æſtimandi homines, ut in ſuperiore verſiculo dictum eſt: nam longè aliter judicat Deus, & pro graviſſimo habet peccato ſi quis amicum contemnat ac deſpiciat quantumvis pauperem aut afflictum. Ut omnes voto, ſic opere proximos potiſſimùm juvare debemus. Nam apud Deum beati ſunt, non divitum amici, ſed qui miſericordiam in pauperes oſtendunt, ut alio loco dictum eſt, *Qui miſeretur pauperis*, *fœneratur Deo*, à quo pro temporali ſubſidio æternam beatitudinem recipiet. ¶ *Qui miſeretur pauperis*, *beatus erit*] Heb. *beatitudines illius*, ſupple *ſunt multæ.*

22. *Errant qui operantur malum*: *miſericordia & veritas præparant bona*] Sic Interpres, juxta quem non admodum proverbialis videtur verſiculus. Hebræum paulò aliter, nempe, *Numquid non errabunt* (vel *errare ſolent*) *qui machinantur malum? ſed miſericordia & veritas cum his qui machinantur bonum.* Interrogatione affirmat. חרש *cogitare* ſignificat, *arare*, vel *cum cura aliquid facere*, & etiam *tacere*: unde חרשי verti poteſt, *Imaginatores*, *qui tacitè machinantur*, *fabricant*, vel *arant*, *malum.* Magna eſt fragilitas humana, per quam vix quiſquam

poteſt

poteſt eſſe immunis ab errore & malo: ſed omnium peſſimi ſunt qui *prudentes ſunt ut faciant malum*, h. e. non ex infirmitate ſed ſtudio machinantur malum, hi *errant*, vel *errabunt*, h. e. quò volunt non pervenient, quod frequenter fieri ſolet. Qui ſtudent malum inferre aliis, ipſi incidunt in malum. Nam cæcitate & errore merentur percuti qui lumine intellectûs abutuntur, neque incumbunt rectis ſtudiis aut inveſtigationi veritatis, ſed artificiosè vel malum facere vel aliis inferre, hi veritatem non cognoſcent, neque miſericordiam aſſequentur, quam non præſtant. Contrà, qui bonum ſtudent facere, majora bona à Deo conſequentur, nempe *veritatem* quâ intellectus illuminatur, & *miſericordiam* quâ conſcientia purgatur à peccatis. Vehementer errare oſtendit Proverbium eos qui ex induſtria peccant; quod propriè eſt hæreticorum.

23. *In omni opere bono erit abundantia: ubi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.* Aliter, *In omni labore erit abundantia: ſed verba labiorum etiam ad defectum*] Non verba ſed facta laudantur, juxta illud Euangelii Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.* Honeſtus labor commendatur in hoc verſiculo, ut qui ſuo fructu non caret. Et quamvis omnia Deo largitore habeamus, tamen noſtra induſtria accedat oportet, juxta parabolam Euangelii Matth. 25. *Qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque:* &, *Omni habenti dabitur, & abundabit:* id quod ut in agricultura & corporis laboribus fieri videmus, ità in ſtudio virtutum uſu venit. Cæterùm qui *verbis labiorum* delectatur, & de virtute loqui non ex animo ſed ore tenus, ad frugem non pervenier. Nam ut ad nihil egregium pervenitur abſque ſudore, ità via virtutis ardua eſt & difficilis. עצב non *laborem* ſolùm ſignificat, ſed etiam *dolorem:* quam ſignificationem ſequentes aliqui ex Hebræis longè alium ſenſum faciunt, nempe, *In omni dolore & triſtitia, quam ſecum retinet homo, erit abundantia: & quotidie creſcit ſecreta mœſtitia, verùm per verba labiorum diminuitur*; h. e. detectus dolor & in ſinum fidelis amici transfuſus mitigatur. Et juxta hunc ſenſum poteſt ad Confeſſionem accommodari verſiculus: Nam re verà nihil magis mitigat triſtitiam quam quis concipit de peccatis ſuis quàm ſincera & libera confeſſio facta in auricula pii Sacerdotis. Illa enim *verba labiorum*, confitentis videlicet & abſolventis, luctum de peccatis conceptum vehementer mitigant & conſolationem adferunt. Prima expoſitio magis germana videtur.

24. *Corona ſapientum, divitiæ eorum: fatuitas ſtultorum, imprudentia.* Aliter, *ſtultitia ſtultorum ſtultitia*] Magna laus ſapientiæ, quæ honeſtat & commendat non ſolùm reliqua corporis & animæ bona, ſed etiam bona fortunæ & divitias, quæ magnum ornamentum adferunt & veluti coronam capiti hominis imponunt ſi cum ſapientia jungantur. Sunt enim divitiæ ſapientibus inſtrumenta virtutum, quarum cupidines cùm ſuperaverint, & contemnendas res mundanas omnibus ipſo divitiarum bono uſu oſtenderint, maximum aſſequuntur honorem, & diademate digni æſtimantur, tanquam victores voluptatum & omnium malorum quæ ſecum trahere ſolent opes & divitiæ. Aliter, Sapientia & doctrina in homine paupere ſolet contemni à vulgo, verùm quæ in divitibus eſt ſapientia admirabilis habetur & ſuſpicitur ab omnibus, ut jam *ornamentum ſapientiæ* videantur *divitiæ*. Aliter, *divitiæ* Metaphoricè intelliguntur pro *plena ſapientia & perfecta*, quæ perfectè exornat & veluti coronat ſapientes. Prima expoſitio eſt optima. ¶ *Stultitia ſtultorum*] q. d. Alia ratio eſt ſtultorum, qui nullis opibus aut externis bonis ornari poſſunt. Sed ut ſimia ſemper ſimia, etiamſi purpurâ veſtiatur; ſic ſtultitia, quæ uſque adeò magna eſt in aliquot ſtultis hominibus ut nullo modo tegi poſſit aut honeſtari, ſed nonnunquam duplicatur ſtultitia ſtultorum ſi opes accedant. q. d. Tantum abeſt ut opes honeſtent ſtultos, ut major fiat ſtultitia ſi divites fiant: tunc *ſtultitia ſtultorum erit ſtultitia inſignis* & palàm omnibus fiet, quæ per inopiam occultata fuerat, dum quod ſtultè cogitaverant; ſtulto opere implere non poterant. Utriuſque rei exempla prudens lector ex Sacra hiſtoria facile colliget. Nos ad reliqua properamus.

25. *Liberat animas teſtis fidelis, & profert mendacia verſipellis.* Aliter, *loquetur mendacia doloſus*] Utriuſque mos & conſuetudo ſuperiùs oſtenſa eſt, nempe teſtis fidelis & mendacis: Quorum hic ut aſſuevit mentiri quotidianis ſermonibus, ità publico judicio non verebitur dicere falſum teſtimonium; ille verò qui veritatis ubique amator & aſſertor eſt, & in privato & in publico verum profert. Hoc in loco, quàm ingens bonum ex teſtimonio veritatis ſolet ſequi, & rurſum quàm grande malum per falſos teſtes in Rep. ſoleat contingere, declarat. Nam de periculo vitæ & mortis teſtes adhiberi ſolent, & innocentes nonnunquam in diſcrimen vitæ veniunt, quorum aliquem cùm *fidelis teſtis liberat*, non unam *animam* liberat, ſed nonnunquam multorum, & totius familiæ, quæ unius hominis curâ & operâ ſuſtentatur. Simpliciſſimus ſenſus erit ſi intelligamus multos perire innocentes, quos fidelis teſtis frequenter eripit: ut jam nihil ſit laudabilius quàm veritatem defendere; & contrà, nihil magis odibile quàm falſus teſtis, qui non gladio ſed linguâ frequenter interficit innocentes. ¶ *Et profert mendacia verſipellis*] Sive *doloſus*, ſubauditur *teſtis*, ut ſit ſenſus, *Et loquetur mendacia teſtis doloſus*, h. e. Dum loquitur mendacia in judicio animas interficit, quas vel hæreditate & ſuo jure ſpoliat vel vitâ privat. Id quod cùm coram Judice, qui veritatem ignorat, fit nonnunquam, tum multò perículoſiùs cùm Doctor falſitatis in frequente concione falſum profert de Scripturis teſtimonium, & errorem aſpergit in populum, quo infinitæ animæ deceptæ penitus pereunt. O infelicem hominem, cujus dolo & fraude fideles animæ pereunt! & ô terque quaterque beatum teſtem, qui ad ſalutem animarum teſtimonia ex Sacris eloquiis profert, & veritatem aſtruit, quæ vita eſt animæ.

26. *In timore Domini erit fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes*] De Divitiis diſſeruit, quæ non proderunt abſque ſapientia. Eadem ratio eſt de Fortitudine, quæ neminem liberare poteſt citra *timorem Domini*, quod eſt *initium ſapientiæ*. Qui verè *fortis* eſt, non in ſuis viribus *confidit*, ſed *in timore Domini*, ſciens ſcriptum eſſe Jer. 17. *Maledictus qui ponit carnem brachium ſuum. Fortitudinem* more linguæ Hebraicæ ponit pro *forti*. ¶ *Et filiis ejus*, ſup. *Dei*, *erit ſpes*] Vel *filiis ejus cujus fortitudo eſt timor Domini*, qui propter meritum patris bene ſperare poſſunt; vel quia exemplum patris ſolent ſequi, & *in timore Domini*, h. e. in eo quòd timeant offendere Dominum Deum, & illius clementiam implorant cum *fiducia*, *ſpem* habent in omnibus hujus mundi adverſis, *ſpem*, inquam, *quæ non confundit*. Si igitur non ſit *fiducia robuſtis* niſi *in timore Domini*, ſi fortes & potentes ſuos liberos non poſſunt tueri, ſed ſub *timore Domini* tanquam ſub clypeo confugere docentur, quid debent facere imbecilles? quid oves paſcuæ ejus? quâ ratione tutæ & ſalvæ eſſe poſſunt ab *adverſario*, *qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1 Pet. 5. & tendit *laqueos mortis*? contra quos præſentius remedium non habemus quàm *timorem Domini*, ut in ſequenti verſiculo ſequitur,

27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Aliter, *ad declinandum à laqueis mortis*] Hos duos verſiculos de *timore Domini* ſic connectit Aben-Hezra ut in principio utriuſque intelligatur litera Beth, quæ in priore ſcribitur, h. e. *in*, *propter*, vel *per*, & erit ſenſus prioris, *Propter timorem ſuum Dominus erit fiducia fortitudinis*, ſup. *ei qui timet & colit eum, ut eripiat eum in tempore anguſtiæ: & erit ſpes fortitudinis filiis illius ob meritum paternum. Similiter propter timorem ſuum Dominus erit timentibus ſe quaſi fons vitæ*, h. e. perpetuum refugium, quo ſuppeditabit illis vires *ad declinandum*, ſive *fugiendum*, *à laqueis mortis*, h. e. Diaboli, quibus captivos tenet infideles Divini timoris & cultûs expertes.

28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Aliter, *Et cùm non fuerit populus, eſt diminutio Principis*] Omnibus hominum ordinibus præcepta & documenta ſapientiæ proponit Salomon, Pauperibus, Divitibus, Fortibus, & etiam Regibus, quorum gloria non eſt in magnis opibus aut caſtellis aut propugnaculis, ſed *in multitudine ſubditorum* qui illorum libenter parent imperio: in illis vires ſunt Regibus conſtituendæ. Nam alioqui habeat Princeps quicquid in hac vita ſplendidum ac magnificum videatur, quicquid ad tutelam & defenſionem imperii, ſi fidis ſubditorum animis fuerit deſtitutus, non habet ſolida munimenta Regni quibus fidat: reliqua enim potius confuſionem & *contritionem* (ut eſt in Hebræo) adferunt. Aliter, Ad clementiam Principes invitat & juſtitiam, quibus virtutibus civitates creſcunt & locupletantur, in quibus libenter homines commorantur: id quod cum magna ex parte per Principis providentiam contingat, celeberrimum nomen & apud ſuos & apud exteras nationes aſſequitur, quæ virtutes ubi deſunt, ubi ſeditione & dolis peccatur, ſtatus Reip. corruit, populus delabitur, vires Principis diminuuntur, fama perditur, & gloria in ignominiam vertitur.

29. *Qui patiens eſt, multam gubernat ſapientiam: qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam.* Aliter, *Qui tardus eſt in ira, multus eſt in intelligentia, & velox ſpiritu exaltat ſtultitiam*] Interpres ſupplendo verbum *gubernat*, rectè ad præcedentem verſiculum connectit ſenſum. Nam cum omnibus hominibus ira ſit impedimento quò minùs poſſint cernere verum, tum maximè Regibus, qui Judices ſunt, & qui, ſi facilè iraſcantur, majorem ſtultitiam committunt quò magis autoritate & viribus pollent. *Qui patiens eſt*, vel *longus in ira*, ut eſt in Hebræo, ſive *tardus ad iram*, qui diu deliberat & conſulat antequam ad iram,

Digitized by Google

iram, h. e. ad punienda delicta, deveniat, profectò prudens Princeps & magnæ ſapientiæ habetur. Poſſumus per *iram* alias quoque animi perturbationes intelligere, quibus cùm facilè ſtatus animi concutitur, minùs intelligentiâ valemus. *Qui autem impatiens eſt*] Heb וקצר רוח *anguſti ſpiritus*, vel *coarctatus ſpiritu*, h.e. animo ligatus quodammodo per affectiones, ut non poſſit erigere mentem & in omnes formas dilatare intelligentiam, ſed ſtatim erumpere in verba quæ ſuppeditat ira, non quæ ratio inveſtigavit: hic *exaltat ſtultitiam*] ſive *elevat ſtultitiam*, quæ priùs occulta fuerat, in propatulo ponit. Aliter, Stultitiam præponit ſapientiæ.

30. *Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia.* Aliter, *Vita carnis* (vel *corporis*) *cor leve*, &c.] Tranquillus animi ſtatus non ſolùm plurimum juvat ingenium & intelligentiam in contemplatione veritatis, ſed etiam facit ad ſanitatem corporis. Eſt enim quaſi medicus ad tuendam ſanitatem corporalis vitæ, cor & animus ſanus, nullis peccatis pollutus. Proveniunt enim frequenter corporis morbi ex vitiis animi; juxta illud Euangelii, Joh. 5. *Vade, noli ampliùs peccare, nè deterius aliquid tibi contingat.* Et juxta Hebræum poteſt eſſe ſenſus, *Cor quod ſanat & medetur affectibus & paſſionibus ſuis, eſt etiam vita carnis*, h. e. tenerrimas partes corporis præſervat. Alii לב מרפא exponunt, *Cor bonum & latum*, alienum ab ira & invidia, *vitam præſtat corpori*, facit ut & diutius & felicius vivat caro: contrà, *cor quod invidiâ* & magnis laborat peccatis, *etiam oſſa*, h. e. robuſtiſſimas partes, *inficit & veluti putredine corrumpit.* Poſſumus vertere, *Cor leve*, ſive *levitas cordis*, eò quòd alienum ſit ab ira, *eſt vita carnis.* Poſſunt denique *caro* & *oſſa* ad animi virtutes referri; quæ quamvis debiles ſint & teneræ, tamen ubi *cor* eſt *ſanum*, h.e. intelligentia & fides integra, ſervatur animæ vita: ubi verò cor & mens *invidiâ* laborat, h.e. excidit à charitate quæ eſt in Chriſto Jeſu & ab unitate Eccleſiaſtica, id quod per invidiam fieri ſolet, *contabeſcunt etiam oſſa*, h.e. virtutes maximè ſordeſcunt in conſpectu Dei: juxta illud Pauli, *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. 1 Cor. 13.

31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum qui miſeretur pauperis*] Pro *calumniari*, *opprimere ac vim inferre* eſt in Hebræo, nempe עשק. Patrocinatur pauperibus, & coërcet Principes & potentes nè vim inferant, aut opprimant tenues, quorum Deus adjutor eſt, & quos in mundo vix quiſquam tuetur, cùm etiam *ab amico ſuo pauper odio habeatur*, ut ſuperiùs dictum eſt. Quicquid enim pauperibus fit, maximè pauperibus ſpiritu, de quibus ſcriptum eſt Pſalm. 10. *Tibi derelictus eſt pauper*, ſibi ipſi quaſi factum acceptum fert Deus. Sic enim legimus Matth. 25. *Quamdiu uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Obſervandus eſt loquendi modus: *Exprobrat factori ejus* vel juxta Hebræum *probris afficit*, deinde *honorem impendit*: quibus verbis nihil graviùs, nihil efficaciùs, dici potuit ſive in defenſionem & patrocinium pauperum, ſive ad coërcendam vim potentium, & excitandos piorum animos ad benefaciendum egentibus. Nam *honore Divino* nihil antiquius habere debemus; contrà, *Deum contumeliis afficere & opprobrio*, vel dictu horrendum eſt.

32. *In malitia ſua repelletur impius: ſperat autem juſtus in morte ſua.* Heb. *Per malitiam ſuam* (vel *in malitiam ſuam*) *impellitur* (vel *impelli ſolet*) *impius: & fiduciam habet in morte ſua juſtus*] Impio nihil ſuccedit ex animi ſententia, juſto verò omnia, ut quem ſua ſpes nunquam fallit. *Impius propter malitiam ſuam expellatur a ſpe* cujuſcunque boni poſt hanc vitam, vel in morte excidit omnis ſpes impii, *ſub qua maximè ſperat juſtus*, cùm in hac vita mercedem operum non acceperit. Aliter, Impius etiam in ipſo malo quod conatur facere, expellitur à ſuo conatu, & non perficiet telam quam apud ſe exorſus eſt; priùs enim in mortem propelletur. ¶ *Juſtus verò in morte ſua*] h. e. Antequam moriatur compos voti & ſpei ſuæ erit. Ambiguum eſt *in morte ſua*, vel *ejus*: & aliqui bene referunt ad *impium*, ad hunc modum, Juſtus, qui per malitiam impii multa paſſus eſt, conſolatur ſe & bene ſperat non diu victurum impium, ſed quòd brevi expelletur ab hac vita. Quod etiam fit juxta illud Pſal. 37. *Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies.* Et iterum, *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi, & non erat: quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.*

33. *In corde prudente requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet.* Heb. *Et in medio ſtultorum cognoſcetur*] Docet verſiculus non ſatis eſſe diſcere & intelligere ea quæ ſunt Dei, ſed corde bono & optimo retinere quod accepimus, & proferre fructum. Nam *in medio ſtultorum*, quos peccatores intelligimus, ſolet *cognoſci* Chriſtus Dei Sapientia, ſed tamen non inhabitat, non *quieſcit* inter illos: ſed *in corde intelligenti*, h. e. in corde eorum qui juxta mentem & ſuperiorem animæ portionem vivunt. Qui verò ſenſus ſequuntur & brutam portionem animæ, cùm totum cor illorum rebus ſit mundanis occupatum, *evaneſcunt in cogitationibus ſuis, qui cùm Deum cognoverunt, non ſicut Deum glorificaverunt. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, Rom. 1. Atqui hic ſenſus erit hujus loci his qui verbum תודע *cognoſcetur* interpretantur: nempe, Veritas à ſtultitia cognoſci poteſt, ſed locus & manſio ſapientiæ & veritatis eſt *cor intelligens*, quod novit diſtinguere inter bonum & malum. In variis Scripturarum locis hoc verbum ירע *confringere* ſignificat: quo ſenſu hoc in loco interpretantur aliquot ex Hebræis, ex quibus eſt Aben-Hezra; & ſenſus erit, *Prudentes viros ſervare diligenter ſapientiam, ſtultos verò*, ſi quid didicerint etiamnum juvenes, ſi quid audiant quod ad ſapientiam ſpectat, facilè obliviſci, & *apud illos non quieſcere*, ſed ſtatim violentiâ quadam rumpi & evelli à cordibus eorum. Aliter, Laudatur modeſtia viri prudentis in cujus corde quieſcit ſcientia ſine jactantia. Stulti homines, ſi quid noverint, celare non poſſunt.

34. *Juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.* Heb. *Sed miſericordia eſt populis peccatum*] Commendatur miſericordia & opera charitatis in pauperes. Sic enim hodie vocant Hebræi eleëmoſynam, צדקה *juſtitiam*: cujus ſenſui bene quadrat Euangelica doctrina, Matth. 7. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis*: & ſtatim ſequitur, *Cùm facis eleëmoſynam. Cùm oraveris.* Sunt ex Hebræis qui dicunt *populum fidelem ex eleëmoſyna magnum conſequi honorem; infideles verò, qui in honorem falſorum Deorum faciunt juſtitiam, peccare.* Aliter, *Eleëmoſyna ex rapina & ſanguine pauperum eſt peccatum Gentibus.* Alii malunt poſteriorem clauſulam exponere juxta aliam ſignificationem hujus nominis חסד, quod Levit. 20. accipitur pro *re nefaria*, ut Hieronymus exponit, vel *opprobrio*: ut ſit ſenſus, *Quemadmodum eleëmoſyna, preces & jejunia & alia id genus juſtitiæ opera multas viles & contemptibiles gentes, nobiles & claras effecerunt, ità peccandi conſuetudo populos præſertim Iſraëliticos, olim celeberrimos, extremâ contumeliâ & opprobrio damnavit.* Tertium denique ſenſum faciunt hi qui חטאת *peccatum* hoc in loco more legis Moſaïcæ intelligunt *ſacrificium pro peccato*: ut ſit ſenſus, quaſi Prophetico ſpiritu à Salomone diceretur, *Non in victimis, quibus Deum colebant, Iſraëlitas olim habituros honorem, ſed in juſtitia: neque ſacrificia craſſa illa ex animalium ſanguine ampliùs acceptanda, in remiſſionem peccatorum, ſed opera miſericordiæ eſſe acceptanda tanquam hoſtia pro peccatis*; ut ſcriptum eſt, *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, Luc. 11.

35. *Acceptus eſt Regi miniſter intelligens, iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit.* Heb. *Benevolentia Regis erga ſervum intelligentem, ſed indignatio ejus erga eum qui pudore afficit*] Omnibus eſt neceſſaria ſapientia, & quamvis varia & diverſa pro varietate conditionis humanæ, omnibus tamen prudentia & intelligentia imprimis eſt neceſſaria; etiam ſervis & viliores conditionis hominibus, qui heris ſuis non poſſunt placere niſi ſapiant, quantumvis alioquin fuerint obedientes, & omnia ad nutum faciant, tamen non niſi intelligens & prudens ſervus Chriſto Regi placere poteſt; dicente Domino Matth. 24. *Quis igitur eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituat dominus ſuper familiam ſuam?* Qui verò non quærit honorem domini ſui, ſed *incipit percutere conſervos ſuos, manducare & bibere cum ebrioſis, iratus dominus dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* In ſecunda particula verſiculi ſubauditur לעבד *ſervo*, & pendet ſenſus ex ſequenti verſiculo juxta Aben-Hezra, qui eum *prudentem* vocat *ſervum* qui novit *reſponſione molli* Regi ſatisfacere, & *iram* illius *placare*, *erga quem* erit *voluntas*; *& indignatio Regis erit in illum ſervum qui contumelioſè* reſpondens indignationem Regis provocat, ut ſequitur.

LUCAS BRUG.

16. *SApiens timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit*] Conjicit D. Janſenius *tranſit*, vel *tranſivit*, pro *tranſilit* legendum eſſe, quòd Hebraïca vox *tranſire* ſignificare poſſit, non *tranſilire.* עבר in prima conjugatione, extra omnem controverſiam, *tranſire* ſignificat; in poſtrema, Hebræorum ſententiâ, *iraſci* denotat. Hunc itaque locum quia participium poſtremæ conjugationis מתעבר legitur, vertunt, *Stultus iraſcitur* bene monentibus, *& confidit.* Sed noſter Interpres eâ ſignificatione quam in prima conjugatione radix habet interpretatus eſt, *Stultus tranſit, & confidit*: ſic enim Doctoris Hunnæi manuſcriptum, M notatum, ſcribit: ad eundem modum Rodolphus Baynus, inſignis Enarrator, legit. *Tranſibit*, quod eſt in exemplari Societatis Jeſu rubro, ac Dionyſii Carthuſiani commentariis, & *tranſivit*, quod in Lexico Pagninus habet, minùs

congruunt cùm Hebraïcæ dictioni tum iis quæ in hac ſententia præcedunt & ſequuntur. Cæterùm à pleriſque omnibus codicibus, etiam emendatiſſimis, & Beda tractatore, *tranſilit* legitur: id quod à *tranſit* parùm diſcrepat: *tranſilire* enim eſt ſaliendo tranſire, quod verè ſtulti eſt, in re præſertim periculo plena.

33. *In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet*] Alii codices legunt, *Et indoctos quoque erudiet.* Utra germana ſit lectio colligi haud facilè poteſt: parùm namque ex Hebræo patet, & eſt etiam inter correctiſſima exemplaria varietas. Cæterùm ex eo veriſimilior fit prior, quòd Hebraïcam ſententiam pleniùs explicare videatur. Ad verbum Hebraïcè eſt, *Et in medio ſtultorum cognoſcetur*; illud *in medio ſtultorum* expoſuiſſe Interpres videtur *indoctos quoſque*: quòd ſi *quoque* legas, non eſt quod reſpondeat illi *in medio ſtultorum.* Porrò Pariſienſes ex ſuis codicibus correxerunt *quoque*; id quod ſignificat, ità in prudentis corde ſapientiam requieſcere, ut eam opportunitate oblatâ ad indoctiorum inſtructionem effundat. Chald. Paraphraſis eſt, *Et in medio ſtulorum ſtultitia cognoſcetur.*

DRUSIUS.

2. בְּיָשְׁרוֹ. A. S. Th. ἐν εὐθύτητι] Abeſt pronomen, ut ſit ἐν εὐθύτητι αὐτοῦ. nam ἐν εὐθύτητι, i.e. בישר.

3. חוֹטֶר גַּאֲוָה. A. ῥαβδίον ὑπερηφανίας, *virgula ſuperbiæ.*

4. בְּאֵין אֲלָפִים אֵבוּס בָּר וְרָב־תְּבוּאוֹת בְּכֹחַ שׁוֹר. A. Ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, Φατνιάζεται γέννημα ἐκλεκτὸν - - - *Cùm non ſunt boves, in præſepe reponitur proventus electus* - - - S. Ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, Φάτνης γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν ἰσχύϊ μόσχου, *Cùm non ſunt boves, ſtabuli progenies, & copia proventuum in robore vituli.* Th. Ἐν ἰσχύϊ βοῶν Φατνευθήσεται γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν δυνάμει ταύρου] *In præſepe reponitur proventus electis*, vel, *ſaginatur progenies electa.* Nam אבוס *ſaginatus*, cui reſpondet Φατνιάζεται, verbum ab אבוס, quod *præſepe* ſig. deductum. Licet etiam vertere, *ſtat ad præſepe progenies*: ſub. *boum.* ¶ *Stabuli progenies.* Deſideratur quippiam. בר *filius, ſoboles.* אבוס *ſtabulum, præſepe,* Φάτνη. *Stabuli progenies* potiùs diceretur בר אבוס *filius ſtabuli.* ¶ *In robore vituli*: i.e. tauri, aut bovis; quod שור propriè ſignificat. Lxx. quoque μόσχον eam vocem reddunt Numer. 7. 3. & alibi, ut Exod. 22. 1. Hinc Severus in Hiſtoria ſacra, *Si quis vitulum ſurripuerit*, i.e. bovem. Auguſtinus Locut. 4. ad locum. ET VITULUM ANNORUM SEPTEM, *Hinc manifeſtum eſt*, inquit, *quomodo Vitulos appellet Scriptura. Bos enim annorum ſeptem, ſecundùm conſuetudinem locutionis noſtræ, non eſt utique vitulus*, &c. Theodoretus Jer. 46. VITULUM ELECTUM *vocat Apin. Hic autem bos erat qui ab ipſis alebatur & adorabatur.* Rurſum Auguſtinus Quæſt. lib. 7. qu. 25. VITULOS *appellant Ægyptii boves, qui grandes ſunt, ſicut aqud nos* (Pœnos intelligit) PULLI *appellantur, galinæ cujuslibet ætatis.* Et alibi, videlicet in libris Locutionem, *In hac locutione notandum putavi eoſdem dictos* VITULOS *quos* BOVES *dixerat: ſed hoc etiam Græcum idioma eſſe perhibetur.* Lex. V. Μόσχος, *vitulus, juvencus.* ¶ Ἐν ἰσχύϊ βοῶν, בכח אלפים, *in robore boum.* Videtur legiſſe באין, h. e. Vau loco Joth. ¶ Φατνευθήσεται γέννημα, *ſaginatur ad præſepe ſtans ſoboles.* ¶ Καὶ πλῆθος, &c. *& copia proventuum in viribus tauri.*

5. יָפִיחַ. A. S. Th. ἐκφαίνει, *effert*] Ἐκφαίνει, יפיח. ¶ *Effert*: *profert, effatur.*

6. בִּקֶּשׁ־לֵץ חָכְמָה וָאָיִן. A. Ἐζήτησε χλευαστὴς σοφίαν, καὶ οὐκ ἔστιν, *Quæſivit irriſor ſapientiam, & non eſt.* Sym. Ἐζήτησε λοιμὸς σοφίαν, καὶ οὐκ ἔστιν, *Quæſivit peſtilens ſapientiam, & non eſt*] לין S. λοιμός. Proverb. 9. 12. ולצת idem, κἂν λοιμὸς γένῃ. ¶ וְדַעַת. A. S. Th. γνῶσις, *ſcientia.* ¶ נָקָל. Th. κοῦφη, *levis*, i. facilis.

7. וּבַל־יָדַעְתָּ. A. Th. καὶ οὐ μὴ γνῷς, *& non noveris.*

8. מִרְמָה. A. Th. ἐπίθεσις, *impoſtura.* Sym. δόλος, *dolus.*

9. אֱוִלִים יָלִיץ אָשָׁם. A. Th. Ἄφρονας χλευάζει πλημμέλεια, *Amentes irridet delictum.* S. Ἄφρονες ἐκχλευάζουσι πλημμέλειαν, *Amentes cavillis excipiunt delictum*] *Amentes irridet. Amentibus ludos facit*, ſive *ludificatur.* Hic *amentes* accipies in caſu quarto, & *delictum* in primo. ¶ *Cavillis excipiunt*: *ſannis excipiunt*: vult dicere *pro ludo ac joco habent.* ¶ וּבֵין יְשָׁרִים רָצוֹן. S. καὶ ἀναμέσον εὐθέων εὐδοκία, *& inter rectos benevolentia.*

10. יוֹדֵעַ מָרַּת נַפְשׁוֹ. A. Th. γινώσκει πικρίαν ψυχῆς αὐτοῦ, *novit amaritudinem animæ ſuæ.* ¶ וּבְשִׂמְחָתוֹ לֹא־יִתְעָרַב זָר. S. καὶ ἐν τῇ εὐφροσύνῃ αὐτῆς οὐ συμμιγήσεται ἀλλοτρίοις, *& in lætitia ſua non commiſcebitur alienis.*

12. אַחֲרִיתָהּ. A. Th. ἔσχατα αὐτῆς, *noviſſima ejus.* ¶ דַּרְכֵי־מָוֶת. A. S. Th. ὁδὸν ᾅδου, *viam inferni.*

13. גַּם־בִּשְׂחוֹק יִכְאַב־לֵב. Sym. Ἀλλὰ καίγε ἐν γέλωτι πονέσει καρδία, *Sed etiam in riſu dolebit cor.* ¶ וְאַחֲרִיתָהּ שִׂמְחָה תוּגָה. Schol. τὰ δὲ ἔσχατα αὐτῆς εὐφροσύνη κακή, *noviſſima ejus lætitia mala*] i.e. שמחה רעה.

15. פֶּתִי. A. θελγόμενος, *quem facile demulceas.* S. νήπιος, *infans*] *Demulceas*: aut *delinias*: ad verb. *delinitus.* Vide notata cap. 1. 4. ¶ *Infans*, ſenſu, non ætate.

17. קְצַר־אַפַּיִם. A. S. ἄφρων, *amens*] Locus ſuſpectus. In Lxx. ὀξύθυμος, *qui iras celeres habet.* Nam ὀξὺς inter alia *celer, velox.* Melior interpretatio. Hinc intelliges quid ſit, *Acuti pedes ejus ad effundendum ſanguinem*: nam in Græco ὀξεῖς, & in alia editione, *veloces pedes ejus.* ¶ אִישׁ מְזִמּוֹת. S. συμβουλευτικός, *ad conſilium dandum aptus.* Th. ἀνὴρ διαβουλιῶν, *vir conſiliorum.* ¶ יִשָּׂנֵא. Th. μισηθήσεται, *odio habebitur.*

18. נָחֲלוּ. A. S. Th. ἐκληρονόμησαν, *hæreditate poſſederunt*] אִוֶּלֶת. Schol. ἀφροσύνην, *amentiam.* ¶ יַכְתִּרוּ דָעַת. A. ἀναμενοῦσι γνῶσιν, *exſpectabunt ſcientiam.* Th. στεφθήσονται γνῶσιν, *coronabuntur ſcientiâ.*

22. הֲלוֹא יִתְעוּ. Th. ἰδοὺ πλανηθήσονται, *ecce errabunt*] *Ecce*, הא Chaldaïcè.

24. עֲטֶרֶת חֲכָמִים עָשְׁרָם. A. Th. Στέφανος σοφῶν, πλοῦτος αὐτῶν, *Corona ſapientum, divitiæ ipſorum.* ¶ אִוֶּלֶת כְּסִילִים אִוֶּלֶת. S. ἡ δὲ ἀμαθία ἀνοήτων ἀφροσύνη, *inſcitia verò amentium ſtultitia eſt.*

27. יִרְאַת יְהוָה. Φόβος κυρίου, *metus Domini.* ¶ מִמֹּקְשֵׁי מָוֶת. Sym. Th. ἐκ σκανδάλων θανάτου, *ex offendiculis mortis.*

28. בְּרָב־עָם. A. S. Th. ἐν πλήθει λαοῦ, *in multitudine populi.* ¶ בְּאֶפֶס. S. σπάνει, *raritate.*

29. קְצַר־רוּחַ. Schol. μικρόψυχος, *puſillanimis.*

30. קִנְאָה. A. S. Th. ζῆλος, *zelotypia*] Vel *invidia.* Sic interpretatur vocem Ebræam h. l. Hieronymus.

31. חֵרֵף. A. S. ὠνείδισεν, *probris affecit.* Th. ἐβλασφήμησεν, *blaſphemavit*] *Probris affecit*: vel *probro affecit*, ſive, ut Hieron. habet, *exprobravit.* ¶ וּמְכַבְּדוֹ חֹנֵן אֶבְיוֹן. S. δοξάζει δὲ αὐτὸν ὁ ἐλεῶν πένητα, *honorat autem eum qui miſeretur egeni*] Vel *inopis.*

32. יִדָּחֶה. Lxx. ἀπωσθήσεται. Schol. ἀπολεῖται, *perit.* ἐξωσθήσεται, *expelletur*] Sic etiam Hieron. ¶ וְחֹסֶה בְמוֹתוֹ צַדִּיק. A. S. Th. πέποιθεν ἐν τῷ θανάτῳ ἑαυτοῦ δίκαιος, *fiduciam habet in morte ſua juſtus.*

33. בְּלֵב נָבוֹן תָּנוּחַ. A. Th. ἐν καρδίᾳ συνετοῦ ἀναπαύσεται, *in corde intelligentis requieſcet.* ¶ תִּוָּדֵעַ. A. Th. οὐ γινώσκεται, *non cognoſcitur*] Niſi mendum in ed. Rom. adjecerunt negationem de ſuo. Nam in fonte Ebræo nulla eſt hujuſmodi negatio.

34. וְחֶסֶד לְאֻמִּים חַטָּאת. Sym. ὄνειδος δὲ λαοῖς ἁμαρτίαι, *probrum verò populis ſunt peccata*] Vel *dedecus*, i. e. חסודא in lingua Chaldæorum. Hier. *miſeros autem facit populos peccatum.*

35. רְצוֹן. A. S. Th. εὐδοκία. ¶ וְעֶבְרָתוֹ תִּהְיֶה מֵבִישׁ. Th. καὶ θυμὸς αὐτοῦ καταισχύνων, *& furor ejus pudefaciens*] i. e. Pudendus. Sic γυνὴ καταισχύνουσα, *mulier pudenda*, quæ videlicet ſe maritumque ſuum pudendis moribus pudefacit.

AMAMA.

D*Omum*] Id eſt, familiam, liberos, rem familiarem, tuetur, auget ſedulitate & bona adminiſtratione.

Deſtruit] Non ſolùm collabi & corruere eam patitur, ſed & ipſa deſtruit. Σοφαὶ γυναῖκες ᾠκοδόμησαν οἴκους, ἡ δὲ ἄφρων κατέσκαψε ταῖς χερσὶν αὐτῆς, Lxx.

הרס] Hinc eſt ἀράσσω & ῥάσσω, frango, pulſo, Et nomen הֶרֶס.

2. De ſingulorum cultu & religione ex operibus judicandum.

Timet Dominum] Timore filiali, habet in oppoſito contemptum. Ergo *timere* eſt revereri, obſervare, honorare. Etiam cum τρόμος additur. Vid. Pſ. 119.

3. *Baculus ſuperbiæ*] Præſto eſt pœna & quaſi flagellum, quo præfidentia & ſuperbia ejus retundatur. Noxii ſermones baculo comparantur, quo & aliis & ſibi officit ſtultus.

Baculus] Non virga. Duro nodo durus cuneus.

4. *Boves*] Synecd. pro operariis, & omni inſtrumento ad victum parandum neceſſario. Mihi videtur ſpecialiter loqui de agricultura quam jam aliquoties tanquam vitæ genus maximè beatum & innoxium commendavit Heſiodus inter neceſſaria rei famil. commendat βοῦν ἀροτῆρα. Veteres bobus arabant & triturabant: *Bovi trituranti non obthurabis os.*

אלף ſtuduit, indagavit & indagando invenit, didicit, unde ἄλφω invenio, אלף docuit, אלף mille, אלוף dux & bos. אלפים boves

boves. Hinc & Aleph litera Alphabeti, quod ſit dux Alphabeti. Etymol. ἀπὸ ἄλΦω, εὑρίσκω.

Præſepe mundum] Vacuum. Non eſt palea in præſepi nedum frumentum in granariis.

בר à ברר frumentum purgatum. Hinc eſt *far* Latinum. Et βρῶμα.

6. *Facilis eſt* נקל] Metaph. à rebus terreſtribus pondere appenſis ad cœleſtium rerum comprehenſionem tranſlata. q. d. Sicuti res levis ponderis facile geſtatur à robuſto, ita pio cœleſtis ſapientia ſine ulla differentia præcipitur.

7. Supra 13. 20. docuit magnum incrementum pietatis ex eo provenire ut quis cum bonis verſetur. Hic oſtendit magnum quoque pietati præſidium ſitum eſſe in eo, ut impiorum conſuetudinem averſemur.

In poſteriori hemiſt docet ſtolidum eum eſſe, cui non ſuppetant labia ſcientiæ. Ex linguæ uſu facillimè & certiſſimè petuntur pietatis & impietatis indicia.

9. *Stulti*, i. e. quiſque ſtultorum.

יליץ Alii *eleganter & facundè palliant*, מליץ Interpres, orator, מליצה Rhetorica.

Alii in ſignificatione ridendi. *Ridem peccatum*, Prov. 10. 23. Alii, *victimam pro peccato.* Illud לין quoque ſignific. Prov. 3. ללצים הוא יליץ. Vulg. *Stultus illudet peccatum.* Alii Codices, *ſtultis illudit peccatum*, *ut eſca in hamo decipit piſces.* Diabolus ut malus mercator. Jun. *Conciliat ſtultos delictum.*

10. Junius accipit ut αἴτιον ſuperioris. Malos mali amant, boni bonos, quia ita comparatus eſt ſingulorum animus, ut probet omnia, & ubi probavit, ea quæ grata ſunt adjungat ſibi, quæ ingrata, refugiat. Hic נכרי exponit *extraneum quid*, i. e. alienum, à quo abhorret animus.

Alii per ſe, mœrorem & lætitiam in animo ſitam, nec fidendum ſemper eſſe externis geſtibus, unumquemque intrinſecus ſibi eſſe conſcium.

11. Nota domui opponi Tabernaculum, humile, infirmum, exiguum. אהל Tabernaculum, domus portatilis.

12. *Eſt via*] Decipimur ſæpe ſpecie recti, tam in moribus, quàm opinionibus videndum quid S. literæ &c. Quid autem illi qui manifeſtè ſe viatores viæ latæ oſtendunt, qui pergunt inviis cordis ſui Eccleſ. 12. Contra bonam intentionem pontificiorum.

13. *Etiam in riſu*] Lætitia. Jun. hos duos verſus accipit tanquam exegeſin vel probationem ſuperioris verſus. Alii hunc verſum 13. accipiunt per ſe de eo quod communiter fit, ut quis vid. lætitiam externè ſimulans vel nitens omnibus modis animi mœrorem levare ſubinde tamen eodem redeat. Et poſtremum iſtius gaudii (ficti) eſt triſtitia. Hic iterum affixum ante nomen, ut ſupra נפשו מעל, 13. 4.

Poteſt & generaliter accipi de rerum ſummanarum viciſſitudine & inſtabilitate. Mundi gaudia fluxa & caduca: Quæramus ergo illa quæ auferri non poſſunt.

Alii ſic, Riſum, luſum ac oblectationem peccatorum excipiet tandem pœna, & extrema gaudii luctus occupabit. Loqui volunt eum de riſu improborum, qui ſimiles ſunt prædonibus, piratis, furibus & qui ære alieno ſe obſtringunt, hi quamdiu libero aëre fruuntur rident & lætantur. At ubi à Magiſtratu comprehenſi, cùm in jus vocantur, carceribus mancipantur, cùm carnifex vel cervicibus vel tergis imminet, tum demum trepidant, tunc lætitia in mœrorem & deſperationem ſæpe convertitur.

Hi in אחריתה accipiunt affixum relativè *fine ſuo*, i. e. tandem lætitia (fit) mœror.

14. *Satiabitur*) *Accipiet plenam retributionem operum ſuorum* Ezech. 33. *Unumquemque iudicabo juxta viam ſuam*, Rom. 2. Eccleſ. 12.

ומעליו] A conſortio ejus (abſiſtit) bonus. Jun. ab eo יסור vir bonus. Supra eum erit vir bonus, ſuperior honoratior. Alii aliter. Deus qui inter homines in commerciis juſtas lances & pondera exigit, multò magis ipſe in judicio ſuo hanc juſtitiam ſervabit.

15. פתי à פתה eſt πείθω. ἀπατάω. fatuus. LXX. alibi ἄΦρων. Hic ἄκακος, i. e. תמים. Male.

Pertinet 1. ad eos qui facile abduci ſe patiuntur à via recta. 2. Qui calumniatoribus & delatoribus aurem facile præbent. Bern. *Credendi facilitas eſt admodum periculoſa*, *utpote quam horribilia mala ſequuntur propenſæ ſuſpiciones*, *odia*, *inimicitiæ*, *perſecutiones.* 3. Qui omni vento opinionum ſe circumagi patiuntur, qui non probant Spiritus, ſed omnibus auſcultant.

אשרו] אשור & אש. Ezech. 27. *Ebur filia greſſuum.* In oppoſito non vult ut omnibus diffidamus, ſed de re quaque, quæ dubitationem habet, inquirit diligenter. Senec. *Neutrum faciendum & utrumque vitium eſt*, *& omni credere & nulli*

61. *Sapiens timet*] Sc. Deum. Hoc fræno continetur in officio & abſtinet à peccatis. Quod hodie tam impiè vivatur, cauſa unica eſt, quod timor Dei terras reliquerit, nec ſit amplius ante oculos hominum.

A malo] A peccato ejuſque occaſione, imò & ab omni ſpecie mali 1. Theſſ. 5. Quid ergo illi, qui quærunt occaſiones ut peccent, qui inebriant ſe ut exerta manu & excuſſo metu omnique pudore quævis flagitia deſignent.

Timorem Dei janitorem animi vocat Bern. quo ſemel excuſſo, nihil penſi amplius habemus.

Confidit] Securus eſt. Cum furore quævis Patrat, de judicio Dei ſecurus, nullas extimeſcens pœnas. Vel, quod atheus ſit, vel, quòd exiſtimet Deum non ita rigidè judicaturum, ut miniſtri prædicant, vel quod confidat ſe ad ætatem ſenilem perventurum, & cum ipſo deſeretur à vitiis ſe tunc pœnitentiam acturum & fæcem ſenectutis Deo oblaturum. His conſiderandum linque illud Luc. 21. *Multi quærent ingredi ſed non poterunt.*

17. Vir מזמות] Malarum cogitationum odio eſt. Vulg. *Verſutus.* Non ſatis exprimit. Non virtutem vitio opponit ſed confert duo vitia contraria, iram præcipitem & diu meditatam malitiam quâ aliquis injuriam diſſimulat & altâ mente reponit, quò commodius & majori cum voluptate ulciſcatur. Homer. de Agamemnone.

> Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ
> Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄΦρα τελέσσῃ
> ἐν ςήθεσσιν ἑοῖσι.

Alii in bonam partem לאיש מ' viro cogitationum: i. e. cogitabundo, circumſpectiſſimo. Malè. Nam à cap. 10. ſemper in malum.

קצר] *Kurtz, Kort*, *Curtus*, *Ketzer.*

אפים] De hoc alibi.

18. יכתירו] Coronant ſe. כתר κίδαρις, Tiara, corona, aliud à diademate.

19. De eo quod ſæpe fit. Herodes Johannem Baptiſtam, Saul Davidem, Balaam Iſraëlitas. Joſeph.

20. De eo quod ſæpe fit. Sic Prov. 19. 7.

21. De eo quod fieri debebat. Intellige pauperem qui non ſuâ ſponte pauper eſt.

חטא Jun. *futurus eſt peccator*, ut 1 Reg. 1. 21. *Ego & filius erimus peccatores*, i. e. peccato condemnabimur. Sic Gen. 1.

22. *Arantibus.* Sic 3. 29. ἀροτριᾶν ψεῦδος.

23. *Verbum labiorum*] Intellige verba vana & otioſa, quæ non ſunt juncta operi. Non damnat verba Salutaria, quamvis & illa non multum proſint, ſi vita non congruat.

> *Quis tulerit Gracchos* &c.
> *Claudius accuſat* &c.

24. *Corona Sapientum*, *divitiæ*] Pro ratione poſſeſſorum divitiæ habent vel pauciora vel plura commoda & incommoda. Divitiæ, ſi bene adminiſtrentur, ut à Sapiente, ſunt ornamentum & inſtrumentum rerum optimarum gerendarum.

Stultitia eſt ſtultorum] Etiamſi ſint ditiſſimis & multis adulatoribus ſtipati. πίθηκός ἐςι πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα.

25. *In timore Domini eſt fiducia* עז] i. e. robuſta, valida.

Et filiis ejus] Expoſitiones tres. 1. *Filiis ſuis eſt receptus*, ſc. Dominus. Sic Junius.

2. *Filiis ejus*] Timoris, vel Domini, illi habent refugium.

3. *Filiis ejus*] Timentis Sic affixa ſæpè referenda ſunt ad conjugatum præcedentis nominis. Sic Joh. 8. *Diabolus* ψεύςης *eſt ab initio* καὶ πατὴρ αὐτῦ ſc. ψεύδος.

28. רזון] Plerique Hebræi interpretantur *maciem.* Quomodò accipitur Jeſ. 10. At meliùs Princeps à רזן

30. *Vita carnium*] i. e. corporum vel corporis. *Caro* pro corpore. *Corpus* ſæpe pro homine. Vult dicere cor ſanum eſſe vitam, i. e. bonam corporis valetudinem, vel eſt heteroſis numeri. Ut αἱ δεξιαί Τὰ ἅγια, τὰ σάββατα, αἰῶνες. Cor ſanum, invidiæ expers.

Putredo oſſium] Virg.

> *Livor tabificum malis venenum,*
> *Intactis vorat oſſibus medullam.*

Invidus alterius macreſcit rebus opimis. Invidia ſeculi &c. Ovid. Metamorph L. 2. *Suppliciumque ſuum eſt.*

31. חרף hic חרף hyems & juventus. παροξύνει.

אבין Hinc eſt אבי Prov. 23.

32. ברעתו] Propter, vel in malum ſuum, impellit ſe, vel impellitur à Domino, propellitur.

33. ובקרב] Subintelligunt חכמה. Quicquid eſt ſapientiæ id mox effutitur. Stater in lagena ſonat Kis Kis, non ſi lagena plena ſit nummis.

Melius, *quod in ſtultorum medio eſt*, i. e. Stultitia קרב Cor Jer. 31. Vel, *Stultia* (quæ) *in medio* Cont. Ellipſis contrarii, Gen. 18.

GROTIUS.

1. S*Apiens mulier ædificat domum ſuam*] Auget rem familiarem. ſic ſæpè ſumitur Hebræum בנה [*ædificare.*]

9. *Stultus illudet peccatum, & inter juſtos morabitur gratia*] *Stulti excuſant* alii aliorum *peccata*, & *inter juſtos* eſt (verè ſcilicet) *benevolentia.* Idem velle atque idem nolle inter malos factio, inter bonos amicitia eſt: illos jungit vitiorum ſimilitudo: hos par honeſti ſtudium. Τελεία δ' ἐςὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων [*Perfecta amicitia ea eſt demum quæ inter bonos eſt & virtute ſimiles,*] Ariſtotel. Ethic. 8. 4.

28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*] Scriptor quæſtionum ad Orthodoxos: Πικροτάτη τιμωρία τῶν ἡμαρτηκότων βασιλέων ἡ τιμωρία τȣ̃ λαοῦ [*Acerbiſſima Regibus qui peccarunt pœna eſt pœna quam populus patitur,*] Vide 2 Samuel. 24.

30. *Putredo oſſium invidia*] *Putredo* in Hebræo nomen eſt generale, ſub quo comprehenditur & *teredo.* Menander:

Μειράκιον, ȣ̃ μοι κατανοεῖν δοκεῖς ὅτι
Ὑπὸ τῆς ἰδίας ἕκαςα κακίας σήπεται,
Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεςιν ἔνδοθεν.
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῆς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ἡ δὲ θρὺψ ξύλον.
Ὁ δὲ τὸ κάκιςον τῶν κακῶν πάντων Φθόνος
Φθισικὸν πεποίηκε καὶ ποιήσει καὶ ποιεῖ
Ψυχῆς πονηρᾶς δυσσεβὴς παραςάτης.

[*Adoleſcens, id quod res eſt non intelligis;*
Vitio ſuopte conſumuntur ſingula,
Et rei cujuſque pernicies intus latet:
Hoc eſt ferrugo ferro, ſi conſideres,
Ligno teredo, tineæque veſtibus:
Invidia verò, quod malorum peſſimum eſt,
Tabem creavit, & creabit, & creat,
Vera ſatelles animi corrupti impia.]

32. *In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem juſtus in morte ſua*] *Malitiam* hic intellige res adverſas, ut Matth. 6. 34. Nec aliud hic intelligitur *mortis* nomine; quanquam latet ſenſus ſublimior, quem Chriſtiani optimè intelligunt.

34. *Juſtitia elevat gentem, & miſericordia populorum peccatum*] Optima verſio hæc eſt: *Juſtitia exaltat gentem, & beneficentia expiatio eſt populi.* Prius comma idem eſt cum illo quod eſt in veteri oraculo Græco:

Ἀνδρὸς δ' εὐόρκȣ γενεὰ μετόπισθεν ἀμείνων.
[*Felix progenies ſanctè jurantibus orta.*]

Alterum hoc vult, operibus illis quæ non debentur, non jam dico lege naturali, ſed nec lege Moſis, quæ alioqui multa officia in populares præcepit, multa peccata expiari. Nam *expiatio* non minùs quàm *crimen* ſignificatur voce חטא. de diſcrimine vocis צדק [*æquitatis*] & חסד *miſericordiæ*] diximus quædam de Jure Belli ac Pacis 2. Cap. 14. 6. Nè idem repetamus, vide quæ diximus ad Lucæ 11. 41.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

1. V*Erbum durum*] Sunt qui exponunt עצב per כעס, q. d. *Verbum mordax & irritationis provocativum ſuſcitat iram; manſuetudine autem placantur animi hominum.*

6. *Perditioni*] Kimhi poſt R. Jonam exponit hic נעכרת pro שחתת, ſicut vertimus. Aben-Ezra verò exponit paſſivè, ut ſit ſenſus, Frumentum impii turbatur ſpinis & tribulis.

11. *Infernus & perditio*] Monet hæc ſententia Deum ubique præſentem eſſe, & æquè contemplari abditiſſima ut ea quæ ſunt apertiſſima. Quid enim magis eſt abſconditum ab oculis humanis quàm ſepulcrum & ſtatus mortuorum, qui hîc per שאול ſignificatur, & infernus, qui per אבדון ſignificatur, unde nemini ad mortales conceditur reditus? Cùm autem Deo hæc ſecretiſſima loca ſint manifeſta, quippe ubi exſerit judicium ſuum & ultionem, utique & cordis ſecreta novit, & perſpicit omnes animorum noſtrorum intimos motus.

13. *Langueſcit ſpiritus*] Quidam exponunt hîc *ſpiritum* pro *anhelitu*, quem cor mœſtum graviter trahit. Cor enim quod fons eſt vitæ & radix omnium motuum corporis, cùm aut gaudio aut mœrore afficitur, fieri non poteſt quin & in reliqua membra hic affectus derivetur.

19. *Via hominis pigri*] Cùm pigri ad viam præceptorum Dei incitantur, ægerrimè ambulant in ea, perinde ac ſi tota via ſpinis eſſet obſita, nullibi non impingentes; cùm via illa rectis tutiſſima ſit, & viam mandatorum Dei inoffenſi currant.

21. *Stultitia gaudium eſt*] h. e. Stulti gaudent in rebus peſſimis, & cùm malè fecerint jubilant & triumphant: prudentes verò aptant ſe ut ambulent per vias rectas.

23. *Quando impletur reſponſio oris ſui*] Gaudet conſiliarius quando fit aliquid juxta conſilium à ſe datum. Vel, gaudet quis quando à majori ſibi annuitur atque reſpondetur juxta votum ſuum.

25. *Statum viduæ*] Vel, *terminum viduæ conſtituit*: & eſt ſenſus, Superbos Dominus evertit; humiles autem, quales ſunt viduæ, conſervat & ſubvehit, curamque earum peculiarem habet.

27. *Qui odit dona*] Propter quæ ſcilicet pervertit judicium.

28. *Profert mala*] Non tantùm profert, ſed more inundantis aquæ יביע, ut textus habet, *evomit mala.*

30. *Lux oculorum*] h. e. Sicut pulcra ab oculis apprehenſa lætificant cor, ità fama bona quæ ſpargitur de his quos diligimus, exhilarat interiora cordis. Sunt alii qui pueriliter hunc verſiculum hoc modo exponunt, *Perſpicacitas oculorum lætificat cor, & acutus aurium auditus pinguefacit oſſa.*

31. *Auris audiens correptionem vitæ*] i. e. Auris quæ libenter ſuſcipit correptiones, quæ perducunt ad vitam futuri ſeculi, illa morabitur inter ſapientes.

VATABLUS.

1. M*Ollis* רך] *Lenis, comis, humana.* ¶ *Dolore afficiens* עצב] Ad verb. *doloris*: i. e. aſper, acerbus, aut atrox & moleſtus. ¶ *Aſcendere facit* יעלה] Hebraïſmus, pro *excitat.*

2. *Decorabit* תיטיב] Fut. Heb. pro præſ. *ornat.* Quidam vertunt *commodè*, ſive *pulcrè, utitur ſcientiâ.* Alii, *appoſitè exprimit ſcientiam.* ¶ *Loquitur* יביע] *Effutit, ebullit, fundit*: i. e. temere loqui ſolet.

4. *Sanitas linguæ* מרפא לשון] *Salubris lingua.* Alii, *Sanans lingua.* ¶ Eſt *contritio in ſpiritu* שבר ברוח] *Contritio ſpiritûs*: vel *corruptio ſpiritûs*: i. e. perturbat animum.

6. In *domo juſti eſt theſaurus magnus* בית צדיק חסן רב] In *domo juſti eſt fortitudo magna.* ¶ *Et in fructu*, &c. ובתבואת רשע נעכרת] *Et per fructum* [vel, *proventum*] *impii labefactatio*, ſub. *domûs ipſius*: i. e. per opera quæ ſunt proventus impii, labefactatur domus ejus.

10. *Correctio* מוסר] *Diſciplina, Eruditio.*

13. *Decorat* ייטיב] Ad verb. *pulcrificat.* Quidam, *exhilarat.* ¶ *Spiritus* erit *triſtis* רוח נכאה] *Spiritus* erit *remiſſus*, vel *fractus.* Quidam, alacritas *ſpiritûs frangitur*, vel *obſcuratur, retunditur, obſoleſcit.*

15. *Pauperis, mali* עני רעים] *Inſipientis, miſeri*: q. d. Tota vita inſipientium miſera eſt. ¶ *Sed jucundus*, &c. וטוב לב] *Et bonum cor, juge convivium.*

16. *Et contritio in eo* ומהומה בו] *Et turbatio* [ſive *tumultus*] *in eo*: i. e. cum quo ſit afflictio & tribulatio quædam.

17. *Melius eſt convivium oleris* טוב ארוחת ירק] *Melior eſt eſca oleris*: vel, *refectio quæ olere conſtat.*

18. *Miſcet lites* יגרה מדון] *Excitat contentionem.*

19. *Spinoſa* חדק] Ad verb. *ſpinæ.* ¶ Eſt *elevata* סלולה] Sub. *ligno* aut *lapidibus*: quaſi lapidibus ſtrata.

21. *Dirigit*, &c. יישר לכת] Fut. Heb. pro præſ. *diriget ambulare*: vel *ad ambulandum.* Infinitivus pro nomine, *dirigit viam*, i. e. rectè ambulat.

22. *Diſſipantur* הפר] Quidam Hebræorum volunt eſſe imperativum ex conjugatione Hiphil pro futuro, *Diſſipa, Confringe, Conquaſſa.* Alii, infinitivum pro futuro aut præſenti, vertentes, *Diſſipant*, ſub. *alii*, pro *Diſſipantur.* ¶ *Quando non* eſt, באין] Hebræi h. l. ב per *propterea* interpretantur, *propterea quod non ſit*, &c. ¶ *Firmantur* תקום] Fut. ſing. Heb. pro præſ. *firma eſt*: ſub. *cogitatio.*

26. *Pulcra* נעם] *Munda, jucunda.* Ad verb. *munditatis.*

27. *Qui avarè ſectatur avaritiam* בוצע בצע] Ad verb. *concupiſcens concupiſcentiam*: i. e. qui nimiùm ad rem eſt avidus, ſive inhiat pecuniis.

28. *Meditatur quod reſpondeat* יהגה לענות] *Loquitur quæ ſunt ad utilitatem.* ¶ *Loquetur* יביע] *Effundet, veluti fons.* Idem verbum quod ſuprà v. 2.

30. *Lætificat cor*, &c. ישמח לב שמועה וגו'] *Lætificat mentem*: audi-

auditus bonus requieſcere faciet os. Sing. pro plur. *oſſa.* Alii, *lætificat animum: nuncium bonum ſaginat oſſa.*

32. *Qui negligit diſciplinam* פורע מוסר] *Qui abjicit caſtigationem*, vel *correctionem.* Vel, *Qui deſerit eruditionem.* ¶ *Poſſidet cor* קנה לב] i.e. Cordatus & ſapiens eſt. *Cor* pro *ſcientia* & *ſapientia* ſæpius accipiunt Hebræi.

33. *Humilitas* ענוה] *Manſuetudo.* Quidam, *dejectio.*

CASTALIO.

15. T*Ota inopum ætas mala eſt: ſed læta mens perpetuum eſt convivium*] Paupertatis moleſtiam diſcutit mentis lætitia.

23. *Gaudet homo oris ſui reſponſo*] Scilicet docto.

27. *Qui odit dona, vivit*] Integer & minimè numarius.

33. *Gloriam præcedit modeſtia*] *Præcedit*, i.e. parit.

CLARIUS.

2. O*Rnat ſcientiam*] h.e. Pulcrè utitur ſcientiâ.

4. *Lingua placabilis*] Heb. *Sanitas linguæ*, vel *ſalubris lingua.*

11. *Infernus & perditio*] Monet hæc ſententia, Deum ubique præſentem eſſe, & æquè contemplari abditiſſima ut ea quæ ſunt apertiſſima. Quid enim magis eſt abſconditum ab oculis humanis quàm ſepulcrum & ſtatus mortuorum, qui per *infernum* & *perditionem* ſignificatur, unde nemini ad mortales conceditur reditus? Cùm autem Deo hæc ſecretiſſima loca ſint manifeſta, quippe qui exſerit judicium ſuum & ultionem, utique & cordis ſecreta novit, & perſpicit omnes animorum noſtrorum intimos motus.

13. *Dejicitur ſpiritus*] Quidam exponunt hîc *ſpiritum* pro *anhelitu*, quem cor mœſtum graviter trahit. Cor enim, quod fons eſt vitæ, & radix omnium motuum corporis, cum aut gaudio aut mœrore afficitur, fieri non poteſt quin & in reliqua membra hic affectus derivetur.

19. *Iter qui pigrorum*] Cum pigri ad viam præceptorum Dei incitantur, ægerrimè ambulant in ea, perinde quaſi tota via ſpinis eſſet obſita, nullibi non impingentes: cum via illa rectis planiſſima ſit, & viam mandatorum Dei inoffenſi currant.

21. *Stultitia gaudium ſtulto*] Lætantur ſtulti cum malè fecerint.

23. *In ſententia oris ſui*] Gaudet conſiliarius cum ſit aliquid juxta conſilium à ſe datum.

24. *Super eruditum*] Vel *ſurſum ducit eruditum*, h.e. prudentem, *ut declinet ab inferno, qui eſt deorſum.* Sic illud, *Purus ſermo*, i.e. mundorum hominum.

30. *Lux oculorum*] h.e. Sicut pulcra ab oculis apprehenſa lætificant cor, ità fama bona quæ ſpargitur de iis quos diligimus exhilarat interiora cordis.

R. BAYNUS.

1. R*Eſponſio mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem*, In Hebræo non *frangit*, ſed *reducet*, vel, *revertere faciet*, aut *retrahet*] Quotidiana docet experientia quantum momenti habeant in ſedanda vel movenda non ſolùm Regis ſed etiam cujuslibet hominis iracundia verba eorum qui ex adverſo reſpondent. *Reſponſionem mollem* vocat quæ fit verbis benignis & placidis, non ſolùm cum modeſtia prolatis, ſed etiam cum ratione & ea moderatione & honoris præfatione quæ hominem deceat quem alloquimur. *Sermo durus*] Vel, ut eſt in Hebræo, *ſermo doloris* vel *triſtitiæ*, h.e. verba quæ dolorem & moleſtiam inferunt audienti, *faciunt aſcendere furorem*, vel *iram*, inquit, aptâ admodum metaphorâ indicans iram adinſtar flammæ excitatam aſcendere, ſi quis verbis durioribus & aſperis veluti follibus ſufflet. *Mollis reſponſio*] h.e. humilis confeſſio, *iram* & vindictam Dei *avertit*, juxta ſenſum Allegoricum. Et *verbum triſtitiæ*, *verbum fatigationis* aut *doloris*, juxta varia ſignificata hujus verbi עצב. Si *verbum triſtitiæ* legas, ſermonem malum intellige, quo *contriſtatur* (ut inquit Paulus Epheſ. 4.) *Spiritus ſanctus.* Si *verbum doloris*, verbum dolore dignum & lacrymis intelligimus, quo nomen Domini blaſphematur. Hujuſmodi *excitabunt iram* & vindictam Dei.

2. *Lingua ſapientum ornat ſcientiam; os fatuorum ebullit ſtultitiam*, Vel, *emanare faciet ſtultitiam*] Juxta amphibologiam Hebraicæ dictionis poteſt verti, *Linguam ſapientum exornat ſcientia*, conſentientibus Hebræorum aliquot Rabbinis: ſed prior interpretatio eſt melior. Et linguarum donum commendatur, quo Prophetiæ & Scripturæ myſticæ explicantur. Quod munus eſt docti concionatoris, ſic Scripturas explicare ut earum ſcientia & intelligentia, quæ alioqui obſcura eſt, capi poſſit ab indoctis & illiteratis hominibus; quibus ſcientia Scripturarum quàm pulcra & bona ſit non apparet niſi per ſermonem *prudentis & fidelis ſervi, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram*, Matth 24. ¶ *Os fatuorum ebullit ſtultitiam*] Vel, *emanare faciet ſtultitiam.* Indefeſſi ſunt plerique indocti homines, præſertim hæretici, qui nunquam deſinunt ſcribendo & prædicando populum ſeducere, quod, proh dolor! hoc noſtro ſeculo (ſi quando aliàs) paſſim viſum eſt. Quorum os mirum in modum ebullit ſtultitiam, & omnium auribus ingerere ſuam impietatem ſtudent, quæ latere potuerat ſi tacere noviſſent ipſi. Poſſumus intellegere eam à Salomone laudatam eſſe eloquentiam quæ cum ſapientia conjuncta eſt & cognitione rerum; loquacitatem verò, quam indocti ſolent affectare homines, ſtultitiæ eſſe ſcaturiginem.

3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Heb. *Malos & bonos Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*, nè quis putet ſe poſſe ullo eloquentiæ ſuæ fuco illius judicium fallere, quemadmodum hominibus ſæpenumero imponunt hi quorum os ebullit ſtultitiam. Nullus eſt locus uſqueadeo ſecretus vel obſcurus quò non penetrent & clarè proſpiciant oculi Domini, ad conſolationem bonorum, & terrorem malorum. Damnat præterea Proverbium infidelium errorem, qui negant Dei providentiam & diſpenſationem. Omnia enim novit Dominus, & gubernat omnia.

4. *Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conterit ſpiritum.* Heb. *Sanitas linguæ, lignum vitæ: & perverſitas in ea, contritio in ſpiritu*] *Sanitati linguæ* opponitur *perverſitas ejus.* Et *ſanitatem linguæ* intelligimus quam *linguæ ſapientum*, quæ *ornat ſcientiam*, inducit in animas ægras. Nam nullus medicus tam neceſſarius eſt ægrotis corporibus quàm docta & pia lingua concionatorum his qui animo laborant: multos enim revocat à morte, ut meritò poſſit hujuſmodi lingua conferri cum *ligno vitæ*, cujus fructus immortalitatem largitur. Contrà, *quæ immoderata eſt*, ſive ut eſt Hebræo, *perverſitas quæ eſt in ea, contritio in ſpiritu*] h.e. Ut illa *placabilis* ſive pacifica *ſanat*, ità hæc *perverſa* integros *conterit* & confringit. Hæreticorum lingua, quæ à ſana doctrina ſemper eſt perverſa, unitatem ſpiritûs, quæ viget inter fideles, conterit & veluti in diverſas partes rumpit. Quod ad linguam boni vel mali Doctoris defleximus, locum habet ubique & in quavis hominum ſocietate. Ubique enim *linguæ perverſitas* ſpiritus & mentes amicorum diſrumpit & ſeparat; & *ſapientum linguæ ſanitas* eſt, quemadmodum cap. 12. diſſeruimus copioſius. Poteſt *contritio ſpiritûs* & *ſanitas* referri ad loquentes, ſed meliùs ad auditores.

5. *Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet*] Oſtendit hic verſiculus quâ ratione *ſanitatem* ex *lingua ſapientum* recipiant ægri, nempe per correctionem majorum. Nihil crebriùs inculcat in hoc libello quàm ut moneat patres quò diligenter caſtigent vitia liberorum, & filios quò non recuſent majorum diſciplinam: Quorum *caſtigationem* qui *recuſat* vel *ſpernit*, *ſtultitiam* ſuam manifeſtat; non aliter quàm ægrotus qui ſalubres potiones, quòd videantur amaræ, non recipit. Cæterùm qui diſciplinam & admonitiones parentum, præceptorum ſive patrum animorum libenter admittunt, & caſtigationem, ſi quid deliquerint, æquo animo tolerant, faciłè prudentes evadunt. Obſerva ſapientiam, aut ſaltem primum gradum ad ſapientiam, in recta majorum caſtigatione & morum integritate conſiſtere. Si cœleſtem Patrem intelligamus, *qui caſtigat omnem filium quem recipit*, ſenſus erit ſublimior.

6. *Domus juſti plurima fortitudo, & in fructibus impii conturbatio.* Heb. *Domus juſti theſaurus multus, & in proventu impii conturbatur*] Ad ſenſum perficiendum ſupplenda ſunt quædam verba, ſic, *Domus juſti habet theſauros multos*: Vel, *In domo juſti eſt multus theſaurus; &*, ſup. *domus impii, per proventum conturbatur.* Si per *theſaurum* opes intelligamus juſtis laboribus partas, quæ recondi & diu ſervari in familia juſti, & à patre ad filios & nepotes transferri ſolent, non erit abſurda interpretatio. Tamen proventus & opes quas per rapinam aut alioqui injuſtè colligit impius, non ſolùm non proſunt illius nepotibus, ſed etiam nonnunquam familiam illius perturbant; dum de hæreditate litigant hæredes. Aliter, *In domo juſti fortitudo*, ſive *robur multum*: nam utrumque ſignificat vox Hebræa חסן: & ſenſus erit, Juſtitiam, non opes, dare vires ad tolerandas adverſitates, quibus domus juſtorum fortiter reſiſtit. ¶ *Familia verò impiorum ſtatim conturbatur*] Senſus magis univerſalis erit ſi de illis intelligamus theſauris de quibus Chriſtus Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo ubi neque ærugo neque tinea demolitur.* Nam eleëmoſynis & bonis operibus plena ſunt pectora omnium domeſticorum in familia juſti, ſed *in fa-*

milia impii eſt perturbatio. In Hebræo poteſt נעכרת *conturbatur* vel *eradicatur* referri vel ad *proventum* vel ad *domum*: q. d. Proventus impii non durat, ſed ſtatim diſſipatur: vel, Domus impii turbatur tantò magis quantò uberior proveniat illi annona, dum liberiùs peccat quò magis divitiis abundat. Proverbium oſtendit opes juſtis fore materiam virtutis, impiis verò vitiorum fomenta.

7. *Labia ſapientum diſſeminabunt ſapientiam: cor ſtultorum diſſimile erit.* Heb. *Cor ſtultorum non erit rectum*] Vel, *non ſic*, ut cum noſtro Interprete conveniat verſio. Apoſtolorum tempora & hæreticorum reſpexiſſe videtur Salomon, dum ex lingua ſapientum & inſipientum tanta bona & mala provenire oſtendit. Per univerſum orbem ſparſerunt Euangelicam doctrinam Apoſtoli, juxta illud Pſ. 19. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Sic in h. l. *diſpergere* potiùs dicit quàm *ſeminare*, ut majorem copiam ſignificet & plenitudinem ſcientiæ undique defluentis à labiis ſapientum Doctorum. Sed *cor ſtultorum, cùm rectum non ſit*, h. e cùm malè credant ſtulti, non eſt quòd quiſquam ab eorum labiis ſanam doctrinam exſpectet. Aliter, *Cùm cor ſtultorum non ſic*, vel *diſſimile ſit*, neque reſpondeat animus ſtulti & affectus huic ſcientiæ, non ità videtur ſtultis hominibus, ſup. *quòd labia ſapientum diſpergant ſcientiam.* Aliter, *Labia ſapientum ſpargent ſcientiam*, *in corda* ſup. *hominum: ſed cor ſtultorum non ſic erit*, ſup. *promptum ad diſcendum ſcientiam.*

8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia.* Heb. *Oratio rectorum voluntas ejus*] *Infidelibus*, inquit Paulus Tit 1. *nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia.* Proverbium indicat Deum reſpicere cor & conſcientias hominum, non externa opera ſolùm: Deum præterea non placari velle ſumptu vel pompâ quæ ſolet fieri in ſacrificiis, & quæ hodie Judæi libenter facerent ſi permitterentur: ſed pro omnibus illis victimis & ſacrificiis unicum ſacrificium & puras Chriſtianorum preces acceptare. Vel per *ſacrificia impiorum* eleëmoſynas intelligimus, & quæcunque opera in ſpecie bona quæ ex malè partis rebus fieri ſolent. In ſecunda particula conſolatur pauperes & tenuioris conditionis homines; qui, tametſi opera miſericordiæ præſtare egentibus non poſſint, nec eleëmoſynis redimere peccata, tamen in puris ad Deum precibus & confeſſione veniam peccatorum conſequuntur & voluntatem Dei implent.

9. *Abominatio Domini, via impii: qui ſequitur juſtitiam diligitur ab eo*] Opponit *amorem abominationi.* Lubrica eſt vita carnis, & *in multis offendimus omnes*; neque *Dominus vult mortem peccatorum*; ſed cùm quis ad tantam improbitatem pervenerit ut aſſiduus ſit in malo & conſuetudinem peccandi contraxerit, eum exſecratur Dominus, ut cujus via & ſtudium eſt impietas. Sed quorum ſtudium eſt *ſectari juſtitiam* & veluti fugientem inſequi, is inquam, & ipſe juſtitiam facit, & ut alii faciant ſtudet, *amabitur à Domino*: quo ſolo amore omnia bona quæ cogitari poſſunt aſſequitur: juxta illud, *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcepi vobis*, Joh. 15. Omnia, inquam, bona amor Divinus comprehendit; omnia verò mala, *abominatio Dei*: hæc *improbis*, ille verò *ſectantibus juſtitiam* contingit, ut jam portentoſus ſit error eorum qui negant humanos actus habere præmium aut ſupplicium.

10. *Doctrina mala deſerentium viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.* Heb. *Diſciplina* (vel *caſtigatio*) *mala deſerenti viam: qui odio habet increpationem, morietur*] Lxx. ſubaudiunt aliquid, *οἱ δὲ μισοῦντες ἐλέγχους τελευτῶσιν αἰσχρῶς*, *qui odio habent reprehenſiones morientur turpiter. Caſtigationem* vel *correctionem* potiùs quàm *doctrinam* ſignificat מוסר. Sunt qui recedunt à viis præceptorum Dei tanquam gravibus, quærentes libertatem carnis, vel etiam à ſemitis virtutum quas patres contriverunt, tanquam diſciplinam nimiùm auſteram continentibus: ſed hos *durior* manet *diſciplina & correctio.* Nam *jugum Domini ſuave eſt, & onus leve* Matth. 11. Secunda pars verſiculi ferè eundem exprimit ſenſum, *Qui odit caſtigationem* in hac vita, *morietur*, & poſt hanc vitam ad *duram* illam & intolerabilem veniet *correctionem* quæ meritò *mala* dicitur, quia neque finem habet, neque fructum diſciplinæ ſecum affert. Aliter, *Qui odit caſtigationem & increpationem patris, poſt mortem caſtigatio mala erit illi, qui relinquit ſemitam tutam.* Hebræi aliquot ſic, *Morietur ante tempus ſuum, in pœnam quòd diſciplinam patris reliqueris*: nam, *honora patrem, ut ſis longævus ſuper terram*, Eph. 6. Aliter, *Qui relinquit ſemitam bonam, fuit illi mala diſciplina*; non fuit caſtigatus neque tempeſtivè correptus à parentibus. Aliter *Qui deſerit ſemitam bonam*, vel mandatorum Dei, vel Eccleſiaſticæ regulæ, *caſtigatio mala*, h. e. dura, eſt neceſſaria illi, & graviter corripiendus eſt: *quam correptionem* ſive *reprehenſionem quicunque oderit* & admittere noluerit, *morietur* in peccato ſuo.

11. *Infernus & perditio coram Domino; quantò magis corda filiorum hominum?*] Aben-Hezra hunc verſiculum connectit cum ſuperiore ad hunc modum, *Dominus, in cujus conſpectu eſt infernus & perditio, h. e. cui nihil eſt abſconditum, probat cogitationes & corda filiorum hominum qui relinquunt vias diſciplinæ & odio habent caſtigationem, & dabit mercedem illis, ut moriantur ante diem ſuum, & deſcendant ad infernum & perditionem*: hæc ille. Sunt ex Hebræis qui שאול exponunt *ſepulcrum*, גיהנם *gehennam*. Levi Ben Gerſon intelligit *infernum* per SCHEOL, quem dicit *eſſe in centro terræ. Et vocatur*, inquit, שאול, *quæ vox Sepulcrum ſignificat, quòd profundus & infimus ſit locus.* Timorem incutit Salomon his qui deſerunt vias rectas, quaſi poſſint latere & fallere oculos Dei, qui etiam ſecretiſſima clarè vident. Nam *in omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos*, ut modò lectum eſt.

12. *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.* Heb. *Non amabit illuſor ſe corripientem, nec ad ſapientes ibit*] Superiore capite vocem Hebræam לץ vertit Interpres *deriſor*, cum aliis interpretibus conſentiens; hoc in loco ſecutus eſt Lxx. qui *peſtilentem* vertunt cùm alibi tum in primo Pſalmo, *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Tamen hoc in loco ἀπαίδευτος, *indoctus* à Lxx. vertitur. Apud Hebræos duas ſignificationes habet לץ, *deridere* & *interpretari*. Quòd ſi *interpretari* in malam partem accipiamus, vicina ſunt hæc duo ſignificata, nimirum *deridere* & *malè interpretari* ſive *eludere correptiones & admonitiones ſalubres.* Et hic propriè *illuſor* eſt & omnium peſſimus, ut qui neque ex ſe rectè facit, neque bene monentibus auſcultare novit, & ob id ad bonam frugem non perveniet. Ipſe *ad ſapientes non ibit*] Quatenus ab illis diſcat ſapientiam. Porrò quis eum corripiat, malam gratiam rependit, maliginè interpretatur, & proinde facilè non inveniet qui curam illius agat. Hujus rei quotidiana occurrunt exempla. Salubrem diſciplinam ante omnia amplectendam eſſe docet Salomon in hoc paſſu.

13, 14, 15. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi dejicitur ſpiritus. Cor ſapiens quærit doctrinam, os ſtultorum paſcitur imperitiâ. Omnes dies pauperis mali, ſecura mens quaſi juge convivium.* Heb. *Cor gaudens commendabit* (vel *bonum faciet*) *vultum, ſed in dolore cordis ſpiritus frangitur. Cor ſapiens quæret ſcientiam, ſed vultus ſtultorum paſcet ſtultitiam. Omnes dies paperis mali: cor bonum* (ſive *latum*) *convivium juge*] Hos tres ſic connectunt Hebræi; Cor eſt principium vitæ & potentiarum animæ: & proinde habitus *cordis* paſſim in reliquo corpore ſeſe oſtentat, præſertim in *vultu*, qui vehementer *commendatur ex lætitia cordis*: verùm *in dolore* vel potiùs *propter triſtitiam cordis ſpiritus* vitalis *eſt contritus* & mœſtus, ut non poſſit homo vacare ſtudiis & *inveſtigationi ſcientiæ*; id quod *cor prudens* ſolet facere. Ad ſapientem igitur ſpectat eſſe animo tranquillo, non corde mœſto ſed alacri, ut nullam habeat triſtitiam de rebus hujus mundi. Nam is tandem idoneus eſt ad inveſtigandam ſcientiam prudenti homine dignam, ad quam *ſtulti* non attingunt, cùm cor habent inſipiens & rebus mundanis dolens: verba *ſtultitiæ* habent *in ore* ſemper, quaſi hujuſmodi ſermonibus viverent & *paſcerentur*. Et proinde miſeram agunt vitam *pauperes*, non divitiis ſed ſcientiâ pauperes, qui ſunt per univerſam vitam in triſtitia & ſolicitudine. Sic Levi Ben Gerſon. Aliter, *Omnes dies pauperis ſunt mali* opinione vulgi, qui magnam partem felicitatis in divitiis collocat: ſed oculi Domini qui omnia contemplantur, aliter judicant; nempe feliciores eſſe pauperes divitibus, eò quòd animo ſint magis tranquillo; ut ſequitur, *Secura mens*, ſive, ut eſt in Hebræo, *Cor bonum*, h. e. lætum, quod incumbit ſcientiæ Divinæ, curam rerum mundanarum contemnens, *eſt quaſi convivium continuum*, h. e. quaſi lætus recumberet in convivio comedens & bibens, & prægustans illud convivium de quo loquitur Chriſtus, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo*, Luc. 22.

16. *Melius eſt parùm cum timore Domini quàm theſauri magni & inſatiabiles.* Heb. *Quàm theſaurus multus in quo eſt perturbatio*] Quod ſuperiùs dixerat, *Omnes dies pauperis mali*, indicat non eſſe intelligendum ſimpliciter de tenuitate facultatum, ſed quemadmodum expoſuimus: Nam quod ad opes ſpectat, *melius eſt habere parùm cum timore Domini*, quod intelligunt Hebræi de rebus bene acquiſitis, *quàm theſauros multos cum tumultu*, ומהומה בו, *& tumultus in eo*, ut eſt in Hebræo, h. e. per rapinam & injuriam congeſtos. Quamvis ſimpliciter rectè dixeris, juxta præcedentia fieri non poſſe ut hi, qui opibus quacunque ratione congregandis ſtudent animo ſint læto. Docet Proverbium felicitatem non eſſe in copia divitiarum in quibus ſemper eſt turba & tumultus, in quibus ferè deficit timor Domini, qui tranquillum reddit animum.

17. *Melius eſt vocari ad olera cum charitate quàm ad vitulum cum odio.* Heb. *Melius eſt convivium oleris*] Nè quis

quod

quod dictum eſt ſuperiùs de *convivio perpetuo* ſic accipiat ac ſi laudaret Sapiens opiparas menſas & compotationes crebras, quaſi gauderent in hujuſmodi ſapientes, explicat quid potiſſimùm ſpectandum ſit in conviviis celebrandis, nimirum Charitas & Dilectio. In *oleribus* frugalis menſa, in *vitulo ſaginato*, ſive שור אבוס in *bove præſepis*, ut eſt in Hebræo, lautitiæ intelliguntur. Multi divitum menſis varietate ferculorum inſtructis gaudent intereſſe, ubi magnâ ambitione & odio laboratur, dum certant inter ſe quis diviti principi potiſſimùm placeat. Hoc vitium corrigere, & tales ad meliorem mentem revocare conatur Sapiens, docens ſectandam eſſe Charitatem, quâ meliùs piæ pingueſcunt animæ quàm corpus cibis lautioribus. Hebræi ſic intelligunt quaſi admoneret Sapiens patresfamilias, ut primam Dilectionis curam inter domeſticos habeant, & quantâ concordiâ liberos educarent, non quàm lautam menſam inſtruant. Nam de *vocatione* ad convivium in Hebræo nulla eſt mentio: ſed LXX. ſecutus eſt Interpres, apud quos Latinè ſic legitur, *Melior eſt vocatio ad convivium olerum ad amicitiam & gratiam*, Græcè verò ſic, ξενισμὸς λαχάνων πρὸς φιλίαν.

18. *Vir iracundus provocat rixas, qui patiens eſt mitigat ſuſcitatos.* Heb. *Vir iracundia miſcebit lites, ſed tardus ad iram ſedabit rixam*] Quod autem inter delicias frequenter naſcantur odia & lites, hominum vitio fit, non rerum. Sunt enim aliqui impatientes & qui facilè & de re minima iraſcuntur & alios ad iram provocant; & ſunt rurſus uſqueadeo alieni ab hac perturbatione, ut non ſolùm ipſi non iraſcantur, ſed etiam alios ad quietem revocent & lites ceſſare faciant. Hujuſmodi convivas vult Sapiens nos amare; reliquos verò, qui ſeminant diſcordias in conviviis, declinare. Continet Proverbium laudem longanimitatis, & damnat eos qui alienam pacem perturbant.

19. *Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum; via juſtorum abſque offendiculo.* Heb. *Via rectorum ſtrata*] *Piger* ſemper accipitur pro *improbo*, inquit Aben-Hezra, præſertim in hoc loco, ubi opponitur *rectis* & *juſtis*, qui magnam facilitatem inveniunt in via virtutum, in qua non poſſunt errare, ſed quaſi in *via ſtrata & ſublimi* incedùnt, jam habitum (ut loquuntur Philoſophi) habentes. Mali autem maximam difficultatem inveniunt ad bene beateque vivendum, quibus facilis & amœna videtur via vitiorum; via verò virtutum aſperrima, in qua veluti inter *ſpinas* incedere videntur. Vide ut omnia non naturâ rerum ſed ſuo deſiderio metiuntur improbi. Aben-Hezra ſic exponit, *Pigro apparet quod ſua via & conſuetudo circumdata ſit ſpinis, ut ab ea recedere non poſſit.* Prior expoſitio eſt melior. Proverbium ſignificat pigrum eſſe inutilem ad omnes res gerendas, ſive quæ ad animi ſive quæ ad corporis ſalutem ſpectant.

20. *Filius ſapiens lætificat patrem, & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam*] Expoſuimus hunc verſiculum in principio decimi capitis, qui eiſdem ferè verbis illic occurrit. De *filio ſapiente* & ſtudioſo major *lætitia* redit ad *patrem*, qui non ſolùm novit meliùs ſed etiam mejùs æſtimare poteſt ea quæ cum laude geruntur à filio: quamvis mater non eſt expers lætitiæ quâ pater gaudet de probitate filii, ſicut nec pater immunis triſtitiæ quam concepit *mater* de *filio ſtulto*, præſertim cùm ætatem virilem attingens perſeverat in ſtultitia ſua: major tamen ignominia ſequitur matrem, ad quam potiſſimùm ſpectat teneram formare ætatulam. Aliter, Qui ſine diſciplina educatur à matre in deliciis, ubi ad ætatem pervenerit virilem, matri non obtemperabit, ſed illius verba deſpiciet, ut pura malè inſtitutus in infantia.

21. *Stultitia gaudium ſtulto & vir prudens dirigit greſſus ſuos.* Heb. *Stultitia lætitia deficienti corde, & vir intelligentia diriget ad ambulandum*, vel *ambulando*: ſubauditur *ſeipſum*, vel *cor ſuum*, aut *greſſus ſuos*] *Deſpicere matrem*, ut ſuperiore dictum eſt verſiculo, inſignis eſt ſtultitia, cùm magna pars ſapientiæ & legis rectè vivendi à matre ſtatim infantibus inſtillari ſoleat. Et hinc Sapiens, *Non dimittas legem matris tuæ.* Et tamen ſtulti homines nonnunquam in hoc ſibi placent quòd matrem deſpiciant, & hæc *ſtultitia illis pro gaudio* ſive *joco habetur.* Sed his *cor deficit*, ut eſt in Hebræo, vel *carent corde*: h. e. non ſolum ſapientiâ carent, verum etiam viâ & modo quibus ad ſapientiam pervenitur. Aliter, *Qui gaudet ſtultitiâ*, & lætatur cum malè fecerit, alienus eſt à ſapientia, ut putà cui *cor deficit*, præcipuum receptaculum ſapientiæ. Is valde diſſimilis eſt *viro intelligenti*, qui parentibus obediens, intelligentiam per bonam diſciplinam nactus, *ſeipſum dirigere* novit, *ad ambulandum* & progrediendum in via virtutis. Proverbium docet, Alieniſſimos eſſe à ſapientia qui gaudent malè facere, neque unquam eò perventuros ut vitam ſuam rectè moderentur.

22. *Diſſipantur cogitationes ubi non eſt conſilium; ibi verò ſunt plures conſiliarii, confirmantur*] Senſus eſt, Neminem ſatis ſapere, ſed unumquemque, quantumvis prudens ſit, egere conſilio. *Vir intelligens diriget ſe ad ambulandum*, ut dictum eſt, ſed tamen prudens non eſt qui ſibi nimium fidit. Variæ ſuboriuntur cogitationes, quæ niſi bono conſilio tanquam fundamento innitantur, aliis ſupervenientibus evaneſcunt. Aben-Hezra connectit cum ſequente verſiculo. Dictio Hebræa סוד, i. e. *fundamentum*, quandoque pro *conſilio* accipitur, ut ab Interprete; quandoque pro *ſecreto*. Et erit ſenſus, *Cogitationes diſſipantur cùm non ſit ſecretum*, quaſi moneret Sapiens, Nè ſtatim palàm facias quibuſlibet quicquid deſtinaveris; nam ità fiet ut cogitationes tuæ diſſipentur: ſed conſiliariis fidelibus ſecretas cogitationes tuas debes exponere, & maturè de ſingulis deliberare.

23. *Lætatur homo in ſententia oris ſui, & ſermo opportunus eſt optimus*, vel, *verbum dictum in tempore ſuo quàm bonum?*] סוד *fundamentum* & *conſilium* ſignificat, ut diximus, quòd conſilium veluti rei bene gerendæ fundamentum ſit: ut jam non multum referat ſive *fundamentum* ſive *conſilium* reddatur. Et ſenſus erit prioris verſiculi, quòd ab aliis facile *diſſipantur cogitationes* quas concipimus *ſi non ſit ſolidum conſilium* cui innitamur: ſed per *conſiliarios ſtabilietur* cogitatio illius qui conſilium accipit: & *erit lætitia viro* (ut in hoc verſiculo habemus) qui dedit conſilium, ubi venerit *reſponſio oris illius*: *& verbum* conſilii *quod veniet in tempore ſuo quàm bonum*, his qui conſilium acceperunt? h. e. utrique valde gratum eſt opportunum conſilium, ut *malum conſilium conſultori peſſimum.*

24. *Semita vitæ ſupra eruditum, ut declinet de inferno noviſſimo.* Heb. *Semita vitæ ad aſcenſionem* (ſive *gradum ſuperiorem*) *intelligenti, ut declinet de inferno inferiore*] Duplex eſt ſenſus; vel quòd via vitæ ſurſum ducat, ad cœleſtem vitam Angelorum; vel quòd tendat ad honorem, & ducat prudentem ad dignitates inter homines. Prior intelligentia, quæ melior eſt, pendet à præcedenti loco, ubi de duplici via dictum eſt, *pigri* videlicet & *rectorum*, quarum hæc *ſtrata* & *complanata* eſt, ut facilis ſit inambulatio in illa, quantumvìs difficilis videatur pigris: Utriuſque exitum hoc in loco deſcribit, interim innuens viam illam rectorum non carere ſuâ fatigatione, præſertim infirmis, juxta illud Euangelii, Matth. 6. *Arcta eſt quæ ducit ad vitam.* Altera declivis eſt & facilis, quæ tendit ad inferos, & omnibus obvia. Sed *ſemita vitæ* non omnes ducit *ad gradum ſuperiorem*, ut eſt in Hebræo; ſed *prudentes* ſolum. Alii ſuam jactent ſeu ſapientiam ſeu intelligentiam; noſtro Salomoni ſapientiſſimo ſumma & rara *prudentia* eſt, *tenere ſemitam vitæ, quæ tendit ſurſum, & declinare facit ab inferis.* Alii, ut dixi, per viam virtutum volunt prudentes viros facilius ad honorem pervenire & ad longævam vitam, h. e. declinare à ſepulcro, facilius, inquam, cæteris; & hoc eſſe præmium prudentiæ.

25. *Domum ſuperborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ*] *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.* Viduâ deſolatâ & derelictâ nihil eſt humilius; & proinde peculiariter viduarum judex & vindex eſt Deus, quarum non ſolum reliqua bona ſervat, ſed etiam extremos agrorum *terminos* tuetur. Si *Dominus ædes ſuperborum deſtruat*, quid integrum illis relinquit? Ad terrorem ſuperborum & potentium, ad conſolationem verò humilium, ſcriptum eſt à Sapiente. Et bene reſpondet priori verſiculo ut poſſimus diſtinguere inter *gradum ſuperiorem ſapientis* viri & elationem ſive faſtum *ſuperborum.* Pro *demolietur* verti poteſt *exſtirpare ſolet Dominus domum*: ut ſit ſenſus, *Nullum relinquet ex familia ſuperborum*: *ex familia verò viduarum*, h. e. humilium, *ſtabiliet etiam infimos & poſtremos.* Et hæc eſt melior expoſitio.

26. *Abominatio Domini cogitationes malæ, & purus ſermo pulcerrimus firmabitur ab eo.* Aliter, *Abominationes Domini cogitationes malæ, & mundorum ſermones jucundi, pulcri* (vel *puri*) *ſunt ſermones decoris*] Quid eſt quod *exſecratur & abominatur Dominus? Cogitationes mali hominis*, ex quibus omnia mala proveniunt. Et quid eſt *jucundum* & *pulcrum* in oculis Domini? *Sermones caſti & nitidi*, qui optimarum cogitationum ſunt indicia. q. d. Ubi malæ ſunt cogitationes, neque verba pulcra neque facta honeſta poſſunt eſſe. Cæterum ſi *verba ſunt pura*, h. e. ubi tantum abſunt à vitiis ut *nè nominentur quidem, ſicut decet ſanctos*, Epheſ. 5. ibi *puritas* magna eſt & *decus*, hoc enim נעם ſignificat, quæ vox *pulcerrimus* redditur ab Interprete. Poteſt ad bonos & malos Doctores referri, quorum hi, cum cogitationes & ſtudia referunt ad malam doctrinam, exſecrabiles ſunt; illorum verò ſermo purus ab omni ſcoria, decorus eſt, juxta illud Eſa. 52. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium bona, annunciantium pacem!* Proverbium ſignificat, Non ſolum factorum ſed verborum etiam & cogitationum reddendam eſſe rationem.

27. *Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.* Heb. *Qui avarè ſectatur avaritiam*] Hebræi eos qui ex rapina vivunt intelligunt: qui aliquando depre-

prehenſi pœnas luunt & multantur cum confuſione domeſticorum & ſubverſione totius familiæ. Id enim frequenter uſuvenit Judicibus per avaritiam corruptis & rectum judicium ſubvertentibus, in ruinam multarum domorum; quibus aliquando remetietur eadem menſura. Cæterùm Judex *qui odit munera*, neque ullum pretio innocentem perdit, dignus eſt qui diutiſſimè *vivat*. Mihi videtur ex ſuperiore verſiculo pendere, & contra malos Paſtores vel Concionatores proferri, qui *à majori ad minorem omnes avaritiæ ſtudentes* Jer. 6. ſuas ſubvertunt Eccleſias. Cæterùm *qui odit munera*, h. e. non temporalis lucri cauſâ gregem Chriſti paſcunt, ſemitam vitæ ſequuntur; & ut vitâ digni ſunt, ita multos ad vitam ædificant. Aliter, Perpetua fama vivet in his quos per bonam doctrinam vivere docuit: ut *vita* familiæ reſpondeat *perturbationi* familiæ. Mira diſpenſatio! Apud imperitum vulgus nihil magis ſtabilire poteſt domum & familiam quàm opes & divitiæ, ſed longè alia eſt ſententia Sapientis.

28. *Mens juſti meditabitur obedientiam, os impiorum redundat malis.* Aliter, *Cor juſti meditabitur ad reſpondendum, ſed os impiorum loquetur mala*, vel *abundabit malis*] Varia ſignificatio hujus verbi ענה reddit ambiguam verſionem: ſignificat enim *reſpondere*, *humiliare* & *negotiari*. Juxta primam ſignificationem *cordatum ſermonem* commendat *juſtorum*, *loquacitatem* verò *malorum* reprehendit, qui modum ponere neſciunt. Metaphora tracta à fluminibus aut fontibus, qui nunquam deſinunt ſcaturire. Duplici nomine ſuam ſtultitiam oſtendunt, cùm neque bene loqui neque tacere queant. Juſtorum verò *præmeditata* ſunt verba & *manſuetudinem* ſive *humilitatem* ſonant, juxta ſecundam verbi ſignificationem. Juxta tertiam verò, quam cum ſuo patre ſequitur D. Kimhi, erit ſenſus, *Cor juſti meditabitur loqui cum negotio & rerum pondere, non ſine fructu verba effutire*; ut reſpondeat priori verſiculo, ubi dictum eſt, *Verba rectorum cum decoro & amœnitate rerum*, ut aliquid utile proferant. Nam *de omni verbo otioſo reddent rationem homines*, Matth. 12.

29. *Longè eſt Dominus ab impiis, & orationes juſtorum exaudiet*] Duos priores verſiculos de Judicibus bonis & malis, ſive Juriſconſultis, qui judicia bona vel ſtatuunt vel ſubvertunt, bene intelligit Aben-Hezra, atqui illis hunc tertium quaſi coronidem ſubnectit, utrorumque dignam mercedem continentem; Juſti Judices, qui ad querelas oppreſſorum aures præbere ſolent, ſimilem gratiam à Domino viciſſim conſequentur: *ab auxilio* verò *impiorum & ab oratione eorum longè recedit Dominus*; juxta illud infrà 28. *Qui obturat aurem ne audiat Legem, oratio illius erit exſecrabilis.* Aliter, *Quàm longiſſimè eſt Deus à cordibus impiorum, quorum ora malis deſluunt & ſcaturiunt ſermonibus; & benignè exaudit orationes juſtorum, qui meditantur omnibus modis corda habere humilia.* Aliter, *Longè eſt Dominus ab oratione impiorum*, quaſi præ diſtantia non poſſit audire, *ſed orationem juſtorum audit*; nam *propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Aliter, Proverbium ſignificat, Bonos habere præmium in hac vita, & improbos ſupplicium; graviſſimum eſt enim Dei præſentiâ carere. Cæterùm Deum ſic habere benignum ut quicquid petieris ſtatim impetres, felicitatis eſt infinitæ.

30. *Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat oſſa*] Si externis rebus, quæ ſenſus oblectant, *anima* quoque vires recreantur, & ſi quæ *oculis lux* percipitur ad præcordia deſcendit, & *bona fama* quæ per auriculas ingreditur *medullam oſſium* & ſanitatem corporis augeat, quod etiam Phyſicâ ratione verum eſſe conſtat; quantò magis Chriſtus Lux & Sol hujus mundi, qui tandem poſt ſecula multa *exortus eſt ſedentibus in tenebris & umbra mortis* Eſa 9. & qui viſus & *converſatus eſt cum hominibus*, tandem credentium corda læta effecit? & *optima fama* quæ de illo per orbem ſeminata fuit *impinguavit oſſa* humiliata, h. e. vires collapſas inſtauravit, penetrans ad intima cordis & animæ. Sed hæc ſecundùm Allegoriam. Tropicè per *lumen oculorum* Fidem intelligimus, quâ corda purgata læta efficiuntur; per *oſſa*, virtutis conſtantiam. Juxta ſenſum Hiſtoricum Proverbium ſignificat, Imprimis referre quid videamus vel quid audiamus; nam ea quæ per hos duos ſenſus percipiuntur maximum habere momentum ad virtutes & vitia.

31. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur*] Poſt acceptam *lucem* quæ illuminat omnes homines, & fide purificat corda credentium per *bonum auditum*, h. e. Euangelium, *Cùm accepiſſetis*, inquit Paulus, *à nobis verbum auditûs Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum*, 1 Theſ. 2. ſupereſt ut *auris* quoque *audiat increpationes vitæ*, quibus vita caſtigatur, vel quibus ad vitam faciliùs pervenitur Euangelicam, is tandem dignus eſt qui *inter ſapientes*, qui *domum ſupra petram ædificaverunt* Matth. 7. *commoretur*. Aliter, De eo *qui audit increpationes vitæ* meritò dicetur quòd *inter ſapientes commoratus eſt* & ex illis ſapientiam didicerit. Quod nos ad Euangelicam ſapientiam deflectimus, Hebræi ad Legalem trahunt, alioqui ſimpliciter ad quodcunque tempus referri poteſt, ſicut id quod ſequitur.

32, 33. *Qui abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. Timor Domini diſciplina ſapientiæ; & gloriam præcedit humilitas*] Quàm ad amuſſim refellit Sapiens hoc in loco eos, qui caſtigationem & diſciplinam rectè vivendo nolunt eſſe neceſſariam in Euangelico ſapiente! nam qui vitam caſtigare nolunt, ſed lucem Euangelicam & verbum Dei ſufficere clamant, non ſolùm ſalutem *animæ ſpernunt*, cujus vita in caſtigatione conſiſtit, ſed etiam quàm alieniſſimi à ſapientia eſſe monſtrantur, cùm nihil *cordis* aut intelligentiæ *poſſideant*, & à *timore Domini* ſint alieni, quod eſt *Principium ſapientiæ*. Eſt etiam *timor Domini diſciplina* illa quæ à *ſapientia* procedit. Ubicunque timor Domini regnat, juxta præceptum ſapientiæ, mores caſtigantur: nam *timor Domini expellit peccatum* Eccl. 1. quod dum agnoſcimus, humiliamur pœnitentes. Et *omnis qui ſe humiliat exaltabitur*. Et *Chriſtus humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, & propterea exaltavit eum Deus*, Phil. 2.

LUCAS BRUG.

28. MEns juſti meditabitur [*meditatur* 12. MS.] *obedientiam*] Pro *meditabitur* MSS. noſtra emendatiora, cum duobus Pariſienſium præſtantiſſimis exemplaribus, & Dionyſii Richelii commentariis, præſenti tempore *meditatur* legunt. Atque id congruit alteri hujus ſententiæ parti, *Os impiorum redundat* [*redundabit* 1 MS.] *malis*. Futuri temporis verba, quæ Hebraïcè leguntur, per præſens tempus aptiſſimè Interpres expoſuit.

Eſt altera hoc loco varietas, quâ *ſapientiam* alii ſcribunt, quod alii *obedientiam* legunt. Septem Hentenii Manuſcripta, & quatuordecim noſtra, cum Regis & Quentelii editionibus, & Carenſis enarratione, *ſapientiam* habent, antiqui Epanorthotæ codices & ex noſtris 14. *obedientiam* ſcribunt. Utramque lectionis varietatem alia quinque ex noſtris antigraphis indicant. Hebraicè eſt לב צדיק יהגה לענות; quod plerique hodie interpretantur, *Cor juſti meditabitur ad reſpondendum.* Cum hac interpretatione non malè convenit iſti lectioni, *Mens juſti meditabitur ſapientiam.* Juſtus enim interrogatus meditatur quomodo ſapienter reſpondeat. Hinc Pariſienſes, ex Complutenſi editione, *ſapientiam* emendarunt. Porrò autem non eam quæ Hebraïcè eſt vocem interpretatus eſt, ſed id ſolum quod ſubauditur Interpres reddidit, ſi ejus hæc germana eſt verſio. Verùm aliud loquuntur ſpectatiora Manuſcripta: ea enim conſtanter ſcribunt, *Mens juſti meditabitur obedientiam.* Atque hoc ipſi Hebraïcæ voci reſpondet. ענה namque ut *reſpondere* ſignificat, ità & *humiliari*, atque hinc *obedire*: unde illud, Eccleſ. 10. 19. *Pecuniæ obediunt omnia.* לענות igitur, quod ad verb. eſſet *ad obediendum*, dilucidiùs expoſuit Interpres *obedientiam*, quæ & Lyrani, Richelii atque Arborei eſt lectio. Nam ex Beda nihil liquet. Eſt igitur loci incorrupta & genuina ſcriptura, *Mens juſti meditatur obedientiam.* Depravationem conrigiſſe exiſtimaverim, ex illo huic ſimillimo Pſalmi 36. verſiculo 30. *Os juſti meditabitur ſapientiam*: qui eò ſcriptoribus notior fuit, quòd in divino Catholicæ Eccleſiæ officio inter Sanctorum encomia frequentetur. Unum ex D. Hunnæi Manuſcriptis, G appellatum, legit, *Mens juſti meditabitur juſtitiam*; nempe id ſcriba convenientius eſſe judicavit. Cæterùm non longè à Græca interpretatione recedit, quæ hujuſmodi eſt, [Baſil. anni 50.] καρδία [καρδίαι Vat. Ald. Arg.] δικαίων μελετήσει [μελετῶσι, Vat.] πίστιν, *Cor juſtorum meditabitur fidem*; vel, ut in Regia eſt editione, καρδίαι δικαίων μελετῶσι πίστεις. Similis eſt Chald. Paraphraſis, לבא דצדיקא יאנא [דאני] בהימנותא, *Cor juſti meditabitur in fide.*

DRUSIUS

1. מַעֲנֶה־רַּךְ. Sym. Ἀπόκρισις ἁπαλή, *Reſponſio mollis.* Th. Ἀποκρινόμενοι τρυφερῶς, *Qui reſpondent delicatè*] Mollis, ità Hieron. ¶ וּדְבַר־עֶצֶב. LXX. λόγος δὲ λυπηρός. A. σκληρὸς, *durus.* Sym. θρασὺς, *audax.* Th. πονικὸς, *moleſtus*] *Durus*, ſic etiam Hieron.

2. יַבִּיעַ. A. Sym. ἀναβλύει, *ſcaturit.*

4. מַרְפֵּא לָשׁוֹן. A. προσηνὴς γλῶσσα, *benigna lingua*] *Lenis, placida, mitis*; aut *jucunda, ſuavis.* Hieron. *lingua placabilis.* LXX. ἴασις γλώσσης, *ſanitas linguæ*, i. e. lingua ſana.

5. יִנְאַץ. Schol. διασύρει, *obtrectat*] Pſal. 10. 3. נאץ. Alius, παρώξυνε. Alius, διέσυρε, *detractavit.* Prov. 1. 30. נאצו. A. διέσυρον.

διέγυρον. Sym. Th. *παρώξυνον*. 2 Sam. 12. 14. נאצת. A. *παρώξυνας*, *acerbaſti*, *exacerbaſti*. ¶ תוכחת. A. *ἐλέγχες*, *redargutiones*] i. e. תוכחת aliis vocalibus.

7. יְזָרוּ דָעַת. Sym. *φυλάσσουσι γνῶσιν*, *cuſtodiunt ſcientiam*] יצרו *παρὰ τὸ* נצר. ¶ לא־כן. Schol. *οὐχ οὕτως*, *non ſic*.

8. יְשָׁרִים. A. S. Th. *εὐθέων*, *rectorum*.

10. רַע לְעֹזֵב אֹרַח. Schol. *Πονηρὸν τῷ καταλιπόντι ὁδὸν*, *malum derelinquenti viam*.

11. נֶגֶד. Sym. *ἐνώπιον*, *coram*. Th. *ἐναντίον*, *ex adverſo*, *coram*.

12. לֵץ. Sym. *λοιμὸς*, *peſtilens*] Prov. 14. 6. לץ. A. *χλευαστής*. Sym. *λοιμός*. 9. 12. Sym. *λοιμός*. Pſalm. 1. 1. לצים. Lxx. *λοιμῶν*.

14. יִרְעֶה אִוֶּלֶת. Sym. *ποιμαίνει ἀνομίαν*, *paſcit iniquitatem*] Ἀνομία propriè *vita exlex*. אולת magis denotat *ἀφροσύνην*. Sed ſenſum expreſſit. Nam ut *ſtultus* vocatur homo improbus, i. e. *μωρόκακος*, ità in his libris *ſtultitia* nihil aliud eſt quàm injuſtitia & improbitas.

15. כָּל־יְמֵי עָנִי רָעִים. Sym. *πᾶσαι αἱ ἡμέραι τοῦ πτωχοῦ πονηραί*, *Omnes dies pauperis mali ſunt*. ¶ וְטוֹב־לֵב מִשְׁתֶּה תָמִיד. Idem, *ὁ δὲ εὔθυμος ὡς ἐν πότῳ διαπαντὸς*, *qui verò bonum ac latum animum habet*, *eſt velut in perpetuo convivio*.

17. מִשּׁוֹר אָבוּס. Th. *ὑπὲρ βοῦν σιτευτὸν*, *ſupra bovem ſaginatum*.

18. יְגָרֶה. A. *ἐρεθίζει*, *proritat*, *laceſſit*. Sym. *ἀγρίζει*, *irritat*, ſive *irritat*.

19. עָצֵל. A. Th. *ὀκνηρῶν*, *pigrorum*. ¶ דֶּרֶךְ עָצֵל כִּמְשֻׂכַת חָדֶק. Sym. *ὁδοὶ ὀκνηροῦ ὥσπερ φραγμὸς ἐξ ἀκάνθης*, *via pigri ut ſepimentum ex ſpina*, i. e. ſpineum. ¶ יְשָׁרִים. A. S. Th. *εὐθέων*, *rectorum*.

20. בּוֹזֶה. Sym. *ἐκφαυλίζει*, *vilipendit*.

21. אִוֶּלֶת שִׂמְחָה לַחֲסַר־לֵב. Sym. *Ἀφροσύνη χαρὰ τῷ ἐνδεεῖ φρενῶν*, *Amentia gaudium eſt carenti præcordiis*] i. e. mente. Sunt qui *φρένες* propriè *mentem* ſignificare tradant, qui *νοῦν* & *διάνοιαν* appellant.

22. הָפֵר מַחֲשָׁבוֹת בְּאֵין סוֹד. Th. *Διασκεδάζονται λογισμοὶ μὴ ὄντος συμβουλίου*, *Diſſipantur cogitationes abſque conſilio*. ¶ וּבְרֹב יוֹעֲצִים תָּקוּם. A. S. Th. *καὶ ἐν πλήθει συμβουλευόντων σήσεται*, *& in multitudine conſulentium ſtabit*] *Conſultorum*, vel *conſiliariorum*. ¶ *Stabit*: *ratum erit* quod cogitabit aut in deliberationem veniet. Omnia conſilio rectè aguntur: ſine conſilio nihil rectè fit.

26. טְהֹרִים. Sym. *ἁγναί*, *caſti*. Th. *καθαραί*, *mundi*] *ſermones*, vel *caſta*, ut *verba* ſubintelligantur.

27. עֹכֵר בֵּיתוֹ. Schol. *ταράσσει οἶκον αὐτοῦ*, *turbat domum ſuam*. ¶ בֹּצֵעַ בָּצַע. Sym. *ὁ πλεονεκτῶν πλεονεξίαν*, *qui plus habendi cupiditate tenetur*, *avarus*.

30. מְאוֹר־עֵינַיִם. A. *Φωςὴρ ὀφθαλμῶν*, *lumen oculorum*. Sym. *Φωτισμὸς*, *illuminatio*] *Φωςὴρ* vulgò *luminare*. ¶ תְּדַשֶּׁן. Sch. *λιπαίνει*, *pinguefacit*.

31. אֹזֶן שֹׁמַעַת תּוֹכַחַת חַיִּים בְּקֶרֶב חֲכָמִים תָּלִין —— Ὁ *εἰσακούων ἐλέγχους ζωῆς*, *ἐν μέσῳ σοφῶν αὐλισθήσεται* —— *Audiens redargutiones vitæ*, *in medio ſapientum diverſabitur*.

33. וְלִפְנֵי כָבוֹד עֲנָוָה. S. Th. *καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραΰτης*, *& ante gloriam manſuetudo*.

A M A M A.

4. מרפא, Sanitas, ſalubritas linguæ.

Perverſitas in ea] Id eſt, ejus.

שבר ברוח] *Contritio in Spiritu*, adducit confractionem in Spiritum, i. e. animum. Meliùs רוח *ventus*. Eſt velut confractio à vento, vel (quæ fit) vento. ב abl. inſtrumenti. R. Sal. *à vento orientali*, qui ſolet eſſe vehementiſſimus. Cùm ſcriptura minatur pœnam vehementiſſimam, ſolet memorare ventum Orientalem. Jer. 18. 17. ברוח קדים אפיצם. Pſ. 48. 8. *Confracti ſunt vento orientali*, *qui confringit naves Tarſis*.

5. Docet inſtructionis & caſtigationis applicatione vel abjectione internoſci probum ab improbo.

6. חסן] Robur, theſaurus, divitiæ, ut & חיל. Jeſ. 23. 18. לא יאצר ולא יחסן, *non reponetur nec recondetur*. Synonyma.

At in proventibus impii נעכרת] Eſt conturbatio. Particip. pro nomine. Alii, *in proventibus impii*, ſupple, eſt proventus, *qui conturbetur*. Jun. *conturbatur ex ſe proventus impii*. Docet ſtabilem poſſeſſionem eſſe tantum rerum juſtè partarum.

7. לא כן] 1. Non ſic. 2. Non rectum. 3. Spargit (quod) non eſt rectum.

Summa, à bonis bona, malis mala intus & foris abunde provenire.

8. *Sacrificium*] Quantumvis ſolennis & ſumptuoſa cultus divini oſtentatio Deo eſt abominatio: At juſtorum internam orationem audit.

Sub ſacrificio comprehendit omnes ceræmonias & ritus externos quos ab interna devotione & vera fide ſequeſtratos Deus odit, Jeſ. 1. Pſ. 50. Mich. 6. Deus cor requirit. Itaque impiis tribuit externum aliquid, piis internum.

10. מוסר רע] 1. Caſtigatio mala, ſc. imminet ei, qui &c. 2. Correctio mala eſt deſerenti &c. i. e. moleſta eſt. Sic Ebræi יסורים קשים.

Semitam] Sub. rectam. Sic luna (alba) uxor (bona) vel ſubaudi Domini. Sic *ὁδός*. *λόγος*. דבר.

11. *Infernus*] Summa, Abditiſſima quæque nuda & reſupina eſſe coram Domino. Per שאול Hebræi hic intelligunt ſepulchrum, per *Abaddon*, Gehennam.

אף כי] Quanto magis. Vide ſupra. LXX. *πῶς οὐχὶ καὶ*, *quomodo non*.

Corda] Jer. 17. 9. *Fraudulentum eſt cor hominis ſupra omnia*, *quis cognoſcit illud? Ego Dominus ſcrutator cordis*, *probator renum*. Hic Act. 1. 24. *καρδιογνώςης*.

12. לץ. Vulg. *Peſtilens*. Sic Pſ. 1. 1. במושב לצים *in Cathedra λοιμῶν*, *peſtilentium*, *peſtium*, *λοιμὸς* enim Metaphor. ſignificat quoque hominem peſtilentem. At ibi Vulgatus, *peſtilentiæ*. Male.

13. נכאה] Non à כאה unde Pſ. 109. נכאה לב, ſed נָכָה, unde nomen נָכֶה percuſſus, נכה רגלים *percuſſus pedibus* & נכת רוח, fœmin. נכאה non נכה. Pſ. נכאים & נכים.

14. ופני] Maſſ. 16. ſunt ubi Nun יתיר.

15. *Pauperis*] Suâ ſorte non contenti.

משתה] Sub. ב. Vel læti animo ſc. dies. Dies *τῆς εὐφραίνοντος καρδίας*. Animus ſibi conſcius bene & ſua ſorte contentus.

ארחות] Propriè cibus qui paratur ad iter faciendum, viaticum, commeatus, ab ארח via. Hic pro quocunque, ut שלחים dona, propriè miſſilia vel xenia.

ירק] Toar, viridis, virens. Ponitur pro olere, i. e. omni herba שהיא מאכל האדם quæ eſt eſui hominibus. Gen. 1. ירק viriditas.

משור אבוס] Sub. כארחת.

אבוס] Altilis, ſaginatus, vel præſepiatus, ad præſepe incluſus. 1 Reg. 4. ברברים אבוסים aves barbaricæ altiles.

18. יגרה *miſcet*] גרה miſcere, tantum de præliis & contentionibus, ut Lat. *miſcere prælia*, *miſcere ac concitare certamina*, Ciceroni.

G R O T I U S.

8. *Victima impiorum abominabiles Domino*] Plato Alcibiade 2. Οὐ γάρ, οἶμαι, τοιοῦτόν ἐςι τὸ τῶν θεῶν, ὥςε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιςήν· ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς εὐήθη λόγον λέγομεν, ἀξιοῦντες Λακεδαιμονίων ταύτῃ περιεῖναι. καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχήν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ. πολλῷ μᾶλλον, οἶμαι, ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας, ἃς οὐδὲν κωλύει πολλὰ μὲν εἰς θεούς, πολλὰ δ' εἰς ἀνθρώπους ἡμαρτηκότας, καὶ ἰδιώτην καὶ πόλιν ἔχειν ἀν' ἕκαςον ἔτος τελεῖν. οἱ δέ, ἅτε οὐ δωροδόκοι ὄντες, καταφρονοῦσιν ἁπάντων τούτων, ὥς φησιν ὁ θεὸς καὶ θεῶν προφήτης. κινδυνεύει γοῦν καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι δικαιοσύνη τε καὶ φρόνησις διαφερόντως τετιμῆσθαι. [*Neque enim exiſtimo tale diis eſſe ingenium ut donis ducatur*, *quomodo ſolent mali creditores*; *ſed & nos rem ſtultam dicimus cùm per eam rem volumus eſſe Lacedamoniis ſuperiores. Res enim eſſet dura*, *ſi ad dona & victimas noſtras ſpectarent dii*, *& non ad animam*, *id eſt*, *an quis juſtus ſanctuſque ſit. Imò verò*, *ut ego arbitror*, *multò magis illi reſpiciunt*, *quam ſpecioſos ludos & ſacrificia*, *multa quidem Diis*, *frequenter verò etiam hominibus hallucinatis fieri ſolita*, *qua facile quotannis exhibere poſſunt tam civitates quàm privati. At dii*, *ut qui non ſint donis ineſcabiles*, *contemnunt talia*, *ut ait Deus & Deorum Propheta. Videtur ergò apud deos & apud homines mente praditos juſtitia & prudentia maximum obtinere honorem.*]

11. *Infernus & perditio coram Domino*] Ea quæ dicuntur eſſe *ἐν ᾅδου*, [*in inferno*,] quia oculis noſtris non apparent, tamen Deo ſunt conſpicua.

16. *Melius eſt parum cum timore Domini*, *quàm theſauri magni & inſatiabiles*] Hinc ſumtum videtur illud Pauli 1 Tim. 6. 6. Ἔςι δὲ πορισμὸς μέγας εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας, [*Eſt autem quaſtus magnus pietas cum ſufficientia.*] Vide infrà 16. 8 & 17. 1.

17. *Melius eſt vocari ad olera cum charitate*, *quàm ad vitulum ſaginatum cum odio*] In Hebræo ad verbum ſic: *Melius convivium oleris & dilectio ibi*, *pra bove ſaginato & odium ibi*. Illa & *ibi* ſunt pro *ubi*. Olerum cœna pauperum eſt.

Ὡς κῆτον τεθνυκὼς δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα.
Ἦν ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλυς, θρίδακες, πράσα, βολβὸς,
Ὤκιμον, ἡδύοσμον, τήγανον, ἀσπάραγος.
[*Convivas, hortum quaſi ſacrificaſſet, Apelles*
Excipit: an ſolas forte vocavit oves?
Ponit enim mentam, lactucas, ocyma, bulbos,
Intubaque & raphanos, allia & aſparagos.]
Contrà *bos* aut *vitulus ſaginatus* inter optimas epulas. Lucæ 15.23.

23. *Lætatur homo in ſententia oris ſui: & ſermo opportunus eſt optimus*] *Et* pro *at*. Senſus eſt, *Facilè quilibet ſibi placet ob ea quæ dixit; ſed illa verè bene dicta ſunt, quæ dicta ſunt*, ἐν καιρῷ, [*in tempore.*]

24. *Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet de inferno noviſſimo*] In Hebræo: *Via vitæ ad ſuperna* (ſupple *tendit*) *intelligenti, ut deflectat ab inferno qui ſubter eſt.* Id eſt, Homo ſapiens in omnibus actionibus ſuis Deum reſpicit, ut à periculo ſervetur.

27. *Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera vivet*] *Vivet*, id eſt, florebit. Heſiodus:
Οὐδέποτ' ἰθυδίκαισι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ,
Οὐδ' ἄτη· θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται.
Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον· οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας·
Εἰροπόκοι δ' ὄιες μαλλοῖς καταβεβρίθασι·
Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν·
Θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές.
[*Nunquam dira fames juſtos cladeſque ſequuntur,*
Sed celebrant lætis convivia feſta diebus.
Terra illis fruges glebâ parit ubere; glandes
Quercubus in ſummis, mediis examina pendent;
Incedunt pecudes veſtita vellere multo;
Laudatur ſimili generoſa puerpera prole:
Largaque cuncta fluunt illis bona.]
Poſtea verò:
Ταῦτα φυλασσόμενοι, βασιλεῖς, ἰθύνετε μύθους,
Δωροφάγοι, σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπιπάγχυ λάθεσθε.
Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας,
Καί νυ τάδ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει
Οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.
[*His moniti, Reges, queis ſumere dona fuit mos,*
Parcite judiciis curvis, edicite recta.
Lædere ſe ſolet ipſe alios qui lædere quærit;
Qui malus eſt aliis ſæpe eſt ſibi peſſimus ipſi.
Omnia conſpiciens oculus Jovis, omnia curans,
Hæc, ſi vult, quæ dico videt bene, nec fugit ipſum
Qualia nunc noſtram reddantur jura per urbem.]

33. *Timor Domini, diſciplina ſapientiæ: & gloriam præcedit humilitas*] *Humilitas* hîc modeſtiam ſignificat. Gloria fugientem ſequitur. Hebræam lectionem qualem nos habemus ſecutus hîc eſt Interpres, non Græcorum qui vertunt ἀποκριθήσεται αὐτῇ, [*reſpondebit ipſi,*] ab ענה, quod eſt *reſpondere*. Tum verò & capita apud Græcos in hoc libro diſtincta aliter, & multæ ſententiæ aut omiſſæ aut additæ, ut in Eclogis fieri ſolet, quæ cauſa eſt cur & eædem ſententiæ in hoc libro diverſis in locis inveniantur poſitæ, quia ad plures quaſi titulos referri poterant.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. IN *poteſtate hominis ſunt*] Heb. *Hominis ſunt ordinationes cordis.* Quem locum quidam Hebræorum ſic exponunt, *Non ſatis eſt concipere aliquem ſermonem in corde, ſed opus eſt etiam Dei auxilio, ut illum ore depromas.* Alii ſic exponunt, *Poteſt quidem homo varia excogitare conſilia, quid ſcilicet loquatur aut quid faciat, ſed nihil poteſt citra Dei auxilium perducere in effectum. Deo enim annuente, conſilia noſtra fiunt felicia & actiones noſtræ bonæ. Ipſe ponderat ſpiritus, & interiores cordis videt affectus, videtque peccatum ubi nos nullum advertimus. Rogandus igitur eſt ut ipſe fortunet & dirigat omnia noſtra, interiora & exteriora.*

4. *Omnia operatus eſt propter ſe*] h. e. Propter gloriam ſuam, *etiam impium*: cùm enim illum ducit *ad diem malum*, alii homines, qui Dei vident judicium, dicunt, *Juſtus Dominus, & recta via ejus.*

5. *Manus contra manum*] Quidam hunc locum ſic interpretantur, *Illico ultio ſumetur de eo.* Aben Ezra verò ſic exponit; *Manus Dei erit contra hominem qui uſus eſt manu prædatrice, ſumetque ultionem de eo. Qui autem pietatem erga proximum exercet, & veram atque inconcuſſam cordis fidem tenet erga Deum, hujus iniquitati propitiabitur Deus.*

7. *Hoſtes ejus reconciliat ei*] h. e. Non perpetuò ſinit eum ſubjacere malis hominibus, etiamſi ad tempus eum probet. Sunt qui hunc verſiculum exponunt de carnis deſideriis, quæ in homine Deo grato premuntur, etiam ſi non omnino in hac mortali vita exſtinguantur.

10. *Divinatio in labiis Regis*] h. e. Tam juſtus, verax & firmus debet eſſe Rex in judicio ac ſi oracula proferret. Aben-Ezra accipit hic קסם pro דבר גזור *re decreta & inevitabili*, quale dicit eſſe fatum ſtellarum: ſic tam firmiter adhærere debet veritati. Quidam ex noſtris ſic exponendum cenſent, *Civiles ordinationes ſunt Dei ordinationes; ideo ſi quis eas violaverit, non evadit impunitus.*

11. *Libra & trutina*] Senſus eſt, Decretum Domini eſt ut libra & ſtatera juſtæ ſint, & facultates certis diſtribuantur menſuris. Opus autem ponderationis ſitum eſt in lapidibus ſacculi, ut illi juſti ſint in pondere & menſura.

21. *Dulcoratio labiorum*] h. e. Qui ſuavibus verbis alios docet, huic adjicitur ſapientia & eruditio: & qui in commiſſo talento fidelis fuerit, dignus erit ut plus accipiat. Eandem ferè habet ſententiam tertius abhinc verſus, *Favus mellis ſunt verba jucunda*: h. e. Verba à ſapiente placidè audientibus inculcata ſunt dulcia quaſi mel: convertunt enim animas, & aſſerunt *medelam oſſibus*, h. e. tollunt חליי הכרות הפחותות *morbos peſſimorum vitiorum.*

26. *Os ejus*] *Mors enim & vita ſunt in manu linguæ*, ut infrà dicitur. Eſt autem ſenſus, Homo qui habet os perverſum, in perpetua erit miſeria. Et capitur אכף pro גרם *occaſionem præbere.* Sunt etiam qui hunc locum exponunt de labore manuum, qui omnibus hominibus impoſitus eſt, ut ſudore vultûs acquirant neceſſaria vitæ. Et tunc verſus eſt ſic reddendus, *Anima* hominis *laborantis laborat ſibi, eò quòd os ejus adhoc adigat eum.*

27. *Effodit malum*] h. e. Ex profundo cordis producit malum, excogitat & machinatur malum, & non ex infirmitate tantùm humana ruit in malum. Et mala ſic excogitata virulentâ linguâ & labiis igne infernali accenſis in proximi profert perniciem.

28. *Disjungit ducem*] h. e. Avertit Dominum à proximo ſuo. Quidam accipiunt אלוף pro *marito*, quem peſſimi homines ab uxore ſeparant.

29. *Vir iniquus*] Vel, *vir raptor.*

30. *Obſtinatos tenet oculos*] h. e. Uſque adeò intentum eſt cor impii cogitationibus malis, ut attonitis ſit oculis, neſciatque quid exterioribus agat membris.

33. *In ſinum projicitur ſors*] Quæ nobis ex eventu & à caſu accidere videntur, horum rationem Deus tenet. Unde frivolum eſt dicere quòd ſors projecta moderetur per מערכה *influentiam aliquam cæleſtem*, cùm nihil fiat in rerum natura ſine certa ordinatione Divina.

VATABLUS.

1. P*Ræparationes* מערכי] *Diſpoſitiones, ordinationes*: i. e. in mente ſua deliberat. ¶ *Reſponſio* מענה] *Sermo, locutio.*

2. *Sed qui ponderat* ותוכן] *Sed qui diſponit.*

4. *Operatus eſt* פעל] Præt. Heb. pro Præſ. ¶ *Propter ſeipſum*, &c. למענהו וגם רשע ליום רעה] *In rem ſuam: & etiam impius decidet* [vel *peribit*] *in die mala.*

5. *Manus ad manum* יד ליד] Vide ſuprà 11.21.

6. *Redimetur* יכופר] *Expiabitur*, vel, *removetur.*

7. *Pacatos reddet ei* ישלם אתו] *Coget pacem inire cum illo: conciliat ei.*

8. *Abſque jure* בלא משפט] i. e. Vi extorta, & cum iniquitate.

9. *Excogitat viam ſuam* יחשב דרכו] *Deliberat de via ſua.*

10. *Divinatio*, &c. קסם וגו'] Subauditur כ Similitudinis, Velut *divinatio* eſt *ſuper labia Regis: in judicio non mentitur os ejus.* q. d. *Mera prophetia eſt Regis ſermo*, vel *divinus & verax: in judicio mentiri non ſolet os ejus*: h. e. rectè judicat. Fut. Heb. pro præſ.

11. *Judicii, Jehovæ* משפט ליהוה] *Judicii* [i. e. juſtæ,] ſunt à *Jehova*, ſub. *præcepta*. Vel, *juſta* ſint *propter Jehovam*, i. e. quia ipſe præcepit. Alii, *judicium Jehovæ ſunt.*

¶ *Omnia*

¶ *Omnia pondera crumenæ* כל אבני כיס] Ad verb. *omnes lapides marſupii.* Vide ſuprà 11. 1.

12. *Confirmabitur* יכון] Fut. Heb. pro præſ. *confirmari ſolet Regnum.*

13. *Diligunt* יאהב] Sing. Heb. pro plur. aut expone, *diligere ſolet.*, nempe quiſque è Regibus. Alii, *& qui loquitur recta, diliget*, ſive *diligit*, ſub. *hos Reges.* Alii activum pro paſſivo eſſe volunt, *diligetur.*

14. *Removebit eam* יכפרנה] *Expiabit illam*, aut, *placabit illam.*

15. *Cùm illuxerit facies Regis* באור פני מלך] *In luce vultûs Regis.* Alii, *In hilaritate vultus.* Alii, *Serenus vultus.* ¶ *Et benevolentia ejus* ורצונו] *Et favor ejus*, *voluntas*, *beneplacitum*, *gratia.*

18. *Ante contritionem* לפני שבר] *Præcedit calamitatem*, ſive *comminutionem.*

19. *Humiliari ſpiritu cum humilibus* שפל רוח את ענוים] *Dejici animo cum manſuetis*, vel *pauperibus.*

20. *Intelligens rem* משכיל על דבר] i. e. Qui prudenter rem tractat. Alii, *Qui prudens eſt in verbo.*

21. *Intelligens* נבון] *Prudens.* ¶ *Addit* יוסיף] *Augebit: auctiorem reddet.* Fut. Heb. pro præſ. ut quidam vertunt.

22. *Intelligentia* שכל] *Doctrina*, *eruditio*, *intellectus.* ¶ *Domino ſuo* בעליו] *Habenti illam.*

24. *Dulcia* נעם] Ad verb. *pulcritudinis*, aut *elegantiæ*, ſive *elegantia:* i. e. ſermo elegans & jucundus. ¶ *Dulcedo animæ, & ſanitas oſſibus* מתוק לנפש ומרפא לעצם] *Qui* favus, eſt *dulcis guſtui*, *& medela oſſibus*, i. e. corpori.

25. *Eſt via*, &c. יש דרך ישר לפני איש] Vide eundem verſum ſuprà 14. 12.

26. *Anima laborantis*, &c. נפש עמל עמלה לו] *Homo laborans laborat ſibi:* i. e. ob ſuam neceſſitatem laborat homo: *quia adigit eum os ſuum*, quod poſtulat ab eo eſcam. De labore manuum loquitur, qui omni homini imperatus eſt, ut ſudore vultûs acquirat neceſſaria vitæ. ¶ *Incurvat ſe ei* אכף עליו] *Innititur ſuper eum.*

27. *Impius* בליעל] *Nihili*, ut ſuprà 6. 12. ¶ *Fodit* כורה] *Inquirit*, ut qui fodiendo quærunt aurum. ¶ *Et labiis ſuis* ועל שפתיו] *Et ſermo ejus.*

28. *Principes* אלוף] Sing. Heb. pro plur. aut verte, *à Principe.*

29. *Seducit proximum ſuum* יפתה רעהו] *Blandis verbis allicit ſocium ſuum.*

30. *Claudens oculos ſuos* עצה עיניו] Per periphraſim exprimit geſtus mali hominis. Qui enim (ut annotant Hebræi) clauſos habet oculos, intentiùs attendit ad rem quam cogitat, quia mens ejus huc & illuc non diſtrahitur. Chald. *Innuens* [vel *demonſtrans*] *oculis ſuis*, *cogitat perverſa.* Quidam vertunt, *Qui obfirmat oculos ſuos*, &c.

31. *Gloriæ* תפארת] *Decoris*: i. e. ornatiſſima.

33. *Judicium ejus* משפטו] *Jus ejus*, vel *ratio.*

CASTALIO.

1. H*ominis eſt mentis compoſitio, ſed à Jova eſt linguæ reſponſio*] Homines deliberant, ſed Jova decernit. Vide v. 9. & cap. 19. 21.

12. *Impiè agere, Regibus eſt invíſum*] Scilicet veris & juſtis, alioqui non tam Reges quàm tyranni dicendi ſunt.

26. *Qui laborat, ſibi laborat, quippe quem ſuum cogit os*] Cibi neceſſitas.

CLARIUS.

1. H*ominis eſt animam præparare*] Quidam Hebræi ſic exponunt, *Non ſatis eſt concipere aliquem ſermonem in corde, ſed opus eſt etiam Dei auxilio, ut illum ore depromas.* Alii ſic, *Poteſt quidem homo varia excogitare conſilia, quid ſcilicet loquatur, aut quid faciat; ſed nihil poteſt cura Dei auxilium perducere ad finem. Deo enim annuente conſilia noſtra ſunt felicia, & facta noſtra bona: ipſe ponderat ſpiritus, & interiores cordis videt affectus; videtque peccatum, ubi nos nullum advertimus. Rogandus igitur eſt ut ipſe fortunet & dirigat omnia noſtra, interiora & exteriora:* iccirco addit, *Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.*

4. *Univerſa propter ſemetipſum*] h. e. Propter gloriam ſuam, *etiam impium*: cùm enim illum ducit *ad diem malum*, alii, qui Dei judicium cernunt, dicunt, *Juſtus Dominus, & rectæ viæ ejus.*

5. *Manus ad manum*] Superiùs hunc Hebraïſmum explicuimus.

7. *Inimicos quoque ejus*] h. e. Non perpetuò ſinit eum ſubjacere malis hominibus, etiamſi ad tempus eum probet. Sunt qui hunc verſiculum exponant de carnis deſideriis, quæ in homine Deo grato premuntur, etiamſi non omnino in hac mortali vita exſtinguantur.

10. *Divinatio in labiis Regis*] h. e. Tam verax & firmus debet eſſe Rex in judicio ac ſi oracula proferret.

11. *Pondus & ſtatera*] h. e. Decretum Domini eſt ut libra & ſtatera juſtæ ſint, & pondera, quorum opus ſitum eſt in lapidibus ſacculi, ut illi juſti ſint in pondere & menſura.

21. *Dulcis eloquio*] Qui ſuavibus verbis alios docet, huic adjicitur ſapientia & eruditio: & qui in credito ſibi talento fidelis fuerit, dignus erit qui plus accipiat.

22. *Eruditio poſſidentis*] Prudentia in iis qui eam habent.

26. *Anima laborantis*] Intelligunt de labore manuum, qui omnibus hominibus mandatus eſt, ut in ſudore vultûs acquirant neceſſaria vitæ. Ait autem *os ſuum compellere eum*, quia ſcilicet opus habet cibo. Alius vertit, *Anima ignavi hominis moleſtat eum, eò quòd os ejus occaſionem præbet ei:* ut ſit ſenſus, Homo qui habet os perverſum in perpetua erit miſeria, ad quam os ejus impellet eum.

27. *Fodit malum*] h. e. Ex profundo cordis producit malum, excogitat & machinatur malum, & non ex infirmitate tantùm humana ruit in malum. Et mala ſic excogitata virulentâ linguâ & labiis tartareo igne accenſis in proximi profert perniciem.

28. *Separat Principes*] Vel, *Principem* ſeu *Ducem*; h. e. avertit Dominum à proximo ſuo. Quidam accipiunt pro *marito*, quem peſſimi homines ab uxore ſeparant.

30. *Attonitis oculis*] Uſqueadeò intentum eſt cor impii cogitationibus malis, ut attonitis ſit oculis, neſciatque quid exterioribus agat membris. Poteſt etiam ſic verti, *Claudit oculos* (vel *Annuit oculis*) *impius*, *ut cogitet rem perverſam.*

33. *Sortes mittuntur in ſinum*] Quæ nobis ex eventu & caſu accidere videntur, horum rationem Deus tenet.

R. BAYNUS.

1. H*ominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Aliter, *Hominis ordinationes* (aut *præparationes*) *cordis, & à Domino reſponſio linguæ*] ערך *diſponere*, *ordinare*, & *aciem inſtruere* ſignificat. Sunt qui putant Proverbium indicare quod vulgò dicitur, *Homo proponit, Deus diſponit.* Sapiens hoc in loco Gratiam Dei cum Libero hominis arbitrio conjungit. Nam *hominis eſt*, h. e. vires ſunt homini, ſive à Deo accepit vires homo, *ordinandi & diſponendi apud ſe cogitationes ſuas*, quid dicturus ſit, *ſed bene proferendi facultas*, & loquendi aliquid ad laudem Dei vel utilitatem proximi, *à Domino eſt*, *à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendit*, Jac. 1. Sed cùm Paulus dicat, 2 Cor. 3. *Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis*, obſervandum eſt Sapientem non dicere, *Hominis eſt digne cogitare*; ſed *diſpoſitiones* quædam qualeſcunque *cordis ad hominem ſpectant*, nè dicamus cum hæreticis, Deum non aliter abuti humanâ voluntate quàm opifex aliquis inſtrumento ferreo aut ligneo ſolet. Aliter, Significat Proverbium *difficilius eſſe doctam habere orationem, & proferre cum gratia auditorum*, quod Demoſthenes primum, ſecundum, & tertium dixit eſſe in oratore, *quàm excogitare cum ingenio quæ ſunt dicenda.* Aliter, ad Concionatores refertur, quorum eſt *animum præparare* per orationem, & *Domini gubernare linguam*, per quam ſanam doctrinam adminiſtrent. Beda videtur per interrogationem legere, & contrarium elicere ſenſum; q. d. *Cùm Domini ſit linguam & reſponſionem gubernare, quantò magis eſt non hominis ſed Domini gubernare cogitationes?* Sunt qui putant Salomonem loqui in prima clauſula juxta opinionem hominum; q. d. *Homo putat ſe poſſe bene diſponere cogitationes ſuas, ſed tantum abeſt ut hoc faciat ut nè linguam quidem poſſit gubernare, neque reſpondere, ſine Domino.* Et huic poſtremæ expoſitioni, quæ & optima eſt, bene quadrat quod ſequitur,

2. *Omnes viæ hominum patent oculis ejus: ſpirituum ponderator eſt Dominus.* Aliter, *Omnes viæ viri mundæ in oculis ſuis*] Ambiguum facit ſenſum relativum *in oculis ſuis*, aut *ejus*: nam vel ad *hominem* poteſt referri *in oculis ſuis*, q. d. *Fere ſibi blandiuntur homines in oculis ſuis*, *cùm non ſint viæ eorum mundæ apud Dominum.* Vel, *Omnes viæ viri mundi & innocentis ſunt acceptæ in oculis ejus qui præparat* (ſive *diſponit*) *ſpiritus.* Quamvis *hominis ſint diſpoſitiones cordis*, ut dictum eſt, tamen *Domini eſt ſpiritus & cogitationes bene dirigere*, *ut omnes viæ viri ſint mundæ in conſpectu Domini:* alioqui enim non Viri ſed Sues aut Canes ſunt in interiore homine. Pendet à ſuperiore ver-

ſiculo. Monemur ſic *diſponere cogitationes* ut illius oculis non ſint odioſæ; & putemus nè cogitationes quidem latere Deum, quem nihil latet: imò *omnes viæ viri mundi ſunt in oculis ejus, qui dirigit ſpiritus & cogitationes* ut puræ ſint. Ab aliis verò avertit oculos, aliorum vias non dignatur intueri.

3. *Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ*] Juxta noſtrum Interpretem hortatur Sapiens nè velimus aliquid ex noſtris operibus Dominum latere, ſed talia facere quæ illius conſpectum non erubeſcant, vel interim ingenuè confiteri, ſi quod peccatum committimus, ut *in multis offendimus omnes.* גלל *volvere* vel *revolvere* apud Hebræos ſignificat; & *notum fac* ab aliquibus exponitur. *Volvere ad Dominum opera* eſt Domino acceptum referre ſi quid rectè fiat à nobis, ut novam mereamur gratiam, quâ cogitationes utcunque diſpoſitæ confirmentur & ſtabiliantur in bono, ut in dies promptiores ſimus ad bona opera. Aliter, *Volve ad Dominum omnia opera tua*; q.d. Ad honorem Domini omnia refer, illi agendo gratias de omnibus bonis & malis. *Si bona de manu Domini accepimus, mala autem quare non ſuſtineamus?* Job 2. *Et cogitationes*, h.e. poſtulata & deſideria tua *confirmabit*; impetrabis quæ poſtulas.

4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*] Quamvis in Hebræo non ſit pronomen reciprocum *ſeipſum*, ſed *propter ipſum*, tamen melius eſt referre *propter ſe* ad *Dominum*; q. d. Propter bonitatem ſuam fecit omnia, juxta illud Auguſtini De doctrina Chriſtiana, *Quia bonus eſt Deus, ſumus: & in quantum ſumus, boni ſumus.* Alioqui ſunt qui ſic vertunt, *Univerſa propter ipſum operatus eſt Deus*: & referunt ad *virum innocentem & mundum*; q d. Propter juſtos fecit omnia: ut confirmet quod dictum eſt, *Deum confirmare cogitationes eorum qui omnia opera ſua revolvunt ad eum.* ¶ *Et etiam impium*] ſc. *Adducet ad diem malum* propter juſtos, nè noceat illis. Aliter, *Propter gloriam ſuam fecit omnia, etiam impium ad diem malum adducet propter gloriam ſuam*, juxta illud Rom. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum*, &c. Aliter, *impium ad diem malum*, h e. diem afflictionis populi ſui, ut per impium ſuum populum caſtiget & puniat Deus, unde ſcribitur, *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe in manu eorum indignatio mea*, Eſa. 10. Omnia igitur propter electos. Utraque expoſitio eſt bona; prior eſt melior.

5. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiamſi manus ad manum fuerit, non erit innocens.* Aliter, *Abominatio Domini omnis ſuperbus: mox non erit innocens*] Cùm Dominus omnia fecerit propter hominem, illius non agnoſcere bonitatem, ſed per ſuperbiam aliquem honorem Deo debitum, tanquam autori omnium, ſibi arrogare, intolerabilis eſt arrogantia, quam Dominus uſqueadeo exſecratur ut diu non poſſit eſſe impunita; quamvis innocentes videantur hominibus aliquando qui contra Deum ſuperbiunt, non exteriore habitu, ſed corde & opinione, juxta illud Gen. 3. *Eritis tanquam Dii.* Eſa. 14. *Aſcendam in Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* ¶ *Manus ad manum*] h. e. Subitò, vel facilè: Nihil enim faciliùs aut celeriùs facimus quàm manum plicamus manui. Aliter, Cùm manus Domini juncta fuerit manui impii, qui ſuperbit contra Dominum invenietur reus: vel, Si opus Domini conferatur cum operibus impii, ſtatim apparebit illius impietas & arrogantia.

6. *Miſericordiâ & veritate redimitur iniquitas, & in timore Domini declinatur à malo.* Heb. *Per miſericordiam & veritatem expiabitur iniquitas: & per timorem Domini declinare a malo*] Per *miſericordiam* & *veritatem* opera charitatis intelligimus, quæ in veritate ſunt facta, h. e. in fide & religione vera; vel in fide, h. e. in pura conſcientia: nam *quod non eſt ex fide peccatum eſt*, Rom. 14. Qui miſericordiam exercet, miſericordiam aſſequetur. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, Matth. 5. & non veniet *ad diem malum* cum *impio*, cujus *timor* potiſſima ratio eſt *declinandi à malo*, memoria videlicet illius diei. *Recordare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Aliter, *Propter miſericordiam & veritatem*, quam faciet homo, & *propter timorem Dei*, qui eſt in corde illius, & *cùm declinaverit ab omni malo, erit ei remiſſio iniquitatum priorum.* q.d. Si es peccator, commiſiſti iniquitatem, exerce *opera pietatis in veritate*, & remittetur tibi: ſi non commiſiſti iniquitatem, *time Deum*, quò poſſis *declinare à malo.* Docet Proverbium, Non eſſe deſperandum, nè *arroganti* quidem, qui eſt *abominatio Domini.* Et opera miſericordiæ commendantur.

7. *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*] Additur *cum illo* in Hebræo. Inimicitias & odia inter ſeſe exercent homines quòd Dei non quærant amorem. q. d. Fieri non poteſt ut fideles inter ſeſe ſint amici qui Deum, ut oportet, non amant. Si Deum amamus, inter nos amicitia facilè coïbit. Aliter, Quia non eſt noſtræ poteſtatis quid alii faciant, ſi Deo vitam noſtram commendare ſtudeamus, hoſtes non poterunt nobis nocere, ſed pacem nobiſcum libenter amplectentur, cùm videant ſe non poſſe prævalere contra eos qui Deum amant. Docet Proverbium quod Apoſtolorum temporibus & Martyrum impletum eſt in Eccleſia, cujus hoſtes & perſecutores tandem pacem amplexi ſunt. Si per *hoſtes* Potentias animæ ſenſitivas intelligamus, quæ nobis facilè conſentient & amicitiam cum Ratione jungent ubi conſuetudines honeſtas & Deo dignas amplexi ſumus, erit moralis ſenſus paulò abſtruſior, & aliquid ex Euangelio referre videbitur, nempe, *Eſto conſentiens cum adverſario tuo*, &c. Mat. 5.

8. *Melius eſt parùm cum juſtitia quàm multi fructus cum iniquitate.* Heb. *Abſque judicio*] Pendet ex præcedente, oſtendens unde potiſſimùm proveniat quòd viæ hominum non placeant Deo, neque pacem inter ſeſe alant, nempe quòd avaritiæ ſtudent, & pluris faciunt lucrum quàm Deum. Sed *præſtat modico eſſe contentos, & ſervare juſtitiam*, h.e. præſtat vivere cum eo quod juſtè acquirimus. Aliter, *Melius eſt modicum cum juſtitia*, h.e. cum piis operibus & eleëmoſynis, *quàm multitudo fructûs* ſive (ut eſt in Hebræo) *proventuum abſque judicio*, h. e. iniquitate & rapinâ collectorum: *non* enim *proderunt divitiæ in die iræ*, niſi ex illis fiat juſtitia & opera *miſericordiæ*, quibus *iniquitas redimitur*, ut modò lectum eſt.

9. *Cor hominis diſponit viam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* Heb. *Cor hominis cogitabit viam ſuam*, &c.] Voluntatem hominis liberam aſtruit, & gratiæ neceſſitatem ad bonum opus abſolvendum oſtendit. Non eſt ſenſus alienus à primo hujus capitis verſiculo, vel ab eo quod dicit Paulus Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

10. *Divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus*, vel *non prævaricabitur os ejus*] Quod à *Rege* decretum eſt, tanquam *divinatio* vel fatum ſolet eſſe, h.e. non minùs æquum ut fiat, vel non minùs certum, præſertim *in judicio* veritatis, *in quo non errabit os ejus*; vel *in judicio*, ſc. quando *non prævaricatur os ejus.* Regibus & judicibus obtemperandum, & eorum ſententiis obediendum eſſe monet, & candidè interpretari quicquid decreverint, imò tanquam oraculum habendum: nam in judiciis publicis, quæ non ſine gravi conſilio celebrant Reges, non ſolet eſſe error vel prævaricatio. Quòd ſi de Chriſto Rege intelligamus juxta Allegoriam, verè *Divina oracula labiis* ſuis protulit, & *nunquam erravit os ejus in judicio.*

11. *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt, & opera ejus omnes lapides ſacculi.* Aliter, *Statera & bilances judicii Domino, opus illius omnes lapides* (vel *pondera*) *crumenæ*] Quemadmodum à Regibus exigit Deus ut *in judicio non prævaricentur*, *nec errent verba oris*, imò ut tanquam *oracula Divina*, quæ ſunt æquiſſima, ſententias proferant; ita à privatis hominibus ſingulis in ſua arte quod æquum & juſtum eſt exigit, maximè ab iis qui ponderibus & menſuris utuntur, in quibus fraus & dolus facilè committitur. Et proinde *ſtatera & bilances*, in quibus majora & minora ponderantur, *ſunt judicii Domini*, h. e. Domino reddenda eſt ratio de his, Qui legitimè his utitur, *Dei judicium* & æquitatem facit: Qui verò ad fraudem proximi ponderibus abuitur, *Dei judicium* pervertit. Hebræi tamen referunt *judicium* ad *ſtateram*; q. d. *Bilances judicii*, h. e. juſtæ, *ſunt à Domino*, qui præcepit æqua fieri pondera, *& opus ejus*, nempe *ſtateræ* (quod opus conſiſtit in *lapidibus ſacculi*) eſt etiam à Domino. Aliter, *Pondus & ſtatera judicii Domino*, h. e. Domino debemus ferre acceptum quod inventum eſt ab hominibus ad judicium & juſtitiam exercendam inter homines, & *opus ejus omnes lapides ſacculi*, quibus antiquitus uti ſolebant pro ponderibus.

12. *Abominabiles Regi qui agunt impiè, quoniam juſtitiâ firmabitur ſolium*] Non ſolùm in Deum peccant qui quâcunque fraude utuntur, ſed in rempub. Idcirco *Regibus*, quorum *os non errat in judicio*, *ſunt abominationi* qui vel *ponderibus* abutuntur, vel quamcunque *iniquitatem* exercent. Nam quantum in illis eſt, quietem reipub. perturbant, & ſubvertunt juſtitiam, ob quam ſervandam Reges & Principes ſunt inſtituti & ordinati à Deo. Juſtitiâ ſublatâ, majeſtas & tribunal Regis non poterit permanere. *Solium* etiam ſupremi Regis, ſolium, inquam, & imperium, quod in ſanctos, qui libenter illi obtemperant, *juſtitiâ firmatur*, ejecto iniquo *Principe hujus mundi, qui regnat in filiis diffidentiæ*: & proinde nihil magis exſecratur Rex Regum quàm impietatem ſive infidelitatem, quæ potiſſimùm impedit quò minùs ſolidetur in nobis Regnum illud quod petimus in oratione Dominica, *Adveniat regnum tuum.*

13, --- 16. *Voluntas Regum labia juſta, qui recta loquitur diligetur.* Heb. *Benevolentia Regum labia juſtitiæ, & loquentes*

rectè

rectè diliget. Indignatio Regis nuncii mortis, & vir ſapiens placabit eum. Heb. *placabit eam. In hilaritate vultûs Regis vita, & clementia ejus quaſi imber ſerotinus.* Aliter, *In luce faciei Regis vita, & benevolentia ejus tanquam nubes pluviæ ſerotinæ. Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento.* Heb. *quàm aurum pretioſum & electum argentum*]

Principibus placuiſſe viris non infima laus eſt,

eleganter ſcripſit Naſo: & Salomon in his verſiculis quanti debeamus æſtimare voluntatem Regis & benevolentiam oſtendit, ad quam obtinendam imprimis debemus cavere omnem improbitatem & iniquitatem, ut dictum eſt. Secundum locum obtinent *labia juſtitiæ*, & *loqui quod æquum & rectum eſt.* Qui veri Reges ſunt, magnâ benevolentiâ amplectuntur eos quorum labia ſunt *labia juſta*: quod ad Judices & eos qui remp. tractant maximè ſpectat, quorum æquitate *ſolium Regis firmatur.* ¶ *Qui recta loquitur diligetur*] Heb. *loquentem recta amabit*, ſup. *unuſquiſque ex Regibus*: vel, *loquens recta diligetur*, ſc. à *Rege*, ut neutraliter accipiatur verbum אהב. Apud Regem Dominum *ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, in cujus manu eſt mors & vita: Et proinde modis omnibus ſtudendum eſt illius Regis benevolentiam aſſequi, cujus *indignatio eſt tanquam Angelus mortis*, ſive *exterminator*, qui primogenita Ægyptiarum interfecit ſubito. q. d. Furori Regis nemo poteſt reſiſtere, neque nunciis ejus, non minùs quàm Angelis miſſis à Deo: & proinde virtutibus prædictis placanda eſt & ſedanda ira Principis. Scriptura ſervat Metaphoram, dicens *expiabit eam*, quaſi victimis quibuſdam eſſet litandum, & placanda Principis ira, quam contulit iræ Dei per Angelum exterminatorem deſtinatæ inter homines. באור *in hilaritate*, *in lumine* verti poteſt, vel *in lucem.* Favorem Regis *luci* & *pluviæ ſerotinæ* meritò contulit. Nam luce, quam in principio creavit Deus, nihil eſt humanis oculis charius, nec opportunâ pluviâ (quam Hebræi מלקוש vocant) agricolis quicquam utilius: ſine quibus vel non vivimus, vel non jucundè vivimus. His rebus lætiſſimis ſimilis eſt ſerena facies Regis. Vel *vita* eſt, quòd tales poſſint vivere quos blandè intuetur Princeps, vel quòd res ſit optanda æquè ut vita: nam ex benevolentia Regis, quæ fœcunda eſt veluti *pluviæ ſerotinæ*, multa beneficia accipiunt homines. Ego verò dico à Rege Chriſto, qui *Lux* eſt *mundi* & ros vel pluvia, juxta illud, *Rorate, cœli, deſuper, & nubes pluant juſtum.* Et bene *pluviæ ſerotinæ* confertur Chriſtus, h. e. pluviæ quæ ſeriùs deſcendit, videlicet in vere, quo veniente *regiones albæ erant ad meſſem*, Joan. 4. Ex his magnis rebus quas accipimus dum Regis benevolentiam aſſequimur, infert Salomon, *ſapientiam multò melius quàm aurum pretioſum, & poſſidere intelligentiam res eſt potius eligenda quàm poſſidere argentum quantumvis electum.* Quod ſuperiùs dictum eſt, c. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus; & omnia quæ deſiderantur, non valent huic comparari*: ut per quam in hoc mundo vivimus, placando iram Regis; & in futuro, cœleſti lumine illuſtrati.

17. *Semita juſtorum declinat mala, cuſtos animæ ſuæ ſervat vitam ſuam.* Heb. *Semita rectorum declinare à malo; cuſtodit animam ſuam qui ſervat viam ſuam*] מסלה non ſimpliciter *viam* ſignificat, ſed *viam altam & ſtratam ac quaſi congeſtam ex aggere.* Talis eſt *via rectorum*, per quam *declinant à malo*, trita & complanata via per conſuetudinem morum. q. d. *Rectis*, qui apud ſe recta & æqua in animo proponunt, qui præparant animum ad bene beateque vivendum, facile eſt illis, inquam, *declinare à malo*; quod eſt principium juſtitiæ, *Declina à malo*, Pſalm. 37. Porrò, *qui ſervat hanc vitam, cuſtodiet animam ſuam* ab *indignatione Regis*, & ab *Angelo mortis.* Nam *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali*, Rom. 13.

18, 19. *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus. Melius eſt humiliari cum mitibus quàm dividere ſpolia cum ſuperbis.* Heb. *Humiliari ſpiritu cum humilibus*] שבר *contritio*, vel *fractura*, pro *ruina* & *perditione* accipitur, ut hoc in loco inſinuat Sapiens, pro *contritione ruinam* ſubſtituens in ſecunda parte, cùm ſenſus ſit idem diverſis verbis. Oſtendit Superbiam ut in primo homine, ità in omnibus eſſe cauſam ruinæ & perditionis, & Deum non punire quenquem ante peccatum, neque peccare aliquem niſi ex ſuperbia quadam, quòd coram Deo humiliari nolit. Nunquam enim contemptim & mortaliter tranſgredimur Dei præcepta niſi pluris facientes noſtram vel voluntatem vel voluptatem quàm imperium Dei. Et proinde *ſemita* illa *ſublimis & munita rectorum, quam ſervantes cuſtodiunt animas ſuas*, eſt via Humilitatis, quam Chriſtus imprimis ſuis commendavit, hinc concionem ſuam exorſus, dicendo, *Beati pauperes ſpiritu*, Matth. 5. cujus etiam ſeipſum propoſuit exemplum, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matt. 11. Sed cùm hi qui ſeipſos nihili æſtimant & ſeipſos contemnunt, ab aliis ferè contemnuntur quoque & opprimuntur, ac ſua nonnunquam perdunt, conſolatur nos Sapiens, addendo, *Melius eſt humiliari cum mitibus*] q. d. Superbi homines humilibus nonnunquam inferunt injuriam, bona diripiunt, ſpolia dividunt; tamen virtus animi eſt melior quàm bona externa quamlibèt bene comparata. Si cum humilibus & manſuetis ambulaveris, ſi fueris etiam ipſe humilis, cœleſtem quandam vitam in terris agis, in pace & tranquillitate animæ. Inter ſuperbos verò ſemper ſunt jurgia. Noli igitur vulgi judicio, ſed ſapientum, res æſtimare; virtutem vitio, animæ quietem externis bonis præponere.

20. *Eruditus verbo, reperiet bona, & qui ſperat in Domino, beatus eſt.* Heb. *Intelligens rem* (vel *verbum*) *inveniet bonum*] *Rem* ſive *verbum* de quo modò dictum eſt in ſuperiori verſiculo intelligimus: q. d. Cùm hæc res longè abſit ab opinione vulgi, qui externa bona magis quærunt quàm animæ, tamen *qui rem* ut decet *intelligit* & æſtimat, *inveniet bonum*, ut ſcriptum eſt, *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, Matth. 5. Ad prudentiam igitur hominis ſpectat, res juxta ſuam naturam æſtimare; putare, ut diximus, *Melius eſſe humiliari cum manſuetis vivendo, quàm cum ſuperbis dividere ſpolia.* Quod ad reliquum ſpectat, tota *fiducia* collocanda eſt *in Domino*, qui nos tuebitur, nè conculcemur à ſuperbis hominibus: nam ille tandem *beatus eſt* qui & *rectè de rebus judicat*, & cum *fiducia in Dominum* quod rectum judicat aggreditur & proſequitur. Sunt qui in genere dictum intelligunt de quocunque negotio; ut ſit ſenſus, Prudens, qui prævidere poterit in re qualibet quid eventurum ſit, bonum inveniet, prudenter aget multa. *Sed beatus qui ſperat in Domino*: q. d. Præſtat in Domino collocare fiduciam quàm in propria prudentia: vel, *Beatus eſt qui* præter hoc quòd multa cum prudentia res ſingulas adminiſtrat, nihilominus *omnem fiduciam in Domino collocat.*

21. *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio, majora reperiet.* Heb. *Sapientis cor vocabitur prudens, & dulcedo labiorum augebit doctrinam*] Aliter, *Sapiens corde vocabitur intelligens, ſed tum ſi dulcedini labiorum addat doctrinam*; ut unicam clauſulam contineat verſiculus, quâ docetur inter homines habendum pro ſapiente qui eloquentiâ præditus auget ſcientiam docendo. Sunt ex Hebræis qui Sapientiam volunt eſſe in lege Divina, Prudentiam verò in ſcientiis humanitus inventis: q. d. *Nemo poteſt eſſe ſapiens & Scripturas ſatis intelligere qui ſit ſecularium literarum ignarus*, ut ſcribit Hieronymus alicubi, nempe in epiſtola ad Demetriadem virginem. Poteſt *ſapiens* intelligi in cognitione, *prudens* in actione; quarum altera alterius eget ope: & ob id quicunque verè *ſapiens* eſt, non in verbis aut ſermone vel opinione hominum, ſed in *corde* ſuo ſapientiam Dei reconditam habet: hic etiam verè *dici poteſt prudens*, h. e. ſtudioſè vivet. Nemo ſuam jactet ſapientiam verbis; factis & operibus externis ſapientiam oſtendat, ſi corde lateat, ut inquit Jacobus c. 3. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.* Sed quamvis præcipua *ſapientia* ſit illa quæ in *corde* latens per *prudentiam* foris oſtenditur, eſt tamen & in ſermone & in *labiis* egregia ſapientiæ ſignificatio. Nam ſuavitas ſermonis & venuſtas vehementer commendat ſapientiam & auget: dum alios per eruditam linguam docet, ipſe ſuam *auget ſapientiam*, nè quis contemnat donum linguarum uſqueadeò neceſſarium ad ſapientiam ſeminandam.

22. *Fons vitæ, eruditio poſſidentis; doctrina ſtultorum, fatuitas.* Heb. *Fons vitæ, intellectus poſſeſſoris illius; & diſciplina ſtultorum, ſtultitia*] שכל *intellectus* eſt quaſi ſcaturigo unde vita defluit, cùm Cor ſit principium vitæ, Cerebrum principium ſentiendi, juxta Philoſophos. Quod cùm *fonti* perenni comparet Sapiens, inconſtantiam hujus vitæ ſignificat, quæ perpetuò fluit & nunquam in eodem ſtatu permanet, tendens ſemper ad interitum. Similis ratio eſt vitæ ſpiritualis (quæ à ſapiente intellectu procedit) quod ad ſcaturiginem ſpectat, non autem quod ad defectum attinet. *Intellectus*, inquit, *illius qui poſſidet eum*, ſignificans non omnium eſſe hujuſmodi intellectum: vel, *Ab intellectu illius qui eſt dominus ejus* (juxta proprietatem ſermonis Hebraïci) *fluit aqua viva ſaliens in vitam æternam*: ut jam qui habet intellectum ornatum ſapientiâ perennis vitæ, haud ità multùm curare debeat ea quæ ſunt hujus vitæ vanæ & momentaneæ. ¶ *Doctrina ſtultorum, ſtultitia*] Vel, *diſciplina ſtultorum, ſtultitia.* Si qui curioſiùs velint ſine vera ſapientia per propriam doctrinam ſuam vitam gubernare, nihil aliud quàm ſtultitiam ſuam commonſtrant. Nam nulla eſt *doctrina*, vel (ut eſt in Hebræo) *caſtigatio morum*, niſi illa quæ à ſapientia procedit.

23, 24. *Cor ſapientis erudiet os ejus, & labiis illius addet gratiam.* Heb. *Cor ſapiens intelliget* (vel *faciet intelligere*) *os*

ſuum, & labiis ſuis addet doctrinam. Favus mellis verba compoſita, dulcedo animæ, & ſanitas oſſium. Heb. *Verba dulcia* (vel *amœna*) *dulcedo animæ, & ſanitas corporis*] Proſequitur laudes *cordis eruditi* & *ſapientis intellectûs*, qui & eloquentiam ſuppeditat & doctrinam multiplicat; q. d. Si quis in animo ſit ſolidè doctus, & Scripturarum intelligentiam teneat rectam, *faciet os ſuum intelligere*, h. e. eruditum ſermonem & verba pia proferet juxta reconditam in animo ſapientiam, & in dies majorem docendo ſcientiam acquiret, vel potiùs in animis audientium doctrinam, majorem quotidie ingeret, quantò majore deſiderio docentem audiunt populi. Audiunt autem lubentiſſimè elegantem orationem ex pio & ſapiente pectore manantem: quod ſimilitudine *favi mellis* oſtendit. *Verba dulcia* ſive *amœna* comparat *favo mellis*, quod ut *animæ*, h. e. ventriculo, *ſuave* eſt, ità *corpori* eſt *ſalubre*: ſic verba pii concionatoris & cordati magno cum deſiderio audiuntur, & *ſanitatem* conferunt vel *corpori* vel *oſſibus*, h. e. robuſtiſſimis quibuſque & maximis animæ virtutibus.

25. *Eſt via quæ videtur recta homini, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.*] Hic verſiculus ſuperiùs cap. 14. legitur, ſed hoc in loco in alium finem repetitur, nempe ut hortetur ſuum filium quò velit libenter auſcultare his qui bene docent, qui ex ſapiente intellectu ſapientem ſermonem proferunt, & nè innitatur proprio judicio, relictâ rectâ & publicâ viâ. Quod hæretici ſolent, ſequentes doctrinam *quæ recta videtur* illis, ſed *tandem ad mortem* multarum animarum *deducit* eorum doctrina. Juveni ſua voluptas nonnunquam *via recta* & expedita *videtur*, avaro cumulandi divitias ſitis, & aliis eodem modo ſua cuique ſtultitia, quibus ſermo ſapientiæ non dulceſcit, dum ſuam ſequuntur opinionem; & per illud quod rectum & expeditum illis vidétur rectà ad mortem frequenter tendunt temporalem, ſemper verò ad mortem animæ.

26. *Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum.* Heb. *Incurvavit ſe ad eum os ſuum*] Diverſa ſignificatio hujus verbi עמל, *laborare* videlicet & *iniquè agere*, duplicem ſenſum Proverbii nobis porrigit. Juxta priorem ſignificationem neceſſitatem corporalis laboris hominibus imponit Sapiens, ut ſcriptum eſt Gen. 3. *In ſudore vultûs tui comedes panem tuum.* Porrò *anima* pro *homine* accipitur, cujus *os* & *ventriculus* ſupplex *incurvat ſeſe* quodammodo, petens cibum neceſſarium ad vitam ſuſtentandam, quæ in anima conſiſtit. Senſus Proverbii non eſt alienus ab illo loco Pauli, 2 Theſſ. 3. *Si quis non vult operari, non manducet.* Sic Salomon monet honeſtis incumbendum eſſe laboribus, maximè cùm unuſquiſque manducandi neceſſitatem habeat. Et ſenſus refertur ad præcedentem verſiculum, q. d. Iſta via, pro victu neceſſario laborare, recta eſt, & ducit ad vitam, neque dubitandum eſt de illa: nam eſt à Deo comprobata. Si reliquam ſignificationem hujus verbi עמל, i. e. *iniquè egit*, ſequamur, erit ſenſus, *Unuſquiſque onus ſuum portabit*, Gal. 6. h. e. *Sibi ipſi agit iniquè quicunque malè agit*, vel *quicunque malè agendo laborat*, ut utrumque ſignificatum comprehendamus; dum *incurvat ſe ſibi os ſuum*, h. e. dum obſequio oris ſui & labiorum abutitur ad agendum iniquè, ut ad ſuperiora referatur. In quibus, quanta bona & quanta mala proveniant ex lingua, perſecutus eſt Salomon, & ſic exponit doctiſſ. Aben-Hezra, interpretatus אכף non *incurvavit*, ſed *in cauſa fuit illi os ejus ut iniquè ageret, quia non didicit verba decora.* Prior expoſitio eſt melior, quam Chaldæus quoque ſequitur interpres.

27. *Vir inſipiens fodit malum, & in labiis ejus ignis exardeſcit*: vel *vir impius*] *Belial* vox frequens in Scripturis: & relinquitur nonnunquam non verſa: frequenter etiam *impietas* vertitur. Hieronymus alicubi etymologiam reddens, nempe Epheſ. 4. à בלי *ſine* vel *non* & עול *jugum*, vocem deducit; q. d. *vir ſine jugo.* Alioqui à בלי & עלה deducunt Hebræi, q. d. *vir qui non aſcendit*, i. e. ſine honore. *Vir impius*, vel *impietatis* vertitur ab Hebræis, & à Chaldæo גברא טלומא *vir iniquitatis*, qui non ſolùm obiter quaſi ex ignorantia vel infirmitate facit malum, ſed magno ſtudio & induſtriâ *fodit malum*, h. e. nullum laborem recuſat quò malum & damnum hominibus inferat. *Fodere* vel ad corporis fatigationem, vel potiùs ad cogitationes mentis crebras & non intermiſſas, poteſt referri; ex quibus tandem ſermones tali ſtudio dignos profert, ſicut ex *corde ſapientis os prudens efficitur* ad proferenda *verba decora*, ut ſuperiùs lectum eſt. ¶ *Et in labiis ejus ignis exardeſcit*] & *inflammat rotam nativitatis noſtræ*, Jac. 3. h. e. odium & iram inter homines accendit lingua. *Ignis* eſt, *univerſitas iniquitatis*, quaſi ignis ardens ſed non illuminans. VIRUM BELIAL, *ſine jugo*, vel *ſine honore, qui fodit malum*, virum apoſtatam & hæreticum intelligimus, qui in agro Scripturarum plurimùm laborat ut *labiis ſuis ignem diſcordiarum ſuccendat*, ſive *ignem libidinis*: ut ferè impudici ſemper fuerunt hæretici & defenſores intemperantiæ.

28. *Homo perverſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat Principes.* Heb. *Vir perverſitatum mittet lites, & ſuſurro deridet Principes*] Videtur hoc verſiculo ſuperiorem exponere. Nam *vir Belial* eſt *vir perverſus* ſive *vir perverſitatum*, ut eſt in Hebræo, qui rectitudini fidei & morum probitati contrarius eſt & adverſarius. Vel qui ſua verba & promiſſa non ſervat, *vir* eſt *perverſus.* Denique, qui pervertit aliorum verba, vel ſenſum ſubvertit, *lites* & inimicitias mittet inter amicum & amicum, *in illius labiis eſt ignis ardens*: *verboſus* (vel *ſuſurro*.) *ſeparabit Principem unum ab alio.* *Suſurro* eſt *vir perverſus*, qui non ſolùm lites ſuſcitat inter privatos, ſed etiam Principes ad bella concitat. Qui perverſe interpretantur Scripturas, & qui ſuſurrando inſtillant perverſa dogmata, ſuſcitant diſcordias, bellorum & inimicitiarum inter Principes ſunt autores. Vox Hebræa אלוף *principem* ſignificat & *maritum*: *Separat* enim nonnunquam & *conjuges vir perverſus*, h. e. chariſſimos quoſque ſejungit amicos: ut quanta mala ex mala lingua oriantur intelligamus, præſertim ex ea quæ malis moribus conjuncta eſt.

29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.* Heb. *Vir iniquus imponet amico ſuo*] Perſuadendo videlicet ut ſequatur iniquitatem. *Similis ſuo ſimili gaudet*: q. d. Noli cum viro qui iniquè agit amicitiam jungere, nè te pertrahat ad malum, juxta illud, *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, nè acquieſcas*, ſuprà c. 1. In utroque loco *lactare* poſuit Interpres pro *perſuadere*, vel potiùs *perſuadendo ſeducere*, dum verbis facta non reſpondent, ſed promittendo pulcra, quibus imperiti facilè capiuntur, ad maximos perducat errores. Id quod non verbis ſolùm ſed corporis geſtibus & oculorum nutu ſolet fieri; ut ſequitur,

30. *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia ſua perficiet mala.* Heb. *Qui claudit oculos ad cogitandum perverſitates, qui annuit labiis ſuis perficiet malum*] Quamvis ſecundùm faciem & exteriorem corporis habitum judicare nec poſſumus nec debemus, tamen indicia quædam interioris hominis licet exterius cernere, & quod in rebus graviſſimis agendis & tractandis animo fieri ſolet, nempe *claudere oculos*, *labia comprimere*, aut (ut eſt in Hebræo) קרץ שפתיו *innuens labiis ſuis*, in his, qui vehementer ſunt mali, videre eſt. Tantum eſt quorundam maleſaciendi deſiderium ut manibus pedibuſque & omnibus omnino corporis ſenſibus eò tendere videantur. Id quod ut in multis malorum generibus locum habet, in nullo tamen efficacius, quàm in perverſis Doctoribus, qui tamdiu perſuadendo decipere moliuntur donec *malum*, quod ad ſubverſionem cogitaverant, tandem *perficiant.* Simplex ſenſus Proverbii docet, Nihil agendum per fucum aut fraudem, omnia ſinceriter agenda cum amicis: & ferè qui fucati ſunt & doloſi, ſignis produntur exterioribus.

31. *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis juſtitiæ reperietur*] Quod ferè ſolet fieri, non quòd non poteſt aliter evenire, proponit Salomon, juſtam virtutis laudem proſequens, quæ in ſenectute ſolet eſſe major & conſtantior. Non ſemper *numero annorum computatur* ſenectus, ut alibi ſcriptum eſt, Sap. 4. Sed quandoque *puer centum annorum morietur*, juxta Eſaiam c. 65. Et *cani ſunt ſenſus hominis*, Sap. 4. *Canities* igitur homini eſt velut *corona gloriæ, quia in via juſtitiæ invenietur*: h. e. non ſolent mali & peccatores ad extremam pervenire ſenectutem, ſed ferè ante diem ſuum moriuntur. Aliter, *In via juſtitiæ invenietur canities*, quòd qualemcunque vitam agant juvenes aut adultæ ætatis homines, tamen jam cani ſolent juſtitiæ vacare operibus, & pœnitere ſi quid iniquè geſſerint.

32, 33. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*, vel *à Domino judicium*] Ex omnibus virtutibus corporis Fortitudo maximam habet laudem inter homines: nulli enim magis celebrantur quàm in bello præclari duces, qui hoſtes vicerunt, urbes & provincias ſubjugarunt: Et tamen judicio Sapientis præſtantior eſt qui unicam ex animæ ſuæ concupiſcentiis, nempe Iram, vincit, & impetum ſpiritûs ſui ratione moderatur, quàm qui urbes aut provincias ſuperat. Quâ laude canities prudens non carebit, etiam ſi corporis viribus ſit deſtitutus, cùm difficilius ſit proprium animum ſive (ut eſt in Hebræo) *ſpiritum* vincere quàm armatam aciem rumpere. Civitates ſubjugavit plurimas, totam propemodum Aſiam vicit & Africam Alexander cognomento Magnus, & tamen iræ & furoris belluam in ſe ſuffocare non potuit, ſed iracundiâ victus chariſſimos amicos Parmenionem, Philotam, Clitum & Calliſthenem trucidavit: ut alios taceam urbium domitores, qui ſuos domare non potuerunt affectus. *Qui dominatur animo ſuo*, etiam ſi nullas evertat urbes, tamen *melior eſt quàm is qui ſubverſis civitatibus* ab effrænata domatur perturbatione: & tamen utrumque donum Dei eſt, & hoſtes ſuperare, & ſeipſum vincere; imò nihil in

hil in humanis rebus geritur ſine nutu & diſpenſatione Divina, nè *ſortes* quidem aliter cadunt quàm pro moderatione Divina. Quamvis videatur nulla ratio reddenda hujus rei, ſed cæcam fortunam huic bonam, huic malam mittere ſortem: tamen ſors non cadit niſi Dei judicio, & nos putabimus humanis duntaxat viribus regna de gente in gentem transferri citra nutum aut arbitrium æterni numinis?

LUCAS BRUG.

11. P*Ondus & ſtatera judicia Domini ſunt*, -*&* [MS. H.] *opera ejus* * *omnes* [* *&* o.] *lapides ſeculi.*] *Seculi* legunt, cum V. Beda & D. Salonio, omnes propemodum codices, quos cùm nos tum plerique alii ante nos videre. Porrò Pariſienſes tres adſerunt qui *ſacculi* habeant: hanc enim lectionem omnes deſiderant, Lyranus, Epanorthotes, Dominicani, & alii complures: ſed nulla ſunt ab eis reperta exemplaria quibus illam comprobent. Illa autem Pariſienſium exemplaria ſunt, S. Germani oblongum, S. Dionyſii oblongum, & Complutenſe. Additur & Sorbonicum correctorium; ſed ejus ſola fortaſſis eſt conjectura, ut noſtrorum correctoriorum. Complutenſi editioni reſpondet Regia, ut aliàs ſemper. Ex Chriſtophori Plantini Manuſcriptis unum, quod latum diximus, *ſacculi* habet, verùm recentiori ſcripturâ. Ex D. Hunnæi libris, qui K. vocatus eſt, in margine annotat, *vel*, *Sacculi.* Tantum nos invenimus. Cæterùm MSS. exemplarium pars maxima contractè ſcribit *ſcli*, quod quidem, ex communi ſcribendi qui nunc eſt uſu, eſt *ſeculi*, ſed ex vi literarum non minùs poſſit *ſacculi* eſſe. Et fortaſſe priſcis *ſacculi* ad hunc modum ſcribi potuit, ſcriptumque hoc loco eſt quod poſteriores, ſuæ ætatis more (ut frequenter tempus hujuſcemodi immutat) *ſeculi* legerunt, & vel *ſeculi* deſcripſerunt, vel *ſcli*, ad eum modum, ſed pro *ſeculi* tranſſumpſerunt. *Sacculi* autem ſcripſiſſe Interpretem veriſimillimum, imò verò certum, ex Hebræo fit. (*Opus ejus omnes lapides ſacculi*, eſt Hebraïcè.) Nam quæ Hebraïcè eſt vox, כיס *ſacculum*, *marſupium*, *crumenam*, nullo verò pacto *ſeculum*, denotat. *Sacculum*, conſentientibus ſibi codicibus, Interpres vertit Deut. 25. 13. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera*, *majus & minus*: quod in Hebræo ad verb. eſt, *Non erit tibi in ſacculo tuo lapis & lapis*, *magnus & parvus.* Similiter Interpres vertit Iſai. 26. 6. *Saccellum* dixit Mich. 6. 11. *Numquid juſtificabo ſtateram impiam*, *& ſaccelli pondera doloſa?* *Marſupium* interpretatus eſt hujus ipſius libri c. 1. 14. *Marſupium unum ſit omnium noſtrûm.* Quomodo igitur qui aliis omnibus locis *ſacculum*, *ſaccellum*, vel *marſupium*, tranſtulit, hîc *ſeculum* potuit tranſtuliſſe? (nam quantum indicant Hebraïcæ Concordantiæ, non aliis locis vox iſta legitur.) Quomodo non magis probabile fiat, etiam ſi nulli ſuffragarentur codices, *ſeculum* à Latinis pro *ſacculo* ſcriptum? *Seculum* Hebraïcè עולם dicitur, cui cum כיס nè literula quidem communis eſt, ut nequis fortè exiſtimet Hebræis, ex dictionum ſimilitudine, varietatem accidere potuiſſe. Quanta ſit autem Latinarum dictionum ſimilitudo atque affinitas, nemo eſt qui non videat. Ex hac igitur dubium eſſe non poteſt quin in Latinos codices error irrepſerit. Vel enim, quod antè diximus, *ſacculi* contractè ſcriptum eſt *ſcli*, ac poſtea lectum *ſeculi*: vel quod F. Dominicani annotarunt, in *ſacculi* integrè ſcripto prius *c* pro *e* eſt lectum, ità ut putaretur *ſaeculi* cum diphthongo eſſe (ea eſt enim antiquis libris ſcribendi conſuetudo, vocales nimirum ex quibus diphthongus conflatur ſeparare, ad quem modum Brugenſe MS. hoc loco habet *ſaeculi*:) vel denique inconſideratè, quia vicinæ ſunt dictiones, pro *ſacculi* lectum eſt *ſeculi*, præſertim cùm quidam unico *c*, *ſaculo* ſcribant. Potuit &, quod ſuâ probabilitate non caret, ex ſcribarum aut lectorum imperita temeritate depravatio contigiſſe, quòd neſcirent qui eſſent *lapides ſacculi*, & cur dicerentur *opera Domini.* Sunt autem *lapides ſacculi* lapides ad ponderandum aſſumpti & ſacculo conſervati. Lapidibus enim ponderum genera priſci Judæi diſtinguebant, eoſque in ſacculis reponebant. *Lapides ſacculi ſunt opera Domini*, quia ſuum eis Dominus, ſive per ſe, ſive per Reipubl. gubernatores, ſtatuit pondus, quod mutari non vult. Senſum Græci & Chaldæus reddidere; illi, *Opera autem ejus pondera juſta*; hic, *Et opera ejus omnia pondera veritatis.*

DRUSIUS.

2. כָּל־דַּרְכֵי־אִישׁ. Schol. πᾶσαι ὁδοὶ ἀνδρὸς, *omnes viæ viri.* ¶ זַךְ בְּעֵינָיו. A. διαυγεῖς ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῦ, *pellucida ſunt in oculis ejus*] *Tranſlucida*, *limpida.*

5. יָד לְיָד. Schol. χειρὶ δὲ χεῖρας μιγνύων, *manum cum manibus permiſcens.* לֹא יִנָּקֶה. A. Th. παραβήσεται, *tranſgredietur.* S. ὐκ ἀδικήσει, *non aget injuſte.*

11. פֶּלֶס וּמֹאזְנֵי מִשְׁפָּט. A. ςαθμὸς καὶ ζύγια δίκαια, *pondus & ſtateræ juſtæ.* ¶ כָּל־אַבְנֵי־כִיס. Th. πάντα ςαθμὰ μαρσίππυ, *omnia pondera ſacculi.*

12. כִּי בִצְדָקָה יִכּוֹן. Sym. ἐν γὰρ δικαιοσύνῃ ἑδρασθήσεται, *juſtitiâ firmabitur.*

13. רְצוֹן. A. Th. εὐδοκία, *beneplacitum.* S. θέλημα, *voluntas.*

15. בְּאוֹר־פְּנֵי־מֶלֶךְ חַיִּים. A. S. Th. - - - προσώπυ βασιλέως ζωὴ, *vultus Regis vita eſt.* ¶ וּרְצוֹנוֹ. A. καὶ ἡ εὐδοκία αὐτῦ, *& beneplacitum ejus.* Sym. καὶ ἡ εὐμένεια αὐτοῦ, *& benevolentia ejus*] Vult dicere, *animo eſt in illum bene affecto: placet ei.*

17. שֹׁמֵר נַפְשׁוֹ נֹצֵר דַּרְכּוֹ. Th. τηρεῖ ψυχὴν αὐτῦ φυλάσσων ὁδὲς αὐτῦ, *ſervat animam ſuam qui cuſtodit vias ſuas.*

18. לִפְנֵי־שֶׁבֶר גָּאוֹן. A. εἰς πρόσωπον συντριβῆς ὑπερφέρεια, *ante contritionem elatio.*

19. אֶת־גֵּאִים. Schol. μετὰ ὑπερηφάνων, *cum ſuperbis.*

21. לֶקַח. A. λῆψιν, *acceptionem.* Sym. Th. ἐπιδοχὴν, *receptionem*] Doctrina vocatur *acceptio* quòd eam *accipimus*, i. e. diſcimus, à magiſtris. Suprà 1. 2. *Ad capiendum diſciplinam.* Senſus eſt, *ad diſcendum.* Vel appellatio ab eo quòd doctrina *capiat*, i. e. flectat & alliciat, animos auditorum. Sic, *Capit animas ſapiens*, i. e. flectit.

22. שֵׂכֶל. A. ἐπιςήμη, *ſcientia.* Sym. φρόνησις, *prudentia.* ¶ מוּסַר. Sym. ἔννοια, *cogitatio.*

24. מָתוֹק לַנֶּפֶשׁ וּמַרְפֵּא לָעָצֶם. Sym. Th. γλυκύτης ψυχῆς καὶ ἴαμα ὀςέων, *dulcedo animæ & medela oſſium.*

26. נֶפֶשׁ עָמֵל עָמְלָה לּוֹ. A. ψυχὴ πονῦντος ἐπόνεσεν ἑαυτῷ, *Anima laborantis laboravit ſibi.* Sym. ψυχὴ κοπιάσαντος ἐκοπίασεν ἑαυτῷ. *Anima laborantis laboravit ſibi*: ὁ ἐν πόνοις πονῶν ἀμέτρως ἐπισπᾶται θάνατον, *qui in laboribus occupatur laborando ſine menſura attrahit mortem.*

27. אִישׁ בְּלִיַּעַל. A. ἀνὴρ ἀποςασίας, *vir defectionis.* Sym. ἀνυπόςατος, *intolerabilis.* Schol. ἑβρ. Βελίαλ. *Vir Belial*, i. e. nequam. ¶ כְּאֵשׁ צָרָבֶת. Th. ὡς πῦρ καῖον, *ut ignis ardens.*

28. יְשַׁלַּח מָדוֹן. Schol. ἀποςέλλει ἀντιδικίαν, *immittit litem contrariam.* Sym. μάχας, *pugnas*] Ἀντιδικία, *oppoſitio mutua inter ſe litigantium*, *contralitigatio.* Sic reddunt ἀντιδικέω, *contrà litigo.* ¶ וְנִרְגָּן. Sym. ὁ δὲ ὑποκρινόμενος, *qui verò hypocritam agit.* A. τονθρυςὴς, *ſuſurro.* Th. γόγγυσος, *murmurator*] Fortè τονθυριςὴς, à τονθυρίζω, *ſubmiſsè loquor*, *murmuro.* Primaſius in 2 Cor. *Suſurro eſt qui murmurat*, *& non alicui in facie*, *ſed de ipſo aliis malè loquitur.* Iſidorus De etym. *Suſurro de ſono locutionis appellatus*, *quia non in facie alicujus*, *ſed in aure loquitur de altero detrahendo.* ¶ *Murmurator*] *Suſurronem* intelligit qui à Græcis ψιθυριςὴς, dicitur Rom. 1. 30. & ψίθυρος Sirach. 5. 14. Sic γόγγυσος & γογγυςὴς, παρὰ τὸ γογγύζω, *murmuro.* Pſal. 106. 25. וירגנו. LXX. ἐγόγγυσαν. Hieron. *murmuraverunt.* ¶ מַפְרִיד אַלּוּף. Sym. διαγγέλλει ἡγύμενον] Suſpectum. מפריד potiùs διαχωρίζει, *ſeparat*, *disjungit*, & *ducem*, i. e. amicum primarium, ducem amicorum. Hieron. *ſeparat principes.*

29. יְפַתֶּה רֵעֵהוּ. A. Th. ἀπατήσει φίλον, *decipiet amicum.*

30. עֹצֶה. A. Th. ςερεῶν, *firmans*] עצם. Unde *oſſa* dicta. ¶ קֹרֵץ. A. S. Th. κνίζων] Prov. 6. 13. קרץ. LXX. ἐννεύει. A. κνίζει. Sic etiam Th. Κνίζω, *vellico*: item *ſcrupulum injicio*, *ſolicitudinem affero.* κνίζειν τὸν ἐραςὴν dicitur amica cum fingit ſe eum averſari. Hieron. *mordens labia ſua.*

AMAMA.

1. מערכי] Diſpoſitiones, præparationes. 1. de menſa Prov. 9. 2. Aciem. Jer. 50. 9. Unde מערכה acies. 3. Sermonem, diſputationem. Pſ. 50. 28. *Arguo te & ordino in oculis tuis*, ſub. מלים. Job. 32. *Nec ordinavit adverſus me verba.* Hæc omnia fiunt cum diſpoſitione. Jun. *acies cogitationum* id eſt, homo innumeras animo ſuo verſat cogitationes, at ſine Deo movere linguam non poteſt.

2. זך] Alii ad איש referunt, ut cohæreat cum verſu ſuperiori. At melius ut ſit prædicatum, & diſtributio, *unaquaque viarum viri pura eſt*, i.e. pura videtur. Sic ſupra 14. 12. *Eſt via recta in oculis viri*, ואחריתה כוח, Jun. *utut omnibus viis ſuis vir purus videatur*, *tamen perpendit*, id eſt, quaſi numero & pondere pernovit.

3. גל, Vulg. *revela.* גל. Devolve, melius à גלל, volvo, convolvo, devolvo. Sic Pſ. 37. גל אל יה' דרכך ובטח עליו הוא יעשה. Pſ. 55. 23. השלך על י' יהבך והוא יכלכלך.

Firmabuntur cogitationes tuæ] Succedent conatus tui.

4. Summa, Deo ex omnibus operibus ſuis deberi gloriam, etiam ex his quæ humano judicio planè aliter videntur.

5. גבה A גֹּבַהּ vel גָּבַהּ ut מִגַּבַּהּ

יד ליד]

יד ליד] Conjunctis operis, manu ad manum addita.

6. יכפר] Expiabitur. 1. Tegere, obturare. כפר materia glutinoſa, qua aliquid oblinitur; Pix, bitumen, camphora. כפרת, operculum, *ἱλάσμα*.

2. Tegere, obtegere, removere, iram, faciem. Gen. 32. אכפרה פניו, vel peccatum Pſ. 78. והוא יכפר עון. Eſ. 22. *Si expiabitur hæc iniquitas donec moriamini.*

3. *Sordes purgare.* Hinc כפר munus, *ἄποινον, λύτρον.*
יום כפרים, 𝔛 Thiſri.

סור] *Recedere*, i. e. Receditur. Sic 12.7. הפך *ſubvertere*, i. e. ſubvertuntur. 15.22. הפר diſſolvere.

Benignitate] Dei miſerentis. Juſtificatio fit *δωρεάν*.

A malo] Sanctificatio eſt finis purgationis à peccato, non ut inſtar canum ad vomitum redeamus, ſed ut Deo ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ.

8. Summa, poſſeſſionem juſtam etiamſi ſit anguſta, amplæ & injuſtè partæ anteponendam.

בלא משפט] Μετ' ἀδικίας. משפט pro צדק verſ. 11. כמו משפט quæ Lev. 19.15. ס' צדק.

9. Affine verſui 1. hoc diſcrimine, quod ibi de ſermonis directione, hic de omnium negotiorum directione agatur.

Summa, hominem nullâ induſtriâ res ſuas poſſe continere, niſi Deus manum ſuam admoveat.

10. קסם] De eo quod fieri debet. Vel eſt votum. Sic Junius. *Sagacitas inſideat*, &c.

11. Ἀιτιολογία ſuperioris verſus, quod judicium ſit Domini, non hominum, atque hic accuratam obſervationem judicii figurat enumeratis trutinæ partibus.

Alii volunt eſſe ſententiam per ſe, Deum auctorem eſſe ponderum & menſurarum.

פלס] Ab. & Vulg. *Pondus* משקל. Alii, *lingula*, *anſa*, *æquator* à פלס æquare, *Evenaer*.

13. יכון] Lxx. ἑτοιμάζεται θρόνος ἀρχῆς.

14. Nuncii iræ Regis, nuncii mortis.

15. *In luce*] i. e. Serenitate, favore.

מלקוש] ὑετῦ ὀψίμυ. יורה πρώϊμος. Deut. 11. 14. δώσει τὸν ὑετὸν τῇ γῇ συ καθ' ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. Ebr. מטר יורה ומלקוש. Sic Jacob. 5. 7. *Pluvia matura* (non tempeſtiva) *& Serotina.* Alii, *matutina & veſpertina.* Male, *Vroe-regen & Spad-regen.* H. Steph. ex Plin. & Theophr. per πρώϊμον intelligit ὡραῖα ὕδατα, per ὄψιμον, ὀψιαίτερα ὕδατα. Sic apud Theophr. opponuntur τόκοι πρώιοι καὶ ὄψιοι, i. e. præcoces & ſerotini.

Ebr. Jacientis & colligentis. Illa autumnalis hæc verna. Joël 2. 23. גשם מורה ומלקוש. Lxx. τὸν ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον.

GROTIUS.

4. UNiverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum] Senſus non eſt malus, ſi *propter ſemetipſum* intelligas non quòd opus quoquam Deus habeat, ſed ut proprietates ſuas notas faciat, & impium non fieri talem à Deo, (abſit hoc) ſed fieri ſive poni ad mala. Verùm melior erit hæc interpretatio: *Singula Deus facit*, (id eſt, ordinat) *ad id quod ſingulis convenit. Etiam impius ad diem calamitoſum* (ſupple *ordinatus à Deo.*) Nam ענה inter alia, ut & vox *reſpondendi* Latina, ſignificat τὸ συςοιχεῖν, [*eâdem ſerie locari.*] Sic Eccleſ. 10. 19. יענה eſt *compenſat*. Neque ſanè aliter ſumsêre hunc locum Lxx. Πάντα τὰ ἔργα τῦ Κυρίυ μετὰ δικαιοσύνης· φυλάσσεται δὲ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν, [*Omnia opera Dei cum juſtitia: ſervatur autem impius ad diem malum.*]

7. *Cùm placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*] Exemplum in Joſepho & fratribus.

10. *Divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus*] קסם [*divinare*] vox eſt media, & differt à *prophetia* ut apparet Eſaiæ 3. 2. Senſus eſt, Deum Regibus, piis ſcilicet, inſignem largiri ἀγχίνοιαν, [*ſolertiam*,] ut in judiciis miris modis verum reperiant. Exemplum vide 1 Reg. 3. 16. & ſequentibus. Heſiodus in Theogonia de Rege:

> —— οἱ δέ νυ λαοὶ
> Πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιςας
> Ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων,
> Αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπιςαμένως κατέπαυσε.
> [—— *Omnis in illum*
> *Ora ſimul vertit populus cùm limite vero*
> *Ambiguum cauſa ſecat, & certamina magna*
> *Compeſcit, ſubitò ſapientia verba profatur.*]

11. *Pondus & ſtatera judicii, Domini ſunt: & opera ejus omnes lapides ſacculi*] *Statera judicii* hîc eſt ſtatera juſta. Lapidibus Hebræi & vicinæ gentes utebantur pro ponderibus, & eos reponebant in ſacculos, Deut. 25. 13. Theodotion hîc, πάντα ςάθμια μαρσίππυ, [*omnia pondera ſacculi.*] Senſus eſt: juſtitiæ cognitionem hominibus à Deo, ut eximium munus, datam; ut & Heſiodus dixit,

> Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην. ——
> [*Juſtitia humano generi data.* ——]

14. *Indignatio Regis, nuntii mortis*] *Cujus ira nihil obſtat; cujus graviori ſententiæ ipſi qui pereunt aſſentiuntur, quem nemo interrogaturus eſt, imò, ſi vehementiùs excanduit, nè deprecaturus quidem.* Senecæ hæc ſunt libro de Clementia primo, cap. 5.

15. *In hilaritate vultûs Regis, vita*] *Bonâ ſpe omnes implet. Non prodit, ſed oritur*, ait Seneca.

Quaſi imber ſerotinus] Vide Deuteronom. 11. 14. Jac. 5. 7. מלקוש eſt meſſis tempore. יורה vel מורה veris tempore, cujus circumſcriptio Amoſi 4. 7.

21. *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio, majora percipiet*] In Hebræo: *Dulcedo labiorum addet doctrinam*, id eſt, doctrinam faciet pretioſiorem, pondus ei adjiciet. Euripides in Hecuba:

> Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην.
> [*Flexanima rerum Suada Regina omnium.*]

29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam*] Pro *iniquus* eſt in Græco παράνομος, [*legis transgreſſor*:] & pro *lactat* Aquila & Theodotion habent ἀπατήσει, [*decipiet.*] Critias:

> Ὅςις δὲ τοῖς φίλοισι πάντα πρὸς χάριν
> Πράσσων ἐμιλεῖ, τὴν παραυτίκ' ἡδονὴν
> Ἔχθραν καθίςησ' εἰς τὸν ὕςερον χρόνον.
> [*Quicunque amico cuncta quæ placeant agit*
> *Dicitque ſemper, gratiam in præſens emit;*
> *Sed quæ ſtet odio poſt futuro in tempore.*]

Vide Plutarchum, Quomodo adulator & amicus internoſcantur.

32. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium*] Idem dicit quod Ovidius:

> *Fortior eſt qui ſe quàm qui fortiſſima vincit*
> *Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.*

33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*] Nempe ſortes quas Lex præcipit, ut in hæreditatum diviſione; aut Prophetæ, ut Samuel in electione Regis: idem in electione Apoſtoli Act. 1. 24. 25. 26.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

2. DIvidet hæreditatem] Aben-Ezra ſic exponit, *partem capiet hæreditatis cum filiis domini ſui, poſtquam ille mortuus fuerit.*

4. *Intentus eſt*] Scribitur hîc מזין pro מאזין.

6. *Habere parentes ſuos*] Aben-Ezra addit, *ſi fuerint ſapientes.*

7. *Autoritatis*] Eſt hîc יתר idem quod מעלה *dignitas & gradus.*

8. *Infatuabit*] Alludit ad illud Legis, *Munera excæcant Judices*, & capitur hîc שכל pro סכל, licèt ſint alii qui exponant ישכיל *proſperabit*, ut ſit ſenſus, Ubicunque munus fuerit expoſitum, ibi cauſis etiam malis, malè ſuccedere non poteſt. Capiuntur enim Dii & homines muneribus.

9. *Qui repetit rem*] h. e. Qui reiterat mala ſua, hic perdit gratiam Principis ſui.

11. *Rebellis*] Pendet hæc ſententia ad mox præcedentem; & eſt ſenſus, Tantum abeſt ut ſtultus plagis emendetur, ut etiam magis *rebellis* fiat, & *quærat malum* facere, donec *nuncius crudelis contra eum veniat* & perdat. Exemplum eſſe poterit Pharao Rex Ægypti.

14. *Cùm quis aquis aperit exitum*] Qui aquis incluſis non obſtruit foramen anguſtum, mox violentia aquæ rumpit ſibi latiſſimum meatum, ut jam coërceri nequeat: ſic evenit in diſcordiæ primordiis, &c.

16. *Pretium*] Exponunt hîc Hebræi ממון מחיר pro הון *opibus*. Sunt etiam qui accipiendum putant pro *viribus naturalibus atque dotibus naturæ*, quibus ſtulti & vecordes abutuntur in perniciem ſuam.

17. *Quando tribulatio naſcitur*] Secutus hîc ſum Aben-Ezram, qui יולד exponit pro יחלד. Alii ſic exponunt, *Porrò qui in tribulatione alicui fert opem, is naſcitur ei quaſi frater, cenſebiturque magis eſſe frater quàm amicus.*

18. *Pro*

18. *Pro proximo ſuo*] Alii legunt, *in conſpectu proximi ſui*, intelliguntque per *proximum* creditorem. Stultitia, inquit, eſt ſi ſtipuleris pro alio, & obſidem te ponas exponaſque te periculo, ut creditor pro libidine ſua contra te agat.

19. *Qui exaltat oſtium ſuum*] Per *oſtium* plerique hic intelligunt labia; ut ſit ſenſus, *Qui loquitur cum ſuperbia, illum apprehendet contritio.*

24. *In conſpectu intelligentis*] i.e. *Homo intelligens* ſemper *in proſpectu ſuo* habet unde diſcat *ſapientiam*; *ſtultus autem* putat eam quærendam *in extremo terræ*, ideo nunquam inveniet eam.

27. *Nobilem ſpiritum*] Scribitur in Hebræo וקר pro יקר, h.e. Vau pro Jod.

VATABLUS.

1. ET *pax in ea* ושלוה בה] *Et tranquillitas cum ea*: vel, *ubi eſt tranquillitas*. ¶ *Victimis jurgii* זבחי ריב] i.e. Quæ comeduntur cum contentione & jurgio. In quibuſdam enim ſacrificiis Sacerdotes carnis immolatæ partem accipiebant, ſolebant enim tum facere convivium.

2. *Intelligens* משכיל] *Prudens*, *cordatus*.

3. Eſt *conflatorium*, &c. מצרף לכסף וגו'] Sub. *quo probatur*. Quidam, Ut *conflatiorium* probat *argentum*, *& fornax aurum*.

4. *Labio iniquo* על שפת און] *Labio mendacii*, aut *vanitatis*: i.e. ſermoni mendaci & vano. ¶ *Prava* הוות] *Confractionum*, *calamitatum*, *injuriarum*, i.e. ſermoni injuriis pleno.

7. *Labium excellens* שפת יתר] *Sermo magnificus*, *arduus*: i.e. de rebus præclaris. ¶ *Mendax* שקר] *Mendacii*, vel *falſitatis*: i.e. ſermo mendax.

8. *In oculis domini ſui* בעיני בעליו] i.e. In oculis illius qui illo corrumpitur, h.e. judicis. Quidam vertunt, *in oculis habentium ipſum*. ¶ *Ad omnem*, &c. אל כל אשר יפנה ישכיל] *Quoquo ſe verterit*, *proſperè habebit*: i.e. vertet corda Judicum in quamcunque partem volet munus illud. Alii, *Omnem ad quem diverterit*, *infatuabit*: vel, *ſtultè agere faciet*

9. *Qui vero iterat* ושנה] i.e. Revelat. ¶ *Principem* אלוף] Sub. *à principe*. Vel eſt ſing. pro plur.

10. *Deſcendit*, &c. תחת גערה במבין] Hebraïſmus, pro, *Admittet increpationem prudens*, ſive *cordatus*. Quidam, *Cordatum pluſ terret objurgatio.*

11. *Profectò* אך] *Duntaxat.*

12. *Occurrere*, &c. פגוש דב שכול באיש] Quidam volunt infinitivum hic poni pro imperativo, atque ideo vertunt, *Occurrat urſus catulis orbatus in quempiam*, *& non* (i.e. potiùs quàm) *ſtultus in ſtultitia ſua.*

14. Velut *is qui*, &c. פוטר מים וגו'] *Initium contentionis* eſt ſicut cùm *quis aperit aquis* exitum. ¶ *Miſceatur*, *litem dimitte* התגלע הריב נטוש] *Miſceatur lis*, *dimitte*, ſub. *eam litem.*

15. *Facit impium* ומרשיע] *Condemnat tanquam impium.*

17. *Ad anguſtiam naſcetur* לצרה יולד] Fut. Heb. pro præſ. *ob tribulationem naſcitur*: i.e. qui in tribulatione fert opem, tanquam frater cenſetur. Alii, *Et frater* [ſub. *diligit*] *quando tribulatio naſcitur.*

18. *Percutit manum* תוקע כף] *Defigit manum*: i.e. contactu manûs fidejubet: ſolent enim dare dexteram qui pro aliis fidejubent. Mox ſequentibus declarat ſeipſum. ¶ *Coram amico ſuo* לפני רעהו] *Pro proximo ſuo.* Quidam ſic vertunt totum verſum, *Qui ſtipulatâ manu pro proximo fidejuſſor ſpondet, imprudens eſt.*

19. *Qui elevat*, &c. מגביה פתחו] *Qui elevat ædificium ſuum*, *quærit contritionem*: vel *confuſionem*. Quidam Hebræi, *Elevans aperturam ſuam*, ſive *apertionem*, i.e. os ſuum. q.d. Qui loquitur ſuperba contra homines.

20. *Non invenit bonum* לא ימצא טוב] Ità Hbraïcè ut vertimus, pro, *non adipiſcetur felicitatem*. ¶ *Et qui vertitur in lingua ſua* ונהפך בלשונו] *Et inverſus linguâ ſuâ*, vel *ſermone ſuo*: i.e. qui mutat ſermonem. Periphraſis bilinguis.

22. *Benefacit* ut *medicina* ייטיב גהה] *Vegetius reddit* corpus *velut medicina.* Quidam, *bonam facit valetudinem*. Alii, *bonificat* (ſive *meliorem reddit*) *medicinam*: i.e. juvat medicinam ipſam; nam tum facilius ſanat medicina. ¶ *Triſtis* נכאה] *Perturbatus*, *conſternatus*, *perculſus aliquo affectu.*

23. *E ſinu* מחיק] Sub. *divitis*: i.e. clàm. ¶ *Accipit* יקח] Fut. Heb. pro præſ.

24. *In conſpectu*, &c. את פני מבין] *In vultu prudentis* lucet. ¶ *In extremo terræ* בקצה ארץ] Hebraïſmus, pro *ſunt vagi*. q.d. Prudenti præſto eſt ſapientia: at ſtultus quærit eam, & non invenit.

26. *Etiam condemnare juſtum* גם ענוש לצדיק] *Profectò nocumentum inferre juſto.*

27. *Qui ſcit ſcientiam* יודע דעת] Periphraſis eſt ſapientis. Quidam, *Qui cohibet verba ſua*, *ſapiens eſt.* ¶ *Pretioſus ſpiritu* יקר רוח] *Nobilis ſpiritu.* Vel ſecundùm aliam lectionem וקר, *&* *frigidus ſpiritu*, id eſt, qui non facilè movetur ad iram, à radice קר.

28. *Intelligens* נבון] *Prudens*, ſub. *reputatur.*

CASTALIO.

9. QUi *peccatum celat*] Scilicet alterius. ¶ *Amorem quærit*] Sibi conciliat. ¶ *Et qui rem iterat*] Enunciat.

11. *In eum immittetur immitis nuncius*] h.e. mortis, h.e. morte plectetur.

14. *Laxat aquam Princeps ſeditionis*] Concitata ſeditio ruit ut aqua.

16. *Quorſum habet in manu pretium inſanus ad comparandam ſapientiam, cùm ſit cordis expers?*] Non pecunia, ſed animi præſtantia comparat ſapientiam.

17. *Frater in adverſis naſcitur*] Qui *frater*, h.e. verus amicus eſt, is in periculo cognoſcitur.

19. *Qui peccatum amat, rixam amat*] Peccatum rixam parit.

23. *Munus de ſinu*] Clam.

24. *Inſanorum oculi ſunt in extremo terrarum*] Vagi & inſtabiles.

26. *Nec Principes ferire ob æquitatem convenit*] Si te juſtè damnaverint.

27. *Animi frigidi homo*] Remiſſi & non temerarii.

CLARIUS.

2. H*Æreditatem dividet*] h.e. Partem capiet hæreditatis cum filiis domini ſui.

8. *Quocunque ſe vertet proſperè aget*] Ubicunque munus fuerit expoſitum, ibi cauſis etiam malis malè ſuccedere non poteſt. Capiuntur enim omnes muneribus.

9. *Qui celat delictum*] *Qui operit iniquitatem* proximi; *acquirit dilectionem*: & *qui repetit rem* malam, h.e. qui iterat mala, *hic perdit gratiam principis ſui.* Interpres autem ſervavit Hebraïſmum, quo *ſermo* vel *verbum* pro *re* ponitur.

10. *Plus proficit*] *Increpatio magis terret intelligentem quàm centum plagæ ſtultum.*

11. *Rebellis quærit malum*] Spectat hæc ſententia ad mox præcedentem, & eſt ſenſus, Tantum abeſt ut ſtultus plagis emendetur ut etiam magis *rebellis* fiat, & *quærat malum* facere, donec *nuncius crudelis veniat contra eum*, & perdat. Exemplo eſt Pharao.

14. *Sicut qui dimitit aquam*] Qui aquis incluſis non obſtruit foramen anguſtum, mox violentia aquæ rumpit ſibi latiſſimum meatum, ut jam coërceri nequeat: ſic evenit in diſcordiarum primordiis, &c

18. *Stultus homo plaudet*] Alius vertit, *Homo ille deficit corde qui ſtipulatur manu*, *& ſpondet fidejuſſionem pro proximo ſuo*, hoc eſt, Stultitia eſt ſi ſtipuleris pro alio, & obſidem te ponas, exponaſque te periculo, ut creditor pro libidine ſua contra te agat.

19. *Qui exaltat oſtium*] Per *oſtium* plerique intelligunt labia; ut ſit ſenſus, qui loquitur cum ſuperbia, illum apprehendet contritio.

24. *In facie prudentis*] Homo *prudens* ſemper *in proſpectu ſuo* habet unde diſcat *ſapientiam*: *ſtultus* autem putat eam quærendam *in extremo terræ*; ideo nunquam inveniet eam.

R. BAYNUS.

1. M*Elior eſt buccella ſicca cum gaudio*, *quàm domus plena victimis cum jurgio.* Heb. *Cum tranquillitate* vel *pace*] Sic enim legitur Hebraïcè; *Melior eſt buccella ſicca & tranquillitas cum ea*, *quàm domus plena victimis contentionis.* LXX. pro voce Hebræa שלוה, *tranquillitas*, duas reddiderunt, μεθ' ἡδονῆς ἐν εἰρήνῃ. Ex præcedentibus pendet juxta ſententiam Aben-Hezræ ad hunc modum, Solent viri fortes & urbium dominatores deliciis affluere, omnium rerum copiâ gaudere, & hoc nomine ſaltem meliores pauperibus videri. Reſpondet Sapiens, *Buccella ſicca eſt melior*, hoc eſt, præſtat pax & tranquillitas animæ (quam ira maximè vexat & perturbat) cum tenuiſſima victûs ratione: cum pane & aqua vivere præſtat, quieto animo & ſedatâ conſcientiâ, quàm ex inimicitiis & jurgiis, quæ in bello exercentur, lautiſſimam parare menſam, domos replere deliciis. *Vi-*

ſtima lautiores & pinguiores dapes ſignificant. Mactatis primò victimis cùm apud Judæos tum apud infideles in honorem Dei, poſtea ſimul epulari ſolent. Alioqui ſimpliciter pacem commendat Sapiens, & concordiam, ut ſuperiùs c. 15. *Melius eſt vocari ad olera cum charitate*, &c. Secretior erit ſenſus, ſi ad animæ dotes referatur, ut per *buccellam ſiccam* intelligamus Dei ſapientiam in S. literis reconditam, de qua Paulus, *Loquimur ſapientiam inter perfectos.* Et quamvis ſapientia hujus mundi ſeculari eloquentiâ ſuffarcinata, plenior & delicatior appareat hominibus; tamen qui varietate ſcientiarum ſunt inflati ſuperbire & litigare ſolent: Nam *inter ſuperbos ſemper ſunt jurga*, Prov. 13. Melior eſt igitur buccella ſacræ paginæ cum tranquillitate animi.

2. *Servus ſapiens dominatur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem dividet.* Heb. *Filio pudore afficienti, qui vel ſeipſum, vel parentes ſuffundit rubore & ignominiâ*] Quemadmodum *ſapientiam* contulit cum *victoria* & *fortitudine*; ſic hoc in loco cum *libertate*, aſſerens ſapientiam poſſe in libertatem à ſervitute homines aſſerere, & non ſolùm reſtituere in libertatem, ſed etiam ingenuis imperium dare, dum pater parùm prudentis; filii tutelam ſervo committit. Aliter dum prudens ſervus hæreditatem accipit ab hero ſuo, ubi ſtultum filium procul ablegavit: hoc ut aliquando factum eſt, ità ſemper fieri æquum eſt. *Inter fratres hæreditatem dividet*] Ubi plures ſunt filii, familiæ totius moderator relictus ſervus, poſt mortem heri, patris quodammodo fungitur munere, filiis hæreditatem diſtribuit: vel tanquam unus è numero filiorum hæreditatis partem cum illis accipit ſervus ſapiens, ut jam cum libertate & hæreditate collata ſapientia omnibus ſit anteponenda. *Servus*, h. e. populus gentilis ſapiens, qui Chriſti jugo collum ſubmiſit, dominabitur Judæis, ſtultis videlicet filiis, & quod in illis eſt, Abraham patrem pudore ſuffundentibus, qui de libertate ſeſe jactantes dixerunt, *Nos filii Abraham ſumus, & nemini ſervivimus unquam*, Joan. 8. *In medio fratrum*, h. e. inter Prophetas & Apoſtolos partem accipit ſervilis populus nationum, ſed in fide Chriſti prudens: partem, inquam, accepit in terra promiſſionis, hæreditatem Judæis tanquam filiis debitam. Juxta illud, Matth. 8. *Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.*

3, 4, 5. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ità corda probat Dominus*: rectè quædam ſupplevit Interpres ſecutus Septuaginta, qui ſic vertunt, Ὥσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ ἄργυρος, Heb. *Conflatorium argento, & caminus auro: probat corda Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus.* Heb. *Qui malè agit auſcultat labium iniquitatis, vir mendacii attendit ſuper linguam pravitatis. Qui deſpicit pauperem, exprobrat factori ejus: & qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Heb. *Qui ſubſannat pauperem, probro afficit factorem ejus: qui lætatur in calamitate, non habebitur innocens*] Hos tres ſic connectit Aben-Hezra; *Eſt argento conflatorium, & auro eſt caminus ad fundendum, & probandum an ſint pura: ſic intelliget corda Dominus, & ſciet quis ſit malus, & cogitans detractiones, quæ per labia iniquitatis & linguam pravitatum egrediuntur: neque erit innocens qui lætatur in contritione alterius, quia Dominus probat corda, & dat unicuique mercedem ſuam*: ſic ille. Et juxta hunc ſenſum oportuerat vertere, *Malum attendit*, ſup. *Dominus, loquentem ſuper labia iniquitatis: & mendacem auſcultat*, ſup. *Dominus, loquentem per linguam pravitatis*: q. d. Nihil latet Dominum, neque dicta neque cogitata, & ſupplium ſumit non ſolùm de eo qui ſubſannat pauperem, quòd pauper ſit, ſed etiam de eo qui lætatur in ruina & perditione alterius. Alius erit ſenſus ſi referatur ad hominem: Malus homo qui attendit ſuper labia iniqua, qui libenter audit calumniantes, & eos qui iniquè criminantur alios, mendacium frequenter audit, per linguam pravitatis. Prior expoſitio eſt melior. Tertia denique erit, ſi intelligamus hoc in loco Salomonem recitare quædam crimina apud Deum, qui corda probat, quæ tamen apud homines pro criminibus non habentur, cùm videantur abſque cujuſquam injuria fieri: nempe *labiis iniquitatis auſcultare, linguæ mendacis & pravitatis aurem accommodare*: q. d. Non ſolùm peccat, qui loquitur malè, ſed qui audit patienter maledicum; non peccant ſolùm qui per injuriam homines ad paupertatem redigunt, ſed qui verbis ſubſannant, non ſolùm qui in ruinam & perditionem alios trahunt, ſed qui lætantur in ruina aliena: & hi innocentes non erunt apud Deum, qui probat corda: etiamſi apud homines, vel ſibi videantur innocentes.

6. *Corona ſenum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum*] Hortatur patres ut ſtudioſè curent educare filios, & filios monet, quò parentes debito proſequantur honore. Nam quòd ſervus ſapiens aliquando dominatur filiis ſtultis, hoc vel patris culpâ provenit qui filium non erudivit, vel filii culpâ qui patri bene monenti non obtemperavit. Et proinde qui bene & ſtudioſè educati fuerint, ſenes patres amabunt & colent, tantò diligentiùs, quantò meliùs in tenera ætate fuerant inſtructi, quæ res in laudes ſenum maximè cedet, dum non ſolùm à filiis, ſed à nepotibus conſtipantur & honeſtantur. Addidit *filios filiorum*, quos libentiſſime vident ſenes, quaſi tum tandem ſecuri de poſteritate, per quam immortales quodammodo ſunt futuri, & de qua non nihil dubitant, dum filios abſque liberis vident. *Et gloria filiorum patres eorum*] Nihil eſt penitus in hac vita quod magis deceat, nihil quod apud omnes magis commendet, majorem laudem afferat hominibus quàm colere parentes. Quod de carnali parente dicitur, facilè ad ſpiritualem transferre poterit quivis.

7. *Non decent ſtultum verba compoſita, nec Principem labium mentiens.* Heb. *Non eſt decorum in ſtulto labium excellentiæ, quantò minùs in Principe labium mendacii?* נבל non *ſtultum*, ſed *avarum* interpretantur Hebræi. Erat enim ſtultus & avarus Nabal, 1 Reg. 25. Et quòd potiùs verti debeat *avarus* quàm *ſtultus*, ex eo confirmatur, quòd in ſecunda clauſula reſpondeat נדיב, quæ vox *liberalem* ſignificat: pro *verba compoſita, labium excellens*, ſive *labium dignitatis* eſt in Hebræo. Oſtendit Proverbium conditioni & dignitati perſonæ ſermonem eſſe accommodandum, & facta debere verba & promiſſa ſequi. Stultos & imperitos de rebus gravibus, quæ ad ſalutem Reipub. ſpectant, tractare non decet: ſed Principes & potentes viros, quorum eſt opem ferre laboranti Reipub. Sed ad Principis dignitatem ſpectat, nè quem fallat, nam illius verbis omnes adhibent fidem, & proinde facilè poterit quamplurimis imponere. Qui ad malam & ſtultam doctrinam à veritate deflectunt, hæreſi & avaritiæ causâ, quod hæretici ferè ſolent facere, majore nonnunquam ſermonis pompâ & faſtu utuntur, è ſacra ſcriptura teſtimonia proferunt, quod tamen illos minimè decet, cùm ipſi ex animo Scripturis non credunt. *Nec Principem* (hoc eſt Epiſcopum, juxta illud Pſalm. 45. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues Principes ſuper omnem terram*) decet *labium mentiens*: dum vita prædicationi illius non reſpondet, *ſermo mendax* dici poteſt.

8. *Gemma gratiſſima exſpectatio præſtolantis; quocunque ſe vertit prudenter intelliget.* Heb. *Lapis gratiæ munus in oculis poſſidentis illud; quocunque ſe verterit, faciet eum intelligere*, vel *proſperè agere*] Pendet ex præcedenti verſiculo, *Non decet Principem labium mendax*: ſed miram gratiam conciliat præſtare beneficia quæ pollicetur, imò munera omnibus favorem & gratiam pariunt. Nam ut gemma vel lapis pretioſus eſt gratus omnibus ſpectantibus, ſic eſt munus in oculis præſtolantis, ſive (ut eſt in Hebræo) *Domini ſui*, hoc eſt illius qui recipit illud. Et *quocunque ſe verterit*, ſive ad quemcunque locum reſpexerit, ille qui munera largitur, *proſperè aget*, & quod molitur aſſequetur. Quòd ſi aliam ſequamur ſignificationem verbi שכל nempe *intellexit*, erit alius ſenſus, *Munus* ſup. *quocunque reſpexerit, faciet* accipientem *ſapere*, ſive *intelligere* id quod dator velit: h. e. mutant frequenter munera ſententiam judicis, & longè aliter ſentire facit, quàm alioqui vel debeat vel velit: Nam *munera excæcant oculos ſapientum*, Deut. 16.

9. *Qui celat delictum, quærit amicitiam: qui altero ſermone repetit, ſeperat fœderatos.* Heb. *Qui mutat verbum, ſeparat ducem*] Non omnium eſt munera largiri, ſunt aliæ viæ & modi conciliandi vel retinendi amicos, nempe *Qui celat alterius delictum, quærit amicitiam illius*] Vel contrà, quicumque quærit amicitiam alterius, debet imprimis illius celare delictum: verùm qui mutat & auget narrando, vel qui repetit alterius delictum, illud frequenter inculcans ſeparabit & alienabit à ſe vel chariſſimum ſocium & amicum: ſic D. Hieronymus LXX. ſecutus, qui ſic habent, διΐστησι φίλους οἰκείους. Nam dum ſæpius illius repetit tranſgreſſionem, loco amici pro hoſte habebitur. In Hebræo habetur מפריד אלוף, *ſeparat ducem*, *à duce* ſupple, & totam perturbat Rempub. vel *ſeparat à ſe ducem* & rectorem mundi: nam qui à charitate eſt alienus, à Deo diviſus eſt. Proverbium charitatis maximum officium oſtendit, nempe celare delicta, & candidè interpretari, juxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, Prov. 10.

10. *Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum*, vel *magis franget increpatio*] LXX. ſic, συντρίβει ἀπειλὴ καρδίαν φρονίμου, *conterunt minæ cor prudentis.* Verbum Hebr. תחת per verbum ירד verſum reperio apud Heb. & reddi poteſt, *dominabitur increpatio*, vel *conteret* ut LXX. habent. Et ſenſus verſiculi pendet à præcedente: Non eſt amici munus amicorum tranſgreſſiones frequenter repetere ac promulgare, ſed caſtigare monitione & exhortatione amicâ, quam libenter admittet quiſquis cordatus & intelligens eſt: & faciliùs verbis, quàm verberibus caſtigantur multi, quod maximum eſt argumentum prudentiæ. Contrà, ſtulti ſive mali ex eo maximè

patet

patet amentia, quòd nullis plagis corrigi poſſit, nec ullâ quamlibèt amicâ reprehenſione ad ſanam mentem reduci. Vel erit ſenſus, Ex eo quòd ſapiens & intelligens viderit ſtultos multas plagas pati, ſolâ increpatione frangitur, juxta illud,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Plagas intellige, non tam ab hominibus, quàm manu Dei inflictas peccatoribus & ſtultis hominibus, quò cautiores fiant fideles, quos duntaxat ſapientes eſſe apud hunc ſapientem putamus.

11. *Semper jurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Heb. *Rebellis etiam quærit malum, & nuncius crudelis mittetur contra eum,*) Aben-Hezra refert verba, *quæret* & *mittetur*, ad Deum: ut ſit ſenſus, Si quis fuerit rebellis & contumax contra increpationem, & uſqueadeo ſtultus, ut non ſolùm non admittat increpationem, ſed etiam amarulentior & aſperior evadat admonitus, Deus *quæret malum contra eum*, h. e. vult eum crudeliter punire, & *mittere angelum crudelem contra eum:* & erit ſenſus, Satius eſſe temporalem ſuſtinere caſtigationem, quàm ſuppliciis reſervari per malos angelos infligendis. Sunt qui non jungant has duas voces מלאך אכזרי, *Angelus crudelis*, ſed ſupplent aliquid ad hunc modum, *Angelum, qui plagâ crudeli percutiet, mittet contra eum Deus.* Stulti nec admonitione nec plagis caſtigatur, imò nonnunquam rebelles & obſtinati tam ſedulò tendunt ad ſuum malum, ut diceres eos quærere ſuam perditionem. Id quod cùm de aliis, tum de Pharaone, qui neque verbis Moyſi, neque plagis Dei ad ſaniorem mentem potuit revocari, locum habet: ſuum *malum quærere* non ceſſavit, donec tandem *miſſus ſit contra eum angelus crudelis.* Talis ſententia manet eos, qui nec increpatione nec verberibus, ad ſanam mentem redire volunt. Dei patientiam & longanimitatem docet proverbium, & finem obſtinatorum.

12. *Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua*] Heb. Supplenda quædam omittit, ad hunc modum, *Occurrere urſæ orbatæ*, (ſup. *ſimile eſt*, vel *melius*) *quàm viro ſtulto in ſtultitia ſua:* vel ſic ad verbum, (ſup. *bonum eſt homini*) *ut occurrat urſæ orbatæ, & non occurrat ſtulto in ſtultitia ſua.* Perdidiſſe catulos duplicat forocitatem hujus animalis, alioqui crudeliſſimi ac ferociſſimi, nihilominus tamen humano ingenio & induſtriâ ſæpe ſuperatur hoc animal, aut cavetur. Cæterùm ſtultum in ſtultitia ſua confidentem, nullâ neque arte neque viribus poſſumus domare. Pendet ex præcedentibus, & ad eos refertur qui nullam increpationem admittunt: ſed rebelles, ut phreneticus medicum adoritur, ſic hi peſſimè volunt his qui rectè conſulunt: & hortantur. Crudeliores urſis, cùm illi injuriam allaram, & catulos ſublatos ulciſcantur, iſti in benevolos maximè ſæviunt. Id quod cùm de aliis malorum generibus rectè poteſt intelligi, tum verò de his maximè, qui pravis dogmatibus rebelles & incorrigibiles effecti, majorem in modum ſævire ſolent in eos qui ad ſanam mentem hujuſmodi ſtultos homines revocare conantur.

13. *Qui reddit malum pro bono, non recedet malum de domo ejus.* Heb. *Eſt qui reddit malum pro bono non recedet*, vel *non ſolet recedere, malum de domo illius*] Ingratus eſt qui non reddit bonum pro bono ſi modò vires ſufficiant; cùm juxta doctrinam Euangelicam debeamus bonum pro malo rependere, & orare pro perſecutoribus: qui verò *malum pro bono reddit*, etiam ſi per humanas leges nullâ pœnâ pro hujuſmodi crimine ſit obnoxius, Deus tamen qui ſummè bonus eſt, tam inſignem ingratitudinem non ſinet eſſe impunitam, non ſinet malum & afflictionem ab ædibus & familia ingratorum recedere. Allegoricè à domo populi Judaïci malum non recedit, qui maximis à Domino acceptis beneficiis, ingratiſſimi fuerunt. Juxta parabolam quâ uſus eſt Eſaias, Eſa. 5. *Quid eſt quod ultrà debui facere vineæ meæ & non feci?* Ipſi tamen non ſolùm ſervos, ſed filium interfecerunt. Et proinde juxta id quod clamando optabant illis uſuvenit, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, Matth. 27.

14. *Qui dimittit aquam caput eſt jurgiorum; & antequam patiatur contumeliam, judicium deſerit.* Heb. *Aperiens aquam, principium eſt contentionis: antequam miſceatur lis, dimitte*, ſup. *eam*] Sicut ille qui aperit aquas, & foſſam ſcindit, magnæ inundationis cauſam præſtat, quam poſtea non poteſt cohibere, neque revocare; ſic contentioni & jurgio facile eſt dare principium, litem verò componere difficillimum: vel ſenſus erit, Qui principium dat contentioni totius litis eſt habendus autor; ſicut ille qui aperit & dimittit aquas inundare ſuper terram, quæ priùs alveo defluebant. Et proinde ut in cæteris affectibus moderandis principiis obſtandum eſt, ità in litibus & contentionibus: nam ut aqua, ruptâ foſſâ, non poteſt revocari, ità nec ira: & contentio ubi ſemel cœperit, vires acquirit. Proverbium hæreſiarchas & ſectarum magiſtros maximè condemnat, juxta ſenſum allegoricum.

15. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum*] *Condemnans juſtum*, verti poteſt, *& impium faciens juſtum.* Senſus non eſt diſſimilis verbis Eſaiæ, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, Eſa. 5. Impio tribuere laudem juſtitiæ, coram Domino eſt abominatio: nam ità fiet, ut neque ipſe reſipiſcat & vitam corrigat, neque tanquam ſummum malum improbitatem exſecrentur homines: quod in vita humana imprimis eſt utile, nempe, ut juſtitia & æquitas apud omnes bene audiat, iniquitas autem digno vituperio afficiatur; & erit ſenſus, Qui verbis & quotidiano ſermone juſtum dicit impium, & contrà qui juſtum pro impio habet, præter hoc quòd citra æquum & bonum famam hominis denigrat, etiam obſtat quò minùs & alii juſtitiam ſectentur: vel potiùs ſenſus eſt Proverbii, juxta alia Prophetæ verba, *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo*: ut ad judices ſpectet, qui cauſam iniquam prolatâ ſententiâ corroborant & juſtam oſtendunt; & contrà, cauſam juſtam iniquam faciunt judicis autoritate. Hoc Proverbio veluti ſpiritu prophetico condemnavit Salomon Judæos, qui clamabant coram Pilato, *Non hunc, ſed Barrabam*: & quotquot in Chriſtum non credunt, juſtum condemnant.

16. *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cùm ſapientiam emere non poſſit?* Aliter, *Quorſum hoc, pretium in manu ſtulti, ut emat ſapientiam, cùm cor non ſit illi?*] Qui philoſophiæ & ſapientiæ mundanæ ſtudioſi ſunt, multas coguntur impenſas facere, dum libros, dum præceptores ſibi comparant. Verùm ad cœleſtem hanc ſapientiam à Salomone traditam, ſtudioſo magis opus eſt animo quàm opibus. *Cui eſt cor*, h. e. qui ex animo ſtudioſus eſt, hic ſapientiam facilè ſibi comparabit abſque munere, juxta illud, Eſa. 55. *Et qui non habetis argentum, properate, emite & comedite.* Cæterùm qui ſtultus eſt, cui animus deeſt & fides, quamvis in promptu habeat opes & munera, non poterit ſibi comparare ſapientiam. Non igitur opibus congerendis ſtudendum eſt, ſed prima ſapientiæ cura habenda eſt, juxta illud, Matth. 6. *Primùm quærite Regnum Dei.* Docet Proverbium præcipuum pecuniarum & divitiarum uſum eſſe ut opera miſericordiæ fiant, quibus remiſſio peccatorum comparatur, quæ eſt prima pars ſapientiæ.

18. *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.* Aliter, *Et frater ad anguſtiam naſcetur*] Ad ſapientem ſpectat diſtinguere inter amicum verum & fucatum, qua de re libellos integros ſcripſere hujus mundi ſapientes, ſed fortaſſis non tam ſapienter ut Salomon in uno hoc verſiculo. Fidus & verus amicus omni tempore, ſive proſperitatis, ſive adverſitatis, diligit & juvat amicum. Cæterùm ſi quis naſcatur amicus ſub ipſa adverſitate & *anguſtia*, non tam amicus quàm frater habendus eſt: hoc eſt, longè fideliſſimus amicus eſt, qui accedit quaſi naſceretur in tempore anguſtiæ. Aliter, Amicus eſt qui amicitiæ præſtat officia, verùm qui perſeverat in amicitia, in anguſtia perinde eſt fidendum ei, ac ſi tibi frater naſceretur. Videtur ad tempora fidei Chriſtianæ referendum: q. d. Semper ab exordio mundi ſolet amicus diligere amicum: verùm tempore prædicationis Euangelii, quod tempus perſecutionis eſt & anguſtiæ, non tam amici quàm fratres ſunt, mutuò ſe amantes, qui etiam ſub ipſa anguſtia naſcuntur amici, cujus rei plurimæ exſtant hiſtoriæ. Sunt qui ſic locum intelligant, quaſi oſtenderit diſtinctionem inter amicum & fratrem, qui ferè ingratus eſt, neque colit amicitiam præterquam in tempore anguſtiæ, cùm de fratris ſummo diſcrimine agitur, fidam oſtendit amicitiam, ac ſi tunc primò naſceretur frater.

19. *Stultus homo plaudit manibus cùm ſpoponderit pro amico ſuo.* Aliter, *homo deficiens corde ſtipulatur manu*, vel *figit manum, ſpondens ſponſionem coram amico*] Quàm periculoſa res ſit ſponſionem facere, & ſtipulari pro fide aliena, oſtenſum eſt à Salomone cap. 6. *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo.* Meritò igitur *homo deficiens corde* dicitur, qui in re tanti momenti & tam periculoſa ludit & jocatur, *plaudens manu*, ut Hieronymus vertit, ſecutus LXX. potiùs quàm Hebræam veritatem, nam תקע כף *percutiens* vel *figens manum* ſignificat; LXX. verò ἐκκροτεῖ καὶ ἐπιχαίρει. Quàm gravis res ſit de fide aliena ſpondere, noverunt hi qui fidejuſſionibus ad inopiam pervenerunt & miſeriam. Hi *corde deficiunt*, propter defectum cordis, h. e. prudentiæ, non prævident quantæ lites, quanta jactura rerum & amicorum poſſint hinc evenire. Nam ut ſunt boni amici qui bene diligunt, ità ſunt fraudulenti, qui captant occaſionem fallendi per fidejuſſionem: quos cavere monemur hoc verſiculo, nè ex numero eorum habeamur quibus deficit cor, juxta illud quod ſequitur;

20. *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas: qui exaltat os ſuum, quærit ruinam.* Heb. *Diligit prævaricationem qui diligit litem: qui exaltat oſtium ſuum, quærit rupturam*] Non eſt ſatis

tutum

tutum fidejubere pro amico, nam ſunt quos juvat lites ſectari, quod indè conſtat quia *amant ruinam*, ſive (ut eſt in Hebræo) *prævaricationem*, h. e. non ſtare promiſſis. Et quemadmodum qui ædificando *elevat portam ſuam*, h. e. ædes ſuas (totum à parte) *confractionem* & *rupturam* ædium *quærit*, dum altitudini robur ædificii non reſpondet (quamvis hoc non animadvertat ille) ſic qui *exaltat* & elevat *oſtium* oris ſui, majora pollicendo quàm præſtare poterit: & pro ſuis promiſſis amicum vult fidejubere, contritionem & *ruinam* quærit amici, quocum litigare amat, poſtea quàm prævaricatus eſt, promiſſa non præſtans. Juxta ſenſum myſticum, Proverbium eſt contra eos qui manum mittunt ad aratrum, & retro reſpiciunt: qui eùm plura pollicentur quàm præſtant, exaltatione oris propriam ruinam quærunt.

21. *Qui perverſi cordis eſt, non inveniet bonum: & qui vertit linguam, incidit in malum*] Sc. quod cogitavit facere aliis. Ex præcedente pendet verſiculo: nempe, *Qui amat prævaricationem, & elevat linguam ſuam, eſt perverſus corde: iſte non inveniet bonum*, h. e. Deum non cognoſcet, vel ſapientiam non poteſt comparare ſibi, non magis quàm ille qui cor non habet: præſertim ſi linguam etiam invertat, & incipiat docere perversè, tunc cadet in malum. Aliter, *Cadit in malum*, dum reddit pro bono malum, perverſitate cordis & inversâ linguâ, creditorem ſuum & fidejuſſorem, à quibus beneficia accipit, fraudulenter decipere molitus, ut ad ſuperiora referatur: vel in genere dictum poteſt intelligi de quocunque perverſo corde, & inversâ linguâ, quæ maximè aliena ſunt à ſapientia omni fuco carente, & cordis & linguæ, *Qui peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus*, 1 Pet. 2.

22. *Natus eſt ſtultus in ignominiam ſuam, ſed nec pater in fatuo lætabitur*. Heb. *qui generat fatuum ad triſtitiam ſuam, & non lætabitur pater ſtulti*] Jamdudum aſſeruit Sapiens, magnum honorem habere patres ſenes ex filiis & nepotibus, non tamen ex quibuſlibet, ſed ex probis & ſapientibus: nam præſtat non procreare, nec habere liberos, quàm improbos, quos pater ſine triſtitia non poteſt intueri, cùm ſuam negligentiam, qui non caſtigavit adhuc infantes, tum illorum qui improbi evaſere conditionem dolens. *Et non lætabitur in fatuo*] Geminat eandem ſententiam, volens ingentem patris triſtitiam ſignificare: vel ſenſus erit, Dolet pater ſe ſtultum genuiſſe, de quo in vita lætari non poteſt. Hoc Proverbio monentur homines, nè temere ad procreandos liberos properent, ſed legitimo modo, & omni debitâ diſpoſitione ſeſe præparent, à Deo petentes liberos, quos in cultu unius Dei & probitatis ſtudio nutriant, ſic demum de illis ſolidam lætitiam habituri.

23. *Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*. Senſum reddidit Interpres. Heb. *Cor lætum bonam facit medicinam*, vel *bene facit ut medicina, ſpiritus triſtis exſiccabit oſſa*] De triſtitia dictum eſt quam habet pater de filio ſtulto, quæ quantum mali afferat ſenectuti patris hoc verſiculo oſtendit. q. d. Filius malus, qui ſapientiam & diſciplinam capere recuſat, patri tam in animo quàm in corpore affert injuriam, nam ex triſtitia naſcuntur morbi corporis, ex lætitia verò ſanitas. Cor lætum confert ad ſanitatem tanquam medicina: optima eſt expoſitio. Alioqui ſenſus eſſe poteſt, lætitiam cordis commendare medicinam, & efficacem reddere: q. d. Medicina non proderit niſi animo ſit læto qui recipit. Sunt ex Rabbinis qui deducunt vocem גהה à verbo נגה quod *ſplendeſcere* ſignificat; ut ſit ſenſus, *Cor lætum* juvat, ſive bonam facit aciem oculorum, quæ in ſenibus deficere ſolet maximè; & *ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*, in quibus vires corporis maximè conſiſtunt. Equidem *ſeculi triſtitiam* intelligo, quæ ſecundum Paulum *mortem operatur*, 2 Cor. 7. & gaudium ſpiritûs, de quo Chriſtus, *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, Joan. 16. & Paulus, *Gaudete in Domino ſemper*, Philip. 4. h. e. ſemper in animo eſſe ſanum, etiam ſine medicina pœnitentiæ.

24. *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii*. Poteſt eſſe ſenſus, *Munus accipiet de ſinu impii*. ſup. *judex*; vel, *iniquus accipiet munus de ſinu, ut impertiat judici*. Ambiguo ſermone voluit Salomon intelligere, iniquum eſſe & qui accipit munus, & qui largitur, quamtumvis ſecretè, ut pervertatur judicium. Sunt *ſemitæ judicii* leges, quas qui *pervertit* non unum hominem afficit injuriâ, ſed in Remp. multis nominibus iniquus eſt, dum ſuum privatum commodum cum alieno incommodo & legum violatione ſequitur; neque minus malum quia ſecretum, hoc enim ſignificat *è ſinu*. Quòd ſi impius eſt, qui pro munere pervertit vias judicii, ubi de caducis agitur rebus, quantò magis qui foro conſcientiæ præſidens Epiſcopus, aut ſacerdos, cum jactura animarum pecunias accipit ut judicium pervertat?

25. *In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ*; vel, *coram prudente erit ſapientia*] Sæpe diximus Salomonem per *ſapientem* & *prudentem* bonos, ſtudioſos & fideles intelligere; per *ſtultos*, improbos & iniquos. *Coram prudente*, vel potius *cum facie prudentis eſt ſapientia*, quòd præſens ſit & familiare viro probo bene agere, vel quòd ſemper Dei voluntatem reſpiciat, & quid lex Dei (in qua eſt ſumma ſapientia) præſcribat, ſolum attendat, ſapientiam præferat omnibus muneribus, ut referatur ad ſuperiorem verſum. Sed *oculi ſtultorum*, qui terrena ſapiunt, & quorum Deus venter eſt, non habent ſapientiam in quam reſpiciant, idcirco reſpiciunt in *extremum terræ*, h. e. ad infima quæque ex his rebus terrenis, vel ad *extrema terræ*, quòd inſatiabiles ſint oculi illorum in rebus mundanis, neque præſentibus ſint contenti, ſed aliena quæ procul ſunt animo complectantur, vel orbis dominium ambientes. Sunt qui referunt *fines terræ* ad *ſapientiam*, non ad *oculos ſtulti*: & erit ſenſus, Quàm longiſſimè abeſt ſapientia ab oculis ſtulti, ut qui nihil minus quàm de ſapientia cogitat: vir prudens ob oculos habet ſapientiam, ut locum habeat illud Euang. Matt. 6. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*.

26. *Ira patris filius ſtultus, & dolor matris qui genuit eum*. Heb. *Amaritudo genitricis illius*] Sæpe repetit hanc ſententiam Salomon, ſub diverſa verborum forma, non ſolum quòd frequentiſſimè uſuveniat, ut graviſſimam ſeu iram ſeu triſtitiam ob filiorum ſtultitiam ſuſtineant patres, ſed quod ſit prima & præcipua pars ſapientiæ in juvenibus (quos Salomon inſtruit) parentibus obtemperare, ut inquit Paulus Epheſ. 6. *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi*; neque enim vitâ dignus eſt, qui ingratus eſt illis per quos vitam accepit.

27. *Non eſt bonum damnum inferre juſto, nec percutere principem qui recta judicat*] Quamvis ſunt iniqui judices qui munera accipiunt ſecretò, ut modò dictum eſt, tamen non oportet putare omnes eſſe tales: ſunt enim juſti judices, quos non eſt bonum condemnare, h. e. de quibus malè ſentire iniquum eſt; & ſunt principes liberales, qui munera contremnunt, de quibus malè loqui, cum quod æquum eſt judicent, non eſt bonum; ut referatur ad tertium præcedentem verſiculum. Alii referunt ad verſiculum proximè præcedentem; ut ſit ſenſus, Etiam damnare patrem juſtum cum filio ſtulto, non eſt bonum: ſunt enim multi patres valde ſoliciti ut filios ad bonam frugem deducant, quod nullâ ratione facere queunt. Aliter גם, i. e. *etiam*, refertur ad munus; q. d. munus accipere è ſinu ad judicium pervertendum malum eſt: etiam juſtum condemnare ſine munere malum eſt; q. d. bis peccant judices qui munera accipiunt, & quod munera accipiunt, & quòd innocentem condemnant.

28, 29. *Qui moderatur ſermones ſuos doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritûs vir eruditus*. Heb. *Continet eloquia ſua qui ſcit ſcientiam, pretioſus ſpiritu eſt vir intelligentiæ. Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur; & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens*. Heb. *Stultus quoque qui ſibi imponit ipſi ſilentium, ſapiens æſtimabitur: comprimens labia ſua, intelligens*] Hos duos verſiculos ſic connectit Aben-Hezra. Multa dicta ſunt de laudibus linguæ ſapientis, & in reprehenſionem ſtultorum labiorum. Silentium quoque in homine prudente non caret ſuâ laude, imò quò quis doctior & prudentior, hoc novit meliùs loquendi tacendique vices: & *pretioſus ſpiritu*, h. e. præditus rarâ quadam mentis intelligentiâ, contemplatione & meditatione ſolitariâ magis gaudet, quàm cum aliis ſermones conſerere: neque ſolùm doctis hominibus magna virtus eſt taciturnitas, ſed etiam in indoctis & in ſtultis nihil magis laude dignum invenias quàm ſi tacere noverint. Reputabitur enim pro ſapiente ſtultus taciturnus, & reputabitur intelligens qui obturat labia ſua. Alii ad laudem ſapientis putant referendum, quòd non ſolùm ipſe noverit tacere, & prohibere ſuam linguam à malo, ſed etiam novit ſtultis hominibus ſilentium imponere; prior expoſitio eſt melior. Sunt qui vocem Hebræam יקר legentes, & interpretantes ut ſcribitur (Hebræi enim legunt קר) vertunt non *pretioſus ſpiritu* vel *raro ſpiritu*, ſed *frigidus ſpiritu*, qui novit ſpiritum & iram cohibere.

LUCAS BRUG.

16. SEntentiam iſtam, *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam: & qui evitat diſcere* [*ducem*, o. *diſcedere*, o.] *incidet* [*incidit* 12. MS] *in mala*, quam complures codices v. 16. hujus capitis ſubjiciunt, multi prætermittunt, novem noſtri, novem Hentenii, ſeptem Pariſienſium, quidam Lugdunenſium, antiqui Dominicanorum, & antiqui Epanorthotæ. A Beda tractatore præteritur: in Hebraïcis libris non legitur: Chaldaïcis poſtremò exemplaribus non additur. Eſt autem ex Græcis antigraphis ſumpta, quibus ad hunc legitur modum, ὁ ὑψηλὸν

ὑψηλὸν ποιεῖ τὸν ἑαυτοῦ οἶκον, ζητεῖ συντριβήν· ὁ δὲ σκολιάζων τοῦ μαθεῖν, ἐμπεσεῖται εἰς κακά. Conſtat hinc, non *ducem*, nec *diſcedere*, Latinè legendum, quæ exemplarium quorundam eſt lectio, ſed *diſcere*. Videtur autem verſus iſte ex aliis hujus capitis locis huc coactus. Prior enim pars, *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam*, paulò poſt, v. 19. habetur, cùm dicitur, *Et qui exaltat oſtium ſuum, quærit ruinam* (ſic enim legitur in Regiæ editionis textibus, ut Hebræo, & Chaldæo, ità & Latino) id quod eo loci plerique Græcorum codices (Complutenſis, atque ex eo Regius, Aldinus, Argentoratenſis, Baſileenſis) tanquam priùs lectum, prætermittunt: Sed Vaticanus his verbis habet, *ὑψῶν θύραν ἑαυτοῦ, ζητεῖ συντριβήν·* quanquam, ut nobis ſignatum eſt, ejus loco, quod eſt in exemplaribus, Aldino, Argent. & Baſil. *ἐπὶ δὲ τῶν ἑαυτοῦ χειλέων πῦρ θησαυρίζει*, h. e. ante iſtud *Φιλαμαρτήμων χαίρει μάχαις*, *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas*, cui in Hebræo, Chaldæo & Latino ſubjungitur. An autem primam illam Græcorum librorum ſententiam (*ὃς ὑψηλὸν ποιεῖ καὶ τὰ ἑξῆς*) Vaticanus omittat, ignoro: hoc indicatum habemus, quòd *ζητεῖ* demat, id quod qui ſolum demi poſſit non facilè video. Poſteriorem partem, *Et qui evitat diſcere, incidet in mala*, non invenio ipſam quidem alio hujus capitis loco; verùm non abſimilem v. 20. *Et qui vertit linguam, incidet in malum*: quanquam ea ſuo loco Græcis libris conſtanter legatur, hoc pacto, *Ἀνὴρ εὐμετάβολος γλώσσῃ ἐμπεσεῖται εἰς κακά.*

DRUSIUS

1. חֲרֵבָה. A. *ἀνεξηραμμένος, ſiccata.* Th. *καθ' ἑαυτὸν, convenientem ſibi*] *Siccata ἐξηραμμένος·* compoſitum pro ſimplici: nam *ἀνεξηραμμένος* propriè *reſiccata*. Sed eſt cur malim *ſicca*, *ξηρός*. ¶ *Convenientem ſibi*] Quæ ſorti ſuæ & conditioni conveniat, quæ ſit pro facultatibus ejus qui eâ veſcitur. Coactum & dilutum nimis.

2. יִמְשֹׁל בְּבֵן מֵבִישׁ. S. Th. *υἱοῦ καταισχύνοντος, filio pudendo*] *Dominabitur in filium pudendum.* *υἱὸς καταισχύνων* ità dicitur ut *γυνὴ καταισχύνουσα, mulier pudenda.* Ad verb. *pudefaciens*, qui videlicet ſe & parentes ſuos pudefacit. ¶ יַחֲלֹק נַחֲלָה. A. S. Th. *μεριεῖται κληρονομίαν, dividet hæreditatem.*

3. וּבֹחֵן לִבּוֹת יְהוָה. A. S. Th. *καὶ δοκιμάζων καρδίας Κύριος, & probans corda Dominus.* Schol. *ἐκλέγεται καρδίας Κύριος, ſeligit corda Dominus.*

5. חֵרֵף. A. S. Th. *ὠνείδισεν, probro affecit.*

6. וְתִפְאֶרֶת בָּנִים. S. *καὶ δόξα υἱῶν, & gloria filiorum.*

7. לֹא־נָאוָה. S. *οὐ πρέπει, non decet.* ¶ לְנָדִיב. Th. *ἡγουμένῳ, duci.* ¶ שְׂפַת. A. *χεῖλος, labium.*

8. אֶבֶן. S. *σταθμὸν, pondus.* Th. *λίθος, gemma*] *Pondus*: ſic אבן שלמה *pondus integrum*: nam lapidibus ponderamus. Sic *lapides ſacculi*, i. e. Pondera. ¶ *Gemma.* *λίθος* dixit pro *λίθος τίμιος, lapis pretioſus*, i. e. gemma. Moſchopulus, *ἡ λίθος ἀντὶ τῶν τιμίων λίθων.* Significat hoc ſenſu nomen eſſe fœmininum.

9. וְשֹׁנֶה בְדָבָר מַפְרִיד אַלּוּף. S. *ὁ δὲ δευτερῶν λόγον διαχωρίζει συνήθειαν, qui verò iterat ſermonem, disjungit conſuetudinem.* Th. *καὶ δευτερῶν ἐν λόγῳ διορίζει ἡγούμενον, & iterans in ſermone dividit ducem*] Qui rem ab uno ad alium defert; delator. ¶ *Conſuetudinem*, amicorum inter ſe. ¶ *Ducem*; ducem amicorum, i. e. primarium ſeu præcipuum amicum.

10. תֵּחַת גְּעָרָה בְמֵבִין מֵהַכּוֹת כְּסִיל מֵאָה. Th. *Ἥξει ἐπιτίμησις εἰς τὸν συνετὸν ὑπὲρ τὸ πλῆξαι ἄφρονα --- Intrat increpatio in intelligentem altiùs quàm ſi percutias amentem ---* A. *Πλῆξις ἐπιτιμήσεως ἐπὶ συνιόντι, Percuſſio increpationis in intelligente*] *Intrat*; *ἥξει, veniet.* ¶ *Percuſſio*; Interpretatur תחת ac ſi eſſet nomen à חתת *contero.* ¶ *In intelligente.* *συνιὼν* pro *συνετὸς, intelligens*: unde hîc *συνιόντι, intelligenti*, & alibi *τοῖς συνιοῦσι, intelligentibus.*

11. מְרִי. S. *ἐρεθισμοὺς, irritationes, provocationes.* Th. *παραπικρασμὸν, exacerbationem.* ¶ אַכְזָרִי. Schol. *ὠμὸν, crudum.* S. *ἄσπλαγχνον, immitem, crudelem.*

12. פָּגוֹשׁ דֹּב שַׁכּוּל בְּאִישׁ וְאַל־כְּסִיל בְּאִוַּלְתּוֹ. Th. *Συναντῆσαι ἄρκτῳ ἠτεκνωμένῃ ἄνδρα, καὶ μὴ ἀσυνέτῳ ἐν ἀφροσύνῃ αὐτοῦ, Occurrere urſæ catulis orbæ virum ſatius eſt quàm ſtulto in amentia ejus.*

14. פּוֹטֵר מַיִם רֵאשִׁית מָדוֹן. Th. *Ἀπολύων ὕδωρ, ἀρχὴ μάχης, Solvens aquam, initium pugnæ*] *Dimittens.* Idem verbum in illo, *Nunc dimittis ſervum tuum in pace.*

16. לָמָּה־זֶּה מְחִיר בְּיַד־כְּסִיל. A. S. *Ἱνατί τοῦτο ἀντάλλαγμα ἐν χειρὶ ἀνοήτου; Cur hoc ut commutatio ſit in manu amentis?*] *Pretium.*

17. בְּכָל־עֵת. Schol. *εἰς πάντα χρόνον, omni tempore.*

18. תּוֹקֵעַ כָּף. Th. *ἐπικροτήσει χεῖρα, plaudet manu.*

19. מַגְבִּיהַ פִּתְחוֹ מְבַקֶּשׁ שָׁבֶר. S. Th. *ὑψῶν θύραν αὐτοῦ ζητεῖ συντριβὴν, qui extollit portam ſuam, quærit contritionem*] Portam domûs, vel oſtium oris.

20. עִקֶּשׁ־לֵב. S. Th. *στρεβλοκάρδιος, perverſo corde præditus*] Vide quæ ſcripſimus Prov. 11. 20.

21. נָבָל. A. *ἀπορρέοντι defluenti.* S. *μωρῷ, ſtulto.* Th. *ἀναισθήτῳ ſtolido*] Aut *ſtupido*, q. *ſenſu communi carenti.* Sed in his libris *αἴσθησις* pro *ſcientia*, i. e. דעת, uſurpatur. Ergò *ἀναίσθητος, ſcientiâ carens.* ¶ *Defluere de mente* dicitur qui deſipit. Expreſſit etymon nominis נבל, quod à נבל *defluo, marceſco.*

22. יֵיטִב גֵּהָה. S. *ἀγαθύνει ἡλικίαν, bonam reddit ætatem* ¶ וְרוּחַ נְכֵאָה. A. *καὶ πνεῦμα πεπληγμένον, ſpiritus percuſſus.* S. *τεταπεινωμένον, humiliatus, κατανενυγμένον compunctus.*

23. רָשָׁע. Schol. *ἀσεβὴς, impius.*

24. אֶת־פְּנֵי מֵבִין חָכְמָה. S. *κατὰ πρόσωπον συνετοῦ σοφία, in vultu intelligentis eſt ſapientia.*

25. כַּעַס. A. S. *πικραίνων, acerbans.* Th. *πικρασμὸς, acerbatio.*

26. נְדִיבִים. S. *ἑκουσιαζόμενον, ultro ac ſponte liberalitatem exercentem.* ¶ עַל־יֹשֶׁר. A. *ἐπὶ εὐθύτητι, propter æquum.*

27. יוֹדֵעַ דָּעַת. A. *ἐπιστήμων, peritus.* Alius, *γινώσκει γνῶσιν, novit ſcientiam.*

28. גַּם אֱוִיל מַחֲרִישׁ חָכָם יֵחָשֵׁב. A. S. Th. *Καίγε ἄφρων κωφεύων, σοφὸς λογισθήσεται, Etiam ſtultus, ſi mutus ſit, ſapiens reputabitur*] Tacens ut mutus, ac ſi mutus eſſet. ¶ אֹטֵם שְׂפָתָיו נָבוֹן. A. Th. *βύων --- obſtruens. ---* Alius, *Φιμῶν χείλη αὐτοῦ, συνετὸς, qui capiſtrat labia ſua, intelligens*] *Obſtruens*; qui obturat. ¶ *Capiſtrans*; *Φιμόω, camo ſeu fiſcellâ capiſtro, obturo.* Lex. vet. *Φιμῶ, compeſco.*

GROTIUS.

2. *Servus ſapiens dominabitur filiis ſtultis*] Manumiſſus, tutor filiis relinquetur. Galat. 4. 1. 2. *Τὸ ἄρχειν κρείσσονος* [*imperare eſt melioris*,] ajunt Philoſophi.

Et inter fratres hæreditatem dividet] Tutorio officio.

10. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centem plagæ apud ſtultum*] In Hebræo pro *plus proficit* eſt *deſcendit*: id eſt, in animum penetrat. *Sapienti dictum ſat eſt.*

11. *Angelus autem malus mittetur contra eum*] Nuntius qui ei mortem denunciet.

14. *Qui dimittit aquam caput eſt jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deſerit*] Meliùs ſic ex Hebræo, *Aperit aquas, qui principium eſt contentionis: propterea antequam lis commiſceatur, deſere.* Ut qui incile facit in ripa amnica, neſcit quouſque amnis ſit penetraturus: ità qui jurgia incipit. quare priuſquam incaleſcant, incidenda ſunt.

15. *Qui juſtificat impium*] Id eſt, eum abſolvit, aut illi cauſam injuſtam adjudicat. *Juſtificare* eſt tractare ut juſtum.

16. *Qui altam facit domum ſuam quærit ruinam, & qui evitat diſcere occidet in malo*] Hoc ex Græco eſt, non ex Hebræo.

17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt*] Qui verè amat, mutatâ fortunâ amicum non deſerit. Menander:

> *Χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί.*
> *Ἡ δ' ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.*
> [*Aurum explorari ſolet admotis ignibus;*
> *At amicus quis ſit verus docet occaſio.*]

Et frater in anguſtiis comprobatur] Amicus in rebus adverſis velut frater apparet, imò plus quàm frater, ut mox dicitur 18. 24. nec aliter confert Euripides Oreſte:

> *Ὡς ἀνὴρ, ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὢν*
> *Μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.*
> [*Namque morum copulatus fœdere, externus domo.*
> *Longè amicus ante amicos quos dedit cognatio.*]

Bene autem, *in anguſtiis.*

> *Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum*
> *Tempore ſic duro eſt experienda fides,*

ait Ovidius. Pro *comprobatur* in Hebræo eſt *naſcitur*, pro *oſtendit ſe.*

19. *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas, & qui exaltat oſtium quærit ruinam*] Senſus meliùs cohærebit ſi ex Hebræo vertas: *Diligit iniquitatem* (id eſt, omne peccati genus) *qui diligit jurgium, & ampliat januam ejus* (nempe iniquitatis) *qui quærit fracturam*, id eſt diſſidia. Diſcordia multis peccatis viam aperit.

23. *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitam judicii*] Vide quæ ſuprà 15. 27. & Deut. 16. 19.

28. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*] Sicut cuidam dictum eſt: *Si tacuiſſes Philoſophus fuiſſes.*

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

1. CUt in votis eſt] Quidam Hebræi hunc locum ſic exponunt, *Propter deſiderium cordis ſui deſerit quis locum ſuum, & adjungit ſe viris integris moribus & ſapientiâ, ut ſapientiam addiſcat.* Alii exponunt in malam partem, quòd *plerique ob vehementiorem habendam delectationem ſegregant ſe ab hominibus*, &c. Capitur autem לתאוה pro בעבור תאוה, & נפרד pro התבודד, & יתגלע pro יתערב. Unde quidam ſic exponunt, *Qui ſe animo ab aliis ſequeſtrat, in omnibus affectum ſuum ſecutus, is cunctis rebus vel ſolidiſſimis ſe immiſcet, captans occaſionem ab aliis diſſentiendi.*

3. *Cùm venit impius*] i.e. Quando impius naſcitur, venit publicum malum in mundum.

4. *Aquis profundis*] Ut aquæ profundæ exhauriri nequeunt, ſic nec verba ſapientiæ, &c.

8. *Verba delatoris*] h. e. Delatores & bilingues ſunt publicæ orbis peſtes, conturbantes pacem, & amicitiam dirimentes, atque per ſycophantias ſuas diſſidia ſeminantes. Sunt qui כמלהמים exponunt pro כמכים, ſicut nos vertimus: alii interpretantur pro דברים מסותרים *verbis occultis*, quibus calumniatores & ſycophantæ quidam utuntur in proximi perniciem.

9. *Qui deſiſtit ab opere ſuo*] Damnatur hic ignavia & negligentia quorundam hominum, qui, cùm à labore ceſſent & non habeant unde vivant, neceſſe eſt ut משחיתים fiant, h. e. *qui alios circumveniant & imposturas exerceant.*

11. *In imaginatione ejus*] h. e. Habet dives hanc falſam opinionem, quòd divitiæ ejus ſint unicum fortalitium ejus, cùm interim juſtus longè tutiorem habeat munitionem ad quam confugiat, nempe *nomen Domini.*

12. *Ante contritionem*] Habet hunc ſenſum, *Superbi humiliantur, & humiles exaltantur.*

13. *Qui reſpondet*] Stultus reputandus eſt qui non requiſitus in cauſa aliqua reſpondet.

14. *Spiritus hominis*] Senſus eſt, Morbi animæ longè graviores ſunt morbis corporis, quia anima poteſt ſanare corpus ægrotum, non autem corpus animam.

16. *Donum hominis*] Qui liberalis eſt in erogandis donis, huic aditus patet uſque ad Principes & Reges.

17. *Juſtus prior eſt in cauſa ſua*] Qui juſtam habet cauſam, is ſimpliciter & confidenter proponit eam Judicibus; cùm adverſarius ejus, ut illam impugnet, multas cogatur facere inquiſitiones & excogitare commenta. Alii tamen referunt *& ſcrutatur eum* ad Judicem, qui alteri non tam facilè credit ut priori, qui liberè cauſam ſuam propoſuit.

18. *Fortiter renitentes*] i. e. Qui utrinque pertinaces ſunt, componitur cauſa eorum per ſortis projectionem.

19. *Frater iniquitate offenſus*] Hebræi variis modis locum iſtum exponunt, ut neſciam quis veriorem poſuerit expoſitionem. Sunt enim qui hunc colligunt ſenſum; Frater etiam à fratre offenſus illi in neceſſitate magis prodeſt quàm urbs fortis, eò quòd ſint de carne atque ſanguine uno. Sic fratres qui in mutua ſunt diſſenſione, tempore neceſſitatis unus alteri fert opem, & eſt quaſi fortalitium repagulis obſeratum. Alii referunt hanc ſententiam ad *ſortem*, quòd ea implacabiles fratrum diſſenſiones, quæ ratione hæreditatis oboriuntur, componat.

VATABLUS.

1. OB *deſiderium*, &c. לתאוה יבקש נפרד] Fut. Heb. pro præſ. acſi dicat, *Præ deſiderio ejus ſapientiæ, quærere ſolet* quærens ſapiens ſapientiam, *ſejunctus* ab hominibus, i. e. poſthabitis rebus omnibus. Alii, *Secundum deſiderium*, ſive *Præ deſiderio quæret ſeparatus*: i. e. liber omni re terrenâ. Ex more Hebraïco ſubaudiri debet nomen vel participium à verbo deſcendens; ut à *quæret*, *quærens.* ¶ *Sapientiâ* תושיה] *Doctrinâ verâ*: vel, *eruditione ſanâ.* Quidam parùm ex loco vertunt *eſſentiâ.* Alii, *ſoliditate.*

2. *Non complacebit ſibi*, &c. לא יחפוץ כסיל בתבונה] *Stultus non delectatur intelligentiâ*; vel *prudentiâ.* ¶ *Niſi cùm manifeſtatur cor ejus* כי אם בהתגלות לבו] Ad verb. *ſed in patefacere cor ejus*, i. e. in eo quod manifeſtat cor ejus; nempe in ſtultitia. Quidam, *Sed* in eo quod *volutat corde ſuo.*

3. *Et cum* viro *ignominioſo* ועם קלון] Ad verb. *& cum ignominia*: i. e. cum viro ignominioſo.

4. *Vena* מקור] *Fons.*

5. *Non eſt bonum* לא טוב] i. e. Peſſimum eſt: nam quando Hebræi volunt explicare ſuperlativum, dicunt per negationem. ¶ *Ut declinare faciant*, &c. להטות צדיק במשפט] *Ut cadere facias juſtum judicio.* Alii, *ut pervertas* cauſam *juſti in judicio.*

6. *Labia ſtulti*, &c. שפתי כסיל וגו'] *Sermones ſtulti deveniunt in litem: & os ejus ad verbera invitat.* Vel, *convocat ad digladiationes.*

7. *Et labia ipſius*, &c. ושפתיו מוקש נפשו] *Et verba ſua offendiculum animæ ſuæ*: q. d. Læditur ſtultus proprio ſermone.

8. *Suſurronis* נרגן] *Delatoris*; *detractoris.* ¶ *Velut blanda* כמתלהמים] à להם *blandiri*, *lenire.* Alii, metatheſi literarum, ab הלם *contrivit*, *percuſſit*, *vulneravit*, vertunt *velut percuſſiones* leves: q. d. *Verba delatoris clam occidunt.* Vide eadem infrà 26. 22.

9. *Qui remiſſus*, &c. מתרפה במלאכתו] *Qui dereliquerit opus ſuum.* ¶ *Frater eſt* אח הוא] Hebraïſmus, pro *ſimilis eſt.* ¶ *Domino diſſipanti* לבעל משחית] *Domino* [i. e. viro] *perdenti*, ſub. *facultates ſuas.*

10. *Et exaltabitur* ונשגב] i. e. Erit in loco alto & tuto.

11. *Urbs fortitudinis ſuæ* קרית עזו] Hebraïſmus, *urbs fortiſſima ipſius.* ¶ *Elevatus*, &c. נשגבה במשכיתו] *Altus* [vel *ſublimis*] *in mente ſua*, vel *opinione.*

12. *Elevatur* יגבה] Fut. Heb. pro præſ. *ſe exaltat*: aut *exaltare ſolet.* Simile habes ſuprà 16. 18. *Superbi humiliantur; & humiles exaltantur.* ¶ *Humilitas* ענוה] *Dejectio*; *manſuetudo.*

14. *Feret infirmitatem ejus* יכלכל מחלהו] Fut. Heb. pro præſ. *perfert morbum ejus*, i. e. corporis ſui in quo habitat. ¶ *Percuſſum* נכאה] *Perculſum*, vel *perturbatum aliquâ afflictione*: q. d. Levius eſt ferre corporis quàm animi infirmitatem. ¶ *Feret* ישאנה] Ad verb. *feret eum?* Redundat pronomen Latinis. Alii, *levabit*, vel *ſuſtentabit eum.*

15. *Cor intelligens* לב נבון] *Animus prudentis.*

16. *Dilatare facit ei* locum ירחיב לו] Ad verb. *latam facit ei*, ſub. *viam.* Quidam vertunt, *parat aditum ſibi*, ad Judices ſcilicet. Seipſum declarat ſequentibus verbis.

17. *Juſtus, prior* צדיק הראשון] *Juſtus* eſt *primus in lite ſua*, i. e. Qui prior eſt in lite ſua narranda Judici corrupto muneribus, eſt juſtus, h. e. ſuperior in cauſa. ¶ *Venit autem*, &c. ובא רעהו וחקרו] *Quamvis veniat ſocius ejus*, [i. e. adverſarius] *& inveſtiget eum*, i. e. verba ejus: q. d. quamvis excutiat cauſam illius prioris.

18. *Et inter*, &c. ובין עצומים יפריד] *Et contendentes ſeparat*: qui ſcilicet roborant ſeſe in contentione & lite, ut annotat doctus inter Hebræos. Fut. Heb. pro præſ. *ſeparat unum ab alio.*

19. *Frater* læſus *durior eſt*, &c. אח נפשע וגו'] *Frater* læſus *obſtinatior eſt*, &c. Alii, *Frater qui rebellat*, magis rebellat *quàm civitas fortis.* Præt. Heb. pro præſ. i. e. Rebellio fratris gravior eſt quàm rebellio civitatis fortis contra Principem ſuum. Vel, *Frater qui prævaricatur* [i. e. à quo egreditur prævaricatio] magis prævaricatur *quàm civitas fortis*, ſub. *quæ prævaricatur contra Regem ſuum.* Alii vertunt, *Frater* iniquitate offenſus, *vehementior eſt urbe fortiſſimâ.* Alii jungentes præcedenti verſui vertunt, *Frater* ſorte *ejicitur* [*ſeparatur*] *ab urbe forti*, i. e. ex contentione ſua dura quæ illi eſt cum fratre, quæ fortior eſt *vectibus palatii*: q d. Sorte dirimuntur lites inter fratres, quantumvis acerbæ. ¶ *Palatii* ארמון] i. e. Velut vectes quibus clauduntur fores palatiorum: q. d. Fortes ſunt & graviſſimæ.

20. *Satiatur* תשבע] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Proventu labiorum ſuorum* תבואת שפתיו] Repetitio eſt: idem eſt enim *proventus labiorum* & *fructus oris*, nempe ſermo.

21. *In manu linguæ* ביד לשון] *In poteſtate linguæ*: q. d. Lingua poteſt interficere ſermone ſuo, poteſt & ſervare. ¶ *Et qui diligit eam, comedet* ואהביה יאכל] Ad verb. *& diligentes eam, comedet.* Plurale ſingulari junctum, more Hebraïco, pro, *unuſquiſque qui diligit eam, comedet*, vel *comedit*: ut ſit Fut. pro præſ.

22. *Mulierem* אשה] Alii ſubaudiunt *bonam*, alii *taciturnam*, quæ abſolutè dicitur *mulier*, ſive *uxor.* ¶ *Et hauſit*, &c. ויפק רצון] *Et eduxit favorem*: vel *gratiam*, *beneplacitum*, & *amorem.* Metaphora ab iis qui hauriunt aquam: q. d. Hoc aſſecutus eſt beneficio Dei. Idem genus dicendi lege ſuprà 8. 35.

23. *Deprecationes* תחנונים] *Verba ſupplicia*, vel *deprecatoria*: q. d. Utitur ſermone ſupplici. Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Reſpondet dura* יענה עזות] Fut. Heb. pro præſ. *loquitur aſpera*, ſub. *verba.* Frequenter enim Hebræi utuntur tanquam neutro ſubſtantivo, pro adjectivo cum ſubſtantivo.

24. *Vir amicorum*, &c. איש רעים וגו'] Ad verb. *Vir amicorum ad amicandum*, (ſi Latinè dici poſſet) *& eſt diligens magis conjunctus quàm frater.* Hebraïcum dicendi genus, acſi dicas, *Vir deditus acquirendis amicis id facit ut multos amicos ſibi faciat; propterea quòd amicus qui verè diligit conjunctior ſit fratre.* Alii exponunt, *Vir qui multos habet ſibi amicos debet ſe* pra-

præſtare amicum erga illos, h.e. dare operam ut eos in amicitia retineat: *nam amici ſuperant fratres amicitiâ.* Quidam vertunt, *Vir* aptus *amicitiæ, & cui cordi eſt amicitiam colere, plus amat & firmius quàm frater.* Alii, *Vir qui diligit amicos, aſſociat illos ſibi: & eſt amicus qui firmius adhæret quàm frater.*

CASTALIO.

4 P*Rofunda aquæ ſunt hominis verba: fluvius torrens eſt ſapientiæ fluxio*] Prudens eloquentia torrens inexhauſta.

8. *Calumniatoris verba ſunt quaſi ſeipſum ferientis*] Ità criminatur ut invitus & vero coactus facere videatur.

14. *Hominis mens ejus morbum ſuſtentat, ſed animum ægrum quis toleret?*] Mens corporis morbum levat, ſed non contrà.

17. *Innocens eſt primus in ſua cauſa, ſed venit alius qui rimetur eam*] Qui primus ſuam cauſam exponit, jus ſibi vendicat: ſed audiendus eſt adverſarius.

18. *Vehementes dirimit*] Vehementer diſſidentes.

19. *Offenſus frater munitam urbem ſuperat, & ejuſmodi contentiones ſunt arcium clauſtris ſimiles*] Quò arctior fuit conjunctio, eò vehementius eſt eâ diremptâ diſſidium.

20. *Sui cujuſque oris fructu ſuus ſatiabitur venter*] Prout quis bene aut malè loquitur, ità ei bene aut malè erit.

22. *Qui uxorem invenit*] Scilicet bonam.

24. *Hæret interdum magis*] In amicitia perſeverat.

CLARIUS.

1. O*B delectationem*] i.e. Stultus, qui moribus ab aliis ſejungitur (idcirco enim appellat *ſequeſtratum*) quærit ſapientiam tantummodo animi causâ: & ideo de qualibet re ac facultate vult diſputare & loqui.

2. *Niſi ut aperiat cor ſuum*] Intellige ob inanem jactantiam & gloriam.

3. *Cum venit impius*] Quando impius naſcitur, venit publicum malum in mundum.

4. *Aqua profunda*] Ut aquæ profundæ exhauriri nequeunt, ſic nec verba ſapientiæ.

9. *Qui mollis eſt*] Alius vertit, *Qui deſiſtit ab opere ſuo, frater eſt viri diſſipatoris.* Et damnatur hic ignavia hominum, qui cùm à labore ipſi ceſſent, nec habeant unde vivant, neceſſe eſt ut circumveniant alios & impoſturas exerceant.

11. *In imaginatione ejus*] h.e. Habet dives hanc falſam opinionem, quòd divitiæ ejus ſint unicum propugnaculum ejus; cùm interim juſtus longè tutiorem habeat munitionem, ad quam confugiat, nempe *nomen Domini.*

14. *Spiritus viri*] Senſus eſt, Morbi animæ longè graviores ſunt morbis corporis; quia anima poteſt ſanare corpus ægrotum, non autem corpus animam.

16. *Donum hominis*] Qui liberalis eſt in erogandis donis, huic aditus patet uſque ad Principes & Reges.

17. *Juſtus prior*] h.e. Qui juſtam cauſam habet, is ſimpliciter & confidenter proponit eam Judicibus; cùm adverſarius ejus, ut illam impugnet, multas cogatur facere inquiſitiones & excogitare commenta. Alii tamen referunt illud *inveſtigabit eum* ad Judicem, qui alteri non tam facilè credit ut priori, qui liberè cauſam ſuam propoſuit.

19. *Frater qui deficit à fratre*] Vult ſignificare, vim ingentem habere fraternas iras, eaſque eſſe implacabiles. Alius vertit, *Frater iniquitate offenſus, præſtantior eſt urbe fortiſſimâ; & diſſenſiones ſimiles ſunt repagulo palatii:* ut ſit ſenſus, Frater etiam offenſus à fratre, illi in neceſſitate magìs prodeſt quàm urbs fortis, eò quòd ex uno ſanguine ſint. Sic fratres qui in mutua ſunt diſſenſione, tempore neceſſitatis alter alteri fert opem, & eſt quaſi propugnaculum repagulis obſeratum. Alii referunt hanc ſententiam ad *ſortem*, quod ea implacabiles fratrum diſſenſiones, quæ ratione hæreditatis oboriuntur, componat. Sed variè admodum ab Hebræis hic verſus exponitur.

24. *Vir amicabilis*] Alius vertit, *Vir qui diligit amicos, aſſociat illos ſibi; & eſt amicus qui firmiùs adhæret quàm frater.*

R. BAYNUS.

1, 2. O*Cceaſiones quærit qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.* Heb. *Qui pro deſiderio quærit ſeparatus, in omni ſapientia miſcebit ſe. Non recipiet ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ſuo.* Heb. *Non volet ſtultus intelligentiam, niſi ob revelationem cordis ſui*] In his duobus verſiculis vertendis & exponendis magna varietas eſt noſtri Interpretis ab Hebræa veritate, & ab Hebraïcis Interpretibus: quædam neceſſariò ſunt ſupplenda ad ſenſum perfectum: noſter Interpres ſupplevit hæc duo, *occaſiones*, & *ab amico*, ſecutus LXX. qui ſic legunt, Προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμενος χωρίζεσθαι φίλων, ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπονείδιστος ἔσται. Porrò תושיה vertit *omni tempore:* quam vocem ſuperiùs monuimus ab *eſſendo* dictam eſſe, neque ſapientiam ſolùm ſignificare, ſed firmam & ſtabilem ſapientiam, & quæ perpetuò manet. Juxta verſionem quam habemus à D. Hieronymo ſenſus eſt ſatis manifeſtus, contra ingratitudinem eorum qui citra juſtam cauſam amicitiam cupiunt diſſolvere: Verùm cùm ſecunda clauſula de ſeparatione à ſapientia loquatur, quadrabit meliùs etiam primam partem verſiculi ad inveſtigationem ſapientiæ referre: nam cœpit in ſuperiore verſiculo dicere de fucata quadam ſapientia, quæ ſtultis hominibus adeſſe videtur, cujus prima pars in taciturnitate conſiſtit, de qua dictum eſt. Sunt etiam, inquit Salomon, qui præ ſe ferunt magnum deſiderium in ſapientia inveſtiganda, juxta id quod in Hebræo legimus, *Secundùm deſiderium ſuum quærit ſapientiam ſeparatus.* Qui per *deſiderium* quoddam magis quàm ex animo & bono judicio *quærit*; ſc. ſapientiam, cùm ſit *ſeparatus* à ſapientia: vel, qui quærit verbum aliquod ſeparatum, vel ſcientiam ſeparatam à vera ſapientia. Apud Hebræos utramque expoſitionem lego. *In omni ſapientia miſcebit ſe*, hoc eſt, inter omnes ſapientes cum oſtentatione quadam ſeſe ingeret, deſtitutus videlicet eâ virtute veri ſapientis, quâ verba ſua cohibeat, humiliter de ſeipſo ſentiens. Sic enim diſtinguuntur vera ſapientia & falſa, juxta D. Jocobum, Jacobi 4. *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.* Sed terrena, animalis, diabolica, ubi eſt zelus & contentio, quod Salomon vocat *ſeſe miſcere cum his qui ſapientes ſunt.* Sunt ex Heb. qui in contrario ſenſu accipiunt verbum יתגלע, & per metatheſim pro גלע, *ſeparare*, vel *reprobare:* ut ſit ſenſus, Qui per deſiderium quoddam vanum aut juvenile inveſtigat de rebus ſeparatis, & quæ ab hominibus intelligi non poſſunt, ab omni vera ſapientia ſeipſum ſeparat: ut contra vanitatem eorum qui toti in nugis verſantur dicatur proverbium. Prior expoſitio eſt melior, & magis quadrat cum ſequenti verſiculo, qui aſſerit hujuſmodi non quærere ſapientiam ob amorem ſapientiæ, ſed duntaxat ad oſtentationem, ut cor ſuum manifeſtet, & ut doctus habeatur, alia de cauſa non volet ſtultus ſapientiam. Sic enim in Hebræo legitur, *niſi ob revelationem cordis ſui.*

3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium*] Sic LXX. ὅταν ἔλθῃ ἀσεβὴς εἰς βάθος κακῶν καταφρονεῖ, quos ſecutus eſt D. Hieronymus. Heb. *Cùm venerit impius; venit etiam contemptus, & cum ignominia opprobrium*] Ut maxima pars ſapientiæ conſiſtit in amore & mutua charitate inter homines, ſic improbus eò maximè deprehenditur, quòd alios contemnat, & communem naturam contumeliis afficiat. Cùm venerit in hunc mundum, cùm naſcitur, non ſolus naſcitur, ſed unà cum eo *contemptus*, juxta expoſitionem Hebræorum: meliùs, *cùm acceſſerit*, ut miſceat ſe cum aliis ſapientibus, ut dictum eſt, non venit ut diſcat ſapientiam veram, ſed ut præ ſe contemnat bonos doctores, quod hæreticorum peculiare eſt: & *cum ignominia*, h.e. cum ignominioſo homine, qui ignominiâ alios afficit, *venit opprobrium*; q. d. ſi quis hujuſmodi receperit, non honorem ſed probrum habebit.

4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ*] Fucata illa ſapientia procax eſt & oſtentatrix ſuiipſius, ſed vera ſapientia in imo cordis & in profundo pectoris conſiſtit, ut aquæ aliæ ſtagnantes, id quod verba quæ defluunt ex ore viri ſapientis indicant, ut puta quæ nunquam deficiunt, ſed ſubinde nova & nova pari moderatione & intelligentiâ erumpunt, ad inſtar fluminis ſcaturientis, quod nunquam ceſſat. Ex ore viri Chriſti Jeſu fluxerunt verba inexhauſtam doctrinam continentia, & aquæ profundæ ſimilia: verùm fons & vena ipſa ſapientiæ, qui Chriſtus eſt, velut torrens redundans, in Hebræo נבע *ſcaturiens* per orbem, & *ſaliens in vitam æternam.* Joh. 4. Aliter, Verba ſapientum ſunt duplicia: quædam profunda ſunt & non poſſunt intelligi à quovis; quædam ſic facilè fluunt ut quivis illa poſſit intelligere.

5, 6, 7. *Accipere perſonam impii in judicio non eſt bonum, ut declines à veritate judicii.* Heb. *Ad ſubvertendum juſtum in judicio. Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os ejus jurgia provocat.* Heb. *Labia ſtulti venient cum lite, & os ejus ad percuſſiones vocabit. Os ſtulti contritio ejus, & labia ipſius ruina animæ ejus.* Heb. *Laqueus animæ ſuæ*] In eodem ſenſu *impium* & *ſtultum* intelligunt Hebræi, qui libenter & facilè rixas & lites perſequitur, ut putà cum quo venit contumelia, ut dictum eſt. Et proinde *faciem* illius *ſuſcipere*, h. e. favere cauſæ illius iniquæ, contra æquum & bonum, *non eſt bonum* (inquit Salomon) quaſi non

poſſit

poſſit dici quàm magnum malum ſit accipere perſonam impii, præſertim cum damno juſtorum, qui non ſunt ſic parati & inſtructi ad defenſionem ut ſunt improbi ad calumniam inferendam. Sunt enim juſti ignari rixarum, nec aſſueti litibus, ut putà quorum ſtudium eſt & cura circa ſapientiam. Impiorum verò (qui ſunt ſtulti in rebus Divinis) labia non vacant aliis rebus, niſi ut negotium faceſſant probis hominibus: nam *os* & ſermo *eorum ad contritiones* & *confoſſiones* ſive *percuſſiones* ſolet provocare. Atqui hæc quàm adamuſſim quadrent in hæreticos noſtri temporis, optimè norunt qui cum illis aliquando converſati fuerunt: ſed non proficient; nam quicquid moliuntur in fideles catholicos, in proprium malum moliuntur. Alios conterere volunt & laqueos tendere ſimplicibus, ſed conterentur ipſi, ipſi incident in foveam quam fecerunt: verbis enim oris ſui illaqueatus eſt ſtultus.

8, 9, 10. *Verba bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Heb. *Verba ſuſurronis ſunt velut percuſſiones, & ipſa deſcendunt ad interiora ventris. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt opera ſua diſſipantis.* Heb. *Etiam qui ſe remiſſum efficit in opere ſuo, frater eſt viri qui ſponte ſua diſſipat*] Multa mala proveniunt ex improborum labiis, ſive in judiciis ſubvertendis, ſive in rixis excitandis, ut dictum eſt: Cæterùm his multò majora atquè crebriora ex ſuſurronum ſermonibus, qui plagas infligunt, non humanis corporibus, quæ ſunt alioqui obnoxia morti; ſed animabus hominum immortalibus non levia infligunt vulnera, ſed quæ *ad penetralia ventris*, h. e. cordis deſcendunt, dum immortale odium inter fratres diſſeminant. Aliter, *deſcendunt ad cameras* ſive *cubicula ventris*, hoc eſt, inferni, qui eſt in ventre terræ ſive medio, ut plurimi ſentiunt. Aliter, *ut plagæ* ſive *vulnera*, quæ ad intimas partes corporis penetrant, & ad ipſa *viſcera* proveniunt, h. e. omnino mortifera ſunt; ſic verba ſecreta ſuſurronum homines ſeſe mutuò confodere nonnunquam adigunt: ſed non ſolùm aliis maxima damna inferunt ſuſurrones, qui ſecretò detrahunt proximis, ſed ſibiipſis quoque, dum ocio vacant & remiſſi ſunt in opere neceſſario. *Et frater eſt viri perdentis* vel *diſſipantis*] h. e. Quàm ſimillimus his qui rem confectam perdunt. Hebræi ſubaudiunt *mundum*: nam qui nullo vacant honeſto ſtudio, ſed devorant & liguriunt, quod in ipſis eſt, mundum demoliri & deſtruere conantur.

11, 12. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam currit juſtus & exaltabitur. Subſtantia divitis, urbs roboris ejus, & quaſi murus validus circumdans eum.* Heb. *Et quaſi murus præaltus in imaginatione ejus*] A tantis malis ſtultorum hominum aliter tutus eſſe non poteſt juſtus, niſi per nomen Domini, ad quod veluti ad tutiſſimam arcem ſolent confugere humanis viribus deſtituti & opibus: quibus divites adversùs injurias importunorum hominum ſeſe tueri ſolent, tanquam mœnibus fortiſſimæ civitatis. Poteſt ſimilitudo aliò deflecti, nempe, Nomen Domini juſto, qui in anguſtia ad Dominum confugit, non eſt tanquam turris aut propugnaculum, quo ſolent homines ſeſe tueri, includentes ſeſe veluti in carcere unde non poſſunt exire: ſed in Dei nomine non ſolùm tuti, ſed elevati & honore ſunt affecti, qui eò confugiunt. Sunt ex Hebræis, qui verbum ירוץ non *curret* hoc in loco, ſed *confringet* interpretantur, (utrumque enim ſignificat) & erit ſenſus, Per hoc propugnaculum nominis Domini juſtus erit tutus, & etiam hoſtes conteret. Divites in opibus ſuis ſperant, & ſeſe non minùs tutos eſſe putant copià divitiarum: ſed ſuâ duntaxat imaginatione ſive cogitatione veluti in urbe murata proteguntur. Aliter in bonam partem intelligitur, videlicet, Divitiæ in eleëmoſynas diſtributæ ſunt veluti civitas optimè munita divitibus, qui in Deo magis quàm in mundo divites eſſe elegerunt, hoc eſt quod in contextu dicitur, *cogitatione ſuâ*.

13. *Antequam conteratur exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur humiliatur.* Heb. *Ante fracturam elevabitur cor viri, & ante gloriam humilitas*] Sunt aliquot verſiculi ſæpius repetiti, vel tanquam ſententiæ inſigniores, vel tanquam loci communes, qui variis inſtitutis ſubſerviant. Superiùs cap. 16. eandem ſententiam legimus, quæ argumento illius loci ſubſerviebat, ut expoſuimus. Cæterùm hoc in loco, poſt ea quæ de exaltatione juſtorum per nomen Domini, & exaltatione divitis per divitias, dicta ſunt, commodè ſubjecit, *Ante contritionem exaltabitur cor viri*: q. d. nomen Domini refugium & elevatio juſtorum eſt, quam humilitas neceſſariò præcedit. Et contrà, qui ſperant in divitiis conteruntur, propterea quòd per ſuperbiam elevantur; quod divitum peculiare vitium eſt, juxta illud Pauli, 1. Tim. 6. *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non altum ſapere.*

14. *Qui prius reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat & confuſione dignum.* Heb. *Stultitia eſt ei & ignominia*] Magna pars prudentiæ in verbis oſtenditur, & ſermonem cum decoro & juſtitia moderari ſapientis eſt, ut videlicet nuſquam de rebùs ignotis ſententiam proferat: mera enim ſtultitia eſt & res à ſapiente alieniſſima, imò ſummam confuſionem affert, ſi judex ſententiam proferat incognitâ causâ. Si quis de rebus ſacris reſpondere & diſſerere præſumat, ignarus legis Divinæ, ſi quis in re Philoſophica aut aliis artibus, quarum ſecreta non didicerit, verboſitate quadam ſe peritum oſtendere velit, nullam laudem, ſed pudorem acquirit: palàm oſtendens ſtultitiam ſuam; quam taciturnitate poterat utcunque celare, ut modò legimus, *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* In colloquiis denique privatis, ſtultitiæ quædam ſpecies eſt, ſi quis loquendi & tacendi vices ſervare non noverit: ſed reſpondere priuſquam ſodalis ſui verba intellexerit, quædam linguæ eſt intemperantia. Proverbii ſenſus eſt, Non docere antequam diſcas.

15, 16. *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?* Heb. *Spiritus viri feret morbum ejus: ſpiritum verò percuſſum quis levabit? Cor prudentis poſſidebit ſcientiam, & auris ſapientum quærit doctrinam*] In tolerandis rebus adverſis eſt magna quoque pars ſapientiæ, præſertim in tolerandis his malis quibus obnoxia ſunt omnium hominum corpora, cujuſmodi ſunt morbi & ægritudines, quas æquo animo tolerabit ſpiritus viri ſapientis. Nam ſapientiæ comes eſt fortitudo animæ, etiamſi corpus infirmitate aliquâ laboret. Spiritus enim viri, ut molem corporis portat & circumfert undique, ità quoſcunque morbos corporis. Verùm ſi *ſpiritus concuſſus* ſive *contritus*, h. e. ægritudine aliquâ ſit affectus, *quis ſuſtinebit eum*? q. d. longè gravior eſt morbus animæ quàm corporis & intolerabilior. *Verum ſpiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?*] q. d. Difficilius eſt iram continere quàm morbos corporis æquo animo ferre. Aliter, ut referatur ad iracundiam alterius, & erit ſenſus, Satius eſſe cum morbo corporali conflictare quàm cum iracundia alterius hominis: & hæc juxta verſionem noſtri Interpretis. Heb. *ſpiritum concuſſum quis feret?* Verti poteſt, *quis portabitur à ſpiritu contrito?* q. d. neque corpus bene, morbi verò corporis nullo modo ſuſtentabuntur à ſpiritu contrito. Sanitas igitur animi imprimis eſt neceſſaria ad hanc ſapientiam acquirendam. Nam *cor intelligens*, & ſpiritus integer *acquiret ſcientiam*, & *auricula ſapientum*, quorum animus immunis eſt ab omni perturbatione, & ægritudine, *quæret ſcientiam*. Quòd *ſcientia* bis ponatur, aliqui referunt ad ſcientiam internam & externam; alii ad ſcientiam rerum humanarum, & ſcientiam ſacroſanctam Divinæ legis; aut denique ad ſcientiam quam ipſe poſſidet, & ſcientiam quam tradet aliis: ſic Hebræi. Mihi ſimpliciter videtur intelligendum de ſummo ſtudio & deſiderio quod habent ſapientes ad legem Dei, in qua & ipſi libenter meditantur, & alios de rebus ſacris diſſerentes libenter auſcultant.

17, 18. *Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes ſpacium ei facit. Juſtus prior accuſator ſui, venit inimicus ejus, & inveſtigabit eum.* Heb. *Donum hominis faciet latum ei*, vel *dilatabit illi viam* vel *locum*, ſup. *& ad conſpectum magnatum ducet eum. Juſtus primus in cauſa ſua, veniet proximus ejus, & ſcrutabitur eum*] Per *donum* munera intelligit Aben-Hezra, quæ *dilatabunt*, h. e. ab anguſtiis eripient & ante magnates adducent, gratum principibus facient qui acceperunt munera illius, & in conſpectu illorum erit juſtus, primus vel imprimis in lite ſua & cauſa. Sed & ſi venerit proximus illius, cui notior eſt quàm magnatibus, & ſcrutatus fuerit eum, nihilominus erit juſtus apud eòs qui munera illius acceperunt. Alii ſic exponunt, ut nulla ſit cohærentia in ſenſu iſtorum verſuum, intelligentes per *donum* liberalitatem & beneficentiam, quæ ſolet dilatare & amplificare hominem, h. e. ad honorem perducere & gratiam principum, poſtea quàm totius populi favorem & laudem nactus fuerit. Quod in contextu legitur *juſtus primus* vel *juſtus primò*, ad *æquitatem* & *juſtitiam* referunt Interpretes, quæ non minùs hominem commendat quàm liberalitas quæ non eſt omnium. In lite & controverſia hominum, qui æquus & juſtus eſt ſtatim in principio litis oſtendet ſe nihil velle niſi quod juſtum eſt, dum ſeſe in lite defendit. Et *cùm venerit proximus illius*, qui cum eo litigat, & *ſcrutatus fuerit*, non poterit eum accuſare aut condemnare. Poteſt accipi in contrario ſenſu, & *juſtus*, non qui verè eſt, ſed qui in lite ſeſe juſtum oſtendit in principio: poſtea verò inveſtigatus à proximo, qualis ſit conſtabit. Prima expoſitio eſt melior, juxta contextum quem habemus ex D. Hieronymo qui LXX. ſecutus eſt, δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος ἐν πρωτολογίᾳ. Senſus verſiculi convenit cum illo quod in Euangelio legitur, Matth. 7. *Ejice primùm trabem de oculo tuo, & videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui*: vel monet proverbium, ut quiſque ſit ſeverus judex ſui ipſius, nè inimici ſubjiciatur ſententiæ & condemnationi.

19, 20. *Contradictiones comprimet ſors, & inter potentes quoque dijudicat. Frater qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma, & judicia quaſi vectes urbium.* Septuaginta ſecutus eſt Interpres, qui ſic vertunt, Ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος ὡς πόλις ὀχυρὰ

καὶ

καὶ ὑψηλῇ. Heb. *Lites ceſſare faciet ſors, & inter fortes dividet*, ſc. *litem. Frater durior civitate robuſtâ, & lites quaſi repagulum palatii*] Ubi ſunt homines juſti, lites facilè dirimuntur, dum utraque pars agnoſcit, ſi quid deliquerit. Cæterùm ubi non eſt æquitatis ratio, difficillimè dirimuntur lites quorundam, qui nullius hominis judicio quantumvis ſapientis, ad concordiam poſſunt reduci: & potiùs eligunt ſortibus lites dirimere, præſertim potentes & fortes, qui viribus malunt certare quàm judicem ſapientem adire. Aliter, quibuſdam ſatius eſſet jactâ ſorte finire litem, quàm vel perpetuis odiis & pugnis invicem ſeſe conſumere. Sed cùm res ſit difficilis & magnæ prudentiæ lites dirimere, omnium tamen maximè difficiles ſunt contentiones inter fratres. *Frater tranſgreſſus*, ſc. *adversùs fratrem, non dabit locum fratri*, vel *frater injuriam paſſus*, h. e. in quem tranſgreſſio & prævaricatio facta eſt: ſup. *fortius reſiſtit quàm civitas*, & *lites* exercebit duriùs, *quam ſit repagulum portarum*, quâ clauduntur portæ civitatis & hoſtes excluduntur. נפשע Kimhi exponit *durior quàm civitas:* alioqui פשע *tranſgredi* ſignificat. Mihi verò placet, ut utramque ſignificationem comprehenſam intelligamus, nempe, paſſus injuriam à fratre ſit durior adverſùs eum quàm civitas. Alii ſubaudiunt ex priore verſiculo ſic, *cùm frater prævaricatus eſt*, vel *rebellat contra fratrem, magis quàm civitas robuſta & fortis prævaricata eſt adversùs regem ſuum*: ſæpe enim contendunt fratres pro hæreditate, neque poſſunt aliter quàm per ſortem lites dirimi. Alii ſic, *cùm ſit lis inter fratres, ſors ſeparabit fratrem à civitate roboris ſui, & à porta hæreditatis ſuæ*, h. e. ab hæreditate ſua. Senſus denique proverbii, Cùm difficile ſit lites finire, ubique tamen difficillimum eſt fratres & affines ad concordiam revocare. Senſus eſt proverbii, Concordiâ parvas res creſcere, & ex una familia fratrum robuſtam oriri civitatem: id quod cùm locum habeat aliquando in profana repub. tum maximè in eccleſia Chriſti, quæ tanquam civitas firma eſt invincibilis, ubi tanquam fratres omnes ſumus unanimes, & æquitate judiciorum ſit inexpugnabilis.

21, 22. *De fructu oris viri replebitur venter ejus, & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum.* Heb. *Proventu* vel *fructu labiorum ſuorum ſatiabitur. Mors & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus ejus*] Ferè idem dicit Sapiens in his duobus verſiculis quod Chriſtus in Euangelio, *Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*: multa mala ex mala lingua, & bona ex lingua erudita & ſapiente proveniunt: *mors & vita in manu linguæ.* Referunt Hebræi ad loquentem, qui vel morte vel vitâ digna quandoque loquitur. Poteſt ad teſtes referri, qui in litibus & judiciis producuntur, ut cum præcedentibus cohæreat. Mihi maximè placet, ut de his intelligatur quorum linguæ & labia maximam habent in repub. functionem, & uſum in perdiſcenda ſapientia. Hi ſunt concionatores qui ſaturabuntur ex his quæ diſtribuunt aliis, & in linguæ eorum poteſtate eſt mors & vita, juxta illud Ezech. 3. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël*: & ſequitur, *Si dicente me ad impium, morte morieris, tu non annunciaveris ei, neque locutus fueris*, &c. *In iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Denique poteſt ad ſuſurrones referri, de quibus modò dictum eſt. Metaphora *ſaturitatis* & *comeſtionis* à corpore transfertur ad animam: quorum utrumque fructu delectatur; corpus fructu arboris, anima verò fructu linguæ.

23. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Heb. *Qui invenit mulierem, invenit bonum, & educet benevolentiam à Domino*] Cùm mulieres ferè ſint loquaces & verboſitate quadam moleſtæ, non abſurdè de fructu linguæ locutus Salomon, de muliere hoc adjecit ſive potiùs de uxore: quam admonet Sapiens non temere ducendam eſſe, ſed cum prudentia inveſtigandam, utpota rem admodum difficilem inventu. Hoc eſt quod innuit Salomon, cùm dicat, *Qui invenit mulierem bonam.*] In Heb. ſolùm habemus, *qui invenit mulierem:* omnes Interpretes ſubintelligunt *bonam. Invenit bonum*] Juxta illud, Gen. 3. *Fecit adjutorium ſimile ſibi*, uſque adeò bonum, ut propter hoc *relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Et hauriet*] Vertendum eſt *hauſit* ſive *produxit*, pro impetravit favorem & gratiam à Domino. Sic habent Lxx. ἔλαβεν δὲ παρὰ Κυρίȣ ἱλαρότητα, *jucunditatem*: q. d. magnum donum & rarum impetravit: quia ſolent homines frequenter errare electione uxorum, vel opes, vel formam, aut aliud quidpiam ſectantes, potiùs quàm piis precibus contendentes, uxorem probam à Domino obtinere. Id quod ſuum filium facere his verbis hortatur Sapiens.

25. *Cum obſecrationibus loquitur pauper, & dives effabitur rigide:* vel *dives reſpondebit dura*, ſup. *verba*] In hoc verſiculo, ut ferè in toto capite, ſermo eſt de his quæ ad concordiam faciunt & tranquillitatem inter homines: ad quam plurimum momenti habet paupertas. Cùm enim non loquatur pauper, niſi cum omni humilitate precando & obſecrando, inimicos non habet, neque lites aut rixas excitabit: imò ſedabit potiùs, cùm nullam ſuperbiam præ ſe ferat, omnibus locum concedat. Divitiæ verò ferè conjunctæ ſunt cum arrogantia, quæ præ ſe alios contemnit & cum faſtu quodam omnia agit & loquitur: unde naſcuntur diſcordiæ & rixæ, ut priùs legimus cap. 15. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.* Alioqui, ſenſus erit contra avaritiam divitum qui pauperum non miſerentur: & tantùm abeſt ut aliquid impartiantur opum, ut nè humanis quidem & benignis verbis dignentur illos alloqui, ſed duris & minacibus verbis à conſpectu ſuo nonnunquam abigunt.

26. *Vir amicabilis ad ſocietatem, magis erit amicus quàm frater.* Heb. *Vir amicorum ut amicitiam exerceat*, vel *ut præbeat ſe amicum: & eſt qui diligit, magis conjunctus quàm frater*] Longam diſputationem de his quæ concordiam vel ſervant, vel labefactant, claudit in laudem amicitiæ, quâ nihil eſt charius, nihil firmius, ſi modò ritè colatur. Nam fidus & charus amicus cum fratre eſt conferendus, vel potiùs præferendus. *Virum amicorum* intelligimus eum qui eſt amicorum ſtudioſus; & qui multitudine gaudet amicorum, eſt is qui facit ſeipſum amicum, is inter eos aliquem inveniet fratre ſibi conjunctiorem. Alii ſubaudiunt, *quærit*, ut ſit ſenſus, Vir qui quærit amicos, ut jungat cum illis amicitiam per divitias ſuas, ut ex proximo pendeat verſiculo, juxta illud Euang. Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* ¶ *Erit illi amicus conjunctior fratre*] q. d. inter multos aliquem inveniet, qui ſit illi *urbs fortitudinis*, ut antea legimus.

DRUSIUS.

1. לְתַאֲוָה. A. S. *εἰς ἐπιθυμίαν.*

2. לֹא־יַחְפֹּץ כְּסִיל בִּתְבוּנָה. A. ȣ̓ βȣλήσεται ἄνȣτος ἐν φρονήσει, *non vult amens prudentiam*] *Non delectatur prudentiâ, non capit voluptatem ex ea.*

3. בְּבוֹא רָשָׁע בָּא גַם־בּוּז. A. S. Th. Ἐν τῷ ἐλθεῖν ἀσεβῆ, ἦλθε καὶ ἐξȣδένωσις, *Cùm venit impius, venit & deſpectio.*

4. דִּבְרֵי פִי. λόγοι ςόματος. Schol. λόγȣς ςόματι, *ſermo ori.* ¶ נַחַל נֹבֵעַ. A. S. ἀναβλύζων, *ſcaturiens.* Th. ἀνομβρῶν, *effundens.* ¶ מְקוֹר חָכְמָה. A. φλὲψ σοφίας, *vena ſapientiæ.* S. Th. —— σοφίας.

5. שְׂאֵת. A. S. Th. λαβεῖν, *accipere.*

6. בְרִיב. A. ἐν δικασίᾳ, *in lite.* S. εἰς μάχην, *ad pugnam.*

7. מְחִתָּה. A. S. Th. πτῆξις, *conſternatio*, ſive *pavor*] Vel *ruina quam metus adfert.* Prov. 10. 29. S. δειλία, *timiditas.* ¶ מוֹקֵשׁ. A. S. Th. σκῶλον, *offendiculum*] Exod. 10. 7. למוקש. A. πρόσκομμα. Lxx. σκῶλον. Pſal. 141. 9. ומקשות. Hieron. *offendicula.*

9. מִתְרַפֶּה. A. νωχελευόμενος, *qui ſegnis eſt.* S. ςραγγευόμενος, *qui cunctatur.* Th. ἀνειμένος, *remiſſus*] *Qui cunctatur, qui torquet ſe.* Geſtus tergiverſantium, aut eorum qui huc illuc ſe convertunt, neſcientes quà ſit evadendum. Adi nunc, ſi placet, ad Theſaurum H. Stephani. ¶ Ἀνειμένος παρειμένος ἐν τοῖς ἔργοις αὐτȣ̃, Sirach. 4. 34.

10. מִגְדַּל־עֹז. A. Th. πύργος κράτȣς, *turris roboris.* Alius, ἐκ μεγέθȣς ἔργων, *ex magnitudine operum*] *Ex magnitudine*, מגדל. ¶ בּוֹ־יָרוּץ צַדִּיק וְנִשְׂגָּב. A. S. Th. ἐν αὐτῷ δραμεῖται δίκαιος καὶ ἀρθήσεται, *eò curret juſtus, & exaltabitur.*

11. עֻזּוֹ. S. ἰσχύος αὐτȣ̃, *fortitudinis ejus.*

12. וְלִפְנֵי כָבוֹד עֲנָוָה. S. Th. καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραότης, *& ante gloriam manſuetudo.*

14. רוּחַ אִישׁ יְכַלְכֵּל מַחֲלֵהוּ. A. Th. Πνεῦμα ἀνδρὸς διοικήσει ἀῤῥωςίαν αὐτȣ̃, *Spiritus viri ſuſtinebit morbum ejus*] *Conſtituet, ordinabit*; aut *reget, nutriet.* ¶ וְרוּחַ נְכֵאָה מִי יִשָּׂאֶנָּה. Th. καὶ πνεῦμα πεπληγμένον τίς βαςάσει αὐτό; *& ſpiritum percuſſum quis portabit illum?*

15. יִקְנֶה־דָּעַת. S. κτήσεται γνῶσιν, *acquiret ſcientiam*] Vel *poſſidebit.* ¶ תְּבַקֶּשׁ־דָּעַת. A. S. Th. ζητεῖ γνῶσιν, *quærit ſcientiam.*

17. בְּרִיבוֹ. S. ἐν κρίσει αὐτȣ̃, *in lite ſua.*

18. יַשְׁבִּית הַגּוֹרָל. παύει κλῆρος, *ſedat ſors.* ¶ יַפְרִיד. A. διαλείψει, *interrelinquet.* S. Th. διαςελεῖ, *dividet.*

19 אָח נִפְשָׁע מִקִּרְיַת־עֹז וּמִדְיָנִים כִּבְרִיחַ אַרְמוֹן. A. Ἀδελφὸς ἀθετȣ́μενος ἀπὸ πόλεως κράτȣς, καὶ δικασία ὡς μοχλὸς βάρεως, *Frater repudiatus* (ſeu *rejectus*) *ab urbe valida, & litigium ut vectis amplæ domûs*] Vel *ſupra urbem validam.* Vult dicere, *ſuperat urbem validam.* Senſus qualis in adagio illo, *Fratrum iræ acerbiſſimæ.* ¶ *Litigium*: litigatio fratrum. Sed eſt cur malim δικασίαι, i. e. *lites, jurgia.* ¶ Βάρεως, à recto βάρις unde pluralis βάρεις, *magnæ domus.* Scholia Græca, Βάρεις ἐπιχωρίως λέγονται παρὰ Σύροις αἱ μεγάλαι οἰκίαι. Amos 1. 12. ארמנות *palatia.* A. & S. βάρεις, i.e. *domos*, ait Hieronymus ad illum locum. Idem in Comment.

ment. Jer. 17. ſcribit βάρεις eſſe *turritas domos*, quæ & πυργοβάρεις. Pſal. 122.7. בארמנותיך. Lxx. *ἐν πυργοβάρεσί σου*. Item in in explanatione Pſal. 44. *βάρις verbum eſt*, inquit, *ἐπιχώριον, Palæſtinæ: & uſque hodiè domus ab omni parte concluſæ & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum βάρεις appellantur*. ¶ כִּבְרִיחַ אַרְמוֹן. Schol. *ὡς μεμοχλευμένον βασίλειον, ut regia domus vectibus munita.*

20. תְּבוּאַת שְׂפָתָיו יִשְׂבָּע. S. *τὰ γενήματα τῶν χειλέων αὐτοῦ ἐμπλησθήσεται, proventibus labiorum ſuorum implebitur.*

21. וְאֹהֲבֶיהָ. A. S. *ἀγαπῶντες, diligentes.*

22. אִשָּׁה. Lxx. *γυναῖκα ἀγαθήν.* Schol. *χρηστήν.* ¶ מָצָא טוֹב. Schol. *εὗρε ἀγαθὸν, invenit bonum.* ¶ רָצוֹן. A. S. Th. *εὐδοκίαν benevolentiam, favorem.*

AMAMA.

10. ונשגב] Tig. *extra telorum jactum eſt. ἔξω τῶν βελῶν ἐστι.*

11. Antithesis, quæ apparet in voce במשכיתו in imaginatione ſua. Eſt à שכה aſpexit, perſpexit, ad animum tralatum, eſt imaginari, cogitare. Hinc שכיה effigies, pictura. שכוי intellectus, mens.

Maſchit etiam effigiem, picturam ſignificat. Lev. 26. 1. אבן משכית *non ponetis in terra veſtra*, i. e. lapidem inſignitum aliqua effigie idoli.

Reſpondenti] Sir. 11. *πρὶν ἢ ἀκοῦσαι, μὴ ἀποκρίνου.*

14. *Spiritus viri*] Id eſt, animus, iſque erectus, bene ſibi conſcius. Pater ex antitheſi. Alii, *Spiritus viri*, i. e. viro dignus, ut ISCH ſit nomen *ἀρετῆς*.

מחלהו] Include omnia adverſa.

Suſtentat, erectum conſervat, ſolatur.

נכאה] Vid. ſupr. c. 15. v. 13.

Quis attollet?] q. d. difficulter. Ejuſmodi interrogatio, aliquando impoſſibilitatem denotat. *Quis ſimilis tui Domine, quis enarret omnia beneficia. Quis nos ſeparabit à charitate Dei?* Aliquando difficultatem & raritatem. *Mulierem fortem quis inveniat?*

16. *Dilatat ei*] Subint. *locum*, parat ei latum aditum, quin & exitum ex adverſis. Magna munerum vis. Supra de corruptelis. Hic in genere, nam non omnis datio munerum eſt in vitio. Jacob. Abigail.

ינחנו] Ducit. Tig. *requiem parat.* Male, nam non eſt à נוח.

17. *Juſtus primus eſt*] Alii ſic, juſtus ſe ipſum primò accuſat: poſtea in alios inquirit. Secus ac illi, qui vident feſtucam in oculo alterius, in ſuis verò non vident trabem. Prius ornat ſe juſtus, poſtea alios.

Alii rejiciunt ob articulum ante הראשון. qui facit ut RISCHON ſit ſubjectum. Qui primus eſt juſtus ſub. videtur in lite ſua. Qui primò rem defert in judicium, is videtur ſibi & ſæpe etiam judici juſtus eſſe. At veniente ſocio ejus i. e. Adverſario, ſcrutatur eum ſub. דין judex, partem adverſam audit, tunc judicat.

18. *Validos*] Præfractos, contumaces, reddere neſcios.

19. נפשע. Defectione provocatus. Scelere offenſus, tam inexpugnabilis eſt, tam difficulter ad reconciliationem adduci poteſt.

Et contentiones] Sc. fratrum.

22. *Uxorem*] Sub. bonam. Contrà *μισογύνῳ* Fœmina nulla bona eſt &c. Ejuſque *κακὸν γυναῖκες ἀλλὰ ἀναγκαῖον κακόν.* Melius Heſiodus:

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον τῆς ἀγαθῆς. Non nanciſcetur meliorem prædam.

Vir amicorum] Qui vult multos habere amicos, atque ab aliis amari. *Ut ameris amabilis eſto.*

GROTIUS.

1. *OCcaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis*] Hebræorum verborum ſenſus hic videtur eſſe: *Quantum lubet inquirit* (ſupple *rerum naturam*, ex ſequentibus) *is qui ſubducit ſe turbæ: in omni rerum natura miſcet ſe.* Sequitur jam *ἀντίθετον*, [*membrum oppoſitum.*

2. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus*] Ex Hebræo ſic: *Non amat ſtultus intelligentiam, niſi ut manifeſtet ſe cor ejus.* Duorum horum *ἀντιθέτων*, [*oppoſitorum*] hic ſenſus eſt, Philoſophum non quærere quibus ſe jactet, ſed delectari rerum cognitione per ſe: at vanos homines nihil addiſcere, niſi ut pro lubitu ſe oſtentent aliis.

5. *Accipere perſonam impii non eſt bonum*] Perſonam, ſive, ut Hebræi loquuntur, *faciem accipere* dicitur qui qualitatibus ad cauſam nihil pertinentibus movetur, putà divitiis, amicitiâ, propinquitate. Hæc enim apparent; cauſa ſcrutanda eſt.

9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*] In Hebræo: *Etiam qui piger eſt in opere, frater eſt* (id eſt, par eſt) *domino* (ſua) *diſſipanti.* Eundem exitum habent piger & prodigus, ad egeſtatem deveniunt.

17. *Juſtus prior eſt accuſator ſui: venit amicus ejus & inveſtigabit eum*] Senſus eſt ex Hebræo: *Qui prior cauſam dicit* (*ἐν πρωτολογίᾳ*, [*in prima cauſæ dictione*] Græci hic) *is juſtus eſt* (id eſt videtur) *in cauſa ſua; ſed mox venit alter, & inquirit in illum*, id eſt, omnia illius dicta expendit, & quantum poteſt refellit. Hoc enim præceptum, ut & ſequens, ad lites pertinet.

18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat*] Lites accenduntur inter multos non tam habendi ſtudio, quàm quòd alter alteri nolit cedere. Ad eam rem optimum eſt remedium ſors. Diximus hac de re lib. 2. de Jure Belli ac Pacis, cap. 33. §. 9. & in Annotatis.

19. *Frater qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma*] Ex Græco, Ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος, [*Frater à fratre adjutus.*] Videntur legiſſe non נפשע [*rebellans*,] ſed נוֹשָׁע [*roboratus*,] ſono accedente.

Et judicia quaſi vectes urbium] Bene tranſtulit ומדינים *judicia*, ſicut Aquila, *καὶ δικασία*, [*& judicatio*]

22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*] ſupple, *rarum & eximium*, infrà 31: 10.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

1. *QUi perverſis utitur labiis*] h. e. Qui perverſo ore dicit, *Mihi melius eſt propter divitias quàm pauperi propter innocentiam vitæ.* Alii ſic exponunt, *Melior eſt ſapientia cum paupertate quàm divitiæ cum ſtultitia. Qui enim caret ſapientiâ, is feſtinat & currit ut exſequatur deſideria carnis & peccet.*

7. *Elongant ſe ab eo*] Quando ſcilicet amplius non habet unde eis munera largiatur. Ille autem mittens poſt eos, quærit cur ità diſcedant à ſe, at ipſi non dignantur audire eum. Alii poſteriorem ſententiæ partem ſic interpretantur, *Frater vel amicus, qui à paupere recedit, quærit occaſionem frivolam, exprobratque quòd propter ſtultitiam ſuam invenerit paupertatem; cùm tamen hæc verba falſa ſint, & ità ſe non habeant.* Alii ſic exponunt, *Qui fratrem pauperem deſerit, is multa perſequitur verba, ut ſeſe excuſet & nihil det.* Vel, *Amicus deſertus multis utitur verbis, quibus tamen nihil efficit aut impetrat.*

10. *Non competit ſtulto voluptas*] Per *voluptatem* ſeu *delicias* intellige omnem fortunam, gloriam & honorem. Fiunt enim imperiti homines in ſecundis rebus inſolentiores. Porrò per *ſervum dominantem Principibus*, quidam Hebræorum intelligunt ordinem in viribus & affectibus non invertendum, ut non ſuperiores animæ vires ſubjiciantur affectibus carnis, ſed ſpiritui caro ſubjiciatur.

18. *Caſtiga filium tuum dum eſt ſpes*] h. e. Quando adhuc eſt puer, non parcas ei. ¶ *Nec te moveat clamor ejus*] Sic enim plerique exponunt dictionem המיתו, ut ſit à radice המה. Sunt etiam qui putant eſſe à radice מות, & tunc hic erit ſenſus, *Non nimis crudelis ſis ei, ut uſque ad mortem verberes eum.*

19. *Denuo id te agere oportebit*] Monet hic verſiculus, iracundum hominem ſæpe incidere in pericula, & ex evaſione unius periculi illum minimè cautum reddi.

22. *Delectat hominem pietas ejus*] Hebræi hunc locum ſic exponunt, *Delectat hominem, ſi prædicetur de eo pietas ejus, etiam ſi falſum id eſſe ſciat: melior igitur eſt homo pauper, de quo tale quid prædicari nequit.*

24. *In olla*] Vel, *in caldario.* Ubi D. K. putat per *caldarium* intelligi חיק *gremium*, in quod manus propter frigus mittuntur.

26. *Perdit patrem*] Dilapidans ſcilicet bona patris, ut cogatur exire in exſilium.

VATABLUS.

1. *IN integritate ſua* בתומו] *In perfectione ſua.* Vel, *in probitate ſua*: i. e. qui præbet ſe probum. ¶ *Et eſt ſtultus* והוא כסיל] *Cum ſit ſtultus.*

2. *Abſque ſcientia*, &c. בלא דעת וגו'] *Abſque ſcientia anima, non eſt bonum.* Alii, *abſque prudentia, deſiderium peſſima res*

eſt

eſt. *Anima* pro *deſiderio*, quòd animo deſideremus. Alii, *Ubi non eſt ſcientia*, *anima* fertur ad id quod *non eſt bonum.* ¶ *Et feſtinus*, &c. ואץ ברגלים חוטא] i.e. Qui feſtinat ut impleat deſiderium ſuum, peccat. Quidam vertunt, *ut qui feſtinat*, *& pedibus offendit.*

5. *Teſtis mendax*, &c. עד שקרים וגו'] Ad verb. *Teſtis mendaciorum non erit mundus*: vel, *emundabitur.*

6. *Multi*, &c. רבים וגו'] *Viri præclari* [*optimates*] *deprecantur faciem liberalis:* nempe *in pauperes.* q.d. Etiam magnatibus curæ eſt ut ſibi concilient amicos liberales. Commendat liberalitatem in pauperes. ¶ *Viro dona* tribuenti לאיש מתן] Ad verb. *viro doni*: i.e. Omnes qui amici ſunt amabunt virum munificum. Quidam vertunt, *Et nemo non eſt amicus hominis qui dat munera.* Vel, *Nemo non ſe ſociat largitori munerum.*

7. *Amici illius*, &c. מרעהו רחקו] Ad verb. *amicus ejus elongabunt ſe.* Plurale verbum ſingulari nomini junctum, pro *amici ejus ſubducent*, vel *ſubtrahent ſe ab eo*: acſi dicat, Omnes fratres pauperis oderunt eum, quia non capiunt ex illo aliquid emolumenti: quantò magis qui illi ſunt amici ſubtrahent ſe ab eo? Quidam ſine interrogatione vertunt. *Quin & amici ejus elongant ſe ab eo.* ¶ *Perſequitur*, &c. מרדף וגו'] Ità Hebraïcè ut vertimus: q. d. requirit, repoſcit, & tanquam exigit quod ſibi promiſerunt, nihil verò præſtant promiſſores.

8. *Poſſidens cor* קנה לב] Quia in corde ſita eſt prudentia, ideo quidam vertunt, *Qui ſibi comparat prudentiam.* ¶ *Cuſtodit intelligentiam* שומר תבונה] *Prudentiam obſervat.*

9. *Teſtis mendax* עד שקרים] Vide v. 5.

11. *Intelligentia hominis* שכל אדם] *Prudens homo.* ¶ *Præterire* עבור] *Tranſgredi:* i. e. diſſimulare, ſive connivere ad tranſgreſſionem fratris ſui.

12. *Benevolentia ejus* רצונו] *Clementia*, [*beneplacitum*] *ejus.*

13. *Contritiones* הוות] *Calamitates*, *afflictiones.*

14. *Intelligens* משכלת] *Prudens.*

15. *Pigredo cadere facit* עצלה תפיל] *Deſidia immittit. Ignavia parit*, vel *irruere facit.* ¶ *Remiſſa* רמיה] *Doloſa*, *fraudulenta:* i.e. homo fraudulentus.

17. *Mutuat* מלוה] *Fænerat.*

18. *Quia eſt* adhuc *ſpes* כי יש תקוה] *Quando eſt ſpes.* ¶ *Et ad interficiendum*, &c. ואל המיתו וגו'] Verbum eſt à מות *mortuus eſt.* Alii deducentes à radice המה *ſtrepitum* ſive *ſonitum fecit*, vertunt, *& ad ſonitum* (ſive *clamorem*) *ejus nè advertas animum tuum.* i.e. Sine eum clamare, & nè deſinas caſtigare.

19. *Magnus irâ* גדל חמה] i.e. Iracundus. ¶ *Suſtinet pœnam* נושא ענש] *Suſtinet mulctam*: ſive *condemnationem*, aut *damnum*: i. e. tandem mulctatur. ¶ *Addes* תוסף] *Addet*, ſub. *irâ efferveſcere.*

20. *Correctionem* מוסר] *Diſciplinam*, *caſtigationem.* Alii, *eruditionem.*

22. *Deſiderium hominis*, &c. תאות וגו'] *Deſiderium hominis gratia ejus*, ſub. *Dei*, cujus mentionem fecit ſuperiori verſiculo. Alii, *Delectat hominem ſi benefaciat.* Alii, *Volupe ſit homini benefacere.* Nonnulli contra, *Deſiderium hominis eſt ignominia* [aut *vituperium*] *ipſius*: i.e. adducit eum ad ignominiam: quia naturâ pronus eſt homo ad peccata. ¶ *Mendax* כזב] *Negans.*

23. *Commorabitur* ילין] *Pernoctabit.* ¶ *Non viſitabitur malo* בל יפקד רע] *Non fiet recordatio mali:* i.e. ſatur exiſtens, pernoctabit ſecurus.

24. *Non adducet eam* לא ישיבנה] i. e. Nihil habebit quod in os ingerat.

25. *Intelligit ſcientiam* יבין דעת] i. e. Fiet prudentior.

26. *Deſtruit* משדד] *Diripit*, *expilat.*

27. *Ceſſa* חדל] *Deſine*, &c. i. e. Fuge inſtitutionem quæ te abducit à mandatis Dei.

28. *Impius* בליעל] *Nihili*, *perverſus*, *inutilis.* ¶ *Deridet judicium* יליץ משפט] Fut. Heb. pro præſ. *ſubſannat æquitatem*, vel *juſtitiam.* Quidam Hebræorum, *componet* (ſeu *palliabit*) *judicium:* i.e. teget teſtimonium ſuum in judicio bonitate aut decore verborum ſuorum, perinde ac ſi eſſet veritas, quamvis ſit mendacium: & ſic mox ait, *Et os impiorum operiet* [vel *abſcondet*] *mendacium*, bonitate ſcilicet argumentorum ſuorum. Alii, *pervertet judicium*, ſophiſticè loquendo. ¶ *Teget* יבלע] *Deglutit*, *devorat*, i.e. diſſimulat, *iniquitatem.*

29. *Et contritiones*, &c. ומהלומות לגו] *Et vibices*] *contuſiones*, *verbera*] *dorſo ſtultorum.*

CASTALIO.

2. QUi *pedibus feſtinat*] Qui temere agit, h. e. qui ſcientià caret.

7. *Verba perſequente quæ nuſquam ſint*] Fruſtrà promiſſa repoſcente.

18. *Eum necare*, *animum nè induxeris*] Nè committe tuâ indulgentià ut pergat eſſe nequam, atque ità pereat. Vide cap. 23.

19. *Tardus ad bilem*] Ad puniendum filium. ¶ *Nam ſi ſiveris evadere*] Impunitum. ¶ *Iterandum tibi erit*] Iterum peccabit, & tibi puniendus erit.

22. *Homini cupienda eſt pietas: præſtatque pauper homini mendaci*] Præſtat pauperem religioſum eſſe quàm divitem mendacem.

23. *Saturque deget inexpertus malo*] Scilicet Jovæ metuens.

24. *Nè ad os quidem ſuum eam referens*] Ægre, ut cap. 26. 15.

28. *Impiorum os crimen abſorbet*] Sceleratè mentiri ſuſtinet.

CLARIUS.

1. TOrquens *labia*] h. e. Qui perverſo ore dicit, *Mihi melius eſt propter divitias quàm pauperi propter innocentiam vitæ.* Alii ſic exponunt, *Melior eſt ſapientia cum paupertatè quàm divitiæ cum ſtultitia. Qui enim caret ſapientià, is feſtinat & currit ut exſequatur deſideria carnis*, *& peccet.*

7. *Qui tantùm verba ſectatur*] Alius vertit, *& ipſe quidem jubet verbis ſectari eos*, *at ipſi nolunt acquieſcere:* ut ſcilicet pendeat ſenſus à ſuperiori: quòd pauper quærat cur ità à ſe diſcedant, at ipſi non dignentur audire eum.

10. *Nec ſervum dominari*] Per *ſervum dominantem Principibus*, quidam Hebræorum intelligunt ordinem in viribus & affectibus non invertendum, nè ſuperiores animæ vires ſubjiciantur affectibus carnis, ſed ſpiritui caro ſubjiciatur.

15. *Anima diſſoluta*] Heb. *doloſa*; ſed ponitur pro *remiſſa*; ut ſuprà cap. 10.

18. *Nè deſperes*] Vel, *dum ſpes eſt*; h.e. Dum adhuc puer eſt, nè parcas ei. ¶ Quod ſequitur alius vertit, *ad clamorem ejus non advertas animam tuam*, i. e. nè te moveat clamor ejus.

19. *Et cùm eripueris eum*] Monet hic verſiculus, iracundum hominem ſæpe incidere in pericula, & ex unius evaſione illum minimè cautum reddi. ¶ *Adhuc appones*] i. e. Denuo id te agere oportebit.

22. *Delectat hominem pietas ejus*] Hebræi hunc locum ſic exponunt, *Delectat hominem ſi prædicetur de eo pietas ejus*, *etiamſi falſum id eſſe ſciat. Melior igitur eſt homo pauper*, *de quo tale quid prædicari nequit.*

26. *Qui affligit patrem*] Alius vertit, *perdit patrem*, *& fugat matrem filius impudens & ignominioſus*, dilapidans ſcilicet bona patris, &c.

R. BAYNUS.

1, 2, 3. MElior *eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua*, *quàm dives torquens labia ſua & inſipiens.* Heb. *Quàm perverſus labiis*, *& ipſe ſtultus. Ubi non eſt ſcientia anima*, *non eſt bonum: & qui feſtinus eſt in pedibus*, *offendet*, vel *peccat. Stultitia hominis ſupplantat greſſus ejus*, *& contra Deum fervet animo.* Heb. *Stultitia hominis pervertet viam ejus*, *& contra Deum iraſcetur cor ejus*] *Melior eſt pauper*] Si de paupertate & divitiis intelligatur, reſpondet verſiculus his quæ dicta ſunt de humilitate & arrogantia pauperis & divitum: nempe ſatius eſſe, & multò melius ſapientis judicio, etiamſi aliter ſentiat vulgus, pauperem eſſe cum integritate vitæ quàm è numero eorum divitum qui dura loquuntur, & pervertunt labia ſua per ſtultitiam. Sed mihi placet, ut de doctrina & eruditione fiat ſermo; cujus qui ſunt ignari, viventes tamen inculpatè, majore laude digni ſunt apud ſapientes quàm ille qui *vertit labia à veritate*, vel quàm ille qui *per labia ſua pervertit* opiniones hominum, verbis divitem in doctrina ſeſe oſtendens, cùm re verà ſit ſtultus. Et huic benè quadrat ſequens verſiculus, *Etiam abſque ſcientia*] q. d. Laudo ignorantiam cum ſimplicitate ſive integritate, collatione ad *perverſum labiis*, non quòd pulcra vel honeſta ſit anima hominis abſque ſcientia: ignorans enim anima nuda eſt quodammodo, & (ut inquit ille) *tanquam tabula raſa*, in qua nihil depingitur: & perinde eſt cum ignorantia Scripturarum & legis Divinæ vitam tranſigere, ac ſi quis cæcus vehementer feſtinus properet. Nam ut hunc pedibus errare & delinquere neceſſum eſt, ſic neceſſum eſt animam ignorantem & ſapientiæ expertem in via virtutum exorbitare. Alii connectunt cum priore verſiculo, *Stultus pervertit labia ſua*, eò quòd anima illius eſt abſque ſcientia Dei; & propterea *feſtinat pedibus*, h. e. affectioni-

ctionibus, & *peccat* ſequens videlicet appetitum ſenſitivum, qui feſtinat ad opus malum abſque judicio. ¶ *Stultitia hominis ſupplantat greſſus ejus*] Uſque adeò alieni ſunt quidam à ſapientia, ut cum ignorantiâ & ſtultitiâ univerſam viam & vitam ſuam perversè & in erroribus egerint, culpam tamen non agnoſcant, ſed contra Dominum iraſcatur cor eorum, fortunam & fatum ſuum accuſans vulgi & hæreticorum more, vel in Deum omnium creatorem regerentes culpam, quòd ſub infelici ſidere nati ſint. Denique fruſtratus ſuo fine homo per ignorantiam & ſtultitiam ſuam, non debet Deo iraſci in corde, malum aliquod Deo imputans, quod maximæ ſtultitiæ eſt argumentum. Aliter, *Etiam abſque ſcientia anima non eſt bonum*] Quemadmodum non eſt bonum pervertere labia per ſtultitiam à veritate, ità etiam non eſt bonum, ſc. *ſequi animam ſuam*, h. e. ſenſitivum affectum, qui cæcus eſt & abſque ſcientia: quem qui ſequitur, velut nimiùm feſtinans, pedibus delinquit & errat, & cùm ex ſtultitia & ignorantia *pervertit viam ſuam*, nihilominus non ſibi ipſi qui peccavit, ſed cum Deo iraſcetur qui fecit talem ut poſſit peccare. Vel meliùs, Iraſcetur contra Deum cor illius, ubi pro ſtultitia ſua dederit pœnas in igne inexſtinguibili.

4, —— 7. *Divitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit, ſeparantur.* Heb. *Pauper ab amico ſuo ſeparabitur. Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt bona retribuentis.* Heb. *Plurimi deprecabuntur faciem liberalis, & quilibet amicus viro muneris. Fratres omnes pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo: Qui tantùm verba ſectatur, nihil habet.* Heb. *Quantò magis amici illius longè receſſerunt ab eo qui ſectatur verba, quæ non ſunt*] Quid fieri ſoleat, non quid fieri debeat, videtur narrare Salomon, felicitatem videlicet divitis, qui multos aſſequitur amicos. Contra ſi quis ad inopiam veniat, ab amicis deſtituitur, etiam à fratribus, ut jam infeliciſſima videatur pauperis conditio, ſed ſecundùm vulgi opinionem: nam modò dictum eſt, *Melior eſt pauper ambulans in perfectione ſua*; ſc. *quàm dives qui pervertit labia ſua à veritate*, dum non agnoſcit omnia à Deo ſe accepiſſe, neque Deum omnium datorem. Et proinde in laudem paupertatis interpretamur, qui non à veris ſed à fucatis deſtitutus amicis cogitur à Deo totus pendere, illius opem & amicitiam quærere. Verum eſt; opes addunt amicos multos, ſed fucatos & mendaces: & hoc eſt quod ſequitur, *Teſtis falſus non erit impunitus* (vel *non erit innocens*)] q. d. Multi ſunt amici divitum, qui illius causâ multa mentiuntur: &, ſi opus eſt, vel in judicio falſis teſtimoniis pauperem opprimere non recuſant, deſtitutum videlicet ab omnibus amicis. Sed nè hic quidem vel dives felix eſt judicio ſapientis, & pauper miſer, ut vulgò putatur, habet enim defenſorem ſuum qui illius cauſam ulciſcatur, & qui ſententiam aliquando proferat, & reos oſtendat falſos teſtes, quorum operâ innocentes ſunt condemnati. Neque enim ob falſa teſtimonia ſolùm luent pœnas falſi teſtes, ſed qui mendacia loquuntur blandientes divitibus, oblatrantes pauperibus, qui in perfectione ambulant. Aliter & meliùs, *Opes addunt amicos*] Liberaliter videlicet diſtributæ: tenuis in bonis operibus ſeparabitur ab amico, quia pluris facit pecuniam quàm hominem. Aliter verſiculus oſtendit omnem laudem divitiarum conſiſtere in hoc ut *faciat* quis ſibi *amicos de mammona iniquitatis* Luc. 18. Pauperis verò laus in tolerantia conſiſtit, cùm fuerit à ſuis deſtitutus. ¶ *Falſus teſtis*] Ob id ſtatim adjecit de falſo teſte, quòd multi per egeſtatem coacti ad proferendum falſum teſtimonium inducuntur. Porrò mentiuntur multa divites, quorum neutri erunt impuniti: *Deus* enim *veritas eſt*, & mendacium non ſinet eſſe impunitum: juxta poſteriorem expoſitionem de opibus diſtributis. Sequitur, *Multi deprecabuntur*] q. d. Non ſolùm amicitiam multorum obtinebit vir dives & liberalis, ſed etiam honorem à multis, qui illius opem implorabunt. Quilibet vult eſſe amicus *hominis donorum*, h. e. qui libenter largitur & diſtribuit ſuas opes. ¶ *Omnes fratres pauperis oderunt eum*] Plurimi fiunt amici hominis liberalis, hominis verò pauperis fiunt inimici etiam fratres: q. d. Virtus naturam ſuperat. *Vir donorum*, ut eſt in Hebræo, ſine dubio Chriſtus eſt, *Qui aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, Epheſ. 4. & cujus liberalitatem admirantes (quæ enim potuit eſſe major quam ſanguinis? quam vitæ?) illius amici libenter fiunt omnes Chriſtiani, & vultum deprecantur, gratiam illius & favorem amplectentes libenter. Contra Judaicus populus tenuis admodum & pauper in Scripturarum intelligentia, etiam à fratribus, Apoſtolis & Prophetis odio habebitur: *Iniquòs odio habui*, inquit Pſal. 119. Alioqui *odire* eſt averſari, fugere: & quotidie deſeruntur à ſuis, dum verba ſequuntur & ſermones qui fidelibus non poſſunt placere. Nihil enim magis ad unitatem & amicitiam facit quam ſermonis concordia, & verba quæ utrique parti probantur. Hæc juxta allegoriam. Alioqui ſimplex ſenſus erit, Nullam virtutem magis conducere ad amicitiam ſeu ineundam ſeu augendam quam liberalitatem & benevolentiam, quæ non ſolùm in bonorum externorum diſtributione ſed magis in diſpenſatione ſalubris doctrinæ & ſapientiæ conſiſtit. Cujus divitem eſſe ſuum filium vult ſapiens, quò gratiam ineat apud plurimos, neque ſine fructu ſuam vitam tranſigat.

8, 9. *Qui poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam; & cuſtos prudentiæ inveniet bonum.* Heb. *Cuſtodiens prudentiam ad inveniendum bonum. Falſus teſtis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit*] *Qui poſſidet cor*] Omnes habent cor, ſive omnibus datum eſt cor: ſed hi ſolùm apud Sapientem dicuntur *poſſidere cor* qui ſapientiâ & bonâ doctrinâ cor præditum habent, & ille poteſt *animam ſuam amare*. Opes augent amicos, & vir liberalis multorum acquiret amicitias: ſed (ut ſuprà diximus) *abſque corde*, h. e. abſque ſapientia, nemo poteſt *amare ſuam animam*, tantò minùs amabit alios. Quantò igitur præſtat ſuam amare animam ut decet quam ob munera & dona ab aliis amari, tantò melior eſt poſſeſſio cordis poſſeſſione pecuniæ. Si verbum קנה quod *poſſidere* & *acquirere* ſignificat in ſecunda ſignificatione capiatur, ſapientiam acquiſitam induſtriâ & ſudore intelligemus, & meliùs reſpondebit ſequenti clauſulæ: q. d. Acquirendum imprimis eſt cor, h. e. ſapientia, his qui volunt ſuas animas amare, & acquiſitam ſervare intelligentiam, ſi modò volumus bonum invenire in futuro ſeculo quod in præſenti quærimus. ¶ *Cuſtos prudentiæ*, vel, *qui cuſtodit intelligentiam*] Qui poſſidet & cuſtodit opes, in malum ſuum ſervat nonnunquam; ſed qui *poſſidet cor*, h. e. qui nactus eſt ſapientiam *& ſervat intelligentiam*, Divinæ legis, *inveniet bonum*: nam, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, Luc. 11. Et certè in amanda anima eſt opus magnâ prudentiâ, nè inveniamur mendaces aut falſi teſtes, dicentes nos amare animas noſtras, & juxta Hebræum, *Cor non poſſidentes*, ſapientiæ normâ inſtructum, quæ eſt hujuſmodi, *Qui amat animam ſuam, perdet eam*, Joan. 12. Hac in re *teſtis falſus non erit innocens*, &, *Qui loquitur mendacium, peribit*] q. d. graviùs punietur qui in rebus animæ ſe ipſum fallit in mendaciis quam qui alios in re pecuniaria decipit: ſuperiùs enim dictum eſt, *Qui loquitur mendacium, non evadet ſupplicium: ſic qui mentitur, peribit.*

10. *Non decent ſtultum delitiæ, nec ſervum dominari principibus*] LXX. οὐ συμφέρει ἄφρονι τρυφὴ, *non conducit.* Hebræi, *non eſt pulcrum* aut *æquum* vel *conveniens. Delitiæ* verò exponunt Hebræi, honores. Quòd ſi *delitias* hujus vitæ intelligamus & honorem, quæ contingunt his qui inter homines autoritate pollent, minimè quadrant ſtulto, ut quæ ex ſapientibus nonnunquam ſtultos, & ex ſtultis inſanos faciunt. Duplicatur quodammodo ſtultitia per delitias & voluptates, quas ſapientes vix ferre poſſunt; ſtulti verò nullo modo. Et quemadmodum ſtultus delitiis inſoleſcit, ſic homo tenuioris fortunæ & ſervilis conditionis, ſi ad imperium & dominium evehatur, arrogantiâ fit intolerabilis: & res eſt valdè abſurda & indecora, ut dux ſit & rector aliorum, qui ſeipſum regere nequit. Hic eſt ſenſus hujus verſiculi humillimus ultra quem Rabbini non aſcendunt. Nos verò delitias à ſapiente Salomone damnatas eſſe putamus: & erit ſenſus, Tantum abeſt ut delitiæ & voluptates hujus mundi ſapienti conveniant, ut nè ſtulto quidem poſſint convenire, niſi valdè abſurdè. Quam verò abſurdè ſimilitudine quadam oſtendit, nempe *ſervi in Principes dominio*, utriuſque enim ſimilem inſolentiam fieri neceſſe eſt: q. d. tam indecorum eſt, ſtultum qui cor non poſſidet, omnia ex animi ſui ſententia habere, quam *ſervum habere dominium in Principes*. Cæterùm, cùm hoc verbum ענג *delectare* in bonam partem frequenter accipiatur, pro ſpirituali delectatione, ut, *Oblectabuntur in multitudine pacis*, Pſal. 37. &, *Oblectamini ſplendore gloriæ ejus*, Eſa. 60. &, *Super omnipotenti oblectatus fuerit*, Job. 27. ſententia erit ſapiente magis digna, ſi delitias animæ, h. e. lætitiam & gaudium ſpiritûs intelligamus, quod ſtulto, h. e. peccatori, ſine Dei ſapientia nunquam conveniet: neque qui peccatis ſervit, & affectibus improbis obnoxius eſt, unquam dominabitur Principibus, h. e. rationi & intellectui, & præcipuis animæ viribus.

11, —— 14. *Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria ejus eſt iniqua prætergredi.* Heb. *Intellectus hominis eſt protrahere* (differre) *furorem ſuum, & gloria illius tranſire prævaricationem. Sicut fremitus leonis, ità & ira Regis: & ſicut ros ſuper herbam, ità & hilaritas ejus* (vel *benevolentia ejus.*) *Dolor patris eſt filius ſtultus, & tecta jugiter perſtillantia, litigioſa mulier.* Heb. *Contritio patris ejus eſt filius ſtultus, & diſtillatio continua eſt rixa mulieris* (vel *uxoris.*) *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Heb. *Domus & divitiæ hæreditas patrum; ſed à Domino uxor prudens.*] His quatuor verſiculis quatuor officia diſtribuuntur, in repub.

maxi-

maximè neceſſaria, ſine quibus ſapientiam nequeant homines aſſequi: & primò inter virum & vicinum ejus maximopere opus eſt ſapientiâ, nè quis adversùs alterum temere iraſcatur, quod vitium quantò communius eſt, tantò majore prudentiâ opus eſt quò poſſit quis *iram prolongare*, h. e. longanimis eſſe: quaſi non exigat Sapiens ab hac fragilitate humana ut non iraſcatur, ſed humani eſt intellectûs, h. e. hominis qui ratione regitur, non impelli neque duci affectibus. Eſt inquam prudentis non ſtatim ad ultionem proſilire; ſed differre, & non in præſenti cùm bilis ferveat, ſed poſt ubi ſedato fuerit animo, rationem cum vicino inire. Quod ſi quis ex ſeſe per prudentiam impetraverit, temporis beneficio videbit non uſque adeò magnam fuiſſe offenſam: nam ira impedit animum, nè poſſit cernere verum. ¶ *Et gloria illius prætergredi prævaricationem*] Alienam videlicet transgreſſionem intelligimus. Cùm enim *in multis offendimus omnes* quantumvis ſapientes, & à Deo remiſſionem peccatorum impetrare cupimus, quæ major gloria eſſe poteſt hominis mortalis & peccatoris quàm Divinam in terris bonitatem imitari? h. e. hominibus remittere delicta, ut faciliùs à Deo remiſſionem delictorum accipiat, juxta illud, Matth. 7. *Dimittite, & dimittemini.* Hoc eſt igitur officium inter homines maximè neceſſarium, longanimes eſſe inter ſeſe: nam temere nonnunquam iraſcimur & ſine causâ. Cæterùm quamlibet magna & juſta præbeatur occaſio, ſtatim vindictam exigere, nec intelligentis nec prudentis hominis eſt. Cæterùm aliorum remittere tranſgreſſiones & delicta maxima laus eſt. *Sicut fremitus* vel *rugitus*] Secundum officium eſt ſubditorum erga Regem, quem nè offendamus, major cura eſt adhibenda, & maximopere cavendum eſt, nè illius iram provocemus, quæ facilè placari non poteſt: eſt enim Rex iratus veluti leo, ſive catulus leonis rugiens ſuper prædam, cujus fremitus maximum terrorem incutit cæteris animantibus. Cæterùm, juxta ſenſum ſublimiorem, quàm terribile ſit illius leonis, qui ex tribu Juda ortus eſt, audire rugitum, quàm tremenda ſit ira æterni Regis & judicis, qui aliquando dicturus eſt iis quibus iratus eſt, *Ligatis pedibus & manibus, mittite eos in tenebras exteriores*, Matth. 22. Regis & leonis exemplo diſcimus. Porrò benevolentia & favor illius regis eſt *tanquam ros ſuper gramina*, quo rigatæ herbæ vireſcunt: alioqui neque à terra aſcendunt, neque ſolis ſuſtinent ardores. Et nos regis æterni benignitate & favore rigati, non ſolùm Scripturarum ſed etiam ſanguinis illius poculo, quo omni peccandi ardore exſtincto in hoc corpore mortali ad viriditatem bonorum operum erigimur, corpora quoque ſepulta, veluti ſemina *herbarum* projecta in terram, hoc *rore*, nempe fide & ſpe in Chriſtum, aſperſa pullulabunt aliquando, juxta D. Paulum 1 Cor. 15. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* ¶ *Dolor patris*] Vel *contritio & calamitas patris.* Reliqua duo officia ſunt domeſtica, Filiorum videlicet erga parentes, & Uxoris erga maritum. De priori ſæpe dictum eſt, videlicet ut maxima lætitia provenit patri ex prudenti & probo filio, ità ſummus *dolor & calamitas ex ſtulto & improbo.* Quæ mala ſi cogitent ſtudioſi juvenes, probitatem & virtutem amabunt vel patris causâ. Et patres, futuros dolores ex malè inſtituto filio præmeditantes, ſint ſoliciti filios cum cura educare. ¶ *Tecta jugiter perſtillantia*] ſive *ſtillatio continua.* Concordia Viri & Uxoris commendatur: jurgia & lites domeſticæ quàm ſint moleſtæ, ſimilitudine valde concinnâ declaratur. Ædes ſibi comparant & conſtruunt homines ut ab injuriis cœli & aëris ſint immunes, præſertim ut à pluvia quàm minimum ſuſtineant: quòd ſi imbres non arcent tecta ædium, maximo incommodo habitamus. Simile quiddam eſt viro cum uxore; indiſſolubile videlicet vinculum: ut quemadmodum ædibus, ità nec uxoris contubernio carere poteſt: Cum qua ſi eſt mutuus amor & concordia, libenter domum feſtinat maritus, excipiendus videlicet ſummâ benevolentiâ ab uxore: quòd ſi litigioſam domi habet uxorem, quæ gaudet obſtrepere ac contendere, mallet foris manere vel in pluvia quàm ædes adire proprias, ubi per importunitatem uxoris quieſcere non poterit. Hæc eò ſpectant ut admoniti per Sapientem ſtudeant homines magna cum prudentia uxores eligere, non temere proſilire ad matrimonium, ex ſimilitudine morum uxores magis eligant & ex amore quàm opibus aut familia. Qua in re ad Deum tanquam omnium bonorum largitorem confugiendum eſt, juxta id quod ſequitur, *Domus & divitiæ dantur à parentibus*] Heb. *Domus & opes hæreditas patrum*: q. d. Hæc à patre accipit homo, non à Deo immediatè; Deus enim hæc largitus eſt patri, qui filio relinquit. Hæc igitur, *domus*, inquam, *& opes*, ſecurè recipit filius *à patre*; *Cæterùm prudentem uxorem ſolus Deus largitur.* Proverbium monet cùm in omnibus rebus agendis tum præcipuè in capienda uxore à Deo quærendam opem.

15, —— 18. *Pigredo emittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur.* Heb. *Pigritia faciet cadere ſoporem, & anima doloſa eſuriet. Qui obſervat præceptum; cuſtodit animam ſuam: qui deſpicit vias ſuas, morietur. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem reddet ei. Erudi filium tuum, nè deſperes: ad interfectionem autem illius nè ponas animam.* Heb. *Caſtiga filium cùm eſt ſpes, & ad clamorem illius nè eleves animam tuam*] Ex pigritia & otio quanta mala proveniant, contra, ex juſto labore quàm ingentia bona, oſtendit hoc loco Sapiens. *Pigredo emittit ſoporem*] q. d. Quò quis magis deditus ſit otio, eò ad laborem minùs erit in dies idoneus, & à pigritia ad noctes dieſque ſtertendum reſolvitur. Eſt enim תרדמה Hebræis *graviſſimus ſomnus*, quem *Deus in Adamum cadere fecit, coſtâ ex latere exemptâ*, Gen. 2. Quod de labore corporeo dicimus, in ſapientiæ ſtudio & in virtutis exercitatione locum habet, in qua qui ſegniores ſunt ad graviſſimum in peccatis ſomnum perveniunt, ut nullis quamlibet magnis Prophetarum aut Apoſtolorum aut cujuſcunque concionatoris vocibus poſſint excitari. Sed hi ferè meritas pœnas luunt, & cum filio prodigo Luc. 15. ad *famem & porcorum ſiliquas* damnantur, ut juxta præceptum Pauli 2 Theſſ. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Sed ut illi neceſſario victu carentes ad famem corporalem coguntur, ità & iſti graviorem verbi Dei inediam patiuntur, quamvis *anima doloſa* ſeſe famem pati diſſimulet. Juxta priorem ſenſum de corporali otio *doloſa anima* intelligi poteſt, quòd multi honeſtis artibus & labore cùm nolint ſibi victum comparare, neque labores ſubire, ad dolos & deceptiones verti ſolent, quacunque ratione victui neceſſaria quærentes. Sed hi non minùs quàm pigri ad inediam nonnunquam perveniunt. Juxta verſionem D. Hieronymi facilis eſt ſenſus, nempe *Animam diſſolutam pigritudine & ſomno ad inopiam & famem pervenire.* Alioqui juxta Aben-Hezra ſunt duæ diverſæ clauſulæ, nempe, ut *homo per pigritiam pervenit ad Tardema*, h. e. *ad ſtertendum*, ſic *per fraudes pervenit ad famem & inopiam.* Mihi verò videtur ſenſus ſimplex, ut intelligamus Sapientem reddere duas cauſas per quas fame laborant homines, nempe Pigritiam, & Fraudem, quâ conantur alios ad inopiam redigere. ¶ *Servans præceptum*, ſive Dei ſive Regis, *ſervat animam*, à morte & anguſtiis. Sic Hebræi. Aliter, Ut *ille qui laborioſus eſt in præceptis* Dei *implendis*, *ſervat animam ſuam* à fame, (*Non* enim *vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*, Pſal. 34.) ſic *qui contemnit vias ſuas*, nec ſolicitus eſt ut in viis mandatorum ambulet, *morietur*, vel temporali morte à Principibus inflictâ, vel certè æternâ morte. Nam *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Matth. 19. Atqui hoc primum habemus commodum ex laboribus, ſi ſomnum excutiamus. Secundum verò. ¶ *Fœneratur Domino*] h. e. *Qui laborat manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*, Epheſ. 4. Nam cùm omnis eleëmoſyna ſit grata, maximè tamen illa quæ ſudore comparatur & juſtis laboribus. Nam ſic interpretor, *liberalitatem in pauperes eſſe fœnus accomodatum Deo.* Non quævis eleëmoſyna tantum præmium habet, ſed illa quæ fit ſervatis Dei præceptis. ¶ *Erudi filium tuum dum eſt ſpes*] Vel *quia eſt ſpes*, ut ad frugem hanc perveniat, nempe ut fugiat otium, ſolicitus ſit ad ſervanda præcepta, nè ipſe ad mortem veniat, ſed alios per pia opera miſericordiæ à morte præſervet, h. e. ut libenter tribuendo pauperibus largiatur. Quicunque in pauperes liberalitatem exercet, tantum abeſt ut jacturam faciat aliquam ut ingens lucrum indè recepturus ſit: non enim pauperibus datur, ſed Chriſto, Matt. 25. *Quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis:* qui pro ſua benignitate non ſolùm ſortem integram nobis ſervat, ſed lucrum cum fœnore reponit. Aliter, *Dominus accommodat quod pauperibus largimur, & nihilominus retributionem rependit*, ac ſi noſtrum eſſet & non ſuum quod impendimus. Denique poteſt *retributio* ejus referri ad *pauperem*; ut ſit ſenſus, *Dominus accommodat pecuniam illi qui largitur pauperi, & retributionem retribuit pauperi per manus alterius.* Sed prima expoſitio eſt optima. ¶ *Ad interfectionem illius*] In caſtigatione filii ſemper ſpes eſt: quòd ſi ſtatim non poſſis filium ad bonam frugem perducere, ceſſare noli, ſed ſubinde diſciplinam novam adhibeas. Et quamvis magnæ & multæ ſint *calamitates patris de filio ſtulto*, (ut dictum eſt) *nunquam* tamen *de trucidando filio cogitare* oportebit: imò ſatius eſt ut vivat, quantumvis alienus à ſapientia, quam ut pater de morte illius decernat; id quod à ſapientia eſt alieniſſimum. Aliter, *Caſtigabis eum*, ſed nullâ crudelitate, ut ſub manu tua *moriatur*; ut domini in ſervos quandoque animadvertere ſolent uſque ad necem. Tertia denique poteſt eſſe interpretatio, quæ optima eſt, ut vox Hebræa המיתו non *mortem ejus* vertatur, ſed *clamorem*, vel *tumultum*, *ejus*, à verbo המה *ſonare*: q. d. *Erudi filium, & non eleves animam tuam ad clamorem illius*, h. e. Propter fletum & gemitum nè deſi-

nè deſiſtas à caſtigatione illius, ut ſolent aliquot patres nimiùm indulgentes in liberos.

19, 20, 21. *Qui enim impatiens eſt, ſuſtinebit damnum; & cùm rapuerit, aliud apponet.* Heb. *Magnus irâ ſuſtinet punitionem; nam ſi erueris, & adhuc addes. Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis. Multa cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum permanebit*] Sunt ex Hebræis qui primum ex his tribus verſiculis connectant cum ſuperiore verſiculo, ubi in caſtigatione filii à crudelitate cohibetur pater, nè inducat animum filium interficere quantumvis alienum à diſciplina. Quod qui facit, meritò impatiens, ſive, juxta Hebræum, *magnus in ira* dici poteſt, & ſupplicium dabit aliquando ſuæ impatientiæ, tanquam homicida. Et *cùm rapuerit, aliud apponet*, ſive (ut eſt in Heb.) *ſi erueris, adhuc addes*: h. e. Si eripias filium unâ vice, neque nimiùm caſtiges, poteris aliâ vice denuo diſciplinam addere. Hæc illi. Mihi magis arridet, ut in genere dicatur contra eòs qui paſſionibus iræ ſunt obnoxii. Quicunque enim *magnus* & vehemens eſt *in ira*, ſuæ temeritatis pœnas dare ſolet: quòd ſi vehementia furoris aliquem eripiat aliquando, dum terrorem incutit his quibuſcum contendit, tamen aliâ vice pœnam addet & damnum: vel, *ſi tu* quiſquis es *evaſeris*, & nihil per immodicam iram damni patiaris, tamen aliâ vice dum *addideris* furorem, hinc damnum & pœnam patieris. Beda refert ad fraternam correctionem, quem ſi quis ad iracundiam provocaverit, pro præmio virtutis quod moderatione fuiſſet aſſecutus, pœnas dabit, cùm fratrem non caſtigaverit, ſed ad majorem iram provocaverit. Prior expoſitio eſt melior. *Audi conſilium & cape diſciplinam*] Poſteaquam inſtruxit patres quo pacto filios caſtigare debeant, ſermonem convertit ad juniores, quos obtemperare parentibus, & ab eis libenter diſciplinam capeſſere, monet: quo tandem in ſenectute ad ſapientiam & ipſi perveniant. Melius intelligimus eſſe verba patris, h. e. admonitionem quam Salomon præſcribit parentibus, ut in filiorum aures inſtillent, affectu paterno hortantes, ut velint bonum & ſanum conſilium audire ab his qui ſunt ſapientiores, quòd ſi bono conſilio nolint obtemperare, ſi correptione quoque ſit opus, velint manum ferulæ ſubdere: quaſi diceret pater, Fili mi, audi conſilium meum, vel præceptoris tui, & ſi opus fuerit, accipe diſciplinam & correptionem, quæ ex amore verè paterno procedit, non ex odio; & ne cogites quid nunc agatur, ſed quid olim futurum ſit: nam per bonum conſilium & caſtigationes inſolentes juvenes ad frugem & ſapientiam perveniunt: alioqui ſi ſuas ſequantur cogitationes & deſideria, quæ ſunt varia & ſtulta, ſapientes viri nunquam erunt, ſecundùm id quod ſequitur, *Multæ cogitationes in corde viri*] Quamvis humilis admodum videatur doctrina Salomonis, dum docet patres quo pacto filios debeant educare: neceſſitas tamen illius ubique patet, & ſubinde ſublimitatem ſuæ doctrinæ innuit. Nam quod dixit de *conſilio audiendo*, non tam humanum intelligit, quam Dei, quod arcanis proditum eſt literis, non humanis cogitationibus, quæ variæ ſunt & vanæ: & docet neminem poſſe ad ſapientiam ſolidam pervenire, niſi conſilio Dei, quod permanebit, quod non mutatur, ſed ſemper ſolidum & ſanum permanet, per quod ſolùm ad ſapientiam in poſtremis proveniunt ſapientes, nempe ad Chriſtum; ſecundùm quod ait Sanctus Paulus, *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Ex hac clauſula denique intelligimus & reliqua quæ dicta ſunt de filiorum erga patrem officiis, potiſſimùm ad Deum omnium patrem referenda.

22, 23. *Homo indigens miſericors eſt, & melior eſt pauper quàm vir mendax.* Heb. *Deſiderium hominis miſericordia ejus. Timor domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi.* Heb. *Saturatus pernoctabit, non viſitabitur à malo*, vel *cum malo*] Interpres videtur metaphoricè intellexiſſe vocem Hebræam תאות, *deſiderium.* Comes eſt enim paupertatis & indigentiæ deſiderium multarum rerum. Multæ ſunt cogitationes & multa deſideria: ſed præcipuum *deſiderium hominis* debet eſſe *miſericordia illius*, h. e. ante omnia debet deſiderare facere miſericordiam in homines: hoc eſt enim conſilium Dei quod permanebit, ut modò dictum eſt; hoc conſilium, inquam, Dei per Danielem Prophetam Dan. 4. datum Regi Nabuchodonoſor, *Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Sed tum tandem deſiderabilis eſt miſericordia cùm reliqua vita reſpondet: cùm quod foris geritur, intus in animo pio ſtudio impletur, nec ab externo opere internus affectus diſcrepat: denique cùm in fide nullus ſit error, neque fictâ charitate per hypocriſim fama quæritur. Alioqui melior eſt pauper qui miſericordiæ opera per inopiam exercere non poteſt, quàm cum fallacia & mendacio miſericors. Aliter, *Deſiderium hominis miſericordia ejus*] q. d. Bene audire, miſericordes vocari & probos, omnes deſiderant; etiam qui non ſunt, jactant aliquando & oſtentant miſericordiam foris: ſed iſtis pauper melior eſt, qui ut non facit miſericordiam ità neque mendaciter oſtentat. Sunt qui accipiunt חסד, i. e. *miſericordia*, in alia ſignificatione, nempe pro *opprobrio*, ut Lev. 20. חסד הוא, *turpitudo* eſt *illud*: loquitur Scriptura de conjugio fratris & ſororis, quæ res eſt ignominioſa, & erit ſenſus verſiculi non abſurdus ſanè, nempe, non ſequendas cogitationes quæ ſunt in corde viri, neque deſiderium humanum ſine conſilio Dei, de quo in priore verſiculo dixerat; Nam hujuſmodi deſiderium ducet hominem *ad ignominiam*, ad ſequenda deſideria carnis & mundi quæ non ſunt bona, ſed mendacia, & proinde melius eſt inopem vitam agere quàm mendacem & fucatam, pro veris bonis umbram deſiderantes. Et hæc expoſitio quadrat ſequenti verſiculo, nempe, *Timor Domini ad vitam*] Sc. *ducet timentes Dominum: ad vitam*, inquam, tam temporalem quam æternam perducit *timor Domini*, dum à tranſgreſſione legum cohibet; legum, inquam, tam principum, quas qui ſervat vivit per eas, quàm Divinas, quibus ſervatis ad vitam perducimur æternam. Porrò cum multi non tam vitam videantur quærere, quam cum abundantia rerum & ſaturitate quieſcere, & hoc quoque præſtat timor Domini, nempe ſaturitatem cum tranquillitate, juxta illud, *Non eſt inopia* (vel *defectus*) *timentibus eum*, Pſal. 37. Nam qui timet, & ſuper omnia deſiderat ac amat Deum, terrena non concupiſcet, imò omnium bonorum autorem & largitorem ſecum habens, quid poſſit concupiſcere, cujus rei famem ſuſtinere poſſit? ad hæc qui cum omni ſaturitate vivunt, coguntur ſubinde mala timere, quæ etiam divitibus contingunt. Sed hic quoque *timor Domini* ſecuros nos eſſe jubet; nam qui timet Dominum, nullo malo aut damno viſitabitur; quòd ſi quid patitur pro defenſione fidei, ac pro conditione hujus mortalitatis, tamen *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, Rom. 8. Vitam igitur, ſaturitatem & ſecuritatem, tria maxima commoda, ſecum affert timor Domini.

24, - - 27. *Abſcondit piger manum ſuam ſub axilla, nec ad os ſuum applicat eam. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit: ſi autem corripueris ſapientem, intelliget ſapientiam.* Heb. *Deriſorem percuties, & imprudens diſcet aſtutiam: reprehende intelligentem, & intelliget ſcientiam. Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominioſus erit & infelix.* Heb. *Qui ſpoliat patrem, & in fugam vertit matrem, filius pudore afficiens & confundens. Non ceſſes audire, fili, doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ.* Heb. *Ceſſabis, fili mi, audire diſciplinam, ad errandum ab eloquiis ſcientiæ?*] *Abſcondit piger.* Juventutem corrigere & in via virtutum ad ſapientiam perducere ſcopus eſt hujus libelli. Atqui huic inſtituto maximè obſtat pigritudo & ſomnolentia, quod vitium, & paulò ſuperiùs, & hoc in loco graviſſimè reprehendit: in quibuſdam uſque adeo magnum eſt, ut nè fame quidem cogente poſſint ad honeſtum aliquem laborem pertrahi: hoc enim eſt quod dicit, *Abſcondit manum ſub axilla*] vel *in ſinu*, & frigore & otio torpeſcens *nè ad os* quidem *ſuum reducet* dum cibum capiat. Aliter, *ad os*, quod eſt facillimum: q. d. nihil omnino laboris vult facere, nè corpus quidem curare, non lavare, nec pectinare. Prior expoſitio eſt melior, ut ingens hyperbola intelligatur. Si tales inveniantur qui *nè ad os ſuam manum* volunt *admovere*, non dixerim. Certè ſunt infiniti qui malint famem pati quàm ullo honeſto ſtudio vacare: ſed quantò plures juxta ſenſum ſublimiorem, qui quod ore profitentur nolunt manu & opere complere? qui ore tenus non piis operibus ſunt Chriſtiani horum negligentiam redarguit Sapiens. Non eſt prætermittendum quòd quidam ex Hebræis vocem Hebræam צלחת *aſcella* exponunt *lebetem*, quemadmodum propriè ſignificat, ſed hoc in loco metaphoricè accipitur, pro *ſinu* vel *aſcella*, ut Hieronymus rectè vertit: quamvis vehementior erit hyperbola ſi pro lebete in quo cibi reponuntur accipiatur. Ad quam ſi manum injiciat piger, ut cibum capiat, vix reducit ad os ſuum. Aben-Hezra ſubaudit ſimilitudinis particulam ſic. *Piger eſt ſimilis illi qui manum mittit ad patellam*, ſive *lebetem, & tamen non retrahit eam ad os*: ac ſi diceret, Etiam ſi opus aliquod neceſſarium incipiat, non tamen abſolvet. לץ Hieronymus ſecutus LXX. *peſtilentem* vertit: ut, *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, Pſal. 1. Hunc *deriſorem* appellat Sapiens, qui videlicet monita majorum contemnens, ea vel verbis vel factis deridet. Hunc vehementer caſtigare eſt neceſſum: quod ſi incorrigibilis eſſe videatur, tamen ad exemplum aliorum pœnas dare debet, præſertim imperitorum, quos Scriptura פתים vocat, nos *perſuaſibiles* vertere poſſumus, aut *imperitos.* Hi alieno periculo fiunt cautiores & prudentiores. Utitur Scriptura certâ perſonâ pro quavis, juxta morem Latinæ linguæ, *Percuties*, pro, cùm quis percuſſerit & caſtigaverit. Tertium genus eſt eorum qui cùm cordati ſint, minimo negotio *intelligent ſcientiam*, hoc eſt, facient quod jubentur facere, verbis duntaxat moniti abſque verberibus.

Hunc

Hanc quam videmus in juvenibus diverſitatem ingeniorum, quod ad literarum ſtudia ſpectat, videre licet in ea quæ ad ſalutem animarum ſpectat Pphiloſophia & Chriſtiana profeſſione. Quæ & deriſores habet & peſtilentiſſimos etiam hodie hæreticos, qui Divina ſacramenta & ſaluberrima Eccleſiæ inſtituta & ritus derident & ſubſannant: quos cùm inſanabiles judicat Eccleſia, à magiſtratibus ſuppliciis traduntur graviſſimis. Quâ animadverſione plebs indocta & ſimplex, & nonnihil ab hujuſmodi deriſoribus labefactata, ad ſanam mentem revertitur tandem. Alioqui reperias in grege Chriſtiano, qui primâ ſtatim facie à paſtoribus admoniti, quò à mala doctrina caveant, facilè *intelligunt* veram *ſcientiam* fidei, & diſtinguunt à falsâ hypocriſi hæreticorum. *Qui affligit patrem, & fugit matrem*] vel ut eſt in Hebræo, *deſtruit patrem*, *vaſtat* vel *prædatur*. Ex his qui caſtigari nequeunt, ſunt qui ad maximam confuſionem & erubeſcentiam ſeu propriam, ſeu parentum, perveniunt: & pendet ſenſus ex prioribus. Nam qui uſqueadeo piger eſt ut nè ad os quidem manum è ſinu retrahat, qui caſtigationem majorum deridet, neque melior evadit, ad prædam & latrocinium *patris* deveniet, h. e. paternorum bonorum decoctor fiet, & tantam vaſtitatem faciet in ædibus paternis ut matrem fugam capeſſere cogat; quo ſcelere vix ullum gravius eſſe poteſt. Nam hic tandem verè *filius confundens*, & *rubore afficiens*, parentes, qui ſpretâ illorum autoritate & contemptâ caſtigatione, eò inſaniæ tandem proſilit ut in ſubſtantiam paternam manus violentas injiciat: pejor filio prodigo qui dixit, *Pater, da mihi partem ſubſtantiæ*. ¶ *Et fugit matrem*] Meliùs, *fugat* & expellit matrem, ab ædibus videlicet in quibus per filii inſolentiam habitare non licet. Judaïcus populus cœleſtem patrem, dum filium Dei non recipiunt, bonis omnibus & debito honore, quantum in eis eſt, ſpoliare & prædari conantur, & ſynagogam matrem in fugam converterunt: nam apud eos non eſt ampliùs venerabilis illa Patriarcharum & Prophetarum mater ſynagoga, ſed ſpurciſſima malignantium turba, populus deriſor Eccleſiæ, qui graviſſimâ plagâ ſub Tito & Veſpaſiano flagellatus ſimplici & rudi gentilium nationi exemplo eſſe poteſt: Iſte populus eſt filius confuſionis maximè, & per orbem univerſum ignominiâ affectus. ¶ *Non ceſſes audire, fili mi*] Neſcio quo errore addita eſt negatio, ſive ab Interprete, ſive à ſcriba, quæ in Hebræo non habetur, neque in LXX. qui affirmativè legunt. Sunt qui ſimpliciter intelligunt, quaſi Sapiens juberet filium ſuum ceſſare ab illa diſciplina quæ ducit *ad errorem*, vel *ad errandum* à verbis ſive ſermonibus veræ ſcientiæ. Talis eſt diſciplina, non ſolùm Philoſophorum, quæ à fide eſt aliena, ſed vel hæreticorum hypocriſis, vel Judæorum blaſphemia, quæ à veritate Catholica, quæ ſola *ſcientiæ* nomine digna eſt, errare nos volunt. Sunt qui inverſum verborum ordinem eſſe putant, ut ſit ſenſus, *Deſine, fili mi, errare à verbis ſcientiæ, & audi diſciplinam.* Sunt denique qui מוסר *diſciplinam*, *caſtigationem* intelligant, quaſi *rudimenta & exordia fidei*, in quibus ſemper docendo verſari non debemus, ſed in dies *ad perfectiora ferri* Heb. 6. nè ſimus ex illorum numero qui *ſemper diſcentes nunquam ad ſcientiam perveniunt*, 2 Tim. 3. Hoc enim *aberrare* quodammodo eſt *à verbis ſcientiæ*: ut ſcribit D. Paulus, Heb. 6. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*, & 1 Cor. 3. *Lac vobis potum dedi, non ſolidum cibum.*

28, 29. *Teſtis iniquus deridet judicium, & os impiorum devorat iniquitatem*, vel *abſcondit iniquitatem. Parata ſunt deriſoribus judicia: & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Hebr. *Percuſſiones corpori ſtultorum*] *Teſtis Belial*, & *teſtis iniquus*, qui falſum profert teſtimonium. ילין, ut ſuperiùs frequenter monuimus, duo ſignificat, *deridere*, & *loqui* ſive *interpretari*. Juxta quem ſenſum hoc in loco *teſtis Belial*, h. e. nullius honoris, qui veritatem non curat, *loquetur*, ſc. *falſum teſtimonium in judicio*, vel re verâ *deridebit judicium & contemnet*, (rem inter homines maximè neceſſariam) dum falſo teſtimonio ſubvertit æquitatem, quæ per bona & æqua judicia conſervatur. Hæc verò teſtis iniquus flocciſacit. ¶ *Et os impiorum* (ſup. *Judicum*) *devorabit iniquitatem*] Sic Interpres. Hebræi potiùs ſequuntur aliam ſignificationem hujus verbi בלע, quod etiam *abſcondere* ſignificat; ut ſit ſenſus, Judicia inſtituta ſunt ut iniquitates detectæ per veros teſtes & bonorum Judicum ſententias puniantur; ſed longè aliter uſu venit ſubinde, dum *teſtis Belial loquatur falſum teſtimonium in judicio, & iniqui Judices abſcondunt iniquitatem malorum*, quos adductos in judicio punire oportuit, & imprimis hos falſos teſtes; ut ſequitur, ¶ *Præparata ſunt judicia deriſoribus*] Aliter, Teſtes Belial, qui falſo teſtimonio ſubvertunt judicium, videntur deridere judicium Dei, quod contra illos proferetur. ¶ *Et os impiorum* (ſup. *teſtium*, vel *Judicum*) *abſcondet iniquitatem*] quaſi non eſſent parata contra illos judicia. Sed longè decipiuntur. Nam vero judicio Dei condemnabuntur & pœnas dabunt in *igne qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, Matth. 25. Et hoc eſt quod antea dixit, *Falſus teſtis non erit impunitus.* Porrò *mallei* in Hebræo non habetur, ſed unica dictio quæ *percuſſiones* ſignificat teſtibus LXX. qui vertunt, Καὶ τιμωρίαι ὁμοίως ἄφροσιν, *& ſupplicia ſimiliter ſtultis.*

DRUSIUS

3. תְּסַלֵּף. A. S. διασκεδάσει, *diſſipabit.* Th. σκελίσει, *varicabit*] Lex. V. Σκελίζω, *varico.* ¶ וְעַל־יְהוָה יִזְעַף לִבּוֹ. Sym. καὶ κατὰ Κυρίȣ ὀργισθήσεται ἡ καρδία αὐτȣ̃, *& contra Dominum iraſcetur cor ejus.*

4. יִפָּרֵד. Sym. χωρίζεται, *ſeparatur.*

5. לֹא יִנָּקֶה. A. Sym. Th. ȣ̓κ ἀθῳωθήσεται, *non feret impune.* ¶ לֹא יִמָּלֵט. A. Sym. ȣ̓ περισωθήσεται, *non ſervabitur incolumis.*

6. וְכָל־הָרֵעַ לְאִישׁ מַתָּן. Sym. καὶ πᾶς Φίλος ἀνδρὸς δομάτων, *& omnis amicus eſt viro donorum.*

8. לֵב. Schol. καρδίαν, *cor.*

10. לֹא־נָאוֶה. Sym. ȣ̓ πρέπει, *non decet.* ¶ אַף כִּי־לְעֶבֶד מְשֹׁל בְּשָׂרִים. Th. ȣ̓δὲ δȣ́λῳ ἐξȣσιάζειν ἀρχόντων, *neque ſervo poteſtatem habere in Principes.* Οἱ λοιποὶ, δεσπότȣ, *in dominum*: δυνάςȣ, *in dynaſtam*] Οἱ λοιποί. A. & Sym. ἴσως.

11. שֵׂכֶל אָדָם הֶאֱרִיךְ אַפּוֹ. A. Th. Φρόνησις ἀνθρώπȣ μακροθυμία αὐτοῦ, *Prudentia hominis patientia ipſius*] *Longanimitas.* ¶ וְתִפְאַרְתּוֹ עֲבֹר עַל־פָּשַׁע. A. καὶ καύχησις αὐτȣ̃ παρέρχεσθαι ἐπὶ ἀθεσίᾳ, *& gloriatio ejus tranſire ſuper prævaricationem.* Sym. καὶ ἀγλάϊσμα αὐτοῦ ὑπερβαίνειν ἀδίκημα, *& ornamentum ejus tranſgredi injuſtè factum.* Schol. δικαίȣ καύχημα τιμωρήσασθαι παρανόμȣς, *Juſti gloriatio eſt punire iniquos*] *Tranſire ſuper prævaricationem*: *præterire prævaricationem.* ¶ *Ornamentum, honeſtamentum.*

12. נַהַם. LXX. ὁμοία βρυγμῷ. Schol. ςεναγμῷ, *ſuſpirio.* ¶ רְצוֹנוֹ. A. S. Th. εὐδοκία αὐτȣ̃, *benevolentia ejus.*

13. הַוֹּת. A. Th. ἐπιβȣλὴ, *inſidiæ.* S. ὀδύνη, *dolor*] Pſal. 57. 1. הוות. A. ἐπιβȣλή. Hieron. *inſidiæ.* S. ὁ ἐπηρεασμός. ¶ *Dolor.* ità Hieron. ¶ וְדֶלֶף טֹרֵד מִדְיְנֵי אִשָּׁה. S. καὶ ςαγόνες κατασπεύδȣσαι μάχαι γυναικός, *& ſtillæ celeres pugnæ mulieris.* A. καὶ ςαγετὸς σύντομος ἀντιδικίαι γυναικὸς, *& ſtillicidium continuum lites mulieris*] *Celeres*, *feſtinantes.* Vult dicere, *quæ feſtinanter & continuè cadunt.* ¶ *Mulieris*, vel *uxoris.* ¶ Σύντομος verti *continuum*, ſenſu ità exigente. Siquidem & συντόμως dicimus pro *continuo.* ¶ Ἀντιδικία propriè *contra litigatio.* Lex. V. Ἀντιδικία, *adverſatio*, *obtrectatio.* Ἀντίδικος, *adverſarius.* Ἀντιδικασία, idem.

14. אִשָּׁה מַשְׂכָּלֶת. A. Th. γυνὴ ἐπιςήμων, *mulier ſciens.* S. συνετὴ, *intelligens.*

15. עַצְלָה תַּפִּיל תַּרְדֵּמָה. S. Th. Ὀκνηρία ἐπιβάλλει ἔκςασιν, *Pigritia injicit ſoporem.* A.-- καταΦορὰν, *profundum ſomnum*] *Soporem*: reſpexi ad nomen Ebræum, haud inſcius ἔκςασιν potiùs denotare *mentis exceſſum.* Eo uſi ſunt & LXX. Gen. 2. 21. & Th. 1 Sam. 26. 12. Hieron. in lib. Quæſt. *Pro* ἔκςασιν, *i. e.* mentis exceſſum, *Aquila* καταΦορὰν, *Symmachus* κάρον, *i. e.* gravem ac profundum ſoporem, *interpretati ſunt.* ¶ ΚαταΦορὰν. 1 Sam. 26. 12. תרדמה. A. καταΦορά. S. κάρος. Th. ἔκςασις, LXX. θάμβος.

17. וּגְמֻלוֹ יְשַׁלֶּם־לוֹ. S. Th. κατὰ τὸ ἀνταπόδομα αὐτȣ̃ ἀνταποδώσει αὐτῷ, *ſecundùm retributionem ejus retribuet ei*] Suſpicor leg. καὶ τὸ, *& retributionem ejus reddet ei*: tamen nihil immutavi. κατὰ τὸ ἀνταπόδομα, i. e. כגמלו.

18. וְאֶל־הֲמִיתוֹ אַל־תִּשָּׂא נַפְשֶׁךָ. A. καὶ πρὸς τὸ θανατῶσαι αὐτὸν μὴ ἄρῃς ψυχήν σȣ, *& ad occidendum eum ne tollas animam tuam.*

19. גְּדָל־חֵמָה. Th. μεγαλόθυμος, *magnanimus.* ¶ כִּי אִם תַּצִּיל. A. Th. ὅτι ἐὰν ἀΦέλῃς, *quia ſi abſtuleris.* Alia interpretatio, ῥύσῃ, *liberaveris.* ¶ וְעוֹד תּוֹסִף. A. Th. καὶ ἔτι προσθήσει, *& ampliùs addet.*

20. שְׁמַע עֵצָה וְקַבֵּל מוּסָר. S. ἀκȣ́ων βȣλῆς ἐπιδέξεται παιδείαν, *auſcultans conſilio recipiet diſciplinam*] Ἀκȣ́ων, שמע *audiens.*

24. צַלַּחַת. A. μασχάλην, *axillam.* S. μάλην, *alam*] Lex. V. Μάλη ἀνθρώπȣ, *ſubraco*, *ſubala.* Alibi Μάλη, *ala*, *axilla.* Hieron. *ſub aſcella.*

25. פֶּתִי. A. θελγόμενος, *delinitus.* ¶ דָּעַת. A. S. Th. γνῶσιν, *ſcientiam.*

26. מַבְרִיחַ. A. ἀποδιδράσκων, *qui effugit*] Verbum Ebræum magis denotat *qui fugat.* Forte Aquila eo ſenſu abuſus eſt verbo ἀποδιδράσκω· quod novum videri nemini debet, cùm alia hujus generis occurrant in autoribus illis. Profectò Helleniſtæ Judæi linguam habent peculiarem quæ ab aliis Græcis non æquè intelligitur. Huic operam det oportet qui N. F. ſolidè intelligere aut explicare ſatagit. Credat qui volet. Hujus dialecti ignoratio

multos

multos errores peperit in Eccleſia, multiſque viris alioqui doctis tenebras offudit.

27. חֲדַל־בְּנִי לִשְׁמֹעַ. Schol. οἱ λοιποὶ, σχόλασον, υἱὲ, τȣ͂ —— *Vaca, fili, à* ——

28. עֵד בְּלִיַּעַל. A. Th. Μάρτυς παράνομος, *Teſtis iniquus.* ¶ יָלִיץ מִשְׁפָּט. A. Th. χλευάζει κρίσιν, *irridet judicium.* ¶ יְבַלַּע. A. Th. καταπίεται, *abſorbet*: καταποντιεῖ, *præcipitabit.* ¶ אָוֶן. S. ἀνομίαν, *iniquitatem.* A. Th. νόμον, *legem*] Νόμον ſuſpectum.

29. לַלֵּצִים. A. χλευασταῖς, *deriſoribus.* S. λοιμοῖς, *peſtilentibus.* ¶ מַהֲלֻמוֹת לְגֵו כְּסִילִים. Th. συγκλάσεις νώτῳ ἀνοήτων, *confractiones tergo amentium.* S σφυροκοπίαι, *percuſſiones quæ fiunt malleo*] Optima interpretatio. הלם dicuntur propriè *qui ferrum tundunt in incude, malleis percutientes.* Id Græcis eſt σφυροκοπία. Nam σφύρα, *malleus*, & σφυροκόπος, *qui malleo percutit; malleator.* Hoc poſtremum exſtat in Gloſſis veteribus. Ad quod exemplum poſſes reddere σφυροκοπία, *malleatio.*

GROTIUS.

1. M*Elior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua*] Id eſt, in integritate.

Quam dives torquens labia ſua] *Perverſus labiis.*

Et inſipiens] In Hebræo, *& ipſe deſipit.* Putat ſe ſapere, ſed deſipit, ut improbi omnes. Antiphanes:

> Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς.
> [*Sis pauper honeſtè potiùs quàm dives malè.*]

Euripides:

> —— ἐγὼ δὲ πολλάκις σοφωτέρους
> Πένητας ἄνδρας εἰσορῶν τῶν πλουσίων.
> [—— *ſæpe ego pauperes*
> *Sapientiores eſſe divitibus ſcio.*]

4. *Divitiæ addunt amicos plurimos*] Ovidius:

> *Donec eris felix, multos numerabis amicos.*

Sophocles Aleadis:

> Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους.
> [*Divitiæ amicos comparant mortalibus.*]

8. *Qui poſſeſſor eſt mentis diligit animam ſuam*] Id eſt, ſemetipſum. Hoc ſenſu Ariſtoteles Nicomacheorum 9. cap. 8. ὥστε τὸν ἀγαθὸν δεῖ φίλαυτον εἶναι· καὶ γὰρ αὐτὸς ὀνήσεται τὰ καλὰ πράττων καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελήσει, τὸν δὲ μοχθηρὸν, οὐ δεῖ· βλάψει γὰρ ἑαυτὸν καὶ τοὺς πέλας, φαύλοις πάθεσιν ἑπόμενος. τῷ μοχθηρῷ μὲν οὖν διαφωνεῖ ἃ δεῖ πράττειν· καὶ ἃ πράττει ὁ δὲ ἐπιεικὴς ἃ δεῖ ταῦτα καὶ πράττει· πᾶς γὰρ νοῦς αἱρεῖται τὸ βέλτιστον ἑαυτῷ [*Virum bonum oportet ſui eſſe amantem: nam & ſibi & aliis proderit, rectè faciens. Virum autem malum non oportet ſui eſſe amantem: nam & ſe & alios lædet, pravis affectibus obſequens. In malo igitur homine diſſerunt quæ facere debet & quæ facit; at vir bonus quæ debet facere ea & facit. Mens enim quævis eligit id quod ipſi optimum eſt.*]

9. *Falſus teſtis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit*] Senſus idem eſt, verbis parum differt ab eo quod ſuprà 5. Talia multa apud Stobæum.

12. *Sicut fremitus leonis, ità & Regis ira*] Τὸ θηρίον, *fera*,] id eſt, *leo*, βασιλέα δηλοῖ, [*Regem ſignificat*,] Zeno in Leone Iconomacho. Sic Nabuchodonoſor *leo* Amoſo v. 19. Nero Paulo Apoſtolo 2 Timothei 4. 17. & Senecæ, cujus dictum recitat Scholiaſtes ad Juvenalis Satyram quintam. De ira Regis vide quæ diximus ſuprà 16. 14.

13. *Dolor patris filius ſtultus*] Euripides Oenomao:

> Ἀμηχανῶ δ' ἔγωγε κοὐκ ἔχω μαθεῖν.
> Εἴτ' οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα
> Θνητοῖσιν, εἴτ' ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον.
> Ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν, ἀθλίους·
> Ὅσοισι δ' εἰσὶν οὐδὲν εὐτυχεστέρους.
> Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, ἔχθιστη νόσος.
> [*Ambiguus animi cernere haud valeo ſatis,*
> *An ſit propago liberûm mortalibus*
> *An ſterilis ævi vita fortunatior.*
> *Conſpicio miſeros nulla queis proles domi eſt;*
> *Sed nec parentum major eſt felicitas:*
> *Nam dira peſtis moribus proles malis.*]

14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens*] In Hebræo: *Domus & opes hæreditas patrum. Propriè*, id eſt, peculiari quadam Dei providentiâ. Tobias 6. 22.

17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*]

> *Bona comparat præſidia miſericordia.*

18. 19. *Erudi filium tuum nè deſperes: ad interfectionem autem ejus nè ponas animam tuam. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum; & qui rapuerit, aliud apponet*] Ex Hebræo ſic optimè fiat verſio: *Caſtiga filium tuum dum ſpes eſt, ſed ad exitium ejus nè erigas cogitationem tuam. Qui plurimùm iraſcitur fert pœnam: quòd ſi impunitum eum reliqueris, adhuc addet* (id eſt, perget peccare.) Senſus eſt, modum adhibendum qui inter Manlianam ſeveritatem & diſſolutam lenitatem ſit medius.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

5. E*Xhaurit illud*] h. e. Docet vir ſapiens ex ſapientia ſua, & nihil perdit, cùm cor plenum ſit ſalutaribus conſiliis, & exhauriri nequeat. Vel, Homo alius qui non eſt ſtultus accedit ad ſapientem, & haurit ex eo conſilia & prudentiam.

6. *Plerumque*] Vel ſenſus eſt, Multi ſunt qui volunt & cupiunt vocari homines pii & benefici, & tamen rarus eſt qui pietatem opere oſtendat.

7. *Beati erunt*] h. e. Laudabuntut propter parentum probitatem.

8. *Spargit oculos ſuos*] Quidam Hebræorum ſic legunt hanc ſententiam, *Rex ſedens in ſolio, diſſipat omnem hominem malum, quem videt oculis ſuis.* Vel ſic, *diſſipat omne malum oculis ſuis.*

9. *Quis dicet*] i. e. Nemo verè dicere poteſt, *Mundum eſt cor meum*, etiam ſi ſibi conſcius non ſit peccati: Deus enim videt in homine quæ ipſe homo in ſeipſo videre non poteſt.

10. *Lapis & lapis*] Exſecratur Deus homines qui utuntur in commodum ſuum diverſis ponderibus & menſuris.

11. *Cognoſcitur puer*] Plerique Hebræorum hanc ſententiam ſic legunt, *In ſtudiis ſeu operibus ſuis abalienat ſe puer, ut jam non ſit puer quando opus ejus eſt purum à peccato atque rectum.* Vel, *abalienat ſe ficto corde opus aliquod faciens.* Eſt enim cor hominis à pueritia intentum ad malum.

12. *Aurem ut audiat*] Scilicet doctrinam, ſapientiam & diſciplinam.

15. *Labia ſcientiæ*] Labia quæ docent ſcientiam ſunt ſuper quæcunque vaſa pretioſa. Vaſa enim aurea re ipſâ non ſunt pretioſa, ſed æſtimatio facit ea pretioſa.

16. *Qui pro alieno ſpopondit*] Per *veſtimentum* intellige pignus; quod ab homine ſectante carnis deſideria auferri jubetur antequam omnia dilapidet.

17. *Implebitur os ejus lapillis*] Commiſſam fraudem ſequitur conſcientiæ remorſus.

20. *In caligine tenebrarum*] Per אישון חשך accipe אצע הלילה *medium noctis:* & eſt ſenſus, Talis morietur in tenebris tribulationum, privatus gratiâ Dei.

21. *Hæreditas uſurpata*] Quidam hunc putant habere ſenſum, non habent proſperum ſucceſſum qui ſine vocatione aliquid ſuſcipiunt, aut non exſpectant vocationem: ſicut Abſalom ante tempus ſibi uſurpare voluit regnum. Alii hunc eliciunt ſenſum, Quæ nobis citra laborem noſtrum accidunt, ea plerumque non habent proſperum ſucceſſum, &c.

25. *Qui devorat rem*] Piaculum, inquit, eſt ſi tu devores rem quæ Deo eſt dicata, aut ſi aliquid Deo voviſti, putà agnum vel vitulum, & deinde pœnitentia ductus illud iterum in commodum tuum convertis.

26. *Convertit ſuper eos rotam*] *Rota* qua fruges triturantur, hîc uſurpatur pro *pœnæ inflictione.*

27. *Lucerna Domini*] Quidam ſic legunt, *Lucerna Domini perſcrutatur ſpiritum hominis & omnia penetralia ventris*, i. e. interiora cordis.

30. *Livoris*] Eſt חבורה propriè *ſanguis concretus*, ſed פצע eſt *vulnus quod ſanguinem effundit.* ¶ Porrò תמרוק quidam accipiunt pro שבר *confractione*, alii pro רפואה *medicatione.*

VATABLUS.

1. D*Eriſorem*, &c. לץ היין] Ad verb. *Deriſor vinum, tumultuatur ſechar.* Hebraïſmus, pro, *Deriſor eſt vir vini, & tumultuatur* (ſive *tumultum facit*) *vir ſechar*, pro, *Subſannator eſt qui vino deditus eſt, & tumultum facit qui ſiceram amat.* ¶ *Qui ſe*, &c. שגה בו] *Indulgens illi*, ſub. *vino.* Vel, *qui errat in illo.*

2. *Qui iraſcitur*, &c. מתעברו וגו'] *Qui incitat illum*, [ſive *irritat*] *peccat in vitam ſuam:* id eſt, exponit ſe mortis periculo.

4. *Idcirco mendicabit* ושאל] *Et interrogabit* [ſub. *famulos*]

los] *de meſſe*; [num ſcilicet ſit pulcra] *& nulla erit.* Sic Num. 27.21. Vel, *& petet*; *nec erit*, ſub. *quod detur ei*, vel *qui det.*

5. *Et homo*, &c. ואיש תבונה ידלנה] Ad verb. *& vir intelligentiâ hauriet illud*, ſub. *conſilium.*

6. *Multitudo*, &c. 'רב אדם וגו] Ad verb. *Multitudo hominis invocat virum beneficii ſui*, vel *miſericordiæ ſuæ.* i. e. Plurimi invocare ſolent virum in quem contulerunt beneficia. Vel, prædicabunt & palàm dicent ſinguli beneficia quæ contulerunt in alios. Vertunt alii rurſum ad verbum, *Multitudo hominum prædicabit quiſque miſericordiam ſuam*: i. e. Quamplurimi homines prædicant miſericordiam ſuam, & opus bonum quod faciunt. Alii in eundem ſenſum, Multi volunt dici benefici, ſed fide non præſtant quod dicuntur, parùm ſuo nomini reſpondentes. ¶ *Veracem* אמונים] Ad verb. *veritatum, fidelitatum*: i. e. fidelem, & memorem beneficii accepti. Vel, *qui faciat miſericordiam fideliter & veraciter propter Deum, non ut ſe magnificet & jactet in oculis creaturarum.* Ità Hebræi.

7. *Ambulantis*, &c. 'מתהלך בתומו וגו] *Qui ambulat in integritate ſua*, hic *juſtus*: ſed & *filii ejus poſt ipſum* erunt *beati.*

8. *Diſpergit* מזרה] *Diſſipat, diſgregat*: id eſt, Rex juri ſuis reddendo dans operam, . ſolo nutu repellit omne malum.

9. *Quis poteſt dicere* מי יאמר] Ad verb. *Quis dicet*, vel *dicat.*

10. *Duplex pondus & duplex menſura* אבן ואבן איפה ואיפה] Ad verb. *Lapis & lapis*, *menſura & menſura.* Ut Hebræi *in corde & corde loqui* dicunt, Pſal. 12. 2. pro *duplici corde*; ità *Pondus & pondus* pro *diverſis ponderibus*, *menſuram & menſuram* pro *diverſis menſuris.* Omnia autem menſurarum genera per hæc intelligit. Vide v. 23. ¶ *Etiam ambo ipſa* גם שניהם] Hebraïſmus, pro, *Utrumque eorum.*

11. *Cognoſcitur puer* יתנכר נער] *Ignotus erit puer.* Utroque modo exponitur ab Hebræis in ea conjugatione: i. e. non facilè cognoſcitur natura pueri ex operibus. ¶ *An mundum*, &c. 'אם זך וגו] *Etiamſi* [vel, *quamvis*] *purum & rectum ſit opus ejus.*

12. *Aurem audientem*, &c. 'אזן שומעת וגו] *Auris audit, & oculus videt*: q. d. Auris officium eſt audire, & oculi videre; & Jehova fecit utrumque.

13. *Nè fortè efficiaris pauper* פן תורש] *Nè conficiaris egeſtate.* ¶ *Satura* שבע] Imperativus pro futuro, ut *Aſcende in montem, & morere*, i. e. morieris, Deut. 32. 50.

14. *Et diſcedens* ואזל לו] Ad verb. *& diſcedens ſibi.* Redundat *ſibi.* Qui emit, dicit de re quam comparare vult, *Eſt mala*; at diſcedens, tunc gloriabitur de ea tanquam de re bona.

15. *At ut vas*, &c. וכלי יקר] i. e. Quiſque aurum & gemmas emere poteſt; pretioſa illa quidem; ſed pretioſior ſermo ſapiens. Vel, *Os ſcitum auro, gemmis ac pretioſis vaſis pretioſius eſt.* Vel, *Magni fiunt aurum & gemmæ: ſed pretioſius vas labia ſcientiæ ſunt.* Alii vertunt, *Eſt aurum, ſunt gemmæ multæ, &* ſunt *vaſa pretioſa* homini qui habet *labia ſcientiæ.* ¶ *Labia ſcientis* שפתי דעת Ad verb. *labia ſcientiæ*, i. e. ſermo doctus & eruditus.

16. *Tolle veſtimentum ejus* לקח לבגדו] Relativum pro antecedente, & imperativum ſing. pro futuro plur. acſi dicat, *Finis hominis qui fidejuſſerit pro extraneo, erit, ut propter fidejuſſionem, cùm ſolvendo non fuerit, tollant etiam veſtimentum ejus, & pignerent eum.* Docet, periculum fidejuſſorum tale ut tandem ad paupertatem deveniant. Aut adhortatur amicum fidejuſſoris ut proſpiciat fidejuſſori accipiendo ejus veſtem, qua velut eum pigneret, ſervetque ei; quòd futurum ſit ut propter fidejuſſionem etiam tollatur ab eo veſtimentum, ſi reperiatur eo indutus. q. d. Cape, & illi reſerva veſtimentum; nè cùm propter fidejuſſionem pigneraverint eum, etiam veſtem illius auferant.

17. *Mendax* שקר] Ad verb. *mendacii*: i. e. in ſpeciem tantùm bonus, vel (ut quidam vertunt) fraude partus. ¶ *Arenâ* חצץ] *Contritione.*

18. *Firmantur* תכון] *Diſponuntur.* ¶ *Et conſiliis* ובתחבלות] *Et induſtriis*, ſive *induſtriâ.*

19. *Fraudulenter* רכיל] In *delatione.* Vide ſuprà 11. 13. ¶ *Et* cum eo, &c. ולפתה] *Et* cum eo *qui lactare ſolet.* Chald. *& cum blandiente labiis ſuis.* Quidam Hebræorum, *Et declinanti* ad te *labiis ſuis*, &c. i. e. & cum declinante ad te labiis ſuis, & verbis ſuis blandis, cujus cor non eſt tecum, *nè habeas commercium.* Alii, *Et cum dilatante os ſuum* [ſub. *ad loquendum verba vana & opprobria adverſum homines*] *nè miſceas te.* Fortaſſe quia dixerat, *Qui revelat ſecretum*, &c. ſubjunxit iſtud, *Et cum dilatante labia ſua, & revelante ſecretum, nè te admiſceas.*

20. *In obſcuritate tenebrarum* באישון חשך] Latini dicunt *in mediis tenebris*: i. e. verſabitur in magna ignorantia.

23. *Diverſa pondera* אבן ואבן] Ad verb. *lapis & lapis.* Vide v. 10. ¶ *Non eſt bona* לא טוב *Peſſima res eſt*, i. e. ingrata. Ità dicunt Hebræi, *Si bonum ſit in oculis tuis*, i. e. ſi tibi eſt gratum. Nam טוב aliquando *gratum* ſignificat.

24. *Homo autem* ואדם] *Homo igitur.*

25. *Laqueus* eſt *homini*, &c. 'מוקש אדם וגו] Fut. Heb pro præſ. vel infin. *Offendiculum hominis devorare ſanctitatem.* Vel, *deglutit*, aut *abſorbet ſanctificationem*, ſive *ſanctificatum.* Vel, *Laqueus eſt homini cùm abſorbuerit ſanctificationem*: i. e. peccatum quod eſt nobis ſcandalum, deſtruit, ſive revocat, Dei gratiam, nè nobis ſit auxilio: *& poſt vota* à nobis ſuſcepta *quærere* ſolemus quid in cauſa fuerit ut non ſimus aſſecuti quod petimus. Verbum etiam ילע apud Doctores Hebræos ſignificat *loqui*: unde ſic verti poteſt, *Laqueus eſt homini* (quo ſcilicet capitur) *cum locutus fuerit ſanctificationem*: vel, *Sanctificatio eſt*: acſi dicat, *Cùm voverit aliquid, & dixerit, Hoc erit ſanctificatio*, i. e. ſanctificatum; *& poſtea illum pœnituerit promiſſionis.* Et hoc eſt quod poſtea ſubjungit, *Et poſt vota, quærere*: i. e inquirere ſcrutarique an quod vovit poſſit reddere, hoc enim inquirendum fuerat antequam voveret. ¶ *Quærere* לבקר] Ad verb. *ad inquirendum.* Gallicè dicimus, *C'eſt a cercher.* Quidam, *Et poſt vota, quærit*, ſub. *liber eſſe.* Alii, *Laqueus eſt homini ſancta contumeliâ afficere, & poſtea vota facere*, ſive *ad vota converti.*

27. *Lucerna*, &c. 'נר יהוה וגו] *Illuminatio Jehovæ* eſt *ſpiraculum hominis.* Quidam liberiùs, *Exhilarari à Deo vita eſt hominis, & penetrat totum corpus.*

28. *Miſericordia*, &c. 'חסד וגו] *Pietas* [ſive *Clementia*] *& fidelitas cuſtodiunt Regem.* i. e. Oportet Regem eſſe & clementem & veracem: potior tamen eſt clementia.

30. *Livores vulneris* חברות פצע] i. e. Vulnera livida. ¶ Sunt *medicina in malo* תמריק ברע] Sub. *homine.* Aut, ſunt *abſterſio in malo*, i. e. medicina quæ detergendi vim habet. Quidam Hebræorum vertunt, *Livores vulneris* & *contritio in malo*, i. e. ut plurimùm in homine malo inveniuntur, aut homini malo eveniunt. Chald. *Livores & vulnera eveniunt malo.* Non deſunt etiam inter Hebræos qui vertant, *Livorum vulneris medicina eſt cum malo*; *& plagæ in intimis ventris*: h. e. quemadmodum plagæ in ſumma cute & in ima ſanantur cum malo, ſive cum dolore, ità & malus cum dolore ſanatur. ¶ In *interioribus* חדרי] In *intimis*: i. e. plagæ profundæ quæ penetrant uſque ad imam carnem.

CASTALIO.

2. EUm *qui irritat, peccat in ſeipſum*] Seipſum vocat in periculum.

4. *Piger qui propter frigus non araverit, quod petet in meſſe non adipiſcetur*] Qui non arat, non metet.

6. *Multi homines viri pii vocantur, ſed fidelem virum quis inveniet?*] Nomine multi ſunt pii, ſed revera pauci.

12. *Utrumque & aurem audientem & oculum cernentem Jova fecit*] Jova & audit & videt, quippe horum ſenſuum autor.

13. *Aperi tuos oculos*] Vigila.

14. *Etiam atque etiam vituperat emptor*] Mercem.

16. *Cape veſtem ejus qui pro altero ſpopondit, & eum pro aliis pignera*] Sponſor appellandus.

17. *Dulcis eſt homini panis iniquus, ſed poſtea ejus os replet calculis*] Iniquè parta nocent.

20. *Qui ſuo patri matrive imprecatur, hujus lumen exſtinguetur in mediis tenebris*] Luce & vitâ privabitur.

21. *Patrimonium principio properatum, ad extremum erit infortunatum*] Qui celeriter diteſcunt, iniquè diteſcunt.

25. *Detrimentoſum eſt homini vorare ſacrum, deinde vota quærere*] Irrita ſunt ſacrilegorum & ſceleratorum vora.

30. *Plagarum vibices & in viſcera penetrantes ictus mendant malos*] Mali non niſi plagis emendantur.

CLARIUS.

6. MUlti *homines miſericordes*] Multi ſunt qui volunt vocari homines pii ac benefici, & tamen rarus eſt qui pietatem factis oſtendat.

10. *Pondus & pondus*] Exſecratur Deus homines qui utuntur in ſuum commodum diverſis ponderibus & menſuris.

11. *Si munda*] Vel, *purumne & rectum futurum ſit opus ejus.* Plerique Hebræi hanc ſententiam ſic legunt, *In ſtudiis* (ſeu *factis*) *ſuis abalienat ſe puer, ut jam non ſit puer, quando opus ejus eſt purum à peccato atque rectum.* Vel *abalienat ſe, ficto corde opus aliquod*

quid faciens. Eſt enim cor hominis à pueritia intentum ad malum.

12. *Aurem audientem*] Vel, *ut audiat*, ſcilicet doctrinam, ſapientiam & diſciplinam.

14. *Tunc gloriabitur*] Quòd ſcilicet aſtu venditorem deceperit.

15. *Labia ſcientiæ*] Labia quæ docent ſcientiam ſuperant vaſa quæcunque pretioſiſſima. Vaſa enim aurea re ipsâ non ſunt pretioſa, ſed pretioſa ea facit æſtimatio atque opinio hominum.

16. *Tolle veſtimentum*] Per *veſtimentum* intellige pignus, quod ab homine ſectante carnis deſideria auferri jubetur antequam omnia dilapidet.

17. *Implebitur os ejus calculo*] Perpetratum ſcelus ſequitur conſcientiæ cruciatus.

20. *In mediis tenebris*] Talis, inquit, morietur in tenebris afflictionum, privatus gratiâ Dei.

21. *Hæreditas ad quam feſtinatur*] Quidam hunc putant ſubeſſe ſenſum, *Non habent proſperos ſucceſſus qui ſine vocatione aliquid ſuſcipiunt, aut non exſpectant vocationem.* Alii hunc eliciunt, ſenſum, *Quæ nobis citra laborem noſtrum accidunt, ea plerumque non habent proſperum eventum.*

25. *Devorare ſanctificatum*] Piaculum, inquit, eſt ſi tu devores rem quæ Deo eſt dicata: aut ſi quid Deo voviſti, putà agnum vel vitulum, deinde pœnitentiâ ductus, illud iterum in commodum tuum convertas.

26. *Convertit ſuper eos rotam*] *Rota*, quâ fruges triturantur, hic uſurpatur pro *pœnæ inflictione*.

27. *Lucerna Domini*] Quidam ſic interpretantur, *Lucerna Domini perſcrutatur ſpiritum hominis & omnia penetralia ventris*, i.e. interiora cordis.

R. BAYNUS.

1. L*Uxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas.* Heb. *Deriſor vinum, tumultuoſus ſiceram: & quicunque errat in hac re, non erit ſapiens*] Septuaginta ſecutus eſt D. Hieronymus, qui verterunt ἀκόλαστον οἶνος & D Paulus, inquiens, *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria*, Epheſ. 5. Hâc voce לץ, quam vel *deriſorem*, vel *Interpretem* ſignificare frequenter diximus, ſic abutitur Sapiens in hoc libello, ut videatur in genere intelligere quodvis delictum. Quod ad probos mores ſpectat & ſapientiæ ſtudium, nihil omittit Sapiens; nunc communiter veluti Remp purgans, & inſtituens, ut ſuperiùs in his quæ dicta ſunt de judiciis; nunc ad filium ſuum, h. e ſeorſum unumquemque corrigens & inſtituens, quibus rationibus ſapiens efficiatur: ut hoc in loco ebrietatem vehementer damnat, non ſolùm tanquam alieniſſimam à ſapientia, ſed etiam quòd homines pertrahat ad plurima mala, & imprimis ad nugas & vanitatem. Ad ſenſum perfectum in Hebræo deeſt aliquid. Sunt qui ſupplent ad hunc modum, *vinum efficit deriſorem.* Alii ſic, *Vir vino deditus eſt deriſor*, ſive *nugator*: ſive denique, *qui bibit vinum & ſiceram*, immodicè videlicet, (nam hoc eſt quod ſequitur, *Quicunque errat in eo, non erit ſapiens*) cum nugis delectatur & turbis ſive tumultibus, qui tranquillitatem animæ perturbant, ut non poſſit rebus gravibus vacare. Per *vinum* & *ſiceram* quaſcunque delitias corporis poſſumus intelligere, quæ ferè animæ virtutibus obſtant.

2. *Sicut rugitus leonis, ità & terror Regis: qui provocat eum peccat in animam ſuam.* Heb. *Rugitus velut leunculi eſt terror Regis: qui iraſcitur contra eum peccat in animam ſuam*] De furore Regis ſuperiore capite diſſeruimus, cujus denuo mentionem facere opportunum viſum eſt poſt ſermonem de ebrietate: inſinuans quàm aliena à ſapientia ſit ebrietas, per quam *ira* & indignatio *Regis* quandoque provocatur, *quæ*, ut ſuperiùs legimus, *quaſi nuncius mortis eſt*. Et hoc eſt quod dicit, *In animam ſuam peccat*] & vitam in ſummum diſcrimen adducit, non minùs quàm is qui rugitus leonis ſuſtinere non valens, in poteſtatem illius venit: nam ut longè aliud eſt de terrore leonum abſentem loqui, aliud propè rugitum animalis audire; ità multis leve videtur contra Regem iraſci, illius provocare furorem, quod quam horrendum ſit, ſupplicio capitis nonnunquam experiuntur, & Regiæ majeſtati ſuccenſentes damno non poſſunt eſſe, ſed *in proprias animas* & vitas *peccant*: quantò magis qui Chriſtum blaſphemiis & injuriis vel olim in cruce pendentem, vel hodie Regnantem in Cœlis afficiunt, illius lædere non poſſunt majeſtatem, ſed proprias animas graviſſimo peccato obnoxias afficiunt, h. e. *in animas ſuas peccant*?

3. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* Heb. *Honor eſt viro ceſſare à lite, ſed omnis ſtultus miſcebit ſeſe*] Non ſolùm contra Regem iraſci & contendere eſt alienum à ſapientia, ſed cum quovis homine, imò quietum & alienum eſſe à litibus eſt ſumma laus, præſertim cùm ſit difficillimum nullius animum offendere, cum omnibus hominibus pacem habere Rom. 12. id quod quantò difficilius fuerit, tantò majoris laudis. Contra *lites*, vel ſectari, vel *miſcere*, ubi quiſcere potes, extremæ dementiæ eſt. Aliter, pendet à præcedente verſiculo, & erit ſenſus, Ut in animam ſuam peccat qui Regem provocat ad indignationem, ità à Rege magnam inibit gratiam, & etiam honores aſſequetur, qui pacis & tranquillitatis amator eſt. Hanc poſteriorem expoſitionem ſequitur Aben-Hezra. Alioqui ſimpliciter intelligi poteſt, honorem aſſequetur ab omnibus, ut putà communis omnium amicus, qui alienus eſt à contentionibus.

4. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergò æſtate, & non dabitur illi*] Heb. *In hyeme* vel *propter hyemem piger non arabit*, vel *non ſolet arare: petet in æſtate, & non eſt*: h.e. mendicabit panem, *& non eſt, qui* (ſup.) *det illi*: vel *petet ab agricolis annonam, & nulla erit.* Sed prior expoſitio eſt melior, & ſimilitudo ſive parabola videtur: quaſi diceret, Quemadmodum is qui vel labores ſubire, vel frigus ferre recuſat, aut quamcunque aëris injuriam, nec fructus in meſſe colligere, nec neceſſariam annonam per reliquum annum habere poterit, ſed fame coactus turpiter mendicare cogetur, & neque ita poterit neceſſarium cibum acquirere. Terra quam quiſque arare debet eſt caro propria: in hyeme, h. e. in hac mortali vita, quæ ferè deficiente charitate friget: unde ſegniores & pigri efficimur, recuſantes per pœnitentiam & dolorem de peccatis, ſcindere corda noſtra, & vitia radicitus evellere per auditum verbi, bonum ſemen inter varias cogitationes tanquam glebas recondere, nè *in æſtate* futuræ vitæ cogamur *mendicare* cum ſtultis virginibus, *Date nobis de oleo veſtro*, Matth. 25. Flectere quoque poſſumus interpretationem ad ſtudium & induſtriam, quam in juventute ſubire oportet, quaſi nullos recuſantes labores, quò tandem *in æſtate*, h. e. ſerenitate & tranquillitate animæ, ſedatis videlicet affectibus, ex noſtro veluti penu doctrinam neceſſariam promere poſſimus, ut non ſit neceſſum nobis doctrinam & pacem Scripturarum ab indoctis hæreticis *mendicare*.

5. *Sicut aqua profunda conſilium in corde viri; ſed homo ſapiens exhauriet illud*] *Conſilium* & ſapientia quæ eſt *in corde viri* ſapientis confertur *aquæ profundæ*, quòd inexhauſta ſit; nam ut illa quamlibèt multis haurientibus abſumi non poteſt, ità non imminuitur ſapientia & conſilium, quamvis plurimi fuerint participes illius. Sunt tamen ex Hebræis qui ſimilitudinem referant ad integritatem conſilii & puritatem ſapientiæ. Nam *aqua profunda* limpidior fluit, nec conculcata à prætereuntibus contaminatur; ſic ſapientis viri *conſilium* eſt ſincerum, nec humano favore aut ambitione lutulentum. Poteſt denique referri ſimilitudo ad difficultatem hauriendi. Nam quò puteus aquarum altior & profundior eſt, eò majore negotio haurimus. q. d. Prudentis viri conſilii non ſunt capaces omnes; ſed ut magnâ, profundâ & rarâ ſapientiâ opus eſt ei, qui alios moderari debet ſuo conſilio, ità non eſt cujuſlibet optimum conſilium capere: ſolus qui prudens eſt ſanum conſilium capiet. Aliter, *Vir prudens hauriet illud*, ſup *ex ſermone illius.* q.d. Quantumvis profundum & ſecretum fuerit conſilium viri ſapientis, tamen alius vir non minùs prudens & ſapiens particeps illius erit. Valde profunda ſunt conſilia illius viri *de cujus ventre fluunt flumina aquæ vivæ* Joh. 7. quæ non omnes capiunt, ſed quibus data eſt ſapientia & prudentia à Deo ut credant Euangelio.

6. *Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?*] Hebraïca veritas ambigua eſt: nam omnibus his modis verti poteſt, *Plurimi homines prædicabunt virum ob miſericordiam ſuam.* Vel, *Multitudo laudabunt homines virum miſericordia.* Vel, *Magni hominis prædicabit unuſquiſque miſericordiam.* Vel denique; *Sunt multi homines quorum unuſquiſque prædicabit miſericordiam ſuam*: q.d. gloriabitur de miſericordia quam fecit. Hunc ſenſum ſecutus eſt Aben-Hezra, & non eſt alienus ab alio ſuperioris capitis verſiculo, *Deſiderium hominis miſericordia ejus*: quos corrigit Sapiens & reprehendit, inquiens, *Et virum fidelem quis inveniet?*] q.d. Tantum abeſt ut quiſquam meritò poſſit hoc nomine laudari ut vix quenquam invenias quem verè *fidelem* appellare poſſis: juxta illud, Jac. 1. *Qui verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Vel, *fidelem quis inveniet?* qui nemini inferat injuriam, qui promiſſa ſervet; ut jam nemo debeat miſericordiam jactare quam facit quibuſdam hominibus, cùm in alios parùm fidelis aut juſtus inveniatur, vel potiùs cùm erga Deum ſit infidelis, promiſſa malè obſervans. Mihi magis arridet prior verſio & intelligentia, quæ eſt hujuſmodi; *Multi laudant virum*, ſup. *propter miſericordiam ſuam*, quam fecit illis; nam nulla virtus plus favoris aut gratiæ conciliat homini quam liberalitas & beneficentia, quâ Deum optimum maxi-

maximum quodammodo imitantur homines. *Sed fideles quis inveniat?* h.e. rari ſunt qui rependunt par pari. Sic enim interpretantur Hebræi אמת *veritas*, & אמונים *fideles*, qui fideliter rependunt beneficium vel debitam gratiarum actionem, ſunt valde pauci. Frequenter enim in Scripturis S. conjunguntur hæc duo nomina, אמת & חסד, *miſericordia* & *veritas*, quorum hoc beneficium ultrò collatum, illud verò agnitum & reſtitutum ſignificat. Apud Hebræos אמת *veritatem* facere dicuntur qui quod debent præſtant; obligati videlicet præſtant veritatem: ſed חסד *miſericordiam* præſtant qui merà liberalitate utuntur. Ex hoc loco videtur deſumptum illud Euangelicum Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens?* Hic loquendi modus raritatem ſignificat, non negat neminem reperiri, ut 1 Sam. 2. *Si quis peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?*

7. *Juſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe relinquet filios.* Heb. *Ambulantis in perfectione ſua juſti, beati filii illius poſt eum*] Ob bonitatem & liberalitatem magnam laudem aſſequuntur homines; ſed qui *juſtus* eſt & *perfectus*, majorem, utputa cujus laus ad liberos & nepotes extenditur. Erunt enim *beati poſt mortem illius*, h.e. felices habiri qui talem habuerunt patrem; vel re verâ *beati*, ſequentes videlicet veſtigia patris, & *in perfectione ambulantes*: q.d. Non ob virtutem ſolam ſed ob actionem virtutis *juſti* ſunt homines & *beati*, nam *ambulare in perfectione* eſt de virtute in virtutem procedere. Eſt præterea obſervandum, in Hebræo haberi non ſimplicirer *ambulantis*, ſed *facientis ſeipſum ambulare*: ut *juſtus* intelligatur, non qui timore legis aut pœnæ non tranſgreditur, ſed qui *ſuâ ſponte & libenter ambulat in perfectione*, juxta illud D. Pauli Heb. 6. *Ad perfectionem feramur.* Juſtus iſte qui *in perfectione ex ſe ambulat* eſt *Agnus ille ſine macula, qui peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus*, 1 Pet. 2. cujus filii ſunt beati *ſi fecerint quæ præcepit eis*, Joan. 13. Hic etiam *Rex* eſt de quo ſequitur;

8. *Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*, vel *oculis ſuis*] Si ex præcedente verſiculo pendeat, Deum Opt. Max. *Regem* intelligimus, *qui* perpetuò *ſuper ſolium judicii ſedet*, & novit qui ſint *ambulantes in perfectione*, qui ſint *juſti*. *Novit Dominus viam juſtorum*; impios vel *primo intuitu diſſipat & diſpergit.* Non indiget vinculis neque ſatellitibus ad coërcendos malos, ſed ſolo intuitu in fugam convertit ſuos hoſtes. Juxta ſenſum ſimpliciorem intelligimus quàm utile ſit Reip. ut Reges ſuo fungantur munere, h. e. judicia exerceant, cauſas cognoſcant. Nihil enim magis ad malefactores, Reip. peſtes, coërcendos facit quàm judicia cum omni æquitate & autoritate tractata. Solùm autoritas eſt Regia cujus aſpectum malefici non ſuſtinent, cùm ſedet ut judicium faciat & decernat quid unuſquiſque mereatur. ¶ *Diſſipat*] vel *diſpergit.* Intelligimus *animadvertendo in malos.* Vel *diſpergit*, quia timore perterriti, nè ad conſpectum Regis veniant, deſinunt eſſe mali. Ad Reges igitur & ad eos qui autoritate pollent propriè ſpectant hæc. Cæterùm ad quemvis veluti ſenſu proverbiali poteris deflectere, ſi in cujuſvis animo veluti Remp. conſtituas, in qua Mens & Ratio veluti Regina cæteris potentiis præſidet, quæ ſi in judicio vigilanter ſedeat, decernens inter bonum & malum juxta verbum Domini, & voluntariâ pœnitentiâ caſtiget rebelles animi motus, facilè *diſſipabit mala* Dei auxilio, & ab omni malo & majoribus peccatis tranquillum reddet Regnum Animæ. Sed ex ſeipſo hoc nemo poterit, juxta id quod ſequitur;

9. *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* vel, *Mundavi cor meum*] Quamvis multi gloriantur de *miſericordia* quam fecerunt, & quamvis *juſtus* ſit *qui ambulet in perfectione*, quamvis denique Mens & Ratio *ſedeat ſuper ſolium juſtitiæ*, ut nihil faciat niſi cum ſumma æquitate, ut in præcedentibus diſſeruimus, tamen de ſua puritate nemo poteſt gloriari, dicendo, *Mundus ſum, innocens ſervavi cor meum ab omni iniquitate*: nam *non eſt homo ſuper terram qui ſic ambulat in perfectione ut non peccet aliquando*, Eccl. 7. Id quod non omnes intelligunt. Imò hypocritas latet, juxta parabolam Euangelicam vel hiſtoriam potiùs de Phariſæo & Publicano, quorum ille dixit, *Non ſum ſicut cæteri hominum*, Luc. 18. Porrò, *quis poteſt dicere, Innocens feci cor meum à peccato, in quo conceptus ſum?* juxta id quod dicit Propheta, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, Pſal. 51. vel denique *à delicto juventutis meæ. Quis dicet, Mundum feci cor meum?* ut duplicem ſenſum intelligamus, Neminem videlicet poſſe neque ſeipſum ſine gratia ſervare mundum, neque commiſſum aliquando peccatum poſſe ex ſeſe ſine Dei auxilio purgare, præter Agnum illum ſine macula, quem verſiculus ſecretiori ſenſu inſinuat. Non enim nullum, ſed rarum quempiam ſignificat hic loquendi modus, *Quis dicet?* Cùm ſenſum igitur habeat plurimis modis occultum, meritò inter Proverbia numerari poteſt humilitatem imprimis commendans hominibus, per quam agnoſcere debent illius bonitatem cujus beneficio ſolùm innocentia aliquando habebimus corda.

10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum*] Heb. *Abominatio Domini etiam hæc duo*: q.d. Non ſolùm furtum & rapinam exſecratur Dominus, ſed fraudem quamcunque quamlibèt occultam, præſertim eam quæ latenter in plurimos fit & quaſi contra publicam fit utilitatem, dum multorum jacturâ & populi diſpendio unius privati hominis lucrum & compendium quæritur, id quod improbi faciunt mercatores, majore pondere comparantes; & minore vendentes. *Rex qui ſedet ſuper ſolium juſtitiæ*, ut ſuperiùs lectum eſt, hæc non poteſt pati, ſed *cognitione ſuâ diſſipabit* & hoc *malum* inter cætera, ut ad ſuperiora referatur. Significat Proverbium multa eſſe quæ Deus abominatur vitia; etiamſi à Rege damnari non poſſint, utpura occulta; porrò non minùs injuriam fieri, etiamſi is qui patitur non poſſit conqueri. In *pondere* denique & *menſura* iniqua judicia intelliguntur, vel privatim ſi quis reprehendat & damnat in uno quod in alio bene factum eſſe laudat, vel in ſe permittit quod in vicino non poſſit tolerare, hic *pondere* utitur *& pondere, menſurâ & menſurâ. Rex* quoque ſive *Princeps, qui ſedet ſuper ſolium judicii*; ſi non utatur *lapide & lapide*, ut eſt in Hebræo, *Ephâ & Ephâ, diſſipavit omne malum oculo* & cognitione ſuâ. Quòd ſi perſonarum acceptionem admittat, eadem crimina videlicet & iiſdem circumſtantiis aggravata diverſis ſententiis veluti ponderibus librans, *Domino erit exſecrabilis, apud quem non eſt perſonarum acceptio, ſed in omni gente qui timet Deum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*, Act. 10.

11. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus.* Heb. *Etiam ex ſtudiis ſuis ſe notum facit puer, ſi purum & ſi rectum opus illius*: vel, *Etiam ex operibus ſuis ignotum ſe faciet puer*] Nihil proverbialis ſenſûs videtur habere ſi juxta literam exponatur, Eſſe videlicet & apparere veſtigia quædam ſeu virtutum ſeu vitiorum in his quæ agunt pueri, quibus ſcire quodammodo licet quales olim provectioris ætatis ſunt futuri. Sunt ex Hebræis qui pro ambiguitate hujus verbi נכר, quod *cognoſcere* ſignificat & *alienare* ſive *alienum & ignotum eſſe* vel *occultare*, ut ferè contraria ſint ſignificata, ità in ſenſum omnino contrarium exponunt verſiculum, nempe ut pendeat ſenſus ex præcedenti ad hunc modum, *Pondere & pondere* occultatur fraus, *etiam in ſtudiis* (ſeu *operibus*) *ſuis ignotus erit puer*, ut non poſſis ex his quæ puer agit *ſatis ſcire* qualis adultus ſit futurus, *an pura* videlicet *& munda ſint futura illius opera & recta, necne.*

12, 13, 14. *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* Aliter, *Dominus fecit etiam utrumque. Noli diligere ſomnum, nè te egeſtas opprimat: aperi oculos tuos; & ſaturare panibus. Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cùm receſſerit, tunc gloriabitur*: vel, *Et vadens tunc jactabit ſe*] Diverſa ſunt ſtudia juvenum, ex quibus quales ſint futuri provectioris ætatis conjecturam facere licet: & quamvis alii boni, alii mali evadant, tamen ad ſapientiam aſſequendam omnes ſunt creati à Deo, & tam animæ quàm corporis viribus præditi. Nam per ſenſus exteriores internas animæ vires & potentias intelligimus. Inter ſenſus corporeos Auditum & Viſum ad rerum cognitionem percipiendam maximum habere momentum etiam Philoſophi tradunt. Id quod Sapiens hoc in loco docet; & interim corripit ignavos & pigros in his quæ ad ſalutem ſpectant & ornamentum animarum, inquiens, *Aurem audientem*] q.d. Deus fecit *aurem* ad ſcientiam & ſapientiam Euangelicam hauriendam, dicente Domino toties in Euangelio, *Qui habet aures audiendi, audiat*, Luc. 8. Et fecit *oculum* ad opera Conditoris contemplanda, *ex quibus ſempiterna ejus virtus & Divinitas conſpiciuntur*, Rom. 1. Reprehendit infidelium & Gentilium errores, qui negant Deum curare res mortales aut actiones humanas, cùm dicit, *Noli diligere ſomnum*] q. d. Utere corporis & animæ dotibus in eum finem ad quem ſunt deſtinatæ. In ſomno nullus eſt uſus nec viſûs nec auditûs, imò nullorum ſenſuum. Quòd ſi mea monita ſpernas, & otio magis quàm honeſto ſtudio etiamnum juvenis oblectare te volueris, habe ſaltem rationem victûs tui, cave *nè ad egeſtatem devenias*: tantiſper vigila donec victui neceſſaria compares. ¶ *Aperi oculos*] Fidei; *& ſaturare Pane qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam mundo*, Joh. 6. *Aperi oculos* igitur, & excute ſomnum quamlibèt ſuavem: ad labores accingere, quamlibèt graves in initio videantur. Non principia ſed fines perpende: nam ex ſomno paupertas & inedia, ex vigilia & ſtudio copia rerum & abundantia panis & deliciarum comparantur. ¶ *Malum, malum eſt, dicit omnis emptor*] Exemplo mercatorum vult nos ſpectare non initia ſed fines laborum. Ut enim illi rem primò vituperant

perant quò viliùs emant, deinde ubi emerint jactant ſe & gloriantur de ſua ſive induſtria, ſive peritia in rebus comparandis; ſic ſapientia, in cujus acquiſitione vigilare & laborare ſuum filium monet Sapiens, minimè juvenibus arridet; ſed, *Malum eſt*, *malum eſt*, inquiunt, manè ſomnum excutere, & literarum ſtudiis ſive rebus Divinis indulgere: ſed olim ex ephebis & puerilibus annis egreſſi, ubi maximis ſudoribus, veluti *negotiator* Matth. 13. *venditis omnibus unicam ſibi margaritam comparaverint*, ſibi gratulabuntur ipſis. Porrò illa verba. ¶ *Cùm abieris*] vel *receſſerit ſibi*, in Hebræo ואזל לו, *& tranſiens ſibi*, & ad rem emptam optimè refertur, ut ſit ſenſus, *Merces comparata non placent mercatoribus cùm emuntur*, *ſed dicunt*, *Malum eſt*, *malum eſt quod emi*; *verùm cùm eat ſibi*, *& foràs egreditur quod emit*: q. d. *Cùm benè vendit & multum lucratur*, *tum tandem laudat ſeſe quòd noverit uti foro.* Idem in ſtudio ſapientiæ cogitandum eſt, de fructu videlicet quem ſapientia profert, non de laboribus quibus acquiritur. Poſſumus denique illa verba, *Malum eſt*, *malum eſt*, *dicit omnis emptor*, ad labores & pericula referre cujuſmodi ſubire ſolent mercatores, juxta illud Horatii,

Impiger extremos currit mercator ad Indos;
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Sed meliùs ad verba ementium referuntur, propter ea quæ ſequuntur, quibus *prudentia*, ſive *ſcientia*, *labiorum* laudatur.

15. *Eſt aurum & multitudo gemmarum*; *vas autem pretioſum labia ſcientiæ*] Duplex eſt intelligentia: Prima, *Facilè ſibi comparat opes*, *aurum & multas margaritas*, *& vaſa pretioſa*, *qui pollet ſcientiâ labiorum*: h. e. Vir ſapiens & eloquens facillimè poteſt diteſcere. Ut jam juvenibus debeat prima cura haberi de ſapientia, non de mercatura aut aliis artibus quibus opes acquiruntur. *Facilè eſt*, dicebat olim Thales Mileſius, *Philoſophis diteſcere*, *ſi velint*. Id quod re ipſâ oſtendit; nam perſpectâ per curſum ſiderum olei futurâ caritate, omnes totius provinciæ comparat olivas; quâ re dives admodum evaſit. Secunda intelligentia verſiculi, quæ magis placet, nempe, *Labia ſcientiæ*, h. e. ſapientia cum eloquentia conjuncta, *præſtat auro*, *margaritis*, *aut quibuſlibet vaſis pretioſis*. Vel denique ſubintelligitur litera ſimilitudinis, & erit ſenſus, *Labia ſcientiæ eſſe homini velut aurum*, *velut vaſa pretioſa*: ut ſit ſenſus, Sapienti non poſſunt deeſſe ornamenta externa: aut, Hæc non curat ſapiens, cùm his multò habeat magis pretioſa. Levi Ben Gerſon ſic, *Sunt qui auro & lapidibus pretioſis abundant*; *ſed tamen res pretioſæ*, *ut ſunt labia ſcientiæ*, *non ſunt illis.*

16. *Tolle veſtimentum ejus qui fidejuſſor exſtitit alieni*, *& pro extraneis aufer pignus ab eo.* Heb. *Accipe veſtem illius cùm quis fidejuſſerit pro extraneo*, *& pro aliena pignus ejus*] (ſup. *accipe cùm fidejuſſerit.*) Juxta ſenſum humiliorem, prudentiam quandam humanam docet verſiculus, nempe in contractibus & in commerciis mutuis ſecuritatem quandam ſervare: præſertim ubi cùm extraneis agitur, & viris vel fœminis ignotis. Et quamvis non ſolùm noſter Interpres ſed etiam ipſi Hebræi exponant *veſtem ejus qui fidejubet pro extraneo*, ſubaudiendo præpoſitionem *pro*, poteſt tamen verti, *Quando extraneus fidejubet*, *cape veſtem illius pro pignore. Fidejubet pro extraneo* Mens & Ratio, quando *ſpiritu facta carnis mortificare* ſtudet & pollicetur: quam fidejuſſionem quiſquis in ſe firmam & ſtabilem eſſe velit, *veſtem illius qui fidejubet accipere* debet, h. e. *veterem hominem exſpoliare cum actibus ſuis*, Col. 3. Nam facilè præſtat quod in Baptiſmo promiſit quicunque *carnem cum affectibus domare noverit*, & *mundum crucifigere cum concupiſcentiis*, quibus ſpoliatus ſpiritus nudus Dominum nudum facillimè ſequitur cum illius auxilio.

17. *Suavis eſt homini panis mendacii*; *& poſtea implebitur os ejus calculo*, ſive *lapillo*] i. e. *Lapillis*; numerus pro numero; qui ſi cùm pane miſceantur, dentes vehementer lædunt. *Panis mendacii*, quem falſo teſtimonio lucratus eſt, inquit Aben-Hezra. Alioqui quocunque lucrum ſub nomine *panis* intelligitur, quacunque fraude & malis artibus acquiſitum: quod primâ ſtatim facie *ſuave* videtur & amœnum, poſtea tamen mordente conſcientiâ difficiliùs quàm lapilli maſticatum concoquitur. Neque ſolùm furtum & rapina ſed peccatum quodcunque hanc naturam & conditionem habet, ut primò dulcedine quadam ſenſus mulceat & titillet animum, poſtea verò dentes comedentium rumpat: id quod vel de morſu conſcientiæ vel de pœna peccatis debita poſſumus intelligere. Frequens eſt Metaphora *comedere* pro *peccare*. Senſus denique non eſt alienus ab illo verſiculo quem priùs expoſuimus, *Aquæ furtivæ dulciores ſunt*, cap. 9. Quantùm ſeſe oblectent hæretici *pane mendacii*, h. e. falſâ doctrinâ, quam pro vero pane Evangelico populo miniſtrare gaudent, vix unquam cogitarit quiſpiam qui nullum de hæretica pravitate acceperit experimentum.

18. *Cogitationes conſiliis roborantur*, *& gubernaculis tractanda ſunt bella.* Heb. *Cogitationes conſiliis firmabitur*, *& per conſilia gere bellum*] Juxta Hebraïſmum, *cogitationes*, h. e. unaquæque ex cogitationibus, *firmabitur*. Senſus Proverbii eſt, Neminem per ſe ſatis eſſe prudentem, imò egere unumquemque ſapientum & doctorum hominum conſiliis. Sunt enim in animo uniuſcujuſque *cogitationes* variæ & inconſtantes, præſertim in rebus majoris momenti, cujuſmodi eſt *bellum*: & idcirco *priuſquam incipias*, *conſulto opus eſt*. Et juxta parabolam Euangelicam Luc. 14. *Quis ex vobis volens ædificare turrim*, *non prius ſedens computat ſumptus*, &c. *Aut quis Rex iturus committere bellum adverſus alium Regem*, &c. Quicquid enim facere volumus quod vel ad ædificationem animorum noſtrorum ſpectat, vel ad bellum contra hoſtes noſtros, nempe *principes & poteſtates tenebrarum harum*, Epheſ. 6. non levi cogitatione, ſed ſagaci *conſilio* præmeditari oportet: oportet, inquam, vel legem Dei conſulere, vel viros ſapientes, qui aliquando victoriam ſunt aſſecuti, & ædificium aliquod virtutum in animis ſuis conſtruxerunt.

19. *Ei qui revelat myſteria*, *& ambulat fraudulenter*, *& dilatat labia*, *nè commiſcearis.* Heb. *Cum eo qui revelat ſecretum*, *qui circuit detractionem*, *& qui blanditur labiis ſuis*, *nè miſceas te.* Aliter, *Qui revelat ſecretum*, *ambulat detractor*, *& qui dilatat labia ſua*, *nè te committas*, vel potiùs, *cum eo qui decipit labiis*] Sunt ex Hebræis qui juxta verſionem noſtram unicam clauſulam efficiant, nempe, *Ut nihil commercii habeamus neque cum eo qui revelat ſecretum*, *neque cum eo qui ambulat fraudulenter*, *nec denique cum eo qui labiis ſeducit.* Quamvis neceſſarium ſit ad *cogitationes* fluctuantes *confirmandas* alieno uti *conſilio*, ut ſuperiùs dictum eſt, tamen non eſt ſatis tutum cum quovis homine ſecreta noſtra communicare, neque à quovis conſilium petere. Sunt enim qui gaudent *pandere* aliena *ſecreta*, *& criminando circuire.* Sunt præterea qui facilè perſuaſi & decepti, alios quoque *blandiendo decipiunt.* Duplex ſignificatio hujus verbi פתה, *perſuadere* & *dilatare*, ſenſum facit ambiguum, quamvis eodem ferè redeat. Nam & qui *dilatat labia* & qui *perſuadendo fallit* verboſus & futilis intelligitur, cujuſmodi ad ſervandum ſecretum aut ſanum conſilium impertiendum omnium minimè eſt idoneus. Ab eo igitur qui *revelat ſecretum* alterius, & qui *criminando circuit*; h. e. à dilatore, neque amicitiam petas, neque conſilia tua ei impertias; vel potiùs, *cum eo qui blanditur labiis* nè ineas conſilium. Judæi & hæretici ſunt qui *criminantur* fidem Eccleſiaſticam: Philoſophi & ſecularis ſapientiæ homines ſunt qui *blandiuntur* vitiis humanis, carni & concupiſcentiis laxantes habenas: Cum his igitur conſilium inire non debes, ſi bellum gerere contra Mundum & Carnem, vel quamcunque cogitationem teipſum corroborare velis, juxta ea quæ præceſſerunt, in rebus quæ ad æternam ſapientiam ſpectant.

20. *Qui maledicit patri ſuo & matri*, *exſtinguetur lumen ejus in mediis tenebris.* Heb. *lucerna ejus in obſcuritate tenebrarum*] Per *lucernam* Metaphoricè intelligitur anima ſive mens, ut eſt in Euangelio, Luc. 11. *Si lumen quod in te eſt tenebræ ſint.* Vel *lucerna* chariſmata Dei intelliguntur, quibus hominum mentes illuſtrantur. Sed his penitus deſtitutus eſt *qui maledicit patri vel matri*: nam conjunctio Vau, quæ alioqui copulat, hoc in loco disjunctivè accipitur; ut legatur, *Maledicens patri vel matri.* q. d. Indignus eſt his donis & beneficiis quæ Deus omnium pater omnibus largitur; Indignus eſt, inquam, is *qui patrem contemnit vel matrem ſpernit*, & jam *deſtitutus lumine* Divinæ gratiæ *in maximis tenebris verſatur.* Poſſumus etiam per *tenebras* anguſtias & tribulationes intelligere, in quibus opem non inveniet *qui patrem ſpernit vel matrem.* Et hæc ad ſuperiora pertinent de *conſilio quo firmantur cogitationes*, quod cùm parentes liberis impertiunt, contemnuntur nonnunquam à liberis, qui malunt *detractorum* & *blandientium ſeſe miſcere conſortiis*, de quibus in ſuperiore verſiculo, quàm patri obtemperare & matri. O quantæ tenebræ manent Judæos & infideles, qui *Patrem* cœleſtem *ſpernunt*! Nam qui filium non recipiunt, neque Patrem recipiunt. Quantæ porrò hæreticos, qui Eccleſiam *matrem floccifaciunt*! horum *lucerna in tenebris profundiſſimis*, proh dolor! in perpetuum *exſtinguetur.*

21. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio*, *in noviſſimo benedictione carebit*] *Hæreditas ad quam feſtinatur*, vel *hæreditas feſtinanter acquiſita*, intelligitur rapinâ & malis artibus acquiſita, vel dum quis contempto patre ejus mortem accelerat, ut ad ſuperiora referatur, *in noviſſimo benedictione carebit*, vel, ut in Hebræo eſt, *extremum illius non erit benedictum.* Nam *malè parta malè pereunt.* Vel denique, *hæreditas feſtinata* erit quam quis aſſequitur abſque labore aut cura aliqua. Tales hæredes ſolent rem minùs curare domeſticam, & bona ſive faculta-

tes eum facilitate magna relictas à parentibus majore facilitate conſumere. Filii Ruben & Gad ac dimidia tribus Manaſſe *feſtinabant hæreditatem* Transjordanam accipere, quæ *tandem* non fuit *benedicta*, ut quæ primò ſpoliata ſit, habitatoribus in captivitatem deductis. Judæi denique vineam Domini in hæreditatem acceperunt, excluſis Gentibus; quæ tamen illis parum felix poſtremo tempore fuit, deſtructâ civitate Hieruſalem: feſtinabant nimiùm, interfectis videlicet ſervis Patris, & Filio, quò citiùs ſibi vendicarent hæreditatem. Quadrat Proverbium vel imprimis illis qui bona Eccleſiaſtica & jura etiamnum juvenes feſtinant occupare, veriùs quàm legitimè per gradus Eccleſiaſticos ad ſuprema munera pervenire. Indocti videlicet & inidonei vel ad Epiſcopalem cathedram & dignitatem per fas ac nefas properant: ſed Dei *benedictione deſtituti* tandem ſentient quid ſit Paſtoris locum occupare illi, qui gregem Domini paſcere vel noluit vel neſcivit.

22. *Nè dicas, Reddam malum: exſpecta Dominum, & liberabit te*, vel *ſalvum faciet te*] *Nulli malum pro malo reddentes*, inquit D. Paulus Rom. 12. *Mihi vindictam: ego retribuam, dicit Dominus.* Salomon prohibet nè cogites quidem aut tecum deliberes de reddendo malum pro malo, nam *Nè dicas*, h.e. Penes te nè cogites. ¶ [*Exſpecta Dominum*] q.d. Noli ſententiam Judicis præire, vel potiùs remitte vindictam Domino, exſpectans illius opem ut *te eripiat* à malo quod pateris. Tu de reddendo malum poteris cogitare, & malum pro malo rependere poteris faciliùs quàm acceptum damnum amoliri. Magis ſolicitus eſſe debes de tua ſalute quàm de alterius damno. *Salutem verò à Domino recipies*, ſi modò cauſam tuam illius clementiæ commendes; ut etiam adverſario tuo rependat, non quod tu iratus cogitas, ſed quod pro illius æquitate & clementia videbitur opportunum: nam in cauſa propria ſolent homines eſſe parùm æqui judices, ſed quod in ſe leve judicant delictum, in aliis graviſſimo ſupplicio dignum aliquando putant: quos *Dominus exſecratur* tanquam qui eos *diverſis* utuntur *ponderibus & menſuris*, juxta ſequentem verſiculum, *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona.* Quem priùs expoſuimus hoc eodem capite.

24, 25. *A Domino diriguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam?* Heb. *A Domino inceſſus hominis, & homo quomodo intelliget viam ſuam? Ruina eſt homini devorare ſanctos, & poſt vota retractare.* Heb. *Laqueus eſt homini deglutire ſanctum, & poſt vota ad inquirendum*] גבר *vir* à *fortitudine* habet etymologiam, אדם *homo* à *terra.* Senſus verſiculorum eſt, Cùm homo quilibet de ſe ſit ignarus & impotens ad *viam ſuam* vel *intelligendam*, vel percurrendam, quantumvis alioqui ſit fortis & prudens, nihilominus *à Domino greſſus viri* (ſive *gigantis*) ſup. *reguntur*; vel potius *firmantur & roborantur à Domino*: q.d. *Non glorietur fortis in fortitudine ſua, neque ſapiens in ſapientia ſua*, Jer. 9. nam quomodo *intelligit homo* terrenus *viam ſuam* quæ ducat ad vitam, *viam ſuam* quæ domum reducet? De qua via loquitur Chriſtus, Joh. 10. *Ego ſum via, veritas & vita*, quam nemo tranſierit inoffenſè niſi *greſſus illius* roborentur *à Domino. Nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Joh. 6. Nulla ſapientia humana ſufficit ad intelligendam hanc viam. Quòd ſi ſimpliciter de *greſſibus hominis* in hac mortali vita intelligamus juxta Hebræos, non videbitur abſurdum, quia neque ſufficiunt homini vires ad iter ingrèdiendum ſine Dei auxilio, neque novit homo proficiſcens quando ſit reverſurus; ſed omnes humanas actiones moderatur Deus. q.d. Cum à Deo in omnibus pendeamus, ſumma ſtultitia fuerit & *ruina hominis* Deum contemnere, juxta ſequentem verſiculum, *Ruina eſt homini devorare ſanctos*, vel juxta Hebræum, *laqueus*, vel *ſcandalum, ſi ſanctum devoraverit*: quod Hebræi de craſſis ſacrificiis intelligere poſſunt, ſive de his quæ Deo devota fuerant, aut etiam de hoſtiis pro peccatis, quibus veſci niſi ſolis Sacerdotibus nemini licebat. Nos *ſanctum devorare* dicimus Dei chariſmata in vanum accipere, & acceptâ remiſſione peccatorum, veluti ſolet *canis ad vomitum redire*, 2 Pet. 2. contempto *Sanctorum ſancto*, per quem *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, Pſal. 124. denuo in laqueos Diaboli incidere, & ſubinde per *vota* liberationem quærere de laqueo. Alii ſic, *Scandalum* (vel *Ruina*) *eſt homini devorare ſanctum*, juxta ſenſus prædictos, & etiam *eſt homini laqueus* (ſive *ſcandalum*) *poſt vota inveſtigare* modum quo poſſit minimè obligari, vel quò minus reddat quod voverit. Aliter, *Ruina eſt homini qui devorat ſancta, & poſtea quærit vovere alia*, quaſi nihil referat vel integritatem ſervare vel per pœnitentiam, quæ eſt *ſecunda poſt naufragium tabula*, remiſſionem habere. Antiquam editionem, h.e. Lxx. magis accedere ad Hebræam veritatem quàm noſtras etiam teſtatur Beda, Παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι, μετανοεῖν γίνεται, *Muſcipula eſt viro celeriter quippiam proprium ſanctificare, poſtea enim votum feciſſe, pœnitere contingit.* Sic Lxx. qui ſubauditis quibuſdam vocibus ſenſum aſſecuti ſunt qui maximè mihi arridet.

26. *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem.* Heb. *Et reducet ſuper eos rotam*] Sapientis eſt Principis *diſſipare* & ſegregare malos, quò minus virium habeant; diſperſi enim & ſeparati facilè opprimentur. Metaphora *rotæ*, ut eſt in Hebræo & Lxx. extremam conſumptionem atque conculcationem ſignificat, & quod Reges prudentes facere debent, quò Remp. in tranquillitate conſtituant; non permittere videlicet *impiorum* conventicula, ſed ſuâ potentiâ & *ſapientiâ diſſipare*, & ad modum triturantis ventilare paleas à tritico. Hoc Rex Regum & Dei Sapientia prædicatione Euangelicâ & *ventilabro in manu accepto* Matth. 3. facit quotidie, incredulos & *impios* per univerſum orbem *diſſipando* Judæos, *reductâ ſuper eos rotâ* ferreâ, h.e. confractione & calamitate quæ finem non habet. Nam Judæam gentem perpetua vexat malorum ſeries, ſervitus, vaſtitas, penuria, & apud omnes nationes opprobrium & contumelia.

27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris*] *Spiraculum vitæ* quod *Deus ſufflavit in faciem hominis* tanquam lampas eſt reliquis animæ potentiis, lumen adminiſtrans & cognitionem Dei per creaturam mundi, cujus luminis reliqua inexpertia ſunt animalia. Aliter, *Lucerna Domini* lumen quoddam ſupernaturale eſt in animo & *ſpiraculo hominis, quod vel ſecretiſſima cordis penetralia perſcrutatur*, quantumvis alioqui pravum & inſcrutabile ſit cor hominis. Et hæc ad Regem ſapientem referri videntur, qui dum judicia Dei exercet & in terris illius quodammodo fungitur munere, Divinâ ſapientiâ & lumine indiget, quo malos à bonis ſecernere poſſit. & *ſecreta cordium inveſtigare*; quod ipſe fecit Salomon dum duabus mulieribus de infantibus mortuo & vivo contendentibus auſcultaret, 3 Reg. 3.

28. *Miſericordia & veritas cuſtodient Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus*] חסד ואמת, *Miſericordia & veritas.* Frequenter copulantur hæ duæ voces in Scripturis, quarum prior juxta Hebræos *beneficium gratuitum*, ſecunda *recompenſationem beneficii* ſignificat. Verum hoc in loco ad juſtitiam diſtributivam videntur referri, quâ bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſantur. Id quod dum Sapiens facit, timere non debet: nam hæ virtutes ſervabunt eum; his tutior erit quàm ſtipatoribus. Et quamvis res fuerit imprimis neceſſaria ad tranquillitatem Reip. puniri improbos, eſt tamen virtus excellentior *clementia* & *miſericordia*, quæ (ut inquit Jacobus c. 2.) *ſuperexaltat judicium*: & proinde ſceptrum Regis & *ſolium* defenſione miſerorum, oppreſſorum ſublevatione, afflictorum tuitione potiſſimum erigitur & *firmatur.* Vide ut omnia hujus Sapientis elogia mundanæ ſapientiæ propemodum ſint contraria: quà qui præditi ſunt longè alia Regibus conſilia ſuggerunt; Muniendas videlicet urbes, firmandas præſidiis militum, exigenda tributa, augenda vectigalia, ſubditorum extenuandas opes, & plebis animos & ſpiritus exſtinguendos, nè quando de Principe mutando cogitent. Contrà, Salomon in pauperum fovenda & reficienda afflictione Reges magnà ſecuritate regnare prædicat.

29. *Exſultatio juvenum fortitudo eorum, & dignitas ſenum canities*: vel, *Gloria juvenum robur eorum, & decus ſenum canities*] Ut Juvenes qui vires corporis habent integras, nullo vitio debilitatas aut intemperantiâ contaminatas, laude non carent, habentque de quo meritò glorientur, feliciter videlicet tranſactam pueritiam & adoleſcentiam. Et jam viribus præditi, ſibi utiles & Reip. eſſe poſſunt, ſibi victum labore comparare, & debiles ac ſenio confectos parentes juvare poſſunt magna cum laude, non tam quòd vires habeant, quàm quod corporis robore benè & prudenter utantur. ¶ [*Decus verò ſenum canities*] Quàm aptè & cum decoro *juvenibus gloriam* & *jactantiam* quandam præbet Salomon, *ſenibus* verò *honorem*, qui ab aliis exhibetur tanquam virtutis præmium, *ſenibus*, inquam, qui ad *canitiem* cum laude pervenerint. *Canitiem* verò non annorum numero metitur Sapiens; ſed, *Cani ſunt ſenſus hominis.* Alioqui vel ipſa canities honorem exigit à junioribus. Nam tot pericula hujus vitæ & tot diſcrimina evaſiſſe, & nihil commiſiſſe quod famam & honorem lædat, non contemnendum innocentiæ argumentum eſt. Cæterum genuinus hujus loci eſt ſenſus, Quemadmodum juvenes egent conſilio & prudentiâ ſenum, nè quid temere agant corporis viribus, quibus pollent, confiſi; ità ſenibus vires non ſufficere, ſed juniorum operâ coguntur abuti; ut jam illis facilè coëat amicitia, & harmoniam quandam in Rep. conſervent. Dum ſenum conſilio juvenes, & juniorum viribus ſenes utantur, omnia ritè peraguntur ac adminiſtrantur.

 30. *Li-*

30. *Livor vulneris abſtergit mala, & plaga in ſecretioribus ventris.* Heb. *Livores in vulnere ſunt abſterſio* (vel *munditiis*) *in malo, & percuſſiones in ſecretioribus ventris*] Sic explicat Aben-Hezra hunc verſiculum obſcuriſſimum ut pendeat à præcedente, & ſit ſimilitudo, *Quemadmodum gloria juvenum eſt fortitudo eorum, & honor ſenum ſapientia cana & matura; ſic livor & purulentia in vulnere eſt mundities & purgatio mali.* Mihi magis placet ſenſus Sapiente magis dignus, nempe ut intelligamus Metaphoram tractam à corpore ad animam: q. d. Quod in vulneribus corporis videmus fieri, idem ſentiendum de plagis mentis. *Collectio purulenta in vulneribus facit ad ſanitatem & purgationem mali, & plagæ quæ ſiunt in penetralibus ventris*; h. e. animæ morbi eodem modo curantur per livores & ſaniem in unum locum collectam; dum ad memoriam peccata revocantur, dum perpendimus quàm ingens malum ſit Deum offendere, dum de gravitate & facilitate peccandi cogitamus, & ex animo dolentes, purulentiam plagarum animæ per pœnitentiam ad unum veluti locum revocare videmur & purgare. Alii per *malum* hominem intelligunt, & ſimilitudinem ad hunc modum deducunt, Ut *vulnera* quæ ſunt in extrema cute, & *plagæ* quæ altiùs infiguntur, veluti ad interna & viſcera, cum dolore & malo curantur; ſic *malus* homo nunquam niſi ſuo damno ſapit, neque caſtigatur niſi per dolorem.

LUCAS BRUG.

25. MUltiplex hoc loco varietas eſt, quam nobis indocta ſcribarum lectorumque audacia peperit. Una eſt, *Ruina eſt homini* [*hominis* 1 MS.] *devocare ſanctos.* Ità namque ex ſcriptis noſtris habent duo. Altera, *Ruina eſt homini* [*hominis* 2 MS.] *denotare ſanctos*, ſic tria noſtrorum manuſcriptorum. Tertia eſt, *Ruina eſt homini* [*hominis* 8 MS.] *devotare ſanctos*, quæ complurium eſt librorum, tum ſcriptorum tum impreſſorum. Huc referenda eſt Buſlidiani codicis lectio, *Ruina eſt hominum devovere ſanctis.* Quarta varietas eſt, *Ruina eſt homini* [*hominis* 2 MS.] *devorare ſanctos*, quæ reperta eſt in exemplaribus, noſtris tredecim, Pariſienſium quinque, & antiquis Epanorthotæ. Huic eam adjicimus quam quidam codices, Pagnino referente, habent, *devorare ſancta.* Quadruplici iſti varietati Latinarum vocum affinitas occaſionem dedit: unicâ enim literâ à ſe mutuò diſcernuntur *devocare, devotare,* & *devorare*; duabus literulis ab his differt *denotare.* Eam itaque vocem ſubſtituit quiſque quæ ſibi loco convenientior videbatur. *Devocare ſanctos* intellexiſſe videntur, ſanctos in Cœlo regnantes in auxilium orationibus & promiſſionibus vocare: id enim ruina eſt homini ſi promiſſa non ſolvat, quod habet altera verſûs pars. *Denotare ſanctos* exponunt, ſanctos vitiis & contumeliis aſpergere. *Devotare ſanctos* Bedæ & Salonio eſt (hæc enim eorum videtur lectio) obſtringere ſe voto ad perſequendos ſanctos; Lyrano verò & Carenſi, ſanctis vota nuncupare; Richelius addit, frequenter: Hoc enim laqueus eſt ei quem poſtea votorum pœnitet. *Devorare ſanctos* non incommodè accipias pro, ſanctos juſtoſque viros bonis exuere, aut vitâ ſpoliare: quòd ſi *ſancta* ſcribas, ſignificat rebus Deo conſecratis abuti. Ex variis quæ propoſitæ ſunt lectionibus reſtat ut eam quæ Interpretis genuina eſt ſcriptura, inquiramus. Prima, *devocare ſanctos*, nihil accipit, aut ex multis, aut ex emendatis codicibus, probabilitatis: proinde ut obſcura eſt, ità quæ obſcura maneat digna. Secunda, *denotare ſanctos*, non abſimilis eſt, ideoque meritò à Reverendiſſimo Domino Janſenio depravationis inſimulata. Tertia, *devotare ſanctos*, multis codicibus nota eſt, habetque ex quorundam de Hebræo tranſlationibus veriſimilitudinis nonnihil. Vertunt enim quidam, *Laqueus eſt homini cùm locutus fuerit* (ילע enim etiam *loqui* ſignificat) *ſanctificationem*, vel *ſanctificatio eſt*: quod eſt, cùm voverit quippiam: ad quem modum diſertè interpretatus eſt Paraph. Chaldæus, *Laqueus eſt viro qui vovit ſanctitatem*, vel, ut nonnulli exponunt, *ſanctuaria.* Eodem ſpectat Græcorum tranſlatio, *Laqueus eſt viro celeriter quippiam ſuorum conſecrare.* De voto verſiones iſtæ loquuntur, ac proinde aliquid conferre videntur tertiæ de qua agimus lectioni. Verùm non ea eſt ejus quæ verſionum illarum ſententia: ac planè barbarum eſt, & ſine ſenſu, *devotare ſanctos.* Dubium eſſe vix poteſt quin ex alio eoque ſimili mutatum ſit, quia putabatur ex altera verſûs parte de votis hic eſſe ſermonem. Quòd ſi ſumas *devovere ſanctis*, quod unus Buſlidianus codex ſcribit, quis id non videat ad evitandam barbariem ſubſtitutum, quod ab ea quæ illarum lectionum eſt inter ſe affinitate recedit? Repudiatis igitur aliis, quarta quæ reſtat lectio, *devorare ſanctos*, veriſimillima eſſe probanda eſt. Eſt in exemplaribus non paucis, iiſque ſanè antiquioribus & emendatioribus, id quod vel ſolum ſufficere poſſit. In multis fuiſſe conſpicitur, ſed recentiori ſcripturâ mutatâ, *t* ex *r* formato. Erroris ſcioli quod non intellexerunt condemnarunt. Porrò Hebraicæ veritatis fons diſertè hanc adſtruit ſcripturam. ילע enim, à quo eſt quod hic legitur futurum ילע, *abſorbere, deglutire* & *devorare* ſignificat. Unde vertunt plerique, *Laqueus eſt homini devorare*, aut *deglutire, ſanctificatum. Sanctificatum* autem dicunt ſive *ſanctum*, neutro genere, quia קֹדֶשׁ, quod Hebraicè ſcribitur, *ſanctitatem*, & *rem ſanctam Deoque dicatam*, denotat. Atque in hunc modum Latinis quibuſdam codicibus *devorare ſancta* legi in ילע Pagninus dicit: ſed nos *ſancta* reperire minimè potuimus, duntaxat *ſanctos*, aut, quod in uno eſt, *ſcis* deprehendimus. Videtur itaque Interpres noſter קָדֹשׁ legiſſe, quod eſt *ſanctus*, & ſingularem numerum plurali expoſuiſſe. Hoc ergò modo, quem inter hujus loci varietates quartum collocavimus, *Ruina eſt homini devorare ſanctos*, Epanorthotes legendum pronunciat. Hanc, ut germanam noſtræ editionis ſcripturam, in textum Pariſienſes receperunt. Hentenius quoque in textum tranſtulit, quod in eis quæ manu propriâ correxit Bibliis (aſſervantur Lovanii in Collegio Patrum Societatis Jeſu) licet videre, quamvis in editionum neque textu neque margine conſpiciatur. Eandem ipſam, ut genuinam Interpretis verſionem, doctiſſimus Gandavenſium Antiſtes probat.

Altera verſûs iſtius pars, *Et poſt vota tractare*, corruptorum evadere non potuit manus. Cùm enim hîc de votorum agi reſciſſione exiſtimarent, potiùs *retractare* quàm *tractare* congruere judicarunt. Sed benè eſt quòd integriores pleroſque libros, quos, poſt Epanorthotem, nos vidimus, temerare non potuerint. Quamvis enim ei quem ipſi viderunt ſenſui non malè conveniat *retractare*; aliis, qui fortaſſe præferendi ſunt, parùm congruit. Hebraicè non aliud eſt quàm, *Et poſt vota quærere*, ſeu *tractare*: quod non abſurdè intelligatur, ruinam etiam eſſe homini ſi poſt vota tractet quomodo à votis expediri queat (quod eſt, *vota retractare*) aut, utrùm quæ vovit reddere poſſit. Sed videtur Interpres noſter ità accepiſſe ut pendeat omnino ex priori parte, in hunc aut ſimilem ſenſum, Graviſſimæ ruinæ ſibi eſt occaſio qui, poſtquam ad ſe rapuit ſanctorum juſtorumque bona, & devoravit innocuam Dei plebem, velut eſcam panis, ad vota convertitur. Sic enim ſolent ſub mortem fœneratores, & alii Rerumpub. devoratores, promittere atque aſſignare largam eleëmoſynam, quæ aut pauperibus diſtribuatur, aut Monachorum familiis dividatur, aut in alios pios uſus vertatur: quibus in hujuſmodi votis fiducia perpetuæ frequenter ruinæ cauſam dat. Chaldæus hanc, ità ut priori parti reſpondeat, tranſtulit, *Et poſtea tangit eum anima ipſius.* Similiter Græci: Nam poſt voviſſe pœnitere contingit.

DRUSIUS.

1. לֵץ. A. Th. χλευαςὴς, *irriſor.* Sym; λοιμὸς, *peſtilens.*

2. נַהַם. Schol. βρυγμὸς] Interpretantur βρυγμὸς, *ſtridor*: Hic ſumi videtur pro βρυχὴ ſive βρύχημα aut βρυχηθμὸς, *rugitus*: quod Leonum proprium. Ideo ſequitur βρυγμὸς λέοντος. Certè enim Leo *rugit*, non *ſtridet.* ¶ מִתְעַבְּרוֹ. A. S. Th. ὑπερβαίνων, *ſupergradiens*] Vel *tranſgrediens.*

3. שֶׁבֶת מֵרִיב. A. καθίσαι ἀπὸ ἀντιδικασίας, *ſuperſedere à litigatione*] Lex. V. Ἀντιδικασία, *adverſatio.* Legitur & δικασία eodem ſenſu. Sym. ἀποχωρῆσαι ἀπὸ ἀηδίας, *ſecedere à moleſtia tadium afferente.* ¶ יִתְגַּלָּע. A. ἐξυβρισθήσεται, *contumelia afficietur.* Sym. ἀποκαλυφθήσεται, *revelabitur, pateſiet, retegetur*] *Revelabitur*, יתגלה.

4. מֵחֹרֶף עָצֵל לֹא יַחֲרֹשׁ יִשְׁאַל בַּקָּצִיר וָאָיִן. Sym. Διὰ ψύχος ὀκνηρὸς οὐκ ἀροτριάσει, καὶ αἰτήσει ἐν ἀμητῷ, καὶ οὐχ εὑρήσει, *Propter frigus piger non arabit, & poſcet in meſſe, nec inveniet.*

6. וְאִישׁ אֱמוּנִים מִי יִמְצָא. A. Sym. Th. ἄνδρα δὲ πιςὸν τίς εὑρήσει; *virum autem fidum quis inveniet?*

8. מְזָרֶה. Th. λικμᾷ *ventilat.*

9. מִי יֹאמַר זִכִּיתִי לִבִּי טָהַרְתִּי מֵחַטָּאתִי Sym. Τίς ἐρεῖ, Ἐλάμπρυνα τὴν καρδίαν μου, κεκαθάρισμαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας μου; *Quis dicat, Lucidum & purum reddidi cor meum, mundatus ſum à peccato meo? Lucidum reddidi*, vel *ſplendere feci.* Pſ. 119. 8. יזכה Sym. λαμπρυνεῖ. Santes *mundabit.* Alius *purificabit.*

11. יִתְנַכֶּר־נָעַר. Sym. ἐπιγνωρισθήσεται νέος; *cognoſcetur juvenis.* ¶ אִם זַךְ וְאִם יָשָׁר פָּעֳלוֹ. Th. εἰ λαμπρὰ καὶ εὐθὺς ἐργασία αὐτοῦ, *ſi lucidum & rectum opus ejus.*

13. שֵׁנָה פֶּן־תִּוָּרֵשׁ. Sym. ὕπνον, ἵνα μὴ ἀπορηθῇς, *ſomnum, nè indigeas.*

20. בֶּאֱשׁוּן. Sym. ἐν σκοτομήνῃ, *nocte illuni*] Pſal. 11. 2. באפל. LXX. ἐν σκοτομήνῃ, ubi ſimpliciter pro *tenebris* poni videtur. Sym. ὡς ἐν ζόφῳ. Vide notata ad illum locum.

21. נַחֲלָה מְבֹהֶלֶת. Sym. Th. κληρονομία σπυδαζομένη, *hæreditas properata*, i. properè acquiſita.

25. קֹדֶשׁ

25. מוקש אדם ילע קדש. A. Σκῶλον ἀνθρώπῳ καταπίεται ἡγιασμένος, *Offendiculum hominis abſorbet ſanctificatus.*

27. נר. A. Sym. Th. λύχνος, *lucerna*: cæteri, λαμπτὴρ, *fax*, ſive *lucerna.* ¶ נשמת אדם. Schol. πνεῦμα ἀνθρώπων, *ſpiritus hominum.*

28. יצרו. A. Sym. διατηρήσουσι, *ſervant.*

29. כחם. A. Sym. Th. ἰσχὺς αὐτῶν, *robur eorum.* ¶ הדר. Th. εὐπρέπεια, *decor.* ¶ שיבה. A. Sym. Th. πολιὰ, *canities.*

30. חברות פצע. Μώλωπες τραυμάτων, *vibices vulnerum.* ¶ תמריק. Schol. ἀπαντᾷ.

A M A M A.

לץ היין.] Ab. איש שכר חסר. Sub.vir. Sic שכר pro איש שכר. Vide Reg. Textual. Alii ſub. יעשה *facit* deriſorem. Junius, *deriſor eſt vinum*, i. e. ita ludificatur vinolentos, ut deriſores fiant & tumultuoſi, atque ita apud alios quoque ſe faciunt ridiculos. Sic *pallida mors.*

שכר Σικερά. Hanc vocem retinuêre LXX. & Lucas 1. 15. Et Beza. Text. *Ebriamen.* Caſtalio, *temetum.* Horat.

Pullos, ova, cadum temeti, nempe modo iſto &c.

Ita dictum juxta quoſdam quaſi teneat vel tentet mentem, quaſi à μέθη vel μεθύ. Hanc verſionem reprehendit Beza, quod Temetum antiqua appellatione fuerit vinum teſte Plinio. At Caſtalio id non negat, ſed ait ſe uſum voce *Temeti*, quod nomen aliud non occurreret, quo potum inebriantem non ex uvis factum exprimeret.

Ergo Beza & Caſtalio in re conſentiunt, vinum & Siceram differre ut ſpecies & genus. Omne vinum eſt ſicera non contra. Baſil. Σίκερα πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι. Ergo etiam vinum comprehendit. Alii videntur ita ſentire, eſſe πᾶν τὸ δυνάμενον ἐμποιῆσαι, πλὴν τοῦ οἴνου, præter vinum. Sic Heſych. Σικερὰ, οἶνος συμμιγεὶς ἡδύσμασι, ἢ πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλου δὲ σκευαστὸν, σύνθετον, aut omnis potus inducens ebrietatem, non verò ex vite, aut factitium, compoſitum. Talis potus apud nos eſt cereviſia, quem Zythum vocant, & apud Athenienſes οἶνος κρίθινος, vinum hordeaceum, & in libro Muſar, *Sicera palmarum*, *Sicera hordeorum.* Onkelos ita diſtinguit, ut יין ſit vinum novum & שכר vinum vetus. Si ita eſt, tum bene redderetur *temetum*, nam gloſſar. *Temetum*, οἶνος παλαιός. Alii יין eſſe vinum dilutum, שכר οἶνος ἄκρατος. Ego perſiſto in prima ſententia, *vinum* & *ſiceram* differre ut genus & ſpeciem, hicque ſit ſenſus, *Vinum atque adeo omnem potum inebriantem non bibet* Lev. 10. Num. 6.

Errat in eo] Id eſt, plus nimio deditus eſt, multus eſt in eo occupatus. Sic Prov. 5. 19. *In amore ejus errabis*, LXX. πολλοστὸς ἔσῃ. Et verſ. 20. *Ne erres in aliena*, μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἀλλοτρίαν.

Non ſapiet] Deſipiet, perdet cor, juxta illud, *Scortatio, muſtum & vinum auferunt cor.* Vel, non erit pius, probus. Ut ſtultus pro improbo paſſim in hoc libro.

Ponit ergo tria effecta Ebrietatis hoc verſu.

I. Quod faciat deriſores 1. aliorum. Inducit enim oblivionem virtutis & præſtantiæ alienæ, tum etiam propriæ infirmitatis & defectus. Hinc Hoſ. 7. Rex ebrius dicitur *manum ſuam extendiſſe cum irriſoribus.* 2. Dei & rerum divinarum. Expellit enim timorem Domini, quem *janitorem animi* vocat Bernardus, quo ſemel ejecto, nihil penſi, nihil ſancti habemus, contemnimus verbum Dei, obliviſcimur juramenti, & jam toti in deriſores verſi ad ſalubres etiam admonitiones obſurdeſcimus. Atque hæc eſt definitio τοῦ לץ.

II. Quod tumultus excitet.

III. Non ſapiet, nam ebrietas hebetat ingenium & ſtupidos homines reddit, quod cernere eſt vel in vividiſſimis olim ingeniis, nec evadet pius. Prov. 23. ult. Hic dæmon ubi ſemel &c. Obſiſtendum eſt principiis, nullius vitii vincula tam difficulter excutiuntur. Nullum vitium, quod blandius ſe inſinuat. Ita ex aliquot actibus fit conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas.

2. *Rugitus leonis*] Supra cap. 19. 12. Idem hemiſt. niſi quod illic זעף, hic אימה terror. Eff. pro cauſa. Ex ira frons caperata, minæ, apparatus mortis. Hinc terror etiam fortiſſimo incutitur. Exemplum in Joab.

כפיר juvenis leo: ארי & אריה adultior: שחלשון mediæ ætatis: לביא annoſus: ליש ſenio confectus, *&c.*

Parendum ergo Regibus & magiſtratibus in omnibus, quæ non pugnant cum verbo Dei & bona conſcientia. Hic enim valet illud Petri: *Magis oportet* &c. in tali caſu fremant & rugiant Reges, inſtar Leonis, juſtus etiam ut leo confidit.

מתעברו] Supra 16. 14. Excandeſcentia חמת Regis certiſſimus nuncius mortis. Hic vocem adhibet, quæ altiorem iræ gradum ſignificat, vid. iram quæ modum excedit, à עברה quod à עבר. LXX. ὁ παροξύνων αὐτὸν, Angli & Tig. *qui provocat eum ad iram.* At ſi cui duriuſculum videatur conjugationi Hithphael tribuere ſignificationem activam ſeu tranſitivam, & objiciat alibi ſemper uſurpari pro *excanduit, ira percitus fuit*, erit ἐλλιπὲς, & ſic ſuppl. היא אשר מתעבר בו, vel עמו. Ita enim ſolet conſtrui.

Peccavit נפשו] Sub. ב. Periit, actum de eo, præſentiſſimo periculo ſe expoſuit. Sic 1 Reg. 2. *Sic mihi Deus faciat, & ſic addat, ut* בנפשו *locutus eſt Adonias verbum iſtud.*

3. *Viro*] Nomen ἀρετῆς. Ideo articulus additus לאיש.

שבת Sedere, i. e. ſuperſedere. Simplex pro compoſito. Sic Cant. 1. 6. אל תראני, *quod nigra ſim*, i. e. *deſpiciatis.* Ad verbum *ſpectatis*, quod priſcum eſt pro *video*, ut ſpecto, deſpicio, conſpicio, aſpicio.

Alii *ſedere*, i. e. *quieſcere*, quod ſedentes quieſcamus. Zach. 1. *Ecce univerſa terra* erat ישבת ושקטת.

Alii, *ceſſatio*, ut ſit à שבת, ut גור, מלך.

יתגלע] Hic locus tertius in Prov. ubi occurrit גלע de mixtione & diſſeminatione litis. Vid. 17. 14. & 18. 1. Nota. Magnum diſcrimen. Vir probus abſtinet à lite, ſectatur pacem, etiam cum damno ſuo, privatas offenſas ſæpe publicæ utilitati remittit. At ſtultus immiſcet ſe etiam alienæ.

4. מחרף] Alii pro ב & חרף exponunt *autumnum.* Alii, *propter hyemem.* Utrumque ſignificat מ. 1. 2. Prov. 25. 17. הוקר רגלך &c. Deut. 33. מכפיו. Pſ. 68. מהיכלך. 2. *Propter.* Pſ. 12. מצעקה *ob clamorem.* Abd. 10. מחמס.

חרף hyems & juventus. A חרף probro expoſuit. Ponitur autem hyems pro quovis difficili & duro tempore.

Arabit] Id eſt, laborabit. Ponitur enim aratio pro tota ratione agriculturæ, & hæc pro omni honeſto labore.

Qui non ſeminat non arabit. Laborandum ergo eſt tempore oportuno. Congregat in æſtate filius prudens. Dum calor eſt, & læta dies. &c. Ebr. Qui non laborat in veſpera ſacra, non comedet in ſabbatho. Quod accommodant ad futurum ſeculum, quod non erit עלם הבעשה, ſed הגמול.

5. Etiamſi profundæ ſint cogitationes cordis, utpote quod multas latebras & receſſus habet, tamen vir prudens eas rimatur, obſervat & expiſcatur tanquam bolide ſeu fune in profundum demerſo.

6. *Maxima pars hominum, prædicat quiſque benignitatem ſuam*] Arguit fucatam & larvatam liberalitatem. Aben. כלל אחד יקרא חסדו כלל יתפאר שיעשה חסד.

At veracem quis inveniat? qui quantum prædicat de ſe tantum bona fide præſtet?

7. מתהלך] Sub. אשר ex poſteriori hemiſtichio. Alii per ſe legunt. In Hithphael eſt ſignificatio indeſinentiæ.

8. *Sedens*] Jus dicens & exequens ventilat, i. e. inſpectionem facit ipſe, cognitionem habet, fert judicium, alii, *diſſipat.* Solebant Reges olim ipſi jus dicere, non per vicarios aut delegatos judices.

9. *Quis dicet*] Non difficultatem aut raritatem, ſed impoſſibilitatem inſinuat, q. d. non poteſt quiſque verè dicere, univerſaliter negat quempiam eſſe, omnes Deo obnoxii ſunt, omnes peccarunt. 1 Reg. 8. *Non eſt homo qui non peccet.*

10. *Lapis & lapis*] Id eſt, Diverſum pondus Pſ. 12. *Corde & corde.*

Epha] Species menſuræ, uſitatiſſimè pro quavis ponitur.

Abominatio] Quia eſt furtum colore juſtitiæ palliatum. Hieron. *Simulata ſanctitas eſt duplex iniquitas.*

Nota. Ipſum lapidem eſſe Deo abominationi, major emphaſis in eo, quàm ſi dixiſſet Deum abominari fraudem illam. Deus enim ſæpe inſtrumentis inanimatis & irrationalibus ad majorem deteſtationem notam iræ ſuæ inurere ſolet, ut in Serpente, auro, ex quo vitulus confectus, in ſolo, ubi ſanguis humanus effuſus, in bove cornupeta &c.

11. *Puer*] Qui jam ex infantia exceſſit. Ol. Caj. Gen. 8. ita accipiendum eſt ob coll. Gen. 6. Onkelos & R. Sal. conveniunt. Vide cenſuram. Gen. 8. R. Mei. *Naar* dicitur ad annum 25. Aq. ad annum 30. etiam ad 20. Prov. 5. cum uxore נעוריך. 1 Sam. 17. *Golias* &c. Alias eſt nomen miniſterii, ut Gen. 14. Jeſ. 37. *Joſua puer Moſis.* Act. 4. Scopus eſt hortari parentes, ut accuratiſſimam operam navent rectæ liberorum educationi, quia ea ætas quaſi veſtibulum univerſæ vitæ.

12. *Aurem audientem.* Vult docere, Deum multo magis audire & videre. Pſ. 94. *Qui plantavit aurem, annon audiret.* R. Juda Hannaſi. *Semper cogita, ſuper te eſſe aurem audientem & oculum videntem, & librum in quo omnia tua dicta factaque ſcribantur, Hæc tria, inquam, ſemper in mente habeto & non peccabis.*

13. פקח] Aperi. Dicitur de oculis & auribus. Eſ. 42. פקח אזנים,

אזנים, aperi aures & non audient. Nomen פקח dicitur de eo, qui oculos aureſve habet apertas, & privativè opponitur ſurdo & cœco, quorum ille aures, hic oculos clauſos habet.

15. יש זהב. *Eſt quidem aurum & multitudo gemmarum*, ſub. precioſa, at &c. Alii, יש generale nomen, ad omne opum genus, ut 8. 21. להנחיל אהבי יש, ſic exponitque, labia ſcientiæ ſunt opes, aurum &c. inſtar horum omnium ſunt veræ opes.

16. Scopus, Munire nos debere adverſus temerariam fidejuſſionem.

17. *Panis mendacii*] Alii, *mendacium*, ſic *panis pigritiæ, dolorum*. Alii, *panis fraude & injuriâ partus*, atque hoc Synecd. pro omni injuſta poſſeſſione. Sic ſupra dicebat 9. 17. *Aquæ furtivæ dulciores & panis latebrarum amœnus eſt.*

חצץ, ſcrupus, lapillus. Thr. 3. 16. Et *confregit dentes meos* בחצץ calculo. Talem panem Sen. vocat. *lapidoſum*, quali pane nihil moleſtius. Ergo opes malè partæ etſi initio delectent, poſtmodum tamen noxiæ ſunt & exitium afferunt.

18. *Cogitationes*] Ab. כל־אחת כ׳, quæque conſiliis firmatur, vel firmetur. Alii ſub. ב. *Cogitationibus in conſilio firmator*, ut ſit 2 perſona maſculini generis.

Bellum] i. e. Quodvis majoris momenti negotium. Scopus eſt, à temeritate depellere atque hortari nos ut conſultè & prudenter agamus.

19. Ut ſuperiori verſu docuit conſilia ineunda cum Sapientibus, ita hic monet à malitioſis detractoribus & futilibus hominibus abſtinendum. Alias docuit non eſſe verſandum cum iracundo, alibi in genere cum ſtultis. Hic deſcendit ad alia ſpecialia. 1. Detractorem, quem deſcribit. 1. quod retegat arcanum, atque ita ſæpe te in diſcrimen adducet. 2. quòd ſit רכיל diſcurrens huc illuc. רוכל inſtitor, mercator circumforaneus, vel, ut alii preſſius, atomaropola, circumforaneus. Hinc רכיל detractor, qui rumorem hinc inde colligit & defert de uno ad alterum. Aliquando uſurpatur adverbialiter Jer. 6. 28. *ambulant* רכיל *delatoriè*. Sic & hic. Semel abſtractè, Jezech. 22. אנשי רכיל. Ego puto רכיל ſemper eſſe abſtractum, & ſub. ב. Convenit cum רגל. Quod etiam detrahere in Kal. Pſal. 15. in Piel, paſſim. Literæ ג & כ ejuſdem ordinis. Talem ergo dicit fugiendum. Arabes, *qui adfert ad te, etiam auferet à te.*

לפותה Simplici. Intranſit. in Kal. Cui facile aliquid perſuadetur, ac proinde qui facile fallitur, ſeducitur. Hinc פתי quem deſcripſit Salom. ſupra, *Phethi credit omni verbo*. Hinc *fatuus* & ἀπατάω, hinc πείθω. Job. 5. 2. *Quia ſtultum occidet ira, &* פותה *interficiet zelus*, ubi Jun. *fatuum.*

Alii tranſitive, & quidem I. Seducenti, blandienti alteri labiis ſuis, qui labiis ſuis blandis ſeducit te à via recta. R. L. מי שאומר בשפתיו להדיחך מהר רך (à פות hortatus eſt, incitavit) דברי פתוי וְרַכִּיתָה השוב.

II. Dilatanti. Ita Vulg. *Qui dilatat labia ſua*. Hoc modo expoſuit idem locum Gen. 9. 26. ſed in Hiphil, *Dilatet Deus Japhet* Japhet dictus à פתה, non ab ἰάπτειν, lædere aut ἰᾶσθαι mederi, aut ἵεσθαι & πέτεσθαι i. e. emittere & volare. Atque hanc interpretationem ſequuntur Lxx. Chald. Hieron. Vatabl. Mercer. Pagnin. Druſ. Angli, Tigur. Sciendum פתא Chald. eſſe *dilatari*, in Aphel אפתי *dilatavit*. Dixiſſet Ebr. ירחיב. Sed ut alluderet ad nomen *Japhet*, utitur voce Chaldaïca, Ergo *dilatet Japheto* ſub. locum aut ſedes. Sic Gen. 26. 22. *Dilatavit Dominus nobis* ſub. locum. Pſ. 14. 2. *In anguſtia dilataſti mihi*, ſub. locum.

Auguſt. dum vertit, *lætificet*, reſpexit ad Phraſin Ebr. quâ *dilatare alicui*, ſubintellecto corde, vel *dilatare cor alicujus*, eſt exhilarare. Pſal. 119. 32. *Quia dilatas cor meum.*

Qui vertunt, condecoret, ut Cajet. & Eugub. impingunt in Grammaticam. Non enim poteſt eſſe à יפה, eſſet enim ייפה.

Jun. vertit, *alliciet*, reſpiciens ad thema. At ſic dicendum eſſet יפתה vel יפת in Phiel. Putant autem hanc verſionem retinendam, quod inſinuet egregiam Prophetiam de vocatione gentium & coadunanda Eccleſia Chriſtianorum, qui maximam partem ex Japhet oriundi, cum Judæïs, qui ex Sem. Sed & communis interpretatio eam non excludit. Hier. *de Sem Ebræi, de Japhet populus gentium naſcitur. Quod autem ait*, & habitet in tabernaculis Sem, *de nobis prophetatur, qui in eruditione & ſcientia ſcripturarum, ejecto Iſrael, verſamur.*

20. *Et matri*] i. e. Aut matri. Sic Ex. 21. 17. Matth. 15. 4. ἢ μητέρα. Sic Jud. 11.

Exſtinguetur] Sunt qui volunt idem dici quod Ex. 21. 17. *morte morietur*. At amplius dicit, docet enim illum nigerrimis tenebris obruendum & operiendum eſſe, Deumque juſtiſſimum illum judicem non acquieſcere in eorum temporali morte, ſed eos uſque ad inferos perſequi.

Expono itaque נר non *animam*, ut Aben. Sed *felicitatem, proſperitatem*. *Ner* pro luce ponitur. Lux pro proſperitate, lætitia & felicitate, nihil tritius. Eſth. *Et exorta eſt Judæïs lux & lætitia.* Idem aliis verbis. Job. 18. 6. Eadem phraſis. Ita contra tenebræ. Pro adverſitatibus. q. d. omni proſperitate & lætitiâ privabitur & in hoc & in futuro ſeculo.

באשון] Idem quod אישון. Prov. 7. 9. באישון הלילה. Eodem capite אישון pro pupilla.

Nota locutionem ex παραλλ. Nam nigredo nihil aliud eſt quàm obſcuritas & tenebræ. Eamque hic habere Emphaſin. Sic 2. Petr. 2. 17. οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται.

21. מבחלת] i. e. Celeriter, nullo labore comparatæ, præproperæ. Dictum in νεοπλούτους. Primò enim tales non ſolent comparari niſi ex vanitate. 2. Hæredem etiam tales non magni faciunt. In textu eſt מבחלת abominabilis. Senſus, Hæreditati abominabili nec in Principio, nec fine benedicitur. Zach. 11. 8. נפשם בחלה בי.

22. *Ne dicas*] i. e. Cogites. Sic, *& dixerunt occidere &c.* An occidere dicis me. Sub. בלב.

Rependam] Nam retributio & vindicta Dei eſt. Deut. 32. 35. Unde Pſ. 94. vocatur *Deus fortis ultionum.*

וישע לך] Sic Matth. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Matth 21. 9. Sic Pſ. 86. 16. הושיעה לבן אמתך κατὰ πόδα ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τῆς παιδίσκης σου. Jud. 17. ידי הושיעה לו.

24. *Homo quid intelliget via illius*] Sc. Dei. Tanta eſt hominis ignorantia & oſcitantia ut non animadvertat mirificam & ſingularem Dei adminiſtrationem.

Alii, *via ſua*] Homo proponit, Deus diſponit. Via cujuſque in manu Dei, Deus numerat omnes greſſus hominis Jer. 10. 23. *Scio, Domine, quod non ſit hominis via ejus.* Supra 16. 9. *Cor hominis reputat viam ſuam ſed Dominus dirigit greſſum ejus.*

25. *Offa* vel *laqueus eſt homini* (ut) *deglutiat ſacrum*, i. e. res ſacras, *& poſt vota requirere*, ſub. laqueus eſt, i. e. in eo laborem conſumere, ut retineantur res votivæ. Docet itaque poſterius hemiſtichium ipſum conatum & ſtudium res ſacratas Deo intervertendi inſtar laquei eſſe.

Agit autem de votis legitimis & ex præſcripto verbi Divini factis.

ילע] Sub. ש, Fut. Hiphil à לוע.

לבקר] Hinc בֹּקֶר & בָּקָר, armentum. Grex armentorum & בקרת Lev. 19. בקרת תהיה, alii, *flagellatio*, alii, *inquiſitio* erit, qui flagellationem vertunt, reſpiciunt ad בקר, quod fieret hæc vapulatio loro taurino vel bovinis, vel, ut Plautus loquitur, *monumentis bubulis.*

26. אופן] Rotam. Reſpicit ad ritum, quem obſervabant in trituratione graviorum & fortiorum ſeminum. Ea enim excutiebant tribulis, rotis plauſtrorum, ut videre eſt Jeſ. 28. 27. & 28. Inde manifeſtè liquet tritici grana excuſſa fuiſſe converſione rotæ, quæ bovi aut equo affixa erat.

Alii, *rependet ipſis juxta opera ipſorum*. Ex Lege Talionis cum iis agis מדה יגנר מדה. Ut rota circumvolvitur, ita redit malum ad auctorem ſuum.

27. *Ut lucerna*] Subjectio ad tacitam objectionem, quomodo ventilaret Rex cùm impii deliteſcant, & improbitas multos receſſus habeat. Reſp. Deum in animis hominum accendiſſe lucem, quâ res etiam penitiſſimas introſpiciat, ac proinde Regis Sapientis animo prælucere, ut recognoſcat improbos, terat & ventilet.

Alii, lucerna Domini, i. e. lucidiſſima, vide Regulas Textuales, 12. נשמה juxta R. anima Rationis particeps, propriè. רוח ſenſitiva, נפש vegetativa. Abſurdè.

29. Vult duas has ætates ad mutuum ſui amorem & officiorum cultum excitare, ut ſenibus juvenum robore opus eſt, ita juvenibus ſenum prudentiâ. Itaque opera danda juvenibus ne robur ſuum otio, luxuria, libidine & ebrietate deterant, atque ita effœtum corpus ſenectuti tradant. Quicunque ita vivunt, Diabolo florem ætatis ſacrant, Deo renunciant.

30. *Tumices, vulnera*] Docet duro nodo duros adhibendos cuneos. In deploratis malis ſæpe urendum & ſecandum eſt, ut equis ſtrigoſis deſtringendis, & compeſcendis refractariis ſtrigiles, calcaria atque alia ejus generis adhibenda ſunt, ita etiam malo homini adhibenda, tumices, livores, vulnera, i. e. acerbiſſimæ caſtigationes.

חבורה, livor, tumex, cum non exit ſanguis. פצע cùm egreditur ſanguis. Illud à חבר, quod in eo colligatur ſanguis & ſanies.

תמרוק] Defricatio, abſterſio, Rabb. *purgatio.*

GROTIUS.

3. H*Onor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus*] Rixari indignum eſt viro magnanimo.

8. *Rex*

8. *Rex qui ſedet in ſolio judicii ſui, diſſipat omne malum intuitu ſuo*] Excitat Reges ut ipſi jus dicant, non per alios. Ità enim omnibus malis, quippe ſibi percognitis, remedia inventuros. *Juſtitiæ fruendæ cauſâ primùm Reges conſtitutos* dixit Herodotus; & probat id dictum Cicero. Sed & multò antè Heſiodus dixerat:

Τούνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγόρηφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.

[*Namque ideo inventi Reges, ut ſede curuli*
Sublimes læſis ereptum reſtituant jus.]

11. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer*] Ex eis quibus maximè delectatur.

Si munda & recta ſint opera ejus] *An munda & integræ actiones ejus.* ſupple, *futuræ ſint ubi adoleverit.*

12. *Aurem audientem & oculum videntem Dominus fecit utrumque*] Hoc ideo adjunxit, ut prima ætate pueri & audiant & videant honeſta.

13. *Noli diligere ſomnum, nè te egeſtas opprimat*]

Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ ςόμα,
Βίον δύναιτ' ἂν συλλέγειν ἄνευ πόνων,

[*Nam nemo, ut omnes voce compellet deos,*
Vitam parare non laborando poteſt,]

ait Euripides Melanippâ.

14. *Malum eſt, malum, dicit omnis emtor, & cùm receſſerit, tunc gloriabitur*] *Vile eſt hoc*, dicit at ubi emerit, jactat ſe bene emiſſe. Hoc eſt καπηλεύειν [*cocionari.*] *Emtor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedunt, vixque poſt multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic quod obtulerat addente, ad certum conſentiunt pretium*, ait L. Si voluntate. C. de reſcindenda venditione.

18. *Gubernaculis tractanda ſunt bella*] In Hebræo, *per induſtrias.* Græci:

Γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν ἢ σθένος χερῶν.
[*Conſilia pollent cauta plus validâ manu.*]

& Euripides:

Γνώμη γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος, εἴς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα.
Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας.
Νικᾷ.

[*Conſilia ſunt queîs nititur domuum ſalus*
Et urbis: eadem plurimùm in bello valent,
Unumque mentis provida multas manus
Vincit repertum.

21. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit*] *Hæreditatem* vocat more Hebræo omne jus quod ad liberos transmitti poteſt. Eſt ſenſus idem qui ſuprà 13. 11. Nec aliud voluit Menander, cùm dixit:

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.
[*Nemo & repente dives & juſtus fuit.*]

Cui ſententiæ compar infrà eſt hic 28. 20. adde, ut plenam ſententiam, quæ hic eſt, habeas, Heſiodeum illud:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.
[*Nè malè lucreris: mala lucra æqualia noxæ.*]

Euripides Erechtheo:

——— οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε
Βέβαιος ἄδικος.

[——— *Non habent ſolidam diu*
Malè parta ſedem.]

22. *Nè dicas, Reddam malum: Exſpecta Dominum, & liberabit te*] Multa ſunt in his libris monita, quæ in Euangelio ſunt divina præcepta. Aliqua ultio & in Lege vetita; ſed non omnis.

25. *Ruina hominis eſt devorare ſanctos, & poſt vota retractare*] Optimè ſic vertes: *Tendicula eſt homini devorare ſanctificatum, & poſt vota perplexari.* Multi homines in mala gravia incidunt, quòd Deo dedicata in ſuos uſus vertant, aut ubi quid voverint, adepti quod ſperabant, votum cavillando infringant aut imminuant. Cogitate, Principes.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

1. *QUaſi rivi aquarum*] Sicut rivi ex magnâ collectione aquarum diriguntur ad diverſa loca, ità Dominus gubernat mentes Magiſtratuum; & cùm favet, inſpirat felicia conſilia; cùm ſuccenſet, finit eos in reprobum cadere ſenſum: id quod Saulis probat reprobatio.

4. *Dilatatio cordis*] h. e. Inepta lætitia quam impius quærit in rebus carnalibus. Porrò per *novale* Hebræi intelligunt cogitationem. Eſt alioquin *novale* repurgatio agri ſqualidi & ſpinis obducti; de quo Jirmeiæ 4. diximus.

5. *Seduli*] Eſt חרוץ idem quod זריז, *qui ſedulus & ſtrenuus eſt in rebus gerendis*: & tali nihil poterit deeſſe, ſed omnia neceſſaria vitæ affatim illi ſuppetunt. Qui verò præceps eſt & omnia ſine ratione agit, hic in perpetua vivit egeſtate.

6. *Futile eſt*] Heb. נדף, i. e. *res nihili*, & ſicut ſtipula quæ rapitur & impellitur à vento. Bona enim fraude acquiſita plerumque evaneſcunt, & propter ea dominis eorum plurimi ad mortem uſque inſidiantur.

8. *Aliena via*] h. e. Converſatio viri perverſi aliena eſt à mandatis Dei, &c.

12. *Prudenter advertit*] Advertit, inquit, homo juſtus diligenter quid tandem malis hominibus ſit eventurum, quomodo Deus eos ſubvertit, & gloriam eorum in nihilum redigit. Alii ſic exponunt, *Propter juſtum impii ſæpe proſperantur: ſed quia non hinc emendantur, ſubvertet eos in malo.*

16. *Mortuorum*] Vocantur *mortui* רפאים, quod *minimè curari poſſunt*; aut ſecundùm alios, quòd *deſtituti ſint omnibus viribus*: ſignificat enim רפה *diſſolutum eſſe.*

17. *Qui amat gaudium*] Senſus eſt, Qui ſectatur concupiſcentias carnis, & vacat vino atque delicatis cibis, hic nunquam diteſcet.

20. *Oleum*] i. e. Bonorum abundantia eſt in domibus ſapientum: ſtulti autem devorant etiam theſauros à majoribus pro hæreditate relictos.

22. *Sapiens aſcendit*] Sapientia, inquit, in bellis præſtantior eſt fortitudine.

25. *Cupiditas otioſi*] Æſtuant otioſi homines cupiditatibus, & tamen refugiunt operari manibus ſuis; ut conſequantur ea quæ deſiderant: atque ità moriuntur in deſideriis ſuis, quibus ſatisfacere nequiverunt.

27. *Pravâ mente*] h. e. Malâ conſcientiâ: ut ſi de præda faciat victimam.

28. *Conſtanter*] h. e. In perpetuum non vacillabit in verbis ſuis.

VATABLUS.

1. *VUlt, inclinat illud* יחפוץ יטנו] Fut. Heb. pro præſ. Vertere potes, *quocunque volet, deflectet illud.*

2. *Omnis via*, &c. כל דרך וגו'] Hebraïſmum quidam vertunt, *Cuique viro ſua via recta videtur:* ¶ *Ponderat autem* ותכן] *Expendit autem, examinat, concinnat, diſponit.*

3. *Magis eſt electum* נבחר] *Gratius eſt.*

4. *Et latitudo cordis* ורחב לב] *Et dilatatio animi.* ¶ *Lucerna*, &c. נר רשעים חטאת] *Aratio impiorum, peccatum. Arationem* vocat cogitationes cordis. Alii pro *opere* accipiunt, vertentes, *eſt opus impiorum* & hominis *peccati*, i. e. peccatorum.

5. *Profectò* tendunt *ad abundantiam* אך למותר] *Duntaxat ad copiam.* Alii, *tantùm excellentiam* pariunt.

6. *Congregatio* פועל] *Opus.* Alii, *Parare theſauros*, &c. ¶ *Quæ propulſatur*, &c. נדף מבקשי מות] Et res *quæ propelli ſoles, tendentia ad mortem*, i. e. res nihili quæ propelli ſolent à vento, quæ tendunt ad mortem.

7. *Renuunt* מאנו] Præt. Heb. pro præſ.

8. *Viri* איש] *Cujuſque.* Hebræi ſubaudiunt *impii*: quod & finis verſûs indicare videtur, *Mundi autem.* ¶ *Et aliena* וזר] Sub. *à probitate.* Verti poteſt, *& extranei*, ut referatur ad *virum.*

9. *In angulo tecti* על פנת גג] i. e. Apud ſe, ſive ſolum. ¶ *Et in domo ampla* ובית חבר] *Et in domo ſocietatis*, i. e. communi. Quidam, *& in familia frequenti.*

11. *Cùm* judex *mulctat* בענש] *Cùm condemnaverit*, vel *occiderit*, ſub. *Judex.* ¶ *Simplex* פתי] Vide ſuprà cap. 1. 4. ¶ *Efficitur ſapiens* יחכם] Fut. Heb. prò præſ. *cautior evadit*, vel, *fit ſapientior.* ¶ *Et cùm inſtituunt*, &c. ובהשכיל לחכם

דעת

יקח דעת] *Et cùm prudenter agitur cum ſapiente, eruditionem accipit.* Alii, *Et cùm omnia proſperè cedunt ſapienti, accipit ſcientiam.* Gallicè dicimus, *Il prend exemple.*

12. *Conſiderat juſtus domum impii* 'משכיל צדיק לבית רשע וגו] *Prudenter advertit juſtus domum impii*, [i.e. conſiderat quis futurus ſit finis domûs impii] & videt quòd Dominus *vias impiorum pervertit.* Alii, *Sapientior redditur propter domum impii: pervertit* Deus *impios in malum*: i.e. Fit ſapiens propter familiam impii quam videt perire: quia Deus pervertit impios, ut malè pereant. Verti etiam poteſt, *Docet juſtus domum impii: at* Deus *pervertit impios in malum.* Poteſt enim משכיל eſſe tranſitivum vel intranſitivum. In iſtum ſenſum quidam vertunt, *Erudiat licet juſtus impiam domum, impii tamen ad ſcelus deflectunt.*

14. *Sedat* יכפה] Fut. Heb. pro præſ. Quidam vertunt. *Munus clandeſtinum reſtinguit iram; & munus in ſinum* receptum, *furorem vehementem.*

15. *At contritio eſt* ומחתה] *At horror, terror, pavor*: q.d. Judicium facere eſt graviſſimum iniquis: tam hoc ferunt graviter quàm ſiquis illos affligeret.

16. *Intelligentiæ* השכל] *Prudentiæ.* Verti poteſt *intelligendi.*

17. *Lætitiam* שמחה] *Epulas.* ¶ *Et pinguia* ושמן] *Et unguentum.* Sing. pro plur. i.e. Qui vino & unguentis indulget.

18. Pro *redemptione*, &c. כופר לצדיק רשע] Ad verb. *Redemptio* eſt *pro juſto impius*: q d. Subducitur periculo juſtus, & impius pro juſto ſubit periculum.

20. *Et oleum* ושמן] *Et pinguedo*, pro *pinguis*, ſive *copioſus.*

24. *Superbus arrogans*, &c. 'זד יהיר וגו] Hebraïſmus, pro *Superbi arrogantis nomen eſt deriſor*: i.e. vocari debet deriſor. Quidam vertunt, *Qui ſuperbit & inſoleſcit, hujus nomen eſt deriſor.* ¶ *Superbiæ* זדון] i.e. Superba & arroganti. Ità dicitur ira, quòd modum ſoleat tranſgredi iracundus.

25. *Interficit eum* תמיתנו] *Enecat eum*: quia nunquam fit voti compos. ¶ *Facere* quicquam לעשות] *Operari, laborare.*

26. Eſt qui, &c. 'כל היום וגו] Eſt qui *per ſingulos dies flagrat cupiditatibus*, i.e. ſemper tenetur deſiderio alicujus rei.

28. *At vir qui*, &c. 'ואיש שומע וגו] *Et vir audiens*, &c. i.e. is qui teſtatur tantùm ea quæ audivit, non peribit. *Loqui* pro *ſervari & non perire*: ut Heb. 11.4. *Defunctus adhuc per hanc loquitur.* Quidam vertunt, *Vir autem* juſtus, *quod audivit, conſtanter loquitur*: i.e. in perpetuum non vacillabit in verbis ſuis.

29. *Roborat* העז] Præt. Heb. pro præſ. *Obfirmat*, vel *Obfirmare ſolet*: nè ſcilicet pudore ſuffundatur: q.d. pertinaciter hæret ſuæ iniquitati.

31. *Paratus eſt* מוכן] *Paratur*: ſive *parari ſolet.*

CASTALIO.

1. A*Qua unda animus Regis eſt in manu Jovæ; eum quocunque libet inclinat*] Violenta eſt res Regis animus, & uni Jovæ moderabilis.

4. *Supercilium animique faſtus ſunt impiorum luminis piaculum*] Vitæ lethalia. Lego autem *Ner* cum Græcis & Latino, non *Nir.*

7. *Impios ſuum terret periculum*] Metuunt pœnas.

11. *Dum mulctatur ſcurra, ſapit incautus; & ſapientis ſucceſſu ſcientiam comparat*] Et malorum pœnis & bonorum felicitate docentur rudes.

12. *Moderatus erga genus impium juſtus, impios deturbat in malum*] Dum injuriam non perſequitur, fit ut illos puniat Deus. Vide cap. 25. & contrà cap. 24.

18. *Juſtorum redemptio ſunt impii, proborum permutatio ſunt perfidi*] Boni evadent, mali punientur.

20. *Elegantes opes & unguenta ſunt in habitatione ſapientis: ea veſanus homo abligurit*] Sapiens divitias parit, ſtultus decoquit.

22. *Fortium urbem ſcandit ſapiens, tutamque munitionem dejicit*] Vires ſuperat ſapientia.

28. *Auditor homo*] Qui teſtatur quæ audivit aut vidit. ¶ *Semper loquetur*] Non interficietur.

CLARIUS.

1. S*Icut diviſiones aquarum*] Sicut rivi ex magna collectione aquarum diriguntur ad diverſa loca, ità Dominus gubernat mentes Magiſtratuum; &, cùm favet, inſpirat felicia conſilia; cùm ſuccenſet, ſinit eos in reprobum cadere ſenſum: id quod Saulis probat reprobatio.

4. *Dilatatio cordis*] h.e. Inepta lætitia quam impius quærit in rebus carnalibus.

5. *Cogitationes ſeduli*] Qui ſedulus & ſtrenuus eſt in rebus gerendis, huic nihil poterit deeſſe: qui verò præceps eſt & omnia ſine ratione agit hic in perpetua vivet egeſtate.

9. *In domo communi*] In aliorum videlicet ſocietate ac conventu.

11. *Et, ſi ſectatur ſapientem*] Vel, *& cùm videt proſperè agere ſapientem, ſuſcipit ſcientiam.*

12. *Cogitat prudenter*] Advertit, inquit, homo juſtus diligenter quid tandem malis hominibus ſit eventurum, quomodo Deus eos ſubvertit, & gloriam eorum ad nihilum redigit.

18. *Pro juſto*] Vel, *pro redemptione juſti*; contrà ſcilicet atque hic fit, cùm juſti pro impiis pœnas luunt, tunc videbuntur redimi juſti pœnà impiorum, è quorum poteſtate eripientur pii, illis damnatis.

20. *Oleum in habitaculo juſti*] h.e. Bonorum abundantia eſt in domibus ſapientum: ſtulti autem devorant etiam theſauros à majoribus relictos.

22. *Civitatem fortium*] Sapientia in bellis præſtantior eſt fortitudine.

25. *Deſideria occidunt pigrum*] Æſtuant otioſi homines cupiditatibus, & tamen refugiunt operari manibus ſuis, ut ea conſequantur quæ deſiderant; atque ità moriuntur in deſideriis ſuis, quibus ſatisfacere nequiverunt.

28. *Conſtanter loquitur*] h.e. nunquam vacillabit labiis ſuis.

R. BAYNUS.

1. S*Icut diviſiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud*] Rectè ſupplevit Interpres adverbium Similitudinis, *Sicut diviſiones*, ſupple *ſunt in manu & penes agricolam*, qui pro ſuo commodo poteſt huc vel illuc aquam derivare, præſertim quibuſdam regionibus, ubi ex more illud fieri ſolet; *ità cor Regis* & voluntatem ſive conſilium ſolet *Deus inclinare pro ſua voluntate*, vel in bonum ſubditorum, vel in malum & pœnam, hoc exigentibus populi peccatis. Nam, ut alibi ſcriptum eſt, *Per me Reges regnant* c. 8. &, *Propter peccata populi facit hypocritam regnare*, Job. 34. Quòd ſi *cor Regis ſit in manu Domini*, quod maximè liberum videtur, quanto magis reliquæ vires & apparatus bellicus quamlibet ingens? quantò magis alii privati homines? ut referatur verſiculus ad præcedentia, *qui inveſtigat omnia ſecreta ventris.* Aliter, *Sicut diviſiones aquarum*, ſc. *ſunt in manu Domini*, qui præcepit dicens, *Fiat firmamentum, & dividat aquas ab aquis*, Gen. 1. *qui diviſit mare Rubrum in diviſiones*, Pſal. 136. *qui pluit ſuper juſtos & injuſtos*, Matth. 7. & Judæis tranſeuntibus Jordanis fluenta ſubſiſtere fecit, eâdem facilitate corda Regum moderabitur. Poſſunt hæc ad myſterium Baptiſmatis referri, ut intelligamus, Sicut Miniſtri eſt *aquam dividere* immergendo corpora, ità eſt Dei *corda* ſanctificare Chriſtianorum, qui ſunt *populus acquiſitionis & regale ſacerdotium.*

2, 3. *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus. Facere miſericodiam & judicium magis placet Domino, quàm victima*] Hoc verſiculo jam crebrò ignorantiam & ſuperbiam humanam reprehendit Sapiens, quæ tota à Deo pendere recuſat, ſuperiùs cap. 4, & 16. *Eſt via quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducit ad mortem.* Sibiipſis ferè blandiuntur homines, & libenter patrocinantur ſuis etiam vitiis, in quibus dum ſeſe oblectant ad mortem perveniunt. Cæterùm qui vias ſuas relinquunt, etiamſi *videantur recta in oculis ſuis*, & Dei ſapientiæ auſcultant, *in captivitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti*, 2 Cor. 10. dirigit nutantia corda, & confirmat greſſus eorum qui incedunt, non in *via quæ illis recta videtur*, ſed *in via Domini*, quæ eſt *juſtitia & judicium.* Aliter, *Dominus ponderat* (vel *appendit*) *corda*, & magnum diſcrimen ponit inter viam & viam, & non ſolùm non probat omnem viam, h.e. actionem humanam, ſed etiam inter ea quæ ſunt bona & in Lege præcepta latiſſimum vult eſſe diſcrimen: ut ſequitur, ¶ *Facere juſtitiam & judicium*] q.d. Quamvis *hoſtiæ* & *ſacrificia* præcepta & deſcripta in Lege videantur propiùs ad Dei honorem ſpectare quàm alia quæ homo in homines exercet, tamen is eſt Dei Opt. Max. amor in hominem, ut illa ſint apud eum opera ſanctiſſima quæ hominibus maximè proſunt: Cujuſmodi ſunt *juſtitia*, in eo ſenſu quo ſuperiùs expoſuimus (*Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*, Matth. 6.) *& judicium*; quæ tantò ſunt Deo gratiora quantò illius bonitatem propiùs exprimant. Operam dare ut inopum neceſſitati ſuccurratur; & ut nemo patiatur injuriam, nemo

inferat

inſerat citra pœnam condignam, Dei præſentiam inter homines quodammodo repræſentat. Aliter, Multæ viæ ſunt hominum, h. e. magna religionis varietas, & Divini cultûs diverſiſſimi ritus, quibus ad Deum tendere humana conatur ignorantia; ſed *Dominus*, qui *corda ponderat*, unam ſolam approbat fidem: quam olim Judæi variis hoſtiis & ſacrificiis celebrabant, quæ pro tempore Legis fuit *electiſſima via homini*; verùm *Dominus*, qui *corda perpendit*, aliam nunc præfert viam, quam *juſtitiâ & judicio* frequentant Chriſtiani, juxta illud, *Diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, Matth. 9.

4. *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis: lucerna impiorum, peccatum.* Alii ſic vertunt, *Novale impiorum, peccatum.* Aliter, *Aratio impiorum, peccatum*] Vox נר ambigua eſt: *lucernam* ſignificat, *novale*, vel *arationem*: & hunc ſenſum ſequuntur Hebræi plerique omnes. *Exaltatio oculorum* elationem mentis ſignificat & arrogantiam, cùm quis ſibi placet, ſuæ ſapientiæ multum tribuat. *Cordis dilatatio* deſideria & concupiſcentias ſignificat: alioqui in bonam partem, latitudinem amoris & charitatis inexplebilem affectum, juxta illud 2 Cor. 6. *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii; cor noſtrum dilatatum eſt: non anguſtiamini in nobis.* Senſus tandem verſiculi ex præcedente pendet, oſtendens qui ſint quibus *ſua via videntur recta*, h. e. qui ſibi placent in ſuis vitiis potiſſimùm, videlicet quibus ſunt *oculi ſublimes*, & quibus *cor amplum & latum* & variis deſideriis obnoxium. Horum via eſt *peccatum*. ¶ *Aratio impiorum*, h. e. ſtudium & cogitatio, *eſt peccatum.* Aliter, *Elatio oculorum eſt peccatum, & dilatatio cordis eſt peccatum*, non *via recta*, ut pluribus videtur: *imò eſt novale impiorum.* Metaphora tracta ab agricultura, vita omnium laborioſiſſima. *Arandi* laboribus *peccandi* conſuetudinem confert Sapiens, nè quis cauſetur difficultatem virtutis & facilitatem peccandi. Aliter juxta aliam verſionem, nempe *lucerna impiorum*, quam ſequitur Chaldæus, *Impii*, qui non habent *lucernam Domini*, h. e. *ſpiraculum* illud cœleſtis gratiæ de quo nuper diſſeruimus, quod *Deus ſufflavit in Adamum*, Gen. 1. & Chriſtus in Diſcipulos Joh. 20. dicens, *Accipite Spiritum Sanctum* (de qua *lucerna* dictum eſt nuper) ſed pro illa *lucerna* habent *elationem oculorum & dilatationem cordis*; & proinde eligunt neque *viam juſtitiæ* neque *judicii*, neque viam Divini cultûs, ſed conſuetudinem peccandi, quæ illis *recta via videtur*. Prior expoſitio eſt melior.

5. *Cogitationes robuſtorum, ſemper in abundantiam: omnis autem piger in egeſtate eſt.* Heb. *Cogitationes ſtrenui ad abundantiam; & omnis feſtinus* (vel *præceps*) *ad inopiam*] Vel *defectum*. Hic verſiculus explicat quodammodo præcedentem juxta priorem intelligentiam, ut נר *novale* pro *cogitatione* accipiatur & *ſtudio impiorum*, quod eſt *ad peccatum*. ¶ *Cogitationes & ſtudia ſtrenui*, vel *ſoliciti*, non ad *peccatum* neque ignominiam, ſed ad *incrementum* ſive dignitatem; juxta illud, *Omni habenti dabitur, & abundabit* Luc. 19. ¶ *Et omnis feſtinus*] q. d. Solicitudo & diligentia abundantiam parit, ſive in bonis externis, ſive in bonis animæ & ſapientia. *Sed præceps*, qui intelligentiâ caret, *ad defectum* etiam: tantum abeſt ut lucretur aliquid, ut etiam jacturam faciat eorum quæ habet. Senſus hujus ſecundæ clauſulæ non eſt alienus ab eo quod lectum eſt cap. 20. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit.* Et ut ad opes acquirendas referri poſſunt *ſolicitus* & *feſtinus*, ità quoque ad ſapientiam, in qua ſolicitudo & diligentia laudatur, juxta parabolam Euangelicam Matth. 13. de *homine quærente bonas margaritas, & inventâ unâ pretioſâ, dedit omnia, & comparavit eam. Præceps & feſtinus eſt* qui nec ætate, nec prudentiâ maturus docere feſtinat antequam diſcat, qui ad ſeculi Magiſtratus, vel gradus & dignitates Eccleſiaſticas properat, quas pro dignitate obire nequit, non ad honorem, quem aſſequuntur ii qui *cum ſolicitudine*, ut inquit Paulus Rom. 12. *præſunt*, ſed *ad defectum* non ſolùm honoris, quod præmium virtutis eſt apud homines, pervenit, ſed *defectum* quoque gratiæ & meriti, quæ Deus largitur his qui laborant in vinea Domini, his verò qui cum ſolicitudine negotiantur in pecunia Domini, dicentes, *Ecce mna tua decem mnas acquiſivit*, reſpondebitur, *Et tu eſto ſuper decem civitates*, Luc. 19.

6, 7, 8. *Qui congregat theſauros linguâ mendacii, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.* LXX. ſecutus eſt D. Hieronymus, qui ſic habent, Ὁ ἐνεργῶν θησαυρίσματα γλώσσῃ ψευδεῖ, μάταια διώκει ἐπὶ παγίδας θανάτου. Heb. *Opus* (vel *congregatio*) *theſaurorum linguâ mendacii, vanitas impulſa quærentium mortem. Rapina impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.* Heb. *Rapina impiorum manebit cum illis, quia renuerunt facere judicium. Perverſa via viri aliena eſt à Deo: qui autem mundus eſt, rectum opus ejus.* Heb. *Everſa via viri impii & alieni: mundi autem rectum eſt opus*] Per honeſta ſtudia & legitima, per diligentiam, non per præcipitantiam perveniendum eſt ad incrementum ſive opum ſive honorum, præſertim non *linguâ mendacii*, h. e. perferendo falſum teſtimonium, ſive quacunque fraude: nam tales opes non poterunt ſervari neque recondi; ſunt enim velut res aliqua vana, velut ſtipula quæ vento impellitur, in qua nullus eſt fructûs. Qui hoc facit, *vanus & excors eſt*, vel, ut eſt in Hebræo; *vanitas projecta quærentium mortem.* h. e. Qui hujuſmodi colligunt theſauros, ludunt operam, fructum ex illis non referunt: imò qui mendaciis quærunt diteſcere, *mortem ſibi quærunt*, vel quòd falſus teſtis legem tallionis debeat ſuſtinere, vel quòd hi qui injuſtè diteſcunt æternam mortem promerentur. Duo maxima incommoda & mala ex theſauris malè per mendacium acquiſitis, primum, quòd facilè *evaneſcant*, ſecundum, quòd *mortem* afferant. *Theſauri per linguam mendacii collecti* ſunt quibuſdam ex Hebræis ſapientia ſecularis, quæ fidei Scripturarum adverſatur, & proinde multa mentitur. Nos verò non ſolùm Philoſophorum mendacia ſed & hæreticorum technas per hujuſmodi *theſauros* intelligimus, quibus ſibi majorem in modum placent, & in ſcientia divites eſſe videntur, cùm revera pauperes ſint, ut qui ſe divites & doctos in erroribus exiſtimant. ¶ *Rapina impiorum manet eos*] Alii, *Rapinam impiorum adducet Dominus ſuper eos.* De opibus per fraudem & mendacium collectis dictum eſt; nunc de illis quæ vi & rapinâ acquiruntur, ab his videlicet qui *judicium & æquitatem facere recuſant.* משפט *judicium, morem, conſuetudinem* nonnunquam ſignificat; ut ſit ſenſus, Qui conſuetâ vivendi normâ relictâ rapinis & oppreſſionibus vivere malunt, aliquando pœnas luent à Domino, qui reducet rapinas in eos. Alii ſic exponunt, *Rapina eorum conteret eos.* Meliùs, *Rapina eorum habitabit*, vel *peregrinabitur, cum illis*; juxta illud Apoc. 14. *Opera eorum ſequuntur eos*: ut reſpondeat ad ſuperiorem clauſulam. q. d. Malè acquiſitæ opes non manebunt, ſed *rapina manebit* & ad judicium veniet: *quia noluerunt facere judicium*; ad judicium adducentur. ¶ *Perverſa eſt via viri, & aliena*] Interpres ſupplevit *à Deo*. Alii ſubaudiunt ad hunc modum, *Perverſa eſt via viri impii, & alieni viri*, ſup. *à Deo*. Tertia expoſitio eſt hujuſmodi, *Perverſi hominis via, aliquando eſt viri, aliquando eſt aliena ab homine.* q. d. Vir perverſus eſt ſibiipſi diſſimilis; juxta illud, *Vir duplex animo eſt inconſtans in omnibus viis ſuis*, Jac. 1. *ſed viri mundi opus eſt rectum*, non inverſum. Ambiguitas Hebræi ſermonis parit hanc ambiguitatem & multitudinem ſenſuum; quorum poſtremus optimus eſt.

9. *Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi.* Sic Interpres. Heb. *Melius eſt habitare ſuper angulum tecti quàm cum muliere litigioſa in domo ſocietatis*] Senſus hujus verſiculi non eſt multùm diverſus ab eo quod ſcriptum eſt cap. 19. *Tecta jugiter perſtillantia, litigioſa mulier.* Nam utroque loco docet Sapiens, In familia nullum majus incommodum eſſe poſſe quàm uxorem parùm morigeram habere. *Super angulum tecti*, ſive *pinnaculum*, nihil aliud eſt quàm *ſub dio*, & erit ſenſus, Satius eſt carere uxore & tecto quàm capaces habere ædes, quæ nobis & aliis ſufficiunt, cum uxore rixoſa. Interim inſtruit filium Sapiens, non ducendam uxorem malam, etiam ſi cum ea ſit habiturus quamlibet pulcras ædes & fundos. Juxta ſenſum myſticum *mulier litigioſa* eſt eccleſia malignantium ſive hæreticorum, quæ contentionum & rixarum nullum modum neque finem facit; cum qua eiſdem habitare manſionibus atque domatibus nullo modo debemus, ſed potiùs, *tanquam paſſer ſolitarius, in tecto. Super tectum manere eſt carnem domare*, inquit Auguſtinus. Omnia potiùs relinquenda docet quàm cum tali muliere conſentiendum.

10. *Anima impii deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo.* Aliter, *Non erit gratus in oculis ejus amicus illius*: vel, *Non inveniet gratiam in oculis illius amicus ejus*] נפש ferè pro *anima ſenſitiva* capitur & *concupiſcentia*, quæ in bonis magna ex parte ſopita eſt, in malis hominibus vehementer viget, & ad malum continuò inſtigat & impellit. Sic enim interpretamur, *deſiderat malum*, ſtudet malum facere. Et cùm beneficiis non maleficiis concilientur amici, mirum eſſe non debet ſi parùm gratus habeatur aut aptus ad amicitiam qui malum facere gaudet. Nam qui totus ſuam libidinem ſequitur, qui malum quod anima illius concupiſcit perficere mavult quàm amico obtemperare, quàm conſilium bonum audire, *gratiam in oculis alterius non inveniet*, vel *gratiam non inibit*. Amicus verò ille apud quem gratiam inire debet, eſt ille qui ad ſuos dixit, *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcepi vobis*, Joh. 15. Huic amico placere non poteſt *anima deſiderans malum*, ſed quæ dicit ad Sponſum, *In nocte quæſivi quem diligit anima mea*, Cant. 3.

11. *Multato peſtilente ſapientior erit parvulus: & ſi ſectetur ſapientem, ſumet ſcientiam.* Heb. *Dum punitur deriſor, ſapientiam capiet imperitus; & cùm dederis intelligentiam ſapienti, accipiet*

cipiet ſcientiam] Sunt qui caſtigatione indigent, & ſunt quibus aliorum exempla ſufficiunt quò à malis cohibeantur. Similiter ad virtutis ſtudium, ſunt qui præceptoribus egent, & ſunt qui ſuopte ingenio aliorum facilè ſequuntur exempla. *Deriſor*, quem Hieronymus Lxx. ſecutus vertit *peſtilentem*, is eſt qui leges, ſeu Dei ſeu civiles, deridet & contemnit, & omnia ſibi licere putat. Hunc caſtigare oportet, non ſuâ ſolùm causâ, ſed etiam imperitorum, qui malo exemplo ad malum facilè declinant: Cæterùm cùm viderint *deriſores*, qui ſummâ licentiâ peccare ſolebant, *pœnas dare*, à malefaciendo diſcunt abſtinere: quæ cœleſtis Philoſophiæ prima pars eſt, *Declina à malo*. Quàm ſit in repub. neceſſarium malos ſubinde dare pœnas, hinc videre licet. Gentilis populus vehementer imperitus & ſimplex, *qui dixit lapidi, Pater meus es*, Jer. 2. *ſapere* incepit egregiè poſteaquam viderit *peſtilentes* Judæos & *deriſores* Domini Servatoris meritas *dare pœnas*, & cùm ab Apoſtolis *intellectum* ſive *prudentiam* accepiſſet, cognoſcendi Deum videlicet, in Scripturarum *ſcientia* vehementer profecit & doctus evaſit. Quod ad contextum ſpectat, poteſt eſſe duplex ſenſus; *Cum quis intelligentiam dederit ſapienti, ſcientiam etiam accipiet*: vel, *Cum uni ex ſapientibus dederis intellectum, alius illius exemplo etiam ſcientiam accipiet*. Prior intelligentia eſt melior. Sunt qui ſequuntur aliam hujus verbi השכיל ſignificationem, nempe *proſperè agere*: & erit ſenſus verſiculi, *Imperitos ſapere*, ut dictum eſt, *cum per Judices deriſorem pœnas dare vident: Sapientes verò, cùm omnia ex animi ſententia contingere vident ſibi, diſcunt ſcientiam*, h.e. Dei benignitatem agnoſcunt, ſcientes ſe de manu Dei omnia ſive bona ſive mala, h.e. proſpera vel adverſa, ſuſcipere.

12. *Excogitat juſtus de domo impii, ut detrahat impios à malo.* Heb. *Diligenter conſiderat juſtus de domo & familia impii, pervertit impios ad malum*] Senſus hujus non eſt alienus à ſuperioribus, videlicet, Supplicia malorum multùm prodeſſe bonis, & eſſe hanc maximam cauſam quòd Deus in hac vita nonnunquam ſubvertit familias impiorum, ut *non relinquat*, juxta Phraſin Scripturæ, *mingentem ad parietem*. Ad ſenſum integrum contextûs quædam ſupplenda ſunt ad hunc modum, *Conſiderat*, (vel *Perpendit*) *juſtus cum ſumma diligentia* Ad verbum, *Facit intelligere cor ſuum* (ſup. *quid venturum ſit*) *domui & familiæ*, h.e. liberis, *impii*: & cùm diligenter conſideravit, intelligit quòd Dominus *ſubvertit impios ad malum ipſorum*, propterea quòd pœnis levioribus non corriguntur. Et hic ſenſus pendet ab eo quod præceſſit, *Cum punitur deriſor, ſapientiam capit imperitus & ſimplex*; verum impius non capit utilitatem aliquam vel ex ſua vel ex aliena caſtigatione: & proinde tandem poſt leviorem pœnam *familiam illius penitus ſubvertet Dominus in malum & ignominiam illius*. Quod cùm aliis, tùm Pharaoni uſu veniſſe legimus. Juſti enim hujuſmodi mala longè antè prævident per ſapientiam: ut non ſit minima ſapientis laus, mala ventura priùs intelligere quàm veniant. Aliter, *Juſtus qui intelligit* (vel *intellectum præbet*) *ad domum impii*, quaſi ei placerent quæ aguntur in domo improbi, *hic juſtus ſubvertit impium ad malum*, hoc eſt, corroborat impium ut malum faciat. Prior expoſitio eſt melior.

13. *Qui obturat aurem ſuam à clamore pauperis, etiam ipſe clamabit, & non exaudietur*] Ingens laus munificentiæ in pauperes & eos qui anguſtiis premuntur, utpute quorum cauſam Deus ſuam æſtimat, & benevolum ſe præbet his qui pauperes amplectuntur, rigidum verò & implacabilem his qui neceſſitatibus pauperum non ſuccurrunt. Et ſecundùm Hebræos habet duplicem ſenſum. *Qui obturat aurem ſuam.* 1. Qui audire non vult, ſed ſe ſurdaſtrum efficit, *obturat aures à clamore pauperis*, nè cum audiat. 2. Qui nullis precibus neque clamoribus ſuperatur, cùm tamen *aures plenas & obturatas quodammodo clamoribus* habeat, & nihilominus ſuſtinet, neque ad opitulandum properet: *hi clamabunt, & Dominus non exaudiet illos*. Obenignam & clementiſſimam diſpenſationem Dei Opt. Max. qui in re tam facili remiſſionem peccatorum dignatus eſt conſtituere! nempe in pecuniola aut minimo ſubſidio quod pauperibus largimur; tantam præterea curam erga pauperes & afflictos gerit, ut in eorum ſubſidio divitum ſalutem reponat. Ad illius clamorem qui dicit in Pſalmo 88. *Ego ſum pauper & dolens*, aures clauſerunt Scribæ & Phariſæi, & propterea clamabunt aliquando unà cum aliis qui miſericordiam minimè fecerunt, *Domine quando te vidimus eſurientem, & non pavimus te?* &c. Matth. 25.

14. *Munus abſconditum exſtinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.* Heb. *Munus in abſcondito teget iram, & munus in ſinu furorem robuſtum*] Eſt ſenſus geminatus variis verbis, & pendet ex præcedente verſiculo, de Miſericordia in pauperes, quæ ſi fiat juxta præſcriptum Euangelii Matth. 6. nempe, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*, & *in occulto*, non ad oſtentationem, non ad vanam gloriam, ſed *coram eo qui videt in occulto*, *iram exſtinguet* Judicis, ſive ſedabit & mutabit ſententiam illam plenam iræ & furoris in illam clementiſſimam, *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete*, Matth. 25. Aliter, de quocunque Judice intelligi poteſt muneribus corrupto & datis ſecreto. Nam palàm nullus, nè corruptiſſimus quidem, dona admittere ſuſtinet. Et erit ſenſus, *Munus abſconditum*, h. e. acceptum à Judice, in occulto receptum, *exſtinguet iras*, h.e. ſeveritatem ſententiæ quam contra reum proferre oportuerat. Sunt qui volunt ſecundam verſiculi partem per ſimilitudinem confirmare primam; *Donum ſecreto datum* pauperibus *ſedabit iram* Dei, *ſicut munus* poſitum *in ſinu* Judicis, *furorem & indignationem* legum quamlibèt *magnam & vehementem* exſtinguere ſolet.

15. *Gaudium juſto facere judicium, & pavor operantibus iniquitatem.* Aliter, *contritio operantibus iniquitatem*] Reſpondet præcedenti verſiculo duntaxat juxta poſteriorem expoſitionem, quo dictum eſt de his qui accipiunt munera & pervertunt judicium. Illi quidem Judices mali, acceptis donis & muneribus, quò judicium pervertant, diteſcunt bonis externis, ſed bonis animæ & conſcientiâ conteruntur, patiuntur damnum: Verùm loco pecuniæ ſive donorum eſt *juſto* Judici, qui corrumpi non poteſt, *lætitia & gaudium* ſpiritûs à Deo. In genere dictum intelligi poteſt de quocunque juſto, qui gaudium habet & lætitiam, non in luxu & libidine, non in divitiis aut deliciis hujus vitæ, ſed *facere judicium*, facere quod lex Dei præcepit: ut per *judicium* intelligamus reliquas partes legis Divinæ, nempe moralia & ceremonialia. In his *ſeſe oblectat juſtus*, vel *lætitia eſt juſto* videre alios *facere judicium*: q. d. Mali & corrupti Judices, acceptis muneribus, malis placent corrumpendo judicium; ſed boni Judices, dum judicium faciunt, placent bonis & juſtis hominibus, qui lætantur dum judicium fieri vident, & dolore afficiuntur cùm iniquitatem fieri intelligant. Mihi maximè placet ut ad gaudium conſcientiæ referatur ſenſus, & ad mercedem eleëmoſynæ, quæ præterquam quòd placat iram & exſtinguit furorem Judicis, affert præterea miram conſcientiæ lætitiam, & *pacem quæ ſuperat omnem ſenſum*, Phil. 4. Cæterùm hos qui *faciunt iniquitatem*, nec *eleemoſyna rediment peccata*, manet non ſolùm *ira* Judicis & *fortis furor*, ſed etiam *contritio* & *pavor* conſcientiæ, juxta illud, Eſa. 66. *Vermis eorum non moritur*.

16. *Vir qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.* Heb. *Homo qui errat à via intellectûs, in cœtu mortuorum requieſcet*] *Via intellectûs* eſt ſapientiæ via & legis Divinæ, quæ rationi & intelligentiæ quadrat, vel potiùs quæ perficit intellectum humanum. Nam nulla via, h. e. doctrina, humanitus tradita, perficit intellectum humanum, neque Angelicum: Sola illa quæ eſt de Deo ſummo bono, cujus cùm intellectus humanus ſit capax, ut qui ſolus intellectum replet & ſaturat, idcirco via & ſcientia de Deo *via intellectûs* dicitur. Vel *via intellectûs* eſt vita homine rationali & creaturâ intellectuali digna, ut diſtinguatur contra viam brutorum, *viam carnis*, *viam mundi*, qui *in maligno poſitus eſt*, 1 Joh. 5. *Quicunque* igitur *erraverit ab* alterutra iſtarum *viarum*, non cum hominibus, ſed *cum gigantibus habitabit*, vel *cum mortuis erit quies ejus*, & non erit particeps *lætitiæ* quæ eſt *juſtorum*, ſed *contritionis* & *pavoris eorum qui operantur iniquitates*: nihil enim horribilius quàm *cum mortuis manere*. Hâc clauſulâ minatur ſupplicium æternæ mortis his qui *operantur iniquitatem*, quæ illos manet ultra *contritionem* & *timorem* conſcientiæ.

17. *Qui diligit epulas, in egeſtate erit: & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Heb. *Vir egenus* (vel *egeſtatis*) *diligens lætitiam vinum & oleum, non erit dives*] Pro *lætitia* habemus *epulas* in verſione D. Hieronymi, in LXX. *gaudium*. Et pro una clauſula in Hebræo reddidet duas Interpres noſter. Quamvis pro ambiguitate ſermonis Hebraïci poteſt diſtingui ut habet Hieronymus. Mihi magis arridet lectio illa quæ unicâ clauſulâ abſolvit ſenſum, ad hunc modum, *Vir egeſtatis, qui amat lætitiam, qui amat vinum & oleum, non ditabitur*. Per *lætitiam* temporis jacturam intelligimus, & occupationes quæ ad voluptatem, non ad utilitatem faciunt; per *vinum & oleum* convivia & compotationes, quibus qui vacant, non ſolùm nihil lucrantur, ſed plurima inſumunt: pauperes enim ſunt qui vel tempus malè collocant, jocis & rebus lætis ſeſe oblectantes, & qui epulis & conviviis gaudent. Quòd ſi per duas clauſulas cum Hieronymo legamus, erit prior, Qui non vacant honeſtis artibus, ſed nugis amœnis, in egeſtate vivunt, cùm nihil lucrentur: qui verò conviviis & compotationibus indulgent, divites eſſe non poſſunt, cùm plurima inſumant. Utrique alieni à ſapientia, quæ *lætitiam* habet, ſed in *judicio faciendo*, ut dictum eſt: & *vinum amant*, ſed illud *quod lætificat cor hominis*, & *oleum lætitiæ* quo *unctus eſt Sponſus præ participibus ſuis*, Pſal. 54. Sub ſpecie rerum terrenarum cœleſtes obumbrat Sapiens, inſinuans illum non poſſe

divitias

divitias aſſequi (de quibus Chriſtus Dominus in Euangelio, Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo*: & S. Paulus 1 Tim. 6. *Bene agere, divites fieri in bonis operibus*) qui voluptatibus indulget, qui vino inebriatur, & oleum amat quo corpus ungitur magis quàm illud quo ſaginatur animus & idoneus redditur ad luctandum contra carnem & mundum & principes ac poteſtates ejuſdem.

18. *Pro juſto dabitur impius, & pro recto iniquus.* Heb. *Pro redemptione juſti dabitur impius*] Apud Hebræos duplicem hujus expoſitionem lego. 1. Juſtus liberabitur à malis quæ contingunt hominibus, & impius pœnas luet. 2. Ex æquitate juſtitiæ omnibus hominibus, quamlibèt juſtis, debetur pœna aliqua; nam *non eſt juſtus ſuper terram qui non peccat*; ſed pœna illa remittetur juſto, & iniquus majores luet pœnas, vel quòd juſto delinquendi fuerit occaſio, vel quòd exemplum bonum juſtorum non ſit ſecutus. Alii ferè eadem, ſed manifeſtiùs, Si quando irruat aliquod magnum malum ſuper provinciam aliquam aut urbem, quod videatur omnibus imminere, tunc juſtus ſupplicio malorum redimetur quodammodo: erit enim impius pretium & redemptio, utpota quo punito ceſſabit ira Dei. Beda benè exponit juxta verſionem quam habemus, *Impius & perſecutor dabitur ad ſupplicium*, ſc. pro martyre: q. d. *Juſtus paſſus eſt temporaliter ſolùm, & ſic evaſit æternum ſupplicium, cui tradetur impius pro eo.* Alioqui, ut diximus, *pro juſto tradetur*, cùm exemplum fidei & probitatis non acceperit à juſto. Senſus eſt idem utriuſque clauſulæ.

19. *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda*] Superiùs idem ferè ſed aliâ comparatione docuit, nimirum, Quamlibèt magna ſuſtinenda incommoda, vel moleſtiſſimam vivendi rationem ſubeundam potiùs, *quàm cum muliere* parùm morigera vel *irracunda & litigioſa vivendum.* Sunt qui exponunt IRACUNDA *provocans ad iram*, ſc. per adulterium. Magnæ laudis apud antiquos patres æſtimabatur numeroſam procreare prolem, & maledictus ſterilis in Iſraël: tamen judicio Sapientis *ſatius eſt in deſerto manere*, abſque liberis, procul ab amicis, procul ab omni voluptate, ab omni lætitia, *quàm cum uxore iracunda & litigioſa habitare.* Senſus Proverbii eſt, Mores eſſe ſpectandos in uxore eligenda magìs quàm opes.

20. *Theſaurus deſiderabilis & oleum in habitaculo juſti: & imprudens homo diſſipabit illud*: vel *devorabit illum*] אוצר *theſaurus*, ut inquit Hezra, *nomen generale eſt comprehendens omnia quæcunque reconduntur, etiam quæ ad cibum ſpectant, inter quæ Oleum vel primum locum obtinet, eò quòd in Divinis ſacrificiis ſit major uſus illius.* Exponit quod ſuperiùs dictum eſt, *Qui amat vinum & oleum*; non quòd hæ res malæ ſint, vel quaſi eſſet alienum à ſapientia horum habere curam: imò iſta ſervare & recondere ſapientes ſolent, potiùs quàm alios theſauros argenti vel auri: his enim neceſſitati pauperum ſuccurrere poſſunt. Cæterùm qui *ſtultus* eſt & ſapientiâ caret, ſtatim *devorat* quicquid colligitur annonæ, ut nec ſibi nec ſuis poſſit opitulari in tempore famis. Quòd *olei* potiùs quàm aliorum fructuum mentionem facit, ſubtilem admodum rationem reddit quidam ex Rabbinis; nempe, Sapientes charius habere reconditum oleum quòd eo utantur in lucubratione dum ſapientiæ dant operam. Unde rogatus quidam *quamobrem plus ſaperet quàm vicini & ſocii*, *Quod ex oleo*, inquit, *plus lucratus ſum quàm vicini mei ex vino.* Poteſt denique prima clauſula ſic verti, *Theſaurus eſt oleum*, vel *pinguedo*, i. e. theſaurus pinguis & copioſus. Quod ad ſenſum ſpectat ſubliniorem, *Oleum* eſt charitas quâ fulget Eccleſia ſanctorum, *theſaurus amabilis* videlicet & à ſapientibus maximo opere recondendus: quem *ſtulti* homines & hujus ſeculi ſapientes minimè omnium curant, lucrum hujus mundi charitati præponentes, & eam ante omnia *devorantes.*

21. *Qui ſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam & juſtitiam & gloriam*] In Hebræo *perſequitur*; quod in bonam partem etiam alibi accipitur, & feſtinationem quandam & ſtudium ſignificat: q. d. Qui ſummo ſtudio quærit juſtitiam facere, perinde ſe habet ac ſi perſequeretur vel inſequeretur eam. ¶ *Inveniet vitam*] h. e. Diu vivet. ¶ *Juſtitiam & honorem*] Cùm *juſtitiam* fecerit, *juſtitiam* à Domino recipiet; quam ſæpe pro *miſericordia* & *eleëmoſyna* capi diximus. חסד *miſericordiam* etiam ſignificat: ut omnem penitus miſericordiam intelligamus faciendam, nempe erga eos qui merentur, & erga eos qui non merentur; Dei bonitatem imitandam, *qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*: ut צדקה *juſtitia* ad opera miſericordiæ referatur, חסד verò ad remiſſionem offenſarum. Qui verò hanc *inſequitur juſtitiam & miſericordiam theſaurum amabilem* recondit, & annonam quovis vel *oleo* vel vino diuturniorem, nempe *vitam, juſtitiam & gloriam*, virtutum præmia. *Menſuram* enim *confertam & coagitatam reddent in ſinum veſtrum*, inquit Chriſtus in Euangelio Luc. 6.

22. *Civitatem fortium aſcendit ſapiens, deſtruxitque robur fiduciæ ejus.* In Heb. pro *deſtruxit*, *detrahet*, ſive *deſcendere faciet*] Laudem ſapientiæ in omnibus rebus proſequitur Sapiens, non in re domeſtica ſolùm & in recondendis neceſſariis rebus pro familia, ſed etiam in re bellica. Plus valet ſapientia quàm robur. Nam *ſapiens* unus *aſcendit civitatem fortium* plurimorum: q. d. Multos robuſtos & validos ſuperabit vel unus ſapiens. Et quod copioſus exercitus facere non poteſt, aliquando faciet ſapiens, nempe *aſcendet civitatem*, h. e. expugnabit & vi capiet, vel potiùs civitatis dominium obtinebit & viros bellatores gubernabit: & ut ad compendium rem contrahamus, ſapientia plùs poteſt quàm fortitudo in re bellica, non ſolùm in tranquillo Reip. ſtatu: quod *diu deliberatum fuiſſe inter mortales* ſcribit Saluſtius. Per *fortitudinem* vel *robur fiduciæ* muros civitatis intelligit, aut etiam quemcunque belli apparatum & machinas: quæ omnia nonnunquam caſſa & vana redduntur prudentiâ ſapientis. Sed ut hoc in bello & expugnatione urbium aliquando uſu venit, ità ille *fortis armatus qui cuſtodit atrium*, Luc. 11. ſapientiâ Dei & gratiâ Chriſti ſemper expugnatur; *diripiuntur vaſa & arma in quibus fiduciam habet*, dum caro caſtigatur & crucifigitur mundus.

23. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam*] *Servare os* & *linguam* poſſunt ad idem referri, nempe ad loquelam & ſermonem, ex quo multa incommoda & *anguſtiæ* proveniunt, ut inquit Jacobus c. 3. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Poſſunt *os* & *lingua* ad diverſa referri, nempe *os*, ad temperantiam ſive continentiam victûs: ex crapula enim plurima proveniunt mala, comeſſationes & ebrietates, lites nonnunquam & jurgia, quibus anima vehementer affligitur, ad *anguſtias* & inopiam conſilii redigitur. Porrò ex continentia virtus ſequitur, puritas animæ; ex puritate animæ, pax & tranquillitas conſcientiæ. *Beati mundo corde; quoniam ipſi videbunt Deum*, Matth. 5. *Cuſtodia linguæ & oris* juxta ſenſum myſticum poſſunt referri ad confeſſionem fidei, & confeſſionem peccatorum, Dei laudem, proximi ædificationem. Linguâ enim & ore plurima præſtamus officia ad noſtram & aliorum ſalutem ſpectantia. Juxta priorem expoſitionem *animam* pro *vita* acceptam intelligimus; juxta ſecundam verò pro *conſcientia & interno affectu*, qui per peccata *oris & linguæ* ad miras *anguſtias* redigitur.

24. *Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam.* Heb. *Deriſor nomen ejus faciens in ira ſuperbiam*] LXX. ſic, Θρασὺς καὶ αὐθάδης καὶ ἀλαζὼν λοιμὸς καλεῖται. *Indoctus* apud D. Hieronymum *peſtilentia* vocatur apud LXX. Salomon ad inſtar hortulani, nunc virtutum plantat præcepta, nunc vitia ſapientiæ contraria evellit. *Linguam & os ſervare*, nec aperire niſi cùm opportunum & utile fuerit, magna pars ſapientiæ eſt: Ad quas verò *anguſtias* rediget ſuam *animam* qui *per ſuperbiam, arrogantiam* vel *petulantiam* os aperit & ſolvit linguam, præſens verſiculus oſtendit: incidit enim in multa vitia, nempe *ſuperbiam, arrogantiam, deriſionem*, quod ad ſermonem ſpectat; quod verò ad opera, *furorem ſuperbiæ*, h. e. iram & ſuperbiam: ut jam nihil ſit integrum in homine qui linguam non ſervat: talis enim vocatur *ſuperbus, arrogans, petulans & deriſor.* Hebræi ſic exponunt verſiculum, *Homo ſuperbus & arrogans vocari poteſt deriſor qui facit opera ſua in ira ſuperbiæ* vel vel ſic, *Superbus, arrogans & deriſor eſt nomen ejus qui facit opera ſua in furore & ſuperbia.* Et ſenſus erit, Qui omnia agit per furorem & ſuperbiam, cùm videatur honorem quærere & famam maximè, famam & celebritatem nominis non aſſequetur, imò ignominioſis nomenclaturis erit inſignitus, ſuis coloribus pictus, nominis famam amittet: q. d. Qui vult bonum nomen habere, à ſuperbia & arrogantia imprimis declinare debet, & à jactantia linguam & os, ut dictum eſt, moderari ac refrænare: nam *omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.*

25, 26. *Deſideria occidunt pigrum; noluerunt enim quicquam manus ejus operari.* Heb. *Deſiderium pigri interficiet eum, quia renuerunt manus ejus operari. Totâ die concupiſcit, & deſiderat: qui autem juſtus eſt, tribuit, & non ceſſabit.* Heb. *Totâ die concupiſcentiam concupivit: ſed juſtus dabit, & non prohibebit*] Redit ad id quod ſuperiùs dixit, *Qui perſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam*: quod in hoc loco habemus, *Deſiderium pigri interficiet eum. Deſiderium* quod habet ſive in voluptatibus ſive quibuſcunque vanis hujus mundi rebus, *interficiet eum*, vel vehementer torquebit eum, ut mori videatur; juxta loquendi modum, quo dicimus *enecatos nos eſſe* cùm magno aliquo malo torquemur. Vel revera in ſuo deſiderio morietur, neque compos erit aliquando rei quam deſiderat. ¶ *Nam renuerunt manus ejus*

facere] ſc. *Quicquam*. Vel concupiſcere non debuit piger, vel ſedulò laborare & dare operam quò poſſit ſuum complere deſiderium. ¶ *Totâ die deſideravit deſiderium*] q.d. Piger nec ſibi nec aliis prodeſt, imò ſibi maximè nocet, toto die videlicet otioſus variis deſideriis ſeipſum torquet, Qui verò ſedulò operantur & honeſto labori intendunt, vanis deſideriis non laborant. Indicat Sapiens ex pigritia & naſci deſideria inutilia & nutriri; & tamen pigrum non poſſe remedium ſuis adhibere deſideriis. ¶ *Juſtus verò tribuet*] Qui toto ſtudio perſequitur juſtitiam, non ſolùm ſibi ſufficit ſed etiam aliis, non ſolùm ſuo deſiderio ſed alieno ſatisfacit. *Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſeculum*; & tamen *non prohibebit* deſiderium ſuum. *Pigrum* opponit *juſto* Et Proverbium oſtendit, Sapientis eſſe nec carere divitiis, nec avarè retinere, ſed diſtribuere collectas.

27. *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offerunt ex ſcelere.* Heb. *Sacrificium impiorum abominatio: quantò magis ſi malâ mente* (vel *cogitatione*) *obtulerit illud*] Proverbium oſtendit, Deum non muneribus corrumpi, ut ſolent aliquando terreni Judices, de quibus ſuperius. Deus exſecratur impiorum ſacrificia quæ videntur in illius laudem oblata, etiam juxta morem quo debeant fieri, & juxta ritum quo boni ſacrificant. Non agnoſcit Dominus externas ceremonias abſque interno affectu, in his *qui offerunt ſcelerato animo*. Cæterùm ſi *ex ſcelere* vel *rapina* fuerit oblatio, *multò magis erit abominabilis*, utputa duplici ſcelere contaminata, & impietate hominis & rapinâ. זמה ſi *malam cogitationem* vertamus, ad hunc modum exponi poteſt verſiculus, *Si malâ cogitatione*, h. e. eo animo, *ſacrificet*, ut proſperum ſucceſſum in improbitate ſua habeat, vel quacunque aliâ intentione impiâ, maximè *exſecrabilis* erit ejus oblatio: quod infideles ſolent facere, nempe vovere & offerre dæmonibus, quò licentiùs in ſceleribus vivant; ut Balam & Balac volentes populo Dei maledicere, Num. 23. Quadrat Proverbium in eos qui cùm ſint ſcelere aliquo obnoxii, cujus pœnitentiâ non ducuntur, nihilominus putant per alia pietatis opera ſe poſſe iram Dei placare; hanc impiam & ſceleſtam de Deo cogitationem concipientes, quaſi peccandi licentiam concederet alicui eâ lege ut reliqua præcepta ſtudioſiùs obſervaret; contra illud, Jacob. 2. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.*

28. *Teſtis mendax peribit, vir obediens loquetur victoriam.* Heb. *Teſtis mendax*, (vel *mendacii*) *peribit*: & *vir audiens perpetuò loquetur*] Ambigua vox eſt נצח: aliquando ſignificat *victoriam*, aliquando *perpetuitatem* ſive *æternum*, aut denique *robur* & *fortitudinem*. Contra *falſos teſtes* etiam profanâ lege ſancitur jus talionis. Dignum eſt enim ut pereant qui alios voluerunt perdere; *peribunt*que humano jure fraude illorum deprehensâ, & veritate compertâ. Aliter, Deo Judice *peribunt*, quem nulla latet veritas: vel, *peribit*, & non teſtificabitur amplius: q.d. *peribit ab illo munere*. Verùm *vir* qui non teſtificabitur niſi quod *audit*, h. e. veritatem quam audivit & novit, *perpetuò loquetur*, & teſtis munere fungetur perpetuò: vel *perpetuò loquetur*, h.e. non peribit: ut *loqui* pro *vivere* capiatur. Aliter, *Vir audiens* legem Dei, & *obtemperans* illi, *in æternum loquetur* verum teſtimonium; q. d. Falſi teſtes morte puniendi ſunt, tanquam Legis tranſgreſſores. Sed de falſis teſtibus qui non quod audiverunt aut viderunt loquuntur, ſed qui ſomnia ſua & dogmata reprobata pro verbo Dei loquuntur & prædicant, ſatis ſuperque dictum eſt ſuperius.

29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum: qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam*] Heb. *Roborat vir impius vultum ſuum, ac rectus vias ſuas diriget*] Vel, *intelligit vias ſuas*, ut legunt LXX. aliquos ſequentes Hebræos, qui hoc in loco legunt יבין *intelliget*, non יכין *diriget*. A præcedente verſiculo pendet ſenſus, qui eſt hujuſmodi, *Roborat vir impius* (ſup. *verba falſa*) *vultu ſuo*, eum impudentia videlicet proferens falſum teſtimonium, & ipſo vultu affirmans falſum: vel *contra vultum ejus*, h. e. illius qui reſpondet & contradicit. *Sed juſtus* & æquus Judex facilè *intelliget vias* & mores illius. Aliter, *Qui rectus eſt*, *faciet* Judices *intelligere vias ejus*, & affert verum teſtimonium, ſatis habens rem exponere nudè, tanquam ſimplicem veritatem. Poteſt & meliùs in genere intelligi, ut ſit ſenſus declarans quàm latum fuerit diſcrimen inter *impium* & *rectum* ſive *juſtum*, quorum ille *vultum firmat*, & magnâ ſive conſtantiâ ſive impudentiâ facit malum; Hic verò *diriget vias ſuas*, ut neque deficiat à recto, nec cum oſtentatione quicquam faciat, non enim vultu aut faſtu rectitudinem ſuam præ ſe fert. Si legatur *intelliget*, erit ſenſus, *Qui rectus eſt*, *ſatis habet quod intelligat vias ſuas, abſque eo quod vultu exteriore oſtentat.* Et eſt Proverbium ſive ſententia digna Sapiente, tam paucis verbis tam profundum ſenſum cumulans.

30, 31. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli; Dominus autem ſalutem tribuit*, vel, *Domini eſt ſalus*] Poſt multa de Sapientia præclarè & prudenter excogitata, tandem veluti compendio rem omnem abſolvit & claudit, oſtendens nullam ab eo laudatam eſſe ſapientiam, præter eam, quæ Dominum agnoſcit, & ſapientes omnes ac prudentes viros Domino eſſe ſubditos, neque quicquam moliri adversùs Dominum. Aliter, *contra Dominum*, verti poteſt *coram*, vel *è regione Domini*, h. e. Si cum ſapientia Domini conferatur, *non eſt ſapientia* ulla humana, *vel prudentia*, ſed ſtultitia potiùs & amentia. Aliter, *Non eſt ſapientia*, h. e. nullus ſapientiâ ſibi proderit, *contra Dominum*: q. d. ut eripiatur de manu Domini. Quamvis *equus paretur ad bellum*, & cætera quæ ſunt neceſſaria ad victoriam & ad eripiendum nos ab hoſtibus, tamen ſervari non poſſumus niſi per Dominum. Si ſententia Domini lata eſt & decreta contra nos, nullâ ſapientiâ aut conſilio prudentium eam licebit reſcindere. Denique, *non eſt ſapientia*, h. e. non eſt ſapiens reputatus, *adverſus Dominum*: qui verò Dominum religione non colit, ſapiens non eſt æſtimandus. Infideles, Turci, Mahometici, hæretici, quamlibèt ſapientes videantur, tamen non ſunt; cùm contra Dominum ſapientiâ ſuâ pugnent. ¶ *Equus paratur ad bellum*] q. d. Neque in hominibus neque in animalibus fidendum eſt, neque ullis viribus bellicis: nam *ſalus* & victoria *à Domino* ſolo pendet. Sive igitur animi prudentia ſive vires ſunt alicui, in his fidendum non eſt, niſi in Domino: & eum Domino his utendum, non contra Dominum.

DRUSIUS

2. תֹּכֵן. Sym. Th. ἑτοιμάζει, *præparat*] i. e. כתן aut יכין. Nam יכין ſive תכן, quod eos legiſſe ſuſpicari aliquis poſſet, genere diſſidet à nomine יהוה. Eſſet enim certè יכין *præparat*, *ſtabilit*, *firmat*. Pſal. 10. 17. תכין לבם, *præparat cor eorum*. Job. 28. 27. הכין. LXX. ἑτοίμασας. Hieron. *præparavit*. Suprà 12. 19. תכון. A. Sym. Th. ἑτοιμασθήσεται. Hieron. *firmum erit*.

5. מַחְשְׁבוֹת חָרוּץ אַךְ־לְמוֹתָר וְכָל־אָץ אַךְ־לְמַחְסוֹר. Λογισμοὶ συντέμνοντες πλὴν εἰς περίσσειαν, καὶ πᾶς ἐπισπεύδάζων πλὴν εἰς ὑστέρημα, *Cogitationes concidentes tantummodo ad reſiduum*, & *omnis feſtinans duntaxat ad defectum*] Exſtat in quibuſdam libris editionis τῶν 6. Et tranſlatum eò videtur ex aliis editionibus: tamen hoc pono, non ſtatuo.

6. פֹּעַל אֹצָרוֹת בִּלְשׁוֹן שָׁקֶר הֶבֶל נִדָּף. Th. Ὁ ἐργαζόμενος θησαυρὸς ἐν γλώσσῃ ψευδεῖ ἀτμὸς φερόμενος, *Qui facit theſauros linguâ mendaci vapor eſt qui fertur.* ¶ מְבַקְשֵׁי־מָוֶת. Sym. ζητῶν θάνατον, *quærens mortem*] i.e. מבקש abſque Joth.

7. שֹׁד־רְשָׁעִים יְגוֹרֵם. A. προνομὴ ἀσεβῶν κατασπάσει, αὐτὰς, *vaſtitas impiorum detrahet eos*] Aut *direptio*. Pſ. 12. 5. שד. A. προνομή. Job. 5. 21. משד. Idem, ἀπὸ προνομῆς. Hoſ. 7. 13. שד. Sym. *interitus*. Th. *miſeria*. Hier. *vaſtatio*. Rurſum Pſal. 137. 8. השדודה. A. ἡ προνενομευμένη. Hieron. *vaſtata*. *Interitus*, i. e. ὄλεθρος ità reddunt hoc loco οἱ ἑβδομήκοντα. ¶ *Detrahet: deorſum trahet*. Hieron. *rapinæ impiorum detrahent eos*. In Lexico Chaldaïco, גרר *ad terram traho*. Significat etiam *traho* ſimpliciter, ut in adagio illo עברה גוררת עברה, *Tranſgreſſio trahit tranſgreſſionem*. Sic proverbio dicunt מצוה גוררת מצוה, *Præceptum trahit præceptum*.

9. גָּג. A. Sym. Th. δώματος, *tecti*] Hieron. retinuit vocem Græcam. Nam interpretatur, *in angulo domatis*. Idem epiſt. ad Suniam & Fretelam, Δῶμα, inquit, *in Orientalibus Provinciis ipſum dicitur quod apud Latinos* tectum. *In Palæſtina enim & in Ægypto, vel ubi ſcripti ſunt Divini libri aut interpretati, non habent in tectis culmina, ſed δώματα, quæ Romæ vel* ſolaria *vel* meniana *vocant, i. e. plana tecta quæ tranſverſis trabibus ſuſtentantur.* ¶ מֵאֵשֶׁת מִדְיָנִים וּבֵית חָבֶר. Sym. Th. ἢ μετὰ γυναικὸς μαχίμης καὶ οἴκου ἑταιρικοῦ, *quàm cum uxore pugnace & domo ſodalitia*] *Uxore*, vel *muliere*. ¶ *Pugnace: rixoſâ, litigioſâ.*

10. נֶפֶשׁ רָשָׁע אִוְּתָה־רָע לֹא־יֻחַן בְּעֵינָיו רֵעֵהוּ. Sym. Ψυχὴ ἀνόμου ἐπόθησε πονηρὸν, οὐκ ἐλεήσει ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ τὸν πλησίον αὐτοῦ, *Anima iniqui concupivit malum, non miſerebitur oculis ſuis proximi ſui*] *Non miſerebitur.* לא יוחן.

11. יֶחְכַּם־פֶּתִי. Sym. σοφισθήσεται ὁ νήπιος, *ſapiens evadet infans*] Vel *ſapiens fiet*. Deut. 32. 29. לו חכמו. A. ὄφελον ἐσοφίσθησαν, *utinam ſapuiſſent*. Cohel. 7. 16. אל תתחכם. LXX. μὴ σοφίζου, *ne eſto ſapiens*, 23. אחכמה. LXX. σοφισθήσομαι. Sym. ὑπέλαβον σοφὸς γενέσθαι. Exod. 7. 11. חכמי מצרים. LXX. σοφιστὰς Αἰγύπτου, *ſophiſtas Ægypti*, i. e. ſapientes. Olim enim qui *ſapiens* nunc dicitur, *ſophiſta* vocabatur.

12. מְסַלֵּף רְשָׁעִים לָרָע. Sym. ὑποσκελίζει ἀσεβεῖς εἰς κακὸν, *proſternit*

Digitized by Google

proſternit impios in malum] *Evertit ſupplantando.* Nam ὑποσκελίζω, *ſupplanto*, *ſubjecto crure dejicio atque everto.*

14. יְכַפֶּה־אָף. Sym. σβέσει ὀργὴν, *exſtinguet iram*] יכבה. Sic etiam Hieron. interpretatur.

15. וּמְחִתָּה לְפֹעֲלֵי אָוֶן. Sym. Th. καὶ δειλία τοῖς ἐργαζομένοις ἀνομίαν, *& pavor operantibus iniquitatem*] *Conſternatio*, *timiditas*. Prov. 10. 29. idem Sym. δειλία. ſed 18. 7. A. Sym. Th. πτῆξις, i. e. *conſternatio.*

16. רְפָאִים. A. Ῥαφαείν, *Raphaim*. Sym. θεομάχων, *theomachorum*] *Raphaim*, vel *Rapham*, i. e. Ῥαφαείμ. Hoc Ebraïſmum, illud magis Chaldaïſmum reſipit. Gloſſarius Philonis, *Rapham*, *gigantes*. Sic interpretantur hoc loco LXX. & Hieron. ¶ *Theomachorum*: cum bono Deo bellum gerentium. Suprà 9. 18. רפאים A. Sym. Ῥαφαείν, θεομάχοι. Th. γίγαντες.

17. אִישׁ מַחְסוֹר. Sym. ἐνδεήσεται ἀγαθῶν, *indigus erit bonorum.* ¶ לֹא יַעֲשִׁיר. A. Sym. Th. οὐ πλουτήσει, *non diteſcet.*

18. כֹּפֶר. A. Sym. Th. ἐξίλασμα, *expiatio*] Vel *placamen.* Exod. 13. 12. LXX. λύτρα. Alius, ἐξίλασμα. 29. 37. תכפר. Cæteri ἐξιλάσῃ. Hieron. *expiabis.* ¶ רָשָׁע. A. Sym. Th. ἀσεβής, *impius.* Alius, ἄδικος, *injuſtus.*

19. וָכָעַס. Sym. θυμώδους] Μετὰ γυναικὸς θυμώδους, *cum muliere iracunda.* Sic Hieron. Senes pro eo ediderunt ὀργίλης, quod in idem recidit.

20. יְבַלְּעֶנּוּ. Schol. καταποντίσουσιν, *præcipitabunt.* Job. 2. 3. לבלעו. A. καταποντίσαι αὐτόν. 10. 8. ותבלעני. A. Th. κατεπόντισάς με. Pſal. 55. 9. בלע. LXX. καταπόντισον. Hieron. *præcipita.* Thren. 2. 5. בלע. LXX. κατεπόντισεν. Hieron. *præcipitavit.* Rurſum Pſal. 52. 5. בלע דברי. LXX. ῥήματα καταποντισμοῦ. Cohel. 10. 12. תבלענו. LXX. καταποντίσουσιν αὐτόν. Hieron. *præcipitabunt eum.* Hic vertit *diſſipabit illud.*

21. רֹדֵף צְדָקָה. A. Sym. Th. διώκων δικαιοσύνην, *ſectans juſtitiam.*

22. עִיר גִּבֹּרִים עָלָה חָכָם. A. S. Th. πόλιν δυνατῶν ἀνέβη σοφός, *urbem potentium conſcendit ſapiens.*

24. עֹשֶׂה בְּעֶבְרַת זָדוֹן. Sym. πράσσων ἐν ὀργῇ ὑπερήφανος, *facit per iram ſuperbus*] Vel *cum ira*, i. e. animo irato. בעברה.

25. תַּאֲוַת עָצֵל תְּמִיתֶנּוּ. Sym. Th. ἐπιθυμία ὀκνηροῦ θανατώσει αὐτόν, *cupiditas pigri occidit ipſum.* Alius Interpres, καταβάλλουσιν, *dejicient.*

27. אַף כִּי־בְזִמָּה יְבִיאֶנּוּ. A. καίπερ ὅτι ἔννοια οἴσει αὐτόν] Ἔννοια. בזמה.

28. לָנֶצַח יְדַבֵּר. A. Sym. Th. εἰς νῖκος πορεύσεται, *ad victoriam ibit*] Vel *in æternum.* Sic εἰς νῖκος redditum in operibus Hieronymi. Alioqui νῖκος eſt *victoria.* Amos 1. 11. τὸ ὅρμημα αὐτοῦ ἐφύλαξεν εἰς νῖκος, נצח, quod reddunt *in ævum.* Pſal. 49. 9. לנצח. A. εἰς νῖκος. *Vivet in æternum*, i. e. ſemper, quoad vivet. Simile,

Serviet æternùm qui parvo neſciet uti.

Rurſum Pſal. 13. 1. נצח. LXX. εἰς τέλος. Alius εἰς νῖκος. Santes *in ſeculum.* Arias *æternum.* ¶ *Ibit* ילך. An ità olim legerunt? *Credat Judæus appella*; οὐκ ἔγωγε. Nunc legunt ידבר, quòd rectè LXX. λαλήσει. In lingua Chaldæorum דבר *duco.* Fortè huc reſpexerunt.

29. הֵעֵז אִישׁ רָשָׁע בְּפָנָיו. Th. Ἐκραταίωσεν ἀνὴρ ἀσεβὴς πρόσωπον αὐτοῦ, *Obſirmavit vir impius faciem ſuam.* ¶ יָכִין. A. Sym. ἑτοιμάσει, *præparabit.*

30. לְנֶגֶד יְהוָה. A. Sym. Th. κατέναντι Κυρίου, *contra Dominum.*

AMAMA.

פלני] חסר כ׳ inquit Aben. Hinc pelagus. Hinc פלג Gen. 10. 25. Filius Eberi. Eſt propriè divergium.

יטנו] Flectit. Ex. 23. *Non* תטה *jus pauperis.*

2. *Unaquaque via ſua vir rectus videtur*] בכל pro כל quia דרך eſt fœmin. Alii, *unaquaque via viri recta videtur.*

3. Docet diſcrimen judicii divini & humani. Homines proram & puppim pietatis conſtituunt in religioſa obſervatione ceræmoniarum. Deus autem officia charitatis erga proximos huic cultui præponit. Sic alibi, *Miſericordiam volo & non ſacrificium*, i. e. potius quàm. Et 1 Sam. 15. 22. *Obedire melius eſt ſacrificio: Attendere adipe arietum.*

4. Docet improborum infeliciſſimam eſſe conditionem.

נר aratio, i. e. molitio, conatus. Sic חרש arare, i. e. moliri. Sic ἀροτριᾶν apud Græcos. Hoſ. 10. נירו לכם ניר *arate vobis arationem.* Alias eſt novale.

Latitudo cordis] Id eſt, ſuperbia. Infinit. ut רום pro nomine. Alias רחב eſt latus.

Tria ſignificantur hac phraſi. 1. Lætitia. Pſ. 119. 7. Jeſ. 60. 5. *Expaveſces quidem, at poſtmodum dilatabitur cor tuum.* 2. Superbia, ut hoc loco. Ut hic, ſic Pſ. 101. Deut. 6. & 11. *Ne dilatetur cor veſtrum.* 3. Ampliſſima rerum cognitio, 1 Reg. 4. Deditque Salomoni ſapientiam, intelligentiam, ורחב לב *juxta arenam maris.*

5. חרוץ] Th. eſt decidere, definire, determinare, ſtatuere. Ita ergo dictus, qui certis quibuſdam finibus & cancellis ſingula definit & decernit, quid unoquoque loco & tempore faciendum ſibi ſit.

6. *Opus theſaurorum*] Id eſt, theſauri comportati linguâ falſâ, ſunt vanitas impulſa quærentium mortem, ſc. æternam.

Vanitas propulſa, i. e. ut res vaniſſima, ut palea, ut gluma quæ à vento propellitur.

Duorum ergo effectorum propoſitione abſterrere vult omnes bonos ab iniqua collectione divitiarum. 1. Effectus in ipſis divitiis, 2. in congerentibus, mors æterna.

7. יגרם] Diſſecabit ipſos. גרר diſſecare, diffindere, ſecare διχοτομεῖν. Metaphora traducta à crudeliſſimo ſupplicio. 1 Sam. 15. 33. וישסף *Samuel Agagum coram Domino in Galgal*, i. e. diſſecuit. Sic Dan. 3. 29. Talium exemplorum & ſuppliciorum copiam adducit Caſaub. in 2. lib. Suet. Ebr. 11. fit mentio ſecationis, *alii lapidati ſunt*, ἄλλοι δὲ ἐπρίσθησαν, ferrâ diſſecti ſunt: ut Jeſaias. Huc ſpectat illud Salvatoris Matth. 24. 51. *Veniet autem Dominus ejus ſervi, die quo non expectat, & horâ quâ non cognovit*, καὶ διχοτομήσει αὐτόν. Vulg. *dividet.* Eraſm. *diſſecabit.* Hoc tamen alii accipiunt pro ἀφορίζειν, q. d. ſeparabit, dividet eum à reliquorum conſortio. Sic Homer. Il. α. Τώγε ὡς διαστήτην ... διέτμαγον. i. e. διεχωρίσθησαν. At διχοτομεῖν, διατμήγειν & διακόπτειν & διαιρεῖν. Synonyma ſunt. Alii tamen ad tale ſupplicium alluſum putant.

Alii גרם commorabitur cum iis, יגור עמהם.

8. דרך איש זר] Sub. איש רשע & alieni à Deo & pietate. Alii, *Quiſquis viâ ſuâ volubilis eſt*, i. e. levis & inconſtans, is alienus eſt à puritate.

9. מאשת] Id eſt, משבה עם אשה. Intellige, conjugem. Nam ancilla poteſt exturbari, Liberi magiſtratui tradi Deut. 21. Non ſic uxor.

גג] Tecti. Latini ſolarium vocant, τέγος, ὑπερῷον Matth. 10. 27. vocatur δῶμα. Act. 10.

GROTIUS.

1. *Sicut diviſiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*] *Aſſyriam ſententiam* hanc vocat Themiſtius. Notant Hebræi non de communiore illa providentia, quæ ad omnes homines pertinet, hic agi, ſed de ſpecialiore illa, quâ Regum & bonorum & malorum cogitata ità dirigit, ut eis utatur ad eos quos ſibi propoſuit eventus. Vide Jirm. cap. 10. circa finem. Similitudo ab agricola ſumta, qui rivos per prata, quò vult, ducit.

25. 26. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari. Totâ die concupiſcit & deſiderat: qui autem juſtus eſt tribuet & non ceſſabit*] Cupit habere & non habet piger, quia laborare non vult. Hebræi non malè aptant eis qui ſcire volunt, nolunt autem diligentiam adhibere ad diſcendum requiſitam.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

1. *Gratia melior eſt argento*] h. e. Grata converſatio, quæ Deo & hominibus placet, eſt ſupra aurum & argentum.

2. *Sibi occurrunt*] Quidam exponunt de æquabilitate quæ fieri poſſet inter pauperem & divitem, ſi dives partem aliquam de bonis ſuis conferret pauperi. Alii ſic exponunt, Dives ſine paupere vivere non poteſt, nec pauper ſine divite, ſed alter alterius operâ eget: *occurrunt* igitur *ſibi*, h. e. mutuum ſubſidium ferunt; & ſic Dominus ordinavit, ut nullus alterum contemnat.

6. *In via ſua*] h. e. Ut Hebræi exponunt, כפי השנים *juxta capacitatem animi ſenſim inſtilla ei ſapientiam*: & quod teſta nova capit, inveterata quoque ſapiet.

8. *Virga furoris ſui*] h. e. Veniet tempus quando excidet ab illa ſævitia qua uſus eſt in ſubditos.

9. *Qui bono eſt oculo*] Per *bonum oculum* intellige benignum aſpectum erga pauperem.

11. *Et quærit gratiam labiorum*] Senſus eſt, Qui corde & ore

ore ſtudet placere Deo & bonis quibuſque viris, hujus amicitiam ambient majores quique in populo.

12. *Obſervant ſcientiam*] h. e. Cuſtodit Dominus eos qui ſtudent veræ ſapientiæ, facinoroſos autem ſubvertet.

13. *Dicit piger*] Homo ignavus & otio deditus pigritiæ ſuæ tale prætexit commentum, *Leo eſt in via*, *aut nebulones in plateis graſſantur*; *non igitur egrediar domum*, *nè incidam in periculum.*

14. *Fovea profunda*] i. e. Blanditiæ ſcortorum perducunt hominem ad extremum exitium.

20. *Multifariam*] Heb. *trifariam*: ſed capitur hic שלישים pro פעמים רבות, ſicut nos vertimus.

27. *Certè auferet*] Textus habet, *Quare auferet lectum tuum*, &c. Et eſt ſenſus, Non facilè ſpondeas pro altero, nè ſi creditor tandem à te ſolutionem quærat, & aliud nihil in domo tua inveniat, etiam lectum ſuſtollat.

29. *Virum ſtrenuum*] Capitur hîc מהיר pro זריז *viro qui ſedulus eſt in rebus agendis.*

VATABLUS.

1. E*Ligibilius eſt*, &c. 'נבחר שם וגו] *Optabilior eſt fama bona divitiis amplis.* ¶ *Gratia bona* חן טוב] *Bonus favor*, *benevolentia.*

2. *Faciens omnes ipſos* עשה כלם] Ità Hebraïcè ut vertimus, pro *Factor utriuſque eorum.*

3. *Simplices autem* ופתיים] *Imprudentes autem*, *incauti.* Vide ſuprà 1. 4. ¶ *Tranſeunt* עברו] i. e. Conjiciunt ſe in periculum, & damno afficiuntur.

4. *Propter humilitatem*, &c. 'עקב ענוה וגו] *Retributio* [vel *Merces*] *manſuetudinis*, *timor Jehovæ*: *divitiæ*, &c. i. e. Humilitas, ſive manſuetudo, & ſui abjectio parit timorem Domini. Alii, *Finis modeſtiæ*, *timor*, &c.

7. *Et ſervus erit*, &c. 'ועבד לוה וגו] Ad verb. *& ſervo mutuanti vir mutuo dans*, ſub. *dominabitur.*

8. *Iniquitatem* און] *Vanitatem.* Alii *calamitatem.* ¶ *Conſummabitur* יכלה] *Deficiet*: i. e. autoritas quâ is qui facit iniquitatem utitur cum ſævitia erga ſubditos, *deficiet*; h. e. privabitur eâ autoritate. *Virga* pro *autoritate*, more Hebraïco. Alii vertunt, *Et virga iræ ejus conſumet*, vel *perdet*, ſub. *eum.*

9. *Benignus oculus* טוב עין] *Bonus oculus*, i. e. pius, qui benignè reſpicit pauperes. ¶ *Dedit* נתן] Præt. Heb. pro præſ. *dat*, ſive *dare ſolet.*

11. *Qui diligit*, &c. 'אהב טהר לב וגו] *Amat* [ſub. *Deus*] eum qui eſt *puro corde*: propter *gratiam labiorum ſuorum ſocius ejus* eſt ut *Rex*: i. e. quod ad ſermonem ejus pertinet, tanto proſequitur amore amicum ſuum, quanto ſi Rex eſſet, quem nè verbo quidem offendere vellet. Alii, & *gratia* in *labiis ejus* eſt, *amicus ejus*, &c. Chald. *Amat Dominum*, *qui puro eſt corde*, *& fratres*: *gratia ſermonis ſui ſibi Regem conciliat.*

12. *Cuſtodiunt ſcientiam* נצרו דעת] *Obſervant ſcientiam*, ſub. *virorum bonorum*; i. e. approbat quæ à verè ſapientibus gerentur, *reprobat verò negotia* (ſive *opera*) *prævaricatorum.*

13. *Dicit* אמר] Præt. Heb. pro præſ.

14. *Is contrà*, &c. זעום יהוה] Ad verb. *iratus Jehovæ*, paſſivè.

15. *Elongare faciet eam* ירחיקנה] *Propellet eam*, *expellet*, *effugabit.*

16. *Qui vi aufert à paupere* עשק דל] *Qui opprimit pauperem.* ¶ *Ut augeat ſua* להרבות לו] Ad verb. *ut ſibi multiplicet.*

18. *Delectabile eſt* נעים] *Jucundum*, *decorum*, *conveniens. Ventrem* pro *corde* poſuit. ¶ *Dirigantur* יכנו] *Parentur*, *diſponantur.*

19. *Scire te feci* הודעתיך] *Nota feci tibi*, vel, *docui te*, ſub. *illa præcepta.* ¶ *Etiam tu* אף אתה] Sub. *ſerva ea.* Vel, *etiam ô tu qui audis.* Modus loquendi conciſus Hebræis.

20. *Ter* שלשים] *Terna*, ſub. *ſcripta*: i. e. Legem, Prophetas & Hagiographa: ut loquatur in perſona Dei. Vel de tribus libris Salomonis intelligi poteſt. Alii vertunt, *nobilia & egregia*: quia tertius à Rege שליש dicebatur: qui profectò egregius eſſe ſolet. Hic igitur Metaphoricè pro *præcipuis dogmatibus* capi putant nonnulli: ut ſuprà 8. 6. dicit, *Loquar inſignia & præcipua quædam.* Et Oſeæ 8. 12. *Præſcripſeram eis honorabilia Legis meæ*, vel *præcipua*, *& auguſta.* Alii *nudiuſtertius*, i. e. frequenter. Alii *plurifariam.* ¶ *In conſiliis*, &c. במועצות ודעת] *De conſiliis & ſcientia.* Alii ſubaudientes nonnihil, *ut diſcas conſilia & ſcientiam.*

21. *Veritatem* קשט] *Certitudinem.* ¶ *Veracium* אמת] Ad verb. *veritatis.* ¶ *Ad reſpondendum*, &c. 'להשיב וגו] *Ut referas verba veritatis his qui miſerunt te.*

22. *In porta* בשער] i. e. In loco publico ubi jura redduntur, & ubi multos habes amicos: q. d. nec vi opprimas, nec juris ſpecie.

23. *Judicabit* יריב] *Litigabit*, *aget*, *defendendam ſuſcipiet.* ¶ *Et rapiet*, &c. 'וקבע וגו] *Et vim faciet illis qui animæ eorum vim intulerunt.* Alii, *Et ſpoliabit ſpoliatores eorum*, *vitâ.*

24. *Iracundo* את בעל אף] Ad verb. *cum domino iræ*, vel, *cum habente iram*, i. e. iræ obnoxio & iracundo. ¶ *Et cum viro*, &c. 'ואת איש וגו] Ad verb. *& cum viro irarum nè venias*, ſub. *in conſuetudinem.*

25. *Et accipias*, &c. 'ולקחת וגו] Hebraïſmus, pro *nè tandem malè pereas*, *& ab aliis interficiaris.*

26. *Inter percutientes manum* בתוקעי כף] Ad verb. *ex his qui manu percutiunt.* Seipſum mox ſequentibus exponit: nam ſignificat, inter ſponſores qui manuum contactu ſolent pro aliis fidejubere. Gallicè dicimus, *Toucher en la main.* ¶ *Pro debitis* במשאות] Ad verb. *pro oneribus.* Quidam exponunt *pro cauſis oneroſis.*

27. Qui eſt *ſubter te* מתחתיך] Ad verb. *de ſub te.*

28. *Terminum antiquum* גבול עולם] *Limitem ſeculi*: i. e. qui à ſeculo, h. e. longo tempore poſitus eſt.

29. *Velocem* מהיר] *Feſtinantem*, i. e. diligentem, ſedulum, qui ſummâ diligentiâ functus ſit munere ſuo. ¶ *Coram Regibus ſtabit* לפני מלכים יתיצב] i. e. Evocabitur ad Regium miniſterium. ¶ *Obſcuris* חשכים] *Ignobilibus.*

CASTALIO.

8. S*Ævitiaque ſuæ verbere conficietur*] *Verbere*, i. e. cauſâ.

9. *Bonus oculus*] Homo liberalis & miſericors.

12. *Jova ſuis oculis ſcientiam tuetur*] Eos qui dicunt quod ſciunt, h. e. veraces.

13. *Dicit piger*, *Leo foris eſt*, *in mediis vicis interficiar*] Domi ſe præ pigritia tenet, perinde ac ſi in urbe graſſentur leones.

14. *Gurges profundus eſt os alienarum*] Scilicet *mulierum.*

16. *Qui tenuem fraudat ut abundet ipſe*, *is diviti dat*] Sibi.

22. *Tenuem nè diripe quoniam ſit tenuis*] Injuriam repellere nequeat.

27. *Nè ſi ſolvendo non ſis*, *tibi lectus tuus ſubtrahatur*] Te creditor pigneretur.

CLARIUS.

1. G*Ratia bona*] Gratia melior eſt argento, h. e. grata converſatio, quæ Deo & hominibus placet.

2. *Dives & pauper*] Quidam exponunt de æquabilitate quæ fieri poſſet inter pauperem & divitem, ſi dives partem aliquam è bonis ſuis communicaret pauperi. Alii ſic exponunt, Dives ſine paupere vivere non poteſt, nec pauper ſine divite, ſed alter alterius eget operâ. *Occurrunt* igitur *ſibi*, h. e. mutuum ſubſidium ferunt: & ſic Dominus ſtatuit, ut nemo alterum contemnat.

3. *Imperitus tranſgreſſus eſt*] Callidus prævidet malum, & abſcondit ſe: imperiti verò prævaricantur, & puniuntur.

4. *Finis modeſtiæ*] Propter modeſtiam & timorem Domini contingunt divitiæ, honor & vita.

6. *Inſtitue puerum juxta viam ſuam*] Hebræi exponunt, *Juxta capacitatem animi ſenſim inſtilla ei ſapientiam*, nam,

Quo ſemel eſt imbuta recens, *ſervabit odorem*
Teſta diu.

8. *Virga iræ ſuæ*] h. e. Veniet tempus quando excidet ab illa ſævitia quâ uſus eſt in ſubditos.

11. *Et gratiam labiorum*] Qui corde & ore ſtudet placere Deo & bonis viris omnibus, hujus amicitiam ambient majores quique in populo.

12. *Cuſtodiunt ſcientiam*] h. e. Cuſtodit Dominus eos qui ſtudent veræ ſapientiæ, facinoroſos autem ſubvertet.

13. *Dicit piger*] Homo ignavus & otio deditus, pigritiæ ſuæ prætexit commenta varia.

20. *Tripliciter*]. Hebraïſmus eſt pro *multipliciter.* Alius vertit, *Præſcripſi tibi multifariam*, *unde diſcas conſilia & ſcientiam*, *ut oſtenderem tibi certitudinem verborum veritatis*, &c.

21. *Qui miſerunt te*] Vel, *qui miſerunt ad te.*

22. *Neque conteras egenum in porta*] *In porta*, h. e. In judiciis, quæ exercebantur in portis civitatis.

27. *Ut tollat operimentum*] Nè facilè, inquit, ſpondeas pro altero, nè, ſi creditor tandem à te ſolutionem quærat, & aliud nihil in domo tua inveniat, etiam lectum tollat.

29. *Vi-*

29. *Virum velocem*] Virum ſtrenuum & ſedulum in rebus agendis.

R. BAYNUS.

1, 2. M*Elius eſt nomen bonum quàm divitiæ multæ: ſuper argentum & aurum gratia bona. Dives & pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus*] *Nomen bonum* & *gratia bona melior*, h. e. utilior, ut exponunt aliquot ex Hebræis; quòd per bonam famam plus favoris aſſequatur aliquis *quàm argento & auro*; juxta vulgi Proverbium Hebræum, teſte Ben-Gerſon, *Melior eſt amicus in aula quàm aurum in capſa.* Aliter, & meliùs, *Nomen bonum eſt potiùs eligendum quàm opes magnæ, & gratia bona eſt eligenda præ argento vel auro*; duplici de cauſa, partim quòd hæc ſunt corruptibilia & multis pereant modis, illud verò perpetuò duret; partim quòd *nomen bonum* & *gratia* niſi per virtutem & ſapientiam haberi non poteſt: ſolida, inquam, nominis fama & honor præmium eſt virtutis; *opes* vero, *aurum & argentum*, ferè præter æquum & bonum cumulantur ac ſervantur. ¶ *Dives & pauper*] Divitiarum & paupertatis largitor eſt Dominus, & mittit ac diſpenſat inter homines. Unde aliqui (juxta Hebraïſmum *occurrunt* divitiis, aliqui paupertati; ſed *bonum nomen* peculiariter *occurrit* hominibus qui virtuti ſtudent: ſic Aben-Hezra. Aliter, & meliùs, Fieri poteſt ut dives deveniat pauper, & pauper ad divitias aſcendat; in qua mutatione fortunæ videntur *occurrere* invicem, dum alter deſcendit, alter aſcendit; & tamen *utriuſque eſt factor Dominus:* q. d. Nemo æſtimandus eſt ex opibus neque ex paupertate, cùm ex his non pendeat neque fama nominis, neque gratia apud Deum aut homines: ſed hæc quæ ſunt maximè optanda comparantur per Obedientiam Creatoris & Factoris: *utriuſque operator Deus:* q. d. Dum *occurrunt invicem dives & pauper*, in habitu exteriori ingens diſcrimen inter eos videtur, & longè pluris æſtimatur unus quàm alter apud homines; & tamen uterque ad imaginem Dei factus eſt, quam ſi pauper ſervaverit integram per vitæ puritatem, apud Deum factorem non erit inferior vel *famâ nominis* vel *gratiâ* quàm dives, quantumvis alioqui ſit hic ſplendidus byſſo & purpurâ veſtitus, ille verò ſqualidus & ulceribus plenus, juxta parabolam Euangelicam, Luc. 16.

3. *Callidus vidit malum, & abſcondit ſe: innocens pertranſiit, & afflictus eſt damno.* Heb. *Et pœnis afficiuntur*] ערום *aſtutus* ferè in bonam partem capitur in hoc libello, pro *ſapiente* & *prudente*, qui mala prævidere & præcavere ſolet antequam eveniant. Verùm *ſimplices* & ſapientiæ expertes capiuntur ferè malis, imò temere tranſeunt ad loca ubi malis occurrentibus involvuntur. Aliter, & meliùs, *Qui verè ſapiens eſt* & in lege Dei verſatus, *videt* fide & Scripturarum intelligentia quanta *mala* futura ſint peccatoribus & his qui tranſgrediuntur legem Dei, *& abſcondit ſe* à peccatoribus, inter quos verſari recuſat: *Simplices* & ignari, qui non perpendunt ſatis quid venturum ſit, vel quem finem habituri ſint qui malè vivunt & tranſgrediuntur leges ſeu humanas ſeu Divinas, *tranſeunt* unà cum peccatoribus, *& puniuntur.* Tertiò, *Qui ſapiens eſt*, ſatis *novit* quanta *mala* & pericula immineant hominibus hujus mundi, *& abſcondit ſe*, declinando honores & opes ac cæteras hujus mundi vanitates: qui verò ſunt *expertes* hujus ſapientiæ, *tranſeunt* & libenter progrediuntur in mundanis illecebris; ſed hi *dabunt* aliquando *pœnas.*

4, 5. *Finis modeſtiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita.* Heb. *Merces humilitatis timor Domini*, &c. *Arma & gladii in via perverſi: cuſtos verò animæ ſuæ longè recedit ab eis.* Aliter, *Spinæ, laquei ſunt in via perverſi*, &c.] LXX. *Tribuli & laquei in viis perverſis*: conſentiunt cum Hebræa veritate. ¶ *Finis modeſtiæ*] Summa laus *humilitatis* ſive *manſuetudinis* & *modeſtiæ*: quæ ſi cum *timore Domini* jungatur, ſummum præmium habet, nempe *divitias, gloriam & vitam.* Et hæc eſt melior expoſitio, ut ſubaudiatur copula, *Merces manſuetudinis & timoris Domini. Timor Domini* veræ religionis & unius Dei cultum inſinuat. Alioqui juxta ambiguitatem ſermonis Hebraïci ut nos habemus verti poteſt, *Finis manſuetudinis eſt timor Domini.* q. d. Humilitas remuneratur timore Domini tanquam præmio. Prior expoſitio eſt melior. *Divitiæ & gloria & vita* ſequuntur *humilitatem* & *timorem Domini.* Nam *omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* Videntur hæc verba reſpondere ad ea quæ dicta ſunt de *nomine magis eligendo quàm divitiæ*, quaſi non convenirent; ſed oportet alterum eligere. Cæterùm *manſuetus* & *timens Dominum* utrumque ſimul poſſidere poteſt, *opes, gloriam*, ſive *famam*, idque non in uno temporis momento, ſed *vitam* quoque, h. e. per longitudinem dierum. Nos non tam *opes* & *gloriam* præſentem, neque *vitam* caducam intelligimus, quam manſueti & humiles non deſiderant, ſed futuram *vitam* & *gloriam* quæ permanet, ad quam non omnes perveniunt. Sunt offendicula multa quibuſdam; juxta id quod ſequitur; ¶ *Spinæ & laquei*] Sunt ex Hebræis qui צנים *frigora* vertunt. Senſus eodem tendit, nempe, Multa impedimenta eſſe homini perverſo in via virtutis. Sunt *ſpinæ*, quas Divitias etiam autoritas Euangelica Luc. 8. interpretatur: ſunt *laquei* contriti manſuetis, *perverſis* verò veluti rete venatoris. *Diaboli* enim *laqueis detinentur ad illius voluntatem*, 2 Tim. 2. Verti poteſt, *In via perverſa*, vel *in via perverſi hominis. Cuſtos animæ elongabit ſe ab iſtis ſpinis & laqueis*, vel *ab his perverſis*, vel *viis* denique: ut fiat mutatio numeri. Chaldæus P. *laqueos* ſolùm poſuit, relicta priore dictione. Quod priùs dixit, *abſcondit ſe à malis*, hoc in loco *elongabit ſe* humilis & manſuetus, *qui cuſtodit animam ſuam*, procul ab his *ſpinis* divitiarum & *laqueis Diaboli*, quæ *demergunt homines in interitum*, 1 Tim. 6.

6. *Adoleſcens juxta viam ſuam; etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea.* Heb. *Imbue puerum juxta viam ſuam:* vel, *Initia*, aut *Doce*] Sic habet prior particula verſiculi. Conſuetudinem & educationem plurimùm valere docet, innuens ſtatim à juventute optima quæque eſſe inſtillanda pueris. Nam,

> *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem*
> *Teſta diu.*

Qualibus fuerint artibus imbuti juvenes, & qualibus diſciplinis educati, tales ferè futuri ſunt ſenes. Non quòd hoc ſemper uſu veniat; aliquot enim mutare vitam novimus: verùm Sapiens, id quod ferè ſemper uſu venit, ſpectaſſe videtur.

7, 8, 9. *Dives pauperibus imperat; & qui accipit mutuum, ſervus eſt fœnerantis*, vel *mutuum dantis. Qui ſeminat iniquitatem metet mala; & virga iræ ſuæ conſummabitur.* Heb. *Qui ſeminat iniquitatem metet iniquitatem, & virga iræ ſuæ conſummabit eum:* vel, *virgam iræ ſuæ conſummabit. Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi.* Heb. *Qui bonus* (vel *benignus*) *eſt oculo, ipſe benedicetur; nam dedit de pane ſuo pauperi*] Oſtendit hoc in loco Sapiens rectum uſum divitiarum non eſſe ut divites opprimant pauperes neque in ſervitutem redigant, juxta conſuetudinem mundi, quæ eſt ut non habeatur probitatis ratio aut virtutis, ſed divitiarum duntaxat, per quas dives habetur dignus ut ſit Princeps ac dominus pauperum: Cùm longè aliter fieri oporteret; Imperium videlicet ſapientiori non locupletiori dari: Imperium, inquam, debet obtinere qui prudentia præſtat, & Reipub. gubernacula poſſit moderari ſapienter, qui Reip. commoda quærit, non qui ſua; quod divites ſolent facere, aliquos per potentiam, alios per fœnora opprimentes & in ſervitutem redigentes: quemadmodum ſequitur, ¶ *Et ſervus eſt mutuum accipiens ei qui mutuum dat*] Cùm ab eo pendeat ſic obæratus & obnoxius ac ſi eſſet in ſervitutem redactus. Hi cùm numum augere ſtudent, diverſis creditoribus diſpergant ad modum *ſeminantis*, cùm tamen contra naturam numi ſit ut numum pariat, aut veluti ſemina in terram jacta multiplicetur. Et proinde fœneratores, qui undique ſuam diſſeminant iniquitatem, præmium iniquitatis aliquando metent, ſecundùm illud, *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*, Gal. 6. ¶ *Et virga iræ ſuæ conſummabitur*] Vel, *virgam exactionis*, vel *ſceptrum dominii ſui, conſummabit Deus*, & finem imponet ſervituti qua pauperes oppreſſerit, cùm mercedem iniquitatis ſuæ reddiderit ei. Qui verò divitias cum ſapientia poſſident, longè aliter inſumunt eas, nempe in ſubſidium pauperum. Qui videlicet non ex inani faſtu aut hypocriſi, ſed *pio & bono oculo*, ſive miſericordi in pauperes intuitu, *ſuum panem dedit*, ſuum defraudans ventrem, hic optimè collocat divitias, & *benedictionem accipiet.* Nam *diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſeculum*, Pſ. 112. Obſervandum eſt, D. Paulum ſecutum potiùs LXX. quàm vel verſionem noſtram, vel Hebræam veritatem: ſic enim legunt LXX. ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός, *Virum jucundum & datorem diligit Deus*; Paulus, *Hilarem datorem diligit Deus.*

10. *Ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ.* Heb. *Ejice deriſorem, & egredietur jurgium, & ceſſabit contentio in judicio & ignominia*] In verſione hujus vocis לץ tandem reliquit Interpres LXX. & ſecutus eſt Hebræos, vertens *deriſorem.* In pace & charitate inter homines alenda maxima pars ſapientiæ conſiſtit, ut ſuperiùs dictum eſt. Amicitia verò vel inprimis per *jurgia, contentiones* & *ignominiam* diſſolvitur: à quibus qui volunt eſſe alieni, ſermonis & colloquiorum rationem habere debent, curare nè quis vel *deriſor* vel malus Interpres verſetur inter eos. Ad Patrem familias, vel Judicem & Principem in Repub. videtur dirigere ſermonem Sapiens, inquiens, *Ejice deriſorem*, qui ſubſannando vel deridendo, aut malè aliorum dicta vel facta interpretando, *ſeminat iniquitatem*: q. d. Si non ſint malæ linguæ, non erunt *lites*, non erunt *judicia*, non erunt *ignominiæ* inter homines. Nam

dum quiſque culpam & errorem agnoſcit, & damnum quod vicino intulit inſtaurare cum humanitate quærit, dum qui læſus eſt crimen alterius non in peſſimam interpretatur partem, ſed ſe ipſum quoque hominem cogitat, pronum videlicet ad malum & fragilem, non ad *jurgia* & *lites*, non ad *contentionem* exercendam cum fratre, quò *ignominiâ* hominem afficiat, ſed ad *bonum oculum* & pium affectum convertitur, & *de pane ſuo* potius *impertiet* ei, potiùs feret opem indigenti, quàm extremæ Judicum ſententiæ vel etiam populi ignominiæ hominem exponet. Haud dubiè *deriſor* iſte procul à contubernio Eccleſiæ *expellendus* vel populus Judaïcus eſt, vel hæreticus, per quem, proh dolor! quanta *jurgia*, *lites* & *ignominiæ* inter Chriſtianos contigerunt, qui ſolent *optimo oculo* ſe invicem intueri & purum Euangelii *panem pauperibus* & infirmis in fide *diſtribuere*.

11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem*] Interpres ſupplevit præpoſitionem *propter*. Poteſt meliùs repeti verbum *amat* vel *diligit*, ſic, *Qui amat gratiam labiorum*. Sunt ex Hebræis qui ſic interpretantur, *Qui diligit homines mundos corde & eos qui gratiam ſermonis habent, habebit amicum Regem*. Prior expoſitio eſt melior. *Regem* Deum intelligunt etiam Hebræi; Qui diligit *deriſorem*, *ſeminantem diſcordias*, non eſt *amicus Regis*, qui Charitas eſt & Amor. *Qui cuſtodit labia ſua, cuſtodit cor ſuum*, ſuperius lectum eſt: meritò igitur hoc in loco *munditiam cordis* & *gratiam labiorum* requirit in his qui *Dei amici* ſunt appellandi. Unde ſcriptum eſt Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Regem perpetuo videre, in illius verſari præſentia, amoris maximum eſt argumentum. De terreno Rege, ut nunc ſunt mores, neſcio ſi poſſit hodie habere locum, in tanta Principum luxuria & libidine, in tanta adulatorum & detractorum turba, quibus aulas Regum refertas eſſe videmus. Sed non verè regnant qui cupiditatibus inſerviunt, quibus dominantur vitia, ſi Diogeni credimus, qui dixit *Alexandrum ſubditum eſſe cupiditatibus, quibus imperabat ipſe.* David, Salomon, Ezechias, & ſi quis hodie iſtis reperiatur ſimilis, *amicos* habet longe chariſſimos eos, qui gaudent habere *corda* ab omni vitiorum fœditate *pura* & linguas *gratia* & benevolentia ac caſtitate imbutas. Alioqui *munditiam cordis* ad integritatem fidei referre poſſumus, juxta illud, *Fide purificans corda*, Act. 15 & *gratiam labiorum* ad confeſſionis conſtantiam, *Ore enim confeſſio fit ad ſalutem*, Rom. 10 quibus virtutibus qui pollent *Regis* haud dubiè ſunt *amici*: imo *qui carnem domant cum vitiis & concupiſcentiis ſuis* Regis dignitatem obtinent. Sed qui verè habent & amant *puritatem cordis*, qui *gratiam labiorum* ſine fuco & adulatione, non eſt terreni Regis ubique decernere, ſed æterni Regis, unde ſequitur,

12. *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam; & ſupplantantur verba iniqui*] Heb. *Et pervertit verba prævaricatorum*] Oculi providentia Divinæ, quibus *pertingit a fine ad finem, & diſponit omnia ſuaviter*, Sap 8. His *oculis*, h. e. hac providentia, *cuſtodit ſcientiam*. Juxta Hebræos, Homines qui habent *ſcientiam* Legis & Dei, & qui didicerunt *amare munditiam cordis* magis quam corporis, horum *ſcientiam* & intelligentiam *ſervat Dominus*, ut quotidie magis ac magis fiant *amici Regis*. Cæterùm qui *prævaricantur* & tranſgrediuntur Legem, & *munditiam cordis* non *amant*, tantum abeſt ut a Deo *ſervent oculis* miſericordiæ & providentiæ ut etiam illius juſto judicio *ſubvertantur*. *Subvertit* enim *verba* quibus *prævaricationem* ſuam conantur tegere & occultare. Aliter, *Subvertit verba quibus prævaricantur in eos qui ſcientiam Dei habent*: ut ad hoſtes fidei referatur. Et inter bonos & malos Doctores diſtinguit Proverbium: Nam illorum doctrinam per providentiam conſervat in utilitatem eorum qui futuri ſunt; horum verò verba ſtatim ut dicta ſunt pervertit, cùm inter ſe non conſentiunt.

13. *Dixit piger, Leo eſt foris; in medio platearum occidendus ſum*] Non tam verbis quam factis dicunt & reſpondent pigri iis qui monent ut honeſtis occupationibus animum addicant, ut ſtudeant victum quærere, & ſapientiæ dent operam; reſpondent, inquam, dicentes, *Leo eſt foris: in medio platearum occidendus ſum.* q. d. Non auſim: ubique magna ſunt pericula. Hyperbolicam locutionem tribuit pigro, qui vel leviſſimas moleſtias ferre tantum timet, quantum ſi leoni occurreret. Somnum rumpere, inediam pati, frigus & æſtum ferre, quæ pro joco ſunt ſtudioſis, pigro mala videntur extrema & intoleranda. Poſſunt ad idem referri, *Foris eſt leo*, & *in medio platearum occidendus ſum*, vel ad diverſa: ut ſit ſenſus, *Foris in deſertis locis ſunt feræ; in vicis & plateis civitatis ſunt ſicarii & homicidæ.* Prior eſt melior interpretatio. Sive ità dicat, ſive non dicat, non refert ad ſenſum hujus loci, cùm idem faciat ac ſi diceret. Quadrat Proverbium in eos qui timore pœnæ temporalis ab exercitatione & labore ſtudioſo retrahuntur. *Leonem qui foris eſt* ad januam timent, h. e. præſentem moleſtiam ſive perſecutionem; ſed *leonem qui circuit quærens quem devoret* 1 Pet. 5. non pertimeſcunt. *Mortem* quæ *in plateis* & *præ foribus* eſt horreſcunt, ſed *eum qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam ignis* Matth. 10. non timent.

14, 15. *Fovea profunda, os alienæ; cui iratus eſt Dominus, incidet in eam.* Heb. *Fovea profunda, os alienarum: iratus Domini cadet ibi.* Si Hebraïſmo liceret uti Latinè, *cui iratus eſt Dominus, cadet ibi. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam*] Similitudinis particulam intelligunt omnes; ut ſit ſenſus, *Velut fovea profunda*, ſive *ſepulcrum*, ex quo nemo aſcendit vivus, *ſic os alienarum*, ut legunt Hebræi; h. e. *cujuſcunque alienæ*, ſup. *mulieris*; ut ſuperiùs legimus, *Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrant* cap. 6. In quàm *profundam* malorum *foveam* corruunt qui *alienarum ore* & blanditiis ſunt irretiti, vel inprimis novit Salomon, qui 3 Reg 11. *amavit mulieres alienigenas multas, & averterunt mulieres cor ejus a Domino*, ſup. *ad cultum idolorum*: alioqui ferè quotquot alienarum colloquiis & convictu gaudent, ad extrema malorum, nempe homicidia & rapinas, quæ ſunt idolorum ſervitus, perveniunt tandem ubi *iratus eſt illis Dominus*, ut Salomoni fuit, dicente Scripturâ, ibid. *Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quòd averſa eſſet mens ejus a Domino Deo Iſraël.* His verbis, *Cui iratus eſt Dominus*, innuit neminem ſtatim ad profundum malorum pervenire, neque per *os alienæ mulieris in profundam foveam* vitiorum *cadere*, niſi priùs fuerit vitiis contaminatus; ut jam juxta Theologos, peccatum poſterius videatur pœna peccati præcedentis, & peccatum peccatum trahere. Et videtur ex præcedente verſiculo ſic pendere ſenſus ut reprehenſum *pigrum*, h. e. malum, intelligamus, qui corporis mala timens viam virtutis non capeſſit; & tamen vitia animæ non timet, quæ ſunt graviſſima, & ad quæ nonnunquam pervenire ſolent qui ſunt otioſi, nempe vel ad perniciosam & inſanam libidinem, vel etiam ad dogmata erronea & opiniones à vera fide alienas. Per *os mulieris alienæ* ſectam hæreticorum aut ſynagogam Diaboli juxta ſenſum ſubliniorem intelligimus. ¶ *Stultitia colligata in corde pueri*] q. d. Deplorati & deſperati ſunt qui *in foveam* illam *ceciderunt per iram Dei*, ut qui *munditiam cordis* non *amant*, non ſunt *Regis amici* ſed inimici, & corruentes *in profundum* eripi non poſſunt. Juvenes verò qui nondum in profundum malorum pervenerunt, caſtigare oportet. Et quamvis videatur revera *ligata ſtultitia in corde juvenis* ut hinc non poſſit avelli, uſque adeò alienus eſt à ſapientia, uſque adeo proclivis eſt ad vitia, præſertim ſi ab ore & colloquiis alienæ capiatur, (nam ut *favus diſtillant labia meretricis* illæ juventuti apparent cap. 5.) tamen quamtumvis innata & *colligata* videatur *ſtultitia juveni*, ab ea facilè ſolvi poteſt & ſeparari, partim caſtigatione & *diſciplinâ*, partim ſanâ doctrina & eruditione. *Puer*, inquam, ſive *juvenis*, hactenus immunis à majoribus criminibus, poteſt ad ſanam mentem facilè perduci; poteſt illius animo ſapientia addi, *ſtultitia expelli*. Non enim naturæ vinculis, ſed vitiorum ſeminibus & proclivitate quadam ad vitia, veluti radicibus, quæ evelli poſſunt, *ligata eſt ſtultitia in corde pueri.* Proverbium monet ſtatim caſtigationem eſſe adhibendam his qui ſunt ſive ætate ſive moribus pueri, antequam adoleſcant vitia.

16. *Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit.* Heb. *Qui vi opprimit pauperem ut multiplicet ſibi* (ſup. opes,) *qui dat diviti, etiam ad defectum*, ſup. *veniet*] Hieronymus, qui vertit *calumniatur*, ſecutus eſt Lxx. qui habent ὁ συκοφαντῶν. Magna ſtultitia eſt in hominibus qui avaritiæ ſtudent, qui per fas vel nefas diteſcere cupiunt. Hic vel eum *qui a pauperibus violenter rapit* intelligimus, vel eum *qui pauperem eleemoſynâ defraudat*: quorum utrumque diteſcendi compendium videtur quibuſdam: ſed qui ſpoliis pauperum diteſcunt, legem talionis ferre permittit Deus, dum *ad defectum perveniunt*. Sunt qui aliam diteſcendi rationem ſequuntur, nempe blandiendi divitibus, dum parva quædam tribuunt ut majora recipiant, qui, ut inquit Iſocrates, πολὺ τεχνικώτερον αὐτὰ πωλοῦντες τῶν ὁμολογούντων καπηλεύειν, *multò artificioſius ea vendunt quàm hi qui ex profeſſo cauponantur.* Sed neque *augent opes*, imò *ad inopiam & defectum perveniunt.* Nam ſuperiùs dictum eſt, artem diteſcendi fore largiri pauperibus, non auferre. *Fœneratur Domino qui largitur pauperi* cap. 19. Neque ſunt munera porrigenda divitibus quatenus gratiam in eorum oculis inveniamus, ſed Domino omninum per manus inopum deferenda ſunt dona. Si juxta Hieronymum legamus, erit ſenſus, *Eos qui violenter opprimunt pauperes, cogi neceſſariò dare multa divitibus, ut illorum patrocinio defenſi licentiùs rapiant, ac opprimant tenues, qui nec viribus nec opibus ſeſe tueri poſſunt.* Juxta ſenſum Allegoricum, *Violentiâ aufert à paupere, & dat diviti*,

diviti, qui mentem ſuam & rationem virtutibus nudam, & tenuem in bonis animæ, quotidie tenuiorem reddit per luxum & voluptates; parti verò brutæ & irrationali nihil negat, quaſi pacem redimens, & ſe tutum exiſtimans ſi ſuo indulgeat genio. Hîc *ad* magnam *inopiam veniet & defectum*, & cum divite cogetur olim à Lazaro mendicare & petere ut *veniat Lazarus & intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam flammâ* voluptatis *ardentem*, Luc. 16.

RODOLPHI BAYNI

IN LIBRUM TERTIUM

PRÆFATIO.

SI cum judicio lucubrationes noſtras in hunc libellum hucuſque perlegeris, candide Lector, facilè animadvertis quantâ conati ſimus induſtriâ non ſolùm ſingulorum verſuum eruere ſenſum ac luce clariùs expandere, ſed etiam ſermonis filum contexere, verſiculos connectere, conglutinare ſententias, quæ videantur alioqui vel temere ab Autore jactatæ, vel Sibyllæ foliorum more collectæ: Verùm cùm ſint quaſi vinculis colligatæ concatenatæque, pleniorem doctrinam continent. Nos adjuti cùm Hebræâ veritate, tum commentariis Hebræorum, orationis & ſermonis ordinem ſæpenumero cernimus, qui in Latina verſione non apparet. Porrò ſi brevitatem, quam inprimis volumus ſequi, non ſumus vel per varietatem interpretationum, & ambiguitatem Hebraïci ſermonis, vel per ſenſuum obſcuritatem aſſecuti, nobis veniam facilè dabunt quotquot ſunt hujus linguæ periti, & Hebraïci ſermonis norunt proprietatem, quæ paucis explicari nequit. Et proinde accuratè debet ad contextum oculos intendere qui de noſtris laboribus judicare voluerit. Ab hoc verſiculo, nempe, ¶ *Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientum*, exordium tertii libri capere volui, quòd Salomon hoc in loco *novum loquendi genus*, ut inquit Beda, videatur *aſſumpſiſſe*. Nam ab exordio decimi capitis Sapientiæ præcepta tacitus ſecum tradens, nunc tandem viceſimo ſecundo capite ſermonem ad filium denuò dirigit, inquiens,

17,——21. *Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientum, & cor pones ad ſcientiam meam. Nam amœna eſt, cùm cuſtodieris eam. In ventre tuo dirigentur, pariter in labiis tuis. Ut ſit in Domino fiducia tua, unde & oſtendi eam tibi hodie.* (ſic Hieron.) Heb. *Ut ſit in Domino fiducia tua: notum feci tibi, etiam tu* (ſc. *obſerva.*) *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia.* Heb. *Numquid ſcripſi tibi tria* (vel *tribus vicibus*) *in conſiliis, & ſcientia? Ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis reſpondere ex his, illis qui miſerunt te.* Heb. *Ut ſcire facerem te veritatem, ad reſpondendum verba veritatis ad eos qui te mittunt*] Hos quinque verſiculos, quorum & lectio & interpretatio in noſtris cod. eſt admodum confuſa, connectit Aben-Hezra. *Fili mi*, ſupplevit Interpres ex communi loquendi modo, quo totum ſermonem ad filium ſuum dirigit Salomon, jubens ut *inclinet aurem*, h. e. libenter & ex animo auſcultet; juxta illud Luc. 8. *Qui habet aures audiendi, audiat.* ¶ *Appone cor tuum ad ſcientiam meam*] Ut diſcas *ſcientiam meam*, quæ eſt conſona *verbis ſapientum*; vel, *Inclina aurem ad verba ſapientum*, quatenus ſunt conſona huic *meæ ſapientiæ*. Prior interpretatio eſt melior. Et nè grave videatur juveni & moleſtum rebus ſeveris, cujuſmodi ſunt verba ſenum & ſapientum, indulgere, addit; ¶ *Pulcra erit tibi*, vel *amœna*, & *delectabilis* (ſup. *ſcientia quam ego doceo*) non auditoribus, ſed obſervatoribus & factoribus; *Cùm ſervaveris illa*] *Verba* videlicet *ſapientum*, ex quibus hanc *ſcientiam* ſive *doctrinam* conflavi. ¶ *In ventre tuo*] h. e. Non ore tenus, per hypocriſim, neque in opere externo ad oſtentationem, ſed in corde. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, Luc. 11. ¶ *Dirigentur pariter in labiis tuis*] q. d. Tantò magis *amœna* erunt *verba ſapientum* quantò in illis fuerit major concordia. Non eſt in hac *ſcientia* ut in placitis Philoſophorum, inter quos ſunt perpetuæ lites & pugnæ verborum, *quæſtiones interminabiles*, ut inquit Paulus 1 Tim. 6. verùm inter hæc *ſapientum verba* ſumma veritas & concordia, ut quæ dum *in labiis* recitas, eadem optimè conſonant. Aliter, *Dirigentur pariter in labiis*, ad munus docendi refertur. q. d. Non ſolùm *dirigentur pariter* ut ipſe obſerves in corde tuo, ſed etiam ut alios doceas: ut ſit futurum pro imperativo, *dirigantur pariter in labiis*, ut præmeditatus poſſis alios docere. Optimè ad memoriam & frequentem meditationem referuntur hæc verba, *dirigentur pariter ſuper labia tua.* ¶ *Ut ſit in Domino fiducia tua*] *Notam feci tibi ſcientiam meam* ut ſerves *verba ſapientum*, non ut ſapientiam aliquando aſſecutus ſapientiæ tuæ innitaris, vel in prudentia tua & intelligentia fiduciam habeas, ſed *in Domino* tantùm *ſpem & fiduciam reponas*, quantò diligentiùs *verbis ſapientum aurem inclinaveris.* Nam ut maxima ſtultitia eſt ponere carnem fragilem & mortalem *brachium & fortitudinem tuam*, ità ſumma ſapientia eſt ex Deo pendere, *in quo ſperare melius eſt quàm in principibus.* ¶ Porrò quod dicit, *Hodie oſtendi tibi.* Hebræi referunt ad illum locum cap. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde, & nè innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Nè ſis ſapiens apud temetipſum.* Hæc ſunt quæ vel *hodie* vel *hoc tempore* docuit ſuum filium Sapiens. ¶ Quod in Hebræo ſequitur, *Verumtamen tu*, vel *Etiam tu*, ſc. *audiviſti*, vel *meminiſti*, vel *obſerva.* ¶ *Ecce deſcripſi eam tripliciter*] Heb. *Numquid ſcripſi tibi tripliciter*, vel *terna*, vel *tribus vicibus?* h. e. frequenter, & non ſemel nec iterum, ſed ſæpius inculcando. Aben-Hezra ad tempus refert, i. e. *tribus diebus*, vel *nudiuſtertius.* Aliter, *numquid ſcripſi tibi tria verba*, vel *triplicia?* nempe ſevera, jucunda & perfecta; per *numerum ternarium* omnem perfectionem intelligens, quemadmodum Pythagorei, teſte Ariſtotele De Cœlo & Mundo: & erit ſenſus, כתבתי לך שלשים *ſcripſi tibi nobilia & egregia verba*, juxta phraſim linguæ Hebrææ, quâ princeps *tertius à Rege* vocatur שליש: & Metaphoricè pro *dogmatibus præcipuis*, ut ſuperiùs, cap. 8. *Loquar tibi inſignia* נגידים אדבר accipi poteſt. Sunt qui per *terna verba* Legem, Prophetas & Hagiographa intelligant: ut in perſona Dei hæc dicta intelligamus. Sunt denique qui *tres libros* Salomonis intelligant, PARABOLAS, ECCLESIASTEM, & CANTICA CANTICORUM. Beda *tripliciter* ad Cogitationes inſtruendas, ad Verba & Opera refert. Prima expoſitio maximè arridet. ¶ Sequitur, *In conſiliis & ſcientia*] Aben-Hezra ſubintelligit *libro conſiliorum & ſcientiæ*, q. d. *Notum feci tibi tripliciter*, h. e. ſummâ perfectione, *verba ſapientum in hoc libello conſiliorum & ſcientiæ.* q. d. Hic liber complectitur optima conſilia & ſcientiam legis Divinæ, *ut ſcire te faciam veritatem. Verba veritatis:* קשט *veritatem* & *perfectionem* ſignificat: & videtur exponere quod dixit ſuperiùs, *Oſtendi tibi tria*, nempe *conſilia*, *ſcientiam* & *veritatem* ſive *perfectionem*, quæ conſiſtit in verbis veritatis. Et poſſunt iſta tria ſcrupuloſiùs referri ad integritatem vitæ, ad Cognitionem Dei, ad civilem ſcientiam neceſſariam ad vivendum cum hominibus. ¶ *Ad reſpondendum verba veritatis his qui miſerunt te*] Ad publica munera obeunda. Tamen Aben-Hezra interpretatur, *ad reſpondendum his qui miſerunt te*, h. e. his qui miſerunt me ad te: *ſed melius, ego docui te verba veritatis, ut ipſe poſthac poſſis reſpondere mittentibus te*, h. e. rationem reddere delegati muneris ſive à Domino Deo, ſive à Principibus & Magiſtratibus, qui Dei funguntur munere in terris. Aliter, *ad reſpondendum his qui mittunt*, h. e. his qui mittunt ad te interrogandum de *veritate* & *verbis ſapientum.* His interjectis, quibus auditorem excitare & attentiorem facere viſus eſt, ad inſtitutum revertitur, & abſolvit ſermonem de his quæ vel inprimis ad ſapientem ſpectant, nempe ut moneat filium quò ab injuria pauperibus inferenda abſtineat. Nam quæ major poſſit eſſe ſtultitia quàm pauperes opprimere vel ſpoliare, quorum patronus Deus eſt, quorum neceſſitati ſuccurrere jubemur, ex quorum ſpoliis & illata injuria nihil lucrari poteris? Quàm inſana malitia eſt horum vaſtitate gaudere? Qua de re tractans Salomon multis verbis, uti dixi, ad auſcultandum ſuum filium excitavit, utpote de re maxima auditurum. Cæterùm de opprimendo paupere per vim, quò illius ſpoliis diteſcat, dictum eſt; qua in re nulla ſpecies juſtitiæ habetur. Qui per calumniam & judicum autoritatem tenues prædantur non minùs ſunt injuriarum rei, quemadmodum ſequitur.

22, 23. *Non facies violentiam pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta. Quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet eos qui confixerunt animam ejus*] Hebræum pro CONFIGERE *rapere* vel *perdere* habet. ¶ *Quia pauper eſt*] q. d. Non eſt æquum ut rapias vel vim inferas pauperi, quia hoc facilè poteris, cùm defenſorem non habeat. Quantò magis obnoxii ſunt injuriis pauperes, tantò crudelius eſt eos opprimere. Aliter, *Quia pauper eſt*; Cùm ab omni injuria debeas alienus eſſe, tum maximè à rapina pauperis, qui alioqui ſatis afflictus eſt eò quòd pauper ſit: cui ſi accedat etiam rapina & deprædatio fortunarum, quas habet tenues, ad ſummam miſeriam redigitur. Aliter, *Quia pauper eſt*; h. e. Quamvis pauper ſit, & facillimè poſſis hominem opprimere. ¶ *Neque conteras egenum in porta*] Duplicem ſenſum habet; vel *in porta domûs tuæ*: Cùm pauper ad fores tuas venerit petitum opem abs te, cave nè vel verbis vel factis illius animum frangas, abigens inanem, quem debes alere, & illius egeſtati ſuccurrere. Hominem fame con-

teris quem non paſcis eſurientem. Aliter, *& nè conteras in porta*, ſup. *civitatis* ubi judicia exerceri ſolent. Ut *in porta conterere* ſit in judicio opprimere ſententiâ iniquâ. Hæc eſt melior interpretatio, & his quæ ſequuntur magis quadrans. ¶ *Nam Dominus judicabit cauſam ejus*] h. e. Vindicabit injuriam pauperibus illatam: ut jam non ſolùm impium, ſed etiam ſtultum ſit contra Deum pugnare, ut ſuprà diximus. ¶ *Et configet eos qui confixerunt*] Meliùs ſecundùm Hebræos, *& rapiet rapientium eos animam*, vel *rapiet à rapientibus eos animam*; ut particula את pro מן accipiatur; & ſit ſenſus, *Deus ſumet vindictam de his qui deprædantur pauperes, & par pari referet.* Nam qui pauperibus quicquam facultatum aufert, vitam videtur auferre, cùm eos ad famem & extremam inopiam adigat: Deus ab his *animas*, hoc eſt, vitam, *auferet*, vel temporalem, quam abbreviabit, vel vitam animæ, dum ab illis recedit Deus, ſine quo vita nulla eſt.

24, 25. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo. Nè fortè diſcas ſemitas ejus, & capias ſcandalum animæ tuæ*, vel, *& ſumas laqueum animæ tuæ*] Quod in ſpecie dicitur de Ira & Furore, in genere intelligere poſſumus de ſocietate omnium malorum, quæ non poteſt eſſe ſine periculo. Qui his perturbationibus obnoxius eſt, nempe Iræ & Furori, faciliùs pertrahit in idem genus mali eos qui ſecum vivunt: & idcirco Sapiens *amicum eſſe* prohibet & *ambulare* vetat *cum homine iracundo*, vel quòd hujuſmodi non ſit aptus ad amicitiam, utpote qui leviſſima de cauſa ſoleat offendi. In Hebræo legitur בַּעַל אַף, h. e. *vir*, vel *dominus* & *poſſeſſor*, *iræ*: & ſignificat non eum qui frequenter & ſubinde iraſcitur ſolùm, ſed eum etiam qui provocat ad iram, & eum qui dignus eſt irâ, & meretur ut quis iraſcatur & iram exerceat in eum: & erit ſenſus, *Nè ſocietatem*, vel *amicitiam, jungas cum eo qui multis diſplicet, qui iram provocat Dei vel hominum.* ¶ *Nè diſcas ſemitas ejus*] Quæ ſunt alienæ à ſapientia. Ut aves laqueis capiuntur imprudentes, ſic homines dum temere vincuntur ab affectibus, incidunt in mala quibus ſeſe explicare non poſſunt. Poſſumus per *dominum iræ* ipſam effrænam Animæ portionem intelligere, quæ à Philoſophis *iraſcibilis* appellatur, cui vel obtemperare vel amicitiam jungere Mentem & Rationem prohibet Sapiens, nè ſi frequentiùs iraſci aſſueſcamus, contractâ conſuetudine iraſcendi, veluti laqueo ligata Mens ſapere deſinat.

26, 26. *Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis.* Heb. *Ne ſis inter eos qui percutiunt manus ſtipulando, & fidejubent pro debitis* (vel *oneribus.*) *Si enim non habes unde reſtituas, quid cauſæ eſt ut tollat operimentum de cubili tuo?* Heb. *Si non ſit tibi ad reddendum, quare capiet lectum tuum de ſubtus te?* Sub his verbis, quæ prudentiam quandam mundanam præ ſe ferunt, altior latet ſenſus; & ex ſuperiore ſubaudimus, *Noli eſſe ſocius* (vel *amicus*) *cum his qui ſeſe implicant ſtipulationibus in oneribus*: q. d. Qui promittunt plura quàm ſint ſolvendo, qui fidei alienæ & periculo facultates ſuas committunt. Quod tuâ causâ nemo prudens faceret, tu in aliena facere non debes, fidejubere videlicet in cauſa quæ te ad egeſtatem poſſit perducere. Videtur pendere ex præcedentibus. Jam enim prohibuit *nè quis pauperem deprædetur*: verùm hoc in loco monet nè quis ſuâ culpâ ad inopiam perveniat; quod frequenter fieri ſolet imprudentibus, qui temere, cùm tenues ſint, pro magnis oneribus & opibus ſtipulantur: unde nonnulli omnibus ſpoliati nè *lectum* quidem aut *culcitram* reliquam habent. Simul & fœneratorum & exactorum crudelitatem inſimulat, qui res vel maximè neceſſarias in ſecuritatem vel ſolutionem alieni debiti rapere & vendicare ſolent. Alioqui juſſit quoque Sapiens ſuperiùs, c. 20. *Tolle veſtimentum ejus qui fidejuſſor extitit alieni.* Undique cautum & providum vult eſſe ſuum filium, ut nè quid damni capiat alienâ fide deceptus, neque pro debitis aliorum fidejubens extrema illa patiatur quæ fidejuſſoribus ſolent evenire. Juxta ſenſum ſecretiorem, *Affigunt manum fidejubentes pro oneribus alienis & peccatis*, qui curam animarum ſuſcipiunt, & Epiſcopali munere fungi gaudent & ambiunt; qui ſi tenues ſint in doctrina & virtutum opibus, ut ſolvendo eſſe non poſſint, neque *rationem villicationis reddere*, Luc. 16. veniet tandem qui *lectum auferat*, h. e. hujus vitæ amœniſſima quæque, quibus veluti ſtrato hactenus dormiebant mali Paſtores obliti ſponſionis & fidejuſſionis ſuæ. Poteſt quadrare Proverbium in omnes eos qui aliorum curam gerunt, ſive patres, ſive rectores civitatum & provinciarum.

28, 29. *Nè tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres.* Heb. *Nè transferas terminum ſeculi, quem fecerunt patres tui. Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit, non ſtabit coram tenebroſis* vel *obſcuris*] Si abſolutè dictum intelligatur, *Nè transgrediaris terminum*, vel ad terminos & limites in agris olim poſitos, quibus ſingulorum hæreditates deſignantur, ſpectat, vel ad Legis præſcripta & majorum ſententias, quibus æquum & bonum inter homines ſtatuitur ac decernitur, quæ cùm ad amicitiam & concordiam inter homines plurimum momenti habeant, temere contemnenda non ſunt à quamlibet ſapiente. Juxta quoſdam ex Hebræis, ad eos dirigit ſermonem quorum crudelitatem in ſuperiore verſiculo notavit, *Quare lectum tuum accipiet ſubtus te?* q. d. Heus tu qui tanto rigore fœdera exigis & debita ab eo qui fidejuſſit, *terminum* & normam antiquorum *patrum noli transgredi.* Jam enim ab illis ſtatutum eſt *ne veſtem aut ſtragulum pro pignore detineas, ſed ſub veſperam ſemper reſtituas, cùm ſit in quo dormiat tenuis frater.* Exod. 22. *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddes ei: ipſum eſt ſolum quo operitur indumentum carnis ejus; non habet aliud in quo dormiat.* Denique, *terminos patrum transgredi* eſt nova dogmata excogitare, ſectas introducere, Deos alienos colere, aut ritum colendi Deum traditum à patribus immutare, ſecundùm id quod ſcribitur Deut. 13. *Si ſurrexerit in medio tui prophetes*, &c. *& dixerit, Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.* ¶ *Vidiſti virum velocem in opere*] q. d. In transferendis terminis à patribus ſtatutis non eſt laus aut aliqua pars ſapientiæ: ſed in tuis operibus laudem habebis, non in alienis ſtudiis & laboribus evertendis; quod ignavi & otioſi hominis ſignum eſt: Relictis igitur his quæ ab antiquis rectè ſtatuta ſunt integris, ad aliud quodcunque ſtudium honeſtum cum diligentia accingere. Nam qui in opere diligentiam & fidem præſtant, etiam Regibus ſunt chari: apud Reges eam ineunt gratiam ut eorum præſentiâ perpetuò fruantur. ¶ *Coram Regibus ſtare ſolent*] Non in privatis verſari familiis inter obſcuros & ignobiles. Cogita igitur quanta laus ſit & quanta virtus in tuo labore & opere ſtudioſum eſſe & ſedulum. Et haud dubiè quod Salomonis tempore, noſtro quoque locum habet: Nam quocunque ſtudio, quacunque ſcientiâ aut arte, non tam ipſa facultas commendat hominem quàm induſtria & fides ac vigilantia. Proverbium in genere dictum ad omnes ordines poteſt accommodari. Juxta proprietatem ſermonis Hebraïci poteſt & alium habere ſenſum, nempe, *ante Reges ſtatuet ſe*; q. d. *Labor omnia vincit improbus* & vel ad regiam evehit dignitatem, maximè labor qui in vineam Domini impenditur; ut ad ſpiritualem ſenſum veniamus. Si quis cum Paulo dicere poſſit, *Plùs omnibus laboravi* in Eccleſia Chriſti, ſtabit ante Reges & Principes, de quibus ſcriptum eſt, Pſalm. 45. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues Principes ſuper omnem terram*, non coram Judæis ubique obſcuris.

DRUSIUS.

1. נִבְחָר. A. Th. *ἐκλεκτὸν, eligibile*] Sic *κατάγνωςος, condemnabilis.*

3. רָאָה רָעָה וְנִסְתָּר. A. Th. *εἶδε κακίαν, καὶ ἐνεκρύβη, vidit malum, & abſcondit ſeſe*] *Malitiam*, i. e. calamitatem.

4. עֵקֶב עֲנָוָה יִרְאַת יְהוָה. S. *ὕςερον πραΰτητος φόβος Κυρίου, poſt manſuetudinem timor Domini*] Vel *poſtremum manſuetudinis*, i. e. merces. Nam merces poſtremum operis quâ ratione Ebræis עקב dicitur.

5. יִרְחַק. A. S. Th. *μακρυνθήσεται, procul recedet.*

7. וְעֶבֶד לֹוֶה לְאִישׁ מַלְוֶה. S. Th. *καὶ δοῦλος δανειζόμενος ἀνδρὶ δανείζοντι, & ſervus eſt qui mutuum accipit ei qui mutuum dat.*

8. זוֹרֵעַ עַוְלָה יִקְצָר־אָוֶן. S. *Ὁ σπείρων ἀνομίαν θερίζει ἀδικίαν, Qui ſerit iniquitatem metet injuſtitiam.* Th. *Ὁ σπείρων ἀδικίαν θερίσει ἀνομίαν, Qui ſerit injuſtitiam metet iniquitatem*] *Ἀνομίαν, vitam exlegem.* ¶ אָוֶן. A. *ἀνωφελὲς, inutile*] Amos. 1. 5. און. A. Ανωφελής. Similiter Job. 15. 35. & Hoſ. 4. 15. Vide quæ ſcripſimus ad hunc poſtremum locum

9. יְבֹרָךְ. *εὐλογηθήσεται, benedicetur*] In uno libro erat *εὐλογεῖ ὁ Θεός* quod in margine ſcripſerant editionis LXX. forſan ex alia quapiam editione: nam in cæteris cod. eſt *ἀγαπᾷ ὁ Θεὸς, amat Deus.* Vide Rom. ed. ſi vacat.

10. לֵץ. A. S. Th. *χλευαςὴν, deriſorem*] Prov. 9. 12. S. *λοιμός.* A. *χλευαςής.* Conſimiliter 14. 6. Cæterùm *deriſorem* h. l. etiam Hier. interpretatur. ¶ מָדוֹן. S. Th. *μάχη, pugna*] i. e. *Jurgium, contentio.* Suprà *γυνὴ μαχίμη, mulier contentioſa.*

11. טְהָר־לֵב. LXX. *ὁσίας καρδίας, ſancta*, vel *pia, corda.* A. Th. *καθαρὰς, munda.* S. *ἁγνὰς, caſta.* ¶ חֵן שְׂפָתָיו רֵעֵהוּ מֶלֶךְ Schol. *χάρις χειλέων, ἑταῖρος αὐτοῦ βασιλεὺς, gratia labiorum, ſocius ejus eſt Rex.*

12. דָעַת. A. S. Th. *γνῶσιν, ſcientiam.*

13. אֵרָצֵחַ. A. S. Th. *φονευθήσομαι, occidar.*

14. [illegible]. A. S. Th. ... *ἐκεῖ.*

15. קְשׁוּרָה.

15. קְשׁוּרָה. S. ἐνδέδεται, *illigata eſt.* ¶ בְלֶב. A.S.Th. ἐν καρδίᾳ, *in corde.*

16. נֹתֵן לְעָשִׁיר אַךְ לְמַחְסוֹר. S. δώσει πλουσίῳ, δι' ὅλου ὑστέρημα, *qui dabit diviti, ei omnino egeſtas erit.*

18. יִכֹּנוּ. A.S.Th. ἑτοιμασθήσονται, *parata erunt.*

19. הוֹדַעְתִּיךָ הַיּוֹם. A. S. γνωστὴν ἐποίησά σοι ζωήν, *notam feci tibi vitam*] Legerunt חיים pro eo quod nunc in libris היום *hodie.*

21. לְשֹׁלְחֶיךָ. A. Th. τῷ ἀποστείλαντι, *ei qui miſit te*] Utrùm legerunt לשלחך abſque Joth?

22. אַל־תִּגְזָל־דָּל. S. μὴ ἁρπάσῃς πτωχόν, *nè diripias pauperem.*

23. כִּי־יְהוָה יָרִיב רִיבָם. A. ὅτι Κύριος δικάσει τὴν δίκην αὐτοῦ, *quia Dominus diſceptabit cauſam ejus*] i.e. ריבו. Sic Hier. *quia judicabit Dominus cauſam ejus.* Sed ריבם δίκην αὐτῶν, *cauſam eorum.* ¶ וְקָבַע אֶת־קֹבְעֵיהֶם נָפֶשׁ. A. καὶ καθηλώσει τοὺς καθηλώσαντας αὐτόν. Hier. *& configet eos qui confixerunt animam ejus.* S. καὶ κολάσεται τοὺς κολαζομένους ψυχὴν αὐτοῦ, *& puniet eos qui puniunt animam ejus*] Τοὺς καθηλώσαντας αὐτὸν, *eos qui confixerunt eum:* quod idem cum illo, *animam ejus.* ¶ *Puniet*, *reprimet*, *coërcebit.*

24. אַל־תִּתְרַע. S. μὴ φιλιάσῃς, *nè fias amicus: nè ineas amicitiam.*

25. מוֹקֵשׁ. A. σκῶλον, *offendiculum.* S. σκάνδαλον, *ſcandalum*] Prov. 18. 7. A.S.Th. σκῶλον, *offendiculum*, *impedimentum.* Exod. 10. 7. למוקש. A. πρόσκομμα. Lxx. σκῶλον. ¶ *Scandalum*; idem quod σκῶλον. Dicitur & πρόσκομμα, *obſtaculum*, ſive *obex* aut *impedimentum in via occurrens.* Nomen habet à σκάζω, *claudico*, quòd claudicantis morem imitetur qui offendit, eò quòd ſeſe inflectens videatur tendere ad ruinam. Sunt qui σκάνδαλον (quod & σκανδάληθρον) *lignum* eſſe dicunt *incurvum quo tendicula ſeu decipula ſuſtinetur, & in quod impingens animal ipſam tendiculam ſeu decipulam in ſe ſubitâ ruinâ evertit.*

29. חֲשֻׁכִּים. Lxx. ἀνδράσι νωθροῖς. Th. σκοτεινοῖς, *obſcuris.*

AMAMA.

NOmen] Sub. bonum. Synecdoche generis.

נבחר] Eligibilius, optabilius. Vide Regul. Text. Partic. Niphal.

2. *Occurrunt ſibi*] Ita comparatum in ſocietate humana ut alter non poſſit alterius ope carere. Si omnes eſſent divites, nemo laboraret, ſerviret. Si omnes pauperes, nemo poſſet ſe alere. Alii, ut Junius, de viciſſitudine divitiarum & paupertatis. Qui occurrit alteri pergit viam illam, quam alter calcavit.

3. *Tranſeunt*] Vel bruti planè, vel planè improbi, ut videant quidem, ſed tamen non curent.

Video meliora proboque, &c.

4 ענוה יראת] Manſuetudinis cum timore.

5. צנים] Numer. 33. 55. צנינים. Sing. צנה, quod Prov. 25. Frigus ſignificat, unde quidam hic quoque *frigora* & פחים calor, ut ם ſit radicale à פחם carbo, conferentes locum cum Job. 24. 19. de quo in Reg. Text. Hier. vertit צנים *latrones.* Alii, *arma.* Nam צנה Clypeum quoque ſignificat.

6. חנך. Vide ad Pſ. 30. 1.

8. *Serens*] Omne opus per ſationem, & retributio per meſſem exhibetur ſæpe in Scriptura. Job. 4. Hoſ. 10.

Aliquando ad ſolam Eleëmoſynam reſtringitur. 2 Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè metet*, ὁ δὲ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις, id eſt, liberaliter, &c. Docet juſtam eſſe pœnam & inanem eorum ſpem, qui toto vitæ curriculo flagitiosè tranſacto tamen de ſalute ſomniant. Inſtar agricolæ, qui cum nec aravit, nec occavit, nec ſevit, tamen largam & inſignem meſſem expectat.

9. טוב עין] Vide caput ſequens v. 6.

ושבת] A שָׁבַת. Unde שַׁבָּת. Vid. Pſal. 92. Unde Sabbation fluvius. Vide LL. NN. Pſ. 71. 6.

15. *Alligata*] Contra Pelagianos.

16. Æquè peccarit, qui ex impotentiorum detrimento ſua emolumenta captant, & qui beneficia, quæ in pauperes debuiſſent conferre, avertunt ut ad divites transferant.

Vulg. *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ditiori & egebit.* Lyra, *videmus ſæpe quod Principes ſpolient uſurarios.*

17. תשית] שית poſuit. Unde Seth. Gen. 4. 25. Ubi *ponere* eſt *dare.* Et *ſemen* pro filio. Sic Gen. 21. 13. *Filium ancillæ hujus faciam patrem gentis magnæ, quia ſemen tuum eſt.* Et 38. 9. *Sciebat autem Onan non fore ſuum ſemen illud.* Gal. 3. 16. καὶ τῷ σπέρματι ὅ ἐστι χριστός.

18. *In ventre tuo*] In corde. Metonymia continentis.

20. שלשים] ש vel διακρίσεως ἕνεκα ut differat à שְׁלִשִׁים, vel pro שָׁלִשִׁים. Expone ut Prov. 8. 6. Audite quia loquar נגידים principum verba, Principalia, Principibus digna. i. e. גדולים נפלאים ונכברים. Alii, *terna*, vel *triplicia.* *Reſpicit*, inquit R. Sal. *ad 3. partes V. T. & ſic loquitur in perſona Dei, vel ad 3. libros Proverb. & ſic loquitur in perſona ſua.*

21. *Ut reſpondeas ſermones*, *ſermones inquam veritatis*, i.e. vera mittentibus *ad te.* Lyra dicit eſſe in textu, *rogaturis te*, i.e. לשאליך.

22. כי דל] Quia tenuis eſt & propellere injuriam non poteſt. Vel, nam tenuis. Sufficit ipſi ſua tenuitas. Afflicto non eſt addenda afflictio. Vel, quamvis tenuis &c.

קבע] Mal. 3. 1. Hic conſtruitur cum duobus accuſativis. Alii, *ſpoliare*, alii, *diripere*, vertunt.

אף] 1. Naſus. 2. Ira. In naſo iræ indicium. Perſ. Theocritus.

25. *Accipias*] i.e. Accipias & ponas. Verbum prægnans, vel metonym. antecedentis. Ita ſæpe in antecedenti includitur conſequens. Ebr. 5. 7. εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. Multis probat Beza ibi ſignificare *metum*, ut & Act. 23. 10. εὐλαβηθεὶς, i. e. φοβηθεὶς, & alibi. Ergo ſenſus, Exauditis precibus liberatus à morte. Oſtendit hoc compoſitio cum præpoſitione.

26. תוקעי כף, Prov. 11. non adeſt כף.

משאות] נשא, incitare, fallere & vaſtari. נשא notiſſimum. נשה oblivisci & mutuo petere, debere ſine ג. At cum ג mutuò vel in fœnus dare.

27. q. d. Qui pro alienis debitis Spondet, ſe divitem aut certè ſolvendo eſſe profitetur. Itaque cùm ad diem ſolutionis ventum eſt, non poteſt ſe defendere exceptione Legis. Exod. 22. 26. *Si pignore acceperis veſtem proximi tui, dum inclinat Sol, reſtituito illam ei*, &c. Agit autem ibi de proximo. Sed ſponſione non præſtita condemnatur quaſi poſſit ac nolit ſolvere.

Acciperet] Sub. creditor. תשאת.

28. *Quem* עשו] Aptarunt. Deut 21. *Facere ungues.* 2 Sam. 19. *Et non fecerat pedes ſuos nec fecerat barbam ſuam.*

GROTIUS.

1. MElius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ] Bonum nomen eſt bona fama. Eccleſiaſtæ 7. 1. Ovidius:

Omnia ſi perdas famam ſervare memento.

2. *Dives & pauper obviaverunt ſibi*] Utiles ſunt alter alteri:

Καί τοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς,
Σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται·
Μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἄν,
Καὶ μέγας ὀρθοῖθ' ὑπὸ μικροτέρων·
Ἀλλ' οὐ δυνατὸν τοὺς ἀνοήτους
Τούτων γνώμας προδιδάσκειν,

[*Plebs nuda tamen, tolle potentes,*
Haud præſidii ſatis ipſa ſibi eſt:
Modicus validi, validuſque iterum
Modici ſeſe ſuſtentant ope.
Sed non poſſunt mentes ſtupidæ
Tam provida dicta doceri,]

ait Sophocles Ajace.

7. *Qui accipit mutuum ſervus eſt fœnerantis*] Quaſi ſervus: nam

Δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

quod Mimus ſic tranſtulit:

Alienum æs homini ingenuo acerba ſervitus.

16. *Qui calumniatur pauperem*] Id eſt, vi opprimit. Vide Lucæ 3. 14.

Dabit ipſe ditiori] Cogetur dare.

Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.

Et apud Senecam:

Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis dominus minatur.

20. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter*] Sapientia apud Hebræos dividitur in משלים, in בריאה, in מרכבה, quod Græcè dicas εἰς ἠθικὰ, φυσικὰ, θεολογικά, [*in Moralia, Naturalia, Theologica.*] De his omnibus plurima ſcripſit Solomon, quæ nunc non exſtant. Vide 1 Reg. 4. in fine. Quæ in hunc librum congeſta ſunt, & Eccleſiaſtes, ad Ethica pertinent: libri de Satis & Animalibus ad Phyſica: Canticum Canticorum ſenſu allegorico ad Theologica.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

2. P*One cultrum in gutture tuo*] i. e. Si habes concupiſcentiam effrænem, & ſedes in menſa præpotentis, ede temperatè de his quæ tibi apponuntur; & ſi te incitat appetitus tuus ut etiam alia concupiſcas quæ tibi non ſunt propoſita, reſtringe gulam tuam veluti cultro gutturi immiſſo, & non laxes concupiſcentiis habenas.

3. *Panis mendaciorum*] Sunt qui כזבים hîc exponunt pro הבלים, ut ſit ſenſus, Vanus eſt cibus ille delicatus, & non proderit tibi eſus ejus.

5. *An non cùm admoveris*] Senſus eſt, Vix poteris movere oculos, & pereunt divitiæ, aut ſubtrahuntur tibi. Alii exponunt תעיף pro תאיר *illuſtrare*, ut ſit ſenſus, Si illuminaveris oculos tuos ut intuearis divitias, en evaneſcunt ſub aſpectibus tuis.

7. *Ponit menſuram*] Quidam exponunt hîc שער pro אמור *certa menſura*, ut ſit ſenſus, Præſcribit apud ſe menſuram exiguam, quam ſi tu comedendo exceſſeris, ægrè fert, non obſtante quòd dicit tibi, *Comede & bibe:* vel menſurat & numerat quicquid comedis. Alii accipiendum contendunt, ſicut Jer. 29. accipitur התאנים שוערים, h. e. pro מלוכלך, ut ſit ſenſus, *Turpis eſt in animo ſuo & perverſus*, &c. Non deſunt etiam qui hîc שער exponunt pro *porta aperta & pervia*.

8. *Buccellam tuam quam comediſti, evome*] Quidam putat eſſe verba invidi hominis, qui ità cogitat in corde ſuo, *Utinam evomeres quicquid de cibis meis voras, ſicut verba tua ſuavia perdidiſti, quia cor meum non fuit cum ore tuo cùm hæc loquereris.* Alii putant eſſe verba Sapientis.

18. *Eſt enim tibi noviſſimum*] Capitur hîc אם pro הנה, & eſt ſenſus, Si verſatus fueris in timore Domini, vives in multos annos, vel relinques poſteritatem poſt te.

23. *Veritatem acquire*] Heb. *Eme veritatem, & non vendas.*

27. *Fovea profunda*] Ut ex profunda fovea nemo facilè aſcendere poteſt, ità citra difficultatem nullus liberari poterit quem ſcortorum nexus ſemel ligaverint.

29. *Cui eſt va*] Senſus eſt, Non ſunt miſerabiliores homines, quàm qui diu noctuque verſantur juxta vinum: his enim modò dolet caput, modò torquetur venter, modò paralytica fiunt membra, nunc incidunt in rixas, nunc abſque cauſa infliguntur vulnera, & ex aſſiduitate potandi deſtituuntur oculi viribus ſuis, & in turpem degenerant rubedinem.

32. *Stimulum immittit*] Eſt יפרש à פרש, quod *equitem calcaribus inſtructum* ſignificat.

34. *Qui jacet in corde maris*] Senſus eſt, Illi qui ebrietatem ſectantur, in tantum excidunt ab uſu rationis ut jacentes in lectis putent ſe fluctuare in medio mari, aut jactari in malo. Sunt alii qui per חבל hîc intelligunt *ancoram*, quæ cum fune denſo & forti ex navi in mare projicitur.

VATABLUS.

1. C*Um dominante* את מושל] *Cum principe.* ¶ *Conſiderando conſidera* בין תבין] Hebraïſmus, pro *diligenter conſidera.*

2. *Et pone* ושמת] Hic ו pro *vel* ponitur, aut redundat, ut annotant Hebræi. ¶ *Cultrum* שכין] *Spinas*, à שוך *ſepire*: unde שך, in cujus plurali Hiric mutatur in Pathah, & deperditur י, quod ſuppletur per Dages in כ: & hîc ponitur ן pro ם. ¶ *Si præditus*, &c. אם בעל נפש אתה] Ad verb. *Si dominus animæ es tu.* Hebraïſmus, pro, *Si habes animam*, ſub. *concupiſcentiis deditam:* q. d. *Si tu nimis edax ſis, reſtringe gulam tuam, velut cultro gutturi immiſſo, & nè laxes habenas concupiſcentiis.*

3. *Pulmenta ejus* למטעמותיו] *Eſcas ejus*, ſive *ſuaves eſcas illius.* Alii, *cibos ejus.* ¶ *Cibus fallax* לחם כזבים] Ad verb. *panis mendaciorum.*

4. *Labores* תיגע] *Fatigeris.* ¶ *A conſideratione tua deſine* מבינתך חדל] *Ab intelligentia tua ceſſa:* aut, *à prudentia tua deſine:* q. d. Noli inſumere prudentiam tuam in divitiis acquirendis.

5. *Num conjicies* התעיף] Ad verb. *An volare facies*, i. e. an conjicies: ſive an decorum ſit ut conjicias. Quidam Hebræorum, *Num ſplendeſcere facies* (aut *illuſtrabis*) *oculos tuos in divitias aſpicias?* Alii, *Num geminabis* (ſive *duplicabis*) *oculos tuos*, &c. acſi dicat, *Cùm geminaveris*, id eſt, clauſeris, *oculos tuos, non invenies illas.* Clauſionem enim oculorum appellavit hoc verbo, à עפעפים *palpebris*, quæ dum clauditur oculus ſunt geminatæ: unde exponit quidam ex eis, *Si clauſeris paululùm oculos tuos, non invenies illas.* ¶ *Faciunt* יעשה] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Similes aquilæ*, &c. כנשר יעוף השמים] *Veluti aquila avolant in cœlum.* Fut. Heb. pro præſ.

6. *Malum oculum* habentis רע עין] *Maligni oculi*, i.e. invidi. Hebraïſmus. ¶ *Pulmenta ejus* למטעמתיו] *Cibos ejus, edulia ejus*, ut verſ. 3.

7. *Quoniam ut*, &c. כי כמו שער וגו'] Præt. Heb. pro præſ. *Quia quemadmodum cogitat animo ſuo, ſic res habet.*

8. *Buccellam tuam* פתך] *Fruſtum tuum. Portionem tuam.* ¶ *Evomes* תקיאנה] q. d. Apponet tibi cibum non ſalutarem, qui tibi nauſeam excitet; & vitiabitur tua doctrina commercio illius.

10. *Nè transferas* אל תסג] Vide c. 22. 28.

11. *Ipſe judicabit* הוא יריב] Vide etiam c. 22. 23.

12. *Eloquiis ſcientiæ* לאמרי דעת] id eſt, Verbis eruditis.

14. *Ab inferno* משאול] *A perditione.*

17. *In timore*, &c. ביראת יהוה] Æmulare virum *timentem Jehovam.*

18. *Merces* אחרית] *Noviſſimum: finis.* Vide cap. 24. 14.

19. *Et ſapiens eris*, וחכם] Imperativi Heb. pro futuris. ¶ *Et ambulare*, &c. ואשר וגו'] i. e. Incedes viâ rectâ.

21. *Et veſtibus*, &c. וקרעים תלביש נומה] Ad verb. *Et ſciſſiones induere faciet dormitatio:* pro, *laceris veſtibus induetur homo aſſuetus dormitationi, & pauper reddetur.*

23. *Eme* קנה] i. e. Da operam ut tibi compares *veritatem:* q. d. Amplectere veritatem, & nè rejicias eam, hoc enim ſignificat, *Non vendere eam.*

27. *Quia* velut *fovea*, &c. כי שוחה וגו'] Vide c. 22. 14.

28. *Tanquam prædator* כחתף] Ad verb. *Tanquam, vir prædæ:* i. e. prædator ſive graſſator. Doctus inter Hebræos dicit כ eſſe veritatis expreſſivum: acſi dicat, *Certè in tempore quo potuerit rapere, tollereque, inſidiabitur.* ¶ *Et prævaricatores*, &c. ובוגדים וגו'] *Et prævaricatores inter homines multiplicat:* ut ſit Fut. pro præſ.

29. *Cuinam va* למי אוי] i. e. Cuinam accidunt incommoda unde exclamare ſolet *Va?* Verti poteſt, *Quibuſnam va?* nam מי utriuſque eſt numeri. ¶ *Cui*, inquam, *va?* למי אבוי] *Cuinam penuria?* ut ab אבה deducatur: niſi duabus vocibus rem eandem expreſſerit; ad rei exaggerationem.

30. *Miſtum* ממסך] *Temperatum.* Propriè *miſtura:* hîc pro *vino diluto* accipitur: quia in illis calidis regionibus utuntur vino admodum diluto propter aëris intemperiem.

31. *Det* יתן] *Præbeat:* i. e. quòd fulgeat in vitro ipſo. Quidam vertunt, *diffundit colorem ſuum in calice.* Alii, *cùm phiala colorem ſuum reddit.* ¶ *Agites ſeſe probè* יתהלך במשרים] Ad verb. *ibit cum probitate:* vel, *in rectitudine:* pro, *directè.* Fut. Heb. pro præſ. i. e. deſcendit per guttur viâ rectâ.

32. In *fine* אחריתו] *Extremum ejus:* i. e. Tandem. Affixum redundat Latine. ¶ *Dolore afficiet* יפרש] *Punget.*

33. Viſiones] Subauditum eſt iſtud verbale, quia verbum *videre* præceſſit, unde nomen deduci debet: q. d. Si fueris deditus vino, abſurdas viſiones videbunt oculi tui, propter confuſionem vaporum aſcendentium ad cerebrum.

34. *In corde maris* בלב ים] *In medio maris:* i. e. in navi quæ eſt in medio mari.

CASTALIO.

2. A*Dmove gutturi tuo cultellum*] Appetitum cohibe.

4. *Iſtâ prudentiâ ſuperſede*] Divitias comparandi.

8. *Quam comederis bucceam evomes, tuaque elegantia verba perdes*] Tibi apud ſordidum inſuaves erunt epulæ, nec proderit ſermonis elegantia, quæ ſolet in conviviis adhiberi.

11. *Nam vindicem habent potentem*] Deum.

13. *Quem ſi ferulâ verberabis, non morietur*] Fiet melior, ſuppliciumque vitabit.

16. *Meique renes exſultabunt*] Lætitiâ exſiliam.

18. *Tandem finis erit, nec tua ſpes incidetur*] Exſpecta præmium, non fruſtraberis.

21. *Sopor*] Pigritia, piger.

25. *Gaudeat tuus pater atque mater, & exſultet tua genitrix*] Affice gaudio patrem, &c.

31. Gr. *Nolite vino inebriari, ſed cum bonis viris*, Heb. *& ſe probè gerentibus*, Gr. *conſuetudinem habete ac verſamini*] Hoc in Hebræo parùm aptè poſitum interpoſui Græco.

35. *Ver-*

35. *Verberatus non doleo, ictus non ſentio, experrectus idem iterum requiram*] Ebrius ſenſu caret, & pocula ſubinde repetit.

CLARIUS.

2. *STatue cultrum in gutture tuo*] Senſus eſt, Si habes concupiſcentiam effrænem, & ſedes in menſa præpotentis, ede temperatè de iis quæ tibi apponuntur: &, ſi te incitat appetitus tuus, ut etiam alia concupiſcas quæ tibi non ſunt propoſita, reſtringe gulam tuam, veluti cultro gutturi infixo, neque habenas laxes concupiſcentiis.

3. *Panis mendacii*] q. d. Vanus eſt cibus ille delicatus, & non proderit tibi eſus ejus.

4. *Prudentiæ tuæ pone modum*] Vel, *à tali prudentia tua deſiſte.*

7. *Ponit menſuram*] Præſcribit, inquit, apud ſe menſuram exiguam, quam ſi tu comedendo exceſſeris, ægre fert, neque obſtat quod dicit tibi, *Comede, & bibe.* Vel, *menſurat & numerat quicquid comedis.*

8. *Perdes pulcros ſermones tuos*] Non erunt illi ſermones tui grati, quamvis ſuaves ſint.

21. *Dantes ſymbola*] Alluſit Interpres ad illud Terentianum, *Quid? dedit ſymbolum.* Verbum eſt à συμβάλλω, cùm quiſque partem ſuam afferebat, vel ſuo die convivium inſtruebat. ¶ *Veſtietur pannis laceris dormitatio*] Laceris veſtibus induet ſe homo aſſuetus dormitationi.

29. *Cui væ*] Senſus eſt, Non ſunt miſerabiliores hominines quàm qui die noctuque verſantur in vino, his enim nunc dolet caput, nunc torquetur venter, nunc paralytica fiunt membra, nunc incidunt in rixas, nunc abſque cauſa inſliguntur vulnera, & ex aſſiduitate potandi deſtituuntur oculi viribus ſuis, & in turpem degenerant rubedinem.

34. *Dormiens in medio mari*] Qui, inquit, ebrietatem ſectantur, ità excidunt ab uſu rationis ut jacentes in lectis putent ſe fluctuare in medio mari, aut jactari in malo.

R. BAYNUS.

1, 2, 3. *QUando ſederis ut comedas panem cum Principe, diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam. Et ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Sic Hieronymus, confundens duos verſiculos in unum. Heb. *Cùm ſederis ad comedendum cum Principe, intelligendo intellige quod coram te eſt. Et pones cultrum in gutture tuo, ſi dominus animæ ſis:* vel, *ſi eſt tibi animus. Nè deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii.* Heb. *Nè deſiderio traharis ad delicias ejus, & eſt* (vel *cùm ſit*, ſup. *inter eas*) *panis mendacii*] Quanquam felices videntur habenturque qui ſtant coram Regibus, tamen accitus ad tantum honorem magnâ prudentia uti debes, & moderatè vivere, nè per luxum & crapulam laudem amittas quam ſummâ induſtriâ & vigilantiâ nactus es. Cùm fueris igitur ad menſam Regiam admiſſus, iterum atque iterum attende & conſidera quod poſitum eſt ante te: q. d. Nihil inconſideratè attingas; vel, Inter comedendum noli properare, neque in hoc *opere eſſe velocem*, ſed modis omnibus retrahe & cohibe appetitum tuum, nè quid de intelligentia tua tibi pereat. Sic enim Interpretor illa verba, *Diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam*, ſive, ut eſt Hebræo, *intelligendo intellige quid poſitum ſit ante te:* ut natura eſculentorum & vini meri intellecta, nihil ſumas quod tuam impediat intelligentiam. ¶ *Et pone cultrum*] Exponit Aben-Hezra, *vel pone*, copulativam videlicet pro disjunctiva particula. q. d. *Si non poteris intelligere & cognoſcere naturam eorum quæ ponuntur ante te, pone cultrum in gutture tuo*; h. e. Potiùs pone cultrum in gutture quàm incidas in crapulam. Aliter, *Si fueris dominus animæ* & compos appetitûs, potiùs *pone cultrum in gutture* quàm quid delinquas. Aliter, *Si dominus es animæ*, h. e. obnoxius appetitui tuo, ut nequeas temer moderari, *pone cultrum in gutture*, h. e. cogita tantum eminere periculum ac ſi cultrum immitteres in gulam tuam. Denique niſi *diligenter attenderis quid poſitum ſit ante te, tu pones cultrum in gulam*, in vino videlicet efficiens aliquid unde capitalem ſubeas ſententiam, præſertim cùm ſis *vir*, vel *dominus*, *animæ*, h. e. deſiderii & carnalis, non vir intellectûs & prudentiæ. Et proinde præſtaret, ſi vis ubique ſapere, præſtaret, inquam, ad Regiam menſam non accedere, ubi coguntur homines multa blandiri & mentiri. Et hoc eſt quod ſequitur, *Nè deſideres de cibis ejus*] In Hebræo מטעמים à *guſtando* dicitur, & pro *cibis delicatis qui guſtum bonum præbent* accipitur, quibus faciliùs capiuntur homines. Et hinc dicitur *cibus*, ſive *panis*, *fallax*, quòd homines fallant, trahentes incautos ad crapulam. Quod nos habemus *in quo eſt panis mendacii*, Hebræi legunt *ipſe eſt panis mendacii*, quod ſic exponit Aben-Hezra, *Nè concupiſcas de cibis illius, neque de pane illius, cùm ipſe ſit vir mendax*, h. e. gaudens mendaciis, quaſi alioqui non ſis futurus gratus illi niſi mentiri velis. Et iſta quidem ſecundùm ſenſum hiſtoricum, qui prudentiam quandam ſecularem docet, utcunque neceſſariam his qui cum Regibus & Principibus vitam agunt. Alioqui juxta ſenſum myſticum *ſedet cum Rege comeſturus panem* qui ad menſam Dominicam variis Scripturarum epulis & Sacramentorum dapibus inſtructam accedit, præſertim pane corporis Dominici & poculo ſanguinis Jeſu Chriſti: Ad quod convivium quicunque accedit, iterum atque iterum *perpendere debet quid appoſitum fuerit*, nè *reus fiat corporis & ſanguinis Domini*, 1 Cor. 11. & *cultrum ſtatuat in gutture*, *non dijudicans corpus Domini*, h. e. præſentem necem ſibi conciliet, dum ſenſum & carnalem rationem ſequens cum Capernaïtis Joh. 6. dicat, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Porrò ſunt qui videntur opiparum & delicatum parare convivium ex Scripturarum epulis, multa loquentes, ſed mendacii & erroris doctrinam apponunt; *Non* ergò *concupiſcas quicquam ex deliciis eorum*, quamlibèt opiparè verborum lenociniis conditis, *cùm inter eas ſit panis mendacii*, h. e. doctrina quam non agnoſcit *Eccleſia quæ eſt domus Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, extra quam nemo Regii convivii particeps eſſe poteſt.

4. *Noli laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum.* Heb. *Nè labores ut diteris: à prudentia tua deſine*] Aben-Hezra legit utramque clauſulam cum negatione, ad hunc modum, *Et nè à prudentia tua ceſſes.* Ad præcedentia ſpectat, nempe ad illum locum, *Vidiſti aliquem velocem in opere? ſtabit ante Reges.* Sed quemadmodum nihil eſt *mentiendum* aut blandiendum *Regibus* ob *delicias* & *opiparas dapes*, ità neque *laborandum ob opes & divitias augendas*, ſed *ob ſapientiam* potius. Nam *labor* qui impenditur *in opibus congerendis à ſtudio intelligentiæ facit ceſſare.* Et erit ſenſus verſiculi, *Noli ſic laborare ob divitias ut ab intelligentia ceſſes*, h. e. à quærenda doctrina & ſapientia, quæ præſtat opibus. Aliter, *Nè labores divitem eſſe*; imò *ab hac prudentia & induſtria, quâ conaris diteſcere, ceſſare debes*: nam in illo habere non eris gratus Regi; ſed qui *velox eſt in opere* ſtudioſo & in acquirenda ſapientia *ſtabit ante Regem.* Simplex ſenſus verſiculi eſt, Divitiarum copiam non eſſe neceſſariam ſapienti, imò impedire & occludere aditum ad ſapientiam.

5. *Nè erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in Cœlum.* Heb. *Num volare facies oculum tuum in illas, & non erunt? nam faciendo facient ſibi alas ut aquilæ, & volabunt in Cœlum*] Quamvis in Hebræo non ſatis conſtat quâ de re loquatur, tamen quoniam ſuperiore verſiculo de Divitiis locutus ſit Sapiens, hunc quoque de Divitiis intelligunt omnes Interpretes: De quibus loquitur Sapiens Metaphoricè tanquam de rebus animatis, vel more Poëtarum, qui fabulantur Deum quendam Plutum. Simul reprehendit avaritiam eorum qui cùm nullam artem exerceant honeſtam per quam diteſcere queant, tamen inſatiabili habendi deſiderio flagrant, nihil aliud reſpicientes, omnem cogitationem dirigentes eò, ut divitias habeant; qui Sapienti nihil aliud videntur facere quàm ſi quis velit aves ſolo viſu capere, cùm illæ longiùs volando elabantur quàm quis poſſit oculis aſſequi: q. d. Arte opus eſt & induſtriâ, ut in capiendis avibus, ità etiam in acquirendis opibus, non deſiderio ſolùm, quod per *illuſtrationem oculorum* intelligimus: ut ſit ſenſus, Sapientem in ſuperiore verſiculo prohibuiſſe nimium laborem & ſudorem in hoc verò mentis ſolicitudinem prohibere in congerendis opibus, vel etiam ſervandis, cùm ad quoſdam temere accedere, ab aliis verò vel de induſtria & ſua ſponte recedere videantur divitiæ. Quod nos habemus, *Nè erigas oculos tuos*, ex LXX. eſt, qui ſic habent, Ἐὰν ἐπιστήσῃς τὸ σὸν ὄμμα πρὸς αὐτόν. Nam verbum Hebræum העיף duo ſignificat, nempe *illuſtrare* & *volare*; quod cùm bis ponatur in hoc verſiculo, priore loco *ſplendeſcere*, ſecundo *volare* interpretantur Hebræi. Tamen ſenſus eodem redit ſive legas cum Hieronymo *erigas oculum*, ſive cum Hebræis *illuſtraveris oculum ut clarè proſpicias*, ſive denique, quod mihi magis placet, vertatur, *Facias volare oculum tuum*, quaſi inexplebili deſiderio inſequendo divitias: id quod à ſapiente valde eſt alienum. Porrò quod ſequitur, *volabunt in Cœlum*, ſi ad *opes* referatur, inſinuat à Deo dari, & à Deo auferri, Deum eſſe autorem omnium, & pro ſua ſapientia diſpenſare ſingula: q. d. Neque tuis laboribus neque mentis ſolicitudine putes te poſſe divitias poſſidere, ſed Dei beneplacito. Mihi magis placet ut de ſimilitudine *aquilæ* intelligantur illa verba, *volabit in Cœlum*: & erit ſenſus, *Et faciendo facient ſibi alas ut aquila*, ſup. *quæ volat in Cœlum*, h. e. in ſublime admodum. In Hebræo cùm ſermo ſit ambi-

ambiguus, poteſt utroque referri, vel ad *aquilam*, ut dixi, vel ad *divitias*.

6, 7, 8. *Nè comedas cum homine invido, & nè deſideres cibos ejus.* Heb. *Non comedes panem mali oculi*, (vel *illius cujus oculus eſt malus*) *neque tenearis deſiderio ciborum illius. Quoniam in ſimilitudinem arioli & conjectoris æſtimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet; & mens ejus non eſt tecum.* Heb. *Nam quemadmodum æſtimat in animo, ſic ipſe* (ſc. *loquitur*) *Comede & bibe, dicet tibi*, &c. *Cibos quos comederas evomes, & perdes pulcros ſermones tuos.* Heb. *Buccellam comediſti, evome eam*, &c.] *Nè comedas cum homine invido*] Lxx. qui ſic vertunt, Μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ, ſecutus eſt Hieronymus. Sunt ex Hebræis in hac opinione ut putent aliquot eſſe homines quorum oculus & aſpectus damnum adferat, more Crocodili: quod malum *faſcinus* vel *faſcinatio* vocatur,

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Dicitur, inquit Hieronymus, *propriè infantibus nocere & ætati parvulæ. Hoc utrùm verum ſit necne, Deus viderit: quia poteſt fieri ut Dæmones huic peccato ſerviant.* Hæc ille in epiſt. ad Gal. 3. cap. Utcunque ſunt haud dubiè aliquot uſqueadeo ſordidi & illiberales, utnè buccellam quidem panis animo liberali impertiant; & quamvis ore tenus quandoque præ ſe ferant hoſpitalitatem quandam & humanitatem, dum ad convivium nos invitant, tamen cùm id ex animo non faciant, rectis oculis non poſſunt intueri eos, nec bene velle illis qui ex pane illorum comedunt. Et proinde jubet Sapiens filio ſuo, ut *neque quicquam comedat*, *neque deſideret ex cibis illorum*: imò Hyperbolico ſermone jubet eum *evomere*, *ſi quid comederit*, h. e. pœnitere quòd cum hujuſmodi domeſticam contraxerit amicitiam; & cogitet ſe *perdidiſſe pulcros ſermones* quibus eſt uſus in eo convivio, dum vel gratias ageret hoſpiti, vel laudaret dapes, aut denique ſi quid pro more in menſa locutus fuerit. Ferè ſupra hunc ſenſum, qui humilis eſt admodum, non aſcendunt Hebræi. Nos non dubitamus Sapientem altiorem ſenſum, etiam juxta hiſtoriam, innuere voluiſſe; & ſub Metaphora *comedendi panem* doctrinam intelligimus & cibum animæ, quam non debemus ab *homine invido*, ſive *mali oculi*, accipere. *Malum* habet *oculum* qui felicitatem & ſanitatem alienam non libenter intuetur, qui *ex ſuo animo æſtimat* & menſurat omnia, non juxta menſuram quam menſus eſt nobis Chriſtus, h. e. non juxta Euangelicam normam, qui fratrum ſalutem non minùs charam quàm noſtram nos habere jubet. Hujus *panem* & doctrinam tantum abeſt ut *concupiſcas*, ut ſtatim ſit *evomendum* ſi fortè quicquam ab eo didiceris, & oblivioni tradendum, imò delendum per pœnitentiam. Si doctrinâ hæreticorum delectatus, quam ipſi libenter impertiunt, non quòd ſuis auditoribus bene volunt, ſed quòd humanam laudem quærunt, ipſis conſenſeris, *pulcra verba* confeſſionis fidei catholicæ *perdes*. Ad hunc modum Beda. Aliter per Metaphoram *comedendi* non abſurdè intelligitur domeſtica & familiaris conſuetudo cum *maligno oculo*, h. e. cum homine qui de religione Chriſtiana malè ſentit; qui tametſi benevolentiam præ ſe ferat erga nos, *ex animo* tamen *ſuo æſtimat* omnes. Et proinde ſi quid contulerit in te beneficii, cùm te ex animo non amet, hominem videlicet diverſæ ſectæ, reſtituendum eſt quod acceperis, ut liberiùs poſſis amicitiam diſſolvere. Vult igitur Sapiens, nos ventris causâ aut lucri nullius hominis maligni & infidelis aut hæretici ſectari amicitias, ut neque Regum inire gratiam opum causâ, ut ſuperiùs dictum eſt.

9. *In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpiciet doctrinam eloquii tui.* Heb. *In auribus ſtulti nè loquaris, quia deſpiciet intellectum verborum tuorum*] Aben-Hezra vult hunc verſiculum referri ad id quod dictum eſt ſuperiùs, *Et perdes verba tua pulcra*, quibus uſus es dum eſſes particeps menſæ *hominis invidi*; à cujus cibo ut abſtinere debes, ità etiam à colloquio. Nam *ſtultus* & alienus à ſapientia *contemnet verba*, non de rebus humanis & vanitatibus, ſed *verba intellectûs*, quæ audientibus præbent intellectum & prudentiam. Juxta Hebraïſmum *in auribus loqui* eſt ſalubrem admonitionem inſtillare. Sed incorrigibilis eſt *homo mali oculi*, quem hoc in loco *ſtultum* vocat. Et Chriſtus Jeſus ſenſum hunc expreſſit, ſed Proverbio magis jucundo, inquiens, *Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas porcis.* Salomon innuit, Stultos carere intellectu, qui contemnunt verba pulcra. Inſignis ſtultitiæ aut potiùs impietatis eſt contemnere quæ non intelligas.

10, 11. *Nè attingas parvulorum terminos, & agrum parvulorum nè introeas.* Heb. *Nè transferas terminum antiquum, & in agros pupillorum nè introeas. Propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe judicabit contra te cauſam illorum.* Heb. *Quia redemptor illorum fortis eſt, ipſe litigabit litem illorum tecum*] Quod in calce capitis ſuperioris ſumptum eſt repetit, exponens quos intelligat *terminos ſeculi*, nempe limites in agris ab antiquis collocatos, cùm dicat, *Et in agros pupillorum ne introeas*] *Ad metendum* ſc. aut *ad colligendum fructum.* Aliter, *Nè transferas terminos*, quo tuos dilates agros cum injuria aliena, præſertim orphanorum. Nam quantò faciliùs injuria fit orphanis & viduis, tantò gravior eſt offenſa. Ab agris fortiorum virorum abſtinere non tantæ laudis eſt aut ſapientiæ, quantæ abſtinere ab injuria inferenda his qui patre & defenſore carent in terris. Carent juxta opinionem ſtultorum, ſed quid Sapientia dicat audiamus. ¶ *Redemptor eorum fortis eſt*] q. d. Longè deciperis ſi putes te impunè pupillorum agros ingredi poſſe, fundos occupare per vim. Reddes aliquando rationem, & cum potentiſſimo adverſario cogèris aliquando litigare. Qui redemit filios Iſraël à ſervitute Ægyptiaca per manum validam & brachium extenſum, collocavit in terra Chanaän, & per ſingulas tribus & familias terram dividi juſſit, ut quiſque ſuis finibus & agris eſſet contentus; qui hæc, inquam, omnia fecit invitis Regibus, reclamantibus populis & nationibus, infirmorum non tuebitur hæreditatem? Ex his quæ fecit illius fortitudinem poteris æſtimare. Atque hæc quod ad hiſtoricum ſenſum ſpectat. Quod verò ad myſticum, præter ea quæ diximus ſuperiùs, adjicimus; Reges & Principes, qui vel Eccleſiaſticam autoritatem ſibi vendicant, vel Eccleſiaſtica bona contra jus & fas fiſco applicant, aliquando reddituros rationem potentiſſimo Judici ſive Litigatori & Patrono pauperum, tanquam *limitum & terminorum tranſgreſſores*, tanquam per vim & injuriam *pupillorum invadentes agros.* Jam enim ab Apoſtolis in hujuſmodi rebus ſunt fines poſiti inter Secularem & Eccleſiaſticam functionem manifeſtè diſtinguentes: Quos utinam nemo tentaret transferre neque movere! Tentant autem paſſim per orbem Chriſtianum Principes & Magiſtratus, qui *fortiſſimum orphanorum Redemptorem* Chriſtum Jeſum *litigantem cum ipſis* aliquando ſentient.

12, 13, 14. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba ſcientiæ.* Heb. *Introduc ad diſciplinam cor tuum, & aurem tuam ad eloquia ſcientiæ. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur.* Heb. *Nè prohibeas: Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*] Quamvis non multùm interſit, quod ad ſenſum ſpectat, inter verſionem noſtram, nempe, *Ingrediatur cor tuum ad doctrinam*, & Hebræam veritatem, *Fac ingredi ad conditionem* (ſive *diſciplinam*) *cor tuum*, tamen hæc plenior eſt, & efficaciùs ſignificans multos non habere dominium neque regimen cordis, neque potentiarum animæ, ut qui ab affectibus & perturbationibus rapi videntur. Et quoniam ad vana deſideria trahuntur juvenes, ad voluptates & vanitates hujus vitæ, vel inprimis neceſſarium eſt ut hic ſe vincant, ut ex animo velint ſapientiam acquirere. Sic Interpretor, *Introduc ad diſciplinam cor tuum*] Fac ut ex animo velis diſcere, h. e. vince reliquas cogitationes quæ cor tuum à doctrina alienum reddunt. Aben Hezra, *Fac tuum cor venire ad domum* (ſive *locum*) *ubi ſapientiam diſcas*: id quod conſuetudine fiet, quæ moleſtiſſima facilia facit. ¶ *Et aures tuas ad eloquia ſcientiæ*] *Adducito* ſup. Videtur alludere ad conſuetudinem quâ vulgò ſolent pueri ad præceptores per pædagogos adduci ut literas diſcant. Quod alii facere coguntur vult ſuum filium ſpontè facere, avertere aures ab indoctis nugis & cantilenis, & in ſalubri doctrina audienda ſeſe oblectare. Sed cùm *ſtultitia ſit ligata ferè in corde pueri*, ut rariſſimus ſit qui in ea ætate ſapiat, ad præceptorem ſive parentes ſermonem dirigit, ¶ *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam*] Heb. *Nè prohibeas.* h. e. Nè ſic diligas filium ut caſtigari nolis. ¶ *Cum virgâ percuſſeris eum, non morietur*] q. d. Multi ad mortem ante diem perveniunt quòd pueri à parentibus non vapulaverint, ſed in omni licentia educati, neque *cor ad doctrinam*, neque *aures ad verba ſcientiæ* volentes applicare, flagitia digna morte nonnunquam committant, ad quam mortem *virgâ percuſſi* minimè deveniſſent. *Tu percuties eum virgâ*, unde damnum capere non poteſt, & eris in cauſa nè ſecuri percutiatur; atque eâ ratione *eripies animam ejus ab inferno*, ſive *à ſepulcro* (ut interpretantur Hebræi) *liberabis*, h. e. vitam illius ſervabis, juxta priorem interpretationem, dum bene inſtitutus & doctus in juventute nihil committit morte dignum.

15, 16. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit cor meum tecum.* Heb. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit cor tuum, gaudebit cor meum, etiam ego: Et exſultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua*] Sunt ex Hebræis qui ſubtiliùs explicant hæc verba, *Gaudebit cor meum, etiam ego, & exſultabunt renes mei*, ut in *corde* vulgaris lætitia intelligatur (eſt enim *Cor membrum gaudii*, inquiunt) ſed per hæc verba *etiam ego* intelligatur Mens & Ratio, quæ propriè Homo eſt; per *renes* verò, lætitia incredibilis: nam non ſunt inſtrumentum gaudii Renes, ſed concupiſcentiæ. Hæc illi. Neceſſaria & utilis admodum

eſt

eſt pueris & adoleſcentibus tempeſtiva correptio, quam amans pater *à filio ſuo non prohibet*, ſive *ſubtrahit*, idque magno erga filium amore, cœleſtem Patrem imitatus. *Quem enim diligit, caſtigat*, Heb. 12. Sed adoleſcentes longè aliter ſentiunt, parùm videlicet amare patres qui flagellant filios: quod etiam teſtatur Paulus ibid. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii ſed mœroris.* Et hinc eſt quòd Salomon poſt ſermonem de correptione filii ſui ſtatim oſtendit quanto eum proſequatur amore, utputa in quo magnum ſolatium habeat, neque ulla in re magis ſeſe oblectet quàm in *ſapientia filii ſui*: hoc eſt quod modis omnibus conatur, nempe reddere *filium ſapientem*, *ſapientem*, inquam, *in corde*. Nos fidem *in unum Deum*, *& quem miſit Jeſum Chriſtum*, Joh. 17. quâ *corda purificantur* intelligimus, & ſuper quam gaudet Apoſtolus, & Salomon hoc in loco de *ſapientia cordis filii ſui*, & de *confeſſione oris*, hoc eſt, *Cùm locuti fuerint labia tua recta, exſultabunt renes mei.* Aliter, *Labia recta loqui* eſt bene dicere. Manifeſtius enim eſt *labiis loqui* quàm *corde ſapere*, h. e. apud ſe doctum eſſe. Datur doctrina parentibus hoc in loco, ut rectè inſtituant liberos in vera *ſapientia*, h. e. cultu Dei & fide, in *eloquentia*, ut rectè loqui diſcant, & quam in corde ſapientiam reconditam habent eam rectè profiteri & defendere valeant.

17, 18. *Nè æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto totâ die. Quia habebis ſpem in noviſſimo, & præſtolatio tua non auferetur*: vel, *ſpes tua non ſuccidetur*] קנא ut *æmulari* & invidere ſignificat, ità & *imitari eum ſtudio*; juxta quam ſignificationem erit ſenſus prioris verſiculi, *Noli imitari peccatores*, vel *Nè deſideres ſequi rationem vivendi peccatorum*, vel denique *Ne invideat cor tuum felicitatem peccatoribus*; *ſed imitare hominem timoris Domini, & talem eſſe deſideres, non qualis eſt peccator*: q. d. Sapiens ad filium, *Opto te eſſe ſapientem in corde, eloquentem in labiis, ſed cum timore Domini: Et proinde propone tales imitandos in quibus eſt timor Domini, non eos qui male vivunt, quantumvis alioqui videantur ſapientes aut eloquentes.* Et juxta hanc expoſitionem pendet ex præcedentibus; ſed meliùs refertur ad ſequentia, *Quia habebis ſpem*] Qui ſunt periti linguæ obſervent כי אם hoc in loco non pro *ſed* vulgari modo capi, ſed affirmativè accipi pro אכן *revera*, vel interrogativè pro הלא, *Nonne eſt tibi merces*, vel *ſpes?* q. d. *Tibi & omnibus qui vivunt in timore Domini eſt ſpes mercedis æternæ.* Alii exponunt אחרית non *ſpem*, ut Hieronymus, ſed *poſteritatem*, vel denique pro *longitudine dierum*. Prior expoſitio eſt melior. ¶ *Et exſpectatio tua non excidetur*] Sed ſpes peccatorum peribit. *Æmulari* igitur oportet eos *qui timent Dominum*, non aliquando ſed *totâ die*, non in hac vita ſed *in futura mercedem præſtolari.* Nam proſperitas peccatorum infirmis magno ſemper fuit ſcandalo, dicente Davide, Pſa. 73. *Mei autem pene moti ſunt pedes, ——— pacem peccatorum videns.*

19. *Audi, fili mi, & eſto ſapiens, & dirige in via animum tuum.* Heb. *Cor tuum*] Et quod nos habemus *ſapiens eſto*, verti poteſt *ſapiens eris*. Porrò *dirige*, quod in Hebræo eſt אשר, verti poteſt *fac ire*, vel *deducito, cor tuum*. Quod ad ſenſum ſpectat, ordinem verborum obſervamus. Primus gradus ad ſapientiam eſt *audire* & obtemperare rectè monentibus, quâ ratione comparatur intelligentia. Nam *ſapere* non poſſunt juvenes niſi *audiant*; & poſt doctrinam ſequitur opus. *Dirigere per viam cor* eſt juxta præſcriptum Divinæ legis vivere, non ſequi cor noſtrum & ſenſum noſtrum, ſed *redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*, 2 Cor. 10. Quaſi præfatiunculam hunc verſiculum præmiſit, dicturus de Conviviis & Compotationibus, à quibus non ſine magna difficultate abſtinent juvenes.

20, 21. *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt.* Heb. *Nè ſis inter compotatores vini, inter comeſſatores carnis ſibi. Quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur; & veſtietur pannis dormitatio.* Pro voce Hebræa quam ſuperiori verſiculo *comeſſatores* rectè verterat Interpres hîc *ſymbolum* ſubſtituit. Heb. *Nam potator & comeſſator ad pauperiem redigetur; & laceras veſtes* (vel *detritos pannos*) *induet dormitatio*] Juventus ipſa ad luxum & otium prona eſt, præſertim ubi coæqualium turba convenerit, qui ſeſe mutuò ad *ebrietatem* & *comeſſationes* invitant. Quæ res obſtant vel maximè ſapientiæ diſcendæ. Nam *ad inopiam deveniunt comeſſatores*, conſumptis rebus nihil lucrantur, ſed *ſomno indulgentes veſtitu* quoque *carent* honeſto. Iſti quàm longiſſimè ſunt alieni à vera ſapientia qui nè præſentem quidem vitam cum honeſtate tueri poſſunt, ſed *crapulâ* & *ebrietate* & *ſomno* contemptibiles ſeipſos reddunt & *pannoſos*: unde magnum dedecus redit ad parentes, qui non rectè inſtituerunt filium ſuum; vel potiùs ad juvenem, qui rectè monentibus noluit auſcultare: unde ſequitur,

22. *Audi patrem tuum qui genuit te; & nè contemnas cùm ſenuerit mater tua.*] *Non eris inter ebrios & comeſſatores* ſi *patrem audire* volueris *qui te genuit.* q. d. Nemo te chariùs amat quàm pater. Bibaces & edaces, amici menſæ duntaxat, ſuum quærunt commodum, non tuum honorem. Nullus eſt *Pater* uſque adeo alienus ab affectu naturali & amore paterno, qui non commonefaciat aliquando filium quod ex re ſua eſſe poſſit: *Matres* quoque de liberis ſunt admodum ſolicitæ, quæ tametſi *vetulæ* & provectioris ætatis non videantur tantum ſapere neque valere conſilio, tamen à filio ſapiente honoranda *non contemnenda eſt mater. Pater* verò eſt *auſcultandus* potiùs quàm compotatores. *Deum Patrem audiendum, & Legem matrem non eſſe contemnendam*, per Allegoriam etiam Hebræi intelligunt. Nos prætereà ſpiritualem in Chriſto Jeſu generationem agnoſcimus per concionatores verbi Dei, ut ſcribitur, *In Chriſto Jeſu ego vos genui.* Et *matrem* habemus Chriſti Sponſam Eccleſiam Catholicam; quam mundavit ſanguine, quæ *contemnenda non eſt*, etiam ſi pulcritudine virtutum non tam ornata fuerit ut olim; Martyrum nece & Monachorum continentiâ ac Virginum integritate, *pulcra ut Sol, electa ut Luna*, ac ſine macula eſſe videatur.

23. *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam & doctrinam & intelligentiam*] Metaphoricè ſignificat nihil charius habendum quàm *veritatem* quam *omnibus venditis*, ſi opus eſt, *comparare* debemus, juxta parabolam Euangelicam Matth. 13. *Simile eſt Regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui inventâ unâ pretioſâ*, videlicet veritate Catholicâ, *dedit omnia ſua, & comparavit eam.* Omnes ſcientias, omnes artes & opes contempſit præ illa; nam quæ vendimus, viliùs æſtimamus; quæ verò emimus, pluris facimus. Idcirco nihil horum, neque *ſapientiam*, neque *doctrinam*, neque *intelligentiam*, debemus *vendere*, h. e. vili æſtimare. Sunt ex Hebræis qui ſimpliciter intelligunt, Conducendum, ſi opus eſt, præceptorem, quò veritatem diſcas; h. e. nullis parcendum ſumptibus ut ſapiens evadas: Verùm docere gratis debes, neque pecuniis aut rebus caducis æſtimanda ſunt Sapientia & Veritas. *Gratis accepiſtis, gratis date*, Matth. 10. Aliter, ſi verbum קנה, quod hoc in loco habetur, ſignificat *poſſidere*; ad hunc modum verti debet, *Poſſide veritatem*: & erit ſenſus, In veritate poſſide quæcunque poſſides, & ſine injuria alterius; *& nè vendas ſapientiam*, h. e. Noli perdere vel amittere ſapientiam. Dum poſſeſſionem acquiris alicujus rei abſque veritate, videris *vendere & alienare à te ſapientiam*: quod nè fiat, ullam poſſeſſionem pluris æſtimans, ſuperiùs monuit, *In omni poſſeſſione tua poſſide ſapientiam*, cap. 3.

24, 25. *Exſultat gaudio pater juſti, & qui ſapientem genuit, lætabitur in eo.* Heb. *Exſultando exſultabitur in eo. Gaudeat pater tuus & mater tua, & exſultet quæ genuit te*; vel, *exſultabit genitrix tua*] Juvenes ad probitatem & virtutis amorem inducere & à vitiis deterrere modis omnibus conatur Sapiens. Nunc minas addens, *virgæ* facit mentionem; nunc *exſultationis* & *lætitiæ*, quam unà cum parentibus capiunt morigeri & ſtudioſi filii. Obſervandum eſt non multum eſſe diſcriminis apud Salomonem inter *juſtum* & *ſapientem*, ſed unum pro altero poni. Porrò repetitio *exſultationis* & *gaudii* plenitudinem & magnam copiam lætitiæ ſignificat, *Exſultando exſultabit pater juſti.* Duplex eſt exſultatio, quòd filium habeat & hæredem per quem nomen inter homines relinquet, per quem immortalis quodammodo vivet in mundo, & vivet cum laude, qui tantâ curâ educavit filium ut *juſtus* eſſet & *ſapiens*. Cùm hanc de ſe exiſtimationem ſit relicturus, meritò *exſultando exſultabit pater ſapientis filii.* ¶ *Lætabitur pater tuus & mater*] Si paternus non te moveat affectus, ſi uſqueadeo ingratus es & inhumanus ut neque naturæ neque pietatis legibus cohiberi poſſis, h. e. patris causâ cogi ad virtutis ſtudium, ad juſtitiæ culturam & ad ſapientiæ amorem, ſaltem maternus te moveat affectus. Ut *ſtultus filius triſtitia eſt matris*, ſic ſi *juſtus ac ſapiens* fueris, *lætabitur mater tua.* Æquum eſt ut vices illi rependas: tuâ causâ graviſſima quæque perpeſſa eſt, dolores ſuſtinuit immenſos, juxta pœnam primæ mulieri inflictam, Gen. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Qui doloris igitur cauſa exſtiteris, viciſſim lætitiæ materiam præbe; da operam ut mater tua de tua gaudeat probitate. ¶ *Et exſultabit genitrix tua*] Vel eſt geminata ſententia, vel Nutricem cum aliquot expoſitoribus intelligimus, cujus memoria eſt viris probis jucunda & honorabilis. Atque ità totius familiæ lætitiam expleas ſolus; quod ut præſtes, ab iis vitiis maximè cavendum eſt quibus eſt maximè obnoxia juventus.

26, 27, 28. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant. Quia fovea profunda meretrix, & puteus anguſtus aliena. Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos invenerit, interficiet.* Heb. *Etiam ipſa quaſi præda inſidiabitur, & tranſgreſſores inter homines addet*, vel, *augebit*] Superiùs

contra Luxum & Crapulam juventutis, hoc loco contra Libidinem & Impudicitiam dicturus Salomon, & crebris & efficaciſſimis admonitionibus utitur, quòd hæc vitia altiùs eorum animis inhæreant; & proinde *cor ſibi* petit *dari, & oculos* qui ſunt velut feneſtræ per quas ingrediuntur vana & nocua deſideria ad animum. *Dare ſapienti cor* eſt ex animo & libenter velle audire illius præcepta, quas *vias ſuas* vocat. Petit ut *oculi cuſtodiant vias ſapientiæ*, nè *videant mulierem ad concupiſcendam eam*, Matth. 5. Et hoc eſt quod ſequitur, *Fovea profunda meretrix*] *Foveæ profundæ* comparatur, vel quòd nullus neque modus neque finis ſit in amore meretricio, creſcente videlicet cum ſtupro & fornicatione peccandi deſiderio & libidine; vel quòd ut ab alta fovea facilis non ſit aſcenſus, ſed collapſus ſemel de vita periclitatur, ità qui ſemel in amplexus meretricis incidit ſeſe facilè extricare non poterit, ſed illius voluntati cogitur inſervire, & *ſequitur tanquam bos ductus ad victimam*, ut ſuperiùs lectum eſt. ¶ *Et puteus anguſtus aliena*] Ut hinc nequeas evadere, aut aſcendere facilè non poteris: ità tot anguſtiis implicantur qui impudico mulierum amore ſemel ſunt comprehenſi, ut ampliùs ſui juris eſſe non videantur. ¶ *Etiam ipſa inſidiabitur veluti præda*] Si legamus cum Hieronymo *quaſi latro*, erit ſenſus, Meretricem non minùs neci & perniciei juvenum *inſidiari* quàm ſuis prædis *latrones*: unde multos ad *prævaricationem Legis* cogit & *addit*. Aliter, Inſidiari ſolet meretrix capiendis juvenibus ut latro inſidiatur prædæ ſuæ, h. e. nemini parcens. Sed ut ille maximè inſectatur quos auro onuſtos novit, ità hæc virtutibus ornatiſſimos quoſque. Porrò ut latro ſuos habet comites, ità ſcortum homines *prævaricatores* ſibi ſolet *adjungere*. Sed de ſenſu hiſtorico ſuperiùs variis in locis dictum eſt. Quod ad ſublimiorem ſenſum ſpectat, Valde *profunda fovea* eſt perverſa doctrina & hæreticorum dogmata, qui tanquam meretricem aliam Eccleſiam ſibi ſtatuunt, relictâ verâ Chriſti Sponſâ; *profunda*, inquam, *fovea*, in qua tam facilè ſubmerguntur homines, à qua magnâ difficultate emergunt. *Fovea profunda* eſt hæreticorum doctrina, ut quæ fundum non habet nec ſtabile fundamentum; ut ſcribit Hieronymus: *Tamdiu quærunt hæretici nova veteribus jungere, & eadem recentioribus mutare, donec & ſenſus humanus & ſermo deficiant*, Hæc ille ſuper cap. 5. Eſaiæ. Porrò hæreticorum inſidiæ, quibus conantur in ſuam ſectam trahere rudes & imperitos, ſunt hoc noſtro ſeculo heu nimiùm noti, tot *prævaricatoribus inter homines conſtitutis*, pervagante videlicet ubique Lutheranorum ſectâ. Sed pœnas dabunt & qui meretricum amore, & qui hæreticorum fraude capiuntur; juxta ea quæ ſequuntur,

29,——32. *Cui væ? cui patri væ? cujus rixæ? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffoſſio oculorum?* Heb. *Cui væ? cui dolor? cui lites, ſive rixæ? cui locutio? cui vulnera ſine cauſâ? cui rubedo oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Heb. *Morantibus in vino, euntibus ad quærendum mixtum. Nè intuearis vinum quando flaveſcit: cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè.* Heb. *Nè intuearis vinum quando rubeſcit, cum dederit in calice colorem ſuum. Ibit per rectitudines, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Heb. *In noviſſimo ſuo ſicut ſerpens mordebit, & ſicut regulus dolore afficiet, vel punget*] Modis omnibus filium conatur retrahere ab his vitiis quibus juventus maximè eſt obnoxia, & ad ſanam mentem & ſapientiam perducere: quod potiſſimùm decet juvenes facere, timore & amore parentum, ut *pater & mater gaudeant* de probitate filii. Quòd ſi virtutis amore parere noluerint, ſaltem timore pœnæ & criminum turpitudine diſcant à craſſis vitiis carnis, nempe Luxu, Libidine & Crapula, cavere. Ferunt enim hæc vitia ſua ſecum mala atque cruciatus. De Libidine & amore meretricio, & quantas ſecum trahat anguſtias & vincula, à quibus non poſſis teipſum extricare cùm ſemel fueris irretitus, dictum eſt. Nunc de reliquis audiamus. *Cui væ? & cujus patri væ?*] Sic ſolus Hieronymus, in duas voces reſolvens unicam dictionem Hebræam duntaxat, juxta lectionem hodiernam omnium. Et omnino ſi proferantur hæ voces אבוי & אבי, & non cernantur oculis, per ſolum auditum diſcrimen ponere non poſſis, quamvis in ſignificatione diſcrimen ſit latiſſimum. Nam prima quam in contextu habemus Hebræo ſignificat *væ*, ſive *paupertatem* vel *mendicitatem*. In ſecunda verò, ut Hieronymus hoc in loco intellexit, ſunt duæ dictiones, nempe אב *pater*, & וי *væ*. Hieronymum verò non ex ſcripto ſed ex auditu tranſtuliſſe facilè adducor ut credam: quandoquidem teſtatur alicubi *ſe tres Salomonis libros triduo Latinitati donaſſe*. A. Lxx. omiſſa eſt hæc particula; nam, *Cui tumultus?* legunt, ad Hebræam veritatem propiùs accedentes. Hebræi אוי *væ*, & אבוי duas dolentium voces interpretantur, q. d. *Cui tanta contingent anguſtiæ & miſeriæ ut Ohe & Aohe clamare cogatur*, in corpore videlicet malè affectus, & in rebus ad mendicitatem redactus? ¶ *Cui rixæ?*] Lxx. τίνι θόρυβος; *cui tumultus?* Levi Ben Gerſon, *diſſenſiones, irritationes, quæ inter pocula oriri ſolent cum magno compotatorum dedecore.* ¶ *Cui fovea?*] In Hebræo שיח etiam hoc loco videtur Hieronymus legiſſe vel ſine punctis, vel ex auditu, non ex ſcripto traduxiſſe. Leviſſimum diſcrimen eſt inter Schin & Sin literas, cum quarum priore ſcribitur שוח verbum, quod *inclinare* ſignificat, unde nomen שוחה *fovea*; cum ſecunda verò verbum שיח *meditari*, *loqui*, unde nomen שיח *meditatio*, *locutio*, & *loquacitas* in malam partem. Hanc poſteriorem lectionem & ſignificationem omnes ſequuntur Interpretes, & loco magis quadrat; ut ſub poculis naſcantur lites & ſermones inamœni & nocentes, objurgationes videlicet, ex quibus ſequuntur pugnæ & vulnera. Unde ſequitur, ¶ *Cui ſine cauſa vulnera?*] Vel quòd temere inter ebrios oriantur pugnæ & plagæ, aliquando inter amicos, & ob rem nihili, vel quòd *vulnera ſine cauſa & fruſtrà* ſuſtineant homines, ſi quæ ſuſtineant non in defenſione patriæ nec ob bonum publicum. ¶ *Cui ſuffoſſio oculorum*] Alii *rubedo oculorum*, neque poteſt aliter intelligi juxta Hebræos. Hieronymus fuit offenſus, ni fallor, eâ ſignificatione vocis, cùm alibi ſumatur in bonam partem, nempe Gen. 49. *Rubicundiores oculi ejus vino.* Non videbatur congruere idem elogium ebrioſis aptare, quos reprehendit; & Meſſiæ, quem Spiritu prophetico laudavit Jacob. Lxx. *lividos oculos* interpretantur, ſive *nigros*; τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί; Latini codices aliquot, quos caſtigatiores eſſe puto, habent *ſuffuſio oculorum*, quemadmodum legit & interpretatur Beda, ad *caliginem & cæcitatem oculorum* referens quæ ex immodico vino quandoque accidit. Connumeratis plurimis malis & maximis damnis, quorum etſi non omnia omnibus compotatoribus accidant, omnibus tamen ex his aliqua contingunt. Aliis vel corporis totius *væ* & miſeria, vel *væ* in rebus externis ad mendicitatem devolutus contigit; aliis contingit *oculorum cæcitas*, & *rubedo* totius oris: Alii vel accipiunt vel infligunt *vulnera* per inſaniam; alii linguæ impotentiam frænare non valentes, *rixantur & objurgant* pluſquam muliebriter: Sunt denique qui in futilem laxant linguam *verboſitatem*, poſteaquam cerebrum occupaverit vinum, ut ampliùs pro hominibus haberi non poſſint. Hæc longè abſurdiſſima ob oculos ponens per admirationem vel interrogationem, auditoris animum ſuſpendit: Ut ſi qui fuerint huic vitio ebrietatis obnoxii, tantas tamen abſurditates non poterunt non condemnare, non abhorrere (ſic abſolutè præpoſitas, quas ſi ſtatim cum vini amatoribus conjunxiſſet, minùs idoneos, minuſque benevolos aliquot habuiſſet auditores: Nunc verò tot connumeratis malis, quæ nemo vel ſenſu communi præditus poſſit comprobare, tandem ad eos qui dies nocteſque potando conſumunt, ſubitò deflectit ſermonem, ut jam vel nolentes ſua vitia cernere veluti in ſpeculo cogantur, qui alioqui huc oculos flectere noluiſſent. Sequitur, ¶ *Nonne his qui morantur in vino?*] Abſque interrogatione legunt Hebræi, *His qui protrahunt tempus*, ſup. vel *qui ſeipſos immorari faciunt & tempus conſumere*; & ſic Lxx. Οὐ τῶν ἐγχρονιζόντων ἐν οἴνοις, *ſuper vinum*, quærentes non ſolùm plurimum vini bibere, ſed quàm plurimum tempus inter bibendum conſumere. ¶ *Et ſtudent calicibus epotandis.* Heb. *His qui eunt ad inveſtigandum mixtum*, vel potiùs *temperatum vinum*: vel *qui quærunt locum ubi vina miſcentur*, h. e. convivia celebrantur: & ſic Lxx. ἢ τῶν ἰχνευόντων ποῦ πότοι γίνονται; *Nonne inveſtigantium ubi convivia fiunt?* ¶ *Nè intuearis vinum quando flaveſcit*] Vel *rubeſcit*, ut eſt in Hebræo. Quamvis iſta videantur levia, tamen viſum eſt Sapienti minima non eſſe negligenda. Nam ex parvis initiis res maximæ naſcuntur, & *ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, 1 Theſ. 5. In contrariam partem flectenda eſt virga curva, ut aliquando recta fiat. Qui his vitiis ſunt obnoxii, nempe Crapulâ & Ebrietate, amputare occaſiones, non provocare vel accendere gulam, debent. Accenditur autem dum quis non naturæ neceſſitati ſatisfacit, ſed otioſè ſenſus oblectat. Quod in contextu habemus de *colore vini non contemplando* ad quaſcunque ſenſuum illecebras referri poteſt: q. d. ut hi qui ſeſe oblectant poculorum aſpectu, plus juſto nonnunquam bibunt. ¶ *Nam rectius ibit*] h. e. Majore facilitate & dulcedine per fauces videtur deſcendere merum quod oculis vehementer placuit. Ità in reliquis morbis animæ, ingens ubique ex ſenſibus ad mentem & rationem ſubvertendam comparatur aditus. *Nè contempleris* igitur *vinum*; h. e. externos cohibe ſenſus, per quos recto tramite voluptates ingrediuntur ad animam, & vitia carnis facilè ſuperabis. Nam ut vinum quod valde placuit oculis ſine obſtaculo ingreditur, ſic vix poteſt animus recuſare quod externis ſenſibus ſæpe ingeſtum vehementer arriſit. Et proinde non initia voluptatum, quæ blanda ſunt, ſed exitus, qui ſunt acerbiſſimi, ſpectare debes. Magna cum amœnitate ingreſſum eſt vinum, *ſed poſtea mordebit ut colu-*

ut coluber, dum rationis integritatem evertit, dum corporis contemperaturam confundit, & ex Homine Porcum facit aut Canem; imò ad inſaniam transfert, non minùs quàm ſi quis à *colubro* aut *regulo fuerit ictus*. Hæc abſurda, & alia quæ ſequuntur in contextu, antè videre oportet, & cohibere ſenſus.

33, 34, 35. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa. Et eris velut dormiens in medio maris, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo.* Heb. *Et eris ut dormiens in corde maris, & ſicut dormiens in capite mali. Et dices, verberaverunt me, ſed non dolui: traxerunt me, ſed non ſenſi: quando evigilabo & rurſus vina reperiam?* Heb. *Verberaverunt me, non ægrotavi: concuſſerunt me, non cognovi: quando expergiſcar, addam, inveſtigabo illud*] Adhuc proſequitur Salomon abſurda quæ ſequuntur ex immodico vino, quod immodicè hauſtum, poſt everſam mentis ſerenitatem, & inductam inſaniam, in ſomnum gravem & amarum reſolvit hominem. *Oculi tui videbunt extraneas*] *Viſiones* intelligunt major pars Interpretum. Aben-Hezra ſubintelligit *mulieres extraneas*; ut ſit ſenſus non alienus ab eo quod ſcribit Hieronymus alicubi, *Venter æſtuans mero ſpumat in libidinem*. Alioqui mihi magis arridet prior expoſitio. *Viſiones* intelligimus ſive quæ in ſomnis ſive quæ mentibus ebriorum occurrunt: unde & *corda eorum loquuntur perverſa*, veritati contraria, vel contraria æquo & bono; idque ex animo, non jocando aut ridendo, ut ſolent qui hilaritatem quandam præ ſe ferunt: ſed hi qui vino mordentur, in rebus vanis & ſomniis ſimilibus ſunt vehementes. Aliter, *cor tuum loquetur*, cogitabit *perverſa*, *cùm oculi tui viderint mulieres extraneas*, h. e. alterius familiæ, quæ non ſunt neque ſorores neque uxor tua, vel quæ ſunt alterius religionis & ſectæ: captum videlicet illarum amore, iniqua cogitabit cor tuum, nempe te velle eis potiri per fas vel nefas; quod *perverſum* & legi Dei contrarium eſt. ¶ *Et eris velut dormiens.*] Qui dormiunt vel jacent in navi putant omnia moveri & ſeipſos quieſcere: idem contingit ebriis; putant terram moveri. Aliter, Eris vehementer jactatus, ut nè dormire quidem poſſis quietè: q. d. neque vigilare cum decore neque dormire cum quiete poteris. Nam qui *in ſummitate mali dormire* conantur, jactationes graviſſimas patiuntur. Aliter, ut ſit Metaphorica locutio, *Eris tanquam nauclerus qui ſtertit dum per medium maris navigat*, penès quem totius navis ſalus eſt; *aut eris velut ille qui in ſummitate mali conſtitutus*, quatenus vel de adventu piratarum ſignificet, vel portum & terram ſpeculetur: ut iſtis, inquam, *dormientibus*, dum *per medium maris* navigatur, omnium qui in mari ſunt periclitatur ſalus, ſic erit is qui vino ſepultus abſurda ſive contraria aliis hominibus & videt & loquitur; navem ſuam in curſu hujus vitæ rectè gubernare non poteſt. Nam *dormiente nauclero*, h. e. Mente & Ratione (dormit autem quando voluptatibus vacant ſenſus) reliqui nautæ, h. e. reliquæ potentiæ, fruſtrà laborant remigando. Sicut abſente Chriſto *totâ nocte* Apoſtoli *laborantes nihil ceperunt*, Luc. 5. Nam Mens reliquis animæ viribus præeſſe debet, & vigilare veluti *in ſummitate mali navis*, nè à piratis aut prædonibus ſpoliata navicula corporis noſtri ſubmergatur ac ſuffocetur à voluptatibus vitæ. ¶ *Percuſſerunt me*] Cùm multis modis miſera ſit conditio ebriorum, in hoc tamen miſerrimi ſunt quòd ſua mala minimè omnino ſentiant. Nam injuriam accipiunt & opprobria frequenter, nonnunquam etiam vapulant, ut poſſit dicere unuſquiſque eorum, *Percuſſerunt me*, h. e. Vel revera plagas paſſus ſum & verbera ſuſtinui, vel injurias ſuſtinui & irriſiones & ſcommata; *& tamen non ægrotavi*, non ſum læſus. ¶ *Traxerunt me*] Vel, ut eſt in Hebræo, *fregerunt, contriverunt me, & non novi*, ſc. *quis fecerit*; vel *non novi me tam abſurda paſſum donec expergiſcerer*. Sed omnium denique abſurdiſſimum eſt, quòd cùm ſentiant ſe omnium eſſe miſerrimos, obnoxios injuriis, obnoxios tot malis, tamen ſtatim ubi excitantur, ubi ad ſe redierint, ad eadem mala, *tanquam ſus lota ad volutabrum*, 2 Pet. 2. redire feſtinant.

DRUSIUS.

2. וְשַׂמְתָּ שַׂכִּין בְּלֹעֶךָ. A. *καὶ θήσεις μάχαιραν ἐν καταπόσει σου, & pones gladium in gula tua.* Th. *θήσεις μάχαιραν τῷ λάρυγγί σου, pones gladium in gutture tuo*] Κατάποσις ab aliis exponitur *faucium meatus*, & ab aliis *deglutiendi meatus*. Lex. V. Κατάποσις, *vorago*. ¶ *In gutture tuo*, ſic Hier.

3. וְהוּא לֶחֶם כְּזָבִים. A. Th. *καὶ αὐτὸς ἄρτος ψευσμάτων, & ipſe panis mendaciorum.*

4. אַל־תִּיגַע לְהַעֲשִׁיר. A. *Μὴ κοπία τοῦ πλουτῆσαι, Nè labora ut diteſcas.* ¶ מִבִּינָתְךָ. A. Th. *ἀπὸ τῆς συνέσεώς σου, à prudentia iſta tua.* ¶ חֲדָל. Th. *παῦσαι ceſſa.*

5. יָעוּף הַשָּׁמָיִם. A. S. Th. *καὶ πετασθήσεται εἰς τὸν οὐρανόν, & volabit in cœlum.*

6. רַע עָיִן. Lxx. *ἀνδρὶ βασκάνῳ, invido.* Schol. *πονηροῦ ὀφθαλμοῦ, maligni oculi*] i. e. Avaro. ¶ לְמַטְעַמֹּתָיו. A. S. *τῶν ἐδεσμάτων αὐτοῦ, cibos ejus.*

7. שָׁעַר בְּנַפְשׁוֹ. S. *εἰκάζων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ, conjectans animo ſuo*] Vel *conjiciens*. Hier. *in ſimilitudinem arioli & conjectoris.* Gen. 26. 12. מֵאָה שְׁעָרִים. A. *ἑκατὸν εἰκασμένον*, Apud Magiſtros שער, *conjicio*, *εἰκάζω*.

10. אַל־תַּסֵּג. S. *μὴ μετακινήσῃς, nè dimoveas*] Vel *transmoveas*. Scripſi *μετακινήσῃς*, ſenſu ità poſtulante, cùm in ed. Rom. reperiſſem *μετανικήσῃς*; tanquam à *μετανικάω, devinco*, quod neſcio an uſitatum ſit Græcis.

11. כִּי־גֹאֲלָם חָזָק הוּא־יָרִיב. A. S. Th. *ἀγχιστεὺς αὐτῶν ἰσχύων, αὐτὸς δικάσεται, propinquus illorum robore valens, ipſe judicabit*] *Diſceptabit.*

12. אִמְרֵי־דָעַת: A. S. Th. *λόγοις γνώσεως, ſermonibus ſcientiæ.*

16. וְתַעֲלֹזְנָה כִלְיוֹתָי בְּדַבֵּר שְׂפָתֶיךָ מֵישָׁרִים. S. *Καὶ γαυριάσουσιν οἱ νεφροί μου ἐν τῷ λαλεῖν τὰ χείλη σου εὐθῆ, Et exſultabunt renes mei cùm loquentur labia tua rectum.* A. - - - *εὐθεία, recta*] Εὐθῆ, accuſativus ab εὐθὺς, qui & in Eccleſiaſte invenitur, & apud Damaſcenum. Licet etiam vertere *εὐθῆ, recta*, ut ſit pluralis à ſing. *εὐθές*. ¶ *Εὐθεία*, ſuſpectum. Quid ſi *εὐθείας* ut ὁδὸς aut aliquid ſimile ſubaudiatur?

18. לֹא תִכָּרֵת. A. S. *οὐκ ἐξολοθρευθήσεται, non exſcindetur.*

19. בַּדֶּרֶךְ. A. S. Th. *ἐν ὁδῷ, in via.*

20. בְּזֹלְלֵי בָשָׂר לָמוֹ. Th. *ἐν συμβολοκοποῦσι κρέας ἐν ἑαυτοῖς, in iis qui ſymbolam dant carnem inter ſeſe.*

21. וְזוֹלֵל. A. S. Th. *συμβολοκόπος, ſymbolam dans*] i. e. Comeſſator, lurco.

23. אֱמֶת קְנֵה וְאַל־תִּמְכֹּר חָכְמָה וּמוּסָר וּבִינָה. * Ἀλήθειαν κτῆσαι, *καὶ μὴ ἀπώσῃ σοφίαν καὶ παιδείαν καὶ σύνεσιν, Veritatem compara, & ne repellas ſapientiam aut diſciplinam aut intelligentiam.*

26. תִּרְצֶנָה S. *θελησάτωσαν, velint*] i. e. תִּרְצֶנָה. Nunc legunt תִּצֹּרְנָה, i. e. *conſervent*.

27. כִּי־שׁוּחָה עֲמֻקָּה זוֹנָה. S. Ὅτι *ὄρυγμα βαθὺ πόρνη, Quoniam foſſa profunda, meretrix.* ¶ נָכְרִיָּה. S. *ἀλλοτρία, aliena.* Th. *ξένη, peregrina.*

28. וּבוֹגְדִים בְּאָדָם תּוֹסִף. Th. *καὶ ἀσυνθετοῦντας ἐν ἀνθρώποις ἀπαλλάξει, & prævaricatores inter homines immutabit.*

29. חִנָּם. A. S. Th. *δωρεὰν, gratis.* ¶ חַכְלִלוּת. A. *καθαροὶ, puri.* S. *χαροποὶ, cærulei.*

30. לַבָּאִים לַחְקֹר מִמְסָךְ. Th. *οὐ τοῖς ἐξερχομένοις τοῦ ἐξερευνῆσαι κεράσματα, non egredientibus ſcrutari mixturas.*

33. תַהְפֻּכוֹת. S. *στρεβλὰ, tortuoſa.*

34. וְהָיִיתָ כְּשֹׁכֵב. A. S. Th. *καὶ ἔσῃ ὥσπερ κοιμώμενος, & eris ut qui cubat*] Sive *dormit*.

35. הִכּוּנִי. Schol. *ἔτυπτον, verberarunt.* ¶ הֲלָמוּנִי. Th. *ἀνεκρότησάν με.* ¶ אָקִיץ. A. S. Th. *ἐξυπνισθήσομαι, expergiſcar.*

AMAMA.

Sederis] Ergo tunc ſedebant? Vide paſſionalia noſtra. Conf. Sirach. 31. 12. Ezech. 23. 41. Gen. 43. Eb. ישב per אסתחר accumbere tranſtulit Oncelos. Amoſ. 2. 8. Tob. 2. 1. *Καὶ ἀνέπεσα τοῦ φαγεῖν*, accubui.

• Senſus, cum principibus converſaturus animum ſuum temperare debet. Hoc enim à convictus ratione ad omnem converſationem transferendum eſt.

בין תבין, *νοητῶς νοεῖ*. Vide Reg. Text.

2. Proponit incommoda intemperantiæ. Sic Aben. *Cultros vel cultrum poneres in faucibus tuis*, i. e. ſummum damnum tibi acceerſes ſi fueris Dominus gulæ, quod intelligendum vel de periculo eliminationis ſecretorum, vel de malis ebrietatis quæ ſunt inſtar cultrorum. Vide finem capitis. Si autem conjungas eum verſu præcedenti, videtur hoc ideo dictum quod Principibus hoc in more ſit vel ut eliciant arcana, vel ut voluptatem ex eo hauriant. El. Saxon. Hinc excuſationes. Aug. *perſona potens coëgit me*, &c.

Alii, *Pone ſpinas in Gutture tuo, ſi*, &c. Sepi guttur tuum ſpinis. Sic Sirach. 28. 28. *περίφραξον τὸ οὖς σου ἀκάνθαις.*

נפש] Sc. appetentis. ראה. Locus geminus. Eſ. 56. Canes עזי נפש neſcientes ſatiari.

שכין Spinæ. Num. 33. 55. Ubi tamen eſt שכים à שכך, alii, à שך ſepivit. Cùm cultrum ſignificat ; eſt radicale, & ordinariè eſt cum ס. Chald. magis quam Ebra. Gen. 22. מאכלת. Ch. סכינא. Prov. סכינא ביד כסיל סכנה.

Panis mendax] Suavis ad tempus, ſed amicitia non eſt ſtabilis, perpetua.

4. *A prudentia tua ceſſa*] Prudentia ſc. comparandi divitias

per fas & nefas. Vel, *ceſſabis*. Si videl. nimium te delaſſaveris. &c.

5. ואינו. *Et non ſunt*, i.e. quæ vel quod non eſt. Intelligit divitias. At quomodo divitiæ non ſunt. Sunt i. e. manent. Sunt enim inſtabiles. *Eſſe* pro *manere* 1 Reg. 11. 32. Ubi Propheta Ahias ad Jeroboam de Rehabeam, *Tribus autem una erit ei, propter ſervum meum David*. Pſ. 64. 8. *Erunt plagæ ipſorum*. Pſ. 89. 37. *Semen ejus in ſeculum erit*. Dan. 1. v. ult. *Et fuit Daniel uſque ad annum primum Cyri*.

Vau pro אשר Mal. 3. 1. *Ecce ego mitto angelum meum* ופנה ὃς κατασκευάσει, Math. 11. 10.

נשר aquila, à נשר decidit, quod plumæ ejus quotannis cadant, aliis ſuccreſcentibus, ſeu repullulantibus. ἀετός.

Pennæ divitiarum ſunt, ærugo, tineæ, blattæ, fures, latrones, bellum, incendia, &c.

6. *Mali oculo*] i. e. Sordidi, avari. In oppoſito habet *bonum oculo*. Supra 22. 9. *Bonus oculo ipſe benedicetur cum dederit de pane ſuo tenui*. Significat & *invidum*. Sic LXX. μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ, *invido*. βασκαίνω faſcino & invideo. Credebant oculis ineſſe vim faſcinandi, atque huc citant Sirach. 31. 15. *Nihil nequius creatum eſt oculo*. Reſp. ita dici quod ſit feneſtra & Proxeneta peccati. Dicitur Latinè invidus, quod videre non poſſit fortunam alterius. Sic *invîſus* non viſus, vel quod nimis intueatur, ac inde concipiat invidiam. Prov. 28. *Ad divitias feſtinat vir malus oculo*, i. e. avarus. Deut. 15. *Ne malignus ſit oculus tuus erga egentem*. Matth. 20. 15. εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός, *quia ego bonus*. Hic *invidiam* ſignificat. Mar. 7. 22. *Ex corde egrediuntur malæ cogitationes, adulterium, ſcortatio, cædes, furta, ſcelera, Protervia, oculus malus*.

7. Quia quemadmodum imaginatur in animo ſuo, ſic eſt, i. e. æſtimare illum debes non ex verbis, ſed animo. Ita ſe res habet quemadmodum cogitat, non ut dicit. Verba ejus fallunt.

8. *Evomes*] Velles evomitam, conaberis evomere, adeo faſtidies & nauſeabis ad eum cibum.

Alii, *evome*, ut ſit pro imperativo, q. d. habe eo loco quo noxia quæ ejiciuntur vomitu.

Alioqui perdes, &c.] Fruſtra voles cum Deo miſcere jocundum ſermonem, nam quantum exhilarabis eum loquendo, tantum contriſtabis eum edendo.

9. *Stulti*] Supra 9. 8. *Ne corripias deriſorem ne odio proſequatur te*. Hic de ſtultis in genere, illic de correptione, hic de omni genere conſulti & prudentis ſermonis agit. Scopus, habendum eſſe delectum auditorum quibus ſalutaria monita proponas, nec eſſe minoris prudentiæ ſcire quando tacendum ſit, quàm prudenter & conſideratè loqui.

Sic Chriſtus non eſſe margaritas projiciendas porcis &c. Comprehendit deriſores, porcos, quales Gadareni canes, qui docentes ſe mordent, blaſphemi, 2 Reg. 18. 36. Potu obſtupefacti & rationis uſu privati, 1 Sam. 25. Hujuſmodi porcis non exponendæ margaritæ, nec in ſenticoſo hoc ſolo pretioſum verbi ſemen conjiciendum eſt.

10. *Terminum*] Vid. 22. 28. Limitem lapidem in agro fixum, ut certis finibus arva regat. Quo ſublato confunduntur arva, oriuntur rixæ, cædes. Sic Deut. 19.

Pupillorum. Pſ. 68. 6. Dicitur eorum Pater & defenſor viduarum. Taxat nequitiam hominum, qui à potentiorum fortunis abſtinentes, pauperum & miſerabilium invadunt.

11. גאל] Vindex, Metaph. ab iis, quibus ob cognationem jus eſt redimendi alienatam poſſeſſionem, vel perſonam captam liberandi, vel interfectam ulciſcendi.

Sic dico גואל in Lege is erat, quem propter cognationem oportebat rem aut perſonam venditam redimere: captam liberare, interemptam ulciſci, & defuncti uxorem ducere. De re alienata Ruth. 4. Levit. 25. 25. De perſona interempta Num. 35. 21. Ibique vocatur, *vindex Sanguinis morti tradet occiſorem illum, cùm incidet in eum*. Et verſ. 12. *Erunt vobis Urbes iſtæ in receptum à vindice*. Job. 19. ad Chriſtum transfertur. Hic ad Deum, qui pupillorum patronus & judex. Cavendum eſt ne cum pupillis in judicium deſcendamus. Sanum conſilium cum potentiore non contendere.

13. *Non morietur*] 1. Non erit lethalis caſtigatio ſicut caſtigatio carnificis. Itaque jam virgam adhibe, ne cogatur tandem carnifex adhibere gladium vel laqueum. 2. Non morietur morte æterna, ut verſ. ſeq. *animam ejus ab inferno liberabis*.

Not. In *virga* eſſe, Synecd. pro omni moderatæ caſtigationis inſtrumento.

14. שאול] A שאל poſtulare, quod ore hiante & dilatato repleri expetat. Unde inter res ſatiari neſcias computatur. Prov. 27. & 30. Jeſ. 5. *Infernus dilatavit animam ſuam*. 1. Dicitur de ſepulcro. 2. Inferno. De Sepulcro contra Crocq. & alios & Bell. ut limbum ſuum ſtabiliant. Gen. 37. & alibi. Sic quoque ſtatuunt Arias Montanus, Pagninus, Benedictus, Steuchus, Ferus, Oleaſtr. Cajetan. Lipp. Clarius. Etiam Genebr. ad Pſ. 141. 7. Et Thomas ad Job. 17. 13. Janſ. ad Prov. 15. Rib. in indice Andr. de loco Pſ. 16.

16. *Renes*] Sedes affectuum. Et per renes ſolet intimos affectus intelligere: Senſus ergo, lætitia penetrabit intima mea præcordia.

17. תתנא] Vide Pſalm. 106. 16. In malum ſumitur, ut & cum את conſtruitur. In bonum cum ל, & tunc ſignificat dolere, rem ſibi charam indignè tractari, atque hoc ipſum vindicare velle ac defendere. In malum, dolere alium potiri eo quod tu appetis, odiſſe, invidere Vide Pſalm. 37. 1. Æmulari malos hoc loco eſt, excruciare ſe ob eorum felicitatem.

ביראת] Subint. היה Eſto, perſevera. Junius ſubint. *viros*. At viros timoris Domini, i. e. Dei timentes æmulare. Malè. Nam cum ב conſtruitur nunquam in bonum.

אחרית] 1. Finis. 2. Præmium quod in fine operis perſolvatur, plane ut עקב. Sic Jer. 29. 10. Et 1 Pet. 1. 9. *Reportantes* τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, σωτηρίαν ψυχῶν.

בסובאי] סבא οἰνοφλυγῶν, οἰνοπότης. Hic vertunt μὴ ἴσθι οἰνοπότης. Vide Reg. Text. ſignificat & *potum* Jeſ. 1. בסאך.

זולל] Liguritor. LXX. aliquando ἄσωτος, aliquando συμβολοκοπῶν, vacans commeſſationibus. Vox ea πρώτως ſignificat vilem.

22. כי זקנה] Ab. אף על פי quamvis. Sic Joſ. 17. 18. Nam expelles Cananeum כי רכב ברזל לו כי חזק הוא. Utrobique *quamvis*. Sic Geneſ. 48.

26. Cor & oculos poſtulat. Sunt enim duo proxenetæ peccati. Ex corde cogitationes malæ. Oculus eſt feneſtra Diaboli, &c.

27. V. Verſibus viam ſibi munivit ad ſequentem admonitionem de vitandis libidinibus & ebrietate, & tam operoſâ quaſi ambage præparat animum adoleſcentis. Paradoxum eſt juveni, potare, ſcortari &c. peccata eſſe in adoleſcente.

Argumentum dehortationis eſt à periculo, quod deſcribit à pari. Scortum comparat ſcrobi aut puteo profundo & anguſto. Adjunctum illud profunditatis & anguſtiæ proponit nobis difficultatem inde emergendi. Qui in hunc puteum delabuntur, quotidie tanquam in paluſtri loco magis magisque immerguntur, donec ad infernalis barathri fundum pertingant. Si quem divinæ miſericordiæ funibus ex hoc extrahi contingat, is certè beatus eſt & Deo charus.

28. Alio argumento, à pari periculum amplificat. Comparat ſcortum latroni. Inſidiatur juvenibus.

כחתף] Alii dicunt eſſe raptorem, prædonem, latronem. Alii, rapinam, prædam & ſubint. איש. ל. forma non obſtat concreto מלך Rex. חתף rapuit. Semel extat quoque Job. 9. 12. At חתף idem ſignificat. Bis aut ter. Hinc Hhatephpathach. &c.

Poſteriori hemiſtichio argumentum affert ab effecto ſcortorum, quod in Republ. numerum perfidorum augeant.

בגד fidem frangere, perfidia deſciſcere ab aliquo, optimè quadrat adultero. בגד veſtis & prævaricatio, perfidia. Jeſ. 24. 15. Jer. 12. 1.

29. Tranſit ad deſcribendam formam & effecta ebrietatis. Eſt autem verſibus 29. & 30 oratio figurata conſtans interrogatione & Reſponſione. Unde poſtea eruit documentum. Solet ita Scriptura propoſitura aliquid bene notandum agere, Pſalm. 119. 9. Pſalm. 34. Pſa. 15.

In interrogation. Proponuntur adjuncta ebrietatis, in Reſponſ. Subjectum. Adjuncta ſunt generalia & Specialia. Generale eſt.

אוי væ. Convenit cum הוי quod tantum tertiis perſonis redditur. Dicitur & אויה. Hinc Græci οἴ & ὀιζύω, & ὀιζὺς ὀιζυρός. Continet corporis & animæ æternas & temporales pœnas.

אבוי] Eheu. Melius *Egeſtas* ab אבה. Aben. שם דבר מן אביון. Sic & Kimhi. Vide verſ. 21.

Contentiones, loquacitas] Lingua madida, verborum prodiga, ex hac garrulitate contentiones, rixæ. Hinc pugnæ, hinc.

Vulnera] Et cædes. Hinc Prov. 20. 1. *Deriſor eſt vinum*, &c. Huc Lex. Academ. 36. reſpicit.

Impune] Vel, ſine cauſa. Opponuntur vulneribus quæ in bello pro patria. Vel *impune*, impunita, inulta, dum auctorem neſcit. Vide verſu ultimo ſtuporem illum.

Rubedo] Vox Ebræa ל. Adjectivum extat ſemel quoque Gen. 49. 12. In benedictone Judæ, חכלי לי *rubicundus oculis ex vino, & albus dentibus ex lacte*. Significat hoc loco quaslibet corporis deformitates & morbos, appoplexiam, calculum, debilitatem ſtomachi, Paralyſin, Phreneſin, Podagram, tabem, tremorem membrorum, &c.

30. Reſponſio depingit Subjectum Ebrietatis, Vid. hominem ebrium. Eumdeſcribit à duobus Effectis.

Imme-

Immorantibus] Vel tardantibus, differentibus, ſubint. שבת. Sic plene Pſ. 127. *Fruſtra vobis eſt qui ſurgitis mane* & מאחרי שבת vel proroganτibus. Jeſ. 5. 11. מאחרי בנשף, qui prorogant ſc. potationem.

2. *Effectum*] ממסך Maſach, miſcere vinum aquâ. Ex conſuetudine regionis. Hic per metonym. antecedentis *infundere* & *bibere* ſimpliciter. Jeſ. 5. 22. *Et qui viri roboris ſunt* למסך *ad miſcendam ſiceram.* At quæ ſtrenuitas in mixtione? Ergo, *ad bibendum.* At Druſius conjectat, poſſe exponi *Tabernam.* Si quidem ב aliquando locum denotat, ut משכן, qui quaſi, perveſtigant tabernas, ut quærant vinum optimum & ſodales. Hier. *qui ſtudent calicibus epotandis.*

31. Vide orationem noſtram. Jun. *ambulat*, vel *movet rectiſſime*, i. e. cùm fervet generoſitate ſua & ſpeciem ambulantis exhibet, cum exilit, hæc enim ſunt indicia vini generoſiſſimi.

צפעני] i. צפע Jeſ. 14. 29.

בכוס] Lect. כיס crumena: R. Sal. hoc refert ad ſumptus quos faciunt potores, dum tu intueris vinum & amore ejus raperis, caupo oculos ſuos intentos habet in crumenam tuam.

Alienas] Scorta. Ebrietas naufragium caſtitatis. Ebr. & libido tua dæmonia Fomentum & incentivum libidinis.

In corde maris] i. e. Medio. Sic Prov. 30. 19. Deut. 4. 11. Ezech. 27. 25. Matth. 12.

GROTIUS.

4. NOli laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum] Pro *laborare* rectiùs verteris *fatigari.* Ita enim ſæpe ſumitur יגע. Aquila hic μὴ κοπία [*nè te defatiga.*] Et *prudentiam* intellige, conſilia rei augendæ. Eſt idem ſenſus qui apud Lucillium in Græco Epigrammate:

Εἰ μὲν ζῇς ἐλάφου τανυὸν χρόνον ἠὲ κορώνης,
Συγγνώμη πλεῖστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ·
Εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν οὓς αὐτίκα γῆρας ἰάπτει,
Μή σέγ' ἀπειρεσίων οἶστρος ἕλῃ κτεάνων.
Μὴ σὺ μὲν ἀτλήτοισιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς,
Χρήσωνται δ' ἄλλοι σοῖς ἀγαθοῖς ἀνέδην.
[*Tantas unus opes. ſed poſſem gnoſcere, cervi*
Cornicisſve dies ſi tibi fata darent;
At ſi hominum è numero es, quibus eſt feſtina ſenectus,
Diſtendi immenſis parce cupidinibus:
Nè tua carnifices conſumant corda dolores,
Deque tibi partis vivere des aliis.]

6. *Nè comedas cum homine invido*] In Hebræo, *Nè comedas panem oculi mali.* Vide quæ ad Matth. 20. 15.

10. *Nè attingas parvulorum terminos*] In Hebræo: *Nè moveas terminum ſeculi.* Id eſt, veterem, ut 22. 28. Ovidius ad Terminum:

Omnis erit ſine te litigioſus ager.

27. *Fovea enim profunda eſt meretrix*] Vide quæ ſuprà v. 15. Anaxilaus:

Ἡ δὲ Φρύνη τὴν Χάρυβδιν οὐχὶ πόῤῥω που ποιεῖ;
Τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα καταπέπωκ' αὐτῷ σκάφει.
[*At Charybdin nonne Phryne longè poſt ſe poſtumat?*
Quæ naviculatorem abſorpſit totum cum navi ſua.]

Puteus anguſtus aliena] Adultera. Difficiles exitus.

33. *Oculi tui videbunt extraneas*] Meliùs *extranea.* res miras videre tibi videberis:

Et geminum ſolem, & duplices conſurgere Thebas.

33. *Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo*] In Hebræo: *Et eris ſicut dormiens in medio mari* (id eſt, in inſula fluctibus undiquè concuſſa) aut *ſicut jacens in ſummo mali:* id eſt, ut nunc loquuntur, *in galea navis*, ubi maxima eſt agitatio.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

1. NE *æmuleris*] Exponunt hic Hebræi *æmulari* pro חבר *complacere* & התחבר *aſſociari:* & eſt ſenſus, Noli habere conſortium cum malis hominibus, ſed occupato te cum ſapientia, & inſtaurabitur domus tua, & implebuntur promptuaria tua omnibus bonis.

7. *Sapientia altiores ſunt ſtulto*] Sapientia eſt res arida ſtulto. Deſperat homo ſtultus ſeſe poſſe conſequi ſapientiam, quòd putet illam eſſe ſupra captum ſuum, aut quòd nolit vim facere innatis malis concupiſcentiis. *Non enim tranſit ſapientia in animam malevolam.* ¶ *In porta non aperit os ſuum*] Per *portam* intellige conſeſſum ſapientum & Judicum.

8. *Autorem ſcelerum*] Vel *magiſtrum & fabricatorem malorum conſiliorum.*

10. *Si diſſolutus es*] *Si in tribulatione animo fractus es per impatientiam, exiguum eſt robur tuum.* Alii ſic interpretantur, *Si negligens es ad acquirendum ſapientiam, cùm venerit dies tribulationis, infirma erit virtus tua ad reſiſtendum tentationi.*

11. *Qui rapiuntur ad mortem*] Sub. *ſine culpa ſua*, & qui nihil morte dignum egerunt, *hos libera*, ſi tibi conſtat de innocentia eorum: nec dicas, *Non novi eos*, nec ſcio num commeruerint mortem an non, ſatis eſt tibi teſtimonium *conſcientiæ* tuæ quod Deus *intuetur.* Et ſicut Deus *cuſtodit animam tuam*, ità quoque tu debes conari ut protegas vitam proximi tui: alioquin Deus *reddet tibi juxta opus tuum.*

13. *Comede mel*] Senſus eſt, Sicut dulcia & pinguia corpori grata & ſapida ſunt; ità ſapientia diligentibus eam ſupra modum dulceſcit.

14. *Erit tibi noviſſimum*] Præcedenti capite expoſitum eſt.

16. *Septies enim cadit juſtus*] Hebræi referunt ad mox præcedentem verſum, ut ſit ſenſus, *Noli inſidiari juſto: nam* etſi *cadat ſepties*, h. e. multoties, *in tribulationes, adjutus tamen manu Domini reſurgit;* juxta illud Pſaltis, *Multæ ſunt tribulationes juſtorum, & ex omnibus liberat eos Deus.*

18. *Avertatque iram ſuam*] Quidam ſubaudiunt, *& iraſcatur contra te.*

20. *Noviſſimum*] Hebræi per hoc intelligunt ſobolem, & per *lucernam* intelligunt exſtinctionem vitæ ante tempus.

22. *Et exitium utriuſque*] Quod Deus & Rex tranſgreſſoribus inferre poſſunt; hoc nemo novit. Standum igitur eſt in timore Domini & Regis.

24. *Qui dicit impio, Juſtus es*] h. e. Qui peſſimam cauſam nititur bonam facere, *hunc omnes maledicunt* in quibus vel una mica eſt probitatis. Qui verò rectè judicat, hujus *labia* paſſim populus cupit *oſculari.*

27. *Præpara foris*] Docet ut in primis ea curemus quæ magis ſunt neceſſaria, ut non præpoſterus ordo in rebus gerendis ſervetur. Porrò verbum עתד exponitur hîc pro הכין *in tempore facere.*

33. *Modicum dormiendum*] Hunc verſum cum ſequente explanavi ſuprà cap. 6.

VATABLUS.

1. NE *æmuleris* אל תקנא] Vide c. 23. 17.

2. *Rapinam* שד] *Deſolationem; vaſtationem.* ¶ *Et iniquitatem* ועמל] *Et in labore:* ſubauditâ præpoſitione: i. e. fictè, & propterea cum moleſtia.

3. *Et intelligentiâ ſtabilietur* ובתבונה יתכונן] *Et per prudentiam dirigetur; fiet firma.*

4. *Et ſcientiâ* ובדעת] *Et per ſcientiam.*

5. *Eſt in fortitudine* בעוז] *Pollet viribus.* Alii, *in poteſtate eſt:* i. e. plurimùm valet autoritate. ¶ *Roborat vires* מאמץ כח] *Prævalet robore.* Vel, *fortificat vires*, ſub. *ſuas:* i. e. ſubinde creſcit autoritate

6. *Conſiliis* בתחבולות] *Induſtriis.*

7. *Excelſa* ראמות] *Ardua:* i. e. juxta opinionem ſtulti, ſapientiæ ſunt in loco ad quem pertingere non poteſt: h. e. deſperat ſe poſſe aſſequi ſapientiam; propterea in conventu ſapientum, qui fit *in porta*, nè hiſcere quidem audebit.

8. *Virum cogitationum*, &c. בעל מזמות יקראו] *Magiſtrum cogitationum vocare ſolent.* Fut. Heb. pro præſ. Gallicè, *ſonge malice.*

10. *Remiſſus fueris* התרפית] *Dejecto animo fueris.* Alii, *Negligens fueris.* ¶ *Anguſta erit fortitudo tua* צר כחכה] i. e. Non poteris ferre tribulationem.

11. *Eruere eos qui*, &c. הצל לקוחים וגו'] Verſus iſte junctus ſequenti, hoc ordine legendus, poſteriora præponendo, *Si contineas te quominus eruas eos qui rapiuntur ad mortem, & eos qui ultro pergunt ad occiſionem, Quando dices*, &c.

12. *Si dixeris* כי תאמר] *Quando dixeris.* ¶ *Qui ponderat* תוכן] *Qui perpendit.*

14. *Merces* אחרית] *Finis*, i. e. præmium. Præmium cenſetur nomine *finis*, quod præmium detur in fine operis. Vide idem c. 23. 18.

15. *Accubitum ejus* רבצו] *Cubile ejus; quietem ejus:* i. e. locum in quo ſolet habitare.

16. *Septies cadit* שבע יפול] Ad verb. *ſeptem* (ſub. *vicibus*) *cadet:* q. d. frequenter diſcrimini objicitur, & evadit pericu-

lum

lum juſtus, ut Pſal. 34. 19. *Multa tribulationes juſti*, &c. impii verò primo quoque periculo ſolent corruere.

19. *Nè commercium habeas cum malignis* אל תתחר במרעים] *Nè ineas amicitiam cum malignis.* Alii, *Nè æmuleris malignantes.* Vel, *Nè contendas ſtudio quodam imitandi ſceleſtos.* Alii, *Nè ſuccenſeas propter malos:* Vide Pſal. 37. 1.

20. *Finis* אחרית] Propter quem ſcilicet creatus eſt: i. e. vita æterna. ¶ *Lucerna* נר] i. e. Vita, q. d. peribunt ante tempus. Vel, ſplendor divitiarum.

21. *Mutantibus ſeſe* עם שונים] i. e. Inconſtantibus. Alii, *iterantibus*, ſub. *iniquitates ſuas.* Alii, *cum declinantibus.* Alii, *cum iis qui deficiunt*, ſub. *à timore ejus.*

22. *Conſurget contritio eorum* יקום אידם] *Erumpet calamitas eorum: emerget interitus.* Vox Hebræa איד ſignificat idem quod ſequens פיד *contritionem*, *afflictionem*, *eventum malum*, *exitium.* ¶ *Amborum*, &c. שניהם מי יודע] i. e. Quis indicabit ruinam quam ambo [i. e. Deus & Rex] inferent?

23. *Non* eſt *bonum* בל טוב] Ità circumloquuntur Hebræi ſuperlativum, pro, *eſt peſſimum.*

25. *Sed increpantibus*, &c. ולמוכיחים ינעם] *At cum his qui corripiunt bene agetur*, vel *præclare.* Alii, *Qui autem arguunt, in his delectatur*, ſub. *Deus.* ¶ *Boni* טוב] Sing. pro plur. *bonorum:* i. e. felices erunt. Vel *boni*, ſub. *viri.*

26. *Labia deoſculabitur* שפתים ישק] i. e. Os, faciem, & non tantùm manum, aut aliam corporis partem: q. d. Qui verax eſt, habetur eo loco ut non ſolùm admittatur ad oſculum manûs, ſed in arctam amicitiam recipiatur. Alii, *Labia* illius *oſculabitur* omnis homo *qui reſpondet ſermones rectos.* Alii, *Siquis aptè reſpondet, perinde eſt acſi labiis oſcularetur.*

27. *Præpara* הכן] *Dirige. Studioſè age.* ¶ *Et præpara illud in agro tuo* ועתדה בשדה לך] *Et cole agrum tuum.*

28. *Mendax* חנם] Ad verb. *gratis*, *ſine cauſa.* ¶ *Et nè allicias*, &c. והפתית בשפתיך] Ad verb. *Et numquid allicies* (aut *perſuadebis*) *labiis tuis*, ſub. *ut ferat falſum teſtimonium?* In hac ſignificatione verbum Hebraïcum eſt tertiæ conjugationis. Doctus inter Hebræos ſcribit verbum eſſe quintæ conjugationis, à פתת *attrivit*, *fregit*, *contrivit*, & tunc ſenſus eſt, *Et nè atteras labiis tuis*, i. e. falſo teſtimonio labiorum tuorum, *proximum tuum.*

29. *Viro* לאיש] *Unicuique.*

30. *Pigri* עצל] *Deſidis*, *veternoſi.*

31. *Spinæ* קמשונים] *Urtica.* Quidam vertunt, *Et ecce verſus erat totus in urticas.* ¶ *Et clauſura* וגדר] *Et ſepes.* Alii, *& maceria.*

32. *Poſui cor meum* אשית לבי] Hebraïſmus, pro *adverti animum meum.* Alii, *altâ mente repoſui.*

33. *Puſillum ſomni* מעט שנות] Hi duo verſus leguntur ſuprà 6. 10.

34. *Scutatus* מגן] Ad verb. *clypei*, i. e. armatus clypeo.

CASTALIO.

16. N*Am licèt ſepties*] Ità alicubi Interpres hunc locum explicuit. Etiamſi in plurima pericula cadant juſti (qualia eis impii creare ſolent) tamen evadunt: Itaque fruſtrà eis inſidiere. In qua notione *casûs* nomen in ſequenti verſu ponitur; i. e. non pro *peccato* accipitur, ſed *malum aliquod Dei irâ illatum* ſignificat. Ità quoque Latini res adverſas *caſus* appellant.

20. *Impiorum lux exſtinguetur*] i. e. Genus.

22. *Incognita omnibus utriuſque ſævitia*] Jovæ & Regis.

26. *Labra deoſculabitur*] Scilicet aliorum: h. e. alii eum deoſculabuntur præ amore.

CLARIUS.

1. N*E æmuleris viros malos*] Hebræi exponunt hic *æmulari* pro *obſequi & aſſociare ſe*, & eſt ſenſus, Noli habere commercium cum hominibus malis, ſed occupato te cum ſapientia, & inſtaurabitur domus tua, & implebuntur promptuaria tua omnibus bonis.

7. *Excelſa ſtulto ſapientia*] Deſperat homo ſtultus ſe poſſe conſequi ſapientiam, quòd putet illam eſſe altiorem quàm ut apprehendi poſſit, aut quòd nolit vim facere innatis malis concupiſcentiis. *Non* enim *pervenit Sapientia ad animam malevolam.* ¶ *In porta non aperiet os ſuum*] Per *portam* intellige conſeſſum ſapientum & Judicum.

10. *Si deſperaveris*] Quidam ſic interpretantur, *Si in afflictione animo fractus es per impatientiam, exiguum eſt robur tuum.* Alii ſic, *Si negligens es ad acquirendam ſapientiam, cum venerit dies afflictionis, infirma erit virtus tua ad reſiſtendum tentationi.*

11. *Qui ducuntur ad mortem*] Sub. *ſine culpa ſua*, & qui nihil morte dignum egerunt, *hos libera*, ſi tibi conſtat de eorum innocentia: nec dicas, *Non novi eos*, nec ſcio commeruerintne mortem, an non. Satis eſt tibi teſtimonium *conſcientiæ* tuæ, quam Deus *intuetur.* Et ſicut Deus *cuſtodit animam tuam*, ità quoque tu conari debes ut protegas vitam proximi tui; alioqui Deus *reddet* tibi *juxta opus tuum.*

13. *Comede, fili mi, mel*] Sicut dulcia & pinguia corpori grata & ſapida ſunt, ità ſapientia diligentibus eam ſupramodum dulceſcit.

16. *Septies enim*] Hebræi referunt ad mox præcedentem verſum, ut ſit ſenſus, *Noli inſidiari juſto, nam etſi cadat ſepties*, h. e. ſæpius, *in afflictiones, adjutus tamen manu Domini reſurgit*; juxta illud Pſaltis, *Multæ afflictiones juſtorum, & de omnibus iis liberavit eos Dominus.*

18. *Et auferat ab eo*] Atque in te transferat ſcilicet.

19. *Nè contendas cum peſſimis*] Vel, *Nè æmuleris malignos.*

20. *Non habent futurorum ſpem mali*] Alius vertit, *non erit noviſſimum malos* & per *noviſſimum* intelligunt Hebræi ſobolem: & per *lucernam exſtinguendam* intelligunt exſtinctionem vitæ ante tempus.

21. *Time Dominum*] Senſus eſt, Regem quidem timendum eſſe, ſed Deum priùs; & nè metu Regis diſcedatur à Domino. ¶ *Cum aliter agentibus*] Heb. *cum variantibus*, vel *mutantibus.*

22. *Ruinam utriuſque*] Vel, *exitium utrius*, quod ſcilicet Deus & Rex tranſgreſſoribus inferre poſſunt, hoc nemo novit. Standum eſt igitur in timore Dei & Regis.

23. *Hæc quoque ſapientibus*] Sub. *dicuntur.*

26. *Labia deoſculabitur*] Labia illius oſculabitur omnis homo qui reſpondet ſermones rectos, quod contrà fit in iis qui injuſtæ cauſæ favent, & *dicunt impio*, *Juſtus es.*

27. *Præpara foris*] Docet ut in primis ea curemus quæ magis ſunt neceſſaria, ut nè præpoſterus ordo in rebus gerendis ſervetur.

33. *Parùm dormies*] Hanc ſententiam & ejus explicationem habes ſuprà cap. 6.

R. BAYNUS.

N*E æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum illis.* Heb. *Nè æmuleris viros mali. Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur*] Quod ſuperiùs dicere inſtituerat hoc in loco abſolvit. Nam paulò ſuperiùs lectum eſt, *Nè æmuletur cor tuum peccatores*, quod exponendo addit, *nec deſideres eſſe cum illis.* Quos ſuperiùs *peccatores*, hoc in loco appellat *viros mali*, qui malum facere gaudent & ſtudent; juxta id quod ſequitur; ¶ *Quia rapinas meditatur cor eorum*] Qui ſapientiæ ſtudioſus eſt & virtutis, ab hujuſmodi hominibus quàm alieniſſimus eſſe debet. Ignara & indocta juventus putat aliquando fortunatos & felices qui ſine labore & ſudore ad maximas opes perveniunt, per *fraudem* & *rapinam*: ſed hæc proſperitas non eſt *imitanda* neque *deſideranda.* Socius & particeps cum iſtis non erit *filius ſapiens*, cùm *cor iſtorum meditetur rapinam* & *injuriam* facere, contra præſcripta legis Divinæ; *mens* verò *juſti meditabitur obedientiam*, c. 15. Imprimis refert quibuſcum verſetur & aſſueſcat juvenis. Ab omni conſortio fortaſſis malorum cohiberi non poteſt, ſed ab his, qui nihil aliud crepant quàm *injurias* & *rapinas*, declinare debes, nè captus lucro diſcas rapinis & injuriis compendia facere, cùm videas illorum familias auctas rebus malè partis. Sed finem ſpectare oportet, nam non *rapinâ* ſed *ſapientiâ* augetur res familiaris; juxta id quod ſequitur,

3. 4. *Sapientiâ ædificabitur domus, & prudentiâ roborabitur*, (vel *intelligentiâ ſtabilietur.*) *In doctrina replebuntur cellaria univerſa, ſubſtantiâ pretioſâ & pulcerrimâ.* Heb. *per ſcientiam cubicula replebuntur omnibus divitiis pretioſis & pulcris*] Quamvis de domo ſpirituali, quam Spiritus S. inhabitat, hæc pleniùs intelligenda ſint, quam *ſapientiâ* Dei & *intelligentiâ* Divinæ legis quiſque in corde ſuo *conſtruere* debet, & *pretioſis opibus* virtutum *ſecretiora* ſui cordis *implere*, poſſunt tamen & de re domeſtica, de liberorum procreatione ac educatione, cum eleganti rerum copia & ornatu, quæ viro ſapienti, qui ſuâ conditione contentus eſſe novit, nunquam deerunt, præſertim qui juſto labore & providâ prudentiâ ſuis rebus proſpicit; quemadmodum ſequitur,

5, 6. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus.* Heb. *Vir ſapiens in robore, & vir ſcientia roborat virtutem*, ſive *vires*, *Quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa con-*

ta con-

ta conſilia. Heb. *Quia conſilius facies bellum tibi, & ſalus in multitudine conſiliariorum*] Non *rapinâ* neque *iniquitate* ſed *ſapientiâ* & *viribus* erigitur domus & ſuſtinetur familia. His duabus virtutibus, *Sapientiâ* & *Robore*, familia rectè adminiſtratur: ut ex ſuperioribus juxta Hebræos pendeat, *In fortitudine* (vel *per robur*) *ædificabit domum ſuam vir ſapiens, & vir ſcientiæ roborabit vires*, vel, *vir per ſcientiam ſuam roborat vires ſuas.* q. d. Vires abſque ſapientia non ſunt firmæ neque ſufficientes, nè in his quidem rebus quæ viribus potiſſimùm adminiſtrandæ videntur. Nam *conſiliis* & cogitationibus *facies bellum* potiùs quàm viribus. Qua de re ſuperiùs diſſeruimus. ¶ *Et ſalus ubi conſiliarii multi*] Senſus eſt, quòd in bello potiores partes ſunt viribus animæ tribuendæ; h. e. vires animæ plus valent quàm corporis: *& ſalus*, h. e. victoria, magis pendet ex prudente conſilio quàm ex multitudine militum: ut intelligamus ante multa ſecula in noſtris codicibus definitum, quod Saluſtus *inter ſapientes hujus mundi diu deliberatum fuiſſe* teſtatur. Aliter, *Conſilus facies tibi bellum*, h. e. Conſiliis, non viribus, lites & controverſias diſſolve. Nam eâ ratione erit utrinque *ſalus.* Quòd ſi viribus & violentiâ res agatur, nulla ſalus corporum neque ſanitas animarum eſſe poteſt, ubi utrinque cadunt & trucidantur innumeri mortales. Summa eſt laus ſapientiæ, cujus ubique eſt maximus uſus, tum in pace tum in bello, in privatis & publicis rebus. In genere dictum videtur, *ſalus in multitudine conſiliariorum*: q. d. Quicquid aggredieris viribus tantùm corporis, ſive in cura domeſtica, quam nos intelligimus in *ædificatione domus* & *repletione cubiculorum*, ſive in adminiſtratione reipublicæ, quamvis viribus aliquando fortaſſis ſit agendum, tamen *plurimorum* ſapientum moderatis *conſiliis* omnia meliùs & augentur & conſervantur quàm armorum ſtrepitu & truculentiâ. Quod denique de bello dictum eſt, de quacunque controverſia cum hoſte intelligi poteſt. *Nobis* enim *non eſt colluctatio adverſus carnem & ſanguinem* ſolùm, *ſed adverſus principes & poteſtates*, Epheſ. 6. in quo prælio non noſtris viribus eſt agendum, ſed Dei ſapientiâ, & conſiliis quæ ſuggerit Spiritus.

7. *Excelſa ſtulto eſt ſapientia, in porta non aperiet os ſuum*] Hebræus ſermo pluralis eſt, *Excelſa ſunt ſtulto ſapientiæ.* De pluribus quoque Sapientiis fuit ſermo cap. 9. quas vel varios juſtitiæ gradus vel varias virtutes & chariſmata intelligimus: de quibus Eſa. 11. *Et requieſcit ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis*, & quæ ſequuntur. *Stultis* hominibus, qui terrena ſapiunt, *ſublimis eſt admodum ſapientia*, & veluti in eminentiore loco quàm ut poſſint eò pertingere: ut ſcriptum eſt c. 8. *Sapientia clamitat in ſummis excelſiſque verticibus.* Celſitudo virtutum intelligitur, quæ veluti ab alto deſpicit divitias & voluptates; in quibus cùm ſtultus verſetur, totus gravis & terrenus, *gravato* videlicet *corde, crapulà & ebrietate* (de quibus modò dictum eſt) *& curis hujus vitæ*, Luc 21. ad ſapientiam adſpirare non poteſt. *Animalis homo non ſapit ea quæ ſunt Dei* 1. Cor. 2. ¶ *In porta non aperiet os ſuum*] Cùm ſapientiæ non ſit particeps ſtultus, non poteſt cum ſapientibus converſari. Solent ſapientes ſedere *in porta* civitatis inter quos ſtultus cogitur tacere. Aliter, *In porta non aperiet os ſuum*, in judicio videlicet, ad ſeipſum defendendum. Et refertur ad ſuperiora, *Conſilus bellum facies tibi.* q. d. Hic ſtulti non poſſunt ſapienter litigare, & adverſarios vincere inter Judices & ſapientes, qui ſtulto imponunt ſilentium, & reum eſſe judicant. Aliter, *Sapientiæ ſunt excelſæ ſtulto*, & reconditæ, videlicet in Sacris libris, ad quorum lectionem & intelligentiam non poſſunt attingere niſi ſapientes in Chriſto, qui *ædificant domum ſupra petram*, Matth. 7. Nihil impedit quò minùs intelligamus aliquos eſſe uſqueadeo ſimplices & obtuſos corde ut non poſſint prudentiam aſſequi talem per quam digni habeantur inter conſiliarios connumerari, vel rerum gubernacula tractare cum ſapientibus. R. Salomon vocem Hebræam מאוי aliter interpretatur, nempe ut accipiatur pro *lapide pretioſo*; juxta illud Job. 28. ראמות גביש *Coralia & gabis*: & erit ſenſus, Stultos putare ſapientias rariſſimas eſſe, neque poſſe comparari, ſicut lapides aliquot pretioſi, qui magno conſtant nec facilè inveniuntur: idcirco deſperantes avertunt animum à ſapientia, & ob id nunquam pervenient ad eum honoris gradum ut *in porta* cum ſapientibus ſedeant & de rebus magnis decernant.

8, 9. *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur.* Heb. *Cogitantem mala facere, dominum malarum cogitationum vocabunt. Cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor.* Heb. *Mala cogitatio ſtulti eſt peccatum, & abominatio eſt homini deriſor*] Quanta ſit laus Sapientiæ, ſine qua nihil rectè geritur, ſuperiùs oſtenſum eſt. Quanta Stultitiæ ignominia, etiam apud homines, his verſiculis ſignificatur. Primò, ut dictum eſt, *inter ſapientes os aperire non audet*; ſed dum deprehenditur *malum cogitare*, vel potiùs *cogitabundus ut malum inferat* aliis, malum nomen ſibi acquirit, & à ſapientibus, qui *ſedent in porta*, בעל מזמות *Bahal Mizimmoth* vocatur: h. e. *autor*, vel *inventor, malarum cogitationum*, q. d. A malefaciendo quàm alieniſſimus eſſe debes: Nam vel *cogitare malum facere*, quamvis ſecretè, reddit hominem infamem apud ſapientes; qui poſſunt etiam, adinſtar Dei, vel cordis ſecreta introſpicere. Et ſenſus erit Sapiente dignus, oſtendens ſtultum nè ſuas quidem cogitationes celare poſſe à ſapientibus, apud quos malè audit & afficitur ignominiâ *qui aliis malefacere ſtudet.* Cauſam reddit; ¶ *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*] Quod ſapientibus odioſum eſt & infame, vel *Cogitatio ſtulti ad peccatum ducit*: q. d. Sunt impotentes ſtulti, & nè ſuarum quidem cogitationum domini; ſed ſtatim ubi quid cogitaverint palàm faciunt, atque peccatum illorum innoteſcit & ſtultitia. Aliter, *Qui cogitat ſtultitiam* vel *ſequitur cogitationem ſtultitiæ, peccatum*, ſup. *erit illi*, vel *ad peccatum perveniet.* Et hinc eſt quòd non ſine cauſa malè audit apud ſapientes. Aliter, *Qui cogitat malum facere, quem ſolent vocare dominum malarum cogitationum, cogitatio illa ſola, quæ à ſtultitia procedit, eſt peccatum.* Prior expoſitio eſt melior. ¶ *Abominatio hominis eſt deriſor*] h. e. Is quem omnes homines exſecrantur. Erit denique ſenſus utriuſque verſiculi ut intelligamus duplicem Stultitiam; alteram, *quæ malum facere cogitat & ſtudet*, quam ſapientes condemnant, quòd *ſtulta cogitatio ſit magnum peccatum*; alteram, quæ *deridet* aliorum dicta vel facta, & illa eſt omnibus *exſecrabilis.* Aliter, *Cogitatio ſtultitiæ peccatum*, h. e. ob ſolam cogitationem damnatur ſtultus & reus efficitur: cui ſi accidat *deriſio*, quâ facta aliorum honeſta damnat & deridet, fit *abominabilis hominibus.* Aliter, *Cogitatio eſt peccatum ſtulto* cùm non poſſit perficere cogitationem ſuam.

10, 11, 12. *Si deſperaveris lapſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo tua.* Heb. *Si remiſeris* (vel, *te remiſſum feceris*) *in die anguſtiæ anguſta erit fortitudo tua. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris, vires non ſuppeditant, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit: & ſalvatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera ſua.* Heb. *Eripe eos qui capti ſunt ad mortem & qui declinant ad necem: ſi ceſſes, dices enim ecce non novimus hunc, numquid qui diriget corda ipſe intelliget, & qui cuſtodit animam tuam, ipſe cognoſcet & reddet homini juxta opus ſuum?*] Opera Charitatis ſub præcepto Sapientiæ continentur. Nam per *anguſtiam* quamcunque fratrum neceſſitatem intelligimus, in qua ſuccurrenda quicunque *remiſſus eſt* & oſtendit ſe *viribus deſtitutum* cùm non ſit, *in ſua anguſtia carebit viribus.* Quod dictum eſt, in genere de quacunque *anguſtia*, intelligitur de ea quæ eſt omnium maxima, nempe anguſtia in *morte*, dicendo, ¶ *Eripe captos ad mortem*] *In carcere eram, & veniſtis ad me*, inquit autoritas Euangelica, Matth. 25. Interpellare pro reis, aut iis qui per injuriam & calumniam publicâ tenentur cuſtodiâ, non eſt cujuſlibet: Magnorum virorum eſt & eorum qui autoritate pollent apud Judicem intercedere, vel captivos redimere, & ad mortem deſtinatos ab extrema eripere anguſtia. Hoc ut probi viri & ſapientis eſt, inquam, ità in alieno periculo ceſſare, alienas non dolere vices, inhumanum eſt & crudele pluſquam dici poteſt. Quod Scriptura innuit dicens, ¶ *Nè ceſſes*] Heb. *Si ceſſes*, vel *prohibeas teipſum, nè hoc facias*, ſup. *tibi erit anguſtia, in qua remiſſus erit qui opem ferat tibi.* Alii legunt per interrogationem, *Num prohibebis te ab ope ferenda in anguſtia, quando ad interfectionem quis trahitur?* q. d. *Abſit.* Sed meliùs pendet hæc ultima clauſula, ut ſit ſenſus, *Si cohibeas te in anguſtia aliena: cùm dixeris, Sanè non novi hunc*, &c. Aliter, *Si prohibueris à morte innocentes, qui rapti ſunt ad mortem, erit etiam qui te eripiat. Si dixeris, Sanè non novi eum.* Qui *remiſſi* ſunt, & neceſſitati ſuorum ſuccurrere recuſant, multa ſolent cauſari: & cùm hominibus rationem reddiderint, ſe putant charitatis legibus ſatisfeciſſe, ut e. c. dicentes, *Non novi hunc hominem*, vel *Non novi cauſam illius qui ductus eſt ad mortem; & hinc eſt quòd in anguſtia illius non ſum ſolicitus.* Hujuſmodi fortaſſis excuſatio hominibus utcunque ſatisfecerit: verùm Deus, *qui corda & dirigit & novit*, ſive *intelligit*, nihil ignorat; *ipſe qui cuſtodit animam tuam*, ſatis *novit* animam tuam: q. d. Nè dicas, *Non novi hunc.* Qui ignorat, ignorabitur. Deus omnes novit, & tuas vires & alterius neceſſitatem & anguſtiam, & hæc notitia tibi ſatisfacere debet. Tibi non debet eſſe ignotus qui Deo cognitus eſt, cujus cauſâ egentibus ſuccurrendum eſt. Si vis tuam animam & vitam à Deo ſervari, alios à morte conaberis eripere. Et quamvis hâc ratione ſis ſatis obæratus, nempe, cùm Deus, qui omnes *intelligit, tuam ſervet vitam*; tamen inſuper, quò magis animeris, præmium aliquando dabit, non tibi modò, ſed omnibus *hominibus: unicuique reddet juxta opera ſua*, ut inquit Paulus, Rom. 14. *Stabimus enim omnes ante tribunal Chriſti.* Et ab anguſta & ſevera Judicis ſententia eripieris, ſi nunc operam dederis ab *anguſtiis* &

morte

morte afflictos *defendere*. Sed à corporali *anguſtia*, ut dicere inſtitueram, miſeros *eripere* non eſt omnium, ſed potentiâ, opibus ac autoritate pollentium: verùm peccatorum animas, quæ ad mortem & mactationem ligatæ tenentur, & anguſtiis premuntur, eripere omnium eſt conari, vel admonitione ſanâ, vel exemplo vitam corrigendi, aut precibus ad Deum ſedulis, vel denique quacunque aliâ ratione. In eo locum habebit illud, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſervabit animam ejus à morte*, Jac. 5.

13, 14. *Comede, fili mi, mel, quoniam bonum eſt, & favum dulciſſimum gutturi tuo.* Heb. *Palato tuo. Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cùm inveneris habebis in noviſſimo ſpem, & ſpes tua non peribit.* Heb. *Sic ſcientia ſapientiæ animæ tuæ: ſi inveneris, & erit ſpes, & exſpectatio tua non excidetur*] Elegantiſſimâ ſimilitudine partim admonet filium ſuum ut in perdiſcenda ſapientia ſeſe oblectet, partim corripit eos qui rebus amœnis & corpori jucundis magis capiuntur quàm virtutibus, in quibus non ſolùm conſolationem habere licet in præſenti, ſed ſpem certam in futuro. Contrà, hujus vitæ voluptates, ut ſint quamlibet jucundæ, tamen ſunt momentaneæ. *Comede, fili mi, mel*] q. d. *Si comedas mel, eò quòd bonum & ſuave ſit, multò magis ſcientia ſapientiæ dulcis eſt animæ.* Vel legendum eſt, *Sic diſce ſapientiam*: ut *diſce* reſpondeat verbo *comede*, & *ſapientia* *melli* ſive *favo*; *palato* denique reſpondeat *anima*. Et hactenus ſimilitudo quadrat. Porrò quod ſequitur, *Si invenias*, ſup. *ſapientiam*, indicat arduam eſſe Virtutem, & difficilem inventu Sapientiam; *mel*, h. e. illecebras hujus vitæ, inventu faciles & ubique obvias: ſed *eſt finis*, vel *erit merces, & exſpectatio, quæ non excidetur*, ſapientibus videlicet, h. e. his qui juventutem in perdiſcenda ſapientia & inveſtiganda conſumunt. *Erit ſpes*, vel *merces, longa vita*, ut exponunt Hebræi, vel *poſteritatis & filiorum*. Nos cum Paulo præſentem & futuram in virtute conſolationem intelligimus, ut ſcribitur, 1 Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Dulcedo verò mellis & omnium carnalium voluptatum amaritudinem quandam relinquit: ſi quid dulcedinis habent, citò evaneſcit.

15. 16. *Ne inſidieris & quæras impietatem in domo juſti, neque vaſtes requiem ejus.* Heb. *Non inſidiaberis, impie, habitaculo juſti, neque vaſtabis accubitum ejus. Septies enim cadet juſtus, & reſurget: impii autem corruent in malum*] Hæc quoque ad ſpem virtutis ſpectant. Nam cum major ſit numerus eorum qui voluptatibus corporeis vacant quàm qui inveniendæ ſapientiæ ſtudeant, non videntur boni ſine periculo vivere inter tot hoſtes virtutis, & juſtitiæ. Hos iterum conſolatur Sapiens, jubens bonam ſpem habere: ſed novo ſermonis genere per Apoſtrophen impium alloquitur, admonens nè quid moliatur adverſus juſtum, dicens, *O impie, noli inſidias ponere contra domum juſti*: q. d. Ea eſt juſtitiæ laus & integritas ut nemo poſſit eam aperto Marte oppugnare: *per fraudem & inſidias illius quietem perturbare* conatur *impius & illius accubitum prædari*. Sunt qui per *manſionem* & *accubitum* idem intelligant: & erit ſenſus, Eſſe quoſdam qui cùm juſto non poſſint damnum inferre, nec eum avertere à juſtitia, illius *familiæ inſidiantur & cubili*, h.e. vel uxori vel charis pignoribus. Et ſunt qui per *accubitum* ovile intelligant; ut ad bona externa referatur. Juxta ſenſum myſticum *habitaculum juſti* eſt Eccleſia Chriſti, contra quam *inſidias ponere, & accubitum illius vaſtare* non ceſſat *Impius* ille cum membris ſuis, infidelibus & hæreticis, quos alloquitur Sapiens, non tam quòd ſpes ſit eos velle ſapientiæ præceptis obtemperare quàm ut juſto conſolationem præbeat, dicendo, ¶ *Nam ſepties cadit juſtus*] Numerus Septenarius quemlibet immenſum numerum ſignificat in Scripturis. Et *cadere* juxta Bedam & noſtros ferè omnes eſt peccare, ſaltem levioribus quotidianiſque peccatis, ſine quibus nec juſtorum quiſquam eſſe potuit in hac vita. Hebræi *caſum* referunt ad pericula & damna quæ juſtis intentantur in hac vita, juxta illud, Pſ. 34. *Multæ tribulationes juſtorum; ſed ab omnibus liberabit eos Dominus.* Multa patiuntur *juſti*, & *crebrò* in adverſitates hujus vitæ *incidunt*: *ſed ſurgunt* ſtatim, vel erepti à Domino, ſicut illi *eripuerunt eos qui ducti & capti ſunt ad mortem*, ut ad ſuperiora referatur; vel *ſurgunt*, h. e. animo eriguntur adverſùs omnia mala, acceptâque conſolatione reſiſtunt. *Cæterùm impii corruentes in malum*, deſperatione abſorpti, non *ſurgunt* à malo, ſed perpetuo dolore ſe cruciant & torquent. Prior expoſitio eſt melior; ſed hæc poſterior magis hiſtorica.

17, 18. *Cùm ceciderit inimicus tuus, nè gaudeas, & in ruina ejus non exſultet cor tuum. Nè fortè videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam*] *Nulli malum pro malo reddentes*, inquit Paulus. Quamvis *inſidias impii ſtruant adverſus juſtum* & injurias inferant, nihilominus tamen benevolentiam erga omnes ſervare oportet, & malorum potiùs vices dolere quàm velle injurias ulciſci. Et quamvis in ultionem juſtorum *in malum* frequenter *corruant impii, non eſt* tamen *de ruina eorum lætandum*: magis autem dolendum quòd fecerint aliquid ſupplicio dignum. ¶ *Non lætaberis cùm ceciderit inimicus tuus*] Et quomodo Moyſes cecinit, dicendo, *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*, cùm Pharao ſubmergeretur in mari Rubro; & omnes ſanctorum voces nihil aliud clamant quàm vindictam de hoſtibus. Sed *de ruina inimici tui nè læteris*: de inimicis Dei & hoſtibus totius populi fortaſſis alia ratio eſt. Vel Inimicorum & perſecutorum fortaſſis pœnitentiam & converſionem optare debemus quamdiu vivunt, magis quàm interitum aut perditionem, Dei Opt. Max. imitantes benignitatem, qui *non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.* Verùm ubi jam mortuum & proſtratum cernimus, quod ſine Divino nutu & providentia fieri non poteſt, in gratiarum actionem & laudem prorumpere licet cum gaudio, quandoquidem juxta Dei voluntatem eſſe prolatam ſententiam tandem intelligimus. Et erit ſenſus, *In caſu hoſtis nè læteris*, h.e. cùm adverſi aliquid contigerit, nè videaris illi felicitatem hujus mundi invidere, quam Deus omnibus etiam peſſimis hominibus aliquando largitur de ſua ineffabili bonitate. In morbo igitur vel adverſa fortuna *inimici tui noli lætari*: Sed *homo cùm ſis, nihil humanum à te alienum putans*, de beneficiis Dei cuicunque collatis per charitatem lætari debes, de malis verò alienis ut de tuis dolere, cùm tui judicii nequaquam fuerit ſtatuere quid quiſque mereatur. Si *nemo novit an odio vel amore dignus ſit ipſe*, quantò minùs quid alii mereantur judicare poterimus? Quòd ſi per *ruinam inimici* peccati lapſum intelligamus, multò minùs lætandum eſt: nam qui poteris gaudere in his quæ Deo diſplicent? Prior expoſitio eſt melior. Sequitur, ¶ *Nè fortè videat Dominus, & malum ſit oculis ejus*] Tu cùm videas ſupplicium ſumi de inimico, gaudes, putans tuâ causâ illum dare pœnas, tuas injurias in eo vindicari; quod *oculis Domini diſplicet.* Nam de bonis non de malis alienis gaudere debemus. Hæc tua crudelitas in hominem Deum reddet propitium; & erga eum in quem tu tantam exerces iram Deus erit placatus. Nam ut clemens Pater ſuos ipſe caſtigare ſolet, ſic alienam crudelitatem in ſuos non fert. Proverbium habet Charitatis præceptum inſigne, & ferè nihil diverſum ab illo Euangelico, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt*, Matth. 5.

19, 20. *Nè contendas cum peſſimis: nè æmuleris impios, quoniam non habent futurorum ſpem mali, & lucerna impiorum exſtinguetur*] Alii, *Nè ſuccenſeas.* Aben-Hezra אל תתחר, *Nè commiſceas te, vel ſocium te præbeas, inter impios, ut facias juxta opera eorum.* Pſal. 37. *Noli æmulari*: ubi Hieronymus, ut hoc in loco, *contendere* vertit. Et illic quidem videtur vel *contendere* vel *iraſci* ſignificare, cùm ſtatim ſequatur, *deſine ab ira, & derelinque furorem*: & ad eundem ſenſum plurima pars Pſalmi tendit. Verùm in hoc loco *æmulari* in bonam partem, ut ſuperiùs frequenter, capi videtur, ex his quæ ſequuntur, *non erit ſpes malo.* Prohibet igitur Sapiens nè quis impiorum felicitate illectus cupiat cum illis negotium habere, cum illis vivere, illorum imitari mores & ſtudia. Nam incerta & inconſtans eſt malorum proſperitas: ut ſcriptum eſt Pſal. 37. *Adhuc puſillum, & non erit peccator.* ¶ *Non erit impio ſpes*] Vel *merces.* Heb. *Non erit finis*, vel *poſtremum*, h.e. id quod poſt opus dari ſolet, *non erit impio*: q. d. impius in hac vita præmium habet; ut in Euangelio Luc. 16. *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* ¶ *Lucerna impiorum exſtinguetur*] Splendidus & clarus ob divitias inter homines habetur malus; ſed hæc gloria evaneſcet. Aliter, Impiorum liberi quaſi *lucerna* illorum intelliguntur, vel potiùs anima, quæ meritò *exſtincta* dicitur, cùm non *fulgeat ut Sol*, quod de juſtis ſcribitur Matth. 13. ſed in tenebris conticeſcat. Proverbium eſt contra eos qui præſentem felicitatem futuræ præponunt, & impiorum æmulantur vitam, ut eorum proſperitatem momentaneam aſſequantur.

21, 22. *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus nè commiſcearis.* Heb. *Cum mutantibus* vel *iterantibus. Quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit?*] Hi quoque duo verſiculi cum præcedentibus in ſenſu conveniunt, videlicet, *Non eſſe imitandam malorum vitam, ſed præcepta Dei & Regum edicta eſſe ſervanda: Non eſſe converſandum cum his qui immutant & diverſum faciunt.* Nam quod nos habemus, *cum detractoribus ne commiſcearis*, Hebraïcè eſt, *cum mutantibus*, vel *iterantibus*, ut ſubaudiatur *iniquitates ſuas.* Mihi magis arridet, *ne miſcearis cum his qui quicquam mutant, aut diverſum faciunt à præceptis Dei vel Regis.* Tertiam denique in Commentariis Hebræorum lego interpretationem, nempe, *Cum mutantibus hunc ordinem*, videlicet Timoris, *Time Dominum & Regem*, & *Magis obediendum Deo quàm hominibus, cum his qui Timoris ordinem immutant ne te commiſceas.* Prior expoſitio eſt melior. Totus hic locus à mala conſuetudine & conſortio

malorum

malorum prohibet; quæ res juvenibus & inexpertis malorum potiſſima cauſa ſemper fuit. Salomon cum præceptis, quæ ſuo proponit filio, ubique vel ſpem vel metum, laudem vel dedecus, vel aliquid id genus ſimilium adjungit. In hoc loco de Timore Domini & Regis tractans, inobedientiæ periculum ſubjicit, ¶ *Quia repente ſurget contritio eorum* (ſive *perditio*) *& ruinam utriuſque quis intelliget?*] Vel ſenſus eſt, ut *contritio* intelligatur *Dei* & *Regis*, h. e. *Surget contritio, quâ conteret eos Deus*, vel *Rex*, *qui mutant præcepta Dei*: vel, *Contritio eorum*, ſc. *qui non obediunt neque timent Dominum & Regem*, *ſurget ſuper eos ſubitò*, quando nihil minùs exſpectant, juxta illud Pauli 1 Theſſ. 5. *Cùm dixerint*, *Pax & ſecuritas*, *tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Meliùs referuntur ad *Dominum* & *Regem*, quem Dominus in terris Judicem conſtituit, ut illius fungatur munere; & erit *contritio utriuſque*, h. e. contritio quam illi duo, *Deus* videlicet & *Rex*, inducent ſuper eum, qui non timet.

23, 24, 25. HÆC QUOQUE SAPIENTIBUS. *Cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum. Qui dicunt impio*, *Juſtus es*, *maledicent eis populi*, *& deteſtabuntur eos tribus. Qui arguunt eum*, *laudabuntur*, *& ſuper ipſos veniet benedictio.* Heb. *Sed increpantibus* (vel *arguentibus*) *dulceſcit*, ſc. *Deus*, *& ſuper eos veniet benedictio boni*] ETIAM HÆC SAPIENTIBUS] Duplex eſt intelligentia, vel quòd *ea*, *quæ ſequuntur ſunt aliorum ſapientum dicta*; quaſi jam finem impoſuiſſet ſuis Salomon, cum *Timore Domini* claudens ſermonem, quemadmodum incepit, *Initium ſapientiæ*, *timor Domini*: & hæc intelligentia non eſt abſurda. Hebræis tamen magis arridet altera, quæ eſt hujuſmodi, nempe, *Hæc quæ ſequuntur*, *ſunt verba Salomonis ad ſapientes Judices*: vel, *Hæc verba ſunt neceſſaria omnibus ſapientibus*: & pendent ex ſuperioribus, *Non æmuleris impios. Nihil commercii debes habere cum impio*, *neque privatim neque publicè. In judicio cujuſcunque perſonam accipere malum eſt* [*quantò magis perſonam impii?* *pronuncians eum eſſe juſtum maledictus & ſpretus erit ab omnibus*, *non ab una provincia*, *ſed à populis pluribus*: ut de Deo & Rege, quorum ſprevit leges, nihil dicamus. Aliter, *Qui dicit impio*, *Juſtus es*, poteſt ad privatorum adulatores referri: q. d. *Qui vel virum laudat impium*, *& benedicit illi*, *inquiens*, *Juſtus es*, *ei à populis maledicetur*, *& nationes eum ſpernent.* Poteſt etiam intelligi juxta aliam ſignificationem hujus verbi נקב, quod eſt *perforare*: q. d. *Si quis accipiat perſonam impii*, *dicendo*, *Juſtus es*, *perforabunt eum populi enſibus ſuis*; h. e. crimen committit quod publicè vindicandum eſt, quia judicium pervertit, in quo totius Reip. ſalus pendet. Prior expoſitio eſt melior, & non alienum videtur in ſenſu ab eo Eſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum*, *ponentes tenebras lucem*: qui cùm multos decipiant, mirum non eſt, ſi à multis probris afficiantur: nam eâ ratione fient multi mali. Cæterùm qui *timent Deum & Regem*, & ſecundùm æquitatem *redarguunt* malos in judicio, ut ex malis boni fiant, *jucundus & pulcer erit* talibus Deus, h. e. talibus erit Deus Judex minimè ſeverus, utpute qui *quærunt judicium*, *ſubveniunt oppreſſis*, *judicant pupillo*, *defendunt viduam*, Eſa. 1. & oppreſſoribus juſtam pœnam infligunt; his, inquam, *veniet benedictio bonitatis*, ſive *boni*, h. e. Dei, qui *ſolus bonus eſt* per eſſentiam, Mar. 10. vel *boni* ſive bonorum omnium: ut *benedictio boni* reſpondeat *maledictioni populi.*

26. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet*] Ex ſuperioribus pendet juxta Hebræos qui totum locum ad Judices referunt, quorum munus in primis eſt *nullius perſonam accipere in judicio*, deinde nullo modo *juſtificare impium*, imò *redarguere*, omnibus denique *recta verba reſpondere*, h. e. ſibi ipſis conſona, ut ſermo videatur *oſculatio labiorum.* Nihil enim aptiùs quadrat quàm cùm *labium* tangit *labium* & velut *deoſculatur.* Aliter, *His, qui arguunt impium, erit amœnus & dulcis Deus*, ut dictum eſt: *Tam dulcis*, inquam, *erit illi, qui reſpondet verba recta ac ſi oſcularetur labia illius*; quod amoris maximum eſt argumentum. Poteſt alioqui in genere dictum intelligi, *Labia oſculabitur*, h. e. Charus & amiciſſimus erit omnibus, *qui verba recta loquitur.* Obſcuritate quâdam verborum & ſimilitudinis umbrâ facillimas & clariſſimas ſententias obnubilat Sapiens.

27. *Præpara foris opus tuum*, *& diligenter exerce agrum tuum*, *& poſtea ædifices domum tuam*] Ordinem in rebus & negotiis omnibus eſſe ſervandum docet Proverbium, Ea priùs facienda, quæ magis ſunt neceſſaria; ut e. c. magis neceſſarium eſt annonam habere neceſſariam ad alendam familiam, quàm ſplendidas ædes conſtruere. Hæc ut exempli cauſâ dicta poſſunt intelligi, ità ſunt veriſſima. In Hebræo non ſunt diverſæ clauſulæ, *Præpara foris opus tuum*, & quod ſequitur, *& diligenter exerce agrum tuum*; ſed quod *foris* dixerat, explicat per *agrum*; & *diligenter præpara illud in agro tuo*, *& deinde ædificabis tibi ædes.* Ubi opes collegeris ex agricultura, & ſumptus tibi ſuppetunt, poteris ædificiis novis conſtruendis vacare. Aliter, Opera ruſticana ſuo tempore fieri debent. Eſt tempus, videlicet ſeminandi, & tempus metiendi; Eccleſ. 3. ædes verò ædificandi cura, & domeſticum opus quolibet tempore fieri poteſt. Juxta Anagogen, *domum ædificare* non poſſumus, quâ perpetuò manendum eſt, priuſquam *opus foris præparaverimus*, h. e. carnem ſubjeceris ſpiritui, & quæ *in agro*, h. e. in mundo, ſunt *præparando* contempſeris.

28, 29. *Nè ſis teſtis fruſtrà contra proximum tuum, nec lactes quenquam labiis tuis. Ne dicas quomodo fecit mihi*, *ſic faciam ei*, *& reddam unicuique ſecundùm opus ſuum*] Quamvis ad hunc modum vertant omnes Interpretes, *Ne ſis teſtis contra proximum tuum*, & ſic non erit ſenſus diverſus ab illo præcepto Legis, quo prohibetur *falſum teſtimonium dicere*, tamen propter clauſulam ſequentem, *Nec lactes eum labiis tuis*, magis quadrat ſenſus contrarius ferè, h. e. *Non eris teſtis fruſtrà*, vel *falſus teſtis*, *pro amico tuo.* q. d. *In cauſa ne amici quidem eris teſtis falſus.* ¶ *Numquid perſuadebis illi* (vel potiùs, *num perſuaſiſti illi*) *labiis?*] i. e. Blandis verbis obtinuiſti ab eo ut eſſet falſus teſtis in cauſa tua, & vicem reddere vis, *dicendo*, *Quemadmodum fecit mihi*, *faciam illi*; *ſecundùm opus illius reſpondebo unicuique.* Chaldæus, qui ſic reddit ſecundam partem primi verſiculi, *Et ne errare facias eum labiis tuis* in quocunque mendacio, falſum teſtem intelligit: ut ille dicatur *falſus teſtis* qui proximum ducit in errorem. Sed huic ſenſui non tam quadrat ſequens verſiculus. Sunt qui verbum הפתה non pro *perſuadere* aut *lactare* accipiunt, ſed in alio ſenſu, nempe *confringendi*, ut ſit ſenſus, *Ne ſis teſtis falſus contra amicum tuum*, *& ne confringas* (ſive *conteras*) *eum verbis tuis*, putans te hoc licitè poſſe facere quandoquidem ipſe tali injuriâ te affecit. ¶ *Reddam illi juxta opera ſua*] Iſta non ſunt *ſapientum verba.* Prior expoſitio eſt melior, & Proverbiali obſcuritate magis digna, ut intelligamus non licere cuiquam opem ferre modis illicitis, neque falſo teſtimonio proximos aut amicos defendere, neque denique hujuſmodi defenſionem ab illis exigere. Uſurpari poteſt Proverbium in eos qui mutuò ſeſe malis doctrinis & opinionibus imbuunt & corrumpunt.

30, 31, 32. *Per agrum hominis pigri tranſivi*, *& per vineam viri ſtulti. Et ecce totum impleverant urticæ*, *& operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ*, *& maceria lapidum deſtructa erat. Quod cùm vidiſſem*, *poſui in corde meo*, *& exemplo didici diſciplinam.* Heb. *Vidi ergò appoſuique cor meum*; *vidi*, *accepi diſciplinam.*] Inter ea quæ modò dicta ſunt de officio Judicis & Teſtium inſertus eſt unus verſiculus de *colendis agris* & de *opere foris parando* antequam *domum ædifices*; ad quem, ni fallor, referendi ſunt aliquot verſus quibus Segnities & Otium damnatur. Et priùs ordinem in negotiis & tempus opportunum obſervandum docuit, ut quæ maximè ſint neceſſaria priùs curentur. Cæterùm hoc in loco docet proſequendum opus & abſolvendum quod rectè inceptum eſt. Quod de *agro* & *vineâ* dicitur, ad quodcunque negotium referri poteſt; ut nihil profuerit *agros* colere, arare & ſeminare, *vineas* plantare, niſi cætera quoque quæ ſpectant ad agriculturam perficias: *Spinæ* & *urticæ*, niſi exſtirpentur, triticum ſuffocant: niſi *maceriæ* aut ſepe munias vineam, conculcatur. Ità in agro Dominico, in quo *meſſis multa*, *operarii pauci*, Luc. 10. & in vinea Domini, in quam *ſummo manè horâ tertiâ*, *ſextâ*, *nonâ & undecimâ*, *mittit operarios paterfamilias*, Matth. 20. nihil profuerit bene docere, bona ſeminaſſe ſemina, & vineas plantaſſe plurimas, ac poſtea per ſocordiam vitiorum *urticas* & *ſpinas* cupiditatum omnia undique occupare permittere. Alioqui ſimplex ſive nuda intelligentia horum trium verſuum erit, Sapientes undique occaſionem arripere, & ex aliena ſtultitia ſapientiam diſcere, cùm non obiter ſed accuratè ſingula perpendant, id quod innuitur his verbis, *Contemplatus ſum*, *appoſui cor meum*, *vidi*, *accepi diſciplinam*, eam videlicet quæ ſequitur,

33, 34. *Parùm dormies*, *modicùm dormitabis*, *pauxillùm manus conſeres ut quieſcas. Et veniet tibi quaſi curſor egeſtas*, *& mendicitas quaſi vir armatus.* Heb. *Parùm ſomniorum*, *parùm dormitationum*, *parva complexio manuum ad cubandum. Et veniet quaſi viator paupertas tua*, *& defectus tui velut vir clypei*] Hæc eſt diſciplina quam accepit Sapiens ex *conſpectis agris & vineis pigri*, nempe, Paupertatem ex otio ferè provenire & creſcere paulatim, ſed tandem invaleſcere uſqueadeo ut expelli non poſſit ex ædibus. Ex ſexto capite huc tranſlati ſunt hi duo verſiculi, quorum duplicem expoſitionem ibidem invenies. Quod ad hunc locum ſpectat, Somnolentos excitat agricolas & vinitores, è quibus ſuum filium exemplum diſciplinæ vult accipere, partim nè à ſapientibus viris ſtultitiæ notetur partim nè dum otium ſectatur & ſomnum ad egeſtatem perveniat.

DRUSIUS

4. בדעת. Schol. ἐκ γνώσει, *ex ſcientia*: malim ἐν γνώσει, *ſcientiâ.*

5. באמין כח. S. ὥσπερ κράτος ἰσχύος, *ut robur virium*] באמין.

6. ותשועה ברב יועץ. S. Th. καὶ σωτηρία ἐν πολυβούλῳ, *& ſalus in multo conſilio.*

9. זמת אולת חטאת. A. Th. ἔννοια ἀφροσύνης ἁμαρτία, *cogitatio ſtultitiæ peccatum.* ¶ ותועבת לאדם לץ. S. καὶ βδέλυγμα ἀνθρώποις λοιμὸς, *& abominatio hominibus peſtilens.*

10. התרפית ביום צרה. S. στραγγεύεσθαι ἐν ὥρᾳ θλίψεως, *torqueri in hora afflictionis.* A. νωχελευόμενος, *qui invalidus eſt.* Th. ἐξελύθη, *animo defecit*] *Torqueri*: vel *premi.* ¶ *Invalidus*: aut *ſegnis*, *remiſſus.* Prov. 18. 9. מתרפה. A. νωχελευόμενος, *qui ſegnis*, aut *remiſſus*, *eſt.* Th. ἀνειμένος, *remiſſus.* S. στραγγευόμενος, *qui cunctatur*, *invalidus.* ¶ Ἐξελύθη, malim ἐξελύθης, *animo defeciſti*, *elanguiſti*, *debilitatus es.*

11. הצל לקחים למות. S. σῶσον εἰλημμένους εἰς θάνατον, *ſerva eos qui abripiuntur ad mortem.*

12. הלא תכן לבות הוא יבין. A. μήτι οὐχὶ ὁ σταθμίζων καρδίας αὐτὸς συνήσει; *nonne qui ponderat corda ipſe intelliget?*] Vide ſuprà 21. 2. ¶ נצר נפשך. A. Th. διατηρῶν ψυχήν σου, *conſervans animam tuam.*

15. אל תארב רשע. S. μὴ ἐνεδρεύσῃς ἀσέβειαν, *nè inſidieris improbitati*] רשע aliis vocalibus. ¶ לנוה צדיק. A. Th. εἰς ὡραιότητα δικαίου, *ad ſpecioſum habitaculum juſti.* S. εἰς δίαιταν δικαίου, *ad habitaculum juſti.* Pro ἀσέβειαν divino legendum ἀσέβεια. *O improbitas*, inquit, i. e. improbe, *nè inſidieris habitaculo juſti.* Sed nihil immuto.

17. אל יגל לבך. A. S. Th. μὴ ἀγαλλιάσθω ἡ καρδία σου, *nè exſultet cor tuum.*

18. פן יראה יהוה. Schol. Ἵνα μὴ ἴδῃ Κύριος, *nè videat Dominus.* ¶ והשיב מעליו אפו. LXX. καὶ ἀποστρέψει τὸν θυμὸν αὐτοῦ ἀπ᾽ αὐτοῦ, *& avertat furorem ſuum ab eo.* S. ἀπάνωθεν αὐτοῦ ὀργὴν αὐτοῦ, *ab eo iram ſuam*] Verbum è verbo, *à ſupra eum.*

19. אל תתחר במרעים. A. Th. Μὴ διαμάχου ἐν πονηρευομένοις, *Ne pugna cum improbis.* ¶ אל תקנא. S. μὴ παρερεθίζου, *nè laceſſe*] Vel *irrita provoca.* Pſal. 106. 16. ויקנאו למשה. LXX. παρώργισαν τὸν Μωυσῆν, *ad iram provocarunt Moyſen.*

20. נר. A. S. Th. λύχνος, *lucerna.*

21. תתערב. Schol. ἐπιμίγνυσο.

23. הכר. A. S. Th. ἐπιγινώσκειν, *cognoſcere.* Alius Interpres αἰσχύνεσθαι, *revereri.*

26. שפתים ישק משיב דברים נכוחים. Th. Χείλεσι καταφιληθήσεται ἀποκρινόμενος ὀρθὰ ῥήματα, *Deoſculabuntur labia reſpondentis verba recta.*

27. ועתדה בשדה. S. καὶ φρόντισον ἐν ἀγρῷ, *& curam gere in agro*, vel *meditare in agro.*

28. אל תהי. A. S. Th. μὴ γίνου, *nè eſto.* ¶ והפתית. Schol. ἀπατῶν, *decipiens.*

32. לקחתי מוסר. Schol. καὶ ἐξελεξάμην παιδείαν, *& elegi diſciplinam.*

33. תנומות. Schol. νυστάζεις, *dormitas*: καθυπνοῖς, *dormis.* ¶ לשכב. A. S. Th. τοῦ κοιμηθῆναι, *ad dormiendum.*

GROTIUS.

11. E*Rue eos qui ducuntur ad mortem*] Qui per vim ad mortem trahuntur, ut Pſal. 82. 4.

15. *Neque vaſtes requiem ejus*] Id eſt, nè turbes ejus quietem.

16. *Septies enim cadet juſtus & reſurget: impii autem corruent in malum*] Ejuſdem ſenſus Proverbium eſt alterum apud Hebræos: *Septem foveæ pacifico* (ſupple *ſtruuntur*, *quas evadit*;) *at una operanti malum*, ſupple, *ſufficit*: ſtatim ruit. Nam *cadere* hîc eſt adverſis premi. Similis ſententia Pſal. 34. 20. & 37. 24. Cave de peccatis hæc accipias. Nuſquam enim Hebræis נפל eſt *peccare.* Sed נפל [*cadere*] & קום [*ſurgere*] inter ſe opponuntur ubi de calamitatibus agitur, Mich. 7. 8. Amos 8. 14. Jerem. 25. 27. Eſaiæ 24. 20.

21. *Time Dominum, fili mi, & Regem*] Sophocles Ajace:

> Τοὶ γὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς
> Εἴκειν, μαθησόμεσθα δ᾽ Ἀτρείδας σέβειν·
> Ἄρχοντές εἰσιν.
> [*In poſterum dîs cedere immortalibus*
> *Diſcemus ergò, colere & Atridas duos:*
> *Nam Principes ſunt.*]

23. HÆC QUOQUE SAPIENTIBUS] Meliùs ל per genitivum transferas, ut ſæpe, HÆC QUOQUE SAPIENTUM, ut, καὶ τάδε Φωκυλίδεω, [*Hæc quoque Phocylidis.*] Quæ ſequuntur ſententiæ adjectæ ſunt è ſapientum libris poſt Solomonem ante Ezechiæ tempora.

29. *Nè dicas, Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei*] Suprà 20. 22.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

1. HÆ SUNT PARABOLÆ SALOMONIS] Verſus iſte additus eſt à ſcriptore, quem putant fuiſſe Sæbnam & alios quoſdam ſcriptores, quos habuit Hizkija, qui tranſcripſerunt ſequentes Parabolas ex certo libro.

2. *Gloria Dei eſt abſcondere verbum*] Hebræi variè exponunt hunc verſum. Sunt enim qui dicunt hic præcipi, *margaritas non proponendas porcis*, & myſteria fidei non exponenda deriſoribus. Alii ajunt, Principium Geneſeos & Jehezkelis non curioſè inveſtigandum. Rurſum alii dicunt, non opus eſſe ut oretenus neceſſitates tuas Deo exponas, cùm ipſe cordis cognoſcat ſecreta. Regibus verò terrenis cedit in gloriam quando facta & judicia eorum inquiruntur & diſcutiuntur, rectaque invaniuntur. ¶ Et quod additur de *ſublimitate cœli* Hebræi ſic exponunt, *Cœlum ſuprà habet certum limitem*, *ſic terra deorſum*: *cor autem regum non eſt perſcrutabile*, *cum ſubinde alia & alia oriantur in Regno negotia & cauſæ*, *quæ Regi diſcutienda proponuntur.*

4. הגו eſt à radice הגה, ſignificatque idem quod הסיר.

9. *Cauſam tuam age*] h. e. Si in controverſiam incideris cum proximo tuo, fac de his tantùm rebus mentionem, quæ ad cauſam attinent, & ſecreta alia, aut quæ ſunt ſepulta, nè revoces ad memoriam.

11. *In cælaturis*] Sunt משכיות *opera ingenioſa*, *quæ hominem ad intuendum invitant.* Significat enim verbum שכה *contemplari & imaginari.* Unde quidam exponunt שבכות בכף pro משכית רקת הנקבים *cancellis argenteis*, *qui habent ſubtilia foramina per quæ pretioſa conſpiciuntur.* Significatur autem hoc proverbio, Verbum Dei in cortice non conſiderandum, ſed in medulla; ſicut Serpens in eremo ſuſpenſus ſignificabat Chriſtum cruci affixum. Cæterùm אפניו quidam capiunt pro עגלה *quadriga*, ſed figurativè; alii pro פניו, ùt ſit Aleph litera ſuperaddita.

13. *Sicut frigus*] Sicut frigus, inquit, refrigerat eos, qui æſtu calent, ità nuncius fidelis, cujus adventus magno deſiderio exſpectatur, recreat animos mittentium.

15. *In longanimitate*] Quando præceps animus Principis cohibetur nè ſubitò in ultionem ſeſe exſerat, tranſacto fervore animi, facilè tenerâ linguâ placari poteſt. Per *oſſa* intellige induratam iram, quam lingua mollis emollire poteſt.

16. *Si mel inveniſti*] Sunt, qui hunc putant ſubeſſe ſenſum, Noli ſcrutari ea, quæ ſunt ſupra captum tuum, ſed contentus eſto his, quæ accepiſti. Unde infra dicitur, *Non eſt bonum comedere mel multum*, h. e. plus ſapere quàm oporteat ſapere.

20. *Acetum ſuper nitrum*] *Acetum fuſum ſupra nitrum* diſſolvit illud; & *qui cantat ut triſtem lætificet*, magis turbat illum; ſic eſt *qui aufert veſtem in die frigoris.*

23. *Prohibet*] Verbum חולל eſt à חלילה *abſit.* Per *facies* autem *commotas* ſignificatur ſeveritas Magiſtratûs, quâ plerumque compeſcuntur delatores, & qui clàm mala moliuntur.

26. *Lapſus*] h. e. Oppreſſus ab impio.

27. *Sic inveſtigatio gloriæ eorum*] h. e. *Non bene agunt hi, qui gloriam Dei inveſtigare contendunt, & plus volunt ſapere quàm oporteat ſapere*: & hæc eſt Aben-Ezræ expoſitio. R. Levi ſic interpretatur hunc locum, *Comede mel*; *excedere tamen non eſt bonum*: *ſic inveſtigatio gloriæ juſtorum*, h. e. quam juſti faciunt, *eſt glorioſa*; *excedere tamen non eſt bonum.*

VATABLUS.

1. T*Ranſcripſerunt* העתיקו] *Congeſſerunt*, *collegerunt*: i. e. ex multis libris Salomonis in unum tranſtulerunt. Erant enim diſperſæ Parabolæ Salomonis in multis libris, quos ſcripſit; ſed operâ iſtorum ſunt congeſtæ in unum. ¶ *Viri* אנשי] id eſt, Famuli: ut *viri David.* Ità & Gallicè dicimus *Voſtre homme*, i. e. *famulus tuus.*

3. *Cœlorum*, &c. שמים לרום וגו'] Ad verb. *Cœlorum ad altitudinem*, *& terræ ad profunditatem*, *& cordis Regum non eſt inveſtigatio.* q. d. *Ut altitudo cœli & profunditas terræ non poteſt*

poteſt inveſtigari, ſic nec cor Regum. Alii, *Cœlum eſt in loco ſublimi, & terra in profundo: at cor Regum non eſt ſcrutatio*, ſub. *illi.* id eſt, Utrumque eſt in loco definito, ideoque comprehendi utrumque poteſt: at cor Regum eſt imperveſtigabile.

4. *Argentario* לצרף] *Aurifici, conflatori*: vel, *pro conflatore.*

6. *Nè magnifices te* אל תתהדר] *Nè oſtendas te decorum*, aut, *honorabilem.* Alii, *Ne glorieris.* ¶ *Magnorum* גדלים] *Magnatum*: i. e. in loco ubi debent eſſe magnates.

7. *Quàm ut humiliet te* aliquis מהשפילך] *Quàm ut dejiciaris*: vel *quàm te loco dejici*: i. e. quàm ut faciant te deſcendere. ¶ *Viderunt* ראו] i. e. Deſpexerunt.

8. *In contentionem citò* לרב מהר] *Ut citò litem inſtituas*: vel, *ut citò contendas.* ¶ Neſcias] Iſtud additum eſt ut expleatur ſermo: nam conciſo ſermone uſus eſt, quia de ira loquitur, ut exprimat affectum animi irati. Alii ſic, ut ſit integer ſermo, *Nè tandem quid deſignes quo te ignominioſum reddat proximus tuus*, ſub. *cum quo contendis.*

9. *Alteri* אחר] *Alterius*; nempe *ſocii.*

10. *Et infamia tua* ודבתך] *Et oblocutio tua*: vel, *& crimen tuum*, ſub. *in proximum*, *maneat irrevocabile.*

11. *Cum figuris* במשכיות] *In ſculpturis*; *in cælaturis.* Vox Hebræa propriè ſignificat *thecas in quibus lapides pretioſi recluduntur, ità tamen ut videantur.* Gallicè *cleres voyes.* Hæ autem thecæ fiebant argento, ubi erant foramina per quæ illa mala aurea conſpicerentur à Salomone ipſo. ¶ *Quibus modis dici debet* על אפניו] *Ut par eſt*; vel *convenit.*

12. Eſt qui *arguit*, &c. מוכיח חכם וגו׳] Ad verb. *Eſt increpans ſapiens aurem obtemperantem.* Inverſæ dictiones; & pars pro toto, pro, *eſt ſapiens qui increpat hominem obtemperantem.*

13. *Nivis* שלג] i. e. Tantum quantum eſt tempore nivis. ¶ *Fidelis* נאמן *Verax.* ¶ *Et animam*, &c. ונפש אדניו ישיב] Hebraïſmus, pro *domino ſuo quietem parit.*

14. *De dono mendaci* במתת שקר] *De munere vano*, i. e. quod nunquam eſt daturus.

15. *Longanimitate* בארך] Ad verb. *In longitudine irarum.* ¶ *Et lingua* ולשון] i. e. Sermo. Inſtrumentum pro re cujus eſt inſtrumentum. ¶ *Oſſa* גרם] *Iram gravem.* Sic accipitur hic גרם pro *ira gravi, infrangibili & forti inſtar oſſis.* Quidam vertunt *duritiam*, vel *robur*, & exponunt *fortem iram.* Vide eandem ſententiam ſuprà 15. 1.

16. *Satieris eo* תשבענו] Affixum pronomen pro תשבע ממנו.

17. *Prohibe* הקר] Ad verb. *Rarum fac*: i. e. rarò admove, retrahe, ſubtrahe.

19. *Prævaricatoris* בוגד] *Prævaricatrix*, id eſt, prævaricatoris.

23. *Et facies iracunda* ופנים נזעמים] i. e. Is qui non facilè fert obloquentem: q. d. Si non libenter audias detractorem, facies ut ſtatim obmuteſcat. ¶ *Linguam*, &c. לשון סתר] Ad verb. *linguam ſecreti*, aut *occultationis*: id eſt ſermonem occultè detrahentem.

24. *Melius eſt*, &c. טוב שבת וגו׳] Vide ſuprà 21. 9.

25. *Sitienti* עיפה] i. e. Præ ſiti deficienti. Alii, *laſſa*: utrumque ſignificat vox Hebræa.

26. *Et vena* ומקור] *Et ſcaturigo.* ¶ *Inclinans*, &c. מט לפני רשע] *Cedens impio.*

27. *Multum* הרבות] Et *multiplicare*, i. e. excedere modum. ¶ *Sic inveſtigatio* וחקר] Ad verb. *& inveſtigatio*; ו pro *ſic* poſitum, ut & aliàs ſæpe in comparationibus. ¶ *Gloria eorum* כבודם] Sub. *cæleſtium*: id eſt, rerum Divinarum. ¶ Non eſt *gloria* כבוד] i. e. Non eſt laudabile. Repetitur לא ex præcedenti.

CASTALIO.

2. DEO *rem celare glorioſum eſt; Regibus rem ſcrutari glorioſum eſt*] Deus ut magiſter rem celat, quò diſcipulos exerceat. Rex tanquam diſcipulus rem ſcrutatur.

8. *Nè tandem neſcias quò te vertas, turpatus ab altero*] Turpiter victus.

9. *Ità de cauſa tua diſceptato cum altero ut arcanum alii non patefacias*] Tuum aliquod peccatum, dum conſilium petis ab amico.

10. *Nè te dedecoret qui audiverit*] Tuum arcanum patefaciendo. Quomodo enim celabis alienum, cùm tuum non celes?

14. *Qui ſe jactat de falſa donatione*] Promittit neque præſtat.

15. *Lentitudine demulcetur Princeps, linguaque mollis frangit oſſa*] Placatur, ejuſque frangitur vel oſſea duritas.

20. *Quod eſt aceto nitrum perfundere, id eſt carmina canere mæſto cordi*] Ut aceto nitrum redditur aſperius, ſic mœſtus animus carmine exacerbatur.

22. *Nam carbonibus incendes ejus caput*] In cauſâ eris ut Jova illum urat ac puniat. Vide cap. 21. & 24.

23. *Clandeſtinam linguam*] Proditoris & calumniatoris.

26. *Turbatus fons & corrupta vena eſt vir bonus qui deliquit coram improbo*] Improbus ob unum viri boni delictum totam ejus vitam damnat.

CLARIUS.

1. HÆ QUOQUE PARABOLÆ SALOMONIS] Verſus iſte additus eſt à ſcriptore, quem putant fuiſſe Sobnam, & alios quoſdam ſcriptores, quos habuit Ezechias, qui tranſcripſerunt ſequentes Parabolas ex certo libro.

2. *Gloria Dei eſt celare verbum*] Hebræi variè exponunt hunc verſum. Sunt enim qui dicant hic præcipi, *Margaritas non proponendas porcis*, & myſteria fidei non exponenda deriſoribus. Alii dicunt, Principium Geneſeos & Ezechielis non curioſè inveſtigandum. Rurſum alii dicunt, Non opus eſſe ut ore neceſſitates tuas Deo exponas, cùm ipſe cordis ſecreta norit. Regibus verò cedit in gloriam quando facta & judicia eorum inquiruntur & diſcutiuntur, rectaque inveniuntur.

3. *Cœlum ſurſum*] Hebræi ſic exponunt, Cœlum ſuprà habet certum limitem, ſic terra deorſum: cor autem Regum non eſt perſcrutabile, cùm ſubinde alia & alia oriantur in Regno negotia & cauſæ, quæ Regi diſcutienda proponuntur. Videtur tamen etiam poſſe intelligi, *& ſummum cælum & profunda terra & cor Regis eſſe inſcrutabilia.*

8. *Nè forte aliquid agas*] Vel rectiùs, *Quia quid facies in fine ejus, cùm dehoneſtaverit te proximus tuus?* Videtur ergò ſignificare, jurgiorum mala recidere ſolere in autorem.

9. *Cauſam tuam tracta*] Si in controverſiam incideris cum proximo tuo, fac de iis tantùm rebus mentionem quæ ad cauſam pertinent, & ſecreta alia, aut quæ jam ſepulta ſunt, nè revoces in memoriam.

11. *Mala aurea in cælaturis*] Vel *cancellis.* Significatur hoc proverbio, Verbum Dei in cortice non conſiderandum, ſed in medulla; ſicut Serpens in eremo ſuſpenſus ſignificabat Chriſtum cruci affixum, & cætera id genus. Nam quod ait *in ſuo tempore*, alius vertit *in forma ſua.*

13. *Sicut frigus nivis*] Sicut frigus, inquit, recreat eos qui æſtu calent, *ità nuncius fidelis*, cujus adventus magno deſiderio exſpectatur, *refocillat animos mittentium.*

14. *Nubes & ventus*] *Nubibus ſimilis eſt & vento qui pluviam non producunt vir qui gloriatur de mendaci liberalitate.*

16. *Mel inveniſti*] Videtur id ſignificare quod mox ſubdit, *ſubtrahe pedem*, &c. nam conſuetudo nimia ſatietatem parit. Sunt tamen qui hunc putent ſubeſſe ſenſum, *Non eſſe curioſiùs ſcrutanda quæ ſupra nos ſunt.*

20. *Sicut acetum in nitro*] *Acetum* fuſum *ſuper nitrum* diſſolvit illud, & *qui cantat ut triſtem lætificet* magis turbat illum: *ſic eſt qui aufert veſtem in die frigoris.*

R. BAYNUS.

1. HÆ QUOQUE PARABOLÆ SALOMONIS, QUAS TRANSTULERUNT VIRI EZECHIÆ REGIS JUDA] *Transferre* hoc in loco non intelligimus *de lingua in linguam*, ſed potiùs *de loco in locum*, *& de membranis in librum*: q. d. *undique collegerunt.* Sic Levi Ben-Gerſon. Chaldæus P. *ſcripſerunt* habet pro *tranſtulerunt.* Hunc verſiculum adjecit ſcriba, quem fuiſſe Sobnam putat Aben-Hezra; *Viri* (vel *amici*) *Ezechiæ tranſtulerunt*, h. e. præceperunt transferre, *has Parabolas* de libris ſuis, vel de libris Ezechiæ, ut unum eſſet volumen ex omnibus Parabolis. Nam priores inventæ ſunt eo ordine quo nunc ſunt tunc temporis conſcriptæ: Cæterùm quæ ſequuntur *ſunt* in hunc locum *translata per* ſapientes *viros qui fuerunt in tempore Ezechiæ Regis Judæ.* Sunt ex Hebræïs qui hujus verſiculi per modum tranſitionis inſerti hanc reddunt rationem, videlicet, Dum viri ſapientes Ezechiæ transferrent Parabolas Salomonis, ubi ad hunc locum ventum eſt, invenerunt aliquot quas publicare dignum non eſſe putabant, & quas prætergredientes, ſequentes adjecerunt, dicendo, *Hæ quoque Parabolæ Salomonis*, ut præcedentes; & ob id initium ſumpſerunt, *Gloria Dei occultare verbum*, quaſi reliqua verba celare ad gloriam Dei ſpectaret. Sed hæc ſunt Rabbinorum ex Cabala. Nihil impedit quò minùs de lingua in linguam translatus intelligamus elegantiorem aut magis vulgarem. Sunt tamen qui verbum העתיק non *transferre* ſed *retinere* volunt ſignificare, ſive *roborare*:

q. d. *Hæ quoque Parabolæ ſequentes*, ut priores, *robur & autoritatem acceperunt à viris ſapientibus qui fuerunt ſub Ezechia, tanquam veræ Parabolæ Salomonis*: Et hæc eſt optima interpretatio, meâ quidem ſententiâ.

2,——5. *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inveſtigare ſermonem. Cœlum ſurſum & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* Heb. *Remove ſcorias ab argento, & egredietur conflatori vas. Aufer impietatem de villa Regis, & firmabitur juſtitiâ thronus ejus.* Heb. *Remove improbum, qui eſt coram Rege, & firmabitur in juſtitia ſolium ejus*] Non ſine cauſa diviſa ſunt veluti in tres ſectiones Salomonis Proverbia; utpote in quibus plurimum diverſitatis invenerit prudens & oculatus lector. Sunt enim pleraque quæ in prima parte continentur humiliora & teneræ ætati informandæ magis accommodata. Secunda pars, quæ à decimo capite ſumit exordium, per omnium virtutum & vitiorum latiſſimum campum excurrit, nullam ætatem aut conditionem hominum relinquens intactam. Quæ verò ſequuntur ſublimius aliquid ſapiunt, & ad Regum, Principum ac totius Reipub. prudentiam ferè ſpectant. Non omnino fixam & certam, ſed majori ex parte, hanc ſectionem intelligimus: Nam alioqui in prima parte habes doctrinam cœleſtem & majeſtate plenam, & in hac tertia humiliora quædam. ¶ *Gloria Dei eſt celare verbum*] Sunt qui intelligunt per *verbum* opera verbo Dei creata, quæ cùm nemo digno ſermone poſſit aſſequi, omnibus imponitur ſilentium, & *celare* coguntur. Inter opera porrò quæ pro *gloria Dei ſunt occultanda* connumerant Hebræi opus Creationis, Principium Geneſeos, & Plauſtrum Ezechiëlis, h. e. viſionem de Rotis, & plurima Legis præcepta, quæ ſatis explicare nemo poteſt. Aliter, *Gloria Dei eſt celare verbum*, nè quis velit curioſiùs ſcrutari quid agatur *ſuperius in Cœlo*, neque quid *inferius in profundo terræ*; ut ad ſequentia referatur. Aliter, Multa Prophetis ſunt revelata quæ in vulgus temere non fuerant ſpargenda: & hinc laudatur Moſes, *In tota domo mea fidelis ipſe*, Num. 12. quòd multa vidiſſet in monte per quadraginta dies colloquiis Dei uſus, quæ vulgò non publicavit. Et Eſaias peccavit juxta Hebræos duntaxat, eò quòd dixit c. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*, &c. Et Ezechiel quoque ſemper audit, *Fili hominis*, ut ſit memor conditionis ſuæ & fragilitatis humanæ, quia dixerat, *& vidi viſiones Dei*: hæc utcunque accipiuntur. Nos ex Paulo, qui *audivit verba quæ non licet homini loqui*, 2 Cor. 12. intelligimus arcana multa Prophetis revelata in quorum *ſilentio eſt gloria Dei*. Denique *gloria Dei* eſt, nè quis, veluti ignarum alicujus rei Deum exiſtimans, conetur multis verbis vel exponere ſuam indigentiam, vel inter orandum utatur multiloquio: *Novit enim antequam petamus, quâ re indigeamus.* Verùm *gloria Regis* terreni ut oſtendantur illius opes & potentia, quò majori ſit terrori hoſtibus. *Gloria Regis eſt* aliorum *ſecreta cognoſcere*. Quid domi & foris agatur ad Regem ſpectat; & ignominiam putat ignorare quid ipſius hoſtes contra eum moliantur. Vel, ſi quid præclarè agat Rex, ubique vult palàm fieri ad *gloriam* ſuam. Verùm opera Dei ſunt inſcrutabilia, juxta id quod ſequitur, ¶ *Cœlum ſurſum*] q. d. *Neque ea quæ ſunt in profundo ſub terra inveſtigare poteris, quantò minus ea quæ ſunt ſurſum in Cœlo?* nemo ſcire poterit, nè *Reges* quidem quantumvis glorioſi & potentes: nulla potentia, nullæ vires *Regum* ſufficiunt iſta penetrare ac inveſtigare. Aliter, *Gloria Dei eſt*, quòd Judex ſit omnium, quòd novit omne verbum etiam abſconditum, punire crimina vel *occultiſſima & maxime abſcondita*: *Sed Regis gloria eſt inveſtigare* malefactores, & juxta revelationem factam per inveſtigationem purgare Remp. à ſceleribus: & *non eſt gloria Regis ſcrutari quæ ſurſum ſunt in Cœlo, vel quæ deorſum in terra*, h. e. vacare ſtudio Philoſophiæ, neglectâ ſalute Reipub. Hæc functio privatorum hominum eſt, non *Regis*, cujus *gloria* eſt ut per juſtitiam purgata Reſpub. ſplendeat, veluti *vaſa argentea* quæ nuper à conflatorio prodierunt: & hoc eſt quod ſequitur, ¶ *Aufer* (vel *Amove*) *ſcoriam ab argento*] q. d. Ut mixta cum *argento ſcoria aurifabro* eſt impedimento quò minùs poſſit conflare *vaſa argentea* modis omnibus pura & nitida, ſic ad *Regem* ſpectat, cujus *ſolium juſtitiâ firmatur*, ab aula ſua, imò à Regno, omnem *amovere impium*, ut non ſolùm cum magna gloria ſed magna ſecuritate regnet. Nam ut *ſplendidum eſt argentum* in conflatorio *amotâ ſcoriâ*, ſic *firmum erit Regis ſolium* quod omnem *impietatem* à Rep. *diſcutit*.

6, 7. *Ne glorioſus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim ut dicatur tibi, aſcende huc, quàm ut humilieris coram Principe quem viderunt oculi tui.* Heb. *Ne honorabilem te præbeas coram Rege, neque in magnorum ſtabis loco. Nam melius eſt ut dicat tibi, Aſcende huc, quàm ut humilem te reddat coram Principe quem viderunt oculi tui.*] Hebræi intelligunt *gloriam* quam prohibet Sapiens, jactantiam & oſtentationem in ſplendore veſtium, in equis & curribus; Non eſſe certandum cum Rege vel Principibus, quaſi cum illis te conferendum oſtendere velis. Si coram Rege terreno cum magna animi ſubjectione verſandum eſt, & ab omni ſuperbia & arrogantia alienos eſſe oportet eos, qui gratiam inire volunt, quantò magis apud Regem Regum & Cœlorum Principem nos oportet conditionis noſtræ & fragilitatis meminiſſe? dicentes, *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, Pſal. 115. Ex hoc loco ſumpta videtur parabola, Luc. 14. quam dixit Jeſus *ad invitatos, intendens quomodo primos accubitus eligerent, Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco.* Poſtremam particulam poſterioris verſiculi, nempe, *Quem viderunt oculi tui*, connectit Hieronymus cum ſequentibus, ſecutus LXX. Sunt ex Hebræis qui ſubaudiant aliquid ad hunc modum, *Coram Principe, &* ſc. *hominibus quos viderunt oculi tui*, h. e. quos noſti, & qui te noverunt; vel *coram Principe*, cum ignominia, non illata tibi abſenti, ſed *quam oculi tui videant*.

8.——12. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò, ne poſtea emendare non poſſis, cùm dehoneſtaveris amicum tuum.* Heb. *Ne exeas ad litem celeriter, ne forte facias aliquid in noviſſimo illius, dum ignominiâ te afficiat inimicus tuus. Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reveles. Ne forte inſultet tibi cùm audierit, & exprobrare non ceſſet.* Heb. *Ne forte exprobraverit tibi, & infamia tua non revertetur. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Heb. *Mala aurea in picturis argenti, verbum dictum in ordine ſuo. Inauris aurea & margarita fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem*] Arrogantiæ ſoror eſt Lis & Contentio: per illam Regibus eris odioſus, per hanc verò omnibus etiam amicis. ¶ *Quæ viderunt oculi tui*] Juxta Hebræam veritatem hæc verba ſunt verſiculi præcedentis, ut expoſuimus. LXX. quos ſecutus eſt Interpres, ſic incipiunt hunc verſiculum, Ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, λέγε, *Quæ viderunt oculi tui, dic*: deinde ſequuntur juxta Hebræam veritatem, *ne incidas in jurgium. Ne proferas* pro *ne properes* habemus. Deinde ex duobus verſiculis habemus unum, quorum prior cùm non ſit in Hebræo à nobis negligitur. ¶ *Ne exeas ad litem celeriter*] Duplicem habet ſenſum, vel quòd ipſe non debeas litem cuiquam temere intentare, vel quòd alienis contentionibus ſeſe immiſcere viri prudentis non ſit, nè amicorum quidem causâ. Optimum ſanè conſilium, & ferè idem quod dixit ille, *Mallem judicem eſſe inter inimicos meos quàm amicos: Nam ex illis alterum ad amicitiam pertraham, ex his verò alterum ex amico inimicum reddam.* Idem aut omnino ſimile docet Salomon, inquiens, *Quid facies in fine ipſius litis, cùm ignominiâ te affecerit amicus tuus, quòd homo incivilis leges amicitiæ ſervare non noveras, ut qui maluiſti judiciorum ſeveritate quàm amicâ & benignâ diſputatione contendere, ſive tuâ ſive alienâ causâ?* Equidem *in aliena* intelligo cum Aben-Hezra, qui ſic exponit, *Ne egrediaris celeriter ad litigandum in lite aliorum, ne fias ignominioſus, quaſi lites conſectans.* Alii ſic, *Ne exeas* (vel *progrediaris*) *ad litigandum, niſi in cauſa optima, & quam noveris quem finem ſit habitura. Nam non aſſecutus quod cupis, ſed victus, eris ignominioſus etiam amicis tuis, non ſolùm adverſariis.* Aliter vox Hebræa מהר, quæ ferè *citò* vel *cum celeritate* vertitur, juxta ambiguitatem ſermonis Hebraïci verti poteſt per verbum *accelera*: & erit ſenſus, *Ne egrediaris ad litem, ſed feſtina componere lites, ne forte eouſque progrediaris litigando ut non poſſis ubi voles teipſum in integrum reſtituere.* Et huic ſenſui quadrat quod ſequitur. ¶ *Cauſam tuam tracta cum amico*] Heb. *Litem tuam litiga cum ſocio tuo.* Videtur Sapiens nullam partem humanæ vitæ intactam relinquere, ſed quid publicè, quid privatim agendum ſit, omnia plenè docere, partim obſcuriùs parabolis & ſimilitudinibus, veluti ænigmaticè ſaluberrima obumbrans præcepta, partim ſimplici ſermone & Scripturis accommodo docens quæ ad amicitiam vel imprimis ſpectant & pacem fovendam: nempe, ſi quid ſuboriatur controverſiæ aut ſimultatis, pro humana inconſtantia, quàm minimo negotio tranſigendum privatis colloquiis, ut ſecretum proximi ſervetur illæſum; nè ſi in publicum prodeas litigaturus contra ſocium, illius fama lædatur. Senſus non videtur alienus ab illo Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum.* ¶ *Ne forte inſultet* (vel *exprobraverit*) *tibi*] Et pœna reſpondebit culpæ. Si ſecretum crimen alterius per te palàm fiet, qui audiunt, ſceleſtum te facient, *& infamia tua non revertetur*, ſed diu durabit. Aliter, *Malam famam quam ſparſiſti non poteris revocare.* Mihi placet ut ad utrumque referatur: q. d. *Neque ſecretum quod feciſti palàm, poteris revocare; neque tua revertetur infamia, cùm auditores non ceſſent de te male loqui.* Accuſandi ſunt amici & caſtigandi

etiam

Digitized by Google

etiam chariſſimi, ſed pro tempore & loco. Prudentiâ & moderatione ubique opus eſt, quod admodum elegantibus Parabolis oſtendit Salomon. ¶ *Poma aurea in lectis argenteis*] Heb. *in picturis* vel *figuris*, alii *in foraminibus*, vel *cancellis argenteis*. Et ſenſus eſt, Ut jucundiſſimus eſt aſpectus rerum pretioſarum quando non plenè intuentium oculis objiciuntur, ſed abſconduntur etiam ſumptuoſè, ut *aurea mala in cælaturis* (vel *cancellis*) *argenteis*, h. e. quando non plenè cernuntur, *Sic verbum dictum tempore*, Heb. *Cum modis ſuis*, vel *rotis ſuis:* verbum dictum, inquam, in caſtigatione amici, ut ipſe Salomon exponit, dum velut argentum clarum lucet amor inter verba caſtigationis. Qui corripit amicum, eâ debet uti moderatione verborum ut in eloquio *argenteo* Scripturarum lateant *poma aurea*, h. e. charitas infinita & quæ modum neſciat. *Poma ex auro* intelligimus, non, ut Virgilius,

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Talis igitur debet eſſe ſermo qui litem ſedare & dirimere conatur, nempe, plus intus occultans quàm foràs præ ſe ferat nitore eloquentiæ. Quòd ſi incidat ſermo in *aurem obedientem*, tunc tandem erit duplicata gratia, ut *inauris aurea* & ut *monile in maſſa auri*, vel ut *monile* in corona & diademate. Decorum enim & gratum dum *ſapiens reprehenditur*, vel dum *reprehenſus à ſapiente patientem & obtemperantem* accommodat *aurem*. Habemus in hoc Proverbio litem inter amicos condemnatam, amicam verò caſtigationem & tempeſtivam admonitionem, ſi modò cum prudentia & gravitate fiat, rebus pretioſiſſimis comparatam.

13, 14. *Sicut frigus nivis in die meſſis, ità legatus fidelis ei qui miſerit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Heb. *Animam domini ſui requieſcere faciet. Nubes & ventus & pluvia non ſequentes, vir glorioſus & promiſſa non complens*] Quod ſuperius cap. 13. dictum eſt de *legato fideli* repetens, eleganti ſimilitudine confirmat, videlicet, *valde charum eſſe nuncium fidelem his qui mittunt eum*. Meſſores præ omnibus aliis operariis ſolent torqueri calore & ſiti, ut qui maximis ardoribus anni, procul ab umbra, procul à fontibus, ſummâ fatigatione laborant, refrigerari vehementer cupiunt: quibus nihil amœnius poſſit contingere quàm vel *nivium* vel *glaciei frigora*, in quibus facilis eſſet labor & jucundus ſudor. Sed iſtis ſimul frui non licet, *meſſe* videlicet & *frigore*, præſertim Auſtralibus plagis. Talis ferè eſt conditio Regum & Principum, qui de magnis rebus in longinquas regiones Legatos mittunt, interim magno æſtuantes deſiderio, impatientes moræ, animo tranquillo ferre dilationem non valent, quorum tandem reverſus *legatus fidelis*, cum nuncio & reſponſo ex eorum animæ ſententia, laborantem *animam* & anhelantem præ deſiderio *tranquillam & pacatam efficiet*, vel juxta aliam hujus verbi ישיב ſignificationem, *reſtituet animam* veluti egredientem è corpore, ut eorum animæ quæ ſiti vehementer torquentur & calore, ut totus locus ſub Hyperbola intelligatur, & ſimilitudo meliùs quadrabit. Proverbium admonet legatos & nuncios ſui muneris, præſertim eos quos *Dominus miſit operarios in meſſem ſuam*, Luc. 10. Horum fides & diligentia magnopere grata & ſpectata eſt Chriſto Domino ſuo, utpute quos *conſtituet ſuper omnia bona ſua*. Cùm interim tranquillo animo non videatur eſſe (ut verbis humanis Scripturam exponamus, ſicut ipſa ubique loquitur) vel ſi quis talis eſt qualis erat Paulus 2 Cor. 11. qui *omnium Eccleſiarum ſolicitudinem ſuſtinuit*; hic, inquam, animo tranquillo eſſe nequit donec lætum accipiet nuncium de his rebus quarum gratiâ miſit legatos, h.e. ut ad caules reducantur oves pro quarum ſalute Chriſtus effudit ſuum ſanguinem. Hi legati ſi fideliter fungantur ſuo munere, refrigerium habebunt majus quàm *frigus nivis in die meſſis*, juxta illud quod ſcribitur Eſa. 9. *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exſultant victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia.* ¶ Ut in magno deſiderio & exſpectatione voti compotem fieri admodum eſt jucundum, ut de *fideli legato* audivimus; ità contrà, ſpe falli & exſpectatione fruſtrari moleſtum eſt, non minùs quàm poſt *nubes*, quæ ſpem præbent pluviæ, & poſt *ventum*, qui terram ſitientem reddit, *non venire pluviam*. Duplex incommodum, cùm neque neceſſitati terræ & ſegetum neque exſpectationi hominum ſatisfiat. Tale aliquid uſuvenit his qui liberalitatem plurimùm jactant ſuam, & multa promittunt, cùm tamen dictis facta minimè reſpondeant. Ad utrumque referri poteſt, nempe ad *eum qui mittit*, ſive ad *legatum* qui mittitur. Quòd ſi hic poſt datam fidem legationem non obeat, ille verò ſi non præſtat mercedem quam pollicitus eſt legato ſuo, erit veluti *nubes* obſcuritate mendacii, *ventus* verò ſterilitate verborum. Quòd ſi nolumus ex ſuperiori pendere verſiculo, ſimplicem ſenſum habet contra Jactantiam; monet nihil eſſe promittendum quod non poſſis præſtare, vel quod nolis. Juxta ſenſum myſticum contra hypocriſim facit, qui magnam ſanctimoniam præ ſe fert exteriùs, cùm nihil minùs præſtet: qualis ſolet eſſe in concionatoribus qui cùm benè loquantur malè vivunt.

15. *Patientiâ lenitur Princeps, & lingua mollis confringit duritiem*: vel, *confringit oſſa*] Utroſque monere videtur, & Principes, inquam, & ſubditos; illos nè temere proſiliant ad vindictam, hos verò ut verbis benignis & dulcibus Principum mitigent furorem. ¶ *In longanimitate flectetur* (vel *flecti ſolet*) *Princeps*] h. e. Dum iram protrahit, & non ſtatim punit. Interim enim dilatione ſedatur furor. Cujus rei legitur exemplum in hiſtoria Eccleſiaſtica de Theodoſio, qui indignatus in civitatem Theſſalonicam, iracundiæ non refrænavit impetum: Et proinde juxta ſenſum hujus Proverbii, *Longanimitate flectitur Princeps*, D. Ambroſio monente, legem promulgavit quæ exſtat Hiſtoriæ tripartitæ lib. 7. cap. 30. ¶ *Lingua mollis*] Sive *tenera*. Jucunda alluſio inter *molle* & *durum*, ſive *carnem* & *oſſa*. Contrà naturæ ordinem videtur eſſe quòd *lingua*, quæ non habet oſſa, *frangeret oſſa*. Metaphorica eſt locutio, pro *frangit furorem*, & mitigat iram quamlibèt duram ac oſſibus ſimilem. Duriſſima eſt ſententia in peccatores lata, juxta parabolam Evangelicam de ſervo qui decem talentorum debitor *juſſus eſt venundari unà cum uxore & filiis* Matth. 18. Sed hanc ſententiam mitigavit *lingua mollis*, quæ dicit, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, nam ſequitur, *Miſertus autem Dominus omne debitum dimiſit ei.* *Principis* etiam cœleſtis igitur *iram frangit lingua mollis*, ſi modò linguæ molli cætera reſpondeant. Cæterùm *longanimitate lenitur Princeps* terrenus, non autem cœleſtis, niſi pœnitentiam agas, juxta illud Pauli Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

16. *Mel invenisti, comede quod ſufficit tibi, nè fortè ſatiatus evomas illud*] Hujus Parabolæ ſenſus variis modis explicari poteſt: quod etiam Salomon ipſe ſuperiore capite innuebat, dicens, *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt*, ſequitur, *ſic & doctrina ſapientiæ:* & in ſequentibus, *Qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Ut igitur Mel, quod dulce eſt admodum & ſalubre ſi mediocriter ſumatur, ſi quis nimium comedat in nauſeam vertitur, ventriculum diſſolvit & vomitum provocat; ſic etiam quæ ſunt alioqui amœniſſima, ſive animo ſive corpori, niſi modum adhibeas, amaritudinem ſuam oſtentant. Quæ corporis ſunt, quiſque ſecum cogitare poteſt: Salomon ſublimiora meditatur. Quàm jucunda & ſuavis ſit piis hominibus, & his qui credunt in Chriſtum, ſobria & humilis Scripturarum lectio ac meditatio, norunt illi qui contemptis rebus mundanis ad alteram vitam anhelant: & tamen qui ex Scripturarum dulcedine plus præſumunt quàm valeant concoquere, h. e. ſuo judicio nimiùm fidentes devorant malè intellectas, coguntur *mel evomere*, dum ex malè intellectis Scripturis fidem, quam bonam habuerunt, magna ex parte amittunt. Quid amœnius, quid dulcius quàm amicorum congreſſus & fida colloquia? tamen hic tenendus eſt modus, nè mellis dulcedo in amaritudinem vertatur; juxta id quod ſequitur;

17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te*] Verbum הוקר *rarum & pretioſum facere* ſignificat. Vileſcunt juxta vulgi Proverbium quotidiana. Hebræi tamen vertunt *prohibe*, & Chaldæus כלה, h. e. *prohibe*, Et ſenſus eſt, ut dixi, pendens ex priore verſiculo, *Omnium rerum eſſe* videlicet *ſatietatem, etiam jucundiſſimarum. Nam amarum eſt quicquid nimium eſt; mel quoque, ſi nimium eſt*, ut eleganter ſcripſit quidam. Et non ſolùm de frequentatione *domûs* monet, ſed de quacunque importuna apud ſuos audacia: nam re alienâ abuti non debemus præter æquum & bonum amicitiæ prætextu, nè ex amicis inimicos nobis conſtituamus. *Domus amici noſtri* eſt Eccleſia Chriſti: *Vos*, inquit, *amici mei eſtis*, Joh. 15. ad quam quicunque importunus accedit, h.e. *non intrans per oſtium, ſed aliunde*, Joh. 10. contra jus & fas aſcendens, ex amico facilè fiet inimicus. Poteſt & de his intelligi qui ſacram Domini menſam in Eccleſia frequentant illotis pedibus & parùm purgatis affectibus animi; aut denique de his qui ad quamcunque functionem Eccleſiaſticam properant niſi *ſpecioſis pedibus*, juxta Hebraïſmum, h.e. puris & purgatis affectibus.

18. *Jaculum, & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium*] Non *jaculum* in Hebræo ſed *malleus* eſt, & particula Similitudinis ſubauditur, *velut malleus*. Ex his rebus ſumitur ſimilitudo quarum ictus omnino mortiferus eſt, ut oſtendat criminis magnitudinem *falſi teſtis*, quod homicidio vel crudeliſſimo minus non eſt: imò *quicunque falſum teſtimonium perhibet contra proximum* in judicio & in crimine capitali, perinde facit ac ſi caput hominis *malleo* tunderet, *cultro* jugulum peteret, aut denique *ſagittâ* cor transfigeret: q. d. non ſolùm in rebus externis damnum infert, ſed

vitam exſtinguit. Non Judex, non carnifex aut lictor innocenti vitam eripit, ſed *falſus teſtis*, nè quis putet leve eſſe crimen. Sed quantò majus eſt crimen teſtimoniis Scripturarum malè intellectis non vitam uni eripere, ſed animas totius populi corrumpere ac interficere?

19. *Dens putridus & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ. Dens confractus*, Heb. *Et pes lapſus*, vel *labens, fiducia prævaricatorum in die anguſtiæ*] Quamvis *fiduciam* intelligant ferè omnes interpretes *eam quam quis ex prævaricatore exſpectat*, tamen intelligi poteſt *fiducia & ſpes illius qui prævaricatur legem*, ut ſit ſenſus, *ſua ſe ſpes fruſtrabitur in die anguſtiæ*, h. e. mortis. Alioqui monet Proverbium, Non eſſe fidendum illi qui amicos ſolet fallere, præſertim in re magni momenti, nè præter periculum & damnum non exiguus quoque dolor ſequatur. Per *dentem confractum* comedendi neceſſitatem, & quæcunque alia maſticandi aut digerendi inſtrumenta intelligimus, quibus naturæ officia non præſtantibus jam ipſa periclitatur vita; Per *pedem*, reliqua membra, quorum motu vel corpus exercemus, vel ad comparandum victum progredimur. Quemadmodum in his *dentibus*, inquam, & *pedibus* maximam & ſummam vitæ fiduciam collocamus, quibus non peragentibus ſua munera vitæ longitudinem ſperare non poſſumus, & interim non mediocrem patimur dolorem; ſic non ſolùm vana ſed damnoſa eſt ſpes in eum collata qui ſolet decipere ſuos. Monet Proberbium, Non omnibus eſſe fidendum. Qui præcepta *prævaricatur*, tanquam *dens fractus*, cibum animæ ſuæ non poteſt commolere; & tanquam *pes labens*, ad bravium ſupernæ hæreditatis non poteſt currere; tantò minùs aliis ſe ducem itineris præſtare, aut præmanſum aliis præbere cibum. h. e. A quo neque exemplum vitæ, neque doctrinam bene credendi poteris accipere, quam fiduciam in eo ponere licet? Si *maledictus ſit qui ſpem ſuam ponit in homine*, quantò magis qui in *prævaricatore*?

20. *Qui amittit pallium in die frigoris, acetum in nitro, qui cantat carmina corde peſſimo.* Hebr. *Qui removet veſtem in die frigoris, acetum ſuper nitrum, & cantans in carminibus ſuper cor malum*, vel *confractum*] Vox Hebræa רע eſt ambigua. *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus* jubet Paulus, Rom. 12. &, *Muſica in luctu, importuna narratio*, ſcripſit alius Sapiens. Idem duabus docet ſimilitudinibus Salomon. *In tempore hiberno* non ſunt *amovendæ veſtes* quas portare ſolemus, ſed plures addendæ potiùs pro ratione temporis: *Ad nitrum*, quo veſtes ſeu lavantur ſeu intinguntur, *acetum non eſt addendum*, ſed aqua: Ità ſi quis eſt *animo dolente*, ſive *malo*, vel, juxta Aben-Hezram, *corde confracto*, pro mœſto, huic *carmina* & ludicrum aliquod ingerere valde importunum eſt, & malum quodammodo duplicat. Proverbium ſignificat, Omnia tempus habere.

21. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere*] Euangelicum planè præceptum eſt, Rom. 12. non ſolùm de diligendo ſed etiam juvando inimico. In pane & potu, quæ ſunt res omnium maximè neceſſariæ, etiam quamcunque neceſſitatem intelligimus. Et ſenſus eſt, Bonum pro malo eſſe reddendum; Benefaciendum omnibus: Inimicum ſuperandum beneficiis. Nam vix ullus uſqueadeo durus aut implacabilis eſt ut non ſeſe pœniteat damnum dediſſe illi qui nullo damno abalienari poſſit; juxta id quod ſequitur.

22. *Prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Heb. *Nam prunas tu accipis* (vel *incendis*) *ſuper caput ejus*] Tria maxima bona conſecutus es eâdem operâ. Primò vindictam piam de inimico ſumes. Quid enim gravius, vel quam majorem pœnam poteris infligere, quàm igne ſuccendere hominem? Revera tam gravis erit illi vindicta ac ſi *ardentes prunas illi ſuffundas in caput*; cogitare videlicet, & tuam bonitatem cum ſua ingratitudine conferre. Facti ſui pœnitentia ardebit in animo; & infectum volet eſſe quod iniquè contra te geſſit, tanto deſiderio, tanto ardore, ut igne cremari videatur. Hâc ratione ubi vindictam hanc piam ſumſeris de inimico, fidelem effeceris amicum, ut poſthac ſibiipſi potiùs damnum intulerit quàm tibi, à quo præter omnem exſpectationem & meritum tantum acceperit beneficium. ¶ *Et Dominus reddet tibi*] Quòd ſi parùm putas ad hunc modum teipſum vindicaſſe, imò lucraſſe fratrem, præter hæc mercedem accipies à Domino. Nè putes perire beneficium quod in hominem contuleris quamlibèt ingratum, quamlibèt de te malè meritum. Imò tantò majorem accipies retributionem à Domino quantò minùs meretur inimicus tuum beneficium. Amicis benefacere, mutuis certare muneribus, eſt omnium nationum: etiam infideles & *ethnici hoc faciunt*; *Benefaciunt*, inquam, *his à quibus beneficia acceperunt.* Tu imitare potiùs eum qui *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*, Matth. 5. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*, Rom. 12. Inimicus malefecit; hac in re ſimilis illi eſſe noli. Tu benefacere ſtudebis in omnes; & pro ingratis, qui vel nolunt vel non poſſunt retaliare beneficium, ſidejubet Dominus, & *remunerabit etiam calicem aquæ frigidæ in illius nomine porrectum*, Mar. 9.

23. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Heb. *Facies irata linguam occultè*, ſc. *detrahentem*] Senſus Proverbii eſt, Non ſolùm non oportet malè loqui ac detractare, ſed neque præbere aurem his qui malè loquuntur. Nam ſi non fuerit qui auſcultet, non erunt detractores. Ut enim diverſi ſunt venti, & unus cogit nubes & ad pluviam diſponit, nempe Auſtrinus, alius verò nubes *diſpergit & pluviam prohibet*; ſic ſi quis *triſtem & iracundum* oſtendat *vultum* his qui famam lædunt alienam, ſtatim illis imponit ſilentium. Quemadmodum igitur *Aquilonari vento* ſiccitatem acceptam ferimus, ſic his qui obloquentes audiunt libenter & auſcultant debemus acceptum ferre quòd ſint qui in occulto malè loquantur & diſcordias ſeminant inter fratres. Monet denique Proverbium, Sapientis eſſe ſic cohibere detractores ut ſe ſentiant reprehenſos eâ moderatione, quam nec moleſtè poterunt ferre, nec poſtea te præſente malè loqui audeant.

24. *Melius eſt ſedere in angulo domatis quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi.* Heb. *Melius ſedere ſuper angulum tecti* (ſc. *quàm manere*) *cum muliere rixarum, & in domo ſocietatis*] Quod ſuperiùs c. 21. expoſuimus SUPER ANGULUM TECTI *ſub dio*, intelligi poteſt aliter, nempe *in ſummitate ædium, & anguſto loco*; quæ manſio eſt maxime incommoda. q. d. Tranquillitas animæ omnibus aliis hujus vitæ voluptatibus eſt præferenda, ut ſine qua neque uxor, neque liberi, neque ædes magnificæ & capaces gratæ eſſe poſſunt, ut inquit ille,

——— Valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

25. *Aqua frigida animæ ſitienti: & nuncius bonus de terra longinqua* [ſive, *auditus bonus de terra longinqua*] *Nuncius* qui *de terra longinqua* exſpectatur, deſiderium auget, & tandem tantò majore lætitiâ auditur quantò longiùs venit: & ut *aquæ frigidæ animam* laſſam & jam deficientem revocare videntur, ſic *nuncius* quem diu multumque audire anhelamus. Docet Proverbium, Corporis neceſſitati ſatisfacere non eſſe difficile, verùm animæ deſideria eſſe inſatiabilia in his qui præſentibus non ſunt contenti, ſed peregrinas merces quærunt. *De terra longinqua nuncium* tulit *homo* quidam *peregre profectus ut acciperet ſibi Regnum, & reverteretur*, Luc. 19. Quodnam melius nuncium audiri poteſt quàm *captivos in libertatem reſtitui*, quàm *vinctos diſſolvi, exules in patriam reduci, cæcos* denique *viſum recipere, leproſos mundari, pauperes heredes Regni & coheredes Chriſti* deſignari, cum aliis id genus infinitis beneficiis quæ nobis in Euangelio *è terra longinqua* referuntur? Et ſuper *animas* in via peccatorum *laſſas* effuſa eſt *aqua frigida* Baptiſmatis & pœnitentiæ cum inæſtimabili refrigerio; juxta illud, *Venite ad me, omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11.

26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, juſtus cadens coram impio*] Per *fontem turbatum* ſive potius *conculcatum pedibus* & *venam* (ſup. *aquarum*) *corruptam* idem intelligimus. *Corrupta* dicitur *vena* vel quòd obturata ſit ſordibus & pulvere ut aquam non reddat, vel quòd malignè reddat, neque copioſam neque limpidam aquam fundens. Porrò *juſtus declinans coram impio*: h. e. concedens & dans locum impio, vel ſuperatus ab impio; vel denique juſtus qui blanditur impio, & illius improbitatem vel approbat vel non damnat, is eſt tanquam *juſtus cadens coram impio.* Erit igitur ſenſus verſiculi quodammodo pendens à priore, oſtendens quæ ſint illæ *aqua frigida* tam gratæ *animæ fatigatæ & laſſæ.* Sunt aquæ *fontis* puri, & *venæ* ſive *ſcaturiginis* perennis, quæ non *corrumpitur*: alioqui gratiam omnem & amœnitatem perdunt aquæ fontis. Porrò quales ſunt *aquæ* iſtæ *frigidæ & claræ laſſis* ab itinere, pulvere & ſudore conſperſis, talis eſt doctrina viri juſti; juxta id quod ſcriptum eſt 10. cap. *vena vitæ os juſti*: &, *Os juſti parturiet ſapientiam.* Cæterum *juſtus conculcatus à malo*, h. e. redactus in poteſtatem impii, ut olim Joannes Baptiſta in carcerem ab Herode, quamvis eandem doctrinæ puritatem & loquendi libertatem ubique ſervaverit, tamen populo, qui doctrinam illius audire ſolebat, *fons* ab Herode *conculcatus* eſt & *vena corrupta*, vel potiùs *obturata.* Aliter, *Juſtus declinans coram impio*, dans locum impio, vel timens tyrannidem impii, non audet eam doctrinæ puritatem aut eam copiam in vulgus ſpargere, meritò *fons conculcatus* & *vena corrupta* dicitur. Secunda expoſitio eſt melior. Uſus Proverbii eſt in eos qui primò rectè prædicant & docent, poſt verò à malis hominibus vel perterriti vel perſuaſi tacent; & fit *vena corrupta*, non amplius ſcaturiens: aut quod pejus eſt, bonam & ſalubrem doctrinam in errores & adulationem commutant, *fonte conculcato* pedibus lutoſis, h. e. terrenis affectibus & mundanis. *Coram impio* denique *declinare* vel *cadere* intelligi poteſt juxta illud Matth. 4. *Et oſtendit*

oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dicit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Et proh dolor! quot bonos viros & eruditos, concionatores optimos, Sacerdotes, Abbates, Monachos & Epiſcopos vidimus noſtrâ ætate *declinare*, imò tantùm non *cadere* & adorare cacodæmonem, h. e. Eccleſiaſticâ & puriſſimâ fide ac doctrinâ Patrum *conculcatâ*, *venâ* perenni Canonicæ diſciplinæ *obturatâ corruptâ*que, ad novam formam religionis novoſque ritus *declinare*, & repugnante conſcientiâ hominibus magis obedire quàm Deo?

27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt bonum; ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Heb. *Scrutari gloriam eorum, honor,* ſup. *eſt*] Hieronymus ſubaudivit quædam quæ non ſunt in contextû Hebræo, & *ſcrutari gloriam eorum*, quod ambiguum eſt, refert ad S. Triadem, ſubintelligens *opprimetur.* Hebræi *gloriam eorum* referunt ad *juſtos*, quorum mentio in priore verſiculo facta eſt: & per diſſimilitudinem exponitur verſiculus ad hunc modum, *Quemadmodum bonum non eſt comedere multum* (vel *nimium*) *mellis, ità honorabile eſt ſcrutari gloriam juſtorum*, h. e. doctrinam illorum, ſive virtutes, in quibus gloriam habent. Non quòd re verâ juſti ſuis virtutibus glorientur; nam *qui gloriatur, in Domino glorietur:* ſed quòd virtus & doctrina eorum ſint hujuſmodi ut in quibus meritò quis gloriari poſſit. Alii ſic, *Comedere multum mellis non eſt bonum*, ſed comedere mediocriter bonum eſt; ut modò lectum fuit, *Mel inveniſti, comede quod ſufficiat*; v. 16. & c. 24. 13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt.* Ut igitur *comedere mel nimium non eſt bonum*, ſed *ad mediocritatem comedere bonum eſt*; ſic *ſcrutari doctrinam juſtorum, gloria eſt.* Alii per *gloriam eorum* ſcientiam rerum ſublimium & ſiderum intelligunt, & ex prima clauſula negationem in ſecundam transferunt; ut ſit ſenſus, *Scrutari & inveſtigare gloriam eorum*, corporum videlicet cœleſtium aut quarumcunque rerum ſublimium ſcientiam & cognitionem, *nimium, non eſt gloria.* Locus eſt difficilis, in quo exponendo mihi maximè arridet Chaldæus, qui relativum *eorum* refert ad *Scripturas*, ad hunc modum, *Comere mel multum non eſt bonum, neque inveſtigare verba Scripturæ*, ſubauditur *nimiùm*; rectè intelligens per *mel* Sacram paginam. Nam ut mel corpori dulciſſimum eſt & ſaluberrimum mediocriter ſumptum, ſic animæ Sacri codices cum humilitate & modeſtia intellecti. Alioqui *qui gloriam* Divinæ *majeſtatis*, quæ in illis latet, *curioſus ſcrutatur*, non *gloriam* aſſequetur aut ſapientiam; ſicut neque dulcedinem, qui nimium mellis comedit.

28. *Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu, ità vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Heb. *Urbs dirupta ſine muro, vir, cui non eſt prohibitio ſpiritu ſuo*] Proverbium in ſenſu ferè non diſtat ab eo, quod ſcriptum eſt, c. 21. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Docet uterque locus, Sermonis ſummam eſſe habendam cuſtodiam, utpota ex quo ſalus animæ pendet. Nam ut urbs probè munita, & bene muráta ab hoſtium incurſu facillimè defendi poteſt; ſic & *homo qui ſpiritum*, h. e. flatum & loquelam, *cohibet*, nè quid loquatur præter æquum ac bonum, animæ arcem facilè tuebitur. Poteſt per *ſpiritum* Ira intelligi, quam vel inprimis cohibendam ſuperiùs docuit Sapiens c. 12. inquiens, *Fatuus ſtatim indicat iram; qui autem diſſimulat injuriam, callidus eſt.* Sunt, qui per *ſpiritum* intelligunt Appetitum carnis, quem niſi *cohibeas* & refrænes, hoſtes facilè penetrabunt in animam, ut in *urbem muris deſtitutam.* Hieronymus, qui de ſuo addidit *in loquendo*, ad unum ſenſum contraxit Proverbium. Mihi verò in genere dictus videtur *ſpiritus* pro quocunque *affectu*, quibus qui laxant habenas, animi ſui *murum* & propugnacula dirunt.

DRUSIUS.

1. גַּם־אֵלֶּה מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה אֲשֶׁר הֶעְתִּיקוּ אַנְשֵׁי חִזְקִיָּה. A. Καίγε αὗται παραβολαὶ * ἃς μετῆραν ἄνδρες Ἐζεκίȣ, *Etiam hæ ſunt Parabolæ Salomonis quas tranſtulerunt viri Ezeciæ.* S. Καὶ ἔτι αὗται παραβολαὶ, *Et adhuc iſtæ ſunt parabolæ* —

2. חֲקֹר דָּבָר. A. S. ἐξιχνιάσει ῥήματα, *inveſtigat verba*] i. e. Res, aut ῥήματα τȣ̃ Θεȣ̃, i. e. ut quidam Scholion habet, προςάγματα, *præcepta, mandata.*

3. לָעֹמֶק. A. εἰς βάθος, *in profundum.* ¶ אֵין חֵקֶר. A. ἀνεξέτασος, *quod diligenti examine perquiri nequit, inexploratum.* S. ἀνεξερεύνητος, *non perveſtigabile.*

4. הָגוֹ סִיגִים מִכָּסֶף. S. κάθαιρε γίγαρτα ἐξ ἀργυρίȣ] Γίγαρτον, *acini vinacei nucleus* propriè; ſed hic pro *ſcoria* ſumi videtur, quæ remanet poſt purgatum argentum. Hieron. exponit *rubiginem*, quod eſt propriè ferri vitium, Ezec. 22. סִיגִים. Aquilæ prima editio ςέμφυλον & γίγαρτον, i. e. interprete Hieronymo, *acinum vinacei:* ſecunda & LXX. *commiſtionem.* Porrò *Scoria ſordes & purgamenta metallorum ſunt*, ait idem Hieronymus pag. editionis quâ uſus ſum 398. Pſalm. 119. 119. סִיגִים. Hieron. *quaſi ſcoriam.* A. ςέμφυλα. S. σκωρίαν aut, ut eſt in alio codice, σκωρίαν.

5. הָגוֹ. A. Th. ἀπέλασον, *abige, repelle, arce.* ¶ וְיִכּוֹן. A. S. καὶ ἑδρασθήσεται, *& firmabitur.* Th. ἑτοιμασθήσεται, *ſtabilietur*] Nam ἕτοιμος, *ſtabilis, firmus*; ut ibi, Ἕτοιμος ὁ θρόνος σȣ, quod Hieron. reddit, *Firmum ſolium tuum.* Proverb. 12. 3. לֹא יִכּוֹן. A. S. ȣ̓χ ἑτοιμασθήσεται, *non ſtabilietur.* Hinc intelligentiam habet 1 Mach. 1. 17. ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία ἐναντίον Ἀντιόχȣ, *firmatum eſt Regnum.* Vide notas meas ad illum locum.

6. תִּתְהַדַּר. A. S. Th. ἐπιςῇς.

7, 8. אֲשֶׁר רָאוּ עֵינֶיךָ אַל־תֵּצֵא לָרִב מַהֵר. S. ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σȣ μὴ ἐξενέγκῃς εἰς πλῆθος ταχὺ, *quæ viderunt oculi tui ne efferas in vulgus celeriter*] *Ne efferas*, אַל־תצא. ¶ *In vulgus*, εἰς πλῆθος, *in multitudinem*, i. e. לרב ſive לרוב. Nam legunt, ut apparet, Vau loco Joth.

9. רִיבְךָ רִיב אֶת־רֵעֶךָ. A. S. Th. Δικασίαν σȣ δίκαζε ἐν ἑταίρῳ σȣ, *Jus tuum diſcepta cum ſocio tuo.*

10. וְדִבָּתְךָ לֹא תָשׁוּב. Th. καὶ ὁ ψόγος σȣ ȣ̓κ ἀποςραφήσεται, *& vituperium tuum non avertetur*] Proverb. 10. 18. דבה. A. Th. ψόγον. Pſalm. 31. 13. LXX. *vituperatio*, i. e. ψόγος. Samariticum ὄνειδος, quod eſt μέσον, ut etiam דבה apud Ebræos.

11. בְּמַשְׂכִּיּוֹת כָּסֶף. S. Th. ἐν περιβλέπτοις ἀργυρίȣ, *in ſpectabilibus argenti*] i. e. In vaſis argenteis ſpectabilibus & claris. Hieron. *in lectis argenteis.* Alius, *in cælaturis argenteis.* ¶ דָּבָר דָּבֻר עַל־אָפְנָיו. A. Th. λαλῶν ῥῆμα ἐπὶ ἁρμόζȣσιν αὐτῷ, *loquens verbum ad congruentes ei.* S. λαλῶν λόγον ἐν καιρῷ αὐτȣ̃, *loquens ſermonem in tempore ſuo*] Hieron. *qui loquitur verbum in tempore ſuo.* ἐπὶ ἁρμόζȣσιν αὐτῷ quid ſibi velit non adhuc clarè perſpicio.

12. נֶזֶם זָהָב וַחֲלִי כָתֶם. Schol. ἐνώτιον χρύσεον καὶ πίνασις χρυσῆ, *inauris aurea & pinoſis aurea*] *Pinoſis* non intelligo. Hieron. hic *margaritum fulgens.* Aliàs *margarita fulgens.* Sed *margaritum* non malè. Sic alibi in eodem, *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* LXX. σάρδιον πολυτελές: Chald. *vaſa ſmaragdina.* Cant. 7. 1. LXX. ὁρμίσκος, *monile.* Aliis eſt *collare, torques*, δειρεπέδη. Gloſſæ nom. propriorum, CHALI, *gemma, aut monile.*

14. בְּמַתַּת־שָׁקֶר. LXX. δόσει ψευδεῖ, *dono mendaci.* S. ἀδίκῳ, *injuſto.*

15. לָשׁוֹן רַכָּה. A. γλῶσσα ἁπλῆ, ſive ἁπαλὴ, *lingua ſimplex; ſive mollis.*

17. הֹקַר רַגְלְךָ מִבֵּית רֵעֶךָ. S. ὑπόςειλον, φίμωσον πόδα σȣ ἀπὸ οἴκȣ ἑταίρȣ σȣ, *ſubtrahe pedem tuum à domo ſocii tui*] Φίμωσον redundat. Aut ſunt duæ interpretationes, ὑπόςειλον, *ſubduc*, & φίμωσον, *conſtringe*, i. e. הכסם. Optimè hoc loco LXX. σπάνιον εἴσαγε, *rarò induc.* Verbum è verbo *pretioſum redde*, i. e. rarum. Nam quæ rara, pretioſa ſunt; & contra.

18. שָׁנוּן. Cæteri, ἠκονημένον, *acuta.*

20. חֹמֶץ עַל־נָתֶר. S. ὥσπερ ὄξος ἐπὶ νίτρῳ, *ut acetum ſuper nitrum.* ¶ וְשָׁר בַּשִּׁרִים עַל לֶב־רָע. S. καὶ ᾄδων ἐν ᾄσμασιν ἐπὶ καρδίαν λυπηρὰν, *qui canit cantilenis apud cor mæſtum.*

23. תְּחוֹלֵל גָּשֶׁם. A. ὠδίνει ὄμβρον, *parturit imbrem.* S. διαλύει βροχὴν, *diſſolvit pluviam*] Hieron. *diſſipat pluvias.*

27. וְחֵקֶר כְּבֹדָם כָּבוֹד. S. ἐξερευνᾷν δὲ τιμὴν ἑαυτῷ δόξαν, *perſcrutari verò honorem ſibi gloriam.* Th. καὶ ἐξερευνῶντι δεδοξασμένα δόξαν, *& perſcrutanti glorioſa gloriam*] Verba poſui ut habentur in ed. Rom. ſenſum non eruo: alius id faciet cui plus otii quàm mihi nunc eſt.

AMAMA.

העתיקו] Tranſtulerunt, contulerunt huc. Videtur enim priora cap. 9. ipſe Salomo conſcripſiſſe. Cætera verò à diverſis ex diverſis ſcriptis ejus ac actis publicis & rerum geſtarum commentariis collecta. Conſcripſit enim tria millia parabolarum.

2. *Occultare rem*] Diſſimilis Regis & Dei conditio. Dei gloria maximè illuſtris in eo eſt, quod multarum rerum inveſtigationem nobis negaverit, quod multas res à noſtra notitia removerit, myſterium Trinitatis, diſtinctionem trium perſonarum, generationem Filii, proceſſionem Spiritus Sancti, prædeſtinationem, incarnationem, finem mundi. Imò quàm multa talia ſunt in natura! magnes, Echeneïs, & cæteræ occultæ qualitates, Sympathiæ & Antipathiæ.

Inveſtigare] Ita celebratur Salomon 1 Reg. 3. Anopharnes Rex Thraciæ. Vid. Pſ. 119. Act. 6.

3. *Animo Regum*] Docet quales debeant eſſe Reges. Sunt enim & Claudii.

4. הָגוֹ]

4. [סכים] Ab Arab. —— Nota I. non derivari voces Ebraïcas ab aliis ut antiquioribus, ſed iis lucem afferri ex aliis linguis, quæ immediatè ex eâ deſcendunt.

II. Hanc tutiſſimam & certiſſimam fieri in iis vocibus, quæ in linguis illis ipſo quo in radicalibus & eodem ſignificatu occurrunt.

III. Vocem in derivatis linguis ſæpè conſervari, quæ in primitiva ſæpe obſoleſcit, ut *Cloacq* veteribus Saxonibus pallium, *Telle* dico, quod Angli adhuc, nos tantum in compoſitis *vertellen* & derivato *Tale*. Sic *verquicken*, à *quic*, quid illud? Exſtat in compoſito *quickſilver*, at non abſolutè Anglis eſt vivus ut in ſymbolo Apoſtolico. Dices, quomodo ergo *recreare* ſignificat. Reſp. Metaphor. ut in Ebr. *vivificare*. *Et vixit Spiritus Jacobi*, i. e. recreatus eſt.

IV. Multas voces & Themata nobis dici inuſitata defectu auctoritatis, ut מלאך angelus, à לאך quod Arabibus eſt mittere.

5. [הגו] Pro imperat. ut in præcedent. 4. Commendat ſuperioribus ſtudium diſcernendi & ſeparandi impios à piis. Non pugnat cum eo parabola Math. 13. de Zizaniis; quia Zizanium non ſignificat herbam inutilem, *onkruijt*, quæ ſpecie differt à frumento & optimè diſcerni poteſt, (multò minus in ſpecie lolium, quod culmo, foliis, fructu optimè dignoſcitur) quæ cum bono frumenti eradicatur, quæ etiam à ruſticis eradicari ſolet, ſed ſpicas in tritico vel frumento aduſtas, quæ nihil habent præter pulverem & paleam, quem morbum uſtilaginem vocat Plinius, quæ ſpicæ externam quoad ſpeciem nihil differunt à verò tritico, quæ cum periculo evelluntur. Scopus ergo Chriſti eſt, in Eccleſia ſemper fore hypocritas, qui cùm à veris Chriſtianis difficulter imò ſæpe omnino diſcerni non poſſint, tolerandi ſunt. Contrà manifeſtè impii, ſcelerati, hæretici ejiciendi, ut Apoſtoli paſſim monuère.

6. [אמר] Pro האמר. Sic Gen. 4. Alii ſubaudiunt magiſtrum aulæ. Senſus idem, nam & hoc in alterâ expoſitione ſubauditur.

[אשר ראו] Jun. *quod vident oculi tui*, quod experientia te docet. Alii, *quem deſpexerunt oculi tui*. Sic explicat Druſ. Cant. 1. 6. תראני, *videatis me quod ſim ſubnigra*, i. e. contemnatis. Sic deſpicio, à ſpecio. Vulg. & LXX. jungunt cum ſequentibus. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in lite citò.* Ecce legerunt אצח Sym. *ne proferas in vulgus*, legit לרוב.

Melius] Videtur ergò *deprimi* eſſe bonum, quo tamen melius ſit attolli, vel, videntur *attolli* & *deprimi* conferri tanquam duo mala, quorum hoc tamen minus malum ſit, cum hoc ponatur ut glorioſiſſimum, alterum ut turpiſſimum. Comparatio ſæpe inſtituitur inter illa quæ longiſſimo intervallo differunt. Nos hæc referimus ad Reg. textualem, quâ docemus, comparationis particulam poni ſæpe pro adverſativa, & ſic in verſione poſitivus ſemper retinendus. Sic Pſ. 119. 1 Cor. 7. Luc. 18. 1 Pet. 3. *Melius eſt bene agendo affligi, quàm male agendo.*

8. [פן] Jun. *Aſpice*. An pro פנה per apocopen? hoc inuſitatum. Alii ſubaudiunt לא תדע, *ne forte neſcias* &c.

9. Vide Epiſt. Lipſ. p. 482.

10. [יחסדך] *Probro afficiat te*. חסד exceſſum boni & mali ſignificat. Vid. probrum Lev. 20. 17. de inceſtu apud Chald. & Syros frequentiſſimum eſt. חסדא pro חרפה & חסד pro חרם. Hinc חסד חסיד undè Haſidæi, non ab aſſiduitate ut Lyra, pro quo Chaldæi חסי & Syri חסי ὅσι & ὅσιος, Sanctus. Hinc חסידה Ciconia, πελαργός.

Infamia tua] Paſſivè, quâ ille te affecerit, דבה Ebr. ſemper in malum. Chald. vox μῶμος.

11. [במשכיות] Cum picturis, cælaturis, imaginibus pictis. סכא Chald. & שכי proſpexit, aſpexit. Ad animum tralatum, imaginari, cogitare. Hinc משכית, imaginatio, cogitatio, & figura, effigies aſpectu jucunda. Lev. 26. 1. אבן משכית Lapis effigiei.

[אפניו] Modos ſuos vel rotas. Ab. אפן eſſet אפניו. Itaque deducunt ab alii אפן, ut ſit utrumque pugni ejus à duali אפנים. In plurali enim eſſet אפניו. Alii pro פניו poſitum putant, ut א ſit additum. Ut ut ſit etiam Rabbini אפן pro circumſtantia & modo utuntur, & plurali ejus pro אפנים modis.

12. [נזם] Propriè ἐπιῤῥίνιον. Prov. 11. 22. Jeſ. 3. נזמי האף. Ezech. 16. 12. *Poſui* נזם על אפך ועגילים על אזניך Ecce etiam inaures, Gen. 24. 47, poſui נזם ſuper naſum ejus. Ex quibus liquet illis locis Vulg. & Græcos κατακρηστικῶς reddidiſſe inaurem, ἐνώτιον. Junius nimis laxè *monile*. Caſtalio, *frontale*. Jam verò quid fuerit inauris notum eſt, ſed quid נזם האף dubium. Alii volunt fuiſſe ornamentum alligatum fronti quod dependebat ad nares uſque. Huc facit Hieron. qui ad locum Jez. teſtatur ſuo adhuc ſeculo inter cœtera ornamenta muliebria fuiſſe aureos circulos qui ex fronte dependebant naribus imminentes. Alii putant fuiſſe tantùm frontalia, ornamenta alligata fronti, quæ non propendebant ad nares. Hi אף non pro naſo, ſed pro facie accipiunt. Alii denique putant fuiſſe ornamenta quæ ipſarum narium extremitatibus inſerebantur. Oleaſtrius ad cap. Gen. 35. נזם *non ſolùm erat ornamentum aurium ſed & naſi. Et crediderim fœminas illius terræ feciſſe foramina in extremitate naſi quemadmodum in auribus, ad quæ ſuſpendebant ejuſmodi ornamenta.* Huc quoque Auguſt. in Quæſt. ad Gen. *Mos Maurorum eſt*, inquit, *ut inaures etiam in naribus habeant fœminæ.* Hæc ſententia videtur firmari loco Proverb. 11. 22.

[כתם] Aurum inſigne. Job. 28. 16. כתם אופיר, verſ. 19. כתם טהור.

13. [צנה] Accent. præpoſ. Tipcha & Meayela unus accentus. Meay. eſt epith. τῶ Tipcha, vocaturque ſic cum ponitur ante Siluc vel Athnach.

[צנה *Frigus*] ל hoc ſignificat. In Chaldæo frequens. Alias ſignificat *ſcutum*, *clypeum*, & in plurali *hamos*, *aculeos*.

Reſtituit] Redire facit ad ſe, dum prius avida expectatione quaſi extra ſe erat.

14. In δώσωνας, qui aureos montes pollicentur, cùm interim tam aridi ſint, ut citius ex pumice aquam, quàm ex iis nummum extorſeris. Talis erat Antigonus Rex Demetrii nepos (Plut. in vita P. Æmilii) qui propterea δώσων vocatus eſt. Tales multi in Republ. literaria. Græci χρυσολόγους vocant.

[נשיאים] Sing. נשיא tantum honoris eſt. Plur. ἀναθυμιάσεις, exhalationes, quæ in aërem elevatæ, inibique denſatæ in nubes convertuntur. Unde & *Nubes* vertunt. Hujuſmodi Exhalationes diſtinguunt Ebræi ut aliæ ſint humidæ. Talis vocatur אד, vapor, ἀτμὶς, unde pluvia. Aliæ ſiccæ, qualis vocatur קיטר, καπνός, unde ventus generatur. Ita Ebræi cum Ariſtotele.

[מתת] A Nathan fit מתן, מתנה, & מתת.

15. [יפתה] In bonum, *flectitur*. Alias & fere ſemper in malum, *decipi*, *falli*, unde פתי.

[רך] Sic cap. 15. 1. מענה רך ישיב חמה.

[גרם] Id eſt, virum oſſeum, vel iram inveteratam, hominem etiam crudelem, cui chalybs circa pectus, aut cui cornea fibra. Chald. גרמא. Unde Proverb. *Os quod cecidit.*

16. Documentum de legitimo uſu Amicitiæ per comparationem mellis. A די eſt שדי. Arabes, *viſita raro & augebis amorem.*

A קא eſt קאת Pelecanus. Vulg. *Onocrotalus*. Ipſi Papiſtæ Pagninus, Arias, Steuchus, meam cenſuram hic firmant. Ariſtoteles & Plinius dicunt, Pelecanum devorare ſolidas conchas, eaſque ubi jam excoctæ in ventriculo & dehiſcunt *evomere*, & tunc carnem ex teſtis ſeligere.

[הוקר] *Pretioſum fac*. i. e. rarum. *In diebus illis pretioſum erat verbum Domini.* 1 Sam. 3. 1. Chald. hìc כלה, cohibe, prohibe. Junius, *ſtudioſè cohibe*. Ita quadrat præpoſitio מ. LXX. σπάνιον εἴσαγε τὸν πόδα σου εἰς οἶκον &c.

[מבית] Pro מבית. Deut. 33. מכוני. Pſ. 68. 30. מהיכלך. Pſ. 72. 16. מעיר. Sic Deut. 15. 1. מקץ. 7. annorum facito intermiſſionem. Quod vulgatus aliquando vertit, *ſeptimo anno*, ut Deut. 15. 1. aliquando *poſt 7. annos*, ut Deut. 31. 10. Conciliant ſic, poſt 6. completos & 7. inchoatum. Sic Marc. 8. 31. μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Math. 16. 21. ἐν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ.

Vel ſic, ſeptimo anno, anno ſabbathico præterito non computato. Poſt 7. annos, eo computato.

Ego ſic מקץ ſeptem annorum, i. e. ſeptimi anni. Jam בקץ i. e. מקץ. 3. מקץ. i. e. בתחלה in principio. Sic Aben. Nam & finis & principium anni extremitas eſt.

18. Adverſus linguæ abuſum. מפץ malleus, marculus, quaſi diſpergens. Junius, *marculus*. Quid hoc? malleus militaris à Marte nomen habet, aſtipulante Capro vetuſto Grammatico, ita ut Etymi ratio & analogia poſtulet ſcribendum *Martulus*, cujus vocabuli veſtigium adhuc durat in tribus linguis, Gallica *marteau*, Hiſpanica, *Martillo*, Italica, *Martello*. Dicitur & מפץ à נפץ, quod idem vertit cæſtron, i. e. malleus veruttus res obvias penetrando perfringens, quo equites uti ſolent ad perfringenda inimicorum arma.

19. Non cuivis fidendum, non cum quovis amicitiam ineundam. רעה à רעע, מועדת nutare factus, luxatus eſt. Particip. Pual à מעד nutavit. Pro מועדת ut בוזך.

Ut Deus cognoſcitur fractus, cum edendum eſt, & pes luxatus cum incedendum, ſic amicus cognoſcitur, cùm ejus uſus eſt, cùm auxilium ejus nobis neceſſarium in re adverſa. Multi amici ollares, quos Job. 6. comparat torrentibus, qui hyeme, ubi non eſt aquæ penuria, redundant, at æſtate, cùm ejus inopia, exaruere.

Fiducia perfidi] In perfidum.

20. Docet magnam eſſe Muſices vim in depellenda triſtitia. Am. 6. פרט eſt particulari Zando canere, in quo eſt modulationis

nis crebritas & ſubtilis ſolertia. Hoc illuſtrat duplici pare, 1. à veſte, ſicut veſtis impoſita diſcutit frigus. עדה ornavit, impoſuit ſibi veſtem. עדי ornatus. 2. Ab aceto, quod diſſolvit nitrum. Nitrum eſt opificium terræ ſicco calore condenſatum, teſte Plinio & Ariſtotele. Hoc diſſolvit acetum tanquam res frigidiſſima.

Alii contrà, ut hoc velit abſurdum, eſſe & intempeſtivum Muſicam adhibere in luctu, ſicut intempeſtivum eſt *removere* veſtem tempore frigoris & aceto nitrum perfundit, utpote quo diſſolvitur, ita &c.

Hi exponunt מעדה in ſignificatione *removendi*, quomodo paſſim in Chald. accipitur. עדה tranſivit, אעדי tranſire fecit, removit.

חמץ] Rabb. בן־יין. Unde Prov. חמץ בן־יין.

21. Notandum hoc ad Math. 5. ubi Chriſtus non corrigit vel auget Legem Moſis, nec ſtrictiora præcepta tradit, quàm Moſes, nec anguſtioribus cancellis vitam Chriſtiani circumſcribit, quàm Moſes & Prophetæ, ſed tantùm purgat Legem à gloſſis Phariſæorum, & exponit eam ex mente Legiſlatoris. Sic dico. Nihil ibi eſt novi. Verſ. 43. *Audiſtis dictum fuiſſe diliges proximum tuum.* Hoc erat in Lege. *Et odio habebis inimicum tuum.* Hoc erat gloſſema, natum ex mala interpretatione Phariſæorum, quod ſolide refutat Kimchi in Pſ. 15. *Ego verò dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Ecce oſtendit ſub proximo etiam inimicos comprehendi. Quid hic novi? Ex. 23. Mandat ut benefaciamus etiam aſino hoſtis noſtri, quanto magis illi. Vult errantem bovem aut aſinum inimici reduci ad illum. R. Aquiba dicit illud, Lev. 19. 18. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Eſſe univerſale magnum in Lege. Kimhi ad Pſ. 15. inſt. ex præc. 9. & 10. רע alias etiam de inanimatis Gen. 15. Hominibus Gen. 11. Eſt. 9. Gen. 31. 49. quia abſcondemur איש מרעהו ἕτερος ἀφ' ἑτέρου LXX. & Jeſ. 13. 8. Rom. 13. 8. Confer cum Matth. 22. 39. Socino dicenti tantum Iſraelitas includere opponatur locus Exod. 11. 2.

22. Ratio quâ magis nobis hoc inſculpat.

Coacervabis] Beza putat hac locutione ænigmaticè intelligi iram Dei ipſi imminentem. q. d. tu hac ratione id efficies, ut Deus ipſum magis puniat. Nimis durè.

Piſcator per *coacervationem carbonum* intelligit commotionem animi ejus & confuſionem conſcientiæ, ut cum ſuæ malitiæ tandem pudeat & nobis nocere deſinat Hier. Lib. 1. contra Pelag. ubi explicat hunc locum, *Coacervabis carbones* &c. *non in maledictum aut condemnationem, ut plerique exiſtimant, ſed in correctionem* &c. Auguſtinus intelligit, urentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur ejus, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, à quo ejus miſeriæ ſubvenitur. Hæc interpretatio nimis Clemens.

Cartwrigthus medium tenet, ignis duo habet effecta, indurat & liquefacit ſeu emollit, conſumit & purgat. Hoc ergo vult. Tu alterutrum conſequeris, ut hac ratione molliatur ejus cor ſicut cera admota carboni, vel ut purgetur ſicut aurum, ſi ſanabilis eſt; vel ut induretur cor ejus ut lutum admotum igni, vel ut conſumatur inſtar paleæ & graviſſimè tandem puniatur, ſi inſanabilis eſt. Quod ſi prius obtinueris, fratrem lucratus es, ex malevolo benevolum reddidiſti; quod ſi poſterius eveniat, hoc boni inde percipies, ut perſpecto irreconciliabili ejus odio erga te, tanto diligentius tibi proſpicias.

גחלים] LXX. ἄνθρακας πυρός. Sic Lev. 12. גחלי אש, Pleonaſticè. Nam גחל propriè eſt pruna, פחם carbo, pruna extincta.

חתה על] Verbum prægnans: Vel metonym. antecedentis.

23. תחולל. Alii, *gignit, parit.* His צפון eſt cæcias, qui eſt inter Aquilonem & Occidentem, magis Pluvius quàm Aquilo. Ariſtot. 2. Meteorũ. Cap. 6. Sunt & qui Aquilonem ſimpliciter intelligunt, ajuntque pro regionum diverſitate ejuſdem venti diſſimiles eſſe effectus. Qui apud nos ſiccitatem inducit, alibi pluviam. Et ut in partibus mundi aquilonaribus Auſter pluviam gignit, ſic in meridionalibus, ut Judæa, Aquilo. His *lingua* ſimulantis ſeu detrahentis eſt ſubjectum, ſic lingua ſimulans efficit ſeu gignit vultum indignabundum, i. e. debebat gignere. Niſi eſſent qui aurem præberent, non eſſent delatores.

Alii contrario ſenſu, *fugat*, ex חליל abſit, vel quod dolorem affert. His *vultus indignabundus* eſt ſubjectum. *Ita vultus indignabundus fugat linguam &c.*

24. פנה] Angulus. Gignit varios Ebraïſmos. Aliquando ſignificat in ædificio eam partem, cujus firmitate totum ædificium fulcitur. Anguli populi, principes primores Jud. 20. qui Rempubl fulciunt. Anguli barbæ, extremitates. In novo Teſt. locus conſpicuus. Sic Phariſæi orabant in angulis platearum. Aliquando contra. Sic Paulus Act. 26. negat in Angulo acta, quæ de Chriſto concionabatur. Matth. 21. Chriſtus vocatur κεφαλὴ γωνίας. Et Epheſ. 2. λίθος ἀκρογωνιαῖος. Vide Bezam.

Hic ponitur pro loco incommodo, pluviis ventiſque expoſito.

25. Dupliciter exponitur. 1. Indignum eſſe pium ab impio turbari, ſicut indignum eſt, Fontem limpidum &c. Alii, turpe eſſe, ſi juſtus deſerat ſtationem ſuam impulſu vel metu impiorum.

משחת] Partic. paſſiv. Hiphil Activum eſt משחית. Unde הר משחית mons corrumpens dictus mons olivarum, poſtquam idololatriâ profanatus eſt. Ante enim vocabatur הר משחה. Vocatur autem ſic 2 Reg. 23. 13. Sic Barcokebam vocarunt Barcozibam. Sic Gideon qui Jerubbaal dictus à patre Jud. 6. 32. 2 Sam. 11. 21. vocatur Jerubbeſcheth. Sic Isboſeth & Isbaal 1 Chron. 8. 33. Et filius Jonathæ, Mephiboſeth ibidem verſ. 34. vocatur Meribaal. Hinc Beelzebub in Nov. Teſt. Beelzebul. Vide Cenſuram noſtram ad 2 Sam. 11. Certe optima exemplaria Græca Chryſoſtomi, Prud. Arabica verſio. Sic Bethel, Bethaven.

GROTIUS.

1. QVAS TRANSTULERUNT] Id eſt, *congeſſerunt.* VIRI EZECHIÆ REGIS JUDÆ] Eclogarii, Eliacim, Sobna, Joahe memorati 2 Reg. 18. 26.

2. *Gloria Dei eſt celare verbum*] *Verbum*, id eſt, rem putà naturam ſuam & decreta multa. *Sanctius enim de Deo credere quàm ſcire*, ut cum Tacito loquar. Philemon:

> Θεὸν νόμιζε καὶ σέβου, ζήτει δὲ μή.
> Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.
>
> [*Credi Deum colique non quæri decet:*
> *Nam præter ipſum quærere acquires nihil.*]

Idem:

> Τί ἐστιν ὁ Θεὸς, οὐ θέλει σε μανθάνειν.
>
> [*Quid ſit Deus, te ſcire non volunt Deus.*

Pindarus:

> Τὰ θεῶν βουλεύματα ἐρευνῆσαι
> Βροτέᾳ φρενὶ δύσκολον θνατᾶς
> Δ' ἀπὸ ματρὸς ἔφυς.
>
> [*Quod ſit conſilium dei*
> *Scrutari tenuis vetat*
> *Humani modus ingenî:*
> *Mortalis tibi mater eſt.*]

Sophron:

> Ὡς μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
> Ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.
>
> [*Quò quiſque noſtrum valdiùs res cœlitum*
> *Scire expetiſcit, hoc eas ſcibit minus.*]

Vide Rom. 11. 33.

Et gloria Regum inveſtigare ſermonem] Id eſt, res ſubditorum ſuorum: opes, actiones, conſilia.

3. *Cœlum ſurſum & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile*] Sicut nec cœli altitudo, nec terræ profunditas comprehendi à nobis poteſt, itá nec Principum arcana. *Abditos Principis ſenſus, & ſiquid occultius parat, exquirere illicitum, anceps, nec ideo aſſequare*, Tacitus Annal. 6.

8. *Quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgio citò*] Etiam quæ videris noli prodere; multò magis quæ non videris. Bene Interpres hoc connectit, quæ alii malè dividunt.

9. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo*] Id eſt, conſilia quæ velis latere, vide cui credas.

16. *Mel inveniſti: comede quod ſufficit tibi, nè fortè ſatiatus evomas illud*] *Philoſophandum, ſed paucis.* Itá hunc locum explicat Maimonides.

17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando ſatiatus oderit te*] Bene interpretantur LXX. Σπάνιον εἴσαγε σὸν πόδα πρὸς σεαυτοῦ φίλον [*Raro infer pedem tuum ad amicum tuum.*] Arabes dicunt: *Viſita raro & augebis amorem.* Martialis:

> *Nulli te facias nimis ſodalem.*

27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*] Propriùs ad Hebræum accedit hæc verſio: *Ut comedere multum mellis non eſt ſuave, ita nec venari honorem eſt honor illis*, nempe venantibus. Hic negativam particulam in poſteriore membro addidi, quia mos ſæpe eſt Hebræis eam intelligere ex præcedenti, ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto,*] ut Græci loquuntur. ו [&] hic ut alibi eſt pro כן [*ſic.*] Gloria fugientem ſequitur.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

1. NIx]. *Nix in æſtate* res eſt intempeſtiva, quæ illi tempori minimè convenit; *ſic ſtulto non competit gloria.*

2. *Sicut avis aufugit*] *Sicut avis avolat & revolat* in nidum, *ità maledictio* redit in maledicentem, & *non eveniet ſuper eum* cui maledicitur.

4. *Ne reſpondeas ſtulto*] Ut, ſi ille convitietur, tu noli convitiari, *ne ei ſimilis efficiaris.*

5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ejus*] i.e. Redargue ſtultum propter ſtultitiam ſuam, & oſtende ei ſtultitiam ſuam, *nè forte ſibi ſapiens videatur.*

6. *Truncat pedes*] i. e. Qui loco nuncii hominem ſtultum mittit, perinde facit ac ſi mitteret hominem pedibus deſtitutum aut inebriatum iniquitate. Neuter enim quicquam exſequi valet. Alii ſic interpretantur, *Qui mittit ſtultum, truncat pedes* negotiis quæ ſtulto demandantur, *& potat iniquitate*, h.e. irritat illum ad quem deſtinat ſtultum nuncium.

7. *Aſſurgunt*] h.e. Sunt inæqualia & non proportionata; ſic verba ſtulti ſibi non conſtant. Alii exponunt verbum דלה pro *attenuare* & *exſiccare.*

8. *Lapidem in funda*] Lapis fixus in funda citò ejicitur, ſic ſtultus in honore poſitus diu illum non retinet. Kimhi exponit מרגמה pro *acervo lapidum*; unde qui tribuit gloriam ſtulto, perinde facit ac ſi lapidem de acervo ſumptum includat auro.

9. *Sicut ſpina*] Ut ebrius ſpinâ ſe vel alios lædit, ità ſtultus labiis ſuis alios laceſſit.

10. *Magnus*] Deus *reddit unicuique juxta opera ſua.* Alii verò hunc locum ſic interpretantur, *Fit ſæpe ut quis omnibus ſit infeſtus, ſtultis autem ſe adjungat, & illis præbeat munera*: ut ſit מחולל à חיל. Alii ſic legunt, *Magnus aliquis conficit omnia per ſe: ſtultus autem mercede conducit tranſgreſſores.*

11. *Repetit ſtultitiam ſuam*] h. e. Redit ad intermiſſa peccata, & *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.*

13. *Dicit piger*] Hæc ſententia ſuprà 22. 13. expoſita eſt.

15. *Abſcondit piger manum in ſinu*] Suprà quoque habetur, 19. 24.

17. *Ingerit ſe*] Hebræi exponunt מתעבר pro כעס *iraſci* (vel *irritari*) *in cauſa non ſua.*

18. *Furioſo*] Eſt hîc מתלהלה idem quod משתגע, à radice להה Kimhi ſic exponit, *Similis eſt defatiganti ſe inaniter qui ignea projicit ſpicula*, &c.

22. *Malleatoribus*] Capitur hîc מתלהמים pro מכים *percuſſoribus*, vel pro ipſis *verberibus*: licèt D. K. exponat חלקים, ut ſit ſenſus, *Verba bilinguis ſunt blanda; & non ſentitur fraus donec penetrarint interiora cordis.*

23. *Labia zeloſa*] Heb. *ardentia*: ut ſit ſenſus, *Labia furentia produnt quale virus lateat in corde.* De ſimilitudine ipſa & ejus expoſitione non ſatis convenit inter Hebræos.

26. *Panditur malitia in congregatione*] h.e. Deus in manifeſto puniet illum qui clàm malum ſtruxerit proximo ſuo.

28. *Humilis*] Secundùm Hebræos eſt hic דכיו idem quod דכאיו, Vau ſcilicet pro Aleph: capitur enim pro שפלי. Aben-Ezra hanc ſententiam ſic legit, *Lingua quæ loquitur mendacia odit virum humilem, & os aſſuetum blanditiis odit reprehenſorem.*

VATABLUS.

4. NE *reſpondeas*, &c. אל תען וגו׳] i. e. Si probris afficiat ſtultus, vidè nè ſimiliter facias; nè accidat ut æqualis ſive ſimilis illi fias.

5. *Reſponde* ענה] Redargue ſtultum propter ſtultitiam ſuam; h. e. oſtende ei ſtultitiam ſuam.

6. *Is qui præcidit*, &c. מקצה רגלים וגו׳] Ad verb. *Succiſus pedes*: vel, *Succiſos habens pedes*: aut, ut alii, *Truncat pedes*, & *bibit iniquitatem*, i.e. replet ſe injuriâ, *qui aliquid alteri ſignificat per nuncium ſtultum.* Vel ordine inverſo, *Qui mittit aliquid per virum ſtultum, eſt velut is qui præcidit pedes ejus quem mittit*: replet enim ſe injuriâ qui hoc facit.

7. *Inæquales ſunt tibiæ* דליו שקים] Ad verb. *Elevatæ ſunt* [vel, *elevantur*] *tibiæ*, &c. Verbum præteritum eſt primæ conjug. Doctus inter Hebræos dicit eſſe *imperativum ex Pihel baddagus*, & vertit, *Elevate* (ſive *Attollite*) *crura claudi*, ſub. *ut incedat, & nihil promovebitis.* q. d. Si elevetis tibias claudi, quid ei profuerit?

8. *Sicut incluſio*, &c. כצרור אבן במרגמה] i.e. *Quod eſt lapillus qui annulo includi ſolet, in acervo lapidum*, ſive, quod eſt lapillus pretioſus inter lapides ignobiles; *ſic eſt is qui dat ſtulto gloriam.* Nam ſicut lapillus in pala annuli incluſus decorus eſt, indecorè autem in acervo aliorum lapidum jacet; ſic, &c. Alii vertunt, *Sicut qui ligat lapidem* [ſub. *pretioſum*] *in funda.* Alii, *Sicut qui ligat lapidem* [ſub. *quempiam platearum*] *in purpura*, i.e. in veſte purpurea. Alii, *Sicut qui ligat lapidem* pretioſum, & projicit *in acervum lapidum*, ſub. *ædificii*; qui locus non eſt illi conveniens ob ſuam pretioſitatem: *ſic qui dat ſtulto gloriam*; quòd locus gloriæ non ſit inter ſtultos ſed inter ſapientes.

9. *Quæ aſcendit in manu* עלה ביד] Hebraiſmus, pro, *quæ geſtatur manu ebrii.* Hebraïcè legitur, *Spina aſcendit in manu ebrii, & parabola in ore ſtultorum.* Similitudinis adverbium frequentiſſimè ab Hebræis ſubauditur, & ו ſecundo loco poſitum pro *ſic* accipitur, maximè in his Proverbiis. Sic etiam Gallicè loquimur, *Une eſpine entre les mains de l'yvrongne, & la ſentence en la bouche des fols*: ſubintelligimus, *C'eſt tout un.* Quod etiam nonnunquam addimus, ut ſermonem perficiamus & clariorem reddamus. Quidam vertunt, *Quod eſt ſpina aſcendens*, &c. *hoc eſt ſermo*, &c.

10. *Magnus creat omnia* רב מחולל כל] Hebræi exponunt, *Dominus qui eſt ſuper omnia, creat & format omnia, idcirco univerſa alit pariter: ſtultos tranſgreſſoreſque paſcit ut & ſapientes atque juſtos.* *Mercedem dare* dixit, quòd eos alat perinde atque ſi mercedem eis deberet, ut mercedem mercenario dare ſolemus. Quidam in hunc ſenſum verterunt, *magnus qui formavit omnia, remunerat ſtultum & remunerat tranſgreſſores.* Alii, *Magnus* [ſub. *in populo*, ſive *Princeps*] *coërcet omnia, & dat præmium ſtulto*, &c q.d. Qualis Princeps, tales & ſubditi. Alii dicunt שוכר ſignificare כוכר *obſtruens*, aut *claudens.* q. d. Obſtruit os ſtulto & tranſgreſſoribus. Alii, *Egregius aliquis ac magnus vir conficit* per ſe *omnia: ſtultus autem mercede conducit tranſgreſſores.*

12. *Vidiſti* ראית] Si *videris*, aut *videas.*

13. *Leo* שחל] *Pardus.* Vide ſuprà 22. 13.

15. *Abſcondit piger* טמן עצל] Vide ſuprà 19. 24. ¶ *In ſinu* בצלחת] *In patina*, vel *olla.*

16. *Conſilium* טעם] *Rationem*, ſub. *quæſitorum.* Propriè ſignificat *ſaporem*; & per Metaphoram *ſententiam de interrogatis.*

17. *Qui apprehendit* מחזיק] *Qui vellicat*, i. e. laceſſit.

18. *Sicut abſcondit ſe* כמתלהלה] *Sicut inſaniens*: vel, *qui ſimulat dementiam.* Alii, *Sicut qui ſimulat ſe infirmum ac debilem*, aut *defatigatum.* Gallicè dicimus, *Qui ſe fait las.* ¶ *Scintillas* זיקים] i. e. Ignem ad comburendum domum proximi. ¶ *Sagittas, & mortem* חצים ומות] *Sagittas, &* vaſa *mortis.* Hebraïſmus, pro *ſagittas mortiferas.*

19. *Nonne* הלא] Hæc vox הלא exigit reſponſionem affirmativam: ideo ſæpe pro *certè* accipitur.

20. *Cùm non fuerint ligna* באפס עצים] Ad verb. *In non lignis.*

22. *Blandientia* כמתלהמים] Quidam dicunt literas in dictione מתלהמים eſſe inverſas, & deduci ab הלם, vertentes, *Sermones ſuſurronis* ſunt *velut ſermones verberatorum*, aut *cæſorum*: qui ſolent eſſe ſimplices, i. e. dulces ac blandi. Vide ſuprà 18. 8. ¶ *Ventris* בטן] i. e. Pectoris, h. e. cordis.

23. *Plenum ſcoriis* סגים] Ad verb. *ſcoriarum.* Quidam vertunt, inverſis verbis, *Vas teſtaceum coopertum ſcoriâ argenti.* ¶ *Succendentia* דולקים] Sub. *lites*: i. e. ſunt verba quæ veluti ignis ſuccendunt lites, aut inurunt notam aliquam proximo ſuo.

24. *Labiis ſuis alium præ ſe fert* בשפתיו ינכר שונא] Fut. Heb. pro præſ. *Sermone ſuo agnoſcetur* [vel *agnoſcitur*] *qui*, &c. Vel, *ſtudet nè agnoſcatur.* Nam verbum in hac conjugatione paſſiva ſignificat & *notum eſſe* & *non notum.* Poſterior iſta lectio videtur melior propter id quod ſequitur, *At intra ſe*, &c. ¶ *At in interioribus*, &c. ובקרבו ישית מרמה] *At intra ſe dolum ponet*, vel *recondit*: i. e. ſtruit fraudem.

25. *Cùm gratioſè alloquetur* te כי יחנן קולו] Ad verb. *Cùm gratificabit vocem ſuam*, ſub. *inimicus*: i. e. cùm ſtudebit voce ſuâ tibi placere, ac ſe tibi gratum reddere. ¶ *Septem* שבע] Hebraïſmus, pro *multis.*

26. *Operit ſe odium in deceptionem* תכסה שנאה במשאון] *Abdit ſeſe odium in ſolitudine*: i. e. impius tegit odium cùm ſolus eſt. Alii, *Operiet odium in deſolationem*, ſub. *ſuam, qui operit odium ſuum: & inſidiatur ſocio ſuo ut adducat ſuper eum deſtructionem & deſolationem: nam revelabit Deus malum in congregatione.*

28. *Lingua*, &c. לשון שקר וגו׳] Ad verb. Vir *linguæ mendacis odio habet flagellatum*: i. e. qui falsò ſocium ſuum criminatur, odit eum quem linguâ mendaci flagellat. Alii *Linguam menda-*

mendacem odio habet contritus, ſub. *corde*, *& humilis.* In דכיו eſt ו pro א, ac ſi legerentur דכא ſine י, & pro *humili ſpiritu* accipitur. ¶ *Impulſionem* מדחה] *Impulſum*, *lapſum* i.e. peſſumdare ſolet hominem quem alloquitur.

C A S T A L I O.

2. *UT mobilitate paſſer, ut hirundo volatu valet, ſic injuſtæ diræ non eveniunt*] Quàm facilè volant aves, tam facilè vitantur quæ quis iniquè imprecatur.

6. *Truncat pedes imbutus inhumanitate, qui mittit mandata per ſtultum*] Perinde agit ac ſi ſuo nuncio pedes crudeliter truncaret, deinde eum juberet ire.

8. *Quale fundæ lapidem alligare, tale eſt tribuere ſtulto honorem*] Abſurdum eſt.

9. *Qualis ſpina venit in manum temulenti, talis eſt in ore ſtultorum ſententia*] Nec ſpinam ebrius, nec ſententiam ſtultus tractare poteſt.

10. *Magiſter obit omnia: qui verò ſtultum conducit, infidum conducit*] Sapiens per ſeipſum, non per ſtultos, curat negotia.

15. *Abdit piger manum ſuam in ſinu, eam ægre ad os ſuum referens*] Ad cibum capiendum.

23. *Argenti ſcoria inducta fictili*] Fœda res.

25. *Septem habet in mente ſcelera*] Multa.

C L A R I U S.

1. *NIx*] *Nix in æſtate* res eſt intempeſtiva, quæ illi tempori minimè convenit: *ſic ſtulto non competit gloria.*

2. *Sicut avis*] *Sicut avis avolat & revolat* in nidum; *ità maledictio* redit in maledicentem, & *non venit ſuper eum* cui maledicitur.

4. *Nè reſpondeas ſtulto*] Ut, ſi ille convitietur, tu noli convitiari, *ne ei ſimilis efficiaris.*

5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam*] i.e. Redargue ſtultum propter ſtultitiam, & oſtende illi ſtultitiam ſuam, *nè fortè ſibi ſapiens videatur.*

6. *Mutilus pedibus*] *Qui mittit ſtultum*, *truncat pedes* negotiis quæ ſtulto demandantur, *& potat iniquitate*, h.e. irritat illum ad quem mittit ſtultum nuncium.

7. *Quomodo inæquales*] Sicut inæqualia & ſine proportione ſunt crura claudo, ſic verba ſtulti ſibi non conſtant.

8. *Qui mittit lapidem in fundam*] Sicut lapis fixus in funda citò ejicitur, ſic ſtultus in honore poſitus diu illum non retinet. Sin legas *in acervum*, ſic dicendum videtur, Qui acervo lapides addit, facit illum elevatiorem; ſic qui ſtultum honorat, reddit inſolentiorem. Alius vertit, *Qui ligat lapidem in funda*; quòd ſcilicet ut lapis in funda ligatus uſum non præbet, ſic honore uti oblato ſtultus neſcit.

9. *Quomodo ſi ſpina*] Ut ebrius ſpinâ ſe vel alios lædit, ità ſtultus labiis ſuis & ſibi nocet & alios laceſſit.

18. *Et mortem*] h.e. Inſtrumenta mortis.

23. *Argento ſordido*] Vel, *ex ſcoria.* Significat ergò dupliciter hominem decipi, dum & ſperat totum eſſe vas argenteum, & illud argentum bonum. Sic qui labiis blanditur, & illa blanditie operit.

24. *Labiis ſuis*] In Hebræo verbum hoc loco poſitum habet adverſam verbo ſignificationem, ut ſi dicas, *cognoſco*, *diſcognoſco.* Atteſtantibus eruditioribus Hebræis hic ergò erit ſenſus, *Labiis ſuis non agnoſcitur inimicus*, h.e. non ſinit ſe agnoſci. Et pulcrè quadrat: nam ſequitur, *cùm in corde ſuo tractaverit dolos.* Dum enim tractat dolos in corde ſuo, non ſinit ſe in ſermone agnoſci. Quod autem ſuprà vertimus, *labia blandientia*, cenſebat Elias magiſter meus, vir in Hebræa lingua eruditiſſimus, hoc loco regulam illam eſſe permutandarum literarum, & Daleth poſitum pro Heth.

26. *In concilio*] h.e. Deus in manifeſto puniet illum qui clàm malum ſtruxerit proximo ſuo.

28. *Lingua fallax*] Alius vertit, *Linguam mendacem odit humilis, os autem blandum operatur expulſionem.* Alius ſic interpretatur, *Lingua quæ loquitur mendacia odit virum humilem, & os aſſuetum blanditiis odit reprehenſorem.*

R. B A Y N U S.

1. *QUomodo nix in æſtate, & pluvia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria*] Præter decorum rerum ordinem eſt ut ſit *nix in æſtate*, h.e. duo maximè pugnantia ſimul. *Æſtatis* calor maturandis frugibus inſtitutus eſt, ſiccitas verò *meſſis* colligendis; quibus *nix* & *pluvia* vehementer obſtant. Quod eſt *æſtati* calor & maturitas fructuum, & quod eſt *meſſi* ſiccitas ad recondendam annonam, hoc eſt *gloria* ſive *honor* ſapientibus: quem ſi quis tribuat *ſtulto*, præter hoc quòd naturæ invertat ordinem, non mediocri damno mundum afficit, *ſtulto* videlicet tribuens *honorem*, debitum ſapienti. Omnes mali & improbi *ſtulti* ſunt apud Salomonem, quibus *honorem* virtutis præmium videlicet, attribuere non debemus, nè & illis in ſtultitia permanendi, & aliis eos imitandi præbeamus anſam: nam, ut eruditè ſcripſit Cicero, *Honos alit artes.* Hoc noſtrum ſeculum vehementer condemnat Proverbium, in quo non pro ratione ſapientiæ & virtutis habetur honor hominibus, ſed pro ratione opum & ſecularis pompæ.

2,——5. *Sicut avis ad alta tranſvolans, & paſſer quolibet vadens, ſic maledictum fruſtrà prolatum in quempiam ſuperveniet.* Heb. *Sicut avis ad vagandum, ſicut hirundo ad volandum, ſic maledictio fruſtrà non veniet. Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium. Nè reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, nè efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, nè ſibi ſapiens eſſe videatur*] A duabus avium ſpeciebus eadem ſimilitudo trahitur: & per *vagari* & *volare* idem intelligimus. Ex poſteriore clauſula verſiculi ſupplendum eſt in pari clauſula verbum *ſupervenient* vel *revertentur*; & erit ſenſus hujuſmodi, Sicut hæ aviculæ, *paſſer* videlicet & *hirundo*, quæ inter homines verſantur & nidificant in ædibus, frequenter coguntur *aufugere* & nido relicto *avolare*, ſed tamen *revertuntur* & *veniunt* iterum ad nidum; *ſic maledictio fruſtrà prolata*, h.e. quæ in immeritum profertur, *non veniet* ad innocentem, ſed *revertetur ad eum* ex quo exivit. Hebræi pro לא *non*, לו *illi*; & erit ſenſus idem, ſed magis lucidus, *Maledictio temerè & ſine cauſa prolata in aliquem revertetur ad eum qui protulerit, ſicut paſſer vel hirundo revertetur ad locum unde exivit.* Sic Hebræi. Quòd ſi nihil ſupplendo legamus, *non veniet ei maledictio fruſtrà prolata*, erit ſenſus, *non veniet*, pro *non nocebit ei in quem eſt prolata*; ſicut *aviculæ ſtatim aufugiunt* ſine damno quoties periculum imminere vident. Prior expoſitio videtur magis quadrare loco; quam etiam Beda ſecutus eſt: q.d. Qui maledicit alteri, ſibiipſi maledicit. Cui enim non debemus malum pro malo reddere, neque maledictum pro maledicto; ut ſequitur, *Non reſpondeas ſtulto*, ſed potiùs correptionem dignam imponas ei. ¶ *Flagellum equo, & camus aſino*] *Camus*, retinaculum equorum, vel frænum. Domeſtica hæc animalia utroque egent, & *fræno* videlicet & *flagello*; hoc progrediendi ac feſtinandi cauſâ, illo verò nè à recta via declinent. *Virga* hominibus *ſtultis* utrumque præſtat. Fortaſſis utriuſque animalis naturam reſpiciens Salomon *equo* tribuit *flagellum*, quo poteſt incitari ad curſum; *aſino* verò tribuit *camum*, quo lento gradu deducitur. Sic inter *ſtultos* homines ſunt qui niſi ſuo malo quaſi *flagello* non diſcunt ſapere, neque viam virtutum tenere; & ſunt quos *camo* vel *fræno* ducere debes, h.e. moderatiùs refrænare. Simplex ſenſus eſt, Stulti non emendantur niſi flagris & correptionibus, & proinde cum illis non maledictionibus ſed verberibus agendum eſt; ut ſequitur, ¶ *Nè reſpondeas ſtulto*] qui maledixit tibi, maledictionibus vel opprobriis, aut denique ſtultis verbis, quemadmodum ille: ſic enim *illi ſimilis* eſſe videberis: & hoc eſt quod dicit, *Juxta ſtultitiam ſuam.* ¶ Sed *reſponde ſtulto* (ſup. *verbis ſapientibus*) *ſecundùm ſtultitiam ſuam:* h.e. Tuâ reſponſione oſtendatur ſtultus, qui interim *ſibiipſi videtur ſapiens.* Beda putat bene habere ut ſtultitia ſuperba aliâ ſtultitiâ retundatur; quaſi cum ſtultis ſtulteſcere liceret, juxta illud Pauli, 2 Cor. 12. *Factus ſum inſipiens: vos me coëgiſtis.* Prior expoſitio eſt melior.

6. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittet verba per nuncium ſtultum.* Heb. *Succidit pedes, iniquitatem bibit, qui mittit verba per manum ſtulti*] Significat Proverbium, Nihil ineptius poſſe fieri quàm res ſecretas & magni momenti committere nuncio ſtulto. Similitudines videntur longiùs petitæ; ſed maxima incommoda & damna hinc evenire ſignificare voluit Salomon. Et ſunt qui exponant de pedibus mittentis; q.d. *Videtur ſibimet ſuccidere pedes qui mittit legatum ſtultum, cùm deberet ipſe potius ire:* Et ſunt qui exponant de pedibus legati; q.d. *Tam abſurdè facit ille qui mittit ſtultum ac ſi mutilum & claudum mitteret.* Nam ut claudus caret inſtrumento eundi, ità ſtultus caret ingenio & animæ dotibus, quibus opus eſt his qui res bene tractare debent inter Principes. Perinde impoſſibile eſt ſtulto prudenter fungi legatione ac claudo ambulare abſciſſis pedibus. Porrò non ſolùm hoc habebit damni qui mittit legatum imprudentem, ſed etiam *de iniquitate*, quam per ſtultitiam committet, *bibet*: h.e. particeps erit, ſi vel perperàm referat mandata, vel reſponſionem iniquam reportaverit. Proverbium monet eſſe videndum iterum atque iterum cujus fidei res ſerias committas. Maximè ad eos ſpectat admonitio qui in terris *pro Chriſto lega-*

tione funguntur, 2 Cor. 5. & legatos ac ſubſtitutos, ut ajunt, nonnunquam coguntur mittere. Quòd ſi *ſtultos mittant* ad Domini familiam, qui non *norunt dare menſuram tritici*, *de iniquitate* illorum *bibent*, & pœnas dabunt cum *ſtultis legatis*, qui non fuerunt magìs idonei ad gregem Chriſti paſcendum quàm ad ambulandum ſunt hi quibus *pedes* ſunt *amputati*.

7. *Quomodo pulcras fruſtrà habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.* Heb. *Inæquales fuerunt tibiæ claudo, & parabola in ore ſtultorum*: vel, *Elevatæ fuerunt tibiæ claudo*: vel denique, *Attollite tibias claudi.* Alii, *Exaruerunt tibiæ claudo*] In verſione hujus verſiculi magnam ambiguitatem invenio; ſed in ſenſu eſt ſummus conſenſus interpretum, nempe, *Quemadmodum elevatæ ſunt tibiæ, una ab altera, in claudo, & ſunt inæquales, ſic parabola & ſententia gravis non convenit cum reliquis verbis ſtulti.* Aliter, *Ablatæ ſunt tibiæ à claudo, ſic parabola in ore ſtulti*: q. d. Ut corpus ſine tibiis, ſic parabola ſine intellectu. Prior expoſitio eſt melior: nam ut in claudo tibia non reſpondet tibiæ, ità in ore ſtulti cætera verba non reſpondent parabolæ. Locum habebit Proverbium, cùm is qui malè vivit bene loquitur. Sunt enim omnes mali *ſtulti* apud Salomonem. Hos de virtutibus philoſophari nihil aliud eſt quàm *claudicare. Claudicant* quoque & *inæqualibus tibiis incedunt* qui partim bene partim malè credunt & confitentur; juxta illud quod ſcribitur 3 Reg. 18. *Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi verò Baal, ſequimini eum.*

8. *Sicut qui lapidem mittit in acervum Mercurii, ità qui tribuit inſipienti honorem.* Heb. *Sicut ligare lapidem in funda, ſic eſt qui tribuit ſtulto gloriam*] Sic Chaldæus P. ſic LXX. Sunt ex Hebræis qui ſic vertunt, *Sicut qui ligant lapidem in acervum*: quos ſecutus eſt Hieronymus. Cæterùm *Mercurii acervum* refert Lyranus, Bedam ſecutus, ad Idololatriam; quaſi impium eſſet & idololatriæ conferendum *dare honorem ſtulto.* Hebræi magìs referunt ad abſurditatem rei: apud quos duplicem expoſitionem invenio, ob duplicem ſignificationem hujus nominis מרגמה, vel *acervum* ſignificantis, & erit ſenſus, *Ut qui ligat lapidem pretioſum in acervo aliorum lapidum, inter quos illius perit pretium & bonitas; ſic honor attributus ſtulto inter tot vitia perit*: vel potiùs, *Ut indecorum eſt illud, cumulare lapidem pretioſum unà cum aliis lapidibus, ità ſtultum inter alios honore afficere.* Quòd ſi מרגמה pro *funda* capiatur, erit ſenſus verſiculi, *Ut qui ligat lapidem pretioſum in funda, ut ſtatim projiciatur & pereat, ſic qui tribuit ſtulto honorem.* Aben-Hezra מרגמה vocem Hebræam vult ſignificare *purpuram*, & *lapidem communem* intelligit; quem in rem pretioſam mittere eſt abſurdum: ſic ſapientibus præbere honorem, honeſtiſſimum eſt; ſtultis verò, abſurdum. Eſt denique & alius ſenſus, qui mihi maximè arridet, nempe, *Quemadmodum ligare lapidem in funda non ſolent homines* (nam ſi ligetur, erit inutilis jactus fundæ) *ità tribuere honorem ſtulto, inutile eſt.* Neque mihi diſplicet ſenſus qui accipitur ex eo quod non ponitur lapis in funda ut maneat, ſed ut ſtatim projiciatur; ſic quemcunque tribueris honorem ſtulto, ſtatim evaneſcit, permanens non eſt.

9. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in manu ſtultorum.* Heb. *Sicut ſpina quæ aſcendit in manu temulenti*] h. e. *Ut ſpina* geſtatur *in manu ebrii* non ob aliud quàm ad lædendum & vulnerandum eos qui accedunt ad eum, *ſic parabola*, ſive ſapientia & doctrina, *in ore ſtulti* aliis non prodeſt, ſed nocet: q. d. Si quid noverit ſtultus, aut ſi verba ſapientum poterit imitari, tamen cùm intellectu careat, non poteſt aliis prodeſſe, ſed moleſtare. Superiùs ſimilitudine *tibiarum claudi* oſtenſum eſt, *Parabolam non convenire ſtulto*; hoc in loco oſtendit, *Parabolam eſſe damnoſam in ore ſtulti*, idque vel aliis, ut expoſuimus, vel ſibimet. Nam ut *ebrius ſpinis* facilè decipitur, cùm ſpinas apprehendit incautè, tractans ut alia ligna; ſic *inſipiens in ore parabolam* habens, h. e. Divinam Scripturam legens & revolvens ſine intellectu & fide, deterior efficitur; pungitur enim in animo & conſcientia ſua, quam tamen non corrigit. Sunt ex Hebræis qui in bonam partem Proverbium exponant ad hunc modum, *Quemadmodum eſt aliquod Spinarum genus quod acceptum ac geſtatum in manu ebrii hominem reddit ſobrium; ſic Proverbium* (ſive *Parabola*) *in ore ſtulti facit ex ſtulto ſapientem*: & per *parabolam* vel librum Legis vel hunc Salomonis librum intelligimus: nè quis de una quapiam ſententiola dictum putet.

10. *Judicium determinat cauſas; & qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat*] Difficile eſt divinare quid legerit D. Hieronymus dum ſic vertit hunc verſiculum, cùm ferè nihil ſimile reperiatur neque in LXX. neque Hebræa veritate, quæ ſic habet, *Magnus format* (vel *creat*) *omnia, & mercedem dat ſtulto, & mercedem* dat *tranſgreſſoribus.* Alii ſic, *Princeps vulnerat* (vel *coërcet*) *omnes.* Duplicem hujus loci interpretationem habet David in libro Radicum. Primò intelligit per *magnum* ſive *principem, omnium creatorem & formatorem*, Deum, *qui mercedem dat ſtultis & tranſgreſſoribus*: h. e. paſcit ac nutrit eos qui ſtultè agunt & tranſgrediuntur illius mandata, non aliter quàm juſtos & ſapientes, ſecundùm illud Euangelii Matth. 5. *Qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos.* Hanc diſpenſationem vocat Scriptura *mercedem*: q. d. Deus paſcit bonos & malos, *tribuens* illis *mercedem* debitam, quaſi ſervis ſuis: facit enim pro ſua bonitate quod ad Dominum & Principem ſpectat. Illis verò *ſtultis tranſgreſſoribus*, qui illius bonitatem non agnoſcunt, neque illi tanquam Creatori & Paſtori obtemperant, *mercedem* quoque tandem *dabit*, nempe ſupplicium debitum. Alii per *mercedem* intelligunt juſtam pœnam *ſtultis* & *tranſgreſſoribus* deſtinatam. Et videtur verſiculus juxta hunc ſenſum pendere ex præcedente loco, *Qui dat ſtulto honorem*: ut *duplicem* juxta Paulum intelligamus *honorem*, quorum alter, qui in victûs diſtributione conſiſtit, non ſolùm ſapientibus ſed etiam *ſtultis* impertiendus eſt, h. e. *malis* & *ſtultis* debemus dare quæ ſunt ad vitam neceſſaria. Secundò exponitur verſiculus ut pendeat ex præcedente, nempe, *Spina in manu ebrii, ſic parabola in ore ſtulti*: & prima dictio verſiculi רב non pro *magno* vel *principe*, ſed pro *multo* accipitur; & מחולל non pro *formare* vel *creare* accipitur, ſed pro *vulnerare* vel *interficere.* Et erit ſenſus, *Stultus qui multus eſt in proverbiis vulnerat omnes, ſicut ſpina in manu ebrii: & qui dat mercedem ſtulto propter parabolas ſuas*, h. e. propter doctrinam ſuam, *perinde facit*, ſup. *ac is qui dat mercedem tranſgreſſoribus.* Tertia denique expoſitio eſt Hagaon Sahadia, qui præcedentem unà cum hoc verſiculo interpretando ſic connectit, *Cùm ad ſtultum pervenerit parabola, h. e. aliqua pars ſapientiæ, ut plurimùm corrumpit & invertit ſenſum, ſicut ebrius qui fert ſpinas in manu ſua, quibus digitos ſuos & ungulas lædit, & non ſentit: ſic ſtultus multùm vulnerat omnes, moleſtus videlicet ſuâ parabolâ & doctrinâ omnibus, ad iracundiam provocabit corda filiorum omnium.* Hæc ille, quæ nobis non multùm arrident, quòd ſecunda pars verſiculi huic expoſitioni non reſpondeat, juxta primam expoſitionem quæ eſt optima. Monet Proverbium *ſtultos* & *tranſgreſſores*, imò omnes, quò meminerint ſe eſſe mercenarios illius qui *omnia formavit, & omnibus dat mercedem.*

11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam*] Quod ſæpe monuimus, nempe *ſtultum* pro *malo* accipi, vel *alieno à lege Dei & Euangelica doctrina*, in qua ſumma ſapientia eſt, ex hoc loco conſtat, citato videlicet à D. Petro, Ep. 2. 2. 22. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbii, Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Ab *agnitione* veritatis & à fide Euangelica converti ad *coinquinationes mundi*, ut Petri verbis utar, eſt *ad ſtultitiam reverti, tanquam canis ad vomitum*, quo nihil eſt immundius, nihil turpius: ità nihil ſtultius quàm ad ſtultitias quas ſemel reliqueris reverti. Sed ut canis non ſentit damnum denuo devorare quod evomit, ità ſtultus non vult intelligere ſive damnum ſive dedecus quod ex ſtultitia ſua contraxit.

12. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.* Heb. *Vidiſti ſapientem in oculis ſuis: ſpes eſt de ſtulto magis quàm de illo*] *Sapiens in oculis ſuis* is eſt qui, cùm ſtultus ſit, tamen ſibimet apparet ſapiens: hic à ſapientia maximè eſt alienus, ſecundùm illud Eſa. 5. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*: de quibus nulla ſpes eſt ut aliquando ſapientes fiant. Ab aliis ſapientiam diſcere nolunt qui perſuaſum habent ſe eſſe ſapientiſſimos. Hoc noſtro ſeculo qui longiſſimè abſunt à vera religione inter Chriſtianos, ut putà maximis erroribus involuti, ſibimetipſis tamen maximè placent, & cum Apoſtolis ipſis & Euangeliſtis ſeſe comparant, vel etiam præferunt: tanta eſt in quibuſdam fiducia ſuæ partim doctrinæ partim ſanctitatis. Hi ad veram fidem Catholicam converti nullo pacto poterunt. Cæterùm qui ſtultos ſe eſſe cognoſcunt, & vel à doctrina Euangelica vel à vita Chriſtiano homine digna alienos ſe eſſe cognoſcunt, converſionis magnam ſpem habent.

13. *Dicit piger, Leo eſt in via, & leæna in itineribus.* Heb. *Leo eſt in via, & leo in plateis*] Superiùs cap. 22. hunc verſiculum expoſuimus, Quod ad voces ſpectat Hebræas, שחל *leo* & ארי *leo* diverſa ſunt nomina ejuſdem ſpeciei; & ſententia eſt eadem verbis diverſis explicata, *Leo eſt in via, & leo eſt in plateis*: Sic reſpondet *piger* his qui monent ut honeſtis vacet operibus: q. d. Tam difficile eſt perſuadere pigro ut in bonis operibus ſit ſedulus quàm eſt urgere & extrudere aliquem ut cum leone congrediatur. Et hunc ſenſum poſſumus elicere ex verbo *dixit*,

h. e.

h. e. reſpondit *piger* his qui hortantur: teſpondet, inquam, Otium eſſe tutum, negotium verò periculoſum. Quid enim leone fortius? quid crudelius? ut jam videatur excuſatio juſta. Sed per *viam* virtutum & per *plateas* piorum hominum oportet progredi his qui ad ſapientiam tendunt, etiamſi præſens mors ſit intenta. Nec beſtias, nec enſes, nec ignes, aut ullum tormentorum genus timent qui per viam charitatis ad Chriſtum Dei Sapientiam tendunt, dicente Paulo Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?*

14. 15, 16. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ità piger in lectulo ſuo. Abſcondit piger manus ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eas converterit.* Heb. *Abſcondit piger manum ſuam in ſinu*, (vel *in patella*) *laborat reducere eam ad os ſuum. Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.* Heb. *Sapientior eſt piger in oculis ſuis ſeptem reſpondentibus ſententiam*] Hebræi hoc in loco non diſtinguunt inter *pigrum* & *ſtultum*, qui nec foras egreditur ad aliquod opus egregium, nec domi vacat rebus honeſtis, ſed uſqueadeo deditus otio ut nè otium quidem ferre poſſit. Sed *ut oſtium in cardine volvitur*, & nunc clauditur, nunc aperitur, *ſic piger* nunc in hoc nunc in illud latus *volvitur.* Aliter, ut ex priore pendeat verſiculo, nempe, *Leo eſt in plateis*; *Oſtium volvitur in cardine*, dum egrediuntur & ingrediuntur quiſque pro neceſſitate ſua, *tamen piger* nullius exemplo provocatus vult ſurgere, ſed *volvit ſe in lecto, inquiens, Leo eſt in via*, ab his qui egrediuntur & ingrediuntur ſatis redargutus, & eorum exemplo correptus. Proverbium ſignificat, Eos qui vitiis & voluptatibus carnis indulgent à ſapientia eſſe alienos: *qui malè agunt lucem oderunt*, in plateas virtutum non progrediuntur: neque *ut in die honeſtè ambulant*, ſed *in cubilibus*, ut inquit Paulus, Rom. 13. & *impudicitiis* ſopiti opera tenebrarum exercent, non minore facilitate quàm *oſtium volvitur in cardine ſuo.* Quod ſequitur, *Abſcondit piger*] Duplicem ſenſum ſuperiùs cap. 19. contexuimus. Frequens eſt in variis locis verſiculi repetitio ejuſdem, vel quòd à diverſis collectio facta fuerit, vel quòd eadem ſatis aptè quadrent diverſis in locis, ut ex eo quod dictum eſt, *pigrum ſeſe in lecto volutare*, conſequens eſt ut ad ſummam pigritiam perveniat & egeſtatem. *Manus ſub aſcellis complicare* hominis eſt egentis. Cæterùm *non ſine fatigatione manus à patella ad os reducere*, pigritiæ & ſocordiæ eſt extremæ. De duplici ſignificatione hujus vocis שלחת ſuperiùs diximus, unde ſenſus verſiculi duplex exoritur, ut ſuperiùs explicavimus. ¶ *Sapientior piger ſibi videtur*] Cùm multa recitaverit vitia *pigri* ſive *ſtulti*, tandem quod eſt maximum infert, nempe, quòd ſapientiam non poſſit diſcere, cùm perſuaſum ſit ſibi neminem ſe eſſe ſapientiorem. Per *ſeptem ſapientes* plurimos intelligimus, neque qualeſcunque, ſed tales à quibus reſponſa ſolent homines petere: vel *ſeptem* dicit, propter ſeptem dona ſapientiæ. Et verſiculus pendet ab eo quod dictum eſt, *Vidiſti ſapientem in oculis ſuis, ſpes eſt de ſtulto potiùs quàm de illo.* Hoc in loco quàm nulla ſit ſpes oſtendit, cùm adeò alienus ſit à ſapientia, ut ſapiens aliquando evadat nulla ſpes eſt. Neminem interrogare vel audire ſuſtinet ex omnibus ſapientibus. In ſcripturis ſcrutandis valde piget & ſtultus eſt populus Judaïcus, quibus dixit Chriſtus, *Scrutamini ſcripturas, illæ teſtimonium perhibent de me* Joan. 5. & meritò propter pigritiam & ſtoliditatem comparantur aſino; *Invenietis aſinum ligatum & pullum, ſolvite*, Matth. 22. Quamvis uſque adeò tardus & ſtultus ſit Judæus ut ad ſalutem accedere, & relictis umbrarum tenebris, ad veritatis lucem ſurgere nolit, tamen de ſua in rebus Divinis ſapientia ſeſe jactans, à *ſeptem ſapientibus*, h. e. à Chriſtiano, qui ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, & ſeptem Spiritûs chriſmatibus dotatus eſt, interrogare vel diſcere non vult. Imò *ſeptem reſpondentibus ſapientiam ſibi videtur* Judæus *ſapientior*, h. è. omnibus Chriſtianis, qui jamdudum univerſo mundo *reſpondent ſententiam*, ſive bonum ſenſum Scripturarum. Vox Heb. טעם *guſtum* propriè ſignificat, & ad Scripturarum intelligentiam optimè refertur: quæ ſi bene & ſanè intelligantur, guſtum habent ſalubrem. Hæreticus quoque cum omnia probè intelligere & tenere ſeſe exiſtimat, à catholicis diſcere non vult, qui, ut jubet Petrus, *parati ſunt rationem reddere* & reſpondere *de ea, quæ in illis eſt, ſpe & fide.*

17. *Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſiit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.* Heb. *Apprehendens per auriculas canem, tranſiens, iraſcens in lite non ſua*] Proverbium monet non eſſe provocandas quorumcunque inimicitias. Apud profanos autores ſententia legitur huic non admodum diſſimilis, *Auribus lupum teneo.* Quod locum habet in re nimis ambigua, quando neque perficere poſſumus, neque ſine periculo dimittere negotium quod habemus in manibus, cujuſmodi eſt lis aliena: in quam ſi quis ſemel intraverit, cogitur tanquam pars litigantium unà cum illis iraſci, multas moleſtias ferre. Ex *auribus* luporum, ſive *canum*, ſumitur ſimilitudo, vel quòd difficile ſit tenere canem vel lupum eà parte; vel quòd iram provocat & furorem auricularum apprehenſio. Sic dum homines inter ſeſe litigant, ad iram ſunt proclives, & proinde tunc minimè ferunt injuriam. Quare qui ad lites accedit alienas, dum alteri parti ſtudet & favet, alteri vehementer diſplicet, & veluti crabrones irritans, h. e. eos qui ſunt animo amaro, ſentiet indignantes, apprehendens videlicet eà parte quam minimè tractabilem habent, qualis eſt canibus & lupis auricula. In contextu juxta compendium linguæ Hebraïcæ deſunt quædam particulæ, & ad hunc modum compleri poteſt; *Velut is qui tenet per auriculas canem, ſic ille qui tranſit ad litem alienam*, vel *ingreditur litem alienam.* Uterque abſurdè facit: nam canem apprehendere per cervices ſolemus, non per aures; & homines amicitiis nobis conciliare & beneficiis, non ad inimicitiam provocare ſine cauſa debemus: quod facit is qui *in lite aliena* ſeſe *intermiſcet.* Quod additur, *iraſcens*, ad utrumque referri poteſt: nempe ad eum *qui tenet canem per auriculas*, & *qui litibus ſeſe immiſcet alienis:* utriſque enim iram excitans, iraſci cogitur viciſſim, ille cum canibus, hic verò cum hominibus.

18, 19. *Sicut noxius eſt qui mittit ſagittas & lanceas in mortem.* Heb. *Sicut abſcondit ſe qui jacit ſcintillas, ſagittas & mortem. Sic vir qui fraudulenter nocet amico, & cùm fuerit deprehenſus, dicit, Ludens feci.* Heb. *Sic vir qui decepit amicum, & dicet, Numquid ludo?*] Vel vehementer malum vel inſanum eſſe qui dolo malo & fraude imponit amico, docet proverbium, ſimilitudine acceptâ ab his qui maxima damna inferunt hominibus. Sunt autem ii *qui* ſecretò *injiciunt ſcintillas* vel faces ardentes in aliena tecta, vel *qui jaculantur ſagittas*, repentè, aut denique quæcunque tela mortis in necem hominum parant, ſic ſecretò & abſconditè ut vitari nequeant, omnium peſſimi ac pernicioſiſſimi habentur. Talis eſt ille *qui decepit amicum, & dicit, Ludens ego*, vel *ludebam*: q. d. tantò pejor, quòd poſt fraudem & damnum illatum petit pro amico haberi, dicens, Non feci ſeriò, mala amici ſuos jocos æſtimans: Vel, *ludens feci*, referri poteſt eò quòd rideat non doleat de alieno malo. Quemadmodum *qui projiciunt ſcintillas* aut *ſagittas* cum maximo aliorum damno, & tamen illi interim jocantur & rident, vel per malitiam vel per inſaniam. Sunt enim qui ſic vertunt vocem Hebræam כמתלהלה, nempe, *inſaniam ſimulat*, vel *ſeſe inſanum facit.* Alii ſic vertunt, *cum fatigatione laborat, qui projicit ſcintillas ignis* vel *ſagittas.* Interpres ſenſum reddidit magis quàm verba. Peſſimus hominibus comparatur, & excuſatione caret, qui quocunque animo fraudem facit amico ſuo.

20, 21. *Cum defecerint ligna, exſtinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto, jurgia conquieſcunt.* Heb. *Cùm non fuerint ligna, exſtinguetur ignis: & cùm non fuerit ſuſurro, ſilebit contentio. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.* Heb. *Vir contentionum ad ſuſcitandam litem*] *Non eris criminator atque ſuſurro in populis*, ſcripſit Moyſes Lev. 19. Ex quo crimine quanta mala proveniant, oſtendit Sapiens hoc in loco; nempe diſcordiæ & lites, quibus omnes conſumuntur virtutes: nam ut ignis alitur lignis, ſic ſermone eorum qui inter fratres ſeminant diſcordias, perpetuò vigent diſſenſiones, neque aliter poteſt coaleſcere amicitia, niſi ſublatis his qui diſcordias ſeminant. Sublatâ cauſâ etiam effectus tollitur. Et ut qui *carbones* habet, & *prunas* habere poteſt: & qui *ligna*, poteſt & *ignem* habere: ſic ubi fuerit *vir contentionum*, erunt *lites* & diſcordiæ. Rectè confert diſcordiam igni qui omnia devorat; ſic diſſenſio in unis ædibus, in rep. una, aut inter eos qui ſunt ejuſdem fidei & inſtituti, omnia vaſtat: *Concordiâ parvæ res creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Cujus rei exempla utinam ætas noſtra haberet pauciora: ſed Domini clementiâ, *deficientibus ſuſurronibus*, h. e. malis concionatoribus & pſeudoprophetis, *quorum verba* blandè *ſerpunt ut Cancer*, exſtinguetur tandem nova ſecta diſcordiarum quâ conflagrarunt multorum domicilia & conſcientiæ.

22. *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt ad intima cordis.* Heb. *Verba ſuſurronis ſunt velut hi qui ſe blandos oſtendunt, & ipſa deſcenderunt ad cubicula ventris*] Alii vocem Hebræam מתלהמים per metatheſin dici volunt, pro כמתהלמים *velut qui contundunt*, vel *frangunt.* Parem verſionem ſequitur D. Kimhi, cui libenter ſubſcribimus hoc in loco, Suſurro qui alienæ detrahit famæ, magnam ubique præ ſe fert amicitiam & ſtudium erga eos quibuſcunque loquitur, quò majorem fidem inveniat. Aben-Hezra verò in contrario ſenſu exponit vocem מתלהמים non *ſimplicia*, ut nos habemus, ſed *percutientia*, ſive *plagam inferentia. Verba detractorum feriunt, & deſcendunt ad interiora ventris*, h. e. ſunt mortifera, vel plagam infligunt quæ non poterit curari.

23,—27. *Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſatiata.* Heb. *Argentum ſcoriarum obductum ſuper teſtam, labia ardentia & cor malum. Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos.* Heb. *Labiis ſuis ſit extraneus* (vel *alienus eſt*) *qui odio habet, & in corde ſuo ponet dolum. Quando ſubmiſerit vocem, nè credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde ipſius.* Heb. *Cùm gratioſam fecerit vocem ſuam, nè credideris ei: nam ſeptem abominationes ſunt in corde ipſius. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.* Heb. *Teget ſe odium in deceptione, revelabitur malitia ejus in congregatione. Qui fodit foveam incidit in eam, qui volvit lapidem revertetur ad eum*] De maledicis totus hic locus tractat, à quo vitio quàm longè alienum eſſe ſapientem decet, & linguam nitidam ſervare, & ut puritati linguæ cordis mundicies reſpondeat. *Argentum ſcoriarum* intelligi poteſt, vel plenum ſcoriâ, vel purgatum à ſcoria: tamen priorem ſenſum ferè ſequuntur expoſitores: & *labia ſuccendentia* intelliguntur in malam partem. *Lingua ignis eſt, quæ inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna*, ut inquit Jacobus, h. e. ad iram & diſcordiam excitatur. Reſpondet verſiculus præcedentibus: *Ubi non ſunt ligna, ignis exſtinguitur*: q. d. ubi malæ linguæ & labiis ſeminantibus diſcordiam cor malum reſpondet, nullus neque decor neque utilitas eſt in tali homine, non plùs quàm in vaſe fictili quod obductum eſt argento ſcoriis pleno: & juxta hanc intelligentiam vox דולקים, quam Hieronymus *tumentia* vertit, nos *ardentia*, ſive *perſequentia labia* vertere poſſumus, & *argentum ſcoriarum*, h. e. plenum ſcoriis, ut *vas fictile* ſub *argento malo*, ſic *cor malum* ſub *labiis ſuccendentibus*, litem videlicet. Sunt qui *argentum ſcoriarum* purgatum à ſcoria intelligant, & *labia ardentia*, ſplendentia & polita velut argentum: ut ſit ſenſus, Sicut argentum purum obductum ſuper vas fictile, ſic purus ſermo & politus cordi malo: in utroque enim magna fraus eſt, & argentum purum non poteſt ſervare vas fictile quò minùs frangatur, neque blanda verba *cor malum* ab *odio*, vel *dolo*: & hoc eſt quod ſequitur. ¶ *Verbis ſuis noſcitur inimicus*] Vel, *qui odio habet*, q. d. Quamvis cor malum blandè loquatur, tamen ſubinde prodit ſeſe. Sicut *vas fictile* non poteſt ſic tegi *argento* ut non deprehendatur; vel ut vas fictile non minùs eſt fragile quia tegitur argento, ſic *cor malum* non minùs ſtruit dolos ſi blandè loquatur: denique poteſt ſimilitudo ſic explicari; Quemadmodum *vas fictile* argento tectum abſconditur, ut quàm vile ſit ſcire nequeas, ſic *ardentia* & ſplendentia *labia* cor doloſum occultant. Et hoc eſt quod ſequitur, juxta quorundam interpretationes, ¶ *Labiis ſuis extraneus erit inimicus*] Vel *odio habens*, h. e. amicitiam præ ſe ferens verbis odium occultat, & fraudem molitur. *Cum in corde ſuo tractaverit dolos*, ut vertit Hieronymus *in corde ſuo ponet dolum*. Duplex ſignificatio verbi נכר, *ſcire & alienare*, duplicem ſenſum verſiculi gignit, ut dictum eſt: vel quòd labiis oſtendet odium doloſè occultatum in corde, vel quòd labiis amicitiam præ ſe feret, cùm odium in corde ſtatuerit ac fixum habuerit. Hæc poſterior expoſitio eſt melior ac magis congruens cum his quæ ſequuntur, ¶ *Quando ſubmiſerit vocem*, vel *cùm gratioſam fecerit vocem*, aut *cum oraverit*] Verbis eorum qui ſunt hoſtes fidei nullo modo credendum eſt, quantumvis gratioſa ſunt, vel quantumvis humilia & benigna: *nam ſeptem abominationes ſunt in corde* hæreticorum, ut qui ſeptem Eccleſiæ Sacramenta rejiciunt, & ſeptem Spiritûs chariſmatibus ſunt deſtituti. Aben-Hezra refert ad id quod ſcriptum eſt Prov. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*: nempe *eum qui ſeminat inter fratres diſcordias*, de quo crimine hoc in loco tractatur. Nos neminem putamus majores diſcordias inter fratres ſeminare poſſe quàm noſtrâ ætate fecit Lutherus, unitatem fidei videlicet in varios errores diſſecans: quos *ſeptem abominationes* ſunt ſecutæ, tametſi *voce ſubmiſſâ* & valde *gratioſâ* ubique videbantur loqui illius farinæ homines, *in malo corde dolos ponentes*, quos argenteis labiis & ſonoro ac eleganti ſermone diu occultabant, ut ſequitur; ¶ *Qui operit dolum fraudulenter*] In Hebræo eſt ſermo vehementior: nam ponitur *odium* pro homine laborante odio, quod deceptione poteſt latere. Latuit aliquando odium quo laborant hæretici contra fideles: latet, inquam, per deceptionem quâ utuntur, neque poteſt à ſingulis deprehendi, *revelabitur* tandem *in* cœtu & *congregatione*, quod hactenus uſuveniſſe novimus omnibus ſectarum autoribus. Et cùm in cœtu & eccleſia Dei nota & manifeſta fuerit iniquitas & odium quod conabatur occultare per deceptionem, meritas pœnas dabit. Poteſt vox Hebræa משאון *ſolitudinem* ſignificare. Chaldæus vertit *contritio*: & erit ſenſus, Odium quod in ſolitudine occultaverit ſeſe, revelabitur, & malitia ejus in cœtu: q. d. *nihil occultum, quod non ſciatur*, Matth. 10. Et qui malum machinatur aliis, in ſimile malum ferè incidere ſolet: quod verſiculo ſequenti oſtenditur per ſimilitudines, quæ ex ſeptimo Pſalmo deſumptæ videntur, *Incidit in foveam quam fecit, & convertetur dolor ejus in caput ejus*, quod David de Saule aut alio quocunque hoſte bonorum vaticinatus eſt. In multis locum habuiſſe vel gentium hiſtoriis conſtat.

28. *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.* Heb. *Lingua mendax odio habebit contritum, & os blandum faciet expulſionem*] Sermo Hebræus eſt ambiguus, neque ſatis conſtat ex proprietate linguæ, vertere ne debeamus, *linguam mendacem oderit contritus*, an *lingua mendax odio habebit contritum*. Poſterior verſio magis arridet; ut ſit ſenſus pendens ex ſuperioribus, in quibus multa dicta ſunt de vitiis malæ linguæ. Inter quæ mendacium vel maximum eſt, quòd ſit incorrigibile neque monitorem admittat, ſed odio habeat eum qui conatur *conterere*, & refrænare *mendacem*, h. e. virum linguæ mendacis cohibere. ¶ *Os lubricum operatur ruinas*] Vel *os blandum faciet impulſionem*, h. e. impellet violenter quodammodo homines à via vitæ, id quod contra naturam rerum videtur eſſe, ut res mollis, cujuſmodi eſt *os blandum* ſive politum, vim inferat & violenter homines impellat, & *in ruinam* juxta verſionem Hieron. *detrudat*. Aliter Levi Ben-Gerſon; *Vir linguæ mendacis ſolet odio habere contritos* (ſive *oppreſſos*) *non quòd mali quidpiam contulerint illi, ſed quòd exiſtimat ſe odio haberi ab illis qui ſunt contriti & oppreſſi falſis illius teſtimoniis, idcirco illos habet odio: juxta illud, Odio habuerunt me gratis.* Porrò *os blandum* intelligit, *os contriti & oppreſſi*, qui blandè & manſuetè reſpondet, *faciet expulſionem* illius odii. Aliter *os blandum* ſive æquabile & politum, quod nihil niſi verum loquitur, *expellet linguam mendacem*. Ad bonos concionatores referri poteſt, qui in cœtu fidelium falſos concionatores & mendaces impellunt, ſive expellunt atque rejiciunt. Locus eſt valde obſcurus. Beda utramque clauſulam eodèm refert, nempe ad malos concionatores, quorum lingua blanda multos impellit à vera fide. De quibus hunc totum locum ſumus interpretati. Quamvis poſſit de quovis intelligi qui fraudulenter agit cum amico ſuo, tamen ex omni cœtu & numero hominum nemo eſt cujus labia & ſermo tot mala inferat, ut hæreticorum, quæ vel orbem inficere conantur & malâ doctrinâ corrumpere.

DRUSIUS.

1. לא־נָאוֶה. Sym. Th. ὐκ ἔπρεψεν, *non decuit.*

2. קִלְלַת חִנָּם. A. Sym. Th. κατάρα δωρεὰν, *maledictio gratis.*

3. שוט. A. Th. κημὸς, *camus.* Sym. Φιμὸς, *capiſtrum*] *Capiſtrum: fiſcella, camus.* ¶ לְגֵו כְּסִילִים. Th. σώματι ἀνοήτυ, *corpori amentis.*

7. דַּלְיוּ שֹׁקַיִם מִפִּסֵּחַ. Sym. ἐξέλειπον κνῆμαι ἀπὸ χωλῦ, *defecerunt tibiæ à claudo*] ¶ וּמָשָׁל בְּפִי כְסִילִים. Idem, καὶ παραβολὴ ἐν ϛόματι. ———

10. וְשֹׂכֵר כְּסִיל וְשֹׂכֵר עֹבְרִים. Th. καὶ Φιμῶν ἄΦρονα Φιμοῖ χόλυς, *qui capiſtrat amentem capiſtrat iras*] *Os obturat*, ſive *claudit*, quod eſt סכר in lingua Chaldæorum. ¶ *Iras* עברים, tanquam à עברה *ira*. Sym. καὶ ὁ Φράσσων ἄΦρονα ἐμΦράσσει ὀργὰς αὐτῦ, *qui obturat amentem obturat iras ejus*] Vel *ſepit*. Sed *ſepio* potiùs סך dicitur. ¶ *Iras ejus*, עבריו, quod tamen uſitatum non eſt.

11. כְּסִיל שׁוֹנֶה בְאִוַּלְתּוֹ. A. Th. ἀνόητος δευτερῶν ἐπὶ ἀΦροσύνῃ αὐτῦ, *inſipiens iterans ſtultitiam ſuam.*

14. עַל־צִירָהּ. A. ἐπὶ ϛροΦέα αὐτῆς, *in cardine ſuo.*

15. בַּצַּלָּחַת. A. Sym. Th. ἐν τῇ μάλῃ, *in ala*, ſive *axilla*] Prov. 19. צלחת. A. μασχάλη, *axilla.* Sym. μάλη, *ala.* Hieron. *ſub aſcella ſua.* ¶ נִלְאָה. A. Th. ἐμόχθησεν, *laboravit, fatigatus eſt.* Sym. ἀπενάρκησεν, *obtorpuit*] *Laboravit*, &c. vel *laborat, fatigatur.* ¶ *Obtorpuit*, ναρκέω redditur in vet. Lex. *negligo*, ut poſſis exponere *neglexit*, ſive *negligit.*

16. מִשִּׁבְעָה מְשִׁיבֵי טָעַם. Sym. ὑπὲρ ἑπτὰ ἀποκρινομένυς γνώμην, *ſuprà quàm ſeptem qui reſpondent ſententiam.*

17. אָזְנֵי. Th. ὤτων, *aures.* S. ὠτίυ, *auriculam.*

18. כְּמִתְלַהְלֵהַּ. A. κακοηθιζόμενοι, *malis moribus imbuti.* S. πειρώμενοι, *qui conantur*, ſive *qui periculum faciunt.*

19. אִישׁ רִמָּה. S. ἀνὴρ δολιῶν, *vir fraudum.*

20. בְּאֶפֶס עֵצִים תִּכְבֶּה־אֵשׁ. S. Μὴ ὄντων ξύλων ἀποσβεσθήσεται πῦρ, *Cùm deſunt ligna, extinguetur ignis.* ¶ נִרְגָּן. A. τονθρυϛὴς, *ſuſurro.* S. δόλιος, *doloſus.* Th. γογγυϛὴς, *murmurator*] Τονθρυϛὴς contractum videtur ex τονθορυϛὴς, cujus thema τονθορύζω, *ſubmiſſe loquor*, *murmuro.* ¶ *Doloſus.* Prov. 16. 28. נרגן. S. ὑποκρινόμενος, i. e. *hypocrita*, *ſimulator.* Obiter noto. Hæc in ed. Rom. notata ſunt ad ἀνὴρ λοίδορος· cui reſpondet in Ebræo איש מדינים *vir contentionum*, i. e. contentioſus. ¶ Γογγυϛὴς ſuprà in loco citato. Th. γόγγυσος.

21. רב

21. לְחַרְחַר־רִיב. A. Th. *ἀναξᾶναι δικασίαν, redulcerare litem.*

22. דִּבְרֵי נִרְגָּן כְּמִתְלַהֲמִים. A. Λόγοι τονθρυσοῦ γοητικοὶ, *Verba ſuſurronis incantatoria.* S. Λόγοι γογγυσοῦ ἐν παρέργῳ, *Verba murmuratoris perfunctoria.* Th. Λόγοι ἐνδυμίȣ ὡς ἐξαπλώμενοι] Ἐνδυμίȣ, ſive ἐνθυμίȣ, *ejus qui nobis in animo verſatur.* ¶ Ὡς ἐξαπλώμενοι. *velut duplicata,* ſive *duplicia.* Hieron. *quaſi ſimplicia,* ὡς ἡπλωμένοι. Sic etiam vertit Prov. 18 8. ¶ יָרְדוּ. A. S. Th. *κατέβησαν, deſcenderunt.* ¶ בָטֶן. Schol. *κοιλίας, ventris.*

23. דֹּלְקִים. A. Th. *καιόμενα, ardentia.* S. Φλεγόμενα, *incenſa.*

24. בִּשְׂפָתָיו יִנָּכֵר שׂוֹנֵא. A. S. Th. *ἐν χείλεσιν αὐτȣ̃ ἐπιγνωσθήσεται μισῶν, labiis ſuis cognoſcetur oſor.* ¶ מִרְמָה. A. *ἐπίθεσιν, impoſturam.*

26. תִּכַּסֶּה שִׂנְאָה בְּמַשָּׁאוֹן תִּגָּלֶה רָעָתוֹ בְקָהָל. S. Καλύπτων μῖσος διὰ λήμματα, ἀποκαλυφθήσεται κακία αὐτȣ̃ ἐν ἐκκλησίᾳ, *Qui tegit odium acceptis muneribus, revelabitur malitia ejus in eccleſia.*

27. שַׁחַת. A. S. διαφθοράν.

28. וּפֶה חָלָק. Lxx. *ςόμα δὲ ἄςεγον.* A. S. Th. *λεῖον, leve,* i. e. blandum. ¶ מִדְחֶה. S. *ὀλίσθημα, lapſum.*

A M A M A.

1. כשר] Vide ad cap. 16. 15. de Joreh & Mal Koſeh. Tempore meſſis in Judæa aut rariſſima aut nulla pluvia. Unde miraculi inſtar, quod 1 Sam. 12. narratur. Et accedit Hieron. teſtimonium, qui ſe nunquam vidiſſe, ait, pluviam in Junio & Julio. Vide Druſ. ad locum Samuelis.

2. חנם] Excludit meritum vel cauſam, pretium vel mercedem, gratis, fruſtra.

Senſus, ut paſſer vagando & hirundo volando, dimiſſo nido huc illuc volitant, nec locum inveniunt ubi quieſcant, ſic maledictio errabit, nec inveniet locum in te, in aërem ibit.

Alii legunt, לו ei veniet, q. d. in ipſius caput, ſicut hirundo tandem redit ad nidum ſuum.

דרור] Libertas. Lev. 25. 10. *Ut ſanctificetis annum jubilæum & proclametis* דרור *libertatem.* Tribuitur myrrhæ Exod. 30. 33. 1. Myrrha liberè ſtillans. 2. Hirundo, quod libera ſit inter homines & niduletur, quod càpta non comedat ſed moriatur.

4. & 5. Docent homini inter improbos verſanti tempus loquendi & tacendi obſervandum eſſe.

4. Ne reſpondeas ſi eſt inſanabilis, ſi nullum periculum, ne improbis ſermonibus circumſtantes inficiat, ſi Dei Gloria non periclitetur.

Ne ſimilis] Quod tum maximè fiat, ſi conviciis, iracundiâ aut verberibus agas.

5. *Reſponde*] Si ſanabilis eſt, ſi de Dei Gloria agitur, ſi præſens eſt ſcandalum.

Sunt ἐναντιοφανῆ, ſed conciliantur habitâ ratione locorum, perſonarum, temporis & cæterarum circumſtantiarum.

6. Qui mittit quicquam per manum ſtulti perinde facit ac ſi præcideret ſibi ipſi pedes & biberet violentiam, i. e. vim ſibi ipſi inferret.

מקצה] à קצה fere idem quod קצץ. Hinc קץ, illinc קצה & מקצה extremum. Vide ſupra quæ de קץ & ἄκρον diximus.

Bibere violentiam] i. e. (aquam) violentiæ. Sic comedere panem pigritiæ, pigrum eſſe. Hic violentum eſſe ſc. ſibi ipſi. Alii חמס Metonym. pro, pœnam violentiæ ebibet, i. e. (calicem), violentiæ bibet. *Bibere* in ſacris libris ſæpe pro pati, ferre pœnam. Jer. 25. Jeremias jubetur calicem pœnarum circumferre, & cunctis Regibus ſeu gentibus propinare. Et 49. *Tu non eris innocens, ſed bibendo bibes.* Jeſ. 21. *Excitare Jeruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem ardentis indignationis ejus.* Abd. 1. Ezech. 25. 32. *Calicem ſororis tuæ bibes.* Hinc locutiones novi Teſt. Matth. 20. *Poteſtis bibere calicem, quem bibam ego.* Math. 26. *Tranſeat à me calix ille ne bibam eum.* Joh. 18. *Calicem quem mihi dedit pater non bibam eum.* Similes locutiones apud Ethnicos. Plautus in Caſina:

Inde foras tacitus exeo cum ornatu quo vides,
Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, bibat.

Sumpta locutio à certaminibus bibendi, quibus cogebatur aliquis tantum bibere, quantum Sympoſiarchæ lubitum erat, quod multis graviſſimum erat, ſicut ille, Τὸ πρὸς βίαν πίνειν ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ, πρὸς βίαν διψᾶν; atque inde qui puniebantur *bibere* dicuntur. Sicut contra liberari ab illa neceſſitate ad præſcriptum bibendi pro magno beneficio habebatur. Horat. Sat. 6.

Prout cuique lubido eſt
Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis.

Verè *inſanis*; addo & Diabolicis. Unde prudentiſſima illa Lex & quæ Chriſtianos in extremo judicio damnabit, *Aſſueri.* Et potatio erat juxta Legem אין אנס.

7. Tollite (דליו pro דלו) cothurnos (crura pro cruralibus ornamentis) à claudo. Ineptus eſt loripes, qui cothurnum induit; ita ridiculus eſt ſtultus & ſuperbus in ſermone ſuo. Itaque detegendus eſt & detrahenda ei larva. Cæteræ expoſitiones; *crura claudi ſunt inæqualia,* & quotquot exponunt in indicativo, cadunt, quia ד non ר.

8. I. Sicut qui ligat lapidem pretioſum in acervo lapidum qui non eſt debitus ejus locus.

II. Sicut qui ligat lapidem in funda, nam ſic emitti non poteſt, vel lapidem pretioſum. Nam tales non ſolent in funda ligari.

III. Sicut qui applicat lapidem baliſtæ, ita qui honorem habet ſtulto aut verbis ejus, gladium porrigit ſtulto & arma ſubminiſtrat ad nocendum, confirmat eum in malo.

IV. Vulgati. Vide Cl. in Acervus.

V. Ut ligatio incluſio lapidis, per hyperb. pro lapis inſitivus.

9. Non melius utitur ſtultus verbis, quam Ebrius ſpina, quâ ſe & alios lædit. Docet ergo ſermonis excellentiam in ore improbi tum ſibi tum aliis noxiam eſſe.

Docet quid fieri ſoleat non quid debeat. Chriſtus enim jubet auſcultare ſcribis & Phariſæis quamdiu in Cathedra Moſis ſedent, i. e. Moſis doctrinam docent, *facite ſecundum verba ipſorum, non autem juxta opera.* Et notandum hic eſt, quod omnes Theol. noſtri docent, veritatem religionis & efficaciam miniſterii non pendere à miniſtrorum moribus. Sed hoc ipſum præſtare non poſſunt niſi illi, qui in Schola pietatis multum profecêre. Apud cæteros qui vel leviter tincti, vel ne primoribus labris adhuc pietatem & verbum Dei guſtârunt, vitæ improbitas omnem orationi auctoritatem derogat. Ut ſi duo viatores ſint eodem tendentes, quorum unus viam callet, alter ignorat, is autem qui ignorat, rogat quæ ſit via, monſtret autem illam eamque veram alter qui novit illam, & tamen contrariam aut diverſam ipſe ineat, annon magnum periculum erit, ne alter ille qui viam ignorat, facto ejus magis fidens quàm verbo etiam in errorem & avia trahatur. Ita ſe res habet cum plebecula, cùm improbos paſtores habent. Monſtrant illi quidem viam quæ ad cœlum, ſed illi inſtar ſtatuarum mercurialium nunquam ipſi eò deveniunt, aut contrariam viam ineunt. Ita fit. Ut infirmiores magis faciant ſecundum opera eorum quàm verba, contra monitum Salvatoris.

10. Variè exponitur. Mihi placet Junius, qui connectit cum præcedentibus, & ſic exponit, *ut plurimum dolore afficit omnes ſub. Ebrius: Ita ſtultus mercedem dat* (ſibi) *& mercedem dat tranſeuntibus.* Id eſt, non tantum ſibi infligit plagas præmia ſtultitiæ ſuæ, ſed & eadem præmia cum aliis communicare cupit quamvis immerentibus.

שכור] à שכר. Unde & שכר Sicera. Vide cap. 20. 1.

11. Vide Epiſt. 2 Pet. 2. verſ. ult.

12. Hic כסיל accipitur pro craſſo, ſtupido & fatuo. Huc pertinet illud Quintiliani tritum, *multi pervenirent ad eruditionem* &c. Quod maximè accidit pigris, qui cùm nihil legant nec converſentur cum viris doctis, nec frequentent lectiones, neſciunt quantum illud ſit quod ignoretur ab ipſis.

14. *Sicut janua*] Etſi claudatur, aperiatur, tamen à cardine ſuo non avellitur. Sic piger etſi huc illuc ſe volutet in lecto, tamen manet in eo. Ut nihil vult agere foras, ita nec domi.

מטה] At מַטֶּה virga. Gen. 47. Ebr. 11. Eſt & lectus triclinia-ris cibum capientium. Ezech. 23. Et mortuorum loculus, pheretrum. *Lectus ſtygius* Martiali, *Orcina ſponda,* 2 Sam. 3. 31. Rex David ibat poſt מטה.

15. Supra docuit quàm ægrè piger avellatur à lecto; jam docet, quid faciat ſurgens è lecto. Denotatur autem hyperbolicè inſignis ejus inertia, dicitque pigrum ne minimum quidem laborem ſubire velle & vix manum ſuam ori admovere ut ſe paſcat, non quod non ſit ſtrenuus in edendo & bibendo, ſed ut dixi, hyperbolicè docet ne minimum quidem laborem velle ſubire ut victum ſibi quærat, vellet ſibi ab aliis cibum in os ingeri.

צלחת] R. D. ait propriè eſſe paropſida, ſcutellam, ollam, Metaphor. ſinum ob cavitatem. Jun. *manica.*

16. משיבי טעם] Reſpondentibus conſilium, conſiliariis. Jun. *revocantibus* (ipſum) *ad rationem.* Alii, *reſpondentes ſcitè.*

17. כלב] Alibi, mingens ad parietem. 1 Sam. 25. 22. quod tamen de mare alii.

18. Sicut inſaniens (à להה) qui jaculatur זקים ſcintillas, flammas, malleolos. Quid hoc? Malleolus eſt faſciculus ex pice, ſulphure, aliiſque id genus incendii fomitibus confectus ad incendendas ædes accommodatus. Cicero in

Catilin.

Catilin. *Deſinant malleolos ad incendendam urbem faceſque comparare.*

כות] Sub. כלי inſtrumenta lethalia, *arma mortis. Docet hominem fallacem & circumvenientem amicum ſuum ſub ſpecie ludiera eodem loco habendum eſſe cum homine furioſo. Alii particip. exponunt, qui ſimulat ſe inſanum.

19. כשחק] שחק & צחק riſit. Unde יצחק. Amos *deſtinentur aræ* ישחק. Lxx. γέλωτος. Gen. 21. 9. *Et vidit Sara filium Hagar* מצחק *irridentem.* Quæ irriſio cum perſecutione fuit juncta Gal. 4.

21. Ut carbo appoſitis prunis fovet ignem, & ligna igni &c. ſic homo contentioſus tantum id agit, ut foveat lites.

לחרחר] à חרה vel חרר. Nota Regulam de duplicatis.

22. כמתלהמים] להם hic & 18. 8. tantum exſtat. Junius, *Sicut verba eorum, qui ſæpenumero contuſi ſunt*, ut ſit idem cum הלם. Simulant ſe miſeros, abjectiſſimos, Deum & homines teſtantur &c. Alii, ſicut *contundentium.* Alii, *blandientium.*

Penetralia ventris] Ipſum cor transfigunt.

23. Inimicus ſpeciem officioſi amici præ ſe ferens ſimilis eſt teſtæ obductæ argento. Cor comparatur teſtæ, labia, argento impuro.

Argentum ſcoriarum] Hypal. Scoria argenti vel argentum ſcoriarum, i. e. argentum impurum, ſcoriatum ut ſic dicam.

שפ׳ דלקים] Hi exponunt labia blanda, ardentia igne amoris, ſecundum apparentiam. Alii, Labia ardentia igne contentionis vel perſequentia & cor malum ſunt inſtar teſtæ rei viliſſimæ, obductæ argento impuriſſimo.

24. ינכר] Cognoſcitur, prodit ſe, licet tegat. Alii, *alium ſe præbet*, ſimulat. Atque ita erit doctrina quâ docet Salomo, non temere credendum blandis hominibus, qui longè aliud in corde gerunt. Ita erit ejuſdem ſignificationis cum hitpael. Gen. 42. 7. ויתנכר *& alium ſe ſimulavit erga illos.* Sic 1 Reg. 14.

25. Commendat nobis prudentem ἀπιςίαν.

תאמן בו] *Ne credas in eo.* Id eſt, *ei.* Ita ſemper Junius per Dativum. In Ebraïco conſtruitur cum ל vel ב. In Novo Teſtamento πιςεύειν τῷ Rom. 4. 3. πιςεύειν εἰς, Phil. 1. 29. Joh. 2. 23. Joh. 12. 42. & paſſim. Ἐν, Mar. 1. 15. Ἐπὶ cum accuſat. Rom. 4. 5. Τῷ πιςεύοντι ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα ἀσεβῆ &c. Et 24. Τοῖς πιςεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα &c. Et ἐπὶ cum Dativo. Rom. 9. ult. πᾶς ὁ πιςεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.

26. Odium tegit deceptionem. Alii legunt תכסה, obtegit ſe, obtegitur odium in deceptionem. Id eſt, cujus odium obtegitur in deceptionem. Alii משאון *vaſtitatem, ſolitudinem* exponunt (& tunc erit à שאה, ut & משואות. Alias à נשא) ut ſit Antitheſis inter משאון & קהל. In vaſtitate, id eſt, loco vaſto, clam.

בקהל] Congregatio, tantum hominum. Unde conſtat cur dictus ſit Koheleth. Ἐκκαλεῖσθαι etiam canes dicuntur apud Xenophontem; & oves Joh. 10. 3. Lxx. promiſcuè jam ἐκκλησίαν jam συναγωγὴν vertunt, ut & vocem עדה. Hinc liquet quid judicandum ſit de obſervatione Auguſtini, quam Baronius, Bellarminus & Cathech. Trident. arripuerunt de Eccleſia Veteris Teſtamenti. Vide alibi. Derivatio congregationis à *con* & *grex* diſpaleſcit in voce Græca συνάγω. Deinde novum Teſtamentum ſi inſpiciamus Ebr. 10. & Jacob. 2. Cœtus Chriſtianorum vocatur *Synagoga:* Et conjugata Math. 18. Act. 11. & 20. Et Synaxis. Si Veteris Teſt. fontes, neutra vox ibi comparet, ſi verſiones Græcas & Latinas; infinitis locis vocatur Eccleſia. Deut. 23. Eunuchus, Spurius, Ammonita, Moabita prohibentur venire in *Eccleſiam Dei.* Pſ. 38. *Confitebor tibi in Eccleſia.* Prov. 5. *In medio Eccleſiæ & Synagogæ.* Ebr. בתוך קהל עדה.

27. כרה] Hinc Pſ. 22. כארי. Notanda hæc,

I. Fuiſſe ק & Kethib ab olim. Liquet ex Chald. paraphraſi & Maſſora.

II. Kethib כארו melius eſſe, liquet 1. auctoritate Lxx. Interpretum, Aquilæ, Hieronymi, Vulgatæ, *Foderunt* 2. ex Maſſoritarum annotat. Jeſ. 38. 13.

III. Andrad. & Iſaac ajunt adhuc inveniri codices habentes כארו.

IV. In exemplaribus multis recentioribus ex imperitia & obſtinatione judæorum aliquid admiſſum, dum illud, quod in margine notandum erat, in textu poſuerunt.

V. Myſterium כארי 1230.

יפל] Hinc נפילים q. d. Apoſtatæ. נפל *afvallen*, deficio, 2 Reg. 7. *Cadamus ad caſtra Syrorum.* Vel quaſi *irruptores*, quod cum impetu caderent, irruerent in homines. Vel quaſi *dejectores.* הפיל *vellen*, proſternere.

גלל. Hinc גלגלת cranium, & Synecdochicè, caput. Hinc Golgotha. Hinc מגלה. Luc. 4. πτύξας complicans & ἀναπτύξας expucans. Pſ. 40.

28. *Lingua*] Sub. Vir. Lingua mendax odit attritos ſuos, quos attrivit, tantum abeſt, ut ulla pœnitudo animum ejus ſubeat, vel ut ſtudeat injuriam miſeris illatam beneficiis compenſare.

Os blandum] Sub ſpecie amicitiæ ſtudet eum planè pervertere. Vetus hoc ergo malum eſt, nec heri aut hodie illi nati, οἷς οὔτε βωμός, οὐδὲ πίςις, οὔτε ὅρκος μένει, Qui didicerunt ἐσθλ᾽ ἀγορεύειν, κάκιςα δὲ ἐν φρεσὶ βυσσοδομεύειν, homines duplici corde, qui aliud in lingua, aliud in corde, idque adeo ſubtiliter, ut non antea intelligas proditorem quàm proditus ſis, dum fidem præſtruunt & amicitiam ut cum majori mercede & certo eventu fallant.

Facit] Operatur. Math. 20. 12. Μίαν ὥραν ἐποίησαν.

GROTIUS.

2. *Sicut avis ad alia tranſvolans, & paſſer quolibet vadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperveniet*] Optimè ſic vertetur: *Sicut avis eſt vagari, & hirundinis volare, ſic exſecratio ſine cauſa facta eventum non habebit.* Pari modo ut aves, in ventos abit. Hebræi hoc ad injuſtos ἀναθεματισμοὺς, [*anathematiſmos* ſive *devotiones*] referunt, quos ajunt in caput ἀναθεματιζόντων, [*anathema pronuntiantium*] recidere.

4. *Ne reſpondeas ſtulto*] At ſequitur, *Reſponde ſtulto.* Sic Pythagorici dicebant, Λεωφόρῳ βαδίζειν, [*Viâ Regiâ incedere,*] &, Λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν, [*Viâ Regiâ non incedere.*] Sunt tales ſententiæ ἐναντιοφανεῖς, [*in ſpeciem pugnantes,*] ſed quæ adhibitâ temporum & rerum diſcretione faciliè conciliantur. Vide quæ diximus ad Matth. 12. 30.

8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ità qui tribuit inſipienti honorem*] Acervi tales in quos per ſuperſtitionem viatorum quiſque lapidem mittebat, Græcis dicuntur Ἑρμαῖοι λόφοι, *cumuli Mercuriales,*] ut Homero Odyſſeæ Π. Didymo interprete: Ἑρμαῖα, [*Mercurialia,*] ut Straboni lib. 17. aut Ἑρμακες, quos Scholiaſtes Nicandri interpretatur λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ, [*lapides congeſtos in honorem Mercurii.*] Ac ſicut eæ voces à Græco ſunt nomine, ità à Latino vox Rabbinis eodem ſenſu uſitata מרקולים [*Mercolim* ſeu *Mercurius*] occurrit in Thalmude titulus de Idololatria, & de Synedrio. Anyta in Epigrammate:

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραςείχοντες ἔχευαν
Ἄνθρωποι λᾶϊνον σωρόν.
[*Turba viatorum lapidum me fudit acervum*
Mercurio ſacrum.]

Eſt & in falſis Sibyllinis mentio horum acervorum. Apud Indos & Arabas fuiſſe hunc morem notat Vincentius Bellovacenſis. In America eundem morem obſervat Acoſta.

11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam*] Eandem ſimilitudinem habes 2 Petri cap. 2. 22. ubi vocat ἀληθῆ παροιμίαν, [*verum Proverbium.*]

25. *Quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde ejus*] *Septem*, id eſt, plurimæ, ut ſuprà 16. & 24. 16.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

1. *PRo die craſtino*] Non eſt gloriandum de ea re quæ adhuc futura eſt, cùm multa occurrere poſſunt פגעים *impedimenta* & eventus interrumpentes.

4. *Invidia*] i. e. Furor apertus declinari poteſt, non autem invidia latens.

7. *Deſpicit*] Quidam exponunt תבוס pro תבוז, ſicut nos vertimus; alii pro תרמוס *conculcare.*

8. *Vir recedit de loco ſuo*] h. e. Diſcurrit ut ſe & familiam ſuam nutriat.

9. *Ex animo conſulens*] Alii legunt *propter conſilium animæ*, capientes Mem pro בעבור, ut ſit ſenſus, Dulcis eſt converſatio illa quæ fit causâ animæ.

10. *Domum fratris tui*] Docet multos habendos amicos præter fratres & propinquos.

13. *Tolle veſtimentum*] Scribitur hic verſus quoque ſuprà 20. 16.

14. *Benedicens proximo ſuo*] Quidam ſic exponunt, *Qui ſolùm labiis benedicit proximo ſuo, & non ex corde, imputabitur id benedicenti pro maledictione.* Alii verò ſic interpretantur, *Qui publicè alicui benedicit, non deerunt qui illi maledicent, mala illius revelantes.*

16. *Oleum*

16. *Oleum de dextera ejus*] i. e. Sicut oleum odoriferum abſcondi non poteſt, ſed prodit ſe de manu, quantumlibet illa claudatur, ſic mulier rixoſa compeſci non poteſt. Alli pro *clamabit* legunt *occurret*.

17. *Ferrum ferro acuitur*] Durum duro atteritur, ſed durius minùs durum vincit, ſicut & ignis domat ferrum. Hebræi ponunt decem gradus in rebus duris, vim ſuam gradatim exſerentibus. Scribunt autem ſic, עשרה דברים קשים זו מזו נבראו בעולם. הר קשה ברזל מחתכו. ברזל קשה. אש מפעפעו אש קשה מים מכבין אותו. מים קשים עבים סובלין אותם. עבים קשים רוח מפזרתן. רוח קשה גוף סובלו. גוף קשה פחד שוברו. פחד קשה יין מפיגו. יין קשה שנה מפכחתו. שנה קשה מיתה קשה ממנה וכתיב וצדקה תציל ממות ויש אומרים אף אשה רעה קשה מכולן שנ׳ ומוצא אני מר ממות את האשה. ¶ *Vir acuit faciem*] Quidam exponunt de mutua in ſpeculativis ſcientiis exercitatione. Alii intelligunt per *faciem* iram: ut ſit ſenſus, *Vir iracundus atteritur à viro iracundo.*

19. *Sicut aquæ*] Chald. *Sicut aqua & ſicut vultus non ſunt ſimiles, unus alteri, ſic cor unius non eſt ſimile cordi alterius.* Aben-Ezra ſic exponit, *Sicut aquæ aquis augentur, ità furor furore creſcit, & cor odio proximi intumeſcit.* Alii ſic exponunt, *Sicut aqua aut ſpeculum intuentis vultum oſtendunt, ità amicus amico cor manifeſtat.*

20. *Infernus & perditio*] Hebræi per *infernum* intelligunt ſepulcrum, & per *perditionem* Gehennam.

21. *Conflatorium*] Capitur hìc כצרף pro *vaſe in quo repurgatur argentum.* Similitudo aperta eſt.

23. *Cognoſcas faciem pecoris*] Docet ut ipſi res noſtras curemus, & ſic cor illis applicemus ut cogitemus nos illis perpetuò uti non poſſe, ſed omnia veluti fœnum marceſcunt, & nos cum illis deficimus, etiamſi ſummum & Regale apprehenderimus faſtigium. Docet & victu atque amictu, qui ex pecoribus colliguntur, nos contentos debere eſſe. Hæc enim antiquorum fuerunt divitiæ, quæ domi acquiruntur; & propter eas non oportet tranſire maria aut varias peragrare terras.

VATABLUS.

1. D*Ies* יום] Sub. *in qua es.*

3. *Gravitas eſt ſaxo* כובד אבן ונטל החול] Ad verb. *Gravitas lapidis, & pondus arenæ,* pro *Gravis eſt lapis, & ponderoſa arena.* Vel, *Gravitas competit lapidi, & pondus ipſi arenæ.*

4. *Crudelitas*, &c. אכזריות חמה וגו'] *Crudelitas* competit *iræ, & inundatio* competit *iracundiæ.* Aut, *Crudelis eſt ira, & impetuoſa iracundia.*

6. *Fidelia* נאמנים] *Fortia. Bona.* ¶ *Et dulcia* ונעתרות] *Et denſa, ſpiſſa, fortia, frequentia.* Vel potiùs, *in ſpeciem bona.*

7. *Calcat favum* תבוס נפת] i. e. Deſpicit & ſpernit dulcia quæque.

8. *Vagatur* נודדת] *Demigrat*, aut, *elongat ſe:* i. e. relinquit nidum, ut ſibi paret cibum.

9. *Si dulcedo*, &c. ומתק רעהו וגו'] Ad verb. *& dulce* conſilium *amici ſui* [relativum pro antecedente *hominis*] *magis* exhilarat mentem hominis *quàm conſilium animæ*, ſub. *propriè*, i. e. quàm conſilium proprium. Quidam vertunt, *Habere amicum ex animo conſulentem; res dulciſſima eſt.*

11. *Et reſpondebo*, &c. ואשיבה חורפי דבר] *Ut reſpondeam aliquid* ei qui *mihi fecerit convitium.*

12. *Callidus*, &c. ערום ראה רעה] Vide ſuprà 22. 3.

13. *Tolle*, &c. קח וגו'] Eundem verſum habes & ſuprà 20. 16.

14. *Maledictio*, &c. קללה תחשב לו] i. e. Talis commendatio intempeſtiva perinde habebitur ac maledictio.

16. *Et* ut *unguentum*, &c. ושמן ימינו יקרא] *Et* recondit in *dextera ſua oleum* quod *clamabit:* i. e. quod ſeſe odore ſuo velut clamore prodet. Perſtat in Metaphora Mulieris cùm dicit *clamabit.*

17. *Ferrum ferro* ברזל בברזל] *Enſis enſe.* Hebræi materiam pro re quæ ex materia fit accipiunt; ut *ferrum* pro *enſe.* ¶ *Faciem* פני] *Iram:* i. e. irritat iram amici cum quo contendit: q. d. Iracundus atteritur à viro iracundo.

18. *Qui cuſtodit ficum* נוצר תאנה] i. e. Qui poſſeſſiones ſuas conſervat.

19. *Sicut in aqua*, &c. כמים הפנים וגו'] Ad verb. *Ut aquarum facies ad facies; ſic cor hominis ad homines.* Quidam ſic intelligunt, *Ut facies in aqua reſplendens fallit, ità inter ſe corda hominum.* Alii ſic, *Ut eadem aqua diverſas reddit facies, ſic alia aliorum hominum ſunt corda.* Alii vertunt, *Sicut in ipſa aqua vultus vultui* reſpondet, *ità cor hominis* cordi *hominis:* i. e. Sicut cor unius hominis eſt ad malum, ità & omnium aliorum corda: ſimilia enim ſunt.

21. Ut *conflatorium*, &c. כצרף לכסף וגו'] Hanc eandem verſûs partem habes ſuprà 17. 3. Quidam totum verſum ſic reddunt, *Conflatorium* paratur *argento* purgando, *& fornax auro: & unicuique rei pro ſua laude*, vel, *dignitate:* q. d. Unaquæque res pro ſua dignitate purgatur à re vitioſa.

22. *Triticorum contuſorum* הריפות בעלי] i. e. Granorum tritici contuſi. Alii, *leguminum contuſorum.*

23. *Pone cor tuum* שית לבך] *Appone mentem tuam*, vel *animum tuum.*

24. *Corona* נזר] *Corona*, ſub. *regia.* Quidam interpretantur *gloriam.*

25. *Prodit* גלה] Præt. Heb. pro præſ. Subaudiendum autem *Deo jubente.* Nam docet omnia originem habere à Deo. Ad verb. *Apparuit. Detectum eſt*, ſive *Diſcoopertum.* Docti inter Hebræos ſic hunc locum intelligunt acſi dicat Salomon, *Præpara gregibus tuis eſcam in domo; quia non invenitur omni tempore paſcuum in agris: accidit enim interdum ut ſiccetur herba.* Et hoc eſt quod dicit, *Apparet herba:* quamvis germen appareat, aliquando tamen herbæ montium deficiunt. ¶ *Et colliguntur* ונאספו] *Et demetuntur*, aut *reconduntur.* Significat etiam *deficium.*

26. *Et pretium*, &c. ומחיר וגו'] i. e. Venduntur hirci, & ex pecuniis ſervos comparabis qui colent agrum tuum.

27. *Et ſufficientia lactis* ודי חלב] *Et copia lactis.* Alii, *Et ſufficiat lac.*

CASTALIO.

8. Q*Ualis avicula quæ ex nido, talis eſt homo qui ex loco ſuo migrat*] Domi manendum.

10. *Tuum aut tui patris amicum nè deſere, & tui fratris domum nè adito tuo periculoſo tempore*] Nè ſint tibi adeundi longinqui fratres, habeto propinquos amicos.

14. *Qui alteri clarâ voce bene precatur*, &c.] Hoc aſſentatoris eſt.

16. *Clamaturum in dextera ſua unguentum*] Mulier ſe clamore patefacit, ſicut unguentum odore, ſi in manu ſit.

17. *Ut ferrum ferro, ſic homines alii aliis conjunguntur*] Arctiſſima amicitiæ conjunctio.

19. *Ut aqua vultum vultui, ſic mens hominem homini*] Ut in aqua cernis quale ſit tuum corpus, ſic in conſideranda tua mente intelliges qualis homo ſis.

21. *Argentum cote, aurum fornace, homo ſui laudatoris ore*] Scilicet exploratur.

24. *Non enim ſemper opes*, &c.] Cæteræ divitiæ conſumuntur ævo, ſed pecora & herbæ prole perpetuantur. ¶ *Corona*] Regnum.

CLARIUS.

1. N*E glorieris in craſtinum*] Non eſt gloriandum de ea re quæ adhuc futura eſt, cùm multa incidere poſſint impedimenta; juxta illud, *Inter os & offam.*

4. *Impetum invidiæ*] i. e. Furor apertus declinari poteſt, non autem invidia latens. Crudelitas, inquit, ineſt furori, & inundatio quædam iræ; *ſed coram invidia quis poterit ſtare?*

6. *Meliora ſunt*] Heb. *Bona* (vel *fidelia*) *ſunt vulnera diligentis, & dura* (vel *ſuperflua*) *oſcula inimici*, h. e. abominanda, ut nimium videatur exiguum quicque.

8. *Qui derelinquit locum ſuum*] Diſcurrens ſcilicet ut ſe ac familiam ſuam nutriat.

10. *Domum fratris tui*] Docet multos habendos amicos præter fratres & propinquos.

16 *Oleum dexteræ*] Sicut enim oleum odoriferum abſcondi non poteſt, ſed prodit ſe de manu, quantumlibet illa claudatur, ſic mulier rixoſa compeſci non poteſt.

19. *Quomodo in aquis*] Alius vertit, *Sicut aqua, & facies ad faciem, ſic eſt cor hominis ad hominem.* Chald. *Sicut aqua, & ſicut vultus non ſunt ſimiles alter alteri; ſic cor unius non eſt ſimile cordi alterius.* Alii aliter exponunt.

20. *Infernus & perditio*] Per *infernum* Hebræi intelligunt ſepulcrum, & per *perditionem* Gehennam.

23. *Agnoſce vultum pecoris tui*] Docet ut ipſi res noſtras curemus, & ſic cor illis applicemus ut cogitemus nos illis perpetuò uti non poſſe, ſed omnia veluti fœnum marceſcere, & nos cum illis deficere, etiam ſi Regnum aſſecuti fuerimus ſummumque faſtigium. Docet & victu atque amictu, qui ex pecoribus colliguntur, nos contentos eſſe debere: Nam hæ antiquorum fuere divitiæ, quæ domi acquiruntur, & propter eas non oportet tranſire maria, aut terras varias peragrare.

R. BAYNUS.

1, 2. NE *glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*] Per *craſtinum diem* futurum tempus intelligimus, quo cùm ſit incertum quid acturi ſimus, *gloriari* de his quæ facturi ſumus prohibemur: & de operibus virtutum ſive quibuſcunque artium muneribus & functionibus videtur intelligendum. Et Jacobus ex hoc loco transtulit (ni fallor) quod ſcribit cap. 4. *Hodie aut craſtinò ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino: quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens & deinceps exterminabitur.* Cùm ob brevitatem, tum ob incertitudinem humanæ vitæ, nemo debet *gloriari*, neque ſe jactare de iis quæ facturus eſt, imò in præſenti bene vivendum eſt, in præſenti agenda eſt pœnitentia pro peccatis: hodie ſurgendum à ſomno peccati, *hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, Rom. 13. Hodie properandum eſt *in occurſum ſponſi, propterea quòd neſcimus neque diem neque horam.* ¶ *Neſciens quid paritura ſit dies*] Longiùs petitâ metaphorâ, ſed elegantiſſimâ, tempori tribuit partum: ſic Paulus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*: tempori videlicet adſcribens ea quæ fiunt in tempore. Non eſt diſſimile & quod eſt in Euangelio, *Nolite eſſe ſoliciti in craſtinum.* Utrobique monemur fragilitatis humanæ, quæ de futuro nec cruciari debet, nec jactare ſeſe: nam qualis es, non qualis tuâ opinione futurus es, apud Deum judicatis, h. e. ſecundùm præſentem juſtitiam. Sed (inquis) gloriabor & oſtentabo me de juſtitia quam nunc facio: minimè: ¶ *Laudet te alienus*] Sordeſcit enim laus in ore proprio. Verti poteſt per futurum: & erit ſenſus, Non eſt quòd de laudo & gloria ſis ſolicitus: tantùm ſtudiosè ſecundùm præſcriptum ſapientiæ vivito, & non deerunt qui laudes tuas celebrent: qui tibi ſunt extranei & alieniſſimi cogentur vel inviti famam decantare tuam. Ut umbram corpus, ſic virtutem quocunque in loco apud quaſcunque gentes gloria ſequitur: tantùm ſtude in præſenti bene vivere, & laude non carebis. Ut de futura actione non es ſecurus, itá neque gloriam de eo quod facturus es expetere debes.

3. *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti utroque eſt gravior*] *Stultus*, h. e. malus, & a ſapientia alienus, iraſcitur cum iis quibus ſua ſtultitia diſplicet, qui illius ſtultitiam vituperant: ſi de ſtultitia ſua laudem non reportaverit, iraſcitur: quod omnino eſt intolerabile. *Lapis* cui magna eſt gravitas, & *arena* cui pondus ingens, portari poſſunt, de loco in locum transferri poſſunt; vel viribus humanis vel ingenio, omnia quamlibèt ponderoſa transferri poſſunt, verùm *ira ſtulti* non poteſt ferri. Aliter, intelligimus *iram ſtulti* ſapientibus eſſe onus intolerabile, vel *iram ſtulti* non poſſe amoveri ab homine ſtulto; vel denique ſtultum hominem non poſſe ſuam iram nec ferre nec moderari. Lectoris judicium eſto. Juxta poſtremam intelligentiam exemplum habemus ex Nabal, qui ſtultâ indignatione mortuus eſt.

4. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Heb. *Crudelitas eſt in furore, ut impetus eſt in ira, & quis ſtabit coram invidia?*]

> *Invidiâ Siculi non invenere tyranni*
> *Majus tormentum.* ——

Invidus eſt qui marceſcit opimis rebus alienis. Olim admodum crudelis fuit Synagogæ furor adversùs Eccleſiam, tyrannorum impetus maximâ irâ ſuccenſus, quibus malis non ſolùm reſtitit, ſed crevit fides Catholica: hæreticorum verò invidiam majore difficultate ſuſtinuit, ut putà quà multæ florentiſſimæ regiones ab Eccleſiæ gremio ſunt avulſæ. Alioqui juxta ſenſum hiſtoricum, facilius eſt ferre irram ſtulti, quamvis vel crudelitate vel *impetu* & violentiâ gravis, quàm invidiam quæ finem non novit neque modum: q. d. expletâ crudelitate ſuâ ſedatur ira, & *impetu* ſive inundatione furoris tranſeunte, paulatim refrigeratur. Sed invidia nec ſanguine quidem aut morte unquam expletur aut placatur. Oſtendit proverbium Invidiam magis eſſe alienam à ſapientia quàm *iram ſtulti*, quæ vel *lapidem* vel *arenam* gravitate ſuperat.

5, 6. *Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Heb. *Fidelia ſunt vulnera dilegentis, & importuna oſcula odio habentis*] Quàm ingens malum invidia ſit, ex amoris magnitudine ſatis apparet, cujus tanta virtus eſt ut omnia efficiat amœna: quicquid enim facit amor, gratum eſt & utile, quantumvis alioqui moleſtum ſit quod agitur: contrà, quæ ſunt amœniſſima, ſi ex invidia procedant, ſunt moleſta. Quid enim moleſtius juvenibus quàm *corripi* & caſtigari? & quid dulcius quàm *oſculis* & amplexibus recipi? tamen *oſcula habentis odio* dura ſunt & gravia. Cujuſmodi erat Judæ, qui filium hominis oſculo tradidit. Cujuſmodi erat Joab, qui dixit ad Ammaſam, 2 Reg. 20. *Salve mi frater, & tenens manu dextrâ mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, percuſſit in latere, & effudit inteſtina ejus in terram.* Contrà, *vulnera amantis ſunt fidelia*: h. e. qui amat corrigendo vel caſtigando quamlibèt duriter, ut vel *vulnera* videatur infligere, tamen fidere & te committere illi poteris. Chaldæus באכנים *fidelia*, interpretatur *pulcra*: vel, *placida ſunt magis vulnera amantis*, cujus omnia placent, *quàm oſcula habentis odio*, cujus nihil placet. Quòd ad ſenſum prioris verſiculi ſpectat, *Melior eſt manifeſta correptio*] h. e. Plus proderit, quàm ſic indulgenter diligere ut admonere non audeas. Aben-Hezra hunc ſenſum efficit, nempe ut conferatur correptio manifeſta cum correptione occulta, & aſſerit illam eſſe meliorem, ſi modò utraque ab amore procedat: efficaciorem eſſe manifeſtam: & locus non eſt diſſimilis illi ex Euangelio Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum*, &c. Conſtat correptionem in propatulo & teſtibus præſentibus factam longè eſſe duriorem quàm illa quæ ſecretò fit, ſed minùs eſt nonnunquam efficax. A patre & à charis amicis omnia ſuſtinere, ſive verba ſive plagas, cùm ex amore proficiſcantur, debent juvenes, ſi velint aliquando ad ſapientiam pervenire.

7. *Anima ſaturata calcabit favum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet*] Docet proverbium quæ ſunt in hac vita, pro deſiderio & appetitu humano æſtimari, quemadmodum quotidianâ diſcimus experientiâ, rerum omnium eſſe ſatietatem. Melle nihil eſt dulcius, præſertim recente adhuc in favis, & tamen qui jam ſatur eſt minimè curat favum. *Calcabit* dixit hyperbolicè, pro *rejicit faſtidit.* Per *ſaturum* & *famelicum*, cujuſque rei deſiderium & ſaturitatem intelligimus. Quemadmodum deſiderium cibi, quod omnium eſt maximè naturale, ut puta ſine quo vivere non poſſumus, fines ſuos habet, & ſuis limitibus coërcetur, neque in immenſum progreditur: itá pecuniæ, honoris, & aliorum id genus bonorum corruptibilium modum ponere, juxta naturæ neceſſitatem, hoc in loco docemur; & neque creaturas Dei contemnere, quas ad ſuſtentationem hujus vitæ nobis largitus eſt Deus, neque res caducas & hujus vitæ voluptates (quæ re verà ſunt amaræ iis qui cœleſti ſapientiâ ſunt imbuti) virtutibus animæ & rebus cœleſtibus anteponere, h. e. amarum pro dulci appetere, cùm quis inſatiabili fame terrenarum rerum laborat.

8. *Sicut avis tranſmigrans de nido ſuo ſic vir qui relinquit locum ſuum.* Heb. *Sicut avis vagatur* (vel *aufugit*) *de nido ſuo, ſic vir vagatur de loco*] *Avis vagatur de nido*, relictis pullis, ut cibum quærat: & *vir* ſimiliter ad acquirendum quæ vitæ ſunt neceſſaria, relictis parentibus & charis amicis, juxta illud quod ſcribitur, Job. 5. *Ut avis ad volandum ſic homo ad laborem natus eſt.* Et ſenſus pendet ex priore clauſula, quâ dictum eſt, *Anima eſuriens amarum habet pro dulci*; id quod nè fiat, & nè quis ad tantam redigatur indigentiam, hortatur ut avicularum exemplo relictis ædibus & familiâ paternâ, potiùs victum quærat inter ignotos, quàm inter ſuos domi otio torpeſcat, & fame laboret. Proverbium nos admonet peregrinationis noſtræ quam agimus ſuper terram, quòd *civitatem manendi non habeamus*, neque victum ſine labore. Et proinde ut *anima ſaturata quæ favum conculcat*, h. e. dives cui nihil deeſt, gloriari non debet, ignorans quid dies craſtina paritura ſit, & incertus ſi de loco migrare debeat: ſic anima eſuriens conſolationem accipiat, ſciens nihil ſibi defuturum ſi ſtudiosè victum quærat avicularum more, quæ manè egrediuntur de nido, & dum huc atque illuc vagantur, Deus paſcit illas. *Vir qui vagatur de loco ſuo* eſt *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen* Chriſti. Matth. 19.

9. *Unguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.* Heb. *Unguentum & ſuffimentum lætificabit cor, & dulcis eſt amicus magis quàm conſilium animæ*] Sunt quædam ſupplenda ad ſenſum perfectum, ad hunc modum; *Et dulcedo conſilii amici ſui*, ſupple *lætificabit hominem, magis quàm conſilium animæ ſuæ*: h. e. quàm conſilium proprium. Metaphoricè dixit *ſuavitas conſilii*, ſive *dulce conſilium*, pro fideli & amico. Magna delectatio ſumitur ex rebus odoriferis, & unguento quod extrinſecùs applicatur corpori, major quàm ex vino vel eſculentis, quæ in ipſa viſcera trajiciuntur, quòd cæteræ voluptates ſtatim evaneſcunt; ex unguento autem & ſuffitu quàm diutiſſimè durat gratus odor, qui ſubinde lætificat animam. Haud aliter conſilium quod quiſque ſibi capit in rebus agendis, non tantum placet, neque ferè tam utile eſt, ut illud quod ex fido capit amico: nos affectibus obnoxii cæcutimus, neque ra-

tionem

Digitized by Google

tionem liberè poſſumus deducere in iis rebus quæ ad nos propiùs ſpectant. Conſilium fidelis amici ſemper recens & ſuave magnam amœnitatem afferr, præſertim talium amicorum de quibus ſcriptum eſt, *Chriſti bonus odor ſumus*, 2. Cor. 3. quorum conſilium *fidelibus eſt odor vitæ in vitam*, *infidelibus verò odor mortis in mortem.*

10. *Amicum tuum & amicum patris tui nè dimiſeris & domum fratris tui nè ingrediaris in die afflictionis tuæ* (vel *contritionis. Melior eſt vicinus juxtà, quàm frater procul*] In Heb. eſt unus verſiculus qui docet cujus potiſſimùm amici conſilium ſequi debeamus, & quas vices amico rependere. *Amicum tuum & amicum patris tui*] Apud alium ſapientem ſimile aliquid legimus, Eccleſ. 9. *Nè derelinquas amicum antiquum: vinum novum, amicus novus, veteraſcit, & cum ſuavitate bibes illud.* Hic eſt cujus experimentum habes, qui & patri tuo & tibi fidelis inventus eſt. Nam neque utile neque honeſtum eſt ſæpe mutare amicos, pluribus autem familiariter uti vix poſſumus. Et proinde egregium ſapientiæ præceptum, nè quis derelinquat amicum cordatum, qui & nobis & majoribus noſtris benevolentiam & fidelitatem oſtenderit: illius conſilio veluti fragrantiâ odoramentorum lætificabitur cor. Ex quo igitur jucundam ſuavitatem acceperis, cave nè moleſtiam inferas, juxta id quod ſequitur; ¶ *Et domum fratris tui nè ingrediaris in tempore contritionis tuæ*] Vel *fratrem* vel charum intelligimus *amicum*, quem fratris loco habemus, ut putà & noſter & paternus amicus; quem nimiùm moleſtare à ſapientia eſt alienum. In rebus quæ ſub deliberationem cadunt dulce eſt conſilium amici; rebus verò deſperatis, & ad extremam miſeriam delatis, conſilii locus eſſe non poteſt. Et proinde noli tuo ſeu fratri ſeu amico nimiùm eſſe moleſtus, *in die afflictionis tuæ*, illius ædes ingreſſus, & illius oculis tuam miſeriam ingerens, & pro jucunditate quam ab illo ſoles accipere triſtitiam rependere. Alii volunt referre hæc verba, *Nè ingrediaris domum fratris tui*, ad ſequentem clauſulam, nempe *melior eſt vicinus propinquus*: & ſenſus erit hujuſmodi, In magna afflictione non adibis domum fratris tui, ſed amici vicini. q. d. Poteris amico magis fidere quàm fratri, ut ſuperiùs legimus, *Fratres omnes pauperis oderunt eum.* Et *vicinum* qui *propè* eſt intelligimus non tam loco quàm amore propinquum & affectu: quamvis locus & quotidiana amicorum officia plurimùm juvant ad neceſſitatem contrahendam. Denique proverbium non eſt diverſum ab illo Heſiodi,

> *Τὸν Φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.*
> *Τόνδε μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.*
> *Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,*
> *Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.*

11. *Stude ſapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum, ut poſſis exprobranti reſpondere verbum.* Heb. *Sapiens eſto, fili mi, & lætifica cor meum, & reſpondebo iis qui probris me afficiunt verbum*] Quantæ lætitiæ patri ſit filius ſapiens, non ſemel dictum eſt. Hoc in loco & lætitiam & honorem ex ſapienti filio capere patrem oſtendit, & ignominiam ex ſtulto: & interim documentum juvenibus datur ut ſapientiam amplectantur, ſtultitiam & inſaniam juvenilem deponant, ſcientes hàc re nihil charius eſſe poſſe parentibus. ¶ *Reſpondebo exprobrantibus*] His *qui te probro afficiunt*, quòd ſapientiæ paternæ & virtutibus non reſpondeas: vel his *qui me probro afficiunt*, quòd filios non rectè noverim educare & inſtituere. Aliter, *Eſto ſapiens, fili mi*, ut ex tua ſapientia, duplex commodum accipiam. Magnam videlicet cordis lætitiam & à calumniis defenſionem. Per te enim & tuam ſapientiam reſpondebo calumniatoribus qui me volunt vel damno vel opprobrio afficere. *Reſpondebo verbum*, h. e. rationem reddam per tuam ſapientiam, q. d. Patri jam ad ſenium vergenti æquum eſt ut filius adſit, & in rebus agendis opem ferat.

12. *Aſtutus videns malum, abſconditus eſt: parvuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia*, vel, *puniti ſunt*] Prævidere mala quæ ſolent accidere in civitate, famis videlicet vel gladii, aut quodcunque genus miſeriæ & afflictionis, prudentis eſt, & hominis experti ac ſagacis: qui ex his quæ fiunt, vel populi vel principum ſtultitiâ, colligere quodammodo & divinare ſolet quæ futura ſunt. פתאים, qui *ſimplices* ſunt vel *imperiti* (quæ vox ferè in malam partem accipitur) temporum vices diſtinguere nequeunt, neque mala prævidere priuſquam veniant, hi in magnas nonnûnquam calamitates incidunt. Verſiculus quadrat cum eo quod ſcriptum eſt ſuperiùs, *Stultus tranſilit & confidit.* Verè ſapiens & *aſtutus* dici poteſt qui videt quanta tormenta parata ſint peccatoribus, & ſeſe abſcondit in foraminibus petræ, dexterâ Dei protectus, *donec tranſeat gloria Domini*, Exod. 33.

13, 14. *Tolle veſtimentum ejus qui ſpopondit pro extraneo, & pro alienis auſer ei pignus.* Heb. *Tolle veſtimentum ejus, quia fidejuſſit pro extraneo, & pro extranea pignus ejus. Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens maledicenti ſimilis eſt.* Heb. *Maledictio reputabitur ei*] Hos duos verſiculos connectit Aben-Hezra ad hunc modum, ut idem intelligas, *qui ſpopondit pro extraneo*, & qui miris ac publicis laudibus amicum ſuum extollit, quaſi blanditiis cuperet placare eum qui veſtem ſuam aufert in pignus. De prudentia quam habere debet vir ſapiens in contractibus cum alienis, ſuperiùs multa dicta ſunt, partim cap. 6. partim 17. hujus. Quod ad præſentem locum ſpectat ambiguum eſt apud Hebræos, & verti poteſt, *Cape veſtem ejus quando fidejubet extraneus*, vel *ab eo qui fidejubet pro extraneo.* Poſteriorem verſionem ſequuntur ferè Interpretes. Vult Sapiens ſuum filium eſſe ſecurum in contractibus, & potiùs *veſtem ſponſoris accipere*, ſi pignus aliud non præbeat, potiùs, inquam, quàm lites ſequi. Aliter, *alienus* eſt infidelis, & diverſæ religionis cultor, cui non oportet fidere: quòd ſi quis imprudens pro infideli ſuam fidem velit interponere, neque is fide dignus eſt: quare ab eo potiùs *veſtem capere*, vel quicquid habet ſuis uſibus maximè neceſſarium, quàm ei fidere qui apud extraneum ſuam collocavit fidem. *Veſtis* cultus eſt externus & ritus, qui ab idololatris punitus detrahendus eſt cùm ad fidem accedunt: vel fucata Judæorum ſuperſtitio, quam deponant oportet ut nudi ad Chriſtum perveniant. Superiùs per *veſtem* carnem & exteriorem hominem voluimus intelligere, qui ſpoliandus eſt cum actibus ſuis ab his qui renunciarunt mundo & pompis ejus. ¶ *Qui benedicit proximo ſuo voce magnâ*] Superius de fido dictum eſt amico, cujus conſilium eſt admodum amœnum: hic de fucato, qui ſic laudat amicum ut præſtiterit vituperari. Nam tempus & locum habent omnia. Coràm & in os laudare, non amicorum ſed paraſitorum eſt. Tempus matutinum non humanis ſed Divinis laudibus dicatum eſt. Senſus eſt igitur duplex hujus loci, *maledictio reputabitur ei qui magis & prius*, h. e. magis ſtudet humanis quàm Divinis laudibus, & magis ſedulò verſatur in gratiarum actione de beneficiis quæ ab hominibus accepit, quam de his quæ accepit à Deo. Aliter, *Maledicto reputabitur, & vituperium adulatio amicorum importuna*; quæ duntaxat oſtentationem habet fucatæ amicitiæ, cùm reliqua non reſpondeant officia. Per *vocem magnam* amicum ore tenus intelligimus, qui multa promittit & pauca præſtat. *Manè ſurgens*, h. e. intempeſtivus, qui non ſervat circumſtantias illas, in omnium virtutum officiis neceſſarias, nempe quando oportet, & quantum oportet, &c.

15. *Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparatur.* Heb. *Stillatio aſſidua in die pluvia, & mulier litigioſa æqualis eſt*] h. e. Utrumque perinde moleſtum eſt. In tempore pluviæ qui in ædibus habet diſtillationem continuam, neque domi commodè, neque foris poteſt manere: ſic qui uxorem habet in ædibus ſecum litigantem ſimilem habet moleſtiam. Superiùs cap. 19. habes hunc verſiculum copioſiùs explicatum.

16. *Qui retinet eam, quaſi qui ventum retineat, & oleum dextera ſua evacuet.* Heb. *Qui abſcondit eam, abſcondit ventum, & oleum dexteræ ſuæ vocabit*] Duabus ſimilitudinibus, alterâ clarâ, alterâ obſcurâ, oſtendit pejorem conditionem eſſe illius qui mulierem ſive uxorem habet litigioſam, quàm illius qui habet perpetuam in ædibus diſtillationem in tempore pluviæ: quòd illius mali nullum poſſit adhiberi remedium. Nam qui mulierem clamoſam & litigioſam conatur cohibere, aut illi ſilentium imponere, perinde facit ac ſi quis velit *ventum* occultare & *retinere*, qui per rimas erumpit. Sicut rixæ malæ uxoris non poſſunt infra parietes occultari, ſed foràs diffunditur clamor; ſic ſi quis oleum myrrhæ in dextera ſua tenere velit. In Heb. *clamabit oleum* metaphoricè dixit, pro fragrantiam ſuam foras emittet, oſtendens odore quid in dextera habeas occultatum. Sic mulier in ædibus incluſa latere non vult; clamoribus toti vicinio manifeſtans rixas quas domi cum marito excitat. *Clamabit* ad *oleum* refert, alludens ad mulieris jurgia. Sunt qui primam ſimilitudinem de vento transferant ad mulierem litigioſam & adulteram, quam maritus non poteſt retinere domi, non magis quàm ventum palmâ includere.

17. *Ferrum ferro acuitur, & homo acuit faciem amici ſui*] Per *ferrum*, enſem benè intelligunt aliqui, ſeu quodcunque inſtrumentum ex ferro. Et remedium præbet proverbium contra mulierem rixoſam quæ abſcondi non poteſt, neque vult tacere: nempe dare locum iræ, & molliter reſpondere. Nam *reſponſio mollis frangit iram*, Sap. 15. alioqui unius ira alterius indignatione ſuccenditur, ut ferrum quod durum eſt acumen accipit ex ferro. Sunt qui non ad iracundiam ſolùm referunt, ſed ad alios quoſcunque motus ſeu affectiones: & erit ſenſus in bonam partem, Sicut *ferrum ferro acuitur*, ſic *vir exacuet* & incitabit *faciem proximi ſui* ad ſapientiam, ſeu ad ſtultitiam: fa-

cilè enim induunt juvenes mores eorum quibuſcum vivunt, & quorum exempla vident.

18. *Qui ſervat ficum, comedet fructus ejus: & qui cuſtos eſt domini ſui glorificabitur*] *Ficui* contulit *dominum* ſive herum alicujus ſervi potiùs quàm aliis arboribus, partim ob ſuavitatem fructûs, partim ob novitatem & viciſſitudinem: non enim ut aliarum arborum unà matureſcunt fici, ſed maturis decerptis ſubinde renaſcuntur aliæ recentiores: & ſubaudimus, *qui ſervat ficum*, recentes *fructus illius* ſubinde *comedit*; ſic *qui ſervat dominum*, h. e. obtemperat domino, neque *exacuit faciem illius*, ut *ferrum ferro acuitur*, h. e. provocat ad iram, ſubinde novos & novos honores ab eo conſequetur. *Servat dominum*, h. e. præcepta & voluntatem domini: Non qui ſervat ficum legis Moſaicæ, quæ *folia tantum habebat* non fructus, Matth. 21. ſed illam diu ſterilem, *circa cujus radices ſtercora miſit agricola*, Luc. 13. ut mortificata quòd debitâ culturâ eſſet deſtituta, foſſione, & ſtercoratione h. e. humilitate confeſſionis propriæ fragilitatis, reviviſcat, & ſuaviſſimos fructus ſpiritûs adferat: de quibus Paulus, Galat. 5. *Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas*, &c.

19. *Quemadmodum in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Heb. *Sicut aqua facies ad faciem, ſic cor hominis ad hominem*] Interpres de ſuo addens hanc vocem Latinam *prudentibus*, ſenſum unum manifeſtavit; nempe ſapientes facillimè decernere mores & ingenia hominum, & clarè de illis judicare. Aben-Hezra longè alium ſenſum eſt aſſecutus, juxta veritatem Hebræam; ſed multa ſupplendo ad hunc modum, *Sicut aqua creſcunt ſupervenientibus aquis, & facies per facies*, h. e. ira unius creſcit per iram alterius, ut dictum eſt; *ſic etiam cor hominis repletur malo, propter cor alterius hominis qui eum odio proſequitur.* Sic ille. Levi verò ſequitur ſenſum non multùm alienum ab eo quem reddit noſter Interpres, nempe, *Quemadmodum in aquis vultus hominis relucet, ut videatur facies in aqua reſpondere faciei hominis qui in aquam intuetur; ſic cor hominis ad hominem*, h. e. homo ſeipſum intuebitur reverſus ad cor ſuum, quod homini eſt pro ſpeculo, ſive pro aqua limpida quâ ſeipſum intuetur, ut ait Paulus 1 Cor. 2. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Alioqui varius eſt hujus loci ſenſus, & variis modis ſimilitudinem deflectunt Interpretes in commentariis Hebr. Alii ſic, *Ut aqua una reddit diverſas facies hominum, ſic alia ſunt diverſorum hominum corda*: vel, *Ut aqua repræſentat vultum quem in ſe non habet, atque ità fallit imprudentes & pueros, qui omnino putant eſſe vultum hominis in aqua; ſic cor unius hominis amicitiam diſſimulans & præ ſe ferens quam in ſe non habet, hominem fallit.* Aliter, *Ut in aqua facies reſpondet faciei; ſic cor hominis unius reſpondet cordi alterius*: h. e. pravum eſt cor uniuſcujuſque hominis & inſcrutabile, priuſquam gratiâ illuminetur.

20. *Infernus & perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles*] שאול *infernus*, vel potiùs *ſepulcrum*, juxta Heb. qui *gehennam* intelligunt ſub hac voce, אבדון *perditio*: quæ duæ res, ut nunquam ſatiantur, ità neque oculi hominum rebus terrenis. *Inſatiabilem* cordis appetitum tranſtulit ad *oculos*, eò quòd oculi potiſſimùm ad ſenſum internum rerum ſimulacra tranſportant. Quadrat ſenſus cum eo quod ſcribitur, *Infernus & perditio coram Domino, quantò magis corda filiorum hominum?* Quamvis utrumque inſatiabile & inſcrutabile, tamen Dominum latere non poſſunt: & pendet ex priore verſiculo, juxta Aben-Hezra. Pœnas minatus his, quorum corda ſunt mala, *ſepulcri* & *perditionis* facit mentionem, ut cupiditatibus mundanis modum aliquando ponamus, nè inſatiabiles cordis oculi ab inferno inſatiabili abſorbeantur.

21, 22. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis. Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus.* Heb. *Si contuderis ſtultum in mortario, in medio tritici contuſi cum piſtillo non recedet ab eo ſtultitia ejus*] Docet ſtultos homines eſſe incorrigibiles, & aliis rebus eſſe inſtrumenta quibus purgari poſſint, ut *argentum conflatorio*, & *aurum fornace* purgantur. Et unumquemque virum purgat ſive probat os laudantis eum: q. d. Laus quæ tribuitur homini, purgat eum à crimine, ſaltem judicio & teſtimonio illius qui laudat, ſicut conflatorium purgat argentum à ſcoria. Alii איש non pro *viro*, ſed pro re qualibet accipiunt: ſic res quælibet purgatur *juxta laudem ſuam*, h. e. diſpoſitionem & facultatem laudabilem. Sed hi ſenſum Proverbii tollunt: utcunque, obſervandum eſt vocem Hebræam מהללו participium non eſſe, ut Interpres vertit, ſed nomen verbale, juxta D. Kimhi in libro Radicum. A quo miror diſſentire Sanctem Pagninum, qui & ipſe vertit *os laudantis*, quamvis in ſuo Theſauro rectiùs, nempe *vir juxta laudem ſuam.* Autor verò Tigurinæ verſionis imperitiam ſuam in Hebræa grammatica paſſim oſtendit. ¶ *Si contuderis ſtultum in pila*] Vox Hebræa במכתש à *contundendo* dicitur, ſignificans *mortarium*, ſeu *vas quodcunque quo res contunduntur.* ¶ *Inter ptiſanas*] Vox Hebræa הריפות vel *hordeum* ex quo ptiſanas conficiunt, vel juxta D. Kimhi, *triticum contuſum* ſignificat. Senſus Proverbii, ut diximus, omnia purgari poſſe, quædam faciliùs, quædam difficiliùs. Cæterùm à ſtulto ſtultitia ſua auferri non poteſt, nullâ neque arte neque labore. Maximâ fatigatione contundunt triticum, ſive far, ut mundum fiat, purgatur tamen tandem. Stultus qui à ſapientia eſt alienus, ſeu Judæus, ſeu infidelis aut hæreticus, nullo labore, nullâ pœnâ aut percuſſione ſapere vult *ea quæ ſunt Dei*, ut inquit Jeremias c. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis male.*

23, —— 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Non enim habebis jugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur tibi in generatione & generationem.* Heb. *Nam non in ſeculum divitiæ, & ſi corona in generatione generationis. Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus.* Heb. *Apparuit herba, & videtur gramen, & colligentur herbæ montium. Agni ſunt ad veſtimentum tuum, & hædi ad agri pretium.* Heb. *Ovis ad indumenta tua, & pretium agri ſunt hirci. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domûs tuæ, & ad victum ancillis tuis*] Quod ad ſenſum hiſtoricum ſpectat, non eſt in his quinque verſiculis magna difficultas. Ob magnam utilitatem quæ ex pecoribus provenit, & ob honeſtatem vitæ paſtoralis, quam olim cum laude Patriarchæ frequentabant. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui*] Heb. *Cognoſcendo cognoſce*: h. e. tu ipſe curam habe pecoris tui, & animum ad paſtoralem vitam applica, quæ & utiliſſima eſt, & uſqueadeo honeſta ut vel cum corona regni conferri mereatur, præſertim quod ad ſtabilitatem & diuturnitatem ſpectat, juxta id quod ſequitur, ¶ *Nam non in æternum opes*] Sup. *durabunt*: q. d. Noli fidere divitiis reconditis à majoribus tuis, quaſi ſufficerent tibi abſque quocunque labore: imò curam habe pecoris, & paſce gregem, cujus lucrum ſtabilius eſt quàm theſaurus reconditus; hoc enim propriè ſignificat vox Hebræa חסן, & ſtabilius quàm Regnum. Sic enim *coronam* interpretantur Hebræi; ut utraque clauſula ad laudem paſtoralis vitæ referatur, utpute quam exercuerunt Patriarchæ, vel cum Regibus celebritate & opibus conferendi. Quæ ſequuntur ad facilitatem vitæ paſtoralis attinent. ¶ *Aperta ſunt prata*] q. d. Ubique reperiuntur gramina, & nuſquam non videntur. Herbæ colliguntur ex montibus: reponitur fœnum in tempus hybernum, in quo fortaſſis gramina non inveniuntur. Porrò quod ad ſufficientiam hujus paſtoralis vitæ, & etiam ad neceſſitatem ſpectat, ſequitur, ¶ *Agni tui* (ſive *oves*) *ad veſtimentum tuum*] q. d. Omnia familiæ tuæ neceſſaria grex ſubminiſtrat: habes lanam ovium pro indumentis, & pretium *hædorum* ſive *hircorum* (ut eſt in Heb.) ad agros comparandos, ſi deſunt herbæ, vel ad fructus agri comparandos, præſertim triticum: q. d. Si cum cura paſcas gregem, non erit neceſſe agros colere, nam pretio hircorum fructum agrorum poteris comparare: vel pretium agri, pretium locati fundi tui in quo habitas, poteris venditis hœdis perſolvere. Denique quod ad victum ſpectat, ¶ *Sufficiat tibi lac caprarum*] Tibi, inquam, & univerſæ familiæ: & huc ſpectat totus hic ſermo Sapientis de ovibus & capris, ut moneat nos naturæ legibus vivere, & habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Monet denique ſapientis viri non eſſe ad aulicum adſpirare faſtum, nec mercatorum inexplebilem ſectari avaritiam, ſed humilium vivendi inſtitutum & orationem, cujuſmodi eſt paſtoralis, ab Abele primò, pòſt ab aliis magnis viris honeſtatum, maximopere eligendum. Hujus loci elegantiſſima eſt allegoria, non minùs eleganter à Beda explicata: nempe de grege Dominico, cujus vultum cognoſcere debent diligenter qui curam habent paſtoralem, & totum ſtudium in id muneris collocare, exſpectantes præmium, non temporales & caducas divitias, nec Regnum in hoc mundo, ſed coronam juſtitiæ, quam reddet Dominus. Nam quod ad ſubſidia temporalia ſpectat, quæ veluti germen & herba ſunt æſtimanda, ubique patent & obvia ſunt præparata à Domino, & collecta velut gramina ex montibus colliguntur pecoribus: ſic Dominus ſuis tam ovibus quàm paſtoribus pabulum parat, ut ſcriptum eſt Mat. 6. *Primùm quærite Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Aliter, in agris Divinarum ſcripturarum ubique patent gramina, & collecta ſunt ex Prophetis & Apoſtolis, qui tanquam montes, excelſiores cæteris fuerunt virtutibus & perfectione vitæ.

DRUSIUS

1. יום. A.S.Th. ἡμέρα, *dies.*

2. נכרי. A.S. ξένος, *hoſtes*, *peregrinus.*

3. כבד משניהם. Schol. τῶν ἀμφοτέρων χαλεπώτερος, *gravior & difficilior eſt utroque.*

4. אכזריות חמה. S. κατακνίζων θυμὸς, *malignè rodens animus*] *Pungens*, *vellicans.* ¶ מי יעמד לפני קנאה. Alius Interpres, τίς δὲ ὑποςήσεται κατὰ πρόσωπον —— *quis ſubſiſtet ante faciem* ——

5. מאהבה מסתרת. S. ἡ φιλία κεκρυμμένη, *quàm amor occultus*] Vel potiùs *amicitia.*

6. ונעתרות. A. ἱκετικὰ, *ſupplicatoria.* S.Th. τεταραγμένα, *perturbata*] *Supplicatoria.* Alii aliter vertunt. Quidam *blanda.* Chald. בישן *mala*, *pernicioſa.* Aben Ezra עבות *denſa*, *crebra*, *frequentia*: vel חזקות *firma*, *valida.* R.S. *grandia.* Alius *deprecatoria.* LXX. ἑκούσια, *ſpontanea*, *voluntaria.* Hier. *fraudulenta.*

7. נפש רעבה. Cæteri, ψυχῇ πεινώσῃ, *anima eſurienti*] Vel *famelica.* Hier. *anima eſuriens.*

8. נודדת. S. μετακινούμενος, *quæ transfmovetur*, ſive *dimovetur.*

9. ומתק רעהו מעצת נפש. A. καὶ γλυκαίνει ἑταῖρον αὐτοῦ βουλὴ ψυχῆς, *& edulcat ſocium ſuum conſilio animæ*] *Edulcat*, המתיק.

10. ביום אידך. S. ἐν ἡμέρᾳ κακώσεώς σου, *in die vexationis tuæ.* Th. ἐπαγωγῆς, *calamitatis.* ¶ שכן. Cæteri, γείτων, *vicinus.*

11. ואשיבה חרפי דבר. S. καὶ ἀποκριθήσομαι τῷ ὀνειδίσαντί με ῥῆμα, *& reſpondebo exprobranti mihi verbum.*

13. כי ערב זר. A.S. & cæteri, ὅτι ἐγγυήσατο ἀλλότριον, *quoniam ſpopondit pro extraneo.* ¶ ובעד נכריה חבלהו. A.Th. καὶ περὶ ξένης ἐνεχυράσατε αὐτὸν, *& pro peregrina auferte pignus, ab eo.*

15. אשת מדונים. S. - - - μαχίμῃ, *pugnaci*, aut *rixoſa.*

16. צפניה צפן רוח. A. S. & cæteri, κεκρυμμένος Βορέας ἄνεμος, *occultus Boreas ventus.* ¶ ושמן ימינו יקרא. Iidem, καὶ ἔλεον δεξιᾶς αὐτοῦ καλέσει] Legerim ἔλαιον, *oleum*, ut dicat, *& oleum dexteræ ejus vocabit.* Quomodo & Hier. qui libenter ſequitur Interpretes illos.

18. נצר. A.S. διατηρῶν, *conſervans.* Th. φυλάττων.

21. מצרף. Schol. χωνευτήριον, *conflatorium.*

22. אם תכתוש את האויל במכתש בתוך הריפות בעלי. A.Th. Ἐὰν κόπτῃς τὸν ἄφρονα ἐν ὅλμῳ ἐν μέσῳ ἐμπτισσομένων ἐν ὑπέρῳ, *Si contuderis amentem in mortario inter ea quæ tunduntur piſtillo*] Hier. *in pila*: quod idem eſt. Nam *pila*, mortarium. Hier. in Comment. Soph. 1. 11. מכתש. A. ὅλμος, *i.e. pila, quod non per brevem ſyllabam primâ legendum, ne σφαῖραν, putemus, ſed per productam.* Vide ſequentia.

23. פני צאנך. A.S.Th. πρόσωπα - - - *facies.* - - - ¶ שית. A. Th. θοῦ, *pone* S. τάξον, *applica*, *ordina.*

27. ללחם ביתך. A. εἰς ἄρτον οἴκου σου, *pro pane domûs tuæ.* S.Th. εἰς τὰ δέοντα τοῦ οἴκου σου, *ad neceſſaria domûs tuæ.* ¶ לנערותיך. S. τῶν κορασίων σου, *puellarum tuarum.*

AMAMA.

P*Ariet dies*] Hodiernus. LXX. ἡ ἐπιοῦσα *craſtinus.* Hinc ἐπιούσιος alii *craſtinus*, alii, *quotidianus.* Optimè, *Onſe nootdruftige Broot*, τὸν ἐπὶ τὴν ἡμῶν οὐσίαν ἐπαρκοῦντα. Eventa vocantur נולדים & Filii temporis.

Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra. Ebræi monent ſemper dicendum א״ה. Sic Jacob. 4. 15. *Neſcis quid ſerus veſper vehat.*

4. Crudelitas (eſt in) ira &c. Et inundatio, impetus in furore, omnia perrumpit. At crudelitas major eſt in invidia, atque eò major, quod homo invidus in ſe ipſum crudelis eſt. Macreſcit, exeditur. Huc refer elegantem apologum ex R. Levi. Vide apud Mercerum.

5. *Quàm amor occultus*] Qui ſe non exerit in increpando amico cum opus eſt. Occultus amor ille eſt, quem quis verbis profeſſus, re & factis non oſtendit cùm opus eſt.

6. In נשק eſt Synecdoche pro omni genere acerborum, ſic in oſculis pro omni genere blanditiarum.

נעתרות] De precanda. Alii, *blanda*, alii, *crebra.* עתר ſignificat verba magna copia effundere, unde עתר & עתרת abundantia. 2. exorare, ſupplicare.

8. *Ut avis*] Ad humanam mentium levitatem & inconſtantiam referunt, ut dicat quid vulgò fiat. Novas res affectant multi, præſentibus non contenti.

Alii, ad neceſſitatem victus quærendi, docet quid fieri debeat.

Alii, ut doceat damnum quod ex eo oritur cum quis ſuam vocationem temere deſerit, erit ut avis, quæ nidum deſerens, avibus rapacibus, feris, ſagittis & laqueis obnoxia eſt.

9. Sic dulcedo amici (delectat quemque) magis quàm conſilium animæ, i.e. proprium. Alii, ob conſilium animæ, quod dat ex animo.

10. *Domum Fratris*] Comparativè: Per Fratrem autem cognatos omnes intelligit.

11. Ut tua ipſius vitâ confirmem, quàm benè functus ſim officio parentis. Solent enim homines plerumque nequitiam Filiorum parentibus imputare eorumque pravæ educationi, quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον verum eſt. Ipſique adeo Filii degeneres hoc ſæpe parentibus exprobrant.

12. Callidus, ſimplex. Diximus ſæpe.

13. Vide 20. 16.

אמן] Abſtractum Jeſ. 65. 16. Concretum Apocal. 3. Puto etiam Jeſ. 65. 16. eſſe concretum & ſub. עם. Particula aſſentientis & imperantis Deut. 27. Optantis, imprecantis. Utrobique ſæpe per γένοιτο. Licet alii ſic velint eſſe certæ fiduciæ. Unde Aquil. πεπιςωμένως. Vel aſſeverantis. Jurantis eſſe volunt Origenes, Hieron. Chryſ. paræus Ebr. 6. 14.

At Auguſtino quodammodo, ſi dici fas eſt, juratio eſt. Et Paræus in Apocalypſ. dicit, fere eſſe jurantis. Non eſſe ex profeſſo docent Fullerus Miſcell Druſius, Piſcator Matth. 5. 18. Scult. c. 8. Obſervat. Beza 1 Cor. 14. 16. Quod unus Euangeliſta dicit *Amen*, *Amen*, alter dicit ἀληθῶς. Marc. 12. 43. *Amen dico vobis hæc vidua plus injecit.* Luc. 21. 3. ἀληθῶς. Sic Matth. 16. 28. Luc. 9. 27. Eſt ergo medium quid inter affirmationem & juramentum, videlicet aſſeveratio. Atque ita facit adhuc contra illos, qui admodum urgent τὸ ῥητὸν Matth. 5. *Sit ſermo veſter vai vai*, καὶ οὒ οὔ. Nam *Amen* eſt ſupra *vai.* Eſt ergo locus intelligendus de familiari & quotidiano ſermone.

14. Benedicit, ſalutat mane voce magna, exprimit ingenium aſſentatoris,

השכ׳ בבקר] Pleonaſmus. Sic Exod. 34. 4. Jeſ. 5. Græci ὄρθρίσας πρωΐ. Sic retrocedere retro. Pſ. 44. Aſſimilari ſicut Gomorra. Plautus: adverſari contra reverti rurſus, ſuppilare clam, aſſimilari ſimiliter.

מברך] Benedictio Dei erga homines. Hominis erga Deum & hominis erga hominem. Hæc eſt vel charitatis vel authoritatis: Hæc rurſus vel Patriarchalis vel Sacerdotalis.

Sed & alia ſignificat. *Munus*, *donum.* Gen. 33. 11. *Accipe quæſo benedictionem meam quæ adducta eſt tibi.* Vel, quia datur cum benedictione, vel quia accipientes ſolent gratias agere & benè precari danti. 2 Cor. 9. 5. Significat beneficentiam, liberalitatem erga pauperes ex Ebraïſmo, unde lux loco ſequenti ὁ σπείρων ἐπ᾽ εὐλογίαις, i.e. liberaliter. Patet ex antitheſi φειδομένως. Sic Pſ. 84. 7. *In benedictionibus operiet eos pluvia.* Ezech. 34. *Imbres benedictionis.* Aliquando ברך eſt conſecrare, ſanctificare, Gen. 2. 3. 1. Cor. 10. Poculum εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, i.e. ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν. OEcum.

סגריר] Job. 37. 7. dicitur obſignare manum hominis.

16. Nulla ratione malum illud poteſt cohiberi, nullâ ignominiâ contineri quin pervagetur in aures omnium. Citius ventum pugno continueris aut unguentum pugno compreſſeris ne odor ejus ad aliorum nares perveniat. Nam quo magis premitur & caleſit manus, eo fragrantius fit. Junius, *ut unguentum dexteræ ipſius ſe prodit illa.* At non poteſt referri ad שמן quia eſt maſcul. יקרא

17. Pertinet ad mutuam communicationem & collationem conſiliorum & ſtudiorum. Facies redundabit in Latio. Alii pro *ira* accipiunt. Ita *vir acuitur* ב *ob iram Proximi.*

יחד acuit ſub. vir, i.e. acuitur. Semper eſt Ellipſis cùm perſonale pro imperſonal. ponitur.

18. נצר] 1 Tim. 5. 3. *Honora viduas.*

19. Refertur ad varietatem, levitatem & inſtabilitatem humani cordis. In aqua maximè fluctuante & inſtabili facies variis & contortis modis effingitur jam major, jam minor, ita ex ſermone & indiciis externis de corde hominis conjectura fieri poteſt, non autem ferri ſententia.

20. שאול. Junius in Pſ. 49. ait, ſignificare quamlibet ſtationem mortuorum; Sed communiter vel, pro ſepulcro tantùm, vel pro inferno poni Synecdochicè. Vide eum plenius in Animadverſ. Bellarm. Hic videtur ſepulcrum ſignificare.

21. Locutio in poſter. membro inverſa. Debebat enim eſſe, כן מהלל לאיש ſic laudatio eſt idoneum inſtrumentum quo exploretur hominis animus. Vel eſt hypallage in primo membro, pro, *argentum in conflatorio, & aurum in catino.*

Scopus eſt, cavendum ab adulatoribus, ne per eorum laudes corrumpi nos ſinamus. Atque ideo bene Vulgata: *Quomodo probatur*

batur argentum in conflatorio & aurum in catino, Sic homo ex ore laudantis eum. Stulti inſoleſcunt laudibus. Exemplum in Herode Act. 12. Pii Deo gloriam tribuunt. Greg. *Quum juſtus in os laudatur, in corde cruciatur.* Junius, adhibetur res quæque ex præſcripto laudationis ſuæ. i. e. ſuus cuique rei & inſtrumento uſus eſt, & ſua ratio adhibendi ad uſum. At inſtrumentum quo ſtultum purges &c. Vides eum voluiſſe duos verſus connectere. Id quod neceſſe non eſt.

22. ריף [הריפות] in Quadr. רפף concutere. Hinc Riphot, contuſa, grana commolita, mola. Alii, legumina. Agit de illis ſtultis, qui jam callum obduxerunt.

23. Anadiploſis eſt, ad intendendam actionem verbi *Noſſe*, curam habere. Sic ſupra, *juſtus novit animam jumenti ſui.* Prov. 12. 10. Deut. 2. Hoſ. 3. Pſ. 144. Pſalm. 1. Rom. 8. Joh. 10. 15. 1 Theſſ. 5.

[צאן] Collectivè ſemper comprehendit ovinum & caprinum genus, eorumque greges. Sic בקר eſt collect. comprehendens vaccas, boves, Tauros, vitulos, armentum. Auſon. popma, *Armenta & jumenta majora animalia, quæ collo domantur, ut ſunt Tauri, equi, boves, Greges verò minora, oves, capras, ſues.* Ovidius,

Mille greges, totidemque armenta per herbas
Paſcebant.

Virgil.

Hæc ſatis armentis, ſuperat pars altera curæ.
Lanigeras agitare greges, hirtaſque capellas.

Has duas ſpecies complectitur עדר ut genus.

24. [חסן] Theſaurus, opes. Synonymum τῷ אוצר, puto ex conjugatis Jeſ. 23. 18. לא יאצר ולא יחסן. Origine eſt Chaldaïcum חסן robuſtus fuit. Hinc חסן primariò eſt robur, ut חיל.

In ſeculum] Id eſt, omni tempore. Sic Joh. 8. 35. *Servus non manet in domo εἰς ἀιῶνα. At Filius manet εἰς ἀιῶνα*, i. e. ſemper. Atque ſic quoque apud profanos invenies. At alio modo ſæpe in ſcriptura ſignificat, *ullo tempore, unquam.* Pſ. 15. Deut. 23. Marc. 3. Joh. 13. *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Hæc locutio eſt purè Ebraïca. At conciliari poteſt cum ſuperiori obſerv Reg. *Non gaudet ſtulti Pater.*

LEOLAM, vertitur, εἰς ἀιῶνα, εἰς τέλος, εἰς νῖκος. 1 Cor. 15. Confer Eſ. 25.

25. Præceptum de colligendo fœno tempeſtivè, ut beſtiis etiam hyeme ſit proſpectum.

[נאספו] Colligantur. אסף aliquando perdere, *colligam beſtias & volatilia & piſces.* Zoph. 1. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam.* Pſ. 26. Jud. 18. 25. *Ne colligas animam tuam, & animam domus tuæ.* Pſalm. 27. Dominus. יאספני *educavit me.* אסופי altellus, expoſititius, τρόφιμος, θρεπτὸς & χαμέρευτος.

26. *Lac pro pane*] Sic 1 Sam. 14. Mel.
Vitam] i. e. Victum βίος.

GROTIUS.

8. *Sicut avis transfmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum*] Facilè capitur avis à nido avolitans: ſic & qui domo relicta longè peregrinatur, multis ſe objicit periculis.

10. *Melior eſt vicinus juxtà, quàm frater procul*] Heſiodus:

Τὸν δὲ μάλιςα καλεῖν ὅςις σέο ἐγγύθι ναίει·
Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωςοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
[*Illum ſæpe voca tibi quem vicinia jungit:*
Nam ſiquid ſubitum eveniat, vicinia nondum
Cincta aderit, contrà affines ſe cingere quærent.
Vicinus malus exitium, bonus optima res eſt.]

20. *Infernus & perditio nunquam implentur*] Eodem ſenſu regnum Ditis *inſatiabile* vocant Poëtæ.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

2. *Propter iniquitatem terræ*] Propter peccata, inquit, populi terræ fit ut Regna perturbentur diſſenſionibus, & multi inſurgant rectores; unuſque alium impellere conetur: quod non fit ſine direptionibus & cladibus hominum.

3. *Qui pani obeſt*] h. e. Segetem ipſam in fundo agri corrumpit.

7. *Qui ſocius eſt*] Hebræi communiter hîc exponunt ורעה pro מחברת, ſicut nos vertimus.

11. *Scrutatur eum*] h. e. Facilè poteſt ex verbis ejus dijudicare eum, quòd propter inordinatum affectum quem habet ad divitias perverſum habeat judicium.

12. *Exploratur homo*] Aben Ezra ſic exponit, *Quando impii præſunt populo, nihil habet populus quod tutum ſit, ſed omnia diſquiruntur & diripiuntur. Quando verò juſti rebus potiuntur, communis omnium hominum eſt lætitia.*

13. *Qui autem confitetur*] i. e. Qui agnoſcit peccata ſua coram Deo, & petit veniam, huic miſericordiam impartit Deus. Et licèt Deus priùs noverit peccata tua & ſecreta cordis tui antequam confitearis, tamen exigit à te ut te agnoſcas peccatorem. Unde Hebræi כי שהוא מודה פשעיו לפני בוראו ועוזב פעולותיו הרעות הוא ירוחם Hæc igitur eſt vera confeſſio, quæ ex Sacris habetur literis.

14. *Qui terret cor ſuum*] Scilicet propter commiſſa peccata ſibi incutiens timorem & humilitatem.

17. *Qui calumniam facit*] Capitur hîc עשק pro עשוק, & eſt ſenſus, Qui injuſtè hominem occiderit, in nullo loco tutus erit. Exemplum habetur in Cain. Per *foveam* intelligi interitum vel ultimum ſupplicium.

21. *Propter fruſtum panis*] i. e. Etiam ſi fruſtum panis in judicio acceperis muneris loco, Deus id tibi imputabit pro peccato, qui munerum acceptionem in univerſum prohibuit.

22. *Qui præceps fertur in opes*] i. e. Qui citò cupit diteſcere, inſidiatur aliorum bonis, conaturque per fas & nefas illa ſibi uſurpare. Non enim caret ſuſpicione feſtinata opulentia. Sed ſicut opes acquiruntur, ſic rurſus amittuntur.

23. *Sequens me*] Verba hæc ſunt Salomonis, dicentis, *Qui juſſis meis paruerit, & corripuerit relinquentes, ille inveniet gratiam in oculis omnium magis quàm ille qui linguâ ſuâ adulatur.*

28. *Abſconditur homo*] Quando impii evehuntur ad imperium, boni & juſti viri deliteſcunt, quos impii ferre non poſſunt, eò quòd graves ſint illis ad videndum, &c.

VATABLUS.

1. *Fugiunt* [נסו] Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Impii* [רשע] Singul. Heb. pro plurali. ¶ *Confidunt* [יבטח] Fut. ſing. pro præſenti plurali, *fiducum habent, ſecuri ſunt.*

2. *Multi Principes ejus* [רבים שריה] i. e. Subinde mutantur Principes ejus; quod eſt calamitoſum. Nam Regna perturbantur diſſenſionibus, & multi inſurgunt rectores. ¶ *Sic prolongabitur* regnum [כן יאריך] *Sic producet*, ſub. *dies*, i. e. in eodem ſtatu permanebit, ſive permanere ſolet terra, ſive Regnum.

3. *Et vi ſpolians* [ועושק] *Et calumnians:* vel *rapiens.*

4. *Contendunt cum eis* [יתגרו בם] Fut. Heb. pro præſ. *ſuccenſent illis.*

5. *Judicium* [משפט] Sing. Heb. pro plurali, *judicia*, ſub. *Dei.*

6. *In perfectione ſua* [בתמו] *In integritate ſua*, vel *probitate.*

7. *Filius* eſt *intelligens* [בן מבין] *Filius* eſt *prudens*, ſive *ſapiens.* Hebraïſmus eſt, pro *ſapiente*: nam *filius* perinde eſt Hebræis atque Latinis *homo*, ſive *vir*, ut etiam ipſi loquuntur, *Homo intelligens.* ¶ *Qui autem paſcit comedones* [ורועה זוללים] *Qui autem ſocius eſt heluonum.* Vel, *ſocietatem init cum heluonibus.*

8. *Et fœnore* [ותרבית] Ad verb. *Et augmento.* A. *multiplicatione* Hebræi deducunt *fœnus*, ut *uſuram* à *mordendo.* ¶ *Ad largiendum pauperibus* [לחונן דלים] *Ut effundantur* in uſum *pauperum*, ſub. *à veris Judicibus.* Quidam, homini *qui miſericors erit in pauperes, coacervat eas.* Acſi dicat, nullum poſſe diu frui malè partis divitiis.

10. *Bonum* [טוב] Sing. Heb. pro plur. q. d. *omnia experientur felicia.*

11. *Scrutatur eum* [יחקרנו] Fut. Heb. pro præſ. *explorat eum.*

12. *Abſcondis ſe homo* [יחפש אדם] Fut. Heb. pro præſ. *exploratur homo*, i. e. opprimitur. Alii, *mutabitur*, i. e. mutabit veſtimentum nè agnoſcatur & interficiatur.

15. *Eſuriens* [שוקק] *Appetens*, i. e. eſuriens, à שוק. Alii, *incedens & vagabundus*, à שקק.

16. *Carens intelligentiis* [חסר תבונות] *Deſtitutus prudentiâ.* ¶ *Multiplicat rapinas* [ורב מעשקות] *Et* [*etiam*] *multus eſt in injuriis*, aut *frequens eſt in injuria.* Poteſt verti ut oratio ſit conciſa, ſic, *Princeps carens prudentiâ*, & *multus in injuriis*, [ſub. non

non prorogabit dies ſuos, i.e. citò morietur] *at qui odit avaritiam, prorogabit dies ſuos. Ex fine verſus*, inquit doctus inter Hebræos, *docet nos exponere principium ejus.*

17. *Qui opprimit in ſanguine animæ* עשק בדם נפש] i.e. Qui aliena bona occupat cæde. *Sanguis animæ* eſt vita; quia anima in ſanguine conſiſtit. Quidam vertunt, *Qui per violentiam ſanguinem fuderit.* Alii annotant עשק eſſe nomen, non participium, & dictionem iſtam exprimere frequentiam quandam; acſi dicat, *Quiſquis conſuevit ſanguinem fundere, ſe in mortem conjicit, nemine retinente.*

18. *Semel* באחת] *In alteram*, ſub. *illarum viarum*, i. e. qui à recta via aberrat, incedens modò hac, modò illac, corruet in alteram.

19. *Qui colit terram ſuam* עֹבֵר ארמתו] Vide eundem verſum ſuprà 12. 11.

20. *Fidelis* אמונות] Ad verb. *fidelitatum*: i. e. fidus. Eâdem dictione Hebræi ſignificant *veritatem & fidelitatem*; quòd qui verax ſit, ſit etiam fidelis. ¶ *Multiplicabit benedictiones* רב ברכות] *Multus eſt benedictionibus*: i. e. commendari ſolet ab hominibus, aut, largitur multa pauperibus.

21. *Et ob buccellam*, &c. 'ועל פת לחם וגו] Fut. Heb. pro præſ. *etiam propter fruſtum panis prævaricatur homo*, ſub. *hujuſmodi.*

22. *Vir mali oculi* איש רע עין] *Vir maligni oculi*: i.e. vir pravus & invidus, qui ferre non poteſt ut quis auferat aliquid de ſua ſubſtantia. Quidam vertunt, *Qui præceps fertur ad opes, habet vir ille oculum malum*: i. e. Inſidiatur aliorum bonis, conaturque per fas & nefas illa ſibi uſurpare.

23. *Retrocedentem* אחרי] *Reſilientem*, ſub. *à Lege Dei.* Quidam Hebræorum ſcribunt præpoſitionem eſſe cum affixo, & priorem verſiculi partem dici ſub perſona Dei, ut ſit ſenſus. *Qui corripit hominem poſt me*, i. e. ut homo me ſequatur. Alii vertentes, *ſequens me*, dicunt eſſe verba Salomonis, dicentis, *Qui juſſis meis paruerit, & corripuerit delinquentes, ille*, &c. ¶ *Gratiam inveniet* חן ימצא] Hebraïſmus, pro *gratior eſt quam*, &c.

24. *Is ſocius eſt*, &c. 'הוא לאיש וגו] *Is ſocius eſt homini exterminatori*, vel *homicidæ*, ſive *parricidæ. Socium eſſe alicui* more Hebraïco dicitur pro *ſimilem illi eſſe.*

25. *Latus animo* רחב נפש] Hebraïſmus pro *ſuperbo.* Gallicè dicimus, *Qui eſt de hault courage.* ¶ *Miſcet litem* יגרה מדון] *Excitat contentionem*, ſive *lites.*

26. *Cordi ſuo* בלבו] *Animo ſuo*, i. e. conſiliis ſuis.

27. *Et avertenti*, &c. 'ומעלים וגו] Ad verb. *qui autem abſcondit oculos ſuos* [ſub. *à paupere*, *is eſt*] *multus maledictionibus*, i. e. multorum maledictionibus eſt obnoxius. Alii, *multa* imminebit illi *egeſtas*, Ad verb. *multitudo defectuum.*

28. *Dum eveluntur*, &c. 'בקום רשעים וגו] *Quando conſurgunt*, &c. Idem dixit. v. 12.

CASTALIO.

8. I*S eas congerit benefico in pauperes*] His potietur aliquis beneficus.

12. *Exſultare juſtos*] Beatos & fortunatos eſſe. ¶ *Evectis impiis requiruntur homines*] Pauci ſunt & latent boni. Vide finem capitis.

14. *Beatus homo qui ſemper pavet*] Deum metuit.

17. *Homo vitæ & ſanguinis oppreſſor vel ad barathrum fugiens non retinebitur*] Nemo eum à periculo revocabit: eſt omnibus inviſus.

20. *Qui verò diteſcere properat*] Quo jure quâ injuriâ.

21. *Ob fruſtum panis*] Rem nihili. ¶ *Peccat homo*] Qui rationem habet perſonarum.

24. *Is hominis perditi ſocius eſt*] Homo eſt perditus.

27. *Qui oculos ſuos ſubtrahit*] Non reſpicit egentes.

28. *Latent homines*] Rari ſunt boni.

CLARIUS.

2. P*Ropter peccata terræ*] Propter peccata populi terræ fit ut Regna perturbentur diſſenſionibus, & multi inſurgant rectores, unuſque alium pellere conetur, quod non fit ſine direptionibus & cladibus hominum.

8. *Liberali in pauperes congregat eas*] *Congregat eas homini qui miſericors erit in pauperes.* Alii interpretantur, *congregare debet eas*, quòd videlicet debeant homines quæ congregaverunt uſuris diſtribuere in pauperes.

11. *Scrutabitur eum*] i.e. Facilè poteſt ex verbis ejus dijudicare eum.

14. *Qui ſemper eſt pavidus*] Scilicet ob commiſſa peccata ſibi incutiens timorem & humilitatem.

17. *Qui calumniatur animæ ſanguinem*] Vel, *qui calumniam facit in ſanguine animæ*; h. e. Qui injuſtè hominem occiderit, nullo in loco tutus erit. Exemplum habes in Cain. Per *lacum* vel *foveam* intellige interitum vel ultimum ſupplicium.

21. *Et pro buccella*] Alius vertit, *Etiam propter fruſtum panis peccat vir*: h. e. Etiamſi fruſtum panis in judicio acceperis muneris loco, Deus id tibi imputabit pro peccato, qui munerum acceptionem in univerſum prohibuit.

23. *Gratiam poſtea*] In Hebræo eſt, niſi Jod in fine vacat, *poſt me*; h. e. Qui meum conſilium ſequitur: ſic enim legunt, *Qui corripit hominem poſt me.*

25. *Et dilatat*] Vacuus ſcilicet timore.

28. *Cùm ſurrexerint impii*] Cùm impii evehuntur ad imperium, boni & juſti viri deliteſcunt, quos impii ferre non poſſunt, eò quòd graves ſint illis ad videndum, &c.

R. BAYNUS.

1. F*Ugit impius nemine perſequente: Juſtus autem quaſi leo confidens, abſque timore erit.* Heb. *Fugerunt*, ſup. *impii*, *cùm nullus impius perſequitur*] Vel *fugerunt impius*, frequens Hebræis, hoc eſt, unuſquiſque ex impiis fugit. Conſcius ſibi timet pœnas ſceleribus debitas. Ità comparatum eſt, ſeu naturâ ſeu diſpenſatione Divinâ, ut conſcientiæ magnis & horrendis criminibus obnoxiæ nuſquam poſſint ſecurè conſiſtere. Semper in timore verſantur, etiamſi nullus ſit qui audeat eos perſequi. Potentiſſimi tyranni & ſanctorum perſecutores conſcientiæ furiis agitati, in ſummo timore vivunt: contrà, pura conſcientia ſemper eſt ſecura. Unuſquiſque ex juſtis agit inter homines ſicut leo inter feras: h. e. ſummâ ubique confidentiâ. *Juſti confidet*, vel *confidere ſolet*] Juxta Hebraïſmum, pro unuſquiſque ex juſtis confidet: q.d. Non ſunt confidentes quòd multi ſint, ſed ſeorſum unuſquiſque ſatis confidit ſolus, cùm non ſuis viribus fiduciam habeat, ſed in Domino, ut ſuperiùs legimus, *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam curret juſtus & exaltabitur.* Verùm de impiis dictum eſt, *fugerunt.* q d. Omnis multitudo impiorum perinde timida eſt ac ſi unus eſſet impius. Hujus rei exemplum legimus de Syris 4 Reg 7. qui *ſurrexerunt & fugerunt in tenebras, & dereliquerunt tentoria ſua, quæ poſuerant contra Samariam, & fugerunt nemine perſequente.* Proverbium continet laudem juſtitiæ, quæ fiduciam & ſpem præbet & ſecuram conſcientiam. *Secura* verò *mens quaſi juge convivium*, Prov. 15.

2. *Propter peccata terræ multi Principes ejus: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam quæ dicuntur, vita duci longior erit.* Heb. *Ob prævaricationem terræ, multi Principes ejus: & propter hominem intelligentem ſcientem, ſic prolongabitur*] Interpres adjectis quibuſdam quæ in Hebræo non ſunt, ſenſum reliquit obſcuriorem, qui apud Hebræos ſatis eſt apertus, ſi modò juxta proprietatem linguæ unam aut alteram vocem ſubaudias. *Propter tranſgreſſionem terræ*, h. e. populi terræ, *& propter hominem intelligentem ſcientem elongabitur*] Sc. *vita Principis*, vel *Imperium.* Imò homo prudens & intelligens erit in cauſa diuturnitatis Imperii. *Multos* habere *Principes*, ſive ſimul & ſemel, ſive multos ſuccedentes invicem, intelligi poteſt: utrumque Reip. magnum eſt incommodum, magis tamen ſimul plures ſuſtinere, inter quos dum quiſque ſuis ſtudet commodis, expilatur populus, bonum publicum laceratur, decerpitur; & à quibus defenſionem & moderationem habere debet, nempe, à ſuis Principibus, ab his funditus ſubvertitur. ¶ *Sed propter virum intelligentem prolongabitur*] Ex ſecunda clauſula intelligimus primam debere referri potiùs ad crebram Principum mutationem, quàm ad multitudinem ſimul regnantium: & per *virum intelligentem* & *ſcientem*, ſapientem & doctum Principem intelligimus, qui ſua prudentia efficiet ut corrigantur vitia populi, & protrahatur illius Imperium, & Reſp. quàm feliciſſimè gubernetur, ut Proverbium non ſit alienum ab illo celebri Platonis elogio, qui putavit *felicem Remp. in qua Reges philoſophantur*, & ſapientiæ dant operam, vel *in qua philoſophi regnant.*

3. *Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis imbri vehementi, in quo paratur fames.* Heb. *Vir pauper opprimens pauperes, pluvia mundans, & non eſt panis*]

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco,

ut canit Poëta. Nobis à natura ferè inditum eſt, illorum dolere vices qui iiſdem nobiſcum hujus vitæ miſeriis ſunt obnoxii. Contrà, vehementer inhumani ſint oportet & crudeles, qui mala augent aliena, quorum ipſi quoque obnoxii ſunt. Pauper vices pauperum ſaltem dolere debet, quando alterius neceſſitati non poteſt ſuccurrere. Cæterùm pauper ille qui rapit à pauperibus, rerum ordinem evertit, non minùs quàm pluvia quæ rigandis

paratur

Paratur agris & ſegetibus nutriendis: quæ ſi impetu majore deſcenderit, ſemina radicitus evellet, efficietque ut ad maturitatem nequeant pervenire. Haud aliter, ſi pauper deprædetur pauperes, quorum inopiæ condolere debuerat, omnem humanitatem exuit. Neque ad frugem ullam pervenient opes illæ, à pauperibus per pauperes raptæ. Pauperes ſunt quotquot nomen Chriſti profitentur, & nudum Chriſtum nudi ſequuntur; id quod, cùm omnes Chriſtiani, tum in primis Monachi profitentur. Quorum ſi unus alios ſpoliet & opprimat, vel famam detrahendo, vel virtutes ſuffocando, quas in aliis nutrire & fovere debet, pluvia erit non irrigans ac fœcundans, ſed ſubvertens ac corrumpens.

4. *Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccendentur contra eum:* vel, *litigabunt cum eis*] Simile ſuo delectatur ſimili. *Qui relinquunt* & non ſervant *legem*, quæ omnem damnat impietatem, illis placet iniquitas, & *laudant impium*, quando opera illius operibus tranſgreſſoris non ſunt diſſimilia: non enim illis ſatis eſt quòd ſint mali, niſi habeant & alios ſibi ſimiles in malitia: dum impium laudant, omnes illi ſimiles conantur efficere. Sed *qui ſervant legem, litigabunt adversùs eos*, nempe impios, vel adversùm illos qui laudant impios, vel adverſùs utroſque ſuccenſent, conantes eos ſervare legem Dei, in qua vera eſt ſapientia.

5. *Mali viri non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* Heb. *Viri mali*, vel *malitiæ, non intelligent judicium: ſed qui requirunt Dominum, intelligent omnia*] Qui malis operibus indulgent, & Regem relinquunt, *judicium* & pœnas malis & tranſgreſſoribus debitas, *non intelligunt. Non intelligunt* neque credunt, omnes venturos ante tribunal Chriſti, ut reddant rationem, & ſententiam Judicis audiant: vel, *non intelligent mali judicium*, h. e. non ſunt idonei ut judicis munere fungantur inter homines. Nam qui ſententiam in maleficos prolaturus eſt, debet ab his criminibus eſſe alienus & immunis quæ damnat in aliis. Aliter, *Non intelligent judicium*] qui mali ſunt, h. e. non dant operam ut intelligant; neque enim magnopere laborat ſcire quid ſit æquum, & quid iniquum. Poteſt ad judices & ad teſtes referri, imò ad quoſcunque qui malis delectantur operibus. ¶ *Sed inquirentes Dominum, intelligent omnia*] Qui verò à Domino populum rectè regendi intelligentiam petit, ut Salomon, qui dixit, *Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum*, 3 Reg. 3. *intelliget omnia* neceſſaria ad judicium. Quod ſi in genere dictum intelligamus, *intelliget omnia* neceſſaria ad ſalutem. *Intelliget*, inquam, vel ex ſcripturis vel ex prophetis qui ſenſum Domini habent. Senſus clauſulæ non eſt alienus ab illo, *Quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*, Luc. 11.

6. *Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm dives in pravis itineribus.* Heb. *Melior eſt pauper ambulans in perfectione ſua, quam pervertens vias & ipſe dives*] Inter Divitias & Virtutem nulla eſt comparatio judicio Sapientis, quamvis vulgus hominum longè aliter judicet. *Pauper ambulat in via perfectionis ſuæ*, cùm ſua ſorte contentus, alios pauperes non moleſtat, (juxta ea quæ ſuperiùs legimus) nec egeſtate compulſus furatur, aut perjurat nomen Dei. Hoc in loco, ſicut ſuperiùs 19. cap. *pauperem intelligentiâ* poſſumus intelligere, ut ex ſuperiore pendeat, *Qui requirunt Dominum, intelligent omnia*, qui melior eſt, ſi ſtudioſè vivat, quàm *dives intelligentiâ & pervertens vias ſuas*, h. e. declinans ad dexteram, vel ſiniſtram. In Heb. dualis numerus ponitur: q. d. *pervertens duas vias*, Legis & Euangelii, neutram obſervans: vel *duas vias* paupertatis & divitiarum, h. e. neutram fortunam æquo animo ferens.

7. *Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum*] Si *legem* Dei intelligamus, omnia ſapientiæ præcepta complectitur: quaſi jam multa de intelligentia locutus, velit ſummatim dicere, *Qui obſervat legem, filius intelligens eſt.* Equidem mallem *legem* patris ſui intelligere, qui filium docuit temperanter vivere, non diſſipare bona, non frequentare convivia, nec otioſos homines alere, qui nihil aliud quàm lautas ſectantur menſas, & epulas quærunt. Qui bona paterna in paraſitos effundit, patrem ignominia afficit, qui filium ſuum non ſatis bene inſtructum aut educatum reliquit: ¶ *Qui paſcit edaces*, aut *comeſſatores*] eſt is qui genio nimis indulget, & ſenſibus ac carnis appetitui; qui Comedones dici poſſunt, quòd appetendo nunquam ſaturantur.

8. *Qui coacervat divitias uſuris & fœnore liberali in pauperes congregat eas*] Heb. *Qui multiplicat divitias ſuas uſurâ & multiplicatione*, vel *fœnore, ad opem ferendam pauperibus congregabit eas*] Hunc verſiculum omiſit Beda tanquam manifeſtum juxta verſionem D. Hieronymi (ni fallor) qui in bonam partem *uſuras* & *fœnus* intellexiſſe videtur, addens dictionem *liberalem*, quæ in Hebræo non habetur: quaſi velit dicere Sapiens, Qui non ſordidis *uſuris*, neque *fœnore* per legem prohibito, ſed legitimis viis & modis *congregat opes*, hic gratiam quoque conſequitur à Domino, ut *liberalis* ſit in pauperes, perinde ac ſi non ob alium finem voluiſſet diteſcere. Nicolaus verò de Lyra in malam partem *uſuras* intelligens, & *fœnus liberale*, interpretatur *in pauperes, contra pauperes congregabit eas*: cùm in Hebræo citra omnem controverſiam habeatur, *ad largiendum* (vel *gratificandum*) *pauperibus congregabit eas.* Hebræi primam partem verſiculi de bonis malè per uſuram acquiſitis intelligunt: legunt enim, *Qui congregat divitias uſuris*: quaſi diceret, qui nimiùm ſunt attenti opibus, ut quovis modo velint, ſive per fas ſive per nefas, divitias augere, etiam per uſuram, quæ in lege prohibita eſt, non poterunt eas inſumere in uſus honeſtos. Acquirere poſſunt & congregare, ſed malè acquiſitas opes ipſi bene diſpenſandi animum non habebunt: nec tribuit eiſdem poteſtatem Deus ut comedant ex eo. Verùm *in pauperes congregant eas*, h. e. diſpenſatione Divinâ in ſubſidium pauperum diſtribuentur, quòd hoc aliquando fiat, ſemper autem dignum eſt ut fiat. Aliter, qui avarè *per uſuram congregat divitias*, non ſibi congregat, ſed alicui qui erit *liberalis* & munificus in pauperes. Ille *fœnore* oppreſſit pauperes, volens crudeliter comparare & ſervare opes, quæ in manus benigni viri aliquando devolutæ pauperibus proderunt. Proverbium ſignificat per ſapientiam & æquitatem eſſe acquirendas opes, ſi utilitatem ex illis capere velimus.

9. *Qui declinat aurem ſuam nè audiat legem, oratio ejus erit exſecrabilis*, Hebr. *Qui removet aurem ſuam ab audiendo legem, etiam oratio ejus abominatio*] Cùm oraverit Dominum in anguſtia ſua, abominabitur eum Dominus. Hebræi vocant *menſuram contra menſuram*, ſive quod nos dicimus, *par pari referre.* Legem audire noluit, neque diſciplinam aut ſapientiam, quibus inſtructus mala præcavere potuit. Qui noluit audire, non eſt dignus ut audiatur: & ut oſtendat quàm alienus ſit à Deo, qui Deo non credit, neque Legi obtemperat, non ſolùm exſecrabilis eſt in malis operibus, ſed etiam *abominatio eſt* Deo *illius oratio. Qui declinat aurem ſuam nè audiat legem*] Multiplicem ſenſum habere poteſt, vel, quòd non credit vera eſſe quæ in lege ſcripta ſunt, neque juxta legem vivere decrevit: vel, quòd eos ſpernat qui legem docent: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, Luc. 10. *Declinat* denique *aurem*, qui ſoli orationi inſiſtendum putat, non etiam aliis operibus à lege præſcriptis. Iſti cùm ſint alieni à Deo, & in fide errent, non ſolùm in moribus, audiri à Deo non poſſunt, imò *abominatio* eſt eorum *oratio*, ut quæ ab errore procedat: quemadmodum de Judæis, non tam ſui quàm noſtri temporis, ſcripſit Eſaias, *Nè offeratis ultrà ſacrificium fruſtra: incenſum eſt abominatio mihi: calendas veſtras & ſolennitates odivit anima mea*, Eſaiæ 1. nunc videlicet coruſcante luce Euangelii, & ſanguine Agni immaculati in remiſſionem peccatorum effuſo, brutorum animalium pro peccatis fieri ſacrificia eſt abominatio, præſertim cum ea opinione & credulitate, quaſi talibus opus eſſet adhuc oblationibus. Pro ſenſu, quem ex loco colligimus nos, plurimum facit Hebraïſmus, ubi non *declinat* ponitur, ſed *facit declinare* legitur, h.e. qui ſciens & volens & deſtinato animo amovet aurem ſuam nè audiat, judicans non eſſe audiendam legem Divinam, aut Euangelicam, ut ad Judæos noſtri temporis peculiariter referatur, juxta illud Eſaiæ modò citatum.

10. *Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt bona ejus.* Heb. *Qui facit errare rectos in via mala*, vel *per viam malam, in foveam ſuam ipſe cadet, & perfecti poſſidebunt bonum*] Quod ſuperiùs lectum eſt, *Qui fodit foveam, incidet in eàm*, non eſt alienum à ſenſu hujus verſiculi: nam ſic Dei providentia comparatum eſt, ut mali eadem aut ſimilia damna ſuſtineant qualia machinantur bonis. In erroribus & ignorantia verſamur omnes mortales; hoc enim tanquam hæreditarium malum à primis parentibus accepimus, quod malum ſi non poterimus penitus abolere, invicem tamen juvare debemus, & qui minùs erroribus implicantur, ſano conſilio ſublevare alios. Quòd ſi fuerit aliquis uſque adeò malus, ut alios ſecum in errores trahere moliatur, & à via recta ſeducere ſtudeat, in errores incidet ille. Sunt aliqui uſque adeò rebus hujus mundi dediti, ut velint per fraudes in pericula & mortem conjicere rectos & bonos viros, ut eorum bona poſſideant. Sed longè aliter eveniet. Nam qui trahere conantur alios in pericula, malè peribunt & non ſolùm non erunt hæredes juſtorum, ſed ſuas poſſeſſiones relinquent juſtis, & perfectis viris. Loquitur Sapiens metaphoricè de *poſſeſſione* bonorum, & de *via* ac *fovea. Via rectorum* eſt via fidei, à qua declinare homines & in peſſimam viam errorum deducere cupiunt multi, cupiunt hæretici,

cupiunt

cupiunt infideles; cupiunt peccatores, atque ità *per malam viam ad foveam* perditionis venire: ſed in illam meritò incident, in quam alios trahere conati ſunt, & hæreditatem cœleſtem ad quam creati & redempti fuerant relinquent *perfectis*; & his qui macula carent errorum.

11. *Sapiens ſibi videtur vir dives: pauper autèm prudens ſcrutabitur eum*] Qui divites ſunt & felices ſibi videntur in hoc mundo, ſuæ prudentiæ acceptum ferre ſolent quòd præter cæteros ſint locupletes, fortunati. ¶ *Sed pauper*] non tam opibus, quàm ſpiritu dives, h. e. humilis, & intelligens Scripturas ſacras, *Scrutabitur eum*:] h. e. ut Hebræi declarant, ſcrutando mentem illius redarguet eum, & oſtendet illi omnia eſſe à Deo, juxta illud, *Dives & pauper obviaverunt ſibi, utriuſque operator eſt Deus*, Prov. 22. Senſus eſt Proverbii, Deum aliis divitias, aliis ſapientiam dare: nam divites ferè ſapientiam Dei non aſſequuntur, ſed hujus mundi potius.

12. *In exſultatione juſtorum multa gloria eſt, regnantibus impiis ruina hominum.* Heb. *Cùm exſultaverint juſti multa gloria, cùm ſurrexerint impii explorabitur homo*] Magna gloriatio totius civitatis eſt, vel totius Reip. cùm boni viri & juſti habeant occaſionem lætitiæ: nam non ſolent exſultare niſi rebus & optimè & feliciter geſtis, ac bene gubernata civitate. Non enim privata quærunt commoda, ſed publica, & proinde juſtis gaudentibus, omnium maxima gloriatio eſt & celebritas. Verùm ubi *Impii & mal. homines ſurrexerint*] h. e. evecti fuerint ad honores, Reip. gubernacula renuerint, tantus luctus & dolor civitatem occupat, ut in publicum nemo libenter prodeat, ſeſe occultent homines. Proverbium indicat ſalutem & gaudium Reip. conſiſtere in bonis & juſtis viris, qui ſua prudentia Remp. moderantur. Omnium verò confuſionem, & ignominiam fieri in ea Rep. ubi impii & peſſimi homines rerum potiuntur.

13. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Heb. *Qui tegit tranſgreſſiones ſuas, non aget proſperè: qui verò confitetur & relinquit, miſericordiam conſequetur*] Commendatur Confeſſio tanquam unicum remedium ad peccata delenda. Quod dicit *non dirigetur*, vel *non proſperabitur*, referri poteſt ad cætera quæ aget, ſed meliùs ad id de quo fit ſermo, nempe ad remiſſionem peccatorum: q. d. Quicquid fecerit pro peccatis ſuis, non proderit ei, niſi confiteatur; victimæ non ſufficiunt, aut aliæ quæcunque expiationes: non aſſequetur veniam, niſi per Confeſſionem, *relinquendo*, h. e. deſiſtendo à peccatis. Ex hoc loco habemus Confeſſionem eſſe neceſſariam. Cujuſmodi verò Confeſſio, an ea quæ ſoli Deo ſit, ut volunt Hæretici, aut quæ miniſtro Dei, tanquam Deo præſenti, ut volunt Eccleſiaſtici Doctores, nemo dubitare poteſt qui Symbolum Apoſtolicum tenet & credit. In quo *Eccleſiam Catholicam* confitemur, h. e. Univerſalem, quæ docet Sacerdotibus eſſe confitendum. Sed ſoli Deo confitendum eſſe Sanctorum autoritate conſtat, inquis, nominatim Chryſoſtomi. Et nos fatemur, eos qui Sacerdoti confitentur, ſoli Deo confiteri, quemadmodum ſolus Chriſtus eſt qui baptizat, ſecundùm D. Auguſtinum, ſuper illum locum Joannis, *Ecce hic eſt qui Baptizat.* Chriſtus ſolus eſt qui Baptizat, & tamen Diſcipulis dixit, *Ite, prædicate Baptizantes.* Ecce homines tanquam miniſtri Baptizant, & tamen ſolus Chriſtus Baptizat. Sic confitentes Sacerdoti miniſtro Dei, ſoli Deo confitentur, quam Confeſſionem habemus, non ex Hæreticorum, ſed ex Eccleſiaſtica traditione. Locus eſt egregius etiam contra errorem alium, qui aſſerit peccata non imputari electis, cùm neceſſum ſit peccata relinquere, ſi remiſſionem habere voluerimus.

14. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum*] Ex ſuperiore verſiculo pendet, oſtendens cauſam quæ urget homines confiteri & relinquere peccata; nempe timor vindictæ Divinæ. Nihil enim magis cohibet homines à peccando, quàm cogitare de ſuppliciis, vel olim inflictis peccatoribus, vel in Sacro eloquio præſcriptis. Qui perpetuò timet offendere, & faciliùs abſtinebit à peccato, & confitendo libenter relinquet. ¶ *Qui verò durum facit cor ſuum*, h. e. rebelle & obſtinatum, ut nec minis, nec pœnis molleſcat, vel remittatur *corruet in malum*] quod cogitavit facere. Poteſt in genere intelligi, ut ſit ſenſus, Felix erit, & proſperè aget omnia, qui perpetuò & in rebus omnibus timidus, ut abſque diuturna deliberatione nihil aggrediatur, cavet nè quid omittat eorum quæ in rebus agendis requiruntur. Qui verò obfirmat cor ſuum, & durum facit, res agendas temere aggreſſus, *corruet in malum*, damna ſubibit, neque ex animi ſui ſententia abſolvet quod aggreditur. Prior expoſitio eſt melior, ut non ad præſentem beatitudinem referatur, ſed ad futuram.

15, 16. *Leo rugiens, & urſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem. Dux intelligens prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus.* Heb. *Princeps carens prudentiâ, & multus in oppreſſionibus, qui odit avaritiam prolongabit dies*] Leo rugitu timorem incutit, urſus inexplebilis, vel undique curſitans, non ceſſat laniare: Utrumque patitur populus tenuis à malo Principe, timorem videlicet, & direptionem. Bonus Princeps eſt paſtor populi, & ex tenui locupletem facit. Datur admonitio Principibus, & inter bonum Principem & Tyrannum ponitur diſcrimen. Verus & legitimus Princeps diſcat non opprimere, non expilare, ſed fovere, defendere populum pauperem: nam qui populum ſuum injuriâ afficit, ſibi damnum affert, & intelligentiâ caret, juxta id quod ſequitur; ¶ *Princeps carens intelligentiâ*] q. d. Ex defectu ſapientiæ provenit, quòd ſuos opprimat, & more leonis ac urſi dilaniet ſuos ſubditos, à quibus deſertus facilè opprimetur ab hoſtibus ſuis: vel, quod tyrannis ſolet evenire, à ſuis trucidabitur, neque *prolongabit dies ſuos*; ut finis verſiculi exponat Principium. Contra, Princeps *qui odio habet avaritiam, prolongabit dies ſuos*] Qui per juſtitiam & æquitatem moderatur, inſidias non timebit, & à ſuis ſtipatus & dilectus hoſtes faciè propulſabit. Denique qui pecunias ſpernit, ut plurimùm ſpernit & cæteras voluptates, crapulam & libidinem; quibus vitiis hominum vitæ ſolent citiùs deficere, temperantia verò & moderatione victûs *prolongabit dies.*

17. *Hominem qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet.* Heb. *Homo vim inferens ſanguini animæ, uſque ad lacum fugiet, nè teneant eum*] Ex verſione noſtri Interpretis difficile eſt ullum ſenſum eruere. Ex Hebræo verò duplicem licet: Primus erit, ſi vox עשק in ſenſu patientis accipiatur, *Homo qui paſſus vim*, aut *violentiam*, aut *direptionem* bonorum, propter *ſanguinem animæ* ab eo effuſum, *ad foveam fugiet*, h. e. nullo loco conſiſtet, cupiens vitam ſervare; pro vita fugiet, & in ſepulcris latitabit, nè trahant eum ad mortem. Sunt qui ſeparatim legunt has duas voces, כי & דם, ut ſit ſenſus, Qui ſanguinem animæ oppreſſit, *ad lacum*, ſive *ſepulcrum*, ſupple, veniet, vel deducent eum iniquitates ejus. *Fugiet*, ſupple, de loco in locum, & *nemo tenebit* aut *ſuſtentabit eum*: h. e. nemo feret illi opem. Aliter intelligitur עשק pro עשק, ut nos vertimus, *Qui violentiam infert ſuper ſanguinem animæ*, h. e. qui interficit hominem, *ad lacum fugiet*, h. e. ad ſepulcrum: ſi ad mortem fuerit condemnatus, *non ſuſtinebunt eum homines*, h. e. nemo defendet eum, nemo miſericordiam in eum oſtendet: q. d. homicidæ debetur mors; *Qui gladio percutit, gladio peribit.* Naturaliter homines oderunt humani generis hoſtem. Aben-Hezra paulò aliter & optimè, Qui vim intulit *ſanguini animæ* tantum, ut *ad lacum*, h. e. ſepulcrum, ſupple, perveniat anima illa cujus ſanguis effuſus eſt, *perfugiet* interfector, h. e. cùm fugerit, *non ſuſtinebunt eum*, h. e. nemo illi faveat aut miſereatur illi: quaſi Salomon hoc præciperet. Poteſt denique de homicidio non voluntario intelligi, & erit ſenſus, Cùm fugerit ad locum deſtinatum in lege, nemo teneat eum, neque impediat quò minùs elabatur, & ſeſe recipiat in aſylum. Prior expoſitio eſt melior.

18. *Qui ambulat ſimpliciter, ſalvus erit: qui perverſis graditur viis, concidet ſemel.* Heb *Qui ambulat perfectus, ſervabitur: ſed perverſus duabus viis, corruet in una*] Superiùs legimus, *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*, Prov. 10. Hebraïcè eſt, *perfectè*, vel *in via perfecta*, h. e. qui agit vitam integram & ſine macula, qui nec ſanguinem effundit, nec vim alicui infert, ut ad ſuperiora referatur, *ſervabitur*, h. e. non ſumetur ſupplicium de eo: *legem ſervat, per eam vivet & ſervabitur*, Lev. 18. *Qui verò perverſus eſt viis*, & à præſcripto legis deflectet, ſi frequenter vel lateat vel evadat, tandem tamen *corruet*: q. d. non poteſt eſſe ſecurus, etiamſi non ſtatim luat pœnas. Atque hunc ſenſum habemus ex Judæis, juxta literam. Quod ſi de ſalute non corporis, neque hujus vitæ, ſed animæ & futuræ vitæ exponamus locum, per *viam perfectam* intelligemus illam de qua loquitur Scriptura, *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Quam viam perfectionis Euangelicæ qui pervertit & depravat malè credendo, impiè vivendo, ſemel cadet; ut diu vivat, ut in deliciis vivat, tandem corruet in unum ex malis quæ fecit, h. e. pœnas dabit.

19. *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate*] Hunc verſiculum ſatis plenè (ni fallor) expoſuimus ſuperiùs cap. 12. de duplici terra, nempe de ea quæ ſegetes profert ad præſentis vitæ ſuſtentationem, & de terra cordis mortalis, quod cum, cura cultum, & velut aratro ſciſſum vomere pœnitentiæ, mirificos virtutum fructus proferet, præſertim cœlitus rigatum, & purgatum à vepribus. *Qui ſectatur inanes*, h. e. homines rebus inanibus deditos, & ſine lucro, ad paupertatem deveniet. Obſervandum eſt in Hebræo

non poni ſimpliciter *ſectatur*, ſed *facit ſectari*: & ſubaudit Aben-Hezra, *cor ſuum*: q. d. ſponte ſuâ, ſciens & volens & deditâ operâ *ſequitur* homines *inanes*, h. e. feſtinat ire cum hominibus otioſis & tenuibus: *paupertate ſatiabitur*, h. e. ſatis eſuriet, famem patietur. Denique ſenſu non multùm alienum eſt Proverbium ab elogio Pauli, *Qui non laborat non manducet*, 2 Theſſ. 3. Vita ruſticana commendatur, & omne exercitium honeſtum quo victum acquirimus.

20. *Vir fidelis multùm laudabitur: qui autem feſtinat ditari, non erit innocens.* Heb. *Vir fidelis multus eſt in benedictionibus*] *Vir fidelis* eſt qui cum fide & veritate agit omnia opera ſua, & non eſt perverſus in viis ſuis: vel, *Vir fidelis* qui in Deo ſpem habet, & non feſtinat diteſcere per fas aut nefas, multas benedictiones conſequetur à Deo. Nam Deus proſperare faciet omnia quæ illius ſunt. Contrà, qui non aliò ſpectat quàm ut diteſcat, *non erit innocens.* Divitias nemo colligere poteſt ſubitò, niſi cum aliorum injuria. Agricultura panem, h. e. neceſſaria ad victum ſuppeditat, non opes feſtinatas. Mediocritatem igitur ſervare ſapientis eſt, neque otium ſectari, quod inediam ferè adducit, neque per inexplebilem avaritiam feſtinare ad opes, relictâ viâ perfectâ, quæ eſt via veritatis Euangelicæ. *Invertere vias æquitatis*, ut ſuprà dictum eſt, *non eſt innocentis.* Proverbium docet contemnere mundum, & ſperare in Domino. Aliter, ut totus verſiculus ſit quaſi una clauſula, Quamvis fuerit aliquis *vir fidelis*, & *dives in benedictionibus*, tamen ſi *feſtinat diteſcere, non erit innocens*: immoderatus appetitus ad opes cum perfecta virtute & innocentia non cohæret.

21. *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem.* Heb. *Et pro buccella panis prævaricabitur homo*] Proverbium docet judicia debere eſſe integra & incorrupta, & à judicibus nè tantillum quidem accipiendum. Ex proprietate linguæ, res minimi momenti *buccella panis* vocatur, quam qui accipit, ut judicium pervertat, graviter prævaricatur. Quamvis tam noſter Interpres quàm Hebræorum Rabbini legant, *Cognoſcere faciem in judicio*] Supplentes hanc vocem *in judicio*, quæ in Hebræo non habetur, ut ſuperiùs legimus cap. 18. tamen quæcunque perſonarum acceptio intelligi poteſt, de qua Jacobus, *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione, habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, Jacob. 2 &, *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis*, Levit. 19. In plurimis Scripturarum locis, inter Divinas laudes recenſetur, quòd non ſit *perſonarum acceptor.* Quod igitur Deo adverſatur, bonum non poteſt eſſe, perſonam acceptare. Quamvis pauperibus patrocinari pium opus ſit, tamen in judicio cum aliorum injuria, nec æquum, nec bonum eſt favorem alicui præſtare. Cæterùm munus accipere, quamlibet parvum, eo animo ut judicium pervertatur, graviſſima eſt prævaricatio.

22. *Vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, ignorat quòd egeſtas ſuperveniet ei.* Heb. *Feſtinat ad opes vir mali oculi, & non novit quoniam inopia veniet illi*] Senſum bene reddidit Interpres noſter, qui eſt hujuſmodi; Qui ſunt attentiores ad rem, & divitiis colligendis inhiant, malo & invido alios intuentur oculo. Hi ad inopiam devenire ſolent, aut digni ſunt qui ad inopiam aut defectum deveniant: præſertim qui illicitis modis feſtinant diteſcere, per rapinam & oppreſſionem pauperum, ut ad ſuperiora reſpondeant, *Qui feſtinat diteſcere, non erit innocens*; q. d. virtute carebit. Verùm qui cum invidia feſtinat diteſcere, ad defectum perveniet, pereuntibus videlicet malè quæ malè parta ſunt. Proverbium deterret ab avaritia, in qua ſumma ſtultitia eſt, cùm qui feſtinant ad divitias per invidiam, non perveniant ad divitias, ſed ad defectum bonorum animæ, & frequenter bonorum fortunæ. Aben-Hezra, *Vir mali oculi* vocabitur, quòd alienam proſperitatem non libenter aſpiciat, uſqueadeo feſtinat diteſcere, ut ad ſe trahere omnia velit.

23. *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.* Heb. *Qui corripit hominem poſt me, gratiam inveniet plus quàm qui blanditur linguâ*] Ut ſint verba Solomonis loquentis de ſe: hujus duplex eſt ſenſus; prior, *Qui* ideo *corripit hominem*, ſic ut *poſt me* veniat, & ſequatur præcepta mea, *gratiam inveniet*: vel, *Qui corripit hominem poſt me*, h. e. juxta me; q. d. Qui me ſequitur corripiendo, & corripit, ut ego feci in hoc libello, *gratiam inveniet.* Tertio modo, *poſt me*, *qui corripit* poſt tempus meum, *inveniet gratiam*, h. e. laudem aſſequetur ſicut ego, & gratiam majorem quàm is, *Qui blanditur linguâ*] Sunt ex Hebræis qui negant literam Jod affixam voci [illegible] indicare pronomen, ſed ſignificare duntaxat *poſt*: & erit ſenſus, *Qui corripit hominem*, ſup. euntem poſt deſideria cordis ſui, ille *inveniet gratiam.* Denique intelligi poteſt ad hunc modum, *Qui poſt me corripit, inveniet gratiam*, q. d. Difficile erit invenire correptionem aliam poſt me; ut maximè laude dignus ſit Salomon, qui nullum vitium omiſit non caſtigatum, qui omnes virtutes & vitia percurriſſe videtur. Senſus tandem quem reddidit Interpres reprehendi non poteſt: *Poſt inveniet gratiam.* Correptio enim ipſa ſolet eſſe parùm grata, verùm tempeſtivè admonitus & caſtigatus, poſtea gratias referet correptori. Qui *linguâ blanditur* ferè fallit & decipit, ſecundùm illud quod ſcribitur, *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt*, Eſa. 3.

24. *Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ.* Heb. *Qui deprædatur patrem ſuum, & matrem ſuam, & dicit, non eſt prævaricatio, ſocius eſt viri diſſipantis*, vel *perdentis*, vel *graſſatoris*] Quod licitum putant juvenes plerique, à Sapiente damnatur. Dicit, *non eſt prævaricatio* mihi, aufero quod meum eſt: quæ parentum ſunt, mea erunt poſt mortem. Qui ſic cogitat & rapit bona paterna, ſimilis eſt, *& ſocius eorum qui diſſipant bona ſua*] *Diſſipant* enim qui non cum ratione diſpenſant, ſed in uſus non neceſſarios aut etiam malos inſumunt. Verti poteſt, *Graſſatoris erit ſocius*; q. d. hæc facere non tentaret, niſi perſuaſus aut exemplum accipiens à graſſatoribus. Lxx. vertunt, *Socius eſt viri ἀσεβοῦς.* Proverbium docet omnem obedientiam & honorem habendum parentibus, quibus nè in bonis quidem externis debent liberi facere injuriam, aut offendere: imò prætorquam quòd ſtultè faciunt, in Deum graviſſimè prævaricantur, qui bona parentum invitis parentibus auferunt, id quod non minùs rapina eſt, quàm aliena rapere.

25. *Qui ſe jactat & dilatat, jurgia concitat: qui verò ſperat in Domino, ſalvabitur.* Heb. *Latus animo excitabit litem: qui confidit in Domino, impinguabitur*] *Latus* ſive *amplus animo*, in malam partem accipitur, pro eo qui magnis deſideriis æſtuat, & deſideria modis omnibus velit complere. Alioqui apud Paulum, *Os meum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt*, 2 Cor. 6. *Latitudo cordis* eſt ampla charitas & amor, ſive magnum deſiderium ſalutis eorum & fidei. Cæterùm hoc in loco, *largus corde*, qui undique rapit, & feſtinat diteſcere, & inſatiabili opum deſiderio laborat, dum multos afficit injuriâ, multos habebit inimicos, & *lites excitabit.* Sed *qui ſuper Dominum* (ſic enim legunt Hebræi) *ſpem collocavit*, à nemine quidpiam rapit, mori potiùs eligens quàm aliena deprædari, huic honeſtus & ſufficiens victus nunquam deerit: imò deliciis affluet, ſi non corporis, certè anima illius pingueſcet, & craſſeſcet cœleſti pinguedine: de qua loquitur Pſal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Aliter, *Latus animo* eſt qui ad ultionem feſtinat, qui nihil vult pati ab aliis, hic *lites* & jurgia *excitabit*: ſed ſperet in Domino, & illud impleat, *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*, Deut. 35. *Impinguabitur* tranquillitate conſcientiæ ſuæ, pacem habens cum omnibus hominibus, quantum in eo eſt.

26. *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ille laudabitur.* Heb. *Qui ambulat in ſapientia, ipſe evadet*] Supple, *anguſtias & pericula. Ambulat* autem *in ſapientia*, qui juxta præcepta ſapientiæ vivit, & actiones ſuas moderatur: Ipſe fortaſſis ad tempus anguſtias poterit ſuſtinere; tamen Euangelicis inſtructus præceptis, in quibus vera Sapientia loquitur, eripietur tandem ab omni anguſtia pœnæ & mortis; quamvis valde interim infelix videatur quibuſdam, qui ſuæ prudentiæ innitentes, & confidentes in ſeipſis, tanquam in corde haberent omnem ſapientiam, cùm reverà ſint ſtulti: nam *omnis homo* ex ſe *mendax* & ſtultus eſt. Monet Proverbium hominem ſuæ conditionis & finis, ut qui ignorantiâ propriâ ſit venturus ad perditionem, niſi, relictâ ſtultitiâ & fiducia in ſeipſo, totam ſpem ſuam ponat in Domino, quæ Euangelica ſapientia eſt.

27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Heb. *Et qui dat pauperi, non erit defectus: ei verò qui abſcondit oculos ſuos, multitudo maledictionum*] *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis*, ſuperiùs legimus, cap. 19. Plurimos conſtat diſtributis facultatibus omnibus deveniſſe ad ſummam paupertatem, quibus tamen nihil defuit; ſed cum Paulo didicerunt, *In quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare; ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati*, Phil. 4. Et alibi, *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*, 2 Cor. 6. Quamvis ergò ad ſpontaneam paupertatem multi Sanctorum devenerint, nunquam tamen defectum aut penuriam ſuſtinent. Hebræi, apud quos nunquam tantæ laudis fuit voluntaria paupertas, aliter exponunt hunc locum: nempe, qui largitur pauperi, nunquam eâ ratione ad egeſtatem perveniet. Et, ut verum fateamur, dare pauperi, & eleëmoſynas facere, aliud genus virtutis eſt ab ea quâ quis largitur & unâ vice malit diſpenſare omnia, & nudus ſemel ſequi Chriſtum, quàm paulatim & quo-

quotidie dare. *Qui abſcondit oculos ſuos*] In oculis eſt magna pars miſericordiæ; benignus aſpectus divitis conſolatur pauperem: quem aſpectum benignum qui negat, valde crudelis eſt. Qui libenter pauperes intuetur, etiamſi deſit illi animus liberalis alterius neceſſitatem ſublevandi, tamen interim dum oculos figit in egenos, intus in animo operatur Deus, ut velit facere quod externus oculus faciendum non poteſt negare. Et quæ tandem præſtabit ille qui nè oculum quidem dignatur accommodare? Veſtem à dorſo exuere debueras, panem vel è faucibus propriis demere, & latrante ſtomacho inediam pati: debueras *laborare manibus*, ut vult Paulus, Epheſ. 4. quò habeas aliquid quod des pauperibus, & tu nè vultu aut aſpectu miſericordiam præſtas? quantis exſecrationibus & maledictis dignus es? *Maledictiones* intelligi poſſunt ab hominibus, quòd plurimi de eo loquuntur malè, vel potiùs *maledictiones* Dei qui talem virum intueri non dignatur, cujus aſpectus benedictionibus plenus eſt, *Benedictiones* in Scripturis, rerum copiam & donorum multitudinem indicare, nemo eſt qui ignoret: benedictionibus Dei quicunque deſtitutus eſt, meritò *multus* vel *plenus maledictionibus* vocari poteſt.

28. *Cùm ſurrexerint impii, abſcondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur juſti*] Bonum reipub. conſiſtere in his potiſſimùm qui primas tenent, ſi modò juſtitiâ & æquitate moderentur, ſignificat Proverbium: alioqui *cùm impii ſurrexerint* & elevati fuerint, & Reip. gubernacula tenuerint, nulla rerum copia eſt, ſed nè hominum quidem. Qui verè homines ſunt, malunt civitatem cùm patrimonio relinquere, ſolumque vertere, quàm impiorum ſuſtinere tyrannidem, quæ noſtrâ ætate fieri vidimus, & *quorum* aliqua *pars fuimus*. *Abſcondentur homines*, intelligi poteſt, vel quòd fugâ dilabantur, vel quod iniquis judiciis abſumpti non compareant. Rurſum rerum viciſſitudo, impiis Dei vindictâ abſumptis, h. e. ſublatâ tyrannide & perſecutione in Chriſtianos, multi apparuerunt juſti qui priùs latuerunt. Perſecutionis tempora Proverbiali brevitate perſtrinxit Salomon. Typicè poſſunt hæc ad animæ ſtatum referri, in qua cùm fuerint elevatæ concupiſcentiæ carnales, quæ ſunt animales, non ſapientes ea quæ Dei ſunt, virilis animæ ſenſus, h. e. intellectus & ratio, quæ Deum agnoſcit & colit, *abſconditur*, occultatur, h. e. functiones ſuas non exercet. Abolitis tamen tandem malis cupidinibus, & per temperantiam & Dei gratiam profligatis ab animæ regno, juſtitiæ opera plurima exſtabunt. Quòd ſi ad eccleſiæ regnum & legitimam adminiſtrationem referantur & hæreticorum violentiam, æquè facilis & aptus apparebit ſenſus.

DRUSIUS

2. רַבִּים שָׂרֶיהָ. A. Th. *πολλοὶ ἄρχοντες, αὐτῶν, multi Principes ejus.*

3. גֶּבֶר רָשׁ וְעֹשֵׁק דַּלִּים. A. Th. *Ἀνὴρ ἄπορος καὶ συκοφαντῶν πτωχὰς, Vir indigens & calumnians pauperes.* ¶ סֹחֵף וְאֵין לָחֶם. A. S. Th *ἀνεχχικὸς, καὶ ὐκ ἔςιν ἄρτος, retentus, & non eſt panis*] *Retentus*, ſive *cohibitus*, *imber*, aut *retenta pluvia*.

5. יָבִינוּ כֹל. Cæteri, *συνήσουσι πάντα, intelligunt omnia.*

6. הוֹלֵךְ בְּתֻמּוֹ. A. S. Th. *περιπατῶν ἐν ἁπλότητι αὐτοῦ, ambulans in ſimplicitate ſua.*

7. וְרֹעֶה זוֹלְלִים. A. *καὶ νέμει συμβολοκόπας, & paſcit comeſſatores.* Ità Hieron. Alii *ſymbolum dantes.* Vide ſuprà 23. 20, 21.

9. גַּם־תְּפִלָּתוֹ תּוֹעֵבָה. A. S. Th. *καίγε προσευχὴ αὐτῦ βδέλυγμα, etiam precatio ejus abominatio eſt.*

10. יִנְחֲלוּ. A. Th. *κληροδοθήσονται, διελῦνται, ſorte diſtribuent, divident*] *Hereditatis loco conſequentur*. Sirach. 17. 12. *καὶ νόμον ζωῆς ἐκληροδότησεν αὐτοῖς.*

11. יַחְקְרֶנּוּ. A. Th. *ἐξιχνιάσει, inveſtigabit.*

13. וּמוֹדֶה. A. Th. *ὁμολογῶν, confitens.* S. *ἐξαγορεύων, qui profitetur*] *Confitens: qui confitetur.* ¶ יַצְלִיחַ. S. *εὐοδωθήσεται, proſperabitur*] Malè hoc notatum in ed. Rom. ad *ἀγαπηθήσεται*, cui reſpondet ירחם in textu Ebræo.

16. נָגִיד חֲסַר תְּבוּנוֹת. S. *Ἡγύμενος ἢ δυνάςης ἐνδεὴς συνέσεων, Dux ſive dynaſta indigus intelligentiarum.* ¶ וְרַב מַעֲשַׁקּוֹת: Schol. *καὶ πολύςρεβλον, multum perverſum*] Hier. *multos opprimens per calumnias.* יַאֲרִיךְ יָמִים. LXX. *μακρὸν χρόνον ζήσεται.* Schol. *βιώσεται βίον, longo tempore vivet*, aut *vitam traducet.* Paulò poſt in ed. Rom. *Ὃς φράσσει τὰ ὦτα μὴ εἰσακοῦσαι ἀσθενοῦς, καὶ αὐτὸς ἐπικαλέσεται, καὶ ὐκ ἔςαι εἰσακούων.* Quæ verba ſunt ſuprà 21. 13. ubi habentur in Ebræo his verbis concepta, אוטם אזנו מזעקת דל וגו׳.

18. תָּמִים. A. Th. *τέλειος, perfectus.*

19. וּמְרַדֵּף רֵקִים. A. Th. *κενὰ, inania.* Alius, *ἀπραγίαν, otium, inertiam.*

20. אִישׁ אֱמוּנוֹת. A. *ἀνὴρ πιςεύων, vir credens*, ſive *credulus.* S. *ἀληθὴς, verus*, ſive *verax.* ¶ וְאָץ לְהַעֲשִׁיר לֹא יִנָּקֶה. Schol. *ὁ δὲ σπεύδων τῦ πλυτεῖν ὐκ ἀθωωθήσεται, qui verò feſtinat diteſcere non erit innocens*] i. e. Non evadet impune.

22. אִישׁ רַע עָיִן. LXX. *ἀνὴρ βάσκανος.* Schol. *φθονερὸς, invidus.* ¶ חֶסֶר יְבֹאֶנּוּ. S. *ἔνδεια ἐπελεύσεται αὐτῷ, indigentia obveniet ei.*

23. מַחֲלִיק לָשׁוֹן. A. *παρὰ λειῦντα γλῶσσαν, ſupra lævigantem linguam*] *Qui linguam lævem*, i. e. blandam, *reddit.* Senſus ut ſi diceret, *qui linguâ blanditur.*

24. גּוֹזֵל. A. Th. *ἁρπάζων, diripiens.* S. *ἀδικῶν, injuriâ afficiens.* Schol. *ἀποβιάζεται, ἀτιμάζει.* ¶ חָבֵר הוּא. *μέτοχός ἐςι, particeps eſt.*

25. רְחַב־נֶפֶשׁ יְגָרֶה מָדוֹן. A. *Πλατὺς ψυχῇ ἐρεθίζει ἀντιδικίαν, Latus animâ irritat litem*] *Proritat*, i. e. excitat. S. *Πλατύψυχος παροξύνει κρίσιν, Animi latus exacerbat litem: qui latum animum habet*, i. e. tumidus, ſuperbus.

27. רַב־מְאֵרוֹת. Schol. *ὐκ εὐοδωθήσεται.*

28. יִסָּתֵר. A. S. Th. *κρυβήσονται, deliteſcent.*

AMAMA.

IMprobi] רשע ab הרשיע, Job. 34. ut mare propulſum ſunt improbi. Deut. 28. 67.

Nemine perſequente] Nullo viſibili hoſte. Sic minatur Deus Lev. 26. 36. *Perſequetur eos ſonus folii impulſi & fugient fugam gladii, nemine proſequente. Et impinget unuſquiſque in fratrem ſuum tanquam à facie gladii, nemine perſequente.*

Tamen non omnino evenit hæc fuga ſine impulſore. Nam conſcientiæ ſtimuli ipſos exagitant. Conſcientiæ, quæ accuſator & teſtis & judex eſt. Et ab hac inquietantur jugiter, ab hac inquietatione רשעים vocantur.

Talis autem conſcientia eſt acerbiſſimus hoſtis ejus cruciatus omnem miſeriam turbat. Juvenalis hoc ſcivit & Cicero & alii.

Habet tamen aliquando inducias in hâc vita hæc miſeria, ut & omnis triſtitia. Aiax cum putaret ſe Agamemnonem & hoſtes mactare, fruebatur hilari inſaniâ, & à doloris ſenſu avocabatur. Achilles Iliad. ω cum Hectorem raptabat circa tumulum Patrocli, levabat dolorem. Et maximum avocamentum eſt à ſomno. At in vita futura nulla erit intermiſſio, nullæ inducæ.

יבטח] Regula, ubi duo nomina junguntur, diverſorum numerorum, verbum eleganter, cum poſteriori convenit. Job. 15. 20. ומספר שנים נצפנו. Pſ. 125. *Qui fidunt in Domino* כהר ציון לא ימוט. Vel ſic, ubi duo nomina præcedunt diverſorum numerorum vel generum, verbum quod ſequitur ſæpe & eleganter poſteriori reſpondet.

2. כן. Rectè. Prolongabit ſc. Deus Regnum.

3. סחף inundans.

5. *Omnia*] Neceſſaria.

7. רעה] Aſſocians ſe, ſocium ſe faciens.

8. לחונן] Partic. Kal, pro participio Futur. gratioſè & liberaliter largituro.

11. Sapiens ſibi videtur dives, quia videt omnia ſibi ex animo ſuccedere. At pauper intelligens ſcrutatur eum, i. e. omnia ejus facta, totamque vitam inſpicit, examinatque ad præſcritum verbi divini.

12. בקום] Cùm ſurgunt, i. e. promoventur ad dignitates. Sic adſcendere. Contrarium, deſcendere & cadere. Jeſ. 14. Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer fili Auroræ *Φωςφόρος*, 2 P. 1. 19. de fulgore Euangelii & plena cognitione.

יחפש] Inquiritur, ut vexetur. Inquiritur quia latet unde verſ. ult pro hoc eſt יסתר. Alii, quod in eorum bona inquiratur.

14. *Qui pavet*] Deum timet, vel, qui humilis, ſubmiſſus eſt, vide Pſ. 119. ש. Non excludit fiduciam tranquillæ conſcientiæ aut lætitiam ſed includit. Objectum eſt Deus, verſatur circa peccatum.

16. In priore membro junius ſupplet יקר, Ellipſis contrarii.

17. Probo ut עשק accipiatur paſſivè ob ב ſequens. Senſus, homo oppreſſus propter ſanguinem, i. e. cædem animæ, i. e. hominis. Fugiat, ne ſuſtentante eum, Nemo ejus miſereatur, nemo foveat, abſcondat, Gen. 9. Ex. 21.

Preſſus] A conſcientia propria, à furiis. Etiam à גואל. Tenebantur enim conſanguinei perſequi homicidam & eum depoſcere ad ſupplicium Num 35. 21. גאל הדם interficiet ipſum, cùm obvius erit illi. Sic ibid. v. 12. *Erunt vobis urbes refugii* מגואל.

דם] Cædes. Deut. 17. 8. inter ſanguinem & ſanguinem

 2 Sam.

2 Sam. 1. 16. *Sanguis tuus ſuper caput tuum.* Eſ. 26. 21 *Revelabit terra* רמיה, *nec teget amplius interfectos ſuos.*

18. באחת] In unam illarum. * Vel ſub. פעם, i. e. ſemel, certò. Pſ. 89.

19. בריקים] Ch. בריקתא. Jud. 11. 3. Melius פריקין vide *Cenſuram* ad locum illum. Gen. 37. & 39. Iſmaelitæ. Onc. ערבאי. Tharg. Jeroſ. ברקאי. Pſ. 83. הגרים.

Viro Maſchit] Interfectori. Sic vocatur Angelus Ex. 12. 23. Qui parentum facultates prodigit, eorumque admonitiones ludificatur, tam reus eſt Capitalis Criminis, quàm homicida.

GROTIUS.

2. P*Ropter peccata terræ multi Principes ejus*] Transferuntur Imperia de familia in familiam per ſeditiones, conjurationes, cædes, ut ſæpè evênit in Decem tribubus.

8. *Qui coacervat divitias uſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas*] Opes improbè partas, putà fœnore, Rex aufert iis qui ſic eas peperêre, datque eas beneficis.

13. *Qui autem confeſſus fuerit*] Et quidem *ſpeciatim*, ut ait Maimonides.

17. *Hominem qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet*] Senſus eſt: qui alios per vim opprimit, ità ut & fundat ſanguinem innoxium, ſi aduſque latentes foveas cucurrerit, nemo eum retinebit, nemo ejus curam geret. Immanitate enim flagitiorum omnem miſericordiam perdidit.

21. *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem*] Qui priùs magno pretio inductus jura violavit, conſuetudine peccandi eò devenit, ut minimâ datâ lucrandi occaſione idem faciat. Partem priorem hujus ſententiæ jam bis habuimus 18. 5. 24. 23.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

6. P*Ropter iniquitatem*] Chald. *Vir malus capitur in peccato ſuo.* Et Aben-Ezra in hunc modum interpretatur. *Propter iniquitatem irretitur malus laqueo.*

8. *Illaqueant civitatem*] h. e. Miſcent omnia litibus & diſſidiis. Quidam verò exponunt יפיחו pro כמללין כדבא *loqui mendacia.*

9. *Abſque ulla ceſſatione*] i. e. Quando ſapiens loquitur, ſtultus vel ridet vel furit, ut ſapiens cauſam ſuam proponere non poſſit.

10. *Quærunt animam ejus*] h. e. Conantur liberare eum de manu ſanguinatiorum: vel ſecundùm alios, *quærunt animam ejus*, h. e. *ſtudent obſequi voluntati ejus.* Sæpe enim נפש capitur prò *voluntate.*

11. *Sapiens tandem compeſcit*] h. e. Sapiens loquitur diſcretè & non ſecundùm affectus. Hunc enim finem ſibi in loquendo præſcribit, ut ea loquatur cum debita modeſtia quæ ad rem faciunt & ad cauſam pertinent.

13. *Pauper & uſurarius*] Videtur hunc habere ſenſum, Deus miſeretur cujus vult, nec reſpicit perſonas: eligit publicanos, divites & pauperes. Alii tamen exponunt איש תככים pro בינוני & מציעא *mediatore*, quòd & pauper & mediator inter diſſentientes æquè digni ſint ut Deus illorum miſereatur.

18. *Quando non eſt viſio*] h. e. Quando non docetur verbum Dei, fit populus ſecurus & otioſus vacuuſque à timore Dei. Nec poteſt major eſſe calamitas in populo, quàm ſi illi eripiatur verbum Dei; id quod Amos cap. 7. vocat *famem verbi Dei.*

19. *Et cùm intelligat*] h. e. Licèt ſciat ſe caſtigari pro bono & commodo ſuo, renuit tamen auſcultari ei qui eum docet.

20. *Præcipitem in verbis ſuis*] Loquitur de homine qui omnia agit & loquitur cum tumultu, ſine diſcretione & ratione.

21. *Erit imperioſus*] h. e. Uſurpat ſibi tantam poteſtatem, tantamque arrogat autoritatem, ac ſi eſſet filius familias. Derivatur enim מנון à נין, quod ſignificat *filium & nepotem.*

25. *Pavor hominum*] Quidam putant eſſe מקרא מסורס, i. e. *lectionem inverſam*; ut hic ſit ſenſus, *Transgreſſio affert homini terrorem.* Alii tamen ſic exponunt, *Qui ſe pavidum aliis exhibet, huic malum & exitium ſtruitur.*

VATABLUS.

1. V*Ir increpatus, &c.* איש תוכחות וגו'] Ad verb. *Vir objurgationum indurans cervicem*, i. e. qui frequenter increpatur, & tamen indurat animum ſuum. Metaphora à bobus vel equis qui durâ ſunt cervice. Chald. *Vir qui non ſuſcipit increpationes, & indurat cervicem ſuam.* Quidam Hebræorum exponunt, *Vir increpationum*, i. e. qui alios ut à via ſua mala convertantur increpat, & ipſe *indurat cervicem ſuam* in his de quibus alios increpat, *ſubitò*, &c. Alii, *Vir increpationum*, i. e. qui indiget increpationibus multis, eò quòd admodum *ſuam induravit cervicem*, nec eruditur increpatione unâ, &c.

2. *Quando dominantur* ברבות] *Cùm multiplicati fuerint*, aut *multiplicantur.*

3. *Sed qui paſcit ſcorta* ורעה זונות] *Sed qui ſocius eſt ſcortorum.* Alii, *qui autem cum ſcortis amicitiam jungit.*

4. *In judicio* במשפט] *Ob judicium.* ¶ *Vir autem qui ſuſcipit dona* ואיש תרומות] Ad verb. *vir autem donorum*, vel *munerum*, i. e. qui capitur muneribus, & ob id injuſtè agit. Aut (ut alii exponunt & vertunt) qui tributa imponit.

5. *Amico ſuo* על רעהו] *Proximo ſuo.* ¶ *Ante greſſus ejus* על פעמיו] *Greſſibus ſuis*, i. e. ut ſe capiat adulator.

6. *In prævaricatione, &c.* בפשע איש רע מוקש]. Hebraïſmus, pro, *capitur proprio laqueo vir malus.* Quidam, *Ipſi malo transgreſſio ſua laqueus eſt.* Alii, *Propter iniquitatem quiſpiam incidit in laqueum malum.* ¶ *Cantabit*, ירון ושמח] Fut. Heb. pro præſ. *ovat & gaudet.*

7. *Cognoſcit, &c.* ידע צדיק וגו'] Hebraïſmus, pro, *Jus pauperis eſt curæ juſto: at impius nihil prorſus intelligit*, q. d. Non curat jus pauperis.

8. *Deriſores* לצון] Ad verb. *deriſionis*; *ſuperbiæ.* ¶ *Illaqueant civitatem* יפיחו קריה] Hebraïſmus, pro, *ſunt exitio civitati*, ſive *conjiciunt civitatem in periculum.*

9. *Vir ſapiens, &c.* איש חכם וגו'] Si *vir ſapiens litiget cum viro ſtulto, & iraſcitur, & ridet, & nulla eſt quies*: i. e. Si judicium ſubeat vir ſapiens cum ſtulto, modò ſtultus ridet eum, modò iraſcitur; breviter, ſtultum nullo modo ferre poteſt. Alii, *Vir ſapiens qui init judicium cum homine ſtulto, abſque ulla ceſſatione vel irritatur vel irridetur.*

10. *Viri ſanguinolenti* אנשי דמים] Ad verb. *Viri ſanguinum*, i. e. effuſores ſanguinis humani. ¶ *Quærunt animam ejus* יבקשו נפשו] Fut. Heb. pro præſ. Eſt autem Hebraïſmus, pro, *conantur liberare eum de manu ſanguinariorum.* Vel, ut alii, *quærunt voluntatem ejus*, i. e. ſtudent obſequi voluntati ejus. Sæpe enim נפש accipitur pro *voluntate.*

11. *Spiritum ſuum* רוחו] *Iram ſuam*; *ferocitatem.* Quidam exponunt *voluntatem*, aut *deſiderium.* ¶ *In poſterum, &c.* באחור ישבחנה] Fut. Heb. pro præſ. *poſtea pacat eum*, ſub. *ſpiritum*; vel *compeſcit & mitigat.* Quidam vertunt, *retrorſum cohibet eum.*

13. *Et vir uſurarium* ואיש תככים] *Et vir fraudum*, i. e. fraudulentus & doloſus: q. d. Deus miſeretur cujus vult, nec reſpicit perſonas; eligit publicanos, divites & pauperes. Alii vertunt, *Vir contritionum*, i. e. afflictus, ſive læſus in corpore. ¶ *Occurrerunt ſibi* נפגשו] i. e. Convenerunt; aut, in eodem penè gradu ſunt.

14. *Regis qui judicat, &c.* מלך שופט וגו'] *Rex qui jus reddit verè pauperibus, ejus ſolium ſtabilietur in æternum.*

17. *Et requieſcere faciet te* ויניחך] *Et quietem tibi afferet.* ¶ *Anima tuæ* לנפשך] *Animo tuo*; i. e. perfundet te gaudio in ſenio.

18. *Viſio* חזון] Sub. *prophetica.* Declarationem verbi Dei ſignificat, à *videndo.* ¶ *Diſſipatur* יפרע] Fut. Heb. pro præſ. *deficit, diſſolvitur, recedit, elongatur*: i. e. rebellis eſt.

19. *Erudietur* יוסר] *Corripietur.* ¶ *Quamvis intelligat, &c.* כי יבין וגו'] Ad verb. *quia intelliget, & nulla erit reſponſio*, ſub. *illi*: i. e. tametſi intelligat, tamen contemnit.

20. *Vides* חזית] Præt. Heb. pro præſ. Quidam, Si *videris.* ¶ *In verbis ſuis* בדבריו] *In negotiis ſuis.*

21. *Qui delicate nutrit* מפנק] Unico verbo Latinè reddi non poteſt, ut Hebraicè: i. e. delicatè nutriens. ¶ In *noviſſimo, &c.* ואחריתו יהיה מנון] Ad verb. *& in noviſſimo ejus erit filius*, i. e. certè tandem aget filium, ſive pro filio haberi volet: h. e. erit imperioſus & ſuperbus ut filius, & ità quidam vertunt.

22. *Iracundus* אף] Ad verb. *iræ.* ¶ *Et furibundus* ובעל חמה] Ad verb. *& dominus furoris*, i. e. ſtomachoſus, obnoxius furori. ¶ *Multiplicat prævaricationem* רב פשע] Ad verb. eſt *multus peccato.* Hebraïſmus, pro *frequenter peccat.*

23. *Humiliat eum* תשפילנו]. *Dejicit eum.* Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Suſtentat* יתמך] *Sublevabit*, i. e. Demiſſus animo potietur gloriâ: h. e. evehetur ad honores.

24. *Qui participat* חולק] *Qui dividit*, vel *partitur.* ¶ *Maledictionem audit, &c.* אלה ישמע ולא יגיד, i. e. Malè audit ab hominibus, nec audet conqueri ſe malè audire.

25. *Timor, &c.* חרדת אדם וגו'] *Pavor hominis injicit laqueum,*

queum, ſub. *homini*. Hebraïſmus pro eo quod quidam vertunt, *Qui metuit homines, corruet.* ¶ *Exaltabitur* ישגב] i. e. Servabitur quaſi in loco ſublimi. Metaphora ſumpta à militibus qui ſe in loca alta recipiunt.

26. *Quærunt faciem dominantis* מבקשים פני מושל] Hebraïſmus, pro, *ambiunt familiaritatem Principis.* ¶ *Judicium* משפט] *Conditio; fortuna.*

27. *Abominatio*, &c. תועבת וגו'] i. e. Abominantur juſti virum iniquum: & impius exſecratur eum qui eſt recti itineris. *Rectum itinere* vocat hominem cujus vitæ inſtitutum rectum eſt ac probum. ¶ Verſus qui iſtum ſequitur in Veteri Interprete, *Verbum cuſtodiens*, &c. non legitur in vetuſtioribus ſcriptis codicibus.

CASTALIO.

8. S*Apientes iram reprimunt*] i. e. Supplicium.

21. *Delicatè nutritus à pueritia ſervus ad extremum erit filius familiás*] Superbiet quaſi ſit liber.

26. *Dominantis conſpectum requirunt multi: ſed à Jova eſt hominum judicium*] Principibus placere ſtudent, ſed Deo placere convenit, à quo, non à Principibus, judicabimur.

CLARIUS.

1. V*Iro qui corripientem*] Heb. *Viro caſtigationum*, h. e. Qui alios caſtigat, & ipſe eſt *durá cervice*, nolens audire correptionem, &c.

9. *Sive iraſcatur*] Alius vertit, *Abſque ulla ceſſatione vel irritatur vel irridetur*: ut ſit ſenſus, Quando ſapiens loquitur, ſtultus vel ridet vel furit, ut ſapiens cauſam ſuam proponere non poſſit.

10. *Quærunt animam ejus*] h. e. Conantur liberare eum de manu ſanguinariorum, vel, ſecundùm alios, *quærunt obſequi voluntati ejus.*

11. *Compeſcet eum*] Loquetur enim diſcretè, & non ſecundùm affectus. Hunc enim finem ſibi in loquendo præſcribit, ut ea loquatur cum modeſtia quæ ad rem pertinent.

13. *Pauper & uſurarius*] Putant hunc habere ſenſum, Deus in miſerendo non aſpicit perſonas, eligit publicanos, divites & pauperes.

18. *Cùm prophetia defecerit*] Cùm non docetur verbum Dei, fit populus ſecurus & otioſus vacuuſque timore Dei.

24. *Adjurantem audit*] Vel, *audit maledictionem.*

25. *Qui timet hominem*] Alius vertit, *Pavor hominum ponit offendiculum*: & ſunt qui hunc afferant ſenſum, *Offendiculum*, i. e. tranſgreſſio, *affert homini terrorem*: & putant lectionem inverſam. Alii ſic, *Qui ſe pavidum aliis exhibet, huic malum & exitium ſtruitur.*

26. *Multi requirunt*] Sunt qui afferant hunc ſenſum, *Multos quidem adire Principes; verum quo animo, privatæne an publicæ utilitatis cauſâ, id à ſolo Deo judicari poſſe.*

R. BAYNUS.

1. V*Iro qui corripientem durâ cervice contemnit; repentinus ei ſuper veniet interitus, & ſanitas non ſequetur.* Heb. *Vir correptionum obdurans cervicem, repentè confringetur, & non ſanitas*] Caſtigationem & correptionem utilem eſſe ſuperiùs audivimus. *Melior eſt manifeſta correptio quàm amor abſconditus*, cap. 27. Sunt tamen plurimi qui uſqueadeo ſuis vitiis favent ut non poſſint æquo animo ferre reprehenſionem, imò pejores correptione nonnunquam fiunt, cervicem obdurant, nolentes obtemperare monitori, quanquam nihil ſit ſalubrius, nulla medicina præſtantior peccatoribus, quàm tempeſtiva correptio, ſalutaris admonitio. Quâ admiſsâ exceptâque levatur animus, lacrymis rigata conſcientia flexibilis efficitur ac ſanatur gratiâ. Contrà, qui præfracto animo & obſtinatâ mente rectè monentem rejicit, quotidie durior & obſtinatior evadens, tandem frangetur: non ut oſſa in carne, quæ nonnunquam conſolidari poſſunt; ſed tanquam vas fictile; quod ampliùs conglutinari nequit: q. d. De his qui malè agunt deſperandum non eſt, quamdiu increpationes ſuſtinere queunt, tantiſper, inquam, ſanari poſſunt. Cæterùm ubi ſemel non ſolùm non ſuſtinent, ſed obſtinaciter rejiciunt increpationem, nulla ampliùs ſanitatis ſpes eſt: imò ſubitò & præter omnem exſpectationem frangentur. Ad fragilitatem humanæ conditionis & naturæ alludit Scriptura. Quod ad contextum ſpectat, qui eſt ambiguus, variis modis verti poteſt: hunc ſenſum juxta noſtrum Interpretem habemus. In Hebræo, *Vir increpationum qui obdurat cervicem, ſubitò frangetur abſque ſanitate*] *Vir increpationum* dicitur qui ut meretur, ſubinde reprehenditur: vel, *Vir increpationum*, qui alios libenter reprehendit, *durá cervice*, q. d. non corrigit ſeipſum, hic non poteſt perſeverare, hic *ſubitò frangetur.* Sunt qui appellant *virum increpationum*, eum qui à Deo frequenter caſtigatus non poteſt ad ſanam mentem reduci, qui à pio Medico multas & crebras medicinas oblatas, *durâ cervice* recuſavit, tandem ad eam conſtitutionem animæ devenit, ut non poſſit ſanari, ſed traditus in reprobum ſenſum *confringetur*, cùm ſuper lapidem iſtum ceciderit. Iſte *vir increpationum*, qui correptiones toties *durâ cervice* contempſit, haud dubiè populus Judaïcus eſt, qui tandem confractus & per orbem diſperſus de ſanitate deſperare videtur. Sed quæ ſequuntur, videamus.

2. *In multitudine juſtorum lætabitur vulgus. Cùm impii ſumpſerint principatum, gemet populus.* Heb. *Cùm multiplicati fuerint juſti, gaudebit populus: ſed cùm dominatus fuerit impius, ingemiſcet populus*] Sunt qui verbum Heb. ברבות ſenſu regnandi vertant, *cùm regnaverint*, vel *imperium obtinuerint juſti.* Ubique maxima pars felicitatis ſeu infelicitatis Reip. pendet ab his qui primas in Rep. tenent, à regibus & principibus, qui ſi fuerint viri probi, ſi juſtitiam faciant, ut videlicet neque ipſi populum opprimant, neque permittant aliunde injuriam fieri, magnâ tranquillitate, pace & lætitiâ agit populus. Verùm *cùm regnaverit impius* in aliqua civitate, multa mala patitur populus; ſive quòd leges conſtituit iniquas, quibus omnia ad ſe rapit Rex improbus, quibus pœnas dant ſine cauſa boni cives; ſive quòd æquitatis rationem non habet malus Princeps, neque dat operam purgare Remp. à facinoroſis & peſſimis hominibus, quorum importunitate vexatus populus mœrere cogitur & ingemiſcere. Quanquam hoc Proverbium locum non habeat in omni ætate, tamen duo Tempora videtur deſignare: nempe Tempus perſecutionis Chriſtianorum, quo regnantibus tyrannis, magno luctu & mœrore fugere & occultare ſeſe cogebantur multi, & Martyrum horrenda ſupplicia dolere, & Tempus pacis Eccleſiis reſtitutæ, quo rerum potiti ſunt Chriſtiani Principes & unius Dei cultu, & religione Chriſtianâ unitis populis ſumma ubique lætitia exſtitit & gaudium in Domino. Obſervandum eſt in Heb. utrobique eſſe eandem vocem Heb. עם *populus*, non diverſæ dictiones, *vulgus* & *populus*, ut nos habemus; tamen in defenſionem Interpretis eſt aliquid diſcriminis. Nam priori loco ubi reddidit *vulgus*, ponitur articulus qui ex proprietate linguæ emphaſim habet, & vel numerum, vel potiùs dignitatem populi, qui ſub juſtis principibus feliciter agit, deſignat. Poſteriore verò loco legitur ſine articulo: q. d. *gemit populus* afflictus Divinitus, qui *vulgus* potiùs dici debeat, & indignus nomine *populi*.

3. *Vir qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam*] Quàm pernicioſus ſit amor alienæ & impudicæ mulieris juvenibus, quantoque impedimento ſit ſtudio Sapientiæ, principio hujus Libri copioſiſſimè dictum eſt. Hoc in loco ad amorem Sapientiæ hortatur Salomon, quòd Sapientiæ ſtudium omnem honeſtum amorem nutrit & auget; illaudatum verò & infamem exſtinguit. Quid honeſtius, quid optabilius, quàm parentes colere, quàm ſenectutem patris recreare, lætam efficere? Pater non poteſt non amare filium quem genuit; ſed ex cujus virtutibus lætitiam capit, filium vehementer amat, & lætus migrat ab hac vita, filium relinquens ſtudio Sapientiæ deditum, in quo quodammodo immortalis futurus eſt. Tali filio ſuas opes libenter relinquet, quem novit ſapienter familiam adminiſtraturum. Non ſolùm tuâ cauſâ igitur, quiſquis es, Juvenis, ſapientiam ama & amplectere, ſed ut patrem ſenem reddas lætum, & patri charus ſis. Nam ſapiens pater in filio non poterit oblectare ſeſe, quem viderit inhoneſto & pernicioſo indulgere amori. Qui enim amicus & charus eſt impudicis mulierculis, fornicariis & ſcortis, *ſubſtantiam perdet*, h. e. bona & hæreditatem à patre relictam diſſipabit. Vox Heb. רעה ambigua, vel *paſtorem* vel *amicum* ſignificat. Senſus eodem redit, ſive legamus *amicus ſcortorum* ſive *paſtor*: nam *amicus ſcortorum* ſolet ea alere, quod mediocri ſumptu poteſt fieri. Porrò qui hujuſmodi amoribus indulget, rem domeſticam negligat oportet. Atqui ità facilè facultates pereunt. Proverbium denique docet in hominibus duplicem dominari amorem, alterum ſpiritûs, alterum carnis: quorum unus filium magnopere honeſtat, & patri charum reddit, alter ad inopiam redigit.

4. *Rex juſtus eriget terram, vir avarus deſtruet eam.* Heb. *Rex per judicium ſtabiliet terram, & vir munerum diruet eam*] Pendit hic verſiculus ex eo quod præceſſit, *Cùm dominantur juſti, lætabitur populus*: ubi de duplici domino dictum eſt. Hoc in loco oſtendit quid faciat legitimum principem, & quid iniquum. *Rex in judicio*, vel *per judicium*] Sunt qui intelligant regem in judicio creatum; h. e. qui bonis actibus, ſive virtutibus, aut legitimâ ſucceſſione ad regnum pervenit. *Stabiliet*, vel, *eriget*] ſupple, regnum ſuum, *in terra*, h. e. diu regnabit in po-

pulo. *Et vir munerum*] h. e. qui per largitionem & per munera evectus eſt ad regiam dignitatem, ille *deſtruet terram*, expilabit populum terræ. Aliter, Rex qui per judicium Rempub. & ſuos ſubditos moderatur æquis legibus, & jus dicit cum æquitate inter virum & proximum ſuum, *faciet ſtare terram*, ut eſt in Hebræo, h. e. regnum ſuum in terra; vel, *terram ſtare*, eſt Remp. proſperitate florere: neque enim cadere aut labefactari poteſt Reſp. quæ ab optimo rege & optimis legibus gubernetur. *Vir avarus*, vel, *vir munerum*] ut eſt in Hebræo. Vox Heb. תרומות propriè *oblationes* ſignificat, & hujus vocis frequens eſt uſus in his quæ Deo offeruntur. Et eſt ſenſus, Vir qui neglecto judicio ſuſcipit munera vel oblationes, quibus placatus ſcelera dimittit impunita, permittit fieri mala, bonos viros opprimit, hic vir, non Rex legitimus, *ſubvertet terram*, h. e. populum terræ. *Vir oblationum* poteſt intelligi, vir qui vendicat ſibi ea quæ ſunt Deo debita. Et Proverbium notat avaritiam Principum, qui proventus Eccleſiaſticos applicant fiſco, & magnas oblationes altari debitas.

5. *Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico, rete expandit greſſibus ejus*] Paraphraſticè extulit Interpres vocem Heb מחליק *blandis fictiſque ſermonibus loquitur*, neque abſurde: nam magnam energiam inſinuat conjugatio verbi, quam Latina oratio non facilè aſſequitur. *Qui blandam & mollem facit* linguam ſuam *erga proximum ſuum*. h. e. Qui ſtudio & induſtriâ quadam blanditur amico ſuo, non amici fungitur officio, ſed hoſtis: ſimulans amicitiam quò ſuis blanditiis pertrahat amicum in fraudem, decipere volens amicum blanditur. Aliter, Amici munus eſt revocare ſocium ſuum ab errore, non ad ruinam perducere. Caſtigatus & correptus ſincero ſermone, quæ veritatem teſtatur, ad ſanam mentem reduci poteſt amicus. Cæterùm qui laudes ſuas audit ab amico, cùm nihil egregiè fecerit, cùm increpationem audire debeat, non poterit in via virtutis rectè incedere, non magis quàm qui compedibus vel reti involutos pedes habet. Adulatores enim veluti venatores ſunt, aut aucupes, qui feris aut avibus eſcâ propoſitâ blandiri videntur, interim tamen retia extendunt, atque earum animabus inſidiantur. Sic Adulator, dum vanis & falſis laudibus, velut reti, pedes, h. e. affectus, implicat, ut non poſſint progredi, ſed *à diaboli laqueis detineantur ad illius voluntatem*, 2 Tim. 2. 26. non amicus ſed venator eſt appellandus: juxta illud alterius Sapientis, Eccl. 9. *In medio laqueorum tranſis*. Contra ſalutem noſtram amicorum & parentum operâ crebro abutitur hoſtis humani generis. Non ſine cauſâ de Adulatoribus facta eſt mentio ſtatim poſt ſermonem de *Rege avaro, qui ſubvertit terram*: nam ad mala per adulationem plurimi Reges & Principes potiſſimùm devenerunt.

6. *Peccantem virum iniquum involvet laqueus, & juſtus lætabitur atque gaudebit*. Heb. *Propter prævaricationem viri, malus laqueus veniet ei*, vel, *malo loqueo capietur: juſtus verò*, &c.] Pendet juxta Aben-Hezra ex præcedente verſiculo, quo dictum eſt, *eum qui blanditur amico rete extendere*; ſed tamen laqueo, vel reti, non capietur quiſquam, niſi per tranſgreſſionem ſuam: q. d. Rete expanſum ab Adulatore non impediet greſſus alicujus, ſed iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ambiguus eſt ſermo in Hebræo. Poteſt enim verti, *In tranſgreſſione vir malus laqueo*, ſupple, *capietur*, vel, *malo laqueo*, ut Aben-Hezra legit, rationem accentuum ſecutus. Sequitur, *Sed juſtus lætabitur & gaudebit*] Qui laqueo tenetur, gemit: h. e. qui vel carcere præſentis temporis vel futuri, & pœnas luit ob tranſgreſſionem, dolet. Unde juſtus lætitiæ cauſam habet, partim quòd juſtè & modeſtè vivendo ſupplicium tranſgreſſoribus debitum evaſit; partim quòd prævaricatores illaqueatos videt: nam cohibitis & refrænatis peccatoribus, juſtitiæ & æquitatis opera liberiùs fieri poſſunt: quibus in rebus juſtus gaudere ſolet, juxta illud, *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam*, Pſ. 57.

7. *Novit juſtus cauſam pauperum; impius ignorat ſcientiam*] *Cauſam*, ſive *litem*. Non eſt contrarium hoc Proverbium legi quæ jubet, *Non conſideres perſonam pauperis*, Lev. 19. De cauſa loquitur Sapiens, non de perſona. *Litem cognoſcere* eſt juſtum judicem ſolicitum eſſe, potiſſimùm in cauſa pauperum, nè quid patiantur injuſte: nam unâ lite ad ſummam inopiam rediguntur nonnunquam. Cùm igitur in omni cauſa oporteat judicem cauſam diligenter cognoſcere, priuſquam ſententiam ferat, tum potiſſimùm in cauſa pauperum; & illa intelligentia juſtum judicem magis oſtendit, quam ſolicitudo in cauſa divitum, à quibus lucri aliquid fortaſſis exſpectat. Utcunque favoris ſuſpicio eſſe poteſt, in cauſa pauperis juſtitiæ laus eſt ſolicitum eſſe, inquam, ut veritas cognoſcatur. ¶ *Iniquus non intelliget ſcientiam*, h. e. intelligentiam & cognitionem cauſæ pauperis. Iniquus judex non dabit operam ut cognoſcat. Sic Aben-Hezra non ad aliam ſcientiam refert quàm intelligentiam æqui & iniqui in judicio. Proverbium ponit diſcrimen inter judicem juſtum & iniquum, & docendo monet ante omnia intelligentiam eſſe dandam judici, nè quid illum lateat eorum quæ ad cauſam ſpectant.

8. *Homines peſtilentes diſſipant civitatem, ſapientes verò avertunt furorem*. Heb. *Homines deriſionis illaqueabunt civitatem, ſapientes verò avertunt iram*] Interpres ſecutus LXX. frequenter vertit *peſtilentes* hanc vocem Heb. לץ, aliquando *deriſorem*, ut ſuperiùs non ſemel monuimus. *Viri deriſores*, ſive *peſtilentes*, ſunt doctores mali; *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, Pſal. 1. Heb. *deriſorum*, qui videlicet majorum leges & præcepta flocci-facientes, pro ſana doctrina ridicula quædam effutiunt. Nam revera deliramenta & ridiculæ nugæ ſunt ea quæ docent Hæretici noſtri temporis; ſi cum Patrum Sacroſanctis Canonibus conferantur. Hi *illaqueabunt civitatem*, h. e. homines civitatis capient, & ſecum trahent in impiam & ridiculam doctrinam, in quam ducent civitatem terrenam. ¶ *Sed ſapientes avertunt iram*] Dei à civitate. Poſſumus Eccleſiam intelligere, cujus magna pars illaqueata & circumventa à deriſoribus fuit, non ſolùm antiquitus, ſed his Lutheranorum temporibus, à ſapientibus autem & doctis paſtoribus ad ſanam doctrinam reverſa iram Dei evaſit. Simpliciſſimus ſenſus erit, ſi per *viros deriſores* intelligamus magiſtratus imprudentes & iniquos, qui civitatis & Reip. ſalutem negligentes, *civitatem diſſipant*: dum neque utilitati publicæ, neque concordiæ civium ſtudent. Et ubi non eſt gubernator, populus corruet, diſcordiis & aliis malis *illaqueatus*, ut eſt in Hebræo. *Sapientes verò* gubernatores *avertent iram* Dei, ſupple, *quæ facit hypocritam regnare*. Aliter, *viri deriſores*, qui contemnunt leges, & derident Regem, *illaqueabunt civitatem*, ut in ſervitutem redigatur: *ſed ſapientes placabunt iram* Regis, ſive terreni, ſive cœleſtis, juxta duas priores expoſitiones. Docet Proverbium ſalutem cùm cujuslibet civitatis, tum civitatis Dei, hoc eſt, Eccleſiæ, in prudentia gubernatorum conſiſtere.

9. *Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit, ſive iraſcatur, ſive rideat, non inveniet requiem*] Senſum bene reddidit Interpres, Verba Heb. ſic habent, *Vir ſapiens judicatus cum viro ſtulto, nunc iraſcetur, nunc ridebit, & non eſt requies*. Proverbium indicat ſtultum eſſe incorrigibilem. *Stultum* ubique intelligimus hominem ſapientiæ Divinæ expertem, qui nullâ ratione, nullâ ſapientiâ caſtigari poteſt. In judicio ratio reddi ſolet, quam ſtultus aliquando irâ, aliquando deriſione conatur elevare, eludere, neque quietè aget. Sunt qui *iram* & *riſum* ad *ſapientem* referunt. q. d. Sapiens qui in judicio contendere, vel potiùs judicium ſubire, & ex æquo judicari ſuſtinet cum ſtulto, nunquam quieſcit, *ſive iraſcatur ſive rideat*: h. e. ſive ſeriò agat, ſive joco, hominem non poterit vincere, neque ad finem perducere litem, ut aliquando quieſcat. Prior expoſitio eſt melior. Nullus erit litigandi finis, nam ſtultus nunc iraſcendo, nunc ſubſannando, judicii normam & æquam rationem illudet: q. d. Cum ſtulto agendum eſt non æquitate rationis, quam non novit, ſed caſtigationibus & flagris, ut ſuperiùs lectum eſt, *Virga in dorſo ejus qui indiget ſapientiâ*, Prov. 10.

10. *Viri ſanguinum oderunt ſimplicem, juſti autem quærunt animam ejus*. Heb. *Viri ſanguinum odio habebunt integrum*, vel *perfectum: ſed recti quærunt animam ejus*] Homicidæ, ſicarii & perditiſſimi quique homines, præter alia facinora quæ perpetrant, etiam *ſimplicem* virum, ſive ut eſt in Heb. *perfectum*, odio habere ſolent, ut qui, ſi non verbis, at vitâ & operibus ſuis eorum vivendi rationem damnant: q. d. Mira eſt malorum hominum & homicidarum cæcitas, qui uſqueadeo longè abſunt à perfectione virtutis, ut eam in aliis ſuſtinere non poſſint. Ægrotis in corpore aliena ſanitas non eſt moleſta: quiſque ſuâ fame, non alienâ ſaturitate torquetur: noſtro negotio & ſudore, non alieno otio fatigamur. Soli malefici & homicidæ, qui nihil habent virtutis, alienâ cruciantur honeſtate & perfectione. In ſummam deteſtationem homicidii tendit clauſula. ¶ *Sed quærunt animam ejus*] h. e. Interfectum *ſimplicem* hominem, ſive *perfectum*, vindicabunt *recti* & æqui judices, & non permittent homicidas graſſari impunè, & fundere ſanguinem innocentem: q. d. hoc in primis ſpectat ad æquos judices, qui ut in aliis cauſis pauperum diligenter cognoſcere ſtudebunt, nè pauperes opprimantur, ita interfecto ſimplice & perfecto viro, factâ inquiſitione, *quærunt animam*, h. e. ſanguinem interfecti. Aliter, *Recti quærunt animam ejus*, ſupple, *perfecti*, h. e. voluntatem ejus, dabunt operam illius implere deſiderium: vel etiam, *quærunt animam*, ab eo conſilium petent, ſequentur illius ſententiam. Prima expoſitio loco præſenti maximè quadrat.

11. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & reſervat in poſterum*: vel, *in poſterum quieſcere faciet eum*] *Totum ſpiritum*, h. e. Totam iram, vel quicquid habet in corde

cùm litigat in judicio contra ſapientem, ut reſpondeat priori clauſulæ, ubi lectum eſt, *Iraſcetur & ridebit, & non erit quies.* Aliter, *Stultus totum ſpiritum proferet.* Nullum majus ſtultitiæ argumentum eſt quàm non poſſe ſuum ſervare ſecretum: totum ſtatim effutire quicquid animo concepit, ſumma ſtultitia eſt. Aliter, *totum ſpiritum*, h. e. totam voluntatem ſuam, & deſiderium & appetitum proferet, & opere perficiet: q. d. Stultus eſt, qui non poteſt refrænare, nec cohibere appetitum & brutam portionem animæ, quæ valde ſtulta eſt, præſertim ſi actu proferatur, ſi ſeſe oſtentet in opere. ¶ *Sapiens verò in poſterum reſervabit*] Vel, *faciet quieſcere eum*, *ſpiritum* ſupple, & ſunt qui referunt ad *ſtultum*: q. d. Sapiens cohibebit ſpiritum ſtulti, juxta primam expoſitionem, cùm in judicio litigaverint, & ſtultus valde incandeſcens, quæcunque inſerit flava bilis, dixerit. Sapiens reddita ratione quieſcere faciet illius furorem. Aliter, *Sapiens faciet quieſcere ſuum ſpiritum*, h. e. ſuum appetitum, & deſiderium cujuſque rei, ut nihil faciat abſque maturo judicio, ut nihil præcipitanter, nihil ex primo motu, ſed *in poſterum faciet quieſcere*, ut quid cum ratione facere debeat, perpendat. Prima expoſitio videtur magis loco quadrare, juxta illud, *Cor prudentis poſſidebit ſapientiam*, Prov. 18.

12. *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios*] Proverbium monet Principes ut caveant adulatores: quod non poſſunt facere, niſi veritatem audire velint. Miniſtri Principum contendunt, quis inter eos Regi maximè poſſit placere, voluntatem & deſiderium Regis ante omnia ſpectant: quòd ſi Rex veritatem ubique libenter audit, probos habebit miniſtros, qui nihil apud eum mentiantur. Verùm ubi ſemel corruptus eſt Regis animus, & improbus effectus, ut nolit audire veritatem; miniſtri ejus, qui ex eo pendent, qui non videntur alium habere Deum, tantopere ſtudent placere Regi, ut nunquam veritatem præſente Rege loquantur, atque eâ ratione improbi evadant, in Regem & Remp. peccantes; imò maximè in Deum, qui ipſa veritas eſt: eâ ratione quoque opprimuntur & pereunt boni & innocentes viri, peſſimique quique ad publicas functiones vocantur: juſtitiâ oppreſsâ peſſum eunt omnia. O quanta Reipub. & omnium virtutum clades, ubi exoſam habet veritatem Princeps! Cujus rei utinam nullum haberemus noſtræ ætatis exemplum, utinam non tantam conquerendi occaſionem.

13. *Pauper & creditor obviaverunt ſibi: utriuſque illuminator eſt Dominus*] *Creditor*, vox Hebr. תככים, duo diverſa ſignificans reddit ſenſum ambiguum: utcunque in defenſionem Interpretis, ſive *creditor*, ſive *fænerator* vertatur, à neutra ſignificatione vocis Heb. multùm abhorret; ſignificat enim *confractionem* vel *fraudem*. Hebræi ferè paſſivè intelligunt, qui confracti ſunt paupertate & inopiâ, vel, qui fraudes paſſi ſunt: noſter Interpres potiùs eum qui opprimit fœnore. Proverbium indicat omnibus ſperandum eſſe in Domino, ſed præcipuè pauperibus & oppreſſis, qui non habent in hac vita in quo conſolationem capiant. *Pauper* igitur & *vir contritionum*, qui contritus eſt, vel *vir fraudum*, qui fraudes paſſus eſt, frequenter occurrunt: Nam ſimile gaudet ſuo ſimili, ut invicem conſolationem capiant. Sed dum in tenebris quodammodo paupertatis & miſeriarum verſantur, mutuam conſolationem non inveniunt: unus non poteſt alterius oculos illuminare, miſeriam ſublevare, ſeu opem ferre, ſed ambo deſtituti ope humanâ, ad Dominum per preces & fiduciam recurrunt, qui amborum oculos illuminat moleſtiis hujus vitæ propemodum excæcatos. *Illuminare oculos eorum*, eſt neceſſitatibus ſubvenire, ſive cibum dare in tempore ſuo, quod eſt *oculos illuminare*, juxta Hebr. ut legitur de Jonatha, qui *ſummitatem virgæ intinxit in favum mellis, & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi illius*, 1 Reg. 14. vel, *illuminare oculos* eſt patientiam præbere: *Et in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, Lucæ 21. Alius erit ſenſus, ſi ſequamur verſionem noſtri Interpretis, cujus etiam meminit Aben-Hezra. *Pauper & vir fraudum*, (ſic enim vertit Chaldæus) qui prædatus eſt illius opes, *facti ſunt obvii*, h. e. contrariis viis incedunt, hic per latam viam quæ ducit ad perditionem, ille per arctam viam quæ ducit ad vitam. *Illuminat amborum oculos Dominus*, ſed alterius oculum, quò ad proſperitatem hujus temporis reſpiciat, *Solem ſuum faciens oriri ſuper bonos & malos*, Matth. 6. Atqui hujus ſolis radiis illuminat oculum, fraudulenti viri, quibus plus videt in rebus caducis. Sed pauperis oculum illuminat Dominus, ut ea exſpectet *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.* Poteſt in bonam partem capi, ut ſit ſenſus, *Utriuſque oculos illuminat* Dominus, utrique ſpem præbet, uni videlicet in patientia ſua: alteri verò, per pœnitentiam & redemptionem peccatorum, per eleëmoſynam, dum pauperi occurrit: & huic ſenſui quadrat quod ſequitur.

14. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*] *Judicare in veritate pauperes*, eſt non honorare faciem divitum qui litigant contra eos, ſed verum judicium proferre. Solent ferè pauperes opprimi in judicio, eò quòd ad Regem non pateat acceſſus illis: divites muneribus ubique penetrant. Si pauperes judicandi ſunt *cum veritate*, h. e. abſque acceptione perſonarum, quantò magis divitum perſonas non oportet accipere? Proverbium monet Principes ſui muneris, quod eſt pauperum præcipuè audire cauſas, potiùs quàm divitum: nam divitibus non eſt periculum nè opprimantur in judicio, ſi ad inferiores judices veniant; ubique gratiam & favorem invenient, juxta illud, *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis*, Prov. 19. Verùm pauperes in veritate judicare neque poſſunt neque audent omnes judices, præſertim ubi ſunt adverſarii potentes. Coram minore judice cauſa pauperis periclitabitur. Rex ut muneribus ſecretò non corrumpitur, ità neque quenquam timet, ſed adversùs quemcunque liberè ſententiam proferre poteſt cum veritate & æquitate. Quòd ſi fecerit, & cauſas pauperum velit judicare in veritate, firmabitur ſolium illius in æternum. Sapientia Divina longè aliis quàm humana ſemper incedit veſtigiis: nam opibus & potentiâ, divitum gratiâ atque amicitia, ad Regnum pervenitur, armis & munitionibus ſtabiliri ſolet & retineri diadema. Contra hæc cœleſtis planè Salomonis Sapientia, pauperum defenſione quàm diutiſſimè ſolium firmari poſſe docet: quòd qui pauperibus patrocinatur, Dei Opt. Max. vice in terris quodammodo fungitur. Nam pauperum peculiarem defenſionem ſibi vendicat Dominus, juxta illud, *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*; Pſal. 9.

15. *Virga & correctio tribuit ſapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam*] In ſenſu quadrat cum eo quod ſcriptum eſt ſuperiùs, *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam*, Prov. 22. Aben-Hezra & alii Hebræi ſenſum reddunt paulò diverſum ab eo, quem verſio omnium Interpretum, quos ego vidi, præ ſe fert: nempe ut *virga & correctio* inſtrumentaliter capiantur, & ſubaudiatur *Sapiens*, vel *pater*, vel quicunque *dator ſapientiæ*, dabit eam per virgam & correptionem. Nam virgâ fugare ſtultitiam oportet priuſquam ſapientia poſſit intrare. Et præterea eſt infirmitas & ignorantia humanæ naturæ (*Cuncta enim cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore*, Gen. 6.) ut ex ſe ſapere non poſſit, ſed virgâ & caſtigatione eſt opus: alioqui valde rarò ad frugem literarum, ad cognitionem rerum, ad timorem Dei, & per timorem ad veram ſapientiam perveniunt. Infantes in pueritia caſtigandi ſunt, dum ætas eſt idonea: nam puer ſuæ libertati dimiſſus *pudore afficit matrem*, h. e. à patre non caſtigatus, neque ad frugem bonam evectus: mater illius cogitur erubeſcere, quòd tam indulgens fuiſſet filio, ut quem neque ipſa voluit corripere, neque ſignificare patri, quamvis maxima pars rectæ educationis liberorum ad matrem ſpectet: nam pro ea diſciplina quam ſub matre adhuc pueri capiunt, adoleſcunt in virtutum & literarum ſtudio. Proverbium monet peculiariter matres, nè ſint nimiùm indulgentes erga liberos, ut ſolent pro muliebri ingenio.

16. *In multitudine impiorum multiplicabuntur ſcelera, & juſti ruinas eorum videbunt*] Proverbium præbet conſolationem juſtis: qui cùm viderint tot improbos tantâ licentiâ perpetrare mala, niſi *per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem haberent*, Rom. 15. nihil eſſet illis miſerius, dicente Paulo, *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, 1 Cor 15. Salomon hoc in loco eodem modo juſtis conſolationem præbet, adversùs improbitatem malorum, quo David, *Adhuc puſillum & non erit peccator*, Pſal. 38. *In multitudine*, vel *multiplicatione, impiorum*] hunc habet ſenſum, Invicem ad mala perpetranda ſeſe provocant improbi, & quò plures ſunt, tantò ſunt audaciores, quò plures ſunt impii, tanto pauciores in mundo ſunt juſti, minùs erubeſcunt impii malefacere, minùs coërceri poſſunt. Scelus & tranſgreſſio, quæ vulgò fit impunè, approbari videtur, ut jam non ſit mirum ſi in multitudine malorum multa fiant mala, & tanta, ut juſtitiæ non videatur eſſe locus, juſti videantur non poſſe ſubſiſtere in mundo: quos tamen Salomon bono animo eſſe jubet, nam futurum ut brevi corruant impii, ruinam eorum ſpectantibus juſtis. Nam ut hominum effugiant manus, certè Dei judicium non effugient, & tantò minùs quantò plura commiſerunt mala idque ſpectantibus juſtis. Sunt ex Hebræis qui verbum יראו *videbunt*, interpretantur, *gaudebunt*, juxta illud, *Non videbis diem fratris tui*, h. e. *non lætaberis in morte fratris tui.*

17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ*] Sæpe diximus verbum Heb. יסר ſignificare *erudire*, *corripere*, ſive *caſtigare*. Et Salomon jam toties de correptione & caſtigatione pueritiæ locutus eſt, ſine qua ad frugem non po-

teſt

teſt pervenire, ſine qua tam ſeipſos quàm parentes ignominia non poterunt non afficere liberi. Quæ res ſi patres non excitat ad erudiendos liberos, intueantur ſaltem quantam ſint habituri amœnitatem, quantam recreationem & hujus vitæ delicias ex liberis bene inſtitutis. ¶ *Refrigerabit te*] Heb. *quieſcere te faciet*, vel *requiem dabit tibi*. Si bene caſtigaveris filium in pueritia, nihil poſtea cum eo habebis negotii, ſemper obtemperantem invenies; vel *requieſcere te faciet* in ſenectute tua, labores ipſe ſubibit, & domeſtica tractabit negotia, ea prudentia & dexteritate, ut ipſe quieſcere poſſis. ¶ *Dabit quoque delicias animæ tuæ*] h. e. Summam capies in animo voluptatem & lætitiam ex filio tuo jam ſapiente, & tantò majorem, quantò majore cura filium erudiri curaſti, ut non ſemel legimus; *Filius ſapiens lætificat patrem*, Prov. 10. Facilè enim non poteſt eſſe major lætitia vel recreatio patri, quàm laudes audire filii. Proverbium monet filios rectè inſtituere & erudire, quæ res magnam quietem ſenectuti patris affert, & voluptatem animæ.

18. *Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus: qui verò cuſtodit legem, beatus eſt*] *Diſſipabitur.* Verbum Heb. יפרע verti poteſt omnibus his modis, *Ceſſabit populus*, *otioſus erit*, *deficiet* vel *rebellabit populus*, vel denique *retrocedet populus*. Significat Hebræis hoc verbum פרע etiam plura. Sed ex his quæ poſuimus ſignificatis, nullum eſt quod huic loco non conveniat. *Cùm non ſit Prophetia*] Heb. eſt *viſio*: Sic enim antiquitus Prophetia vocari ſolet, & Propheta *videns*: ubi non fuerint Prophetæ ſive Eccleſiaſtæ, & Concionatores, qui doceant & exponant legem Dei, qui deterreant à malefaciendo, qui comminentur, & Dei timorem rebellibus incutiant, ſi non ſint, inquam, viri *potentes exhortari*, ut inquit Paulus, *in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*, Tit. 1. qui Sacras interpretantur Scripturas, *quæ Divinitus inſpiratæ utiles ſunt ad docendum, ad erudiendum in juſtitia*, 2 Tim. 4. ubi non ſunt hujuſmodi pii Concionatores, inquam populus primò *ceſſare* à bonis operibus, & *otioſus eſſe* incipit; deinde penitus *deficere* ab iis quæ ſunt religionis, tandem *rebellare* paſtoribus, non obedire, atque ità demum *denudari* (nam id ſignificat hoc verbum quoque) ab omni virtute, ut in hunc unum locum omnia etiam varia unius verbi יפרע ſignificata optimè quadrent. Ità (ni fallor) diſponente Spiritu Sancto, ut verborum compendio & ſterilitate in hac Scripturarum lingua, mira eſſet ſenſuum copia & fertilitas. ¶ *Et qui cuſtodit legem beatus eſt*] ut putà bonis omnibus hujus vitæ fruens. *Benedictus in civitate*, *benedictus in agro*, *benedictus fructus ventris tui*, *& fructus terræ tuæ*, &c. Deut. 28. Nos *ſpiritualia ſpiritualibus comparantes*, 1 Cor. 2. dicimus, *Beati qui audiunt verbum Dei*, *& cuſtodiunt illud*, Luc. 11. Proverbium ſignificat non ſatis eſſe quòd legem accepit populus Dei, niſi ſint qui ſubinde populum ſui officii commonefaciant. Felicitatem eſſe in obſervatione Divinæ legis, ſed eam frequenter populus non aſſequitur, quia legem Dei per negligentiam non obſervat.

19. *Servus verbis non poteſt erudiri, quia quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit*] Perquam neceſſarii ſunt in populo Prophetæ & fideles Concionatores, qui ad obſervationem legis inducant, ut dictum eſt. Sunt tamen aliqui uſqueadeo ſervili ingenio, ut more Phrygum non niſi flagris caſtigentur: *Verbis non caſtigabitur ſervus*] Verbis duntaxat: ſed *virgâ in dorſo imprudentium*, & quod modò legimus, *Virga & correctio tribuit ſapientiam*. Præter verba igitur opus eſt etiam correptione. Obſervamus hoc in loco Hebraïſmum qui frequens eſt, nempe ſuppletio hujus vocis, *tantum*. Per verba non caſtigabitur ſervus, h. e. per verba tantum. Similem loquendi modum & in N. T. legimus, *Mulier*, *venit hora*, *& nunc eſt*, *quando neque in monte hoc*, *nec Hieroſolymis adorabunt*, Joan. 4. Vel ſupplendum eſt *tantum*: vel, Eo modo quo nunc adorant Hieroſolymis & in monte hoc. ¶ *Quod dicis intelligit*, *& reſpondere contemnit*] Tametſi intelligat verba tua, quibus eum erudire conaris, tamen contemnet, q. d. Non poteſt erudiri verbis: hoc non eſt, quòd non poſſit intelligere, quòd capax non ſit ſapientiæ; non enim intellectus deeſt his qui ſuis cupiditatibus inſerviunt, & legem non ſervant, ſed voluntas. Satis bene Concionatores intelligunt, ſed *non eſt reſponſio*, (ſic enim Hebræi legunt) non eſt obedientia. Aliter juxta Hebræum, *quando intelliget non eſt reſponſio*. Servus non poteſt erudiri verbis duntaxat, verùm qui vir prudens & ingenuus eſt, nec verbis quidem opus habet, non indiget reſponſione, h. e. reprehenſione: ſatis eſt ut intelligat quid factu opus ſit. Prior expoſitio eſt melior.

20. *Vidiſti hominem velocem ad loquendum: ſtultitia magis ſperanda eſt quàm illius correctio.* Heb. *Vidiſti virum velocem in verbis ſuis: ſpes ſtulto præ illo*] Quadrat in ſenſu cum eo quod ſcribitur, *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri: magis illo ſpem habet inſipiens.* Nam qui præceps eſt ad loquendum, videtur in ſua ſapientia confidere: Alioqui *ſit omnis homo velox ad audiendum*, *tardus ad loquendum*, *& tardus ad iram*, Jac. 1. Niſi perſuaſum haberet ſe eſſe cæteris prudentiorem amaret audire magis quàm loqui: ſententiam ſuam proferre feſtinat, quaſi cæterorum præferendam. Hic cùm ſit ſapiens in oculis ſuis, quæ ſpes eſt ut aliquando ſapientiam diſcat ab aliis? Imò qui ſtultus eſt, & nec ignorat nec erubeſcit ſuam ſtultitiam, faciliùs ſcientiam diſcet, & major ſpes eſt ut ad ſapientiam aliquando perveniat. Ad loquendum feſtinat, qui docet antequam diſcat. Nos ſuperiùs hujuſmodi fiduciam in ſapientia propria, ſive *in oculis propriis*, ut priùs lectum eſt, ſive *in verbis*, ut hoc loco, oſtenſam & jactatam tribuimus Hæreticis & Judæis, qui cùm neque *charitatem habeant de corde puro & conſcientia bona*, neque *fidem non fictam converſi ſunt in vaniloquium*, *volentes eſſe legis doctores*, *non intelligentes*, *neque quæ loquuntur*, *neque de quibus affirmant*, 1 Tim. 1. Proverbium denique ſignificat longè abeſſe à ſapientia eos qui futiles & vaniloqui ſunt.

21. *Qui delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum*, *poſtea ſentiet eum contumacem.* Heb. *Poſtremò erit filius*, vel *tandem erit*, ſupple, *velut filius*] Quod ad ſenſum ſpectat hiſtoricum, quotidiana docet experientia, ſervos & tenuioris fortunæ homines, proſperam non poſſe ferre fortunam; ſed ſtatim inſoleſcere, alios præ ſe contemnere. Idcirco ad domeſticam curam ſpectat, (cujus ſana & prudens adminiſtratio, non minima pars ſapientiæ eſt in patrefamilias) ſic ſervos educare & inſtituere, ut quàm maximè utiles eſſe queant. Erunt autem, ſi pro conditione ſervorum, non liberorum, fuerint in victu & veſtitu tractati. Alioqui ſi in pueritia loco liberorum habiti ſunt, in ſplendore veſtitùs, in menſæ deliciis, cùm adoleverint, loco filiorum quoque eſſe volunt. Hoc eſt quod indicat vox Heb מנון, quæ non ſignificat *contumacem*, ut nos habemus, ſed *filiationem*. Sic enim habet Hebræus contextus, *Delicatè tractans à pueritia ſervum, poſterius illius erit filiatio*, vel *tanquam filius*] q. d. Poſtea pro filio haberi vult, non pro ſervo. In hoc verſiculo etiam Hebræi moralem ſenſum quærunt: quaſi Salomon non tam de ſervo loqueretur, quàm de ſenſitiva parte & bruto appetitu in homine; qui ſi à principio nimiis deliciis & magnâ libertate carnali laxetur, poſtea vix poterit à ratione refrænari, conditionem ſuam ampliùs non agnoſcet, ſed cum domina ratione de imperio contendet. Allegoricè in populum quadrat Judaïcum, qui cùm ſervilis fuiſſet conditionis, de ſervitute Ægyptiaca à Domino liberatus, & loco filii primogeniti magno honore habitus, hæc dicit Dominus, *Filius meus primogenitus Iſraël, dixit tibi, Dimitte filium meum*, *ut ſerviat mihi*, Exod. 4. ſed quantò majore honore habitus, quantò majoribus beneficiis affectus à Domino eſt populus Iſraël, tantò minùs tandem inventus eſt obediens, ut ſcriptum eſt, *Introducam eos in terram lacte & melle manantem*, *cumque comederint & ſaturati craſſique fuerint, avertentur ad deos alienos*, *& ſervient eis*, *detrahentque mihi*, *& irritum facient pactum meum*, Deut. 31. atqui in hunc ſenſum Canticum compoſuit Moyſes, *Audite cæli*.

22. *Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccata proclivior*] Sunt apud Hebræos duo nomina quaſi ſynonyma, אף *ira*, & חמה *furor*: quamvis, autore Aben-Hezrâ, hic vehementior ſit quàm illa, nempe חמה quàm אף, ut etiam apud nos *furor* quàm *ira*: utrumque procul abeſſe à ſapientia oſtendit Salomon. Hebraïſmus eſt, *Vir iræ*, qui obnoxius eſt, & facilè victus ab ira. Priorem partem hujus verſiculi habes ſuperiùs cap. 15. *Vir iracundus provocat rixas*: quamvis illic non *vir iræ*, h. e. אף, ſcribatur, ſed *furoris*, hoc eſt חמה: unde intelligimus has duas voces, quas Hezra diſtinguit, aliquando confundi. Ex ira magna & crebra multa ſequuntur mala, nempe rixæ & diſcordiæ, ſed ex furore plura: quæ cùm neminem lateant, commemorare non eſt neceſſum. Proverbium docet Sapientem ſedatis eſſe affectibus, quos qui non novit moderari, litibus & multis prævaricationibus implicatus, non poteſt Sapientiæ vacare, cujus acquiſitio hujus Libelli ſcopus eſt.

23. *Superbum ſequitur humilitas*, *& humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Heb. *Superbia hominis humiliabit eum*, *& humilitas ſpiritûs tenebit gloriam*: vel, *humilem ſpiritu ſuſtinebit gloria*] In ſenſu non eſt diverſum ab Euangelico elogio, *Qui ſe exaltat humiliabitur*, *& qui ſe humiliat exaltabitur*, plerumque in hac vita, ſemper ante tribunal Dei. Superbi fuerunt valde Pharao, Nabuchodonoſor & alii hoſtes populi Dei, & reliqui tyranni, Chriſti & Chriſtianorum perſecutores, qui adversùs Deum ſuperbientes, quaſi illius conſilium fruſtrari aut impedire potuerint: ſed in infimis ſuppliciorum cuſtodiis pœnas luunt, & cum ſumma ignominia malè audientes, hominum opinione ſunt viles & contempti. Contrà, qui Chriſto auſcultaverunt dicenti, *Diſcite*

à me,

à me, quia mitis ſum & humilis corde, Matth. 11. vel ante Chriſtum Patriarchæ Abraham ſummâ humilitate dicenti, *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis*, Gen. 18 vel denique qui Adamum è paradiſo ejectum, & Luciferum è cœlo reſpicientes, eorum exemplo & ſpiritûs Dei benignitate, humilitatem didicerunt, cœleſtem gloriam aſſequentur in cœlis, & apud homines in terris nominis famâ & honore nunquam carere poterunt: etiamſi Hæretici illis gloriam detrahant, quò majorem ipſi apud homines habeant, ſed *ſuperbia eorum humiliabit eos.*

24. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam: adjurantem audit, & non indicat.* Heb. *Qui partitur cum fure, odit animam ſuam: maledictionem audiet, & non indicabit*] Quod de furto dicitur, de quocunque facinore intelligi poteſt, juxta illud, *Non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, Rom. 1. præſertim ſi partem capiat cum fure, amans lucrum iniquum, *odit animam ſuam*, ut quam maledictioni & exſecrationi exponit: nam cùm audit omnem populum malè precari illis qui rem alienam abſtulerunt, quod omnes ſolent facere, ut innocentiam ſuam declarant, ipſe *audiet & non indicabit*, non reſtituet: non audet indicare rem ablatam furto apud ſe eſſe, nè furti reus arguatur, atque ità *exoſam ſuam habet animam*, quam & furto & maledictione gravat. Nicolaus de Lyra ex his verbis, *adjurantem audit, & non indicabit*, diverſum crimen excogitat ab eo quòd ſit particeps furti, nempe non manifeſtans furtum. Et ex novem modis quibus cùm fure fit participatio, hunc ultimum addit, *quando poſt furtum factum inquiritur de ipſo ut inveniatur, & aliquis ſcit & non indicat.* Hæc ille. Equidem dubito an liceat indicare ſi modò fuerit ſecretum, & ſi fuerit alioqui vir integræ famæ qui furtum commiſit: neque puto quenquam ſpoliandum ſuâ famâ & nominis integritate pro re temporali: ut huic ſuam pecuniam reſtituendam curem, illius nomen denigrabo? præſertim antequam ſeorſum egerim cum proximo, juxta illud Euangelii, *Si peccaverit in te*, h. e. te ſciente, *frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum*, &c. Matth. 18. Lege Thomam ſecundâ ſecundæ, quæſt. 33. art. 7. qui hanc quæſtionem exactiùs tractat, quâ ratione videlicet indicandum ſit crimen alterius, & quâ ratione non debeamus lædere famam alienam. Hebræus contextus qui ſic habet, *Maledictionem* ſive *juramentum audiet, & non indicabit*, non videtur illum habere ſenſum, quaſi maledictus eſſet qui non indicaret furtum alienum; ſed hunc potiùs, *qui partem capit cum fure, odit animam ſuam*, quia cùm *audierit maledictionem* in eos qui habent id quod furto ablatum eſt, *non indicabit*, ſed feret maledictionem, vel audiet juramentum, hoc eſt, juramentum admittet & pejerabit potiùs quàm indicaret furem, nè & ſeipſum videretur accuſare. Non eſt lædenda fama proximi, modò priùs fuerit integra, pro re temporali præſertim in cauſa privata. Lege Thomam ubi ſuprà.

25. *Qui timet hominem, citò corruet: qui ſperat in Domino, ſublevabitur.* Heb. *Timor hominis dabit laqueum; ſed qui ſperat in Domino elevabitur*] Quod ambiguum eſt in Heb. Interpres ad unum ſenſum contraxit. Nam *timor hominis* intelligitur, vel quando quis nimiùm timidus eſt, juxta illud, *Qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet*, Eccl. 11. opera præclara non audent aggredi qui fortitudine animæ carent: *timor* hujuſmodi *dabit laqueum*, & impediet quò minùs vel opes contemnat, & liberaliter in pauperes diſpergat, timens nè ſibi deſint aliquando neceſſaria: timet jejunare nè valetudinem lædat, aut vitam minùs diuturnam efficiat: corporalem timens mortem, Chriſti nomen non audet confiteri coram hominibus. Hic timor *laqueus* eſt, quo greſſus in via ſalutis impediuntur. *In Domino collocanda eſt fiducia*] Qui ſuos nunquam deſerit, ſed exaltat & elevat ſuper omnia damna & pericula quæcunque evenire poſſunt, contra famem, peſtem & gladium. Faciendum quod Dominus præcepit, illius voluntatem conemur implere, & de reliquo nihil timere. In Domino oportet eſſe ſecuros quod ad bona temporalia, quod ad ſanitatem, quod ad vitam ſpectat. Vel *timor* intelligitur *hominis*, in eo qui hominem timet, juxta illud, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, poſt hæc autem non habent quid faciant*, Luc. 12. Senſus eodem ferè redit, niſi quòd hic ſit anguſtior, reſpiciens duntaxat injuriam quæ ab homine nobis adferri ſolet: & hic timor rectè *laqueus* vocari poteſt, ut qui hominum mentes & voluntates involvat, quò minùs audeant facere quæ facienda noverit. *Timor hominis*, ſive quem quiſque in ſe habet, quem potentior homo imbecilliori-bus immittit, uterque magno ſapientiæ & virtutum eſt impedimento: ſed contra hujuſmodi humanum timorem, fiduciâ in Dominum erimus tuti & armati: nam ישגב *elevabitur* ſignificat, ſive *tuebitur*, loco munito collocatus videlicet. Metaphora tracta à munitionibus, quibus recepti milites ſeſe defendunt.

26. *Multi requirunt faciem Principis, & judicium à Domino egreditur ſingulorum*] Ex priore verſiculo ſenſus hujus qui eſt hujuſmodi, Quemadmodum timor hominis plus poteſt quàm timor Dei nonnunquam; ità & favorem Principis nonnulli plus quærunt quàm Dei amorem: ſed qui fiduciam habet in Domino facilè contemnet timorem hominum, ità qui cogitat Deum omnium eſſe judicem, & quicquid pronunciaverit Princeps, non humanum timendum judicium, ſed Dei, hic quæret Dei non hominis placare faciem. Nam ut ſuperiùs legitur, *Cor Regis in manu Dei eſt, & quocunque voluerit inclinet illud.* Aliter, juxta Hebraïſmum, *quærere faciem* eſt amorem ambire & favorem. Quod maximè ſolent facere qui judicio Principis ſubjiciuntur; ſed cùm judicium à Domino procedat, debemus potiùs Domini faciem quærere: nam apud nullum Principem cauſam habemus uſqueadeo gravem atque apud Dominum, qui judex eſt omnium, *Qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*, Lucæ 12. Illius igitur timendum eſt judicium.

27. *Abominantur juſti virum impium, & abominantur impii eos qui in recta ſunt via.* Heb. *Exſecratio juſtorum eſt vir iniquitatis, & exſecratio impii eſt rectus in via*] Multa de virtutibus & multa de vitiis hactenus tractavit Sapiens, quorum Coronidem addens, aſſerit hæc nihil inter ſeſe penitus habere commune. Vir iniquus eſt abominatio juſtorum, non quòd naturam humanam poſſint odio habere juſti, ſed iniquitatem, ſed impietatem exſecrantur, quæ juſtitiæ ex diametro repugnat, communem corrumpit naturam. In Heb. עול non tam *impium*, quàm *iniquum* ſignificat: ut ſit quædam jocunda illuſio, inter æquum & iniquum nihil eſt commune, ſicut neque inter improbum & rectum, juxta illud, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* 2 Cor. 6.

LUCAS BRUG.

20. **V**Idiſti hominem velocem ad loquendum? *Stultitia magis ſperanda eſt quàm illius correptio*] Manuſcripta, Brugenſe, Lobienſe & alia pleraque noſtra inſignia, cum iis quæ Pariſienſes annotarunt, Dionyſii oblongo, lato, Germani oblongo, lato, *correptio*, non *correctio*, legunt, id quod, ſicut produximus, in textum Hentenius tranſtulit; cujus poſſit ſenſus eſſe, Ab homine ad loquendum veloci potiùs exſpectandum ut aduletur quàm corripiat, exaſperet quàm emendet, delinquentes. Sed Hebraïcè eſt תקוה לכסיל ממנו *ſpes ſtulto præ illo*: quod exponunt, *Spes eſt de ſtulto magis quàm de illo.* Subaudiri autem poſſit, vel quòd delinquentes ſalutariter corripiet, vel quòd ſe ipſe corriget: illud ei de qua diximus Latinorum codicum lectioni conveniat (iſto ſenſu, Plus efficiat in corripiendo ſtultitia quàm loquacitas, h. e. ſtultus quàm loquax) hoc alteri, *Stultitia magis ſperanda eſt quàm illius correctio*, quæ cùm plerorumque librorum eſt, tum Enarratorum, Bedæ, Carenſis, Lyrani ac Richelii. Intelligentiam Beda hanc dediſſe videtur, Majorem de ſe correctionis ſpem ſtultitia præbeat quàm loquacitas. *Grave quidem*, inquit, *vitium ſtultitiæ, ſed non levius eſt verboſitatis. Nam ſæpe contingit ut idiota aliquis, & ipſarum quoque neſcius litterarum, cuius verba ſalutiferæ correctionis accipiat quàm is qui affluentia præditus ſermonis magis ſua, quæ novit, vel quæ ſe noſſe autumat, jactanter proferre, quàm dicta ſapientium audire contendit.* Hæc Beda, qui anne fortè *ſtulti* aut *ſtultitiæ* pro *ſtultitia* legerit, diſpici poſſit. Hæc ſanè & commentarius ejus & Scripturæ textus commodiùs admitterent. Nam citra omnem coactionem pateret ſenſus, Hebræo maximè conſentaneus. Hinc Iſidorus Clarius hunc ad modum emendavit, *Stulti magis ſperanda eſt quàm illius correctio.* Facilè certè potuit à ſcribis *ſtulti* aut *ſtultitiæ* cum *ſtultitia* mutari, maximè cùm id dimidius lectus locus exigere videretur. Viceſimo-ſexto hujus libri capite v. 12. eadem ſimilis ſententiæ verba Interpres reddidit, *Magis illo ſpem habebit inſipiens*, quod quid aliud eſt quàm, *Stulti magis ſperanda eſt quam illius correctio*, aut *correptio*? Cæterùm nolo ego quidquam pronunciare: tantùm ſuam do conjecturæ probabilitatem.

DRUSIUS.

1. ישבר. A. S. Th. *συντριβήσεται, conteretur.*

2. ברבות צדיקים. A. Ἐν τῷ πληθῦναι δικαίους, *Cùm multi ſunt juſti.*

3. ורעה זונות. A. *νέμων πόρνας, paſcens meretrices.*

4. איש תרומות. A. Th. *ἀνὴρ ἀφαιρεμάτων, vir donorum*, ſive *munerum*] Lexicon Heſychii, Ἀφαίρημα ſive Ἀφέρεμα, *ἀνάθημα, δῶρον.* 1 Mach. 15. 5. *πάντα τὰ ἀφαιρέματα.* Hier. *omnes oblationes.* Conſule Notas noſtras.

6. בפשע איש רע מוקש. A. Ἐν *ἁμαρτίᾳ ἀνδρὸς πονηροῦ πρόσκρουσις,*

εις, In peccato improbi hominis impactio, ſive *offenſio*. S. Ἐν ἀδικίᾳ ἀνδρὸς πονηρὸν σκάνδαλον, *In hominis iniquitate eſt malum offendiculum.*

8. אַנְשֵׁי לָצוֹן. Schol. ἄνδρες ἄνομοι] Quod nunc in ed Rom. Alibi eſt λοιμοὶ, *peſtilentes*. ἄνομοι, i. e. *exleges*. ¶ יָפִיחוּ. S. ἐθυμίασαν, *ſuffitu afflarunt*] Vel *afflant*, *inficiunt*. θυμιάω ſign. etiam *accendo*. Sanè LXX. vertunt ἐξέκαυσαν πόλιν. Sed Hier. *diſſipant*.

10. יְבַקְשׁוּ. S. ἐπιζητήσουσι, *inquirunt*.

11, בְּאָחוֹר יְשַׁבְּחֶנָּה. S. ἐπ' ἐσχάτων καταπραΰνει αὐτὸν, *tandem mitigat eum*.

12. מְשָׁרְתָיו. A. S. Th. λειτουργοὶ αὐτοῦ, *miniſtri ejus*. Schol. ὑπηρέται.

13. נִפְגָּשׁוּ. Schol. ἐλθόντων ἐπὶ τὸ αὐτό. ¶ מֵאִיר עֵינֵי שְׁנֵיהֶם יְהוָה. A. S. Th. Φωτίζων ὀφθαλμοὺς ἀμφοτέρων ὁ Κύριος, *illuſtrans oculos amborum Dominus*.

14. לָעַד. A. εἰς ἔτι. S. εἰς ἀεὶ, *ſemper*. Alius εἰς αἰῶνα, *in æternum*] Sic Hier. Pſal. 42. 5. עַד. A. διηνεκῶς, *aſſiduè*, *continuò*. 43. 5. S. εἰς ἀεὶ, *ſemper*. Job. 20. 4. מִנִּי עַד. LXX. ἀπὸ τοῦ ἔτι. S. ἀπ' αἰῶνος, *à ſeculo*.

15. וְנַעַר מְשֻׁלָּח. LXX. παῖς δὲ πλανώμενος, *puer errans*. A. ἐξαποσελλόμενος, *emiſſus*. S. νέος δὲ ἀφειμένος, *juvenis autem relictus*] *Relictus ſibi*, nulla diſciplina coërcitus. ¶ אִמּוֹ. Schol. μητέρα, *matrem*.

17. וִינִיחֶךָ. Schol. καὶ ἀναπαύσει σε, *& recreabit te*. ¶ מַעֲדַנִּים. S. Th. τρυφὰς, *delicias*.

18. בְּאֵין חָזוֹן יִפָּרַע עָם. A. Οὐκ ὄντος ὁραματισμοῦ ἀποσκεδασθήσεται λαὸς, *Non exiſtente viſione diſſipabitur populus*.

21. יִהְיֶה מָנוֹן. S. ἔσται γογγυσμὸς, *erit murmuratio*.

22. יְגָרֶה מָדוֹן. S. ἐρεθίζει μάχην, *prorritat litem*] *Laceſſit*, *irritat*, *excitat*, i. e. ἐγείρει, ut LXX. habent: quanquam in nonnullis libris ὀρύσσει. Cap. 15. 18. יְגָרֶה. A. ἐρεθίζει. S. ἀγριάζει, *irritat*.

23. גַּאֲוַת אָדָם תַּשְׁפִּילֶנּוּ. Cæteri, Ὑπερηφανία ἀνδρὸς ταπεινώσει αὐτὸν, *Superbia hominis humiliabit ipſum*. ¶ וּשְׁפַל־רוּחַ יִתְמֹךְ כָּבוֹד. Schol. καὶ ταπεινόφρων ἀντιλήψεται δόξης, *qui eſt animo humili & dejecto apprehendet gloriam*.

24. עִם־גַּנָּב. A. μετὰ κλέπτου, *cum fure*.

A M A M A.

1. **V**Ir increp.] Paſſivè.

3. זונה] Scortum, מנאפת μοιχαλίς. Hoſ. 4. 13. *Filiæ veſtræ ſcortabuntur & ſponſæ veſtræ committunt adulteria*. Vide Piſcat. Math. 5.

4. יעמיד] Stare. In Syr. *baptizare*. Apud Rabb. *precari*. Sine ſtationibus non ſtarent Cœlum vel terra. Jer. 15. *Si Samuel & Moſes* &c. Marc. 11. 25. *Cum ſtabitis precantes*. Et Math. 6. 5. ἑστῶτες προσεύχεσθαι. Statio geſtus reverentiæ. Audiebant verbum Dei ſtantes. Jud. 3. 20. Apoſtoli docuere ſtantes. Chriſtus ſedens in ſignum eminentioris auctoritatis.

תרומות] Vide noſtram de decimis.

נשפט] In Niph. *Contendere in judicio*. Kal. *Judicare*, *abſolvere* vel *condemnare*. Hinc per Synecd. generis damnatio. Et per Metonym. effecti deſtinati, pœna, executio. Rom. 13. 1 Cor. 11. Nota Miſphat, pro ratione agendi etiam peſſima, 1 Sam. 2. 13. 1 Sam. 8.

10. *Quærunt* יבקשו] In bonum. Sic Pſ. 142. 5. Nemo eſt דרש נפשי.

13. Jun. *Rudis & induſtrius*. Mercerus & Tigur. *Pauper & vir uſurarum*. Druſ. *Pauper & dives*. Nam omnis dives aut injuſtus aut injuſti hæres. Angli, *doloſus*, in Marg. *uſurer*. Erit ergo תכך idem quod תוך, fraus, dolus, uſura. Firmat locus Prov. 22. 2. *Pauper* ועשיר *occurrunt ſibi invicem*, *factor utriuſque eſt Dominus*.

מאיר] *Oriri facit ſolem ſuper juſtos & injuſtos*. Vel, cibat, nutrit, ſuſtentat, confortat. In fame caligant oculi & deficere dicuntur, ut & in omni afflictione & imbecillitate. Deut. 28. *Dabit tibi Dominus cor pavidum & defectum oculorum*, i. e. imbecillitatem. Jer. 14. Oculi brutorum dicuntur deficere præ fame, quod non eſſet herba. Pſ. 6. Contra 1 Sam. 14. de Jonatha cùm comediſſet mel, *& illuminati ſunt oculi ejus*, recepit vires, inſtauratæ ſunt vires ejus, quæ jam fame erant exhauſtæ.

14. משלח] Relictus ſibi. Ab. הולך על פי רצנו ſine caſtigatione.

15. *Creſcentibus*] Ætate. Cum ætate incrementa ſumit malitia. Jungunt cum præcedentibus.

יראו] Cum ב Ab. *videbunt & lætabuntur*. In bonum & malum ſumitur. In bonum ſignificat. videre optata cum voluptate. Abd. 1. Non debuiſſes videre ביום אחיך. Pſ. 118. *Videbo in oſoribus meis*.

In malum, ſpectare adverſa cum triſtitia & dolore Gen. 21. 16. *Ne videam* במות הנער. Gen. 44. *Ne videam* ברעה *quod eveniet patri meo*.

מעדנים] עדן ἡδονή. Et nomen loci, ubi Paradiſus. מעדנות idem, & vincula, 1 Sam. 15. 32. *Et ivit ad eum Agag* מעדנות ſub. ב cum vinculis.

Viſio] Prophetia, i. e. prædicatio verbi Dei. Hoc enim quoque continetur ſub Prophetia. Imo נביא nihil aliud eſt in genere, quàm qui res naturaliter ignotas ſcit, ſive præſentes, ſive præteritas, ſive futuras Joh. 4. 19. Sic Calchas definitur. Et προφήτης nihil aliud eſt, quàm ἑρμηνευτὴς τοῦ Θεοῦ, ut πρὸ ibi non ſignificet præ, ante, ſed ὑπὸ, ὑποφῆται, ut Theocritus Poëtas vocat μουσάων ὑποφήτας. Sic Moſes ſic Prophetæ anteriores &c.

תורה] Doctrinam Prov. 13. Thorath Sapientis fons vitæ. Sic Euangelium vocat Apoſtolus νόμον χριστοῦ. 2. Pentateuchum. 3. Totum Vetus Teſtam. Joh. 10. תרי״ג. 365. ש״כה. Neg. רמ״ח Aff.

19. יענה] Reſpondet. i. e. Obedit. Koh. 10. *Pecuniæ* יענה *reſpondent omnia*.

21. מנון. Jun. Orbus liberis. Melius, filiis. Sic נין Gen. 21. 23. *Si fallaciam feceris mihi* ולניני Verba Abimelech ad Abrahamum. Hinc ינון filiabit, propagabitur, ſoboleſcet nomen ejus coram ſole, i. e. quamdiu erit Sol. Hinc Ægypt. Nonnus, unde Nonna.

24. חלק] Sic Pſ. 50. Ubi mala verſio, ותרץ עמו. Piſcator putat eſſe mendum.

אלה] Audit execrationem & adjurationem adjurantium & execrantium ſi quis furem noverit, ut eum indicet, ſed non auder indicare, quia ipſe ſocius eſt furis.

Alii putant hic duas poni ſpecies communicationis cum peccatis alterius. 1. Nota eſt. 2. Si quis audiat blaſphemiam etiamſi cum animi mœrore & cordolio, & non indicet Lev. 5. 1.

26. Taxat homines qui tantum externis mediis innituntur, aut ſaltem magis quàm Deo, qui in manu ſua habet cor judicum.

G R O T I U S.

4 **R***Ex juſtus erigit terram*, *vir avarus deſtruet eam*] In Hebræo: *Rex in judicio*, (id eſt, qui judicium rectè exercet) *confirmat ditionem*. *At vir oblationum* (qui munera ſibi vult offerri, quaſi ſacerdos eſſet) *deſtruit eandem*.

11. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus*; *ſapiens differt & reſervat in poſterum*] *Spiritum ſuum*, id eſt, quicquid in animo habet. Sapiens abſcondit cogitata donec rebus ea promat. Iis præſertim quibus commiſſa eſt Reſpublica, neceſſariam eſſe diſſimulationem dixit non uno loco Cicero.

14. *Rex qui judicat in veritate pauperes*, *thronus ejus in æternum firmabitur*] Hebraiſmus: *Rex & ejus*, pro *Regis*. *Veritas* hic juſtitiam ſignificat.

18. *Cùm prophetia defecerit*, *diſſipabitur populus*] Nam Prophetarum inter alia munia erat, Legis præcepta inculcare populo.

24. *Qui cum fure participat odit animam ſuam: adjurantem audit, & non indicat*] Deeſt copula, *& qui adjurantem audit*: Par furi eſt qui à Magiſtratu adjuratus furem ſibi notum non indicat. Vide legem Levitici v. 1. Talis illa adjuratio in Oedipode Rege Sophoclis:

> Ὑμῖν προφωνῶ πᾶσι Καδμείοις τάδε·
> Ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάϊον τὸν Λαβδάκου
> Κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο,
> Τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί.
> [*Indico cunctis genere Cadmeo ſatis:*
> *Quicunque veſtrûm Laïo de Labdaci*
> *Novit, perierit cujus is caſus manu,*
> *Hunc jubeo cuncta dicere extemplo mihi.*]

Poſteà:

> Εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε, καί τις ἢ φίλου
> Δείσας ἀπώσῃ τοὖπος, ἢχ' αὑτοῦ, τάδε
> Ἃ 'κ τῶνδε δράσω ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ.
> Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ, γῆς
> Τῆς δ' ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
> Μήτ' εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
> Μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι
> Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.
> [*Quòd ſi tacetis, nempe quòd metuens ſibi*
> *Quiſquam aut amico veritatem abſconderit,*
> *Quid deinde ſim facturus audiri volo.*
> *Hunc nequis hominem, terra quàm latè patet*

Cujus

Cujus poteſtas in mea poſita eſt manu,
Aut alloquatur, aut ſuo excipiat lare,
Nec in deorum honore, nec de victimis
Participet illum, nec lavet pariter manus.]

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

1. V*Erba Aguri*] Aben-Ezra putat tempore Salomonis fuiſſe virum quendam integræ vitæ & magnæ ſapientiæ nomine *Agur*, cujus dicta & ſententias tranſtulit in librum ſuum. Et hujus viri ſocii vel diſcipuli fuerunt *Ithiel & Uchal*, *ad quos locutus eſt Agur more Prophetico ſequentia verba*, *Stultior ſum*, &c. Alii verò putant Agurum hunc fuiſſe Salomonem, ſonat enim אגור *Congregatorem:* Salomo autem *congregavit* verba ſapientiæ, & *deprompſit* ea, id quod יקה ſignificat, *dixitque prophetiam iſtam propter Ithiel*, i.e. uxores, quas plurimas habuit. Porrò *Uchal* ſignificat *Potero:* deprompſit enim Salomo multa ex ſapientia ſua, & *potuit*. Hæc Kabuenaki. Prior tamen opinio verior videtur. Itaque cùm Ithiel & Uchal interrogarent Agurum verba ſapientiæ, reſpondit eis ex humilitate, *Stultior ſum quàm ut me interrogetis de ſapientia*, &c.

8. *Pane demenſi mei*] h.e. Suppedita mihi cibum convenientem, ut nec abundem, nec eſuriam, aut egeſtate preſſus cogar furari. Certè Hebræi hanc egeſtatem ponunt ſupremo loco inter corporis neceſſitates quando ità ſcribunt, ארבעה דברים קשים זה מזה. מכת הלב קשה בגוף. וחלי מעים קשה ממנה. אשה רעה קשה משתיהן. וחסרון כיס קשה מכלם: *Marſupii*, inquit, *vacuitas gravior eſt plagâ cordis, colicâ paſſione & malâ muliere.*

10. *Ne accuſes*] Vel, *Non prodas ſervum.* Et alludit ad illud quod ſcribitur Deut. 23. *Non tradas ſervum domino ſuo*, ne ſcilicet pœna maledictionis ejus veniat ſuper te.

11. *Eſt generatio*] Enumerat hic quatuor hominum genera, quæ ob peſſima vitia graviſſimam Dei incurrunt iram; nempe qui inhonorant parentes, hypocritæ, ſuperbi, & calumniatores pauperum.

15. *Sanguiſuga*] Etiam quidam Hebræorum putant עלוקה eſſe *reptile quod exſugit ſanguinem, & tamen nunquam exſaturatur, ſicut nec duæ filiæ ejus, quæ perpetuò clamant, Affer, Affer.* Kimhi putat eſſe Crocodilum, ſi eum rectè intelligo, dicit enim eſſe *vermem magnum qui juxta fluvios reſidet, & capit prætereuntes homines & jumenta, exſugitque ſanguinem eorum.* ¶ *Et quatuor nunquam dicunt*] h.e. *Non tria, imò quatuor ſunt, quæ nunquam dicunt, Satis eſt*; nempe *Sepulcrum*, quod non ſaturatur cadaveribus; & Mulier cujus *vulvam* concluſit Dominus, & tamen cupit habere prolem. Alii intelligunt per *ſepulcrum* & *vulvam* ההויה והחפסד, i.e. *generationem & corruptionem*, quæ uſque ad finem mundi durant.

16. *Et terra*] h.e. Terræ naſcentia, quæ ſine aqua vivere & creſcere nequeunt.

19. *Viam aquilæ*] Per *Aquilam* intelliguntur omnes aves, quæ cùm pertranſeunt aërem, non relinquunt in aëre veſtigium ſui volatûs. Dicit quoque *Serpentem* mirabilem habere greſſum, quippe qui rectum tramitem non tenet, ſed perverſo incedit & ſerpit itinere. ¶ Et quod ſubditur de *Adultera*, quòd *poſtquam comederit tergit os ſuum*, intelligitur per *eſum* actus obſcœnus.

22. *Propter ſervum dominantem*] Qui ſcilicet in ſervitute furari & rapere didicit, & domino ſuo infidelis fuit. Talis enim futurus eſt ubi præeſſe cœperit. ¶ Porrò per *ſtultum ſatiatum* intellige divitem tenacem.

24. *Prudentiam excellentiorem*] Hebræi ſic exponunt, *Licet ſint parva corpore, habent tamen eximiam quandam innatam prudentiam. Formicæ monent ad ſedulitatem. Cuniculi exemplo ſuo docent veram quærendam ſecuritatem, quæ in ſolo Deo eſt. Locuſtæ proponunt exemplum juſtitiæ, ſunt enim ſine Rege, & tamen ordinem tenent in volando; Homines autem etiam ſub Magiſtratu in officio contineri nequeunt. Aranea ad laborem ſuo exemplo invitat.*

30. *Leo*] Putant per hæc animalia ſignificari Principem. *Leo* non ſævit niſi irritatus; ſic Princeps non debet exercere arma vel iram niſi cùm opus eſt. *Canis venaticus* inſectatur feras, non hoſpites ſuos: *Hircus* præcedit gregem tanquam cuſtos; ſic Princeps bonis legibus debet regere gregem ſuum. Et nota quòd hic dictio או תיש capitur pro conjunctione copulativa, & אלקום componitur ab אל קום.

VATABLUS.

1. A*Gur* אגור] Doctus quidam inter Hebræos putat tempore Salomonis fuiſſe virum quendam integræ vitæ & magnæ ſapientiæ, nomine אגור, cujus dicta & ſententias tranſtulerit in librum ſuum: & hujus viri ſocios vel diſcipulos fuiſſe *Ithiel & Uchal*, *ad quos locutus eſt Agur more Prophetico verba ſequentia*, *Stultior ſum*, &c. Alii verò putant Agur hunc fuiſſe Salomonem: ſonat enim אגור *congregatorem.* Salomon enim *congregavit* verba ſapientiæ; & *evomuit* ſive *deprompſit* ea, id quod יקה *Jace* ſignificat. *Dixitque Prophetiam iſtam ad* איתיאל *Ithiel*, i.e. *ad eum cum quo eſt Deus.* Porrò אכל ſignificat *Potero:* deprompſit enim Salomon multa ex ſapientia ſua, ut certè *potuit*. Prior opinio doctioribus magis placet. Itaque cùm Ithiel & Uchal interrogarent Agur verba ſapientiæ, reſpondit eis cum ſubmiſſione, *Stultior ſum quàm ut*, &c. ¶ *Prophetia quam dixit vir* המשא נאם] Ad verb. *Prophetia dictum viri illius*, &c. i.e. Dicit prophetia viri illius, ſcilicet Agur, qui erat inſignis doctrinâ & prophetiâ.

2. *Stultior* בער] Vox Hebraïca ſignificat *imperitum* & *eum qui craſſo eſt ingenio.* ¶ *Quolibet* מאיש] Ad verb. *à viro.* ¶ *Nec eſt*, &c. ולא בינת אדם] i.e. Non eſt mihi tantum intelligentiæ quantum homini competit.

3. *Sanctorum* קדשים] i.e. Rerum cœleſtium.

4. *Quis aſcendit*, &c. מי עלה שמים וגו'] Sub. *ut ea quæ in cœlo ſunt cognoſcat, & ea hominibus declaret.*

8. *Qui convenit mihi* חקי] *Portionis meæ*; vel, *ſtatuto mihi*; ut nec abundem, nec eſuriem.

9. *Aſſumamque* in vanum ותפשתי] *Et tractem impurè.* Alii, *abjurem.*

10. *Et delinquas* ואשמת] i.e. Poſtcaquam deliqueris, illo ſcilicet accuſato. Nam hic ו pro *poſtquam* ponitur: q.d. *Peccabis, & poſtea continget tibi maledictio.* Deut. 23. 15. *Ne tradas ſervum domino ejus, qui eruit ſe ad te à domino ſuo.*

12. *Et à ſorde ſua* ומצואתו] *A ſtercore ſuo.* Vel, *ab excrementis ſuis.*

13. *Quædam cujus*, &c. מה רמו עיניו] Ad verb. *quàm elati ſunt oculi ejus!* Per admirationem dictum.

16. *Et ſterilis vulva* ועצר רחם] *Et orificium matricis.* Significat orificium anguſtum quo ſuſcipitur ſemen genitale: Ità dictum ab *anguſtia.*

17. *Obedientiam* ליקהת] *Imperium*; *doctrinam.*

18. *Abſcondita à me* נפלאו ממני] *Quæ latent me.* Alii, *quæ mirabilia ſunt apud me.*

19. *In cœlo* בשמים] *In aëre.* ¶ *Et veſtigium viri in virgine* ודרך גבר בעלמה] *Et viam viri in puella*: vel, *adoleſcentula.*

20. *Via* דרך] *Mos*, *conſuetudo*: q.d. Sic latere ſolet hominis via mulieris quæ adulterium committit. Rem turpem honeſtis verbis exponit.

21. *Commovet ſe terra* רגזה ארץ] *Stomachatur terra*; *contremiſcit:* i.e. homines ſtomachantur ob tria. ¶ *Suſtinere* שאת] i.e. Temperare ab ira.

23. *Cùm heres*, &c. כי תירש גבירתה] Ad verb. *cùm hæreditaverit dominam ſuam:* i.e. deſignata fuerit hæres dominæ ſuæ.

24. *Parva* קטני] *Minima*; *maximè parva.* Quidam vertunt, *Quatuor ſunt quæ maximè parva ſunt inter ea quæ ſunt in terra; & tamen*, &c. ¶ *Sapientiora ſapientibus* חכמים מחכמים] *Sapientiſſima*: vel, *docta ſapientia*, ſub. *à Deo.* Ad verb. *ſapientiora ſapientatis*: ſic loqui liceat ad exprimendam vocem Hebraïcam.

25. *Populus non fortis* עם לא עז] *Genus infirmum.* Alii, *turma invalida.* ¶ *Attamen præparant* ויכינו] Ad verb. *& præparant.*

26. *Cuniculi* ſunt *populus non fortis* שפנים עם לא עצום] *Chœrogryllii genus non forte.* Alii, *Echini*: alii, *Ericii.*

27. *Locuſta* לארבה] Sing. pro plur. *locuſtis.* ¶ *Univerſa ipſa cum turma* חצץ כלו] *Univerſa ipſa turmatim.* Ad verb. *coadunata tota ipſa.* Alii, *dimidians:* i.e. in fruſta concidens & conterens herbas & arbores.

28. *Aranea* שממית] Quidam vertunt *ſtellionem*, vel *lacertam.* Alii dicunt ſignificare *hirundinem*, alii *ſimiam:* quorum opiniones improbat doctus inter Hebræos. ¶ *Manibus apprehendit* בידים תתפש] *Manibus texit.* Vox Hebræa propriè *tractare aliquid* ſignificat. *Manus* vocat pedes quibus telam texit aranea.

29. *Optimi inceſſûs* מיטבי צעד] *Quæ probè incedunt.* Ad verb. *quæ benefaciunt* (vel *bonificant*) *inceſſum.* Quidam dicunt eſſe nomen, non verbum.

31. Lælaps *præcinctus lumbis* זרזיר מתנים] Animal *præcinctum renibus.* זרזיר tantùm ſignificat *accinctum.* Hebræi autem accipiunt

piunt pro *cane leporario*, quem vernaculè (ut ait doctus inter Hebræos) appellamus *Leurier*; quòd in lumbis ſit tenuis, acſi lumbos haberet accinctos, à זרז Chaldæo verbo, quod *accinxit* ſignificat. Alii *pardum* vertunt, quòd tenuis & fortis ſit in lumbis. ¶ *Sive hircus* או תיש] *Etiam hircus.* או conjunctio disjunctiva *vel* non debet hic verti per *&*, ut docet inter Hebræos doctus: tametſi quidam etiam Hebræorum ità vertant. ¶ *In quem nemo inſurgit* אלקום עמו] *Cui reſiſtere nemo poteſt.* אלקום dictio una ex duabus compoſita, אל *non*, & קום *ſurgere*, quod nonnulli ſubſtantivum eſſe dicunt, & intelligunt אשר, hoc ſenſu, *Adverſus quem non eſt reſiſtentia.* Alii dicunt eſſe adjectivum, i.e. *conſurgens*; *Adverſus quem non eſt conſurgens.* Doctus inter Hebræos ſcribit eſſe infinitivum, ut ſit ad verbum, *Et Rex non reſiſtere contra illum*, i.e. cui reſiſtere nemo poteſt.

32. *Si cecidiſti*, &c. אם נבלת בהתנשא] *Si ſtultum quid dixeris, efferendo teipſum.* Vel, *Si veneris ad ſtultitiam causâ elationis tuæ*: i.e. Siquid imprudenter dixeris aut egeris præ ſuperbia. Quidam vertunt, *Si ſtultè egiſti cùm in ſublimi gradu eſſes.* ¶ *Et ſi malum cogitaſti* ואם זמות] *Aut certè cogitaſti.*

33. *Quemadmodum* כי] Ad verb. *Quia*, pro *Quemadmodum.* Quidam vertunt *Quoniam*, alii *Certe.* ¶ *Expreſſor* מיץ] *Expreſſio*; *concuſſio frequens*: vel *emulſio.* Quidam per verbum reddunt totum verſum, ſic, *Cùm quis premit lac, educit butyrum*; *& qui premit nares, elicit ſanguinem: ſic qui premit iras, producit litem.* ¶ *Sic expreſſor* ומיץ] Ad verb. *& expreſſio*; i.e. ira & irritatio iræ vehemens excitat contentionem.

CASTALIO.

1. AIt vir] Scilicet Agur.

15. *Sanguiſuga duas habet filias, Cedo, Cedo*] Similes ſunt hirundini, quæ duo habet ora, quæ ſanguine ſatiari nequeunt.

17. *Oculum qui patrem irridet, matriſque diſciplinam ſpernit, effodient fluviales corvi, & aquilini pulli comedent*] i.e. In crucem tolletur.

19. *Viri veſtigium in puella*] Si rem habuit cum puella.

20. *Comedit, & abſterſo ore ſuo negat ſe admiſiſſe flagitium*] Negat ſe ſtupratam: ut ſi quis poſtquam comedit, os ſibi abſtergeat, & ſe comediſſe neget.

22. *Fatuum cibo ſaturum*] Divitem.

28. *Manibus carpit*] Net.

31. *Gallus non elumbis*] Heb. *Gallus lumborum*, h.e. non caſtratus: nam capo non incedit magnificè.

32. *Os manu compeſce*] Nemini dicito.

CLARIUS.

1. VErba Aguri] Putant quidam tempore Salomonis fuiſſe virum quendam integræ vitæ magnæque ſapientiæ, nomine *Agur*, cujus dicta & ſententias tranſtulerit in librum ſuum: & hujus viri ſocios aut diſcipulos fuiſſe *Ithiel* & *Uchal*, *ad quos locutus ſit Agur more Prophetico* ſequentia *verba*, *Stultus ſum*, &c. Alii putant Agurum hunc fuiſſe Salomonem: ſonat enim *congregationem.* Salomon autem *congregavit* verba ſapientia & deprompſit ea, *dixitque prophetiam iſtam propter Ithiel*, i.e. uxores, quas plurimas habuit. Porrò *Uchal* ſignificat *Potero.* Aggreſſus eſt enim Salomon multa ex ſapientia ſua, & *potuit.*

4. *Continuit ſpiritum*] i.e. Ventum. Per hoc indicat naturæ illius ſubtilitatem & itinera incomprehenſa. ¶ *Quod nomen eſt*] Qui hæc facere poteſt, inquit, magnus profectò eſt, & cujus *nomen* dicere non potes, h.e. comprehendere majeſtatem, neque *filii ejus*, qui cùm ejuſdem ſit naturæ, paris etiam eſt majeſtatis. Et hic de more effugia quærunt miſeri & cæci Judæi, ut negent Perſonas in Divinis: ſed nihil afferunt quod nervos habeat.

10. *Ne accuſes ſervum*] Vel, *Ne prodas*: & alludit ad illud quod ſcribitur Deut. 23. *Non tradas ſervum domino ſuo*: nè ſcilicet pœna maledictionis ejus veniat ſuper te.

11. *Eſt generatio*] Enumerat hìc quatuor hominum genera quæ ob peſſima vitia graviſſimam Dei experiuntur iram, nempe qui parentes non honorant, hypocritæ, ſuperbi, & pauperum calumniatores.

15. *Sanguiſuga*] Hic locus, cùm plenus ſit Hebraïſmi, videtur à noſtris nondum fuiſſe intellectus. Senſus ergò eſt, *Sanguiſuga duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, Affer: imò ſunt tres, eæque inſaturabiles, imò quatuor, & nunquam dicunt, Sufficit.* Deinde has hujus Sanguiſugæ filias enumerat, *Infernus*, &c.

16. *Os vulvæ*] Heb. *impedita matrix*, h.e. mulier cujus vulvam concluſit Dominus, & tamen cupit habere prolem. Alii intelligunt per *ſepulcrum* & *vulvam* Generationem & Corruptionem, quæ uſque ad finem mundi durant. ¶ *Terra*] Terræ naſcentia, quæ ſine aqua vivere & creſcere nequeunt.

19. *Viam aquilæ*] Per *Aquilam* intelligunt omnes aves, quæ cùm pertranſeunt aërem non relinquunt in aëre veſtigium ſui volatûs. Dicit quoque *Serpentem* mirabilem habere greſſum, quippe qui rectum tramitem non tenet, ſed perverſo incedit & ſerpit itinere. Sed in hac narratione obſerva quàm abſtruſa delitescant in Scripturis myſteria. Nam Hebræus quidam ante etiam Servatoris Chriſti adventum, de eodem Chriſto hunc locum eſt interpretatus, & præcipua quæ in illo obſervanda ſunt notavit, ſed præpoſtero ordine dixit propheticè fuiſſe prædicta. Ut per *viam aquilæ* ſignetur Aſcenſio, per *viam colubri ſuper petram* Reſurrectio, per *viam navis in medio mari* Vita admiranda quam nobiſcum atque inter nos acturus erat, per *viam viri in adoleſcentula*, i.e. virgine, (nam in Hebræo eſt AHALMA, quæ *adoleſcentulam* ſimul & *virginem* ſonat) Nativitas ex virgine. Quod ſi recorderis Serpentis illius ſuſpenſi per Moſen in deſerto, videbis quadrare illud, *viam colubri ſuper petram.*

20. *Tergens os ſuum*] Quod ait, *poſtquam comederit tergit os ſuum*, intelligitur per *eſum* illum actus obſcœnus.

22 Per *ſtultum cùm ſaturatus fuerit*] Intelligunt divitem tenacem.

28. *Stellio*] Alius vertit *araneam.* Hebræi autem ſic exponunt; *Licet hæc ſint parva corpore, habent tamen eximiam quandam innatam prudentiam. Formicæ monent ad ſedulitatem. Cuniculi exemplo docent veram quærendam ſecuritatem, quæ in ſolo Deo eſt. Locuſtæ proponunt exemplum juſtitiæ: ſunt enim ſine Rege, & tamen ordinem tenent in volando; Homines autem etiam ſub Magiſtratu in officio contineri nequeunt. Aranea ad laborem ſuo exemplo invitat.*

31. *Gallus ſuccinctus*] Alius vertit, *Canis venaticus fortis in lumbis, & hircus*, &c. Putant autem per hæc animalia ſignificari Principem. *Leo* non ſævit niſi irritatus; ſic Princeps non debet exercere arma vel iram niſi cùm ſit opus. *Canis venaticus* inſectatur feras, non hoſpites ſuos. Sin *gallum* legas, & ipſe ſtrenuè familiæ ſuæ præeſt. *Hircus* præcedit gregem tanquam cuſtos; ſic Princeps bonis legibus regere ſuos debet.

R. BAYNUS.

1, 2, 3. VErba congregantis filii vomentis Viſio quam locutus eſt vir, *Cum quo eſt Deus, & Qui Deo ſecum morante confortatus, ait, Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & novi ſcientiam ſanctorum.* Heb. *Verba Agur filii Jache Prophetia: verbum viri ad Ethcel, ad Ethcel & Ucal. Cùm ſtultior ſim quovis, & non ſit intelligentia hominis mihi, neque didici ſapientiam, neque ſcientiam ſanctorum novi*] *Verba Agur.* Quarta pars hujus Libri hinc habet initium: nam prima ſectio ad 10. Caput extenditur, ſecunda ad 25. juxta ea quæ ſuperiùs obſervavimus. Eorum quæ ſequuntur hoc in loco veluti inſcriptio & titulus, præmittuntur quædam, autoris nomen & illius cui facta ſunt verba complectentia. Nomina propria Hebræorum ferè ſunt ſignificativa, quod in defenſionem noſtri Interpretis dici poteſt. Nam nomen *Agur* originem habet à verbo אגר quod *congregare* ſignificat, & יקה aliquam ſimilitudinem habet cum verbo קיא, quod eſt *vomuit.* Porrò לאיתיאל in voce & literis affinitatem cum dictione compoſita לא אתי אל, *non mecum Deus.* Quamvis, inquam, ad hunc modum Interpretem noſtrum tueri liceret, tamen ſi quis admittat contextum Hebræum, quem hodie habemus, multò rectiùs ſe habet verſio ſecunda, quam interpretando ſequemur, quod hactenus accuratè fecimus; Hebraïcam veritatem ſemper ob oculos habentes, eorum Commentariis potiſſimùm adjuti, hos noſtros qualeſcunque conſcripſimus. *Verba Agur*] Aben-Hezra putat Sapientem fuiſſe hoc nomine, cujus verba ad diſcipulos ſuos, nempe Ethcel & Ucal, habita, Salomon ſuo adjunxit Opuſculo. Alii, quos noſtros ſecutos eſſe video, ſentiunt Salomonem ſic vocatum, nempe *Agur*, h.e. *collectio*, quòd in eo homine multiplex eſſet coacervata Sapientia. Mihi magis arridet prima opinio, propter ea quæ ſequuntur: nam ut *Agur* dici poſſit Salomon, h.e. *congregatio*, *filius Jache*, ſive *Vomentis*, quî dici poſſit non video: nam cùm nomen viri & nomen patris illius ponatur, Scripturam nobis hominem aliquem inſinuare voluiſſe credendum eſt, ut omittam vehementer duram eſſe metaphoram, vocare Salomonem *filium Vomentis.* Sunt tamen ex Heb. quos ſecutus eſt Interpres, qui de Salomone interpretantur locum: q.d. *verba Salomonis qui congregavit ſapientiam magnam, & evomuit*, inquit Levi Ben-Gerſon, *cogitationes malas.* Nos cum Hebræis locum interpretamur de

de Propheta Agur filio Jache, cujus hæc ſunt verba ad Etheel & Ucal, & ſunt illius viri Prophetia, qui quòd inſignis eſſet, גבר, h. e. *vir*, à *fortitudine* dictus eſt, vel quòd illius ſapientia confirmata *convaluit*, & tantò magis, quantò de ſe humiliùs ſentiens locutus eſt, juxta id quod ſequitur, ¶ *Stultior ego ſum quàm quiſquam*] Rogatus Agur à duobus ſeu ſapientibus, ſeu diſcipulis illius, ut diceret aliquid, & doceret, reſpondet cum Socrate, *Hoc unum ſcio, quod nihil ſcio. Sum ſtultior cæteris hominibus*, & *non eſt mihi intelligentia hominis*, h. e ſapientia quâ alii præditi ſunt homines: mihi non eſt ſcientia in his rebus ſublimibus, de quibus quæſtio proponitur. *Non didici ſapientiam*, ſupple humanam, vel terrenam, ſed *ſcientiam ſanctorum*, ſupple angelorum, *novi:* ut aſſirmativè legatur, juxta verſionem Interpretis noſtri. Vel ex priore particula in ſecundam quoque transferenda eſt negatio, cujuſmodi modus loquendi frequens eſt in Scripturis, quod Lyranus negans, declarat ſe non fuiſſe verſatum in Scripturis legendis in Hebræa lingua; id quod loco magis opportuno notavimus. Repetatur, inquam, negatio, & erit ſenſus, *Non didici ſapientiam, neque ſcientiam ſanctorum novi*, ſupple ex meipſo; vel ſimpliciter non novi ſcientiam de his quæ ſequuntur.

4. *Quis aſcendit in cælum & deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti?*] Huc ſpectant iſtæ quæſtiones, ut oſtendat hîc Agur, ſive Salomon, qui Sapientiam coacervavit, quantis tenebris ignorantiæ verſetur genus humanum: ut oſtendat non ſine cauſa dixiſſe ſe carere ſapientiâ, & ſcientiâ ſanctorum, h. e. ſcientiâ quam habent *ſancti angeli, qui ſemper vident faciem Patris*, Matth. 18. Magna eſt ignorantia, non ſolùm rerum cœleſtium, ſed etiam terrenarum & infimarum, quod his verbis inſinuat, *Quis aſcendit aliquando in cælum*] Ut quid illic agatur intelligeret, & deinde *deſcendit*, ut doceret mortales. Non cujuſvis illud eſſe ſentiunt Heb. neque nullius, ſed rari cujuſdam, ut putà Moyſi, ſi illis velimus auſcultare qui in montem Sinai, ad præſentiam Dei velut in cœlum, aſcendit, & rurſum ad populum reverſus portans tabulas legis, velut ad terram deſcendit. Nos à Paulo edocti, de præſtantiori intelligimus: *amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domo qui fabricat illam, Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos*. Heb. 3. *Ipſe eſt qui aſcendit, & deſcendit primùm in inferas partes terræ*, Ephſ. 4. *Nam nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo*, Joan. 3. q. d. Iſte Agur, ſive Salomon, interrogatus à ſuis, ut aliquid de ſua proferret ſapientia, ignorantiam propriam profeſſus, ad hunc nos mittit qui aſcendit in cœlum, & deſcendit ad terram: hunc æquum eſt confiteri tanquam potentiſſimum & ſapientiſſimum, vel potiùs ſolùm inter hominis potentem & ſapientem, utpute qui mundum & elementa condidit & gubernat. Congregavit ventum rerum omnium maximè inſtabilem, & cujus impetum & curſum nullus Principum quantumvis potens, nullus Sapientum quamlibèt ingenioſus cohibere poteſt ullis machinis aut obſtaculis. Eſt tamen aliquis qui pugillis ſuis & palmis collegit ſpiritum, & ſubtiliſſima quæque elementa, & quod non eſt minùs ſtupendum, colligavit aquas in nubibus, quæ extenduntur ſuper capita noſtra velut veſtimentum, juxta illud, *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus*, Pſal. 103. ut de aquis in nubibus collectis fiat ſermo, quæ illic videntur ligatæ. Quis ligavit aquas? poſteaquam dixerat Deus, *Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum unum, & appareat arida*, illic conſiſtunt ac ſi eſſent colligatæ, neque littora tranſilire audent, ut ſcriptum eſt, *Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram*, ibid. Et juxta hunc ſenſum bene ſequitur, *Quis ſuſcitavit*, vel, ut eſt in Hebræo, *quis ſtatuit terminos terræ*, ſive *limites?* quaſi opus vehementer ſtupendum terram ſuos terminos & limites tueri contra tantas maris inundationes, quæ in ſublime nonnunquam erectæ, ſubjectam terram operiri videntur. Eſt igitur magna & ſtupenda potentia, ſapientia planè infinita illius qui ſic ſtabilivit terminos terræ, ut immobiles conſiſterent. ¶ *Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus ſi noſti?* q. d. Eſt aliquis qui hæc fecit, à quo ſapientiam petere poteris, ſi cognoveris nomen ejus: q. d. nomen Dei non fuit omnibus indicatum, nec notum. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis*, Exod. 6. Multa nomina deorum, & multa numina finxerunt ſibi olim infideles. Illud verò unum *nomen quod eſt ſuper omne nomen* non cognoverunt. Per *nomen*, potentiam majeſtatemque intelligimus, & non ſolùm Patris, ſed Filii quoque nomen ſcire & colere oportet: *Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem*, Joan. 5. Locus eſt maniſeſtiſſimus contra Judæos occæcatos, qui Filium Dei negant, de quo vaticinatus eſt hoc in loco Sapiens: nam ut rectè ratiocinatur Nicolaus de Lyra, ſi, ut aliquot ex Hebræis exponunt hunc locum, de Moyſe intelligeretur, non tam Prophetia, quàm narratio ſive hiſtoria eſſet. Vocat autem Scriptura Prophetiam, quæſtiunculis quibuſdam nos adducens in admirationem Patris & Filii, *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ* Dei *abſconditi*: q. d. Qui hæc opera facit quæ recenſuimus, verè ſapiens eſt, à quo tanquam à fonte omnis ſapientia profluit; ſuam ignorantiam agnoſcat homo quod Agur facit. Sunt ex Hebræis, qui ſic intelligunt locum, quaſi Agur interrogatus de creatione mundi, reſpondeat quæſtiones tales ſuperare ſapientiam humanam, ſive de cœlis, ſive de elementis fiat ſermo: & quaſi reſpondiſſet ex adverſo aliquis, aſſerens aliquando fuiſſe Sapientes qui potuerunt rationem reddere in hujuſmodi difficultatibus, rogat viciſſim Agur quod nomen illius, vel ſi mortuus eſt, quod nomen filii; q. d. ſupereſt ne aliquis illius familiæ? Non eſt abſurdum ſi Prophetiam de Chriſto æterni Patris Filio hujuſmodi narratione abumbrari fateamur.

5, 6. *Omnis ſermo Dei ignitus, clipeus eſt ſperantibus in ſe. Nè addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax*] Superiùs oſtenſum eſt Sapientiam Patris & Filii, ſempiternam quoque ejus virtutem & Divinitatem ex operibus creationis ſive à creatura mundi illuceſcere & oſtendi hominibus. Cæterùm his duobus verſiculis laudem Scripturarum Divinitus inſpiratarum complectitur Salomon, quibus ad amorem illius Sapientiæ accendamur, contemnentes mundanam, ſive ſapientiam, ſive felicitatem: contra quam conſolatione Scripturarum ſatis tuti erimus. Omnis ſermo Dei conſentit cum Davide; *Eloquia Domini caſta, argentum igne examinatum*, Pſal. 12. q. d. ſecundùm Hebræos, Vos me interrogatis quæſtiones ſublimes & difficiles de creatione mundi, de rebus cœleſtibus & elementis mundi, in quibus curioſiùs verſari ad Sapientem non ſpectat: ſed quæ in Scripturis continentur ſunt tenenda, nam in illis certum eſt non eſſe errorem. In his quæ traduntur à Philoſophis Sapientibus hujus mundi non conſiſtit ſalus hominis, ſed in his quæ in verbis Dei ſunt revelata hominibus. Sunt enim, non aliqua pars, ſed omnia verba & eloquia Dei purgata, velut argentum purum ab omni ſcoria, ſic verba Dei ab omni mendacio & errore. *Scutum eſt ſperantibus in eo*, ad *Deum* refertur in Hebræo, non ad *eloquium*: q. d. Si quis per eloquia Dei veniat in notitiam Dei, quod faciliùs fiat quàm per creaturam mundi, & in Deum cognitum totam ſpem collocaverit, hic à Deo tuebitur ab erroribus in quos inciderunt Philoſophi, qui per creaturam mundi in Dei cognitionem pervenerunt. Et proinde Dei eloquiis cum impendamus honorem, ut quemadmodum purgata ſunt, ità à nobis non contaminentur, non adulterentur, quod olim fecerunt Judæi. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aquâ*, Eſa. 1. Et quod hodie faciunt Hæretici, ſua gloſſemata Scripturis addentes, puritatem illarum inficere conati ſunt, non quod ſancti Doctores fecerunt hactenus, videlicet, cum modeſtia & humiliate in obſcuris locis & difficillimis ſanum eruentes ſenſum, qui legi in cordibus fidelium ſcriptæ non eſſet contrarius, ſed conſentiens. Verùm ad inſtitutam expoſitionem revertamur.

7, 8, 9. *Duo rogavi te, nè deneges mihi antequam moriar: Vanitatem & verba mendacia longè fac à me: mendicitatem & divitias nè dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria: Nè fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer & perjurem nomen Dei mei*] Magnam ſapientiam oſtendit hic, ſive Agur, ſive Salomon. Superiùs à quæſtionibus docuit abſtinendum ſublimioribus de operibus Dei, quæ nè à ſapientiſſimis quidem ſatis explicari poſſunt, juxta illud, *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine? nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*, Pſal. 91. ſed ſtudio Scripturarum potiùs vacandum, in quibus nullus eſt error, ſed pura & ſimplex veritas, & ex quibus vitam rectè inſtituere cognoſcere poterimus, tam in his quæ ad corpus, quàm in illis quæ animæ curam ſpectant: quæ ſunt à Deo petenda, id quod Divina teſtantur eloquia: petenda, inquam, in hac vita: nam *venit nox quando nemo poteſt petere, neque operari*, Joan. 6. & inſtanter petenda, quod inſinuat Scriptura dicendo, *Nè deneges mihi antequam moriar*] h. e. in præſenti vita. ¶ *Vanitatem & verba mendacii longè fac à me*] Hebræi nudè intelligunt; Quidam ex eis per *vanitatem* & *mendacium*, duplicem falſitatem intelligunt, alteram in ſermone quotidiano, alteram in perhibendo falſo teſtimonio: alii שוא & כזב ad *vanitates* vitæ & *errores* inlectûs referunt: q. d. Longè fac à me, nè in vanitatibus hujus vitæ me oblectem ſed in rebus ſeriis & honeſtis vitam tranſigam. Porrò fac procul à me mendacium, nè in errores & malas incidam opiniones. Et quadrabit cum eo quod ſcriptum eſt, *Filii hominum*

uſque quò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Pſal. 4. Alii *vanitatem* & *mendacium* ad errores & deceptiones referunt: quaſi peteret Sapiens, ut neque ipſe erret, neque alios in errores & deceptiones mittat, nè ſit ex numero eorum de quibus Paulus, *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes*, 2 Tim. 3. Mihi placer, ut *vanitas* & *mendacium* ad integritatem fidei referantur, & *vanitas* contra idololatriam addatur, juxta illud, *Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*, & *non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*, Pſal. 39. *mendacium* verò contra falſa dogmata. ¶ *Paupertatem & divitias nè dederis mihi*] Sequitur in Hebræo, *Ciba me pane debito*, ſive *ordinato*, h. e. neceſſario & ſufficienti. Poſt petitionem de integra religione & fide incorrupta, ſequitur petitio quæ ad mores & integritatem vitæ ſpectat, quæ ferè pendet ex affectu & animo, quem erga res terrenas & opes habemus: nam *radix omnium malorum eſt cupiditas habendi*, 1 Tim. 6. Si quis cum Petro dicere poſſit, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te.* Aliarum cupiditatum facilè domabit affectum. In contemptu divitiarum, qui difficillimus eſt, dicente Chriſto, *Facilius eſt camelum intrare per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum Dei*, Matth. 19. ventris concupiſcentia, & ea quæ ſub ventre eſt, faciliùs vincitur. In ſumma, vitæ integritas in contemptu opum maximè conſiſtit. Petit igitur Sapiens, quod Paulus monet, *Nihil intulimus in hunc mundum*, haud dubium, quia *nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta ex quibus tegamur, his contenti ſimus: Nam qui volent divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, 1 Tim. 6. ¶ *Nè fortè ſatier & negem*] Ut eſt in Hebræo, h. e. *nè fortè ubi ſatiatus fuero negem, & dicam, Quis eſt Dominus? & nè fortè pauper ſiam, & furer; ſumamque nomen Dei* (ſupple *in vanum.*) Qui negant hæc eſſe Salomonis verba, ſed alterius, nempe Agur, ex his verbis ſuam tueri poſſunt ſententiam, cùm Salomon filius Regis, Rex ditiſſimus fuerit, nec paupertatem timuiſſe, nec magnas & ingentes divitias deprecaſſe putandus eſt; niſi fortaſſis dicamus, Salomonem pro ſe non petiiſſe, ſed alios modum poſtulandi docuiſſe, præſertim eos qui ſub lege erant. Nam his qui ſub Euangelio militant, & omnibus venditis ac diſtributis ad perfectionem, quam Chriſtus docuit, aſpirant; Monachis (inquam) religioſis, qui paupertatem vovent, videtur non quadrare ut petant, *Divitias & paupertatem nè dederis mihi*: qui paupertatem profitentur, quî poſſint deprecari paupertatem? ¶ *Nè fortè ſatiatus negem*] Quamvis videatur referendum ad hoc quod proximè præceſſit, nempe *divitias nè dederis mihi*; & eàdem ratione, *nè fortè furer*, referri videatur ad illud, *Paupertatem nè dederis mihi*; nam ut divites minùs ferè ſunt religioſi, & Deum ſæpenumero negligunt, ità pauperes ubi per egeſtatem furati ſunt, pejerant nomen Dei potiùs quàm juxta legem Moſaicam vendantur cùm ſolvendo non fuerint: Quamvis, inquam, his duabus clauſulis, videatur Sapiens reddere rationem petitionis ſuæ, tamen plenior erit ſenſus, ſi intelligamus hunc verſieulum, *Nè fortè*, ad utramque petitionem referri, ad hunc modum, Longè fac à me vanitatem, & nè dederis mihi divitias, nè fortè ſatiatus negem & dicam, Quis eſt Dominus? ut de Pharaone legitur. Longè fac à me verbum mendacii, & nè dederis mihi paupertatem, nè fortè ad inopiam redactus furer, & ſumam nomen Dei in vanum. Et niſi ad hunc modum referantur ſingula ſingulis, videbitur abſurdum, ut dicat quis, divitias ſolùm adigere aliquem ad oblivionem, vel negationem & contemptum Dei. Non enim divitiæ quas Abraham poſſedit, & quas Dominus Salomoni dedit, ultra reliqua bona quæ poſtulabat, ad Deum negandum pios homines induxerunt: ſed ſi ad vanitatem, h. e. ad impiam, vel neglectam religionem, accedant divitiæ, cum ſaturitate & otio, quæ in impiis hominibus ſunt ferè comites divitiarum, nonnunquam evenit quod ſequitur, *Et negem, & Dicam, Quis eſt dominus? Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, h. e. idololatriam committere, Exod. 23. Sed populus qui priùs dixerat, *Fac nobis deos qui nos præcedant: huic Moyſi neſcimus quid accidit*, neque in Deum illius volumus ampliùs credere. Pari ratione non paupertas ad furtum & perjurium quemquam adigit, ſi ab eo longè fuerit verbum mendacii: verùm qui mentiri gaudet, & opiniones hominum fallere, paupertate invaleſcente ſuffurari aliena, & perjurio ſeſe tueri non morabitur. Sunt ex Hebræis qui in divitiis & paupertate, ſapientiæ exceſſum & defectum intelligant, non quòd veræ ſapientiæ ullus poſſit eſſe exceſſus, ſed ſunt qui ſupercilium ſapientiæ ſibi arrogant, *Qui volunt plus ſapere quam oportet ſapere*, Rom. 12. Hi, quia ex Deo ſapientiam non petunt, neque habent, ſuâ opinione ſaturati negant & dicunt, Quis eſt Deus? ut qui à vera ſapientia Dei audire noluerunt, *Ego & pater unum ſumus.* Sed hic ſenſus ut allegoricus eſſe poſſit, ità coactior eſt quàm ut hiſtoricus & literalis ſit.

10. *Nè accuſes ſervum ad dominum ſuum, nè fortè maledicat tibi & corruas*, vel, *delinquas*] Non accuſabis, inquit Nicolaus de Lyra, ſine gravi cauſa. Sed cùm lex jubeat aberrantem bovem vel ovem reducendos, Deut. 22. quantò magis ſervum fratri deberes reducere? Quis enim hæc ſibi fieri nolit? Vitia ſervorum quis nolit cognoſcere ſuorum? Ad utriuſque commodum ſpectat, ſi quid delinquat ſervus, ut dominus intelligat. Et proinde non de quocunque ſervo intelligunt Heb. ſed duntaxat de ſervis Gentilium, qui ad filios Iſraël confugerant, quò proſelyti fierent, ut ſcriptum eſt, *Non trades ſervum domino ſuo qui ad te conſugerit: habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in una urbium tuarum quieſcet: non contriſtes eum*, Deut. 23. In Heb. תלשן, verbum à *lingua* deductum, *detrahere, accuſare*, vel denique *durius aliquid loqui* ſignificat. ¶ *Nè maledicat tibi, & delinquas*] Reddit duas cauſas, quibus deterreat ab hoc crimine, nempe nè maledicat, malè precetur: q. d. non minùs timenda eſt maledictio pauperis & impotentis, quàm vires & opes divitum; habent enim Deum ultorem impotentes, viduæ & orphani, & alii qui humanâ deſtituuntur ope, præſertim ſi ad Deum confugiant, quemadmodum hic ſervus de quo fit ſermo, ut qui relictâ ſuperſtitione vanâ & idololatriâ, ad cultum unius & veri Numinis confugit, hos afflictos Deus exaudit: hujuſmodi non poteris nocere ſine tuo malo, neque, quod gravius eſt, ſine peccato in Deum.

11,——15. *Generatio quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit. Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Generatio cujus excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in alta ſurrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ dicentes, Affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum nunquam dicit Sufficit.* Heb. *Quatuor non dixerunt, Sufficit*] Quatuor generationes malæ quatuor pejores procreant filios. דר *ætatem* magis ſignificat Heb. quàm *generationem*, nè quis familiam aut gentem aliquam unam quærat. Sic enim Beda hunc locum explicavit, ut *ætates* diverſas ſignificatas intelligamus, potiùs quàm *progenies* diverſas, aut *nationes*. Utcunque, hujuſmodi deteſtatur crimina, quibus in ſingulis mundi ætatibus maximè infeſtantur homines, & quæ Dei ſermonibus, qui purgati ſunt velut argentum, maximè adverſantur. Quatuor *generationes*, inquam, deſignantur, quæ Divinæ Sapientiæ maximè repugnant, & quas videt Sapiens Eccleſiæ Chriſti hoſtes futuros acerrimos. Et in primis legi Divinæ adverſatur qui *patri maledicit & matri*, qui ante omnes homines & proximo poſt Deum loco honorari debent. Nam ſtatim poſt præcepta primæ Tabulæ, quæ ad Dei honorem attinent, ſubjicitur, *Honora patrem tuum & matrem, ut ſis longævus ſuper terram*, Ex. 20. *Primum præceptum in promiſſione*, ut inquit Paulus, Eph. 6. promiſſionem longæ vitæ huic præcepto adjunxit. Tantò igitur pejores ſunt, qui nec præmio temporali & præſenti, nec futuro, ad præcepti obſervationem non ſolùm non provocantur, ſed patrem irridentes & matrem, omnem legem naturalem & Divinam, imò Deum in parentibus contemnunt. Nam qui præcepit terrenum & mortalem honorandum patrem, quantò magis cœleſtem & æternum oportet honorare? Hæc, ſecundùm Bedam, Generatio eſt infidelium, qui Deum omnium patrem per multa ſecula contempſerunt, neque fidelium congregationi ullum tribuerunt honorem. *Generatio* ſecunda eſt eorum, qui *mundi ſibi videntur*, cujuſmodi verè, ut olim fuerunt, ità ſunt & hodiè Judæorum turbæ juſtificantes ſemetipſos, juxta illud: *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus*, Luc. 16. Deus autem novit corda, quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt antè Deum. ¶ *Et à ſordibus ſuis non eſt lota*] Heb. exponunt, qui nequeunt lavare ſordes corporis, quantò minùs poſſint gloriari ſe eſſe mundos in corde? Nos juxta priorem intelligentiam de Judæis intelligimus, qui recuſantes Chriſti Baptiſmum, quo ſolo lavantur & corporis & animæ ſordes, fruſtrà de exteriore gloriantur munditia, *ſolummodo in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis*, Heb. 9. ¶ *Generatio cujus excelſi ſunt oculi*] In *oculorum elevatione ſuperbiam* & *arrogantiam* intelligunt omnes, quam potiſſimùm hæreticis meritò adſcribit Beda, qui contra Catholicam nunquam pugnarent Eccleſiam, ſi de ſe ſentirent humiliter. Quàm intolerabilis eſt arrogantia ab Eccleſia diſſentire, Sponſam Chriſti damnare, quam à Chriſto inſtructam, & Spiritu Dei conſtat illuminatam eſſe! ¶ *Generatio quæ pro dentibus gladios habet*] Quartus Eccleſiæ & cœleſtis Sapientiæ hoſtis deſcribitur, ſub metaphora *rapiendi* & *devorandi*, cujus dentes acuti ut enſis Principum, & eorum qui in poteſtate conſtituti ſunt. Deſignatur inexplebilis avaritia, ſive Eccleſiaſticorum

Antiſtitum,

Antiſtitum, ſive mundanorum Principum, de quorum edacitate & inſatiabili habendi cupiditate, tanquam gregis ruinâ, conqueritur Ezechiel, *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis*, Ezech. 24. Huc ſpectant Sapientis verba de dentibus & gladiis, de devorando paupere à terra & inope ab hominibus. Hæ duæ poſteriores generationes, nempe Hæreticorum & crudelium Paſtorum, qui quoties non paſcunt occidunt, & ſuperborum ac eorum qui ſe extollunt adverſùs ſcientiam Dei, 2 Cor. 10. hæ duæ, inquam, poſterioribus Eccleſiæ temporibus vehementer fuerunt infeſtæ, Judæi verò & gentiles naſcenti inſidiabantur Eccleſiæ, & veram Sapientiam per Euangelium publicandam conati ſunt exſtinguere. Ex his generationibus tanquam ex ſtipitibus, filiæ quatuor exortæ, mundum ſtultitiâ repleverunt, aut improbitate potiùs, ut jam tandem creſcente iniquitate, refrigeſcat charitas: ſed cujuſmodi ſint hæ filiæ à Sapientia immunes, ob impiam ſtultitiam inſatiabiles audiamus. ¶ *Sanguiſugæ duæ filiæ*] h. e. Ex prioribus generationibus natæ ſunt duæ filiæ, quæ ſunt velut ſanguiſugæ, quæ alio nomine vocantur hirudines ab hærendo: unde exſtat carmen Horatii,

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Tales ſunt duæ filiæ, de quibus poſtea dicturi ſumus illud repetentes *da, da.* ¶ *Tertia non ſaturabitur, quarta non dicet, Satis eſt*] Ad omnes quatuor refertur. Nam in plurali loquitur, *quatuor non dicent, ſufficit*: h. e. nulla ex quatuor dicet, Sufficit. Quod obſcurè & veluti per ænigma dictum, paulò apertiùs explicat.

16. *Infernus, & os vulvæ, & terra quæ non ſaturatur aquâ, ignis verò nunquam dicit, Sufficit.* Heb. *Non eſt ſubſtantia* (ſupple) *ſufficiens*] Dubium non eſt quin metaphoricè loquatur Sapiens, majus & ſublimius aliquid inſinuans, quàm elementorum & rerum naturalium conditiones. Quis enim ignorat *infernum* ſive *ſepulcrum*, ut exponunt Hebræi, non poſſe ſaturari? nam ſubinde conſumuntur corpora, præſertim ſi antiquorum more & Italorum ſepulcra intelligamus, immenſas foſſas ſingulis familiis deputatas, quæ cùm poſt multa ſecula nondum ſint impletæ, meritò inſatiabiles eſſe dicantur. ¶ *Os vulvæ*] Heb. *clauſio uteri*, ſive *anguſtia* & *orificium vulvæ*, ſterilem ſignificat mulierem, quæ prolis magis eſt avida cæteris: & tamen quia nunquam concipit ſemen, concupiſcere nunquam deſinit, & eâ ratione inſatiabilis *clauſus* dicitur *uterus*. Porrò terram ſubinde ſolis ardoribus reddi ſiticuloſam, & pluvias libenter imbibere quis ignorat? quis ignorat ignem omnia rapere & conſumere, nullam eſſe ſilvam aut materiam uſqueadeo immenſam, quam immiſſus ignis non ſtatim conſumat atque devoret, neque unquam virium ſentit laſſitudinem, neque quòd ingentem devoraverit ſubſtantiam, minùs erit idoneus ad aliam quamlibèt magnam, eâdem facilitate conſumendam. Cùm hujuſmodi ſit, inquam, elementorum, & rerum naturalium, naturale deſiderium & appetitus, res omnibus hominibus notiſſima, dubium eſſe non poteſt, quin Sapiens occultiorem aliquam Sapientiam doceat. Et quamvis, ut diximus, ex malis generationibus malas filias natas poſſimus intelligere, h. e. concupiſcentias enormes & effrænes, quæ nunquam explentur, nunquam quieſcunt, ſed quo plùs *concupiſcentiæ carnis, concupiſcentiæ oculorum* vel *vitæ ſuperbiæ* fræna laxaveris, eò plùs concupiſces, eò plùs rebelles tibi ſenties carnem, mundum & communem humani generis hoſtem diabolum, quem per *infernum* intelligit Beda; nos malimus duplici metaphorâ concupiſcentiam carnis indicatam intelligere, nempe *inferno* ſive *ſepulcro*, & *obſtructione* ſive *orificio vulvæ*, propter hoc quod ſcriptum eſt, *Fovea profunda os alienæ*, Prov. 22. Concupiſcentia carnis verè ſepulcrum eſt, quæ complexu muliebri maximè viget & accenditur: non ſolùm animo mortuos, ſed etiam intellectu & ſenſu communi ferè ſtupidos reddit: ut omittam idcirco ſepulcro comparatam carnis libidinem, quòd ut ab illo nemo revertitur, ità neque ab his facilè reſipiſcunt homines, ſed qui in ſordibus eſt ſordeſcit adhuc, juxta illud, *Inclinata eſt ad mortem domus ejus & ad inferos ſemitæ ejus, omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur*, Prov. 2. Quod ſequitur, *Terra non ſatiabitur aquâ*] Ad concupiſcentiam oculorum non abſurdè refertur, ut in *terra* hominem intelligamus; *Terra, terra, audi verbum Domini*: in *aqua* mundanarum rerum fluxum & inconſtantiam, quibus terreni homines ſaturari non poſſunt: in *igne* denique, qui devoratis & conculcatis omnibus ſurſum evolat, & reliqua elementa tranſcendit, ſuperbiam vitæ licet intelligere, quæ reliquos contemnens & veluti è ſublimi deſpiciens nunquam ſatis altè in honoribus & mundi pompis evolaſſe ſe putat. Quamvis, inquam, ad hunc modum metaphoricè poſſimus exponere hunc verſiculum meliùs quàm Hebræorum Rabbini, quorum aliqui quatuor elementorum conditionem deſcriptam eſſe volunt hoc in loco, alii mutuam eorundem generationem & corruptionem, ut Phyſici ſentiunt; tamen optimè (meâ quidem ſententiâ) per has quatuor filias inſatiabiles, ſupplicia prioribus generationibus deſtinata intelligimus: ut ſub metaphoris ſenſum ſuum hiſtoricum habeat verſiculus, eâ ratione ut ſingula ſingulis reſpondeant, nempe primæ generationi, quæ patri maledicit, *Infernus* ſive *ſepulcrum* manet, h. e. brevis vita, nam qui negligit eos per quos vitam accepit, vitâ indignus meritò habetur, & hunc ſepulcrum exſpectat, omnium hujuſmodi admodum capax. Generationi Judæorum & Phariſæorum, quæ ſibi munda videtur, minatur Sapiens *ſterilitatem*; nam qui renaſci in Chriſto nolunt, neque à ſordibus purgari lavacro Baptiſmatis, tantâ fœcunditate parere Deus non permittit: exiguus enim Judæorum numerus in mundo reſtat, ſi vel cum reliquis gentibus, vel cum prioribus illorum generationibus comparentur. Tertio in loco generationi quæ in altum ſublevat oculos, *terram ſitientem* & *aquam deficientem* minatur, h. e. annonæ caritatem. Sterilitate terræ & & penuriâ rerum puniendi ſunt, qui contra Deum ſuperbiunt, ità enim fiet, ut ad ſe reverſi, bonitatem Dei agnoſcant, humanam imbecillitatem fateantur, & humilitatem diſcant. Quartæ denique generationi quæ pauperes devorat, à terra non minùs crudeliter quàm ſi enſibus ſecarentur, crudeliſſimum *ignis* paratur ſupplicium, ignis, inquam, de Cœlo deſcendens. Juxta illud quod ſub Elia propheta geſtum legimus, 4 Reg. 1. & juxta illud Eſa. 9. *In ira Domini exercituum turbata eſt terra, & erit populus quaſi eſca ignis.*

17. *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ: ſuffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*] Pro *partu matris*, Heb. eſt *obedientia matris*, vel *qui deſpicit ſocietatem matris*: alii *doctrinam* reddunt. Subſannare patrem, & matrem flocciſacere, eſt eorum diſciplinam & caſtigationem rejicere, ac contemnere. Ex quatuor generationibus omnium peſſima fuit illa quæ patri maledicit, cui non ſolùm pro ſupplicio manet *infernus*, ſive *ſepulcrum*, vel potiùs utrumque, nempe brevitas vitæ, & cruciatus in vita futura; ſed etiam præſentis temporis nonnunquam ſupplicium ignominioſum, cujuſmodi ſolet eſſe perditiſſimorum hominum, quorum corpora ſub dio ſuſpenſa ſepulturæ non traduntur, ſed avibus Cœli devoranda pendent. Subſannare patrem, & contemnere præceptum matris, extremæ dementiæ ſignum eſt, & crudelitatis argumentum. His igitur non ſolùm intempeſtiva mors eveniet, ſed honore quoque ſepulturæ, quem ſui parentibus exhibere ſolent, carebunt, quod ſequitur; ¶ *Suffodiant eum corvi torrentis, & comedant eum filii aquilæ*] Non quòd juxta hiſtoriam hæc ſemper fiant, ſed quòd contemptus patris & matris non minùs ſupplicium mereatur. Voluit oſtendere Sapiens quàm ingens ſit crimen vel leviſſimè paternam pietatem lædere. Per oculum qui facillimè nutat & renuit, diſplicet & placat, ad iram provocat & miſericordiam implorat, graviores offenſas intelligimus. Si *vultu læditur* paterna *pietas*, inquam, quantò magis manifeſtâ ſubſannatione, quæ & contemptum & deriſionem indicat? *Corvi* facta eſt mentio & *Aquilæ*, non ſolùm quia hæ aves cadaveribus gaudent, & oculis animalium moribundorum inſidiantur, ſed quòd in uno crudelitas, in altero pietas erga pullos obſervatur. Corvus quamvis ſatur, oculos tamen hujus effodiet, & quamvis neque ipſe comedat neque pullis deferat, nihilominus in hunc crudelitatem ſuam exercebit. *Comedent eum filii aquilæ*] Aquila enim filiorum valde perhibetur amans. Si non ſit à corvo comeſtus qui citiùs advolat, à filiis aquilarum comedetur: q. d. nullo modo ſupplicium evadet oculus ille patrem ſubſannans. Juvenibus ſaluberrima datur doctrina, ut ſtudeant omni honore parentes proſequi, ut vel leviſſimam parentum offenſam non minùs quàm crudeliſſimam mortem exhorreant, ſcientes pœnas daturos inobedientes filios, vel in hac vita extremas & oculorum effoſſioni conferendas, vel in futuro non à volucribus Cœli, ſed à ſpiritibus malignis, illis multò magis rapacibus, *in tenebris exterioribus, ubi erit fletus & ſtridor dentium*, Luc. 13.

18, 19, 20. *Tria ſunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in Cœlo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit & tergens os ſuum dicit, Non ſum operata malum*] *Tria* hæc, h.e. has tres vias, admodum fuiſſe mirabiles, ſed tamen *quartam*, narrationis ordine, penitus eſſe incomprehenſibilem, ut quam Sapientiâ meâ non novi. *Via* דרך, pro *ratione* & *modo* in Scripturis frequenter accipitur. Sequitur, *Sic eſt via mulieris adulteræ*, h. e. occultiſſima. Sæpenumero eſt mos mulieris adulteræ viam ſuam omnino occultare, nullum illius veſtigium remanere velle, non magis quàm ſi quis comederit, & os diligenter exterſerit, facilè

nemo

nemo internoſcere poteſt fueritne jejunus an non. Sic, inquam, mulier adultera ſcelus ſuum cognoſci nullo modo permittit, omnibus ſeſe modis excuſare ſtudet, & crimen occultare: ut ſimilitudo duntaxat ad ignorantiam rei ſpectet, & ſecretum. Quanquam & hunc verſiculum juxta parabolicum ſenſum, vel de Judæorum, vel de Hæreticorum & Eccleſia malignantium intelligi debet, quæ tametſi fornicata fuerit cum amatoribus multis, tamen non vult crimen fateri, nec ad pœnitentiam converti, ſed exterius os terſum jactans & mundum, ſuis in oculis ſibi placet, ſatis habens exteriorem munditiam oſtentare, cùm intus omnia plena ſunt immunditià & iniquitate. Synagoga ubi victimas comederit & libamina ſacrificiorum, & Legis lectionem ac Prophetarum audiverit, veluti os ſuum mundaverit, Quid feci, inquit, nihil mali operata ſum. Sed audiat quid illi impingat Jeremias; *Populus meus mutavit gloriam ſuam in idolum: obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & portæ ejus diſſolvamini vehementer, dicit Dominus*, Jerem. 2. ut jam hæc mulier adultera, quæ poſt tot adulteria dicit, *Non ſum polluta, abſque peccato & innocens ſum ego*, inter reliqua naturæ miracula non immeritò connumerari poſſit. Sequitur,

21, 22, 23. *Per tria movetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere.* Heb. *Propter tria contremuit terra, & propter quatuor non potuit ſuſtinere: Per ſervum, cùm regnaverit; per ſtultum, cùm ſaturatus fuerit cibo: Per odioſam mulierem, cùm in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ ſuæ*] Cùm mundus hic inferior ex quatuor conſtet elementis, tribus videlicet maniſeſtiſſimè diſtinctis, terrâ, aquâ, & aëre; quartum omnium oculos fugit, & magis ratione quàm ſenſu in ſupremo loco collocatur. Ad hunc elementorum numerum ſeu ternarium, ſeu quaternarium, libenter alludit Sapiens, & philoſophatur hoc in loco de rebus gravioribus ſub parabola rerum ſeu naturalium, ſeu eorum quæ geruntur ab hominibus. In Hebræo non *per tria*, ſed *propter tria*, & verbum [illegible] non ſolùm *tremere* ſignificat, ſed etiam *irâ* vel *pavore commoveri*; quæ ſignificatio huic loco meliùs quadrat: & *terra* ponitur pro *populo terræ*, quem Dominus his malis ſæpenumero caſtigat, nempe ſervilis hominis imperio: *facit enim Dominus regnare hominem hypocritam propter peccata populi*, Job. 34. Cùm regnaverit is qui ſervit vitiis & cupiditatibus carnis & mundi, vehementer affligitur & commovetur terra illa & provincia: nam quæ libertas, quis honor, quæ victoria aut triumphus devictis hoſtibus erit in populo, ſuper quem ſervus regnat, & à carne, mundo, diabolo tenetur captivus? Commovetur porrò vehementer terra corporis noſtri, cùm carnalis affectus & terrenus regnat in nobis, ſubjugatâ ratione, quæ tanquam imperatrix in conſiliis capiendis, imperium deberet obtinere. Et juxta hunc tropum licet & reliqua tria interpretari. Non ſolùm *ſtultus ſaturatus pane*, h. e. hujus vitæ deliciis, cui proſpera arridet fortuna, & ad Regni faſtigium evectus fuerit, ſupple, per inſolentiam plurima committit, turbam commovet, & ad iram pertrahit nonnunquam: ſed etiam bruta & ſtolida hominis affectio, ſi abſque fræno vitæ voluptatibus indulgeat, terram concutit, & facit contremiſcere ſolidiſſimam animæ portionem. Et per *Odioſam mulierem, cùm in matrimonio fuerit aſſumpta*] intelligitur mulier, quæ plurimos habuerit inimicos, nolentes eam ad talem pervenire honorem, neque in matrimonium à Rege aſſumptam iri: hæc mulier tandem ducta in uxorem à Rege, (nam in omnibus his quatuor regnum vel ſummam autoritatem intelligimus) hæc, inquam, ex odioſa, Regis chariſſima ſponſa facta, aliquando crudele exercens odium, terram contremiſcere faciet, & magnum in populo tumultum excitabit. Sic Hebræi aliquot. Mihi magis placet *odioſam mulierem* intelligere, juxta illum locum Legis, *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam*, Deut. 21. *Cum fuerit aſſumpta in matrimonium*, תבעל verti poteſt, *cum fuerit copulata viro*, vel *in honore conjugali prælata*, aut *dominata fuerit in familia*, ſupple, in qua priùs fuerat contempta, à marito habita odio: inſoleſcere ſolent hujuſmodi mulierculæ, præſertim contra rivales, quæ priores partes habuerant: res erit tantæ abſurditatis, tantæ commotionis in familia ut terra commoveri videatur, omnium rerum ſtabiliſſima. ¶ *Et per ancillam, cùm fuerit heres dominæ ſuæ*] Et ſupple, *dominium habuerit in eam*, juxta Aben-Hezra, illius inſolentiam terra non ſuſtinet: q. d. nihil magis intolerabile quàm ancillarum faſtus & arrogantia, ſi dominabus honore præferantur & autoritate. Ut mundus quatuor elementis ritè diſpoſitis conſtat, & contrarietate qualitatum temperatus debitam diſpoſitionem ſervat; ſic temperaturâ quadam & harmoniâ inter varios hominum ſtatus & conditiones diſpenſatio rerum humanarum conſtare debet. Sunt enim quibus ſubeſſe melius eſt quàm dominari: idque in utroque ſexu. In quibus ſi inverſus fuerit ordo, ut ſervus dominantis honorem obtineat, ſtultus ſapientum gradum fuerit adeptus, & copiam rerum habeat, quarum uſum ignorat, nam rebus omnibus affluere ſapientibus convenit, non ſtultis. Porrò ſi contempta mulier & neglecta ſubitò ad magnos provehatur honores in nobili collocata conjugio, aut ancilla ſupra heram dignitate ſublevetur, natura rerum videtur inverſa, ac ſi terra tremeret, cæteris elementis quieſcentibus, cùm terræ maximè proprium ſit quieſcere, commotis & fluctuantibus aliis. Haud aliter, inquam, inter homines ſubjici debent ſerviiis ingenii homines, & ſtulti fame nonnunquam ſapere coguntur. In muliebri ſexu quoque ſunt plurimæ omni honore indignæ, quæ cùm, ut diximus, honeſtiſſimis & piis matronis ſe prælatas vident, non minor naſcitur inter mortales rerum & morum confuſio, quàm ſi terra ſuo commota loco, quaſi pondere gravata ſuſtinere non poſſit. Ad hunc modum metaphoricè, vel tropicè, (ut ſuperiùs inſinuavimus) locum exponere licet. Quòd ſi per *ſervum regnantem*, & *ſtultum repletum panibus*, populum Judaïcum intelligimus, qui abjecto Domino, ut eſt in hiſtoria Samuelis, Regi maluerunt inſervire, & qui uſqueadeo ſtultus fuerit ut ad ſervitutem Ægyptiacam reverti maluerit, memor ollarum carnium, quàm per deſertum ad Terram Promiſſionis aſcendere; hoc populo ſervili regnante, & fideles Chriſti Apoſtolos in ſubjectionem retinere conante, contremuit terra, ut in Actis Apoſtolorum legitur, *Et cùm oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati*, Act. 4. ad deſignandam futuram rerum mutationem, neque ampliùs ſervilem & ſtultum populum debere obtinere imperium, juxta illud, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Pſal. 2. Eodem ſpectant Allegoriæ de duabus mulieribus, quarum altera Synagogam Judæorum exoſam videlicet, ubi in matrimonium & ad ſponſi amplexus aſſumpta eſt, ut in Jeremia legitur, *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto*, Jer. 2. repræſentare poteſt; altera verò Hæreticorum ſecta, quæ cùm Eccleſiæ Catholicæ depoſito errore ancillari debet, heram legitimam & Chriſti ſponſam ſibi ſubjectam fore petit, & obedientiam ac honorem, quem Eccleſiæ veluti matri & Dominæ debent omnes provinciæ Chriſtianorum, ſibi vendicare cupit, & hæreditario jure poſſidere.

24, —— 28. *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: Formica populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſuum: Lepuſculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile ſuum: Regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*] Ex his quatuor ſpeciebus animalium minimorum, hominibus exempla Sapientiæ ſumenda proponit. ¶ *Sunt enim ſapientiora ſapientibus*] h. e. Ex ſeipſis videntur plus ſapere quàm hi qui nomen Sapientis profitentur: vel, plus ſapere naturæ inſtinctu quàm hi qui ſapientiam didicerunt. *Sapientiora ſapientibus*, h. e. hominibus qui veræ Sapientiæ ſunt capaces. Eſt quidem in his animalibus mira ſapientia: vel potiùs diverſæ ſapientiæ partes, ex quibus in unum collectis, vel totius Reipublicæ, vel cujuſque hominis conſummata fiat ſapientia. Cujus prima pars eſt horum quæ neceſſaria ſunt ad vitam ſeu corporis ſeu animi, in primis curam habere. Id quod nullum animal facit, neque tempeſtiviùs, neque ſagaciùs, quàm formica, in æſtate videlicet recondens quæ comedat hyeme: qua de re ſuperiùs tractavimus, cap. 6. ubi ad hoc animalis genus, tanquam maximè ſedulum & laborioſiſſimum, otioſos homines deſtinavit Salomon, hoc in loco adjiciens, ¶ *Formicæ populus non fortis*] q. d. In hac parte prudentiæ, quâ ad vitam neceſſaria procurantur, nemo ſeſe excuſare poteſt, quaſi corpore imbecilli & minùs robuſto; nemo enim formicâ minores habet vires, ſed omnia vincit labor improbus, & in tempore ſuſceptus: & ut æſtas tempus eſt opportunum parandis his quæ victui ſunt neceſſaria, ſic præſens vita futuræ imaginem gerit, quod ad laborandum & recondendum ſpectat, juxta illud, *Venit nox quando nemo poteſt operari*, Joan. 2. In die igitur hujus vitæ oportet *operari cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*, Joan. 6. Hæc prima pars eſt Sapientiæ, ea videlicet ſedulò colligere, mentis magis induſtriâ quàm viribus corporis, quæ ad vitam animæ ſpectant. Poſt victum, manſionis commodæ & tranquillæ habetur ratio. Cujus rei exemplum haberi vult Sapiens ab invalido & timido genere animalium *lepuſculo*, ſeu, ut alii vertunt, *cuniculo*, qui ſuis viribus diffiſus, loco munito & inacceſſo domum collocare ſolet, nempe in petra, aut monte ſaxoſo. Exemplum non tam pro domibus lutoſis conſtruendis, aut urbibus & propugnaculis mœnibus ſuper rupem muniendis, quàm pro futura domo; de qua Paulus, *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis*, 2 Cor. 5. Hanc *leporis* ſive

cuniculi

cuniculi ſapientiam, qui non ſibi fidit ipſi, ut diximus, neque ſuis viribus, ſed petræ, imitandam docet Euangelium (inquiens) *Omnis qui audit verba mea hæc, & ea facit, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petra*, Mat. 7. ſuper quam Chriſtus ſuam fundavit Eccleſiam. Annonâ proinde collectâ, domo ſupra petram ſapienter conſtructâ, danda eſt opera ut in pace & amicitia vivamus cum hominibus, vivamus amoris & charitatis vinculo colligati, & naturæ legibus magis quàm Principum: quod locuſtæ faciunt, animal exiguum, & ad ſapientiam minimè natum, tamen hoc habent naturæ inſtinctu, quòd ſimul de agro in agrum egrediantur per infinitas turbas unanimes, ac ſi unum ducem ſequerentur, neque minùs proficiſcendi tempus, incedendi ordinem, quieſcendi ſtationes, aut caſtra movendi opportunitatem ſervare videntur, quàm ſi ducem ſigno dato ſequerentur; Egregium profectò exemplum, & plurimam hominibus ſapientiam oſtentans, Abſque concordia & unanimitate nihil poſſe fieri, nullam conſiſtere Rempublicam, nullam coaleſcere turbam. *Concordiâ parvæ res creſcunt.* Separatæ & diſperſæ locuſtæ ſine negotio interficiuntur; counitæ verò nullis viribus, nullo ingenio aut arte, interfici poſſunt, latiſſimos agros tegunt, & tantâ proveniunt unitâ multitudine, ut nemo conetur illas aggredi aut expellere: id quod cùm in omni hominum ſocietate debeat fieri, tum inter eos qui Divinam agnoſcunt & ſequuntur ſapientiam. Illorum, inquam, maximè eſt locuſtarum ſequi exemplum & *turmatim*, ſive *per turmas*, egredi, ut vertit Interpres, vel, ut alii, *adunatim.* Utrumque ad victoriam ſpectat, & belli ſpeciem repræſentat, quod adversùm nos omnes intentatur, *non ſolùm à carne & ſanguine, ſed à principibus & poteſtatibus mundi & tenebrarum rectoribus*, Epheſ. 6. quibus locum non dabimus, ſi *ſol non occidat ſuper iracundiam* noſtram. Quod ſequitur. ¶ *Stellio manibus nititur*] Variè ab Interpretibus redditur vox Hebræa שממית, quæ ſimilitudinem aliquam habet cum voce Latina *ſimia.* Atqui ità vertitur conſtanter ab aliquibus, præſertim cùm in Hebræo non, *innititur*, ponatur, ſed *tenet*, *apprehendit manibus:* quam vim ſimia inter animalia maximè videtur obtinere, quæ etiam in palatiis Regum in pretio haberi ſolet. Sunt qui *araneam* vertant, quæ manibus filum ducere videtur. Haud ità multùm refert, nam ſatis intelligimus parvum eſſe animal, quod in palatiis verſetur Principum. *Stellio* & *aranea* verſant quidem, ſed frequentiùs in ædibus pauperum: verùm *ſimia* ob ingenii ſui dexteritatem, & humanæ prudentiæ nonnihil ſimile veſtigium, in Principum aulis habetur in deliciis, cum aulicis veluti unus è numero verſans, & lautè vivens. Ex quo Sapientiæ exemplum capere licet, & *manibus inniti*, vel *tenere*, quò queas in palatium Regis penetrare. In *apprehenſione manuum*, bonorum operum exercitationem intelligimus, quibus digni habebimur æterni Regis palatio, poſtcaquam unanimes hic *in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei, columna & firmamentum veritatis*, verſati fuerimus: melius enim eſt ut priores Sapientiæ partes, nempe de victu comparando, collocanda domuncula, de communicanda ſocietate adversùs hoſtes in prælio, intelligantur in præſenti rerum ſtatu, & Eccleſiaſtica diſpenſatione: verùm poſtremum illud, *in palatio Regis manſionem obtinere*, ad cœleſte præmium; piis operibus obtinendum referamus, juxta illud, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum eſt*, Matth. 25.

29, 30, 31. *Tria ſunt qui bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum: Gallus ſuccinctus lumbos ſuos, & Aries, nec eſt rex qui reſiſtat ei*] Lyranus ſecutus R. Salomonem, hunc locum de quatuor beſtiis exponit de quatuor regnis, in Daniele per quatuor feras figuratis, ſed quàm rectè viderit ipſe; nam eâ ratione & interpretatione videretur Danielem non verè prophetaſſe, ſed ex Salomone verſionem ſuam accepiſſe. Numero partim ternario partim quaternatio delectatus Sapiens, & rerum naturas rimando, rata quædam ſapientum ſecreta tradere videtur: quæ cùm ad nullam certam Sapientiæ ſpeciem, aut normam referantur, nec autoritate Scripturarum explicantur, erit integrum unicuique pro ſuo talento, quod accepit à Domino, in hujuſmodi philoſophari, & re verâ, hoc in loco, tantò majore cum difficultate, quantò minùs naturam beſtiarum habeamus exploratam, quas exempli causâ propoſuit nobis Sapiens. זרזיר enim, quam vocem *gallum accinctum lumbos* reddit Interpres, non *gallum*, ſed aliud animal ſignificare teſtatur cum Hebræis Lyranus. Aben-Hezra vel *aquilam*, vel *apem* putat eſſe. Alii *canem venaticum*, vel potiùs *pardum* interpretantur. Vocis origo eſt verbum זרז, quod *cingere* ſignificat; & additur dictio, quæ *lumbos* ſive *renes* ſignificat: & quia canis venaticus vel leporarius eam ſpeciem repræſentat, & ſit velociſſimi curſûs, lubentiſſimè ſubſcribam iis qui *canem* interpretantur *venaticum*: utcunque, tria animalia velociſſimi & optimi curſûs intelligimus, nempe *leonem* robuſtiorem cæteris animalibus, qui nullius timet aſpectum; ſecundum, *lumbos ſuccinctum*, quodcunque ſit; tertium, *aries* ſive *hircus*; quartum, *Rex* אלקום, h. e. *Rex cui non reſiſtitur.* Sic enim interpretatur Aben-Hezra hunc locum; non ut quidam ex noſtris quaſi אלקום eſſet proprium nomen, ſed duas vult eſſe voces, nempe *non ſtare*, q. d. non eſt homo qui ſtet in bello cum eo. Feliciter incedunt hæc: & vel diverſa in Eccleſia deſignantur officia, & diverſæ functiones, quemadmodum Beda doctiſſimè interpretatur; vel quatuor principales virtutes, quibus veluti quatuor rotis optimè incedunt & progrediuntur piorum hominum vitæ & curſus ad felicitatem properantes æternam. In *leone* fortitudinem quis dubitat indicatam? quæ omnia hujus mundi, ſeu proſpera ſeu adverſa; facilè contemnit, nihil timens, neque ab inſtituto curſu deflectens quicquid evenerit: ut eſt hæc mortalis vita pluribus incommodis obnoxia. *Accinctum lumbos*, quodcunque ſit animal, continentiam ſignificat, quâ carnales reſtringimus affectiones, tantò magis idonei & habiles ad cœleſtem curſum quantò minùs carnis illecebris laxamus fræna. In *ariete* verò ſeu *hirco*, qui dux gregis eſt, & reliquum vulgus videtur quodammodo gubernare, non abſurdè prudentiam poſſumus intelligere, quæ virtus cùm rectè diſpenſat omnia, & futurorum rationem habeat, ſpiritualem curſum plurimùm juvat. In *Rege* denique *quocum nemo congredi poteſt*, vel contra quem nemo poteſt inſurgere, juſtitiam amplectimur, virtutum omnium reginam: quæ tantâ æquitate, tam juſta menſura & pondere omnia librat ut nemo, quantumvis alioqui alienus à virtute, juſtitiam poſſit accuſare aut condemnare: nam quæ tribuit unicuique quod ſuum eſt, de omnibus benè meretur, malè verò de nemine. Aliter, *non ſtare cum eo*, ſic enim in Hebræo legit Hezra, q. d. Talis ſeu *Rex* ſeu *Regina* eſt juſtitia, contra quam nemo poteſt ſtare; juxta illud, *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, Pſal. 144.

32, 33. *Et qui ſtultus apparuerit, poſtquam elevatus eſt in ſublime: ſi enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum. Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: qui provocat iras, producit diſcordias*] *Et qui ſtultus*] Juxta Aben-Hezra ſermonem dirigit ad Ethiel & Ucal qui ab eo petierunt Sapientiam, & poſt magna myſteria duo communis vitæ præcepta vel in primis neceſſaria adjungit: quorum primum ad tranquillitatem propriæ conſcientiæ ſpectat, alterum ad communem cum hominibus charitatem & concordiam. Quod ad primum ſpectat, aliter habetur in Hebræo, verbis duntaxat, non ſenſu: nempe, *Si ſtultè egiſti cùm elevatus fueris, & ſi cogitaſti, manum ad os*] Elevatio ad magnos honores eſt cauſa nonnunquam magnæ ſtultitiæ, & ut homo ſtultè agat multa. Conſilium ſapientis eſt, ut cohibeat quiſque cogitationes malas, nè verbo vel opere erumpant: hoc enim ſignificat *manum ad os.* Aben-Hezra vult præteritum eſſe loco futuri, ut ſit ſenſus, Si ſtultè agas, cùm fueris ad honores evectus, vel ſi cogitaveris (ſupple *ſtulte*) quicquam facere, *manum ad os* (ſupple *pone*) quod cogitabundi ſolent facere; & tecum cogita, tecum inibis conſilium quàm abſurdum ſit quod moliris: atqui hæc res, ut diximus, ad tranquillitatem propriæ conſcientiæ plurimum facit. Quod ſequitur, ad communem cum hominibus concordiam ſpectat: & monet Sapiens nè quis nimiùm provocet iram aliorum. Neque legendum, ut nos habemus, *qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* Nam præter hoc, quòd in Hebræo nulla ſit mentio *uberum*, etiam jam contra rerum naturam eſt ut *butyrum* exeat, quantumvìs durè premat quis ubera. In Hebræo eſt, *Qui premit lac, faciet exire butyrum.* LXX. *mulge lac, & erit butyrum*, ſenſum aſſecuti feliciter. Hebræi clauſulam interpretando, ſubaudiunt *in utre*, ad hunc modum, Qui durè concutit vel premit lac in utre, faciet exire butyrum: puto nos librariorum vitio habere *ubera* loco *utre*; vel ſi quis omnino *ubera* legendum contendat cum Interprete, erit duplicata ſimilitudo ad hunc modum, *Qui fortiter premit* (ſupple *ubera*) *facit exire lac*; & qui premit lac *in utre* vel *lagena*, *facit exire butyrum.* Duplici ſimilitudine ad eundem ſcopum tendit, ut oſtendat opus eſſe patientiâ, dandum locum iræ: nam ut qui nimiùm premit nares ut ſordes eliciat, ſanguinem aliquando exprimit: ſic ſi quis multùm urgeat, & veluti mulgeat iram provocando, rixas & contentiones eliciet: quæ res, ſi quæ alia, maximè amaram reddit humanam ſocietatem. Senſus Proverbii non eſt diverſus ab eo quod ſuperiùs legimus, *Sermo durus ſuſcitat furorem*, cap. 15.

LUCAS BRUG.

19. PLerique omnes Latini codices habent, *Et viam viri in adoleſcentia*, quibus Enarratores, Beda & Richelius, conſentiunt, & Græca antigrapha adſtipulantur, *καὶ ὁδοὺς ἀνδρὸς ἐν νεότητι* eſt Græcè. Porrò Hebraïcè eſt ודרך גבר בעלמה, quod eſt, *& viam viri in adoleſcentula:* עלמות namque & עלומים, *adoleſcentiam* ſignificant; עלמה verò *adoleſcentulam.* Hinc ex Hebræo vertunt noſtræ ætatis Interpretes, *& viam*, aut *veſtigium, viri in virgine, puella*, vel *adoleſcentula.* Ea enim eſt vox quæ Iſa. 7. 14. legitur, ubi concorditer omnes transferunt, *Ecce virgo*, aut *adoleſcentula concipiet:* quem locum Hieronymus enarrans, Hebraïcæ iſtius vocis ſignificationem, contra Judæorum commentum, tractat. Itaque exiſtimant complures, *adoleſcentula* hoc loco, non *adoleſcentia*, in Latina noſtra editione legendum. Lyranus hanc veram literam eſſe pronunciat, *Et viam viri in adoleſcentula*: Magdalius hunc ad modum legi debere affirmat: Pariſienſes hàc ratione legendum notant: Janſenius hanc probabiliorem eſſe lectionem judicat. Cæterùm pauci aut nulli ſunt codices quibus lectio iſta ſtabiliatur. Epanorthotes, *Antiqui*, inquit, *& novi, & Græci, viam viri in adoleſcentia, Hebræus adoleſcentula.* Ex noſtris Latinis libris unus ex Pariſienſium caſtigatione editus *adoleſcentula* legit: ſed conjecturâ eſt mutatus, non codicum autoritate (idem opinor judicium eſſe de Clarii Bibliis.) Unus manuſcriptus K ſignatus ſimiliter *adoleſcentula* ſcribit, ſed manifeſta eſt ejus quod prius fuit raſura. Plantini parvus, ut impreſſa Lugdunenſium Biblia, in margine, *vel, adoleſcentula:* habet Hunnæi H inter textûs lineas idem ipſum indicat. Tertium D. Hunnæi ſcriptum, quod olim S. Dominici fratres in Francia emendarunt, *adoleſcentula* diſertè legit: at ſub ſinem notat, *Beda* adoleſcentia, *Hebræus* adoleſcentula *legi*, nullâ Latinorum codicum factâ mentione. Ita nihil certi ex codicibus liquet: juvatur tamen his non parum veroſimillima autorum conjectura, quam & illud firmare poſſit, quòd ſcriptorum librorum quidam non poſtremæ integritatis habent, *In adoleſcentia ſua.* Hugo Cardinalis libros correctos habere dicit, *in adoleſcentula*; id quod de iis fortaſſe intelligit qui ex induſtria mutati ſunt. Quid ſi vero ſimiliter conjiciatur pro *νεότητι* Græcè *νεότιδι* ſcriptum fuiſſe? *νεότις* enim *adoleſcentulam*, ut *νεότης, adoleſcentiam*, ſignificat. De ſenſu hujus loci doctè doctiſſimus Gandavenſium Antiſtes Janſenius ſcripſit.

30, 31. Quatuor hoc loco recenſet Sapiens quæ bene feliciterque incedant, & tria quidem in editione noſtra manifeſtè leguntur, quartum verò obſcurè aut non conſpicitur. D. Gregorius, lib. 30. Moralium cap. 5. quartum eſſe exiſtimat eum qui ſtultus apparuit, poſtquam in ſublime elevatus eſt (de quo in v. 32.) per quem Antichriſtum intelligit, qui *feliciter incedere* dictus fuerit, non ut tres præcedentes (Chriſtus nimirum, ſancti Prædicatores, ſanctique Sacerdotes) *bene.* Gregorium Beda, Salonius, aliique ſecuti ſunt. Atqui non aliud eſt Sapienti *feliciter* quàm *bene incedere*, eodem enim verbo מיטיבי utrumque dixit: & quod quarto tribuitur, congruit etiam tribus; ſicut quod tribus adſcribitur, quarto convenit. Illud verò, *Et qui ſtultus apparuit*, omnino à præcedentibus eſt ſeparatum. Hebræis, Græcis & Chaldæis; id quod proximè ſequens notatio clarum faciet. Conſpicuè autem in Hebraïco fonte hoc quartum ſcribitur, ומלך אלקום עמו: quod quidem alii aliter vertunt; nonnulli, *Et rex Alcum cum eo*; complures. *Et rex cui non eſt qui reſiſtat*; Græci, *Et rex concionans populo*; Chaldæus, *Et rex qui ſtat & loquitur in domo populi ſui.* Interpretationum diverſitas præcipuè ex voce אלקום orta eſt. Primi illi quorum attulimus verſionem proprium eſſe nomen intelligunt. Ii quos ſecundo poſuimus loco compoſitam eſſe vocem exiſtimant, ex אל quod eſt *non*, & קום quod eſt *ſurgere*, aut *ſurgens*, itàut ad verbum ſit, *Et rex, non eſt ſurgere*, aut *ſurgens, cum eo.* Græci, & qui Græcos ſecutus videtur Chaldæus Paraph. intellexiſſe videntur אל non negationem eſſe, ſed pronomen relativum, aut pro relativo antecedens. Arabes, quorum vicina eſt lingua Hebraica, ſyllabam hanc אל eo habent loco quo ה literam Hebræi, & א Chaldæi, videlicet ad emphaſim exprimendam demonſtrativi pronominis loco. Hinc אלפורקן, i. e. *ipſa ſalus*, Mahumetici Pſeudangelii titulus eſt. קום, quod *ſurgere & ſtare* ſignificat. Græci *concionari* expoſuerunt; Chaldæus, qui verbi ſignificatione expoſitionem junxit, ſimiliter: quodque ſequitur עמו, non עִמּוֹ legerunt, quod eſt *cum eo*, quomodo nobis punctata ſunt Biblia, ſed עַמּוֹ, quod *populum ſuum* denotat. Sic igitur quod Hebraïcè eſt, alii ab aliis diverſimodè transferunt: ſed itâ concorditer omnes, ut quartum eſſe eorum quæ optimi ſunt inceſſûs intelligi debeat. Quamobrem veriſimile eſt & in noſtra Vulgata verſione quartum illud his verbis contineri, *Nec eſt rex qui reſiſtat ei.* Verùm quia verba iſta nullum per ſe animal deſignant, ſed ei quod proximè antecedit jungi volunt (quapropter cum ariete, quod tertium proximè antecedit animal, Gregorius jungit) depravata eſſe Cornelius Janſenius opinatur; quippe quæ ab aliorum omnium interpretationibus aliena ſint. Itaque, Nicolaum Lyranum ſecutus, reſtituendum docet locum, tranſpoſitis dictionibus, *Et rex, nec eſt qui reſiſtat ei*; quæ & Clarii emendatio eſt: atque itâ noſtræ editionis lectio ei conformis ſit interpretationi quæ ſecunda ſuprà collocata eſt, atque inter omnes eſt probata maximè. Hoc autem modo Dionyſius Richelius legit atque exponit, ſed, quod ex ipſis ejus verbis conjicio, Lyrani ex Hebræo correctionem ſecutus. In MSS. codicibus variè corruptum eſſe locum deprehendimus. Unus habet, *Nec eſt rex qui reſiſtat eis*; alii quidam, *Nec eſt rex qui reſiſtat ei*; alii non pauci, *Nec eſt qui reſiſtat ei*; unus, *Qui reſiſtat ei.* Sicut autem ad has deventum eſt corruptelas ex eo quòd arieti non rectè attribui videretur, non eſſe regem qui reſiſtere ei poſſit: itâ fortè illa introducta eſt corruptela, *Nec eſt rex qui reſiſtat ei*, quòd leoni, gallo & arieti, brutis animalibus, rex non aptè annumerari putaretur; qui idcirco potiùs adjunctus eſt, ut ei, quæ in illis rationis expertibus animalibus eximiæ ſunt qualitates, imitandæ proponerentur. Cæterùm poſſit hæc lectio, *Nec eſt rex qui reſiſtat ei*, quæ earum quæ in Latinis exemplaribus reperiuntur ſinceriſſima eſt, itâ intelligi ut ad arietem, de quo præcedit, non pertineat, ſed quem Sapiens propoſuerat, quaternarium numerum abſolvat: nempe ſi *τὸ Rex* à caſu abſolutum (quo modo ſuis utuntur nominibus Hebræi) pro dativo *regi* poſitum accipiatur. Nam, *Nec eſt Regi qui reſiſtat ei*, quæ Hebraïca eſt phraſis, paſſim in S. Bibliis obvia, idem fuerit ac ſi dixeris, *Et rex, nec eſt qui reſiſtat ei.*

32. *Et qui ſtultus apparuit, poſtquam elevatus eſt in ſublime: ſi enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum.*] Hunc locum corrigendum docet Janſenius Epiſcopus ad modum vel hunc, *Qui ſtultus apparuit, poſtquam elevatus eſt in ſublime: ſi intellexiſſet*, &c. vel iſtum, *Eſt qui ſtultus apparuit, poſtquam elevatus eſt in ſublime: ſi enim intellexiſſet*, &c. Veriſimillimum eſt enim corruptum ab iis eſſe locum qui arbitrabantur quartum, quod *feliciter incedere* Sapiens dixerat, hâc parte contineri; ideoque vel addidiſſe *&* atque *enim* conjunctiones, vel pro *eſt*, *&* ſubſtituiſſe. *Eſt* in Leodienſi codice fuiſſe videri poſſit: corruptor enim nefarias injecit manus; eo quod priùs fuerat eraſo *Et* ſubſtituit. Porrò non erat pars iſta præcedentibus copulanda; quod & Lyranus adnotavit; utpote quæ ſeparata omnino ſententia ſit: id quod Hebræi, Chaldæi Græcique codices loquuntur. Hebræi habent, *Si ſtultè egiſti, dum elevatus eſſes, & ſi cogitaſti, manum ad os*; Chaldæi, *Non elevaberis, qui non ſtultè ages, neque extendes manum tuam ad os tuum*; Græci, *Si immiſeris te in lætitiam, & extenderis manum tuam cum pugna, inhonoraberis.* Sunt in MSS. noſtris Latinis codicibus aliæ hoc loco varietatulæ. Quidam legunt, *& qui ſtultus apparuit*, plerique, *& qui ſtultus apparuerit*: prius Janſenii, Hentenii & Pariſienſium cenſuris probatum eſt. Quinque *elatus* legunt, quod cæteri ſcribunt *elevatus.* Quinque emendatiſſimi tollunt *ſuo*, Hebræo conformiter; quod alii addunt, Chaldæo ſimiliter.

DRUSIUS.

1. לְאִיתִיאֵל וְאֻכָל. A. *τῷ Ἐθιὴλ καὶ τέλεσον, Ethieli & perfice.* Th. *τῷ Ἐθιὴλ καὶ δυνήσομαι, Ethieli & potero*] *Potero*, אוכל, quod eſt fut. à יָכֹל *potuit.*

2. כִּי בַעַר אָנֹכִי מֵאִישׁ. A. *Ἀσύνετος ἐγὼ εἰμὶ παρὰ ἄνδρα, Inſipiens ego ſum ſupra virum*] i.e. *Magis quàm vir*, aut *homo.*

4. וַיֵּרַד. A. S. *κατήνεγκεν, detulit*] *Deorſum tulit.* Meliùs LXX. *καὶ κατέβη, & deſcendit.* Sic etiam Hier. ¶ מִי אָסַף רוּחַ בְּחָפְנָיו. A. *τίς συνέλεξε πνεῦμα ἐν θεναροῖς; quis collegit ventum volis?* S. *τίς συνήγαγεν ἀνέμους ἐν ταῖς δραξίν; quis congregavit ventos pugillis?*] Cohel. 4. 6. חפנים. LXX. *δύο δρακῶν.* Santes *volæ.* Arias *pugilli.* Mercerus *pugni.* Hier. *utraque manus.* S. *ἀμφοτέρων χειρῶν.* ¶ צָרַר. Th. *ἐνέδησεν, illigavit.* ¶ מִי הֵקִים כָּל־אַפְסֵי־אָרֶץ. A. & cæteri, *τίς ἔστησε πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς; quis ſtatuit omnes fines terræ?* ¶ בְּנוֹ. A. S. Th. & cæteri, *τῷ υἱῷ αὐτοῦ, filio ejus.* ¶ כִּי תֵדָע. Schol. *ὅτι γνώσῃ.* In quibuſdam libris ed. LXX. *ἵνα γνῷς.*

5. מָגֵן הוּא. Schol. *ὑπερασπιεῖ, proteget.* ¶ לַחֹסִים. Schol. *Φοβουμένων, timentium.*

7. אַל־תִּמְנַע מִמֶּנִּי בְּטֶרֶם אָמוּת. S. & cæteri, *μὴ κωλύσῃς ἀπ' ἐμοῦ πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν με, ne prohibeas à me priuſquam moriar.*

8. שָׁוְא. A. *εἰκαιότητα, vanitatem.* ¶ רֵאשׁ וָעֹשֶׁר אַל־תִּתֶּן־לִי ...

διάταξιν

S. διάταξόν μοι δίαιταν ἱκανὴν, *ordina mihi diætam ſufficientem.* A. ἄρτον ἀκριβασμῶν μȣ, *panem definitum meum.*

9. וְכִחַשְׁתִּי וְאָמַרְתִּי מִי יְהוָה. A. S. καὶ ἀρνήσωμαι, καὶ εἴπω, Τίς ἐςὶ Κύριος; *& abnegem, & dicam, Quis eſt Dominus?* ¶ וּפֶן־אִוָּרֵשׁ. Schol. ἢ πενόμενος. Libri vulgati variant. Alii πενόμενος, alii, ἢ πενηθεὶς, alii πένης γενηθεὶς, *egens factus.*

10. אַל־תַּלְשֵׁן. S. μὴ διαβάλῃς, *nè calumnieris.* Th. μὴ καταλαλήσῃς, *nè contradixeris.* ¶ וְאָשָׁמְתָּ. A. S. Th. καὶ πλημμελήσῃς, *& delinquas.*

12. וּמִצֹּאָתוֹ לֹא רֻחָץ. Schol. καὶ ἀπὸ ῥύπȣ ȣ̓κ ἀπελȣ́σατο, *& à ſordibus non fuit lota.*

14. וּלַאֲכֹל. A.S.Th. κατεσθιȣ́σας, *comedentes.* ¶ עֲנִיִּים. Schol. ταπεινȣ̀ς, *humiles.*

15. שְׁתֵּי בָנוֹת. S. δύο θυγατέρες, *duæ filiæ.* ¶ הַב הַב. Idem, Φέρε, Φέρε, *Adfer, adfer.* ¶ שָׁלוֹשׁ הֵנָּה לֹא תִשְׂבַּעְנָה. A.S.Th. τρία δὲ ἐςὶν ἃ ȣ̓ πλησθήσεται, *tria verò ſunt quæ non implentur*] *Satiantur.* ¶ לֹא־אָמְרוּ הוֹן. A. S. Th. ȣ̓κ εἶπαν, Ἀρκεῖ, *non dixerunt, Sufficit.*

16. וְעֹצֶר רָחַם. A. καὶ ἐποχὴ μήτρας, *& retentio matricis.* S. καὶ συνοχὴ μήτρας, *& coartatio matricis*] *Conſtrictio*, i.e. ſterilitas. ¶ לֹא־אָמְרָה. Schol. ȣ̓κ εἶπε, *non dixit.*

17. נַחַל. A.Th. χειμάῤῥȣ, *torrentis.*

18. נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי. A. ἐθαυμαςώθησαν, *mirabilia facta ſunt.* Schol. ἀδυνατȣ̃ντα, *impoſſibilia.*

19. בַּשָּׁמַיִם. Schol. ἐν ȣ̓ρανῷ, *in cælo,* ¶ דֶּרֶךְ גֶּבֶר. A. Th. ὁδὸν —— *viam* —— ¶ בְּעַלְמָה. S. ἐν νεάνιδι, *in adoleſcentula.*

20. אָכְלָה וּמָחֲתָה. A. S. Th. & cæteri, ὡσεὶ Φαγȣ́σης καὶ ἀπονιψαμένης, *velut comedentis & abluentis.*

21. וְתַחַת אַרְבַּע. S. τὰ δὲ τέσσαρα, *quatuor autem.*

23. תַּחַת שְׂנוּאָה כִּי תִבָּעֵל. S. καὶ γυνὴ μισȣμένη ὅταν συνοικήσῃ, *& mulier exoſa cùm cohabitabit.*

24. חֲכָמִים מְחֻכָּמִים. Th. σοΦίᾳ σεσοΦισμένα, *ſapientiâ inſtructa*] Vel *ſapientiam edocta:* σοΦίᾳ, i.e. בחכמה.

26. שְׁפַנִּים. Schol. εἶδος ἰχθύς, *genus piſcis*; ἔτοι δὲ λαγωοὶ, *vel lepores*; ἢ οἱ καλȣ́μενοι ὄιςροι, *æſtri, tabani*] Hier. *lepuſculus.* Lxx. οἱ χοιρογρύλλιοι. Alii *cuniculi.* ¶ וַיָּשִׂימוּ. S. ἔταξαν.

27. חֹצֵץ כֻּלּוֹ. S. ὡς ψῆΦὶς πᾶσα, *ut calculus univerſa, Scrupus, lapillus,* i.e. חצץ. *glarea.* Hier. *per turmas ſuas.* Lxx. εὐτάκτως, *ordinate.*

28. שְׂמָמִית. Th. ἐλλαμβανόμενος. ¶ בְּהֵיכְלֵי מֶלֶךְ. A. S. Th. ἐν ναοῖς, *in Templis.*

29. מֵיטִיבֵי לָכֶת. A. Th. ἀγαθύνοντα πορείαν, *quæ rectà incedunt*] Sive *bellè gradiuntur.*

30. מִפְּנֵי־כֹל. A. S. Th. ἀπὸ προσώπȣ παντὸς, *à facie cujuſcunque.*

31. זַרְזִיר מָתְנַיִם. A. Th. ἀλεκτρυὼν νώτῳ, *gallus gallinaceus dorſo.* S. περιεσΦραγισμένος τὴν ὀσΦὺν, *circumobſignatus lumbo*] *Gallus*, ſic Hier. ut & Lxx. qui ἀλέκτωρ habent. Cum his conſentit ex Ebræïs R. Joſeph. Chald. אבבא, quod etiam *gallum* interpretantur. Videbimus, cùm otium erit. ¶ *Dorſo*, vel *tergo.* Job. 40. 11. בכתניו. A. νῶτον. S. ἢ λαγών. Hier. *lumbus.* Lxx. ὀσΦύς. Vide ibi Fragmenta mea.

32. אִם־נָבַלְתָּ בְהִתְנַשֵּׂא. Th. Εἰ ἠΦρόνησας ἐν τῷ ἐπαίρεσθαι: *Si diſipuiſti efferendo te.* ¶ וְאִם־זַמּוֹתָ יָד לְפֶה. Th. καὶ ἐνενοήθης, χεῖρα εἰς ςόμα, *& cogitaveris, manum ad os*] *Si cogitaveris.* Talis defectus in illo,

Græculus eſuriens in cælum juſſeris, ibit.

33. וּמִיץ־אַף יוֹצִיא דָם. A. καὶ ἐκμύζησις θυμȣ̃ ἐξοίσει αἷμα, *exſuctio animi educit ſanguinem*] *Animi*, iræ; ut in illo, *Animum rege.*

AMAMA.

AGur] Sapiens quidam.

משא] Sub. דברי, verba Prophetiæ. Mercer. *Nebuah non tantum de futuro* eſt, *ſed generaliter rei alicujus enarrationem & interpretationem ſignificat.* Ad verbum, *aſſumptio. Aſſumere* Parabolam, canticum, lamentum, Prophetiam, contentionem Græci λῆμμα & Aq. ἆρμα. Moſchop. non ineptè, λήμματα αἱ προΦητεῖαι, ἃς ἔλαβον οἱ προΦῆται ἀΦ' ἁγίȣ πνεύματος.

De Ithiel] Chriſto. ל de. Pſal. 91. יצוה לך, Matth. 4. περὶ σȣ̃. 2 Sam. 11. 7. לשלום περὶ τῆς εἰρήνης. Subjectum hujus doctrinæ eſt Chriſtus, qui ita vocatur, quod in eo natura divina cum noſtra hypoſtaticè adunata eſt, Ucal, quia ei omnis poteſtas &c. Major conſolatio in Ithiel quàm Immanuel, quia Chriſti beneficium ſingulis fidelibus ſeorſim applicat.

Verſ. 5. Seqq. arguit Chriſti nobiſcum præſentis ſufficientiam ex adverſa infirmitate & inanitate noſtra. In nobis eſt mentis cæcitas & vacuitas ſcientiæ divinæ. Nec enim ea eſt nobis originalis, verſ. 2. nec acquiſita, viribus naturæ acquiri non poteſt.

4. *Quis*] Præter Ithiel. Agit de imbecillitate noſtra. Nemo poteſt aſcendere in cœlum, nemo novit viam ſalutis, aut ex ſe poteſt cognoſcere, Quid dico cœlum aſcendere? nemo poteſt vento, qui in aëre, elemento nobis vicino, imperare, aquas gubernare. Arguitur impotentia reliquarum animæ facultatum.

Nota. *Aſcendere in cælum*, eſt, penetrare acie humani ingenii in myſteria Regni cœlorum Joh. 3. 13.

שמלה. שמ' Veſtis feſtiva, pulchra, Ruth. 3. 3. *Lavabis te & unges & pones* שמלותיך *Super te.* Vulg. *Induere cultioribus veſtimentis.* Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves cælorum.* Matth. 18. *Quæcunque ligaveritis in Terra, ligata erunt in cælo.* Matth. 28. *Mihi data* eſt ἐν ȣ̓ρανῷ. Matth. 22. 30. *Erunt* ἰσάγγελοι *in cælo.* Marc. 12. 25. *In cælis.*

5. אלה] Hab. 1. 11. לאלהו.

הטריפני] טרף præda, eſca ferarum. Inde, cibus, Prov. 31. Mal. 3. Sic שלל. Hinc טרפה raptum, membrum raptum, dilaceratum VII. Præcepta filiorum Noë. דינים. ברכת השם. ע"ז. גלוי עריות. שפיכת דמים חמס. אבר מן חי. ſeu טרפה

9. Incommoda divitiarum. I. Saturitas. Deut. 8. 12. Jeſ. 16. 49. II. Superbia & oblivio Dei, Deut. 32. 15. Vel potius abnegatio, ſi non verbis, ſaltem facto. Pauci ſunt qui cum Achab verbis renuncient Deo, multi qui factis. De Achab, Vide Seldenum. Nimiæ paupertatis incommoda, 1. quod ad furtum ſollicitet Hebr. 13. 5. Phil. 4. 11. & 12. 11. facti negatio etiam cum profanatione nominis Divini.

10. Nec temere nec falsò deferendum ſervum.

11. Sequentes ſententiæ, fere ſunt τετρακῶλοι. Prima ſententia proponit quatuor genera hominum perditiſſimorum à quibus cavendum.

דור, genus hominum. Sic in Nov. Teſt. Matth. 11. *Cui aſſimilabo* γενεὰν *hanc, generatio prava & adultera.* Luc. 16. 8. *Filii hujus ſeculi prudentiores ſunt* ἐν γενεᾷ ἀυτῶν &c. *in genere ſuo.* Virg. *Quod genus hoc hominum.* Cicero dixit *natio* candidatorum & Optimatium.

Benedicit & non maledicit] Ebraïſmus, ubi idem repetitur per negationem contrariam. Deut. 33. 6. *Vivat Ruben & non moriatur.* Pſ. 118. *Vivam & non moriar:* Pſ. 96. *Terra ſtabit & non nutabit.* Eſ. 38. 2. Joh. 1. 20. 1 Joh. 1. 20. *Lux eſt & tenebræ* &c. 2. 7. *Veritas eſt & non mendacium.*

12. Pſ. 131. Nec elati ſunt oculi mei.

14. מתלע] Pro מלתע quod eſt Pſal. 59. per Metatheſin. Thema enim eſt לתע comminuit.

15. 16. Videntur adhibiti ad quartæ generationis indicandam immanitatem & oſtendendam originem, Vid. avaritia & inſatiabilitas. Non immerito avaritiam ῥίζαν τῶν κακῶν vocavit Apoſtolus, & πάσης κακίας μετρόπολιν Bion, & κεΦάλαιον Apollodorus.

לעלוקה. Præter hirudinem, Kimchi ait eſſe vermem creſcentem גרלה in fluviis, adhærentem pedibus hominis & animantium trajicientium fluvium, haurientemque eorum ſanguinem; donec impleatur, cadat & expiret. Sic & R. Levi & Rab. Venaki, Græci vocant βδέλλαν.

Duæ filiæ] Habet linguam biſulcam, unde gemini illi rami vocantur filiæ. *Binis ramis indeſinenter ſugit unde etiam præciſo ore, ex duobus illis ramis tanquam Siphonibus effluit ſanguis.* Plin.

Præbe, præbe] Indeſinenter ſugentes, ac ſi loquerentur.

Quatuor non dicunt] Non facienda ſunt VII. ex 3. & 4. Eſt enim vel correctio, q. d. quid dico tria? Sunt quatuor. Vel, quatuor. i. e. quartum. Vide Reg. noſtram.

הון] Symm. ἀρκεῖ. Junius, *Obe.*

עצר ר'] Occluſio matricis, i. e. matrix occluſa. Hypallage עצר idem quod סגר. Ejus oppoſitum eſt פתח Gen. 20. 18. *Occludendo occluſerat Dominus omnem matricem domus Abimelech.*

17. Redit ad primum illud genus hominum, atque hic idem illud peccatum denuo proponit & adjungit pœnam, ibi damnatur qui parentibus maledicit; hic, qui ullo corporis geſtu pietatem & officium erga parentes violat.

ליקהת] ק habet Dages Euphonicum. Eſt pro לִיקְהַת. Sic Geneſ. 49. 10. Et ei erat יקהת Populorum. Ubi alii *congregatio*, alii, *obedientia.* Thema eſt יקה. Sic Pſ. 45. eſt, בִּיקְרוֹתֶיךָ.

Filii aquilæ] Ut Filii corvorum, filii achivorum, filii hominum. Senſus, in crucem agetur. Horat. *Paſces in cruce corvos.* Prudent. *Crux illum tollat in auras viventesque oculos offerat alitibus.* Vel, inſepultus abjicietur. Sepultura aſini Jer. 22. Sepultura inſepulta ſupplicium non niſi ſceleratiſſimis irrogatum Ethnicorum legibus.

18. נפלא] Separari à cognitione, ſeu intellectu, captu & ſenſu noſtro, i.e. arduum eſſe, incognitum, ſuperare captum, mirabile eſſe, occultum eſſe. 2. à viribus, impoſſibile, difficile, arduum, grave. Gen. 18. 14

19. *Super petram*] Nam ſuper terra relinquit veſtigium.

בלב] In corde, i. e. In medio. Sic paſſim Jer. 17.

בעלמה] Vulg *In adoleſcentia*. Tig. *cum virgine* Alii in עלמה. Sic ponitur pro lupa perfrictæ frontis, quæ tamen habetur pro virgine, quæ ſe ipſam vendidat pro virgine. Ita ſæpe ſolet loqui Scriptura κατὰ δόξαν. Luna vocatur luminare majus. Pſeudopropheta Nabi. Magi Sapientes &c. Locus Jeſaiæ tamen ſtat. Quia etiamſi detur meretricem hic vocari עלמה, tamen inde non ſequitur עלמה ſignificare fœminam corruptam, (ut ſi meretrix vocetur Matrona, non ſequitur matronam etiam ſignificare meretricem.) 1. enim tunc negatur non eſſe ſignum. 2. Originatio docet eſſe propriè virginem.

20. *Comedit*] Patrato facinore ita ſe obſirmat, ac ſi integra eſſet à viro. Euphemiſmus.

21. Hyperbole. q. d. Eſſe plane intolerabilia, ob quæ par ſit terram contremiſcere ob facti horrorem.

Servus] Claudian. in Eutropio:

Nec bellua tetrior ulla eſt
Quam ſervi rabies in libera terga furentis.

Seneca: *Intolerabilis malo ingenio felicitas eſt.*

שממית vel ſimia, vel aranea. היכל templum & palatium: Κυριακὴ Græcis Templum. Et dominicum Latinis poſterioribus. Hier. in Chronico. *Antiochiæ dominicum aureum dedicatur.*

29. Ab horum exemplo commendat nobis animi fortitudinem & conſtantiam in rebus honeſtis, ut in ſuperiori quaternario ſedulitatem & induſtriam.

30. ליש] Leo ſeniculus, ætatis provectioris, qui licet junioribus cedat velocitate & agilitate, tamen robore & animoſitate præpollet. Hinc λῖς apud Heſiod. & Homer. 1. גור σκύμνος, λεοντιδεύς. כפיר λεοντισκός. אריה λέων. לביא χάρων. ליש λῖς, שחל λέαινα. Thalm. addunt ניוש. Exiat ליש hic, Jeſ. 30. 6. Job. 4. 11. Ab. dicit non terreri ab ullo animante, ſicut Leones, Urſi & Pardi. Et videtur accipere pro Leopardo.

31. Hier. & Gr. Gallus, Sym. & Th. ἀλεκτρύων. ἀλέκτωρ. Lxx. Alii, *Lalaps*, *canis leporarius*, *venaticus*. Sic Belg. *Een Wint.* Sic & Tigur. Junius, *equus*. Angl. in textu, habent *canem*. In margine, aut *equus*. Alii, *Leopardus*.

Lumborum] Hoc alii ad tenuitatem lumborum referunt; alii, ad robur lumborum. Melius ad ſtrenuitatem & alacritatem, quæ accinctione lumborum in Sacra Lingua paſſim ſignificatur. Accingere lumbos, eſt accingere ſe operi, à quo ritu etiam phraſis illa. Cùm enim laxas & fluidas veſtes gererent, iter facturi, curſuri, aut aliquid aliud facturi baltheo & zona accingebant veſtem.

Pro equo eſt vox זרזיר quæ propriè ſignificat accinctum à זרז Job. 38. אזר *ſicut vir lumbos ſuos* Chald. זרז. Et locus Job. 39. 22. &c. ubi deſcribitur animoſitas ejus.

תיש או] O pro ׳, Sic contro ו pro או. Eſt hircus. Interpres vulgatus *Aries*. i. e. איל דכר. In hirco ſeu capro eſt robur admirabile, & ſupra quam pro corporis proportione credibile, & Aries robore capitis tauro æqualis, & juxta quoſdam ſuperior. Ei aſſimilatur regnum Perſarum & Medorum. Hircus ariete robuſtior, ei aſſimilatur Regnum Macedonum quod Perſicum fregit, i. e. arietem poſtravit.

Ad horum imitationem quæ prudenter ſuſcepta ſunt exequamur. Multi ex timiditate, alii ex temeritate peccant.

32. Cavendum ne donorum fiduciâ efferamur. Efferant ſe illa animantia. Tu cave. Ebræi, ſi incepiſti aliquid per iracundiam agere, quod nondum confectum eſt, fræna te ipſum, cohibe te ipſum.

מיץ emulſio, vel emulſor, expreſſor. Expreſſio מצה מוץ & מצץ exprimere, exugere, emulgere, comprimere aliquid in quo ſuccus eſt, ut exeat. Sic intellige vocem *preſſura* in Junii verſione.

GROTIUS.

1. **V**Erba *Congregantis filii Vomentis*] Tranſtulit nomina quæ ſunt propria: *Agguri filii Iache*. Fuit is aliquis illorum temporum Theognis aut Phocylides.

Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait] Hic quoque nomina propria tranſtulit, quibus ſervatis ſic vertas optimè. Pro eo quod hic eſt *viſio* Hebræum eſt משא, quod alibi quidem *vaticinia dira* ſignificat, ſed poteſt & ſignificare συλλογὴν ſive συναγωγὴν [*collectionem*,] ut intelligamus ex Agguris ſcriptis hæc eſſe ſelecta. Deinde *locutus eſt vir* (ſupple *ille*) *ad Ithiel*, *ad Ithiel*, *ad Ucal*, diſcipulos nimirum aut amicos ſuos: qualis Theognidi Cyrnus & Onomacritus.

4. *Quis aſcendit in cœlum?*] Nempe hominum, ut ſcilicet audeat mutare Dei leges: quod ſequentia exponunt. Confer Eſaiam 40. 12.

6. *Ne addas quicquam verbis illius*] *Addit*, qui aliter quàm Deus imperat facit, ut dictum ad Deuteronom. 4. 2.

8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi*] Senecæ chorus in Oedipo:

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne preſſa gravi
Spiritu antennæ tremant;
Lenis ac modicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.

Alexis:

Ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον, ἐδ᾽ ὑπεργέμον.
[*Quàm dulce quod ſatis eſt, nec eſt plus quàm ſatis.*]

Adde quæ apud Horatium de Aurea mediocritate.

15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes*, *Affer*, *affer*] Πλεονεξίαν, [*habendi cupidinem*] deſcribit ſub hirudinis imagine, quæ duobus linguæ ramis ſanguinem ſugit

19. *Viam viri in adoleſcentia*] Scripſiſſe Interpretem puto *in adoleſcentula*: nam ſic in Hebræo eſt, ſignificat incerta eſſe virginis aut corruptæ indicia.

20. *Tergens os ſuum*] Σεμνολογία, [*honeſta elocutio.*] Aliud dicitur, aliud intelligitur. Vide ſuprà 16.

22. *Per ſervum cum regnaverit*] Menandri dictum eſt:

Δύλῳ γενομένῳ δῦλε δυλεύειν Φοβϐ᾽
Ἀμνημονεῖ γὰρ ταῦρος ἀργήσας ζυγδ.
[*Servire, ſerve, ei metue qui ſervus fuit:*
Jugo abſoluti ſemet non norunt boves.]

nam

Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum.

Et per ancillam cum heres fuerit dominæ ſuæ] Heſiodus:

Μήποτε δυλεύσασα γυνὴ εἰς λέκτρον ἵκοιτο.
[*Jungatur nunquam thalamo quæ ſerviit antè.*]

27. *Regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas*] Eſt animal ἀγελαῖον, [*gregale*] quidem, ſed ἀβασίλευτον, [*ſine rege*,] quod & de formica habuimus ſuprà 6. 7. *Magnâ cohorte ire locuſtas* dixit Plinius.

28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*] Sic & Græci, καλαβώτης, [*ſtellio.*] Id animal hodie Græci vocant σαμιάμινθον. Id planè eſt ex Hebræo quod hic habemus שממית [*Samamith.*] *Manus* vocat pedes, quibus ea pro manibus utitur. *Moratur in ædibus regis*, id eſt, in oſtiis & feneſtris, ut docet Plinius 30. 3.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

1. **V**ERBA LAMUELIS] Interpretatur LAMUEL למו אל *Apud eos Deus*. Putantque Hebræi ſic appellatum Salomonem, quòd in diebus ejus fuerit Deus cum Iſraelitis, ſeclusâ omni cultura idolorum, præſertim tempore juventutis ejus, quando magno zelo Templum Domino ædificavit & cultum ejus ampliavit. Deſcribit autem à principio hujus capitis quomodo *erudierit eum mater ſua*, quòd ſeſe elongaret à *mulieribus* & *vino*, quò liberiùs vacare poſſet ſapientiæ. Unde dicit, *Ne tradas mulieribus robur tuum*, h. e. Ne dilapides ſubſtantiam tuam vel vires tuas eum mulieribus, *neque vias tuas eò dirigas, ubi etiam Regibus imminet exitium.*

4. *Competit*] Stat dictio אי hoc loco pro יאות *decet, convenit.*

8. *Hujus tranſeuntis ſeculi*] Alludit ad illud Pſalmi, *Manè florent, tranſeunt & pereunt veſperi.* Eſt enim חלוף idem quod הבורח *mutabilitas*; quòd nihil firmum permaneat ſub cœlis.

10. *Mulierem fortem*] Chaldæus pro חיל vertit כשירתא *mulierem rectam & integram*, ſeu *virtute præditam*. Deſcribit autem hîc officia mulieris matrisfamilias; id quod & Philoſophi fecerunt, niſi quòd illi de timore Dei & fide nihil præceperunt. Hebræi ex hoc loco colligunt *mulierem rectam tam raro inveniri quam corvum in ramo palmæ.* Unde ſcribunt ſic, אישה כשרה
אמרו חכמים ז״ל אם יגנב אדם שק ויתלכן כן תמצא דערת בנבלים
ואם יעלה חמור בסלים כן תמצא דערת בנשים אם יחור גרי עם נמר
המצא

כן תחר בלה עם חמותה. אם תראה ערב גלולכן כן תמצא כשרה בנשים. ¶ *Poſſeſſio ejus*] Vel ſecundùm alios, *pretium ejus.*

17. *Accingit lumbos ſuos*] hoc eſt, Agit omnia ſtrenuè & virili animo, aſſiduaque eſt in negotiis domi & foris agendis.

21. *Coccino*] Non eſt hîc SCHNAJIM *duplicia*, ſed SCHNAIM, quod ſignificat לבוש מתולעת שני *veſtem coccineam & vermiculorum ſanguine tinctam.* Facit autem mentionem pretioſorum veſtimentorum ut oſtendat prudentiam hujus mulieris, quæ etiam antequam irruit frigus providet domui ſuæ de optimis indumentis & operimentis.

24. *Cinctoria tradit*] h. e. Mulier prudens & ſagax varia parat indumenta, quæ vendit mercatoribus, & ex lucro parat ea quæ ſunt neceſſaria pro domo, ut tempore ſenectutis partis cum gaudio fruatur.

32. *Mendax eſt gratia*] i. e. Non tantùm pulcritudo & venuſtas corporis reddunt mulierem laudabilem, verùm & pulcri mores, timor Domini, aſſiduitas laboris & cura domûs. Nec eſt opus ut homines prædicent eam, cùm *opera ejus* ſatis oſtendant illam omni *laude & præconio dignam*: & præſertim *in portis*, h. e. in conſeſſu Seniorum & Sapientum, memoria ejus non delebitur.

VATABLUS.

1. LEmuel למואל] In hac voce למואל accidentaria eſt particula מו, & eſt acſi dixiſſet לאל, ſic *Verba*, אשר לאל i. e. *ejus qui eſt Dei*: vel, *ejus cujus eſt Deus*, id eſt, qui eſt à parte Dei: q. d. *Verba Salomonis qui à Deo conſtitutus fuit Rex.*

2. *Et quid*, &c. ומה בר בטני] Repetitio iſta maternum affectum exprimit. ¶ *Filii votorum* בר נדרי] *Fili* pro quo feci *vota mea*? Alii *Filium votorum* exponunt *filium gratiſſimum, amantiſſimum & exoptatiſſimum, pro quo vota mea omnia emiſto.* Eſt autem ſermo imperfectus, qui etiam vehementiſſimum affectum exprimit. Perficiunt autem quidam ſubaudiendo, *Dicam tibi*, aut *Hoc agis*, ſic, *Quid hoc agis, fili mi?* vel, *Quid, fili mi, dicam tibi*

3. *Fortitudinem tuam* חילך] *Opes tuas.* ¶ *Et vias tuas* ודרכך] Sub. *nè dederis mulieribus*, ut ſcilicet cum illis ambubules & verſeris. ¶ Quod ſatis eſt *ad*, &c. למחות מלכין] Quæ efficiunt *ut perdantur* etiam *Reges.* Quidam vertunt, *Et ſtudia tua* nè des *ad delenda* ſtudia *Regum.* ן pro ם. ל *in.*

4. *Non eſt Regum* אל למלכים] *Non decet Reges*, &c. Vel, *Non convenit Regibus.* ¶ *Et principum*, &c. ולרוזנים או שכר] *Et* non eſt *Principum* dicentium, או *Ubi eſt ſechar?* Vel, nè dederis vinum *Principibus* dicentibus, או *Ubi eſt ſechar?* Alii או pro אין accipiunt, & tunc או eſt defectivum, ut annotant docti inter Hebræos, & ו ponitur pro י, ut legamus, *Et Principibus nè* des *ſechar.*

5. *Bibat* ישתה] Sing. Heb. pro plur. & fut. pro præſ. Hic tranſitus de numero ad numerum frequens eſt Hebræïs: i. e. nè unuſquiſque eorum bibat. ¶ *Statuti* מחוקק] *Juris præſcripti*: id eſt, ejus quod ſtatuitur & ſcribitur. ¶ *Et mutet*, &c. וישנה דין כל] *Et pervertat jus omnium filiorum afflictionis*, id eſt, omnium afflictorum.

6. *Iis qui amaro*, &c. למרי נפש] Ad verb. *amaris anima*, in ablat. i. e. amaris corde, h. e. triſtibus. Nam *amarum* pro *triſti* ab Hebræïs uſurpatur.

7. Ut *bibat*, & *obliviſcatur* ישתה וישכח] *Bibet*, & *obliviſcetur.* Sing. Heb. pro plur. Verti poteſt, *Bibant*, & *obliviſcantur.*

8. *Aperi os tuum muto* פתח פיך לאלם] Hebraïſmus. *Patrocinare ſilenti in cauſa ſua.* ¶ *Ad judicium* אל דין] *In cauſa.* ¶ *Tranſitus* חלוף] *Tranſeuntis*, ſub. *ſeculi.* Alii, *interitûs*, ſive *mortis.* Alii, *mundi.*

9. *Judica juſtitiam* שפט צדק] Hebraïſmus, pro *Judica juſtè*: ſubſtantivum pro adverbio. *Et judicium*, &c. ודין עני ואביון] *Et* defende *cauſam pauperis & egeni.* Alii, & *judica pauperem & egenum.* דין enim poteſt eſſe nomen & imperativum. Alii, *ſervato jus pauperis & egeni.*

10. *Fortem* חיל] Ad verb. *virtutis.* חיל ſignificat *robur, opes, & virtutem.* Gallicè, *Une vaillante femme.* ¶ *Nam procul* ורחוק] *Nam longinquum*: ו pro *nam.* i. e. *Longè diſtat à pretio gemmarum*; ſive, *ſuperat omnes gemmas dignitate & pretio.* Alii vertunt, *Poſſeſſio* [vel *emptio*] *ejus longè ſuperabit gemmas.* Alii totum verſum ſic convertunt, *Fœminam virtute præditam quiſquis nactus fuerit, mercem habet gemmis procul petitis pretioſiorem.*

11. *Et ſpolis* ושלל Ad verb. & *ſpolio.* Sing. pro plur. i. e. re domeſticâ: hîc שלל pro *re familiari & domeſtica* accipitur, quòd ea deprædationibus hoſtium pateat in bello.

13. *Secundùm voluntatem* בחפץ] *In beneplacito.* Alii, *cum voluptate*; i. e. laborat ultroneis manibus. Gallicè dicimus, *Elle prend plaiſir a beſongner.*

15. *Et portionem* וחק] Ad verb. & *conſtitutum*, vel *deſinitum*, ſub. *cibum.*

16. *Conſiderat agrum* זממה שדה] Ad verb. *Cogitavit agrum*, ſub. *emere ex labore manuum ſuarum.* ¶ *Et emit eum* ותקחהו] Ad verb. & *accepit eum*, *emendo* ſcilicet. *Accipere* pro *emere.* ¶ *De fructu* מפרי] i. e. Labore. Quidam vertunt, *Ex fructu* quem acquirit *manibus ſuis.*

17. *Fortitudine* בעוז] Ad verb. *in virtute*: id eſt, exactè, diligenter & accuratè ſe præparat ad opus. Vel, agit omnia ſtrenuè & virili animo, aſſiduaque eſt in nogotiis domi & foris agendis.

18. *Guſtat* טעמה] Præt. Hebr. pro præſ. id eſt, percipit opus ſuum eſſe frugiferum. Quidam, *advertit quam bona ſit*, &c.

20. *Extendit* פרשה] Præt. Heb. pro præſ. i. e. largitur facultates ſuas pauperibus.

21. *Coccino* שנים] Pro *veſtibus coccineis* poſuit *coccinum*, h. e. pretioſis: quantò magis ergò aliis veſtibus quibus frigus arceatur? Argumentum à majori ad minus. Quidam vertunt *duplicibus.*

22. *Tapetia* מרבדים] *Operimenta lecti.* Alii, *Torquem auream.*

23. *Notus* נודע] *Conſpicuus. Celebris.*

24. *Linteum* סדין] *Sidonem.* Alii, *Telam.* Doctus inter Hebræos dicit ſignificare *operimentum nocturnum hærens carni, factum ex lino*: *quoddam item quo in die operit ſe homo*, ut legis Judic. 14. 12. ¶ *Et tradit* ותמכר] Sub. *liberis ſuis.* Alii, *vendit*, ſub. *negotiatoribus.*

25. *Et ridebit*, &c. ותשחק ליום אחרון] *Et gaudebit in die noviſſimo*: vel, *in poſterum.* Alii, & *ſubſannabit diem noviſſimum*: quia ſcilicet (inquiunt Hebræi) neque famem futuram, neque ægritudinem, nec damna, nec mortem timet.

26. *Aperit ſapienter* פתחה בחכמה] Ad verb. *aperuit in ſapientia.* Præt. pro præſ. Hebraïſmus, pro *Sapienter loquitur.*

27. *Vias* הליכות] *Itinera*, i. e. ſtatum. ¶ *Pigritiæ* עצלות] *Ignaviæ*; id eſt, cum ignavia & pigritia: q. d. non vivit ſine labore.

29. *Paraverunt* עשו] Ad verb. *fecerunt.* ¶ *Superas univerſas* עלית על כלנה] Ad verb. *aſcendiſti ſuper omnes eas.*

30. *Fallax gratia* שקר החן] Ad verb. *Mendacium gratia*, i. e. Fallax eſt venuſtas.

31. *Date ei de*, &c. תנו לה וגו'] Hebraïſmus, pro *Laudate illam propter laborem manuum ſuarum. Fructus* pro *labore* ſumitur, quòd fructus manuum ſit labor. ¶ *In portis* בשערים] *Portas* pro *locis publicis* uſurpant Hebræi.

CASTALIO.

3. IN *Regum perniciem*] Mulieres quæ ſunt regibus perniciosæ.

8. *Aperi os tuum muto*] Inopum cauſam age, qui pro ſe loqui neſciunt. ¶ *In cauſa omnium qui pertunduntur*] Injuriâ afficiuntur.

10. *Strenuam mulierem quis inveniat*, &c.] Hæc uſque ad finem ſcripta ſunt Hebraicè ordine literarum.

11. *Nec cibariorum eſt indigus*] Abundat opibus domeſticis.

23. *Conſpicuus eſt in curiis maritus ejus*] Textis ab ea veſtibus ornatus.

25. *Præclarè & honeſtè veſtita futurum tempus eludit*] Non metuit nè in poſterum veſtitu indigeat.

27. *Nec pigritiæ cibo veſcitur*] Impigra eſt.

31. *Huic detur manuum ſuarum fructus, eamque in curia ſua laudent opera*] Laudetur ut meretur.

CLARIUS.

1. VERBA LAMUELIS] LAMUEL ſignificat (ſi interpreteris) *Apud eos Deus.* Putantque Hebræi appellatum Salomonem quòd in diebus ejus fuerit Deus cum Iſraëlitis, ſeclusà omni culturâ idolorum; præſertim tempore juventutis ejus, quando magno zelo Templum Domino ædificavit & cultum ejus auxit. Deſcribit autem à principio hujus capitis quomodo *erudierit eum mater ſua*, ut ſeſe abduceret à *mulieribus* & *vino*, quò liberiùs vacare poſſet ſapientiæ.

3. *Ad delendos Reges*] Ejuſmodi enim viæ abolere ſolent etiam Reges.

8. *Qui pertranſeunt*] Alludit ad illud Pſalmi, *Manè florent, & tranſeunt, & pereunt veſperi.*

10. *Mulierem fortem*] Vel *rectam & integram.* Deſcribit autem hic officia mulieris familiàs, id quod & Philoſophi fecerunt, niſi quòd illi nihil de timore Dei & fide præceperunt.

11. *Spoliis non indigebit*] Vel, *in rebus nullam habebit penuriam.*

12. *Reddet ei*] Nempe mulier marito.

17. *Accinxit fortitudine lumbos*] h. e. Agit omnia ſtrenuè & virili animo, aſſiduaque eſt in negotiis domi & foris.

21. *Duplicibus*] Alius vertit *coccino*, ut mentionem faciat pretioſorum veſtimentorum ad oſtendendam prudentiam mulieris hujus, quæ antè etiam quàm irruat frigus providet domui ſuæ optima indumenta.

24. *Chananæo*] h. e. *Mercatori.* Mulier, inquit, prudens & ſagax varia parat indumenta, quæ vendit mercatoribus, & ex lucro parat neceſſaria domui, ut tempore ſenectutis pattis cum gaudio fruatur.

30. *Fallax gratia*] Non tam, inquit, pulcritudo & venuſtas corporis reddunt mulierem laudabilem quàm pulcri mores, timor Domini, aſſiduitas laboris, & cura domûs. Nec opus eſt ut homines prædicent eam, cùm *opera ejus* ſatis oſtendant illam omni laude & præconio dignam: & præſertim *in portis*, hoc eſt, in conſeſſu Seniorum & Sapientum, memoria ejus non delebitur.

R. BAYNUS.

1, 2, 3. V*Erba Lamuelis Regis, Viſio quâ erudivit eum mater ſua. Quid, dilecte mi? quid, dilecte uteri mei? quid, dilecte votorum meorum? Nè dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & vias tuas ad delendos Reges*] *Lamuel.* Hoc nomine ſeipſum inſignivit Salomon, noſtrorum & Hebræorum conſenſu Interpretum. Cujus vocis Etymologia hujuſmodi eſt למו אל *cujus* vel *cui* eſt *Deus*: vel, *cum quo* eſt *Deus.* In principio libri teſtatus eſt patrem ſuum docuiſſe eum: nunc quæ didicit à matre narrat, quæ cùm non pro præſenti, ſed etiam in futurum ſtuduerit filium erudire, prophetiæ loco matris monita habet: & hoc in loco ſeſe feciſſe oſtendit, quod filium ſuum facere voluit; nempe non ſolùm patris ſui diſciplinam, ſed matris quoque legem magnifeciſſe, ut ſcriptum eſt, Prov. 1. *Audi, diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ.* ¶ *Quid, dilecte mi? & quid, dilecte uteri mei? & quid, dilecte votorum meorum?*] Omnino muliebrem expreſſit affectum, & animum in liberos propenſum. Vox Hebræa ברי *filium* ſignificat, in quo major affectus oſtenditur. Crebra repetitio ad magnitudinem amoris & attentionem ſpectat: *Quid, fili mi? quid, fili uteri mei? quid, fili votorum meorum?* ſum mater tua, in utero te geſſi cum dolore & periculo, tui causâ vota feci, & pro ſalute tua. Solent enim qui vehementiùs amant, pro his quos amant vota ad Deum facere. Aliter, *Fili votorum meorum*, dixit, quòd antequam naſceretur, voviſſet ſe hoc vel illud facturam, ſi à Domino probum & ſapientem filium acciperet, ut moris eſt matribus: vel *filius votorum*, quòd magno deſiderio & maximis votis obtinuiſſet à Davide Salomonem regnaturum poſt eum. Sunt ex Hebræis qui putant hanc fuiſſe matris reſponſionem, quæ rogata à filio poſt mortem patris ut aliquid ab eo peteret, reſpondet, *Quid, fili mi? & quid, fili uteri mei?* non quem educavi, ut filia Pharaonis educavit Moyſen, ſed quem peperi, quid petam niſi ut nè des mulieribus fortitudinem tuam? Alii tum tandem putant matrem his verbis uſam erga filium, cùm videret eum multas accipere uxores, præſertim alienigenas. Sed cùm hanc admonitionem, & correptionem matris tanquam Prophetiam proponat nobis, meliùs intelligimus etiamnum puerum his verbis fuiſſe inſtructum Salomonem à matre, tanquam divinantem qualis futurus eſſet, quod ad amorem mulierum ſpectat. *Quid, fili mi? & quid, fili uteri mei?* ſupplendum eſt aliquid: *quid, fili mi*, cogitas? vel, quem animum habes in me, quæ te portavi in utero, quæ pro te vota feci? Alii ſic, *Quid, fili mi? quid, fili uteri mei?* ſupple facis, qui multiplicas tibi uxores, & tantopere deditus es amoribus mulierum? Alii ſic, *Quid, fili mi*, ſupple petam abs te? quid, inquam petam, quia geſtavi te in utero meo, quòd te nutriverim & educaverim? Mihi magis arridet, ut ad ea quæ ſequuntur referantur hæ interrogationes: ut ſit ſenſus, *Quid, fili mi, & quid, fili uteri mei*, potiſſimùm te admoneam, pro maximo quo te proſequor amore, quid à te petam, vel quid exigam à te ut facias? Ad attentionem ſpectant, ut diximus. Sequitur, *Nè des mulieribus fortitudinem tuam*, ſive *ſubſtantiam tuam*] *Dat* autem quicunque illarum amore victus in Deum & corpus ſuum peccat, dicente Paulo, *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*, 1 Cor. 6. Quod ſequitur, *Et divitias tuas ad delendos reges*] Heb. *Et vias tuas ad delendos reges*: quod Noſtri intelligunt, quaſi ſuaderet mater nè reges ſaltem injuſtè ſubjugare conaretur, neque ea in re opes inſumeret; longè aliter Hebræi, & meâ quidem ſententiâ meliùs; nam bellum adverſùs infideles non ſolùm non erat illicitum illi populo, ſed etiam laudabile, delere videlicet idololatriam, & cætera abolere nefanda crimina, ob quæ Cananæi & aliæ gentes fuerunt deletæ. Sed diverſus contextus diverſam interpretationem neceſſariò habet. Sic Aben-Hezra, *Et vias tuas*, ſupple, *nè dederis ad delendas vias regum*, q. d. Noli induere mores & conſuetudines regibus indignas. Indignum eſt, cùm omni homini, amoribus mulierum & vino indulgere, tum maximè regibus, qui virtutum exemplo, non tantùm armis & potentiâ populis debent imperare. Viæ regum & mores regibus digni ſunt, vacare Sapientiæ, & ſanis conſiliis capiendis, non luxui aut libidini, & brutorum vitiis. *Nè dederis mulieribus ſubſtantiam* vel *vires tuas*: utroque modo verti poteſt, h. e. ſapientiam quam à Deo tanquam theſauros reconditam habes: huic ſapientiæ nihil magis adverſatur quàm amor mulierum, & ebrietas, quam in vino intelligimus. ¶ *Quid, fili mi? & quid, fili uteri mei?*] Rhetorum more ſermonis exordio benevolentiam captare, aut inire gratiam molitur apud filium. Primò, quòd filius ſit: Secundò, quòd non ſine dolore & matris periculo in lucem editur, unde & naturæ & Divinis legibus matri obtemperare debet: Tertiò, quòd tam charè ſemper à matre dilectus, ut pro quo ſubinde votis ſeſe aſtrinxerit, legem matris recuſare non debet.

4, 5. *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum ubi regnat ebrietas. Nè fortè bibant & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis*] Quàm non conveniat regibus ebrietas, neque his quorum eſt populum gubernare, præſens locus oſtendit: in quo frequentiſſimus eſt ille Hebraïſmus, qui ad integrum ſenſum aliquid ſupplendum relinquit. Nam in Hebræo ſic habet, *Non regibus, Lamuel, non regibus bibere vinum, neque principibus ſiceram*] Interpres noſter ſupplet ex præcedente verſiculo verbum *des*, & ſenſus eſt coactior: quaſi mater illius alios reges doceret, aut filium ſuum aliorum regum ac Principum moderatorem conſtitueret, quaſi penès eum eſſet. Lyranus per *reges* ipſum Salomonem intelligit, unà cum judicibus à Salomone conſtitutis: q. d. Neque tibi ipſi vinum multum dederis, neque judicibus tuis, aut principibus. Nam ut parco convivio & frugali reges ſuſciperet, ſi quos hoſpites haberet, non auſus eſt Lyranus dicere vel putare quòd aliquid tale præciperet mater illius. Et proinde rectiùs cum Hebræis ſupplemus ex præcedente verſiculo non verbum *dare*, ſed nomen *via*: & erit ſenſus, *Non regibus Lamuel, non regibus mos eſt*, vel *virtus* (aut *decorum*) *vinum bibere, neque principibus decorum eſt bibere ſiceram*: vel, ſupple *inveſtigare, ubi eſt ſicera*, ut alii legunt: ſenſus eodem redit. Aliter, ô *Lamuel*, h. e. ô tu qui verum colis Deum, aliis regibus non eris ſimilis: vel, viæ tuæ non erunt ſimiles moribus aliorum regum, quibus non eſt Deus, & proinde voluptatibus indulgent, & vinum ſectantur, & inveſtigant ubi eſt ſicera: hæc egregia eſt Expoſitio. Quòd ſi de noſtri Interpretis verſione nihil volumus immutari, licet eam ad hunc modum defendere, ſupplendo ex ſuperioribus ad hunc modum, *Nè dederis vias tuas ad delendum vias regum bibendo vinum.* Nam ut alienum eſt à viis & virtutibus regum capi amore mulierum, ità quoque eſt alienum & indecens viis & moribus regum calicibus epotandis ſtudere, & principibus indecorum eſt inquirere ubi invenitur ſicera: quæ in Scripturis ebrietatis potio habetur. Sequitur ratio quare non conveniat regibus bibere vinum, cum mutatione numeri, *Nè fortè bibat Rex*, vel *princeps, nimium vini, & obliviſcatur ſtatuti & mutet judicium omnium filiorum pauperis*] Sic Hebræi. Senſus idem eſt, Reges videlicet debere vacare prudentiæ & ſapientiæ, ut poſſint populum moderari æquis ſtatutis & legibus, & cum æquitate poſſint judicia exercere, nè pauperes opprimantur in judicio, vel humiles, qui vexati & injuriam paſſi ad principis judicium veluti ad ſacram anchoram confugiunt. Quòd ſi princeps à vino, vel mulieribus, detentus (quorum utrumque oblivionem æqui & iniqui vehementer inducit) judiciis non poſſit præeſſe, quæ tandem ſpes eſt oppreſſis & afflictis pauperibus? Regibus igitur & principibus res eſt indigna ebrietas, quæ rationi maximè adverſatur & ſapientiæ, ſine quibus æqua judicia exercere non poſſunt. Quod nos legimus, *Nullum ſecretum ubi regnat ebrietas*, apud Hebræos non habetur: ſed loco illius, *& principibus non* convenit *ſecar*, ut ſecunda clauſula reſpondeat priori, juxta conſuetudinem ſermonis hujus Sapientis, & Davidis in Pſal. tamen in defenſionem Interpretis obſervamus etiam alibi hanc vocem רזנים, nempe Eſaiæ 40. *ſecretorum ſcrutatores* verti à D. Hieronymo. Alibi *legum conditores*, nempe

pe Prov. 3. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Alioqui vertitur ab Hieronymo, & etiam LXX. *Principes* frequentiſſimè, & hoc in loco quadrat optimè. Nam non idcirco vult reges & principes eſſe abſtemios & ſobrios ut ſecreta obſervent, aliorum enim potiùs eſt ſecreta ſervare quàm regum; ſed ut Sapientiæ vacent, & diſcant cauſas cognoſcere, lites dirimere, pauperibus patrocinari: hæc ſunt Principum officia.

6, 7. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: bibant & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs*] Non prohibet potionem vini & ſiceræ quòd creaturas Dei condemnat, nam creatura Dei bona eſt; ſed quòd hujuſmodi potus ſit magìs neceſſarius aliis, nempe his qui in afflictione ſunt & mœſtitia. Heb. *Date ſiceram pereunti*] Quod intelligi poteſt, vel de damnatis ad mortem, quod mihi non placet: nam quorſum eſt eos obliviſci doloris vel amaritudinis ſuæ? præſertim cùm omnes actiones noſtras ſobrias eſſe decet, & omnem vitam ſobrietate ornatam, tum maximè eam partem quæ eſt maximi momenti, nempe poſtremam, quæ ſi ritè peragatur, prioris vitæ maculæ delentur: quare meliùs intelligitur. *Date ſiceram mærentibus*] vel, ut eſt in Hebræo, *pereuntibus*, h. e. quibus bona perierunt, qui ad egeſtatem ſunt redacti; ut reſpondeat clauſulæ ſequentis verſiculi, nempe, *bibant, & obliviſcantur paupertatis ſuæ.* Sunt qui intelligant, *Date ſiceram pereunti*, h. e. his qui lugent mortem ſuorum: & ſic quod in noſtris eſt codicibus, videlicet *mærentibus*, ſuppletur, omiſſâ voce quæ apud Hebræos eſt, nempe *pereunti.* Prior expoſitio eſt melior. ¶ *Et vinum his qui amaro ſunt animo*] Cui reſpondet, *Et doloris ſui non recordentur ampliùs*] Meliùs *non recordentur adhuc*, h. e. *perpetuo*: q. d. aliquando doloris ſive laboris obliviſcantur, nè nimiâ triſtitia abſorbeantur. Hujus loci ſenſus ſublimior obvius eſt & jucundus, nempe, mœrentibus prioris vitæ maculas & peccata ſua lugentibus dandum eſſe vinum, quod Dominus in nuptiis fecit ex aqua, conſolationem videlicet Scripturarum, & poculum ſanguinis Chriſti, in quo inebriati perditionis & condemnationis, quem lex Moſaïca minatur, ampliùs non recordentur, neque triſtitia abſorbeantur aut deſperatione.

8, 9. *Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt. Aperi os tuum, decerne quod juſtum eſt, & judica inopem & pauperem*] Poſtquam docuit filium ſuum à quibus debeat abſtinere, nunc docet quibus vacare Regibus potiſſimùm conveniat, nempe defenſioni pauperum, & judiciis inter mortales exercendis. Nam quæ interjecta ſunt de vino dando mœrentibus, vel in genere dicta ſunt, ut ad quemcunque referantur; vel, ad miſericordiam & eleëmoſynam in pauperes & afflictos ſpectant, quibus decet impertiri etiam delicatiora quandoque, ut vinum & ſiceram. Quod ad præſentem locum ſpectat, *Os aperire muto*, eſt *pro muto loqui*, non ſolùm pro eo qui pro ſe loqui non poteſt, ſed pro eo qui vel non novit loqui, vel non permittitur; vel denique pro eo qui abſens in judicio periclitatur. ¶ *Et cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt*] Heb. חלוף, cujus cùm multiplex ſit ſignificatiò, variis modis verti poteſt locus. Aben-Hezra ad *judicium omnium filiorum mortis* refert, & erit ſenſus, *Aperi os tuum muto*, h. e. ei qui non poteſt pro ſeipſo loqui, & præcipuè ubi agitur judicium mortis, nè videlicet quis injuſtè neci tradatur: alioqui vox Hebræa *mutare* ſignificat, & *filii mutationis*, h. e. hujus mundi filii: q. d. in omnium mortalium cauſis aperi os tuum, omnibus divitibus & pauperibus mutis & loquacibus, vel ſapientibus & inſipientibus juſtitia eſt miniſtranda, omnium cauſæ ſunt audiendæ: quod utinam ad exemplum Salomonis, quem legimus cauſam duarum mulierculatum diremiſſe maxima prudentia, noſtri temporis Reges facere velint, ſuo ore videlicet, non alieno, ſuo munere fungi, juxta id quod ſequitur. ¶ *Aperi os tuum & judica*, vel, *decerne juſtitiam.* Sequitur in Hebræo, ¶ *Et judicium pauperis & inopis*] q. d. Præcipuè judica cauſam pauperis & inopis. Hi enim patrocinio principis maximè egent, hi ſunt muti, qui pro ſe loqui neque poſſunt neque audent: divites potentes patronos facilè inveniunt, & pauperes opprimunt in judicio: Tu Lamuel, cum quo Deus eſt, in terris Dei vices exerce: de quo loquitur Propheta, *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Sed de his ſuperiùs latiùs diſſeruimus. Hactenus Lamuelis verba, quibus matris ſuæ diſciplinam imò prophetiam nobis explicat, plenam ſapientiæ & ſaluberrimæ doctrinæ, unde ob ſingularem ſapientiam & raras virtutes, ſuæ matris mulieris ſapientis, h. e. Eccleſiæ, in qua reperitur omnis ſapientia huic vitæ neceſſaria, laudes canere & miro encomio celebrare voluit, ordine alphabetico, ut moris eſt linguæ, in variis Scripturarum locis; præſertim in Pſalmis aliquot & Jeremiæ Lamentationibus.

10, 11. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit*] Juxta proprietatem Linguæ, raritatem ſignificant hujuſmodi quæſtiunculæ, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte?* Pſal. 15. *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum?* Prov. 20. *Si homo peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?* 1 Reg. 3. Laudes igitur dicturus egregiæ & laudatiſſimæ fœminæ, raras eſſe hujuſmodi in Principio orationis ſignificat. Aben-Hezra exponit אשת חיל, *mulierem opum*, h. e. mulierem quæ acquirit opes, & ſuâ induſtriâ auget rem familiarem; & certè hujuſmodi ſunt plurimæ, ſed alias quoque virtutes ſi addideris, inventu difficilem cum Salomone dixeris. אשת חיל *mulierem virtutis* verti poteſt, ſed *fortitudo* per antonomaſiam in *virtute* intelligitur. Rectè vertit Interpres noſter *mulierem fortem*, ſive *fortitudinis*: ſunt enim ferè timidæ & parùm animoſæ ad res gerendas. Validam verò & fortitudine præditam, ut erat mater Salomonis, temere non invenias mulierem. ¶ *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*] Præter hoc quòd non eſt fideliter reddita Hebræa veritas, etiam ſenſus relinquitur obſcurus. Heb. *Procul præ unionibus pretium ejus*: ut duplex ſit ſenſus, vel quòd charior ſit & pluris æſtimanda quàm margaritæ quamlibèt magni pretii; & ſic LXX. *τιμιωτέρα δέ ἐςι λίθων πολυτελῶν*, vel quòd longiùs petenda ſit, & longiùs eundum ad comparandam talem mulierem quàm ad comparandas uniones. Prior ſenſus eſt melior, & poſſit facilè congruere expoſitioni Nicolai de Lyra, qui per *mulierem fortem*, ſacram intelligit Scripturam, ſive doctrinam Euangelicam, quam margaritæ comparat Euangelium: *Inventâ unâ pretioſâ margaritâ, dedit omnia ſua & comparavit eam*, Matth. 25. ¶ *Confidit in ea cor viri ſui*] Cùm omnia rectè diſpenſet & fortiter ſe gerat adversùs vitia, meritò poteſt maritus illius mulieris ei fidere ex animo ſine ulla ſuſpicione. ¶ *Et ſpoliis non indigebit*] h. e. Rebus in familia neceſſariis, quas mulier fortis comparabit, non minore induſtriâ nec minore virtute quàm ſi victis hoſtibus aſportaſſet ſpolia: ſive *ſpolia* dixit, propter copiam & affluentiam rerum quas acquirit ſua ſapientia: nam captis urbibus, magna & varia rerum ſupellex victoribus cedit, quæ *ſpolia* dicuntur: cujuſmodi rerum copiâ non carebit hujus mulieris maritus, etiamſi ad bellum non ampliùs eat. Eccleſia Chriſti & fidelium Congregatio magnam ſtatim oſtendit fortitudinem, ſanguinem pro ſponſo Chriſto copioſè effundens, qui in Cœlum ad Patrem reverſus quotidie ſpolia reportat ex hoſte devicto, quem magis quotidie ſpoliandum ſponſæ ſuæ commiſit.

12, 13. *Reddit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*] *Retribuit* marito ſuo *bonum*, h. e. non decipiet, neque fruſtrabitur fiduciam mariti, qui ex animo fidit illi: tantò ſtudioſior curabit rem domeſticam quantò magis fidit illi maritus. Aliter, *reddit illi bonum*: etiam ſi maritus aliquando ſuccenſeat vel etiam minus gratum ſe præbeat uxori ſuæ, tamen mulier fortis & honeſtiſſima matrona non reddet malum pro malo; ſed ſumma modeſtia feret & æquo animo quicquid dixerit maritus, omnibus modis quod gratum fuerit illi & bonum ſtudens rependere. Eccleſia Chriſti ſemper in gratiarum actione verſatur, ſive bona & proſpera ſive mala & adverſa de manu Sponſi accipiat. ¶ *Omnibus diebus vitæ ſuæ*] Ad mulierem refertur: nam hæc ambiguitas in Hebræo ſermone non eſt. Sunt ex Hebræis qui ſic intelligunt, *reddet bonum marito*, etiam poſt mortem ſi ſupervixerit: nihil committet indignum illius honore, vel filiis illius reddet bonum. ¶ *Quæſivit lanam*] Honeſtis artibus & labore muliebri replebit domum ſpoliis, non turpi lucro aut uſura, ſed manuum laboribus opes acquiret neceſſarias his qui familiam alunt, qui liberos educare & collocare debent. ¶ *Et operata eſt conſilio manuum ſuarum*] Heb. *operata eſt voluntate*, vel *beneplacito, manuum ſuarum*; vel *juxta voluntatem manibus ſuis.* Studium ardens & infatigabiles manus oſtendit, ſive virtutum telam texendo, ſive Scripturarum expoſitione veluti fila protrahendo. Quod ad Hebraïſmum ſpectat, vel ſubauditur præpoſitio עם *cum*, ante vocem כפיה, quæ ponitur ante חפץ *voluntas*, ut ſit ſenſus, *Operata eſt cum voluntate, & cum manibus*; vel *operata eſt voluntate manuum*, h. e. manus operatæ ſunt ſecundùm voluntatem: non erant minùs promptæ manus quàm voluntas. Doctrina datur mulieribus ut ab hac muliere forti & ſtudioſa diſcant rem domeſticam gubernare, viris obedire, laboribus ſedulò incumbere.

14, 15. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum. De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*] Maximas opes per mare tranſportant mercatores, præſertim qui longinquas petere regiones audent: facilè diteſcunt, qui aliquoties ab extremis regionibus navem onuſtam mercibus redeuntem recipiunt. Talis eſt hæc mulier, ſimilis

navis mercatorum, quæ de longinquo portat panem: ſive, ut eſt in Hebræo, *Sicut naves mercatoris, de longinquo faciet venire panem ſuum*] Ut *adducere panem* ad *mulierem* referatur, non ad *naves*, quæ numero multitudinis efferuntur, ut major ſit hujus mulieris laus, quæ cùm domi maneat, operetur lanam & linum, tamen adinſtar opes adducet ſuâ induſtriâ & ſapientiâ in ædes mariti; non dico opes peregrinas, quæ ad luxum inſerviant & delicias, ſed *panem*, in quo intelliguntur omnia ad victum neceſſaria, nè quis putet parùm utilitatis eſſe in lana & lino, nè quis putet ſolos ditéſcere mercatores: quamvis locus peculiariter ſpectet ad laudem negotiationis domeſticæ, & artium mechanicarum, quibus honeſtus & ſufficiens comparatur victus, ut non ſit opus, quod reprehendit Horatius,

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Apoſtolorum *in omnem terram exivit ſonus, & in fines orbis verba eorum*: quibus ad Eccleſiam Chriſti, tuto veluti navigio, per fluctus hujus mundi avectæ ſunt pretioſæ & copioſæ animarum merces. ¶ *De nocte ſurrexit*] Vel potiùs, *ſurgere ſolet*, ſomno minimè indulgens mulier fortis: mollitiem & otium facilè ſuperat, & de nocte ad laborem ſurgit. ¶ *Dedit prædam domeſticis ſuis*] Heb. *domus ſuæ*. טרף *prædam*: metaphoricè loquitur: eſt enim vox Hebræa propriè ferarum, ſive avium quæ raptu vivunt, ut ſignificet frugalitatem hujus mulieris, quæ non delicias neque dapes dat domeſticis, ſed cibum neceſſarium; non vult ſuos conviviis nec compotationibus indulgere, etiam ſi ſit in ædibus omnium rerum copia. Huc ſpectat quod ſequitur, ¶ *Cibaria ancillis ſuis*] Lac potandum dedit Paulus infirmis in fide, & ſingulis Eccleſiæ domeſticis ſpiritualia coaptantur alimenta: perfectorum eſt ſolidus cibus. In Hebræo, *Et quod ſtatutum eſt*, vel, *quod congruit ancillis ſuis*, rebus omnibus mediocritatem tenens, ut domeſticis ſuis neque neceſſaria deſint, neque ſaturitas panis vitiorum fomenta ſubminiſtret.

16, 17. *Conſideravit agrum, & emit eum; de fructu manuum ſuarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*] Rè domeſticâ bene conſtitutâ, ad ea quæ foràs ſunt reſpicere ſolent patres familiæ. Idem facit mulier fortis, annonæ rationem habet, voluit ex agris proprìis meſſem colligere: & cùm inter agrum & agrum maxima ſit differentia, quod fertilitatem ſpectat, mulier conſideravit, & ſapienter contemplata eſt ſolum, priùs quàm acciperet atque compararet. Nam *ſimile eſt regnum Cœlorum theſauro abſcondito in agro*, quod ad allegoriam ſpectat. ¶ *De fructu manuum ſuarum plantavit vineam*] Oſtendit qua ratione & in quem uſum accepit agrum, nempe juſto pretio accepit, quod ſuis laboribus acquiſivit, ut in eo vineam plantaret, quamvis ad utrumque referri poſſit quod dixit, *De fructu manuum ſuarum plantavit vineam*, ad hunc modum, *Accepit agrum fructu manuum ſuarum*, vel, *plantavit vineam fructu manuum ſuarum*, h. e. operarios conduxit fructu manuum ſuarum: quaſi ad *mulierem* non pertineat *plantare vineam*, ſed his quæ lucrata eſt ſuis manibus conduxit operarios: & hanc expoſitionem ſequitur Aben-Hezra. Mihi magis placet prior expoſitio, propter ea quæ ſequuntur, ¶ *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborat brachia ſua*] q. d. Induit omnino virilem animum & fortitudinem, quæ in renibus & brachiis maximè apparet, ut ſit ſenſus, Sic ſe comparavit, ut non ſolùm domeſticis, ſed etiam ruſticis operibus eſſet idonea, & maritum jam in utroque redderet ſecurum, ut poſſit ubique ex animo fidere tam egregiæ matronæ. Poteſt hic verſiculus referri ad laudem continentiæ, quæ in cingulo renum intelligitur, & operis aſſiduitate. Quæ juxta allegoriam quàm aptiſſimè quadrant Eccleſiæ, facile eſt videre, ſive etiam tropicos unicuique animæ fideli: quæ interpretatio cùm à Beda copioſiſſimè ſit tractata, ſuccinctè à nobis indicatur.

18, 19. *Guſtavit & vidit quoniam bona eſt negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum*] Hebræi per *guſtare conſultare* intelligunt, quamvis ad *experientiam* videatur referri, & ad *perſeverantiam* ſpectet, & ſenſus eſt, Placuit ſibi in ſuis negotiis, & ſenſit laborem ſuum eſſe frugiferum, & proinde noctuque frugiferis negotiis incumbit, & nè noctè quidem extinguit lucernam, nè mora fieret aliqua antelucanis operibus lanæ & lini, quibus mulier hæc ad omnem occaſionem vacat: & hoc eſt quod ſequitur, ¶ *Manum ſuam miſit*] Non *ad fortia*, ut nos habemus, ſed *vertibulum*, quod etiam Lyranus obſervat. Alii vertunt *colum*: & huic bene reſpondet quod ſequitur, ¶ *Digiti ejus apprehenderunt fuſum*] Heb. *Manus*, ſive *palma*, *apprehenderunt fuſum*. Cæterùm qui priorem vocem *vertibulum* extulerunt, ſecundam *colum* vertunt. Senſus eòdem tendit, ut oſtendat videlicet hanc mulierem ob ruſticana opera non relinquere ea quæ peculiariter ad mulieres ſpectant, nempe colum tractare & fuſum. Quàm bona & legitima ſit negotiatio illa, quam commiſit ſuis homo in longinquam regionem profectus, & dicens ſuis, *Negotiamini donec veniam*, novit hæc fortis mulier, & proinde nunquam ceſſat augere minam ſibi datam: neque enim nocte & infidelitate Judæorum, aut Hæreticorum erroribus lucerna hujus mulieris, h. e. fides Eccleſiæ, extinguitur, quamvis obſcurari videatur.

20, 21. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis: omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*] *Operemur bonum ad omnes*, inquit Paulus, Gal. 6. *maximè autem ad domeſticos fidei*: id quod inter laudes hujus fortis mulieris ponitur, quæ non ſolum ſuis, ſed egentibus laborat: & hæc geminatio, *manum porrigit* & *manum mittit*, vel more ſuo geminavit ſenſum verbis diverſis, vel magnam voluit oſtendere liberalitatem, & crebras eleëmoſynas dum *manum* extendit inopi, & plures *manus* juxta Hebræum mittit ad egenos, q. d. Non ſolùm ipſa porrigit manum pauperibus, ſed etiam per manus ſuorum mittit & diſtribuit egenis: quos ipſa non poteſt adire, ſuorum miniſterio juvat, & paſcit. ¶ *Non timebit domui ſuæ*] Vel ſpectat eò quò diximus, nempe maximè ad domeſticos; ut alibi, *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*, 1 Tim. 5. vel, *non timere domui*, h. e. familiæ ſuæ, eſt plenâ fiduciâ extendere manum pauperibus, nihil verita nè quid ex ea liberalitate ſuis domeſticis deſit: ut ſunt parùm fidentes in Domino, qui Domino non audent fœnerari. *Fœneratur* autem *Domino*, *qui miſeretur pauperis*, Pro. 19. 17. Iſta matrona *diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*, Pſal. 112. 9. *A frigoribus nivis*] *A nive* eſt in Hebræo: quando majores faciendi ſunt ſumptus, & quando parùm lucramur, & ferè nimio frigore torpeſcunt homines, hujus mulieris domeſtici bene veſtiti, non minùs idonei ſunt ad opus. Quamvis plus quàm frigore nivis refrigeſcente charitate patiantur plurimi, tamen cives Sanctorum & domeſtici non deſinunt extendere palmas inopibus, magnâ miſericordiâ & flammâ accenſi, nihil damni patiuntur, *veſtiti duplicibus*, h. e. præſentia contemnentes, & ſpe futurorum ſecuri. Juxta proprietatem linguæ Hebraïcæ legere debemus, non *duplicibus*, ſed *coccino veſtita* eſt familia ejus, q. d. multò magis munita eſt contra frigora nivis.

22, 23. *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*] Vox Hebræa מרבדים dupliciter ab Hebræis exponitur, vel *ornamenta lecti*, ſive *tapetia*, ut ſuperiùs cap. 7. vidimus, vel pro *torque*. Senſus eſt, ut oſtendat hujus mulieris induſtriam & ſapientiam, quibus virtutibus comparavit ſibi vel regiam ſupellectilem, & ornamenta ſumptuoſa, quibus non ſolùm corpora ſuorum, ſed etiam ædes & interiora cubicula ornantur aulæis & tapetibus quas ipſa fecit. Neque eſt hujuſmodi laboribus mechanicis ſordida mulier, aut ingrata marito, ſed ſplendidiſſimo veſtita byſſo & purpurâ: & quemadmodum his virtutibus magno eſt viro ſuo ornamento & honori, ità *vir* quoque *illius* eſt *inſignis* & *nobilis*, ſive *notus* (ut eſt in Hebræo) *in portis*, in locis publicis, in ſenatu, cùm ſedeat unà cum aliis ſenibus & ſapientibus viris illius provinciæ, qui vel judicia exercent, vel de negotiis Reipub. conſultant. Sic enim familiam & omnem rem domeſticam adminiſtrat hæc mulier, ut maritus de rebus hujuſmodi ſecurus, poſſit liberè cum ingenti honore publica obire munera, & Rempub. capeſſere. *Byſſus & purpura* Synagogæ ornamenta in Eccleſia virtutum ſplendorem & varietatem ſignificant, juxta illud, *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate*, Pſal. 45.

24, 25. *Sydonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo*] Hæc ſpectant ad induſtriam hujus mulieris tam potentis, quæ lanæ & lini operibus non ſolùm quæ ſuis ſunt neceſſaria comparat, ſed etiam *ſydonem*, ſive, ut Hebræi exponunt, *telam*, vel *linteum* & *cingulum*, tantâ copia ſuis & ancillarum manibus texit ac conficit, ut mercatoribus tradantur vendenda: ſic enim interpretantur לכנעני, i. e. סוחר *mercatori*. Simul laudatur induſtria hujus mulieris, ſimul indicat Scriptura quarum rerum mercatura ſit licita, nempe earum quæ ad neceſſarium corporis ornatum ſpectant. Et quamvis (ut dictum eſt) omnes domeſtici illius veſtiti ſint *duplicibus* ſive *coccino* (ut alii exponunt) tamen ipſa minimè luxuriat corporis ornatu: non enim more mulierum corporis pulcritudini & ſplendori ſtudet, ſed magis animi virtutibus, nempe fortitudine & honeſtate ac totius vitæ decore ornari gaudet magis quam veſtibus ſumptuoſis. Atqui indè provenit quòd ſemper ſit læta: imò quò diutiùs vivit, vel uſque ad extremam ſenectutem, ſemper creſcentibus animi virtutibus, creſcit illius lætitia & gaudium conſcientiæ

ſecuræ

ſecuræ. Mulierculæ quæ florem ætatis deliciis tranſeunt, & curioſo ornatu ſeſe delectant, & pulcritudine ſibi placent, ubi temporis injuriâ flos ætatis emarcuerit, ubi rugata facies nullo ſtibio aut purpuriſſi niteſcere velit, ubi vetulæ contemni cœperint, deficientibus ſimul viribus & pulcritudine, mœrent infelices, jam corporis & animæ deſtitutæ dotibus, quando ſapiens mulier potiſſimum gaudet, inſtante poſtremo die, quo laborum præmia ſe recepturam novit.

26, 27. *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Conſideravit ſemitas domûs ſuæ, & panem otioſa non comedit*] Loquacitatis & ſtultitiæ cauſâ muliebris ſexus frequenter audit malè: verùm hæc non ſolùm opere, ſed ſermone quoque ſapienter ſe gerit, nihil ſtultè, nihil vanè locuta: omnis illius ſermo, vel ad ſapientiam ſpectat, ea meditans quæ Dei laudes ſonant, vel miſericordiam & clementiam in proximos. ¶ *Conſideravit, ſive ſpeculata eſt, vias domûs ſuæ*] Familiæ curam habet, & mores domeſticorum non negligit. Omnibus modis laudanda eſt induſtria hujus mulieris, ut quæ ſedulò ſtatum familiæ intuetur, & interim ipſa impigra manum mittit ad fuſum: non ſatis habet diligenter intendere, nè otio torpeſcat familia, niſi & ipſa quoque operetur, & ſuis manibus lucretur panem. Juxta illud Pauli, *Qui non laborat non manducet.*

28, 29. *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*] *Surrexerunt*, & in publico loco laudaverunt, non in privatis ædibus: *& maritus laudavit*, qui probitatem illius mulieris optimè novit. Pudica mulier quæ rem domeſticam, tractat, non publicam, ſuis potiſſimum innotuit, non alienis: hinc eſt quòd ſui eam potiſſimum laudare & beare poterunt. Aliter, *Surrexerunt filii ejus*] h. e. *Creverunt*, & magno matri fuerunt honori, quæ virtutibus tantâ curâ inſtruxit ſuos liberos. Ut enim filius ſtultus triſtitia eſt matris, ſic morigeri juvenes, qui cum laude ad honores perveniunt, magnâ laude matrem afficiunt. Laus verò quam huic mulieri tribuunt (filii & maritus, filii Eccleſiæ ſunt, quos docendo & baptizando Chriſto ſponſo genuit) ſequentibus verſiculis continetur. ¶ *Multæ filiæ fecerunt divitias*] Quod in tenero & fragili ſexu muliebri magna laus eſt, labore videlicet & induſtriâ ac ſapientiâ viros ſuperare, plus comparare, plus ſudore acquirere quàm omnes aliæ. Quàm non ſine cauſa beatam prædicant hanc mulierem filii & maritus, quibus tam feliciter proſpectum eſt illius operâ, quæ non ſolùm omnium aliarum mulierum ſuperavit induſtriam, omniumque vicit prudentiam in rebus agendis, ſed etiam in Divino cultu! ut ſequitur.

30, 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulcritudo: mulier timens Dominum ipſa laudabitur. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus*] Spectant ad laudem hujus mulieris & iſti duo verſiculi; quorum ſenſus eſt hujuſmodi, Non eſt laudanda mulier ob formam & pulcritudinem, niſi & opera quoque illius fuerint laudanda & pulcra, & niſi fuerit timor Dei in ea, alioqui vana laus eſt illa quæ ſoli pulcritudini tribuitur. Cæterùm hæc mulier de qua ſermo eſt, quæ in timore Domini multos bonorum operum fructus protulit, digna eſt quæ laudetur, & digna eſt honore apud Deum & apud homines. Aliter, dicent filii ejus & maritus ejus, mulier hæc cujus laudes recenſemus, quamvis ſit plurimâ gratiâ & pulcritudine decora, mendacium tamen ſit hæc gratia, & vanitas illa pulcritudo, quod ad hanc laudem ſpectat; nam non laudabimus eam ob corporis dotes, quæ bonis & malis ſunt communes, ſed laudabimus eam, quia eſt *mulier timoris Domini*, idcirco laudabitur. ¶ *Date illi de fructu manuum ſuarum*] Sunt verba mariti hujus mulieris ad filios, h. e. laudate eam ut meretur: & hoc eſt quod ſequitur, *ut ferat laudem in portis*, h. e. publicis locis ob opera ſua, ſic Aben-Hezra. Alii verò volunt hæc eſſe verba Autoris; nempe Salomonis, ut omnes ubique gentes celebrent hanc mulierem tam ſtrenuam, quæ ſuis manibus tantas acquiſivit opes: digna tandem eſt ut fructum comedat. Et eſt metaphora alludens ad ſuperiora, ubi dictum eſt, *plantavit vineam*, & *quis plantat vineam & de fructu ejus non comedit?* 1 Cor. 9. ¶ *Et laudent eam in portis opera ejus*] Vel ſenſus eſt, opera ſua jam cognita apud eos qui ſedent in portis, h. e. apud Seniores populi, qui Rempub. gubernant, in illius laudem referentur. Aliter, laudabunt eam qui ſedent in porta, propter opera illius. Non ſolùm hæc mulier, ſed omnino quotquot laudem conſequentur *in portis*, h. e. apud judicem animarum, propter *opera* ſunt laudandi juxta illud Euangelii, *Eſurivi & dediſtis mihi manducare*: & ſequitur, *Venite benedicti patris mei*, Matth. 25. Et illud Pauli, *Stabimus omnes ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit in corpore*, Rom. 14. Quare poſt tanta præconia virtutum hujus mulieris meritò cum laudibus operum claudit ſermonem, dicens, *Laudabunt eam in portis ob operum merita*: laudabunt, inquam, Angeli qui perpetuò vident faciem Patris, cui cum Filio & Spiritu Sancto ſit omnis laus, honor & gloria ſine fine. Amen.

DRUSIUS

1. דִּבְרֵי לְמוּאֵל. A. Ῥητὰ Λαμμοῦν, *Dicta Lammun.* Th. Ῥήματα Ῥεβεήλ, *Verba Rebuel.* S. Λόγοι Ἰαμουήλ, *Sermones Jamuel*] Λαμμοῦν Λαμουήλ. ¶ Ῥεβουήλ corruptum ex Λεμουήλ. ¶ Ἰαμουήλ Λαμουήλ. Hæc nomina mendoſa ſunt in libris non culpa Interpretum, ſed incuriâ ſcribarum. ¶ מַשָּׂא. A. ἆρμα, *pondus.* S. & cæteri λῆμμα, *aſſumptio*] *Pondus*: vel *onus.* Adde his ad Obſervationes meas.

3. חֵילֶךָ. S. τὴν ἰσχύν σου, *vires tuas.* ¶ וּדְרָכֶיךָ. A. S. Th. τὰ σὰ χρήματα, *pecunias tuas*] Suſpicor hoc pertinere ad חילך, ut ſit interpretamentum Aquilæ & Theodotionis. Nam דרכיך τάς ὁδούς σου, *vias tuas.* ¶ לַמְחוֹת. Th. εἰς μεταμέλειαν, *ad pœnitentiam*] i. e. לנחמה.

5. וִישַׁנֶּה דִּין כָּל־בְּנֵי־עֹנִי. A. Th. καὶ ἀλλοιώσει κρίσιν υἱῶν πένητος, *& commutabit judicium filiorum inopis.*

6. לְאוֹבֵד. S. τῷ ἀπολλυμένῳ, *perdito.*

7. וַעֲמָלוֹ. S. καὶ τῶν κόπων αὐτοῦ, *& laborum ſuorum.*

8. לְאִלֵּם. A. S. Th. ἀλάλῳ, *muto.* ¶ אֶל־דִּין כָּל־בְּנֵי חֲלוֹף. S. εἰς κρίσιν πάντων υἱῶν ἀποιχομένων, *ad judicium omnium filiorum abeuntium*] i. e. Morientium, vel mortuorum. *Abire* pro *mori* etiam Latini autores uſurpant: unde *abitionem* veteres ipſam mortem vocabant.

9. עָנִי. Schol. πτωχόν, *pauperem.*

11. שָׁלָל. Schol. λαφύρων, *ſpoliis.*

12. כָּל־יְמֵי חַיֶּיהָ. A. S. Th. πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῆς, *omnibus diebus vitæ ſuæ.*

13. דָּרְשָׁה. A. S. Th. ἐζήτησεν, *quæſivit.* Alius Interpres εὑραμένη. ¶ בְּחֵפֶץ. A. Th. ἐν βουλῇ, *in conſilio.* S. ἐν θελήματι, *voluntariè.*

14. לַחְמָהּ. Schol. τὸν βίον, *victum.*

15. בְּעוֹד לַיְלָה. A. S. Th. ἔτι οὔσης νυκτός, *dum adhuc nox eſt.* ¶ טֶרֶף. Th. σύνταξιν, *dimenſum.* ¶ חק. S. πρόσταγμα, *præceptum.*

17. מָתְנֶיהָ. A. Th. τὸν νῶτον, *dorſum.* ¶ וַתְּאַמֵּץ. S. ἐκραταίωσεν, *firmavit.* A. Th. ἐκαρτέρωσεν, *corroboravit.*

18. סַחְרָהּ. A. S. Th. ἐμπορία, *negotiatio.*

19. בַּכִּישׁוֹר. A. S. Th. ἀνδρεία. ¶ תָּמְכוּ. Schol. ἐκράτησε, *tenuit*] תמכה.

21. לָבֻשׁ. Schol. ἐνδιδύσκονται, *induuntur.*

22. מַרְבַדִּים. A. Th. περιστρώματα, *periſtromata.* S. ἀμφιτάπους, *amphitapæ*, i. e. tapetia utrinque villoſa. *Periſtromata*] Quibus triclinia undique ſterni ſolent: item *lecti torique.* Cap. 7. 16. מרבדים רבדתי. A. Th. περιστρώμασιν περιέστρωκα. Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. ¶ *Amphitapæ*] Uſi ſunt hâc voce Lucilius lib. 1. & Varro Manio. Dicimus autem ἀμφιτάπης & ἀμφιτάπιον & ἀμφίταπος· undè hic ἀμφιτάπους. Lexicon Heſychii, ἀμφιτάποις, ταπητίοις ἀμφιμάλλοις.

23. נוֹדָע. S. γνωστός, *notus.* ¶ עִם־זִקְנֵי. Schol. κατὰ τῶν πρεσβυτέρων, *cum ſenioribus.*

24. חֲגוֹר. Schol. ζώνην, *zonam.*

25. וַתִּשְׂחַק. A. S. Th. γελάσεται, *ridebit.*

26. בְחָכְמָה. Schol. ἐν σοφίᾳ, *ſapienter*, ſive *cum ſapientiâ.* ¶ וְתוֹרַת־חֶסֶד עַל־לְשׁוֹנָהּ. S. καὶ νόμος ἐπίχαρις τῇ γλώσσῃ αὐτῆς, *& lex gratioſa linguæ ipſius.* Th. —— χάριτος ἐπὶ γλώσσῃ αὐτῆς. —— *lex gratiæ in lingua ejus*] *Gratioſa*: Cui gratia ineſt, lepida, ſcita, venuſta. ¶ *Gratiæ*] Hinc erues novam ſignificationem nominis חסד *gratia*, quæ apud Chaldæos frequens, ut cùm dicunt יעלת חסדא *caprea gratiæ*, i. e. gratioſa. Notavi alibi.

27. צוֹפִיָּה הֲלִיכוֹת. S. σκοπεύει πορείας, *ſpeculatur inceſſus.* ¶ לֶחֶם עַצְלוּת. Schol. ἄρτον ὀκνηρίας, *panem pigritiæ.*

28. וַיְאַשְּׁרוּהָ. A. S. Th. ἐμακάρισαν αὐτήν, *beatam prædicaverunt eam.*

29. עָשׂוּ חָיִל. Alius, ἐποίησε δυνατά. Hic libri ed. LXX. variant. In nonnullis eſt ἐποίησαν δύναμιν, in aliis ἐκτήσαντο πλοῦτον, quod ſumptum videtur aliunde.

30. אִשָּׁה יִרְאַת־יְהוָה הִיא תִתְהַלָּל. A. γυνὴ φοβουμένη Κύριον αὕτη ὑμνηθήσεται, *mulier timens Dominum ipſa laudabitur.*

31. מִפְּרִי יָדֶיהָ. A. S. Th. ἀπὸ καρπῶν χειρῶν -- *de fructu manuum ejus.* ¶ וִיהַלְלוּהָ בַשְּׁעָרִים מַעֲשֶׂיהָ. A. καὶ ὑμνήσουσιν αὐτήν, ἐν πύλαις ποιήματα αὐτῆς, *& laudabunt eam in portis opera ejus.* S. αἰνείτω τὰ ἔργα αὐτῆς, *laudato opera ejus.*

AMAMA.

Lemuel] Epith. Salomonis. Edoctus Domini, למוּאל. Sic Noach à נחם. Hoc magis placet quàm quod Junius.

 מַשָּׂא.

משא. Vide ſupra. Quæ à matre accepit documenta poſtea in ſcripta redegit.

2. *Quid dicam fili mi?* Exordium ἐξ ἀπορίας, ut gravitatem ſermonis ſubjiciendi innueret. Τί πρῶτον τί δ' ἔπειτα.

בר] Ebr. בן. כה maſculinum. ב׳ ר׳.

3. *Et vias tuas* למחות] Noli eò dirigere actiones tuas ut regni ſtatum perdas & Regibus exitium pares.

4. אל] Hic negativè poſitum, non prohibitivè. Sub. convenit.

Bibere] Potare, avidè, ad ebrietatem. Sic שותי יין.

או] Deſiderium ab אוה. אי non. Tunc ſubint. שתו. Alias repet. אל.

5. מחקק] Statuti, i. e. Legis.

Filii afflicti] Omnes qui juſtam litem alteri in judicio intentant. Licet enim alii aliis gravius affligantur, tamen nemo bonam cauſam in judicium adducit, qui non mœrore ex injuria ſibi illata plus minus afficitur.

6. לאובד *pereunti.*] Explic. I. jamjam perituro, morituro, ſupplicio afficiendo. Sic videntur accepiſſe Angli & Belgæ.

II. Pauperi, cujus res pereunt, qui ad pauperratem redigitur, qui phraſi Belgica etiam peſſum ire dicitur. Firmatur ex verſ. ſequenti, *bibant & obliviſcantur* &c. רישו Sic Aben. exponit locum Deut. 26. 4. ארמי אבד אבי, pauper, abſque divitiis.

III. Miſero, in genere, mœſto. Hi ריש in ſequenti verſu exponunt, *miſeria.* LXX. τοῖς ἐν λύπαις, quacunque de cauſa. Sic Tremel. exponit locum Deut. prædictum. *Syrus miſer erat pater meus.* Nota. Vulg. & Belgicam peſſimè hunc locum vertiſſe. Vulgata, *Syrus perſequebatur patrem meum.* Belgica, *de Syries wilden mijn Vader verdoen.* אבד in Kal tantum intranſitivum.

Hæ duæ interpretationes poſteriores coincidunt ferè, poſterior paulò generalior eſt.

Ex poſtrema interpretatione orta conſuetudo calicis conſolationis Jer. 16. 7. Convivium ab amicis & propinquis inſtituebatur iis qui maximè mœrebant. Non vidua, non liberi, non vir.

Ex prima orta conſuetudo etiam in populo Dei vinum præbendi iis qui ſupplicio afficiendi, ad confortandum & exhilarandum. Quod poſtea ita degeneravit, ut inebriarint & uſum rationis iis ademerint. Hinc quæritur quo ritu Chriſto oblatum vinum myrrhatum. Si ritu jam depravato, non mirum ſi renuit. Si ritu non depravato, ut Beza & alii volunt, dicendum eo fine recuſaſſe Chriſtum hoc ſolatium, ut non obliviſceretur dolorum, quos pro nobis ſubire debebat, ut noſtri memor eſſet, ſui ipſius oblitus. Ego hoc linquo in medio, illud ſolum addo, pias & devotas matronas ſolitas fuiſſe hoc officii genere damnatos proſequi, & poſterioribus temporibus eo fine fuiſſe propinatum vinum cum myrrha ſeu thure, ut mens turbaretur & vehementius inebriaretur damnatus, atque huc citant Thalmudici locum hunc. Myrrha ſi largiùs cum vino bibatur mentem obumbrat, imo & mortem infert Gal. ſimpl. med. 15. 19. Quin & liquet ex Apul. 8. verberandos præſumptione myrrhæ ſe munire ſolitos, ut olim Romani torquendi ſemine Erucæ vino infuſæ, ita hodie apud Hiſpanos thure & myrrha ſe durare ſolent.

Hæc quæ dixi bene intelligi non poſſunt, niſi conſideretur duplicis potionis Chriſto exhibitæ meminiſſe hiſtoriam Euangelicam, quæ tamen duæ potiones à multis confuſæ. Idque propterea quod ſinguli Euangeliſtæ unius tantum potionis meminerint, videlicet Math. & Marc. prioris; Lucas & Joh. poſterioris. At illa cujus meminere Lucas & Joh. non poteſt eſſe illa cujus meminere Math. & Marc. Ratio 1. quia illa Mathæi & Marc. exhibita ante crucifixionem; hæc Lucæ & Joh. poſtquam jam cruci affixus eſſet, cùm jam moribundus eſſet, paulo antequam ſpiritum emitteret. Rat. 2. Prior, data ex hoc ritu. Poſterior ex occaſione cùm dixiſſet *ſitio.*

Object. Quomodo ergo conciliatur Math. cum Marc. Mathæus, ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Marcus, οἶνον ἐσμυρνισμένον.

R. Exiſtimant quidam malitiæ aliquid admixtum à militibus. Cùm matronæ ad Chriſtum pertingere non poſſent, vinum à ſe præparatum militibus præbuiſſe, ut Domino porrigerent, immixto illos interim, ut proni erant ad omne ſcelus, felle, poculum corrupiſſe. Ut ſic Marcus officium matronarum, Math. ſcelus militum ob oculos ponat.

Sed aliter reſpondet Beza, 1. in vetuſtiſſimo Codice non reperiri ὄξος ſed οἶνον, ut in Marco. 2. Etiamſi ſcriptum ſit ὄξος, tamen vinum intelligi conditum. 3. quod dicit χολῆς, non intelligendum fel, ſed amarorem. Myrrha enim genuina leniter amara, teſte Plinio. Nota. Omne amarum infectum felle communiter dicimus. Unde παράλληλον Act. 8. εἰς χολὴν πικρίας. Auguſt. *Fel pro amaritudine poſuit.*

8. לאלם] Pro muto, i. e. omni cui deſunt opes, amici & alia ad jus ſuum perſequendum adminicula.

אל דין] Pro לדין vel על ר׳. Sic Gen. 37. אל בני, i. e. על ב׳. 2 Sam. 21. 1.

בני חלף] Filii tranſitus, commutationis. Quaſi mortalium, quod mutationibus obnoxii ſint. Aut, filiis כריתה excisionis תמותה Aben. qui jam in eo ſunt ut pereant, morti deſtinati. Kimchi Filiis עולם. Nimis generale eſt. Jun. *qui jam traduntur excidio.* Sic Angli. Sym. πάντων υἱῶν ἀποιχομένων, abeuntium, i. e. morientium. Tig. *qui provocant.* Belg. *qui relicti ſunt.*

Aperi os] Loquere, patrocinare. Aliq. *aperuit os & dixit.* Non eſt pleonaſmus. Alii ita accipiunt, acſi eo ipſo oſtenderetur, grandia ea eſſe quæ dicentur ut iis tantum tribuatur qui ſerium aliquid & eximium dicturi. At obſtat locus Apoc. 13. Melius illi qui putant hanc eſſe vim, ut qui ſermones mente conceptos proferunt ii dicantur aperto ore loqui quæ animo conceperant. Eſt etiam ſermo ἐνδιάθετος. Hoc prudentiæ eſt. Stultus ſemper patulum habet os. Effutit quicquid in buccam venit.

Dicere in corde, dicere intra ſe, Math. 9. Math. 24. *Si dixerit S. in corde ſuo.* Num. 14. Ex. 2. Gen. 26.

10. אשת ח׳] חיל hic robur corporis & animi, ſtrenuitas, alacritas, virtute præſtans. Verbo חיל continentur omnes dotes, virtutes & ornamenta honeſtæ, pudicæ & induſtriæ fœminæ. LXX. γυναῖκα ἀνδρείαν τίς εὑρήσει. τιμιωτέρα λίθων πολυτελῶν ἡ τοιαύτη.

Quis inveniat] A raritatis adjuncto Commendat. Illam raritatem innuit interrogatione, *Quis inveniat?* q. d. difficulter invenitur. *Quis ſimilis tibi Domine?* impoſſibilitatem denotat.

מכרה] à מכר pretium & venditio. A. מכר mercor & Mercurius. Pretium ejus procul à margaritis, i. e. longè ſuperat margaritas. Multis paraſangis, ut vulgo loquuntur. Vid. Jun. Vulg. *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Male & obſcure. Belg. *Wie een deugtſaem Wijf beſchicken ſ, die is Edelder als Edel-geſteenten.* Peſſimè, ac ſi eſſet יקרה.

11. *Spoliis*] שלל. τὰ ὑπάρχοντα, ἐπιτήδεια πρὸς τὸν βίον. Sic Eſth. 3. & 8. Sic טרף quævis eſca.

Confidit] De re familiari adminiſtranda; alii de pudicitia.

12. גמלתהו] Benefacit ei. Sic ſupra Prov. 11. 17. Sic Prov. 3. 28. Pſ. 103. 1. גמוליו. Sym. εὐεργεσίας. Pſ. 13. *Cantabo Domino* כי גמל עלי τῷ εὐεργετήσαντί με. Pſ. 116. LXX. εὐεργέτησέ σε.

13. בחפץ כפיה] Cum voluptate manibus ſuis. Repete ב ante כפיה. Caſt. *libenter.* Jun. obſcurius, *pro voluntate manuum ſuarum.* Ab. putat eſſe hypallagen pro בכפי חפץ, i. e. בכפים חפצות. Contrarium ejus, Pr. 21. 25. מאנו ידיו לעשות.

15. *Domui*] i. e. Familiæ ſuæ. Hinc facere domum alicui dicitur Deus, quem fœcundum, cui dat ſobolem. Ex. 1. 21. 2 Sam. 7. 1. Quia domum faciet tibi Dominus. Aliud eſt facere לבית Gen. 30. 30. Quando faciam etiam ego לביתי, i. e. proſpiciam.

16. *De fructu manuum ſuarum*] Pſ. 128. 2. יגיע כפך laborem manuum, i. e. quod manibus acquiritur ex labore. Fructum manuum comedes. LXX. πόνον τῶν καρπῶν σου. Latina Interp. *laborem fructuum tuum.*

Accipit eum] Emit. ἐκτήσατο. 2 Sam. 4. 6. לקחי חטים. Eſ. 52. 3. *gratis* חנם נמכרתם *venundati eſtis.* Verſ. 4. *Populus meus* לקח *emptus eſt gratis.* Hinc Neh. 10. 31. מקחות merces quæ emuntur, Et, *ne acciperemus ab iis in Sabbatho.*

18. *Guſtat*] Id eſt, deprehendit, ſentit, verbum externi ſenſus ad animum transfertur. Pſ. 34. *Guſtate quàm ſuavis ſit Dominus.* Plaut. *guſtare ejus ſermonem volo.* Homerus, γευσόμεθ' ἀλλήλων, quid poſſit uterque æratis haſtis. Sic *videt.* Sæpe etiam ſenſus externi permutantur inter ſe, *populus videbat voces* Ex. 20. 18. Apoc. 1. 12. *& converſus ſum* βλέπειν φωνὴν *quæ loquebatur mecum.*

21. *A nive?*] Frigore, vel hyeme.

שנים] Duplex interpret. I. *duplicibus* ſc. penulis. Familia duplici veſtitu munita eſt adverſus frigus. Sic Jun. Druſ. Angli in margine.

II. *Coccino*, vel *Coccineis.* Sic Mercerus, Caſtalio, Angli in Textu, à ſing. שני ut פנים. *Duplices*, ajunt, dicerentur שנים aut שְׁנַיִם. Eſ. 1. *Si fuerint peccata veſtra* כשנים ut Coccina.

שני Coccinum dibaphum, bis tinctum, uſurpatur pro veſte coccinea, & filo coccineo. Gen. 38. *Et ligavit obſtetrix ſuper manum ejus.*

Sæpe jungitur nomini תולעת, quod vel præponitur ut Ex. 25. Poſtponitur, שני תולעת Lev. 14 49. תולעת vermiculus, qui ex grano cujuſdam fruticis naſcitur qui frutex vocatur κόκκος. Horum

rum vermium ſucco tingebantur panni, unde תולעת etiam ſignificat Coccineam veſtem, pannum coccinei coloris. Cum additur autem שני intelligitur bis tinctum.

מרבדים, ſtragula, cadurca, periſtromata, peripetaſmata, tapetes, tapeta, tapetia. Ex loco pro Prov. 7. liquet propriè ſignificari ſtragula lectorum, quæ inſternuntur lectis.

שש] Xylinum, linum ſubtiliſſimum, unde veſtes pretioſiſſimæ. *Xylinum* Plinio lana ſeu lanugo quædam depexa ex pomo fruticis cujuſdam apud Arabes non abſimilis barbatæ nuci.

Purpura] Nomen animalculi ex genere concharum ſeu conchyliorum, quod intrinſecus continebat animatam carnem, & in mediis faucibus habebat venam candidiſſimam, quâ exectâ precioſus ille cruor emanabat, quo lanæ & ſerica tingebantur. Hinc pro colore purpura poni conſuevit & veſte purpurea. Mûrex diverſa ſpecies, ponitur tamen pro purpura, ut & conchylium.

24. סדין, Syndonem, amictum lineum. Cananæo; i. e. mercatori. Sic Soph. 1. 11. Zach. 14. ult. *Non erit amplius Canaan in domo Domini* Hoſ. 12. 7. Eſ. 23. 8. *Clariſſimi* כנעניה *inſtitores ejus.* Job. 40. 25. Dicimus in ling. כנען & כנעני.

25. Ita exornata eſt decore, & undequaque munita robore, ut robore & decore, tanquam veſtibus induta videatur.

Diem אחרון] Poſterum, i. e. tempus poſterum. Secura eſt de rebus venturis, nihil anxia, nihil ſollicita, comparat ſe in omnem eventum, freta bona conſcientia. Alii, *diem noviſſimum* intelligunt diem judicii, ſicut Job. 19. inquit quidam. At ibi non eſt יום, nec intelligi poteſt de die.

Ridebit] Job. 39. 10. & alibi, ſecuritas innuitur.

29. *Multæ filiæ fecerunt potentiam*] עשו חיל, 1. eſt congregare exercitum 1 Sam. 14. *Et fecit* חיל *& percuſſit Amalec,* Vulg. *Congregatoque exercitu* &c. 2. Congregare divitias. Deut. 8. *Deus fecit mihi* החיל הזה. Ruth. 4. 11. *Fac* חיל *in Ephraim.* LXX. hic habent, ἐποίησαν δύναμιν. Vulg. *Congregant divitias.* Schol. ἐκτήσαντο πλοῦτον.

GROTIUS.

1. VERBA LAMUELIS REGIS] Plerique de Solomone hoc accipiunt, quem ajunt fuiſſe octinominem: nimirum ſicut apud Poëtas.

> Πολυώνυμός ἐστι Ἀπόλλων.
> [*Phœbo ſunt nomina multa.*]

At certè cùm hæc ſequantur collectionem Ezechiæ juſſu factam, quantò probabilius eſt hæc eſſe collecta (משא, ut jam diximus ad 30. 1.) ex iis quæ mater ipſius Abi vel Abija, Zachariæ viri haud dubiè ſapientis filia, ipſum docuerat à patre accepta.

Qua erudivit eum mater ſua] Sic Euripides:

> Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα.
> [*Non hic meus ſed matris eſt ſermo meæ*]

Sunt enim & multi μητροδίδακτοι [*à matre edocti.*]

3. *Nè dederis mulieribus ſubſtantiam tuam*] *& divitias ad delendos Reges*] Videtur eſſe ἔλλειψις [*defectus in dicendo.*] ut ſenſus ſit, *& divitias tuas* illis quæ valde aptæ ſunt *ad evertendos Reges*: nam certè

> Πολλοὶ γυναικῶν δυστυχοῦσιν εἵνεκεν.
> [*Multi in miſerias incidunt per fœminas.*

& puto præcipuè reſpici errores Solomonis.

4. *Noli Regibus dare vinum*] In Hebræo, *vinum bibere*, id eſt quod Græci dicunt οἰνοποτεῖν.

6. *Date ſiceram mœrentibus*] לאבד, id eſt, *alicui miſero.* De voce שכר [*ſicera*] vide quæ dicta ad Lucæ 1. 15.

10. *Mulierem fortem quis inveniet?*] Id eſt, bonam. *Forte* dicitur quod in ullo genere alia excellit. Sic *fortem mulierem* dici modò pro *pulchra*, modò pro *dotata* notavit Nonius *quis inveniet?* oſtendit rem raram. Græcum eſt proverbium:

> Γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
> [*Bonam invenire feminam perquam arduum eſt.*

Eſt carmen alphabeticum in laudes bonæ fœminæ.

Procul & de ultimis finibus pretium ejus] In Hebræo eſt: *præ gemmis pretium ejus.* Græci: τιμιωτέρα δέ ἐστι λίθων πολυτελῶν [*plus vales pretioſis lapidibus.*]

11. *Et ſpoliis non indigebit*] Itâ dives erit ſupellectile ut miles ſpoliis.

13. *Quæſivit lanam & linum*] In Hebræo *lina*, id eſt, varia genera linorum.

14. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris*] Vendax magis quàm emax.

15. *Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*] *Præda* hic eſt cibus per metaphoram, ut modò *ſpolia.* Quod hic eſt *cibaria*, in Hebræo eſt *ſtatutum*, id eſt, penſum. Comparemus cum hac gnavæ mulieris notatione ſimilem Virgilii,

> ——— *ceu femina primum,*
> *Cui tolerare colo vitam tenuique Minervâ,*
> *Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes,*
> *Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo*
> *Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile*
> *Conjugis, & poſſit parvos educere natos.*

19. *Manus ſuas miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum*] כישור quod hic explicat *fortia*, eſt *verticillus*, ut quidem cenſet diligens vocum indagator Rabbinus David Kimchi. origo à כשר, quod eſt *quaſſare* Arabibus. פלך autem, quod hic *fuſum* vertit, videtur potiùs eſſe *colus*, à ſimilitudine baculi aut navis, nam vox iſta Hebræis *baculum*, Arabibus *navem* ſignificat.

23. *Nobilis in portis vir ejus quando ſederit cum ſenatoribus terræ*] Nempe ob veſtem Senatore dignam. *Veſtis ad curiam* etiam Homerus meminit. Sic bona mulier apud Plautum,

> ——— *eme, mi vir, lanam unde tibi pallium*
> *Malacum & calidum conficiatur tunicæque hybernæ bonæ.*

NB. Incuriâ Typothetarum hæ Notationes ſuis locis ſunt omiſſæ. Prudens Lector condonabit.

LUCAS BRUGENSIS.

CAP. XXIII.

29. Quod legunt plerique codices, *Cui ſuffoſſio oculorum*, non pauci, plerique verò emendati, *Cui ſuffuſio oculorum*, ſcribunt; undecim noſtri, quinque Pariſienſium, & antiqui F. Dominicanorum, cum tractatore Beda. Atque hoc propiùs accedit ei quod, juxta Hebræorum Doctores, ex Hebræo transferunt, *Cui ruber oculorum?* למי חכלילות עינים. Itaque, *Cui ſuffuſio oculorum*, S. Dominici fratres & Pariſienſes correctores, legendum cenſuere: quibus aſſentiuntur Janſenius, Hentenius & Epanorthotes. Suffunduntur ebrioſorum oculi naſuſque rubore, quem humorum ex vino ortorum calor efficit. Efficit quoque humorum vis oculorum aciem obtundi, & ſuffundi oculos caligine, quæ videndi imminuat facultatem. Trilinguis Collegii manuſcriptum *confuſio* habet, quod ſimiliter vel ad ruborem eſt relatum (habent enim potatores ruborem perpetuum, quem verecundi temporarium) vel ad humorem, quo perditorum viſus offunditur. Eſt autem apertum mendum quod habet Nurenbergenſis editio anni 1478. *confeſſio*, quamvis prodant & confiteantur oculi ebrietatis ſtudium. Chaldaïca Paraph. in Regia editione Latinè verſa eſt, *Et cui extrema oculorum prominent?* id quod pro *ſuffoſſionis* lectione facere poſſit: nam quæ ſuffodiuntur, prominent, ſicut prominet terra quam talpa ſuffodit. Sed non ſatis ſcio quid deſignet Paraphraſis, an oculos prominentes, an prominentes genas, quæ in rugas ebrioſis contrahuntur, an quid aliud. Porrò ſubminiſtrat continuè multus frequenſque vini potus calorem, qui oculorum humorem paularim exhauriat, & videndi facultatem debilitet, tandemque areſactis organis exſtinguat, quod *ſuffoſſione oculorum* ſignificari poſſit: niſi fortè reſpectum ſit, ab iis, inquam, qui pro *ſuffuſio*, *ſuffoſſio* ſubſtituere (veriſimilliſima eſt enim *ſuffuſio* noſtri Interpretis ſcriptura) ad potatorum pugnas, qui dum in prælia inermes truduntur, fortaſſe, quod mulieribus eſt conſuetudo, manibus ſibi invicem exarant genas, oculoſque ſuffodiunt. Huc, ad pugnam dico, haud dubiè reſpexerunt Græci, cùm tranſtulerunt τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί; *cujus lividi oculi?* Solent enim pugnis aut poculis cædere, & lividos mutuò ſibi oculos dare. Cæterùm graviora his non raro & deſignant & perpetiuntur; eoque deveniunt, ut in crucem agantur, ubi eorum *oculos ſuffodiant corvi de torrentibus, & comedant filii aquilæ.*

CAP. XXV.

Viceſimo verſui plerique hodie Latini codices hunc ſubnectunt, *Sicut tinea veſtimemto, & vermis ligno; ità triſtitia viri nocet cordi:* quem tollunt antiqui Epanorthotæ, antiqui Dominicanorum, quidam Lugdunenſium, nonnulli Pariſienſium, ſeptem Hentenii, tres noſtri [Brug. Leod. P. alii tres ex noſtris H. I. K. ſignificant ſupereſſe.] Quibus adſtipulantur enerratores, Beda & Richelius: ille namque ignotum præterit; hic agnitum textu pellit. Suffragantur eiſdem Hebraici libri; neque ii tantùm qui nobis ſunt viſi, verumetiam qui ante nos Lyrano, Epanorthotæ, Dominicanis, iiſque qui ætate noſtrâ ſcripſere Autoribus. Porrò Græci codices ad eum modum quo Latinè ſcribitur conſtanter legunt, ὥσπερ σὴς * ἱματίῳ [* ἐν Gq.] καὶ σκώληξ ξύλῳ, οὕτως λύπη ἀνδρὸς βλάπτει καρδίαν. Auguſtinus quoque, lib. 21. De Civ. Dei cap. 9. profert hunc in modum, *Sicut tinea veſtimentum, & vermis lignum, ſic mæror excruciat cor viri:* erat enim tunc in uſu Græcorum tranſlatio. Chaldaïci poſtremò libri, id quod demiror, habent, quanquam parùm mutatâ ſententiâ, omiſsâque tineæ ac veſtimenti comparatione, איך מלמותא [בולמותא] בקיסא היכנא בריותא מזיה לבה דגברא, *Et ſicut putredo aut vermis in ligno, ſic ſtoliditas incitat cor viri.*

SALO-

SALOMONIS SENTENTIÆ

juxta ordinem Alphabeti per locos communes digeſtæ; cum explanatione

J. DRUSII.

ADVERSA.

Adverſa fortiter ferenda.

התרפית ביום צרה צר כחכה 24. 10.

Si remiſſior eris in die anguſtiæ, anguſta eſt virtus tua.

Eſt parvi & anguſti animi non ferre caſus humanos ita ut oportet. Contra eſt viri fortis, quicquid evenerit, ſapienter & moderate ferre. Ut aurum ignis, ità virum fortem probant res adverſæ.

Non gaudendum malo alterius.

שמח לאיד לא ינקה 17. 5.

Qui gaudet exitio non feret impune.

Qui alterius calamitate lætatur, eum ſcire oportet, ſibi paratam eſſe calamitatem ut participet parem.

Amicitia fidelis in periculo aliquo perſpicitur.

אח לצרה יולד 17. 17.

Frater in adverſitate naſcitur.

Frater, id eſt, verus amicus. Sic & Ennius, *Amicus certus in re incerta cernitur.*

Res Adverſæ ſapientiam conciliant.

שבט יתן חכמה 29. 15.

Virga ſapientiam impertit.

Adverſa nos erudiunt, & ſapientiores reddunt, juxta Proverbium Græcum, *παθὼν τὰ δεινὰ φρονιμώτερος*. Nazianzenus hinc ſumpſit, *Σκληρὰ δὲ μάστιξ παιδαγωγεῖ καρδίαν.* Pulchrè ad hanc ſententiam Cato ſenior, *Adverſa res ſe domant, & docent quid opus ſit facto: ſecunda res lætitia tranſvorſum trudere ſolent à recte intellegendo atque conſulendo.*

Spes in adverſis

חסה במותו צדיק 14. 32.

Sperat in morte ſua juſtus.

Juſtus, cum res adverſæ ſunt maximè, tum maxime ſpem & fiduciam in Deo habet.

Admonitio.

Mortem appellant Ebræi non modo quæ vitæ opponitur; ſed etiam inſignes calamitates & graviora pericula.

Virtus tuetur hominem adverſus incommoda vitæ.

צדקה תציל ממות. 10. 2.

Juſtitia liberat a morte.

Quanti eſt facienda juſtitia, quæ liberat à morte, & vitam conciliat, qua præditi qui ſunt, immunes ſunt ab iis malis, in quæ ceteri incurrunt, maxime ii, qui per fas & nefas opes accumulant.

Liberatio ex adverſis.

ויצא מצרה צדיק 12. 13.

Evadit ex adverſitate juſtus.

Vir bonus, ſi in periculo aliquo fuerit, ex eo ope divina evadit.

שבע יפול צדיק וקם 24. 16.

Septies cadit juſtus & ſurgit.

Sæpius in calamitates incidit, ſed tamen ſemper ex eis emergit.

Improbus juſto ſuccedit in calamitate.

צדיק מצרה נחלץ ויבא רשע תחתיו 11. 8.

Juſtus ex adverſitate eripitur, pro eoque venit improbus.

Venit in eandem, aut parem, vel etiam majorem calamitatem.

Improbi ſemper miſeri.

רשעים מלאו רע 12. 21.

Improbi pleni ſunt malo.

Nunquam benè eſt improbis. Semper enim cruciantur animi conſcientia.

ADULATIO.

Adulatio dolum tegit.

גבר מחליק על רעהו רשת פורש על פעמיו 29. 5.

Vir qui blanditur amico ſuo, rete pandit greſſibus ejus.

Cui quis aſſentatur, eum fallere cupit.

Gratior tandem amica reprehenſio, quam adulatio.

מוכיח אדם אחרי חן ימצא ממחליק לשון 28. 23

Qui reprehendit hominem, poſtea gratiam inveniet majorem quam is, qui blanditur lingua.

Amica reprehenſio, ut initio fortaſſe ingrata ſit, poſtea tamen gratior eſſe ſolet bonis mentibus, quam omnia ad voluntatem loquens, nihil ad veritatem adulatio.

Adulatio perniciosa.

פה חלק יעשה מדחה 26. 28.

Os blandum facit impulſionem.

Aſſentatio, vitiorum illex & adjutrix cum ſit, & ipſum aſſentatorem, & eum, qui ei aures patefacit, in perniciem impellit.

ADULTERIUM

Nemo impune adulterium committit.

6. 28. היחתה איש אש בחיקו ובגדיו לא תשרפנה
29. אם יהלך איש על הגחלים ורגליו לא תכוינה
30. כן הבא אל אשת רעהו לא ינקה כל הנגע בה

Num capiet quis ignem in ſinu ſuo, ut ejus veſtes non comburantur?
An ambulabit quiſpiam ſuper prunas, ut pedes ejus non adurantur?
Sic qui coit cum uxore proximi ſui, non impune feret quiſquis eam attigerit.

Adulterii pœna.

6. 33. נאף אשה חסר לב משחית נפשו הוא יעשנה:
34. נגע וקלון ימצא וחרפתו לא תמחה:
35. כי קנאה חמת גבר ולא יחמול ביום נקם:
36. לא ישא פני כל כפר ולא יאבה כי תרבה שחד:

Qui adulterat mulierem, deſipit: perdit animam ſuam qui facit illud,

Plagam & ignominiam inveniet, & probrum ejus non delebitur.
Nam zelotypia eſt excandeſcentia viri, neque parcet tempore vindictæ.
Non acceptabit ullum redemptionis pretium, neque volet accipere, quum multa dabis munera.

Adulterum neque Dei oculos effugere, neque pœnam peccati ſui.

למה תשגה בני בזרה ותחבק חק נכריה : 5. 20.
כי נכח עיני יהוה דרכי איש וכל מעגלתיו מפלס : 21.
עונתיו ילכדנו את הרשע ובחבלי חטאתו יתמך : 22.
הוא ימות באין מוסר וברב אולתו ישגה : 23.

Cur erres, mi Fili, in aliena? amplectare ſinum extraneæ?
Nam coram oculis Domini via hominis, omneſque orbitas ejus librat..
Iniquitates ſuæ capient ipſum improbum, & funibus peccati ſui tenebitur.
Ipſe morietur abſque diſciplina, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ errabit.

AGRICULTURA.

Ex agricolatione ſaturitas.

עבד אדמתו ישבע לחם : 12. 11.

Qui colit humum ſuam, ſaturabitur pane.

Qui agrum ſuum diligenter colit, ei abunde ſuppetet quicquid neceſſarium ad vitam ſuſtentandam.

Et copia rerum omnium, quæ ad victum pertinent.

רב אכל ניר ראשים : 13. 23.

Copia cibi novalis pauperum.

In novali pauperum eſt copia rerum ad victum pertinentium. Natura modico contenta præter aquam & panem nihil deſiderat. Ex his aquam ipſa ſuppeditat, panem agricultura ſubminiſtrat. Qui hæc duo habet, ſecundum ſapientes dives atque adeo beatus eſſe poteſt.

Bos neceſſarius ad agriculturam.

באין אלפים אבוס בר ורב תבואות בכח שור : 14. 4.

Abſque bubus præſepe purum eſt, & copia proventuum in robore bovis.

Purum, id eſt, vacuum. *Ad domum opus eſt*, ut ait Heſiodus, *uxore & bove aratore.* Uxore opus eſt procreandi gratia, & conſervandi ea quæ parta ſunt. Bove opus eſt ad victum. Sub bove etiam agrum comprehendo. Nam bos propter agrum. Ubi ager non eſt, nec proventus eſt. Nam proventus ex agro. Agro inculto & inarato, nec proventus ulli ex eo ſperandi ſunt. Bos ergo neceſſarius eſt ad ſuſtentandam familiam.

Admonitio.

Præſepe] minus dicit, plus intelligit. Non ſolum præſepe vacuum eſt, ſed etiam horreum. Nam ubi palea non eſt, nec frumentum eſſe poteſt.

Sapiens æſtate viaticum parat in hiemem.

אגר בקיץ בן משכיל נרדם בקציר בן מביש : 10. 5.

Congerit in æſtate filius prudens: ſtertit in meſſe filius pudendus.

Sapiens in æſtate congerit ea, quibus vitam in hieme tueri poſſit: ſtultus nihil colligit (ſtertit enim propter pigritiam) itaque eget in hieme iis rebus, ſine quibus ægre vivitur, aut potius nullo modo vivitur. Sic ait: Propter frigus piger non arat: quærit in meſſe, nec eſt quicquam.

AMICITIA ET AMOR.

Ama ut ameris.

איש רעים להתרעע 18. 24.

Vir Amicorum ſtudioſus *debet ſe amabilem præſtare.*

Qui amari vult, eum viciſſim amare oportet. Sic Ovidius, *ut ameris amabilis eſto.* & Martialis epigramm.
Ut præſtem Pyladen aliquis mihi præſtet Oreſten.
Hoc non fit verbis, Marce ut ameris, ama.

Nec alienus hinc eſt Theocriti verſiculus Στέργετε τὺς φιλέοντας, ἵν' ἂν φιλῆτε, φιλῆσθε. Quiſquis amatur, amet: ut & ipſe, ubi amarit, ametur. Seneca in Epiſtolis Hecaton ait: *Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine, Si vis amari, ama.*

Amicitia fidelis. 17. 17.

בכל עת אהב הרע

Omni tempore amat amicus.

Qui vere eſt amicus, ſemper amat. Vulgares amici fortunam ſequuntur, hoc eſt, rebus ſecundis amant, adverſis deſerunt amicum.

Amicitia temporanea.

שן רעה ורגל מועדת מבטח בוגד ביום צרה : 25. 18.

Dens fractus & pes luxatus, eſt fiducia infidi tempore adverſo.

Benevolentia, quæ fidelis non eſt, ſimilis eſt pedi luxato, & denti fracto, quibus nemo uti poteſt, quin egregie decipiatur. Pari ratione decipitur, qui homini perfido amicus eſt, in quo nulla ſtabilis benevolentiæ fiducia. Nam, ut hirundines, ſereno vitæ tempore præſto eſt: ſimul ac hiemem ſenſerit, avolat ac deſtituit amicum, qui ſe ei crediderat.

Amicus certus in re incerta cernitur.

אח לצרה יולד : 17. 17.

Frater in adverſitate naſcitur.

Frater, id eſt, fidus amicus tanquam frater. Ut aurum igne, ſic amicitia fidelis in periculo aliquo perſpici ſolet.

Amicus non deſerendus.

רעך ורע אביך אל תעזב : 27. 10.

Amicum tuum & amicum Patris tui ne deſere.

Non deſerendus ullo tempore amicus, neque quem tibi paraſti, neque quem pater tibi reliquit. Præclare Iſocrates ad Demonicum, Πρέπει γὰρ τὰς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν.

Amicus raro inviſendus.

הקר רגלך מבית רעך פן ישבעך ושנאך : 25. 17.

Contine pedem tuum à domo amici tui, ne tui ſatur te oderit.

Una iſta ſit cautio in amicitia ut ne nimis ſæpe amicos inviſamus, neve eis ulla re moleſti ſimus. Dignus enim eſt odio importunus amicus.

Amicus verus fratre conjunctior.

יש אהב דבק מאח 18. 24.

Eſt amicus conjunctior fratre.

Nempe is qui vere ac proprie amicus eſt, qui eſt quaſi alter idem, & pro amico mori non dubitat. Quis autem ita fratrem amat ut pro eo mori velit? His adde quod habetur 19. 7. *Omnes fratres pauperis oderunt ipſum*: & 17. 17. *Omni tempore diligit amicus.*

Dona amicos parant.

כל הרע לאיש מתן 19. 6.

Omnes amici ſunt viro munifico.

Qui multa donat, multos amicos parat. Omnes enim amant virum liberalem. Contra immunem cives odere ſui. De vulgi amicitia loquitur, quæ mercenaria eſt; non de proprie dicta amicitia, quæ gratuita eſt, nec mercede evocata, ex quo illud

Μισθῷ γὰρ ἄνθρωπός τις ἄνθρωπον φιλεῖ.

Amicitia fidelis rara.

איש אמונים מי ימצא : 20. 6.

Virum fidelem quis inveniat?

Inter

Inter ea quæ raro inveniuntur, eſt amicus verus & fidus, qui nos æque ac ſeipſum diligat, ac mori pro nobis, ſi occaſio detur, non detrectet.

Opes amicos conciliant.

19. 4 הון יסיף רעים רבים ודל מרעהו יפרד :

Opes addunt amicos multos: Pauper ab amico ſuo disjungitur.

Amicitiam opulentia conciliat, inopia dirimit ac diſſolvit. Vulgo homines metiuntur amicitiam commodo & utilitate ſua. Itaque iis, qui multum largiuntur, amici ſunt: quos deinde deſerunt, ubi nihil eſt quod dent. Nam ceſſante cauſſa amicitiæ, ceſſat ipſa.

Amici divitum multi.

14. 20. גם לרעהו ישנא רש ואהבי עשיר רבים :

Etiam ſocio ſuo inviſus eſt pauper: at amici divitis multi.

Dives multos amicos habet, pauper nullos. Sic Ovidius:

Si fueris felix multos numerabis amicos.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Et Theognis,

Ἐν μὲν ἔχοντες ἰμῶ, πολλοὶ φίλοι. ἢμ δέ τι δεινὸν
Ἐγκύρσῃ, παῦροι πιστὸν ἔχουσι νόον.

Amicus non viſendus a calamitoſo.

27. 10. בית אחיך אל תבא ביום אידך :

Domum fratris tui ne adito tempore calamitatis tuæ.

Si pauper aut calamitoſus es, noli viſere amicum, aut accerſere ad te. Nam ſi amicus eſt, ultro veniet conſolandi cauſſa. Sin eſt e plebe vulgarſa, fruſtra vocabis, aut adibis eum, qui non te, ſed tua amavit.

Amicitia principum quibus rebus paretur.

22. 10. אהב טהר לב חן שפתיו רעהו מלך :

Qui diligit mundiciem cordis, & cui gratia eſt in labris, huic amicus erit rex.

Eſt boni principis amare eum, cujus cum eloquentia conjuncta eſt morum probitas, animique puritas ac ſinceritas.

Admonitio.

Gratia labiorum, niſi erro, eſt quam *Suadam* (Græcis πειθὼ dicitur) noſtri vocant, quam in Periclis labris Eupolis ſeſſitaviſſe olim ſcripſit.

Nihil moliendum adverſus amicum.

3. 29. אל תחרש על רעך רעה והוא יושב לבטח אתך

Ne machinare adverſus amicum tuum malum, cum is agat apud te ſecure.

Vel, ut vetus interpres, *cum ille habeat in te fiduciam.* Nemo fere credit, niſi ei, quem fidelem putat. Quin habita fides plerumque obligat ipſam fidem. *Perditiſſimi eſt igitur hominis*, ut ait Cicero; *ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi crediδiſſet.*

Amici objurgatio potior obſequio inimici.

27. 6. נאמנים פצעי אוהב ונעתרות נשיקות שונא :

Amici plagæ fideles, inimici oſcula pernicioſa ſunt.

Græco proverbio dicitur ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Sic oſcula, hoc eſt, blanda obſequia inimici, non oſcula ſunt; ſed vulnera, quæ ipſam animam interimunt, è contra oſcula ſunt, quæ nos vulnera eſſe judicamus, videlicet liberæ admonitiones & objurgationes amicorum, quæ licet acerbæ aliquando fuerint, animæ tamen ſalutares ſunt.

Amor peccata operit.

10. 12. על כל פשעים תכסה אהבה

Omnia peccata tegit charitas.

Hoc natura eſt inſitum, ut quem amamus, & charum habemus, ejus vitia vel excuſemus, vel diſſimulemus. Nam ut corporis nævos, ſic crimina tegit amor. Ita dico, qui amat, omnia in meliorem partem interpretatur, & qui odit, in pejorem.

Amicorum holera anteponenda lautis hoſtium epulis.

15.17. טוב ארחת ירק ואהבה שם משור אבוס ושנאה בו :

Praſtat ferculum ex holere, ubi adeſt charitas, quam bos ſaginatus, in quo ſit odium.

Ferculum ex holere ſive holuſculi Plautus *cœnam terreſtrem* dixit, quæ videlicet holeribus terra enatis conſtat. Bos ſaginatus, id eſt, cœna lauta & opipara. Satius eſt vivere cum amicis frugaliter, quam cum inimicis opipare.

Amicus quo modo retineri poſſit.

מכסה פשעים מבקש אהבה :

Qui tegit crimina, quærit dilectionem.

Amicitiam conſervat, qui amici vitia ferre poteſt. Eandem violat, qui nihil celat, qui amicorum peccata ab uno ad alium defert, qui occulta in lucem profert. Rurſus qui peccantem palam reprehendit, ex amico inimicum facit.

Amor occultus

27. 5. טובה תוכחת מגלה מאהבה מסתרת :

Melior eſt reprehenſio aperta, quam amor occultus.

Aperta & amica objurgatio, licet odioſa ſit, tamen utilior eſt occulta charitate, quæ ad omnia amici vitia connivet, nec ea reprehendere audet.

Amor Pudicus.

5. 15. שתה מים מבורך ונזלים מתוך בארך :
16. יפוצו מעינתיך חוצה ברחבות פלגי מים :
17. יהיו לך לבדך ואין לזרים אתך :
18. יהי מקורך ברוך ושמח מאשת נעורך :
19. אילת אהבים ויעלת חן דדיה ירוך בכל עת
באהבתה תשגה תמיד :

Bibe aquas è puteo tuo, & fluenta è medio ciſternæ tuæ.
Deriventur fontes tui foras, in plateas rivi aquarum.
Sint tibi ſoli, & non alienis tecum.
Sit vena tua benedicta, & lætare de uxore adoleſcentiæ tuæ.
Cerva amorum, & caprea gratia: ubera ejus inebrient te omni tempore, in amore ipſius errato ſemper.

Inter bonos amicitiam eſſe

14. 9. בין ישרים רצון :

Inter rectos benevolentia.

Inter probos morum & animorum conſenſio eſt. Itaque fit, ut quiſque æquè alterum diligat, ac ſeipſum. Ubi enim eadem ſtudia, eædemque voluntates, ibi efficitur, id quod Pythagoras vult in amicitia, *ut unus fiat ex pluribus.*

Non jungenda amicitia cum homine iracundo.

22.24. אל תתרע את בעל אף:

Ne junge amicitiam cum homine bilioſo.

Nam periculum ne vel ejus mores addiſcas, vel cum eo in contentionem venias. Eſt enim contentioſus, qui iracundus, ſecundum illud, *Iracundus excitat contentiones.*

ANIMUS.

Animus hominis divinus.

20.27 נר יהוה נשמת אדם חפש כל חדרי בטן :

Lucerna Domini animus hominis, ſcrutans omnia penetralia ventris.

Animus hominis ſcrutatur intima pectoris ſui, videlicet cor & renes. Ideo *lucerna Dei* dicitur. Nam hoc eſt opus Dei proprium, qui propterea καρδιογνώστης vocatur.

Admonitio.

Lucerna Domini] Modus eſt loquendi, pro eo quod eſt, divina: aut, lucerna Domini, id eſt, luciδiſſima, ut, *flamma Domini, arbores Dei.* Vide Quæſt. meas.

Animi triſtitia, ſi magna fuerit, ad tabem deducit

רוח נכאה תיבש גרם : 17. 22.

Spiritus fractus exſiccat oſſa.

Animus fractus mœrore paulatim vitalem colorem abſumit, & nutritionem partium minuit, atque ità exſiccat oſſa, & ad tabem deducit. Ei remedio ſunt primùm *oratio* 12. 25: deinde *muſica* 25. 20: poſtremo *vinum*; unde eſt 31. 6. *date ſiceram pereunti, & vinum amaris animo.*

Animus fractus mœrore, intollerabilis.

רוח נכאה מי ישאנה : 18. 14

Spiritum fractum quis ferat?

Pauci admodum ferre poſſunt animi triſtitiam, præſertim ſi vehemens fuerit & diuturna. Sed ità natura homini amica fuit, ut dolorem aut tollerabilem, aut brevem fecerit. Raro qui vehemens eſt diuturnus eſt.

Animus morbum mitigat.

רוח איש יכלכל מחלהו : ibid.

Spiritus hominis perfert morbum ejus.

Qui eſt animo æquo & forti, facile perfert morbum quemvis, juxta illud, *In re mala animus bonus dimidium mali.* Huc pertinet, quod alibi legitur, *Vita corporis, cor ſanum.*

Admonitio.

Morbum ejus] Morbum corporis videlicet. Nam de animi morbo hæc intelligi non poſſunt. Animus enim ſuum morbum ægre perfert. patet ex ipſa experientia.

Annonæ flagellator deteſtabilis populo.

מנע בר יקבהו לאום וברכה לראש משביר : 11. 26.

Qui cohibet triticum, eum execrantur populus, at benedictio ſuper caput vendentis.

Qui frumentum retinet, hoc eſt, qui annonam incedit ac flagellat, is execrandus populo & deteſtabilis eſt: qui vero frumentum vendit, & annonam levat laxatque, ei fauſta omnia omnes optant ac precantur.

ARCANUM.

Arcana celanda eſſe.

סוד אחר אל תגל : 25. 9.

Arcanum alterius ne patefacias.

Idem cùm illo, *Arcanum cela.* Sic & Horatius: *Arcanum neque tu ſcrutaberis ullius unquam, Commiſſumque teges, & vino tortus, & ira.*

Conſilii patefacti eventus irritus.

הפר מחשבות באין סוד 15. 22.

Diſſipantur cogitata abſque arcano.

Conſilia, niſi arcana fuerint, irritum eventum ſortiuntur.

Arcanum qui retegit, delator eſt.

גולה סוד הולך רכיל 20. 19.

Qui revelat arcanum, delatorem agit.

Fere ita fit, ut qui commiſſum ſibi ſecretum celare non poteſt, etiam delator ſit.

ASTUTIA.

Aſtutia, ut hic ſumitur, eſt *prudentia* (vel *calliditas*) quæ ratione quadam poteſt delectum habere bonorum, & malorum: vel ſic, *Aſtutia eſt honeſta cautio*, hoc eſt, declinatio à malo cum ratione, quàm λογικὴν ἔκκλισιν τοῦ βλάπτοντος definiunt. Vide obſerv. lib. 1. cap. 19.

Sapientiam & aſtutiam ſimul habitare.

אני חכמה שכנתי ערמה 8. 12.

Ego ſapientia cohabito aſtutia.

Sapientia & aſtutia ſimul habitant. Nam qui ſapiens eſt, etiam cautus eſt, & contra. Vide Proverb. 19. 25. & 21. 11.

Cautus periculum evitat.

ערום ראה רעה ונסתר 27. 12. & 22. 3.

Aſtutus videt malum & occultat ſe.

Aſtutus prævisum à ſe malum, caute & prudenter declinat.

Iram reprimit.

כסה קלון ערום 12 16.

Tegit ignominiam aſtutus.

Cohibet iracundiam ſibi futuram dedecori, & ignominioſam.

Artem celat.

אדם ערום כסה דעת 12. 23.

Homo aſtutus tegit ſcientiam

Quod ſcit, celat: nec profert intempeſtive, nec oſtentat glorioſe. Eadem ſententia eſt in illo, *Sapientes recondunt ſcientiam.* De quo ſuo loco.

Omnia ſcite agit.

כל ערום יעשה בדעת 13. 16.

Omnia aſtutus facit ſcite.

In aliis, *Omnis aſtutus facit ſcite.* Non reprehendo.

Advertit ad id quod agit.

חכמת ערום הבין דרכו 14 8.

Sapientia aſtuti eſt intelligere viam ſuam.

Cauti eſt ſcire quid facto opus ſit, & ad id, quod agit, animum advertere.

Admonitio.

Hic vides ut aſtuto ſapientiam tribuat, ergo aſtutus is eſt Salomoni, quem Latini *cautum* ſive *catum* vocant; unde *Catones* appellati.

Conſiderat quid agat.

ערום יבין לאשרו 14. 15.

Aſtutus intelligit greſſum ſuum.

Etiam atque etiam videt, quo eat, nec ſe duci patitur quolibet, nec credit cuilibet. Rurſus perpendit quid vitæ genus potiſſimum ſequatur, quove in eo pacto ſe gerat.

Ornat ſe ſcientia.

ערומים יכתירו דעת 14. 18.

Aſtuti coronant ſe ſcientia.

Comparant eruditionem pulcerrimum hominis ornamentum Poteſt legi, *ornant ſcientiam.* Nihil tam decorat doctos, quam ſi cauti & prudentes fuerint.

Admonitio

Scientia quandoque vocatur notitia rerum divinarum, qua præditi qui ſunt, debent etiam prudentes eſſe, juxta illud Chriſti, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

AQUA.

Aqua vultum reddet.

כמים הפנים לפנים 27. 19.

In *aqua facies faciei reſpondet.*

Seneca lib. 1. nat. quæſt. *Omnia per aquam videntur eſſe majora. Littera quantumvis minuta & obſcura per vitream pilam aqua plenam, majores clarioreſque cernuntur: poma formoſiora, quam ſunt, videntur, ſi innatant vitro: ſydera ampliora per nubem aſpicienti cernuntur, quia acies noſtra humida labitur, nec apprehendere, quod vult, fideliter poteſt. Quod manifeſtum fiet, ſi poculum adimpleveris aqua, & in id conjeceris annulum. Nam cum in ipſo fundo jaceat annulus, facies ejus in ſummo aqua redditur. Quicquid videtur per humorem longe amplius vero eſt.*

Aqua

Aqua laſſum recreat.

מים קרים על נפש עיפה 25. 24.

Aqua frigida animæ laſſæ.

Frigida laſſo gratiſſima eſt. Nam fere fit, ut idem ſiti laboret. Sed & frigida aſpergi olim ſolebant ex via defatigati. Eſt autem Proverbiale de re vehementer grata & jocunda. Hodie curſu incaleſcentes equos frigida perfundimus, quo paululum refocillati, alacrius curſum repetant.

De aqua pluvia.

בדעתו תהומות נבקעו ושחקים ירעפו טל: 3. 20.

Scientia ejus (Dei) abyſſi erumpunt, & nubes ſtillant rorem.

Explicabo alias.

AVARITIA.

Semper avarus avet.

כל היום התאוה תאוה 21. 26.

Toto die avet aviditas.

Avarus ſemper avet. Nulla copia ſatiari poteſt. Id eo fit, quia divitias ut finem appetit. *Eſt enim*, ut ait Ariſtoteles primo Politicorum, *finis ipſius appetitio infinita.*

Admonitio.

Aviditas genus loquendi eſt pro *avaro*; ut dolus pro *doloſo*, ſcelus pro *ſceleſto*.

Avarus domum ſuam conturbat.

עכר ביתו בוצע בצע 15. 27.

Turbat domum ſuam, qui deditus quæſtui eſt.

Vetus Interpres, *qui ſectatur avaritiam.* Avarus familiam improbo labore fatigat, vexatque, cui ſæpe neceſſaria negat ad vivendum, tum etiam fit interdum dum aliena appetit, ut ſua amittat. His adde, ſi placet, Proverbium vulgare, *Malum lucrum æquale diſpendio:* &, *Turpe lucrum adducit infortunium:* & dictum Chryſoſtomi, *Sæpe exiguum lucellum fraude quæſitum, magnas opes juſte partas evertit.*

Avarus properans diteſcere, ad pauperiem redigetur.

נבהל להון איש רע עין ולא ידע כי חסר יבאנו 28. 22.

Feſtinat ad opes vir mali oculi, nec ſcit egeſtatem venturam ſibi.

Vir mali oculi, id eſt, avarus quo jure quave injuria properat diteſcere, atque adeo bardus eſt ut neſciat poſt congeſtas & accumulatas opes ſe pauperem futurum. Dico pauperem, quia omnis avarus pauper eſt: vel juxta illud, *Hæreditas propere acquiſita non erit felix.* Cujus ſententia ac ſi diceret, ut acquiſita eſt, ita peribit ac dilabetur.

Avaro ſua parſimonia egeſtas eſt.

יש חושך מיושר אך למחסור

Eſt qui parcit præter æquum, duntaxat ad egeſtatem.

Præter æquum parcunt omnes avari & ſordidi, quique nihil largiuntur egentibus. Atque his parcimonia ſua egeſtas eſt. Nam etiam in magnis & locupletibus copiis pauperes ſunt. Quapropter? quia nihil illis ſatis eſt, nulla copia expleri poſſunt, (ſemper appetunt,) quo plus habent, eo plus requirunt.

Avari menſa vitanda.

אל תלחם את לחם רע עין וגו׳ 23. 6.

Ne comedas panem mali oculi &c.

Abſtine te, quantum honeſte potes, à menſa hominis ſordidi, nimiumque tenacis ac reſtricti, qui, ut poeta canit,
Quærit & inventus miſer abſtinet ac timet uti.
Nam quemadmodum timet uti bonis ſuis; ita cruciatur cum videt alios iis utentes, & licet aliquando invitet convivam ad edendum aut bibendum, non tamen bona fide, nec ex animo hoc facit. Id Salomo ſignificat per hæc verba: *Comede & bibe dicet tibi, & cor ejus non eſt tecum.*

BEATUS.

Sapiens Beatus.

אשרי אדם מצא חכמה ואדם יפיק תבונה 3. 13.

Beatus homo qui invenit ſapientiam, & homo qui elicuit prudentiam.

ותמכיה מאשר 3. 18.

Quiſquis tenet eam beatus eſt.

Qui habet ſapientiam, is eſt beatus. Habet enim omnia quæ ad beatam vitam requiruntur. Huc refer ex. 8. 32. *Beati qui vias meas cuſtodiunt.* &, *Beatus homo, qui mihi auſcultat, excubando ad foras meas quotidie, cuſtodiendo poſtes oſtiorum meorum.*

Vir bonus beatus.

שומר תורה אשרהו 29. 18.

Qui cuſtodit legem, o Beatum illum.

Conferri poteſt cum dicto Socratis, qui dicebat *bonos beatos, improbos miſeros eſſe.* Nam legis obſervans non eſt alius, quam vir bonus.

Religioſus beatus.

אשרי אדם מפחד תמיד 28. 14.

Beatus homo qui metuit jugiter.

Semper metuit, qui Deum metuit. Dei metuens, etiam beatus eſt, quippe vir bonus & legis obſervantiſſimus.

Cui ſpes omnis, ratio & cogitatio à Deo pendet, beatus eſt.

בוטח ביהוה אשריו 16. 20.

Qui Domino fidit, beatus eſt.

Is eſt beatiſſimus, qui totus à Deo pendet, quique in eo uno ſua ponit omnia.

Beatus, qui largitur pauperibus.

מחונן ענוים אשריו 14. 21.

Qui gratioſe facit manſuetis, o Beatum illum.

Beatus quoque dicitur, cujus ex liberalitate manſueti, hoc eſt, vere pauperes vivunt ac ſuſtentantur.

Beati virorum bonorum liberi.

מתהלך בתומו צדיק אשרי בניו אחריו 20. 7.

Ambulat integre juſtus: Beati filii ejus poſt eum.

Pars aliqua vitæ beatæ eſt habere parentes juſtos & viros bonos. Nam tales, ut alia prætereantur, ſaltem bonam famam & exiſtimationem ad poſteros tranſmittunt.

BELLUM.

Bellum conſilio gerendum.

בתחבולות עשה מלחמה 20. 18.

Solertibus conſiliis gere bellum.

בתחבולות תעשה לך מלחמה 24. 6.

Solertibus conſiliis facies tibi bellum.

Non viribus bellum geritur, ſed conſilio & prudentia ducum.

Victoria à Deo.

סוס מוכן ליום מלחמה וליהוה התשועה 21. 31.

Equus inſtructus eſt ad diem belli: ſed à Domino ſalus.

Equis in bello utimur, ſæpeque illis victoriam adſcribimus, ſed fruſtra. Nam victoria à Deo eſt, nec obtingere niſi divino beneficio cuiquam poteſt. Pro argumento ſunt exercitus illi, qui, cùm equitatu præſtarent, ab hoſtibus tamen victi ſuperati fuerunt.

BENIFICENTIA ſive BENIGNITAS

Benignitate qui utuntur, peccata expiant.

14. 34 חסד לאמים חטאת

Benignitas populorum peccatum.

Id eſt, piaculum, ſive expiatio peccati: Syrach. 3. 33. *Ut ardentem ignem reſtingnit aqua: ſic peccata expiat beneficentia.*

Et culpæ pœnas effugiunt.

16. 6. בחסד ואמת יכפר עון

Benignitate & veritate expiatur iniquitas.

Id eſt, pœna iniquitatis. Benignitas, præſertim in miſeros & calamitoſos, adeo grata eſt Deo, ut illi, qui ea utuntur, pœnas peccatis debitas ſæpe effugiant divinitus.

Votum hominis benignitas

19. 22. תאות אדם חסדו וטוב רש מאיש כזב:

Deſiderium hominis benignitas ipſius: ſed melior pauper viro mendaci.

Expetenda liberalitas. Eſt enim virtus honeſtiſſima. Sed adhibeatur hæc cautio ut liberales ſimus ex noſtro. Nam præſtat egere, quam per dolum acquirere, ut habeas, quod largiaris aliis. *Tales enim*, teſte Cicerone, *non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi judicandi ſunt.*

Dei benignitas in bonos.

14. 22. חסד ואמת חרשי טוב

Benignitas & veritas fabricantibus bonum.

Dei benignitas in omnes quidem propenſa eſt, ſed propenſior in eos, qui bene & laudabiliter, & ſecundum virtutem vivunt. Huc referri poſſet, *Benignitate & veritate expiatur iniquitas*: quod ſupra, ſed alio ſenſu, adductum & explicatum.

Benefaciendum cito.

3. 28. אל תאמר לרעך לך ושוב ומחר אתן ויש אתך:

Ne dic proximo tuo, Vade, & redi, & cras dabo tibi, cum ſit penes te.

Quod potes, da cito. *Nam bis dat, qui cito dat*, juxta proverbium. Plus dico, Qui cunctanter dat, videtur non libenter dare. Propriè enim eſt libenter facientis, cito facere. Tarde dare, nolentis eſt.

Homo benignus de ſe bene meretur

11. 17. גומל נפשו איש חסד

Benemeretur de ſe ipſo vir benignus.

Altera cautio in liberalitate. Ità ſis liberalis in alios, ut tibi ipſi non noceas. Nemo vere benignus eſt, niſi etiam in ſe benignus ſit. Non eſt liberalis, qui in alios liberalis eſt, in ſe ſordidus: qui domi ſe contrahit, foris dilatat. Hujus contrarium

עוכר שארו אכזרי

Turbat corpus ſuum crudelis.

Vel ſic, qui turbat corpus ſuum, crudelis eſt. Qui ſibi nocet, ut in alios liberalis ſit; non liberalis ſed crudelis judicandus eſt. Turbat corpus ſuum qui ei negat neceſſaria, ſive in morbo ſive extra morbum: qui Veneri nimium indulget: qui neque in cibis rationem, neque in potu modum tenet. Rurſus qui illud curis ac laboribus conficit. Nec refert qua in re laboret. Quicquid nimium eſt, nocet. Si modum ſtudiis non facit, nec ſibi parcit, crudelis eſt. Lædit enim valetudinem dum corpus negligit.

Benefici à pleriſque laudantur.

20. 6. רב אדם יקרא איש חסדו

Plera pars hominum prædicat benefactorem ſuum.

Plerique homines laudant eum, à quo beneficio affecti fuerunt. Dicit autem plerique, cum quidam, quo plus debent, magis oderint. *Leve æs alienum debitorem facit, grave inimicum*, ait Romanus ſapiens.

Benignitas regem tuetur.

20. 28. חסד ואמת יצרו מלך וסעד בחסד כסאו

Benignitas & veritas cuſtodiunt regem, & fulciet benignitate ſolium ſuum.

Nam qui benignitate & liberalitate utitur, conciliat ſibi omnium benevolentiam, &, quod firmiſſimum regni regumque præſidium, charitatem.

Amicos conciliat.

19. 6. רבים יחלו פני נדיב וכל הרע לאיש מתן

Multi venerantur faciem liberalis, & quilibet amicus eſt viro benefico.

Qui benefici & liberales ſunt, à multis honorantur & obſervantur, nec eſt quiſquam, qui non cupiat amicus eſſe homini benefico, i. ei, qui multa donat, qui renuit, ubi re eſt opus, qui divitias, quas habet, non ad luxum; ſed ad beneficentiam liberalitatemque confert.

Admonitio.

איש מתן propriè *vir doni*: quo ſignificatur is, qui multa largitur ſive id conſulte faciat, ut liberalis: ſive inconſulte, ut prodigus.

Beneficentia erga Dei miniſtros.

3. 9. כבד את יהוה מהונך ומראשית כל תבואתך

Honora Dominum de opibus tuis, & de primitiis proventus tui.

Deum honorat, qui ejus miniſtros honorat. Hos honorat, qui alimoniam ſuppeditat, & neceſſaria ad vitam. Id autem ut fiat, intereſt rei familiaris, unde ſequitur, Et implebuntur horrea tua copia frugum, & muſto torcularia tua redundabunt.

Admonitio.

Deum quoque honorat, qui liberalis eſt in pauperes & egenos, ut habetur cap. 14. v. 31.

BENEFICENTIA ERGA INOPES.

Qui pauperibus largitur, non egebit.

28. 27. נותן לרש אין מחסור

Qui dat pauperi, ei non erit egeſtas.

Qui in pauperes beneficus eſt, nihilominus egebit. Imo in horum uſus qui fiunt ſumptus, danti lucro ſunt magis, quam detrimento. Nam in paupere atque egeno quæſtus eſt omne quod impenditur. Contra in homine opulento atque potente ſi quid ſumatur, ſumptus eſt.

Is eſt beatus, qui bene facit egentibus.

14. 21 מחונן ענוים אשריו

Qui benigne facit pauperibus, o beatum illum.

Qui habet quod det pauperibus, ſi dat prompte & libenter, beatus eſt, juxta illud, *Beatum eſt dare, quàm accipere:* Etenim Ariſtotele teſte, *Beata vita conſiſtit in operatione ſecundum virtutem, cum omnium bonorum ſufficientia.* Dare autem liberalitatis eſt, cujus fructus ſtabilis & permanens, cum ſit virtus honeſtiſſima, ipſa verò honeſtas per ſe æterna. Sed de his alias, ſi Deus volet.

Beneficium pauperi datum fœneratur.

19. 17. מלוה יהוה חונן דל וגמלו ישלם לו

Benigne faciens tenui, fænerat Dominum, qui ipſius benefactum ei rependet.

Quod quis pauperi & egeno dat, id & Deo dat, & cum fœnore poſtea abs eo recipiet.

Deum honorat, qui pauperem honorat.

14. 31. מכבד יהוה חונן אביון

Dominum honorat, qui benigne facit egeno.

Egenti nemo beneficium largitur, quin etiam Deo largiatur. Deus enim ſibi factum putat, quod ſit pauperibus. Liberalis erga inopes, etiam fortunatus erit.

Bonus oculus.

טוֹב עַיִן הוּא יְבֹרָךְ כִּי נָתַן מִלַּחְמוֹ לַדָּל

Bonus oculus fortunabitur, quia dedit de pane ſuo tenuibus.

Homo liberalis etiam felix & fortunatus erit, eo quod bonorum ſuorum participes fecerit egenos.

Benignitatem non eſſe claudendam egeno.

3.27. אַל תִּמְנַע טוֹב מִבְּעָלָיו בִּהְיוֹת לְאֵל יָדְךָ לַעֲשׂוֹת

Ne ſubtrahe bonum ab egentibus eo, cum ſit in poteſtate manus tuæ ut facias.

Non ita claudenda res familiaris, ut eam benignitas, cum facultas ſit, aperire non poſſit. Quin aperienda ſemper, quoties ratio proximi hoc requirit. Pro, ab egentibus eo, quidam legunt, *à dominis ſuis*, quaſi bonorum noſtrorum pauperes domini ſint, nos diſpenſatores tantum.

Illiberalitas erga inopes.

21.13. אֹטֵם אָזְנוֹ מִזַּעֲקַת דָּל גַּם הוּא יִקְרָא וְלֹא יֵעָנֶה

Qui obſtruit aurem ad clamorem tenuium, etiam ipſe clamabit, nec exaudietur.

Par pari, ut dicunt. Qui pauperum clamorem ſurda aure præterit, eum Deus quoque præteribit, nec exaudiet, cum ad ipſum in periculo aliquo conſtitutus clamabit opem & auxilium implorans.

Liberalitas & parſimonia erga eoſdem.

11. 24. יֵשׁ מְפַזֵּר וְנוֹסָף עוֹד וְחוֹשֵׂךְ מִיֹּשֶׁר אַךְ לְמַחְסוֹר

Eſt qui ſpargit, & amplius addit: & eſt qui parcit præter æquum duntaxat ad egeſtatem.

Præter æquum parcunt, qui nihil omnino largiuntur pauperibus. Atque his parſimonia ſua egeſtas eſt. Contra qui ſpargit, hoc eſt profuſe dat pauperibus, ei profuſio illa quæſtus eſt. Nam quanto eſt profuſior, tanto fit locupletior.

Benignitas rem auget.

11. 25. נֶפֶשׁ בְּרָכָה תְדֻשָּׁן

Animus beneficus pinguior fiet.

Pinguior id eſt *ditior*. Qui beneficus eſt, præſertim erga inopes, reddetur unctior & opulentior. Alphonſus Siciliæ rex interrogatus quid ſervaret ſibi, qui tam multis, tam multa donaret, *Ea*, inquit, *quæ dono, cætera in meorum numero non habeo.* Hoc veriſſime dixerit, qui ſua pauperibus tribuit: *nec tam bene collocatur pecunia*, ſecundum Cyri dictum, *apud amicos, quam deponitur apud inopes, ubi nec fur eam auferre poteſt, nec ærugo corrumpere.* Extra fortunam eſt quicquid donatur egenis. Id enim verius cenſuerim, quam, ut ille ait, amicis. Nam amici divites eſſe poſſunt. Porro in divite ſi quid impendatur, ſumptus eſt. In paupere quæſtus eſt omne quod impenditur.

Beneficiis Deum propitium habebit.

ibid. וּמַרְוֶה גַּם הוּא יוֹרֶא

Qui irrigat, ipſe quoque irrigabitur.

Vel, ſi mavis, ipſe quoque erit pluvia. Sententia eſt, Qui benignus & liberalis eſt in pauperes, is Deum erga ſe benignum viciſſim experietur.

Illiberalitas diris obnoxia.

28. 27. וּמַעְלִים עֵינָיו רַב מְאֵרוֹת

Qui abſcondit oculos ſuos multus erit maledictionibus.

Qui oculos à paupere avertit, nec eum reſpicit, maledicetur multis modis, primum à Deo: deinde ab ipſis pauperibus. Non eſſe autem contemnendas omnino diras & imprecationes pauperum, oſtendit Jeſus Syrachi Filius. 4; 5. ita ſcribens: ἀπὸ δεομένου μὴ ἀποστρέψῃς ὀφθαλμὸν, καὶ μὴ δῷς τόπον ἀνθρώπῳ καταράσασθαί σε &c. Latine ſic, *Ab egente oculos ne averteris, neve dederis locum homini diris devovendi aut deteſtandi te. Nam ſi te ille exacerbato animo deteſtatus fuerit, exaudiet ejus preces ejus creator.*

Virum bonum etiam beneficum eſſe.

21, 26. צַדִּיק יִתֵּן וְלֹא יַחְשֹׂךְ

Juſtus largitur, nec parcit.

Vir bonus ad naturam vivit. Modico contentus eſt, ſi modicum habeat. Si re lauta eſt, quod ſuperfluit ad beneficentiam liberalitatemque confert. Valde enim munificus eſt erga pauperes.

Beneficentia erga inimicos.

25. 20 אִם רָעֵב שֹׂנַאֲךָ הַאֲכִלֵהוּ לָחֶם וְאִם צָמֵא הַשְׁקֵהוּ מָיִם

21. כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל רֹאשׁוֹ וַיהוָה יְשַׁלֶּם לָךְ

Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum pane: & ſi ſitierit, pota eum aqua.

Nam quaſi prunas concervabis ſuper caput ipſius, & Dominus rependet tibi.

Benefac ei qui te odio proſequitur. Ita enim ures ac movebis conſcientiam ipſius, ut velit nolit, te diligere cogatur. Quod ſi perſeveret in odio ſemel ſuſcepto, adeo etiam, ut ſe ingratum præſtet erga te; non peribit beneficium tuum. Deus enim, qui juſſit ut diligeres inimicum tuum, tibi rependet, quicquid in eum contuleris. Ne dubita.

BONUM.

Qui bonum ſectatur, benevolentiam conciliat.

11. 27. שֹׁחֵר טוֹב יְבַקֵּשׁ רָצוֹן

Qui ſedulo quærit bonum, quærit benevolentiam.

Bonum appellatur, quod *pulcrum* & *honeſtum* eſt. Hujus ea vis, ut non ſolum Deo nos conciliet, ſed etiam homines nobis benevolentes faciat, & ad uſus noſtros adjungat. Scitum illud Euripidis: ὅτι καλὸν, φίλον ἀεί. Rurſus bonum dicitur beneficium. Qui ergo cupit bonis aliquem afficere, conciliat ſibi benevolentiam, &, quod magis eſt, amicitiam.

Bonum eſſe uxorem, ſi bona ſit.

18: 22. מָצָא אִשָּׁה מָצָא טוֹב וַיָּפֶק רָצוֹן מֵיְהוָה

Qui invenit uxorem, invenit bonum, & elicuit favorem à Domino.

Bona quædam ſimpliciter bona ſunt, quædam ἐξ ὑποθέσεως. Bonum ſimpliciter eſt favor divinus, fons & cauſa omnis boni: bonum ἐξ ὑποθέσεως eſt uxor. Nam ſi bona fuerit, hoc poſito, bonum eſt: ſi mala, malum, & tamen dicit, *qui invenit uxorem* ſimpliciter, quaſi mala quæ ſit, uxor dici non mereatur.

Bono omni carebit qui pravus eſt.

18. 21. עִקֶּשׁ לֵב לֹא יִמְצָא טוֹב

Corde pravus non inveniet bonum.

Quaſi dicat, *miſer erit*. Nam qui omni bono caret, miſer eſt: vel hoc ſignificat, Animus pravus ad virtutem non perveniet.

Virtus ſui ipſius præmium eſt.

13. 21. אֶת צַדִּיקִים יְשַׁלֶּם טוֹב

Juſtos remuneratur bonum.

Bonum, quod agunt viri boni, eis gratiam refert. Eſt enim uberrimum ſui ipſius præmium virtus. Quidam hic legunt, *Juſtis rependit bonum.* & *Deum* ſubaudiunt. Non plane rejicio.

Bonum inveniri in Dei verbo.

16. 20. מַשְׂכִּיל עַל דָּבָר יִמְצָא טוֹב

Qui attendit ad verbum, inveniet bonum.

Qui attente legit verbum Dei, inveniet in eo quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt: inveniet, inquam, bonum, quod qui poſſidet, beatus eſt. *Verbum* hic ſumitur pro *verbo Dei*, ut ſæpe alias in Salomone.

Admonitio.

Non male etiam expones, Qui rei ſive negotio intendit: ut ſenſus ſit, qui circumſpecte agit negotia ſua, ei bene omnia & ex animi ſententia ſuccedent.

Bonum prudentia parit.

19. 8. שֹׁמֵר תְּבוּנָה לִמְצֹא טוֹב

Qui obſervat prudentiam inventurus eſt bonum.

Nihil eſt homini prudentia melius, quam quiſquis adhibet, ejus res omnes bonum ac felicem eventum ſortientur.

Bonum integritate comparatur.

תמימים

תמימים ינחלו טוב 28. 10.

Integri poſſident bonum.

Si quis in colenda probitate totus eſt, feliciter admodum ac beatiſſime cum eo agitur. Vel ſic, Vitæ integre actæ præmium eſt bonum, quod qui poſſidet, optime cum illo agi exiſtimatur, ac beatus eſt.

Bonum ex ſermone.

מפרי פי איש ישבע טוב 12. 13.

Ex fructu oris vir ſatiatur bono.

מפרי פי איש יאכל טוב 13. 2.

Ex fructu oris vir comedit bonum.

Aut, *veſcitur bono*. Bonum & felicitatem etiam parit oratio, ſi quis ea bene ac ſapienter utatur. Huc refer, *Ex fructu oris viri ſatiabitur venter ejus, & proventu labiorum ſuorum homo ſaturabitur*. Reperies Prov. 18. 20.

BONUS VIR.

Bonus à Deo gratiam impetrat.

טוב יפיק רצון מיהוה 12. 2.

Bonus elicit benevolentiam à DOMINO.

Vir bonus apud Deum gratia valet, eique in deliciis eſt, itaque ab eo impetrat, quidquid à benevolo impetrari poteſt.

Idem eundem erga ſe liberalem experitur.

חסד ואמת חרשי טוב 14. 22.

Benignitas & veritas fabricantibus bonum.

Qui bonum fabricantur, hoc eſt, qui ſe in recta vivendi ratione exercent, Deum erga ſe beneficum & veracem experientur.

Relinquit nepotes hæredes.

טוב ינחיל בני בנים 13. 22.

Bonus relinquit filios filiorum.

Græce *παῖδες παίδων*. Quod relinquat nepotes, hoc ei perhonorificum eſt, juxta illud, *Corona ſemen filii filiorum*. Quod hæredes relinquat, argumento eſt ipſum poſſidere opes juſtas. Nam injuſtæ opes raro perennant.

Seipſo contentus eſt

מדרכיו ישבע סוג לב ומעליו איש טוב 14. 14.

Corde averſus viis ſuis: vir bonus à ſeipſo ſatiatur.

Homo reprobus, qui animum gerit à Deo averſum, non ſatiatur, niſi malefecerit, niſi ad potentiam, niſi ad honores pervenerit. Nam divitiis ne ſatiatur quidem. Quid vir bonus? ſatiatur ſeipſo. Se enim contentus eſt. Extra ſe nihil in bonis habet præter Deum. ſibi ſufficit. Honores, potentiam, divitias, magno animo contemnit, ac pro nihilo habet.

Bonis mali parent.

שחו רעים לפני טובים 14. 19.

Incurvantur mali coram bonis.

Par eſt ut boni malis imperent; mali autem bonis pareant & ſubjiciantur.

Inter bonos bene ſemper convenit.

בין ישרים רצון 14. 9.

Inter rectos benevolentia.

Probi inter ſe animis & moribus conveniunt, idem ſemper volunt, & idem nolunt. Conſenſus iſte facit ut jucundiſſime inter ſe vivant. *Eſt enim*, ut ait Cicero primo Officiorum, *ea jucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum conjugavit.* Idem in libro eodem, *Omnium Societatum*, inquit, *nulla præſtantior, quam cum viri boni moribus ſimiles ſint familiaritate conjuncti. Nihil enim amabilius, neque copulatius, quam morum ſimilitudo bonorum.*

Cetera quæres in Juſtus.

BLANDITIÆ SERMONUM.

פה חלק יעשה מדחה 26. 28.

Os blandum facit impulſionem.

Blanditiæ ſermonum conciliant animos hominum, & impellunt, quo velis, juxta illud, *Blanditiis verborum ſuorum impulit eum.* Vide ſuprà in Adulatio.

CAUTUS ALIENO PERICULO.

לץ תכה ופתי יערם 19. 25

Irriſiorem ſi ferias, incautus cautior fiet.

Incautus ex alieno periculo colligit, quid ſibi ſit cavendum. Vel ideo puniendi ſcelerati, ut eorum pœna cæteri meliores evadant.

CELER IN NEGOTIIS OBEUNDIS.

חזית איש מהיר במלאכתו לפני מלכים יתיצב 22. 29.
בל יתיצב לפני חשכים׃

Vidiſti virum celerem in opere ſuo, ante reges ſtabit, non ſtabit ante obſcuros.

Nihil magis ſervum commendat, quàm velocitas. Qui ergò negotia ſua obit velociter, & cum celeritate, hic regibus miniſtrabit, non miniſtrabit hominibus obſcuris.

CIVITAS.

Gaudet bono juſtorum, & cum pereunt improbi.

בטוב צדיקים תעלץ קריה ובאבד רשעים רנה׃ 11. 10.

Bono juſtorum exultat civitas, & cum pereunt improbi, cantat.

Decus reipublicæ ſitum in felicitate juſtorum. Cùm igitur illis bene eſt, civitas gaudio completur. Eadem triumphat, & cantibus perſonat, cùm intereunt impii.

Evehitur beneficio proborum.

בברכת ישרים תרום קרת 11. 11.

Benedictione rectorum evehitur civitas.

Florentiſſima redditur civitas opera ac beneficio proborum, qui eam quibuſcunque poſſunt modis provehunt, publica ſemper privatis anteponentes. Atque hoc eſt quod Plato dicebat, *fore videlicet beatas reſpublicas, ſi aut ſapientes homines eas regerent: aut qui regerent omne ſuum ſtudium in ſapientia collocaſſent.*

Evertitur ſermone impiorum.

בפי רשעים תהרס ibid.

Ore improborum evertitur.

Fraudulenta & nefaria conſilia hominum improborum præclaras ampliſſimaſque urbes affligunt, planeque opprimunt, ac penitus evertunt. Ratio ejus, quod præceſſit, Cùm pereunt impii, cantus eſt.

Deflatur ab irriſoribus.

אנשי לצון יפיחו קריה 29. 8.

Viri deriſores difflant urbem.

Difflant, id eſt, contemnunt ſuperbe, & aſpernantur cives, nec rationem habent utilitatis ipſorum, ſibi tantum ſervientes. Vel difflant, ut in illo, *Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu*, i. profligaſti. Vetus interpres, *diſſipant civitatem*, expreſſit hanc ſententiam. Nec diſpliceat, *inflammant urbem*, i. flammam diſſenſionis excitant in urbe. Eſt qui malit, *Illaqueant, in laqueos & pericula conjiciunt.*

Conſervatur à ſapientibus.

חכמים ישיבו אף ibid.

Sapientes avertunt iram.

Placant Deum regemve iratum, & ſedant furorem populi, cùm ſæpe coorta eſt ſeditio, *ſævitque animis ignobile vulgus*, ut ille ait.

COMITAS.

Bonorum ſermo comis eſt.

טהורים אמרי נעם 15. 26.

Mundorum ſermones amœni.

Bonorum ſermo comis & affabilis eſt. Melius fortaſſe, *Puri ſunt ſermones ſuaves*, puri apud Deum, Deo placent. Vel ſic, *Puri ſint ſermones ſuaves.* A ſermonis comitate abeſſe

debet

debet omnis turpido. Græca tralatio ἀγνῶν δὲ ῥήσεις σεμναί Qui vita caſtus eſt, ejus ſermo quoque caſtus & pudicus eſt.

Comitas ſermonis hominum generi ſalutaris.

צוף דבש אמרי נעם מתוק לנפש ומרפא לעצם׃ 16. 24.

Favus mellis ſermones amoeni: dulcedo ſunt animæ, & medicina oſſium.

Nihil ſuavius, nihil jocundius affabilitate ſermonis. Addo etiam nihil utilius corpori, aut animo ſalutarius. Sane quidem animum oblectat, recreatque: corpori autem ſanitatem conciliat.

CONFESSIO.

Confitenda crimina non tegenda.

מכסה פשעיו לא יצליח ומודה ועזב ירחם 28. 13.

Qui tegit crimina ſua, non aget proſpere: Qui vero confitetur & deſerit, veniam conſequetur.

Ad ſanitatem certis gradibus pervenitur. Primus gradus eſt agnitio peccati. Alter eſt confeſſio. Tertius eſt emendatio vitæ in melius. Atque hæc imprimis neceſſaria ut ſit vera confeſſio. Fruſtra enim confitetur, qui poſt confeſſionem tanquam canis ad vomitum redit. Qui ergo confitetur crimina ſua, eaque deſerit, veniam conſequetur à Deo. Deus enim miſericors poenitentem ſemper recipit in gratiam. Eſt autem poenitentiæ veræ indicium confeſſio non ficta. Nam ut ſomnium narrare vigilantis eſt; ſic vitia ſua ex animo confiteri, verè poenitentis eſt.

CONJUGIUM CASTUM.

שתה מים מבורך ונזלים מתוך בארך׃ 5. 15.
יפוצו מעינתיך חוצה ברחובות פלגי מים׃
יהיו לך לבדך ואין לזרים אתך׃
יהי מקורך ברוך ושמח מאשת נעוריך׃
אילת אהבים ויעלת חן דדיה ירוך בכל עת באהבתה
תשגה תמיד׃
ולמה תשגה בני בזרה ותחבק חק נכריה׃

Bibe aquam è puteo tuo, & fluenta è medio ciſternæ tuæ.
Deriventur fontes tui foras: in plateas rivi aquarum.
Sint tibi ſoli, & non alienis tecum.
Sit vena tua benedicta, & lætare uxore adoleſcentiæ tuæ.
Cerva amabilis & caprea gratioſa;
Ubera ejus inebrient te omni tempore: in amore ejus errabis perpetuò.
Cur enim erres, mi fili, in aliena? complectare ſinum extraneæ?

CONSILIUM.

Conſilium audire ſapientis eſt.

שומע לעצה חכם 12. 16.

Audit conſilium ſapiens.

Sapiens nihil facit abſque conſilio. Nam perſuaſum habet melius curari ea, quæ conſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Adhibet igitur homines doctos, vel etiam uſu peritos, & quid eis, de eo, quod agere inſtituit, videatur, exquirit.

Conſulte facta rata & firma eſſe.

מחשבות בעצה תכון 20. 18.

Cogitata conſilio firmantur.

Siquid agere voles, agas prudenter & conſulte. Sic enim eventus ſequetur, qualem optas.

Nihil ſine conſilio felix.

הפר מחשבות באין סוד וברב יועצים תקום׃ 15. 22.

Diſſipantur cogitata abſque conſilio: at in multitudine conſiliariorum firma ſunt.

Quæ conſilio geruntur, ea demum firma ſunt: contra quæ ſine conſilio adminiſtrantur, in irritum, imo in riſum ſæpe abeunt. Quamobrem ita cecinit Menander: Βουλεὺ ἅπαντος πράγματος προλάμβανε, Βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἀσφαλέστερον. Et, Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχον.

Conſilia patefacti eventus irritus.

הפר מחשבות באין סוד ibid.

Diſſipantur cogitata abſque arcanò.

Conſilia, quæ arcana non ſunt, irrita fiunt, & ſucceſſu carent.

Fruſtrà conſilium initur adverſus Deum.

אין עצה לנגד יהוה 21. 30.

Non eſt conſilium contra Dominum.

Dei decretum nullo humano conſilio impediri aut infringi poteſt.

In conſiliis homo varius eſt, Deus conſtans.

רבות מחשבות בלב איש ועצת יהוה היא תקום׃ 19. 21.

In homine cogitationum varietas eſt: in Deo nulla.

Quod ſemel decrevit, non mutat. Vel ſic, Deus conſtans eſt; cum pro varietate occaſionum vir ſapiens cogatur ſæpe mutare conſilium.

Conſilium unde petendum.

לי עצה 8. 14.

A me conſilium.

Innumerabilia quotidie accidunt, quæ conſilium exigunt, quod à ſapientia petendum eſt. Pauper es, mihi crede, non diu eris, ſi eam audies. Dives es, advoca illam in conſilium, verum uſum divitiarum te docebit. Longam vitam deſideras, præſtabit tibi ſi audiens dicto eris. Miſer es, oſtendet quo ſint pacto ferenda adverſa. Ab ea uxor admonetur officii ſui: filius diſcit qua ratione ſint colendi parentes; ſervus etiam quomodo ſe gerere debeat erga Dominum ſuum. Docet denique quomodo loquendum cum Deo, vivendum cum hominibus &c.

Conſilium qui audit, ſapientior fit.

שמע עצה למען תחכם באחריתך 19. 20.

Audi conſilium, ut ſapiens fias ad extremum.

Adhibe in conſilium eos, qui conſilio valent, quibus ſi obtemperabis, fiet tandem ut eorum ſimilis, hoc eſt, ut ſapiens evadas.

Conſilio qui valent, ſapientia valent.

את נועצים חכמה 13. 10.

Apud conſultos ſapientia.

Qui bene conſulunt, ſapientes ſunt. Nam proprium ſapientiæ conſilio pollere. Tales autem fere ſunt ſenes, quorum ſententia optimis ac firmiſſimis rationibus nititur.

Conſilio reſpublica ſervatur.

באין תחבולות יפל עם ותשועה ברוב יועץ׃ 11. 14.

Abſque ſolertibus conſiliis corruit populus: at ſalus eſt in multitudine conſiliariorum.

Reipubl. ſalus & incolumitas conſtat maxime beneficio eorum, qui ſapienter conſulunt. Profuerit ergo tales quampluriмos eſſe in civitate. Sane ubi nulli ſunt, ibi peſſime agitur cum civibus.

Conſilio victoria paratur.

תשועה ברוב יועץ 24. 6.

Salus in multitudine conſiliariorum.

Belli victoria paratur; ubi multi ſunt in exercitu qui conſilio præſtant.

Conſilium inexhauſtum.

מים עמקים עצה בלב איש ואיש תבונה ידלנה :

Aqua profunda conſilium in corde viri:
Vir autem intelligens haurit illud.

Haurit verto, non *exhaurit*. Nam ut aqua profunda exhauriri facile non poteſt: ita nec conſilium hominis. Dat enim petenti, & nihil ei diſcedit, nihil amittit. Poteſt tamen verti, *exhaurit*: ut ſenſus ſit, Conſilium, quod in mente viri, aquarum profundarum more, à nemine exhauriri & explorari poſſe, niſi ab eo, qui prudentia & intelligentia præditus ſit.

Conſilii ad pacem ſpectantis lætus exitus.

12. 20 ליועצי שלום שמחה :

Conſiliariis pacis lætitia eſt.

Pacem intellige, quæ ſit expers fraudis & inſidiarum, cujus finis ſemper lætus. Qui ergo ea conſilia dant, quæ ad pacem & concordiam civium ſpectant, gaudio afficientur.

Conſilium amici exulem magis oblectat, quam proprium.

27. 9. מתק רעהו מעצת נפש :

Dulcior ei eſt amicus ſuus, quam conſilium animi.

Ei] exuli videl. Hoc vult, Exul & calamitoſus majorem dulcedinem percipit ex conſilio amici ſui, quam ex proprio.

CONTEMPTIO ALTERIUS.

Contemnere alium amentis eſt.

11. 12. בז לרעהו חסר לב

Contemnit ſocium ſuum deſipiens.

Is eſt amens, qui alium præ ſe contemnit. Pauperior eſt: cur ſpernas? cum alii te multò ditiores ſint, à quibus tamen ſperni nolis. Fac alteri, quod tibi vis fieri.

Et peccatoris.

14. 21. בז לרעהו חוטא

Contemnit ſocium ſuum peccator.

Vel, qui contemnit ſocium ſuum, peccat: niſi forte dignus erit qui contemnatur: Nam improbus propter mores contemni poteſt. Non ſic pauper, nam paupertas à Deo eſt. Hunc contemnit, qui vacuum à ſe dimittit, cum habeat, quod det. Peccat autem primum in Deum. Nam quod pauperi denegatur, Deo denegatur. Deinde in humanitatem. Humanum enim eſt egeno ſuccurrere. Peccat quoque qui contemnit hominem miſerum & calamitoſum. Nam quæ non accidunt culpa noſtra, ea non debent cuiquam vitio dari. Multo minus ob ea debet quiſquam deſpici aut vilipendi. Quare contemnemus eum, cui aliquid adverſi evenit, cum idem nobis poſſit evenire? Scitum illud, *Cuivis accidere poteſt, quod cuiquam poteſt.*

Contemptus damnum parit.

13. 13. בז לדבר יחבל לו

Qui contemnit verbum, noxam ſibi accerſit.

Hic *Dei* ſubaudio, ut ſit verbum Dei. Aut verbum i. juſſum patris. Qui patri aut magiſtro, vel etiam magiſtratui parere recuſat, is malum aut damnum ſibi creat. Hujus contrarium, Qui reveretur mandatum præmio afficietur.

Contemnuntur boni à malis.

14. 2. הולך בישרו ירא יהוה ונלוז דרכיו בוזהו :

Ambulat integre timens DOMINI:
Perverſus viis ſuis contemnit eum.

Homo perditæ ac flagitioſæ vitæ, ſi moneatur à viro probo, contemnit eum. Nec mirum, cum ipſam etiam virtutem contemnat.

Contemtio parentum.

15. 20. כסיל אדם בוזה אמו

Stultus hominum contemnit matrem.

Parentibus nos primum natura conciliat: quos contemnere hominis ſtulti eſt.

23. 22. אל תבוז כי זקנה אמך

Ne contemnas, cum ſenuerit, matrem tuam.

Cujuſmodicunque mater ſit, tamen contemni non debet, ſi æqua, amanda eſt: ſi iniqua, ferenda. Perditiſſimi autem hominis eſt eum contemnere propter ſenium.

Pœna eorum qui parentes contemnunt.

30. 17. עין תלעג לאב ותבוז ליקהת אם יקרוה ערבי נחל ויאכלוה בני נשר :

Oculus qui ridet patrem, & ſpernit rugas matris, eum effodient corvi torrentis, comedent filii aquilæ.

Parentes contemnere jura divina atque humana vetant. Reperias nihilo ſecius humana ſpecie portenta verius, quam homines, qui tantum ſcelus facere non vereantur. In eos Salomo ſupplicium ſingulare fore affirmat, videlicet ut oculos ipſorum effodiant corvi torrentis, & comedant aquilæ, ſive pulli aquilini. Nam qui feritate ipſas beſtias vicerint, eos à beſtiis conſumi atque devorari par eſt.

Contemptio improborum pediſſequa.

18. 3. בבוא רשע בא גם בוז :

Quum venit improbus, venit etiam deſpectio.

Ait deſpectum improborum comitem eſſe, vel quod viris bonis deſpicatui ſint, vel quod ipſi alios præ ſe deſpiciant.

Contemptus ſapientiæ.

1. 7. חכמה ומוסר אוילים בזו :

Sapientiam & diſciplinam ſtulti contemnunt.

Vide quæ ſequuntur in eodem capite a verſu 24. uſque ad verſum 32. Sapientia eſt ars vivendi. Diſciplina, inſtitutio ſapientiæ. Stultos autem dicit intelligens improbos. Nam omnis improbus ſtultus eſt. Eadem appellatione veniunt, qui ſtulto quodam pudore malunt ſemper neſcire, quam ſemel diſcere: quum ſcire pulchrum ſit, & pudendum nihil velle diſcere. Sunt alii, quos arrogantia & opinio ſui non ſinit in ſtudio ſapientiæ proficere. Putant enim ſe omnia ſcire, quum nihil ſciant. Rurſus ſtulti ſunt, qui ſapientiam quærunt extra verbum Dei. Siquidem ſapientia hujuſmodi aliud non eſt, quam ſapiens quædam ſtultitia. Non enim certe hominem beatum reddere poteſt. Quinimo ad veram felicitatem plurimum ſæpe officit.

Contemptus verbi divini.

13. 13. בז לדבר יחבל לו

Qui contemnit verbum Dei noxam ſibi accerſit.

Hominem contemnere impune poſſumus: Deum ejuſque juſſa non poſſumus. Nam ſui contemptum ſevere ulciſcitur. Idem præmio afficit eos, qui vitam inſtituunt ſecundum præcepta ipſius. Hujus & ſupra meminimus.

Contemptus Dei.

14. 2. ונלוז דרכיו בוזהו

Diſtortus viis ſuis contemnit eum.

Pronomen referri poteſt ad יהוה, quod ſupra allo retulimus. Sententia plana eſt. Deum, quem vir probus honorat, & reveretur, improbus vilipendit, & diſpicatui habet.

COGITATIO.

Cogitata firmat conſilium.

מחשבות בעצה תכון 20. 18.

Cogitationes conſilio firmantur.

Si quid facere cogitas, prius in conſilium adhibe viros prudentes, & ab uſu peritos, ita benè ſemper ſuccedet, quod moliris.

Cogitationes pravæ alienant à Deo.

תועבת יהוה מחשבות רע 15. 26.

Abominatio Domini cogitationes malæ.

Deus non ſolum malefacta, ſed etiam prave cogitata deteſtatur. Gen. 6. 19. inter ea quæ Deus odio proſequitur, eſt cor mala cogitata ſive conſilia machinans.

Cogitata ut firma ſint arcana eſſe debent.

הפר מחשבות באין סוד 15. 22.

Diſſipantur cogitata abſque arcano.

Id eſt, niſi arcana fuerint. Vide in Conſilium.

Cogitans prave in culpa eſt apud Deum.

איש מזמות ירשיע 12. 2.

Virum malarum cogitationum condemnat.

Facti crimen habet apud Deum, qui intra ſe tacitum ullum ſcelus concepit, etiamſi conata non peregerit.

Quis vocetur vir malarum cogitationum.

מחשב להרע לו בעל מזמות יקראו: 24. 8.

Qui cogitat malefacere, eum vocant virum malarum cogitationum.

בעל מזמות dicitur is, qui molitur malefacere.

Cogitatio ſtulti vitioſa eſt.

זמת אולת חטאת 24. 9.

Cogitatio ſtultitiæ peccatum.

Stultus ſtulte cogitat. Non ſolum agendo, ſed etiam cogitando peccat. Nihil cogitat, niſi quod turpe aut vitioſum eſt.

CONTENTIO.

Contentiones parit odium.

שנאה תעורר מדנים 10. 12.

Odium contentiones excitat.

Qui odit, omnia in malam partem interpretatur, ex quo rixæ & contentiones

Et iracundia.

איש אף יגרה מדון 29. 21.

Homo iracundus excitat contentionem.

Qui bilioſus & iracundus eſt, cum temere ira efferatur, temere lites & jurgia ſuſcitat. Scribit autem Ariſtot. Polit. 5. 10. *iram odii particulam eſſe, & earundem actionum parentem.*

Et faſtus.

רחב נפש יגרה מדון 28. 25.

Animo tumens excitat contentionem.

Facile homines ſuperbi, cum alios præ ſe contemnunt, litis occaſionem præbent.

Admonitio.

רחב נפש. Ad verb. *latus animæ.* Græca editio ἄπληστος αὐτῇ, quod verius puto. Latine reddas, *homo inexplebili cupiditate.* Sic Hab. 2. 5. *dilatavit ſicut infernus animam ſuam.* At Aben Ezra mavult ſignificari hominem irreligioſum, quem vulgo dicimus latam conſcientiam habere.

Et ſcurrilitas.

גרש לץ ויצא מדון וישבת דין וקלון: 22. 10.

Expelle irriſorem, & exibit contentio, & ceſſabit rixa & ignominia.

Mos enim deriſoris ut lites ſerat inter concordes.

Et nequam homo.

אדם בליעל מדינים ישלח 6. 14.

Homo nequam contentiones emittit.

I. e. diſſidia ſerit. Proprium hoc nequitiæ. Sic. 16. 18. *Vir perverſiſſimus emittit contentionem.*

Et ſuſurro.

באפס עצים תכבה אש ובאין נרגן ישתק מדון 26. 19.

Abſque lignis extinguitur ignis: & abſque ſuſurrone conticeſſit contentio.

Ut cum ligna deſunt, ignis extinguitur: ſic cum ſuſurro abeſt, diſſidia ceſſant. Nam ſuſurro, ut alibi ſcribit, vel intimos amicos disjungit, ac inter ſe committit.

De eo qui diſcordiam ſerit inter fratres.

תועבת יהוה משלח מדנים בין אחים 6. 20.

Abominatio DOMINI eſt is, qui contentiones ſerit inter fratres.

Fratres intellige vel eos, qui proprie ita dicuntur, vel cognatos & affines, vel ejuſdem gentis ac religionis homines, vel denique amicos. Nam frater aliquando *amicus*, ut in illo, *Frater in adverſitate naſcitur.*

Contentiones ſedat, qui tarde iraſcitur.

ארך אפים ישקיט ריב 15. 18.

Tardus ad iram ſedat litem.

Qui iram differt, nec irato reſiſtit, concertationes non modo non excitat, ſed etiam componit ac ſedat, ſi quæ excitatæ fuerint.

Contentiones ſorte dirimuntur.

מדינים ישבית הגורל ובין עצומים יפריד: 18. 18.

Contentiones ſedat ſors & inter validos dirimit.

Inter validos, i. e. vehementiſſime diſſidentes: vel inter potentes. Sorte utimur in partienda hæreditate, aut quando aliter controverſia componi non poteſt.

Contentiones fratrum graviſſimæ.

מדינים כבריח ארמון 18. 19.

Contentiones inſtar vectis palatii.

Integrum erit, *Contentiones fratrum.* Nam de iis ibi ſermo. Quadrat ergo cum proverbio Latino, *Fratrum ira acerbiſſima.* Euripides:

Δεινὸν κασιγνήτοισι γίνεθ' λόγος
Μάχαιρ', ὅταν ποτ' ἐμπίσωσι εἰς ἔριν.

Contentioſus ad diſcordiam excitandam aptus.

פחם לגחלים ועצים לאש ואיש מדינים לחרחר ריב: 26. 20.

Carbo ad prunas, & ligna ad ignem, & vir contentioſus ad ſuccendendam litem.

Ut ad prunas carbo & ad ignem ligna: ſic homo contentioſus ad litem accendendam aptus eſt.

Contentio ex parvis initiis paulatim excreſcit in immenſum.

פוטר מים ראשית מדון: 17. 14.

Aperit aquas, qui initium facit contentionis.

Qui primus occaſionem dat litigandi, ſimilis ei eſt, qui aquam in agrum aliquem rupto aggere intromittit. Qua propter? Quia

ex

ex parvis initiis adeo excreſcit ſæpe lis, ut ea difficulter poſtea ſedari poſſit, vel potius nullo modo ſedari poſſit. Plura invenies in voce *Lis*.

CONVERSATIO.

Converſandum cum ſapientibus.

הולך את חכמים יחכם : 13. 20.

Qui ambulat cum ſapientibus, ſapientior fiet.

Vel ſic, *ambula cum ſapientibus, & ſapientior fies.* Bonorum ſocietas te meliorem efficiet. Ad probitatem plus valet convictus ſapientum quam doctrina. Primum quia firmius hærent viſa, quam audita: deinde *quia*, ut ait Seneca, *longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Fugienda improborum ſocietas.

בני אם יפתוך חטאים אל תבא : 1. 10.

Fili mi, ſi allicient te peccatores, ne velis.

Ne velis acquieſcere, vel, ne acquieſce. Multum profecit, qui noluit in ſocietatem coire cum improbis hominibus. Si ergo peccatores, hoc eſt, improbæ vitæ homines, blanditiis pertrahere voluerint ad ſuum conſortium, noli acquieſcere aut obſequi eis.

אל תלך בדרך אתם מנע רגלך מנתיבתם : 1. 15.

Ne habeto cum eis iter, arce pedem tuum ab eorum ſemita.

Ne verſare cum eis: abſtine te inſtituto vitæ ipſorum. Seneca, *Inimica eſt bonis moribus converſatio cum malis, neque tam valetudini obeſt inſalubre cœlum, quam animis parum firmis in turba improborum verſari.*

בארח רשעים אל תבא : 4. 14.

Per ſemitam improborum ne ito.

Noli te in conſortium dare hominum improborum. Quod ſequitur, *& ne inceduto per viam malorum*, eandem ſententiam continet. Verior explicatio, quam infra invenies, voce *Improbus*.

Qui cum malis converſatur, malus fiet.

ורעה כסילים ירוע : 13. 20.

Qui ſocietatem init cum ſtultis, malus fiet.

Qui ſe ſocium præbet improbis, fiet eorum ſimilis. Quemadmodum enim vel firmiſſimam valetudinem lædit aër gravis & peſtilens: ſic menti etiam optimæ nocet converſatio cum malis.

Converſatio cum meretricibus crumenam exhaurit.

ורעה זונות יאבד הון : 29. 3.

Qui ſocium ſe præbet ſcortis, perdet opes.

Qui ſe applicat ad meretrices, prodigit opes, juxta illud Comici, *Intimum eſſe mulieribus amantis multo peſſimum eſt pecuniæ.* Syrach 9. 6. *Scortis ne te addicito, ne perdas & te & hæreditatem tuam.*

Non verſandum cum bilioſo.

את איש חמות לא תבא : 22. 24.

Cum homine bilioſo ne verſare.

Noli conſuetudinem habere cum homine bilioſo, quia periculum ne vel ejus mores addiſcas, vel cum eo in contentionem, atque adeo in periculum vitæ venias. Nam iracundus nihil recte, nihil conſiderate agit.

De eo qui ſe ſocium ad comeſſatores adjungit.

ורעה זוללים יכלים אביו : 28. 7.

Qui ſe ſocium præbet comeſſatoribus, pudefacit patrem ſuum.

Nam talis fit, quales illi ſunt, cum quibus ſocietatem coit. Eſt autem lurco ſive comeſſator, probrum & dedecus parentum.

CONVICIUM.

Convicium cuiquam dicere turpe eſt.

ומוציא דבה הוא כסיל 10. 18.

Qui profert convicium, hic ſtultus eſt.

Convicium facere cuiquam non debemus, eſt enim hoc hominis improbi & ſtulti.

COR.

Cor ſupra alia omnia cuſtodiendum.

מכל משמר נצור לבך כי ממנו תוצאות חיים : 4. 23.

Supra omnem cuſtodiam ſerva cor tuum, quia ex eo egreſſiones vitæ.

Supra omnem cuſtodiam, i. e. diligentius quam ullam earum rerum, quæ à te cuſtodiuntur. Egreſſiones vitæ, alius dixit, *actiones vitæ*, hoc eſt, facta honeſta & laudabilia, quorum præmium eſt vita. Vel ſenſus eſt, quoniam ex eo vita egreditur: vita, dico, beata, quam virtus efficit proles ȣ̃ λογικȣ̃, quod in corde collocant litteræ divinæ.

Corda probat Deus.

ובחן לבות יהוה 17. 3.

Probat corda DOMINUS.

Ut fornax metalla: ſic Deus corda hominum probat. Jerem. 17. 10. *Scrutans cor & probans renes.*

Cor lætum medicinam adjuvat.

לב שמח ייטיב גהה 17. 22.

Cor lætum bonam reddit medicinam.

Nam ubi animo ægre eſt, ibi ars minus valet. Sæpe etiam morbi ex animi triſtitia oriuntur, quibus medicus mederi non poteſt.

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Cor ſanum bonam valetudinem conciliat.

חיי בשרים לב מרפא 14. 30.

Vita corporis cor ſanum.

Cor ſanus, hoc eſt, animus æquus, & perturbationum vacuus, corpori vitam, hoc eſt, bonam valetudinem præſtat. Si mens ſana ſit, etiam corpus ſanum erit. Nam in malis bonus animus eſt dimidium mali, juxta illud, *Animus hominis perfert morbum ejus.* 18. 14.

Cor hilare vultum lætum reddit.

לב שמח ייטב פנים 15. 13.

Cor hilare lætam reddit faciem.

Cordis lætitia ex vultu perſpici poteſt. Eſt enim vultus animi janua, quæ quot ſunt ejus motus, tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere.

Cor ſapiens prudentem reddit orationem.

לב חכם ישכיל פיהו ועל שפתיו יסיף לקח 16. 23.

Cor ſapientis erudit os ejus, & labiis ejus addit doctrinam.

Cui cor ſapit, ex ejus ore prudens ſermo manat. Cor enim os moderatur, & orationem eruditam reddit.

Cordi ſuo fidens, ſtulte facit.

בוטח בלבו הוא כסיל 28. 26.

Qui fidit cordi ſuo, is ſtultus eſt.

Qui ſapientiæ ſuæ innititur, aut ingenio ſuo nimium fidit, hic ſtultus eſt.

Cor comparat, qui ſe amat.

קונה לב אוהב נפשו : 19. 8.

Comparat cor, qui amat animam ſuam.

Cor, i. e. ſapientiam. Sic *deficere corde* dicitur, qui deſipit. Nam cor ſedes ſapientiæ, ſecundum Ebræos. Vel comparat cor, id eſt, bonam mentem. eodem redit.

Cor recreatur aſpectu rerum pulcerrimarum.

מאור עינים ישמח לב : 15. 30.

Lumen oculorum lætificat cor.

Cor exhilarant res elegantes & pulchræ oculis uſurpatæ, veluti, exempli gratia, virens hortus, aut pictura aliqua elegantior. Nam juxta Phyſicos, *ſpecies rerum ab externis ſenſibus ad internos delatæ, eos variè afficiunt.* Poteſt & aliter exponi. Nam exhilaratur animus, ſi quis nos oculis benignis ac lætis aſpexerit. Sic ait, *In lumine vultus regis, vita eſt.*

Et odore unguentorum.

שמן וקטרת ישמח לב : 27. 9.

Unguentum & ſuffitus cor exhilarant.

Unguenta quoque & aromata odoris fragrantia cor reficiunt & exhilarant.

Cor mundum à peccato nemo habet.

מי יאמר זכיתי לבי טהרתי מחטאתי : 20. 9.

Quis dicat, Mundavi cor meum, purus ſum à peccato meo.

Nemo eſt qui jactare poſſit ſe habere cor purum à peccato, hoc eſt, culpæ criminiſve expers.

Cordis mundities regum amicitiam conciliat.

אוהב טהור לב חן שפתיו רעהו מלך : 22. 11.

Qui amat munditiem cordis, & cui gratia in labiis, huic amicus erit rex.

Cor mundum nunc dicit animum ſincerum, omniſque doli ac fraudis expertem.

CREDULITAS.

Credulitas ſignum eſt imperitiæ.

פתי יאמין לכל דבר 14. 15.

Imperitus credit omni ſermoni.

Imperitus ſive incautus, quia diſcernere nequit vera quæ ſunt aut veriſimilia à falſis, quidquid ei dicitur, credit, neque quid dicatur, neque à quo dicatur conſiderat. Itaque facile decipitur; unde פתי appellatur Ebraico vocabulo, quod à פתה perſuadeo deductum, quia videlicet quidlibet ſibi à quolibet perſuaderi patitur.

CRUDELITAS.

Crudelis eſt, qui ſeipſum negligit.

עוכר שארו אכזרי : 11. 17.

Qui turbat carnem ſuam, crudelis eſt.

Carnem i. corpus. Turbat corpus ſuum, qui ei negat neceſſaria, ſive in morbo, ſive extra morbum: qui Veneri nimium indulget: qui neque in cibis rationem, nec in potu modum tenet. Rurſus qui illud curis & laboribus conficit. Nec refert qua in re laboret. Quicquid nimium eſt, nocet. Si modum ſtudiis non facit, nec ſibi parcit, crudelis eſt. Lædit enim valetudinem, dum corpus negligit.

Improbi crudeles ſunt etiam cum eos miſeret alicujus.

רחמי רשעים אכזרי

Miſerationes improborum crudeles.

Miſeratio crudelis eſt, verbi gratia, ubi quis miſeretur nocentis. Nam talis ſævit in eos, quos illi injuria affecerunt. Contra qui improbos & nocentes punit, is quodammodo miſeretur bonorum & innocentium, quos ab illorum violentia tutos præſtat. Eſt autem dictum miſeratio crudelis, ut apud Horatium, *ſtrenua nos exercet inertia.* Sic & Virgilius, *Num capti potuere capi?* quod mutuatus creditur ab Ennio. Nam Ennius in decimo, cum de Pergamis loqueretur, ad hunc modum ſcribit:

Quæ neque Dardaniis campis potuere perire
Nec cum capta capi: nec cum combuſta cremari.

Hujus generis eſt, *ſequiturque ſequentem.* Græci ὀξύμωρον vocant.

Crudelitas excandeſcentiæ comes.

אכזריות חמה 27. 4.

Res crudelis excandeſcentia.

Nam dixere nonnulli matrem crudelitatis eſſe. rectè ſane. Nam animus ira efferatus modum in puniendo ſervare non poteſt. Hinc crudelitas. Exemplorum pleni ſunt libri. Vide Senecam lib. 3. de ira, cap. 16.

CUPIDITAS.

Cupiditas juſtorum bona.

תאות צדיקים אך טוב 11. 27.

Cupiditas juſtorum duntaxat bona eſt.

Viri boni nihil concupiſcunt, quod non ſit bonum, hoc eſt, rectum & honeſtum. Iidem, quod concupiſcunt, ſemper à Deo conſequuntur. Hoc ſignificat, cum ait.

תאות צדיקים יתן 10. 24.

Cupita juſtorum dabit Deus.

Dixit enim, in cujus ore non fuit inventus dolus, *Petite & dabitur vobis.*

Cupita cum adſunt, animo jucundum eſt.

תאוה נהיה תערב לנפש 13. 19.

Deſiderium quod adeſt ſuave eſt animæ.

Quidquid obtigit cupido, optantique, hoc eſt animo jucundum & gratum. Licet vertere,

Cupiditas fracta animæ ſuavis eſt.

alia, ſed egregia ſententia. Fracta enim, hoc eſt, repreſſa cupiditas, ſi mala fuerit, animæ ſalutaris eſt.

עץ חיים תאוה באה 13. 12.

Arbor vitæ deſiderium quod venit.

Quum adſunt optata, hoc animo jocundiſſimum eſt: vel ſic, Quod deſideranti obtigit, optantique, hoc ei jocundiſſimum eſt.

Cupiditas pigrorum eos enecat.

תאות עצל תמיתנו כי מאנו ידיו לעשות 21. 25.

Cupiditas pigri occidit eum: quia renuunt manus ejus facere opus.

Piger exempli cauſſa concupiſcit divitias: non fit voti compos propter ignaviam, ea res ipſum enecat. Huc referendum, *Concupiſcit, & nihil eſt, anima ipſius pigri* 13. 14.

Cupiditas benignitatis.

תאות אדם חסדו 19. 22.

Cupiditas hominis benignitas ejus.

Cupit habere, quo liberalitatem exerceat: vel cupit amicus eſſe ei, à quo beneficia accipiat, ut ſit benignitas pro vir benignitatis, uſitato genere loquendi.

Cupiditas ſapientiæ.

לתאוה יבקש נפרד 18. 1.

Ob deſiderium quærit ſeparatus.

Deſiderio & cupiditate ſapientiæ quærit eam homo ſeparatus à negotiis ſeculi.

Cupiditas improbi mala.

21. 10 נפש רשע אותה רע

Anima improbi concupiſcit malum.

Tanto deſiderio mali tenetur, ut nihil ferè aliud concupiſcat, quàm ut poſſit proximo ſuo malefacere.

Cupiditas inexplebilis.

27.20 שאול ואבדה לא תשבענה ועיני האדם לא תשבענה

Sepulchrum & inferi non ſatiantur, & oculi hominum non ſatiantur.

Vide in *Oculus*.

לעלוקה שתי בנות הב הב שלש הנה לא תשבענה ארבע לא אמרו הון:
שאול ועצר רחם ארץ לא שבעה מים ואש לא אמרה הון:

Hirudinis duæ filiæ, Cedo, Cedo. Tria iſta non Saturantur; imò quatuor non dicunt, Obe.
Sepulchrum, & vulva conſtricta: terra non ſaturatur aquis, & ignis non dicit, Obe.

DELATIO.

Non deferendus ſervus ad herum.

30. 10. אלת לשן עבד אל ארניו:

Ne deferto ſervum ad Dominum ſuum.

Ne deferto unquam ſervi crimina ad herum. Quòd ſequitur, Nè maledicat tibi, & reus fias, hanc ſententiam continet, nè tibi dira imprecetur, & Dominus ejus preces exaudiens, te puniat.

Delator arcanum patefacit.

11. 13. הולך רכיל מגלה סוד

Qui delatorem agit, revelat arcanum.

Vel hoc nomine debet odioſus eſſe nobis delator, quod nihil apud ſe contineat, ſed omnia revelet ac patefaciat, etiam quæ arcana ſunt amicorum.

Qui arcanum patefacit, delator eſt.

20.19. גולה סוד הולך רכיל

Qui arcanum retegit, delatorem agit.

Nam defert rem ab uno ad alium.

Delatio amicitiam diſſolvit

17. 9. שונה בדבר מפריד אלוף:

Qui rem iterat, disjungit ducem.

Qui rem iterat, hoc eſt, ab uno ad alium defert, disjungit ducem, hoc eſt, primarium amicum. Vel alienat principem à ſubditis ſuis. Vide Suſurro.

DETRACTIO.

Non detrahendum ſervo apud herum.

30.10. אל תלשן עבד אל ארוניו

Nè detrahas ſervo apud herum ſuum.

Pravæ indolis eſt detrahere alicui: peſſimæ detrahere ſervo, quem conditio tutum præſtat ab invidia. Detrahimus autem libenter quibus invidemus, ut fortunatis, & quos mergere videmus altius.

Detrahere alicui hominis eſt ſtulti.

מוציא דבה הוא כסיל

Qui profert infamiam, hic ſtultus eſt.

Is eſt improbus, qui alicui detrahit, qui proximum ſuum infamia afficit, aut contumelia.

DEUS, DEI COGNITIO.

Dei notitia unde incipiat.

1. 7. יראת יהוה ראשית דעת

Timor DOMINI principium ſcientiæ.

Vel ſic, *Jova reverentia eſt principium ſcientiæ.* Qui Deum reveretur, incipit eum noſſe. Eſt autem Dei notitia fons & radix omnis virtutis. Sapient. 15. *Noviſſe te, O Deus, abſoluta juſtitia eſt: & tuam ſcire poteſtatem, radix immortalitatis.*

Admonitio.

Scientiam hic accipio pro notitia ut in illo, *Exciſus eſt populus meus abſque ſcientia.* i. notitia Dei.

Cauſſa eſt vitæ ſecundùm virtutem actæ.

3. 6. בכל דרכיך דעהו והוא יישר ארחתיך:

In omnibus viis tuis noſce eum, & ipſe diriget ſemitas tuas.

Ut rectum iter teneas committe te Deo, eo comite atque duce pertende, nunquam aberrabis. Cæterum ut Deum noſcas, prius te ipſum noſce. Non poteſt Deum cognoſcere, niſi qui in ſui cognitione diu exercitatus & eruditus eſt. „Fruſtrà, ait Bernardus, „cordis oculus erigit ad Deum, qui nondum „idoneus eſt ad videndum ſeipſum. Prius enim neceſſe eſt ut „cognoſcas inviſibilia ſpiritus tui, quàm poſſis eſſe idoneus ad „cognoſcendum inviſibilia Dei: & ſi non potes cognoſcere te, „ne præſumas apprehendere ea, quæ ſunt ſupra te.

DE FIDUCIA ERGA DEUM.

Deo fidendum bona fide.

3. 5. בטח אל יהוה בכל לבך:

Confide DOMINO toto corde tuo.

Toto corde. i. ex animo, revera, bona fide. Sic Papinius Statius in Præfat: lib. 5. *Qui bona fide Deos colit, amat & Sacerdotes.* i. ex animo, non ficte, nec ſimulate.

In Deo firmum præſidium adverſus caſus humanos.

18. 10. מגדל עז שם יהוה בו ירוץ צדיק ונשגב:

Turris firmiſſima nomen DOMINI: eo currit juſtus & exaltatur.

Firmum præſidium in Deo eſt iis, qui ei ſe tribuunt, & in ipſo fiduciam habent, hoc eſt, viris bonis.

Deo fidere cauſſa eſt vitæ beatæ.

16.20. בטח ביהוה אשריו

Qui Deo fidit, beatus eſt.

Quod ſapiens Romanus impie dixit, *unum bonum eſt, quod vita beata cauſa & firmamentum eſt, ſibi fidere*; tu vere ac piè dixeris, *Deo fidere.* Nam niſi ſtabili, & fixo, & permanente bono, qualis Deus eſt, beatus eſſe nemo poteſt.

Fiducia erga Deum, hominem fortunatum reddit.

28. 25. בוטח על יהוה ידושן:

Qui fidit DOMINO, pinguis fiet.

Pinguis, i. opulentus, fortunatus. Qui Deo ſe credit ac committit, ei bene ſemper erit, omniaque ad voluntatem fluent; nos Belgæ dicimus, Die op God betrouwt / zijn geluk is meenigfout.

Et tutum præſtat.

29. 25. בוטח ביהוה ישגב:

Qui fidit DOMINO exaltabitur.

Vult dicere, *in tuto erit.* Tralatio ab iis, qui recepti in locum altum, ibi tuti ſunt.

Dei judicia qualia ſint.

10. 29. מעוז לתם דרך יהוה ומחתה לפעלי און:

Robur integro via DOMINI, & contritio operariis iniquitatis.

Judicia Domini hujuſmodi ſunt, ut ex iis viri boni verum robur colligant: mali autem certam perniciem.

A Dei providentia dependendum.

16. 3. גל אל יהוה מעשיך ויכנו מחשבתיך :

Devolve ad Dominum actiones tuas, & firmabuntur cogitationes tuæ.

Committe Deo res tuas, & bene tibi erit. Dabit exitum ſucceſſúmque meliorem, quàm ipſe optares. Juvenalis:

Permittes ipſis expendere numinibus quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jocundis aptiſſima quæque dabunt Dii.
Carior eſt illis homo quam ſibi. nos animorum
Impulſi, & cæca, magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.

Deum omnia videre.

15. 3. בכל מקום עיני יהוה צפות רעים וטובים :

In omni loco ſunt oculi DOMINI ſpeculantes bonos & malos.

Sit hoc perſuaſum hominibus Deum qualiſquiſque ſit, quid agat, quidve cogitet intueri. Quis enim eo teſte atque inſpectore peccare auſit? Nemo ſane: ac proinde, qui ita licenter ſine ullo metu quotidie peccant, nihil minus credunt, quam quod hic dicitur. Alioqui non facerent coram Deo; quod ipſos puderet facere coram hominibus.

Deum quæ videt cumque, etiam expendere.

5. 21. נכח עיני יהוה דרכי איש וכל מעגלותיו מפלס :

Coram oculis DOMINI viæ hominis, & omnes ſemitas ejus librat.

Deus quid quiſque agat, non ſolum intuetur, ſed etiam librat, hoc eſt, quaſi ad libram appendit, & expendit, ſitne rectum, an pravum: mundum an immundum.

Deo cuncta patere.

15. 11. שאול ואבדון נגד יהוה אף כי לבות בני אדם

Sepulchrum & inferi coram DOMINO: nedum corda hominum.

Syrch. 23. 27. *Homo temerans ſuum lectum ità ſecum cogitat, quis me videt? tenebris circumſeptus ſum, & parietibus tectus, neque quiſquam me videt. Quid metuam? peccata mea non meminit excelſus. Humanos metuit oculos, nec intelligit oculos Domini millies ſole ſplendidiores intueri mores hominum omnes, & ima abyſſi, & hominum corda, & abſtruſas contemplari partes.* Statius de Deo; *Videt ille ortus, obitúſque, quid Arctos, quid Boreas hibernus agat, ferrique togæque Conſilia, atque ipſam mentem probat.*

Deus conſtans.

19. 21. עצת יהוה היא תקום

Conſilium DOMINI ſtabile eſt.

In Deo nulla conſilii mutatio; ſibi conſtat ſemper, quod ſemel abſolute decrevit, non mutat.

Deus, quem amat, caſtigat.

3. 11 מוסר יהוה בני אל תמאס ואל תקץ בתוכחתו :
12. כי את אשר יאהב יהוה יוכיח וכאב את בן ירצה :

DOMINI caſtigationem, fili mi, ne reſpue:
Neve increpationem ejus faſtidi.
Nam DOMINUS, quem amat, caſtigat,
Et ſicut pater filium, cui bene vult.

Si contingat nos divinitus affici morbo aut aliquo infortunio, gaudendum potius quàm dolendum. Nam ut pater filium, quem amat: ità Deus eum, quem diligit, caſtigat. Seneca de divina providentia cap. 1. *Quum videris, bonos viros acceptoſque Deo laborare, ſudare, per arduum aſcendere; malos autem laſcivire & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modeſtia delectari, vernularum licentia. Illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, ſibi illum præparat.* & cap. 2. *Paternum Deus habet adverſus bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat; ut verum colligant robur.* & cap. 4. *Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſervat.* Hactenus Seneca. Diceres illum legiſſe locum hunc Salomonis.

Dei beneficio victoria paratur

21. 31. סוס מוכן ליום מלחמה וליהוה התשועה:

Equus inſtruitur ad diem belli: at à DOMINO ſalus.

Victoria in bello non equorum aut virorum viribus; ſed Dei benignitate obtingit. Vide in Bellum.

Deus honorandus decimis.

3. 9. כבד את יהוה מהונך ומראשית כל תבואתך :
10. וימלאו אסמיך שבע ותירוש יקביך יפרצו :

Honora DOMINUM de opibus tuis, & de primitiis proventus tui.
Et implebuntur horrea tua copia frugum, muſtoque torcularia tua redundabunt.

Decimæ pars ſunt ſacrorum. Hæ ut perſolvantur Deo, intereſt rei familiaris. Nam Deus, ut eſt in Proverbio, adjuvat facientem, hoc eſt, rite ſacris operantem. Alius quoque dixit, Quod in divinis rebus ſumas ſumptus, ſapienti lucro eſt. Quin veterum ſemper opinio fuit, omnia ei ex voto ſuccedere, qui rite Deum coluiſſet. In ſententiis ſapientum Hebræorum, *Da ei de ſuo, quoniam tu, tuaque omnia illius ſunt.*

DEI TIMOR SIVE REVERENTIA.

Qui Deum veretur, incipit ſapiens eſſe.

9. 10. תחלת חכמה יראת יהוה

Initium ſapientiæ timor DOMINI.

E ſcrinio Davidis ſumptum. David autem ex illo Jobi ſumpſerat 8. 28. *Ecce Domini reverentia, ipſa eſt ſapientia.* Egregie verò hoc mihi dixiſſe videtur David. Nam qui Deum non reveretur, nec peccare verebitur. Tolle metum numinis, quis in tenebris, & ubi latere ſe poſſe ſperat, à flagitiis abſtinebit? Quis ea crimina, quæ legibus non puniuntur, vitabit? Ubi conjugii fœdus ſanctum erit? ubi thorus immaculatus? Tu exiſtimas eum perjurii pœnam metuere, qui Deum non metuit?

Idem aliis verbis.

1. 7. יראת יהוה ראשית דעת

Timor DOMINI eſt principium ſcientiæ.

Suprà aliter. Nunc ſcientiam ſumo pro *ſapientia*. Fit hoc alias in hoc libro.

Idem aliter.

15. 33. יראת יהוה מוסר חכמה

Timor DOMINI diſciplina ſapientiæ.

Vis aliquem ſapientem efficere, da operam ante omnia ut Deum metuat. Qui Deum metuit, jam incipit ſapiens eſſe. Qui poteſt, inquis? dicam. Sapientia eſt ars vivendi. Ut autem bene vivas, vitia exuenda ſunt. Porrò vitia exuit, qui Deum veretur, ſecundum illud, *In timore Domini, eſt recedere à malo.*

Qui Deum metuit, vitia exuit.

16. 6. ביראת יהוה סור מרע

In timore DOMINI eſt recedere à malo.

Dei timor, vel, ſi mavis, reverentia aliud nihil eſt, quàm religio & pietas erga Deum. Quòd ergò ille de virtute dixit, Virtus eſt vitium fugere, juſtius tu dixeris de religione, Religio eſt vitium fugere & ſapientia prima Stultitia caruiſſe.

Dei timor fons vitæ æternæ.

14. 27. יראת יהוה מקור חיים לסור ממקשי מות :

Timor DOMINI fons vitæ, ad recedendum à laqueis mortis.

A laqueis mortis, hoc eſt, à vitiis, elegans locutio.

Dei

Dei timor vitam tranquillam præſtat.

19. 23. יראת יהוה לחיים שבע ילין בל יפקד רע :

Timor DOMINI ad vitam ducit: eo ſatur pernoctabit, nec afficietur malo.

Poteſt verti, *Timor Domini ad vitam tendens: ſatur pernoctabit* &c. Ut ſit Domini timor, pro DOMINI timens. Vult dicere, Qui Deum reveretur, tranquille & in abundantia rerum omnium aget.

Præmium timoris Domini

22. 4. עקב ענוה יראת יהוה עשר וכבוד וחיים :

Præmium manſuetudinis, & timoris DOMINI, ſunt divitiæ, & gloria, & vita.

Dei metuens recte vivit.

14. 2. הולך בישרו ירא יהוה :

Ambulat recte timens DOMINI.

Qui religioſus eſt, & Dei metuens, etiam recte vivit Hæc pariter incedunt. Ut una catena & cuſtodiam & militem vincit: ita ſimul ſunt virtus & Dei timor: probitas & religio. Ita dico, Religio vita eſt, non oratio: res, non verba. Quid tu mihi religionem jactas, qui vitam vivis turpem & flagitioſam? qui animum à vitiis nunquam abducis?

Dei metus longævitatem conciliat.

10. 27. יראת יהוה תוסיף ימים :

Timor DOMINI addit dies.

Qui Deum reveretur, virtutem colit. Virtus & vitium contraria ſunt. Cum igitur fateamur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad minuendam vitam, fatendum eſt eandem vim in virtute eſſe ad producendam vitam. Contrariorum enim contraria ſunt conſequentia.

Dei timor magnum præſidium eſt in adverſis:

14. 26. ביראת יהוה מבטח עז :

In timore DOMINI fiducia valida.

Timere Deum, eſt validum præſidium adverſus caſus humanarum miſeriarum. Itaque homo religioſus ſemper eſt animo fidenti & erecto, ſecure vivit, etiam ſecure moritur. Hæc fiducia ei naſcitur ex conſcientia recte factorum, ex honeſtis conſiliis: ſed potiſſimum ex Dei promiſſis, & fide, quam in ipſum habet.

Dei metuens vitia fugit.

8. 13. יראת יהוה שנאת רע :

Timor DOMINI odiſſe malum.

Qui Deum metuit, vitia exuit, nec tantum exuit, ſed etiam odit, & ſecretum ſuum ſanctius facit. Theognis:

Κύρνε Θεὺς αἰδȣ̃, ϗ̀ δείδιθι· Τȣ̃το γὰρ ἄνδρα
Εἰργεῖ μήθ' ἔρδειν, μήτε λέγειν ἀσεβῆ.

Idem aliter.

3. 7. ירא את יהוה וסור מרע :

Time DOMINUM, & recede à malo.

Poteſt exponi, *& recedes à malo.* Simile eſt, *Hoc fac, & vive:* Si Deum metues, abſtinebis à peccando. Nam ut eurus glaciem diſſolvit, ſic Dei metus, quamdiu præſens eſt, peccata depellit.

Dei metus felicitatem parit.

28. 14. אשרי אדם מפחד תמיד :

Beatus homo qui metuit ſemper.

Qui Deum ſemper metuit, ſemper recte facit. Recte facere ſatis eſt ad bene beateque vivendum. Nam vita beata in virtute poſita.

Deum timet ſapiens.

14. 16. חכם ירא וסר מרע

Sapiens timet, & recedit à malo.

Deum timet & à vitiis ſe abſtinet.

Rurſus de DEI PROVIDENTIA.

Deum omnia facere propter ſeipſum.

16. 4. כל פעל יהוה למענהו וגם רשע ליום רעה :

Omnia operatus eſt DOMINUS propter ſeipſum; etiam improbum ad diem mali.

Recte ad hanc ſententiam Seneca Oedipo:

Quicquid patimur mortale genus
Quicquid facimus, venit ex alto.

Admonitio.

למענהו] Vide an poſſit reddi, *propter cauſſam ſuam*, ut dicat, nihil à Deo factum eſſe fierive ſine cauſſa.

Deus ſortes regit.

16. 33. בחיק יוטל את הגורל ומיהוה כל משפטו :

In ſinum conjicitur ſors: ſed à DOMINO omne judicium ejus.

Sortis ratio univerſa, etſi fortuita maxime videatur, tamen Dei providentia regitur & gubernatur.

Deum non ſolum facta hominum, ſed etiam dicta moderari.

16. 9. לב אדם יחשב דרכו ויהוה יכין צעדו :

Cor hominis deliberat de via ſua, ſed DOMINUS dirigit greſſum ejus.

16. 1. לאדם מערכי לב ומיהוה מענה לשון :

Hominis eſt præparare cor: ſed à DOMINO reſponſio linguæ.

Vulgo dicimus, *Homo proponit, Deus diſponit.* Quoties ergo in propoſito, ſuſceptoque conſilio fallimur, & res aliter ſuccedit, atque ſperaveramus, quin id divinitus fiat, ſæpe etiam noſtro magno bono, non eſt quod ullo modo dubitemus.

Deus omnibus vitam dat, omnes alit.

29. 13. רש ואיש תככים נפגשו מאיר עיני שניהם יהוה :

Pauper & vir fraudum occurrunt: illuminat oculos amborum DOMINUS.

Hunc locum illuſtrat Ciceronis illud, *Commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus; à Deo nobis dari & impartiri videmus.*

Admonitio.

Vir fraudum, id eſt, *dives*; vel, ſi placet, *dives injuſtus.*

Deus animum expendit.

16. 2. תוכן רוחות יהוה :

Appendit ſpiritus DOMINUS.

Ut aurificis ſtatera minimum juſti ponderis: ſic Deus examinat animos hominum. Ex quo & illud ſequitur, Deum ſcire qua quiſque mente ſit, ſicut ait 24. 12. *An non, qui perpendit corda, ipſe intelligat?* Thales igitur, qui ſapientiſſimus inter ſeptem fuit, interrogatus an facta hominum fallerent Deum, *Ne cogitata quidem*, reſpondit.

Corda hominum probat.

17. 3. מצרף לכסף וכור לזהב ובחן לבות יהוה :

Fornax argentum & catinus aurum & probat corda DOMINUS.

Ut fornax argentum, & catinus aurum: ſic Deus corda & mentes hominum explorat.

Cor regum inclinat, quo vult.

21. 1. פלגי מים לב מלך ביד יהוה על כל אשר יחפץ יטנו :

Ut divergia aquarum cor regis in manu DOMINI, quocunque voluerit, illud inclinat.

Ut

Ut aqua, ubi in diverſas partes vergit, facillime in quam velis partem duci poteſt; ſic Deus cor regum, nedum aliorum hominum, quocunque libuerit, inclinat.

Reddit unicuique ſecundum opera ſua.

השיב לאדם כפעלו : 24. 12.

Reddit homini ſecundum opus ſuum.

Qui bene fecerit, eum præmio afficit, qui ſecus fecerit, de eo pœnas ſumit. Sunt hæc duo *quaſi elementa quædam*, ut Plutarchus ſcribit, *virtutum*. Nam ut præmii ſpes ad optima quæque ſtudia promptiores, & pœnæ metus ad actiones pravas tardiores facit. Vide Gel. lib. 6. cap. 14.

A Deo ſapientiam dari.

יהוה יתן חכמה : 2. 6.

DOMINUS dat ſapientiam.

Sapientia Dei donum eſt, nec obtingere, niſi divino beneficio, ulli poteſt.

Et uxorem.

מצא אשה מצא טוב ויפק רצון מיהוה : 18. 22.

Qui invenit uxorem, invenit donum: & elicuit favorem à DOMINO.

Uxor, ſi bona fuerit, & bene morata, donum eſt favoris divini, ſive Dei benevolentis. Eſt & mala à Deo, ſed *irato*, ut dicebat Menander.

Et divitias.

ברכת יהוה היא תעשיר ולא יוסף עצב עמה : . 10. 22.

Benedictio DOMINI ditat, nec adfert moleſtiam ſecum.

Ac ſi diceret, ditat ſine moleſtia, ſive curis. Alioqui magnis curis magnæ opes non parantur modò, ſed etiam ſervantur, juxta illud Horatii,

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

Cui adſtipulatur Seneca Philoſophus, ita ſcribens, *Majore tormento pecunia poſſidetur, quam quæritur.*

DEI VERBUM.

Deoglorioſum celare verbum.

כבוד אלהים הסתר דבר : 25. 1.

Gloria Dei eſt celare verbum.

Egregie dictum à Syneſio, ἀγνωσία σεμνότης ἐστὶ τῶν τελετῶν i. Sacrorum dignitatem tuetur ignoratio.

Regibus glorioſum ſcrutari litteras divinas.

כבוד מלכים חקר דבר : Ibid.

Gloria Regum ſcrutari verbum.

Regibus glorioſum eſt, Scrutari verbum Dei.

Dei verbo nihil addendum eſt.

כל אמרת אלוה צרופה מגן הוא לחוסים בו : 30. 5.
אל תוסף על דבריו פן יוכיח בך ונכזבת : 6.

Omnis ſermo Dei excoctus eſt: clypeus eſt ſperantibus in eo.
Ne addas verbis ejus, ne te redarguat, & mendax inveniaris.

Verbis Dei addit, qui ſententiam pervertit, ei adjiciendo quod in mente verborum non continetur. Hunc Deus ſuo tempore mendacii convincet, patefacta veritate.

In Dei verbo inveniri bonum.

משכיל על דבר ימצא טוב : 16. 20.

Qui attendit ad verbum, inveniet bonum.

In Dei verbo, ſi quis cum cura & attente illud legerit, inveniet bonum, quod qui poſſidet, beatus eſt.

Et ſapientiam.

מפיו דעת ותבונה : 2. 6.

Ex ore ejus ſcientia & prudentia.

Ex ore ejus, valet *ex verbo ejus.*

Contemptus verbi divini.

בז לדבר יחבל לו 13. 13.

Qui contemnit verbum, noxam ſibi accerſit.

Dei ſubaudio, ut ſit, *verbum Dei.* Hominem contemnere impune poſſumus. Deum ejuſque juſſa non poſſumus. Nam ſui contemptum ſevere ulciſcitur.

Reverentia erga Dei verbum.

ירא מצוה הוא ישלם ibid.

Qui reveretur præceptum, præmio afficietur.

Idem præmio afficit eos, qui vitam inſtituunt ſecundum præcepta ipſius.

DEI LEX.

Dei lex lux eſt in tenebris errorum.

נר מצוה ותורה אור ודרך חיים תוכחות מוסר : 6. 24.

Lucerna eſt præceptum, & lex lux eſt, & via vitæ caſtigationes diſciplinæ.

Sumptum videtur è nartheciis Davidis. Forte ex illo, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ut lucerna lucem facit in tenebris; ſic verbum Dei lux eſt iis, qui errore mentis, & ignorantia detinentur.

Sapiens Legi divinæ paret.

חכם לב יקח מצות : 10. 8.

Sapiens corde admittit præcepta.

Qui corde ſapit, libenter paret Deo, ejuſque mandatis.

Legem obſervat filius prudens.

נוצר תורה בן מבין 28. 7.

Legem obſervat filius intelligens.

Legem Dei, vel, ſi placet, *parentum.*

Abſque Lege diſſolute vivitur.

באין חזון יפרע עם : 29. 18.

Abſque viſione profligatur populus.

Ubi non eſt viſio, ſive prophetia, hoc eſt, ubi non docetur Dei verbum, diſſolute vivitur, juxta illud Hoſ. 4. 6. *Exciſus eſt populus meus abſque ſcientia.*

In Legis obſervatione vita beata.

שומר תורה אשרהו : ibid.

Qui cuſtodit Legem, beatus eſt.

Quicunque Legem ducem in vita ſequitur, ei ad felicitatem ampla, maximeque certa patet via. Ita dico, cum eo feliciter admodum, ac beatiſſime agitur.

Se cuſtodit, qui Legem.

שומר מצוה שומר נפשו : 19. 16.

Qui cuſtodit præcepta, cuſtodit animam ſuam.

Vel, *cuſtodit ſeipſum.* Qui divina mandata cuſtodit, ſeipſum cuſtodit, hoc eſt, tam corpus, quam animam ſuam.

Legis obſervatores cum improbis dimicant.

עזבי תורה יהללו רשע ושמרי תורה יתגרו בם : 28. 4.

Deſertores Legis laudant improbum: obſervatores autem Legis, contendunt cum eis.

Qui Legem deſerunt, hoc eſt, peccatores, laudant homines improbos, nimirum ſui ſimiles: qui vero Legem cuſtodiunt, hoc eſt, viri boni, ſudant pro Dei honore, adeunt pericula, cum hominibus improbis contendunt, & bellum gerunt cum vitiis, quæ in iis. Sic dico, pacem cum hominibus habent, cum vitiis bellum gerunt.

Pœna eorum, qui renuunt audire verbum Dei.

מסיר אזנו : שמוע תורה גם תפלתו תועבה : 28. 9.

Qui avertit aurem ſuam ab audienda lege, etiam preces ipſius abominationi ſunt.

Qui legem, ejuſque enarratores audire detrectat, Deus ejus preces deteſtatur.

Deum & aurem & oculum feciſſe.

אזן שומעת ועין ראה יהוה עשה גם שניהם : 20. 12.

Aurem audientem & oculum videntem, DOMINUS fecit etiam utrumque.

Aures quibus audimus, oculos quibus cernimus, à Deo factos eſſe ait: & recte. Utamur ergo illis ad nutum & gloriam ejus, qui fecit: tum etiam illud nobis perſuaſum ſit, Deum, quæ facimus cunque, & audire & videre, juxta illud Davidis, *Qui plantavit aurem non audiet? at qui finxit oculum, non cernet?*

Deum abhorrere à ſacrificio impiorum.

זבח רשעים תועבת יהוה : 15. 9.

Sacrificium impiorum DOMINO abominationi eſt.

Deus abominatur & deteſtatur ſacrificia ea, quæ ab hominibus impiis fiunt. Sic & Dido Ovidiana,

Pone Deos, & quæ tangendo ſacra prophanas,
Non bene cæleſtes impia dextra colit.

Deo acceptas eſſe preces bonorum.

תפלת ישרים רצונו ibid.

Oratio rectorum ei grata eſt.

Deo placent preces, quæ fiunt à viris bonis. Cur? quia moribus eorum delectatur, tum etiam quia nihil petunt quod non ſit æquum & honeſtum. Supra, *Cupiditas juſtorum duntaxat bona.*

Deum abhorrere à moribus impii.

תועבת יהוה דרך רשע : 15. 10.

Abominatio DOMINI via impii.

Facta impiorum Deo diſplicent adeo, ut ab iis abhorreat non ſecus ac à re aliqua deteſtanda & abominanda. Paullo mollius Poëta neſcio quis,

Nec facta impia fallacium hominum cælicolis placent.

Idem amat viros bonos.

מרדף צדקה יאהב : ibid.

Sectatorem juſtitiæ amat.

Quum juſtus ſit, amat eum, qui juſtitiam, hoc eſt virtutem ac pietatem colit. Seneca Philoſophus, *Quiſquis ergo juſtitiam ſectari deſideras, Deum time prius & ama, & amaberis à Deo. Amabis autem Deum, ſi in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodeſſe, & nulli nocere: & tunc te juſtum virum appellabunt omnes, ſequentur, venerabuntur, & diligent.*

Quem Deus probat, ejus inimicos ipſi pacat.

ברצות יהוה דרכי איש גם אויביו ישלים אתו : 16. 7.

Quum placent DOMINO viæ viri, etiam inimicos ipſius conciliat ei.

Quum Deus approbat cujuſquam mores, adeo gratioſum eum facit, ut qui ei prius inimici fuerunt, amici fiant.

DILIGENTIA.

Diligentia divitem facit.

יד חרוצים תעשיר : 10. 4

Manus ſedulorum ditat.

Si cupis dives fieri, eſto navus & diligens. Fruſtra cupit, qui ignavus eſt. Agendo, & laborando, & vigilando divitiæ parantur, non optando.

Idem aliter.

נפש חרוצים תדשן : 13. 4.

Anima ſedulorum pinguis fiet.

Id eſt, *dives fiet.* Idem cum ſuperiore. Sed extendi debet. Si ſtudium adhibueris, comparabis tibi virtutem: evades doctior, aut, ſapientior.

Diligentia dominatur in pigritiam.

יד חרוצים תמשול : 12. 24

Manus ſedulorum dominatur.

Nam dives in pauperes dominatur.

Diligentia partas opes pretioſas eſſe.

והון אדם יקר חרוץ : 12. 27.

Opulentia hominis ſeduli pretioſa.

Capio ac ſi ſcriptum eſſet הון אדם חרוץ יקר. Præclarum eſt poſſidere opes à parentibus relictas: ſed multo præſtantius, quicquid poſſideas, propria induſtria & labore conſecutum eſſe.

Conatus induſtrii fructuoſus.

מחשבות חרוץ אך למותר : 21. 5.

Cogitationes ſeduli duntaxat emolumento ſunt.

Cogitationes hominis ſtrenui & induſtrii, cum etiam honeſtæ ſint, adferunt ſemper fructum & emolumentum: contra præcipites, & diteſcere quo jure quave injuria properantes, aliud nihil ex labore ſuo colligunt, quam egeſtatem. Hoc ſignificat, cum ait, *Omnis præceps duntaxat ad egeſtatem.*

DISCIPLINA.

Diſciplinam improbis contemptui eſſe.

חכמה ומוסר אוילים בזו : 1. 7.

Sapientiam & diſciplinam ſtulti deſpiciunt.

Diſciplina eſt inſtitutio ſapientiæ. eam contemnunt ſtulti & improbi. Nec mirum, cum etiam ipſam ſapientiam, hoc eſt, artem bene vivendi contemnant. Vide in *Stultus.*

Diſciplina ſapientiæ potior pecunia.

קחו מוסרי ואל כסף : 8. 10.

Recipite diſciplinam meam, & non argentum.

Id eſt, *potius quam argentum.* Pro recipite, licet etiam vertere, *comparate:* eodem ſenſu.

Diſciplina ſapientiam impartit.

שמעו מוסר וחכמו : 8. 33.

Audite diſciplinam, & ſapite.

Vult dicere, *& ſapietis*; vel, *ut ſapiatis.* Nam diſciplina quaſi nervus eſt ſapientiæ.

Scurræ & impii non caſtigandi.

יסר לץ לוקח לו קלון ומוכיח לרשע מומו : 9. 7.

Qui caſtigat irriſorem, aufert ſibi ignominiam, & qui arguit improbum, id ei macula eſt.

Nam oleum & operam perdit. Siquidem ἀνουθέτητόν ἐστιν ἡ πονηρία. Nam quia ſe peccare neſcit, non admittit caſtigationem. Hoc primum: deinde eo abripitur interdum nequitia, ut etiam contumelia laceſſat monitorem ſuum. Indignatur enim ſe eſſe reprehenſum, & ægerrime fert, tanquam ſi affectus eſſet maxima injuria. An tu cenſes non offendi admonitione, qui vitia ſua virtutum loco numerat?

Se contemnit, qui diſciplinam.

פורע מוסר מואס נפשו : 15. 32.

Qui rejicit diſciplinam, ſpernit animam ſuam.

Vel ſeipſum. Se peſſime odit, qui ſe inſtitui non patitur. Eſt enim bona inſtitutio fons & cauſſa omnis virtutis. Ut enim naturæ bonitatem corrumpit ignavia: ſic ejus pravitatem corrigit recta inſtitutio.

Diſciplinam qui amat, ſcientiam amat.

אהב מוסר אהב דעת : 12. 1.

Amans diſciplinæ, amat ſcientiam.

Pars magna eruditionis amare diſciplinam ſcholæ. Admoneri gaudet animus ſapientiæ ſtudioſus. Peſſimus quiſque correptorem ægerrime patitur.

Diſciplinam admittit filius ſapiens.

בן חכם מוסר אב : 13. 1.

Filius ſapiens diſciplinam patris ſui.

Audit,

Audis, ſubaudiendum vel repetendum ex membro ſequenti ἀπὸ κοινοῦ.

Spernit ſtultus.

אויל ינאץ מוסר אביו : 15. 5.

Stultus ſpernit diſciplinam patris ſui.

Filius nequam flocci pendit patris caſtigationem.

Pœna ſpretæ diſciplinæ.

ריש וקלון פורע מוסר 13. 18.

Paupertas & ignominia ei qui rejicit diſciplinam.

In Græcis eſt, πενίαν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρεῖται παιδεία, id eſt, paupertatem & ignominiam aufert diſciplina. Parum refert, hoc an illo modo legas. Sane quidem Ebræa ambigua ſunt ad utram vels interpretationem.

Diſciplina cui gravis & moleſta ſit.

מוסר רע לעזב ארח : 15. 10.

Diſciplina mala eſt deſerenti ſemitam.

Diſciplina mala, hoc eſt, gravis & moleſta eſt ei qui deſerit ſemitam juſtitiæ, hoc eſt, rectum iter virtutis. Talis enim ſe inſtitui aut caſtigari & in viam reduci aſperrime patitur.

Diſciplina ſtultorum qualis.

מוסר אולים אולת 16. 22.

Diſciplina ſtultorum ſtultitia.

Stulti, quia mente & intelligentia carent, quos erudiendos ſuſceperunt, ſui ſimiles, hoc eſt, ſtultos efficiunt. Eſt autem ſtultitia fons ac vena mortis. Itaque oppoſuit huic membro, Fons vitæ eſt intellectus, iis, qui eo præditi ſunt. Quidam exponunt ac ſi diceret, ſtultos non ſapere niſi ſuo aut alieno periculo. Alii exponunt hoc modo: Argumentum ſtultitiæ eſt laborare ut ſtultus, qui vere ſtultus eſt, ſapiens fiat. Sane qui hoc facit, bis ſtulte facit. Nam laborem inanem ipſius capit, & odium provocat ejus, quem erudit atque inſtituit.

Diſciplina quando utendum.

יסר בנך כי יש תקוה 19. 18.

Erudi filium tuum dum ſpes eſt.

Diſciplina utendum quando ſpes eſt, id cum fructu fieri poſſe. Dico cum fructu, vel ejus, quem erudis & caſtigas: vel aliorum, quos ex ejus caſtigatione meliores efficere cogitas.

Diſciplinæ parendum vel ſapientiæ cauſa.

קבל מוסר למען תחכם באחריתך 19. 20.

Admitte diſciplinam quo ſapiens evadas ad extremum.

Patere te inſtitui & admoneri, quo ſapientior tandem evadas. Nam recta inſtitutio, ſalutariſque admonitio ſapientiam conciliant.

Diſciplina à recto ſeducens non audienda.

חדל בני לשמע מוסר לשגות מאמרי דעת : 19. 27.

Ceſſa, mi fili, audire diſciplinam, ad aberrandum à ſermonibus ſcientiæ.

Scite dicta ſapientum docent quid ſequendum, quidve fugiendum ſit. Ab his diverſa qui præcipiunt, non ſunt audiendi, multò minus, qui contraria præcipiunt.

Inſtructio ex pignorum inopia.

ראיתי לקחתי מוסר 24. 32.

Vidi, accepi inſtructionem.

Vidi agrum pigri neglectum & incultum, imo ſentibus obſitum, oppletum: ipſum autem vidi ad extremam inopiam redactum, nec ſine fructu. Nam ex eo didici, qui egeſtatem velit effugere, ei fugiendam eſſe ante omnia pigritiam.

Verborum admonitione nihil proficitur apud ſervum.

בדברים לא יוסר עבד 29. 19.

Verbis non emendatur caſtigatus ſervus.

Servum intellige & eum; qui animo eſt ſervili. Olim ſervi verberibus coercebantur; unde in jure *ſervilia verbera* dicta flagra & lora, quod iis ſervi vapularent coercerenturque. Contra ingenui non flagellis, ſed virga & fuſtibus cædebantur.

DISSIMULATIO.

Diſſimulare peccata homini decorum eſt.

תפארת אדם עבר על פשע : 19. 11.

Decus hominis præterire crimen.

Crimen præterit, qui ignoſcit: item qui ſimulat ſe illud non animadvertere, quod interdum faciendum eſt. Eſt autem decus hominis hæc diſſimulatio, ſi fiat loco & tempore quo oportet. Inprimis diſſimulanda ſunt multa principibus, & rempublicam gubernantibus, unde Proverbio dicitur, *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Videndus Plutarchus in libello de liberorum educatione, non longe ab extremo.

DIVITIÆ.

Divitiæ, quæ à Deo, moleſtia carent.

ברכת יהוה היא תעשיר ולא יוסף עצב עמה : 10. 22.

Benedictio DOMINI ditat, nec adfert ſecum moleſtiam.

Quem Dei benignitas ditat, animo eſt ab omni moleſtia vacuo. Nulla ipſum cura angit, neque quærendo divitias, neque conſervando torquetur. Sed nec dolet amiſſas, nec timet amittendas. Simpliciter benedictio divina ditat ſine moleſtia, hoc eſt, ſine magno labore, ſine curis, ſine ſollicitudine. Alioqui divitiæ multis curis non parantur modo, ſed etiam ſervantur & poſſidentur. Quamobrem Eutrapeles, quibus maxime nocere volebat, eos divites faciebat, dictitans ipſos una cum divitiis accepturos magnam ſarcinam curarum. Mirabile ulciſcendi genus, quod hodie nemo admodum reformidaret. Quin ultro provocaret, ac gratias ageret, ſi quis hoc modo ulciſceretur dolorem ſuum.

Improbe parta non proſunt.

לא יועילו אוצרות רשע 10. 2.

Non proſunt theſauri improbitatis.

Idem cum illo, *Male partum, male diſperit:* quod alius dixit, *Male parta, male dilabuntur.* Rurſus, qui improbe parta poſſidet, nec habendi utendique fructu felix eſt, & ſollicitudine ſervandi miſerrimus.

Male parta minuentur.

הון מהבל ימעט 13. 11.

Opes ex vanitate minuentur.

De vanis & injuſtis opibus quotidie deceſſio fiet. Per fraudem aut maleficium parta magis minuentur, quàm augebuntur.

Præcipitanter parta egeſtatem conciliant.

כל אץ אך למחסור 21. 5.

Omnis præceps duntaxat ad egeſtatem.

Qui ad divitias cumulandas celeritate præcipiti tendit, ad pauperiem redigetur. Sic Græci μὴ σπεῦδε πλουτεῖν, μὴ ταχὺ πένης γένῃ, id eſt, Ne propera diteſcere, ne cito inops fias.

Properans diteſcere pœnam incurret.

אץ להעשיר לא ינקה 28. 20.

Properans diteſcere non feret impune.

Vel magis, *Præceps ad ditandum ſe.* Qui propere diteſcunt, raro juſte diteſcunt, neque pœnam effugient, quæ conſtituta in divites injuſtos: quales ſunt fere νεόπλουτοι, qui etiam vulgo male audiunt. De his Hiero. *Dives*, inquit, *aut injuſtus, aut injuſti hæres.*

Divitiæ ornant ſapientem.

עטרת חכמים עשרם 14. 24.

Corona ſapientum divitiæ ipſorum.

Sapientibus divitiæ ornamento ſunt, quia recte iis uti norunt. Certè decus & auctoritatem conciliant apud vulgum, qui alioqui ſapientiam ſub ſordido pallio latitantem contemnere ſolet. Egregie Menander Græcus Poëta:

Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.
Χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς.

Divitiis non fidendum.

: בוטח בעשרו הוא יפול 11.29.

Qui fidit divitiis ſuis, cadet.

Ut qui arundineo baculo innititur: ſi qui divitiis ſuis fidit, corruet deſtitutus fiducia ſua. Eſſet aliquod præſidium in divitiis, ſi certæ ac ſtabiles forent. Nunc cum incertæ ac fluxæ ſint, citoque pereant, non eſt iis ullo modo innitendum.

Divitiæ dedecorant ſtultum.

: אולת כסלים אולת 14. 24

Stultitia ſtolidorum ſtultitia.

Stultus ſtulte utitur divitiis. Itaque eum magis dedecorant, quam ornant. Hujus oppoſitum, *Corona ſapientum divitiæ ipſorum.* Capio autem ac ſi diceret, Nihil proficiſci à ſtulto, cum mente & intelligentia careat, quod ſtultum non ſit: ac proinde neque divitiis recte uti poſſe. Unde & illud ſequitur, quod in epitoma diximus, divitias dedecorare ſtultum.

Opes potentiam & auctoritatem conciliant.

: הון עשיר קרית עזו 10. 15.

Opes divitis ſunt ei urbs munita.

Divitiæ hominem potentem efficiunt, cumque tuentur adverſus incommoda paupertatis. Rurſus qui opibus valent, etiam autoritate plus poſſunt.

Divitiæ infirmum præſidium præſtant, contra opinionem quorundam.

: הון עשיר קרית עזו וכחומה נשגבה במשכיתו 18. 11.

Opes divitis ſunt ei urbs valida, & inſtar muri celſi imaginatione ſua.

Quidam peſſimam opinionem induerunt de opibus ſuis. Putant in iis ſatis firmum præſidium eſſe adverſus caſus humanos: ſed falluntur. Nihil enim minus firmum, nihil quod fortunæ telis magis expoſitum ſit. Quem murum celſum imaginantur, ſtramineus eſt, qui ſimulac vel levem tempeſtatem ſenſent, corruit.

Divitiæ nihil proſunt Deo irato.

: לא יועיל הון ביום עברה 11. 4

Non proſunt opes in die iræ.

Deo irato, puta famis, aut belli, aut peſtis tempore, nihil proſunt opes. Non enim valent quicquam adverſus mala illa.

Divitias quinam conſequantur.

: עריצים יתמכו עושר 11. 26.

Validi apprehendunt divitias.

Qui ſolertes, & ſtrenui, & induſtrii ſunt, divites fiunt. Idem cum illo, *Manus ſedulorum ditat.*

Divitiæ non admodum appetendæ.

עשר אל תתן לי: פן אשבע וכחשתי ואמרתי מי יה 30. 8.

Divitias ne dederis mihi, nequando ſatur abnegem te, & dicam, quis Dominus?

Divitiæ ad maleficium impellunt, curas adferunt, Dei oblivionem inducunt. Quamobrem non ſunt viro bono admodum appetendæ. Qui ad naturam vivit, ei modicum ſatis eſt. Non aget amplis & locupletibus copiis.

In quærendis divitiis non debere nos nimium occupatos eſſe.

: אל תיגע להעשיר מבינתך חדל 23. 4.
התעיף עינך בו ואיננו כי עשרה יעשה לו כנפים כנשר יעוף השמים: 5.

Ne labora ut diteſcas: ab hac tua prudentia deſiſte.
An conjicies oculos tuos in illas, quæ non ſunt? Nam omnino facient ſibi alas tanquam aquila quæ volat in cœlum.

Eſſe dicitur proprie quod æternum eſt. Bene ergo negat divitias eſſe. Nihil enim citius ac facilius perit. Ut aquila, ita avolant. Eſt autem aquilæ volatus perniciſſimus. Conjicere oculos David dixit *apponere cor*, *Divitiæ ſi affluant, ne apponε cor*, pro eo quod eſt, *ne animum tuum illis addicito.*

Divitias penes ſapientiam eſſe.

בשמאלה עשר 3. 16.

In ſiniſtra ejus divitiæ.

Satis habere ad bene vivendum, & contentum eſſe rebus ſuis, nihilque amplius appetere, maximæ ſunt certiſſimæque divitiæ: quas ſola ſapientia largitur. Qui ergo ſapientiam poſſidet, etiam divitias poſſidet.

Quales divitias ſapientia habeat.

: עשר וכבוד אתי הון עתק וצדקה 8. 18.

Divitiæ & gloria penes me ſunt: opes antiquæ & juſtæ.

Penes me ſunt, ait Sapientia, *divitiæ præclaræ, & opes antiquæ*, hoc eſt, ſtabiles, firmæ, certæ, nec in caſu poſitæ poſſeſſiones.

Admonitio.

Divitiæ & gloria] Capio & expono per tmeſin, ut *armavirumque cano.* Figura nota Grammaticis.

Divitias induſtria parat.

: יד חרוצים תעשיר 10. 4.

Manus ſedulorum ditat.

Opera ſedula & diligens hominem divitem facit.

Dives nemo qui avarus.

: נבהל להון רע עין ולא ידע כי חסר יבאנו 28. 22.

Feſtinat ad opes malus oculus, neſciens obventuram ſibi egeſtatem.

Malus oculus, i. avarus. Huic ait obventuram egeſtatem: & vere. Nam avari, quoniam incertas poſſeſſiones habent, & plus ſemper quærunt, nec ulla copia expleri poſſunt, non modo non copioſi ac divites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt.

Juſtæ opes à morte defendunt.

: צדקה תציל ממות 10. 2.

Juſtitia liberat à morte.

Juſte parta tuentur hominem adverſus ea mala & incommoda, in quæ illi incurrunt, qui per fas ac nefas opes accumulant.

Admonitio.

Juſtitia] i. theſauri juſtitiæ, repetita voce ex præcedenti membro, ἀπὸ κοινοῦ, ut loquuntur.

Divitiis homo redimit vitam ſuam.

: כפר נפש איש עשרו 13. 8.

Redemptio animæ hominis divitiæ ipſius.

Animæ, i. vitæ. Homo pecunia vitam redimit vel bello captus, vel latrocinio. Interdum legum pœnas ejus beneficio effugit. Poteſt etiam ſenſus eſſe, *Qui pauperi donat, redimit animam ſuam.* Ita explicat Ambroſius epiſt. 82.

Opes amicos parant.

: הון יסיף רעים רבים 19. 4.

Opes addunt amicos multos.

Si dives eris, & commode tecum agetur, amicorum multitudinem non deſiderabis: amicorum copia florebis.

De divitiis mendacio acquiſitis.

: פעל אצרות בלשון שקר הבל נדף מבקשי מות 21. 6.

Comparare theſauros lingua mendaci, vanitas eſt impulſa quærentium mortem.

Res aucta mendacio ac fraudibus cito imminuitur. Tantumne? etiam

etiam perniciem importat. Sic dico, parta fraudulenter, & celeriter pereunt, & exitio ſunt poſſeſſoribus ſuis.

Divitias incertas eſſe, nec diu durare.

לא לעולם חוסן : 27. 24.

Non in perpetuum opes.

Sub. *durant.* Divitiæ non diu manent apud eundem. Cito abeunt, imo avolant. Nihil enim fugacius. Quocirca vehementer deſipiunt, qui in iis firmum præſidium collocant. Contra optime ſibi conſulunt, qui licet divites ſint, tamen id operam dant, ut artem aliquam addiſcant: nam ars eripi nunquam poteſt: neque naufragio, neque incendio amittitur.

Admonitio.

Opes] vel theſaurus, qui & *Chaſna*: quæ vox Turcis hodie in uſu.

Poſſeſſio propere acquiſita infelix.

נחלה מבחלת בראשונה ואחריתה לא תבורך : 20. 21.

Poſſeſſio properata initio, ad extremum non erit felix.

Qui initio diteſcere properat, tandem & habendi fructu, & ſervandi tum cura, tum metu perdendi, infelix erit.

Admonitio.

Properata] i. מבחלת. Ita legerunt, ut credibile eſt, interpretes priſci, quos ſequimur. Alioqui eſt cur malim poſſeſſio ſpreta ſive neglecta. Nam בחל ſprevit. Hoc dicit, Patrimonium principio neglectum, ad extremum erit infortunatum. *Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.*

D I V E S.

Dives ſibi ſapiens videtur.

חכם בעיניו איש עשיר ודל מבין יחקרנו :

Sapiens eſt in oculis ſuis vir dives: ſed pauper intelligens explorat eum.

In oculis ſuis, i. judicio ſuo. Videtur ſibi dives pulchre ſapere, eo quod divitias poſſideat, cum divitiæ non faciant hominem ſapientem, aut virum bonum. Ideo pauper intelligens explorat an etiam ſapientiam poſſideat, quam ſolam æſtimat, & in pretio habet, ac divitias præ illa vilipendit.

Qui ditiori dat, egentior fit.

נותן לעשיר אך למחסור 22. 16.

Qui dat diviti tantum ad egeſtatem.

Dandum pauperi, non diviti. Nam in divite & opulento ſi quid impendatur ſumptus eſt: At in paupere quæſtus eſt omne quod inſumitur. Vel ſic, Qui aliquid dat diviti, dat ut plus accipiat. Sed fruſtra. Nam non modo non plus accipit abs eo, ſed perit omne quod dedit: atque ita egentior fit ſua largiendo inutiliter & ſine fructu.

Dives pauperibus imperat.

עשיר ברשים ימשול : 22. 7.

Dives in pauperes dominatur.

Nam qui rempublicam gubernant, fere divites ſunt. Utinam etiam ſapientes eſſent. Sic enim melius certe cum populo ageretur.

Divitem à Deo fieri, ut & pauperem.

עשיר ורש נפגשו עשה כלם יהוה : 22. 2.

Dives & pauper occurrunt, factor utriuſque eſt DOMINUS.

Deus homines & pauperes & divites facit. Ut paupertas à Deo eſt: ita divitiæ niſi divina providentia nemini unquam obtigerunt.

Dives arroganter loquitur.

עשיר יענה עזות : 18. 22.

Dives reſpondet dure.

Dure. i. ferociter, ſuperbe, inſolenter. Nam divitiæ ferociam & inſolentiam pariunt. Ubi ergo pauper loqui non audet, ibi dives ferox eſt verbis & oratione.

Divites ſe faciunt multi qui non ſunt.

יש מתעשר ואין כל : 13. 6.

Eſt qui ſe divitem facit, cum nihil omnino habeat.

Quidam divites haberi volunt, cum non ſint. Simulant ſe locupletes eſſe, cum ſint in paupertate.

D O L O R.

Dolor animi non ſemper cum vultu concordat.

גם בשחוק יכאב לב : 14. 13.

Etiam in riſu dolet cor.

Sæpe vultu hilari ſunt, qui animo dolent: velut qui ſibi conſcii ſunt alicujus occulti criminis, aut qui perpetuo in metu verſantur, ut Tyranni; de quibus Euripides:

Τυραννίδος δὲ τῆς πάλαι θρυλλουμένης
Τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, τἀν δόμοισι δὲ
Λυπηρά.
i. e. interprete Stephano,
Vultu tyrannis eſt quidem lætiſſimo,
Intus dolores ſed fovet graviſſimos.

Dolore cordis ſpiritus cruciatur.

בעצבת לב רוח נכאה : 15. 13.

In dolore cordis ſpiritus fractus.

Nihil magis frangit animum hominis, quam dolor: qui ſi vehementior fuerit, ſæpe hominem occidit. Itaque Ben Syra, *Ne dederis*, inquit, *cor tuum dolori: nam multos interimit dolor.*

Doloris principium eſt ad extrema gaudii perveniſſe.

ואחריתה שמחה תוגה : 14. 13.

Extremum gaudii mœror.

Vetus editio, *Extrema gaudii luctus occupat.* Ita natura eſt comparatum, ita Deo placitum, lætis ut triſtia ſuccedant, & voluptati ut mœror comes conſequatur. Quin incommodi plus malique ilico adſit, boni ſi obtigit quid.

Dolor animi oratione mitigatur.

דאגה בלב איש ישחנה ודבר טוב ישמחנה : 12. 25.

Dolor in corde hominis, ipſum deprimit: & oratio bona ipſum exhilarat.

Animum plane dejicit conficitque mœror: eundem exhilarat oratio conſolantis depulſo mœrore. Quod Græco proverbio dicitur, *Animi ægrotantis medicus eſt oratio.* Græce venuſtius, ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι. Poteſt legi, *ſolicitudo in corde hominis, ipſum deprimit.* Nam ſolicitudo quoque cor exedit, conficitque curis.

Dolorem muſica levat.

מעדה בגד ביום קרה חמץ על נתר ושר בשרים על לב רע : 25. 20.

Admovens veſtem in frigore, acetum ſuper nitrum, eſt is qui canit carmina apud animum male affectum.

Ut veſtes frigus diſpellunt, & acetum nitrum diſſolvit: ſic muſica triſtitiam diſcutit. Alii contrario ſenſu enarrant hoc modo, Ut qui aufert veſtes in frigore valetudini nocet, & quemadmodum aceto nitrum corripitur: ſic animus mœſtus muſica irritatur. Pro hac ſententia facit primum verbum מעדה quod uſitate ſignificat *removere*: deinde quod apud Syrachi F. *Muſica in luctu, intempeſtiva narratio.* Cui aſſenſum præbet autor gravis Plutarchus ſcribens muſicam luctui non convenire Sympoſ. 7. quæſt. 7. his verbis: *Mihi quidem*, inquit, *alioqui carus Euripides ſuam legem neutiquam perſuaſit, muſicam ad luctus & triſtitiam transferendam ſtatuens. Ibi enim medici loco adſiſtere debet ſobria & induſtria oratio. Hujuſmodi vero Baccho admiſcere voluptates, & ludum jocumque deputare convenit.*

Et vinum.

תנו שכר לאובד ויין למרי נפש : 31. 6.

Date ſiceram pereunti, & vinum amaris animo.

Vinum enim exhilarat, & curas fugat. Tibullus, *Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert, Crura licet dura compede pulſa ſonent.* Et Ovidius, *cura fugit multo diluiturque mero.* Rurſus Tibullus, *Bacchus & agricola magno confecta labore, Pectora triſtitia diſſolvenda dedit.* Sequitur in Salomone, *Bibat & obliviſcatur paupertatis ſuæ, & laboris ſui non recordetur amplius.*

Dolor non accidit juſto.

לא יאנה לצדיק כל און 12. 21.

Non accidit juſto ullus dolor.

Manifeſtius hoc retulit interpres vetus, *Non contriſtabat juſtum, quicquid ei acciderit.*

DOLUS.

Dolus pauperem facit.

ראש עשה כף רמיה 10. 4.

Pauper fit, qui operatur manu doloſa.

Doli vocabulo ſignificant Ebræi *ignaviam*. Ergo manu doloſa, i. ignava. Nam ignavi fere dolis utuntur.

Et eſurientem.

נפש רמיה תרעב 19. 15.

Anima doloſa eſuriet.

Homo doloſus & ignavus deſtituetur rebus neceſſariis ad famem arcendam.

Et tributarium.

יד רמיה תהיה למס 12.24

Manus doloſa ſub tributo erit.

i. *Tributaria.* Hujus contrarium, *manus ſedulorum dominabitur.* Nam ut ſedulus dicitur quaſi ſine dolo: ſic doloſum accipio, qui minime ſedulus eſt.

Dolo parta, priuſquam iis uti quis poſſit, dilabuntur.

לא יחרך רמיה צידו 12. 27.

Non torrebit dolus venationem ſuam.

Dolus i. *doloſus.* Per fraudem parta prius dilabentur, quam iis uti frui poterit fraudis autor. Vide in *Fraus.*

DOMUS.

Domum turbans egebit.

עוכר ביתו ינחל רוח : 11. 29.

Qui turbat domum ſuam, poſſidebit ventum.

Qui rem familiarem diſturbat inconſulte largiendo, aut avare poſſidendo, aut aliter, quomodolibet ſtulte adminiſtrando, poſſidebit ventum, hoc eſt, rem nihili. q. d. aliud nihil habebit quo ſe paſcat, quam ventum. Porro *vento paſci* dicitur is, qui *extreme pauper* eſt: & eſt proverbiale.

Domum turbat avarus.

עוכר ביתו בוצע בצע : 15. 27.

Turbat domum ſuam lucri cupidus.

Nunquam quies in domo avari, qui ob immenſam lucri cupiditatem ſuos nunquam reſpirare ſinit, & dum quærendis inhiat, parta contingere non audet. Turbat ergo domum quærendo avare, utendove ſordide, nec largiendo ubi oportet, aut iis quibus oportet. His adde quod avari facultates valde incertæ ſint. Ut partæ ſunt, ita fere diſpereunt.

Domus ſapientia conſtruitur.

בחכמה יבנה בית ובתבונה יתכונן : 24. 3.
ובדעת חדרים ימלאו כל הון יקר ונעים : 4

Sapientia ædificatur domus, & prudentia ſtabilitur. Et ſcientia cellæ replentur, omnigenis opibus pretioſis & pulchris.

Sapientiæ beneficio res familiaris non ſolum integra ſalvaque manet; ſed etiam augetur, & luculentior fit.

Et ſtultitia evertitur.

חכמות נשים בנתה ביתה ואולת בידיה תהרסנו : 14.11.

Sapientes mulierum ædificant domum ſuam: at ſtultitia ſuis manibus eam evertit.

Sapiens materfamilias prudentia ſua domum inſtructiorem atque locupletiorem reddit: ſtulta, quoniam omnia inconſulte agit, eandem evertit, remque familiarem diſperdit.

Domus juſtorum diu ſalva manet.

בית צדיקים יעמד : 12. 7.

Domus juſtorum ſtabilis eſt.

Familia juſtorum durat multis ſeculis. etiam facultates, quas certas, non in caſu poſitas poſſident viri boni.

Et florentiſſima evadit.

אהל ישרים יפריח 14. 11.

Tabernaculum rectorum florebit.

Aut, *Floret.* Ut palma ſemper viret: ſic bonorum domus perpetuo floret. Licet etiam vertere, *germinat*: & eſt ſenſus, augeſcit & incrementum ſumit ut germen.

Deus impii domum infelicitat.

מארת יהוה בבית רשע : 3. 33.

Maledictio in domo impii.

Deus impii domum omnibus infortuniis vexat, multis gravibusque incommodis afficit, ad ſummam infelicitatem redigit.

Imo plane delet.

בית רשעים ישמד : 14. 11.

Domus impiorum delebitur.

Excindetur & exterminabitur à Deo.

Idem juſti domum felicitat.

נוה צדיקים יברך 3. 33.

Habitaculo juſtorum benedicit.

Deus juſti familiam felicem ac beatam reddit.

Et domum ſuperbi evertit.

בית גאים יסח יהוה 15. 25.

Domum ſuperborum exſtirpat DOMINUS.

Vel, *demolitur.* Sic eſt profecto: Propter ſuperbiam concidunt proſtratæ atque perculſæ à Deo florentiſſimæ familiæ.

Domus juſti opulenta: impii miſera & plena turbarum.

בית צדיק חסן רב ובתבואת רשע נעכרת 15.6.

In domo juſti eſt amplus theſaurus: in proventu impii turbatio.

Turbæ ſunt in domo impii, ut ſupra, *Conturbat domum ſuam deditus quæſtui.* Vide quæ notamus ad locum illum. Omnino hoc ſignificat, Divitiæ, quas viri boni quiete atque tranquille poſſident, turbant tum ipſum improbum, tum univerſam familiam ipſius.

Domus ex patrimonio.

בית והון נחלת אבות 19. 14.

Domus & opes hæreditas ſunt paternæ.

Domus, ut plurimum, pars eſt patrimonii. Opes autem à Deo dantur parentibus: per quos deinde ad poſteros transmittuntur, niſi quas ſibi quiſque proprio labore comparavit.

Domus inſtruenda poſt opus ruſticum.

הכן בחוץ מלאכתך ועתדה בשדה לך אחר ובנית ביתך : 24. 27.

Diſpone

Diſpone foris opus tuum, & prapara illud in agro tibi, poſtea conſtrues domum tuam.

Prius oportet parare ex agris, quæ ad victum requiruntur, quam domum inſtruas aliis rebus neceſſariis. Sit ergo prima cura agri, domus proxima. Nam ex agro vivendum. Domus inſtruitur rebus magis ad commoditatem familiæ, quam ad vitam neceſſariis. Porro vita nihil prius, nihil antiquius eſt.

Oeconomia neceſſaria ad conſervandam domum.

13. 23. יש נספה בלא משפט

Eſt qui abſumitur abſque judicio.

Eſt qui abſumitur, id eſt, cujus bona & facultates abſumuntur: abſque judicio, vult dicere, *abſque oeconomia*, quia videlicet non recte adminiſtrat rem familiarem.

DOMUS MERETRICIA. i. LUPANAR.

Vitanda lupanaria.

5. 8. אל תקרב אל פתח ביתה

Ne accede ad oſtium domus ejus.

Si ſalutis, ſi valetudinis rationem habes, id dare operam oportet, ne omnino lupanaria frequentes.

Nam ad inferos ducunt.

2. 18 שחה אל מות ביתה ואל רפאים מעגלותיה :
19. כל באיה לא ישובון ולא ישיגו ארחות חיים :

Vergit ad mortem domus ejus, & ad gigantes orbita ejus. Quotquot eam ingrediuntur, non revertentur, neque aſſequentur ſemitas vitæ.

Nam exitium adferunt omnibus, qui ea ingrediuntur. Ad mortem, hoc eſt, *ad inferos*. Idem ſignificat, *ad gigantes*. Nam gigantum animæ apud inferos. Simile eſt, *Ad generum Cereris pauci tyranni ſine cæde deſcendunt*. Vult dicere, *ad loca inferna*, quæ cruciandis improbis deſtinata.

Idem aliter.

7. 27. דרכי שאול ביתה ירדות אל חדרי מות

Via ad inferos domus ejus, deſcendentes in mortis penetralia.

Potuiſſet dicere, *via ad inferos*. Sed elegit *via ad inferos*, quoniam non una via eo ducit lupanar.

Domus ſapientiæ.

9. 1. חכמות בנתה ביתה חצבה עמודיה שבעה :
2. טבחה טבחה מסכה יינה אף ערכה שלחנה :
3. שלחה נערתיה תקרא על גפי מרמי קרת :
4. מי פתי יסור הנה חסר לב אמרה לו :
5. לכו לחמו בלחמי ושתו יין מסכתי :

Sapientia exſtruxit domum ſuam, excidit columnas ſeptem.
Mactavit victimam ſuam, miſcuit vinum.
Miſit puellas ſuas, clamat in verticibus editis civitatis.
Quis incautus divertit huc: deficiens corde: ei dixit,
Venite veſcimini de pane meo, & bibite de vino quod miſcui.

D O N U M.

Dona nec paſſim, nec ab omnibus accipienda.

15. 27. שונא מתנות יחיה

Qui adit dona, vivet.

Qui munera ad pervertendum judicium data averſatur: rurſus, qui nec omnia, nec ab omnibus accipit (nam nihil accipere inhumanum) quorum alterum hominis viliſſimi, alterum amariſſimi, ſordidiſſimique eſt, cum eo bene ac feliciter agetur.

Dona placant iratos.

21. 14. מתן בסתר יכפה אף :

Donum in occulto reſtinguit iram.

Munus in occulto ſive clam datum, (nam palam nemo libenter accipit munera) hoc eſt, *clandeſtinum*, ſedat animum ira commotum, placat eos, qui nobis ſuccenſent. Ovidius 3. Art.

Quid faciat ſapiens? ſtultus quoque munere gaudet
Ipſe quoque accepto munere mitis erit.

Et alibi,

Munera crede mihi placent homineſque Deoſque
Placatur donis Jupiter ipſe datis.

Non latuit hoc Nabali, hoc eſt ſtultiſſimi hominis ſapientiſſimam conjugem Abigailem, cum donis placaret Davidem regem, cui maritus bilem commoverat. Sic & Jonathan donis mitigavit Demetrium regem, de quo vide, ſi vacat, Joſephum Ant. Hiſt. lib. 13. cap. 7.

Dona amicos conciliant.

19. 6. כל הרע לאיש מתן

Quilibet amicus eſt viro qui multa donat.

Hoc eſt *viro munifico*. Hujus contrarium, *Immunem cives odere ſui*. Exſtat alibi apud Iſidorum in libris Originum.

De eo qui promittit, nec præſtat.

25. 14. נשיאים ורוח וגשם אין איש מתהלל במתת שקר :

Nubes & ventus abſque pluvia, eſt vir qui gloriatur de dono mendaci.

Mendax ſive fallax donum dicitur, quod quis ſe daturum pollicetur, nec dat. Id ſimile eſſe ait nubibus, quas Phyſici *ſteriles* vocant, quod nihil humoris in ſe contineant. Quemadmodum igitur qui pluviam ab eis exſpectat, fruſtra eſt: ſic qui ab homine vano aliquid ſperat, ejus ſpem inanem eſſe exitus rei declarat. Magnis promiſſoribus parum fidei adhibendum eſt. Plerumque qui divites ſunt verborum, eſſe inopes re[illegible]nt.

Donorum vis & efficacia.

18. 16. מתן אדם ירחיב לו ולפני גדלים ינחנו :

Donum hominis eum in lato collocat, & in conſpectum magnatum adducit.

Munerum ea vis ut nos ex anguſtiis liberent, conatus noſtros ſecundent atque fortunent. Nec hoc tantum, ſed etiam principes familaritatis uſu nobis conjungant.

Dentes aceto læduntur.

10. 26. חומץ לשנים

Acetum dentibus.

Proverbiale eſt de re moleſta & noxia. Nam acetum, niſi vino aut aqua temperetur, valde lædit dentes. Eſt enim ſumme frigidum.

E B R I E T A S.

Ebrietas depauperat.

21. 17. אהב יין ושמן לא יעשיר

Qui amat vinum aut unguentum non diteſcet.

Qui vino ad ebrietatem, unguento ad luxum utitur, pauper evadet. Nam utrumque loculos exhaurit.

Ebrietas mentem aufert.

20. 1. לץ היין המה שכר וכל שגה בו לא יחכם :

Irriſor eſt vinum, & tumultuoſa ſicera: quicunque in eo errat, non ſapiet.

Vinum, i. *Vinoſus*. Aut irriſor vinum, ut pallida mors, quia irriſorem hominem facit. Sic *Tumultuoſa ſicera*. Qui in eo errat, i. qui ſe eo inebriat. Sic & Hoſeas, *Scortatio, vinum & muſtum, auferunt cor*: & Menander ὁ πολὺς ἄκρατος ὀλίγ' ἀναγκάζει φρονεῖν. Quamobrem temperantia à Græcis definitur, *conſervatrix mentis & prudentiæ*. Eſt enim *anima ſicca ſapientiſſima*, juxta Proverbium. *Ebrietas*, inquit Auguſtinus, *aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum, incitat libidinem, omnia membra debilitat, vitamque exterminat.*

Ebrietas

Ebrietas cavenda imprimis principibus.

31. 1. אל למלכים שתו יין

Neutiquam eſt regum bibere vinum.

Non debent ſe vino inebriare principes, & rempublicam gubernantes. *Nihil quippe minus convenit*, ut ait Plato, *quàm ebrium eſſe eum, qui alios cuſtodiat.* Ridiculum profectò eſt cuſtodem cuſtodis indigere.

Admonitio.

Bibere vinum] accipio hic pro *inebriari vino.* Sic vini potores, *ebrii* vino.

Ebrietatis effectus.

23. 29. למי הוי למי אבוי למי מדינים למי שיח למי פצעים חנם למי חכלילות עינים :
30. למאחרים על היין לבאים לחקר ממסך :
31. אל תרא יין כי יתאדם יתן בכוס עינו יתהלך במישרים
32. אחריתו כנחש ישך וכצפעני יפריש :
33. עיניך יראו זרות ולבך ידבר תהפוכות :
34. והיית כשוכב בלב ים וכשוכב בראש חבל :
35. הכוני בל חליתי הלמוני בל ידעתי מתי אקיץ אוסיף אבקשנו עוד :

Cui hei, cui veh, cui rixa, cui querela, cui vulnera temere, cui rubedo oculorum?

Qui moram trahunt juxta vinum, qui eunt inveſtigatum mixtionem.

Nè intuearis vinum, quod rubet, reddit in calice colorem ſuum, manat rectà.

Noviſſimum ejus velut ſerpens mordebit, & velut coluber punget.

Oculi tui videbunt aliena, & cor tuum loquetur perverſa.

Et eris ſimilis cubanti in corde maris, cubanti in ſummitate mali.

Percuſſerunt me, nec dolui: contuderunt me, nec ſenſi: quando expergiſcar, iterum illud requiram denuo.

Abſtinendum ab ebrietate, & comeſſationibus.

23. 20. אל תהי בסבאי יין בזללי בשר למו:
21. כי סבא וזולל יורש וקרעים תלביש נומה :

Ne ſis in potatoribus vini, in comeſſatoribus carne ſe ingurgitantibus.

Nam potator & comeſſator pauper fiet, & laceras induet dormitatio.

Ne ſis vini potator, hoc eſt, ebrietati addictus, neque comeſſator, i. gulæ deditus. Nam tales eo tandem deveniunt, ut non habeant, unde ſe alant, aut veſtiant. *Laceras*, Epitheton ſine re: tu *veſtes* ſubaudi. Dormitatio, i. pigritia, juxta illud, *Paululum ſomniorum, paululum dormitationis* &c. Nam *pediſſequa comeſſatorum & ebrioſorum, pigritia.*

ELOQUENTIA.

17. 7. לא נאוה לנבל שפת יתר

Non decet fatuo labium excellens.

Id eſt, ſermo facundus & eloquens. Nam eo uti rectè non poteſt. Eſt enim ingenio pravo & perverſo. Quo ergò eloquentior, hoc pernicioſior civis patriæ vivit. Nam cœleſte ac divinum illud donum, quod ad ſalutem & conſervationem à Deo datum, ad bonorum peſtem, perniciemque convertit.

Diſertus tantò doctior habetur.

16. 23. ומתק שפתים יסיף לקח :

Suavitas labiorum addit doctrinam.

Quo quiſque diſertior, hoc habetur doctior & eruditior. Certè minus eruditus vulgò æſtimatur, qui id quod ſcit, commode eloqui non poteſt.

EXCANDESCENTIA.

Excandeſcentiæ medetur oratio.

15. 1. מענה רך ישיב חמה

Reſponſio mollis avertit excandeſcentiam.

Commotum iracundia vehementi, ſedat lenis ac mitis oratio. Ut ignem non reſtinguit ignis; ſed aqua: ſic furorem compeſcit mollis ſermo. **Een klein ſoet woordt / ſtilt grooten toorn.**

Et munera.

21. 14. שחד בחק חמה עזה :

Munus in ſinu excandeſcentiam vehementem.

Munus in ſinu, i. clam datum, reſtinguit vehementem excandeſcentiam, quaſi diceret, placat eos, qui vehementer in nos excanduerunt.

Excandeſcentiæ effectus crudelis.

27. 4. אכזריות חמה

Res crudelis excandeſcentia.

Nam qui aliquem puniunt excandeſcentia incenſi, modum ſervare non poſſunt, excandeſcentia ipſis judicium adimente. Quamobrem non abſurde dixeris, excandeſcentiam matrem crudelitatis eſſe.

Excandeſcentia regum mortem denuntiat.

16. 14. חמת מלך מלאכי מות ואיש חכם יכפרנה :

Excandeſcentia regis nuncius eſt mortis: vir autem ſapiens expiabit illam.

Expiabit. i. *placabit.* Cum rex, aut princeps aliquis vehementer ſuccenſet, niſi eum mature placet, (placabit autem quiſquis ſapiens eſt) hic ſciat ſibi paratum certum exitium. Fulmen eſt ubi cum poteſtate habitat iracundia. *Pereunt*, inquit Seneca, *funditus omnia, ubi quantum ira ſuadet, fortuna permittit. Quare ut in navigando procellam vitamus, ſic regum furor declinandus eſt.*

Excandeſcentiam pœna comitatur.

19. 19. גדל חמה נשא ענש :

Magnus excandeſcentia ſuffert pœnam.

Qui cum furore aliquid facit, pœnam luit, dum vel ipſum pœnitet facti, vel ſtultitiæ ſuæ (nam furor nihil ſapienter agit) ſupplicium debitum perſolvit.

Exemplum.

Ira vehementi accenſus Alexander, Clytum nutricis ſuæ filium, à quo fuerat ad Granicum amnem ſervatus, haſta transfixit: cujus magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perpendentem, poſteaquam ira deferbuiſſet, tanta pœnitentia ſubiit, ut eandem haſtam è corpore jacentis evulſam, in ſemetipſum retorſerit, patraturus novam cædem, niſi advolantes vigiles eam repugnanti è manibus extorſiſſent. Author Curtius lib. 8.

Aliud exemplum referendum ad ſententiam,

Res crudelis excandeſcentia.

Exemplum ex Sabellico.

„Habuit Byzantii Mahometes Othomanus, qui duo evertit im„peria, voluptuarium ſeceſſum. Huc confeſtim ingreſſo „aderant illi duo (ut fertur) ex omni puerorum multitudi„ne, qui ad fœdiſſimum uſum ibi loci alebantur, forma ele„ganti & hilari aſpectu. His ille utrinque innixus ſolebat „citro utroque per hortos deambulare, obſervaveratque in„terim rex binos pubeſcentes cucumeres: quos cum eo re„verſus non inveniſſet, adeo in ſubitam iram exarſit, ut „pueros, quia paullulum diverſi aberraverant expoſtulatos, „ac pertinaciter negantes à ſe decerptos, arrepto gladio, „quem de more ad latus ſuſpenſum geſtabat, unum poſt al„terum à ſtomacho reſectum patefecerit, uter eorum furti „author fuiſſet exploraturus, cum neuter fuiſſet.

EXILIUM.

27. 8. כצפור נודדת מן קנה כן איש נודד ממקומו :

Ut avis fugiens è nido ſuo: ſic vir fugitans è loco ſuo.

Ut avis nido ejecta nullo certo loco conſiſtit, ſic homo patria pulſus

ſus incertis ſedibus huc illuc vagatur. Vel ſic, ut avis libero aere fruitur, ſic exul eadem ubique rerum natura utitur. Ideo Brutus dicebat, *patria carere non eſſe miſerum. Certe*, ut Seneca ſcribit, *quocunque migraverimus, duo nos ſequuntur, natura communis, & propria virtus.*

FAMA.

Fama corpus ſaginat.

15. 30. כאור עינים ישמח לב שמועה טובה תדשן עצם :

Lumen oculorum cor exhilarat: bona fama oſſa ſaginat.

Symmachus lib. 3. epiſt. 45. *Vera res eſt famam eſſe velocem. Sed diſſentio à Mantuano, qui eam putat in malis debere numerari. Nam quid hac praclarius, cum latis nunciis rigat aurem & mentem bonorum.*

Fama divitiis præſtat.

22. 1. נבחר שם מעשר רב :

Optabilius eſt nomen amplis divitiis.

Bona exiſtimatio pecuniis præſtat. Nomen ex recte factis praferendum amplis divitiis. Nam divitia cuivis obtingere poſſunt: nomen non conſequitur niſi qui bonus eſt. Divitia curas adferunt, nomen ſine curis eſt. Divitia cito pereunt: nomen nec eripi nec ſurripi niſi difficulter admodum poteſt. Neque enim naufragio aut incendio amittitur. Jactura rei facile ſarciri poteſt: fama amiſſa non facile recuperatur, contaminata vero vix unquam diluitur. Poſtremo pecunia non propter vim ſuam & naturam, ſed propter fructum & utilitatem tantum expetitur: bona exiſtimatio & ſua vi, & dignitate nos inductos ducit, & pra ſe gerit quandam utilitatem, quo magis expetatur: ait Cicero in 2. de Inventione.

Fama ex longinquo.

25. 25 מים קרים על נפש עיפה ושמועה טובה מארץ מרחק :

Aqua frigida anima laſſa: rumor bonus è terra longinqua.

Bene audire à remotis longeque diſſitis populis, & honeſto ſermone de nobis compleri aures exterorum, tam eſt jocundum, quam ſi laſſis ac ſitientibus aqua frigida obtingat.

FAMES.

Fames ad laborem cogit.

16. 26. נפש עמל עמלה לו כי אכף עליו פיהו :

Anima laborantis ſibi laborat quia incumbit ei os ipſius.

Vult dicere, fames eum cogit ad hoc.

Fames furem facit.

6. 31. לא יבוזו לגנב כי יגנוב למלא נפשו כי ירעב :

Non ſpernunt furem quum furatur ad implendum animam ſuam, dum eſurit.

Furtum ſæpe committitur ex inopia: ideo non tam grave crimen, quam adulterium. Atqui ſeveriſſime hodie punitur, quum adulteria impunita ubique ſint.

Fames optimum condimentum.

27. 7 נפש רעבה כל מר מתוק:

Anima famelica omne amarum dulce.

Aliis verbis hoc extulit Romanus ſapiens Seneca epiſt. 123. *Fames malum panem, ſiligineum reddit.* Belgæ quoque proverbio dicunt, *crudas fabas dulces fieri per famem.* & Horatius, *Vulgaris ſtomachus raro vulgaria temnit:* Quin & Xenophon apud Athenæum, ἡδὺ μὲν μᾶζαν, inquit, καὶ κάρδαμα φαγεῖν πεινῶντι: ἡδὺ δὲ ὕδωρ ἀρυσάμενον ἐκ ποταμοῦ διψῶντα πιεῖν:

Exemplum ex Cicerone.

Darius in fuga, cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundius. nunquam videlicet ſitiens biberat: nec eſuriens Ptolomaus ederat. cui cum peregrinanti, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt eo pane jucundius.

Aliud exemplum ex eodem.

Dionyſius tyrannis cum in Phiditiis cœnaviſſet, negavit ſe jure illo nigro, quod cœna caput erat, delectatum. tum is, qui illa coxerat, minime mirum, inquit, condimenta enim defuerunt. Qua tandem, inquit ille? Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedamoniorum epula condiuntur.

Fames ex ignavia.

19. 15. נפש רמיה תרעב

Anima ignava eſuriet.

Quiſquis ignaviæ ſe dediderit, fame & eſurie laborabit. *Qui non operatur, non comedet*, juxta proverbium.

Vir bonus nunquam eſuriet.

10. 3. לא ירעיב יהוה נפש צדיק :

Non faciet eſurire DOMINUS animam juſti.

Sic & David, *Puer fui, & ſenui, nec vidi unquam juſtum quarentem panem.*

FASTUS.

Religio faſtum odit.

8. 13. יראת יהוה שנאת רע גאה וגאון

Timor DOMINI eſt odiſſe malum, faſtum & ſuperbiam.

Sancti viri & religionem colentes, non ſolum non ſuperbi ſunt, ſed etiam faſtum & ſuperbiam odio proſequuntur.

Faſtum infamia comitatur.

11. 2. בא זדון ויבא קלון

Venit faſtus, & venit ignominia.

Ignominia ingenuos maxime à peccando deterret. Debet ergo & à faſtu deterrere, quia faſtus ignominiam parit. Ut umbra corpus: ſic elationem animi ſequitur infamia & dedecus.

FIDEJUSSIO.

Quid faciendum ei qui fidejuſſerit pro altero.

6. 1. בני אם ערבת לרעך תקעת לזר כפיך :
2. נוקשת באמרי פיך נלכדת באמרי פיך :
3. עשה זאת אפוא בני והנצל כי באת בכף רעך לך התרפס ורהב רעיך :
4. אל תתן שנה לעיניך ותנומה לעפעפיך :
5. הנצל כצבי מיד וכצפור מיד יקוש :

Fili mi, ſi fidejuſſeris pro altero, ſtipulatus fueris pro alieno manu tua.
Irretitus es verbis oris tui, captus es verbis oris tui.
Fac iſtud nunc, fili mi, libera te: quoniam veniſti in manum proximi tui.
Vade humilia te, & incita amicos tuos.
Elabere velut caprea è manu, & ſicut avis è manu aucupis.

Damnum ex ſponſione.

11. 15. רע ירוע כי ערב זר :

Malo gravi afficietur qui ſpondet pro extraneo.

Sic Græci ἐγγύα παρὰ δ' ἄτη, i. *ſponde, noxa praſto eſt.* Hujus oppoſitum

שונא תוקעים בוטח

Qui odit fidejuſſores, ſecurus eſt.

Qui abſtinet à fidejubendo, is eo metu vacat, in quo illi ſunt, qui pro alio ſpoſponderunt. *Quos credis fidos effuge, tutus eris.*

Fidejubere pro altero deſipientem.

17. 18. אדם חסר לב תוקע כף ערב ערבה לפני רעהו :

Homo corde deficiens manu ſtipulatur : ſpondens ſponſionem coram proximo ſuo.

Demens homo non veretur ſponſorem ſe nomine alieno temere interponere. Aut lege, *Homo corde deficiens eſt*, *qui manu ſtipulatur* &c. Is deſipit & eſt amens, qui jubet ſua fide aliquem alicui pecuniam eredere.

Sponſor pro debitis fieri nemo debet, ne rem familiarem in diſcrimen adducat.

22. 26. אל תהי בתקעי כף בערבים משאות :
27. אם אין לך לשלם למה יקח משכבך מתחתיך :

Ne ſis inter fidejuſſores, inter eos qui ſpondent pro debitis. Quod ſi non erit unde reddas, cur auferat lectum tuum ſubtus te.

Quod pro alio ſpondetur, id dependendum eſt. Noli ergò ſponſor eſſe pro alienis debitis, nè ſi non ſit, ut poſſis ſolvere, & creditori ſatisfacere, tibi lectus tuus ſuper quo dormis, auferatur, ſubtrahaturque.

Admonitio.

Aufert] ſub. *creditor*. Non male etiam vertes, *cur auferetur lectus tuus*, per verbum impersonale.

Pignus capiendum ab eo, qui ſpoſponderit pro extraneo.

20. 16. לקח בגדו כי ערב זר ובעד נכריה חבלהו :

Cape veſtem ejus qui ſpoſponderit pro alieno, & pro ignota, pignus ejus.

Si contigerit aliquem ſpondere pro homine tibi ignoto, ignotave, ne dubita pignoris loco accipere veſtem ejus aut aliud quippiam.

Admonitio.

Pignus ejus] alii referunt, *pignera eum*. Hæc ſententia repetitur iiſdem verbis 22. 26. niſi quod ibi ſit קח cape pro לקח.

FIDELITAS.

Qui bonæ fidei eſt, in eum multa bona conferentur divinitus.

28. 20. איש אמונות רב ברכות :

Vir fidelis multus erit benedictionibus.

Qui in munere ſuo fidelis eſt, multis, & quidem amplis à Deo beneficiis ornabitur. Egregia præmia manent eum, qui fideliter obit vocationem ſuam.

Fidelis ſilentii fidem præſtat.

11. 13. נאמן רוח מכסה דבר :

Fidelis animo celat rem.

Qui ex animo fidelis eſt, celat arcanum ſibi commiſſum, atque adeo quicquid celari oportet.

De legato fideli.

13. 17. ציר אמונים מרפא :

Legatus bonæ fidei medela eſt.

Qui bona fide obit legationem ſuam, ſibi & iis, à quibus mittitur, eſt ſalutaris.

De eodem.

25. 12. כצנת שלג ביום קציר ציר נאמן לשלחיו :

Quod nivale frigus tempore meſſis, id eſt legatus fidelis mittentibus ipſum.

Relevat recreatque animum ipſorum ut aqua nivalis adſperſa laborantibus in æſtu. Dico *adſperſa* vel *epota*. Nam ſic etiam utilis eſt meſſoribus. Videatur Fran. Valeſius de ſacra Philoſophia cap. LXI.

Fidelitas rara.

20. 6. איש אמונים מי ימצא

Virum recta fidei quis inveniat?

Quaſi dicat, difficulter inveniri poſſe, rariſſimumque eſſe. Sic poeta, neſcio quis,

Millibus : multis unus vix fidus amicus,
Hic albo corvo rarior eſſe ſolet.

Exemplum ex Chronicis Brabantiæ referendum ad ſententiam priorem de fideli legato.

Lothario Francorum rege mortuo, Chilpericus ejus cognatus, regnum vi & armis occupare molitus eſt. Huic ſe oppoſuit cum exercitu Carolus Martellus. Pugnatum eſt acriter: vicit Carolus. Chilpericus poſtea legatos miſit, qui legatione fideliter obita, ita placarunt animum Caroli, ut regia Chilperico ſtatim detulerit inſignia. Quis jam neget hos legatos Chilperico ſalutares fuiſſe.

FIDUCIA.

De confidentia bonorum.

28. 1. צדיקים ככפיר יבטח

Juſtorum quiſque inſtar leonculi confidit.

Non terretur rebus vanis, nec homines timet: ſed ut leo juvenis ſecurus eſt, animoque fidens. Hæc fiducia, ſeu mavis confidentia, ei naſcitur primum ex conſcientia recte factorum: deinde ex pietate quam habet erga Deum, in quo proram ac puppim ſuæ ſalutis collocat, memor dicti illius Prophetici, *Deo fretus ſum, non confundar in æternum.*

De improborum confidentia.

14. 16. כסיל מתעבר ובוטח

Stultus pertranſit, & confidit.

Eſt hominis ſtulti, inconſiderate & confidenter adire pericula, nec metuere Deum, aut declinare malum, quod honeſte declinari poteſt.

Qui Deum veretur, nimis quam confidens eſt.

14. 26. ביראת יהוה מבטח עז :

In timore DOMINI fiducia valida.

Sancti viri & Deum metuentes, animo ſunt ſupra modum fidenti, & erecto, & ſecuro. Quæris quæ ſit iſta ſecuritas? non homines timere, non Deo diffidere: nec turpia velle, nec nimia: in ſemetipſum habere maximam poteſtatem. Inæſtimabile bonum eſt talis animus: quo quiſquis caret, ſemper miſer eſt, futurique anxius, & ſollicitus, ut ea quibus oblectatur, ad extremum uſque permaneant.

Rurſus de improborum fiducia.

25. 18. שן רעה ורגל מועדת מבטח בוגד ביום צרה :

Dens fractus, & pes luxatus, eſt fiducia prævaricatoris tempore adverſo.

Ut dens confractus, & pes luxatus deſtituunt eum, qui edere aut ire vult: ſic fiducia deſtituit improbum in anguſtiis conſtitutum, videlicet quum ea maxime opus habet.

De fiducia quam quidam habent in munitione urbium ſuarum.

21. 22. עיר גברים עלה חכם וירד עז מבטחה :

Urbem fortium conſcendit ſapiens, & dejicit robur fiduciæ ejus.

Pronomen *ejus* referendum ad urbem. Urbs autem ſumitur & pro civibus, qui ſæpe fiduciam ponunt, verbi gratia, in muro celſo, aut munito, quem tamen ſapienti facile dejicere, urbemque, licet potens ſit, & invicta videatur, expugnare. Non ergò fidendum nimis munitionibus.

FIDUCIA ERGA DEUM.

Quære in tit. *Deus*. Eſt autem fiducia, quam Apoſtolus πεποίθησιν dicit, *effectus fidei*. Quare minus recte quidam hic fiduciam confundit cum fide. Quæ tamen de fiducia ibi dicuntur,

dicuntur, ad fidem quoque referre & accommodare licet. Nam duo iſtâ pariter incedunt, nec ſeparari poſſunt.

FORMA.

Forma res vana eſt.

הבל היופי · 31. 27.

Vanitas pulchritudo.

Non ſolum vana, ſed ipſa vanitas. Seneca Hippolyto, *Res eſt forma fugax, quis ſapiens bono confidat fragili?* Et Octavia, *Florem decoris ſinguli carpunt dies.* Sic & Ovidius, niſi fallor,

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos
Fit minor & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Vana ergo & fallax gloria formæ, tum quia cito perit, flori verno ſimilis: tum quia tegit quandoque maxima vitia. Quodſi animus ſemper reſponderet corporis pulchritudini, eſſet abſque dubio res magnopere expetenda. Forma non ſolum fluxa eſt, ſed etiam noxia viris. Rurſus Seneca, *Raris forma viris, ſecula proſpice, impunita fuit.*

Formam mores impudici maxime deturpant.

נזם זהב באף חזיר אשה יפה וסרת טעם : 11. 22.

Inauris aurea in roſtro ſuis, eſt fœmina pulchra, eademque inſulſa.

Inſulſa, i. impudica. Nihil magis dedecorat formam, quam vagæ libidines. Ideo ſapiens noſter collationem facit aurei ἐπιῤῥινίω, quod in roſtro ſcrophæ, cum mulieris proſtitutæ decore.

Formoſa meretrix imprimis cavenda adoleſcentibus.

אל תחמד יפיה בלבבך ואל תקחך בעפעפיך : 6. 26.

Ne concupiſcas ſpeciem ejus in corde tuo: ne capiat te palpebris ſuis.

Ne capiat, i. *flectat*, *alliciat.* Oculorum mira vis in amoribus recteque ac ſapienter Græci, γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσι, βέλος i. mulieris oculus ſpiculum juvenibus eſt. Quo reſpexit Virgilius Eclog. VIII. *Ut vidi, ut perii.*

FORMICARUM INDUSTRIA.

הנמלים עם לא עז ויכינו בקיץ לחמם : 30. 35.

Formica populus invalidus: tamen parant in æſtate cibum ſuum.

Pigris ad imitandum propoſita.

לך אל נמלה עצל ראה דרכיה וחכם : 6. 6.
אשר אין לה קצין שטר ומשל : 7.
תכין בקיץ לחמה אגרה בקציר מאכלה : 8.

Vade ad formicam, O piger, conſidera vias ejus, & ſapito.
Quæ cum non habeat ducem, præfectum aut regem.
Tamen parat in æſtate cibum ſuum; colligit in meſſe eſcam ſuam.

Tradunt ſcriptores, non ſolum interdiu, verumetiam noctu laborare formicas, magnoque nixu per eandem ſemper viam & ad eundem locum in quo cetera repoſuerunt, pedibus illa tam vaſta ſemina volutare. Hanc formicarum induſtriam ita deſcribit Horatius lib. 1. Satyr. 1.

Parvula (namque exemplo eſt) magni ſicut formica laboris
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo,
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum
Non uſquam prorepit: & illis utitur ante
Quæſitis ſapiens.

Meminit & Virgilius Æneid. IV.

FORTITUDO.

Fortis non eſt, qui calamitatibus ſuccumbit.

התרפית ביום צרה צר כחכה : 24. 10.

Remiſſior es in die anguſtiæ? anguſta eſt virtus tua.

Opus eſt ad notitiam cujuſque experimento. Calamitas virtutis occaſio eſt. Vis ſcire qualis hic ſit? expecta dum res ipſius, quæ nunc ſecundæ ſunt, mutentur. Si ſuccumbit; animi mollitudinem prodit, nec fortis dici poteſt. Durat enim & ad extremum perſeverat, qui fortis eſt. Ipſe ignis aurum probat, miſeria fortes viros.

Fortis quiſquis ſapiens.

גבר חכם בעוז ואיש דעת מאמץ כח :

Vir ſapiens in robore, & vir eſt ſciens fortificat vires.

Sapiens robore præſtat: plus illi ſæpe virium ineſt, quam viris fortiſſimis. Sic ait, *Urbem fortium conſcendit ſapiens, & dejicit robur fiduciæ ejus.* Alia expoſitio: *Sapiens etiam fortis eſt: valet non tam corporis, quam animi viribus: adverſa patienter tolerat: cupiditates terminat: iram compeſcit.* Noſter alibi, *Qui imperat animo ſuo, melior eſt eo qui expugnat urbes:* & Zomæ F. *Quis fortis? qui domat affectus ſuos. At ſapiens timet ſemper. timet, ſed circumſpiciendo & cavendo periculum, quod ſtultus propter rerum imperitiam contemnit: timet quoque Deum, ut eſt religioſus. Hac non adverſantur fortitudini, à qua ſi metum honeſtum, & ἀλαζονείαν ſepares, non jam virtus eſt fortitudo, ſed ejus vitium audacia & temeritas.*

FRATER.

Frater in adverſis perſpicitur.

אח לצרה יולד : 17. 17.

Frater in adverſitate naſcitur.

Eſt fratris, fratrem in calamitate non deſtituere. Qui ſecus facit, frater vere non eſt. Ut ergo amicus; ſic etiam frater rebus adverſis probatur.

Frater non viſendus à calamitoſo.

בית אחיך אל תבא ביום אידך : 27. 10.

Domum fratris tui ne adito tempore calamitatis tuæ.

Nam ſi vere frater eſt, audita calamitate tua ſtatim ad te advolabit. Sin, tum non expedit adire te ad eum, ne odio ei ac ſenio ſis, neve putet te venire petendi gratia duntaxat. Quidam referunt, *Domus fratris tui non veniet tempore calamitatis tuæ*, juxta illud, *Omnes fratres pauperis oderunt ipſum.* Sic ait,

יש אהב דבק מאח : 18. 24.

Eſt amicus conjunctior fratre.

Et, quod potiſſimum illam expoſitionem roborat,

טוב שכן קרוב מאח רחוק : 27. 10.

Potior eſt vicinus propinquus, quam frater remotus.

Fratres paupertas disjungit.

כל אחי רש שנאהו : 19. 7.

Omnes fratres pauperis oderunt ipſum.

Eleganter ad hanc ſententiam Menander,

Ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
Πενητός ἐστιν, οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
Αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον. αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Quæ ſic verſa repperi apud H. Stephanum,

Propinquus pauperis
Vix invenitur ullus. Haud enim lubens
Quiſquam propinquum ſe fatetur indigi.
Quod protinus aliquid petiturum putet.

Porro *fratres* Hebraica conſuetudine loquendi vocantur & cognati. Hujus ergo contrarium, quod idem Menander alibi affirmat,

Τῷ εὐτυχοῦντι εἰσὶ πάντες συγγενεῖς.

 Quo

Quo ſignificat omnes eſſe propinquos eorum, qui fortuna facili ac benigna utuntur.

De eo qui lites ſerit inter fratres.

תועבת יהוה משלח מדנים בין אחים :

Abominatio DOMINI eſt is, qui ſerit lites inter fratres.

Inter eos, quos Deus odit, imo deteſtatur, eſt etiam is, qui fratres inter ſe committit, lites inter eos ſerendo.

Fratrum contentiones acerbiſſimæ.

אח נפשע מקרית עז ומדונים כבריח ארמון : 18. 19.

Frater ſcelere offenſus ſuperat urbem munitam, & contentiones inſtar vectis palatii.

Frater laceſſitus à fratre ſuperat urbem munitam, i. acrius ſe tuetur, ac pertinacius reſiſtit, quam potens ac munita urbs: inſuperque contentiones fratrum tam validæ ſunt, quam eſt vectis palatii: quaſi diceret, validiſſimæ ſunt, hoc eſt, maximæ, graviſſimæ, & acerbiſſimæ.

Exemplum ex Sabellico.

Nullam magis domum afflixit diſcordia, quam Ariſtobuli Judæorum regis, & fratris, qui dum inter ſe de regno hoſtiliter diſceptant, regnum, & urbem, in qua nati erant, perdiderunt: & quod malorum cumulo acceſſit, auguſtiſſimum templum, quod in urbe fuit, bello prophanatum eſt, magnaque ex parte dirutum.

Aliud ex eodem.

Pelopidarum domus omnium atrociſſime his malis convulſa eſt, Atreo & Thyeſte diſſidentibus, nihil vetus aut recens ſcena habuit deteſtabilius, quam monſtrifica exempla, quæ ex eadem domo profecta ſunt, ſi poetica fides recipiatur. Exiit fraternus ille furor in nepotes, ut regia conjux inceſto amore ſaucia non viro pepercerit, non filius matri.

Admonitio.

Scelere offenſus] vel, ſi mavis, *deficiens* ſive *deſciſcens à fratre*, ut fit regni cauſſa. Ergo & Timetanum regnum, & Othomannica domus, & Argierii reguli ad exemplum adduci poſſunt huic ſententiæ firmandæ.

FRAUS.

Fraus in ponderibus.

מאזני מרמה תועבת יהוה : 11. 1.

Bilances fraudulentæ DOMINO abominationi ſunt.

Stateras libraſve fraudulentas, quæ videlicet rerum pondera aut majora, aut minora, quam ſint, oſtendunt, Deus deteſtatur.

תועבת יהוה אבן ואבן ומאזני מרמה לא טוב : 20. 23.

Abominatio DOMINI lapis & lapis, & bilanx fraudulenta eſt res non bona.

Lapis & lapis i. diverſum ſive inæquale pondus. Res non bona. Valet ut ſi diceret, *res peſſima*. Tale eſt, *Agnoſcere faciem in judicio non eſt bonum.* Nec diſſimile illud Herodoti ex Melpom. Καὶ ἑλλήνων οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ Πυθαγόρῃ. Ejuſdem generis ſunt, *Non gaudet pater ſtulti: Non proſunt theſauri improbe parti.*

Fraus in ponderibus & menſuris.

אבן ואבן איפה ואיפה תועבת יהוה גם שניהם : 20. 10

Pondus & pondus, menſura & menſura, abominationi eſt DOMINO æque utrumque.

Deus deteſtatur diſpar pondus: nec minus diſparem menſuram.

Admonitio.

איפה] alibi eſt *ſpecies menſuræ*. Hic pro quavis menſura ponitur.

Fraus in emendo.

רע רע יאמר הקונה ואזל לו אז יתהלל : 20. 14.

Malum eſt, malum eſt, dicit emptor: at digreſſus tum laudat.

Vituperat merces, quas empturus eſt, non alio conſilio ac mente, quam ut venditorem fallat. Elevat & extenuat rem venalem, quo vilius eam emat.

Fraudulentus etiam mendax.

יפיח כזבים מרמה 14. 25.

Confert mendacia fraudulentus.

Qui fraudem committere non veretur, nec mentiri verebitur. Fraudulentus qui eſt, etiam mendax eſſe conſuevit. Quare eadem pœna utrumque manet. Porro mendacii pœna expreſſa 19. 9. *Conflans mendacia peribit.*

Fraudulentia in conſiliis improborum.

תחבלות רשעים מרמה : 12. 5.

Conſilia improborum dolus.

Id eſt, fraudulenta. Nihil moliuntur, quod non ſit plenum fraudis ac inſidiarum. תחבלות proprie *ſolertia conſilia*. Quam igitur ſolertiam eſſe putares, fraus eſt.

Fraus arguit teſtem falſum.

עד שקרים מרמה :

Teſtem mendacem dolus.

Sub. *indicat*. Quod repetendum ex membro præcedenti. Videtur hoc velle, Teſtis mendax eſt non ſolum qui falſum teſtatur, ſed etiam qui alterum in judicio decipit. Falſum teſtimonium non tam dicto, quam facto committitur. Aliter vertas, *Teſtis mendax dolum indicat*: vel, ſi Deo placet, *Teſtis mendax fraudulentus eſt*, ut hoc dicat, Teſtis mendacii convictus, a dolo alienus, fraudiſque expers non eſt.

Dolum ſtruunt, qui alicui malefacere moliuntur.

מרמה בלב חרשי רע : 12. 20.

Fraus in corde machinantium malum.

Qui moliuntur alicui malefacere, præſertim ubi vi nihil poſſunt, dolum comminiſcuntur, ſicuti præcipiebat Lyſander, *quo leonina pellis non contingeret, eo contendendum eſſe aſſuta vulpina.* Sed tamen dolus hujuſmodi raro, vel potius nunquam lætum exitum ſortitur.

Fraudulenta ſtultitia.

אולת כסילים מרמה 14. 8.

Stultitia ſtolidorum fraudulenta.

Stulti & improbi in nequitia ſua fraudulenti ſunt. Eſt autem peſſima nequitia, quæ latet in ſimulatione virtutis, aut in aliquo nomine officii. Nam ab ea ægre nos cavere poſſumus. Sed dico, Improbi omnia dolo, nihil bona fide agunt.

Fraus ſpecie luſus jocive commiſſa.

כמתלהלה הירה זקים חצים ומות : 26. 18.

כן איש רמה את רעהו ואמר הלא משחק אני : 19.

Ut qui ſe inſanum ſimulat, & jaculatur ſcintillas, ſagittas & mortem:

Sic vir qui decipit proximum ſuum, & dicit, An non ego ludo?

Nulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quam cum in malitia ineſt ſimulatio, dolus, verſutia. Sunt qui legant, *Ut inſaniens, qui jaculatur*: ac ſi diceret, qui aliquem fallit ſpecie ludicra, habendus eſt pro inſano. *Sagittas & mortem* poſuit pro eo quod eſt ſagittas lethales, quales ſunt, quæ veneno tinctæ & imbutæ præſentem mortem afferunt.

FURTUM

Ad furtum impellit inopia.

פן אורש וגנבתי 30. 9.

Ne inops fiam, & furtum committam.

Non ſolum furta, ſed etiam multa alia ſcelera fiunt impellente & adigente inopia, quocirca non abſurde eam *maleſuadam* appellaveris: ſciteque Horatius: *Magnum pauperies opprobrium,*

brium, jubet Quidvis & facere & pati, Virtutiſque viam deſerit ardua. 3. Carm.

Furti particeps.

חולק עם גנב שונא נפשו ׃ 29. 24.

Qui participat cum fure, odit animam ſuam.

Nam æque peccat, ac ſi qui furtum fecit. Par culpa furis, & ejus qui cum eo partitur rem furatam.

Furti reus eſt etiam qui urgente neceſſitate furatur.

לא יבוזו לגנב כי יגנב למלא נפשו כי ירעב ׃ 6. 31.
ונמצא ישלם שבעתים את כל הון ביתו יתן ׃ 32.

Non ſpernunt furem quum furatur ad implendum animam ſuam, dum eſurit.
Siquidem deprehenſus rependit ſeptulum, omnes opes domus ſuæ dat.

Septuplum] i. multum. Certus numerus pro incerto. In Lege jubetur fur quintuplum reddere. Sed diſputabo de hac re alias. Nunc non vacat ad alia properanti.

Furtum parentibus factum gradus eſt ad homicidium.

גוזל אביו ואמו ואמר אין פשע חבר הוא לאיש משחית ׃ 28. 24.

Qui diripit patrem aut matrem, negans eſſe crimen, is ſocius erit homicidæ.

Gradus ſunt à furto, quod parentibus fit, ad furta alia: inde ad homicidium.

FUTURA INCERTA.

אל תתהלל ביום מחר כי לא תדע מה ילד יום ׃ 27. 1.

Ne glorieris de die craſtino, quia neſcis quid paritura ſit dies.

Stultum eſt gloriari de futuro, quum futura omnia incerta ſint. Quis enim eſt, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperam eſſe victurum. Neſcis quid paritura ſit dies, Varro dixit, *Neſcis quid ſerus veſper vehat*, quod in proverbii conſuetudinem venit. Seneca Thyeſte:

Nemo tam dives habuit faventes
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri,
Res Deus noſtras celeri rotatas
Turbine verſat.

Anacreon: Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν;

GLORIA.

Gloria ex ſtudio ſapientiæ.

סלסלה ותרוממך תכבדך כי תחבקנה ׃ 4. 8.

Extolle illam, (alias *ſubinde verſa eam*) *& evehet te: gloria afficiet te, quum amplexus eam fueris.*

Cole ſapientiam, & ea te gloria afficiet. Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. Laus ex recte factis, recte autem facta ex ſapientia. Nam ſapientia eſt ars recte vivendi.

A ſapientia datur.

בשמאלה עשר וכבוד ׃ 3. 16.

In ſiniſtra ejus divitiæ & gloria.

Ut divitias, ita etiam gloriam tribuit ſapientia viris bonis.

Penes ſapientiam eſt.

עשר וכבוד אתי ׃ 6. 18.

Divitiæ & gloria apud me ſunt.

Penes ſapientiam gloria cum divitiis: gloria dico non fluxa & peritura; ſed ſolida & immortalis.

Poſſidetur à ſapientibus.

כבוד חכמים ינחלו ׃ 3. 35.

Gloriam ſapientes poſſidebunt.

Eſt autem propria ſapientum hujuſmodi gloria, quæ videri poſſet poſſeſſio hæreditario jure ipſis relicta.

Gloria dejectionis comes.

לפני כבוד ענוה ׃ 15. 33.

Ante gloriam dejectio.

Gloriam præcedit dejectio, ſive humilitas, vel, ſi placet, manſuetudo. Nam ענוה proprie *manſuetudo.*

Imo merces.

עקב ענוה יראת יהוה עשר וכבוד וחיים ׃ 21. 22.

Præmium dejectionis & timoris DOMINI, divitiæ, & gloria, & vita.

Defertur enim & datur piis viris à Deo: eſtque animi abjecti ac manſueti ſempiternum atque immortale præmium.

Ea igitur potietur animus abjectus.

שפל רוח יתמך כבוד ׃ 29. 23.

Humilis ſpiritu obtinebit gloriam.

Animi abjectus & humilis gloriam conſequetur.

Gloria ex virtute.

רודף צדקה ימצא כבוד ׃ 21. 21.

Qui ſectatur juſtitiam inveniet gloriam.

Gloriam quoque conſequetur, quiſquis juſte & ſecundum virtutem vivit. Cicero pro Milo. *Ex omnibus præmiis virtutis, ampliſſimum eſt præmium gloriæ: quæ vitæ brevitatem poſteritatis memoria conſolatur: quæ efficit ut abſentes adſumus, mortui vivamus: Hujus gradibus etiam homines in cœlum videntur aſcendere.*

Gloria mulieri, ex eo quod in gratia ſit apud homines.

אשת חן תתמך כבוד ׃ 11. 16.

Mulier gratioſa obtinebit gloriam.

Gratia, licet fallax ſit, tamen gloriam parit: ideo non eſt ab honeſtis matronis repudianda. Quin expetenda vel propter eos quibuſcum nobis res eſt. Sic enim facilius ab iis impetrabimus, quod volumus.

Glorioſus pane indigens collatus cum ignobili ſervum habente.

טוב נקלה ועבד לו ממתכבד וחסר לחם ׃

Melior abjectus, cui ſervus ſit, glorioſo indicente pane.

Melior] i. potior, præſtantior. ¶ *Abjectus*] vilis, ignobilis; vel qui ſeipſum dejicit. ¶ *Cui ſervus ſit*] qui habeat domi famulum, cum modicis facultatibus. ¶ *Glorioſo*] eo qui ſe ipſus gloria & honore afficit, ſe ubique jactat & oſtentat, cum indigeat pane. i. victu, & rebus neceſſariis ad vitam ſuſtentandam.

Glorioſum lite ſuperſedere.

כבוד לאיש שבת מריב ׃ 20. 3.

Honos eſt viro ſuperſedere lite.

Honeſtum eſt viro ſapienti vacare omni lite. Honeſtum ſuperſedere, hoc eſt, cœptam omittere.

Gloria Dei celare: regum ſcrutari verbum.

כבוד אלהים הסתר דבר וכבוד מלכים חקר דבר ׃ 25. 2.

Gloria Dei eſt occultare verbum, & gloria regum ſcrutari verbum.

Hic *Dei* ſubaudio, ut ſit verbum Dei. Vide in *Deus.*

Glorioſum inveſtigare res divinas.

חקר כבודם כבוד ׃ 25. 27.

Inveſtigatio gloriæ eorum gloria.

Pronomen ad mella referendum. Mel, quia corpora à putredine conſervabat, ſymbolum erat ſapientiæ. Per gloriam autem mellium intelligit, ut exiſtimo, res in ſapientiæ ſtudio illuſtres, res divinas. Eas inveſtigare, quatenus ſub captum noſtrum cadunt, honeſtum eſt, dummodo illud ſervetur, Ne quid nimis. Nam comedere mellis multum non eſt bonum. Dixi mel corpora à putredine conſervare. Id probandum

bandum eſt. Igitur Diogenes apud Stobæum ait defuncti quoſdam *ἀποτίθεσθαι τὸ σῶμα ἐν μέλιτι, ὥστε ὃ μὴ ταχέως κατασαπῆναι.* Plinius quoque lib. 22. cap. 24. *Mellis quidem ipſius*, inquit, *natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jocundo ſapore, atque non aſpero, alia quam ſalis natura.* Et lib. 7. cap. 3. *Et nos principatu Cl. Cæſaris allatum hippocentaurum illi ex Ægypto in melle vidimus.*

Honor non deferendus ſtulto.

כצרור אבן במרגמה כן נותן לכסיל כבוד : 26. 8.

Ut qui ligat lapillum in funda: ſic qui defert ſtulto honorem.

Qui ſtultum, hoc eſt, hominem improbum promovet in republica, peccat multis modis. Primum in commune bonum. Nam intereſt plurimum reipublicæ boni an mali eam gubernent. Deinde ipſos bonos offendit. Nam optimum quemque ignominia afficit. Poſtremo honorem tribuit indigno, nam improbi nullo honore digni ſunt. *Beneficum*, ait Publius, *ubi dignis das, omnes obligas.* Sic ego, Honorem qui indigno dat, omnes offendit. De bonis male meretur, qui de malis bene. Plus dico, Honorata improbitas malorum calamitas eſt. His addo honorandos non eſſe eos, quos ipſi infamant mores. Nam honorantes ſe dedecorant. Præterea honos, cum ſit res pretioſa, non debet conferri in homines viles, quales ſunt ſtulti & improbi. Eſt etiam virtutis præmium, honos. Itaque tribuendus iis, qui virtutem habent, non qui ejus expertes ſunt.

Admonitio.

Qui ligat lapillum in funda.] Lapillum pretioſum. Sic λίθος Græce *gemma*. Alius hoc dixit interpretans, *Qui ligat ſaxum in purpura.* Vetus traductor, *Qui mittit lapidem in acervum Mercurii:* de quo dicam, vel potius jam dixi fuſe, in Proverbiis meis.

Gloriam non decere ſtulto.

כשלג בקיץ וכמטר בקציר כן לא נאוה לכסיל כבוד : 26. 1.

Sicut nix in æſtate, & ſicut pluvia in meſſe: ſic non decet ſtulto gloria.

Ut neque nix æſtati convenit, neque pluvia meſſi, (eſt in intempeſtiva, atque adeo noxia meſſi pluvia) ſic non decet ſtulto gloria & honos.

Honos ex fideli ſervitute.

שומר אדניו יכבד : 27.18.

Qui cuſtodit DOMINUM ſuum honorabitur.

Servus, qui hero ſuo fideliter inſervit, honore ac præmio afficietur.

Ex obſervatione diſciplinæ.

שומר תוכחת יכבד : 13. 18.

Qui cuſtodit reprehenſionem honorabitur.

Is evadet ampliſſimus, (dignus certe eſt) qui diſciplinæ obſervantiſſimus fuerit. Vulgo dicimus, *Neminem bene imperare niſi qui bene paruerit.*

GRATIA.

Gratia auro præſtat.

נבחר מזהב חן טוב : 22. 1.

Optabilior auro gratia bona.

In bona gratia eſſe apud Deum & homines melius eſt, quam aurum poſſidere.

Gratia gloriam parit.

אשת חן תתמך כבוד : 11. 16.

Mulier gratioſa obtinebit gloriam.

Vel, uxor gratioſa: quæ videlicet in gratia eſt apud maritum.

Gratia principum amicitiam conciliat.

חן שפתיו רעהו מלך : 22. 11.

Cujus labiis gratia inſidet, & amicus erit rex.

Qui valet gratia ſermonis, regem facile ſibi conciliabit, & ad uſus ſuos adjungit.

Gratia res fallax.

שקר החן 31. 27.

Res fallax eſt gratia.

Fœminam gratioſam niſi virtute prædita ſimul Deum revereatur, contemne. Eſt enim fallax gratia ſine pietate.

Gratia quibus detur à Deo.

לענוים יתן חן : 3. 34.

Manſuetis dat gratiam.

Manſuetis, vel, humilibus, aut modeſtis Deus gratiam dat, hoc eſt, facit ut gratia polleant apud homines.

Gratia optatum ſucceſſum dat.

שכל טוב יתן חן :

Succeſſum bonum dat gratia.

Gratia facit ut res ex animi noſtri ſententia ſuccedat, ut exoptatum, & qualem volumus, finem ſortiatur. Alia interpretatio, Intelligentia bona dat gratiam. Qui valet intelligentia bona (nam vitioſa quædam eſt) is gratia valebit, poteritque apud omnes plurimum.

Gratia ex inſtitutis ſapientiæ.

קשרם על גרגרותיך כתבם על לוח לבך : 3. 3.
ומצא חן ושכל טוב בעיני אלהים ואדם : 4.

Liga ea ad collum tuum: ſcribe ea in tabula cordis tui.
Et conſequeris gratiam, bonumque ſucceſſum, coram Deo & hominibus.

Habent hoc præcepta ſapientiæ, ut qui ſecundum ea vitam inſtituerit, iis gratiam concilient apud Deum & homines. Sic 1. 9. *Additamentum gratiæ ipſa erunt capiti tuo.* & 3. 21. *Erunt vita animæ tuæ, & gratia collo tuo.* & 4. 9. *Imponent capiti tuo additamentum gratiæ.*

Gratia ex amica & ſalutari reprehenſione.

מוכיח אדם אחרי חן ימצא ממחליק לשון : 28. 23.

Qui reprehendit hominem poſtea gratiam conſequetur, quam qui blanditur lingua.

Integrum erit, *majorem gratiam conſequetur.* אחרי quidam interpretantur, *poſt me*, ut *me* ſequatur. Alibi quære, videlicet in *Adulatio*, itemque in *Reprehenſio.*

HÆREDITAS.

Hæreditas propere quæſita, adeoque injuſta.

נחלה מבהלת בראשונה ואחריתה לא תבורך : 20. 11.

Hæreditas properata initio, ad extremum non erit felix.

Properata, i. *propere acquiſita.* Idem cum illo, *De male quæſitis non gaudet tertius hæres.* Nam qui cito diteſcunt, ut plurimum injuſte diteſcunt.

Hæreditas juſta.

טוב ינחיל בני בנים : 13. 22.

Bonus hæredes relinquit filios filiorum.

Id eſt, *nepotes.* Perennant poſſeſſiones virorum bonorum, & ad nepotes perveniunt, quia partæ bonis artibus videlicet per induſtriam & laborem parentum.

HOMO.

Quid homini cuſtodiendum imprimis.

מכל משמר נצור לבך כי ממנו תוצאות חיים : 4. 23.

Supra omnem cuſtodiam cuſtodi cor tuum, quia ex eo egreſſiones vitæ.

Explicatum fuit ſupra voce *Cor.*

הסר ממך עקשות פה ולזות שפתים הרחק ממך : 4. 24.

Aufer à te pravitatem oris, & perverſitatem labiorum procul à te amove.

Abſti-

Abſtinendum maledictis, omnique adeo obſcœno ac turpi ſermone. Quidam putant ſatis eſſe ſi vita caſta ſit: etiam ſermo caſtus eſſe debet. Nam ſermo animi eſt index.

Oculi.

4. 25. עיניך לנכח יביטו ועפעפיך יישירו נגדך :

Oculi tui recta aſpiciant, & palpebræ tuæ dirigant coram te.

Dirigant, ſub. *viſum*. Etiam oculorum habenda diligens cura. Nam in oculis ſedes cupiditatum, quæ inde ad cor derivantur; unde proficiſcuntur pravæ omnes actiones. Itaque dicunt Hebræi, *Oculum & cor conciliatores* ſive *proxenetas peccati eſſe*.

Pedes.

26. פלס מעגל רגלך וכל דרכיך יכנו :

Libra orbitam pedum tuorum, & omnes viæ tuæ ſtabiles ſint.

Quaſi ad libram, quæ agis, expende: modumque in omnibus tene, ne vel in exceſſu pecces, vel in defectu: in quibus duabus rebus omne vitium intelligitur. Latini hoc dicerent, *plus minuſve facere*. Terentius Phormione, *Ne quid plus minuſve faxit, quod nos pigeat poſtea.* Simili figura loquendi uſus eſt Sirachi Filius 28. 29. ϗ τῷ λόγῳ σου ποίησον ζυγόςαθμον. Senſus eſt, ne plus minuſve loquere, quam æquum eſt.

27. אל תט ימין ושמאל :

Ne deflecte ad dextram aut ſiniſtram.

Monet rectum iter ſemper tenendum eſſe in via virtutis, nec in ullam omnino partem deflectendum. *Nam*, ut ait Hieronymus, *ſi à recta via paullulum declinaveris, non intereſt, utrum ad dexteram vadas, an ad ſiniſtram.*

Homo, peccator.

20. 9. מי יאמר זכיתי לבי טהרתי מחטאתי :

Quis dicat, Emundavi cor meum, purus ſum à peccato?

Nemo hoc jure dicere poſſit, quia nemo vivit ſine crimine. *Nemo*, inquit Cohel. 7. *in orbe adeo juſtus eſt, ut ita recte faciat, ut nihil peccet:* & alibi, *Hominum cor vitiis & inſania plenum eſt, dum vivunt.*

Homo ſæpe conſilium mutat.

19. 21. רבות מחשבות בלב איש :

Multæ cogitationes in corde viri.

Voluntas hominis eſt ambulatoria. Hominum duo genera: alterum pravum & improbum, quod in horas mutatur: alterum rectum & probum, quod licet ſui ſimile ſit in moribus, tamen pro varietate occaſionum cogitur ſæpe mutare conſilium. Aliter: Homo multa animo volvit, quæ non poteſt exequi, niſi Deus hoc ei dederit. Sic ait,

16. 9. לב אדם יחשב דרכו ויהוה יכין צעדו :

Cor hominis deliberat de via ſua: at DOMINUS dirigit greſſum ejus.

Ideo monent ſapientes Ebræorum quoties aliquid aggredimur, dicendum eſſe ſemper, *Si Deus voluerit, Si decreverit.* Siquidem eventus in noſtra manu non eſt, ſed in Dei ſolius poteſtate: quo ſine ne eloqui quidem poſſumus animi cogitata, juxta illud, 16. 1. *Hominis eſt præparatio cordis, ſed Domino reſponſio linguæ.* Vide in *Deus*.

Nequam hominis deſcriptio.

6. 12. אדם בליעל איש און הולך עקשות פה :
13. קורץ בעינו מלל ברגלו מורה באצבעתיו :
14. תהפכות בלבו חורש רע בכל עת מדנים ישלח :
15. על כן פתאום יבוא אידו פתע ישבר ואין מרפא :

Homo nequam, vir iniquus, ambulat ore perverſiſſimo.
Annuit oculis ſuis, loquitur pedibus ſuis, docet digitis ſuis.
Perverſitates in corde ejus, fabricatur malum omni tempore; lites ſerit.
Ideo repente ſuperveniet exitium ejus, ſubito conteretur, nec erit medela.

Hominum genera Deo maxime inviſa.

6. 17. שש הנה שנא יהוה ושבע תועבות נפשו :
18. עינים רמות לשון שקר וידים שפכות דם נקי :
19. לב חורש מחשבות און רגלים ממהרות לרוץ לרעה :
20. יפיח כזבים עד שקר ומשלח מדנים בין אחים :

Sex iſta odit DOMINUS, imo ſeptem abominatur anima ejus.
Oculos elatos, linguam mendacem, manus effundentes ſanguinem innoxium.
Cor fabricans conſilia iniqua, pedes feſtinantes currere ad malum.
Conflantem mendacia teſtem falſum; & eum qui ſerit lites inter fratres.

Quatuor genera hominum prava & impia.

30. 11. דור אביו יקלל ואת אמו לא יברך :
12. דור טהור בעיניו ומצואתו לא רוחץ :
13. דור מה רמו עיניו ועפעפיו ינשאו :
14. דור חרבות שניו ומאכלות מתלעותיו לאכל עניים מארץ ואביונים מאדם :

Genus hominum eſt, quod patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedicit.
Genus hominum, quod mundum ſibi videtur, quum à ſordibus ſuis non ſit ablutum.
Genus hominum, cujus oculi perquam elati, & palpebræ ſublimes.
Genus hominum, cujus dentes, gladii ſunt, & molares, cultri; ad devorandum pauperes è terra, & inopes ex hominibus.

HUMILITAS, ABJECTIO, ſive DEJECTIO.

Humilitas gloriam præcedit.

15. 33. לפני כבוד ענוה :

Ante gloriam humilitas.

Ut faſtus infamiam: ſic abjectio gloriam antecedit.

Humilitatis præmium.

22. 4. עקב ענוה יראת יהוה עשר וכבוד וחיים :

Merces humilitatis & timoris DOMINI, ſunt divitiæ, gloria, & vita.

Humilitas cum pietate conjuncta parit divitias, gloriam & vitam æternam.

Humilis gloriam conſequetur.

29. 23. שפל רוח יתמך כבוד :

Humilis ſpiritu obtinebit gloriam.

Qui animo eſt humili & ſummiſſo, potietur gloria. Sequitur ut melius ſit *ſummittere animum cum manſuetis, quam dividere ſpolia cum ſuperbis*, quod eſt,

16. 19. טוב שפל רוח את ענוים מחלק שלל את גאים :

Spolia. i. *veſtes*, aliamque ſupellectilem; bona domeſtica. Vide quæſtiones meas, ſi vacat.

Humiles gratiam conſequuntur divinitus.

3. 34. לענוים יתן חן :

Humilibus dat gratiam:

Quis dat? Deus. Facit ut gratioſi ſint apud homines.

HYPO-

HYPOCRITA.

Hypocritæ nihil feliciter ſuccedet.

28. 13. מכסה פשעיו לא יצליח :

Qui tegit crimina ſua, non aget proſpere.

Qui tegit vitia ſua ſimulatione pietatis, ſeque pro viro bono haberi vult, cum ſit malus, ei nihil proſpere, aut ex voto ſuccedet.

Hypocrita proximum ſuum perdit.

11. 9. בפה חנף ישחית רעהו :

Ore hypocrita perdit proximum ſuum.

Qui aliud verbis ſimulat, aliud in pectore clauſum tenet, eo nocentior eſt, quo major de eo probitatis opinio. Quare nullo negotio perdit eum, quicum illi res eſt. Nulla certe improbitas tam perniciosa, quam quæ ſub ſpecie virtutis aut pietatis latet.

Hypocrita negotium faceſſet.

10. 10. קרץ עין יתן עצבת :

Qui nictat oculo, dabit moleſtiam.

Occultus inimicus, difficile cavendo vitari poteſt. Ideo plus negotii faceſſit, quam is, qui palam eſt adverſarius. Plus dico, Opprimit antequam cavere atque vitare poſſis.

Hypocrita maleficium perficit.

16. 30. עצה עיניו לחשוב תהפכות קרץ שפתיו כלה רעה :

Qui connivet oculis ſuis comminiſcendo perverſa, & movet labia ſua, conſummat malum.

Extrema linea improbitatis eſt latentes in ſimulatione officii, aut pietatis exercere inimicitias. Neſcio an hoc potius velit, Qui alicui malefacere molitur, ſi id occulte, & quaſi per nutus faciat, maleficium ad optatum finem perducit; quum aperte agenti, multa contra animi ſententiam eveniant. Sed videtur melius eſſe ut exponamus, *Qui agitat labia ſua, & qui oculum connivet, occultum & inteſtinum odium fovet, ad perniciem alterius.* Nam ea ſigna ſunt vel geſtus hominis nequam 6. 13.

SIXTINI ab AMAMA
Ad
LECTIONES
In
ECCLESIASTEN SALOMONIS,
Collectas ex Doctiſſimis Commentatoribus & auctas Commentariis Rabbinorum Latinitate donatis

PRÆFATIO.

NOtant Ebræi Interpretes de hujus libri Authoritate inter viros Synagogæ magnæ (qui, ſi qua fides hiſtoriæ Ebraicæ, nobis Canonem dederunt, aut, ut cautius loquar, a Deo acceptum nobis declarârunt) de hujus inquam libri authoritate litigatum. Erant (a) qui in Canonem non admittendum ſtatuebant, nec ad poſteritatem tranſmittendum, eò quod in eo eſſent quædam (ut citat Mercerus ex Kimchio) נטים לצד המינות declinantia ad partes (latus) hæreſeos, quæque Atheiſmum ipſis ſapere videbantur. At prævaluerunt ei qui intromitti volebant, adverſamque partem ad ſe traxerunt hâc potiſſimum ratione, quam ſæpè a Præceptore meo DRUSIO memini me audire, quod liber iſte inciperet a verbis Legis & deſineret in verba Legis. (b) Ab his eſſe crediderim, quod Hieronymus in Præfatione in Ezechielem ſcribit, nimirum *quatuor in Scripturâ non licuiſſe legi a Judæis ante xxx ætatis annum nimirum initium Geneſeos, Canticum Canticorum, initium Ezechielis, ejuſque finem.* Quod noto propterea quia neſcio ubi & hunc librum iis annumeratum vidi.

Hic itaque liber inter Canonicos receptus alicubi erat conſtituendus. Conſtitutum autem videmus ab iis inter libros tertiæ Claſſis, quorum tamen quinque minores, Canticum Ruth, Threni, hic & Eſther ſeorſim poni ſolent in quibuſdam exemplaribus mox poſt Legem ſub titulo ספר מגלות. At in Bibliis correctioribus & accuratioribus inter libros tertiæ Claſſis ſuo ordine diſpoſiti ſunt. De hoc ordine & ejus authoribus ubi paucula dixero, ad ipſum textum accedam.

Viris Synagogæ magnæ (quos in Hiſtoria Ebraica vocant אנשי כנסת הגדולה) hic ordo aſcribendus. Hoc concilium habitum fuit circa finem, aut, ut alii, poſt captivitatem Babylonicam. Caput fuit Ezras, Aſſeſſores ejus Daniel, Haggæus, Mardochæus, Zerubabel, Malachias & alii quamplurimi uſque ad cxx. Hic cum viderent munus Propheticum ordinarium ceſſaturum in Malachia, & poſt ejus librum Canonem Teſt. Vet. clauſum iri, utiliſſimo ſe accinxerunt operi, Canonem conſtituerunt. Sic enim & quidam ex Theologis noſtris loquuntur, aut ut alii, Canonicos ab Apocryphis, qui iſto tempore multi erant, diſcreverunt & Canonem a Deo acceptum nobis declarârunt & confirmârunt, unde & Canon Ebræus dicitur. Sed præterea & elegantiſſimum nobis reliquerunt ordinem, dum eos in tres ordines diſtinxerunt, v. Legis, VIII Prophetarum & IX Hagiographorum, qui omnes reddunt XXII juxta numerum literarum Alphabethi. Prophetas ſubdividunt in priores & poſteriores. Priores ſunt quatuor, Joſua, Judices, libri Samuelis & libri Regum; Poſteriores ibidem quatuor Jeſajas, Jirmijas, Ezechiel & liber δωδεκαπρόφητος. Hagiographi ſunt IX, Pſalmi, Proverbia, Job, Canticum, Eccleſiaſtes, Eſther, Daniel, Ezra cum Nehemia & Paralipomenon libri. Ruth autem libro Judicum, & Threnos ipſi Prophetæ adjiciunt. Hic ordo ſi a tantis viris factus eſt, temere mihi mutatus videtur. Maximè vero in hoc ordine mirantur nonnulli, cur Daniel inter hagiographos ſit relatus. Sunt qui hoc factum dicunt ex odio & malevolentia Judæorum erga Danielem, propter inſignia ejus de Meſſia teſtimonia. Sed hi digni non ſunt quibus reſpondeatur. Alii, ut Keckermannus in ſuo Syſtemate Theolog. fatentur ingenuè ſe cauſam ignorare. Cl. DRUSIUS in ſuis ad N. T. Annotationibus rationem dedit quæ multis ſatisfacit. Ea hæc. Omnes Canon Propheticos eſſe extra controverſiæ aleam eſt. At cum ex his delegerint quoſdam quos ſpecialiter & κατ' ἐξοχὴν Propheticos vocent, annotat *vocem Prophetæ iis fuiſſe ambiguam, ut ſumatur vel latè pro eo qui inſtinctu Spiritus S. aut Prophetico aliquid ſcribit futuraque quædam prædicit; aut ſtrictè pro eo qui præter hæc etiam ordinariam & peculiarem habuit vocationem, hocque munus ex profeſſo obiit, a mundanis & politicis negotiis remotus.* In priori ſignificatione omnes Canonici ſunt Prophetici; In poſteriori tantum ſcriptores Claſſis ſecundæ, quà excluduntur Daniel, David, Salomo &c. quia non functi ſunt ordinario Prophetæ munere, neque a politicis fuêre ſegregati. Fuerunt itaque & vocantur Prophetæ in latâ acceptione.

De ordine verò librorum hujus tertiæ Claſſis nihil dicam, quia multùm curioſitatis, utilitatis vero parùm habeat. Si quis tamen & hæc ignorare nolit, videat Mercerum in Præfat. ad Job.

(a) *Vide Druſ. Act. 17. 23.* (b) *Vide Hieron. ad finem 12. capitis.*

ANNOTATA AD ECCLESIASTEN.

CAP. I.

MUNSTERUS.

NOſtri quidem putant Salomonem dictum ECCLESIASTEN, i. *Concionatorem*, quòd loquatur ad multitudinem, & non ad unum tantum. Hebræi verò paulò aliter ſentientes volunt eum קוהלת dictum כיגור החכמה שנקה לה בו *propter ſapientiam quæ copioſe congregata fuit in eo.* Utitúrque ob id nomine fem. generis, ut intelligas קוהלת referendum ad החכמה *ſapientiam.* Docet autem verè ſapientes & beatos eos qui Deo conjunguntur & uniuntur per religionem. Simúlque docet uſum legitimum rerum aliarum.

6. *Pergit ſpiritus*] Quidam per hunc *ſpiritum* intelligunt Solem, alii Aerem, qui in diverſas mundi movetur partes.

9. *Id quod fuit futúrum eſt*] Aben Ezra refert ad motus cœleſtes. Et *id quod factum eſt*, referendum docet ad כללים *ſpecies rerum*, quæ ſubinde renaſcuntur & conſervantur uſque ad finem mundi per ſucceſſionem novorum individuorum.

13. *Occupationem malam*] Vocat inveſtigationem ſapientiæ & ſcientiæ *occupationem malam*, quòd homo plerumque dimiſſis utilioribus inhiet curioſis, aut plus conetur ſapere quàm oporteat ſapere; vel quòd non expleat deſiderium hominis, qui ſemper aliquid novi requirit; vel quòd oblivione aboleatur ſcientia.

14. *Irritamentum ſpiritûs*] Aben Ezra exponit hîc רעות pro *paſtione venti, & re inutili*, in quo ſignificato & Hoſ. 12. 1. invenitur, ubi dicitur, *Ephrajim paſcitur vento*, &c. Kimhi verò exponit רצון.

18. *Addit dolorem*] Quantum quis, inquit, proficit in ſapientia & ſcientia, tantum irritatur & ſtomachatur; quandoquidem videt omnia bene condita, ſed ab hominibus in abuſum redacta. Chaldæus verò ſic exponit, *Qui adjecit ſapientiam & peccat, is graviſſimam Dei contra ſe provocat iram*, &c.

VATABLUS.

LIbrum iſtum Lxx interpretes inſcripſerunt Ἐκκλησιαστὴς, i. *Concionator*, qui verba facit ad populum. Hebræi קוהלת *Concionatrix*, ſub. *anima*: de quo mox primo verſu.

1. *Verba* דברי] Subaudi אלה, ut ſit, *Iſta ſunt verba.* ¶ *Eccleſiaſtæ* קוהלת] Ad verb. *Concionatricis*, ſub. *animæ.* קוהלת enim femineum eſt nomen participiale. Sic autem ab Hebræis expletur oratio, *Verba* איש בעל נפש *viri præditi animâ congregatrice*: nam איש & נפש ſæpe intelliguntur, ut Dan. 9. 23. *Quod* חמודות אתה *deſideriorum tu*, ſub *vir.* Capite verò ſeq. v. 11. & 19. legitur plena oratio, איש חמודות *vir deſideriorum.* Item 2 Sam. 13. 39. ותכל דוד *& deſideravit David*, ſub. *anima*: quia verbum femineum eſt, quod ad *David* referri non poteſt, ſed ad ejus *animam.*

2. *Vanitas vanitatum* הבל הבלים] Hebraiſmus, pro *Vaniſſima vanitas*, h. e. ſumma vanitas, ſub. *occupat res humanas.* Chald. *Summa vanitas eſt mundus iſte.*

3. *Quid utilitatis* eſt *homini* מה יתרון לאדם] *Quid amplius eſt homini*, &c. Vel, *Quid reſidui habet homo.* Alii, *Quid commodi contingit homini*, &c. Alii, *Quæ excellentia eſt homini.*

4. *Generatio* דור] *Ætas*: i. homines nati eodem tempore, *labuntur*, non durant ad longum tempus, *terra autem in longum tempus permanſura eſt.* ¶ *In ſeculum ſtat* לעולם עומדת] *In æternum permanet*, ſive *permanſura eſt.* לעולם hîc pro *in longum tempus* poſitum: ut Exod. 21. 6. *Servus erit ei in ſeculum*, i. uſque ad annum jubilei, ut Hebræi exponunt. *Nam cælum & terra tranſibunt*, Matth. 24. 35. & Pſal. 102. 27.

5. *Regreditur* שואף] *Anhelus regreditur*; *adſpirat*: q. d. *cum deſiderio regreditur.*

6. *Vadit* הולך] Sub. *ab ortu. Demigrat.* ¶ *Et circuit* וסובב] *Et circumeundo tranſit.* Alii, *& deflectit*: alii *redit.* ¶ *Subinde circumeundo* סובב סובב] Ad verb. *Circuiens circuiens*: i. à diverſis mundi plagis venti ſurgentes meant. ¶ *Pergit* הולך] i. Mutat locum. ¶ *Et ad circuitus ſuos* ועל סביבותיו] i. Ad ea loca ad quæ circumeundo accedere ſolet, ut iterum flet.

7. *Omnia flumina* כל הנחלים] *Omnes torrentes.* ¶ *Unde pergunt*, &c. שהנחלים וגו'] *Ad quem torrentes ipſi defluunt, illuc revertuntur eundo.* Nam à mari Sol educit vapores, qui in media regione aeris in pluviam reſolvuntur. Alii, *Ad locum maris pergunt flumina, ut iterum redeant & fluant.*

8. *Laborioſa* יגעים] *Difficiles.*

9. *Quid* eſt *quod fuit?* מה שהיה] *Id quod fuit, eſt*, &c. מה quia ſequitur ש ſignificat *id.* ¶ *Et quid* eſt *quod factum eſt? ipſum* ומה שנעשה וגו'] *Et id quod factum eſt*, eſt *idipſum*, &c.

10. *Quæ fuerunt ante nos* אשר היה מלפנינו] *Quæ nos præceſſerunt.* Quidam ſcribunt אשר poni pro אשר כל אחת, & vertunt, *numquodque fuit ante nos*, i. ante noſtram ætatem.

11. *Priorum* לראשנים] Ad verb. *prioribus*, i. retroactis temporibus, *non eſt memoria priorum.* ¶ *Poſteriorum* לאחרונים] Ad verb. *poſterioribus*, pro *poſteriorum.* ¶ *Apud eos* עם] Quidam vertunt *cum illis*; ſed עם hoc loco ſignificat *apud.* ¶ *Poſtea* לאחרונה] Ad verb. *in ultimo*; vel *noviſſimo*: i. in extremis temporibus.

12. *Eccleſiaſtes* קוהלת] Vide v. 1.

13. *Cum ſapientia* בחכמה] *In ſapientia*; i. ſapienter. Alii, *ſapientiam.* ¶ *Omne* על כל] *De omni.* ¶ *Occupationem* ענין] *Curam*; *ſolicitudinem*; *negotium*; *laborem.* Quidam, *afflictionem malam, ut affligant ſe in ea.*

14. *Et afflictio* ורעות] *Et cogitatio.* Alii, *& contritio.* Alii, *abſumptio.*

15. *Perverſum non poteſt dirigi* מעות לא יוכל לתקן] *Tortuoſum non poteſt rectum fieri.* Vel, *Quod incurvatum eſt non poteſt rectificari.*

16. *Loquebar* דברתי] Ad verb. *Dixi*, &c. Hebraiſmus, pro *Conſtitui apud me.* ¶ *Ecce ego* אני הנה] Ad verb. *Ego ecce.* ¶ *Magnus factus ſum* הגדלתי] Ad verb. *magnificavi*, vel *magnificare feci*; i. *magna feci*, ut quidam vertunt. Alii, *Res magnas perfeci.* Alii, *Strenuè me geſſi.* ¶ *Et addidi ſapientiam*, והוספתי חכמה וגו'] Hebraiſmus pro, *auxi ſapientiam*, ſive *comparavi mihi ſapientiam, ultrà*, &c. ¶ *Et cor meum vidit*, &c. ולבי ראה וגו'] Hebraiſmus, pro, *Et animus meus eſt contemplatus multam ſapientiam & ſcientiam.*

17. *Et dedi cor meum* ואתנה לבי] Hebraiſmus, pro; *Et adjeci animum meum*, ſive *appuli.* ¶ *Et ſcientiam, & inſanias* ודעת הוללות] *Et cognitionem inſaniarum*: vel, *& peritiam veſaniæ.* ¶ *Afflictio* רעיון] *Cogitatio*; *defatigatio*, ut ſuprà v. 14.

18. *In multitudine ſapientiæ* ברב חכמה] *In magna ſapientiâ*; ablativus: i. in homine habente magnam ſapientiam, *magna ira eſt.* Chald. *Quia vir qui multiplicat ſapientiam, cùm peccaverit, & non reſipuerit, multiplicat iram coram Domino.* ¶ *Ira* כעס] *Indignatio*; *irritatio*: q. d. Eſt multus labor, unde ſolemus provocari ad iram. ¶ *Et qui addit*, &c. ויוסיף וגו'] *Et qui auget* [vel *multiplicat*] *ſcientiam, ſimul auget quod eum cruciet*, vel *moleſtet*: q. d. Qui conatur admodum ſapiens fieri, id non conſequitur ſine gravi labore & moleſtia animi.

CLARIUS.

NOſtri quidem putant Salomonem dictum ECCLESIASTEN, i. *Concionatorem*, eò quòd loquatur ad multitudinem, & non ad unum tantum. Hebræi verò paulo aliter ſentientes volunt eum ità dictum *propter ſapientiam quæ copiosè congregata in eo fuerit.* Has autem diſputationes ſunt apud Hebræos, qui putent dici tanquam in perſona duorum, quorum alter hoc, alter illud dicat potiùs eligendum.

2. *Vanitas vanitatum*] Omnia omni tempore obnoxia ſunt vaniſſimæ vanitati.

3. *Quid habet amplius homo*] Quem enim ſtabilem fructum referet homo ex his quæ ſub Sole ſunt, etiamſi multis modis ſe torqueat in hoc, ut fructum aliquem inveniat?

4. *Terra autem in æternum ſtat*] Terra immota manet, veluti theatrum in quo hæc fabula peragitur, dum ſcilicet alii recedunt, alii ſuccedentes in hanc quaſi ſcenam ingrediuntur, ut & ipſi ſuum actum peragant.

5 *Oritur Sol*] Sol ſuo motu omnia quæ ſub ipſo ſunt immutat: & poſtquam ortus eſt, & occubuit, iterum ſine ceſſatione revertitur ut oriatur.

6. *Pergit ſpiritus*] Quidam per hunc *ſpiritum* intelligunt Solem, alii Aerem ſeu Ventum, qui in diverſas mundi movetur partes, & nunc ſlat versùs *Auſtrum*, nunc versùs *Aquilonem*, versùs alias deinde orbis partes, donec ſingula irrequietè *luſtrando revertatur eò unde ſlare cœperat.*

7. *Mare non redundat*] Quia ſcilicet remittit mare ea ad loca unde fluere cœperant, ut rurſus in mare influant.

8. *Cunctæ res difficiles*] Dum ſcilicet abſque ulla intermiſſione variantur; ut *non poſſit homo de eis appoſitè quicquam proloqui. Non* enim ſubſiſtunt donec *oculus* quantumvis diligenter *contemplantis*, *vel auribus* avidiſſimè *auſcultantis ſiat ſatis.* Ipſi oculi inter videndum & aures inter audiendum aſſiduè mutantur, & aer, per quem rerum ſimulacra ad ſenſus diffunduntur, aſſiduè vento agitatur. Ipſa ergò inſtabilitas rerum quid eſt aliud quàm quædam vanitas?

13. *Hanc occupationem malam*] Hoc moleſtum cognoſcendi ſtudium. Vocat autem inveſtigationem ſapientiæ & ſcientiæ *malam occupationem*, quòd homo plerumque dimiſſis utilioribus inhiet curioſis, aut plus conetur ſapere quàm oporteat.

15. *Perverſum difficile corrigitur*] Quod corruptum eſt reſtitui non poteſt: quæ autem aſſiduè corrumpuntur innumera ſunt.

17. *Erroréſque & ſtultitiam*] Quò certiùs, inquit, aſſequerer ſapientiam, etiam hominum *inſanias & ſtultitias diſcere conatus ſum:* verùm conando *comperi*, *& hoc ſtudium eſſe inſignem quendam animi cruciatum.*

18. *In multa ſapientia*] Qui conatur ſupra modum ſapiens fieri plurima experitur valdè ingrata: & qui ad priorem eruditionem aliquid addere volet, id ſine magna moleſtia non perficiet, præſertim cùm non tam id delectat quod quis adeptus eſt quàm torquet quod reſtat adipiſcendum.

DRUSIUS.

SERMONES COHELETH] *Coheleth* unum eſt ex nominibus Salomonis: tria enim habuit, *Salomo*, *Coheleth*, *Jedidja*. Sunt qui tradant ſex habuiſſe, *Salomo*, *Coheleth*, *Jedidja*, *Ben-Jace*, *Lemuel*, *Agur:* proditum hoc in Avoth R. Nathan. Quidam addunt ſeptimum, *Ithiel*. Sed de his poſtremis dubitari video. De *Coheleth* nullam omnino dubitationem relinquit hic locus: nullus enim ex *filiis Davidis Rex* fuit *Jeroſolymæ* præter hunc Salomonem. Dicitur autem קהלת formâ participii feminini: itaque *animam* atque *ſapientiam* ſubaudiunt. Malè. Nam eſt nomen proprium, quale הספרת *Haſſophereth* Ezræ 2. 55. Sic פכרת *Phochereth* ibid 57. Et quia ſenſu maſculinum eſt, ideo legimus in hoc capite v. 2. אמר קהלת. Rurſum, quia terminatione femininum, ideo legimus c. 7. 27. אמרה קהלת. Sic in ברא אלהים habetur ratio ſenſûs, ut in אלהים קדשים terminationis. Nihil verius. Nomen *Coheleth* alibi quàm in hoc libro nuſquam exſtat. In eo eſt ſignificatio. קהל, i. *eccleſiæ* ſive *congregationis*. Unde Græcum interpretamentum Ἐκκλησιαστὴς, quod Latinè ſonat *Concionator*. Agit hic liber de Fine bonorum. Summa eſt, *Quicquid vanum eſt id hominem beare non poteſt: Quicquid ſub Lunæ globo fit, vanum eſt: Ergò*, &c. Suadet autem ut ab hac vanitate animum attollamus ad ſublimia, & interea rebus præſentibus tranquillè utamur. *Sermones*, λόγοι aut *Verba*, i. dicta & facta; nam etiam facta ſua commemorat in hoc libro. Sic Βίβλος λόγων Τωβὶτ, i. *dictorum ac factorum Tobiæ.* ¶ *Regis in Jeruſalem*]. q. d. Qui reſidebat in Jeruſalem, i. Jeroſolymæ. Alioqui Rex erat Iſraelitarum, h. e. XII Tribuum. Infrà v. 12. *Ego Coheleth Rex eram ſuper Iſrael in Jeruſalem.* Græci quoque hîc legunt βασιλέως Ἰσραὴλ ἐν Ἱερουσαλὴμ, *Regis Iſrael in Jeruſalem*

2. *Vanitas vanitatum*, &c.] Propoſitio φυσικὴ ſtatum & argumentum hujus libri breviter complectens, quam deinde per partes explicat. Ματαιότης ματαιοτήτων ſic Græcè LXX. Cæteri habebant Ἀτμὸς ἀτμῶν. Eſt autem ἀτμὸς *vapor* ſive *halitus.* Dicitur & ἀτμὶς, quâ voce uſus eſt Theodotio Pſal. 144. 4. להבל ἀτμίδι. Sane *halitum* vocant Doctores הבל הפה, & interpretes Chaldæi הבל פומא. Id reperitur in Thargum Pſalmorum, quam alii Aquilæ proſelyto, alii Joſepho Cæco attribuunt. Pſal. 90. *Conſumpſimus dies annorum noſtrorum velut halitum oris in hyeme.* R. D. in lib. Rad. הבל *res quæ non ſubſiſtit velut eſt halitus oris.* Gloſſarius Philonis, ABEL; *Vapor.* Scribe HABEL cum adſpiratione; nam *Abel* leviter prolatum aliud eſt. ¶ *Vanitas*] הֲבֵל nomen conſtructum; ut loquuntur, de cujus ſtatu abſoluto ambigitur, utrùm ab הֶבֶל, an ab הֲבָל, ut Abenezra putat. Nam ab הֲבָל eſſet in regimine הֲבַל cum (-) in ultima. Hoc ut verum, ità certum formam גבר non mutare in conſtructione. Fortè in abſoluto eſt הָבֵל formæ זָקֵן *ſenex:* nam & זְקַן reperitur in eadem forma. Aut eſt הֲבֵל ipſa forma, ut זְאֵב, quam regimen nihil immutat.

3. *Quid amplius homini*] Latina V. *Quod habet amplius homo?* Priùs Aq. & Sym. ediderant Τί πλεῖον ἀνθρώπῳ; Hos ſecutus mihi videtur Interpres ille. Nam in LXX erat Τί περισσεία τῷ ἀνθρώπῳ; i. interprete Budæo, *Quid ſupereſt homini?* Scribitur & περισσεία cum accentu in penultima. Infrà in hoc libro, Ἔστι περισσεία τῇ σοφίᾳ ὑπὲρ τὴν ἀφροσύνην; *Sapientia præſtat ſtultitiæ.* Aliis יתרון eſt *utilitas*, *emolumentum.* Et legimus Rom. 3. 1. Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; quod reddunt, *Quæ igitur præſtantia Judæo?* ¶ *Ex univerſo labore ſuo*] בכל verti acſi eſſet מכל. Sic Hier. *de omni labore ſuo*. Sic verba Moſi Deut. 6. 5. בכל לבבך Euangeliſtes interpretatur Mar. 12. 30. ἐξ ὅλης καρδίας σου. ¶ *Quo laboravit*] Aq. κόπῳ ᾧ ἐκοπίασεν. Ante ipſum LXX verterant μόχθῳ ᾧ μοχθεῖ. Eſt autem עמל propriè *labor moleſtus*, i. μόχθος, aut κόπος. Nam πόνος minus eſt. ¶ *Sub Sole*] Non *quo laborat ſub Sole*; ſed ordo & conſtructio, *Quid eſt amplius homini ſub Sole?* q. d. Nihil. Nam vita æterna, quæ manet pios poſt obitum, ſupra Solem eſt, non ſub eo. Alioqui fruſtrà ac nequicquam in Lege diſcenda exercendáve opera poneretur. Quod Saducæi olim aſſerebant.

4. *Generatio abit*, &c.] Hic verſus cum tribus proximis referendus eſt ad ſequentia: nam ex his concludit *Nihil novum eſſe ſub Sole.* *Generatio*, דור γενεά. Nomen habet ἀπὸ τοῦ דר *habitavit:* itaque definiunt זמן שדור אדם בעולם הזה *tempus quo homo degit in hoc mundo:* aut breviùs זמן חיי האדם *tempus vitæ humanæ.* Latini *ſeculum* vocant. Redditum etiam *ætas*; & denotat homines unius ætatis: ut poſſis legere, *Ætas abit*, i. moritur, *& ætas venit*, i. naſcitur. ¶ *In ſeculum*] Vel *in æternum*, i. quamdiu mundus durabit. Nam etiam Terra ſuo tempore peribit. Unde legimus, *Ipſi peribunt*, *tu autem permanes.* Tale eſt,

Serviet æternum qui parvo neſciet uti;

i. quoad vivet. Alioqui quomodo *ſerviet æternum* qui æternùm non vivet? Pro εἰς αἰῶνα Sym. vertit αἰώνιος, eâdem ſententiâ ut ſi dicas, *perſtat æterna & in æternum.* Quin æterna Terra quoad ſubſtantiam. Wereldt Belgicè *mundus*, à *durando*; quod eſt weren. Vide Kilianum. ¶ *Stat*] Permanet. Idem verbum in illo, *tu autem permanes:* nam in Deum non cadit ulla Statio aut Seſſio. Hujus loci eſt Pſal. 119. 90. *Firmaſti terram*, *& perſtat.* Quidam *ſtat immota*; dubito an benè. Nam moveri quandoque Terram docent nos & S. literæ & ipſa quoque experientia. Puto rectum, *ſtat*, non abit, non recedit, nempe ut Homines, ut Secula ſolent.

5. *Ad locum ſuum anhelat*] Anhelus properat: nam celerrimè conficit iter ſuum. Vide Pſa. 19. 6. שואף alii aliter reddunt. Hier. *revertitur*, i. שב. LXX ἕλκει. Aq. verò εἰσπνεῖ *inſpirat*, alias προσέπνευσε *adſpiravit.* Verbum hoc quandoque tranſitivum eſt, ut Pſal. 56. 1. שאפני, i. *anhelus perſequitur me*, ut Tremellius vertit. ¶ *Oritur*] Oriri ſolet.

6. *Abit ad Meridiem*] Sive *ad Auſtrum*, πρὸς νότον. Hier. *per Meridiem*, quod minùs placet. ¶ *Circuit*] Κυκλοῖ. Nec malè ad ſenſum Hier. *flectitur:* nam facto circulo quaſi *ſe flectit ad Boream.* Hoc nonnulli ad Solem referunt, qui per circulum obliquum, quem *Zodiacum* nominant, ad Meridiem abit, atque indè ad Septentriones revertitur. ¶ *Circuit*, *circuit*] Circuit ſubindè, aut circuit undique. LXX κυκλῶν κυκλοῖ.

Hier. *Luſtrans univerſa in circuitu.* ¶ *Ventus*] Vel *ſpiritus*, ut habet Hier. Sic etiam Græci τὸ πνεῦμα. Apulejus, *Ventum Spiritum dicimus: licit Spiritus ille nominetur qui animalia omnia vitalia extrinſecus*, &c. Auguſtinus De ſerm. in monte, *Spiritus etiam ventus vocatur, ut ibi, Ignis & Spiritus procellarum.* Hier. in Comment. Ezech. 1. *Verbum Ebraicum* רוח *pro locorum qualitate vel* ſpiritus *vel* animi *vel* ventus *accipitur.* Malui autem de *vento* quàm de *aere* accipere, quia neſcio an *aer* alibi רוח uſpiam vocetur: quanquam Ventus aliud nihil quàm aer impulſus. Ariſtoteles De mundo, Ἄνεμος οὐδέν ἐστι πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων καὶ ἀθρόος, ὅστις ἅμα καὶ πνεῦμα λέγεται.

7. *Omnia flumina*] Sic V. interpres, ut antè Sym. ποταμοί. & poſtulat ſententia ut ità accipiamus. Nam *torrens* propriè fluvius temporarius, non è fonte ſed è pluvia naſcens, æſtate ſiccus, hyeme magno impetu fluens. Docet hic locus, ex ſolo fluminum conventu ac confluvio mare conſtare, & ſcatebras fontium nihil aliud eſſe quàm maris ſecretos calles ſub terra rimantis latices colatos exutâ ſalſugine: quod etiam veterum nonnulli ex iis qui falſos Deos colebant tradiderunt: Quorum ſententiam expreſſit Manilius his verſibus, lib. 2.

Non imbres alterent terras, non æthera venti,
Non pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes.

Cæterùm de Aquarum ortu vide, ſi vacas, Hieronymum Magium Miſcell. lib. 3. c. 15. נחלים propriè *torrentes*, i. χείμαρροι, ut Græci vertunt. Nam *flumina* נהרים dicuntur. *Flumina* voco quæ perennem aquam habent. Fortean ex ſpecie genus, h. e. per *torrentes* omnia flumina, ſignificare voluit, ſive ea perennia ſint ſive non. Aut dicta *flumina* נחלים quòd rapidè fluant in mare. Nam *torrens* concitato impetu fertur; unde *torrentia flumina.* נחל uſurpat Moſes de Arnone Num. 13. quem Joſephus ποταμὸν appellat Ant. Jud. lib. 4. c. 4. ¶ *Non repletur*] איננו מלא *non eſt plenum*, ità videlicet ut fines ſuos tranſeat tranſiliàtve. Alioqui mare ſemper plenum eſt. Id innuere voluit Interpres noſter cùm verteret *& mare non redundat.* Priùs erat in Lxx οὐκ ἔστιν ἐμπιμπλαμένη. ¶ *Redeunt eundo*] Iteratò eunt, vel per occultos terræ meatus, vel vaporibus ſurſum attractis & deinde in pluviam reſolutis. Nam pluviæ fontes gignunt & flumina.

8. *Cunctæ res*] כל הדברים *omnia verba.* Sic Græci πάντες οἱ λόγοι. Sed novum non eſt in hac lingua ut λόγος pro *re* ponatur. Sophocles Ajace,

Τοῖς κυρίοις γὰρ πάντα χρὴ δηλοῦν λόγον,

i. *omnem rem.* Quidam *ſingulæ res*, כל אחד מדברים. ¶ *Fatigantur*] Feſſæ ac laſſæ ſunt continuo motu & agitatione Aut *fatigantur* dicit ex affectis cauſam ſignificans, quia homines fatigantur iis inveſtigandis. Sic, *pallida mors*, *victoria læta*, *ſpes cæca.* יגע nomen eſt ut חפץ *volens*, quod hic participii loco uſurpatur. Vidit hoc Aquila, qui vertit κοπιῶσιν, i. *laborant*, aut *laſſantur*: nam κοπιάω utrumque ſignificat. Priùs erat ἔγκοποι, pro quo Sym. maluit dicere κοπώδεις, i. *laborioſi*, *difficiles*, vel *laſſi*, *fatigati.* Prius noſter elegit; nam transfert, *Cunctæ res difficiles.* ¶ *Non poteſt vir eloqui*] Sym. ἀδύνατόν ἐστιν ἄνθρωπον ἐκνικῆσαι λέγοντα, *impoſſibile eſt hominem vincere dicentem.* Quid vidit cùm ità hunc locum transferret? *Vir*, ἀνὴρ, i. *quis* aut *quiſpiam.* Doctè Interpres noſter, *non poteſt eas homo explicare ſermone.* Nam איש interdum idem quod אדם, i. *homo.* ¶ *Videndo, audiendo*] Meliùs fortaſſe, *viſu, auditu.* *Nec oculus*, inquit, *viſu ſatiatur, nec auris auditu expletur.* Tam ſunt opera Dei multa & miranda.

9. *Id quod fuit*] Olim in cod Græcis, Τί τὸ γεγονός; Sic etiam noſter vertit, *Quid eſt quod fuit?* ¶ *Ipſum eſt quod erit*] Nam eadem rerum creatarum ſubſtantia, eædem cauſæ, & effecta eadem. Lxx τὸ γενησόμενον *quod fiet.* Id Sym. emendavit τὸ ἐσόμενον. Quem ſecutus noſter Latinè vertit *quod futurum eſt.* ¶ *Id quod factum eſt*] Τί τὸ πεποιημένον; Lxx Similiter Hieron. *Quid eſt quod factum eſt?* ¶ *Ipſum eſt quod fiet*] Lxx αὐτὸ τὸ ποιηθησόμενον. Sym. αὐτὸ τὸ μέλλον ἔσεσθαι, *quod futurum eſt ut ſit.* Hieron. *ipſum quod faciendum eſt.* ¶ *Nec eſt quicquam novi*] Vel, *& nihil eſt novum.* Quod intelligi debet de ipſis ſpeciebus, non de individuis. Lxx πρόσφατον. Aq. & Sym. καινόν. ¶ *Sub ſole*] Hæc pars excludit miracula & opera Divina.

10. *Eſt res de qua*] Vel, *Eſt aliquid de quo.* Id pronunciatione juvandum: nam abeſt nota quâ interrogant, videlicet ה, ut ſit היש *eſtne?* q. d. Minimè. ¶ *Dicatur*] Dici poſſit. ¶ *Ecce*] ראה, i. *vide.* Id uſurpant pro *ecce.* Sic Græcum ἴδε, *ecce.* ¶ *Quæ præceſſerunt nos*] אשר היה לפננו *quæ fuerunt ante nos.* Hîc duo notanda; Primum היה pro היו, qui Ebraiſmus occurrit & infrà v. 16. deinde לפננו, quod ità ſcriptum lectum abſque Joth libris melioribus, licèt Mercerus annotaverit in MS. quo uſus ſit fuiſſe לפנינו, cum Joth in penultima.

11. *Non eſt memoria priorum*] לראשנים *de prioribus.* Lxx τοῖς πρώτοις, *primorum.* Cui ſimile ψαλμὸς τῷ Δαυίδ, i. *Davidis.* ¶ *Nec etiam poſteriorum*] Verti acſi eſſet in Ebræo וגם כן repetitâ negatione ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus: quod non eſt novum in his literis. Poſſumus etiam vertere, *Nec etiam poſteriorum, qui futuri ſunt, erit memoria eorum*, ut ſit Pleonaſmus, figura uſitata Ebræis. Utro modo vertas parùm aut nihil intereſt. ¶ *Apud eos qui erunt poſtea*] Παρὰ τοῖς ἐσομένοις μετὰ ταῦτα. Ità Symmachus. Priùs erat in Lxx μετὰ τῶν γενησομένων εἰς τὴν ἐσχάτην, & in Hieron. *apud eos qui futuri ſunt in noviſſimo*, i. ultimis temporibus. *Qui porrò futuri ſunt.*

12. *Ego Coheleth eram Rex*] Significat *ſe animum applicuiſſe ad quærendum & veſtigandum ea quæ ſub Sole fierent* poſt adeptum Regnum, cùm nihil illi deeſſet eorum quæ ad eam rem neceſſaria eſſent. Priùs erat *ego fui*, ex quo colligunt tum cùm hæc ſcriberet privatum fuiſſe: ſed falli ipſos ac decipi puto; & vera interpretatio quam poſui. ¶ *Super Iſrael*] In Regno Iſrael, quod tunc florentiſſimum erat, & 12 Tribus continebat.

13. *Et applicabam cor meum*] Vel, *Cùm applicarem cor*, i. animum, *meum.* Verbum è verbo, *Et dabam cor meum:* quod Græcè legitur in Lxx, Καὶ ἔδωκα τὴν καρδίαν μου. Poſt Sym. ad ſenſum, ut ſolet, clariùs expoſuit προεθέμην, quem ſecutus fuit, ut videtur, Hieronymus: nam vertit, *propoſui in animo meo quærere*, &c. ¶ *Explorandum*] Aut *veſtigandum*, i. ἐξερευνῆσαι, ut Aquila vertit. Quanquam ἐξερευνάω propriè *perveſtigo* ſive *inveſtigo* aut, ſi licet ità loqui, *exveſtigo.* ¶ *Sapienter*] Vel *per ſapientiam.* Sic Gallica editio poſtrema *per ſapience.* Id Græci efferunt ἐν τῇ σοφίᾳ. *Per ſapientiam*, dico, tanquam per quoddam inſtrumentum ad veſtiganda ea quæ ſub Sole fiunt aptiſſimum & maximè idoneum. Malè quidam *ad explorandum ſapientiam de omni eo*, &c. acſi eſſet את החכמה. Verbum enim תור cum accuſativo conſtruitur, mediante particulâ את, ut videre eſt Num. 13. 2, 16. & 17 8. ¶ *Occupatio mala*] ענין רע magis ſonat *occupatio malitiæ*; ut quidem *malitia* ſumitur in illo, *Sufficit diei malitia ſua.* Gr. κακία, nos poſſumus dicere *vexatio.* Ergò ענין רע *occupatio vexans & crucians.* Sanè quidem רע hoc loco nomen ſubſtantivum eſt, ut infrà 4. 8. Sym. ἀσχολία. Lex. Vet. ἀσχολοῦμαι, *occupatus ſum.* Ἀσχολῶ, *avoco*: *Mala*, i. moleſta, laborioſa, curarum & anxietatis plena. ¶ *Ut occupentur*] Ἀσχολεῖσθαι, *ut occupentur*, idem, quem modò nominavi, Symmachus. Antea erat περισπᾶσθαι ἐν αὐτῷ quod intelligentiam habet ex his verbis Hieronymi, *Verbum* ענין *Aq. Lxx & Th.* περισπασμὸν *ſimiliter tranſtulerunt, quod in* diſtentionem *Latinus Interpres expreſſit, eò quòd in varias ſolicitudines mens hominis diſtenta lanietur. Sym. verò* ἀσχολίαν, *i. Occupationem, tranſtulit.* Hæc Hier. Idem in extremo capitis quinti, *Notandum quoque quod hìc* περισπασμὸς *in meliori parte accipitur, pro Occupatione ſpiritualis veræque lætitiæ.* Lexicon H. Stephani, Περισπασμὸς, *diſtractio*, *occupatio.* Vide, ſi vacat.

14. *Vanitas*] Aq ἀτμὸς *vapor.* Vide quæ ſcripſimus ſuprà v. 2. ¶ *Paſtio venti*] νομὴ ἀνέμου. Sic Aq. olim vertit, & bene, meo judicio: nam רעה *paſco.* Idem ſignificare voluit Sym. cùm verteret βόσκησις. Siquidem βόσκησις *paſtio.* Alii aliter interpretantur. Lxx προαίρεσις πνεύματος, quæ ſignificatio petita ex Chaldaiſmo, ubi רעא ſignificat *elegit*, *voluit.* Hieron. *afflictio ſpiritûs*: quomodo & Symmachus κάκωσις πνεύματος, *vexatio ſpiritus.* Verùm Hieron. non tam à Symmacho id habuit quàm à Judæo præceptore ſuo. Conſule operum ipſius tom. 5. pag. 3. R. S. poſt Interp. Chaldæum *contritio* ſive *confractio ſpiritus.* Nam id ſonat שבר & Chaldaicè תברות. D. Hiſpanus cognomento Camius *cogitatio ſpiritûs.* Sanè *cogitatio* רע dicitur: unde רעי *cogitatio mea*, & רעיך *cogitationes tuæ.* Abenezra, qui *Sophus* cognominatur, ſentit cum Aquila, cui etiam Th. accedit, ut pòſt didici ex Hieronymo.

15. *Perverſum non poteſt corrigi*] Quod parvum eſt in natura ſua non poteſt corrigi per ſe: q. d. Dei manu atque auxilio ad eam rem opus eſt. Licet etiam exponere, *Perverſum difficile corrigitur.* Nam ἀδύνατον aliquando ponitur pro *difficili*, ut Ebr. 6. 4. & alibi. Hæc interpres V. ad Homines retulit: nam interpretatur, *Perverſi difficilè corriguntur.* Lxx ἐπικοσμηθῆναι, quod etiam תקן ſignificat in lingua Chaldæorum; unde תקן *orname.* ¶ *Defectum non poteſt numerari*] Lxx ὑστέρημα

ρημα ὀ δυνήσεται ἀριθμηθῆναι. Sym. ὑςέρημα μὴ δυνάμενον ἀναπληρῶσαι ἀριθμὸν, i. *numerum implere.* Editio Lat. V. *ſtultorum infinitus eſt numerus.* חסרון *defectus* pro *defectus cordis*, i. ſtultitia. Nam *ſtultus* חסר לב vocatur; & *deficere corde* dicitur qui deſipit. Durum hoc in oculis meis. *Defectus*, res quæ deficiunt, & in quibus aliquid deſideres. Sic *ſtultitia* pro *ſtulto*, & *captivitas* pro ipſis *captivis.* Nam *dolus* pro *doloſo* tritum eſt.

16. *Locutus ſum ego cum corde meo*] Cogitavi ego apud me. Fuit tempus cùm exponerem, *conſolabar meipſum in tanta vexatione ſpiritus*, quod nunc diſplicet: nam non eſt על in Ebræo, ut Gen. 34. 3. & Hoſ. 2. 14. ſed עם *cum*, ſive *apud.* Μετὰ τῆς διανοίας μου, Aq. & Sym. Priùs erat in Lxx ἐν τῇ καρδίᾳ μου, & in Hieron. *in corde meo*, i. בלבי. Idem aliter. ¶ *Auxi*] הגדלתי ἐμεγάλυνα, i. *auxi*, *amplificavi.* Vult dicere, *uberiorem mihi ſapientiam comparavi.* Olim Græca Eccleſia legebat ἐμεγαλύνθην, & Latina, *magnus effectus ſum*, i. גדלתי. ¶ *Et adjeci ſapientiam*] Lxx καὶ προσέθηκα σοφίαν. Pòſt Sym. vertit, καὶ ὑπερέβαλλον σοφίᾳ, *& ſuperavi ſapientiâ*, vel *excellui*: ut Hieron. *præceſſi omnes ſapientiâ.* ¶ *Jeroſolymis*] Vel *Jeroſolymæ*, h. e. in urbe Jeruſalem, ubi ſemper viguit ſtudium ſapientiæ. ¶ *Cor meum vidit*] Oculus *videt* quæ cernit; Cor *videt* quæ intelligit. Hinc diſces quid ſit, *Videntes non vident*; Videntes oculis non vident corde, i. non intelligunt Dei opera & miracula. Vide Sirach. 15. 7.

17. *Dedi cor meum*] *Appuli* (ſive *applicui*) *animum meum*: ſuprà v. 13. ¶ *Scientiam, inſanias & ſtultitiam*] Vel *ſcientiam inſaniarum & ſtultitiæ.* Huic lectioni firmandæ ſunt accentus qui in Ebræo. *Inſanias* הוללות. Aq. πλάνας, & Hieron. *errores.* Lxx verò παραβολάς quod mihi ſuſpectum de mendo: eóque labor ut credam initio ſcriptum fuiſſe παραφοράς ſed nihil temere affirmo: res indiget diligentiore inquiſitione; mihi nunc otium non eſt. Tantùm annoto in ed. Rom. citari ex Theodotione παραφοράς, ſive ille ità emendaverit, ſive vocem repertam in Lxx, ut ſolet, retinuerit. Huc me impellit vox Ebræa, illò Græca ἐπιςήμη, quæ nihil commune habet cum παραφορᾷ. Porrò הללות etymon habet הלל τὸ *inſanio*, unde תהלו Pſal. 75. 4. Novè ſcripſit שכלות pro סכלות, quod infrà Lxx ἀφροσύνην reddunt, videlicet cap. 2. 3. Hic habent ἐπιςήμη, quod eſt שכל Ebræis. Hem, penè exciderat! Exſtat verſio Latina editionis Lxx in operibus Hieronymi: In eo habetur hoc loco *erroréſque & ſtultitiam.* Quis jam dubitet eum legiſſe παραφοράς καὶ ἀφροσύνην? niſi magis ut legerit περιφοράς. Idem Hieron. in Comment. ad cap. 2. hujus libri, *Ubi nos amentiam legimus, in Hebræo habet* כהולל, *quod Aq.* πλάνησιν, *i. Errorem, Sym.* θόρυβον, *i. Tumultum, interpretati ſunt. Lxx verò & Theodotio, ſicut in pluribus locis ità & in hoc quoque concordant, & tranſtulerunt* περιφοράν, *quam nos verbum de verbo exprimentes Circumlationem poſſumus dicere.* ¶ *Paſtio venti*] Aut *vexatio ſpiritus.* רעיון eandem habet originem cum רעות. Vide igitur quæ ſcripſimus ſuprà ver. 14.

18. *In multa ſapientia multa indignatio*] Studium nimium ſapientiæ multas habet curas & moleſtias, vitámque inſuavem & injocundam facit. Talis vita vocatur interdum *indignatio*, quia ſtomachum homini ciet: itaque infrà 7. 4. ei *riſus* opponitur, i. vita mollis & delicata. Ad verb. *multitudo indignationis.* *Indignatio* autem כעס dicitur, i. ἀγανάκτησις. Sed interpretes modò ὀργὴ modò θυμὸς reddunt. Hîc referunt πλῆθος γνώσεως, niſi mendum in libris, nam adducor ut credam ſcriptum aliquando fuiſſe πλῆθος θυμοῦ. Sanè in operibus Hieronymi legitur *multitudo furoris.* ¶ *Qui addit*] יוסיף poſuit pro יסיף. Alibi eſt יוסף eodem ſenſu. Vide ſis Jeſ. 29. 14. & 38. 5. Sic תומך *ſuſtentans.* ¶ *Dolorem*] Lxx ἄλγημα, ſed Aq. maluit βάσανον. Id ſign. *tormentum.* Latina exemplaria alia *dolorem*, alia *laborem* præferunt. προσθήσει βάσανον poſſes reddere *addet inquiſitionem.* Nam per multam inquiſitionem multarum rerum ſcientiam acquirimus.

IDEM.

2. הֲבֵל הֲבָלִים. Οἱ λοιποὶ, Ἀτμὸς ἀτμῶν, i. interprete Hieronymo, *Vapor fumi, & aura tenuis, quæ citò reſolvitur*] *Vapor*; vel *halitus*: quod vox Ebræa etiam ſignificat: unde הבל נפש *halitus oris.* Chaldæi dicunt הבל פומא. In lib. Nominum, ABEL, *Vapor.* Scribo HABEL: nam אבל *lugens*, vel *luctus.* Jeſ. 57. 13. הבל. Hieron. *aura.* Pſal. 144. 4. להבל. Sym. ἀτμῷ. Th. ἀτμίδι. Job. 7. 16. Sym. [illegible], alius ἀτμός.

5. שואף. A. εἰσπνεῖ *adſpirat.* Sym. Th. *recurrit*] Hieron. in Comment, ad h. l. *Pro eo autem quod Vulgatam editionem ſequentes poſuimus* AD LOCUM SUUM DUCIT, *in Ebræo habet* SOEPH, *quod Aquila interpretatur* προσεισπνέει, *i.* adſpirat. *Sym. verò & Th.* recurrit, *quia videlicet Sol revertatur ad locum ſuum, & ibi unde prius egreſſus fuerat adſpiret.* Interpretatio Hieronymi docet legendum eſſe εἰσπνεῖ, vel certè προσπνεῖ *adſpirat*: nam εἰσπνεῖ propriè *inſpirat*: tamen etiam per *adſpirat* exponitur.

6. הוֹלֵךְ אֶל־דָּרוֹם וְסוֹבֵב אֶל־צָפוֹן סוֹבֵב סֹבֵב הוֹלֵךְ הָרוּחַ וְעַל־סְבִיבֹתָיו שָׁב הָרוּחַ. Sym. *Vadit ad Meridiem, & circuit ad Boream. Perambulans vadit ventus; & per quæ circumierat revertitur ventus*] *Vadit* in ed. Rom. *Sym.* καταντᾷ, *devenit*, *evadit*, *pervadit.*

7. אֵינֶנּוּ מָלֵא. Sym. οὐ πλημμυρεῖ *non reſtagnat*] Sive *æſtu inundat*: vel *non expletur.* Lex. V. Πλημμυρεῖ, *inundat*, *torret*, *exuberat.* ¶ אֶל־מְקוֹם שֶׁהַנְּחָלִים הֹלְכִים שָׁם הֵם שָׁבִים]. Sym. Εἰς τὸν τόπον ἀφ' οὗ οἱ ποταμοὶ πορεύονται, καὶ ἐκεῖ αὐτοὶ ἀναςρέφουσιν.

10. יֵשׁ דָּבָר שֶׁיֹּאמַר רְאֵה־זֶה חָדָשׁ הוּא כְּבָר הָיָה לְעֹלָמִים אֲשֶׁר הָיָה מִלְּפָנֵינוּ. Sym. *Putáſne eſt qui poſſit dicere, Vide, hoc novum eſt, & jam factum eſt in ſeculo quod fuit ante nos?*] In ed. Rom. ἆρα ἐςί τι ὃ ἐρεῖ τις; *putáſne eſſe aliquid quod dicet quiſpiam?* ¶ מלפנינו. Sym. πρὸ ἡμῶν *ante nos.*

14. הַכֹּל הֶבֶל וּרְעוּת רוּחַ. A. ἀτμὸς καὶ νομὴ ἀνέμου *vapor & paſtio venti*] Νομή. Sic etiam Th. In Symmacho fuit olim βόσκησις. Verba Hieronymi hoc teſtantia ſunt, רעות *Aq. & Th.* νομήν, *Sym.* βόσκησιν *tranſtulerunt.* Idem paulò pòſt, *Dicebat mihi Ebræus quo Scripturas S. inſtituente perlegi, quòd ſuprà ſcriptum* רעות *verbum magis in hoc loco Afflictionem & Malitiam quàm Paſtionem & Voluntatem ſignificaret; non à Malo quod eſt contrarium Bono, ſed ab eo quod in Evangelio ſcribitur*, SUFFICIT DIEI MALITIA SUA, *quam Græci ſignificantius* κάκωσιν *vocant.*

17. הוללות. A. πλάνας *errores.* Th. παραφορὰς *errores mentis*] Aut *furores*, *inſanias.* Hoc modo Santes interpretatur. Alibi eſt περιφορὰς, ut in Lxx infrà 7. 26. & v. 8. יהולל περιφέρει, quod *circumlationem* denotat. Vide ſis Hieron. ¶ שֶׁגַּם־זֶה הוּא רַעְיוֹן רוּחַ. Schol. ὅτι πρὸς τοῦτό ἐςι προαίρεσις πνεύματος] Προαίρεσις, *voluntas.* Syrum eſt. Sic ſuprà רעות interpretantur Lxx. Locus eſt v. 14. ubi Hieron. Lxx *autem interpretes non Ebræum ſermonem expreſſere, ſed Syrum, dicentes* προαίρεσιν. Nihil verius. רעו *voluit* Syrum eſt, non Ebræum.

18. מַכְאוֹב. A. βάσανον *tormentum*] Vel *dolorem.* Sic ἀβασάνιςος *expers doloris.* Lex. V. Βάσανος, *tortus*, *hoc tormentum.*

AMAMA.

TItulus hujus libri aut inſcriptio eſt קֹהֶלֶת *Coheleth* vel *Koheleth*] Miror eos qui Choheleth ſcribunt. Nemo enim ex antiquitate hanc literam unquam per χ expreſſit. Si verò aliquando ita occurrit, ſine dubio à manu imperitâ aut errante eſt. Quin contrarium docet literæ κ apud Græcos hinc derivata appellatio: Et Hieronymus *c* ſimplex appellare ſolet. Ecce enim cum in libro Nominum Ebraicorum ad nomina tertii Regum, voce Carmelus; *Huc uſque*, inquit, *per c ſimplicem ſcripta ſunt nomina quæ Græci per κ efferunt.* Melius excuſari poſſunt qui per *q* aut *qu* efferunt. Nam certè in Gloſſis Lyræ & alibi *Queteb* קטב & קולית Aquila. Vide Cl. Druſium in Alphabeto veteri. Atque hæc de ſcripturâ. Formam quod attinet, ea eſt participii fœminini activi in Kal ut פוקדת. Dico formæ, nam verum Benoni eſſe quis dicere audeat? Cum conſtet verbum קָהַל in Niphal & Hiphil tantum uſurpari. Græci per vocem ἐκκλησιαςὴς expreſſerunt. Sic autem dictum putant Salomonem, eò quod ſapientiam hinc inde collegerit, unde & Agur eum dictum putant. Prov. 30. Vide Mercerum ad locum illum. Sed hæc ſententia eò minus placet quia קָהַל congrego de collectione hominum non aliarum rerum dicitur. *Midras* autem, citante Mercero, cum ſic appellatum cenſet שהיו דבריו נאמרים בקהל, quod fuerint verba ejus dicta in concione hominum, q. d. collector hominum ad concionem. Sed morabitur aliquis cur Fœmininam formam habeat hoc nomen? Nam hoc præter literam ה etiam conſtructio oſtendit, quando in hoc libro, licet ratione ſenſus ſæpius maſculinè, ratione terminationis conſtructum fœmininè reperitur, ut Eccleſ. 7. 28. אמרה קהלת. Mercerus citat ex cap. 2. Ezræ nomen viri ſimile פכרת, quod caſu accidere potuit, quod tamen hic pronunciare non audet. Eligendum ergo alterutrum aut ratione animæ aut ratione ſapientiæ, (utrumque enim Ebræis fœmininum eſt) ſic dictum Salomonem, q. d. *verba Koheleth*, i. ipſius animæ Koheleth

heleth congregatricis, aut ipſius ſapientiæ q. d. ipſiſſimam ſapientiam Salomonis loqui. Sunt ex Ebræis qui ſic ſupplent דִּבְרֵי קֹהֶלֶת verba Koheleth דִּבְרֵי אִישׁ בַּעַל נֶפֶשׁ קֹהֶלֶת, verba viri præditi anima congregatrice. Certe vocem אִישׁ aliquando ἐλλειπτικῶς docebit te locus Daniel 9. de Daniele חמודות אתה pro איש חמ׳ vir deſideriorum tu es. Nam ſic plenè ſcribitur paulò poſt cap. 11. Sic etiam נפש aliquando ἐλλείπει, Exempli g. 2. Sam. 13. ותכל דוד & deſideravit David, ſupple *anima Davidis*, aliàs ſermo erit incongruus. Claudam ſi addidero facetam illam rationem Kimchii, quam citat Mercerus (ego enim ejus commentarium in Bodlæanâ needum invenire potui) *ſic dictum ſcilicet Salomonem forma fæminina, quod librum hunc ſcripſerit jam ſenex & grandævus, cumque ejus vires elanguiſſent ut fæminæ earum ratione quam viro ſimilior eſſet.* Hoc certè video ſatis probabiliter exiſtimaſſe veteres hunc librum à Salomone reſipiſcente ſcriptum. Quod benigniori favet eorum calculo qui eum ſalvatum contendunt. Sed abſtineo huic quæſtioni me immergere, ſatiuſque eſſe duco & utilius ſuæ ſatagere ſalutis quam in aliorum inquirere. Hoc memorabile eſt quod Alphonſus Villegas narrat, nempe Toleti juſſu Archiepiſcopi in ſacello, ubi pictus erat Infernus & Paradiſus, Salomonis partim intra illum & partem intra hunc locatam fuiſſe.

1. *Verba Eccleſiaſtæ filii Davidis Regis Jeroſolymis.*

Subjecta hujus libri materia à quibuſdam ponitur Felicitas, quam oſtendit & docet quam male in rebus vaniſſimis collocetur. Alii vanitatem vel rerum harum vanarum contemptum argumentum vel thema libri eſſe volunt.

Verba Eccleſiaſtæ] דברי ק׳. Obſervant Ebræi & præcipue *Kimchi* ad verſum primum 1. Amos, *Tres libros V.T. incipere à voce* דברי *ſequente nomine Prophetæ aut ſcriptoris*, ut דברי יר׳ verba Jeremiæ, דברי עמוס verba Amos & דברי קהלת. Ajuntque *ſic inchoari ſolere Prophetias objurgatorias, quodque magnâ ex parte tunc loquantur verbis propriis.* Sed interpretabor verba Kimchii in cap. 1. Amos. *Scripſerunt DD. noſtri p. m. quod dum incipit Propheta à dictione* דברי, *loquatur verbis propriis. Et ſic Amos locutus eſt ſuo ipſius nomine, quid dixerit ſibi Amaſias Sacerdos Bethel & quid reſponderit ei. Et ſic* דברי ירמיהו *quoniam ille ſuo nomine, aut propriis verbis locutus eſt. Et ſic verba Koheleth. Et ſic dixerunt Doctores noſtri, Tres ſunt Prophetæ quorum Prophetia (quoniam prophetiæ eorum ſunt verba objurgatoria) pendet ab ipſiſmet. Vult dicere, ab ipſiſmet, quia locuti ſunt ſua ipſorum verba & ideo initium prophetiæ eorum eſt* דברי. Huc uſque verba Kimchii quæ non per omnia probo. Fundamentum hujus notæ inde eſt, quod alias poſt nomen דברי aut דבר ſoleat ſequi nomen יהוה DOMINI. Supra diximus Ebræos communiter ſic ſupplere דברי איש בעל נפש קוהלת Sed quid ſi ſic? דברי איש בעל חכמה קהלת, nam in voce חָכְמָה non pauci ex Ebræis etiam conſentiunt. Ut ut ſit, tertium hoc eſt Salomonis nomen quod ei in S. Literis tribuitur extra controverſiam, שְׁלֹמֹה, ידידיה & hoc ipſum. De reliquis אָגוּר Agur, Ithiel, Jake, Lemuel, dubito, vel potius non dubito, quin Ithiel & Jake nullo modo ei tribui poſſint. Vide 30. & 31. Proverbiorum.

Davidis] דָּוִד. Licet Jod abſit, Eſt tamen Hireek longum quod ex aliis locis cognoſces, ubi plene ſcribitur דָּוִיד. Talia loca ubi plenum eſt, quinque à Maſſoritis notata ſunt, in qua nota per locum intelliges caput. Nam alias unico Zachariæ capite 12. quinquies occurrit. Vide Rever. Druſium in libro ſuo de recta lectione linguæ ſanctæ cap. 7.

יְרוּשָׁלַם] Et hæc vox, quinque locis exceptis, ſemper defectivè ſcribitur, pro יְרוּשָׁלַיִם. Supplenda itaque ſemper Jod, ut planè ridiculi ſint, qui hic diphthongum eſſe putant: ſunt enim duæ diſtinctæ ſyllabæ לַ & יִם. Sed adi Druſium de recta lectione linguæ ſanctæ. Eſt forma dualis numeri, ob duas partes urbis ſuperiorem Acropolin dictam, & inferiorem, ut alibi notat Reverendus meus præceptor & fautor Joh. Druſius. (a) Cabaliſtæ ob duplicem Jeruſalem ſuperiorem & inferiorem, delectionem autem literæ Jod indicare vel innuiſſe deletionem terreſtris Jeruſalem. Derivationem quod attinet, ſunt qui hanc dant Etymologiam, quaſi ἱερὸν σαλομῶντος. Vide Euſeb. Cæſarienſem de præpar. Euang. 9.4. vel ab ἱερὸν & *Salem*, ut eſt apud Joſephum 7. de Bello Judaico cap. 18. & Egeſippum cap. 3. lib. 7. de excidio. Hi indigni ſunt quibus reſpondeatur. Alii, *viſio pacis*. Alii, ut Mercerus ad Theſaurum Pagnini, à יְרָא *timete* (nam & ſic aliquando ſcribitur) *Salem*, quaſi fuerit nomen terrificum. Alii à *Jobus* & antiquo ejus nomine *Salem*. Sed cur ב in ר mutata eſt? Memini me audire ex ore mei præceptoris Druſii aliam etymologiam, nimirum ab egregiæ iſtius ſententiæ Abrahæ יִרְאֶה יְהוָה voce prima & antiquo nomine *Salem*. Nam iſtum montem ita aliquando ab iſta voce appellatum neſcio ubi notet Cl. Druſius. Ego hoc in medio relinquo. Chaldæus ſcribit ירושלם & Græci ἱερουσαλὴμ, ubi hoc notetur (·) & (.) in η contractum. Sic in Euang. Johannis, ἐφραὶμ Ephraim, Vide Annot. Bezæ ad eum locum quam ſe (b) Druſio debere confitetur. Similiter in Joſepho *Meſrem* pro *Miſraim*, ubi & alius Archaiſmus. Sic Mozenem apud Epiphanium pro מאזנים. Vide Druſium de recta Lect. linguæ ſanctæ.

In Jeruſalem] cur hic additur *in Jeruſalem*, cum in inſcriptione Proverbiorum tantum ponatur — *Regis Iſrael*? Inanis & otioſa quæſtio. Et tamen in hoc ſcirpo Hieronymus nodum quærit, quem ſic expedit & qui eum ſequuntur, Hic in originali non eſſe vocem Iſraël, ſed eam irrepſiſſe in Lat. & Græcos Codices. Hoc rectè. Sed cur his ponitur Jeruſalem, cum ibi ſit Iſraël? Audiamus & videamus. Proverbia ceu rudis aliqua inſtitutio ad totum Iſraelem pertinet & omnes tribus. At hic liber tantum ſcriptus Metropolitis. i. incolis civitatis Jeruſalem. Si Tropologicè accipere ea placet, poſſent aliquantulum leniri, intelligendo per Metropolitas eos qui aſpirant ad cœleſtem Jeruſalem.

2. *Vanitas vanitatum, inquit Koheleth, vanitas vanitatum, omnia* (ſunt) *vanitas.*

Hoc totius libri eſſe thema & propoſitionem ſupra dictum eſt. Kimchi duabus propoſitionibus proponit argumentum hujus libri. 1. Omnes res humanas eſſe vanas, quod generaliter hoc verſu proponit. 2. Attollendum eſſe animum ab his ab ſubliniora & interea his tranquillè utendum.

Vanitas Vanitatum] Chaldæus ſupplet עלמא הדין ſæculum hoc. Kimchi דברי vel ענייני העולם הזה negotia hujus mundi. Porro *Vanitas vanitatum*, eſt Ebraiſmus, quo denotatur ſummum in re aliqua ſive bonum ſive malum, *Rex Regum*. i. potentiſſimus, *Canticum canticorum*, i. excellentiſſimum, *cœlum cœlorum*. i. altiſſimum, *Sanctum ſanctorum*; ſic forte & *ſecula ſeculorum* i. longiſſima & æterna. Sic contra *ſervus ſervorum*. i. abjectiſſimus, *vanitas vanitatum. i. vaniſſima*, ut rectè Tremellius. Hæc enim una eſt ex duobus illis modis αὐξήσεως Ebræis peculiaribus. * Alter enim fit quoties additur nomen אלהים ut *montes Dei*. i. altiſſimi &c. *civitas magna Deo*, de Ninive. i. maxima. Quo & illud refert Druſius (c) Act. 7. de Moſe ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ. Erat pulcher valde. De eo Kimchi alicubi ſic ait, — דבר שרוצה המקרא להגדילו סומך אותו לאל *Rem quam vult Scriptura magnificare (augere) jungit cum nomine Dei.* Et alibi אלהים הוא כנוי לדבר הגדול והפלא *Nomen Elohim quaſi ἐπίθετον eſt rei magnæ & admirandæ.*

הֲבֵל] Uſitatiſſima forma eſt הֶבֶל quæ in Regimine nunquam ſolet mutari. Buxtorfius itaque ponit aliam formam unde hæc deſcendat nimirum הֲבָל, ſed tunc alia anomalia, Tſere videlicet pro phathach ut & in חֲלֵב גּוֹיִם *lac gentium* Jeſ. 60. 16. quod ab abſoluto חָלָב, ſic alibi propter Maccaph. לְבֶן־שָׁנִים. Vide Grammat. Druſii pag. 95. Vide & pag. 99. Ubi ponit formam הֲבֵל formæ זְאֵב lupus, quæ in regimine non mutatur.

הָבֶל] In accentu magno pro הֶבֶל. Hæc vox nomen dedit filio Adami, unde per Aſpirationem illud ſemper ſcribendum *Habel*, non vero *Abel*, quod qui leve & indifferens eſſe putant (d) ſumant exemplum à Philone homine Judæo & Theodoreto, quibus impoſuit illa corrupta ſcriptura Ἄβελ. Ecce enim Philo interpretatur illud πένθος luctus. i. אֵבֶל אָבֵל. ad imitationem eorum quæ per vi. puncta ſcribuntur. Sic etiam Auguſt. 15. de civit. cap. 18. & Joſephus Antiquit. 3. & Origenes Tract. 26. in Matthæum Euangel. Quod autem *Habel* potius quam *Hebel* dixerint, Archaiſmus eſt, quem paſſim obſervavit Druſius. Legerunt enim iſtas formas ac ſi eſſent in accentu magno, ſic פָּלֶג Phaleg. פָּרֶץ Pharetz.

Vanitas] הֶבֶל proprie eſt res, quæ non eſt quicquam, aut quæ cito deſinit, ut flatus, qui exit ab ore. Sic D. Kimchi. Unde halitum infantum vocant Ebræi הֶבֶל תינוקים nec ſine cauſa hic reperit abſtractam dictionem, ea enim Emphaſi non carent, quod & Latinis tritum.

3. *Quid emolumenti eſt homini de univerſo labore ſuo quo laborare ſolet ſub ſole?*

יִתְרוֹן] Kimchi per תוֹעֶלֶת exponit. i. utilitas. τίς περίσσεια Lxx. Quæ ſuperabundantia, illud nomen propriè ſignificat. Vide Mercerum.

בכל עמלו] Ex omni labore ſuo. ב pro מ frequens. Sic, *Dilige DOMINUM Deum tuum* בכל לבבך i. מכל ex toto corde tuo. Et talia multa ſunt.

Sub ſole.] Quæ Aben-Ezra ad hæc annotat, vide in ipſius Commentariis, qui ſequuntur. *Midras. i. expoſitio hujus libri*

my-

(a) *Druſ. Obſ.* 14. 21.

(b) *Druſ. Obſervat. lib. 9. cap.* 3. (c) *Vide Druſ. Animadv.* 2. 9. (d) *Druſ. in Alphab. vet. pag.* 12.

myſtica, ait, *Salomonem dicere, ſub ſole, non autem, ſupra ſolem, quia ſupra ſolem eſt emolumentum homini, ſi ſic Legi divinæ vacat.* Eleganter certè & piè. Nec minus Ambroſ. in Pſal. 37. *Mundum deſcribit*, inquit, *inferiorem, quia eſt locus ſubſolanus, ſupra Solem autem eſt pax Angelorum, ſanctitas cœleſtium poteſtatum. Sub ſole iniquitatis præſidet Diabolus, omnia ſub ſole vanitas & proinde*, inquit Alius, *ſupra ſolem eſt veritas.*

4. *Ætas abit & ætas venit, & terra* (interim) *in perpetuum ſtat.*

Aben Ezra, ut ex ejus commentariis videbitur; putat hic *inductionem fieri quatuor Elementorum, quorum vanitate oſtenſa, oſtenſa erit ſimul omnium ex iis compoſitorum vanitas.* Incipit ergo Salomon juxta illum à Terra, oſtenditque eam vanitate ſubjacere non in ſe ipſa, ſed in eo quod cum ea hominum gratia condita ſit, ea perdurante, homines pereant. *Midras* exponit ac ſi Salomo monere vellet, temporis habendam rationem.

Ætas] דור propriè eſt זמן חיי האדם tempus vitæ humanæ vel, ut Kimchi aliis verbis, ימי שידור האדם בעולם הזה dies quibus homo verſatur in mundo hoc, *Sæculum* Latinis. Sunt ex Ebræis qui definiunt דור *numerum* VI *myriadum hominum*; ajuntque *tantam copiam hominum quotidie ab ortu ad occaſum ſolis mori, totidemque homines ſuccedere.* Vide Mercerum ad ſequentem verſum.

In perpetuum] לְעוֹלָם. Mutabitur quidem ſed non peribit ſubſtantia terræ, ut credit Eccleſia. Ergò in perpetuum durabit. i. Ebræis ſtabit. Notamus alibi ex Hieron. ad Gal. 1. עוֹלָם cum vau æternitatem; cum ſine vau עֹלָם tempus finitum, ſpatium 50 annorum denotare; ſed refellit Hieronymum Mercerus in addit. ad Theſaurum Pagnini. Vide ibi. Vitandus & error Galatini qui de Arcanis Cath. verit. lib. 2. c. 5. ſcribit עֹלָם *nunquam æternitatem ſignificare propriè dictam.* Sufficiet refutationi ex multis unus ille locus Gen. 21. 35. ubi Deus vocatur Deus עוֹלָם.

Stat] עֹמֶדֶת de terra & alibi uſurpatum, Pſal. 119. 90. *ſtabiliiſti terram* ותעמד & ſtat. i. durat, permanet.

5. *Et oritur Sol & occidit Sol, & ad locum ſuum anhelat, ubi oriatur.*

Secundum Abenezram *hic inducitur ſecundum Elementum ignis ſub nomine ſolis ob immodicum ejus calorem.* Alii putant hic *induci vanitatem ſolis, quia eſt primum quaſi principium poſt Deum & cauſa rerum.* Alii putant *ſolem induci ob ordinarium ſuum curſum & ſtatum ordinem quem nunquam mutat, cum contra homines adeo fluctuent.* Alii aliter.. Ebræi, quos notavi antea ex Mercero *definire ætatem* VI *Myriadum hominum quos quotidie mori putant*, putant *hoc ſubjungi tanquam cauſam ſuperioris.* q. d. Interea dum ſol oritur & occidit, ætas hominum abit & ſuccedit.

Occidit] Ebraicè eſt בָּא propriè *venire, ingredi* &c. De ſole uſurpatum ſemper *occidere* ſignificat, eò quod dum occidit, Oceanum & terram ſubire videtur.

Anhelat] שׁוֹאֵף Metaphoricè ſoli tribuitur, ſignificat propriè משיכת האויר אל האף או אל הפה attractionem aëris ad nares vel ad os. Vide Merc. & Kimchii Michlol. Senſus eſt, properat. Vide & Druſii commentarium in cap. 2. Amos. Aquila προσέπνευσε vel εἰσπνεῖ id eſt aſpirat.

6. *Vadit ad Meridiem, circuit ad Aquilonem, circumiens circumiens vadit ſpiritus & per circuitus ſuos redit ſpiritus.*

Sunt qui locum hunc totum exponant *de ſole*, quem רוּחַ vocari ajunt quod animet, ſpiret & vigeat. Sic Hieronymus. Aben Ezra totum verſiculum de *vento* vel *aëre* exponit, *quem* ait *hic induci ut tertium Elementum.* Kimchius, citante Mercero, etiam totum verſiculum *de ſole* exponit, ſed per רוּחַ *plagam* intelligit, hoc ſenſu, *Vadit ad Meridiem, circuit ad aquilonem* (noctu): *circumiens circumiens vadit* (ad) *plagam* (ſubaudi *auſtralem, interdiu*) *& per circuitus ſuos revertitur* (ad) *plagam* (ſub. *ſeptentrionalem, noctu*). Ellipſes iſtæ mihi nimis videntur contortæ; Alias hoc ſcio רוּחַ in lingua ſanctâ ſæpe poni pro *plaga.* Ecce Ezech. 42. 20. לארבע רוחות Ezech. 5. 10. *Diſpergam reliquias tuas in omnem* רוּחַ *plagam.* Ibidem 42. 16 & verſ. 17. & 18 & 19. & 20. Vide ſi vacat. Mercerus hoc elegit ut prior pars verſus de *ſole*, poſterior de *vento* intelligatur. Ego hic juvenile judicium meum non interpono. Hoc tantum addo quod in Hieronymo aliquando non ſine riſu legi, רוּחַ, inquit, *Ebrais fœminino genere effertur, Latinis Maſcul. ſpiritus, Græcis neutro,* πνεῦμα, *ut ſciremus non eſſe ſexum in Deitate.* Hic verſus eum refellit, & ut communis generis eſſe apertius videas, conſidera verſum 11 libri 2 Regum cap. 19. רוח גדולה וחזק, ubi in uno verſu maſc. & fœmininè conſtruitur. Porro quod de ſexu monet, quis hoc ex Chriſtianis unquam ſomniavit, Platonicorum illa ſomnia fuerunt, ſi modo ex magno illo Platonico Syneſio de reliquis judicare licet, cujus ſunt iſta in hymno tertio ad Deum, citante Cl. Caſaubono in ſuis Exercitationibus, Σπέρμα σὺ πάντων ῥίζα καὶ ὄρπαξ, φύσις ἐν νοεροῖς Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν. Hinc apud eos ἀῤῥενόθηλυς Deus dictus. Secus & verius Irenæus lib. 1. cap. 10. de Deo ſic ait, ἀσυννόητος καὶ ἀνέσιος, ὁ μηδὲ ἄῤῥην μήτε θῆλυ.

7. *Omnia flumina eunt in mare, & mare non impletur, in locum unde veniunt flumina, eò ipſa redeunt ut eant* (iterum.)

Juxta Aben Ezram *hic inducitur Elementum quartum aquæ.* Quid Salomo Jarhius hic dicat, vide in ejus commentariis, tum in præfatione, tum ad hunc locum.

אל מקום שהנח'] מְקוֹם hic eſt in regimine, quod & peculiariter accidit ſequente אֲשֶׁר vel ejus ſynonymâ ſervili שֶׁ, Gen. 39. 20. מְקוֹם אֲשֶׁר אסירי המ' Locus ubi (erant) vincti Regis. Levit. 4. 24. מְקוֹם אֲשֶׁר ישחט locum ubi mactat. Eccleſ. 11. מְקוֹם שֶׁיִּפּוֹל Locus ubi cadit, & ſimilia.

Ebræi in Midras per varias Allegorias hunc locum explicant, Vide Mercerum. Nam hic non noto quia non ita magni ſunt momenti.

Ut eant] i. eum ipſum locum iteratò repetunt. Qui de fluviorum origine controverſias videre avebunt, conſulent Conimbricenſes in lib. Meteorol. tract. 9. & commentatores in hunc locum, & Titelm. Cajet. Hugonem de S. Victore, Olympiod. &c. Duo hæc extra controverſiæ aleam eſſe debent 1. omnia flumina exonerare ſeſe in mare, 2. Ea reverti ad loca priora; quod an de reditu in mare unde ortum habent, ſive de reverſione ad ſua principia ex mari per ſubterraneas fiſtulas & meatus accipi debeat, diſputent quibus otium eſt.

8. *Cunctæ res laborioſæ, nec poteſt quis eloqui, non ſatiatur oculus videndo, nec expletur auris audiendo.*

Cunctæ res ita ſunt laborioſæ ut nemo poſſit eloqui. יגעים; Sunt qui tranſitivè exponant, q. d. laſſant, fatigant. Alii intranſitivè, labore plenæ ſunt, ob continuam agitationem. Eſt itaque quaſi præcedentium Epilogus.

Non ſatiatur oculus &c.] Vide Comment. Aben Ezræ. Ponit duorum nobiliſſimorum ſenſuum vanitatem quorum ſedes ſunt auris & oculus. Quod de oculo dicit, accommodari poſſunt avarorum hydropi qui etiam oculis guloſi ſunt, & oculos antequam gulam paſcunt. Aben Ezra ad ſpecies rerum viſibilium refert, ut & quod de aure ad ſpecies rerum quæ audiuntur.

9. *Quid eſt quod fuit? id ipſum quod erit, & quid* (eſt) *quod factum eſt? illud quod erit; neque quippiam novi eſt ſub ſole.*

Vel ſic. *Id quod fuit idem eſt, quod futurum eſt, & id quod factum eſt, eſt idem, quod fiet &c.*

Aliter jam probat rerum vanitatem. Intelligendum autem hoc de iis, quæ naturâ fiunt aut ab hominibus, nam de miraculis quæ à Deo fiunt, non poteſt intelligi. Præterea monent Interpretes hoc intelligendum de identitate ſpeciei non numericâ.

Quid eſt quod fuit?] Sic Vulgatus. At quando interrogativum illud מָה poſt ſe habet שֶׁ, ſæpius pro *is, ea*, uſurpatur.

Et nihil novum] Ebr. ואין כל חדש & non omne bonum i. nullum. Obſerva Ebræos æquipollentiam illam Logicam non obſervare. *Non omnis* ipſis idem quod *nullus*; vel quod idem eſt, negandi particulam referri ad verbum, non autem ad ſignum. Sic, *non impoſſibile eſt apud Deum ullum verbum.* i. nullum verbum, porro, *nullum verbum* i. nulla res. Sic alibi; *niſi abbreviarentur dies iſti, non fieret ſalva omnis caro.* i. nulla caro. Porro, *nulla caro* i. nullus homo. Sic, *Verbum caro factum eſt.* i. homo factus eſt. Sic & *non ullus* pro nullus & *non unus* pro nullus paſſim. Vide libellos Druſii.

Novum.] חָדָשׁ quod antea non fuit omnino, aut novum i. diverſum à priori. Hoc lucem faciet loco Joh. 13. Ubi præcipiens charitatem, inquit, Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, *Præceptum novum do vobis.* Quomodo *præceptum novum*, quod & in V. T. fuit à Deo propoſitum? Eſt Ebraiſmus, מצוה חדשה præceptum novum i. aliud, diverſum a priori, nam præceſſerat præceptum de vitanda ambitione, &c. Sic in Exodo, *Surrexit Rex novus in Ægypto qui non noverat Joſephum.* i. alius, diverſus à priori. Evidentius exemplum habes Marc. ultimo, *Linguis loquentur novis.* i. diverſis à maternâ. Neque enim Apoſtoli novas linguas excogitarunt.

10. *Eſtne aliquid de quo dicat* (quis) *Ecce* (vide) *hoc novum eſt? Jam fuit in ſæculis quæ fuerunt ante nos.*

Probatio ſuperioris. Hic in limine obſervetur aurea illa regula, Notam interrogationis הֲ ſæpe in Ebræo ſermone ἰσχυρὸν. Quæ obſervatio, licet Grammatica, ignorata tenebras multis locis Scripturæ offudit. Unde enim quæſo iſta Interpre-

tum

tum contentio & diverſitas in conciliando loco Matth. 2. 6. cum Mich. 5. 2. Ubi manifeſta apparet contradictio, dum Propheta inquit, *Tu parva es:* Matthæus verò, οὐδαμῶς ἐλαχίστη, *nequaquam minima es.* Solent communiter reſpondere Matthæum ad eventum reſpexiſſe, dum ſubjungit, *nam ex te mihi egredietur* &c. Sed & eadem in Michæa ſunt. Simpliciſſima reſponſio hic ἐλλείπειν intertogationis notam, *An tu parva es?* q. d. nequaquam parva es. Solent enim Ebræi ſic interrogantes ſine negatione, negare. Et contra, ut, *annon ſcriptum eſt in libris Regum Juda?* &c. i. ſcriptum eſt. Hanc expoſitionem nobis primus dedit, ni fallor, Druſius ante multos annos in ſuis (a) Parallelis. Bellarminus notatam in ſuo opere in libro Retractationum rejicit, quia exemplis probari poſſe iſtam Ellipſim dubitat. Sed ea ſuppeditavit & collegit Druſius ibidem ut &, in libris ſuis de literis משה וכלב. Pauca è multis. Job. 2. *Bonum accepimus à Deo & malum* לא נקבל pro הֲלֹא *non accipiemus?* Job. 40. 20. הַקְשׁוֹךְ *trabes Leviathan hamo*, pro הֲתַקְשׁוֹךְ *an trahes?* Vide & 1. Cor. 11. πρέπον ἐστὶ γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ Θεῷ προσεύχεσθαι; Decet i. an decet? Alias manifeſtè falſum eſſet.

In ſæculis] לְעֹלָמִים pro בְּעֹלָמִים. Sic לִשְׁאוֹל pro בִּשְׁאוֹל *in ſepulchro* Pſal. 16. unde & Act. 2. εἰς ᾅδου ſc. οἶκον. pro ἐν ᾅδου. ſc. οἴκῳ. Hoſ. 7. Dicent לִלְבָבָם pro בִּלְבָ׳.

Quæ fuerunt] Ebr. אֲשֶׁר הָיָה Enallage pro אֲשֶׁר הָיוּ.

11. *Nulla eſt memoria priorum: & etiam poſteriorum quæ erunt nulla erit memoria* (*ipſis*, redundat) *apud illos qui futuri ſunt in poſterum.*

Per antipophoram, ait Mercerus, *reſpondet tacitæ objectioni Forſan, illud quod jam accidit ſi ſuperioribus ſæculis accidiſſet, jam aliquid de eo audiſſemus aut legiſſemus. Verùm*, inquit, *nulla eſt memoria priorum*] eorum quæ ante nos facta ſunt

עִם שֶׁיִּהְיוּ לָאַחֲרֹנָה] Relativum ſine antecedente. Plenum erit עם האנשים שיהיו לאחר. Cum hominibus qui erunt poſtea.

12. *Ego Eccleſiaſtes Rex fui ſuper Iſraël, Jeroſolymis.*

13. *Et dedi cor meum ad inquirendum & perveſtigandum per ſapientiam de omni quod fit ſub cælo: (ea eſt occupatio mala* (quam) *dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea.)*

14. *Et vidi omnia opera quæ fiunt ſub cælo; Et ecce omnia* (erant) *vanitas & paſſio venti.*

Fui Rex] Vim faciunt ex Ebræis quidam præterito הָיִיתִי, quaſi tunc non fuiſſet Rex ſed Filio reſignaſſet. Quod contrariatur S. Literis. Ineptius quod Zohar ait *eum tunc non fuiſſe Regem, quoniam in deſerto, quò ab Aſmodai erat deductus, dedit volumen hoc.*

Iſrael] יִשְׂרָאֵל. Sunt qui deducant ab איש vir & רָאָה & אֵל q. d. Vir videns Deum ut placuit Philoni, Origeni, Euſebio, Chryſoſtomo, Baſilio &c. Sed præter abſentiam literæ א obſtat etiam punctum ſiniſtrum in ש, cum אִישׁ habeat punctum in dextro cornu. Sunt ergo (b) qui deducant à יָשָׁר Rectus & אל quaſi dicas *Rectus Dei*, & pro hoc mihi facere videtur, quod Iſraël alibi vocetur *Jeſchurun*, quod *Rectulum* vertunt Interpretes. Sed eſt hic idem obſtaculum puncti τοῦ ש. Veriſſima itaque eſt ea Etymologia, quæ bis in S. L. exprimitur, nimirum à שָׂר de principatu contendit & אֵל, *quia*, inquit Angelus, *de Principatu contendiſti cum Deo & prævaluiſti, non vocabitur amplius nomen tuum Jacob ſed Iſrael.* Porro Jod eſt formativa nominis ut in יַעֲקֹב, יְהוּדָה, יִצְחָק &c.

In Jeruſalem] Aben Ezra hic in ſuis comment. oſtendit hoc eò dici à Salomone ut plus ſidei ſibi conciliet & ſuæ experientiæ. Nam docet *ex omnibus terræ climatibus nullum iſto eſſe aptius ad ſapientiam, utpote quod in medio omnium* VII *climatum eſt, reliqua enim* VI *vel ob extremum frigus vel extremum calorem ait eſſe inepta, & proinde non poſſe egregia producere ingenia.* Addit autem *Jeruſalem eſſe elevationis* XXXIII *graduum.* Vide ejus Comment.

Dedi cor meum] נָתַתִּי dedi. i. poſui, appoſui, applicui cor meum. נָתַן & שִׂים, confundi notum eſt Jirm. 5. *Dedit eum in cippum.* i. poſuit. Contra *poſuit* pro *dedit* in Geneſi ubi Heva poſt natum Seth & ſic appellatum, inquit, *quia* שָׁת *poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Habel.* i. dedit.

Sub cælis] תַּחַת הַשָּׁמָיִם. Sunt qui vocem hanc deducunt à שָׁם illic & מַיִם aquæ. Alii cum Thalmudicis ab אֵשׁ ignis & aqua. Sunt qui ex Arabicâ linguâ deducunt ex Themate سمى שָׁמָה quod *excelſum*, *ſublime eſſe* ſignificat. Hoc me ex magno illo Arabe Thoma Erpenio in Arabicis præceptore meo memini audire. Cum autem vox Ebræa ab Arabica aut Chaldaica derivatur, non præſupponitur eas eſſe antiquiores, verum tantùm hoc, illas radices in lingua Ebræa aliquando in uſu fuiſſe, earumque veſtigia jam tantum in dialectis iſtis Ebrææ remanſiſſe. Quæcunque enim jam in textu Ebræo non uſurpantur pro inuſitatis habentur. Sed poſt hanc alia mihi occurrit in notis Merceri & Bertrami ad Theſaurum Pagnini videlicet à שָׁמָה obſtupit & מַיִם aquæ: quaſi dicas locum, ubi aquæ ſtupendo modo ſtupeſcant quaſi & obrigeant ac immotæ perſtent donec à Deo diſſolvantur.

(a) *Vide etiam in ejus libro de literis Moſche Vecaleb. pag. 27.* (b) *Vide Druſium Animad. 2. 27.*

De omni quod fit ſub Sole] Hieron. & qui eum ſequuntur Olympiod. Albinus, Hugo & alii dicunt, *Hoc Salomonis ſtudium limites ſobrietatis exceſſiſſe ac ſcire voluiſſe* e. g. *cur parvuli à Dæmone corriperentur? cur naufragia & juſtos & injuſtos abſorberent, utrum ea & alia caſu an conſilio Dei evenirent: Si caſu, ubi tunc eſſet providentia; Si judicio Dei, ubi tunc eſſet juſtitia.* At alii excuſant. Certè in illum inquiſiviſſe quis ex hoc loco probaverit.

Dedit Deus] Ebr. נָתַן אֱלֹהִים. De quo nomine & conſtructione (quia hic aliquando occurret) ſemel mihi quædam dicenda, quod eo libentius faciam, quia libellus mei Præceptoris Druſii de hoc nomine ex profeſſo ſcriptus vix amplius extat. Dicam autem ordine.

Elohim] Pro eo ſcriptum apud authores aliquando *Heloim:* Peſſimè, nam vox Ebræa ab א incipit. Ejus farinæ in antiquitate ſunt *Habraham*, *Heſber* & ſimilia. Aliquando Ἐλωειμ Chiriek per ει expreſſo. Sic Χερουβείμ, σεραφείμ, Ἑβρεὶ, Ἠλεὶ, ὠλαμεὶς; pro quibus tamen ſæpe Χερουβίμ, σεραφίμ. Hoc neſcivit Græculus ille Moſchopulus, ac propterea in libris ſuis περὶ σχεδῶν ait χερουβείμ & σεραφείμ eſſe ſingularia, χερουβίμ verò & σεραφίμ pluralia. Vide Druſii de rect. lectione linguæ ſanctæ. Quod autem per ει expreſſerint Chiric longum, nihil mirum, ait Druſius, *Nam qui rectè pronunciant i longum*, ait ille, *ut Angli, tribuunt ei ſonum diphthongi* ει. Vide ejus librum de Recta Lectione cap. 7. Idem ait Lipſius in ſuo de recta Linguæ Latinæ pronuntiatione libello. Ego hoc in medio relinquo. Ac tantum de Scriptura. Porro

Eſt plurale à ſingulari אֱלוֹהַּ Eloäh ſeu ἀρχαϊκῶς *Eloë*, ut נֹחַ *Noë.* Errant itaque qui à ſingulari אֵל deducunt & qui ſingulare habere negant.

Etymon quod attinet, Ebræi vix attingunt. Hoc crebrum & frequens in eorum libris in nomine אֱלֹהִים eſſe ſignificationem מדת הדין proprietatis judicii ſeu ſtricti juris. In nomine Tetragrammato vero denotari 1. מדת הרחמים proprietatem miſericordiæ, unde ajunt intentionem Dei fuiſſe creare mundum ſuper nomen אֱלֹהִים in ſtricto judicio. At vidiſſe eum mundum ità conſiſtere non poſſe, ac ideo poſtea adjeciſſe nomen Tetragrammaton. Hanc eorum ſubtilitatem hinc originem ducere putarim quod nomen illud glorioſum Jod, he, vau, he, non niſi abſoluta creatione mundi à Moſe fuerit uſurpatum. Quod autem dixi de ſignificatione judicii, Ecce tibi R. Salomon. Exod. 14. *Nomen Elohim ſemper ſignificat judicem.* i. דַּיָּן. Et Exod. 12. *non eſt Elohim niſi judex.* R. D. Kimchi Pſ. 4. *Omne Elohim ſignificationem habet judicis.* 2. Menahem Racatinenſis deducit ab אֵל & הֵם. Addit facetum quid, quod ex Druſio huc adducam, *Sed ſi tollas*, inquit, *literas nominis Tetragrammati* ה *& Jod manet* אִלֵּם. i. *mutus, quia homo ſine Deo tam mutus eſt quam piſcis.* Hæc ille. Simile quid ex Ebræis notavit Druſius de איש & אשה vir & mulier, *Si tollas*, inquiunt, *literam Tetragrammati ab utroque, ex eo ſcilicet Jod, ex hac verò He, manet* אֵשׁ אש *ignis, ignis ſc. contentionum & rixarum.* Certè in conjugio ubi Deus abeſt rara pax eſt. 3. Recentiores ab אֵל fortitudine deducunt. 4. Alii à אָלָה, juravit, quia per Deum jurari debet. Sed obſtat Mappic in ה quod cum ה quieſcenti non confundendum. 5. Quapropter optimè mihi videtur illud deduxiſſe prædictus Erpenius ab Arabico ألہ adorare, venerari, ubi ה movetur. De ratione vero talium Etymorum vide quod ſcripſimus ad vocem שָׁמַיִם hoc eodem verſu.

Vox hæc tam Creaturis quam Creatori tribuitur. Creaturis; videlicet, Angelis, judicibus, idolis &c. Verum non ſine diſcrimine aliquo,

Cum creaturis tribuitur, aliquando habet ſenſum ſingularem, aliquando pluralem.

Pluralem paſſim, *Adduces eum ad* אֱלֹהִים. i. *judices. Minuiſti eum parum ab* אֱלֹהִים *angelis. Adorate eum omnes* אֱלֹהִים *Angeli.*

Singularem; cum de uno vitulo, idolo, homine, angelo &c. Sic Moſes dicitur à Deo conſtitutus לאלהי פרעה in Deum Pharao. Sic Jud. 13. ille Angelus qui Patri Samſonis apparuit vocatur אֱלֹהִים & מַלְאָךְ Exod. 32. *Fecerunt ſibi* אֱלֹהִים *Deum aureum*, vitulum ſcilicet. Jud. 1. 16. Tribuitur τῷ Dagon idolo

idolo Philiſthæorum Jud. 16. 23. אלהים נתן de Dagon & 1. Reg. 11. τῷ Chamos idolo Moabitarum.

Cum de Deo uſurpatur ſemper habet ſenſum ſingularem conſtruiturque ſic aliquando cum verbo aut nomine plurali, aliquando ſingulari. Cum ſingulariter conſtruitur, habetur ratio ſenſus, ut אלהים ברא Deus creavit. Cum pluraliter, habetur ratio terminationis, ut Joſ. 24. אלהים קדשים Deus ſanctus Gen. 35. 7. *quoniam ibi* נגלו *apparuerunt ei Dii.* i. apparuit Deus. Sic Gen. 20. 13. *poſtquam errare fecerunt me dii.* i. errare fecit Deus. Deut. 5. Vox אלהים חיים Deorum viventium. i. Dei viventis.

Hinc apparet quid in iſtâ controverſiâ jam inde à Lombardi tempore agitatâ ſit ſtatuendum, An ſcilicet hoc nomen vi pluralis numeri pluralitatem perſonarum inſinuet. Calvinus, Druſius, Mercerus, Danæus, Bellarminus, Cajetanus, Pererius, Toſtatus negant. Rationes collegit breviſſimè Druſius in ſuis quæſitis per Epiſtolas epiſtolâ quadam ad Jacobum Montanum, quam epiſtolam etiam præfixam libello de nomine Elohim, ego adhuc ſemel contraham. Dico itaque nomen *Elohim* vi pluralis numeri non inſinuare pluralitatem.

1. Quia etiam de uno vitulo, idolo, homine, Angelo, & quidem ſimili conſtructione uſurpatur, ut ſupra oſtenſum eſt, ſine ullo myſterio.

2. Quia etiam de una perſona dicitur ut Pſ. 45. *Propterea, ô Deus, Deus tuus unxit te.* Ibi eſt אלהים in Ebræo. Sunt tamen qui iſtum locum ſic legunt: *Propterea Deus Deus tuus* &c. Et tunc adhuc inſinuabit juxta illos pluralitatem, tribuetur enim tunc adhuc Patri & Spiritui Sancto. Demus hoc iis. Quid ad eum locum reſpondebunt qui in eodem Pſalmo, *Thronus tuus* אלהים *O Deus in ſecula*, ubi apertè filius tantum vocatur Elohim. Confer cum Ebræorum 1. 8. ubi de filio idem exponitur. Sic Hoſ. 1. 7. *Salvabo eos in DOMINO* אֱלֹהֵיהֶם *Deo ipſorum.* i. in Filio. Nec hoc ullus Orthodoxus negaverit. Calvinus adducit in Comm. ad cap. 1. Gen. alium locum ex eodem capite ורוח אלהים, *Et ſpiritus Dei incubabat* &c. Si Elohim Trinitatis Myſterium inſinuat, Spiritus erit ſui ipſius ſpiritus. Quod Sabellianiſmum ſapit. Sed hoc Calvini argumentum hodie non valebit. Adverſarii enim jam terminos mutare coacti ſunt & dicunt quæri non de Trinitate ſed de pluralitate, quæ hic adhuc manebit. Spiritus אֱלֹהִים. i. Patris & Filii. Sed ea loca quæ ego produxi, invicta ſunt.

3. Quia idem Ebraiſmus propemodum perpetuus eſt etiam in duobus aliis nominibus dominii אֲדֹנִים & בְּעָלִים Gen. 39. De Photiphar, *Et vidit* אֲדֹנָיו *DOMINI ejus.* i. DOMINUS ejus, *quod DOMINUS eſſet cum eo.* De Joſepho, אדני הארץ *Domini terræ locutus eſt nobiſcum dura.* Jeſ. 19. 4. Nebucadnetzar vocatur אדנים קשה domini durus. i. *DOMINUS* durus. Sic & de Deo Mal. 1. אם אדנים אני Si *DOMINI* ego. i. *Dominus.* De בְּעָלִים Jeſ. 1. *Aſinus novit præſepe* אבוס i. Domini ſui. Exod. 21. 9. גם בעליו יומת. *Etiam DOMINI ejus morte afficiatur.*

Concludo ergo tria *Adonim*, *Baalim*, *Elohim* ſub terminatione plurali de Deo, uno homine, idolo, angelo, ſenſum habere ſingularem ex idiotiſmo linguæ, quemadmodum & חיים *vita* caret ſingulari, è contra *vita* Latinis caret plurali &c.) Sua cuique linguæ proprietas. Qui plura deſideras, vide Calvinum, Druſium, Paræum, Toſtatum, Pererium, Bellarminum & authores alios, quorum omnium teſtimonia collegit in ſuo de hoc nomine libello Joh. Druſius.

עִנְיָן] à עָנָה ſignificat hoc loco *occupationem anxiam*, cum quis ſe totum alicui rei addicit & in eâ ſe torquet.

Et paſſio venti] ורעות רוח. Ebræa ſunt ambigua ob utramque vocem. 1. Expoſitio. *Afflictio, malitia ſpiritus*, à רוע malus fuit, unde רְעוּת malitia, κακία. i. κάκωσις afflictio. Sic enim & vox Græca κακία pro κακώσει ſumitur in Euangelio, *ſufficit diei ἡ κακία.* i. κάκωσις afflictio ejus. 2. Expoſitio, *Confractio ſpiritus* à רָצַץ. 3. Expoſitio, *paſſio venti*, à רָעָה pavit, unde רְעוּת ut à פָּדָה פְּדוּת redemptio. Porro *paſſio venti* lucem habet ex Hoſ. 12. *Ephraim* רעה רוח *paſcitur vento.* i. rebus vaniſſimis addictus eſt, ſectatur rem inanem, fruſtratur deſiderio. Sic & Hieronymus monet *quoſdam vertere* βόσκησιν vel νομήν. Ipſe autem vertere ſolet *præſumptionem.* Aben Ezra aliique *cogitatio*, ſed illud magis Syriacum quam Chaldæum erit. LXX quos ſecutus videtur Hieron. προαίρεσις reddunt. Videntur legiſſe רְצוּת pro רְעוּת à רצה, licet illa forma non ſit uſitata.

15. *Perverſum non poteſt corrigi, & defectus non poteſt numerari.*

Corrigi] Scilicet humanitus.

Numerari] Ita multi ſunt defectus rerum humanarum ut numerari nequeant.

Defectus] חֶסְרוֹן Aben Ezra & Kimchi notant *poſſe eſſe Thoar ſeu adjectivum ut* אֶבְיוֹן *mendicus: q. d. defectuoſum, deficiens.* Alii dicunt *eſſe abſtractum & ſubaudiunt* בַּעַל q. d. præditum defectu. Chaldæus ſubaudit איש vir defectuum & ſic παραφράζει hunc verſum: *Vir cujus viæ rebelles ſunt in hoc ſæculo & moritur in iis & non reverſus eſt ad pœnitentiam, non eſt ei facultas corrigendi ſe poſt mortem ſuam: Et vir deficiens in Lege & præceptis in vita ſua, poſt mortem non poterit numerari cum juſtis in Paradiſo.* Sic & R. Sal. exponit additque Proverbium, *Qui laborat in veſpera Sabbathi comedet in Sabbatho.* Hoc vult, futurum ſæculum fore ſæculum mercedis non operis. Unde Ebræi hoc vocant עולם המעשה ſæculum operis vel ערב השבת veſpera Sabbathi. Futurum verò ipſum שבת & עולם הגמול ſæculum retributionis. R. Jehuda libri Muſar cap. 16. ſic ait, *Doctores noſtri hoc ſeculum diebus profeſtis, futurum Sabbatho ſimile eſſe dixerunt, unde illud, qui parat diebus profeſtis comedet Sabbatho; In Gemara tractatu de idololatriâ extat his verbis;* מי שטרח בערב השבת יאכל בשבת אבל מי שלא טרח בערב השבת לא יאכל בשבת. In Piske Aboth ſic legimus כי שמכין בערב וגו׳: Solebant enim Judæi & adhuc ſolent tantum cibi parare die ſexto quantum opus habent ad victum diei ſeptimi, imo ſolent etiam in veſperâ Sabbathi menſam ſternere, ne impingant ſcilicet in 4. præceptum. Vide Synagogam Buxtorfii. At de his Proverbiis quæ citavi vide Proverbia ſacra Druſii Claſ. 1. libr. 4. Prov. 5. Unde hæc habeo. Vulg. vertit poſterius membrum, *Et ſtultorum non eſt numerus.* Quod videtur mihi poſſe excuſari, admiſſo hoc fundamento ſtrato jam ab Aben. & Kimchio חסרון *poſſe eſſe Toar*; *& deficiens, jam verò ſynonymum erit* חֲסַר לֵב. Sumpſit verò חסר pro חֲסַר לֵב deficiens corde: *deficiens corde* verò in Proverbiis Salomonis frequentiſſimè occurrit pro ſtulto Itaque *deficiens* (corde) *nequit numerari* idem erit quod, ſtultorum non eſt numerus.

Per *ſtultos* hic verò intelligerem μωροκακοὺς, malos, ſtylo Scripturæ, quorum certe magnam eſſe copiam Ethnici paſſim ſunt conqueſti. Juvenalis Sar. 3.

——— *Et Catilinam*
Quocunque in populo videas quocunque ſub axe,
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.
Rari quippe boni; numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.

Et Cic. lib. 7. Epiſt. ad Att. Epiſt. 7. *Deteriorum magna eſt natio &c.*

לְתַקֵּן] Corrigi, unde תִּקּוּן correctio, תִּקּוּן סוֹפְרִים correctio ſcribarum, ita vocantur 18 loca à ſcribis correcta.

16. *Locutus ſum ego cum corde meo dicendo, ego ecce magnificavi & addidi ſapientiam ſupra omnes qui fuerunt ante me Jeroſolymis, & cor meum vidit multum ſapientiæ & ſcientiæ.*

Locutus ſum cum corde meo] עִם לִבִּי. Idem cum eo quod poſtea ſequetur דברתי בלבי dixi in corde meo. i. cogitavi. *Dicere in corde* pro cogitare notum eſt. Sed hic obſervetur *dicere* tantùm aliquando poni pro *cogitare*, ſubaudita voce בלבי. Exempli gratia Exod. 2. 14. *Dicit Iſraelita ille ad Moſen* הלהרגני אתה אמר *an occidere me dicis.* i. cogitas? Num. 14. 10. *Dixerunt lapidare Joſuam & Caleb.* Sic Gen. 20. 12. & 26. 9. Pſal. 94. 18. Joſ. 22. 24. Sic Rom. 1. 22. *Dicentes ſe eſſe ſapientes.* Sic explicat illa Moſes Gerundenſis alias dictus Ramban per ſigla, i. ר׳ משה בן־נחמן. Verum Moſes Maimonides alias Rambam per ſigla dictus, ſcilicet ר׳ משה בן מימון explicat illa omnia per *velle*, an vis me occidere? Voluerunt lapidare &c. res eodem recidit. Vide Druſii Magnas Annotationes in Numeros.

17. *Et applicui cor meum ad cognoſcendam ſapientiam & ſciendum inſanias & ſtultitiam; novi* (deprehendi) *hoc etiam eſſe vanitatem & paſſionem venti.*

(*Hac re fretus applicui cor meum* ad *cognoſcendum ſapientiam & ſciendum*)

Inſanias & ſtultitiam] quia contrariorum cognitio multum juvat. Verto *& ſciendum.* Hieron. *& ſcientiam.* Sed, ut Mercerus notat, tunc potius ſcriptum fuiſſet וְדַעַת.

Stultitiam] ושכלות. Alii *prudentiam* vertunt, quæ duo planè contraria ſunt. Diverſitas hinc eſt quia שָׂכַל ſignificat *prudentem eſſe, intelligentem* in Hiphil.; סָכַל verò *ſtulteſcere*, unde סָכָל ſtultus סִכְלוּת ſtultitia. Qui itaque *ſtultitiam* vertunt, ajunt ש poſitum hic pro ס, quæ literæ facilè permutantur inter ſe. Pro his facit Maſſora quæ notat ad hunc locum, ל׳ *non eſt amplius*

plius cum ש *in ſignificatione ſtultitiæ.* Facit & pro his verſ. 12. cap. 28. ubi eadem repetuntur, hac voce per ס ſcriptâ, סכלות.

Vanitatem eſſe] *non quod ſapientiæ ſtudium*, ait Mercerus, *vanum ſit, ſed nimia curioſitas & anxietas, dum id præter verbum Dei ſit & ſæpe plus ſapimus quam oportet.*

הוללות] *inſanias*, caret ſingulari, Eccleſ. tamen 10. 13. repetitur. הוללות ad quod notat Maſſora בשורק ל' כמות *non eſt ſimile ei cum Schureck.*

Rationem ſubjicit.

18. *Quia in multitudine ſapientiæ, multa eſt indignatio: & qui addit ſapientiam addit dolorem.*

Qui per ſapientiam deprehendit omnia eſſe vana, non poteſt non ſæpe indignari, cum videt homines nihilominùs ita magnificè de iis ſentire. R. Sal. & Chald. referunt ad Deum qui à ſapientibus plus exacturus eſt quam ab aliis. Sic enim habet Chaldæus. *Qui multiplicat ſapientiam cum peccat, cum peccat & non convertitur ad pœnitentiam, multiplicat indignationem à DOMINO, & qui addit ſapientiam, & moritur in pueritia addit dolorem cordis propinquis ſuis.*

כעס] Indignatio, ira, ut & in eo, בכיס בכוס בכעס; *In oculo, in poculo, in ira*, ſub. *cognoſcitur ingenium hominis.*

יוסיף] Poteſt eſſe futurum Hiphil à יסף. Poteſt etiam ut ſit Participium Cal ab eodem Themate ut ſit Hirec pro Tſere. Simile תומיך ſuſtentans, pro תומך. Si erit futurum ſubaudiendum erit relativum אשר, *qui addit &c.*

GROTIUS.

HIc Liber קהלת eſt in Hebræo. Solent nomina ejus formæ plerumque eſſe muliebria; ſed quia Hebræis communia deſunt, uſurpantur interdum pro communibus. Et ità hic ſumi apparet ex conſtructione cum maſculino 1. 1, 2. 12. & 7. 28. 12. 8. 9. 10. Ac propterea Græci Ἐκκλησιαστὴν [*Concionantem*] vertêre. Meliùs fortè vertetur Συναθροιστὴς [*Conſervator*], quomodo verbum קהל per συναθροίζειν verti ſolet, ut intelligamus redactas in hunc librum varias hominum, qui ſapientes apud ſuos quiſque habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας [*de beatitudine*], planè ſicut liber Jobi omnes ferme quæ fuerunt aut eſſe poſſunt de divina rerum humanarum gubernatione, aut contra eam, ſententias complectitur. Quare mirari non debemus, ſi quædam hìc legimus non probanda; omnes enim ſententias cum ſuis argumentis recitanti, ut Ariſtoteles facere ſolet priuſquam quid definiat, neceſſe erat id accidere: ſed cùm & initium & finis ſatis monſtrent quod ſit ſcriptoris propoſitum, ob eas cauſas (ut ajunt Hebræi) meritò in canonem receptus eſt. Ego tamen Solomonis eſſe non puto, ſed ſcriptum ſeriùs ſub illius Regis, tanquam pœnitentiâ ducti, nomine. Argumentum ejus rei habeo multa vocabula, quæ non alibi quam in Daniele, Eſdrâ & Chaldæis interpretibus reperias.

4. *Generatio præterit, & generatio advenit*] Φασὶ γὰρ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα πράγματα [*ajunt enim orbem eſſe res humanas*], Ariſtoteles IV Phyſicorum, cap. XIV. Seneca: *In orbem nexa ſunt omnia, fugiunt & ſequuntur.* Tacit. Annal. III. *Rebus cunctis ineſt quidam velut orbis.* Vide & Syneſium epiſtolâ CCCLXXIV. Vide eandem ſententiam tractatam Eccleſiaſtici XIV. 18.

Terra autem in æternum ſtat] Non hìc agitur de terræ aut ſtatu aut motu, ſed de duratione oppoſita ſingulorum hominum durationi: ideo dicitur,

——— Πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
[——— *Rerum ſedes immobilis ævo.*]

6. *Et flectitur ad Aquilonem*] Id eſt, ad Mediноctii loca, à quibus Septentrionem & Germani appellant. Oſtendit hic locus Hebræis terram creditam σφαιροειδῆ [*globoſum*], & circa eam verti Solem.

Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur] De Sole quidam continuari ſermonem volunt, qui *ſpiritus* dicatur, quòd nihil habeat inferioribus his corporibus ſimile. Alii de aëre accipiunt: de quo Plinius 11. 38. *Tot animalium hauſtus ſpiritum e ſublimi trahit. At ille contrà nititur, telluſque, ut inani, cœlo ſpiritum infundit: ſic ultro citrò commeante naturâ, ut tormenta quodam mundi celeritate diſcordiæ accendatur. nec ſtare pugna licet; ſed aſſiduo raptu involvitur; & circa terram immenſo rerum quaſi globo tendit, ſubinde per nubes cœlum aliud obtexens. Ventorum hoc regnum.*

7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*] Nempe cum mari intrant meatus ſubterraneos, & ibi colati in fontes erumpunt. Apertiſſimum id in Caſpio mari, quod nuſquam in aperto cum Oceano eſſe continens ſatis jam conſtat. Habet ergò mare canales ſuos, ſicut multa flumina terris abſorpta ex longo intervallo reſurgunt.

9. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt*] Hoc ſenſu Platonici omnia dicunt eſſe ἓν καὶ ἕτερον [*unum & alterum*]. Vide infra III. 15. M. Antoninus libro XII. πᾶν τὸ γινόμενον οὕτως ἀεὶ ἐγίνετο, καὶ γενήσεται, καὶ νῦν πανταχοῦ γίνεται [*omne quod fit ſic ſemper factum eſt, & fiet, & nunc ubique fit*]. & alibi: πανταχοῦ τὰ ὅμοια οὐχ ὅσα φοβηθῆναι, μήτι καινὸν, πάντα συνήθη.

13. *Propoſuit in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub Sole*] Hiſtoriam Animalium & ſatorum diligentiſſimè inquiſivi.

Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum] רע Hebræum, quod hìc *peſſimam* vertit, ſæpè *rem laborioſam ac moleſtam* ſignificat, quod jam nunc dicet *afflictionem ſpiritûs*. Labor eſt in illis ſtudiis, non quies, non ipſa beatitudo.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. TEntabo te] Secutus ſum hic D. Kimhi. Aben Ezra verò putat radicem verbi eſſe נסך, quod ſig. *miſcere vinum in convivio.* Demonſtrat autem aliquot rationibus, felicitatem hominis non contineri voluptatibus mundi. Nam in rebus quæ voluptatem afferunt parandis plus eſt diſpendii quàm in fruendo compendii.

8. *Symphonias*] Exponuntur hæ duæ dictiones variè ab Hebræis. Quidam enim putant eſſe כלי זמר *muſica inſtrumenta*; alii accipiunt pro נשים יפות *mulieribus pulcris in bello captis*, ut ſit radix dictionis שוד. Rurſum alii putant eſſe מרכבות נוי *quadrigas pulcras.*

12. *Inſanias*] Vocat *inſanias* ebrietatem & Epicureorum pecuinam vitam. Quid enim differt ebrius ab amente? Inſtituit Deus & Natura ut homo pareat menti & ſanæ rationi tanquam Regi ſuo, & non trahatur concupiſcentiâ carnis. ¶ Porrò סכלות, quod nos vertimus *ſtultitiam*, putat Aben Ezra capiendam pro קנין הון *induſtria acquirendi divitias.* ¶ *Ut ſequi poſſit Regem*] Hebræi communiter intelligunt hunc locum de ſententia & decreto Divino, quod nemo avertere poteſt; quale eſt, quòd *omni homini ſtatutum eſt ſemel mori*: fruſtrà ergò quis curret poſt Deum, conaturus avertere à ſe ſententiam mortis. Sed neſcio quomodo in hoc ſenſu hic verſus cohæreat præcedentibus & ſequentibus.

17. *Vitam*] Aben Ezra putat eſſe חיים adjectivum plurale. Eſt enim חיים commune ad *vivos* in plur. & ad *vitam* in ſing.

24. *Niſi*] Hebræi hìc ſubintelligendam docent particulam רק *niſi*, ut integer habeatur ſenſus. Alioquin textus contrarium ſenſum offert, nempe hunc, *Non eſt bonum homini quòd comedat & bibat*, &c.

VATABLUS.

1. DIxi ego in corde meo, אמרתי אני בלבי] Suprà 1. 16. ait, *Dixi ego cum corde meo.* Pro quibus quidam vertunt, *Porrò apud meipſum cogitavi.* ¶ *Veni nunc* לכה נא] Latinè verti poteſt, *Age, quæſo*: ut ſit velut hortantis adverbium. ¶ *Probabo te* אנסכה] Sumit alterius hominis perſonam ſæpius in hoc libro, ut hic, nam cor ſuum alloquitur, *Periculum de te*, inquit, *faciam.* A verbo נסה, quod *tentare* ſive *probare* ſignificat, ut ait doctus inter Hebræos. Alius deducit à נסך *miſcere vinum in convivio*; acſi dicat, *Miſcebo me in lætitia*, vel, *effundam me.* ¶ *Et vide bonum* וראה בטוב] Hebraiſmus, pro *fruere bonis, genio indulge, vive opiparè & feliciter in hac terra.* Videtur quibuſdam imperativum ſumi pro ſecunda perſona futuri, & ità vertunt, *Et videbo bona*, i. fruar deliciis. Poteſt autem infinitivi & imperativi modi eſſe: id quod fit in verbis ultimam literam habentibus ה. & infinitivus pro omni tempore & modo ſumitur. Chald. per futurum vertit.

2. *De riſu* לשחוק] *Riſui*, vel potius, *Propter riſum.* Hoc loco ל pro בעבור, i. *propter*, ſive *de*, ponitur, ut & Gen. 20. 13. & Exod. 14. 3. ¶ *Inſanis* מהולל] Ad verb. *Inſaniens*, i. Inſanire facis: vel *In inſaniam verſus eſt*: q. d. Videntur mihi inſanire qui ſeſe riſui dedunt. Quidam vertunt totum verſum, *Riſui aſſuetum vocavi amentem; & de lætitia dixi, Quid iſtuc agis?* Alii, Nam *ridere ſtatuo eſſe hominis veſani, & lætitiam dixi neſcio quid parere.* ¶ *Quid hoc facis*

מה זה עשה] Ad verb. *Quid hoc faciens?* i. *Quid hoc facit*, aut *prodeſt? Quid boni affert?*

3. *Inveſtigavi* תרתי] *Exploravi*, *Scrutatus ſum*. Quidam, *Conſtitui apud me.* ¶ *Ut abſtraherem à vino* למשוך ביין] *Ut attraherem in vinum*, i. quâ ratione corpus meum daret operam voluptati. Nomine *vini* omnes voluptates ſignificat. ¶ *Inducerem in ſapientiam* נוהג בחכמה] *Seſe ingereret ſapientia.* Alii, *incederet in ſapientia*, i. ſeſe regeret. ¶ *A ſtultitia* בסכלות] *Stultitiam*: q. d. Nec interim alienum eſſet à ſtultitia. ¶ *Quodnam eſſet bonum*, &c. אי זה טוב וגו׳] *Quodnam ſit bonum filiis hominum* ex his *quæ facere ſolent*, &c. Subintelligitur מהם *ex his*.

4. *Magnificavi* הגדלתי] Hebraiſmus, pro, *Magnifica opera exſtruxi*; vel, ut alii vertunt, *Perfeci magnifica opera.*

5. *Et paradiſos* ופרדסים] *Et pomaria.* Significat hortos domeſticis arboribus conſitos. Obſerva, *paradiſum* vocem eſſe Hebraicam, Græcè παράδεισος.

7. *Acquiſivi* קניתי] *Poſſedi*, *Comparavi.* ¶ *Et filii domûs* ובני בית] i. Familia fuit mihi. Alii interpretantur, *&* *vernæ*, i. vernaculi qui naſcuntur domi noſtræ ex mancipiis.

8. *Et theſaurum* וסגלת] *Et præcipuas opes & divitias.* Alii, *peculiare.* Hebræi dicunt ſignificare *rem deſideratam & reſervatam, quâ ſeſe jactare ſolent homines*; ut ſunt lapides pretioſi, & hujuſmodi. ¶ *Electas mulieres ex præda* שדה ושדות] Ad verb. *captivam & captivas*, i unam & plures ex mulieribus formoſiſſimis bello captis: nam urbe aliquâ captâ ſeligebant ſibi Principes pulcerrimas mulieres, Judic. 5. 30. Per Metaphoram igitur nomine *captivarum* intelligit pulcerrimas mulieres. Alii interpretantur *honorabiles mulieres*, i. honore dignas. Alii dicunt (referentibus Hebræis) nomina fuiſſe inſtrumentorum muſicorum ad pſallendum aptorum, vertentes, *ſymphonias & muſicum concentum.*

9. *Et magnificatus ſum* וגדלתי] *Et magnus evaſi.* Vel, *Et crevi.* ¶ *Et auctus ſum* והוספתי] *Et auxi meipſum.* i. meam dignitatem. Alii, *adjeci*, ſub. *magnificentiam.* ¶ *Perſtitit apud me* עמדה לי] Ad verb. *ſtetit mihi*, pro *mecum*, i. nec interim diſceſſi à ſapientia.

10. *Non prohibui eis* לא אצלתי מהם] *Non ſubduxi ab eis*: vel, *ſubtraxi.* ¶ *Prohibui cor meum* מנעתי את לבי] *Revocavi cor meum*: vel *abſtraxi*, *cohibui.* ¶ *Pars mea* וחלקי] *Portio* [vel *ſors*] *mea.*

11. *Ad operandum* לעשות] *Ad faciendum*: vel, *parandum*, ſub. *mihi opes & divitias.* ¶ *Et afflictio* ורעות] *Et fatigatio*, *contritio*, *moleſtia*, *abſumptio*, *cogitatio*, ut ſuprà 1. 14.

12. *Et reſpexi ego*, &c. ופניתי אני לראות חכמה] *Rurſum converti me ego ut experirer* [vel *perſpicerem*] *ſapientiam.* ¶ Ut cognoſcat *quæ*, &c. את אשר כבר עשוהו] Ad verb. *quod jam fecerunt*, ſub. *facientes*, i. quod geſtum eſt ab hominibus & ſtultè & ſapienter: q. d. Quis eſt ille homo privatus qui exactiùs perſpicere & cognoſcere poſſit quæ geſta ſunt quàm ego cognoſco qui ſum Rex?

13. *Quòd utilior eſt* שיש יתרון] *Quòd præſtantior eſt*, aut *excellentior.* Ad verb. *quòd eſt dignitas* [vel *excellentia*] *ſapientiæ ſupra ſtultitiam, ut eſt excellentia luminis ſupra tenebras.*

14. *Sapientis oculi ſunt*, &c. החכם עיניו בראשו] Ad verb. *Sapiens, oculi ejus in capite ejus.* Redundat alterum relativum: i. *Sapiens habet oculos in capite*, h. e. in fronte: q. d. Circumſpectus eſt ſapiens, diligenter videt quid agendum ſit. Cùm aliquem ſtultitiæ corripimus, dicimus, *Ubinam habes oculos?* Ità per oppoſitum ſenſum, *Habere oculos in capite* eſt eſſe ſapientem. ¶ *Omnibus ipſis* את כלם] i. Sapientibus & inſipientibus.

15. *Propterea dixi* ואמרתי] Ad verb. *Et dixi.* ¶ *Ut evenit ſtulto, etiam eveniet mihi* כמקרה הכסיל גם אני יקרני] Ad verb. *ſecundùm eventum ſtulti, etiam ego eveniet mihi.* Duo pronomina, quorum alterum redundat; & verbum cum pronomine affixo pro ſeparato. ¶ *Magis* יותר] Impenſius. Alii, *excellentius.* ¶ *Itaque locutus ſum in corde meo* ודברתי בלבי] *Dixit itaque in animo meo*, &c. i. cogitavi apud me.

16. *Non enim* erit *memoria*, &c. כי אין זכרון וגו׳] Hebraiſmus, pro *Neque ſapientis, neque ſtulti ultrà erit memoria in æternum.* ¶ *Cùm jam dies*, &c. בשכבר הימים וגו׳] Ad verb. *in* eo tempore *quod jam* fuit *diebus venientibus*, &c. quod quidam vertunt, *neque tempore præterito, neque diebus venturis*: [i. tempore futuro:] *omnia oblivioni tradentur.* Alii vertunt, *Et ejus quod nunc exſtat, temporibus futuris omnino obliviſcentur* homines. Alii, *Ob id quòd jam dies ſupervenient quando totum oblivioni dabitur.* ¶ *Et quomodo*, &c. ואיך ימות וגו׳] *Sed quo pacto mori ſolet ſapiens cum ſtulto?* Alii, *Quomodo igitur morietur ſapiens ſicut ſtultus?*

17. *Diſplicuit mihi* רע עלי] Ad verb. *malum eſſet ſuper me.* ¶ *Et afflictio ſpiritûs* ורעות רוח] Vide v. 11.

19. *Omni labori*, &c. בכל עמלי וגו׳] Hebraiſmus pro, *in omnibus opibus meis quas labore meo acquiſivi & ſapientiâ paravi ſub Sole*: i. toto tempore vitæ meæ. Sic v. ſeq. ¶ *Et quo ſapiens fui* ושחכמתי] *Et quem ſapienter obtui.* Vel, *& quo ſapienter negotia mea adminiſtravi.*

20. *Et ego verti me* וסבותי אני] *Et ego converſus ſum*: ut ſolent qui faciem ſuam vertunt ad viam aliam, poſtea ad primam convertunt ſe. ¶ *Ut avocarem*, &c. ליאש את לבי] Ad verb. *ut deſperare facerem*: aut, *ut exſecrarer* inſtitutum *cordis mei.* Alii, *ut avocarem* [ſive *retraherem*] *animum meum ab*, &c. Alii, *ut efficerem ut taderet animum meum omnis laboris*, &c. i. ut animus meus negligeret omnem laborem meum, h. e. opes labore meo partas.

21. *Dabit partem ſuam* יתננו חלקו] *Daturus eſt illum* laborem ut ſit *portio ejus.*

22. *Et afflictione* וברעיון] *Et fatigatione*; *contritione*; *cogitatione.*

23. *Et indignatio, occupatio ejus* וכעס ענינו] i. Nuſquam non invenit ob quod jure indignetur.

24. *Non eſt* igitur *bonum*, &c. אין טוב וגו׳] Quidam Hebræorum ſubaudito ה legunt per interrogationem, *Annon bonum eſt in homine*, i. in negotio hominis, *quòd*, &c. Alii legunt ut verſum eſt, ſubaudientes רק *niſi*; & idem ſubintelligit Chaldæus P. Similiſque loquendi modus ſæpe reperitur in S. literis ubi רק ſubauditur. Vide infrà 4. 17. ¶ *Et oſtendat*, &c. והראה וגו׳] Ad verb. *& videre faciat animam ſuam bonum.* Hebraiſmus eſt, *oſtendere animæ ſuæ bonum* pro *genio indulgere ad neceſſitatem*, vel *non fraudare genium*, in bonam partem accipiendo.

25. *Curet* יחוש] *Curare debeat*, ſub. *affluere deliciis*: vel, *fruitionem illarum opum.* Quidam vertunt, *Quis ſenſibus oblectabitur plus quàm ego fecerim?* Alii, *properare debeat* [ſub. *ad fruitionem talium opum*] *præterquam ego?* qui ſcilicet paravi illas labore meo: q. d. Nemo. Vel, ut quidam Hebræorum exponunt, *Quis poterit commodiùs feſtinare ut ſua expleat deſideria quàm ego qui tantam habeo auri & argenti copiam?*

26. *Coram eo* לפניו] Relativum ſine antecedente, refert *Deum*; *in cujus conſpectu bonum eſſe* ſignificat verè bonum eſſe, & Deo judice, non fictè. ¶ *Occupationem* ענין] *Afflictionem.* ¶ *Bono* לטוב] Sub. *homini*: i. in uſus illius, quem Deus accipere volet ea quæ ipſe malus congregarit. ¶ *Et afflictio* ורעות] Vide v. 11.

CASTALIO.

HIC liber eſt de finibus bonorum, ſive de vitæ vanitate ſcriptus: in quo docetur, hanc vitam eſſe totam vanam ac miſeram, nec ullam ejus partem beatam. Atque hoc in totius libri propoſitione, & idem in concluſione ponitur. Quòd ſi quis interroget quid in hac vita ſit bonum, reſpondet Salomo, Nihil; ſed omnia eſſe vana ac miſera. Sed tamen ſi in hac ipſa miſeria quæras quid ſit bonum, h. e. minimè malum, reſpondet, Eſſe voluptatem: cætera omnia moleſta & mala eſſe: in voluptate ſaltem aliquod eſſe quaſi vitæ condimentum Divinitus conceſſum hominibus. Dicet aliquis, Ergóne indulgebo voluptati? Profectò, inquit Solomo, ſi quidem hujus vitæ frivolo bono frui velis. Sed videndum eſt nè inani bono ſectando verum bonum amittas. Nam quamvis in hac vita omnia temere agi videantur, ſcio tamen & religioſis bene & impiis non bene fore, omniúmque opera quamlibèt occulta judicatum iri. Quod cùm in hac vita non fiat, quippe in qua & bonis malè & malis bene ſit, ut apparet, exſpectanda altera vita eſt, in qua & bonis bene & malis erit malè. Quamobrem ſi alterius vitæ nullam rationem habes, epulare, pota, dum vita eſt, *Poſt mortem nulla voluptas.* Sin alterius vitæ felicitatem ſectaris, ità te gere ut illo bono ſis dignus; h. e. Deum metue, qui ſuis cuique digna factis præmia rependet. Hoc eſt hujus argumentum libri: quod ideo attingere volui nè quis hic fallatur. Sunt enim, utinam pauci, qui non librorum finem & ſcopum ſpectant; ſed unum aliquem locum nacti qui cum ipſorum libidine facere videatur, eum arripiunt, & eo ſuæ patrocinantur licentiæ; perinde ac ſi talem habituri ſint Judicem Deum quales ſunt ipſi de ſe judices.

12. *Nam quis hominum eſt qui regem ſequatur eum, qui jam factus eſt?*] Nemo me poſtea quàm Rex creatus ſum, ſapientiâ æquiparat.

25. *Quis enim plus quàm ego comedat aut liguriat?*] Nemini plures quàm mihi delicias largitus eſt Deus, quo fit ut judicare poſſim hoc Dei munus eſſe, quippe qui ſciam Deum autorem eſſe meæ ſapientiæ, quà hæc quæſita ſunt. Vide Sap. 7.

CLARIUS.

3. TRahere in vino] h. e. Aſſueſcere vino. Statui, inquit, longis conviviis & multo vino corpus meum molliter curare, & *ſtultitiam* quæ eſt in reliquis rebus *experiendo diſcere*, &c.

8. *Scyphos & urceos*] Alius vertit *ſymphoniam & muſicam concentum.* Sed ambigunt Hebræi quid hæ voces ſignificent.

9. *Sapientia quoque perſeveravit mecum*] Interim ſapientia mihi in omnibus affuit, quæ de his judicaret.

10. *Et hanc habui partem*] Nec alium ſenſi fructum tam moleſti conatûs quàm ut oculos paſcerem & animus ſe nonnihil recrearet.

12. *Tranſivi ad contemplandam ſapientiam*] Iterum me converti ad ea, ut ſaltem viderem quantâ ſapientiâ uſus eſſem in omnibus illis; & deprehendi in vino inſaniam multam, & in reliquis manifeſtam ſtultitiam. Quid enim eſt homo ut imitatione Regis Dei aliquid magni conetur, cùm nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus quas ille innumeras fecit æquare poſſit? Idcirco dixit Dominus, *Nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt ſicut unum ex iſtis.* Vocat autem *errores* ſive *inſanias* ebrietatem & Epicureorum pecuniam vitam.

14. *Et didici*] Interim, inquit, video eundem habere exitum omnia.

15. *Locutuſque cum mente mea*] Iterum ergò judicavi, nè ſapientiæ quidem ſtudium carere vanitate ſuâ.

17. *Videntem mala univerſa*] Exſecrari cœpi, inquit, miſerias viventium, quòd viderem apud me quantum ſine fructu ſit moleſtiæ *in rebus quæ fiunt ſub Sole, omnia enim inania ſunt & tantùm animum cruciant.*

20. *Unde ceſſavi*] Interpres vertit ſenſum. In Hebræo eſt, *Et converſus ſum, & deſperavit cor meum.*

24. *Melius eſt comedere*] Ad liberalem eorum quæ adſunt uſum hortatur, & ab avaritia, peſſima animi peſte, deterret.

25. *Quis vorabit*] Reſpondet ſuperioribus verbis. Ad quem (inquiens) magis pertinet frui divitiis meis, quàm ad me?

26. *Dedit Deus ſapientiam*] Eam ſcilicet prudentiam & ſapientiam, ut audeat uti rebus ſuis.

DRUSIUS.

1. *Veni nunc*] Δεῦρο δή. Uſurpant pro adverbio Hortandi Sic alibi, *Venite & faciamus nobis lateres*, i. Agitedum. ¶ *Tentem te*] Alius *tentabo te*, ut Lxx πειράσω σε. נסכה *tentabo* ךָ *te.* Sunt qui præferant *libem*, vel *miſcebo*, ut *vinum* ſubaudiatur, & thema ſit נסך *miſceo.* Nihil temere damno: tamen ſequitur, *Exploravi cor meum ut detinerem in vino carnem meam.* Ecce ταυτολογεῖ ſi nunc idem dicit. Judicet peritus lector. *Tentem*, probem. Vide Obſervat. meas. ¶ *Lætitiâ*] *Deliciis ac voluptatibus.* ¶ *Fruere igitur bono*] וראה בטוב *& vide in bono.* Id Græcè legitur in Lxx, καὶ ἰδὲ ἐν ἀγαθῷ. Nos ſenſum nunc expreſſimus. Dicunt etiam *videre bonum*, quod invenies infrà 3. 13. & ex eo elucidabis illud, *Quis oſtendat nobis bonum?* Vult dicere, *Quis faciat ut fruamur bono?* Locus eſt Pſal. 3. Sic Mich. 7. 10. *donec videro juſtitiam ejus*; explico, *donec fruar benignitate ejus.*

2. *Riſui dixi, Inſanis, & lætitiæ. Quid hoc facis?*] Licet etiam vertere, *De riſu dixi, Inſanit; & de lætitia, Quid hoc facit?* *Riſum* autem appellat vitam mollem, delicatam ac voluptariam, cui opponitur כעס infrà 7. 4. i. e. vita auſtera, rigida ac ſevera: quam ferè ſtudium ſapientiæ conciliat. Vide Prov. 21. 17. לשחוק *riſui*, i. τῷ γέλωτι, ut Lxx vertunt; vel *de riſu*, ſive *quoad riſum.* Sic in Davide לפעלות *quoad opera.* ¶ *Inſanis*, vel *Inſanit*: nempe quia inſanos homines reddit. Sic Mors *pallere* dicitur. Sic, *Vinum irriſor*: nam irriſores facit, Prov. 21. הוללות Hier. reddit *amentiam.* Lxx verò περιφοράν, i. *circumlationem.* Sed paulò pòſt ver. 12 ſcriptum παραφοράν, pro quo in libris impreſſis περιφοράν. Aliquid hac de re ſuprà 1. 17. & in libellis meis quos edidi. Vide, ſi places. Autor editionis Vulg. hunc locum ità reddit, *Riſum reputavi errorem*, i. πλάνησιν, quod ab Aquila ſumpſit. Sym. Τὸν γέλωτα εἶπον θόρυβον, *Riſum appellavi tumultum.* ¶ *Lætitiæ*] *Voluptati.* ¶ *Quid hoc facis?* Τί τοῦτο ποιεῖς; Quid ità furis & inſanis? cur adeò homines dementas? Quidam, *Ecquid facis?* Sym. Τί αὕτη ποιεῖς, *Quid ipſa facis?* זה αὕτη ſed pro τοῦτο uſurpatur hîc & alibi paſſim. Carent enim neutro genere Ebræi, próque eo utuntur feminino.

3. *Exploravi*] Periculum feci num in Vino & Stultitia quam ſimul cum ſtudio Sapientiæ conjungebam, poſſem invenire quod quærebam. ¶ *Corde meo*] *Animo meo.* Quid ſi, *Exploravi cor meum*, i. meipſum, *protrahendo in vino*, &c.? Lxx ἐν ἡ καρδία μου בלבי תרתי. Aq. & Sym. καὶ ἐνενόηθην ἐν τῇ καρδίᾳ μου. ¶ *Ut protraherem*] Vel *traherem*, ut legitur in verſione Hier. quæ ex Ebræo. Senſus eſt, *ut diutius detinerem*; *ut immorari facerem.* Sic dico, *Trahere in vino carnem ſuam* eſt corpori vinum indulgere affatim, & continuare potationem. Alii exponunt *corpus vino ſolvere*, i. ſubtilius ac mollius reddere. Editio Lat. Vet. *ut abſtraherem à vino*, i. מיין. Lxx ἑλκύσαι εἰς οἶνον. An legerunt ביין, aut eſt mendum in libris Græcis pro εἰς οἶνον? Nihil ſtatuo. In nonnullis quoque exempl. διαλῦσαι legitur; i. *diſſolverem.* Ex hac lectione manavit expoſitio quam modò adduxi. Cùm autem lectio adulterina ſit, ſequitur & expoſitionem quoque talem eſſe. Vide quid ſit ex ipſis lacunis S. literas enarrare. ¶ *Carnem meam*] i. Corpus. Sic, *erunt duo una caro*, i. unum corpus. Huc pertinet *vita carnium*, i. bona corporis valetudo. ¶ *Cor meum aſſueſcens*] נהג *aſſueſcens.* Nam מנהג *conſuetudo.* Aliter vertas, & fortaſſe meliùs, *interim cor meum ducens in ſapientiam*, h. e. eò ubi ipſa eſt ſapientia. Hæc eſt uſitata verbi נהג ſignificatio propriè *ducere & minare pecus.* Valet etiam *regere*; ut cùm de Deo legimus, נוהג הכל *regit ac gubernat omnia.* Latina V. *& animum meum transferrem ad ſapientiam:* Quod expreſſum videtur ex Symmacho; nam is antè verterat, ἵνα τὴν καρδίαν μου μεταγάγω εἰς σοφίαν, *ut cor meum traducam ad ſapientiam.* Priùs Lxx ediderant, καὶ καρδία μου ὡδήγησέ με ἐν σοφίᾳ, *& cor meum deduxit me in ſapientia*, i. בחכמה. ¶ *Amplectere ſtultitiam*] Lxx τοῦ κρατῆσαι ἐπ᾽ εὐφροσύνῃ, ità quidem libri editi, aliis ἐπ᾽ εὐφρασίαν. Sed ex Hieron. legendum videtur ἐπ᾽ ἀφροσύνῃ, niſi ad ſenſum reſpexerunt. Sic vulgò dictitamus, *Brabantus quò ſenior, eò ſtultior*, i. hilarior. Notum & adagium illud apud Belgas, Half ſot half zoet wel leven doet: quo ſignificant jocunditatem & parſimoniam vitam facilem lætámque præſtare. ¶ *Quodnam illud bonum*] Pro τὸ ἀγαθὸν, quod Lxx poſuerunt, in Sym. eſt τὸ σύμφορον, & in Lat. V. *utile.* ¶ *Faciant*] Facere poſſint aut debeant Lat. Vet. *quod facto opus eſt.* Infrà 3. 12. *niſi lætari, & facere bonum in vita ſua.* ¶ *Numero dierum vitæ ſuæ*] Tantiſper dum in vivis ſunt. Quærebat ergò felicitatem in hac vita, ubi nulla eſt, cum ea primùm homini obtingat poſt obitum. Quò pertinet illud,

——— ——— *Dicique beatus*
Ante obitum nemo ſupremáque funera debet.

4. *Magnificavi opera mea*] Lxx Ἐμεγάλυνα τὸ ποίημά μου, cujus Scholion in ed. Rom. Μεγάλα ἐποίησά μοι ἔργα, *Magnifica mihi feci opera.* ¶ *Domos*] Alias ad uſum & habitationem, alias ad luxum & magnificentiam, alias ad uſum & magnificentiam ſimul, ut regiam de qua 1 Reg. 9. 1. Sunt qui etiam Templum ſignificari putant; ſed, meo judicio, non rectè: nam Templum exſtruxit non ſibi, ſed Domino. ¶ *Vineas*] Unam *in Baal-hamon* Cant. 8. 11. alteram *in Jabne* (quæ civitas Ptolemæo *Jamnia* dicitur) Chald. Paraph. Nec eſt dubitandum quin alibi alias plantaverit.

5. *Feci*] *Paravi, inſtruxi.* ¶ *Hortos & paradiſos*] *Hortos* olerum, & *paradiſos* arborum. Latini *pomaria* vocant. Aut *hortos* herbarum & arborum, *paradiſos* arborum tantùm. In paradiſis etiam feræ continebantur. A. Gellius Noct. Att. lib. 2. cap. 20. *Quæ παραδείσους Græci, ea Vivaria aut Roboraria Latini appellant.* Xenophon, Παράδεισος μέγας ἀγρίων θηρίων πλήρης. Olympiodorus ad h. l. *Hortus eſt oleribus conſitus; Pomarium verò, variis plantis atque arboribus.* Vide nunc quæ ſcripſimus Animadv. lib. 2. cap. 57. Edit. Lat. Vet. *Feci mihi hortos & pomaria.* Gallica poſtrema, *des jardins & vergers*, i. *hortos & viridaria.* ¶ *Plantavi*] Vel *Conſerui.* ¶ *In illis*] Utrùm *paradiſis* tantùm, an *paradiſis & hortis?* Si hoc ſequimur, *hortos* accipiemus non olerum aut herbarum duntaxat, ſed etiam arborum. ¶ *Arbores omnes fructûs*] עץ כל פרי. Videtur eſſe inverſio, pro כל עץ פרי, ut dicat *omne genus arbores fructiferas*, ſive *fructuoſas.* *Omnis*, i. cujuſlibet vel omnis generis: acſi diceret, *omne genus fructus preferentes.* Quod idem planè cum illo, *omne genus arbores fructiferas.* Quod noto nè quis arbitretur ſingulas arbores quoſvis fructus edidiſſe.

6. *Piſcinas aquarum*] i. Aquâ plenas, aut aquam multam continentes. Sic Nah. 2. 8. *Ninive tanquam piſcina aquarum*: nam hominibus referta erat ut piſcina aquis. *Piſcina* à *piſcibus* appel-

appellatæ. Itaque deficiunt, *Lacus & ſtagna, quæ piſcibus vivis coercentur clauſa*, A. Gellius lib. 2. cap. 20. Sed latè ſumitur apud Interpretem noſtrum. ut ברכה apud Ebræos. Id ſignificat *conceptaculum aquarum*, ſive ex aqua pluvia collectæ fuerint ſive aliunde non refert: nam etiam ברכה dicitur, quæ ex aqua fontium fluminúmve. Nomen habent à copia aquæ quam continent, Lxx κολυμβήθρας ὑδάτων. Aq. verò λίμνας *ſtagna*, ut Sym. δεξαμενὰς *receptacula aquarum*], vel *ciſternas*. Idem aliter: nam δεξαμενὴ exponitur aliquando *lacus* & aliquando *piſcina*: i. κολυμβήθρα. Sanè Galenus non diſtinguit inter hæc nomina. Lexicon Heſychii, δεξαμενάς, ὑδάτων δοχεῖα. Idem λίμνη ſignificat. ¶ *Germinantem*] Βλαστῶντα, i. *producentem*; aut dictum ut, *Ulmus defluens foliis*: nam non ulmus *defluit*, ſed folia ejus. Sic ſilva non *germinat* propriè, ſed arbores quæ in ea: unde in ed. Lat. Vulg. *ſilvam lignorum germinantium*. ¶ *Arbores*] ξύλα, i. *ligna*. Notum ut interpretes iſti *lignum* pro *arbore* uſurpent.

7. *Poſſedi*] Vel, *Comparavi*, *Emi*, unde *ſervi emptitii*. Sed *poſſidemus* etiam non emptos pretio aut pecuniâ. ¶ *Filii domùs*] Qui domi ex ſervis aut ancillis naſcuntur, quos Græci οἰκογενεῖς, Latini *vernas* ſive *vernaculos* appellant. Vocabulo οἰκογενεῖς uſi ſunt hoc loco Lxx, ſenſum exprimentes, cùm ſint alii qui *filios* potiùs *familiâs* denotari putent. ¶ *Pecus, armenta*, &c.] Alii, *poſſeſſio armentorum & ovium*. Hi legerunt מקנה cum Tſere in ultima, quomodo ſcriptum legitur in prima ed. Veneta: nam in aliis duabus eſt Segol, & ità quoque R. D. legit quem nunc ſecuti ſumus. *Pecora* alia ſunt majora, alia minora. *Pecora majora* vocantur, e. c. Equi, Boves, Cameli, quæ בקר, i. *armenta*, dicimus. *Minora* ſunt Oves & Capræ, quæ vocabulo צאן continentur. ABACAR eſt *bucerum pecus*, & *buceria greges*, & *bucera ſecla*. ¶ *Oves*] Trem. *gregem*, i. עדרים, cùm *greges* etiam ſint Boum & aliarum pecudum majoris generis. Porrò Regum hiſtoria narrat Salomonem quotidie in uſum culinæ ſuæ mactaſſe *boves altiles decem, armentales viginti, & oves balantes centum*.

8. *Congregavi mihi*] Συνήγαγόν μοι quod legitur in edit. τῶν ἑβδομήκοντα. Sed pro eo Sym. repoſuit Ἤθροισα ἐμαυτῷ, *Coacervavi mihi ipſi*: unde Vulg. noſtra *Coacervavi mihi*: nam ἐμαυτῷ, לעצמי. ¶ *Argentum & aurum*] Vide 1 Reg. 10. 27. ¶ *Peculium Regum*] סגלת *peculium*: an κειμήλιον, quod ex ſupellectile noſtra pretioſa tanquam proprium nobis reponimus? Sanè in Dialectica quartum Prædicabile, quod *Proprium* vocant, appellatur SEGULLA. Et legimus de Iſraele Mal. 3. *Eruntque mihi, ait DOMINUS exercituum*, סגלה *peculium*, vel κειμήλιον, qui & λαὸς περιούσιος, i. *proprius, peculiaris, ſelectus*, cujus videlicet poſſeſſio alium non attingat. Ergò *peculia Regum*, quæ Reges in numerato & ad caſus repentinos repoſita habent. Lxx περιουσιασμούς. Aq. verò οὐσίας nimis latè, meo judicio. Alibi vertit περιούσιον, & cæteri περιποίησιν· unde λαὸς εἰς περιποίησιν 1 Pet. 2. 9. ¶ *Provinciarum*] Vel *civitatum*: nam מדינה utrumque ſignificat. Itaque Syrus interpres de Jeroſolyma uſurpat Luc. 19. 41. & Ebræus Tobias de Rages civitate Mediæ, & Arabes de Mecha, quæ Arabicâ voce dicitur hodiè *Munychiates*, quam vocant per excellentiam *Medinath alnabi*, ob ſepultum ibi Mahometem. ¶ *Cantores & cantatrices*] ᾄδοντας καὶ ᾀδούσας. ¶ *Delicias*] Lxx ἐντρυφήματα. Aq. τρυφάς. Sym. σπατάλας, *lautitias* ſive *delicias*. Ab hoc poſtremo eſt verbum σπαταλάω, quod interpretantur ἐν σπατάλῃ διάγω, *in deliciis dego*. ¶ *Seddam & Seddas*] שדה ושדות variè interpretantur. Lxx οἰνοχόον [aliàs οἰνοχόους *pocillatores*] καὶ οἰνοχόας *pocillatorem & pocillatrices*, ſive ut Hier. vertit, *vini fuſorem & vini fuſitrices*: quod poſterius tamen Latinè dici negat, שדה *vini fuſor*. Nam שדא *fudit*, quod & שדיאו Joel. 3. 9. in Thargum Jonathæ Uzielis filii. Verbum merè Chaldaicum; unde quidam *Aſidæos* putant appellatos; ſed perperàm, ut olim declaravi. Edit. Lat. Vulg. *ſcyphos & urceos in miniſterio ad vina fundenda*. Antè Aq. ediderat κυλίκιον καὶ κύλικας, *parvum calicem & calices*, ità reperi citatum in cod. Romano. Paulò aliter Hier. *Aquila*, inquit, *non homines, viros videlicet & feminas, ſed vaſculorum ſpecies nominavit*, κύλικα καὶ κυλίκια *vocans, quod Ebraicè dicitur* SEDDA ET SEDDOTH. Et mox, *Sive igitur Urceos ſive Scyphos ſive Crateres, qui in miniſteriis ordinantur, auro gemmiſque diſtinctos, Salomonem habuiſſe credendum eſt, & quod ex uno* τοῦ κύλικος, *i.* cratere, *aliis* κυλικίοις, *minoribus ſcilicet vaſculis, hauriretur, & per miniſtrorum manus potantium vinum turba ſuſciperet*. Idem Symmachi haud multò diverſum interpretamentum ibidem adducit, & indicat per hæc verba, *Denique Symmachus, licet verbum non potuerit exprimere de verbo, ab hac opinione non longè eſt, dicens* MENSURARUM SPECIES ET APPOSITIONES. Satis de Græ. veniamus nunc ad Ebræos. Abenezra, *Diverſi abeunt interpretes de voce* SEDDA. *Mihi optimum videtur ut ſit à radice* שדד vaſto; *& ſignificat* mulierem quam quis in præda ceperit. *Quia verò plures tales habebat Salomo, ideò ſubnectit* ET SEDDAS. Nec longè abit ab hac ſententia R. D. in lib. Radicum; ubi inter alia exponit *honoratam & honoratas*, nempe ab eadem radice, unde & שר *magnus* & *honoratus*. Addit alios accipere pro *mulieribus pulcris bello captis*, q. d. *deprædatam & deprædatas*. Verius tamen putat ut ſignificentur *inſtrumenta muſica* olim nota cùm Templum adhuc ſtaret. In qua ſententia dicit eſſe Doctores Ebræorum quos *Gaonim* appellant. Meminit Elias libri cujuſdam qui inſcribitur בעל כנפים, i. *Pennipotens*. In eo ſcriptum lectum SEDDAM eſſe *puellam*, & SEDDOTEM *puellas*. Sunt etiam qui *mulieres decoras & venuſtas* interpretentur, à שד *mamma*, quòd in mammarum decore ac poſitione decenti ſit non inelegans pulcritudo. R. S. præter alios annotat שדה eſſe *vehiculum cameratum*; aut *carpentum* vel, ſi placet, *pilentum*, quod eſt vehiculum penſile quo matronæ vehi ſolent. Idem obſervat in lingua Talmudica שידה ſignificare *arcam* vel *turrim*. Quod etiam ſcribit R. Nathan in Lexico Talmudico, addens eſſe *ſimilem arcæ*: cui rei probandæ citat hunc locum de quo nunc controverſia eſt. Me quod attinet, ſi dicendum quod ſentio, exiſtimo fuiſſe muſica inſtrumenta in Templo aut in conviviis adhiberi ſolita, quæ propterea vocat *delicias hominum* quòd iis homines libenter & ſæpe uterentur, voluptatem indè ſingularem percipientes. In qua opinione & D. Camium fuiſſe ſuprà oſtendimus. Trem. *ſymphoniam & quidem omnimodam*.

9. *Magnus evaſi*] Ἐμεγαλύνθην *magnus fui*. Quod autem ſequitur, *& adjeci*, id non malè reddas per Adverbium *ampliùs*, ut ſuprà 1. 16. *Auxi, & addidi ſapientiam*. Latinè *auxi ampliùs ſapientiam*. ¶ *Et adjeci*] Καὶ προσέθηκα. Sic ed. Rom. Alii libri habent καὶ προσέθηκα σοφίαν· quam lectionem ſequitur Hier. interpretans *& adjeci ſapientiam*. Mihi dictio σοφία tranſlata huc videtur ex loco quem modò citavi, ex 1. 16. ¶ *Supra omnes*] Tam Reges quam ſapientes. Sed Reges potiſſimùm intelligit. Gregorius Thaumaturgus; τοσοῦτον, inquit, ὑπερέβαλον τούτους τοὺς πρὸ ἐμοῦ βασιλεύσαντας. ¶ *Ante me*] לפני ἔμπροσθέν μου ut rectè vertunt Lxx viri. Poſt minùs bene Sym. ἀπὸ ἔμπροσθεν ἐμοῦ, ac ſi eſſet מלפני. ¶ *Perſtitit mihi*] *Manſit apud me, perſeveravit mecum*. Mirum eſt Regem ſapientem voluptati operam dare; magis mirum in mediis voluptatibus ſapientiam retinere. Nam quod Poeta cecinit de Amore & Majeſtate,

Non bene conveniunt nec in una ſede moratur
Majeſtas & amor,

id jure merito multóque veriùs tu dixeris de Voluptate & Sapientia, quibus peſſimè inter ſe convenit: ſiquidem voluptas ſapientem deſipientem facit.

10. *Omne quod poſtulabant*] Pro ᾔτησαν, quod in Lxx, Sym. ἐπεθύμησαν, ex quo Vulg. noſtra, *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei*. Scitum illud, *Oculus & cor proxenetæ peccati*. ¶ *Non ſepoſui ab eis*] לא אצלתי מהם. Verbum ab אצל formatum, quod *propè* ſive *juxtà* ſignificat. Eſt autem *prope* vel *juxta ſe ponere* quod Latini dicunt *ſeponere* aut *ſegregare*. Sed non malè reddunt ad ſenſum *nihil illis denegabam*. Cave hîc excuſes Salomonem. Nam ſi *nihil denegavit oculis*, ſi *ſecutus eſt ductum cordis ſui*, peccavit in legem quæ habetur Num. 15. 39. quemadmodum idem violavit legem Regi datam Deut. 17. 18. *Non multiplicabit ſibi uxores*: nam ſeptingentas habuiſſe legitur. ¶ *Ab ulla lætitia*] Ab ullo genere lætitiæ aut voluptatis. ¶ *Quia cor meum*] Vel *ſed cor meum*, ut ſit כי pro אם *niſi*, *ſed*. ¶ *Lætabatur*] Aut *Lætatum fuit*, שמח. vel eſt verbum præteritum, ut Prov. 29. vel participium ex nomine, quale חפץ *volens*. Cæterùm *cor meum lætabatur* idem cum illo *ego lætabar*. Sic Ennius,

—— *quem credidit eſſe meum cor*,

pro *quem ego credidi*. ¶ *Hæc pars mea*, &c.] Hoc ſolum percipiebam ex labore meo, nihil præterea. Suprà 1. 3. *Quid amplius eſt homini ex omni labore ſuo quo laborat ſub Sole?* Vide quæ annotavimus ad hunc locum.

11. *Quem fecerunt manus meæ*] Cùm videlicet ſtultitiæ ſimul & ſapientiæ operam darem, exiſtimans ex utriuſque junctο ſtudio me conſecuturum quod quærebam. ¶ *Quem elaboraveram faciendo*] Vel *quo laboraveram faciendo*. Senſus eſt, *quem cum labore feceram*. Sym. olim vertit, καὶ τὸν πόνον ὃν ἐπόνησα διαπραττόμενος, *& laborem quem laboravi perficiens*: quod notatum in ed. Rom. ¶ *Vanitas*] Aq. ἀτμίς

 vapor.

vapor. ¶ *Paſtio venti*] Νομὴ ἀνέμου, idem. ¶ *Amplius*] Fructus, emolumentum, præſtantia, περίσσεια· q. d. nihil amplius homini ſupereſt ſub Sole.

12. *Ut viderem*] *Ut conſiderarem ſapientiam & ſtultitiam.* Vult dicere, *ut illam cum hac contenderem & conferrem.* ¶ *Inſanias*] Libri Græci hîc variant: nam in aliis παραφορὰν, & in aliis περιφορὰν. Vide quæ ſcripſimus ſuprà 1. 17. & 2. 2. ¶ *Stultitiam*] Ἀφροσύνην. In ed. Rom. notatum ad hanc vocem, *A. & S.* πλάνην. Puto interpretamentum eſſe vocis הוללות, cùm V. interpres & Hier. *errores* reddunt. Vide notata c. 1. 17. ¶ *Quid homo*] כה האדם *Τίς ὁ ἄνθρωπος*; ut rectè olim Aq. convertit, cùm priùs legeretur in Lxx τίς ἄνθρωπος, i. מי אדם. Sic Pſal. 8. *Quid homo, ut recorderis ipſum?* מָה enim & מַה interrogant de Re, non de Perſona. ¶ *Ut vadat poſt Regem*] *Ut ſequatur Regem*, ut imitetur eum. המלך τ̃ βασιλέα per excellentiam: q.d. *hunc Regem*, tam ſapientem, tam beatum. Fortè per האדם innuere voluit, *hominem plebejum:* quod novum non eſt in his literis. Vulgares homines non poſſunt imitari Reges & Principes, cùm his nihil obſtaculo ſit, illis obſint cùm alia multa, tum paupertas & obſcuritas. Scitum illud,

Contritio tenuium egeſtas eorum.

Et

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Hæc notaveram cùm ecce in Græcis Bibliis offendi ὃς ἐπελεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς. & in edit. Aquilæ Pontici ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ. Quid viderunt cùm ita verterent? *Conſilium* in lingua Chaldæorum מלך & מלכא dicitur, unde & מליכין *conſiliarii* in Sententiis Ben Siræ. Ab eo *Reges* dicti, ut quidam volunt. *Rex* מלך à *conſilio*, ut **Conninck** à ſcientia: nam **connen** *ſcire.* Sciunt hoc Belgæ mei. Porrò antiquitus ad Regnum præcipuè vocabantur qui conſilio & prudentiâ valerent. Inde nomen. ¶ *Id quod jam antè fecerunt*] Alii Reges videlicet. Poſſumus etiam legere *id quod jam antè factum eſt.* Qualia ſunt, *Reputavit pro juſtitia*, ſub. *Deus*, i. ἐλογίσθη *reputatum fuit.* *Nunciavit Davidi*, ſub. *nuncius*, i. *nunciatum fuit.* Nota hæc pueris Friſiorum. Locus iſte multas interpretationes habet. Lxx τὰ ὅσα ἐποίησεν αὐτήν. Sed libri variant. In uno eſt σὺν ὅσα ἐποίησεν αὐτήν. alii verò legunt πάντα ὅσα ἐποίησεν ἐν αὐτῇ. Latina V. *Quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem poſt Factorem ſuum?* Videatur Hier. Fuit aliquando tempus cùm haud longulè ab hac ſententia vertendum putarem, *cum eo qui antea fecit eum*, i. cum Deo, qui Salomonem *fecit* cùm eum ad dignitatem Regiam eveheret. Simile, *Qui fecit Moſen & Aharonem.* Quod autem ait עשוהו, in eo rationem habuit nominis ELOHIM, quod terminatione plurale eſt. Itaque legimus Pſal. 149. 2. בעשיו *in factore ſuo*, & Job. 35. 10. אלוה עשי *Deus factor meus*, & Jeſ. 54. 5. בעליך עשיך *Dominus tuus factor tuus.* In his omnibus exemplis cod. Ebræi *factores* habent pro *factor*, nempe quia uſus obtinuit ut de Deo loquentes promiſcuè uſurpent modò pluralem modò ſingularem. Nihil verius. Quidam, *Quid eſt homo ut ſequi poſſit Regem in eo quod jam fecerunt?* i. factum eſt. Alii, *cum iis qui jam antea fecerunt illud.* Alii, *ut cognoſcat* (aut *faciat*) *id quod jam factum eſt.* Alii, *cum iis qui fecerunt eum*, i. cum populo Iſraelitico, qui Salomonem Regem fecit, ſapientiâ gentibus aliis potior & meritò præferendus. Non admodum ſe hoc probat mihi. *Poſt Regem qui fecit eum*, ſub. *hominem.* Huic interpretationi obſtat particula את, quæ præpoſitio eſt, vel articulus quarti caſûs.

13. *Vidi*] Cognovi, deprehendi, animadverti, ut infrà, v. 24. *vidi ego à manu Dei hoc eſſe.* ¶ *Præſtare ſapientiam ſtultitiæ*] יש יתרון החכמה מן הסכלות, *quòd ſit præſtantius ſapientiæ præ ſtultitia* Nos ſenſum reddidimus. יתרון aliis eſt *utilitas*, *emolumentum.* Lxx ὅτι ἐστὶ περίσσεια τῇ σοφίᾳ ὑπὲρ τ̃ ἀφροσύνην. Ἀμαθίαν habet hoc loco Sym. Id ſign. *inſcitiam* ſive *imperitiam*, *imprudentiam* ſive *inconſiderantiam*, h. e. ἀσυνεσίαν. Infrà v. 16. עם הכסיל, Lat. V. *ſimiliter ut indoctus.* ¶ *Quemadmodum præſtat lux tenebris*] *Sicut eſt præſtantia lucis præ tenebris.* In כיתרון variat lectio. Nam ſunt qui legant כִּיתְרוֹן. Varietas orta à duobus Criticis Maſſoritis, quorum unus *Moſes F. Aſer*, alter *Jacob F. Naphthali* vocatur. Hujus lectionem ſequuntur ferè Judæi Orientales; illius verò ſequuntur ut plurimùm Judæi Occidentales, h. e. qui Occidentem incolunt. Quanquam nunc ſecùs fit.

14 *Sapientis oculi ſunt in capite*] i. Oculos habet vel gerit in capite; quod idem cum illo, *in luce ambulat*: nam lucis beneficio videmus. Conſule nunc quæ ſcripſimus Claſſ. 2. lib. 3. Adag. 103. ¶ *Stultus in tenebris ambulat*] Qui in tenebris ambulat, ſimilis eſt ei qui cœcus eſt. Nihil enim videre poteſt, quia luce deſtituitur. Nam oculorum vis in tenebris ſe exſerere nequit. Perinde igitur eſt ac ſi oculos non haberet in capite. Intellige autem *tenebras* vel Vitiorum vel Calamitarum: & vide ſis Claſſ. 2. lib. 2. Adag. 62. ¶ *Eventum*] Συνάντημα. Scholia Græca ἓν τέλος τὸ ἐπὶ πᾶσι φρονίμου καὶ ἄφρονος. Aliquantò pòſt v. 16. *Quomodo moritur ſapiens cum ſtulto?* Neque enim omnes eventus pares habent. ¶ *Omnibus illis*] Tam ſapientibus quàm ſtultis. Ed. Lat. V. *Et didici quòd unus utriuſque eſſet interitus.*

15. *Juxta eventum ſtulti*, &c.] Communis mihi cum illo eventus. Quid ergò profuit mihi quòd ſapientiæ plùs quàm cæteri operam dederim? Loquitur autem non de quolibet eventu, ſed potiſſimùm de morte, ut ſequentia docent: itaque V. interpres noſter *occaſum* reddit. Alioqui quædam accidunt ſapienti aliter quàm ſtulto. Hoc extra omnem controverſiam eſt. ¶ *Sapui ego magis*] Lxx ἐσοφισάμην ἐγώ; περισσὸν, &c. Verior diſtinctio, ἐσοφισάμην ἐγὼ περισσόν; Sic Gregorius Nazianzenus, σοφισάμενος περισσὰ ὑπὲρ πάντας, *qui ſapientia præſtitit omnibus.* 3 Reg. 4. ἐσοφίσατο ὑπὲρ πάντας ἀνθρώπους, *ſapientior evaſit cunctis hominibus.* ¶ *Etiam hoc vanitatem eſſe*] Videlicet ex eventis communibus ſapientiam æſtimare.

16 *Cum ſtultò*] Nec ſtulti nec ſapientis memoria ſempiterna eſt. Nam tempus cuncta oblivione operit. Suprà v. 13. סכלות Sym. ἀμαθίαν, *inſcitiam*, *imperitiam.* ¶ *In ſeculum*] Εἰς τ̃ αἰῶνα *in æternum.* ¶ *Eo quòd jam*] Vel, *eò quod modo.* Quidam *eo quod ecce.* בכבר *jam*, *modo*, *antea*, tam præterito quàm præſenti ſervit. Trem. *quandoquidem quæ jam ſunt, diebus adventuris ea omnia oblivioni traduntur.* Lxx καθότι ἤδη. R. S. *Quandoquidem video improbos qui fuerunt antea, & proſperum ſucceſſum habuerunt*, &c. ¶ *Diebus venturis omnia*] Vel *dies venturi omnes.* Alius, *quandoquidem quæ jam ſunt diebus venturis omnia oblivioni traduntur.* ¶ *Sapiens cum ſtulto*] Lat. V. *doctus ſimiliter ut indoctus.* Nam σοφὸς, *qui alicujus rei peritiam habet:* ut σοφὸς τὰ ἐρωτικὰ *peritus artis amandi*, σοφὸς τὰ ναυτικὰ *peritus rei nautica.* Sic etiam חכם apud Ebræos.

17. *Hanc vitam*] Poteſt reddi *viventes*, eâdem ſententiâ. Sic alibi ait. Simile, *Qui odit fidejubentes*, i. fidejuſſionem. ¶ *Quia diſplicuit mihi*] כי רע עלי *quia malum fuit ſuper me.* ¶ *Opus quod fit*] Actiones humanæ, ſtudia hominum: vel *opus illius*, quòd par ſit conditio ſapientis & ſtulti.

18. *Laborem meum*] i. Opes labore meo partas. ¶ *Quem ego elaboravi*] Quas laborando comparavi aut acquiſivi mihi. ¶ *Quòd relinquam eum*] Ideo potiſſimùm odi laborem meum quòd relicturus ſim eum alteri, nec ſciam qualis ille futurus ſit. ¶ *Qui futurus eſt poſt me*] Τῷ γενομένῳ μετ' ἐμέ. Sic libri plerique Græci. In aliis eſt γινομένῳ, & in aliis γενησομένῳ שיהיה.

19. *Qui dominabitur*] Ad verb. καὶ κυριεύσει *& dominabitur:* καὶ ergò poſuit pro ὅς. Aut lege, *& an dominabitur?* Sic Græci: κυριεύσει ſumptum ex ed. Aquilæ. ¶ *Quem elaboravi ſapienter*] Verbum è verbo, *quem elaboravi, & quo ſapui.* Dubito an ſenſum expreſſerim. Nam quod quidam vertunt *& quem ſapienter comparavi*, alienum videtur: verbum enim חכם hoc nunquam ſignificat. Malim, *quo laboravi, & ex quo ſapiens evaſi:* nam ex labore ſapientiam ſibi comparavit. Vel, *quem elaborando ſapiens evaſi*, ἐσοφισάμην.

20. *Adactus ſum eò*] *Eò verti me*, aut *redii.* Ad verb. *circuivi ego.* Vis in hoc ſermone, ut ſi diceret, *Cùm circumeundo per omnes vitæ humanæ actiones vanitatem ubique ſingularem deprehenderem, eò redactus ſum, ut ad deſperationem adducerem cor meum de labore*, &c. ¶ *Ut deſperare facerem, cor meum*] *Ut adducerem cor meum ad deſperationem.* Quidam, *ut deſperaret cor meum*, ſive *ut deſponderem animum.* Sed cùm ſit ליאש in Ebræo, videtur potiùs ἀλλοπαθῶς accipiendum eſſe quàm aliter. Santes *ut avocarem.* Lxx ἀποτάξασθαι, & Scholion ἀποκαμεῖν *defatigari.*

21. *Et juſtitia*] ובכשרון, ut ſi dicas *in rectitudine.* Sed ut εὐθύτης exponitur Metaphoricè *æquitas*, *juſtitia*; ſic etiam כשרון, ut Gallicè *droiture.* Lxx ἐν ἀνδρείᾳ· & eſt Scholion ἐν γοργότητι, *agilitate*, *celeritate.* Id ex Symmacho ſumptum videtur. Sym. enim infrà 4. 4. כשרון reddit γοργότητα· id exponunt ταχύτητα, i. *celeritatem* ſive *agilitatem.* ¶ *Dabit partem ſuam*] Ad verb. *dabit ei partem ſuam:* in quo ſermone pronomen *ei* redundat & otium agit. Aut lege *dabit eum in partem ſuam.* Vult dicere, *ut eas opes pro parte ſua habeat*, ut ſit חלקו pro לחלקו. ¶ *Malum magnum*] Vel, ut Lxx, πονηρία μεγάλη *vexatio magna.* Sic κακία ſumitur in illo adagio, *Sufficit diei malitia ſua.*

22. *Quid eſt homini*] i. Supereſt: vel, *Quid habet homo?* הוה *habuit:* unde הוה *habentia*, i. *divitiæ*, *facultates.* Prius exſtat apud Davidem, *confidit* בהוו: alterum reperitur apud Claudium Quadrigarium, *Animos eorum habentia inflarat.*

Lat.

Lat. V. *Quid proderit homini?* Hier. *Quid fit homini?* Lxx ὅτι γίνεται ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Sed meliùs, *Quid ſupereſt?* הוה participium, ut Nehem. 6. 6. ab הוה, unde & הוה. ¶ *Et afflictione cordis ſui*] ורעיון רוח ſuprà expoſuimus *paſtio venti.* Secundùm hanc interpretationem vertendum eſſet hoc loco *depaſtione cordis ſui.* Nam nimiis curis cor depaſcitur & exeditur. Lxx καὶ ἐν προαιρέσει καρδίας αὐτοῦ. ¶ *Quo ipſe laborat*] Refero ad עמל, non ad רעיון.

23. *Dies ejus*] Dies vitæ ejus. ¶ *Dolores*] Ἀλγημάτα, i. Pleni dolorum. ¶ *Ira*] i. Tædii plena. Nam *ira* tædium. Aut ità mala eſt ut ſubindè ſtomachum ei moveat & bilem. Sic c. 1. 18. *In multa ſapientia multa ira*, i. multum tædii. ¶ *Non dormit cor ejus*] Diverſum ab illo,

——— *quem credidit eſſe meum cor.*

non enim rectè ſic exponas, *non dormit ipſe.* Nam *dormire* aliquis poteſt etiam quando *cor vigilat:* Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Alibi legimus, *nec dormitent palpebræ tuæ*, Prov. 6. 4.

24. *Non bonum ut homo comedat*] Pronunciatione adjuvandum, ac ſi diceret, *Nonne igitur bonum eſt ut homo*, &c. Quam ſententiam expreſſit ed. Latina V. per hæc verba, *Nonne melius eſt comedere*, &c. Alii ſubaudiunt pòſt *in homine* כי אם, ut dicat, *Non eſt bonum homini, niſi ut comedat*, &c. Hunc locum laudat Abenezra Jeſ. 1. ubi etiam רק ſubaudiri ait in illo, *Non eſt in eo integritas, vulnus*, &c. *tantùm vulnus*; vel, *niſi vulnus*, &c. Sic infrà 4. 17. *non noverunt* niſi *facere malè.* Aben. רק ſubaudit. Sed ſubintelligere aliquid quod contrariam ſententiam importat durum videtur. באדם *in homine* videtur poſitum eſſe pro לאדם, h. e. Beth pro Lamed; ut poſſis legere; *Nonne bonum eſt homini ut comedat?* Quod idem cum illo, *Nonne bonum ut homo comedat?* Vide infrà 3. 12. ¶ *Oſtendat animæ ſuæ bonum*] *Animæ ſuæ*, i. ſibi ipſi: & *oſtendat*, i. faciat ut videat bonum. *Videre bonum* eſt eo frui. Vide ſuprà 2. 1. & infrà 3. 13. Reperitur hæc phraſis & Pſal. 4. *Quis oſtendat nobis bonum?* ¶ *Vidi*] i. Cognovi, animadverti, deprehendi. ¶ *A manu Dei eſſe iſtud*] i. Donum Dei. Nam manu damus. *Manus Dei* aliquando ſignificat plagam à Deo inflictam.

25. *Quis comedat*] q. d. Nemini plus quàm mihi largitus eſt Deus; quo fit ut optimè judicare poſſim, Dei munus eſſe ſi quis jucundè ſuis fruatur. ¶ *Acceleret*] יחוש. Arias, *quis ſentiet?* Nam *ſenſus* חושים vocantur. Santes *ſenſibus fruetur.* Eodem redit. Quidam *quis curet?* Vide P. Chald. חוש, unde חששא *cura, ſolicitudo:* q. d. *Quis me eſt in fruendo promptior & in acquirendo diligentior?* Lxx τίς πίεται כי ישתה. Aq. φείσεται *parcet*, i. יחוס. Sym. ἀναλώσει, *conſumet.* Latina V. *deliciis affluet.* ¶ *Præter me*] חוץ ממני. Satis erat dicere ממני: redundat ergò חוץ, ut ſæpè apud Doctores. Chaldæi dicerent בר מני: in quo ſermone בר reſpondet τῷ חוץ. Quidam חוץ accipiunt pro adverbio *foris. Quis properet acquirere foris?* Nam domi fruimur, foris acquirimus.

26. *Qui bonus eſt in conſpectu ipſius*] Vel *coram ipſo*, i. *qui ipſi placet.* Sic expoſuit olim Sym. τῷ ἀρέσαντι αὐτῷ. Antea erat τῷ ἀγαθῷ πρὸ προσώπου αὐτοῦ. Diſtinguit veram probitatem à ſimulata. Nam multi hominibus placent qui Deo diſplicent. ¶ *Dat*] Sub. *Deus.* ¶ *Sapientiam*] Ad quærendum ſive parandum. ¶ *Scientiam*] Ad utendum. ¶ *Lætitiam*] Ad fruendum. Vide Jeſ. 65. 18. ¶ *Peccatori*] חוטא cum Segol in ultima: ut infrà 8. 12. ¶ *Quò det illud bono*] Job. 27. 17. *Parat, & juſtus induitur.* Vide Claſſ. 2. lib. 1. Adag. 232. ¶ *In conſpectu Dei*] Vel *coram Deo*, i. coram ſe. Nomen loco pronominis. Vide Animadv. lib. 2. c. 6.

IDEM.

1. הבל. A. ἀτμὸς *vapor.*

2. מהולל. A. πλάνησις *error.* Sym. θόρυβος *tumultus.* Th. περιφορὰ *circumlatio*] Hieron. *Ubi nos amentiam legimus, in Ebræo habet* הולל, *quod Aq.* πλάνησιν, *i.* errorem, *Sym.* θόρυβον, *h. e.* tumultum, *interpretati ſunt. Lxx verò & Theodotio ſicut in pluribus locis ità & in hoc quoque concordant, & tranſtulerunt* περιφορὰν, *quam nos, verbum de verbo exprimentes*, circumlationem *poſſumus dicere.* ¶ *Error.* Potiùs *erratio.* Suprà 1. 17. הוללות. Aq. πλάνας *errores.* ¶ Περιφορά. Suprà περιφορὰς. Vide ſis ed. Rom. ad h. l. περιφορά, i. *error mentis, furor, inſania.* ¶ Θόρυβος. Locus plenior in ed. Rom. לשחוק אמרתי מהולל. Sym. καὶ γέλωτα εἶπον θόρυβον, *& riſum dixi tumultum.* Gregorius Thaumaturgus in paraphraſi explicat, καὶ γέλωτα μὲν ἐπῆ φερόμενον ἐκλέξαι.

8. וסגלת. A. ὅλας *ſubſtantias.* Sym. περιούσια *peculia*] Mal. 3. סגלה: περιούσιον, cæteri περιποίησιν. Hieron. *peculium.* A *pecore pecunia*, unde & *peculium* diminutivè, pars cenſus, ut quam ſervis domini concedunt, & filii familiâs à patre ſeparatim habent. Addit Celſus, *ex conſuetudine ruſticorum ſermonis ſic eam partem patrimonii dici quam quis in numerato & ad caſus repentinos repoſitum habet.* Lex. Græcum vetus; *Peculium*, κτῆσις ἡ ἐν ἀποθήκῃ ἐξαίρετος ὄντος, τοῦτ' ἔστιν υἱοῦ ἢ δούλου.

9. והוספתי. Sym. μεγέθει ὑπερέβαλον *magnitudine ſuperavi*] Vel *excellui.*

10. שאלו. Sym. ἐπεθύμησαν *concupiverunt*] i. חמדו. ¶ מכל עמלי. Sym. ἐκ πάσης φιλοπονίας μου *ex omni mea induſtria*] Φιλοπονία propriè *amor laborum*, ſive *ſtudium erga labores & induſtriam.*

12. והוללות. Schol. καὶ παραφορὰν *errorem mentis.* ¶ וסכלות. A. Sym. πλάνην] Sic ed. Rom. Eſt tamen cur putem reſcribendum ותללות. A Sym. καὶ πλάνην *& errorem.* Sanè 1. 17. A. πλάνας *errores*, & 2. 2. מהולל πλάνησις *erratio.* ¶ כי מה האדם שיבא אחרי המלך. τί ὁ ἄνθρωπος ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ; *quid verò eſt homo ut ſequatur conſilium?*] Chaldaicè מלכא *conſilium*, id Ebræis eſſet המלך. Sed מלך potiùs *Regem* denotat, quem ità vocatum putant à *conſilio.*

15. ולמה חכמתי אני. Sym. καὶ εἰς τί μοι ἡ σοφία μου; *& ad quid mihi ſapientia mea?*

17. כי רע עלי המעשה שנעשה. Sym. κακὸν γάρ μοι ἐφάνη τὸ ἔργον τὸ γινόμενον, *malum enim mihi viſum eſt opus quod fit.*

19. וישלט. Lxx καὶ εἰ ἐξουσιάζεται. Sym. κυριεύσει *dominabitur.* ¶ שעמלתי. Lxx ᾧ ἐμόχθησα. Sym. εἰς ὅν.

20. וסבותי. Sym. περιήχθην *converti me.*

22. כי מה הוה. Sym. ὅτι γὰρ περιγίγονεν *quia enim ſuperfuit*] Vel *emolumentum percepit.*

23. מכאובים וכעס. * βάσανος καὶ θυμός, *tormentum & ira*] *Excandeſcentia.*

24. בעמלו. Sym. ἀπὸ κόπου αὐτοῦ *de labore ſuo.*

25. יחוש. A. φείσεται *parcet*] Vel *parcit*, i. parcus eſt, parcè utitur bonis ſuis.

26. שטוב לפניו. Sym. ἀρέσαντι αὐτῷ *qui ei placet.* ¶ ענין. Sym. ἀσχολίαν *occupationem*] Vide ſuprà 1. 13. ¶ לאסוף ולכנוס. A. τοῦ συλλέγειν καὶ τοῦ συναγαγεῖν *colligendi & congregandi.* Sym. ἀθροῖσαι καὶ ἀποθέσθαι *coacervandi & reponendi*] Vel *ut colligat*; & ſic deinceps. ¶ לתת לטוב לפני האלהים. Sym. ἵνα δοθῇ ἐκείνῳ ὃ ἀρέσει τῷ Θεῷ, *ut detur illi qui placebit Deo*] Leg. ὅς.

AMAMA.

1. D*Ixi ego in Corde meo, Veni nunc, probabo te lætitiâ, & fruere bono: Et ecce etiam hoc vanitas.*

David Kimchi facit vitæ humanæ duo genera, ſapientiæ & ſtultitiæ. Sic videtur & Salomo vitam humanam dividere. Quum prior ratio diſplicuiſſet, dicit ſe aliâ aggreſſum eſſe viâ.

Dixi in corde meo] Id eſt, *cogitavi.* Vide aliquid de eo Ebraiſmo ad verſ. 16. capitis primi.

Veni nunc] לכה נא Agedum. Ebraiſmus. Sic לכו Agitedum.

Probabo te] אנסכה. Vox Ebræa ambigua eſt. Poteſt enim כה eſſe affixum pro ך cum ה expreſſo. Et thema erit נסה probo, tento. Aut כ erit radicalis & paragogica, & thema erit נסך libo: Et tunc vertendum eſſet *libabo* ſc. vinum. i. lætitiæ me dabo, genio indulgebo. Et ראה poſitum dicetur pro Infinit. ראות, & hoc pro futuro אראה. At ego ſequor primam interpretationem utpote ſimpliciſſimam reſpectu ſaltem vocis ראה, quæ alias nimis ventilatur. Facit pro me & verſio τῶν Lxx. πειράσω σε ἐν εὐφροσύνῃ, καὶ ἴδε ἐν ἀγαθῷ. Aliàs formam גלה quæ propria imperativi eſt, aliquando pro Infinitivo poni, poſſent docere multa exempla, ut Jezech. 21. 10. היה exiſtendo. ראה videndo Pſ. 142. 5. &c.

Fruere bono] ראה בטוב, *Vide in bono*, ad verbum. At ראה hoc modo conſtructum regulariter ſignificat, *cum delectatione aliquid videre, frui.*

2. *Riſui dixi, inſania: & lætitia, quid hæc facit?*

Sub *riſu* & *lætitiâ* comprehendit omnes immoderatas voluptates quas hic damnat.

Riſui] לשחוק ut ל ſit Dativi nota. Poteſt & reddi, *de Riſu.* Sic ל ſumitur in eo, Pſ. 91. 11. יצוה לך *Præcipiet de te*, interprete Euangeliſta Matth. 4. 6. περὶ σοῦ. 2. Sam. 11. 7. לשלום [illegible] περὶ τῆς εἰρήνης. Eſth. 3. כן צוה לו *ſic præceperat de eo.* &c. Poteſt & adhuc aliter, *Riſui* vel *de riſu*, ideſt *viro riſus*; Sic

Sic ſæpe ſubauditur אִישׁ. Pſ. 120. 7. Ego שָׁלוֹם. i. איש שלום *vir pacis.* Licet alii שָׁלוֹם etiam concretum eſſe velint. Pſ. 109. Ego תפלה. i. vir orationis. Dan. 9. כי חמדות את vir deſideriorum es. Prov. 20. לץ היין Deriſor eſt vinum. i. איש יין vir vinoſus. Hic eſt nomen *Iſaac*, quod tamen communiter ſcribitur per צ יִצְחָק. Reperitur cum ש etiam in Amos 7. 9. quæ ſcriptura videtur τοῖς Lxx. occaſionem dediſſe aliter vertendi iſtum locum. Ubi enim textus habet ונשמו במות ישחק, illi habent *ἀφανισθήσονται βωμοὶ γέλωτος* deſolabuntur aquæ riſus. Quo in loco Patres multi ſe miſere torſerunt, dum ad textum Ebræum, quia eum non intellexerunt, recurrere non potuerunt. At de his alibi.

Inſanis] מְהוֹלָל. i. Hominem inſanum arguis per Metonymiam. Alii, ad inſaniam redactus es, quia in Poël propriè tranſitivè ſumitur, ac tunc ad virum commodè refertur. R. Salomo deducit à בָּלַל miſcuit, ut ſenſus ſit, *Riſui dixi*, *mixtus es*, ſcilicet cum triſtitia & lachrymis. Tunc מ erit de radice & tertia thematis dicetur duplicata ut in אֻמְלַל infirmatus fuit ab אָמַל.

Quid hæc facit?] *Loquitur in tertia perſonâ ex contemptu*, ait Mercerus. Chald. מה הנאה אית לגבר דעבדנה quæ utilitas eſt viro qui facit illud? Videtur legiſſe עֹשֶׂה. Poteſt & verti, *Cur hoc facis?*

3. *Scrutabar in corde meo ut protraherem in vino carnem meam ac cor meum aſſueſceret* (nihilominus) *ſapientiæ*, & *ut apprehenderem ſtultitiam*, *uſque dum viderem quid bonum eſſet hominibus ut facerent ſub cælo*, *numero dierum vitæ ſuæ.*

Scrutabar] Viam, rationem aliam tranquillè & ſuaviter vivendi.

Ut protraherem vino] לִמְשׁוֹךְ בַּיַּיִן. Vulg. *ad abſtrahendum à vino* לִמְשׁוֹךְ מִיַּיִן. Chald. *Ut protraherem* בבית חמרא *in domo vini* &c. Porro *protrahere vino carnem.* i. corpus. Senſus, ut diducerem, ſolverem, mollius redderem. Græci hoc explicant per verbum ἑλκύειν, quo hic uſi ſunt Lxx. Durior enim victus carnem contrahit, mollior diſſolvit.

Vino] בַּיַּיִן. Hoc nomine ſæpe omnes delicias comprehendunt Ebræi Job. 1. *Comedebant & bibebant vinum.* Eſth. 1. *In convivio vini.* יַיִן in Regim. יֵין. Hinc dictum volunt Janum qui cognominatus fuit οἰνότροφος, quod fuerit inventor vini vel vineæ. Quod aliquantulum juvat eos qui per ejus fabulam intelligi volunt Nochum. Vide eos qui hac de re ex profeſſo ſcripſerunt. Beroſ. lib. 3.

Aſſueſceret] Ebraicè נֹהֵג ſub. לִהְיוֹת, ut eſſet aſſueſcens nihilominus ſapientiæ. Aben-Ezra tranſitivè reddit, ſupplet לִבִּי *ut cor meum gereret*, *adminiſtraret res ſuas ſapienter.* Per *ſtultitiam* quidam intelligunt hilarius vitæ genus atque ita opponunt rigidiori ſapientum vitæ. Nam ad hæc duo vitæ genera ſunt ex Ebræis qui omnia revocent. R. Salomo hic per *ſtultitiam* intelligit *legem ejuſque præcepta*, quæ primâ fronte ſtulta videntur. Voluit vero & ſtultitiam cognoſcere quia contraria inter ſe collata magis eluceſcunt.

Incipit jam oſtendere ut deliciis indulſerit, ſapientiæ ſtudio interim non neglecto.

4. *Magnificavi opera mea*, *ædificavi mihi domos*, *plantavi mihi vineas.*

5. *Feci mihi hortos & paradiſos*, & *plantavi in iis arbores omnis fructus.*

6. *Feci mihi piſcinas aquarum*, *ad irrigandum ex iis ſylvam germinantem arboribus.*

7. *Comparavi mihi ſervos & ancillas*, & *filii domus fuerunt mihi : quin etiam peculium boum & ovium multum fuit mihi præ omnibus qui fuerunt ante me Jeroſolymis.*

Magnificavi] magnifica feci opera mea. Midras (citante Mercero) hoc ad eburneum illud ſolium tantùm refert. Sed præſtat generaliter ſumere.

Domos] בָּתִּים à Sing. בַּיִת. Licet inter (ּ) & Dages nullus ſit accentus, tamen *Batthim* leges & non *Botthim.* Eſt enim unicum illud quod excipitur à Regula iſta, *Omne Camets poſt quod ſequitur Dages vel Sceva* (tam expreſſum quam ſubintellectum, quale eſt ſub omnibus ultimis literis exceptis quieſcentibus) *nullo interjecto accentu eſt Camets breve & ſonat o.* Nam aliàs Camets longum & breve figura non differunt. Cum enim Scheva adjectum eſt, eſt Camets raptum. Falluntur enim qui figuram Camets rapti (ֳ) contractam putant ex integro (ָ ְ .) Hunc errorem peperére Typographi, qui ut rudioribus conſulerent, ad differentiam utriuſque, Camets parvo adjecérunt Scheva, malentes confundere cum rapto (utpote cujus ſonus ferè idem) quam cum longo, cujus ſonus planè alius. Hoc etiam quoſdam eò erroris adegit, ut Camets raptum non agnoverint, ſed tantum duo poſuerint puncta rapta, Chatheph Phathach & eſt Segol. Vide Druſii Grammat. & de Recta Lectione linguæ Sanctæ. Redeo ad בָּתִּים, quod hanc anomaliam ſubiit, ut vitaretur ambiguitas. Si enim ſcriptum fuiſſet בָּתִים ſine Dages in ת, ſignificaret *deſolatos.* Reperitur enim בָּתָה deſolata &c. Si בַּתִּים cum (·) ſignificaret *Bathos* à ſingulari בַּת, quæ fuit menſura liquidorum continens שלש סאין tria ſata. Vide D. Kimchi Michlol & Druſium de recta Lect. cap. 49.

5. *Paradiſos*] פַּרְדֵּסִים. Kimchi, פרדס גן עצי מאכל: *Paradiſus eſt hortus arborum quarum fructus poſſunt comedi.* Aben-ezra putat *eſſe hortum conſitum arboribus ejuſdem generis*; ut Cant. 4. פרדס רמונים *Paradiſus Malogranatorum.* Sed ut de eo dubito, ità de hoc non dubito quin פַּרְדֵּס locus ſit arborum & ad delicias, גַּן verò i. hortus, tam arborum quam herbarum ad uſum. Hinc habent Græci ſuum παράδεισος, licet, ut benè obſervavit Mercerus. Id occultare voluerunt interjectione literæ a. Qui Græcum eſſe volunt deducunt aut cum Suida à δεύω irrigo, unde verbale δεῦσος mutato ευ in υ: aut cum aliis παρὰ τὸν δρέπαν ποιεῖσθαι ob herbarum collectionem. Vide de hac voce etiam quædam apud Druſ. Animad. 2. 57.

6. *Germinantem arboribus*] צוֹמֵחַ עֵצִים. Non auſus fui vertere, *germinantem arbores*, quia צָמַח in Kal ſuapte natura intranſit. eſt. *Germinans arboribus* ut Jeſ. 1. 30. אלה נבלת עליה ulmus defluens foliis. Lxx tamen tranſitive δρυμὸν βλαστῶντα ξύλα, producentem arbores.

7. *Filii domus*] בני בית Vernæ, liberi ex ſervis & ex ancillis domi natæ, οἰκογενεῖς Lxx. Chald. בעלי בית, diſpenſatores, præpoſitos victui domus meæ. Sunt qui *filios familias* intelligunt. Sed hoc à ſtylo ſermonis Ebraici paulò remotius.

Boum & ovium] Ebr. בקר וצאן Collect. per hoc armenta, per illud greges ſolent denotare Ebræi. Ut בקר etiam *Equos* comprehendat, ſicut & Græcis βουκολεῖν dicitur qui equos paſcit. Equi autem Salomonis colliguntur ex S. L. fuiſſe 40 millia currilium, duodecim millia equeſtrium & dicitur habuiſſe mille & 400 currus, quos *quadrigas* appellat Textus. Summa igitur equorum aſcendet ad quinquaginta ſeptem millia & ſexcentos.

Multum præ omnibus] הרבה מכל multum quam omnibus ſubaudiunt communiter יותר magis, quod in textu perpetuò deeſt. Apud Doctores frequentiſſimum. Senſus ergò, magis multum. i. plus, copioſius. Sic μᾶλλον in N. T. Luc. 18. 14. De Publicano, *Deſcendit hic δεδικαιωμένος in domum ſuam.* ἢ ἐκεῖνος. i. μᾶλλον δεδικαιωμένος. Sic ex eodem Ebraiſmo Tob. 3. λυσιτελές ἐστί μοι θανεῖν ἢ ζῆν. Sic & apud Homerum, βούλομ' ἐγὼ λαὸν σῶον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. Pro βούλομαι μᾶλλον. Tacitu, *claris majoribus quam vetuſtis.* i. claris magis, clarioribus. Sic טוב משמן bonum quam oleum. i. טוב יותר. Sic communiter. Ego verò putarim non opus eſſe huc deſcendere, quid enim ſupplemus, ubi nihil opus eſt? Nihil hic opus eſſe videbis ſi מִן per *præ* expones, *multum præ omnibus*, *bonum præ oleo*, *doctus præ illo.* מִן autem inter alia etiam *præ* ſignificare, docebit te vel ſolus libellus Druſii de literis Moſche Vecaleb. Quem libellum verè aureum & utiliſſimum non tantum Grammaticis ſed & Theologis judicabunt ii qui legerunt. Sunt enim præcipuè in libro ſecundo talia, ſine quibus ſacras Litteras nunquam dextrè explicabis.

8. *Congregavi mihi etiam argentum & aurum & peculium regum & provinciarum: feci mihi cantores & cantrices & delitias filiorum hominum ſymphoniam & ſymphonias.*

9. *Et magnus evaſi & adjeci plus cæteris qui antè fuerunt Jeroſolymis : Et tamen ſapientia mea ſtetit apud me.*

10. *Et quicquid petierunt oculi mei non prohibui ab iis : non prohibui cor meum ab ulla lætitia, ſed cor meum lætabatur ex omni labore meo*, & *hæc fuit portio mea ex omni labore meo.*

3. *Congregavit mihi*] כָּנַס unde כְּנֵסֶת congregatio, concilium, ſynodus, & כְּנֶסֶת הַגְּדוֹלָה Synagoga magna & אַנְשֵׁי כְּנֶ׳ הַגְּ׳ viri Synagogæ magnæ, de quibus initio libri.

Argentum & aurum] Qui conſuluerit Joh. Lud. Vivaldum & Baptiſtam Villalpandum videbit divitias Salomonis tantas fuiſſe ut nullus poſt eum Monarcha unquam tantas poſſederit divitias. Mihi non eſt decretum particulariter ex S. Lit. huc adducere & computare quæ ab illis producta ſunt. Sufficiet ſummam annotaſſe. Præter vectigalia munera & cætera extraordinaria aſſurgit ſumma ad quater mille ſexcentos triginta ſex milliones ducentos triginta tria millia centum viginti quatuor ſcutorum monetæ Romanæ. Textus auri argentique talenta computat. At illi pro talento auri monetæ Rom. ſcuta ſedecim, millia octingenta triginta, & talento argenti ſcuta 1440 computant.

Peculium] סְגֻלָּה κειμήλιον: At hic collectivè ſumitur. Quid autem ſit סְגֻלָּה docet Abenezra cum ſic definit. דבר נחמד שמור להתפאר בו *Res deſiderabilis quæ ſervatur ad gloriandum in ea.*

Sic intelliges cum Iſrael vocatur *Peculium Dei*, paſſim. Sym. πεκούλια voce a Latinorum pomœriis ad Græcos tranſlatâ.

Provinciarum] i. earum rerum quæ in provinciis ſingulis raræ eſſe ſolent.

Cantores & cantatrices] Chaldæus exponit de inſtrumentis muſicis quæ in domo Dei ab ipſo fuerunt inſtituta. Sed hoc admitti non poteſt. Siquidem hic loquitur de iis quæ in ſui gratiam, ſuæ delectationis gratia fecit. De honeſta Muſices oblectatione non eſt animus aut meum propoſitum hic declamare. Ipſas veras eâ trahi & allici, prodidere viri ἀξιόπιστοι Hoc tamen fidem ſuperat quod Polyhiſtor cap. 11. narrat *in Haleſina Regione fontem aliàs quietum & tranquillum, cum ſilentium eſt, ſi inſonent tibiæ, exultabundum ad cantum elevari & quaſi percipiat vocis dulcedinem ultra marginem intumeſcere.* Davidem quoque in ſua aula Muſicos habuiſſe evincit vel ſolus locus 2 Reg. 19. 35.

שדה ושדות] De his vocibus admodum digladiantur Interpretes Ebræi. Quicquid enim Chriſtiani his & ſimilibus habent, Ebræis debent. Vulg. habet, *ſcyphos & urceolos.* Lxx. οἰνοχόον καὶ οἰνοχόας: pocillatorem & pocillatrices. Chaldæus, *ſiphones qui emittunt aquas tepidas, & ſiphones qui emittunt aquas calidas.* Videtur *thermas* intelligere & *balnea.* R. Sal. *plauſtra operta* exponit & oſtendit ex Thalmud שִׁדָּה ſignificatione ſimili propemodum uſurpari. Alii aliter. Reſtant duæ ſententiæ quæ doctioribus interpretibus optimè probantur: prima eſt AbenEzræ, qui exponit *mulierem captivam* & *captivas*, à שָׁדַד quod *vaſtare* ſignificat. Solebant enim in expugnationibus urbium fœminas pulchriores ſibi deligere incontinentiores Imperatores. Nec procul ab hac ſententia recedit Kimchi, licet paulò latius ſumat, dum exponit גבורה וגבורות *præſtantem & præſtantes mulieres.* Hæc ſententia placuit Pagnino aliiſque. Mihi diſplicet, quia non video quid tunc dicendum erit de repetitione ejuſdem vocis in plurali numero. Alteram, quæ ſola reſtat, ſecutus ſum, quæ vertit, *ſymphoniam & ſymphonias.* Repetit eandem vocem numero plurali, quia Muſica ſymphonia vel unius generis ſola delectat, maximè verò, ſi & aliorum generum aut inſtrumentorum aut cujuſcunque alterius ſymphonia intermiſceatur. Vocatur autem hoc nomine שִׁדָּה, quod à שָׁדַד *vaſtavit* deſcendit, quod voces pares & impares, ſoni contrarii & ſimiles ſe invicem gratâ mixtura & temperamento frangant & vaſtent, ut inde concinnum melos & concordia diſcors oriatur. Hanc ſententiam, quam Kimchius etiam præfert in ſuo Michlol, ſecutus eſt & Junius. Hanc & ego ſecutus ſum, quia nulla probabilior occurrit.

9. *Et adjeci*] ſcil. על גדלתי *ad magnificentiam meam.*

Stetit apud me] עמדה לי *Permanſit apud me. juxta me*, ſic Gen. 49. לחוף *apud, juxta littus.* Num. 1. 3. לצבאותם *apud exercitus ſuos.* (a) Sed quid ſi ſic? *Stetit mihi.* i. miniſtravit mihi, inſervivit. Sic certè Latini loquuntur cum dicunt, *ſtare alicui ad cyathum, ad vinum, ad pedes.* Suetonius, *ad vinum & cyathum Nicomedi ſtetiſſe objecit illi cum reliquis obſoletis.* Sic in textu, *Vivit DOMINUS in cujus conſpectu ego ſto*, i. cui ſervio. Luc. 1. 19. *Qui aſto ante Deum.* i. ſervio. Pſ. 132. *Qui ſtatis in domo Domini*, ad ſerviendum.

10. *Oculi mei*] Chaldæus hic excurrit & per oculos intelligit *Zanbedrin*, quos vocat oculos ſuos, quia reverâ conſiliarii nihil aliud ſunt quam oculi Principum. Sic itaque reddit hunc locum, *Quodcunque rogarunt me Magiſtri Zanbedrin, non prohibui ab ipſis ſolationem ſermonum.*

Sed] Ebr. כִּי pro כי אם quod tritum eſt.

11. *Et reſpexi ego ad omnia opera mea quæ fecerant manus meæ, & ad laborem quo laborabam ad faciendum, & ecce omnia erant vanitas & paſtio venti, & nihil emolumenti eſt ſub ſole.*

Quo laborabam ad faciendum] לַעֲשׂוֹת ut facerem. Alii, *quæ laborioſè feceram.*

Ad omnia opera mea] Ebr. בְּכָל. *in omnia* pro *ad omnia*, niſi dicamus verbum unum poſitum pro duobus, quod ſæpe fieri in SS. LL. obſervavit paſſim Cl. (b) Druſius. Sic Pſ. 68. לָקַחְתָּ *accepiſti dona inter homines.* i. accepiſti & dediſti, accepta dediſti. Sic alibi, *Capies carbones ſuper caput ejus*, pro capies & pones. Sic & hic, *Et reſpexi & intuitus ſum in omnia* &c. Vide infra.

Paſtio venti] Vide ſupra.

12. *Et reſpexi ego ad videndum ſapientiam, inſanias & ſtultitiam* (*Quid enim eſt homo plebejus ut veniat poſt Regem?* (faciet) *quod jam fecerunt* (alii.) i. *ludet operam, actum aget.*

Cum nec hoc vitæ genus placeret, redit ad prius inſtitutum quod jam reliquerat, ſtudium ſapientiæ ſcilicet.

(a) *Druſ. Annot. ad Novum Teſt. ad Luc.* 1. 19. *in Additionibus.* (b) *Druſius Miſc.* 2. 70.

Inſanias & ſtultitiam] Vide ſupra. Eadem enim habes ibi quæ hic, niſi quod שִׂכְלוּת ibi, hic vero סִכְלוּת, quod oſtendit bene ibi exponi *ſtultitiam*, ſecus quam alii opinantur.

Quid eſt homo plebejus?] Primò dicit מה non verò; מי quis, ad contemptum. Sic & Pſ. 8. *Quid eſt homo miſer?* & Pſ. 144. Deinde non ſine emphaſi ſubjungit אָדָם, quod nomen ab איש ita diſtinguunt accuratiores Interpretes, ut איש ſit nomen ἀρετῆς & propriè de egregiis viris dicatur, אָדָם verò plebejum propriè ſignificet. Et ſic diſtinguenda etiam erunt בְּנֵי אָדָם & בְּנֵי אִישׁ. Etiam hoc Tremellius obſervavit Pſ. 49. 3. *Audite* &c. גם בני אדם גם בני איש יחד עשיר ואביון dum vertit, *nati plebejo homine & nati præſtanti viro*, ac ſi diceret, plebeji & nobiles.

Ut veniat poſt Regem &c.] Hujus loci infinitæ ſunt fere expoſitiones, ut Oedipum meritò hic deſideremus. Omnes tamen ad duo capita poſſunt referri. Aut enim vocem מֶלֶךְ ad Deum referunt: Aut ad Salomonem. q. d. quis ille qui venire poſſit poſt me, qui Rex ſum, aut me imitari &c. Et hanc expoſitionem reliquis præferet, quiſquis ſeriò de eo cogitabit. Difficillimum autem eſt quod ſequitur את אשר כבר עשוהו. Primò remove affixum הו nè illud te impediat. Eſt enim pleonaſmus Ebræis peculiaris. Elliptica eſt oratio. Lacunam ſupplet Abenezra addendo יַעֲשֶׂה *faciet, quod jam fecerunt* ſub. qui fecerunt. i. factum eſt. Sic, *nuntiavit Davidi* ſc. qui nuntiavit, nuntiatum eſt. Aut ſubaudi אֲחֵרִים alii. q. d. actum aget, operam ludet. Quod ego enim tantus Rex experiri & inveſtigare non potui, nemo potuit, ac proinde nec tu poteris. Aliter Kimchi, nempe ſic ut pertineat ad præcedentem verſum probandamque rerum humanarum vanitatem, *Quid eſt homo qui veniet poſt me qui Rex ſum* (ut hæres ſit eorum) quæ jam fecerunt ſc. manus meæ, vel alii pro me. Piſc. *Quid* (facturus eſſet) *homo qui ſuccedet mihi Regi? Id quod factum eſt.* Dicit ſe rediiſſe ad ſtudium ſapientiæ, relicto iſto voluptatis, quia videbat ſe fruſtra in iis laboraſſe, licet omnia comparaſſet eò pertinentia. Hoc probat ex Antith. ſucceſſoris, qui non eſſet inventurus nova. Noſtri per Regem ſolent Deum intelligere hoc ſenſu, *Quid eſt homo ut veniat, imitetur Deum qui fecit eum?* Ac tunc עָשׂוּ dictum erit pro עָשָׂה reſpectu nominis Elohim, quod ratione terminationis ità aliquando conſtrui ſuprà oſtendimus. Chaldæus etiam ad Deum referens, tamen aliò trahit מה הנאה אית לגבר לצלאה בתר גזירת מלכא ובתר פורענותא והא כבר אתגזרת עלוהי ואתעבידת לה. Quæ utilitas eſt viro ut oret poſt decretum regis & poſt vindictam, quia ecce jam decretum eſt contra eum & actum eſt cum eo. Sic videtur mihi poſterius vertendum potius quam cum Aria, *factum eſt ei.*

13. *Et vidi ego tantam eſſe excellentiam ſapientiæ præ ſtultitia, quanta eſt excellentia lucis præ tenebris.*

14. *Sapientem* (quod attinet) *oculi ejus ſunt in capite ejus, at ſtultus in tenebris ambulat: & novi etiam ego quod unus eventus accidet omnibus illis.*

Tantam eſſe excellentiam ſapientiæ] Per *ſapientiam* hic, ut antea, intelligit non aliam quam rerum humanarum, vel potius, ut ſequentia oſtendunt, prudentiam, quæ nihil aliud eſt quam habitus per quem utilia eligimus & damnoſa rejicimus vitamuſque μετὰ λόγου ἀληθοῦς, ut loquitur Ariſtoteles, vel ut Socrates, διάθεσις καθ' ἣν κρίνομεν τὸ πρακτέον καὶ τὸ οὐ πρακτέον. Sic & accipies paſſim in Proverbiis, ut 14, *Mulier ſapiens ædificat domum ſuam.* i. prudens: Tuncque oppoſitum ei כְּסִיל cum ſynonymis ſignificabit hominem temerarium & ineptum. Sed quoniam hæ voces ut & res ipſa latè patet & hic ſæpe occurrent, ſic ſemel habe. Vox כְּסִיל cum ſynonymis primò ſignificat *hominem ſtolidum, vecordem.* Sic hic ſumi videtur. Sic ſumitur Prov. 17. *Increpatio magis terret intelligentem quam centum plagæ ſtultum.* Atque hoc ſenſu habet ſynonymum etiam אֱוִיל, quæ tamen Ebræi ſic diſtinguunt. אֱוִילִים ſunt illi propriè in quibus eſt ſtultitia, קִנְיָנִית poſſeſſiva: כְּסִילִים: in quibus eſt ſtultitia הֶעְדֵּרִית privativa, unde ſic definiunt, כסילות העדר קנין החכמה eſt privatio habitus ſapientiæ. Sic ſumitur etiam נָבָל & סָכָל.

2. Ponitur pro *homine impio* Pſ. 14. *Dixit* נָבָל *ſtultus in corde ſuo.* Et Hoſ. 2. *Patefaciam ſtultitiam tuam.* i. impietatem.

3. *Avarum* ſignificat Jeſ. 32. idolol. improbitatem.

4. *Pigrum.* Eccleſ. 4. 5. *ſtultus complicat manus ſuas.*

5. *Quamvis per verſitatem* Prov. 22. *ſtultitia colligata eſt in corde pueri &c.* Sic Luc. 24. Salvator incredulos vocat *ſtultos.*

6. Pro *quovis graviſſimo & turpiſſimo facinore.* Sic dicitur de violatione Dinæ, Thamar & uxoris Levitæ, & de furto anathematis Joſ. 7.

Sicut excellentia] כִּיתְרוֹן. Mercerus annotat hic variare Judæos Orientales & Occidentales. Orientales qui ſequuntur lectio-

nem cujuſdam Jacobi Naphtali, legunt בִּיתְרוֹן. Ut & alibi videlicet Pſal. 45. 2. בִּיקְרוֹתֶיךָ. Occidentales verò ſequuntur lectionem cujuſdam Aharonis filii Aſer, & legunt בְּיִתְרוֹן בְּיִקְּרוֹתֶיךָ. De qua diverſitate vide Druſium de Recta lectione linguæ ſanctæ ad calcem, ubi & habebis earum catalogum deſumptum ex Bibliis Venetis. Juxta priorem lectionem Jod Chirek abjecto quieſcit in Chirek quod Jod aſſumit loco Scheva, non ſecus ac ſi ſequeretur Jod cum Scheva.

Luci præ tenebris] Id eſt videnti præ cæco, ut ſequens verſus oſtendit.

Sapientem, (quod attinet)] Ebraice eſt הֶחָכָם nominativus abſolutè poſitus, quem malim cum Rever. Piſcatore ſic περιφραζειν, quam ſic exprimere, *Sapientis oculi ejus ſunt in capite.* Nam ſic verba ſonant. Pleonaſmus ut Ebræis ſuavis, ita Latinis & Græcis auribus inſuavis. Tremellius & Junius hic à Vulgato recedunt ſine neceſſitate & cum verſu præcedenti conjungunt, *Vidi &c. Sapientem* (ut) *cui* (ſunt) *oculi in capite*, *ſtolidum autem in tenebris ambulare.* Nimis audacter ut & alibi ſæpe ſupplent multa. Sic enim tunc dicendum fuiſſet plenè & Ebraicè &c. החכם כאשר שעיניו בראשו והכסיל &c. Ut omittam verſus temere ita conjungi ubi verſus per ſe poteſt conſiſtere.

Oculi ejus ſunt in capite] i. cautus, prudens, circumſpectus vel callidus eſt. עָרְמָה enim ſolet Ebræis inter bona referri. Vide Prov. 1. 4. *Ad dandum fatuis*, עָרְמָה *aſtutiam, calliditatem.* Tropus Scripturæ, quem Chaldæus ſic exprimit eleganter, *Sapiens in principio rei videt quid futurum ſit in fine.*

Vidi quod eventus unus] De externis eventibus hoc intelligendum: morte, periculis, paupertate & ſi quæ ſunt id genus alia.

15. *Et dixi ego in corde meo*, (ſi) *juxta eventum ſtulti etiam mihi, mihi eveniet, & quare ego tunc ſapui plus? Et dixi in corde meo, quod & hoc* (eſſet) *vanitas.*

16. *Neque enim eſt recordatio ſapientis cum ſtulto in ſeculum, eò quod jam diebus futuris omnes oblivioni tradentur, & quomodo moritur ſapiens cum Stulto?*

17. *Itaque odi vitam ipſam, diſplicebat enim mihi opus quod fit ſub ſole, omnia enim ſunt vanitas & paſtio venti.*

15. *Dixi in corde*] Vide ſupra.

Si] Deſideratur, ut alibi ſæpe. Sic Latini, *Græculus eſuriens in cœlum juſſeris ibit.*

Mihi, mihi] אני יקרני. Prius pronomen redundat aut pro לִי poſitum eſſe dicendum eſt.

Et quare ego] ולמה. Obſervandus hic peculiaris uſus particulæ Vau, quam alibi notavit Cl. Druſius, quod nimirum aliquando ſit indignantis particula, ut & καὶ apud Græcos. Sic Act. 23. 3. καὶ σὺ *& tu ſedes ad judicandum me & jubes me cædi?* Huc referunt illud Virg. Æneid. 1. *Et quiſquam numen Junonis adoret?*

Porro hæc ratiocinando à Salomone dicta eſſe conſiderandum eſt. Aut ſeriò dicta putare potes, ſi humanitùs & de externis intelligas. Si enim externa conſideres, videtur fruſtra ſapientiæ operam dari.

Hoc vanitas] Quod ſcilicet iiſdem eventibus uterque ſubjaceat. Notandum tamen ob ſequentem verſum Hieronymum & R. Salomonem hoc poſterius membrum ita interpretari, ut pertineat ad præcedens membrum, quod hoc hemiſtichio damnare videtur ac ſi eum ejus jam pœniteret. Et dixi quod hoc, quod ſcilicet jam effatus ſum, ſit vanum & ineptum. Vide ad verſ. ſequentem.

16. *Sapientis & ſtulti*] Dat rationem ſuperioris verſus, quomodocunque eum accipias. Ad verbum, *Sapientis cum ſtulto.* Quæ phraſis ambigua eſt. Poteſt enim ſic reddi, *Neque enim eſt memoria ſapientis pariter & ſtulti in ſeculum.* i. nec ſapientis nec ſtulti memoria eſt perpetua. Idem itaque eis eventus, cum tamen ſapientis æterna debebat eſſe memoria. Si ſic accipias, erunt hæc verba referenda ad prius hemiſtichium verſus præcedentis. Poſſunt & verba hæc aliter reddi, neque enim eſt memoria ſapientis cum ſtulto. q. d. non eſt par memoria neque eadem ſapientis & ſtulti in ſæculo. ſc. futuro, imo ne quidem in hoc, & tunc ל pro כ poſitum erit, quod non difficile eſt probare ex aliis locis. Si ſic accipias, referenda ſunt hæc verba ad poſterius hemiſtichium verſus præcedentis, ut ſint quaſi αἰτιολογία ejus hemiſtichii, ſic accepti, ut Hier. & R. Salomo explicarunt, ut hic ratio reddatur iſtius correctionis. Vide ad verſum præcedentem.

Diebus futuris] Ebr. בָּאִים venientibus. Id eſt paulo poſt venturis. Obſerva participium præſens, quod Ebræi pro indicativo præſente uſurpant, pro paulo poſt futuro. Sic Jon. 1. *invenit navem* בָּאָה *euntem Tarſis*, id eſt, paulo poſt ituram. Sic in N. T. *Ecce ego aſcendo.* i. paulò pòſt aſcendam. *Ecce ego commoveo cœlum & terram* in Haggæo. ימים באים ergo ſunt dies venturi. i. futuri. Sic enim interpretes ſolent illam vocem reddere. Sic העלם הבא ſæculum futurum &c.

נִשְׁכָּח] Maſſ. ל' זקף קמץ non eſt amplius in Zakeph cum Camets.

Et quomodo moritur &c.] Hæc verba propter ambiguitatem præcedentium etiam dupliciter exponi poſſunt. Si præcedentia prima expoſitione accipias, hæc erunt ex indignatione ab ipſo tanquam ſtomachabundo prolata per interrogationem pro, *Et moritur ſapiens æquè ac ſtultus*, & ſic Vulg. reddit. Si ſecundo ſenſu præcedentia accipias cum R. Sal. & Hieronymo, hæc ſic intelligenda erunt, Et quomodo fieri poſſet? quomodo par eſſe poteſt utriuſque conditio. Non ſane &c. Sed hoc ferè exciderat. Juxta hanc expoſitionem ſecundam præcedentia illa, *& diebus futuris omnes oblivioni traduntur* accipi debent tantum de ſtultis. Sed primum ſenſum præferet quicunque ſequentem verſum conſideravit, qui quaſi præcedentium eſt Epilogus.

17. *Itaque odi*] Quia vidi eandem eſſe utriuſque conditionem.

Vitam ipſam] vel *viventes.* Vox enim חַיִּים ambigua eſt. Sed hoc obſervent juniores, cum *vitam* ſignificat, carere ſingulari, cum *viventes*, habet ſing. חַי à חָיָה vixit.

Diſplicuit mihi] Ebr. רַע עָלַי *Malum* (fuit) *ſuper me.* Sic Jon. 4. וַיֵּרַע אֶל יוֹנָ' *Et diſplicuit Jonæ.*

18. *Odi quoque ego omnem laborem meum quo ego laboro ſub ſole, quia relicturus ſum eum homini qui erit poſt me.*

19. *Et quis novit an ſapiens futurus ſit vel ſtultus, tamen dominabitur omni labori meo quo laboravi & quo ſapui ſub ſole: Etiam hoc vanitas eſt.*

Laborem] i. divitias, opes & reliqua omnia labore parta, quem Tropum ſupra notavimus. Hoc oſtendit quod ſequitur, *quia relinquam eum* ſc. laborem.

Quo laboro] Vel, quem laboro vel laboravi. i. laborando congeſſi. Sic notavimus ſupra *accepit* pro, *accepta diſtribuit*; *capies*, pro capies & pones. (a) Unum verbum pro duobus, ut Ebræi loquuntur. Latini talia *prægnantia verba* vocant. Sic in Perſio Sat. 1. *Quantum ſitiat Canis Appula.* i. ſitiendo promat, exhauriat. Sic Sat. 3. *Oſcitat*, pro oſcitando eructat. Sic B. Cyprianus *Eſurire* poſuit pro eſurientis in modum edere, in libro de Spectaculis. Vide & Cl. Caſaub. in Perſ. Juxta Chaldæum hic præſagit & auguratur de filio ſuo Rehabeamo, ſic enim habet, בגין דאשבקנה לרחבעם ברי דייתי בתרי, Eo quod relicturus ſum eum Rehabeamo filio meo qui veniet poſt me.

Quo ſapui] i. ſapientia mea mihi acquiſivi. *Sapere* enim hic nihil præter humanam quandam prudentiam & induſtriam denotat congerendi opes. Sic & Chald. מה דאתקנת בחכמתי quæ acquiſivi ſapientia mea. Vulg. *pro quo ſollicitus fui*: ad ſenſum optimè. Lxx. ὃ ἐσοφισάμην.

20. *Et converſus ſum ut facerem deſperare cor meum ſuper omni labore quo laboravi & ſapui ſub Sole.*

21. *Eſt enim homo, cujus labor eſt in ſapientia, & in ſcientia & in rectitudine, & homini qui non laboravit pro eo dat eum pro portione ejus: Etiam hoc vanitas eſt & malum magnum.*

22. *Quid enim ſupereſt homini ex omni labore ſuo & cogitatione cordis ſui, quo ipſe laboravit ſub Sole.*

23. *Nam omnes dies ejus ſunt dolores & indignatio negotium ejus: Etiam noctu non quieſcit cor ejus: Etiam hoc vanitas eſt.*

20. *Et converſus ſum*] Quaſi dicat, Cum viderem tantam omnium rerum, & laborum eſſe vanitatem, eò ſum adactus ut me omnis laboris tæderet.

לְיָאֵשׁ] Maſſ. ל non eſt amplius cum Phathach.

Ad deſperare faciendum] יָאֵשׁ. In Niphal נואש *deſperavit.* Piel, *deſperare fecit, ſpe deſtituit.* Chald. לְיָאָשָׁה *ad deſperare faciendum*, ut vertit Montanus. Lxx. καὶ ἐπέστρεψα τοῦ ἀποτάξασθαι τῇ καρδίᾳ μου, ad renunciandum cordi meo: alii codices, ἀνατάξασθαι. Alii, ἀποκαμεῖν recuſare, &c.

21. *Cujus labor eſt in ſapientia*] i. qui dat operam, ut ſibi rem faciat ſapienter & prudenter. Neque enim hæc cum Hieronymo ad ſpiritualia retulerim, qui dum ſpirituales divitias hic ſectatur, literalis ſenſus contemnit paupertatem. Si enim ſapientiæ nomine etiam indigitantur Mechanicarum artium periti, ut artifices tabernaculi apud Moſen & 1. Cor. 3. Sapiens architectus, cur non & prudentia calliditaſque in rebus externis opibuſque congerendis ſapientia vocari poterit? Pro *prudentia* tali certè ſumitur in Proverbiis, *Mulier ſapiens ædificat domum &c.* & alibi paſſim.

In

(a) *Druſ. Miſcell.* 2. 70.

In rectitudine] בכשרון Chald. בצדקו in juſtitia. Ut יֹשֶׁר ponitur pro juſtitia, ſic & כִּשְׁרוֹן, *Recta ſunt viæ DOMINI.* i. juſtæ. Pſ. 25. *Bonus & rectus eſt DOMINUS.* i. juſtus. *Omnes viæ DOMINI ſunt recta.* i. juſtæ: In Hoſea. Quando autem כשרון aut certè ישר ponitur hoc modo, ſolet addi vox לֵב, rectitudo cordis, rectus corde. Porro obſerva Apocopen literæ ת quæ in talibus frequens eſt. Sic ארעי מלכו pro ארעית מלכות. Lxx. ἐν ἀνδρείᾳ, Alii interpr. ἐν γοργότητι.

Dat eum pro portione &c.] Dat eum ſc. laborem. i. divitias labore partas. Hoc antea notatum. Sic Ezech. 23. *Omnem laborem tuum tollent & dimittent te nudum.* Sic Iſaiæ 45. *Labor Ægypti* pro divitiis Ægypti. חֶלְקוֹ in portionem ejus pro לְחֶלְקוֹ. Aben Ezra tamen ſic mavult, יִתְּנֶנּוּ pro יִתֵּן לוֹ. Dat ei portionem ſuam, ut affixum illud ו referatur ad relinquentem. Vulgata breviter & eleganter *& homini otioſo quæſita dimittit.*

22. *Cogitatione*] רַעְיוֹן ſi *cogitationem* exponas erit origine Chaldæum, רְעָא cogitavit. Chaldaiſmum ſapit etiam vox הֹוֶה. Sic Mercerus. Potes & ſumere pro *depaſtione*, nam רְעָא Syris magis *paſcere* quam *cogitare* ſignificat. Vix enim pro cogitare reperitur niſi in Ethpheal. אֶתְרְעִי. Nihil diſſimulabo, רַעְיָנָא *cogitationem*, *mentem*, *conſcientiam* tantum denotat.

Quo ipſo] שֶׁהוּא Novè hic & infra 3. 8. שֶׁהֵם, ש punctatum Scheva in emendatioribus codicibus.

Sub ſole] Non dicit, ſupra ſolem. Vide ſupra.

23. *Vanitatem porro oſtendit ex totius vitæ humanæ ratione, quod in perpetuâ verſetur anxietate & moleſtia.*

Dolores] Plus Emphaſeos eſt in locutione tali quam ſi dixiſſet *dolorem afferentes.* *Dolores.* i. doloribus & ærumnis refertiſſimi: Sic *indignatio* i. indignatione ob ærumnas & moleſtias, vel commotione, inquietudineque referti. Unde Jobi 14. 1. homo dicitur *ſatur ira.*

Quieſcit] Ebr. שָׁכַב cubat. Metaphora ab externis ſenſibus ad internos traducta. Nocturna enim inſomnia ferè earum rerum, quas interdiu quis tractat, imagines afferre ſolent. Merc. Lxx. οὐ κοιμᾶται.

Etiam hoc vanitas] Quod ſcilicet ne noctu quidem mens humana quietem capiat.

24. *Non eſt* (igitur) *bonum in homine* (niſi) *ut comedat & bibat & oſtendat animæ ſuæ bonum de labore ſuo; Etiam hoc vidi ego de manu Dei eſſe.*

25. *Quis enim comedat & quis acceleret præter me?*

26. *Quia homini qui bonus eſt coram ſe dare ſolet ſapientiam & ſcientiam & lætitiam: At peccatori dat occupationem ad colligendum & congregandum ut det* (ea) *ei qui bonus eſt coram Deo: Etiam hoc vanitas eſt & paſtio venti.*

24. *Non eſt &c.*] Poſt expoſitas tot & tantas rerum vanitates & incommoda negotiorum ſtudiorumque humanorum, nunc tandem ſubjicit concludens, quod vitæ genus tranquillum & placidum maxime ſit. Sic Mercerus.

Non eſt bonum in homine (niſi) *ut* &c.] ſubaudio כִּי niſi cum Lxx. εἰ μή. Sic infrà cap. 4. *quoniam non norunt* לַעֲשׂוֹת רָע. i. *niſi facere malum.* Sed eum locum etiam aliter exponi videbis ſuo loco. Aut lego cum interrogatione cum R. Salom. & Vulgato, *nonne igitur bonum eſt in homine ut comedat?* &c. q. d. cum tantum ſit in rebus humanis inane, annon præſtat ut ex ſuis ſuaviter & placide vivat? annon hoc præſtat quam ut genium ſuum defraudet? quàm ut abſtineat ab opibus tanquam à ſacro? quas incerto hæredi relicturus alias eſt? Deinde per *comedere* & *bibere* nihil aliud his locis intelligit Salo. quam lætum & tranquillum rerum ſuarum uſum, quæ conſiſtere poſſe cum pietate docet verſus 12. cap. 3.

De labore ſuo] i. de opibus ſuo labore partis. Vide ſuprà.

Hoc vidi à manu Dei eſſe] Paucis quos æquus amavit Deus hoc contingit: paucis hoc datum eſt.

25. & 26.] His duobus verſiculis rationem reddit verſus ſuperioris. Et quidem hoc rationem reddit primi Hemiſtichii, nimirum bonum eſſe ut homo ex ſuis tranquille vivat.

Quis enim eſt &c.] Hortatur omnes ſub perſona ſua ut dum licet ſuis placidè fruantur. q. d. quem æquius eſt comedere & bibere de meo quam me ipſum qui laboravi pro iis?

Acceleret] יָחוּשׁ ſc. ad comedendum, quis magis accelerare debebat ad earum uſum quam ego? Alii *Curet* ſcilicet affluere delitiis, vel *curet* fruitionem bonorum ut à חוּשׁ veniat. Quidam *& quis ſenſibus oblectabitur plus quam ego?* Quaſi dicat Quis poterit commodius feſtinare ad explenda ſua deſideria, quam ego qui tantam pecuniæ copiam corraſi? Nam חוש ſignificat Rabbinis ſenſus, unde חושי ſenſibilis. Sunt qui ſic, *Quis comedebat & accelerabat &c.* Ut ad priora ſua tempora referat.

Præter me] חוץ ממני extra, præter quam ego. חוץ vix exceptionem aliàs ſignificat. Lxx. τίς φάγεται καὶ τίς πίεται πάρεξ αὐτοῦ; Quis edat & bibat præter ipſum? q. d. Quem æquius eſt comedere & bibere (id eſt ſuis frui) præter ipſum, ipſum ſcilicet qui collegit eas opes? Legerunt ממנו.

26. *Quia homini &c.*] Hoc verſu dat rationem poſterioris hemiſtichii verſus 24. Hoc nimium eſſe donum Dei oſtendit ex comparatione boni & mali hominis.

Quia homini qui bonus eſt coram eo] ſc. Deo. Homini qui benè & pie vivit coram ſe. Poſſes etiam exponere; *cuicunque placet ipſi dare.* Sed mallem prius ob antitheſin.

Sapientiam & ſcientiam] in adminiſtrandis opibus vel etiam congregandis.

Peccatori] Hunc opponit ei quem ſupra vocarat bonum coram Deo Job. 27. 13. de impio, *Si coacervaverit ut pulv. argentum & ſicut lutum præparaverit veſtimentum. Præparabit & juſtus induet ſe, & argentum dividet innocens.*

Dat occupationem] anxiam & moleſtam. Lxx. περισπασμόν. i. diſtractionem ortam ex curis diverſis. Symm. ἀσχολίαν.

Ut det bono coram Deo] i. cuicunque Deo viſum fuerit. Obſerva iſtum Ebraiſmum; ut det ſc. is qui tantâ moleſtia eas congregavit.

Etiam hoc eſt vanitas & paſtio venti] Vide ſupra.

GROTIUS.

1. D*Ixi ego in corde meo: vadam & affluam divitiis; & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas*] Non primo Epicuro aut Epicureis in mentem venit in voluptate ea quæ ſenſibus percipitur Beatitudinem eſſe poſitam Sed jam olim multis hominibus ea cogitatio incidit, quæ tamen vana rectè inſtituto judicio comperitur.

2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis?*] Cùm potior hominis pars ſit Ratio, malè felicitatis ſumma ponitur in parte deteriore. Vide infrà 25.

12. *Quid eſt inquam homo ut ſequi poſſet Regem factorem ſuum?*] Suppleto levi defectu, quales multi ſunt apud Hebræos ſenſus ſic optimus fiet: *Quis eſt homo, qui inſequi Regem poſſet in iis quæ jam facta ſunt*, ſcilicet cognoſcendis? Quis tantam ſibi poteſt comparare veteris hiſtoriæ cognitionem quantam Rex facultatibus abundans? Ac proinde quis melius judicare poterit de effectibus φρονήσεως καὶ ἀφροσύνης [*prudentiæ & imprudentiæ*]? Eſt quidem diſcrimen inter hæc aliquod, ſed ἐφήμερον [*momentaneum*]. Eſt hîc in Hebræo מה poſitum non pro *quid*, ſed pro *quis*, ut & 1 Samuel. IV. 6. II Reg. I. 7.

18. 19. *Habiturus heredem poſt me quem ignoro utrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis quibus deſudavi & ſollicitus fui: & eſt quicquam tam vanum?*] Contra eos qui in divitiis felicitatem collocant. In Epigrammate Græco eſt,

—— —— ἃν δὲ φυλάττῃς
Ἀλλοτρίοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια.
[—— —— *Heredibus autem*
Quæ ſervas, jam nunc hæc aliena puto.]

Et in altero:

Σὺ τοῖς κληρονόμοις πλουτεῖς, σοὶ δὲ πένῃ.
[*Heredi dives, pauper at ipſe tibi.*]

Vide & infrà 22. & VI. 2. Id maximè apparet in orbis,

Orbitas omni fugienda niſu
Quam premit votis inimicus heres.

Sed etſi quis liberos habeat, aliquando tamen ſtirps ejus deficiet.

24. *Nónne melius éſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis?*] In Hebræo ſenſus hic eſſe videtur, *Nullum eſt homini bonum, niſi ut comedat & exhibeat animæ ſuæ ea quæ delectant, labore ſuo comparata.*

Et hoc de manu Dei eſt] Non eſt ſemper in noſtra poteſtate.

25. *Quis ità devorabit*] In Hebræo, *Quis enim comedet?* Id eſt, quis juſtius partis fruetur, quàm qui ſuo labore ea peperit?

Et deliciis affluet ut ego?] In Hebræo, *Et quis plus feſtinavit quàm ego?* id eſt, *Quis plus mè laboravit?* cohæret hoc cum priori.

26. *Homini bono in conſpectu ſuo*] Ei quem amat Deus.

Dedit ſapientiam & ſcientiam & lætitiam] Lætitiam intellige τὴν εὐεστώ [*tranquillitatem*] Democriteam. Vide III. 12. 13.

CAP. III.

MUNSTERUS.

9. Q*Uam abundantiam habet agens*] Senſus eſt, Quantumlibèt homo conetur multa aſſequi bona & plurimas corradere divitias, nolens volens cogetur tandem nudus & vacuus diſcedere ab eis; ut nullum videatur feciſſe lucrum in univerſo labore ſuo. Alii ſic vertunt, *Quid reliquum* (ſive *excellens*) *agentis in quo ipſe laborat?* h. e. Quem fructum capit ex tam diverſa functione? Vel potiùs, Quid officii ſupereſt quod obſervet?

11. *Etiam ſeculum*] Quidam exponunt תאות העלם *concupiſcentiam ſeculi.* Ea, inquit, multis hominibus eſt impedimento ut non cogitent opera Dei præterita & futura. Alii accipiunt pro זמן נצח *perpetuo tempore:* ut ſit ſenſus, Putant ſe homines multis victuros annis, ideo tanto fervore inhiant acquirendis rebus temporalibus.

15. *Deus requirit eum*] R. S. ſic exponit ſicut nos vertimus, nempe quòd *Deus ultionem ſumat de eo qui alteri perſecutionem machinatur.* Aben Ezra verò exponit נרדף pro *conſecutione temporis :* ut ſit ſenſus, *Succeſſio illa & circulus temporis perpetuò durabit & quamdiu Deus voluerit ; nec eſt homo qui poſſit illam impedire.*

18. *Sunt jumenta*] Subintelligendum eſt hìc adverbium Similitudinis, nempe כבהמה pro בהמה. *Niſi*, inquit, *Deus repurget homines, ſunt veluti jumenta*, quibus non eſt intellectus. Unde & tales putant *unum eſſe eventum hominum atque jumentorum*; & libenter hìc multis annis feliciter viverent, nihili pendentes futuram vitam. Sic quæ ſequuntur de *aſcenſu* & *deſcenſu ſpiritûs* omnia dicuntur ſecundùm ſtultam opinionem pecuinorum hominum, qui putant Hominem totum morte interire ut cætera animantia : ideo pro ſumma beatitudine hominis habent, ſeſe ingurgitare voluptatibus. Portò דברת hic capitur ſicut in Pſal. *Dixit Dominus Domino meo*, nè putes cum Hieronymo hic accipiendum pro *loquela*.

22. *Vidi quòd non ſit melius quàm quòd homo gaudeat*] Etiam accipiendum eſt tanquam ab Epicureis dictum, qui ſolùm in hac vita quærunt partem ſuam.

VATABLUS.

1. V*Oluntati* חפץ] *Inſtituto*, *propoſito :* i. Omnia hominum inſtituta ſuum tempus habent.

5. *Diſpergendi* להשליך] *Projiciendi*, *disjiciendi*, ſub. *collectos ſimul lapides :* hoc intelligit de muro ædificando aut lapideo ædificio.

7. *Scindendi* לקרוע] *Lacerandi.*

9. *Quid utilitatis facienti* מה יתרון העושה] *Quid præcipui commodi* contingit viro *facienti*, i. operanti. Alii, *Quam abundantiam habet agens.* Alii, *Quid* igitur *agenti ſupereſt* obſervandum *in eo*, &c.

11. *Omnia* את הכל עשה] Subaudiendum aliquid, *Et cognovi quòd omnia facere ſolet*, &c. q. d. Omnia Dei opera pulcro ordine conſtructa ſunt, in tempore ſuo facta. ¶ *Ipſum mundum poſuit*, &c. את העלם נתן בלבם] h. e. Cupiditatem ac deſiderium cognoſcendi res hujus mundi indidit menti hominum. Quidam Hebræorum dicunt העלם ſignificare *tempus*, & non *mundum*; aut potiùs *perpetuum*, ſive *perpetuitatem.* ¶ *Ut non inveniret homo* מבלי אשר לא ימצא האדם] *Præterquam quòd non invenit homo.* Vel, *tametſi non intelligunt homines.* Nam qui invenit, intelligit. Et ſingulare *homo* poſitum pro plurali. Quidam vertunt, *Ut non ſit homo qui requirat*, &c. Alii, *Ne non inveniret homo opus*, &c. ¶ *A principio uſque ad finem* מראש ועד סוף] Ad verb. *à capite & uſque ad finem*, i. perfectè.

12. *Nihil eſt melius* אין טוב] *Nulla ſit felicitas alia.* ¶ *In eis* בם] Sub. *hominibus.* Relativum plur. poſt antecedens collectivum ſing. *homo.* ¶ *Et facere*, &c. ולעשות טוב בחייו] Quidam vertunt, *&* quàm ut *beneficiis afficiant* proximos ſuos *quamdiu vivunt.*

13. *Et etiam quòd omnis homo comedat* וגם כל האדם שיאכל] Ad verb. *Et etiam omnis homo quòd edat.* ש, quod ferè ſemper priore loco ponitur, hìc ſecundo loco poſitum eſt, pro, *Et etiam quòd*, &c. debuerat enim eſſe poſt וגם, ſed in idem recidit. Similis locutio eſt apud Paulum, Rom. 12. 3. *Unicuique ſicut Deus diviſit*, pro, *ſicut unicuique Deus diviſit.* Quidam vertunt, *Siquidem omnis homo qui comedit*, &c. ¶ *Et videat bonum* וראה טוב] Phraſis eſt Hebraica, pro *fruatur opibus ſuo labore partis.*

15. *Requirit* tempus *præteritum* יבקש את נרדף] *Quæret quod præteritum eſt*, vel *quod abiit.* Alii, *inſtaurabit.* i. Id quod fecit Deus, etiam nunc facit, & facturus eſt poſtea. *Quærere* ſive *requirere* pro *inſtaurare* poſitum eſt, & ſimilis locutio legitur Job. 3. 3. *Dies illa ſit tenebræ: non requirat illam Deus*, i. nè inſtauret. Chald. *Et Deus requirit eum qui paſſus eſt perſecutionem*, i. ulciſci eum ſolet : ut legimus de Eſau & Jacob, & de Iſraelitis. Ità etiam quidam Hebræorum, & Lxx. Alii, *requirit conſecutum*, ſive *conſecutionem.* i. Quamvis diverſa ſint tempora, Deus tamen exiget continuum ordinem & colligabit præteritum cum futuro.

16. *Locum judicii* מקום המשפט] Quidam ſcribunt hoc loco ſubaudiendum ש vel אשר & ב, vertentes, *quòd in loco judicii*, i. ubi judicium eſſe debuerat.

17. *Quia tempus*, &c. 'כי עת וגו] *Eſt enim ibi tempus opportunum pro omni re atque pro omni opere.* Alii, *Illic enim tempus eſt quo voluntati omni & omnibus factis :* ſub. *præmium condignum rependetur.* Alii, (*quia eſt tempus omni rei*) *idque juxta omnia opera illic.* Parentheſi includentes priorem partem, ut legas, *judicaturus eſt juſtum & impium juxta omnia opera illic*, i. in die judicii : nam loquitur de re certa : ut Job. 1. 21. *Et nudus revertar illuc*, i. in ſepulcrum, ad quod ſcilicet omnes reverti ſolent : & tamen de ſepulcro antea non fuerat locutus, quòd res eſſet ſatis nota. Obſerva autem nomen חפץ, quod *voluntatem* ſignificat, uſurpari pro *re* & *negotio.* Vide cap. ſeq. v. 7.

18. *Super negotio* על דברת] *De conditione.* ¶ *Quòd purificavit eos* לברם] *Quòd repurgat eos*, aut *mundat :* à radice ברר, infinitivus primæ conjugationis, à duplicatis: & ל hic ſignificat, *propter* vel *quia.* Alii à ברה vertunt, *Quia delegit eos*, præ cæteris ſcilicet animantibus. Juxta hanc ſignificationem quidam vertunt, *Æſtimavi autem in animo meo conditionem hominum, ut excellentiſſimos creaverit.* ¶ *Et oſtenderit*, &c. 'ולראות וגו] Ad verb. *&* tamen *ut videantur quòd ipſi*, &c. Quidam vertunt, *ut videre liceat quòd ipſi ſunt jumenta*, *ſibi*, i. ſuo judicio. Alii, *&* tamen *videam quòd ſunt jumenta ſibi.* Subaudiendum כ ſimilitudinis, *ſunt ut jumenta.* Sic Job. 11. 12. *Et pullus onagri homo*, pro *ſicut pullus. Sibi* autem, i. apud ſe. q. d. Tanta tamen in hominibus viget ignorantia ut non videantur differre à jumentis.

19. *Accidens* מקרה] *Eventus.* Quid intelligat per *accidens* vel *eventum* mox declarat. Quidam vertunt, *Eadem enim ſolent hominibus & brutis animalibus evenire.* ¶ *Sicut moritur* כמות] Poteſt eſſe infinitivus. *Sicut mori*, ſub. *accidit.* Poteſt & nomen eſſe, *Sicut mors iſtius*, ſub. *animalis.* ¶ *Et ſpiritus* ורוח] *Et aura vitalis*, *aer ſpirabilis.* ¶ *Et amplius*, &c. 'ומותר וגו] *Et excellentia* [vel *dignitas*] *hominum ſupra belluas nulla eſt.*

20. *Sunt* היה] *Facta ſunt.*

CASTALIO.

1. S*UA cuique rei tempeſtivitas*] Cùm omnia ſuo tempore fiant, & hìc quæratur quid ſit bonum, videndum eſt nè id alieno tempore quæratur. Ut enim aliud ſerendi, aliud metendi, &c. ſic aliud infelicitatis, aliud felicitatis tempus eſt. In hac vita tempus eſt miſeriæ : quòd ſi quis in ea bonum quærit, perinde facit ac ſi velit ſementis tempore metere. Exſpectanda meſſis eſt, h. e. futura vita, in qua non, ut in hac, pro jure regnabit injutia, ſed ſola dominabitur juſtitia & veritas, ſublatis erroribus. Quòd ſi vitam illam non curas, indulge voluptati.

11. *In eorum corda ità vitam indiderit*] Nam Cor vitæ fons eſt. Quod autem verto *vitam*, in Hebræo eſt *ſeculum*, ſive *ævum*, quod pro *vita* ponitur. Nam c. 7. de eadem re ponitur nomen quod *vitam* ſignificat. ¶ *A principio ad finem*] Per omnem vitam ſuam. ¶ *Quam rem faciat Deus*] Quà ratione faciat ea quæ facit.

CLARIUS.

1. O*Mnia tempus habent*] Omnium rerum viciſſitudo eſt, neque quicquam eſt ſub Sole ſtabile. Qui nunc gignuntur, aliquando morientur. Quæ nunc plantantur, alio tempore evellentur. Nunc amputamus quæ olim ut adoleſcerent curavimus.

5. *Tempus ſpargendi lapides*] Nunc diruimus vetera ædificia, nunc ex eiſdem lapidibus exſtruimus nova.

9. *Quid habet amplius homo*] Quem fructum capit homo ex tam pugnantibus & moleſtis occupationibus ?

10. *Vidi afflictionem*] Deprehendi quòd Deus immiſerit animis

mis hominum ejuſmodi moleſtas occupationes ut ipſi ſe illis torqueant.

11. *Mundum tradidit*] Alius vertit *ſeculum*. Mundum hunc, inquit, totum expoſuit examinandum ingenio illorum, verùm ipſi nullius, vel magnæ vel parvæ, earum rerum quas Deus tam multas fecit, rationem inventuri ſunt.

15. *Deus requirit eum*] Conjungitur ſuperiori; quòd ſcilicet ſemper fuerit ac futurum ſit ut Deus faveat oppreſſis.

16. *In loco judicii*] Et tanquam non eſſet malorum ex hac inconſtantia ſatis, vidi *locum* ſub Sole *æquitati* deſtinatum in quo dominatur *impietas*; & *locum juſtitiæ*, in quo regnat *impius*.

18. *Dixi in corde meo de filiis hominum*] Cùm non invenirem cauſam aliam quare Deus hæc permitteret, viſum eſt mihi velle illum hujuſmodi humanis tumultibus hominem ſic exercere, ut videat ſe in hac vita parùm differre à brutis. Non aliter enim inter ſe homines tumultuantur, nec majori ſæpe ratione, quàm bruta inter ſeſe.

19. *Inſuper unus interitus*] Niſi repurget, inquit, Deus homines, ſunt veluti jumenta, quibus non eſt intellectus; unde & tales putant *unum eſſe eventum Hominum & Jumentorum*.

21. *Quis novit*] Quàm rarus ſcilicet eſt qui interim id norit?

22. *Lætari hominem*] Hoc putant dictum à Salomone in perſona hominum Epicureorum, quibus hæc duntaxat vita cordi eſt.

DRUSIUS.

1. *Omnibus*] לכל, i. τοῖς πᾶσιν· & ſubintelligitur *hominibus*. Aut *omni rei*, ut דבר ſubaudiatur. Editio Gallica poſtrema *à toute choſe*. Lat. V. *Omnia tempus habent*. ¶ *Opportunitas*] i. Καιρός· ut cùm dicimus, *opportunitate bonâ alicui obvenire*. Item legimus apud Plautum, *Optimâ opportunitate huc veniſtis*. Alioqui זמן χρόνος. Trem. *Cuique rei ſua tempeſtas*: nam ea vox etiam tempus denotat. Sym. παντὸς ὥρα, *cuique ſua hora*. Sed *hora* שעה dicitur, & eſt pars temporis: interdum tamen pro *tempore* ſumitur, ut Ruth. 2. 14. τῇ ὥρᾳ ἢ φαγεῖν, *tempore edendi*, ſive *prandii*: nam in Ebræo לעת אכל: & Sirach. 32. 11. ἐν ὥρᾳ ἐξεγείρου, i. *tempeſtive*. ¶ *Tempus*] Καιρός. ut ibi, *In tempore ad eam veni*, ἐν καιρῷ, i. *opportunè*. Idem aliter. ¶ *Omni voluntati*] i. Rei propriè cupitæ ac deſideratæ. Sed ſimpliciter pro *re* ponitur; *Omnes voluntates tuæ non ſunt cum eo comparanda*, i. *omnes res tuæ*. Non malè igitur Hieron. hoc loco habet, *tempus omni rei*, & Lxx παντὶ πράγματι.

2. *Pariendi*] Τοῦ τεκεῖν. Lat. V. *naſcendi*: nam conjuncta hæc ſunt: ſimul enim Femina *parit*, & Homo naſcitur. Nec malè *naſcendi*: nam in oppoſito *tempus moriendi*. *Mori* & *naſci* opponuntur, non *mori* & *parere*. Cæterùm Homo perficitur ſpatio 35 annorum, & eodem ſpatio corrumpitur, ut Philoſophi tradunt. ¶ *Plantandi*] Ut in Autumno. ¶ *Evellendi*] Lxx ἐκτῖλαι. Sym. ἐκριζῶσαι, *eradicandi*, quod propriè שרש dicunt.

3. *Occidendi*] Τοῦ ἀποκτεῖναι. *Occidit* & qui lethaliter vulnerat. Unde quidam exponunt לפחוץ, & in contrario eſt *tempus ſanandi*. *Sanamus læſum* ſive *vulneratum* aut *ſaucium*, non *occiſum*. Ideo Abenezra, OCCIDENDI, inquit, *poſuit pro* VULNERANDI. Contrà, חלל *vulneratus* pro *occiſo* ponitur. Accedit, nullum tempus eſſe להחיות, i. *vivificandi*, cui opponitur propriè לחרוג. *Occidere* aliquando eſt *moleſtum eſſe*, ut *enecare* apud Latinos. Vide Miſcell. cent. 2. cap. 5. ¶ *Diruendi*] *Deſtruendi*, *demoliendi*, καθελεῖν.

4. *Flendi*] Ut in funere parentum aut amicorum; item cùm alios videmus flere. ¶ *Ridendi*] *Jocandi*, *ludendi*. Aliter ſumitur hoc verbum in libro Selectarum ſententiarum, ut cap. 1. *Cum riſu non habitat ſapientia*, & 63. *Sapiens qui ridet pro ſtulto habetur*: de riſu intempeſtivo. Cæterùm in Riſu quatuor ſervanda, locus, tempus, modus, perſona. Idem dicendum de Saltatione. ¶ *Saltandi*] Ad tibiam, cantum vel numerum.

5. *Abjiciendi lapides*] Ut cùm aggerem purgamus. ¶ *Congregandi lapides*] Ut cùm ædificamus. אבן aliquando ſignificat *lapidem pretioſum* ſive *gemmam*, ut Exod. 28. 11. quæ aliquando abjiciendæ, ut cùm de vita periclitamur. ¶ *Amplexandi*] Conjugalibus fruendi amplexibus. Non ergò quovis tempore id faciendum. ¶ *Procul recedendi*] Ut in publico luctu, in jejunio, & aliàs. ¶ *Ab amplexu*] Περιλήψεως· aliàs Περιλημμάτος.

6. *Quærendi*] *Acquirendi*, ut in juventa; Prov. 10. *Colligit in æſtate filius prudens*. Et *acquirendi*, doctrinam, divitias, honores. ¶ *Perdendi*] Ut in periculo vitæ aut animæ. ¶ *Cuſtodiendi*] Parta tuendi & conſervandi. Scitum illud,

Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri.

¶ *Abjiciendi*] Ut cùm periclitamur de naufragio. Vide Jon. 1.

7. *Scindendi*] Aut *diſſuendi*. Cæterùm veſtes ſcindebantur more Judaico in luctu, & cùm aliquis Deum blaſphemat. *Diſſuimus*, præter veſtes, & amicitiam. ¶ *Conſuendi*] Ῥάψαι. ¶ *Tacendi*] Virgilius de Filiſto quodam, *Si tempus tacendi hic ſciret, rarò loqueretur*. *Tacendum enim ſemper eſt, niſi aut taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis proſit.*

8. *Diligendi*] Φιλῆσαι· aut *amandi*, i. ἀγαπᾷν, ut Aq. convertit. ¶ *Odio habendi*] τοῦ μισῆσαι. Quod noſter dixit *tempus odii*. Idem aliter. ¶ *Tempus belli*] Bellum juſtum & neceſſarium ſuſcipitur cùm aut nos alióſque injuſtè oppreſſos defendimus, aut contumaces ſubditos in ordinem cogimus redigimúſque.

9. *Quæ præſtantia*] *Quâ in re præſtat is qui facit?* vel, *Quod emolumentum?* aut, *Quæ utilitas?* Lxx Τίς περισσεία; *Quid ſupereſt operanti?* aut, *Quid amplius habet?* ¶ *Operantis*] העשה τοῦ ποιοῦντος *facientis*: & ſubintelligitur *opus*, ut Ruth. 2. 19. Vide quoque Matth. 20. 12. *Facere* hoc ſignificatu ſumitur & Prov. 10. 4. *Pauper eſt qui facit manu remiſſâ*, pro *qui operatur*. Hinc *facere veritatem*, quod explicant *facere opus veritatis*. Notandum inſuper, cùm hîc ſit מה יתרון העשה, ſuprà eſſe מה יתרון לאדם 1. 3. inſertâ Lamed.

10. *Vidi*] Oculis mentis & animi, i. *cognovi*, *conſideravi*. Hoc ſenſu dicitur homo *videre Deum* ſecundùm Moſen Ægyptium. Hinc intelligentiam habet illud, *Beati mundi corde, quoniam Deum videbunt*. Alibi eſt, *Deum nemo vidit unquam*, videlicet oculis corporeis. Sed ad rem. *Videre* pro *cognoſcere* ſumitur & in illo, *Vidi ego à manu Dei eſſe*.

11. *Pulcra in tempore ſuo*] Καλὰ ἐν καιρῷ αὐτοῦ. Sed in Ebræo הכל יפה. Ergò Sym. reddidit καλὸν ἕκαστον ἐν καιρῷ ἰδίῳ, *Pulcrum omne eſt proprio tempore*. ¶ *Seculum*] i. Curas ſeculares & mundanas. Nam עלם *mundus* apud Rabbinos. Quo ſignificatu & *ſeculi* vox uſurpatur. Puto hic denotari tempus vitæ humanæ, quod & דור appellatur, & per Metonymiam adjuncta illius temporis, i. curas, ſolicitudines, quæ animum à rebus Divinis alienant. Quidam *ſeculum* interpretantur *opinionem æternitatis*; alii *rerum creatarum rotationem* ſive *revolutionem*. Conſule Gallicam editionem. ¶ *Ne inveniret*] מבלי אשר לא ὅπως οὐ μή· duplex negatio; quod frequens in Helleniſmo. ¶ *A capite*] i. ἀπ' ἀρχῆς à *principio*. Hic perſpicuè ראש pro ראשית ponitur. Contrà ראשית pro ראש quidam accipiunt Gen. 1. 1. nam vertunt Ἐν κεφαλαίῳ, *In capitulo*.

12. *Cognovi*] Per experientiam. ¶ *Non eſſe bonum eis niſi*] *Nihil melius eſſe eis quàm*. בם *eis*, ut ſuprà באדם *homini*, 2. 24. ubi ex hoc loco poſſis כי אם ſubaudire. ¶ *Faciant bonum*] Vel *faciant bene*, i. vivant rectè & jocundè; quod etiam dicunt *facilè agere*. *Facere* pro *vivere* uſurpant Latini; ut cùm dicunt, *Fecit cum ea decem annos*, i. vixit. Sic explico *facere veritatem*, vivere integrè.

13. *Etiam omnis homo, quod comedit*] Vide an poſſit legi, *Etiam totus homo, ut comedat*: ut ſenſus ſit, *Summum bonum quod obtingere poteſt homini ſub Sole, eſt ut comedat*, &c. *Sub Sole* dico; alioqui ſuprà Solem aliud bonum ipſum manet de quo infrà 12. 13. ¶ *Videt bonum*] Fruitur bono, Vide 2. 1. ¶ *Donum Dei eſt*] Suprà hoc dixit, *à manu Dei eſt*.

14. *Omne quod facit Deus*] Quod homo facit, mutationi obnoxium eſt; ſecùs, quod Deus facit. Nam ut Deus *non mutatur* Mal. 3. 6. ſic etiam opera ipſius immutabilia ſunt & æterna. ¶ *Ipſum fore*] הוא יהיה *ipſum erit*: quod Græci reddiderunt ἔσαι, & Sym. διαμένει, *manet*. ¶ *In ſeculum*] εἰς τὸν αἰῶνα, *in æternum*. Sic *dies ſeculi* Sirach. 1. 2. i. æternitatis: αἰὼν q. αἰεὶ ὤν. ¶ *Non eſt addere*] *Non licet addere*: Sic ἐςὶ pro ἔξεςι poni ſolet. Prov. 30. 6. *Ad verba ejus ne adjeceris, ne quando arguat te, & mendacii convincaris*. Quanquam hic de operibus loquitur, non de verbis. Opera Dei hujuſmodi ſunt ut iis nihil addere poſſis, ne ſi velis quidem: Verbis Dei addi poteſt ab homine impio. Vel ſignificat opera Dei perfecta eſſe & omnibus ſuis numeris abſoluta, ut nihil addere, nihil demere iis poſſis. Puto hanc Salomonis mentem eſſe. ¶ *Deus autem facit*, &c.] Prov. 16. 4. *Omnia fecit* DOMINUS *propter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum*, i. propter gloriam ſuam: quod nunc dicit *ut vereantur ipſum*, ſive, ut

 Lxx

Lxx reddunt ad verb. ἵνα φοβηθῶσιν ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ *ut timeant à facie ipſius. Timere* enim uſurpant pro *vereri.* Alioqui, Varrone teſte, *Deus à religioſo veretur, à ſuperſtitioſo timetur propriè.* Quam differentiam non ſervant interpretes. Theologi hinc fecerunt duplicem Timorem. Nam & filius timet patrem, i. veretur; & ſervus timet dominum: hunc timorem *ſervilem* propriè vocant.

15. *Id quod fuit*] Lxx τὸ γενόμενον· ex eo noſter *quod factum eſt.* Malim *quod fuit.* Nam γίνεσθαι etiam *eſſe* ſignificat: unde Homerus Deos dicit αἰειγενέτας, quòd *ſemper exſiſtant.* ¶ *Jam eſt*] Dei enim decreta perpetua ſunt, nec mutationem recipiunt. Decrevit olim ut eſſet Lux: nunc ergò eſt lux, & erit quamdiu mundus durabit. Idem dicendum de cæteris creaturis, quæ vel in ſpecie vel in individuis conſervantur; in ſpecie, ut Homines, ut Beſtiæ: in individuis, ut Sol, ut Luna, ut Stellæ. Vide Hieron. ¶ *Quod futurum eſt*] אשר להיות. Hic aliquid abeſt. Nam ſubauditur עתיד: q. d. τὸ μέλλον γίνεσθαι, ἢ εἶναι. Defectus iſte frequens eſt ſcriptoribus Ebræis. ¶ *Propulſum*] *Tempus propulſum*, i. præteritum. Vetus eleganter, *inſtaurat quod jam abiit.* Lxx τὸν διωκόμενον· niſi legendum τὸ διωκόμενον· ſed retineo receptam ſcripturam, & χρόνον ſubaudio, eâdem ſententiâ. Sym. ὁ δὲ Θεὸς ἐπιζητήσει ὑπὲρ τῶν ἐκδιωκομένων, i. *eos qui expulſi ſunt.* Nam ἐκδιώκω *expello è ſolo patrio, mitto in exſilium.* Sic τὸ διωκόμενον verſum eſt in operibus Hieronymi *eum qui perſecutionem patitur:* ſed in Comment. exponitur, *quod periit, quod expulſum eſt, quod eſſe ceſſavit:* ut credibile ſit ipſum legiſſe τὸ διωκόμενον· quod tamen pono, non ſtatuo.

16. *Adhuc*] *Amplius, præterea,* ἔτι. ¶ *Vidi*] Refero ad totum orationis complexum. Nam quod vulgò referunt, *vidi locum judicii*, ei interpretationi repugnat accentus major quem *Athnach* indigitant. Sunt qui legant, *vidi, in loco judicii ibi impietatem eſſe*, &c. ut ſit oratio redundans, à quo *ibi* commodè abeſſe poſſit & ſine damno ſententiæ. Huic lectioni etiam adverſatur accentus ille de quo dixi. ¶ *Locus judicii*] In quo jus exercetur, vel certè debet exerceri: cujuſmodi erant. Portæ apud veteres, & nunc ſunt Curiæ aut domus civicæ. Dicitur & *Domus judicii.* Sic *domus Dei* & *locus Dei* ſe invicem explicant. Thargum habet *locus domûs judicii*, i. Judicum. Sic alibi, *domus judicii cogunt eum*, i. Judices. In ed. Rom. τόπον τῆς κρίσεως. A. τῆς δικαιοσύνης, *juſtitia.* Locus ſuſpectus. Paulò pòſt τόπον τοῦ δικαίου. Ad hunc locum puto pertinere interpretamentum illud: ſed nihil affirmo, hoc tantùm; צֶדֶק ſig. δικαιοσύνην, non δίκαιον· quanquam Antiquitas hoc modo ſæpenumero expoſuerit. An pro צֶדֶק legerunt צדיק ut mox רָשָׁע pro רֶשַׁע. ¶ *Ibi impietas*] Malim *ibi improbitas:* nam *impietas* propriè Deum aut parentes reſpicit. רֶשַׁע hîc potiùs denotat *iniquitatem* aut *injuſtitiam*, ut cùm Judices odio aut gratiâ aut muneribus corrupti jus pervertunt. Lxx legerunt רָשָׁע aliis punctis: nam vertunt ἐκεῖ ὁ ἀσεβής. ¶ *Locus juſtitiæ*] Lxx τόπον τοῦ δικαίου, i. *locum juſti.* Quod noto, quia in antiquis declarationibus צדק valet *juſtus.* Pſal. 17. 1. צדק, Aq. δίκαιον, Hieron. *juſtum.* Atque hinc MELCHISEDEC, *Rex juſtus.* Sic Gloſſarius Philonis, Hieron. in libro ubi explicat nomina Ebraica quæ in Epiſtola ad Ebræos, Joſephus Orig. Jud. l. 1. c. 18. Clemens Strom. lib. 4. Rei firmandæ eſt Jonathan, qui eum vocat מלכא צדיקא, i. *Regem juſtum.* Alioqui ad ſenſum *Rex juſtitiæ* eſt Rex juſtus. *Locus juſtitiæ*, ubi jus æquum exerceri debebat. Idem aliter. Pro *locum juſti*, i. τόπον δικαίου, in operibus Hieronymi legitur *locum juſtitiæ, ubi iniquitas.* Cajetanus hæc omnia refert ad privatam juſtitiam quæ in contractibus ſervatur. ¶ *Ibi impietas*] In pleriſque cod. Græcis ἐκεῖ ὁ ἀσεβής, i. הרשע: quæ verior lectio quàm illa quæ in ed. Rom. ἐκεῖ ὁ εὐσεβής, חסיד שם. Adi ſis ad ed. Rom.

17. *Dixi in corde meo*] Cogitavi apud me. ¶ *Juſtum & improbum*] Lxx σὺν τὸν δίκαιον καὶ σὺν τὸν ἀσεβῆ. את σύν. Sed hic ſumitur abſolutè pro *ſimul* aut *pariter*, aut *unà*, ut apud Nicandrum in Theriacis,

——— σὺν καὶ ἀνιγρὰς
Ἑρπηστὰς ἴχιάς τε.

Vide Theſaurum H. Stephani. ¶ *Judicabit*] *Judicare* & *abſolvere* ſig. & *condemnare.* Igitur *judicabit juſtum*, i. abſolvet, juſtum declarabit; & *judicabit improbum*, i. condemnabit. ¶ *Deus*] *Elohim:* qui ſic vocatur tanquam vindex & judex. R. D. *Omne* ELOHIM *ſignificationem habet Judicii.* ¶ *Omni voluntati*] Alii *omni deſiderio.* Lat. V. *omnis rei*, propriè rei cupitæ ac deſideratæ. Lxx τῷ παντὶ πράγματι. ¶ *De omni facto*] על כל המעשה; *ſuper omne opus.* Editio Tremellii prima, *qui præeſt toti iſti facto* אשר על כל המעשה Lxx: ἐπὶ παντὶ τῷ ποιήματι Hieron. *ſuper omne factum.* ¶ *Illic*] In judicio Dei: quod non malè accommodant ad tempus Judicii extremi: nam ibi *unicuique reddetur ſecundùm facta ſua.* Sic in Sapientia Sirach. 39. *Omnia in tempore ſuo requirentur.* Vetus interpres שמה reddit *tunc*, ut apud Davidem, *Ibi pavebunt*, i. *tunc.* Vide Dict. Ebraicum meum.

18. *Super negotio filiorum hominum*] על דברת בני אדם. Sic locutus eſt David Pſal. 110. על דברתי מלכי צדק, quod reddunt *ſecundùm ordinem Melchiſedec.* Edit. Lat. Vet. *de filiis hominum.* Trem. *ſecundùm rationem humanam.* ¶ *Illuſtraturus eſt eos*] Deeſt nomen עתיד, ut ſit עתיד לברם *futurum eſt ut illuſtret eos.* Similis defectus paulò pòſt in לראות *viſuri ſunt:* nam abeſt עתידים. Similiter ſuprà ver. 15. ואשר להיות *& quod futurum eſt:* ברם autem ſcribitur cum (·) propter Reſch quod ſequitur; & eſt abſolutè בר *declarare, dilucidare*, ut רד ex forma שְׁכַב *cubare, dormire.* Radix ברר. ¶ *Et viſuri ſunt*] Nempe cùm oculi eorum illuſtrati erunt, ut olim cùm primus parens noſter guſtaſſet de pomo vetito. Quò referunt illud, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: factus eſt ſimilis jumentis inſipientibus.* ¶ *Jumenta*] κτήνη, vel *beſtiæ.* Sic interpres Vulg. Clarè videbunt, inquit, ſuam conditionem nihil à beſtiis differre. ¶ *Sibi*] Videtur redundare ex Ebraiſmo. Sanè omiſſum & neglectum fuit ab antiquis interpretibus. Licet etiam vertere לברם *clarè & lucidè oſtendet eis, & ipſi videbunt:* vel *purgaturus eſt eos, qui videant.* Lxx διακρινεῖ αὐτούς. Vulg. *ut probaret eos Deus.*

19. *Eventus*] *Accidens, caſus fortuitus;* ἀπάντημα· ſic Græci Lxx reddunt. Hujus radix ἀπαντῶ *evenio*, & συναντῶμαι, unde ſuprà συναντήσεται *eveniet.* Sym. σύμβαμα *eventus*, quod & συμβεβηκός· unde κατὰ συμβεβηκὸς apud Ariſtotelem, i. *per accidens.* ¶ *Beſtiarum*] Vel *jumentorum.* ¶ *Eventus unus eſt*] ומקרה legitur in fonte cum Vau, quæ hic redundat: aut lege, *eventus hominum & beſtiarum*, ſub. *par eſt: nam eventus unus*, &c. Sed hoc dilutum. ¶ *Unus*] Idem. ¶ *Hæc*] *Beſtia.* ¶ *Ille*] *Homo.* ¶ *Spiritus unus omnibus*] Πνεῦμα ἓν τοῖς πᾶσιν. Vulg. *ſimiliter ſpirant omnia.* De ſpiritu vitali loquitur; ut cùm dicimus *ſpiritum accipere, & reddere.* Alioqui ſpiritus Hominis alius eſt à ſpiritu Beſtiæ. Sym. καὶ ἀναπνοὴ ὁμοία πᾶσιν, i. *reſpiratio.* Idem aliter: nam πνεῦμα hoc in loco aliud nihil quàm ἀναπνοή. ¶ *Amplius homini non eſt*] Vel, *præſtantia hominis ſuprà beſtiam nulla eſt.* Lxx καὶ τί ἐπερίσσευσεν ὁ ἄνθρωπος παρὰ τὸ κτῆνος; Sym. καὶ τίς περίσσεια τῷ ἀνθρώπῳ; ¶ *Quàm beſtia*] Vel *jumento.* ¶ *Omnia vanitas ſunt*] *Cuncta ſubjacent vanitati*, Ed. Vulgata.

20. *Omnia*] Animantia, h. e. Homines & Beſtiæ de quibus ſuprà. *Eunt*] *Vadunt, pergunt*, πορεύεται. ¶ *Ad locum unum*] Ad terram, unde ſumpta ſunt: nam corpora terrena tam Hominum quàm Beſtiarum. Mox ſe explicat, cùm ait, *omnia ſunt è pulvere*, ἀπὸ τοῦ χοός. Idem dicit Sym. qui vertit ἀπὸ τῆς γῆς· & Vulg. noſter, *de terra.* Huc refer, *Memento, homo, te pulverem eſſe, & in pulverem reverſurum.* Huc etiam illud, *Pulvis & cinis.* Et legimus Pſal. 103. 14. *quoniam pulvis nos ſumus.* Sumptum ex illo Gen. 2. *Formavit hominem è pulvere è terra.* ¶ *Redeunt in pulverem*] Sic Job. 34. 15. *homo in pulverem redibit:* unde יורדי עפר de mortuis, qui in terræ pulvere ſepulti jacent, Pſal. 22. 29. & עפר מות *pulvis mortis*, Pſal. 22. 15.

21. *Quis novit*] q. d. Pauci noverunt. Tale eſt, *Mulierem fortem quis inveniat?* nam certè inveniri poteſt; ſed quia rara eſt inventu, ideo dicit, *Quis inveniat?* Vide Animadv. lib. 2. cap. 17. Sic ſpiritum hominis ad Deum aſcendere tantùm ſciunt ſapientes, & qui ab illis id didicerunt: ſanè impii hoc ignorant. Poſſumus etiam legere, *Quis novit ſpiritum filiorum hominis, qui aſcendit ipſe ſurſum? & ſpiritum beſtiarum, qui deſcendit ipſe deorſum in terram?* ¶ *Spiritus*] Anima; ut ibi, *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* ¶ *Surſum*] In cœlum. Infrà 12. 7. *Et ſpiritus redit ad Deum, qui dedit ipſum.* ¶ *Si deſcendat*] הַיֹּרֶדֶת nota He interrogandi cum (-) & Dages, ut Gen. 18. 21. & Levit. 10. 19. Mercerus cenſet vetuſtos interpretes legiſſe הֲיֹרֶדֶת, ſed punctatores ſcripſiſſe articulum, nè quis exiſtimaret Salomonem hîc in dubium vocare Animæ immortalitatem. ¶ *Deorſum*] *Infrà*, κάτω. Gallica editio poſtrema, *Quis novit ſpiritum hominis eſſe eum qui aſcendit ſurſum, & ſpiritum beſtiæ eſſe eum qui deſcendit deorſum in terram? Quis novit*, ſcilicet ex eventis communibus? nam indè diſcerni nequit ſpiritus hominis à ſpiritu Beſtiarum. Vide Tremellium.

22. *Nihil melius eſſe quàm*] אין טוב מן *non eſſe bonum quàm*, ſubauditur autem יותר *magis.* Similis defectus apud Græcos in illo,

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σῶν ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

nam deſideratur μᾶλλον. Suprà 2. 24. *Nonne bonum eſt homini*, &c? ¶ *In operibus ſuis*] Ἐν ποιήμασιν αὐτοῦ. Suprà

בְּעָמָלוֹ

בעמלו *in labore ſuo:* nam opera ſunt effecta laboris. ¶ *Pars ejus*] Vel *portio ejus*, quam videlicet conſequitur ſub Sole. q. d. Aliam partem non debet hîc exſpectare. ¶ *Quis adducat eum*] Τίς ἄξει αὐτὸν; ità Lxx. Minùs rectè Sym. ὅτι τί ἄξει αὐτόν; *nam quid adducat eum?* niſi כי poſitum eſſe dicas pro מה, ut Jud. 13. 17. מי שמך *Quod eſt nomen tuum?* Sanè Joth & He viciſſim permutantur. ¶ *Ad videndum*] τοῦ ἰδεῖν. Sym. θεάσασθαι *ad ſpectandum.* ¶ *Id quod futurum eſt ipſum*] Sym. τὰ ἐσόμενα μετὰ ταῦτα *quæ futura ſunt poſtea.* Eodem redit. Hoc videtur velle, *Nemo poteſt hominem certiorem reddere de eo quod ipſi eventurum eſt poſt hanc vitam.*

IDEM.

1. לַכֹּל זְמָן. Sym. παντὸς ὥρα *omnis rei tempus*] Ὥρα, i. *hora.* Sed pro *tempore* ſumitur hîc & alibi. Sirach. 11. 25. κάκωσις ὥρας *vexatio temporis*, & 18. 18. ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς *tempore viſitationis.* Dan. 3. 5. בעדנא. Th. ᾗ ἂν ὥρᾳ *quo tempore.* Alioqui *hora* שעה dicitur; quæ vox etiam pro *tempore* uſurpatur, ut in illo, שמן טוב לשעה *Oleum bonum ad horam,* שם טוב לעולם *nomen bonum in ſeculum.* Latini dicerent *ad tempus*, & ſubintelligitur *durat.* ¶ לְכָל־חֵפֶץ. Sym. πάσης χρείας *omnis negotii*] Χρείαν interpretatus ſum *negotium*, ut Act. 6. ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης *huic negotio.* Alioqui ſig. *uſum, utilitatem, commodum*; item *neceſſitatem.*

5. לְהַשְׁלִיךְ אֲבָנִים. Schol. τοῦ ῥίψαι λίθους *projiciendi lapides.* ¶ מֵחַבֵּק. Schol. ἀπὸ περιλήψεως *à complexu*] Vide ſodes ed. Rom.

11. מִבְּלִי אֲשֶׁר לֹא־יִמְצָא הָאָדָם. A. ὡς οὐχ εὑρήσει ἄνθρωπος *ut non inveniat homo.*

14. יִהְיֶה. Sym. διαμένει *permanebit.*

15. וְהָאֱלֹהִים יְבַקֵּשׁ אֶת־נִרְדָּף. Sym. ὁ δὲ Θεὸς ἐπιζητήσει ὑπὲρ τῶν ἐκδιωκομένων, *Deus autem inquiret pro eis qui perſecutionem patiuntur.*

17. לְכָל־חֵפֶץ. A. πάσης χρείας *omnis negotii*] Vel *omnis rei quâ indigemus.*

18. לְבָרָם הָאֱלֹהִים וְלִרְאוֹת. Schol. τοῦ ἐλέγξαι αὐτοὺς ὁ Θεὸς, καὶ τοῦ δεῖξαι αὐτοῖς, *ut redargueret eos Deus, & ut oſtenderet eis.*

19. וּמוֹתַר הָאָדָם מִן־הַבְּהֵמָה אָיִן. Sym. καὶ τί πλέον ἄνθρωπος κτήνους; *& quid amplius homo beſtiâ?* Th. καὶ τίς περίσσεια τῷ ἀνθρώπῳ; *& quid ſupereſt homini?*] *Beſtiâ, jumento.*

22. כִּי מִי יְבִיאֶנּוּ לִרְאוֹת. Sym. τί γὰρ αὐτὸν ἄξει θεάσασθαι; *nam quid eum adducet ad ſpectandum?*

AMAMA.

1. O*Mnia tempus habent præfinitum & tempus eſt omni deſiderio ſub cœlo.*

2. *Tempus eſt pariendi: Et tempus eſt moriendi: tempus eſt plantandi & tempus eſt eradicandi quod plantatum eſt.*

3. *Tempus eſt occidendi & tempus eſt ſanandi, Tempus eſt deſtruendi & tempus eſt ædificandi.*

4. *Tempus eſt flendi & tempus eſt ridendi, tempus eſt plangendi & tempus eſt ſaltandi.*

5. *Tempus eſt projiciendi lapides & tempus eſt colligendi lapides; tempus eſt amplectendi & tempus eſt elongandi ſe ab amplectendo.*

6. *Tempus eſt quærendi & tempus eſt perdendi, tempus eſt cuſtodiendi & tempus eſt abjiciendi.*

7. *Tempus eſt ſcindendi & tempus conſuendi: tempus eſt tacendi & tempus eſt loquendi.*

8. *Tempus eſt amandi & tempus odio habendi; tempus belli & tempus pacis.*

9. *Quid utilitatis* (itaque) *eſt facientis* (ex eo) *in quo laborat?*

Oſtendit antea varias vanitates quæ inter homines. Pergit in eâdem materia & recenſet hic quinque vanitates, quarum prima hinc incipit, nimirum Vanitas curarum humanarum de eventis futuris quia Deus ſingulis tempus præfixit. Quæ autem hic recenſentur reducit Mercerus ad tria genera, naturalia, civilia & artificialia: Quod verò Aben Ezra ait quoſdam hic obſervaſſe XXVIII tempora & compoſuiſſe cum XXVIII figuris ſphærarum Zodiaci, frivolum eſt.

Tempus præfinitum. זְמָן propriè hoc ſignificat: ut ſit ſynonymum τοῦ צָבָא Job. 7. 1. juxta quoſdam. Occurrit tantum in libris captivitatis Eſther, Nehemiâ & Ezrâ, & ſemel hoc loco.

עֵת] Tempus vel opportunum tempus. Lxx enim reddunt καιρόν. Sunt qui deducunt à עות *pervertit*, quod tempus omnia pervertat. Favere videtur huic derivationi hinc rurſus deductum לָעוּת *tempeſtivè loqui* Jeſ. 50. 4. quod Kimchi explicat לאמר דבר בעתו. Sed quia ſemper quotieſcunque aliquid additur eſt Dages in Thau, præſtat à עָנָה vel certè עָנָה deducere; ut חִטָּה à חִנְט, &c. לָעוּת verò quod atrinet, poteſt eſſe pro ו pro לָעוּת ut לָטוּב. Simile לָבוּר ad explicandum pro בֵּרַר à לָבוּר.

Deſiderio] Vel *Rei.* חֵפֶץ enim ut monet R. Salomo in Thalmud, ſignificat quamvis rem. Lxx hoc viderunt, nam verterunt παντὶ τῷ πράγματι. Et Chald. לכל צבא omni negotio. Et Symm. πάσης χρείας omnis negotii. Sic enim ea vox ſumi videtur Act. 6.

2. *Tempus pariendi*] Vel *gignendi.* ילד enim utrumque ſignificat. Vel *naſcendi*, per metonymiam efficientis.

Moriendi] Chald. ad occidendum filios nequam & irritantes. i לְמוּתָת vel לְהָמִית.

Plantandi] לָטַעַת à נָטַע. Vide Gramm. Ebræi hæc præter ſenſum literalem etiam aliò transferunt, vel ad plantationem gentium vel Iſraëlitarum in ſpecie. Noſtri de plantatione verbi DOMINI ſolent exponere; quod aliquando quaſi evellere ſolet Deus ob ingratitudinem noſtram.

3. *Tempus occidendi*] לַהֲרוֹג. Aben Ezra exponit, *vulnerandi* ob antitheſin. Occiſus enim ſanari nequit. Sed quid cogit nos hanc antitheſin de eodem individuo intelligere? Supra egit de morte naturali, hic de violentâ. חלל vulneratus, ſaucius, pro מֵת aut הָרוּג memini me ſæpe legere; at non contra. Ebræi etiam myſticè interpretantur. Vide eos.

Tempus deſtruendi] Hoc & literaliter & myſticè intelligunt Ebræi. פָּרַץ cum ץ. Quid vidit Victorius Reatinus qui in ſuo Hieronymo Antverpiæ edito ad Marg. Matth. 22. ad vocem *Phariſæi* ponit פריצים? Præterquam enim quod פָּרִיץ ſemper in malam partem ſumitur; ſignificat enim *Latronem, effractorem, Phariſæus* Ebræis ſcribitur per ש פְּרוּשִׁים A פָּרַשׁ ergo vox deducenda. Hoc extra controverſiam hodie eſt inter doctos. Non item à qua ſignificatione vocis פָּרַשׁ. Cum enim tria potiſſimum (a) ſignificet quæ aliquid affinitatis cum re habent, diſſentiunt. 1. Significat *aperire, explanare* vel *quaſi pandere.* Et fuerunt qui eos hinc dictos putarunt, quod eorum vita omnibus eſſet aperta & conſpicua. 2. ſignificat *exponere, declarare*, unde (b) ſunt qui eos dictos putant quod Legem populo enarrarent. Gorion. hiſt. Jud. l. 4. cap. 25. *Et ſedit Rex ad menſam* עם חכמי ישראל הנה הפרושים המפרשים את התורה *cum ſapientibus Iſrael, ipſi ſunt Phariſæi qui legem populo enarrant.* Tertiò ſignificat *dividere, ſeparare*, unde dictos putant διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων: φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. Sic Epiphanius. Eò quod eſſent ſeparati à populo vel ut Hier. de Nom. Ebr. *diviſi*, ſcil. dignitate, ſanctitate, cultu, habitu & opinionibus. Duæ poſtremæ ſunt veriſimillimæ. Et habent magnos authores & ſuffragia. Poſtrema tamen adhuc præferenda ſecundæ, non tam ob formam part. paſſ. (Eam enim pro activo ſæpe poni cum abſolutè uſurpatur, docuit allatis exemplis D. Druſius Obſ. lib. 1. cap. 2.) quam ob uſum ejus vocis in Kal. Expoſitores enim מְפָרְשִׁים propriè dicuntur in Piel. Huc reſpexiſſe Apoſt. conjicit Druſius cum ſe vocat κεχωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον &c. cum antea eſſet ſeparatus ad Legem. Hæc obiter ob vocem פָּרַץ quæ mihi digrediendi occaſionem dedit ad illa quæ vulgò hodie ignorantur. Sed redeo domum.

4. *Tempus flendi*] R. Salomo reſtringit ad luctum Judaicum ob deſtructum utrumque templum. Sic enim addit, *nono menſis* אב. i. Julii. Aben Ezra, *tempus tantæ calamitatis quæ hominem ad fletum adigat.* Vide eos.

Ridendi] Ebræi de reductione captivitatis intelligunt.

Ad ſaltandum] Chald. לטפחא *ad plaudendum in lætitia.*

5. *Tempus diſpergendi lapides &c.*] Quomodo Ebræi hæc præter literalem ſenſum accipiant, vide in eorum Commentariis. Ego malim hæc omnia literaliter accipere, & præ eo ſenſu contemno omnes expoſitiones myſticas, & mihi hoc loco magis reprehendendus videtur Hieronymus qui reprehendit aliquem, qui hæc literaliter accipiebat juxta illud Horatii

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Amplectendi] Literaliter ad thorum conjugalem hæc ſunt referenda. Ebræi tamen referunt etiam ad amorem Dei erga Iſrael:

(a) *Druſ. de tribus ſectis Judæorum.* (b) *Druſ. ad N. T. voces Ebr. pag.* 35.

Iſrael: aut ad amplexus ſapientiæ, cujus ſtudium alterna gaudet requie.

Congregandi] כָּנַס · כָּנוֹס congregavit, unde כְּנֶסֶת congregatio, ſynagoga, & כנ' הַגְּדֹלָה Synagoga magna & viri ſynagogæ magnæ, de quibus aliquid in Præfatione. Horum virorum etiam mentio fit in Chald. Paraphraſi Cantici canticorum 7. 2.

6. *Tempus cuſtodiendi*] שָׁמַר · לִשְׁמוֹר cuſtodivit. Hinc אַשְׁמוּרָה vigilia & מִשְׁמֶרֶת cuſtodia; de quibus vocibus (quia hic aliàs ſterilis campus eſt) quædam depromam ex meo penu, ex iis inquam, quæ ex Druſii & Scaligeri laboribus obſervavi & collegi. Ac primò vocem אַשְׁמוּרָה quod attinet, ea communiter per *vigiliam* ſolet reddi, denotatque tertiam aut juxta quoſdam quartam noctis partem. Scire licet noſtros & Judæos non idem hic ſentire. Kimchi dicit tres eſſe vigilias, & tamen non dicit quæ illæ ſint. R. Druſius Obſer. x. x. ſic explicat; *Prima vocatur initium ſive caput vigiliarum Thren.* 2. 19. *Secunda vocatur media Jud.* 7. 19. *Tertia vocatur matutina in Exodo* 14. 24. *Contra Arnobius in Pſalmos ait quatuor eſſe vigilias, primamque incipere à veſpera, ſecundam ad medium noctis pertingere, tertiam Galli cantum tranſire, quartam uſque ad ortum Solis pertingere. Pro hac ſententia facit Matthæus & Marcus, quorum ille* 14. 25. *hic* 6. 48. *faciunt mentionem quartæ vigiliæ. Pro Kimchi facit locus Jud.* 7. 19. *ubi vocatur vigilia media. Quomodo media niſi quæ inter duas?* Hæc Cl. Druſius loco citato. Mihi videtur locus Jud. nihil pro ternario numero facere. Medium enim phraſi Ebraicâ eſt quicquid eſt intra extrema vel intra aliquam rem. Sic in medio vel corde maris dicitur ſita fuiſſe Tyrus. Et Prov. 30. *navis* dicitur *viam conficere in corde* vel *medio maris*. Sic Chriſtus *fuit tres dies & noctes in corde terræ*. Sed de hoc loco diſputant Interpretes num de anima an verò de corpore ſit intelligendus. Si de corpore, facit pro me; ſi de anima, pro Pontificiis iiſque qui cum ipſis in articulo de deſcenſione ſentiunt. Sed ne ſutor ultra crepidam.

Hactenus de voce אַשְׁמוּרָה. Reſtat dictio מִשְׁמֶרֶת quæ in Lege & Chronicis ſæpe pro *cuſtodia* ſumitur. Sciendum autem tales cuſtodias ſacerdotum, eorumque qui ſervitium divinum præſtabant, fuiſſe XXIV, quas κλήρους etiam (a) vocabant. Hæ ſibi invicem ſingulis ſeptimanis ſuccedebant, vide 1. Paral. 24. Et Luc. 1. Zacharias dicitur fuiſſe ex vice ἐξ ἐφημερίας Abiæ. Et verſ. 8. *cum is ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ*. Inter has cuſtodias fuit certus ordo, ut videre eſt loco Chron. citato, unde & in lib. Mach. fit mentio τῆς πρώτης ἐφημερίας. Unde & Joſephus ait alicubi ſe fuiſſe ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων. Præterea ſingulæ claſſes habuerunt ſuos principes. Quos reſpectu ſuæ claſſis ἀρχιερεῖς aliquando in N. Teſtamento vocari conjicit Druſius ad locum Lucæ citatum, & magis audacter affirmat Illuſtriſſimus Scaliger in Præf ſui Euſebii Pamphili, ut ἀρχιερεῖς aliquando nihil aliud ſint quam ἄρχοντες τῶν ἐφημεριῶν ἱερατικῶν, unde Matth. 27. 1. πάντες οἱ ἀρχιερεῖς. & Marc. 14. 53. *& convenerunt cum eo* ſc. ſummo ſacerdote πάντες ἀρχιερεῖς. Quæ loca evidenter evincunt quod ibi dicit Cl. Druſius. Aliquando per ἀρχιερέα ſummum ſacerdotem intelligi debet vicarius, ſeu, ut Græci loquuntur, πρωτοσύγκελλος ἢ ἀρχιερέως. Talis fuit Annas in Pontificatu Caiphæ. Eos certe, qui eum verè ſummum ſacerdotem fuiſſe una cum Caipha exiſtimant, ex imperitia rerum Judaicarum lapſos, ait Scaliger. Quod enim dicit, Joh. 18. 13. *Caipham illius anni fuiſſe Pontificem*, non ita intelligendum quaſi hi duo alternis annis præſederint, ſed reſpicit ad deſperatum & miſerum Eccleſiæ iſtius ævi ſtatum, quo factum erat ut non ampliùs ad finem vitæ Pontifex aliquis præſideret, ſed pro favore aut odio Principis aut continuaretur aut loco moveretur, idque propemodum annuatim. Fuit itaque Annas vicarius, πρωτοσύγκελλος τοῦ ἀρχιερέως, qui alibi vocatur משנה כהן הגדול ſecundus à Sacerdote magno, & in Thalmud סגן כהן הגדול i. vicarius. Hic dabatur ei ceu ſocius, ut vice ejus fungeretur, cum ipſi ob morbum vel cauſam aliquam aliam ſonticam non liceret, & quidem in talibus, quibus alii non licebat fungi, maxime in ſervitio iſto x menſis Thiſri; item ſi Pont. Max. ὀνειρωγμῷ (Ebr. קֶרִי) pollutus eſſet, cujus meminit Thalmud, & alicubi in Joſepho extat exemplum. At qui plenius de his deſideras, adi ipſum fontem ex quo hæc hauſimus, divinum iſtum Scalig. in ſua Præfat. ad Euſ. Pamphilum. Caſaub. & Sigonius malunt *Pontifices præter ordinarium* vocatos illos, qui Pontificatum ſemel geſſerant, ut apud Romanos *conſulares*, qui ſemel conſulatum. Servata ex parte vetere conſuetudine, ut nunquam niſi unus præeſſet, & partim introductâ novâ, ut eo honore defuncti, honorario hoc nomine ſemper fruerentur.

Vide Exerc. 13. ſect. 5. ad Baron. Porro Chald. intelligit in verſu hoc per לְאַבֵּד effundere merces in mare tempore tempeſtatis.

7. *Tempus ſcindendi*] Veſtes ſc. quod tenebantur Judæi facere cum audirent aliquem blaſphemantem. *Aliquem Iſraëlitam* ſcilicet, ajunt Doctores Ebræorum. Si objicias hiſtoriam Rabſaces, poſt cujus blaſphemias Hiskias laceravit veſtimenta ſua, reſpondent eum fuiſſe Iſraëlitam, ſed apoſtatam. Scindebant vero veſtes præterea in publico aut magno aliquo luctu. *Scindite cor veſtrum & non veſtes.* i. *potius quam veſtes*, ait Joël. Hodierni Judæi, ut narrat Cl. Buxtorfius in ſua Synag. Jud. tantum laciniam & quidem interiorem partem lacerant. O homines frugi!

9. Cum itaque ſingulis rebus à Deo ſuum præfixum ſit tempus & proinde fieri poſſit, ut quis non fruatur iis, pro quibus ſe ita fatigavit, quid utilitatis &c. Porrò obſerva hic Orient. legere עֹשֶׂה Occid. הָעוֹשֶׂה. Vide Cl. Druſii append. ad librum de Recta Lect. ling. Sanctæ.

10. *Vidi occupationem quam dedit Deus filiis hominum ut occupent ſe in ea.*

11. *Omnia fecit pulchra in tempore ſuo, ſed poſuit mundum in corde ipſorum, ita ut non inveniat homo opus quod facit Deus à principio ad finem.*

12. *Novi quod nihil eſt melius in eis quam lætari & facere bonum in vita ſua.*

13. *Quin etiam quod quilibet homo edat, bibat & bonum videat de omni labore ſuo, donum Dei eſt.*

Ponit vanitatem aliam & occupationem malam; Deus omnia fecit ſuo tempore & facit, homines verò hoc non conſiderant nec curant nec inveniunt hoc. Quid cauſæ eſt? Subdit

Mundum poſuit &c.] עֹלָם. Sunt qui hic per עֹלָם *æternitatem* intelligunt, ut ſæpe ſumitur in Sacris. Senſus ergo eſt, Deus indidit animis eorum opinionem æternitatis ac ſi hic perpetuò eſſent victuri, ita rebus hiſce addicti ſunt. LXX. σύμπαντα τὸν αἰῶνα. Jun. ait, etiam quamdiu ſeculum eſt, exponere animo illorum (excepto eo quod non aſſequitur homo) opus quod facit ipſe Deus à principio ac finem, ſc. ſeculi, i. quamdiu ſæculum *eſt*. Tria ergo dicit 1. Deum has omnes res homini exhibere & earum mutationi præeſſe juſtiſſimum ad modum. 2. Hominem non poſſe amplius uti aut percipere quam videtur Deo. 3. hæc ob finem ſanctiſſimum.

Alii ſtylo Rabb. per עֹלָם *mundum* intelligunt, & intelligunt אהבת העולם amorem mundi, quo ita faſcinantur ut non poſſint invenire opus Dei &c. Eſſet elegans ſenſus ſi poſſet probari עֹלָם pro mundo in Sacris ſumi. Senſus igitur erit utriuſque hujus expoſitionis, Occupatio mala eſt quod homo non poſſit invenire opus Dei, licet omne in tempore ſuo fecerit, ſed quare non poteſt? quia Deus indidit ipſi perſuaſionem æternitatis aut amorem hujus mundi, ut non poſſit ſerio de operibus Dei cogitare. Et ſic Deus peccatum peccato punit & à ſe jam abalienatos immergit altius in hujus perſuaſionis vel mundi hujus barathrum. Merc.

R. Salomo tamen aliam aſſignat cauſam, nimirum cur homo opus Dei, licet ſuo tempore quodque factum ſit, non poſſit aſſequi, quia Deus dedit ipſi חכמת העולם ſapientiam mundi, ſed non totam & plenam, tunc fortè poſſet, ſed particulam tantùm huic & particulam iſti, ita ut homo unus non poſſit omnia aſſequi, ſed unus hoc, alter illud. Hocque oſtendit inde quod עֹלָם hic ſcribatur imperfectè, ut diſcamus inde ſapientiam noſtram eſſe imperfectam & multa nobis adhuc eſſe occulta, quemadmodum ibi occultatur Vau. Vereor ne hoc nimis ſubtilè ſit. Simile quid argutatur Sal. ad Gen. 2. וייצר & Exod. 17. כֵּס יָהּ.

Ita ut non inveniat] מבלי אשר לא. Tig. *ne non inveniret*. Aben. & R. D. Kimchi. *Eò quod non*. Oſ. *& tamen non invenit*. Jam ſenſus erit contrarius. Primâ expoſitione his verbis oſtenditur finis ſeu ſcopus Dei propter quem Deus indidit homini amorem mundi vel perſu. æternitatis. Hâc vero oſtenderur cauſa impulſiva quæ impulerit Deum ad hoc faciendum, quia non inquirit in opera Dei ita ut debebat. Sic מבלי accipiunt Hoſ. 4. *Exciſus eſt populus meus* מבלי דעת *eò quod ſit ſine cognitione*.

Inveniat] Invenire poſſit juxta primam expoſitionem.

A principio ad finem] Hoc quidam referunt ad *opus Dei*, opus quod facit Deus à principio ad finem, id eſt, perfectè. Vel ad *invenire*, ſcilicet perfectè vel à principio vitæ ad finem vitæ, quandiu vivit, nunquam. R. Sal. qui עֹלָם de particula ſapientiæ expoſuit, ſic hæc ſumit, ita ut (unus) homo non poſſit aſſequi omnia opera Sancti Benedicti quamdiu vivit.

12. Concludit itaque nihil melius eſſe quam ut homo tranquille

(a) *Vide Druſium Luc.* 1. *in ſuis Annotationibus ad N. T.*

quille & jucundè vivat timore Dei non excluſo imo potius his verbis incluſo, quæ enim ſine eo tranquillitas?

13. Addit hoc non eſſe cujuſvis hominis, ſed ejus tantum cui hoc donat Deus. Intellige autem per Edat & bibat moderatum rerum uſum cum timore Dei conjunctum.

שֶׁיֹּאכַל] ש debebat poni ante כל אדם. Sed & hoc contingit in N. T. Rom. 12. Unicuique ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε τὸ μέτρον τῆς πίστεως. Pro ὡς ἑκάστῳ prout unicuique &c.

14. *Novi quicquid fecit Deus id perpetuum fore, ſuper illud nihil poſſe addi nihil detrahi: Deus autem fecit illud ut timerent* (homines) *à facie ejus.*

A deſcriptione vanitatis rerum & occupationum humanarum tranſit ad deſcriptionem naturæ divinorum operum. Ebræi communiter intelligunt de immutabilitate decretorum Dei quæ in perpetuum ſunt, immutabilia, ad illud nihil poſſe addi &c. quin fiat, Deus autem fecit hoc. i. voluit ſua decreta eſſe immutabilia ut timerent homines eum. R. Sal. refert ad opera Creationis, ad quæ nihil addi aut detrahi poteſt aut debet ab homine. Perfectâ enim & omnibus numeris abſoluta ea creavit, poſuitque omnibus certam & conſtantem & perpetuam legem quæ mutari per additionem aut ſubtractionem non poteſt aut debet, Deus autem facit illud ſc. aliquando, ut mutet ordinarium naturæ curſum, ut cum ſolem ſtitit in pugna Joſuæ & diem prolongavit tempore Ezechiæ, ut timeretur ab hominibus.

A facie ejus] מִלְּפָנָיו à coram facie ejus, plus eſt quam לְפָנָיו. Hoc enim timorem conſpectus ejus denotat quem refugias, ut illud מלפ׳ à conſpectu ejus ut eum reverearis & timeas.

Ut timeant] שֶׁיִּרְאוּ. Quædam Exempl. שֶׁיִּרְאוּ. Utrobique Scheva legitur, ibi, quia eſt poſt voc. longam expreſſam, hic ob Metheg qui ſupplet Jod abſens. Eſt itaque nihilominus Chirec longum licet Jod abſit. Vide Grammaticalia Druſii de recta lectione ling. S. Alias confunderes cum יִרְאוּ *Jiru* videbunt.

15. *Illud quod fuit jam eſt, & quod futurum eſt jam fuit, & Deus requirit præteritum.*

Suprà 1. 9. hoc attulit ut ſolitam rerum vanitatem oſtenderet jam ab initio habuiſſe locum & habituram omnibus temporibus, & fruſtra agere eos qui putent ſe quicquid novi moliri. Hic illud affert ut æterna Dei conſilia & opera firma ac ſtabilia eſſe oſtendat.

Referunt hoc ad immutabilitatem Dei. q. d. Deus ſemper eſt idem & proinde etiam ejus decreta & conſilia. Sic R. Sal.

Præteritum] Deus facit ut perpetua ſit temporis ſucceſſio. Vel, Deus revocat & inſtaurat id quum jam elapſum eſt, ut nihil novi ſit in orbe. Atque hic obſerva, בקש pro *inſtaurare*, reſtaurare. Unde Vulg. doctè, *Deus inſtaurat quod abiit. Quod propulſum eſt*, ad verbum. Sic Job. 3. *Dies ille ſit tenebræ, & ne inſtauret eum Deus.* Referunt tamen alii ad perſecutionem juſtorum. Et ſic Lxx. καὶ ὁ Θεὸς ζητήσει τὸν διωκόμενον, *Deus requirit*, reſtaurat, *eum qui perſecutionem patitur.* Sed quidam putant legendum τὸ διωκ. & ad tempus præteritum referunt, quod ſic appellatur quia quaſi propellitur, fugatur à præſenti. Nota requirere aliquid, *vindicare*, ulciſci. Gen. 9. Pſal. 10. Deut. 18. Joſ. 22. 23. DOMINUS ipſe יְבַקֵּשׁ. Ebræi ajunt Deum maximè diligere eos qui perſecutionem patiuntur injuſte, adeo ut ex animalibus delegerit ea quæ perſecutionem patiuntur ut bovem, non Leonem, Capram non pardum, ovem non lupum, columbam & turturem non rapacem.

16. *Et præterea vidi ſub ſole locum judicii, ibi erat impietas, & locum juſtitiæ, ibi erat impietas.*

17. *Dicebam* (tunc) *ego in corde meo, juſtum & injuſtum judicabit DOMINUS, quia tempus omni rei & omni operi, illic erit.*

Aliam recenſet vanitatem quæ nos avertere poſſet à ſtudio rerum humanarum.

Locum judicii] Ubi judicium debebat exerceri. Hier. vult Salomoni hîc occurriſſe quæſtionem, quæ pios ab omni ævo torſit & aliquando eò adegit, ut de providentia Dei dubitarent, ut videre eſt in Pſ. & Job. Et certe ab omni ævo fuit ita, ut pii inhonori & inglorii vivant, vexentur, affligantur, homines contra mali & flagitiis cooperti floreant.

17. *Illic*] שָׁם in extremo judicio. Scriptura ſolet ſæpè relativo innuere antecedens occultum. Simile Job. 1. 21. *Nudus exii ex utero matris, nudus revertar* שָׁמָּה *illuc.* Non in uterum matris, ſed in terram, unde ſumptus erat. Huc citat R. Salomo & Druſius in Adag. ſuis Thalmud. Proverbium elegans, אבבא חומרי מילי ואבי ודרת ושבנא. *In oſtio caularum verba, at intra ſepta ratio redditur.* Sumptum ab ovibus, quæ extra caulas laſcivientes prehendi non poſſunt, ſed intra ſepta comprehenſæ pœnas dant.

18. *Cogitavi ego ſuper negotio filiorum hominum, fore ut eos dilucidet Deus & viſuros* (ſcilicet homines) *quod ſint* (veluti) *beſtiæ.*

19. *Certe accidens filiorum hominis & accidens beſtiæ* (pares ſunt.) *accidens unum omnibus eſt, & excellentia hominis præ beſtia nulla eſt, quia omnia ſunt vanitas.*

20. *Omnia pergunt ad locum unum: omnia ſunt ex pulvere, & omnia revertuntur in pulverem.*

Cogitavi] Eb. *dixi in corde.*

Super negotio] עַל־דִּבְרַת idem hoc loco quod עַל דְּבַר. Alibi ſignificat, κατὰ τὴν τάξιν, aut κατὰ τὴν ὁμοιότητα. Vide in Epiſt. ad Ebræos. Jun. *juxta rationem humanam.*

Ut dilucidet] Jun. *Cum declararet eos ipſe Deus.* i. *cum faceret ut perſpecta mihi eſſet ipſorum violentia.* לְבָרָם pro לבורם עָתִיד & לְבָרָם pro לְבָאֵר לָהֶם à בָּרַר fore ut Deus eorum fragilitatem oſtendat, aperiat & quaſi omnibus exponat, ideo R. Salom. לְהוֹדִיעָם. Porro in לְבָרָם ſub ב eſt . longum pro . brevi ſeq. Dages, aut certè, quia ר eſt incapax τοῦ Dages, Cholem. Sic אָרָה *execrare* ab ארר & præter neceſſitatem קָבָה.

Velut beſtiæ] כ ſupplendum ut ſæpe aliàs. V. S. Ut videant ſe nihil prærogativæ habere pro beſtiis, quoad externa ſcilicet.

19. *Accidens filiorum hominis & accidens beſtiæ pares ſunt*] Sic ſupplent Ebræi ſimiles Ellipticas locutiones, ut e. g. Prov. 25. 25. *Aquæ frigidæ animæ laſſæ & rumor bonus ex terra longinqua* paria ſunt. Poſſunt tamen & aliter ut in primo membro ſubaudire כ notam ſimilitudinis & in poſteriori כֵּן ſic. Et quia hoc omnibus locis talibus poteſt accommodari; illud vero minimè, præferendus eſt hic ſuppletionis modus. Dabo exemplum Job. 24. 19. *Siccitas & calor rapiunt aquas nivis, ſepulchrum qui peccarunt. Paria ſunt* hic erit inconveniens. Sic igitur ſupple, *ſicut* ſiccitas & calor cupiunt aquas nivis, *ſic* ſepulchrum eos qui peccant. Hoc non obſervavit Vulg. Propterea hic ſomniant duplicem Gehennam omnes Scholaſtici, imo ipſe Hieronymus. Textus enim in Vulg. ſic ſe habet, *Tranſeat ad nimium calorem ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum ejus.* Ad quem locum Hieron. *Quaſi duas Gehennas S. Job mihi hic dicere videtur, ignis & frigoris, per quas Diabolus, hæreticus & homo impius commutentur.* Poteſt ita eſſe Hieronyme, ſed ex hoc loco nunquam id probabis. Ergo מִקְרֶה erit accidens, eventus. Et erit Enallage ſtatus abſoluti pro conſtructo. Debebat enim quia in Regimine eſt ſcribi cum Tſere. Talia ſunt, טוּרִים האבן ordines lapidum pro טורי. Sic טוּרִים רמתים. Sic מַיִם לַחַץ & ſimilia, ut non opus ſit hic accuſare punctationem Maſſoritarum, ut nimis temerè Mercerus hoc loco & eum ſecutus Piſcator faciunt. Kimchi quia juxta punctationem eſt abſolutum, ſic exponit. *Certe accidens* i. *res fortuitæ ſunt Homines & beſtiæ.* Alii, *certè* eventus accidit filiis hominum quaſi eſſet לִבְנֵי אָדָם. Hoc non ita ἄτοπον.

Sicut moritur iſtud, ſic & iſte] Vel ſicut eſt mors unius ſic & alterius, ut מות ſit nomen ex abſ. מָוֶת. Hæc autem intellige ratione certitudinis & temporis mortis.

Et idem utriſque ſpiritus] Vitalis ſcilicet: & facultates inde dependentes. De animâ rationali nulla hic mentio, de ea enim infra dicit quod redeat ad Deum.

Nec eſt præſtantia hominis præ beſtia] Reſpectu externorum ſcilicet & eorum quæ jam recenſuit iis eſſe communia.

21. *Quis novit ſpiritum hominum* (eſſe eum) *qui ſurſum aſcendit, & ſpiritum beſtiæ eſſe eum qui deſcendit infra terram?*

Q. d. quotuſquiſque hoc novit, conſiderat? Pauci certe. Ardua eſt ea cognitio & quæ non capitur niſi ab eo qui ſapientia divina eſt inſtructus. Vel

Quis animadvertit ſpiritum hominis eſſe eum qui aſcendit & rationem Deo eſt redditurus? Pauci certe. Si enim hoc noſſent, pauci ita viverent ut nunc ſolent. Sic ſervas vulgatam punctationem הָעֹלָה & הַיֹּרֶדֶת. Mercerus & eum ſectatus Piſcator hic mutant puncta & legunt ה cum .: utrobique, ut hic ſit ſenſus, *Quis novit* (ſc. ex cognitione naturali ſeu ex lumine naturæ,) *an ſpiritus hominis aſcendat & an ſpiritus beſtiæ deſcendat.* Sed præfero primam, tum ob meliorem ſenſum, tum quia ſervantur vocales, quarum figuræ licet à Maſſoritis ſint, tamen ab iis non recedendum exiſtimo, niſi prægnantibus de cauſis, quas vix aliquas adhuc vidi. Ita mihi videtur. Fruantur alii ſuo judicio.

22. *Itaque vidi quod nihil ſit melius quam ut lætetur homo in operibus ſuis; quia hæc eſt portio ejus. Quis enim adducat eum ut videat id quod futurum eſt poſt ſe?*

Cum ergo tanta ſit hominis & rerum humanarum vanitas

ſuadet ut futurorum relictâ anxia cogitatione præſentibus tranquillè fruamur.

Lætetur de operibus ſui] ante dixit מֵעֲמָלוֹ de labore ſuo. Hoc vult, ità vivat & agat ſingula, ut iis peractis non angatur conſcientia, ſed tranquilla maneat. Vivatur honeſtè, tranquillè, juſtè. Inculcat itaque cum Epicuro voluptatem, non illam luxurioſorum & nepotum, quæ in guſtu ingluvie & Venere conſiſtit; ſed eam quæ in animi tranquillitate & vacuitate à perturtationibus conſiſtit. Atque hanc fuiſſe Epicuri mentem oſtendunt ea quæ Plutarchus, Seneca, Laërtius &c. de ipſo retulerunt. Videatur præcipuè ejus Epiſt. ad Menicæum. Adeò ut nimis adhuc rigide eum tractarint qui ſic de eo: nam licet illecebris hominem velit eſſe beatum, Stoicus intera moribus ipſe fuit. Et ille, qui dixit, *Eum Bachanalia ſimulaſſe & vixiſſe Curios.*

GROTIUS.

1. O*Mnia tempus habent*] *Ut enim terra variis mutatisque ſeminibus, ità ingenia noſtra nunc hac, nunc illâ meditatione recoluntur*, ait Plinius in Epiſtolis VII. 9. Similia habes apud M. Antoninum libro V.

5. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*] Timon:

Ὥρα ἐρᾶν, ὥρα δὲ γαμεῖν, ὥρα δὲ πεπαῦσθαι.

[*Tempus habent amor, & connubia, & eſſe ſine iſtis.*]

7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*] Heſiodus: ---- καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος [---- *In re omni tempus longè optima res eſt*]. Plutarchus Ageſilao, τῷ γὰρ καλῷ καὶ καιρὸν δεῖ οἰκεῖον εἶναι καὶ ὥραν [*Rei honeſtæ oportet & tempus & ætatem ſumi convenientem.*]

11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo*] עשה hic eſt *ordinavit.* Cuncta ſuis temporibus diſpoſuit Deus.

Et mundum tradidit diſputationi eorum] In Hebræo, *Etiam mundum dedit in eorum corde.* Multa quæ in mundo apparent novit homo, aliis animantibus ignota, ut appareat mundum ipſius causâ creatum.

Ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem] Ex Hebræo optimè vertas: *Sic tamen ut non norit homo à capite ad calcem operationem Dei.* Multa videt, quæ non ſcit quo propoſito à Deo facta ſint, & quis ſit ſecuturus eventus: τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο [*Quis conſiliarius ei fuit*]? Roman. XI. 34.

14. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perſeverent in perpetuum*] Putà magnæ rerum maſſæ, cœlum, terra, aqua, deinde & animantium rerúmque aliarum genera.

15. *Quod factum eſt ipſum permanet, quæ futura ſunt jam fuerunt, & Deus inſtaurat quod abiit*] Optimè ſic vertas ex Hebræo, *Quid eſt quod fuit? idipſum* (quod) *jam* (eſt:) *& quod futurum eſt idipſum fuit. Deus quærit id quod ſequitur.* Id eſt quaſi advocat id quod rem quamque ſequi debet, ut hyemem autumno exacto. Chaldæus *requirere* ſumſit pro *ulciſci*, & נרדף pro *homine vexato:* ſenſúmque eſſe putat, *Deum ultorem eſſe iis qui injuſtè malè tractati ſunt:* ut opponatur hoc humanis judiciis, quæ ſæpe iniqua ſunt, de quibus jam aget.

18. *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis*] Contra illam cogitationem de judicio futuri ævi, de qua ſermo præceſſit, alia mihi cogitatio ſuborta eſt, *permittere Deum homines ferino more inter ſe vivere, ut eò meliùs declaret & oſtendat homines pares eſſe beſtiis.* huic cogitationi addit argumenta.

21. *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?*] Id eſt, an permaneat, ſicut cœleſtia.

Et ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum] Pereat, ut ipſa corpora ſub humum defoſſa? Homo ſolâ nativâ ratione nihil de eo comperti habet. oſtendunt id Socratis, Tullii, Senecæ dubitationes.

22. *Quis enim eum adducet?*] Id eſt, in hanc vitam reducet.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

4. E*X æmulatione*] Bonum, inquit, alterius eſt alterius malum, dum invidus alienâ felicitate torquetur, & iſte, illo inferior eſſe non vult in divitiis, ſapientia, ſplendido cultu, &c. Damnandi igitur ſunt qui non pro neceſſitate ſed pro luxu inhiant bonis acquirendis; ſicut rurſus pro ſtultis habendi ſunt qui otioſi viventes totum quod habent devorant, & tandem in egeſtate moriuntur.

14. *De domo vinctorum prodiit*] Quidam ſic interpretantur, *Pauper qui eſt ſapiens, etiam ſi ex carcere prodeat, aptior eſt Regno quàm Rex ſtultus.* Alii ſic, *Æqua eſt conditio pauperis & Regis: nam ſicut pauper natus eſt in Regno, ſic Rex ipſe natus eſt inops ex domo vinctorum*, h. e. utero materno: juxta illud Ijob, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ. Et ſæpe fit ut qui natus eſt Rex, deturbetur è regno, & in locum ejus ſubſtituatur ſapiens aliquis natus ex pauperibus parentibus:* id quod mox ſequentem verſum habere putant. Alii aliter exponunt, eſt enim verſus iſte, ſicut & mox ſequens, multùm obſcurus: nec ſatisfaciunt mihi Hebræorum interpretes.

17. *Qui propinquus eſt*] Deus, inquit, propinquus eſt, & omnia advertit: Cautè igitur eſt ambulandum in conſpectu ejus. Chaldæus interpres ſic exponit, *Cuſtodi pedem tuum quando oraturus intras ſanctuarium Domini, & applica aurem tuam ut audias doctrinam Legis*, &c. Alii ſic legunt, *Accedere audiendi gratiâ præſtantius eſt quàm ſtultos victimam offerre, qui neſciunt ſe malè agere.*

VATABLUS.

1. E*T in manu*, &c. 'ומיד וגו] Sic vertunt qui putant מ præpoſitionem hoc loco accipi pro ב *in.* Alii vertunt, *& de manu calumniantium eos violentia*, [vel *potentia*] *& non* eſt *illis conſolator.* Vel, ut alii, *nec habent vim ullam contra manum illorum qui eos calumniâ afficiunt, neque* eſt *illis conſolator.* Sive, *Et quia deeſt facultas ſe vindicandi è manu opprimentium ipſos, non habent qui conſoletur.*

2. *Itaque laudavi* ושבח] Nomen de dagueſſatis pro participio, *Laudo igitur.* ¶ *Mortuos* את המתים] *Sortem mortuorum.* Et mox, *ſortem vivorum.*

3. *Imò melior* וטוב] *Et felicior.*

4. *Et omnem rectitudinem operis* ואת כל כשרון המעשה] *Et omnem congruentiam operis*, i. & omne opus rectum & congruum, ſive conveniens. Quidam, *& omnem conatum operis.* Alii, *& omnem induſtriam agendi.* ¶ *Invidia viri*, &c. קנאת איש מרעהו] Hic מ pro ב. i. quòd ſit mutua invidia ſive æmulatio. ¶ *Et afflictio* ורעות] Vide ſuprà 2. 11.

5. *Et comedit carnem ſuam* ואכל את בשרו] i. Non operatur, quòd videat omnia eſſe invidiæ obnoxia, & abſumit omnia ſua, ità ut tandem fame abſumatur, & reddatur ſine ſucco.

6. *Et afflictione ſpiritûs* ורעות רוח] *Et animi moleſtiâ.* Vide ſuprà 2. 11.

8. *Et frater* ואח] Hic ו pro *aut*, ut quidam volunt, *aut fratrem.* Alii vertunt, *qui neque filium neque fratrem habet.* ¶ *Et deficere facio*, &c. 'ומחסר וגו] *Et ſubduco animam meam à bono.* Vel, *carere facio animam meam bono.* Alii, *& fraudo genium meum bonis.*

9. *Meliores* טובים] *Feliciores, beatiores.* ¶ *Merces melior* שכר טוב] *Præmium eximium*, vel *præclarum.*

10. *Eriget* יקים] Ad verb. *ſtare faciet, ſurgere faciet.* ¶ *Illi uni* לו האחד] *Illi*, nempe *uni.* Phraſis Hebraica. Similis modus loquendi habetur Exod. 2. 6. *Et aperuit, & vidit ipſum*, nempe *puerum.* ¶ *Quia cùm ceciderit, non* &c. 'שיפול ואין וגו] Ad verb. *cùm ceciderit, & non*, &c.

11. Plus *caloris* וחם להם] Ad verb. *& caleſiet eis:* vel, *tunc caleſcet eis*, ſub. בשרם *caro eorum.*

12. *Prævaluerit ei unus* יתקפו האחד] *Prævaluerit* quiſpiam *ei*, nempe *uni.* ו pro הו vel נו. ¶ *Stabunt contra eum* יעמדו נגדו] Hebraiſmus, pro *Reſiſtent ei.* ¶ *Citò* במהרה] Adverb. *in celeritate.*

13. *Melior* טוב] *Beatior, felicior.* ¶ *Admonitionem recipere adhuc* להזהר עוד] *Inſtitui* [*admoneri*] *ampliùs*, ſive *ultrà.*

14. *E domo vinctorum* מבית הסורים] Phraſi Hebraicâ ſignificat *carcerem.* Ratio ſuperioris verſûs. ¶ *Egreditur* יצא] Fut. Heb. pro præſ. *prodit.* ¶ *Quia etiam* כי גם] *Cùm etiam*, i. Non mirum eſt Deum educere aliquem è carcere ut regnet, cum etiam puerum ex utero educat pauperem, quem tamen poſtea regnare facit. Job enim dicit, cap. 1. 21. *Nudus egreſſus ſum ex utero matris meæ.* Quidam vertunt, *quòd etiam qui natus eſt rex, ſit pauper.*

15. *Ambulantes*, &c. 'המהלכים וגו] *Ambulare cum puero ſecundo à Rege*, pro *favere filio Regis ſucceſſuro in locum patris*, phraſi Hebraicâ, dictum eſt.

16. *Ante eos* לפניהם] Relativum ſine antecedente ut & mox: refert autem *patrem Regem & filium Regem.* Innumera eſſe vulgi

vulgi ſtudia dicit, quibus nec Regis filius poſtea gratus eſt. ¶ *Poſteri* האחרונים] *Poſtremi, ultimi, noviſſimi.* ¶ *Quia* כי] *Idcirco.* q.d. In illis etiam vulgi ſtudiis eſt ſumma vanitas.

17. *Et propinquior ſis* וקרוב] i. Propenſior ſis ad audiendam doctrinam Legis: ità Chaldæus P. Hebræi dicunt hîc ו ſignificare aliquot dictiones deeſſe, cujuſmodi, *Si reſpicit te Deus, propinquus*, i. propenſus, *eſt magis ad audiendum preces tuas quàm ſi dent ſtulti ſacrificium.* Ad verb. *magis quàm dare ſtultos victimam.* ¶ *Voluntatem* רע] Ità Hebræi quidam ſcribunt, רע hoc loco ſignificare רצון *voluntatem.* Alii tamen ſubintelligentes אם *niſi*, ut cap. 2. 24. vertunt, *neſcium facere niſi malum.* Ità docti inter illos.

CASTALIO.

5. STultus manus ſuas complicat] Piger eſt. ¶ *Suàm ipſius carnem comedit*] Famet.

8. *Oculo divitiis inſatiabili*] Cupiditate, quoniam ea ex aſpectu naſci ſolet. ¶ *Cui laboro ego meum defraudans genium?*] Prima perſona pro tertia, ut Prov. 23.

14. *In regno ſuo natus*] Natus Rex.

CLARIUS.

5. STultus complicat manus] Diximus, inquit, quoſdam eſſe qui invidè proximo cuique quibus poſſunt artibus noceant ut ipſi rem augeant ſuam: ſed ſtulti quidam ab horum moribus abhorrentes vitium in contrarium currunt: *junctis enim manibus* deſident otioſi, & quicquid habent conſumunt, donec ad extremam inopiam perveniant, & *carnem propriam rodere* cogantur; *Melius eſt*, inquientes, *paulum cum ignominia quàm multa laborioſe cum anxietate conquirere.*

15. *Vidi cunctos viventes*] Vidi maximo numero homines ſequi adoleſcentem illum qui ſeni in regno ſucceſſurus eſt. Non minor fuit numerus eorum qui ſenem hunc olim ſequebantur cùm Regno præficeretur quàm nunc eſt qui novum hunc ambiunt. Et ſicut gravis illis ſuperioribus viſa eſt poteſtas Regia illius qui nunc contemnitur, ità & hujus, qui nunc tantopere placet, gravis videbitur. Quare & ambitus ille ſuam habet vanitatem & animi tædia.

17. *Cuſtodi pedem tuum*] Vide diligenter quid faciendum tibi ſit ingreſſuro domum Dei ut ores; & ſcito illum proximè tibi adeſſe, & audire cuncta: cave ergò nè multis verbis cum illo agas, ſtultorum more, quorum ſunt ingrata Deo cuncta quæ faciunt.

DRUSIUS.

1. REverſus ſum, & vidi] i. Iterum vidi. Verbum pro adverbio. Sic locutus eſt David Pſal. 6. *convertantur, & pudefiant*, i. denuo pudefiant. Converti me, inquit, ad alia vitæ incommoda aliáſque rerum humanarum vanitates. *Vidi*, animadverti, cognovi, deprehendi. ¶ *Oppreſſiones*] העשקים *oppreſſiones.* Hujus ſing. creditur eſſe עשק *oppreſſio*, ad inſtar גבול *terminus.* Sanè Græcè Lxx reddunt συκοφαντίας. & interpres Lat. is qui à *vulgo* nomen accepit *calumnias.* Licet etiam reddere *omnes oppreſſos*; ut ſit plur. à עשוק, quod eſt participium generis paſſivi, ut mox, *lacryma oppreſſorum* העשקים. Sic Tremellius, & Gallica poſtrema. ¶ *Lacryma*] דמעת; i. δάκρυον *lacryma*: quomodo Lxx. Sed in ed. Sym. δάκρυα, i. *lacryma.* ¶ *Conſolator*] Lxx παρακαλῶν. ¶ *Evadendi*] להנצל, quod ad commodam ſententiam deeſſe videtur. Sunt tamen qui aliter hunc locum interpretentur. Lxx. ἀπὸ χειρὸς συκοφαντούντων αὐτοὺς ἰσχύς, *à manu calumniantium eos robur*; i. vexatio valida & robuſta. Hier. *in manibus calumniantium eos fortitudo*, i. ביד: quæ Enallage inſolens eſt. Gallica poſtrema; *& la force eſt de coſté de ceux qui leur font tort.* מיד *à latere.* Nam *manus* aliquando latus denotat. Vide Obſervationes meas.

2. *Laudavi ego*] שבח אני poſitum pro משבח אני *laudo ego*; Infinit. pro Benoni. Aut potiùs pro שבחתי *laudavi*; Inf. pro præt. Verti autem per præt. ſecutus in eo Lxx viros ἐπῄνεσα ἐγώ. cujus loco Sym. maluit vertere ἐμακάρισα, i. אשרתי: qui ſenſus eſt verbi שבח hoc quidem loco. ¶ *Qui antea mortui fuerant*] Vel potiùs *qui jam mortui ſunt*, τοὺς ἤδη ἀποθανόντας. ¶ *Hucuſque* עדנה dixit pro עד הנה *hactenus, hucuſque.* Alii vertunt *adhuc*, i. עד: & Lxx ἕως τοῦ νῦν עדנה עד.

3. *Melior*] i. Felicior, beatior. ¶ *Ambobus illis*] Vel *utroque illo*; videlicet & qui vivit, & qui jam mortuus eſt. Quadrat cum illo, *Optimum non naſci; aut ubi natus ſis, quàm ocyſſimè mori.* Ex quo & πολυθρύλητον illud,

Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὔλικα τικτόμενον.

Duplici autem ratione feliciores ſunt mortuis, vel quia non incidunt in communes vitæ miſerias, vel quia immunes ſunt ab eâ pœna quæ manet improbos poſt hanc vitam. Quò reſpiciens Chriſtus de Juda proditore inquit, *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet.* Ad prius genus pertinet quod 4 Reg. 22. ubi Joſiæ Regi dicitur, *Morieris ante tempus futuræ calamitatis.* Deus enim, cùm cladem aliquam immittere ſtatuit, priùs bonos ex hac vita tollit. ¶ *Qui hactenus non fuit*] עדן pro עדנה *hucuſque.* Lxx ὅστις οὔπω ἐγένετο. Sym. autem ἐγεννήθη, i. ילד. ¶ *Non vidit*] Parùm eſt *videre opera mala* niſi eadem ſentias. Nam etiam qui *videt mala* quæ aliis fiunt, habet quo ſe cruciet, ſi vir bonus ſit. An ergò dixit *videre opus malum* ut *videre malum* dicimus pro *experiri*? Sic *videre periculum* pro *eſſe in periculo.* Contrà *videre bonum* eſt eo frui. ¶ *Omne opus malum*] Lxx σὺν πᾶν τὸ ποίημα τὸ πονηρόν, *ſimul omne opus malum.* Sym. τὰ κακὰ ἔργα τὰ γινόμενα, *mala opera quæ fiunt.*

4. *Laborem*] Vel *moleſtiam.* Græci μόχθον interpretantur. Edit. noſtra, *omnes labores hominum.* ¶ *Omne opus rectum*] Ad verb. *Omnem rectitudinem operis. Rectitudinem* autem voco quam Græci εὐθύτητα nuncupant, quæ vox Metaphoricè ponitur pro *juſtitia & æquitate*, ut in lingua Gallorum *droiture*, & apud Belgas meos **rechtveerdigheyt.** Lxx σύμπασαν ἀνδρείαν τοῦ ποιήματος. Lat. V. *induſtrias.* ¶ *Quod ſit invidia viri à proximo ſuo*] *Labor* non eſt *invidia*, ſed ex labore manat invidia, præſertim induſtrio: quod Interpres noſter ſign. per hæc verba, *& induſtrias animadverti patêre invidiæ proximi.* Nam ut umbra corpus, ità Invidia Virtutem comitatur. Unde Ipallus Pythagoricus interrogatus *quid ageret*, reſpondit, *Nondum nihil: nondum enim mihi invidetur.* Uſque adeò verùm eſt illud; *Rectè facta ſequitur invidia.* Quâ peſte nihil nocentius. Similis locutio, *Copia cibi novalis pauperum*, pro *novali*; ζῆλος ἀνδρὸς Lxx.

5. *Stultus*] Ὁ ἄφρων. ¶ *Complicat manus ſuas*] Geſtus pigrorum. Et eſt proverbium, quod explicamus Claſſ. 2. lib. 3. adag. 54. Vide & Prov. 24. 33. ¶ *Comedit carnem ſuam*] Hyperbole famis. Aut *carnem ſuam*, i. conſanguineos ſuos. Vide Tropos. Aut *comedit carnem ſuam* quia neceſſaria vitæ corpori non ſuppeditat: & eſt argumentum crudelitatis. Prov. 11. 17. *Benefacit animæ ſuæ pius: turbat carnem ſuam crudelis.* Pſal. 27. 2. *Cùm appropinquarent ad me maligni ad comedendum carnem meam.* Job. 31. 31. *Quis dabit de carne ipſius, ut ſaturemur?* Aliter, *Complicat manus ſuas*, i. deſidiæ ac inertiæ ſe dat, cujus ſignum complicatio manuum. *Comedit*; figura proverbialis, quâ extremam inediam denotant. Quidam ad Pigrum referunt, alii ad Invidum. Nam is

—— *alterius rebus macreſcit opimis.*

6. *Melior*] *Potior, Eligibilior.* ¶ *Plena vola*] Ad verb. *plenitudo volæ*, quod Græci dicunt πλήρωμα δρακός. Eſt autem δράξ *pugillus*, quantum manu comprehenditur. Poſitum autem videtur *vola* pro *volâ unâ*, ut alibi *corde* pro *corde uno*, & *humero* pro *humero uno.* ¶ *Cum quiete*] Μετὰ ἀναπαύσεως, ut rectè Sym. vertit. Prius erat δρὰξ ἀναπαύσεως, eâdem ſententiâ. ¶ *Pugnis*] חפנים *duabus volis.* Quod noſter dixit *quàm utraque manus*, & Lxx δύο δρακῶν; & Sym. πληρώματα ἀμφοτέρων χειρῶν, *quàm plenitudines ambarum manuum*: vel, *quàm id quod implet ambas manus.* ¶ *Cum labore*] *Cum moleſtia*, μετὰ μόχθου. ¶ *Depaſtione ſpiritûs*] Vel magis *vexatione ſpiritûs*, quod à Sym. verſum καὶ κακώσεως πνεύματος, *& afflictione ſpiritûs.*

7. *Converſus ſum, & vidi*] i. Iterum vidi: aut, verti me aliò, & vidi. Vide Tropos in OCULUS, Νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει, &c. *Vidi*, mente, i. cognovi, deprehendi. ¶ *Vanitatem*] Aliam à ſuperiore.

8. *Eſt unus*] Vel, *Eſt quidam.* Sunt, inquit, qui cùm neque ſocium habeant neque liberos aut affines, tamen modum nullum faciunt divitias coacervandi, &c. ¶ *Nec eſt ſecundus*] ואין שני *& non eſt ſecundus* (οὐ μὴ ἔστι δεύτερος. Sym.) vel, *non eſt alter*, i. amicus & familiaris. Nam amicus vocatur *alter ego.* Alii de Uxore capiunt; quod nec probo; nec improbo: magis tamen improbo, quia in fonte שני, non שנית. ¶ *Filius*] aut *filia.* *Aut frater*] Frater ἀδελφός, vel certè affinis & conſanguineus. ¶ *Nec eſt finis univerſo labori ejus*] *Finem nullum facit laborandi*, ſive, ut Interpres V. vertit, *& tamen laborare non ceſſat.* ¶ *Finis*] Lxx περασμός. Aq. τέλος. ¶ *Oculus ejus non ſatiatur*] Suprà 1. 8. *Non ſatiatur oculus viſu.* Idem cum illo, *ipſe non ſatiatur divitiis.* Et

bene *oculus ejus*. Nam Oculis tribuitur ἐπιθυμία, i. *cupiditas* aut *concupiſcentia*: unde ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν 1 Joh. 2. 16. *libido oculorum*: & ſuprà 2. 10. *Omnia quæ poſcebant oculi mei*. Lxx ἐπεθύμησαν, & Lat. V. *deſideraverunt*. Ex quo & illud, *Oculi & Cor proxenetæ peccati*. Lectum עינו *oculus ejus*, ſcriptum עיניו *oculi ejus*. Prius legerunt Lxx, alterum autor ed. Lat. quam *Vulgatam* dicunt. Cur autem *oculi non ſatientur* πλούτῳ, *divitiis*, hæc cauſa redditur, Quia videlicet divitias appetunt propter ſe, non propter uſum. ¶ *Cui ego laboro*] Mimeſis hominis avari. ¶ *Deficientem facio animam meam*] מחסר στερίσκω *fraudo*. Hoc vult, *Cur defraudo genium meum?* Cur ſubtraho corpori quæ ei bona ac ſalubria? ¶ *Bono*] Ἀπὸ ἀγαθοῦ, Sym. ¶ *Occupatio*] Lxx περισπασμός. Sym. ἀσχολία. ¶ *Mala*] i. Moleſta, gravis, tædioſa. Aut, *occupatio vexans & crucians*. Verbum è verbo *occupatio vexationis*: ſiquidem רע hoc loco ſubſtantivum eſt: videtur certè, cùm præcedat nomen ענין *habens* (ֵ) brevem vocalem in ultima. Quanquam ſunt qui poſitum eſſe putant (ָ) pro (ֵ). Hos ſi ſequimur, erit רע non κακία, i. *vexatio*, ſed nomen adjectivum, *occupatio mala*, i. vexans. Utro modo accipias parùm refert ad ſententiam. Edit. Lat. hoc loco habet *afflictio peſſima*, id eſt רע ענין.

9. *Meliores ſunt duo quàm unus*] *Beatiores. Feliciores.* Hoc Sym. tranſtulit Εἰσὶν ἀμείνους δύο ἑνὸς, *Sunt meliores duo uno*. Priùs erat Ἀγαθοὶ οἱ δύο ὑπὲρ τὸν ἕνα, *Boni ſunt duo quàm unus*. Cui ſimile in Latio, *Mulier tacita bona quàm loquax*. Item, *claris majoribus quàm vetuſtis*. ¶ *Quia eſt ei merces*] Hic אשר accipiunt pro כי *quia, quoniam, enim*. Tamen Lxx οἷς ἐστιν αὐτοῖς μισθὸς, *quibus eſt merces*. Autor Latinæ V. *Habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ*. שכר vertit *emolumentum*. Antea Sym. verterat κέρδος *lucrum*. Verba ejus ſunt ἔχουσι γὰρ κέρδος ἀγαθὸν, *nam lucrum bonum percipiunt*. Vide Cajetanum.

10. *Si ceciderint*] Sententia poſcit ut exponamus, *Si alteruter eorum ceciderit*. Nam qui cecidit non poteſt alterum erigere niſi priùs ipſe ſurrexerit. Et quid refert unus cadat, ſi ſolus ſit, an duo ſimul, ubi plures non ſunt qui lapſos ſublevent? *Ceciderint*, putà in morbum aut in calamitatem aliquam, vel denique in errores aut in peccata. *Cadere* enim dicitur & qui peccat; ut ibi, *Septies in die cadit juſtus, & ſurgit*. ¶ *Unus*] Ὁ εἷς, quod malè reddunt *unus ille*, ac ſi articulus eſſet ἀναφορικός, cùm nihil præcedat quò referri commodè poſſit, de mea quidem ſententia. Malim, εἷς τις *unus aliquis*. Vide infrà v. 12. ¶ *Socium ſuum*] חברו. Lxx μέτοχον. Aq. τὸν φίλον αὐτοῦ *amicum ſuum*, i. אוהבו. Sym. ἑταῖρον. Sic alibi חבריך *conſortes ſuos*, i. μετόχους σε. Locus eſt apud Davidem. ¶ *Vah ipſi*] אי *væ* ſive *vah*, i. אוי, ut infrà 10. 16. aliàs valet אין *non*: item *inſulam* denotat. ¶ *Uni*] i. ſoli. Hoc habet incommodi ſolitudo, inquit, *Si ceciderit is qui ſolus eſt, non habet qui eum ſublevet*. ¶ *Cum ceciderit*] Ὅταν πέσῃ. Sic Græci Lxx. Licet etiam vertere *qui ceciderit*: nam eſt ש in fonte. ¶ *Non enim eſt*] Οὐ γάρ ἐστιν. Aliter, *& non ſit*. Sic Græci καὶ μὴ ᾖ. ¶ *Alter*] Schol. οὐκ ἔστι δεύτερος, *non eſt ſecundus*.

11. *Quin ſi*] *Si* pro *cùm* poſuit; ut etiam Moſes in illo, *Si erit Jobilæus*: nam ſenſus, *Cùm erit*. Sic accipies, *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* Latinitatis autores ſæpe ità loquuntur. ¶ *Cubaverint*] ישכבו. Olim erat *dormierint*. Sed *cubare* poteſt qui tamen non *dormiat*. Adhæc, *dormire* ישן dicitur. Simul hæc juncta leguntur 1 Reg. 19. 6. & Pſal. 3. 5. *Cubui, & dormivi*. ¶ *Caleſcent*] Senſum expreſſit: alioquin in Ebræo eſt verbum è verbo *& caleſcet illis*: quod Græci referunt καὶ θέρμη αὐτοῖς. ¶ *Uni quomodo erit calor*] Idem cum illo, *unus quomodo caleſcet*, ſive, ut Vulg. noſter habet, *calefiet*. Græci hoc dicunt ὁ εἷς πῶς θερμανθῇ; Et eſt ſenſus, ut ſi dicas *difficulter caleſcet*: nam ſanè calefieri poteſt etiam unus ſi multis veſtibus foveatur. Faciliùs tamen duo caleſcunt ſimul in lecto cubantes quàm unus: nam alter alterum calefacit.

12. *Si prævaluerit ei unus*] יתקפו pro יתקפהו. *Si fortior*, inquit, *fuerit eo unus aliquis*. Id enim ſignificat h. l. האחד, ut & Græcum ὁ εἷς. Nam articulus ſignificationem habet ἀόριστον *indefinitam*, ac ſi diceret εἷς τις, ut Matth. 13. 3. ὁ σπείρων, i. *quidam qui ſementem faciebat*. Sic Matth. 12. 29. τοῦ ἰσχυροῦ *potentis alicujus*. Malè verò hunc locum Sym. interpretatur, ἐὰν ὑπερισχύσῃ τις ἑνὸς, *ſi prævaluerit quis uni*. *Ei*, alterutri ex duobus. ¶ *Duo*] השנים οἱ δύο, i. *illi duo*, ut articulus ſit ἀναφορικός, nempe de quibus modò mentionem fecit. ¶ *Stabunt contra eum*] Στήσονται κατέναντι αὐτοῦ, *reſiſtent ei*, vel *pugnabunt cum eo*. Nam *ſtare* eſt *pugnare*: quod Euripides dixit παρ' ἀσπίδα σῆναι. Vide ſis Obſerv. meas.

¶ *Filum triplicatum non citò abrumpitur*] Elegans adagium; quod explicamus Claſſ. 1. lib. 2. adag. 78. Vide, ſi vacas. τετριπλωμένον rectè Sym. vertit. Quanquam in ed. Rom. ex eadem citatur τριπλοῦν *triplex*: quomodo & Latina V. *funiculus triplex difficilè rumpitur*. Priùs erat in Lxx τὸ σπαρτίον τὸ ἔντριτον οὐ ταχέως ἀπορραγήσεται. Ex quo Theſaurus L. G. Ἔντριτον, *triplex*.

13. *Melior eſt*, &c.] Alibi ait, *Væ terræ cujus Rex puer eſt*. Quod capiendum de puero qui puer ſit, i. nullâ ſapientiâ imbutus. Hic loquitur de *puero ſapiente*, qui licèt *pauper* ſit, tamen *potior eſt Rege ſene*, eòque ſtolido & fatuo. Ratio, Quia puer ſapiens audit conſilium, ſenex ſtolidus non item. Opponuntur autem *puer ſeni*; *pauper* ſive *egenus Regi*; & *ſapiens ſtulto*. Puer ſapiens meliùs adminiſtrat Remp. quàm ſenex ſtultus: nam quia ſapiens, licèt ab uſu rerum non admodum peritus ſit, audit conſilia eorum qui uſu & experientiâ valent. ¶ *Puer*] ילד *natus*, παῖς, quod de *filio* & de *ſervo* etiam dicitur. ¶ *Egenus*] *pauper*, *indigus*, πένης. In fonte eſt מסכן unde Italicum *meſchino*. Appellatio à סכן, in quo ſignificatio *periculi*. Nam omnium periculis expoſiti ſunt tales. ¶ *Sapiens*] Qui ſe patitur admoneri & edoceri. ¶ *Rege ſene*] *Rex* מלך dicitur à *conſilio*, ut Teutonicè **Conninck** à *ſcientia*: nam **connen** *ſcire*. ¶ *Qui neſcit admoneri*] Qui non audit rectè monentem, qui non patitur ſe doceri aut bonis conſiliis inſtrui. Aquila hoc dixit ὃς οὐ γινώσκει τοῦ φυλάξασθαι, *qui neſcit cavere*, i. להזהר. Quæ ſententia eſt in illo Lxx, ὃς οὐκ ἔγνω τοῦ προσέχειν ἔτι· nam προσέχειν *attendere*, *cavere*. ¶ *Amplius*] Ἔτι, *adhuc*, *ultrà*.

14. *E domo vinctorum*] *E vinculis*, ſive è *carcere*. *Domus vinctorum*, ut *domus ſervorum*, i. ergaſtulum in quo ſervi compediti olim opus faciebant: ità propriè: ſed Ægyptum peculiariter ſignificat. *Carcer* à Græcis δεσμωτήριον appellatur, cujus periphraſis hoc loco in Lxx οἶκος τῶν δεσμίων. Id Ebræis eſt בית האסורים, & contractiùs בית הסורים. Dicitur & בית האסור, & ſimpliciter בית. Jeſ. 14. 17. ut Græcè οἴκημα Actor. 12. 7. ¶ *Exiit*] Locum hunc ſic interpretatur Sym. Ὁ μὲν γὰρ ἐκ φυλακῆς ἐξῆλθε βασιλεῦσαι· ὁ δὲ καίπερ βασιλεὺς γεννηθεὶς ἠπορήθη, *Nam hic quidem è cuſtodia exivit ad regnandum; ille verò licet Rex genitus eſſet, egenus fuit*. Paulò pòſt examinabo. *Exiit*, יצא. Lxx ἐξελεύσεται i. יצא. ¶ *Ad regnandum*] למלך. Lat. V. *ad regnum*, למלכות; eâdem ſententiâ. ¶ *Natus eſt*] i. Factus eſt: ut, *frater in adverſis naſcitur* Prov. 17. 17. i. *fit*. Unde תולדות vocantur *eventa*. Sic Pſal. 90. *Priuſquam montes nati eſſent*, i. *facti aut creati*: & Job. 11. 12. *Pullus onagri natus eſt homo*. Senſus eſt, *evaſit homo*, aut *factus eſt*. ¶ *Pauper*] Πένης. רש poteſt eſſe verbum, ut dicat, *etiam in regno natus depauperatus fuit*. Quod Sym. dixit ἠπορήθη. Hujus pluralis Pſal. 34. רשו *eguerunt*. Græcum ἐγεννήθη tam poteſt reddi *factus eſt* quam *fuit*: quanquam vulgò *natus eſt*, i. ἐγεννήθη: quomodo fortaſſe Interpretes ediderunt.

15. *Omnes viventes*] i. Omnes homines. Sic dicimus *omnes mortales*, eodem ſenſu. Nam viventes omnes mortales ſunt. Ut à *vita viventes*, ſic à *morte mortales*, i. מתים: quod ità ſcribunt ut differat à מֵתִים *mortui*. Aliud *mortuus*, aliud *mortalis*: hic θνητὸς Græcè dicitur. Sed non eſt otioſum membrum ſequens, *qui ambulant ſub Sole*. Nam *vivere* aliquando dicuntur qui facilè vivunt. ¶ *Cum puero ſecundo*] i. Sequentes filium Regis; quem nunc *puerum ſecundum* vocat eò quòd ſit à Rege ſecundus. Talem Ebræi appellant משנה למלך. Sic eſt profectò: *Omnes adorant Solem orientem*. Scitum & illud, *Gandavenſes amant filium Principis ſui, ſed non ipſum Principem*. Lxx verterant μετὰ τοῦ νεανίσκου, & autor Vulgatæ Lat. *cum adoleſcente*, i. הנער עם. Id Sym. olim emendavit μετὰ τοῦ παιδὸς *cum puero*. Sanè ילד non *adoleſcentem* ſed *puerum* denotat. *Secundo*, δευτέρῳ, intellige *à Rege*. Mox ſe explicat cùm ait, ¶ *Qui ſtabit pro illo*] Vult dicere *qui ei ſuccedet*; ſive *qui regnabit pro illo*. Ed. V. *qui conſurget* יעמד אשר. Gallica, *qui doit eſtre en la place d'iceluy*: ac ſi eſſet *qui erit*. *Stare* pro *eſſe*, *exſiſtere*, ſumitur & in illo 1 Par. 20. 4. *cum ſtaret prælium*. Malim, *qui ſtabit in Regno*, i. regnabit, ut 1 Par. 17. 14. *Statuam eum in Regno meo*: ad verb. *ſtare faciam*. *Stare in regno* plus dicit quàm *regnare*: nam innuit propriè Regnum firmum ac ſtabile. *Pro eo*, ἀντ' αὐτοῦ, i. *loco ejus*: & ſubintelligitur *Regis*; de quo ſuprà.

16. *Non eſt finis omni populo*] Aq. οὐκ ἔστι τέλος τῷ παντὶ λαῷ, h. e. interprete Hier. ſi modò is autor ed. Vulgatæ, de quo dubito, *Infinitus numerus eſt populi*. Alii exponunt, *Non eſt finis omni populo de omnibus iis qui fuerunt ante ipſos*, i. qui præfuerunt ipſis, vel, ſi placet, qui præſunt ipſis: ſiquidem omnes præſentem dignitatem faſtidiunt: vel ſic, *Univerſus*

ſus ille populus, *omnes*, *inquam*, *qui præceſſerunt eos*, videlicet patrem & avum, *nullum finem fecerunt faſtidiendi Reges ſuos* : q. d. Non potuerunt in iis acquieſcere. Sed expende. אין קצה לגויה *infinitus eſt numerus cadaverum*, Nah. 3. 3. Suprà 8. אין קץ לכל עמלו *non eſt finis univerſi laboris ejus*, i. infinitus eſt labor ejus. Rurſum Nah. 2. 9. אין קצה לתכונה. Quæ loca firmant maximè interpretationem Vulgatam. A qua diſſentiunt Tremellii & Gallica. Tremellii eſt, *Non eſſe finem ulli populo de ullo : qui præſit ipſis etiam poſteros non lætaturos eſſe.* Gallica, *Tout ce peuple-la, aſſavoir tous ceux qui on eſté devant ceux-ci, n'ont point trouvé en qui s'arreſter. Ces derniers ici de meſme*, &c. Job. 22. 5. אין קץ לעונתיך. *Non eſt finis iniquitatum tuarum.* Infrà 12. 12. *Faciendi libros non eſt finis.* Jeſ. 2. 7. אין קצה לאצרותיו וגו' *non eſt finis theſaurorum ejus*, i. theſauri ejus infiniti ſunt : ſic etiam, *currus ejus infiniti ſunt.* Vide ſequentia. Rurſum 9. 7. לשלום אין קץ *pax infinita.* Nah. 3. 9. מצרים ואין קצה. *Non eſt finis omni populo*, vel *totius populi*, & eſt ſenſus, *Infinitus eſt numerus totius populi*, ſive *Univerſus populus numero infinitus eſt.* De quo autem populo loquatur indicat mox cùm ait, *omnium videlicet qui fuerunt ante illos*, nempe patrem & filium q. d. Infiniti ſunt qui primò patrem ſectati ſunt : deinde filium. In fonte eſt אין קץ, pro quo aliàs dicitur אין קצה. Vide loca ſuperiùs modò allegata. ¶ *Omnibus*, *inquam*, *qui fuerunt ante illos*] Quidam, *de omnibus qui præfuerunt illis* : minùs probo. ¶ *Poſteri*] Vel *poſteriores.* ¶ *Non lætabuntur*] Cùm ſenuerit non admodum ei ſtudebunt, ſed alium in ejus locum ſurrogari cupient. ¶ *De eo*] *Puero ſecundo*, cujus modò meminit. ¶ *Vexatio ſpiritûs*] Vel *depaſtio ſpiritûs.*

17. *Pedem tuum*] τὸν πόδα σε, i. רגלך. Sic legendum eſſe monent Critici Ebræorum Maſſoritæ: nec aliter legerunt veteres : quanquam in ſcriptura רגליך *pedes tuos.* Trem. *Utrumque pedem tuum.* Sententia eſt, Cùm templum ingredieris, vide etiam atque etiam quid agas. Nam ſi putas Deum placari ſolis ſacrificiis, erras. Gratior ei eſt obedientia quam ſoli pii præſtant. Sacrificia offerre poſſunt etiam impii. *Pedem tuum*, i. ingreſſum tuum. Sic, *Benedixit tibi Deus ad pedem meum*, i. ad introitum meum. Ab hoc verſu quidam inchoant caput quintum, ut Tremellius & alii. ¶ *Accedere ad audiendum*] Quidam, *accede ad audiendum*, ut ſit קָרוֹב pro קְרַב, quæ Enallage inſolens non eſt. Sic זָכוֹר *memento*, quod in Decalogo. Compone te ità, inquit, ut Deo in omnibus dicto ſis audiens, eique per omnia obtemperes. ¶ *Quàm dare ſtultorum, aut ſacrificium*] *Dare ſtultorum*, i. *dona*, ſive *donaria*, *ſtultorum.* Cæterùm particula *aut* non eſt in Ebræo; ut poſſis legere, *Quam dare ſtultorum ſacrificium*, hâc ſententiâ, *Sacrificia* quæ in Templo ex Legis præſcripto offeruntur *præſtant donariis ſtultorum*, qui dando Deum magis magiſque irritant & provocant. *Stultorum* improborum, quos μωροκάκες nuncupant. Sic paſſim in Proverbiis. ¶ *Neſciunt ſe facere malum*] Cùm videlicet pollutis manibus offerunt Deo aut ſacrificia aut alia donaria.

IDEM.

1. הָעֲשֻׁקִים. Sym. τὰς συκοφαντεμένες *calumniam ſuſtinentes*] Sive *oppreſſos per calumniam.* ¶ מְנַחֵם. Sym. παρηγορῶν, παραμυθέμενος, *alloquens*, *conſolans*] Videtur deeſſe litera *A.* quæ *Aquilam*; aut *Th.* quæ *Theodotionem* ſignificet. Nam utrumque certè Symmachus ità non poſuit, aut ego in magno errore ſum.

4. אֶת כָּל־כִּשְׁרוֹן. Sym. σύμπασαν γοργότητα *omnem agilitatem.*

5. חֹבֵק אֶת־יָדָיו. Sym. περιπλέκεται τ̃ χερσὶν αὐτε̃, *complicat manus ſuas*] Verbum è verbo, *circumplicatur manibus ſuis.* Ego ſenſum expreſſi, niſi fallor.

7. וְשַׁבְתִּי אֲנִי וָאֶרְאֶה. Sym. Καὶ πάλιν ἀναςρέψας κατέμαθον, *Et denuo rediens didici.*

13. טוֹב יֶלֶד מִסְכֵּן וְחָכָם מִמֶּלֶךְ זָקֵן וּכְסִיל. Sym. *Melior eſt puer pauper cum ſapientia Rege ſene & inſipiente.* ¶ אֲשֶׁר לֹא־יָדַע לְהִזָּהֵר עוֹד. A. ὃς ὐ γνώσεται τε̃ φυλάξαϑαι *qui neſcit cuſtodire* —— Sym. *qui neſcit præcavere viciſſitudinem.*

14. כִּי־מִבֵּית הָסוּרִים יָצָא לִמְלֹךְ כִּי גַּם בְּמַלְכוּתוֹ נוֹלַד רָשׁ. Sym. *Alter enim exit de carcere ad regnandum : alter vero cum eſſet Rex natus, paupertate oppreſſus eſt*] Deſcripſi ex Hieronymo. Cæterùm Græcè iſta habentur in ed. Rom. his verbis concepta; Ὁ μὲν γὰρ ἐκ φυλακῆς ἐξῆλϑε βασιλεῦσαι; ὁ δὲ καίπερ βασιλεὺς γεννηϑεὶς ἠπορήϑη, *Nam ille quidem ex cuſtodia egreſſus eſt ad regnandum : hic verò licèt Rex natus eſſet indiguit.* Vel, *indigus fuit*, *eguit*, *penuriâ laboravit.*

15. רָאִיתִי אֶת־כָּל־הַחַיִּים הַמְהַלְּכִים תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ עִם הַיֶּלֶד הַשֵּׁנִי אֲשֶׁר יַעֲמֹד תַּחְתָּיו. Sym. *Vidi omnes viventes qui gradiuntur ſub Sole cum adoleſcente ſecundo, qui ſurrexit pro eo.*

16. אֵין־קֵץ לְכָל־הָעָם. Sym. *Infinitus omnis populus.* ¶ אֲשֶׁר־הָיָה לִפְנֵיהֶם גַּם הָאַחֲרוֹנִים לֹא יִשְׂמְחוּ־בוֹ כִּי־גַם־זֶה הֶבֶל וְרַעְיוֹן רוּחַ. Sym. *qui fuit ante utrumque : & poſteri non lætabuntur in eo. Sed & hoc eſt aura & paſtio venti*] *Aura* ἀτμός. *Paſtio venti*, βόσκησις ἀνέμε, ut 1. 14.

17. וְקָרוֹב לִשְׁמֹעַ. A. κὶ ἔγγιζε ὥστε ἀκέειν, *& accede ut audias.* ¶ לַעֲשׂוֹת רָע. τε̃ ποιῆσαι κακὸν, *facere malum.*

AMAMA.

1. *ET converſus ſum & vidi omnes oppreſſiones quæ fiunt ſub ſole, & ecce* (vidi) *lachrymas oppreſſorum, & nullus conſolator erat iis*, (neque) *à manu opprimentium eos* (evadendi) *robur* (erat iis) *& nullus conſolator erat iis.*

2. *Itaque laudavi ego mortuos, qui jam mortui ſunt, præ vivis qui etiamnum vivunt.*

3. *Imo melior utriſque illis qui necdum fuit, quia non vidit opus malum quod fit ſub ſole.*

Tranſit ad alias vanitates quarum conſideratio parit tædium hujus vitæ.

Converſus ſum] q. d. ſtatuto hoc (quod vidimus ultimo verſu cap. præc.) alia vanitas occurrit.

עשוקים] *Oppreſſiones.* Bis in hoc verſu occurrit. Loco primo per abſtractum reddunt interpretes, ob ſequens נַעֲשִׂים factæ, quæ fiunt ſub ſole. Erit ergo prius illud à ſingulari עָשׁוּק formæ גָּדוֹל. Porro עָשַׁק eſt vi, dolo vel alio quovis modo hominem circumvenire. R. David in Radicibus ait עשק eſſe *nolle reſiſtere proximo mutuum* vel *rem depoſitam*; ut גזל *per vim aliquid alii eripere.* Aben Ezra Levit. 6. 2. ait גזל eſſe *vi aperta aliquid rapere*, ut עשק *per fraudem & calumniam.* Hoc videntur LXX voluiſſe dum vertunt πάσας τὰς συκοφαντίας. Ubi notatur Fragmentum Symm. πάντας τὰς συκοφαντεμένες. Addit collector Fragmentorum *Ex Hebræo.* Cur hoc magis ex Ebræo quam illud? Poſſe illud eſſe abſtractum nomen jam oſtendimus. Sunt qui verbum hoc per *defraudare* reddunt. Et huc referunt alii illud συκοφαντεῖν Luc. 3. Ut ut ſit, tutiſſimè per *opprimere* redditur, utpote quod utrumque comprehendit & oppreſſionem quæ per dolum, & eam quæ per apertam vim.

Conſolator] מְנַחֵם Part. act. Piel à נחם. Eſt & nomen proprium Ebræis frequens, ut Manahem Ricinenſis & alii multi. Hinc etiam ut Cl. Druſius obſervavit, eſt illud βάρναβας quod in Actis, quod manus ſcribarum aut librariorum corrupit. Nam eſſe debebat βάρναμας. Hoc clamant ſeqq. Ecce enim ipſe Lucas hoc interpretatur υἱὸς παρακλήσεως; filius conſolationis. At נָבָא nunquam ſignificat παρακαλεῖν. Eſt ergo à נחם unde נַחְמָא vel נַחֲמָא, eliſa ח more Ebræorum *Nama* & terminatione Græca *Namas.* Ecce jam habes *Barnamas.* At quia β & μ in exemplaribus veteribus vix poterant dignoſci, corruptum fuit in βάρναβας, deinde etiam quia hoc notius erat. Simile συναχερεβ & -ρέμ. Vide Cl. Druſ. notas ad Tobiam & Acta.

Neque à manu &c.] Primò repetitur negandi particula. Sic Pſ. 9. *non in perpetuum oblivioni dabitur pauper*; (nec) *ſpes afflictorum peribit.* Deinde ſubintelligitur לְהִנָּצֵל ad evadendum. Sic Mercerus.

Alii non repetunt negationem & מִיַּד exponunt, in manu, *Et in manu opprimentium erat robur.* Vel מִיַּד i. מִצַּד à latere opprimentium erat robur. Quòd Belgæ dicunt **aen haer ſyde**/ & Galli, *du coſté* &c.

3. *Huc uſque*] עֶדֶן pro eo quod verſu præcedenti עֲדֶנָּה, Hoc verò etiam contractum eſt pro עַד הֵנָּה. *Qui ſophiſticantur*, ait Mercerus, *melius eſſe miſerum eſſe quam omnino non eſſe, reſponſum accipiant à Salomone, qui hæc non Mimeticè ſed ſeriò ſua ſub perſona aſſerit.* Audiant ipſum Salvatorem Matth. 26. 24. *Melius fuiſſet homini illi ſi nunquam natus eſſet.* Addam ex Mercero Græcum Epigramma in eundem ſenſum,

Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσϑαι
Μηδέποτ' ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Et illud vetus, *Optimum non naſci, aut ubi natus ſis, quam ocyſſimè aboleri.* Hæc reſpectu pereuntium intelligenda ſunt. Electos quod attinet, iis, licet hic malè habeantur; repoſita tamen eſt æterna gloria & corona.

4. *Vidi omnem laborem & omnem rectitudinem operis; quod*

quod eſſet invidia viri à ſocio ſuo, etiam hoc eſt vanitas & paſtio venti.

Oſtenſa miſeriâ humanâ in oppreſſionibus, jam eam oſtendit in eo quod omnia etiam optima invidiæ ſint obnoxia.

Rectitudinem operis] i. opus rectitudinis. Hypallage, ſimile, *viriditas herba* Gen. 1. id eſt herba viriditatis. Jam *opus rectitudinis* id eſt, opus rectum, Ebraiſmus. Qualia, *vir ſanguinum*. i. ſanguinolentus &c. Intellige autem non tantum de rectè factis erga Deum & homines, ſed generaliter de omnibus iis, quæ à ſingulis artificibus in ſuis artificiis & opificibus optimè fiunt. Hinc Heſiodus

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Hinc & illud, *Virtutis comes invidia.*

A ſocio ſuo] מרעהו alii, *in ſocium ſuum*, q.d. ברעהו. Res eodem redit. Alia miſeria & vanitas nimirum invidia.

5. *Stultus complicat manus ſuas & comedit carnem ſuam.*

6. *Melior eſt plenitudo volæ cum requie, quam plenitudo utriuſque volæ cum labore & afflictione ſpiritus.*

Stultus] i. Piger, hoc loco. Vide ſupra.

Complicat manus ſuas] Emblema pigri. Vide Prov. 6. 10. *Quouſque piger dormies? quando ſurges à ſomno? Parum ſomnorum, parum dormitationum* (capiendo), *parum complicationis manuum ad dormiendum.* &c. Vide & 19. 24 *Abſcondit piger manum ſuam* בצלחת quod quidam *ſinum* interpretantur. Alii aliter. Vide Mercerum.

Et comedit carnem ſuam.] Effectum pigritiæ. Hyberbole. Eò famis adigitur dum omnia dilapidata, nihilque ſibi labore rurſus acquirit, ut tandem propria carne veſci cogatur Polypi more. Aut per *comeſtionem* hanc intellige miſerum illum ſtatum in quem ſolent otioſi pigritiæ damnum ſentientes incidere, & permanere, donec planè contabuerunt.

Alii tamen hæc cum præcedentibus jungunt, ut ad *invidum* hæc referantur: ut hic ſtultus vocetur homo invidus. Certè quod hic dicitur *comedere carnem ſuam* optimè in invidum quadrat. Et huic loco tunc lux accedet ex Prov. 14. 30. ubi invidia vocatur רְקַב עֲצָמוֹת *putredo oſſium:* quò & illud refer

Invidus alterius rebus macreſcit opimis

Sed tunc neſcio quid fiet præcedentibus *Complicat manus ſuas*, niſi ita accipias ut ſit geſtus hominis ſummè dolentis. Chaldæus de pigro omnia accipit. Sic enim ille, *Stultus vadit & complicat manus in æſtate & non vult laborare, & hyeme comedit quicquid eſt ipſi.* Et quod dicit Salomo, *Comedit carnem ſuam*, ille ſic [Hebrew], *& etiam operimentum, quod eſt ſuper pellem carnis ſuæ*, veſtes intelligens & quicquid hominem tempore hyberno ab aëris & frigoris injuria ſolet defendere. Et certè, ut hic locus de fame & inedia qua ſe vel inviti conficiunt γάστερες ἀργοὶ explicetur, mihi appoſitiſſimum videtur. Sive hyperbolice accipias, ſive ita, ut non ſit incredibile, Quemadmodum ſæpe videmus homines, qui omnia dilapidarunt in ætatis flore, de ſenectute ſecuri, tandem ad incitas redigi & præ inopia viribus deficere, morbis & languore confici, & ita carnem ſuam paulatim contabeſcendo conſumere, & ſæpe præterea, uxores, liberos &c. (qui *carnis* nomine ſæpe indigitantur) iiſdem miſeriis involvere. Vel, *carnem ſuam.* i. ſe ipſum. Et

Comedit] i. conſumit. Jeſ. 1. *comedemini gladio.* i. conſumemini. Exod. 3. *Rubus non comedebatur.* i. conſumebatur Porro *caro* pro ipſo homine notiſſimum. Joh. 1. *Verbum caro factum eſt.*

Melior eſt &c.] Ut ſit ſententia per ſe, doctiſſ. Mercerus eligit, quâ via media oſtenditur inter pigritiam & invidiam. Invidiam dico, qua quicunque tumet alienis bonis macreſcit, ſuis interea non fruens, & Pigritiam, quâ ab omni labore abſtinetur, præſentibus bonis ſecurè interea pereuntibus. Senſus verſiculi eſt, Præſtat modicum cum requie quam plurimæ opes cum animi diſcruciatione. Præterea natura paucis contenta eſt, unde egregiè Epicurus, referente Seneca, *ſi ad naturam vixeris, nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, nunquam eris dives. Natura exiguum, opinio immenſum deſiderat.* Et ipſe Seneca alibi Epiſt. 4. docet, ſi quis ita vivat, non neceſſe eſſe *ſuperbis aſſidere liminibus, aut ſupercilium grave, aut contumelioſam pati humanitatem. Parabile eſt quod natura deſiderat &c.*

Melior eſt plenitudo volæ] Hypallage, pro *vola plenitudinis.* Simile Gen. 1. *viriditas herba.* Jam *vola plenitudinis.* i. vola plena. Ebraiſmus communis. Et ſic Chaldæus accipi poteſt טב לגבר מלי חפני. Melius eſt viro implementum volæ. Et ſic Lxx, πλήρωμα δρακός. Vulg. una voce *pugillum* vertit. Ut hic eſt מְלֹא כַף, ſic Jeſ. 6, 3. legimus מלא כל ארץ כבודו plenitudo totius terræ gloria ejus, quod accipies ac ſi eſſet, *terra tota plena eſt.*

Cum requie] נחת pro בְּנַחַת. Sic ſupplet Chaldæus בְּנַיְחָא in quiete, & addit נפשׁ animi. Lxx. per Genit. reddunt, πλήρωμα δρακὸς ἀναπαύσεως. Et ſic in fine verſus עָמָל & רעות pro בעמל & ברעות.

Addam ad hanc ſententiam locum unum & alterum ex Proverbiis lucis cauſa. Prov. 15. 16. legimus טוב מעט ביראת יי מאוצר רב ומהומה בו *Præſtat exiguum in timore DOMINI, quam theſaurus multus in quo eſt conturbatio.* & 17. *Præſtat convivium oleris, in quo ſit amor quam bos ſaginatus ubi eſt odium.* Et initio capitis 17. *Præſtat buccella ſicca ubi ſit pax domui plena ſacrificiis contentionis.* Ubi obiter obſerva זֶבַח ſacrificium aliquando pro *convivio* poni, quia ſacrificiis ſolebant ſæpe addi convivia. 1. Sam. 9. *Populus non comedit donec ille* (Samuel) *veniat. Nam ipſe benedicit* SACRIFICIO *& poſtea comedunt invitati.* Et cap. 16. Samuel dicitur *invitaſſe Iſai cum filiis ad* זבח ſacrificium, & cap. 20. excuſatur David quod *ad convivium Regis non acceſſerit, quia abierit ad ſacrificium.* i. convivium Bethlehemiticum. Dixerat enim Deus Samueli verſ. 3. cap. 16. *Ut impleret oleo cornu ſuum & ad Iſajum Bethlehemitam contenderet*, ſubjicitque *ut ſumeret vitulum armenti & diceret ſenioribus ſe veniſſe* לִזְבֹּחַ לַיהוָה. i. ut Tremellius, *ad convivium celebrandum DOMINO.* Licet enim addatur DOMINO, tamen de ſacrificio intelligi nequit. Additur enim illud ideo, ut oſtenderetur ſacrificium illud non ſua authoritate, ſed Dei juſſu inſtitui. Ut omittam quod nulla ſacrificia inter privatos alicujus parietes fieri poterant. Sed in loco quem Deus deſtinaverat, aut corruptiſſimis ſæculis in excelſis fieri ſolebant.

Atque his ita relictis, videamus aliam hujus loci interpretationem. Sunt enim qui hæc Mimeticè dictum putant & eſſe pigri verba. Ideoque Vulgatus præcedenti verſui adjicit participium *dicens.* Quid me diſcruciem labore immodico. Parabile facilè eſt quod mihi ſufficit. Potior eſt vola una cum requie &c. Expoſitio non adeo aliena.

Licet myſticas & allegoricas expoſitiones non propoſitum eſt adducere, tamen non poſſum non notare quod hoc loco Hieronymus, ut & comment. ad 1. Aggæi notat, binarium numerum in Scripturis eſſe notam mali, & unitatem boni, quod ſolent oſtendere exemplis immundorum animalium quæ bina arcam ingrediebantur, & peccatoris ingredientis duas vias, Deo ſerviendi & Mammonæ, item ex eo quod ad ſecundi diei hiſtoriam non additum ſit, *& vidit Deus quod eſſent bona.* Contra, *Ego & Pater unum ſumus*; Et Chriſtus *ſolvendo ſeptum intergerini parietis* (Eph. 2. 14.) *utraque fecit unum*, &c. Huc etiam referri poſſet quod Pythagoras unum in bonorum, duo in malorum collocavit ſerie. At quam ſint hæc frivola hæc oſtendunt, *duplex præceptum charitatis, duæ tabulæ Legis, duo Cherubini in propitiatorio, duæ naturæ Chriſti.* Et paulo poſt dicit, *Melius eſſe duos eſſe ſimul quam unum*, & in Geneſi dixerat Deus, *non eſſe bonum homini eſſe ſoli* &c.

7. *Et converſus ſum ego & vidi vanitatem ſub ſole.*

8. *Eſt unus* (quiſpiam) *nec eſt ſecundus ei, nec filius nec frater, neque* (tamen) *eſt finis omnis laboris ejus, nec oculi ejus ſatiantur divitiis,* (nec cogitat) *Cui laboro ego & defraudo animum meum bono? Etiam iſtud eſt vanitas & occupatio mala.*

Inculcet hic inanem laborem Euclionum, qui genium proprium defraudant, cum tamen planè ignari ſint, cui divitias ſuas ſint relicturi. In hoc verſu. 8. eſt totum Alphab. Vide Loc. comm. Maſſorit. in A.

Eſt unus] יֵשׁ אֶחָד eſt ſolus quiſpiam vel unicus quidam יֵשׁ יָחִיד. Aliàs aliquando *primum* ſignificat, ut Gen. 1. *Et factum eſt mane & fuit veſperi, dies* אחד. i. primus. Pro Ordinali cardinale. Et huc referunt quidam Theologi illud אחד quod eſt Dan. 10. 13. *Princeps regni Perſici ſtetit coram me* XXI. *diebus, cum ecce Michaël* אַחַד. i. (interprete Tremellio) *Primus è principibus primariis veniſſet ad adjuvandum me*, verentes ne ſi propriè exponerent vocem, Michael intelligeretur & haberetur Angelus creatus, *unus* ex principibus primariis i. ut vetuſtas credidit; UNUS è ſeptem Archangelis, quorum etiam Johannes Revelat. 1. mentionem facit, & cujus Eccleſia Anglicana adhuc hodie celebrat feſtum. Sed ego non video primò, quæ neceſſitas nos cogat recedere hîc à piâ vetuſtate, & hoc loco à propria acceptione vocis אחד. 2. Quomodo nihilominus hæc non poſſint Angelo creato tribuis? Certe ſi inter Dæmonia mala eſt princeps qui & quaſi κατ᾽ ἐξοχὴν διάβολος vocatur, & tali Phraſiologiâ, qua princeps cum exercitu, ibi, *Diabolus & Angeli ejus*, quid obſtabit etiam in bonis aliquem ordinem ponere & in eo principatum? Nam planè

gemi-

geminum Apocal. 13. *Michaël & Angeli ejus.* Scio quidem Theologos magnos hæc ut omnia quæ de Michaële dicuntur, Chriſto tribuere, ſed contra ſcio Theologos magnos & vetuſtos obſtare. Ego non exiſtimo recedendum à vetuſtis & receptis ſine neceſſitare. Ad hunc Ebraiſmum referunt etiam ex Novo T. quædam, ut Act. 26. 7. & 1. Corinth. 16. 2. ἐν τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων idem ſit quod ἐν τῇ πρώτῃ primâ ſeptimanæ. Ego non in dubium vocabo, an Judaicum Sabbathum jure ſit abrogatum, ſed quod ex his locis deduci video, nempe præciſum illum diem primum τῶν σαββάτων ei jure divino ſucceſſiſſe hinc probari non video. Primò enim quæ urget neceſſitas recedere à propriâ ſignificatione vocis μιᾷ? Secundò, dato hic μιᾷ idem eſſe quod πρώτῃ, quid inde inferetur? An quia aliquoties eo die collectam, conventum & ſacram Synaxin inſtituerunt, ideo Sabbatho & quidem jure divino dies primus ſucceſſit? Ego in Eccleſiâ Anglicanâ, quæ mihi ſemper optimè viſa eſt conſtituta, ſæpiſſimè obſervavi diebus aliis Synaxin celebratam, & quotidie apud nos conciones & collectæ habentur. Sed ne ſutor ultra crepidam.

Et non eſt ſecundus] Sym. καὶ οὐκ ἔσται δεύτερος, non erit. Videtur innuere prolem, quæ legitimè poſſit ſuccedere. Diximus אחד poſſe accipi pro יחיד. i. unus pro unicus. Si ſic eſt, hæc particula verſus erit ἐπεξήγησις iſtius. Hoc crebrum eſt in Scripturis. Præcipuè in Johanne. Exempli gratia, *confeſſus eſt & non negavit* Joh. 1. 20. Sic 1. Joh. 1. 5. *Lux eſt nec tenebræ in eo ullæ.* & verſu 27. *Verum eſt & non eſt mendacium.* & verſu 4. *Mendax eſt & veritas non eſt in eo.* Sed & David Pſ. 118. 12. *Non moriar, ſed vivam.* Sic & Eſajas ad Hiskiam, *Morieris & non vives.* Quæ notavit Cl. Druſius ad 1. Joh. 1. 4. Ubi & ſimile ex Platone adducit, ἀπειθοῦντες ἢ καὶ μὴ πειθόμενοι ταῖς ὑπ' ἐμοῦ διαλέξεσι. *Refragantes autem & non obtemperantes iis quæ à me habentur diſputationibus.* Epiſt. 7.

Nec filius nec frater] Hi enim proximi ſolent eſſe in hæreditatibus. Nullus eſt cui dicere queat ſe laborare.

Nec cogitat] Hæc Ebræus textus non habet neque Græcus. Chaldæus & Vulgatus ſic ſupplent. Ille enim ſic habet ולא אמר בלבביה & non dicit in corde ſuo.

Cui laboro] וּלְמִי & cui. *Et* hic videtur eſſe indignantis, quale etiam ſupra viſum mihi eſt illud ולמה *& quare ſapui tunc plus?* cap. 2. 15. Simile in N. T. Act. 23. 3. καὶ σὺ κάθῃσαι *& tu ſedes ad judicandum me? & jubes contra legem verberare me?* Sic & Æn. 1. *Et quiſquam numen Junonis adoret?* Et *cui* ſub. perſonæ, cui homini? Chald. —— *Ad quidnam?* Vix probabile. מִי enim de perſona, מה de re interrogat. Poteſt intelligi quaſi miſellus ille Euclio non cogitet quæ debebat, aut quaſi pœnitentia ei hæc extorqueat.

Et defraudo animam meam bono] i. memet ipſum. Latinius, *Cur defraudo genium meum?* Mirabilis eſt iſta hominum diverſitas. Supra deſcribebatur, qui à labore prorſus abſtinebat, hic is qui in labore immodicus ſibi ſoli tamen laborat, imo ne ſibi quidem. Vide Aben Ezram.

Occupatio mala] עִנְיַן רָע. Quædam exemplaria habent ענין cum Pharhah, & tunc videtur reddendum, *occupatio mali* ſub. איש viri.

Docemur itaque hic hominis avari φιλαργυρίαν nulla opum vi poſſe expleri. Docemur avarum eſſe extremè ſtultum qui etiam animam lucro vendere ſolet & nunquam cogitat, cui tot opes congerat. Certe ſibi non corradit, ei enim tam deeſt quod habet quam quod non habet. Adde, quo plura ſibi corradit, eo pauperior evadit. Unde egregiè Chryſoſtomus hom. XXIV. in Epiſtolam ad Corinthios, οὐδὲν οὕτω πτωχοποιὸν ὡς φιλαργυρία. *Nihil eſt quod hominem adeo ad mendicitatem redigit quam ſtudium divitiarum.*

9. *Meliores ſunt duo uno, quippe qui mercedem habeant bonam ex labore ſuo.*

10. *Nam ſi cadant, alter eriget alterum: væ ergo illi uni: quia* (ſi) *cadet non* (erit) *ſecundus qui eum allevet.*

11. *Si etiam dormierint duo, calor erit iis: uni autem quomodo calor erit.*

12. *Quòd ſi prævaluerit ei unus, duo ſtabunt adverſus eum. Imo filum triplicatum non celeriter rumpitur.*

Deſcripto homine avaro, qui ſibi ſoli, imo ne ſibi quidem vivit, qui μισάνθρωπος imo ſui ipſius oſor eſt, jam ſocietatis civilis commoda & ſolitudinis incommoda deſcribit. Dicit itaque verſ. 9. *Quanto ſatius eſt ſocium ſibi laborum & vitæ totius adjungere.* Ebræis celebre eſt Proverbium, או חברותא או מיתותא aut ſocietas aut mors, & Ariſtoteles 3. polit. cap. 7. *ſolitarium* vocat *aut DEUM aut beſtiam.* i. vel divinis vel beſtialibus moribus præditum.

Meliores ſunt duo quam unus] Propoſitio, quam jam oſtendit ex utilitatibus & commodis ejus. Quamvis autem in genere de ſocietate loquatur, videtur tamen Ebræis (quos hic Hieronymo præfero aliiſque qui hæc tantum ſpiritualiter accipiunt & nimium ἀλληγορίζουσι) præcipue ad matrimonium reſpicere, in quo Deus O. M. viro uxorem ſociam vitæ adjunxit, ad propagandum genus humanum & vitæ cætera munia obeunda.

Quippe qui mercedem &c.] Commodum unum. Multa opera duo aggrediuntur, quæ unus vix auderet ſuſcipere. & per conſequens ampliſſimam ſuorum laborum poſſunt ferre mercedem.

Ex labore ſuo] בַּעֲמָלָם pro בִּי. Vide ſupra.

10. *Si ceciderint*] Commodum ſecundum. Si ceciderint, id eſt, ſi alteruter cadat. Sic (a) ſæpe pluralis ponitur pro ſingulari Partitivo, ſeu *uno ex plurib.* Simile in Euangelio Matth. 27. 44. *Latrones exprobrarunt ei.* i. unus, alteruter è latronibus, ut explicat Lucas 23. 39. Simile Jud. 12. *Sepultus eſt in urbibus Gilead.* i. in aliqua urbe Gilead. Jon. 1. *Et Jonas deſcendebat in latera navis.* i. alterutrum latus. Sic Matth. 14. 15. dicuntur *diſcipuli rogaſſe unde emere poſſint panes*, cum tamen Joh. 6. 7. Philippum ſolum id rogaſſe teſtetur. Sic hic accipiendum eſt. Nam ſi uterque cadat in lectum ex ægritudine (ut exponit Chaldæus) ſive egeſtatem ſive mentis conſiliive inopiam ſive lapſu externo cadat, quomodo hæc accipiunt Interpretes, difficile unus alterum eriget. Græci pro me ſunt, Lxx nempe, ἐὰν πέσῃ ὁ εἷς.

Socium ſuum] i. alterum. Lxx. Μέτοχον. Aq. φίλον. De voce חָבֵר dicemus peculiaria quædam infra.

Væ iſti uni] Lxx. καὶ αὐτῷ τῷ ἑνί. Antecedens ſubjungitur relativo לתוכפת הביאור, ait Mercerus. אִי inſulam in Scripturis ſignificat, unde plurale אִיִּים. At pro אִי extra hunc librum non invertitur. Aliquando & pro אִין reperitur, per Apocopen אִי, ut Proverb. 30. לרזנים אי שכר Principibus ne (des) ſiceram vel potius, non (convenit) principibus ſicera. Sed ſciendum, ibi eſſe notam Maſſoriticam, ut legi etiam poſſit אִו (ab אָוָה) q. d. principes (non decet) concupiſcentia ſiceræ. At apud Rabbinos certè pro *non* ſumitur, poſito prius hiric pro Tſere unde אִי אֶפְשַׁר non eſt poſſibile. Sciendum tamen ſemel nempe 1. Sam. 21. 8. legi אִין pro אֵין. Sed domum redeamus. Quædam exemplaria ſcribunt אִילוֹ unâ voce, eamque referunt Maſſoritæ in numerum quinque iſtarum dationum quæ ex duabus conflatæ ſunt; unde & duo accentus Grammatici ſunt, Munach ſerviens ſuæ voci & Rebia, cui etiam Munach ſervit. Poſtremò noto quoſdam exponere *ubi*, ſed durius.

Uni] i. ſoli, iſti qui ſocium ſibi non aſcivit Ezech. 33. *Unus erat Abraham & poſſedit terram*; Unus. i. ſolus. Supra notavimus *unus* aliquando poni pro primus. Addo exemplum ex Gen. 2. *Nomen uni eſt Piſchon.* i. primo. Num. 1. *In una menſis ſecundi* i. primo die. Adde Tibullum, *Jamque tuum cum auſus es unus Italorum omne ævum tribus explicare chartis.* *Unus Italorum* i. primus.

Concludam hunc verſum ſi addidero egregia Auguſtini verba, quæ habet lib. de Amicit. cap. 5. *Solus omnino eſt qui ſine amico eſt. Amicus medicamentum eſt vitæ. Non enim validior vel efficacior eſt vulneribus noſtris medicina, quam habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans.* Sequitur tertium ſocietatis commodum. De viro & uxore ſumit Chaldæus & alii. Sed latius poteſt extendi.

11. *Calor erit iis*] וְחַם לָהֶם Vau convertit præt. in fut. Eſt ex duplicantibus ut סב pro סָבַב. Hinc חַמָּה ſol dictus à calore. Ad hoc thema referunt quidam illud לַחְמָם quod eſt Job. 30. 4. ut ſignificet *ad calendum* & ſit Gerundium perfectum, poſito tantum (ְ) ſub ל ob ſeq. gutturalem (Eſſet enim explicatius לַחְמֵם ut לַחְפֹּר pro לַחְפֹּר) & ּ in fine ob accentum magnum pro pathach, in quod deſinit quia eſt verbum neutrum ut לִשְׁכַּב. Vide Grammat. Locus ita ſe habet. *Quia decerpebant* מַלּוּחַ *juxta arbuſta & radicem juniperorum* לַחְמָם *ad calefaciendum ſe.* Loquitur de pauperibus. Satis accommodata expoſitio. Scimus enim primò juniperorum prunas maximè eſſe calidas. Deinde ex Scaligero Exercit. 328. Plinio & Hieronymo didicimus juniperorum prunas annuum ignem poſſe ſervare. Firmat hanc expoſitionem quod Jeſ. 47. לַחְמָם in ſimili ſignificatione reperiatur, quin & Kimchi in Radic. ſic exponit. At altera expoſitio, *panis eorum*, non minus etiam quadrat. Nam in primo membro deſcribit eorum paupertatem ab eo quod famem viliſſima herba cogerentur ſedare & latran-

(a) *Druſ. Quæſt. lib.* 1.

latrantem ſtomachum placare. Sed quid per illud מַלּוּחַ denotetur (ut & hoc παρέργως addam) non ſatis convenit. Alii *Malvam* reddunt, alii vocem retinent Ebraicam. Cl. Druſius primus eruit ex Lxx optimam interpretationem, ἅλιμα, quod ſi legas ἅλιμα, ſignificabit *herbas aliquas ſalſas* & etymologià cum Ebræo optimè conveniet. Ut enim hoc à מֶלַח ſal, ſic illud ab ἅλς ἁλός. Si legas ἄλιμα, etiam optimè ad rem faciet. Tunc enim ſignificabuntur per eam vocem (ut Lex. Græc. notat) pharmaca vel herbæ quæ famem obrepere prohibent, eodem modo quo ἄδιψα vocantur quæ ſitim. Vide Quæſt. Druſii.

Si prævaleat ei] i. eorum duorum alterutri tertius quiſquam, duo illi ſcilicet, qui ſocietatem inierunt &c. Intellige de quavis ſocietate.

Stabunt] conſiſtent, vel *ſtabunt*. i. pugnabunt, reſiſtent, prævalebunt. Sic ſumitur paſſim. Jirm. 49. *Quis ille paſtor qui ſtet coram me?* Dan. 8. *omnes beſtiæ non ſtabunt coram eo*. i. non poterunt reſiſtere. Apocal. 12. *Draco* dicitur *ſtetiſſe contra mulierem*. i. pugnaſſe. Vide & Joſ. 1. Sic Eurip. dixit πρὸς ἀσπίδα σῆναι. Veriſſimè hoc dictum. *Concordiâ res parvæ* &c. Pater filiis concordiam inculcaturus faſcem virgarum iis dedit juſſitque, ut eum confringerent. Hoc non poterant. Ille vero ſingulas nullo labore confregit. Addo & in ſententiam hanc illud Euripid. in Her. μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη. Solitariæ manus imbecilla eſt pugna.

Funis triplex] i. Pluries tortus. Ternarius pro indefinito. Eò valentiores erunt quo plures inter ſe operas conſociaverint. Sunt qui hæc ad Trinitatem referunt, alii ad rationalem, concupiſc. & iraſcib. animam. Alii de triplici virtute fidei, ſpei & charitatis. Alii aliter. Ego tales Allegorias relinquo iis, qui ſenſus literalis ſimplicitatem contemnunt.

13. *Melior eſt puer pauper & ſapiens Rege ſene & ſtulto, qui neſcit admoneri amplius.*

14. *Nam de domo vinctorum exit ut regnet, quia etiam in regno ſuo natus eſt pauper.*

Alia vanitas, quæ in regnis & dominatibus obſervatur. Videtur autem hæc proponi in laudem ſapientiæ. Opponit puerum ſeni, vel potius ſapientem ſtulto. Sapientiæ adjungit duo ad defectum pertinentia, pueritiam rerum inexpertem & paupertatem, quæ hominem *contemptum & ridiculum*, ut ille ait, facere ſolet. At cum ſtultitia ponit duo laudabilia regiam potentiam & ſenium, quod comitari ſolet rerum experientia, tamen, inquit, præſtare puerum pauperem &c. Ebræi in Midras Allegoricè totum hunc locum exponunt, referente Hieron. in commentariis ad hunc locum. Per puerum pauperem & ſapientem intelligunt hominem interiorem, quem יצר טוב *genium bonum* vocant, per Regem ſenem & ſtultum hominem veterem, exteriorem, quem יצר רע *genium malum* vocant. Genius bonus vocatur puer reſpectu genii mali. Cum enim hic adſit homini à nativitatis momento, ille non accedit ad hominem ante XIII aut XIV ætatis annum, adeo ut ad minimum XIII annis genio malo ſit junior. Porrò puer hîc vocatur *pauper*, & ſenex ille vocatur *Rex*, huic omnia membra obediunt, illi vix unum. Adeo pauci juxta illius præſcriptum. i. juxta normam Legis divinæ vitam inſtituunt. Puer ille vocatur *ſapiens*, quia ſiniſtro tramite derelicto monet hominem ad dextrum apicem contendere, quod Philoſophi in litera Y oſtendere voluerunt. Senex vero *ſtultus* quod eum à recto tramite abducat. Et ſic ſumunt verſiculum ſequentem, Quoniam ille exterior homo ſcilicet de carcere i. utero materno exit ut regnet ſc. in vitiis, qui etiam in poteſtate hac ſua tandem pauper effectus omnia ſcelera committendo. Hæc Allegoria magis venuſta quàm ſolida eſt. Habet authorem quendam Barachiam. Et res in Paulo fundamentum habet. Quin & Ethnici ad hæc alluſerunt, dum dominum aliquem intus & in jecore hominis naſci docuerunt. Perſius Sat. V. *Si intus & in jecore ægro Naſcantur domini.* Quot enim vitia in homine dominantur, tot dominos iſtius hominis per σωματοποιΐαν vocabant ſapientes. Sic in Euang. Mammonas vocatur Dominus, οὐ διὰ τὴν οἰκείαν φύσιν ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ὑποκλινομένων αὐτῷ ταλαιπωρίαν. Ille ψύχωσιν vocat. Pythagoræi, ut notat Cl. Caſaub. ad Perſium ſic exiſtimabant, naſcenti homini adnaſci aliud animal, quod vocabant modo *feram multorum capitum*, modo *mortalem quandam vitæ ſpeciem*, aliquando ἔριν σύμφυλον, *litem homini innatam*, alii *naturam genitricem*, ſicut diximus ſupra Ebræos vocaſſe יצר רע. Quin & veteres quidam omnia vitia & virtutes animalia quædam eſſe crediderunt. Unde Seneca Epiſt. CXIII eam ſibi propoſitam ſic proponit, *Quæris &c. an juſtitia, fortitudo, prudentia, &c. virtutes ſint animalia?* Hæc attulimus tum occaſione iſtius Allegoricæ expoſitionis, tum quia videntur aliquid habere commune cum iis, quæ B. Paulus paſſim de exteriore & interiore homine diſputat.

14. הָסוּרִים] vinctorum. Contractum pro הָאֲסוּרִים. Varia hujus verſus eſt acceptio. Ego ut cum priori optimè cohæreat duas ponam, quæ ad meum magis ſunt palatum. Una eſt, ut hæc ſic jungantur Rege ſene & ſtulto, qui non novit admoneri amplius 14. Quod ſcilicet, de carcere etiam aliquando aliquis prodeat ad regnandum, & alius natus ſc. in regno רָשׁ. i. pauper evadat. Ut ſic exaggeret Senis Regis ſtultitiam à non recordatione duorum, quæ maximè debebat, ne nimio faſtu turgeret. Hæc ſiquidem duo ſæpiuſcule eveniunt. Prioris exempla præbebunt David, Joſeph, poſterioris, Zedechias, Nabuchodonozor, Beliſſarius &c. Et tunc רָשׁ verbum erit, non nomen.

Altera eſt, ut hæc ſic explicent priora, Quia e carcere ſæpe aliquis, ut puer ille pauper, promovetur ad Regnum, ut contra etiam ſæpe rex ſenex & ſtultus in regno jam confirmatus ſtultitiâ ſua pauper naſcitur. i. evadit. In qua expoſit. obſerva *naſci* pro fieri. Sic Job. 11. 12. עיר פרא אדם יולד. i. evaſit. Et pullus onagri homo evaſit. Prov. 17. אח לצרה יולד frater in adverſitate naſcitur. i. fit. Loquitur de amico, qui in adverſitate fit frater. i. כְּאָח. Et certè qui ex una conditione in aliam tranſit quaſi renaſci videtur. Alias expoſitiones mitto.

15. *Vidi omnes viventes qui ambulant ſub ſole, cum puero ſecundo qui ſtabit pro eo.*

16. *Non eſt finis omni populo, omnibus qui fuerunt ante illos, etiam poſteri non lætabuntur in eo, ſed & hoc vanitas & afflictio ſpiritus.*

Nova vanitas in Imperiis & dominatu, tam reſpectu eorum qui præſunt, quam qui ſubſunt. Senſus primi verſus idem cum Græco iſto Πλείονες προσκυνοῦσι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα ἢ δύνοντα: *Plures adorant ſolem orientem quam occidentem.*

Omnes viventes] i. homines. Sic Heva vocatur *mater omnium viventium*. Sic etiam alias *Creaturæ* nomen reſtringitur. Item vox *Caro*. De quibus alibi. Deinde omnes homines ſcilicet iſtius Regni.

Qui ambulant] Hæc refero ad præcedentia, non ad ſequentia, quia hoc prohibet accentus magnus qui in voce שָׁמֶשׁ. Obſerva etiam ה participiis præfixum idem valere quod אֲשֶׁר *qui, quæ, quod.* Porro, *ambulant* i. vivunt. Sic, *Henoch ambulavit cum Deo*. i. vixit piè, quod Perſius dixit *Vivere cum Jove*. Vide Henochum Cl. Druſii. Senſus ergo, Vidi omnes homines viventes ſub ſole.

Cum puero ſecundo] Secundo à Patre.

Supra verſu octavo, *nec eſt ſecundus*, expoſuimus de hærede aut ſucceſſore. Sic & hic ſumitur, quod evincunt ſequentia,

Qui ſtabit pro eo] ſc. Patre. Antecedens facilè ſubintelligitur. *Pro aliquo ſtare*. i. ſuccedere in Regno. Si per תַּחְתָּיו exprimatur. Alias ſi per עַל efferatur, *ſtare pro aliquo* ſignificabit defendere aliquem. Sic Dan. 12. 1. *Princeps magnus qui ſtat* על בני עמך *pro filiis populi tui.* Sic Eſt. 8. 11. *ſtare* על נפשם *pro anima ſua*. i. defendere ſe. Sic contra *ſtare coram aliquo* eſt pugnare contra aliquem.

16. *Nullus eſt finis populo &c.*] אֵין קֵץ. i. infinitus eſt numerus populi, qui fuit ante eos, qui hodie ſcil. vivunt (ut affixum הֶם referatur ad *viventes* verſu præcedenti) eorum, inquam, quibus ſcilicet antè pater hujus filii fuit charus, avo ejus derelicto. Sic etiam tandem futurum, ut etſi hodie omnes filium hujus patris ſequantur, poſteriores tamen, qui hos viventes ſunt ſecuturi, ſimiliter etiam eum ſint faſtidituri, filium verò ejus amaturi. *Adeo vana eſt Regum in hac vita ſucceſſio.* Merc. Ut non immerito exclamet ille apud Senecam in Octaviâ,

O Funeſtus multis populi
Diruſque favor: qui cum flatu
Vela ſecundo ratis implevit
Vexitque procul, languidus idem
Deſerit alto ſævoque mari.

Reliquæ literales expoſitiones eodem tendunt, quibuſdam illud לִפְנֵיהֶם aliter atque aliter accipientibus. Sunt enim qui illud הֶם de patre & filio accipiunt, ſunt qui per illud *ante eſſe* intelligunt comitari honoris & obſequii ergo, quali comitatu videmus Reges utplurimum ſolere in publicum prodire.

Nec deſunt, qui hæc ſuperioribus jungant, ut per *puerum ſecundum* intelligat puerum illum pauperem & *ſapientem*, qui ſeni Regi & fatuo ſuccedat. Ut hinc arguatur populi & plebis levitas, cui nec hic ſapiens Rex tandem ſit arriſurus.

Myſticas & Allegoricas expoſitiones, ſi quis hic deſideret, videat Ambroſium, Hieronymum &c.

GRO.

GROTIUS.

1. **V**Erti me ad alia*] Alia rurſus mihi cogitatio incidit, *mortem vitâ eſſe meliorem.*

2. 3. *Et laudavi magis mortuos quàm viventes : & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus eſt*] Dictum hoc fuiſſe Satyri narravit Ariſtoteles. Id ſic expreſſit Chalcidamas :

> Ἄρχην μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον·
> Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.
> [*Optima ſors homini non edi in luminis oras;*
> *Aut natum ſubitò penetralia Ditis adire.*]

Theognis verò in hunc modum :

> Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
> Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·
> Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι,
> Καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.
> [*Optima ſors homini natum non eſſe, nec unquam*
> *Aſpexiſſe diem flammiferumque jubar :*
> *Altera jam genitum demitti protinus Orco,*
> *Et preſſum multâ mergere corpus humo.*]

Poſidippus verò his verbis :

> Ἦν ἄρα τῶν πάντων τόδε λώϊον, ἢ γενέσθαι
> Μηδέποτ', ἢ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.
> [*Nil igitur ſatius quàm nunquam cernere lucem;*
> *Vel modò conſpectâ luce repente mori.*]

8. *Unus eſt & ſecundum non habet*] Nemo eſt ei ſanguine propinquus, cujus causâ laboret.

Nec ſatiantur oculi ejus divitiis] Aviditatis egregia deſcriptio. Bene *oculi* : ii enim ſoli fruuntur divitiis apud avaros.

Et fraudo animam meam bonis] *Genium defraudo*, diceret Terentius.

9. *Melius eſt ergò duos eſſe ſimul quàm unum*] Ex Homero Ariſtoteles laudat ;

> ——— σύν τε δύ' ἐρχομένω
> [——— *cùm duo ſunt unà.*]

14. *Quòd de carcere cateniſque interdum quis egrediatur ad regnum*] Ut Agrippa Judææ Rex.

Et alius natus in regno inopiâ conſumatur] Sic Telephum mendicantem in Tragœdia introduxit Euripides. In ejuſdem Helena ſic Menelaus :

> Κακῶν δὲ θ' ἡμῖν ἔσχατον τοῖς ἀθλίοις
> Ἄλλους τυράννους αὐτὸν ὄντα βασιλέα
> Βίον προσαιτεῖν.
> [*Malum meis hoc deerat extremum malis*
> *Reges ut alios, ipſe Rex olim, prece*
> *Alimenta peterem.*]

15. *Vidi cunctos viventes qui ambulant ſub Sole cum adoleſcente ſecundo qui conſurget pro eo*] *Secundum* hîc intellige heredem regni, ut ſuprà 9. Senſus eſt idem qui in dicto vetere, quod Pompejus uſurpavit, deinde Tiberius, *à pleriſque adorari Solem orientem.* Papinius :

> *Et qui mos populis venturus amatur.*

Ità in regnis quoque ſunt tormenta & metus.

16. *Infinitus numerus eſt populi, omnium qui fuerunt ante eum*] Non evenit hoc Regis culpâ ; nam ab omni ætate populi eo fuêre ingenio :

> ——— *nec impoſitos unquàm cervice volenti*
> *Ferre duces,*

ut ait Papinius.

Et qui poſtea futuri ſunt non lætabuntur in eo] In illo quem nunc Regem ſibi optant, quem amant præ Rege regnante.

17. *Melior eſt obedientia quàm ſtultorum victima*] 1 Samuel. xv. 22.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. **F***Aciat peccare carnem tuam*] h. e. Non facias votum aliquod legitimum & quod Deo placet, per cujus tranſgreſſionem inducas ſuper te & ſuper filios tuos, qui ſunt *caro tua*, ultionem Divinam. *Neque dicas in conſpectu Angeli quòd ex ignorantia feceris* votum illud ; cùm nemo votum aliud facere poſſit aut debeat quam quod eſt in poteſtate ſua, & quod ſcit placere Deo, aut quo honoratur Deus. Non autem honoratur ſtultis votis, & quæ præjudicant legi ſuæ & fraternæ charitati, qualia paſſim in Eccleſia propter indoctos paſtores hominum ſtultitia adinvenit.

8. *Reſiduum*] Quidam Hebræorum ex hoc verſu hunc eliciunt ſenſum, *Nemo non abundanter vivere poteſt ex cultura terræ, etiam ſi Rex ſit, cùm omnis victus quo opus habet humana natura ex terra colligatur.* Alii referunt hunc verſum ad Deum, in hunc modum, *Poſt omnia terræ Deus ſui ſimilis exſpectandus eſt ; ut Rex agri qui colitur.*

9. *Divitias*] Exponunt Hebræi המון pro *veſtibus, pannis & aliis rebus mercatorum.* Qui illis, inquit, intendunt, plerumque habent in domo penuriam panis & frumenti ; cùm in primis ea ſint acquirenda quibus corpus potiſſimùm fovetur.

10. *Quid gratius*] Exponunt hic Hebræi כשרון pro טוב *bono* & pro הנאה *commodo.*

11. *Quod ſatiat divitem*] Chriſtus in Euangelio utitur quoque hoc modo loquendi quando dicit ; *Anima mea, habes multa bona in multos annos*, &c. Divitiæ igitur quibus ſe *dives ſatiandum* putat *non ſinunt illum dormire per noctem*, cùm ſemper timeat nè illas perdat ; quippe quæ mille caſibus obnoxiæ ſunt. Alii intelligunt per hanc *ſatietatem* redundantem crapulam.

VATABLUS.

5. **N***E des*, &c. אל תתן וגו׳] Hebraiſmum ſic quidam convertunt, *Ne committas ut os tuum præbeat carni tuæ occaſionem peccandi.* ¶ *Quòd error ſit* כי שגגה] *Quòd ignorantia ſit*, i. quòd id dixeris per imprudentiam. Alii vertunt, *Quia error* (ſive *peccatum*) *eſt.* ¶ *Et diſſipabit opus* וחבל את מעשה] *Et perdet opus.* Alii, *maledicet operibus.*

6. *Et vanitates* והבלים] *Et vanitatum.* ¶ *Sed* כי] Hîc כי pro כי אם poſitum eſt. Quidam totum verſum ſic reddunt, *Etenim in multis ſomniis & vanitatibus & negotiis multis enitendum eſt ut Deum timeas.*

7. *Et ſubreptionem judicii* וגזל משפט] *Et extorſionem judicii*, i. judicium vi extortum. ¶ *De voluntate* על החפץ] *Super hac re.* Vide ſuprà 3. 17. חפץ pro *negotio.* ¶ *Qui eſt ſuper*, &c. מעל גבוה וגו׳] *De excelſo* [ſub. *loco*] *obſervat* opera hominum : *& excelſi præſunt illis*, ſub. *hominibus qui excelſi dicuntur.* Relativum ſine antecedente, quia facilè intelligitur. Alii vertunt, *Quia excelſus à ſuperexcelſo conſervat, & excelſi ſuper eos.* Alii, *quia ille qui eſt altior omni ſublimi* homine *conſervat, & ſunt ſublimes ſuper eos.* Alii, *Eſt enim cuſtos altior etiam alto : & ipſis* mortalibus *aliqui altiores ſunt.*

8. *Porrò utilitas* culturæ *terræ*, &c. ויתרון ארץ וגו׳] *Porrò excellentia terræ præ omnibus eſt.* Vel, *Eximia dignitas terræ ſuper omnia eſt :* ב pro מ. q. d. Ratio agriculturæ eſt potiſſima omnium conditionum vivendi. Alii vertunt, *Reſiduum* quod colligitur ex *terra, in omni re eſt.* Acſi dicat, Nemo non abundanter vivere poteſt ex cultura terræ, etiam ſi Rex ſit, cùm omnis virtus quo opus habet humana natura ex terra colligatur. Alii, *Et amplitudo* [vel *utilitas*] *terræ in tota ipſa.* ¶ *Rex agro ſervit* מלך לשדה נעבר] q. d. Rex etiam ipſe colit agrum, aut colendum curat. Quidam Hebræorum vertunt, *Rex propter agrum factus eſt :* ut ל ponatur loco בעבור *propter*, i. etiam Rex non eſt factus niſi propter agrum, ut ex illo educat quæ ſunt ſibi ſuiſque militibus neceſſaria. Alii, *Rex propter agrum cultum.*

9. *Multitudinem* בהמון] *Numerum*, ſub. *ſervitiorum*, ſive *mancipiorum.* Vertunt etiam Hebræi, *Qui diligit divitias.* ¶ *Eſt ſine fructu* לא תבואה] *Non* erit *proventus*, ſub. *illi.*

10. *Cùm multiplicantur*, &c. ברבות וגו׳] *Dum augentur opes, augentur qui abſumunt eas.* ¶ *Quod ergo bonum*, &c. ומה כשרון וגו׳] Ad verb. *Et quid rectum domino ejus* boni, *niſi viſio oculorum ejus ?* Quod quidam vertunt, *Quod ergò emolumentum juſtum domino* [i. poſſeſſori] *illarum, niſi aſpectus oculorum ipſius ?* q. d. Illic eſt ſumma vanitas, cùm ex divitiis nihil ad poſſeſſores illarum redeat præter oculorum delectationem. Alii, *Et quid gratius eſſe poterit domino ejus* boni *quàm videre hoc ipſum oculis ſuis ?*

11. *Operantis* העבד] i. Ejus qui labore manuum vivit. ¶ *Saturitas autem divitis* והשבע לעשיר] *At ſatietas diviti.* Vel, *crapula opulento.* q. d. Nimiæ opes afferunt pœnam poſſeſſoribus ſuis.

12. *Mala infirmitas* רעה חולה] *Malus morbus*, à verbo חלה *ægrotavit.* Quidam vertunt *malum atrox*, vel *ſupplicium doloris plenum.* Alii, à radice חול *cecidit*, vertunt, *Eſt*

malum cadens, ſub. *ſuper filios hominum.* ¶ *Dominis ſuis* לבעליו] Quidam dicunt ל pro מן poſitum vertentes *à dominis ſuis*: præterea, in hujuſmodi locutionibus plurale vertendum eſſe in ſingulare, *domino ſuo.* ¶ *In malum ſuum* לרעתו] *In perniciem ſuam*, ſive *exitium.*

13. *Pereúntque* ואבד] *Pereunt etiam*: vel, *Pereunt quoque.* ¶ *Et genuit filium* והוליד בן] Præt. Heb. pro præſ. & בן collectivum eſt: unde vertendum, *Et gignit filios*, ſive *liberos.* Acſi dicat, Sunt qui ſtudent opibus cumulandis, dum multos habent liberos: ſed ludunt operam: nam ſæpiſſime fit ut dilapident & decoquant etiam ea quæ habent, & relinquant liberos ſuos pauperes, cùm nihil habeant ipſi.

14. *Nec quicquam reportat* ומאומה לא ישא] Ad verb. *Et quicquam non feret*, pro *& nihil feret.* ¶ *Quod venire*, &c. שילך בידו] Hebraiſmus, pro *cui manum admovit.* Vel, ut alii exponunt, *Quod manu ſuâ auferat*, ſive *ſuâ manu ſecum ducat.*

15. *Mala infirmitas* רעה חולה] *Supplicium doloris plenum.* Alii, *languor malus.*

16. *In tenebris comedit* בחשך יאכל] i. In mœrore veſcitur pane ſuo. ¶ *Et ira multa* וכעס הרבה] *Et iraſcitur multum.* Præt. Heb. pro præſenti, ut in quibuſdam exempl. legitur per Cames & Pathah. Alii habent duplex Pathah, & eſt nomen, eodem ſenſu, *Et indignatio multa*, i. ſubindè iraſcitur. ¶ *Et infirmitas ei* וחליו] *Et infirmitas ejus*: ſubaudiendum ex præcedenti כעס *erit indignatio*: q. d. Præ indignatione & ira frequenter incidet in morbum.

17. *Vidi* ראיתי] *Deprehendi.* ¶ *Bonum: quòd pulcrum eſt* טוב אשר יפה] *Bonum eſſe & pulcrum*, ſive *honeſtum.* Hîc אשר pro conjunctione copulativa ponitur. Quidam vertunt, *quid bonum & pulcrum.* ¶ *Et videre bonum* ולראות טובה] Vide ſuprà 3. 13.

18. *Quòd omni homini dedit* כל האדם וגו'] Ad verb. *omni homini quòd dedit ei.* Ordo inverſus, pro *quòd omni homini dedit Deus.* Pronomen *ei* redundat. Præterita Heb. pro præſ.

19. *Recordatur* יזכר] Fut. Heb. pro præſ. i. recordari ſolet. ¶ *Exaudit* מענה] *Exaudire* pro *largiri* quidam exponunt; quòd Deum tunc *exaudire* dicamus cùm largitur quod petimus: & vertunt, *largitur ei lætitiam cordis ſui.*

CASTALIO.

1. CUſtodi pedes tuos] Gere te prudenter. ¶ *Qui neſciunt quantum mali faciant*] Impiorum ſacra Deum irritant.

4. *Stulti accepti non ſunt*] Qui quod voverunt non ſolvunt: id quod ſtultitiæ eſt.

6. *Noli ore tuo uti in tui ipſius noxiam*] Scilicet vovendo.

7. *Nam in multis verbis multa ſunt ſomnia*] Inepta.

8. *Nam ſublimem ſublimior obſervat, & hos alii porrò ſublimiores: omniúmque in terra ſummus eſt ipſe Rex agri colendi*] Cùm tot ſint Præfectorum in provincia gradus, non mirum eſt ſi Rex provinciæ, qui eſt omnium ſummus, non poteſt cavere nè cui fiat injuria.

12. *Sive multum comederit*] Nam labor cibum conficit quamvis copioſum. ¶ *Divitem ſatietas dormire non ſinit*] Quippe qui non laboret.

20. *Nec enim multum recolit vita ſua tempus*] Suam miſeriam.

CLARIUS.

1. NE temere quid loquaris] *Nè præceps ſis in lingua tua*, oraturus Deum; *neque properet cor tuum effundere verba in conſpectu Dei. Eſt enim Deus in cælo*, unde *tua* omnia, qui *in terra* degis, videt: *quare paucis* apud illum *verbis* utere.

2. *Multas curas*] Sicut diurnæ curæ gignunt ſomnia, ità multa verba ſtultam faciunt orationem.

5. *Nè dederis os tuum*] Quare cave nè linguæ futilitas totum te peccato involvat; neque putes Angelum, qui tua obſervat, rem tam æſtimaturum levem quàm tu exiſtimabas, qui præ multitudine verborum vix ſciebas quid promitteres aut diceres. Quod tu tam leve putas, Deum ſic offendit, ut non ſolùm orationem tuam, ſed propter eam & alia opera tua ſit execraturus. Alii illa verba; *Ut peccare facias carnem tuam*, interpretantur ſic, *Ut non ſolùm ſuper te, verùm & ſuper filios tuos, qui ſunt tua caro, ultionem Divinam provoces.*

6. *Ubi multa ſunt ſomnia*] Sicut *in multis ſomniis plurima ſunt vana*, ità *& in multis verbis. Quare tu Deum* ex animo *reverere.*

8. *Et utilitas terræ*] Alius vertit, *Reſiduum quod colligitur ex terra in omni re eſt Rex propter agrum cultum.* Et hunc eliciunt ſenſum, *Nemo non abunde vivere poteſt ex cultura terræ, etiam ſi Rex ſit, cùm omnis victus quo opus habet humana natura ex terra colligatur.* Vel, Cùm ſummum quod terra homini præſtare poſſit, ſit agellus aliquis qui illum colenti ſatis eſſe poſſit ut ex eo vivat, cui ille contingit, & qui eo contentus eſt, is planè rex eſt. Sed videtur totius loci hujus hic eſſe ſenſus, Non mireris ſi videas egenos opprimi, quia non abibunt impunè oppreſſores: nam primùm Deus excelſior omnibus curam ſuſtinet eorum, deinde Præſides terræ ſæpe in hac vita ulciſcuntur eos. Sed melius eſſet dimittere calumnias, & colere terram, cui etiam Reges debent.

19. *Non enim multùm*] Qui talis eſt, parùm memor erit incommodorum vitæ ſuæ.

DRUSIUS.

1. NE præcipites ore tuo] Vel, *Nè eſto præceps ore tuo.* Hoc Sym. Græcè extulit Μὴ προπετὴς γίνου τῷ ςόματί σου. Priùs erat, Μὴ σπεῦδε ἐπὶ ςόματί σου. Dan. 2. בהתבהלה. Th. *ἐν σπουδῇ*, i. *celeriter*, *feſtinanter.* Nam בהל *accelerare*, propriè *attonitum reddere*, *conturbare.* V. ed. Latina, *Nè temere quid loquaris.* ¶ *Cor tuum nè acceleret proferre verbum*] Cordi tribuit quæ ſunt Oris propria. Nam Cor non profert verba ſed Os; quia tamen ex Corde manant, ideo *Cor* etiam ea *proferre* dicitur. ¶ *Coram Deo*] Cùm oras in æde ſacra. Sic, *Non apparebis coram Deo vacuus*, i. in Templo. Seneca, *Sic loquendum cum hominibus tanquam Deus videat; ſic loquendum cum Deo tanquam homines audiant.* Cæterùm *proferre verbum & loqui* paria ſunt. *Cor hominis loquitur*, & *Homo loquitur in corde ſuo*, ſive, quod idem, *cum corde ſuo.* Id nos dicimus *cogitare & perpendere cum animo ſuo.* Priùs ergò Verba, nunc Cogitata ſignificat, quæ *præcipitari* non debent *coram Deo.* Non ſolùm quid loquamur in Templo, ſed etiam quid cogitemus, videndum eſt. Eſt enim Deus καρδιογνώστης & *ſcrutator renum.* ¶ *In cælo*] In cœlo tertio, qui eſt ſupra omnes cœlos. Hoc cœlum vocatur à Davide *cælum cæli*, propter ejus excellentiam, & *ſedes Dei.* ¶ *Eſt*] Vel *habitat.* Neutrum eſt in fonte. Sic in Oratione legitima ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *qui in cælis*, ſub. ὢν, vel οἰκῶν, *es*, vel *habitas.* Alioqui Deus ubique eſt: imò non continetur ullo loco. Quia verò ſedes Dei celſior eſt reliquis cœlis, ut dixi, ideo Deus, qui illud inhabitat, vocatur in hoc libro *Celſus ſuprà omnes celſos.* Quò quis ſublimior eſt eò magis metuendus. ¶ *Et tu in terra*] Ad Deum comparatus minùs es quàm vermis, ac proinde non debes apud illum πολυλογεῖν. ¶ *Sint verba tua pauca*] Bene monet. Nam ſi cum hominibus in aliqua dignitate conſtitutis pauciloqui ſumus, multò magis tales eſſe debemus cum Deo, qui dignitate omnes ſupereminet. Cæterùm dehortatur à multiloquio in precibus, ut Chriſtus Matth. 6. 7.

2. *Quia*, &c.] Secunda ratio cur fugienda ſit loquacitas: Nam arguit inſignem ſtultitiam. Quod eleganti declarat ſimilitudine. Nam ut inſomnia curas diurnas produnt, ſic verboſitas ſtultitiam indicat. Sic eſt profectò. Quò quis ſapientior, eò eſt, ut ità loquar, pauciloquior: & contrà, quò quis minus habet rationis aut judicii, eò eſt in oratione prolixior & verboſior. Raró aliter uſu venit. Quòd ſi Auguſtinum nobis opponis, dicimus ei parem non eſſe. *Una hirundo non facit ver.* ¶ *Somnium*] Editio Symmachi ὄνειρος. Malim quod in Lxx, ἐνύπνιον· nam ſig. propriè *inſomnia.* Quæ ſic definit Macrobius lib. 1. cap. 3. *ἐνύπνιον eſt quoties cura oppreſſi animi, vel corporis, ſive fortunæ, qualis vigilantem fatigaverat, talem ſe ingerit dormienti.* Et mox, *Hæc & his ſimilia, quoniam ex habitu mentis quietem ſicut prævenerant, ità & turbaverant dormientis, unà cum ſomno advolant, & pariter evaneſcunt. Hinc & Inſomnio nomen eſt; quia in ipſo ſomnio tantummodo eſſe creditur dum videtur, poſt ſomnium nullam ſui utilitatem vel ſignificationem relinquit. Falſa eſſe inſomnia*, nec Siracides *tacuit*, cùm ait 34. 1. *Inſomnia alas erigunt amentibus*, *nec Maro*,

Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes,

Cælum hîc vivorum regionem vocans: quia ſicut Dii nobis, ità nos defunctis ſuperi habemur. ¶ *Vox ſtulti ex multitudine verborum*] Sub. *deprehenditur.* Oratio indicat qualis quiſque ſit. Unde illud, *Loquere, ut te videam.* Pars prudentiæ eſt pauciloquum eſſe. Si videbis hominem verboſum, cogita eundem ſtultum eſſe, h. e. minùs prudentem. Huc refer, *Omnem ſpiritum ſuum effundit ſtultus.*

3. *Cùm voveris votum Deo*] Vota ſunt vel licita vel illicita. Si licita, ſolvenda ſunt omnino. Præſtat non vovere quàm talia

vota

vota non ſolvere. Si verò illicita ſunt, tum ſatius eſt non reddere quàm peccatum peccato accumulare: quod olim Jephte feciſſe legimus. Καθὼς ἂν εὔξῃ εὐχὴν τῷ Θεῷ. *Vovere votum*, ut *gaudere gaudium*, μάχεσθαι μάχην, & ſi quæ alia Grammatici annotarunt. Et rectè *Deo:* nam vota propriè Deo nuncupantur. ¶ *Nè differas*] *Nè tardes, nè moreris*, μὴ χρονίσῃς ἀποδοῦναι αὐτήν. ¶ *Non eſt delectatio in ſtultis*] Ad verb. *Non eſt voluntas in ſtultis.* Vult dicere *non placent illi.* Quapropter? Quia videlicet vovent, nec ſolvunt. Lxx οὐκ ἔστι θέλημα ἐν ἄφροσι. Senſum expreſſit noſter, *Diſplicet*, inquit, *ei infidelis & ſtulta promiſſio:* doctè, ità me Deus amet!.

4. *Melius eſt*] טוב ἀγαθόν. *Bonum eſt quàm.* Lat. *Melius eſt.* Nam *magis* ſubintelligitur, ut in Græco μᾶλλον. Sed Sym. edidit βέλτιον, ut nos *melius eſt.* Hîc nullus defectus. Vota illicita, quæ vel Dei verbo repugnant, vel non ſunt in noſtra poteſtate. Talia reſcindi poſſunt. Nec de his agit Salomo, ſed de licitis tantùm.

5. *Nè des os tuum*] Vel, *Nè dederis:* ità V. Interpres. Priùs erat in Græcis, Μὴ δῷς τὸ ςόμα σου. Trem. *Nè permittito ori tuo ut peccato obſtringat carnem tuam.* ¶ *Ut peccare faciat*] Vel *facias.* Id Græcè legitur τοῦ ἐξαμαρτῆσαι (alias ἐξαμαρτεῖν) i. *ut peccare facias.* Sym. maluit vertere ὥστε ἐξαμαρτεῖν. ¶ *Carnem tuam*] Corpus tuum; ut ibi, *erunt caro una.* Quidam ſignificari putant carnales affectus, ut ſunt Ira, Libido, Gula, Avaritia, Livor. Alii exponunt, *Compeſce linguam à fœdo ſpurcóque ſermone, nè hujuſmodi fomite incenſum corpus tuum libidine commacules.* ¶ *Coram Angelo*] Cui cura ſalutis tuæ à Deo commiſſa. Scitum illud, *Angelis ſuis præcepit de te*, &c. Sed melius ut exponamus *coram Angelo*, i. *coram Sacerdote:* nam tales *Angeli* quoque vocantur; ut ibi, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Perſimilis locus 1 Cor. 11. 10. ubi ait *mulierem debere velatam eſſe propter Angelos*, i. *propter Epiſcopos*, ut exponit Ambroſius. Vide Obſerv. l. 10. c. 9. Alii Chriſtum ſignificari putant, qui *Angelus fœderis* nuncupatur & *magni conſilii Angelus.* Rei firmandæ eſt Græca ed. πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ. ¶ *Error eſt*] Ubi lata culpa, ibi error locum non habet. Fruſtrà ergò te excuſas ac ſi *per errorem peccare feciſſes corpus tuum*, cùm id acciderit voto temerario. Tales excuſationes non placant Deum, ſed magis irritant. Nam ut fortaſſe hominem fallere poſſumus, tamen Deum, qui καρδιογνώστης eſt, non poſſumus. Pro *error eſt* Græci habent ὅτι ἄγνοιά ἐστιν, in quo ſermone ὅτι redundat, ut כי apud Ebræos. Lat. V. *Non eſt providentia:* quam interpretationem verba Ebræa non admittunt, niſi per *errorem* intelligamus fortunam ſive caſus fortuitos. Nam ubi caſus eſt, ibi providentia non eſt. לפני המלאך *coram angelo*, i. τοῦ ἀγγέλου. ¶ *Cur iraſcatur Deus*] Idem dicit interpretamentum Græcum, ἵνα μὴ ὀργισθῇ ὁ Θεός, & Latinum, *nè forte iratus Deus*, &c. Vis in verbo Ebraico ut ſi dicas *præ ira tanquam in ſpumam efferveſcat:* nam קצף propriè *ſpuma.* Vide Obſerv. l. c. 24. ¶ *Propter vocem tuam*] Ἐπὶ φωνῇ σου, i. propter id quod voce nuncupaſti, aut, ut V. noſter vertit, *contra ſermones tuos.* ¶ *Deſtruat*] וחבל. Lxx καὶ διαφθείρῃ *& corrumpat.* Aq. καὶ διαλύσῃ *& diſſolvat.* Lat. V. *diſſipet.* Alius *& perdat.* Verbum hoc magis Chaldaicum eſt quàm Ebraicum: unde חבל *læſio*, & מחבלין *cacodæmones*, à *perdendo*, ſicut eorum princeps *Aſmodæus* dicitur. ¶ *Opus manuum tuarum*] Quicquid agis, aut opes labore partas.

6. *Sanè in multitudine*, &c.] Alia verſio, *Nam ut in multitudine ſomniorum, ità vanitates exſiſtunt, & in verbis multis*, &c. Sic ait, *In multitudine verborum non aberit crimen.* Nam qui multum loquitur, multum mentitur. Nihil autem mendacio vanius. ¶ *Somniorum*] Ἐνυπνίων, i. *inſomniorum*, ut ſuprà v. 2. Nam agit propriè de *inſomniis*, quæ ſic dicta *quod in ipſo ſomnio tantummodo eſſe credantur dum videntur, poſt ſomnium nullam ſui utilitatem vel ſignificationem relinquunt.* Hier. *Ubi multa ſunt ſomnia plurimæ ſunt vanitates & ſermones innumeri.* Græci verò, Ὅτι ἐν πλήθει ἐνυπνίων καὶ ματαιοτήτων καὶ λόγων πολλῶν, ὅτι σὺ τὸν Θεὸν φοβοῦ. Unde elicio hunc ſenſum, *In multitudine inſomniorum & vanitatum & verborum multorum utique Deum verere.* Homo pius etiam in mediis vanitatibus Deum metuit. ¶ *Negotia plurima*] Nam inſomnia ex negotiis diurnis ſive curis animi aut corporis, ut diximus. ¶ *Sed Deum time*] כי pro כי אם *ſed.* Alii reddunt *ſanè Deum time, verere.* *Timet* propriè ſuperſtitioſus, *veretur* religioſus. Sed confundi ſcias apud interpretes.

7. *Oppreſſionem*] Quæ fit vi, dolo aut per calumniam. Poſtremum hoc Græci elegerunt, ἐὰν συκοφαντίαν πένητος, & Hieron. *Si videris calumnias egenorum.* ¶ *Et ſubreptionem judicii*] גזל propriè *rapina*, i. ἁρπαγή. Hîc exponunt *interverſio, violatio.* Ed. Vulg. *Si videris violenta judicia, & ſubverti juſtitiam.* Gal. *volement de droict*, i. *compilatio juris.* ¶ *In provincia*] Lxx ἐν τῇ χώρᾳ *in regione.* Poteſt etiam verti *in civitate.* Nam מדינה *civitas*, præſertim quæ metropolis provinciæ, ut Jeroſolyma. Dicitur etiam de Mecha, patria Mahometi. In lingua Syrorum מדינתא *civitas*, πόλις. ¶ *Super hac re*] Ἐπὶ τῷ πράγματι *ſuper hoc negotio.* Alii *de iſta voluntate*, *Dei* videlicet, qui hoc fieri permittat. חפץ propriè *voluntas* Sed pro *re* quavis ponitur, ut ſuprà cap. 3. ¶ *Celſus ſupra celſum*] Vel, *altus alto ſuperior.* Sunt enim gradus dignitatum: & ſubalterni Magiſtratus, qui populum obſervant, habent ſuperiores à quibus itidem obſervantur. Supra omnes autem eſt גבהים, i. *Deus altiſſimus:* nam אלהים ſubintelligitur. Sic in Hoſea קדשים *Deus ſanctus.* Quidam ipſos Angelos innui putant. Aq. καὶ ὑψηλότερος ἐπάνω αὐτῶν, firmat hanc expoſitionem. ¶ *Obſervat*] *Obſervat* Judices jus & æquum pervertentes egenóſque opprimentes. Licet etiam vertere, *Quoniam Altus ſupra altum* (i. Deus) *obſervat etiam altiores quam ipſi ſint*, videlicet Magiſtratus, de quibus hîc ſermo.

8. *Utilitas*] *Præſtantia, emolumentum.* ¶ *Terræ*] Agriculturæ ſive agricolationis. ¶ *In omnibus eſt*] *In omnibus rebus:* vel, Omnes homines emolumentum percipiunt ex agricultura: nam ſine illa genus humanum non poſſet diu ſubſiſtere. Quidam præferunt *in omnia*, & exponunt *ſupra omnia*, ut ב pro כ accipiatur. ¶ *Rex propter agrum colitur*] *Rex colitur* à ſubditis *propter agriculturam*, vel quia multos poſſidet. Vult dicere, quia ſub ejus præſidio ſine metu agros ſuos colunt. Locus iſte ab aliis aliter exponitur. Quidam ſic, *Rex agro ſervit.* נעבד propriè *ſervit continenter*, ut נדבר *loquitur frequenter.* Niphal enim quandoque vim habet eorum verborum quæ Latini *Frequentativa* vocant. Sic Fortè apud Gorione natum והוא יטבל *& ipſe ſæpius baptizabat:* de Johanne Baptiſta loquitur; & potius ſig. eum *baptizaſſe alios* quàm *baptizatum fuiſſe.* Alii ſic, *pro Rege emolumentum agri culti.* Lxx καὶ περισσεία γῆς ἐπὶ παντί ἐστι βασιλεὺς τοῦ ἀγροῦ εἰργασμένου. Horum opinione שדה נעבד eſt *ager cultus*; & נעבד non ad *Regem* ſed ad *agrum* refertur. Gallica poſtrema, *le roy eſt aſſervy au champ*, i. *Rex ſervit agro:* nempe quia non poteſt carere fructibus ex agro provenientibus: nam abſque illis nè Rex quidem vivere potis eſt.

9. *Qui amat pecuniam*] i. *Avarus*, ut rectè Interpres noſter exponit. Nam talis *pecuniam amat* æríſque ſtudioſus eſt: ἀργύριον eſt in Græco, & in fonte כסף, & vox propriè *argentum* denotat: ſed pro quavis *pecunia* accipitur, ut ἀργύριον Matth. 25. 27. Hieron. ad hunc librum, *Ubicunque* ARGENTUM *ponimus, ſecundùm Græci ſermonis ambiguitatem poteſt &* PECUNIA *transferri:* ἀργύριον *quippe utrumque ſignificat.* ¶ *Non ſatiatur pecuniâ*] Ratio eſt, Quia ſibi finem proponit non uſum pecuniæ, qui fructus eſt; ſed ipſam pecuniam, quæ infinita. Unde illud, *Totâ die avet aviditas*; & illud,

Semper avarus eget.

Nam quia expleri non poteſt ullâ copiâ, ideo ſemper indiget, & ut alter Tantalus quondam in mediis aquis ſitit; qui propterea cum Hydropico non malè comparatur. ¶ *Qui amat opes*] Vanum eſt *amare opes*, & *non proventum*, i. potiùs quàm proventum, qui ex agro. המון *opes:* ut Pſal. 37. 16. propriè *opes multas.* Alii *multitudinem ſervorum.* Quod de Cappadocum Rege cecinit Horatius,

—— *Mancipiis locuples eget æris*
Cappadocum Rex.

Vulg. ed. *qui amat divitias:* à noſtra nihil diſſonat. Gallica poſtrema, *qui aymé grand train n'eſt pas nourry:* ou, *n'en à pas beaucoup de revenu.* Trem. *Qui amat ullam multitudinem.* Lxx καὶ τίς ἠγάπησεν ἐν πλήθει. ¶ *Non proventum*] Qui ex agricultura percipitur. Poteſt legi *non eſt ei proventus.* Quò pertinet illud,

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν,
Ἀτραπός ἐς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

Prior verſio hanc ſententiam continet, ut ſi diceret, *Multos ſervos alere, cùm proventus deſit, vaniſſimum eſt.* Lat. V. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* In ed. Græca pro αὐτῶν videtur aliquando ſcriptum fuiſſe οὐκ ἐν. Nam γέννημα *proventus*, aut *fructus.* Οὐκ ἐν γέννημα ergò, i. *non exſiſtente proventu ullo.* Et ἐν πλήθει, vult dicere *famulatum multum & copioſum; ſervitia numeroſa.*

10. *Cùm multa ſunt bona*] ברבות הטובה, *Cùm multiplicatur bonum*, i. opes & facultates. Sic Interpres Vulg. *Ubi multa ſunt opes.* Porrò malui dicere *bona* quàm *bonum*, quia ſic Latinè loquimur. Vocamus opes & facultates *bona fortunæ*, & *bona* ſimpliciter; quæ à Græcis ὄσια & χρήματα dicuntur. Lxx ἐν πλήθει τῆς ἀγαθωσύνης. Ea vox *bonitatem* ſig. ſed pro *felicitate & rebus ſecundis* uſurpatur; item pro *divitiis*; ut hoc in loco. Docent ſequentia, ἐπληθύνθησαν οἱ ἔσθοντες αὐτήν. Nam *felicitas* non *comeditur*, ſed *bona & facultates.* ¶ *Quid boni eſt dominis eorum*] כשרון, ad verb. εὐθύτης, idem videlicet quod ישר, i. *æquitas & juſtitia.* Hic paulò aliter ſumitur, nempe pro *utili* ſive *commodo.* Ideo Trem. vertit, *Quid ergo commodi domino ejus obvenit?* & Interpres Vulg. *quid prodeſt poſſeſſori?* Galli quoque, *quel profit en revient au maiſtre d'icelui?* כשרון ergò *utilitas*, i. ὠφέλεια. ¶ *Præter aſpectum oculorum*] Vel quòd ea videant devorari ab aliis, vel quòd aſpectu tantùm eorum fruantur, dum ab iis tanquam à ſacris abſtinent, nec uti audent. Lat. V. *niſi quòd cernit divitias oculis ſuis.*

11. *Dulcis*] Vel *Suavis*, γλυκὺς, ἡδύς. ¶ *Operantis*] Eſt cur malim *colentis agrum*, ut ſit העבד pro עובד אדמה, i. *agricolæ* ſive *agricultoris.* Lxx τοῦ δούλου; i. העבד aliis punctis vocalibus. ¶ *Saturitas divitis*] Ità Vulg. Interpres. Priùs etiam Sym. verterat, ἡ δὲ πλησμονὴ τοῦ πλουτοῦ οὐκ ἐᾷ καθεύδειν. deeſt αὐτὸν, quod fortaſſe excidit culpâ ſcribarum. השבע לעשיר *ſatietas divitis*, ut תפלה למשה *precatio Moſis.* Satietas, vel *opum*, vel *ciborum*: ſed malim *ciborum*, nam dives non ſatiatur opibus. שָׂבָע *ſaturitas*, i. שֹׂבַע. Sic fortè יֹשֶׁר, εὐθύτης, *æquitatis juſtitia*, i. יֹשֶׁר. ¶ *Non ſinit eum dormire*] Propter cruditatem videlicet. Nam tam bene concoquere non poteſt atque is qui opus facit in agro aut alibi ſe exercet. Ubi ſatietas, ibi nulla fames: ubi fames non eſt, ibi deeſt optimum condimentum. Ferè autem divites ſaturi ad menſam accedunt: unde cruditas ſtomachi cibos ingeſtos digerere non valentis. *Sinit: patitur, permittit.*

12. *Eſt malum ægrum*] Hoc breviùs dixerunt Lxx Ἔστιν ἀῤῥωστία, *infirmitas.* Poſt Sym. emendavit νόσος κακή, *morbus malus.* Noſter habet *infirmitas peſſima.* Infrà 6. 2. וחלי רע καὶ ἀῤῥωστία πονηρά. *Ægrum: grave, acerbum*: aut *ægritudinem afferens*; ut *pallida mors*, quæ homines pallidos reddit. ¶ *Dominis ſuis in malum ipſorum*] Aut *domino ſuo in malum ipſius.* Vet. Interpres, *divitiæ conſervatæ in malum domini ſui.* Ad verb. *in malum ipſius*, i. cujuſque ipſorum. Lxx εἰς κακίαν αὐτοῦ. Aq. εἰς πονηρὸν αὐτοῦ. Latinè diceretur *divitiæ aſſervatæ malo domini.* *Malo*, inquam, non *bono.* Ità ſunt divitiæ: Qui rectè iis uti noverit, ei bona ſunt; qui malè, mala. Ideo Eutrapelus eas in mare projiciebat, meo judicio, non ſapienter. Nam divitiæ per ſe neque bonæ neque malæ ſunt: & præſtat in pauperes & egenos conferre quàm eò abjicere ubi nullus earum uſus, imò ubi pereunt funditus. *Dominis ſuis*, לבעליו, i. *divitibus.*

13. *Occupatione peſſimâ*] בענין רע *occupatione malâ*: Latinè *pereunt male*, aut *miſere.* Parùm hoc, niſi etiam domino exitium afferrent. Vide Gallicam edit. ¶ *Genuit filium*] Quis genuit? Abſque dubio dives ille de quo ſuprà. Gignitur, Inquit, ei filius qui pauper ſit & nihil habeat, patre ad egeſtatem redacto ex maximis opibus. בענין רע. Sym. ἐπὶ ἀσχολίᾳ κακῇ, *in occupatione peſſima.* ¶ *In manu ejus*] Patris, an filii? Lxx καὶ οὐκ ἔστιν ἐν χειρὶ αὐτοῦ οὐδὲν, *nihil habet in manu.* Vult dicere, Omnia illi deſunt, etiam neceſſaria ad vitam. *In manu*: in poteſtate. Unde *domini divitiarum*, qui eas in poteſtate habent. Quod ſcitè accommodari poſſet ad hominem avarum, niſi præcederet, *pereunt divitiæ illæ.* Nam avarus non habet divitias in manu ſua, ſed potiùs habetur ab illis, & eſt in poteſtate illarum.

14. *Quemadmodum*, &c.] De divite illo loquitur. Eſtque generalis ſententia quæ ad omnes pertinet. Nam homines omnes *nudi veniunt in hanc mundum*, & *nudi inde exeunt*, quemadmodum etiam B. Job teſtatur, 1. 21. Hoc argumento utuntur vulgò adversùs avaritiam & inexplebilem habendi coacervandique cupiditatem, quod ſumptum à conditione ortûs & interitûs noſtri. Sic Apoſtolus 1 Tim. 6. 7. *Nihil intulimus in hunc mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus.* Stulti ergò qui tanto labore quærunt, & quæſitis adeò inhiant, ut expleri nullo modo poſſint, cùm tamen iis uti non poterint poſt hanc vitam, quæ homini breviſſima; Job. 1. 21. *Nudus egreſſus ſum ex utero matris meæ; nudus revertar illuc.* ¶ *Prodiit*] *Exiit, egreſſus eſt*, ἐξῆλθεν. ¶ *Nudus redibit*] Plena oratio erit ſi legas, *ſic nudus redibit.* Defectus iſte frequens eſt in libro Proverbiorum. ¶ *Abeundo*] Vel *ut abeat.* Quibuſdam hæc vox redundare videtur. Ego putarim tacitè alluſum ad Mortem. Sanè mortui ut *fuiſſe* ità etiam *abiiſſe* dicuntur: unde & *abitio* in lingua Latina pro ipſa *morte*; quod Feſtus notavit; ad quem adire potes, ſi dubitas. ¶ *Sicut venerat*] ὡς ἥκει. ¶ *Nec quicquam auferet ex labore ſuo*] Καὶ οὐδὲν οὐ λήψεται ἐν μόχθῳ αὐτοῦ, בעמלו. Hic perſicuè ב pro מן uſurpatur, i. ἐν pro ἐκ. Sic Euangeliſtæ verterunt בכל נפשך ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, Beth ſimiliter per ἐκ reddentes; ut Hier. referens *de labore ſuo.* ¶ *Quod comportet manu ſuâ*] שילך *quod comportet.* Hîc ילך accipio, ut ſit fut. Hiphil pro יוליך *deducet.* Alii aliter. Trem. *quod deferat in manum ſuam.* Gallica edit. quâ uſus ſum, *auquel il aura emplore ſes mains*, i. *quò deduxerit manus ſuas.* Hi de ילך mecum ſentiunt. Hier. hanc partem omiſit. Lxx ἵνα πορευθῇ ἐν χειρὶ αὐτοῦ, *ut procedat in manu ejus.* Sym. ὃ συναπελεύσεται, *quod unà ibit.* Legerunt, ut apparet, שילך. Nam ילך in participio generis activi uſitatum non eſt: dicimus enim pro eo הולך.

15. *Et etiam hoc*] Hic & quibuſdam valet *quamobrem*; aliis otium agit. Alii legunt, *Quinetiam hoc malum*, &c. Lxx Καί γε τοῦτο. ¶ *Malum ægrum*] Vide quæ ſcripſimus ſuprà v. 12. Lxx. ἀῤῥωστία πονηρά. Vulg. *Miſerabilis prorſus infirmitas*, i. חלי רע, ut loquitur infrà 6. 2. ¶ *Omnino ut*] Vel *quemadmodum.* Sic Græci ὥσπερ γάρ & Vulg. noſter, *quomodo.* Sic etiam uſurpant Rabbini, ut R. S. Cohel. 1. כל עמת *quemadmodum.* Cæterùm in כל vis particulæ *omnino*, quam propterea etiam adjecimus. ¶ *Venit*] In hunc mundum. ¶ *Sic abibit*] *Ad patres*, ſive *in locum æternum*, vel, ut Latini loquuntur, *ad plures*, ſive *in locum communem.* Quod ſimpliciter *abire* dicunt etiam autores claſſici: unde *abitio* pro ipſa *morte.* Poteſt etiam legi, *ſic abit*: quod non minùs ſe mihi probat. Vulg. *quomodo venit, ſic revertetur.* Lxx ὥσπερ γὰρ παρεγένετο, οὕτω καὶ ἀπελεύσεται. ¶ *Et quæ præſtantia ei, quòd laborat*] Sym. τί οὖν περισσὸν αὐτῷ μοχθήσαντι; *quid igitur amplius ei laboranti?* Priùs erat in Lxx καὶ τίς ἡ περισσεία αὐτοῦ ᾗ μοχθεῖ; *Præſtantia*, vel *utilitas.* Nec malè noſter, *Quid ergo prodeſt ei?* Notabis copulam & hoc in loco in *ergò* transferri. Quod addendum libellis à me vulgatis. ¶ *In ventum*] לרוח, i. *In vanum, fruſtrà, inutiliter, labore caſſo ac inutili.* Vide Proverb. mea. Edit. Gallica, *apres du vent*] aſſ. *apres une choſe demeant, caduque & tranſitoire.* Proverbiale. Lxx εἰς ἄνεμον. Trem. *quòd laboraverit vento.* *In ventum* ità dicitur ut *in vanum.*

16. *Omnibus diebus ſuis*] *Cunctis diebus vitæ ſuæ* habet Interpres Vulg. & bene, meo judicio. Nam dies noſtros vocamus *dies vitæ noſtræ*, ut paſſim apud Davidem. Sic, *Dies noſtri tanquam umbra prætereunt.* ¶ *Comedit*] Pro יאכל *comedit* Græci legerunt ואבל & *luctu*, h. e. Vau pro Joth, & Beth pro Chaph: nam vertunt καὶ ἐν πένθει & *in luctu.* ¶ *In tenebris*] i. In ſolicitudine. Nam ſolicitudines in morem tenebrarum frontem obfuſcant & obnubilant; ſicut è diverſo ſecuritas eam nitidam reddit ac ſerenat. Alii *in calamitate ac miſeria.* Quod ideo dicit quoniam vita noſtra duplo plus fellis quàm mellis habet; non quòd in perpetua calamitate verſemur. Quod ſi eſſet, quis tam robuſtus qui eam ſufferre poſſet? ¶ *Et iraſcitur multùm*] Vel, ſi placet, *indignatur multùm.* כָּעַס h. l. verbum eſt, non nomen: id docent puncta vocalia. Nam ſi nomen eſſet, tum כַּעַס (ità habent L. Q. Vide Mercerum) ſcriberetur per geminum (··), quorum prius in (·) mutari ſolet ob pauſam, quæ hîc nulla eſſet. Errant ergò qui exponunt *indignatione multâ*, ut Trem. qui etiam & accipit ἐξηγητικῶς pro *id eſt.* Vetus interpres, & *in curis multis.* Nam כעס vocatur interdum vita ſevera & auſtera, cui *riſus* opponitur, i. vita mollis ac delicata, Cohel. 7. 4. poſſes exponere וכעס הרבה & *tædio multo afficitur.* Nam כעס *tædium*; quod manat à curis & ſolicitudine. ¶ *Ægritudoque ei eſt*] וחליו accipio pro חלי לו, ut Pſal. 115. 7. ידיהם accipitur pro ידים להם *manus illis ſunt.* Contrà, בצרה לי legitur pro eo quod eſt בצרתי *in anguſtia mea.* Quidam arbitrantur Vau in fine paragogicum eſſe, ut in חיתו & ſimilibus exemplis. Sic ſanè Græci interpretantur καὶ ἀῤῥωστίᾳ, & Interpres Vulg. & *in ærumna.* Trem. refert ad verbum *comedit*, hàc ſententiâ, *Comedit in tenebris*, h. e. in ægritudine ſua. ¶ *Et ira efferveſcens*] קצף eſt *in iram efferveſcere*: unde קֶצֶף *ira efferveſcens*, quod Græci dixerunt καὶ χόλῳ, & autor Latinæ vulg. & *triſtitia*: *cum triſtitia* potiùs. Gall. *ſon mal vient juſques au forcenerie*, i. *uſque ad amentiam.*

17. *Vidi ego*] i. *Cognovi, deprehendi*: aut *viſum mihi fuit.* Ità Sym. Ἐμοὶ οὖν ἐφάνη, *Mihi ergò apparuit*, ſive *viſum eſt.* ¶ *Bonum*] Ἀγαθὸν, i. *Utile, commodum, expediens.* ¶ *Et pulcrum*] יפה אשר dixit pro ויפה, ut alibi legimus, עון אשר חטא *iniquitas & peccatum.* Sic R. D. Licet

vertere

vertere *quod & pulcrum*. Edit. Græca ὅ ἐςι καλὸν, *quod eſt pulcrum*, i. honeſtum. Vocatur autem ità καλὸν quòd homines ad ſe *alliciat & vocet*, videlicet παρὰ τὸ καλέω *voco*. Quidam, *bonum pulcrum*. q. d. Non ſolùm utile eſt homini, ſed etiam honeſtum. Gall. *une choſe qui eſt bonne & belle*. ¶ *Ut videat bonum*] *Ut fruatur bono*. Græci hoc dicunt ἐ ἰδεῖν ἀγαθωσύνην. Hic iterum ἀγαθωσύνη ſunt *bona fortunæ* quæ vocamus. Edit. Lat. *& fruatur lætitiâ*, ולראות שמחה. ¶ *Numero dierum vitæ ſuæ*] i. Quoad vivet. Sym. ψήφῳ ἡμερῶν ζωῆς αὐτοῦ, *calculo*. ¶ *Quos dedit ei Deus*] Si Deus dat dies vitæ, igitur longævitas à Deo. Nec obſtat quòd Salomo in libro Proverbiorum de Sapientia loquens, *In dextera*, inquit, *ejus longitudo dierum*, μῆκος ἡμερῶν. Nam etiam ipſa ſapientia à Deo, qui facit ut homo & ſapienter & diu vivat. ¶ *Pars ejus*] Vel *portio ejus*. Sed *portio* potiùs מנה dicitur. Utrumque ſimul occurrit in illo, *Pars mea & portio calicis mei*. Græcè μερὶς αὐτοῦ. Tralatio à Conviviis. Olim enim, teſte Plutarcho, apud majores ſingulis convivis ſuæ certæ partes tribuebantur; poſtea in commune veſci civilius viſum. Hinc illud Pſal. 119. 57. *Pars mea DOMINUS*. Vide & Pſal. 16. 5.

18. *Etiam*] Lxx Καί γε. Aq. Ἀλλὰ καὶ, *Sed &*. ¶ *Divitias*] πλοῦτον. ¶ *Et facultates*] Καὶ ὑπάρχοντα. Editio nunc *ſubſtantiam*, i. οὐσίαν. Alii *opes*, alii *bona* interpretantur. Chaldæi dicunt נכסין: & eſt apud eos interpretamentum ἐ חיל quando נכסין, i. *divitias*, denotat, caréique ſingulari. Nam בכל נכסך, quod Elias adducit ex Deut. 9. tam pluralis eſſe poteſt quàm עבדך *ſervi tui*. Itaque vertendum puto *cunctis opibus tuis*. Id Ebræi dicunt בכל מאדך. Sic dico, quandoquidem in illo affixo pluralis à ſingulari non diſtinguitur, nomen autem נכסין alibi nuſquam in numero Unitatis reperitur, quis dubitet affirmare loco citato pluralem eſſe & non, ut Elias arbitratur, ſingularem? Vide illum נכס in Lexico Chaldaico. Quidam dictas ità putant Opes à *congerendo*, q. כנכים literis inverſis. נכסים caret ſing. ut *divitiæ*, ut *opes*. Quanquam apud Ciceronem *ope barbaricâ*, i. opulentiâ ſummâ, 3. Tuſc. ex vetuſto Poeta. ¶ *Poteſtatémque ei tribuit*] והשליטו *& poteſtatem fecit ei*. Hoc Græci dixerunt ἐξουσίασεν αὐτῷ. Nam ἐξουσία *poteſtas*, *autoritas*, *licentia*. Nam ἐξουσία ab ἔξον, ut *licentia* à *licet*. Hic notabis ἐξουσιάζειν pro *poteſtatem dare* aut *facere*. Alibi ſing. *poteſtatem habere*, ut Luc. 22. & 1 Cor. 7. & conſtruitur cum genitivo. ¶ *Ut comedat ex iis*] Vel *comedendi eas*, ſive *veſcendi eis*, videlicet *opibus & facultatibus*. Quod autem in fonte ממנו vel refertur ad עשר, quod eſt nomen ſingularis numeri apud Ebræos, vel eſt conſtructio ſenſu congrua non voce. Similis per omnia locus Dan. 2. 28. חלמך וחזוי ראשך דנה הוא, *Somnium tuum & viſiones capitis tui hoc eſt*. ¶ *Ut auferat partem ſuam*] *Ut tollat partem ſuam*. Lat. Vet. *& fruatur parte ſuâ*. Lxx λαβεῖν τὸ μέρος αὐτοῦ. Sym. more ſuo manifeſtiùs καὶ ἀπολαῦσαι τῆς μερίδος αὐτῶν *ut fruantur parte ſua*: nam ἀπολαύω *fruor*. Veteri more partes apponebantur convivis, quas vel domum poterant auferre, vel mittere quò vellent. ¶ *De labore*] De labore partis. Sic vulgò dicimus **van ſynen arbeydt leben.** Sanè ex labore ſuo nemo vivit, ſed ex partis labore ſuo. ¶ *Donum Dei eſt*] Vel *donum Dei eſſe*. Lxx τοῦτο δόμα Θεοῦ ἐςιν.

19. *Non multum*] Οὐ πολλά. Quidam hoc referunt ad præcedentia, *Quòd ſi non multum*, ſupple, fuerit *illud quod dedit Deus*. Hanc interpretationem juvat accentus qui ſupra vocem הרבה. Eſt autem unus ex Pauſis quas vocant, i. ex accentibus majoribus qui diſtinguunt. Qui ſic vertunt, pòſt interpretantur ſequentia, *Recordetur diebus vitæ ſuæ*, *Deum ipſum annuere lætitia cordis ejus*. ¶ *Recordabitur dierum vitæ ſuæ*] i. Ærumnarum vitæ ſuæ. *Dies* pro *ærumnæ diei*, ut Mich. 7. 4. *dies ſpeculatorum tuorum*. Sic in Abdia, *Non debuiſſes ſpectare cum voluptate miſeriam fratris tui quam ſuſtinuit in Urbis excidio*. ¶ *Reſpondet lætitiæ cordis ipſius*] Eſt cur malim *ſuppeditat ei lætitiam cordis*. מַעֲנֶה *ſuppeditat*, *ſubminiſtrat*, ut Cohel. 10. 19. הכסף יענה את הכל *pecunia ſuppeditat omnia*. Sunt qui præferant *teſtificatur de lætitia cordis ipſius*. Nam ענה ſequente ב ferè habet ſignificationem *teſtificandi*. *Reſpondet*, מַעֲנֶה. Emendata exemplaria ſcribunt מַעֲנֶה cum (-). Nam præpoſitiones non impediunt conſtructionem. Sic alibi חוסי בו *ſperantes in eum*. Eſt autem participium præſens in conjugatione quam vocant *Hiphil*; non nomen, ut quidam arbitrantur. Sed vide ſodes Mercerum.

IDEM.

1. אַל־תְּבַהֵל עַל־פִּיךָ. Sym. Μὴ προπετὴς γίνου τῷ ςόματί σου. *Ne eſto præceps ore tuo*] i. Temerarius, προπίπτων τοῦ λογισμοῦ. ¶ עַל־כֵּן. Schol. διὰ τοῦτο *propterea*.

2. בָּא הַחֲלוֹם בְּרֹב עִנְיָן. Sym. Ἀποβήσεται ὄνειρος διὰ πλῆθος ἀνομίας, *Abibit ſomnus ob multitudinem iniquitatis*] Vel *eveniet*, *accidet*: quod Ebræum בא potiùs denotat. Cæterum Sym. videtur mihi legiſſe יבא pro בא. ¶ Ἀνομίας. Divino initio fuiſſe ἀσχολίας *occupationis*; ſed hoc non affirmo tamen: nam poteſt eſſe ut legerit עון pro ענין. Quis hoc negare auſit? Hier. *Multas curas ſequuntur ſomnia*.

3. אֵין חֵפֶץ בַּכְּסִילִים. Sym. οὐ πάρεςι χρεία ἀφρόνων, *non eſt uſus amentium*.

5. לַחֲטִיא, ὥςε ἐξαμαρτεῖν *ut pecces*] Rectiùs, *ut peccare facias*. Nam ſequitur τὴν σάρκα σου *carnem tuam*. Ἐξαμαρτάνω *peccare facio*, ut 4 Reg. 10. ὃς ἐξήμαρτε τὸν Ἰσραὴλ, *qui peccare fecit Iſraelem*. Sanè quidem in fonte eſt לחטיא, non לחטוא per Vau. ¶ שְׁגָגָה. A. ἀκούσιον *non ſpontaneum*] Hier. *Aquila interpretans verbum Ebraicum* שגגה *pro IGNORANTIA* ἀκούσιον *tranſtulit*, i. *NON SPONTANEUM*.

6. כִּי בְרֹב חֲלֹמוֹת וַהֲבָלִים וּדְבָרִים הַרְבֵּה. Sym. Διὰ γὰρ πλῆθος ὀνείρων ματαιότητες καὶ λόγοι πολλοί, *Nam propter multitudinem ſomniorum vanitates & verba multa ſunt*.

7. וּגְבֹהִים עֲלֵיהֶם. Sym. καὶ ὑψηλότερος ἐπάνω αὐτῶν] Puto reſcribendum ὑψηλότεροι, *celſiores*.

8. בַּכֹּל הִיא מֶלֶךְ לְשָׂדֶה נֶעֱבָד. Sym. ἐπὶ παντὶ αὐτός ἐςι βασιλεὺς τῇ χώρᾳ εἰργασμένῃ, *in univerſo ipſe Rex eſt regioni cultæ*.

10. וּמַה־כִּשְׁרוֹן לִבְעָלֶיהָ כִּי אִם־רְאוּת עֵינָיו. Sym. *Quæ enim virilitas ineſt habenti ea bona, niſi ut tantummodo ea ſpectet oculis ſuis?*] *Virilitas*: γοργότης. ¶ *Niſi ut tantummodo ea ſpectet oculis ſuis*. Sumpſi ab interprete Olympiodori. Græca ſunt in ed. Rom. εἰ μὴ μόνον θεωρία ὀφθαλμῶν αὐτοῦ.

11. וְהַשָּׂבָע לֶעָשִׁיר אֵינֶנּוּ מַנִּיחַ לוֹ לִישׁוֹן. Sym. ἡ δὲ πλησμονὴ τοῦ πλουσίου οὐκ ἐᾷ καθεύδειν, *ſatietas verò divitis non ſinit dormire*.

12. לְרָעָתוֹ. A. εἰς πονηρὸν αὐτῷ *in malum ei*.

AMAMA.

1. *CUſtodi pedem tuum quando ibis ad domum Dei & propinquior eſto ad audiendum quam ad dandum* (cum) *ſtolidis ſacrificium*, *quia neſciunt* (niſi) *facere malum*.

Duo ſunt documenta hujus capitis. 1. de officio noſtro erga Deum & proximos, quod doctrinam ſuperioribus vanitatibus ſubjicit ut præſentiſſimum pharmacum adverſus illa, idque ad verſ. 9. 11. agit de vanitate bonorum, quæ etiam legitima via ab hominibus comparantur. In docum. primo ſunt duo capita 1. de reverentia debita Deo verſibus 5. 2. de judiciis ſermonibuſque noſtris temperandis coram Deo & hominibus.

Pedem tuum] In textu eſt רַגְלְךָ. Duplex ergo lectio, alia juxta puncta, nimirum ut ſit ſingulare רַגְלְךָ. Alia juxta conſonantes רַגְלֶיךָ ut ſit plur. Utraque poteſt conſiſtere. Porrò per *pedem* vel *pedes* affectuum cohibitionem intelligunt, ut doceat videndum, quo animo ad Eccleſiam accedatur.

Propinquior eſto ad audiendum] קָרוֹב Infinit. poſitus pro imperativo. Sic in quarto mandato זָכוֹר recordare pro זְכֹר, niſi ſubintelligas Imperat. יִהְיֶה. Porro ad audiendum ſcil. Legem aut Verbum Dei, aut audiendum, id eſt, obediendum Deo. Sic enim vox שָׁמַע uſurpatur ſæpius quam ut probari debeat. Uſitatius tamen efferunt illud & pleniùs per additionem vocis קוֹל.

Quam ad dandum] potius quam ad dandum מִתֵּת הַכְּסִילִים זָבַח pro עִם כְּסִילִים cum ſtultis ſacrificium. Junius & Tremellius, *ſtolidorum ſacrificium*. Sed vel pueris hodie notum eſt illud quod regitur ſolere in Ebræâ lingua poſtponi.

Non norunt (niſi) *facere malum*] Sequor eos, qui hic ſupplent particulam רַק. Sic ſupra, *non eſt bonum in homine*, (niſi) *ut comedat* &c. Sunt tamen qui יֹדְעִים exponunt יבינו intelligunt, animadvertunt, עצמם ſe ipſos facere malum, dum vid. offerunt ſacrificia, Prov. 15. 8. *Sacrificium improborum abominationi eſt DOMINO*. malum. Res eodem redit. Longius petunt qui exponunt vocem רָע, רָצוֹן beneplacitum, q. d. neſciunt facere beneplacitum ſc. Dei. Ut deſcendat à רָצָה, unde Chald. vel Syriacum רְעָא, צ Ebræorum pro more in ע verſo ut ארץ ארעא terra & ſimilia. Alii ſic, non norunt facere, id eſt, aptare, emendare malum. Sic Deut. 21. 12. *Facere ungues*. i. aptare. Kimchi in Radice עָשָׂה aliam affert.

2. *Ne præcipites ore tuo & cor tuum ne acceleret proferre*

verbum coram Deo: Deus enim eſt in cælis, tu autem in terra; ſint itaque verba tua pauca.

Docet quomodo Deus ſit orandus. Alii generaliter intelligunt de continentia linguæ.

Sint verba tua pauca] Salom. Prov. 10. 19. ברב דברים לא יחדל פשע. Et neſcio ubi ברבה דברים מרבה חטא.

3. *Nam* (ut) *venit ſomnium ex multitudine occupationis*, (ſic) *vox ſtulti ex multitudine verborum.*

Ebraicè ad verbum ſic, *Nam venit ſomnium* &c. *& vox ſtulti.* Similitudinis membra ſolent ſæpe Ebræi conjungere tanquam copulativà. Sic in Prov. 25. 25. *Aqua frigida animæ laſſæ & rumor bonus ex terra longinqua*, ſubaudi, paria ſunt, aut in primo Membro ſubaudi *ut*, in ſecundo, *ſic*. Huc refer illud quod ex Job. 24. de duplici Gehenna probari conati ſunt Scholaſtici. Vide ſupra. Locus in Ebræo ſic habet, (ut) *Siccitas & calor rapiunt aquas nivis*, (ita) *ſepulchrum* (eos qui *peccarunt*. Vulg. ſic, *Tranſeat à calore ad aquas nivis & uſque ad inferos peccatum ejus.*

Senſus hujus verſus; ut ex multitudine diurnarum occupationum oritur ſomnium noctu, & quidem confuſa ſomnia, *præſertim*, addit Abenezra, *ſi variis cibis uſus fueris*, ita in multitudine verborum prodit ſtultus ſuam ſtultitiam.

Et vox] Ebr. וְקוֹל. i. ſic vox. *Et* pro *ſic*, in redditionibus iſtis crebrum eſt. Præcipuè in Proverbiis Salomonis. Vide Michlol Kimchi pag. 15. colum. 2. Sic in Jeſ. 53. 7. *Ut ovis ad mactationem ducitur & ſicut ovis coram tonſore ſuo obmuteſcit*, ולא יפתח פיו. *ſic non aperuit os* ſc. Meſſias. Act. 8. 32. οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ ϛόμα αὐτοῦ. Ad ovem enim referri non poteſt, quia יִפְתַּח eſt Maſc. רָחֵל verò proxime præcedens fœm. Si itaque hic ו exponas per כֵּן, *ſic*, & initio intelligas כ notam ſimilitudinis, plena erit ſententia. Cujus poſterioris habe etiam exemplum unum atque alterum. Gen. 49. 9. *Catulus leonis Juda*, i. ut catulus. Pſ. 11. 1. *Vola ad montem* צִפּוֹר pro כְּצִפּוֹר. & Prov. 17. 22. *Cor lætum benefacit* גֵּהָה pro כְּגֵהָה *ſicut Medicina.*

4. *Quum voveris votum ne retardes perſolvere illud: neque enim eſt beneplacitum* (Deo) *in ſtultis: Quodcunque ergò voveris, perſolve.*

5. *Melius eſt ut non voveas* (omninò) *quam ut voveas, nec perſolvas.*

In ſtultis] talibus hominibus improbis, qui quæ vovent non præſtant. Solent hic diſputare Theologi de votis, quæ materia non eſt meæ profeſſionis. Aliquid tantùm addam hic de voto Jephtæ Jud. 11, quod huc ſolet afferri. Communis opinio eſt Jephtam immolaſſe filiam. Quod tamen falſiſſimum eſt. Locus ſic habet, *Et vovit votum DOMINO, dicens, Si reduxeris me* &c. *Quodcunque primùm egredietur domo meâ erit DOMINI* ליי' והעליתיהו *in holocauſtum.* Decepit eos litera Vau, quam pro או *aut* ſæpe poni non obſervarunt. Hoc ergo vult, Quodcunque primò egredietur domo mea erit DOMINI, ſi nimirum immolatitium non ſit, conſecratum erit Deo, aut offeram illud in holocauſtum, ſi ſit ראוי לעולה. Vau verò pro או *aut* poni ſæpe oſtendunt multa loca Scripturæ Exod. 21. *Qui maledixerit patri* ואמו *& matri ſuæ* Matth. 15. ἢ μητέρα &c. Confirmant hanc expoſitionem alia. Primò quia holocauſtum fiebat tantum ex tribus ſpeciebus animalium. Deinde ſequitur in textu, quod *planxerit virginitatem ſuam*, non verò vitam, & quæ ſequuntur. 3. quia dicuntur virgines aliæ quater quotannis veniſſe ad confabulandum cum ea. Sed dixerit aliquis fuitne illud votum tanto luctu dignum? Hoc non mirabitur quiſquis novit eo tempore nihil fuiſſe magis dedecoroſum aut contumelioſum ſterilitate nedum cœlibatu. Maximè ſi unus tantum in ea familia erat filius aut filia, qualis illa fuiſſe perhibetur: *non erat enim ei amplius filius aut filia.* Oſtendunt hoc exempla Rachelis, Annæ matris Samuelis & aliarum. Quam aſſignabimus huic rei cauſam? Memini me alicubi legiſſe hanc, quia quiſque ſperabat ex ſe ſuaque familia naſciturum Meſſiam. Sed hoc de iis qui de tribu Juda verum fortè erit, quomodo de reliquis? Conſtitit enim hoc ſemper inter Judæos Meſſiam ex tribu Juda naſciturum. Huc uſque de voto Jephtæ.

6. *Ne permittas ori tuo ut peccare faciat carnem tuam, neque dicas coram Angelo quod error ſit: ut quid efferveſcet Deus propter vocem tuam & diſſipabit opus manuum tuarum?*

Ne permittas] Ebr. *ne des.* Dare pro permittere tritum in Sacris Pſ. 16. לא תתן *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem* i. permittes. Sic poſſet & illud explicari in Samuele, *Dedi tibi uxores domini tui* (Saulis) *in ſinum tuum.* Id eſt permiſi ut haberes, licet eſſet peccatum. Vide Druſium in Numeros.

Ut peccare faciat] temerè vovendo & poſtea non præſtando. Porrò לַחֲטִיא eſt pro לְהַחֲטִיא eliſa litera He, quod non eſt infrequens.

Carnem tuam] id eſt corpus tuum. i. te ipſum. Synechdoche. Sic & altera pars hominis ſæpe uſurpatur, ut, *Dicunt anima mea.* i. mihi ipſi. Quod & in Deo locum habet, *juravi per animam meam.* i. per me ipſum.

Coram Angelo [המלאך. Mercerus, *coram Angelo tibi deſtinato ad te cuſtodiendum.* Sic 1 Cor. 11. *Mulier velabit faciem, propter angelos.* Matth. 18. 10. *Angeli eorum vident faciem patris.* Junius, *coram Angelo. i.* Chriſto. Nimis longè videtur petitum. Genevenſes, *coram Sacerdote aut Levita, quando veniet ad te ad exigendum votum.* Prius mihi optimè placet.

Quod error ſit] quod ex errore & imprudentia voveris.

Cur iraſcetur] cur committes, cum cavere potes, ut iraſcatur &c. Verùm קָצַף propriè *iram ferventiſſimam* & *ſpumantem* notat. Unde קֶצֶף & *ſpumam* & *talem iram* ſignificat. Alii putant hic per Mimeſin introduci talem qui temerè vovit. Sed obſtat mutatio perſonæ in קוֹלֶךָ.

7. *Quia* (ut) *in multitudine ſomniorum vanitates ſunt* (ita) *& in ſermonibus multis: Sed* (tu) *Deum time.*

Ut in multitudine] Suppleo (*ut*) quemadmodum & verſu 3. Vide illic. Porro in והבלים redundat Vau, quod non infrequens. Item in ודברים ſuppleo Beth, & ו per *ſic* expono, vide verſu 3.

Sed] Ebr. כִּי quod pro כי אם hic poſitum volunt Ebræi. Sunt tamen ex Ebræis qui ſic explicant, Licet multa ſomnia & vanitates & דְּבָרִים i. negotia tibi occurrant, tu tamen Deum time. Et tunc erit ſententia per ſe.

8. *Si oppreſſionem pauperis & ereptionem* (violationem) *judicii & juſtitiæ videris in provincia, ne mireris de negotio iſto, ſiquidem altus ſuperior alto obſervat, & alti ſunt ſupra eos.*

עֹשֶׁק] Significat *oppreſſionem* ſeu violentam ſeu doloſam.

De negotio iſto] על החפץ. Sunt qui vertunt, *de voluntate* ſc. divina. At ſupra ex R. Salomone notavimus חֵפֶץ ſtylo Thalmudico ſignificare כל הענין omne negotium.

Altus ſuperior alto] i. Deus. Vel altus ab alto ſc. loco, ex cœlo ut in poſteriori גָּבֹהַּ ſubaudiatur מָקוֹם.

Obſervat] שׁוֹמֵר quaſi ſpeculatur, tandem pœnas ſumpturus & in oppreſſores animadverſurus.

Imò altus] וגבהים ad verbum *& alti*, & intelligunt *Angelos*, ac ſi diceret, imo altiores ſunt adhuc alii ipſis ſub Deo, nimirum Angeli. At ego malim ad *Deum* referri, ut ſit pluralis numeri reſpectu nominis אֱלֹהִים quod ratione terminationis ita ſæpe quoque conſtruitur. Sic אלהים קדשים. Aliàs habetur ratio ſenſus. Vide quæ notavimus ad caput primum.

9. *Præſtantia terræ præ omnibus eſt: etiam Rex agro ſervus ſit.*

וְיִתְרוֹן] Incipit & hic novus ſermo. Porro ו redundare initiis ſermonum, capitum & librorum, non eſt novum.

Terræ] i. עבדת הארץ culturæ terræ. Commendat poſt tot enumeratas vanitates inter omnia tranquilliſſima vitæ genera agriculturam, ut & Poetæ & Philoſophi. Notum eſt illud, *O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint, Agricolas.*

Præ omnibus] בַּכֹּל pro מִכֹּל. Sic ſupra ſæpe בַּעֲמָלוֹ pro מֵעֲמָלוֹ. Aut בַּכֹּל inter omnia eſt. Reliquas interpretationes, quia nimis alienæ mihi videntur, tranſeo.

Et Rex agro ſervus ſit] נֶעֱבָד Paſſ. idem quod עָבַד. At docet Kimchi in Michlol, poni hoc in conjug. paſſ. ad ſignificandam continuationem culturæ. Hoc vult igitur dicere, Tanta eſt præſtantia agriculturæ, ut etiam ipſe Rex ſervire cogatur agro: i. operam dare ut in ſua ditione agri colantur: *Nam ex terra vivere cogitur* ait AbenEzra. Alii, Et Regi de agro ſervitur, nam ſine eo nequit vivere. Hi ante מֶלֶךְ ſubaudiunt ל & ל ante שָׂדֶה exponunt per מ. Prior interpretatio ſimplicior. Alii, Etiam Rex ob agrum factus eſt. Ex ſignif. Chaldaicâ. עבד enim in Chald. ſignificat *facere*. Alii aliter.

10. *Qui diligit argentum, non ſatiatur argento, & qui amat multitudinem* (opum) *non erit ei proventus: Etiam hoc vanitas.*

Amplificat præconium agriculturæ per collationem opum, ait Mercerus.

Argentum] i. Pecuniam. Sic & ἀργύριον apud Græcos pro quavis pecunia. Porro obſerva כֶּסֶף Ebræis dici à כָּסַף appetere, quod omnes appetant argentum.

Non ſatiatur] *Quia argentum comedi non poteſt*, ajunt Ebræorum nonnulli. Sed præſtat ad inſatiabilitatem animi referre, juxta illud, *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia:* Illudque Saluſtii, *nec copia nec inopia minuitur avaritia.*

Multitudinem] ſubaudiunt *opum* ſc. aliarum ab auro & ar-

& argento. Imo ipſæ opes videntur vocari הָמוֹן Pſal. 37. 16. *à ſtrepitu curarum & ſollicitudinum quas ſecum portant*, ait Mercerus. Alii ſubaudiunt *ſervorum*, *ancillarum &c.*

Non erit (ei) *proventus*] non habebit tantum proventum & tam uberem quam qui agriculturæ vacat. AbenEzra in Accuſativo exponit, *qui amat opes & non proventum*, *ille non ſatiatur iis.*

Etiam hoc vanitas] Scilicet cupiditas opum.

11. *Quum multiplicantur bona*, *multiplicantur qui ea comedunt*, *& quæ rectitudo eſt domino earum niſi aſpectus oculorum ſuorum?*

Adhuc pergit exaggerare utilitatem & laudem agriculturæ ex comparatione opum.

Bona] Ebr. טוֹבָה in ſingulari. Opes hoc habent incommodi, quod quò ſunt copioſiores, eò plures ad eas devorandas conveniant, cum ager magno fœnore fructus reddat.

Quæ rectitudo] i. utilitas, emolumentum.

Domino earum] ſc. opum, vel dominis earum. Nam plur. בְּעָלִים & ſingulariter & pluraliter uſurpatur. Singulariter Exod. 21. 9. גם בעליו יומת *Etiam dominus ejus morte afficiatur.* Jeſ. 1. *Aſinus novit præſepe* בְּעָלָיו *domini ſui.* De plurali ſignificatione nulla eſt controverſia. Hoc nomen varios habet Ebraiſmos, de quibus jam nihil dicam. Hoc ſaltem obſervetur Syros & Chaldæos pro eo dicere בְּעֵל & eliſa ע בֵּל unde *Belzebub* & *Belzebul*. Sic *Sar* pro שַׁעַר porta. Eodem modo elidebant & ע in *nas* pro *Nahaſch* ſerpens. Et in fine *Hoſo* pro, הושע. ישו pro ישוע *Jeſus.* Porro quia vocis *Beelzebub* mentio facta, quod fuit nomen idoli Accaronitarum & in N. T. Diaboli, hoc addam, in N. T. malè à doctis βεελζεβὲβ reſtitutum iis locis, ubi vulgò eſt βεελζεβοὺλ. Neque enim hoc eſt à manu corrupta, ſed de induſtria ab Ebræorum ſapientibus factum, juxta Regulam eorum, *Idolorum nomina ſemper in pejus deflectenda.* Turpius autem eſt nomen βεελζεβοὺλ בְּעֵל זְבוּל quam βεελζεβὲβ בְּעֵל זְבוּב. Hoc enim *Dominum muſcarum* ſeu *Jovem muſcarum*, illud *Jovem ſtercoreum* ſonat; quam ſine dubio ſcripturam Evangeliſtæ utpote tum temporis uſitatam ſecuti ſunt. Atque hanc regulam ita obſervant ut nec DOMINO JESU nec SS. Euangelio parcant, cujus hoc ſit ſpecimen quod cum Euangelium nominabunt, ſoleant pro eo dicere & ſcribere אָוֶן גִּלָּיוֹן *iniquitas revelationis*, committentes interea, ne nimium a voce Euangelii recedat ſcomma, ſolœciſmum, pro אֲוֹן enim dicendum fuiſſet אוֹן, cum ſit in Regimine. Sic Chriſtianorum Peſach vocant קְצָח à קא vomuit & צח Chal. ſtercus. Sed ad textum redeo.

Niſi aſpectus] Quod ſuas opes cernat devorari. Kimchi hunc verſum longe aliter intelligit, ut ſit quaſi αἰτιολογία ejus quod ſupra dixit, *Etiam hoc vanitas:* q. d. Etiamſi agricultura reliquis præſtet, eſt tamen & ipſa vanitas, in eo quod quò plura colliguntur ex ea, eò plures confluant ad ea devoranda, ex quibus dominus nihil habet præter oculorum aſpectum. Sed præſtat per bona *divitias* intelligi, quarum collatione laudes τῆς γεωργίας exaggerat.

12. *Dulcis eſt ſomnus operantis ſive parum ſive multum comedat; ſatietas verò divitis non ſinit eum dormire.*

Pergit exaggerare laudes agri ab adjuncto ſcilicet tranquillitate.

Operantis] עֹבֵד Colentis ſc. agrum. Sic paſſim uſurpatur vox עָבַד. Sic initio Geneſeos, 2. 15.

Satietas] hoc vel de abundantia opum potes intelligere, quæ cum nunquam requieſcere permittit ob curas animum ejus rodentes, vel de ſatietate ciborum, juxta illud Horatii,

Vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubiâ.

13. *Eſt malum ægritudinem afferens*, *quod vidi ſub ſole; divitiæ cuſtodiuntur domino ſuo in malum ipſius.*

14. *Et pereunt divitiæ illæ in occupatione mala*, *& gignit filium*, *& non eſt in manu ejus quicquam.*

15. *Quemadmodum egreſſus eſt ex utero matris ſuæ*, *nudus revertetur ut abeat*, *tanquam venit; nec quicquam reportat de labore ſuo*, *quod abducat manu ſuâ.*

16. *Etiam hoc malum ægritudinem affert*, *omnino prout venit ita abit: Quid itaque utilitatis erit ei*, *quod in ventum laboret?*

13. *Ægritudinem afferens*] Ebr. חוֹלָה propriè, *ægrum*, *infirmum*. Eſt enim forma participii activi fœm. גולה. Hinc vertunt alii *mala infirmitas*, Lxx. ἀῤῥωςία. Aquila νόσῳ καxή. Sed morbus ſeu infirmitas Ebræis dicitur חֳלִי. Hoc unum. Deinde in Ebræa lingua ſubſtantivum ſequi non ſolet. Verto itaque hoc loco cum Tremellio, *ægritudinem afferens*, per metonymiam. Sic *pallida mors æquo pulſat pede*, *pauperum tabernas Regumque turres. Pallida mors*, quia facit homines pallidos. Sic poſſes exponere & illud Salomonis לץ היין *Irriſor eſt vinum.* i. facit irriſores. Licet alii ſubaudiant איש, vir vini. i. vinoſus. Huc referunt quidam חרישית Jon. 4. *Surdus ventus*, quod ſurdos faciat homines præ vehementiâ. Licet probabilior ſit ſententia Chaldæi qui vertit שתיקא ſilens.

14. *Non eſt in manu ejus* &c.] Uſque adeo verum eſt vulgatum illud, *Malè parta malè dilabuntur.*

15. *Revertetur ut abeat*] ללכת redundat. Sic ſupra. 17. de fluminibus שבים ללכת *Revertuntur ut abeant.*

Nudus pro malè veſtito & eo qui non habet veſtes ad rem neceſſariam.

Quod abducat] שיולך *quod ire faciat*, ad verbum.

De labore ſuo] Hic manifeſto ב ponitur pro מן. Vide ſupra.

16. *Omnino prout veni*] כל עמת. Dictio עֻמַּת proprie ſignificat *ex adverſo*, *è regione*, nec reperitur niſi cum לְעֻמַּת ל. Ut nec לְבַעֲבוּר unquam ſine ל. Hic ejus loco præponitur כָּל ut in Chald. כל קבל Sunt qui putant ad לעמת adjectum eſſe כ ſimilitudinis כְּלְעֻמַּת, eamque vocem in duas diviſam & pro hiric ſubſtitutam Kametz parvam vocalem. Sed hoc remotius. Latinè optimè reddes, *omnino prout*, *planè ut.*

17. *Etiam omnibus diebus ſuis in tenebris comedit &* (in) *ira multa*, *& ægritudo eſt ei & indignatio.*

Addit aliud incommodum avari divitis.

In tenebris] AbenEzra ſimpliciter intelligit; quaſi diſtineatur diurnis negotiis uſque adeò, ut de die cibum capere, non liceat, ſed in multam noctem differre cœnam oporteat. Sed magis accedes ad ſtylum S. Scripturæ ſi per *tenebras* intelligas, ſolicitudines, afflictiones. q. d. injucundè & cum anxietate ſumma cibum capit. Sic vox חֹשֶׁךְ ſumitur Pſalmo 112. *In tenebris oritur lux juſtis.* Mich. 7. *Si ſedero in tenebris*, *DOMINUS lux mea.* Quæ exempla ſelegi, ut in iiſdem etiam appareat uſus vocis contrariæ *lux*, quæ in iis exemplis & paſſim ſumitur pro hilaritate & lætitia.

Et (in) *ira multa*] וְכַעַס ſubaudi ב ex præcedenti. Aliqua exemplaria habent וְכָעַס *& iraſcitur multum.*

Et ægritudo ei] וְחָלְיוֹ pro וחולי לו. Sic Pſ. 115. 7. יְדֵיהֶם pro יָדַיִם לָהֶם. Alii putant Vau eſſe Paragogicum, ut in חַיְתוֹ שָׂדַי *beſtia agri* pro חית שדי. Sic בְּנוֹ פְעוֹר *filius Peor.*

18. *Ecce* (itaque) *quod vidi ego; Bonum & pulchrum eſt comedere & bibere & frui bono ex omni labore ſuo quo laborat ſub Sole*, *numero dierum vitæ ſuæ*, *quos dedit ei Deus*, *Ea enim eſt ipſius portio.*

19. *Etiam cuicunque homini dedit Deus divitias & facultates & cui poteſtatem tribuit comedendi ex iis & ferat portionem ſuam & lætetur ex labore ſuo*, *hoc donum DEI eſt.*

18. *Ecce itaque*] Concludit hunc locum argumento totius libri. Quomodo autem hoc edere & bibere ſit intelligendum ſupra explicatum eſt.

Vidi] Obſervavi, animadverti. Sic & Matth. 2. 16. τότε ἡρώδης ἰδὼν *ſe deluſum à Magis.* Videns, obſervans, animadvertens.

Bonum & pulchrum] Ebr. טוב אשר יפה. Propterea quidam ſic: *Ecce itaque quod vidi bonum*, *quod pulchrum* &c. Sed obſtat accentus Rebia ſupra אָנִי, qui non patitur טוב jungi cum præcedenti. Tremellius & Junius, *bonum pulchrum.* Sed ſi hoc voluiſſet Salomon dicere, omiſiſſet אֲשֶׁר, & fœminino genere hoc protuliſſet טוֹבָה יָפָה, ut dicimus רָעָה חוֹלָה. Notum enim pro neutris Ebræos uſurpare fœminis. Ego ſecutus ſum Kimchi qui docet אֲשֶׁר aliquando poni pro ו &c. Sic Hoſ. 12. 9. עון אשר חטא *Iniquitas & peccatum.* Quem locum tamen Cl. Druſius in ſuis in eum Proph. Lectionibus exponit hoc modo, *Iniquitas quæ ſit peccatum.* Per peccatum intelligentes *idololatriam*, quæ hoc nomine quaſi κατ' ἐξοχὴν ſolet aliquando indigitari. Sic de Jeroboam paſſim החטיא *peccare fecit Iſraelem.* i. ad idololatriam pellexit. Sic & Sirach. 49. 5. *Præter David*, *Ezechiam & Joſiam omnes peccatum commiſerunt.* i. idololatriam.

Comedere & bibere] Hæc phraſis quomodo ſit intelligenda, vide ſupra.

Videre bonum] i. frui bono. Plenum eſſet לִרְאוֹת בְּטוֹבָה. Vide ſupra.

19. *Poteſtatem tribuit*] ad verbum *dominari fecit eum. Eum* redundat. Porro *dominari fecit.* i. præfecit, poteſtatem dedit. Unde שַׁלִּיט præfectus, שלטון & שִׁלְטֹן dominium. Hinc ſine dubio habet originem voxo illa *Sultanus.*

20. *Neque enim multum recordabitur dierum vitæ ſuæ*, *quia Deus reſpondet lætitiæ cordis ejus.*

Neque enim &c.] Partis tranquillè fruens. q. d. non multum

tum cruciabit eum memoria ærumnarum & miſeriarum hujus vitæ. Ratio, *quia Deus exaudit*, reſpondet, annuit lætitia cordis ejus.

Exaudit] מַעֲנֵה cum Tſere pro Sægol. Sunt qui ſubaudiant אותו *eum*. Magis proprie ſignificat, *reſpondet*. Deus dicitur quaſi reſpondere quando exaudit. Vulg. *occupat lætitia animum ejus.* Sic & Græci περισπᾷ diſtendit. Sed obſtat quod dictio שִׂמְחַת ſit in Regimine. Kimchi vero ſic exponit, רוצה בשמחתו ומזמן לו oblectatur ejus lætitia & parat ei ſc. lætitiam. Aben-Ezra מַמְצִיא *invenire facit*, *ſuppeditat*, *ſuggeret*, ut cap. x. de pecunia בכסף יענה את הכל *Pecunia ſuppeditat omnia juxta eum.* R. Salomo, quia עָנָה etiam ſignificat *teſtari*, exponit ac ſi eſſet nomen, poſitum pro עדות. q. d. quia Deus eſt ei teſtimonium ſemper fixum in lætitia cordis ejus. Alii eàdem ſignificatione exponunt, ſed ut ſit Benoni Hiphil & tranſitivum, *Dies teſtificari facit* (eum) *de lætitia cordis ſui.* Alii aliter. Primam expoſitionem ego præfero ſecutus Mercerum. Priorem partem verſiculi AbenEzra ſic interpretari quoſdam poſſe ait; *Quum non eſt multum* (ei) *tamen recordatur dierum vitæ ſuæ* &c. Quos juvat accentus Sakeph Katon ſuper הַרְבֵּה. R. Salomo ſecutus etiam accentum iſtum, *Quum non ſunt multi* ſcilicet Dies, &c. Sed ego tanti non fecero accentum iſtum, ut à priori expoſitione recedam.

GROTIUS.

1. ICcirco ſint pauci ſermones tui] Contra morem paganorum, de quo egimus Matth. VI. 7.

3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere*] Deuteron. XXIII. 21.

5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam*] Noli blanditiis uti ad adulteria perpetranda.

Neque dicas coram Angelo non eſt providentia] In Hebræo, *Neque dicas coram Angelo eſt ignorantia.* In Græco: μήτε εἴπῃς πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ ὅτι ἄγνοιά ἐστι [*neque dicas coram facie Dei quòd ignorantia eſt*]. Coram Angelo inſpectore ſcilicet tuarum actionum, &, ſi malæ ſint, pœnæ exactore: quem Angelum πρόσωπον τοῦ Θεοῦ [*faciem Dei*] Græci vocant, ut Geneſ. XXXII. 30. quia ex nomine ac perſona Dei agit. Noli, inquit, excuſationes quærere, quaſi leve ſit tale peccatum. Adſtat Angelus vindex.

5. *Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates & ſermones innumeri*] Senſus videtur ità rectiùs reddi: *Sicut multa ſunt ſomnia & in ſomniis vanitates, ità multa verba*, vana ſunt ſcilicet, ea præſertim quibus homines peccata gravia extenuant.

7. *Quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii*] Hic videtur ſenſus: Iſti minuti ſatrapæ alios vexant, ipſos verò majores alii, ut Seneca ait:

Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis dominus minatur:
Omne ſub regno graviore regnum eſt.

At poſtremum illud rectiùs verteris: *Et excelſus excelſorum ſuper eos.* Nam ſicut dicunt Hebræi κατ' ἔλλειψιν [*defective*] אלהים [*deorum*] pro אלה האלהים [*Deus deorum*], & חכמות [*doctrinarum*] pro חכמת חכמות [*doctrina doctrinarum*,]. & בהמות [*ferarum*] pro בהמת בהמות [*fera ferarum*]: ità hîc dicitur גבהים [*excelſorum*] pro גבה גבהים [*excelſa excelſorum*] Senſus eſt, *Deum eſſe ſupra omnes ſummates hominum.*

8. *Et inſuper univerſæ terræ Rex imperat ſervienti*] Videtur hic ו [&] eſſe pro כ [*ſic*], ut dicatur ſic Deus univerſo imperare, quomodo Regi ſervitur de agro etiam in terra quæ cæteris plurimùm præſtat.

9. *Avarus non implebitur pecuniâ*] Hoc per Midæ fabulam oſtendunt Poëtæ. Pecunia niſi erogetur nulli eſt uſui.

Et qui amat divitias fructum non capiet ex eis] In Hebræo eſt המון, quod *multitudinem* ſignificat, & ex vi ſubjectæ materiæ hîc de *multitudine pecuniarum* debet intelligi. At Gemara explicat: *qui amat turbas.* Alii legunt: ומי אוהב בהמון תבואה: *& qui amat ſocietatem proficiet:* ſcilicet in Lege. Ego quod primùm dixi præferam.

10. *Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis*] Martialis de villis & agris longinquis:

O janitores villicique felices!
Dominis parantur iſta, ſerviunt vobis.

18. *Et fruatur parte ſuâ*] Quod Horatius dicit:

Di tibi divitias dederunt, artémque fruendi.

19. *Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ*] Non ſentit abire vitam.

O vita miſero longa, felici brevis!

CAP. VI.

MUNSTERUS.

3. NEC habuerit ſepulturam] Ut ſi ſubmergatur in aqua, aut devoretur à lupis, vel alio ſimili mortis intereat genere.

8. *Quid autem excellentius*] In nullo differt ſapiens à ſtulto ſi inſatiabiliter inhiet bonis acquirendis & mediocri fortunâ non contentetur. ¶ *Quid accreſcit pauperi intelligenti*, &c.] Alii ſic vertunt, *Quid præſtantius habet ſapiens humili, qui ſcit vitam agere inter viventes?*

10. *Id quod fuit*] Cùm homo diu per fas & nefas inhiaverit bonis caducis, aut contenderit ad magnos honores, fueritque nomen ejus propagatum per omnem terram, tandem in morte notum fit quòd fuerit homo mortalis, cæteris ſimilis: & ob tyrannidem ſuam quam erga pauperes exercuit *non poterit intrare in judicium cum* æquiſſimo *Judice.* Vanitas ergò eſt, tali ſe gravare onere.

VATABLUS.

1. ET frequens homini רבה היא על האדם] Ad verb. *& multum eſt apud homines*: nam אדם nomen eſt collectivum. Eſt, inquit, quoddam genus infelicitatis quod deprehendi in mundo, & inter homines principatum obtinuit.

2. *Et infirmitas mala eſt* וחלי רע הוא] *Et malus morbus.* Vel *languor malus*: aut *dolor gravis.*

2. *Centum* מאה] Numerus certus pro incerto. Ità utuntur Hebræi Millenario, Denario, & Septenario; Infrà 7. 20. ¶ *Et multiplicati fuerint* ורב שיהיו ימי שניו] Ad verb. *Et ſatis ſit illi id quod erunt dies*, &c. i. ſit contentus ſpatio vitæ ſuæ; aut, vivat quàmdiu volet. ¶ *Dixi, Melior* אמרתי טוב] *Pronunciavi* de eo, *Felicior*, &c.

4. *In vanum* בהבל] *In vanitatem ipſam*: i. in mundum, qui meta eſt vanitas, venit, ſed citò moriturus. Præt. Heb. pro fut.

5. *Huic magis quàm illi* לזה מזה] i. Abortivo quàm diviti.

6. *Mille annos duabus vicibus* אלף שנים פעמים] Hebraiſmus; pro *bis mille annos.* ¶ *Et bonum* וטובה] Pro *lætitia* poſuit *bonum*: i. & lætitiam non ſenſerit. ¶ *Nónne ad locum unum* הלא אל מקום אחד] *Certè ad locum eundem.*

7. *Pro ore ejus* לפיהו] *Propter os ejus*, ſub. *ſuſcipitur*; i. ut paret ſibi victum. ¶ *Et tamen anima* וגם הנפש] *Et tamen deſiderium*: i. cupiditas habendi non poteſt ſatiari.

8. *Amplius* יותר] *Excellentius*; aut *præſtantius.* Quidam vertunt, *Quæ eſt enim excellentia ſapienti ſupra inſipientem?* ¶ *Scienti* יודע] *Docto*; *intelligenti.* Quidam hoc modo vertunt hanc partem, *Quid* accreſcit *pauperi intelligenti*, ſi *ambulet* cum ſtultis *coram viventibus?*

9. *Viſio* מראה] *Aſpectus*: i. Melius eſt eſſe contentum præſenti fortunâ quàm multa deſiderare. ¶ *Quàm anima quæ abit* מהלך נפש] Ad verb. *quàm ire anima.* Quidam hæc explent hoc modo, *quàm ambulare* ſecundùm deſideria *animæ.* Alii vertunt, *quàm ut quis deſiderium ſequatur.* Alii, *quàm quòd æſtuet anima*, i. quàm animo æſtuare cupiendo. ¶ *Et afflictio* ורעות] Vide cap. 2. 11.

10. *Quicquid eſt* מה שהיה] Præt. Heb. pro præſ.

11. *Verba multa* דברים הרבה] *Res multæ.* ¶ *Multiplicant vanitatem* מרבים הבל] Quidam, ut & Chaldæus P. ſubaudiunt pronomen ש, ſic, *quæ vanitatem augent.* ¶ *Quid amplius homini* מה יותר לאדם] *Quæ utilitas homini?* Huic parti verſus ſequentem jungit V. interpres; & ab ea incipit caput ſeptimum.

CASTALIO.

4. NAM hic qui & nequicquam venit, &c.] Abortus.

9. *Potior eſt oculorum aſpectio quàm animi progreſſio*] Melius eſt bonum quod cernitur & adeſt quàm quod ſperatur.

10. *Cum fortiori ſe contendere*] Mortem effugere.

CLA-

CLARIUS.

2. **N**EC *tribuit ei poteſtatem Deus*] h.e. Animum utendi illis non tribuit.

5. *Non vidit Solem*] *Non vidit Solem*, *neque cognovit*, ſcilicet *bonum ſuum*, *melior eſt hic*, i. abortivus, *quàm ille*, qui neſcivit frui ſuis bonis, dum *fruſtrà venit* in hunc mundum, *& pergit ad tenebras*, &c.

7. *Omnis labor hominis*] Nullus fructus eſt alius humani laboris quàm cibum *ori* ſuppeditare; quod quamvis factu ſit facile, *animi* tamen cupiditati omnino *ſatisfieri non poteſt*.

8. *Pauper intelligens*] Quid minus habet pauper, qui induſtriâ ſuâ ſibi victum parat, inter illos cum quibus vivit?

9. *Melior eſt aſpectus oculorum*] At melius, inquies, eſt contemplari oculis divitias præſentes quàm induſtriâ ſolâ fretum in diem more pauperis vivere. Certè falleris qui hoc putas. Non aliud enim aſpectus divitiarum affert quàm animi ſtultas curas & tormenta.

10. *Quod fuit, jam vocatum eſt nomen ejus*] Quâ ratione fuit olim unumquodque priùs quàm eſſet *nomine ſuo notum* & *ſcitum fuit* quid hic, velit, nolit, *homo* futurus eſſet, *nec poſſet* niſi fruſtrà *contendere cum* Deo, *qui ipſo fortior eſt*, quare ſic vel ſic factus ſit. Alius tamen hunc ſenſum affert, *Cùm homo diu per fas & nefas inhiaverit bonis caducis, aut contenderit ad magnos honores, fueritque nomen ejus propagatum per omnem terram, tandem in morte notum ſit quòd fuerit homo mortalis, cæteris ſimilis; & ob tyrannidem ſuam quam erga pauperes exercuit, non poterit intrare in judicium cum æquiſſimo Judice. Vanitas ergò eſt tali ſe gravare onere.*

11. *Verba ſunt plurima*] Et ſi quis, inquit, multis verbis contendere cum Deo conetur, nihil illi ejuſmodi obmurmuratio proderit.

DRUSIUS.

1. **M**Alum] *Incommodum aliud.* ¶ *Vidi*] *Cognovi, obſervavi.* ¶ *Sub Sole*] In hac vita. ¶ *Et quidem multum eſt*] ורבה היא, i. *frequens*, ut explicat autor edit. Vulgatæ. Alii *& quidem magnum eſt.* Nam רב *magnus*, ut diximus. Chaldæi paſſim hoc ſignificatu utuntur, ut Dan. 2. מלך רב *Rex magnus*, טור רב *mons magnus*: & alibi כהנא רבא *Sacerdos magnus*, הכהן הגדול. ¶ *Super homines*] על האדם *apud homines* vertit Interpres noſter, Symmachum, ut puto, ſecutus, qui priùs ediderat παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, i. את האדם. Edit. Gallica *entre les hommes*, i. *inter homines*, באדם.

2. *Divitias*] Πλοῦτον, *opulentiam.* ¶ *Facultates*] *Opes, bona.* ¶ *Et nihil deficit animæ ejus*] Vel *nihil deeſt*. Nec ullâ re, inquit, quam animo poſſet expetere caret: habet omnia quæ optari poſſe videntur. Lxx καὶ οὐκ ἔστιν ὑστερῶν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ, *nihil deeſt animæ ipſius*, vel *non caret animæ ſua*, ſub. τινὸς, *ullâ re.* ¶ *Ex omnibus quæ deſiderat*] Ἀπὸ πάντων ὧν ἐπιθυμεῖ. ¶ *Neque poteſtatem ei tribuit*] Lxx καὶ οὐκ ἐξουσιάζει αὐτῷ. Vide quæ notavimus ſuprà 5. 18. ¶ *Sed*] Hîc perſpicuè כי ponitur pro כי אם *niſi*, *ſed*, *verum.* ¶ *Vir extraneus*] Ἀνὴρ ξένος. Et eſt Pleonaſmus, ut, *Mulier ancilla*, *Homo ſacerdos* ἀνὴρ ἁλιεὺς, *Vir piſcator.* Vult dicere, *qui nullâ ipſum cognatione aut affinitate attingit.* ¶ *Comedit illa*] Non *ex illis*, ut antea, ſed *comedit illa*: q. d. Nihil ex bonis ipſius reliqui facit. ¶ *Ægritudo peſſima*] Ἀῤῥωστία πονηρά. Id eſt quod ſuprà dixit רעה חולה *malum ægrum.* Autor ed. antiquæ *miſeria magna*, רעה גדולה. Notum adagium illud, *Sufficit diei miſeria ſua*, רעתו.

3. *Quiſpiam*] איש, *vir*, i. quiſpiam. Lxx Ἐὰν γεννήσῃ ἀνὴρ ἑκατόν. ¶ *Centum*] *Liberos* videlicet; quod redditum priſco Interpreti ſub aſteriſco. Et eſt locutio ut, *Dormire mortis*, *Induere regni.* Nam ut hîc *veſtes*, & ibi *ſomnum*, ità nunc *liberi* ſubaudiuntur, qui in verbo *gignendi* incluſi. ¶ *Multique ſint dies annorum ejus*] *Quamvis multi ſint dies annorum ejus, ſi tamen anima ejus non ſatietur* (aut *fuerit ſaturata*) *bonis*, &c. Verbum è verbo, *& multum quod ſint dies annorum ejus.* Nos ſenſum, ut putamus, ſatis commodè expreſſimus. Lxx καὶ πλῆθος ὅτι ἔσονται αἱ ἡμέραι ἐτῶν αὐτοῦ. ¶ *Et anima ejus non ſatietur*] Vel quòd copia boni à Deo maledicta non ſatiet; vel quòd ipſe inſatiabilis & inexplebilis ſit, vel denique quòd nihil habeat unde ſatietur. Hoc poſtremum certum eſſe puto. Hîc *anima* ſign. τὸ ἐπιθυμητικὸν, h. e. *eam animæ partem quæ appetitionis eſt origo*, ut Hab. 2. 5. Οὐ πλησθήσεται, pro quo in Notis ad ed. Rom. malè πληρωθήσεται legitur. Cæterùm Th. habet οὐ χορτασθήσεται. Verbum hoc propriè de jumentis dicitur: nam χόρτος *gramen* aut *pabulum.* ¶ *Bono*] Ἀπὸ τ̃ ἀγαθωσύνης. ¶ *Quinetiam ſepultura non fuerit ei*] i. *Sepulturâ careat*, ut doctè vertit Interpres noſter. Cæterùm Sepulturâ carere apud Judæos habetur pro ſumma infelicitate. Joſephus De bello Jud. l. 4. c. 7. *Ad hoc autem impietatis progreſſi ſunt ut etiam inſepultos eos abjecerint; cùm præſertim Judæis tanta ſepulturæ cura ſit ut etiam judicio cruci ſuffixos ad occaſum Solis deponant atque ſepeliant.* Conſule adagium, *Sepulturâ aſini ſepelietur.* Huc facit illud Senecæ, *Immanitatis eſt Scythicæ*, inquit, *non ſepelire mortuos.* ¶ *Meliorem eſſe*] Nempe quia ejus conditio & ſors melior eſt, i. felicior. ¶ *Abortivum*] Τὸ ἔκτρωμα. Appellatio à *cadendo*: nam matri excidit ante tempus. Dicitur & ἐκβολὴ γλωσσικὸς, ſi credimus Heſychio. Latinè *abortus*, ſive *abortivus fœtus.*

4. *Quia*] Aliàs, *Quamvis.* ¶ *In vanitate*] De abortivo loquitur, non de divite avaro. Lxx ἐν ματαιότητι, i. בהבל: quod nunc in fonte. Alius reddit *in vanum* ſive *fruſtrà*, i. לשוא. *In vanitate*, i. vanè. Nam quid vanius quàm naſci ſine vita? ¶ *Venit*] In hunc mundum. Vanè in vitam prodit, quippe non fruiturus eâ. Nam aut mortuus prodit; aut mox morte exſtinguendus. ¶ *In tenebras*] i. In ſepulcrum: niſi malis reddere *in tenebris*, cujus ſenſus ut ſi dicas *tenebricosè*, ſive *obſcurè*. Porrò Sepulcrum afficitur *tenebrarum* vocabulo cùm alibi, tum Pſal. 88. 12. & Tob. 14. 10. Dicitur & מקום חשך *locus tenebrarum* in Avoth R. Nathan; & בית חשך *domus tenebrarum* in libro Selectarum gnomarum. Hujus loci eſt Cohel. 11. 8. *Recordetur dies tenebrarum*, i. mortis ſuæ. Ut per *lucem* Vitam, ità per *tenebras* Mortem ſignificant. Nam Mors triſtitiâ veluti tenebris cuncta involvit. ¶ *Abit*] Alibi eſt *deſcendit*, ut ibi, καὶ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος, *& ipſe deſcendit in tenebras.* Locus exſtat in hiſtoria Tobiæ. Dicunt etiam, *abiit in domum ſeculi ſui*: quæ & *domus æterna.* ¶ *Tenebris*] Vel ſepulcro, ut modò, quæ eſt *terra tenebrarum*, ut *terra oblivionis* dicitur. ¶ *Nomen ejus*] i. Ipſe, ſive corpus ejus; vel, nomen ejus obſcurum eſt & quaſi in tenebris latet, nec ulla exſtat ejus memoria: q. d. *oblivione delebitur nomen ejus*: ità Hier. ſi modò is autor Vulgatæ noſtræ. Olim convertit ex Ebræo.

5. *Solem non vidit*] Vult dicere, *Quia Solem non vidit; ideo tolerabilior eſt ipſius conditio quàm alterius.* Sic dico; *Solem non vidit*, ac proinde ei moleſtum non erit ſi ejus uſu privetur. Nam *ignoti boni nulla cupido.* ¶ *Neque cognovit*] *Neque cognovit quicquam*: Nullius rei ſcientiam habuit: ſenſu boni & mali caruit: vel, *neque novit* utilitatem Solis; quam præſtat hominibus. Sunt qui interpretentur *neque expertus eſt.* Nam ידע *per experientiam aliquid cognoſco.* Non videt Solem cæcus, & tamen experitur ejus calorem, ut cætera viventia. Significat, omnino mortuum ex utero egreſſum. ¶ *Quies eſt*] Vel *levius* (aut *tolerabilius*) *eſt.* Sic נוח uſurpant: cui opponitur קשה *durum*, *difficile*, *arduum*, *intolerabile.* In Græcis pro ἀνάπαυσις ſunt qui legendum conjiciant ἀναπαύσεις τούτῳ ὑπὲρ τοῦτον. Vet. *diſtantiam boni & mali.* Quid legit cùm ità verteret? ¶ *Huic*] *Abortivo*, ſive *abortio.* ¶ *Quàm*] *Magis quam*: nam יותר ſubintelligitur. Quale illud, *Mulier tacita bona quàm loquax.* ¶ *Illi*] Diviti avaro.

6. *Quòd ſi vixerit*] Olim qui diu vivebant felices vulgò judicabantur. Ex ſanè pars aliqua felicitatis eſt diu vivere, ſi vita jucunda fuerit, non plena ærumnarum. Talis ſiquidem vita non eſt vita, ſed potiùs mors quædam: miſerique cenſentur à ſapientibus qui hoc modo vivunt. ¶ *Annos bis mille*] אלף שנים פעמים. Lxx καθόδους. אלף שנים פעמים *mille annis bis*; i. *bis mille annos*, ſive, quod idem, *duo millia annorum*: quanta ætas non cadit in ullum hominem: nemo enim unquam tamdiu vixit. Olim aliter: nunc Lx aut Lxx annos vivitur: multum eſt ſiquis centum vixerit. ¶ *Et bonum non viderit*] Καὶ ἀγαθωσύνην οὐκ εἶδεν. Senſum expreſſit optimè Interpres noſter, *& bonis non fuerit perfruitus.* Nam *videre bonum* eſt eo *frui*, quod Græci ἀπολαύειν dicunt. Vide quæ ſcripſimus ſuprà 2. 1. ¶ *In locum unum*] Unus idémque locus omnes recipit, videlicet terra, quæ propterea locus communis vocatur, in quam omnia inferiora ſuo quæque tempore reſolvuntur. ¶ *Omnes*] Antiqui legunt *omnia*, τὰ πάντα: quod non planè improbo, ut etiam ad cætera animantia extendatur. ¶ *Abeunt*] Imò *redeunt*: nam è terra omnes originem habent. Vel, *abeunt* in ſepulcrum: qui etiam locus eſt communis omnium quando è vita diſceſſerunt.

7. *Pro ore ejus*] Pro victu, ſive pro corporis ſuſtentatione. Eſt cur malim *pro ore ſuo*, ſive *propter os ſuum*, nempe ut ſe alat ac ſuſtentet cibo, qui ore ſumitur. Finis laboris eſſe debet ut neceſſaria ad victum indè paremus: qui ſi obtinget ex animi ſententia, ſatis eſt. Quanquam avaro nihil ſatis, cujus

avaritia neque copiâ neque inopiâ minuitur, ut Salluſtius ait. ¶ *Anima*] Cupiditas, ut ſuprà, *& anima ejus non ſatietur.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Huc facit, *Totâ die avet aviditas*, i. avarus, &,

—— Semper avarus eget:

&, *Avaro tam deeſt quod habet quàm quod non habet.* הנפש poſitum videtur pro *anima ejus*, quod vertit Int. V.

8. *Quid ampliùs eſt ſapienti*] Lxx Ὅτι περίσσεια τῷ σοφῷ, *Quoniam præſtantia eſt ſapienti.* Omittunt particulam מה, quæ apud Ebræos interrogat, idem ſignificans quod apud Latinos *quid.* Hinc emergit ſenſus contrarius. Sym. propiùs ſe ad Ebraicam veritatem vertit, Τί οὖν περισσόν; *Quid igitur amplius?* Nè quid celem, feſellit me Rom. editio, in qua errore operarum ὅτι περίσσεια, cùm legi debeat ὅτι τίς περίσσεια· nihil adeò verum. יותר eſt *magis* aut *ampliùs.* Chaldaicâ יתיר. Id aliquando adjectivè ſumitur. Conſule Annot. noſtras quas ſcripſimus in Danielem. ¶ *Quàm ſtulto*] Contrà legimus ſuprà 2. 13. *Eſt Præſtantia ſapientiæ præ ſtulto qualis eſt præſtantia Solis præ tenebris.* Hæc pugnare inter ſe videntur: ſed non eſt ità: nam ſequitur, *cognovi etiam eventum unum evenire utrique:* & mox, *Secundùm eventum ſtulti evenit etiam mihi.* Quæ verba indicant paria evenire ſapienti ac ſtulto, nec unum alteri hac quidem in re præſtare, cùm uterque iiſdem caſibus obnoxius ſit. Sic dico, Si communia eventa ſpectemus, nihil ampliùs habet ſapiens quàm ſtultus. Aliis rebus multis ſapiens ſtulto præſtantior eſt, ut ſuo loco aperiam. ¶ *Quid pauperi*] Repete ἀπὸ κοινοῦ *ampliùs eſt?* & ſubintellige *quàm ſapiens & ſtultus*, aut, *quàm alius pauper, qui videlicet neſcit vivere cum hominibus.* Hunc locum alii aliter enarrant. V. Interpres, *& quid pauper niſi ut pergat illuc ubi eſt vita?* Lxx διότι ὁ πένης οἶδε πορευθῆναι κατέναντι τῆς ζωῆς. Interpretatio Latina quæ in Hieron. *quid pauperi niſi ſcire ut vadat contra vitam?* Senſus eſt; autore Hieronymo, *Pauper nihil aliud quærit niſi ut poſſit organum corporis ſui ſuſtentare, nec interire inediâ.* Trem. *quid ad pauperem fruens, dum ambulant coram viventibus?* i. in hac vita. Quid ſi כי אם ſubaudiatur, ut 2. 24. & 4. 17. hâc ſententiâ, *Quid ampliùs pauperi ſcienti* (ſive *intelligenti*) *niſi quòd ambulet coram vivis?* Non ſe probat mihi: quæramus diligentiùs. ¶ *Ambulare coram viventibus*] Vivere cum hominibus, ſive inter homines verſari. Cujus rei certa eſt ſcientia, quam qui novit, licèt pauper ſit, gratus & acceptus eſt ubique. Et tamen communes ei eventus cum aliis, eadémque illum accidentia manent quæ cæteros, ità ut nihil ampliùs habeat, quoad hanc rem attinet, quàm imperitus vivendi. *Ambulare coram vivis*, alibi legitur *ambulare in luce viventium.*

9. *Aſpectus oculorum*] ὅραμα ὀφθαλμῶν *viſio* (ſive *aſpectio*) *oculorum.* Vult dicere *id quod oculis aſpicimus*, ſive *quod præſens eſt*; τὸ παρόν. ¶ *Quam vagatio animæ*] מהלך נפש *quàm ambulare anima.* Vult dicere *quam animus habendi cupiditate excæcatus, qui huc illuc vagatur, & inſatiabilis eſt*; ſicuti alibi legimus, *Oculi ſtultorum in extremo terræ.* Sic dico, Præſtat frui iis quæ præſentia oculus cernit quàm animum habere lucro devotum & inexplebilem, qui quò eum cupiditas coacervandi metúſque congeſta amittendi rapiunt, fertur incitatus. Ed. Lat. Vet. *Melius eſt videre quod cupias quàm deſiderare quod neſcias:* quaſi *ambulare anima* ſit deſiderium rei ignotæ. Anima *ambulat* quando ſibi non conſtat, modò hoc modò illud appetens, præſentibus minimè contenta. Sic Voluntas *ambulare* dicitur, quæ inconſtans & inſtabilis eſt. Notum illud Lat. *Voluntas hominis eſt ambulatoria.* Ut alibi in hoc libro ità hìc quoque *animam* vocat τὸ ἐπιθυμητικὸν, h. e. *eam animæ partem quâ quid appetimus & concupiſcimus.* ¶ *Etiam hoc eſt vanitas*] Nempe divitias congerere per fas & nefas, nec præſentibus contentum eſſe, at cupidum eſſe lucri plus æquo: quod genus Latini autores *lucriones* appellitant. ¶ *Paſtio venti*] Aut *vexatio ſpiritûs.* Hem! penè exciderat. Locum hunc Sym. transfert, Βέλτιον προβλέπειν ἢ ὁδεύειν ἀντιαρεσκείᾳ, *Melius eſt providum eſſe quàm Suffenum, ſibique placere & quaſi aſſentari.* Nam ἀρέσκεια *comis aſſentatio*, vel, ſi mavis, *comitas aſſentatrix.*

10. *Id quod fuit*] מה שהיה. Alii *quod eſt*, מה שהוא. Vetus ed. *Qui futurus eſt*, מי שיהיה. Græca, Εἴ τι ἐγένετο, *Si quid fuit.* ¶ *Antea vocatum eſt nomen ejus*] Priuſquam eſſet, inditum ei eſt nomen conveniens rei: ſecundùm illud,

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Non eſt dubium quin Adamus, qui primus nomina rebus impoſuit, ſingulorum naturam probè perſpectam habuerit. Sed videtur aliud innuere; nempe, nihil fieri quod non priùs ſit decretum in conſilio Dei. Unde & illud ſequitur, Debere unumquemque contentum eſſe ſorte ſuâ: ſiquidem quod à Deo ſemel decretum eſt, ab homine mutari non poteſt. Lxx ἤδη. Vet. *jam.* Sic etiam Trem. Gall. *pieça*, i. *jamdiu, dudum.* ¶ *Notum fuit quod eſſet homo*] Vel, *notum fuit eſſe hominem.* Sed eſt cur malim *notus fuit, qui eſt homo. Homo*, inquit, *qui nunc eſt, jam olim notus fuit quod eſſet homo*, כי אדם הוא. *Homo* hìc vocatur אדם, quia è terra ſumptus. Quo admonetur originis ſuæ, ac ſimul nihil ſe aſportaturum ſecum cùm eò redibit unde venit. נודע verbum præteritum ob Tarha regem. Itaque Græci reddunt ἐγνώσθη. Poteſt etiam eſſe participium præſens. Vetus ſanè interpres *& ſcitur quòd homo ſit.* ¶ *Et non poteſt*] Vel *poterit*, vel *qui non poteſt.* Nam ו & *qui* permutantur apud Ebræos. ¶ *Contendere*] Κριθῆναι. Id reddunt *judicari:* ſed ſign. *contendere, judicio experiri, litigare*; ut ibi, Κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν, *Litigate cum matre veſtra.* Porrò reſpexiſſe videtur Salomo ad locum illum Moſis, *Non contendet ſpiritus meus*, &c. Ubi in Ebræo לא ידון Gen. 6. ¶ *Cum eo qui fortior eſt ſe*] i. Cum Deo, quod dicunt θεομαχεῖν. Cæterùm cum Deo contendere inſanire eſt: nam quis ei reſiſtat? Lxx μετὰ τοῦ ἰσχυροῦ ὑπὲρ αὐτόν. Alius interpres μετὰ τοῦ ἰσχυροτέρου. Id poſtea in contextum irrepſit verborum Lxx. Admonent Ebræi hìc dimidium libri eſſe, in quo verſus ſint 222. Igitur à principio ad hunc locum verſus ſunt 111. i. centum & undecim.

11. *Verba multa*] i. *Res multæ*, aut *negotia multa.* Prius elegerunt: nam interpretantur, *Quand on a beaucoup, on a tant plus de vanité.* Sic etiam Trem. Cave diſpliceat interpretatio. Nam ſunt *res multæ multiplicantes* (ſive *quæ multiplicant*) *vanitatem.* Quo dehortatur ab anxia cura rerum acquirendarum, cùm non modò in ſingulis vanitas aliqua ſit, ſed etiam ex iis ſint quæ vanitatem augeant mirum in modum. ¶ *Multiplicant*] *Augent.* ¶ *Quid ampliùs homini?*] Vel, *quid ſupereſt homini?* Hoc videtur velle, *Quid ex illis auferet moriens?* Quidam codices hìc finiunt caput ſextum. Sed præſtat finire illud in verſu qui proximè ſequitur.

12. *Quis novit*] *Quis* hoc loco valet *pauci*; ut ibi, *Mulierem ſtrenuam quis inveniat?* aut ſenſus eſt, *nemo novit.* Nam homo quatenus homo eſt hoc ſcire non poteſt. Sciunt autem quibus datum à Deo, & qui ejus Spiritu reguntur. ¶ *Quid bonum ſit*] *Quid utile ſit, quidve conducat aut expediat. Bonum* ergò hìc ſign. *utile*, ut alibi ſæpe. Quod evincit Sym. ità referens, Τίς γὰρ οἶδεν ὃ συμφέρει, & V. noſter, qui vertit, *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vita ſua?* מה יותר לאדם interpretatur, *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere?* ¶ *In hac vita*] בחיים ἐν τῇ ζωῇ. Nos articulum expreſſimus per pronomen *hac*, ſenſu id mirificè comprobante. ¶ *Numero dierum*] Quoad vivet. In Tabella marmorea, *Cum qua fecit annos novem:* notant doctores *fecit annos* pro *vixit.* ¶ *Vitæ ſuæ vaniſſimæ*] חיי הבלו *vitæ vanitatis ſuæ*, i. vanæ ac caducæ. Elegans epitheton vitæ hujus, quâ nihil vanius ſi pietatem ab ea ſepares. ¶ *Quos facit*] *Facere dies* ut *facere annos*, i. peragere, tranſigere, finire. Seneca in principio Epiſt. 66. *Quamvis pauciſſimos unà fecerimus dies.* ויעשם ad verb. *& faciet eos: quos facit ſicut umbram*, i. breviſſimos. Alibi David, *Palmus dies.* Vide Proverb. mea. Umbræ ſimiles ſunt dies noſtri, quia citò prætereunt. Pſal. 144. 4. *Dies ejus ſimiles umbræ tranſeuntis.* Non contentus dixiſſe *ſimiles umbræ*, adjecit *tranſeuntis*, ut celerem dierum noſtrorum fugam cum hyperbola majore indicaret. ¶ *Deinde quis indicet*] כי verto *deinde.* Si durum hoc, emenda, *quoniam quis?* i. ὅτι τίς. Gall. ed. *voire qui eſt ce qui declarera à l'homme?* q. d. Nemo, aut, Pauci hoc poſſunt indicare, ac tantùm illi quibus Deus futura patefecit, ut olim Danieli ac Prophetis. ¶ *Sub Sole*] Vis in hoc ſermone ut ſi diceret *in hoc mundo*, aut *in hac vita.* Nam quæ futura ſunt homini poſt hanc vitam nota ſunt ex arcanis literis.

IDEM.

2. וְלֹא־יַשְׁלִיטֶנּוּ. Sym. καὶ οὐ δίδωσιν *& non dat.*

3. לֹא־תִשְׂבַּע. Th. οὐ χορτασθήσεται *non ſaturabitur*] Vel *ſaturetur, ſatietur.* 1 Sam. 2. 5. שבעים. Sym. Th. κεχορτασμένοι *ſatiati.* Matth. 5. 6. ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται *quoniam ipſi ſaturabuntur.*

9. טוב מראה עינים מהלך־נפש. Sym. Βέλτιον προβλέπειν ἢ ὁδεύειν ἀντιαρεσκείᾳ, *Melius eſt providere quàm ambulare ita ut tibi ipſi placeas*] *Proſpicere.* ¶ רְעוּת רוּחַ. A. Th. *paſtio venti.* Sym. *afflictio ſpiritûs*] *Paſtio venti*, νομὴ ἀνέμου. *Afflictio*, θλίψις, ἢ κάκωσις. Sed vide ſis quæ ſcripſimus c. 1. 14. Hieron. ad h. l. *Rurſum & hic* PRÆSUMPTIONEM SPIRITUS,

RITUS, *Aq.* & *Th.* PASTIONEM VENTI *interpretati ſunt; Sym. verò* AFFLICTIONEM SPIRITUS.

10. שֶׁתַּקִּיף עִם. Schol. μετ᾽ ἰσχυροτέρου *cum fortiori.*

AMAMA.

1\. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, & multum eſt inter homines.*

2\. *Vir* (eſt) *cui dat Deus divitias & facultates, & gloriam, & non caret pro anima ſua ulla re quam deſiderat, &* (tamen) *non dat ei poteſtatem Deus comedendi de iis, ſed vir extraneus comedet eas: Hoc vanitas eſt & morbus malus.*

Pergit enumerare & inſectari vanitates vitæ. Eſt autem totus initio hujus capitis in eo, ut oſtendat divitias nihili ducendas. Juxta Kimchium autem tria hîc adducit divitiarum genera, opum, liberorum & dierum. Primum genus perſtringit verſu ſecundo.

Non caret animæ ſuæ] איננו חסר לנפשו. Sunt qui ſic, *nec deficit animæ ejus quicquam.* Hoc diceretur וְאֵין חָסֵר לְנַפְשׁוֹ, Jam cum adſit affixum, refero ad *avarum*, pro לְנַפְשׁוֹ pro anima ſua. Sic לְאִשָּׁה pro uxore. Licet ibi paulò aliter ſumatur. Pſ. 118. 6. יְהוָה לִי *Dominus pro me.*

Comedendi de iis] Ne quidem de eis comedendi. Emphaſis in כִּפְנִי, qua magis exaggeratur avari hominis deſcriptio. Non audet eas attingere, parcit iis ut rei Sacræ. Egregiè Horatius Sat. prima libri 1.

> *Congeſtis undique ſaccis*
> *Indormis inhians & tanquam parcere ſacris*
> *Cogeris.*

Et tertiâ libri 2.

> *Qui nummos aurumque recondit neſcius uti*
> *Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum.*

Extraneus comedet eas] Scilic. divitias. In Ebræo eſt affix. maſc. ſing. quia vox עשר eſt ſing. Maſc. Nota autem eum hic non dicere, comedet de iis, ſed *eas*, ut oſtendat eas miſere profuſum iri, quas tanto labore convaſaverat. Latinè eleganter dixeris, *conficiet, peraget eas.* Sic Plinius de ſtella piſce, *omnem cibum mox peragit.* i. devorat. Perſius, *Hic bona dente Omnia magnanimus peragit puer.* i. concoquit.

3\. *Si genuerit quis centum* (liberos) *& annos multos vixerit, & ſi ſint multi dies annorum ejus, & anima ejus non fuerit ſatiata bono & ſi etiam ſepultura non fuerit ei, dixi præſtantiorem eo eſſe abortivum.*

4\. *Nam in vanum venit & in tenebris abit, & in tenebris nomen ejus tegitur.*

5\. *Etiam non vidit ſolem & non novit* (quicquam): *Requies eſt huic magis quam illi.*

Tranſit ad ſecundum divitiarum genus.

Centum] Sub. liberos. Hoc colligis ex verbo יוליד. Porro *centum* i. multos. Sic ſolet Scriptura Millenario, Centenario, Denario & Septenario uti pro incerto aliquo numero. Conſule eos, qui de hac re ex profeſſo ſcripſerunt.

Si ſint multi dies] ורב שיהיו. Tranſpoſitio, pro ואם יהיו. Et *ſi ſint* רַב i. רַבִּים. Enallage. Alii רַב per ד explicant. Parum refert.

Abortivum] נֵפֶל, pro quo hîc נָּפֶל ob accentum magnum à נָפַל cado, quaſi cadivum dicas.

4\. *In vanum venit*] Hi duo verſus de abortivo ſunt intelligendi, cujus conditionem explicat, ut oſtendat quoad externa ejus ſortem meliorem eſſe. Alii hunc de *divite*, ſeq. de *abortivo* exponunt. Et tunc per *tenebras* afflictiones intellige.

Solem non vidit] Ut poſſit ei moleſtum eſſe quod eo poſtea privetur. Porro pro *Sole* intelligi poteſt lux ſolis. Sic antea habuimus ארץ pro עבודת הארץ. תְּפִלָּה pro אִישׁ orationis &c. Pſ. 112. 4. *orta eſt in tenebris lux rectis.* Jeſ. 58. *orietur in tenebris lux tua.* Mich. 7. 8. *Si ſedero in tenebris, Dominus lux mea.* v. 5. *Hic* etiam ſolem &c. Vide Junium.

Et non novit] Sub. quicquam. Alii, *expertus eſt.*

Requies eſt huic præ illo] Huic abortivo præ avaro divite: Græci, καὶ οὐκ ἔγνω ἀναπαύσεις τούτῳ ὑπὲρ τοῦτον. Confuderunt aut illi aut librarii. Hoc Mercerus elegit & ſic corrigit, καὶ οὐκ ἔγνω, ἀνάπαυσις τούτῳ ὑπὲρ τοῦτον. Ac tunc textui Ebraico examuſſim reſpondebunt Græca. Laberius, *Avaro quid mali optes, niſi ut vivat diu?*

6\. *Quod ſi vixerit bis mille annos & bonum non viderit, nonne ad locum unum omnes vadunt?*

Bis mille] Ebr. ad verbum, *mille annos duabus vicibus.* Aben Ezra legiſſe videtur non פַּעֲמַיִם ſed פְּעָמִים.

Ad locum unum omnes] Scilicet hi. i. annoſus iſte & abortivus. Annon nihilominus ad locum unum &c.? Vel mox poſt פַּעֲמַיִם ſubaudi, *quid hoc proderit ei?*

Non fruſtra autem videtur adjectum illud *& bonum non viderit.* i. ſi genium defraudarit & tranquillè ſuis uti non potuerit. Aliàs enim comparatio illa vix erit præcedentibus congrua. Talem enim vitam donum Dei eſſe jam ſæpe audivimus.

Ad locum unum omnes tendunt?] Licet & vertere, *omnia tendunt?* Et ſic melius de abortivo etiam intelligi poterit. Alias videtur loqui de iis qui ſuis, prout decet, utuntur & qui non utuntur. Vid. Eccl. 9. 9. Porro externa conſiderat, Omnes morti obnoxii. Vel *in locum unum.* i. ſepulchrum, vel intelligatur ſtatus mortuorum, qui licet duplex ſit, tamen unâ voce שְׁאוֹל & Græca ᾅδης comprehenditur. Sic enim ſtatuo cum Cl. Junio in Animadverſ. ad controv. 2. de Chriſto. Vox שְׁאוֹל eique reſpondens ᾅδης denotat ſtatum mortuorum. Is duplex eſt vel juxta corpus vel juxta animam. Si juxta corpus, ſignificabit ſepulchrum, & ſic paſſim, licet id Bellarminus neget. Si juxta animam, tunc aut Gehennam aut Paradiſum denotabit. De Paradiſo difficultas, de Gehenna non controvertitur. Hâc vice nihil poſſum afferre pro Paradiſo præter locum Geneſ. 37. & ex Chryſoſt. in Luc. cap. 16. *Vidimus quid uterque in terra paſſus ſit, Vidimus quid uterque in terra paſſus ſit, videamus quid jam uterque apud inferos patiatur.* Et Tertull. lib. de Idololat. c. 13. *Sic & Lazarus apud inferos refrigerium conſecutus eſt.* Neque te turbabit vox INFERI, qua voce denotatur inferioritas, cum tamen Paradiſus ſit in excelſo loco. Exprimit enim admodum Catachreſticè & ſtylo Ethnico vocem Ebr. שאול & Gr. ᾅδης, in queis nulla ſignificatio talis. Sic vox Gr. πρωτότοκος, & Lat. *primogenitus* exprimunt Ebr. בְּכוֹר, quod nullam inſinuat ſignificationem prioritatis & propterea tam primogenito quam unigenito tribuitur. Sic enim Chriſtus vocatur πρωτότοκος non reſpectu ſecundi aut tertii, ſed quia ſic, licet impropriè, expreſſit Evangeliſta. Ebr. בְּכוֹר quod tam unigenitum quam primogenitum ſignificat, cum tamen inter ea ſit differentia non exigua. Omnis enim unigenitus eſt primogenitus, non contra. Præterea ſi cum Junio ab inferendo deducas, minor erit difficultas.

7\. *Omnis labor hominis eſt pro ore ejus: & tamen anima non expletur.*

Omnis labor exantlatur vel exantlari debet ab homine ut ut ſe alat & ſuſtentet. At avarus hoc invertit, nam ille in immenſum laborat nec tamen deſiderium ejus expletur, ſed quemadmodum vinum hominis temulenti ſitim, hydropici aqua irritat non ſedat, ſic avari animum nulla copia explet ſed ad majora allicit. Saluſt. *Avaritia nec copia, nec inopia minuitur.*

Pro ore ejus] q. d. tantum pro ore ejus. Ebr. לְפִיהוּ ori ejus. Sed ל pro *pro* tritum Pſ. 18. יְהוָה לִי *Dominus pro me* &c. Pellicanus, *propter eam.* לְפִי *propter, juxta, pro ratione ejus.* Sed לְפִי ita ſumpta non jungitur affixis.

Anima] נֶפֶשׁ præter alia ſignificat *appetitum, concupiſcentiam, deſiderium.* Sic Prov. 23. 2. *Pone cultrum in gutture tuo ſi* בעל נפש אתה *præditus appetitu es, ſi es virguloſus.* Sic Pſ. 27. *Non dabis me animæ hoſtium meorum.* i. libitui, deſiderio eorum. Jez. 1. *In te non explebunt animam ſuam.* i. deſiderium, animum ſuum. Hinc Phraſis illa *Levare, (tollere) animam ad aliquid* pro deſiderare, appetere. Deut. 24. *Ad mercedem pauper tollit animam ſuam.* i. concupiſcit. Ezech. 16. *Dabo te in animam, tradam te animæ odientium te.* Sic Jer. 22. Pſ. 14. 2. Hoſ. 4. 9. Vid. l. l. Pſ. 86. In his locis eſt idem quod ita aliquid concupiſcere & expectare quaſi totus inde dependeas & quaſi ſine eo vivere non poſſis.

8\. *Quid utilitatis amplius habet ſapiens præ ſtulto? Quid* (utilitatis amplius) *habet pauper qui novit ambulare coram viventibus?*

Ratio ſuperioris. Et hæc de externis. Quid habet amplius quam victum? Aben Ezra, *Quid habet pauper ſciens ſc. vitæ vanitatem quod ambulet coram viventibus ſequendo viam ſtultitiæ?*

Ambulare coram viventibus] i. vivere inter homines, (vel fortunatos, felices, Vivat Rex, vivat cor veſtrum.) præ alio ſcilicet qui hoc non novit, quid habet præter victum? is tamen etiam alteri contingit. David Kimchi, *Quid habet pauper ſciens intellectu præditus quod eat, ambulet, vivat, contra vel procul ab hominibus.* Tunc eſſet מִנֶּגֶד. *Ambulare coram aliquo* eſt ita verſari cum aliquo, ut omnia facias in ejus gratiam & obſequium ut eum tibi devincias, ut ei cui obligatus es operam tuam præſtes. Gen. 17. de Iſrael. Sic in Exodo de ariolis Apocal. 13.

9\. *Melius eſt* (frui) *eo quod videtur oculis quam ut vagetur anima; etiam hoc vanitas & paſſio venti.*

Epilogus ſuperioris. Cur homines ita ſe cruciant in congerendis opibus, quibus tamen non fruuntur.

Melius eſt (frui) *eo quod videtur*] Ebr. טוב מראה עינים. Ad verbum, *melior eſt viſio oculorum*. Suppleo לראות videre i. frui *viſione* Pſal. 34. 16. 1. Petr. 3. hoc eſt quod videtur, ſpectatur oculis *præ ire vel itione animæ* מהלך נפש quam ut eat, vagetur anima. i. deſiderium, concupiſcentia, appetitus animæ. *Nephesch* ita ſumi docuimus ad verſum 7. hujus capitis. Symmachus βέλτιον ἐςὶ προβλέπειν ἢ ὁδεύειν αὐθαιρέτως, præſtat providere quam ambulare prout libet, juxta deſideria vana animæ. Anima pro deſiderio. Ad ſenſum elegantiſſimè. Sic & Tigurini, *Melior eſt providentia quam ut quis deſideria ſua ſequatur*. Sed prius membrum cum Ebræo non poſſum conciliare. Præſtat itaque præſentibus frui & contentum eſſe quam iis relictis vana & incerta conſectari.

Etiam hoc] Hoc ſcilicet poſterius vanitas eſt. Aben. ad utrumque refert, *licet melius ſit illud hac animi evagatione, utrumque tamen eſt vanitas.*

Sunt qui primum hujus verſus membrum exponunt ac ſi per Mimeſin dicta eſſent à Salomone ſub perſona hominis Epicuræi. Sicque Tremellius. *Melior eſt*, inquies, *inſpectio oculorum quam curſus deſiderii.* ¶ *Inſpectio oculorum*] i. rei præſentis fructus ac perceptio.

10. *Quodcunque eſt, jam vocatum eſt nomen ejus & conſtat quod ſit homo, & non poterit contendere cum eo, qui fortior eſt ſe.*

Vult oſtendere vanitatem hominis ab ipſa notatione vocis. Ac præmittit generale quid, quicquid eſt in rerum natura, habet ſuum nomen, & quidem tale nomen quod ejus naturam exprimit. Ac talia ſunt (a) nomina Ebraica beſtiis & rebus ſingulis ab Adamo inſtinctu Dei indita. Gen. 2. 19. Si omnia ſuis vocibus ſunt inſignita, etiam homo ſuam habebit; jam notum eſt illud nomen eſſe אדם, *quod ſit ex luto & non Deus*, ait Salomo Jarhi. Ac propterea rejicio omnes illas interpretationes, quæ prius membrum aliter exponunt. Vulg. *Qui futurus eſt jam vocatum eſt nomen ejus & notum quod ſit homo.* Gloſſ. Ord. & Hier. *Qui futurus eſt ſc. Dei filius, jam vocatum eſt nomen ejus ſc. Immanuel. Et notum quod ſit homo ſc. verus futurus.* Rideo. Pergit, *& non poteſt contendere cum fortiori. i. Deo patre juxta humanitatem, juxta illud, Pater major me eſt.* Omitto quod מה non poſſit reddi per *quis*, & היה præter neceſſitatem per fut. exprimit. Lxx. εἴ τι ἐγένετο, ſi quid fuit. Lyra, *quod futurum eſt jam vocatum eſt nomen ejus, in præſcientia divina.* Hi מה bene expreſſerunt, ſed connexionem non video. Mercerus putat eum hic argumentari à decreto Dei infallibili, quod fruſtra nos torqueamus in iis, quæ Deus non decrevit, ut fiant.

Quicquid fuit jam nominatum eſt nomen ejus] i. jam nominatum eſt illud, Nomen pro ipſa re. Sic Nomen Dei, Chriſti, pro ipſo Deo. Act. 4. *non eſt aliud nomen ſub cælo*; i. nulla omnino res, nullum medium. Apoc. 3. *Habes pauca nomina in Sardibus.* i. paucos homines. Act. 1. *Erat turba quaſi 120 nominum.* Porro ad hunc verſum notatur in Bibliis Venetis חצי הספר בפסוקים medium libri ratione verſuum. i. hic eſt medius verſus libri.

אדם] Ab אדמה terra rubra. Denotat hoc optimè hominis indignitatem, & humilitatis quaſi pædagogus eſt. Hominem ex terra conditum, nec ipſi Ethnici ignorârunt. Hinc *homo* ipſis dictus ab *humo*, hinc *terræ filium* vocabant eum, cujus parentis nomen ignorabatur. Sic apud Perſium in eo *terræ filius* Sat. 6. juxta D. Caſaub. ponitur nomen *terræ* loco parentis. Servius in 3. Æneid. *Quotieſcunque deerant parentes redibatur in generalitatem.* Maſius, *hoc nomine id indicare atque prædicere voluit Deus, homines corporis ſtudio & cupiditati magis quam animæ deditos fore.*

11. *Sunt enim res multæ quæ multiplicant vanitatem: & quid amplius* (inde) *eſt homini?*

12. *Quis enim novit quid bonum ſit homini in vita hac numero dierum vitæ vanitatis ſuæ quos tranſigit ſicut umbram? Et quis indicabit homini quid futurum ſit poſt eum ſub ſole?*

Sunt] Vel, *quando ſunt* &c. quid utilitatis inde habet homo?

Quid amplius?] מה יתר quid amplius ſc. inde eſt homini? Aut מה יתר pro מה יתרון quæ utilitas. Lxx. Hanc partem cum ſequenti conjunxerunt & novum caput orſi ſunt, at Symm. annexuit præcedentibus εἰς περιςςὸν τῷ ἀνθρώπῳ.

Vitæ vanitatis] oſtendit hic ſummam hominis vanitatem. *Vitæ vanitatis.* i. vita vana. Sic *Vir ſanguinum*, *Vir doli.* Junius, *vitæ vaniſſimæ.* At ſi accuratè & examuſſim omnia velimus examinare, tunc uſus fuiſſet Salomo plurali num. חיי הבליו Vulg. *peregrinationis ſuæ.* Legit חלכו.

Quos tranſigit] ויעשם. Vau pro אשר. Sæpe occurrit Malach. 3. 1. *Mittam angelum meum* ופנה Matth. 11. ὃς κατασκευάσει. Jeſ. 23. ושכנה quæ redibit. Latini dicunt etiam *agere vitam*. Sic אשר pro & ſupra 5. 18. Hoſ. 12. 9. אשר חטא עון. Licet hunc locum alii aliter, Sirach. 49. 5. David, Joſias, Ezech.

Et quis indicabit] אשר per *Et*, ut jamjam *Et* pro *Qui*. Sic ſupra cap. 5. 18. שב אשר יפ׳. Vel *quoniam quis indicabit* ὅτι τίς ἀπαγγελεῖ.

Q. d. Etſi homo ſapiens, annoſus dives aliquid haberet amplius, tamen non ita valet homo judicio à natura, aut tantum conſecutus eſt experientia, ut certo poſſit ſtatuere, quid ſibi hic bonum, aut in poſterum futurum ſit ſtabile.

(a) *Cic. Pyth. Plato judicant* ὀνοματουργοὺς *fuiſſe homines ſapientes. Si ita judicarunt de linguis ſuis, quarum nomina partim caſu partim ex confuſione linguæ ibi orta ſunt, quid de Ebr. dicemus? omnis enim lingua auguſtior, quo nobiliorem habet artificem.*

GROTIUS.

3. QUòd *melior illo ſit abortivus*] Impropria locutio, ut Matth. xxvi. 24.

6. *Nonne ad unum locum properant omnia?*] Εἰς τὸν ᾅδην [*ad generalitatem* ſive *ad inconſpicuum*].

7. *Omnis labor hominis in ore ejus*] Uſus omnis in victu eſt: natura autem paucis contenta eſt.

Sed anima ejus non implebitur] Cupiditas eſt inexplebilis. Solon:

Πλούτου δ᾽ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
[*Divitiis nullus modus eſt nec finis habendi*].

8. *Quid habet ampliùs ſapiens à ſtulto, & quid pauper, niſi ut pergat illuc ubi eſt vita?*] Senſus videtur, *Quod* (in iis quæ natura deſiderat) *privilegium ſapientis præ ſtulto? quid pauperi* (ſupple *deeſt*) *ſi norit ambulare* (bene ſe gerere) *cum viventibus*, cum ſui ævi hominibus?

9. *Melius eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias*] In Hebræo, *Meliùs eſt viſio ocularis quàm curſus animæ.* Id eſt, præſtat frui quàm ſperare.

Sed & hoc vanitas eſt] Tamen & hoc, frui ſcilicet, res eſt non permanens.

Et præſumtio ſpiritûs] In Hebræo, *afflictio ſpiritus.* Nam quò quis hic ſibi videtur felicior, eò magis mortem metuit.

10. *Qui futurus eſt jam vocatum eſt nomen ejus*] In Hebræo, *Quod eſt, vocatum eſt nomen ejus*; id eſt, Id quod exſiſtit, notum jam eſt: quod ſperatur, ignotum.

Et ſcitur quòd homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe in judicio contendere] In Hebræo, *Scitur quod ſit homo, & quòd non poſſit contendere cum fortiori ſe.* Id eſt, non poſſe ab eo ſuperari agnatas rebus vices.

11. *Verba ſunt plurima, multàmque in diſputando habentia vanitatem*] In Hebræo, *multa ſunt res quæ augent vanitatem* (id eſt, incertitudinem rebus futuris additam:) *quid ergò utilitatis homini?* nempe à ſpe. Nam hæc poſtrema verba quæ Latinus capiti ſequenti annectit, finem hujus capitis in Hebræo faciunt. *Spem pretio non emo*, ait Terentius: & alter, *Neſcis quid ſerus veſper vehat.*

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. QUid *ſit bonum*] Multis proſunt divitiæ, & rurſum multis obſunt: unde fit ut plerumque homo neſciat an paupertas illi proſit aut divitiæ *per dies vitæ ſuæ, quos conficit haud ſecus quàm umbram*, quæ omni momento declinat & mutat ſitum.

4. *Afflictam habet faciem*] Mœſta, inquit, facies ſignum eſt cordis pœnitentis de peccato.

9. *Finem rei*] Docet in omnibus habendam providentiam nè inconſultò quid incipiamus.

12. *Qui liberè intuentur Solem*] Qui multis preſſi ſunt ſolicitudinibus & divitiis, hi non valent erigere faciem, nec *liberè intueri Solem*, neque patrocinium ferre juſtitiæ: cum tales in diverſos incidant laqueos qui diteſcere concupiſcunt.

17. *Non ſis multùm juſtus*] Sicut Saul, qui contra pietatem voluit

voluit eſſe pius, & parcere melioribus: ob quam cauſam ante tempus ſuum mortuus fuit. Rurſum non oportet deſperare ſi quis labatur, modò *non multùm impiè agat. Non enim eſt homo in terra qui ſemper bene agat, & non peccet.*

27. *Quæ cor ſuum*] Senſus eſt, Aliud nihil cogitat procax mulier quàm ut irretiat & illaqueet homines & veluti in carcerem trahat.

VATABLUS.

1. *ET fecit eos* ויעשם] i. Et æſtimat eos. q. d. Tanti facit dies hominis *quanti umbram:* nam Job dicit, 14. 2. & Pſal. 144. 4. *Dies ejus ſicut umbra prætereunt.*

2. *Melius eſt* טוב] Quidam ſubaudiunt כ Similitudinis, vertentes, ut *præſtantius eſt nomen* bonum *unguento optimo, ſic dies,* &c. ¶ *Quo quis natus eſt* הולדו] Ad verb. *naſci ipſum.* Infinitivus pro nomine, & Relativum pro antecedente, *Nativitatis ejus;* pro *nativitatis hominis.*

4. *Eò quod eſt* באשר הוא] Ad verb. *in quod ipſe,* pro *propterea quòd ipſe,* ſub. *luctus.* Verti poteſt *ipſa,* nempe *mors.* ¶ *Ponet* illud *ſuper cor ſuum* יתן אל לבו] Hebraiſmus, pro *perpendet apud ſe,* nempe *mortem.*

4. *Per triſtitiam vultûs* ברע פנים] Ad verb. *in malitia faciei,* ſub. *unius,* vel *ejus qui præeſt alteri.* ¶ *Exhilarabitur cor* ייטב לב] Ad verb. *bonum fiat cor,* aut uno verbo *bonificabitur.,* ſi ità loqui liceat ad exprimenda vocabula Hebraica: i. dirigetur ſive emendabitur animus delinquentis.

5. *In domo luctus,* בבית אבל] Hebraiſmus, pro *Perpetuò dolet dum ſe conſiderat: ſtultus contrà ſemper vult lætari.*

8. *Sane oppreſſio* כי העשק] *Profectò calumnia,* i. divitiæ vi & calumniâ comparatæ. כי pro *ſanè* ſive *certè* frequens in Hagiographis & Prophetis.

9. *Melior* טוב] *Præſtantior.* Quidam vertunt, *Potior eſt extrema negotii pars principio.* ¶ *Melior* טוב] *Laudabilior eſt.* ¶ *Longanimus,* &c. ארך רוח וגו'] Ad verb. *tardus ad iram quàm altus ſpiritu.*

10 *In ſinu,* &c. בחיק וגו'] Hebraiſmus, pro *nunquam diſcedit à ſtultis.*

12. *Et eſt excellentia,* &c. ויתר לראי השמש] i. In hoc eſt felicitas viventium. Vel, *& excellentia eſt apud videntes Solem.* Alii, *Et magis bona eſt apud eos qui vident Solem.*

13. Requieſcet homo]. Hæc addita ſunt ad explendum ſenſum. *Requieſcere in umbra ſapientiæ* eſt protegi ſapientiâ: q. d. Duplici nomine bene audit homo ille., & quòd ſapiens ſit, & quòd dives. Quidam ſubaudiunt *confidit homo.* ¶ *Sed excellentior,* &c. ויתרון וגו'] *At excellentia cognitionis* eſt quòd *vivificabit dominos ſuos,* vel *vitam affert* [Fut. Heb. pro præſ.] *poſſeſſori ſuo,* i. *Excellentia ſcientiæ aut intelligentiæ,* h. e. ſapientiæ, *in hoc ſita eſt quòd vitam affert iis qui eâ præditi ſunt.* Subauditum eſt ש *quod.* Alii vertunt, *Et excellens ſcientia atque ſapientia vivos conſervat habentes ſe.* Alii, *Primatum tamen habet ſcientia,* eò quòd *ſapientia vitam confert ſuis poſſeſſoribus.*

14. *Dirigere,* &c. לתקן וגו'] *Corrigere quem pervertit ipſum?*] Redundat *ipſum.* Chaldæus exponit, *quem permiſit prodire in lucem cum defectu alicujus membri:* q. d. Nemo: quia nemo poteſt facere ut cœcus videat, claudus rectè ambulet: eſt enim opus Dei ſolius.

15. *In die bono,* &c. ביום טובה וגו'] Hebraiſmus, pro *In die lætitiæ eſto in lætitia;* aut, *Tempore læto eſto lætus:* i. Fruere lætitiâ quando eam tibi Deus offert. ¶ *Et in die mala vide* וביום רעה ראה] *Et tempore afflictionis vide:* i. redi ad mentem, & contemplare opus Dei, quare immiſerit afflictionem. Quidam vertunt, *& conſidera diem malum.* ¶ *Hoc* את זה] Nempe tempus afflictionis. ¶ *In hoc* על דברת] Poſitum eſt pro בעבור i. *ut.* ¶ *Poſt ipſum* אחריו]. Sub. *Deum:* i. nequid habeat homo quod Deo reſpondere poſſit.

17. *Nè ſis,* אל תהי]. Utuntur Hebræi futuro pro modo hortandi. Sic v. ſeq. ¶ *Ut quid deſolaberis?* למה תשומם] *Utquid obſtupeſces?* i. quamobrem committes ut deſoleris, vel obſtupeſcas, aut perdaris?

18. *Nè ſis impius* אל תרשע] *Nè agas impiè:* i. Citò recede ab impietate. Docet in mala via non eſſe diu immorandum, ut ſcribit Chaldæus P. Docti inter Hebræos vertunt, *Nè paveas* (aut *formides*) *multùm,* ſub. *in negotiis hujus mundi.* Vel, *Nè te occupes multùm,* aut *diſtrahas te,* ſive *inquietes,* ſub. *in rebus hujus mundi;* ſed quantum ſufficit tibi.

19. *Iſtud* בזה] Nempe *nè ſis nimiùm juſtus.* ¶ *Et etiam ab hoc* וגם מזה] Nempe *à juſtitia & ſapientia:* q. d. Cùm dico *te non oportere eſſe nimiùm ſapientem,* non dico ut ſpernas ſapientiam & juſtitiam; quin potiùs hortor ut des operam utrique, nempe ut recedas ab impietate, & ſtudeas ſapientiæ. Aut, ut des operam nè plus æquo reformides, vel te occupes & impliceris negotiis hujus mundi, & compares tibi ſapientiam.

20. *Sapientia,* &c. החכמה תעז לחכם] Ad verb. *Nónne ſapientia roborabit ſapientiam magis quam,* &c. Vel, *fortitudò erit ſapienti,* &c. Alii, *Sapientia fortior eſt in ſapiente* (vel, *apud ſapientem*] *quàm,* &c. ¶ *Quàm decem* מעשרה] Numerus certus pro incerto, i. *multi,* ut ſuprà 6. 3. ¶ *Potentes Principes* שליטים] *Domini:* quibus ſcilicet tutela urbis commiſſa eſt.

22. *Nè des cor tuum* אל תתן לבך] Hebraiſmus pro *nè apponas,* vel *accommodes, animum tuum:* i. nè facilè aut libenter audias oblocutores, nè idem de te audire cogaris.

23. *Nam etiam,* &c. כי גם פעמים וגו'] Ordo dictionum inverſus, more Hebraico, pro, *Novit enim cor tuum quòd etiam tu multis vicibus maledixiſti aliis.*

24. *In ſapientia* בחכמה] *Per ſapientiam: duce ſapientiâ.* ¶ *Dixi* אמרתי] Hebraiſmus, pro *Cogitavi in animo meo,* vel *Reputavi apud me.*

25. *Procul abeſt, quid indè erit?* רחוק מה שהיה] *Remotum eſt id quod fuit.* Vide ſuprà 1. 9. q. d. Non facilè eſt ſcire quæ præterita ſunt. ¶ *Et quòd maxime,* &c. ועמק עמק וגו'] Ad verb. *& profundum profundum quis inveniet?* Ità ſuperlativum circumloquuntur Hebræi. Metaphora autem à fluviorum profunditate. Quidam vertunt, *Et id quod maxime profundum eſt quis deprehendat?* Alii totum verſum ſic vertunt, *Et illud quod tam longè abeſt, valde quoque profundum eſt: quis inveniet ipſum?* Alii, *remotum quidem eſt & profundiſſimum: quotuſquiſque illud reperiet?*

26. *Circuivi* סבותי] *Oblivi. Verti itaque me.* Alii, *Luſtravi.* ¶ *Et rationem* וחשבון] *Et cogitationem.* Alii, *rationis acumen.* Vox Hebræa ſignificat *ſupputationem,* ſive *rationem inquirentem cur hoc, aut ſic aliquid factum ſit.* ¶ *Erroris* הוללות] Quidam ſubaudiunt ו propter accentum, vertentes, *& errores,* aut *veſanias.*

27. *Rem amariorem* מר] Adjectivum loco ſubſtantivi maſc. gen. ¶ *Quia* אשר] *Quæ.* ¶ *Evadet* ימלט] *Liberabitur.*

28. *Vide, hoc inveni* ראה זה מצאתי] *Vide quod deprehendi:* ità Chaldæus Paraph. ¶ *Eccleſiaſtes,* קוהלת] Vide ſuprà c. 1. 1. ¶ *Unum poſt alterum* אחת לאחת] Verſando ſcilicet in animo. Ità Gallicè dicimus *Ung à ung.* Chald. *unum cum altero conjungendo.* ¶ *Rationem* חשבון] *Certam ac veram ſententiam:* quod vulgò dicunt *reſolutionem.* Vide ver. 26.

29. *Adhuc* עוד] *Iterum: præterea: itidem.* ¶ *Quæſivit* בקשה] Præt. Heb. pro præſ. *rimatur.* ¶ *Inter omnes iſtas* בכל אלה] *In omnibus iſtis:* i. inter mille mulieres. Alii, *ex omnibus iſtis:* ut ſit ב pro מן.

30. *Tantummodo vide, hoc inveni* לבד ראה זה מצאתי] *Seorſum vide iſtud, inveni quòd,* &c. *Seorſum,* i. ſapientia humanâ relictâ: ità Chaldæus P. ¶ *Cogitationes multas* חשבנות רבים] *Rationes varias.* Alii, *inventiones.*

CASTALIO.

3. *PEr vultûs triſtitiam lætatur mens*] Triſtitiam ſequitur lætitia.

7. *Dementat injuria ſapientem*] Munera quæ dantur ut alicui fiat injuria.

9. *Irritabilitas in ſtultorum ſinu poſita eſt*] Stultorum eſt propria.

11. *Solem cernentibus*]. Viventibus.

15. *Ne quid in eo deprehendat homo*] Ut ſciat nihil eſſe in hac vita certi, ideóque ſit in omnem eventum paratus.

18. *Ne moriare non tuo tempore*]. Ante juſtum ævi tempus.

29. *Virum unum*] Scilicet verum & dignum viri nomine.

30. *Multas quæſiviſſe rationes*] Curioſitate ſuâ ſibi malum conflaſſe, qui quid bonum malúmve eſſet ſcire voluerint, guſtato illo fructu.

CLARIUS.

1. *QUid reſiduum habet homo*] Videtur jungendum ſuperiori, ſic, *Quid proderit ſi cum Deo verbis velit contendere?* deinde ſequatur, *Ferendum eſt æquo animo quod à Deo immittitur: Quis enim novit quid expediat homini diebus vitæ quibus in hac vanitate vivitur? Fecit enim dies hominis Deus ſimiles umbræ, de qua poſt diſceſſum quid fiat ſub ſole quis indicabit?*

5. *Melior eſt ira*] h. e. *Triſtitia*, quod declarat id quod ſequitur, *Quia per triſtitiam quæ in vultu apparet*, cor admonetur officii ſui.

7. *Sed & hoc vanitas*] h. e. Interim neque ſapientis objurgatio vanitate caret. Quia mali, ſi objurgentur quòd alios opprimant, affligunt ſapientem, & perdere conantur eum, qui cor habet tam inſigni ſapientiæ dono exornatum.

8. *Perdet robur*] Poteſt & verti, *perdit cor munus*.

9. *Melior eſt finis rei*] Docet, in omnibus habendam providentiam, nè inconſultò quid incipiamus. Et videtur pendere à ſuperiori; quia ſequitur, *Melior eſt patiens arrogante*, h. e. Melior eſt homo patiens quàm is qui liberè alios carpit.

11. *Stulta eſt hujuſmodi interrogatio*] Quia ſcilicet manifeſtum eſt habuiſſe illa tempora ſua incommoda, ſicut & hæc noſtra habent ſua.

12. *Videntibus ſolem*] Tempore hujus vitæ quo ſolem ſpectamus.

13. *Vitam tribuunt*] Illam ſcilicet æternam.

14. *Quæ ille incurvaverit*] Nam homo non poteſt facere ea meliora quæ videantur ipſi homini minùs aptè facta.

15. *Malam diem conſidera*] Ut ſcilicet omnia de manu Domini accipias qui utramque diem fecit. ¶ *Contra eum juſtas querimonias*] Heb. *quicquam poſt ipſum*. Quod poteſt ſic intelligi, Voluit omnia Deus viciſſitudini obnoxia eſſe, ut videret homo nihil eſſe ſtabile, cui fidere tutò poſſit.

17. *Noli eſſe juſtus multùm*] Sicut Saul, qui contra pietatem voluit eſſe pius, & parcere melioribus.

19. *Bonum eſt, te apprehendere hoc*] Ut hæc, inquit, pericula vites, nihil melius eſt quàm ut firmiter credas & perpetuò in memoria habeas, *quòd illi qui Deum reverentur omnia hæc* mortifera mala *effugient*. Quidam Hebræi ſic interpretantur, *Bonum eſt accipere partem ſapientiæ & ſtultitiæ, quia qui timet Dominum, utitur utrâque re utiliter.*

20. *Sapientia confortavit ſapientem*] Sapientia ſæpe plus juvat illum cujus eſt quàm poſſent decem primores civitatis.

22. *Nè fortè audias ſervum*] Nè audire cogaris quòd ſervus tuus aliquoties ex impatientia malè de te locutus ſit.

25. *Et alta profunditas*] Alius vertit, *Et illud quod tam longè abeſt, valde quoque profundum eſt; & quis inveniet ipſum?* Et quidam hunc ſenſum affert, Longè ſupra captum humani ingenii eſt, velle ſcire quo conſilio ab æterno uſus ſit Deus in condendis & conſervandis rebus, & modis omnibus incomprehenſibile.

28. *Ecce hoc inveni*] *Ecce hoc (inquit concionatrix* Sapientia) *deprehendi, ex comparatione rerum inter ſe, id quod quæritur inveniri ſolere.*

29. *Et quidem adhuc*] Laboravi uſque in hanc horam, ut conferendo officium Feminarum cum ingenio & moribus Virorum, bonam & prudentem aliquam invenirem: ſed nihil ſucceſſit. Ex mille viris unum inveni tolerabilem, ex mille autem feminis nullam.

DRUSIUS.

1. NOmen] Ut alibi *uxor* pro *uxor bona* (*Qui nactus eſt uxorem*, inquit Salomo, *nactus eſt bonum*) itá *nomen* hoc loco ponitur pro *nomen bonum*. Nam eſt nomen malum, quod certè unguento non eſt melius, cùm nè bonum quidem ſit. Rectè igitur ed. Vulgata habet, *Melius eſt nomen bonum*. ¶ *Oleo bono*] Ὑπὲρ ἔλαιον ἀγαθὸν, i. unguento. Sym. hoc dixit, ὑπὲρ μύρον εὐῶδες *unguento fragranti*; quod vulgò dicitur *oleum boni odoris*: & differt ab oleo vulgari, quia aromata immixta ſunt. Vulg noſter *unguento pretioſo*, ὑπὲρ μύρον ἔντιμον. Si non fallunt nos interpretes, hîc perſpicuè *oleum* pro *unguento* ponitur. Quod roborat Hieron. in Comment. ad h. l. itá ſcribens, *Moris eſt Ebræorum unguentum bonum oleum appellare*. Ego putarem *oleum bonum* eſſe Unguentum, & cùm שמן nudè ponitur, tum oleum denotare commune: ſed nihil aſſevero. Si uſpiam *oleum* ſig. *unguentum*, arbitror ibi ſubaudiendum eſſe *bonum*. Luc. 7. 46. *Oleò caput meum non unxiſti; hæc autem unguento unxit pedes meos*. Hic locus nihil adverſatur ſententiæ meæ, quin potiùs eum adjuvat ſi diligentiùs excutiatur. ¶ *Dies mortis*] Quo aliquis moritur. Nam tum liberatur à miſeriis vitæ hujus. Sic dico, Ortus adfert incommoda plurima; mors ab his liberat, & piis ingreſſus eſt ad vitam alteram. ¶ *Quo ille naſcitur*] Sub. *homo*, cujus antea meminit. Fortè in הולדו Vau, quod ultimo loco ponitur, paragogicum eſt, ut in חיתו *beſtia*, & ſimilibus. Sanè Græci reddiderunt ὑπὲρ ἡμέραν γεννήσεως, & noſter *die nativitatis*, neglecto elemento illo.

3. *Ad domum luctûs*] In qua lugetur. Lugent autem quibus adverſi aliquid accidit, ut in morte chari alicujus. Scitum autem illud, *Nocumenta documenta*, quod Græci dicunt, τὰ παθήματα μαθήματα· & illud, *Recordare extrema tua, & non peccabis*. Sunt autem extrema hominis Mors & Judicium. Lxx Ἀγαθὸν πορευθῆναι εἰς οἶκον πένθους. ¶ *Ad domum convivii*] Ubi omnia luxu & voluptatibus perſtrepunt. Voluptates enim facilè hominem adducunt ad oblivionem ſui: Qui ſui obliviſcitur, etiam Creatoris obliviſcitur: nam conjuncta hæc ſunt & ſimul cohærent. Licet etiam vertere *ad domum nuptiarum*; ſiquidem Ebræi *nuptias* quoque itá vocant: & in N. F. ubi eſt γάμος in Græco textu, ibi legitur vox ſignificans συμπόσιον, i. *convivium*, in Syro. Lxx εἰς οἶκον πότου. ¶ *In qua eſt*] *Domo luctûs* videlicet. באשר accipio ut ſi eſſet אשר בו. Alii interpretantur *eò quòd* ſive *propterea quòd*. Lxx καθότι. Sed ed. Lat. *in illa enim*. ¶ *Finis omnium hominum*] Τέλος παντὸς ἀνθρώπου· unde τελευτὴ *mors*, & τελευτάω *morior*. Dicitur autem τελευτὴ pro τελευτὴ τοῦ βίου *finis vitæ*. Omnibus ſemel moriendum eſt: quod notum lippis juxtà ac tonſoribus. Qui ergò adeſt morienti, admonetur ſortis ſuæ & fragiliratis humanæ, cùm idem finis ipſum quoque maneat. ¶ *Reponit in cor ſuum*] Indit animo ſuo quæ ibi videt. Lxx καὶ ὁ ζῶν δώσει εἰς καρδίαν αὐτοῦ. Nam ἀγαθὸν, quod in libris editis, etiam in ed. Rom. gloſſema olet. Verſio Lat. *cogitat quid futurum ſit*.

4. *Melior ira riſu*] *Iram* vocat vitam auſteram ac triſtem; ut contrà *riſum*, vitam mollem ac delicatam. Quidam explicant, *Præſtat indignari peccantibus quàm adulari vel applaudere*. Aliis *ira* eſt indignatio ſive tædium quod quis percipit ex rebus adverſis. Suprà 1. 18. *In multa ſcientia multa ira*, i. multum tædii. Lxx Ἀγαθὸν θυμὸς ὑπὲρ γέλωτα. ¶ *In triſtitiâ vultûs*] Cùm vultus triſtis eſt ac tetricus, tum animo bene eſt. Quod accidere ſolet viris bonis quando propter juſtitiam in ſingularem aliquam calamitatem incidunt. ברע פנים verbum è verbo *in malitia facierum*, quod Græci dixerunt ἐν κακίᾳ προσώπου, & Aq. κακώσει. Hic perſpicuè רע vocat *triſtitiam*. Contrà *bonum* pro *læto* ſumitur: unde *cor bonum*, i. hilare: & mox, *bonum eſt cor*, i. lætum eſt cor. Ed. Lat. V. *per triſtitiam vultûs corrigitur animus delinquentis*. ¶ *Bonum eſt cor*] Sic alibi, *Cor bonum epulæ perpetua*. Alii, *bonum efficitur cor*. Lxx ἀγαθυνθήσεται καρδία. Gall. *par un mauvais viſage le cœur devient joieux*. Quidam, *malo vultu bonum redditur* (ſive *exhilarabitur*) *cor*. ἀγαθυνθήσεται *bene afficietur*.

5. *Cor ſapientum in domo luctûs*] Sapientes libentiùs verſantur ibi ubi luctus eſt quàm ubi lætitia eſt. Quapropter? Quia illinc modeſtiores, hinc ferociores homines abeunt. Huc facit Platonis apophthegma, qui dicebat *vitam ſapientis aliud nihil eſſe quàm meditationem mortis*. Cæterùm non dicit, *Sapientes ſunt*, ſed, *Cor ſapientum eſt in domo*, &c. nempe quia licèt corpore abſint, ſæpe animo præſentes ſunt, ubi triſtitia & mœror. Lxx ἐν οἴκῳ πένθους. Sunt qui reddant *in loco luctûs*. Nam *domus* & *locus* ſe mutuò explicant. Sic ביתאל alibi redditur οἶκος Θεοῦ, & alibi τόπος Θεοῦ· quanquam *locus* מקום propriè dicatur. ¶ *In domo lætitiæ*] Ubi voluptas, ibi animus ſtulti. Sanè via quæ ad vitia ducit, quam ſtulti tenent, plena eſt illecebris voluptariis. Lxx ἐν οἴκῳ εὐφροσύνης.

6. *Increpationem*] *Objurgationem, correptionem*. Doctè Int. noſter, *Melius eſt à ſapiente corripi quàm ſtultorum adulatione decipi*. גערת חכם. Lxx ἐπιτίμησιν σοφοῦ. ¶ *Quàm vir audiens*] ὑπὲρ ἄνδρα ἀκούοντα. Latinè *quàm ut quis audiat*. Notum ut איש pro *quis* ponatur. ¶ *Canticum ſtultorum*] ᾆσμα ἀφρόνων. Sic dicimus,

Fiſtula dulcè canit volucrem dum decipit auceps.

Intelligit autem cantica quæ ſtulti cantillant, quæ ferè profana & obſcœna ſunt, animiſque fomentum præbent ad vitia. Hujuſmodi cantilenas qui libenter audiunt ſimiles ſunt iis qui canunt eas. Aut *cantica ſtultorum* vocat blandas palponum voces adulationéſque paraſitorum, quæ inſtar cantilenæ animum titillant & alliciunt.

7. *Ut vox ſpinarum*] Ὡς φωνὴ ἀκανθῶν. *Qualis*, inquit, *crepitus ſpinarum ſub olla, talis eſt riſus ſtultorum*. Sign. voluptates ſtultorum non diu durare: q. d. Citiùs abeunt quàm ſpinæ ſub olla crepitantes, quas ignis celerrimè abſumit. *Vox*: ſonitus, crepitus. Nam *vox* propriè in animantibus. Sic *vox curruum*, i. ſtrepitus, apud Joëlem. ¶ *Sub olla*] ὑπὸ τὸν λέβητα. *Olla* סיר dicitur; *ſpinæ* verò סירים. Igitur Paranomaſia eſt, & quidem elegans, in his vocibus, quam Latini & Græci imitari nequeunt. ¶ *Riſus ſtulti*] Γέλως τῶν ἀφρόνων, vita ejus delicata & voluptaria, item voluptas & ſucceſſus

in

in malis, omniáque adeò quæ ipſum ridentem faciunt, ſive quæ triſtem ipſi movent.

8. *Oppreſſio*]. העשק. Vetus omnis interpretatio, ἡ συκοφαντία, i. *calumnia*. Sic etiam Vulg. noſtra. Hieron. ad h. l. *Utamur hoc verſiculo ſi quando virum juſtum atque ſapientem videmus calumniam ſuſtinere & turbari de iniquitate judicii, nec Deum ſtatim ſubvenire præſentem*. Hæc ille. Idem per *ſapientem* intelligit eum qui *in profectu ſapiens* eſt, ut ibi, *Argue ſapientem, & diliget te*. Nam *perfectè*, inquit, *ſapiens non conturbatur calumniâ*. Gall. *ce qu'on eſt trompé*. Aliis *oppreſſio* ſign. opes per fas ac nefas partas, ut & per calumniam. ¶ *Ad inſaniam adigit*] יהולל *inſanire facit*. Nam הוללות *inſania*. Lxx περιφέρει *in errorem inducit*. Malè exponitur à Budæo *conturbat*: quod legitur quidem apud Int. noſtrum, ſed ex Sym. verſum, qui habet θορυβήσει σοφόν. Hinc περιφορὰ Eccl. 2. *errores mentis*, quaſi *circumlatio*, & περιφέρεια Eccl. 10. Aq. tranſtulit πλανήσει *decipiet*. Cohel. 2. 2. מהולל, Aq. πλάνησις, Sym. θόρυβος, Vulg. *error*. Job. 12. 17. יהולל, Hieron *redigit in ſtuporem*. Lxx ἐξίστησι *inſanos reddit*. ¶ *Cor*] i. Animi mentem. Sic alibi, *Scortatio, vinum & muſtum auferunt cor*. Hinc impudicus juvenis vocatur חסר לב *deficiens corde*. Gall. *l'entendement*, i. *intellectum & mentem*. ¶ *Donum*] Vel *donatio*. Hic eſt מתנה nomen fem. Præcedit autem verbum maſculinum: igitur conſtructio eſt ſenſu congrua non voce. Nam etiam מתן reperitur. Sic legimus Deut. 16. 19. *Munus excæcat oculos ſapientum*. Lxx καὶ ἀπόλλυσι τὴν καρδίαν εὐγενείας αὐτοῦ· alias εὐτονίας αὐτοῦ, i. *fortitudinis*, ſive *vigoris ejus*, *ut interpretatur* Hieron. Malim *generoſitatis ejus*: ut ſenſus ſit, *cor ejus generoſum*.

9. *Extremum rei*] i. *Finis rei*. Nam initium nè bonum quidem eſt niſi finis bonus fuerit. Admonet, rei exitum patienter exſpectandum eſſe, qui opinione noſtrâ ſæpe melior eſt. Item, cùm aliquid aggredimur, reſpicere debemus finem: nam finis coronat opus. ¶ *Longanimis*] ארך רוח *longus ſpiritu*, i. μακρόθυμος, ut רוח ſit τὸ θυμοειδὲς, i. *ea animæ facultas in quam Ira cadit*. Dicitur & ארך אפים. ¶ *Elato ſpiritu*] Eo qui Elatum ſpiritum habet: quem Lxx ὑψηλὸν πνεύματι vocant. Idem ferè iracundus eſt; ideo ei opponitur μακρόθυμος. Alioqui τῷ ארך רוח in adverſo eſt קצר רוח *brevis ſpiritu*, i. ad iram pronus vel proclivis.

10. *Nè præceps ſis*] אל תבהל לכעוס *Nè præcipites te iraſcendo*. Vult dicere, *Nè præceps ſis ad iram*. Santes, *Nè feſtines*. Lxx Μὴ σπεύσῃς. Hieron. *Nè ſis velox*. Trem. *Nè perturberis indignando*. Latinè, *Nè perturbate indigneris*, אל תבהל. ¶ *Spiritu tuo*] ברוחך ἐν πνεύματί σου. Hîc iterum *ſpiritum* vocat animæ partem Iraſcibilem. Latinè diceremus *animo tuo*. Nam *animus* pro *ira animæ* ſumitur; ut in illo,

—— Animum rege, qui, niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.

Sym. hîc edidit διὰ λόγων σου *verbis tuis*. & Schol. eſt in ed. Rom. ἐπὶ στόματί σου *ex ore tuo*: quod huc tranſlatum videtur ex 5. 2. אל תבהל על פיך, ubi Lxx μὴ σπεῦδε ἐπὶ στόματί σου, & Sym. μὴ προπετὴς γίνου τῷ στόματί σου. ¶ *Ad iraſcendum*] לכעוס. Lxx θυμοῦσθαι *ad excandeſcendum*. Sym. παροργίσαι *ad irritandum*, vel *provocandum*, להכעיס. Alius *ad indignandum*. ¶ *Ira*,] i. ὀργὴ, ut olim Sym. vertit כעס eſt θυμὸς *excandeſcentia*, quæ potiùs חמה dicitur; aliis *indignatio*. Noſter habet *ira*, quem nunc ſecuti ſumus. Porrò duplex Ira, bona & mala. De bona Ira capiendum illud, *Melior eſt ira quàm riſus*: & illud, *In multa ſapientia multa ira*. Hanc Stoici dixerunt eſſe *cotem fortitudinis*. De mala & temeraria Ira nunc loquitur, quæ propria ſtultorum. ¶ *In ſinu ſtultorum*] Plus eſt quàm *apud ſtultos*. Nam *in ſinu* eſſe dicitur res multùm amata. Catullus,

Puella non mea, quæ meo ſinu fugit,
Amata tantum quantum amabitur nulla.

Sic Chriſtus dicitur eſſe *in ſinu Patris*, i. intimus & conjunctiſſimus Patri. ¶ *Requieſcit*] Ut loquitur accommodatè! Nam in ſinu propriè quieſcimus. Alii explicant *quieſcit*, i. diu manet, vel durat. Sic Mercerus.

11. *Quid fuit*] מה היה, Τί ἐγένετο; ſic rectè Lxx. Aq. Διατί; *Quapropter?* Alii, *Quid eſt?* מה הוא. Lat. Vulg. *Quid putas cauſæ eſt?* Santes, *Quid cauſæ eſt?* Trem. *Quid eſt?* ¶ *Dies priores*] Anni priores, tempora vel ſecula priora. Ità comparatum eſt ut ſemper pejora exiſtimemus tempora præſentia quàm ea quæ ante nos fuerunt. In cauſa eſt, ut opinor, quoniam incommoda temporum noſtrorum optimè cognita habemus; priorum autem ſeculorum non item, vel quia ad notitiam noſtram non pervenerunt, vel etiam quia memoriæ non ſunt mandata literiſque perſcripta. ¶ *Ex ſapientia*] מחכמה, idem quod בחכמה *in ſapientia*. Itaque Græci referunt ἐν σοφίᾳ· & eſt ſenſus quem Sym. expreſſit, οὐ γὰρ φρονίμως; *non enim prudenter*. Sanè מ & ב ſe invicem explicant. Sic in Daniele מן קשט *ex veritate*, i. verè: quod uſitatiùs dicunt *in veritate*. ¶ *Rogaſti ſuper hoc*] Nam *quod nunc eſt antea fuit, & nihil eſt novum ſub Sole*. Hoc ipſa nos docet experientia. Quocirca qui verè ſapiens eſt talem nunquam interrogationem inſtituet, ſed in Dei providentia ſecurus acquieſcet.

12. *Bona eſt ſapientia*] i. Utilis. Doctè Interp. noſter, *Utilior eſt ſapientia*. Sanè ſi poſſeſſio accedat, plus prodeſſe poſſumus ſapientiâ quàm aliter;

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ——

Quò pertinet & illud, *Contritio tenuium egeſtas eorum*. Dicunt etiam Ebræi, *Bona eſt lex cum via terræ*. *Lex*, i. Legis ſtudium. *Via terræ*, i. negotiatio aut opificium aliquod unde victum nobis comparamus. Pauper neque ſemper neque ubique poteſt uti ſapientiâ ſuâ; aut, ſi utitur, non habet autoritatem. Multum enim intereſt utrùm à divite aliquid dicatur an à paupere. ¶ *Cum hereditate*] Μετὰ κληρονομίας. Licet etiam vertere *cum poſſeſſione*, i. fundo aut agro aliáve re quavis immobili, unde ſe ſapiens familiámque, ſi habeat, ſuſtentet. ¶ *Et amplius eſt*] Nempe ex ſapientia hujuſmodi. Quidam *& supereſt*: alii *& præſtantia eſt*: alii *& emolumento eſt*; nempe *ſapientia cum poſſeſſione*, vel *hereditate*. Quæ duo ità diſcriminant ut נחלה ſit *poſſeſſio*, & ירשה *hereditas*. קנין verò, quod etiam *poſſeſſionem* reddunt, eſt ipſe *actus* ſive *jus poſſidendi*, i. κτῆσις. ¶ *Videntibus Solem*] Viventibus & ſub Sole degentibus, τοῖς θεωροῦσι τὸν ἥλιον habent Græcè Lxx. Elegans periphraſis viventium. Plus redundat commodi mortalibus ex Sapientia ſi comites habuerit Divitias. Huc refer illud Plauti, *Meliorem neque Sol videt*. Vult dicere inter homines, quos Sol aſpicit, nemo melior. יותר. Lxx καὶ περισσεία. Ed. Lat. *magis prodeſt*.

13. *In umbra ſapientiæ*, &c.] Deſideratur quippiam. Vulgò ſub. *requieſcit homo*. *Pro umbra ſapientia, & pro umbra eſt pecunia*. Sic בחסדך *pro benignitate tua*. Noſter ad ſententiam non malè, *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*. Quod Sym. quem ſecutus eſt, dixit, Σκέπει σοφία ὡς σκέπει τὸ ἀργύριον. Priùs erat, Ὅτι ἐν σκιᾷ αὐτῆς ἡ σοφία ὡς σκιὰ τοῦ ἀργυρίου. Sed in operibus Hier. *Quia quomodo umbra ſapientiæ, ſic umbra argenti*. Gallica editio ſupplet *on eſt couvert*, i. *protegitur homo*. Ebræi ſubaudiunt חוכה ארם *ſperat homo*. Trem. *Nam alii in umbra ſapientiæ, alii in umbra pecuniæ ſunt*. Quod ſi legamus, *Nam pro umbra eſt ſapientia, & pro umbra eſt argentum*, i. umbram præſtat, vel potiùs protegit. *Ut ſapientia*, inquit, *protegit, ità etiam pecunia*. Sic, *pallida mors*, quia pallidos facit. Cæterùm Umbræ Metaphora notiſſima eſt. Fortè per Hypallagen dixit *in umbra eſt ſapientia* pro *in ſapientia eſt umbra*, i. protectio, præſidium. Sumptum ab iis qui umbram captant adverſùs æſtum Solis. Vel *in umbra ſapientiæ* eſt Antiptoſis; ut *De fructu oris viri ſatiatur bono*, pro *vir*. ¶ *Pecuniæ*] Ad verb. *argenti*: Nec eſt aliud vocabulum *pecuniæ*, quod ſciam, apud Ebræos. ¶ *In vita conſervat*] תחיה *vivificat*, ζωοποιήσει habent Lxx. pro quo Sym. dixit, ἡ σοφία διασώσει τοὺς ἔχοντας αὐτήν, *ſapientia conſervat eâ præditos*. Rectiùs vertas *vitam præſtat*. Vult dicere *vitam jucundam facit*. Nam ut *vivere* ponitur pro *facilè vivere*, ſic *vita* nuncupatur interdum vita jocunda, quam *lubentiam* vocant. Hanc vitam præſtat ſapientia. Licet etiam exponere *vitam longam facit*. Nam *vita* eſt vita longa; ut ibi, *Vita in benevolentia ejus*: nam præcedit, *momentum in ira ejus*. Conſule, ſis, Quæſtiones meas. ¶ *Dominos ſuos*] בעליה. Genus loquendi elegans, *Dominus ſapientiæ* pro *præditus ſapientiâ*. Ed. Lat. Vet. *vitam tribuit poſſeſſori ſuo*; & Trem. *vivum conſervat poſſeſſorem ſuum*, i. קניה. Alioqui poſſet eſſe plur. pro ſingulari: quod inſolens non eſt in his libris.

14. *Vide*] *Conſidera*, ut rectè Hier. exponit. *Videre* enim Animi & Mentis eſt, ut ſuprà 3. 10. *Vidi occupationem*, i. cognovi, animadverti, & 2. 24. *Vidi ego à manu Dei hoc eſſe*. ¶ *Opera*] Vel *facta*. Nam *opera* propriè opificium. Lxx τὰ ποιήματα. ¶ *Quis poterit corrigere*] Nemo poterit corrigere. Sic ait 1. 15. *Pravum non poteſt corrigi*. Hîc eſt לתקן, ibi לתקן. Lxx κοσμῆσαι. Hinc תקון סופרים, i. *correctio Scribarum*.

barum. Dicitur & מכן, mediâ Caph. ¶ *Quod pervertit*] Vel *quem pervertit.* Sic Græci ὃν ὁ Θεὸς διαστρέψῃ αὐτόν. & Hier. *quem ille deſpexerit:* Malim *depravarit.* Sed quid? an Deus aliquem depravat? & ſi depravat, quomodo non eſt cauſa peccati? *Depravare* dicitur quem in pravitate relinquit & quaſi indurat, ut alibi loquitur Scriptura. Eſt tamen cur malim *quod pervertit.* Nam mala quæ Deus immittit corrigi non poſſunt: ideo æquanimiter ferenda ſunt. Id ſignificat cùm ait, *In die mali vide.*

15. *In die boni*] Quo tibi bonum obtingit, ſive quo Deus bonum largitur. Lxx Ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθωσύνης. Minùs rectè noſter, *In die bona:* nam aliud *dies bona*, & aliud *dies boni.* *Dies bona* ſive *dies bonus*, vocatur dies luculentus, qui & *dies gaudii*; unde & *diem pro meliore habere.* *Dies boni* eſt cùm nobis bene eſt, & potiùs *tempus* quàm certum *diem* ſignificat. Ebraicè יום טובה. Sic *dies mali*, cùm alicui malè eſt, h. e. tempus adverſum. Epheſ. 5. 16. *dies mali*, ἡμέραι πονηραὶ, ſunt tempora difficultatis & aſperitatis plena. ¶ *Eſto in bono*] Explicant *verſare in bono*; alii, *fruere bono.* Gall. *uſe du bien.* Lat. Vet. *fruere bonis.* Lxx ζῆθι ἐν ἀγαθῷ, i. חיה, i. *vive.* Legerunt Het pro He. ¶ *In die mali*] Ἐν ἡμέρᾳ κακίας, i. temporibus adverſis: nam *κακία vexatio*, *afflictio*, i. κάκωσις. *Dies mali* vocatur interdum Senectus, quæ & *ætas mala* dicitur. Senectus peculiariter hoc nomine ſignificatur Cohel. 12. 1. Lucretio dicitur *pejor pars ætatis.* *Malam ætatem* hanc vocant veteres Comici. Contrà *ætas bona*, i. Adoleſcentia ſive Juventus. Alioqui *dies mali*, i. miſeri & calamitoſi. Vide Tropos in *Dies.* ¶ *Vide*] i. Prævide rebus tuis; aut conſidera Dei judicia; aut provide ac proſpice tibi adverſis mala quæ Deus importat. *Videre* eſt providere; ut ibi, *In monte Domini videbitur.* Cicero ad Att. *ut prandium nobis videret.* Aut *vide*, i. cave, ſive, ut noſter habet, *præcave.* Sic βλέπετε *cavete*, Mar. 12. 38. & 13. 9. Idem Cicero 4. Acad. *Sapientis hanc cenſet Arceſilas vim eſſe maximam, cavere ne capiatur, ne fallatur videre.* Alii, *vide malum*, i. patere. Sed *videre malum* ſign. verſari in malis. Soph. 3. 15. Sic *videre periculum.* ¶ *Hoc ex adverſo illius*] זה לעמת זה. Lxx καί γε τοῦτο συμφώνως τούτῳ. Interp. Latinus, *& quidem iſtud congruum huic.* Ed. Lat. Vulg. *ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus.* Gal. *l'un a l' oppoſitione de l' autre.* Suprà 5. 15. ש כל עמת *omnino*, *prout*, *quemadmodum*, *ex adverſo.* Sic etiam uſurpat hanc particulam R. Salomo Cohel. 1. in Comment. R. David in Rad. exponit כנגד & לנגד. Vide, ſi otium eſt. Similis particula כל קבל די vel דנה apud Chaldæos. ¶ *Eam ob cauſam ne*] Vel, *ea ratione, ut non* על דברת שלא. Lxx hæc disjungunt, περὶ λαλιᾶς, ἵνα μή. Alias περιλαλιᾶς, unicâ dictione & conjunctim. Hæc particula obvia cap. 3. 18. ¶ *Poſt ipſum*] *Poſt ipſum Deum*, quod videlicet in eo carpat, aut de eo queri jure poſſit. Hanc ſententiam expreſſit Vulgatus, referens *ut non inveniat homo contra eum juſtas querimonias.*

16. *Vidi*] *Expertus ſum, conſideravi.* ¶ *In diebus vanitatis meæ*] Toto illo tempore vaniſſimo quo ſub Sole vixi. Ut hîc *dies vanitatis*, ità ſuprà ver. 1. *Numero dierum vitæ vanitatis ejus.* Egregium epitheton vitæ humanæ. Dicitur autem breviter *dies noſtri* pro *dies vitæ noſtræ:* quale eſt *mons Domini* pro *mons domus Domini.* ¶ *In juſtitia ſua*] *Propter juſtitiam ſuam.* *Juſtitiam* autem dicit quam nos *virtutem* appellamus; unde & *juſti* vocantur viri boni. Porrò Lxx hîc legunt ἐν δικαίῳ αὐτοῦ· quod in recto facit τὸ δίκαιον *juſtitia.* Idem Sym. dicit aliis verbis, τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ *juſtitiâ ſuâ.* ¶ *Qui longam facit vitam*] מאריך, *longam faciens* ad verbum: nos ſenſum expreſſimus: nam ſub. ימיו *dies ſuos*, aut aliquid tale, ut Jud. 2. 7. Latinè *producens vitam longam*; *prorogans dies*, aut *annos*, aut *ætatem.* Aq. μακρύνων. Alius interpres μακρόβιος, i. *longævus*, ad ſenſum eleganter. Vulg. *multo vivit tempore.* ¶ *In malitia ſua*] Aq. ἐν πονηρίᾳ αὐτοῦ. Prius erat ἐν κακίᾳ αὐτοῦ, & μένων pro μακρύνων. Jud. 2. 7. האריכו ימים *longos fecerunt dies*, *prorogarunt dies.*

17. *Ne eſto*, &c.] Quadrat cum illo, *Ne quid nimis:* & cum illo,

— *medio tutiſſimus ibis.*

Dicunt etiam,

— *Medium tenuere beati.*

Nam vel ipſa Juſtitia, ſi modum excedat, culpam continet, & in vitium degenerat vicinum aut contrarium: unde illud, *Summum jus ſumma injuria eſt.* Nimiùm bonus eſt, e. c. qui uxorem impudicam habet, quam ſcit impudicam eſſe, & tamen eam tolerat: unde Galli talem vocant *un bon homme.* Sed vide ſis Proverbia mea, claſſ. 2. lib. 1. adag. 301. ¶ *Juſtus*] Vir bonus, aut juſtus Judex. Sed latiùs patet, meo judicio. ¶ *Multùm*] i. *Nimiùm:* ut ità exponamus ipſa poſcit ſententia. Siquidem *juſtitia multa*, niſi modum excedat, culpâ vacat. Lxx πολύ. Sym. verò πλέον, i. יותר. ¶ *Ne tibi ſapias*] Vel, *ne tibi ſapiens videaris.* Quod Græci dicunt μὴ σοφίζου, ut Sirach. 10. 29. μὴ σοφίζου ποιῆσαι τὸ ἔργον σου, *ne tibi ſapiens videare in faciendo opere tuo.* Vulg. *ne ſapias.* Gall. *ne te fai pas ſage*, *ne te facias ſapientem.* Sic alibi מתעשר *divitem ſe facit.* *Sapiens* & pro *docto* accipitur, ut poſſis exponere, *ne te doctiorem facito quàm ſis.* Apud Latinos olim, teſte Cicerone, iidem erant docti qui ſapientes. Qui ſibi ſapere videtur plus æquo ab iiſdem Latinis *Suffenus* vocatur. Is erat ineptiſſimus Poeta, qui in ſuis operibus mirabatur ſe plurimum ſibique blandiebatur & arridebat. Catullus,

— *Neque eſt quiſquam*
Quem non in aliquare videre Suffenum
Poſſis.

¶ *Nimiùm*] יותר *plùs*; & ſubintelligitur מדי *plùs æquo*; ſive *plùs quàm neceſſe eſt*, aut *oportet.* Huc pertinere puto Sym. interpretamentum πλέον. Lxx περισσά, quod adverbialiter accipiendum pro περισσῶς *ampliùs*, *magis*; item *abundanter*, *excellenter.* Interpretatio Latina quæ in operibus Hier. *& ne quæras ampliùs.* ¶ *Cur obſtupeſcas?*] i. Hebes ac ſtupidus fias: quod accidit ſæpe iis qui nimis ſapere volunt, h. e. qui menſuram imbecillitatis ſuæ in inquiſitione rerum, maximè Divinarum, volunt ſupergredi. Quidam legunt *cur deſoleris?* Lxx μήποτε ἐκπλαγῇς. Sym. ἵνα μὴ ἀδημονῇς περιττῶς (& eſt תשתומם pro תשומם) *ne animo concidas magis.*

18. *Ne improbè agas multùm*] Impropriè loquitur ut extrema fugienda & medium amplectendum eſſe oſtendat. Alio qui *improbè agere* neque *multùm* neque *parùm* debemus. Lxx. Μὴ ἀσεβήσῃς πολύ. Vulg. *Ne impiè agas multùm.* Nam רשע vetuſtâ interpretatione ἀσεβὴς, i. *impius.* ¶ *Ne ſis ſtultus*] אל תהי סכל. Lxx μὴ γίνου σκληρὸς *durus.* Sed in Hier. *noli eſſe ſtultus.* סכל *ſtultus*, qui literis inverſis כסיל. Repetendum autem ἀπὸ κοινοῦ הרבה *multùm*, aut יותר *nimiùm*, ut opponatur ei parti, *Ne tibi ſapias nimiùm.* Sic *juſtus* opponitur *improbo.* ¶ *In tempore non tuo*] Vult dicere *ante tempus*, ſive *morte immaturâ.* Quippe tempus certum vitæ, ad quod homines improbi & ſtulti rarò perveniunt. Nam ſtultitia mortem accelerat; juxta illud, *Impii non perveniunt ad dimidium dierum ſuorum*, vel, *Improbi non dimidiabunt dies ſuos:* &, *Dies improborum decurtantur.* Sanè, *Ne ſis ſtultus* cùm dicit, intelligit non mente captum, ſed improbum & ſceleratum, i. μωρόκακον. Cæterùm *ante tempus moritur* qui moritur in pueritia, aut in juventute, aut denique in ætate quâ viri ſumus, h. e. ante extremam ſenectutem. Nam etiam qui in prima ſenecta moriuntur *ante tempus mori* rectè dicuntur.

19. *Bonum eſt*] *Melius eſt.* ¶ *Ut apprehendas illud*] Nempe quod dixi, *Ne ſis juſtus multùm*, &c. ¶ *Atque etiam ab hoc*] *Ne improbe agas multùm*, &c. Innuit mediam viam tenendam eſſe, & extrema vitanda. Nam *in medio*, ut proverbio dicitur, *conſiſtit virtus.* Quò facit & illud Horatii,

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum.

¶ *Non dimittas*] Μὴ ἀνῇς *ne remittas*, quod in Scholiis Græcis ex neſcio quo interprete, qui emendavit ità Græcam receptam μὴ μιάνῃς. Quanquam in verſione Latina quæ in operibus Hier. *Ne dimittas.* Eſt autem תנח pro תניח. ¶ *Timens Dei*] Vel *reverens Dei*, ut,

— *metuens Divûm matertera.*

¶ *Exibit ex omnibus iſtis*] Vel *ex utroque iſto*, videlicet extremo. Vult dicere *mediam viam tenebit.* Suprà 2. 14. *eventus unus eveniet* את כלם *ambobus iſtis.* כל enim non ſolùm ſign. *omnis*, ſed etiam *uterque*, & de duobus dicitur. Lxx ἐξελεύσεται τὰ πάντα. Vulg. *nihil negligit.* *Exibit*, ſumptum ab iis qui in periculo aliquo verſantur: nam *exire* dicuntur quando ex eo liberantur, ſive in illud inciderint, ſive non. Sanè in utroque extremo periculum eſt non vulgare.

20. *Sapientia*] החכמה ἡ σοφία. Quidam *hac ſapientia*, nempe quæ in medio virtutem librat. ¶ *Corroborat*] תעז, i. interprete Aquilâ, ἐνισχύσει *validum reddit*, *robori eſt*, aut *robur præſtat.* Priùs erat βοηθήσει, i. תעזר. Hanc lectionem ſtabilit Hier. in Comment. ad h. l. quanquam in verſione Lat. *confortavit.* Vide Mercerum. ¶ *Quàm*] Magis quàm. ¶ *Decem*] i. Multi. Numerus certus pro incerto. ¶ *Potentes Principes*] שליטים, *dominatores*, i. מושלים: aut *poteſtatem*

tem habentes, i. ἐξουσιάζοντας, ut quidem Græci vertunt. Sic Luc. 22. οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν *qui poteſtatem habent in eos.* Noſter habet *Principes* שרים. Gallica editio *gouverneurs*, i. *gubernatores.* Puto ſignificari eos quos Græco vocabulo *dynaſtas* vocamus. ¶ *In civitate*] בעיר ἐν τῇ πόλει. Quidam *in eadem civitate.*

21. *Nam homo non eſt*] Ὅτι ἄνθρωπος οὐκ ἔςι. Sic Græci Lxx: nec aliter Hier. *Non eſt enim homo.* Alii, *Certè non eſt homo.* Alii, *Quamvis homo non ſit.* Santes, *Profectò non eſt quiſquam.* ¶ *Juſtus*] Latinè, *Nemo eſt juſtus*: & addit *in terra*; quia juſti qui in cœlo ſunt nonpeccant: ſunt enim ἀναμάρτητοι, nempe ut Angeli, qui nunc peccare non poſſunt. ¶ *Qui faciat bonum, & non peccet*] Qui ità bene ſe gerat ut non aliquando peccet. Hoc adeò verum ut idem Salomo ſcripſerit, *Septies in die cadit juſtus*, i. peccat non aliquando ſed ſæpius. *Nemo*, inquit Lactantius, *eſſe ſine delicto poteſt quamdiu indumento carnis oneratus eſt. Cujus infirmitas triplici modo ſubjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Per hos gradus ad ſummum culmen juſtitia procedit.*

22. *Omnibus verbis quæ loquuntur*] Sub. *homines.* Nec diſplicet quod in Vulg. noſtra, *cunctis ſermonibus qui dicuntur.* Lxx εἰς πάντας λόγους οὓς λαλήσουσιν ἀσεβεῖς. Nè cura, inquit, quid de te loquantur homines. Nam, ut Cato cecinit,

Arbitrii noſtri non eſt quid quiſque loquatur.

Scitum & illud, *Sapientes audiunt convitia, & tacent.* Et ſanè pars prudentiæ eſt ad aliqua maledicta ſurdum & mutum eſſe. ¶ *Nè des cor tuum*] אל תתן לבך, i. interprete Hier. *nè accommodes cor tuum.* Latinè diceremus, *Ad audiendum omnia quæ dicuntur ne applica* (ſive *nè adhibe*) *animum tuum.* Sym. μὴ παράσχῃς τῇ καρδίᾳ σου. Olim erat μὴ δῷς καρδίαν σου. In verbis Sym. παρασχεῖν eſt idem quod διδόναι· quomodo & Homerus uſurpat. ¶ *Nè audias*] Nè tandem cogaris audire quod nolis a ſervo tuo. ¶ *Servum tuum*] Hominem vilem & abjectum, qui poſſit eſſe ſervus tuus: aut ſervum tuum verè, qui videlicet tibi ſerviat, & nihilominus maledicat aut convitietur. ¶ *Maledicentem tibi*] Sym. olim λοιδορῶντος, i. *convitiantem, maledicentem, probris inſectantem, exprobrantem.* Lex. V. Λοίδορος, *maledicus.* Quidam referunt, *cum non debeas audire ſervum maledicentem tibi.* Simile, *Filius honorat patrem*, i. debet honorare. Sic David contempſit Semei ſervum ſuum 2 Sam. 16. 10.

23. *Nam etiam ſæpius*] Adverbium *ſæpius* debet converti cum ſequentibus hâc ſententiâ. *Cor tuum novit te ſæpius maledixiſſe aliis.* Hîc Græca Biblia duas verſiones habent. Una eſt, ὅτι πλειςάκις πονηρεύσεταί σε· pro quo Aq. ὅτι πρὸς πλειονάκις καιροῦ πονηρεύσεται καρδία σου, *Quoniam ſæpenumero improbè aget cor tuum.* Altera, καὶ καθόδους πολλὰς κακώσει καρδίαν σου. Hi omnes legerunt ירע *malefaciat* pro ידע, i. Res pro Daleth. Rectiùs noſter, *Scit enim conſcientia tua quia & tu crebrò maledixiſti aliis.* פעמים רבות *vicibus multis*, i. crebro, ſæpenumero, πλειςάκις, i. *ſæpe*, ut πλειςάκις *ſæpiſſimè.* Hoc minùs uſitatum eſt. ¶ *Novit cor tuum*] Tibi conſcius es, ſive, ut noſter habet, *ſcit conſcientia tua.* Non quòd Cor ſit conſcientia, ſed quando Cor aliquid *ſcire* dicitur, tum rectè *conſcientia* vocatur, quæ aliud nihil eſt quàm cordis quædam ſcientia. ידע ergò eſt *ſcire* & *conſcire.* ¶ *Tu maledixeris aliis*] Σὺ κατηράσω ἑτέρους. Sym verò σὺ ἐλοιδόρησας ἑτέρους.

24. *Omnia iſta*, &c.] Πάντα ταῦτα ἐπείρασα ἐν σοφίᾳ, *Omnia iſta tentavi in ſapientia.* Hæc eſt interpretatio veterum Lxx & Hier. Nam ed. Symmachi, Τούτων ἐπειράθην ἐν σοφίᾳ, *Horum periculum feci in ſapientia.* Nam πειράομαι cum genitivo *periculum facio, experior.* ¶ *Tentavi*] Ἐπείρασα pro ἐδοκίμασα. Sic apud Ebræos נסה ponitur pro בחן: quorum illud ſign. *tento* propriè, hoc denotat *probo*, & interdum *periculum facio, experior*, ut hoc loco. *Tentavi* ergò, i. *expertus ſum.* ¶ *In ſapientia*] In ſtudio ſapientiæ: ut locus intelligatur de ſapientia Dei, quæ incomprehenſibilis eſt Homini: vel *per ſapientiam*, quæ mihi Divinitùs data: vel בחכמה, i. *ſapienter.* Alii exponunt *cum ſapientia*: eodem recidit. ¶ *Dixi, Sapiens ſum*] Vel, *Sapio.* Ad verb. *Sapiam.* Sed novum non eſt ut futurum ſignificet tempus continuum; quod Latini exprimunt per verba præſentia. Senſum reddit Sym. ὑπέλαβον σοφὸς γενέσθαι, *putabam me ſapientem eſſe.* Lxx σοφισθήσομαι· & Lat. V. *ſapiens efficiar.* Gall. *j'acquerai ſageſſe*, i. *ſapientiam comparabo*, vel *adipiſcar.* Pars ſtultitiæ eſt putare ſe ſapientem eſſe. ¶ *Et ipſa longe fuit à me*] רחוקה, ad verb. *longinqua.* Poſſes vertere *cùm ipſa longinqua eſſet à me.* Tum putabam mihi proximum eſſe cùm longiùs abeſſet. Lxx ἐμακρύνθη.

25. *Remotum eſt id quod fuit*] רחוק מה שהיה, *Longinquum id quod fuit.* Non ſolùm futura incerta ſunt, ſed etiam quæ priùs à Deo facta uſque adeò à nobis remota ſunt ut aſſequi ea non poſſimus. *O altitudo*, inquit Apoſtolus Rom. 11. 33. *divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt ejus judicia!* Hunc locum alii aliter interpretantur. Lxx Μακρὰν ὑπὲρ ὃ ἦν, *Longè ſuprà quàm erat.* Hos ſecutus videtur Hier. qui vertit *multò magis quam erat*, ac ſi ſcriptum eſſet רחוק משהיה *longius quàm erat.* Gall. editio, *Ce qui a eſté bien loin*, i. *id quod fuit remotum*, aut *longinquum.* Alius, *Procul abeſt: quid inde erit?* ¶ *Profundum profundum*] i. Altè profundum, quod Græci dicunt βαθὺ βάθος, & noſter *alta profunditas.* Tralatio ab Aquis ſumpta; ut Prov. 20. 5. *Aqua profunda conſilium in corde viri: vir autem intelligens hauriet illam.* ¶ *Quis inveniat illud?*] Τίς εὑρήσει αὐτό; i. nemo. Itaque Sym. edidit, οὐδεὶς *nemo inveniat illud.* Tale eſt, *Quis tui ſimilis inter Deos?* Hoſ. 14. 9. *Quis ſapiens, & intelliget hæc?*

26. *Verti me ego & cor meum*] *Ego* cùm dicit, corpus ſuum intelligit, ut per *cor* animam. Simile, *Canam & pſallam, etiam gloria*, i. anima mea. סבותי *circuivi.* Hoc Lxx dicunt ἐκύκλωσα & Aq. περιώδευσα. Malè noſter, *Luſtravi cuncta animo meo.* Nec meliùs multò Trem. *Converti me ego, idque ex animo meo*, ac ſi eſſet ובלבי & *quidem ex corde meo.* Vulg. noſter videtur Aquilam expreſſiſſe: nam περιοδεύω inter alia ſign. *mente perluſtro*, cùm hîc potiùs ſit idem cum κυκλόω, *circumeo, in orbem obeo.* ¶ *Ad explorandum*] לתור verto *ad explorandum.* Nam תרים *exploratores.* Alii aliter. Lxx τοῦ κατανοῆσαι, ut noſter *conſiderarem.* Sym. διαθρῆσαι. In Theſauro Stephani, Διαθρέω, *diſpicio.* Alibi idem vertit תורתי ἐνόησα. Sic etiam Aq. vertit, videlicet 2. 3. Gall. *pour eſpier.* Cohel. 1. 13. Aq. ἐξερευνῆσαι. ¶ *Rationem*] Gall. *raiſon du tout*, i. *rationem omnium.* Nam Scire eſt per cauſas ſcire. Lxx ψῆφον. Aq. λογισμόν. Sic infrà vertunt & Lxx, videlicet v. 28, & 30. Trem. *ratiocinium.* ψῆφος eſt *calculus quo computatur*; item *calculus judicialis*, & *ſuffragium, ſententiáve.* ¶ *Improbitatem & ſtultitiam*] רֶשַׁע כֶּסֶל *improbitatem, ſtultitiam*: ἀσύνετον. Vulg. *impietatem ſtulti* רשע כסל: niſi acceperit pro *ſtulto*, ut alibi צדק interpretatur *juſtum.* Lxx ἀσεβοῦς ἀφροσύνην רֶשַׁע כֶּסֶל. Trem. *improbitatem ſtoliditatis.* Santes *impietatem ſtultitiæ.* Gall. *la malice de la folie.* Non diſplicet. הסכל *ſtultitia.* Cohel. 10. 6. Lxx ἄφρων, & Vulg. *ſtultum.* Aben. putat eſſe nomen concretum, ut ילד *puer*, הלך *viator.* ¶ *Et ſtoliditatem inſaniáſque*] והסכלות הוללות. Lxx καὶ ὀχληρίαν καὶ περιφοράν, i. & *moleſtiam & circumlationem*, ſive, *errorem.* Vet. *errorem imprudentium.* Ὀχληρία videtur eſſe idem quod ὄχλησις, i. ταραχή· unde ὀχληρός, *moleſtus, turbulentus.* In Theſauro non invenitur. Trem. *ſtoliditatis & omnis inſaniæ.* Gall. *de la beſtiſe & des ſottiſes.*

27. *Amarius quid morte*] מר ממות *amarum quàm mors*, i. *rem amariorem morte.* Malè quidam *amariorem mulierem.* Nam tunc ſcripſiſſet מרה genere f. Lxx. πικρότερον ὑπὲρ θάνατον. Porrò Mors *amara* dicitur quia ejus recordatio amaros, i. triſtes, facit. Sic *pallida mors*, quòd tales faciat. Amara autem recordatio mortis eſt, præcipuè divitibus & fortunatis. Sirach. 41. 1. *O mors, quàm amara eſt tui memoria homini pacatè fruenti bonis ſuis!* Ut Mors ſic etiam Vita *amara* dicitur, quæ aſperitatis & difficultatis plena. Sirach. 30. 18. *Potior eſt mors quàm vita amara*, i. acerba. Sic, *amarius quid*, i. acerbius. ¶ *Mulierem, quæ eſt*, &c.] Circumſcribit meretricem & impudicam. Nam hujuſmodi mulier homines capit ut retia piſces aut aves. *Rete* autem feminarum eſt forma ſive pulcritudo; quo reti potentiſſimos & ſapientiſſimos quoſque capiunt. ¶ *Veluti retia*] מצודים *retia.* Deſideratur igitur nota Similitudinis, ut ſæpe aliàs: nos eam expreſſimus evidentiæ causâ. Hujus ſing. מְצוֹדָה, quod reddunt ἀμφίβληςρον infrà 9. 12. hîc reddunt θήρευμα, ut noſter *laqueus venatorum.* Dicitur & מְצוּדָה Pſal. 66. 11. Doctores interpretantur, dicentes eſſe *hamum quo piſces capiuntur.* Radix צוד, an צור? ¶ *Sagena*] Σαγῆναι, vel *plaga.* Hoc videtur velle, Omne genus inſidias ſtruit viris ut eos in naſſam ſuam pertrahat. ¶ *Cor ejus*] Potiùs *pectus ejus.* Nam cor non poteſt, quod nulla habet. Sic adoleſcens impudicus vocatur חסר לב *deficiens corde*, non quòd corde careat, ſed quia ſedes ſapientiæ in corde: ideo *corde deficere* dicitur qui deſipit. ¶ *Vincula manus ejus*] Ut vincula, quibus homines vinciuntur, ità manus ejus. אסורים *vincula*, ut Jud. 15. אסוריו *vincula ejus.* Huic interpretationi firmandæ ſunt antiqui tranſlatores; primùm Lxx, qui vertunt δεσμὸς εἰς χεῖρας αὐτῆς· deinde Sym. in quo —— αἱ χεῖρες αὐτῆς·

poſtremò Vulg. noſter, qui habet *vincula ſunt manus ejus.* Hujus ſing. אֵסוּר *vinculum.* Licet etiam vertere *vincti ſunt in manibus ejus.* Sic R. D. in Rad. & alii. Tum participium erit à ſingulari אָסוּר *vinctus*, Gen. 40. reperto: unde & בית האסורים *domus vinctorum.* ¶ *Bonus coram Deo*] Ut, *juſtus coram Domino:* Quo genere loquendi diſtinguunt veram probitatem à ficta & ſimulata. Sym. ἀρεστὸς τῷ Θεῷ *gratus Deo.* Lat. Vet. *qui placet Deo.* Antea erat ἀγαθὸς πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ. ¶ *Peccator*] Homo improbus. ¶ *Capietur ea*] Lxx καὶ ἁμαρτάνων συλληφθήσεται ἐν αὐτῇ. Sym. ὁ δὲ ἁμαρτωλὸς ἁλώσεται. Vulg. *qui autem peccator eſt capietur ab ea.*

28. *Vide*] Ἴδε. Lat. V. *Ecce*, הנה. Sic ἰδοὺ *ecce.* Sunt autem ex verbis imperativi modi ſignificatu *vide* facta adverbia. Sunt tamen qui accentum mutant in ἰδὲ, quando verbum eſt ἰδὲ ſcribentes. Multa verba in adverbia degenerant: ראה *ecce*, לך *agedum* ἄγε, מהר *feſtinanter*, *celeriter*, נלכה *Eamus*, *&* *faciamus nobis lateres.* Latinè, *Agitedum faciamus*, &c. ἔα *ſine*, ab ἐάω, i. *ah* vel *hem*, Marc. 1. 24. הס *pax*; quod eſt ſilentium indicentis. ¶ *Dicit Coheleth*] Vel, *inquit Eccleſiaſtes.* Græcè eſt εἶπεν ὁ ἐκκλησιαστής· quod hîc eſt nomen proprium, non appellativum. Dignum notâ. Pro *dicit* ſive *inquit* Ebræus habet אמרה genere f. nempe habetur ratio terminationis, quæ in קהלת feminina eſt. Alibi eſt אמר קהלת, & tunc habetur ratio ſenſûs. Vide quæ ſcripſimus ſuprà 1. 2. ¶ *Unum ad unum*] Ἓν πρὸς ἕν. Sic olim Aq. vertit. Lxx μία τῇ μιᾷ, quod propriè ſonat אחת לאחת. Vulg. *unum & alterum.* Puto legendum *unum ad alterum.* Hoc videtur velle, *In ſingulis rebus hoc quæſivi, ut invenirem rationem.* Sunt qui referunt *unum poſt unum*, eâdem ſententiâ. Sic Galli, *l'un apres l'autre.* Trem. *ſemel atque iterum.* Hîc פעם ſubaudit *unam vicem poſt alteram*, i. *ſemel atque iterum.* ¶ *Inveniendo*] Gall. *cerchant*, i. quærendo ex eo quod ſequitur id quod præcedit. Nam priùs quærimus, deinde invenimus. Trem. *quærendo aſſequi ratiocinium.* Aq. εὑρεῖν λογισμὸν ἐπιζητεῖ ἡ ψυχή μου, καὶ οὐχ εὗρον. Lxx τοῦ εὑρεῖν. Lat. V. *ut invenirem rationem.* Fortè per למצא *conatum* ſign. q. d. *Conatus ſum invenire. Studui aſſequi quærendo*, &c. vel *Cogitabam invenire.*

29. *Quod adhuc quæſivit*] Vel *quam adhuc quærit.* Sic Lxx ὃν ἐπεζήτησεν ἡ ψυχή μου. Aq. ἐπιζητεῖ ἡ ψυχή μου. Hier. *quem adhuc quærit anima mea.* ¶ *Hominem*] i. *Virum*, qui propriè איש dicitur. Contrà *vir* pro אדם ponitur Pſal. 1. 1. & alibi. Hoc primum. Deinde אדם hîc ſign. *hominem cordatum & ſapientem virtutéque præditum.* Sic Diogenes ipſo meridie accensâ lucernâ dicebat *ſe hominem quærere.* Nomen איש aliquando *virum fortem* denotat, ut ἀνὴρ apud Græcos, cùm eſt nomen ἀρετῆς. Sic dicimus, *Virum te præſta*, i. ut virum decet. ¶ *Ex mille*] Ex quàm plurimis, ſive ex maximo numero virorum. Numerus finitus pro infinito. ¶ *Mulierem*] Scilicet cordatam, prudentem & ſtrenuam: ſicut ait, *Mulierem ſtrenuam quis inveniat?* q. d. Rara eſt inventu. Sic alibi, *Qui invenit uxorem, invenit bonum, & elicuit favorem à Domino:* utique non quamvis uxorem, ſed bonam, ſed pudicam, ſed prudentem & cordatam. Ergò inveniri poteſt? Omninò. ſed quia inter multas paucæ bonæ, ideo etiam Poeta neſcio quis ait,

Femina nulla bona eſt: vel, ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo fato res mala facta bona.

30. *Solummodo vide*] לבד ראה *Solummodo vide.* Sic Int. Lxx Πλὴν ἴδε אך ראה. ¶ *Fecerit*] *Crearit, formarit.* ¶ *Hominem rectum*] Hîc *Hominis* voce etiam *Mulierem* comprehendit, & Deum excuſat, nè quis illum dicat cauſam Peccati, cùm *ipſe homines probos fecerit & rectos*, qui pòſt vitio & culpâ ſuâ deſciverunt. ¶ *Quæſiverunt rationes multas*] Lxx ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς. Sym. verò, περιειργάσαντο πολυπραγμοσύνην, חשבנות, inquit Hier. *quod omnes voce conſona λογισμοὺς tranſtulerunt, ſecundum Ebræi ſermonis ambiguitatem &* numerum *poſſumus, &* ſummam, *&* rationem, *&* cogitationem *dicere.* Si hoc verum, quomodo Sym. hîc vertit πολυπραγμοσύνην. ¶ *Rationes*] Alii *cogitationes:* alii *ratiocinia:* alii *diſcours*, i. *narrationes.* ¶ *Multas*] Alienas à recto videlicet, i. pravas & perverſas.

IDEM.

2. טוב שם משמן טוב. Sym. *Melius eſt nomen bonum quàm unguentum bene olens*] Ὑπὲρ μύρον εὐῶδες citatur in ed. Rom. Apud interpretem Olympiodori *ſuper unguentum bene olens.* Nos Hieronymi nunc ſecuti ſumus.

3. וְהַחַי יִתֵּן אֶל־לִבּוֹ. Sym. *Et qui vivit reſpiciat ad mentem*] Vel *reſpicit ad mentem.* Ed. Rom. προσέξει τῇ διανοίᾳ *mente attendet.*

4. בְּרֹעַ פָּנִים יִיטַב לֵב. Sym. *per triſtitiam vultûs melior fiet animus*] In ed. Rom. κακώσει.

6. כִּי כְקוֹל הַסִּירִים תַּחַת הַסִּיר. Schol. διὰ γὰρ φωνῶν τῶν ἀπαιδεύτων ἐν δεσμωτηρίῳ γίνεταί τις; *ſiquidem per voces imperitorum in vinculis quiſpiam habetur*] Sumptum ex ed. Symmachi. Doceo ex commentariis Hieronymi, in quibus ità ſcriptum diſertè, *Symmachus pro eo quod nos poſuimus* [*Quia ſicut vox ſpinarum ſub olla, ſic riſus ſtulti*] *hunc ſenſum interpretans quem ſuprà diſſeruimus, ait*, [*Per vocem imperitorum vinculis quiſpiam colligatur*] *h. e. Ad vocem talium præceptorum magis auditor invertitur, dum vinculis peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur.*

7. וִיאַבֵּד אֶת־לֵב מַתָּנָה. Aq. Th. *perdit cor vigoris ejus.* Sym. *perdit cor Matthana, i. donum*] Hieron. *Pro eo verò quod Lxx, & Aq. & Th. interpretati ſunt* [perdit cor εὐγενείας αὐτοῦ] i. fortitudinis, *ſive* vigoris ejus, *Sym. ait*, [& perdit Matthana, i. donum] *tam verbum Ebraicum quàm interpretationem ejus copulans, & faciens illum ſenſum qui alibi ſcriptus eſt*, EXCÆCANT MUNERA ETIAM SAPIENTIUM OCULOS. *Perdit.* In operibus Hieronymi *prodit:* puto mendum eſſe. Εὐγενείας. Legitur & εὐτονίας. Vide, ſi placet, ed. Rom. Lex. V. Εὐτονία, *ſufſectio.* In Theſauro exponitur *firmus tenor, contentio valida, vehementia.*

8. טוֹב אַחֲרִית דָּבָר מֵרֵאשִׁיתוֹ. Sym. Βέλτιον τέλος λόγου ἀπὸ ἀρχῆς αὐτοῦ, *Melior eſt finis ſermonis initio ejus.* ¶ גְּבַהּ רוּחַ. Idem, ὑψηλοκάρδιον *elato corde præditum.*

12. בְּצֵל הַחָכְמָה בְּצֵל הַכָּסֶף. Sym. Σκέπει σοφία ὡς σκέπει τὸ ἀργύριον, *Protegit ſapientia, ut protegit pecunia*] Hieron. in Comment. *Symmachus more ſuo etiam in hoc loco manifeſtiùs interpretatus eſt*, QUOMODO PROTEGIT SAPIENTIA, SIMILITER PROTEGIT PECUNIA. Idem paulò antè, *Quia ſicut umbra ſapientiæ, ità umbra pecuniæ; id eſt; Quomodo protegit ſapientia, ſic interdum protegit & pecunia.* ¶ הַחָכְמָה תְּחַיֶּה בְעָלֶיהָ. Schol. Ἡ σοφία διασώσει τοὺς ἔχοντας αὐτήν, *ſapientia ſervabit eos qui ipſam habent*, i. poſſident.

13. רְאֵה אֶת־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים כִּי מִי יוּכַל לְתַקֵּן אֵת אֲשֶׁר עִוְּתוֹ. Sym. *Diſce opera Dei, quia nemo poterit corrigere quod ille imminuit*] Ex operibus Hieronymi.

14. הֱיֵה בְטוֹב. Sym. ἴσο — *eſto* — ¶ גַּם אֶת־זֶה לְעֻמַּת־זֶה עָשָׂה הָאֱלֹהִים עַל־דִּבְרַת שֶׁלֹּא יִמְצָא הָאָדָם אַחֲרָיו מְאוּמָה. Sym. καὶ γὰρ τοῦτο ἀνάλογον τούτῳ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῦ μὴ εὑρεῖν ἄνθρωπον κατ' αὐτοῦ μέμψιν, *Etenim hoc conſentaneum illi fecit Deus, nè inveniret homo contra ipſum quod reprehenderet.*

15. מַאֲרִיךְ בְּרָעָתוֹ. Aq. μακρύνων ἐν πονηρίᾳ αὐτοῦ, *producens in improbitate ſua*] Aut *prolongans*, & ſubintelligitur *dies*, vel *annos*, aut *vitam.* Senſus eſt, *diu vivens, multo vivens tempore*, i. μακροχρόνιος. Similis defectus in ſermone Ebræo.

16. הַרְבֵּה. Sym. πλέον *plus*] Dicunt Græci πλέον ἔλαττον, & Latini *plus minus:* quibus duobus omne vitium continetur. Sed πλέον Ebraicè potiùs eſſet יותר, ut mox, *neque plus ſapias.* Locus integer eſt, Μὴ γίνου δίκαιος πλέον, *Nè eſto juſtus plus quàm oportet.*

18. כִּי־יְרֵא אֱלֹהִים יֵצֵא אֶת־כֻּלָּם. Sym. ὁ γὰρ φοβούμενος τὸν Θεὸν διεξελεύσεται τὰ πάντα, *nam qui timet Deum pervadet omnia.*

19. הַחָכְמָה תָּעֹז לֶחָכָם. A. Ἡ σοφία ἐνισχύσει τὸν σοφόν, *Sapientia corroborat ſapientem.*

20. גַּם לְכָל־הַדְּבָרִים אֲשֶׁר יְדַבֵּרוּ אַל־תִּתֵּן לִבֶּךָ. Sym. Ἀλλὰ μηδὲ πᾶσι τοῖς λαλουμένοις παράσχῃς τῇ καρδίᾳ σου, *Sed nè omnibus quæ dicuntur accommodes te corde tuo.*

22. גַּם־אַתָּה קִלַּלְתָּ אֲחֵרִים. Sym. καὶ σὺ ἐλοιδόρησας ἄλλους *&* *tu convitiatus es aliis.*

23. אָמַרְתִּי אֶחְכָּמָה. Sym. Ὑπέλαβον σοφὸς γενέσθαι *arbitratus ſum ſapiens fieri*] *Animo præſcripſi.*

25. סַבּוֹתִי אֲנִי וְלִבִּי לָדַעַת וְלָתוּר וּבַקֵּשׁ. Hieron. in Comment. ad h. l. *Pro eo quod Lxx poſuerunt*, CIRCUIVI EGO ET COR MEUM UT COGNOSCEREM, *Sym interpretatus eſt, dicens*, PERTRANSIVI UNIVERSA SENSU MEO, SCIRE ET DISCERE ET INVESTIGARE] סבותי Aq. περιώδευσα *circuivi.* ולתור. Sym. καὶ διαθρῆσαι *diſpicere.* Ex ed. Rom. ¶ חֶשְׁבּוֹן. Aq. λογισμὸν *cogitationem.* ¶ הוֹלֵלוֹת. Sym. ἔννοιαν θορυβώδη *cogitationem turbulentam.*

26. אֲסוּרִים יָדֶיהָ. Aq. *Vincta ſunt manus ejus.*

27. אַחַת לְאַחַת לִמְצֹא חֶשְׁבּוֹן. Aq. ἓν πρὸς ἓν εὑρεῖν λογισμόν, *unum*

unum ad unum invenire rationem. Sym. *unam ad unam invenire rationem*] Hieron. CHESBON *quippe, quod omnes voce conſonâ* λογισμὸν *tranſtulerunt, ſecundum Ebræi ſermonis ambiguitatem,* & NUMERUM *poſſumus* & SUMMAM, & RATIONEM, & COGITATIONEM *dicere.* Et haut multò pòſt, *Pro eo autem quod ſuprà ſermonem Ebræum interpretantes diximus,* UNAM AD UNAM, UT INVENIATUR NUMERUS, *ſive* SUMMA, *ſive* RATIO, *aut* COGITATIO, *apertiùs interpretatus eſt Symmachus,* UNAM AD UNAM INVENIRE RATIONEM.

29. אֲשֶׁר עוֹד־בִּקְשָׁה נַפְשִׁי וְלֹא מָצָאתִי. A. ἐπεζήτησε ἡ ψυχή μου, καὶ οὐχ εὗρον, *quærit anima mea, & non inveni*] *Quærit,* videlicet *invenire rationem.* Nam hæc cum præcedentibus connectit, cùm ſint duo diſtincti verſus in Ebræo.

30. בִּקְשׁוּ חִשְּׁבֹנוֹת רַבִּים. Sym. περιειργάσαντο πολυπραγμοσύνην, *curioſè nimiùm ſectati ſunt polypragmoſynem*] i. Soliciti & curioſi nimiùm fuerunt de multis negotiis.

A M A M A.

HIc eſt novi ſermonis initium. Nam à rerum vanitatibus tranſit ad didaſcalica & conſolatoria, ut fruſtra ſint qui in horum cum ſuperioribus connexione deſudant. Ebræi etiam hic tertium פֶּרֶק auſpicantur, eâque de causâ hic majuſculum ט ſcriptum eſſe crediderim. Si quod aliud myſterium lateat, hoc ipſos Judæos hodie latet. Ebræi hujus libri 4 faciunt פְּרָקִים ſeu ſectiones. Secundum incipiunt ab illo loco cap. 3. גם כל האדם. Tertium hinc. Quartum ab eo loco cap. 9. לך אכל בשמחה.

1. *Melius eſt nomen* (bonum) *quam unguentum bonum: & dies mortis die nativitatis ejus.*

Expoſita bonorum ad hanc vitam pertinentium vanitate, nunc pergit eam demonſtrare per comparationem aliarum rerum. Eæ autem ſunt 3. quas ordine rebus iſtis anteponit, fama, mors, ſapientia.

Nomen] Sub. bonum, quod neceſſarium non eſſet, ſi Ebræi ſolerent præponere adjectivum ſubſtantivo. Poſſem enim ſic interpretari, *bonum nomen* (eſt) ὑπὲρ ἔλαιον ἀγαθόν. Sed ita non ſolent Ebræi, ſuppleo ergo *bonum.* Sic in Proverb. *Qui invenit uxorem invenit bonum.* Hoc non approbabit, quicunque in malam uxorem incidit. Supple ergo, *bonam.* Sic Jeſ. 1. *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, ut lana dealbabuntur.* Supple, *lana alba.* Sic *corde* pro *corde uno, humero* pro *humero uno.* Jud. 5. *Diebus Jaël defecerant viæ* ſc. *rectæ.*

Præ oleo] Obſerva alluſionem, quæ Latinis inimitabilis & Græcis in vocibus שֵׁם & שֶׁמֶן. שֶׁמֶן & *oleum* & *unguentum* ſignificat, unde licet & vertere *præſtantius eſt nomen bonum unguento bono.* Vide Genebr. Pſ. 23. 8. Hoc Symmachus vidit ac proinde vertit μύρον εὐῶδες. Sic Cant. 1. 3. לריח שמניך ad odorem unguentorum tuorum, ubi & LXX. εἰς ὀσμὴν μύρων σου. Mercerus ad Theſ. Pagn. שֶׁמֶן, *nomen generale omnis pinguedinis tam naturalis quam conditæ. Dicitur que ſic unguentum aromaticum & linimentum quod glutinoſum & pingue ſit.*

Et dies mortis] Sub. melior eſt die nativitatis. Ebræi ut ſatisfaciant curioſis, qui forte mirantur, cur hæc duo conjunxerit Salomo, dicunt prius membrum in poſteriori repeti, ut ſit ſenſus, Et melior eſt ei qui bono nomine præditus eſt dies mortis quam dies ortus ejus. Quare? quia cum naſceretur ignotum erat, qualis futurus erat probuſne an improbus, at nunc quum moritur in bono nomine, conſtat eum bonum fuiſſe. Ego generalius acceperim. Et hoc videtur ſuadere affixum quod in הִוָּלְדוֹ. Mors non tantum finem imponit vanitati ſed & vivis documentum eſt ad ſuperiora. Mors ipſâ quoque fama præſtantior. Mors adimit vanitatem quia fama tantum 1. ſolatur. 2. Mors famam conſtantem efficit.

Die nativitatis ejus] Ebr. מיום הולדו die naſci ejus. יָלַד gignere, parere. Commune enim eſt viris fœminiſque: in Niphal נולד naſci. Ejus ſcilicet, qui famam bonam habet. De improbis enim hoc aſſerere quis audet? Videtur Chaldæus *diem mortis* ad iſtum famâ bonâ præditum retuliſſe & poſterius ad improbum. Sic enim ille, *Melius eſt nomen bonum quod comparant ſibi juſti in hoc ſeculo, quam unguentum unctionis quod fuerit inunctum ſuper capita Regum & Sacerdotum: Et dies quo jacebit vir & emittetur in domum ſepulchri cum nomine bono & juſtitia* (melior eſt) *quam dies quo creatus eſt improbus in mundo.*

Potes & ſic reddere verſum: *Sicut bonum nomen* &c. *Sic dies mortis* (hominis) *melior eſt die nativitatis ejus.* Solent enim Ebræi ſæpe duas ſimilitudinis partes aut membra per ſolam copulativam conjungere. De quo ſupra.

2. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ire ad domum convivii, in qua eſt finis omnis hominis, & vivus apponit* (illud) *ad cor ſuum.*

3. *Melior eſt ira riſu, nam in triſtitia vultus benè erit cordi.*

4. *Cor ſapientum in domo luctus, & cor ſtultorum in domo lætitiæ.*

Domum luctus] Ubi lugetur mortuus. Hinc ſæpe pro morte ponitur vox אֵבֶל Gen. 27. dicit Eſau, *Appropinquat dies luctus patris mei.* i. mortis, *& occidam fratrem.*

In quâ] Scil. domo luctus. Ad remotius hoc eſt referendum pro אשר בה. Ebræi malunt poſitum pro בעבור אשר *propterea quod.* Et tunc ſubaudi שָׂם quod ipſum quoque ad remotius referendum erit. Sic Ebr. 9.

Eſt finis] Repræſentatur finis. Sic, *ſeptem vaccæ ſunt ſeptem anni* i. Repræſentant.

Ponit ad cor ſuum] i. Conſiderat diligenter, & ſumit inde exemplum, & *ſi quid eſt in eo mali, abjicit illud & convertitur ad pœnitentiam.* Sic παραφράζει hoc Chaldæus. Notetur יִתֵּן pro יָשִׂים. Sic antea notavimus, ex Jirm. *Dedit eum in cippum, in carcerem.* i. poſuit. Et contra in Geneſi ait Eva, *Vocabitur Seth, quia* שָׁת *poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Habele.* i. dedit.

3. *Melior eſt ira riſu*] Ira qua quis alium objurgat & carpit. Hoc enim melius eſt quam arridere delinquenti. Chald. Interpres ad Deum refert, quò poſterius membrum difficulter trahi poſſe mihi videtur. Sic enim ille, *Melior eſt indignatio qua indignatur* DOMINUS *mundi adverſus juſtos in ſeculo hoc quam riſus quo deridet improbos.* Probo magis primam expoſitionem, ut ſit idem cum verſu 5. 2. Sam. 6. 8. *iraſci* pro triſtari. Per *riſum* lætitia, per *iram* mœſtitia intelligatur.

Nam in triſtitia vultus] ברוע פנים vel *per vultus triſtitiam.* Sic בנביא *per Prophetam,* בלא עם *per non populum.* Deinde obſervetur uſus vocis רֹעַ quæ propriè *malitiam* ſignificat. Sic Gen. 40. 7. Rogat Joſeph pincernam & piſtorem Regis captivos cum ſomniaſſent, *Cur facies veſtræ* רָעִים. *Cur facies veſtræ malæ?* Ibi LXX. Τί ὅτι τὰ πρόσωπα ὑμῶν σκυθρωπὰ σήμερον. Et Neh. 2. 2. Hîc tamen Ebraiſmum retinuerunt, nam ſic habent, ὅτι ἐν κακίᾳ τοῦ προσώπου ἀγαθυνθήσεται ἡ καρδία. Quis Græcus hoc intelligeret? Talia multa ſunt in illorum Verſione & præcipue N. T. quæ docti viri ſatis ſufficienter annotarunt, ut vel hinc appareat, quid adhuc deſit iis ad intellectum V. & N. T. qui Græcas literas ad unguem etiam callent. Hic enim multa videbunt ex quibus ſe non expedient ſine Ebraicarum literarum cognitione. Quid verò de iis dicendum, qui neutram callent? Optimè de iis dicetur quod Druſius ſe puerum Cantabrigiæ aliquando audiviſſe mihi narravit, *Eos eſſe doctores à docendo, ut montes à movendo.*

Bene erit animo] ייטב לב. LXX. ad verbum, ἀγαθυνθήσεται ἡ καρδία: bonificabitur. i. ubi triſtis eſt vultus vel ob res externas vel ex interna peccatorum agnitione bene habebit ſe animus. Alii referunt triſtitiam vultus ad reprehendentem, & ſeveritatem intelligunt, ſi ſeveriore in eum vultu utatur, efficiet ut cor ejus bene ſe habeat.

4. Ad quartum ſic addit Chald. *Comedunt & bibunt & deliciantur & non revolvunt ad cor ſuum afflictionem fratris ſui.*

5. *Præſtat audire increpationem ſapientis, quam ut quis audiat canticum ſtultorum.*

6. *Nam qualis eſt vox ſpinarum ſub ollâ, talis eſt riſus ſtulti: Et etiam hoc eſt vanitas.*

Quia fecerat mentionem ſapientum & ſtultorum, elegantem ſubdit ſententiam de amplectenda ſapientum doctrina & ſalubri admonitione: at ſtultorum conſortio & blanditiis vitandis.

Quam ut quis audiat] Ad verb. *quam vir audiens,* mutat orationis formam. Dicendum fuiſſet מִשְּׁמֹעַ. Porro hæc ſententia gemina eſt iſti quæ eſt Prov. 27. quæ ſic habet ad verbum, *Fidelia ſunt vulnera amici & blanda* (*ſimulata, non fida*) *ſunt oſcula oſoris.*

Increpationem] גָּעַר cum ג ſign. *increpare, objurgare,* alias *perdere, corrumpere.*

6. *Magnus eſt ſpinarum ſub olla ſtrepitus, ſed cito tranſit; ſic &c.*] Eâdem ſimilitudine impiorum exitium etiam Pſalmographus exprimit Pſ. 58. 10. Hebræi in Midras, citante Mercero, ſic exponunt, Spinæ ſub olla ardentes vehementem & ſonorum edunt ſtrepitum, quaſi oſtendere velint ſe eſſe etiam ex numerò lignorum, ſic & impii altùm ſonant & ſeſquipedalia

lia verba promunt, quaſi etiam aliquo loco eſſent, ſed qualis eſt exitus ſpinarum, talis & ſtultorum. Per *ſtultum* intellige impium, improbum, μοχθηρόν. Hoc ſupra notavimus, præcipuè verò & ex profeſſo egimus de hac voce ad verſ. 13. cap. 2.

Spinarum ſub olla] Inimitabilis eſt elegantia in amphibolia vocum סִיר & סִירִים. Sic & alias videas in eodem verſu Scripturam ſæpe uti eadem voce in diverſâ ſignificatione. Tales quoſdam verſus recenſet AbenEzra ad verſ. 23. cap. 2. Joëlis. Inter alios & hos duos: primus Jud. 10. 46. *Et fuerunt ei* (Jairo) xxx. *filii inequitantes* xxx. עֲיָרִים *pullis*, *& erant ipſis* xxx. עֲיָרִים *urbes*, πόλεις. Ubi & hoc notatu dignum Lxx. etiam hic aliquomodo iſtam amphiboliam exæquaſſe, dum ſic vertunt, Καὶ ἐγένοντο αὐτῷ τριάκοντα (καὶ δύο abeſt à quibuſdam Cod. & rectè) υἱοὶ ἐπιβεβηκότες ἐπὶ τριάκοντα πώλους καὶ τριάκοντα πόλεις αὐτοῖς. Porrò tamen obſervate illud עֲיָרִים quod *pullos* ſignificat πώλους venire à ſing. עַיִר. Alterum vero quod urbes πόλεις, à ſing. עִיר quod in plur. & עָרִים & עֲיָרִים facit.

Alter locus eſt Joël. 2. 23. *Dabit vobis* מוֹרֶה *doctorem juſtitiæ & demittet vobis* גֶּשֶׁם מוֹרֶה *pluviam tempeſtivam &* מַלְקוֹשׁ *ſerotinam.* Addit & locum Jud. 15. 16. ubi committitur talis amphibolia in voce חֲמוֹר quæ in eodem verſu & *aſinum* & *acervum* ſignificat. Cætera vide illic, ſi habes, & ſi intelligis.

7. *Nam oppreſſio inſanire facit ſapientem: & perdit cor liberale.*

Hæc videtur eſſe ratio connexionis. Quia de ſtultis dixerat vitandas eorum blanditias & quantumvis amœnum & ſuave vitæ genus quod cum aliorum oppreſſione conjunctum eſt, ſubdit, Propterea te planè à toto vitæ genere ſtultorum revocatum velim, quia ſi illos ſectabere, iniquus quæſtus quem illi ſectantur, ut placidius vivant, etiam ſapientem inſanum & efficient & corruptela mentem perdet. Sic Mercerus. Kimchius & alii aliter. Vide Mercerum. Sunt qui כִּי per *ſanè certe* reddunt & nullam hic eſſe connexionem volunt, ut ſolet fieri iſtis locis, ubi ſententiæ & proverbia congeruntur.

Oppreſſio] עֹשֶׁק. id eſt *opes*, *vi*, *calumnia aliiſque malis artibus congeſta.* Aut ſi connexionem non curas, *Oppreſſio* i. calumnia. Eſt affinitas quædam inter hoc & גָּזֵל. גָּזַל extra controverſiam ſignificat *vi eripere*, *deprædari*: עָשַׁק juxta quoſdam, *ſurripere*, *occulta fraude.* Unde etiam AbenEzra, גזל *eſt vi aperta rapere, aut capere quippiam*, עָשַׁק *verò occulta fraude, per calumniam.* Alii putant עָשַׁק eſſe generale ad oppreſſionem fraudulentam & apertam. Et ſic Kimchi alicubi dicit, *Sine dubio ſub* עשק *comprehenditur* גְּזֵלָה. גְּזֵלָה *verò ſemper apertam vim ſignificat.* Vide Jirm. 22. 3. *Et eripite* גָּזוּל *e manu* עוֹשֵׁק. Ergo עֹשֶׁק hoc loco *oppreſſionem* ſignificat quamvis ſive apertam ſeu fraudulentam, per calumniam & alias artes, unde per *calumniam* ab Hier. communiter vertitur. Lxx. hoc loco etiam συκοφαντία verterunt.

Et corrumpit cor doni] i. cor munificum & liberale. Hoc videntur voluiſſe Lxx: καρδίαν τῆς εὐγενείας αὐτοῦ. Alii & מתנה i. donum vel corruptela Metonymicè corrumpit cor. i. animum, ut Deut. 16. 19. *Munus excæcat oculos ſapientum.* At ibi eſt שֹׁחַד. Et hoc ſecutus eſt Mercerus, licet מַתָּנָה ſit fœm. & יְאַבֵּד maſculinum. Subaudiri poteſt דָּבָר negotium doni. Ubi tamen obſervetur ſæpe in textu Maſc. jungi cum Fœm. & contra, quæ tamen Ebræi ſic conciliant ut ſubaudiant aliquid aut ut ponant pro eo ſynonymum. Sic hoc loco pro מתנה poſſit intelligi מתן quod idem eſt. Illuſtrabo hoc egregio exemplo. Digladiantur interpretes de loco iſto Gen. 4. 5. ubi Deus dicit Caino, *Quare ceciderunt vultus tui? Nonne ſi bene feceris erit* שאת. i. *elatio* ſubaudi vultus? *Et ſi non benefeceris ad oſtium peccatum cubat?* חטאת רובץ *& ad te erit* תשוקתו *appetitus ejus & tu dominaberis ei.* Diſputant hic de duobus, primò quid ſit illud שְׂאֵת. Deinde quorſum pertineant duo illa affixa Maſc. in בו & תְּשׁוּקָתוֹ. Primum quod attinet, relictis omnibus aliis præfero eam ſententiam qua שְׂאֵת poſitum erit pro nomine ut Latinis, *Scire tuum nihil eſt* utque exponatur *elevatio*, ſubaudita voce פָּנִים, *elevatio faciei* ut, opponatur ei quod præceſſit, *cur ceciderunt vultus tui?* Secundum quod attinet, Ordo verborum & omnia ſuadent referenda ea eſſe ad proximè præcedens חַטָּאת. Sed quidam ex Theologis noſtris veriti ne ſic ſtabiliretur liberum arbitrium, hoc rejecerunt hâc præcipuè de cauſa, quod illa affixa ſint Maſc. nomen חַטָּאת vero Fœm. At hi non obſervarunt eodem loco nomen חַטָּאת conſtrui cum Maſc. participio רֹבֵץ quod maximè obſervari debuiſſet. Sed quare nomen Fœm. conſtructum hic cum Maſcul. part. & affixis Maſc.? Hic Ebræi egregiè ſe expediunt, dum dicunt aut חַטָּאת hic poſitum pro ſynonymo חֵטְא, aut ſubaudiendum עֹנֶשׁ pœna peccati, quorum utrumque eſt Maſc. Prioris modi exemplum habes & paulò ante, ubi Deus dicitur *hominem collocaſſe in* גַּן עֵדֶן לְעָבְדָהּ. Hic eſt affixum fœm. Ebræi dicunt hoc factum reſpectu ſynonymi גִּנָּה. Porro hâc expoſitione nondum ſtabiliri liberum arbitrium, docebit te Mercerus in ſuis commentariis ad Geneſin, quem adi ſis. Non pœnitebit. Verum Chaldæus aliter adhuc exponit. Per appoſitionem ſcilicet, *Et corrumpit* (*ſapientiam*) *cordis donum cælitus datum* ubi ante לֵב ſubaudit חכמה ut ſit חָכְמַת לֵב.

8. *Melior eſt finis rei initio ejus: melior longus ſpiritu quam elatus ſpiritu.*

Ex poſteriori membro deducitur porro hæc ſententia,

9. *Ne feſtines in ſpiritu tuo ad ſuccenſendum, quia ira in ſinu ſtultorum quieſcit.*

8. Poteſt referri ad id quod prius dixerat *potiorem eſſe diem mortis die ortus*; ut hoc tanquam generale ſubjungat. Sed latiſſimè patet hæc ſententia & ſapientem admonet, ut rei ſemper exitum ſpectet, nec tam initia rei conſideret quam extrema. Convenit cum Vulg. *Finis coronat opus.*

Initio ejus] רֵאשִׁית eſt dignitatis & temporis. Hic eſt temporis. Dignitatis alibi & præſtantiæ Amos 6. 6. *Qui bibunt in phialis vinum* וראשית שמנים *& præſtantiſſimis unguentis ungunt ſe.* Sic, *Initium ſapientiæ timor DOMINI* ראשית החכמה i. præſtantiſſima ſapientia.

Melior eſt longanimis] Sed *quid hoc habet affinitatis cum præcedenti membro?* rogat Mercerus. Reſpondet *habere maximam, quia qui ad iram præceps eſt, finem nunquam patienter expectabit, quod faciet homo lenis & manſuetus.*

Longanimis] ארך רוח longus ſpiritu. Ebræi dicunt רוח propriè eſſe illud, quod Græci vocant θυμοειδὲς, eam animæ partem quæ concupiſcentiæ & iræ ſubjacet. Porro אֶרֶךְ eſt nomen ſubſtantivum & adjectivum ſignificans *longitudinem & longum*, Talia ſunt עֵד teſtis & teſtimonium, צַר anguſtia & oppreſſor. שָׁלוֹם pax & tranquillus, & juxta quoſdam צֶדֶק juſtitia & juſtus. Alibi hoc dicitur ארך אַפַּיִם Longus irarum.

Quam elatus ſpiritu] גְּבַהּ רוּחַ. Dicendum fuiſſet קְצַר רוּחַ vel אַפַּיִם. Sed res eodem redit. Nam elatio & ſuperbia cauſa eſt & foris contentionis iræque. Lxx. ad verbum ὑψηλὸν πνεύματι vertunt. Symm. ὑψηλοκάρδιον. Porro, גְּבַהּ eſt conſtructum ab abſoluto גָּבֹהַּ, Regimen גְּבוֹהַּ & per Craſin גְּבַהּ.

9. *Ne feſtines iraſci*] ſupra verſ. 3. conceſſit iram ſed bonam, quâ quis alterum peccati arguit & externè ſe oſtendit ei infenſum, quum internè bene cupiat.

Spiritu tuo] ea ſcilicet animæ facultate, in quam ira cadit.

Nam ira in ſinu &c.] Eſt quidem ſuo tempore in ſapientibus ira, at in ſtultis. i. improbis & perverſis hominibus ſemper. Hoc vult cum dicit *in ſinu quieſcit.* Utraque vox habet Emphaſin. *Quieſcere* ſtylo Scripturæ ſign. diutius reſidere, perdurare. Et vox חֵיק pro interioribus.

10. *Ne dixeris, Quid eſt quod dies priores fuerunt meliores iſtis? Quia non ex ſapientia interrogaveris ſuper hoc.*

Curioſitatem hic coarguit. Q. d. noli rogare cur ſæcula priora ſynceriores & meliores habuerint homines. Non eſt hoc ſapientis ſed curioſi. Tu noli angi animi propterea nec diſcruciari; relinque hoc Deo, tu præſenti ſtatu contentus eſto & operam da, ut tu piè vivas, nec ita offendaris mundi iniquitate ut locum tuum deſeras. Vult itaque tranquillè & patienter vivendum.

Iſtis] In quibus jam vivis.

Meliores] Vel feliciores, quod vel de externa felicitate vel de virtute, pietateque intelligere poſſumus vel de utroque.

Ex ſapientia] i. בְּחָכְמָה ſapienter. Ideò Symm. οὐ γὰρ φρονίμως.

Meliores] *Mallem referre tantùm ad externam felicitatem, cur prioribus ſæculis melius fuerit, ut juſtis tempore Davidis Joſuæ & aliorum*, inquit R. Salo. Sed quod ſequitur in ipſo, *noli mirari* כי הכל לפי זכות הדורות, *Omnia enim juxta meritum cujuſque ſæculi fiunt*, Judaiſmum ſapit.

11. *Bona eſt ſapientia cum hæreditate & emolumento eſt videntibus ſolem.*

12. *Quia umbrâ ſapientiæ & umbrâ pecuniæ* (obumbratur homo:) *ſed excellentia ſcientiæ eſt hæc quod ſapientia in vita conſervat dominos ſuos.*

Septimum proponit medium. Sapientia per ſe bona eſt & incomparabile donum, ſed ſi divitiæ adſint plus adhuc prodeſſe poteſt. Hieron. *Majoris gloriæ eſt ſapiens cum divitiis quam ſapiens tantum.* Alii ſapientia indigent, alii opibus. Jam qui ſapiens eſt & non dives, poteſt quidem docere quod bonum eſt, ſed interdum non poteſt præſtare quod petitur.

Emolumento eſt] talis ſc. ſapientiam יֹתֵר pro יִתְרוֹן. Aut יֹתֵר.

i. plus

i. plus ſc. prodeſt hominibus quam ſi ſola eſſet. Mercerus putat poſſe etiam intelligi ſic, ut hic tria conjungantur, ſapientia, divitiæ & longa vita, ſed tertium ſine contortione adjungi nequit.

Videntibus ſolem] i. viventibus. i. hominibus. Ita enim cum reſtrictione multa generalia reſtringi debent. Sic *Prædicate Euangelium omni creaturæ* &c.

Quia in umbra &c.] Supplent *requieſcit* homo. Sic Pagn. R. Abr. AbenEzra חֹסֶה confidit, ſperat homo. Piſc. *Obumbratur homo.* Eleganter, ut ſit Ellipſis verbi conjugati צלל כי בצל הכסף וגו' צלל האד'. Atque hoc etiam eleganter Symmachus aſſecutus eſt, σκέπῃ σοφία ὡς σκέπῃ τὸ ἀργύριον. Tegit, obtegit ſapientia &c. Umbræ enim eſt obtegere vel protegere hominem ab æſtu ſolis, ſic ſapientiæ & divitiarum à periculis & moleſtiis. De divitiis enim ſic Salom. Prov. 13. כופר נפש איש עשרו *Redemptio animæ viri divitiæ ejus.* Et alibi, *Divitiæ divitis ſunt ei tanquam urbs munita.* Alii, ut ſupra dixi, ſub. *confidit homo.* Certè hinc מָמוֹן *divitiæ* vocantur, quæ vox bis occurrit in N. T. Luc. 16. & Matth. 6. ab אָמַן ſcilicet quod in Hiphil, *credidit, confidit.* Vide Druſ. ad voces Ebr. N. T. R. Sal. ſic intelligit, *quia quicunque eſt in umbra ſapientiæ eſt etiam in umbra divitiarum, nam per ſapientiam facilè ſibi opes comparabit. Nam ut eſt Prov. 3. ad lævam ſapientiæ ſunt divitiæ, ad dextram vitæ.* Chald. poſterius illud כֶּסֶף paullò aliter accipit, *Quemadmodum vir cuſtoditur in umbra ſapientiæ, ſic cuſtoditur in umbra argenti quando facit ex eo Eleemoſynam.* Poſtremo Junius & Trem. *Quia alii in umbra ſapientiæ alii in umbra pecuniæ &c.* Priores ſenſus magis placent. Tum quia non tam multa ſupplentur: tum quia illud ב duplicatum, ut alibi כ, notare plenam ſimilitudinem videtur. Ac ſi diceres, tam in umbra ſapientiæ quam in umbra divitiarum requieſcit homo. Sic Hoſ. 13. כִּי בִי בְעֶזְרֶךָ quod exponunt אֲנִי בְעֶזְרֶךָ *Ego ero in auxilium tuum*: & כִּי עֶזְרְךָ *auxilium tuum in me.* Simile eſt Job. 18. 8. De duplici Caph pleni ſunt libri. Atque hactenus de variis expoſitionibus aut potius ſuppletionibus hujus Ellipſeos. Sequitur alterum hemiſtichium.

Sed excellentia &c.] Sic verti ob accentum qui ſuper דַּעַת quem ſi negligere audes, ſic lege, ſed excellentia cognitionis ſapientiæ *hæc eſt quod* in vita &c. In prima expoſitione poſterius illud, הַחָכְמָה ponitur pro ſynonymo דעת & valet ac ſi eſſet pronomen הִיא quod ipſa in vitâ &c. Chald. accepit יִתְרוֹן pro יֹתֵר *amplius* vel *augmentum*, nam ſic habet, *ſed augmentum cognitionis ſapientiæ* &c.

Vivificabit]. תְּחַיֶּה .חָיָה in Piel חִיָּה tam *in vita conſervare* quam *vivificare* ſignificat. Sic Abraham ad uxorem, *Dic te ſororem meam &c. alias me occident*, ואתך יחיו *te in vita conſervabunt.* Joſ. 9. החיה אותם *in vita eos conſervando.* Alias *inſtaurare* ſignificat & dicitur de urbe יחיה שאר העיר, *Inſtaurabit reliquum urbis.*

Dominos ſuos] vel poſſeſſores ſuos, vel præditos ſc. Sic enim illud בַּעַל ſæpe exponendum, ut cum avis vocatur בעל כנף *præditum ala.* i. alatum. Ergo בעל החכמה erit locutio ut בעל נפש *præditus concupiſcentia*, guloſus. in Proverb. *Quod antea a nobis allatum fuit ad oſtendendum vocem נפש concupiſcentiam & appetitum ſignificare. בעל שער piloſus 2 Reg. 1. 8. בעל קרנים Dan. 8. 6. *aries.* בעל חלמות Gen. 37. בעל אף Prov. 22. 24. בעל חוב. בעלת אוב Πυθωνιοσα, ἐγγαστρίμυθος. Rabb. בעל אריך. תורה שבעל פה. בעלי כברת Sic Scindl. Ego malim שבעל

13. *Vide opus Dei: Quis enim poteſt corrigere quod ille pervertit.*

14. *In die boni eſto in bono, in die verò mali vide. Etiam hunc e regione iſtius fecit Dominus, eam ob cauſam ne inveniret homo poſt ſe quippiam.*

15. *Omnia hæc vidi in diebus vanitatis meæ: Eſt juſtus qui perit in juſtitia ſua, & eſt impius qui prorogat* (dies ſuos) *in improbitate ſua.*

15. Ponit medium IX. *Vide.* i. conſidera quæcunque facit, aut vide omnipotentiam ejus.

Quis poterit corrigere &c.] Alii, *quis poteſt corrigere quem ille pervertit.* Priori modo ſi accipias, aut ad Deum aut hominem refertur. Si ad Deum, ſenſus erit, Quid obmurmuras Deo? quo fructu? quid proderis tibi? quis diriget vel corriget quod ille pervertere decrevit? Et ſic cohærebit cum prioribus. Dixerat ſapientiam eſſe bonam cum hæreditate, ſed ſi alicui ſapientia ſola contingat, non cruciabit ſemetipſum propterea; quis corriget & diriget quod ille ſic aut ſic factum voluit. R. Salo. eodem modo legit ſed ad hominem, non ad Deum refert, q. d. *quis (poſt hanc vitam, poſtquam mortuus eſt) poterit corrigere quod pervertit (ipſemet in vita hac?)* Et quod præcedit ראה מעשה אלהים ſic exponit, *conſidera hoc opus Dei, quomodo Paradiſum & Gehennam pro ratione operum humanorum ſtatuerit.* Et ſic expoſuit verſ. 15. cap. 1. *Et perverſum non poteſt corrigi.* Vide illic.

Qui altero modo legunt, *quis poteſt corrigere quem ille pervertit*, referunt quidem ad Deum, ſed in expoſitione eunt quoque in duas diverſas ſententias. Mercerus ait quoſdam ſic velle, *Quis poterit corrigere quem pervertit Deus, quem Deus ad peccandum impulerit; Ego certe ſic loqui non auderem.* Probabiliſſima eſt ſententia & expoſitio ſecunda quam erui ex Chaldæo, quamque à Mercero miror omiſſam aut ſpretam. Sic enim ille, *Contemplare opus Dei & fortitudinem ejus, qui fecit cæcum & claudum, ut ſint mirabilia in ſæculo: quis enim eſt qui poterit corrigere unum ex iis niſi DOMINUS mundi qui creavit eum?* Mantiſſæ loco ſit ea Paraphraſis quæ eſt in Midras. Vide Hieron. de S. fide pag. 62.

Pervertit] vel curvavit. עִוְּתוֹ *pervertit eum* vel *illud.* Pleonaſmus Ebr.

Corrigere] לְתַקֵּן. Sign. propriè *corrigere, aptare, emendare, dirigere, rectificare.*

Quis poterit] i. Nemo poterit. Vox מִי *quis* duos inſignes habet in S. L. uſus. Primo notat impoſſibilitatem ut hoc loco. Sic in N. T. *Quis nos ſeparabit a charitate Dei?* 2. *Quis* aliquando ſignificat raritatem & difficultatem, *Mulierem* (bonam) *quis inveniat?* q. d. difficulter inveniri poteſt. Sirach. 16. *Sapientia Dei cui eſt retecta?* i. paucis admodum. Sic, *Brachium DOMINI cui revelatum eſt? Dies ſæculi quis numerabit?* &c. Vide Druſium in Sirach.

14. *In die boni*] Quia voluntati Dei non reſiſtitur in die boni (i. rebus ſecundis) fruere bono: & in rebus adverſis. Vide, aſpice illud cum patientia. Vel *vide* conſidera cauſam ſc. Dei ſapientiſſimam gubernationem qui quos caſtigat in bonum ipſorum caſtigat. Vel, *diem mali vide* i. perpende, quando omnia tibi ex voto ſuccedunt, cogita de die mali, poſſe facile res tuas immutari. Nam hunc *diem* malum fecit Deus e regione ejus *diei mali*, eò ut non inveniret homo quicquam אַחֲרָיו poſt ſe, quid futurum ſit ut lateat ipſum ſemper ſtatus futurus, ne intumeſcat rebus ſecundis, cogitans poſſe ſuccedere adverſas, neve deſpondeat rebus adverſis, cogitans poſſe ſuccedere ſecundas. Alii, Deus bona & mala ita temperavit erga malos & bonos ut nemo quippiam invenire poſſit אַחֲרָיו poſt eum ſc. Deum, quod poſſit objicere. Prius magis placet. Jun. *Deus omnia bona & mala compenſat & librat juſtiſſima trutina ſapientiæ ſuæ. Idque arcano conſilio & ratione, quam non poteſt quiſquam mortalium aſſequi.*

15. *Omnia hæc vidi &c.*] & inter alia quoque hæc,

Juſtus perit] *Juſtus.* i. vir bonus. *Perit*, moritur, perit reſpectu compoſiti. Hoc patet ex antitheſi *prolongat* dies. Sic accipitur אֹבֵד Jeſ. 57. *Juſtus perit & nemo apponit ad cor.* Perit tantum ætati ſuæ, non Deo, aut ſibi. Paulo aliter ſumitur Deut. 26. *Syrus pater meus* אֹבֵד *peribat* vel *periens*, vel *periens Syrus erat pater meus.* i. miſer Syrus qui ad paupertatem redigebatur. Sic & Belgæ uſurpant. Sic ſumitur Pro. 30. *Date ſiceram pereunti*, non morituro & jam ſupplicio deſtinato, ſed tali cujus res ſunt deſperatæ, qui ad incitas redactus eſt, ad paupertatem. Aliter ſumitur & magis propriè in eo Job. 4. *Cogita quis fuerit innocens qui perierit*, ſibi aut Deo aut interierit. Sic enim Plautus, *Qui per virtutem perit non interit.*

Eſt juſtus] יש ſignificat id quod ſit לפרקים מעטים nonnullis temporibus, non ordinarie, quod aliquando fit.

In juſtitia ſua] Propter juſtitiam ſuam. Sic בחמשה propter quinque. Videas ei ſuam juſtitiam fraudi eſſe. Sed propter Antitheſin בריעתו mallem ſimpliciter accipere in vita ſua juſta, dum juſte i. benè & piè vivit. Alii *juſtum* hic accipiunt pro ſeveriori juſtitiæ exactore quod ſæpe cauſa necis ipſi eſt. Sed & hoc Antitheſis refellit.

Prolongat] מַאֲרִיךְ ſub. dies. lxx. μένων. Aq. μακρύνων. Alii μακρύνεται. Porro Chaldæus ſic exponit in Paraphraſi hunc verſum. *Omnia vidi in diebus vanitatis meæ, quod a conſpectu DOMINI decernuntur bona & mala, ut ſint in mundo: quoniam innocens perit in innocentia ſua in ſæculo hoc & meritum ejus aſſervatur ei in ſeculum futurum: Eſtque vir prolongans dies in peccatis ſuis & computatio operum ejus malorum cuſtoditur ei ad ſeculum futurum, ut puniatur in die judicii magni.*

16. *Ne ſis juſtus nimium & ne ſis ſapiens nimium; ut quid obſtupeſces?*

17. *Ne ſis impius nimium & ne ſis ſtultus: ut quid morieris non in tempore tuo?*

Virtus in aureâ illa mediocritate conſiſtit, vetus verbum eſt, à qua ſi vel dextram vel ſiniſtram verſus deflexeris, impingis in

vitia. Nam in medio duorum vitiorum conſiſtit, ut ſæpe obſcura ſit ejus agnitio, *ἐπιδικάζουσι γὰρ οἱ ἄκροι τῆς μέσης χώρας*, ait Philoſophus. Horat. *Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum.* Juſtus nimium nemo eſſe poteſt, ſed quia extremo ſæpe carent nominibus propriis, impropriè nomen medii extremo tribuitur. Vide Πεντηκοντάρχῳ Ramirez de Prado cap. x. *Modus ergo ſervandus* ait (a) Druſius: Pietas nimia in ſuperſtitionem degenerat &c. Author verſionis Chaldaicæ de judicibus intelligit, qui clementiæ ſpecie juſtos in judico abſolvunt. Sed vereor ne vox צדיק illud admittat. Aben Ezra refert ad eos, qui jejunio corpus macerant & totos dies in oratione conſumunt, reliquam quæ ad pietatem pertinent negligentes. Sed propriè videtur ſumi ſi accipiatur de eo, qui leges ità ſervat, ut nullam habeat rationem publici boni.

Ne ſis nimium ſapiens] Et hic ſervanda mediocritas quæ eſt inter nimium & parum. Idem cum illo, *Noli altum ſapere.* In eos dictum qui res divinas tractant curioſius quam par. Poſſet optimè de iis dici, qui de Prædeſtinatione & annexis diſputant, ac ſi totam ætatem in cœlo triviſſent, &, ut proverbium habet, ſcirent quid Jupiter Junoni in aurem dixerit. Aut, ne *ſis nimium ſapiens* ſub. in oculis tuis, Prov. 2. 1. 2. *quæ opinio multos peſſundedit*, ait Druſius. *Multi*, ait Quintil. *ad culmen eruditionis pervenirent, niſi ſe jam ad illud perveniſſe putarent.* Et ſic poſſet exponi verſus uterque, *Ne ſis juſtus nimium tibi & ne ſis ſapiens nimium tibi.* Hoc enim eſt ſuperbi. *Ne ſis improbus nimium & ſtultus* ſc. in oculis tuis, hoc enim eſt deſperantis. Vide Trem. & Jun.

Nimium] הרבה. ſub. יותר magis quam oportet.

Ut quid obſtupeſces?] cur obſtupeſces vel ad ſtuporem adduceteris præ nimia ſapientia. Stupor itaque ſapientiæ opponitur. תִּשּׁוֹמֵם eſt hithphaël pro תִּשְׁתּוֹמֵם ut alibi תִּבּוֹנָן pro תִּתְבּוֹנָן, aut, ut Abenezra, erit Niphal, & Cholem pro Camets.

17. Non vult hoc verſu licere vel tantillum alicui eſſe injuſto, ſed hoc vult, ut te docui non nimis eſſe juſtum, ſic etiam moneo, ne nimium a juſtitia & jure recedas, ut in omne flagitiorum & impietatis genus ruas.

Nec ſis ſtultus] ſub. יותר ex antitheſi ſuperioris verſus. Id eſt, ne te plane dedas ſtultitiæ ruptis habenis. Homines efficere non poſſunt, quin peccent & aliquando ſtulteſcant, ut poſtea dicet, at cavendum ne peccato habenas laxes & totus in ſtultitiam feraris præceps. At quia יַרְשִׁיעַ in Hiphil ſignificat *turbare, inquietare*, ut Job. 34. 29. ſunt qui putant in Kal poſſe ſignificare *inquietari, turbari, commoveri*, & proinde hunc locum ſic poſſe exponi, Ne nimium commoveare negotiis hujus ſæculi, ne nimius & immodicus eſto in iis, atque hinc lucem haberet verſus præcedens, *Noli eſſe nimis juſtus* i. noli te nimium aut plane avertere a negotiis mundi, ſed mediam tene viam. Sed ut de hoc dubito, ita non dubito quin רְשָׁעִים dicti ſint à ſignificatione τῷ יַרְשִׁיעַ in Hiphil, eoſque ſic dictos quod ſemper irrequieto & turbulento ſint animo, dum occultum ſemper geſtant in pectore teſtem.

Ut quid morieris in non tempore tuo?] Cor in omne ſcelus ruens mortem tibi acceleraret, nam improborum dies decurtabuntur. Vel in manus magiſtratus incides, ut tandem ſupplicio afficiaris.

18. *Bonum eſt ut apprehendas iſtud & etiam ab hoc ne remittas manum tuam; qui enim timet Deum egredietur omnibus his.*

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum, ait Horatius. Medium ergo tene, bonumque erit ut ita apprehendas

Iſtud] ſc. extremum unum, ut ab hoc i. altero extremo manum ne ſubtrahas, nonnihil de nimia ſeveritate & nonnihil de injuſtitia, vel eo quod ejus ſpeciem habet, remittendo.

Qui enim timet Deum] At hoc difficile eſt, inquiat aliquis. Reſpondet, qui Deum timet ſe hic bene expediet.

Egredietur omnibus iſtis] vel *omnia iſta.* Sic, *Egredi urbem & urbe.* Alii, *cum omnibus iſtis.* Tremellius & Junius cujus expoſitionem ſupra recenſuimus ad verſ. 16. & 17. ſic intelligunt hunc. *Bonum eſt ut apprehendas iſtud unum præceptum, ne ſis nimium juſtus &c. Et etiam ab altero, ne ſis injuſtus nimium, ne* &c. Non diſplicet. In aliis Edit. ſic, *Melius eſt ut prehendas hoc*, quod vid. jam dicturus ſum *& ab hoc ipſo non retrahas manum. Reverentem Dei exire ex omnibus iſtis.* i. liberum eſſe ab omnibus illis vanis curis.

19. *Sapientia roborat ſapientem plus quam decem principes in civitate.*

Commendat hic XI loco ſapientiæ ſtudium tanquam unum ex mediis ad obtinendam veram felicitatem hujus vitæ. Sunt qui per Parentheſin interjectum putant. Ego mallem ob continuationem ſermonis cum Jun. & Trem. referre ad præcedentem doctrinam. Et verterem, *Hæc ſapientia.* Dicit enim cum articulo הַחָכְמָה.

Roborat ſapientem] תָּעֹז לֶחָכָם. Sic עז hoc loco erit tranſitivum. Et tunc ל erit pro את, ut alibi ויהרגו לאבנר occiderunt Abnerum. Vide Kimc. Michlol. Sic Pſ. 34. *nec dextera eorum* הושיעה למו *ſalutem attulit ipſis.* Jun. tamen & Trem. *robur confert ſapienti*, ſervato proprio uſu τῷ ל. Sic R. Jona. At R. Jehuda vult ut ſit intranſitivum.

Decem principes] Id eſt *multos.* S. Sal. tamen ad decem impios Reges refert, qui ante Joſiam fuerunt. Chald. *Sapientia auxiliabitur ſapienti qui ſubegerit concupiſcentiam ſuam malam ut non peccet, magis quam decem imperatores qui ſunt in civitate.*

20. *Quamvis nullus ſit homo juſtus in terra qui faciat bonum & non peccet.*

Poſitis præceptis iſtis ſalubribus Pſ. 17. & 18. anticipat objectionem peccatoris titubantis ob peccata ſua. q. d. Si hæc omnia ita rigide non potes ſervare, noli deſperare &c.

Quamvis] Eb. כי. Sic ſumitur aliquando. R. David congeſſit in ſuo Michlol multa loca, in quibus ſic ſumitur. Sed omnia illa ferè poſſent aliter ſumi. Locus evidentiſſimus videtur eſſe iſte Joſ. 17. 18. *Tu expelles Cananæum* כי *quamvis habeant currus ferreos.* Alii vertunt, *Profecto* pro אף כי; ut incipiat nova ſententia. Alii, *Nam* in propria ſignificatione & conjungunt cum præcedentibus 17. & 18 verſibus, ut 19 ſit quaſi per Parentheſin interjectus. Noli eſſe nimium ſeverus nec nimis impius utere ἐπιεικείᾳ & æquitate, nemo enim non peccat. Alii ad verſ. 17. tantum referunt, Ne ſis nimium juſtus in oculis tuis &c. nemo enim juſtus. Priorem, quæ Tremellii eſt, hoc loco ſequor.

Juſtus] צדיק ſub. תמיד jugiter aut perfectè juſtus. Hinc quidam dictos putarunt *Sadducæos.* Theophyl. Σαδδουκαῖοι ἑρμηνεύονται δίκαιοι· οὐδὲ γὰρ δικαιοσύνη, δικαίους γὰρ ἑαυτοὺς ὠνόμαζον· ἢ ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὼκ ὀνομάζονται. Poſtrema ſententia vera eſt. In Lexico Juris Ebræorum, קראי צדוקים על שם צדוק. Ergò Saducæi ſcribere præſtat quam Sadducæi. 2 Sam. 8. Hoc nomen enim ſic ſcribitur צָדוֹק. Porro Sadoc iſte fuit diſcipulus Antigoni Sochæi, de quo ut & de tota ſecta vide Druſii librum de tribus ſectis Judæorum. Suidas alicubi: Σαδδουκαῖος ἀπὸ τόπου. Sed quis nobis dicet illum locum? Poſtremò notetur pro communi ſcriptura nominis *Sadducæus*, nomen צָדוֹק Ezech. 48. 11. & 43. 19. in codicib. Græcis ſcribi Σαδδούκ צדוק. Vide eundem Druſium cap. 1. lib. 3.

21. *Etiam omnibus verbis quæ dicuntur ne apponas cor tuum; ut non audias ſervum tuum maledicentem tibi.*

22. *Nam etiam vicibus multis novit cor tuum te quoque maledixiſſe aliis.*

Novum præceptum incipit numero XII.

Dicuntur] יְדַבֵּרוּ *loquuntur, dicunt*, ſc. qui dicunt. Vel homines i. dicuntur. Perſonale pro impersonali. Sic *nuntiavit Davidi. Imputavit ei ad juſtitiam* &c.

Ut non] Sic Lxx. ὅπως μὴ ἀκούσῃς.

22. *Nam etiam* &c.] Comprobat a ſimili quod quæ in nobis ferimus & alios ferre volumus æquum ſit & nos in aliis ferre.

Novit cor tuum] Lxx. ὅτι πλειστάκις πονηρεύσεταί σε καὶ καθόδους πολλὰς κακώσει καρδίαν σου. Duæ expoſitiones coaluerunt. πονηρεύσεται καρδίαν σου. Uterque legit ירע pro ידע.

23. *Omnia hæc tentavi in ſapientia; dixi, Sapiens ero & ipſa elongata erat à me.*

Ponit veluti Epilogum ſuperiorum ad novas vanitates tranſiturus & ſimul ponit XIII doctrinam.

Sapiens ſum] vel *ero.* Perſuadebam mihi me ſapientem eſſe at procul aberat. Quare?

24. *Remotum quicquid eſt imo profundiſſimum, quis inveniat?*

Dat rationem cur non potuerit adipiſci perfectam ſapientiam. Quia remota & abſtruſa eſt, imo profundiſſime latet. Talia autem difficulter aut nunquam inveniri poſſunt. De uſu part. מי diximus ſupra.

עָמֹק עָמֹק] *Profundum, profundum.* Periphraſis ſuperlativi, quem propriè non habent. Utuntur enim aut litera ב ut יפה בנשים *pulcherrima mulierum*, aut adverbio מְאֹד *valde*, aut duplicatione adjectivi. Porro *profundum* eſt hoc loco *abſtruſum.* Sic Pſ. 92. *Profundæ ſunt cogitationes tuæ. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1 Cor. 2. *O Profunditatem divitiarum* Rom. 11. ubi & obſervetur Hypallage Ebraica, ut *Beatitudines viri, viriditas herbæ.*

(a) *Prov. Claſ. 2. lib. 1. Pro. 301.*

Porro

Porro obſervandum Vulg. hæc מה שהיה רחוק conjungere cum præcedenti verſu, *Ipſa elongata eſt à me multo magis quam erat* ſc. anteà.

Ebræi referunt hæc ad arcana Legis, alii ad opera creationis.

25. *Circuivi ego & animus meus ut ſcirem & inveſtigarem & quærerem ſapientiam & rationem, & ut ſcirem improbitatem ſtultitiæ & ſtoliditatem (&) inſanias.*

26. *Et inveni rem amariorem morte, mulierem nempe quæ eſt (ut) retia & (cujus) cor eſt ut ſagena, (cujus) manus ſunt (ut) vincula: Bonus coram Deo liberatur ab ea, peccator vero capitur ea.*

Novam ponit experientiam & hinc deducit præceptum XIV.

Circuivi] Circumluſtravi oculo mentis.

Ego & animus meus] Primo ponit totum *Ego*, deinde partem *animus meus*. Sic ſolent Ebræi loqui, ſed obſervant hoc tantum in parte nobiliori. *Tota Judæa & Jeruſalem*, *Inſpicite totam terram & Jericho* Joſ. 2. 1. *Salomo amabat fœminas alienigenas multas & filiam Pharaonis*: *A manu hoſtium ejus & Saulis.* *Deſiderabantur è viris Davidis* XIX. *viri & Hazaël.* Sic etiam in aliis, *dicite diſcipulis & Petro.* Vide Druſ. ad N. Teſtam. Junius & Trem. *ex animo meo* ſupplent *ex* præter neceſſitatem. *Cor* pro *animo* alibi probatum eſt.

Et quærerem] וּבַקֵּשׁ pro וְלְבַקֵּשׁ.

Rationem] חֶשְׁבּוֹן propriè ſignificat *rationem inquiſitivam.* Cur ſic & ſic &c? Propriiſſimè ſignificare videtur *ſupputationem.* Et ſic utuntur Rabbini cum Arithmeticam vocant חכמת החשבון. i. *ſapientiam ſupputationis.* Sic enim ſolent omnes artes quaſi περιφράζειν. Sic eandem artem vocant חכ' המספר. Sic חכמת הכוכבים *Aſtronomia.* חכמת האלהות *Theologia*, ח' חבור הנגונים *Muſica.* חכמה מדינית *Politica* &c. חכמת הנתוח *Anatomica.* Junius & Tr. *ratiocinium* vertunt. Poſſes dicere *reſolutionem* vel *definitionem.* Chal. *æſtimationem mercedis operum juſtorum.*

Impietatem ſtultitiæ] Stultitia, prout ſæpe in his libris uſurpatur pro impietate; ut antea notavimus. Erunt ergo ſynonyma, eritque locutio ἐν παραλλήλω, ut *Lutum cœni*, *Terra pulveris*, & ſi quæ ſunt ſimilia, vel *impietatem ſtultitiæ.* i. *ſtultam.* Vulg. *improbitatem ſtulti.* Aut legit כְּסִיל aut accepit כֶּסֶל pro concreto, vel Toar. Sic quidam accipunt צֶדֶק *juſtus & juſtitia.* Sed quemadmodum hæc exempla ſunt dubia, ſic extra controverſiam hæc, אָרֵךְ *longus & longitudo.*, עֵד *teſtis & teſtimonium*, צַר *anguſtia & oppreſſor*, שָׁלוֹם *pax & pacificus* &c.

Stoliditatem & inſanias] Quidam *fatuitatem erroris.* Sed quomodo hoc poteſt conſiſtere, cum הסכלות habeat articulum ה qui jungi non ſolet nominibus conſtructis. Ergo ſubaudio &c.

26. *Et inveni*] Cum ita animo omnia perluſtrarem, inveni hoc, nimirum *Mulierem eſſe amariorem morte.* Sunt ex Ebræis & noſtris Allegoriſtis, qui per hanc mulierem hæreſin intelligant & falſam doctrinam. Alii *Hevam.* Præſtat in genere accipere de muliere mala & meretrice.

Amariorem] מַר ſub. דבר *rem amaram præ morte.* Sic Hab. 1. *Immittam contra vos gentem amaram.* i. crudelem. Propriè opponitur dulci, hinc ad varia transfertur. Thema eſt מָרַר. Alibi uſurpatur & pro abſtracto, *amaritudo*, ut 1 Sam. 15. מר המות *amaritudo mortis.* Sic fœm. מָרָה & *amaram* & *amaritudinem* ſignificat.

Mulierem] ſub. malam. Datur enim & bona, licet rara ſit. *Qui invenit uxorem, invenit bonum & elicuit favorem à DOMINO*, uxorem ſc. bonam. אִשָּׁה ab אִישׁ, ut Latinis *vira* à *vir.* Quod ut hic obſervetur, nulla cogit neceſſitas. Tamen hoc obſervari debet ad locum Gen. 2. *Vocabitur* אשה כי מאיש לקחה. *Quoniam de* אִישׁ. i. *viro ſumpta eſt.* Vulg. *mulier quia de viro* &c. Sed quæ ratio etymologiæ inter *mulier* & *vir?* Neque acutiores hic fuerunt Lxx. ſi modo eorum eſt vulgata Græca, αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Symmachus hoc obſervavit ac proinde ut hoc exprimeret, finxit vocem Græcam ἀνδρὶς. Hunc ſecuti ex Latinis quidam finxerunt vocem itidem *viriſſa.* Pagninus, *virago* vertit Catachreſticè. Nam hæc vox propriè *ſtrenuam fœminam* ſignificat. Atque hoc ſecutus eſt etiam Trem. in primis Editionibus. Plerique ex his, imò etiam Lyra notarunt dicendum eſſe *vira*, ſi hoc pateretur Latinitas. Sed miror cur non tam hanc vocem finxerint, quam alteram *Viriſſa.* Verum hanc vocem eſſe Latinam Druſius 1 Quæſt. 19. primus eruit ex F. Pompeio. Sic enim ille, *Quas nos fœminas antiqui viras dixerunt, unde adhuc hodie permanent virgines & viragines.* Hoc ſecutus eſt poſtea Cl. Junius in ſuis notis & poſterioribus editionibus. Sic à *Puer Puera* dicebant Veteres.

Quæ eſt ut retia] Sub. כ notam ſimilitudinis. Sic *Catulus Leonis Juda* &c *nec excitatur claſſico miles gravi.* Horat. Pro *ut miles.* Vulg. ſingulariter vertit, *laqueus venatorum.* Lxx. θηρεύματα. à צוּד *venari*, unde מָצוֹד & מְצוֹד *rete.* צַיָּד *venator* & Rab. etiam *piſcator.* צַיִד *venatio.*

(Cujus) *cor* (ut) *ſagena*] וחרמים לבה pro ואשר כחרמים לבה. Deeſt אֲשֶׁר & nota ſimilitudinis. חֵרֶם cum ſex punctis & חֶרֶם cum quinque ſignificat *rem devotam* & *anathema.* חֵרֶם vero cum quinque punctis aliquando ſignificat *ſagenam.* Lxx καὶ σαγῆναι. Sunt qui dicunt cum v. punctis ſemper ſignificare *ſagenam*, ſed obſtat locus Num. 18.

(Ut) *vincula ſunt manus ejus*] vel *cujus manus ſunt ut vincula*, ut rurſus ſub. אֲשֶׁר. Jun. *In manibus ejus ſunt vincti.* Rurſus ſub. כ. אֲסוּרִים *vincula* à ſing. אֵסוּר. Hic אסורים אסום. Alii *ligatæ ſunt manus ejus*, ut ſit Paul Plur. Maſc. Nam יָד licet ſæpius ſit fœm. tamen commune eſt. Q. d. Niſi ligatæ eſſent quaſi ejus manus ſubjiceret virum, at jam ligatæ ſunt, ut non niſi volentes implicet. Sed mallem tunc ſequi Chaldæum, qui ſic habet, *Ligatæ ſunt manus ejus, ſic ut non faciant opus.* Ut à pigritia malitiam fœminæ exaggeret.

Bonus coram Deo] Ille quem Deo placebit eripere, vel qui inveniet gratiam in oculis Dei.

Liberabitur ab ea] Chald. *acceptus erit coram DOMINO vir ille, qui dimiſerit eam libello repudii.* בגט פורים *libello repudii liberaveritque ſe ab ea.* Quod Textus dicit ספר כריתות *liber repudii.* (*Repudium* enim iis כְּרִיתוּת dicitur. i. *reſciſſio* ſc. matrimonii) hoc Rabbini & Chald. dicunt גט à numero duodecim literarum, quibus plus minus libellus talis ſcribi ſolet ex antiquâ traditione, ג enim 3 & ט 9 denotat. Hoc quibuſdam placuit. At Elias Thisbites hoc rejicit, *Cur enim*, inquit, *non dici potuiſſet* & כט vel חר vel רח? Sed hoc infirmum. Firmius quod addit illud גֵּט etiam in aliis inſtrumentis forenſibus uſitatum fuiſſe, quæ tamen non requirebant illum duodenarium regularum numerum, utrum dicimus גט חוב *Chirographus* een ſchultbrieff.

27. *Vide, hoc inveni, dicit Eccleſiaſtes, Unum cum altero* (conferendo) *ut invenirem rationem* (ejus).

28. *Quod adhuc quærit anima mea nondum inveni, Hominem* (rectum) *unum inveni ex mille, at mulierum* (rectam) *ex omnibus illis non inveni.*

29. *Tantummodo, vide, hoc inveni, quod fecit Deus hominem rectum, at illi quæſiverunt cogitationes multas.*

Ulterius progreditur in argumento mulierum. Verum difficultas quædam in his verſibus eſt. Primum verſum ſunt qui referunt ad præcedentia. Ex meo judicio optimè. Incipit itaque de novo verſ. 28. exaggerare nequitiam fœminei ſexus à raritate virtutis. *Quod adhuc quærit anima* nimirum rectam mulierem *nondum inveni. Inveni quidem inter viros multos unum, bonum; at inter mulieres* &c. Hoc tantum inveni culpam hujus rei non eſſe aſcribendam Deo, ille enim &c. Hyperbole.

Alii jungunt verſ. 27. cum ſequentibus, *Hoc inveni.* i. *animo deprehendi, intellexi*, ait Mercerus, *unum ad alterum conferendo, quod diu quæſivi, at nondum inveni nimirum mulierem rectam.* Amplificat hoc per comparationem virorum.

Piſcator ſic jungit, *Vide hoc inveni unum ad alterum conferendo, ut invenirem rationem.* Nempe quod adhuc quæret anima mea, nec tamen inveni, Hominem quidem rectum ex omnibus, at mulierem nullam &c.

Brougthonus aliter accipit totum hunc locum, ut hic tantum probare intendat aſtutiam & profunditatem cordis muliebris, hoc modo, *Vide hoc inveni conferendo unum cum altero ad inveniendum cogitationem*, ut ad præcedentia referatur. Sed quod porro inquiſivi, anima mea non invenit nempe חֶשְׁבּוֹן vel חִשְּׁבוֹנוֹת *conceptum, cogitationes viri unius ex mille inveni, at cogitationes, ratiocinia fœminæ*, omnibus iſtis qualitatibus ſupra enumeratis inſtructis non inveni, ita imperſcrutabile eſt cor fœminæ. Junius eodem trahit, ſed ita obſcurus, ut in expoſitione iſtius verſionis Delio natatore opus ſit. Conſulite.

Dicit Eccleſiaſtes] אָמְרָה hic eſt fœm. Antea ſemper אָמַר ratione ſenſus. Hic habetur ratio terminationis. Sub. autem נפש aut חָכְמָה. Vide ad titulum libri.

Unum ad alterum] אחת לאחת ſub. *conferendo.* Alii *ſemel atque iterum*, & ſubaudiunt פְּעָמִים. Alii, *unum poſt alterum* ſc. verſando in animo.

Quærit anima mea] id eſt, ego quæro. Sic, *multi dicunt*

cunt anima mea. i. *mihi.* *Juro per animam meam ait DOMINUS* id eſt, *per me ipſum.* Sic Arabes utuntur pro נֶפֶשׁ ut חביב נפשה *amicus animæ ipſius*, id eſt, ipſe. Ideo etiam חביב eſt Maſculinum. Vide Synt. Erpenii.

Hominem] ſub. rectum, juxta primam interpretationem. Sic *Nomen* pro nomine bono, *lana* pro lana alba; *Qui invenit uxorem* ſc. bonam, & talia multa ſunt. Quod autem potius ſuppleo *rectum*, quam *bonum* aut tale quid, facit verſus ſequens. Porro אָדָם hic ponitur pro אִישׁ. Alias enim collectivum eſt. Sic in Gen. *homo & uxor ejus.* i. *vir* aut potius *Adam & uxor ejus. Adam* quatuor modis ſumitur, aut enim ſignificat *virum* tantùm aut *fœminam* tantum, aut *virum & fœminam* complectitur, aut denique κατ' ἐξοχὴν quandam *primum hominem.* Vide Druſii Notas ad Sulp. Severum.

At ſecundum interpret. aliam ante hoc nomen debet ſub. חֶשְׁבּוֹן *ratiocinium* aut מַחֲשָׁבוֹת.

Ex mille] Sc. hominibus. i. multis.

Ex omnibus illis] Sc. *mille.* Sunt qui Salomonem putant reſpexiſſe ad ſuas mille feminas. Habuit enim ſeptingentas principes fœminas & trecentas concubinas 1. Reg. 13. Ut ut ſit, erit hyperbole.

Juxta expoſit. alteram בְּכָל־אֵלֶּה pro עִם כָּל *cum omnibus illis* ſc. proprietatibus ſupra dictis, cujus cor eſt laqueus & manus vincula &c. Jun. *omnibus illis inſtructa.*

29. Hic verſus utrique ſententiæ poteſt aptari. Utro modo exponas, oſtendit aliquid in iis, quod malum eſt. Poſſet aliquis rogare, unde hoc malum? Occurrit iſti interrogationi & oſtendit, non eſſe à Deo ſed ab ipſiſmet.

Rectum] & in intellectu & voluntate, ad imaginem ſuam.

Sed ipſi] Homines. Alii ad Adamum & Evam tantum referunt. Alii qui liberum arbitrium hinc ſtabilire conantur de omnibus hominibus intelligunt. Mihi videtur optimè referri poſſe & ad primos parentes, & ad ſingulos ex poſteritate, ut tamen pro libero arbitrio nihil faciat. Sed de eo viderint queis talia curæ, τούτων ὀ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Cogitationes multas] Alienas ſcilicet à recto & bono ſeu à virtute. Quas poſuit, quia ſunt quaſi fons operum malorum.

30. *Quis ſimilis ſapienti & quis* (ſimilis) *noſcenti interpretationem rei? Sapientia hominis illuſtrat vultum ejus, & feritas vultus ejus mutabitur.*

Oſtendit quaſi ἐπιφωνηματικῶς incomparabilem ſapientis dignitatem, *Quis ſimilis ſapienti?* מי כהחכם. *Quis ſimilis* &c. ut מי כמך *Quis tibi ſimilis O DOMINUS.* Et tunc repete in ſeq. ומי כיודע *& quis ſimilis noſcenti* &c. q. d. nullus ſimilis eſt. Ebræi habent elegantem ſententiam, & argutam דיעה חסרת מה דנית דיעה קנית מה החסר *Sapientia cares, quid acquires? ſapientiam acquiſiviſti, qua re carebis?*

Sapientia illuſtrat] Commendat amplius ſapientiam, ab eo, quod, ut Aben. explicat, eum gratioſum reddat & favorem conciliat apud alios. Et ſic huic loco aliquo modo geminus videtur locus ille Prov. 16. באור פני מלך חיים. *In luce vultus Regis vita.* i. in favore Regis. Mercerus exponit ſic, *Oſtendit ei quæ agenda & fugienda ſint, ac ſi reſpiceret ad locum ſuperiorem, ſapiens oculos habet in capite, at ſtultus in tenebris ambulat.* Quid ſi, *Illuſtrat faciem* id eſt, oculos, per ſynecdochen? *Oculi* dicuntur *caligare* in fame, inedia & rebus adverſis. 1. Sam. 14 *Oculi Jonathæ* dicuntur *caligaſſe.* Huic contrarium *illuſtare oculos* erit delectare, reficere, hilarem reddere, vel cibo potuque, vel alio aliquo modo. Et ſic memini à Druſio expoſitum locum Prov. 29. 13. *Dives & pauper occurrerunt ſibi, illuminat oculos amborum DOMINUS.* i. reficit, cibat, vel hilarem reddit utrumque Deus. Pſ. 34. *Facies eorum illuminabuntur.* Hinc apud Lat. *Sereno vultu. Spem fronte ſerenat.* & Plin. *nubila animi ſerenat.*

Feritas] Ebr. עֹז robur. Sic Dan. 8. *ſurrexit Rex* עַז *robuſtus facie.* Et Deut. 28. *Gens robuſta facie.* Alias etiam laudem ſignificat Pſal. 8. *Ex ore puerorum & lactantium fundaſti tibi* עֹז. i. interp. Matthæo 21. 16. κατηρτίσω αἶνον. Sic Pſ. 29. *Date Deo* עֹז i. laudem.

Mutabitur] יְשֻׁנֶּא pro יְשֻׁנֶּה à שנה. Convenit cum eo Poetæ,

> —— *Ingenuas didiciſſe fideliter artes*
> *Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.*

LXX. quia per א ſcriptum verterunt, μισηθήσεται יְשֻׁנֵּא, καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισ. Ubi hoc obſerva præterea eos pro עֹז legiſſe עַז, quod tamen eadem ſignificatione expoſuerunt. Concludam hoc caput ſi addidero, primum membrum poſſe & aliter exponi, *Quis verè ſapiens* &c. כ enim duplex eſt Ebr. כף הדמיון ſimilitudinis & כף האמת. veritatis καὶ ἀληθινὸν, &

tunc in ſeq. repeti non debet. Sic accipies Hoſ. 4. *Populus meus* כמריבי כהן *ſicut contendentes cum ſacerdote.* i. Vere contendunt. & 5. כמסיגי גבול *ſicut transferentes terminum.* Joh. 1. *Vidimus gloriam ejus ὡς δόξαν μονογενοῦς.* i. δόξαν ἀληθῶς.

GROTIUS.

1. QUod velut umbra præterit] Pindarus, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος [*umbra homo*]. Vide 1 Paralip. XXIX. 15. Job VIII. 9.

2. *Melius eſt nomen bonum quàm unguenta pretioſa*] Eſt hic in Hebræo παρονομασία [*vocum alluſio*] vocum שם [*Schem*] & שמן [*Schemen*]. Eadem alluſio Cant. 1. 3.

Et dies mortis die nativitatis] Valerius Maximus II. 6. *Thracia verò illa natio meritò ſibi ſapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exſequias cum hilaritate celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit.* Mela de iiſdem Thracibus: *Lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur. funera contrà feſta ſunt, &, veluti ſacra, cantu luſúque celebrantur.* De iiſdem Solinus, *Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia; denique recens natum fletu parens excipit: contraverſum læta ſunt funera, adeò ut exemtos gaudiis proſequantur.* Hanc ſententiam Euripides in Creſphontem ſuam ſic tranſtulit:

> Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
> Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
> Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
> Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.
> [*Nam nos decebat celebre cum cœtu modò*
> *Lugere genitum, tanta qui intraret mala;*
> *At qui labores morte finiſſet graves*
> *Hunc laude amicos atque lætitiâ exſequi.*]

3. *Melius eſt ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii*]. Hic venit ad meliores ſententias, quæ in animo bonum collocant: Prov. XVI. 19.

Et vivens dabit ad cor ſuum] Ut Homerus loquitur, — σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι ... ἐνὶ κάτθεο θυμῷ [— *tua, precor, inſere menti.*] Pertinet & huc illud, Γνῶθι σεαυτόν [*Noſce temet*].

4. *Melior eſt ira riſu*] Melius eſt amicum habere qui peccanti tibi ſuccenſeat quàm qui arrideat.

Quia per triſtitiam vultûs] Amici ſeverioris.

Corrigitur animus delinquentis] ייטב [*fit melior*].

7. *Sub olla*] *Sub caldario*, ut Pſalm. LVIII. 10. Vox eſt Syriaca. Eſt & hic παρονομασία [*vocum alluſio*].

8. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*] In Hebræo, *Nam oppreſſio ſapientem ad inſaniam redigit, & animum evertunt dona.* Pergit oſtendere incertitudinem rerum humanarum, cùm etiam ſapientiſſimi de ſtatu mentis ſuæ deturbari ſoleant, aut per injurias, aut per beneficia.

9. *Melior eſt finis orationis quàm principium*] Rectiùs dicas *finis jurgii*, nam ſic Hebræum דבר ſumitur etiam Proverb. XVII. 9. Et ſic optimè cohærebit ſenſus cum ſequentibus.

11. *Ne dicas, quid putas cauſæ eſt, quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt?*] Nè dicas, *ô mores! ô tempora!* Multi ſunt queruli, qui ſemper ſeculum accuſant.

13. *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*] In Hebræo eſt nomen *umbra* pro *protectione*, ut & alibi.

14. *Conſidera opera Dei*] In Hebræo, *Vide* pro *admirare.*

Quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit] In Hebræo, *quem ille curvaverit*: id eſt, *Eum qui natus ſit cum aliquo corporis vitio quis ſanabit?* Ità hic Chaldæus.

Malam diem præcave] Hebræum: *& in die mala vide.* Quære exitum.

15. *Sicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum juſtas querimonias*] In Hebræo, *Rem hanc ex adverſo rei iſtius fecit Deus, nè homo quicquam inveniret poſt eam.* Id eſt, nè obloqui Dei poſſet, ut Pſalm. LI. 6. Fecit omnia ἀντίστοιχα [*inter ſe oppoſita*]. Diſplicet tibi lux? en tenebræ. Diſplicent tenebræ? en lux. Mortem accuſas? data eſt & vita. Vitam non laudas? mors ſequetur. Sirachides XLII. πάντα δισσὰ, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός· καὶ οὐκ ἐποίησεν οὐδὲν ἐλλεῖπον [*omnia bina fecit, hoc contra illud; & nihil defectivum*].

16. *Juſtus perit in juſtitia ſua, & impius multo vivit tempore in malitia ſua*] Nempe viri boni ſæpe eripiuntur malis futuris:

> Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ' ἀποθνήσκει νέος.
> [*Ætate moritur juvene quem di diligunt.*]

& contrà

& contrà malis ad graviorem pœnam vita prorogatur. Vide II Reg. XXII. 20. Eſai. LVII. 1.

17. *Noli eſſe juſtus multùm*] Id eſt, noli plus tibi arrogare de *probitate*, aut, quod ſequitur, de *ſapientia*, quàm par eſt. Μὴ ὑψηλοφρόνει [*Noli altum ſapere*], Rom. XI. 20.

Ne obſtupeſcas] In Hebræo eſt, *Quare te ires perditum?* Eſt enim Hithpahel, ſed cum defectu ה literæ.

20. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis*] Super decem fortes.

Cedant arma togæ. ———.

21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*] כי, quod verti ſolet *enim*, hic poſitum eſt pro *attamen*. Nemo ſemper ſapit. Seneca de Clementia I. 6. *Peccavimus omnes, alii gravia, alii levia, alii ex deſtinato; alii fortè impulſi, aut alienâ nequitiâ ablati, alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus.* Vide quæ annotavimus ad lib. II. de Jure Belli ac Pacis, cap. XX. § 19.

22. *Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur nè accommodes cor tuum*] Noli curiosè nimis ſcrutari quid quiſque dicat.

23. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebro maledixiſti aliis*] Seneca, *Faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos: numquid & ipſi aliquid tale commiſimus? numquid ſic erravimus? expeditne nobis iſta damnari?* Locus eſt de Ira II. 28. Similia habet de Ira I. 14. & de Clementia I. 6.

25. *Multò magis quàm erat, & alta profunditas quis inveniet eam?*] *Remotum eſt* (id eſt, effluxit) *id quod fuit* (quod præteritum eſt), *& profundum profundum* (futurum latens) *quis inveniet?* Præteritorum magna eſt oblivio: de futuris conjecturæ incertæ. Hæc difficilem faciunt ſapientiæ adeptionem.

26. *Et rationem*] *Rerum cauſas.* Id enim eſt חשבון.

27. *Et inveni amariorem morte mulierem*] Introducit hîc ſcriptor, ut diximus, Solomonem ut tactum conſcientiâ malè actorum, quorum præcipuè auctores ipſi feminæ fuerant.

Qui placet Deo effugiet illam] Nam Dei favore fit ut decipulæ iſtæ evitentur.

28. *Dixit Eccleſiaſtes*] Sic & Græci: εἶπεν ὁ ἐκκλησιαστής [*dixit concionator*]. Palàm eſt legiſſe eos אמר הקהלת, non ut nunc in Hebræo eſt, אמרה קהלת [*locuta eſt concionatrix*].

Ut invenirem rationem] Id eſt, cauſam cur mulieres pleræque viris eſſent pejores.

29. *Mulierem ex omnibus non inveni*] Id eſt, in mille mulieribus, quas mihi adſcivi, nullam inveni ſincerè probam.

30. *Solummodo hoc inveni quòd fecerit Deus hominem rectum; & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus*] *Rectum* hîc ſignificat *ſimplicem*, ſicut puto & alios rectè expoſuiſſe, & nos cum illis libro II. de Jure Belli ac Pacis, cap. II. §. 2. Pro illo *quæſtionibus* hîc in Hebræo eſt חשבנות. id ſignificat *rationes* ac *cauſas* multas cur à primæva iſta ſimplicitate deflecterent.

Quis talis ut ſapiens eſt? & quis cognovit ſolutionem verbi?] Videtur hoc πύσμα [*interrogatum*] rectiùs ab aliis referri ad caput ſequens: ut ſenſus ſit, *Quis tanti habendus eſt quanti vir ſapiens, & qui ſolutionem rei* (cujuſque propoſitæ) *intelligit?* פשר pro *ſolvere* eſt vox Syris & Chaldæis familiaris. Vide Dan. V. 12. 16. Uſurpant & Arabes.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. I*Mpudentia*] Ubi ſapientia animum poſſederit, impudentia recedit à fronte. Eſt enim ſapientia pudica & verecunda, Jac. 3. Inſipientia verò eſt impudens, procax, trux, minax, &c.

6. *Res*] Eſt חפץ *creatura quæ voluntate & affectu ducitur.*

8. *Manumiſſio*] Sunt qui hîc per משלחת intelligunt נשק *arma bellica*, ut ſit ſenſus, Poteſt quidem aliquis in bello evadere mortem propter loricam & alia arma bellica; ſed cùm dies mortis advenerit nihil eſt quod te liberare poterit, cùm nemo inter homines habeat poteſtatem illam quam Chriſtus habuit cùm diceret, *Poteſtatem habeo ponendi animam*, &c. Alii intelligunt per משלחת *complexionem corporis* ſeu מתגת *harmoniam* illam membrorum & partium corporis, quæ cùm per ſupervenientem morbum diſſipata fuerit, neceſſe eſt hominem reſolvi in mortem.

10. *Sed qui ingreſſi venerunt*] Impii redeunt in urbem poſtquam ſepulti ſunt, non in propria perſona, ſed in filiis & nepotibus eorum, qui ſuccedunt in locum eorum. Noſtri pro שתכחו legerunt ישתבחו, & verterunt *laudaverunt*. ¶ *De loco ſanctorum*] Heb. *de loco ſancti*, & eſt ſenſus, Mirum eſt quod ſancti, qui rectè vixerunt in civitate & multa bona fecerunt, tam citò oblivioni traduntur, impii autem ſepulti ſubinde reviviſcunt.

16. *Hanc occupationem*] Loquitur de his quorum corda philargyria occupavit.

17. *Invenire rationem*] Etiam Hebræi hîc ſubintelligunt עיקרים *cauſas*. Multa enim Dei opera ſunt adeò perplexa & retruſa ut nullus homo quantumlibet ſapiens illorum poſſit cognoſcere rationem; In quibus hoc unum ſatis fuerit ſcire, Deum eſſe juſtum, & judicia ejus eſſe juſta, etiamſi nobis incomprehenſibilia ſint. Vanitas ergò eſt & præſumptio talium velle quærere rationem quæ nobis Deus Max. & Opt. occultata eſſe voluit.

VATABLUS.

1. U*T cognoſcens* יודע] Ità quidam doctus inter Hebræos ſubaudit כ quod præceſſit. Alii non ſubaudiunt, vertentes, *Et quis eſt qui cognoſcat.* ¶ *Interpretationem* פשר] *Solutionem*, ſive *reſolutionem.* ¶ *Illuſtrat vultum ejus* תאיר פניו] Fut. Heb. pro præſ. *lucere faciet faciem ejus*, i. reddet hominem illuſtrem. *Facies* pro *toto homine.* ¶ *Et fortitudo* ועז] *Et robur.* Hebraico dicendi genere *robur* ſive *fortitudinem faciei* vocat arrogantiam, impudentiam & ſuperbiam ſive pervicaciam. Dicit ſapientiam reddere hominem abjectum in oculis ſuis, quamvis ab aliis plurimi fiat.

2. *Obſerves* שמור] Ad verb. *Ego, os Regis obſerva.* Accentus diviſivus admonet ſubaudiendum eſſe aliquid, quale id quod vertimus, aut ſimile. ¶ *Et ſuper verbo juramenti Dei* ועל דברת וגו'] Phraſi Hebraicâ dicitur, pro *Ego*, ſub. *admoneo ut ſerves fidem quam Regi jurejurando præſtitiſti.* Vel, *Moneo ut Magiſtratui pareas, & præſtes quod juraveris.*

3. *Nè ſis feſtinus*, &c. אל תבהל וגו'] q. d. Si receſſeris à Rege, ſtatim redi in gratiam cum eo: quia Deus permittit ut quicquid voluerit faciat. Ad verb. *Nè feſtines à conſpectu ejus abibis.* Futurum pro infinitivo. *Quoties duo verba* (inquit doctus inter Hebræos) *ſine conjunctione ponuntur, debet exponi ultimum per infinitivum.* Citat multa loca, *Ut addatis loquamini*, i. *loqui.* Aliud, *Et ſciemus perſequamur*, i. *perſequi ſciemus.* Vel intelligitur ש *quòd*, ut ſit, *Nè feſtines quòd*, ſive *ut abeas*: q. d. etiam ſi te opprimat tyrannide. ¶ *Ne ſtes* אל תעמד] *Neque ſteteris.* Alii, *ne inſiſtas.* Alii, *ne perſeveraris.*

4. *Secundùm verbum Regis* eſt *poteſtas* באשר דבר מלך שלטון] *Ubi* eſt *verbum Regis*, ibi eſt *dominatio*: i. illic fungitur dominatione: q. d. Quæ imperat fiunt. Alii, *Et quamcunque rem præcipit Rex, in ea etiam poteſtatem exercet.*

5. *Præceptum* מצוה] Sing. pro plurali. ¶ *Non cognoſcet*, &c. לא ידע דבר רע] Hebraiſmus, pro *Nihil ſentiet incommodi.* ¶ *Et tempus & judicium* ועת ומשפט] *Et tempus & modum*: i. opportunitatem temporis in quo, & rationem quomodo quid fieri poſſit.

6. *Omni voluntati* לכל חפץ] i. Rei quam quis vult. Alii vertunt, *Habet enim omnis res tempus*, &c. Alii, *Omni enim inſtituto eſt opportunitas*, &c. ut præcedenti verſu. ¶ *Malum hominis*, &c. רעת האדם וגו'] *Infelicitas hominis eſt multiplex in eo.* Alii, *malitia hominis magna ſit ſuper eum.*

7. *Quid futurum ſit* מה שיהיה] *Quando id erit.* Alii, *quale* illud ſit *quod futurum eſt.*

8. *Nullus eſt homo* אין אדם וגו'] *Non eſt homo dominus in vitam, ut retineat animam ipſam: neque eſt dominatio illi in diem mortis, nec eſt illi gladius in bellum.* Animam ſive vitam vocavit רוח *ventum*, quòd anima noſtra & vita ſit veluti ventus, parùm durans & permanens: vel, quia vita ſtat quàm diu homo reſpirat. Job. 7. 7. *Memento quia ventus eſt vita mea.* Dicit igitur, Non eſt dominus vitæ ſuæ homo; quia quando Deus volet repetere animam, eſt abitura, velimus nolimus: neque eſt dominus mortis ut eam repellere poſſit: neque habet arma adversùs tentationes.

9. *Et dedi cor meum* ונתון את לבי] Infinit. Heb. pro præſ. *& poſui cor meum.* Vel, *appuli animum meum.*

10. *Et tunc* ובכן] *Et verè*, aut *in veritate.* ¶ *Et redierunt*, &c. ובאו וגו'] Ità docti quidam inter Hebræos vertunt ut vertimus, exponentes hoc modo, *Vidi impios qui præſidebant hominibus, lædebántque illos, ſepultos in ſepulcris ſuis: qui redierunt in mundum ſecundò, quia ſucceſſerunt filii eorum in locum ipſorum, unde permanet eorum memoria. At qui de loco ſanctitatis ibunt*, i. *ſancti qui morientur, non erunt ſic, ſed oblivioni tradentur*

tur in urbe in qua rectum fecerunt. Quidam vertunt ſenſu ferè eodem, *Et venerunt : & vidi eos qui in loco Sancti accurate verſati ſunt, & oblivioni traditi ſunt in ea urbe in qua ſic fecerunt* כן pro ב accipientes & exponentes *Sancti*, i. rei ſanctæ, vel Dei ſancti. Et *ambulare* pro *ſtudioſe & diligenter verſari.* Alii, *ſed qui regreſſi ſunt : at qui de loco ſanctorum venerunt in urbe oblivioni traditi ſunt, qui recta fecerant.* Alii, paulò liberiùs, *Et* quòd *abierunt, & receſſerunt è loco ſancto, ſuntque oblivioni traditi in ea urbe* in qua quicquid *fecerant*, *ratum rectùmque erat.* ¶ *Rectum fecerunt* כן עשו] *Sic fecerunt* : i. ſtudioſè ità verſati ſunt.

11. *Sententia* judicum *de opere malo* פתגם מעשה הרעה] Ad verb. *verbum operis mali* : i. *quia* (ut alii vertunt) *non impletur*, vel *demandatur exſecutioni ſententia Judicum*, *ſententia, inquam, de opere malo.* Vel, *quia non eſt ſumpta ultio repentina propter opus.* ¶ *Totum*, &c. כלא וגו'] Ad verb. *plenum eſt cor filiorum hominum in ipſis ad faciendum.*

12. *Quamvis peccans faciat* אשר חוטא עושה] Ad verb. *Quia* eſt *qui peccat, faciens.* ¶ *Centies* מאת] Ad verb. *centum*, ſub. *vicibus.* ¶ *Et prolonget ei* ומאריך לו] *Et differt* Deus iram ſuam *propter illum.* ¶ *Scio nihilominus* כי גם יודע אני] Ad verb. *quia etiam ſcio ego.*

14. *Quibus uſu venit*, &c. אשר מגיע וגו'] *Quibus ipſis contingit tanquam præmium operis*, nam מעשה & *opus* & *præmium operis* ſignificat. Alii, *ſuper quos venit opus* quo digni ſunt *impii.* Sic paulò pòſt, *Quibus contingit veluti præmium operis juſtorum.*

15. *Et laudavi* ושבחתי] *Tunc laudavi.* Vel, *Proinde laudavi.* ¶ *Quos* אשר] *Quam.*

16. *Propterea dedi cor meum* כאשר נתתי את לבי] Quidam hunc ſeq. verſui jungunt, vertentes, *Quando dedi cor meum ad cognoſcendam ſapientiam & conſpiciendum negotium ipſum quod geritur ſuper terram (nam etiam interdiu & noctu ſomnum in oculis ſuis non videt) Tunc deprehendi de omni*, &c. *Videt*, ſub *cor meum* : q. d. Totus in hoc ſum diu & noctu. ¶ *Quod etiam*, &c. כי גם וגו'] *Quòd* nonnulli *etiam neque interdiu neque noctu ſomnum capiunt.*

17 *De omni opere* את כל מעשה האלהים] *Omne opus Dei*, ſub. *tale eſſe.* ¶ *Invenire opus* למצוא את המעשה] *Explorare rationem operis*, vel *aſſequi*, aut *deprehendere.* ¶ *Nec adinvenit* ולא ימצא] *Nec* unquam *adinveniet.* ¶ *Si dixerit*, &c. אם אמר וגו'] i. Si ſtatuat apud ſe is qui mundo eſt ſapientiſſimus, dare operam ut cognoſcat, nequaquam poterit hoc aſſequi.

CASTALIO.

3. N*E temere ab ejus præſentia recedito*] Ab eo alieneris.

8. *Nec vento imperat homo*] Non magis poteſt impietas impios tutari quàm homo ventis imperare, &c.

10. *Ex ſacro loco*] Hieroſolymà. ¶ *Commendari in urbe*] וישתבחו lego cum Græco & Latino interprete; non וישתכחו, h. e. *oblivioni tradi.*

16. *Ut nec interdiu nec noctu ſomnum ſuis videant oculis*] Ut homines præ curis & miſeria non poſſint dormire.

CLARIUS.

1. Q*Uis talis ut ſapiens eſt?*] Quis conferendus eſt cum ſapiente & eo qui judicium habet de rebus? ¶ *Lucet in vultu ejus*] *Sapientia hominis gratioſum facit vultum ejus.* ¶ *Impudentia faciei ejus mutabitur*] Quia ſcilicet ubi ſapientia animum poſſederit, impudentia recedit à fronte: eſt enim *ſapientia*, ut ait Jacobus, *pudica & verecunda.* Alius vertit *crudelitatem pellit.* D. Hieron. vertit, *Improbus facie ſuâ odietur.*

2. *Os Regis obſervo*] Suadeo (inquit) etiam ſapienti, ut obſervet quæ Rex mandabit; & præſtet, ſiqua Deo in teſtem vocato juraverit.

5. *Tempus & judicium*] Tempus adventurum ut ſumatur ſupplicium de tranſgreſſoribus non ignorat ſapiens.

6. *Omni negotio*] Statuit namque Deus tempus quo de omnibus judicaturus eſt: & priùs quàm illud adveniat, variis & periculoſis malis expoſiti ſumus: *nec ſcire* cuiquam datur *quid illi continget. Quis enim id poſſit illi indicare?*

8. *Non eſt in hominis poteſtate cohibere ſpiritum*] Et ſi illud ſciret, inquit, nihil illi prodeſſet: *nemo* enim *tam potens eſt ut animum* ſuum *contineat*, *nec* appetente *morte* vires illæ quicquam proderunt: neque eſt ſpes ulla elabendi ex illo *prælio* quod nobis cum Morte ineundum eſt; *nec impium* tunc *ſua impietas liberare* poterit.

10. *Cùm adhuc viverent*] Alii verterunt, *& reſurgere in loco ſancto*, ut ſit ſenſus, *Vidi impios ad ſepulcrum uſque feliciter degere; & ipſos veluti reſurgere in filiis, & verſari inter honoratos in loco ſancto: eos verò qui bene faciunt, contemni à civibus: ſed & hoc inſigni vanitate non caret.* Quidam Hebræorum ſic interpretabatur, *Vidi impios ſepultos, & vivebant, & à loco ſancto recedebant, & laudabant ſe in civitate, quaſi juſtorum operum* : h. e. *Vidi impios dignos qui ſepelirentur*, i. qui morerentur, *& tamen vivebant, & fugiebant loca ſancta*, &c. Vel ſic, *Vidi impios ſepultos*, h. e. morte dignos & ſepulturâ; *& veniebant*, h. e. proſperè agebant, *& de loco ſancto ibant*, h. e. recedebant à via bona, *& oblivioni dati ſunt qui juſtè fecerunt*, h. e. adeò improborum via proſperè agit ut bonorum nulla ſit mentio. Sin legas *laudabantur*, erit ſenſus, *Jactabant ſe in civitate quòd ita feciſſent.*

DRUSIUS.

1. Q*Uis ſimilis ſapienti*] מי כהחכם. Τίς ὡς ὁ σοφός; i. ſimilis aut par. Lxx Τίς οἶδε σοφός; ut Aq. Τίς οἶδε σοφόν; *Quis novit ſapientem?* מי יודע חכם. Lat. V. *Quis talis ut ſapiens eſt?* vel, *Quis ſicut ſapiens?* ut Caph hic ſit ἀληθινὸν, *quis verè* ὄντως, i. *reverâ*, *ſapiens?* Vide ſuprà v. 7. 24. ¶ *Quis novit*, &c.] Quidam repetunt ex præcedentibus notam Similitudinis, hâc ſententiâ, *Quis ſimilis ei qui novit*, &c. ut idem dicat aliis verbis. Nam *ſapiens* & *peritus interpretandi rem* ſe mutuò explicant. ¶ *Interpretationem verbi*] Lxx λύσιν ῥήματος. Vulg. *ſolutionem verbi.* Vox פשר legitur in Daniele cap. 2. de *interpretatione ſomnii*, quam interpres Theodotio ibi σύγκρισιν & σύγκριμα reddit. *Verbi*, i. rei, aut *verbi Divini.* Nam *verbum* abſolutè poſitum ſign. aliquando verbum Dei; ut ibi, *Gloria Dei eſt celare verbum: gloria Regum, ſcrutari verbum.* Sed tum frequentiùs dicimus הדבר cum articulo, ut Græcè ὁ λόγος. ¶ *Illuſtrat*] φωτιεῖ. Vult dicere *facit ut ſemper lucido & hilari benignóque vultu appareat*: reddit hominem humanum vel glorioſum & illuſtrem: ut *faciem ejus* ſignificet perſonam ejus; ut in illo, *Accipere faciem pauperis*, τὸ πρόσωπον, i. *perſonam pauperis.* Verùm, *Attolle ſuper nos lumen vultûs tui*, cùm ait David, innuit vultum lucidum ac ſerenum, ſignum favoris ac benevolentiæ. Intelligentiam habet ex illo, *In lumine*, i. ſerenitate, *vultûs Regis eſt vita.* Aliter Mercerus, *Totus homo illuſtratur per ſapientiam, ut clariſſime videat quæ ſibi agenda ſint, quævе fugienda.* ¶ *Ità ut duritia vultûs ejus mutetur*] Gall. *& ſon regard farrouche en eſt changé.* Lxx καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται. Legerunt עז & ישנא cum puncto in ſiniſtro cornu literæ Sin. Vulg. *& potentiſſimus faciem ejus commutabit*, i. ישנה. Trem. *ità ut firmitas vultûs ejus duplicetur.* *Duritia vultûs ejus*, i. impudentia; unde qui ſunt impudentes vocantur עזי פנים: vel auſteritas; q. d. modeſtum eum reddit. Nam ואת צנועים חכמה *apud manſuetos ſapientia.*

2. *Ego*] Aliquid deſideratur, videlicet *ſuadeo*, aut *mando*, aut aliquid tale. Alibi אני vertimus *quod me attinet.* Ed. Vulg. *Ego os Regis obſervo*, i. שמרתי. Hæc interpretatio non ſe admodum probat mihi, alioqui poſſet dici poſitum eſſe Infinitivum pro Præterito. Nam שמר tam poteſt eſſe Infinitivus quam Imperativus. ¶ *Os*] *Mandatum, præceptum*: propriè *ſermonem Regis*, indè *mandatum.* Nam *ſermo Regis*, i. *mandatum Regis.* *Os* pro *ſermone* Latini quoque uſurpant. Plinius, *Mithridates magnâ vi animi & corporis, ut ſex jugis equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur.* ¶ *Vel ob cauſam juramenti*] Vel ob hanc præcipuè cauſam quòd ad hoc juramento obſtrictus & obligatus ſis. Nam ſubditi Regibus etiam olim jurandum præſtabant. Omne autem jurandum Deo fit: ideo rectè vocatur *juramentum Dei.* Quidam, *ſed pro ratione juramenti Dei*, i. eatenus quatenus pietas id permittit. Nam pii etiam Deo jurabant. Conſule ſodes Obſerv. meas l. 9. c. 10. ¶ *Dei*] Deo præſtiti. Sic, *benignitates Davidis*, i. Davidi factas. Quid ſi vertamus *vel propter verbum jurandi*, i. propter jurandum ipſum? *Verbum juriſjurandi*, ut *Verba fraudum*, *Verba iniquitatum.* Vide Obſerv. l. 8. c. 22. Lxx περὶ λόγου ὅρκου Θεοῦ μὴ σπουδάσῃς.

3. *Ne perturberis*, &c.] *Ne turberis coram eo*; potius *à facie ejus abeas* : vel, *Ne perturbate à facie ejus abeas.* Alii, *Ne acceleres à facie ejus, ut abeas*, תלך. Sic ferè interpretes antiqui, ut Lxx, qui vertunt, Μὴ σπουδάσῃς, & Sym. in quo μὴ σπουδάσῃς, & Hieron. cujus eſt, *Ne feſtines recedere.* Σπουδάζω magis ſign. *diligentiam adhibeo*, aut *operam navo*, vel *ſatago* : ſed hic poni videtur pro σπεύδω, quomodo etiam Politianus vertit in Herodiano: videtur, dico, non affirmo; imò dubito: nam connecti debet

eum

cum iis quæ præcedunt. *Perturberis*, תבהל. Hoc verbum in Niphal magìs ſignificat *perturbari*; quamvìs etiam pro *accelerari* reperiatur, ut Prov. 28. 22. נבהל להון *accelerans ad opes*. Vide Mercerum. ¶ *A facie ejus abeas*] Si iratus tibi fuerit, nè te ei opponito, ſed potiùs abito & cede iræ ipſius. Nam *ira Regis nuntius eſt mortis*. *Faciei* autem vocabulo Iram ſignificant, ut notum iis qui has literas callent. Aliter, *Nè præceps ſis ut abeas*: q. d. Si accelerabis fugere ab eo irato, nihil proficies. Nam nullum aſylum adeò ſanctum eſt quod te ab ejus furore vindicare poſſit. ¶ *Nec ſtes*] Vulg. *Nè permaneas in opere malo*. בדבר רע. Ut *ſtare* pro *permanere* novum non eſt, ità *verbum* pro *opere* inſolens planè in auribus meis. Lxx μὴ ςῇς ἐν λόγῳ πονηρῷ. Vulgò exponunt *in re mala*; & *nè ſtes*, *nè perſeveres*. Pſal. 141. 4. *Nè declinare facias ſervum tuum ad verbum malum*. Rurſum 64. 5. *Corroborarunt ſibi verbum malum*. Pſal. 45. 1. *Eructat cor meum verbum bonum*. Licet exponere *nè ſtes*, i. *ne pugnes pro re mala*. Mercerus, *ne quid mali committas*, *quo Regem offendas*, ¶ *In re mala*] *In perturbatione & rebellione*. Sic Trem. ¶ *Nam quicquid volet, faciet*] Vulg. *omne quod voluerit faciet*. Lxx πᾶν ὃ ἐὰν θελήσῃ ποιήσει. Idem de Deo dicitur, ſed alio ſenſu. Nam potentia Dei major quàm Regis. Deus omnipotens eſt; Rex certis limitibus potentiam circumſcriptam habet.

4. *Ubi*] Vel *ubicunque*. Lxx καθὼς, i. כאשר. Sym. διὰ, i. *propter*. Sic etiam R. S. בעבור אשר *Propterea quòd verbum Regis dominatur*. Sym. verba ſunt, διὰ τὸ λόγον βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι, *Eò quòd ſermo Regis poteſtate plenus ſit*. ἐξουσιαστικὸς, *autoritatem præ ſe ferens*; *ex poteſtate procedens*. ¶ *Verbum Regis*] *Mandatum Regis*. ¶ *Poteſtas eſt*] שלטון *poteſtas*, i. ἐξουσία, *autoritas*, *dominatio*. Sic R. D. Alii concretè accipiunt, pro *dominatore*, qui & שליט, quomodo ſanè in Daniele legimus שלטני מדינתא *ſatrapa* (ſive *dynaſtæ*) *provinciarum*, ἴσως *poteſtates provinciarum*, i. ἐξουσίαι. Nam *dominus* potiùs שליט dicitur. Græci ἐξουσιάζων. Sed in noſtra Vulg. *poteſtate plenus*, i. ἐξουσιαστικὸς, niſi vertit potiùs ἐξουσιαστής· nam id affertur ex Eſaia pro *dominatore* ſive *domino*. Fortè שלטון ἐξουσία, quod interdum ponitur pro *iis qui cum poteſtate ſunt*: ut in Epiſt. ad Titum, ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι. Verba ἐξουσιαστικὰ vocantur à Grammaticis, ἄρχω, κυριεύω, βασιλεύω, & cætera id genus. Infrà v. 8. אין שלטון. Lxx ὐκ ἔστιν ἐξουσία. Lat. *nec habet poteſtatem in die mortis*. ¶ *Quis dicet ei*] Nemo hoc ei audet dicere; tametſi deberet dici interdum, præſertim quando τυραννεῖ.

5. *Præceptum*] *Regis* ſcilicet. Alibi ſignificat præceptum Dei. ¶ *Non novit ſermonem malum*] Vel *neſcit rebellare*. Nam ſuprà *rem malam* dixit Rebellionem. Doctè Interpres noſter, *non experietur quicquam mali*. Priùs Sym. ediderat, ὐ πειραθήσεται πράγματος πονηρῦ. Antea erat, ὐ γνώσεται ῥῆμα πονηρόν. Alioqui *non novit* poſſet exponi *non approbat*, ut ibi, *Deus novit viam juſtorum*. Nam qui præcepta Regum cuſtodiunt, interdum multa mala experiuntur; etiam, qui Deo obtemperant; & tamen legimus, *Non accidet juſto ullum malum*. ¶ *Tempus & judicium*] Quidam explicant per Tmeſin *tempus judicii*. Sic Lxx καιρὸν κρίσεως. Tempus rei agendæ καιρὸν Græci vocant. Nos *articulum temporis* ſive *opportunitatem*. Dicitur etiam *tempeſtas*. *Judicium*, rationem quâ Rex ſit tractandus, ſive quâ ratione ſit agendum cum Rege. Vel, *novit judicium Regis*, i. ſupplicium quod manet eos quibus Rex ſuccenſet. Sive novit quanta ſit pœna quæ manet eum qui Regem infenſum habet. Lat. Vulg. *& reſponſionem*, i. מענה. Trem. *rationem* חשבון. Gall. *le moien qu'on doit tenir*. ¶ *Cor ſapientis*] Pro *ſapiente*. Simile illud Ennii,

——— *quem credidit eſſe meum cor*.

6. *Omni voluntati*] *Omni rei*, ut 3. 1. aut חפץ *res cupita & deſiderata*: q. d. *omni rei quam deſideres*. Lxx παντὶ πράγματι. Noſter, *omni negotio*. Gall. *en tout affaire*. ¶ *Tempus & judicium*] עת ומשפט, ut ſuprà. Lat. Vet. *Tempus & opportunitas*. עת חפץ. Editio Symmachi καιρὸς χρείας καὶ τρόπος. Puto leg. πάσης χρείας καιρὸς καὶ τρόπος. Suprà 3. 1. לכל חפץ. idem Sym. πάσης χρείας, quod meam conjecturam non adjuvat modò ſed etiam planè firmat. *Tempus & judicium*, i. tempus judicii. Cuncta, inquit, ſuo tempore judicabuntur & punientur. Aliis *judicium* eſt ratio quâ quicquam gerendum ſit, *moien pour ſe conduire*. Τρόπος eſt *modus*, *ratio*; item *mos*, *conſuetudo*, *ritus*. ¶ *Quamvis malum hominis multum eſt ſuper eum*] Gall. *autrement mal ſur mal tombe ſur l'homme*. Aliàs, *malum malo ſupervenit homini*. Trem. *ſed malum hominis multum incumbit ei*. Mercerus, *nam malum hominis multum eſt in eo*. Lxx ὅτι γνῶσις τῦ ἀνθρώπυ πολλὴ ἐπ' αὐτόν. Legerunt דעת pro רעת; h. e. Daleth pro Res. Vulg. *& multa hominis afflictio*, רעת האדם רבה.

7. *Ignorat*] *Neſcit*. Lxx ὐκ ἔστι γινώσκων. ¶ *Quod futurum eſt*] Τί τὸ ἐσόμενον. Malè noſter *præterita*: nam id eſſet מה שהיה. Hoc videtur velle; Ideò homini multa incommoda eveniunt quia futura ignorat: quæ ſi noſſet, facilè vitaret mala illa. ¶ *Quemadmodum futurum eſt*] Καθὼς ἔσται *quomodo erit*. Alii, *quando futurum eſt*, i. ὅτε. ¶ *Quis indicet ei?*] Τίς ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *quis indicabit ei?* q. d. Hominum nemo. Nam ſolus Deus novit futura, aut cui ille voluerit patefacere illa.

8. *Non eſt homo*] Latinè *Nemo eſt*, ſive, *Non eſt quiſquam*. ¶ *Dominans in ſpiritum*] שליט ברוח *autoritate præditus in ſpiritum*, ſive *dominus ejus*, quia à Græcis, ἐξουσιάζων, *qui poteſtatem habeat in ſpiritum vitalem hominis*, qui videlicet eum *cohibere* aut *retinere* poſſit. שליט ergò *dominus* vel *dominator*, qui Ebræis מושל dicitur. ¶ *Ad cohibendum*] Τῦ κωλῦσαι. ¶ *Spiritum*] את הרוח τὸ πνεῦμα, pro quo Lxx maluerunt dicere σὺν τὸ πνεῦμα. Loquitur autem de Spiritu vitali, quem nemo intra ſe continere poteſt. Hic ſpiritus vocatur רוח חיים *ſpiritus vitæ* vel *vivorum*; & eſt communis Homini cum Beſtiis. Sunt qui de Vento exponunt qui etiam *ſpiritus* appellatur. Nam neque ventum quis retinere poteſt. Unde proverbiale, *Abſcondit ventum*. Vide Proverbia mea. Quid ſi locus de Anima intelligatur, quæ corpori ceu carceri incluſa? unde Deus eam educit & ad ſe vocat, ſicut ait, *Spiritus aſcendit ad Deum, qui dedit ipſum*. Juvat hanc meam conjecturam articulus qui eſt in Ebræo. ¶ *Poteſtas*] שלטון ἐξουσία, ut quidem Græci hîc vertunt: aut ἐξουσιάζων *poteſtate præditus*. Non eſt, inquit, Dominus aut princeps Monarchave qui mortem omnibus communem, ubi ſemel ingruerit, queat propellere. In lingua Chaldæorum שלטון magis *dominatorem* ſonat quàm *dominationem*, cujus pluralis in Daniele שלטוני מדינתא *Præfecti* vel *Præſides provinciarum*. Nam *poteſtas* שלטנותא dicitur. ¶ *In diem mortis*] Hoc Galli dicunt *ſur le jour de la mort*. Cæteri *in die mortis*, i quando hora mortis advenit; quæ licèt incerta ſit, eſt tamen certum omnibus ſemel moriendum eſſe: neque privilegium præ aliis habet qui cum poteſtate eſt. Nam *ineluctabile fatum*, &

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres,

ut ait Horatius. ¶ *Neque miſſile in bello*] משלחת *miſſile* ſive *telum*. Dicitur & שלח. Appellatio à *mittendo*. R. D. interpretatur חרב *gladius*. Puto quævis arma hoc loco ſignificari. במלחמה *in hoc bello* ſive *prælio*, nempe quod adversùs Mortem cernitur. *In hac pugna*, inquit, quæ nobis cum Morte, *nihil prodeſt miſſile* aut *telum*. Lxx ὐκ ἔστιν ἀποστολὴ ἐν ἡμέρᾳ πολέμυ, i. *miſſio* ſive *dimiſſio*. *Nemo dimittitur in die belli*. Sym. ὐδὲ ἔστι παρατάξασθαι εἰς πόλεμον, *non eſt licentia inſtruendi ſe ad bellum*. Vulg. *nec ſinitur quieſcere ingruente bello*. Santes, *nec illius eſt emiſſio telorum in prælio*. Trem. *nullúmque miſſile in iſto prælio*. Gall. *& n'y a delivrance in telle guerre*. Quidam explicant, *neque telum*, *à quo Rex ſit immunis*, *nedum alii*. q. d. Quis tela in acie, quæ grandinis inſtar confertim irruunt, à Regis corpore avertat? Non ſe probat mihi. *In hoc bello* vel *ad hoc bellum*, vel magis *prælium*. Nam מלחמה & קרב ſe invicem explicant. ¶ *Neque liberat*] Imò perniciem ei adfert. Talia ſunt, *Non gaudet ſtulti pater*; *Non proſunt opes improbæ*; *Non eſt bonum ſuſcipere perſonam in judicio*. ¶ *Improbitas*] רשע ἀσέβεια. Quidam *inquietudo* ſive *inquies*, i. rebellio & ſeditio contra Regem. Sic enarrant, *Ab improbis exit improbitas*, Ab irrequietis & ſeditioſis hominibus oriuntur ſeditiones, &c. ¶ *Suos*] בעליו ad verb. *dominos ſuos*. Lxx τὸν παρ' αὐτῆς, *eum qui eſt ab illa*, i. ſuum. Sic Mar. 3. 21. οἱ παρ' αὐτῦ, i. *ſui*. Symmachus hoc dixit ἔχοντα αὐτήν· unde declarationes illæ, *BAAL*, *Habens*. *BAAL-ZEBUB*, *Habens muſcam*, *&c*. Gall. *ſon maiſtre*. Nam *BAAL* etiam redditur *magiſter*. Vulg. *neque ſalvabit impietas impium*. בעל רשע *improbus*, idem videlicet quod רשע. Non diſplicet. Trem. *utentem eâ*. Sed poteſt *uti improbitate* qui tamen non ſit *improbus*.

9. *Hæc omnia vidi*] את כל זה ראיתי. Poteſt reddi, *Cum his omnibus vidi*: (*Nam adhibui cor meum ad omne opus quod factum eſt ſub ſole*) *tempus quo dominatur*, &c. Sed prius melius, *Cum his omnibus*, videlicet quæ ſuprà in hoc libro commemoravi. ¶ *Vidi*] *Cognovi*, *obſervavi*, *conſideravi*. In ed. Græca. Καὶ σύμπαν τῦτο εἶδον. Fortean leg. Σὺν πᾶν τῦτο, *Unà cum omnibus*. Quæ lectio planè corroborat ſuperiorem verſionem noſtram. ¶ *Appoſui*] נתון pro נתתי *dedi*, *adjunxi*, *applicui*, *appuli*. ¶ *Cor meum*] i. Animum meum. Lxx καὶ ἔδωκα

τλὺν καρδίαν μυ. Vulg. *& dedi cor meum.* Quidam *intendi cor meum.* Gall. *j'ay adonné mon cœur à toute choſe*, &c. Dicunt etiam *mettre ſon cœur à quelque choſe*, i. *adjicere animum*, &c. ¶ *Ad omnia opera quæ fiunt ſub Sole*] Εἰς πᾶν τὸ ποίημα ὃ πεποίηται ὑπὸ τὸν ἥλιον. Hic מעשה vertunt ποίημα ut alibi ἔργον. Eſt autem ποίημα propriè *opus quod aliquis fecit: factum* autem & *facinus* reſpondent potiùs nomini ἔργον. ¶ *Tempus, quo*, &c.] Quidam, *Hæc omnino vidi, quo tempore dominatur*, &c. Vulg. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.* עת אשר *tempus eſt cùm*, i. *interdum, aliquando.* Non omnino diſplicet. Sic olim Sym. vertit, ἔστιν ὅτε ἐξουσίασεν ἄνθρωπος ἀνθρώπου εἰς κακὸν ἑαυτοῦ. Priùs Aq. ediderat, καιρὸς εἰς ὃν ἐκυρίευσεν ἄνθρωπος — & Lxx τὰ ὅσα ἐξουσιάσατο ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώπῳ τοῦ κακῶσαι αὐτόν. ¶ *Dominatur*] Vel *poteſtatem habet.* ¶ *Malo ipſius*] Vel *malo ſuo.* Cujus rei fidem facit hiſtoria omnium temporum. Cæterùm לרע לו dixit pro לרעתו, ut alibi David בצרה לי dixit pro eo quod eſt בצרתי *rebus meis adverſis.* Sic in Daniele אין לו quidam exponit *& non eſt* ואינו. Aliter Lxx, qui vertunt τοῦ κακῶσαι αὐτόν. רע *malefacere*, ut רד *attenuare.* Porrò, qui *dominatur in populum malo ipſius*, tyrannus eſt. Tales raro felicem exitum ſortiuntur: unde Juvenalis,

> *Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci*
> *Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.*

Ergò qui *malo alterius dominatur*, *etiam ſuo malo dominatur.* Nam conjuncta hæc ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Sed ſequentia docent veriorem interpretationem eſſe *malo ipſius.*

10. *Et tunc*] ובכן. Sic Græci Καὶ τότε. Sic etiam Santes. Et eſt Thargum τοῦ אז, ſi Abenezræ credimus. Verba ſunt ובכן כבו תרגום או. Aut hoc dicit, בכן ſign. *tunc*, ut in editione Chaldaica. Alii, *& ſic.* Thargum hoc loco ובקשטא *& verè.* ¶ *Sepultos*] Sepulturæ honore, quo indigni erant, affectos. ¶ *Et venerunt*] Alii venerunt in ejus locum eique ſucceſſerunt qui meliores non erant, ſed vel æquè improbi, vel etiam improbiores: ut ferè videmus malos bonis ſuccedere, & malis pejores. Alii, *ſepultos*, quorum memoria quaſi ſepulta erat: *& venerunt* iterum, nempe in filiis & poſteris ſuis. Gall. *& puis retournet.* Quidam *cùm abiiſſent*, i. mortui fuiſſent. *Abire* dicunt abſolutè pro *abire ad plures*, ſive *ad patres.* Sed an etiam בא ità uſurpatur? Negat Mercerus, niſi cùm de Sole dicitur: tunc ſign. *occidere.* Legimus tamen Gen. 15. 15. תבוא אל אבותיך *ibis ad patres tuos*, pro *morieris.* ¶ *Ex loco Sancti*] *Ex civitate Sancti*, i. Dei. Hic duo notanda. Primum מקום pro *civitate*; ut in illo Geneſeως *In loco Sichem.* i. interprete Moſe Gerundenſi, *in urbe Sichem.* Deinde *Sanctus*, quod inter epitheta Dei, ut Hab. 3. 3 vel quòd ſanctè ac religiosè à nobis colendus ſit, vel potiùs quòd ipſe ſolus verè ſanctus nobiſcum de ſanctitate ſua communicat. Sæpiùs vocatur הקדוש ὁ ἅγιος cum articulo. Ut hic *locus ſancti*, ſic Tob. 13. 9 in ed. Rom. Ἱερουσαλὴμ πόλις ἁγία, ubi in aliis editionibus *civitas ſancta*, & in Fagii Ebraica עיר הקדש *civitas ſanctitatis.* Quod planè pro iis facit qui hunc locum de Urbe accipiunt, in queis Mercerus. ¶ *Abierunt*] Vel *diſceſſerunt.* Nam *diſcedere* abſolutè ponitur pro *diſcedere e vita*, ſive *mori.* Idem *abire* ſignificat, unde *abitio* pro *morte.* Vide Feſtum. Pleniùs loquuntur cùm dicunt *abire ad plures*, vel *ad patres*; vel, *Abiit in domum æternam.* ¶ *Oblivioni traditi fuerunt*] In oblivionem venerunt, aut ſepulturâ caruerunt. Nam tales quoque oblivioni traduntur, aut in oblivionem veniunt. Hoc Ebræi dicunt וישתכחו, quæ ſcriptura hodiè in libris omnibus quos vidi. Cæterùm antiqui legunt וישתבחו, per Beth, i. *laudati fuerunt*, h. e. epitaphio celebrati. Alibi verbum idem denotat *epithalamio celebrare*; ut apud Davidem quo in loco ità ſcribit, *Virgines ejus non fuerunt laudatæ.* Hanc lectionem expreſſerunt primùm Lxx, vertentes καὶ ἐπῃνέθησαν, deinde autor Vulgaræ, in quo *& laudabantur in civitate.* Ei firmandæ eſt quod in Commentariis Salomonis Jarii, *Noli legere* וישתכחו *ET IN OBLIVIONEM VENERUNT*, *ſed lege* וישתבחו *ET LAUDATI FUERUNT. Sic expoſuerunt hunc locum Doctores noſtri b. m. Ex antiquis unus Paraphraſtes Chaldæus vertit* ואתנשיו. Obiter noto. Verba illa ובאו וממקום וגו' Aq. tranſtulit καὶ ἦλθον ἐκ τόπου ἁγίου. Sym. καὶ ὁπότε ἐξῆλθον ἐν τόπῳ ἁγίῳ ἀνέστρεφον, *cùm adhuc ſupereſſent in loco ſancto reverſi ſunt.* Ex quo fortè hauſit noſter, qui, *cùm adhuc viverent, in loco ſancto erant.* ¶ *Ubi rectum fecerant*] אשר כן poſuit pro אשר: & כן, i. אמת *veritas, rectum*, ut Num. 27. 7. כן דברות *rectum loquuntur filiæ Sulphaad.* Aut eſt adverbium כן, i. *verè, rectè*, quod dicunt ὄντως. Sic ὄντως uſurpatur in Euangelio. Vide Concordantias N. T.

11. *Decretum*] פתגם, & ſubintelligitur על particula, ut ſit על מעשה הרעה *de opere malo.* Eſt autem הרעה nomen ſubſtantivum, ſignificans *malitiam*, i. vexationem ſive afflictionem; quam Græci κάκωσιν vocant. Sunt qui conſtruant, *Quia non ſit decretum operis mali*, i. de opere malo. Nam accentus non ſemper impedit conſtructionem. פתגם autem in regimine habet (τ) ut שאר *reliquum.* Vetus noſtra editio, *Quia non profertur citò contra malos ſententia.* Priùs Sym. edideat, Διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπόφασιν. Eſt autem ἀπόφασις hoc in loco *ſententia Judicis*, quæ & ἀπόφανσις: פתגם pro *edicto* ſive *decreto* ſumitur Eſth. 1. 20. ¶ *De opere malo*] Ad verb. *de opere malitiæ.* Nam הרעה *malitia*, quæ hic denotat culpam, non pœnam. Lxx ἀπὸ τῶν ποιούντων τὸ πονηρόν. מעשה הרעה ἀπὸ τοῦ ποιοῦντος. Vulg. *contra malos.* Sententiam expreſſit, non verba. ¶ *In hoc totum eſt cor hominum*, &c.] Verba ſonant ad verbum, *propterea plenum eſt cor filiorum hominum in illis.* Id Gallicè redditur, *pourtant le cœur des humains eſt tout plein dedans eux*: & Græcè à Lxx viris διὰ τοῦτο ἐπληροφορήθη καρδία υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αὐτοῖς. Quid autem hoc ſit explicat Sym. per hæc verba, ἀφόβως καρδίᾳ οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσι, & cum ſecutus noſter, *abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Aquila verò reddidit ἐτόλμησαν. Quò reſpexit fortè Trem. referens, *idcirco prævehit animus hominis eò audaciæ illos.* Nam מלא activè ſumitur in hac phraſi Eſth. 7. 5. אשר מלאו לבו *qui replevit cor ſuum*: i. qui eò audaciæ proceſſit.

12. *Quamvis*] אשר pro כי, i. *Quia, Quamvis.* Notum hoc pueris. Sunt qui legant, *Quia peccator facit malum centies*, &c. *quamvis ſciam ego*, &c. Ratio ejus, quod dixit, *Quia non ſit decretum citò.* Quid ſi vertamus, *Qui peccat, facit malum centies, & producitur ei? Qui peccat*, i. peccator. Hoc vult, *Peccator, etiamſi centies peccet, tamen non punitur.* ¶ *Centies*] מאת, & ſub. פעמים, *centum vicibus*, i. centies. Lxx ἀπὸ τότε, i. מאז. Sym. ἁμαρτὼν γὰρ ὁ κακοῦργος ἀπέθανεν, i. מת. Licet etiam ſubaudire שנים, *ſi peccator faciat malum centum annos*, &c. Sed prius melius. ¶ *Producantur ei dies*] מאריך לו *producitur*, ſive *prorogatur ei*, & ſub. *tempus vitæ*: ut Exod. 20. 12. יאריכון ימיך *producentur dies tui.* Hinc מאריך μακρόβιος 7. 16. Vel *differt ei*, ſub. אפו *iram ſuam*, i. pœnam. Gall. *Dieu luy donne delay.* Alii, *& proroget ei Deus.* Vulg. *& per patientiam ſuſtentatur.* q. d. *Et differat ei Deus.* Mercerus, *Et differtur ei*, ſub. *pœna.* Hinc ארך אפים dicitur, teſte Camio, שמאריך אפו לרשעים וגו'. Ut hîc *differt ei*, ſic alibi R. D. *Deus vocatur* μακρόθυμος, *quia differt iram ſuam improbis, nec ſtatim punit eos.* ¶ *Quod bene erit*] אשר יהיה טוב *quod erit bonum.* Lat. *novi ego fore bonum.* Lxx ὅτι ἐστὶν ἀγαθόν. ¶ *A facie ejus*] Vel *à conſpectu ejus.* Vulg. *qui verentur faciem ejus*, i. præſentiam, aut iram ejus. Sic alibi. *Facies Domini diſperget eos*, i. Ira Domini. Sciendum in Ebræo eſſe non מפניו, i. *à facie ejus*, ſed מלפניו *à coram facie ejus*, ſive *à conſpectu ejus*, ut mox, *qui non timet à conſpectu Dei.* Sic differunt *fugere à facie Domini* & *à coram facie* (ſive *à conſpectu*) *Domini.* Vide Lectiones meas in Jonam. Hâc poſtremâ phraſi ſignificatur Dei providentia, non illa univerſalis, ſed quæ peculiaris genti electæ: Quam cùm fugeret Jonas, dicitur *fugere à conſpectu Domini*, cùm *à facie Domini* nemo fugere poſſit, dicente David, *A facie tua quò fugiam?*

13. *Et quòd bene non erit improbo*] *Novi etiam bonum non fore improbo. Bene non erit* dixit pro *malè erit*: μείωσις ſive λιτότης. ¶ *Neque prorogabit dies*] Neque diu vivet: non erit longævus. Hoc ut plurimùm, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Alioqui ſunt improbi qui vitam prorogent in multos annos. Suprà 7. 16. *Eſt improbus prorogans in malitia ſua.* Huic loco firmando eſt, *Improbi non pervenient ad dimidium dierum ſuorum*: &, *Anni improborum decurtantur.* ¶ *Ut umbra erit*] *Erit* non eſt in fonte. Videtur hoc velle, Ut umbra non diu durat, ſic ille non diu vivet. Sed alibi David, *Dies noſtri ut umbra inclinata.* ¶ *Qui*] Vel *quia.* Nam אשר & pro כי ſumitur.

14. *Eſt vanitas alia*] Adjeci vocem *alia*, quæ deeſſe videbatur. Sic Interpres antiquus, *Eſt & alia vanitas ſuper terram.* ματαιότης. Sym. hoc loco & infrà in hoc verſu reddit ἄπορον, i. *dubium ac perplexum*, *è quo non facilè te extrices.* Gellius *inexplicabile* vocat. Ejus verba ſunt lib. 9. cap. 15. *Exponit igitur tentamenti gratiâ controverſiam parùm conſiſtentem: quod genus Græci ἄπορον vocant: Latinè autem id non nimis incommode Inexplicabile dici poteſt.* ¶ *Sunt juſti*, &c.] Vel *quòd ſint juſti quibus accidit ſecundum opus*, &c. Verbum è verbo, *ad quos pertingit ſecundum opus.* Hoc ſignificat; *Sunt viri boni qui iis ſæpe malis afficiuntur quibus improbi*

probi

probos affici æquius videbatur; & ſunt improbi qui ea referunt præmia quæ piis jure debentur. Vulg. *Sunt juſti quibus mala proveniunt* (aliàs *multa eveniunt*) *quaſi opera egerint impiorum: & ſunt impii qui ità ſecuri ſunt quaſi juſtorum facta habeant.* ¶ *Quibus contingit ſecundùm opus*, &c.] *Quibus uſu venit ac ſi feciſſent opera improborum:* ac ſi vixiſſent quemadmodum improbi vivunt. ¶ *Hoc etiam vanitatem eſſe.*] i. Rem humanâ opinione vaniſſimam & abſurdiſſimam, aut ſecundùm Symmachi editionem, *rem hujuſmodi è qua ſe homo facilè expedire non poſſit.*

15. *Laudavi lætitiam*] Vide ſuprà 3. 12, & 22. Ἐπῄνεσα σὺν τὴν εὐφροσύνην, i. *vitam lætam ac jocundam.* Hîc σὺν reſpondet τῷ את articulo accuſativi caſûs apud Ebræos. Quidam, *Tunc laudavi:* alii, *Laudavi igitur:* alii, *Quapropter laudaveram.* ¶ *Quia non eſt bonum*] Alii, *quod non ſit bonum*, & ſub. *reputans mecum*, aut *cum animo meo.* ¶ *Non eſt bonum niſi*] Latinè, *nihil eſt melius quàm.* Sanè quidem ſunt alia bona ſub Sole quæ hâc locutione non excluduntur. ¶ *Lætetur*] Jocundè & hilariter vivat. ¶ *Et hoc accedat ei*] ילונו dixit pro ילוה עמו *aſſocietur cum eo*, ſive *adjungatur ei:* ut alibi יגורך pro יגור עמך *habitabit tecum.* Quidam *adhærebit ei.* Lxx καὶ αὐτὸ συμπροσέσται αὐτῷ. Sym. ὃ μόνον συμπροσέσται αὐτῷ *cujus ſolùm particeps erit.* Vulg. *& hoc ſolum ſecum auferret.* Gall. *qui luy demeurera.*

16. *Cùm dediſſem*] Vel potiùs, *Cùm darem:* & mox, *non vidit.* Mens horum verborum, *Cùm applicarem animum ad ſtudium ſapientiæ, in eóque me occuparem, nec interdiu nec internoctu vidi ſomnium oculis meis.* *Cor non vidit oculis ſuis*, i. Ego non vidi oculis meis. Simile,

—— *Quem credidit eſſe meum cor.*

Sic Cor *vigilare* dicitur Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sym. διὸ ἔταξα τὴν καρδίαν μου. Sic etiam Santes, *Propterea dedi cor meum.* Lxx ἐν οἷς, i. כאשר. Gall. *apres avoir adonné mon cœur.* ¶ *Ad videndum*] τοῦ ἰδεῖν. ¶ *Occupationem*] Τὸν περισπασμὸν, i. interprete Hier. *diſtentionem.* Malè legitur in libris quibuſdam *diſſenſionem.* Trem. *negotium.* ¶ *Oculis ſuis*] Ut Cor *videre* dicitur, ità etiam ei *oculi* tribuuntur, qui *oculi cordis* ac *mentis* vocantur. Alii ſubintelligunt *homo*, cujus ſuprà meminerat. Suprà 2. 23. *Ne noctu quidem dormit cor ejus.*

17. *Vidi*] *Didici*, i. κατέμαθον. Sic interpretatur Sym. Alii, *cognovi, obſervavi, animadverti.* ¶ *Omne opus Dei*] *Omnia opera Dei*; occulta Dei judicia, & mirabiles effectus providentiæ ipſius, qui ſapientiſſimis quibuſque negotium exhibent. ¶ *Sanè non poteſt homo*, &c.] כי *ſanè.* Rectiùs fortaſſe, *Vidi quòd omnium operum Dei non poſſit homo invenire opus unum*, &c. Nec aliter Vulg. noſter, *Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum quæ fiunt ſub Sole.* ¶ *Opus*] Rationem operis Divini. ¶ *Quod fit ſub Sole*] Multò minùs opera quæ fiunt ſupra cœlum. Culpandi ergò graviter qui eis inveſtigandis oleum & operam perdunt. Bene Socrates monebat, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Nunc reperias qui ſe ſcire arbitrantur quod Deus Pater Filio in aurem dixerit. ¶ *Nec invenit*] *Nec aſſequitur.* ¶ *Sapiens*] החכם ὁ σοφός. ¶ *Futurum eſt ut cognoſcam*] לדעת τοῦ γνῶναι poſuit pro eo quod eſt עתיד לדעת. Quidam, *Potero cognoſcere* (aut, *Dabo operam*) *ut cognoſcam.* Vulg. *ſi dixerit ſe noſſe.*

IDEM.

2. וְעַל דִּבְרַת שְׁבוּעַת אֱלֹהִים אַל־תִּבָּהֵל. Sym. καὶ παρέλθεῖν ὅρκον Θεοῦ μὴ σπούδαζε, *& violare jurandum Dei nè properes.*

5. שׁוֹמֵר מִצְוָה לֹא יֵדַע דָּבָר רָע. Sym. *Qui cuſtodierit mandatum, non experietur rem malam*] Poſtremum membrum Græcè exſtat in ed. Rom. οὐ πειρασθήσεται πράγματος πονηροῦ.

6. כִּי לְכָל־חֵפֶץ יֵשׁ עֵת וּמִשְׁפָּט. Sym. Ὅτι παντὶ πράγματι ἔστι καιρὸς καὶ κρίσις, *Quoniam omni rei eſt tempus & judicium*] Leg. ex ed. Rom. καιρὸς χρείας καὶ τρόπος *tempus neceſſitatis & modus.* Καιρὸς καὶ κρίσις interpretamentum eſt τοῦ ὁ. ¶ כִּי־רָעַת הָאָדָם רַבָּה עָלָיו. Sym. ἡ γὰρ κάκωσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ κατ᾽ αὐτοῦ, *vexatio enim hominis multa eſt contra ipſum.* Th. ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ πολλὴ ἐπ᾽ αὐτὸν, *quoniam ſcientia hominis eſt multa in illum*] *Scientia*, i. דעת.

7. כִּי־אֵינֶנּוּ יֹדֵעַ. Sym. ὅτι οὐκ ἐπίσταται *quia neſcit.* ¶ כִּי כַּאֲשֶׁר יִהְיֶה מִי יַגִּיד לוֹ. Sym. τίς γὰρ τὰ ἐσόμενα ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *quis enim futura annunciabit ei?*

8. וְאֵין מִשְׁלַחַת בַּמִּלְחָמָה. Sym. οὐδὲ ἔστι παρατάξασθαι εἰς πόλεμον, *non licet in procinctu ſtare ad bellum.* ¶ אֶת־בְּעָלָיו.

Sym. ἔχοντα αὐτὴν *habentem eam*] Latinè; *qui eâ præditus eſt.*

9. עֵת אֲשֶׁר שָׁלַט הָאָדָם בְּאָדָם לְרַע לוֹ. Sym. ἔστιν ὅτε ἐξουσίασεν ἄνθρωπος ἀνθρώπου εἰς κακὸν ἑαυτοῦ, *eſt quando homo poteſtate uſus eſt in hominem in malum ſuum.* Aq. καιρὸς ὡς ἐκυρίευσεν ὁ ἄνθρωπος --- *tempus cùm dominatus eſt homo.* ---

10. וּבָאוּ וּמִמְּקוֹם קָדוֹשׁ. Aq. καὶ ἦλθον ἐκ τόπου ἁγίου, *& venerunt ex loco ſancto.* Sym. καὶ ὁπότε περιῆεσαν ἐν τόπῳ ἁγίῳ ἀνέστρεφον, *& cùm circumirent in loco ſancto reverterunt*] יהלכו eſt in fonte, quod magis ſign. *abierunt, iverunt.* ¶ אֲשֶׁר כֵּן־עָשׂוּ. Sym. οἱ δίκαια πράξαντες *ut juſta facientes.*

11. אֲשֶׁר אֵין־נַעֲשָׂה פִתְגָם. Sym. διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπόφασιν *eò quòd non fiat decretum*] *Sententia*, vel *negatio*, aut *contradictio:* ut ſit verbale ab ἀπόφημι *nego, contradico.* ¶ מָלֵא לֵב בְּנֵי־הָאָדָם בָּהֶם לַעֲשׂוֹת רָע. A. ἐτόλμησαν. --- Sym. ἀφόβως καρδίᾳ οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν, *intrepido animo filii hominum malefaciunt.*

12. אֲשֶׁר חֹטֶא עֹשֶׂה רָע מְאַת וּמַאֲרִיךְ. Sym. ἁμαρτών γὰρ ὁ κακοῦργος, ἀπέθανεν μακροθυμίας γενομένης αὐτῷ, *peccans enim maleficus, mortuus eſt poſtquam ira ei dilata fuiſſet*] *Mortuus eſt*; מת.

14. הֶבֶל. Sym. ἄπορον *res impedita & perplexa, & è qua te extricare non potes.* ¶ אֲשֶׁר מַגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הָרְשָׁעִים. Sym. οἷς συμβαίνει κατὰ τὰ ἔργα τῶν ἀσεβῶν, *quibus accidit ſecundùm opera impiorum.* ¶ וְיֵשׁ רְשָׁעִים שֶׁמַּגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הַצַּדִּיקִים. Idem, καὶ εἰσὶ παράνομοι οἷς συμβαίνει ὡς πράξασι κατὰ τὰ ἔργα τῶν δικαίων, *& ſunt improbi quibus accidit ac ſi facerent ſecundùm opera juſtorum.* ¶ הָבֶל. Sym. ἄπορον *inextricabile*] Suprà הבל, idem ἄπορον. Locus plenior eſt in Commentariis Hier. יש הבל אשר נעשה על הארץ. Sym. *Eſt difficile cognitu quod fit ſuper terram.* Ergò ἄπορον interprete Hier. *difficile cognitu.*

15. וְהוּא יִלְוֶנּוּ. Sym. οὐ μόνον συμπροσέσται αὐτῷ *non ſolùm adhæret ei*] *Simul eſt cum eo, particeps eſt*; ut Pſal. 94. μὴ συμπροσέσω σοι *ne particeps ſis.*

16. כַּאֲשֶׁר נָתַתִּי. Sym. διὸ ἔταξα *propterea ordinavi.* ¶ אֶת־הָעִנְיָן. Sym. ἀσχολίαν *occupationem.*

17. וְרָאִיתִי אֶת־כָּל־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים כִּי לֹא יוּכַל הָאָדָם לִמְצוֹא. Sym. Καὶ κατέμαθον ὅτι πάντων τῶν ἔργων τοῦ Θεοῦ οὐ δύναται ὁ ἄνθρωπος ἐξευρεῖν, *Et didici quòd ullum operum Dei non poteſt homo invenire.* ¶ אֶת־הַמַּעֲשֶׂה אֲשֶׁר נַעֲשָׂה. Idem, οὐδὲ ἓν ἔργον πρασσόμενον *nè ullum quidem opus quòd fit.*

AMAMA.

PErgit hoc capite primò tradere præcepta tria ſeu media quorum beneficio aliquis tranquillè in hac vaniſſima vita poteſt vivere uſque ad verſ. octavum. Secundò à verſu 8. uſque ad 15. commemorat tres alias vanitates. Tertio, à 15. indicat rurſus, qua in re conſiſtat felicitas vitæ terrenæ. Primum quod attinet tradit præcepta tria, 1. obediendum Magiſtratui uſque ad verſ. 5. 2. Ne quis ſit curioſè ſollicitus de futuris malis. 3. Conſiderandam eſſe ſæpe certitudinem mortis.

1. *Ego* (moneo te) *ut præceptum Regis obſerves, ſed juxta rationem juramenti Dei.*

2. *Ne perturbatè* (vel *feſtinanter*) *à facie ejus abeas & ne ſtes in re mala, quia, quicquid voluerit, efficiet.*

3. *Ubicunque verbum regis eſt* (ibi) *eſt dominatio. Et quis dicet ei, Quid facis?*

4. *Qui obſervat præceptum non cognoſcet rem malam; at tempus & judicium cognoſcet cor ſapientis.*

Ego] Sub. מַזְהִירְךָ admoneo te. הזהיר Rab. *admonuit.* Occurrit etiam in textu. Vel מְצַוְּךָ jubeo, mando tibi. Hoc modo ſupplet & Junius in prioribus editionibus, *Ego video* אני ראה. At in poſterioribus ſic invenio, *Præſtitutum meum, Præſtitutum Regis obſerva.* R. Sal. ſub. נכון *Ego paratus ſum ad Regis mandatum cuſtodiendum* לשמר. Sine dubio tunc ad Deum referendum, ut & R. Sal. refert primâ expoſitione. Et huc etiam trahit ultimum membrum, quod tunc ſic reddendum, *vel propter juramentum Dei.* i. Deo præſtitum. *Juravimus enim*, inquit ille, *ipſi obedientiam in monte Horeb.*

Præceptum] Ebr. *os.* Os præter alias ſignificationes ſignificat per Metalepſin aut Metonymiam jam præcedentia ſe, jam ſequentia. Præcedentia, nempe *voluntatem, mentem, ſententiam* &c. Sic Joſ. 9. *os ejus non rogarunt.* Jeſ. 30. *Qui deſcendunt in Ægyptum & os meum non interrogârunt.* Sequentia, *mandatum, ſermonem, edictum.* Unde, *ad os alicujus aliquid facere* eſt juxta præſcriptum alicujus aliquid agere, Exod. 16. *Profectus eſt Iſrael ad os* DOMINI. i. mandatum,

tum. Exod. 38. *ad os Moſis*, 2. Reg. 23. *ad os Pharaonis.* Unde & *Transgredi os alicujus.* 1. Sam. 15. *Peccavi quia tranſgreſſus ſum os DOMINI & os tuum.*

Regis] מֶלֶךְ à Chald. מְלַךְ, conſuluit, quia debent conſilio pollere. Unde מִלְכָא conſilium. Derivantur autem quædam Ebraica à Chaldæis eodem modo quo & ab Arabico quædam deducuntur. Vide quæ notavimus ad שמים & אלהים ad cap. 1. Thalm. dicunt רֵךְ & רִכָּא, unde de Herode dicunt לא רכא ולא בר רכא *ne Rex nec filius Regis.* Forte hinc Lat. *Rex.* Atque hinc quidam lucem faciunt vocabulo אַבְרֵךְ Gen. 41. *Ut fuerit promulgatus Pater Regni*, quod Romanis *Pater Patriæ.* Sed præſtat intra cancellos Ebraiſmi ſe continere, ut ſit Infin. Hiphil pro הַבְרֵךְ ex Dialecto Chald. Et hoc confirmat ſequens Infin. וְנָתוֹן, ut ſenſus ſit, Regium præconem clamaſſe ei geniculandum & datum ſeu conſtitutum à Pharaone in præfectum totius Ægypti. *Reges* vocantur in S. L. & minores magiſtratus, ut Jud. 1. cum Adonibezec dicit *ſe habuiſſe ſub menſa ſua 70 Reges.* Et Joſ. 11. numerantur XI Reges quos debellavit Joſua, qui tantum habitabant in Canaan. Sic Jud. 17. 18. dicitur *nullus fuiſſe Rex in Iſrael.* i. Judex.

Sed pro ratione] ועל דברת. Vau pro *ſed* frequens. על דברת aliquando propter ſignificat, unde quidam hic, *propter juramentum Dei.* i. præſtitum Deo. Alii ad שְׁמֹר referunt, cuſtodi & negotium juramenti Dei. Solet enim Scriptura ferè timorem Dei cum obedientia Regum conjungere, ut in Prov. *Deum time & Regem.* Rab. Sal. ſic exponit, ut conditionem includat, ſalvo juramento Dei, Deo plus quam hominibus obediendum eſt. Jun. *Eſt moderatio obſequii debiti Magiſtratibus.*

Ne perturbatè exeas] Cum tibi Rex aliquid mandaverit noli perturbatè exire à facie ejus, ne ſubducas te ejus obſequio animo perturbato. Ebr. ad verbum, *ne perturberis exeas à facie ejus.* Si legis תִּבָּהֵל. i. perturbate. Vel, *ne feſtines exeas* &c. i. feſtinanter abeas, ſi legis תְּבַהֵל. Quanquam & בָּהַל in Niphal in ſign. accelerandi inveniatur. Obſerva hic quædam verba conſtrui cum aliis ſimili perſona & tempore, quæ in adverbia reſolvi debent, aut, ut quidam, quorum poſterius in Infinit. debet reſolvi, ſed hoc in omnibus locum non habet. Ut hoc loco, ſic Pſal. 45. צלח רכב *proſperare equita.* i. proſpere equita. 1. Sam. 2. אל הרבו הדברו *ne multiplicetis loquamini* i. multum loquamini. Sic Pſa. 51. הרב כבסני *multiplica lava me.* i. multum. Kimchi hic accipit pro *terreri* & אל ſumit pro לא q. d. ſi hoc feceris, non terreberis ita ut à conſpectu ejus tibi ſit abeundum, nec ſtabis in malo ſcilicet pœnæ. Sed præſtat ſenſus prior.

Ne ſtes in re malâ] Intelligit malum culpæ, rebellionem & perturbationem. Videtur aliquid Emphaſeos latere ſub voce תַּעֲמֹד. Humanum eſt labi, at durare, permanere, id eſt, ſtare in eo, diabolicum eſt.

Quicquid volet efficiet] Nunquam ergo effugies. *An neſcis longas Regibus eſſe manus?* Sive jure ſive injuria agat.

3. Succurrit hic per occupationem objectioni. At effugiam dices. Mittet poſt te. Ubicunque enim eſt, vel quocunque pervenit verbum ejus, ibi eſt poteſtas ejus.

Ubicunque] באשר. R. Sal. בעבור אשר. Eò quòd verbum Regis dominatur. Sunt enim qui שלטון Dominum exponunt. Sic & Kimchi. Sic & in Proverbio iſto ſumitur ההרג לעל כל דבר שלטון *Diligentia DOMINUS eſt cuicunque rei.* Vel dominator.

Verbum] Id eſt præceptum. Sic עשרה דברים *Decem verba* i. præcepta.

4. *Qui cuſtodit præceptum*] Suadet obedientiam ab utili. מצוה licet ſæpe generaliter ſumatur pro quovis mandato divino, tamen accuratiores ſic diſtinguunt inter מצות חקות & משפטים, ut מצות ſit præcepta moralia, חקת ceremonialia & משפ' judicialia, politica. Rom. 13. *Magiſtratus non ſunt metui bonis operibus ſed malis: Vis autem non timere poteſtatem, fac bonum, & laudem ab ipſa obtinebis.*

Noſcet malum] Scilicet pœnæ. *Noſcet* i. ſentiet, experietur. Hoc frequens eſt.

Tempus & judicium noſcit cor ſapiens] Novit tempus cujuſcunque rei agendæ & judicium quoque, id eſt, modum & rationem, qua quidque agendum eſt. Jun. *Tempus obſequendi, diſſimulandi & ab obſequio recedendi.*

Judicium] i. rationem & modum aliquid agendi. Sic Joſ. 6. 18. *Et circuibant urbem ſequenti die* כמשפט הזה *eodem modo.* Talia loca plura ſunt.

Novit] Poteſt & exponi per *curam habet*, q. d. curam habet temporis & judicii i. juris & rationis. Sic Deus dicitur *noviſſe viam juſtorum* Pſal. 1. & in Prov. *juſtus noviſſe animam jumenti ſui.* i. curam habere. R. Sal. per *judicium* intelligit vindictam & ſupplicium, quæ ſcit manere improbos, licet Deus aut Rex pœnam aliquando differant. Sic ſæpe accipitur vox משפט Prov. 19. *Parata ſunt irriſoribus* משפטים *judicia.* 2. Petri. *Quorum judicium jam olim non ceſſat.*

5. *Nam* (quia) *omni deſiderio eſt tempus & judicium id*, (ideo) *quod homini magnum eſt malum.*

6. *Quia neſcit ille quid futurum ſit, nam quando futurum ſit quis indicabit ei.*

Omni deſiderio] id eſt, rei. Vide ad cap. 1. verſ. 1.

Judicium] ſi non ſtatim, tamen tandem, aut à Rege, vel à Deo futuro ſeculo punientur.

Quia magnum hominis malum ſuper ipſum] Kimchi hoc refert ad verſ. 1. *Obſerva mandatum Regis, magnum enim impendet homini malum, qui hoc non facit.* Sed quia hoc longius petitum; videtur melius ad totum hunc diſcurſum pertinere Mercero, *Eſt quidem cuique ſuum tempus & judicium, ſed ignotum homini, id quod malum ipſi eſt.* Intellige ergo hic per *malum* malum pœnæ. Infelicitas certè hominis eſt, quod malum providere non poſſit. Hoc eſt quod ſubdit verſ.

6. *Quia neſcit &c.*] Vult itaque monere ne in futura mala utpote quæ nos celata voluit Deus, curiosè inquiramus. Addam duas alias expoſitiones. LXX. Παντὶ πράγματι ἐστι καιρὸς κρίσεως, ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ ἐστι ἐπ' αὐτόν. Ubi quædam obſervanda, primò חפץ per πρᾶγμα efferunt, ut nos; deinde neglexerunt ו copul. ante משפט. Sed quædam exemplaria habent καιρὸς καὶ κρίσις. Ultimò, pro רעת legerunt דעת, ד pro ר. Tale quid habuimus ſupra. Symm. tamen vertit κάκωσις, *afflictio.* Tremellius in Editionibus primis conjungit planè hos verſus, *Omni rei ſuum tempus & ratio, ſed malum hominis multum incumbit ei. Qui non agnoſcit id quod futurum eſt, quomodo enim futurum ſit quis indicet ei?* Ubi tantùm hoc animadverto כי duriſſime pro rel. אשר ſumi. In reliquis nihil decerno. Simpliciſſima eſt expoſitio prima, cui per omnia quoad ſenſum reſpondet nova veſtra Anglicana; *Propterea homini incumbit malum, neſcit enim &c.* Ubi hoc adhuc obſervandum particulam כי per ideò expreſſum *therefore.* Atque ſic (a) acceperim 1. Sam. 2. 25. *Filii Eli inobedientes erant patri ſuo* כי *propterea DOMINUS volebat eos occidere.* Durum enim nimis videtur vertere, *quia DOMINUS volebat*, ac ſi videretur inobedientia eorum fuiſſe effectum voluntatis divinæ. Scio quid reſpondeatur. Sed quid opus eſt in tales anguſtias te conjicere quas vitare potes? Sic & Gen. 22. 17. Contradictionem non admittit παράλληλον 2. Cor. 4. ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα ex Ebræo Pſ. 116. האמנתי כי אדבר.

7. *Non eſt quiſpiam dominus in ſpiritu, ut contineat incluſum ſpiritum, neque eſt dominatio in die mortis neque eſt miſſile in iſto prælio, neque impietas liberabit eum, qui præditus eſt eâ.*

Tertium proponit præceptum his verbis incluſum, conſiderandam ſcilicet eſſe mortis certitudinem; propterea operam ludunt qui de his talibus inter ſe connectendis ſatagunt.

Spiritum] i. animam hoc loco. Sic, *in manus tuas commendo ſpiritum meum. Spiritus redit ad Deum qui dedit ipſum*, in hoc ipſo libro. Aliquando videtur diſtingui, ut 1. Theſſ. 5. 23. *ut ſpiritus & anima veſtra & corpus veſtrum integra conſerventur in adventum DOMINI.* In cantico trium puerorum, *Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum DOMINO.* An dicemus & in iſtis poni (b) exegeticè? ut Gen. 14. 23. ואם אקח hoc eſt, *ſi accepero.* Ut & in eo Virgilii, *Judicium Paridis ſpretæque injuria formæ*, & in eo Heſiodi ἄργε καὶ κυνὸς ἐρχομένου. Nam ſimpliciter nomine ἄργε *Canem* ſignificabant. Ut ut ſit, Ebræi licet ſæpe inter ſe confundant hæc tria נפש, רוח & נשמה, tamen ita ſolent diſtinguere teſte Aben Ezra ad cap. 7. hujus libri, *Anima*, inquit, *habet tres facultates, prima vegetans dicitur* נפש; *ſecunda ſenſitiva vocatur* רוח, *tertia rationalis dicitur* נשמה *quam dicunt eſſe hominis propriam.* Vide Druſium ad locum illum Epiſt. ad Theſſalon. Ubi plura habebis ejus argumenti.

Ad continendum &c.] לכ לא. כֶּלֶא ſignificat *carcerem, ergaſtulum*, unde deduxerim כְּלֹא hoc loco, *quaſi in Ergaſtulo detinere.* Unde AbenEzra optimè colligit animam in corpore eſſe tanquam captivum in carcere.

Miſſile in iſto bello] *Neque valet miſſile in iſto bello* בכל' מלחמה. Nam rigidum jus eſt & inevitabile mortis. ב includit articulum ה, qui hic emphaticus eſt. Porro vox מִשְׁלַחַת videtur hic idem eſſe, quod שֶׁלַח miſſile, telum quo nomine omnem apparatum bellicum intelligunt & quodvis armorum genus, à שָׁלַח mittere,

(a) *Non ſolùm ita Vorſtius, ſed & Alſtedius bis in Præl. Theol. Sic & Lucæ 7.* Dimiſſa ſunt ei peccata multa ὅτι ἠγάπησε πολύ. (b) *Druſ. de literis Moſche Vecaleb p. 29.*

mittere, immittere, unde & שֻׁלְחָן menſa à miſſione ferculorum, quæ *miſſus* vocamus. Hincque veteres deduxerunt vocem illam *Silo* Gen. 49. Ac proinde verterunt *Mittendus*, ac ſi cum ח ſcriptum eſſet. Sed quia habet ה in fine, præſtat à שָׁלָה deducere, quod eſt *tranquillum eſſe*, unde שִׁלֹה quaſi tranquillitatis perpetuæ author, & tunc ה non erit pro affixo Vau. Aut שִׁילֹה quaſi שִׁילוֹ erit pro שִׁלְיָתוֹ ut פִּשְׁתִּי pro פִּשְׁתוֹ, & ה pro ו ut דְּבָרֹה *verbum ejus*, id eſt, *ſecundina ejus*, & Metonym. *filius ejus*. Et ſic concludit AbenEzra ad eum locum בְּנוֹ. Et R. Bechai, שילה בנו שנולד כשליה אשה &c. *Silo. i. filius ejus quia naſciturus eſt ex ſecundina mulieris.* Vocatur autem ſecundina שִׁלְיָה, à שלה *tranquillum eſſe*, quia ibi tranquillus eſt fœtus & quieſcit. Concludam hoc cabaliſtico, quod ex Hiskuni producit Buxtorfius יבא שילה in Gematria valere 358, totidemque valere vocem משיח.

Impietas non liberabit &c.] Sunt qui intelligunt opes improbè partas. Jun. & Trem. *Non liberabit conſiſtatio utentem ipſa.* Sed ut rectè Piſc. animadvertit, רשע habitum, non actum ſignificat. Sic & בעל nunquam actum ſignificat ſed habentiam vel habitum. Significat enim talem, qui aliquid habet, hinc dominum ſignificat & maritum, vel qui aliquo habitu præditus eſt, unde per *præditus* reddi ſolet, quando à prima illa ſignificatione recedit; ut בעל כנף *præditum alâ*, *alatum*; בעל נפש in Proverb. *guloſus*. בעל חמה *iracundus*. Sic בעלת [illegible] quæ habet ſpiritum Pythonicum, de quo aliàs. Porro Tremell. & Jun. referunt hunc verſum ad præcedentia, & intelligunt de morte à Rege mandata, quæ non poteſt à rebelli vitari.

8. *Omne hoc vidi & applicui cor meum ad omne opus quod fit ſub ſole & (vidi) tempus (eſſe) quo dominatur homo in hominem in malum illi.*

9. *Tunc vidi improbos ſepultos qui redierunt. At ex loco Sancti (vidi) quod abierint & oblivioni traditi fuerint in civitate in qua rectum egerunt. Et hoc eſt vanitas.*

Incipit hic ſecunda capitis pars, qua proponit tres vanitates. i. malos ſæpe promoveri ad gubernacula Rerump. pios repudiari. 2. multos ſe dare ſecuritati carnali ex ſiniſtro judicio de Dei providentia. 3. Bonis ſæpe malum eſſe hic & contra.

8. *In malum illi*] iſtius ſubditi vel populi, cui dominatur. Alii *in malum ſibi*, malo ſuo, & ſic R. Sal. Tyrannis enim tyrannis ſua ſolet tandem eſſe exitio.

9. Hunc locum quidam intelligunt, ut ſit antitheſis in eo boni & mali Magiſtratus. *Tunc vidi*, inquit, *improbos* (id eſt Tyrannos, qui ſic dominati ſunt) *ſepultos* (quaſi ſepultos, à ſubditis depulſos) *ſed redierunt* (ſc. ad dominatum in integrum reſtituti, vel ut alii, in poſteris & ſucceſſoribus). *At ex loco ſancti* (ſc. Dei. i. Jeroſolyma vel ex ſolio judiciali) vidi, *quod abierint* (mortui fuerint pii gubernatores) *& oblivioni traditi fuerint in civitate in qua rectum egerunt &c.*

Ex loco ſancti] Sub. Dei urbe, quæ ſancta fuit DOMINO; vel intelligit tribunal & ſolium judicii, qui locus Dei eſt, quem tenent Judices & Magiſtratus ceu Vicarii Dei.

Alii hunc verſum totum intelligunt de malis judicibus, ſed adhuc duplici ſenſu. Quidam enim ſic: Vidi improbos ſepul. tos poſtquam diſceſſerunt, perierunt poſtquam è loco ſancti diſceſſerunt oblivioni tradi in ea civitate, in qua ſic fecerunt &c. Sic Tremellius & Jun. Hi באו & יהלכו in eadem ſignificatione ſumunt, cum tamen הלך propriè ſignificet *ire*, & בא *venire*; niſi cum ſoli tribuuntur, tunc enim contraria ſignificant, בא *occidere* & הלך *oriri*, *venire*, *ingredi*. Sumitur tamen & alibi aliquando pro הלך Jon. 1. *invenit navem euntem* בָּאָה *Tharſum.* Deinde ו per *poſtquam* exponunt, quod exemplis probari poteſt, in Jeſ. *Tu iratus fuiſti* ונחטא *poſtquam peccavimus*, Jud. 2. 22. וימת *poſtquam mortuus eſſet* &c. Poſtremò כן acceperunt pro *ſic*, quæ ſignificatio uſitatior eſt priori. Sumitur tamen pro recto locis multis, Num. 27. 7. 2. Reg. 7. 9. Vide in Theſ. כן apud Lexicographos.

Quidam tandem ſic legunt intelligentes totum quidem de improbis, ſed mutato ſenſu in poſteriori membro, Vidi poſtquam è loco ſancti diſceſſerunt וישתבחו quod laudati fuerint, vel laudentur in civitate iſta, in qua ſic egerunt, in qua tantam tyrannidem exercuerunt. Hi legunt vocem illam cum ב. Et ſic legit R. Salo. *Ne legas*, inquit וְיִשְׁתַּכְּחוּ ſed lege וְיִשְׁתַּבְּחוּ. Et ſic Græci ἐπῃνέθησαν.

Sunt qui יְהַלֵּכוּ non pro יֵלְכוּ, ſed tranſitivè uſurpatum putent hoc ſenſu, Et eos, qui de loco ſancti ſunt, ire faciunt, fugant, ne coram ipſis comparere audeant, unde in Proverb. aliquoties legimus *regnantibus improbis latere pios.*

10. *Quia non fit ſententia operis mali citò, propterea plenum eſt cor filiorum hominum ut faciant malum.*

11. *Quamvis peccans faciat malum centies & differtur ei* (ſupplicium) *tamen ego novi, quod benè erit timentibus Deum, iis*, inquam, *qui timent à facie ejus.*

12. *At benè non erit improbo & non prolongabit dies ſimiles umbræ, ille*, inquam, *qui non timet à facie Dei.*

Ponit primo verſu ſecundam vanitatem, multos ſc. ſe dare ſecuritati carnali ob ſiniſtrum de Dei providentia judicium. Poſtea autem 11. & 12. ponit remedium aliquod à gubernatione Dei.

Quia non fit] אשר hoc loco pro בעבור אשר. Sic 1. Reg. 15. 13. *Et etiam Mahacah matrem ſuam removit Aſa eò quod* (אשר) *fecerat ſtatuam cum luco.* Jun. *aviam.*

Sententia operis mali] i. de opere malò. פִּתְגָם cum ", licet ſit in regimine. Sic Eſth. 1. 20. פִּתְגָם הַמֶּלֶךְ. Junius tamen ſtinguit, *Quia non fit decretum*, *compenſatio iſtius mali ſubito*, ob accentum Sakeph Katon, *& compenſationem mali* per Metonym. vertit. Sic alibi, *pœna* pro peccati pœna & in N. T. *peccatum* pro victima pro peccato.

Propterea plenum eſt &c.] i. propterea fervet animus illorum in iis. Hæc phraſis tranſitivè ſumitur Eſth. 7. 5. *Quis eſt iſte* אשר מלאו לבו *quem provexit eò audacia cor ſuum?* Lxx. Emphaticè διὰ τοῦτο ἐπληροφορήθη ἡ καρδία τ &c. Ideo certum & ſecurum redditur, quaſi certioratur &c. Symm. ad ſenſum benè, διὰ τοῦτο ἀφόβῳ καρδίᾳ οἱ υἱοὶ τ ἀνθρώπων κακουργοῦσιν.

Non fit] נַעֲשָׂה. Cùm אין non jungatur præteritis, נעשה ſtatuendum hic eſſe part. fœmininum, & referri ad totum complexum aut dicendum פתגם hic ſumi fœmin. ut infra עַל.

11. *Centies*] מְאַת Sub. פְּעָמִים vicibus vel שָׁנִים annis. Nota ut Ebræi ab uno ad decem numeros unitatis ſolent exprimere ſingul. numero, & numeratum plurali ut שְׁלֹשָׁה יָמִים tres dies: à decem vero ad centum contra, ut שְׁלשִׁים יוֹם xxx dies. Sic etiam centum ſingul. componitur cum nomine plur. מְאַת שָׁנִים & quidem in Regim. at plurale contra ſe habet; dicis enim אַרְבַּע מֵאוֹת יוֹם 400 dies.

Et differatur ei (ſupplicium) ומאריך לו] Sunt enim qui accipiunt *Maarich* hic intranſitivè, *& prolongetur.* Sic in Decalogo למען יאריכן ימיך *ut prolongentur dies tui.* Verùm Junius tranſitivè exponit, *& prolonget ei Deus* (dies). Ponit vocem *dies* aliis characteribus, *Deus* vero ac ſi eſſet in Ebr. At utrumque abeſt. Ebræi vero qui hic ſupplent vocem Deus cum Junio, ſubaudiunt, porro ſupplicium, *Licet prolonget ei Deus ſupplicium.* Et ſic accipiunt etiam iidem illud in Decalogo, *ut prolonget, producant* (te) *dies tui.*

Et bonum non erit improbo] לָרָשָׁע. De voce hac jam aliquando diximus. In plurali רְשָׁעִים. Quod in veteribus exemplaribus bis, ſic רְשָׁעִים Job. 38. 13. & 14. Notant Ebræi ſuſpenſam & quaſi eliſam literam ע ex iſtis, ut doceretur improbos eliſa ע. i. oculo mentis fieri verè pauperes. Duo loca ſimilia ſunt, in quibus taliter ſuſpenditur litera, unus eſt Pſ. 80. 14. in מִיַּעַר. Alter eſt Jud. 18. 30. in מְנַשֶּׁה. Locum Pſ. quod attinet ſunt qui putant iſta ע ſuſpenſa intelligi 70 annos captivitatis Babyloniceæ. At Neoterici ſunt hic admodum virulenti. Nam dicunt iſtam ע ſuſpenſam quaſi ſuſpendium minari, aut ſaltem indicari Chriſtianos, quos vocat iſto loco R. Bechai *cultores ſuſpenſi*, dignos eſſe qui ſic ſuſpendantur. Sic enim ille, ע *ſuſpenſa eſt.* *Quia ſic ſint omnes cultores ſuſpenſi iſtius.* Illud Nun verò quod attinet in מְנַשֶּׁה Jud. 18. Gerſon בֶּן־מְנַשֶּׁה. Dicunt iſtum Gerſom fuiſſe filium Moſis, nè tamen inureretur Moſi contumelia, quod talem filium utpote ad idololatriam prolapſum ipſi aſcribat hiſtoria, inſertam eſſe literam Nun, ſuſpenſam tamen nihilominus, ut prudens & eruditus lector colligeret eum verè fuiſſe filium Moſis, ac ſi populum & vulgus tantum decipere illis fuiſſet animus. Nugæ & fabulæ.

13. *Eſt* (alia) *vanitas quæ fit ſuper terram, quod ſint juſti quibus evenit juxta opus improborum, & quod ſint improbi quibus evenit juxtà opus juſtorum, dixi & hoc eſſe vanitatem.*

Vanitas tertia & ultima hujus capitis. Vocat autem vanitatem non ex parte Dei, ille enim ſapienter omnia gubernat, ſed ex parte hominum & quidem eorum qui judicia Dei non conſiderant.

Evenit] Sic & Lxx. ὅτι φθάνει ἐπ᾽ αὐτοὺς &c. Alii, ὅτι φθάνει πρὸς αὐτοὺς ad verbum. Symm. ὃις συμβαίνει. נגע in Hiphil tranſit. & intranſ. eſt. Significat enim *pertingere*, *appetere*, *uſu venire & facere pertingere*, *evenire*, *perducere* &c. In Midras Ebræi hoc loco ſic habent, *Felices juſti*, *quibus accidit juxta factum impiorum*, *quia ampliſſima ipſis merces & gloria eſt repoſita: contra væ improbis*, *quibus accidit juxta factum piorum*, *quia attolluntur*, *ut gravius cadant &c.*

14. *Lau-*

tum. Exod. 38. *ad os Moſis*, 2. Reg. 23. *ad os Pharaon*
Unde & *Tranſgredi os alicujus*. 1. Sam. 15. *Peccavi*
tranſgreſſus ſum os DOMINI & os tuum.

Regis] מֶלֶךְ à Chald. מְלַךְ, conſuluit, quia debent conſ
pollere. Unde מִלְּכָא conſilium. Derivantur autem
Ebraica à Chaldæis eodem modo quo & ab Arabico q
deducuntur. Vide quæ notavimus ad שכים &
cap. 1. Thalm. dicunt רֵךְ & רִכָּא, unde de Herode
לא רכא ולא בר רכא *ne Rex nec filius Regis*. Forte hi
Rex. Atque hinc quidam lucem faciunt vocabulo אַבְרֵךְ
41. *Ut fuerit promulgatus Pater Regni*, quod Roman
Patriæ. Sed præſtat intra cancellos Ebraiſmi ſe conti
ſit Infin. Hiphil pro הַבְרֵךְ ex Dialecto Chald. Et hoc
mat ſequens Infin. וְנָתוֹן, ut ſenſus ſit, Regium præco
maſſe ei geniculandum & datum ſeu conſtitutum à
in præfectum totius Ægypti. *Reges* vocantur in S.
nores magiſtratus, ut Jud. 1. cum Adonibezec dici
ſub menſa ſua 70 Reges. Et Joſ. 11. numerantu
quos debellavit Joſua, qui tantum habitabant in C.
Jud. 17. 18. dicitur *nullus fuiſſe Rex in Iſrael*. i.

Sed pro ratione] ועל דברת. Vau pro *ſed* freq
aliquando propter ſignificat, unde quidam hic
mentum Dei. i. præſtitum Deo. Alii ad שמר
ſtodi & negotium juramenti Dei. Solet enim
morem Dei cum obedientia Regum conjunge
Deum time & Regem. Rab. Sal. ſic exponit
includat, ſalvo juramento Dei, Deo plu
obediendum eſt. Jun. *Eſt moderatio o*
ſtratibus.

Ne perturbatè exeas] Cum tibi Rex
perturbatè exire à facie ejus, ne ſubdu
mo perturbato. Ebr. ad verbum, *ne*
ejus. Si legis תִּבָּהֵל. i. perturbate
i. feſtinanter abeas, ſi legis תְּבַהֵל
Niphal in ſign. accelerandi inveniat
verba conſtrui cum aliis ſimili perſ
verbia reſolvi debent, aut, ut qu
Infinit. debet reſolvi, ſed hoc in on
hoc loco, ſic Pſal. 45. צלח רכב
equita. 1. Sam. 2. אל תרבו תדברו
i. multum loquamini. Sic Pſa. 51
me. i. multum. Kimchi hic acc
לא q. d. ſi hoc feceris, non terreb
ſit abeundum, nec ſtabis in m
ſenſus prior.

Ne ſtes in re malâ] Intelligi
& perturbationem. Videtur ali
תַּעֲמֹד. Humanum eſt labi, at du
in eo, diabolicum eſt.

Quicquid volet efficiet] Nun
longas Regibus eſſe manus? Sive

3. Succurrit hic per occupatio
dices. Mittet poſt te. Ubicunq
pervenit verbum ejus, ibi eſt po

Ubicunque] באשר. R. Sal. אשר
Regis dominatur. Sunt enim qui
Sic & Kimchi. Sic & in Proverbio
דבר שלטון *Diligentia DOMINU*
dominator.

Verbum] Id eſt præceptum. Sic
ba i. præcepta.

4. *Qui cuſtodit præceptum*] Suad
מצוה licet ſæpe generaliter ſumatur pro
tamen accuratiores ſic diſtinguunt inter
ut מצוה ſit præcepta moralia, חקה ceremo
lia, politica. Rom. 13. *Magiſtratus non*
ribus ſed malis: Vis autem non timere p
& laudem ab ipſa obtinebis.

Noſcet malum] Scilicet pœnæ. *Noſcet*
Hoc frequens eſt.

Tempus & judicium *ſapiens*]
juſcunque rei agendæ & quoque, id
rationem, qua quidque eſt. Jun. *T*
di, diſſimulandi & ab *dendi.*

Judicium] i. ration aliquid
6. 18. *Et circuibant* *uenti die*
modo. Talia loca plu

Novit] Poteſt & c
bet temporis & judic
noviſſe viam juſtorum
viam jumenti ſui. i.

aras.

Id eſt, in qua
bus ſermo præ-

parta imperiis nul-

ira malos ſententia,
mala] Egregia ad-
Pſalm. XXXVII. &
, quod eſt belli Gal-
ſemetipſum : *Conſuéſſe*
ex commutatione re-
ulciſci velint, his ſecun-
impunitatem concedere.

, ὅτι
ἐπέρχεται
κακιστάτου.
ρίαι,
ὃν τρόπον
ιμωρίας
ῦνται βροτοί.
ντες κακοί,
χρόνοις.
audes, homo,
nus non vindicant,
, cauſam accipe.
aret culpa diem,
in ſolo, deos
; pœnâ nunc longè ſitâ
ingenio frui:
ca in piaculis,
od ſat eſt, pœnas luunt.]

Εἰ τοῖς ἡμαρτηκόσιν εὐθὺς ἠκολύθουν αἱ
ἀγῶντες ἄνθρωποι ἀρετὴν οὐκ ἂν εἶχον
ni illico pœna ſequerentur, homines ne-
ac ſic virtutem non haberent]. Addam &
ſectra :

οὐδέ τις κακοῦργος ὢν
ρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
τὴν δίκην, πρὶν ὂν τέλος
κηται. καὶ τέλος κάμψῃ βίου.
— *quiſquis eſt ergò malus,*
ſi curricula bene confecerit
tetur ultionis cœlitum,
atia reſtant aliqua & ad metam labor.]

n datur intelligi, Si Deus tyrannos tam patienter
intò magis id eos debere facere qui ſub eorum vi-

men peccator ex eo quòd centies facit malum] Id
s peccator centies impunè peccet.
ſit bonum impio] *Non erit.* Prædicit, non im-

gentur dies ejus] *Nec prolongabuntur.* Violen-

quibus mala proveniunt, quaſi opera egerint
Hebræo: *Sunt juſti ad quos ea pertingunt quæ*
us impiis.
gerem diſtentionem quæ verſatur in terra] In
m quod fit ſuper terram: id eſt, τὴν πολιτ-
am], quam Hebræi vocant דרך ארץ [*viam*

quòd omnium operum Dei nullam poſſit
em] Senſus eſt, Non omnium Dei ope-
i apparere. ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ [*in-*
, Rom. XI. 33.

P. IX.

STERUS.

lium] Quidam Hebræorum ſic
ligit homo & id quod exſecra-

tur, in manu Dei eſt, qui vel illud tribuat vel avertat, & homo ipſe ſenſu id percipere nequit, cùm hoc ſit ante ipſum; h. e. *cùm illud adhuc exſpectet.* Alii exponunt לפניהם pro קודם referuntque ad prædeſtinationem, quam גזרה vocant : ut ſit ſenſus, *Fecit Deus ab æterno vaſa iræ & vaſa honoris.* R. S. verò hunc locum ſic exponit, *Niſi homines ſint juſti & ſapientes, non advertunt num diligantur aut odio habeantur à Deo: omnia igitur ſunt ante eos*, h. e. *juſti omnia hæc conſiderant.* Porrò antitheſes illæ, *juſtus* & *impius*, *bonus* & *immundus*, &c. ab Hebræis ſic explicantur, *Juſtus & Impius in opere, Purus & Immundus in corpore, Bonus & Peccans in corde, Jurans verbis, & Sacrificans exteriorem ſubſtantiam.*

3. *Ad mortuos*] Qui ponunt unum eventum, & non faciunt diſcretionem inter pios & impios, hi *noviſſimè* deſcendent *ad infernum*, negantes ultionem Divinam atque remunerationem quam faciet piis & impiis. Si tamen aliquis reſipuerit ab hac ſtulta opinione quamdiu eſt in hoc mundo, hic *ſpem* habet ſalutis.

5. *Mortui*] Loquitur de damnatis, quibus non prodeſt quod Deum aliquando dilexerunt, aut vitia odio habuerunt, &c. ob id quòd non perſeveraverunt uſque in finem.

9. *Vide vitam*] h. e. Fruere vitâ. Eſt autem ſenſus, Quando ſcis te & *opera tua Deo placere*, tum *lætus* poteris *bibere & comedere*, & erunt *opera tua ſplendida*, & bonum nomen nunquam *deſtituet* te : ſed & nè erres in aliena, poteris tibi aſſociare *uxorem quam* ſolam *diligas: manus* quoque tuæ erunt apertæ ad pauperes, &c. Alii putant intelligenda ad literam de animali homine, qui ſolùm in hoc mundo quærendam putat voluptatem, & *in ſepulcro*, h. e. poſt mortem, non credit eſſe *ullum opus, rationem, ſapientiam*, &c. Hi non putant diſtare ſortem piorum à ſorte impiorum : ideo dicunt, *Ede, bibe, lude, quia poſt mortem nulla voluptas.*

11. *Opportunitate*] Aben Ezra exponit hanc *opportunitatem* & *occurſum* מערכת העליונה *fatum* ſive *ordinationem Divinam*, quæ omnia moderatur juxta voluntatem ſuam. Hinc enim eſt ut claudi ſæpe evadant periculum, & *apti ad curſum* incidant in illud; debiliores prævaleant *fortioribus* in *bello*; ſtulti abundent *pane*, & *ſapientes* in egeſtate vivant; ignavi homines habeant *gratiam* & obedientiam apud ſubditos, *ſcientiâ* autem *præditi* contumaciam & rebellionem.

VATABLUS.

1. ET *ut declararem* ולבור] Pro לברור poſitum. Quidam Heb. dicunt dictionem aliquam eſſe ſubaudiendam, quòd præcedat ו. Alii ſcribunt hic ו redundare. ¶ *Etiam amorem*, &c. גם אהבה וגו'] *Præterea nec amorem, nec odium novit homo*, cùm *omnia ſint ante eos* : i. nec rationem amoris nec odii novit homo ut homo eſt, tametſi omnia quæ probis & improbis eveniunt ab eo videantur.

3. *Et etiam* וגם] *Et præterea.* ¶ *Et poſt hoc, ad mortuos* ואחריו וגו'] Genus dicendi Hebraicum quod quidam reddunt, *& noviſſimum cujuſlibet ſit ad mortuos.* Alii, *Et poſtea* deſcendunt *ad mortuos.* Alii, *Et qui ſequitur ipſum*, [ſub. *cor*] *ad mortuos* pergit.

4. *Quia cuicunque*, &c. כי מי אשר וגו'] *Ille tamen qui ſocietatem habet cum omnibus viventibus, ſpem habet.* Alii, *Nam quis eſt qui adjungat ſe ſocium* mortuo? *in omnibus vivis eſt ſpes.* Hoc eſt, *Quis eſt ex vivis qui ſe poſſit adjungere ac ſociare* (id ſignificat יחבר) *mortuo, ut beneficio illius reſipiſcat?* Vel, *Quis eſt ex vivis qui eligat ſibi pro ſocio* [id ſignificat altera lectio יבחר] *unum ex mortuis, cujus admonitione reſipiſcere poſſit?* Ergò deteriori ſunt conditione mortui vivis hac in parte, vivis, inquam, etiam peſſimis: quia etiamſi peſſimi ſint, tamen reſipiſcere poſſunt. ¶ *Canis vivus*, &c. לכלב חי וגו'] *Cane vivo melius eſt quàm leoni mortuo.* Vel, *canis vivus præſtat leone mortuo.*

6. *In omni* בכל] *Ex omni.* ב pro מן poſitum, ut annotant Hebræi.

7. *Grata ſunt Deo* רצה האלהים] *Grata habuit Deus*, &c. Quidam vertunt, *Jam enim propitius Deus largitur tibi frui operibus tuis.*

8. *Sint veſtimenta tua candida* יהיו בגדיך לבנים] Utuntur futuro Hebræi pro deprecativo modo. His autem ſignificat lætitiam animi, ut diſcimus ex verbis Chriſti Matth. 6. 17. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.*

9. *Vide vitam* ראה חיים] Hebraiſmus, pro *fruere vitâ*; ſive *commodis hujus vitæ.* Sunt qui vertunt, *Circumſpice vitam* quàm tranſigas *cum*, &c. ¶ *Dilexiſti* אהבת] Præt. Heb.

lia verba promunt, quaſi etiam aliquo loco eſſent, ſed qualis eſt exitus ſpinarum, talis & ſtultorum. Per *ſtultum* intellige impium, improbum, *μωροκακόν*. Hoc ſupra notavimus, præcipuè verò & ex profeſſo egimus de hac voce ad verſ. 13. cap. 2.

Spinarum ſub olla] Inimitabilis eſt elegantia in amphibolia vocum סיר & סירים. Sic & alias videas in eodem verſu Scripturam ſæpe uti eadem voce in diverſâ ſignificatione. Tales quoſdam verſus recenſet AbenEzra ad verſ. 23. cap. 2. Joëlis. Inter alios & hos duos: primus Jud. 10. 46. *Et fuerunt ei* (Jairo) xxx. *filii inequitantes* xxx. עֲיָרִים *pullis*, *& erant ipſis* xxx. עֲיָרִים *urbes*, *πόλεις*. Ubi & hoc notatu dignum Lxx. etiam hic aliquomodo iſtam amphiboliam exæquaſſe, dum ſic vertunt, *Καὶ ἐγένοντο αὐτῷ τριάκοντα* (καὶ δύο abeſt à quibuſdam Cod. & rectè) *υἱοὶ ἐπιβεβηκότες ἐπὶ τριάκοντα πώλους καὶ τριάκοντα πόλεις αὐτοῖς*. Porrò tamen obſervate illud עֲיָרִים quod *pullos* ſignificat *πώλους* venire à ſing. עַיִר. Alterum vero quod urbes *πόλεις*, à ſing. עִיר quod in plur. & עָרִים & עֲיָרִים facit.

Alter locus eſt Joël. 2. 23. *Dabit vobis* מוֹרֶה *doctorem juſtitiæ & demittet vobis* גֶּשֶׁם מוֹרֶה *pluviam tempeſtivam &* מַלְקוֹשׁ *ſerotinam*. Addit & locum Jud. 15. 16. ubi committitur talis amphibolia in voce חֲמוֹר quæ in eodem verſu & *aſinum* & *acervum* ſignificat. Cætera vide illic, ſi habes, & ſi intelligis.

7. *Nam oppreſſio inſanire facit ſapientem: & perdit cor liberale.*

Hæc videtur eſſe ratio connexionis. Quia de ſtultis dixerat vitandas eorum blanditias & quantumvis amœnum & ſuave vitæ genus quod cum aliorum oppreſſione conjunctum eſt, ſubdit, Propterea te planè à toto vitæ genere ſtultorum revocatum velim, quia ſi illos ſectabere, iniquus quæſtus quem illi ſectantur, ut placidius vivant, etiam ſapientem inſanum & efficiens & corruptela mentem perdet. Sic Mercerus. Kimchius & alii aliter. Vide Mercerum. Sunt qui כִּי per *ſanè certe* reddunt & nullam hic eſſe connexionem volunt, ut ſolet fieri illis locis, ubi ſententiæ & proverbia congeruntur.

Oppreſſio] עֹשֶׁק. id eſt *opes*, *vi*, *calumnia aliiſque malis artibus congeſta*. Aut ſi connexionem non curas, *Oppreſſio* i. calumnia. Eſt affinitas quædam inter hoc & גָּזַל גזל extra controverſiam ſignificat *vi eripere*, *deprædari*: עָשַׁק juxta quoſdam, *ſurripere*, *occulta fraude*. Unde etiam AbenEzra, גזל *eſt vi aperta rapere*, *aut capere quippiam*, עָשַׁק *verò occulta fraude*, *per calumniam*. Alii putant עֹשֶׁק eſſe generale ad oppreſſionem fraudulentam & apertam. Et ſic Kimchi alicubi dicit, *Sine dubio ſub* עשק *comprehenditur* גְּזֵלָה גזלה *verò ſemper apertam vim ſignificat*. Vide Jirm. 22. 3. *Et eripite* גָּזוּל *e manu* עָשׁוֹק. Ergo עֹשֶׁק hoc loco *oppreſſionem* ſignificat quamvis ſive apertam ſeu fraudulentam, per calumniam & alias artes, unde per *calumniam* ab Hier. communiter vertitur. Lxx. hoc loco etiam *συκοφαντία* verterunt.

Et corrumpit cor doni] i. cor munificum & liberale. Hoc videntur voluiſſe Lxx: *καρδίαν τῆς εὐγενείας αὐτοῦ*. Alii & מתנה i. donum vel corruptela Metonymicè corrumpit cor. i. animum, ut Deut. 16. 19. *Munus excæcat oculos ſapientum*. At ibi eſt שֹׁחַד. Et hoc ſecutus eſt Mercerus, licet מַתָּנָה ſit fœm. & יְאַבֵּד maſculinum. Subaudiri poteſt דבר negotium doni. Ubi tamen obſervetur ſæpe in textu Maſc. jungi cum Fœm. & contra, quæ tamen Ebræi ſic conciliant ut ſubaudiant aliquid aut ut ponant pro eo ſynonymum. Sic hoc loco pro מתנה poſſit intelligi מתן quod idem eſt. Illuſtrabo hoc egregio exemplo. Digladiantur interpretes de loco iſto Gen. 4. 5. ubi Deus dicit Caino, *Quare ceciderunt vultus tui? Nonne ſi bene feceris erit* שְׂאֵת. i. *elatio* ſubaudi vultus? *Et ſi non benefeceris ad oſtium peccatum cubat?* חטאת רובץ *& ad te erit* תשוקתו *appetitus ejus & tu dominaberis ei*. Diſputant hic de duobus, primò quid ſit illud שְׂאֵת. Deinde quorſum pertineant duo illa affixa Maſc. in בּוֹ & תְּשׁוּקָתוֹ. Primum quod attinet, relictis omnibus aliis præfero eam ſententiam qua שְׂאֵת poſitum erit pro nomine ut Latinis, *Scire tuum nihil eſt* utque exponatur *elevatio*, ſubaudita voce פָּנִים, *elevatio faciei* ut, opponatur ei quod præceſſit, *cur ceciderunt vultus tui?* Secundum quod attinet, Ordo verborum & omnia ſuadent referenda ea eſſe ad proximè præcedens חַטָּאת. Sed quidam ex Theologis noſtris veriti ne ſic ſtabiliretur liberum arbitrium, hoc rejecerunt hâc præcipuè de cauſa; quod illa affixa ſint Maſc. nomen חַטָּאת vero Fœm. At hi non obſervarunt eodem loco nomen חַטָּאת conſtrui cum Maſc. participio רֹבֵץ quod maximè obſervari debuiſſet. Sed quare nomen Fœm. conſtructum hic cum Maſcul. part. & affixis Maſc.? Hic Ebræi egregiè ſe expediunt, dum dicunt aut חַטָּאת hic poſitum pro ſynonymo חֵטְא, aut ſubaudiendum עֹנֶשׁ pœna peccati, quorum utrumque eſt Maſc. Prioris modi exemplum habes & paulò ante, ubi Deus dicitur *hominem collocaſſe in* גַּן עֵדֶן לְעָבְדָהּ. Hic eſt affixum fœm. Ebræi dicunt hoc factum reſpectu ſynonymi גִּנָּה. Porro hâc expoſitione nondum ſtabiliri liberum arbitrium, docebit te Mercerus in ſuis commentariis ad Geneſin, quem adi ſis. Non pœnitebit. Verum Chaldæus aliter adhuc exponit. Per appoſitionem ſcilicet, *Et corrumpit* (*ſapientiam*) *cordis donum cælitus datum* ubi ante לֵב ſubaudit חכמה ut ſit חָכְמַת לֵב.

8. *Melior eſt finis rei initio ejus: melior longus ſpiritu quam elatus ſpiritu.*

Ex poſteriori membro deducitur porro hæc ſententia,

9. *Ne feſtines in ſpiritu tuo ad ſuccenſendum, quia ira in ſinu ſtultorum quieſcit.*

8. Poteſt referri ad id quod prius dixerat *potiorem eſſe diem mortis die ortus*; ut hoc tanquam generale ſubjungat. Sed latiſſimè patet hæc ſententia & ſapientem admonet, ut rei ſemper exitum ſpectet, nec tam initia rei conſideret quam extrema. Convenit cum Vulg. *Finis coronat opus.*

Initio ejus] רֵאשִׁית eſt dignitatis & temporis. Hic eſt temporis. Dignitatis alibi & præſtantiæ Amos 6. 6. *Qui bibunt in phialis vinum* שמנים וראשית *& præſtantiſſimis unguentis ungunt ſe*. Sic, *Initium ſapientiæ timor DOMINI* ראשית החכמה i. præſtantiſſima ſapientia.

Melior eſt longanimis] Sed *quid hoc habet affinitatis cum præcedenti membro?* rogat Mercerus. Reſpondet *habere maximam*, *quia qui ad iram præceps eſt*, *finem nunquam patienter expectabit*, *quod faciet homo lenis & manſuetus.*

Longanimis] ארך רוח longus ſpiritu. Ebræi dicunt רוח propriè eſſe illud, quod Græci vocant *θυμοειδὲς*, eam animæ partem quæ concupiſcentiæ & iræ ſubjacet. Porro אֶרֶךְ eſt nomen ſubſtantivum & adjectivum ſignificans *longitudinem & longum*. Talia ſunt עֵד teſtis & teſtimonium, צַר anguſtia & oppreſſor. שָׁלוֹם pax & tranquillus, & juxta quoſdam צֶדֶק juſtitia & juſtus. Alibi hoc dicitur ארך אפים Longus irarum.

Quam elatus ſpiritu] גְּבַהּ רוּחַ. Dicendum fuiſſet קְצַר רוּחַ vel אַפַּיִם. Sed res eodem redit. Nam elatio & ſuperbia cauſa eſt & foris contentionis iræque. Lxx. ad verbum *ὑψηλὸν πνεύματι* vertunt. Symm. *ὑψηλοκάρδιον*. Porro, גְּבַהּ eſt conſtructum ab abſoluto גָּבֹהַּ, Regimen גְּבוֹהַּ & per Craſin גְּבַהּ.

9. *Ne feſtines iraſci*] ſupra verſ. 3. conceſſit iram ſed bonam, quâ quis alterum peccati arguit & externè ſe oſtendit ei infenſum, quum internè bene cupiat.

Spiritu tuo] ea ſcilicet animæ facultate, in quam ira cadit.

Nam ira in ſinu &c.] Eſt quidem ſuo tempore in ſapientibus ira, at in ſtultis. i. improbis & perverſis hominibus ſemper. Hoc vult cum dicit *in ſinu quieſcit*. Utraque vox habet Emphaſin. *Quieſcere* ſtylo Scripturæ ſign. diutius reſidere, perdurare. Et vox חיק pro interioribus.

10. *Ne dixeris*, *Quid eſt quod dies priores fuerunt meliores iſtis? Quia non ex ſapientia interrogaveris ſuper hoc.*

Curioſitatem hic coarguit. Q. d. noli rogare cur ſæcula priora ſynceriores & meliores habuerint homines. Non eſt hoc ſapientis ſed curioſi. Tu noli angi animi propterea nec diſcruciari; relinque hoc Deo, tu præſenti ſtatu contentus eſto & operam da, ut tu piè vivas, nec ita offendaris mundi iniquitate ut locum tuum deſeras. Vult itaque tranquillè & patienter vivendum.

Iſtis] In quibus jam vivis,

Meliores] Vel feliciores, quod vel de externa felicitate vel de virtute, pietateque intelligere poſſumus vel de utroque.

Ex ſapientia] i. בְּחָכְמָה ſapienter. Ideò Symm. *οὐ γὰρ φρονίμως*.

Meliores] *Mallem referre tantum ad externam felicitatem*, *cur prioribus ſæculis melius fuerit*, *ut juſtis tempore Davidis Joſuæ & aliorum*, inquit R. Salo. Sed quod ſequitur in ipſo, *noli mirari* כי הכל לפי זכות הדורות, *Omnia enim juxta meritum cujuſque ſæculi fiunt*, Judaiſmum ſapit.

11. *Bona eſt ſapientia cum hæreditate & emolumento eſt videntibus ſolem.*

12. *Quia umbrâ ſapientia & umbrâ pecunia* (obumbratur homo:) *ſed excellentia ſcientiæ eſt hæc quod ſapientia in vita conſervat dominos ſuos.*

Septimum proponit medium. Sapientia per ſe bona eſt & incomparabile donum, ſed ſi divitiæ adſint plus adhuc prodeſſe poteſt. Hieron. *Majoris gloriæ eſt ſapiens cum divitiis quam ſapiens tantum.* Alii ſapientia indigent, alii opibus. Jam qui ſapiens eſt & non dives, poteſt quidem docere quod bonum eſt, ſed interdum non poteſt præſtare quod petitur.

Emolumento eſt] talis ſc. ſapientiam יֹתֵר pro יִתְרוֹן. Aut יֹתֵר.

i. plus

i. plus ſc. prodeſt hominibus quam ſi ſola eſſet. Mercerus putat poſſe etiam intelligi ſic, ut hic tria conjungantur, ſapientia, divitiæ & longa vita, ſed tertium ſine contortione adjungi nequit.

Videntibus ſolem] i. viventibus. i. hominibus. Ita enim cum reſtrictione multa generalia reſtringi debent. Sic *Prædicate Euangelium omni creaturæ* &c.

Quia in umbra &c.] Supplent *requieſcit homo*. Sic Pagn. R. Abr. AbenEzra חסה confidit, ſperat homo. Piſc. *Obumbratur homo*. Eleganter, ut ſit Ellipſis verbi conjugati צלל כי בצל הכסף וגו׳ צלל ראו׳. Atque hoc etiam eleganter Symmachus aſſecutus eſt, σκέπῃ σοφία ὡς σκέπῃ τὸ ἀργύριον. Tegit, obtegit ſapientia &c. Umbræ enim eſt obtegere vel protegere hominem ab æſtu ſolis, ſic ſapientiæ & divitiarum à periculis & moleſtiis. De divitiis enim ſic Salom. Prov. 13. כופר נפש איש עשרו *Redemptio animæ viri divitiæ ejus*. Et alibi, *Divitiæ divitis ſunt ei tanquam urbs munita*. Alii, ut ſupra dixi, ſub. *confidit homo*. Certè hinc מָמוֹן *divitiæ* vocantur, quæ vox bis occurrit in N. T. Luc. 16. & Matth. 6. ab אָמַן ſcilicet quod in Hiphil, *credidit*, *confidit*. Vide Druſ. ad voces Ebr. N. T. R. Sal. ſic intelligit, *quia quicunque eſt in umbra ſapientiæ eſt etiam in umbra divitiarum, nam per ſapientiam facilè ſibi opes comparabit. Nam ut eſt Prov. 3. ad lævam ſapientiæ ſunt divitiæ, ad dextram vita.* Chald. poſterius illud כֶּסֶף paullò aliter accipit, *Quemadmodum vir cuſtoditur in umbra ſapientiæ, ſic cuſtoditur in umbra argenti quando facit ex eo Eleemoſynam.* Poſtremo Junius & Trem. *Quia alii in umbra ſapientiæ alii in umbra pecuniæ &c.* Priores ſenſus magis placent. Tum quia non tam multa ſupplentur: tum quia illud כ duplicatum, ut alibi כ, notare plenam ſimilitudinem videtur. Ac ſi diceres, tam in umbra ſapientiæ quam in umbra divitiarum requieſcit homo. Sic Hoſ. 13. כִּי בִי בְעֶזְרֶךָ quod exponunt אֲנִי בְעֶזְרֶךָ *Ego ero in auxilium tuum*: & כִּי עֶזְרֶךָ *auxilium tuum in me.* Simile eſt Job. 18. 8. De duplici Caph pleni ſunt libri. Atque hactenus de variis expoſitionibus aut potius ſuppletionibus hujus Ellipſeos. Sequitur alterum hemiſtichium.

Sed excellentia &c.] Sic verti ob accentum qui ſuper דַּעַת quem ſi negligere audes, ſic lege, ſed excellentia cognitionis ſapientiæ *hæc eſt quod* in vita &c. In prima expoſitione poſterius illud, הַחָכְמָה ponitur pro ſynonymo דעת & valet ac ſi eſſet pronomen הִיא quod ipſa in vitâ &c. Chald. accepit יִתְרוֹן pro יוֹתֵר *amplius* vel *augmentum*, nam ſic habet, *ſed augmentum cognitionis ſapientiæ* &c.

Vivificabit]. תְּחַיֶּה. חָיָה in Piel חִיָּה tam *in vita conſervare* quam *vivificare* ſignificat. Sic Abraham ad uxorem, *Dic te ſororem meam &c. alias me occident*, ואותך יחיו *te in vita conſervabunt*. Joſ. 9. החיה אותם *in vita eos conſervando*. Alias *inſtaurare* ſignificat & dicitur de urbe יחיה שאר העיר, *Inſtaurabit reliquum urbis*.

Dominos ſuos] vel poſſeſſores ſuos, vel præditos ſc. Sic enim illud בַּעַל ſæpe exponendum, ut cum avis vocatur בעל כנף *præditum ala*. i. alatum. Ergo בעל החכמה erit locutio ut בעל נפש *præditus concupiſcentia*, guloſus. in Proverb. Quod antea a nobis allatum fuit ad oſtendendum vocem נפש concupiſcentiam & appetitum ſignificare. בעל שער piloſus 2 Reg. 1. 8. בעל קרנים Dan. 8. 6. *aries*. בעל חלמות Gen. 37. בעל אף Prov. 22. 24. בעלת אוב Πυθωνίσσα, ἐγγαστρίμυθος. Rabb. בעל חוב תורה בַּעַל פֶּה. בעלי בכרת בעל ארוך Sic Scindl. Ego malim שֶׁבְּעַל

13. *Vide opus Dei: Quis enim poteſt corrigere quod ille pervertit.*

14. *In die boni eſto in bono, in die verò mali vide. Etiam hunc e regione iſtius fecit Dominus, eam ob cauſam ne inveniret homo poſt ſe quippiam.*

15. *Omnia hæc vidi in diebus vanitatis meæ: Eſt juſtus qui perit in juſtitia ſua, & eſt impius qui prorogat* (dies ſuos) *in improbitate ſua.*

15. Ponit medium ix. *Vide*. i. conſidera quæcunque facit, aut vide omnipotentiam ejus.

Quis poterit corrigere &c.] Alii, *quis poteſt corrigere quem ille pervertit*. Priori modo ſi accipias, aut ad Deum aut hominem referetur. Si ad Deum, ſenſus erit, Quid obmurmuras Deo? quo fructu? quid proderis tibi? quis diriget vel corriget quod ille pervertere decrevit? Et ſic cohærebit cum prioribus. Dixerat ſapientiam eſſe bonam cum hæreditate, ſed ſi alicui ſapientia ſola contingat, non cruciabit ſemetipſum propterea; quis corriget & diriget quod ille ſic aut ſic factum voluit. R. Salo. eodem modo legit ſed ad hominem, non ad Deum refert, q. d. *quis* (*poſt hanc vitam, poſtquam mortuus eſt*) *poterit corrigere quod pervertit* (*ipſemet in vita hac?*) Et quod præcedit ראה מעשה אלהים ſic exponit, *conſidera hoc opus Dei, quomodo Paradiſum & Gehennam pro ratione operum humanorum ſtatuerit.* Et ſic expoſuit verſ. 15. cap. 1. *Et perverſum non poteſt corrigi.* Vide illic.

Qui altero modo legunt, *quis poteſt corrigere quem ille pervertit*, referunt quidem ad Deum, ſed in expoſitione eunt quoque in duas diverſas ſententias. Mercerus ait quoſdam ſic velle, *Quis poterit corrigere quem pervertit Deus, quem Deus ad peccandum impulerit; Ego certe ſic loqui non auderem.* Probabiliſſima eſt ſententia & expoſitio ſecunda quam erui ex Chaldæo, quamque à Mercero miror omiſſam aut ſpretam. Sic enim ille, *Contemplare opus Dei & fortitudinem ejus, qui fecit cæcum & claudum, ut ſint mirabilia in ſæculo: quis enim eſt qui poterit corrigere unum ex iis niſi DOMINUS mundi qui creavit eum?* Mantiſſæ loco ſit ea Paraphraſis quæ eſt in Midras. Vide Hieron. de S. fide pag. 62.

Pervertit] vel curvavit. עִוְּתוֹ *pervertit eum* vel *illud*. Pleonaſmus Ebr.

Corrigere] לְתַקֵּן. Sign. propriè *corrigere*, *aptare*, *emendare*, *dirigere*, *rectificare*.

Quis poterit] i. Nemo poterit. Vox מִי *quis* duos inſignes habet in S. L. uſus. Primo notat impoſſibilitatem ut hoc loco. Sic in N. T. *Quis nos ſeparabit a charitate Dei?* 2. *Quis* aliquando ſignificat raritatem & difficultatem, *Mulierem* (bonam) *quis inveniat?* q. d. difficulter inveniri poteſt. Sirach. 16. *Sapientia Dei cui eſt retecta?* i. paucis admodum. Sic, *Brachium DOMINI cui revelatum eſt? Dies ſæculi quis numerabit?* &c. Vide Druſium in Sirach.

14. *In die boni*] Quia voluntati Dei non reſiſtitur in die boni (i. rebus ſecundis) fruere bono: & in rebus adverſis. Vide, aſpice illud cum patientia. Vel *vide* conſidera cauſam ſc. Dei ſapientiſſimam gubernationem qui quos caſtigat in bonum ipſorum caſtigat. Vel, *diem mali vide* i. perpende, quando omnia tibi ex voto ſuccedunt, cogita de die mali, poſſe facile res tuas immutari. Nam hunc *diem* malum fecit Deus e regione ejus *diei mali*, eò ut non inveniret homo quicquam אַחֲרָיו poſt ſe, quid futurum ſit ut lateat ipſum ſemper ſtatus futurus, ne intumeſcat rebus ſecundis, cogitans poſſe ſuccedere adverſas, neve deſpondeat rebus adverſis, cogitans poſſe ſuccedere ſecundas. Alii, Deus bona & mala ita temperavit erga malos & bonos ut nemo quippiam invenire poſſit אַחֲרָיו poſt eum ſc. Deum, quod poſſit objicere. Prius magis placet. Jun. *Deus omnia bona & mala compenſat & librat juſtiſſima trutina ſapientiæ ſuæ. Idque arcano conſilio & ratione, quam non poteſt quiſquam mortalium aſſequi.*

15. *Omnia hæc vidi &c.*] & inter alia quoque hæc,

Juſtus perit] *Juſtus*. i. vir bonus. *Perit*, moritur, perit reſpectu compoſiti. Hoc patet ex antitheſi *prolongat* dies. Sic accipitur אָבַד Jeſ. 57. *Juſtus perit & nemo apponit ad cor.* Perit tantum ætati ſuæ, non Deo, aut ſibi. Paulo aliter ſumitur Deut. 26. *Syrus pater meus* אובד *peribat* vel *periens*, vel *periens Syrus erat pater meus.* i. miſer Syrus qui ad paupertatem redigebatur. Sic & Belgæ uſurpant. Sic ſumitur Pro. 30. *Date ſiceram pereunti*, non morituro & jam ſupplicio deſtinato, ſed tali cujus res ſunt deſperatæ, qui ad incitas redactus eſt, ad paupertatem. Aliter ſumitur & magis propriè in eo Job. 4. *Cogita quis fuerit innocens qui perierit*, ſibi aut Deo aut interierit. Sic enim Plautus, *Qui per virtutem perit non interit.*

Eſt juſtus] יש ſignificat id quod ſit לפרקים מעטים nonnullis temporibus, non ordinarie, quod aliquando fit.

In juſtitia ſua] Propter juſtitiam ſuam. Sic בחמשה propter quinque. Videas ei ſuam juſtitiam fraudi eſſe. Sed propter Antitheſin ברעתו mallem ſimpliciter accipere in vita ſua juſta, dum juſte i. benè & piè vivit. Alii *juſtum* hic accipiunt pro ſeveriori juſtitiæ exactore quod ſæpe cauſa necis ipſi eſt. Sed & hoc Antitheſis refellit.

Prolongat] מַאֲרִיךְ ſub. dies. lxx. μένων. Aq. μακρύνων. Alii μακρόβιος. Porro Chaldæus ſic exponit in Paraphraſi hunc verſum. *Omnia vidi in diebus vanitatis meæ, quod a conſpectu DOMINI decernuntur bona & mala, ut ſint in mundo: quoniam innocens perit in innocentia ſua in ſæculo hoc & meritum ejus aſſervatur ei in ſeculum futurum: Eſtque vir prolongans dies in peccatis ſuis & computatio operum ejus malorum cuſtoditur ei ad ſeculum futurum, ut puniatur in die judicis magni.*

16. *Ne ſis juſtus nimium & ne ſis ſapiens nimium; ut quid obſtupeſces?*

17. *Ne ſis impius nimium & ne ſis ſtultus: ut quid morieris non in tempore tuo?*

Virtus in aureâ illa mediocritate conſiſtit, vetus verbum eſt, à qua ſi vel dextram vel ſiniſtram verſus deflexeris, impingis in

vitia. Nam in medio duorum vitiorum conſiſtit, ut ſæpe obſcura ſit ejus agnitio, *ἐπιδικάζουσι γὰρ οἱ ἄκροι τῆς μέσης χώρας*, ait Philoſophus. Horat. *Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum.* Juſtus nimium nemo eſſe poteſt, ſed quia extremo ſæpe carent nominibus propriis, impropriè nomen medii extremo tribuitur. Vide Πεντηκονταρχων Ramirez de Prado cap. x. *Modus ergo ſervandus* ait (a) Druſius: Pietas nimia in ſuperſtitionem degenerat &c. Author verſionis Chaldaicæ de judicibus intelligit, qui clementiæ ſpecie juſtos in judico abſolvunt. Sed vereor ne vox צדיק illud admittat. Aben Ezra refert ad eos, qui jejunio corpus macerant & totos dies in oratione conſumunt, reliquam quæ ad pietatem pertinent negligentes. Sed propriè videtur ſumi ſi accipiatur de eo, qui leges ità ſervat, ut nullam habeat rationem publici boni.

Ne ſis nimium ſapiens] Et hic ſervanda mediocritas quæ eſt inter nimium & parum. Idem cum illo, *Noli altum ſapere.* In eos dictum qui res divinas tractant curioſius quam par. Poſſet optimè de iis dici, qui de Prædeſtinatione & annexis diſputant, ac ſi totam ætatem in cœlo triviſſent, &c, ut proverbium habet, ſcirent quid Jupiter Junoni in aurem dixerit. Aut, ne *ſis nimium ſapiens* ſub. in oculis tuis, Prov. 2. 1. 2. *quæ opinio multos peſſundedit*, ait Druſius. *Multi*, ait Quintil. *ad culmen eruditionis pervenirent, niſi ſe jam ad illud perveniſſe putarent.* Et ſic poſſet exponi verſus uterque, *Ne ſis juſtus nimium tibi & ne ſis ſapiens nimium tibi.* Hoc enim eſt ſuperbi. *Ne ſis improbus nimium & ſtultus* ſc. in oculis tuis, hoc enim eſt deſperantis. Vide Trem. & Jun.

Nimium] יותר. ſub. הרבה magis quam oportet.

Ut quid obſtupeſces?] cur obſtupeſces vel ad ſtuporem adduceteris præ nimia ſapientia. Stupor itaque ſapientiæ opponitur. תִּשּׁוֹמֵם eſt hithphaël pro תִּשְׁתּוֹמֵם ut alibi תִּבּוֹנָן pro תִּתְבּוֹנָן, aut, ut Abenezra, erit Niphal, & Cholem pro Camets.

17. Non vult hoc verſu licere vel tantillum alicui eſſe injuſto, ſed hoc vult, ut te docui non nimis eſſe juſtum, ſic etiam moneo, ne nimium a juſtitia & jure recedas, ut in omne flagitiorum & impietatis genus ruas.

Nec ſis ſtultus] ſub. יותר ex antitheſi ſuperioris verſus. Id eſt, ne te plane dedas ſtultitiæ ruptis habenis. Homines efficere non poſſunt, quin peccent & aliquando ſtulteſcant, ut poſtea dicet, at cavendum ne peccato habenas laxes & totus in ſtultitiam feraris præceps. At quia רָשַׁע in Hiphil ſignificat *turbare, inquietare*, ut Job. 34. 29. ſunt qui putant in Kal poſſe ſignificare *inquietari, turbari, commoveri*, & proinde hunc locum ſic poſſe exponi, Ne nimium commoveare negotiis hujus ſæculi, ne nimius & immodicus eſto in iis, atque hinc lucem haberet verſus præcedens, *Noli eſſe nimis juſtus* i. noli te nimium aut plane avertere a negotiis mundi, ſed mediam tene viam. Sed ut de hoc dubito, ita non dubito quin רְשָׁעִים dicti ſint à ſignificatione τῆ רשע in Hiphil, eoſque ſic dictos quod ſemper irrequieto & turbulento ſint animo, dum occultum ſemper geſtant in pectore teſtem.

Ut quid morieris in non tempore tuo?] Cor in omne ſcelus ruens mortem tibi acceleraret, nam improborum dies decurtabuntur. Vel in manus magiſtratus incides, ut tandem ſupplicio afficiaris.

18. *Bonum eſt ut apprehendas iſtud & etiam ab hoc ne remittas manum tuam; qui enim timet Deum egredietur omnibus his.*

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum, ait Horatius. Medium ergo tene, bonumque erit ut ita apprehendas

Iſtud] ſc. extremum unum, ut ab hoc i. altero extremo manum ne ſubtrahas, nonnihil de nimia ſeveritate & nonnihil de injuſtitia, vel eo quod ejus ſpeciem habet, remittendo.

Qui enim timet Deum] At hoc difficile eſt, inquiat aliquis. Reſpondet, qui Deum timet ſe hic bene expediet.

Egredietur omnibus iſtis] vel *omnia iſta.* Sic, *Egredi urbem* & *urbe.* Alii, *cum omnibus iſtis.* Tremellius & Junius cujus expoſitionem ſupra recenſuimus ad verſ. 16. & 17. ſic intelligunt hunc. *Bonum eſt ut apprehendas iſtud unum præceptum, ne ſis nimium juſtus &c. Et etiam ab altero, ne ſis injuſtus nimium, ne* &c. Non diſplicet. In aliis Edit. ſic, *Melius eſt ut prehendas hoc*, quod vid. jam dicturus ſum *& ab hoc ipſo non retrahas manum. Reverentem Dei exire ex omnibus iſtis.* i. liberum eſſe ab omnibus illis vanis curis.

19. *Sapientia roborat ſapientem plus quam decem principes in civitate.*

Commendat hic XI loco ſapientiæ ſtudium tanquam unum ex mediis ad obtinendam veram felicitatem hujus vitæ. Sunt qui per Parentheſin interjectum putant. Ego mallim ob continuationem ſermonis cum Jun. & Trem. referre ad præcedentem doctrinam. Et verterem, *Hæc ſapientia.* Dicit enim cum articulo הַחָכְמָה.

Roborat ſapientem] תעז לחכם. Sic עז hoc loco erit tranſitivum. Et tunce ל erit pro אֶת, ut alibi הרגו לאבנר occiderunt Abnerum. Vide Kimc. Michlol. Sic Pſ. 34. *nec dextera eorum* הושיעה למו *ſalutem attulit ipſis.* Jun. tamen & Trem. *robur confert ſapienti*, ſervato proprio uſu τῆ ל. Sic R. Jona. At R. Jehuda vult ut ſit intranſitivum.

Decem principes] Id eſt *multos.* S. Sal. tamen ad decem impios Reges refert, qui ante Joſiam fuerunt. Chald. *Sapientia auxiliabitur ſapienti qui ſubegerit concupiſcentiam ſuam malam ut non peccet, magis quam decem imperatores qui ſunt in civitate.*

20. *Quamvis nullus ſit homo juſtus in terra qui faciat bonum & non peccet.*

Poſitis præceptis iſtis ſalubribus Pſ. 17. & 18. anticipat objectionem peccatoris titubantis ob peccata ſua. q. d. Si hæc omnia ita rigide non potes ſervare, noli deſperare &c.

Quamvis] Eb. כִּי. Sic ſumitur aliquando. R. David congeſſit in ſuo Michlol multa loca, in quibus ſic ſumitur. Sed omnia illa ferè poſſent aliter ſumi. Locus evidentiſſimus videtur eſſe iſte Joſ. 17. 18. *Tu expelles Cananæum* כי *quamvis habeant currus ferreos.* Alii vertunt, *Profecto* pro אַךְ כִּי; ut incipiat nova ſententia. Alii, *Nam* in propria ſignificatione & conjungunt cum præcedentibus 17. & 18 verſibus, ut 19 ſit quaſi per Parentheſin interjectus. Noli eſſe nimium ſeverus nec nimis impius utere ἐπιεικείᾳ & æquitate, nemo enim non peccat. Alii ad verſ. 17. tantum referunt, Ne ſis nimium juſtus in oculis tuis &c. nemo enim juſtus. Priorem, quæ Tremellii eſt, hoc loco ſequor.

Juſtus] צדיק ſub. תמיד jugiter aut perfectè juſtus. Hinc quidam dictos putarunt *Sadducæos.* Theophyl. Σαδδουκαῖοι ἑρμηνεύονται δίκαιοι: οὐδὲ γὰρ δικαιοσύνη, δικαίους γὰρ ἑαυτοὺς ὠνόμαζον: ἢ ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὼκ ὀνομάζονται. Poſtrema ſententia vera eſt. In Lexico Juris Ebræorum, נקרא צדוקים על שם צדוק. Ergò Saducæi ſcribere præſtat quam Sadducæi. 2 Sam. 8. Hoc nomen enim ſic ſcribitur צָדוֹק. Porro Sadoc iſte fuit diſcipulus Antigoni Sochæi, de quo ut & de tota ſecta vide Druſii librum de tribus ſectis Judæorum. Suidas alicubi: Σαδδουκαῖος ἀπὸ τόπου. Sed quis nobis dicet illum locum? Poſtremò notetur pro communi ſcriptura nominis *Sadducæus*, nomen צָדוֹק Ezech. 48. 11. & 43. 19. in codicib. Græcis ſcribi Σαδδοὺκ צדוק. Vide eundem Druſium cap. 1. lib. 3.

21. *Etiam omnibus verbis quæ dicuntur ne apponas cor tuum; ut non audias ſervum tuum maledicentem tibi.*

22. *Nam etiam vicibus multis novit cor tuum te quoque maledixiſſe aliis.*

Novum præceptum incipit numero XII.

Dicuntur] יְדַבֵּרוּ *loquuntur, dicunt*, ſc. qui dicunt. Vel homines i. dicuntur. Perſonale pro imperſonali. Sic *nuntiavit Davidi. Imputavit ei ad juſtitiam* &c.

Ut non] Sic LXX. ὅπως μὴ ἀκούσῃς.

22. *Nam etiam* &c.] Comprobat a ſimili quod quæ in nobis ferimus & alios ferre volumus æquum ſit & nos in aliis ferre.

Novit cor tuum] LXX. ὅτι πλειστάκις πονηρεύσεταί σε καὶ καθόδους πολλὰς κακώσει καρδίαν σου. Duæ expoſitiones coaluerunt. πονηρεύσεται καρδίαν σου. Uterque legit ירע pro ידע.

23. *Omnia hæc tentavi in ſapientia; dixi, Sapiens ero & ipſa elongata erat à me.*

Ponit veluti Epilogum ſuperiorum ad novas vanitates tranſiturus & ſimul ponit XIII doctrinam.

Sapiens ſum] vel *ero.* Perſuadebam mihi me ſapientem eſſe at procul aberat. Quare?

24. *Remotum quicquid eſt imo profundiſſimum, quis inveniat?*

Dat rationem cur non potuerit adipiſci perfectam ſapientiam. Quia remota & abſtruſa eſt, imo profundiſſime latet. Talia autem difficulter aut nunquam inveniri poſſunt. De uſu part. כִּי diximus ſupra.

עָמֹק עָמֹק] *Profundum, profundum.* Periphraſis ſuperlativi, quem propriè non habent. Utuntur enim aut litera ב ut יפה בנשים *pulcherrima mulierum*, aut adverbio מְאֹד *valde*, aut duplicatione adjectivi. Porro *profundum* eſt hoc loco *abſtruſum.* Sic Pſ. 92. *Profunda ſunt cogitationes tuæ. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1 Cor. 2. *O Profunditatem divitiarum* Rom. 11. ubi & obſervetur Hypallage Ebraica, ut *Beatitudines viri, viriditas herbæ.*

(a) *Prov. Claſ. 2. lib. 1. Pro. 301.*

Porro obſervandum Vulg. hæc רחוק מה שהיה conjungere cum præcedenti verſu, *Ipſa elongata eſt à me multo magis quam erat* ſc. antea.

Ebræi referunt hæc ad arcana Legis, alii ad opera creationis.

25. *Circuivi ego & animus meus ut ſcirem & inveſtigarem & quærerem ſapientiam & rationem, & ut ſcirem improbitatem ſtultitiæ & ſtoliditatem (&) inſanias.*

26. *Et inveni rem amariorem morte, mulierem nempe quæ eſt (ut) retia & (cujus) cor eſt ut ſagena, (cujus) manus ſunt (ut) vincula: Bonus coram Deo liberatur ab ea, peccator verò capitur ea.*

Novam ponit experientiam & hinc deducit præceptum XIV.

Circuivi] Circumluſtravi oculo mentis.

Ego & animus meus] Primo ponit totum *Ego*, deinde partem *animus meus*. Sic ſolent Ebræi loqui, ſed obſervant hoc tantum in parte nobiliori. *Tota Judæa & Jeruſalem*, *Iniicite totam terram & Jericho* Joſ. 2. 1. *Salomo amabat fœminas alienigenas multas & filiam Pharaonis: A manubiiſtium ejus & Saulis. Deſiderabantur è viris Davidis* XIX. *viri & Hazaël.* Sic etiam in aliis, *dicite diſcipulis & Petro.* Vide Druſ. ad N. Teſtam. Junius & Trem. *ex animo meo* ſupplent *ex* præter neceſſitatem. *Cor* pro *animo* alibi probatum eſt.

Et quærerem] וּבַקֵּשׁ pro וְלְבַקֵּשׁ.

Rationem] חֶשְׁבּוֹן propriè ſignificat *rationem inquiſitivam*. Cur ſic & ſic &c? Propriiſſimè ſignificare videtur *ſupputationem*. Et ſic utuntur Rabbini cum Arithmeticam vocant חכמת החשבון. i. *ſapientiam ſupputationis*. Sic enim ſolent omnes artes quaſi περιφράζειν. Sic eandem artem vocant חב' המספר. Sic חכמת הכוכבים *Aſtronomia*. חכמת האלהות *Theologia*, ח' חבור הנגונים *Muſica*. חכמת מדינית *Politica* &c. חכמת הנתוח *Anatomica*. Junius & Tr. *ratiocinium* vertunt. Poſſes dicere *reſolutionem* vel *definitionem*. Chal. *æſtimationem mercedis operum juſtorum*.

Impietatem ſtultitiæ] Stultitia, prout ſæpe in his libris uſurpatur pro impietate; ut antea notavimus. Erunt ergo ſynonyma, eritque locutio ἐκ παραλλήλου, ut *Lutum cœni*, *Terra pulveris*, & ſi quæ ſunt ſimilia, vel *impietatem ſtultitiæ*. i. *ſtultam*. Vulg. *improbitatem ſtulti*. Aut legit כְּסִיל aut accepit כֶּסֶל pro concreto, vel Toar. Sic quidam accipiunt צֶדֶק *juſtus & juſtitia*. Sed quemadmodum hæc exempla ſunt dubia, ſic extra controverſiam hæc, אֹרֶךְ *longus* & *longitudo*, עֵד *teſtis* & *teſtimonium*, צַר *anguſtia* & *oppreſſor*, שָׁלוֹם *pax & pacificus* &c.

Stoliditatem & inſanias] Quidam *fatuitatem erroris*. Sed quomodo hoc poteſt conſiſtere, cum הסכלו' habeat articulum qui jungi non ſolet nominibus conſtructis. Ergo ſubaudio &c.

26. *Et inveni*] Cum ita animo omnia perluſtrarem, inveni hoc, nimirum *Mulierem eſſe amariorem morte*. Sunt ex Ebræis & noſtris Allegoriſtis, qui per hanc mulierem hæresin intelligant & falſam doctrinam. Alii *Hevam*. Præſtat in genere accipere de muliere mala & meretrice.

Amariorem] מר ſub. דבר *rem amaram præ morte*. Sic Hab. 1. *Immittam contra vos gentem amaram*. i. crudelem. Propriè opponitur dulci, hinc ad varia transfertur. Thema eſt מָרַר. Alibi uſurpatur & pro abſtracto, *amaritudo*, ut 1 Sam. 15. מר המות *amaritudo mortis*. Sic fœm. מָרָה & *amaram* & *amaritudinem* ſignificat.

Mulierem] ſub. malam. Datur enim & bona, licet rara ſit. *Qui invenit uxorem, invenit bonum & elicuit favorem DOMINO*, uxorem ſc. bonam. אִשָּׁה ab אִישׁ, ut Latinis *virago* à *vir*. Quod ut hic obſervetur, nulla cogit neceſſitas. Tamen hoc obſervari debet ad locum Gen. 2. *Vocabitur* אשה כי מאיש לקחה. *Quoniam de* איש. i. *viro ſumpta eſt*. Vulg. *mulier quia de viro* &c. Sed quæ ratio etymologiæ inter *mulier* & *vir?* Neque acutiores hic fuerunt LXX. ſi modo eorum eſt vulgata Græca, αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Symmachus hoc obſervavit ac proinde ut hoc exprimeret, finxit vocem Græcam ἀνδρίς. Hunc ſecuti ex Latinis quidam finxerunt vocem itidem *viriſſa*. Pagninus, *virago* vertit Catachreſticè. Nam hæc vox propriè *ſtrenuam fœminam* ſignificat. Atque hoc ſecutus eſt etiam Trem. in primis Editionibus. Plerique ex his, imò etiam Lyra notarunt dicendum eſſe *vira*, ſi hoc pateretur Latinitas. Sed miror cur non tam hanc vocem finxerint, quam alteram *Viriſſa*. Verum hanc vocem eſſe Latinam Druſius 1 Quæſt. 19. primus eruit ex F. Pompeio. Sic enim ille, *Quas nos fœminas antiqui viras dixerunt, unde adhuc hodie permanent virgines & viragines.* Hoc ſecutus eſt poſtea Cl. Junius in ſuis notis & poſterioribus editionibus. Sic à *Puer Puera* dicebant Veteres.

Quæ eſt ut retia] Sub. כ notam ſimilitudinis. Sic *Catulus Leonis Juda* &c *nec excitatur claſſico miles gravi*. Horat. Pro *ut miles*. Vulg. ſingulariter vertit, *laqueus venatorum*. LXX. θηρεύματα. à צוד *venari*, unde מצוד & מָצוֹר *rete*. צַיָּד *venator* & Rab. etiam *piſcator*. צַיִד *venatio*.

(Cujus) *cor* (ut) *ſagena*] לבה חרמים pro אשר כחרם' לבה. Deeſt אֲשֶׁר & nota ſimilitudinis. חרם cum ſex punctis & חֵרֶם cum quinque ſignificat *rem devotam* & *anathema*. חֶרֶם vero cum quinque punctis aliquando ſignificat *ſagenam*. LXX καὶ σαγῆναι. Sunt qui dicunt cum v. punctis ſemper ſignificare *ſagenam*, ſed obſtat locus Num. 18.

(Ut) *vincula ſunt manus ejus*] vel *cujus manus ſunt ut vincula*, ut rurſus ſub. אֲשֶׁר. Jun. *In manibus ejus ſunt vincti*. Rurſus ſub. כ. אסורים *vincula* à ſing. אסור. Hic אסורים אטים. Alii *ligata ſunt manus ejus*, ut ſit Paul Plur. Maſc. Nam יָד licet ſæpius ſit fœm. tamen commune eſt. Q. d. Niſi ligatæ eſſent quaſi ejus manus ſubjiceret virum, at jam ligatæ ſunt, ut non niſi volentes implicet. Sed mallem tunc ſequi Chaldæum, qui ſic habet, *Ligatæ ſunt manus ejus, ſic ut non faciant opus*. Ut à pigritia malitiam fœminæ exaggeret.

Bonus coram Deo] Ille quem Deo placebit eripere, vel qui inveniet gratiam in oculis Dei.

Liberabitur ab ea] Chald. *acceptus erit coram DOMINO vir ille, qui dimiſerit eam libello repudii.* בגט פטורים *libello repudii liberaveritque ſe ab ea.* Quod Textus dicit ספר כריתות *liber repudii*. (*Repudium* enim iis כְּרִיתוּת dicitur. i. *reſciſſio* ſc. matrimonii) hoc Rabbini & Chald. dicunt גט à numero duodecim literarum, quibus plus minus libellus talis ſcribi ſolet ex antiquâ traditione, ג enim 3 & ט 9 denotat. Hoc quibuſdam placuit. At Elias Thisbites hoc rejicit, *Cur enim*, inquit, *non dici potuiſſet* & יב vel חי vel ידה? Sed hoc infirmum. Firmius quod addit illud גט etiam in aliis inſtrumentis forenſibus uſitatum fuiſſe, quæ tamen non requirebant illum duodenarium regularum numerum, utrum dicimus גט כזב *Chirographus* **een ſchultbrieff**.

27. *Vide, hoc inveni, dicit Eccleſiaſtes, Unum cum altero* (*conferendo*) *ut invenirem rationem* (*ejus*).

28. *Quod adhuc quærit anima mea nondum inveni, Hominem* (*rectum*) *unum inveni ex mille, at mulierum* (*rectam*) *ex omnibus illis non inveni.*

29. *Tantummodo, vide, hoc inveni, quod fecit Deus hominem rectum, at iſti quæſiverunt cogitationes multas.*

Ulterius progreditur in argumento mulierum. Verum difficultas quædam in his verſibus eſt. Primum verſum ſunt qui referunt ad præcedentia. Et meo judicio optimè. Incipit itaque de novo verſ. 28. exaggerare nequitiam fœminei ſexus à raritate virtutis. *Quod adhuc quærit anima* nimirum rectam mulierem *nondum inveni. Inveni quidem inter viros multos unum, bonum; at inter mulieres* &c. Hoc tantum inveni culpam hujus rei non eſſe aſcribendam Deo, ille enim &c. Hyperbole.

Alii jungunt verſ. 27. cum ſequentibus, *Hoc inveni*. i. *animo deprehendi, intellexi*, ait Mercerus, *unum ad alterum conferendo, quod diu quæſivi, at nondum inveni nimirum mulierem rectam.* Amplificat hoc per comparationem virorum.

Piſcator ſic jungit, *Vide hoc inveni unum ad alterum conferendo, ut invenirem rationem*. Nempe quod adhuc quæret anima mea, nec tamen inveni, Hominem quidem rectum ex omnibus, at mulierem nullam &c.

Broughtonus aliter accipit totum hunc locum, ut hic tantum probare intendat aſtutiam & profunditatem cordis muliebris, hoc modo, *Vide hoc inveni conferendo unum cum altero ad inveniendum cogitationem*, ut ad præcedentia referatur. Sed quod porro inquiſivi, anima mea non invenit nempe חֶשְׁבּוֹן vel מַחֲשָׁבוֹת *conceptum, cogitationes viri unius ex mille inveni, at cogitationes, ratiocinia fœminæ*, omnibus iſtis qualitatibus ſupra enumeratis inſtructis non inveni, ita imperſcrutabile eſt cor fœminæ. Junius eodem trahit, ſed ita obſcurus, ut in expoſitione iſtius verſionis Delio natatore opus ſit. Conſulite.

Dicit Eccleſiaſtes] אָמְרָה hic eſt fœm. Antea ſemper אָמַר ratione ſenſus. Hic habetur ratio terminationis. Sub. autem נפש aut חָכְמָה. Vide ad titulum libri.

Unum ad alterum] אחת לאחת ſub. *conferendo*. Alii *ſemel atque iterum*, & ſubaudiunt פעם. Alii, *unum poſt alterum* ſc. verſando in animo.

Quærit anima mea] id eſt, ego quæro. Sic, *multi dicunt*

cum anima mea. i. *mihi.* *Juro per animam meam ait DOMINUS* id eſt, *per me ipſum.* Sic Arabes utuntur pro עצם ut חביב נפשה *amicus animæ ipſius*, id eſt, ipſe. Ideo etiam נפש eſt Maſculinum. Vide Synt. Erpenii.

Hominem] ſub. rectum, juxta primam interpretationem. Sic *Nomen* pro nomine bono, *lana* pro lana alba; *Qui invenit uxorem* ſc. bonam, & talia multa ſunt. Quod autem potius ſuppleo *rectum*, quam *bonum* aut tale quid, facit verſus ſequens. Porro אדם hic ponitur pro איש. Alias enim collectivum eſt. Sic in Gen. *homo & uxor ejus.* i. *vir* aut potius *Adam & uxor ejus.* *Adam* quatuor modis ſumitur, aut enim ſignificat *virum* tantùm aut *fœminam* tantum, aut *virum & fœminam* complectitur, aut denique κατ' ἐξοχὴν quandam *primum hominem.* Vide Druſii Notas ad Sulp. Severum.

At ſecundum interpret. aliam ante hoc nomen debet ſub. חשבון *ratiocinium* aut מחשבה.

Ex mille] Sc. hominibus. i. multis.

Ex omnibus illis] Sc. *mille.* Sunt qui Salomonem putant reſpexiſſe ad ſuas mille feminas. Habuit enim ſeptingentas principes fœminas & trecentas concubinas 1. Reg. 11. Ut ut ſit, erit hyperbole.

Juxta expoſit. alteram בכל־אלה pro עם כל *cum omnibus illis* ſc. proprietatibus ſupra dictis, cujus cor eſt laqueus & manus vincula &c. Jun. *omnibus illis instructa.*

29. Hic verſus utrique ſententiæ poteſt aptari. Utro modo exponas, oſtendit aliquid in iis, quod malum eſt. Poſſet aliquis rogare, unde hoc malum? Occurrit iſti interrogationi & oſtendit, non eſſe à Deo ſed ab ipſiſmet.

Rectum] & in intellectu & voluntate, ad imaginem ſuam.

Sed ipſi] Homines. Alii ad Adamum & Evam tantum referunt. Alii qui liberum arbitrium hinc ſtabilire conantur de omnibus hominibus intelligunt. Mihi videtur optimè referri poſſe & ad primos parentes, & ad ſingulos ex poſteritate, ut tamen pro libero arbitrio nihil faciat. Sed de eo viderint queis talia curæ, τούτων οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Cogitationes multas] Alienas ſcilicet à recto & bono ſeu à virtute. Quas poſuit, quia ſunt quaſi fons operum malorum.

30. *Quis ſimilis ſapienti & quis* (ſimilis) *noſcenti interpretationem rei? Sapientia hominis illuſtrat vultum ejus, & feritas vultus ejus mutabitur.*

Oſtendit quaſi ἐπιφωνηματικῶς incomparabilem ſapientis dignitatem, *Quis ſimilis ſapienti?* מי כחכם. *Quis ſimilis* &c. ut מי כמך *Quis tibi ſimilis O DOMINUS.* Et tunc repete in ſeq. ומי כיודע *& quis ſimilis noſcenti* &c. q. d. nullus ſimilis eſt. Ebræi habent elegantem ſententiam, & argutam דעה חסרת מה קנית דעה קנית מה תחסר *Sapientia cares, quid acquires? ſapientiam acquiſiviſti, qua re carebis?*

Sapientia illuſtrat] Commendat amplius ſapientiam, ab eo, quod, ut Aben. explicat, eum gratioſum reddat & favorem conciliat apud alios. Et ſic huic loco aliquo modo geminus videtur locus ille Prov. 16. באור פני מלך חיים. *In luce vultus Regis vita.* i. in favore Regis. Mercerus exponit ſic, *Oſtendit ei quæ agenda & fugienda ſint, ac ſi reſpiceret ad locum ſuperiorem, ſapiens oculos habet in capite, at ſtultus in tenebris ambulat.* Quid ſi, *Illuſtrat faciem* id eſt, oculos, per ſynecdochen? *Oculi* dicuntur *caligare* in fame, inedia & rebus adverſis. 1. Sam. 14. *Oculi Jonathæ* dicuntur *caligaſſe.* Huic contrarium *illuſtare oculos* erit delectare, reficere, hilarem reddere, vel cibo potuque, vel alio aliquo modo. Et ſic memini à Druſio expoſitum locum Prov. 29. 13. *Dives & pauper occurrerunt ſibi, illuminat oculos amborum DOMINUS.* i. reficit, cibat, vel hilarem reddit utrumque Deus. Pſ. 34. *Facies eorum illuminabuntur.* Hinc apud Lat. *Sereno vultu. Spem fronte ſerenat.* & Plin. *nubila animi ſerenat.*

Feritas] Ebr. עז robur. Sic Dan. 8. *ſurrexit Rex* עז *robuſtus facie.* Et Deut. 28. *Gens robuſta facie.* Alias etiam laudem ſignificat Pſal. 8. *Ex ore puerorum & lactantium fundaſti tibi* עז. i. interp. Matthæo 21. 16. κατηρτίσω αἶνον. Sic Pſ. 29. *Date Deo* עז i. laudem.

Mutabitur] ישנא pro ישנה à שנה. Convenit cum eo Poetæ;

—— Ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

LXX. quia per א ſcriptum verterunt, μισηθήσεται *...*, καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισ. Ubi hoc obſerva præterea eos pro עז legiſſe עז, quod tamen eadem ſignificatione expoſuerunt. Concludam hoc caput ſi addidero, primum membrum poſſe & aliter exponi, *Quis verè ſapiens* &c. כ enim duplex eſt Ebr. כף הדמיון ſimilitudinis & כף האמת veritatis καὶ ἀληθινόν, & tunc in ſeq. repeti non debet. Sic accipies Hoſ. 4. *Populus meus* כמריבי כהן *ſicut contendentes cum ſacerdote.* i. Vere contendunt. & 5. כמסיגי גבול *ſicut transferentes terminum.* Joh. 1. *Vidimus gloriam ejus ὡς δόξαν μονογενοῦς.* i. ὄντως ἀληθῶς.

GROTIUS.

1. **Q**Uod velut umbra præterit] Pindarus, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος [*umbra homo*]. Vide 1 Paralip. XXIX. 15. Job VIII. 9.

2. *Melius eſt nomen bonum quàm unguenta pretioſa*] Eſt hic in Hebræo παρονομασία [*vocum alluſio*] vocum שם [*Schem*] & שמן [*Schemen*]. Eadem alluſio Cant. 1. 3.

Et dies mortis die nativitatis] Valerius Maximus 11. 6. *Thracia verò illa natio meritò ſibi ſapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exſequias cum hilaritate celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit.* Mela de iiſdem Thracibus: *Lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur. funera contrà feſta ſunt, & veluti ſacra, cantu luſuque celebrantur.* De iiſdem Solinus, *Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia; demùm recens natum fletu parens excipit: contraverſum læta ſunt funera, adeò ut exemtos gaudiis proſequantur.* Hanc ſententiam Euripides in Creſphontem ſuam ſic tranſtulit:

Ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.
[*Nam nos decebat celebre cum cœtu modò*
Lugere genitum, tanta qui intraret mala;
At qui labores morte finiſſet graves
Hunc laude amicos atque lætitiâ exſequi.]

3. *Melius eſt ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii*] Hic venit ad meliores ſententias, quæ in animo bonum collocant: Prov. XVI. 19.

Et vivens dabit ad cor ſuum] Ut Homerus loquitur, — σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν θυμῷ [— *tua, precor, inſere menti.*] Pertinet & huc illud, Γνῶθι σεαυτόν [*Noſce temet*].

4. *Melior eſt ira riſu*] Melius eſt amicum habere qui peccanti tibi ſuccenſeat quàm qui arrideat.

Quia per triſtitiam vultûs] Amici ſeverioris.

Corrigitur animus delinquentis] יטב [*fit melior*].

7. *Sub olla*] *Sub caldario*, ut Pſalm. LVIII. 10. Vox eſt Syriaca. Eſt & hic παρονομασία [*vocum alluſio*].

8. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*] In Hebræo, *Nam oppreſſio ſapientem ad inſaniam redigit, & animum evertunt dona.* Pergit oſtendere incertitudinem rerum humanarum, cùm etiam ſapientiſſimi de ſtatu mentis ſuæ deturbari ſoleant, aut per injurias, aut per beneficia.

9. *Melior eſt finis orationis quàm principium*] Rectiùs dicas *finis jurgii*, nam ſic Hebræum דבר ſumitur etiam Proverb. XVII. 9. Et ſic optimè cohærebit ſenſus cum ſequentibus.

11. *Ne dicas, quid putas cauſæ eſt, quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt?*] Nè dicas, *ô mores! ô tempora!* Multi ſunt queruli, qui ſemper ſeculum accuſant.

13. *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*] In Hebræo eſt nomen *umbra* pro *protectione*, ut & alibi.

14. *Conſidera opera Dei*] In Hebræo, *Vide* pro *admirare.*

Quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit] In Hebræo, *quem ille curvaverit*: id eſt, *Eum qui natus ſit cum aliquo corporis vitio quis ſanabit?* Ità hic Chaldæus.

Malam diem præcave] Hebræum: *& in die mala vide.* Quære exitum.

15. *Sicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum juſtas querimonias*] In Hebræo, *Rem hanc ex adverſo rei illius fecit Deus, nè homo quicquam inveniret poſt eam.* Id eſt, nè obloqui Dei poſſet, ut Pſalm. LI. 6. Fecit omnia ἀντίστοιχα [*inter ſe oppoſita*]. Diſplicet tibi lux? en tenebræ. Diſplicent tenebræ? en lux. Mortem accuſas? data eſt & vita. Vitam non laudas? mors ſequetur. Sirachides XLII. πάντα δισσά, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός, καὶ οὐκ ἐποίησεν οὐδὲν ἐλλεῖπον [*omnia bina fecit, hoc contra illud; & nihil defectivum*].

16. *Juſtus perit in juſtitia ſua, & impius multo vivit tempore in malitia ſua*] Nempe viri boni ſæpe eripiuntur malis futuris:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.
[*Ætate moritur juvenis quem di diligunt.*]

& contrà

& contrà malis ad graviorem pœnam vita prorogatur. Vide II Reg. XXII. 20. Eſai. LVII. 1.

17. *Noli eſſe juſtus multùm*] Id eſt, noli plus tibi arrogare de *probitate*, aut, quod ſequitur, de *ſapientia*, quàm par eſt. Μὴ ὑψηλοφρόνει [*Noli altum ſapere*], Rom. XI. 20.

Ne obſtupeſcas] In Hebræo eſt, *Quare te ires perditum?* Eſt enim Hithpahel, ſed cum defectu ה literæ.

20. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis*] Super decem fortes.

Cedant arma togæ. ——.

21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*] כי, quod verti ſolet *enim*, hic poſitum eſt pro *attamen*. Nemo ſemper ſapit. Seneca de Clementia 1. 6. *Peccavimus omnes, alii gravia, alii levia, alii ex deſtinato; alii forte impulſi, aut alienâ nequitiâ ablati, alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus.* Vide quæ annotavimus ad lib. II. de Jure Belli ac Pacis, cap. XX. § 19.

22. *Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur nè accommodes cor tuum*] Noli curioſè nimis ſcrutari quid quiſque dicat.

23. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebro maledixiſti aliis*] Seneca, *Faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos: numquid & ipſi aliquid tale commiſimus? numquid ſic erravimus? expeditne nobis iſta damnari?* Locus eſt de Ira II, 28. Similia habet de Ira 1. 14. & de Clementia 1. 6.

25. *Multò magis quàm erat, & alta profunditas quis inveniet eam?*] *Remotum eſt* (id eſt, effluxit) *id quod fuit* (quod præteritum eſt), *& profundum profundum* (futurum latens) *quis inveniet?* Præteritorum magna eſt oblivio: de futuris conjecturæ incertæ. Hæc difficilem faciunt ſapientiæ adeptionem.

26. *Et rationem*] *Rerum cauſas.* Id enim eſt חשבון.

27. *Et inveni amariorem morte mulierem*] Introducit hîc ſcriptor, ut diximus, Solomonem ut tactum conſcientiâ malè actorum, quorum præcipuè auctores ipſi feminæ fuerant.

Qui placet Deo effugiet illam] Nam Dei favore fit ut decipulæ iſtæ evitentur.

28. *Dixit Eccleſiaſtes*] Sic & Græci: εἶπεν ὁ ἐκκλησιαστής [*dixit concionator*]. Palàm eſt legiſſe eos אמר הקהלת, non ut nunc in Hebræo eſt, אמרה קהלת [*locuta eſt concionatrix*].

Ut invenirem rationem] Id eſt, cauſam cur mulieres pleræque viris eſſent pejores.

29. *Mulierem ex omnibus non inveni*] Id eſt, in mille mulieribus, quas mihi adſcivi, nullam inveni ſincerè probam.

30. *Solummodo hoc inveni quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus*] *Rectum* hic ſignificat *ſimplicem*, ſicut puto & alios rectè expoſuiſſe, & nos cum illis libro II. de Jure Belli ac Pacis, cap. II. §. 2. Pro illo *quæſtionibus* hîc in Hebræo eſt חשבונות. id ſignificat *rationes* ac *cauſas* multas cur à primæva iſta ſimplicitate deflecterent.

Quis talis ut ſapiens eſt? & quis cognovit ſolutionem verbi?] Videtur hoc πάσμα [*interrogatum*] rectiùs ab aliis referri ad caput ſequens: ut ſenſus ſit, *Quis tanti habendus eſt quanti vir ſapiens, & qui ſolutionem rei* (cujuſque propoſitæ) *intelligit?* פשר pro *ſolvere* eſt vox Syris & Chaldæis familiaris. Vide Dan. V. 12. 16. Uſurpant & Arabes.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. IMpudentia] Ubi ſapientia animum poſſederit, impudentia recedit à fronte. Eſt enim ſapientia pudica & verecunda, Jac. 3. Inſipientia verò eſt impudens, procax, trux, minax, &c.

6. *Res*] Eſt חפץ *creatura quæ voluntate & affectu ducitur.*

8. *Manumiſſio*] Sunt qui hic per משלחת intelligunt נשק *arma bellica*, ut ſit ſenſus, Poteſt quidem aliquis in bello evadere mortem propter loricam & alia arma bellica; ſed cùm dies mortis advenerit nihil eſt quod te liberare poterit, cùm nemo inter homines habeat poteſtatem illam quam Chriſtus habuit cùm diceret, *Poteſtatem habeo ponendi animam*, &c. Alii intelligunt per משלחת *complexionem corporis* ſeu מתכנת *harmoniam* illam membrorum & partium corporis, quæ cùm per ſupervenientem morbum diſſipata fuerit, neceſſe eſt hominem reſolvi in mortem.

10. *Sed qui ingreſſi venerunt*] Impii redeunt in urbem poſtquam ſepulti ſunt, non in propria perſona, ſed in filiis & nepotibus eorum, qui ſuccedunt in locum eorum. Noſtri prò וישתכחו legerunt וישתבחו, & verterunt *laudaverunt.* ¶ *De loco ſanctorum*] Heb. *de loco ſancti*, & eſt ſenſus, Mirum eſt quod ſancti, qui rectè vixerunt in civitate & multa bona fecerunt, tam citò oblivioni traduntur, impii autem ſepulti ſubinde reviviſcunt.

16. *Hanc occupationem*] Loquitur de his quorum corda philargyria occupavit.

17. *Invenire rationem*] Etiam Hebræi hîc ſubintelligunt עיקרים *cauſas.* Multa enim Dei opera ſunt adeò perplexa & retruſa ut nullus homo quantumlibet ſapiens illorum poſſit cognoſcere rationem; In quibus hoc unum ſatis fuerit ſcire, Deum eſſe juſtum, & judicia ejus eſſe juſta, etiamſi nobis incomprehenſibilia ſint. Vanitas ergò eſt & præſumptio talium velle quærere rationem quæ nobis Deus Max. & Opt. occultatâ eſſe voluit.

VATABLUS.

1. UT *cognoſcens* יודע] Ità quidam doctus inter Hebræos ſubaudit כ quod præceſſit. Alii non ſubaudiunt, vertentes, *Et quis eſt qui cognoſcat.* ¶ *Interpretationem* פשר] *Solutionem*, ſive *reſolutionem.* ¶ *Illuſtrat vultum ejus* תאיר פניו] Fut. Heb. pro præſ. *lucere faciet faciem ejus*, i. reddet hominem illuſtrem. *Facies* pro *toto homine.* ¶ *Et fortitudo* ועז] *Et robur.* Hebraico dicendi genere *robur* ſive *fortitudinem faciei* vocat arrogantiam, impudentiam & ſuperbiam ſive pervicaciam. Dicit ſapientiam reddere hominem abjectum in oculis ſuis, quamvis ab aliis plurimi fiat.

2. *Obſerves* שמור] Ad verb. *Ego, os Regis obſerva.* Accentus diviſivus admonet ſubaudiendum eſſe aliquid, quale id quod vertimus, aut ſimile. ¶ *Et ſuper verbo juramenti Dei* ועל דברת וגו'] Phraſi Hebraicâ dicitur, pro *Ego*, ſub. *admoneo ut ſerves fidem quam Regi jurejurando præſtitiſti.* Vel, *Moneo ut Magiſtratui pareas, & præſtes quod juraveris.*

3. *Nè ſis feſtinus*, &c. אל תבהל וגו'] q. d. Si receſſeris à Rege, ſtatim redi in gratiam cum eo: quia Deus permittit ut quicquid voluerit faciat. Ad verb. *Nè feſtines à conſpectu ejus abibis.* Futurum pro infinitivo. *Quoties duo verba* (inquit doctus inter Hebræos) *ſine conjunctione ponuntur, debet exponi ultimum per infinitivum.* Citat multa loca, *Ut addatis loquamini*, i. *loqui.* Aliud, *Et ſciemus perſequamur*, i. *perſequi ſciemus.* Vel intelligitur ש *quòd*, ut ſit, *Nè feſtines quòd*, ſive *ut abeas*: q. d. etiam ſi te opprimat tyrannide. ¶ *Ne ſtes* אל תעמד] *Neque ſteteris.* Alii, *ne inſiſtas.* Alii, *ne perſeveraris.*

4. *Secundùm verbum Regis* eſt *poteſtas* באשר דבר מלך שלטון] *Ubi* eſt *verbum Regis*, ibi eſt *dominatio*: i. illic fungitur dominatione: q. d. Quæ imperat fiunt. Alii, *Et quamcunque rem præcipit Rex, in ea etiam poteſtatem exercet.*

5. *Præceptum* מצוה] Sing. pro plurali. ¶ *Non cognoſcet*, &c. לא ידע דבר רע] Hebraiſmus, pro *Nihil ſentiet incommodi.* ¶ *Et tempus & judicium* ועת ומשפט] *Et tempus & modum*: i. opportunitatem temporis in quo, & rationem quomodo quid fieri poſſit.

6. *Omni voluntati* לכל חפץ] i. Rei quam quis vult. Alii vertunt, *Habet enim omnis res tempus*, &c. Alii, *Omni enim inſtituto eſt opportunitas*, &c. ut præcedenti verſu. ¶ *Malum hominis*, &c. רעת האדם וגו'] *Infelicitas hominis eſt multiplex in eo.* Alii, *malitia hominis magna ſit ſuper eum.*

7. *Quid futurum ſit* מה שיהיה] *Quando id erit.* Alii, *quale* illud ſit *quod futurum eſt.*

8. *Nullus eſt homo* אין אדם וגו'] *Non eſt homo dominus in vitam, ut retineat animam ipſam: neque eſt dominatio illi in diem mortis, nec eſt illi gladius in bellum.* Animam ſive vitam vocavit רוח *ventum*, quòd anima noſtra & vita ſit veluti ventus, parùm durans & permanens: vel, quia vita ſtat quàm diu homo reſpirat. Job. 7. 7. *Memento quia ventus eſt vita mea.* Dicit igitur, Non eſt dominus vitæ ſuæ homo; quia quando Deus volet repetere animam, eſt abitura, velimus nolimus: neque eſt dominus mortis ut eam repellere poſſit: neque habet arma adverſùs tentationes.

9. *Et dedi cor meum* ונתון את לבי] Infinit. Heb. pro præſ. *& poſui cor meum.* Vel, *appuli animum meum.*

10. *Et tunc* ובכן] *Et verè*, aut *in veritate.* ¶ *Et redierunt*, &c. ובאו וגו'] Ità docti quidam inter Hebræos vertunt ut vertimus, exponentes hoc modo, *Vidi impios qui præſidebant hominibus, lædebántque illos, ſepultos in ſepulcris ſuis: qui redierunt in mundum ſecundò, quia ſucceſſerunt filii eorum in locum ipſorum, unde permanet eorum memoria. At qui de loco ſanctitatis ibunt*, i. *ſancti qui moriuntur, non erunt ſic, ſed oblivioni traden-*

tur in urbe in qua rectum fecerunt. Quidam vertunt ſenſu ferè eodem, *Et venerunt: & vidi eos qui in loco Sancti accurate verſati ſunt, & oblivioni traditi ſunt in ea urbe in qua ſic fecerunt.* מן pro ב accipientes & exponentes *Sancti*, i. rei ſanctæ, vel Dei ſancti. Et *ambulare* pro *ſtudioſe & diligenter verſari.* Alii, *ſed qui regreſſi ſunt: at qui de loco ſanctorum venerunt in urbe oblivioni traditi ſunt, qui recta fecerant.* Alii, paulò liberiùs, *Et quòd abierunt, & receſſerunt è loco ſancto, ſuntque oblivioni traditi in ea urbe* in qua quicquid *fecerant*, *ratum rectùmque erat.* ¶ *Rectum fecerunt* כן עשו] *Sic fecerunt*: i. ſtudioſè ità verſati ſunt.

11. *Sententia* judicum *de opere malo* פתגם מעשה הרעה] Ad verb. *verbum operis mali*: i. *quia* (ut alii vertunt) *non impletur*, vel *demandatur exſecutioni ſententia Judicum*, *ſententia, inquam, de opere malo.* Vel, *quia non eſt ſumpta ultio repentina propter opus.* ¶ *Totum*, &c. מלא וגו'] Ad verb. *plenum eſt cor filiorum hominum in ipſis ad faciendum.*

12. *Quamvis peccans faciat* אשר חוטא עשה] Ad verb. *Quia eſt qui peccat, faciens.* ¶ *Centies* מאת] Ad verb. *centum*, ſub. *vicibus.* ¶ *Et prolonget ei* ומאריך לו] *Et differt* Deus iram ſuam *propter illum.* ¶ *Scio nihilominus* כי גם יודע אני] Ad verb. *quia etiam ſcio ego.*

14. *Quibus uſu venit*, &c. אשר מגיע וגו'] *Quibus ipſis contingit tanquam præmium operis*, nam מעשה & *opus* & *præmium operis* ſignificat. Alii, *ſuper quos venit opus* quo digni ſunt *impii.* Sic paulò pòſt, *Quibus contingit veluti præmium operis juſtorum.*

15. *Et laudavi* ושבחתי] *Tunc laudavi.* Vel, *Proinde laudavi.* ¶ *Quos* אשר] *Quam.*

16. *Propterea dedi cor meum* כאשר נתתי את לבי] Quidam hunc ſeq. verſui jungunt, vertentes, *Quando dedi cor meum ad cognoſcendam ſapientiam & conſpiciendum negotium ipſum quod geritur ſuper terram (nam etiam interdiu & noctu ſomnum in oculis ſuis non videt) Tunc deprehendi de omni*, &c. *Videt*, ſub *cor meum*: q. d. Totus in hoc ſum diu & noctu. ¶ *Quòd etiam*, &c. כי גם וגו'] *Quòd* nonnulli *etiam neque interdiu neque noctu ſomnum capiunt.*

17 *De omni opere* את כל מעשה האלהים] *Omne opus Dei*, ſub. *tale eſſe.* ¶ *Invenire opus* למצוא את המעשה] *Explorare rationem operis*, vel *aſſequi*, aut *deprehendere.* ¶ *Nec adinvenit* ולא ימצא] *Nec* unquam *adinveniet.* ¶ *Si dixerit*, &c. אם יאמר וגו'] i. Si ſtatuat apud ſe is qui mundo eſt ſapientiſſimus, dare operam ut cognoſcat, nequaquam poterit hoc aſſequi.

CASTALIO.

3. *NE temere ab ejus præſentia receditio*] Ab eo alieneris.

8. *Nec vento imperat homo*] Non magis poteſt impietas impios tutari quàm homo ventis imperare, &c.

10. *Ex ſacro loco*] Hieroſolymâ. ¶ *Commendari in urbe*] וישתבחו lego cum Græco & Latino interprete; non וישתכחו, h. e. *oblivioni tradi.*

16. *Ut nec interdiu nec noctu ſomnum ſuis videant oculis*] Ut homines præ curis & miſeria non poſſint dormire.

CLARIUS.

1. *QUis talis ut ſapiens eſt?*] Quis conferendus eſt cum ſapiente & eo qui judicium habet de rebus? ¶ *Lucet in vultu ejus*] *Sapientia hominis gratioſum facit vultum ejus.* ¶ *Impudentia faciei ejus mutabitur*] Quia ſcilicet ubi ſapientia animum poſſederit, impudentia recedit à fronte: eſt enim *ſapientia*, ut ait Jacobus, *pudica & verecunda.* Alius vertit *crudelitatem pellit.* D. Hieron. vertit, *Improbus facie ſuâ odietur.*

2. *Os Regis obſervo*] Suadeo (inquit) etiam ſapienti, ut obſervet quæ Rex mandabit; & præſtet, ſiqua Deo in teſtem vocato juraverit.

5. *Tempus & judicium*] Tempus adventurum ut ſumatur ſupplicium de tranſgreſſoribus non ignorat ſapiens.

6. *Omni negotio*] Statuit namque Deus tempus quo de omnibus judicaturus eſt: & priùs quàm illud adveniat, variis & periculoſis malis expoſiti ſumus: *nec ſcire* cuiquam datur *quid illi continget. Quis enim id poſſit illi indicare?*

8. *Non eſt in hominis poteſtate cohibere ſpiritum*] Et ſi illud ſciret, inquit, nihil illi prodeſſet: *nemo* enim *tam potens eſt ut animum* ſuum *contineat*, *nec* appetente *morte* vires ullæ quicquam proderunt: neque eſt ſpes ulla elabendi ex illo *prælio* quod nobis cum Morte ineundum eſt; *nec impium* tunc *ſua impietas liberare* poterit.

10. *Cùm adhuc viverent*] Alii verterunt, *& reſurgere in loco ſancto*, ut ſit ſenſus, *Vidi impios ad ſepulcrum uſque feliciter degere, & ipſos veluti reſurgere in filiis, & verſari inter honoratos in loco ſancto: eos verò qui bene faciunt, contemni à civibus: ſed & hoc inſigni vanitate non caret.* Quidam Hebræorum ſic interpretabatur, *Vidi impios ſepultos, & vivebant, & à loco ſancto recedebant, & laudabant ſe in civitate, quaſi juſtorum operum*: h. e. *Vidi impios dignos qui ſepelirentur*, i. qui morerentur, *& tamen vivebant, & fugiebant loca ſancta*, &c. Vel ſic, *Vidi impios ſepultos*, h. e. morte dignos & ſepulturâ, *& veniebant*, h. e. proſperè agebant, *& de loco ſancto ibant*, h. e. recedebant à via bona, *& oblivioni dati ſunt qui juſtè fecerunt*, h. e. adeò improborum via proſperè agit ut bonorum nulla ſit mentio. Sin legas *laudabantur*, erit ſenſus, *Jactabant ſe in civitate quòd ità feciſſent.*

DRUSIUS.

1. *QUis ſimilis ſapienti*] מי כהחכם. Τίς ὡς ὁ σοφός; i. ſimilis aut par. Lxx Τίς οἶδε σοφούς; ut Aq. Τίς οἶδε σοφόν; *Quis novit ſapientem?* מי יודע חכם: Lat. V. *Quis talis ut ſapiens eſt?* vel, *Quis ſicut ſapiens?* ut Caph hic ſit ἀληθινὸν, *quis verè* ὄντως, i. *reverâ*, *ſapiens?* Vide ſuprà v. 7. 24. ¶ *Quis novit*, &c.] Quidam repetunt ex præcedentibus notam Similitudinis, hâc ſententiâ, *Quis ſimilis ei qui novit*, &c. ut idem dicat aliis verbis. Nam *ſapiens* & *peritus interpretandi rem* ſe mutuò explicant. ¶ *Interpretationem verbi*] Lxx λύσιν ῥήματος. Vulg. *ſolutionem verbi.* Vox פשר legitur in Daniele cap. 2. de *interpretatione ſomnii*, quam interpres Theodotio ibi σύγκρισιν & σύγκριμα reddit. *Verbi*, i. rei, aut *verbi Divini.* Nam *verbum* abſolutè poſitum ſign. aliquando verbum Dei; ut ibi, *Gloria Dei eſt celare verbum: gloria Regum, ſcrutari verbum.* Sed tum frequentiùs dicimus הדבר cum articulo, ut Græcè ὁ λόγος. ¶ *Illuſtrat*] φωτιεῖ. Vult dicere *facit ut ſemper lucido & hilari benignóque vultu appareat*; reddit hominem humanum vel glorioſum & illuſtrem: ut *faciem* ejus ſignificet perſonam ejus; ut in illo, *Accipere faciem pauperis*, τὸ πρόσωπον, i. *perſonam pauperis.* Verùm, *Attolle ſuper nos lumen vultûs tui*, cùm ait David, innuit vultum lucidum ac ſerenum, ſignum favoris ac benevolentiæ. Intelligentiam habet ex illo, *In lumine*, i. ſerenitate, *vultûs Regis eſt vita.* Aliter Mercerus, *Totus homo illuſtratur per ſapientiam, ut clariſſimè videat quæ ſibi agenda ſint, quæve fugienda.* ¶ *Ità ut duritia vultûs ejus mutetur*] Gall. *& ſon regard farrouche en eſt changé.* Lxx καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται. Legerunt עז & ישנא cum puncto in ſiniſtro cornu literæ Sin. Vulg. *& potentiſſimus faciem ejus commutabit*, i. ישנה. Trem. *ità ut firmitas vultûs ejus duplicetur.* *Duritia vultûs ejus*, i. impudentia; unde qui ſunt impudentes vocantur עזי פנים: vel auſteritas; q. d. modeſtum eum reddit. Nam את צנועים חכמה *apud manſuetos ſapientia.*

2. *Ego*] Aliquid deſideratur, videlicet *ſuadeo*, aut *mando*, aut aliquid tale. Alibi אני vertimus *quod me attinet.* Ed. Vulg. *Ego os Regis obſervo*, i. שמור. Hæc interpretatio non ſe admodum probat mihi, alioqui poſſet dici poſitum eſſe Infinitivum pro Præterito. Nam שמור tam poteſt eſſe Infinitivus quam Imperativus. ¶ *Os*] *Mandatum, præceptum*: propriè *ſermonem Regis*, indè *mandatum.* Nam *ſermo Regis*, i. *mandatum Regis.* *Os* pro *ſermone* Latini quoque uſurpant. Plinius, *Mithridates magnâ vi animi & corporis, ut ſex juges equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur.* ¶ *Vel ob cauſam juramenti*] Vel ob hanc præcipuè cauſam quòd ad hoc juramento obſtrictus & obligatus ſis. Nam ſubditi Regibus etiam olim jurandum præſtabant. Omne autem jurandum Deo fit: ideo rectè vocatur *Juramentum Dei.* Quidam, *ſed pro ratione juramenti Dei*, i. eatenus quatenus pietas id permittit. Nam pii etiam Deo jurabant. Conſule ſodes Obſerv. meas l. 9. c. 10. ¶ *Dei*] Deo præſtiti. Sic, *benignitates Davidis*, i. Davidi factas. Quid ſi vertamus *vel propter verbum jurandi*, i. propter jurandum ipſum? *Verbum juriſjurandi*, ut *Verba fraudum*, *Verba iniquitatum.* Vide Obſerv. l. 8. c. 22. Lxx περὶ λόγου ὅρκου Θεοῦ μὴ σπουδάσῃς.

3. *Nè perturberis*, &c.] *Nè turberis coram eo*; potiùs *à facie ejus abeas*: vel, *Nè perturbate à facie ejus abeas.* Alii, *Nè acceleres à facie ejus, ut abeas*, תלך. Sic ferè interpretes antiqui, ut Lxx, qui vertunt, Μὴ σπουδάσῃς, & Sym. in quo μὴ σπουδάσῃς, & Hieron. cujus eſt, *Nè feſtines recedere.* Σπουδάζω magis ſign. *diligentiam adhibeo*, aut *operam navo*, vel *ſatago*: ſed hic poni videtur pro σπεύδω, quomodo etiam Politianus vertit in Herodiano: videtur, dico, non affirmo; imò dubito: nam connecti debet

quin

cum iis quæ præcedunt. *Perturberis*, תבהל. Hoc verbum in Niphal magis ſignificat *perturbari*; quamvis etiam pro *accelerari* reperiatur, ut Prov. 28. 22. נבהל להון *accelerans ad opes*. Vide Mercerum. ¶ *A facie ejus abeas*] Si iratus tibi fuerit, nè te ei opponito, ſed potiùs abito & cede iræ ipſius. Nam *ira Regis nuncius eſt mortis*. *Faciei* autem vocabulo Iram ſignificant, ut notum iis qui has literas callent. Aliter, *Nè præceps ſis ut abeas*: q. d. Si accelerabis fugere ab eo irato, nihil proficies. Nam nullum aſylum adeò ſanctum eſt quod te ab ejus furore vindicare poſſit. ¶ *Nec ſtes*] Vulg. *Nè permaneas in opere malo*. בדבר רע. Ut *ſtare* pro *permanere* novum non eſt, ità *verbum* pro *opere* inſolens planè in auribus meis. Lxx μὴ στῇς ἐν λόγῳ πονηρῷ. Vulgò exponunt *in re mala*; & *nè ſtes*, *nè perſeveres*. Pſal. 141. 4. *Nè declinare facias ſervum tuum ad verbum malum*. Rurſum 64. 5. *Corroboraverunt ſibi verbum malum*. Pſal. 45. 1. *Eructat cor meum verbum bonum*. Licet exponere *nè ſtes*, i. *ne pugnes pro re mala*. Mercerus, *ne quid mali committas*, *quo Regem offendas*. ¶ *In re mala*] *In perturbatione & rebellione*. Sic Trem. ¶ *Nam quicquid volet, faciet*] Vulg. *omne quod voluerit faciet*. Lxx πᾶν ὃ ἐὰν θελήσῃ ποιήσει. Idem de Deo dicitur, ſed alio ſenſu. Nam potentia Dei major quàm Regis. Deus omnipotens eſt; Rex certis limitibus potentiam circumſcriptam habet.

4. *Ubi*] Vel *ubicunque*. Lxx καθὼς, i. כאשר. Sym. διὸ, i. *propter*. Sic etiam R. S. בעבור אשר *Propterea quod verbum Regis dominatur*. Sym. verba ſunt, διὸ τὸν λόγον βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι, *Eò quòd ſermo Regis poteſtate plenus ſit*. ἐξουσιαστικὸς, *autoritatem præ ſe ferens*; *ex poteſtate procedens*. ¶ *Verbum Regis*] *Mandatum Regis*. ¶ *Poteſtas eſt*] שלטון *poteſtas*, i. ἐξουσία, *autoritas*, *dominatio*. Sic R. D. Alii concretè accipiunt, pro *dominatore*, qui & שליט, quomodo ſanè in Daniele legimus שלטני מדינתא *ſatrapa* (ſive *dynaſtæ*) *provinciarum*, ἴσως *poteſtates provinciarum*, i. ἐξουσίαι. Nam *dominus* potiùs שליט dicitur. Græci ἐξουσιάζων. Sed in noſtra Vulg. *poteſtate plenus*, i. ἐξουσιαστικὸς, niſi vertit potiùs ἐξουσιαστής: nam id affertur ex Eſaia pro *dominatore* ſive *domino*. Fortè שלטון ἐξουσία, quod interdum ponitur pro *iis qui cum poteſtate ſunt*: ut in Epiſt. ad Titum, ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι. Verba ἐξουσιαστικὰ vocantur à Grammaticis, ἄρχω, κελεύω, βασιλεύω, & cætera id genus. Infrà v. 8. אין שלטון. Lxx οὐκ ἔστιν ἐξουσία. Lat. *nec habet poteſtatem in die mortis*. ¶ *Quis dicet ei*] Nemo hoc ei audet dicere; tametſi deberet dici interdum, præſertim quando τυραννεῖ.

5. *Præceptum*] *Regis* ſcilicet. Alibi ſignificat præceptum Dei. ¶ *Non novit ſermonem malum*] Vel *neſcit rebellare*. Nam ſuprà *rem malam* dixit Rebellionem. Doctè Interpres noſter, *non experietur quicquam mali*. Priùs Sym. ediderat, οὐ πειραθήσεται πράγματος πονηροῦ. Antea erat, οὐ γνώσεται ῥῆμα πονηρόν. Alioqui *non novit* poſſet exponi *non approbat*, ut ibi, *Deus novit viam juſtorum*. Nam qui præcepta Regum cuſtodiunt, interdum multa mala experiuntur; etiam, qui Deo obtemperant; & tamen legimus, *Non accidet juſto ullum malum*. ¶ *Tempus & judicium*] Quidam explicant per Tmeſin *tempus judicii*. Sic Lxx καιρὸν κρίσεως. Tempus rei agendæ καιρὸν Græci vocant. Nos *articulum temporis* ſive *opportunitatem*. Dicitur etiam *tempeſtas*. *Judicium*, rationem quâ Rex ſit tractandus, ſive quâ ratione ſit agendum cum Rege. Vel, *novit judicium Regis*, i. ſupplicium quod manet eos quibus Rex ſuccenſet. Sive novit quanta ſit pœna quæ manet eum qui Regem infenſum habet. Lat. Vulg. *& reſponſionem*, i. מענה. Trem. *rationem* משפט. Gall. *le moien qu'on doit tenir*. ¶ *Cor ſapientis*] Pro *ſapiente*. Simile illud Ennii,

——— *quem credidit eſſe meum cor*.

6. *Omni voluntati*] *Omni rei*, ut 3. 1. aut חפץ *res cupita & deſiderata*: q. d. *omni rei quam deſideres*. Lxx παντὶ πράγματι. Noſter, *omni negotio*. Gall. *en tout affaire*. ¶ *Tempus & judicium*] עת ומשפט, ut ſuprà. Lat. Vet. *Tempus & opportunitas*. עת ופן. Editio Symmachi καιρὸς χρείας καὶ τρόπος. Puto leg. πάσης χρείας καιρὸς καὶ τρόπος. Suprà 3. 1. לכל חפץ. idem Sym. πάσης χρείας, quod meam conjecturam non adjuvat modò ſed etiam planè firmat. *Tempus & judicium*, i. tempus judicii. Cuncta, inquit, ſuo tempore judicabuntur & punientur. Aliis *judicium* eſt ratio quâ quicquam gerendum ſit, *moien pour ſe conduire*. Τρόπος eſt *modus*, *ratio*; item *mos*, *conſuetudo*, *ritus*. ¶ *Quamvis malum hominis multum eſt ſuper eum*] Gall. *autrement mal ſur mal tombe ſur l'homme*. Aliàs, *malum malo ſupervenit homini*. Trem. *ſed malum hominis multum incumbit ei*. Mercerus, *nam malum hominis multum eſt in eo*. Lxx ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ ἐπ' αὐτόν. Legerunt דעת pro רעת; h. e. Daleth pro Res. Vulg. *& multa hominis afflictio*, רעת האדם רבה.

7. *Ignorat*] *Neſcit*. Lxx οὐκ ἔστι γινώσκων. ¶ *Quod futurum eſt*) Τί τὸ ἐσόμενον. Malè noſter *præterita*: nam id eſſet מה שהיה. Hoc videtur velle; Ideò homini multa incommoda eveniunt quia futura ignorat: quæ ſi noſſet, facilè vitaret mala illa. ¶ *Quemadmodum futurum eſt*] Καθὼς ἔσται *quomodo erit*. Alii, *quando futurum eſt*, i. ὅτε. ¶ *Quis indicet ei?*] Τίς ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *quis indicabit ei?* q. d. Hominum nemo. Nam ſolus Deus novit futura, aut cui ille voluerit patefacere illa.

8. *Non eſt homo*] Latinè *Nemo eſt*, ſive, *Non eſt quiſquam*. ¶ *Dominans in ſpiritum*] שליט ברוח *autoritate præditus in ſpiritum*, ſive *dominus ejus*, quia à Græcis, ἐξουσιάζων, *qui poteſtatem habeat in ſpiritum vitalem hominis*, qui videlicet eum *cohibere* aut *retinere* poſſit. שליט ergò *dominus* vel *dominator*, qui Ebræis מושל dicitur. ¶ *Ad cohibendum*] Τοῦ κωλῦσαι. ¶ *Spiritum*] הרוח τὸ πνεῦμα, pro quo Lxx maluerunt dicere σὺν τὸ πνεῦμα. Loquitur autem de Spiritu vitali, quem nemo intra ſe continere poteſt. Hic ſpiritus vocatur רוח חיים *ſpiritus vitæ* vel *vivorum*, & eſt communis Homini cum Beſtiis. Sunt qui de Vento exponunt qui etiam *ſpiritus* appellatur. Nam neque ventum quis retinere poteſt. Unde proverbiale, *Abſcondit ventum*. Vide Proverbia mea. Quid ſi locus de Anima intelligatur, quæ corpori ceu carceri incluſa? unde Deus eam educit & ad ſe vocat, ſicut ait, *Spiritus aſcendit ad Deum*, *qui dedit ipſum*. Juvat hanc meam conjecturam articulus qui eſt in Ebræo. ¶ *Poteſtas*] שלטון ἐξουσία, ut quidem Græci hîc vertunt: aut ἐξουσιάζων *poteſtate præditus*. Non eſt, inquit, Dominus aut princeps Monarchave qui mortem omnibus communem, ubi ſemel ingruerit, queat propellere. In lingua Chaldæorum שלטון magis *dominatorem* ſonat quàm *dominationem*, cujus pluralis in Daniele שלטני מדינתא *Præfecti* vel *Præſides provinciarum*. Nam *poteſtas* שלטנותא dicitur. ¶ *In diem mortis*] Hoc Galli dicunt *ſur le jour de la mort*. Cæteri *in die mortis*, i. quando hora mortis advenit; quæ licèt incerta ſit, eſt tamen certum omnibus ſemel moriendum eſſe: neque privilegium præ aliis habet qui cum poteſtate eſt. Nam *ineluctabile fatum*, &

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres,

ut ait Horatius. ¶ *Neque miſſile in bello*] משלחת *miſſile* ſive *telum*. Dicitur & שלח. Appellatio à *mittendo*. R. D. interpretatur חרב *gladius*. Puto quævis arma hoc loco ſignificari. במלחמה *in hoc bello* ſive *prælio*, nempe quod adversùs Mortem cernitur. *In hac pugna*, inquit, quæ nobis cum Morte, *nihil prodeſt miſſile* aut *telum*. Lxx οὐκ ἔστιν ἀποστολὴ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου, i. *miſſio* ſive *dimiſſio*. *Nemo dimittitur in die belli*. Sym. οὐδὲ ἔστι παρασκευάσασθαι εἰς πόλεμον, *non eſt licentia inſtruendi ſe ad bellum*. Vulg. *nec ſinitur quieſcere ingruente bello*. Santes, *nec illius eſt emiſſio telorum in prælio*. Trem. *nullúmque miſſile in iſto prælio*. Gall. *& n'y a delivrance in telle guerre*. Quidam explicant, *neque telum*, *à quo Rex ſit immunis*, *nedum alii*. q. d. Quis tela in acie, quæ grandinis inſtar confertim irruunt, à Regis corpore avertat? Non ſe probat mihi. *In hoc bello* vel *ad hoc bellum*, vel magis *prælium*. Nam מלחמה & קרב ſe invicem explicant. ¶ *Neque liberat*] Imò perniciem ei adfert. Talia ſunt, *Non gaudet ſtulti pater*; *Non proſunt opes improbæ*; *Non eſt bonum ſuſcipere perſonam in judicio*. ¶ *Improbitas*] רשע ἀσέβεια. Quidam *inquietudo* ſive *inquies*, i. rebellio & ſeditio contra Regem. Sic enarrant, *Ab improbis exit improbitas*, Ab irrequietis & ſeditioſis hominibus oriuntur ſeditiones, &c. ¶ *Suos*] בעליו ad verb. *dominos ſuos*. Lxx τὸν παρ' αὐτῆς, *eum qui eſt ab illa*, i. ſuum. Sic Mar. 3. 21. οἱ παρ' αὐτοῦ, i. *ſui*. Symmachus hoc dixit ἔχοντα αὐτήν: unde declarationes illæ, BAAL, *Habens*. BAAL-ZEBUB, *Habens muſcam*, &c. Gall. *ſon maiſtre*. Nam BAAL etiam redditur *magiſter*. Vulg. *neque ſalvabit impietas impium*. בעל רשע *improbus*, idem videlicet quod רשע. Non diſplicet. Trem. *utentem eâ*. Sed poteſt *uti improbitate* qui tamen non ſit *improbus*.

9. *Hæc omnia vidi*] את כל זה ראיתי. Poteſt reddi, *Cum his omnibus vidi*: (*Nam adhibui cor meum ad omne opus quod factum eſt ſub ſole*) *tempus quo dominatur*, &c. Sed prius melius, *Cum his omnibus*, videlicet quæ ſuprà in hoc libro commemoravi. ¶ *Vidi*] *Cognovi*, *obſervavi*, *conſideravi*. In ed. Græca. Καὶ σύμπαν τοῦτο εἶδον. Fortean leg. Σὺν πᾶν τοῦτο, *Unà cum omnibus*. Quæ lectio planè corroborat ſuperiorem verſionem noſtram. ¶ *Appoſui*] נתן pro נתתי *dedi*, *adjunxi*, *applicui*, *appuli*. ¶ *Cor meum*] i. Animum meum. Lxx καὶ ἔδωκα

τλὺ καρδίαν μȣ. Vulg. *& dedi cor meum.* Quidam *intendi cor meum.* Gall. *J'ay adonné mon cœur à toute choſe*, &c. Dicunt etiam *mettre ſon cœur à quelque choſe*, i. *adjicere animum*, &c. ¶ *Ad omnia opera quæ fiunt ſub Sole*] Εἰς πᾶν τὸ ποίημα ὃ πεποίηται ὑπὸ τὸν ἥλιον. Hic מעשה vertunt ποίημα ut alibi ἔργον. Eſt autem ποίημα propriè *opus quod aliquis fecit*: *factum* autem & *facinus* reſpondent potiùs nomini ἔργον. ¶ *Tempus, quo*, &c.] Quidam, *Hæc omnino vidi, quo tempore dominatur*, &c. Vulg. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.* עת אשר *tempus eſt cùm*, i. *interdum*, *aliquando.* Non omnino diſplicet. Sic olim Sym. vertit, ἔςιν ὅτε ἐξȣσίασεν ἄνθρωπος ἀνθρώπȣ εἰς κακὸν ἑαυτȣ̃. Priùs Aq. ediderat, καιρὸς ὡς ἐκυρίευσεν ἄνθρωπος — & Lxx τὰ ὅσα ἐξȣσιάσατο ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώπῳ τȣ̃ κακῶσαι αὐτόν. ¶ *Dominatur*] Vel *poteſtatem habet.* ¶ *Malo ipſius*] Vel *malo ſuo.* Cujus rei fidem facit hiſtoria omnium temporum. Cæterùm לרע לו dixit pro לרעתו, ut alibi David בצרה לי dixit pro eo quod eſt בצרתי *rebus meis adverſis.* Sic in Daniele ואין לו quidam exponit *& non eſt* ואינו. Aliter Lxx, qui vertunt τȣ̃ κακῶσαι αὐτόν. רע *malefacere*, ut רד *attenuare.* Porrò, qui *dominatur in populum malo ipſius*, tyrannus eſt. Tales raro felicem exitum ſortiuntur: unde Juvenalis,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.

Ergò qui *malo alterius dominatur*, *etiam ſuo malo dominatur.* Nam conjuncta hæc ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον. Sed ſequentia docent veriorem interpretationem eſſe *malo ipſius.*

10. *Et tunc*] ובכן. Sic Græci Καὶ τότε. Sic etiam Santes. Et eſt Thargum τȣ̃ אז, ſi Abenezræ credimus. Verba ſunt ובכן כנו תרגום אז. Aut hoc dicit, בכן ſign. *tunc*, ut in editione Chaldaica. Alii, *& ſic.* Thargum hoc loco ובקשטא *& vere.* ¶ *Sepultos*] Sepulturæ honore, quo indigni erant, affectos. ¶ *Et venerunt*] Alii venerunt in ejus locum eique ſucceſſerunt qui meliores non erant, ſed vel æquè improbi, vel etiam improbiores: ut ferè videmus malos bonis ſuccedere, & malis pejores. Alii, *ſepultos*, quorum memoria quaſi ſepulta erat: *& venerunt* iterum, nempe in filiis & poſteris ſuis. Gall. *& puis retournes.* Quidam *cùm abiiſſent*, i. mortui fuiſſent. *Abire* dicunt abſolutè pro *abire ad plures*, ſive *ad patres.* Sed an etiam בא ità uſurpatur? Negat Mercerus, niſi cùm de Sole dicitur: tunc ſign. *occidere.* Legimus tamen Gen. 15. 15. תבוא אל אבותיך *ibis ad patres tuos*, pro *morieris.* ¶ *Ex loco Sancti*] *Ex civitate Sancti*, i. Dei. Hic duo notanda. Primum מקום pro *civitate*; ut in illo Geneſeως *In loco Sichem.* i. interprete Moſe Gerundenſi, *in urbe Sichem.* Deinde *Sanctus*, quod inter epitheta Dei, ut Hab. 3. 3 vel quòd ſanctè ac religiosè à nobis colendus ſit, vel potiùs quòd ipſe ſolus verè ſanctus nobiſcum de ſanctitate ſua communicat. Sæpiùs vocatur הקדוש ὁ ἅγιος cum articulo. Ut hic *locus ſancti*, ſic Tob. 13. 9. in ed. Rom. Ἱερȣσαλὴμ πόλις ἁγίȣ, ubi in aliis editionibus *civitas ſancta*, & in Fagii Ebraica עיר הקדש *civitas ſanctitatis.* Quod planè pro iis facit qui hunc locum de Urbe accipiunt, in queis Mercerus. ¶ *Abierunt*] Vel *diſceſſerunt.* Nam *diſcedere* abſolutè ponitur pro *diſcedere è vita*, ſive *mori.* Idem *abire* ſignificat, unde *abitio* pro *morte.* Vide Feſtum. Pleniùs loquuntur cùm dicunt *abire ad plures*, vel *ad patres*, vel, *Abiit in domum æternam.* ¶ *Oblivioni traditi fuerunt*] In oblivionem venerunt, aut ſepultura caruerunt. Nam tales quoque oblivioni traduntur, aut in oblivionem veniunt. Hoc Ebræi dicunt וישתכחו, quæ ſcriptura hodiè in libris omnibus quos vidi. Cæterùm antiqui legunt וישתבחו, per Beth, i. *laudati fuerunt*, h. e. epitaphio celebrati. Alibi verbum idem denotat *epithalamio celebrare*; ut apud Davidem quo in loco ità ſcribit, *Virgines ejus non fuerunt laudatæ.* Hanc lectionem expreſſerunt primùm Lxx, vertentes καὶ ἐπῃνέθησαν, deinde autor Vulgatæ, in quo *& laudabantur in civitate.* Ei firmandæ eſt quod in Commentariis Salomonis Jarii, *Noli legere* וישתכחו *ET IN OBLIVIONEM VENERUNT*, *ſed lege* וישתבחו *ET LAUDATI FUERUNT. Sic expoſuerunt hunc locum Doctores noſtri b. m. Ex antiquis unus Paraphraſtes Chaldæus vertit* ואתנשיין. Obiter noto. Verba illa ובאו וממקום וגו' Aq. tranſtulit καὶ ἦλθον ἐκ τόπȣ ἁγίȣ. Sym. καὶ ὁπότε περιῆσαν ἐν τόπῳ ἁγίῳ ἀνέςρεφον, *cùm adhuc ſupereſſent in loco ſancto reverſi ſunt.* Ex quo fortè hauſit noſter, qui, *cùm adhuc viverent, in loco ſancto erant.* ¶ *Ubi rectum fecerant*] אשר poſuit pro אשר כה: & כן, i. אמת *veritas*, *rectum*, ut Num. 27. 7. כן דברות *rectum loquuntur filiæ Sulphaad.* Aut eſt adverbium כן, i. *verè*, *rectè*, quod dicunt ὄντως. Sic ὄντως uſurpatur in Euangelio. Vide Concordantias N. T.

11. *Decretum*] פתגם, & ſubintelligitur על particula, ut ſit על מעשה הרעה *de opere malo.* Eſt autem הרעה nomen ſubſtantivum, ſignificans *malitiam*, i. vexationem ſive afflictionem; quam Græci κάκωσιν vocant. Sunt qui conſtruant, *Quia non fit decretum operis mali*, i. de opere malo. Nam accentus non ſemper impedit conſtructionem. פתגם autem in regimine habet (ר) ut יתר *reliquum.* Vetus noſtra editio, *Quia non profertur citò contra malos ſententia.* Priùs Sym. ediderat, Διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπόφασιν. Eſt autem ἀπόφασις hoc in loco *ſententia Judicis*, quæ & ἀπόφανσις. פתגם pro *edicto* ſive *decreto* ſumitur Eſth. 1. 20. ¶ *De opere malo*] Ad verb. *de opere malitiæ.* Nam הרעה *malitia*, quæ hic denotat culpam, non pœnam. Lxx ἀπὸ τῶν ποιȣ́ντων τὸ πονηρὸν. מעשה הרעה ἀπὸ τȣ̃ ποιȣ̃ντος. Vulg. *contra malos.* Sententiam expreſſit, non verba. ¶ *In hoc totum eſt cor hominum*, &c.] Verba ſonant ad verbum, *propterea plenum eſt cor filiorum hominum in illis.* Id Gallicè redditur, *pourtant le cœur des humains eſt tout plein dedans eux*: & Græcè à Lxx viris διὰ τȣ̃το ἐπληροφορήθη καρδία υἱῶν τȣ̃ ἀνθρώπȣ ἐν αὐτοῖς. Quid autem hoc ſit explicat Sym. per hæc verba, ἀφόβως καρδία οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακȣργȣ̃σιν, & eum ſecutus noſter, *abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Aquila verò reddidit ἐτόλμησαν. Quò reſpexit fortè Trem. referens, *idcirco provehit animus hominis eò audaciæ illos.* Nam מלא activè ſumitur in hac phraſi Eſth. 7. 5. אשר מלאו לבו *qui replevit cor ſuum.* i. qui eò audaciæ proceſſit.

12. *Quamvis*] אשר pro כי, i. *Quia*, *Quamvis.* Novum hoc pueris. Sunt qui legant, *Quia peccator facit malum centies*, &c. *quamvis ſciam ego*, &c. Ratio ejus quod dixit, *Quia non fit decretum citò.* Quid ſi vertamus, *Qui peccat, facit malum centies, & producitur ei? Qui peccat*, i. peccator. Hoc vult, *Peccator, etiamſi centies peccet, tamen non punitur.* ¶ *Centies*] מאת, & ſub. פעמים, *centum vicibus*, i. centies. Lxx ἀπὸ τότε, i. מאז. Sym. ἁμαρτὼν γὰρ ὁ κακȣ̃ργος ἀπέθανεν, i. מת. Licet etiam ſubaudire שנים, *ſi peccator faciat malum centum annos*, &c. Sed prius melius. ¶ *Producantur ei dies*] ומאריך לו *producitur*, ſive *prorogatur ei*, & ſub. *tempus vitæ*: ut Exod. 20. 12. יאריכון ימיך *producentur dies tui.* Hinc מאריך μακρόβιος 7. 16. Vel *differt ei*, ſub. *iram ſuam*, i. pœnam. Gall. *Dieu luy donne delay.* Alii, *& prorogat ei Deus.* Vulg. *& per patientiam ſuſtentatur.* q. d. *Et differat ei Deus.* Mercerus, *Et differtur ei*, ſub. *pœna.* Hinc ארך אפים dicitur, teſte Camio, מאריך אפו לרשעים וגו'. Ut hic *differt ei*, ſic alibi R. D. *Deus vocatur* μακρόθυμος, *quia differt iram ſuam improbis, nec ſtatim punit eos.* ¶ *Quod bene erit*] אשר יהיה טוב *quod erit bonum.* Lat. *novi ego fore bonum.* Lxx ὅτι ἐςὶν ἀγαθόν. ¶ *A facie ejus*] Vel *à conſpectu ejus.* Vulg. *qui verentur faciem ejus*, i. præſentiam, aut iram ejus. Sic alibi. *Facies Domini diſperget eos*, i. Ira Domini. Sciendum in Ebræo eſſe non מפניו, i. *à facie ejus*, ſed מלפניו *à coram facie ejus*, ſive *à conſpectu ejus*, ut mox, *qui non timet à conſpectu Dei.* Sic differunt *fugere à facie Domini* & *à coram facie* (ſive *à conſpectu*) *Domini.* Vide Lectiones meas in Jonam. Hâc poſtremâ phraſi ſignificatur Dei providentia, non illa univerſalis, ſed quæ peculiaris genti electæ: Quam cùm fugeret Jonas, dicitur *fugere à conſpectu Domini*, cùm *à facie Domini* nemo fugere poſſit, dicente David, *A facie tua quò fugiam?*

13. *Et quòd bene non erit improbo*] *Novi etiam bonum non fore improbo. Bene non erit* dixit pro *malè erit*: μείωσις ſive λιτότης. ¶ *Neque prorogabit dies*] Neque diu vivet: non erit longævus. Hoc ut plurimùm, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον. Alioqui ſunt improbi qui vitam prorogent in multos annos. Suprà 7. 16. *Eſt improbus prorogans in malitia ſua.* Huic loco firmando eſt, *Improbi non pervenient ad dimidium dierum ſuorum*: &, *Anni improborum decurtantur.* ¶ *Ut umbra erit*] *Erit* non eſt in fonte. Videtur hoc velle, Ut umbra non diu durat, ſic ille non diu vivet. Sed alibi David, *Dies noſtri ut umbra inclinata.* ¶ *Qui*] Vel *quia.* Nam אשר & pro כי ſumitur.

14. *Eſt vanitas alia*] Adjeci vocem *alia*, quæ deeſſe videbatur. Sic Interpres antiquus, *Eſt & alia vanitas ſuper terram.* ματαιότης. Sym. hoc loco & infrà in hoc verſu reddit ἄπορον, i. *dubium ac perplexum, è quo non facile te extrices.* Gellius *inexplicabile* vocat. Ejus verba ſunt lib. 9. cap. 15. *Exponit igitur tentamenti gratiâ controverſiam parùm conſiſtentem: quod genus Græci ἄπορον vocant: Latinè autem id non nimis incommode Inexplicabile dici poteſt.* ¶ *Sunt juſti*, &c.] Vel *quòd ſint juſti quibus accidit ſecundum opus*, &c. Verbum è verbo, *ad quos pertingit ſecundum opus.* Hoc ſignificat; *Sunt viri boni qui iis ſæpe malis afficiuntur quibus improbi*

Digitized by Google

probos affici æquius videbatur; & ſunt improbi qui ea refe-runt præmia quæ piis jure debentur. Vulg. *Sunt juſti quibus ma-la proveniunt* (aliàs *multa eveniunt*) *quaſi opera egerint im-piorum: & ſunt impii qui ità ſecuri ſunt quaſi juſtorum facta habeant.* ¶ *Quibus contingit ſecundùm opus*, &c.] *Quibus uſu venit ac ſi feciſſent opera improborum:* ac ſi vixiſſent quem-admodum improbi vivunt. ¶ *Hoc etiam vanitatem eſſe.*] i. Rem humanâ opinione vaniſſimam & abſurdiſſimam, aut ſe-cundùm Symmachi editionem, *rem hujuſmodi è qua ſe homo facilè expedire non poſſit.*

15. *Laudavi lætitiam*] Vide ſuprà 3. 12, & 22. Ἐπῄνε-σα σὺν τὴν εὐφροσύνην, i. *vitam lætam ac jocundam.* Hic σὺν reſpondet τῷ את articulo accuſativi caſûs apud Ebræos. Quidam, *Tunc laudavi:* alii, *Laudavi igitur:* alii, *Quapropter lau-daveram.* ¶ *Quia non eſt bonum*] Alii, *quod non ſit bo-num*, & ſub. *reputans mecum*, aut *cum animo meo.* ¶ *Non eſt bonum niſi*] Latinè, *nihil eſt melius quàm.* Sanè quidem ſunt alia bona ſub Sole quæ hâc locutione non excluduntur. ¶ *Lætetur*] Jocundè & hilariter vivat. ¶ *Et hoc accedat ei*] ילונו dixit pro עמו ילוה *aſſocietur cum eo*, ſive *adjungatur ei:* ut alibi יגורך pro עמך יגור, *habitabit tecum.* Quidam *adhæ-rebit ei.* Lxx καὶ αὐτὸ συμπροσέσεται αὐτῷ. Sym. ὃ μόνον συμπρο-έσεται αὐτῷ *cujus ſolum particeps erit.* Vulg. *& hoc ſolum ſe-cum auferret.* Gall. *qui luy demeurera.*

16. *Cùm dediſſem*] Vel potiùs, *Cùm darem:* & mox, *non vidit.* Mens horum verborum, *Cùm applicarem animum ad ſtudium ſapientiæ, in eòque me occuparem, nec interdiu nec internoctu vidi ſomnium oculis meis. Cor non vidit ocu-lis ſuis*, i. Ego non vidi oculis meis. Simile,

——— *Quem credidit eſſe meum cor.*

Sic Cor *vigilare* dicitur Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sym. διὸ ἔταξα τὴν καρδίαν μου. Sic etiam Santes, *Prop-terea dedi cor meum.* Lxx ἐν οἷς, i. כאשר. Gall. *apres avoir adonné mon cœur.* ¶ *Ad videndum*] Τοῦ ἰδεῖν. ¶ *Occu-pationem*] Τὸν περισπασμὸν, i. interprete Hier. *diſtentionem.* Malè legitur in libris quibuſdam *diſſenſionem.* Trem. *negotium.* ¶ *Oculis ſuis*] Ut Cor *videre* dicitur, ità etiam ei *oculi* tri-buuntur, qui *oculi cordis* ac *mentis* vocantur. Alii ſubintelli-gunt *homo*, cujus ſuprà meminerat. Suprà 2. 23. *Ne noctu quidem dormit cor ejus.*

17. *Vidi*] Didici, i. κατέμαθον. Sic interpretatur Sym. Alii, *cognovi, obſervavi, animadverti.* ¶ *Omne opus Dei*] *Omnia opera Dei*; occulta Dei judicia, & mirabiles effectus providentiæ ipſius, qui ſapientiſſimis quibuſque negotium exhi-bent. ¶ *Sanè non poteſt homo*, &c.] כי *ſanè.* Rectiùs for-taſſe, *Vidi quòd omnium operum Dei non poſſit homo inveni-re opus unum*, &c. Nec aliter Vulg. noſter, *Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eo-rum quæ fiunt ſub Sole.* ¶ *Opus*] Rationem operis Divini. ¶ *Quod fit ſub Sole*] Multò minùs opera quæ fiunt ſupra cœ-lum. Culpandi ergò graviter qui eis inveſtigandis oleum & operam perdunt. Benè Socrates monebat, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Nunc reperias qui ſe ſcire arbitrantur quod Deus Pater Filio in aurem dixerit. ¶ *Nec inveniet*] *Nec aſſequi-tur.* ¶ *Sapiens*] החכם ὁ σοφός. ¶ *Futurum eſt ut cognoſ-cam*] לדעת τοῦ γνῶναι poſuit pro eo quod eſt עתיד לדעת. Qui-dam, *Potero cognoſcere* (aut, *Dabo operam*) *ut cognoſcam.* Vulg. *ſi dixerit ſe noſſe.*

IDEM.

2. וְעַל דִּבְרַת שְׁבוּעַת אֱלֹהִים אַל־תִּבָּהֵל. Sym. καὶ παρα-βλῆναι ὅρκον Θεοῦ μὴ σπεύσῃς, *& violare jurandum Dei ne properes.*

5. שׁוֹמֵר מִצְוָה לֹא יֵדַע דָּבָר רָע. Sym. *Qui cuſtodierit man-datum, non experietur rem malam*] Poſtremum membrum Græcè exſtat in ed. Rom. οὐ πειρασθήσεται πράγματος πονηροῦ.

6. כִּי לְכָל־חֵפֶץ יֵשׁ עֵת וּמִשְׁפָּט. Sym. Ὅτι παντὶ πράγματι ἔστι καιρὸς καὶ κρίσις, *Quoniam omni rei eſt tempus & judi-cium*] Leg. ex ed. Rom. καιρὸς χρείας καὶ τρόπος *tempus neceſ-ſitatis & modus.* Καιρὸς καὶ κρίσις interpretamentum eſt τοῦ ὁ. ¶ כִּי־רָעַת הָאָדָם רַבָּה עָלָיו. Sym. ἡ γὰρ κάκωσις τοῦ ἀνθρώπου πολ-λὴ κατ' αὐτοῦ, *vexatio enim hominis multa eſt contra ipſum.* Th. ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ πολλὴ ἐπ' αὐτόν, *quoniam ſcien-tia hominis eſt multa in illum*] *Scientia*, i. דעת.

7. כִּי־אֵינֶנּוּ יֹדֵעַ. Sym. ὅτι οὐκ ἐπίσταται *quia neſcit.* ¶ כִּי כַּאֲשֶׁר יִהְיֶה מִי יַגִּיד לוֹ. Sym. τίς γὰρ τὰ ἐσόμενα ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *quis enim futura annunciabit ei?*

8. וְאֵין מִשְׁלַחַת בַּמִּלְחָמָה. Sym. οὐδὲ ἔστι παρατάξασθαι εἰς πό-λεμον, *non licet in procinctu ſtare ad bellum.* ¶ אֶת־בְּעָלָיו. Sym. ἔχοντα αὐτὴν *habentem eam*] Latinè; *qui eâ præditus eſt.*

9. עֵת אֲשֶׁר שָׁלַט הָאָדָם בְּאָדָם לְרַע לוֹ. Sym. ἔστιν ὅτε ἐξουσία-σεν ἄνθρωπος ἀνθρώπου εἰς κακὸν ἑαυτοῦ, *eſt quando homo pote-ſtate uſus eſt in hominem in malum ſuum.* Aq. καιρὸς ὡς ἐκυ-ρίευσεν ὁ ἄνθρωπος --- *tempus cùm dominatus eſt homo.* ---

10. וּבָאוּ וּמִמְּקוֹם קָדוֹשׁ. Aq. καὶ ἦλθον ἐκ τόπου ἁγίου, *& ve-nerunt ex loco ſancto.* Sym. καὶ ὁπότε περιῆσαν ἐν τόπῳ ἁγίῳ ἀνέστρεφον, *& cùm circumirent in loco ſancto revertebantur*] יהלכו eſt in fonte, quod magis ſign. *abierunt, iverunt.* ¶ אֲשֶׁר כֵּן עָשׂוּ. Sym. οἱ δίκαια πράξαντες *ut juſta facientes.*

11. אֲשֶׁר אֵין־נַעֲשָׂה פִתְגָם. Sym. διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπό-φασιν *eò quòd non fiat decretum*] *Sententia*, vel *negatio*, aut *contradictio:* ut ſit verbale ab ἀπόφημι *nego, contradico.* ¶ מָלֵא לֵב בְּנֵי־הָאָדָם בָּהֶם לַעֲשׂוֹת רָע. A. ἐτόλμησαν. --- Sym. ἀφόβως καρδίας οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν, *intrepido ani-mo filii hominum malefaciunt.*

12. אֲשֶׁר חֹטֶא עֹשֶׂה רָע מְאַת וּמַאֲרִיךְ. Sym. ἁμαρτὼν γὰρ ὁ κακοῦργος, ἀπέθανεν μακροθυμίας γενομένης αὐτῷ, *peccans enim maleficus, mortuus eſt poſtquam ira ei dilata fuiſſet*] *Mortuus eſt*; מת.

14. הֶבֶל, Sym. ἄπορον *res impedita & perplexa, & è qua te extricare non potes.* ¶ אֲשֶׁר מַגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הָרְשָׁעִים. Sym. οἷς συμβαίνει κατὰ τὰ ἔργα τῶν ἀσεβῶν, *quibus accidit ſecun-dùm opera impiorum.* ¶ וְיֵשׁ רְשָׁעִים שֶׁמַּגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הַצַּדִּיקִים. Idem, καὶ εἰσὶ παράνομοι οἷς συμβαίνει ὡς πράξασι κατὰ τὰ ἔργα τῶν δικαίων, *& ſunt improbi quibus accidit ac ſi face-rent ſecundùm opera juſtorum.* ¶ הָבֶל. Sym. ἄπορον *inex-tricabile*] Suprà הבל, idem ἄπορον. Locus plenior eſt in Com-mentariis Hier. יש הבל אשר נעשה על הארץ. Sym. *Eſt diffici-le cognitu quod fit ſuper terram.* Ergò ἄπορον interprete Hier. *difficile cognitu.*

15. וְהוּא יִלְוֶנּוּ. Sym. οὐ μόνον συμπρόσεισι αὐτῷ *non ſolùm adhæret ei*] *Simul eſt cum eo, particeps eſt*; ut Pſal. 94 μὴ συμπαρέσται σοι *ne particeps ſis.*

16. כַּאֲשֶׁר נָתַתִּי. Sym. διὸ ἔταξα *propterea ordinavi.* ¶ אֶת־הָעִנְיָן. Sym. περισπασμὸν *occupationem.*

17. וְרָאִיתִי אֶת־כָּל־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים כִּי לֹא יוּכַל הָאָדָם לִמְצוֹא. Sym. Καὶ κατέμαθον ὅτι πάντων τῶν ἔργων τοῦ Θεοῦ οὐ δύναται ὁ ἄν-θρωπος ἐξευρεῖν, *Et didici quòd ullum operum Dei non poteſt homo invenire.* ¶ אֶת־הַמַּעֲשֶׂה אֲשֶׁר נַעֲשָׂה. Idem, οὐδὲ ἓν ἔρ-γον πραττόμενον *ne ullum quidem opus quod fit.*

AMAMA.

Pergit hoc capite primò tradere præcepta tria ſeu media quo-rum beneficio aliquis tranquillè in hac vaniſſima vita po-teſt vivere uſque ad verſ. octavum. Secundò à verſu 8. uſ-que ad 15. commemorat tres alias vanitates. Tertio, à 15. indicat rurſus, qua in re conſiſtat felicitas vitæ terrenæ. Pri-mum quod attinet tradit præcepta tria, 1. obediendum Magi-ſtratui uſque ad verſ. 5. 2. Ne quis ſit curioſè ſollicitus de fu-turis malis. 3. Conſiderandam eſſe ſæpe certitudinem mor-tis.

1. *Ego* (moneo te) *ut præceptum Regis obſerves, ſed jux-ta rationem juramenti Dei.*

2. *Ne perturbatè* (vel *feſtinanter*) *à facie ejus abeas & ne ſtes in re mala, quia, quicquid voluerit, efficiet.*

3. *Ubicunque verbum regis eſt* (ibi) *eſt dominatio. Et quis dicet ei, Quid facis?*

4. *Qui obſervat præceptum non cognoſcet rem malam; ac tempus & judicium cognoſcet cor ſapientis.*

Ego] Sub. מַזְהִיר admoneo te. הזהיר Rab. *admonuit.* Oc-currit etiam in textu. Vel מְצַוֶּה jubeo, mando tibi. Hoc modo ſupplet & Junius in prioribus editionibus, *Ego video* אני ראה. At in poſterioribus ſic invenio, *Præſtitutum meum, Præſtitutum Regis obſerva.* R. Sal. ſub. נכון *Ego paratus ſum ad Regis mandatum cuſtodiendum* לִשְׁמֹר. Sine dubio tunc ad Deum referendum, ut & R. Sal. refert primâ expoſitione. Et huc etiam trahit ultimum membrum, quod tunc ſic redden-dum, *vel propter juramentum Dei.* i. Deo præſtitum. *Jura-vimus enim*, inquit ille, *ipſi obedientiam in monte Horeb.*

Præceptum] Ebr. *os.* Os præter alias ſignificationes ſignifi-cat per Metalepſin aut Metonymiam jam præcedentia ſe, jam ſequentia. Præcedentia, nempe *voluntatem, mentem, ſen-tentiam* &c. Sic Joſ. 9. *os ejus non rogarunt.* Jeſ. 30. *Qui deſ-cendunt in Ægyptum & os meum non interrogârunt.* Se-quentia, *mandatum, ſermonem, edictum.* Unde, *ad os ali-cujus aliquid facere* eſt juxta præſcriptum alicujus aliquid agere. Exod. 16. *Profectus eſt Iſrael ad os DOMINI.* i. manda-

tum,

tum. Exod. 38. *ad os Moſis*, 2. Reg. 23. *ad os Pharaonis.* Unde & *Transgredi os alicujus.* 1. Sam. 15. *Peccavi quia transgreſſus ſum os DOMINI & os tuum.*

Regu] מְלָךְ à Chald. מְלַךְ, conſuluit, quia debent conſilio pollere. Unde מִלְכָּא conſilium. Derivantur autem quædam Ebraica à Chaldæis eodem modo quo & ab Arabico quædam deducuntur. Vide quæ notavimus ad שמים & אלהים ad cap. 1. Thalm. dicunt רַךְ & רִבָּא, unde de Herode dicunt לא רכא ולא בר רכא *ne Rex nec filius Regis.* Forte hinc Lat. *Rex.* Atque hinc quidam lucem faciunt vocabulo אַבְרֵךְ Gen. 41. *Ut fuerit promulgatus Pater Regni*, quod Romanis *Pater Patriæ.* Sed præſtat intra cancellos Ebraiſmi ſe continere, ut ſit Infin. Hiphil pro הַבְרֵךְ ex Dialecto Chald. Et hoc confirmat ſequens Infin. וְנָתוֹן, ut ſenſus ſit, Regium præconem clamaſſe ei geniculandum & datum ſeu conſtitutum à Pharaone in præfectum totius Ægypti. *Reges* vocantur in S. L. & minores magiſtratus, ut Jud. 1. cum Adonibezec dicit *ſe habuiſſe ſub menſa ſua 70 Reges.* Et Joſ. 12. numerantur XI Reges quos debellavit Joſua, qui tantum habitabant in Canaan. Sic Jud. 17. 18. dicitur *nullus fuiſſe Rex in Iſrael.* i. Judex.

Sed pro ratione] ועל דברת. Vau pro *ſed* frequens. על דברת aliquando propter ſignificat, unde quidam hic, *propter juramentum Dei.* i. præſtitum Deo. Alii ad שְׁמֹר referunt, cuſtodi & negotium juramenti Dei. Solet enim Scriptura ferè timorem Dei cum obedientia Regum conjungere, ut in Prov. *Deum time & Regem.* Rab. Sal. ſic exponit, ut conditionem includat, ſalvo juramento Dei, Deo plus quam hominibus obediendum eſt. Jun. *Eſt moderatio obſequii debiti Magiſtratibus.*

Ne perturbatè exeas] Cum tibi Rex aliquid mandaverit noli perturbatè exire à facie ejus, ne ſubducas te ejus obſequio animo perturbato. Ebr. ad verbum, *ne perturberis exeas à facie ejus.* Si legis תִּבָּהֵל. i. perturbate. Vel, *ne feſtines exeas* &c. i. feſtinanter abeas, ſi legis תְּבַהֵל. Quanquam & בָּהַל in Niphal in ſign. accelerandi inveniatur. Obſerva hic quædam verba conſtrui cum aliis ſimili perſona & tempore, quæ in adverbia reſolvi debent, aut, ut quidam, quorum poſterius in Infinit. debet reſolvi, ſed hoc in omnibus locum non habet. Ut hoc loco, ſic Pſal. 45. צלח רכב *proſperare equita.* i. proſpere equita. 1. Sam. 2. אל תרבו תדברו *ne multiplicetis loquamini* i. multum loquamini. Sic Pſa. 51. הרב כבסני *multiplica lava me.* i. multum. Kimchi hic accipit pro *terreri* & אל ſumit pro לא q. d. ſi hoc feceris, non terreberis ira ut à conſpectu ejus tibi ſit abeundum, nec ſtabis in malo ſcilicet pœnæ. Sed præſtat ſenſus prior.

Ne ſtes in re malâ] Intelligit malum culpæ, rebellionem & perturbationem. Videtur aliquid Emphaſeos latere ſub voce תַּעֲמֹד. Humanum eſt labi, at durare, permanere, id eſt, ſtare in eo, diabolicum eſt.

Quicquid volet efficiet] Nunquam ergo effugies. *An neſcis longas Regibus eſſe manus?* Sive jure ſive injuria agat.

3. Succurrit hic per occupationem objectioni. At effugiam dices. Mittet poſt te. Ubicunque enim eſt, vel quocunque pervenit verbum ejus, ibi eſt poteſtas ejus.

Ubicunque] באשר. R. Sal. בעבור אשר. Eò quòd verbum Regis dominatur. Sunt enim qui שלטון Dominum exponunt. Sic & Kimchi. Sic & in Proverbio iſto ſumitur החרוץ לעל כל דבר שלטון *Diligentia DOMINUS eſt cuicunque rei.* Vel dominator.

Verbum] Id eſt præceptum. Sic עשרה דברים *Decem verba* i. præcepta.

4. *Qui cuſtodit præceptum*] Suadet obedientiam ab utili. מצוה licet ſæpe generaliter ſumatur pro quovis mandato divino, tamen accuratiores ſic diſtinguunt inter מצות חקות & משפטים, ut מצות ſit præcepta moralia, חקות ceremonialia & משפ' judicialia, politica. Rom. 13. *Magiſtratus non ſunt metui bonis operibus ſed malis: Vis autem non timere poteſtatem, fac bonum, & laudem ab ipſa obtinebis.*

Noſcet malum] Scilicet pœnæ. *Noſcet* i. ſentiet, experietur. Hoc frequens eſt.

Tempus & judicium noſcit cor ſapiens] Novit tempus cujuſcunque rei agendæ & judicium quoque, id eſt, modum & rationem, qua quidque agendum eſt. Jun. *Tempus obſequendi, diſſimulandi & ab obſequio recedendi.*

Judicium] i. rationem & modum aliquid agendi. Sic Joſ. 6. 18. *Et circuibant urbem ſequenti die* במשפט הזה *eodem modo.* Talia loca plura ſunt.

Novit] Poteſt & exponi per *curam habet*, q. d. curam habet temporis & judicii i. juris & rationis. Sic Deus dicitur *noviſſe viam juſtorum* Pſal. 1. & in Prov. *Juſtus noviſſe animam jumenti ſui.* i. curam habere. R. Sal. per *judicium* intelligit vindictam & ſupplicium, quæ ſcit manere improbos, licet Deus aut Rex pœnam aliquando differant. Sic ſæpe accipitur vox משפט Prov. 19. *Parata ſunt irriſoribus* משפטים *judicia.* 2. Petri. *Quorum judicium jam olim non ceſſat.*

5. *Nam* (quia) *omni deſiderio eſt tempus & judicium id,* (ideo) *quod homini magnum eſt malum.*

6. *Quia neſcit ille quid futurum ſit, nam quando futurum ſit quis indicabit ei.*

Omni deſiderio] id eſt, rei. Vide ad cap. 1. verſ. 1.

Judicium] ſi non ſtatim, tamen tandem, aut à Rege, vel à Deo futuro ſeculo punientur.

Quia magnum hominis malum ſuper ipſum] Kimchi hoc refert ad verſ. 1. *Obſerva mandatum Regis, magnum enim impendet homini malum, qui hoc non facit.* Sed quia hoc longius petitum; videtur melius ad totum hunc diſcurſum pertinere Mercero, *Eſt quidem cuique ſuum tempus & judicium, ſed ignotum homini, id quod malum ipſi eſt.* Intellige ergo hic per *malum* malum pœnæ. Infelicitas certè hominis eſt, quod malum providere non poſſit. Hoc eſt quod ſubdit verſ.

6. *Quia neſcit &c.*] Vult itaque monere ne in futura mala utpote quæ nos celata voluit Deus, curioſè inquiramus. Addam duas alias expoſitiones. Lxx. Παντὶ πράγματί ἐστι καιρὸς κρίσεως, ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ ἐστὶ ἐπ᾽ αὐτόν. Ubi quædam obſervanda, primò חפץ per πρᾶγμα efferunt, ut nos; deinde neglexerunt ו copul. ante משפט. Sed quædam exemplaria habent καιρὸς καὶ κρίσις. Ultimò, pro רעת legerunt דעת, ד pro ר. Tale quid habuimus ſupra. Symm. tamen vertit κάκωσις, *afflictio.* Tremellius in Editionibus primis conjungit planè hos verſus, *Omni rei ſuum tempus & ratio, ſed malum hominis multum incumbit ei. Qui non agnoſcit id quod futurum eſt, quomodo enim futurum ſit quis indicet ei?* Ubi tantùm hoc animadverto כי duriſſime pro rel. אשר ſumi. In reliquis nihil decerno. Simpliciſſima eſt expoſitio prima, cui per omnia quoad ſenſum reſpondet nova veſtra Anglicana; *Propterea homini incumbit malum, neſcit enim &c.* Ubi hoc adhuc obſervandum particulam כי per ideò expreſſum *therefore.* Atque ſic (a) acceperim 1. Sam. 2. 25. *Filii Eli inobedientes erant patri ſuo* כי *propterea DOMINUS volebat eos occidere.* Durum enim nimis videtur vertere, *quia DOMINUS volebat*, ac ſi videretur inobedientia eorum fuiſſe effectum voluntatis divinæ. Scio quid reſpondeatur. Sed quid opus eſt in tales anguſtias te conjicere quas vitare potes? Sic & Gen. 22. 17. Contradictionem non admittit παράλληλον 2. Cor. 4. ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα ex Ebræo Pſ. 116. האמנתי כי אדבר.

7. *Non eſt quiſpiam dominus in ſpiritu, ut contineat incluſum ſpiritum, neque eſt dominatio in die mortis neque eſt miſſile in iſto prælio, neque impietas liberabit eum, qui præditus eſt eâ.*

Tertium proponit præceptum his verbis incluſum, conſiderandam ſcilicet eſſe mortis certitudinem; propterea operam ludunt qui de his talibus inter ſe connectendis ſatagunt.

Spiritum] i. animam hoc loco. Sic, *in manus tuas, commendo ſpiritum meum. Spiritus redit ad Deum qui dedit ipſum*, in hoc ipſo libro. Aliquando videtur diſtingui, ut 1. Theſſ. 5. 23. *ut ſpiritus & anima veſtra & corpus veſtrum integra conſerventur in adventum DOMINI.* In cantico trium puerorum, *Benedicite ſpiritus & anima juſtorum DOMINO.* An dicemus & in iſtis poni (b) exegeticè? ut Gen. 14. 23. ואם אקח hoc eſt, *ſi accepero.* Ut & in eo Virgilii, *Judicum Paridis ſpretæque injuria formæ*, & in eo Heſiodi ἄργον καὶ κυνὸς δεχομένος. Nam ſimpliciter nomine ἄργος *Canem* ſignificabant. Ut ut ſit, Ebræi licet ſæpe inter ſe confundant hæc tria נפש, רוח & נשמה, tamen ita ſolent diſtinguere teſte Aben Ezra ad cap. 7. hujus libri; *Anima*, inquit, *habet tres facultates, prima vegetans dicitur* נפש; *ſecunda ſenſitiva vocatur* רוח, *tertia rationalis dicitur* נשמה *quam dicunt eſſe hominis propriam.* Vide Druſium ad locum illum Epiſt. ad Theſſalon. Ubi plura habebis ejus argumenti.

Ad continendum &c.] לכלוא. כֶּלֶא ſignificat *carcerem, ergaſtulum*, unde deduxerim כָּלָא hoc loco, *quaſi in Ergaſtulo detinere.* Unde AbenEzra optimè colligit animam in corpore eſſe tanquam captivum in carcere.

Miſſile in iſto bello] *Neque valet miſſile in iſto bello* במלחמה. Nam rigidum jus eſt & inevitabile mortis. ב includit articulum ה, qui hic emphaticus eſt. Porro vox משלחת videtur hic idem eſſe, quod שֶׁלַח miſſile, telum quo nomine omnem apparatum bellicum intelligunt & quodvis armorum genus, à שלח mittere,

(a) *Non ſolùm ita Vorſtius, ſed & Alſtedius bis in Præl. Theol. Sic & Luca 7.* Dimiſſa ſunt ei peccata multa ὅτι ἠγάπησε πολύ. (b) *Druſ. de literis Moſche Vecaleb p. 29.*

mittere, immittere, unde & שֻׁלְחָן menſa à miſſione ferculorum, quæ *miſſus* vocamus. Hincque veteres deduxerunt vocem illam *Silo* Gen. 49. Ac proinde verterunt *Mittendus*, ac ſi cum ח ſcriptum eſſet. Sed quia habet ה in fine, præſtat à שָׁלָה deducere, quod eſt *tranquillum eſſe*, unde שִׁילֹה quaſi tranquillitatis perpetuæ author, & tunc ה non erit pro affixo Vau. Aut שִׁילֹה quaſi שִׁילוֹ erit pro שִׁלְיָתוֹ ut פִּשְׁתִּי pro פִּשְׁתָּתִי, & ה pro ו ut דְּבָרֹה *verbum ejus*, id eſt, *ſecundina ejus*, & Metonym. *filius ejus*. Et ſic concludit AbenEzra ad eum locum בְּנוֹ. Et R. Bechai, שילה בנו שנולד כשליח &c. אשה, *Silo. i. filius ejus quia naſciturus eſt ex ſecundina mulieris*. Vocatur autem ſecundina שִׁלְיָה, à שלה *tranquillum eſſe*, quia ibi tranquillus eſt fœtus & quieſcit. Concludam hoc cabaliſtico, quod ex Hiskuni producit Buxtorfius יבא שילה in Gematria valere 358, totidemque valere vocem משיח.

Impietas non liberabit &c.] Sunt qui intelligunt opes improbè partas. Jun. & Trem. *Non liberabit confiſcatio utentem ipſa*. Sed ut rectè Piſc. animadvertit, רשע habitum, non actum ſignificat Sic & בעל nunquam actum ſignificat ſed habentiam vel habitum. Significat enim talem, qui aliquid habet, hinc dominum ſignificat & maritum, vel qui aliquo habitu præditus eſt, unde per *præditus* reddi ſolet, quando à prima illa ſignificatione recedit; ut בעל כנף *præditum alâ*, *alatum*; בעל נפש in Proverb. *guloſus*. בעל חמה *iracundus*. Sic בעלת אוב quæ habet ſpiritum Pythonicum, de quo aliàs. Porro Tremell. & Jun. referunt hunc verſum ad præcedentia, & intelligunt de morte à Rege mandata, quæ non poteſt à rebelli vitari.

8. *Omne hoc vidi & applicui cor meum ad omne opus quod fit ſub ſole & (vidi) tempus (eſſe) quo dominatur homo in hominem in malum illi.*

9. *Tunc vidi improbos ſepultos qui redierunt. At ex loco Sancti (vidi) quod abierint & oblivioni traditi fuerint in civitate in qua rectum egerunt. Et hoc eſt vanitas.*

Incipit hic ſecunda capitis pars, qua proponit tres vanitates. 1. malos ſæpe promoveri ad gubernacula Rerump. pios repudiari. 2. multos ſe dare ſecuritati carnali ex ſiniſtro judicio de Dei providentia. 3. Bonis ſæpe malum eſſe hîc & contra.

8. *In malum illi*] iſtius ſubditi vel populi, cui dominatur. Alii *in malum ſibi*, malo ſuo, & ſic R. Sal. Tyrannis enim tyrannis ſua ſolet tandem eſſe exitio.

9. Hunc locum quidam intelligunt, ut ſit antitheſis in eo boni & mali Magiſtratus. *Tunc vidi*, inquit, *improbos* (id eſt Tyrannos, qui ſic dominati ſunt) *ſepultos* (quaſi ſepultos, à ſubditis depulſos) *ſed redierunt* (ſc. ad dominatum in integrum reſtituti, vel ut alii, in poſteris & ſucceſſoribus). *At ex loco ſancti* (ſc. Dei. i. Jeroſolyma vel ex ſolio judiciali) vidi, *quod abierint* (mortui fuerint pii gubernatores) *& oblivioni traditi fuerint in civitate in qua rectum egerunt &c.*

Ex loco ſancti] Sub. Dei urbe, quæ ſancta fuit DOMINO; vel intelligit tribunal & ſolium judicii, qui locus Dei eſt, quem tenent Judices & Magiſtratus ceu Vicarii Dei.

Alii hunc verſum totum intelligunt de malis judicibus, ſed adhuc duplici ſenſu. Quidam enim ſic: Vidi improbos ſepultos poſtquam diſceſſerunt, perierunt poſtquam è loco ſancti diſceſſerunt oblivioni tradi in ea civitate, in qua ſic fecerunt &c. Sic Tremellius & Jun. Hi באו & יהלכו in eadem ſignificatione ſumunt, cum tamen הלך propriè ſignificet *ire*, & בא *venire*; niſi cum ſoli tribuuntur, tunc enim contraria ſignificant, בא *occidere* & הלך *oriri*, *venire*, *ingredi*. Sumitur tamen & alibi aliquando pro הלך Jon. 1. *invenit navem euntem* בָּאָה *Tharſum*. Deinde ו per *poſtquam* exponunt, quod exemplis probari poteſt, in Jeſ. *Tu iratus fuiſti* ונחטא *poſtquam peccavimus*, Jud. 2.22. וכח *poſtquam mortuus eſſet* &c. Poſtremò כן acceperunt pro *ſic*, quæ ſignificatio uſitatior eſt priori. Sumitur tamen pro recto locis multis, Num. 27.7. 2. Reg. 7.9. Vide in Them. כן apud Lexicographos.

Quidam tandem ſic legunt intelligentes totum quidem de improbis, ſed mutato ſenſu in poſteriori membro, Vidi poſtquam è loco ſancti diſceſſerunt וישתכחו quod laudati fuerint, vel laudentur in civitate iſta, in qua ſic egerunt, in qua tantam tyrannidem exercuerunt. Hi legunt vocem illam cum ב. Et ſic legit R. Salo. *Ne legas*, inquit וישתכחו ſed lege וישתבחו. Et ſic Græci καὶ ἐπῃνέθησαν.

Sunt qui יְהַלֵּכוּ non pro יֵלְכוּ, ſed tranſitivè uſurpatum putent hoc ſenſu, Et eos, qui de loco ſancti ſunt, ire faciunt, fugant, ne coram ipſis comparere audeant, unde in Proverb. aliquoties legimus *regnantibus improbis latere pios*.

10. *Quia non fit ſententia operis mali citò, propterea plenum eſt cor filiorum hominum ut faciant malum.*

11. *Quamvis peccans faciat malum centies & differtur ei* (ſupplicium) *tamen ego novi, quod benè erit timentibus Deum; iis*, inquam, *qui timent à facie ejus.*

12. *At bene non erit improbo & non prolongabit dies ſimiles umbræ, ille*, inquam, *qui non timet à facie Dei.*

Ponit primo verſu ſecundam vanitatem, multos ſc. ſe dare ſecuritati carnali ob ſiniſtrum de Dei providentia judicium. Poſtea autem 11. & 12. ponit remedium aliquod à gubernatione Dei.

Quia non fit] אשר hoc loco pro בעבור אשר. Sic 1. Reg. 15. 13. *Et etiam Mahacah matrem ſuam removit Aſa eò quod* (אשר) *fecerat ſtatuam cum luco*. Jun. *aviam*.

Sententia operis mali] i. de opere malò. פִּתְגָם cum ', licet ſit in regimine. Sic Eſth. 1. 20. פִּתְגָם הַמֶּלֶךְ. Junius tamen ſtinguit, *Quia non fit decretum, compenſatio iſtius mali ſubito*, ob accentum Sakeph Katon, *& compenſationem mali* per Metonym. vertit. Sic alibi, *pæna* pro peccati pœna & in N. T. *peccatum* pro victima pro peccato.

Proptera plenum eſt &c.] i. propterea fervet animus illorum in iis. Hæc phraſis tranſitivè ſumitur Eſth. 7. 5. *Quis eſt iſte* אשר מלאו לבו *quem provexit eò audacia cor ſuum?* Lxx. Emphaticè ὅστις τοῦτο ἐπληροφορήθη ἡ καρδία τοῦ &c. Ideo certum & ſecurum redditur, quaſi certioratur &c. Symm. ad ſenſum benè, διὰ τοῦτο ἀφοβῶς καρδία οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν.

Non fit] נַעֲשָׂה. Cùm אין non jungatur præteritis, נעשה ſtatuendum hic eſſe part. fœmininum, & referri ad totum complexum aut dicendum פתגם hic ſumi fœmin. ut infra עַל.

11. *Centies*] מְאַת Sub. פְּעָמִים vicibus vel שָׁנִים annis. Nota ut Ebræi ab uno ad decem numeros unitatis ſolent exprimere ſingul. numero, & numeratum plurali ut שְׁלֹשָׁה יָמִים tres dies: à decem vero ad centum contra, ut שלשים יום xxx dies. Sic etiam centum ſingul. componitur cum nomine plur. מְאַת שָׁנִים & quidem in Regim. at plurale contra ſe habet; dicis enim ארבע מאות יום 400 dies.

Et differatur ei (ſupplicium) ומאריך לו] Sunt enim qui accipiunt *Maarich* hic intranſitivè, *& prolongetur*. Sic in Decalogo למען יאריכון ימיך *ut prolongentur dies tui*. Verùm Junius tranſitivè exponit, *& prolonget ei Deus* (dies). Ponit vocem *dies* aliis characteribus, *Deus* vero ac ſi eſſet in Ebr. At utrumque abeſt. Ebræi vero qui hic ſupplent vocem Deus cum Junio, ſubaudiunt, porro ſupplicium, *Licet prolonget ei Deus ſupplicium*. Et ſic accipiunt etiam iidem illud in Decalogo, *ut prolonget, producant* (te) *dies tui*.

Et bonum non erit improbo] לָרָשָׁע. De voce hac jam aliquando diximus. In plurali רְשָׁעִים. Quod in veteribus exemplaribus bis, ſic רְשָׁעִים Job. 38. 13. & 14. Notant Ebræi ſuſpenſam & quaſi eliſam literam ע ex iſtis, ut doceretur improbos eliſa ע. i. oculo mentis fieri verè pauperes. Duo loca ſimilia ſunt, in quibus taliter ſuſpenditur litera, unus eſt Pſ. 80. 14. in מִיַּעַר. Alter eſt Jud. 18. 30. in מְנַשֶּׁה. Locum Pſ. quod attinet ſunt qui putant iſta ע ſuſpenſa intelligi 70 annos captivitatis Babylonicæ. At Neoterici ſunt hic admodum virulenti. Nam dicunt iſtam ע ſuſpenſam quaſi ſuſpendium minari, aut ſaltem indicari Chriſtianos, quos vocat iſto loco R. Bechai *cultores ſuſpenſi*, dignos eſſe qui ſic ſuſpendantur. Sic enim ille, ע *ſuſpenſa eſt. Quia ſic ſint omnes cultores ſuſpenſi iſtius.* Illud Nun verò quod attinet in מְנַשֶּׁה Jud. 18. Gerſon בֶּן־מְנַשֶּׁה. Dicunt iſtum Gerſom fuiſſe filium Moſis, nè tamen inureretur Moſi contumelia, quod talem filium utpote ad idololatriam prolapſum ipſi aſcribat hiſtoria, inſertam eſſe literam Nun, ſuſpenſam tamen nihilominus, ut prudens & eruditus lector colligeret eum verè fuiſſe filium Moſis, ac ſi populum & vulgus tantum decipere illis fuiſſet animus. Nugæ & fabulæ.

13. *Eſt* (alia) *vanitas quæ fit ſuper terram, quod ſint juſti quibus evenit juxta opus improborum, & quod ſint improbi quibus evenit juxta opus juſtorum, dixi & hoc eſſe vanitatem.*

Vanitas tertia & ultima hujus capitis. Vocat autem vanitatem non ex parte Dei, ille enim ſapienter omnia gubernat, ſed ex parte hominum & quidem eorum qui judicia Dei non conſiderant.

Evenit] Sic & Lxx. ὅτι φθάνει ἐπ' αὐτοὺς &c. Alii, ὅτι φθάνει πρὸς αὐτοὺς ad verbum. Symm. ὡς συμβαίνει. נגע in Hiphil tranſit. & intranſ. eſt. Significat enim *pertingere*, *appetere*, *uſu venire & facere pertingere*, *evenire*, *perducere* &c. In Midras Ebræi hoc loco ſic habent, *Felices juſti, quibus accidit juxta factum impiorum, quia ampliſſima ipſis merces & gloria eſt repoſita: contra va improbis, quibus accidit juxta factum piorum, quia attolluntur, ut gravius cadant &c.*

14. *Lau-*

14. *Laudavi itaque lætitiam* (reputans) *nihil melius eſſe homini ſub ſole quam ut edat & bibat ad lætandum: Et hoc adhærebit ei ex labore ſuo diebus vitæ ſuæ, quos ei Deus dedit ſub ſole.*

15. *Poſteaquam appuliſſem cor meum ad cognoſcendam ſapientiam & videndam occupationem, quæ fit ſuper terram* (nam *etiam* (citra hoc) *dies noctéſque ſomnum oculis ſuis non videt*).

16. *Et poſteaquam vidiſſem omne opus Dei, quod non poſſit homo invenire opus Dei, quod fit ſub Sole, propterea quod laborat homo ut quærat & non invenit; Quin etiam ſi dixerit ſapiens ſe ſcire, non tamen* (poterit) *invenire.*

14. Hæc eſt ultima pars capitis, in qua indicat qua in re conſiſtat felicitas vitæ terrenæ, & deinde ponit aliquod quaſi firmamen ſuæ ſententiæ ſcil. experientiam propriam, nimirum verſibus duobus ultimis; quibus etiam implicat obſervationem hanc, duo potiſſimum eſſe, quæ hanc felicitatem ſolent turbare, nimirum nimiam ſolicitudinem res ſuas augendi & inquiſitionem in gubernationem Dei.

Edat & bibat] de eo ſæpe jam dictum eſt.

Adhærebit ei] ילונו pro ילוה לו aut ילוה עמו. Sic יגורך. Pſ. 5. pro יגור עמך *habitabit tecum*. Aliàs enim verba neutra non junguntur affixis. לָוָה uſitatè in Kal *mutuari*. i. mutuò accipere, in Hiphil הִלְוָה *mutuare*, *mutuò dare*. Sed in Kal etiam ſignificat, *adhærere*, *adjungi*, *aſſociari*, quæ ſignificatio in Niphal perpetua eſt. Sunt qui primam ſign. hinc deducunt, quòd ille qui mutuatur; ſe & fidem ſuam quaſi addat & devinciat ei, a quo mutuatur, juxta illud Prov. 22. 7. *ſervus fit* לוה לאיש מלוה *mutuans ei qui mutuat*. Hinc nomen לִוְיָה additamentum, ornamentum. Et nomen *Draconis marini* לִוְיָתָן Job. 40. ſic autem volunt dictum, quod ejus membra & ſquamæ cohæreant. Eſt autem ibi typus Satanæ. Conſule Interpretes. Quemadmodum enim iſte piſcis in mari, ſic Diabolus in hoc mundo dominatur. Job. 3. 8. occurrit hæc dictio ſed ambigua, *Maledicant ei qui maledicunt diei* (natali) *& qui parati ſunt excitare* לויתן. Sunt qui exponant, *Satanam*, ut excitare Leviathan ibi idem ſit, quod apud Virg. *Acheronta movere*. Alii, *luctum ſuum* ex Syr. Dialecto, in qua אליא lamentum. Et ſic Chaldæus vertit. q. d. qui parati ſunt quaſi de novo excitare luctum ſuum, & cum quaſi nunquam luxiſſent reſtaurare premente magna aliqua triſtitia. Tandem hinc nomen habet Levi filius Jacobi tertius ex Lea Gen. 29. 34. Unde לוי Levita & contractè לוי, quæ vox dupliciter ſumitur, aut latè pro omnibus ex tribu Levi, ut etiam comprehendat Sacerdotes, aut ſtrictè & tunc a Sacerdotibus diſtinguuntur. Vide Ezram cap. 8.

Ex labore ſuo] בעמלו pro בעמלו. Porro עמל hic rurſus ſumitur pro opibus & bonis labore partis.

15. *Nam etiam*] כי גם Hæc per Parentheſin legit Mercerus & ſubaudit (*citra hoc*) niſi ſcilicet tranquille & hilariter ſuis fruatur.

Somnum non videt] i. fruitur ſomno. Sic *videre bonum*, idem quod frui bono & *videre regnum cælorum* i. frui, participem eſſe regni cœlorum. Ac proinde inepti ſunt, qui illud ab *ingredi Regnum cælorum* diſtinguunt. At Ferus hoc dicit, inquiunt. Quid tum? Tales homines cum judicio ſunt legendi, caruerunt enim in his literis præcipua directrice. i. cognitione literarum Ebraicarum. Vide Bezam Math. 16. 13.

16. וראיתי] ſuppleo ex præced. וְכַאֲשֶׁר *& poſteaquam vidiſſem*. Nam pendent hi duo poſtremi verſus a verſu 14. *Laudavi* &c.

Propterea quod laborat] בשל אשר. Jon. 1. 12. בשלי. i. בעבורי. *propter me*. & v. 17. של בשלמי quoque ſeorſim non reperitur in V. T. Sed cum aff. שלי Cant. 1. 7. Hic per ſe dictionem facit, quod non videbis alibi. Nota eſſe vocem conflatam ex tribus ſervilibus. Quidam ſumunt pro *uſque adeò ut*, ſed vereor ut hoc probari poſſit. Poſtremo ſunt qui à verſu 15 incipiant novam ſententiam & caput *Quum vidiſſem* &c. Et hunc verſum eſſe illativum &c. Vide Trem. & Junium.

Si dixerit ſe ſcire] Malem, *cogitaverit ſe ſcire*, vel *voluerit ſcire*, vel *putaverit ſe ſcire* &c. Obſerva אמר *dicere* ſæpe poni pro *dicere in corde*. Nam illud בלבו aliquando ponitur, aliquando ἐλλείπει. Unde aliquando per *cogitare* vel *velle* redditur. Sic Num. 14. 10. *Dixerunt lapidare Joſuam & Calebum*. ſub. בלבם in corde ſuo i. voluerunt, cogitarunt. Vide quæ notavimus ad verſ. 16. cap. 1.

GROTIUS.

1. *Sapientia hominis apparet in vultu ejus*] פנים apud Hebræos non *vultum* tantùm, ſed & *geſtum*, *greſſum*, *ſonúmque vocis* ſignificat.

Et potentiſſimus faciem illius commutabit] Rectiùs ſic: *& duritiem* (id eſt, arrogantiam) *vultûs ei immutabit*. Per *ſapientiam* longè fiet etiam in vultu modeſtior.

2. *Ego os Regis obſervo*] Non *obſervo*, ſed *obſerva* legendum eſt. In Græco: ςόμα βασιλέως φύλαξον [*os Regis obſerva*], ſed in Hebræo præcedit אני, quod ſupplendum ex ſequentibus. *Ego*, ſcilicet Rex ſum, & propterea vos moneo.

Et præcepta juramenti Dei] Optimè ex Hebræo vertas: *maximè propter juramentum Dei*. על דבר vel על דברת eſt *propter*, ut Pſalm. XLV. 5. LXXIX. 9. & alibi. *Juramentum Dei*, ſicut Latinis *jusjurandum Jovis*, dicitur id quod fit appellato Dei nomine.

3. *Ne feſtines recedere à facie ejus*] Id eſt, noli properato conſilio aliquid agere, quod vel nutu oſtenderit ſibi diſplicere.

Neque permaneas in opere malo] Si quâ re eum oſtendiſti, noli pertinaciâ culpam facere graviorem.

Quia omne quod voluerit faciet] Ut ait Æſchylus,

Τραχὺς μόναρχος κ' οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.
[*Rex eſt ſuo utens jure, nulli obnoxius.*]

Talia erant in Oriente imperia.

4. *Et ſermo illius poteſtate plenus eſt*] Qualiſcunque ſermo, etiam preces. Plato epiſtolâ VII. τὰς γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν ὅτι μεμιγμένας ἀνάγκαις εἰσίν [*Scimus tyrannorum preces admixtam habere neceſſitatem*].

Nec dicere ei quiſquam poteſt, Quare ità facis?] Non poteſt ad rationes vocari.

5. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali*] Non honeſtiſſimum modò, ſed & tutiſſimum eſt ſequi edicta & decreta Regum.

Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit] Siquid in Rege corrigendum, id quomodo & quando fieri debeat norunt ſoli ſapientes, qualis erat Nathan.

6. *Omni negotio tempus eſt & opportunitas*] Καιρὸς [*commoda rebus occaſio*] inventu difficilis.

Et multa hominis afflictio] Multus in eo reperiendo labor: κάκωσις [*vexatio*] Symmachus. At LXX pro רעת legerunt דעת, & verterunt γνῶσις [*cognitio*].

7. *Quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio*] Sumſit illud שיהיה [*quod erit*, vel *quod fuit*] in ſignificatione præteriti, ut ſæpe tempora apud Hebræos commutantur, præſertim poſt particulas quaſdam. Vide ſimilem ſententiam ſuprà VII. 25.

8. *Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum*] Iram Regis, ut ſuprà VII. 10.

Nec habet poteſtatem in die mortis] Si eum Rex occidi juſſerit, nullum effugium eſt. Vide Proverbior. XVI. 14.

Nec ſinitur quieſcere ingruente bello] Id eſt, ſi bellum quis contra Regem ſuſceperit, pugnandum ſine miſſione: id enim propriè משלחת [*miſſio*].

Neque ſalvabit impietas impium] רשע varias habet ſignificationes. Hic *rebellionem* ſignificat: eam negat vel victoribus impunitam fore.

9. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum*] Quippe

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte tyranni.

Thales *interrogatus*, τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος, γέροντα τύραννον [*Quid rarum vidiſſet; Senem, ait, tyrannum*]. Ut hoc abſit, tamen, ut Tacitus ait, *Facinora atque flagitia ſua ipſis in ſupplicium vertunt*. Utrumque reſpiciens Silius;

Quàm vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis!

10. *Vidi impios ſepultos, qui etiam cùm adhuc viverent in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum*] *Laudabantur*, ut in Græco ἐπῃνέθησαν. Apparet eos legiſſe וישתבחו [*laudabantur*], pro quo nos habemus וישתכחו [*oblivioni tradentur*]. Non improbo hanc Græcorum lectionem, ut ſenſus ſit: *Vidi ego impios ſepultos, qui cùm ambularent* (id eſt, viverent,) *venerant ad locum ſanctum*. Id eſt, jam tum divinis honoribus colebantur, ut Auguſtus, de quo Virgilius:

Nam-

Namque erit ille mihi ſemper deus.
& Horatius:

Præſenti tibi divinos largimur honores,
Jurandáſque tuum per nomen ponimus aras.

Et laudabantur in civitate in qua ſic fecerant. Id eſt, in qua contra jus & æquum imperaverant: de qualibus ſermo præceſſit.

Etiam hoc vanitas] Illa gloria violentis parta imperiis nullius eſt pretii.

11. *Etenim quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala*] Egregia admonitio, quam latiùs explicatam videas Pſalm. XXXVII. & LXXIII. Cæſar in reſponſo ad Helvetios, quod eſt belli Gallici lib. I. verè dixit, etiam adversùs ſemetipſum: *Conſuêſſe deos immortales, quò graviùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.* Theodectes:

Ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ θεῖ', ὅτι
Οὐκ εὐθύς, ἀλλὰ τῷ χρόνῳ μετέρχεται
Τοὺς μὴ δικαίους, πρόφασιν εἰσακουσάτω.
Εἰ γὰρ παραυτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι,
Πολὺς δ' ἂν φόβος, κ' οὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον
Θεοὺς ἂν ηὔξατο· νῦν δὲ τῆς τιμωρίας
Ἄπωθεν οὔσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί.
Ὅταν δὲ φωραθῶσιν, ὀφθέντες κακοί,
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.
[*Calumniari qui Deos audes, homo,*
Quòd prava facta protinus non vindicant,
Sed punienda differunt, cauſam accipe.
Si pœna ſupera non daret culpæ diem,
Pietate nullâ, ſed metu ſolo, deos
Pars magna colerent; pœnâ nunc longè ſitâ
Omnes ſuo permittit ingenio frui:
Sed deprehenſi poſtea in piaculis,
Utcunque ſerò, quod ſat eſt, pœnas luunt.]

Salluſtius Philoſophus: Εἰ τοῖς ἡμαρτηκόσιν εὐθὺς ἠκολούθουν αἱ δίκαι, φόβῳ δικαιοπραγοῦντες ἄνθρωποι ἀρετὴν οὐκ ἂν εἶχον [*Si eos qui delinquunt illico pœna ſequerentur, homines neceſſitate juſti eſſent, ac ſic virtutem non haberent*]. Addam & hoc ex Euripidis Electra:

—— ὧδέ τις κακοῦργος ὢν
Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
Νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν τέλος
Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.
[—— *quiſquis eſt ergò malus,*
Nè prima ſi curricula bene confecerit
Victor putetur ultionis cælitum,
Dum ſpatia reſtant aliqua & ad metam labor.]

Tacitè autem datur intelligi, Si Deus tyrannos tam patienter tolerat, quantò magis id eos debere facere qui ſub eorum vivunt imperio.

12. *Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum*] Id eſt, quantumvis peccator centies impunè peccet.

13. *Non ſit bonum impio*] *Non erit.* Prædicit, non imprecatur.

Nec prolongentur dies ejus] *Nec prolongabuntur.* Violenta non durant.

14. *Sunt juſti quibus mala proveniunt, quaſi opera egerint impiorum*] In Hebræo: *Sunt juſti ad quos ea pertingunt quæ conveniunt operibus impiis.*

16. *Et intelligerem diſtentionem quæ verſatur in terra*] In Hebræo, *negotium quod fit ſuper terram:* id eſt, τὴν πολιτικὴν [*artem Politicam*], quam Hebræi vocant דרך ארץ [*viam terræ*].

17. *Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem*] Senſus eſt, Non omnium Dei operum rationem homini apparere. ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ [*inveſtigabiles viæ ejus*], Rom. XI. 33.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. NEC *dilectionem nec odium*] Quidam Hebræorum ſic exponunt, *Id quod diligit homo & id quod exſecratur, in manu Dei eſt, qui vel illud tribuat vel avertat, & homo ipſe ſenſu id percipere nequit, cùm hoc ſit ante ipſum,* h. e. *cùm illud adhuc exſpectet.* Alii exponunt לפניהם pro קודם, referúntque ad prædeſtinationem, quam גזרה vocant: ut ſit ſenſus, *Fecit Deus ab æterno vaſa iræ & vaſa honoris.* R. S. verò hunc locum ſic exponit, *Niſi homines ſint juſti & ſapientes, non advertunt num diligantur aut odio habeantur à Deo: omnia igitur ſunt ante eos,* h. e. *juſti omnia hæc conſiderant.* Porrò antitheſes illæ, *juſtus* & *impius, bonus* & *immundus,* &c. ab Hebræis ſic explicantur, *Juſtus & Impius in opere, Purus & Immundus in corpore, Bonus & Peccans in corde, Jurans verbis, & Sacrificans exteriorem ſubſtantiam.*

3. *Ad mortuos*] Qui ponunt unum eventum, & non faciunt diſcretionem inter pios & impios, hi *noviſſime* deſcendent *ad infernum*, negantes ultionem Divinam atque remunerationem quam faciet piis & impiis. Si tamen aliquis reſipuerit ab hac ſtulta opinione quamdiu eſt in hoc mundo, hic *ſpem* habet ſalutis.

5. *Mortui*] Loquitur de damnatis, quibus non prodeſt quod Deum aliquando dilexerunt, aut vitia odio habuerunt, &c. ob id quòd non perſeveraverunt uſque in finem.

9. *Vide vitam*] h. e. Fruere vitâ. Eſt autem ſenſus, Quando ſcis te & *opera tua Deo placere*, tum *lætus* poteris *bibere & comedere*, & erunt *opera tua ſplendida*, & bonum nomen nunquam *deſtituet* te: ſed & nè erres in aliena, poteris tibi aſſociare *uxorem quam* ſolam *diligas*: *manus* quoque tuæ erunt apertæ ad pauperes, &c. Alii putant intelligenda ad literam de animali homine, qui ſolùm in hoc mundo quærendam putat voluptatem, & *in ſepulcro*, h. e. poſt mortem, non credit eſſe *ullum opus, rationem, ſapientiam*, &c. Hi non putant diſtare ſortem piorum à ſorte impiorum: ideo dicunt, *Ede, bibe, lude, quia poſt mortem nulla voluptas.*

11. *Opportunitate*] Aben Ezra exponit hanc *opportunitatem* & *occurſum* מערכת העליונה *fatum* ſive *ordinationem Divinam*, quæ omnia moderatur juxta voluntatem ſuam. Hinc enim eſt ut claudi ſæpe evadant periculum, & *apti ad curſum* incidant in illud; debiliores prævaleant *fortioribus* in *bello*; ſtulti abundent *pane*, & *ſapientes* in egeſtate vivant; ignavi homines habeant *gratiam* & obedientiam apud ſubditos, *ſcientiâ* autem *præditi* contumaciam & rebellionem.

VATABLUS.

1. ET *ut declararem* ולבור] Pro לברר poſitum. Quidam Heb. dicunt dictionem aliquam eſſe ſubaudiendam, quod præcedat ו. Alii ſcribunt hic ו redundare. ¶ *Etiam amorem*, &c. גם אהבה וגו'] *Præterea nec amorem, nec odium novit homo,* cùm *omnia ſint ante eos*: i. nec rationem amoris nec odii novit homo ut homo eſt, tametſi omnia quæ probis & improbis eveniunt ab eo videantur.

3. *Et etiam* וגם] *Et præterea.* ¶ *Et poſt hoc, ad mortuos* ואחריו וגו'] Genus dicendi Hebraicum quod quidam reddunt, *& noviſſimum cujuſlibet ſit ad mortuos.* Alii, *Et poſtea* deſcendunt *ad mortuos.* Alii, *Et qui ſequitur ipſum,* [ſub. *cor*] *ad mortuos* pergit.

4. *Quia cuicunque,* &c. כי מי אשר וגו'] *Ille tamen qui ſocietatem habet cum omnibus viventibus, ſpem habet.* Alii, *Nam quis eſt qui adjungat ſe ſocium* mortuo? *in omnibus vivis eſt ſpes.* Hoc eſt, *Quis eſt ex vivis qui ſe poſſit adjungere ac ſociare* (id ſignificat יחבר) *mortuo, ut beneficio illius reſipiſcat?* Vel, *Quis eſt ex vivis qui eligat ſibi pro ſocio* [id ſignificat altera lectio יבחר] *unum ex mortuis, cujus admonitione reſipiſcere poſſit?* Ergò deteriori ſunt conditione mortui vivis hac in parte, vivis, inquam, etiam peſſimis: quia etiamſi peſſimi ſint, tamen reſipiſcere poſſunt. ¶ *Canis vivus,* &c. לכלב חי וגו'] *Cane vivo melius eſt quàm leoni mortuo.* Vel, *canis vivus præſtat leone mortuo.*

6. *In omni* בכל] *Ex omni.* ב pro מן poſitum, ut annotant Hebræi.

7. *Grata ſunt Deo* רצה האלהים] *Grata habuit Deus,* &c. Quidam vertunt, *Jam enim propitius Deus largitur tibi frui operibus tuis.*

8. *Sint veſtimenta tua candida* יהיו בגדיך לבנים] Utuntur futuro Hebræi pro deprecativo modo. His autem ſignificat lætitiam animi, ut diſcimus ex verbis Chriſti Matth. 6. 17. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.*

9. *Vide vitam* ראה חיים] Hebraiſmus, pro *fruere vitâ*; ſive *commodis hujus vitæ.* Sunt qui vertunt, *Circumſpice vitam* quàm tranſigas *cum*, &c. ¶ *Dilexiſti* אהבת] Præt. Heb.

pro præſ. ¶ *Quos* אשר] *Quam.* ¶ *In vita* בחיים] *In vivis.* Alii, *ex vita* : ut ſit ב pro מן.

10. *Omne quod invenerit*, &c. כל אשר וגו'] Hebraiſmus, pro, *Quicquid ſe offert agendum, age.* ¶ *Nec cogitatio* וחשבון] *Nec ingenium.* Vide ſuprà 7. 26.

11. *Curſus* המרוץ] i. Facultas currendi : q. d. *Deprehendi celeritatem currendi nihil commodi afferre ad ſalutem.* ¶ *Bellum* המלחמה] *Bellum* pro *victoria parta bello* : acſi dicat, *fortitudinem bellicam non poſſe eripere quenquam.* ¶ *Panis* לחם] *Victus.* ¶ Sapientes ſæpe victu carent. ¶ *Scientium gratia* לידעים חן] *Peritorum gratia* : q. d. *Nec etiam qui ſunt in aliqua arte periti, ſunt gratioſi.*

12. *Sic* כהם] Ad verb. *Sicut iſta* : quod quidam vertunt, *Idem accidit illis, nempe filiis hominum.* ¶ *Malo* רעה] *Infelicitatis : infortunii : miſeriæ : calamitatis.* ¶ *Cum irruerit ſuper eos* כשתפול] *Cum obruerit eos.* Quidam, *cum eos improviſus caſus obruit.*

13. *Mihi* אלי] *Apud me.*

14. *Et circumdedit eam* וסבב אותה] *Et obſidet eam.* Præterita Heb. pro præſ.

15. *Et nemo eſt recordatus* ואדם לא זכר] *Et nemo* priùs *meminerat* : i. nemo illum noverat.

17. *In quiete audiuntur* בנחת נשמעים] *Quietis plena audiuntur* : i. recipiuntur ab electis.

18. *Melior eſt* טובה] *Præſtantior eſt.* ¶ *Perdit bonum multum* יאבד טובה הרבה] Fut. Heb. pro præſ. Hebraiſmus, pro *Incommoda multa afferre ſolet.*

CASTALIO.

1. NEC *amorem homines, nec odium norint*, &c.] Ex eventu judicari non poteſt quis Deo charus, quis inviſus ſit, cùm ſæpe & bonis malè, & malis bene ſit, cùmque omnibus æquè moriendum ſit.

15. *Cum ejus ignobilis nemo memor eſſet*] Cùm fuerit antea ignotus.

CLARIUS.

1. SUnt juſti] Conjunge hoc cum fine ſuperioris capitis ſic, *Omnia hæc tractavi in corde meo, & comperi quòd juſtum & ſapientem & opera eorum Deus habeat in ſua poteſtate : neque quiſquam novit quos habiturus ſit vel amicos vel inimicos, cuncta enim hæc hominem latent.* Sic & D. Hieronymus interpretatur, ait enim hunc eſſe ſenſum, *Etiam in hoc dedi cor meum, & ſcire volui quos Deus diligeret & quos odiſſet ; & inveni, juſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, & tamen utrùm amentur à Deo an non, nunc eos ſcire non poſſe, & ambiguum fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant quod ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient*, &c. ¶ *Omnia ſunt ante eos*] Intelligunt quidam Hebræi *ſapientes* ac *juſtos* quorum meminerat, quòd videlicet ipſi ſciant : *Niſi enim homines*, inquiunt, *ſint juſti & ſapientes, non advertunt num diligantur aut odio habeantur à Deo. Omnia igitur ſunt ante eos*, h. e. juſti omnia hæc conſiderant. Alii ſic, *Id quod diligit homo, & id quod exſecratur, in manu Dei eſt, qui vel illud tribuat, vel avertat, & homo ipſe ſenſu id percipere nequit : Cùm hoc ſit ante ipſum*, h. e. cùm illud adhuc exſpectet. Alii ex eiſdem Hebræis referunt ad Prædeſtinationem.

2. *Eò quòd univerſa*] Hic confuſa ſunt omnia, & propter ea quæ accidunt æquè bonis ac malis diſcerni non poſſunt à nobis.

3. *Hoc eſt peſſimum*] *Hoc eſt moleſtiſſimum omnium quæ fiunt ſub Sole.* ¶ *Et corda filiorum hominum*] Interim *corda hominum implentur malis ad inſaniam uſque toto tempore vitæ uſque ad ſepulcrum.*

4. *Ille tamen qui ſocietatem habet*] Quamdiu is *verſatur inter vivos*, aliquid habet ampliùs quàm *leo mortuus*. Hunc tamen & ſuperiorem verſum quidam ſic interpretantur, *Qui ponunt unum eventum, & non faciunt diſcrimen inter pios & impios, hi noviſſimè deſcendent ad infernum, negantes ultionem Divinam, atque remunerationem quam faciet piis & impiis. Si tamen aliquis reſipuerit ab hac ſtulta opinione quamdiu eſt in hoc mundo, hic ſpem habet ſalutis.* Et quod ſequitur infrà, *Mortui nihil noverunt*, &c. intelligunt de damnatis, quibus non prodeſt quòd Deum aliquando dilexerint, aut vitia odio habuerint, ob id quòd non perſeveraverunt uſque in finem. ¶ *Nec habent ultra mercedem*] Alius interpretatur, *nec ſunt apud vivos ullo ampliùs in pretio.*

9. *Perfruere vitâ*] Quando, inquit, ſcis te & *opera tua Deo placere*, tunc *lætus* poteris *bibere & comedere*, & erunt *opera tua ſplendida*, & bonus odor famæ *nunquam deſtituet te.* Sed & nè erres in aliena, poteris tibi adjungere *uxorem, quam ſolam deligas. Manus* quoque *tuæ* erunt apertæ ad pauperes, &c. Alii putant hæc intelligenda ad literam de animali homine, qui ſolùm quærendam putat voluptatem in hoc mundo ; & *in ſepulcro*, h. e. poſt mortem, non credit eſſe *ullum opus, rationem, ſapientiam*, &c.

11. *Nec velocium eſſe curſum*] h. e. Raro *veloces* adhiberi ad *curſum*, aut *robuſtos* ad gerenda *bella* : vel, *velocibus* non prodeſſe *curſum*, & debiliores interdum ſuperare *fortes* ; *ſapientibus* ſæpe deeſſe *panem* unde vivant, nec habere *induſtrios divitias*, nec rerum peritos *in pretio eſſe* ; ſed tanquam ignavi ſemper fuiſſent, *tempus & caſum omnes* de medio tollere.

17. *Verba ſapientium*] Videtur aſſignare cauſam cur *verba pauperis ſapientis contempta fuerint*, quòd ſcilicet *verba ſapientum non audiantur à ſtultis*, ſed ab iis qui attentè audiunt, &c.

DRUSIUS.

1. OMnia hæc poſui in corde meo] Idem cum illo, *Poſui cor meum ad omnia hæc.* Latinè, *adhibui animum ad hæc omnia.* ¶ *Ut declararem*] לָבֻר ſcripſerunt pro לָבוּר. Nam thema בור. Suprà 3. 18. dixit לברם eodem ſenſu. Integrum eſſet לבור, quod exponunt *ut declararem*, alii, *ut probarem*, alii, *ut eligerem*, alii, *ut perſpicerem.* Ut hic לָבֻר, ſic alibi יָרֻן pro יָרוּן. Notat Abenezra. ¶ *Juſti*] Viri boni & virtute præditi, hoc eſt ſapientes. Nam Sapientia ars benè vivendi. Quanquam *juſti* eſſe poſſint qui tamen non ſint *ſapientes.* ¶ *Operáque ipſorum*] ועבדיהם, i. מעשיהם. Alibi eſt מעבדיהם, videlicet Job. 34. 25. Bene noſter *opera ipſorum.* Priùs erat in ed. Græca αἱ ἐργασίαι αὐτῶν, i. *operationes eorum*, quod eodem recidit. Hujus ſingulare inuſitatum עֲבַד, vel certè, ut alii malunt עֶבֶד, ad inſtar כְּתָב, & eſſet עַבְדֵיהֶם, niſi quòd elegerint עֲבָדֵיהֶם διακρίσεως ἕνεκα. Nam עַבְדֵיהֶם *ſervi eorum* ; quomodo R. Salomo interpretatur. *Servi eorum*, i. diſcipuli eorum, non ſe probat mihi. ¶ *In manu Dei ſint*] Sub tutela & cuſtodia. Sic *anima juſtorum* dicuntur *eſſe in manu Dei.* Item legimus, *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* ¶ *Etiam amorem, etiam odium*] *Tam amorem quàm odium. Amorem*, i. ea quæ amat. ¶ *Ignorat homo*] Neſcit quando ea ſibi eventura ſint. Vel, neſcit utrùm Deo charus an contrà inviſus & exoſus ſit. Nam ex eventibus communibus id certò evinci non poteſt. Eadem enim accidunt ſapienti ac ſtulto. Lxx καί γε ἀγάπην καί γε μῖσος οὐκ ἔστιν εἰδὼς ὁ ἄνθρωπος. ¶ *Quicquid ante ipſos eſt*] הכל לפניהם *omnia ante ipſos ſunt.* Hæc Græci dixerunt τὰ πάντα πρὸ προσώπου αὐτῶν. Senſus, *Omnia homines latent, etiam quæ ante pedes ipſorum ſunt* : aut, Cuncta priùs decreta, ideóque revocari non poſſunt. Edit. Vulg. *neſcit homo, utrùm amore an odio dignus ſit : ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Longulè recedit à verbis textûs Ebraici. Quidam repetunt אין ἀπὸ κοινοῦ. Nihil eſt illis obvium & expoſitum.

2. *Omnia ſicut omnibus*] Brevitas ſermonis ſenſum obſcurat. Videtur hoc velle *Omnia his* (videlicet juſtis) *quæ aliis omnibus eveniunt.* Vel ſic, Quæ accidunt juſtis, eadem quoque cæteris omnibus, etiam injuſtis, accidunt. Sym. Ἅπαντα ὅμοια τοῖς πᾶσι. Olim erat in Lxx Ματαιότης ἐν τοῖς πᾶσι, quod eſt legentium הבל pro הכל : h. e. Beth pro Caph legerunt. Nam videntur certè באשר pro כאשר. ¶ *Juſto & improbo*] Abenezra *Juſto & Improbo, in operibus ſuis* ; *Mundo & Immundo, in corpore* ; *Sacrificanti*, &c. *de facultatibus ſuis* ; *Bonus & Peccator, in corde* ; *Jurans, in ſermone.* ¶ *Bono*] לטוב. Lxx Τῷ ἀγαθῷ καὶ τῷ κακῷ, לטוב ולרע. Sic etiam Hieron. *bono & malo.* ¶ *Sacrificanti*] Ei qui religionem colit ex Dei præſcripto. ¶ *Qualis bonus*] כטוב כחטא, *ut bonus ità peccator*, & contrà. Talia ſunt, *Ut populus, ſic Pharao* ; *Ut ſervus, ità dominus ejus* ; *Qualis ego, talis tu es* ; *Sicut populus meus, ſic populus tuus* ; *Qualis lux, tales tenebræ.* Vide Abenezram. Cæterùm *peccator* hic oppoſuit *bono*, ut ſuprà *pollutum* & *mundum.* ¶ *Peccator*] Homo malus ac improbus. ¶ *Jurans*] הנשבע *qui jurat*, ὁ ὀμνύων. Lat. V. *perjurus.* Videtur hoc loco ſign. *eum qui temere jurat*, ſive *qui proclivis eſt ad jurandum*, cùm ei opponatur *is qui reverenter jurat*, ſive *qui veretur jurare*, vel *qui religioſe jurat, timens nè pejeret.* R. S. הנשבע, *Hic eſt Sedecias, qui juravit falsò.* Alioqui Juſjurandum pars eſt cultûs Divini, unde & pro toto cultu aliquando ponitur. Lxx ὡς ὁ ὀμνύων καθὼς ὁ τὸν ὅρκον φοβούμενος. In ed. Chald. *Qualis vir qui jurat mendaciter* (ſive

(ſive *falſò*) *talis eſt is qui veretur jurare*, ſive *qui jurandum timet*, בנבר דיומי לשקרא.

3. *Hoc malum eſt*] רע πονηρὸν, i. *durum*, *moleſtum*, *acerbum*, קשה: ſic Abenezra. Ed. Lat. *Hoc eſt peſſimum*. Loquitur autem ex opinione hominum, non ex rei veritate. Homines enim *mala* vocant etiam quæ Deus juſtè facit, nempe quia ipſis talia videntur. ¶ *Quòd eventus unus idémque*] Durum ſapienti, durum juſto, iiſdem eventibus ſubjacere cum ſtulto & improbo. ¶ *Plenum eſt malo*] i. Malis cogitationibus & omni inquitate. Vel triſtitiâ. Nam hoc malè habet homines, præſertim cordatos & pios. *Cor malum*, i. mœſtum, triſte: contrà, *cor bonum* pro *læto* ſumitur. Alia expoſitio, *Cor hominum impletur malo*. Vult dicere, Licenter in mala ruit; liberiùs peccandi occaſionem huic ſumit. ¶ *Inſania*] הולרות. Lxx περιφέρεια, i. *circumlatio*. Aq. πλάνη, i. *error*. Sym. αὐθάδεια, i. *præſumptio*. Edit. Lat. *contemptus*. Dolor animi quem indè concipiunt tantùm non ad inſaniam eos adigit. ¶ *In vita ipſorum*] Dum adhuc in vivis exſiſtunt. ¶ *Poſtea ad mortuos*] Sub. *tendit homo*. Hoc Latini Græcíque autores dicunt, *ad plures*, πρὸς τοὺς πλείονας. Lxx πρὸς τοὺς νεκρούς. Ed. Vulg. noſtra *ad inferos*; idem aliter. Nam Mortui vocantur *inferi*, & contrà Inferi ſunt *mortui*, quia ſub terra degant. Infrà in hoc libro, *Ad inferos, quò tu properas*.

4. *Ei qui aſſociatur ad omnes vivos*] i. Viventi. Scitum illud,

Sperandum eſt vivis: non eſt ſpes ulla ſepultis.

Nam homo, quamdiu ſpirat, ſperat. Spes unà cum vita exſtinguitur. Scriptum יבחר, & lectum יחבר. Vide Maſſoram. Ego יבחר accipio cum Ebræis ac ſi eſſet יחבר literis inverſis. *Socius vivorum*, qui ſocietatem & conſortium habet cum viventibus, qui inter vivos cenſetur, in vivorum numero habetur. Sunt qui referant, *uter ſit qui eligatur*, *in tota hac vita eſt fiducia*: videlicet *juſtus* an *improbus*. Sic Tremellius, cui חיים hîc *vitam* denotat. Sed repugnat primùm dictio כל *omnis*, deinde particula אל, quæ magis *ad* quàm *in* ſignificat. Hieron. *Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam*. Quid vidit cùm ità verteret? An, *Quis eſt, qui aſſociabitur ad omnes vivos?* vult dicere, *Quis ſemper vivet? huic eſſet fiducia*. Sym. τίς γὰρ ἀεὶ διατελέσει ζῶν; eandem ſententiam expreſſit. Lxx τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας; q. d. *Nemo*: idem aliter. ¶ *Cani enim vivo*, &c.] Hoc adagio ſignificant Vitam in omnes partes morte optabiliorem eſſe. Vide Proverbia mea. Sym. Κυνὶ ζῶντι βέλτιόν ἐστιν ἢ λέοντι τεθνηκότι.

5. *Quippe*] Videtur hoc dicere in perſona eorum qui nihil Hominis ſupereſſe putant poſt hanc vitam. Tres autem rationes adducunt ſententiæ ſuæ. 1. Quòd mortui ſcientiâ rerum omnium deſtituantur. Nam nè quidem ſe mortuos eſſe ſciunt. 2. Quòd nulla ipſos præmia maneant rectè factorum. 3. Quòd protinus in oblivionem veniant, cùm vivorum, quamdiu vivunt, aliqua ſemper memoria ſit apud homines. ¶ *Nec eſt eis amplius merces*] *Merces* eſt rectè factorum. Ubi nulla rectè facta ſunt, ibi nulla merces eſt. Ideo adjecit *amplius*. Alioqui merces eſt in altero ſeculo; quod propterea vocatur à Theologis Ebræis *ſeculum mercedis*. Iidem hoc ſeculum vocant *ſeculum operis*. Sed hæc fortè dicunt homines athei & Epicurei, qui aliter de his ſentiebant & credebant. ¶ *Oblivioni tradita eſt*] Ἐπελήσθη, apud homines ſcil. Alioquin, *In memoria æterna eſt juſtus*, nempe apud Deum.

6. *Amor eorum*] Ἀγάπη αὐτῶν, quo videlicet alii proſequebantur ipſos, vel ipſi alios amabant. ¶ *Etiam odium eorum*] Καίγε μῖσος αὐτῶν. ¶ *Æmulatio*] *Zelus*, *invidia*. Lxx καίγε ζῆλος αὐτῶν ἤδη ἀπώλετο. ¶ *Antea*] Vel *nunc jam*. ¶ *Non eſt pars illis ultrà in ſeculo*] *Nihil commune habent amplius cum hoc ſeculo*. Gen. 31. 14. *An adhuc nobis pars in domo patris noſtri?* Num. 18. 20. *pars non erit tibi in medio eorum*. 2 Sam. 20. 1. *Non eſt nobis pars in David*. Joh. 13. 8. *non eſt tibi pars mecum*, i. nihil tibi poſthac mecum negotii erit, renuncio tibi omnem amicitiam ac conjunctionem. Affine apud Terentium, *hærere in parte aliqua apud Thaidem*. *In ſeculo* poſitum pro *in hoc ſeculo*: quod Int. noſter expreſſit. Melior interpretatio, *Non eſt eis ultrà in ſeculum*, i. unquam, *pars in ullo eorum quæ fiunt ſub Sole*. Sic Græci ediderunt, εἰς τὸν αἰῶνα. ¶ *In omnibus quæ fiunt*] Vel *in omni eo quod fit*. Vulg. *in opere quod ſub Sole geritur*. Lxx ἐν παντὶ τῷ πεποιημένῳ ὑπὸ τὸν ἥλιον.

7. *Agedum*] לך *vade*, i. agedum. Eſt Hortantis adverbium. In ed. Græca legitur δεῦρο. ¶ *Cum gaudio*] בשמחה *in lætitia*, i. lætè, jocundè, hilariter. ¶ *Panem tuum*] Non alienum. Hic *panis* vocabulo quemvis cibum deſignat. ¶ *Læto corde*] בלב טוב *corde bono*, i. læto & hilari. Lxx ἐν καρδίᾳ ἀγαθῇ. Sym. verò μετ' εὐφροσύνης *cum lætitia*. Idem ergò quod בשמחה, quod Lxx reddunt ἐν εὐφροσύνῃ. Huc refer, *Cor bonum epulæ continua*, i. lætum. Trem. *animo hilari*. ¶ *Accepta habet Deus*] Εὐδόκησεν ὁ Θεός, *placent Deo*. Sym. ἐξήτασε *exquiſivit*. Quid vidit cùm ità verteret? ¶ *Opera tua*] Τὰ ποιήματά σου.

8. *Sint veſtimenta tua*, &c.] Semper eſto hilaris; Nè triſtis eſto ullo tempore; nè unquam lugeas: q. d. Nè unquam pullis induaris. Nam pullis induebantur lugentes. Vide Quæſt. lib. 1. quæſt. 48. item Proverbia mea. Hoc ad literam intelligebant olim Eſſæi, qui propterea ſemper candidati erant, i. candidis amicti. ¶ *Candida*] Vel *alba*, i. lota, pura, munda: ut ex veſtibus ſign. munditiem actionum. ¶ *Oleum*] *unguentum*, quod eſt oleum boni odoris, quo utebantur cùm ſe ad venuſtatem componerent: ut Judith olim profectura ad Holofernem. Et legimus Ruth. 3. 3. *Lava & unge te*. Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. Hier. *Moris eſt Ebræorum unguentum* OLEUM *appellare*. ¶ *Capiti tuo*] Luc. 7. 46. *Oleo caput meum non unxiſti*. Etiam pedes ungebant, atque adeò totum corpus. ¶ *Nè deficiat*] Sym. οὐ μὴ διαλειπέτω, *nè deſinat*.

9. *Fruere vitâ*] Ad verb. *Vide vitam*, quod Lxx dicunt ἴδε ζωήν. Senſum expreſſit Sym. qui vertit ἀπόλαυσον ζωῆς *fruere vitâ*, & Hier. *perfruere vitâ*. Ut hîc *videre vitam* eſt Vivere, ſic *videre mortem* ponunt pro *mori*. Legimus etiam 1 Pet. 3. 10. *videre dies bonos*. Notum & illud, quod paſſim obvium, *videre bonum* pro *frui bono*. חיים accipio pro *vita jocunda*: ut ibi, *In ſerenitate vultûs Regis eſt vita*: ſiquidem favor Regis vitam jocundam præſtat. *Videre vitam jocundam* eſt vivere jocundè & hilariter. Sic, *Vivat Rex*; Vivat jocundè. ¶ *Vita tua vaniſſimæ*] Ad verb. *vitæ vanitatis tuæ*. Quod Græci dicunt ζωῆς ματαιότητός σου. Quanquam in nonnullis cod. νεότητός σου, *juventutis tuæ*. Ed. Vulg. *vitæ inſtabilitatis tuæ*. ¶ *Quos dedit tibi*] Vel *quam dedit tibi*; ut ad *uxorem* referatur. Et, *dedit tibi*, ſub. *Deus*. Noſter eleganter & doctè *qui dati ſunt tibi*; ut Lxx τὰς δοθείσας σοι. Poſſumus etiam pronomen ad *vitam* referre.

10. *Quodcunque invenerit manus tua ut facias*] כל אשר תמצא ידך לעשות, *Omne quod invenerit manus tua ut facias*. Πάντα ὅσα ἂν εὕρῃ ἡ χείρ σου τοῦ ποιῆσαι. Senſus eſt, *Quicquid aſſequetur manus tua ut facias*. *Quicquid in te ſitum erit, ſeque tibi obtulerit, quod facere queas*. Hunc ſenſum expreſſit priſcus Interpres, dum vertit, *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*. Sym. quoque idem ſign. verbum ἐφικέσθαι, in quo ſignificatio *conſequendi*: nam ἐφικέσθαι *conſequi*. Thema ἐφικνοῦμαι. Legitur hæc locutio & Jud. 9. 33. *facies ei ſecundùm id quod invenerit manus tua*, i. quantum per facultates tuas facere poteris. Et Levit 25. 28. *& non invenerit manus ejus quod ſufficit ad reſtituendum*. Vide & Levit. 12. 8. Huc refer כיד המלך pro *manu*, i. facultate, *Regis*. Eſth. 1. 7. *Vinum multum erat pro manu Regis*. Goriundes, *dedit ei munera pro manu Regis*, i. pro copia Regis. ¶ *Pro viribus*] Vel *pro virili*. בכחך ad verb. *pro viribus tuis*. Lxx ὡς ἡ δύναμίς σου. Videntur legiſſe כבחך. Hier. *inſtanter*. Ed. Gall. *tout ce que tu auras moien de faire fay le ſelon ton pouvoir*. ¶ *Fac*] Ποίησον. Hier. *operare*. Quod verbum עשה etiam ſignificat. ¶ *Ratio*] Sic Int. V. Alii *cogitatio*: alii *ratiocinium*. Lxx λογισμός. ¶ *In ſepulcro*] Lxx ἐν ᾅδῃ. Hic perſpicuè ᾅδης ponitur pro *ſepulcro*, vel potiùs pro *ſtatu mortuorum* ſive *alterius ſeculi*; quod eſt *ſeculum mercedis* non *operis*; ubi neque *ratio* neque *ſcientia* neque *ſapientia* locum habent. ¶ *Vadis*] *Tendis*, *pergis*. Sic dicimus, *Vadit in domum ſeculi ſui*: idem aliter. Omnes autem eò tendere notius eſt quàm ut probari debeat.

11. *Converſus ſum, & vidi*] *Iterum vidi*, i. animadverti, & obſervavi. Lat. Vulg. *Verti me ad aliud*, *& vidi*, שבתי. ¶ *Quòd non ſit velocium curſus*] Lxx ὅτι οὐ τοῖς κούφοις ὁ δρόμος. Sym. τὸ φθάσαι δρόμον, i. *prævenire*, vel *aſſequi quod efficere contendis*. Sanè capiendum: nam veloces imprimis curſu valent. Quid igitur ſibi vult? Innuit, eos qui veloces ſunt non ſemper curſu evadere. Pro exemplo erit Aſael, cui pedum pernicitas nihil profuit cùm eum Abner perſequeretur. ¶ *Bellum*] Eventus belli. In præliis, inquit, non ſemper victoriam obtinent qui robore præſtant. Doctè Sym. τὸ κρατῆσαι πολέμου, *bello ſuperiorem evadere*. ¶ *Nec etiam ſapientum panis*] Καί γε οὐ τοῖς σοφοῖς ὁ ἄρτος. Lectio alia, τῷ σοφῷ ἄρτος. Sym. πορίσαι τροφήν, i. *ſuppeditare cibum*, ſive *alimoniam*, aut *victum*. Sapientia non ſuppeditat anno-

nam Quandoque videmus qui ſapientiâ præſtant non habere unde vitam ſuſtentent. ¶ *Intelligentium*] Συνετῶν. Hier. *doctorum*. ¶ *Scientium*] Idem Hier. *artificum*. ¶ *Tempus*] Tempus quando veloces capiuntur, & fortes vincuntur, &c. Cuique ſuum tempus, ſua hora. *Tempus* autem *alicujus* ità dicitur, cùm hoc intelligitur quo cuipiam bene ſit vel malè, velut v. 12. *Non novit homo tempus ſuum*. Pſal. 81. 15. *fuiſſet tempus eorum in perpetuum*, i. *calamitas*, ut Theodoretus enarrat. Vide Miſcell. Cent. 1. cap. 45. ¶ *Caſus*] Ἀπάντημα. Caſu autem aliquid fieri dicitur reſpectu noſtri non Dei, cui nihil fortuitum. ¶ *Accidit*] Lxx συναντήσεται.

12. *Tempus ſuum*] Tempus calamitatis ſuæ. Dicunt etiam *horam ſuam*, & eodem ſenſu *viſitationem ſuam*, vel potiùs *tempus viſitationis ſuæ*. Sic interpretantur Pſal. 81. 15. *Et erit tempus eorum in ſeculum*: ad quem locum Theodoretus, TEMPUS, inquit, *vocat calamitates*. Sic enim Syri & Ebræi nominare eas conſueverunt: & multi etiam apud nos eodem modo has nominant. Cæterùm pro τ̃ καιρὸν αὐτῦ, quod in Lxx, Sym. habet τὴν ἰυκαιρίαν αὐτῦ, i. *opportunitatem ſuam*. ¶ *Sicut piſces*, &c.] *Ut piſces neſciunt tempus ſuum, ità Homines. Tempus* autem Piſcium eſt quando *capiuntur reti malo*. ¶ *Reti malo*] Epitheton perpetuum. Nullum enim rete quo capiuntur piſces bonum eſt: ſaltem piſcibus *malum* eſt, licèt hominibus *bonum* ſit, i. utile במצודה. Lxx ἐν ἀμφιβλήςρῳ. *Malo*, i. noxio, pernicioſo. Lxx κακῷ. Aq. πονηρῷ. ¶ *Sicut aves*] Ὡς ὄρνεα. צפרים propriè *aves minutiores*, ſi credendum Mercero. Has Græci ςρουθία indigitant. Eadem vox ſign. *paſſeres*, ut & Ebræa. ¶ *Quæ capiuntur laqueo*] *Comprehenſæ laqueo*, θηρευόμενα ἐν παγίδι. ¶ *Sicut illa*] Aves & Piſces, videlicet. ¶ *Capiuntur*] יוקשים *irretiuntur*, *illaqueantur*. Sed exponunt נלכדים *capiuntur*. Lxx παγιδεύονται. Hier. *capiuntur*. Et eſt nomen adjectivum, ut ajunt, quod in participii naturam degenerat. R. Juda & Moſes Sacerdos recenſent inter ea vocabula quæ ſub voce activa ſign. habent paſſivam. Sunt autem talia verba in univerſum quatuor: quanquam nonnulli quintum adjiciant. Vide Abenezram ad h. l. ¶ *Tempore malo*] i. Adverſo, calamitoſo. ¶ *Cùm ceciderit*] Vel *irruerit*: & ſubintelligitur *tempus malum*. ¶ *Repentè*] Ἄφνω, *ſubitò*, *de improviſo*.

13. *Etiam hoc vidi*] Sic Græci Lxx, Καί γε τῦτο εἶδον. Pronomen refertur ad totum complexum orationis ſequentis de Paupere ſapiente. Vulg. *Hanc quoque ſub Sole vidi ſapientiam*: quomodo & Tremellius. Minùs ſe probat mihi hæc interpretatio. ¶ *Apud me*] i. Παρ' ἐμοί, ut olim Aq. vertit. Priùs erat πρός με, quod propriè ſonat אלי. Sym. ad ſententiam non malè, καὶ μεγάλη δοκεῖ μοι.

14 *Viri*] Aut eſt nomen ἀρετῆς, ut ibi, *In loco ubi non ſunt viri virum te præſta*; aut nomen ſexûs. Poſſumus etiam legere, *& homines in ea pauci*. Nam *vir* & *homo* ſe mutuò explicant. ¶ *Rex magnus*] βασιλεὺς μέγας· qualis erat eo tempore Aſſyrius, qui peculiariter *Rex magnus* vocatur. Dicitur etiam de Babylonio, & de Perſarum Rege. *Magnus* autem, ad diſtinctionem aliorum Regum minutorum, qui potiùs *Reguli* erant quàm *Reges* ad Monarcham comparati. Procopius, *Barbari*, ait, *duces ſuos Reges appellant*. Et obſerva oppoſitionem, *civitas parva*, *Rex magnus*. ¶ *Coronâ cinxit eam*] סבב אתה *circumſedit eam*. Ad verb. *circuivit eam*. Vulg *vallavit eam*. Lxx κυκλώσῃ αὐτὴν. ¶ *Munitiones magnas*] Lxx χάρακας μεγάλυς. Eſt autem χάραξ *vallum*; item *caſtra*. Sym. ἀποτείχισμα, i. *murum*. Poteſt etiam ſign. *munitionem*. In ſingulari reperitur מצד דוד, & מצודת דוד, i. *munitio Davidis*. Radix מצר. Reperitur & מצודות Pſal. 31. 3. & 66. 11.

15. *Et inventus fuit*] ומצא *& invenit*, ſub. *Rex ille*, aut *homo*: i. *inventus eſt*, ut rectè Vulgatus reddit. Tale eſt, *Et nunciavit Davidi* pro *nunciatum eſt*. Sic, *Reputavit ei pro juſtitia*, ἐλογίσθη. ¶ *Pauper*] מסכן πένης. Itali *Meſchino* dicunt. Vox uſitatior in lingua Chaldæorum. Appellatio à *periculis*, quibus tales expoſiti ſunt. סכן enim certè *periclitari* ſign. unde סכנה *periculum*. ¶ *Nemo memor fuit*] Ante an poſt liberationem? Illud Abenezra ponit, hoc Interp. Vulgatus referens, *& nullus deinceps recordatus eſt pauperis illius*: quod magnam arguit civium illorum ingratitudinem.

16. *Robore*] Viribus corporis. ¶ *Etſi ſapientia*] Supplevi quod deerat in oratione Ebraica, videlicet אם *ſi*, quod & alibi deſideratur, ut Mal. 1. 4. *Ipſi ædificaverint, & ego deſtruam*, i. *Si ædificaverint*. Sic Ruth. 2. 9. *Et ſitieris, ito ad vaſa*. Quale & illud,

Graculus eſuriens in cœlum, juſſeris, ibit.

ſi juſſeris. ¶ *Contempta*] Ἐξουδενωμένη. ¶ *Verba ejus*] *Conſilia*, vel *juſſa*, *ejus*.

17. *Audirentur*] נשמעים, ad verb, *audiuntur*, quod explico, *audiri debent*. Simile, *Filius honorat patrem*: nam interdum aliter ſit. ¶ *Cum quiete*] בנחת μετ' ἡσυχίας, i. *quietè*, *placidè*. Lxx ἐν ἀναπαύσει· alius, μετ' πραότητος *cum lenitate*, aut *manſuetudine*, i. πραέως *leniter*, *manſuetè*, *placidè*. ¶ *Potiùs quàm clamor dominantis*, &c.] Lxx ὑπὲρ κραυγὴν ἐξουσιαζόντων ἐν ἀφροσύναις. Alius, μᾶλλον ἢ κραυγὴ ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις, quod magis probo. מזעקת *quam vociferatio*. ¶ *In ſtultos*] Id malim quàm *in ſtultis*, quod Græci dicunt ἐν ἀνοήτοις. Nam dicimus, *In ſtultos dominari*: niſi exponas *in ſtultis*, i. inter ſtultos. Sententia in idem recidit.

11. *Armis bellicis*, מכלי קרב] *quam inſtrumenta bellica*, quod Lxx dicunt ὑπὲρ σκεύη πολέμυ. Hîc קרב idem valet quod מלחמה: nam hæc duo ſe invicem explicant. Alioqui propriè מלחמה eſt *bellum*, πόλεμος, & קרב μάχη *pugna* ſive *prælium*. Arma autem nihil aut parùm proſunt abſque conſilio & ſapientia, cùm videamus ſæpe victoriam parari ſapientia abſque armis & inſtrumentis bellicis. Meritò ergò Sapientia potior habenda eſt. ¶ *Peccator*] Homo nequam & improbus. ¶ *Unus*] Si *unus* poteſt *perdere bonum multum*, quid putas duos aut tres facturos? Vulgò dicitur, *Unus malus plus nocere poteſt quàm decem boni prodeſſe*. ¶ *Bonum multum*] Ἀγαθωσύνην πολλήν· ità Lxx. Sed poſt Sym. edidit ἀγαθὰ πολλά· quem ſecutus Int. noſter vertit *bona multa*.

IDEM.

1. כִּי אֶת־כָּל־זֶה נָתַתִּי אֶל־לִבִּי וְלָבוּר אֶת־כָּל־זֶה אֲשֶׁר הַצַּדִּיקִים וְהַחֲכָמִים וַעֲבָדֵיהֶם בְּיַד הָאֱלֹהִים גַּם־אַהֲבָה גַם־שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לִפְנֵיהֶם. Sym. *Omnia hæc ità ſtatui in corde meo ut ventilarem univerſa: quoniam & juſti & ſapientes & opera eorum in manu Dei ſunt. Et inſuper neque amicitias neque inimicitias ſcit homo: ſed omnia coram eis incerta*] Πρὸς τε δὲ ἐ φιλίαν ἐδὲ ἔχθραν ἐπίςαται ὁ ἄνθρωπος, ex ed. Rom. Apud interp. Olympiodori, Sym. *omnia incerta ſunt in conſpectu ipſorum*, pag. 115.

2. הַכֹּל כַּאֲשֶׁר לַכֹּל. Sym. ἅπαντα ὅμοια *omnia ſimilia*] In Commentariis Hieron. *propterea quod omnibus eveniunt ſimilia juſto & injuſto*. Verba Ebræa reliqua ſunt, מקרה אחד לצדיק ולרשע. Vide, ſi placet & ſi otium eſt.

3. בכל אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַּחַת הַשֶּׁמֶשׁ. Sym. πᾶσι τοῖς συμβαίνουσι *omnibus quæ eveniunt*. ¶ וְגַם לֵב בְּנֵי־הָאָדָם מָלֵא־רָע וְהוֹלֵלוֹת בִּלְבָבָם בְּחַיֵּיהֶם וְאַחֲרָיו אֶל־הַמֵּתִים. Sym. *ſed & cor filiorum hominum repletur malitiâ & procacitate juxta cor eorum in vita ſua: noviſſima autem eorum veniunt ad mortuos*] *Procacitate*, αὐθαδείᾳ. Aq. πλάνη *error*. ¶ *Noviſſima eorum ad mortuos*, τὰ ἢ τελευταῖα εἰς νεκρούς· ex ed. Rom.

4. כִּי־מִי אֲשֶׁר יְבֻחַר אֶל כָּל־הַחַיִּים. Sym. *Quis enim poteſt in ſempiternum perſeverare vivens*] Deſcripſi ex Hieron. Græca exſtant in ed. Rom. Τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; *Quis enim ſemper perſeverabit vivens?* ¶ לְכֶלֶב חַי הוּא טוֹב מִן־הָאַרְיֵה הַמֵּת. Sym. Κυνὶ ζῶντι βέλτιόν ἐςιν ἢ λέοντι τεθνηκότι, *Cani vivo melius eſt quàm leoni mortuo*.

9. כָּל־יְמֵי חַיֵּי הֶבְלֶךָ. A. πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἀτμοῦ σου, *omnes dies auræ tuæ*] Vanitatis tuæ.

11. הַמֵּרוֹץ. Sym. τῦ φθάσαι δρόμον *aſſequi curſum*. ¶ הַמִּלְחָמָה. Sym. τῦ κρατῆσαι πολέμυ *obtinere bello*. ¶ לֶחֶם. Idem, πορίσαι τροφὴν *præbere alimentum*. ¶ יִקְרֶה. Sym. συγκυρήσει *eveniet*.

13. גְּדוֹלָה הִיא אֵלָי. Sym. καὶ μεγάλη δοκεῖ μοι *& magna videtur mihi*. Aq. — παρ' ἐμοὶ *apud me*] Locus plenus, *& magna eſt apud me*.

14. מְצוֹדִים. Sym. ἀποτείχισμα *vallamentum*, ſive *murus circumductus*.

16. בְּזוּיָה. Sym. κατεφρονήθη *contempta fuit*.

17. מִזַּעֲקַת מוֹשֵׁל בַּכְּסִילִים. Schol. μᾶλλον ἢ κραυγὴ ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις, *magis quàm clamor dominantis inter amentes*.

18. כְּלֵי קְרָב. Aq. σκεύη πολεμικὰ *vaſa bellica*.

AMAMA.

TRia hic rurſus agit Salomo 1. proponit tres vanitates ab initio ad 7. 2. hortatur iterum ad lætam fruitionem bonorum, & ſimul ad alacritatem in vocatione cujuſque à verſu 7. ad 11. 3. tres alias commemorat vanitates.

Primam quod attinet ponit tres vanitates. 1. quod eadem eveniunt

nunt bonis & malis verſ. 1. 2. 3. II. quod cor hominis pravum eſt in medio verſ. 3. III. quod homini moriendum eſt in fine verſus 3.

Vanitatem primam declarat ex effectu, quod ſcilicet inde ſit, ut homo nihil certi è ſtatu ſuo externè poſſit ſtatuere de amore vel odio Dei. Hanc ſententiam amplificat ex parte ex antitheſi gubernationis divinæ.

1. *Totum hoc condidi in cor meum, idque ut clare cognoſcerem totum hoc, quod ſcilicet juſti ac ſapientes & facta eorum in manu Dei ſint, quodque tam amorem quam odium Dei non cognoſcat homo ex ulla re, quæ ante faciem ipſorum eſt.*

Ut clare cognoſcerem] vel ad declarandum, à ברר.

Opera eorum] עבדיהם a Chald. עבד, quod eſt idem cum עשה. Analogia poſtularet עֲבָדֵי, ſed videtur hoc factum διακρίσεως ἕνεκα. R. Sal. tamen exponit per *famulos eorum*, & intelligit ſapientum diſcipulos. Et ſic Chald. *Et diſcipuli eorum, qui ſubditi ſunt iis.*

Tam amorem &c.] i. ex ſtatu externo homo non poteſt cognoſcere Dei erga ſe affectum, cum bonis ſoleat hic ſæpe malè eſſe & contra, & ſic poſſit excuſari Vulgatus. Multò minus homo ex externis judicare poteſt de altero.

Ante faciem ipſorum] mutat numerum, pro *ſuam*, quia אדם eſt collectivum, כן הכל pro אשר הכל. Externa intelligit. Aut ſic, Nam omnia ante eos ſunt ſc. decreta, hi per *amorem* & *odium* intelligunt res amatas & exoſas. Et ſic Chald. *Omne in providentia decretum eſt, ut ſit ante eos.*

2. *Omnia eveniunt conſimiliter omnibus; Eventus unus eſt juſto & impio, bono & mundo & immundo, ſacrificanti quoque & ei qui non ſacrificat, ſicut bonus ſic qui peccat & is qui jurat ſicut is qui juramentum timet.*

Amplificat præcedentia hoc verſu.

Sicut bonus &c.] כטוב כחטא, Caph duplicatum importat convertibilitatem, ſic כעם ככהן i. *ſicut ſacerdos ſic populus*, & contra.

Jurat] ſub. לשוא vel לַשָּׁקֶר. Ebræi referunt hæc ad ſpeciales caſus & homines.

Juſto & impio] referunt ad Noë & Pharaonem iſtum, cujus filiam duxit Salomo, quorum uterque claudus factus eſt, iſte cum ex arca deſcenderet, hic cum ex Solio Salomonis deſcenderet, morſus à Leone, ignorans qua arte ſolium illud eſſet compactum.

Bono ac mundo & polluto] ad Moſen & Aharonem, qui terram Iſrael laudarant, & exploratores, qui infamarant, referunt. Utrique enim mortui ſunt in deſerto.

Sacrificanti & qui non &c.] Ad Joſiam & Achab referunt, quorum uterque jaculis confoſſus periit, & tamen ille Religionem reformavit, hic idololatra fuit.

Tam bono quam peccatori] Ref. ad Davidem, qui paraverat neceſſaria ad templum, & Nebucadnezar, qui diruit, & tamen uterque regnavit 40 annos.

Tam qui falsò jurat] Referunt ad Zedechiam perjurum, & Samſonem juramenti & voti obſervantiſſimum, quorum uterque exoculatus fuit.

3. *Hoc omnium duriſſimum eſt eorum, quæ fiunt ſub Sole, quod eventus unus ſit omnibus: Et etiam cor hominum impletur malo, & inſania ſunt in corde eorum in vita, ipſorum & poſtea ad mortuos tendunt.*

Recolligit breviter in primis verbis vanitatem primam, in medio ponit ſecundam, tandem tertiam & ultimam.

Hoc duriſſimum] Ad verb. *hoc malum in omnibus*. Periphraſis ſuperlativi. Sic יפה בנשים. i. *Pulcherrima mulierum*. Porro *hoc peſſimum eſt*, ſubaudi, apud homines, vel judicio humano. Aliàs ſcimus omnia ſapienter à Deo gubernari: ideo verti *duriſſimum eſt*, eſt ex rebus adverſis non minima. Sic *malum* ſæpe ſumitur, unde *dies mali*, *tempus malum*, pro die calamitatis & adverſo Pſ. 49. *Ut quid timebo in diebus malis.* Sic in Proverb. *Omnia fecit Deus propter ſe, etiam improbum ad diem malum.* Vel *malum*. i. triſte eſt, eſt res triſtis & deploranda. Sic *facies mala*. i. triſtes. Gen. 40.

Poſtea] אחריו. Aben. refert affixum ad לב poſt illud cor malum, poſtque inſanias. Alii אחריו *poſt illud*, ut referatur ad totum complexum pro אחרי כן & *poſtea*, poſt tot caſus *ad mortuos tendunt*. Kimchi, אחריו. i. אחריתו *extremum ejus.*

Ad mortuos] ſub. *tendunt*. Simile, *ad Patres*, *ad plures*, *ad Rephaim*. i. mortuos. Poſterius illud ſic malim ſumere, quam *ad inferos* ſtrictè eam vocem ſumendo. Vocantur autem mortui רפאים, quia in iis virtus vitalis jam defecit & elanguit. Aliàs ſignificat etiam *Gigantes*, ut Deut. 2. *Gigantes habitabant in ea.* Chald. גבריא *fortes, potentes.* Denotari autem *Gigantes* oſtenditur ex ſimilibus locis, ubi dicunt *exploratores ſe fuiſſe quaſi locuſtas in oculis eorum.* Vocabantur autem ſic, ut Aben-Ezra & R. Sal. *quod quicunque aſpiciebat eos manus ejus debiles & remiſſæ fierent præ terrore.* Vel, ut alii, *quod quaſi mortui habebantur præ terrore omnes qui videbant eos.* Ut ita ab effectu dicti fuerint. Eadem ratione & נפלים dicti fuerunt, quia cadere faciebant eos à quibus conſpiciebantur. Hinc & אימים i. *terrores* dicti ſunt, quia terrori erant mundo. Vocantur & filii Anak à celebri Gigante Num. 13.

4. *Et qui aſſociatur cunctis viventibus eſt ſpes (quippe etiam cani viventi melius eſt quam leoni mortuo.*

5. *Viventes enim noverunt ſe mortuos eſſe, mortui verò neſciunt quicquam, nec eſt amplius eis merces, quum oblivioni tradita ſit memoria eorum.)*

6. *Tum res amata iis, tum res exoſa iis, tum res inviſa iis periit, & pars nulla iis amplius eſt unquam in ulla re, quæ fit ſub ſole.*

His tribus verſibus amplificat conditionem mortuorum antitheſi conditionis viventium. 1. Viventes ſpem habent diuturnioris vitæ hujus fruitionis, mortui vero carent. 2. Vivi habent notitiam aliquam rei eventuræ, nimirum mortis: Mortui ea carent. Porro fruitionem hujus vitæ amplificat collatione imparium, nimirum canis vivi & Leonis mortui. Vacuitatem vero ſpei in mortuis exaggerat collatione ſimilium, quod etiam cæteris affectibus, amore, odio, &c. deſtituantur. Atque hæc mihi arridet ſententia. Vix enim video quomodo hi verſus à 4 ad 11, aut ut alii ad 9 omnes Μιμητικῶς poſſint accipi, quomodo Aben. Kimchi & alii.

Et qui aſſociatur] כי מי אשר יבחר & כי cum ש ſequente idem quod *is, ea, id*. Jun. *uter ſit qui eligatur, in tota hac vita adeſt fiducia. i. quemcunque eligas tibi imitandum, ſive juſtum ſive injuſtum, neutrum genus vitæ aliam expectationem boni quam vitæ præſentis habet.* Sunt tamen qui ſic, *Quis aſſociabitur ſubaudi mortuis?* q. d. nemo eſt qui ſocius fieri velit mortuis. Nam omnibus viventibus eſt fiducia & ſpes. Quamdiu vivit, poteſt adhuc reſipiſcere, mortuis hoc non datur. Convenit cum iſto Theocriti ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. Supra mortem prætulit, at tunc cum vitæ incommoda proponebat, jam dum hortatur præſentibus tranquille frui, contra facit & oſtendit mortem uſum rerum auferre.

Aſſociabitur] יְחֻבַּר Interpretatio juxta puncta. Dages enim in ב oſtendit, non poſſe conſonantes legi eo ordine, quo habentur, ſed invertendas & leg. יְחֻבַּר. Et hoc ſecuti ſunt etiam LXX. τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας. Si juxta conſonantes legis, ſenſus erit æquè bonus מי יִבְחַר *qui eligit* ſc. partem viventium.

Omnibus viventibus] R. Sal. Etiam impiis, אפשר ישוב לפני מותו.

Cani viventi] Jun. *Proverb. dictum Epic. quo vitam etiam turpiſſimam ſolent anteferre morti honeſtiſſimæ.* Oſtendit hoc caſu, ſi frui velis tranquillè præſentibus, vitam præſtare morti, hæc enim eorum uſum demit.

Nota in hoc verſu variam lectionem. Ea enim diverſitas punctorum & conſonantium oſtendit in quibuſdam variam lectionem, unam per puncta, alteram per conſonantes expreſſerunt. Eam tamen quæ juxta puncta & in margine notatur, præferunt interpretes. Miror autem Trem. & Junium hic puncta neglexiſſe, quæ tamen conſonantibus coæva ſtatuunt.

Alia ratio eſt in vocibus obſcœnis, quibus Scribæ ſubjecerunt (forte ex veteri traditione) puncta vocum honeſtiorum. Ex his quædam non poſſumus aliter legere, quam juxta ſubjectas vocales, quia puncta ignoramus iſtis conſonantibus propria. Quædam ex conjectura & collatione cum aliis formis poſſumus. Tutiſſimum autem eſt ſequi eam lectionem quæ eſt juxta puncta. Eorum enim conſonantes ſemper in margine ponuntur.

Leo] R. Sal. accipit de Nebuzar Adan & Nebucadnezar, quorum ille factus eſt proſelytus. אריה ab ארה decerpere. Varia habet nomina, כְּפִיר juvenis Leo, אֲרִי vel *Arje* Leo adultior, שַׁחַל, שַׁחַץ mediæ ætatis. לָבִיא annoſus leo, ſed qui adhuc habet molares Joël 10. 16. לַיִשׁ leo vetus, λῖς. Quæ cum ſint omnia Leonis nomina in Ebraiſmo, neſcio quid Junius viderit dum in Præfat. ſuæ Gramm. dicit Leonem & Græcis & Ebræis à videndo dici. Non potuit ſpectaſſe aliud quam τὸ אַרְיֵה, quod à רָאָה deduxit. Sed quis non videbit melius ab אָרָה deduci? i. decerpo, quod verbum melius certe Leonis naturam exprimit quam ראה. Deinde quam durum א in Jod mobile mutare? Poſtremò, quid obſtabit quominus אריה ab ארה deducatur, quam ſynonymum אֲרִי, ubi ה in Jod quieſcens tranſiit ut עָנִי עָנָה quod Jod in אריה rurſus in Jod conſon. tranſit. Sic עָנִי עָנָו.

5. *Viventes norunt ſe morituros*] ac proinde poſſunt ſe ad pœnitentiam componere. Nam meditatio mortis hic multum poteſt. Quia enim hora incerta eſt non eſt ullo modo procraſtinandum. Quò pertinet egregium illud R. Eleazari,

שוב יום אחד לפני מיתתך

Id eſt, *fac pœnitentiam uno die ante mortem tuam.* Rogabatur à diſcipulis, Rabbi, quomodo nobis conſtat de die mortis? *Rectè*, reſpondit, *Ergo ſic viveti s ac ſi cras imo hodie morituri eſſetis.* Jun. *Ac proinde putant ſibi hodie vivendum eſſe, Edamus, bibamus, cras moriemur.*

At mortui neſciunt quicquam] non loquitur de cognitione divina, ſed de cognitione eorum, quæ hic geruntur.

Non eſt amplius ipſis merces] ſcilicet operum jam faciendorum. Opera enim quæ Deus compenſare promittit, hic fieri debent. Quò referendum illud antea à nobis adductum, מי שטרח בערב השבת יאכל בשבת *Qui laborat in veſpera Sabbathi, comedet in Sabbatho, Qui non laborat &c.* Vide, futurum ſæculum comparant Sabbatho, in quo ab omnibus operibus feriandum. Similiter, futurum ſæculum appellant עלם הגמול *ſeculum retributionis* & hoc præſens עלם מעשה *ſeculum operis.* In primâ autem ſententia alluſum eſt ad morem Judæorum. Solent enim in veſpera Sabbathi tantum cibi parare, quantum ipſo Sabbatho ſufficit.

Et oblivioni tradita eſt memoria eorum] non apud Deum, ſed apud homines. Poſſes & dicere, *oblita eſt*, ut Virg. *Nunc oblita mihi tot carmina.*

6. *Tum res amata &c.*] Sic quidam. Ego malim, *amor, odium & æmulatio.* Q. d. Nec tantum ab hoc affectu liberi ſunt, ſed & ab aliis, ut ſunt, amor rerum mundanarum, odium mutuum & æmulatio ſive zelus, quæ omnia nimis frequentia ſunt in hac vita, ſed placidè conquieſcunt in fruitione divinæ lucis.

Zelus] קנאה. De hujus vocis variis uſibus & ſignificat. vide Bezam in ſuis ad N. T. Aquinas ad Jac. 3. notat quadruplicem, ignarum, amarum, malignum, bonum, qui poſterior ἀγαθὴ ἔρις dicitur, de quâ Ebræi, *Zelus doctorum multiplicat ſapientiam* קנאת הסופרים תרבה חכמה. Cum קנא ſumitur in bonum, conſtruitur cum ל, cum in malum cum ב & את, excepto loco Pſ. 106. 16.

Nec eſt pars iis in ulla re &c.] Notetur contra Papiſtas.

7. *Vade, comede in lætitia panem tuum & bibe hilari corde vinum tuum, quoniam jam accepta habet Deus opera tua.*

8. *Omni tempore ſint veſtes tuæ candidæ & oleum ſuper caput tuum ne deficiat.*

9. *Fruere vitâ cum uxore quam diligis, omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, quam dedit tibi ſub ſole omnibus diebus vanitatis tuæ: Hoc enim eſt portio tua in vita hac & de labore tuo quo laboras ſub Sole.*

10. *Quicquid invenerit manus tua ad faciendum, facito pro viribus tuis: ſiquidem non eſt opus aut ratio, aut ſcientia aut ſapientia in ſepulchro, quo tu tendis.*

Incipit jam ſecunda capitis pars, in quo hortatur ad fruitionem tranquillam rerum terrenarum, quas Deus homini conceſſit. Eaque ſunt hic quatuor. 1. cibus & potus. 2. veſtitus, 3. unguenta. 4. vita conjugalis. Subjicitque poſtea hortationem qua ad alacriter operandum quemque in ſua vocatione monet.

7. *Corde bono*] i. læto. Sic in Eſther, *cum bonum eſſet cor Regis.*

Vinum tuum] יין. Notanter adjecit *tuum*, non alterius. Venit ab abſ. ין, unde *Janum* dictum putant, quem Noe eſſe putant nonnulli, & ſic dictum, quia ipſe incepit plantare vineam. Certe quod bicipitem finxerunt Janum, Nocho optimè convenit, utpote qui in utroque quaſi mundo vixit. Porro Chaldæus hæc accipit tanquam in perſona Dei dicta hoc modo, *Dixit Salomo in Spiritu Prophetiæ à conſpectu DOMINI; Futurum eſt ut DOMINUS mundi dicat ſingulis juſtis in facie uniuſcujuſque, Vade, guſta in lætitia panem tuum, qui repoſitus eſt tibi propter panem tuum, quem dediſti pauperi qui erat eſuriens. Et bibe corde jucundo vinum tuum pro vino tuo, quod miſcuiſti pauperibus, qui ſitiebant* (quæ accommodari poſſunt loco Matth. 25. 34.) *Ecce enim beneplacita fuerunt Deo iſta opera tua.*

8. *Sint veſtes tuæ candidæ*] Aben Ezra & Chald. ad vitam & actiones referunt. Sic enim hic, *Omni tempore ſint veſtes tuæ lotæ ab omni contaminatione peccati, & nomen bonum quod comparatur unguento unctionis tibi acquire, ut contingant benedictiones ſuper caput tuum & bonitas tua non deficiat.*

Ego tamen cum Mercerò & Druſiò, qui tractat hunc verſum Prov. Sacr. Claſſ. 2. lib. 2. adag. 28. intelligere malo de hilari vita, cujus indicium veteribus fuit alba veſtis, quod apparet ex contrario. Triſtitiæ enim indicium fuit nigra, unde David *Pullatus inceſſi* &c. Vel *Candidæ.* i. non ſordidæ ſed honeſtæ pro tua vocatione. R. Salomo תתקן עצמך בכל שעה במצות טוב additque parabolam de homine quem invitaverat Rex ad convivium.

Et oleum &c.] De שמן diximus ſupra. Lucem habet ex Euangelio Matth. 6. 17. ubi poſtquam taxavit Phariſæos, quod quotieſcunque jejunabant, obſcurarent facies ut agnoſcerent homines ſe jejunare, Σὺ δὲ inquit νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν: hoc eſt, *hoc externo ſigno te hilarem oſtende ne agnoſcant te jejunare.*

9. *Fruere vitâ*] Ebr. ad verb. ראה חיים i. *vide vitam.* Sic in Pſalm. *Quis vult videre dies bonos?* i. frui. De hac Phraſi diximus aliquid ſupra ad finem cap. 8. ubi habuimus, *videre ſomnum.*

10. *Quicquid invenerit manus tua*] i. Quicquid ſe tibi obtulerit, quod facere queas, vel in honeſta tua vocatione. Invitavit hominem in ſuperioribus ad lætitiam & hilaritatem, ne autem inde quis occaſionem ſumeret ſe dedendi ignaviæ, addit hoc præceptum ſalutare & monet ut aliquid agat quo Deo poſſet placere. Aben. לעשות טוב בעולם הזה עשה כי העלם הבא איננו עלם מעשה אלא עלם הגמול.

Siquidem non eſt opus &c.] Illic nihil licebit facere, nullamque inire rationem poteris ſapientiæ aut ſcientiæ ad opus faciendum, quod tibi proſit, aut cujus mercedem conſequaris. Hoc enim ſæculum eſt ſæculum המעשה. Et huic loco lucem faciet locus Joh. 9. 4. *Operamini dum dies eſt, veniet enim nox,* &c.

Scientia aut ſapientia] Non quod in fut. vita nulla ſit ſcientia aut ſapientia, ſed quòd ea tota poſita eſt, ut fruitio percipiatur divinæ Majeſtatis. R. Salomo tamen hæc dividit & ותתקן refert ad pios, ſi ita feceris, ut tibi jam præcepi, ne ſis ſollicitus tibi reddendam eſſe rationem, tu enim hic officio tuo functus es. Et reliqua refert ad impios, quibus nulla cognitio aut induſtria ſupererit faciendorum operum.

In ſepulchro] i. In ſtatu mortuorum. De ſepulchro intelligi non poteſt. Nec de Gehenna. Ergo de aliquo, quod commune eſt utriſque piis & impiis. De eo diximus ſupra. Hoc jam tantum addo Mercerum idem inculcare hoc loco his verbis שאול *pro ſtatu alterius ſeculi ponitur, qualis qualis ille ſit, unde etiam de Piis dicitur, ut* Gen. 44. 29. Durum hoc videtur multis ob vocem Latinam *inferi* in qua ſignificatio inferioritatis, ſed eam non eſſe in Gr. & Ebr. oſtendimus. Et dedimus ad illud inſtantiam in voce πρωτότοκος, ſupra. Sed huc non opus eſt condeſcendere. Quid difficultatis enim eſt ſi vocem *Inferi* non ab *infra*, ſed ab *inferendo* deducamus, ut ſignificet locum quò inferuntur animæ? Ego hanc etymologiam alteri prætulerim, licet & illa nobis non oblit. Aben. הא הקבר כי יקרא שאול לצדיקים כמו בראש לז׳.

Reſtat jam tertia pars capitis, quæ habet tres vanitates. Prima hæc eſt, in hominis poteſtate non eſſe poſitum efficere quæ inſtituit, etiamſi ad ea aptus ſit natura. Lyra, *incertitudo hominis circa bona fortunæ.*

11. *Converſus ſum & vidi ſub Sole quod non ſit velocium curſus, nec fortium prælium, nec ſapientum panis, nec prudentium divitiæ, nec ſcientium gratia, ſed tempus & caſus accidit omnibus.*

Converſus ſum & vidi] וראה *& videre.* Infin. pro futuro. Sunt, qui exponant, ושבתי ac ſi pœnitentiâ ſuperiorum ductus hic ſententiam mutaret. Sed non ſatis benè conſiderarunt Ebraiſmum. Illud שב enim adhibetur pro iterum, rurſus, *& iterùm vidi.* Sic in Futuro creberrimè occurrit ואשב ואשא *& iterum levavi* ſc. oculos meos, Zach. 5. 1. & 6. 1.

Quod non ſit velocium curſus]. Quod nihil ſæpe proſit velocibus curſus ad evadendum. Illuſtrat illud, quod hic intendit, inductione quorundam exemplorum. Referunt ad Hazael, qui cum eſſet cervinis pedibus tamen ab Abner fuit occiſus 2. Sam. 2. contra Abner à Joab, Goliath à Davide.

Nec ſapientum panis] Licet ſapientia plurimum faciat ad victum comparandum, tamen aliquando eos eſurire videmus & ſordidè haberi, ſtultos è contra & terræ inutilia pondera honorari, & florere.

Panis] Pro victu, βίου. Sic paſſim in S. Literis, ut in oratione Dominica. Unde extenditur ad omne, quod hominem nutrit, alitque. Hinc lac in Proverbiis panis vocatur, & Jonathan 1. Sam. 14. 25. guſtans mel tranſgreſſus eſt præceptum Patris de non comedendo ante veſperam pane.

Nec prudentium divitiæ] Nec ii ſua prudentia ſibi divitias poſſunt comparare, adeò hæc omnia à Dei gubernatione pendent.

Nec ſcientibus gratia] Poteſt accommodari ad homines doctos & peritos quibus eruditio ſæpe nullam gratiam conciliat, cum contra indocti homines ſæpe floreant & gratia valeant. Cujus rei exempla hoc noſtro ævo abunde ſuppetunt, quæ referre odioſum eſſet. Alii merentur famam, alii habent.

Tempus & caſus.] Non intellige caſum fortuitum, ſed caſum à Deò ordinatum. Aut caſum opinione noſtra, reſpectu noſtri, quo modò Gen. 1. *Luna* vocatur *luminare magnum.* Illuſtrat ſcopum ſuum antitheſi cauſæ diverſæ, quæ eſt Dei gubernatio.

Omnis

Omnibus] Hic antitheſin inſtituunt quidam, *omnibus* i. tam fortibus quam impotentibus, tam ſapientibus quam ſtultis &c. Homo facere debet, quod in ſe eſt, ſed non fidendum. At Aben Ezra refert ad eos jam dictos tantum.

12. *Nam etiam neſcit homo tempus ſuum; ſicut piſces qui capiuntur reti malo, & ut aves quæ capiuntur laqueo; ſic capiuntur filii hominum in tempore malo, quum irruit ſuper eos celeriter.*

Secunda vanitas, quod ſcilicet hominem lateat adverſitatis ſuæ tempus: Quam illuſtrat collatione duorum ſimilium, capturæ piſcium & avicularum. Lyra, *Incertitudo hominis circa bonum naturæ.* i. *vitam.*

Nam etiam] Dependet ex ſuperiori, q. d. quomodo homo conatuum ſuorum eventum poſſet præſtare, cum ipſe ſuum tempus ignoret? Hoc non tantùm de tempore mortis accipiendum, ſed de quovis tempore adverſo.

Ut piſces] דָּגִים . דָּג & דָּגָה Piſcis, promiſcuè, unde admodum ineptit R. Salomo ad cap. 2. Jonæ, ſtatuens Jonam primo abſorptum à piſce maſculo. Sic enim habet textus Cap. 1. verſ. ultimo, *Et paravit DOMINUS* דָּג גָּדוֹל *piſcem magnum.* Quia cap. vero ſecundo dicitur clamaſſe מִמְּעֵי הַדָּגָה *ex viſceribus piſcis* fœm. hoc fabulatur, Jonam in ventre piſcis maſculi fuiſſe admodum tranquillè nulloque modo coarctatum, adeò ut ad preces & humilitatem flecti non potuerit, Deum verò, ubi hoc videbat, juſſiſſe piſci ut evomeret eum in piſcem fœminam quæ plena erat fœtibus. Hic erat anguſtia & coarctatio & hinc humilitas & pœnitentia. Vide ejus commentarium, ſi habes & ſi intelligis, aut Mercerum in V. minores Prophetas, ſi non intelligis Ebræa.

Capiuntur] יוּקָשִׁים. Quatuor ponit R. Juda quæ ſunt formæ פְּעָלִים cum ſit peulim, אוּכַל, לוּקַח, יוּקַשׁ & יוּעַת pro quo poſtremo alii ſubſtit. יֻלַּד. Vide Aben. tunc יוּקַשׁ erit pro יֻקְּשִׁים. Quidam putant eſſe Partic. Puál pro יְקֻשִׁים. Sed præſtat ut ſit nomen Toär. i. adjectivum à יקש illaqueavit, unde יָקוּשׁ dicitur & יוֹקֵשׁ auceps. Dico etiam יָקוּשׁ, licet videatur forma paſſiva. Nam illa abſolute poſita ſæpe actionem notant. Sic נָשׁוּי qui uxorem ducit, רָכוּב equitans. עָשׁוּק oppreſſor, Pſ. 103. זָכוּר recordans. שְׁכוּנִים habitantes. Vide Obſerv. Druſii libr. 1. Obſ. 2. Adeò ut, niſi obſtaret ſignificatio conjugationis, nihil impediat quominus Phariſæi dici poſſint quaſi *expoſitores legis* à פָּרַשׁ. Sed quia פרש in Cal vix ſignificat *exponere*, ſed in Piel, melius *ſeparatos*, *ſegregatos*, κεχωρισμένους interpretaberis. Vide Druſium de tribus ſectis Judæorum.

Tempore malo] Id eſt, adverſo.

Quum irruit] Scilicet malum, vel tempus malum.

13. *Etiam hanc vidi ſapientiam ſub Sole & magna eſt apud me.*

14. *Urbs parva fuit & viri pauci in ea; & venit contra eam rex magnus & circumdedit eam & ædificavit contra eam munitiones magnas.*

15. *Et invenit in ea virum pauperem ſapientem, qui liberavit iſtam civitatem ſapientia ſua, & nemo recordatus fuit viri iſtius pauperis.*

Tertia hic incipit vanitas, nimirum ſapientibus benè meritis de Republica aut civitate ſæpe nullam referri gratiam, quod illuſtrat narratione exempli. Lyr. *Incertitudo hominis reſpectu gratitudinis humanæ.*

Hanc ſapientiam] i. Hoc ſapientiæ effectum, quod magnum eſt apud me, licet ab aliis contemnatur.

Contra eam] Ebr. אֵלֶיהָ ad eam, ſed אֶל & עַל confunduntur.

Munitiones] מְצוֹדִים à מָצוֹד arx, munitio, quod & dicitur מָצוֹר. Lxx. χάρακας μεγάλους. Sym. ἀποτείχισμα.

Et invenit] Subaudi, Rex ille, vel Invenit qui invenit, i. inventus eſt. Perſ. pro imperſ. Sic, *Et nunciavit Davidi.* i. nunciatum eſt. &c. Porro, *Inventus eſt* i. fuit: Sic, *Et Jeſus inventus fuit ſolus.* i. fuit. *Affectibus inventus eſt ut homo. Non inventus eſt dolus in ore ejus.* i. fuit. Sic Gen. 5. de Enoch וְאֵינֶנּוּ & non fuit. Lxx. & Apoſt. καὶ οὐχ ηὑρίσκετο. Dan. 11. *Et non invenietur.* i. erit.

Et homo non recordatus eſt] i. Nullus.

Hunc locum Ebræi in Midras & Chaldæus quoque Paraphraſtes accipiunt planè Allegoricè, ut per *civitatem* intelligatur corpus hominis & per *paucos homines*, paucas & leves juſtitias in ea. Per *Regem* concupiſcentiam malam, qui obſidet cor, ut errare faciat illud & ædificat locum ad habitandum ubicunque vult, & comprehendat illud. Tandem retibus Gehennæ, ut comburat eum ob peccata ſua. Per *virum* verò pauperem affectum bonum & humilem, qui prævalet, & ſubjicit eum, ſua ſapientiâ. At homo ejus affectus boni poſtea rurſus obliviſcitur &c. Huc accommoda quæ ad verſ. 13. cap. 4. Catholici per *urbem* intelligunt Eccleſiam per *Regem* Diabolum, per *virum pauperem* Chriſtum.

16. *Tunc dixi ego, Præſtantior eſt ſapientia quam fortitudo; quamvis ſapientia pauperis contempta ſit & verba ejus non fuerint audita.*

17. *Verba ſapientum quiete audienda ſunt & potius quam clamor dominantis inter ſtultos.*

18. *Melior eſt ſapientia quam inſtrumenta bellica, at peccator unus perdit bonum multum.*

Verſ. 16. Amplificat ingratitudinem civium antitheſi ſui de ſapientia judicii, quod nimirum robori præſtet; item armis. verſ. 18. Immiſcens obiter corollarium hortationis ad audienda verba ſapientum.

Quam fortitudo] i. hoc loco, robur externum. à גבר fit גְּבוּרָה. Dictio hæc aliquando apud Rabbinos ipſum Deum denotat & idem eſt quod אֵל, ſi modo verè dixit Euſebius אֵל ſignificare κατ' ἀκρίβειαν ἰσχὺν καὶ δύναμιν. Sumitur etiam ſic Tob. 1. 5. καὶ ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δυνάμει. Quod & Junius vertit, *Baali Deo*, (Quædam tamen exemplaria habent δαμάλει, juvenco). Huc refert etiam Cl. Druſius locum Matth. 27. *Ab hoc tempore videbitis filium Dei ſedentem à dextris* τῆς δυνάμεως i. Dei. Vulg. *virtutis.* Quomodo ſolet fere ſemper exprimere hanc vocem in plur. poſitam, unde κύριος δυνάμεων, *DOMINUS virtutum* i. iſto loco, exercituum. Hinc intelliges quid ſit *virtutes cœli*, ut *virtutes cœli commovebuntur* i. exercitus cœli i. ſtellæ & aſtra &c. Hinc etiam fit גברים גבור pro quo Chaldæi dicunt גברין ut עריץ &c. pro quo Prov. 2. 18. legitur in codicibus quibuſdam *Ginſere.* Male. Eſtque in Thargum interpretamentum רפאים Lxx aliquando, γηγενεῖς, aliquando γίγαντας. Γίγας enim juxta Heſych. eſt γηγενὴς, ὁ ἐκ τῆς γῆς γένεσιν ἰσχηκώς. *Et ſic Lxx locuti ſunt*, ait Hieron. *more Ethnicorum qui eos è terra natos fabulabantur.* Aliquando Γίγας ſimpliciter ſumitur pro ἰσχυρὸς, ut cum Nimrod dicitur fuiſſe γίγας κυνηγὸς i. *robuſtus venator* i. גבור ציד. Sic illi legerunt, ut & Vulg. Sed tunc eſſet Solœciſmus. Adject. enim ſemper ſolet ſequi. Punctatio itaque Maſſoritarum melior גבור ציד *potens venatione.*

Quamvis ſapientia] והכמת &c. ו pro ואם *Et ſi, licet*, Zach. 12. 3. *Ponam Jeruſalem ſicut lapidem oneroſiſſimum* &c. ונאספו *etſi congregentur omnes gentes contra eam.*

17. *In quiete audienda ſunt*] i. ſine contradictione, vel, verba quieta, ſubmiſſa. Opponitur enim clamor. Porro נשמעים non per *audiuntur* vel *audita*, ſed *audienda* hoc loco reddendum. Participia enim Niphal ſæpe uſurpantur pro nominibus in *bilis* aut in *dus.* Sic נִבְזֶה contemptibilis. Sic נֶחְמָד. Sic נִמְאָס. Sic Gall. 2. 11. κατεγνωσμένος, *condemnabilis.* Hom. εἰ καὶ τετελεσμένον ἐστί. Virg. *pictis conſpectus in armis.*

18. *Inſtrumenta belli*] כלים, vaſa, inſtrumenta &c. Vox, qua vix alia latius patet. Denotat enim omnem ſupellectilem & quævis inſtrumenta cuique artifici neceſſaria. Imo & pro veſtibus ſumitur Deut. *Vir ne induat veſtem fœminæ.* In Ebræo eſt *vas fœminæ.* Sic *vas iræ*, *vas miſericordiæ* ac ſi dicas, inſtrumenta, in queis Deus oſtendit iram & miſericordiam. Obſerva hic tamen obiter *vaſa iræ* aliquando dici eos, per quos Deus erga alios iram exercet, ut Iſai. 13. *DOMINUS & vaſa iræ ejus veniunt ad perdendam univerſam terram.*

Peccator] i. unus ſceleratus & enormis homo ſæpe non ſolum ſibi, ſed & aliis & quidem toti civitati nocet & periculum creat.

GROTIUS.

1. UT *curioſè intelligerem*] ולבור את כל זה, pro quo Græci legerunt: ולב ראה את כל זה, καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο [*cor meum omne hoc vidit*].

Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei] Aliam opinionem aggreditur, quæ fato omnia tribuit. *In manu Dei eſſe dicuntur Hebræis illa in qua homo nihil poteſt. Vult ergò hæc opinio & juſtitiam, & ſapientiam, & actiones omnes eſſe fatales.* Chaldæus כלא בכוליא הלי [*omnia à fato pendent*]. Explicat מן שמיא אתגזר [*cælitus conſtitutum eſt*].

Et tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta] In Hebræo: *Etiam amorem, etiam odium neſcit homo, omnia ad facies eorum*; ſupple *hominum.* eſt mutatio numeri frequens, ubi de generibus agitur. Hoc vult: *de quavis re quæ homini occurrit; neſcit homo an ea proveniat ex amore Dei in ſe; an ex odio.*

2. *Eò quòd univerſa æquè eveniant juſto & impio*] Tam bona quàm mala utriſque eveniunt, mors omnibus.

—— *Omnes una manet nox;*
Et calcanda ſemel via leti.

ait Horatius.

Immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti]

——— nec pietas moram
Rugis & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti:
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris.

ut idem Horatius; qui & alibi,

——— non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Ut perjurus] In Hebræo: *jurans*, nempe non conſilio, ſed temere.

Ità & ille qui verum dejerat] In Hebræo: *qui juramentum timet.* Sic & Græci virum bonum vocant εὔορκον [*bene jurantem*].

3. *Et poſt hæc ad inferos deducentur*] In Hebræo, *& poſt hoc ad mortuos:* ſupple *eundum eſt.* Confer Ezech. XXXII. 30. & Eſaiam XIV. 10.

4. *Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam*] In Hebræo: כי מי אשר יבחר אל כל החיים יש בטחון [*quia quiſquis eligatur ad omnes viventes, eſt ſpes*] ſed monent nos Hebræi pro יבחר reſcribendum יחבר. *Quiſquis ſociatur viventibus de eo ſpes eſt*, nempe poſſe res ejus in melius mutari.

Melior eſt canis vivus leone mortuo] Nempe, ut ait Euripides:

πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσι.
[*Suavius lucem tueri quàm mori prudentibus*].

Hæc ſententia pugnat cum altera quam ſuprà habuimus; ſed non mirum id, cùm, ut ſuprà diximus, cumulentur huc omnia quæ hominibus in mentem venire ſolent.

7. *Quia Deo placent opera tua*] Rectiùs verteris, *quia Deus favet laboribus tuis:* nempe cùm eos ità proſperavit, ut cuncta quæ vitam delectant abunde tibi ſuppetant.

8. *Oleum de capite tuo non deficiat*] Horatius:

Preſſa tuis balanus capillis.

Balaninum oleum vetuſtiſſimum unguentorum Plinio XIII. 1. indè non hîc tantùm ſed & Cant. 1. 1. שמן, id eſt, *oleum* pro *unguento*, & balſamum eſt בעל שמן *princeps oleorum*, id eſt, unguentorum.

10. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare*] In Hebræo: *Quicquid invenerit manus tua* (id eſt, quicquid tibi faciendum obtigerit), *id fac pro viribus.*

Σπάρταν ἔλαχες· ταύταν κόσμει.
[*Spartam tibi quæ contigit orna.*]

Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos] *Vita vigilia.*

Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

11. *Nec velocium eſſe curſum*] Hoc eſt quod dicit Homerus,

Κιχάνει ὁ βραδὺς ὠκύν
[*Celerem quit prendere tardus*].

Nec fortium bellum] Id eſt, victoriam. Non ſemper vincunt quibus plus eſt virtutis. Eſt quædam & in bellis alea.

12. *Neſcit homo finem ſuum*] In Hebræo: *tempus ſuum*, mortis ſcilicet privatæ, aut cladis publicæ. Vide II Paral. XIII.

13. *Hanc quoque ſub ſole vidi ſapientiam*] Politicam: de ea enim nunc agere incipit. Et hæc eſt illa quâ excelluit Solomo, I Reg. III. 9. 12.

15. *Vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam*] Ut femina illa urbem Abelum II Samuel. XX. 22.

17. *Verba ſapientum audiuntur in ſilentio plùs quàm clamor Principis inter ſtultos*] In Hebræo: *Verba ſubmiſſa ſapientum audienda potiùs quàm clamor dominantis inter ſtultos.* Id eſt, δημαγωγοῦ [*plebicolæ*] alicujus, *turbulenti tribuni*, ut Tacitus loquitur. Vide Prov. XXIX. 8. Jobi XXX. 8.

18. *Melior eſt ſapientia quàm arma bellica*] Senſum hunc & ſuprà habuimus VII. 20. Tractat eundem & Ariſtoteles Politicorum VII. 13. & 14. Cicero de Officiis libro I. *Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe quàm urbanas, minuenda eſt hæc opinio.* Ubi & quæ ſequuntur vide.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. MUſca moritura] Heb. *Muſcæ mortuæ:* Reddidimus autem hanc ſententiam ut ab Hebræis exponitur. Unde videre licet quàm longè noſtri interpretes hîc ab Hebraica phraſi digreſſi ſunt.

2. *Cor ſtulti*] Cor eſt in medio corporis, & ad nullum inflectitur latus, niſi quòd ſummitas ejus propendet ad latus ſiniſtrum. Intelligitur igitur hîc per *cor* intellectus ipſe, qui ſapienti ſemper eſt in manu dextra, quippe qui nihil agit ſine prævia rationis diſquiſitione. Stultus autem omnia agit ſine intellectu; quin & in itinere ipſo non poteſt celare ſtultitiam ſuam.

4. *Si ſpiritus*] Senſus eſt, Si per ſapientiam tuam perveniſti ad gradum altum, non oblivíſcaris prioris tuæ humilis ſortis: ſic enim medeberis tibi, & cavebis à magnis peccatis. Alii verò exponunt מרפא pro רפוי *deſertione*, ut ſit ſenſus, Si quiſpiam deſeruerit gradum ſublimem, ille dimittet peccata grandia. Sunt alii apud Hebræos qui hunc verſum ſic reddunt, *Si ſpiritus potentis alicujus contra te fuerit concitatus, non deſeras ſtudium tuum ſapientiæ*, &c.

6. *Ponitur*] *Illud eſt malum illud quod quaſi per errorem committitur ſub Sole, ut ſtulti ſæpe ponantur in altum gradum; & qui divites ſunt*, i. magni in ſapientia & ſcientia, *dimittuntur in humilitate.* Vide ſi ſententia iſta non quadrat in Wenceſlaum illum ignavum Romanorum Regem.

10. *Exercitus*] Hæc omnia dicuntur in commendationem ſapientiæ: Per ſapientiam, inquit, exercitus plus aget quàm per inſtrumenta ferrea. Nam ſi illa retuſa fuerint & rubigine obducta, ut jam nihil proſint ad tutelam, adhuc ſapientia tutabitur eos qui eam poſſident.

VATABLUS.

1. SIcut *muſcæ mortuæ* וכובי מות] Ad verb. *Muſcæ mortis.* כ Similitudinis ſubauditur. Plurale item *muſcæ* pro *quælibet muſcarum:* nam ſequitur verbum ſingulare: aut vertendum verbum in plurali. Ità loquuntur Hebræi, causâ brevitatis, ut quidam inter eos docti annotant. Præterea *muſcas mortis* more Hebraico dicit pro *morti obnoxias & parùm vitales*, ſive *moribundas*, ut quidam interpretantur. Alii, *mortuas* exponunt. ¶ *Fœtere faciunt*, & *emanare* fœtorem יבאיש יביע] Singul. Heb. pro plur. & fut. pro præſ. *fœtere facit*, *emanare*, ſub. *fœtorem.* Vel, *profert & educit fœtorem*, ut exponunt Hebræi. Quidam vertunt, *putrere faciunt unguentum aromatarii*, & *edunt fœtorem.* Alii, *Muſca moritura facit fœtere & exhalare unguentum*, &c. ¶ *Unguentum aromatarii* שמן רוקח] Sic vocat unguentum pretioſum & maximè odoratum. ¶ *Fœtere facit*] Subauditum eſt ex præcedentibus, i. efficit ut malè audiat apud homines.

2. *Ad dexteram ejus* לימינו] Hebraiſmus, acſi dicat, *Præparatum habet cor ad omnia recta, ut manus dextra apta eſt rebus bene gerendis. Cor* pro *ſapientia* accipiunt hoc loco Hebræi, ut & Prov. 15. 32. *Poſſidebit cor.* q. d. Sapiens omnia facit duce ſapientiâ. ¶ *Ad ſiniſtram ejus* לשמאלו] Hebraiſmus, pro, *Res ſuas ſiniſtrè & præpoſtere adminiſtrat: ut manus ſiniſtra ad res agendas eſt inepta.*

3. *De omnibus, Stultus eſt* לכל סכל הוא] *Omnibus quòd ſtultus ſit:* i. Palàm præ ſe fert omnibus ſtultitiam: q. d. diſſimulari non poteſt ſtultitia, nè foris quidem, ſed ſemper ſuo ſe indicio prodit.

4. *Si ſpiritus dominantis*, &c. אם רוח וגו'] Phraſis eſt Hebraica, pro qua Latini dicunt, *Si ira dominantis ſæviat adverſùm te, ne commovearis.* Ità quidam Hebræorum exponunt. Alii vertunt, *deſcenderit ſuper te*, hoc ſenſu. Si adipiſcaris Regiam dignitatem, ſtatum priſtinum nè deſeras. In eundem ſenſum quidam transferunt, *Quoties affectus dominatoris in te ortus fuerit, nè deſere ſtationem tuam.* ¶ *Lenitas quieſcere facit* מרפא יניח] *Lenitas deſerit*, &c. Convenit hoc priori expoſitioni præcedentis partis hujus verſûs. Alii, *qui ſibi medetur, dimittit*, &c. à רפא *mederi.* Alii dicunt eſſe à רפא *lenem eſſe, declinare, recedere*, ut ſit א loco ה, & vertunt, *Qui deſerit* (ſub. *animum regium*) *vitat peccata multa:* in quæ ſcilicet Reges incidere ſolent. Congruit hæc expoſitio alteri expoſitioni prioris partis hujus verſûs.

5. *Errori* כשגגה] Significat *delictum quod per inadvertentiam & errorem committitur.* ¶ *Dominantis* השליט] *Ipſius domini.* Poteſt intelligi de Deo, & de Rege qui per imprudentiam ſtultos evehit ad honores. In eandem ſententiam quidam ſic vertunt, *Quod proficiſci videtur ex imprudentia tenentis primatum.*

6. *Conſtitutus eſt ſtultus*, &c. נתן הסכל וגו'] *Conſtituitur vir ſtultitiæ in dignitatibus eximiis.* Alii, *Stultitia* enim *collocatur in ſummo faſtigio.*

7. *Ambulantes*, &c. ההלכים וגו'] *Ambulare ſuper terram*, more Hebræorum dicitur pro *pedibus ingredi, non equitare.*

9. *In eis* בהם] *Circa illos:* i. circa tranſlationem lapidum illorum multum laborabit. q. d. Nihil eſt in mundo quod ſine dolore & labore aſſequi poſſis, etiam ſi tantummodo transferas lapides. ¶ *Diſcrimini ſe exponit per illa* יסכן בם] Fut. Heb. pro præſ. *periclitatur in eis.* Alii, *Fatigatur in eis.* Alii, *incaleſcit circa illa.*

10. *Et hujus aciem non terſerit* והוא לא פנים קלקל] Ad verb. *& hujus non aciem terſerit.* Ordo inverſus, pro,

Et

Et ipſe findens *non terſerit facies:* i. non poliverit utrumque latus ſecuris. ¶ *Vires roboravit* וחילים יגבר] Ad verb. *& vires roboravit.* Redundat ו, *&*, aut vertendum *Tunc*, &c, i. ſi ſecuris hebes fuerit, tunc opus erit ut ſcindens addat robur ac vires. Alii, *Tunc vires evincet*, ſub. *ferrum:* i. ſuperabit vires findentis. Alii, *prævalebit exercitus.* q. d. Etiam ſi arma retuſa fuerint & rubigine obducta, tamen exercitus plus aget per ſapientiam quàm per inſtrumenta ferrea. Nonnulli, multis ſubauditis, vertunt, *Cùm ferrum hebes fuerit*, *nec facies ei polita*, exercitium poſtulat, *exercitus* etiam requirit aliquem *qui reddat eos fortiores.* ¶ *At excellentia*, &c. ויתרון הכשיר חכמה] *At excellentia induſtriæ eſt ſapientia:* i. tum plurimum valet induſtria, ſi ſapientiam habeat comitem. Quidam ad verbum vertunt, *Et excellentia rectum facere ſapientia:* i. ut clariùs vertatur, *At excellentia ſapientiæ amplior eſt*, *quòd abſque dolore rectum faciat hominem.* Alii, *at excellentius ſe diriget per ſapientiam.* Alii, *ſed majori ſtudio aptare conveniet ſapientiam.*

11. *Sic non eſt*, &c. ואין יתרון וגו'] Hîc ו pro כ Similitudinis ponitur. Quidam paraphraſticè vertunt, *Nihilo plus agit qui eſt vir linguoſus.* Alii, *nihilo magis incommodat quam maledicus.* Alii, *nihilo melior eſt linguax ſerpente.*

12. *Perdunt eum* תבלענו] Fut. Heb. pro præſ. *abſumunt* [*perdere ſolent*] *eum.*

13. *Oris ejus*, *inſania mala* פיהו הוללות רעה] Sermonis *oris ejus veſania pernicioſa.*

14. *Multiplicat verba* ירבה דברים] Hebraiſmus, pro *multis verbis utitur.* ¶ *Neſcit* לא ידע] Oratio defectiva: quam perficiunt nonnulli præponendo *dicitque*; ut ſequantur verba ſtulti. Alii ſubaudiunt conjunctionem, *Et neſcit*, &c. Sunt qui vertunt paulò liberiùs, *Et ignorat homo iſte quorſum eat: quis autem ei indicaret quod futurum ſit?*

15. *Qui* tamen *neſciunt* &c. אשר לא ידע וגו'] Vulgare proverbium, *Neſcire viam ad urbem*, pro *ignorare rem maximè notam.* q. d. Cùm ſtulti vulgaria ignorent, torquent ſe circa difficilia.

16. *Quando Rex tuus puer eſt* שמלכך נער] Ad verb. *cujus Rex tuus puer.* Hebraiſmus, pro *cujus Rex puer*; redundante altero pronomine.

17. *Cùm Rex tuus filius eſt nobilium* שמלכך בן חורים] Ad verb. *cujus Rex tuus filius nobilium.* Hebraiſmus, pro *cujus Rex generoſus eſt.* חורים vocat Principes ab *albore*, h. e. candore morum, quòd candido ſint animo. ¶ *Propter fortitudinem*, &c. בגבורה ולא בשתי] Ad verb. *in fortitudine*, *& non in potatione.* Quod velut exponentes quidam vertunt, *pro neceſſitate*, *& non pro luxu.* Alii, *ad confirmandum corpus*, *& non ad luxum* Quidam exponunt, *In fortitudine meditanda*, i. habentes animum circa res fortiter geſtas & gerendas, non in patinis & voluptatibus. Quidam transferunt, *in fortitudine & non in infirmitate*, à radice נשת *defecit*, *periit*; acſi dicat, Qui in tempore, quando neceſſitas poſtulat, edunt, ſunt corpore firmo, alii ſunt corpore debili.

18. *Propter pigritias* בעצלתים] Sub. *manuum*, quæ duæ ſunt. Eſt enim nomen duale, alludens ad duas manus. Commendat diligentiam in omnibus rebus. ¶ *Contignatio* המקרה] *Structura trabium*, i. ipſum ædificium. ¶ *Et propter dejectionem* ובשפלות] *Et propter torporem*, vel *remiſſionem manuum.*

19. *Propter riſum* לשחוק] i. Lætitiæ gratiâ, nempe ad diſcutiendam triſtitiam quam parit fames. Quidam ſubaudiunt adverbia Similitudinis, hoc modo vertentes, Ut *propter lætitiam faciunt panem*, *& vinum lætificare ſolet vitam:* ſic *pecunia præſtat omnia.* ¶ *Vivos* חיים] *Vitam:* i. mœrorem diſcutit. ¶ *Reſpondet omnibus* יענה את הכל] i. Votis omnium: q. d. Præeunte pecuniâ, omnes fiunt voti compotes. Alii, *pecunia præſtat omnia.* Ad verb. *exaudiet omnia:* tanquam omnia neceſſaria poſtularent argentum, & argentum præſtaret illa omnia. Quidam Hebræorum *juvat omnia:* vel *invenire facit omnia.*

20. *Verbum* דבר] *Rem ipſam:* i. maledictionem tuam prodet. *Avem cœli* vocat delatorem quem non putes, qui deferet verba tua Regi.

CASTALIO.

3. *SE ſtultum eſſe fatetur omnibus*] Palàm facit.

4. *Rector*, *locum tuum nè deſerito*] Princeps, tranquillum te præbeto. ¶ *Magnis peccatis medetur*] Veniam impetrat.

9. *Qui ſaxa portat*, *in eis laborat: & qui ligna findit*, *in eis æſtuat*] Gravia munia gravi cum labore ſunt obeunda.

10. *Præſtantiam reddit efficacem ſapientia*] Vires ſine induſtria ſunt veluti ferrum ſine acumine.

11. *Serpente*] Aſpidem innuit, de quo Pſal. 58.

15. *Stultos ſuus fatigat labor*, *qui in urbem ire neſciunt*] Qui rei gerendæ viam ignorat, is multùm & fruſtrà laborat.

16. *Manè epulantes*] Non ſobrios.

20. *Nè per cogitationem quidem Regi maledicito*] Multæ Regum aures.

CLARIUS.

1. *MUſcæ morientes*] Sicut *muſcæ* in unguentum, quantumvis fragrans, collapſæ, ſi illic *moriantur*, *unguentum corrumpunt*, & bullis veluti ſcabie obducunt, *ſic parva* ſæpe *ſtultitia* homini *ob ſapientiam & gloriam pretioſo*, i. claro, multum exiſtimationis adimit. Pendet autem hoc à fine ſuperioris capitis, ubi ait, *Qui in uno peccaverit multa bona perdet.*

4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis*] Vel, *poteſtatem habendi*; ut ſit ſenſus, *Si dominandi cupiditas animum tuum invaſerit*, *locum priorem nè facilè deſerueris. Qui enim compeſcit in ejuſmodi cupiditatibus animum ſuum*, *multa vitabit & gravia peccata.* Vel, *Si per ſapientiam tuam gradum aſſecutus es celſiorem*, *non obliviſcaris prioris tuæ humilis ſortis: ſic enim medeberis tibi*, *& cavebis à magnis peccatis.*

9. *Qui transfert lapides*] Qui projicit lapides, fatigabitur ſæpe jaciendo; & *qui ſecat ligna*, ſentiet quantum ea res habeat difficultatis. Stultos autem eſſe ſignificat & periculoſos magnorum conatus, ſi prudentia deſit.

10. *Si retuſum fuerit ferrum*] Hæc dicuntur in commendationem Sapientiæ: *Per ſapientiam*, inquit, *exercitus plus aget quàm per inſtrumenta ferrea. Nam ſi illa retuſa fuerint & rubigine obducta*, *ut jam nihil proſint ad tutelam*, *adhuc ſapientia tutabitur eos qui eam poſſident.* Vel ſic, *Si retuſum fuerit ferrum quo ſecant ligna*, *quantumvis fortibus multum negotii exhibebit: ſapientia verò difficiles alioqui res ſæpe faciles reddit.*

11. *Non eſt utile habenti linguam*] h. e. Debuerat incantator uti ſuâ virtute nè ſerpens morderet. Monet ergò debere unumquemque uti munere ſibi dato.

15. *Qui neſciunt in urbem pergere*] Qui rationem vivendi civiliter ignorant.

19. *In riſu*] Ad voluptatem parant cibos & vinum bibunt, ut ſe exhilarent, quorum nequitiæ *pecunia ſuppeditat omnia.*

LUCAS BRUG.

1. *PRetioſior eſt* &c.] Hujus loci plurimis modis depravati germana lectio eſt, *Pretioſior eſt ſapientia & gloria*, *parva ad tempus ſtultitia*; in quam abeunt ſententiam Hentenius, Titelmannus, Pariſienſes, Epanorthotes & Lyranus. Hæc enim & emendatiorum eſt codicum, & Hebraicæ conformis veritati; יקר מחכמה מכבוד סכלות מעט. Huic conſimilis & conſentanea eſt ea quæ in quibuſdam libris eſt ſcriptura, *Pretioſior eſt ſapientia gloriaque*, *parva ad tempus ſtultitia.* Sunt autem, quod ex Hebræo patet, *ſapientia* & *gloria* ſexti caſus, *ſtultitia* primi: & adjectivum *parva*, non ad *ſapientia* aut *gloria*, ſed ad *ſtultitia* referendum eſt. Quamobrem ſpuria eſt eorum librorum ſcriptura qui τὸ *parva*, aut diſtinctionis ſigno, aut verborum tranſpoſitione, ad *gloria* referunt. Multi enim codices (quos Richelius ſecutus eſt) hunc habent ordinem, *Pretioſior eſt ſapientia parvaque gloria ad tempus ſtultitia.* Quædam typis excuſa exemplaria legunt, *Pretioſior eſt auro ſapientia*, *parvaque gloria ad tempus ſtultitia*, id quod Gerardus Moringus primum adfert, in quo duplex peccatum eſt, quod & rectus verborum ſitus mututus ſit, & quod incorrupta lectio non agnoſcit, *auro* ſit additum. Duo manuſcripta habent, *Pretioſior eſt ſapientia gloria parva*, *& gloria parva ad tempus ſtultitia.* Ita obſcurus locus ut intelligi poſſet, modis omnibus eſt adulteratus. Alio etiam modo Buſlidiani collegii manuſcriptum ſcribit, *Pretioſior eſt ſapientia gloria parva ad tempus ſtultitiæ.* Similis eſt, cujus Titelmannus meminit, varietas, *Melior eſt ſapientia parvaque gloria ad tempus ſtultitiæ.* Et quidem accedunt hæc ad Græcam editionem (*Pretioſum paucum ſapientiæ*, eſt Græce, *ſuper gloriam ſtultitiæ magnæ* [magnam Gq.]) ſed noſtræ editiones intemeratæ non ſunt. *Ad tempus*, quod omnes libri concorditer legunt, Interpres explicandi gratia addidiſſe videtur. Quidam ita ex Hebræo vertunt ut hanc ſententiam præcedenti aptiſſime copulent: *Sicut muſcæ* mortis fœtere faciunt & exhalare fœtorem unguentum aromatarii; *ſic hominem* pretioſum ob ſapientiam & gloriam ſtultitia parva fœtere facit.

DRUSIUS.

1. *MUſcæ morientes*] זבובי מות *Muſcæ mortis*, i. interprete Hier. *morientes:* alii *moribunda:* alii *mortua.* Sic editio recentior Gallorum, *Les mouſches mortes.* Lxx.

Μῦαι

Μυῖαι θανατῶσαι. Alius, Μυιῶν θάνατος, *Muſcarum mors.* ¶ *Efficiunt ut fœteat & eructet*] Vel, *efficiunt ut fœtorem eructet:* faciunt ſcatere tetro odore ſcilicet: יבאיש ad verb. *facit fœtere:* cujus ea vis ut ſi dicas, *unaquæque eorum id facit.* Scholia Græca σήψει ἔλαιον ἡδύσματος μυρεψοῦ. Priùs erat, σαπριεῖ σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος. ¶ *Aromatarii*] רוקח μυρεψὸς *pigmentarius, unguenta & odoramenta conficiens.* ¶ *Pretioſum ex ſapientia, ex gloria*] Vel *ob ſapientiam, ob gloriam. Et pretioſum* intellige vel *Hominem*, vel aliud quid in ſuo genere rarum ac proinde magni pretii. ¶ *Stultitia modicum*] Vel *parum:* & ſubintelligitur *fœtere facit.* Vulg. *parva ad tempus ſtultitia.*

2. *Cor ſapientis*, &c.] Sapiens omnia dextrè agit & cordatè. Cave ad literam intelligas. Nam Cor hominis in medio eſt, paulùm ad ſiniſtram vergens. Sed quia manu dexterâ ad omnem functionem obeundam à natura promptiſſimè utimur, ideo dicit, *Cor ſapientis in dextra ejus*, vel *ad dextram ejus:* quod Græci dicunt εἰς τὸ δεξιὸν αὐτοῦ: & ſanè in Ebræo eſt לימינו non בימינו. Vide Proverbia mea Claſſ. 2. lib. 3. ad. 154. ubi etiam enarramus illud, *Cor ſtulti in ſiniſtra ejus.*

3. *Cor ejus deficit*] *Deficit corde*, h. e. deſipit. Nam Cor ſedes ſapientiæ. *Corde* igitur *carere* dicitur qui ſapientiâ caret. ¶ *Dicit omnibus*] Ipſo inceſſu & geſtu corporis declarat ſe ſtultum eſſe. *Dicit omnibus*, ut *Lapides loquentur.* Cave putes ipſum hoc dicere ſimpliciter: nam ferè qui tales ſunt ſe ſapere putant. Vulg. Int. *Cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat:* & Santes, *dicit de omnibus, ſtultus eſt:* q. d. Omnes præ ſe contemnit.

4. *Spiritus*] i. Animus. Sic *brevis ſpiritu* dicitur qui ad iram pronus eſt. *Animum* autem voco Iram, ſive τὸ ὀργιστικὸν, i. *animæ partem iraſcibilem:* quomodo accipitur id nomen in illo Horatii,

Ira furor brevis eſt: animum rege, qui niſi paret, &c.

Suprà 7. 9. *Ne praceps eſto ſpiritu tuo ad iraſcendum.* Sanè in Commentariis Abenezræ exponitur חכמת המושל, i. *excandeſcentia dominantis.* Et non nemo vertit, *Si tibi ſuccenſebit rector.* Alii, in queis Abenezra, *Si ſpiritus dominatoris aſcenderit ſuper te*, i. *Si dominatum adeptus fueris: Si contigerit te ad faſtigium dignitatis aut honoris evehi.* Non admodum arridet mihi. ¶ *Dominatoris*] *Principis*, aut *ejus qui cum poteſtate eſt.* Lxx τοῦ ἐξουσιάζοντος, & Hier. *poteſtatem habentis:* nam מושל & שליט ſynonyma videntur. ¶ *Aſcenderit*] Quidam *ſe extulerit* תעלה. ¶ *Locum tuum ne deſeras*] Vide proverbium, *Novit locum ſuum.* Latini dicerent *ſtationem deſerere*, Metaphorâ ſumptâ à militibus, qui certa in ſtatione ab Imperatore collocari ſolent. Quidam explicant *mane in loco tuo*, tranquillum te præbeto. Gall. *ne te mets point hors de ta condition:* quod exponitur, *ne præſumas contendere cum potentiori te.* ¶ *Remiſſio relinquit peccata magna*] Cauſam dat cur peccata magna committantur. Nam remiſſum eſſe tempore adverſo gignit & importat peccata non parva. Sic ait Prov. 24. 10. *Remiſſus fuiſti in die anguſtiæ, coarctatum eſt robur tuum.* מרפא *remiſſio, mollities, lenitas.* Radix רפה. Nam א & ה mutuam operam præſtant. Aliis מרפא eſt *vir ſanans*, & יניח *quieſcere facit*, ſive *ſedat*, quod Græci dicunt καταπαύσει. Lxx ἴαμα, i. *ſanatio.* Hier. *curatio faciet ceſſare*, &c. Gall. *la douceur fait quitter des grandes fautes.* Quidam *tranquillum eſſe magnis peccatis medetur.*

5. *Eſt malum*] *Aliud.* Ἔστι κακὸν, ità Sym. Antea erat Ἔστι πονηρία. ¶ *Qualis error*] כשגגה *ſicut error*, vel *ſimile errori.* Gall. *tel qu'eſt l'inadvertance.* Verè error eſt qui à Principe committitur, qui temere hos evehit, & illos deprimit. ¶ *Qui egreditur*] Irregulare eſt יצא pro יוצאת. Quod ità dicitur ad inſtar עשה *faciens*, גלה *migrans:* nam cognatio magna inter hos ordines. ¶ *A dominatore*] מלפני השליט *à facie principis:* ità Vulg. Int. Sym. hunc locum ſic reddit ἐν ἀγνοίᾳ ἐξελθὸν ἐξ ἔμπροσθεν τοῦ ἐξουσιάζοντος, *per ignorantiam egreſſus à conſpectu poteſtatem habentis:* ut videatur mihi legiſſe בשגגה *in errore.* Priùs erat in Lxx ὡς ἀκούσιον. Aq. Th. ὡς ἀκούσιον ἐξελθὸν ἀπὸ προσώπου τοῦ ἐξουσιάζοντος, *quaſi non ſpontaneum exivit à facie poteſtatem habentis.* Ex Hier.

6. *Collocatur ſtultitia*] Vel *poni ſtultitiam:* & mox, *divites ſedere:* ut repetatur τὸ *vidi* ἀπὸ κοινοῦ. *Stultitia*, i. *ſtultus.* Sic *dolus* pro *doloſo.* הסכל veteri interpretatione ὁ ἄφρων *ſtultus.* Fortè legerunt הַסָּכָל Abenezra cenſet סֶכֶל eſſe nomen concretum, qualia ſunt in hac forma יֶלֶד *puer*, הֵלֶךְ *viator.* Huc referri poſſet צֶדֶק, quod vetuſtâ declaratione δίκαιον ſive *juſtum* ſonat. ¶ *In celſitudinibus amplis*] *In dignitatibus celſis & amplis.* מרומים *altitudines.* Sed reddunt τὰ ὕψιστα, & de Cœlo uſurpatur. במרומים ἐν τοῖς ὑψίστοις Lxx ἐν ὕψεσι μεγάλοις. Vulg. *in dignitate ſublimi.* Hoc vult, *Vidi ſtultum ad magnum faſtigium evectum, ad ſummum gradum dignitatis.* ¶ *Et divites*] Sub. *Sapientes.* Subſtantivum ſine adjectivo. Sic alibi *mulier* ponitur pro *mulier ſapiens & cordata:* ſic *lana* pro *lana candida.* Exemplorum talium pleni ſunt libri. ¶ *In humilitate*] *Humi, humiliter*, ſive *in loco humili aut abjecto.*

7. *In equis*] Ἐφ' ἵππους, *equis inſidentes:* q. d. Vidi eos in ſummo honore. ¶ *Ambulantes in terra*] Vel *ſuper terram*, i. humi pedibus iter facientes. ¶ *Ut ſervos*] Ac ſi ſervi fuiſſent, quorum eſt pedibus iter conficere, non equis inſidere: aut *more ſervorum, ſerviliter.* Sententia eodèm recedit.

8. *Qui foveam fodit*] חפר גומץ *fodiens foveam*, ὀρύσσων βόθρον pro quo Th. maluit βόθυνον dicere. גומץ ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Ebraicè dicitur בור vel שחת: & extat hoc adagium cùm alibi, tum Pſal. 7. 15. & Prov. 26. 27. Vide Proverbia noſtra, Claſſ. 1. lib. 2. ad. 4. ¶ *Qui diſſipat maceriam*] Vel *ſepem.* Solinus, *Inſulam Erythræam Pœni linguâ ſuâ Gadir, i. Sepem, nominarunt.* Et eſt ubi reperiatur גדר אבנים *ſepimentum lapidum*, i. lapideum, Prov. 24. Lxx φραγμόν. ¶ *Serpens*] Ὄφις, *anguis, coluber.*

9. *Qui lapides transfert*] Lapides, quia graves & ponderoſi ſunt, non poſſunt loco moveri aut de uno loco in alium transferri ſine labore ac moleſtia. De hoc adagio diximus Claſſ. 2. lib. 2. ad. 52. Lxx Ἐξαίρων λίθους διαπονηθήσεται ἐν αὐτοῖς. Vulg. *Qui transfert lapides, affligetur in eis.* ¶ *Laborat in eis*] Vel *dolore afficietur eis.* Nam עצב tam *dolor* quàm *labor:* ut Græcis etiam πόνος utrumque ſignificat. ¶ *Qui findit*] בוקע σχίζων *findens* ſive *ſcindens.* ¶ *Periclitatur*] יסכן *periclitabitur*, i. κινδυνεύσει, ut rectè Lxx reddunt. Hinc סכנה *periculum.* Idem verbum in Arabica lingua ſignificat *calidum eſſe.* Dignum notâ. Sic apud Græcos θερμὸν & *calidum* & *periculoſum.* Quò pertinet & illud, *Vide ne hoc calidum ſit nimiùm*, i. periculoſum. Conſule ſodes Proverbia mea, Claſſ. 2. lib. 2. ad 53. יסכן. Vulg. *vulnerabitur:* alii *caleſcet eis:* q. d. *Hoc incommodi percipiet:* ſicut dictitant proverbio, כן דלאי בה, כתחני ביה *Qui in aliquo laborat, inde utilitatem percipit.* Sic 1 Reg. 1. 2. ותהי כוכנת לו *& ſit calefaciens eum.*

10. *Si obtuſum fuerit*] קהה *hebes* ſive *hebetatum fuerit.* Alii *ſi hebetaverit.* Vulg. *ſi retuſum fuerit.* ¶ *Et ipſum non deterſerit*] Vel, *& ipſe non exacuerit aciem*, ut הוא ad *Hominem* referatur, non ad *ferrum.* ¶ *Aciem*] פנים *faciem*, i. πρόσωπον. Alibi eſt, *Os gladii* pro *acie.* ¶ *Etiam exercitus roborabit*] Alii, *& vires intenderit.* חילים δυνάμεις, *exercitus*, vel *robora*, i. homines robuſtiſſimos. Vox חיל in ſing. etiam *vires* denotat: videndum an in plurali quoque. *Roborabit*, validè exercebit. Lxx δυνάμεις δυναμώσει. ¶ *Præſtantia directionis ſapientia*] Per ſapientiam omnia rectiùs fiunt quàm aliter; veluti gubernator navem torquet ſapientiâ non valentiâ. Eſt enim inſtrumentum aptiſſimum & utiliſſimum ad dirigendum id quod pravum eſt. In ſumma, quod ferrum ſine acumine, id ſunt vires ſine ſapientia & induſtria. In Lxx περίσσεια τοῦ ἀνδρείου σοφία. Hæc eſt vera lectio non illa quæ habetur in textu ed. Rom. περίσσεια τῷ ἀνδρὶ οὐ σοφία, *abundantia viro non eſt ſapientia.* Licet reddere, *Excellentia directionis eſt in ſapientia.* Simile, *Copia cibi novalis pauperum*, pro *in novali.* Hoc rectum puto. Quidam, *emolumento ad dirigendum eſt ſapientia.* Gall. *Mais la ſageſſe eſt une excellente addreſſe*, i. *at ſapientia eſt excellens directio*, i. Omnia per ſapientiam excellenter diriguntur; Sapientia excellenter dirigit cuncta, etiam quæ perverſiſſima.

11. *Abſque incantatione*] *Non incantatus.* Hoc Aq. dixit ἀπάσης ἐπῳδῆς. Eſt autem ἐπῳδὴ *incantatio*, ſive *incantamentum*, carmen ad amoliendum aliquid noxium. Sym. ἐν οὐκ ἐπαοιδῷ, i. *abſque incantatore.* Lxx ἐν οὐ ψιθυρισμῷ *abſque ſuſurro.* Vulg. *in ſilentio.* Videtur hoc velle, *Serpente, qui non incantatus mordeat, nihilo præſtantiorem eſſe linguacem.* Quod David confirmat inquiens, *Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes: venenum aſpidis ſub labiis eorum.* ¶ *Non eſt præſtantia*] *Nihil eſt amplius*, & בעל לשון, *qui linguâ valet, linguipotens.* (Sic ait, *Linguâ noſtrâ prævalebimus: Quis erit dominus nobis?*) ut בעל כנף *pennipotens.* Græcè γλωσσώδης, i. *linguax.* Sed in Lxx hic legitur τῷ ἐπᾴδοντι. Vulg. *nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Trem. *nullum eſt emolumentum incantationis tenenti verba ejus.*

12. *Verba oris ſapientis*] Quæ ſapiens ore ſuo eloquitur. Et addit *oris* quia דברים aliquando *res & facta* ſignificat. Βίβλος λόγων Τωβίτ. ¶ *Gratia*] Gratioſa, gratiam conciliantia. ¶ *Labia ſtulti abſorbent ipſum*] *Stultum labia ſua perdunt, & exitio ei ſunt.* Vulg. *labia inſipientis præcipitabunt eum.* Lxx verò χείλη ἄφρονος καταποντίσουσιν αὐτόν. Horum ſententia eſt ut בלע ſign. *aliquem præcipitare in exitium.* Trem. *labiis ſuis ſtolidus abſorbet ſe*, i. perdit. *Labia*, i. ſermones, oratio.

13. *Initium verborum oris ejus*] Cùm loquitur, à ſtultitia incipit,

incipit, & in furorem ſive inſaniam deſinit. Sic dico, Et in principio & in fine orationis prodit ſeipſum qualis ſit, ſemper ſui ſimilis. Sic vulgò dicimus, **Het vat gheeft uyt ſulcks alſt in heeft**. Scitum & illud, *Stultus ſtultè loquitur.* Unde Socrates dicebat, *Loquere, ut te videam.* Nam animi index oratio. ¶ *Noviſſimum*] *Extremum, finis.* ¶ *Oris ejus*] *Sermonis ejus.* ¶ *Inſania*] Lxx περιφέρεια πονηρά. Vulg. *error peſſimus.* ¶ *Mala*] *Noxia, pernicioſa, damnoſa.*

14. *Multiplicat verba*] *Multis verbis utitur: multiloquus eſt.* Quidam, *multa verba facit de rebus futuris.* ¶ *Neſcit homo quid futurum ſit*] Nemo novit futura; nedum ſtultus, qui tamen de iis verba facit ac ſi ea nota ac certa illi eſſent: fallitur. Lxx τί τὸ γενόμενον. Hier. *quid ante ſe fuerit.* מה שהיה *id quod fuit.* מה שיהיה *id quod futurum eſt.* Trem. vertit, *quid ſit quod dicat*: malè, meo judicio. האדם poteſt reddi *Homo ille*, videlicet ſtultus, ut articulus ſit ἀναφορικός. ¶ *Quod erit poſt ipſum*] Τὸ ἐσόμενον ὀπίσω αὐτοῦ. ¶ *Quis indicet ei?*] *Quis poterit ei indicare?* q. d. *Nemo.* Nam ſoli Deo nota futura, & ei cui Deus voluerit patefacere illa.

15. *Labor ſtultorum*] Μόχθος τῶν ἀφρόνων. ¶ *Fatigat eorum quemque*] Senſum expreſſi. Verba ſonant ad verbum *fatigat eum*, i. κοπιάσει, quod in Græca ed. mutavit in κακώσει *affligit*: quomodo & Hier. vertit. Eſt etiam ubi legatur τοῦ ἄφρονος in ſing. ¶ *Ut neſciat*] Vel *qui neſcit.* Neſcit ea, inquit, quæ pueris & cæcis notiſſima. Nam quid notius quam viam tenere quæ ad urbem ducit? Puto autem proverbialiter hoc dici de ſtultis, qui ferè prudentiâ deſtituuntur ad ſe regendum, nedum ut alios regere poſſint.

16. *Væ*] אי pro אוי οὐαί. Alibi אי eſt *inſula.* ¶ *Terra*] *Regio*, i. γῆ, ut rectè Sym. vertit. Nam ארץ non ſign. unquam πόλιν, quod tamen Lxx hîc reddunt. Sic Matth 2. legimus Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, i. ut quidem interpretantur nonnulli, *urbs Juda*, γῆν pro *urbe* accipientes: quomodo Euripides in Hecuba eam vocem uſurpat. ¶ *Cujus Rex puer eſt*] Vel, ſi placet, *quando Rex tuus puer eſt, & Principes tui manè comedunt.* Ad verb. *cujus Rex tuus.* Figura nota, quam Græci ſervant interpretantes ἧς ὁ βασιλεύς σου. Pleonaſmum vocant, & eſt huic linguæ peculiaris in hoc quidem ſermone, *Puer* ætate, vel ſenſu ac intelligentiâ. ¶ *Manè*] Ante tempus, intempeſtivè. Nam tempus matutinum aliis rebus deſtinatum eſt; nempe juri dicundo, Jer. 21. 12. *Judicate manè judicium*; aut aliis rebus ſeriis. ¶ *Comedunt*] *Comeſſantur.*

17. *Beata tu terra*] אשריך ארץ *bene tibi terra*, i. regio. Nam *terræ* nomen in his locis pro *regione* ponitur, ut apud A. Gellium, ubi nominantur *terra Italia, terra Græcia.* Vide Quæſt. meas. ¶ *Cujus Rex*] שמלכך *cujus Rex tuus*, ut ſuprà, Pleonaſmus Ebraicus. ¶ *Filius nobilium*] בן חורים *filius ingenuorum*, i. ingenuus; ut *filii Medicorum* appellantur ipſi Medici, ἰατρῶν παῖδες. Chryſoſtomus, ἀπορίᾳ τροφῆς ὑγιεινά φασιν ἰατρῶν παῖδες. A. חורים dicti *Heroes*, ut Arias autumat. Sunt qui putant nobiles *Horim* dictos à colore veſtium quas olim geſtabant: nam ferè candidis induebantur. חור autem *album* ſive *candidum* deſignat. In Lxx υἱὸς ἐλευθέρων· Gall. *de race illuſtre.* ¶ *In tempore*] Quando tempus eſt ſumendi cibi, videlicet horâ ſextâ, aut, ſecundùm quoſdam, quartâ, aut ſeptimâ. Vide Appendicem Fulvii Urſini, pag. 78. Thargum hoc loco, *Principes tui poſt juge ſacrificium comedunt panem tempore horæ quartæ de labore manuum ſuarum*, בזמן ארבע שעין. De ſexta hora, quæ in meridiem incidit, teſtatur alibi Joſephus. ¶ *Ad robur*] *Ad corporis refectionem*, vel *ad reficiendum vires*, ſive *ad corporis robur conciliandum.* Nam id præſtat cibus. Unde David ait, *& panis cor hominis corroborat*, aut *ſuſtentat.* Vulg. *ad reficiendum.* Lxx ἐν δυνάμει. Gall. *pour leur refection.* Alius, *virium, non potationis, gratiâ.* ¶ *Non ad compotationem*] שתי uſurpat pro שתה, ut alibi בכי *fletus* pro בכיה. Radix שתה *potitavit*: unde, *Non eſt Regum potare vinum*, quod vulgò reddunt *bibere vinum*, ſed minùs commodè.

18. *Pigritiâ*] בעצלתים *ob pigritias.* Eſt autem nomen duale. Fortè propter Manus, quæ naturâ binæ ſunt: hinc Abenezra exponit בידים עצלות *manibus pigris.* Vide, ſi placet. Aut quia ſegnities alia Animi eſt, alia Corporis; quarum illa potiùs *molliſies* nuncupatur. Aut ut שמים de uno *cælo* dicitur, & מים ſimpliciter *aquam* denotat, ſic fortè עצלתים eſt *pigritia.* Sic חיים *vita*, *tenebræ* σκότος, *liberi* τέκνον, &c. בעצלתים Lxx reddunt ἐν ὀκνηρίαις. Vulg. *in pigritiis.* Trem. *pigritiâ ambarum.* Gall. *à cauſe des mains pareſſeuſes.* ¶ *Deprimitur*] *Subſidit.* Alii, *attenuatur.* Prius Galli expreſſerunt verbo *affaiſſer*, i. *deſidere, pandare*; ut cùm dicunt, *le theatre s'affaiſſe & fait de grandes fentes*, i. *deſcendit ingentibus rimis theatrum, deſidit theatrum.* Lxx ταπεινωθήσεται. Vulg. *humiliabitur.* Quidam *vitiatur.* Santes *inclinat ſe.* Mercerus *attenuatur*, i. labefactatur. ¶ *Contignatio*] Δόκωσις. המקרה cum Dages in Mem. Alibi eſt המקרה abſque Dages, *contignans, contabulans*, videlicet Pſal. 104. 3. Illud nomen eſt, hoc participium. ¶ *Dejectione manuum*] שפלות ידים *abjectio manuum*, i. ſegnities. Sic dicimus *abjectio animi* pro *ignavia*, quam Galli *laſcheté* appellant. Rectéque Græci ἐν ἀργίᾳ χειρῶν *ignaviâ manuum.* ἀργία, q. ἀεργία, q. *ceſſatio ab opere.* ¶ *Perſtillat*] Στάζει. Stillicidium hominem domo expellit, ut etiam fumus, & mala mulier.

19. *Ad riſum*] *Riſus causâ*, i. lætitiæ ac voluptatis, *ad hilaritatem.* ¶ *Epulum*] לחם ad verb. *panem.* Sumitur autem hîc pro *convivio*, ut Dan. 5. 1. ubi לחם in textu. Alia interpretatio *faciunt panem*, nempe *piſtores.* Sed hoc verum non videtur. Nam panis tam paratur mœſtis quàm hilaria celebrantibus. Lxx εἰς γέλωτα ποιοῦσιν ἄρτον. Gall. *on appreſte la viande pour ſe reſiouir.* ¶ *Vitam*] Vel potiùs *vivos.* Sic Græci; ſed hi legunt, *& vinum faciunt ad exhilarandum vivos*, καὶ οἶνον τοῦ εὐφρανθῆναι ζῶντας. Sic alibi, *Vinum exhilarat Deum & homines.* ¶ *Pecunia*] הכסף τὸ ἀργύριον, *argentum.* ¶ *Suppeditat omnia*] i. יַמְצִיא: quomodo Ebræi enarrant. Verbum è verbo *exaudit.* Licet etiam vertere *reſpondet omnibus*, i. votis omnium. Sic *tellus* dicitur *reſpondere votis agricolarum.* Hieron. *Pecuniæ obediunt omnia.* Sym. ἀργύριον δὲ εὐχρηστήσει εἰς πάντα, *argentum conducet ad omnia.* Lxx καὶ τοῦ ἀργυρίου ταπεινώσει ἐπακούσεται τὰ πάντα. Hic duæ verſiones coaluerunt: una eſt ταπεινώσει יְעַנֶּה, altera eſt ἐπακούσεται יַעֲנֶה. Trem. *Pecuniáque ipſa facit ut iſta omnia reſpondeant.*

20. *In conſcientia tua*] Sic Græci ἐν συνειδήσει σου. Alii *in cogitatione tua* במחשבך: minùs probatur mihi. מדע *ſcientia* & *conſcientia*, ut תקומה *ſurrectio* & *reſurrectio.* Sic קרא *voco* & *invoco.* ¶ *Regi ne maledicas*] Βασιλέα μὴ καταράσῃ. ¶ *In penetralibus cubilis tui*] Alii *in conclavibus cubilis tui.* Hieron. *in ſecreto cubiculi tui.* Lxx ἐν ταμιείοις κοιτώνων σου. ¶ *Maledicas*] Lxx καταράσῃ. Multæ Regum & divitum aures; ideo temere iis maledicendum non eſt. Nam vel aves efferent, ſi homines tacebunt. ¶ *Deferent*] *Efferent, perferent, portabunt.* ¶ *Vocem*] Vulg. *vocem tuam.* Sic etiam Græcè τὴν φωνήν σου. Si rectè articulus in הקול vim habebit pronominis. Conſule nunc Proverbia mea claſſ. 2. l. 3. ad. 59. ¶ *Pennipotens*] Lxx ὁ ἔχων τὰς πτέρυγας. Sym. πτερωτὰ *alata.* Elegans epitheton Avium. Sic legimus *genus pennis condecoratum*, de iiſdem. Pro בעל כנפים in libro Proverbiorum Salomonis בעל כנף, vel quòd *pennas habeant*, vel quòd *pennis valeant.* Sic בעל קרנים ὁ ἔχων κέρατα. ¶ *Rem*] דבר *verbum, ſermonem.* Lxx λόγον σου. Hieron. *ſententiam.* Gall. *les nouvelles.*

IDEM.

1. זְבוּבֵי מָוֶת יַבְאִישׁ יַבִּיעַ שֶׁמֶן רוֹקֵחַ. Schol. Μυιῶν θάνατος σήψει ἔλαιον εὐῶδες μυρεψοῦ, *Muſcarum mors putrefaciet unguentum bene olens pigmentarii.* שמן Aq. *unguentum*, ex Olympiodoro.

3. וְגַם־בַּדֶּרֶךְ כְּשֶׁסָּכָל הֹלֵךְ לִבּוֹ חָסֵר וגו׳. Sym. *Sed & in via ſtultus cùm ambulat, ipſe inſipiens ſuſpicatur de omnibus quòd ſtulti ſunt*] Hoc teſtimonium invenies in Commentariis Hieronymi. *Suſpicatur*, i. ὑπολαμβάνει. ¶ וְאָמַר לַכֹּל. Sym. ὃ ὑπολαμβάνει *quæ ſuſpicatur.*

4. אִם־רוּחַ הַמּוֹשֵׁל תַּעֲלֶה עָלֶיךָ. Sym. Ἐὰν πνεῦμα ἄρχοντος ἐπέλθῃ σοι, *Si ſpiritus Principis ſupervenerit tibi.* Hieron. in h. l. SYM. *Si ſpiritus Principis irruerit tibi, de loco tuo nè recedas: quoniam pudicitia comprimit peccata magna*] Pudicitia, σωφροσύνη· cæteri omnes ἴαμα, i. *ſanatio*, vel *curatio.* ¶ מְקוֹמְךָ אַל־תַּנַּח. Idem, τὸ τόπο σου μὴ ἐκστῇς, *à loco tuo nè abſcedas.* ¶ כִּי מַרְפֵּא יַנִּיחַ חֲטָאִים גְּדוֹלִים. Idem, ὅτι σωφροσύνη παύσει ἁμαρτήματα πολλά, *quia modeſtia ſedat peccata multa.*

6. נִתַּן הַסֶּכֶל בַּמְּרוֹמִים רַבִּים. Aq. ἔδωκε τὸν ἄφρονα ἐν ὑψώμασι μεγάλοις, *poſuit amentem in dignitatibus magnis*] *Poſuit*, נתן. ¶ וַעֲשִׁירִים בַּשֵּׁפֶל יֵשֵׁבוּ. Sym. πλουσίους δὲ ταπεινοὺς καθημένους, *divites verò humiles ſedentes*] In Comment. Hieron. *Poſitum ſtultum in ſublimitate magna, divites autem ſedere humiles.*

9. מַסִּיעַ אֲבָנִים יֵעָצֵב. Aq. Μετατιθῶν λίθους σπασθήσεται, *Qui tranſponit lapides convelletur.* Sym. Μετεωρῶν λίθους κακωθήσεται, *Qui ſublevat lapides malo afficietur*] In Hieron. Aq. Sym. *Qui transfert lapides dilacerabitur in iis.*

10. וְיִתְרוֹן הַכְשֵׁיר חָכְמָה. Sym. περισσεύει δὲ ὁ γοργευσάμενος εἰς σοφίαν, *excellit agilis ad ſapientiam*] Sic cap. 2. & 4. כשרון Sym. reddit γοργότητα, i. *agilitatem*; Lxx verò ἀνδρείαν.

13. הוֹלֵלוּת. Sym. *tumultus*] Θόρυβος. Vide ſuprà 2. 2.

14. וְהַסָּכָל יַרְבֶּה דְבָרִים. Sym. καὶ ἀνόητος πολλὰ λαλήσει, *& inſipiens multa loquetur.* ¶ מַה־שֶּׁיִּהְיֶה וַאֲשֶׁר יִהְיֶה. Sym.

τὰ γινόμενα, ἀλλ' ὐ ᾗ τὰ ἐσόμενα, *quæ facta ſunt, ſed non quæ futura ſunt.*

15. עֲמַל הַכְּסִילִים תְּיַגְּעֶנּוּ. Schol. τῦ ἄφρονος κακώσει. Melior lectio quæ in aliis cod. τῶν ἀφρόνων κοπώσει, i. *fatigabit*. Nam יגע in ſecunda conjug. κοπιόω, i. *laſſo*, *fatigo*. ¶ אֲשֶׁר לֹא־יָדַע לָלֶכֶת אֶל־עִיר. Sym. ὐ γδ ἐπίςαται ἀπελθεῖν εἰς πόλιν, *non enim ſcit ire in urbem*] i. Neſcit quæ ipſis pueris notiſſima ſunt. Quid dico pueris? cæci etiam viam quæ in urbem ducit callent, quam ignorat: tanta eſt imperitia.

16. אִי־לָךְ אֶרֶץ. Sym. Οὐαί σοι γῆ. *Va tibi terra.*

17. בִּגְבוּרָה. Sym. Μετὰ ἀνδραγαθίας *cum fortitudine.*

19. וְהַכֶּסֶף יַעֲנֶה אֶת־הַכֹּל. Sym. ἀργύριον ᾗ ἐνχρηςήσει εἰς ἅπαντα, *pecunia vero utilis erit ad omnia.*

20. אַל־תְּקַלֵּל. Sym. μὴ λοιδορήσῃς *ne convicieris*, ſive *ne maledicas.*

A M A M A.

1. *Sicut una muſcarum mortuarum facit ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii, ſic* (hominem) *pretioſum nomine ſapientia & gloria parum ſtultitia.*

2. *Cor ſapientis eſt ad dexteram ejus; Cor vero ſtulti eſt ad ſiniſtram ejus.*

3. *Quin etiam in ipſa via ubi ſtultus ambulat, cor ejus deficit & indicat omnibus ſe ſtultum eſſe.*

4. *Cum ſpiritus dominantis effert ſe contra te, ne deſeras locum tuum, nam* (vir) *lenis ſedat peccata magna.*

Pergit tradere regulas ad felicitatem hujus vitæ & animi tranquillitatem obtinendam, immiſcens tamen unam atque alteram vanitatem. Sunt verò particulæ VIII.

Prima continetur his 4 verſibus ubi dehortatur à ſtultitia & commendat ſtudium ſapientiæ, oſtenditque ejus uſum erga Regem iraſcentem.

Sicut una muſcarum] Hic initio deeſt כ nota ſimilitudinis, & in medio deeſt כֵּן ſic. Similia ante retulimus. Huc refer ea, quæ ad locum Jobi 24.19. diſputavimus.

Una &c.] Eb. *muſca mortis*. i. mortuæ. Deinde in Ebr. eſt *Muſcæ fœtere faciunt*. i. quæque muſcarum aut vel una muſcarum. Syllepſis. Poſterius interpretamentum præfero, quia inſtituitur antitheſis inter duas res exiguas, quales ſunt ſtultitia exigua & muſca una. Prioris tamen plura ſunt exempla, *Beſtiæ clamat*. i. quæque beſtiarum; *Filia incedit*, *Improbi fugit* &c. Huc quidam referunt ברא אלהים, ut ſit Ellipſis, quæque perſonarum creavit. Sed probandum eſſet prius τὸ אל vi plur numeri perſonas denotare, vel, habere ſenſum pluralem. Sed de eo nos aliquando publicè.

Muſca] זְבוּב muſca. Unde בַּעַל זְבוּב quod in N. T. eſt בַּעַל זְבוּב, *Baal Beel*, unde *Bel*. Fuit idolum Accaronitarum ſic ab ipſiſmet dictum à figura muſcæ, unde Junius exiſtimat hoc illud eſſe quod Ethnici *Sminthium* vel *Deum Myothen* dixerunt, ut habet Plinius lib. 29 Nat. Hiſt. cap. 6. confirmat & hoc Nazianzenus ςηλιτευτικῷ β. contra Julianum. Alii ſic dictum putant à Judæis in contemptum idololatrarum, quod probabilius. Et poſterioribus temporibus magis corruptum à Judæis in בְּעַל זְבוּל majoris contemptus cauſa q. d. *Jupiter* vel *Jovis ſtercoreus*. Quod ſi ita eſt, malè in N. T. rurſus in *Beelzebub* mutatur.

Sic pretioſum &c.] Sunt tamen, qui hæc ſic accipiunt, ut nulla ſit ſimilitudo, & exigua ſtultitia (aliquando ſcilicet,) melior eſt ſapientia &c. juxta illud, *deſipere in loco ſumma eſt ſapientia.* Sed R. Salomo ſumit יקר pro כָּבֵד gravis, q. d. aliquid ſtultitiæ gravius eſt ſapientiâ & gloriâ, quia eam quaſi in libra vel lance poſita ad ſe trahit. Prior expoſitio eſt ſimpliciſſima.

2. *Cor &c.*] *Per cor non ipſum corpus cordis intelligit ſed intellectum cujus ſedes eſt cor*, ait Aben Ezra. Eſt autem parabola dicta à manibus, quarum dextra apta eſt ad res agendas, celerior & expeditior: læva verò inepta. Sic ſapiens ſuo corde utitur, idque paratum habet ad ſingula cum judicio & ratione agenda, ſtultus non habet.

3. *Stultus* הוא] Dicit omnibus, מודיע indicat, oſtendit verbis moribus & geſtibus (quod) ſtultus ſit ipſemet. Vel, dicit de omnibus, *ſtultus eſt*. i. omnem præ ſe contemnit. Omnes alios pro fungis habet, ſe vero ſapientem ſolum exiſtimat. In oculis ſuis. Οἷος πέπνυται, οἱ ᾗ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

4. *Si ſpiritus dominatoris aſcenderit contra te, locum ne deſeras, quia lenitas quieſcere facit &c.*

Spiritus] Id eſt, ira, illud quod Græci τὸ θυμοειδὲς vocant. Propterea & per θυμὸς ſolent exprimere. Hic tamen eſt πνεῦμα רוח *ſpiritus*, *anima*, *animus*, *ira*.

Aſcenderit contra te] i. venerit contra te. Ut עָלָה *aſcendere* aliquando ſignificat tantum, *venire*, *alior ſum ferri*, *referri*, ut 1. Paral. 27. 24 neque עָלָה eorum numerus in numerum annalium; Sic ירד quod Lexicographi communiter exponunt *deſcendo*, ſæpe ſignificat *ferri de loco in locum*. Neque enim in voce ירד eſt ulla ſuperioritatis aut inferioritatis ſignificatio, imò ſi עלה, in quo videtur eſſe ſignificatio inferioritatis ſæpe ſumitur pro ſimpliciter *proficiſci*, *moveri*, *referri*, quid ni & ירד? Quin ſi liberè liceret, poſſet dici ירד aliquando ſignificare *aſcendere*. Et cur non liceret, LXX duobus locis, quæ ego obſervavi, vertunt per ἀναβαίνω Ruth. 3. 3. & Jon. 1. 3. Vide & Jud. 11. in fine אֵרֵד, inquit filia Jephthæ ad montes. i. aſcendam ad montes, niſi dicas domum Jephtæ fuiſſe montibus altiorem. Dicendum itaque mihi videtur ירד ſignificare *moveri de loco in locum*, ſine ulla determinatione ulteriori, uſitatius tamen pro *deſcendere* ſumi. *Sed*, inquit Pagninus, *non eſt rationabilis expoſitio ut deſcendere ſit aſcendere*. Sed, bone vir, non quæritur de voce *deſcendere*, ſed de Ebræa voce ירד. Similia exempla attulimus antea de שְׁאוֹל & גבר quorum illud *inferos*, hoc πρωτότοκοι καταχρηςικῶς ſolent vertere. Claudam hæc alia obſervatione minus controverſâ. *Proficiſci in S. S. per aſcendere & deſcendere ſolet exprimi, ſed non promiſcue. Qui enim auſtrum verſus proficiſcuntur dicuntur deſcendere, qui Septentrion. verſus aſcendere dicuntur.* Adducam unum exemplum Hoſ. 8. 9. *aſcenderunt in Aſſyriam*. Quod vel ſolum refellit eos qui ſic hæc efferunt. *Qui proficiſcitur ad terram Sanctam in S. L. dicitur aſcendere, Qui proficiſcitur ex terra ſancta, dicitur deſcendere.* Diſertè ſic Kimchi Hoſ. 1. 11. ארץ ישראל גבוה מכל ארצות והבא אליה יעלה קומי שיצא ממנה ירד. Et Eucherius, ſed adhuc laxius, *In ſanctum locum nemo deſcendere; in vituperabilem nemo aſcendere legitur.* Quod autem *aſcendere Hieroſolymam* dicuntur, quicunque eò proficiſcuntur, etiamſi ex ſeptentrione veniant, hoc fit ratione ſitus templi, quod in monte erat. Locus autem ille, ad quem Kimchi hoc dicit πολυθρύλλητος eſt. Exponunt communiter de exilio. Sic habet textus, *Et congregabuntur filii Judæ & Iſrael & ponent ſibi caput & aſcendent ex terrâ, nam magnus erit dies* &c. Communiter, inquam, exponunt de exilio, *Ibunt in exilium & aſcendent ex Judæa in Aſſyriam.* Kimchi inquit, *hoc fieri non poſſe; primò, Quomodo ſibi ponent caput illi qui in exilium ibunt; deinde, Dicendum fuiſſet*, inquit, *egredientur, deſcendent* &c. Puto ſententiam Kimchii circa hunc locum eſſe germanam, ſed hæc poſterior ratio non valet. Nam refutat eum locus à me jam productus.

Locum ne deſeras] Si iraſcatur tibi Rex, locum, conditionem, munus tuum ne deſeras.

Quia lenitas] מרפא pro מַרְפֵּה poſitum putant & lenitas pro איש מרפא *vir lenitatis*. Sic זֵד pro איש זד. שלום pro איש שָׁלוֹם. Et intelligo lenitatem verborum. Juxta illud Prov. 25. 15. *Lingua mollis frangit vel oſſeum hominem.* Alii remiſſionem intelligunt, q. d. alioqui remiſſio, vel mollities relinquet in te peccata multa. Simpliciſſima expoſitio prior. Alii, nam vir ſanans ut (מרפא ſit Participium) ſedat peccata multa, quæ princeps aliàs eſſet commiſſurus. Alii aliter. Totum verſum quidam & ſic ſumunt, Cum aſcenderit ſuper te *ſpiritus Domini* i. ſpiritus regius, locum tuum, modeſtiam tuam retine, ne te ultra modum efferas prioris conditionis oblitus, vel ne relinquas ſtationem. i. ſtudium pietatis & virtutis, nam remiſſio ſc. iſtius ſtudii relinquit hominem in peccatis multis.

5. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quod* (accidit) *ex errore, qui procedit à facie imperantis.*

6. *Ponitur ſtultus in celſitudinibus amplis, divites verò ſedent in humili loco.*

7. *Vidi ſervos inſidentes equis, principes autem euntes, ſicut ſervos ſuper terram.*

Secunda particula capitis: in qua ponit novam vanitatem, à Regibus ſæpe honorari ſtultos & ſperni ſapientes.

Ex errore] בשגגה juxta errorem. Mallem, ſi non aliud obſtat, *revera error*. Eſt enim duplex כ, Caph האמת Caph veritatis, ἀληθινὸν & כ הדמיון Caph ſimilitudinis. Vide ſupra.

Stultus ponitur] Primo נתן *datur* pro ponitur. Vide ſupra. Deinde סֶכֶל ſtultitia pro איש סֶכֶל. Vide ſimilia ad initium capitis primi. Aut סֶכֶל poteſt etiam eſſe Toar ut הלך viator, ילד infans. Sunt certè talia quædam ſupra à me allata.

In celſitudinibus] alii מרמים adjectivè accipiunt & ſupplent *in (dignitatibus) celſis (&) magnis.*

Divites] ſub. ſapientia. Sic ſtulti vocantur pauperes. Sapientia enim incomparabilis theſaurus atque auro contra non cara. Prov. 29. 13. *Pauper & dives occurrunt* &c. Jun. *rudis & induſtrius.*

8. *Fodiens foveam in eam incidet: & ſepem perrumpentem mordebit ſerpens.*

Particula tertia de non dando damno quam explicat ſimilitudinibus

dinibus duabus. Pſ. 7. & Prov. 26. כורה שחת בה יפל וגלל אבן אליו תשוב.

Fodero] Id eſt inſidias alicui ſtruere, aut exitium alicui moliri.

Foveâ] גומץ Chald. pro Ebr. שחת.

Sepem perrumpentem] nocendi vel furandi cauſa.

Serpens] Ibi latitans. Poſterius Hemiſtichium ſolent Judæi uſurpare in Epigraphis Epiſtolarum, quo quaſi anathemate feriunt tabellarios vel latores ſi aperiant. Quidam eò transferunt, ut doceant in Religione & Politia recepta jam & vulgata non temerè eſſe ſollicitanda, juxta illud Prov. 22. 28.

אל תסג גבול עולם אשר עשו אבותיך.

9. *Tranferens lapides dolore afficietur in iis, ſcindens ligna periclitabitur in iis.*

10. *Si hebetatum fuerit ferrum & hujus aciem non terſerit & (ſi) vires intenderit; ſed excellentiſſima directio eſt ſapientia.*

11. *Si momorderit ſerpens nondum adhibita incantatione, tum nullum emolumentum* (incantationis) *eſt incantatori.*

Particula quarta juxta quoſdam, ubi dehortatur à contumacia in contemnenda ira Regis, & contra hortatur ad ſapientem ejus placationem. Quod etiam duobus ſimilibus illuſtrat. Sed poſſunt & aliter & proverbialiter ſumi, ut videbimus.

Si hebetatum &c.] Hunc verſum cum præcedenti jungendum puto. Alii tamen ſejungunt hoc ſenſu, ſi hebetatum fuerit ferrum & hujus aciem non terſerit חילים יגבר etiam exercitus roborabit, i. vel robuſtiſſimos quoſque exercebit: ſed ſapientia &c. i. ſi ſapientiam adhibueris longe faciliora tibi erunt omnia.

Sunt tamen qui verſ. 9. aliter ſumunt ut ſenſus ſit, transferens lapides dolore afficietur ſcindens ligna periclitabitur in iis: Ita etiam qui leges & vetera inſtituta convellit. Juxta illud Prov. 22. 8. *Ne transferas legem.*

Aben Ezra ſic ſumit ac ſi docere vellet Salomo nihil in orbe ſine labore fieri imo etiam periculo. Ut cum dicimus *non fieri magnum facinus ſine periculo.* Et Sophocles in Electra, *ἐρᾷ πόνῳ τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.*

R. Salomo putat noſtrum hoc velle, quemque meſſurum ita prout ſementem fecit: atque primam partem verſus in malam accipit, alteram in bonam, ut יסכן ſit *commodabitur*, utilitatem habebit ex iis, caleſcet inde &c. Et ſic quidam putant ſumi סוכנת 1. Reg. 1. 2. *Et ſit Regem calefaciens.* Vide Druſii Proverbia ſacra. Ego putarim hunc eſſe ſenſum horum verſuum duorum, Omnibus rebus ineſſe ſuam difficultatem & pericula, quæ minuit ſapientia.

(Si) vires intenderit] Dixi alios vertere, & *robuſtiſſimos roborabit.* חילים *robora* pro *robuſtis.* Ut *ſcelus* pro *ſceleſto* &c. Melius tamen, *vires.* חיל propriè, *vires*, *δύναμις.* Et quia vires hominum multorum conſiſtunt in divitiis, vocantur ſic aliquando *divitiæ.* Unde *facere potentiam* pro colligere opes Ruth. 4. 11. Quod & Lxx expreſſerunt *ποιῆσαι δύναμιν ἐν Ἐφραθᾷ.* Et Ruth. 2. 1. איש חיל vir dives. Rurſus quia robur principum in exercitu eſt, ideo exercitus ſæpe vocantur חיל & quia jam fit ſynonymum τῷ צבא, hinc fit, ut ſæpe ejus interpr. *δύναμις* ponatur pro exercitu. Unde Κύριος δυνάμεων. i. DOMINUS exercituum. Et, *δυνάμεις οὐρανῶν commovebuntur.*

Excellentia directionis] i. directio excellens, Hypallage. Sic אשרי האיש, item *Viriditas herbæ* &c. Vel emolumento ad dirigendum (pro להכשר) eſt ſapientia. Senſus, ſapientia optima directrix & præſtantior eſt ſecuribus & robore humano.

11. *Nondum adhibita incantatione*] בלא לחש *in non ſuſurro*, cum nondum facta eſt incantatio. Vocatur לחש incantatio à לחש quod *muſſitare*, *ſuſurrare* ſignificat, quia muſſitando fieri ſolet. Serpens incantatus non mordet, ſi vero de improviſo mordeat, morſo nil proderit incantatio. Hujus nominis verbum in ſimili materia uſurpatur Pſ. 58. 6. *Sicut aſpis qui claudit aurem ſuam, quæ non audit vocem* מלחשים *incantatorum.* חובר חברים מחכם *utentis incantionibus periti.* Putant לחש eſſe *incantare*, חבר verò ſpecialius congregare incantando noxia aliquot animalia ut eorum opera ſine noxa utamur. Ac ſic nunquam dicetur niſi de multis. Unde & Thalmudici ponunt duplicem talem adjurationem, magnam & parvam; eam qua magna, hanc qua parva animalia, ſcorpii, ſerpenteſque conſociantur. Alii putant incantatorem dici חבר à convocatione diabolorum. Et obſervetur nunquam poni חבר hoc ſenſu ſine ſuo nomine. A לחש etiam eſt לחשים Jeſ. 3. 20. quod juxta quoſdam ſignificat *Characteres nigromanticos æri vel auro inſculptos.* Alii aliter. Quod autem dicit Pſaltes de obturatione auris notum eſt ex Phyſicis aſpidem ſolere calidiſſimè agere adverſus incantamenta, alteram aurem in terram defigendo, alteram extremâ ſui parte tegendo. Obſerva poſtremo elegantem & nobis inimitabilem Paronomaſiam in לחש & נחש.

Tum nullum] tum nihil proderit ipſi carmen. בעל לשון habens linguam ſc. incantandi peritam. i. conjurator &c. Alii בעל הלשון in bonum accipiunt, ſed remotius, ideo omitto. Vide Scindl. in לשון & Druſ. Quæſt. 4. cap. Poſſet & אם affirmare, hoc ſenſu, *Certe ſerpens* &c. *Sed non eſt excellentia* &c. i. nihilo præſtantior eſt maledicus. Verto ו per *tum*, והנה *tunc ecce*, ואמרת *tum dices* Exod. 7. 9. & hinc ſæpe reſpondet particulæ אם, ut & hoc loco, ſic Lev. 26. *Si in ſtatutis meis ambulabitur* ונתתי *tum dabo vobis imbres tempore veſtro.* Matth. 7. 9. καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν &c. pro τότε. Sic in Apocal. paſſim. De voce בעל ſupra multa diximus, quibus hæc jam addam ob ſuperiora de Beelzebub. 2. Reg. 1. 2. Diximus quoſdam putare ſic dictum illud Idolum non ab ipſis idololatris, ſed à Judæis in contumeliam idoli לגנאי ajunt Ebræi. *Quis enim*, ait Scaliger, τὸ σεβαζόμενον ὑβρίζει; Sed erant multi Baalim i. Joves apud Gentes quos innuit Scriptura cum abſolutè nominat *Baalim.* Alias apud Gentes iſtas εἰδωλομανῶν nunquam Baal dicebatur ſine ſuo conſtructivo. Unde בעל שמים Ζεὺς οὐράνιος, qui ſolus aliquando in Script. κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur *Baal. Baal-Reem* Βροντῶν, Ζεὺς βροντοποιός. Atque hoc idolum putat Scaliger in S. L. vocari etiam לגנאי *Baal-Phegor.* Πορδεὺς a πέρδω, pedo. Quis credat ita vocatum à ſuis cultoribus. Sic etiam *Baalzebub* putat Scal. vocatum à ſuis *Baal Zebachim*, Deus victimarum. Dictum autem à Judæis *B-Zebub*, quia fana gentium ob nitorem victimarum infeſtabantur muſcis. Cum e contra in Templo Jeroſolymitano nihil tale erat. Atque hanc puto eſſe veram Etymologiam nominis *Beelzebub.* Quia autem de muſcis jam dixi quæ eorum fana infeſtabant, quod non fiebat in Templo Dei, aſcribam ex Ebræis decem illa miracula quæ deprædicant.

In Domo Sanctuarii primi decem ſigna facta fuerunt.

1. Nunquam abortivit mulier ob nidorem carnis in domo ſanctuarii. 2. Neque fœtuit unquam caro ſanctuarii. 3. Neque unquam conſpecta fuit muſca in domo mactationis. 4. Non accidit caſus nocturnus ſacerdoti ſummo nocte præcedenti diem expiationis. 5. Non extinxerunt pluviæ ignem; qui erat in ſtrue lignorum. 6. Non vicit ventus columnam fumi. 7. Non repertum eſt ullum vicium in Gomer; & in duobus panibus & in panibus facierum. 8. Stabant coarctati & adorabant dilatati. 9. Nunquam aliquem læſit ſerpens in Jeruſalem. 10. Nunquam dixit homo ſocio ſuo, Anguſtior eſt mihi locus quam ut poſſim pernoctare Jeroſolymis.

Ad quæ multa poſſent addi, ſi eſſet inſtituti mei. Ideo ἐπέχω.

12. *Verba oris ſapientis gratioſa ſunt: at labia ſtulti abſorbebunt eum.*

13. *Initium verborum ejus ſtultitia: & finis oris ejus inſania multa.*

14. *Et ipſe ſtultus multiplicat verba, cum tamen neſciat homo quid futurum ſit, & quid futurum eſt poſt eum quis indicaret ei?*

15. *Labor ſtultorum fatigat eos, ut qui neſcit ire in civitatem.*

Particula V. in qua hortatur ad ſapientiam & comparat eam cum ſtultitia.

Gratia] חן i. plena gratiæ. Aut, gratioſa. Sic ſcelus pro ſceleſto &c.

Abſorbent eum] Quidam, *labiis ſuis ſtolidus abſorbet ſe.* Ad ſenſum rectè. Ad verbum malè. Nam תבלענו hoc loco eſt gen. fœm. בלע & בלע abſorpſit.

14. *Multiplicat*] Multa apud ſe ſtatuit, ſibi pollicetur, cum tamen &c. Alii putant ſequentia per Mimeſin eſſe dicta.

15. *Labor &c.*] עמל *hoc loco fœmininè conſtruitur, reſpectu* τῶν σημαινομένων, ait Mercerus ad Pagninum, quod exprimi poſſit per יגיעה. Talia quædam ſupra recenſuimus.

Fatigat eum] i. quemque eorum. יגע in Piel *fatigare*, *delaſſare.* Hinc eſt יגיע labor, & Metonymicè id, quod labore paratur. Unde Pſ. 128. 2. יגיע כפיך תאכל *laborem manuum tuarum comedes.* Quod Lxx verterunt τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι. Quod verterunt & intellexerunt multi etiam ex eruditiſſimis Patribus *laborem fructuum tuorum.* Sed quid hoc, *laborem fructuum tuorum?* Primò decepit eos non obſervata ambiguitas vocis καρπὸς, quæ etiam ſignificat *juncturam manus cum cubito*; vel, ut Suidas & Euſthathius ob locum Iliad. ω *manum*, *palmam.* Unde & μεσοκάρπιον, μετακάρπιον, περικάρπιον. Deinde decepit eos ignoratio Ebraiſmi, ibi enim eſt כפך vox non ambigua. Ideo & melius Sym. κόπον τῶν χειρῶν σου.

Tanquam qui &c.] כאשר הוא אשר. Metaphora ſumpta ab ignaris viatoribus, qui urbem aliquam adituri, ſi compendium ignorant; per diſpendia viarum perque aſpera loca ire coguntur atque ita ſe fatigant. Sic qui ſapientiæ operam non navat &

rerum gerendarum rationem ignorat, ſæpe ſe fatigabit & ſæpe nondum aſſequetur, quod aſſequeretur, ſi eſſet ſapiens.

16. *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt & cujus principes mane comedunt.*

17. *Beata tu terra, cujus Rex eſt filius ingenuorum & cujus principes in tempore oportuno comedunt, propter fortitudinem & non propter potationem.*

Particula VI. in qua oſtendit, quantum malum ſit Rex malus & contra.

Puer] Senſu & ratione. Sic 2. Chron. 13. *Rehabeam erat puer.* Jirm. 1. 8. *Puer ſum.* Jeſ. 3. 4. *Daturus ſum principes pueros ipſorum.* Alias pueros aliquando ſatis feliciter Remp. adminiſtraſſe docebunt Joas, Joſias, & Ozias initio. Puer ergo moribus puer. Sic Eph. 4. *Ut non ſimus amplius pueri* & 1. Cor. 14. *ne ſitis amplius pueri mente.*

Mane] Cum debebant jus dicere, juxta illud Jirm. 21. 12. *Mane judicate judicium.*

17. *Filius ingenuorum*] בן חרים. i. ipſe ingenuus. Ut בן אדם homo, υἷες ἀχαιῶν, Achivi, Filii medicorum &c. חורים ſunt qui à חָוַר deducunt, quod Chaldæis eſt *albeſco*, quaſi candidum dicas, quemadmodum contra obſcuri & abjecti homines dicuntur חשכים tenebricoſi. Alii referunt ad חָרַר quod Syris eſt *liberare*, *libertate donare*, unde חרים liberi, ingenui. Ut ut ſit, ſic vocantur Magnates, illuſtres & nobiles viri etiam Neh. 6. 17. Jeſ. 34. 12. &c. Vide autem ſignificationem iſtam ἐξ חָרַר Rom. 8. 32. Joh. 8. 32. Errant itaque qui exponunt, *filium canorum* ſcilicet capillorum i. ſenem. Sic enim vox hæc nunquam uſurpatur. Vide Mercerum.

Propter fortitudinem] בגבורה. ב pro *propter* ut בחמשה *ob quinque*. Sunt qui vertunt, *in fortitudine*; i. ut inter fortitudinem de rebus fortibus gerendis cogitent.

Et non propter potationem] שְׁתִי ut בְּכִי fletus à בָּכָה. שָׁתָה hic potare, ut contra juxta quoſdam Gen. 43. 34 וַיִּשְׁכְּרוּ: *affatim biberunt* cum Joſepho ſcilicet. Quamvis ego in loco Geneſeos nollem recedere à propria ſignificatione vocis, primò quia præcedit וישתו, quod tunc aliter debet exponi; deinde quia non video cauſam cur eos excuſandi operam ſumamus. Qui enim fratrem auſi fuerunt vendere, quid ni & ſe inebriare auderent? Poteſt & exponi voce שתי in propria ſignificatione accepta, potiùs quam ob bibitionem, quibus non eſt ſcopus bibitio vel convivatio (שָׁתָה enim utrumque ſignificat) ſed robur, ut vires acquirantur. ולא pro *potius quam*, ſupra, ni fallor, notavimus. Lxx ולא בשתי vertunt καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται: Putarunt ſine dubio ב eſſe radicale. בוש enim αἰσχύνεσθαι.

18. *Propter pigritiam attenuatur contignatio, & propter dejectionem manuum ſtillat domus.*

19. (Eorum) *qui ad lætitiam parant convivium & vinum* (quod) *lætificat viventes & quorum pecunia omnia iſta ſuppeditat.*

Particula ſeptima, in qua dehortatur à pigritia & luxu. Sunt qui putant eſſe comparationem rei privatæ cum publica.

Propter pigritiam] Ebr. *in*, vide ſupra. Porro in Ebræo eſt vox numer. dualis עצלתים ob manus, quæ binæ, quibuſque pigritia in ſcripturis tribuitur. q. d. בעצלת ידים. Dehortatur itaque à pigritia ab effectu noxio, videlicet damno rei familiaris. Si piger es & manum rupturis non admoves, non poteſt non tandem labi contignatio & attenuari ob frequentia ſtillicidia.

Propter dejectionem manuum] Hebr. בשפלות *ob humilitatem*. יד manus. כף vola, אֶגְרֹף pugnus. Quod Lxx. πυγμὴν reddunt. Quod noto ob locum Marc. 7. 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας οὐκ ἐσθίουσι. Syrus, *accurate*, *diligenter*. Arabicæ paraphraſes duæ omittunt, tertia, *ſæpiſſime*. i. πυκνά. Sic & Vulg. & Eraſmus. Alius, *ad cubitum uſque*. Beza, *pugno*. Certè Exod. 21. 18. באגרף Lxx πυγμῇ. Vulg. *pugno*. Jeſ. 58. 4 Lxx πυγμαῖς. Quicquid ſit, licet Serarius dicat Bezæ interpr. *pugno* dignam eſſe, quæ pugnis tundatur, tamen optima eſt. Hoc oſtendit Scaliger Elenchi cap. 7. ex Ritualibus Ebræorum. Solebant enim & adhuc ſolent Judæi χερνιβίαν ſuam inſtituere. Primo lavant manus ut omnes ſordes eluantur; deinde quinque digitorum ἄκρα inter ſe jungit, ut fiat quaſi pugnus, quæ forma cum propriè πυγμὴ ſive γρόνθος non ſit, tamen πυγμὴ dicitur, quia aliud vocabulum inveniri non potuit; facto autem tali ſchemate manuum attolluntur manus ut ſordes, ſi quæ cum aqua remanſerunt, per exteriores partes manuum ad cubitum uſque defluant & mox eodem ſchemate manente terram verſus pronis dimiſſis ab cubitis in terram decidant. Sordes iſtas vocant חוצצי עבילה λεπτὰ τῆς λύσεως.

Eorum qui ob riſum] לשחוק. ל pro בַּעֲבוּר. Sic לָזֹאת *ob hoc*, לכם *propter vos* Malach. 2. 3. Porro *riſus* pro lætitia. Sic Pſ. 126 *Tunc implebitur os noſtrum riſu.* Gen. 26. Sara inquit, *Riſum dedit mihi.* Luc. 6. *Væ vobis qui jam ridetis, quoniam lugebitis.* Metonymia effecti.

Panem] i. Epulas, convivia. Sic Dan. 5. 1 *Et Rex fecit* לחם רב. Porro *faciunt* i. parant. Sic Gen. 18. *Et feſtinavit facere hædum* & 1. Sam. 25. *Tulit duos utres vini & quinque arietes factos.* i. jam paratos, aſſatos.

GROTIUS.

1. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti: pretioſior eſt ſapientia & gloria, parva & ad tempus ſtultitia*] Sic rectè vertas, *Sicut muſcæ immortuæ putere faciunt & fœtere unguentum ſeplaſiæ: ita egregium ſapientiâ & honore, modicum ſtoliditatis.* Cavendum eſt iis qui famæ ſuæ curam habent nequid vel minimum peccent.

2. *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius*] Dextera eſt via virtutis, ſiniſtra via vitiorum, ut in litera Pythagoræ. Apparet id collatis locis Deuteron. 1. 39. & Jonæ IV. in fine.

3. *Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*] In Hebræo, *Etiam cùm per vias incedit ſtultus cor ei abeſt, dicitque omnibus, En ſtultum*: id eſt,

—— *Vultu morbum inceſſuque fatetur.*

4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te*] Si apud Regem in magna fueris gratia.

Locum tuum ne dimiſeris] Serva priorem modeſtiam. Propertius ad Mæcenatem:

Mæcenas eques Hetruſco de ſanguine Regum,
Intra fortunam qui cupis eſſe tuam.

Quia curatio facit ceſſare peccata maxima] Eſt quidem מרפא *curatio*; ſed in hoc libro & Proverbiorum frequens eſt ut א pro ה ponatur. Ità ſignificabit hic *otium* ſive *vitam privatam*, quæ minùs obnoxia eſt peccandi occaſionibus.

6. *Poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum*] Regibus multis ſuſpecti qui excellunt ſive ſapientiâ, ſive nobilitate, aut opibus. *Aliena illis virtus formidoloſa eſt*, ut ait Salluſtius. *Pellunt ergò ſapientiæ profeſſores, & omnes bonas artes in exſilium agunt. Siniſtra illis erga eminentes interpretatio, nec minùs periculum ex magna fama quàm ex mala. Nobilitas, opes pro crimine*: quæ omnia habet Tacitus. Exemplum in Roboamo.

7. *Vidi ſervos ſuper equos*] *Enimvero neque nobilem, neque ingenuum, nec libertinum quidem armis præponere, regia utilitas eſt.* Sic Tacitus in Germania.

Et principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſervos] Principes intellige viros nobiles.

8. *Qui fodit foveam incidet in eam*] Nempe

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Idem proverbium Proverb. XXVI. 27. XXVIII. 10. Pſalm. VII. 16. Eſt autem גומץ vox Chaldaica, quam ſæpe uſurpat interpres Chaldæus, ubi in Hebræo eſt בור [*fovea*].

Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber] Qui in ſentibus latere ſolet. Allegoria Hebræorum hoc aptat ad eos qui ſapientum traditiones contemnunt.

9. *Qui transfert lapides, affligetur in eis*] Qui alieni eſt cupidus, & propterea terminos revellit. Et hoc per allegoriam applicatur eis qui ſemel definita temere commovent.

Et qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis] Qui alienas arbores cædit. Allegoria hoc deducit ad eos qui factiones & ſeditiones ſerunt.

10. *Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia*] *Si hebetatum* (nempè longo ſitu ac rubigine) *fuerit ferrum, & ipſe* (dominus) *aciem ejus* (pridem) *non terſerit, tum vires* (ſuas) *excitabit* (id eſt, omni vi nitetur auferre vitium inolitum): *& plus multò rectificationis* (id eſt, polituræ) *ſapientia*, requirit ſcilicet. Hæc eſt interpretatio Maimonidæ longè optima.

15. *Labor ſtultorum affliget eos qui neſciunt in urbem pergere*] Multi quæſtionibus arduis ſe fatigant, cùm ne obvia quidem norint, quale eſt iter ad urbem.

16. *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt*] Multa mala evenire in regnis ſolent, ubi ſucceſſio ad puerum devoluta eſt. Tutores enim ſæpe non ex fide rem gerunt, aut inter ſe diſcordant: neque puero ſatis auctoritatis eſt ad retinendos in officio populos. Exemplum in Joaſi temporibus II Reg. XI. & poſt Ancum Martium Romæ: Arcadii & Honorii ætate in Imperio Romano.

Et cujus Principes mane comedunt] Convivia intempeſtiva agitant; nam

—— *corpus onuſtum*
Heſternis vitiis animum quoque prægravat.

17. *Beata terra cujus Rex nobilis eſt*] In Hebræo *filius candi-*

candidorum, id eſt, illuſtrium. Nam familiæ vetus ſplendor multum dignitatis addit Regi.

Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus.

Euripides Temeniſi:

Φεῦ φεῦ· τὸ φῦναι πατρὸς εὐγενοῦς ἄπο
Ὅσην ἔχει φρόνησιν, ἀξίωμά τε.
[*Proh! quanta res eſt, quàm valens ad gratiam*
Claro parente ducere excelſum genus.]

Et in Hecuba:

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι.
[*Egregia, ſiqua eſt genere in humano, nota eſt*
Bonis creari.]

Et cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, non ad luxuriam] In aureo carmine eſt:

Ἀλλὰ ποτοῦ τε μέτρον, καὶ σίτου, γυμνασίων τε
Ποιεῖσθαι· μέτρον δὲ λέγω τόδ᾽, ὃ μή σ᾽ ἀνιήσει.
[*Eſt modus, hunc ſerva, potûs, dapis, atque laborum:*
Quem ſi noſſe cupis, modus eſt nocitura cavere.]

19. *Et pecuniæ obediunt omnia*] In Hebræo, *Omnibus reſpondebit argentum*: id eſt, erit vice rerum omnium.

20. *In cogitatione tua Regi ne detrahas*] Id eſt, nè occultiſſimè quidem.

Et in ſecreto cubiculi tui nè maledixeris diviti] *Divitem* hic vocat virum ſummatem.

Quia & aves cœli portabunt vocem tuam] Ut Ibyci aves notæ in Græca hiſtoria. Verùm hic per *aves* intelliguntur delatores, aves verè infauſtæ.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. *Super facies*] Monet eleemoſynam dandam pauperibus & his quorum facies lacrymis ſunt irriguæ. Alii ſic putant intelligendum hunc locum, *Mitte panem in pauperes, nullâ perſonarum habitâ diſcretione, haud ſecus quàm ſi projiceres panem in ſuperficiem aquarum.* Porrò per *dies ſeptem & octo*, intelligitur tempus hujus vitæ, per quod ſemper eſt benefaciendum indigentibus. Benefaciendum eſt, inquit, *per ſeptem dies*, & cùm illi præterierint, & *octavus* appetierit, rurſum incipiendum eſt; & ſic ſemper continuandum. *Neſcis enim quale malum tibi eventurum ſit* & quibus aliquando opus habiturus ſis auxiliis. Dandum autem eſt his qui ſunt in egeſtate, id quod exprimitur per ſimilitudinem *nubis fœcundantis* ſiccam *terram*. Alii ſic interpretantur, *Da ſeptem hominibus ſuam cuique portionem, da etiam octo*, &c.

3. *Ibi erit*] Poteris, inquit, benefacere quamdiu vivis, ſicut arbor quamdiu frondeſcit fert fructum. In morte conſtitueris vel ad dexteram vel ad ſiniſtram, ſublatâ omni facultate bene operandi. Alii legunt יהוא pluraliter, ut ſit ſenſus, Ubi ceciderit fructus arboris, ibi ſunt qui colligunt fructus illos; ſic ubique locorum inveniuntur pauperes, in quos poterunt collocari beneficia.

4. *Qui obſervat ventum*] Notantur per hunc verſiculum parci & avari homines, qui tenacitati ſuæ prætexunt velamen malitiæ.

5. *Quæ via in corpuſculum*] Alii ſic interpretantur, *Quemadmodum ignoras quæ via ſit ſpiritus, aut qualia oſſa in utero gravidæ*, &c.

6. *Manè ſemina*] Monet, ſemper bene agendum.

9. *Lætare*] Pendet hic verſus à præcedente, & eſt ſenſus, Cùm *omnia vana ſint quæ poſt hanc vitam* malè collocaram *futura ſunt, lætare tu, juvenis, in juventute tua*, & videbis quid futurum ſit. Vocant autem Hebræi hunc loquendi modum גרא, cùm aliquid jubetur cujus exſecutio facienti eſt peſtifera. Eſt autem commiſſio Ironica.

VATABLUS.

1. *Panem tuum ſuper faciem aquarum* לחמך על פני המים] Nomine *panis* quicquid ad victum pertinet intelligere oportet, more Hebræorum; ut & nomine *aquarum* populos. Liberalitatem enim erga pauperes commendat. ¶ *In multitudine dierum* ברב הימים] Hebraiſmus, *poſt multos dies*: ſive *tandem*.

2. *Da partem ſeptem* תן חלק לשבעה] Ad verb. *Da portionem ſeptem*, ſub. *pauperibus*, i. cuique pauperi ſuam portionem. Numero Septenario multos intelligit; ut Octonario univerſitatem. Quidam vertunt, *Da partem* per dies *ſeptem*. ¶ *Quid erit mali ſuper terram* מה יהיה על הארץ] *Quæ futura ſit calamitas ſuper terram*, i. te vivente.

3. *Nubes, pluviam*, &c. העבים גשם וגו׳] *Nubes, pluviam* aquam *ſuper terram effundere ſolent.*

4. *Et qui reſpicit* ורואה] *Et qui ſpectat*: vel, *& qui obſervat*.

5. *Tu ignoras* אינך יודע] Ad verb. *non cognoſcis*. ¶ *Spiritus* הרוח] Animam ſignificat: i. quomodo infundatur ſpiritus in corpus, vel quomodo abeat à corpore. ¶ *Et quomodo*, &c. כעצמים] Ad verb. *ſicut oſſa in ventre plenæ*, i. gravidæ mulieris.

6. *Utrum magis conveniat* אי זה יכשר] Ad verb. *utrum rectiùs futurum ſit*. Vel, *quidnam commodius futurum ſit*. ¶ *Et an ambo pariter ſint bona* ואם שניהם וגו׳] Ad verb. *& ſi ambo, ſicut unum, bona* ſunt. More Hebraico dictum *ſicut unum* pro *ſimul*, aut *pariter*: q. d. quòd ſi utrumque pariter ſuccedat, bona ſunt.

7. *Intueri Solem* לראות את השמש] Subaudiendum aliquid, cujuſmodi, *Sed tamen eſt moriendum.* Conciſa enim eſt ſententia: quod ſit in rebus quas præ mœrore dicere non poſſumus.

8. *Tenebrarum* החשך] i. Mortis. Vitam & res proſperas *Soli* comparavit priore verſu; nunc autem mortem & adverſa *tenebris* comparat. Quidam totum verſum ſic convertunt, *Quia ſi* (i. quamvis) *annos multos vivat homo, & in omnibus illis lætetur; tamen recordabitur dierum tenebrarum, quia multi erunt*: & quòd *omnis qui naſcitur, eſt vanitas.* Alii præcedenti ità jungunt, *Verùm ſi homo annos multos vixerit, & per eos univerſos lætus egerit, recordatus autem fuerit dierum* quos aget *in tenebris, quoniam plurimi erunt*; illico *inanitas* videtur *quicquid præteriit*. Alii, *Et ſi annis multis ſciat ſe homo victurum, & lætaturum in illis omnibus, recordetur autem dierum tenebroſorum, quia illi plures futuri ſunt, & omne quod ſubſequetur, vanum erit.*

9. *Et exhilaret te cor tuum* ויטיבך לבך] Ità Hebraicè ut vertimus. Alii vertunt, *& cordi tuo bene ſit.* Vel, *& lætum ſit cor tuum*: ut redundet alterum pronomen. Ironia eſt. ¶ *Et ambula in viis*, &c. והלך בדרכי וגו׳] Hebraiſmus, acſi dicas Latinè, *Fac quicquid animo tuo lubeſcit, & quicquid placet oculis tuis.*

10. *Aufer autem* והסר] *Aufer igitur.* ¶ *Malitiam à carne tua* ורעה כבשרך] *Malum de carne tua*: q. d. Da operam ut ſis caſtus.

CASTALIO.

1. *Jace tuum panificium in humorem*] Sere humido loco: h. e. liberalis eſto.

2. *Imperti vel ſeptem aut etiam octo hominibus*] Multis. ¶ *Neſcis enim quid mali ſit futurum in terris*] Fieri poteſt ut tu quoque aliquando egeas.

3. *Cùm plenæ ſunt nubes, pluviam effundunt in terram*] Dum abundas largire. ¶ *Et ſive in Auſtrum cadit ſive in Septentriones arbor, quo loco cadit, ibidem manet*] Mortuus largiri non poteris, ut lapſa arbor jam nequit in quam velit partem ferri.

4. *Qui ventum obſervat, non ſerit: & qui ſpectat nubes, non metit*] Qui ideo benignè non facit quia futura ignorat, perindè facit ac ſi quis venti aut nubis metu ſerere aut metere dubitet.

CLARIUS.

1. *Mitte panem*] Monet eleemoſynam dandam pauperibus, & iis quorum facies lacrymis ſunt irriguæ. Alii ſic putant intelligendum hunc locum, *Mitte panem in pauperes, nullâ perſonarum habitâ diſcretione, haud ſecus quàm ſi projiceres panem in ſuperficiem aquarum.*

2. *Da partem ſeptem*] Liberaliter egentibus tribue: ſic enim fiet ut non ſentias mala quæ imminent. Per *ſeptem* autem & *octo* intelligi poteſt tempus hujus vitæ, quo ſemper eſt benefaciendum indigentibus: Benignè, inquit, faciendum eſt *per ſeptem dies*: qui cùm præterierint, & *octavum* appetierit, rurſus incipiendum eſt, & perpetuandum. *Neſcis enim quale malum eventurum ſit tibi*: & quibus aliquando opus habiturus ſis auxiliis.

3. *Si repletæ fuerint nubes*] Significat hâc ſimilitudine *nubis fœcundantis* ſiccam *terram*, dandum eſſe iis qui ſunt in egeſtate. ¶ *Si ceciderit lignum*] Fructus ligni ſive arboris quocunque loco ceciderit, ſive in plaga Auſtrali ſive Aquilonari, erunt (nam in Hebræo per plurale legitur *ibi erunt*) qui colligant illum: ſic ubique locorum inveniuntur pauperes in quos poſſint collocari beneficia.

4. *Qui obſervat ventum*] Notantur per hunc verſiculum parci & avari homines, qui tenacitati ſuæ prætexunt velamen malitiæ.

5. *Quæ ſit via ſpiritûs*] h. e. Quomodo anima conjungatur corpori.

6. *Manè ſemina*] Monet ſemper bene agendum.

9. *Lætare, juvenis*] Si *lætaris in adoleſcentia tua*, &c. memineris quòd Deo redditurus ſis rationem de omnibus.

10. *Aufer iram*] Quâ ſcilicet irritas Deum. Per *malitiam carnis* intellige concupiſcentiam malam, cui habenæ non ſunt laxandæ.

DRU.

DRUSIUS.

1. M*itte*] Ἀπόστειλον, *Jace*, *Projice*. ¶ *Panem tuum*] *Frumentum tuum*, *ſemen tuum*. Sic alibi, *Viſitavit populum ſuum dando eis panem*, i. frumentum. Nam ex eo panis conficitur. ¶ *Secus aquam*] על פני מים *ſuper faciem aquæ*, ἐπὶ πρόσωπον τοῦ ὕδατος, quod vulgò ità enarrant ac ſi diceret, *Jace panem tuum etiam periturum*. Nam quod in aquam projicitur, perit ſine fructu. Putarim ego על hoc loco ſign. *juxta*, *ſecúſve*, ut Pſal. 1. 3. Sic Gen. 41. 1. *putabat ſe ſtare ſuper fluvium*, ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, i. *juxta fluvium*. Aut verte, *Jace panem tuum in aquam*, i. in loca irrigua. Vide Quæſt. lib. 1. qu. 25. ¶ *Poſt multos dies*] ברב ימים ἐν πλήθει ἡμερῶν *in multitudine dierum*. Quidam *multiplicantibus diebus*. Alius *diuturnitate temporis*. Gall. *avec le temps*. Vide quæ ſcripſimus Claſſ. 2. lib. 2. ad. 48. ¶ *Invenies eum*] Ergò non omnino periturus eſt panis ille.

2. *Da partem*] Δὸς μερίδα. Sumptum à conviviis veterum, in quibus partes dabantur ſingulis convivis, & mittebantur pauperibus. Vide Annot. meas in Eſth. 9. 22. Neh. 8. 10. *& mittite munera his qui non habent*: & v. 12. *Et abierunt omnes manducare & bibere & epulari*, *& dare munera his qui non habebant*, *ut epularentur*. ¶ *Septem & etiam octo*] ἑπτὰ καίγε τοῖς ὀκτὼ, *ſeptem*, *nec non octo*. Sic Int. Vulgarius. Senſus eſt, *quàm plurimis*. Numerus certus pro incerto. Simile Mich. 5. 5. *ſeptem paſtores*, *& octo principes hominum*. Ebræi explicant, *Da inceſſanter & indeſinenter*. ¶ *Quid futurum ſit mali*] *Neſcis quid tibi mali eventurum ſit*: forſan enim aliorum ope indigebis. Hic יהיה conjungit cum רעה diverſo genere: quod notatum Abenezræ, qui exemplum ſimile adducit כי יהיה נערה בתולה. Enallage generum.

3. *Si repleta fuerint*] Vel, *Si plena fuerint*, Ἐὰν πλησθῶσιν. Debemus imitari naturam Nubium, quæ *cùm plena ſunt*, *imbrem effundunt*; ſic dum abundamus, largiendum eſt. De hac Nubium conſuetudine Euripides,

Cælum at beatum cùm refertum eſt imbribus,
Ardet cadendi mirâ in humum libidine.

Vide nunc Claſſ. 2. lib. 2. adag. 17. *Si*, *Cùm*; ut in illo, *Si erit Jobilæus*. ¶ *Imbrem*] Vel *imbre*, ut ad præcedentia pertineat. ¶ *Effundunt*] Ἐκχεοῦσιν *effundent*. Sic antiqui. Verbum Ebræum יריק propriè ſonat quod ab Aquila redditum ἐκκενώσουσιν *exinanient*, *evacuabunt*. ¶ *Arbor*] Δένδρον. Alii *lignum*, i. ξύλον alii *planta*. ¶ *Ad Meridiem*] Vel *in Meridie*, ſive, quod idem, *in Auſtro*, i. in Auſtrali parte aut plaga. Sic Lxx ἐν τῷ νότῳ. Sed noſter elegit *ad Auſtrum*. ¶ *Ad Septentrionem*] בצפון *in Aquilonem*, vel, ut Lxx habent, ἐν τῷ βοῤῥᾷ *in Aquilone*: q. d. *In quamcunque partem ceciderit*. Sic vulgò dici ſolet, *Ubi te invenero*, *ibi te judicabo*. ¶ *Ibi erit*] Ἐκεῖ ἔσται. Novè dixit יהוא pro יהיה *erit*. Affine eſt ישתחוו *adorabit* προσκυνήσει. E Sym. adducitur hoc loco παρατεύξεται. Videtur in eadem opinione fuiſſe cum iis qui יהוא pluralem eſſe dicunt cum Aleph paragogico, quale in ההלכוא. Sic enim dicitur יהוא pro יהיו ut יהי pro יהיה *erit*. Minùs placet. Mens horum verborum ut dicat, Non periturum, in quemcunque tandem beneficium conferetur.

4. *Qui obſervat ventum*] Τηρῶν ἄνεμον. *Veteres* Rei ruſticæ *autores præceperunt ne ſeminarentur agri niſi cùm terra pluviis permaduiſſet*. Qui exſpectat hunc aut illum ventum antequam ſementem faciat, nunquam ſeret; quia venti ſæpe fallunt, & non eſt ventus obſervandus, ſed tempus idoneum ſationi, quod pro ratione cœli & ſoli variat. Videatur Columella De Re ruſt. lib. 2. cap. 8. ¶ *Non ſeminabit*] Rarò ſeminabit. Lxx οὐ σπερεῖ, & Hier. *non ſeminat*. Sed cùm mox iidem reddant οὐ θερίσει *non metet*, malui & hic uti eodem tempore. Admonet Futuri metu aut propter ingratitudinem quorundam non eſſe claudendam beneficentiam. ¶ *Qui reſpicit nubes*] ראה בעבים βλέπων ἐν ταῖς νεφέλαις *qui inſpicit nubes*. Qui nubes conſiderat, ſemper metuit pluviam, ac proinde adduci non poteſt ut meſſem inſtituat, quæ facienda tempore ſicco miniméque humido aut pluvioſo: nubes autem quæ omnino ſteriles non ſunt ferè imbrem gignunt.

5. *Quemadmodum tu ignoras*] Pro כאשר *quemadmodum* antiqui videntur legiſſe באשר, h. e. Beth pro Caph. Sic enim certè vertunt Lxx Ἐν οἷς οὐκ ἔστι γινώσκων, & Aq. Ἐν ᾧ οὐκ εἶ σὺ εἰδὼς, *In quo non es tu ſciens*, vel, *In quo tu ignoras*. Excipio Hier. qui habet, *Quomodo ignoras*, & Sym. Μὴ οἶδας πότερον παρέσται ὁ ἄνεμος, *Neſcis unde adveniat ventus*. ¶ *Via venti*] דרך הרוח ὁδὸν ἀνέμου. Vide Joh. 3. 8. Alii, *viam ſpiritûs*: & Lxx ἡ ὁδὸς τοῦ πνεύματος. Id quidam de Anima dictum accipiunt. Sanè quomodo anima corpori uniatur aut infundatur nemo mortalium novit. *Spiritum* pro *vento* etiam Latini autores uſurpant. Sic Græci πνεῦμα. ¶ *Sicut oſſa*] Defecta oratio. Plena erit ſi legas, *ſicut ignoras oſſa*, vel *quomodo concreſcant oſſa*. Intelligit autem Embryonem. ¶ *In utero repleta*] Quidam *in utero repleto*, i. gravido, prægnanti; & בבטן pro בבטן. Quale illud, לאיש הקשר. Adiſis ad Abenezram. *Repleta*, gravidæ, prægnantis: ut, *virgo Deo repleta*, i. ex Deo gravida. Sic loquitur Juſtinus Hiſtoricus. ¶ *Opus Dei*, *qui facit omnia*] Vel, *opera Dei*, *quæ facit omnia*. *Qui facit omnia*, qui omnium factor ſive fabricator eſt. Quemadmodum facit omnia, ità etiam regit omnia: unde dicitur נוהג הכל *gubernator omnium*.

6. *Mane ſerito*] Semper benefaciendum. In quo ſenſu *ſerendi* verbo uſus eſt Apoſtolus, inquiens, *Qui parcè ſerit*, *parcè metet*. *Manè & veſperi*, i. jugiter: q. d. *per totum diem*. Siquidem diei partes Aurora & Veſpera. Lxx ἐν τῷ πρωῒ καὶ ἐν ἑσπέρᾳ. ¶ *Ne dimittas manum tuam*] Alibi eſt ידך אל, quod huic loco lucem facit. Nam alii enarrant, *nè remittat ſe manus tua*: eſt enim יד nomen fem. Sic ſanè Lxx, μὴ ἀφέτω ἡ χείρ σου, & Hieron. *nè ceſſet manus tua*. Santes, *ne quieſcere facias manum tuam*. Gall. *nè laiſſe repoſer*. ¶ *Quidnam rectum ſit*] Pro στοιχήσει, quod in Lxx, Aq. vertit εὐθετήσει *decenter componet*, Sym. verò εὑρήσει *inveniet*. Vulg. *quid magis oriatur*. Quidam *quid magis expediat*. ¶ *Si ambo*] שניהם *ambo*, hæc vel illa. Hic *ſi* valet *an*, ut alibi paſſim, quando ה nota interogationis præcedit. ¶ *Bona*] *Utilia*, *conducibilia*.

7. *Suavis*] מתוק *dulcis*, γλυκὺ, i. jocunda & grata: nam viſu percipitur, non guſtu aut palato. Solitum Ebræis ità ſenſus permutare. Gen. 27. 27. *Vide odorem filii mei*. Exod. 20. 18. *Et populus videbat voces*. Sic, *Guſtate quàm bonus ſit Dominus*, i. Videte; & *bonus*, i. jocundus, χρηστός ἄδλω dictum cenſet Iſidorus *quòd nihil habeat ſuave*. ¶ *Lux*] Τὸ φῶς. Naturaliter omnes delectamur luce, quâ nihil gratius oculis accidere poteſt, unde pro *victoria* quandoque, próque *ſtatu læto ac proſpero* ponitur. Fortè *lux*, i. vita. Sic infrà *dies tenebricoſi* de Morte; & ſuprà *omnibus videntibus Solem*, i. viventibus. Tob. 14. 12. ἐκ τοῦ φωτὸς ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Sirach. 22. 11. *reliquit eum lux*, i. vita. ¶ *Bonum*] Ἀγαθὸν, i. *delectabile*, ut quidem Latinus int. reddit quem *Vulgatum* nuncupamus. ¶ *Solem*] Τὸν ἥλιον. Superfluum eſt dicere *hunc Solem*, cùm unus tantùm Sol ſit in rerum natura. Solem videre non poſſunt cæci, ac proinde miſeri æſtimantur.

8. *Annos multos*] Ἔτη πολλά. ¶ *In eis omnibus lætatus fuerit*] Sic Int. Vulgarius. Alii *lætetur*, alii *lætabitur*. Lxx Ἐν πᾶσιν αὐτοῖς εὐφρανθήσεται. ¶ *Meminerit dierum tenebrarum*] *Recordetur dies tenebrarum*. Lxx μνησθήσεται τὰς ἡμέρας. Aq. μνησθήτω τῶν ἡμερῶν. ימי החשך *dies tenebrarum*, ἡμέρας τοῦ σκότους. Mortem innuit ſive æternam noctem, quæ perpetuis tenebris obſita. Itaque σκότος dicitur ſimpliciter: ut Tob. 4. 11. *Eleemoſyna non ſinit ire in tenebras*, εἰς τὸ σκότος & 14. 12. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος & pòſt paulò, καὶ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος Pſal. 88. 12. *Non cognoſcentur in tenebris mirabilia tua*. Vide ſuprà 6. 4. Hinc Sepulcrum vocatur בית חושך & מקום חושך: & Pſal. 143. 3. במחשכים *in tenebricoſis*, i. in ſepulcro. Vide Tropos. Hinc ᾅδης Inferi dicti putantur διὰ τὸ ἀειδὲς *propter obſcuritatem*. Nam in tenebris nihil videri poteſt. Vide Phornutum & Concord. Græcas N. T. ¶ *Quòd multi ſunt*] Ὅτι πολλαὶ ἔσονται *quòd multi erunt*. Alii *ſint* maluerunt. Hi dies, ſi ad vitæ dies comparentur, infiniti ſunt. Hæc vita, ſi ad æternitatem comparetur, quid aliud eſt quam momentum? ¶ *Vanitas eſt*] *Vanum ei erit*: *pro vano reputabit*. Minus dicit, *vanum eſt*; plus, *vanitas eſt*. Nam abſtracta ἐμφατικώτερα ſunt concretis.

9. *Lætare*] Hoc dicit εἰρωνευόμενος Id ſequentia docent. Cæterùm editiones pleræque hîc incipiunt cap. 12. & rectiùs, meo judicio. ¶ *Adoleſcens*] Νεανίσκε, *juvenis*. בחור propriè *qui eâ ætate eſt ut eligi poſſit ad militiam*. Nam בחר *elegit*. ¶ *In pueritia tua*] Meliùs *in adoleſcentia tua*, vel *in juventute tua*. Lxx ἐν νεότητί σου. Sic mox בימי בחורותיך ἐν ἡμέραις νεότητός σου. ¶ *Benefaciat tibi*] Ἀγαθυνάτω σε, *faciat te lætum*, *exhilaret te*. Idem cum illo, *Exhilara cor tuum*. Sym. καὶ ἐν ἀγαθῷ ἔστω, *& in bono ſit cor tuum*. ¶ *Et ambula in viis cordis tui*] Hoc diſertè vetat Moſes Num. 15. 39. Latinè redditur *indulge animo tuo*. ¶ *Et in aſpectu oculorum tuorum*] *Ambulare in aſpectu oculorum* eſt ſequi ductum oculorum, indulgere oculorum ſenſui libidiniſque. Quidam vertunt *in aſpectibus oculorum*, i. במראי. Vide Mercerum. Lxx περιπάτει ἐν ὁδοῖς καρδίας σου ἄμωμος, καὶ μὴ ἐν ὁράσει ὀφθαλμῶν σου, *ambula in viis cordis tui ſine macula*, *& non in aſpectu oculorum*. Sunt autem, ut habet adagium Ebræorum, *Oculus & cor proxenetæ peccati*. ¶ *Sed ſcito*] Vel *interim ſcito*. Non εἰρωνικῶς, ſed ſeriò nunc loquitur. Qui voluptatibus indulget & genio, cogitet ſibi reddendam eſſe rationem coram Deo de omnibus tum dictis tum factis ſuis. Hoc qui ſemper cogitat, non facilè peccabit.

¶ *Ad-*

¶ *Adducet te*] ἄξει σε. ¶ *In judicium*] בַּמִּשְׁפָּט, εἰς κρίσιν, cum articulo Nam ſign. Judicium extremum.

10. *Aufer iram*] i. Omnes animi perturbationes. Hic verſus collatus cum illo qui eſt 1. 18. poſſet aliquem deterrere à ſtudio ſapientiæ. Nam ſi *in multa ſapientia multa ira*, quis dubitabit ut Iram ita Sapientiam quoque vitandam eſſe? Reſp. Non dicit, *In ſapientia multa ira*, ſed, *In multa ſapientia.* Nimium ſtudium ſapientiæ idem alibi damnat, cum ait, *Ne eſto nimium ſapiens.* Nam extrema omnia vitium habent & culpam. ¶ *Amove*] הָעֵבֵר *transfer*, *averte*, πάρεγε, ¶ *Malum*] רָעָה, i. *flagitium*, *libidinem.* ¶ *A carne tua*] Sicloquendo ſign. id quo Viri ſumus: unde, *Caro aſinorum caro ipſorum.* Conſule Proverbia mea. ¶ *Pueritia*] *Adoleſcentia.* ¶ *Juventus*] שַׁחֲרוּת *juventus*, vel quod primum tempus ſit ætatis, ut *aurora* diei: vel dicta Juventus eo nomine à *nigrore*, quod juvenes ſere pilos nigros habeant. Pro *juventus* Græca Eccleſia legit ἄνοια *inſipientia*, Latina *voluptas.* Quædam editiones *imperitia.* Trem. *ortus ipſe*: ad verb. *auroræ ortus.*

I D E M.

3. יָרִיקוּ. A. ἐκκενώσουσιν *evacuant*, *exinaniunt*] Vel *evacuabunt.* Eſt enim verbum futurum. ¶ עֵץ. Sym. δένδρα *arbores.* ¶ שָׁם יְהוּא. Sym. ἐκεῖ ἀναπήξονται *ibi apparabuntur*, ſive *fabricabuntur.*

6. בַּבֹּקֶר. Sym. πρώϊμον *matutinum.* ¶ וְלָעֶרֶב אַל־תַּנַּח יָדֶךָ Sym. ἀλλὰ καὶ ὄψιμον, καὶ μὴ καταλιμπανέτω ἡ χείρ σου, *ſed & veſpertinum*, *& ne derelinquat manus tua.*

8. אִם־שָׁנִים הַרְבֵּה יִחְיֶה הָאָדָם בְּכֻלָּם יִשְׂמָח וְיִזְכֹּר אֶת־יְמֵי הַחֹשֶׁךְ כִּי־הַרְבֵּה יִהְיוּ כָּל־שֶׁבָּא הָבֶל Sym. *Si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætatus fuerit, recordari debet & dierum tenebrarum, quia multa erunt: in quibus omnibus veniet eſſe deſinere*] Ex Comment. Hieron. καὶ διὰ πάντων εὐφρανθήσεται. *& in omnibus lætabitur.* Ex. ed. Rom. *per omnes illos dies*, Aq. μεμνήσθω τῶν ἡμερῶν, *recordetur dierum.*

A M A M A.

DUobus his ultimis capitibus duo agit Salomo, primo pergit hortari ad ea, quæ vitam hanc poſſint facere beatiorem. Hinc uſque ad verſ. 10. cap. 12. Deinde concludit.

In hortatione duo agit, primo hortatur ad beneficentiam tam erga indignos, quam erga dignos primis 6 verſibus. Deinde hortatur, ut moderemur lætitiam noſtram timore Dei.

Ad beneficentiam hortatur ab eventu duplici. Utili ſi quis beneſecerit pauperi verſ. 1, 2, 3, & 6. & inutili vid. privatione munificentiæ divinæ, ſi quis beneficentiam neglexerit. Hortationem hanc partim amplificat, partim illuſtrat. Ampliſ. 1. a comparatis, *beneſac tam indignus quam dignis.* verſ. 1. 2. ab adjuncto, *multis* verſ. 2. Illuſtrat ſimilibus variis, beneficentiam erga indignos comparat projectioni rei pretioſæ in aquam. 2. Quæ erga egenos, comparat pluviæ. 3. Caſui arboris. 4. Omiſſionem beneficentiæ comparat omiſſioni ſationis & meſſis. 5. Beneficentiam comparat ſationi. 6. Rationem privationis bonorum e quibus beneſacimus, illuſtrat 2 ſimilibus, ignoratione viæ venti, & ignoratione formationis fœtus, in utero.

1. *Mitte panem tuum ſuper faciem aquarum, quia in multitudine dierum invenies illum.*

2. *Da partem ſeptem* (indigentibus) *& etiam octo: non enim ſcis quid mali futurum ſit ſuper terram.*

3. *Quum repletæ fuerint nubes, pluviam ſuper terram effundunt, quumque ceciderit arboris* (fructus) *ad meridiem ſeu ad ſeptentrionem, quocunque ceciderint, ibi erunt* (Colligentes.)

4. *Qui obſervat ventum non ſeminabit, & qui reſpicit ad nubes non metet.*

5. *Quemadmodum ignoras quæ ſit via venti, aut quomodo oſſa* (formentur) *in utero gravidæ; ita ignoras opus Dei quo facit omnia.*

6. *Mane ſere ſemen tuum, & veſpere ne remittito manum tuam, nam ignoras utrum rectum futurum ſit, an vero ambo hæc bona futura ſint.*

Mitte panem]. Dupliciter capiunt hunc locum, aut, mitte panem ſuper aquas, quaſi periturum. Da egeno licet indiguo, & ſic erit illuſtratio a projectione rei pretioſæ in aquam. Alii, mitte panem i. ſemen, unde fit panis, in aquam i. locis aquoſis, in locis irriguis. Vel juxta aquam i. locis humidis. Sic עַל in eo, *Fundavit terram ſuper maria.* Et, *Vaccæ paſcebant ſuper flumen.* Hanc expoſitionem præfero, ac ſic erit illuſtratio ab exemplo agricolæ. Præterea dationem Eleemoſynarum comparat ſæpe Scriptura ſeminationi, ut 2 Corint. 9. *Qui parce ſeminat, parce metet.* Hoc ergo vult dicere, Quemadmodum bonus agricola loca irrigua conſerit certa cum fiducia benedictionum Dei; ſic te memento in hac vita eſſe agricolam Dei ut omnibus beneſacias, ſere largiter & largiter metes.

In multitudine &c.] Poſt multos dies invenies illud quod das pauperibus, juxta illud, *Mutuat Domino qui dat pauperi.*

Super faciem] Eb. עַל. Sic in Gen. & Pſ. pro אֵצֶל, aliquando pro אֶל, & contra אֶל pro עַל. Et ſic Gen. 37. *Deſc. lugens ad inferos* אֶל בְּנִי i. עַל *ob filium meum.* Sic R. Sal. & Bilſonus.

Da partem ſeptem] Amplificatio ad adjuncto multitudinis. Septem & octo pro multis occurrit & Mich. 5. 5. *Si Aſſyrius venerit contra nos, ſuſcitabimus adverſus eum ſeptem paſtores & octo principes. Numerus ſeptenarius myſticus eſt*, ait R. Sal. *ob ſeptem dies creationis.* Sed an Deus laboravit die ſeptimo? Forte & ille ſe expedire non potuit ex illo loco, *Et complevit Deus die ſeptimo opus ſuum.* Quod nos ex Druſio ante expedivimus, vertendo, *Et compleverat.*

Quia noſcis] Forte ingruet calamitas, quæ te facultatibus tuis exuet, ut tu aliorum & forte eorum, quos juviſti, beneficentia egeas. Aut fieri poteſt ut moriaris & tunc beneſacere non poſſis.

3. *Si repletæ fuerint* &c.] Vel ſic, Cum plenæ ſint nubes & pluviam ſuper terram effuderint, ſive deciderit planta ad Septentrionem vel Meridiem, ubicunque fuerit planta, ibi futura eſt pluvia.

Varie exponitur hic verſus. Et poteſt exponi dummodo obſervetur hic ſcopus Salomonis. Illuſtrat enim hic duobus ſimilibus ſuam hortationem ad beneficentiam, 1. à natura nubium; 2. à natura arboris. Ut magis pie quam appoſite ſic quidam accipiant hunc locum. Arbor dum ſtat in hanc aut iſtam partem agitari poteſt, ubi collapſa eſt, ibi erit: nec in alteram partem ſe movere poteſt. Sic homo quamdiu vivit, poteſt ſe vel huc vel illuc convertere, ubi mortuus fuerit, quocunque in ſtatu, pro eo tractabitur.

Si repleta &c.] Emphaſis in voce *in terram.* Non alio, ſic tu, ſic oportet te cum abundas egenis ſubvenire. Vel in voce *effundunt.* Hauriunt aquas, non ut ſibi retineant ſed ut refundant. Sic Deus tibi dedit opes ut refundas ipſi in pauperibus ejus.

Et ſi ceciderit] Quocunque cadit fructus, ibi erunt colligentes, ſic homo beneficus ſemper habebit, queis poſſit beneſacere, ut non habeat quo ſe excuſet. Vel, pluviæ effunduntur in plantas (עֵץ enim quamvis plantam denotat) qualiquali ſint loco, ſive in plaga Septentrionali ſive Meridionali. Sic tu debes tua beneficia effundere in quoſvis egenos. Et tunc נפל erit pro *commorari*, *reſidere.* Et *Meridies* & *Septentrio* poſita hic erunt pro omnibus partibus mundi. Alias in expoſitione prima, *Meridies* ſumetur pro ſtatu gratiæ, *Septentrio* pro ſtatu damnationis. Atque huc reducit Hieron. illud Cant. 5. *Exurge aquilo* (i. *abi*, inquit) *& veni Auſter.* Et in Jirm. *Omne malum ab Aquilone.* Credo, quia Boreas eſt ventus procelloſus & frigidus; Contra Auſter ventus ſuavis & placidus.

Sunt tamen qui in malam partem hæc accipiunt & putant vindictam Dei notari: per effuſionem pluviæ intelligentes effuſionem plagæ Dei, ſi non beneſacias pauperi, & per caſum arboris, immiſſionem alicujus plagæ, quæ in quemcunque cadit ibi erit. Et huc videtur alludere Chald.

Erit] יְהוּא. Si ſingul. tunc erit pro יִהְיֶה, & א erit Paragogica. Sic שִׁפְחָתִי pro שִׁפְחָתִיהָ. Aut erit plur. pro יִהְיוּ ut in ſing. יְהִי pro יִהְיֶה.

4. *Qui obſervat nubes*] Noli per differentiam manum retrahere a beneſaciendo, noli obtendere excuſationes ignavos ruſticos imitando. Comparat omiſſionem beneficentiæ omiſſioni ſationis, cujus eventus eſt non metere. Sicut qui obſervat nubes & conſtellationem procraſtinat & tandem tempus ſerendi amittit, ſic ſi quis ſemper expectat tempus quo ditior erit, aut hominem qui beneficio dignior erit, nec ille ſua effugiet damna. Ch. Paraphraſies latius accipit, ſed tamen eodem ſcopo. *Vir qui obſervaverit incantatores & hariolos non faciet bonum in ſæculo.* (id vult per *ſeminabit* intelligi) *& qui ſtudet in aſtris* (non metet). *Non congregabit mercedem.* Addit rationem, *Iſti enim ſunt ſicut ventus quem filius hominis non poteſt apprehendere.* Sic, vult dicere, homo qui ſemper procraſtinat in dandis Eleemoſynis. Notum ut aliquid facere & præmium accipere per *ſerere* & *metere* in S. Literis accipiantur, dico aliquid facere ſive bonum ſive malum. Unde Apoſt. ad Gal. 6. *Quod quis ſeminat hoc & metet.* Prov. 22. *Qui ſerit iniquitatem, metet calamitatem.*

Reſpicit ad nubes] Chald. Paraphraſtæ expoſitio hinc confirmatur quod *harioli* & *præſtigiatores* in Ebræa lingua etiam dicantur עוֹנְנִים & עונן præſtigiari, ex nubibus aliquid hariolari, & quidem juxta Abenezram à עָנָן nubes, ut לושין a לָשׁן ut proprie ſignificet eum qui ex cœli conſtitutione prædicit hoc vel illo tempore bonum aut malum eſſe aliquid aggredi. Alii tamen a עַיִן oculo, ut proprie ſic dicatur is, qui alicujus oculos præſtringit. Vide Kimchium in Michlol. & Aben. Levit. 19. 26.

5. *Quemadmodum ignoras quæ ſit via ſpiritus & quomodo oſſa* (concreſcant) *in utero gravidæ, ſic neſcis opus Dei quo facit omnia.*

Pertinet ad verſ. 2. *neſcis quid mali* &c. Iſtam ignorantiam illuſtrat duobus ſimilibus. Senſus, Da pauperibus dum potes & vivis, forte pauper evades & morieris ut non poſſis. Quis novit quid futurum ſit? *Quemadmodum ignoras* &c.

Spiritus] i. venti. Sic Joh. 3. 8. *Ventus quo vult ſpirat, & ſonum ejus audis, at unde veniat & quo vadat neſcis.* Alii de anima accipiunt q. d. neſcis quomodo traducatur anima ex parentibus in prolem. *Spiritus* pro anima frequens, *Quis ſcit an aſcendat ſpiritus* &c. *In manus tuas commendo ſpiritum meum. Spiritus redit ad Deum qui dedit eum ſc.* in prima creatione. Obſervetur obiter Ebræos quoſdam ſtatuere animam traduci. Et certe ſi ex S. L. petita argumenta conſiderentur, vix poterit ſtare eorum ſententia, qui animam ἔξωθεν, θύραθεν vel οὐρανόθεν infundi putant. Certe locorum quædam nihil ad rem, quædam contra eos faciunt. Videbimus cap. 12. πνεῦμα pro anima accipitur & Act. 23. Σαδδουκαῖοι λέγουσι, μηδὲ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον μηδὲ πνεῦμα. Quidam pro S. Spiritu, accipiunt. Sed tunc additus fuiſſet τὸ. Deinde ſeq. οἱ δὲ Φαρισαῖοι ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. Ergo ex iſtis ἀμφοτέροις, ἀνάστασις erit 1. ἄγγελος 2. Videtur tamen πνεῦμα aliquid generalius. Tantum abeſt ut concedant eſſe Angelum, ut plane negent Spiritum eſſe. Sunt qui Reſp. ἀμφότερα dici etiam de pluribus. Vide Scalig. Elenchi cap. 16. Concedebant quidem τὴν ὑπόστασιν τῆς ψυχῆς, at τὴν διαμονὴν negabant. Vide Druſium lib. 3. de tribus ſectis.

Oſſa] עֲצָמִים. Aliquando עצם ipſum corpus vel oſſationem ſignificat, ut Pſ. 139. *Non abſconditum fuit* עָצְמִי *a te, cum fierem in occulto & variis membris exornarer* בתחתיות הארץ. Quod noto ob locum Eph. 4. Chriſtus κατέβη εἰς τὰ κατώτερα μέρη. Qui locus iſti ex Pſ. geminus eſt. Certe in Pſ. per *Inferiora terræ* nihil poteſt intelligi præter uterum matris. Cur non igitur & in iſto loco Apoſtoli? Nullam enim video differentiam inter תַּחְתִּיּוֹת הארץ & κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Conſiderent hoc ii, qui putant hic certum eſſe argumentum pro deſcenſu ad Gehennam. Certe ex hoc loco probari nequit. Vide Bezam & Druſium ad locum Epheſ.

6. Infert hic ex ſuperiori, Quia itaque ignoras, quid Deus forte tibi immiſſurus, ſemper da pauperibus. Et redit ad eandem metaphoram a ſatoribus deſumptam.

Quia neſcis, utrum יִכְשַׁר. ſub. ישר utrum magis rectum futurum ſit זה או זה An hoc quod mane ſeres, an vero illud, quod veſperi, An vero *ambo illa* i. utrumque bonum futurum כְּאֶחָד ſicut unum, pariter. Tamen Chaldæus hæc ad matrimonium refert. Aliene. Vide eum.

7. *Dulcis quidem eſt lux & jucundum eſt oculis intueri ſolem.*

8. *Sed ſi annis multis vixerit homo & in omnibus iſtis lætatus fuerit, recordetur vero dierum tenebrarum, quia multi ſint, quicquid evenit vanitas* (erit ei.)

Pergit ad alteram hortationis partem, in qua conatur noſtram lætitiam quaſi temperare divino timore. Et hoc conatur primo ab imperfectione noſtræ lætitiæ.

Dulcis quidem eſt lux] ſub. *ſolis.* i. vita. Notum ut, *lux ſolis* ſit vita, & *videre ſolem* vivere. Sic Homerus, *Donec Di dederint mihi* ὁρᾶν φάος ἠελίοιο. Et Virg. *inviſam abrumpere lucem.* Catull. *Nobis cum ſemel brevis occidit lux Nox eſt perpetua una dormienda.* Sic Job 3. *cur dedit afflicto lucem? & amaris animo vitam?*

Dulcis] מָתוֹק. i. amœna. Vocabula unius ſenſus propria ſæpe communicantur cum alio, *quia*, inquit Abenez. *omnes ſenſus conjunguntur in uno loco ſupra frontem.* De quo viderint Philoſophi. Sic ſæpe *videre* pro odorari. Geneſ. 27. 27. ראה ריח בני. *Vide odorem filii mei*, ait Rebecca. Sed iſte locus non ſatis procedit, nam רְאֵה ibi eſt pro הִנֵּה. Et ſic verti debet, *Ecce odor filii mei eſt ſicut odor agri*, ἰδοὺ ὀσμὴ τοῦ υἱοῦ μου ἐστὶ ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ. Sed locus Exod. 20. 18. clarior eſt, *Et populus videbat voces & tonitrua.* Ubi & Lxx. πᾶς ὁ λαὸς ἑώρα τὴν φωνὴν &c.

Lux] אור *Or.* Unde אור תורה vel תורה אורה. lex lux. Et diſtingui debet ab הֹר montis nomine, quæ incipit ab Aſpiratione. Quod noto, ne vobis contingat idem quod aliquando accidit viro magno explicaturo locum in Lege ubi Aharon dicitur *ſepultus in pede montis* הֹר. In Vulgatis quibuſdam eſt *Or.* Quod eum decepit. Aut forte ignoravit *Lucem* dici אור cum א. Iſtam hiſtoriam ſic trahebat ad Allegoriam, *Or eſt lux & per eam innuitur Chriſtus, qui eſt vera lux; Per Aharon vero ceræmoniæ, ut diſceremus*, dicebat, *Ceræmonias in Chriſto ſepultas.* Videte Druſium de 3. Sectis Judæorum.

Et jucundum] Ebr. טוֹב bonum. Vide ſupra.

Oculis] לָעֵינַיִם. Codex meus habet לְ. Sed emendatiora habent (-) idque ex præſcripto Maſſoritarum. Notant enim 4. reperiri hanc vocem & quidem bis cum (-), bis cum (·) ſub ל. Cum Phathach hic & Gen. 3. 6. cum Camets Prov. 10. 1 Sam. 16. Leve hoc, ſed tamen hic à Maſſoritis pendendum. Sic Mercerus.

8. *Sed ſi vixerit*] כִּי pro כִּי אִם, ne duo אם concurrant.

Et in omnibus iſtis] בְּכֻלָּם pro וּבְכֻלָּם. Quidam tamen ſine ו hoc modo. Si multis annis vixerit, & in omnibus iſtis lætetur, recordetur tamen &c. attamen recordetur &c. & quicquid evenit vanum eſſe.

Recordetur] animum ſubeat, יִזְכֹּר à זָכַר, Unde & זָכָר maſculus, quod Baal Thurim dicit in Gematria, idem eſſe quod בְּרָכָה. Addit ille וּנְקֵבָה in Gematria idem eſſe quod קְלָלָה maledictio. Sed ut hic fœminarum patrocinium ſuſcipiam, falſum eſt, nam differunt hæc duo numero binario, neque potui rationem ullam inire addendo aut detrahendo aut mutando literam, ut horum duorum numeros æquarem, niſi interferendo literam ב וּבְנְקֵבָה.

ז	7	ב	2	ו	6	ק	100
כ	20	ר	200	נ	50	ל	30
ר	200	כ	20	ק	100	ל	30
		ה	5	ב	2	ה	5
				ה	5		
	227		227		163		165

Addatur ב & erit 165 וּבְנְקֵבָה.

Dies tenebrarum] i. mortis, quibus manendum in ſepulchro. Ut ſupra vitam vocavit *lucem*, ſic *tenebras*, *mortem*. Sic & Job 10. *Priuſquam abeam in terram tenebrarum.*

Quicquid venerit] evenerit, habebit pro vanitate.

GROTIUS.

1. M*itte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas*] Id eſt, ubi nulla ſpes ſit recipiendi: Luc. XIV. 12. 13. 14.

Quia poſt tempora multa invenies illum] Deus pro iſta beneficentia nova in te beneficia conferet.

2. *Da partem ſeptem*] Nempe pauperibus.

Quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram]. Quod ſcilicet ſicut benefaciendo avertitur, ita per immiſericordiam attrahitur. Famem enim ſæpe ea de cauſa immitti teſtantur Prophetæ.

3. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent*] Nullo ſcilicet diſcrimine, ſuper omnem humum. Sic & tu noli ſollicite inquirere qualis ſit cui des: homo eſt.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit] Eſt proverbium vulgare, ſignificans eas res in quibus delectu opus non eſt. Neque enim qui arborem exſcindit multum curat in quam partem ea cadat, nihil enim refert. Sic etiam beneficia illa minora velut cæca manu ſpargenda ſunt.

4. *Qui obſervat ventum non ſeminat*] Avaris, ne dent, quilibet prætextus ſufficit.

5. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus*] *Unde veniant, quo eant venti*, Johan. III. 8. ubi quæ dicta vide.

Sic neſcis opera Dei qui fabricator eſt omnium] Neſcis quam miris ac latentibus modis Deus repenſet benigna facta. Is ſenſus convenit cum eo quod dictum ſupra initio hujus capitis.

6. *Neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud*] Neſcis ubi optime locatum ſit beneficium.

7. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem*]. Euripides Hippolyto:

Ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ, ἡμέρας ἁγνὸν φάος,
Ὡς ἡδὺ λεύσσειν.
[*O lucide æther, Solis ô purum jubar,*
Quam dulce vos conſpicere!]

Idem

Idem in Iphigenia in Aulide:

—— ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
βλέπειν.

[—— *Lux aurea*
Quam grata viſu.]

8. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*] Propius ad Hebræum ſic vertas: *Etiamſi plurimos annos egerit homo, & lætatus fuerit perpetuo, ubi tamen cogitabit tempora tenebrarum* (id eſt, mortis) *longa fore, quicquid ei obvenit, id vanitas*, ſcilicet ei apparebit.

9. *Et ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium*] Si licitis uſus fueris voluptatibus, bene te tractabit Deus: ſi illicitis, pœnas tibi inferet ſuo tempore.

10. *Aufer iram à corde tuo*] Μεμψιμοιρίαν [*querelam de ſorte qua obtigit*].

CAP. XII.

MUNSTERUS.

Comprehendit ſapiens Salomo uno verbo totam pie beneque vivendi doctrinam: Cogita, inquit, Deum mature, priuſquam ingruant pericula vel ſenium, vel denique ipſa mors.

1. *Iram*] Qua ſcilicet irritas Deum. ❡ Per *malum carnis* intellige Concupiſcentiam malam, cui habenæ non ſunt laxandæ. Alii interpretantur Perturbationem animi.

3, 4, 5. *Antequam obtenebreſcat Sol*] Recenſet hic Salomo incommoda Senectutis atque deſtitutiones omnium virium ejus qui morti appropinquat. Deſtituuntur oculi *luce ſtellarum*, & videtur eis *poſt pluviam* cœlum ſerenum *nubibus* obductum. ❡ *Cuſtodes domus* ſunt Manus & Brachia, quæ totum corpus ab incommodis defendunt. *Viri fortes* ſunt Crura, quæ in ſenio nutare incipiunt. Per *molentes* intellige Dentes, qui cibum non bene molunt; & per *oſtia* Labia; per *humiliatam vocem molentis* debilitatam vim digeſtionis in ססס, hoc eſt, בקרב העליון *in inteſtino ſuperiori*: ſic enim vocant Stomachum. Porro ſi cibus nullus trajiciatur in ſtomachum, tollitur cauſa ſomni, atque ita ex *cantu aviculæ* ſuſcitatur ſenex à ſomno. ❡ *Filias carminis* exponunt pro Inſtrumentis vocalibus, ut eſt Guttur. Senes enim nec canunt, nec audiendo ſonos delectantur.

6, 7. *Florebit amygdalus*] Senſus eſt, caneſcet caput; & debilitatur totum corpus, ut etiam inſultum *locuſtæ* ferre non poſſit. ❡ Porro per אביונה, quod nos poſt D. Kimhi vertimus pro *confederatione corporis & animæ*, quidam intelligunt תאוה המשגל, i. *libidinem*, quæ in ſenibus exſtinguitur. Alii accipiunt pro בינה *intelligentia*, ut ſit Aleph litera Hæmanthica. Sunt rurſum alii qui accipiunt pro *appetitu reſpuente res oblatas.* ❡ *Domum æternitatis* exponunt pro Sepulcro, & *plagentes* pro amicis portantibus funus ad ſepulturam. Per *Funiculum argenteum* intelligunt חוטרת השדרה *Spinam dorſi*, quæ ob candorem *argentea* vocatur. Alii autem capiunt pro Spiritu vitali. ❡ Porro per *fontem aureum* accipiunt Cerebrum; non quod aureum habeat colorem, ſed quod includatur pellicula aurei coloris. Alii vero hunc locum ſic exponunt, *antequam diffluat collectio aurei liquoris*, i. diffundatur pallor per totum corpus. ❡ Per *hydriam* vero putant intelligendam ciſtam Fellis, & per *ſcaturiginem* Epar, atque per *rotam* Cranium capitis, quod *in ſepulcro confringitur*.

11. *Rectitudo verborum*] Talem putant fuiſſe titulum libri qui hic citatur.

12. *Clavis fixis*] Kimhi ſic interpretatur, *Verba ſapientum ſunt quaſi clavi fixi, qui ſcilicet congregant verba ſapientiæ in libris ſuis, quæ dantur à Paſtore uno Deo.*

13. *Quod amplius eſt*] h. e. A verbis quæ non ſunt ſubnixa veritate, ab his caveto. ❡ *Clamor nimius*] Kimhi exponit *importunam doctrinam*, qua quis ſe & auditorem gravat, & unde nemo ædificatur. Chaldæus interpres vertit פנק ſ *occupationem Legis.*

14. Concludit tandem Sapiens diſputationem ſuam, & dicit veram beatitudinem hominis in hoc conſiſtere ut conjungatur & uniatur Deo ſummo & unico bono; quod aſſequi datum eſt per ſolam religionem Chriſtianam.

VATABLUS.

1. B*eneplacitum* חפץ] *Voluptas.* Vel, *Non ſunt mihi voluptati. Non mihi placent.*

3. *Quæ commovebunt ſe* שיזעו] *Quæ agitabunt ſeſe.* Alii, *trement.* Deſcribit ſenium hominis. *Cuſtodes domus* vocat Manus, quod illis incommoda à corpore avertamus & arceamus. ❡ *Et incurvabunt*, &c. והתעותו אנשי החיל] Ad verb. *& pervertentur viri roboris.* Vel, *homines robuſti*, i. crura. Alii, *& vacillaverint*, &c. ❡ *Et ceſſabunt* ובטלו] *Et deſinent.* Vel, *& inutiles facti fuerint.* ❡ *Diminuent* מעטו] Sub. *molitionem*: i. non poterunt Dentes contundere & comminuere cibum. Quidam vertunt *parum molent*, ſive *molere poterunt.* Præt. Heb. pro fut. Alii, *deſinent molentes ut parum molant.* Alii, *eo quod imminuti fuerint.*

4. *Extrinſecus*, בשוק] *In platea.* Vel, *foris.* Labra intelligunt Hebræi. ❡ *Propter remiſſionem ſoni ipſius molæ* בשפל קול הטחנה] Ad verb. *in humilitate vocis ipſius moliture*: vel *molæ*: aut potius *molitionis*, ſub. *dentium.* Quidam, *& humiliata fuerit vox molentis.* Alii, *cum exilis voce molentis*: i. quia ultra digerere cibum non poſſint homines. Nam ſono quodam ſolent molere cibum qui valent dentibus. ❡ *Et conſurget* ויקום] *Et excitabitur*, ſub. *homo.* ❡ *Et humiliabuntur* וישחו] *Et deprimentur.* Vel, *& ſubmiſſæ erunt.* Aut, *ſupprimentur.* ❡ *Filiæ cantici* בנות השיר] *Filiæ vocis*, i. reſonantiæ. *Filias vocis* vocat Arterias & Fibras vocales, quæ multum valent ad vocem eliciendam. q. d. Vox gutturis, qua prius cantabat, erit ſubmiſſa, adeo ut non audiatur. Ita docti inter Hebræos. Alii *filias cantici* exponunt Cantores & Cantatrices, qui humiles erunt, neque exaudientur à ſenibus, neque illis delectabuntur: ut 2 Sam. 19. 35. de Berzellai ſene, *Num audiam ultra vocem cantorum & cantatricum?*

5. *Timebunt* ייראו] Fut Heb. pro præſ. *timere ſolent*: quia non poſſunt attollere crura. Oſtendit crurum ſenum humilitatem. ❡ *Et pavebunt* וחתחתים] *Et fractiones*, i. offendicula. q. d. Vel in feſtucam impingere ſolent. Alii, *contritiones* ſive *pavores*, acſi dicat, Venient eis in via contritiones & pavores, ut præ laſſitudine ac debilitate nequeant ambulare. ❡ *Et florebit Amygdalus* וינאץ השקד] *Et floret amygdalus*, i. caput conſpergitur canitie: à נצץ *floruit.* Alii à verbo נאץ *reprobare, rejicere & ſpernere*, vertunt, *Et reprobabit* (vel *flocci faciet*) *coitum*: ob multam ſcilicet debilitatem: nam השקד *membrum coitus* interpretantur. Alii, *& creſcent palpebræ*: ut videre licet in ſenibus præ attenuatione & macredine. ❡ *Et oneri erit illi locuſta* ויסתבל החגב] Acſi dicat, Etiam locuſta, parvum animal, ſi requieverit ſuper ſenem, erit ei oneri: uſque adeo debilis erit. Alii vertunt, *& onerabitur dorſum*, ſive *ſpina dorſi*, *onerabuntur lumbi.* ❡ *Et diſſipabitur concupiſcentia* ותפר האביונה] *Et franget* ſedus *concupiſcentia*: i. pars illa concupiſcibilis animi cui deſiderium tribui ſolet, rumpet ſedera quæ pepigit cum corpore. Quidam vertunt, *Diſſipabiturque mutua confederatio.* Corporis ſcilicet & animæ. Alii, *& reſpuet appetitus*, ſub. *res oblatas.* ❡ *Ad domum ſeculi ſui* אל בית עולמו] i. Ad domum ſuam ſempiternam, ad ſepulcrum, in quo habitabit uſque ad judicium.

6. *Priusquam prolongetur* עד אשר לא ירחק] Ad verbum, *uſquequo non prolongetur.* Duplex lectio Hebræis, ירחק *prolongetur*: & ירתק *colligetur*, ſive *alligetur*, i. brevior fiat quam ut aquam putei attingere poſſit. Quidam *removeatur*: alii *rumpatur.* *Funem argenteum* vocat ſpinam dorſi, ratione coloris. Solent autem ſenes breviari quod in ſenectute brevietur medulla. Hæc autem perinde valent acſi dixiſſet, *Antequam ſentias incommoda ſenectutis.* Ita docti inter Hebræos. ❡ *Lenticula aurea* גלת הזהב] *Phiala aurea*: vas rotundum eſt. Membranam illam quæ cerebrum continet intelligit, quæ eſt veluti rufa & flava: ideo comparatur *auro*: & ſenſus eſt, *antequam moriatur homo*: nam hac membrana fracta hominem mori neceſſe eſt. ❡ *Et conteratur hydria*, &c. ותשבר כד על המבוע] *Et frangatur hydria juxta fontem*, vel *ſcaturiginem.* Annotant Hebræi, per *hydriam* intelligi conceptacula illa ſanguinis quæ à jecore recipiunt ſanguinem; & per *fontem* Jecur, quod in jecore fiat ſanguis. ❡ *Et diſſipetur rota ſuper ciſternam* ונרוץ הגלגל אל הבור] *Et conteratur rota ſuper puteum.* *Rotam* vocat Caput; *Ciſternam* autem, ſive *puteum*, Cor à quo trahuntur vires vitales. Et ut miniſterio rotæ haurimus aquam, ita in capite omnes ſenſus conſtituuntur: ideo attrahit à corde vires vitales.

7. *Et revertatur* וישב] Sub. *antequam*, ſic, *Et antequam revertatur*, &c.

9. *Et quo magis*, &c. ויתר שהיה וגו׳] *Praeterea cum eſſet Eccleſiaſtes ſapiens, aſſidue docuit.* Ad verb. *Et amplius, quia fuit Coheleth ſapiens, adhuc docuit*, &c. ¶ *Et auſcultare fecit* ואזן] *Et trutinavit*, ſive *trutina appendit*. Quidam, *commovit ſtudium doctrinae.* ¶ *Et inveſtigavit* וחקר] *Et ſcrutari fecit.* ¶ *Concinnavit* תקן] *Adornavit, direxit, compoſuit.*

10. *Perquiſivit* בקש] *Studuit.* ¶ *Verba quae placerent* דברי חפץ] Ad verbum, *verba complacentiae*: vel *beneplaciti.* Quidam vertunt *rationes expetibilium rerum.* ¶ *Et ſcripturam rectam* וכתוב ישר] Ad verb. *& ſcripturam rectitudinis*: vel *aequabilitatis*: i. ſtylum aequabilem. q. d. Stylo aequabili ſtuduit tradere ſapientiam.

11. *Infixi* נטועים] Qui ſcilicet rem cui affiguntur retinent: ſic & doctrina hominem retinet. ¶ *Autorum collectionum* בעלי אספות] Sub. *ſicut, inquam, verba.* Vertere potes, ſunt *autores collectionum.* *Dominos* (ſive *autores*) *collectionum* appellat ſapientes, quod congregent verba ſapientiorum in ſuis libris.

12. *Et amplius his* ויתר מהמה] *Et plura his.* Vel, ut alii vertunt, *Poſtremo.* ¶ Quaeras] Alii ſubaudiunt *admonitus.* ¶ *Plures* הרבה] *Multos.* ¶ *Et doctrina* ולהג] *Et ſcriptura.* Alii, *& ſcientia.* Alii, *& diſquiſitio.* Quidam, *jugis lectio, moleſtus labor carnis*: vel, *affert laborem carni.*

13. *Finis verbi totius auditus eſt* סוף דבר וגו׳] *Finis univerſae rei auditus eſt*, ſub. *à te.* Alii, *In ſumma, omnia audita ſunt.* q. d. Omnia te docui, mundana omnia meram eſſe vanitatem. Alii, *Et ut uno verbo dicam, omnia audita ſunt.* ¶ *Quia hoc eſt omnis homo* כי זה כל האדם] Ita Hebraice ut vertimus; pro quo quidam vertunt, *Quia hoc* ſpectat ad *omnem hominem.* Alii, *Nam* in *hoc* conſiſtit *omnium hominum* perfectio. Quidam ex doctorum Hebraeorum Comment. *Quia iſtud* eſt baſis & fundamentum *omnium hominum.*

14. Quod erit *ſuper omni occulto* על כל נעלם] *Cum omni occulta re.*

CASTALIO.

2. *ANtequam tenebreſcat Sol atque lux & Luna & ſidera*] Senio caecutias. ¶ *Redeantque poſt pluviam nubes*] Tibi caligantes lacryment oculi.

3. *Cum domus cuſtodes trement*] Manus. ¶ *Nutabunt milites*] Crura. ¶ *Ceſſabunt imminutae molae*] Dentes. ¶ *Caligabunt ſpectantes per meatus*] Lumina.

4. *Claudentur fores extrinſecus*] Labra. ¶ *Cum exili ſonitu molae*] Dentibus parum mandentibus. ¶ *Surgetur ad avis vocem*] Galli: h. e. parum dormietur. ¶ *Caſſae erunt omnes muſicae puellae*] Inſtrumenta vocis.

5. *Florebit amygdalus*] Canities. ¶ *Convenient cicadae*] Stridula & quaerula vox.

6. *Antequam abrumpatur argentea catena, & quaſſetur guttus aureus, & urna frangatur ad ſcatebram, & conquaſſetur ad foveam currus*] Haec quatuor ego non intelligo.

14. *Etenim omne opus quamlibet occultum ſiſtet ad judicium Deus*] Totius libri concluſio: Reddenda omnium ratio eſt, ſed in altera vita. Nam id in hac vita non fieri demonſtratum eſt.

CLARIUS.

2, 3, 4. *ANtequam tenebreſcant*] Recenſet hic Salomon incommoda ſenectutis, atque deſtitutiones omnium virium ejus qui morti appropinquat. Deſtituuntur Oculi luce, & videtur eis *poſt pluviam* coelum ſerenum *nubibus obductum.* ¶ *Cuſtodes domus* ſunt Manus & Brachia, quae totum corpus ab incommodis defendunt. ¶ *Viri fortes* ſunt Crura, quae in ſenio nutare incipiunt. ¶ Per *molentes* intellige Dentes, & per *oſtia* Labia, per *humiliatam vocem molentis* debilitatam vim Digeſtionis. Porro ſi cibus non trajiciatur in Stomachum, tollitur cauſa ſomni, atque ita *ex cantu aviculae* ſuſcitatur ſenex à ſomno. ¶ *Filias carminis* exponunt pro inſtrumentis vocalibus, ut eſt Guttur.

5. *Excelſa quoque timebunt*] Tunc è coelo metus, & malum in ſe caſurum, & terrores, quacunque ierint, eos invadent. ¶ *Florebit amygdalus*] Tunc canis aſpergetur Caput, nutabunt pedes, peribit Appetitus: quae ſigna ſunt, eos hinc migrare *in domum* alterius *ſeculi*: *circumdabunt* eum *in platea lugentes*, ut ſublatum in humeros efferant. ¶ *Gravabitur locuſta*] Alius legit *gravabit*, quod ſcilicet gravis erit ei etiam locuſta quae illi inſederit. ¶ *Diſſipabitur deſiderium*] Concupiſcentia videlicet erga mulieres, vel ciborum appetitus.

6. *Funiculus argenteus*] Intelligunt Spinam dorſi, quae ob candorem *argentea* vocatur: & per *vittam* ſeu *fontem aureum* accipiunt Cerebrum, quod includatur pelliculae aurei coloris; ſeu Medullam quae tranſit ſpinam dorſi, qua vel minimum laeſa, neceſſe eſt homini mori. Per *hydriam* putant intelligendam ciſtam Fellis; & per *Fontem*, Eper; per *rotam*, Cranium capitis, quod *in ſepulcro confringitur.* Vel, *confringatur rota in fovea*, h. e. fractis rotis currus in foveam per praeceps ruat, & *revertatur pulvis in terram ſuam*, &c.

11. *Sicut ſtimuli*] Vocabulo *ſtimuli*, quo hic utitur, ſubindicat ſimillimos aſinis eſſe nos, & frequentiſſimis egere exſtimulationibus. ¶ *Per magiſtrorum conſilium*] Aſperitatem Hebraiſmi leniit Interpres. Aliis vertit, *Suſtinentes collectam ſuppellectilem.* Alius, *autores congregationum.*

12. *His amplius*] His paucis, fili mi, admonitum te puta. Alius vertit, *Quod amplius eſt ab iſtis, fili mi, ab hoc caveto*: h. e. à verbis quae non ſunt ſubnixa veritate. ¶ *Faciendi plures libros*] Ut omnia perſtringantur ſigillatim, ne plurimis quidem libris fieri poterit: & labor multa ſcribendi corpus defatigat.

13. *Hoc eſt omnis homo*] Hoc enim, inquit, uno acquiritur quicquid vere hominem & ſolide beatum facere poteſt. *Ajunt Hebraei*, ut ſcribit Hieronymus, *hunc librum, cum obliterandus videretur eo quod vanas Dei aſſereret creaturas, & totum putaret eſſe pro nihilo, & cibum & potum & delicias tranſeuntes praeferret omnibus, ex hoc uno capitulo meruiſſe autoritatem ut in Divinorum voluminum numero poneretur, quod totam diſputationem in hoc clauderet, ut ſcilicet* TIMEAMUS DEUM, &c.

LUCAS BRUGEN.

14. *ET* [o.] *cuncta quae fient* * [* *ſub Sole* o], *adducet Deus* [o.] *in judicium, pro omni errato* [*creato* o.] *ſive bonum ſive malum ſit*] Pro *errato* ſex codices legunt *erratu*; duo *reatu*: Regius, ex Complutenſi, cum Sorbonico Correctorio, *pro omni abſcondito* ſcribit. D. Hieronymus, in proprio hujus loci commentario, poſuiſſe ſe dicit *de omni abſcondito*, pro eo quod Symmachus & LXX. interpretati ſunt, *de omni contemptu*, vel certe *de omni ignoratu*: ſic enim habet Pariſienſis editio: Manuſcriptus, quem ex collegio Trilingui habemus, Hieronymi commentarius, *vel certe de omni ignorato*, legit. Mirum itaque eſt pleriſque omnibus Latinis libris *errato* legi, vel *erratu* (*reatu* enim ex *erratu*, quod poſteriora ſecula non admittunt, formatum videtur,) niſi forte non ſit Vulgatae verſionis hujus libri Hieronymus autor, vel corrupte *errato* pro *celato*, legatur. Hebraice eſt נעלם, participium paſſivum ab עלם, quod *latere*, *abſcondere* atque *occultare* ſignificat. Quocirca Chaldaeus & Latini noſtrae aetatis Interpretes, cum D. Hieronymo, *abſconditum*, ſive *occultum*, tranſtulere. *Errato*; quod non facile ex noſtra editione auferendum eſt, non omnino alienum eſt ab hac verbi ſignificatione: non enim eſt error niſi circa occulta aut abſcondita: propius vero ad id accedit quod LXXII verterunt, ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, *in omni neglecto, contempto*, vel *ignorato*, quo modo & Pſal. 54. 2. ὑπεριδεῖν LXXII *deſpicere* Hieronymus, &c. hoc ipſo verbo reddidere. Ceterum difficultas eſt, quomodo bonum eſſe poſſit quod erratum eſt: id enim ſequitur, *ſive bonum ſive malum ſit.* Reſpondent quidam, bonum & malum ex ſuo genere intelligi, quidam, ad caput referri ſententiae quod in calce eſt poſitum.

DRUSIUS.

1. *CReatoris tui*] Τοῦ κτίσαντός σε. Sed in fonte בוראיך *Creatorum tuorum*, ut alibi עשיך *Factores tui* pro *Factor tuus.* Nam ſubintelligitur אלהים, quod terminationem pluralem habet. ¶ *In diebus juventutis tuae*] Ἐν ἡμέραις νεότητός σου, *dum adhuc juvenis es.* Hic *juventus* בחורות vocatur, terminatione fem. cum alia nomina aetatum maſculine uſurpentur, נעורים *pueritia*, זקנים *ſenectus*, עלומים *adoleſcentia.* ¶ *Dies mali*] i. Senium, ſenectus; quae & *aetas mala.* Plautus Menaechmis.

Nam pernicitas deſerit; conſitus ſum
Senectute; onuſtum gero corpus; vires
Reliquere; ut aetas mala, mala merx eſt ergo?

No-

Nonius, *Ætatem malam Senectutem veteres dixerunt.* Contra *bonam ætatem* vocabant Adoleſcenriam vel juventutem. D. Camius in Commenr. Pſal. 89. 46. *Dies juventutis ſunt dies boni; & contra dies ſenectutis, dies mali.* Lucretio dicitur *pejor pars ætatis.* Verba ejus ſunt lib. 2.

Inde minutatim vires & robur adultum
Frangit, & in partem pejorem liquitur ætas.

¶ *Attingant*] φθάσωσι *appropinquent.* ¶ *Anni de quibus dicas,* &c.] Circumloquitur Senium, quod plurimis morbis aliiſque incommodis obnoxium: unde vulgo dicitur, *Senectus ipſa morbus eſt.*

2. *Obtenebreſcat*] Σκοτισθῇ. Nam ſeni, cum hebeſcente acie oculi caligant, tenebræ ſunt etiam in claro meridie. *Sol* etiam *tenebreſcere* ſive *obſcurari* dicitur in calamitatibus, quemadmodum multa mala & incommoda accidunt ſenibus, quorum ætas ideo *mala* nuncupatur, ut dictum eſt. ¶ *Lux*] Τὸ φῶς. Vulg. *lumen.* ¶ *Et revertantur nubes poſt imbrem*] Καὶ ἐπιστρέψωσι τὰ νέφη ὀπίσω τοῦ ὑετοῦ. Senſus eſt, *& mala malis ſuccedant; calamitas una aliam ſequatur:* vel, quando lippiunt, & lacrymis diſtillant lumina, concretis purulento humore palpebris. *Nubes poſt imbrem,* proverbiale. Sic vulgo dicimus, *Poſt nubila Phœbus,* quando ſignificare volumus læta malis ſucceſſura. *Imbrem,* גשם. Alii, *pluviam,* i. מטר.

3. *Commovebunt ſe*] Vel *commovebuntur,* i. trement. Lxx σαλευθῶσι. ¶ *Cuſtodes domus*] i. Manus, quæ corpus, quod hic *domus* vocabulo ſignificatur, cuſtodiunt ac conſervant, ſiquando in caſum propendet, & alias. Nam manus ſemper in mundo ad arcendum ac defendendum omne noxium. Lxx. φύλακες τῆς οἰκίας. Sic corpora noſtra Job appellat *domos luteas* בתי חמר. Quidam exponunt *totius corporis coſtæ & ilia.* Trem. *brachia, quæ ad totius corporis cuſtodiam data ſunt.* Gall. *les jambes.* Tharg. ארכובתא, i. *genua.* Abenezra, *manus & brachia,* אנשי חיל *crura, quæ molem corporis ſuſtentant.* חיל *autem Robur ſign.* Vide reliqua. *Quidam,* inquit Abenezra, *exponunt* הכסלים *Ilia,* והצלעות *& Coſtas. Et ſunt,* inquit, *qui ſignificari putant quatuor facultates,* המושך *Attractivam,* המעכל *Digeſtivam,* ſive *Concoctivam,* המעכב *Retentivam,* והמטהר *& Purgativam.* ¶ *Diſtorquebuntur*] יתעותו *corrumpentur:* Lxx. διαστραφῶσιν. Alii *nutabunt, vacillabunt.* ¶ *Viri roboris*] אנשי חיל ἄνδρες τῆς δυνάμεως, i. interprete Symm. οἱ ἄνδρες οἱ ἰσχυροὶ, *viri robuſti, viri fortiſſimi.* Significari putant Crura, Tibias, Poplites; alii, Brachia, ut Chaldæus P. Priorem ſenſum juvat verbum התעותו. Nam Pedes in ſenio diſtorqueri ſolent. De Manibus non video quomodo intelligi commode poſſit. ¶ *Et ceſſabunt*] ובטלו. Vulg. *& otioſæ erunt.* Sic Lxx. καὶ ἤργησαν. ¶ *Molitrices*] הטחנות, i. Dentes. Lxx αἱ ἀλήθουσαι. Vulg. *molentes.* Dicit autem טחנות propter nomen שנים, quod fem. eſt. ¶ *Quod minuerint*] Sub. *molitionem,* i. molendi actum. Alii *quod imminuti ſint.* Lxx. ὅτι ὠλιγώθησαν. Vulg. *in minuto numero.* Nam ipſi dentes ætate minuuntur. Gall. *d'autant qu'elles auront eſté diminuées.* ¶ *Videntes per feneſtras*] Oculi per corneas cavitates veluti per feneſtras reſpicientes. Lxx αἱ βλέπουσαι ἐν ταῖς ὀπαῖς. Trem. *qui ſpectant per ſpeculas.* Vulg. *videntes per foramina.*

4. *Oſtia*] *Oſtia* Faucium, meatus per quos cibi intrant. דלתים proprie ſign. *fores,* nempe à duabus valvis, quibus conſtant. Eſt enim nomen duale. ¶ *Foris*] *Forinſecus* vel *extrinſecus.* Lxx. ἐν ἀγορᾷ. Vulg. *in platea.* Trem. *foro.* *Foris,* i. בחוץ ¶ *Ob humilem ſonum*] בשפל קול. Ad verb. *in humilitate vocis,* quod Lxx. ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς *in infirmitate.* Sym. vero olim expoſuit ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς, *cum inutilis facta eſſet vox.* ¶ *Molitionis*] Vel, ut alii, *molæ.* Nam quod Lxx vertunt τῆς ἀληθούσης, & Vulg. *molentis,* error eſt legentium טחנה aliis punctis vocalibus. Hoc videtur velle, *Ventriculo ægre cibum concoquente.* ¶ *Et ſurget ad vocem aviculæ*]. Nempe quia impatiens omnis ſtrepitus, tum etiam quia ob ſtomachi imbecillitatem dormire nequit. Lxx. τοῦ στρουθίου. Vulg. *volucris,* i. עוף. Vocem Ebræam צפור negat Mercerus de *majoribus avibus dici.* Contra R. D. ait eſſe *generale ad omnes aves.* ¶ *Deprimentur filiæ cantici*] Alii Aures; alii Labia; alii Arteriam vocalem; quidam Concentus muſicos, & omnia quæ eo faciunt: q. d. Nullum muſicum concentum amplius libenter audiet. Sic Berzillai 2 Sam. 19. 35. *Non audiam ultra vocem cantorum & cantatricum.* In hanc ſententiam Aq. vertit, καὶ κλιθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς, *& inclinabuntur omnia quæ ad cantum faciunt,* vel, *& deprimentur omnia inſtrumenta cantici.*

5. *Ab alto timebunt*] Timebunt loca alta, nec audebunt ea conſcendere. ¶ *Terrores in via*] *Terrores eis erunt in via,* i. terrebuntur ac trepidabunt per viam euntes. חתחתים *terrores;* thema חתת. ¶ *Florebit amygdalus*] Veneranda quidem, ſed mortis nuncia, canities caput ac tempora veſtiet. Cæterum capilli cani fiunt propter imminutam caloris vim, quæ humores & excretiones ſatis concoquere non poſſit. ¶ *Oneri erit locuſta*] Vel *locuſta,* parva animans, ſi inſidebit eis, *oneri erit.* ¶ *Diſſolvetur*] *irrita fiet; concidet appetendi facultas.* Lxx. διασκεδασθῇ. Vulg. *diſſipabitur.* ¶ *Appetentia*] Lxx. καὶ κάππαρις. Hier. *capparis.* Sic Magiſtri uſurpant. In Gemara אביונות וקפריסים. Nathan Juſtus autor Lexici Thalmudici אביונות פרי עצמו קפרים *genus fructus.* Mercerus ad h. l. אביונה *capparim aut huic non abſimile fructus genus Rabbini appellant, ut Baal Aruch docet.* Imo in Baal Aruch קפרים eſt κηπουρὸς i. שומר הפרי *cuſtos fructuum:* κηπουρὸς, idem. ¶ *Ad domum ſeculi ſui*] Vel potius *ad domum æternitatis ſuæ,* εἰς οἶκον αἰῶνος αὐτοῦ, ut עולם hic ſign. *æternitatem.* Innuit autem ſepulcrum, in quo æternum degimus. Dicitur & *domus tenebrarum.* Ægyptii tumulos & ſepulcra *domos æternas* nuncupare ſolent. Becano ſterben, q. ſteerben. Vide Etymologicum Belgicum. *Æterna nox* pro *morte* apud Poetam. ¶ *Plangentes*] Præficæ aut comites funus efferentes, qui funus comitantur.

6. *Diſſolvatur*] Scriptum ירחק *amoveatur,* & lectum ירתק *diſſolvatur.* Ut à voce quæ *catenam* ſignificat, Gallicum verbum eſt *deſchainer;* ſic à רתוק in Niphal נרתק *diſſolvi, rumpi, abrumpi.* Sym. καὶ πρὶν ἢ κοπλῶναι διαὶ σχοινίον τοῦ ἀργυρίου: *Et priuſquam abſcindatur à funiculo argenti.* Eſt autem κόπλω, unde κοπλῶναι, *ſcindo, abſcindo, exſcindo.* Lxx. καὶ συντριβῇ. ¶ *Lenticula aurea*] Cerebrum, cujus membrana auri colorem refert; vel Sanguis in corde ſcaturiens, qui vitam præbet ac ſenſum. ¶ *Hydria*] כד *urceus.* ¶ *Super fontem*] i. *Juxta fontem,* aut *ſcatebram.* Intelligit Venas, quibus Cor principium eſt. *Rota* eſt Caput; *Ciſterna* vero Cor & Hepar, ubi ſanguinis ac vitæ fons; *Funiculus argenteus,* Spina dorſi, cujus medulla eſt argentei coloris. תרץ futurum à רצץ *quaſſo,* non à רוץ *curro.*

7. *Pulvis*] Quod in Homine pulvis, h. e. corpus. ¶ *In terram, quemadmodum fuerat*] Lactantius lib. 7. cap. 8. *Neceſſe eſſe in terram reſolvi quod eſt in homine ponderoſum & diſſolubile: quod vero tenue & ſubtile, id vero eſſe individuum,* &c. Idem lib. eod. cap. 12.

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terram, &c.

¶ *Et ſpiritus*] Anima. ¶ *Ad Deum, qui dedit ipſum*] Hinc diſcimus quam longe abſuerit Salomo ab hæreſi eorum qui putant Animam una cum corpore interire.

8. *Coheleth*] i. הקוהלת ὁ Ἐκκλησιαστής. Hic nomini *Coheleth* præponitur articulus contra receptam conſuetudinem. Simile הסופרת Ezræ 2. 55. Mercerus putat ideo addi quod קהלת *cognomen ſit, non nomen proprium.*

9. *Et quanto erat Coheleth ſapientior*] Alii, & fortaſſe melius, *Et plus in quo erat Coheleth ſapiens.* Amplius, inquit, fuit in quo ſapiebat: q. d. Non in his tantum quæ dicta ſunt, ſed in aliis multis. ויותר Lxx. καὶ περισσόν. ¶ *Tanto magis*] עוד *adhuc, amplius.* ¶ *Populum*] Σὺν τὸν λαὸν leg. in Græca ed. pro σὺν τὸν ἄνθρωπον. ¶ *Auſcultavit diligenter*] Sub. *alios ſapientes.* און pro ואזן. Ergo Aquila interpretatur ἠνωτίσατο. Vidi qui exponerent *auſcultare fecit:* ita Santes & Gallica poſtrema. R. Jona deducit à מאזנים *ſtatera, bilances;* itaque interpretatur שקל *appendit.* Hunc Trem. ſecutus eſt. Lxx. καὶ ἴχνος ἐξιχνιάσεται κόσμιον παραβολῶν, i. ???. ¶ *Proverbia multa*] *Tria millia* 1 Reg. 4. 32.

10. *Verba delectabilia*] Nam חפץ *delectatio.* Alias *verba cupita,* i. res jocundas & expetibiles ſcituque digniſſimas. ¶ *Æquitas*] ישר proprie εὐθύτης, i. præcepta quæ recte vitam informarent, ſententias formandæ & inſtituendæ juventuti aliiſque hominibus. דברי חפץ Lxx. λόγους θελήματος. Aq. χρείας, & Schol. χρειώδεις ex quo noſter *verba utilia.* וכתוב ישר idem Aq. καὶ συνέγραψεν ὀρθῶς, ac ſi eſſet בישר. Hanc interpretationem, Vulgatæ præferendam eſſe puto, ut dicat *Scripta ab eo recte verba veritatis.*

11. *Verba ſapientum*] *Dicta ſapientum.* ¶ *Ut ſtimuli*] Ut ſtimulis ad arandum boves, ſic ad virtutem ſapientum præceptis homines aguntur & exſtimulantur. Cæterum *ſtimulus* מלמד dicitur, βούκεντρον. דרבן autem proprie *cuſpis ſtimuli,* quæ ex ferro. ¶ *Ut clavi fixi*] *Dicta ſapientum ſimilia ſunt clavis infixis;* ſiquidem alte mentibus infixa hærent, ut inde

evelli

evelli non poſſint. ℨ *Domini collectionum*] Autores qui dicta illa collegerunt & in codicem redegerunt; quemadmodum factum eſt in libro Proverbiorum. Rectius forte, *Verba ſapientum & dominorum collectionum:* ut ſimilitudo non ad perſonas ipſas ſed ad eorum dicta pertineat. Sunt etiam qui per בעלי אספות *caulas* accipiunt. Vide Trem. Tales à Græcis ῥαψῳδοί, & eorum opera *Rhapſodiæ* vocantur. ℨ *A Paſtore uno*] Ab uno Deo, quem nunc *Paſtorem* vocat, quia *ſtimulorum* meminit, quibus paſtores uti ſolent; paſtores, dico, boum, quos *bubulcos* nuncupamus. Aut, *à paſtore uno*, à Rege uno. Nam *paſcere*, *regere*.

12. *Magis ex his admonitus eſto*] *Amplius his cave quæras:* הזהר, i. השמר. Pro *magis* malim *potius:* q.d. *Potius his quam aliis præceptis:* Lxx. φύλαξαι. ℨ *Faciendi libros*] i. *Comparandi*, *emendi*; ut, *facere animas:* aut *componendi*, *conſcribendi*. ℨ *Lectio multa*] Alii *doctrina multa:* alii *meditatio multa*; & Lxx. μελέτη. Forte ut לאום dicimus ab אום ita להג ab הגה. Sed Abenezra nos admonet in Lingua Iſmaelitarum ſign. קריאה. i. *lectionem*. Kimchi exponit לדבר, בלא דעה *cum ea quæ dicimus non intelligimus*.

13. *Finis verbi*] *Summarei*. ℨ *Totum auditum eſt*] Vel, *omnia audivimus*. ℨ *Time*] *Verere*.

DRUSIUS.

1. עַד אֲשֶׁר לֹא־יָבֹאוּ יְמֵי הָרָעָה. Sym. πρὶν ἐλθεῖν τὰς ἡμέρας τῆς κακώσεώς σου *antequam veniant dies vexationis tuæ*] רעתך.

2. עַד אֲשֶׁר לֹא. Sym. πρὶν *priuſquam*.

3. וְהִתְעַוְּתוּ אַנְשֵׁי הֶחָיִל. Sym. διαφθαρῶσιν ἄνδρες οἱ ἰσχυροί, *perdentur viri fortes*. A. *errabunt*] In Hier. *peribunt viri fortes*. Licet etiam vertere *interficientur*. Ad verb. *corrumpentur*. ℨ וּבָטְלוּ הַטֹּחֲנוֹת. Sym. καὶ ἀργηθῶσιν οἱ μύλοι, *& ceſſabunt molares*. ℨ הָרֹאוֹת בָּאֲרֻבּוֹת. Sym. αἱ ὁρῶσαι διὰ τῶν ὀπῶν *viſus per foramina*.

5. גַּם מִגָּבֹהַּ יִרָאוּ וְחַתְחַתִּים בַּדֶּרֶךְ וְיָנֵאץ הַשָּׁקֵד וְיִסְתַּבֵּל הֶחָגָב וְתָפֵר הָאֲבִיּוֹנָה כִּי־הֹלֵךְ הָאָדָם אֶל־בֵּית עוֹלָמוֹ וְסָבְבוּ בַשּׁוּק הַסֹּפְדִים. Sym. *Super hæc etiam de excelſo videbunt, & terror erit in via, & obdormient vigilantes, & diſſolvetur ſpiritus fortitudo: ibit enim homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes*] Καίγε ἀπὸ ὕψους ὄψονται, *ſed & ab excelſo videbunt*. Exſtat hodie in ed. τῶν ό: ubi tamen codices variant; nam in aliis eſt *timebunt* pro *videbunt*. Interpretatio in omnes partes melior. Vide nunc ed. Rom. ℨ *Terror erit in via.*] Aq. τρόμοι τρομήσουσι ἐν τῇ ὁδῷ, *tremore corripientur in via*. ℨ *Et diſſolvetur ſpiritus fortitudo:* καὶ διαλυθῇ ἡ ἐπίπονος, *& diſſolvetur ægritudo laborioſa*. Ἡ ἐπίπονος, ſub. λύπη, aut ὀδύνη.

6. וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב וְתִשָּׁבֶר. Sym. καὶ ἐλαθῇ τὸ ἀειφερὲς -- καὶ συνθραυσθῇ.

8. הֲבֵל הֲבָלִים. Aq. ἀτμὸς ἀτμίδων.

9. יוֹתֵר. Sym. ὑπερβάλλον *excellens*. ℨ אִזֵּן וְחִקֵּר. A. ἠνωτίσατο καὶ ἠρεύνησεν, *auribus percepit & ſcrutatus eſt*, vel *inveſtigavit*.

10. בִּקֵּשׁ קֹהֶלֶת. Sym. κατεσκεύασεν παροιμιαστής, *Præparavit Paræmiaſtes*. ℨ וְכָתוּב יֹשֶׁר. Aq. καὶ συνέγραψεν ὀρθῶς *& ſcripſit recte*] *Scripſit*. כתב.

11. נְטוּעִים. A. Th. πεφυτευμένοι *plantati:* πεπηγότες *defixi*. ℨ בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת. Schol. παρὰ τῶν συνταγμάτων, συναντημάτων.

12. הִזָּהֵר. Schol. φύλαξαι *cuſtodi*.

13. כִּי־זֶה כָּל־הָאָדָם Schol. τοῦτο γὰρ ὅλος ὁ ἄνθρωπος, *hoc enim totus eſt homo*.

14. כִּי אֶת־כָּל־מַעֲשֶׂה Aq. πᾶσαν γὰρ πρᾶξιν *omnem enim actionem*. ℨ עַל כָּל־נֶעְלָם אִם־טוֹב וְאִם־רָע. Sym. περὶ παντὸς παροραθέντος, ἐάν τι ἀγαθὸν, ἐάν τι κακὸν, *de omni quod neglectum fuerit, ſive bonum ſive malum fuerit*] Hier. *Pro eo autem quod nos poſuimus*, DE OMNI ABSCONDITO, SIVE BONUM SIVE MALUM SIT, *Sym. & Lxx interpretati ſunt* DE OMNI CONTEMPTU, *vel certe* DE OMNI IGNORATU, *quod etiam de otioſo verbo & non voluntate ſed ignoratione prolato reddituri ſumus rationem in judicio*.

AMAMA.

DUo agit hoc capite 1. Concludit præcedentem locum de Adminiſtratione Dei ad vſ. 10. 2. Concludit totum opus. In prima parte juncta 2 documenta 1. de præſenti officio noſtro. 2. de eventu mortis & judicii.

1. *Lætare juvenis in adoleſcentia tua: & exhilaret te cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambulare in viis cordis tui; & ſecundum aſpectum oculorum tuorum: ſed ſcito quod propter omnia hæc adducturus te ſit Deus in judicium*.

Occurrit tacitæ objectioni, Si tamdiu manendum mihi erit in ſepulchro, ergo jam genio indulgebo. Permittit hoc Ironice, *Lætare itaque* &c. *Sed cogita* &c. Atque hunc primum locum ego eſſe puto, qui Mimetice proferendus. Sunt tamen qui exponant ex mente Salomonis. Sed nunquam hoc perſuadebunt iis, qui τὸ *ambulare in viis cordis ſui*, & τὸ *vivere juxta aſpectum oculorum* ſemper in malam partem ſumi ſolere norunt. Num. 15. 29. *& non ſcrutemini poſt cor veſtrum & oculos veſtros poſt quæ ſcortamini*.

2. *Et aufer iram à corde tuo, & amove malum à carne tua, nam juventus & adoleſcentia vanitas ſunt*.

Iram] Sub *ira* comprehendunt omnes vitioſos affectus & perturbationes, quibus juveniles animi ſolent æſtuare.

Iram] Peccatum, quo Dei ira & indignatio accerſitur.

Malum] Culpæ ſcilicet.

A carne] a corpore. Alias caro pro toto homine, *Verbum caro factum eſt*. *Non curo quid mihi faciat caro*. Hic autem pro altera parte hominis ſumitur, quia nobilior pars voce cordis denotata fuit. q. d. da operam ut corpore & anima purus ſis. Et anima & corpore peccatum, quod Deo inviſum, tibi noxium eſt, averſator, vel vita peccata & avertes pœnas. Niſi eſſent peccata &c.

Juventus & adoleſcentia] i. florens ætas. שַׁחֲרוּת adoleſcentia à שַׁחַר aurora, quia ut ſenectutem veſperæ, ſic juventutem auroræ comparant Ebræi. Alii à שָׁחֹר quod nigrum eſſe ſign. & שָׁחוֹר niger, & hoc ſpectavit Chald. dum vertit, *ætatem quæ habet nigros capillos*. Crediderim hinc quia ſenectæ tribuuntur cani, albi capilli, in quem juvenum capilli etiam nigri verti ſolent. Sic ibi ſumitur שחורה אני Cant. 1. 10.

3. *Et memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, priuſquam veniant dies* (*) *mali & appropinquant anni, de quibus dicas, non eſt mihi in iis beneplacitum*.

4. *Priuſquam obtenebreſcat ſol & lux & luna & ſtella & revertantur nubes poſt pluviam*.

בוראיך] בָּרָא ex nihilo aliquid creare. Sic vulgo. At inſpicienti Sacras Literas clarum erit, aliquando etiam ſignificare aliquid creare ex præexiſtente aliqua materia. Vide Gen. 1. 21. ibi enim piſces dicuntur *creati ex aqua*. Et paulo poſt וַיִּבְרָא *& creavit Deus hominem ex limo terræ*. Unde Theologi doctiores ſtatuunt creationis duas ſpecies, Mediatam & immediatam. Immediatam quæ fit ex nihilo reſpectu materiæ potiſſimum. Mediatam, quæ fit ex nihilo, ſed reſpectu formæ tantum. Clarius, Immediatam quæ fit ſimpliciter ex nihilo; Mediatam quæ fit ex præexiſtente materia, ſed ita inhabili & inidonea ad recipiendam formam, ut merito pro nihilo haberi poſſit. Hoc explicat Druſius his verbis in notis ad Sulp. Severum pag. 6. *Creare eſt ex eo, quod non eſt, facere aliquid ut ſit, ſeu, ex nenente facere ens, ut Scholaſtici loquuntur, neque refert ex nihilo id fiat an ex materia*. Magnus ille Theol. J. Calvinus hic quærit effugium, ibi enim ubi Scr. dicit *hominem ex terra, piſces ex aqua creatos*, non vult extendere opus creationis ad reliquos dies, ſed continere intra ſpatium primæ diei, ut ita hominis creatio initium non ſumat ab iſto tempore, quo figuram hominis accepit ſed à primo die quo rudis & indigeſta omnium rerum corporearum & proinde etiam hominis narratur creatio. Sed merito Mercerus hoc rejicit, quia expreſſe fit hic mentio materiæ proximæ non remotæ. Hoc tantum hic obſervetur Calvinum confirmare ſententiam Ebræorum qui affirmant poſt primum diem nihil proprie eſſe creatum, ſed Deum reliquis quinque diebus diſpoſuiſſe & exornaſſe & expoliviſſe ſeu diſtinxiſſe rudem illam & indigeſtam materiam cœli terræque primo die creatam. Ebræi dicunt 7. eſſe creata ante mundum, *Paradiſum, legem, juſtos, Iſrael, ſolium gloriæ, Jeruſalem, Meſſias*. Fabulæ.

Priuſquam obtenebreſcat Sol &c.] Sunt tres hujus loci expoſitiones. 1. Exponunt hæc omnia, quæ ſequuntur, ac ſi eſſent Poëtica deſcriptio ultimi judicii. 2. Sunt ex Ebræis, qui intelligunt de excidio utroque urbis Jeruſalem. 3. Quæ expoſitio eſt literalis & genuina, de incommodis ſenectutis, ut ſit ſenſus, Reſipiſce antequam conſeneſcas.

Juxta expoſitionem primam, per *Solem*, *Lunam* &c. intelligunt ipſa illa cœleſtia corpora, quæ Chriſtus dicit obſcuratum iri, *Sol obſcurabitur & Luna non dabit lumen ſuum*.

Juxta ſecundam, per *ſolem*, *lunam* & *ſtellas* intelligunt principes

(*) Veteribus *ætas mala* dicta. Contra juventutem *ætatem bonam* vocat Cic. in de Senect.

cipes judices & Prophetas, juxta tertiam, *tenebreſcere* exponunt videbuntur obtenebreſcere tibi etiam lucidiſſima, q. d. priuſquam incipiant tibi caligare oculi. Chald. tamen & Raſchal perſiſtentes in hac expoſitione, aptant ſingula partibus faciei humanæ. Sed aliene.

Nubes poſt pluviam] Exiſtimo hoc eſſe proverbiale, quod tamen non vidi ab ullo ad hunc locum notatum & accommodabitur triplici iſti expoſitioni. Eritque oppoſitum iſti *poſt nubila Phœbus* i. poſt pluviam ſerenitas, quod juventuti poteſt aptari. Senibus autem contrarium accidit. Alii per *nubem* intelligunt Pelliculas quæ ſenum oculis ſolent obduci, poſt pluviam i. fletum vel humorem quo ſenum oculi ſolent abundare.

5. *Quando commovebuntur cuſtodes domus & pervertentur viri roboris &* (quando) *ceſſabunt molitrices, quia imminuti ſunt, &* (quando) *obtenebreſcent illi qui vident per feneſtras.*

Juxta triplicem expoſitionem ſuperioris verſus ſic tripliciter exponunt interpretes. Allegoriſtæ juxta primam hic per *cuſtodes domus* intelligunt Solem, Lunam & ſtellas & Angelos, qui ſub Deo huic mundo præſident & hæc inferiora gubernant. Sunt itaque cuſtodes hujus univerſi. Et per *viros roboris* juxta hanc eandem intelligunt dæmones, qui jam permiſſu Dei adhuc ſoluti ſunt & proinde robuſti & ſic porro, quorum quædam ita torquentur, ut me recenſere pigeat.

Juxta ſecundam interpret. per *cuſtodes domus* intelliguntur Angeli templi Præſides, quorum voces, ait Joſephus, paulo ante excidium ſecundi templi auditas, *Migremus hinc.* Et ſic per *viros roboris*, intelligendi ſunt fortes & robuſti, qui inter Judæos fuerunt. Et ſic porro. Ego inſiſtam tertiæ expoſitioni, quæ literalis & genuina.

Cuſtodes domus] Alii, *coſtas*, *ilia* & *oſſa* totius corporis intelligunt. Chald. *coxas*, alii *manus*, alii *brachia*. Quidam facultates quatuor, quibus domus noſtra continetur, attractiva, concoctiva, retentiva, purgativa. Præſtat manus & brachia intelligere, quæ corpus defendunt & in ſenibus ſolent debilitari.

Viri roboris] i. robuſti. Chaldæus hic *brachia* intelligit ſeu lacertos. Non inconvenienter. Alii *crura & tibias*, quæ ſunt quaſi fundamentum & baſis hominis, ac proinde Cant. 5. 14. comparantur columnis marmoreis.

Molitrices] i. dentes molares qui cibum comminuunt, ceſſabunt. Hier. *otioſi erunt*, vel quia peribit appetitus, vel quia ita hebetabuntur, ut cum dolore & quidem lentiſſime manducandus tibi ſit cibus. טוחנות Fœmin. eſt ob vocem שנים dentes, quæ fœm. eſt.

Quia imminuti ſunt] quod pauci ſint. מעטו hic ſumo intranſitive, licet ex natura conjugationis ſit tranſitivum. Alii tamen, ut Kimchi, in Michlol, tranſit. Quod *diminuerunt* ſc. molitionem. Sed non ita quadrat. Lxx. pro me, ὅτι ὠλιγώθησαν.

Videntes per feneſtras] Oculi. ראות eſt fœm. ob vocem עינים quæ fœm. eſt. Et ſic Chald. *caligabunt oculi, qui vident per cancellos capitis tui.* Lxx. καὶ σκοτάσουσιν αἱ βλέπουσαι ἐν ταῖς ὀπαῖς. Pollux, ὀπὴ δὲ ἐς ἐστὶν ἰδεῖν. Heſych. ὀπὴ θυρίς feneſtra. Convenit ergo cum noſtra interpretatione. Sym. ἐσόψεις διὰ τῶν ὀπῶν. Videtur legiſſe ראים aut tale quid. Alii tamen intelligunt hic quatuor ſenſus, qui habent foramina ſua, auditum, guſtum, olfactum, viſum.

Molitrices] טחן molere. Unde Jeſ. 47. 2. *Tolle molam & mole farinam.* קחי רחים וטחני קמח Eſt imperat. a ſing. maſc. טחן. טחני ob gutt. Deinde *mole farinam* i. mole frumentum ut fiat farina. A fine facta eſt denominatio. Sic *pervertere lances doloſas eſt abominatio Domino*, i. ita pervertere lances, ut fiant doloſæ. Sic in Jobo; *Exuere veſtes nudo*, ut *fiat nudus*. Licet quidam ibi ſumant *nudo* pro male veſtito, ſic in Apoſt. *propterea nudi ſumus* &c. Porro טחן molere ſæpe denotat maximum illud & duriſſimum ſervitium apud veteres, qua ſervi molas truſatiles agere cogebantur. Hoc vel ex ſolo Plauto liquet. Et ſic intelligo quod eſt Thren. 5. 13. *Juvenes meos ad molendum abſtulerunt.* Et Jud. 16. de Samſone abducto jam a Philiſtæis, *Et erat* טוחן *molens in domo vinctorum.* Et ſic expoſuerim illud Job. 31. 10. *Molat alteri uxor mea & ſuper eam incurventur alii.* Id eſt, ſit alterius abjectiſſimum mancipium. Nam quod quidam hic accipiant molere in ſenſu obſcæno, admitti poſſet, ſi eſſet תטחן molatur, & niſi illud expreſſe indicaretur verbis ſequentibus. Et tamen miror quoſdam Ebræos locum illum de Samſone hic interpretari, q. Philiſthæi ſuas uxores ad eum duxiſſent, ut ex ipſo prolem robuſtam haberent. Atque hinc lux erit loco iſti Exod. 11. 5. *Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti a primogenito Pharaonis* &c. *uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt molam.* q. d. a ſupremo ad infimum, quod explicatur cap. ſeq. verſ. 29. *a primogenito Pharaonis ad primogenitum captivi qui in ergaſtulo.* Et dicit *poſt molas*, quia in his molis non præcedebant, qui eas circumagebant, ſed ſequebantur & brachiis totoque corpore eam protrudebant, unde molæ iſtæ truſatiles dictæ ſunt. Eſt autem רחים a ריח odor, ab odore farinæ perpetuo, & quidem dualis numeri, quia duæ ſunt partes molæ, quarum ſuperiorem Latini *Catillum*, inferiorem *metam* vocant. &c. Hæc ſatis occaſione vocis טחן.

6. *Et claudentur oſtia extrinſecus propter exilem ſonum molitionis, & conſurget ad vocem volucris & humiliabuntur omnes filiæ cantici.*

Oſtia &c.] Repeti debet ביום *die quo* i. quando vel עד אשר לא *donec non, antequam.* Per *oſtia* quidam intelligunt januas domus verſus plateas, q. d. *antequam* ita *moroſus fias*, ut occluſis foribus ſemper domi deliteſcas, a foro & omni conſortio abſtineas. Vel, *antequam ita debilis fias*, ut propter greſſuum infirmitatem te foro committere non audeas.

Alii labia & dentes intelligunt quibus os ceu duplici valva vallatum eſt. Et referunt ad defectum appetitus in ſenibus, vel ob vitium organorum. Et hoc eligo ob id quod ſequitur.

Propter remiſſionem ſoni molæ] vel, *ob exilem ſonum molæ.* Ut ſit Metaphora a mola, quæ cum bene molit vehementem, cum male, exilem edit ſonum, ad dentes vel mandibulas relata. Alii eodem ſenſu ad ſtomachum transferunt, quem מסס Abenezra hoc loco nominat. שֵׁפֶל remiſſio in Regim. שְׁפַל.

Et conſurget ad vocem aviculæ] i. *Galli* ajunt quidam; *ſed ii*, ut ait Mercerus, *vim vocis* צפור *non ſatis norunt.* Præterea quod & juvenis dormiens ad cantum galli poſſet excitari. hoc vult dicere, antequam veniat tempus quo cruditatem & imbecillitatem tui ſtomachi hoc conſequetur, ut vel ad minutiſſimæ aviculæ cantum ſis evigilaturus. Qui in prima expoſitione hic per *ſonum avis* intelligunt Michaelem, & per צפור Chriſtum, ridiculi ſunt.

Et humiliabuntur omnes filiæ cantici] ישחו eſt Fut. Niphal a שחח ut יִסַּבּוּ ſed Dages ex ח abſorbetur; Conſtituitur cum nom. fœm. Simile in Eſth. יתנו *dabunt* כל־הנשים *omnes uxores honorem Maritis ſuis.* Abenez. ait illa verba maſc. referenda ad כָּל־. Si ita eſt tum כל in Ebraiſmo ut in Arabiſmo ſubſtantive ſumi oportet. Ut, *dabunt univerſitas mulierum* &c. ישחו בנות השיר השירים cantica, & ſic tolles anomaliam quæ in generibus hic eſt: *Filia cantici*, i. canticum, ſicut *filii Achivorum*, Achivi; *Filius hominis* i. homo. *Filii medicorum* &c. *Humiliabuntur* i. deprimentur, contemnentur. Sic Barzillas Galaadites excuſans ne ſit in comitatu Davidis, *Num audiam ultra*, inquit, *vocem cantorum & cantatricum?* 2 Sam. 19. Chald. *Labia* intelligit, Alii *aures*, & ſic Hieron. qui & ישחו vertit *obſurdeſcent.* Sed omnium optime Aquila, καμφθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς. *omnia ad cantum pertinentia.* Chald. & *remittentur labia tua a dicendo cantico.*

7. *Etiam a re alta timebunt & terrores* (erunt) *in via & florebit amygdalus & oneri erit illi locuſta, & irrita fiet appetentia, quia tendit homo ad domum æternitatis ſuæ & circuimbunt in platea lugentes.*

Timebunt] Mutat numerum, vel *timebunt* שוקיו *crura ejus.* Quando veniet tempus quo homines timebunt ſibi a locis excelſis. Timent enim ſenes loca alta conſcendere. Alii plurale referunt ad cogitationes ſenis q. d. cogitationes ejus timebunt. Et ſic Abenezra. Supplet enim המחשבות. Sed hic eſt fœmininum. Alii, ſed minus recte, putant י in ייראו eſſe addititium, ſed hoc inſulſum eſt.

Et terrores in via] Pavebit etiam in via plana. Diffidet enim poplitibus ſuis &c. חתחתים eſt a חת חתת, unde duplicaris extremis חתחת. Abenezra hæc ad metum mortis refert, metuit ſe iturum ad locum altum & timores ſunt ei in via hac ad ſtatum mortuorum. Et dicit hoc finem verſus oſtendere.

Et florebit amygdalus] Optima ſententia eſt hæc, ut canities capitis intelligatur. Et huc refert Mercerus ex Sophocle, δι' ἀπανθίζουσαν ὧδε γηθησμένον. Neque ſuſpectum habebunt ita floribus tinctum i. hominem ita canum. Utitur autem ſimilitudine amygdali, quia illius arboris flos ſimilis eſt caniiei & quia inter cæteras prima flores edit, unde & שקד appellata, quod maturet & acceleret florere verno tempore. Imo ut Plinius, *in Januario floret & in Martio habet fructus maturos.* Ideo a שקד derivatur, quod ſig. *advigilare*, *feſtinare*, *accelerare.* Et hinc lux erit loco *Jirm.* 1. 12. Ubi Deus ad Jirm. *Quid vides Jirmija? Et dixi* מקל שקד אני ראה. Vulg. *baculum vigilantem video*: ſed quare dicit *virgam vigilantem?*

tem? aut locus iſte male verſus aut *vigilantem* ibi eſt *feſtinantem.* Nam ſequitur, *Vigilabo ego ſuper verbum meum ut faciam illud.* q. d. feſtinabo celeriter facere verbum meum. Sic Jonathan, *Regem qui feſtinat male facere ego video. Makkel* accepit pro Nebucadnezar, ut in eo, *Aſſur virga furoris mei.* Sed non videtur hæc expoſitio poſſe conſiſtere. Nam vigilans שָׁקֵד dicitur. Ideo Druſius locum ſic convertit, *Baculum amygdalinum video.* Et ſic Lxx. βακτηρίαν καρυΐνην, *baculum nuceum*, & Theodotio, βακτηρίαν ἀμυγδαλίνην. Reſpexiſſe autem videtur Propheta ad duo, primo ad affinitatem, quam שָׁקֵד habet cum שֹׁקֵד feſtino. Ideo ſubjicit, *ego feſtino ad verbum meum.* Quæ paronomaſia Græcis & Lat. eſt inimitabilis. Deinde, ad naturam Amygdali, quod cito creſcat & fructus ferat, ut Kimchi notat ad eum locum. Vide Miſc. DRUSII Cent. 1. cap. 57. Sed ut domum redeamus, *florere amygdalum* hic nihil aliud eſt, quam ſenem canos ſæpe citius accelerare, quam putarat. Et ſic א in יָנֵאץ quieſcet ut in קָאם, aut potius erit pro Jod. Alii *& reprobabitur concubitus*, tunc eſſet יִנְאַץ, alii os fœmoris intelligunt, alii membrum generationis. Aben. per שקד intelligit facultatem cuſtodiendi & vitandi vitam ſuam, & ינאץ exponunt *averſabitur cuſtodiam ſui.* Sed quia optimam poſuimus, reliquas mittimus.

Et oneri erit ipſi locuſta] Vel minimum animalculum ipſi moleſtum erit, ut ſupra vox aviculæ. Alii in חָגָב putant ח poſitum pro ע; עגבות autem Rabbinis ſonat eam partem corporis, qua ſedemus. Sed hoc alienius. Alii partes pudendas. Alii, *& onerabitur dorſum*, alii, *in curvo dorſo incedet, ut locuſta, ut ſibi ſit oneri.*

Et irrita erit appetentia] אֲבִיּוֹנָה ab אָבָה. Ad concubitum referunt fere omnes. Ego mallem quemvis appetitum intelligere. Certe reſpexiſſe videntur Lxx. & Vulgatus ad appetitum cibi, dum vertunt κάππαρις. Et ſunt qui dicunt *Capparim* utrumque appetitum excitare. Ego hoc neſcire me confiteor. Sunt qui אביונה putant poſitum pro בינה intelligentia, ut אזרוע pro זרוע &c. Sed hoc poſſet habere ſpeciem aliquam, ſi eſſet אֲבִינָה. Alii putant eſſe diminutivum ab אֶבְיוֹן quaſi dicas pauperculum ſc. ſpiritum, & ſic exiſtimant quidam, poſitum *Aminon* pro *Amnon.* Sed hoc Abenezra refutat. Sed quia תָּפֵר eſt in Hiphil, videtur improprie reddi intranſitive, ideo Kimchi, *diſſolvet fœdus ſuum cum corpore* אביונה, id eſt, animæ vis appetens. Certe הֵפִיר cum בְּרִית ſæpe conſtruitur & opponitur הקים ſtabilire.

Atque hæc eſt explicatio trium harum partium ſeorſim. Videamus jam Trem. & Jun. qui hæc tria conjungunt, *Et efflorescentem amygdalum & pinguefacientem ſe locuſtam irritam faciet (animus ejus) appetens.* Hic poteſt aliquid pro & contra dici. Pro, quod vocem תפר hic exponant in ſignificatione tranſitiva. Contra, quod hic nimis violente illa futura conjungunt ac ſi eſſent participia. Senſus quem afferunt eſt accommodatiſſimus. Hoc enim volunt, ne quidem tempore verno, quod amœniſſimum eſt, delectabitur, ſed & illud faſtidiet. Illud autem deſcribit duobus exemplis, arboris & animalculi. Ego hic mera ænigmata video, Oedipum nondum vidi.

אֲבִיּוֹנָה] Ab אָבָה. Unde & videtur deſcendere vox אֵבֶה Job. 9. 26. Cujus etiam variæ expoſitiones. Dicit *dies ſuos tranſiſſe* עם אניות אבה *cum navibus deſiderii.* Æque celeriter ac naves Ebe. De ſenſu convenit, quæritur de voce. Quidam vertunt *deſiderii.* i. velocibus, in queis homines cito compotes fiunt deſiderii, perveniendo quo volunt. Sic Ralbag i. R. Levi Ben Gerſom. Alii putant eſſe fluvii nomen. Alii vertunt, *naves pomis onuſtas* ab אֵב, quod *fructum præcocem* ſignificat. Et ſic Hier. & Chald. Alii ab אֵיב deducunt *inimicitias exercere*, q. d. naves piraticas, naves militares quæ velociſſimæ ſunt, ſed tunc fuiſſet אֵיבָה. Optima expoſitio prior.

Quando homo vadit] Rationem omnium jam ſubjungit, quando jam iturus paulo poſt eſt. Nota initio Part. act. quæ pro indicativo præſ. ſerviunt, ſæpe poni pro paulo poſt futuro. Sic, *invenit navem euntem* באה. *Ego commoveo cœlum & terram. Vado ad Patrem*, &c. Sic Marc. 16. venere ad ſepulchrum ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου (ſic enim meliores codices, non ἀνατέλλοντος) confer cum Luc. 24. *profundo diluculo* & Joh. 20. *cum adhuc eſſent tenebræ.*

אֶל־בֵּית עולמו] Sic Occidentales, filii Iſrael. At Oriental. quos & filios Babel vocant, legunt עֲלֵי־בֵית.

Ad domum ſeculi ſui] i. ſepulchrum, ubi longo tempore futurus eſt. עוֹלָם enim tempus abſconditum ſive finitum ſive infinitum ſignificare ajunt Lexicographi. Scio עולם non ſignificare ſemper æternitatem (niſi cum additur עד) ſed an abſconditum ſemper ſignificet dubito. Certe Exod. 21. 6. *Et ſerviet ei in ſeculum*, non poteſt extendi ultra Jubilæum. i. uſque ad quinquageſimum annum. Loquitur enim de ſervo, qui poſt abſolutum ſeptennium nihilominus cum hero ſuo volebat vivere. Sed hic nihil obſtat quo minus de æternitate intelligatur, ad domum æternitatis, ubi in æternum manendum erit, ut intelligat ſtatum animæ & reſpondeat τῷ שְׁאוֹל quam vocem ex Ebræis, Patribus, Junio & Mercero oſtendimus, utrumque locum comprehendere ac proinde catachreſtice per Inferos phraſi Ethnica, φυσικῶς vero Græcis ᾅδην verſum. *Ire ad domum ſeculi ſui*, i. mori, *ire ad plures, ire viam univerſæ terræ, univerſæ carnis, ire ad Patres, colligi ad Patres.*

Et circumibunt lugentes] Præficos & præficas intelligit, quæ fuit Judæorum conſuetudo. Unde memorantur & Matth. 9. 23. θρηνῳδοὺς intelligit & αὐλητάς, quos Homerus in deſcriptione funeris Hectoris vocat θρήνων ἐξάρχους, Latini peculiariter *ſiticines.* Sic autem dicti quod apud *ſitos* i. vita functos & finitos & ſepultos canerent. *Siccinistas* quoque dixerunt Veteres. *Siccinium* enim genus veteris ſaltationis fuit. Saltabundi autem canebant in funere defunctorum. Lucius Actius dicit *ſiccinistas dicti nebuloſo nomine.* i. obſcuro, quia unde ſicciniſtæ dicti obſcurum. Vide Gellium 20. 2. Hi nugas canebant i. carmina laudativa. Nugæ enim Latinis ſunt talia præficarum carmina ab Ebræa voce נוגים mœſti à יָגָה mœſtus fuit. Unde Hieronymus Soph. 3. 18. Ubi in Ebræo eſt נוּגֵי & noſtri habent *Mœſtus*, retinuit vocem Ebr. *Nugas*, & per eam vocem Druſius intelligit eos, qui canebant nugas. Vide Druſ. & Hieron. ad illum locum. Lactantius, citante Druſio ad locum Matth. 9. 25. *Jubet Religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Ergo tibiis utebantur in funeribus puerorum & puellarum. *Tale quid*, Nebriſſenſis ait, *apud nos. Nam in funere virorum pulſantur campanæ majores, in puerorum vero minores.* Notat hoc Annot. 46. Ovid. 6. Faſt. *cantabat mœſtis tibia funeribus.*

8. *Priuſquam abrumpatur funis argenteus & conteratur lenticula aurea & confringatur hydria ſuper fontem & conteratur rota ſuper ciſternam.*

Pergit proponere ænigmata mortis potius vicinæ quam ſenectutis ſimulachra. Hoc videtur velle his ſimilitudinibus, Quemadmodum ruptis apud puteum iſtis, quæ aquæ hauriendæ inſerviunt, aqua hauriri nequit, ſic nec deficientibus & exhauſtis facultatibus vitalibus & naturalibus vita retineri poteſt.

Prolongetur funis argenteus] Scribitur יִרָחֵק prolongetur, at quia à רחק non venit verbum in Niphal, præſtat lectionem hic ſequi יֵרָתֵק. x1. loca quæ leguntur per ת & non ſcripta per ח. Junius & Trem. ſequuntur ſcripturam, & vertunt *procul amoveatur*, ſignificatione paſſ. deſumpta ab act. Hiphil הִרְחִיק *procul amovit*, quod ſæpe fit. Et per *funem argenteum* intelligunt iidem inſtrumenta & ſuppellectilem argenteam, ut lora, cingula, catenas argenteas, q. d. antequam Deus tibi adimat uſum earum rerum in quibus exultas. Alii ſequuntur lectionem, iique dupliciter ſumunt, cum enim רָתוֹק ſit *catena*; hinc deſcendet יֵרָתֵק quod quidam, referente Kimchi, exponunt *concatenetur, contrahatur funis argenteus* i. filum ſpinæ dorſi, quod vocatur *funis argenteus* ob medullam, quæ alba eſt. *Concatenetur* i. contrahatur & catenæ more in juncturas recipiatur. Alii ירתק accipiunt ſignificatione contraria, ut ſignificet *diſſolvi*, quaſi diſcatenari dicas, quod tum diſſolvatur illa compages nodorum in ſpina. Sunt qui filum vitæ poetice intelligant, quemadmodum & Poetæ profani Parcas finxerunt colum vitalem geſtantes.

Et confringatur lenticula aurea] Junius & Trem. *& excurrat orbis aureus* i. monilia, annuli & bullæ &c. Alii *& confringatur lenticula aurea*, ut à רוץ deſcendat. גֻּלָּה eſt genus vaſis rotundi. Quidam intelligunt ruptionem Menyngis, in qua eſt cerebrum quæ membrana rufa eſt ut aurum. Alii per *funem argenteum & lenticulam auream* intelligunt cibum & potum, ſed aliene. גֻּלָּה à גלל, unde & גֻּלְגֹּלֶת cranium, calvaria, & Chald. terminatione גֻּלְגָּלְתָּא & eliſa ל γόλγοθα τοῦτ᾽ ἐστὶ κρανίου τόπος. Contra à בלל fit בַּבֵל pro בַּלְבֵל.

Et conteratur hydria & diſſipetur rota] Junius & Trem. intelligunt vitæ commoditates, quæ hic duabus figuris figurantur. Alii per *hydriæ ruptionem* intelligunt ruptionem venarum meſaraicarum. Alii per *hydriam* intelligunt veſicam fellis, fontem vero jecur, ubi eſt officina ſanguinis.

Confringatur] תִּשָּׁבֵר. Unde שֶׁבֶר frumentum quod frangat, ſedet famem. שָׁבַר aliquando *ſedare*, unde & ad ſitim relatum aliquando *reſtinguere* ſignificat. Pſ. 104. 11. *Qui emittit fontes &c. ut ambulent per maria, ut potent omnia animalia agri & frangant onagri ſitim ſuam.* Proprie *frangere*, unde שֶׁבֶר eſſet proprie *fractura*, ut quando pro annona ponitur, ſemper ſubintelligatur רְעָבוֹן fames. Et ſic invenies Geneſ. 42. *Portate* שבר רעבון *fractionem famis domuum.* Unde & pro expoſitione ſumitur Jud. 7. 15. את שברו q. d. fractionem rei difficilis

ficilis & nodoſæ ut ſit Metaphora à nuce. Atque שָׁבַר hinc deſumpta ſignificatione ſignificat aliquando, *annonam emere*, *comparare*, ut in hiſtoria Joſephi. Et in Hiphil, *annonam vendere.* Tandem שָׁבַר aliquando ſignificat *decernere*, *excidere*, eo ſenſu, quo בְּרִית dicitur de pacto, Job 38. 10. *Quis occluſit valvis mare &c. Cum ponerem nubem indumentum ejus & caliginem cunabula ejus*, ואשבר עליו חקי *& frangerem ſuper id decretum meum & apponerem vectem & valvas. Frangere decretum* ut *excidere fœdus.* Hoc non conſideranti poſſet locus videri pro mutabilitate decretorum Dei.

Rota ſuper ciſternam] Quidam intelligunt per *Rotam* caput &.cor *ciſternam*, unde vita emanat. Alii ruptionem pulmonum, alii per בור foveam, ſepulchrum intelligunt & per caput Synecdochice totum hominem & נרץ exponunt, *decurrit.* Jun. *qua vertente hauſtrum in ciſternam inducitur educiturque quando profunda eſt q.d. neque propinquis neque remotis bonis utendi facultatem habiturus es.*

9. *Et revertatur pulvis in terram, quemadmodum fuit, & ſpiritus revertatur ad Deum qui dedit eum.*

Quemadmodum fuit] Scilicet in prima creatione. Nam de ſingulis corporibus dici nequit, quod immediate ſint ex pulvere.

Pulvis] Corpus humanum ex pulvere ortum. Alludit ad illud, *Pulvis es & in pulverem reverteris.*

Et ſpiritus revertatur] Hinc contra Traducem diſputant nonnulli. Ego ſcio, nihil hunc locum iis favere. Controverſiam hanc quod attinet, ea prægnantibus argumentis ex Philoſophia petitis utrinque exagitata eſt, adeo quidem, ut doctiſſimi Philoſophi aſſerunt ex Philoſophia hanc controverſiam decerni non poſſe, hic enim λόγοι ἀντιπαλαίουσι τοῖς λόγοις. Communiter tamen dicunt in S. L. hanc litem decerni, easque ex diametro Traduci adverſari. Adferunt autem duo (*) loca ex Veteri, unum ex Novo Teſtamento. Locum hunc quod attinet vidimus jam nihil inde poſſe concludi. Quemadmodum enim corpus noſtrum ibi dicitur eſſe ex pulvere ſcilicet reſpectu creationis primæ, ita & ſpiritus dici poteſt à Deo reſpectu primæ infuſionis animæ Adami. Quamvis illi, qui dicunt Traduci, Deum non excludant. Locus Zachariæ nihil facit pro iis. Sic enim argumentandum, Qui format ſpiritum hominis in medio ipſius, ille infundit eum. Quis non videt hanc majorem implicare contradictionem. Nam infundere & formare aliquid in medio ejus rei non poſſunt ſe mutuo tolerare. Secundo dici poteſt locum nihil facere contra Traducem, quia per vocem *Spiritus* poteſt intelligi & quidem modo conſueto voluntas & affectus hominis quem Deus format, & flectit pro libitu, 2 Paral. 12. *Et Deus ſuſcitavit ſpiritum Cyri.* Hagg. 1. *Deus ſuſcitavit ſpiritum Zorobabel.* Iſa. 37. *Ego dabo ei ſpiritum.* Jam vero qui locus admittit aliam expoſitionem is nihil certi concludit. Tertio poſſit & exponi de anima, ſed eo modo, quo vidimus ad locum Eccleſiaſtis, reſpectu animæ Adami. Neque obſtabit part. præſ. יוֹצֵר. Nam hoc per præteritum hic exponi poſſe, poſſent ſuadere præcedentia, ubi dicitur נוֹטֶה *extendens cœlos* & יוֹסֵד *fundans terram.* i. extendiſſe, fundaſſe. Vidimus itaque nihil facere contra Traducem. Videamus jam quid poſſit pro Traduce hinc colligi. Dicit primo, *Qui format*, ſi retineo part. præſens, deſtruetur ſententia eorum, qui exiſtimant omnes animas initio creationis eſſe creatas & reſervari ſingulis corporibus, quod videretur ſtatuendum alteri parti, cum Deus à creatione quieviſſe dicatur die ſeptimo, à creatione dico non tantum ſpecierum ſed & individuorum, exceptis enim extraordinariis & monſtris detur aliqua inſtantia. Secundo, dicitur *formare ſpiritum hominum* בְּקִרְבָּם *in medio ipſorum*; ergo non infunditur & non immittitur θύραθεν, θύραζεν aut ἔξωθεν, ut loquuntur. Tertio dicit, יוֹצֵר quod à בָּרָא creavit differt, quod בָּרָא ſignificatione prima ſignif. *ex nihilo aliquid creare*, יצר vero *fingere*, *formare*, unde יוֹצֵר quando nominaſcit, *figulum* ſignificat. Non poteſt itaque referri alio niſi ad illud animæ ſemen immortale, ex quo Deus tanquam ex ſubſtrata materia & operis ſubjecto animam effingat, & quidem in ipſa humana natura, non foris.

Tertius locus ex Epiſt. ad Ebr. petitur cap. 12. *Deinde*, inquit Apoſtolus, τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν, πατέρας *habuimus caſtigatores, & eos reveriti ſumus, An non multo magis ſubjiciemur patri ſpirituum & vivemus?* Reſp. ad illum locum, non procedere niſi firmiter oſtendatur per *carnem* hic intelligi corpus, & non potius id quod naturale in homine eſt. Et deinde per πνεύματα intelligi noſtras animas & non potius Angelos, certe Angelos potius denotari evincere poſſet, quod non addatur hic ἡμῶν, quod voci σαρκὸς additum fuit. Poſſet & dari patrem animarum vocari Deum, ſed reſpectu animæ primi parentis, à qua noſtræ animæ tanquam lumen de lumine ſunt propagatæ aut quia concurrit ſemper in propagatione animæ. Jam vero nos de proxima efficienti quærimus. Efficientium enim ea primaria eſt, quæ proxima & immediata eſt. Atque hæc à me prolata ſunt non decernendi gratia aliquid in intricata hac controverſia, ſed oſtendendi, argumenta illa non ſatis procedere.

(*) Eccleſ. 12. 9. Zach. 12. *Sic dicit DOMINUS qui extendit cœlos &c. & format ſpiritum hominis in medio ejus.*

10. *Vanitas Vanitatum, dicit Coheleth, omnia vanitas.*

11. *Quod reliquum eſt, (quia fuit Eccleſiaſtes ſapiens & inſuper docuit ſapientiam populum, & perpendit atque inveſtigavit & concinnavit parabolas multas.*

12. *Et quæſivit invenire verba delectabilia & ſcripta recta & verba veritatis.*

13. *Nempe verba ſapientum, quæ ſunt ſicut ſtimuli & tanquam clavi infixi, eorum qui illa collegerunt, quæ tradita ſunt à Paſtore uno.)*

14. *Quod reliquum eſt, ex iſtis fili mi admonitus eſto. Nam faciendi libros multos non eſt finis, & lectio multa fatigationi eſt carni.*

Concluſio operis, in qua tria facit, primo repetit principale thema hujus libri verſ. 10. Deinde hortatur juniores, ut præceptis hujus libri & libri Proverbiorum contenti ſint, diſcant & amplectantur; à verſ. 11. ad 15. Tertio indicat totius hujus inſtitutionis ſcopum, *Time Deum* &c.

Verſ. 11. Commendat ſua præcepta ab utilitate.

Quod reliquum eſt] וְיֹתֵר *Quod reſtat.* Alii ſic hunc verſum per ſe reddunt., ויותר שֶׁהָיָה *Quo magis fuit ſapiens, tamen docuit* &c. Alii, *Et amplius eſt, quia fuit ſapiens, aſſidue docuit* &c. Q. d. non tantum hæc docuit Salomo, ſed & multa alia. Et ſic verſio Anglicana nova. עוד pro תָּמִיד. Abenezra adducit exemplum עוד ממאתו בו. Præfero primam expoſit. Et ſic ויותר accipitur 1 Sam. 15. 15. *Et quod reliquum eſt perdidimus.*

Et docuit populum ſapientiam] Obſerva hic diverſitatem inter filium Aſer & F. Naphtali. Bene Aſer ſic legunt עוד לִמַּד דעת. F. Naphthali עוד למדדעת. Sic & differunt verſ. 13. Dum illi legunt וּכְמַשְׂמְרוֹת, Hi וכמעסמרות &c.

Et perpendit] אִזֵּן Ut deſumat ſignificationem à nomine מאזנים bilances. Alii *& attendit, auſcultavit* i. הֶאֱזִין ἐνωτίζειν. Kimchi ſequitur prius ושקל ענין בענין. Alii, *fecit auſcultare, fecit attentos auditores.* Cabala, באר ענין התורה שבעל פה. Ebræi enim Legem dividunt in ſcriptam & שבעל פה, Scriptam ajunt comprehendere præcepta 613 תר״ג quot ſunt literæ in Decalogo, & comprehenduntur hac voce בְּתוֹרָה. Dividuntque ea in Præcepta affirmantia & negantia, affirmantia ſeu מִצְוֹת עֲשֵׂה ſunt 248, quot ſunt corporis humani membra, comprehendique ea hac voce רמח lancea. Negantia ſunt 365 ש כה quot ſunt dies in anno. Unde dictitant; *Quemque diem nos admonere officis noſtri, ne faciamus quod Deus prohibuit, & quodque membrum, ut faciamus ea quæ Deus præcepit.* Vide Thalmud in Tract. מַכּוֹת cap. 3. & Capthor fol. 145.

Et inveſtigavit] perquiſivit, ſcrutatus eſt. Abenez. exponit, ut ſit dupliciter act. *ſcrutari fecit.* Hinc fit מחקר ſcrutationes, unde מחקרי הארץ i. תַּחְתִּיּוֹת ima terræ. Atque hoc eſt illud vocabulum, unde denominantur apud Ebræos rerum naturalium ſtudioſi, nempe חַכְמֵי מֶחְקָר. Proprieque ſunt tales, qui in rerum naturalium & abſtruſarum perveſtigatione laborant, Phyſicos vocare poſſis. Atque horum fit mentio paſſim apud Ebræos, Kimchi Pſ. 91. Ubi dicunt non eſſe dæmones. Pſ. 104. Ubi agunt de anima. Pſal. 102. de fine mundi. Pſ. 104. rurſus verſ. 3. Ubi negant eſſe aquas ſupra expanſum. Aben. ſolet eos vocare אנשי מחקר. Gerund. המתחכמים בחקר. Et Manahemus Ricinenſis in Moſen. 116. 4. *Sapientes Mehcar aſſerunt animæ accidere ſanitatem & morbum. Sanitas ſunt bona opera, Morbus mala opera.* Hæc noto ob locum 1 Cor. 1. 20. ποῦ σοφὸς, ποῦ γραμματεὺς, ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου. De quo loco non eſt eadem opinio. Druſius Obſ. 4. 6. notavit συζητητὴν τοῦ αἰῶνος eſſe eum, quem Ebræi חכם המחקר vocant. Et hoc confirmavit ex Hieron. qui in Epiſt. ad Gal. hinc citat, *ubi cauſarum naturalium ſcrutatores?* Atque hanc ſententiam Beza citat & ſuo ſuffragio approbat. Verum Doct. vir Nicol. Fullerus Obſ. lib. 3. 7. aliam præfert interpretationem, ut συζητητὴς ſit idem quod Doctor Myſticus & allegoricus, & pro eo facit Syrus, hic habens דרושא à דרש ea ſignificatione, quam habet compoſitum מִדְרָשׁ & דְּרַשׁ expoſitio myſtica, allegorica, unde דרך דרש ſecundum ſenſum allegoricum & reconditiorem, unde & דרשן & בעל המדרש qui talem peritiam in expoſitionibus myſticis eſt adeptus, & בתי מדרשות Scholæ, ubi differebant

tales Doctores. Probarem niſi obſtaret, quod additum eſt ibi τοῦ αἰῶνος τούτου. id ego interpretor *mundi hujus*, eo ſenſu quo legimus, principes τούτου αἰῶνος, & Diabolus vocatus Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου. Quod quomodo expoſitioni Sacrarum Literarum & quidem myſticæ, magiſque ſpirituali aptari poſſit non video.

12. *Quæſivit invenire*] i. ſtuduit invenire. Sic Marc. 12. 12. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, *Et quæſiverunt eum apprehendere.* Luc. 5. 18. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενέγκαι.

Verba deſiderii] aut res deſiderii, i. res aut verba deſiderabilia, res optatas. דָּבָר verbum & rem ſignificat.

Et ſcripturam rectam] וְכָתוּב יֹשֶׁר. Alii *& ſcripturam rectitudinis* i. וּכְתוּב יֹשֶׁר. Ergo mallem כָּתוּב בְּיֹשֶׁר *& ſcripturam in rectitudine.* Aut, *Scripturam quæ eſt rectitudo.* R. Salom. in commentariis legit וְכָתַב ſed in prima editione וְכָתוּב. Scripturam vocant כְּתָב. Et tertiam partem Bibliorum כְּתוּבִים quaſi dicas ſcriptos per Spiritum ſanctum. Sed annon omnes libri ſcripti inſtinctu Sancti Spiritus? Reſp. Ebræos diſtinguere inter Spiritum ſanctum & Prophetiam ſtricte ſumptam. Manahem Ricinenſis in Prophetia late ſumpta conſtituit tres quaſi gradus. Unum, qui peculiariter vocatur Prophetia, ſecundum, qui vocatur Spiritus ſanctus, tertium vocant Filiam vocis. Alii interponunt Urim & Thummim, ut ſint gradus quatuor. Et ſic Moſes Gerundenſis in Exod. fol. 146. 1. *Inter filiam vocis & Prophetiam erant Urim & Thummim.* Ubi rurſus ſub Prophetia comprehendo Spiritum ſanctum. Atque ſic expedit Radak difficultatem, cur Daniel inter Hagiographos ſit relatus, nos aliam rationem oſtendimus ex Druſio in Prolegomenis hujus libri.

Filia vocis] בַּת קוֹל aut בְּרַת קָלָא. Ejus uſus frequens fuit ſub templo ſecundo. Imo Doctores ajunt in Thalmude poſt mortem Haggæi, Malachiæ &c. plane deſiiſſe Spiritum ſanctum, ſed adhuc habuiſſe illos filiam vocis. Vocatur autem filia vocis, ut quidam, quia prodibat quidem vox è cœlo, ſed ex illa voce exibat alius & quidem articulatus. Talis vox fuit Matth. 3. ubi declaratur Meſſias. Et talem vocem intellexerunt Judæi Actor. 12. 22. Ubi textus Græcus habet, φωνὴ Θεοῦ καὶ οὐκ ἀνθρώπου. Textus Syrus habet, *Filiæ vocis Dei ſunt & non hominis*, ubi per *filias vocis*, intelligunt talia Dei oracula. Facit & earum mentionem Jonathan Numer. 21. 27. Deut. 28. 15. Talis etiam forte fuit vox, quam auditam in templo paulo ante ejus deſtructionem narrat Joſephus, *Migremus hinc.*

Rectam] יָשָׁר. rectus, unde יְשָׁרִים recti, εὐθεῖς. Et ſic cognominantur κατ᾽ ἐξοχὴν, Abraham, Iſaac, & Jacob. Unde & liber Geneſeos, ubi eorum vita traditur, apud Veteres, vocari ſolet Liber εὐθέων i. Rectorum.

13. *Stimuli*] דָּרְבֹנוֹת juxta lectionem Filii Naphthali, דָּרְבָנוֹת juxta lectionem filii Aſer. Primus uſus Scripturæ, ut ſtimulis agantur pii & excitentur à ſegnitie naturali.

Et ſicut aculei] Alter uſus, ut pii ad officium adacti in eo contineantur circumcluſi certis veluti repagulis Verbi Dei. Sic Junius & Tremellius.

בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת] Varie hæc accipiuntur. Sunt i. qui cum clavis jungunt, quaſi dicas, clavos habentes coll. 1. capita in ſe collecta & craſſiora. 2. Alii ad דברי, ac ſi dicas, verba collecta hinc inde. 3. Alii ad ſapientes referunt, quos ῥαψῳδοὺς hinc poſſis vocare. 4. Jun. & Trem. *ad caulas*, ut ſignificentur loca, in quibus colliguntur pecora. Alii, *Domini* aut *Magiſtri congregationum, collegiorumque.* 5. Ego præfero, ut ad *ſapientes* referantur, quos hic ῥαψῳδοὺς vocare videtur.

Stimuli] דָּרְבֹנוֹת formæ קָרְבָּן, ut vult Kimchi, niſi quod ד breve hic fiat latum, quod & in קָרְבָּן fit aliquando. Hinc fieri debebat דָּרְבְנוֹת ſed hic eſt דָּרְבֹנוֹת, ac ſi eſſet à דָּרְבָן. Proprie ſic vocatur aculeus, qui eſt in extremo baculi, at מַלְמָד eſt baculus ipſe.

Clavi] וּכְמַשְׂמְרוֹת à מַסְמֵר, hic eſt ש pro ס. In Midras exiſtimant hic latere myſterium, ut alludatur ad משמרות cum ש, quomodo appellantur 24 iſtæ ἐφημερίαι, Levitarum & Sacerdotum, de quibus nos aliquid ad cap. 3.

A paſtore uno] i. DOMINO, qui fons eſt vel potius Oceanus omnis ſapientiæ, ne quis ideo verba ſapientum contemnenda putaret.

Ἐξ ὅπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα.

Alii ad Moſen referunt. Perſiſtit autem hic in Metaphora dum *paſtorem* vocat. Meminerat enim *ſtimulorum*, quibus paſtores utuntur. Vide Mercerum.

14. *Quod reliquum, ex iis admonitus eſto*] Quaſi dicat, ne cures alios libros, hi tibi ſufficiant. Alii, *Et amplius iſtis cave* ſub. qui oras. Senſus idem. Alii ſequens illud עֲשׂוֹת conjungunt cum הִזָּהֵר, Plures illis cave facere libros. Sed obſtat accentus Athnach in hizzaher.

Faciendi libros non eſt finis] Alii plane contrario ſenſu, *fac libros ſine numero.* Ut ſit עֲשׂוֹת Infinitivus pro Imperativo. Sic in Decalogo זָכוֹר memento pro זְכֹר. Sed prior lectio melior.

Lectio] לַהַג Arabibus eſſe idem, quod קְרִיאָה ait Aben-Ezra. Kimchi exponit לִמּוּד בְּלִי הֲבָנָה *diſciplinam ſine intelligentia.*

15. *Finem totius rei audiamus; Deum time & præcepta ejus cuſtodi; non hoc eſt totum hominis.*

16. *Nam opus omne Deus adducet in judicium* (quod erit) *de omni occulto, ſive bonum ſive malum fuerit.*

Alii ſic, *Finis totius rei auditus eſt*, ut נִשְׁמָע ſit præt. paſſ. Alii ſic, *Finis rei*, q.d. ſumma eſt quæ ſequitur, *Totum jam auditum eſt*, jam autem & antea audiſti. At Lxx. adhuc aliter. Τέλος λόγου, τὸ πᾶν ἀκούε, legerunt שְׁמַע. Quid ſi? *Finem rei omnes audiamus.* Pſal. 2. 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 7. 15. Eph. 6. Phil. 2. 12.

Hoc eſt totum hominis] Hoc eſt totum illud, ad quod conditus eſt homo. Alii, *Hoc eſt omnis hominis.* q. d. hoc eſt quo ſpectare debet, quod agere debet omnis homo. Alii, *Hoc eſt* עִקַּר vel סוֹף *hominis.* Abenezra זה putat referendum ad ſubjectum totius libri ſc. הבל q. d. omnis homo, vel totus homo vivens & moriens eſt vanitas, ut hinc argumentum ſumat adhortationis.

De omni occulto] Ad verbum, *ſuper omni occulto* q. d. in judicio, in quo non tantum aperta, ſed & occulta in apricum producta diſceptabuntur. Abenezra exponit עַל, כְּפִי juxta, juxta id quod occultum eſt, כפי כוונת הלב juxta intentionem cordis. *Multa enim*, ait Mercerus, *ex hypocriſi fiunt alio animo, quam videantur extrinſecus.*

In Ebræo penultimus verſus repetitur, ſed ſcriptus aliis characteribus, ne aliquid ad Scripturam addere viderentur contra præceptum diſertum Deut. Factum hoc in fine quatuor librorum V. T. quorum memoriale (סִימָן vocant) comprehendunt voce יַתְקֵק. Jod notat Jeſaiam יְשַׁעְיָה: ת notat תרי עשר i. librum duodecim Prophetarum, quos in unum volumen compingunt, ne periret aliquis ex iis, quod alias fieri potuiſſet & intereo *præ parvitate ejus*, ait Kimchi præfatione in Hoſeam. Vide ergo in Malachia, qui eſt ultimus ἐν τῷ δωδεκαπροφήτῳ. Geminum iſtud ק notat duos libros, quorum nomina incipiunt à ק, nimirum hic ipſe liber קֹהֶלֶת & קִינוֹת, Threni Jeremiæ. In his quatuor libris repetunt penultimum verſum, ſed aliis characteribus, ut dixi. Cujus facti rationem duplicem memini me apud Ebræos obſervare. Quidam ajunt hoc ideo factum ob dignitatem iſtius penultimi verſus, quam tantam exiſtimarunt, ut ſemper eos ruminandos & cogitandos hoc modo eos propoſuerint. Quidam exiſtimant hos ideo repeti, quia quatuor iſti libri deſinunt in minas & triſtem ſermonem, ne igitur lector ab illorum lectione triſtis & turbato animo recederet, atque ita in deſperationem incideret, penultimorum verſuum, qui ſuaves ſunt & conſolatione pleni (quod non ſine cauſa factum exiſtimant) repetitione animum lectoris voluerunt lenire atque ita lætum dimittere. Nos, ut hoc melius appareat trium reliquorum librorum fines, nimirum verſum ultimum & penultimum hic ponemus.

Jeſaiæ verſus penultimus & ultimus.

23. *Eritque de novilunio in novilunium alterum & Sabbatho in Sabbathum alterum, ut veniat omnis caro ad incurvandum ſe coram me, ait DOMINUS.*

24. *Et egreſſi videbunt cadavera hominum illorum qui defecerunt à me: nam vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, eruntque nauſeæ omni carni.*

Eritque de novilunio &c.

Malachiæ verſus penultimus & ultimus.

23. *Ecce ego miſſurus ſum vobis Elijam Prophetam, antequam veniat dies DOMINI maximus & reverendus.*

24. *Ut convertat cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres ipſorum, ne veniens percutiam terram anathemate.*

Ecce ego miſſurus ſum &c.

Threnorum verſus penultimus & ultimus.

21. Con-

21. *Converte nos* DOMINE *& convertemur, renova dies noſtros, ut priſcis diebus.*

22. *Nam ſpernendo ſprevisti nos, iratus es erga nos admodum.*

Converte nos DOMINE *&c.*

סימן יתקק

EXPLICIT.

GROTIUS.

2. A*Ntequam tenebreſcat ſol & lumen & luna*] Poëticis locutionibus, multis interſertis metaphoris, deſcribit ſenectutis incommoda. *Sol & luna deficere* illis dicuntur quibus etiam illa quæ per naturam gratiſſima ſunt hominibus grata eſſe deſinunt. Vide quæ diximus ad Matthæum XXIV. v. 29.

Et revertantur nubes poſt pluviam] Durat adhuc generalis malorum deſcriptio. *Nubes poſt pluviam*, ut alibi *abyſſus poſt abyſſum*, eſt perpetua ſucceſſio incommodorum.

3. *Quando commovebuntur cuſtodes domus*] Manus tremunt.

Et nutabunt viri fortiſſimi] Crura, Atlantes corporis.

Et otioſa erunt molentes in minuto numero] In Hebræo: *Et ceſſabunt molitrices* (id eſt, molares dentes,) *quia viſua defecti ſunt.*

Et tenebreſcent videntes per foramina] Proprie *per feneſtras:* οἱ παρακύπτοντες [*tranſpectantes*]. intelligit oculos quibus intervalla palpebrarum ſunt quaſi feneſtræ.

4. *Et claudent oſtia in platea in humilitate vocis molentis*] *Et claudentur egreſſus forum verſus, ob infirmitatem vocis, quæ ante ut mola ſonabat.* LXX, Καὶ κλείσουσι θύρας ἐν ἀγορᾷ (activum pro paſſivo), ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης [*Et claudentur janua in foro, per imbecellitatem vocis quæ moluit*], (ſupple πρίν [*ante*]). Symmachus, ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς [*voce inutili facta*]. occluſum illi erit forum, ob vocis tenuitatem.

Et conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis] In Hebræo: *Et ſurget* (homo ſcilicet) *ad vocem avis, & deprimentur filiæ omnes carminis.* Excitabitur ex ſomno ad ſonum minimæ avis, & nullo in pretio illi erunt Muſæ. Poſterius hoc membrum optime explicat locus de Barzillaio II Sam. XIX. 35.

5. *Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via*] In Hebræo: *Timebunt & quæ eminent, & quæ fracta ſunt in via.* Si in viam ſe dent, metuent ne offendant in exſtantia aut depreſſa. Ab utriſque enim periculum eſt ſenibus.

Florebit amygdalus] Albeſcet caput, ut flores amygdali.

Impinguabitur locuſta] In Ebræo, *Oneri erit locuſta:* id eſt particula ſalax herniam contrahet.

Et diſſipabitur capparis] Optime vertas ex Hebræo, *Peribit libido*, quod cum præcedenti optime cohæret. Et ſic Chaldæi hanc vocem uſurpant.

Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ] Sicut Catullus ait,

Nox eſt perpetua una dormienda.

Ibit, id eſt, magis magiſque accedet.

Et circuibunt in platea plangentes] Præficæ funus undique ambibunt, ut tunc erat moris. Vide quæ ad Matthæi XI. 17.

6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus*] In Hebræo, *Antequam non elongetur* (id eſt, contrahatur) *argenteus funis:* id eſt, marceſcat medulla dorſi, unde fit ut dorſum curvetur. ὁ γὰρ χρόνος μ' ἔκαμψε [*me tempus incurvavit*], ait Crates. Sic Hebræi.

Et recurrat vitta aurea] In Hebræo, *Et frangatur phiala aurea:* intelligendum videtur de bile quæ in ſenecta minus ſolet vaſis ſuis contineri.

Et conteratur hydria ſuper fontem] Veſica minus contineat ſibi creditum humorem.

Et confringatur rota ſuper ciſternam] Alvus minus reſpondeat temporibus ſuis, modo citatior, modo adſtrictior.

7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat*] Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν -- [*Corpuſque terra* --], ait Euripides in Supplicibus. Lucretius:

Cedit idem retro de terra quod fuit ante.

Vide quæ diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis, cap. XIX. § II. & ad Geneſin III. 9.

Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum] Euripides dicta Tragœdia, -- πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα [-- *ſpiritus cælo redit*]. Vide quæ diximus ad Job. XXXIV. 14.

8. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas*] Redit ſcriptor ad id unde initium fecerat, evolutiſque opinionibus omnibus, quæ homini in mentem venire poſſunt, ait cæteris quidem rebus uti nos poſſe cum modo; eum autem beati nomen, quatenus hæc vita capit, mereri qui in omnibus id agit, ut Deo placeat: in eo enim eſſe ſummam tam ſapientiæ quam tranquillitatis. Θεῷ ἕπου [*Deum ſequere*] dicebant Pythagorici.

9. *Docuit populum*] Multis orationibus, multis etiam ſcriptis quæ non exſtant.

Et inveſtigans compoſuit parabolas multas] Egregias γνώμας [*ſententias*] collegit ex variis ſcriptoribus, quaſdam & ipſe de ſua experientia addidit.

11. *Verba ſapientum tanquam ſtimuli*] Κέντρον ἐγκαταλείπουσι [*ſtimulum relinquunt*], quod de Pericle dictum olim. *Verba ſapientum*, αἱ χρηστομάθειαι [*pulchre dicta*].

Et quaſi clavi in altum defixi] Ita hærent memoriæ ob breviloquentiam & auctoritatem.

Quæ per magiſtrorum conſilia data ſunt à paſtore uno] In Hebræo: *auctores collectionum* (οἱ συλλογεῖς [*collectores*]) *dati ſunt à paſtore uno:* id eſt, qui hæc colligerent, ac ſub perſona Salomonis in unum corpus congererent, mandatum habuere *ab uno paſtore*, id eſt, ut puto, Zorobabele, qui, ob res tenues Judæorum, & Perſici imperii reverentiam, *Regem* ſe dicere non auſus, quanquam inter ſuos pro Rege habebatur, nomen uſurpavit modeſtius *Paſtoris.*

12. *His amplius fili mi ne requiras*] In Hebræo, *cave;* ſed intelligitur, *ne quæras.* Hæc tibi ſufficient. Ab iudem videtur hic alloqui Zorobabel.

Faciendi libros nullus eſt finis] Si hoc ea ætate dixit, quid nunc diceret, ſi noſtras bibliothecas inſpiceret?

Frequenſque meditatio] Lectio.

Carnis afflictio] Si nimina eſt, nocet ſanitati.

13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus*] In Hebræo, *Finis rei totius quæ nunc audita eſt* (abs te) *eſt:* hoc ſcilicet quod ſequitur. Hæc ſumma eſt, quo tam vaga diſſertatio te ducet.

Deum time] Id eſt, Cole ac reverere.

Et mandata ejus cuſtodi] Fac quæ juſſit aut in primæva illa lege, aut in Lege Moſis.

Hoc eſt enim omnis homo] *In eo eſt totum hominis*, ſcilicet bonum.

14. *Et cuncta quæ fient*] In Hebræo: *opus omne.*

Adducet Deus in judicium] Citius aut tardius, ut ipſe videbitur. Vide ſupra XI. 9.

Pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit] In Hebræo: *Etiam omne occultum, ſive bonum, ſive malum ſit.* Thales interrogatus, An quis latere Deo poſſet aliquid faciens, *Ne cogitans quidem*, inquit. Αὐτὸς ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης -- [*Noſter eſt inſpector ipſe* --], juxta Epicharmum.

ANNOTATA
AD
CANTICUM CANTICORUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

TItulus hujus libri eſt, CANTICUM CANTICORUM. Edidit autem Salomo multa Cantica, nempe *mille & quinque*, ut habetur 3 Reg. 4. Sed quia iſtud Canticum cæteris omnibus eſt משובחה & משלה, i. *excellentius & glorioſius*, vocatur CANTICUM CANTICORUM. Continetque ſub Metaphora Sponſi & Sponſæ arcana myſteria & inæſtimabilem Dei ad populum ſuum dignationem. Et is loquendi modus frequens quoque eſt apud Prophetas: ſicut Hoſ. 2. *Deſponſabo te mihi in perpetuum*, & Jehezkel cap. 17. totus in hoc verſatur. Cave igitur ne putes hunc librum cantilenam eſſe obſcœnam, ſicut & Hebræi hic ſcribunt, חלילה חלילה להיות שיר השירים בדברי חשק כי אם על דרך משל לולי גודל מעלתו לא נכתב במזמור בכתבי הקדש, i. *Abſit, abſit, ut ſit Canticum canticorum de rebus obſcœnis. Sed eſt Metaphora quadam. Alioquin niſi magnæ eſſet dignitatis, non ſcriberetur in catalogo ſanctarum Scripturarum.* Habent Hebræi ſuos ſcriptores qui non inepte hunc exponunt librum; inter quos eſt Aben Ezra, & alius quidam Rabi qui poſt Aben Ezram ſcripſit, citat enim illum; quem in vetuſto codice ſcriptum mihi miſit ex bibliotheca Capnionis Sebaſtianus Sinkelerus, artis Medicæ Doctor, & in lingua Hebraica eximie doctus; ſed quo ob temporis penuriam pro voto uti non potui. Hic OSCULA uno modo exponit pro *allocutione Divina*, alio modo pro *inſpiratione Divina*, *qua animam inſpirat corpori in hoc mundo*, *atque poſt hanc vitam eandem iterum corpori ſuſcitato infundit.* AMORES dicit eſſe תנחומין *conſolationes Divinas*, *quæ animam haud ſecus ebriam faciunt quam vinum corpus.* De qua *inebriatione* habetur Act. 2. Catholici quoque univerſa myſteria Chriſti & Eccleſiæ hoc Divino carmine aſſerunt contineri.

3. *Oleum effuſum*] Hebraiſmus proprie habet *oleum evacuationis.* Quando enim oleum pretioſum de vaſe uno in aliud evacuatur, miram ſpargit ſuavitatem: ſic verbum Domini ex Scriptura populis & nationibus propoſitum mirifico ſuo odore trahit animas ad Chriſtum.

4. *Cubicula* exponuntur pro גנזי המרום *theſauris cœleſtibus.*

5. *Nigra ſum*] Rabi memoratus hunc locum ſic ediſſerit; *Niger eſt populus Dei tribulationibus hujus mundi expoſitus, haud ſecus quam tabernacula injuriis aeris expoſita; at ſi ingreſſus fueris tabernacula, invenies ea plena opibus: Sic electi Dei lux ſunt in Domino, quantumlibet foris miſeri eſſe videantur & aduſti à Sole.*

6. *Filii matris meæ*] Hi fuerunt mali Prophetæ & Reges qui populum induxerunt ad obſervantiam falſæ religionis, cum tamen *cuſtodire* debuerint *vineam* Domini exercituum.

8. *Hædos* exponunt pro קטני אמונה *his qui puſilli ſunt in fide*, & in גדיותיך ajunt Jod literam eſſe otioſam. Id quod Latinus interpres non obſervavit. Reliqua inviti præterimus, tempore præventi.

15. *Ecce tu amica mea*] Laudat Sponſus in Sponſa fidem conjugii: ſicut & illico Sponſa prædicat Deum omnibus bonis refertum, perfundentem voluptate, qui conſervat incorruptum hominem, fœcundumque facit Spiritu obumbrante.

VATABLUS.

1. CAnticum canticorum שיר השירים] Hebraiſmus pro *Excellentiſſimum canticum omnium canticorum à Salomone compoſitorum.* Nam præpoſuit ה *hajediah*, i. *ſignificativum*, ut declaret ſe loqui de inſignibus canticis à Salomone compoſitis, quæ perierunt, ut vides 1 Reg. 4. 32. ¶ *Quod eſt Selomoh* אשר לשלמה] *Quod eſt ipſi Selomoh*: i. quod ad Salomonem ſpectat: aut, quod tribuitur Salomoni. Hoc Canticum totum eſt myſticum, Chriſti erga Sponſam ſuam Eccleſiam, ac rurſum Sponſæ erga Chriſtum, incomprehenſibilis amoris pleniſſimum.

2. *Oſculis* מנשיקות] *Ex oſculis*: i. uno, duobus aut pluribus oſculis: nam מ, ut annotant Hebræi, ſignificat partem ſive partes alicujus univerſalis.

3. *Unguentorum tuorum optimorum* שמניך טובים] *Unguenta* ſunt *ſuavia*: vel *delectabilia.* *Dilexerunt te* אהבוך] Præt. Heb. pro præſ.

4. *Curremus* נרוצה] Corrupte in quibuſdam cod. V. Interpretis poſt hoc verbum legitur *in odorem unguentorum tuorum*: quæ verba neque in vetuſtioribus ſcriptis Latinis cod. leguntur. ¶ *Introduxit me* הביאני] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *adducet.* ¶ *In cubicula ſua* חדריו] *Inpenetralia* (vel *adyta*) *ſua.* ¶ *Recordabimur*, &c. נזכירה ודי] *Loquemur de amoribus tuis magis quam de vino.* Vel, *mentionem faciemus*, &c. Alii, *commemorabimus amores tuos potius quam vinum.* Alii, *prædicabimus amores tuos vino præſtantiores.* Alii, *odorabimus*, &c. Quidam, *ubera tua* vertunt, ſed male, nam ſcriberetur דדיך, ut Prov. 5. 19. דדיה *ubera ejus inebrient te.* ¶ *Recti* מישרים] Quidam ſubaudiunt אנשי, ſic, *viri rectitudinum*, i. recti. Alii ſubſtantivum eſſe volunt, *rectitudines dilexerunt te*, eodem ſenſu, pro *recti.* Doctus quidam inter Hebræos dicit eſſe *toar vini memorati*, & ſubaudit מ quod eſt in מיין, hoc modo, *potius quam vinum*, & ממישרים *quam recta*: ut ſit ſenſus, *Et puellæ dilexerunt te magis quam quod vadit cum rectitudinibus*: i. quam vinum quod dulciter & ſuaviter influit in os.

5. *Nigra*, שחורה] *Fuſca.* ¶ *At deſiderabilis* ונאוה] *Ceterum amabilis.* Alii, *attamen pulcra*, vel *formoſa*: ita vertitur ו. ¶ *Cedar* קדר] Nomades ſignificare ſcribunt Hebræi, ſic dictos à *Cedar* ſecundo filio Iſmaelis. Hi in ſolitudine Saracenorum habitant, qui pro tempore ſedes mutare ſolent, habitantes in tentoriis, quæ nigra ſunt ob ardorem ſolis. ¶ *Sicut cortina* כיריעות] *Sicut tentoria*: aut *vela.*

6. *Quia aſpexit* ששזפתני] *Quod aſpexit me*, &c. i. quod radios ſuos defixerit in me. ¶ *Filii matris meæ* בני אמי] Periphraſis eſt fratrum. ¶ *Quæ erat mihi, non cuſtodivi* שלי לא נטרתי] *Mihi commiſſam* [vel *propriam*] *non cuſtodiſſem.* Præt. Heb. pro pluſquamperf. ſub. *niſi fuiſſem adjuta auxilio ſponſi mei.*

7. *Mihi* לי] Quidam Hebræorum ſubaudiunt אתה *tu*; ut legas, *tu quem*, &c. Alii ſubaudiunt *eum*; *Indica mihi eum quem*, &c. ¶ *Veluti declinans* כעטיה] *Veluti declinat.* Alii, *quæ vagatur circa*, &c. Vel, *oberrantem per*, &c.

8. *Si neſcias* אם לא תדעי לך] Ad verb. *Si neſcias tibi*;

ut & mox, *Egredere tibi*, quod quidam vertunt, *Egredere à te.*

9. *Equa in* uno è *curribus* לסוסתי ברכבי] *Equitatui curruum.* Alii, *Equitatui meo inter currus.* Verum Hebræi ſcribunt י in לסוסתי redundare, ut Eſa. 1. 21. מלאתי משפט *plena judicii.* Ad verb. *Equa curruum.* ubi plurale eſt pro ſing. pro *in uno è curribus*: ut Jud. 12. 7. *Sepultus eſt in urbibus Gilad.*

10. *Pulcræ ſunt* נאוו] *Adornata ſunt.* ¶ *Inter muranulas* בתורים] *Muranulis*: vel, *cum muranulis.* Hebræi ſcribunt eſſe *gemmas*, aut *margaritas congruo ordine diſpoſitas*, *ut ſolent eſſe in monilibus temporum feminarum principum.* Alii dicunt eſſe *lineamenta.* Alii *figuras depictas inſtar turturis*, quæ etiam dicitur תור, propterea quidam vertunt, *Pulcritudine turturum.*

11. *Cum clavis* עם נקודות] *Cum punctis.*

12. *Dum*, &c. עד שהמלך] *Tantiſper dum Rex fuit.* ¶ *Dedis* נתן] *Emiſit.*

13. *Faſciculus* צרור] Velut *ſertum.*

14. *Chopher* הכופר] genus aromatis, quod nonnulli *Camphoram* vocant. Docti quidam Hebræorum exiſtimant *locum fuiſſe in terra Iſrael ubi talis erat botrus*, *ſicut dicitur Botrus En-gaddi.* Quidam vertunt *cypri*: ſcribuntque Cyprum arborem eſſe aromaticam quæ creſcit in En-gaddi, quæ fecit grana ſimul juncta, ſicut in uvis vineæ. Non eſt igitur hic *Cyprus* nomen inſulæ in mari Mediterraneo, ut quidam putaverunt, in V. Interprete adſcribentes majuſculam literam tanquam proprio nomini.

16. *Dulcis* נעים] *Suavis*, *elegans*, *decorus*, *humanus.*

17. *Cedrina* ארזים] Ad verb. *cedrina*, plur. numero. Adjectivo carent Hebræi. ¶ *Laquearia noſtra abiegna* רחיטנו ברותים] Ad verb. *Ligna tranſverſaria noſtra abietes.* Vel, *trabes tenues abietes.* Gallice *ſoliveaulx.* Ita dicuntur ab Hebræis à *currendo*, quod de trabe in trabem incurrunt. Quidam vertunt, *canales noſtri cupreſſini*: ſed parum loco convenit.

CASTALIO.

7. N*E pro velata habear apud ſociorum tuorum greges*] Pro meretrice, nam meretrices velantur.

14. *Uva Cypria*] Eſt generoſum aliquod genus uvæ.

CLARIUS.

1. EDidit Salomon multa Cantica, nempe *mille & quinque*, ut habetur, 3 Reg. 4. ſed quia hoc Canticum cæteris omnibus antecellit, vocatur CANTICUM CANTICORUM. Continetque ſub Metaphora Sponſi & Sponſæ arcana myſteria & inæſtimabilem Dei erga populum ſuum dignationem. Et is loquendi modus frequens quoque eſt apud Prophetas, ſicut Oſe. 2. *Deſponſabo te mihi in perpetuum.* Et Ezechiel. 16. cap. totus in hoc verſatur. Et nequis putet hunc librum cantilenam eſſe obſcœnam, admonent & ipſi Hebræi, qui hoc loco ſic ſcribunt, *Abſit, abſit, ut ſit Canticum canticorum de rebus obſcœnis, ſed eſt Metaphora quædam. Alioqui niſi magnæ eſſet dignitatis, non ſcriberetur in catalogo S. Scripturarum.* Tu vero ne à me, pie lector, exſpectes quod hic tibi delitescentia explicem Divina illa myſteria. Nam præterquam quod ad inſtituti operis rationem non pertinet illa ingens exſpatiatio, fateor me nondum in *cellam* illam *vinariam* cum Sponſa introductum; quod neceſſarium prorſus mihi videtur iis qui tuto hos cœleſtes amores ſint tractaturi. Bernardi alicujus eſt ejuſque ſimilium hoc negotium, qui, quod experirentur ipſi apud ſe, eloqui aliqua ſaltem ex parte poſſent. Quod ſi colligere aliorum dicta hic voluiſſem, ego ne meo quidem ipſius, nedum aliorum, ſatis ſtomacho feciſſem. Viſum tamen eſt pauca hæc adnotare, ut vel craſſiorem corticem aperiremus. Principio igitur, cum Eccleſia Chriſti tam ex Judæis quam ex Gentibus conſtet, recte hoc Epithalamium & Synagogam & Eccleſiam ex Gentibus complecti judicatur, ut eadem ex utriſque collecta Sponſa & Chriſti Sponſi adventum optet, & quæ ſuperioribus contigere temporibus nihilominus enumeret: quæ cogitatio & noſtris & Hebræis ipſis ſatis poterit facere, Ait ergo,

2. *Oſculetur me oſculis oris ſui*] Quod non noſtri ſolum verum etiam veteres Thalmudiſtæ de Chriſto expoſuerunt; verba ſcilicet eſſe Sponſæ Eccleſiæ, quæ diceret, *Oſculetur me Meſſias Filius Dei oſculo oris ſui*, i. Ipſe ore proprio inſtruat & erudiat me; atque oris mei tactum, cum eum de via ſalutis interrogavero, non contemnet: non jam Moſen mittat, qui *linguæ* erat *impedita*, non Eſaiam, qui ſe *labiis pollutum* ajebat; non Jeremiam, qui ſe *loqui neſcire eo quod puer eſſet profitebatur.* ¶ *Quia meliores ſunt amores tui vino*] Vox Hebræa quam vertimus *amores* ſignificat etiam *particulam quandam ſub lingua*, vel *oris ſalivam*, ſive *ſpumam quæ ex ore deſluit.* Per *vinum* accipe guſtum Legis: Melius eſt, inquit, ſi loqueris tu quam omnis guſtus Legis. Longe enim jucundius eſt affici atque attrahi charitate, quod Euangelica Lex præſtat, quam metu ac terrore minarum. ¶ Et quod ait, *fragrantes unguentis optimis*: Hebræi ſic diſtinguunt, *Ob odorem unguentorum tuorum optimorum.*

3. *Oleum effuſum*] Vel, ut Hebræi habent, *oleum evacuationis eſt nomen tuum.* Nam cum effunditur & de vaſe in vas transfertur, tunc magis redolet. Per *oleum* autem intellige aromaticum liquorem ac ſuaveolentem. Prævidet ergo Sponſa effundendam latius Divinam benignitatem, & quaſi è longinquo illam jam odorabatur, quæ in ſuaviſſimi unguenti morem omnes eſſet recreatura. Quam benignitatem cum Apoſtoli circumferrent ac prædicarent, dicebant, *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* Nam verbum Domini ex Scriptura populis ac nationibus propoſitum mirifico ſuo odore trahit animas ad Chriſtum. Et pulchre ſequitur, ¶ *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*] Gentes, inquit, tanquam adoleſcentulæ, quæ recens adducuntur, hoc audiunt, & ob hanc cauſam amant nomen tuum.

4. *Trahe me poſt te, curremus*] Ambo ſcilicet pariter, quod amoris mutui ac familiaritatis indicium eſt. Currere quidem cupit, ſed intelligit ſe id minime poſſe niſi trahatur. Certare vult charitatis affectu, ſed longo ſe deſtitui intervallo intelligit. Quare cupit ut aliquo modo, vel trahendo, fiat ut eum comitetur.

4. *Introduxit me Rex in cellaria*] Vel *cubicula ſua.* Videtur, quod & Hebræi fatentur, illud *introduxit* poſitum pro imperativo, ſive mavis optativo, ut dicat, *Cupio introduci in cubicula Regis*, & admitti ad illa ſecreta quæ velamine Moſaicæ Legis obteguntur. Tunc enim *exſultabimus & lætabimur in te*, *memores amorum tuorum*, *qui jucundiores vino ſunt*, cujus tamen guſtus ſolet præ cæteris oblectare. ¶ *Recti diligunt te*] Poteſt & verti *cum rectitudinibus*, h. e. non falſo vel ficto ſed ſincero animo diligunt te.

5. *Nigra ſum, ſed formoſa*] Fortaſſe hic reſpondet tacitæ objectioni, ſi quis quæreret cur audeat tanti Sponſi poſcere oſcula atque amplexus: *Non ſum*, inquit, *adeo informis* ut me pudere debeat iſta poſtulare. Nam etſi exterior facies expoſita hominum aſpectibus obſcura eſt, ſi quis me tamen introſpexerit, videbit me pulcram. Neque enim eſt aliud quicquam in hac pulcerrima rerum fabrica cui Sponſus ſic afficiatur. *Nigra* enim *ſum*, quia hanc indui nigredinem cum peccavi in Vitulo; *ſed formoſa*, quia non ſum neglecta, ſed ſuſcepit me Deus. *Niger* eſt etiam populus Dei, afflictionibus hujus mundi expoſitus, haud ſecus quam *tabernacula Cedar*, h. e. tabernacula negotiatorum Agarenorum, quæ expoſita ſunt injuriis aeris. At ſi ingreſſus fueris tabernacula illa, invenies ea plena opibus. Sic electi Dei *lux* ſunt *in Domino*, quamlibet foris miſeri & adusti Sole eſſe videantur. *Nigra* ergo eſt foris Sponſa, *ſicut tabernacula Cedar*, *ſed* intus *formoſa*, *ſicut pelles & cortina illa Salomonis*, &c. ¶ *Filias* autem *Jeruſalem* vocat reliquas urbes, vel Gentes ipſas.

6. *Nolite me conſiderare*] Vel *ſpernere.* ¶ *Quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol*] Æſtus videlicet vel peccati vel afflictionum quas in Ægypto pertuli. ¶ *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*] Vel *inveſtigaverunt me*, ſcilicet ad peccandum. Hi fuerunt impii in populo & mali Prophetæ ac Reges, qui populum induxerunt ad obſervantiam falſæ religionis, cum tamen *cuſtodire* debuiſſent *vineam* Domini exercituum. ¶ *Poſuerunt me*, inquit, *cuſtodem in vineis*] Fecerunt me ſervire idolis, quæ interdum nomine *vinearum* appellantur. ¶ *Vineam meam non cuſtodivi*] h. e. Unius ac veri Dei cultum; idcirco nigra affecta ſum.

7. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas gregem, ubi accubare eum facias in meridie*] Perſtat in Metaphora amantis feminæ, quæ paſtorem habeat amatorem, cum quo, dum accubant greges in ardore diei, cupiat oblectari. Nuſquam, inquit, invenio requiem, in mediis præſertim afflictionibus ac perſecutionibus, niſi apud te. Quare *indica mihi* ubi eo tempore verſeris. ¶ *Ne vagari incipiam*] Vel, *Quare ero quaſi vidua apud greges ſodalium tuorum?* Cum reliqui, inquit, ſecum habeant amicas ſuas, ego cur ſine te ero vidua & ſola? Neque enim fert amor hanc ſolitudinem. Sunt qui interpretentur *ſodales* Reges (nam Divinum quiddam eſt aliis præeſſe) ſive Angelos Præſides Gentium, & eorum *greges* Gentes ipſas: *Ne vager*, inquit, *& errem cum gentibus.* Invenitur autem veteres

teres Thalmudiſtas legiſſe QUAM DILIGIT ANIMA MEA, *plebem* vel *gentem videlicet pro qua dedi animam meam:* ſic enim interpretantur. Et obſerva, quemadmodum paſtores requiem gregi dant ea diei hora qua magis Sol fervet, ſic cœleſtem Paſtorem refocillare tum maxime ſolere animas cum opus eſt, & cum moleſtiarum æſtus magis premunt.

8. *Si ignoras ó pulcra*] *Pulcerrimam mulierum* appellat ob Dei cultum, quo uno ſpecies animarum niteſcit. *Si ergo ignoras, ubi paſcam, vade poſt veſtigia pecorum, & paſce ibi*, h. e. ſequere veſtigia patrum tuorum, & me ibi invenies, reperieſque cum aliis paſcua apud me.

9. *Equitatui curruum Pharaonis aſſimilavi te*] Illud *aſſimilavi te* Hebraiſmus eſt pro *ſociam te accepi*; ut illud, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, nempe amicabile ad ſocietatem. Ait ergo, *Cum currus & equites Pharaonis perſequerentur te, ego tum accepi te in ſponſam & amicam & ſociam, ac quaſi ſimilem mei.*

10. *Pulcra ſunt gena tua*] Quidam Hebræus ſic interpretatur, *Pulcra fuerunt gena tua cum filis*, ſive, *vittis: quæ ex margaritis fronti apponuntur:* ut ſit ſenſus, *Cum te accepi, dives fuiſti opibus Ægyptiorum, & pulcra; quia nondum peccaveras.* Per *genas* Hebræi intelligunt Verba: nam genis utimur ad loquendum; vel tabula Legis, quia vox Hebræa utrumque ſignificat. Per *collum* accipiunt Templum.

11. *Muranulas aureas faciemus tibi*] Dixi, inquit, Angelis, *Faciamus ornamenta huic Sponſæ*, Legem ſcilicet ac dona ſpiritualia. ¶ *Vermiculatas argento*] Verti etiam poteſt *diſtinctas argento*, vel *cum punctis argenti.* Intelligit ornamenta præſertim capitis & colli.

12. *Dum eſſet Rex in accubito ſuo*] Verba ſunt Sponſæ quæ ait, *Ita fragrabam ut odor meus perveniret uſque ad accubitum Regis.* Alii ſic, *Dum habitaret Deus in propitiatorio, offerebam ei thymiama ſuaviſſimum.* Sed quia verbum NATHAN ſignificat etiam *relinquere*, ſenſus eſſe poteſt, *Cum adhuc eſſet Deus in monte Sina, dereliqui odorem meum, & feci Vitulum.*

13. *Faſciculus myrrhæ*] Poſtea, inquit, quam reliqueram odorem meum per Vituli fabrefactionem, dedit mihi Deus *faſciculum myrrhæ*, i. Templum, ubi *commorabatur* Deus in Arca, quæ inter vectes quaſi *inter ubera* erat poſita. Nam prominentes vectes ſimiles erant Uberibus. Vel ſimpliciter intellige, *Dilectus meus eſt quaſi faſciculus myrrhæ, quem inter ubera teneo:* hoc eſt, qui mihi affixus eſt cordi: alioqui dilectus non eſt, ſi quid aliud præter ipſum cordi adhibeatur.

14. *Botrus camphoræ*] Species eſt odorifera. *Amicus*, inquit, *meus factus eſt mihi ut botrus camphoræ in Engaddi:* quæ ter per annum fructificare dicitur. Sic Deus mihi ſæpius pepercit, & repetivit munera.

15. *Ecce tu pulcra es*] Vide ut mox, ubi Sponſa recordatione prioris vitæ ſe dejicit, Sponſus eam erigit. *Pulcra*, inquit, *es, & oculi tui*, præcipui videlicet in populo, qui nunquam receſſerunt à Deo, *ſunt tanquam oculi columbarum:* vel quia pulcros Columbæ habent oculos, vel quod ferunt genus quoddam eſſe columbarum quæ ita comparem ament ut eo mortuo alterum non admittant. Non tam, inquit, irritor peſſimis multorum in populo factis, quam patrum tuorum recordatione placor, qui mihi chari fuerunt: Propter Abraham (inquit) & Iſaac, & Jacob.

16. *Ecce tu pulcer es*] Reddit amoris viciſſitudinem Sponſa. *Tu vere es pulcer & decorus:* ego vero quod placeo, tuum eſt. ¶ *Lectulus noſter floridus*] h. e. Multos filios ſimul genuimus. Accipiunt per *lectum* Templum, quod multos generabat ei filios dum in legitimo Dei cultu continebat; per *tigna domorum & laquearia*, ſabricam *domus.*

DRUSIUS.

4. מָשְׁכֵנִי. A. Ἕλκυσόν με, *Trahito me.* Sym. Ἕλκέ με, *Trahe me.* ¶ הֱבִיאַנִי. S. εἰσαγαγέτω με *introducat me.* ¶ נָגִילָה. S. ἱλαρευσόμεθα *exhilaremur.* ¶ מֵישָׁרִים אֲהֵבוּךָ. S. οἱ εὐθεῖς οἱ ἀγαπῶντές σε, *recti qui diligunt te.*

5. שְׁחוֹרָה. Schol. εὐπρεπὴς *decora.* ¶ אָהֳלֵי. A. S. σκηναὶ *tabernacula*] Prius erat σκηνώματα. Cæterum Romanenſes hoc notarunt ad vocem יריעות, quam Lxx. δέῤῥεις convertunt, i. *pelles.*

6. שֶׁשְּׁזָפַתְנִי. A. ὅτι συνέκαυσέ με *quoniam aduſſit me.* S. παρεπέβλεψέ με *limis intuitus eſt me.* Th. περιέφρυξέ με *torrefecit me.*] Hieron. *decoloravit me.* Santes *aſpexit me.* Lxx. παρέβλεψέ με *limis aſpexit me.* ¶ נִחֲרוּ־בִי. S. διεμαχέσαντό μοι *acriter pugnarunt mecum.* ¶ שָׂמֻנִי נֹטֵרָה אֶת־הַכְּרָמִים. κατέστησάν με φύλαξ ἀμπελώνων, *conſtituta ſum cuſtos vinearum*] Senſum eleganter expreſſit: nam in Ebræo *conſtituerunt me.* Simile, *reputavit ei*, ἐλογίσθη.

7. עֹטְיָה. Sym. ῥεμβομένη *vaga*] Hieron. *vagans.* Quidam *velata.* Et meretricem innui putat: nam meretrices olim velabantur, ut conſtat ex hiſtoria Thamaris. Alii *lugens, mæſta:* nam lugentes labrum ſuperum velabant.

8. צְאִי־לָךְ בְּעִקְבֵי הַצֹּאן. S. ἐξελθοῦσα πορεύου κατὰ τὰ ἴχνη τῶν ποιμνίων, *egreſſa vade ſecundum veſtigia gregum.* A. ἔξελθε σεαυτῇ *egredere tibi ipſi.* Alius ἔξελθε σὺ ὄπισθεν *vade tu poſt*] Hieron. *egredere & abi poſt veſtigia gregum.* ¶ Ἔξελθε σύ. Puto ſcribendum σοὶ pro σύ. Sic alibi, συγχώρησόν σοι, quod in vulgatis συγχώρησόν σου. Notavi in Quæſtionibus, niſi fallor. ¶ עַל מִשְׁכְּנוֹת הָרֹעִים Sym. παρὰ τὰς σκηνὰς τῶν ποιμένων, *apud tabernacula paſtorum.* Schol. - - - ποιμνίων ἐκ *gregum tuorum.*

11. תּוֹרֵי זָהָב. Sym. περίβλεπτα χρυσία] Hieron. *muranulas aureas.* V. ed. στρεπτὰ χρυσία *torquis aurea.* Περίβλεπτα, referendum inter ornamenta. Alioqui περίβλεπτος, *conſpicuus, ſpectabilis, celebris.* Prov. 25. 11. במשכיות כסף. Th. ἐν περιβλέπτοις ἀργυρίου. ¶ עִם נְקֻדּוֹת. Sym. μετὰ ποικιλμάτων *cum verſicoloribus ornamentis.* Ποίκιλμα, *varius ornatus.* V. editio, ἐν κέγχροις *cum punctis milii figura.* Nam κέγχρος *milium.* Eſt etiam *ornamentum veſtis.* Vide Budæum. Alius interpres μετὰ ῥαντῶν *cum punctis aſperſis.*

12. עַד־שֶׁהַמֶּלֶךְ בִּמְסִבּוֹ. Aq. ὅτι ὁ βασιλεὺς ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ, *Cum Rex eſt in accubitu ſuo.* Sym. ἐν ἀναπαύσει *in quiete.*

13. צְרוֹר הַמֹּר. Aq. ἀπόδεκτος σμύρνης. Hier. *faſciculus myrrha*] Ἀπόδεκτος idem cum ἀπόδεσμος, *faſciculus*, Thema ἀποδέω, *religo, præligo, alligo.* ¶ דּוֹדִי. Sym. ὁ ἀγαπητὸς *dilectus.* V. ed. ὁ ἑταῖρός μου *ſocius meus.* ¶ יָלִין. Sym. αὐλιζόμενος *diverſans.*

14. הַכֹּפֶר, V. ed. κύπρινος *cyprinus.* ¶ עֵין גֶּדִי. Sym. τοῖς ἐν γαδδὶ] Lego Ἐγγαδδὶ, ne quis putet ἐν præpoſitionem eſſe. ἀμπελῶσι τοῖς Ἐγγαδδὶ, i. *vineis Engaddi*, ſive *quæ ſunt in Engaddi.*

15. רַעְיָתִי. A. φίλη μου *amica mea.* Sym. ἑταίρα μου, *ſocia mea.*

16. אַף נָעִים. VI. ed. καίγε τερπνὸς *& quidem jocundus*, ſive *delectationem afferens.* ¶ רַעֲנָנָה. Aq. εὐθαλής, *bene virens, floridus.*

17. רָהִיטֵנוּ. Sym. αἱ φατνώσεις *lacunaria*, ſive *laquearia.* ¶ בְּרוֹתִים. Aq. βορατίναι] Nomen ad Græcam conſuetudinem declinatum ab eo quod eſt ברותים. Santes *abiegna* interpretatur, Hier. vero *cypreſſina.* Alibi eſt βοράθ, *abies*, ut Pſal. 104. 7. βοράτ in Symmacho.

GROTIUS.

CArmen hoc vocatur Hebræis *Excellentiſſimum carmen*, ob multas elegantias, quæ in alium ſermonem translatæ non idem ſapiunt. Eſt autem ὀαρισμὸς [*garritus conjugum inter ſe*] inter Solomonem & filiam Regis Ægypti, interloquentibus etiam choris duobus tum juvenum, tum virginum, qui in proximis thalamo locis excubabant. Nuptiarum arcana ſub honeſtis verborum involucris hic latent: quæ etiam cauſa eſt cur Hebræi veteres hunc librum legi noluerint niſi à jam conjugio proximis. Creditur autem Solomon, quo magis perennaret hoc ſcriptum, ea arte id compoſuiſſe, ut ſine multa diſtortione ἀλληγορίαι [*latentes ſenſus*] in eo inveniri poſſent quæ Dei amorem adverſus populum Iſraeliticum exprimerent: quod & ſenſit & oſtendit Chaldæus hic Paraphraſtes: nec aliter accepit Maimonides. Ille autem amor typus cum fuerit amoris Chriſti erga Eccleſiam, Chriſtiani ingenia ſua ad applicanda ad eam rem hujus carminis verba exercuerunt, laudabili ſtudio. Nam & Apoſtoli Chriſti cum Eccleſia conjunctionem matrimonio comparaverant, Epheſ. v. 32. II Cor. XI. 2. Apoc. XIX. 7. 9.

4. *Sicut tabernacula Cedar*] Ægyptus multum trahit de Arabia finitima: & forte mater hujus Reginæ fuerit Arabiſſa.

5. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi*] Deſtinaverunt me cœlibatui: ego vero matrimonium prætuli.

6. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*] Hoc joco dicitur, ut illud Catulli:

Ne quæſitum aliunde eat.

7. *Paſce hædos tuos*] Exple appetitum, unde verbum τραγίζειν [*hircum imitari*]. Horatius:

Laſciva ſimilem ludere caprea.

Juxta tabernacula paſtorum] Τῶν διδύμων [*teſtium*]. Vide & III. 3.

8. *Equitatui meo*] Rectius dicas, equitio.

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exſultim.

ait Horatius.

12. *Nardus mea dedit odorem ſuum*] Videtur נרדי non eſſe *nardus mea*, ſed *nardinum*: ut dicat mariti ſui in ſomno reſpirantis halitum etiam nardino eſſe ſuaviorem.

CAP. II.

VATABLUS.

1. CAmpi [השרון] *Haſaron*: ita quidam, nomen loci eſſe exiſtimantes.

3. *Deſideravi* ſedere [חמדתי] Subauditum eſt verbum *ſedere*, quod continuo ſequatur וישבתי *& ſedi*.

4. *Super me* [עלי] *Erga me*.

5. *Fulcite me phialis vitreis* [סמכוני באשישות] *Circumdate me lagenis*, ſive *vaſis*, ſub. *vini*. ¶ *Stipate me malis* [רפדוני בתפוחים] *Confirmate* [vel *corroborate*] *me malis*. Quidam vertunt, *Sternite ante me poma*: vel, *ponite ſtratum mala*, i. è malis facite ſtratum mihi: quod doctis Hebræorum non probatur.

6. *Amplexata eſt me* [תחבקני] Fut. Heb. quod quidam per præteritum reddunt. Alii per imperativum, *amplectatur*.

7. *Amorem* [האהבה] i. Amores meos, ſive delicias meas. Ita Gallice dicimus *Mes amours*.

8. *Dilecti mei* [דודי] *Amaſii mei*. ¶ *Super* [על] *Ultra*. ¶ *Subſiliens ſuper colles* [מקפץ על הגבעות] *Saltans ultra colles*: i. ſaltu petranſiens colles. Alii, *Raptim accurrens per colles*. Alii, *tranſilit colles*.

9. *Oſtendens ſeſe* [מציץ] *Seſe conſpiciendum exhibens*. Alii, *proſpiciens*, vel *proferens aſpectum*.

10. *Locutus eſt* [ענה] Ad. verb. *Reſpondit*, pro *Locutus eſt*. ¶ *Et veni* [הלכי לך] Ad verb. *& vade tibi*. Redundat pronomen: tametſi nonnulli vertant, *Et vade ad tua*: ſicut paulo poſt verſ. 11, & 13.

11. *Mutatus eſt* [חלף] *Evanuit*.

12. *Cantiones* [הזמיר] *Cantillationis*: i. tempus quo ſolent canere aves.

13. *Et vites uvam minutam* [והגפנים סמדר] *Et vites uvæ minutæ*: i. vites dederunt odorem uvæ minutæ, cum ſcilicet egreditur flos vitis. Quidam ſubaudiunt ב, & vertunt, *& vites cum prima uva*: i. cum minutis & exilibus uvis.

14. *In ſciſſuris* [בחגוי] *in foraminibus*.

15. *Dum vineæ*, &c. [וכרמינו סמדר] *Cum vineæ noſtræ primum oſtendant uvas ſuas*. Alii, *vineæ enim noſtræ florent*.

17. *Donec aſpiret* [עד שיפוח] *Tantiſper dum aſpiret*: i. veniat, nam adveniente die ſolet oriri ventus. ¶ *Bether* [בתר] *diviſionis*: quod dividant mortales ab immortalibus. Vide infra cap. ult. ver. ult.

CLARIUS.

1. EGO *roſa Saron*] Locus erat optima habens paſcua. Sicut in Libano cedri erant, & in Carmelo fructiferæ arbores, & in monte Oliveti olivæ, ſic Saron celeber erat ubertate paſcuorum. Verba ergo ſunt Sponſæ; quæ ubi ſe acceptam Sponſo intellexit, non veretur ſpeciem ſuam prædicare. Gloriatur autem, non ex ſe, vel in ſe, ſed in Deo, & ex membris. Sentit enim ſe pulcram in filiis quos per Sponſum genuerat. Quamobrem & ipſe Sponſus approbat Sponſæ verba, & ait,

2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*] *Lilia inter ſpinas*, viri boni inter malos. Hoc ergo dicitur, vel quia præſens Eccleſia, cum malos permixtos habeat bonis, eſt *tanquam lilium cui ſpinæ annexæ ſint*; vel quod ſola Eccleſia in morem *lilii* pulcra, cæteræ gentes, quæ ab ea ſunt ſejunctæ, ſint tanquam *ſpinæ*. Viciſſim vero in amantium morem etiam Sponſa formam Sponſi commendat, dicens,

3. *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios*] Non ſola tu ſpecie, inquit, es commendandus, ſed ſuavitate & guſtu multo magis. Es enim *veluti malus* pulcerrima & jucundiſſima *inter arbores*: & tibi quiſquis voluerit alius comparari, is erit veluti *ſilveſtris* quædam & infructifera arbor. Et perinde quaſi in hujus arboris contemplatione immoretur, addit. ¶ *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*] Hujus mali *umbra*, inquit, me protegit, & *fructus* paſcit. Aliqui per *umbram* accipiunt beneficium Columnæ ignis & nubis, & per *fructum* Manna.

4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*] Vel, ut Hebraiſmus habet, *in domum vini inſignivit in me charitatem*, vel, *& vexillum ejus eſt ſuper me Charitas*. *Introduxit*, inquit, *me Rex in cauponariam*, ad quam accedunt epulari volentes, *cujus inſigne eſt Charitas*. Illud autem *in me*, vel *ſuper me*, idem eſt quod *propter me*. Appoſite ſane & eam domum in quam introducta eſt, nimirum refocillanda, appellat *domum vini*, ejus videlicet quo repleti fuerunt Apoſtoli cum ebrii exiſtimabantur. Et *ſignum* illius domus (nam ejuſmodi tabernæ ſuſpendunt ſignum aliquod) *Charitatem* fuiſſe dicit; ut Eccleſiæ domus hoſpitium Charitatis vel Amoris proprie ſit.

5. *Fulcite me phialis*] *Cum langueam ob amorem*, facite mihi quod ægris fieri ſolet, ut liquoribus ſuavibus & pomis recreentur. Hoc autem vel ſimpliciter dicit, ut declaret moram hanc hujus peregrinationis moleſtam ſibi videri; vel gentes alloquitur, ut dicat, Multas moleſtias atque infirmitates pertuli hactenus ob amorem ejus: quare ne me amplius affligatis, ſed potius ſuſtentetis.

6. *Læva ejus ſub capite meo*] Cupio habere quod olim habebam cum ita me ſuſtentabat ut videretur *lævam ſuppoſuiſſe capiti meo, & dextera complexatus*. Tu vero obſerva ut morem exprimat amantium, qui varios eodem momento miſcent affectus, & animum in diverſas cogitationes eodem tempore diſtrahunt. Eccleſia ergo, cum rerum viciſſitudines experiatur, in mediis afflictionibus meminit feliciorum temporum. Hebræi intelligunt *ſiniſtram* exitum ex Ægypto, *dexteram* ingreſſum in Terram promiſſam.

7. *Ne ſuſcitetis dilectionem*] Intelligit Sponſum. Sequitur enim Sponſa loquens. ¶ Et quod ait, *Adjuro vos per capreas*, mirus eſt Hebraiſmus. Significat enim, niſi id præſtent quod petit, futurum ut expoſiti ſint omnium venationi, tanquam *capræ & cervi*. Alloquitur vel Gentes, vel ſuos, ne peccando cauſam præbeant ſuis afflictionibus, ut diſcedat à complexu Sponſi, ne ſcilicet vel avellatur à Divinis contemplationibus ob hoſtium perturbationes, vel eandem ob cauſam in infirmioribus, qui in Eccleſia ſunt, aliquid detrimenti patiatur.

8. *Vox dilecti mei*] Narrat Sponſa principium amoris. Memini, inquit, cum *veniebat*, quo tempore eram in Ægypto, ſicut qui *tranſilit colles*, accelerans iter, ut decurtaret tempus Ægyptiacæ captivitatis, & velocitate æquabat *capreas ac cervos*.

9. *Stabat tanquam poſt parietem*] Quaſi per feneſtras cœli contemplans. Iccirco dixit, *Vide afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto*.

10. *Dilectus meus loquebatur mihi*] Per Moſen & Aharon invitans ut exirem è terra Ægypti, & irem in Terram promiſſam.

11. *Jam*, inquiens, *hiems tranſiit*] Quadringenti videlicet illi anni, & afflictionis tempus. ¶ *Imber*] Octoginta, ut ferunt, anni quibus laborabant in luto & latere & cæde maſculorum.

12. *Flores apparuerunt*] Moſes & Aharon. ¶ *Tempus putationis advenit*] Ut perſtet in Metaphora temporis verni, quo Hebræi de Ægypto exierunt. Sed quia vox Hebræa ſignificat etiam *canticum*, vel ad literam canticum accipe avium, quod vere maxime viget, vel tempus cantici quod cecinit populus Iſrael. Sic illud, ¶ *Vox turturis*] Offerendæ in Templo.

13. *Ficus*] Primitiæ fructuum. ¶ *Vineæ*] Ex quibus offeretur vinum in altari. Quanquam illud v. 8. *Ecce iſte venit*, &c. rectius ad Chriſti adventum refertur: quod & Hebræi olim ſenſerunt, & per *montes* cultum alienum intelligunt, quem pertranſiit. Et illud, *tempus putationis*, ſic interpretati ſunt, *Venit tempus ut redimatur Iſrael, & amputetur præputium de quo dictum eſt Deut. 30. Circumcidit Dominus Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui, ad diligendum Dominum Deum tuum. Et Lex convertetur ad novitatem, & renovabitur Iſrael, ſicut dictum eſt Jer. 31. Et ſcindam cum domo Iſrael & cum domo Juda pactum novum*, i. *legem novam*. Hæc illi. Ubi duo notantur; unum, Quod *circumciſio* tempore Meſſiæ ſpiritualiter facienda erat: alterum, Quod *Lex ad novitatem erat convertenda, ad legem novam*, quam Meſſias daturus erat. Invitat ergo Chriſtus Synagogam ut relicto ſqualore literæ, tanquam hieme quadam, ad legem novam, tanquam ad pulcrum ver, tranſeat, quo tempore *formoſiſſimus* eſt *annus* & ad præclariſſima quæque negotia aptiſſimus. Invitat ergo eam ut, quæ in terra Judæa tantum, tanquam *in ſciſſuris petrarum* deliteſcebat;

bat, jam ſe prodat & toti mundo appareat, ac declaret quam & ejus *vox dulcis*, & *facies* ſit *decora*. Quid enim auditu *ſuavius* quam quod ab Eccleſiæ Chriſti ore proficiſcitur? aut quid ejus *facie* magis *decorum* eſt, cum ſola propter Chriſtum vincula ipſo cœlo illuſtriora ab iis exiſtimentur qui in Chriſtianam Philoſophiam ſunt ingreſſi? Sin hæc verba ad exitum de Ægypto referas, ſic licet interpreteris, *Tu quæ tanquam columba in ſciſſuris petrarum deliteſcis, oſtende jam te, & me ſequere. Ad quam enim converteris in afflictione? ad Ægyptios, an ad me potius? Sonat vox tua, quæ mihi dulcis erit cum profitebere, dicens, Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus. Et tunc etiam niteſcet tua facies.*

15. *Capite nobis vulpes*] Verba ſunt Sponſi, quibus admonet prævidendum ne vel perfidi vel hæretici hujus naſcentis Eccleſiæ initia, tanquam *florentes vineas, corrumpant.* Vel alloquitur undas maris ut capiant Ægyptios fraudulentos, qui cum filii Iſraël adhuc *parvuli* eſſent, in morem *florentium vinearum*, inſidiabantur illis.

16. *Dilectus meus mihi*] Rurſum amatoria verba: *Ego dilectum*, inquit, *meum amo, & ille me.* Ego peto ab eo, & ipſe viciſſim mihi præcipit. Quod aliis gentibus, quæ Deum non noverunt, uſu non evenit. *Non enim fecit taliter omni nationi.* ¶ *Qui paſcitur*, inquit, *inter lilia*] Inter odores fragrantiaſque virtutum.

17. *Donec aſpiret dies*] Vel, *cum aſpiraverit dies.* Non poſſum, ait Sponſa, venire, *donec producatur dies* & fiat longior, & *recedant umbræ noctis.* Eram enim chara Sponſo ante quam peccarem, & non poſſum illum iterum adire niſi recedat peccatum, tanquam hiems. ¶ *Revertere*] Quia vox Hebræa, quam omnes verterunt *revertere*, ſignificat etiam *cauſam*, poteſt hic ſenſus eſſe, *Ob hanc cauſam abibat dilectus meus à me, tanquam caprea aut hinnulus.* Et pulcre quadrat quod ait, ¶ *Super montes Bather*] Significat enim *diviſionem*, qua diviſus erat Sponſus ab ea.

LUCAS BRUGEN.

SUrge, *amica mea, ſpecioſa* [*ſponſa* o.] *mea, & veni*] Multa exemplaria, cum Hugone Cardinali, addunt *propera*, quod nonnulla perverſe ſcribunt *proſpera: Surge, propera, amica mea, ſpecioſa mea, & veni;* ad quem modum Græce legitur, ἀνάστα, ἐλθὲ, ἡ πλησίον μου, καλή μου, περιστερά μου, δεῦρο, [R. Vat.] καὶ ἐλθὲ σὺ [σοι Vat.] Nam quod Hebraice eſt לכי, verbum eſſe intellexerunt Græci, in principio, ut in fine ſententiæ; קומי לך רעיתי יפתי ולכי לך *Surge, veni, amica mea, pulcra mea, & veni tibi.* Sic potuit & noſter Interpres intellexiſſe, & pro *veni*, *propera* tranſtuliſſe, ut verſ. 10. præcedenti, ubi eadem omnino verba Hebraice repetuntur, præterquam quod ibi in initio ſententiæ לך ſcribatur, quod hic לכי ſcribitur; propter quod hic potius quam ibi *propera* vertiſſe potuit. Nam לך maſculinus, לכי femininus eſt imperativus. Atqui non eſſe hoc loco, ut ſuperiori, ab Interprete aut verſum aut additum *propera*, antiquiſſimi & emendatiſſimi quique codices probatum faciunt; quos ſecuti Correctores, Hentenius & Pariſienſes, e 13 verſus textu *propera* pepulere: quorum correctioni Gregorius, Juſtus, Beda, Bernardus, Thomas, Richelius, Enarratores, adſtipulantur. Porro illud לכי accepiſſe Interpres videtur pro redundante pronomine, quemadmodum poſtremam ſententiæ voculam לך proculdubio accepit. Nam quod ad verbum eſſet, *Et veni tibi*, reddidit, *Et veni.* Similiter accepiſſe potuit prius לך in verſu decimo (nam de poſteriori non eſt dubium) nempe non ut verbum, ſed ut pronomen Latinis ſuperfluum, & addidiſſe, non ex alio tranſtuliſſe, τὸ *propera.* Docent Hebræi pronomen eſſe, cum לך verſus decimi, tum לכי decimitertii, ſervili litera præpoſita: & ſcribunt quidam v. 13. לכי ſed legunt לך, ſignantque ˙ ſupereſſe. Ad hunc modum accepit & Chaldæus Paraph. קומי לך, *Surge tibi congregatio Iſrael, dilecta mea, & formoſa mea, vade hinc in terram quam ſtatui* [*juravi*] *patribus tuis.* Annotandum obiter eſt hoc loco, male quibuſdam libris, & Tractatoribus, Bedæ, Bernardo, Thomæ ac Richelio, hoc verſu *ſponſa* pro *ſpecioſa* legi. Erroris occaſio ſumpta ex eo videtur quod contractam ſcripturam *ſponſa*, *ſponſa* ſcriptores legerint, quæ *ſpecioſa* legenda erat. Addendum & hoc uno verbo, τὸ *columba mea* poſtponendum eſſe τῷ *& veni; Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni; columba mea, in foraminibus petræ:* quædam namque exemplaria, cum Hugone Carenſi, iniquo ordine præponunt, *Surge amica mea, ſpecioſa mea, columba mea, & veni in foraminibus petræ.* Græci codices & præponunt & poſtponunt, contra Hebræorum Latinorumque fidem.

DRUSIUS.

1. חֲבַצֶּלֶת הַשָּׁרוֹן. Aq. καλύκωσις τοῦ Σαρὼν, *calycoſis Saronia*] Vel *roſa Saronia.* Sane καλυκὸν *roſa parva.* Eſt & κάλυξ *roſa clauſa.* Cogitemus adhuc. Hiero. h. l. *flos campi.* Heſychius quoque καλυκίζειν exponit ἀνθεῖν *florere.*

2. רַעְיָתִי. Aq. φίλη μου *amica mea.* V. ed. ἀγαπητὴ *dilecta.*

3. דּוֹדִי. Sym. ὁ ἀγαπητός μου *dilectus meus.* ¶ בְּצִלּוֹ חִמַּדְתִּי. Sym. ὑπὸ τὴν σκέπην αὐτοῦ ἐπεθύμησα, *ſub præſidio ejus quem concupivi*] Vel *tutamine.* Licet etiam exponere *ſub umbra:* nam umbra protegit adverſus æſtum. ¶ לְחִכִּי. Sym. τῷ φάρυγγί μου *gutturi meo:* vel *faucibus meis.*

4. אֶל־בֵּית הַיָּיִן. Sym. εἰς τὸν οἰνῶνα *in cellam vinariam.* ¶ וְדִגְלוֹ עָלַי אַהֲבָה. Sym. ἐπισωρεύσατε μοι ἀγάπην, *coacervate mihi charitatem.*

5. סַמְּכוּנִי בָּאֲשִׁישׁוֹת. Sym. ἐπανακλίνετέ με ἐν ἄνθει, *reclinate me in flore*] Hier. *fulcite me floribus.* Olim erat στηρίσατέ με ἐν μύροις, *unguentis*, niſi legendum ἀμόροις, quod eſt genus libi ſive placentæ, de quo alias. ¶ רַפְּדוּנִי. Schol. περικυκλώσατέ με *circumdate me.* ¶ כִּי־חוֹלַת אַהֲבָה. Sym. τετρωμένη γὰρ φίλτρῳ, *ſauciata enim philtro*] Hier. *quia amore langueo. Philtro*, i. amoris illicio ſive illecebra.

6. תְּחַבְּקֵנִי. Sym. περιπλέκεσθαί μοι *circumplectatur me.*

7. תְּעִירוּ. Schol. ἐξυπνίσητε *è ſomno excitaveritis.* ¶ עַד שֶׁתֶּחְפָּץ. Schol. ἕως ἂν θελήσῃ *donec voluerit.*

8. דּוֹדִי. Sym. ἀγαπητοῦ μου *dilecti mei*] Cæteri, πατραδέλφου μου *patrui mei.*

9. לְעֹפֶר הָאַיָּלִים. A. τῷ πώλῳ τῶν ἐλάφων *pullo cervorum.* Hier. *hinnulo cervorum.* Lxx νεβρῷ ἐλάφων.

10. עָנָה. Sym. φθεγξάμενος *loquens.*

11. עָבָר. Sym. διαπέρασεν *finita eſt.*

12. עֵת הַזָּמִיר הִגִּיעַ. Symm. καιρὸς τῆς κλαδεύσεως ἔφθακεν, *tempus putationis appropinquavit.*

13. חָנְטָה. Aq. προέβαλεν *protulit*] Sic & Hier. ¶ וְהַגְּפָנִים סְמָדַר. Sym. καὶ τῶν ἀμπέλων ἡ οἰνάνθη, *& vitium œnanthe*] i. Flos vitis. Lex. V. Οἰνάνθη, τὸ ἄνθος τῆς ἀμπέλου. Aliis eſt *flos labruſcæ*, ſeu *vitis agreſtis.* Plinius l. 12. c. ult. *Eodem & œnanthe pertinet. Eſt autem vitis labruſcæ uva.*

14. אֶת־קוֹלֵךְ. Schol. τοὺς λόγους σου *ſermones tuos.*

15. אֶחֱזוּ־לָנוּ. Schol. συλλάβετε ἡμῖν *comprehendite nobis.* ¶ מְחַבְּלִים. Sym. διαφθείροντας *corrumpentes.*

16. וַאֲנִי לוֹ הָרֹעֶה בַּשּׁוֹשַׁנִּים. Sym. κἀγὼ αὐτοῦ, τοῦ ποιμαίνοντος τὰ ἄνθη, *& ego ipſius ſum, paſcentis flores.* Schol. ὁ νεμόμενος ἐν τοῖς κρίνοις, *qui paſcitur inter lilia.*

17. עַד שֶׁיָּפוּחַ. Aq. ἕως κοπάσῃ *donec ceſſet.* ¶ וְנָסוּ הַצְּלָלִים. Sym. καὶ κλιθῶσιν αἱ σκιαὶ, *& inclinatæ ſint umbræ.*

GROTIUS.

1. EGo *flos campi*] *Roſa Saron.* Saron terra eſt feraciſſima, Eſai. LXV. 10.

—— ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα,
[—— *ora roſis compar Helene*],

apud Theocritum.

2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.*]

τῶν δ᾽ οὐδ᾽ ἄν τις ἄμωμος, ἐπεὶ χ᾽ Ἑλένα παρελεύθῃ.
[*At non eſt Helena quæ ſeſe conſerat ulla.*]

3. *Sicut malus inter ligna ſilvarum*] Similis illa apud Theocritum comparatio ad Helenam pertinens:

—— ἅτ᾽ ἀνέδραμεν ὄγμος ἀρούρᾳ,
Ἢ κάπῳ κυπάρισσος.
[—— *quantum eminet arvis*
Cupreſſus, campiſque ſeges.]

Gutturi meo] Vide Proverb. XXX. 20.

4. *Introduxit me in cellam vinariam*] Ut biberem. Vide Proverb. V. 15.

Ordinavit in me charitatem] In Hebræo, *Vexillum ejus ſuper me eſt dilectio:* quaſi dicat, *milito ſub ejus vexillo, cui inſcriptum eſt, Amor.*

5. *Fulcite me floribus*] *Lagenis* vini optimi, ut fieri ſolet τοῖς λιποθυμοῦσι [*animo deficientibus*].

Stipate me malis] *Roborate me malis*, nempe Punicis, aut ſimilibus.

Quia amore langueo] Nympha apud Theocritum:
Ναρκῶ ναὶ τὸν Πᾶνα.
[*Marcida ſum. ſic me Faunus juvet.*]

6. *Læva*

6. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*]

—— Liveſcant brachia nexu,

Claudianus.

7. *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam*]

—— Ἔγχεσθε ῥ προς αὼ

[—— *ſurgite lucis Eoo*],

Theocritus. Vide & III. 5.

9. *Poſt parietem*] Crura.

11. *Jam enim hiems tranſiit*]

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis.

12. *Flores apparuerunt*] Virgilius:

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor,
Nunc frondent ſilvæ, nunc formoſiſſimus annus.

Ver tempus amorum.

14. *Oſtende mihi faciem tuam*] Pulchritudinem tuam, συμμετρίαν [*commenſum*] corporis.

15. *Capite nobis vulpes parvulas*] Pulicellos.

CAP. III.

VATABLUS.

2. ET *circuibo, &c.* ואסובבה וגו׳] *Et luſtrabo urbem ipſam, per vicos & plateas quæram.*

3. *Circumeunt* הסובבים] *Luſtrant.*

4. *Cum paululum, &c.* כמעט וגו׳] *Statim ut pertranſivi eos, donec invenirem quem, &c.* ¶ *Nec dimiſi, &c.* ולא ארפנו וגו׳] *Nec deſeram eum, donec introduxero eum.*

5. *Adjuravi* השבעתי] Præt. Hebr. pro Præſ. *Adjuro.* ¶ *Amorem* האהבה] Vide cap. I. 7.

6. *Quæ eſt iſta quæ* מי זאת עלה] *Quid eſt hoc quod.* ¶ *Sicut columnæ fumi* כתימרות עשן] *Sicut virgulæ fumi*, ſub. *odorati*: à תמר *palma*; à qua quæ excelſa & recta ſunt תימרות dicuntur, ut ſunt columnæ. Quidam vertunt *vapores fumi.* ¶ *Aromatarii* רוכל] i. Aromatica. Proprie ſignificat *mercatorem*: ſed hic ſpecialiter pro *aromatario* accipitur, ut annotant Hebræi.

8. *Tenent gladium* אחזי חרב] Ad verb. *apprehenſi gladio.* Participium paſſivum pro activo, *apprehendentes gladium.* ¶ *Docti bellatores* מלמדי מלחמה] Ad verb. *docti belli*, pro *docti ad prælium.* Quidam vertunt *bello aſſuefacti.* Alii *exercitati ad prælium.* ¶ *Gladius* חרבו] Ad verb. *gladius ejus.* Redundat *ejus.* ¶ *In noctibus* בלילות] Hebraiſmus, pro *nocturnum.*

9. *Ædificium* אפריון] Proprie ſignificat *lecticam qua vehi ſolent ſponſæ*: hic vero pro *tentorio* ſive *tabernaculo* accipitur. Quidam vertunt *Umbraculum.* Alii, *Palatium.* ¶ *Ex lignis Lebanon* מעצי הלבנון] Circumlocutio eſt cedrorum.

10. *Stratum ejus* רפידתו] *Pavimentum ejus.* ¶ *Cœlum ejus* מרכבו] Significat illud quod ſuperne trabibus ædificiorum regiorum appingitur ad eas occultandas, ut ſcribunt Hebræi. Quidam *operimentum ejus.* Alii *ſellam.* Alii *vehiculum.* ¶ *Medium ejus, &c.* תוכו רצוף וגו׳] *Intimum ejus tectum eſt amore filiarum Jeruſalem.* Alii, *cujus medium conſtratum erat charitate, propter filias Jeruſalem.* Alii, *exuſtum* [ſive *accenſum*] *amore, propter unam è filiabus Jeruſalem.*

CLARIUS.

1. IN *lectulo meo*] Ubi me deſtitutam ſenſi ſolamque derelictam, ut jam dicere non poſſem, *Lectulus noſter floridus*, ſed relictus eſſet lectus ſolitariæ, ut appellari poſſet *lectus doloris*, non *voluptatis*; *in ipſo lectulo totis noctibus quærebam* mœrens, *quem diligit anima mea, ſed non inveniebam.* Cum videlicet peccanti populo nunc rebelli, nunc murmuranti iratus erat. Tempus illud mihi *nox* erat, cum in tenebris peccati agerent membra mea. Quare moræ impatiens, in mulieris amantis morem, quæ amiſſum ſponſum omnibus locis quærit, ita ego diſcurrebam, in longo illo quadraginta annorum circuitu; & ſqualenti eremo, *quærens, ſed non inveniebam* quo pacto placaretur. In illa anxietate incidi in *cuſtodes*, Moſen & Aharon, qui *cuſtodes* erant *civitatis*, i. civium meorum. A quibus interrogabam *num quem diligit anima mea vidiſſent*, h. e. iis interceſſoribus utebar ad reconciliandum mihi Sponſum. Verum non reſponderunt ii mihi, Nam tantum abeſt ut introducerent me in Terram promiſſam ut ne ipſi quidem ingredi quiverint. At,

4. *Cum paululum pertranſiſſem eos*] Poſt eorum videlicet mortem, ac tempore Joſuæ, qui veri Jeſu typus fuit, *inveni quem diligit anima mea* & favorem ejus experta ſum. Quem inventum *tenui*, *nec dimiſi*, *donec inveni locum Domino*, *tabernaculum Deo Jacob*, quod fixi, atque illuc *introduxi eum*, nempe *in domum matris meæ*, in antiquam videlicet *progenitorum meorum* regionem, in qua olim Abraham, Iſaac & Jacob habitaverant. Poteſt autem hæc enarratio ſic aptari ut exprimatur mos Eccleſiæ Chriſti, ac fidelis animæ quæ, cum videtur ei ablatus Sponſus, ſuperiora tempora ad memoriam revocet, quibus poſt iram placatus etiam ſit; ut hac recordatione fiduciam recipiat, nec deſperet. Interim obſerva, *vigiles* ac *cuſtodes* noſtrarum animarum interrogandos eſſe ac conſulendos quo pacto inveniatur Sponſus: quod quam ſit utile, vide quid ſequatur, *Paulum cum pertranſiſſem eos*, paulo poſt illos interrogatos (neque enim totum illi efficere poſſunt; ſed ſatis eſt ut commonſtrent iter, & quaſi digitum ad fontem intendant:) *inveni quem diligit anima mea.*

5. *Adjuro vos*] Hoc ſuperius declaratum eſt: verum quod hic iterum repetatur, videtur illud in cauſa eſſe, quod non ſemel Eccleſia ab hoſtium infeſtatione metuerit.

6. *Quæ eſt iſta*] Verba ſunt Gentium admirantium qui eſſet ille populus quem præcedebat columna ignis & nubis, qui ſuffitum faciebat in altari, ut vapor ille *aſcenderet tanquam columna nubis.* Quidni mirentur Gentes Eccleſiæ dignitatem, cum admirari potuerint & ipſæ cœleſtes Virtutes & Principatus & Poteſtates, *quibus per eandem Eccleſiam & Gentium fidem revelatam fuiſſe* ait Paulus *multiformem hanc ſapientiam Dei?*

7. *In lectulum Salomonis*] Verba ſunt Sponſi, qui, Pluris, inquit, facio lectum Sponſæ quam illum Salomonis, cujus apparatus is erat qui hic deſcribitur. Alii tamen putant deſcribi & laudari apparatum caſtrorum in deſerto, & per *lectum Salomonis* intelligi Arcam federis, quam circumſtabant Hebræorum Tribus, ſexcenta ſcilicet millia pugnatorum, quæ per *ſexaginta fortes* ſignificantur; ut unus pro decem millibus accipiatur. Et hi erant *inſtructi ob timores nocturnos*, h. e. repentinos incurſus hoſtium.

9, 10. *Ferculum*] Vel *palatium.* Pendet hoc à ſuperiori, quod ſcilicet nihil æſtimet illum ſplendorem ædificii Salomonis præ lectulo & amore Sponſæ. Alii referunt ad Templi, alii ad Tabernaculi deſcriptionem, quæ tamen omnia ad teſtificandum amorem Sponſi erga ſe pertinent; de quo alibi ſcribitur, *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* ¶ *Columnas argenteas* dici putant quod intra Tabernaculum eſſent quatuor columnæ quarum baſes erant argenteæ. ¶ *Reclinatorium*, vel *ſtratum*, ſeu *pavimentum*, alii Propitiatorium intelligunt, quod erat quaſi ſedes Dei, eratque ex auro puriſſimo. ¶ *Aſcenſum*,] vel *vehiculum*, Sive *cortinam*, Velum erat in columnis ſurrectum & pendens, dividenſque Sanctum & Sanctum ſanctorum: erantque in eo varietates *purpureæ* intextæ. ¶ *In medio*] i. Intra Templum, erat *amor*, h. e. Cherubin & Tabulæ & Arca. Dicit ergo Sponſus malle ſe amorem Sponſæ & interiorem affectum, eoque magis delectari quam extrinſeco illo ſolennique apparatu.

11. *Videte Regem Salomonem*] Hebræi quoque interpretantur per Salomonem Meſſiam, *qui*, inquiunt, *creavit omnia.* Et *matrem* accipiunt populum Judæorum. Hic eſt ergo illa *Pax qui fecit utraque unum.* Hunc *coronavit mater*, h. e. Synagoga, cum accipiendo Legem ejus accepit eum in Regem, *in die deſponſationis*, cum ſibi deſpondit populum illum. *Mater* autem *ejus* appellatur quod ex ea gente carnem acceperit. ¶ *Egredi* autem jubentur, nempe à cavernis literæ; alioqui illum non agnituræ.

DRUSIUS.

3. הַשֹּׁמְרִים. Aq. οἱ φυλάσσοντες *cuſtodientes.* Symm. οἱ φύλακες *cuſtodes.* ¶ הַסֹּבְבִים. Symm. οἱ περιοδεύοντες *qui circumeunt.*

4. לֹא אַרְפֶּנּוּ. Schol. οὐκ ἀνήσω *non remittam.*

5. בִּצְבָאוֹת אוֹ בְּאַיְלוֹת הַשָּׂדֶה. Schol. οἱ λοιποὶ, Κατὰ τῶν δορκάδων καὶ κατὰ τῶν ἐλάφων τοῦ ἀγροῦ, *per capreas & per cervos agri.*

6. כְּתִימְרוֹת. Symmach. ὡς ἀναθυμίασις *tanquam ſuffitus.* ¶ אַבְקַת. Schol. χνοός] i. *Pulvis.* Alibi eſt χνόος *pulvis, lanugo.* Id contrahitur in χνοῦς, pro quo & χοῦς dicimus. Pſ. 7. 6. לעפר. Lxx. εἰς χοῦν. Vulg. *in pulverem.* Pſal. I. כמוץ. Lxx. ὡσεὶ χνοῦς. Eſt ubi ἄχνη reddunt eandem vocem. Heſychius, Χνοῦς, τὰ λεπτὰ τῶν ἀχύρων, i. *palea tenuiſſima.*

 8. [illegible]

8. איש חרבו. Aq. ἀνδρὸς μάχαιρα αὐτοῦ, *viri gladius ejus.* ¶ מפחד בלילות. Sym. διὰ φόβους νυκτερινοὺς *ob timores nocturnos.* Aq. ἀπὸ πλόνεως *à conſternatione.*

10. תוכו רצוף. V. ed. τὸ μέσον αὐτοῦ ἐψηφολόγησεν, *medium ejus teſſellavit*] Lex. Vet. ψηφολογῶ teſſello. Ψηφολογία, *teſſellatus, pavimentum.* Henricus Stephanus ψηφολογεῖν exponit *ſternere opere Moſaico & vermiculato*, ex Tobiæ cap. ultimo. Vide Caſtigationes noſtras ad illum locum.

GROTIUS.

2. *SUrgam & circuibo civitatem*] Allegorice Paraphraſtes hoc explicat de Iſraelitis mutuo ſe excitantibus ut eant ad Tabernaculum conventus.

4. *In domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*] Sic Theocritus,

—— καὶ ἐς τὸν ἄντρον ἱκοίμαν.

6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi*] Eſt tranſpoſitio. Vult enim dicere, *cujus odores ſic aſcendunt ut vapor ex agro.* Nam מדבר verti ſolet & ἀγρὸς (*ager*), & πεδίον (*campus*); & ὄρος (*mons*).

7. *En lectulum Salomonis*] Cubiculum. Magnificentia novi mariti prædicatur.

9. *Ferculum ſibi fecit*] In Hebræo, אפריון; id eſſe Græcum φορεῖον credidit Hieronymus: & ſic vertunt Lxx. φορεῖον eſt *lectica*, aut ſimile quid.

10. *Reclinatorium aureum*] Pavimentum.

Aſcenſum purpureum] Camera lecticæ.

Media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem] *Media ejus ſtrata amore à mulieribus Hieroſolymitanis.* Id eſt, media lecticæ amorum hiſtorias habent mulierum Judæarum acu pictas.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

4. *LApidibus prominentibus*] Sunt qui הלפיות ſcribi putant pro האלפיות, exponuntque pro לימור, quaſi turris illa alta inſtructionem dederit viatoribus. Kimhi vero putat dictionis radicem unam eſſe הלל, & alteram פי, quaſi תל פיות: ut ſit ſenſus שהוּ אבני המגדל גזורים פיות פיות *quo turris illa erecta fuerit lapidibus utrinque ſectis.*

13. *Camphora*] Capitur hic כפר pro בושם certo aromate, ſupra vero cap. 1. Aben Ezra exponendum ducit pro רקל *palma ramo dactylis pleno.*

VATABLUS.

1. *INter cincinnos tuos* מבעד לצמתך] *Per comam tuam.* Significat *eos crines quos mulieres dependere ſinunt ſuper frontem*, ut ſcribunt docti inter Hebræos. Quidam, *præter crines tuos.* Alii, *intra cincinnos tuos.* Alii, *intra ligamina tua*: aut, *intra reticula tua*: quæ ſcilicet conſtringunt capillos, ne volent exeundo. ¶ *Quæ aſpiciunt* שגלשו] Vide cap. 6. 4.

2. *Æqualium*, הקצובות] *Æquatarum*, i. *ejuſdem ſtaturæ.* Alii *tonſarum.* Alii *depilatarum.* ¶ *Quæ aſcendunt* שעלו] Præt. Heb. pro præſ. *quæ aſcendunt*, i. quæ modo lotæ ſunt. ¶ *Et orba non* ושכלה אין] *Nec abortiens eſt.*

3. *Decorum* נאוה] *Gratioſum.* ¶ *Sicut fragmen* כפלח] *Sicut pars* altera. ¶ *Intra cincinnos tuos* מבעד לצמתך] Vide verſ. 1.

4. *Ad propugnandum* לתלפיות] *Ad docendum*, ſub. *tranſeuntes.* Vel, *indicandi itineris gratia.* Alii etiam inter Hebræos docti dicunt dictionem eſſe compoſitam ex תל, *forte, altum & elevatum*, & פיות *acies*, q. *in altas acies*: ut ſit arx conſtans lapidibus in aciem ſive acumen tendentibus & deſinentibus; ut fit hodie in turrium ædificiis. Gallice *à pointe de diamant.* ¶ *Et omnes*, &c. כל שלטי הגבורים] *Omnium* ſcilicet *fortium ſcuta.*

6. *Donec aſpiret*, &c. עד שיפוח היום] Vide cap. 2. 17.

8. *Proſpice* תשורי] Fut. Heb. *proſpicies*: *contemplaberis*: quod alii vertunt per imperativum.

9. *Vulneraſti cor meum* לבבתני] *Abſtuliſti mihi cor.* Alii, *vendicaſti tibi cor meum.* Sic mox.

10. *Quanto meliores* מה טבו] *Quanto ſuaviores.* Alii, *Quantum præſtans.*

13. *Plantationes*, &c. שלחיך גני] Ad verb. *Emiſſiones tuæ* ſunt *pomarium malorum*, &c. Alii, *Propagines tuæ* ſunt velut *pomarium* plenum *malis Punicis.* ¶ *Dulcibus* מגדים] Ad verb. *ſuavitatum.* ¶ *Cyperi* כפרים] Plurale eſt nominis כפר *copher*, de quo cap. 1. 14. ¶ *Nardis* נרדים] Vides *nardum* vocem eſſe ab Hebræis derivatum, ut & *crocum*, & *canna*, & *cinnamon.* ¶ *Præcipuis aromatibus* ראשי בשמים] Ad verb. *capitibus aromatum.*

15. *Suavitatum ejus* פרי מגדיו] Hebraiſmus, *fructum ejus ſuavem.* Quidam, *optimorum pomorum ſuorum.*

CLARIUS.

1. *QUam pulcra es*] Vel, *Ecce tu pulcra es.* Cum huic Epithalamio propoſitum ſit, ſpeciem vel Eccleſiæ, vel cujuſvis animæ fidelis, ſub corporeis imaginibus deſcribere, hoc loco & ſequentibus, tanquam mulieris pulcræ, eas partes contemplatur è quibus emicare imprimis gratia ſolet. Per *oculos* accipiunt primos in populo, quemadmodum & Oculi primas tenent in corpore. *Intra cincinnos* addit, ut Metaphoram faciat gratiorem, quando cincinni addunt oculis gratiam. Quanquam Hebræi *intra cincinnos* interpretantur *intra caſtra, ubi collectus erat populus, tanquam cincinni.* ¶ *Capilli tui ſicut greges caprarum*] Infirmos accipe in populo. *Sunt*, inquit, *ſicut greges caprarum quæ deſcenderunt de monte Galaad.* Intelligit cum Jacob veniebat de Meſopotamia Gen. 31. ut intelligas eorum ordinem.

2. *Dentes tui*] Fortes etiam, inquit, ſunt milites tui, omnes integri, & malus non eſt inter eos. Sic nimirum in Eccleſia Chriſti uſu venit, ut nemo cujuſvis ſtatus, modo Chriſtum ex animo profiteatur, in ea ſit cui deſit ſua ſpecies & pulcritudo.

3. *Sicut vitta coccinea labia tua*] Nam hoc colore Labia commendantur. Hoc ſignificatur gratia ſermonis atque in dictis conſtantia. Quare non inepte quidam alludi putant ad filum coccineum quod Rahab poſuit, & ſervavit ei populus fidem. ¶ *Sicut fragmen mali Punici*] Nam rubor ornat Genas: ut intelligas quam pulcram Eccleſiæ faciem præbeat verecundia atque modeſtia, præſertim in ætate junioribus. Verum quia dictio Hebræa, quam interpretes verterunt *genas*, ſignificat etiam *vacuum*, atque ob hanc cauſam hanc appellationem habet *gena* apud Hebræos quod *vacua carne* ſit, ideo hoc loco accipi poſſunt ii qui vacui & viliores aliis videntur, qui in Eccleſia pleni tamen virtutibus ſunt, in morem malorum Punicorum.

4. *Sicut turris David collum tuum*] Robur tuum, ipſa videlicet Jeruſalem, tanquam fortitudo Iſraelis. ¶ *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis*] Vel, ut alius vertit, *lapidibus prominentibus.* Poteſt etiam verti, *quæ ædificata eſt ob diſcendum*; vel quod eo artificio facta eſſet ut alii inde diſcerent fabricare, vel quod ibi erat Schola doctrinæ. ¶ Per *mille clypeos* numeroſitas diſcipulorum deſignatur. ¶ *Omnis armatura fortium*] Nam ibi erat doctiſſimorum hominum ſchola, qui erudiebant populum.

5. *Duo ubera tua*] Moſes & Aharon, vel Tabulæ Teſtamenti.

6, 7, 8. *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ*] Donec illuceſcat *dies* Euangelicæ prædicationis, & recedant *umbræ* Legis; ut dici poſſit, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Lex enim pædagogus noſter fuit in Chriſtum.* Quidam Hebræi ſic exponunt, *Donec venit tempus cum clara luce peccaſti, & receſſerunt umbræ excuſationum.* ¶ *Ac vadam ad montem myrrhæ*] Vel, *ibam ad montem Moria*, ubi ſcilicet Templum factum eſt. Sponſus adhuc loquitur, Feci, inquit, tibi Templum, ut te bonam redderem. Tunc *tota pulcra eras, & macula erat in te.* Et tanquam ad illum locum Sponſam invitans, perinde quaſi res tunc ageretur, dicit, *Mecum de Libano*, &c. Et putant hunc *Libanum* montem alium eſſe ultra Jordanem, unde filii Iſrael venerunt in Judæam. ¶ *Contemplaberis de capite Amana*, &c.] h. e. Ex his montibus intueberis tibi promiſſam terram, ex his, inquam, *montibus ubi habitant Leones & pardi.* Quidam Hebræi putant hic fieri mentionem illius temporis cum deſtructo Templo, quod hic *Libanum* appellat quod ex lignis Libani factum eſſet, populus in captivitatem ductus eſt; ut ſit ſenſus. *Mecum exiſti de Libano*; i. Templo, *& mecum eodem reverteris. Tunc contemplaberis de vertice horum montium populum redeuntem à captivitate.* Quod quidem verum eſſet ſi illud intelligerent Apoſtoli, *Cum plenitudo Gentium introierit, tunc omnis Iſrael*

rael ſalvus erit ; & quo pacto etiam *reliquiæ ſervandæ ſint*. Sed melius ſic interpretarentur, *Egredere mecum de Libano*, h. e. deſere corporeum templum & figuras Legis, & *contemplare* tanquam ex eminenti ſpecula & altiſſimis *montibus* fidelium multitudinem ad fidem venientem: Ut mireris & ipſa, dicaſque cum Eſaia, *Quis mihi hos genuit?*

9. *Vulneraſti*) Vel *abſtuliſti*, ſive *faſcinaſti*. Si haberes tantum, inquit, *unum oculum*, *abſtuliſſes cor meum*, nedum in tanta iſta pulcritudine. Mirum hujus carminis artificium ad exprimendos amantium affectus. Ex quo etiam intelligi datur quantus ſit Dei erga genus noſtrum affectus & charitas, quam conatur Spiritus S. his amatoriis moribus explicare. Per *oculum* intellige, ut alibi diximus, vel Moſen, vel præcipuum quemque è populo, per *ligamen*, vel *torquem*, *colli*, unum ex fortibus.

10. *Quam pulcri ſunt amores tui*, &c.) Gratior es mihi, inquit, omnibus aliis populis, & *longe jucundior quam* quivis ſuaviſſimi *vini* guſtus, *& odor* virtutum qui à te emanat *ſuperat aromata omnia*.

11. *Favum diſtillant labia tua*) Propter doctrinam Divinæ legis. Nam *favus mellis compoſita verba*, ait idem Salomon. ❡ *Odor veſtimentorum*] Ob veſtes Sacerdotales, quarum uſu, dum erat legitimus cultus, multa fiebant bona opera.

12. *Hortus concluſus*] Cum te apprehendi ac mea donavi gratia, fuiſti virgo immaculata, & *tanquam hortus obſeratus*, ubi flores ac herbæ integræ atque intactæ manent; & *veluti fons occluſus*, quem nullus perturbaverit. ❡ Sic *portam occluſam* vocat, quæ nullius vel ingredientis vel egredientis ſit temerata veſtigiis.

13, 14. *Plantationes tuæ*] Vel, *rami tui*, &c. Comparat Sponſam his rebus omnibus ob ejus virtutes ac pulcros mores & conſuetudines inter omnes gratiam.

15. *Fons hortorum*, *puteus aquarum*] Quæ ſcilicet rigant has ſpecies. Significat autem, populum hunc habuiſſe fœcunditatem & copiam donorum ſpiritualium.

16. *Surge*, *Aquilo*] Vel *expergiſcere*. Alloquitur Propheta vel Sponſa ventos appoſitarum regionum, ut *flent* & ex arboribus horti ſui excutiant *aromata*, quæ parata ſint ſacrificiis faciendis. Nam *veniet*, inquit, *dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructum pomorum ſuorum*.

DRUSIUS.

1. מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ· V. ed. ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου, *propter multam pulcritudinem tuam*.

2. מַתְאִימוֹת· Aq. διδυμοτοκοῦσαι *geminos parientes*.

3. הַשָּׁנִי· A. ἐκ κόκκου *è cocco*. ❡ כְּפֶלַח הָרִמּוֹן רַקָּתֵךְ מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ· Sym. αἱ παρειαί σου σκεπόμεναι καλύμματι, *genæ tuæ opertæ tegumento*] Vel *tecta velamine* ſive *velamento*.

4. לְתַלְפִּיּוֹת· A. Εἰς ἐπάλξεις *in pinnas*. Sym. ὕψη *altitudines*.

6. עַד שֶׁיָּפוּחַ הַיּוֹם וְנָסוּ· Aq. --- κοπάσῃ ἡμέρα, καὶ κλιθῶσιν. *--ceſſet dies, & inclinata fuerint*]. Ἕως κοπάσῃ *donec ceſſaverit*. Vide ſupra 2. 17. ❡ אֶל גִּבְעַת· Sym. εἰς τὴν νάπην *in ſaltum*, vel *clivum*.

8. מִלְּבָנוֹן· Sym. ἀπὸ τοῦ Λιβάνου, *à Libano*. ❡ אֲמָנָה· Aq. Ἀμανά. ❡ מִמְּעֹנוֹת· Aq. --- κατοικητηρίου *habitaculo*.

9. לִבַּבְתִּנִי· V. ed. ἐθάρσυνάς με *audacem reddidiſti me*. ❡ בְּאַחַת. Aquila, ἐν ἑνὶ *in uno*. Symm. δι᾽ ἑνὸς *per unum*. ❡ בְּאַחַד עֲנָק מִצַּוְּרֹנָיִךְ· Aq. ἐν ἑνὶ πλοκάμῳ ἀπὸ τραχήλου σου, *in uno concinno de collo tuo*. Sym. τῶν ὁρμίσκων τοῦ τραχήλου σου *monilium colli tui*.

10. יָּפוּ· Aq. ἐκαλλωπίσθησαν, *ornata fuerunt*. Sym. ὡραιώθησαν *ſpecioſa fuerunt*. ❡ מִיַּיִן· Sym. ὑπὲρ οἶνον *ſupra vinum*.

11. נֹפֶת· Aq. γλυκασμὸν *dulcedinem*. Sym. μέλι *mel*.

12. מְגָדִים· Sym. ὀπωρῶν *fructuum autumnalium*.

13. וַאֲהָלוֹת· Aq. καὶ ἀλωὴ *& aloe*. Sym. καὶ θυμίαμα *& thymiama*.

14. נֹזְלִים· V. edit. ῥεόντων, *fluentium*.

15. יִזְּלוּ· A. ῥυήτωσαν, *fluant*, ❡ מְגָדָיו· A. Sym. ὀπωρῶν *fructuum autumnalium*.

GROTIUS.

1. *Abſque eo quod intrinſecus latet*] Videntur legiſſe Græci & hic & bis infra עלמיך [*abſcondita tua*]. At in Hebræo noſtro, *intra comam tuam*: coma enim ferme ad oculos pervenit.

Capillus tuus ut grex caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad] In Hebræo: *Quæ mane ſurgunt de monte Galaad*. Sic & Arabibus גלש [*mane ſurgere*] ſumitur. Monti pulcherrimo *Galaad* confertur caput: *caprea* capilli ſubſultantes in capite.

2. *Omnes gemellis fœtibus*, *& ſterilis non eſt inter eas*] In Hebræo: *Omnes geminæ*, *& abortiens non eſt inter eas*. Dentes æquali ordine inter ſe reſpondent, nec ulla pars vacat.

3. *Sicut fragmen mali punici*] *Ita gena tua*.

Abſque eo quod intrinſecus latet] In Hebræo iterum: *inter comam tuam*. Hoc vult: *genæ tuæ rubent ut acini in malo Punico*.

4. *Mille clypei pendent ex ea*] Clypeis illis de turre pendentibus confert uniones pendentes de collo.

6. *Ad montem myrrhæ*, *& ad collem thuris*] Sic vocat mammas ob ſuaviſſimum odorem.

7. *Veni de Libano ſponſa mea*, *veni*] Hoc vult dicere, Deducam te per amœniſſima regni mei; à *Libano* in *Amana*, inde in *Hermonem*, cujus pars *Sanir*, Deuter. III. 9. Saltum in Libano habebat Solomon I Reg. VII. 2. II Paralip. VIII. 6. De Hermonis amœnitate vide Pſalm. LXXXIII. Undique corollas tibi decerpemus. Sic in Epithalamio Helenæ:

> Ἄμμες δ᾽ ἐς δρόμον ἦρι καὶ ἐς λειμώνια φύλλα
> Ἑρψεῦμες, στεφάνως δρεψεύμεναι ἁδὺ πνέοντας,
> Πολλὰ τεῦ, ὦ Ἑλένα, μεμναμέναι.
>
> [*Nos*, *ubi mane novum*, *procul in viridantia prata*
> *Ibimus*, *& carpemus olentes ſuave corollas*,
> *Multa tui memores*, *Helene*].

9. *Vulneraſti cor meum*] Theocritus de Amore:

> --- τὰ δ᾽ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς;
> [*-- ah qualia vulnera figis!*]

Soror mea] Sic & Latini amicas vocabant. Meminit Tibullus, Martialis, & alii.

In uno oculorum tuorum] Meleager de Amore:

> ——— οὔ με λέληθας,
> Τοξότα, Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος.
>
> [——— *an me ſperabas fallere*, *nequam*,
> *Spicula Zenophiles qui jacis ex oculis*.]

Et in uno crine colli tui] Silentiarius:

> Χρυσῆς εἰρύσασα μίαν τρίχα Δωρὶς ἐθείρης
> Οἷα δορυκτήτους δῆσεν ἐμὰς παλάμας.
>
> [*Traxerat aureolum Doris de fronte capillum*:
> *Hoc mihi captivam ſtrinxit utramque manum*.]

10. *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ*, *ſoror mea ſponſa*] In Epigrammate Græco:

> Καὶ μαζοὶ γλαγόεντες, ἰσόζυγες, ἱμερόεντες,
> Εὐφυέες, πάσης τερπνότεροι κάλυκος.
>
> [*Lacteolaque pares tumidæ*, *res blanda*, *papillæ*.
> *Major purpureis queis decor eſt foliis*.]

Odor unguentorum tuorum] Id eſt, halitus tui meliores unguento.

11. *Favum diſtillans labia tua*] Sic labia in Græco Epigrammate:

> ——— στόματος νεκτάρεα πρόθυρα.
> [——— *oris limina nectarei*.]

Mel & lac ſub lingua tua] Hinc poſt Baptiſmum lactis & mellis prægustatio. Meminit Tertullianus de Corona, & adverſus Marcionem I.

12. *Hortus concluſus*] Hoc ſenſu & Græci κῆπον dicunt. Vide Diogenem Stilpone. Sic & v. 1. & *hortus* in Lampſaceno carmine, & *hortulus* apud Apuleium. Significat autem eam fuiſſe bene cuſtoditæ virginitatis. Et hunc in ſenſum Judæi hæc verba uſurpant.

Fons ſignatus] Pari ſenſu *ſignatam virginem* dixit Lucilius.

16. *Surge Aquilo*, *& veni Auſter*] Ὠφελεῖ γὰρ τοῦτο πρὸς τὸ ῥευματικόν [*facit enim hoc ad fluxum*.] ut ſequitur.

Comedat fructum pomorum ſuorum] *Comedere & bibere* pro *re quavis frui* frequens Hebræis.

CAP. V.

MUNSTERUS.

10–15. **D***Ilectus meus candidus*] Per *candorem* intellige fontem omnis claritatis, puritatis & vitæ. ¶ Eſt quoque *rubicundus*, ſeverus ſcilicet ultor ſcelerum. ¶ *Inſignitus præ decem millibus*] Vel *habens ſub ſe vexilla plura quam decem millia.* Eſt enim Dominus exercituum, eſt omnipotens. *Caput ejus* eſt redimitum *auro optimo*, quia eſt dives Dominus & largitor omnium bonorum. Conſilia & judicia ejus ſunt veluti *denſi cincinni*, ſunt abyſſus multa & nobis imperſcrutabilia. Habet *oculos* perſpicaciſſimos, videt omnia; curat res hominum ſumma æquitate; connivet ad ſcelera uſque ad tempus ſuum. *Manus ejus* cœlum & terram in *ſphæram* redegerunt. Habet *crura marmorea*, ſuſtentans omnia verbo potentiæ ſuæ, &c.

VATABLUS.

1. V*Eni* באתי] Præteritum, quod quidam per præſens vertunt, *Venio.* Alii adjiciunt *Ergo*, ne quis putet eſſe imperativum. ¶ *Cum aromate meo* עם בשמי] i. Cum cæteris aromatibus.

2. *Dormio* ישנה] Ad verb. *Dormiens.* Toar eſt, ut annotant docti inter Hebræos, quod quidam reddunt per præteritum imperfectum, *dormiebam*, *vigilabam.*

4. *Sonuerunt* המו] *Infremuerunt*, *commota ſunt.*

5. *Et digiti mei* ואצבעתי] Repetitio Hebraica. ¶ *Tranſeuntem* עובר] i. Interlabentem, inter digitos perfluentem. Alii *probatam:* ita enim dicitur argentum probatum *argentum tranſiens*, quod ſubinde per manus hominum tranſit. ¶ *Super manubria peſſuli* על כפות המנעול] *Super manubria ſeræ.* Sic dicta quod manu capiantur ac comprehendantur. Quidam, *cardines ſeræ.*

7. *A me* מעלי] Ad verb. *de ſuper me.* Gallice *de deſſus moy.*

8. *Adjuro* השבעתי] Præt. Heb. pro præſ. *Obteſtor.*

9. *Præ dilectis* מדוד] Sing. Heb. pro plur. *præ dilectis*, ſub. *aliarum.* q. d. *Qua in re ſuperat dilectos aliarum mulierum?*

10. *Inſignis* דגול] Ad verb. *vexillatus*, i. vexillo inſignitus & ornatus. Quidam *vexillanus*, aut *geſtans vexillum.* ¶ *Præ decem millibus* מרבבה] *In decem millibus:* ut ſit מ pro ב. Vel, *inter decem millia.*

11. *Obrizum* פז] *Optimum*, *purificatum.* Docti inter Hebræos dicunt conjunctionem ו deeſſe: ut legamus *aurum & obrizum.* ¶ *Criſpi* תלתלים] Ad verb. *denſitates:* i. denſi. Significat ſilvam capillorum à *creſcendo* dictam.

12. *Juxta plenitudinem* על מלאת] i. Conſiſtentes juxta vas plenum lacte. Quidam vertunt *juxta clauſuram*, ſub. *gemmarum.* Alii ex comment. Hebræorum, *juxta diſpoſitionem perfectam.*

13. *Velut areola* כערוגת] Sing. pro plur. *ſicut areolæ.* ¶ Ut *flores aromatum* מגדלות מרקחים] i. Qui creſcunt inter aromata. Alii, ut *germina odorifera.* Alii, ut *pyxides*, vel *loculi tabernæ unguentariæ.* ¶ *Tranſeuntem* עובר] *Probatam.* Vide v. 5.

14. *Annuli aurei* גלילי זהב] *Circuli aurei.* Vel, *ſphæræ aureæ.* Alii, *rotæ aureæ.* ¶ *Repleti*, &c. ממלאים בתרשיש] Ad verb. *repleti tharſis.* Vel, *repleti hyacintho*, i. habentes incluſos hyacinthos. Quidam Hebræorum *perfecti hyacintho.* ¶ *Venter ejus*, &c. מעיו עשת שן] Ad verb. *inteſtina ejus candor eboris.* Vel, *puritas eboris*, i. ſicut purum aut candidum ebur, vel nitidum. Doctus inter Hebræos *juxta munditiem eboris:* aut, *ut vas eburneum candidum.* ¶ *Sapphiris* ספירים] *Carbunculis.* Quidam inter Hebræos dicunt eſſe cryſtallum.

15. *Auri* פז] *Obrizi.* ¶ *Aſpectus ejus* ut *Lebanon* מראהו כלבנון] Ad verbum, *ſpecies ejus velut* ſpecies *Libanon.*

16. *Dulcedines* ממתקים] Hebraiſmus, pro *dulciſſimum.* ¶ *Imo totus ipſe deſideria* וכלו מחמדים] Hebraiſmus, pro, *quantus quantus eſt, res ſunt deſiderabiles:* ſive, *totus eſt deſiderabilis.* Quidam totum verſum ſic vertunt, *Palati ejus verba ſunt dulcia, & ſic quicquid in eo eſt, deſiderabile eſt: talis eſt dilectus*, &c. ¶ *Iſte eſt* זה] Hebraiſmus, pro *talis:* & ſic mox.

CASTALIO.

12. L*Actæ lota*] Candidiſſimæ.

CLARIUS.

1. E*GO veni in hortum meum*] Illud quod alii verterunt, *Comedi favum meum*, &c. rectius eſt, *cannam mellis cum melle meo, & bibi vinum meum cum floribus vini mei:* ut his verbis ſignificaret, ſibi ita illud ſapuiſſe ut etiam flores ac fæces biberit. Reſpondet enim Deus ſuperioribus Sponſæ verbis, dicens, *Ego olim veni, & accepi* veſtra ſacrificia gratioſe, etiam ipſas fœces ſacrificiorum: & erant mihi grata, *tanquam mel*, &c. Et dicebam, *Comedite amici mei*; nempe Sacerdotes & Levitæ. At vos ingrati fuiſtis, & me ad iram provocaſtis.

2. *Ego dormio*] Verba ſunt Sponſæ, quæ accuſat populi ſui peccatum, & ait, *Ego dormiebam*, nolens benefacere, *& cor meum*, h. e. Deus, *vigilabat*, ut me cuſtodiret. *Vox dilecti pulſabat* per manus Prophetarum, dicens, *Aperi mihi* per pœnitentiam. *Caput meum plenum eſt rore* ſalutifero. Nam ros omnibus prodeſſe rebus dicitur, at pluvia non omnibus. Voluntas ergo Dei bona eſt erga omnes: ſed iis qui reſpuunt dona Dei, ille *ros* eſt tanquam *guttæ noctium*, quæ nocent viatoribus, ſic enim quidam Hebræi interpretantur. Sed fortaſſe melius eſt ut idem ſignificare voluerit per *rorem & guttas noctium*, ut declaret ſe omnia afferre quæ ad ſalutem pertineant. Vel ſignificatur per illud, *Caput meum plenum eſt rore*, &c. nunquam ſe ceſſaſſe, quin opportune importune invitaret, eorum more qui ne nocturnis quidem laboribus & incommodis parcunt ut aliis commodent.

3. *Exſpoliavi me tunica mea*] Mali in populo reſpondebant, ſe deſeruiſſe cultum Dei, quo tanquam veſtimento honeſtabantur, & melius ſecum agi in cultu idolorum. Cujuſmodi verba in Jeremia reperies, cap. 44. Sic enim ajebant, *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te, ſed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore noſtro, ut ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos & patres noſtri, Reges noſtri, & principes noſtri, in urbibus Juda, & in plateis Jeruſalem; & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo ceſſavimus ſacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio ac fame conſumpti ſumus.*

4. 5. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*] Cœli videlicet; h. e. percuſſiones & flagella; quibus excitata *ſurrexi, ut aperirem, & manus meæ ſtillaverunt myrrham*, i. operam dedi recte factis: & illa *myrrha tranſivit uſque ad peſſulum oſtii*, h. e. hæc bona opera toto corde feci, quæ ſcilicet penetrarent uſque ad cor, quod vocatur *Sera hominis.* Illud vero, *miſit manum per foramen*, quod ad literam ſpectat, exprimit morem eorum quibus cum non aperitur, tentant illi aliquo modo terrere eum qui intus ſit.

6. *At ille declinaverat*] Renuens ſcilicet accipere mea ſacrificia, meque ex ingruentibus moleſtiis confeſtim liberare. ¶ *Anima mea liquefacta eſt*] Vel, *exivit à me.* Poſtquam ſe abſcondit, memor fui vocis ejus, & contabui, præſertim cum *quærerem eum, & non invenirem; vocarem, & non reſponderet mihi.*

7. *Invenerunt me cuſtodes*] Interea oppreſſit me Nabuchodonoſor & exercitus ejus, *percuſſeruntque me, & abſtulerunt ornamentum meum*, h. e. Templum.

8. *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem*] Fideles in populo, quorum opem implorat ad inveniendum vel reconciliandum Dilectum. Vel certe Gentes, ad quas cum tranſierit revocetur tandem ad antiquum amorem, ut reliquiæ ſerventur.

9. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto*] Vel *præ dilecto. Quid habet*, inquiunt, *dilectus tuus plus cæteris dilectis?*

10. *Dilectus meus candidus & rubicundus*] Nunc mitis nunc ſeverus. Quod ad literam ſpectat, commendat eum à colore primum. ¶ *Electus* (vel inſignitus) *præ decem millibus*] Alius exponit, *vexillatus à decem millibus*, quando ſcilicet in monte Sina apparuit.

11. *Caput ejus*] Principium ſermonum ejus *aurum optimum.* Vel, dignitas ineſt ei Regia, & tanquam *aurea corona caput ejus* honeſtatum. ¶ *Cincinni criſpi*] Quia ſenſus eloquiorum Dei multas habet interpretationes. ¶ *Nigri quaſi cor-*

ſi corvus] Non enim ſeneſcunt, ut in canitiem vertantur. Alii putant alludi ad literas Decalogi.

12. *Oculi ejus ſicut columbæ quæ lacte ſunt lotæ*] h. e. Puriſſimæ ac candidiſſimæ. Uno enim intuitu contemplatur omnia. Neque illi ex hoc intuitu ullæ ſordes allini poſſunt, dum in ſeſe omnia proſpicit. ¶ *Reſident juxta plenitudinem*] Videtur referendum ad *oculos*, dum ſcilicet caſulas ſuas implent oculi, ut neque promineant neque nimis concavi ſint. ¶ Et illud *ſuper rivos aquarum*] quidam Hebræi referunt ad *dilectum*, ſic, *quando ipſe ſtat ſuper rivos aquarum*, quod apte ſignificabit, cum per verbum informis illa rerum maſſa, quæ etiam *aquarum* nomine appellatur, formam ſuam accepit.

13. *Genæ illius*] Diximus ſupra, Genas eſſe partes illas in facie quæ vacuæ carne ſunt: & fortaſſe ſignificat, Illud quod imperitioribus videtur minus perfectum in creaturis, in ſapientia tamen Dei eſſe abſolutiſſimum. Nam, ut ait Apoſtolus, *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt omnibus hominibus.* ¶ *Labia*] Eloquium purum & incorruptionem præſtans.

14. *Manus*] Quibus Tabulas Legis dedit. Vel virtus ac poteſtas operandi. ¶ *Venter*] Occultatio Divinorum judiciorum.

15. *Crura*] Vis qua ſuſtentat omnia.

16. *Guttur*] Suavitas ſermonis, &c.

DRUSIUS.

1. אָכַלְתִּי יַעְרִי. Sym. ἐνεμήθην τὸν δρυμόν μου, *depavi ſilvam meam.* ¶ דּוֹדִים. Aq. Sym. ἑταῖροι *ſocii.* ἀδελφιδοὶ *fratrueles.*

2. רְסִיסֵי לָיְלָה. Aq. ψεκάδων νυκτερινῶν *rorantes pluviæ nocturnæ.*

4. מֵעַי הָמוּ. Sym. τὰ ἔντερά μου ἐταράχθη, *inteſtina mea turbata ſunt.*

5. עַל כַּפּוֹת. Schol. ἐπὶ θύρας *ad oſtia.*

6. חָמַק עָבָר. Aq. ἔκλινεν, παρῆλθεν, *declinavit, præteriit.* Sym. ἀποινεύσας παρῆλθεν *reſpuens tranſiit*] Hieron. *declinaverat.* ¶ נַפְשִׁי יָצְאָה בְדַבְּרוֹ. Sym. ψυχή μου ἐξήρχετο λαλοῦντος αὐτοῦ, *anima mea egreſſa eſt eo loquente.*

7. פְּצָעוּנִי, Aq. ἐμωλώπισάν με *cutem ex verberum incuſſione ſugillarunt*] Verbum ex nomine μώλωψ deductum, quod *vibicem* denotat. ¶ רְדִידִי. Schol. τὸ κάλυμμά μου *tegmen,* ſive *velum, meum.*

10. צַח Sym. λαμπρὸς *ſplendidus.* ¶ דָּגוּל. Aq. ἐκλελεγμένος *electus.* Sym. ἐπίλεκτος *delectus.*

11. כֶּתֶם פָּז. Aq. λιθέα τοῦ χρυσίου. Sym. χρυσίον *aurum.* Th. ἐπίσημοι ἐν χρυσίῳ *inſignes auro.*

12. עַל־אֲפִיקֵי מָיִם. Aq. ---- ἐκχύσεις ὑδάτων *effuſiones aquarum.*

13. עֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם. Aq. πρασιαὶ τοῦ ἀρώματος *areæ aromatis.* ¶ מוֹר עֹבֵר. A. σμύρναν ἐπίλεκτον *myrrham electam.* Sym. πρωτείαν *primam.*

14. מְמֻלָּאִים בַּתַּרְשִׁישׁ. Sym. πλήρεις ὑακίνθων *plenæ hyacinthis.* VI. ed. χρυσολίθων *chryſolithis.*

15. עַמּוּדֵי שֵׁשׁ Aq. Th. στῦλοι Πάριοι *columnæ Parinæ*] 1 Par. 29. אבני שיש. Lxx. Πάριον.

17. הָלַךְ. Aq. ἐπορεύθη *profectus eſt.* Sym. ἀνεχώρησεν *ſeceſſit.*

GROTIUS.

1. V*Eni in hortum meum*] Loquitur maritus, nec eſt vocantis, ſed ſibi gratulantis: εἰσῆλθον [*intravi*].

Comedat fructum pomorum ſuorum] *Comedere & bibere*, pro *re quavis frui* frequens Hebræis.

Comedite amici & bibite, & inebriamini cariſſimi] Invitat maritus ſodales ſuos, ut ipſum imitentur.

2. *Ego dormio & cor meum vigilat*] Eſt quædam ſemivigilia & ſemiſomnus.

Aperi mihi] Admitte.

Caput meum plenum eſt rore] De hoc rore diximus alibi.

3. *Exſpoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?*] Sunt hæc verba ἀκκιζομένης [*ficte recuſantis*]. Per *tunicam* intellige noctis habitum, qui exuitur ubi diurna veſtimenta ſumunt mulieres. Propertius:

Quæ cum Sidonia nocturna ligamina mitra
Solveret.

Lavi pedes meos] *Sumſi aquam* dicerent feminæ Romanæ. Habes id apud Ovidium ſæpius. *Pedes* quo ſenſu hic dicantur, videbis ad Geneſ. XLIX. 10.

4. *Intremuit*] *Commotus eſt.*

7. *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem*] Manus quæ totum corpus palpando circumeunt. Ψηλαφῶσι, κλειτορίζουσι [*tractant, rimantur*].

Vulneraverunt me] Udam ſe factam dicit.

Tulerunt pallium meum mihi] Sulpitia,

Ut me cadurcis deſtitutam faſciis.

8. *Adjuro vos*] Sæpe incipiunt novæ Odæ, ut hoc loco.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

3. T*Hirza*] De hoc loco habes in libris Regum, præſertim 1 Reg. 15, & 16.

4. *Ferocem me fecerunt*] Kimhi exponit חזק חשק *ſuperaverunt concupiſcentiam meam.* Alii exponunt in hunc modum, *Superbiorem me fecerunt.*

7. *Uxores*] Jam ſæpe diximus פלגשים eſſe uxores minus principales, *quarum filii non ſuccedunt patri in hæreditate*, ſed tantum dona accipiunt.

11. *Tributarii*] Potes etiam vertere *munifici*, ſeu *liberalis.*

VATABLUS.

1. A*D areolas* לערוגת] *Ad ſulcos: ad conſitiones.*

2. *Ego*, &c. אני וגו'] Vide eadem verba c. 2. 16.

3. *Velut Thirſa* כתרצה] Urbs de qua 1 Reg. 14. 17. ¶ *Formidabilis*, &c. אימה כנדגלות] Ad verb. *formidabilis velut vexillata*, ſub. *copiæ:* i. quæ vexilla & ſigna geſtare ſolent. Vide eadem v. 9.

4. *Quia ipſi fortiores me ſunt* שהם הרהיבני] *Quia ipſi vincunt me.* Alii, *alacriorem me reddunt.* Alii, *quia ferocem me fecerunt*, aut *ſuperbiorem.* ¶ *Capillus tuus*, &c. שערך וגו'] Idem habes c. 4. 1. ¶ *Quæ aſpiciunt* שגלשו] *Quæ depilatæ ſunt.* Vel, *tonſæ ſunt.* Alii, *quæ ſpectantur.* Aut, *quæ proponunt ſeſe ſpectandas.*

5. *Dentes tui*, &c. שניך וגו'] Duos iſtos ſequentes verſus habes & c. 4. 2, 3.

8. *Immaculata mea* תמתי] *Integra mea*, vel *perfecta.* ¶ *Electa* ברה] *pura, munda, immaculata.*

9. *Quæ videtur* הנשקפה] *Quæ videndam ſe præbet, quæ proſpicit.* ¶ *Terribilis*, &c. אימה כנדגלות] Vide v. 3.

10. *Nucis* אגוז] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Fructus* באבי] *Arbores.*

11. *Quadrigas* מרכבות] *Vectarios.* Significat *vectarium quodcunque animal quo equitamus.* Gallice *Une monture:* q. d. *Me non animadvertente, quaſi vectariis celerrimis uſa ſum: celerrime ad ſponſum meum redii.* Vel, *facta ſum velut vectarium animal, quo nempe velociſſimo utuntur qui inter populum meum nobiliſſimi habentur. Nam Jeroſolymis principes ac nobiles utebantur vectariis, turba reliqua, aſinis.* Ita exponunt docti inter Hebræos. ¶ *Populi mei nobilis* עמי נדיב] *Populi mei principis.* Quidam dicunt י *in* עמי vacare, ut alias ſæpe. Alii, *ſpontanei*, aut *munifici*, quod Princeps ſponte ac liberaliter donare ſoleat. Alii referunt ad *populum*, vertentes *tributarii.*

12. *Sulamith* השולמית] Nomen eſt adjectivum, i. *Jeroſolymitana;* à שלם: nam olim Jeruſalem dicebatur *Salem.* Quidam vertunt, *ô Perfecta.* ¶ *Quid videbitis*, &c. מה תחזו וגו'] *Cur adſpicitis Sulamithen, velut chorus turmarum militarium?* i. quemadmodum exercitus ſe in duo dividens aſpicere ſolet, adveniente Rege, ut illum honorent. Alii vertunt, *Quid ſpectaretis ipſam Sulamithen, quæ ſimilis eſt choro caſtrorum?*

CASTALIO.

12. I*Nſcientem me reddidit animus meus Aminadabi quadrigarum ſimilem*] Velociſſimam.

CLARIUS.

1. Q*Uo abiit dilectus tuus?*] Verba ſunt ſociarum, vel Gentium, quæ audita unius Dei fama, & promiſſorum quæ Judææ genti facta ſunt, & ipſæ quæſierunt agnoſcere eum. Referunt autem hoc Hebræi ad tempus quo captiva abducta eſt à Philiſtæis Arca, cum qua abiiſſe dicebatur Deus, cujus ſedes eſſet Arca ipſa.

2. *Dilectus meus deſcendit in hortum*] In Tabernaculum, vel Templum, ubi ſunt *aromata*, *ut paſcatur ibi* odore bonorum operum.

3. *Ego dilecto meo*, *& dilectus meus mihi*] Viciſſitudinem amoris indicat; quod & ſuperius dixit, *Dilectus meus mihi*, *& ego illi*.

4. *Pulcra es*, *amica mea*, *ut Thirza*] Erat hæc civitas intra Decem Tribus.

5, 6, 7. *Averte oculos tuos à me*] Hebræi interpretantur de ſecundo Templo, & cur Deus non præſtiterit in eo quæ in primo fuere. Ne petas, inquit, illa quæ deſunt in hoc Templo, quia in priori Templo nimis ſuperba fuiſti ob dona mea. Licet etiam ſimpliciter intelligas dictum amatorie, ad exprimendos affectus amantium, ut declaretur in hoc ſacro Carmine quam vehementer nobis affectus ſit Deus. ¶ Quod vero ſequitur de *capillis*, *dentibus*, &c. dictum eſt ſupra. Hæc autem repetitio conſentanea amantibus eſt.

8, 9. 10. *Sexaginta ſunt reginæ*] Si haberem, inquit, ingentem numerum uxorum, nulla eſſet tibi par. *Sexaginta* nati ſunt ex Abraham, *octoginta* ex Iſmaele, & ex Gentibus ſunt *innumera*; ſed *una eſt columba*, *una genetricis ſuæ*, h. e. fidei, quæ hanc Deo genuit. *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt*, *ii ſunt Iſrael*; *neque quia ſemen ſunt Abrahæ*, *iccirco omnes filii*, *ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen : hoc eſt*, *non qui filii carnis*, *hi filii Dei*; *ſed qui filii ſunt promiſſionis*, *æſtimantur in ſemine*. ¶ Deinde ad contemplandam iterum cum admiratione ſpeciem ejus convertitur, dicens, *Quæ eſt iſta quæ progreditur*, &c.

11. *Deſcendi in hortum nucum*] Sponſus loquitur, & appellat Templum *hortum nucum*. Populuſque comparatur *nuci*, dum foris aliud apparet, aliud intus includitur. Sed rectius fortaſſe appellatur Templum *hortus nucum* quod ibi exterior figurarum cortex deliteſcentem rerum veritatem claudebat intra ſe. *Deſcendit* ergo *ut videret fructus vallium*, h. e. recte facta humilium, *& num* illa Domini exercituum *vinea floruiſſet*, *& malogranata*, quæ in margine tunicæ ſummi Sacerdotis locabantur, *germinaſſent*, h. e. opera Sacerdotum ac Levitarum.

12. *Neſcivi*] Synagoga loquitur, *Non animadverti*, *& ecce anima mea*, h. e. ſtudium & voluntas mea prava, *poſuit me quadrigam*, h. e. oppreſſum ab alienis populis. Appellat *populum ſpontaneum* vel *munificum* ob Reges, qui ita appellabantur: ut apud Eſaiam, *Introibunt portas munificorum*, vel *beneficorum*, h. e. ducum. Idcirco in Euangelio ait Dominus, *Et qui poteſtatem habent ſuper eos*, *Benefici vocantur*. Verti etiam poteſt *populum tributarium*, quia recipiebat tributa. In hoc enim carmine memorat rerum viciſſitudines, nunc Divini favoris, nunc iræ & caſtigationis. Videtur autem hic dicere illud, quod aliquando permiſſa ſit affligi, non Sponſi culpam fuiſſe, ſed ſuorum vitio id eveniſſe.

13. *Revertere*, *Sulamitis*] *Jeroſolymita*, vel *integra* ſeu *perfecta*. Gentes invitant Synagogam ad cultum ſuorum deorum; quibus illa reſpondet, ¶ *Quid videbis in Sulamite*, *ſimile choris caſtrorum?*] Illud autem *videre in Sulamite* Hebraiſmus eſt pro *afficere beneficiis*. Quid ergo inquit, mihi dabitis quod *ſimile* ſit *choris* illis quos ducebamus in *caſtris?*

D R U S I U S.

1. לַעֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם. Aq. Sym. εἰς πρασιὰς - - *in areas*. -- ¶ לִרְעוֹת. Aq. Sym. & VI. ed. τοῦ νέμεσθαι *ut paſceretur*, ſive *paſcatur*.

2. הָרֹעֶה בַּשּׁוֹשַׁנִּים. VI. ed. τοῦ νεμομένου ἐν τοῖς κρίνοις *qui paſcitur inter lilia*.

3. כְּתִרְצָה. Aq. κατ' εὐδοκίαν *ſecundum beneplacitum*. Sym. εὐδοκητὴ *accepta & grata*. V. ed. ἕως εὐδοκῶ *donec mihi placuerit*. ¶ אֲיֻמָּה כַּנִּדְגָּלוֹת. S. ἐπίφοβος ὡς τάγματα παρεμβολῶν *terribilis ut legiones caſtrorum*] *Turmæ*, *cohortes*.

4. הִרְהִיבֻנִי. Aq. κατέναντι μου. ¶ שֶׁגָּלְשׁוּ. Schol. ἀνεφάνησαν.

5. הָרְחֵלִים. Sym. τῶν ἀμνάδων *agnorum*.

6. כְּפֶלַח הָרִמּוֹן. Schol. ὡς νῆμα κόκκινον *ut filum coccineum*. Aq. - - - τῆς κόκκου *cocci*) Locus merito ſuſpectus. Nam *coccus* שני dicitur. Hic autem eſt רמון, quod potius *malogranatum* ſignificat. *Filum coccineum*, i. חוט שני, quod invenies cap. 4. 3. unde huc tranſcriptum. Ibidem מדברך נאוה. Symm. διάλεξίς σου καλή. Sequitur deinde כפלח הרמון וגו׳. ¶ מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ. Sym. σκεπόμεναι καλύμματι *tecta operculo*.

8. וַיְאַשְּׁרוּהָ. Aq. Sym. καὶ ἐπῄνεσαν *& laudarunt*.

9. הַנִּשְׁקָפָה. Schol. ἀναβαίνουσα *aſcendens*. ¶ אֲיֻמָּה כַּנִּדְגָּלוֹת Sym. ἐπίφοβος μετὰ σίφους *terribilis cum turmis*. Alius ὡς ἐπιφάνεια *ut apparitio*. V. ed. ἐπιφανὴς ὡς μεγαλυνόμεναι *illuſtris ut magnificatæ*. VI. edit. καταπληκτικὴ ἐν μεμεγαλυμμέναις *terrorem afferens in magnificatis*] *Cum turmis*, catervis aut globis militum, error in Beth & Chaph: quem etiam VI. ed. erravit.

10. לִרְאוֹת בְּאִבֵּי הַנָּחַל. καταμαθεῖν τὰς ὀπώρας τῆς φάραγγος *diſcere autumnales fructus vallis*. Alius, ἰδεῖν τὸν καρπὸν τῶν χειμάρρων *videre fructum torrentium*.

11. לֹא יָדַעְתִּי נַפְשִׁי שָׂמַתְנִי. Sym. οὐκ οἶδα, ἡ ψυχή μου ἠπόρησέ με, *Non novi : anima mea dubium fecit me*. Aq. οὐκ ἔγνω ἡ ψυχή μου, *non novit anima mea*. ¶ מַרְכְּבוֹת עַמִּי נָדִיב. V. ed. ἔθου με εἰς ἅρμα λαοῦ ἡγουμένου, *poſuiſti me in currum populi ductoris*.

12. הַשּׁוּלַמִּית. Sym. ἡ ἐσκυλευμένη *ſpoliata*. Aq. ἡ εἰρηνεύουσα *pacifica*. ¶ וְנֶחֱזֶה. Schol. ὁραματισώμεθα. ¶ מַה תֶּחֱזוּ. Aq. τί ὁραματισθήσεσθε *quid videbis?* ¶ בַּשּׁוּלַמִּית. Idem ἐν εἰρηνευούσῃ *in pacifica*. Habac. 2. 2. חזון. Aq. ὁραματισμὸν *viſionem*. ¶ בַּשּׁוּלַמִּית כִּמְחֹלַת הַמַּחֲנָיִם. Sym. τὴν ἐσκυλευμένην ἐν τρώσεσι τῶν παρεμβολῶν *ſpoliatum ictibus caſtrorum*. Schol. διερχομένην ὡς χορὸν τῶν παρεμβολῶν *pertranſeuntem quaſi chorum caſtrorum*.

G R O T I U S.

3. *Pulchra es amica mea*, *ſuavis*]. In Hebræo, *Ut Thirſa*; nomen urbis.

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata] Βλοσυρὰ aut ἀγέρωχος [*ferox*] dicerent Græci.

6. *Abſque occultis tuis*] Rurſum in Hebræo: *intra comam*.

7. 8. *Sexaginta ſunt Reginæ*, *& octoginta concubinæ*, *& adoleſcentularum non eſt numerus : una eſt columba mea*] Deeſt *attamen*. Senſus eſt, Quamvis in gynæconitide mea tot ſunt uxores legitime ductæ, tot aliæ minus ſolenniter adſcitæ, multæ præterea virgines quæ mihi ſervantur, una tamen eſt unice dilecta.

9. *Quaſi aurora exſurgens*] Sic Latinus Poeta:

Adſtiteram exorientem auroram forte ſalutans,
Cum ſubito à læva Roſcius exoritur:
Pace mihi liceat, cæleſtes, dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

10. *Et inſpicerem ſi floruiſſet vinea*, *& germinaſſent mala punica*] An nupta eſſet ἐν ῥοῇ [*in profluvio*]. Similis ἀλληγορία [*ſenſus occultus*] & eodem tendens in libro Kethub, *Omnis vitis producit vinum : in qua non eſt vinum ea eſt ſterilis*. Explicatur autem illud יין [*vinum*] per דם בתולים [*ſimilitudinem virginitatis*].

11. *Neſcivi*) Non cogitaveram.

Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab) *Propter currus Aminadab*. Nomen videtur fuiſſe Ducis bene noti, cui currus eſſet purpureus.

12. *Revertere*, *revertere Sulamitis*) Refugientem revocat. *Sulamitis*, id eſt, Solomonis uxor.

CAP. VII.

M U N S T E R U S.

2. Crater rotundus) Heb. *Crater qui habet figuram Lunarem*.

5. *Rex qui cingitur*) Quidam exponunt hic רהטים pro *canalibus qui ex Regio fonte aquam hinc inde diſpergunt*. Alii accipiendum contendunt pro *ædificiis magnificis quæ multos habent receſſus*. Aben Ezra intelligit per hunc *Regem cinctum* ſeu *vinctum* Meſchiam, quem cum ſuis Rabinis ſomniat natum tempore deſtructionis Jeroſolymitanæ, & interim vinctum detineri in quodam loco.

9. *Faux tua*) h.e. Ut quidam exponunt, *Saliva quæ fluit ex faucibus tuis*.

V A T A B L U S.

1. Pedes tui, &c. (פעמיך בנעלים) *Pedes tui calceati*. Alii, *inceſſus tui calceis ornati*. ¶ *Junctura* (חמוקי) *Ambitus*, *circuitus*, *circumferentia*, *vertebra* : i. femora tua ſunt ſucculenta. ¶ *Opus* (מעשה) *Operi*, ſub. *ſimilia*.

2. Ro-

2. *Rotundus* הסהר] Ad verb. *Lunæ*, i. referens Lunam, vel *eſt forma Lunaris*, h. e. rotundus. ❡ *Qui non caret temperamento* אל יחסר המזג] Ad verb. *non deficiet temperatura*, aut *miſtione*. Vel, ut alii, *potu*, i. vino aqua diluto, quo ſcilicet in illis regionibus calidis utebantur.

3. *Duo ubera tua* שני שדיך] Vide Idem cap. 4. 5.

5. *Sicut coccinum* ככרמל] Quidam putant proprium eſſe nomen loci, relinquentes vocem Hebræam *Charmel*. ❡ *Rex ligatus in tignis* מלך אסור ברהטים] i. Rex vellet eſſe velut ligatus in ipſis tignis, h. e. eſſe in domo ejus præ nimio illius amore. Ita doctus inter Hebræos. Alii, veluti *Rex ſtipatus canalibus*, i. habitans prope canales ubi ſunt aquæ. Quod erat maxime commendabile in Terra ſancta: nam in ſummo pretio erat terra irrigua. Quidam Hebræorum *canales* exponunt *comas capillorum quarum amore Rex teneretur*; nam ut aquæ in canalibus, itidem capilli in comis aggregantur.

6. *O amor in deliciis* אהבה בתענוגים] Hebraiſmus, pro, *ô tu valde & ſummopere dilecta*.

9. *Vadens ad*, &c. הולך וגו׳] i. Quod defluit dilecto meo ſuaviſſime. ❡ *Faciens loqui*, &c. דובב וגו׳] Et quod *eructatur per labia antiquorum*. Alii, *dilecto loquenti labiis dormientium*, i. ſermone balbutienti ac imperfecto. q. d. Sermo tuus mihi tam ſuavis eſt, ô ſponſa, quam ſuave eſſe ſolet optimum vinum amico meo, quo epoto non ſatis expedite loqui ſolet.

10. *Ego dilecti mei*, &c. אני לדודי וגו׳] i. Ego eum diligo, & ille me viciſſim unice diligit. Alii vertunt, *Ego ad dilectum meum, & ad me appetitus ejus*.

12. *Mane ſurgamus* נשכימה] *Mane conſurgamus*. Vel, *Mane viſitabimus vineas*. ❡ *Parva* הסמדר] *Recens*, *minuta*, cum ſcilicet decidit flos. ❡ *Dabo* אתן] *Concedam*: i. illic poteris frui amoribus tuis.

13. *Dederunt* נתנו] An *dederint*, ſub. *videbimus*.

CASTALIO.

9. QUod *amico meo recte fluit, dormitantibus labellis balbutiendi*] Mihi, qui tuus ſum amicus: ſed balbutit hic dormitans amator, & amicæ voces imitatur.

CLARIUS.

1. QUam *pulcri ſunt greſſus tui*] Cum Sponſa laudat Sponſum incipit à Capite: Hic Sponſus commendans Sponſam à Pedibus exorditur. Nam nos petimus à Deo ut deſcendat ad nos; ille, ut nos ad eum aſcendamus. *Greſſus tui*, cum ter per annum inviſebas Templum meum. Vel illud potius eſt quod Eſaias ait, *Quam pulcri pedes evangelizantium pacem!* ❡ *Filia Principis*] Scilicet Abrahæ. ❡ *Junctura femorum*) Propter agitationem quæ cum illis fit in inceſſu: vel conjunctio utriuſque populi Gentium & Judæorum.

2. *Umbilicus*, *& venter*, fœcunditas in gignendis filiis, qui *non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt*. Hebræi per *umbilicum* intelligunt Scholam ubi erat doctrina; & erat in medio Jeruſalem, ſicut Umbilicus in corpore: per *ventrem*, Legem, ſine qua non vivitur, vel quæ filios generat Deo. ❡ *Vallatus liliis*] Sive *roſis*: ut Roſæ ſignificent ſepem debilem, quam quivis tranſilire facile poſſit, ſed tamen recti ob reverentiam minime eam tranſiliunt.

3. *Duo ubera*] Duo Teſtamenta; vel Regnum & Sacerdotium.

4. *Collum*] Fides, quæ conjungit corpus Eccleſiæ Capiti Chriſto: vel Templum, tanquam robur quoddam. ❡ *Oculi*) Juſti. ❡ *Sicut piſcinæ in Heſebon*] Vel, *ſicut benedictus in numero*, qui magno numero benedicebant. ❡ *Quæ ſunt in porta*] Vel, *prope portam*. ❡ *Filiam multitudinis* putant appellari Jeruſalem quod eſſet plena populo. ❡ *Frons*] Fiducia prædicandæ veritatis. Hebræi accipiunt laminam quam ferebat Pontifex in fronte.

5. *Caput*] Nazaræi, qui nutriebant comam, ii majori pollebant ſanctitate.

7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*] Dum non inflecteris neque incurvas te ad ſimulacra. ❡ *Ubera*] Viri docti ac pii, qui alios nutriunt.

8. *Aſcendam in palmam*] Vellem, inquit, occupare hanc arborem. Fac ergo ut ſint *ubera tua ſicut botri*.

9. *Palatum tuum*, h. e. guſtus, ſit *ſicut vinum optimum*, *dignum dilecto meo*, h. e. quovis amico. ❡ *Quod eructatur*] Vel, *quod loqui facit labia dormientium*. Dum ſcilicet patres, qui jam dormierunt, gaudent illis eorum recte factis.

11. *Egrediamur in agrum*] Judica me, inquit, in eorum morem qui habitant in villis, qui ſcilicet minus mali ſunt, & ne mecum agas ut digna ſum; ſic enim quidam Hebræi interpretantur. Sed rectius intellige dilatationem fidei per orbem omnium terrarum, cum ſcilicet Apoſtoli egreſſi civitatem Jeruſalem, Gentibus, qui tanquam in pagis (unde & *pagani* dicti ſunt) habitabant, longe à civilibus ſanctiſque moribus, verbum fidei prædicarunt. Et pulcre ſequitur,

12. *Mane ſurgamus ad vineas*] h. e. Ad cuſtodiam animarum, &c. ❡ *Ibi dabo tibi amores meos*] *Ibi*, in locis orationum piarumque meditationum, oſtendam quod te amem.

13. *Violæ*] Diſcipuli. ❡ *In portis noſtris*] In domibus doctrinæ mandata ſunt novæ ac veteris legis, ac teſtimonia, quæ gloriæ tuæ ſervire debent.

LUCAS BRUGEN.

5. ET *come capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus*.) Latinorum librorum quidam *vincta* habent, quidam *juncta*, quidam ſic ut neſcias *vinctane* legendum ſit an *juncta*, ex quo varietas nata eſſe videtur. *Vincta* ex antiquis ſuis codicibus Epanorthotes probat: quibus noſter, ex Brugenſis Dominici Bibliotheca præſtantiſſimus codex, manifeſte conſentit, atque etiam Di. o. l. & Ge. 1. In D. Thomæ commentario *tincta* legitur, *vincta* exponitur. Pariſienſium exemplaria, quæ illi ſecuti, *juncta* cum *vincta* commutarunt. Hentenius quoque *vincta* in textum tranſtulit, *juncta* ut ſpurium in marginem rejecit. Horum correctioni Hebræa ſuffragantur, quod & ipſi haud dubie animadverterunt. אסר enim *vincire* & *ligare* proprie ſignificat, quanquam *jungere*, quod generale eſt, facile etiam poſſit admittere. Simile eſt judicium de Græca voce δέω, & Chaldaica כפת. Franci Dominicani antiquis Latinorum libris & Hebraicis adſcribunt *juncta*, niſi, quod mihi fit vero ſimile, error a deſcriptione aut poſteriori emendatore commiſſus ſit. Porro אסר, quod interpres noſter ad *purpuram* retulit, Græci ad *regem* retulere, *Et coma capitis tui ut purpura*, βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς, *Rex ligatus in tranſcurſibus*. (Philonis Interpres vertit *Rex tremendus*, Theodoritici, *Rex indutus*, nempe quod pro δεδεμένος alias ſimiles legerint voces, ſed quæ ab Hebraicæ Latinæque lectionis veritate recedant. Et exponit quidem Theodoritus, *indutus*, at tres patres, *ligatus*. Philo epiſcopus & *tremendus*, & *ligatus*, utrumque agnoviſſe atque expoſuiſſe videtur.) Utrumque enim Hebraica ex ſe verba patiuntur: verum ut nunc diſtincta ſunt, talem tranſlationem exigunt qualis Græcorum eſt. ארגמן, quod *purpuram* denotat, accentu athnaæ, qui diſtinguendi vim habet cujuſmodi apud nos colon, notatum eſt: quare *purpura* a *Rege* ſeparatur; *regiſque* vocabulum a *purpura* non regi oſtenditur. Itaque Hebræi doctores, &, qui eos ſequuntur, noſtri ſeculi tranſlatores pleriquè vertunt, alii, *Rex ligatus in canalibus*, alii, *Rex ligatus in tignis*: præcedit, *Et coma capitis tui ſicut purpura*. Legat de hoc loco qui velit Pagninum in רהט.

DRUSIUS.

1. בַּת־נָדִיב. Schol. θύγατερ ἑκουσιαζομένου *filia ultronei*, ſive *ſpontanei*. Sym. ἡγεμόνος *ducis*.

2. עֲרֵמַת חִטִּים. Sym. ὡς σωρὸς *tanquam acervus*.

4. בְּרֵכוֹת. Sym. κολυμβήθραι *piſcinæ*. ❡ בַּת־רַבִּים. Sym. θυγατέρων πλήθους *filiarum multitudinis*.

5. וְדַלַּת רֹאשֵׁךְ כָּאַרְגָּמָן מֶלֶךְ אָסוּר בָּרְהָטִים. Schol. καὶ ἡ καλλωπισμὸς σου ὡς πορφύρα βασιλέως περιδεδεμένη εἰλύμασι, *& ornatus tuus ut purpura Regis circumligata involucris*. Aliud Scholion, —— δεδεμένη βεραττίμ *vincta beratim*) Inverſis literis puto leg. ῥεατίμ ſive ῥααθίμ, i. interprete Hier. *canalibus*.

6. בַּתַּעֲנוּגִים. Aq. θυγατὴρ τρυφῶν *filia deliciarum*. Alius ἀγαπητὴ ἐν σπατάλαις *amata ob delicias*] *Filia deliciarum*, בת תענוגים. Amata, אהובה, quod nunc legerunt אהבה, i. *amor*, *charitas*. Hier. *chariſſima in deliciis*.

7. זֹאת קוֹמָתֵךְ. Aq. αὕτη ἀνάστασίς σου *hæc eſt reſurrectio tua*. Sym. αὕτη ἡλικία σου *hæc ſtatura tua*.

8. בְּסַנְסִנָּיו. Sym. τῶν βαΐων *ramorum palmæ arboris*.

9. הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים. Symm. ἁρμόζων τῷ ἀγαπητῷ μου εἰς εὐθύτητα, *conveniens dilecto meo rectiſſime*. ❡ דּוֹבֵב שִׂפְתֵי. Sym. προσκείμενος χείλεσι *conjunctus labiis*. ❡ שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים. Aq. χείλεσι καὶ ὀδοῦσι *labiis & dentibus*] Sic etiam Hieron. Uterque legit ושנים: quod nunc ישנים *dormientium*.

12. נשכ

12. אִם־פָּרְחָה. A. & VI. edit. εἰ ἐβλάστησεν *ſi floruit.* ꝫ הֵנֵצוּ. Aq. ἤνοιξαν *aperti fuerunt.*
13. צָפַנְתִּי לָךְ. A. Sym. ἀπέκρυψά σοι *celavi te.*

GROTIUS.

1. Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum*] Cohæret cum ſuperioribus. Negat ſe velle inſpectari. Neque enim hoc ſpectaculum ſuavius fore quam cruenti exercitus.

Quam pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis] Hæc ad Synedrium κατ' ἀλληγορίαν [*per ſenſum occultiorem*] referunt Hebræi.

Junctura femorum tuorum] Femoris ambitus.

2. *Umbilicus tuus, crater tornatilis*] Bona comparatio. Nam Umbilicus & rotundus eſt ut crater, & cavus, & intus orbiculos quoſdam habet.

Nunquam indigens populis] Nam Umbilicus balſamo & rebus ſimilibus perfundi ſolebat, partim valetudinis, partim deliciarum cauſa.

Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis] Modii tritici applanari ſolent. Sic

Quam caſtigato planus ſub pectore venter!

ut ait talium magiſter. *Lilia* hic ſunt latera.

4. *Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon*] Sereni, non turbidi.

5. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus*] Sic apud Poetas purpurea Niſi coma: *vincta in canalibus*, nempe purpurariorum, i. iterum tincta, δίβαφος.

8. *Aſcendam in palmam*] Ἐπιβήσω.

9. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum*] Illud indicat quod Tibullus,

—— *queis livor abiret,*
Quem facit impreſſo mutua dente Venus.

Item,

—— *Et in collo figere dente notas.*

Longe aliter hæc ultima legerunt Græci quam nunc in Hebræo eſt: nempe ſic למשרים דובר שפתים ושנים [*ad potum, bene inſtructum labiis & dentibus*]. Nam דבר per ἱκανοῦν [*idoneum facere, inſtruere*] vertitur 1 Reg. xx. 11. & LXX. hic hic habent ἱκανούμενος [*ſufficiens*]. At Symmachus, προσκολλώμενος [*adhærens*], legit igitur is דובק non male. In Hebræo quod nos habemus miſus eſt ſenſus: *ad rectitudines faciens loqui labia dormientium.*

13. *Mandragoræ dederunt odorem*] Id eſt, ſigna video conceptus: nam ad eum utilis mandragora, ut diximus Gen. xxx. 14. Eodem pertinent quæ ſequuntur. Neque ignoro quæ de mandragora ſcribant Græci. Sed multa ſunt herbarum genera nominis ejuſdem: & eædem in alio natæ ſolo, & alio paratu, aliud valent.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. Quis det*, &c. מִי יִתֶּנְךָ וגו'] Imprecandi ſermo Hebræis familiaris: q. d. *Utinam efficiat aliquis ut ſis frater meus.* ꝫ *Contemnant te* יָבוּזוּ לִי] *Contemnant* [ſub. *me*] *propter te.* Quidam, *Et utique non habebunt te contemptui.*

2. *Aromaticum* הָרֶקַח] Ad verb. *conditura*, i. condito, h. e. aromatico.

3. *Amplexabitur me* תְּחַבְּקֵנִי] *Amplexetur me*: q. d. Opto ſummopere favorem ſponſi mei.

4. *Adjuro* הִשְׁבַּעְתִּי] Præt. Heb. pro præſ. Eadem eſt ſententia quæ & c. 3. 5. Quod hic per interrogationem dixit, illic abſolute poſuit.

5. *Quæ eſt iſta*, &c. מִי זֹאת וגו'] Verba ſunt filiarum Jeruſalem, quæ ponuntur per modum parentheſis, qua interrumpitur ſermo Sponſi & Sponſæ. ꝫ *Innixa ſuper dilectum ſuum* מִתְרַפֶּקֶת עַל דּוֹדָהּ] *Quæ adjungit ſeſe dilecto ſuo.* Alii, *commentatur de dilecto ſuo.* ꝫ *Suſcitavi te* עוֹרַרְתִּיךָ] Præt. Hebr. pro fut. ut quidam vertunt. ꝫ *Concepit te* חִבְּלַתְךָ] *Peperit te*; vel, *enixa eſt.* Sic mox.

6. *Æmulatio* קִנְאָה] *Zelotypia.* ꝫ *Flamma vehementiſſima* שַׁלְהֶבֶתְיָה] Ad verb. *Flamma Jah*, i. ardentiſſima. Sic *montes Dei*, pro *altiſſimis.*

7. *Poſſent* יוּכְלוּ] *Poterunt.* ꝫ *Eam* לוֹ] *Eam*, ſub. *ſubſtantiam.* Vel, *contemnent eum.* Hebræi enim ad *hominem* referunt: q. d. Nullis opibus comparari poteſt.

9. *Ædificemus ſuper eum palatium* נִבְנֶה עָלֶיהָ טִירַת] *Imponemus* [*ædificabimus*] *ſuper eum* [ſub. *murum*] *coronidem argenti.* ꝫ *Sit, muniamus illud* הִיא נָצוּר עָלֶיהָ] *Fuerit, muniemus illud*; aut, *vallabimus illud.* Alii, *obſidebimus illud*, i. circumdabimus. Alii, *adhibebimus ei tabulam cedrinam.*

10. *Tunc fui*, &c. אָז הָיִיתִי וגו'] *Ex quo fui in oculis ejus*, &c. i. ex quo in conſpectu ejus, *inveni pacem.*

11. *Tradidit vineam cuſtodibus* נָתַן אֶת הַכֶּרֶם לַנֹּטְרִים] *Locavit vineam ipſam conductoribus.* ꝫ *Adducunt* יָבִא] Fut. Heb. pro præſ. *reddunt.*

12. *Quæ eſt mihi coram me* שֶׁלִּי לְפָנָי] *Quæ ad me ſpectat*, eſt *ante oculos meos*: i. memini eam loco.

13. *Fac me audire* הַשְׁמִיעִנִי] i. Aperte dicito mihi, aut clara voce.

14. *Super montes* עַל הָרֵי] *Ad montes*; ut ſit עַל pro אֶל. Ordo eſt, *Fuge ad montes.*

CASTALIO.

1. Utinam eſſes mihi quaſi fraterculus, qui mea mammas matercula ſuxiſſes, quem ego nacta foris diſſuaviarer, neque tamen afficereris contumelia*] Utinam te poſſem quaſi fratrem ſine cujuſquam ſuſpicione deoſculari, ita ut nemo te propterea læderet.

7. *Deſpectui ſit*] Fruſtra laboret.

12. *Mille tibi, Solomo*] Scilicet argenteos pendet.

CLARIUS.

1. 2. Quis mihi det*] Senſus literæ eſt, *Quis mihi det ut ſis frater meus, natus ex eadem matre, ut cum invenirem te, poſſem deoſculari, & tunc nemo me deſpiceret, cum fratrem meum deoſcularer.* Myſtice vero ſic dicamus, ut petat accelerari tempus adventus ejus in carne, & dicat, *Quis mihi det ut fias frater noſter, & inveniam te in Prophetis, ac deoſculer*, h. e. amplectar ea quæ de te ſcripſerunt Prophetæ. *Et cum foris*, h. e. inter Gentes, *te invenero, introducam in domum matris meæ* ſynagogæ. *Ibi me docebis*, revelabis myſteria, *& dabo tibi poculum ex vino condito*, h. e. vera non umbratilia libamina, *& muſtum*, pietatem recens converſorum. Illud autem, *Quis mihi det*, &c. Chaldæus interpres ſic vertit, *Cum revelabit ſe Rex Meſſias Eccleſiæ Iſrael, dicent ei filii Iſrael, Tu eris nobis in fratrem: deducam te Regem Meſſiam, introducam te in domum Sanctuarii mei, & docebis me timere Deum.* Et alia expoſitio ait, *Deducam te à ſuperioribus ad inferiora*, &c.

3. 4. *Læva ejus*] Tunc ita quieſcam ut videri poſſit *lævam capiti meo ſuppoſuiſſe, & dextera fuiſſe amplexatus.* Itaque in hoc rerum ſtatu, *adjuro vos, filiæ Jeruſalem*, ac fideles animæ, nequid peccetis, & interrumpatis hoc otium ac tranquillitatem.

5. *Quæ eſt iſta*] Verba ſunt Gentium tantam admirantium Eccleſiæ pulcritudinem & Sponſi charitatem erga eam. ꝫ *Sub arbore malo ſuſcitavi te*] Sponſa loquitur, dicens, *ſe in ligno* Crucis *ſuſcitaſſe Sponſum*, h. e. in ligno Crucis ſe agnoviſſe quanto Sponſus amore Eccleſiam eſſet proſecutus. Hebræi ſic interpretantur, *Sub monte Sina, qui interdum appellatur Pomum, accepi te Dominum.* ꝫ *Ibi genuit te mater tua*] Ad literam ſic habet, *Credo matrem tuam genuiſſe te ſub pomo.* Ita odore ſuavi fragras ut cum primum fui tecum, viderer mihi ſub arbore pomo fuiſſe. Et pulcre convenit in Chriſtum, qui ita prompte ad crucem acceſſit, itaque eam tota vita qua nobiſcum degere contigit eſt amplexatus, ut ſub ea natus eſſe videretur.

6. *Pone me ut ſignaculum*] Verba ſunt Eccleſiæ petentis ne ſui obliviſcatur. ꝫ *Brachium* intelligunt Hebræi digitum ut digiti ſint quaſi brachia manus. ꝫ *Quia*, inquit, *fortis eſt ut Mors Dilectio*] Mavult enim amans mori quam relinquere dilectionem.

7. *Aquæ multæ*] Gentes multæ ac perſecutiones. ꝫ *Si dederit*] *Si quis homo alteri dederit omnem ſubſtantiam ut relinquat amorem, is opes illas deſpiciet.*

8, 9, 10. Se-

8. 9. 10. *Soror noſtra parva eſt*] Loquitur Chriſtus ad Angelos, *Habemus ſororem* quæ nondum eſt apta nuptiis, h. e. nondum eſt tempus quo à Meſſia redimatur. *Quid ergo faciemus ei* cum Gentes loquentur ut auferatur nomen ejus è terra? Reſpondetur, ❡ *Si eſt murus*, h. e. Si ſteterit, nec ſe moverit, *ædificabimus ſuper eum palatia*, nempe Divina ſpiritualia ædificia. *Si vero eſt oſtium*, ut patiatur per ſe tranſire hoſtes, *compingamus palatium tabulis cedrinis*, h. e. re quæ parum duret facileque pereat ac frangatur, ſed ex cedro tamen, qui natura ipſa honorifica eſt creatura, licet ipſa ſe dejiciat. Reſpondet Eccleſia, ❡ *Ego murus*] Volo, inquit, eſſe murus, non oſtium: *& ubera mea*, h. e. lac & doctrina prædicationis, ſunt munita & fortia, *ſicut turris*. Et cum hæc dixi, *facta ſum coram eo tanquam* mulier *quæ pacem* apud virum *repererit*.

11. *Vinea fuit Salomoni*] Amicus meus, h. e. Deus, habet *vineam* Synagogam; *quæ habet multos populos*. ❡ *Tradidit eam cuſtodibus*] Vel Apoſtolis: vel dedit eam in manus Gentium. *Vir* unuſquiſque *afferet*, ut habeat de fructu ejus tempore Meſſiæ, *mille argenteos*, h. e. ſtudebit habere partem cum eo.

12. *Vinea mea*] Verba ſunt Dei; *Vinea mea coram me eſt*, h. e. ſub cuſtodia mea, & vidi quomodo eam afflixeritis hoſtes. Vel illud eſt, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. ❡ *Mille tibi, ô Salomo*] Gentes reſpondent, *Mille argenteos tibi dabimus, & præterea ducentos cuſtodibus fructuum:* Quia in Levit. 5. ſcriptum eſt *ut qui utilitatem acceperit à rebus ſacris, ſolvat pretium rerum, & præterea quintam partem pretii addat:* nam Ducenti eſt Millenarii quinta pars.

13. 14. *Quæ habitas in hortis*] Verba ſunt Sponſi, dicentis, *O Eccleſia, quæ habitas in hortis*, h. e. amœnis ac fructiferis ob virtutes locis, *ſocii* Angeli *audiunt vocem tuam*, ut preces tuas ad me afferant. Quare *fac me audire eam*, h. e. certo ſcias te à me audiri, tametſi ad cœlum aſcenderim. Ut in fine Epithalamii finis etiam myſterii diſpenſationis Chriſti in aſſumpta carne deſcribatur. Promiſit enim Chriſtus ſe *futurum cum Eccleſia uſque ad conſummationem ſeculi*, ſed *expedire ut iret. Niſi enim abiero*, inquit, *Paracletus non veniet ad vos.* His auditis, atque intellecto Sponſi conſilio, Sponſa addit, *Fuge, dilecte mi*, & velociter, ut ſtatuiſti, transfer te ad cœlos, quo & me aliquando ſis evecturus: Qui recte *montes aromatum* vocantur, tanquam altiſſima & munitiſſima ac ſuaviſſima requies electorum. Hebræi, qui myſteria noſtra non intelligunt, dicunt verba eſſe Synagogæ petentis à Deo ut liberetur à Captivitate, & cito mittat Meſſiam. Per *montem aromatum* intelligunt montem Moriam, ubi exſpectant reparandum Templum, in quo aromata adoleantur. Neſciunt enim miſeri niſi corporea hæc imaginari dum *velamen poſitum eſt ſuper faciem Moſis*.

LUCAS BRUGEN.

2. *Apprehendam te, & ducam * in* (* *te* 4 MS. H. C. G.) *domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis*] τὸ *& in cubiculum genetricis meæ* tollunt tres noſtri codices, tres Pariſienſium, quidam Lugdunenſium, & antiqui Epanorthotæ. D. Gregorius, Juſtus, Beda & Lyranus, Enarratores, non videntur legiſſe. Hebraici & Chaldaici libri minime agnoſcunt. Hentenius caſtigator è textu in marginem tranſtulit. Epanorthotes huc ex cap. 3. 4. adjectum exiſtimavit. Legitur enim ibi in hunc modum ſimilis omnino ſententia, *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Porro ut multis Latinis, ita Græcis exemplaribus, octavo etiam capite additur, *Et in cubiculum genetricis meæ.* Sed poteſt & Græcis libris octavum caput ex tertio auctum eſſe, præſertim cum eadem utroque loco verba legantur, καὶ εἰς ταμιεῖον (ταμεῖον Gq.) τῆς συλλαβούσης με, *& in cubiculum ejus quæ concepit me.* Atqui obſtare videtur quod Græca antigrapha emendatiora nihil, ſi non iſtud, habeant quod reſpondeat huic תלמדני *docebis me.* Nam Aldina quidem &, quæ Aldinis fere conſentiunt, Germanica Biblia illi καὶ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης με, ſubjungunt διδάξεις με· at id nequaquam habent Vaticana, nec cum Complutenſibus Regia, ſuffragantibus Græcis Enarratoribus, Philone, Theodorito, aliiſque tribus Græcis Patribus, ex quibus collectam paraphraſim legere in Theodorito licet: quanquam addatur textui Theodoriti commentariis adjuncto. Quamobrem videri poſſit illud, διδάξεις με, Septuaginta duorum tranſlationi, aut ex Hebræo, aut Symmachi, Theodotionis, vel alterius verſione, additum eſſe: hoc autem, καὶ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης με, à LXXII. tranſlatum, ejus loco quod alii converterunt, διδάξεις με, Latinus, *Ibi me docebis.* Nam למד, quod *docere* ſignificat, non diſſimile eſt à ילד, quod eſt *parere*, ut hinc ejuſmodi quid legerint aut effomaverint, propter quod totum repetendum judicarint quod cap. 3. verterant, καὶ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης με. Nihil ſtatuo: tantum quæ ſagax lector indaget propono.

12. *Mille tui* (o.) *pacifici, & ducenti his*, (*ii* o. o.) *qui cuſtodiunt fructus* (*fructum* 1 MS. H. G.) *ejus.*] Pro eo quod habemus nos, *Mille tui pacifici*, Hebræi legunt האלף לך שלמה, quod eſt, *Mille tibi Salomon.* Eundem ad modum Græci, οἱ χίλιοι τῷ Σαλωμών. Regis editio habet, οἱ χίλιοι Σολομῶντι· in Vaticano autem codice integerrime eſt, οἱ χίλιοί σοι Σαλωμών, *Mille tibi Salomon.* Itaque exiſtimant nonnulli perverſe in Latinis libris legi *pacifici* pro *pacifice:* voluit enim Interpres proprii nominis interpretationem, quippe ſpirituali ſenſui accommodam, dare. Atque his Complutenſis editio ſuffragatur, cujus in Latino textu aperta eſt lectio, *Mille tui pacifice.* Verum nullum alium codicem qui *pacifice* legat invenere Pariſienſes; nullum alium Hentenius; nullum vero penitus, qui diu ante hos hæc inveſtigavit, Epanorthotes; nullum etiam omnino, qui ante 300 annos huic negotio operam dedere, Franci Dominicani. Inter noſtros quoque libros nullus eſt qui *pacifice* legat. Duo ſunt tamen MSS. quæ aliquid habeant quod eo facere videatur. Unum legit *pacifices*, id enim potius eſt quam *pacificos*; alterum *pacificu*, aut, quod veriſimilius apparet, *e* litera poſt *i* poſita eſt, ad indicandam aliam lectionem, *pacifice.* Hic D. Hunnæi (*K.*) ille Atrebatenſis Collegii eſt liber. Quod in Bibliorum margine eſt 1 MS, pro Complutenſi codice poſitum eſt. Non enim erat operæpretium novam fingere notam ad deſignandos impreſſos codices, qui paucis in locis ſoli ſine manuſcriptis notandi fuerint. Nec poterat hoc loco *R* poni pro Complutenſi, id quod alias obſervavimus; quod Complutenſis ſcriptura in Regiam editionem mendoſe transfuſa ſit cum diphthongo, *pacificæ.* Alii igitur eorum qui quid Hebraice eſſet didicerant, quia in Latinis Bibliorum exemplaribus non aliud invenire potuerunt quam *Mille tui pacifici*, annotarunt, voces *tui pacifici* ſecundo caſu ſingularis numeri intelligendas eſſe, quas Hebraicæ veritatis ignari primo pluralis numeri caſu exponunt. Et ſane id omnino videtur, gignendi caſu intelligendas eſſe voces *tui pacifici*, ſi non vocandi caſu legendum ſit *pacifice:* vix enim dubium eſſe poteſt quin horum alterum voluerit Interpres, ei qui interpretationis fontem conſideret. Quod ſi ſervaſſet proprium *Salomonis* nomen, ut ſecundo capite, ſemel, iterum & tertio, ea non fuiſſet cortumpendi aut prave intelligendi occaſio. Sed maluit hoc capite proprii nominis interpretationem convertere, cum hoc tum præcedenti verſu, ut ſenſui myſtico ſeu ſpirituali facilior daretur locus, pateret via.

DRUSIUS.

1. מִי יִתֶּנְךָ כְּאָח לִי· Aq. Τίς δώσει σε ὡς ἀδελφὸν ἐμοί; *Quis dabit te ut fratrem mihi?* ❡ אֶמְצָאֲךָ בַחוּץ אֶשָּׁקְךָ· Sym. ἵνα εὑροῦσά σε ἔξω, φιλήσω σε, *ut inveniens te foris, oſculer te.* Alius, εὑρήσω σε ἐν ἀγορᾷ, φιλήσω σε, *inveniam te in foro, oſculabor te.* Alius -- ἐν ἀγρῷ *in agro.* -- ❡ גַּם לֹא־יָבוּזוּ לִי· VI. ed. καὶ μηδεὶς ἐξευτελίζῃ με *& nemo vilipendat me.* Aq. οὐκ ἔτι μυκτηρίσουσί με *non amplius ſubſannabunt me.*

2. תְּלַמְּדֵנִי· διδάξεις με *docebis me.* ❡ מִיַּיִן הָרֶקַח· οἴνου ἀρτυμένου *vino condito*] Sic etiam Hier.

5. מִן־הַמִּדְבָּר· Schol. ἐκ τῆς ἐρήμου *ex deſerto.* ❡ מִתְרַפֶּקֶת· VI. ed. ἐπερειδομένη *innixa*] Origenes videtur legiſſe & ἐπιστηριζομένη. Vide ſis Rom. ed. ❡ תַּחַת הַתַּפּוּחַ עוֹרַרְתִּיךָ· Aq. ὑποκάτω τοῦ μήλου ἐξήγειρά σε *ſub malo excitavi te.* Sym. ὑπὸ τὴν μηλέαν *ſub malo arbore.* ❡ שָׁמָּה חִבְּלָה· Aq. ἐκεῖ διεφθάρη *ibi corrupta eſt.* Sym. ὅπου *ubi.*

6. שִׂימֵנִי· Schol. περίθου *circumpone.* ❡ כִּי־עַזָּה כַמָּוֶת אַהֲבָה· Sym. ὅτι ἀκαταμάχητος ὡς θάνατος ἡ ἀγάπη. *quoniam inexpugnabilis ut Mors Charitas.* ❡ רְשָׁפֶיהָ רִשְׁפֵּי אֵשׁ· Schol. λαμπάδες αὐτῆς λαμπάδες πυρός, *lampades ejus lampades ignis.* Sym. αἱ ὁρμαὶ αὐτῆς ὁρμαὶ πύρινοι, *impetus ejus impetus ignei.* VI. ed. σπινθῆρες αὐτῆς σπινθῆρες πυρός, *ſcintillæ ejus ſcintillæ ignis*] *Lampades ejus*, &c. Sic Hier.

7. אִם־יִתֵּן אִישׁ אֶת־כָּל־הוֹן בֵּיתוֹ· Aq. ἐὰν δῷ ἀνὴρ σύμπασαν ὕπαρξιν τοῦ οἴκου αὐτοῦ, *ſi det homo univerſam ſubſtantiam domus ſuæ.* ❡ בָּאַהֲבָה· Sym. ὑπὲρ τῆς ἀγάπης *pro amore.* ❡ בּוֹז יָבוּזוּ לוֹ· Idem, ἐξευτελιζόμενος ἐξευτελισθήσεται *vilipenſus vilipendetur.*

8. אָחוֹת לָנוּ קְטַנָּה וְשָׁדַיִם אֵין לָהּ· V. ed. Ἀδελφὴ ἡμῶν ἡ μικρά,

χρῷ, καὶ μασοὺς οὐκ ἔχεις, *Soror noſtra es parva, & ubera non habes.*

9. נָצוּר עָלֶיהָ לוּחַ אָרֶז· Sym. περισφίγξωμεν αὐτὴν σανίσι κεδρίνοις *conſtringamus ipſam tabulis cedrinis.*

10. אָז הָיִיתִי בְעֵינָיו כְּמוֹצְאֵת שָׁלוֹם· Aq. τότε ἐγενόμην ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ εὑρίσκουσα εἰρήνην, *tunc fueram in oculis ejus inveniens pacem.*

11. בְּבַעַל הָמוֹן· Schol. ἐν ἔχοντι πλῆθος *in habente multitudinem.* Aliud Schol. ἐν κατοχῇ ὄχλου *in detentione turbæ.* ‖ אִישׁ יָבִא בְּפִרְיוֹ אֶלֶף כָּסֶף· Schol. ἐνέγκῃ ὑπὲρ καρποῦ αὐτοῦ χιλίους ἀργυρίους, *ferat ſupra fructum ſuum mille aureos.*

13. הַיּוֹשֶׁבֶת· Sym. οἱ καθήμενοι *ſedentes.* ‖ מַקְשִׁיבִים· Schol. ἀκροῶνται.

14. הָרֵי בְשָׂמִים· Schol. ὄρη τῶν ἡδυσμάτων *montes dulcedinum.*

GROTIUS.

1. Q*Uis mihi det te fratrem meum*] Ideſt, Utinam frater meus eſſes.

Sugentem ubera matris meæ] Frater parvulus adhuc, qualibus ſolent ſorores libare oſcula.

Ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat] Ut etiam palam nemine improbante oſcula tibi dem.

2. *In domum matris meæ*] Vide ſupra III. 4.

5. *Quæ aſcendit de deſerto*] Quæ tam dulce halat quam ager à pluvia recens.

Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua: ibi violata eſt genitrix tua] In Hebræo, *Sub arbore malo nudavi te* (id eſt, devirginavi): *ibi concepit te mater tua, ibi concepit te genitrix tua*, id eſt, eodem modo. *Malum* quid intelligat, non obſcurum ex II. 3. 5. Vide Servium ad illud Virgilii:

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

Sed & Græci dicunt ἰςοβοῆα [*temonem*].

4. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*] Ita cordi tuo ſim proxima ut monile quod ſuper cor ponitur.

Ut ſignaculum ſuper brachium tuum] Ita tibi adhæream ut annulus manui.

Fortis eſt ut mors dilectio] Inſuperabilis amor meus.

Dura ſicut infernus æmulatio] Ζῆλος in Græco. Id autem ſignificat *amorem ardentem.*

Lampades ejus lampades ignis atque flammarum] In Hebræo, *pruna ejus, pruna ignita* (ut) *flamma Dei*: id eſt, holocauſti. in nomine hoc שלהבתיה abundat, ש, ut apud Chaldæos ſæpe.

7. *Aquæ multæ non potuerunt exſtinguere caritatem*] Non poſſent exſtinguere hunc amorem. Antipater:

Πυρσοὺς ἔρωτος ἀεὶ αἰώνιος· ἐσβέσθη δ'
Οὐδέ ποτ' ἐν πολλῷ πεπτάμενος πελάγει.

[*Semper flagrat amans, exſtingui neſciit ille*
Tunc etiam magno cum ſatus in pelago eſt.]

Zenodotus:

Τίς γλύψας τὸν Ἔρωτα παρὰ κρήνῃσιν ἔθηκεν,
Οἰόμενος παύσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι;

[*Ad fontem puerum poſuit quis ſculptor Amorem,*
Exſtingui ſperans flumine poſſe faces?]

Æditiuus Poeta Latinus:

Quid faculam præfers, Phileros, quæ nil opus nobis?
Ibimus: hoc lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam nam potis eſt vis ſæva exſtinguere venti,
Aut imber cælo candidus præcipitans:
At contra hunc ignem Veneris, niſi ſi Venus ipſa,
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere.]

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam] Tibullus:

Ite ſub imperium ſub titulumque lares.

8. *Ubera non habet*] Mammæ ejus nondum ſororiant.

Quid faciemus ſorori noſtræ in die quo alloquenda eſt] In Hebræo, *cum de ea ſermo fiet*: cum de ea maritanda agetur.

9. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis*] Senſus eſt: egregium illi inveniemus maritum. Id gemina ſimilitudine lepide illuſtratur: nam pinnæ ſuperponi muris ſolent, & oſtium claudi immiſſa ſore.

10. *Ego murus*] Ait nupta, ſe jam talem eſſe murum.

Et ubera mea ſicut turris] Quæ de muro prominet.

Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens] Sum, inquit, murus, ad uſum non belli, ſed amoris.

11. *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos*] Ex Hebræo ſic: *Vinea eſt Solomoni in Bahaamon.* Is locus erat non longe ab Hieroſolymis.

Tradidit eam cuſtodibus] Elocavit eam iis qui eam diligenter aſſervarent.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos] Quiſque conductor dat pro uſu vineæ ſiclos mille.

12. *Vinea mea penes me eſt*] *Vinea* hic quod *hortus* ſupra. Ego meam non eloco.

Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus ejus] In Hebræo, *Mille tibi, ô Solomon, & ducentos* (ſupple *dabo ego, pro*) *cuſtodientibus fructum ejus.* Ego tibi plurimam pecuniam dotalem dabo, unde filio qui mihi naſcetur miniſtros, & cuſtodes conducas. Hæc dicit poſtquam conceperat.

13. *Quæ habitas in hortis*] Eſt quidem Hebræa vox in ה deſinens, ſed tales ſæpe communiter ſumi diximus ad inſcriptionem *Eccleſiaſtæ.* Alloquitur Salomon infantem in utero latentem: dicitque omnes Judæos valde optare ut vocem ejus exaudiant.

14. *Fuge dilecte mi*] Effuge ex utero velociter. Tale illud:

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iülo.

FINIS.

Digitized by

Digitized by Google

1.
1-6-1